Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

XV.
G.
16.

Digitized by Google

ZEGERI BERNARDI VAN ESPEN

JURIS UTRIUSQ. DOCT.

OPERA OMNIA ECCLESIASTICA.

Digitized by Google

Digitized by Google

JUS

ECCLESIASTICUM

UNIVERSUM

HODIERNÆ DISCIPLINÆ,

PRÆSERTIM

BELGII, GALLIÆ, GERMANIÆ

ET

VICINARUM PROVINCIARUM

ACCOMMODATUM.

ex ipsis Sacræ Scripturæ Literis, SS. Canonibus, Concii-
liorum, tum Oecumenicorum, tum Synodalium Decretis, Pontificum rescriptis, SS. Patrum Sententiis, Principum edictis, & Magistratûs tam Ecclesiastici, quàm civilis præjudiciis variis depromptum.

partis ex ipsismet fontibus, Authorum exscriptione neglecta,
reductisque ad Usum quam plurimis vetustate inumbratis observationibus optimis.

*omnibus Episcopis, & eorum Vicariis, Abba-
tibus, singulisque Ecclesiasticis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, cæterisque tam SS. Theologiæ, quàm Jurisprudentiæ studiosis, maximè in materia Canonica, & Praxi Beneficiaria versantibus, & animarum curatoribus utilissimum, apprimèque necessarium, facem ad quoscunque casus etiam abstrusissimos discutiendos prælucens.*

AUTHORE ZEGERO

BERNARDO VAN ESPEN

Presbytero J. U. D. SS. Can. Profess. in Academia Lovaniensi,

Editio Germanica secunda, Belgicâ versione & Gallici idiomatis in Latinum subjecta versione, ut & Monumentis ab Authore in fine tantùm appositis his nunc classibus insertis commodior reddita.

COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus WILHELMI METTERNICH Bibliopolæ
Sub signo Gryphi, ANNO M. D. CC. XV.
Cum Permissu Superiorum.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

PARAGRAPHUS PRIMUS

De Scopo & Materia Operis.

Titulus huic Operi præfixus JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM *nonnullis eam posset Idæam imprimere, quasi hoc Opere, omnia quæ ad hoc Jus spectant, continerentur; Universúmque Jus Ecclesiasticum plenè in eo repræsentaretur; quod sanè non unum alterumve, sed plura eáque prolixa Volumina requireret.*

Igitur Opus hoc inscribitur Jus Ecclesiasticum Universum, *non quod in eo universa & singula ad Jus istud spectantia contineantur & explanentur, sed quod universa, aut ut minùs præcipuæ hujus Juris materiæ eo modo proponantur & exponantur, ut sperem ex Principiis positis ad notitiam hujus Juris Ecclesiastici perveniri posse; atque Dubia & Quæstiones in eo occurrentia dissolvi.*

Ut autem totius Juris Ecclesiastici, *seu* Disciplinæ Canonicæ *idæam perfectam & plenam Lectori exponerem, Jus pristinum cum recentiore in singulis penè Disciplinæ seu Juris Ecclesiastici punctis ita cumulare studui, ut ex Operis hujus lectione innotescat, quid pristina Ecclesiæ Disciplina statuerit, & quid hodierna circa singulos articulos decernat, aut toleret.*

Nec tantùm utrumque Jus Ecclesiasticum, pristinum & hodiernum, simpliciter allegare volui, sed insuper indicare, quando, & qua occasione quibusque gradibus à pristina ad hodiernam Disciplinam descenderimus.

Insuper praxim sive Disciplinam hodiernam contra pristinos Patrum mores & Canonum constituta introductam sic repræsentare studui, ut usum legitimum ab abusu separarem; ostendendo qualiter illi nos conformare possimus, hunc verè vitare, aut etiam ei Nos opponere & contradicere subinde debeamus.

Ius Ecclesiasticum *sive* Canonicum *affine esse scientiæ* Theologicæ, *plurimásque materias utrique esse communes, quin & ex iisdem principiis resolvendas, nemo, qui utriusque vel modicam notitiam habet, ignorat.*

Hinc jam pridem dicere non dubitavit pius ac doctus Ioannes Gersonius Universitatis Parisiensis Cancellarius in Recommendatione Licentiandorum in Decretis *per quadringentos inclusivè annos & ampliùs, sic fuisse gubernatam Ecclesiam, ut non esset distinctio Theologorum & Canonistarum; additque, quod* " Canones, *si benè inspiciamus, non sint nisi conclu-* „*siones elicitæ vel illatæ ex Principiis Theologicis, id est, ex Evangelio & aliis libris Canoni-* „*cis per illos, quibus dicit Christus:* Qui vos audit, me audit.

Ut igitur Universum Jus Ecclesiasticum *repræsentaretur, necesse fuit, etiam attingere materias, quæ primo intuitu ad Theologicam magis, quàm Juris Ecclesiastici scientiam pertinere videntur, puta* de Sacramentis in genere & singulis eorum speciebus, indulgentiis, *aliisque similibus materiis.*

Quis enim nescit, & hisce in materiis, multa ad Disciplinam Ecclesiasticam spectantia esse immixta, quæ ex Canonibus, & statutis positivis, non autem è Libris Canonicis aut principiis Theologicis immediatè dependent, aut resolvuntur.

Et nonne Pontifices hasce materias Decretalium libris inserendo, sufficienter ostenderunt, eas non à solis Theologis, sed & Canonistis esse tractandas? scientes, in his plurimùm Juris Ecclesiastici *sive* disciplinæ *occurrere; uti & Gersonius notavit, subjiciens exemplum in*

„ uno per quod (ait) sciatur in cæteris. Confessio Sacramentalis est de lege Evangelica propriè „ dictá: sed quod fiat hoc tempore vel illo, & apud suum certum Sacerdotem, vel apud illum, de „ jure positivo est, quod nec clarè sequitur ex Lege Evangelica, quod sic debeat fieri, nec tamen „ repugnans. Talia sunt sine numero in reliquis quæ concernunt Dei cultum, & charitatem erga „ ipsum & proximum nostrum.' Hæc Gersonius in citata Recommendatione.

Has igitur materias quasi Theologicas hoc in opere omittere non potui; ea nihilominus servata moderatione, ut ea quæ ad Disciplinam pertinere videbantur, à merè Theologicis secernere studens, illa sola examinarem, hæc verè Theologis tractanda & resolvenda remitterem.

Hinc super materiis aut formis Sacramentorum quæstiones inter Doctores Scholasticos disputatas, vel etiam super Fidei nostræ dogmatibus aliisque ejus generis cum Hæreticis controversias, vel nullo modo, vel admodum leviter, ac Historicè potius, quam Theologicè attigi.

Insuper nemo vel parum in Jure versatus ignorat, quam difficulter Jus Civile à Jure Ecclesiastico, præsertim recentiori separari queat; & quantopere Legis scientia assequendæ Iuris Canonici scientiæ conducat; imò penè necessaria sit. Quapropter nec mirum apparere debet, si plura hinc inde ex Iure Civili huic Operi immixta quis videat. Ut tamen, quantum citra detrimentum Iuris Ecclesiastici licuit, me intra scientiam hujus Iuris continerem, materias illas, quæ ex Iure Civili & Statutis Politicis unicè penè dependent omittendas judicavi; uti sunt materiæ contractuum, Testamentorum, Fidei commissorum, Legatorum, hisq; similes, de quibus vel nihil, vel pauca, quæ ad Ecclesiasticum Ius propiùs spectant (puta de Rebus Ecclesiæ alienandis vel non, de Testamentis Clericorum, item de successione in bona Clericorum Intestatorum) tractare volui.

E quibus Ius hoc Universum potissimum hauserimus, in Operis Titulo indicatur: sed tamen, quia non omnia ejusdem sunt ponderis, & auctoritatis, in hisce Prolegomenis, quæ singulis auctoritas tribuenda sit, paucis exponemus; si prius, quis Iuris Veteris & novi usus esse debeat, paucis annotaverimus.

PARAGRAPHUS SECUNDUS.
Quis debeat esse usus pristinæ disciplinæ?

PRistinam Ecclesiæ Disciplinam in plerisque præsertim majoris momenti articulis recentiori & hodiernæ Disciplinæ ita conjungere studui, ut tamen utrámq; non confunderem, sed quid illa præscripserit, & in quo hæc ab illa recesserit, distinctè exponerem.

Quam utilis, imò penè necessaria sit hæc pristinæ Disciplinæ notitia, non difficulter intelligetur, si reflectatur ad ea, quæ in hoc Opere sparsim dicuntur.

Apparebit imprimis, quod licet Ecclesia nonnumquam à Disciplina jam pridem in Conciliis sanctissimè instituta, atque per plura secula religiosissimè summo etiam cum rigore observata, pro temporum & personarum conditione nonnihil recedere cogatur; ipsamque Disciplinæ relaxationem tolerare vel dissimulare, nihilominus numquam non optet, desideretque, eam, quantum possibile est, ubi nondum collapsa est, sollicitè servari, collabentem sustineri, & collapsam restaurari, velitque in hoc Episcoporum, Pastorúmque curam & laborem præcipuè collimare: imò ad hanc collapsæ disciplinæ totum reformationis Opus tendere debere, apparebit ex iis, quæ dicta sunt Parte prima hujus Operis tit. 10. c. 2. & latius in Dissertatione De veterum Canonum & in eis contentæ Canonicæ Disciplinæ stabilitate, & legitimo eorum usu, quam vice præfationis Commentario in Canones in nova editione, quæ modò sub prelo est, præmisi: ubi & una ostenditur, quàm periculosè pro abolitione Sacrorum Canonũ aut Disciplinæ Ecclesiæ sumatur argumentum à communi in Ecclesia praxi aut ab Ecclesiæ tolerantia. Insuper explicatur, quomodo, & quâ moderatione Prælati Ecclesiæ in restauranda pristina Disciplina procedere debeant.

Non tantum pristinæ Disciplinæ notitia ad hujus conservationem aut restaurationem conducit; sed & frequenter exacta hodiernæ Disciplinæ notitia sine illa haberi nequit: eo quod à pristina tamquam rivulus è fonte hodierna disciplina originem ducat: imò plura Disciplinæ hodiernæ puncta non sunt nisi pristinæ ipsius Disciplinæ reliquiæ, quæ sine hujus pristinæ disciplinæ notitia, obscura planè ac inanes ritus sæpiùs apparebunt: si autem cum pristina disciplina cujus sunt reliquiæ, seu quædam vestigia, conferantur, utiles & plenæ spiritu Ecclesiæ apparebunt; cujus exempla in decursu operis plurima notavi, & Lectori occurrent; ac signanter parte 2. tit. 2. c. 3. Adhæc en

hac ex ipsa pristinæ disciplinæ scientia facilis solet esse accessus ad percipiendum verum spiritum Ecclesiæ in his, quæ modernam disciplinam spectant. Licet enim Ecclesia nonnumquam exteriorem *suam disciplinam mutet, vel relaxet, non tamen mutatur Spiritus Ecclesiæ, sed hic invariabilis & immutabilis perseverat, uti sæpius in hoc Opere monui, & in materiis occurrentibus sollicitè annotavi.*

Quin & ex operis hujus Lectione innotescet, ex ignorantia pristinæ disciplinæ, frequenter in crassos errores circa hodiernam Ecclesiæ disciplinam prolapsos Interpretes tam Theologos, quã Canonistas; eosque errores notabilibus abusibus subinde occasionem dedisse. Quapropter, ut fructuosè studio Juris Ecclesiastici incumbatur, & ad ejus perfectam notitiam perveniatur, nequaquam negligendum est studium pristinorum illorum Canonum, qui Patrum disciplinam repræsentant. Quod & seculo præterito rectè advertit pristinæ disciplinæ zelosissimus Restaurator S. Carolus, de quo vitæ ejus Auctor scribit: " Canonum ea scientia ipsi perjucunda erat, quæ Pa- " trum mores & acta repræsentans Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continet. Do- " lens autem eos communi consuetudine tantummodò Canones ad interpretandum seligi, qui ad " lites judiciaque valent; constituit ipse, qui iis declarandis præesset, unde sacra Majorum *" Instituta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus hauriretur.*

PARAGRAPHUS TERTIUS.

Attendenda circa recentiorem praxim in Ecclesia receptam.

NOtavimus præcedenti Paragrapho, Ecclesiam subinde dissimulare aut tolerare relaxationem Disciplinæ, quæ pro formandis moribus, aut vitiis extirpandis olim sanctissimè fuerat instituta, & per plura secula summo cum rigore observata.

Porrò ex hac dissimulatione seu tolerantia contingit, ut similis relaxatio quasi pro praxi & disciplina ipsius Ecclesiæ interdum invalescat, & reputetur: quam tamen revera Ecclesia tolerat potiùs, quam probet.

Ut ergo votis Ecclesiæ obsequantur Prælati & Pastores Ecclesiæ, allaborare debent, ut pristina illa disciplina sensim, ubi collapsa est, restituatur, aut nondum totaliter collapsa sustineatur; ita tamen ut hac in parte procedatur fortiter & suaviter; id est, Zelo Pastorali quâdam Christianâ prudentiâ & moderatione temperato quemadmodum fusiùs exposui in Dissertatione Proœmiali ad Tractatum Historico-Canonicum in nova Editione.

Ulteriùs circa recentiorem disciplinam contra pristinam Ecclesiæ disciplinam sensim introductam attendendum, num hæc concernat materiam morum, & quidem notabilis consequentiæ; an verò dumtaxat versetur circa ritus aliquos in Administratione Sacramentorum, vel Celebratione Divinorum Officiorum, vel formam Judiciorum aliosve similes haud magni momenti disciplinæ articulos.

Quis enim ambigat, quin multa dissimulanda sint, circa posteriora, quæ non essẽt circa priora; plusque allaborandum, ut in prioribus restituatur Ecclesiæ pristina disciplina, quam in posterioribus: atque nonnumquam propter aliquas oppositiones, difficultates, & turbationes in populo, permittendam disciplinam inolitam circa ritus formamve Judiciorum, licet contraria etiam appareat conformior Spiritui Ecclesiæ, ob quas non esset permittenda & toleranda praxis, quæ contra Sacros Canones invaluit in materia morum & notabilis consequentiæ.

Attendendum insuper, num praxis contra Sacros Canones, & jampridem usitatam disciplinam, universaliter per totam Ecclesiam, aut saltem in his Ecclesiis ab omnibus recepta sit; an verò ita dumtaxat, ut à plerisque quidem recipiatur, contraria tamen apud melioris instituti homines adhuc perseveret: ac præterea, num praxis introducta, etiam auctoritate Prælatorum & Superiorum positivè sit probata, puta Synodorum Decretis, aut Libris Ritualibus inserta; num verò dumtaxat simpliciter dissimuletur & passim toleretur. Neque enim dubitari potest, quin faciliùs circà hanc à Fidelibus aut inferioribus Pastoribus aliquid mutari; aut pristina disciplina contraria observari, aut urgeri queat, quam circa priorem generaliter receptam, aut superiorem auctoritate positivè probatam.

Similia circa pristinam & modernã Disciplinam sparsim in hoc Opere annotare studui, ut hinc

innotesceret, qualiter Prælati & Pastores circa hujus tolerantiam, & illius restitutionem se gerere debeant; ne dum nimium dissimulant, nihil ad perfectum adducant, vel dum econtrà præcipiti & inordinato Zelo omnia ad pristinam Ecclesiæ Disciplinam reformare volunt, omnia turbent: licet hac in parte, frequentior soleat esse defectus; quàm excessus.

PARAGRAPHUS QUARTUS.
De Citationibus Decreti Gratiani.

MIrum forsan nonnullis apparebit, quod Canones, & dicta Sanctorum Patrum referens, sollicitè annotaverim loca Decreti Gratiani, quibus hi Canones aut Patrum dicta à Gratiano referuntur; quasi Canonibus aut Patrum Sententiis per relationem in Decretum Gratiani aliquid auctoritatis accederet: cum tamen communi & Canonistarum & Theologorum consensu receptum sit, Decretum Gratiani nullam habere auctoritatem Juris; neque Patrum Sententias, aut particularium Synodorum aut Episcoporum Decreta accipere auctoritatem Juris Publici & communis, quia in Decretum Gratiani relata sunt. Huic sanè Doctorum opinioni lubens subscribo; eamque in Tractatu meo Historico-Canonico in Canones pluribus confirmavi; neque loca Gratiani annotavi, ut Canonibus, aut Sententiis Patrum auctoritatem Juris ex relatione in hoc Decretum assererem.

Verùm, cùm scirem, Decretum Gratiani unà cum aliis partibus Juris Canonici constituere hodiernum Corpus Canonicum, cui ipsi Juris-Consulti ab initio assueverunt; sciremque, ipsis Studiosis Juris in Scholis publicis hoc prælegi, & explicari, existimavi haud ingratum eis futurum, si indicarem, Canones, Decreta, & Patrum Sententias extare in Decreto, quod ipsi in suo Corpore Juris Canonici habent, & quo continuò ut quodam Canonum codice utuntur; imò è quo in controversiis & quæstionibus occurrentibus passim Canones, non tantum in ipsis Scholis Academicis, sed & in Judiciis citari & allegari vident. Ut nec dubitare possim, quin Canones, & Patrum Sententiæ aliquid amplius ponderis, saltem apud Juris-Consultos & in eorum Tribunalibus obtineant, dum è Decreto Gratiani allegantur, quàm si immediatè ex aliqua particulari Synodo, aut Auctore recitarentur, quod & latiùs ostendi in citato Tractatu, ubi unà exposui, quæ authoritas aliquando tam apud Theologos quàm Canonistas fuerit hujus Decreti; & unde tanta ei authoritas accesserit.

PARAGRAPHUS QUINTUS.
De Decretalibus Gregorii IX. & aliis posterioribus partibus Corporis Canonici.

DEcretalium Collectio jussu Gregorii IX. confecta, eo fine publicata est, ut iis in Judiciis & Scholis universi utantur, *uti dicitur in Epistola Compilationi præfixa, & Doctoribus, & Scholaribus Universitatis Bononiensis inscripta.*

Eadem intentione & subsequentes Corporis Canonici partes publicatas esse, indicant earum respectivè Præfationes.

Porrò sicuti hac intentione à Pontificibus publicatæ sunt, ita quoque ubique penè Gentium receptæ fuère, ut quidquid iis continetur pro Jure communi reputatum sit. Ideoque quidquid iis præscribitur, pro Jure reputatur, quamdiu generali aut particulari contrario Jure ei derogatum non ostenditur.

Imò si Jus posterius sive scriptum, sive Consuetudinarium sit dubium, ex hisce Decretalibus aliisque Libris Corporis Canonici, tamquam ex Jure communi interpretationem accipere solet.

Hac Juris Canonici authoritas ubique in hisce & vicinis Regnis ita firmiter erat stabilita seculo præterito, ut licet plures Provinciæ authoritatem Romani Pontificis excusserint, nihilominus hoc Ius Canonicum pro Iure communi constanter retinuerint, uti testatur Arturus Duck Lib. 1. De Auctoritate Juris Civilis cap. 7. *ubi* num. 17. & 18. *hæc habet:* "*Illud porrò in „Iuris Canonici laudibus eximium est, quòd Principes Protestantes Germanici, aliive, post quam*

„ *quam ab Ecclesia Romana recesserunt, Lutheri & Calvini doctrinam amplexi, omnemque*
„ *Pontificis Romani potestatem abdicassent, Jus tamen Canonicum non excusserunt, sed eo in*
„ *causis suis decidendis etiamnum utuntur, eodem planè modo sicut Principes Europæi, postquã*
„ *renunciaverant Cæsarum potestati, leges tamen Cæsareas adhuc observant. Et licet Martinus*
„ *Lutherus zelo præpropero & inconsulto ductus Juris Canonici Libros repugnantibus Juris-*
„ *consultis, VVittebergæ combusserat, Juris tamen Canonici usum ab eo tempore Saxonei, Brunſ-*
„ *vicensei, cæterique Protestantes semper conservârunt nulla mutatione in eo admissâ, sicut in*
„ *Augustana confessione consenserunt, Jusque Canonicum VVittebergæ, & in reliquis Prote-*
„ *stantium academiis adhuc publicè docetur.*

Itaque quæ ex Decretalibus Gregorii IX. aut Sexto Decretalium Bonifacii VIII. vel Clementinis, aut Extravagantibus in hoc Opere referuntur, pro jure communi recipienda sunt, & pro jure servanda quousque ostendatur, Jure scripto vel consuetudinario, seu generali seu particulari ab hoc jure communi recessum; de quo latius in citato tractatu Historico-Canonico.

PARAGRAPHUS SEXTUS.

De Receptione Concilii Tridentini.

C*Um decima Decembris anni 1563. finem accepisset Concilium, Pius IV. tunc Pontifex Romanus, universa ejus Acta & Decreta confirmavit per Bullam quæ incipit,* Benedictus Deus, *editam & publicatam Romæ 2. Januarii anni 1564. & ab omnibus Christi Fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevit; præcipiens universis Ecclesiæ Prælatis quacumque dignitate fulgentibus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœnis à Sacris Canonibus constitutis aliisque gravioribus etiam privationis, ut eadem Decreta & Statuta in Ecclesiis suis, Civitatibus, ac Diœcesibus, in judicio & extra judicium diligenter observent, & à Subditis quisque suis ad quos quomodolibet pertinet, inviolabiliter faciant observari. Hanc Bullam sequuta est alia ejusdem Pontificis, quæ incipit,* Sicut ad Sacrorum *publicata Romæ 20. Iulii ejusdem anni qua declarat, Decreta Sacri Generalis Concilii Tridentini, ad reforma-*
„ *tionem & jus positivum dumtaxat spectantia eos ad quos pertinent à Kalendis Maji proxi-*
„ *mè præteriti omnes obligari cœpisse, neque post eam diem excusationem cujusquam, quod ea*
„ *ignoraverit, admittendam, atque ita Apostolicâ auctoritate declarat, ac definit, & ab omni-*
„ *bus judicari mandat atque statuit.*

Philippus II. tunc Hispaniarum Rex, & Belgarum Princeps, hac in re intentioni Concilii & Pontificis obsequi volens, curavit quamprimum Decreta hujus Concilii in omnibus suis Ditionibus publicari, adjuncto mandato ad omnes Officiarios Seculares, ut dum requisiti fuerint, auxiliare brachium in eundem effectum sine ulla tergiversatione aut dilatione præstent. Quod quidem mandatum per Hispaniæ Regna anno 1564. mense Iulio publicatum esse, ex Emanuele Rodrigues refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 31. §. 4.

Scripsit quoque Philippus II. ad Margaritam Parmensem tunc Belgii Gubernatricem, ut Concilium Tridentinum quo ad puncta reformationis per has Belgicas Ditiones publicari & exactè observari curaret.

Igitur sub initium anni 1564. litteras dedit Margarita nomine Regis ad Archi-Episcopum Cameracensem, ut Decreta Concilii expenderet, & de modo, quo in sua Diœcesi secundum Iura, privilegia, consuetudines hæc Decreta executioni mandari possent, sententiam suam exponeret. His litteris respondit Archi-Episcopus 23. Iulii ejusdem anni, celebrationem Synodi Provincialis super receptione Concilii, & publicationem Decretorum per singulas Ecclesiarum Parochias, esse quidem modos juri consentaneos, & antehac in re simili usitatos, sed magnis difficultatibus fore implicitos, nisi Regia auctoritate Decreta Concilii prius probentur & admittantur.

Margarita interea ex tumultibus hic excitatis prævidens, quot difficultatibus receptio & publicatio Concilii Tridentini auctoritate regiâ esset obnoxia, uti narrat Famianus Strada de Bello Belgico, prius explorare voluit, non tantum sententiã & judicium Episcoporum, & sed conciliorum Regionum, nec non Magistratuum præcipuarum Civitatum, atque etiam Academiæ nostræ Lovaniensis super publicatione Concilii Tridentini in his Belgicis Ditionibus quoad Decreta Reformationis.

Litteræ

Litteræ ejusdem tenoris erant, quarum hac fere summa, ut Decreta Reformationis quantocyùs expenderent; atque deliberarent; qualiter & quibus mediis hæc decreta Reformationis possent mandari executioni, ut eorum uberior fructus speratus habeatur; attendendo ad prærogativas & Jura suæ Majestatis, Ecclesiarum, & etiam Jura, privilegia & consuetudines Provinciarum; atque super singulis suam rescriberent sententiam.

Episcopi, uti & Academia nostra Lovaniensis pauca vel nihil annotârunt; rescripserúntque Concilium Tridentinum simpliciter esse publicandum.

Concilia Regia autem, uti & Civitatum Magistratus, examinatis & revisis Reformationis Decretis, plura hinc inde annotârunt, quæ Juribus Regiis suorúmq; vasallorum, & privilegiis, atque inveteratis consuetudinibus harum Provinciarum videbantur contrariari: ideoq; & judicabant publicationem non faciendam, nisi adhibita in his articulis quadam modificatione; ne alias ob inveteratos harum Provinciarum mores, & recepta ac usitata hactenus Jura & Privilegia subitò inversa, turbarentur omnia, omnisq; Concilii speratus fructus impediretur.

Hanc Regiorum Senatuum, & Civilium Magistratuum resolutiones Margarita Belgii Gubernatrix intimavit Regi Philippo II. qui respondit, "sibi non placere, in Concilio populis proponendo quidquam excipi: ne & Romæ, ubi sermonum avidæ, materies obtrectandi; & reliquis Christianis Principibus in Hispaniam intentis, occasio imitandi præberetur. Nam quod de Regio ac Provinciali Jure dicebatur, consideratum abunde fuisse, cum de Concilio eodem publicando quæsitum fuit in Hispania; in qua illæ planè difficultates existebant: quarum sicut nulla tunc ratio habita est, sed concilium sine ulla exceptione propositum, adhibita tamen perlevi moderatione in ejus usu, ita velle in Belgio idem factitari: eoque mitti Hispanicæ promulgationis exemplum, ut parentes imperio suo populi ad unam ubiq; normam pariter exigantur.

Responso Regio accepto ulterioribus deliberationibus finem imposuit Gubernatrix; atque juxta enixam Regis voluntatem, publicationem Concilii simpliciter & sine ulla restrictione fieri mandavit, nullis Concilii articulis in ipso publicationis edicto nominatim exceptis, aut restrictionibus appositis.

Verùm licet ipsa publicatio simpliciter & sine limitatione populo esset intimata, ne tamen jura & mores inveterati Provinciarum non sine populi turbatione invertèrentur; ipsaque subitanea mutatio speratum fructum informationis impediret, declaravit Gubernatrix in Litteris seu Mandatis ad Episcopos & Magistratus Regios pro executione Concilii: "Mentem Regis esse, ne propter promulgationem hanc licet illimitatè & sine restrictione factam, quidquam immutetur aut innovetur circa Regalia, Jura, Privilegia Suæ Majestatis, aut suorum Vasallorum, statuumque suorum & subjectorum, & speciatim circa Jurisdictionem Laicalem, Jus Patronatus Laicis indultum, seu Jus Nominationum, cognitionem causarum & materiæ possessoriæ Beneficiorum, Decimarum poßessarum, aut prætensarum per Laicos, superintendentiam & administrationem Hospitalium aliorúmque piorum locorum: non, inquit, ad contraveniendum dicto Concilio, sed ut executio accommodetur naturæ cujuslibet Provinciæ.

Litteræ ad Episcopos missæ habentur parte 3. Edictorum Flandriæ Lib. 6. Rubrica 1. *& ad Magistratus & Concilia Regia parte 2. eorundem Edictorum,* Lib. 1. Rubrica 2. *atque prædictam clausulam eisdem verbis exprimunt.*

Si notæ à Conciliis Regiis & Civitatum Magistratibus conferantur cum materiis in hac clausula expressis, patebit ad oculum, clausulam illam ad illas notas dirigi; atque Regem earum rationem in executione Concilii haberi voluiße.

Unde & Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicis Tract. 2. art. 9. *relatis annotationibus Concilii Arthesiæ mox subjungit:* Concilium Tridentinum quoad dicta puncta non fuit receptum in Arthesia.

Similiter Anton. Anselmo in suo Triboniano Belgico c. 32. *volens exprimere; quæ per dictam clausulam Rex voluit reservata, retulit servato ordine Sessionum & capitum Concilii Tridentini, quid ad singula à Conciliis Belgicis fuerit observatum, haud dubitans, quin hæc essent, quæ Rex per dictam clausulam reservata voluerat: quod & quotidiana praxis confirmat.*

Itaque si dictas modificationes, jura Regis ejusque Vasallorum, & inveterata Provinciarum

Digitized b

rum privilegia ad regimen spectantia excipias Concilium Tridentinum quoad Decreta reformationis & Disciplinæ simpliciter & absolutè publicatum fuit; unde & in Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. communi omnium suffragio declaratum fuit, ut quidquid Occumenicum Concilium Tridentinum statuerit, id sacrosanctum omnibus sit, & inviolabile.

Et Synodus Provincialis Mechliniensis anno 1570. primo suo Decreto " ordinat & præcipit, ,, ut omnes & singuli, qui ad hanc Synodum convenerint, simpliciter & sine ulla protestatione ,, ea omnia & singula, quæ à Sancta Synodo Tridentina definita & statuta sunt, palàm recipiant ,, secundum tenorem scedulæ sequentis: Ego N. omnia & singula quæ à Sancta Synodo Tridentina statuta & definita sunt, palàm recipio.

Conformiter ad hanc generalem publicationem Concilium Privatum Regium anno 1569. respondisse fertur Concilio Frisiæ, Decretum Concilii Tridentini Sess. 23. cap. 6. De Reformat. *quo decernitur, quòd " nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus ante 14. annum, Beneficium possit obtinere ,, deinceps debere observari, non obstante consuetudine immemoriali in contrarium; utì ex Zypæo notavi parte 2. hujus Operis* tit. 19. num. 12.

Concilio Tridentino igitur in hoc Opere usus fui tamquam generaliter quoad Decreta Reformationis & Disciplinæ recepto, salvis restrictionibus sub sæpe dicta clausula contentis, quas & sollicitè in singulis articulis occurrentibus annotare studui.

PARAGRAPHUS SEPTIMUS.
De Usu Synodorum particularium.

Synodi plures tum Provinciales, tum Diœcesanæ in Belgio, Gallia, aliisque Provinciis pro executione Concilii Tridentini & restauranda Ecclesiæ disciplina celebratæ fuére; qua auctoritate ad asserendam modernam disciplinam sæpius usi sumus in hoc Opere.

Quæ sit auctoritas & vis harũ Synodorum quoad vim Legislativã; & quousque hæc se extendat; vel qui earum Decretis obstringantur, sufficienter expositum est parte 1. t. 18. & 20. *præsentis Operis, in quibus speciatim de Synodis Diœcesanis & Provincialibus tractatũ est.*

Sed quia pro Belgio non tantum Belgicas, sed & exteras ac notanter Mediolanenses Synodos sub S. Carolo frequenter adducimus, notandum, quod licet hæ similesq; Synodi non exerant vim obligandi, sive Legislativam in Belgicas, aut alias Provincias earum terminis non comprehensas, nihilominus non uno titulo pro stabilienda Disciplina Belgii & aliarum Provinciarum utiliter eas adduci.

Primò, quia frequenter Decreta Synodorum potius sunt declarationes quædam & interpretationes Decreti Concilii Tridentini, aut alterius Legis generalis, quàm novæ & positivæ ordinationes: quo casu meritò assumuntur pro intellectu & interpretatione hujusmodi Decreti aut Legis.

Hoc Titulo pro intellectu Concilii Tridentini utiliter admodum assumuntur Decreta Synodorum Mediolanensium sub S. Carolo, cujus curâ & sollicitudine Concilium Tridentinum multùm promotum fuit; quique illud executioni mandare magnopere studuit.

Præterea admodum conducit Synodorum auctoritas, ut Prælati, Pastores, aliique quibus Disciplinæ Ecclesiasticæ *conservatio aut restauratio incumbit, ipsam observantiam populo facilius persuadeant; eamque à novitate, aut singularitate, vel rigore nimio (quibus frequenter recta morum Disciplina aspergitur) vindicent; dum eam non tantum à privato aliquo Auctore, sed & à Synodis probatam ostendunt.*

Adhæc sæpè in aliquibus Synodis nonnulla ad rectum Ecclesiæ regimen, animarum directionem multùm utilia & opportuna occurrunt, quæ in aliis desiderantur; quidni liceat Pastoribus, Prælatis & quibus Ecclesiæ regimen creditum est, hæc ab illis Synodis suggesta impendere & mutuare, tametsi Decreta hæc vim Legis in suis Ecclesiis non habeant?

Quis enim vituperet Prælatos aut Pastores, si è Sanctis Patribus, aut probatis Auctoribus assumant, quæ hi pro regimine Ecclesiæ & animarum directione oportunè suggesserunt: tametsi vim legum eorum dicta aut sententiæ nullam habeant?

Nonne jampridem Ecclesia Romana Synodorum Orientalium, etiam particularium, item Africanorum Decreta pro formanda sua Disciplina assumpsit; tametsi se hisce Decretis non ligari sciret?

Digitized by Google

sciret? Similiter & notorium est, alias Ecclesias passim recepisse Canones exterarum Ecclesiarum, dum illos Disciplinæ formandæ aut stabiliendæ seu asserendæ convenientes intelligebant, quod & in Commentario Historico-Canonico in Canones pluribus ostendo.

Licet ergò particularium Synodorum auctoritas, quo ad vim Legislativam certis limitibus concludatur, quatenus tamen præscribunt aut continent ea, quæ ad rectam Ecclesiæ Disciplinam *fovendam, corroborandam, aut restaurandam; aut etiam declarandum alicujus Canonis aut Decreti sensum conducere possunt, meritò assumuntur etiam ab iis, qui de cætero eorum auctoritate non ligantur; modò nihil sit contrarium Disciplinæ in hac particulari Ecclesia authoritate Superiorum probatæ & pro Lege receptæ.*

Notandum quod Synodo apposita littera P. *significet Synodum Provincialem: littera verò* D. *Diœcesanam. Numerus autem litteræ appositus significet, eam esse vel primam vel secundam.*

PARAGRAPHUS OCTAVUS.
De Edictis Principum.

U*T perfecta haberetur notitia* Disciplinæ Ecclesiasticæ, *præsertim* hodiernæ, *necesse fuit plura citare* Edicta Principum, *quibus ipsa* Disciplina *servanda præscribitur; quæque in his Belgicis vicinisque Provinciis vice Legum, maximè in Tribunalibus Regiis habentur; & ex quorũ præscripto quæstiones, notanter in possessorio, deciduntur.*

Cùm verò similia Edicta concipi & publicari soleant sub nomine Regis Catholici, vel Christianissimi, alteriusve Principis, qui plura inter se omnino distincta Regna, aut distinctas Provincias, sibi subjecta habet, prænotandum hìc censui, Edicta non semper ad omnes Regis aut Principis Ditiones aut Provincias extendi, tametsi nomen Regis aut Principis simpliciter præferant.

Exemplum sit in Edictis Principum nostrorum. Licet enim Brabantia, Flandria, Hannonia, pluresque aliæ Provinciæ pareant uni eidemque Principi, nimirum Regi Catholico, nihilominus Provinciæ illæ manent inter se Divisæ, atque uni Principi parent salvo singularum Jure; diversisque sæpè Legibus & Moribus utuntur: neque Lex à Principe uni data, alias astringit, nisi & his specialiter posita fuerit.

Ne ergo circa auctoritatem & vim obligandi horum Edictorum aberretur, inquirendum, num Edictum, de quo agitur, sit generale & directum ad omnes Provincias, puta Belgicas Regi Catholico subjectas; an verò dumtaxat sit singulare pro una alterave Provincia aut etiam particulari territorio: nam pro hac diversitate illius auctoritas magis & minus latè extenditur.

Ut verò hæc diversitas innotescat, sciaturque quæ Edicta Generalia, quæ Provincialia aut particularia dumtaxat sint, reflectendum est ad inscriptionem, eosque quibus Princeps salutem dicat, & in epilogo executionem ipsius Edicti mandet.

Si omnibus salutem dicit, plerùmque Lex generalis est: & ad eum finem Conciliis omnium Provinciarum publicatio & executio injungi solet. Mandata seu Edicta Provincialia Præsidi & Concilio; Statuta & Privilegia iis, quos concernunt, inscribi solent; uti tradit Zypæus in Introductione ad Notitiam Juris Belgici.

„*Solent etiam [ait ibidem Zypæus] condendis Legibus Principes nostri præmittere consulta-*
„*tiones cum suis Conciliis, juxta l.* 8. C. de Constit. *plerumque supremis; publicationem autem*
„*omnibus Provincialibus, ut dixi, in Epilogo injungere: quæ etiam antequam illa fiat exami-*
„*nare solent, an Juri patrio lex non refragetur & post illud examen, publicationis mandatum*
„*primipilari apparitori, seu Ostiario dare.*

Addit Zypæus num. 6. " *Ea hic publicatio est semper necessaria in singulis Provinciis*
„*[quod unitæ quidem omnes sunt, salvo singularum Jure, adeoque nullæ alteris subjectæ] sin-*
„*gularumque Metropolibus, tametsi plures sint; ut in Brabantia, Lovanium, Bruxellæ, Ant-*
„*verpia; Sylvaducis; in Flandria, Gandavum, Brugæ, Ipræ, aliæ alibi, ante hanc promulga-*
„*tionem Lex non solet obligare.*

U

Digitized by Google

Ut igitur de extensione Edicti statuatur, inquirendum, cui inscribatur, cui executio mandetur, quæ Concilia Rex super eo consuluerit, & ex cujus sententia confectum; ac deniq; quâ formâ & loco publicatum: ut ex his omnibus appareat, an Edictũ sit reputandum generale, an Provinciale, an particulare pro certo dumtaxat territorio. Quod de Edictis Principum nostrorum ex. gr. hîc dicitur, etiam dicendum est de similium aliorum Principum, qui diversas, distinctásque Provincias sub suis Ditionibus possident.

PARAGRAPHUS NONUS

De Sententiis Judicum.

Cum animus mihi esset, in hoc Opere exponere non tantum quid jam pridem SS. Canonibus, aut etiam recentioribus Decretalibus, quæ Jus Commune constituunt, Decretum sit, sed insuper, quid hîc in Belgio, Gallia, alisq; vicinis Provinciis observetur, visum fuit, Magistratũ seu Ecclesiasticorum, seu Civilium judicata inquirere & annotare, ut ex iis usus sive praxis locorum innotesceret, aut saltem firmaretur.

Ut enim de Jure præsertim Consuetudinario, aut de ipsarum Legum observantia, aut sensu statuatur, maximi ponderis semper habitæ fuerunt etiam apud Romanos receptæ Sententiæ, *hoc est, quæ usu fori & consensu Prudentium probantur. Hinc olim dixit Ulpianus Juris-Consultus in* L. 34. ff. de Legibus: " *Cùm de consuetudine Civitatis vel Provinciæ confidere quis „ videtur, primum quidem illud explorandum arbitror, an etiam* contradicto *aliquando* Ju„ dicio *consueto sit firmata.* „ *Non quod ad consuetudinem introducendam necessarii sint actus* Judiciales; *sed quod ad probandam consuetudinem plurimùm valeant, uti passim observant Legum interpretes.*

Eo verò amplioris ponderis erunt, quo plura in eodem vel diverso Auditorio, seu Tribunali sententiæ super eodem articulo emanârint. Imò, quæ incerta erant, si agitata deinde fuerint in Auditoriis, & rerum frequenter judicatarum authoritate in unam partem definita, Jus Civile fiunt, inquit Stockmannus in Proœmio ad Decisiones Curiæ Brabantiæ. Quidni & Ecclesiasticum, præsertim in his quæ à praxi & consuetudine locorum maximè dependent; ut sunt solutiones Decimarum, reparationes Ecclesiarum, Domorum Pastoralium, aliæve similes.

Ne autem circa auctoritatem seu efficaciam rerum Judicatarum aberretur, notandum, ordinariè res inter privatos, etiam in Supremo Principis Senatu judicatas, Jus Generale non facere, etiam in simili planè casu & iisdem omnino circumstantiis: atque fas esse Magistratibus, licet huic Supremo Senatui Subalternis, à sententia illa in judicando recedere, juxta illud vulgatum non exemplis, sed Legibus judicandum: *nisi tamen Princeps, sive Senatus Principem repræsentans, declaret se velle, ut imposterum judicatum pro Lege habeatur ; & pro Lege promulgari jubeat: quod subinde in materia magni momenti, & notabilis consequentiæ contingit: Atque de hoc casu intelligenda apparet Constitutio Justiniani Imperatoris in* L. 12. Cod. De Legib. *in verbis:* " *Si Imperialis Majestas causam cognitionabiliter examinaverit, partibus „ cominus constitutis sententiam dixerit: omnes omnino Judices, qui sub nostro Imperio sunt, „ sciant hanc esse Legem non solùm illi causæ, pro qua producta est, sed & omnibus similibus.*

Hoc insuper notandum, quod sicuti non omnium Tribunalium par est auctoritas, ita nec rerum Judicatarum parem esse vim & efficaciam: majorisque indubiè auctoritatis esse, Supremorum Senatuum arresta, quàm inferiorum judicata.

Ulterius notandum, arresta & res judicatas præcipuè valere, ut adstruatur consuetudo, aut sensus alicujus Legis illis in locis, quæ subjecta sunt Parlamentis, aut Magistratibus , à quibus hæc arresta, aut hæ sententiæ emanârunt: quia Parlamenta & Magistratus præsumuntur judicare juxta consuetudinem, aut interpretationem Legis in suis Provinciis aut Districtibus vigentem & receptam.

Nequaquam tamen dubitandum, quin & alicujus ponderis sint arresta vel scientiæ in exteris Parlamentis & Tribunalibus pronunciata super alicujus Legis aut Edicti , vel Canonis

 gene-

generalis intellectu; præsertim si nulla in hac Provincia aut Districtu contraria consuetudo aut interpretatio invaluerit. sive recepta sit: ipsaque insuper arresta aut res dicata conformia appareant naturali & obvio sensui ipsius Canonis, Legis, aut Edicti.

Licet igitur sciam, praxim Belgicam non eandem esse in omnibus Juris Ecclesiastici articulis, notanter ubi de Jurisdictione Ecclesiastica [cui Belgium amplius favere solet] agitur, cum praxi in Gallia vigente, nihilominus ad stabiliendam modernam Disciplinam Belgicam, non semel Parlamentorum Gallicanorum & aliorum exterorum Tribunalium judicata annotavi, ubi nulla contraria Belgii judicata reperi, nec ea Moribus aut Legibus harum Provinciarum adversari vidi

Præcipuè autem circa res judicatas attendendum, an quæstio fuerit super dubio Legis, Canonis, aut Consuetudinis in generali & in abstracto; puta, an ex tali specie fructuum secundum Leges Belgii colligantur Decimæ; an incolæ, an Decimatores teneantur ad reparationem Domûs Pastoralis, &c. & an per sententiam hoc dubium decisum sit, sine respectu ad aliquem specialem *circumstantiam in casu proposito occurrentem.*

Si enim in quæstione sive lite particulares fuerint circumstantiæ, ob quas in hoc particulari casu, hoc illove modo Legem aut Consuetudinem interpretari oportuerit: appareatque eas circumstantias verisimiliter ipsum judicem ad sic judicandum permovisse, sententia ita prolata inaniter applicabitur, nisi casus cum iisdem circumstantiis occurrat : quemadmodum circa declarationes S. Congregationis super interpretatione Concilii Tridentini notavi parte 1. tit. 22. cap. 5. *hujus Operis.*

Ut ergo auctoritate rerum Judicatarum securiùs utamur, examinandus casus cum circumstantiis super quo sententia prolata est: investigandumque, num appareat, Judicem in concipienda sententia aliquâ speciali circumstantiâ in hoc casu occurrente permotum esse; ita ut sententia non nisi casui cum simili circumstantia applicari queat; an verò dubium aliquod super sensu Canonis, Legis, vel Edicti aut Consuetudinis in abstracto, sive independenter ab omni speciali circumstantia decisum sit.

Ad hanc porro notitiam assequendam multum facilitabit, si peritiores Jurisconsulti adhibeantur, qui Sententiarum brevicula ritè concipiant; quemadmodum notavit Stockmannus in Epistola Curiæ Brabantiæ inscripta, & decisionibus illius Curiæ præfixâ: qui & ibidem deplorat, Curiæ hujus res judicatas, non ejus auctoritatis & roboris visas fuisse, quâ esse debuerunt; quod hinc evenisse credit, " quod ex infimo grege Legulejorum ad id munus passim „ delecti, qui monstra Sententiarum, loco rationum Juris deinde nobis efformaverunt.

Hinc quoque patet, non parum attendendum esse, à quo ipsa arresta allegentur, ut de eorum auctoritate statuatur: utrum ea referentes, eorum prolationi & causarum discussioni interfuerint; vel actorum omnium inspectionem habuerint; eaque ita discusserint, ut intelligere potuerint, super quo arresta prolata sint.

Quin & illud circa arresta & Magistratuum judicata observandum, non mox iis adhibendam fidem, ubi hæc apud Auctorem aliquem relata vel asserta reperiuntur, quemadmodum de Declarationibus S. Congregationis super interpretatione Concilii Tridentini declaravit Urbanus VIII. *sed ipsorum referentium auctoritas ponderanda; quin & ad ipsa Curiæ Regesta subinde recurrendum, ut certior de prolatione allegatæ sententiæ fides; & ejusdem verus sensus haberi queat.*

LICEN-

Digitized by Google

LICENTIA
Censoris Ordinarii,

Liber *Jus Ecclesiasticum Universum* inscriptus Authore Adm. Rever. & Clarissimo Domino *Zegero Bernardo* van *Espen*, J. U. Doctore, & SS. Canonum in Academia Lovaniensi Professore, aliàs alibi approbatus, ac Typis mandatus; nunc verò sumptibus *D. Wilhelmi Metternich*, Bipliopolæ Coloniensis impressus, permitto ut evulgetur. Coloniæ 16. Augusti 1702.

Cornelius Brewver SS. Th. Doctor & Publicus Professor, S. Severini Canonicus Chori-Episcopus & Pastor, Librorum Censor.

APPROBATIO.

Hoc opus, cui Titulus, *Jus Ecclesiasticum Universum, &c.* duobus Tomis comprehensum, Authore Ad_m R_{do} ac Clarissimo Domino ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN J. U. Doctore & SS. Canonum in Academia Lovaniensi Professore, multorum votis diu desideratum, & plurium, ut spero, plausibus excipiendum, publicam lucem meretur & studiosam lectionem: ex eo siquidem Canonum studiosus exactam notitiam Juris tam fori quam poli haurire poterit, Theologus normam rectæ administrationis Sacramentorum, & Ecclesiastici omnes modum vivendi vocationi ac characteri suo congruum; cumque ut loquitur Concil. Trid. Sess. 22. cap. 1. de Reform. nihil sit quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat quam eorum vita & exemplum qui se divino ministerio dedicarunt, fructus hujus Operis, Deo propitio, in totam Ecclesiæ compaginem diffundetur. Ita censeo Antverpiæ hac 26. Martii 1700.

ARNOLDUS EYBEN Cath. Antwerp, Canonicus Theol. Librorum Censor.

APPROBATIO.

Universum hoc *Jus Ecclesiasticum* magnis laboribus & multilegâ lectione collectum magno prodit universalis Ecclesiæ bono: cum enim ignorantia cunctorum sit causa malorum, iniquitatis radicem hanc exscindit, cordatum modo Lectorem inveniat, Juris enim de quo veritas, hic aptis Sacræ Scripturæ Textibus illustratur; inconcussis Summorum Pontificum Decretis munitur, Sacris Conciliorum Canonibus firmatur, Sanctorum Ecclesiæ Doctorum Assertionibus fulcitur, Sanctis Patrum Documentis sustinetur, & sparsis hinc inde Gnomis ceu Gemmis ornatur & splendet, Judicum Sententiis & Decisionibus ad posteros transmittitur, unde fiet miserante Deo, ut si Juris hujus Rectitudini mores hominum collineentur, in obtinendis Dignitatibus confusa recedet cordis ambitio, in distribuendis beneficiis & Officiis pelletur injusta Personarum acceptio, nec effrons apparebit Simoniæ facies à non paucis vocata pensio: volve vel saltem percurre cordate Lector, & dices nos stillam ex fonte propinare, radium lucis pro die vibrare, ex immensis quibus, obulum proferre: non ambigo quin opus hoc universum, sanæ Doctrinæ Theologis futurum sit gratissimum, Juristis optatissimum, nocturna diurnaque manu versari dignissimum à Pastoribus, à Canonicis, ab omnibus Clericis. Stylus claritate placet, ordo memoriam juvat, selectarum quarumdam Sententiarum unctio voluntatem perlinit, veritatis splendor passim emicans intellectum inaurat, publica ergo luce longè dignissimum censeo, hac 12. Novembris 1699.

JOAN. LE BEAU S. Adalberti Leodii Curiæ-Decanus Exam. Synod.

Digitized by Google

INDEX
TITULORUM ET CAPITUM.
PARS PRIMA
DE
PERSONIS
TITULUS PRIMUS.
De Clericis.

CAPUT PRIMUM.

DE Clericis primæ Tonsuræ.
II. *De Clericis minorum Ordinum.*
III. *De Subdiaconis & Presbyteris.*
IV. *Clerici certæ Ecclesiæ adscribendi.*

TITULUS II.
De vita & honestate Clericorum.

CAPUT PRIMUM.

SIngularis in Clericis morum honestas requiritur.
II. *Honestas & modestia in habitu Clericorum.*
III. *Incontinentia & familiarior cum mulieribus conversatio Clericis cavenda.*
IV. *Ebrietas, commessatio, popinarum frequentatio Clericis specialiter interdictæ.*
V. *Lusus alearum, seu à fortuna dependens Clericis vetitus; & quæ in ludis licitis cavenda;*
VI. *Clerici negotiis secularibus se non misceant.*

TITULUS III.
De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT PRIMUM.

SIngulis Parochiis singuli Parochi totius Parochiæ curam sustinentes præficiendi.
II. *De vice Pastoribus; à quo assumendi & quid iis incumbat?*
III. *Parochi, aliique curam animarum sustinentes jure divino tenentur residere.*
IV. *Parochi animarum curatores tenentur* per se *instructioni populi, alisque functionibus Pastoralibus incumbere.*
V. *Respondetur ad cap. 68. de Regulis Iuris in 6. & unà afferuntur rationes, ob quas ordinariè contingat, instructionem Pastoris esse populo utiliorem, quam extranei.*
VI. *Episcopi cogere debent Parochos ut* per se *populum instruant.*
VII. *Fratres Mendicantes instituti sunt, ut meri Parochorum subsidiarii.*
VIII. *Regularium Stationes quantumvis diuturnæ & continuatæ, Parochum per se concionari aut cathechizare volentem impedire nequeunt.*
IX. *Quæ observanda à Parocho circa stationarios.*
X. *Sicuti Parochorum est populum instruere; ita Parochianorum est eos audire.*
XI. *Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendunt Verbum Dei.*

TITULUS IV.
De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT PRIMUM.

DE Officio Custodum.
II. *Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.*
III. *A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura.*

TITULUS V.
De Æditiuis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris Pauperum, seu Mensarum Sancti Spiritus

CAPUT PRIMUM.

QUi, & à quibus instituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?
II. *Quænam præcipuè ab Æditiuis & Magistris Pauperum in administratione bonorum observanda.*
III. *Quomodo bona Fabricæ & Mensæ Sancti Spiritus dispensanda, & à quibus.*
IV. *Qui computibus intervenire debeant.*
V. *Quæ circa redditionem computus observanda.*
VI. *Proponuntur Regulæ generales in hac materia observandæ.*

TITULUS VI.
De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.

CAPUT PRIMUM.

ARchipresbyteri alii Urbani & alii Rurales; Hi à quo eligendi.
II. *Decani Rurales Pastoribus & Ecclesiasticis sui Districtus intendere debent.*
III. *De visitatione Archipresbyterorum.*
IV. *De congregationibus Pastorum & Archipresbyterorum.*
V. *De Iuribus Archipresbyterorum.*

TITULUS VII.
De Canonicis Collegiatarum, & Cathedralium Ecclesiarum; & Officiis Juribusque utriusque communibus.

CAPUT PRIMUM.

UNde Canonici Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum dicantur seculares.
II. *Canonici, qui hodie dicuntur* seculares, *vitam commu-*

communem & claustralem egerunt. Et quando ab ea recesserint,
III. *Ex desertione vitæ communis quasi naturaliter sequuta est vitæ Canonicalis dissolutio.*
IV. *Ipsa Canonicorum institutio seu professio semper mansit invariata.*
V. *De Congregationibus Capitularibus.*
VI. *Canonici Divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum publice persolvere tenentur.*
VII. *De Distributionibus quotidianis.*
VIII. *Distributiones non sunt institutæ, ut propter eas Divinum Officium frequentetur.*
IX. *De Residentia Canonicorum.*
X. *De causis excusantibus à Residentia.*
XI. *De Causis legitimis recipiendi distributiones in absentia.*

TITULUS VIII.
De Capitulo Cathedrali.

CAPUT PRIMUM

Capitulum Cathedrale Ecclesiæ Senatum repræsentat, & unum cum Episcopo corpus constituit;
II. *Capitulum Cathedrale quantumvis exemptum debet Episcopo tamquam Capiti reverentiam & honorem exhibere; & in quibus hæc consistant.*
III. *Quomodo Episcopus Capitulis etiam exemptis interveniat.*
IV. *In quibus Episcopus teneatur Consilium vel consensum Capituli petere.*

TITULUS IX.
De Capitulo Sede vacante.

CAPUT PRIMUM.

Capitulum Sede vacante in ordinariam Jurisdictionem Episcopi succedit,
II. *In quæ Capitulum Sede vacante Episcopo non succedat.*
III. *Qualis Vicarius Sede Vacante hodie constitui soleat.*
IV. *A quo & qualem jurisdictionem accipiat Vicarius.*

TITULUS X.
De Canonicis Graduatis

CAPUT PRIMUM.

Qua ratione & quomodo Canonici Graduati, præsertim in Belgio instituti.
II. *De Graduatis Theologis & Canonistis.*
III. *De Graduatis Nobilibus.*

TITULUS XI.
De Dignitatibus Capitulorum.

CAPUT PRIMUM.

De Præposito.
II. *De Decano.*
III. *De Cantore.*
IV. *De Scholastico.*
V. *De Thesaurario.*
VI. *De Canonico Theologo.*

TITULUS XII.
De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

CAPUT PRIMUM.

De Archidiacono.
II. *De Archipresbytero Cathedrali.*
III. *De Pœnitentiario.*
IV. *De Officiali Episcopi.*
V. *De Vicario Episcopi.*

TITULUS XIII.
De Electione & Nominatione, Episcoporum.

CAPUT PRIMUM.

Quas partes olim populus habuerit in hac Electione.
II. *Quomodo Electio Episcoporum ad Capitula Cathedralia sit devoluta, & una de Concordatis Germaniæ.*
III. *De Regia Episcoporum Nominatione.*
IV. *Quæ conditiones in Nominatione Regia sint servandæ.*
V. *Quædam circa electionem, & Nominationem Episcoporum invariata manserunt.*

TITULUS XIV
De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT PRIMUM.

Ad quem spectet Episcoporum confirmatio.
II. *Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.*
III. *Per quos, & quâ formâ hodie informatio de Nominatis ad Episcopatus sumatur.*
IV. *Quo ritu expediatur Confirmatio.*
V. *De effectu Confirmationis, & quæ hodie requirantur, ut plenum effectum sortiatur.*

TITULUS XV.
De Consecratione Episcoporum.

CAPUT PRIMUM.

A Quibus, intra quod tempus, & quo loco Consecratio fieri debeat.
II. *De Juramento ab Episcopis ante Consecrationem Romano Pontifici præstando.*
III. *De moderno ritu Consecrationis.*
IV. *De Effectu Consecrationis, ac præcipuè de Vinculo, quo Ecclesiæ allegatur Episcopus, & una de prohibita translatione Episcoporum.*

TITULUS XVI.
De Cura Episcopali.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo Episcopi successerint in locum Apostolorum.
II. *Episcopi vocantur ad nudum Ecclesiæ ministerium & servitutem.*
III. *Quisquis Episcopus hodie habet distinctam Diœcesim, extra quam jurisdictionem aut Pontificalia exercere nequit.*
IV. *Cura & regimen totius Diœcesis primariò & principaliter incumbit ipsi Episcopo.*

v. *Episcopi jure divino tenentur ad residentiam, & qualis debeat esse illa residentia.*
vi. *De legitimis causis absentiæ Episcoporum à suis Diœcesibus.*
vii. *Præcipuum munus Episcoporum est Prædicatio Verbi Dei.*
viii. *Nullus sine auctoritate Episcopi publicè prædicare potest.*
ix. *Episcoporum est pro populo orare, populum ad orationem excitare; preces publicas indicere.*

TITULUS XVII.
De visitatione Episcoporum.

Caput Primum.

De necessitate & scopo visitationis.
ii. *Quæ* procuratores *ab Episcopo visitante exigi, vel recipi possint, & qui ad eas teneantur.*
iii. *Quæ loca ab Episcopis* visitari *debeant, & possint.*
iv. *Quomodo in Visitatione procedendum; & quem effectum Decreta in Visitatione habeant.*

TITULUS XVIII.
De Synodis Diœcesanis seu Episcopalibus.

Caput Primum.

Quoties hæ Synodi celebrandæ, & qui interveniant.
ii. *Quæ in Synodo Diœcesana tractanda.*
iii. *De Testibus Synodalibus.*
iv. *Qui his Synodis subdantur, & quæ earum auctoritas.*

TITULUS XIX.
De Metropolitanis.

Caput Primum.

Quando & à quibus Metropolitani instituti.
ii. *Quam obedientiam Episcopi Suffraganei debeant suis Metropolitanis.*
iii. *In quibus causis Metropolitanus sit Judex Ordinarius Episcoporum.*
iv. *Quam auctoritatem Metropolitani hodie habeant in Diœcesi suorum Suffraganeorum.*
v. *De Pallio & Cruce Archiepiscopali.*

TITULUS XX.
De Synodis Provincialibus.

Caput Primum.

Quoties Synodus Provincialis celebranda, & qui illi interveniant.
ii. *Quæ in Concilio Provinciali tractanda.*
iii. *Qui Decretis Synodorum Provincialium sint subjecti: & de confirmatione Sedis Apostolicæ super his Synodis.*
iv. *Quæ Principum circa Synodos Episcopales auctoritas.*

TITULUS XXI.
De Legatis & Nuntiis Apostolicis.

Caput Primum.

De variis Legatorum speciebus.
ii. *De Auctoritate & Dignitate Legatorum.*
iii. *Quid moribus hodiernis, præsertim Galliæ & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat.*

TITULUS XXII.
De Congregationibus Cardinalium.

Caput Primum.

De origine, & dignitate, & officio Cardinalium.
ii. *De Consistorio Cardinalium.*
iii. *De Congregatione S. Officii sive Inquisitionis: atque una de origine Inquisitionis.*
iv. *De Congregatione Indicis.*
v. *De Congregatione pro executione & interpretatione Concilii Tridentini.*
vi. *De Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium.*
vii. *De Sacra Congregatione rituum.*

TITULUS XXIII.
De Officialibus Curiæ Romanæ.

Caput Primum.

De Vice-Cancellario, & Cancellaria Romana.
ii. *De Datario & Dataria.*
iii. *De Pœnitentiario & Pœnitentiaria.*
iv. *De Secretario Brevium, & de differentia inter Brevia & Bullas.*

TITULUS XXIV.
De Instituto Regularium & eorum Admissione.

Caput Primum.

De Primævo Monachorum Instituto, eorum Regulis & Constitutionibus.
ii. *Multis seculis Ordinum Monasticorum ignota diversitas, quomodo postmodum inducta, & quomodo restricta novorum Institutio.*
iii. *De nova constructione Monasteriorum.*

TITULUS XXV.
De Admissione ad Religionem & Novitiatu.

Caput Primum.

Qualiter probandus admittendus ad Religionem.
ii. *De Novitiatu.*
iii. *De Libertate Novitii deserendi Religionem ante Professionem, & ad eam spectantibus.*
iv. *Quomodo Novitii de bonis suis disponere possint & debeant.*
v. *De Examine Puellarum ante habitus susceptionem, & Professionem.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXVI.
De Simonia circa ingressum Religionis.

CAPUT PRIMUM.

Est Simonia aliquid exigere pro sustentatione Professuri, dum Monasterium est sufficiens.
II. *An titulus paupertatis* exactiones *dotium justificet.*
III. *Media convenientia ad extirpandas pactiones Simoniacas.*

TITULUS XXVII.
De Professione & ejus effectu.

CAPUT PRIMUM.

De Professione solenni ejusque ritu, & an tacita hodie obtineat.
II. *De ætate profitentium.*
III. *De Formula Professionis, & quid contineat.*
IV. *Professio Religiosa an professum astringat stabiliter Monasterio. Et quid ab exeunte Monacho observandum.*
V. *An Professio Religiosa permittat transitum de una Religione ad aliam.*
VI. *An Monachi contumaces & rebelles possint post professionem è Monasterio ejici, & a Religione abscindi.*

TITULUS XXVIII.
De Voto obedientiæ.

CAPUT PRIMUM.

Qualis debeat esse Obedientia.
II. *De Obedientia* cæca.
III. *An obediendum Superiori aliquid contra vel supra Regulam præcipienti.*
IV. *An Regularibus à præcepto Superiorum appellare liceat.*

TITULUS XXIX.
De Voto Paupertatis.

CAPUT PRIMUM.

Abdicatio omnis *proprietatis est* essentialis *Statui Religioso.*
II. *Religiosi privati sunt omni jure successionis.*
III. *Paupertas Religiosa permittit bonorum etiam immobilium possessionem in communi hodie necessaria* amortizatio.
IV. *Qui Ordines* Mendicantes, *& eorum specialis Paupertas, ac quæ Religiosa* Mendicitas.
V. *Omnia undecumque Religiosis obvenientia in communes usus Fratrum sunt dispensanda.*
VI. *Peculia Monachorum contrariantur Voto Paupertatis & vitæ communi.*
VII. *Omnibus ex* communi *Monasteria substantia necessaria subministranda, & quæ in horum usu observanda,*
VIII. *Quomodo bona Monasterii à Superioribus dispensanda.*
IX. *Titulus administrationis in simplici Monacho Pallium* proprietatis.

TITULUS XXX.
De Voto Castitatis.

CAPUT PRIMUM.

Professio Religiosa includit votum Castitatis saltem implicitè, & ad quia obliget.
II. *Mulierum ad claustra & Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus.*
III. *De Clausura Monialium vetante egressum Monialium.*
IV. *De Clausura vetante ingressum in Monasteria, quæ sit circa clausuram Belgica disciplina.*

TITULUS XXXI.
De Monasteriorum Superioribus.

CAPUT PRIMUM.

Quid Abbates & Abbatissæ, & varia eorum distinctio.
II. *De Priore Claustrali, Obedientiario, & Conventuali, eorumque differentiis.*
III. *De Auctoritate Prælatorum regendi & corrigendi Subditos.*
IV. *Quandonam Superior debeat petere* consilium *vel* consensum *Capituli, & qui Capitulum constituant.*
V. *De Cura temporalium Abbatibus incumbente, & Officialibus ab ipsis constituendis.*
VI. *De Usu* Pontificalium *Abbatibus indulto.*
VII. *De Abbatibus Laicis & Commendatariis, & horum origine & juribus.*
VIII. *De Electione & Nominatione Superiorum.*
IX. *De Confirmatione & Benedictione Abbatum.*
X. *Quis Ordo & ætas in Superioribus regularibus requiratur.*

TITULUS XXXII.
De Regularium Reformatione & Visitatione.

CAPUT PRIMUM.

Præcipuè causæ collapsæ disciplinæ Monasticæ recensentur.
II. *Ad quos reformandi auctoritas pertineat.*
III. *De Congregationibus & Capitulis Regularium.*
IV. *De Visitatione Monasteriorum.*
V. *De Scopo & Forma visitationis & reformationis.*

TITULUS XXXIII.
De quasi Regularibus.

CAPUT PRIMUM.

De Patribus Oratorii.
II. *De Canonissis.*
III. *De Beguinis.*

PARS SECUNDA
DE
REBUS
TITULUS PRIMUS.
De Sacramentis in genere.

CAPUT PRIMUM.

DE Sacramentorum Essentia, Numero, & Divisione.
II. *Quæ in Sacramentorum administratione servanda; & quis eorum præcipuus Minister.*
III. *An aliquid in Sacramentorum administratione exigi possit.*

TITULUS II.
De Baptismo.

CAPUT PRIMUM.

DE materia & forma Baptismi, & quomodo hæc adhibenda.
II. *De Ministro, loco, & tempore administrandi Baptismi.*
III. *De Ritibus Baptismi.*
IV. *De Patrinis & Obstetricibus.*
V. *De Purificatione post partum.*

TITULUS III.
De Sacramento Confirmationis.

CAPUT PRIMUM.

QUi confirmandi, & quomodo instruendi, & quo tempore confirmandi.
II. *De Ministro Confirmationis, & de Chrismate.*
III. *De Ritibus Confirmationis.*

TITULUS IV.
De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT PRIMUM

DE Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.
II. *Qui ad Communionem admittendi; qui repellendi.*
III. *De Communione Paschali.*
IV. *De Communione infirmorum.*
V. *De Circumgestatione, & expositione Eucharistiæ.*

TITULUS V.
De Celebratione Missarum.

CAPUT PRIMUM.

DE varia Missæ significatione; nec non Liturgiarum & Ceremoniarum diversitate.
II. *De Missa publica sive Parochiali.*
III. *De Missa privata.*
IV. *De Oblationibus populi inter Missarum solemnia.*
V. *De honorario Missæ, & de quibus ejus occasione populus instruendus.*
VI. *Quid Sacerdotes in receptione Honorarii servare debeant, & quæ incommoda ex Honorario profluant.*
VII. *De Anniversariorum & Missarum Fundationibus, eorumque Reductione.*
VIII. *De Oratoriis privatis sive domesticis.*
IX. *Quædam observanda & cavenda pro reverentia Sacrificii.*

TITULUS VI.
De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT PRIMUM.

DE variis Nominibus, Partibus, Forma & Effectu hujus Sacramenti.
II. *De Publica, solemni & privata Pœnitentia.*
III. *De Canonibus in Libris Pœnitentialibus.*
IV. *De moderna circa pœnitentias imponendas disciplina, & quis hodie Canonum Pœnitentialium usus.*
V. *De Ordinario Pœnitentiæ Ministro.*
VI. *De Approbatione Confessariorum, & ejus limitatione, ac Revocatione.*
VII. *De Reservatione Casuum.*

TITULUS VII.
De Indulgentiis.

CAPUT PRIMUM.

DE variis Indulgentiarum Speciebus sive Formulis.
II. *De Moderato Indulgentiarum usu.*
III. *De abusu Quæstorum Eleemosynarum, eorum abolitione, & de quæstu in usu Indulgentiarum vitando.*
IV. *De Jubilæo.*

TITULUS VIII.
De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT PRIMUM.

DE Materia, Forma, & Partibus inungendis.
II. *Quibus & quando hoc Sacramentum administrandum.*
III. *De Ministro, Ritu, & Iteratione hujus Sacramenti.*

TITU-

Digitized by

TITULUS IX.
De Sacramento Ordinis.

CAPUT PRIMUM.
DE Materia & forma hujus Sacramenti.
II. *A quo Ordines recipiendi.*
III. *De Litteris Dimissorialibus.*
IV. *De Examine Ordinandorum.*
V. *De Ordinum Interstitiis.*
VI. *De Titulo Ordinationis.*

TITULUS X.
De Irregularitate ejusque Speciebus.

CAPUT PRIMUM.
De Irregularitate in genere.
II. *De Irregularitate ex Bigamia.*
III. *De Irregularitate ex defectu Natalium.*
IV. *De Irregularitate ex defectu lenitatis.*
V. *De Irregularitate ex defectu corporis.*
VI. *De Irregularitate ex crimine.*
VII. *De Irregularitate ex homicidio.*

TITULUS XI.
De Seminariis Clericorum.

CAPUT PRIMUM.
ORigo & scopus Seminariorum.
II. *Qui ad Seminaria admittendi.*
III. *Media temporalia Seminariis fundandis impendenda.*
IV. *De Collegiis Academicis.*
V. *De Scholis puerorum.*

TITULUS XII.
De Impedimentis Matrimonii.

CAPUT PRIMUM.
QUomodo Sponsalia contrahenda; & quod circa illa Parochorum officium.
II. *De vinculo Sponsalium eorumque dissolutione.*
III. *De Proclamationibus seu Bannis Matrimonialibus.*
IV. *De Matrimonio & Consensu Matrimoniali.*
V. *Coram quo Matrimonium contrahendum.*
VI. *De Ritibus contrahendi Matrimonii.*

TITULUS XIII.
De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT PRIMUM.
PEnes quem sit authoritas inducendi Impedimenta Matrimonii.
II. *De Impedimentis impedientibus; ac signanter de* tempore clauso & Ecclesiæ interdicto.
III. *De Impedimento erroris & conditionis.*
IV. *De Impedimentis Voti & Ordinis.*
V. *De Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis.*
VI. *De Impedimento Cognationis Legalis & Spiritualis, nec non publicæ honestatis.*
VII. *De Impedimento Criminis.*
VIII. *De Impedimento ex cultûs disparitate.*
IX. *De Metu.*
X. *De Impedimento Raptûs.*

TITULUS XIV.
De Dispensationibus Matrimonialibus.

CAPUT PRIMUM.
DE Usu Dispensationum Matrimonialium; & cui auctoritas dispensandi competat.
II. *Sub qua forma hodie Dispensationes Matrimoniales in Curia Romana expedire, & cui committi soleant.*
III. *De formula Litterarum Dispensationum; & quomodo se Delegatus informare debeat de impedimento allegato.*
IV. *De Caussis Dispensationis, & Informatione super veritate earum.*
V. *De Dispensatione super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto.*
VI. *De Dispensatione in* forma Pauperum.
VII. *De Dispensatione pro foro conscientiæ expedienda per Pœnitentiariam.*
VIII. *Quæ circa Dispensationes à Parocho populo exponenda.*

TITULUS XV.
De Divortiis & secundis Nuptiis.

CAPUT PRIMUM.
DE Divortio quoad vinculum; & conversione Conjugatorum.
II. *De separatione Matrimonii quoad thorum & cohabitationem.*
III. *De secundis Nuptiis.*

TITULUS XVI.
De ædificandis, consecrandis & reparandis Ecclesiis.

CAPUT PRIMUM
DE Scopo Templorum & eorum Ornatu.
II. *De ædificandis Ecclesiis, & quæ intervenire debeant.*
III. *De Consecratione Ecclesiarum, ejusque Ritibus.*
IV. *De Reconsecratione & Reconciliatione Ecclesiarum.*
V. *De reparandis Ecclesiis.*

TITULUS XVII.
De Celebratione Festorum.

CAPUT PRIMUM.
DE Institutione, & varia specie Festorum.
II. *Quis sit finis institutionis Festorum; & quomodo observanda?*
III. *De Operibus servilibus die Festo prohibitis.*
IV. *Strepitus forenses & mercatus diebus Festis vetiti.*
V. *De Spectaculis, Choreis, & popinarum frequentatione vetitis.*
VI. *De licentia laborandi diebus festivis.*

TITULUS XVIII.
Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM

ORigo & definitio Beneficiorum.
II. De Dignitatibus & Personatibus.
III. De Beneficiis Regularibus & Secularibus.
IV. De Beneficiis Curatis & simplicibus; ac præcipuè de Capellaniis.

TITULUS XIX.
De Ætate & Qualitate Beneficiandorum.

CAPUT PRIMUM.

DE ætate ad Beneficia requisita.
II. De Ordine Beneficiis annexo.
III. Intra quod tempus Ordo Beneficio annexus suscipiendus; & quæ pœna non suscepti.
IV. De Scientia aliisque Qualitatibus ad Beneficia requisitis.

TITULUS XX.
De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

SEmper vetita Beneficiorum pluralitas, & rationes prohibitionis.
II. Quomodo pluralitas Beneficiorum sensim invaluerit; & quibus potissimum prætextibus.
III. Quid contra pluralitatem Beneficiorum actum & statutum in Concilio Tridentino.
IV. De varia Beneficiorum incompatibilium specie.
V. De Dispensatione super pluralitate Beneficiorum.

TITULUS XXI.
De Ordinaria Beneficiorum provisione.

CAPUT PRIMUM.

QUi Beneficiorum Collatores Ordinarii, ac præcipuè de jure Episcopi.
II. De Collatione; & qua forma expedienda?
III. De Electione ejusque forma.
IV. De Triplici Forma electionis à Concilio Lateranensi præscripta.
V. Intra quod tempus beneficia conferenda? Et de Jure Devolutionis.

TITULUS XXII.
De Concursu ad Parochiales.

CAPUT PRIMUM.

PRoponitur & justificatur Forma Concursus à Synodo Trid. proposita; & quomodo proponendum Edictum Concursus.
II. Quæ Ecclesiæ Parochiales concursui sint subjectæ.
III. De Examinatoribus, & examine.
IV. De Renuntiatione idoneorum; de electione magis idonei; & de collatione huic facienda.
V. De Vicario seu Deservitore, Ecclesia Parochiali vacante, constituendo.

TITULUS XXIII.
De Mandatis & Reservationibus Apostolicis.

CAPUT PRIMUM.

ORigo & progressus Mandatorum de providendo & Reservationum.
II. Quid circa expectativas & reservationes actum in Concilio Tridentino.
III. De Reservatione Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam.
IV. De Reservationibus contentis in Extravagantibus Execrabilis & Ad regimen, & duabus primis Regulis Cancellariæ.
V. De Reservatione octo mensium.
VI. De alternativa.
VII. De Jure præventionis, & Regula Cancellariæ de Verisimili Notitia.

TITULUS XXIV
De Provisione Apostolica.

CAPUT PRIMUM.

DE Provisione in forma dignum, & in forma gratiosa.
II. Forma novæ Provisionis; item perinde valere; nec non perinde ETIAM valere; & Rationi congruit.
III. Provisio Apostolica expedita ad petitionem partis; & de Signatura & ejus Effectu.
IV. De exprimendis in prima & secunda parte Signaturæ.
V. De Clausulis tertiæ partis Signaturæ.
VI. De Placito Regio super Provisionibus Apostolicis.

TITULUS XXV.
De Jure Patronatus.

CAPUT PRIMUM

DE Origine Juris Patronatûs, & de Advocatiis Ecclesiarum.
II. De varia Specie Juris Patronatûs.
III. De Modo acquirendi & probandi Jus Patronatus.
IV. Quomodo Ius Patronatus transferatur.
V. De Præsentatione, & differentiis inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum.
VI. De Iure alimentationis, & superintendentia Patronis competentibus.
VII. De Iuribus Honorificis præcipuè Patrono debitis.
VIII. De Regalia.
IX. De Nominatione Regia extra Regaliam; & de oblatis ad Monasteria.

TITULUS XXVI.
De Institutione & Possessione Beneficiorum.

DE Institutione.
II. De Possessione, & forma eam accipiendi.
III. De Regula Cancellariæ de Annali possessore.
IV. De Regula Cancellariæ de Triennali Possessore.

TITULUS XXVII.

De Resignatione & Permutatione Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

De Resignatione purâ & simplici, & Resignatione in favorem & ex causa permutationis; *harumque origine.*

II. *De quorum consensu Resignationes admittendæ: & quæ causa requiratur.*

III. *De Procuratorio ad resignandum.*

IV. *Quinam Beneficia sua resignare possint.*

V. *De Regula Cancellariæ* De infirmis Resignantibus.

VI. *De Regula Cancellariæ* De Publicandis Resignationibus.

VII. *Quando Resignans à Resignatione resilire; vel ad Beneficium resignatum regredi possit.*

TITULUS XXVIII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

Quæ natura Pensionum; & quid de iis in Synodo Tridentina actum.

II. *Quæ usum Pensionum reddant odiosum.*

III. *Discutiuntur causæ, ex quibus hodie Pensiones imponi solent.*

IV. *Quæ ex parte Pensionariorum sint attendenda, ut securi sint in accipiendis Pensionibus.*

V. *Cujus auctoritate hodie imponatur Pensio; & quæ differentia inter Pensionem impositam à Papa, & creatam ab Episcopo.*

VI. *Quæ Beneficia Pensione gravari queant; & qualiter.*

VII. *Quæ portio proventuum in Pensionem assignari possit; & quæ in hanc portionem imputentur.*

VIII. *De Clausulis in litteris Pensionis apponi solitis.*

IX. *De extinctione, Translatione, & Redemptione Pensionis.*

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

CAPUT PRIMUM.

De varia Specie Unionis, & quorum auctoritate facienda.

II. *De Causis Unionis, & quæ Beneficia uniri possint.*

III. *De Solemnitatibus servandis in Unione.*

IV. *De Dissolutione Unionis.*

TITULUS XXX.

De Simonia circa Beneficia.

CAPUT PRIMUM.

Unde desumenda enormitas hujus vitii; & quare olim magis contra Simoniacas Ordinationes, *quàm similes Beneficiorum Provisiones actum; hodie verò secus.*

II. *De triplici munere, à* manu, *à* lingua, *& ab* Obsequio.

III. *Quàm commune aliquando hoc vitium fuerit: & quomodo technis occultatum: & quid ad technas detegendas adhibitum.*

IV. *Palliatur Simonia separando temporale à spirituali; vel dando per modum* Motivi.

V. *De Palliis sub specie* pietatis; *item* redemptionis vexæ; *&* gratuitæ remunerationis.

VI. *De pœna depositionis Simoniacorum, & nullitate provisionis Simoniacæ.*

VII. *De Dispensatione cum Simoniacis.*

TITULUS XXXI.

De Acceptione Personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

CAPUT PRIMUM.

Quid acceptio personarum, & quando hæc in Collatione Beneficiorum committantur.

II. *Beneficia conferenda sunt* Dignioribus.

III. *Unde desumenda major capacitas, & quomodo de ea inquirendum.*

IV. *Quàm grave delictum sit accipere personam in Collatione Beneficiorum, & unde hæc gravitas desumenda.*

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

CAPUT PRIMUM.

Quid peculium Clericorum, & quid nomine Peculii veniat, & quod ius Clericis competat.

II. *Quo jure, & quo titulo Clericis alimenta & stipendia debeantur, & quo animo ea accipere debeant.*

III. *Bona Ecclesiæ dicta,* Vota Fidelium, Pretia peccatorum *&* Patrimonium pauperum, *& quare.*

IV. *Quæ moderatio in usu proventuum Ecclesiasticorum à Clericis tenenda.*

V. *An Clerici divites Patrimonio, possint reservatis proventibus Patrimonii, ex bonis Ecclesiæ vivere.*

VI. *De Divisione bonorum Ecclesiæ, & an per eam natura illorum mutata.*

VII. *De Testamentis Clericorum.*

VIII. *Ad quos bona Clericorum* intestatorum *deferantur.*

TITULUS XXXIII.

De Decimis & Oblationibus.

CAPUT PRIMUM.

De Origine Decimarum, & quo jure debeantur.

II. *De quibus decimæ hodie sint solvendæ.*

III. *De Jure Parochorum ad decimas, & cui Parochiæ debeantur.*

IV. *De Decimis Laicalibus sive infeudatis.*

V. *De Decimis ad Monasteria & Capitula devolutis.*

VI. *De Decimis novalibus & minutis.*

VII. *Qui decimas solvere teneantur, & qui ab iis exempti.*

VIII. *Quomodo Decimæ solvendæ.*

IX. *Quomodo, & coram quo decimæ exigendæ.*

X. *De Oblationibus.*

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXXIV.

De Portione Congrua Parochorum.

CAPUT PRIMUM.

DE Origine Pastorum Primitivorum, Vicariorum perpetuorum & Portionis congruæ

II. *Quæ in taxatione Portionis congruæ attendenda.*

III. *Unde Portio Congrua desumenda?*

IV. *Quo ordine Decimatores sint Portioni congruæ subjecti; & quousque?*

V. *Portio congrua tamquam causa alimentorum judicanda & assignanda.*

VI. *Quæ in Portionem congruam imputanda.*

VII. *Per Quos, & coram quibus Portio congrua petenda?*

VIII. *De Domo Pastorali; an sub portione congrua comprehendatur; & cui onus eam exstruendi & reparandi incumbat?*

TITULUS XXXV.

De Immunitate Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT PRIMUM.

QUam Immunitatem jam pridem dederint Imperatores.

II. *Quid Decretales, & hodierna Belgii consuetudo circa hanc Immunitatem statuant.*

III. *De Subsidiis voluntariis à Clero Principi solvendis.*

TITULUS XXXVI.

De Administratione & Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT PRIMUM.

DE Episcoporum in dispensandis & administrandis rebus Ecclesiæ auctoritate.

II. *De Elocatione Bonorum Ecclesiasticorum.*

III. *De vetita rerum Ecclesiæ alienatione & quid nomine alienationis veniat; & quæ res contineatur?*

IV. *De Causa & solemnitate in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis.*

TITULUS XXXVII.

De Hospitalibus, & aliis piis Locis.

CAPUT PRIMUM.

DE Vario Hospitalium genere.

II. *Superintendentibus Hospitalium & Piorum Locorum.*

III. *Qui sint præficiendi curandis infirmis & Pauperibus sive corporaliter sive spiritualiter.*

IV. *Quæ in Administratione & Dispensatione rerum Hospitalium observanda.*

V. *Qui ad Hospitalia recipiendi; & quid circa Mendicos habeant Principum Edicta; & quomodo regenda.*

VI. *De Confraternitatibus.*

TITULUS XXXVIII.

De Sepulturis.

CAPUT PRIMUM

DE Ritibus Sepulturæ & exequiis.

II. *De loco Sepulturæ.*

III. *De Sepultura Parochiali, Majorum & electa sive per electionem.*

IV. *De vetita exactione pro Sepulturis; & de Juribus Funeralibus.*

V. *De Juribus Ecclesiæ Parochialis ad exequias & oblationes dum alibi Sepultura est electa.*

VI. *Quibus neganda sit Sepultura.*

PARS TERTIA
DE
JUDICIIS, DELICTIS,
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS PRIMUS
De Jurisdictione Ecclesiastica in Civilibus.

CAPUT PRIMUM.

QUæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis causis Laicorum.

II. *Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis Civilibus Laicorum in Belgio & Gallia.*

III. *Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis Civilibus Clericorum.*

IV. *Quibus Casibus hodie Clerici in Civilibus coram Judice Seculari conveniantur.*

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

DE Causis spiritualibus præsertim Matrimonialibus.

II. De

Dig

II. *De Causis Testamentariis & quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.*
III. *De aliis Causis profanis ad specialem Episcoporum curam spectantibus.*
IV. *De Possessorio & Petitorio in Causis Ecclesiasticis.*

TITULUS III.
De Jurisdictione Criminali.

CAPUT PRIMUM.

Quæ jam pridem fuerit auctoritas Judicis Ecclesiastici in puniendis delictis Clericorum.
II. *Qua ratione imminutum hodie privilegium* fori, *& de quibus criminibus Clericorum cognoscant Judices Regii.*
III. *Qui Clerici privilegio* fori *gaudeant.*
IV. *Coram quo Causæ criminales Episcoporum examinandæ & terminandæ.*

TITULUS IV.
De Delictis Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

Quomodo olim Episcopi de omnibus Criminibus cognoverint, & quomodo hæc Episcoporum auctoritas immunita.
II. *De Crimine hæresis & schismatis.*
III. *De Sortilegio, Magia, & aliis similibus.*
IV. *De crimine Adulterii, Lenocinii, Stupri, Raptûs, concubinatûs, & Fornicationis.*
V. *De Blasphemia, Perjurio & aliis nonnullis delictis Ecclesiasticis.*

TITULUS V.
De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.

CAPUT PRIMUM.

De Judice Ordinario & eorum Officialibus.
II. *De Judicibus Delegatis & Synodalibus.*
III. *De Judicibus delegandis in Partibus, & non evocandis extra Provinciam.*
IV. *De Arbitris.*

TITULUS VI.
De Ministris Curiæ Ecclesiasticæ.

CAPUT PRIMUM

De Assessore.
II. *De Advocatis.*
III. *De Procuratoribus & Syndicis.*
IV. *De Graphiariis & Secretariis.*
V. *De Advocato Fisci & Procuratore Officii sive Promotore, nec non Apparitoribus.*

TITULUS VII.
De Instructione Causarum Civilium.

CAPUT PRIMUM

Quando, & quomodo hodierna formalitigandorum Ecclesiasticum intraverit.
II. *Citatione ejusque forma.*
III. *De Libelli oblatione & litis contestatione.*
IV. *De Juramento calumniæ & Dilationibus.*
V. *De Probationibus & Præsumptionibus.*
VI. *De Probatione per Testes.*
VII. *De Probatione per instrumenta, & de Notariis Apostolicis & Regiis.*
VIII. *De Juramento suppletorio ob defectum probationum.*

TITULUS VIII.
De Instructione Causarum Criminalium.

CAPUT PRIMUM.

De Accusationibus & Informationibus præviis.
II. *De Captura vel citatione* personali *accusatorum, & quæ circa incarcerandos servanda.*
III. *De Examine Rei, & de Tortura.*
IV. *De purgatione vulgari & Canonica.*

TITULUS IX.
De Sententiis, earumque executione.

CAPUT PRIMUM.

De Sententia definitiva, interlocutoria, & provisionali.
II. *Quæ observanda ante sententiæ prolationem, & quæ juramenta à Judicibus præstanda.*
III. *De forma concipiendi & pronunciandi sententiam, & condemnatione in expensas & interesse.*
IV. *De Executione Sententiæ.*

TITULUS X.
De Appellationibus & Recusationibus.

CAPUT PRIMUM.

De frequentia Appellationum in Curiis Ecclesiasticis.
II. De *forma interponendæ, & prosequendæ appellationis, fatalibus & Apostolis.*
III. *De Effectu Appellationis.*
IV. *De Reformatione, Revisione & Appellatione tamquam* ab abusu.
V. *De Recusatione Judicis.*

TITULUS XI.
De Pœnis & Censuris Ecclesiasticis.

CAPUT PRIMUM.

De Pœnis Ecclesiasticis.
II. *De Censuris in Generali.*
III. *De variis excommunicationis speciebus.*
IV. *De effectu Excommunicationis.*
V. *Excommunicatio non ferenda sine gravi causa, & an injusta sit servanda vel timenda.*
VI. *Excommunicatio non nisi in contumaces ferenda: & de excommunicatione* latæ *sententiæ.*
VII. *Excommunicatio non nisi aliis mediis frustra adhibitis, & cum magna circumspectione ferenda.*
VIII. *De Forma & ritibus ferendæ excommunicationis.*

Digitized by Google

IX. *De Interdicto.*
X. *De Suspensione.*
XI. *De Absolutione à Censuris.*

TITULUS XII.

De Exemptione à jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT PRIMUM.

Qualiter Monachi primitus subjecti fuerint Episcopis.
II. *Seculo Sexto & sequentibus varia privileg sive immunitates Monachis concessa fuêre, s salva Canonica & Spirituali in Monachos a ctoritate.*
III. *Quorum auctoritate privilegia seu immun tates Monasteriis olim indulta sint.*
IV. *De Initiis & progressu exemptionum.*
V. *Principia quædam Juris in hac materia E emptionum notanda.*
VI. *Quid Synodus Tridentina circa Exemption statuerit.*

FINIS.

PARS I

Digitized by Google

PARS PRIMA DE PERSONIS.

TITULUS PRIMUS DE CLERICIS.

CAPUT PRIMUM
De Clericis primæ Tonsuræ.

m Tonsura ab ordinibus non fuit separata.
aratianis occasio.
lie semper sejuncta.
nultis perversè appetitur.
rversa intentio à Synodis quomodo reobata.
licitudo Episcoporum circa Tonsurandos.
mmoda ex illa sollicitudine speranda.
omodo hodie probanda Tonsura suscepta.

P Rimis quinq; ut minus Ecclesiæ seculis, nullos fuisse Clericos primæ dumtaxat Tonsuræ, nullo minore . aut majore Ordine insignitos, solidè ostendit Morinus de Ordinat *parte 3. exercitat 15. cap. 3.* ibidem ostendens; Tonalis illis numquam separatim ab omni Ordine se, sed simul cum primo ordine, velut ritum tioni annexum.

a autem occasione, tandem circa annum septinm Tonsura ab omni Ordine separari cœperit, narrat Morinus: „ Parentes filios suos impuiò ferè infantes Ecclesiasticis officiis consecraipiscopis instituendos offerebant. Eos Episcom domo educandos, & instruendos curabant, Cleri reparandi velut seminarium. Eorum insenex aliquis è Clero præficiebatur, atque ut Achidiaconus. Cum autem propter ætatis em, Ostiariorum, aut Lectorum officiis in ngi non possent, Ordines illos illis non con; sed solam Tonsuram cum veste Clericali. ideo ab Ordine separantes, ne pueri isti Ecisteriis parentum pietate devoti, ut prorsus profani, hominum oculis comparerent. tempore, quod in pueris fiebat propter ætaatem; in ætate valentibus usurpatum est, e Clericalis, ut Ordo quidam ab aliis separascumque separatim collata est.

d labentibus feculis invaluisse scribit Morinus, id non in Belgio dumtaxat, sed per totam Ecclesiam Latinam receptum est; ut nimirum Tonsura Clericalis, tamquam Ordo quidam ab aliis separatus, quibuscumque separatim conferatur.

Neque insigniti Tonsura Clericali ab ea *Clerici* dumtaxat nuncupantur, sed etiam de *foro* Ecclesiæ constituuntur; & privilegia Clericalia adipiscuntur: uti Episcopus ordinans ex pontificali denuntiat: *Filii Charissimi*, ait ad Tonsuratos. *animadvertere debetis quod hodie de FORO ECCLESIÆ facti estis, & PRIVILEGIA CLERICALIA sortiti.*

IV. Hinc factum, ut plures, non animo Deo & Ecclesiæ serviendi, sed laicalis judicii declinandi causâ; & privilegiis Clericalibus gaudendi Tonsuram Clericalem expeterent; quos notavit Synodus Tridentina; eos ad Tonsuram non admittendos declarans, *de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi fraude hoc vitæ genus elegisse.*

Verùm, quia in Belgio hæc à jurisdictione laicali exemptio quoad Clericos primæ Tonsuræ faventibus, vel annuentibus Summis Pontificibus, multum restricta est (ut infra, ubi de immunitate & exemptione Clericorum agetur, ostendemus) pauci sunt in Belgio, qui hac à Synodo Tridentina reprobatâ intentione, Tonsuram Clericalem expetunt: At alia est non minus perversa & perniciosa, quæ plurimos ad Tonsuram Clericalem hodie in Belgio impellit.

Cum enim in Belgio, uti & aliis Provinciis, plura sint Ecclesiastica Beneficia solam Tonsuram Clericalem requirentia, ut quis proventibus, aut aliqua eorum parte gaudere possit, etiam in minori ætate constitutus; plurimi, vel proprio, vel parentum instinctu, ad Tonsuram Clericalem hoc unico motivo impelluntur, ut Beneficii obtinendi fiant capaces; nihil de vocatione ad Statum Ecclesiasticum; aut propensione & animo, Deo & Ecclesiæ serviendi solliciti.

V. Carnalem hanc ac terrenam intentionem, non secus ac priorem exclusit Synodus Tridentina, declarando, primâ Tonsura solùm initiandos, de quibus probabilis conjectura sit, *eos hoc vitæ genus elegisse, ut Deo fidelem cultum præstent.* Sess. 23. *cap.* 4. *de reform.*

Digitized by

VI. Hinc è Concilio Tridentino redux Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis voluit, ut ad Tonsuram non admittantur, "nisi qui fidem faciant, se eo animo hunc „gradum optare, ut Deo & Ecclesiæ serviant". Syn. Atrebatensis 1570. *tit. de Sacram. Ordinis cap.* 7. Consonant & aliæ Synodi Belgicæ; vel generaliter, aut etiam specialiter jam citatum Synodi Tridentinæ Decretum probantes. Quibus novissimè suffragatus est nominatissimus ille Mechliniensium Archi-Præsul Jacobus Boonen, in Decreto suo de Sacris Ordinationibus 19. Octob. 1654. publicato, in quo à Tonsurando inter cætera requirit, " ut à „ Parocho & Ludimagistro, covè quem in quovis Studio„ rum genere audit, aut si alicui Seminario, vel Collegio „ adscriptus est, ab illius Rectore loco Parochi, clausas & „ obsignatas litteras afferat; quibus testatum faciat, bo„ nis probisque moribus semper se vixisse, itemque in Ec„ clesia frequentius, religiosiusque versatum esse, ac sa„ cram Communionem sæpius in anno sumpsisse; *Nec non probabilem de se spem præbere; quòd in clericalis Ordinis disciplina sit permansurus, quòd potissimum, ut Deo fidelem cultum præstaret, ad hoc vitæ genus fuerit inductus.*

His præfuerat zelosissimus Mediolanensis Antistes S. Carolus, qui à Tonsurandis inquiri voluit. „ Quam ob „ causam se Clericos fieri velint? An tales sint, qui spem „ præbeant, Ecclesiæ Ministros utiles se fore? A quo Sa„ cerdote, sanctioris vitæ magistro instituti sint vitæ Cle„ ricalis modum? An vitæ Christianæ præcepta, instituta„ vè sciant? " Concil. Mediol. 5. part. 3. cap. 2.

Sanè si unquam in danda Tonsura vigilare & sollicitos esse oportuit Episcopos Belgii, indubiè hoc tempore oportet. Ad oculum quippe patet, in Belgio locum habere quod anno 24. præsentis seculi deplorabant patres Concilii Burdigalensis *Cap.* 6. §. 2. " In nulla re magis labora„ re homines hujus seculi, quàm ut filii, præcipuè defor„ mes & ad negotia sæcularia inepti in sortem Domini as„ sumantur: ad beneficia certè, non ad officia Ecclesiastica „ quacumque ratione, cùm eos non vocet Dominus, pro„ movendi. "

VII. Si eam circa Tonsurandos curam impenderent Episcopi, non dubium, quin plures inepti & mercenarii à Beneficiis, & Ministeriis excluderentur; qui semel Tonsura accepta, & per eam beneficiorum capaces reddi, à Patronis, aut Collatoribus Beneficia impetrantes, non sine summa difficultate, & non nisi obstante manifesto impedimento, excludi possunt.

Adhæc; si Episcopus, qui non nisi Ecclesiæ utiles; & in doctrina & moribus ritè probatos Sacerdotes Diœcesi suæ providere intendit; ni & circa Tonsurandos debitam exactamque adhibeat diligentiam, non rarò suo frustrabitur voto. Quid enim facilius, frequentiusque, quàm obtenta jam Tonsurâ Beneficium aliquod nullius, aut exigui proventus impetrare in Diœcesi Episcopi, qui scitur omnes penè indifferenter ad Sacros Ordines admittere; atque ita titulo Beneficii à tali Episcopo ordinari, à quo ordinari non potuisset, nisi Tonsura receptâ Beneficium obtinuisset.

Ex his quisque facilè intelliget, *per multum propterea referre* (verba sunt S. Caroli in Conc. Mediol. IV.) *omnem in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam adhiberi.*

VIII. Illud circa Tonsuram, & Ordines hic in Belgio speciale occurrit, quod Edictum perpetuum Alberti & Isabellæ *art.* 21. pro eorum probatione requirat litteras; nec testes admittat, nisi in casum deperditorum Registrorum: quam perditionem, qui allegat, probare debet; uti notat Antonius Anselmo ad citatum articulum §. 17.

CAPUT II.

De Clericis Minorum Ordinum.

1 *Ordines Minores Ordinibus Sacris olim non semper præmissi.*
2 *Aliquando plures, aliquando pauciores præmittebantur.*
3 *Nemini uno eodemque tempore plures conferebantur.*
4 *Interstitia etiam inter hos Ordines servata.*
5 *Hodie omnes Sacris Ordinibus præmitti debent.*
6 *Votum Ecclesiæ ut functiones illorum Ordinū restituantur.*
7 *Ut per interstitia conferantur.*
8 *Disciplina circa hos Ordines multùm collapsa.*
9 *Quæ pro lapsionis origo.*
10 *Zelus S. Caroli in hac disciplina restituenda.*

I. Quatuor Ordines, quos hodie Minores dicimus, Ostiariatum, Lectoratum, Acolytatum, & Exorcistatum, primis Ecclesiæ seculis non fuisse semper præmissos Sacris Ordinibus; neque existimatum tunc fuisse, ut hodie creditur, illum *per saltum* aut minus Canonicè Ordinatum, qui uno aut pluribus, vel subinde etiam omnibus Ordinibus Minoribus omissis, ad Diaconatum altioremque Ordinem fuisset promotus, tam ex Canonibus, quam exemplis Sanctorum ita Ordinatorum, fusè ac solidè ostendit Morinus *de SS. Ordinat. part.* 3. *exercitat.* 11. *cap.* 2. Notatque ibidem: Minores illos Ordines eum præcipuè in finem majoribus fuisse præmissos, ut i horum exercitiis, ad altiores Ecclesiæ functiones assumendi prius probarentur & exercerentur.

II. Hinc ulterius fiebat, ut nunc plures, nunc pauciores Sacris Ordinibus præmitterentur; prout nimirum Episcopi judicabant ipsum ordinandum plus minusve esse probandum & exercitandum.

Neque enim ullus, etiam Minoribus Ordinibus insigniebatur, nisi uni alicui Ecclesiæ adscriberetur, ubi Ordinis suscepti functiones obiret.

III. Cùmque singulorum Ordinum variæ diversæque essent functiones, nemini uno eodemque tempore plures Ordines dabantur; sed prout his, illisve amplius convenire judicabantur, Eos Episcopus conferebat. " Alius, inquit „ S. Ambrosius *lib.* 1. *Off. cap.* 44. distinguendæ lectioni „ aptior, alius Psalmo gratior, alius exorcizandis qui malo „ laborant spiritu sollicitior, alius sacrario opportunior „ habetur: Hæc omnia spectet Sacerdos, & quid cuique „ congruat, id officii deputet. Quo etenim unumquemque „ suum ducit ingenium, aut quod officium decet, id ma„ jore implet gratia. "

IV. Denique nemo eo tempore, Ordine aliquo Minore Insignitus ad ulteriorem, etiam Minorem Ordinem ascendebat, nisi præscriptis temporibus, quæ hodie *interstitia* vocamus, in Ordinis illius exercitio laudabiliter versatus esset; & quoddam quasi tyrocinium percurrisset; quo se in majoribus functionibus obeundis idoneum probâsset. Quæ omnia fusius prosequitur & probat Morinus in citato capite, & sequentibus.

V. Moderna verò Ecclesiæ disciplina nullum hodie ad Sacrum Ordinem admittit, nisi omnibus quatuor Minoribus insignitum; eumq;, qui vel uno omisso Majorem suscepisset, tamquam per *saltum* promotū reputaret; & à suscepti Ordinis functionibus suspensū; saltem quoadúsq; omissū Ordinē suscepisset. De quo videri possunt Canonistæ ad tit. 28. lib. 5. Decretaliū, *de Clerico per saltū promoto.*

Quoad reliqua puncta, si Ecclesiæ mentem in Canonibus expressam spectemus, reperiemus, modernam circa Ordines minores disciplinam Ecclesiæ cum pristina penè per omnia convenire.

VI. Optat siquidem Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 17. *de reformat.* " Ut Sanctorum Ordinum à diaconatu ad „ Ostiariatum functiones, ab Apostolorum temporibus in „ Ecclesia laudabiliter receptæ, & pluribus in locis ali„ quamdiu intermissæ, in usum juxta Sacros Canones „ revocentur ": Hortaturque in Domino Ecclesiarum Prælatos, illisque præcipit, ut, quantum fieri potest provideant, ut functiones hujusmodi in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis frequentioribus, per constitutos in dictis ordinibus dumtaxat exerceantur. Et sanè, ni hic esse Ecclesiæ sensus, quamobrem Ordinum illorum singulas fun-

functiones tam sollicitè in Pontificali Ecclesia exprimeret, Ordinatisque inculcaret; atque ut in iis exercendis essent diligentes moneret, Deumque per Antistitem deprecari vellet?

VII. Adhæc etiamnum hodie Ecclesiæ mentem esse, ut Ordines Minores per temporum intervalla conferantur; utque in illorum exercitiis Clerici probentur, priusquam ad ulteriores promoveantur, evidenter probat Synodus Tridentina desiderans, ut Minores Ordines per temporum interstitia, nisi Episcopo aliud expedire magis videretur, conferantur; *ut eò accuratiùs, quantum sit hujus disciplinæ pondus possint edoceri, ac in UNO QUOQUE MUNERE, juxta præscriptum Episcopi se exerceant*, idque in ea, *cui adscripti erunt*, Ecclesia; nisi fortè ex causa studiorum absint, *atque ita de gradu in gradum ascendant, ut in eis cum ætate, vita meritum & doctrina major accrescat.*

Quid evidentius, quam Synodum Trid. conformiter ad Patrum disciplinam, velle, non solum ut Minorum Ordinum functiones in usum revocentur; sed etiam ut singuli per temporum intervalla conferantur: ut ita in eorum exercitiis, tanquam in quodam Tyrocinio ad majores Ordines promovendi exerceantur, & probentur.

Hanc disciplinam probarunt & Synodi Belgicæ; vel generatim probando quæ circa Ordines statuit Synodus Tridentina, vel eandem disciplinam suis Decretis specialiter proponentes & inculcantes.

„ Nullus, ait Synodus Namurcensis sub Francisco Buisseret an. 1604. *tit. 7. cap. 2.* " se præsentet ad plures ordines Minores simul suscipiendos, nisi Ecclesiæ necessitas aut utilitas hoc postulaverit: *Cùm extra hunc casum, Sacrum Concilium Tridentinum in Minoribus non minus quam Majoribus Ordinibus interstitia servari voluerit.* Idem inculcat repetitis supra citatis Concilii Tridentini verbis Synodus Audomarensis an. 1583. *tit. 9. cap. 4.* Et novissimè sub Wachtendonck Syn. Namurcensis *tit. 8. cap. 4.* declarat, " quod Minoribus Ordinibus insigniti, juxta Concilii Trid. dispositionem, non nisi post annum à susceptione postremi gradus Minorum Ordinum; ad Majores Ordines promovebuntur: nisi necessitas aut Ecclesiæ utilitas videatur aliud exposcere.

VIII. Attendant Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati, quibus disciplinæ cura incumbit: quam hæc cum moderna Belgii praxi conveniant: Ubi Minorum Ordinum officia & ministeria à quolibet occurrente occupantur, & vix aliquando ab initiatis administrantur.

Imo quis Clericus ob receptos hos ordines de functionibus Ordinibus annexis obeundis vel unquam cogitat; aut ab Episcopo monetur? Quis Episcopus, aut Ecclesiæ Prælatus intendit, num Ordinibus Minoribus initiati aliquas eis annexas functiones exerceant; Aut, an hi qui eas obeunt, Ordinibus illis sint initiati? Adeo quidem de his omnibus altum silentium, ut verendum sit, ne eveneritin Belgio, quod timebat Synodus Trident. quod nimirum, per functionum illarum neglectum, daretur occasio hæreticis traducendi functiones illas *ut otiosas*.

Quoad interstitia inter ipsos Ordines Minores, nullum superest in Belgio vestigium; imo nec unus sine altero unquam confertur, aliquæ sunt etiam in Belgio Diœceses, in quibus separatim, & servatis interstitiis conferuntur.

Quin nec Ordines Minores inter & Subdiaconatum plusquam unius diei spatium intercedere solet: Hoc est, feria sexta quis ad Minores, & Sabbatho sequente ad Subdiaconatum promovetur.

Ita omnis Canonica per Synodum Trident. & Synodos Belgicas renovata inculcataq; disciplina, jam tandem non tantum collapsa, sed penitus quodammodo extincta est.

IX. Et unde hæc prolapsio: non aliunde, quam ex faciliori primùm ab Episcopis facta dispensatione. Cum enim injunctum esset Episcopis Ordinum Minorum servare interstitia, addita hac moderatione: *Nisi necessitas aut utilitas Ecclesiæ, judicio Episcopi, aliud exposcat*, contigit, ut cœperint primùm cum aliquibus dispensare; credentes, necessitatem, aut Ecclesiæ utilitatem eam requirere; quæ deinde à nonnullis Episcopis nonnihil facilitata, tandem porta aperta est huic, quam videmus prodigiosæ disciplinæ relaxationi: Adeo ut hic verificetur illud Veterum: *Dispensatio omnis bonæ disciplinæ noverca.*

X. Expendere poterunt Episcopi, num tantus Canonum neglectus sit tolerandus, disciplinaque illis præscripta ita negligi possit, ut nulla illius vel retinendæ vel restaurandæ cura sit habenda. Aliud sanè oculatissimo Mediolanensium Antistiti S. Carolo visum fuisse, sat probant, quæ pro restituendis Ordinum illorum functionibus, disciplinaque in eorum collatione restituenda in suis Conciliis decrevit. Interim illud indubitatum: Non minus hodie, quam olim; ad Sacros Ordines assumendos, debere Episcopis & quoad mores, & quoad doctrinam esse probatos. Quam probationem si hodie non accipiant ex hoc, quod Sacris initiandi prius per certa tempora se in Minorum ordinum functionibus laudabiliter exercuerint, & dignos majoribus functionibus probarint, eam indubiè aliunde accipere debent.

CAPUT III.

De Subdiaconis, Diaconis & Presbyteris.

1 *Multis sæculis Subdiaconatus minoribus Ordinibus annumeratus fuit.*
2 *Etiam postquam continentiæ lex ei fuit annexa.*
3 *Hodie Sacris Ordinibus adjunctus.*
4 *De servanda Castitate seriò monendi ad Ordinem Subdiaconatûs assumendi.*
5 *Officia Subdiaconorum verbis Pontificalis expressa.*
6 *Officia Subdiaconi ad solam Epistolæ decantationem hodie reducuntur.*
7 *Subdiaconi horas Canonicas recitare debent.*
8 *Quare Diaconus antonomasticè dicatur Minister.*
9 *Diaconorum varia officia.*
10 *Hodie multum restricta.*
11 *Ad Diaconos monitum Pontificalis.*
12 *Multum collapsa moderna disciplina circa Diaconorum officia.*
13 *Presbyterorum functiones proponuntur ex Pontificali.*
14 *Prima indicatur per verbum* Offerre.
15 *Secunda per verbum* Benedicere.
16 *Tertia per verbum* Præesse.
17 *Quarta per verbum* Prædicare.
18 *Quædam circa posteriores functiones notanda.*
19 *Presbyteri ordinantur in adjutorium Episcoporum.*
20 *Presbyteri in utilitatē proximi ordinantur, non in propriā.*

I. INdubitatum est, Subdiaconatum multis sæculis etiam in Ecclesia Latina Minoribus Ordinibus annumeratum fuisse: & extra Missarum solemnia & extra altare collatum: Solosque Ordines Diaconatus & Presbyteratus Majores & Sacros Ordines, qui inter Missarum solemnia, & ad ipsum altare, seu sanctuarium Sabbatho quatuor Temporum conferrentur, reputatos fuisse. Qui mos etiam hodie apud Græcos retinetur; & apud Latinos usque ad sæculum IX. generaliter, & in quibusdam Ecclesiis ad sæculum XII. conservatus fuit: uti multis ostendit Morinus de SS. Ordinat. *part. 3. exercit.* 12.

II. Sacris autem Ordinibus hunc Ordinem annumeratum credunt communiter Canonistæ, *ad Cap. 9.* ⁏ *de ætate & qualit. Ordinandorum*, dum ei perpetuæ continentiæ lex adjuncta fuit. Sed error videtur. Constat enim, quod lex continentiæ Subdiaconis sæculo quinto imponi cœperit, ex Epistola 12. Leonis I. ult. edit. & sæculo sexto tandem generaliter omnibus ad Subdiaconatum promovendis à S. Gregorio posita: Ita enim scribit *Lib. 1. epist. 42.* " Ante triennium Subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ „ prohibiti fuerant, ut more Rom. Ecclesiæ nullatenus suis „ uxoribus miscerentur: Quod mihi durum, atque incom„ petens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non „ invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur „ à sua uxore separari: atque per hoc, quod ab„ sit, deterius cadat. Unde videtur mihi, *ut à præsenti*

„ *dic Episcopis omnibus dicatur, ut nullum Subdiaconum face-*
„ *re præsumant, nisi qui se victurum caste promiserit.*

Post hoc Decretum, uti observat Morinus, vix deprehenditur, fieri mentio Subdiaconorum conjugatorum : Adeo ut ab eo tempore, id est, sæculo sexto. Subdiaconis lex continentiæ indicta fuerit. At demum tribus post sæculis cœpit in aliquibus Ecclesiis Sacris Ordinibus annumerari, & junctim cum his inter Missarum solemnia & ante Altare conferri: Qui mos tandem, cùm plerasque Ecclesias occupâsset, sensim in legem transivit; & sæculo decimo tertio ab Innoc. III. *in Cap. 9.* ;; *De ætate & qualit. Ordin.* probatus.

III. Moderna ergo, non solùm Belgica, sed universalis Ecclesiæ Latinæ disciplina etiam Subdiaconos perpetuæ castitatis legi obstringit, Subdiaconatum Ordinibus Majoribus & Sacris annumerat; ac junctim cum his confert: Hac tamen veteri ex disciplina manente differentiâ: quod Diaconi & Presbyteri ab Archidiacono Episcopo ante altare ordinandi præsententur; nequaquam verò Subdiaconi; uti nec super horum Ordinatione, sed tantùm Diaconorum & Presbyterorum populus consulitur.

IV. De lege perpetuæ continentiæ ex præscripto Pontificalis, tanquam de re maximi momenti monentur ante ipsam Ordinationem, ut seriò attendant, num legi illi implendæ per Dei gratiam se sufficientes credant; quod ex diuturna castitatis custodia statui vult S. Gregorius: “
„ Ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, ait, provide-
„ ri debet, quales ordinentur: Ut prius aspiciatur, si vita
„ eorum *continens in PLURIMIS fuit*, si studium orationis,
„ eleëmosynæ amorem habuerunt. “ *Lib. 3. epist. 26.*

Meritò proinde decrevit Synodus Audomarensis an. 1583. *tit. 9. cap. 8.* “ Nemo ad Subdiaconatus Ordinem
„ suscipiendum se offerat, qui non suam ipsius Dei bene-
„ ficio *castitatem expertus*, firmiter statuat, mulieribus &
„ mulierum desideriis, omnisque generis turpitudinibus
„ perpetuò abstinere, tum animi, tum corporis castitati
„ studere. “

Et Synodus Leodiensis anno 1618. *tit. 8. cap. 4.* inter eos qui ordinari prohibentur reponit num. 14. *Qui in adolescentia mœchati sunt*, Et num. 11, ad altiores Ordines non promovendos reponit, *lapsos post Ordinem susceptum*.

V. Officia Subdiaconorum exprimit, & enumerat Pontificale: *Subdiaconum*, ait, *oportet, aquam ad ministerium Altaris praparare. Diacono ministrare; pallas altaris, & corporalia abluere, calicem & patenam in usum sacrificii eidem offerre.*

Denique, postquam præscriptis verbis à Pontifice ordinante, amictum, manipulum, & tunicam acceperunt, datur eis liber epistolarum, hac verborum formula: *Accipite librum epistolarum, & habete potestatem legendi eas in Ecclesia sancta Dei, tam pro vivis quàm defunctis. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

VI. Verùm cum hæc omnia hodie plerumque, etiam per Laicos, aut inferiores Clericos, vel in Missis privatis per ipsum Sacerdotem agantur, omne penè Subdiaconorum officium, ex moderna disciplina reducitur ad ministerium Altaris in Missis solemnibus, præcipuumque creditur, solemnis Epistolæ decantatio: quæ tamen inter officia Subdiaconi antiquitus in Ecclesia Latina non recensebatur; nec hodie apud Græcos recensetur, uti probat Morinus de *SS. Ordinat. part. 3. exercit. 12. cap. 1.* Ibidem quoque ex vetustis Ritualibus, & authoribus astruens, recens esse, Subdiacono in sua Ordinatione librum epistolarum tradi: Similiter contactum Sacrorum vasorum, non tantum Subdiaconis, sed & Acolytis olim licitum fuisse.

VII. Porro cum hodie paucos, aut nullos ferè in Ordine Subdiaconatus perseverare videamus, illumque ordinariè assumi tanquam gradum, quoad Presbyteratum ascendatur; Officiaque Subdiaconatus, non ut olim per solos Subdiaconos, sed passim per Presbyteros etiam in officio solemni agantur, non judicavi operosius inquirere, & discutere, quæ hodie sint specialia Subdiaconorum officia, aut olim fuerint. Hoc unum notâsse sufficiat, quod cum olim universus Clerus Divino officio recitando aut peragendo adstringeretur, labentibus sæculis obligatio illa ad solos Beneficiatos, ac Clericos Sacris Ordinibus initiatos transierit: inter quos cum Subdiaconi tunc computarentur, obligatio Horas Canonicas ut minus privatim recitandi apud ipsos quoque remansit. Unde ex hodierna disciplina Subdiaconi, vi solius Ordinis suscepti, ad quotidianum Horarum Canonicarum pensum tenentur. De quo latius infra titulo De Divino Officio.

VIII. Quemadmodum Subdiaconus quasi subminister Diaconi; ita Diaconus græcè latinè Minister dicitur; eò quod Episcopis & Presbyteris ministret. Et quidem adeò necessarius olim Sacerdoti credebatur, ut dicere audeat S. Isidorus: *Sine ipsis* (Diaconis) *Sacerdos nomen habet, officium non habet. Lib. 2. cap. 8. de Divin. Offic.* Et auctor Constitutionum Apostolorum, post relata plurima Diaconorum officia ait: *Cæterum sit Diaconus Episcopi auris, & oculus, & item os, cor & anima, ne Episcopus sollicitudine multarum rerum, sed graviorum tantum urgeatur. Lib. 2. cap. 44.*

Nec immeritò hæc dicta esse fatebitur, qui attenderit, quæ per Diaconos secundùm temporum illorum disciplinam agebantur.

IX. Et quidem in peragendo Divino Officio ita Diaconus Sacerdoti Minister assistebat; ut penè omnia ipso monente, & intendente peragerentur. “ Ipse clara voce
„ in modum præconis admonebat cunctos, sive in oran-
„ do, sive in flectendo genua, sive in psallendo, sive in le-
„ ctionibus audiendis. Ipsi etiam Diaconi, ait Isidorus lo-
„ co citato, ut aures habeamus ad Dominum, clamant :
„ Ipsi quoque Evangelizant. Sacerdos oblata sanctificat,
„ hic sanctificata dispensat. “ Id est, Sacerdos consecrat oblata, Diaconus verò populo distribuit. Constat enim Diaconos olim Sanguinem Domini à Sacerdote consecratum populo distribuisse. Hinc illud S. Laurentii ad Sixtum Papam: *Cui commisisti Dominici Sanguinis dispensationem.*

Interdum in quibusdam Ecclesiis, etiam Corpus Dominicum, seu panem consecratum distribuisse constat: ut videre est apud Morinum De SS. Ordinat. *part. 8. exercit. 9. cap. 3. §. 6.*

Pergit dein Isidorus: “ Ipsis etiam Sacerdotibus prop-
„ ter præsumptionem non licet de mensa Domini velare
„ calicem, nisi eis traditus fuerit à Diacono, Levitæ inferunt
„ oblationes in Altaria, Levitæ componunt mensam Do-
„ mini, Levitæ operiunt Arcam Testamenti. “

His addit Alcuinus. “ Ponit linteum in Altare, ponit
„ panem & Calicem, quæ nec mittendi, nec auferendi po-
„ testatem habet Presbyter, si Diaconus adfuerit. Sicut
„ Presbytero officium consecrandi competit, ita Diacono
„ ministrandi. “

“ Varia insuper & multiplicia erant Diaconorum of-
„ ficia, ait Morinus loco citato §. 7. in SS. Ordinationi-
„ bus, in Baptismis solemnibus Antiquorum, in conse-
„ cratione Chrismatis, atque ut ita dicam in omnibus
„ prorsus officiis Ecclesiasticis. “

Adhæc, præter hoc Sacrum Ministerium in Altari, & Officiis Ecclesiasticis, omnia propè Ecclesiastica negotia Episcopi per Diaconos agebantur: uti pluribus refert & probat Morinus dicto loco: ut proinde mirum non sit, si Diaconi antonomasticè *Ministri* Episcoporum dicti sint; ac tandem in eam ascenderint auctoritatem, ut etiam se Presbyteris præferre non erubuerint: de qua Diaconorum insolentia, vide notas nostras ad *Can. 1. Nicænum.*

X. Verùm ex moderna Ecclesiæ disciplina, Diaconorum officia & functiones multùm restricta esse notissimum est.

Pontificale Romanum eorum officia his ferè verbis complectitur: *Diaconum oportet ministrare ad Altare, baptizare, & prædicare.* Præter hæc tribuitur ei potestas legendi Evangelium sub hac formula verborum: *Accipe potestatem legendi Evangelium in Ecclesia Dei, tam pro vivis quàm defunctis, in nomine Domini.*

XI. Hæc ex Ecclesiæ præscripto hodie Diaconis proponuntur: monenturque, ut tamquam Comministri, &

Coo

eratores Corporis & Sanguinis Domini, sint ab o-
lecebra carnis alieni." Curate, ait ad ipsos Pontifex
linans, ut quibus Evangelium ore annuntiatis, vivis
ibus exponatis; ut de vobis dicatur: Beati pedes
ngelizantium pacem, evangelizantium bona."

I. Si ergo ad mentem Ecclesiæ in Pontificali expres-
: conservatam reflectamus; Diaconi non tantum ad
s Ministerium; sed etiam ad functiones Hierarchi-
dinantur: At hodie etiam quoad Diaconos, adeo
sa est moderna disciplina, ut nullum penè præter
terium Altaris Diaconis relictum sit officium: Imò
ud nisi in solemni Missa Diaconis relinquitur. Quin
frequenter, præcipuè in Cathedralibus, & Collegia-
lesiis Diaconorum ministerium supplent Presbyte-
ut tandem eò deventum sit, ut Ordinatio Diacono-
ri non soleat, ut habeantur, qui Diaconorum fun-
s obeant, sed ut per Diaconatum tanquam gradum
sbyteratum ascendatur. Unde nec ullus ordinari
conum solet eo fine, ut in officio Diaconatus perse-
sed ut eo suscepto ad Presbyteratum, tempore in-
oium evoluto, promoveatur. An autem hæc menti
ntioni Ecclesiæ sint planè conformia, despiciant E-
i. Illud certum est, ex intentione Ecclesiæ, nullum
ordinari, qui judicio sui Episcopi non sit utilis aut
tius suis Ecclesiis: Neque illum ordinari, qui illi
æ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate
tur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus.
hoc latiùs infrà; ubi priùs de Presbyterorum fun-
nus egerimus.

I. Presbyterorum functiones Pontificale Ordinan-
ponit his verbis: *Sacerdotem oportet offerre, benedi-
esse, prædicare, & baptizare.* Deinde peracta or-
ne ad ordinatum dicit: *Accipe Spiritum Sanctum;
remiseris peccata, remittuntur eis, & quorum reti-
retenta sunt.*

. Primum ergo Presbyterorum officium est, Of-
to nomine oblationem Sacrificii Missæ intelligen-
ire indubitatum est: Eaque ex moderna Ecclesiæ
æ primaria, & omnibus indifferenter vi suæ ordi-
competens, Presbyterorum functio reputatur:
latiùs parte 2. agetur.

Secunda functio exprimitur per verbum *Benedi-
r* ex hodierna disciplina exercetur per Presbyte-
præscriptis precibus, rebus quibusdam *benedi-
publicam impertiuntur*: V. G. Aquæ, Novis fru-
&c. Sed tamen & in his servandus Ecclesiarum
usus qui quasdam *benedictiones* vel Episcopis, vel
chis, aut aliis ab Episcopis delegatis Presbyteris

Tertia, quæ verbo *Præesse* indicatur, significat
rorum in conventu publico præsidentiam: quam
re videntur, dum nomine totius populi publi-
s fundunt: dum in supplicationibus aliisvè simi-
ctionibus primum locum occupant. &c.

. Quarta indicata verbo *Prædicare*, indubiè in-
em populi exprimit. Uti & quinta per verbum
expressa, Sacramentorum administrationem in-
letur. Unde & Synodus Tridentina *Sess. 23. cap.
orm.* vult, ut in Presbyteros ordinandi, ad popu-
ndum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad
ac administranda Sacramenta, diligenti exami-
lente, idonei comprobentur.

. Verumtamen circa has postremas Presbytero-
tiones, uti & eam, quæ significatur per illa ver-
Spiritum Sanctum, &c. notandum: quòd licèt
m illarum exercitium Presbyteris in sua Ordi-
mpliciter, & sine restrictione indulgeatur, ni hil-
er Canones, & consuetudinem Ecclesiarum eas
dis esse restrictas: neque omnibus indifferenter
ercitium ex hodierna disciplina competere; uti
le Sacramentis, & prædicatione Verbi Divini
r, ostendemus.

Interim illud sat constat, Presbyteros eum in fi-

n *Espen Jur. Eccles. P. I.*

nem ordinari, ut unà cum Episcopis, quisque pro suo ta-
lento; & ut Ecclesiæ necessitas aut utilitas postulaverit, la-
borent, & Ecclesiam ædificent.

Hinc nomine Ecclesiæ Antistes ordinans ordinandos
„ Presbyteros his verbis affatur: " Filii dilectissimi, quos
„ ad nostrum adjutorium Fratrum nostrorum arbitrium
„ consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ &
„ sanctæ vitæ integritatem. Agnoscite quod agitis, imita-
„ mini quod tractatis; quatenùs mortis Dominicæ myste-
„ rium celebrantes, mortificare membra à vitiis & concu-
„ piscentiis omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiri-
„ tualis medicina populo Dei; sit odor vitæ vestræ dele-
„ ctamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque ex-
„ emplo ædificetis domum, id est familiam Dei; quate-
„ tenus nec nos de vestra provectione, nec vos de tanti
„ officii susceptione damnari à Domino, sed remunerari
„ potius mereamur."

XX. Denique cum Sacramentum Ordinis, uti rectè
monet Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 18. cap. 1.* non
pro singulorum salute; sed pro totius Ecclesiæ propaga-
tione, & gubernatione institutum sit, nemo quoque ad
Ordinem, præsertim Presbyteratus admittendus est, qui
non ad utilitatem Ecclesiæ functionibus sui Ordinis oc-
cupetur; quod capite sequenti latiùs ostendetur.

Ea verò quæ ad qualitatem, ætatem, examen & titulum
ordinandorum spectant, ubi de Sacramento Ordinis age-
tur, exponentur.

CAPUT IV.

Clerici certæ Ecclesiæ adscribendi.

1 *Clericorum vita otiosa admodum scandalosa.*
2 *Ut illi occurratur certa Ecclesia adscribi debent.*
3 *Excipiuntur studentes in Universitate.*
4 *Quomodo Ecclesia designata inservire debeant Clerici.*

I. Nihil adeo vocationi Clericali oppositum; nihil Ecclesiæ magis probrosum & Laicis scandalosum esse, quàm otiosam ac incertam Clericorum vitam, ratione, & experientia compertum est.

Hinc jam pridem sollicita fuit Ecclesia, ne quis in Clerum assumeretur, nisi certo loco adscriberetur, ubi functionibus Ordini suo convenientibus occuparetur; & victum Clerico dignam institueret.

II. Disciplinam hanc Canone sexto Concilii Calcedonensis probatam, sed temporum injuriâ penè collapsam, restauratam volens Synodus Tridentina, inhærendo vestigiis dicti Concilii, statuit. " Ut nullus in posterum ordinetur,
„ qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut u-
„ tilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur mu-
„ neribus, nec incertis vagetur sedibus." *Sess. 23. c. 16 de ref.*

Hoc saluberrimum Decretum Synodi Belgicæ uno consensu receperunt, & innovarunt: additque Synodus P. II. Camerac. " Ut in proximi Ordinis susceptione exami-
„ nentur singuli, num in iis Ecclesiis, quibus adscripti fue-
„ rint, suas functiones obierint." *Tit. 1. c. cap. 6.*

III. Non immeritò tamen ab hac regula Synodus Namurcensis sub Waghtendonck *tit 8. cap. 9.* excipit in Universitate aut Seminario degentes: hi enim, præterquam quod in Oratoriis Collegiorum aut Seminariorum functiones Ordinum obire soleant, etiam studiis aliisque exercitiis se ad altiores Ordines & majores functiones obeundas ex voto Ecclesiæ præparant, modo juxta leges, & mentem Fundatorum in Universitate & Seminariis se exerceant, & occupent; uti infra sub titulo de Seminariis ostendetur.

IV. Sive ergo pristinam, sive hodiernam Ecclesiæ disciplinam spectemus, nullus ordinari debet; nisi uni Ecclesiæ pro sua conditione, & talento serviat. Neque ex mente Ecclesiæ sufficit, si forsan aliquoties in Ecclesia, cui ad-

 scrip-

scriptus est, tanquam Subdiaconus, aut Diaconus ministret; vel Presbyter Missam celebret, & de reliquo nullum Ecclesiæ servitium exhibeat; sed ita se exhibere debet, ut verè dici queat, quod Ecclesiæ illi serviat; ejusque servitio se impendat, & occupet: v. g. peragendo Divino Officio, vel Parocho in Catechizandis parvulis, visitandis ægrotis aliisvè functionibus assistendo: ni ipsum major Ecclesiæ utilitas, aut necessitas aliis functionibus impendat.

Hoc indubiè motivo inducta Synod. Camerac. P. II. *tit*, 21. *cap.* 6. præcipit omnibus Sacerdotibus, & Clericis, qui intra Parochiæ fines degunt, ut Parochum in instituenda juventute pro sua quisque virili adjuvent.

TITULUS SECUNDUS

De Vita & Honestate Clericorum.

CAPUT I.

Singularis in Clericis morũ honestas requiritur.

1. *Probatur ratione adducta per Tridentinum.*
2. *Probatur ex Officio Clericorum.*
3. *Ex Scriptura Sacra.*
4. *Hæ rationes omnes Clericos spectant.*
5. *Vita Clericorum eruditio sit aliorum.*
6. *Nonnulla Clericis specialiter cavenda.*

I. Nihil est, inquit Synodus Trid. *Sess.* 22. *cap.* „ 1. *de ref.* „ quod alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, „ quàm eorum vita & exemplum, qui se „ Divino Ministerio dedicarunt. Cùm „ enim à rebus sæculi in altiorem sublati locum conspiciantur, in eos tanquam in speculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod imitentur. Quapropter sic „ decet omnino Clericos in sortem Domini vocatos, vitam moresque suos omnes componere, ut habitu, gestu, „ incessu, sermone aliisque omnibus rebus nil nisi grave, „ moderatum ac religione plenum præseferant: levia etiam delicta, quæ in ipsis maxima essent, effugiant; ut eorum actiones cunctis afferant venerationem.

II. Præterea, cùm Clerici Laicorum constituti sint Magistri & Doctores; eâ morum vitæque integritate eos vivere oportet; ut quæ verbo alios docent, operibus non negent. Hinc Synodus voluit, per Episcopos sæpius monendos Clericos, in *quocunq; Ordine* fuerint, ut conversatione, sermone & scientiâ commisso sibi populo præeant; „ memores ejus, quod scriptum est: *Sancti estote, quia & ego sanctus sum*: & juxta Apostolum: *Nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum, sed in omnibus exhibeant se sicut ministros Dei*: Ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis: *Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem. Sess.* 14. in proœmio.

III. Hæc omnia conformia sunt dicto Christi ad Apostolos, & in ipsis ad universum Clerum: *Vos estis lux mundi: sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum, qui in cœlis est.* Matt. 5. ℣. 14. Cui congruit illud Apostoli ad Titum c. 2. ℣. 7. & 8. *In omnibus præbe Teipsum exemplum bonorum operum ... Verbum sanum, & irreprehensibile: ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.*

IV. Si quis forsan hæc ad solos Episcopos Apostolorum Successores dictum credat; is audiat S. Hieronymum in Comment. ad citatum Apostoli Textum relatum apud Gratianum *Caus.* 8. *q.* 1. *Can.* 21. „ Qualis ædificatio „ erit discipuli, si se intelligat Magistro esse majorem: Unde non solùm Episcopi, aut Presbyteri & Diaconi debent magnopere providere, ut cunctum populum, cui „ præsident, conversatione, sermone & scientia præcedant, verùm etiam & inferior gradus: Exorcista, Lectores, Æditui, Acolyti, & omnes omnino qui Domui Dei „ serviunt: Quin vehementer Ecclesiam Christi destruit, „ meliores Laicos esse quàm Clericos. “

V. Ut ergo Clerici dignè sua vocatione vivant, ita studere debent vitam componere; ut eorum *vita*, verbis loquor Augustini *eruditio sit aliorum, & assidua salutis prædicatio.*

VI. Interim nonnulla sunt à Clericis planè cavenda; aut in quibus singularem honestatem & moderationem Clericis necessarium esse Canones inculcant. De quibus, quid disciplina, præsertim hodierna & Belgica habeat, paucis exponemus.

CAPUT II.

Honestas & modestia in habitu Clericorum.

1. *Vestis Sacularis cur Clericis indecens.*
2. *Per externum habitum morum honestas ostenditur.*
3. *Clericus vestes Clericales abjiciens professioni suæ renuntiare videtur.*
4. *Quomodo puniendus ex Decreto Concilii Trid. vestes Clericales non deferens.*
5. *Quæ sit dicenda vestis Clericalis.*
6. *Non deferentes vestes Clericales beneficiis privari possunt.*
7. *Amittunt Privilegium fori.*
8. *Quæ requirantur ut Clericus dictas pœnas incurrat.*
9. *Quis judicare debeat num vestis sit Clericalis.*

I. Clerici cum vi professionis sint à mundo separati, & in militiam Christi adscripti, ab eorum professione alienum est, si exteriori habitu mundanam militiam, aut vitam Laicalem potiùs, quàm Clericalem profiteri velint.

II. Quapropter, licet Ecclesia noverit, *habitum non facere Monachum*, nec vitæ sanctitatem in veste exteriori positam esse; nihilominus admodum semper sollicita fuit, ut Clerici vestes proprio congruentes Ordini deferrent: *Ut per decentiam habitus extrinseci*, ait Syn. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 6. *de ref. morum honestatem intrinsecam ostendant.*

III. Imo, qui abjectis vestibus Ordini suo congruentibus, Laicales assumere malunt, nomine & professione ac privilegiis Clericalibus indignos; functionibusque Ordinum & Beneficiorum, eorumque proventibus privandos censuit: Utpote qui vestium Clericalium abjectione, & Laicalium assumptione professionem suam se vilipendere, imo erubescere, eique quodammodo renuntiare ostendunt.

IV. Et quidem Syn. Trid. loco citato, loquens de Clericis vestes Laicales publicè deferentibus, decernit, “ Ut si „ postquam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum Clericalem, illorum Ordini & dignitati „ congruentem, & juxta ipsius Episcopi ordinationem & „ mandatum non detulerint, per suspensionem ab Ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, & reditibus, „ & proventibus ipsorum beneficiorum, nec non, si semel „ correpti denuo in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum hujusmodi coërceri „ possint & debeant. Constitutionem Clementis V. in „ Concilio Viennensi editam quæ incipit: *Quoniam*, innovando & ampliando. “

Hoc Synodi Trid. Decretum Synodi Belgicæ pari consensu receperunt, & sæpius innovarunt. Synodus Mechl. P. II. *tit.* 18. *cap.* 4. Camerac. P. I. *tit.* 9.

cap.

4. & Part. 2. tit. 16. cap. 5. & 6. & aliæ commu-

Porrò quis sit dicendus amictus, sive vestis Ordini cali conveniens, difficile est generaliter determina- im pro temporum & locorum varietate eum varium & mutari posse indubitatum sit.

Sumenda ergo est vestis, quæ pro loci, & temporis itione honestati & modestiæ Clericali sit conveni- ita ut exterius modestiam, vitamque Clericalem o- us ostentet; nihilque mundani fastus, aut vanitatis aris præferat.

. Quare rectè dixit Syn. P. II. Mechl. *loco citat.* "Et niam mundana curiositas quotidianas adinvenit le- tes, omnis ille habitus quibuslibet Ecclesiasticis per- s interdictus sit, à quo Episcopus abstinendum man- it." Additque: "Et qui ab Episcopo moniti, etiam dictum publicum, honestum habitum Clericalem gestaverint, per suspensionem ab Ordinibus, officio eneficio, ac fructibus, & reditibus, & proventibus rum beneficiorum, nec non, si semel correpti iterum oc deliquerint, etiam per privationem officiorum eneficiorum coërceantur."

. Similiter Concordato Episcopum Leodiensem & Carolum V. *cap. 6.* Clerici primæ Tonsuræ pri- fori privantur, si vestes Ordini Clericali minus nentes, quæ ibidem describuntur, gestent: Quod odus Trident. comprobavit, declarans, Clericos Tonsuræ, etiam in Minoribus Ordinibus constitu- on gaudere *privilegio fori*, licèt alicui Ecclesiæ de ito Episcopi sint adscripti, nisi Clericalem habitum sturam deferant.

I. Attamen, ut Clericus privilegio fori dicatur pri- aliisque Canonicis pœnis mulctetur, non sufficit, x levitate fastum aut pompam sæcularem nonnihil t, aut una alterave vice vestes Clericales, etiam si- causa dimiserit; sed requiritur, ut ita continuet, m vestibus Laicalibus utatur; ut dici queat, *abjecisse Clericales; easque*, ut loquitur Tridentinum, *parvi* videatur, uti observat Antonius Faber ad Codicem *isc. & Cler. definit. 36. Notâ 2.* & latiùs Stephanus sius ad Constitutiones 24. in Tridentino innova- *Stat. 8. num. 14.* Quin tamen unicum etiam actum mis vestium Clericalium, aut fastum mundanum Clericali Episcopus pro ratione scandali & exces- ire queat, non dubium: & rectè monet Zypæus *1. tit. De vita & honest. Cleric. Num. 7.*

Si autem dubitetur, num hic habitus sit Clerica- icalis, moribus Belgii ferè receptum est, de hac ne tamquam *meri facti*, Regios Magistratus judi- testatur judicatum esse & servari in Burgundia is *Decis. 30.* "Eamque sententiam etiam hic, ac in supremis Curiis Franciæ servatam, secutam- mini, inquit Christinæus *Volum. 1. Decis. 56.*" refert judicatum in Curia Gratianopolitana ipæ *Decis. 138.* qui ibidem *num. 1.* notat, Habi- icalem dici quoad privilegium fori, "quando abitum deferens ex inspectione Clericus præsu-

CAPUT III.

ntia & familiarior cum mulieribus conversatio Clericis cavenda.

summopere dedecet vitium incontinentiæ.
aveatur, familiarior cum mulieribus conversatio ricis vitanda.
r Decretum Synodi P. Cameracensis.
Synodorum PP. Mechlinienfium.
nodi Diœcesana.
monitionem Episcopi Pastores ancillas suas dimit- debent.
7 *Etiam cavenda familiaritas cum mulieribus devotione conspicuis.*
8 *Tutius est Clerico famulum habere quàm ancillam.*
9 *Varia ex citatis Decretis corollaria.*
10 *Clericis cavendum, ne quid in verbis vel factis aut suppellectile obsœni occurrat.*
11 *Specialiter interdicitur Clericis habere statuas vel imagines minùs honestas.*

I. "Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui se divino cultui adduxerunt, sit indignum; in impudicitiæ sordibus immundoque concubinatu versari, satis res ipsa (inquit Synod. Trid. *Sess. 25 cap. 14. de ref.*) communi fidelium omnium offensione, summoque Clericalis Militiæ dedecore, testatur."

Ut igitur non tantum à vitii hujus reatu, sed omni ejus specie ac suspicione alieni essent Clerici, valde sollicita semper fuit Ecclesia.

II. Hinc omnem non necessariam, & familiariorem cum mulieribus conversationem, tanquam incontinentiæ suspicionem & periculum ingerentem, Clericis interdixit Utque veteres de hac re Conciliorum Canones & Patrum sententias omittamus, sola tēporibus & Provinciis nostris magis accommodata Synodorum Decreta referre lubet.

III. Synodus Cameracensis P. I. *tit. 9. cap. 1.* ita loquitur: "Consortium Mulierum Sacerdoti non convenit, quem castitas & continentia ornare perpetuò debent: Et ut castitas servari queat in mulierbi consortio, rarò tamen bonum nomen retineri potest. Quare præcipit S. Synodus, ne qui Sacros Ordines susceperit, in familia secum habeat mulierem extraneam, de qua suspicio facilè sinistra concipi possit; quam suspicionem vitare nequeunt, qui juvenes, comptas, procaces, otiosas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas anteactæ vitæ macula contaminet, vel secum alunt vel frequenter adeunt, aut admittunt. Si quis hac parte peccaverit, monitus castigatusque nisi animum & vitam mutaverit, graviter Ordinarii arbitrio puniatur."

IV. Idem compendio expressit Mechl. P. I. præcipiens, "Ut Clerici à suspecta cum mulieribus conversatione, & cohabitatione omnino abstineant." Ulteriùs progressa Synod. Mechl. P. II. *tit. 18. cap. 8.* ait: "Quoad Clericos concubinarios (si qui sint, quod Deus avertat) vel suspectam cum mulieribus consuetudinem habentes juxta Decreta Canonum & Concilii Tridentini rigorosè puniantur, & hujusmodi mulieres, si monitæ ab Ordinario se ab eorum consuetudine non sejunxerint, extra oppidum vel Diœcesim, invocato etiam, si opus fuerit, brachio sæculari, ejiciantur."

V. Provincialibus consonant Diœcesanæ, inlubentes Clericis, "Ne cum suis ancillis, quantumcunque honestis, nimiam contrahant familiaritatem, aut cum eis ad convivia, quantumvis honesta, etiam vocati accedant; multòque minùs ad tabernas, aut ad choreas." Vide Iprensem an. 1577. *tit. 3. cap. 3.* Mechl. an. 1609. *tit. 17. cap. 6.* Gandens. an. 1613. *tit. 17. cap. 5.*

VI. Quæ duæ postremæ addunt: "Si quis ancillam habeat, vel cum alia muliere sic conversetur, ut obloquium inde, vel scandalum oriatur, ad monitionem Episcopi vel etiam Capituli, sub quo degit, hanc ancillam abdicare, seu ab hujus mulieris familiaritate se subtrahere mox teneatur.

Antverpiensis an. 1610. *tit. 17. cap. 6.* ait: "Teneatur unusquisque suam ancillam sine strepitu dimittere, quamcunque nos in Vicariatu nostro, aut Decanus & Capitulum quoad sibi subditos, dimittendam judicaverimus." Idem habet Synodus Leodiensis ann. 1618. *tit. 6. cap. 1.*

VII. Quin & Synodus Audomarensis perpendens, etiam interdum periculosam esse conversationem cum mulieribus, pietatem licèt prætexentibus, præcipit; "Ut cum mulieribus etiam *sanctitate spectatis*, extra hone-

„ statis necessitatem non conversentur: *de vestimentis eorum* (quod monet sapiens) *procedit tinea, & à muliere iniquitas viri*: Et melior est, minùsque periculosa in virorum conversatione, iniquitas viri, quàm mulier benefaciens. "

VIII. Deinde postquam monuit conformiter ad præcitatas Synodos, ne nimis familiariter utantur ancillis suis, quantumcunque honestis: nec cum eis ad convivia, quantumvis honesta, etiam vocati accedant, aut etiam ad forum, adjungit: Sciant verò multò fore & tutius & honestius, si ancillarum loco, viri viris inserviant, atque iis præsertim qui soli agunt. " *Tit.16. cap.2.*

IX. Hæc Synodorum Decreta ostendunt, quòd hodierna Belgica disciplina absolutè non inhibeat cohabitationem Clericorum cum muliere extranea, nullatenus tamen permittat aliquam cum mulieribus conversationem, quæ vel minimam sinistram suspicionem dare posset: sollicitèque caveant, ne cum ancillis suis familiaritatem nimiam contrahant, aut quidquam in illis patiantur, quod vel speciem aliquam mali ingerere posset.

Unde juxta Synodorum mentem attendere debent Ecclesiastici, ne eorum ancillæ suo agendi, aut loquendi liberiori modo videantur sibi potiùs Magistrarum, quàm ancillarum authoritatem arrogare: hinc enim sinistra facilè oritur suspicio, & nimius erga ancillas arguitur affectus.

Insuper evincunt citata Synodalia Decreta, Ecclesiasticos omnes illas dimittere, idque sine strepitu Judicii, debere ancillas, quas Episcopus aliusve eorum Superior ob causam dimittendas judicaverit: & ab earum conversatione abstinere, quam Superior suspectam, aut populo in offendiculum cedere duxerit. Laudanda sanè & penè necessaria disciplina. Quis enim nescit, quàm frequenter circa similia in propria causa cœcutiant Ecclesiastici, aut non advertant, quantopere offendatur populus ex modo agendi alicujus ancillæ; aut quadam cum muliere nimia aut familiariore conversatione.

Imò Ecclesiastici, qui ad monitionem Superioris ancillas suas dimittere, aut conversationi renuntiare renuunt, ordinariè vel hoc ipso renisu non obscurè ostendunt, nimium erga has ancillas aut mulieres humanum, ne dicam carnalem affectum.

Denique, tametsi Belgica disciplina non planè omnem ancillam, etiam extraneam, modò honestam, Clericis interdicat; sat tamen in allegatis Synodorum Decretis innuitur; Synodorum illarum votum fuisse, ut quantum temporum ac locorum circumstantiæ patiuntur, loco mulierum viri in famulatum assumantur: præsertim à Pastoribus aliisque personis Ecclesiasticis, qui soli familiam instituunt.

Et quis hæc non optet, imò penè necessarium autumet, qui pericula, quæ continua illa unius cum una conversatio secum trahit, expenderit?

X. Denique, ut omnem incontinentiæ vel speciem vitent Clerici, non tantùm à mulierum familiariore, aut suspecta conversatione iis cavendum est, sed insuper ne quid vel in verbis, vel in factis, aut tota sua familia quidquam obscœni, aut minùs casti occurrat.

XI. Quapropter, licèt omnibus lex naturalis & Divina inhibeat obscœnas minùsque honestas imagines, vel statuas expositas habere, specialiter tamen Clericis id cavendum esse inculcant Belgica Concilia. " Nemo " ait Synodus Mechl. P. II. *tit.* 14. *cap.* 3. " Ecclesiastici Ordinis lascivas, & ob nuditatem vel alias obscœnas, & quæ pias mentes offendant, imagines, in suis ædibus ac hortis ponat vel retineat, sub pœna arbitraria. Concionatores quoque contra hujusmodi imaginum quocumque etiam profano loco positarum detestandum usum frequenter conciones suas instituant. "

CAPUT IV.

Ebrietas, commessatio, popinarum frequentatio Clericis specialiter interdictæ.

1 *Ebrietas continentiæ Clericali specialiter contraria.*
2 *Per SS. Canones singulariter Clericis interdicta.*
3 *Compotationes pomeridianæ similiter vetita.*
4 *Popinarum ingressus Clericis interdictus.*
5 *Pœna ingredientibus decreta.*
6 *Cura S. Caroli, ne Clerici peregrini ad popinas diverterent deberent.*
7 *Principum nostrorum ordinationes circa usum tabernarum.*
8 *Saluberrimum S. Ludovici Decretum.*
9 *Lucrum ex cellis Capitulorum non quærendum.*

I. Clericos vi suæ professionis specialiter continentiæ studere, omnemque incontinentiæ suspicionem & periculum studiosè declinare debere, præcedenti §. ostensum fuit.

Ex quo hau difficulter infertur, ebrietatem quoque, & commessationes, omnemque in cibo & potu excessum eisdem cavendum esse.

Quis enim ignorat illud Apostoli ad Ephes. 5. ℣. 18. *Nolite inebriari vino in quo est luxuria.* Et illud Sapientis Prov. 20. ℣. 1. *Luxuriosa res est vinum, & tumultuosa ebrietas.* Hinc illud Hieronymi lib. 2. contra Jovinianum: *Esus carnium, & potus vini, ventrisque saturitas, seminarium libidinis est.*

II. Meritò proinde jam pridem Synodus Agathensis *Can.* 4. apud Gratianum *Dist.* 35. *Can.* 9. dixit: " Ante omnia à Clericis vitetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est: itaque eum quem ebrium fuisse constiterit (ut ordo patitur) aut 30. dierum spatio communione statuimus submovendum, aut corporali subdendum supplicio. "

Et sub titulo Decretalium, de vita & honestate Clericorum ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. tamquam honestati Clericorum summè necessarium, refertur. *A crapula & ebrietate omnes Clerici abstineant diligenter. Unde vinum sibi temperent, & se vino. Nec ad bibendum quispiam incitetur: Cùm ebrietas & mentis inducat exilium, & libidinis provocet incentivum. Unde illum abusum penitus decernimus abolendum, quo in quibusdam partibus ad potus æquales suo modo obligant potatores: & ille judicio talium plus laudatur, qui plures inebriat, & calices fœcundiores exhaurit. Si quis autem super his culpabilem se exhibuerit: nisi à Superiore commonitus satisfecerit, ab officio vel Beneficio suspendatur.*

Et quid pluribus hæc probare contendimus? Quandoquidem, ut rectè monent Patres Synodi Cameracensis P. I. *tit.* 8. *cap.* 1. " Quantum probri, & incommodi ebrietas afferat, cùm omnibus Ordinibus Reipublicæ, tum Clero maximè, res ipsa docet. Atque eam ob rem ebriosum hominem navigio jactato sine ullo gubernaculo Salomon comparat. Nec enim ullum potest virtutis aut mentis constans officium præstare, qui temulentiam & ebrietatem sectatur. Propterea lege veteri Sacerdoti mandabatur, vino ut abstineret, quo tempore munus Sacerdotii esset obiturus. Quare præcipit S. Synodus, ut quicumque in Clero, id est, in sorte Domini fuerit annumeratus, ab hac ebrietatis & crapulæ macula se prorsus abstineat. Tollatur autem omnino turpis ea consuetudo, qua mutuò se quandoque ad haustus æquales provocant, certantque hac infamia reliquos vincere. Isaias enim iis execrationem denuntiat, qui potentes sunt ad bibendum vinum. Quicunque verò ex Clero hanc normam contempserit, nisi à Superiore monitus paruerit, castigetur: castigatus si non resipuerit, suspendatur ad tempus sive ab officio, sive à beneficio. "

III. Consonant & reliquæ Synodi Belgicæ, vitium hoc in Clero tamquam ejus vocationi & functionibus summopere contrarium detestantes: Ebrietati insuper adjun-

...entes & *commessationes* Clericis non minùs indeco-
...rum nomine, quia veniant pomeridianæ illæ in
...nimium frequentatæ compotationes, dubium non
...de Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 14. cap. 4*
... & honestate Clericorum tractans, ait: "*Compota-*
... quoque *pomeridianas* vel *domi suæ*, vel apud alios,
...ortium quorumvis intemperantium & malè mo-
...um studiosè declinent."
...advertere licet, quàm meritò solliciti fuerint non-
...ujus Academiæ Collegiorum Moderatores, ut mos
...garetur, quo certus per hebdomadam dies hu-
...i compotationibus pomeridianis videbatur quo-
...do designatus: in illis præcipuè Collegiis, quæ
...ti ad vitam & honestatem Clericalem formandæ
...truta.
...ec cùm in popinis, seu ut hodie loquimur, taber-
...tatis, commessationumque vitia præcipuè sole-
...tate; easque frequentantes de illis esse suspectos,
...lem harum frequentatio, tamquam vitæ & ho-
...lericorum adversa, Clericis per Canones inhibi-

...e Canonem 24. Laodicenum; item 27. Conci-
...ng. III. aliosque pristinos Canones, quos videre
...Gratianum *Dist. 44.* prætercam, in Decretalibus
...o De vita & honestate Clericorum *Cap. 15.* ex
...Lateranensi sub Innocentio III. legitur: *Clerici*
prorsus evitent, nisi necessitatis causâ in itinere con-

...onant & Belgica nostra Concilia. "Clerici," ait
Cameracense *P. I. tit. 8. cap. 6.* "ne tabernas pota-
...deant, neque diversoria frequentent, nisi sint
...s, nec omnino misceant se Laicis compotantibus,
...enim plurimùm ex ea turpi & indecora consue-
Ecclesiastici ministerii dignitas."
...echliniense *P. II. tit. 17. cap. 6.* "Sub pœna ar-
...a interdicit omnibus Clericis, ut neque edendi,
...ndi causâ tabernas ingrediantur, nisi peregrina-
...vel alia necessitate compulsi."
...a & aliæ Synodi pariformiter inculcant: reno-
...ntverpiensis sub Miræo *tit. 17. cap. 4.* Statutum
...onnii, "Ut quicunque Ecclesiasticus (nisi pere-
...nis aut alia necessitatis causâ compulsus) taber-
...endi causâ visitaverit, incurrat pœnam trium
...tum primâ vice, secundâ dupli, tertiâ quadru-
...n pœnam inexcusabiliter incurrere decernimus
...es, & singulos qui id fecerint."
...us progressa Synodus Namurcensis sub Buisse-
...24. *tit. 8. cap. 5.* tabernas malorum omnium fon-
...ium Clericis prohibet, sed etiam seriò injun-
...oribus, ut si quos resciveriat frequentantes,
...la itineris necessarii causâ, eos coram Officiali-
vocari curent: Hisque injungitur, "ut eos
pœnis pecuniariis, deinde etiam, si abstinere
..., carceribus ad meliora compellant."
...s Gandens. anno 1613. *tit. 17. cap. 3.* & decreta
...jusdem Diœcesis sub Triest. *tit. 18. cap. 4.* de-
Nec Clericis licitum esse tabernas ingredi sub
contractuum ibidem celebrandorum, ad quas
...Notarii, vel aliàs publicæ personæ vocantur,
...ntractibus, ait, interesse in tabernis similiter
...tus."
...atue, disciplinam Belgicam ingressum in ta-
...di bibendive causâ Clericis universim inter-
...itineris necessitate compellantur: "Et qui-
...su non nisi *modicæ refectionis* gratiâ, illas ingre-
...it Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 3. cap. 1.*
...inantes decet.
...ia non parùm sæpe incommodi & periculi
...ericis extraneis, dum ad ignota nonnunquam

diversoria accedere, ibidemque cum sæcularibus utriusque sexus, & cujuscumque conditionis & status conversari coguntur, meritò Episcopi adlaborarent in id, ad quod S. Carolus in Concilio Mediol. I. *part. 2. tit. 25.* suæ Provinciæ Episcopos hortabatur: "Ut in singulis suis civitatibus, curent parandum unum, aut alterum publicum & honestum diversorium, quo suarum Diœcesium Clericis rusticanis necessitatis causâ convenire liceat: nec in eo hospitio improbis, aut nequam hominibus locus sit neve fœminis ullo modo; sed tantùm Clerici & Religiosi viri, si fieri possit, in eo recipiantur."

Interim dum similes in civitatibus domus non habentur, Clericique ad communia diversoria divertere coguntur, meritò, quantùm possunt, à communi sæcularium, ac præsertim mulierum convictu & consortio se separant; ut ita multarum difficultatum & peccatorum occasionem, quæ in simili occasione concurrunt, faciliùs evitent.

VI. Quin & Principes nostri attendentes multiplicia mala, quæ ex potitationibus & commessationibus in tabernis nascuntur, multa pro earum moderatione & usu edixerunt; quæ si exactè servarentur, multis incommodis ex earum usu & frequentatione nascentibus obviaretur.

In primis sanxerunt, ne quis tabernam exerceat locis infrequentibus; sed tantùm in loco publico cujusque pagi aut vici, vel secus viam publicam; & ad eum numerum duntaxat admittantur, qui conveniat numero incolarum, aut itinerantium, utque & in civitatibus earum multitudo minuatur: neque aliæ intra milliare à quacunque civitate murata permittantur, nisi necessariæ sint, vel incolis, vel itinerantibus, ut supra. Edict. Philippi II. 12 Junii 1589. & Alberti & Isabellæ 1. Julii 1616. Hinc clarum est, Principum intentioni contrarias esse tabernas, quæ passim in civitatum suburbiis visuntur; & penè nonnisi potitationibus & comessationibus civium inserviunt.

Ulterius Edicto 18. Novemb. 1585. sancitum est, ut nullus in Brabantia extra civitatem tabernas exercere queat, nisi cum consensu Officialis & Magistratûs viciniòris civitatis, circa quam eas exercere intendit. Neque ipse Officialis aut Magistratus ullos ad hoc exercitium admittat sub pœna privationis officii, nisi quos prævia informatione, probos, honestos, Catholicos, & integræ famæ, & boni nominis esse cognoverint.

Denique ordinatum est, ut diversoria sive tabernæ sæpiùs à locorum Officialibus visitentur, præsertim vespertino tempore. Edicto 1. Junii 1629.

Hæc aliaque Principum Edicta, quæ plura citantur ab Antonio Anselmo in Codice Belgico Verb. *Herbergen*, si attentius expendantur, non obscurum erit, Principum nostrorum votum esse, ut tabernæ nonnisi necessariis civium & incolarum usibus; & vel maximè itinerantium commoditati & usui subserviant.

VII. Et quidem hanc Principum nostrorum piam intentionem jam pridem expresserat Sanctissimus Galliarum Rex Ludovicus IX. inter cujus statuta relecta & probata in generali Concilio Prælatorum, Baronum & Militum terræ Regis Galliæ apud Biterum an. 1255. hoc habetur *cap. 15.* "Nullus præterea recipiatur ad moram in tabernis faciendam, nisi sit transiens vel viator, vel in ipsa villa non habeat aliquam mansionem."

VIII. Porrò ne & ipsi Ecclesiastici videantur ipsos sæculares interdum ad suas cellas sive caveas vinarias, cen quasdam tabernas lucri causâ invitare, non immeritò sanxit Synod. D. Mechl. an. 1609. ut "ex cellis ad Capitulorum aut Cleri administrationem spectantibus lucra non quærantur. Et si quando ex vinorum venditione omni expensâ deductâ, emolumenti aliquod excrescere contigerit, in pios tantùm usus id convertatur." *tit. 17 cap. 7.*

CA-

CAPUT V.

Ludus Alearum seu à fortuna dependens Clericis vetitus; & quæ in ludis licitis cavenda?

1 *Ludus alearum Legibus Civilibus jam pridem interdictus.*
2 *Singulariter Clericis vetitus.*
3 *Sub lusu alearum etiam comprehenditur lusus Chartarum & generatim omnis à fortuna dependens.*
4 *Consuetudo Canones in totum abrogare non potest.*
5 *Non contrariatur S. Thomas.*
6 *Circa restitutionem lucri ex ludo vetito quid in Belgio obtineat.*
7 *Hodie victori actio non conceditur ad lucrum petendum.*
8 *Quæ à Clericis in ludis licitis observanda.*
9 *Qua ratione Clerici in ludis moderationem facilè servare possint.*

I. ALearum lusus, tanquam discordiæ & rixarum seminatrium jam pridem legibus improbatus fuit; adeò quidem, ut pecuniæ, quam victus collusori solverit, repetitionem dederint, etiam post 30. annorum lapsum, *L. 1. Cod. de Aleatoribus.* Ipso autem vel hæredibus ejus, repetere negligentibus, poterit à quocumque repeti: potissimum à Magistratu vel Episcopo loci, ut in civitatis opera expendatur, dicta *lege 1.*

Hic juris Romani rigor, licèt consuetudinis vi, *etsi injusta*, ut loquitur Tuldenus ad *tit. Cod. de Aleatoribus*, abrogatus, ostendit nihilominus, quàm sollicitè Reipublicæ moderatores etiam Laicos ab hoc lusu avocare studuerint: Ut proinde mirum non sit, si inter illa, quæ à Clericis speciatim cavenda sunt, lusum Alearum Ecclesia reposuerit.

II. Utque nihil dicamus de Justiniani Imperatoris constitutionibus in Auth. *Decernimus Cod. de Episcopis, & Clericis*, desumpta ex Novella 123. *cap. 10.* Item Synodi Quinti-Sextæ aliisque antiquis Decretis, quibus omnis Alearum usus Clericis interdicitur; Concilium Lateranense in *Cap. 15.* ꝟ. *De vita & honest. Cleric.* ait: *Clerici ad aleas & taxillos non ludant, nec hujusmodi ludis intersint.*

Quod Decretum conformiter ad Synodum Tridentinam pari consensu Belgii nostri Antistites in suis respectivè Synodis renovarunt, & inculcarunt. Vide Synodum Mechl. P. II. *tit. 18. cap. 9.* Antverp. sub Miræo *tit. 17. cap. 9.* Buscoducensem sub Masio *tit. 14. cap. 4.* Tornacensem an. 1577. *tit. 12. cap. 4.* aliasque.

III. Sed inquiet aliquis, sive antiquos, sive recentiores Conciliorum sanctiones consulamus, nullibi lusum chartarum sive pagellarum Clericis interdictum reperiemus: Adeoque nec hic inter lusus vetitos reponendus videtur. Respondeo, verum esse, Canones passim & plerumque ludi Alearum dumtaxat meminisse, omnemque Alearum lusum simpliciter Clericis interdicere: At sicuti *Alea* per translationem ponitur pro quavis fortuna, sive periculo, aut periculi dubitatione: diciturque, *aleam* omnem jacere, qui se periculo fortunæque committit: Et *alea* emptio Jurisconsultis dicitur, cùm incertus eventus v. g. captus piscium aut avium emitur, *L. 11. ff. de action. empti*, Ita quoque lusus Alearum accipitur pro omni lusu, qui casu potiùs, quàm arte regitur.

„ Aleæ nomine, inquit Tuldenus ad *Cod. tit. de Aleatoribus*, „ non tantùm tesserarum lusus, sed quicumque „ alius perinde à fortunæ eventu, imò vel à solertia pen„ dens, continetur, & in lucrum exercitus legibus impro„ batur: " Idem notat Vallensis ad *tit. Decretalium De vita & honest. Cleric. num.* 12. aliique passim tum Legum, tum Canonum interpretes.

Cùm igitur nemini dubium esse queat, quin *Chartarum* sive *pagellarum* ludus æquè ac tesserarum à casu dependeat, dubitari quoque nequit, quin sub generali *alea* ludo & hic ludus contineatur.

Unde S. Antoninus cùm dixit nomine *alearum ludi* intelligi omnem, qui innititur fortunæ, etiamsi fiat ibi aliquid de industria, pro exemplo ponit non tantum ludum taxillorum, sed etiam *chartarum. Parte 2. tit. 1. cap. 23.*

Et sanè, si quis expenderit mala, ob quæ *alearum* ludum, à Clericis præsertim; cavendum esse Canones edixerunt; ea non minùs in ludo *chartarum*, quàm *tesserarum* occurrere facilè intelliget, & quotidiana experientia experietur.

IV. Quæ incommoda ex simili ludo provenientia si quis attenderit, facilè quoque intelliget, quod consuetudo contraria multorum Clericorum (non paucis tamen eam improbantibus) Canonum illorum auctoritatem non possit ita enervare, ut lusum illum Clericis licitum reddat. Si enim hæc mala ob quæ Canones ludum hunc vetuerunt expendantur, reperietur, illos non juri merè positivo, quod consuetudine tolli potest, sed etiam naturali inniti; cui opposita consuetudo non legis, sed corruptelæ nomen meretur:

Unde Innocentius III. *in Cap. 11.* ꝟ. *De excess. Prælat.* Clericum alearum lusui vacantem, & obtentu *consuetudinis Clericorum Gallicanorum, qua ferè universi Clerici frequenter sic ludunt*, se à culpa eximere volentem, refellit his verbis: " Nos qui ex officii nostri debito pestes hujusmo„ di extirpare proponimus, atque ludos voluptuosos (oc„ casione quorum sub quadam curialitatis imagine ad „ dissolutionis materiam venitur) penitus improbamus, „ excusationem prædictam, quæ per pravam consuetudi„ nem (quæ corruptela dicenda est) palliatur, frivolam re„ putantes, cùm in illis magis plectibilis sit offensa, per „ quos ad excusandas excusationes in culpis, delinquen„ di auctoritas usurpatur. "

Et ita hanc consuetudinem tamquam rationi naturali contrariam pro abusu, non tantùm Theologi, sed & Jurisconsulti reputant. Panormitanus ad *Cap. 15. De vita & honest. Cleric.* Fachinæus *Lib. 11. Controvers. cap. 52.* aliique ab iis citati.

V. Neque in speciem his contrariatur S. Thomas 2. 2. *quæst. 32. art. 7. ad 2.* qui ibidem ait, quod victor in ludo aleæ teneatur ad restitutionem eorum, quæ accepit juxta leges civiles, nisi contraria consuetudine in loco illo abrogatæ sint. Evidens enim est, Sanctum Thomam non agere illic de Canonibus aut legibus simpliciter lusum alearum interdicentibus; sed de lege civili obligante victorem ad restitutionem, & concedente ipsi victo repetitionem: quam legem contraria consuetudine tolli posse non diffitemur.

VI. Et quidem in Belgio vicinisque Provinciis generali consuetudine receptum esse, victo dati seu perditi repetitionem non dari testantur Christinæus *vol. 2. Decis.* 200. Tuldenus, Zypæus aliique relati à D. Christinæo in Notis ad *cap. 230. lib. 2. Bugnyonii De legib. abrog.* quod tamen limitant: " Si quando alter dolo malo vicit: Quan„ do non pecunia, sed vestis aut pallium in solutum data „ sunt; aut quis ingentem pecuniæ summam in magnum „ familiæ dispendium in aleæ lusum profudit. " Unde aliquibus locis cautum, ut quis nonnisi ad certam pecuniæ quantitatem ludere possit; utque quod eam excedit licitè repetatur: Item si quis id quod perdidit ludendo nondum solverit, sed ipsi creditum fuerit, non teneatur in foro externo ad solutionem, quamvis & fidem eidem de solvendo dedisset. Vide D. Christinæum loco citato:

VII. Sicuti autem moribus Belgii Victo dati repetitio denegatur, ita Victori ad id quod promissum aut cautum est actio denegatur: Nec is, qui alicui sciens in aleæ lusum pecuniam credidit, repetendi actionem habet. Christinæus *loco citato*; & in terminis habent Consuet. Antverp. *tit. 54. art. 17. 18. 19. & 20.* Vide Zypæum in *Notitia Jur. Belgic. tit. De Religios. & alea lusu*: ibidem monentem, " Edicto 31. Aug. 1610. aleas aliunde ferri „ vetitum, certumque vectigal impositum, non tamen id „ in Brabantia receptum, quia non prævio Ordinum as„ sensu emissum, sine quo pecunia imperari hic non so„ let. "

VIII. Quo-

VIII. Quoad ludos autem non à casu sive à fortuna, sed ab industria dependentes, illos interdum ad relaxationem corporis vel spiritus, ut suis functionibus, obeundis aptior reddatur, adhiberi posse etiam à Clericis, latè docet S. Thomas 2. 2. *q.* 168. *art.* 2. Modò tamen, ut monet idem Doctor, "Ludus congruat personæ, & tempori, & loco, „& secundum alias circumstantias debitè ordinetur, ut „scilicet sit & tempore & homine dignus."

Si ergo Ecclesiastici ad animi corporisve relaxationem honesti alicujus ludi exercitium sibi utile aut necessarium credant, illud ita attemperare debent, ut personæ, loco, & tempori conveniat.

Et primò quidem, cùm vix contingere possit, ut Clerici publicè & coram secularibus hujusmodi exercitiis occupentur, quin aliquam levitatis notam incurrant; quin & aliquid de existimatione & reverentia Ordini Clericali debitis detrahatur, nullatenus convenit, ut in loco publico & secularibus quibusque patenti ludant.

Quod perpendens S. Carolus, postquam omnem ludum alearum Clericis interdictum esse declaravit, subjungit: "Si autem valetudinis interdum causâ parva pilâ „aut alio non indecoro ejusmodi exercitationis genere uti „contigerit, ne id publicè faciant."

Similiter Synodi Belgicæ dicunt, "Scandalosum esse, „Pastores aliosque Sacerdotes ad psittacum jaculari, aut „in locis publicis ludere pila palmariâ. Ideoque etiam „quilibet ab eo abstinebit sub pœna arbitraria." Ita Syn. Gand. an. 1613. *tit.* 17. *cap.* 10. quod renovatum est in Decretis Synodalibus sub Triest. *tit.* 17. *cap.* 7. Et Syn. Cameracensis D. an. 1617. *cap.* 6. Item Ordinationes Synod. Antverp. sub Nemio *tit.* 17. *num.* 3.

Illud quoque summopere cavendum, ne nimio affectu alicui ludo quantumvis honesto afficiantur. "Quantum„cumque enim honesta sit recreatio" (ait Salesius in Introd. ad vitam devot. *cap.* 3. *part.* 31.) "vitio certè non „caret, animum ei & affectum applicare.

Cavendum denique Ecclesiasticis, ne lucri cupiditate ad ludum principaliter accedant: cui periculo occurrere volens S. Carolus decrevit: "Ut si valetudinis interdum „causâ, parva pilâ aut alio non indecoro exercitationis „genere uti contigerit, ne publicè id faciant, *nec pecunia* „*intercedat in ludo; nec quidquam quod facilè pecuniâ æstima-* „*ri possit.*"

IX. Hanc in ludicris & aliis oblectamentis tum corporis, tum animi moderationem non difficulter observabunt Ecclesiastici, qui meminerint, universos Ecclesiasticæ militiæ adscriptos ad pietatis religionisque exercitationes vocatos esse; ut monet Synodus D. Mechlin. *tit.* 17. *cap.* 1. subditque: "Sciat propterea id in officio suo posi„tum esse, ut cum in officiis divinis obeundis vel in fre„quentandis Ecclesiis quod debet tempus consumpserit, „si quid tibi reliquum est, id omnis non in rerum secula„rium colloquiis profanisque actionibus, sed in divina„rum litterarum studiis & in cœlestium rerum contem„plationibus & sanctis piisque officiis traducat." Similia habet Synodus Audomar. ann. 1583. *tit.* 16. *cap.* 5. additque: "Qui pastoratu funguntur, dent operam ut „proficiant in cognitione eorum, quæ ad ipsorum spe„ctant officium, visitent ægrotos, consulant ipsi secum „& cum Deo, qua optimè ratione unus parochianorum „ipsorum à vitiis ad virtutem trahi, alius persuaderi id „quod consultissimum sit, tertius ad perfectum excitari „possit.

CAPUT VI.

Clerici negotiis secularibus se non misceant

1 *Negotia secularia professioni Clericali contraria.*
2 *Mercatura illis singulariter interdicta.*
3 *Decimarum conductio Parochis non convenit.*
4 *Famulatus personarum secularium Clericos non decet, uti nec familiarum administratio.*
5 *Quomodo se gerere debeant Principum Capellani.*

I. Duo sunt genera Christianorum, (ait S. „Hieronymus apud Gratianum *Caus.* 12. „*q.* 1. *Can.* 7.) Est autem unum genus „quod mancipatum divino officio, & de„ditum contemplationi, & orationi, ab „omni strepitu temporalium cessare convenit, ut sunt *Cle*„*rici* & Deo devoti, videlicet conversi. Clerus enim Græ„cè, Latinè sors: Inde hujusmodi homines vocantur „Clerici, id est sorte electi. Omnes enim Deus in suos e„legit.

Cum ergo Clerici & Monachi specialiter vi suæ vocationis Dei & Ecclesiæ servitio sint addicti; & ea ratione Ecclesiasticæ Militiæ adscripti, unanimi Patrum consensu illis applicatur illud Apostoli: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus: ut ei placeat, cui se probavit.* 2. ad Timoth. 2. *v.* 4. Id est, Clericus adinstar Militis adscriptus Christi militiæ, ut placeat ei à quo delectus est, omnia negotia aliena ab officio illo Militari procul à se abjiciat; illud unum agens & cogitans, quomodo ritè Deo & Ecclesiæ militare possit.

II. Itaque ex ipsa Clericali professione probant Canones, non convenire Clericis mercaturam; quia per illam plurimùm abstrahuntur à militia sua Ecclesiastica & secularibus implicantur.

Antiquos in hanc rem Canones, & Patrum sententias recitat Gratianus *Dist.* 88. Quos sequutus Alexander III. Londinensi Episcopo rescribit in *Cap.* 6. *Ne Clerici vel Monachi* &c. "Secundum instituta Prædecessorum nostro„rum sub interminatione anathematis prohibemus, ne „Monachi vel Clerici causâ lucri *negotientur*: & ne Mo„nachi à Clericis vel laicis suo nomine firmas habeant: „neque Laici Ecclesias ad firmam teneant."

Quibus conformia sunt Synodorum nostrarum Decreta, mercaturam Clericis etiam sub pœnarum comminatione interdicentia. Synod. Camerac. P. II. *tit.* 16. *cap.* 1. Mechlin. P. II. *tit.* 17. *cap.* 5.

Adduntque præterea tamquam eodem ex fundamento profluens, Ne decimas, census, prædia, aut terras alienas conducant, quæstûs faciendi causâ.

III. Et quidem quod ad decimarum conductionem attinet, illud singulariter notandum; hodie frequenter à Capitulis decimas Pastoribus elocari, eò quòd ab his, quàm à rusticis sibi de solutione magis cautum credant: At non advertunt, quòd præterquam quòd Pastores per hujusmodi decimarum conductiones à suis functionibus Pastoralibus soleant non parùm abstrahi, contingat quòd indignationem & odium aliquale suorum Parochianorū non rarò incurrant: dum hi credunt per Pastores sibi lucrum, quod ipsi ex conductione decimarum sperabant, & sibi tamquam villicis competere credunt, ereptum vident. Ut vel hinc pateat, quàm meritò harum conductionem Synodi nostræ Pastoribus interdixerint.

IV. Eodem fundamento innixæ Synodi nostræ conformiter ad responsum Pontificis in *Cap.* 5. *de vita & Honestat. Cleric.* interdicunt Clericis, ne se famulatui Personarum secularium, aut alicujus familiæ administrationi, sive procurationi addicant: "Quomodo enim (ait Sy„nodus Buscod. sub Masio *tit.* 14. *cap.* 5.) Procuratores „& Dispensatores domorum alienarum atque villarum „esse poterunt Clerici, qui proprias jubentur contem„nere facultates." Et Synodus Namurcensis an. 1604. *tit.* 8. *cap.* 7. "Non solum contra Apostolicum præcep„tum faciunt Clerici qui negotiationibus operam dant, „& quæstum captant, sed etiam qui alienos agros aut „decimas conducunt, & illis colendis, his verò colli„gendis maximam sui temporis partem, quam orationi „& sacris studiis impendere deberent, inutiliter impen„dunt;

„dunt; nec non ii qui dominorum temporalium obsequiis „se tradunt & in eorum negotiis curandis toti occupan„tur.

V. Synodus quoque Oecumenica VII. *Can.* 10. vult, ut Clericus, qui de consensu Episcopi "Principum Capel„lanus constituitur, non liceat ei mundanas & sæculares „curas suscipere; præsertim cùm hoc agere prohibeatur „à Sacris Canonibus: potius autem maneat ad magisteri„um tam puerorum, quam famulorum, relegens eis Di„vinas Scripturas: ad hoc enim Sacerdotium consecutus „est."

Hic obiter nota, jam pridem à Synodo Generali laudatos, qui pueris, quos instituendos suscipiunt, Sacras Scripturas prælegunt, & commendant.

VI. Annumerant pariter Sacri Canones negotiis sæcularibus, à Clericis haud facilè suscipiendis, tutelas, curatelas, similesque curas, quæ Clericos multis difficultatibus natæ sunt implicare, & à divinis functionibus multùm impedire, animumque distrahere.

Notum est illud Concilii Africani à S. Cypriano laudatum. "Ne quis de Clericis, & Dei Ministris tutorem „vel curatorem testamento suo constituat: quando sin„guli divino officio honorati, & in Clerico ministerio „constituti non nisi Altari & Sacrificiis deservire, & pre„cibus atque orationibus vacare debeant.

Hanc Clericale officium inter & similes functiones incompatibilitatem intelligens Justinianus Imperator Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, & Monachis omnibus immunitatem ab omni cujuscunque generis tutela & curatela concessit: Unà tamen declarans; eos tantùm Clericos & Monachos hujusmodi habere beneficium, qui apud Sacrosanctas Ecclesias, vel Monasteria permanent: *Cum propter hoc*, ait, *ipsum beneficium eis indulgeamus, ut, aliis omnibus derelictis, Dei omnipotentis ministeriis inhæreant L. 51. C. de Episc. & Cler.*

Hic per transennam observa veram ac præcipuam causam immunitatum, & privilegiorum Clericalium.

Privilegium Justiniani moribus Belgii receptum esse quoad immunitatem Clericorum ab onere tutelæ & curatelæ, testatur à Sande in Decis. Frisiæ *tit.* 9. *Decis.* 7.

Itaque ut verbo dicam, negotia sæcularia, præsertim quæ multùm distrahere & implicare hominem solent, studiosè à Clericis declinanda: Aut ut minus, si necessitas aut proximi charitas exposcat, ea moderatione suscipienda & amplectenda, ut quæ vi officii Clericalis sibi incumbunt haud negligantur; ne è milite Christi & Ecclesiæ, miles & servus mundi factus videatur.

Quod de negotiis, idem & de studiis statuendum: ut nimirum studia Clericorum vocationi eorum sint conformia.

Hoc ex Capite jam pridem Monachis, Archidiaconis, Decanis, Plebanis, Præpositis, Cantoribus, & aliis Clericis Personatus habentibus, nec non Presbyteris sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibitum fuit audire Leges civiles, *Cap.* 3. *& Cap.* 10. ⁏ *Ne Cler. vel Monachi secul. neg. &c.* "Ne occasione scientiæ (inquit A„lexand. III. in citato *Cap.* 3.) spirituales viri mundanis „rursus actionibus involvantur."

Et sanè, ut rectè advertit magnus ille Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis: "Res plena discriminis est „in Clericis usus Legum; totum enim hominem adeo si„bi vindicat, ut eum rei familiaris providentia fraudet, „suspendat à spiritualibus, à divinis avellat."

VII. Hinc tamen nemo inferat, Legum humanarum studium Clericis & Monachis plenè esse interdictum: quandoquidem certum sit, Theologicæ scientiæ, præsertim ubi de Jure & justitia tractat, legum civilium notitiam non parum conducere. Canonicam quoque scientiam plurimùm ex notitia legum adjumenti accipere, nimis evidens est. Unde teste Pontifice in *cap.* 1. ⁏ *De novi operis nuntiat.* "Sicut Leges non dedignantur SS. Canones imi„tari, ita & SS. Statuta Canonum Principum Consti„tutionibus adjuvantur."

Nullatenus proinde statui aut vocationi Clericorum contrariatur studium Legum Civilium; modò ea fiat moderatione, ut nec contra Apostoli præceptum, Deo militantes negotiis sæcularibus implicentur; neque disceptationum forensium peritiam per studium istud affectent: cùm judicatum sit, *Absurdum Clericis esse, imò opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum forensium L. 41. C. de Ep. & Cler.*

VIII. Quapropter Pontifices concedentes dispensationem Presbyteris aliisve Clericis audiendi Leges Civiles, eam ad triennium restringere consueverunt: "Ne præte„xtu longioris temporis studendi, (ait Pyrrus Conradus in Praxi dispensationum *parte* 3. *cap.* 5. *num.* 18.) Presbyteri & alii Clerici supra expressi, occasione scientiæ mun„danis actionibus involvantur, & nimis à contemplatio„ne distrahantur; cùm per Jus Civile non dirigatur prin„cipaliter homo in Deum, sicut per Jus Canonicum."

Apponunt insuper hanc clausulam: *Pro majori Sacrorum Canonum intelligentia,*

IX. Ex his haud difficulter intelligitur, quod dum Pontifices Academiæ Lovaniensi, aliisque indulgent privilegia, (quæ quædam dispensationes sunt) ut etiam Presbyteri & Clerici dignitates vel Personatus possidentes, Physicam, Medicinam & Leges liberè audire queant, illa sint accipienda cum ea moderatione, ut Clerici illis scientiis vacare possint, quatenus non negligant Canonum & Theologiæ scientiam statui suo & vocationi convenientem; neque occasione studii Legum aut Medicinæ mundanis actionibus nimis involvantur, & à contemplatione & gustu rerum divinarum nimiùm abstrahantur.

X. Quia verò hujusmodi moderatio generaliter determinari nequit, ac propterea cujusque conscientiæ relinquatur, hinc usu & moribus Belgii obtinuit ut Clerici quicumque liberè Leges & Medicinam sine ullo excommunicationis metu audiant: neque ullus credat, sibi specialem dispensationem Pontificiam esse necessariam, ut tutus sit à pœnis canonicis.

TITULUS III.

De Pastoribus & Vice-Pastoribus.

CAPUT I.

Singulis Parochiis singuli Parochi totius Parochiæ curam sustinentes præficiendi.

1. *Institutio & divisio Parochiarum malè Dionysio Papæ tribuitur.*
2. *Est tamen antiqua.*
3. *Totius Parochiæ cura incumbit Parocho.*
4. *Fines Parochiarum debent esse certi & distincti.*
5. *Parochus est principalis & proprius Sacramentorum minister in sua Parochia.*
6. *Sæpe Pastores recogitent sibi totius Parochiæ curam incumbere.*

I. Parochias jam tum sæculo 3. fuisse institutas & divisas, probant communiter Canonistæ auctoritate Epistolæ, quæ sub nomine Dionysii Papæ (qui vixit circa annum 266.) refertur à Gratiano *Caus.* 13. *q.* 1. *Can.* 1.

Digitized by Google

Can. 1. in qua Dionysius Severo Episcopo scribit: "Ecclesias singulas singulis Presbyteris dedimus: Parochias & cœmeteria eis divisimus, & unicuique jus proprium habere statuimus: ita videlicet, ut nullus alterius Parochiæ terminos, aut jus invadat, sed unusquisque suis terminis contentus & taliter Ecclesiam & plebem sibi commissam custodiat, ut ante tribunal æterni Judicis de omnibus sibi commissis rationem reddat, & non judicium, sed gloriam pro suis actibus accipiat."

Verùm cùm hodie eruditis omnibus compertum sit, hanc Epistolam Sancto Dionysio falsò adscriptam, eamque putridis Isidori Mercatoris mercibus annumerandam esse; ut fusiùs in Observationibus ad collectionem Isidori Mercatoris ostendimus, parùm solidum, pro earum institutione & divisione astruenda, hinc argumentum sumitur.

II. Quin tamen antiqua sit earum institutio & divisio, haud dubitari potest. Scribit enim Sanctus Athanasius, *Apolog.* 2. "Mareotes ager est Alexandriæ, quo in loco numquam Episcopus fuit, imò nec Chorepiscopus quidem, sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen, *ut singuli pagi suos Presbyteros habeant.*"

Quod in Episcopatu Alexandrino erat tempore Sancti Athanasii, hoc sensim, populo Christiano crescente, per totam Ecclesiam factum fuit: id est, districtus Episcopales, quos hodie Diœceses vocamus, in plures divisi fuere portiones; atque cuiq; portioni sua attributa Ecclesia, & populus Ecclesiæ illi vicinus; quas hodie *Parochias* appellamus.

III. Porrò sicuti singulis Diœcesibus seu districtibus Episcopalibus unicus erat præfectus Episcopus, cui totius Diœcesis regimen incumbebat, & quē populus istius Diœcesis, ut proprium Episcopum colere & agnoscere deberet; ita & singulis Parochiis datus fuit Presbyter, qui totius Parochiæ curam spiritualem ageret; qui propterea *Parochus*, seu *Presbyter Parochianus* dicebatur: & quem populus tamquam proprium suum Pastorem venerari & audire deberet: propterea dictus *proprius Sacerdos.*

Ea de causa cautum fuit, "Ut nullus Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, vel placitum ibi habuerit, absque licentia sui Presbyteri ad missam recipiat vel solicitare præsumat." Constit. Synod. Heraldi Episcopi Turonensis *cap.* 19.

Et ex Concilio Nannatensi refertur in *cap.* 2. *ꝗ De Parochiis*: "Ut Dominicis & festivis diebus Presbyteri antequam Missam celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Ecclesia sit, qui contempto proprio Presbytero ibi velit Missam audire: quem si invenerint, statim ab Ecclesia abjiciant."

Quin & anno 1310. statuit Synodus Coloniensis, "Ut nullus Parochianus ab alio, quàm à suo vero Plebano communionem recipiat: nisi de hoc privilegiis authenticis sit munitus. Contrarium facientes à perceptione Corporis Christi abstineant, quousque ipsi Plebano satisfecerint de contemptu."

IV. Hinc Synodus Tridentina coll ipsam disciplinam restaurare desiderans, mandat Episcopis, "In iis quoque civitatibus, ac locis, ubi parochiales Ecclesiæ certos non habent fines, nec earum Rectores proprium populum, quem regant, sed promiscuè petentibus Sacramenta administrant; pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas, propriasque Parochias unicuique suum *perpetuum*; *peculiaremque* Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & *à quo solo licitè* Sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus, ac locis, ubi nullæ sunt Parochiales, quamprimum fieri curent: non obstantibus quibuscumque privilegiis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus." *Sess.* 24. *de reform. cap.* 13.

Qui mentem ac intentionem Concilii jam relatis verbis expressam attenderit, haud difficulter intelliget, satisfactum esse decreto Concilii, si Parochiæ quidem certos & determinatos fines non habeant, sed certum populum certasque familias; usque adeò ut Sacramenta promiscuè non administrentur, sed Parochi suos noscant, & eum sui: & ita respondisse S. Congregationem testatur Barbosa *De Officio Parochi part.* 1. *cap.* 1.

Ulteriùs evincit citatum decretum Synodi, unicuique Parochiæ suum debere esse Presbyterum, qui sit Caput Ecclesiastici istius Conventus; & cui totius Parochiæ cura spiritualis principaliter & immediatè incumbat; quemque Parochiæ istius populus, ut ordinarium, & proprium Sacramentorum Ministrum agnoscat.

V. Proinde meritò dicendum cum pio Gersonio Parisiensi Cancellario: "Domini Curati sunt in Ecclesia Minores Prælati & Hierarchæ ex primaria institutione Christi: quibus competit ex statu jus prædicandi, jus Confessiones audiendi, jus Sacramenta Ecclesiastica secundùm exigentiam sui status & Parochianorum ministrandi, jus sepulturas dandi, jus insuper decimas & alia jura parochialia recipiendi." *De potestate Ecclesiastica Consi.* 11.

VI. "Sæpe ergo recogitent Pastores (verba sunt Synodi Gandensis anni 1613. *tit.* 16. *cap.* 9. renovata in decretis Synodalibus sub D. Triest *tit.* 16. *cap.* 14.) se ad Ovium suarum salutem omnes suas actiones & functiones pastorales dirigere debere, & sibi aliquando pro animabus earum reddendam rationem in strictissimo Dei judicio: ideo etiam earumdem salutem continuis precibus & quotidianis Sacrificiis Deo ferventer commendent, omnibus ritè dispositis non minùs promptè, ac benignè, quàm reverenter Sacramenta administrent, atque ita grandiores pascant verbo Dei ac salutaribus monitis, ut parvulis quoque panem frangere non omittant, & in omnibus præbeant se ipsos exemplum bonorum operum, facti forma gregis ex animo." Simile monitum exhibet Synodus Antverp. sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 7.

Porrò [illegible]ri cura pastoralis totius Diœcesis Episcopo incumbens non impedit, quo minus Parochi aliique inferiores Ministri Episcopo in solicitudine pastorali adjutores accedant, ita nec cura pastoralis uni Parocho injuncta prohibet, quo minus plures in eadem Parochia sub ipso Parocho ut principali, functionibus pastoralibus occupentur, & cum Parocho allaborent. De quibus capite sequenti.

CAPUT II.

De Vice-pastoribus: à quo assumendi, & quid iis incumbat?

1 *Parochi cogendi, ut necessarios Ministros sibi adjungant.*
2 *Vice-Pastorum assumptio pertinet ad Pastorem; nisi speciali titulo aliud obtineat.*
3 *Synodus Trident. Sess.* 21. *c.* 4. *de reform. agit de Vice-Pastoribus, non de Fratribus Mendicantibus.*
4 *Vice-Pastoribus etiam propriè cura Parochia incumbit.*

I. "Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ delegati, ait Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 4. *De reform.* in omnibus Ecclesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo; cogant Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum."

II. Cùm ergo Synodus velit, Rectores Ecclesiarum per Episcopos esse cogendos, ut sibi adjungant tot Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes, quot administrandis Sacramentis, & cultui Divino celebrando sunt necessarii, luculenter supponit, Sacerdotum electionem non ad ipsos Episcopos, sed ad ipsos potius Rectores Ecclesiarum parochialium, qui illos in suum adjutorium adjungere coguntur, spectare.

Et quidem moribus Belgii etiam obtinuit, ut Parochi suos Vicepastores assumant, nisi forsan speciali titulo electio vel præsentatio Vicepastoris, aut alterius Sacerdotis subsidiarii alteri sit delata: Qui titulus plenè probandus est, ut Parochus excludatur.

Et sanè cùm Vicepastores in subsidium Parochorum destinentur, eorumque vices suppleant, & ipsorum consequenter Vicarii sint; non minùs ipsis deferenda eorum electio, quàm Episcopo aliisque Prælatis suorum respectivè Vicariorum.

III. Adhæc jam citatum Concilii Tridentini Decretum, Rectoribus injungens, tot sibi Sacerdotes ad munus pastorale adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, intelligi de Sacerdotibus, qui in Parochia residentes, unà cum Parocho Sacramenta administrent, & cultum divinum celebrent, ipse tenor decreti satis manifestè declarat.

Quapropter huic decreto satisfactum cupiens Synodus P. II. Cameracensis *tit. 5. cap. 4.* expendensq; in plurimis hujus Provinciæ Ecclesiis parochialibus unum esse cum suo Custode seu Clerico Sacerdotem: "Æquissimum judicavit, ut qui in iisdem Capellanias obtinent ad Pastori in prædictis cooperandum, ideoque ad personalem residentiam, juxta verisimilem Fundatorum intentionem, obligentur. Verùm cùm hoc sit difficillimum quoad omnes obtinentes Capellanias in usum revocare, in iis saltem hoc omnino mandat observari, in quibus de dicta obligatione ex Originali aut Authentica fundationis copia constare poterit."

Non dubitavit ergo hæc Synodus, quin Tridentina Synodus loqueretur de Sacerdotibus, qui in Parochia residentes Pastoribus in munere pastorali essent adjutorio: consequenter non de Fratribus Mendicantibus, qui in adjutorium Parochorum ad unum alterumve actum subinde advocari solent; sed de Sacerdotibus, qui in omnibus curam Animarum cum Parocho sustinent: quales indubiè præcipuè sunt hi, quos *Vicepastores* dicimus.

Hi enim non in uno alterove actu, neque certis duntaxat Solemnioribus diebus, quemadmodum Fratres Mendicantes, Parocho assistunt; sed indifferenter, idque sine dierum aut temporis distinctione in omnibus quæ curam Animarum spectant, unà cum Pastoribus laborant; eique opitulantur: adeò ut & propterea Parochiæ cura ipsis incumbat; curamque Animarum habere dicantur, non secus ac ipsi Parochi: hac tantummodo differentiâ, quòd hi titulum perpetuum habeant; ipsiusque Parochiæ Caput & primarius Presbyter & Curatus sit, ipsi autem Vicepastores ordinariè tamquam meri Parochorum Vicarii & subsidiarii sint amovibiles, & ipsi Parocho in his, quæ Animarum curam concernunt, subjecti.

IV. Quemadmodum ergo Parocho propriè totius Parochiæ cura incumbere, verusque *Curatus* & proprius Sacerdos dicitur, licèt ipsi Episcopo primariò & principaliter eadem cura incumbat; eique in concernentibus curam Animarum subjiciatur, ita quoque Vicepastores propriè curam Animarum habere; verique Curati sive Pastores dicuntur, tametsi cura Parocho primariò incumbat, eique in hac cura subjiciantur. Ideoque quæ de Parochorum residentia, ac obligatione munus pastorale *per se* obeundi (de quibus infra) decreta sunt, etiam in Vicepastoribus locum habent; utpote quibus non secus ac ipsis Parochis cura Animarum incumbit.

CAPUT III.

Parochi aliique curam Animarum sustinentes jure divino tenentur residere.

1 *Quod residentia sit juris divini probatur ex Concilio Trid.*
2 *Nullus antiquorum id negavit.*
3 *Edicta Regia circa residentiam Pastorum quid statuant?*
4 *Quid Synodi Belgicæ?*
5 *Rigor Synodorum moribus nonnihil mitigatus.*

I. Præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus Animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his Sacrificium offerre: verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere, declarat Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 1. De reformat.*"

Porrò eodem jure, quo mandatum est iis, quibus cura Animarum commissa est, in hæc incumbere, eos ad personalem residentiam teneri, nemo negarit, qui cum eadem Synodo fatetur hæc omnia ab iis *nequaquam præstari posse, qui gregi suo non invigilant & assistunt.*

II. Nemo ergo miretur quod ex Cajetano refert Fagnanus ad Cap. EX PARTE, *De Clericis non residentibus n. 21.* quòd nimirum "Nullus Antiquorum contradicebat, quin Pastores Animarum tenerentur sub præcepto divino ad personaliter residendum." Quam Veterum sententiam contra quosdam Neotericos solidissimis & evincentibus fundamentis ibidem astruit Fagnanus: ostenditque, quòd licèt Synodus Tridentina eam sententiam expressè & in terminis, ut ajunt, non definierit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinuaverit, & virtualiter declaraverit.

Unde Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 17. cap. 1.* præmissis functionibus pastoralibus subjungit: "Ad implenda & præstanda hæc pastoralia officii debita, ad assiduam apud oves suas residentiam se *jure divino* obligatos esse intelligant Pastores."

III. Hæc considerantes Principes nostri voluerunt, in omnibus litteris *Placeti* concedendis super provisionibus Apostolicis parochialium Beneficiorum, expressè exprimi, provisum teneri personaliter residere in loco Parochiæ, nec per alium posse deservire. *Edicto 28. Nov. 1541. art. 32. & 33.*

Et in placeto, quo privilegia Nominationum hujus Academiæ probantur, cavetur, ut in litteris Nominationum ad Beneficia Curata inseratur clausula personalis residentiæ.

IV. Synodi nostræ Belgicæ conformiter ad Synodum Tridentinam, vix temporariam ac quantumvis brevem à Parochia sine expressa licentia absentiam concedunt. "Pastores, ait Synodus Buscod. loco citato, nec ab ovibus suis sine licentia Decani ruralis, ac nisi alteri approbato ab Ordinario curâ commissâ ultra octiduum absint." Idem declarat Syn. Antverp. sub Miræo *tit. 16. cap. 15.* additque: "Habitetque (Pastor) non solùm intra limites suæ Parochiæ, sed etiam non procul ab Ecclesia, nullo autem modo in diversorio quopiam seu taberna, aut in domo quapiam malæ famæ."

Ulteriùs progressus vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in Decretis Synodalibus *tit. 16. cap. 15.* declaravit: "Nulli Pastorum licere, ultra quatuor dies (inclusis nempe diebus exitûs & reditus) abesse, nisi de licentia suorum respectivè Decanorum in scriptis obtenta. Quòd si verò ad octiduum vel diutiùs abesse cogantur, nostrum erit hujusmodi facultatem concedere, nec tum demum licebit eis discedere, nisi præviè Decano, deinde populo significaverit, cuinam vices suas durante absentia delegaverit. Contra-

„ travenientes verò mulctari volumus toties quoties, li-„ brâ grossorum, aut aliâ graviori pro modo culpæ & ar-„ bitrariâ."

Quæ Synodalia Decreta planè consona sunt Decreto Concilii Tridentini *Sess. 23. cap. 1. De reform.* utpote nullam sine Episcopi licentia Parochis absentiam quantumvis temporariam annuenti; ut ex ipsis verbis decreti patet; & pluribus ostendit Fagnanus ad *Cap.* RELATUM, *ii. De Clericis non residentibus.*

V. Et licèt horum decretorum rigorem quoad licentiam Episcopi, aut Decani Ruralis pro absentia exigui temporis, modò alteri idoneo interim cura Animarum committatur, usus in plerisque locis nonnihil temperaverit; ipsaque absentiæ paucorum dierum causâ conscientiæ Pastorum videatur relicta, tamen præallegata decreta satis ostendunt, quàm soliciti esse debeant Parochi, ne umquam oves suas pastorali præsentiâ privent; sed illis continuò adsint: idque non tantùm præsentiâ corporali, sed pastorali; id est, continuâ vigilantiâ & solicitudine. Unde Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Pastorum residentia cap. 2.* ait: "Pastores non modò præsentiâ, sed officio & mini-„ sterio resideant in suis Ecclesiis."

CAPUT IV.

Parochi aliique Animarum Curatores tenentur *per se* instructioni populi, aliisque functionibus Pastoralibus incumbere.

1 *Probatur ex Concilio Tridentino.*
2 *Præcipua Pastoris functio est* Instructio *populi.*
3 *Eam tenentur per se obire.*
4 *Instructio vulgò dicta* Catechisatio *multùm à Synodis commendata.*
5 *Hæc etiam adultis necessaria.*
6 *Numquam intermittenda.*

I. SYnodus Tridentina Pastorum aliorumque, quibus Cura Animarum commissa est, obligationē personaliter residendi colligens ex Divino præcepto, "Quo iis mandatum „ est, oves suas agnoscere, pro his Sacrifi-„ cium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramen-„ torum administratione, ac bonorum omnium operum „ exemplo pascere," pro indubitato supponere debuit, Pastores aliosque Curam Animarum habentes, eodem Divino præcepto teneri ea *per se* facere.

Si enim huic præcepto satisfacerent, modò ea *per alios* facerent: hoc est, alios delegando, qui oves agnoscerent, Sacrificium pro iis offerrent, Verbi Divini prædicatione pascerent, &c. qua specie ex allegato præcepto Pastorum personalem residentiam concludere potuisset Synodus? Aut quomodo dixisse potuisset Synodus, "Ea omnia ne-„ quaquam ab iis præstari & impleri posse, qui gregi suo „ non invigilant neque assistunt, sed mercenariorum mo-„ re deserunt." Quandoquidem hæc omnia etiam ab absentibus, & iis qui mercenariorum more gregem suum deserunt, facilè præstari possent, si ea *per alios* præstare possent.

Nihil ergo evidentius, quàm ex mente Synodi, Parochos aliosque quibus Cura Animarum commissa est, debere munia pastoralia *per se* præstare, & implere. Et sanè quid à ratione magis alienum, quàm habere Officium, & non facere quæ Officii sui sunt? Habere Curam, & nolle curare? Esse Pastorem, & non pascere?

II. Porrò, cùm inter cætera quæ spectant ad Curam Animarum, teste Concilio Lateranensi in *Cap. 15. ii de Officio Ordinarii, pabulum Verbi Dei permaximè noscatur necessarium,* hi quibus Cura hæc incumbit præcipuè solliciti esse debent, ut illud ovibus porrigatur: exemplo Apostolorum, qui, ut eorum Acta referunt, dixerunt: "Non est „ æquum nos relinquere Verbum Dei, & ministrare men-„ sis. Considerate ergo Fratres, inquiebant, viros ex vobis „ boni testimonii plenos Spiritu Sancto & Sapientiâ, quos „ constituamus super hoc opus, nos verò orationi, & *Verbi* „ *Dei Ministerio* instantes erimus."

Hinc illud Apostoli: *Væ mihi si non Evangelizavero.* Hæc, quoque ostendunt, Apostolos haud dubitâsse, quin ipsi, & consequenter qui ipsis in Curam Animarum, & Ecclesiæ regimen succederent, id muneris *per se* implere deberent.

III. Proinde Synodus Tridentina non novam aliquam obligationem Pastoribus imposuit, sed jure naturali & divino impositam urstit, dum *Sess. 5. cap. 2. De reform* præcepit, ut "Quicumque Parochiales vel aliàs Curam ani-„ marum habentes Ecclesias quocumque modo obtinent, „ *per se*, vel alios idoneos, si legitimè impediti fuerint, „ diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebes si-„ bi commissas pro sua & earum capacitate pascant salu-„ taribus verbis; docendo quæ scire omnibus necessarium „ est ad salutem, annuntiandoque eis cum brevitate sermo-„ nis vitia quæ eos declinare, & virtutes quas sectari opor-„ teat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam „ consequi valeant."

Verùm cùm experientiâ notorium sit, Catholicis plerisque lacte potiùs, quàm solido cibo opus esse; Pastoribus & Animarum Curatoribus singulariter incumbendum instructioni, in qua prima Fidei & Religionis rudimenta ad captum & parvulorum & rudiorum traduntur; quam hodie *Catechismum* dicimus. De qua instructione agit Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 4. De reform.* eamque ut pernecessariam, vult in singulis Parochiis diebus Dominicis & Festis fieri.

IV. Mirum! quanta solicitudine hanc instructionem Parochis commendent Synodi Belgicæ.

Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 5.* postquam præcedenti capite de hac instructione à Parochis instituenda dixisset, ait: "Si quis autem Parochus non legitimè „ impeditus hoc tam necessarium officium, quod etiam ex „ Concilii Tridentini Decreto præstare debet, prætermi-„ serit, is toties unius floreni mulctam fabricæ applican-„ dam incurrat, quoties hoc neglexerit."

Deinde *c. 6.* subjungit: "Ut autem etiam ipsi Paro-„ cho succurratur, omnibus Sacerdotibus & Clericis, qui „ intra fines Parochiæ degunt, præcipit hæc Synodus, ut „ eum in hoc Sancto docendi munere pro sua quisque vi-„ rili adjuvent."

Sanè, si omnes passim Sacerdotes tam sancto & necessario operi, ubi per alias graviores & magis necessarias occupationes licet, applicarentur; & populus foret instructior; & Sacerdotes ab otio, multorum malorum & scandalorum occasione, retraherentur.

Synodo Provinciali consonans Diœcesana Cameracensis anno 1604. præcipit, "Ut saluberrimam Catechismi „ doctrinam *numquam* intermittant Parochi, etiamsi *pau-„ cissimi* forent Auditores; sed singulis diebus Dominicis „ ante vel post Vesperas diligenter eo munere fungantur, „ magnam à Domino mercedem tam pii operis consecu-„ turi." *tit. 3. cap. 5.*

Non minori zelo & efficaciâ hoc Catechizandi opus reliquæ Synodi inculcant: obsecratque Synodus Gandensis, "Omnes & singulos Pastores per viscera misericordiæ „ Dei, & sub obtestatione Divini judicii mandat, ut huic „ officio seriò, diligenter *& sine intermissione* incumbant, „ tum in suis Parochiis, tum in Scholis, aut si fieri possit, „ in particularibus Congregationibus per hebdomadam „ aliquando indicendis in vicis à Parochia sua remotiori-„ bus. „ *tit. 4. cap. 3.*

V. Et quia, ut jam dictum est, non solùm pueris, sed & adultis necessaria esse solet hæc instruendi ratio; utpote frequenter in præcipuis, & maximè necessariis Reli-

gionis Articulis parùm instructis, meritò Synodus Leodiensis anno 1618 *tit.* 4. *cap.* 3. mandat, "Soliciti sint Parochi, ut diebus Festis & Dominicis unam horam in instruendis Parochiæ suæ pueris, aliisque etiam *adultis* rudioribus Catechizandis, impendant. Memores quòd pro eorum animabus sint Deo rationem reddituri."

Et Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 11. *cap.* 8. vult, "Ut finita Missa Matutinali, tam in hyeme, quàm æstate soliciti sint Pastores, ut pauperes, mendici, famuli, ancillæ, atque alii mechanici catechizentur, & erudiantur in his, quæ sine salutis suæ periculo ignorare non possunt."

Quàm necessaria sit hodie hujus decreti executio, negare non potest, nisi qui ignorat, quanta in hoc hominum genere soleat esse circa præcipua Religionis nostræ Mysteria ignorantia. Neque est, quòd de fructu hujus exercitationis ambigant Pastores; cùm hic manifestus sit in iis Parochiis, in quibus Pastores zelosiores eam instituerunt.

Quin & Synodus Namurcensis 1639. considerans hujus instructionis necessitatem, "Hortatur omnes Verbi Dei præcones, ut conciones suas ita disponant, etiam diebus solemnioribus, ut potiùs Catechismum, quàm concionem redoleant, & captui populi, quantum fieri potest, accommodent. *Tit.* 2. *cap.* 1.

Duo ex his Synodorum Decretis consectaria sunt. Primum, nequaquam dubitâsse Synodorum Patres, quin Parochis aliisque curam animarum habentibus incumbat obligatio instruendi tam adultos, quàm parvulos; *id est*, omnes suæ curæ subjectos; singulos nimirum pro eorum capacitate, & necessitate.

VI. Alterum, hanc seu puerorum, seu adultorum instructionem non tantùm in hyeme, sed & æstate; *id est*, toto anni tempore esse faciendam: Neque omittendam eò quòd pauci forsan sint Auditores: Nam nec hi pabulo Verbi Dei ob aliorum negligentiam aut impedimenta frustrandi sunt: Ne aliàs & ob neglectum horum verè dicatur: *Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret illis.* Unde & improbanda, atque à Synodis improbata est illorum Parochorum praxis, seu potiùs ignavia, qui causantes frequentantium paucitatem tempore æstatis, aut messis, instructionem, præsertim parvulorum, intermittunt: Ex quo contingit, parvulos circa fidem & Religionis rudimenta nihil aut parùm esse instructos: cùm ex intermissione tanti temporis facilè excidat puerorum memoriâ, quod levites in hyeme didicerunt.

Quàm procul à mente illorum qui Synodo Namurc. ultimæ interfuêre, hæc Parochorum excusatio fuerit, claret ex ejus Decreto *tit.* 16. *cap.* 2. quo monet Parochos, "Ut tempore messis, & etiam illis diebus quibus opiliones, vel bubulci, vel subulci in agris sunt, illos visitent ibidem & doceant: imitaturi ea in parte vestigia Salvatoris nostri Jesu Christi, qui per vicos & plateas transibat Evangelizare Regnum Dei.

CAPUT V.

Respondetur ad cap. 68. de Regulis Juris in VI. Et unà afferuntur rationes, ob quas ordinariè contingat, instructionem Pastoris esse populo utiliorem, quàm extranei.

1 *Quid Regula Juris.*
2 *Quid inquirendum pro intellectu Regularum Juris.*
3 *Negotia in quibus eligitur industria persona, alteri mandari non possunt.*
4 *Ostenditur quod citata Regula hic malè applicetur.*
5 *Instructio populi cæteris paribus utiliùs fit per Parochum quàm per alium.*

I. Regula Juris 68. in VI. ita habet: *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum.*

Ut hujus Regulæ sensus habeatur, prænotandum: intentionem eorum, qui Regulas Juris composuêre, fuisse, ex multis particularium factorum decisionibus communia quædam capita, quæ Jurisconsulti *Regulas*, Medici Aphorismos vocant, constituere; ad quæ veluti ad quasdam stationes, in tanta causarum varietate & multitudine recurri posset, ut notat Peckius in proœmio ad Regulas Juris.

Unde *L.* 1. *ff. de R. J.* ait: "Regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. Non ut ex Regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, Regula fiat."

II. Pro genuino ergo Regulæ sensu assequendo inquirendum, quæ juris decisiones particulares huic Regulæ constituendæ occasionem dederint.

Certum est, multa esse negotia, præsertim civilia, quæ nullam personæ industriam, aut personalem qualitatem requirunt: & in quibus ipsa personæ industria non inspicitur aut spectatur. Alia verò sunt, quæ à personarum industria & peritia potissimùm dependent, & suam utilitatem potissimùm ab ea mutuant; & in quibus personarum singulares qualitates specialiter attenduntur.

Priora, utpote à personarum qualitate ac industria non dependentia, per procuratores, aliosve mandatarios æquè, ac per principales perfici posse, in variis factorum generibus decisum fuit.

III. Hæc verò, quæ à personarum industria dependent, & in quibus personæ industria eligitur, alteri committi non posse, ex adverso sæpiùs declaratum est.

"Is cui injungitur (ait Pontifex in *cap.* 43. *de offic. & potestat. Judic. Delegat.*) ut personaliter negotium exequatur, potest, dummodo partes consentiant, hoc aliis delegare; præterquam, si inquisitionem fieri, vel Ecclesiis de Prælatis vel aliis Ministris provideri mandaremus, cùm in his omnibus casibus *industriam* & fidem personæ, cui talia committimus, eligere videamur."

Et Bonifacius VIII. *in cap.* 12. *eod. in VI.* ait: "Is cui ab Apostolica Sede committitur certæ personæ provisio de certo beneficio in certa Ecclesia, Diœcesi, vel Provincia facienda, potest alii committere licitè vices suas. Sed si (non expressâ certâ personâ) committatur eidem, ut alicui personæ idoneæ de certa Ecclesia vel beneficio debeat providere; (*Quia circa eligendam personam ejus industria hic videtur electa*) provisionem sibi commissam alteri demandare non potest."

IV. Cùm ergo Regula ex jure ante constituto desumatur, evidens est hanc Regulam non concernere ea negotia, quæ personæ industriam requirunt: sive in quibus personæ industria eligitur seu spectatur: utpote quæ ex juris decisione aliis committi nequeunt. Et ita unanimi Canonistarum calculo receptum est, ad similia negotia hanc Regulam non extendi.

Quis verò ambigat, quin Ecclesia eligens Pastores, aliosque animarum Curatores, personæ qualitates & industriam consideret & spectet: Ut quid enim tanta circa mores, doctrinam, cæterasque personales qualitates & dotes inquisitio, tamque exactum examen (de quibus infra parte 2.) nisi ut de his omnibus sufficienter constet, & eorum ratio habeatur?

V. Illud accedit, quod non tantùm in Pastoribus eligatur & attendatur industria & qualitas personæ, sed quod insuper munia pastoralia, præsertim populi instructio, multis titulis cum majori fructu per proprium Parochum, quàm per extraneum, licèt æquè industrium & capacem, ordinariè fiat.

Primò, cùm Pastori id muneris à Deo & Ecclesia specialiter sit impositum; illiusque populi proprius instructor sive Doctor designatus, meritò confidendum fore ut Deus populo singulariter per ejus verba benedicat.

Secundò, dum populus videt Pastorem per se prædicationi

rationi & instructioni incumbentem & laborantem, magis excitatur ad affectum & amorem sui Pastoris; quo fit, ut non solùm diligentiùs, & libentiùs, sed & cum majori fructu illum audiat.

Tertiò, cùm Pastor exactiorem suorum notitiam habeat, etiam meliùs novit, quæ vitia magis regnent, quæ virtutes minùs frequententur, quæque consequenter frequentiùs & utiliùs pro hoc populo sint dicenda: quibus affectibus & mediis sint movendi & trahendi.

Denique cùm Pastor proventus & subsidia temporalia sibi habeat assignata; neque à populi liberalitate & benevolentia illa debeat exspectare, quemadmodum frequenter extranei, & vices Pastorum supplentes illa tenentur sperare, contingit, ut Parochus etiam liberiùs, majorique auctoritate vitia & defectus in populo carpere & corripere audeat: Cùm è contra hi à populo temporalia sperantes, non rarò dicere cogantur ea, quibus favorem populi concilient; ea verò tacere, quæ populum offendunt.

Hæc aliaque, quæ evincunt, Parochi instructiones ordinariè populo esse utiliores, quàm extraneorum; ac prætereа Parochum specialiter à Deo & Ecclesia esse delectum, ut populum Verbo Dei pascat; eique propriè curam populi commissam, sat probant, quàm ineptè quidam Mercenarii potiùs, quàm Pastores, in velamentum suæ ignaviæ & negligentiæ hanc juris Regulam assumant; idque contra adeò manifesta Ecclesiæ toties iterata Decreta; quibus declarat, Pastoribus hoc munus incumbere; quæ §. præcedenti sunt relata; quibus unum ex Synod. Namurc. 1570. sub Havetio è Synodo Tridentina recenter reduce, addo; quod unà declarat, examen de qualitatibus ad Ecclesiam parochialem assumendorum ideo institui, ut appareat, eum posse & velle *per se* officium pastorale implere. "Animarum cura nemini posthac credatur, nisi „ vitæ ac morum integritate, & doctrinâ talis sit, qui *velit* „ & possit populum rectè docere, & pro auditorum captu „ Verbum Dei explicare. Itaque ad Pastoratum nominatus, si facto diligenti examine deprehensus fuerit idoneus, *tum demum* ad munus pastorale admittatur, *ubi* „ *promiserit, juramento medio, se pro viribus suæ vocationi* „ *satisfacturum.*" Tit. 9. cap. 5.

CAPUT VI.

Episcopi cogere debent Parochos ut *per se* populum instruant.

1 *Probatur ex Tridentino.*
2 *Parochis contrarius usus suffragari non potest.*
3 *Episcopus Regulares Parochis substituere non potest.*
4 *Exponitur* Clementina 2. *De Sepulturis.*

I. SYnodus Tridentina loco citato postquam declaravit, Parochos aliosque, qui Curam Animarum habentes Ecclesias obtinent, teneri *per se*, si legitimè impediti non fuerint, diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus plebes sibi comissas pascere salutaribus verbis, subjungit: "Id verò si quis eorum præstare negligat, etiamsi ab Episcopi jurisdictione quavis ratione „ exemptum se esse prætenderet; etiamsi Ecclesiæ quovis modo exemptæ dicerentur, aut alicui Monasterio „ etiam extra Diœcesim existenti, forsan annexæ vel „ unitæ, modò reipsa in Diœcesi sint, provida pastoralis „ Episcoporum solicitudo non desit ne illud impleatur: „ Parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret „ eis. Itaque ubi ab Episcopo moniti trium mensium „ spatio muneri suo defuerint, per Censuras Ecclesiasticas, seu aliàs, ad ipsius Episcopi arbitrium cogantur; „ ita ut etiam, si ei sic expedire visum fuerit, ex benefi„ ciorum fructibus alteri, qui id præstet, honesta aliqua „ merces persolvatur; donec principalis ipse resipiscens „ officium suum impleat."

Manifestum ergo est ex mente Concilii Tridentini muneris Episcopalis esse, adigere Parochos ut *per se* populum instruant, saltem diebus Dominicis, & Festis solemnibus, ni legitimè *se impeditos probent*. Neque Episcopum permittere posse, ut Parochi haud legitimè impediti extraneis instructionem committant.

II. Nec Parochis hac in parte contrarius usus, quantumvis longævus, suffragari potest; quandoquidem, eadem declarante Synodo, *præcepto Divino* mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, Oves suas Verbi Divini prædicatione pascere. *Sess.* 23. *cap.* 1. *de reformat.* Cui præcepto contrarius usus pro abusu reputandus est.

Quapropter nuper declaravit Innoc. XI. Parochos Bruxellenses per Archiepiscopum Mechlin. cogendos, ut *per se* catechizent; tametsi annis 90. continuis per Fratres Societatis id fecissent: Verba decreti infra referentur.

III. Procul proinde abest à mente Synodi Tridentinæ, ut Episcopi Parochis haud impeditis, imò & *per se* munus prædicationis obire volentibus, mittere possent Regulares, aut eos in suis Stationibus, ut vocant, Parochis invitis, & *per se* concionari volentibus, firmare. Quod & ipsa Synodus satis declaravit, cùm dixit, Episcopos non legitimè impeditos obligari *per se* in sua Cathedrali Ecclesia, in aliis verò per Parochos, sive iis impeditis per alios, Sacras Scripturas, Divinamque Legem annuntiare. *Sess.* 24. *cap.* 4. *De reformat.*

Quid enim evidentius, quàm Synodum velle ut Episcopus populo Legem Divinam annuntiet in Ecclesiis parochialibus à sua Cathedrali distinctis per *Parochos*; nec nisi iis impeditis, aliis id committat.

IV. Quod ergo dicitur in *Clementina* DUDUM, *De sepulturis*: "In Ecclesiis parochialibus Fratres illi (Prædi„ catores & Minores) nullatenus audeant, vel debeant „ prædicare, vel proponere Verbum Dei, nisi Fratres „ prædicti à Sacerdotibus parochialibus invitati fuerint „ vel vocati, & de ipsorum beneplacito & assensu, seu „ petita licentia fuerit & obtenta: nisi Episcopus vel Præ„ latus superior per eosdem Fratres prædicari mandaret." Locum habet, cùm Parochus vel *per se* prædicare non vult; vel solus cum iis, qui curam Animarum sustinent, instructioni populi insufficiens est, & tamen adjutorium irrationabiliter recusat: quo indubiè casu Episcopus, cui primariò Animarum Cura incumbit; quique defectum Parochi in his, quæ eam curam concernunt, supplere debet, invito Parocho Fratres mittere potest: Qui non quidem Parochum in functionibus pastoralibus impediant, sed juvent: Ita quoque hunc textum intellexit Zypæus *Resp.* 4. *de Parochiis.*

CAPUT VII.

Fratres Mendicantes instituti sunt, ut meri Parochorum subsidiarii.

1 *Probatur auctoritate S. Bonaventuræ.*
2 *Auctoritate S. Thomæ.*
3 *Ex Admissione Patrum S. J. in Belgio.*

I. SAnctus Bonaventura de Religionibus Fratrum Mendicantium disserens, ait, illas præfiguratas per Joannem & Socios ejus, qui Petro & Andreæ in mari laborantibus, & præ multitudine piscium rete ad terram trahere non valentibus, ex alia navi, scilicet ex vita contemplativa in adjutorium vocati sunt. Ac deinde subdit: "Nos sumus illi pauperes, qui „ remanentes manipulos segetum, & spicas decidentes „ post

„ post messores, & racemos relictos in vinea colligere de-„bemus, id est, illas reliquias quas Plebani, qui habent „officium in plebe sua docendi & colligendi, relinquunt, „ut eas ex area Ecclesiæ ad horreum cœlestis patriæ refe-„ramus. „ Ac tandem concludens ait: “ Temperatissimè „sic disposuit Divina Sapientia, & instituit Sedes Aposto-„lica, ut per Ordines prænotatos in prædicatione & Con-„fessione defectus Cleri suppleantur, & animæ salven-„tur, & nec in temporalibus nec spiritualibus Jus Cleri-„corum aliquatenus violetur. „ In tract. *Quare Fratres Minores prædicent.*

Hauserat hæc indubiè hic S. Doctor è piissimi Patris sui Testamento, quo inter alia filiis hoc monitum dedit: “ Etsi haberem tantam sapientiam, quantam Salomon ha-„buit; & invenirem pauperculos Sacerdotes hujus sæ-„culi in Parochiis, in quibus morantur, nolo contra eo-„rum voluntatem prædicare. „

II. Similiter S. Thomas sub idem tempus inquirens, utrum aliqua Religio possit institui ad prædicandum, vel Confessiones audiendum, more suo hoc, inter alia pro parte negativa, format argumentum: “ Id ad quod Reli-„gio instituitur, videtur esse maximè proprium Religio-„ni; sed prædicti actus non sunt proprii Religiosorum, „sed potiùs Prælatorum: non ergo ad hujusmodi actus „potest aliqua Religio institui. „ Tum resolvens pro af-firmativa respondet proposito argumento: “ Sicuti Reli-„giones instituuntur ad prædicandum & Confessiones „audiendum, non quidem authoritate propria, sed au-„thoritate Superiorum, & inferiorum ad quos ex officio „pertinet, & ita subvenire in tali ministerio est hujus „Religionis proprium. „ 2. 2. *quæst.* 188. *art.* 4. *ad.* 2.

Manifestum ergo est ex utriusque hujus Doctoris sen-tentia, qui sub initio Fratrum Mendicantium floruêre, institutum eorum esse, Prælatis & Parochis in animarum regimine opitulari, & cooperatores accedere.

Quod de Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus di-xêre præfati Doctores, id pari ratione de aliis, qui eun-dem in finem instituti sunt, asserendum.

III. Quare Patres Societatis an. 1565. postulantes in Belgicas provincias admitti; gratiasque ac privilegia eo-rum Societati à Sede Apostolica indulta, Regia auctori-tate confirmari; ut ostenderent, se nonnisi ut subsidiarios Prælatorum & Parochorum venire, hanc ipsi clausulam libello suo supplici inseruerunt: *Salvo quod prædicare non poterunt, nisi prahabita venia, & permissione Episcoporum, Pastorum, & aliorum Ordinariorum.*

Quin & Rex supplicationi annuens, Societatem juxta ejus Institutum & Professionem ad has Belgicas suas di-tiones admittens, hanc specialiter cautionem adjectam voluit: *Quòd Socii ullius Societatis se non poterunt ingerere exercitio illius rei spectantis ad munus Pastorale, sine scitu, consensu, & beneplacito, tam Curatorum locorum, quàm E-piscoporum & aliorum Ordinariorum, quibus auctoritas com-petit.*

Quibus consonant, quæ de admissione Societatis in Bel-gium respondet *Imago primi sæculi lib. 6. cap. 1.* “ Sed ne-„que nos adhuc usos privilegiis, neque porrò usu-„ros cum Pastorum offensione, quibus non æmuli venia-„mus, sed adjutores & administri. „

Scribit quoque Orlandinus *lib.* 14. *Histor. Societatis an.* 1544. *n.* 49. Patrem Bernardum Oliverium respon-disse D. Roberto de Croy Episcopo Cameracensi, *quod Ignatii monitu Patres cavissent, ne Parochorum usquam injussu quidquam aggrederentur.*

CAPUT VIII.

Regularium Stationes quantumvis diuturnæ & continuatæ, Parochum per se concionari aut catechizare volentem impedire nequeunt

1 *Instituto Fratrum Mendicantium contrarium est velle Parochis invitis concionari.*
2 *Fratres Mendicantes Parochis per se concionari volentibus cedere debent.*
3 *Quæ sit origo & natura* Stationum *Fratrum mendican-tium.*
4 *Stationes nullum jus concionandi invito Parocho tribuunt.*
5 *Ita declaravit Innocentius XI.*
6 *Dicta declaratio comprehendit omnes Regulares.*
7 *Jus Parochorum per sententiam Concilii Privati confir-matum.*
8 *Et Senatûs Brabantiæ.*
9 *Parocho non obest quod Jus nominandi Stationarium sit penes Pastorem primitivum aut Æditnos.*

I. CUm capite IV, ostensum sit, Parochis, a-liisque Curam animarum habentibus præcepto divino Mandatum esse, *per se*, si legitimè impediti non sint, oves suas Verbi Divini prædicatione pascere; ac deinde capite præcedenti, Fratres Mendicantes in subsi-dium Parochorum esse primitus institutos, & ab Ecclesia admissos: ex his nemo non videt, quàm sit inordinatum, ipsorumque Fratrum instituto adversum, velle Parochos, quorum subsidiarios se profitentur, in functionibus ex præcepto Divino ipsis impositis impedire.

Hanc quorumdam præsumptuosam audaciam expen-dens Synodus Coloniensis anno 1536. postquam *p.* 4. *c.* 8. dixit: “ Aliquot retro sæculis in Ecclesiam receptos es-„se quatuor Mendicantium Fratrum Ordines, quo Pa-„rochorum in Verbi ministerio cooperarii forent, „ (quos nec repellendos esse ait, modò intra Canonicarum Con-stitutionum cancellos se contineant) capite sequenti sub-jungit: “ Qui tamen (Fratres Mendicantes) cùm in subsi-„dium tantùm vocati sint, ordinariis Ecclesiarum Recto-„ribus molesti esse desinent: ita videlicet, ne eosdem cùm „suo muneri ipsimet fungi velint, præoccupent; neve „quos in excolenda vinea Domini juvare debent, in con-„cionibus virulentâ ac detrectatoriâ linguâ carpant: Uti „nonnulli hujus generis solent; qui inflati ac incomposi-„ti, populi auribus demulcendis student, suam non Chri-„sti gloriam ambientes. „

II. Eodem ex fundamento Synodi Belgicæ sedulò in-culcant, ne ullus, quantumvis etiam Privilegiatus, Paro-chum *per se* concionari volentem impedire audeat.

“ Pastoribus *per se* munus prædicationis obire volenti-„bus, (ait Synodus Antverpiensis sub Miræo) memine-„rint omnes, quomodocumque privilegiati, se juxta De-„cretum Concilii Tridentini cedere debere. „ *Tit.* 11. *c.* 7. Conformes sunt Synodus Mechl. D. an. 1609. *tit.* 10. *cap.* 4. Gandensis *tit.* 10. *cap.* 2. aliæque.

Neque hac in parte Fratribus Mendicantibus suffra-gari posse Stationes, ut vocant, quantumvis etiam sæculis aliquot continuatas, facilè intelliget, qui harum Statio-num conditionē & originē paulisper expendere voluerit.

Et quidem Stationes hæ, saltem pleræque, vel ante Concilium Tridentinum, vel circa tempora absoluti Concilii ortum suum habuêre.

III. Cùm enim ante Concilium Tridentinum; imò & tempore Concilii magna ubique esset Sacerdotum Parochialium raritas, magna ignorantia; atque non residentium & mercenariorum more greges suos dese-rentium ingens copia: ut ex historiis, ipsisque Concilii Tri-dent. & aliorum Conciliorum, etiam Belgicorum circa id tempus celebrationem Decretis potest constare;

con-

Digitized by Google

contigit, ut vel Episcopi, vel etiam populus, aut Capitula, tamquam primitivi Pastores, vel interdum ipsi Parochi Presbyteris subsidiariis sufficientibus destituti rogaverint hujus illiusve Ordinis Fratres, ut ipsi, qui ad defectum Cleri supplendum, Parochisque opitulandum se institutos Profitebantur, quibusdam determinatis diebus ad populum Conciones haberent.

Hi verò rogantibus obsequentes diebus sibi assignatis Conciones ad populum per aliquem ex Ordine suo habuère; ex quarum continuatione Stationes factæ sunt.

Hic enim Ordo habere dicitur Stationem, qui ex rogatu Parochi alteriusvè jus vocandi habentis, his illisvè per annum diebus Conciones habere consuevit; ita ut necesse non sit de novo vocari, sed vi primæ vocationis ex Ordine illo semper mittatur, qui illis diebus Conciones habeat, Parochoque in hoc munere subsidio sit.

IV. Cum igitur Regulares, qui vigore harum Stationum concionantur, vocati fuerint tamquam subsidiarii, qui defectum aut insufficientiam Parochorum supplerent ipsisque subsidio essent, manifestum est, nullum jus titulo harum Stationum contra Parochos posse prætendi: Quandoquidem non obstante quocunque temporis decursu verum maneat, ipsos non nisi ut Parochorum Subsidiarios esse vocatos: Adeoque nec aliter quàm tales esse habendos.

Porrò qui hodie indiget subsidio, cras non indigere potest: & qui hodie eo uti vult, cras nolle potest.

Adhæc quid à natura Subsidiariorum magis alienum, quàm esse subsidio ei, qui subsidio nec indiget, nec uti desiderat: Quid injustius, quàm eos, qui subsidiarios & opitulatores se profitentur Prælatorum & Parochorum, velle impedire Parochos iis in functionibus, quas ut per se obeant, non Ecclesiastica dumtaxat, sed & Divina Lex mandat.

V. Ex his elucet justitia declarationis Sacræ Congregationis Cardinalium Concilii Trident. Interpretum, & Decreti Innocentii XI. dati occasione controversiæ inter Parochos Bruxellenses & Patres Societatis super instructione sive Catechismo parvulorum.

Contendebant enim Patres Societatis jus tradendi doctrinam Christianam sive Catechismum in Ecclesiis Parochialibus allegantes continuam non interruptam consuetudinem nonagenariam; ac per hanc jus illud sibi competere prætendebant. Parochi ex adverso allegabant, sibi ex munere & officio jus esse in propriis suis Ecclesiis, parvulis divini Verbi panem frangendi; neque posse à quopiam in hoc suo monere impediri aut præoccupari. Quæstione delata ad dictam Sacram Congregationem, hæc die 8. Maji 1681. censuit. " Nullum jus competere „Patribus Societatis Jesu docendi doctrinam Christia„nam in Ecclesiis invito Parocho, nec in aliis invito Ti„tulari; Et facta de præmissis relatione Sanctissimo, „Sanctitas sua sententiam S. Congregationis approbavit, „addens prætereà non modò ad Parochos hoc spectare, „verùm teneri per se ipsos docere, atque ad eorum partes „explendas ab Archiepiscopo juris mediis cogendos „esse"

Originale hujus resolutionis asservatur in archivis Archi-Episcopatus Mechliniensis; & juxta copiam, ut ajunt, authenticam integra exhibetur in Libello D. Obstraet cui titulus, *Pastor bonus p. 2. cap. 1. §. 5.*

VI. Sat perspicuum est, resolutionem S. Congregationis, ipsamque Pontificis approbationem & extentionem unicè inniti juri & obligationi Parochorum instruendi populum sibi subjectum: quam Obligationem Patres Societatis, qui ut Parochorum subsidiarii id muneris aliquamdiu subierant, Parochis eximere non potuerant, adeoque nec Parochis esse obstaculo, quò minus obligationi suæ satisfacerent.

Ex quo ulterius consectarium est, quòd licet Declaratio solos Patres Societatis, de quibus erat quæstio, exprimat, reliquos tamen Fratres Mendicantes eodem & non fortiori, quo Patres Societatis in tradenda Christiana doctrina in Ecclesiis Parochialibus jure nitentes comprehendi. De quo non dubitans Archiepiscopus Mechliniensis in decreto suo 2. Aprilis anni sequentis ad hoc Sedis Apostolicæ Decretum alludens, postquam Parochis omnibus injunxit, " Ut singuli *per se* instruendæ juventuti, seu ca„techizandis rudibus sedulò incumbant, addit: " Eo e„tiam attento quòd Sanctissimus Dominus noster anno „proximè elapso octava Maji, juxta sensum memorati „Concilii Generalis, (Tridentini) declararit, Catheche„sim non modò ad Parochos spectare, nec *alios* posse in „Ecclesiis Parochialibus iis invitis docere, verùm teneri „per seipsos docere, atque ad eorum partes explendas ju„ris mediis cogendos esse. "

VII. Nec solus Ecclesiasticus Magistratus Parochorum jus in functionibus Pastoralibus obeundis contra quascumque etiam inveteratas & continuatas Regularium stationes declaravit & firmavit: sed & Civilis seu Regius, dum ad ejus Tribunal quæstio delata fuit, Parochos in hoc suo jure manutenuit & confirmavit. Aliquot hujus rei testimonia eaque illustriora proferam.

Primum occurrit occasione Patrum Dominicanorum urbis Insulensis. Cum enim in ea civitate ex antiquo usu Fratres Mendicantes stationes concionandi in Adventu & Quadragesima haberent, contigit, ut anno 1639. ad Patres Dominicanos statio concionandi in Ecclesia Parochiali S. Salvatoris spectaret; at licentiam concionandi his Patribus Episcopus Diœcesanus Tornacensis denegavit; allegans pro causa recusationis, quod hi Patres in quadam causa funeralium suum tribunal declinâssent, & ad Regium confugissent. Patres hac recusatione offensi ad Concilium sanctius Bruxellis recursum habuêre, querentes, sibi approbationem recusari ex causa, quæ in judicio controverteretur. Concilium audito prius Episcopo, qui aliam, præter jam allegatam, recusationis causam non allegaverat. 23. Octob. 1639. rescripsit Episcopo casu quo prior aut alius dicti Ordinis Religiosus cum omni reverentia ac submissione postulet continuationem stationum in Adventu & Quadragesima; unà recognoscens, ait Concilium, quod sine Episcopi licentia concionari nequeant, intentionem & votum concilii esse, ut sine ulteriori difficultate pro hac vice Stationes consuetas ipsis continuare permittatis; nequaquam tamen intendentes, in aliis circumstantiis & occasionibus vestram in functionibus Episcopalibus auctoritatem imminuere.

Cum verò nec his litteris moveretur Episcopus, persisteretque in recusatione approbationis, nulla alia recusationis ratione adducta (quæ Regiis Ministris insufficiens imò eorum auctoritati & jurisdictioni videbatur contraria (tandem 3. Decembris ejusdem anni nomine Principis Cardinalis tunc temporis Belgii Gubernatoris scriptum fuit Episcopo, quod pertinax illa approbationis recusatio magis ac magis ostendat, hanc recusationem unicè procedere ex displicentia obtentæ victoriæ per prædictos Religiosos contra Parochos civitatis Insulensis in materia funeralium coram Tribunali laico: ideoque sua Celsitudo mandet, ut casu quo Religiosi præstent ea, quæ in litteris Concilii fuêre expressa, eos indilatè ad continuandum suas Stationes admittat, sub pœna apprehensionis temporalium sui Episcopatus: Si tamen, inquit, *Parochus intendat per se concionari in sua Ecclesia per Adventum & Quadragesimam, sua Celsitudo cum impedire non intendit.*

In vim hujus clausulæ Parochus per se Conciones habuit, & Dominicani mansêre exclusi. Hæc ex Registro M. S. Archi-Episcopatus Mechliniensis.

Licet ergo inveteratas, & Longa annorum serie continuatas Religiosorum Stationes sine causa impediri non posse judicarent Ministri Regii, eas tamen utpotè merè precarias, & subsidiarias nullatenus posse juri Parochorum derogare; aut Parochum suas functiones *per se* obire volentem impedire, haud dubitârunt.

Alterum argumentum suppeditat famosa controversia, quæ occasione instructionis parvulorum sive Catechismi anno 1643. in Civitate Gandensi exorta est.

Patres Societatis admissi fuerant in civitate Gandensi anno 1586. atque ab eo tempore usque ad annum 1643. tam in Ecclesiis Parochialibus, quam Sacellis Ecclesiis Parochialibus subjectis catechizationes parvulorum diebus Dominicis & feriis quintis habuerant. At hoc anno septem Parochi civitatis Gandensis exposuerunt Episcopo, præcipuum munus Pastorum esse, ritè instruere parvulos eisque verbi Divini pabulum subministrare, & panem frangere; ideoq; se intédere, muneri illi *per se* conformiter ad jus naturale, & Ecclesiasticas sanctiones sedulò incumbere; eumq; in finem gratias agere Patribus Societatis pro labore, quem in hoc pio opere spatio circiter 60. annorum subierant.

Episcopus audito suo Vicariatu respondit, liberum esse Pastoribus gratias agere Patribus Societatis pro labore hactenus impenso in catechizatione diebus Dominicis horâ primâ pomeridianâ, & feriis quintis per hebdomadam in Ecclesiis Parochialibus & Sacellis; ac posse post hac *per se* vel *suos Vice-Pastores* in suis respectivè Ecclesiis Parochialibus, & Sacellis quæ ipsis sunt subjecta, has instructiones facere; quò possint meliùs Agnos suos agnoscere, & ipsi ab illis agnosci.

Verùm contra tum Episcopi, tum Parochorum resolutionem causam Patrum Societatis suscepêre Scholasticus Ecclesiæ Cathedralis & Magistratus, obtuleruntq; respectivè libellum supplicem Concilio Sanctiori, exponentes, Patres Societatis ea conditione ad civitatem Gandensem fuisse admissos, ut catechizationes parvulorum haberent; easque tanquam eorum instituto & professioni conformes ipsis per Scholasticum & Magistratum, quibus ex officio incumbit instructioni juventutis intendere, demandatas & spatio 60. annorum continuatas.

His aliisque tum ex parte Scholastici tum Magistratûs allegatis argumentis, reposuit Episcopus: Ut verum sit, Patres ex suo instituto mitti ad catechizandum, eaque conditione ad civitatem Gandensem fuisse admissos; certissimum tamen esse, non nisi in qualitate *subsidiariorum* venire, nec alia conditione vel in hanc civitatem, vel in Belgium esse admissos: Quæ admissio nullatenus juri ordinario Parochorum derogare potest.

Similiter quæcumque auctoritas vel Scholastico vel Magistratui competat instructioni juventutis invigilandi, ea tamen nequaquam impedimento esse potest Parochis volentibus muneri catechizandi sibi subditos satisfacere, sed ex adverso, si quæ his esset auctoritas, eam impendere deberent, ut Parochi huic suo officio, ad quod præcepto divino tenentur, sedulò incumberent.

Hoc unum penè fuit, quod omnibus tam ex privilegiis, & instituto Societatis, quàm ex jure Scholastici & Magistratus petitis argumentis reposuit Episcopus: idque eo successu, ut 18. Martii 1644. Concilium Sanctius pro Episcopo judicaverit; translationemque Stationum à Patribus Societatis ad Parochos probaverit. Cujus sententiæ meminit quoque Zypæus *Responso 4. de Parochiis.*

VIII. Tertium Argumentum suppeditat sententia Senatus Brabantiæ pro Præposito, Pastore & Æditituis Ecclesiæ Parochialis frigidi Montis in civitate Bruxellensi contra Patres Dominicanos.

Patres Dominicani continuaverant Stationes concionandi omnibus diebus Festis collectamque per aliquem è suis tempore concionis per duo integra sæcula in dicta parochiali Ecclesia. At anno 1674. Æditui unà cum Pastore expendentes Ecclesiæ suæ egestatem, intimaverunt Patribus Dominicanis, se non posse ultra permittere dictam collectam in commodum Conventus ipsorum; eamque post hac faciendam in utilitatem Ecclesiæ; cumque non obstante hac intimatione die 1. Maji ejusdem anni Patre Dominicano concionante Socius ejus se ad colligendam eleëmosynam more consueto accingeret, impeditus fuit ab Æditiuis. Hinc Patres Dominicani ad Senatum Brabantiæ recursum habuêre & allegata immemoriali possessione faciendi dictam *collectam* & turbatione, litteras *manutenentiæ* obtinuerunt: Quibus se unà cum Præposito & Pastore opponentes Æditui dixerunt, hanc *collectam* esse nudam sequelam & appendicem *Stationum* concionandi.

Porro *Stationes* illas esse merè precarias & ad nutum Pastoris revocabiles, & consequenter, cum Pastor egerit gratias Patribus illis pro concionibus, nihil planè juris illos sibi posse asserere ad dictam collectam; ac per consequens litteras manutenentiæ per sub- & obreptionem esse obtentas sustinuerunt: & ita cum expensis declaravit Senatus 3. Octob. 1675.

IX. Quinimo licet Stationarii deputatio sit penes Capitulum v. g. ut Pastorem primitivum, aut Ecclesiarum Æditituos; nihilominus Parocho *per se* concionari volenti cedere debere non semel judicatum fuit. Et quidem cum Capitulum S. Petri Lovanii Jure primitivi Pastoris nominâsset in concionatorem Adventûs & Quadragesimæ unum è Societate, voluit ejusdem Ecclesiæ Plebanus *per se* diebus Dominicis Adventûs & Quadragesimæ concionari, quod hactenus per stationarium à Capitulo fieri consueverat, cumque nonnulli Canonici causam Stationarii sustinere vellent, quæstione ad supremum Brabantiæ Senatum delata, jus concionandi excluso Stationario adjudicatum fuit Plebano anno 1648.

Refert quoque de Sercy in libro Gallico cui titulus: *Definitions du Droit Canon &c. tit. de Æditais n. 19.* Æditituos interdum habere jus ex consuetudine immemoriali nominandi concionatorem Adventus, aut Quadragesimæ, sed tamen Parochum posse hujusmodi concionatorem recusare, si ipse velit *per se* Conciones habere: *Et ita, ait, semper fuit judicatum.*

ADDITAMENTA.

AD NUM. V. & VIII.

Sententia Congregationis Eminentissimorum DD. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quâ asseritur jus & obligatio Parochorum *per se* tradendi doctrinam Christianam.

Exortâ Controversiâ inter Parochos & Patres Societatis Jesu super jure docendi doctrinam Christianam in Ecclesiis Parochialibus, allegantibus his consuetudinem nonagenariam, illis verò competentiam ex proprio munere, supplicatur S. Congregationi pro declaratione.

Die 8. Martii 1681. S. Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum censuit nullum jus competere Patribus Societatis Jesu docendi doctrinam Christianam in Ecclesiis invito Parocho, nec in aliis invito Titulari. Et facta de præmissis relatione Sanctissimo, Sanctitas sua sententiam S. Congreg. approbavit, addens prætereà non modò ad Parochos hoc spectare, verùm teneri per se ipsos docere, atque ad eorum partes explendas ab Archi-Episc. juris mediis cogendos esse.

Et

Digitized by Google

Si verò aliorum operâ uti debeant, mens est Sanctitatis suæ quod Parochi potiùs, quàm alios, adhibeant Patres Societatis Jesu.

Erat signatum F. Cardinalis Columna præfectus & contrà signatum S. Archi-Episcopus Brancaccius Episcopus Viterbiensis.

Et erat munitum sigillo dicti Eminentissimi Domini Cardinalis præfecti.

Concordantiam cum suo originali asservato in Archivis Archi-Episcopalibus Bruxellis attestor. Et erat signatum J. *de Martyere* Secretarius Illust. & Rev. Domini Archi-Episcopi Mechliniensis.

Concordantiam attestor.

J. VAN LAETHEM Nots.

Sententia Consilii Brabantiæ pro jure Parochorum *per se* concionandi non obstante Statiariorum immemoriali possessione.

Cum in Consilio Clementissimi Domini Nostri Regis Caroli ejus nominis secundi, Regis Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, utriusque Siciliæ, Jerosolymæ, Lusitaniæ, Navarræ, &c. Archiducis Austriæ, Ducis Burgundiæ, Lotharingiæ, Brabantiæ, Limburgii, &c. Comitis Habspurgensis, Flandriæ, Artesiæ, &c. constituto in hac sua Provincia & Ducatu Brabantiæ, quæstio & lis mota fuerit inter Patrem Priorem & Conventuales Patrum Prædicatorum hujus civitatis Bruxellensis Impetrantes ab una, & Dominum Præpositum, Pastorem, Ædit. uos & Magistros Pauperum Ecclesiæ Parochialis de Caudenbergh ejusdem civitatis reos citatos ab altera partibus, in qua cum partes in rotula 7. Novembris 1674. regulata fuissent verbalia suas in memorias redducere, atque hinc inde satisfactum fuisset, impetrantes per suos dixissent in substantia. Primò quòd cum ipsi Impetrantes vel ab anno millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto & sequentibus, ulteriusque usque ad exhibitionem dictarum memoriarum, stationem suam semper habuerint in Ecclesia Parochiali Citatorum, ad concionandum in eadem Ecclesia quibuslibet Festis totius anni, pariterque ad corrogandum cum scutella eleëmosynam pro dicto suo Conventu, tempore Concionis in eadem Ecclesia per aliquem suorum Religiosorum, signanter cum id notoriè constaret ex documentis id concernentibus penes ipsos prædecessoresque eorum omni tempore asservatis, quòdque dicti Impetrantes à prædicto immemoriali tempore usque ad præfatam exhibitionem memoriarum pacificâ & quietâ possessione gavisi essent, ut in prædictis concionibus stationalibus in dicta citatorum Ecclesia circuirent per quemdam Religiosorum suorum pro eleëmosyna sui Conventus, pro id omnibus manifestum erat, his nihilominus non obstantibus contigisset primâ die Maji anni superioris 1674. concionante in præfata Citatorum Ecclesia, hora ordinariâ Patre Procuratore Conventus Impetrantium, eoq; juxta priscam consuetudinem auditoribus omnibus commendante eleëmosynam, cum exinde socius ejus cum capsula sua circuire intenderet, hoc ipsis viâ facti fuerit inhibitum ab Æditno & Magistris pauperum ejusdem Parochiæ, qui eo usque fuerant inconsiderati, ut via meri attentati, turbationis viâ facti, & novitatis, specialiter vero idem Æditnus, fratri laico Impetrantium & socio præfati Patris Procuratoris inhiberent circuitum cum scutella sua eleëmosynaria, ita ut præfatum fratrem laicum secedere & abire compulerint, non sine magna admiratione scandaloque publico quorumvis auditorum, pariterque cum maxima ignominia & contemptu sui Conventus, quin imo quod amplius est, quòd idem Æditnus publicè scutellam clausisset, tali modo Impetrantium pacificam & immemorialem possessionem impediens, quod plenè constaret ex testimoniis præparatoriis & depositionibus Joan. Beckers & Joan. van Essche, qui concioni iisdem die & hora interfuerant, posse verò idem amplius plurimorum testimonio roborari & manifestari, causa eo directa, quòd talia & via facti attentata directè repugnarent sæpius memoratæ priscæ & immemoriali possessioni Impetrantium; itidemque essent contraria Diplomatibus quibusvis & Edictis Supremorum hujus Belgii principum, quodque insuper quo providerent, jurisque sui æquitatem conservarent, Impetrantibus consultum fuisset ad prædictum Consilium recurrere, quod idem consecutivè humillimè implorâssent & requisissent, idcirco ut eidem placuisset in finem præscriptum ipsis concedere litteras patentes manutenentiæ in forma, quòd conformiter ad prædictas ipsorum preces eædem ipsis litteræ indilatè concessæ fuerint & expeditæ à die 7. Maji 1674. quòd easdem in promptis etiam executioni mandari curassent, ad diem undecimam ejusdem mensis Maji 1674. per primarium præfati Consilii Apparitorem, prout ex ejusdem relatione pateret, quod idem primarius Apparitor, cum ei debitè innotuisset de possessione Impetrantium, & turbatione via facti Citatorum, eosdem impetrantes nomine Suæ Majestatis ut Ducis Brabantiæ manutenuisse in possessione circumeundi cum scutella per Religiosos suos tempore concionis stationum suarum in dicta Ecclesia, pariterque emolumentorum inde provenientium, & eorum quæ inde dependerent, quòd idem primus Apparitor tum insuper jussione expressâ mandâsset Æditno Pepermans, omnibusque ad quos spectare posset, ne Impetrantes in pacifica & tranquilla sua possessione ejus quod supra memoratum est turbarent, aut quovis modo impedirent; ulterius ut ipsi Citati impedimenta quæcumque, & turbationes dictæ pacificæ & tranquillæ possessioni contrarias indilatè & sine ulla mora absque sumptu & damno aboliri tenerentur & reparare. Quòd dicti Citati videlicet tam Æditui quàm Magistri pauperum prout & Pastor primario Apparitori exequenti in promptis respondissent Impetrantes deinceps in Templo suo non concionaturos, aut ad Templum suum venturos (quod maxime notandum foret) ut in concionibus suis quæ singulis diebus anni Festis haberentur circuirent cum scutella, quòd ipsi Citati impetrantibus expressè admodum inhiberent ne cathedram suam in prædicta Ecclesia sua ascenderent, quòd, talis esset prætensim intentio Pastoris ejusdem Ecclesiæ, quòd ipsi Citati non obstantibus præmemoratis rigorosis mandatis & Edictis hujus Supremi Consilii & in contemptum authoritatis ejusdem eò usque fuissent temerarii, idque in præjudicium prædictæ manutenentiæ executioni mandatæ, ut die secunda Pentecostes anni elapsi 1674 mero attentato & viâ facti impedivissent Patrem Godefridum Goddry Religiosum Ordinis Impetrantium quo minus cathedram ascenderet, & juxta antiquam & immemorialem suam possessionem in prædicta Citatorũ Ecclesia concionaretur hora octava matutina, quòd ipsi Citati in eum finem & effectum videlicet dictus Pepermans cum suis, introrsum ad januam dictæ cathedræ novam jussissent affigi seram, nec clavim tradere voluissent quâ aperiretur, quod ipsi Citati è contrario istorum, speciatim dictus Pepermans cum magno scandalo & ignominia Ordinis Impetrantium, vice Patris Godefridi Goddry Patrem quemdam Capucinum dictam cathedram jusserint ascendere, ut ibidem vice ipsius concionaretur, quæ omnia plenè constarent ex præparatoriis & juratis attestationibus Huberti Goossens Professione sua Typographi in hac civitate, & Adriani van der Vlot professione Oenopolæ qui in memorata Ecclesia tum præsentes interfuêre, quòd dictus Pepermans contra primum Impetrantium injuriosa & scandalosa quædam verba protulisset, quòd super eo & super memorata via facti in promptis nomine Impetrantium tamquam super mero attentato facta fuerit protestatio, simulque fuerint requisitæ desuper litteræ patentes attentati in talibus causis servientes, cum ulteriori interdicto ne simile quid in posterum attentaretur, sub pœna sexaginta realium aureorum qui cederent emolumento suæ Majestatis, quòdq; exemplar illarum traderetur in manu Officii Fiscalis, ut ad onus prævaricantium sui muneris debitum exequeretur, quòd viso hoc libello, & consulto Officio Fiscali, idem libellus remissus esset ad rotulam ut ibidem

ibidem fierent supplicationes in eo expressæ, inhibitione facta Citatis ne quid attentarent usque ad diem primam servientem, quòd dictus libellus in præfat. rotula fuerit exhibitus, dataque illius inspectione Citatis, iidem eo usque fuissent passione abrepti ut noluerint eidem acquiescere aut obedire, quòd è contrario dicti Citati continuè turbâssent Impetrantes qui hactenus in tranquilla & pacifica fuerant possessione (ut supra dictum est) quòd eum in finem numquam permisissent Impetrantibus, ut præfatæ litteræ patentes manutenentiæ effectum suum sortirentur, non obstantibus rigorosis mandatis, jussionibus & interdictionibus hujus Consilii, quòd idcircò, usque in hanc horam nunquam voluissent admittere Impetrantes, aut Religiosos ab eis missos ut concionarentur, aut cum scutella pro eleëmosyna circuirent, sed eosdem semper dimisissent cum ignominia totius sui Ordinis & contemptu authoritatis hujus sæpe memorati Consilii, adeoque, ut supra dictum est, nolentibus Citatis acquiescere & obedire expressis mandatis quæ in præfatis litteris manutenentiæ urgebantur & continebantur, ex parte Impetrantium fuerint citati ad opponendum per eumdem primarium Apparitorem ad rotulam 30. Maji tum proximè elapsi post Vacantias, quòd Van den Branden ibidem comparens pro Impetrantibus proponendo exposuisset contenta litterarum suarum patentium manutenentiæ, & conclusisset pro authoritate mandatorum in iis expressorum, & aliàs pro recredentia cum expensis, damnis & interesse, quòd van den Branden eodem die exposuisset contenta in præfato suo libello in materia attentati, & conclusisset prout in eodem cum expensis. quòd Du Prenne pro Citatis contra conclusiones Van den Brande ibidem consignatas & captas esset contestatus die 27. Junii 1674. adeoque conclusisset pro sub- & obreptione dictarum litterarum patentium manutenentiæ, & ulterius ad non receptionem tam in materia principalis quàm attentati, equidem in modo & forma cum expensis, idque maximè ob rationes prætensim quod Archiepiscopi nemini tribuerent authoritatem ad concionandum nisi Pastores in eo consentirent, quòd illud Impetrantibus esset prætensim notum, tam ex eorum patentibus, quàm ex quodam prætenso mandato quod ipsis Pastor fieri curâsset, quòd ipsi prætensim mandatis talibus acquievissent, in eumque finem prætensim se domi continuissent feria secunda Paschatis, dieque Annuntiationis Divæ Virginis, quòd per illud Impetrantes prætensim renuntiassent suæ stationi, quòd similes stationes essent revocabiles ad nutum Pastoris loci & Superioritatis Ecclesiasticæ, quod tale quid prætensim patuisset in statione Patrum Minoritarum Civitatis Mechliniensis, qui similem stationem prætensam obtinebant vi contractus à multis annis in Metropolitana ejusdem civitatis, quodque hoc contra Stationantes prætensim esset judicatum in magno Consilio Suæ Majestatis ibidem anno 1664. quod tales stationes prætensim precariò donentur & concedantur, quod his positis ipsi citati Cathedram suam occludendo Impetrantibus turbationem nullam movissent, quòd per illud jure suo usi fuerint & nemini fecerint injuriam, quod per illud prætensim multo minus attentarint, quod contra hæc per van den brande pro Impetrantibus fuisset replicatum in rotula 5. Septembris tum proximè elapsi, adeoque concludendo persistisset, ut aliàs ut ante ubique cum expensis, vel quod alias &c. idque propterea quod pro maxima parte positiones præfatæ responsionis Citatorum expressè admodum ab Impetrantibus negarentur, quod acceptaretur confessio à Citatis facta quod Pepermans cum suis origo esset & prima causa turbationis illius viâ facti, & modi agendi, quod præparatoriæ attestationes Citatorum minus adversarentur Impetrantibus quàm faverent, quodque easdem (in quantum pro) cum confesso turbationum ibidem factarum acceptarent, quod contra hæc Du Prenne simpliciter loco duplicæ persistisset, atque tale erat factum & casus positio & in quo Citati planè fuissent infundati, dum interim supra, & causâ ad probandum regulata plenè patere quod Impetrantes à tempore immemoriali fuissent in pacifica & tranquilla possessione concionandi in Ecclesia Citatorum, quibuslibet anni Festis diebus, concionisque tempore circumeundi cum scutella pro eleemosyna sui Monasterii, quod illud satis patuisset ex notoriis quas desuper tot sæculis servâssent, & in litis per extractum authenticum exhibitis, possetque ulterius manifestari ubi negotium ad id dispositum & ordinatum fuerit quod ipsi Impetrantes principaliter & unicè ex authoritate prædicti Consilii se manuteneri, curâssent, in possessione circumeundi cum scutella pro eleëmosyna sui Conventus, toties quoties in Ecclesia Citatorum concionarentur, quod illud præcisè demonstraret exacta relatio primarii Apparitoris qui eas litteras executioni mandarit pariterque ipsum manutenentiæ Diploma ad quod brevitatis causâ remitteretur, quod talis possessio & turbatio tanquam versans in negotio purè temporali spectaret ad notitiam Tribunalium Civilium, quod ipsi Citati & specialiter Pepermans ejusque consortes authores & perturbatores fuissent pacificæ & tranquillæ possessionis Impetrantium, quod illud superabundè declararetur ex præscriptis, cum præparatoriis attestationibus ex parte sæpius memoratorum impetrantium traditis, præteriretur quod omnes Canonicæ leges, omnes Synodi & Sacrosancta Concilia, permulta insuper Decreta sanctæque Sedis expressa mandata, quæ ab immemoriali tempore usque ad prædictarum memoriarum exhibitionem emanârunt, nihil aliud clament, nisi quod Religiosis ex Ordine Impetrantium, ubivis in quibuscumque Ecclesiis, sacellis & locis absolutè permissum esset concionari, Verbumque Dei populis annuntiare, prout id instructivè ulterius deduceretur, quod non foret in potestate ullius alterius Ecclesiasticæ superioreitatis talia revocare aut irrita facere, attento quod hoc ab eo fieri deberet qui talia Privilegia & potestatem ipsis, Ordinique ipsorum in perpetuum concessisset, quod id solummodo spectaret ad potestatem suæ Sanctitatis quæ propter rationes eam moventes sola hoc posset revocare, verùm cum nullæ hactenus fuissent rationes, ut tales revocationes fierent, sed è contrario ut hæc Privilegia magis & amplius augerentur ob beneficia & utilitates quas populus inde quotidie perciperet, hinc ne minima ratio quidem aut fundamentum subesset, cur talis ipsorum immemorialis possessio Impetrantibus denegaretur, ultra ea quæ superius sufficienter essent declarata quæque itidem suo tempore demonstrarentur (si opus foret) ultra confessionem ab ipsa parte superius factam, quod hæc turbatio unicè & specialiter oriretur à dictis Æditius & Magistris pauperum præfatæ Ecclesiæ Ecclesiæ S. Jacobi de Caudenbergh ut constat ex actis per eos ipsos in lite productis, nec possent iidem Citati ex quadam attestatione Philippi verdelet data 16. Maii tum proximè elapsi, & ab iis similiter in lite exhibita commodum ferre, attento quod per illam se iidem jugularent, cum idem Deponens testabatur quod ad requisitionem Citatorum missus fuisset ad Monasterium Impetrantium, ut ad diem 1. Maji Concionatorem haberent, at ea conditione quòd in eadem Ecclesia pro eleëmosyna sui Conventus non circuirent, quid adhuc egerent testibus, & quid manifestius ad condemnationem Citatorum, quandoquidem per id ipsum possessionem Impetrantium quoad conciones de novo continuâssent, turbationemque etiam tum solummodo movissent quoad temporale, sive concernens circuitum cum scutella pro Conventus sui eleëmosyna, & quandoquidem in materia possessoria & ad obtinendum in materia manutenentiæ nihil aliud secundùm jura requireretur præter probationem possessionis & turbationem ex adverso motam, & consequenter, an Impetrantes quoties in Ecclesia Citatorum concionarentur, impediri aut turbari licuisset in circuitu cum scutella pro eleemosyna sui Conventus, prout effectu contigisset, uti esset in confesso vel ipsius partis, hinc firmum esset ac stabile quod Impetrantium litteræ patentes in hoc casu deberent confirmari cum expensis, damnis & interesse, cum possessio hic superius clarè esset demonstrata, quin ipsi parti esset in confesso, quodque turbatio adversus hæc mota, etiam resultaret ex factis hic ante descriptis ab ipsa parte passim admissis, & ab Impetrantibus præparatoriè plenè probatis cum præsentatione eadem facta ulterius ad superabundantiam probandi, si opus foret, quibus omnibus attentis &c. persisterent etiam nunc Impetrantes expressè admodum prout aliàs, cum expensis, aut aliàs salutariter omni meliori modo, prædicti verò Citati in scripturis suis memorialibus dixissent sequentia in substantia, quod quandoquidem inter Citatos statutum esset ob graves admodum rationes, accedente etiam prævio mandato Superintendentium eleemosynis Impetrantem cum gratiarum actione amovere, & indicare

etiam

quod inutile foret ut deinceps Religiosos suos ad ipsorum Ecclesiam mitteret ad concionandum Festis diebus, quo sibi ad exclusionem ejusdem Ecclesia & Pauperum propria facerent emolumenta circuitus tempore concionis, pradicti Æditui & Magistri Pauperum in corpore Impetrantem de eadem resolutione certiorem ante fecissent in Quadragesima 1674. exponentes ipsi magnum gravamen, necessitatem & paupertatem tam Ecclesia quam pauperum, super quibus cum Impetrans deliberasset cum Patribus Discretis sui Conventus, respondisset personis prafatis, se nolle ut deinceps quispiam Religiosorum suorum Ecclesiam, prafatam concionaturus intraret, seque expunxisse & delevisse concionem seu Thema per quemdam suorum Religiosorum compositum & destinatum concioni ibidem habenda, quocirca conformiter ad resolutionem pradictam & responsum desuper datum Religiosos suos domi detinuisset, feriâ secunda & tertia Paschatis, & Festo Annuntiationis Diva Virginis, dum & conciones per alios fuerunt habita, & circuitus pro eleemosyna factus ad emolumentum Ecclesia prafata & Pauperum, Festo autem SS. Apostolorum Philippi & Jacobi ad requisitionem Citatorum quemdam Religiosorum suorum misisset Impetrans ut iterum concionaretur cui facto cum ne minima quidem subesset suspicio quod sibi voluisset Impetrans attribuere pradictam oblationem directè contra resolutionem ipsi intimatam, contigisset quod prafati Æditui & Magistri Pauperum similè quid observantes, fratri Laico inhibuissent ne circuiret, quibus fuisset Impetrans quasi verò permotus ut in hocce Consilio peteret litteras patentes manutenentia, quibus obtentis ob reticentiam verarum causa circumstantiarum, vi earum Citatis diem indixisset in rotula per primarium Apparitorem 12. Maji 1674. ad trigesimam ejusdem mensis, quantumvis verò pradicti Citati dicto primario Apparitori expresè declarâssent hanc suam esse intentionem quod Religiosi Impetrantium deinceps non concionarentur pro emolumentis oblationum quodque idcirco se vellent opponere, adeoque pranominata littera manutenentia resolverentur in simplicem citationem, tam secundùm jus scriptum quàm praxim hujus pradicti Consilii, nihilominus Impetrans, eo titulo quod cuidam Religiosorum suorum inhibuissent Citati ne concionaretur feria 2. Pentecostes ejusdem anni 1674. libellum ulterius obtulisset 13. Maii & super inhibitione aut impedimento pratensim requisivisset litteras patentes attentati, obtinuissetque ut remitteretur ad rotulam cum interdicto provisionali usque ad primam, quod postmodum 30. per Procuratorem suum Van den Brande proponentem primò in materia manutenentia jussisset enarrari contenta litterarum suarum patentium & conclusisset pro confirmatione mandatorum in iis expressorum, aut aliàs prout in mandato, & in casum litis ad recredentiam, facta Procuratori Du Prenne occupanti pro Citatis earum litterarum visione cum tribus annexis prater relationem, & proponens eodem in materia attentati repetiisset similiter contenta libelli, concludens prout in eodem cum expensis ac sustinens quod concessa interdictio effectum suum continuaret sortiri, contra qua simul & semel respondentes Citati in rotula 27. Junii subsequentis conclusissent in finem ut littera patentes manutenentia in hoc Consilio impetrata declararentur sub- & obreptitia, quodque Impetrantes, eo quod vi earum taliter, & prout fecerant, conclusissent pariterque in materia attentati declararentur, equidem in modo & forma non receptibiles cum expensis, aut aliàs &c. cum rationibus extra mandatum peremptoriè allegantes, quod pratensus circuitus cum scutella tempore concionis super quo D. Impetrans se voluisset manuteneri, in omnem eventum, ut accessorius solummodo considerari posset ad jus concionandi, quòd autem Domini Archiepiscopi Mechlinienses in hac Diœcesi authoritatem non concederent concionandi nisi ea conditione, ut in hoc ipso pariter consentirent Pastores, prout id impetranti probè notum erat, & aliàs ex patentibus Religiosorum posset videri, prater qua, verum esset quòd Pastor in hac Citatus ipsi prohibuisset in Parochiali sua Ecclesia concionari, cui inhibitioni effectivè etiam Impetrans acquievisset, quin effectivè renuntiasset pratensa sua stationi juxta certificationes cum responsione prafata exhibitas, quod similes stationes precaria tantum reputarentur & dependentes pro omni tempore à voluntate Pastorum & alterius Ecclesiastica Superioritatis qui easdem possent revocare, prout simile quid patuisset in statione quam Patres Minorita Mechlinia vi contractus & à multis annis habuissent in Metropolitana Mechliniensi, cum enim in ea causa à pradictis Patribus requisita essent littera manutenentia, iidem per sententiam desuper secutam in magno Sua Majestatis Consilio 12. Novembris 1665. declarati fuissent infundati & non receptibiles, quibus attentis dici non posset turbationem ullam motam esse contra Impetrantem per occlusionem Cathedra concionatoria, multo minus turbationem talem qua redoleret attentatum aut viam facti, contra qua replicando Impetrans, easdem allegationes licet admodum peremptorias nudè & simpliciter impugnâsset per impertinentiam & negationem, nec quidquam ex sua parte novi in contrarium allegasset, cum autem Citati simpliciter loco duplica perstitissent, partes in rotula septima Septembris tum proximè elapsi regulata fuissent rescribere per memorias, cui Citati satisfaciendo ex sua parte produxissent allegationes & deductiones hic supra factas quatenus inde posset conjici Impetrantes non esse fundatos, his addendo quod concionare & Verbum Dei populo annuntiare pracipua Episcoporum esset functio juxta Apostolicam doctrinam & Concilii Tridentini testimonium sess. 24. capit. de reform. Imò Episcopis solis prædicandi munus de jure competeret, cæteris nonnisi ex ipsius concessione *ajebat idem Concilium sess. 5. de reform. capit. 2. post S. Gregorium Nazianzenum & Philosorum de sacra Episcoporum authoritate caput 13. §. 1. hac concionandi authoritas reputaretur ab Episcopis propriè & ad exclusionem quorumvis aliorum communicata Pastoribus, cuilibet in sua Parochia tamquam eorum Vicariis ibidem & Coadjutoribus, & juxtà doctrinam Barbosa in Collectaneis ad idem Concilium Tridentinum sess.... capit. 4. §. 4. unicum Impetrantium munus foret aliorumque Religiosorum subvenire Episcopis in pradicationis ministerio cum rogati aut vocati forent, propter quas rationes etiam hic non liceret ullis Religiosis concionari in Parochiali Ecclesia, nisi cum venia Illustrissimi, qua venia etiam non aliter concederetur, nisi ea conditione quod in eo consentire deberent Pastores, juxta notorias patentes Impetrantium & quorumvis aliorum Religiosorum, adeò ut cum Impetrantes de jure forent Impotentes ad concionandum in prafata Ecclesia Parochiali de Caudenbergh nisi cum venia Illustrissimi & pariter Pastorum ibidem, pratensa eorum possessio non posset idcirco aliter admitti quam ut precaria aut gratiosa, quandoquidem notorium foret quod quidquid necessario deberet ex alicujus permissione fieri, revocari etiam posset ad nutum permittentis capit. si cui. de Prabendis in 6. & Bartol. in l. jubemus §. sanè si hac Cod. de Sac. Eccl. Commentarios faciens ad verbum PERMITTERE* dum à legislatore usurpatur, denotat perpetuitatem propterea quod lex perpetua sit, contrarium tamen obtinet in aliis rebus præsertim gestis à particularibus, in quibus istiusmodi verbum significat actum temporaneum qui à permittente post unum actum deinceps impediri possit utpote precario concessus. *Adeo ut omnimodè infundatum esset quod ex speculatione quorumdam actuum consecutivè factorum ex necessitate & ex pravia permissione, deducere quis vellet possessionem ut manuteneretur juridicè invito & renuente permittente, prout hic contingeret non solum contra voluntatem priorum Citatorum, verùm etiam ipsius Illustrissimi Archiepiscopi, cum tamen munus pradicandi in Ecclesia Parochiali adeo sit functioni Pastorali annexum ut nemini, ne quidem pro tempore concedi possit nisi cum venia & interventione Pastorum, procul absit ut Religiosi ad similes Cathedras jus perpetuum possent pratendere ratione alicujus possessionis, qua non alia foret nisi precaria aut gratuita, non solùm contra bonum institutum & ordinem qui in Hierarchia aut Ecclesia foret, verum etiam in prajudicium Parochianorum qui per talia à Pastoribus suis abstraherentur, privarenturque cibo aut nutrimento Verbi Dei ipsis per eosdem Pastores subministrando, tam de jure divino quam naturali, si quando autem Pastores ob multiplices occupationes idem per se facere non possent, tum exacti mu-*

neris

by Google

neris & obligationis ipsorum foret ad id committere & substituere personas idoneas, quod fieri necesse erat cum absoluta dependentia, ut iidem Pastores amovere possent concionatores qui sæpius ratione incapacitatis nullum fructum aut utilitatem conferrent Parochianis, adeo ut manutenentia per Impetrantes requisita malo admodum foret exemplo, existimante Carolo Fevret in tractatu de abusu lib. 3. capit. 3. propterea nullam manutenentiam concedi posse in simili materia aut casu, qualis erat de Verbi Dei annuntiando, quæ opinio corroboraretur & stabiliretur per declarationem Cardinalium datam super 4. cap. sess. 24. prædicti Concilii Tridentini in verbis nulla habita ratione cujuscumque consuetudinis etiam immemorialis, dum agit de Monachis volentibus sibi attribuere authoritatem concionandi in Cathedris Dominorum Episcoporum aut Pastorum, insuper verò bene examinando fundum negotii manifestè deprehenderetur, quod Religiosi nullum possint habere titulum ut per se in prædictis Cathedris concionarentur, illis repugnante jure divino, contra quod nunquam præscriberetur & prædictis Constitutionibus Pontificiis, adeo ut ex æqua justitia nequidem in eo possent manuteneri contra resolutiones quæ in contrarium sumerentur authoritate ordinaria & in vim juris communis, quarum executio nunquam censeretur incidere in viam facti aut attentati cap. 1. de spoliat in 6. quo expressè deciditur quascumque vias turbationis attentati aut spoliati cessare, quandocumque is, contra quem agere intendimus, munitus esset & suffultus jure communi, ad quæ omnia conformiter etiam judicatum foret in præfato magno Consilio, in casu huic simili non obstante antiqua & immemoriali possessione interveniente, & quidem innixa cuidam contractui ex parte prædictorum Minoritarum, præterquam quod in casu subjecto concurreret, Impetrantes statione sua prætensa in omnem eventum renuntiasse per responsum quod dedissent prædictis Æditui & Magistris Pauperum latius in acta quæ inde extat memoratum, quemadmodum enim possessio animo retineretur, ita contraria animi declaratione amitteretur. *Conchrius var. resolut. lib. 2. capit. 7. num. 43. & quantumvis postea Festo SS. Philippi & Jacobi anni tum proximè elapsi concionati fuerint, id contigisset ad requisitionem Citatorum, qui existimaverant Impetrantes se se conformaturos juxta normam prædictarum resolutionum ipsis antea propositarum, quibusque jam tum, cum tertiò recurrisset occasio concionis ad diem festum, acquievissent, ut pateret ex documentis in lite per Citatos exhibitis, ad quæ omnia consecutivè pluresque alias rationes persisterent Citati in & super omnibus prout alias cum expensis, aut alias salutariter &c. postmodum autem die videlicet 6. Februarii ultimò elapsi oblatus fuisset libellus à prædictis Citatis in quo exponebatur in substantia, quòd in materia manutenentiæ litem sustinerentur Citati contra prædictos Impetrantes ratione cujusdam stationis Festorum dierum, in qua iidem Impetrantes nitebantur per Curiam manuteneri licet malè & infundatè, prout à Citatis in lite ex variis capitibus fuisset demonstratum, qui iidem pro ulteriori confirmatione æquitatis sui Juris lubenter adjunxissent, sententiam ibidem annexam pronuntiatam in magno Mechliniensi Suæ Majestatis Consilio in materia simili manutenentiæ, inter Reverendum Patrem Provincialem Guardianum & Conventuales Minoritarum ibidem ab una, & Dominum Archiepiscopum, junctis Dominis Præposito Decano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ab altera partibus, ex qua constaret prædictos Patres Minoritas declaratos esse non receptibiles, eò quod voluissent manuteneri in statione quam prætendebant vi contractus & ex antiquo se obtinere, ut in eadem Metropolitana concionarentur, ulterius ad prædictum finem lubenter etiam adjunxissent Supplicantes, quod contra manutenentiam per Impetrantes requisitam sese opposuissent ex prævio consensu, mandato, & jussione, Illustrissimi Archi-episcopi, qui etiam ulteriùs declarásset suam esse intentionem ut deinceps in præfata Ecclesia Parochiali. quoad punctum concionandi, assumerentur tales Concionatores seu Sæculares seu Regulares quales prædicti Pastores judicarent expedire: At vero cum status negotii obstaret quominus Citati eadem exhiberent, recurrerent ad prædictum Consilium, humillimè supplicantes quatenus prædicta facta & allegata insuper ad litem assumerentur, idemque libellus ad dictum effectum ratus haberetur pro Civili, quo viso libello cum statutum fuisset ut supplicantes petitionem suam exponerent in rotula, debitè vocata aut citata parte aut ejus Procuratore factaque illius in rotula expositione, dicti Impetrantes contra exhibuissent rationes impertinentiæ. Quibus omnibus bene maturè expensis Clementissimus Dominus Noster Rex Dux Brabantiæ &c. admittens ad litem præfatum libellum Civilem & rationes impertinentiæ, declarat præfatas litteras patentes manutenentiæ sub- & obreptitias, Impetrantesque eo quod vi earum taliter & prout fecerunt, concluserint, pariterque in materia attentati infundatos & non receptibiles, condemnans eosdem Impetrantes in expensas hac de causa factas juxta debitam taxam & moderationem præfati Consilii. Actum & pronunciatum Bruxellis 3. Octobris 1675. extensumque ad requisitionem & sumptus Citatorum.*

A. V. GINDERTALEN.

CAPUT IX.

Quæ observanda à Parocho circa Stationarios.

1 *Primò ne quempiam ad concionandum admittat, nisi de licentia Episcopi docuerit,*

2 *Secundò, ut curet convenientiorem sibi mitti.*

3 *Convenit ut Parochus per se vel per alium concioni intersit.*

4 *Conveniens est, ut cum stationario collationem instituat.*

5 *Stationario in temporalibus subsidio sit.*

OStendimus quidem Capite præcedenti, Fratres Mendicantes vi suarum Stationum quantumvis multorum annorum serie continuatarum Parochis per se munus prædicandi aut catechizandi obire volentibus haud posse obsistere vel impedimento esse; at quia nonnumquam contingit, ut parochi legitimè impediti, vel certis diebus ad magnum populi concursum quibusdam locis, præsertim in civitatibus hactenus insufficientes sint, ut in Quadragesima & Adventu quotidie, aut Dominicis Festisq; diebus non unam dumtaxat, sed plures conciones habeant; ideóque necesse sit, ut vel Fratres Mendicantes Stationes suas cōtinuare hactenus permittant, vel aliquos in auxilium advocent, expendenda sunt, quæ potissimum

mùm circa hujusmodi Subsidiarios Parochis agenda incumbant.

Et quidem cùm ex Decreto Synodi Tridentinæ Regulares ad prædicandum in Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint, *Sess. 5. cap. 2. De reformat.* Parochus attendere debet.

I. Primò, ne ullum in sua Ecclesia prædicare permittat, nisi de hac Episcopi licentia prævię in scriptis doceat. Quod & Synodi, & Episcoporum Decreta sedulò & enixè Parochis inculcant.

II. Secundò, cum Parocho cura Ovium suarum incumbat eoque titulo solicitè attendere debeat, quo pabulo Oves suæ reficiantur; non cuivis vices indifferenter, & cæco quodam modo, quasi ad se non spectaret, an Oves salutari vel insano pabulo pascerentur, committere potest; sed quantum in se est, allaborare debet, ut is in subsidium suum mittatur, de quo meritò confidat, quod populum sincerè Evangelicæ doctrinæ pabulo pascet; & affectuosè ad vitia declinandum & virtutes amplectendum movebit & inclinabit.

III. Quia tamen non ubiq; à Parocho dependet hujusmodi Stationariorum deputatio; neq; semper tales, quales desiderat, obtinere potest, consultum erit interdum à Parochis observari, quod faciendum monuit Synodus Audomarensis an. 1583. *tit.* 19. *c.* 4. "ut quandocumq; alius, „quàm ipsemet Pastor concionatur, Pastor ipse per se vel per idoneum substitutum concioni intersit, diligenterque „audiat, an porrigatur Christi Ovibus quale convenit pa„bulum, an dicatur aliquid quod Fidei Catholicæ, aut „bonis moribus non sit consonum, vel quod pias aures „possit offendere: Quod si quid hujusmodi observet, mo„neat Concionatorem; ut apud populum id revocet, aut „nobis per se vel per Decanum suum id significet: denun„tientque Concionatores eos omnes (id quod etiam ro„gamus omnes utriusque sexus fideles pro eo quo tenen„tur zelo tuendæ gloriæ Dei) qui opere, sermone, aut „conversatione scandalosi, vel criminum suspecti, male„que famati, plus exemplo suo destruunt, quam verbo „ædificant."

IV. Tertiò, quia Parochus exactiorem Parochiæ suæ notitiam habere solet, quàm Stationarii seu Terminarii qui dumtaxat quasi transeundo, & stando, à quo Stationes dicuntur, in Parochiis versantur, multùm conveniens, ac penè necessarium est, ut conferant quandoque cum Terminariis, cæterisque Regularibus ipsorum nomine Concionantibus uti monet dicta Synod. *eodem tit. cap.* 2. "iis „de rebus, quas expediat maximè in Concione ad popu„lum ipsorum tractari, ex gr. ut in vitia quæ maximè illic „regnant, maximè invehantur, ut virtutes quæ illic fri„gent, cum primis commendent, & alia pro populi con„ditione sibi sumant tractanda, quæ non ita possunt no„visse foris advenientes Religiosi, ut Pastores domestici; „& ut noverint, maximè tamen utilis sit hujusmodi colla„tio, quo & Pastor & qui ejus loco est Concionator, con„cordes uno ore loquantur, & sententiam animi sui per „se unus, per alterum alter dicat."

V. Denique si videat Parochus Stationarios sive Terminarios aliosve Regulares se veros Parochorum subsidiarios exhibere; sibique in Officio Pastorali sedulò, & cum fructu subservire, dignum & justum erit, ut illos cum omni benignitate ac benevolentia recipiat: "eosque, ut monet „Synodus Cameracensis *P.* 1. *tit.* 6. *cap.* 6. apud populum „habeat commendatos tamquam operarios mercede sua „dignos." Ubique enim, præcipuè tamen in Parochiis ruralibus, Stationarii, aut aliqui ex eorum Ordine solent certis diebus eleëmosynam à Parochianis quasi in mercedem suorum laborum petere.

Quin & usus obtinuit, ut Stationarii, qui certis designatisque diebus concionantur, sumptibus communitatis excipiantur, uti testatur de Sercy loco supra citato: Hi vero qui ab ipso Parocho ob impedimentum repentinum subinde vocantur, ejus sumptibus excipiendos esse monet: quod & moribus Belgii congruit. Conveniens tamen est, ut potius apud Pastorem, quam Laicos hospitentur; ipsaque communitas potius Pastori, quam alteri sumptus suppeditet, atque refundat.

CAPUT X.

Sicuti Parochorum est populum instruere; ita Parochianorum est eum audire.

1 *Adstruitur auctoritate Scripturæ S.*
2 *Auctoritate Concilii Trid.*
3 *Auctoritate S. Caroli.*
4 *Commoda ex frequentatione Parochiæ provenientia*
5 *Rejicitur inepta cujusdam glossa.*
6 *Incommoda ex neglectu frequentationis Parochiæ.*
7 *Motiva dictam frequentationem promoventia.*
8 *Litteræ Pastorales S. Caroli ab Episcopis Belgii adoptatæ.*
9 *Omnibus Verbi Dei præconibus injungitur ut hanc obligationem populo proponant.*

I. SIcuti boni Pastoris est teste ipso Summo Pastore Christo *Joan.* 10. Oves proprias noscere, eas præire, ac nominatim vocare, & ad salubria pascua educere, ita eodem testificante, Ovium est vocem Pastoris audire, & vocantem sequi.

Si ergo Parochi tamquam boni Pastoris sit oves pascere & instituere, etiam reciprocè Parochianorum tamquam ovium est, à Pastore Divini Verbi pabulo velle pasci, ejusque vocem audire.

II. Hanc Parochianorum obligationem supponens Synodus Tridentina loco citato Episcopis mandat, "ut mo„neant populum diligenter, *teneri* unumquemque Paro„chiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad au„diendum Verbum Dei."

III. Huic Synodali decreto parere volens S. Carolus litteras monitoriales, quibus populus de hac obligatione moneretur, in Concilio suo Provinciali VI. edidit; quas in idioma vulgare versas populo prælegi & explicari per omnes suæ Provinciæ Diœceses voluit.

In his primò ostendit, quanti olim apud antiquos Patres fuerit frequens ad Ecclesiam propriam parochialem fidelium conventus, ac deinde subdit: "Cujus veteris discipli„næ restituendæ in usumque revocandæ desiderio fla„grans olim Summus Pontifex Urbanus VI. eo de genere „Apostolica Sanctione diligentissimè cavit, & nuper Sa„cra Tridentina Synodus Oecumenica ab Episcopis fide„les non solum hoc moneri voluit, ut frequenter ad *pro„prias Parochiales Ecclesias* saltem Dominicis diebus, festis„que majoribus accedant, sed illud etiam diligenter o„stendit, *unumquemque teneri*, ubi commodè fieri potest, „Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei.

Hæc Viri Sanctissimi (cui Concilii Tridentini directio præcipuè incumbebat dum allegatum Decretum editum fuit) verba utinam expenderent illi, quos non pudet dicere, Decreto Concilii Tridentini non præceptum, sed consilium contineri.

IV. Prosequitur deinde S. Carolus: "His igitur ejus„dem Tridentinæ Synodi Decretis, & veteri salutarique „exemplo adducti, cum populum urbis, Diœcesis, Pro„vinciæque Mediolanensis nostræ rebus ad salutem ne„cessariis instructum, per bona opera ad præmium sem„piternum perducere summopere in Domino cupiamus, „hac nostra monitione eos universos & singulos cohor„tamur, ac per viscera Misericordiæ Jesu Christi obsecra„mus, atque obtestamur, ut quamvis in sua vicinia, op„pidis, & suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias „habeant, ubi sanctissimo Missæ Sacrificio interesse pos-

„ possint; frequenter tamen Dominicis saltem aliisque solemnibus festisque diebus ad suam quique Parochialem Ecclesiam conveniant: ubi à Parocho, cui cura commissa est, Verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur; ad Sanctissima Sacramenta Religiosiùs percipienda instruantur, ad eorumque frequentem usum, ut illa sacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus indies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ jejuniave servanda sint: Discant ab ipso item, quæ Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præstari oporteat; ac quæ prætereà Supplicationes, Processionesvè aut Stationes, Ordinationes, Indulgentiæ, Jubilæa indicantur, quæ Matrimoniorum Denuntiationes fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu jussuvè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur."

V. Si hæc unà cum ipsa Concilii Tridentini sanctione paulisper expendisset Auctor Libelli, cui titulus: *Exhibitio Canonum circa prædicationem Regularium*, indubiè intellexisset ineptitudinem Glossæ, quam pag. 67. citato Concilii Trid. Decreto appendit: "Concilium Trid. ait, Ecclesiæ „ Parochialis jus non firmat contra Mendicantium Ordines, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim contra Oratoria seu Capellas......Ordinum etiam Mendicantium Ecclesiæ sunt Vicariæ, atque appendices Romanæ Ecclesiæ, ideòque quisque Fidelis potest illic Sacra audire: "Si, inquam, Litteras S. Caroli unà cum ipsa Tridentini lege attendisset, intellexisset suæ Glossæ ineptitudinem. Cùm enim edicat Synodus unumquemque teneri *suæ Parochiæ*, vel ut S. Carolus, *Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse*, nonnè evidentissimè etiam contra Ordinum Mendicantium Ecclesias firmavit jus Ecclesiæ Parochialis? Num forsan dicet, Fideles *suæ Parochiæ*, vel Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse, quando Ecclesiis Mendicantium intersunt: Hoc qui dicere audet; etiã dicat, Ecclesias Mendicantium esse Fidelium *Parochias*, aut *Parochiales proprias Ecclesias*: ipsosque Fratres Mendicantes Fidelium *proprios Parochos*, coram quibus & Matrimonium contrahi posse affirment.

Quod verò Auctor addit; Ecclesias Mendicantium esse Vicarias, ac appendices Romanæ Ecclesiæ, haud capio: Hoc scio, Fratres Mendicantes, eorumq; Ecclesias à Sede Apostolica esse probatos, & admissos, ut Prælatorum & Parochorum administros & subsidiarios: Ideoque rectè dici, eorum Ecclesias ex intentione Pontificum & Fundatorum esse vicarias, & appendices subsidiarias seu succursales Ecclesiarum Parochialium. Sed missâ hac glossâ ad litteras S. Caroli revertamur.

VI. Propositis fructibus ex diligenti Parochiæ frequentatione sperandis ex adverso nunc incommoda ex ejus neglectu obvenientia enumerat, & ob oculos ponit: "Hinc, „ ait, in plerisq; sæpe Articulorum, & Dei Sanctæque Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; Sanctissimorum Institutorum, & Sacrorum Canonum violatus usus; hinc denique Ecclesiis Parochialibus, quæ à majoribus tanto pietatis studio exædificatæ sunt, instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla aut penè exigua Ecclesiastica ad Divina Officia obeunda necessaria suppellex."

„ His tot tantisque malis, atque incommodis unusquisque occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod Sanctorum Patrum suadet authoritas, quod Tridentina Synodus moneri jubet, quod ex illius jussu nos de uniuscujusque vestrum salute soliciti, paternis vocibus cohortamur & monemus in Domino."

VII. Denique præoccupat quæ in excusationem neglectus assumenda prævidebat; motivaque pietatis ad sedulam Parochiæ frequentationem incitantia adducit: "Nec „ verò quemquã aliquod quod vel ex pluvia, frigore, æstu, temporumve vicissitudine existat incommodum, ab hoc officio deterreat: imo verò ad illud diligentiùs exequendum, prout in Domino confidimus, se quisq; eorum accendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gravitatem eorum, quæ commemorata sunt ratione perpendent, quique aliquando animo secum reputabunt, non solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum Baptismo suscepto Christo Domino renati, aliisSacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere quem diligant, colant atq; observent; hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum Internuntium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis Interpretem, Dispensatorem ministeriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant piè rectèque vivendi consilium, ac denique Ministrum omnium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt."

VIII. Has litteras hìc referendas judicavi, tum ut ex illis pateat, quid de obligatione frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ejusque momento senserit Sanctissimus hic Præsul; tum quia litteras has etiam Episcopi Belgii, ut mandato Concilii Tridentini satisfacerent, non semel probarunt & in suis Diœcesibus promulgari mandarunt.

Et quidem Andreas Creusen Archiepiscopus Mechlin. cum comperisset, subditos suos in crassa Mysteriorum fidei ignorantia versari; eamque pro magna parte oriri ex eo, quod non haberetur diligentia conveniens, & affectus frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ut ipse loquitur in suo Decreto 26. Octob. 1667. evulgato, voluit has S. Caroli Litteras in idioma Flandricum & Gallicum versas suo Decreto annecti, & populo proponi.

Quod idem modernus Antverpiensium Antistes Joannes Ferdinandus Van Beugem evulgato Decreto die 21. Martii 1687. fieri mandavit; "Ut quisque, ait, tum auctoritate tanti viri, tum concludentibus ejus rationibus ad „ Parochiæ frequentationem impensius incitetur."

IX. Porrò Episcopi Belgii, ut juxta legem sibi à Synodo Tridentina positam, populus sæpius de hac obligatione moneatur, præter iterata à se edita Decreta, insuper omnibus Verbi Dei Præconibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus hæc duo injungunt: primum, ut "moneant „ populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & Festis majoribus accedant." Alterum: „ Diligenter item moneant, unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei: " Instructiones pro concionat. *Art. 9. & 10.*

Hæc continua Episcoporum mandata, & sæpius iteratæ Pastorales exhortationes, sat probant, quantopere hujus legis custodia ipsis cordi sit; quod & amplius patebit, si expenderimus, quæ in hoc nostro Belgio ad promovendum Parochialium Officiorum frequentationem decreta sint.

CAPUT XI.

Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendum Verbum Dei.

1 *Tempore instructionis Parochialis Missa celebrari non potest.*
2 *Nemo tempore concionis Parochialis concionari potest.*
3 *Edicta Regia circa hanc rem.*
4 *Varia ad promovendam frequentationem Catechismi præsertim circa pauperes.*

5 *Magistratuum cura in promovendo Catechismo.*
6 *Quid Litteræ Regiæ de hac re habeant.*

SYnodi Belgicæ supponentes obligationem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei adeò claris ac evidentibus terminis in Sacris Canonibus, ac novissimè in Synodo Tridentina esse expressam, ut nullo vel apparenti colore obfuscari posset, non tam fuêre solicitæ, ut hanc legem suis Decretis inducerent, quàm ut removerent ea, quibus à Parochiæ frequentatione populus quacumque ratione avocaretur; eaque ordinarent, quibus ad eam frequentandam incitaretur & moveretur.

I. "Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum „Parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum Verbum „Dei, ubi commodè id fieri potest; quo tempore illud in „Ecclesia Parochiali annuntiatur, (ait Synodus D. Mechl. „*tit.* 10. *cap.* 5.) nemo in Capellis quæ Parochiæ finibus „continentur, concionari, aut Missam celebrare præsumat „sub pœna arbitraria. Et similiter nemo in eadem Ecclesia „sub concione Missam, etiam privatam, celebret."

Similiter Buscoducensis sub Masio *tit.* 11. *cap.* 5. "Ne „Parochiani, qui diebus Dominicis & festivis juxta Con„cilii Tridentini declarationem, Parochiæ suæ interesse „ad audiendum Verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, „præcipit, ne quis Sacerdos eo tempore in Ecclesia Paro„chiali, aut extra eam in Capellis Sacrum facere aut con„cionari præsumat, sub pœna nostro arbitrio infligenda." Et altera sub Masio, postquam statuit in Parochia, Missâ matutinali finita, Catechismum esse instituendum, adjungit: "Caveant Sacerdotes, ne tempore concionis hujus „matutinæ, sive etiam Pastoralis, audeant Missam legere „ne occasione hac Auditores à catehizatione avocentur."

"Capellani (ait Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. „*cap.* 16.) sive intra sive extra Ecclesiam Parochialem tali „tempore Missas dicant, ut populus hac occasione à Missa „Parochiali, Concione, aut Catechismo non avertatur."

II. Synodus autem Antverpiensis sub Miræo *tit.* 11. *c.* 8. eandem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei obligationem ex Concilio Tridentino præmittens „ait: "nemo in civitate nostra, & oppidis, Dominicis & „festis diebus ante meridiem extra Ecclesiam Parochia„lem lingua vernacula concionetur, nequidem sub præ„textu Indulgentiarum, aut Confraternitatum: linguâ „verò externa non fiat concio ante horam decimam."

Quod hæc Synodus statuit, generaliter in Belgio receptum est; ut nimirum nemo in civitate aut oppidis concionari queat eo tempore, quo concio Parochialis habetur; ne populus hac occasione avocetur à Parochia, cui ad audiendum Verbum Dei interesse tenetur.

III. Neque Episcopis duntaxat, sed & ipsis Principibus curæ fuit, ne quid populum ab officio Parochiali retraheret: Hinc Philippus II. edicto anni 1587. ad Synodum Cameracensem *art.* 5. cavit Ne "quis diebus Dominicis aut Festis tempore Concionis, Summi Sacri, & Vesperarum, audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut propè Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocumque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari; aut scholas gladiatorias vel hortos Sagittariorum frequentare sub pœna arbitraria." Et Carolus V. Edicto anni 1531. *art.* 31. ne quis eo tempore ad tabernas recipiatur.

IV. Porrò cum non tantùm instructio Parochi, quæ fit per modum concionis necessaria sit, sed vel maximè illa, quæ ad parvulorum & rudiorum captum instituitur quæ Catechismus dicitur, varia quoque quibus tum pueri, tum rudiores adulti ad hujus frequentationem incitarentur & moverentur, ordinata sunt.

Et inprimis Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit.* 1. *c.* 4. statuit "ut Pastor inducat Rectores Fabricæ & Men„sæ S. Spiritus aliosque viros probos & honestas matronas „ad charitatis officia præstanda promptos, ut sua præsen„tiâ & opera tam sanctum opus modis omnibus, quibus „possunt, promoveant: petatque Pastor à quolibet Ma„gistratu unum alterumvè virum pium, honestum & ta„lium rerum amantem, qui unà cum ipso Catecheseos „continuationi & bono ordini superintendant."

Et cap. 5. pergit: "Ad hunc Catechismum teneantur „Ludimagistri & Magistræ ducere suos discipulos: pueri „verò à sexto ætatis anno usque ad decimumquintum, „qui Scholas quotidianas non visitant ob paupertatem, de„scribantur à committendis à Magistratu loci, qui & eò „compellantur venire sub pœna quâ parentes, aut ii qui„buscum habitant, mulctentur: in quem finem suspen„datur catalogus in Scholis qui singulis vicibus legatur, „absentes requirantur, quos si contingat sæpius sine cau„sa legitima abesse, deferantur ad Superintendentes ca„stigandi; & Rectores mensæ paupetum eleëmosynas da„ri solitas Parentibus, qui suas proles non mittunt ad Ca„techismum, suspendant. Si verò animadvertatur quod „catechizatio fieri commodè non possit hora prima, fiat „aut magè post Missam matutinam aut summam Missam: „ita tamen ut semper sit certa hora, & quantumcumque „pauci conveniant, non ideo omittatur.

„Utque etiam pauperiores, ait *cap.* 8. ea quæ salutis „sunt discere possint, emantur sumptibus mensarum pau„perum, vel communitatum libelli Catechismi & præmia „ad pueros excitandos."

V. Quia verò, ajunt Statuta Synodalia Gandensia sub Antonio Triest, "Plurimi arte mechanica & ex eleëmosy„nis victitantes, quò rudiores existunt, eò tardiores repe„riuntur in frequentando Catechismo, eos singulariter „curæ Parochorum & Catechistarum in Domino com„mendantes, quantum opus est mandamus, ut importunè „opportunè instent apud Dominos temporales & Magi„stratus, quatenus omnem operam in promotionem pro„fectus spiritualis hujusmodi ignorantium impendant; „ac ipsis exponant Decretum Principis desuper emana„tum litteris ad Concilium Flandriæ directis, nec non a„lias litteras ejusdem Concilii datas ad singulos Diœcesis „nostræ Magistratus, quarum copias ad finem horum De„cretorum adjicimus."

VI. Litteræ Regiæ datæ ad postulationem Episcopi Gandensis, quarum hæc Decreta meminêre injungunt omnibus Magistratibus Diœcesis Gandensis, ut adigant Ludimagistros, & Magistras sub pœna suspensionis ab officio, adducere pueros Scholas suas frequentantes ad locum Catechismo habendo per Episcopum aut Decanum ruralem assignatum aut assignandum.

Ex his satis intelligitur, Belgii nostri Moderatores seu Ecclesiasticos seu Politicos nihil prætermisisse, quò tum prædicationis tum Catechismi Parochialis adeò pium & necessarium opus promoverent; & populus in iis quæ salutem animæ spectant, debitè instrueretur: illud duntaxat dolendum, tam sancta ac necessaria Decreta adeò negligi, atque ob eum neglectum fideles præcipuè pauperiores in tanta Mysteriorum fidei & Religionis nostræ ignorantia versari.

Cæterùm de qualitate & ætate in Pastoribus cæterisque curam Animarum gerentibus requisitis tractabitur in Parte Secunda, ubi de qualitate & ætate ad Beneficia requisitis agetur. Similiter de examine & concursu ad Pastoratus instituendis; item de officio & jure Pastorum in administratione Sacramentorum, celebratione Exequiarum, & Funeralium suorum Parochianorum; jure ad decimas, oblationes, atque competentiam Pastoralem; aliisque ad munia Parochorum atque jura Ecclesiarum Parochialium pertinentibus in Secunda Parte sub suis respectivè titulis agetur.

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT I.

De Officio Custodum.

1 *Officium Custodum de Jure communi.*
2 *In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.*
3 *Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.*
4 *Custodes cautionem dare debent.*
5 *Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.*

I. SI jus Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea quæ Ecclesiæ competunt, custodire; in Canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire; lampades & laternas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap.* 1. ꝟ. *De Off. Custodis.*

Adhæc solicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiæ, & luminariis sive incenso; nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habere debet. Præterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archidiaconi absente Episcopo, inter Fratres dividat, *Cap.* 2. ꝟ. *eod. tit.*

II. Hîc non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ, quem Thesaurarium dicimus, & plerumque Canonicos dignitate præcedit, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sat innuunt; præsertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Toletano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & *Custode*, tamquam in tribus *Ecclesiæ Columnis* consistere debeat *alma Mater Ecclesia*: Quæ nullatenus congruere Custodibus sive Matriculariis Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his dumtaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quàm Synodis Belgicis, quæ de his Custodibus ex professo agunt, petendæ sunt.

Illud cumprimis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum eorumve vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum persolutione ministros, & administros.

III. "Pastori, vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gan-
„ densis, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes
„ vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu de-
„ centi & superpelliceo indutus debitè assistet, prout &
„ Missam solemnem vel privatam quocumque anni die ce-
„ lebranti, ac paratus erit quacumque hora illi à Pastore
„ significanda saltem quoad Missas, ut Pastori inserviat in
„ muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus;
„ cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absentet; imo
„ si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur,
„ mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas
„ committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos
„ suos vel ipsum Pastorem certiorem reddat, quonam
„ pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente facilè
„ valeat reperiri, & advocari." *Tit.* 16. *cap.* 19.

Huic conformes sunt pleræque Belgicæ Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit.* 20. *cap.* 2. "Ornamenta
„ bonaque Ecclesiæ solliciti sint ut ne perdantur, seduli ut
„ lacera fractave restaurent, aut Ecclesiæ impensis restau-
„ rari curent, prudentes ut detrita indecorè non prodeant
„ in servicium Dei. Dent operam ut sursum & deorsum
„ in templis omnia sint munda ac nitida. Pavimenta, pa-
„ rietes, altaria altarium tecta & sacras vestes tergant
„ frequenter. Altarium mappas, Sacerdotum amictus at-
„ que albas, sacra Corporalia, calicum purificatoria, pri-
„ usquam evadant sordida, mutent, aut Sacerdotibus mu-
„ tanda dent: phialas sive ampullas, quibus vinum & a-
„ qua subministrantur, singulis septimanis ut minimum
„ lavent, ac mundent. Non committant ut dent Sacerdo-
„ tibus ad Sacrificium panem mucidum aut maculosum,
„ vinum acidum, impurum, evanidum, aut quod pridie
„ profana mensa respuerit. Denique in omnibus diligen-
„ ter & fideliter quæ officii sui sunt præstent, magnis à
„ Deo præmiis remunerandi.

Quæ hæc Synodus fusius, paucis comprehenderat Synodus I. P. Cameracensis: "Vestes, ornamenta, suppelle-
„ ctilem diligenter conservent, exponantque, & reponant
„ honestè ut dignum est." *tit. De ministeriis Eccles. cap.* 10.

Verùm non ubique curæ Custodum eadem concredi; sed alibi pauciora, sat indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens. "ut iis in locis, ubi Matriculariis cura &
„ custodia ornamentorum & aliorum mobilium bonorum
„ Ecclesiæ committuntur, non admittatur ad hoc munus,
„ nisi sufficientem judicio Pastoris & præcipuorum Paro-
„ chianorum, de iis fideliter conservandis & restituendis
„ præbuerint cautionem." *tit.* 9. *cap.* 11.

IV. Quoad hanc cautionem à Custodibus præstandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur. Similem cautionem aliæ Synodi quoque exigunt; eamque nonnullæ sufficientem judicio Pastoris & Notabilium; in qua re uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique præcipit jam citata Synodus Namurcensis *c.* 12. "Ut moneantur diligenter & frequenter à Pasto-
„ ribus, ut nullas in Altaribus aut in Parietibus, nec in ipso
„ templi pavimento, imo nec in cœmiteriis notabiles sor-
„ des patiantur, sed reipsa omnibus testentur, se diligere
„ decorem Domus Dei, cujus ministerio sunt mancipati."

CAPUT II.

Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.

1 *Custodes Ministris Ecclesiæ annumerandi.*
2 *Horum qualitates habere debent.*
3 *Sæcularibus Officiis implicati assumi non possunt.*
4 *Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiæ.*
5 *Simoniam sapit vendere Officium Custodis.*
6 *Tangitur abusus circa Ministrum Missæ.*

I. QUi functiones, & munia Custodum præcedenti capite breviter exhibita experderit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiæ, eorumque Officia Ecclesiasticis Ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas meritò in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quæ dignos Ecclesiæ Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quæ hujusmodi Ecclesiæ Ministros dedecent; & per quæ ministerium ipsorum vituperaretur.

II. "Considerantes indecorum esse, inquiunt Patres
„ Synodi Brugensis sub Driutio, statui Ecclesiastico, Lai-
„ cos, quibus jure vetitum est, cancellos sive chorum
„ Ecclesiarum ingredi, Custodum officia in diversis
„ Ec-

„ Ecclesiis exercere: præcipimus & injungimus singulis „Decanis, ne deinceps quispiam ad custodiæ deservituram „admittatur, non tonsuratus, aut bigamus, aut qui ballivi „aut clientis Officium exercet, aut in judicio criminali „interfuit, suamque in eo sententiam protulit, vel officium „cauponarii vel tabernarii aliudvè vile & Clerico indi- „gnum exercet, aut qui barbam defert longiorem, seu ve- „stem Clericis indecentem; atque ante admissionem di- „ctis Decanis de vitæ suæ honestate & fidei sinceritate „testimonium scripto exhibeat."

III. Simile est Decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Rithovio anno 1577. *tit.* 25. *cap. unico*, solosque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, " & de quorum probitate, religione, peritiâ, & „laudabili conversatione, fide digno testimonio (sicuti „decet *Ministros Ecclesiæ*) constet." Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 20. *cap.* 3. Synodus quoq; Antverpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 23. ad officium Custodis non admittendos censet, " qui Ballivi, Prætoris, „Procuratoris, aut simili officio funguntur, aut cauponam „aperiunt; cum hujusmodi officiis distracti, inquit, debi- „tè officium Custodis facere non soleant." Et *cap.* 19. ediderat, ut Custos assumatur, *qui boni sit nominis & famæ, & honestæ conversationis, peritus cantûs.*

Quin Synodus Gandensis anno 1613. *tit.* 16. *cap.* 12. & Decreta Synodalia sub Triest *tit.* 16. *cap.* 20. nec ad *deservituram* custodiæ admitti volunt, " qui Collectoris ve- „ctigalium, cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordi- „dum officium exercet; nec bigamum, sine legitima di- „spensatione."

Denique Synodus I. P. Cameracensis *tit. De ministeriis Ecclesiasticis cap.* 10. paucis multa comprehendens, ait: " Matricularii, & Custodes Ecclesiarum munera sordida, „& planè Laica non obeant: Ne sint publicani, sylvarum „Custodes, villici locatitii, nec vestitu præ se ferant aliud, „quàm castum & modestum *Ecclesiæ ministerium*, cui sunt „attributi."

IV. Nullatenus ergo ambigi potest quin Synodi Belgicæ uno consensu Custodes Ministris Ecclesiæ annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: " Assumpti autem qui fuerint, abstineant omni taberna- „rum ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant „Dei Ministris dignam, nec prodeant, saltem in Ecclesiam „aut ad obeundum quod sui est muneris, nisi in tonsura „& habitu decenti."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 15. vult, ut in sua assumptione promittant, " se in officio Divino & admini- „stratione Sacramentorum superpellicio usuros, alioquin „officio privandos. Et si Custodes non resideant, tenean- „tur providere Ecclesiæ de idoneo aliquo substituto, cum „stipendio Ordinarii arbitrio illi constituendo."

V. Ex his patescit, Synodos nostras conformiter ad jus commune non dubitâsse, quin officium Custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum; ipsique Ministris Ecclesiæ sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum supposuerint, veram esse Simoniam mediante temporali hujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurrente etiam respondit Wamesius *Cons.* 562.

VI. Adhæc si quis attendat morum ac vitæ honestatem aliasque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo quod Parochis in suis assistere debeant functionibus, facilè intelliget, quàm à Patrum mente alienum sit, quòd in præcipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Missæ, assistat nescio quis sordidus & immorigerus puer, isque tamquam Minister nomine totius Ecclesiæ Sacerdoti respondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplorando abusu plura *Part.* 2. *tit. De Sacrificio Missæ.*

CAPUT III.

A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura?

1 *Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.*
2 *Consuetudine aliovè titulo ad Æditues aliosvè spectare potest.*
3 *Parochus suum Ministrum habere debet.*
4 *Unde Custodibus competentia assignanda.*
5 *Custos partem suam habet in oblationibus.*
6 *Circa hoc jus Custodis observanda Consuetudo.*

I. Cum Custodes sint ministri Pastoris ut ipsi serviant in iis omnibus quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis *tit.* 20. *c.* 2. naturale est ut Parocho competat jus constituendi Custodem tamquam ministrum suum; ideoque, nî contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur quo Parochus excludatur, non apparet qua ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaq; Ecclesiæ utensilia curare est, quorum cura & ad Ædituos Ecclesiarum solet spectare; hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matriculario ipsos Æditunos unà cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primò & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si verò de his non constet, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Æditui ad constituendum Matricularium præ cæteris fundari videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannatensi relatum *in cap.* 3. *u De vita & honestate Cleric.* Ut quisque „Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui se- „cum cantet, & Epistolam & Lectionem legat, & qui pos- „sit tenere scholas, & admonere suos Parochianos, ut fi- „lios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam; quos „ipse cum omni castitate erudiat."

Clericum, de quo in citato decreto, eumdem esse, quem hodie *Custodem* vocamus inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulteriùs ad citatum Capitulum notat Glossa, quod Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proinde non Parochus dumtaxat sed & Custos jus habet; ut sibi tamquam Ecclesiæ Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiæ. Ideoque cum decimæ sint institutæ, & ab Ecclesia ordinatæ, ut Ministri Ecclesiæ intertineantur, si hæ ad Monasteria aut Capitula transierint, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantum Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *De reformat.* tantum ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro *rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.*

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiæ necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda è decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Hæc tamen intellige, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus onus sustentandi Custodem ad alios transtulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cum Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui Altari servit de Altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum persolutione dari solitis participet, quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quædam oblationum jura, Ecclesiarum non una sæpe est consuetudo; quæ cum nihil per se inordinati habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente rectè respondit & probavit Wamesius *Consil.* 436.

TITULUS V.

De Æedituis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

CAPUT I.

Qui, & à quibus constituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?

1 *Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.*
2 *Interdum possunt esse Ecclesiastici.*
3 *Illorum electio pendet à consuetudine.*
4 *Justum est ut interveniat Parochus.*
5 *Potest tamen subinde excludi.*
6 *Quid Parocho incumbat dum electioni intervenire nequit.*
7 *Juramentum noviter electi.*
8 *A quo recipi debeat.*

I. QUod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligerent; quinimo ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permitterent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit "Ut nullus ex locis „ipsis sæcularibus, Clericis in beneficium conferatur; eti„amsi de consuetudine (quam, ait, reprobamus) hoc fue„rit observatum: nisi in illorum fundatione secus fuerit „constitutum, seu per electionem sit de Rectore locis hu„jusmodi providendum, sed eorum gubernatio Viris pro„vidis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, „& valeant bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum „proventus & reditus in personarum miserabilium usum „fideliter dispensare; & quos in usus alios bona prædicta „convertere præsumptio verisimilis non sit. *Clem.* QUIA CONTINGIT, *De relig. domib.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iterato à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Æditui Ecclesiarum, itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patres familias ex cujusque Parochiæ incolis; adeò ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, aliique simplices cives, aut pagorum incolæ sint eligendi; uti tradit Autumnus ad *leg.* 33. *Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione, aut inveterata consuetudine secus obtineat. Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Ædituos, seu Magistros Fabricæ non tantùm ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonicorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit; sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, "ut Administratores tam *Ecclesiastici*, „quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ singulis annis ra„tionem administrationis reddere teneantur Ordinario;" *Sess.* 22. *cap.* 9. *De reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infra referendis.

III. Quibus verò Æedituorum seu Magistrorum Fabricæ, aut mensarum S. Spiritus electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino *Epist.* 54. *ad Januarium num.* 3. "Nec „disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Chri„stiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ec„clesiam ad quam fortè devenerit." Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuere, successisse videantur, primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatus Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum "Præcipuè ad Parochos „spectare, nisi ex contraria & legitimè præscripta „consuetudine, aut in largitionum fundatione secus „fuisse institutum appareat evidenter. Quibus rursum „casibus nihilominus Pastores nominationi seu electioni „nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant, advigi„lare volumus.... Qua in re ut major cautio adhibea„tur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum electio„nes, populo imprimis Dominico aut Festo die imme„diatè diem electionis præcedente inter Missarum solem„nia præcertiorato, & in termino per campanæ pulsum „specialiter convocato, ut is dispiciat cum Pastore de „magis idoneis eligendis."

IV. Quod de Parocho hîc dicitur, de consuetudine ubique penè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur; ipsaque Synodalia Decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 18. *cap.* 1. Fabricis „Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione „*Pastoris* & Notabilium Parochianorum præficiantur „Magistri seu Gubernatores, omni exceptione majores „bonæ conversationis & industriæ, atque ad bona Fabri„carum conservandum, recipiendum, & utiliter dispen„sandi idonei & sufficientes, & nullo modo de hæresi su„specti." Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque Decretis inseruit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 22. *cap.* 1. & 2.

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & numquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licet nonnihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primariò cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen toleranda est; eamque supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à* Laicis instituantur &c.

VI. Verumtamen ubi consuetudo ad Laicos privativè hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos; quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quòd si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minùs fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis an. 1609. *tit.* 20. *cap.* 19. postquam monuit multum interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit; *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num actionum similium iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum & pauperum conservabunt; & deperdita, quantum poterunt recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obvenientem dispensabunt: quodque pro eorundem bonorũ conservatione & fideli dispensatione non mino-

minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quàm circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 1. *&* 2. & Audomarensi 1583. *tit.* 21. *c.* 1. *&* 2. cui quoad substantiam plerisq; in locis consueta formula juramenti consonat; nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in Regulamento Concilii Flandriæ anni 1651. quod extat ad calcem statutorum Synodalium sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tamquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur: Hæcq; consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Metio, quàm sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepta administratione præstent *tit.* 24. *c.* 7. Altera verò ut antequam se administrationi immisceant, teneantur juramentum fidelitatis, instar tutorum & curatorum coram Parocho præstare, *Tit.* 12. *c.* 1.

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concilii Flandriæ *art.* 2. injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scaultero, Drossardo, aut alio primario Officiali ad quem pertinet.

Et cum Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocâsset ad præstandum juramentum injecta appellatione tamquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad parlamentum parisiense, cassatum, nullumq; declaratum fuit decretum Officialis; dictumq; est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus Laicis esse præstandum. Papon *lib.* 4. *tit.* 12. *Arrest.* 14.

In his ergo cujusq; Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est: unde Synodus Iprensis 1609. *tit.* 20. *c.* 22. simpliciter dicit, "Ut qui admittuntur ad administrationem bo„norum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent *Superio„ribus* juramentum," non designando vel Ecclesiasticos vel sæculares.

CAPUT II.

Quænam præcipuè ab Æditiuis & Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

1 *Res sibi commissas ut proprias administrare debent.*
2 *Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.*
3 *A consuetudine pendent, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicæ instituendæ.*
4 *Nec nisi præstitâ cautione.*
5 *In elocationibus prandia non facienda.*
6 *Lites non suscipiendæ sine auctoritate & prævio Superiorum examine.*
7 *Litteræ fundationum aliaque monumenta solicitè servanda.*
8 *Quid observandum dum ex Archivis aliquid extrahitur.*

I. Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tamquam res proprias administrare debent; omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentiâ pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione principes nostri in Edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem *art.* 28. conformiter ad jus commune interdixerunt omnem eorum alienationem, permutationem, oppignorationem sive hypothecationem; & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienationi consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia præviè examinentur, & sedulò discutiantur per Episcopum, aliósq; ad quos hactenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant tamquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, "quæ factæ sunt sine consensu Superiorum, & con„venienti causæ cognitione; idq; non obstante quacumq; „contraria consuetudine quoad alienationes post Edi„ctum factas. Insuper pro invalidis reputari vult venditi„ones granorum, quorum termini nondum effluxerunt „factas viliori pretio ob anticipatam solutionem."

III. Cùm verò Edicta non exprimant, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hactenus observatam consuetudinem remittant, ea omninò attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, aliisve justis alienationis causis, præ cæteris meliùs solent esse instructi, judicium saltem expetatur, æquum „justumq; est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 4. vult, "ut in majoribus negotiis, & maximè ubi de „præjudicio fabricarum seu pauperum agitur, nihil admi„nistratores, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium con„sensu attentare præsumant."

Adhæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitiæ aliove humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art.* 25. ne hujusmodi bona elocentur, nisi præviis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quàm bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris; sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ supra allegato *art.* 5. cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi *publicè*, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens præferatur.

IV. Idem pleræq; Synodi Belgicæ inculcant; adduntq; ut non habeantur ratæ elocationes nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarensis an 1583. *tit.* 21. *c.* 4. Mechl. an. 1609. *tit.* 11. *c.* 2. & Iprens. an. 1577. *titul.* 25. *ca.* 5. quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore seposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Deniq; Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sanè quid injustius aut inhumanius, quàm bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi conviviorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulteriùs cùm inter majoris momenti negotia meritò numerentur lites; quæ, ut experientiâ notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt justo procliviores, meritò Synodalibus Decretis ordinatum est, quòd sine authoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

„Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritus nul„las lites assumant (ait Synodus Antverp. sub Miræo *tit.* „21. *c.* 25) nisi causâ priùs à nobis nostrove Vicariatu exa„minatâ, ne alicui inconsulta temeritate per injuriam mo„lesti sint, atq; non necessariis sumptibus, salariis, vacatio„nibusque fabricas aut mensas pauperum gravent. „Quòd si etiam causa gravioris momenti sit, commit„tetur alicui ex Vicariatu aut Decano Christianita„tis, ut antequam lites instituantur, cum adversariis

„ seria ratione agant; ut si fieri possit, res sine strepitu Ju„ dicii terminetur, assumptis potiùs, si dubium fuerit, u„ trimque Jurisconsultis, quibus decisio negotii com„ mittatur: si quis secus fecerit, nullo modò expensas in „ fabricæ aut mensæ S. Spiritus rationes referat, nec audi„ tores rationum inferri patiantur in quas fortè condem„ natus erit, aut quas ab adversario recuperare nequive„ rit, sed eas ipse in pœnam temeritatis suæ luat."

Huic justissimo Decreto passim consentiunt reliquæ Synodi, requirentes in assumptione litis prævium Pastoris, vel etiam Episcopi, & Magistratus consensum. Synodus Namurc. anno 1639. *tit.* 18. *cap.* 7. Buscoduc. anno 1612. *tit.* 21. *c.* 4. Iprens. 1577. *tit.* 28. *c.* 4. Audomar. an. 1583. *tit.* 11. *c.* 4. quæ duæ ultimæ generaliter decernunt, ut in majoribus & magis arduis negotiis nihil, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant.

VII. Deniq; cùm experientiâ compertum sit, multa bona Fabricarum piarumq; fundationum perire, aut deperdi, eò quòd litteræ fundationum, aliave monumēta ad probationem necessaria non satis fideliter & exactè conserventur; tum Principum, tum Synodorum Decretis sancitum est, ut omnia documenta, computus, & litteræ Ecclesiarum & pauperum referantur in unum respectivè archivum, quòd vulgò dicitur *De Com.* sub clausura trium diversarum clavium; quarum una sit penes Pastorem, altera penes Magistratum, & tertia penes Magistros Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus respectivè; ita Edictum Concilii Flandriæ supra citatum; quòd apertè supponit esse duo archiva, unum monumentis ad Ecclesiam spectantibus, alterum ad Mensam S. Spiritus pertinentibus subserviens; ut illius clavis sit penes Magistros Fabricæ, hujus verò apud Magistros S. Spiritus.

Edicto jam citato quoad archivum ejusque sub tribus distinctis clavibus clausuram Synodi nostræ consentiunt; sed pro monumentis Fabricæ & pauperum conservandis, unicum supponere videntur; cum passim clavium custodiam ita distribuant, ut unam quidem Pastori, reliquas verò primario Mamburno seu Magistro Fabricæ, & primario Magistro Mensæ S. Spiritus respectivè committant. Etenim quoad hanc clavium custodiam, si reperiatur Ecclesiarum varia consuetudo, aut ordinatio, cuiq; Ecclesiæ sua servanda erit.

VIII. Additque citatum Edictum Concilii Flandriæ, & communiter Synodi nostræ, ut si quando necesse fuerit aliquod monumentum ex ipso archivo extrahi, loco illius in archivo ponatur scripta notitia cum expressione nominis & cognominis, & residentiæ illius, qui hoc monumentum accepit, unà cum signatura ipsius, quâ fatetur se illud accepisse.

Quod de clausura archivi seu scrinii pro conservatione monumentorum cautum, idem Edicto Caroli V. anni 1531. *art.* 16. & Synodalibus decretis sancitum est circa gazophilacia sive truncos recipiendis Fidelium oblationibus exposita; ut nimirum tribus distinctis seris firmentur, utque clavium una sit penes Pastorem.

ADDITAMENTA.

AD CAPUT II.

Decretum Episcopi & Principis Leodiensis pro fideli & recta administratione bonorum Fabricæ Ecclesiæ & Mensæ S. Spiritus.

Maximilian Henry, par la grace de Dieu, Archevesque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archichancelliur par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat ne, Evesque & Prince de Liege, Hildesheym, éleu Evesque de Munster, Administrateur de Bergtesgarde, & Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphaliæ, Lingeren, & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leuchtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Herne, &c.

Sur rapport nous fait, que dans nos villes, bourgades & villages de nôtre Pais & Diœcese de Liege, il se glisseroit un abus tres considerable au suget des Comptes, tant des biens appartenants aux Eglises, Frabriques & Luminaires, que membres des pauvres, les uns des Auditeurs d'iceux se faisant mettre à disner, les autres se faisant payer en argent, au lieu de servir gratuitement l'Eglise & les pauvres d'icelles, les Mambors desquels feroient des effractions de muyds à petit prix, comme aussy la distribution des pains, ainsy que bon leur semble, les donnant aux riches aussy bien qu'aux pauvres: voulant à ce remedier avons ordonné, comme Nous ordonnons par les presentes à tous Mambours & Auditeurs desdits Comptes d'y vacquer gratuitement pour Dieu & pour les pauvres, sans pretendre chose que ce soit, pour depense de bouche ou autrement: Comme aussy Nous ordonnons à tous Mambours desdites Eglises & pauvres de suivre au futur les affractions du Clergé de Liege pour les muyds qui leur sont d'beus, & de ne faire distribution desdits biens, soit en argent, soit en pains à autres qu'à ceux, qui sont vrayement pauvres, & connus pour tels par les Pasteurs, pardevant lesquels, & les deux plus vieux Eschevins ou Principaux du lieu, tous les comptes susdits de l'Eglise & pauvres seront rendus & examinez gratuitement. Ordonnant à tous Pasteurs & Deserviteurs desdites Eglises de publier cestuy nôtre Mandement un jour de Dimanche pendant la Messe Paroissiale dans chaque leurs Eglises, & pour meilleure & absolute observance de choisir chacun dans leurs Paroisses un ou deux Sinaux pour annoter les contraventeurs, & leur en faire pertinente relation, afin qu'il soit procedé contre eux à la peine de cinque florins d'or pour les pauvres de la Paroisse.

Et comme plaintes Nous ont aussy esté faites, que des personnes peu soigneuses de leur instruction Chrétienne tant necessaire pour le salut de leurs ames, sortiroient pendant la grande Messe de l'Eglise, pour n'attendre le Sermon ou exhortation du Pasteur, & s'en iraient caquetter au portail de l'Eglise, menant grand bruit, & commettant insolence, Nous le deffendont tres serieusement, & enchargeons les Pasteurs de surveiller soigneusement la dessus, pour que telles personnes soient chastiées d'un florin d'or d'amende, pour chaque fois applicable aux pauvres comme dessus. Donne en nostre ville de Bonne le vingtiéme May mille six cents quatre vingt & six. Etoit signé Maxilian Henry, & puis écrit, Lieu (†) du seel & en suite sous signé Ferd. Schich.

Formula quâ expeditur Nominatio Regia ad Abbatias.

Charles par la grace de Dieu Roy de Castille, de Leon, &c. A Religieuses personnes nos cheres & bien aimés les Prieure, Religieuses & Convent de l'Abbaye N. Salut & dilection. Comme à nous comme Ducq de Brabant affiert & appartient d'avoir soigneux esgard,

esgard, que le Prelatures, Abbayes, Prieurez, & autres Dignitez estans en icelluy Pays soient pourveues des gens Catholiques, de bonne vie & conversation, pour les entretenir en bonne & Chrestienne Religion, & par Indult Apostolique, droit de personnage, Regale, & autrement nous compete, & ayons droit de auxdites Prelatures, & dignitez, quando elles vacquent, nommer personnes suffisantes, idoines & à nous agreables. Et il soit par le trespas de Dame N. vostre derniere Abbesse, ladite Abbaye presentement vacante, nous ayons fait informer de l'idoineté & capacité des Religieuses d'icelle, entre lesquelles nous seroit estre presentée Dame N. Religieuse de la mesme Abbaye: Scavoir vous faisons, que le bon rapport que fait nous à esté de ladite Dame N. & de ses sens, experience, bonne Religieuse vie, & conversation, nous l'avons par la deliberation de nôtre tres cher & feal Cousin Don Francisco Antonio de Agurte, Marquis de Castannaga Chevalier de l'Ordre d'Alcantara Lieutenant Gouverneur Capitaine General de nos Pays-bas &c. a denommé & denommons par ces presentes, à laditte Abbaye N. vous consentans & requirans que procedans à l'Election de vostre nouvelle & future Abbesse, vous elisiez & acceptiez à icelle Dignité, laditte Dame N.. comme personne à ce capable, & à nous aggreable, à laquelle consentons & permettons de pouvoir sur ce obtenir de nostre Saint Pere le Pape, de l'Evesque Diocesain, ou autre Superieur, telles Bulles Apostoliques & provisions de Confirmation qu'il appartiendra & icelles à deue execution, au surplus prendre, & aprehender la vraye, reele, & actuelle possession da laditte Abbaye, ensemble des droits, fruits, proufits & emolument d'icelle, pour doresnavant la tenir, regir & administrer tant au spirituel que au temporel en a gardées & observées les solemnités en tel cas requises & accoutumées. Si donnons en mandement à nos Tres-chers & Feaux les Chef President & Gens de nos Privé & Grand Conseil Chancelier de gens de nostre Conseil ordonné en Brabant & à tous autres no Justiciers, Officiers, & Subjets, à qui ce regarder, a qu'a vous en ce que dit est, ils assistent si besoing en avez, & en outre facent, souffrent & laissent laditte Dame N. de cette nostre presente nomination accord & consentement plainement & paisiblement jouir & user, cessans tous concredits & empaichement au contraire. Car ainsi nous plaist il. Donné en nostre ville de Bruxelles &c. Christ. Vt. *Inferius erat signatum: Par le Roy, Galvan.*

CAPUT III.

Quomodo bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritus dispensanda, & à quibus.

1 *Bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs fideliter dispensanda.*
2 *Bona Pauperum ex humano affectu non dispensentur.*
3 *Non tantùm inopiæ, sed & morum ratio in hac dispensatione habenda, & qui hoc nomine ab eleëmosyna arcendi?*
4 *Quomodo Parochus in horum distributione intervenire debeat.*
5 *Qui eleëmosynis gaudent à Parocho examinandi.*

I. BOna Fabricæ sive Ecclesiæ in usus Ecclesiæ esse fideliter expendenda, ipsa nominis ethimologia evincit. Neque enim alia ratione dicuntur bona Fabricæ sive Ecclesiæ, nisi quòd usibus Ecclesiæ sint destinata. Quapropter attendendum Æedituis aliisve bonorum illorum Administratoribus, ut fideliter in utilitatem Ecclesiæ proventus illorũ expendantur; & si in alios usus ex aliquo humano affectu impenderint, restitutioni se reddi obnoxios. Similiter bona Mensæ S. Spiritus seu pauperum esse destinata in usus pauperum, ipsum nomen manifestat, adeóque & illa in pauperum usum fore impendenda.

II. Verùm quia pauperum magna solet esse copia eorumque multiplex conditio; neque facilè generaliter determinari queat, qui sint habendi ut pauperes, quibus hæc bona rectè impendantur; idque ferè arbitrio & prudentiæ credi debeat eorum, qui bonorum illorum dispensationi præsunt, ideò in hac dispensatione facilè ex humano amicitiæ, aut proprii emolumenti affectu à justitiæ tramite deflectitur, aut in vitium acceptionis personarum inciditur. Quòd vitium haud evadunt, qui in distributione hujusmodi eleëmosynarum ex privato aliquo affectu minus merentes magis merentibus præferunt: cùm dubitari nequeat, offerentium hujusmodi eleëmosynas intentionem esse, ut dum omnibus pauperibus provideri nequit, magis merentes primò de illis participent.

Hinc Synodi nostræ passim solicitè inculcant, "ut „ eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu „ & acceptione personarum, iis tantùm distribuantur, „ qui verè pauperes sunt." Ita Synodus Mechl. ann. 1609. *titul.* 21. *capit.* 11. Idem & reliquæ Synodi communiter monent; additque Franciscus Sonnius Antverpiensium Antistes in Decretis Synodalibus *tit. de bonis Fabricæ & S. Spiritûs c.* 6. ut" in singulis Parochiis Mamburni S. „ Spiritus habeant Mensam convenienti loco positam ad „ distribuendas ex ea pauperum portiones: ut videat populus, neq; indignos admitti, neq; dignos repelli, fierique „ hanc distributionem sine personarum acceptione."

III. Monet prætereà citata Synodus Mechliniensis, ut in eleëmosynarum distributione" non inopiæ & egestatis „ tantùm, sed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur."

Atque imprimis hoc nomine ab his eleëmosynis arcendi sunt validi mendicantes; qui hujusmodi eleëmosynis victitantes in otio, & desidia, ac quæ exinde sequuntur multis sceleribus vitam ducunt: quos & Principes ab eleëmosynis arcendos multis Edictis sanxerunt. Nam ut de similibus monet Synodus Coloniensis 1536. *part.* 11. *c.* 5. " Vtilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus „ justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus „ in justitiæ acquiescat."

IV. Hinc facilè patebit, distributionem eleëmosynarum præ cæteris convenire Parochis, eisq; primo loco deferendam: & si consuetudo eam Magistris detulerit, omninò convenire, ut ipsi in eleëmosynarum distributione Parochum ad minus consulant, & audiant. Hinc Synodus Iprensis sub Carolo Masio an. 1609. *tit.* 20. *c.* 16. ait." Distri- „ butiones eleëmosynarum liberæ semper fiant conscio „ Pastore; qui eas non ex humano affectu, aut cum acceptione personarum, (inquit capite sequenti) sed omnibus „ indifferenter verè pauperibus & probis honestisque vel „ ipse distribuat, vel distribui curet."

Similiter Synodus Namurcensis an. 1659. *tit.* 22. *c.* 6. E- „ leëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & „ acceptione personarum iis tantùm distribuantur, qui „ verè pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ ac morum „ probitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, „ poterit adesse Pastor loci."

V. Addit & meritò Buscoducensis sub Masio *tit.* 21. *c.* 5. „ Ut diebus Dominicis & festivis post summum Sacrum „ & Concionem (quibus omnes interesse debent sub privatione eleëmosynæ) sine humano affectu distribuantur. Deinde prosequitur. "Notabiliter ante Festum Nativitatis „ Jesu Christi & Paschæ Magistri S. Spiritus dabunt nomina Pastoribus gaudentium subsidio S. Spiritus, ut fidem „ eorum & Religionem cognoscant: non enim eleëmosynis „ gaudere poterunt, nisi de Confessione & Communione „ in Paschate docuerint."

Hæc aliaque saluberrima Decreta & conditioni horum bonorum & legibus justitiæ distributivæ planè conformia, si exactè servarentur non tantùm corporalibus, sed & spiritualibus necessitatibus pauperum quàm optimè provideretur. Adde Decretum Synodi Antv. supra citatum.

CA-

neris & obligationis ipsorum foret ad id committere & substituere personas idoneas, quod fieri necesse erat cum absoluta dependentia, ut iidem Pastores amovere possent concionatores qui sæpius ratione incapacitatis nullum fructum aut utilitatem conferrent Parochianis, adeo ut manutenentia per Impetrantes requisita malo admodum foret exemplo, existimante Carolo Fevret in tractatu de abusu lib. 3. capit. 3. propterea nullam manutenentiam concedi posse in simili materia aut casu, qualis erat de Verbo Dei annuntiando, quæ opinio corroboraretur & stabiliretur per declarationem Cardinalium datam super 4. cap. sess. 24. prædicti Concilii Tridentini in verbis nulla habita ratione cujuscumque consuetudinis etiam immemorialis, dum agit de Monachis volentibus sibi attribuere authoritatem concionandi in Cathedris Dominorum Episcoporum aut Pastorum, insuper verò bene examinando fundum negotii manifestè deprehenderetur, quod Religiosi nullum possint habere titulum ut per se in prædictis Cathedris concionarentur, illis repugnante jure divino, contra quod nunquam præscriberetur & prædictis Constitutionibus Pontificiis, adeo ut ex æqua justitia nequidem in eo possent manuteneri contra resolutiones quæ in contrarium sumerentur authoritate ordinaria & in vim juris communis, quarum executio nunquam censeretur incidere in viam facti aut attentati cap. 2. de spoliat in 6. quo expressè deciditur quascumque vias turbationis attentati aut spoliati cessare, quandocumque is, contra quem agere intendimus, munitus esset & suffultus jure communi, ad quæ omnia conformiter etiam judicatum foret in præfato magno Consilio, in casu huic simili non obstante antiqua & immemoriali possessione interveniente, & quidem innixa cuidam contractui ex parte prædictorum Minoritarum, præterquam quod in casu subjecto concurreret, Impetrantes statione sua prætensa in omnem eventum renuntiasse per responsum quod dedissent prædictis Æditum & Magistris Pauperum latius in acta quæ inde extat memoratum, quemadmodum enim possessio animo retineretur, ita contraria animi declaratione amitteretur. *Conchrius var. resolut. lib. 2. capit. 7. num. 43. & quantumvis postea Festo SS. Philippi & Jacobi anni tum proximè elapsi concionati fuerint, id contigisset ad requisitionem Citatorum, qui existimaverant Impetrantes se se conformaturos juxta normam prædictarum resolutionum ipsis antea propositarum, quibusque jam tum, cum tertiò recurrisset occasio concionis ad diem festum, acquievissent, ut pateret ex documentis in lite per Citatos exhibitis, ad quæ omnia consecutivè pluresque alias rationes persisterent Citati in & super omnibus prout alias cum expensis, aut alias salutariter &c. postmodum autem die videlicet 6. Februarii ultimò elapsi oblatus fuisset libellus à prædictis Citatis in quo exponebatur in substantia, quòd in materia manutenentiæ litem sustinerentur Citati contra prædictos Impetrantes ratione cujusdam stationis Festorum dierum, in qua iidem Impetrantes nitebantur per Curiam manuteneri licet male & infundatè, prout à Citatis in lite ex variis capitibus fuisset demonstratum, qui iidem pro ulteriori confirmatione æquitatis sui Juris lubenter adjunxissent, sententiam ibidem annexam pronuntiatam in magno Mechliniensi Suæ Majestatis Consilio in materia simili manutenentiæ, inter Reverendum Patrem Provincialem Guardianum & Conventuales Minoritarum ibidem ab una, & Dominum Archiepiscopum, junctis Dominis Præposito Decano & Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ ab altera partibus, ex qua constaret prædictos Patres Minoritas declaratos esse non receptibiles, eò quod voluissent manuteneri in statione quam prætendebant vi contractus & ex antiquo se obtinere, ut in eadem Metropolitana concionarentur, ulterius ad prædictum finem lubenter etiam adjunxissent Supplicantes, quod contra manutenentiam per Impetrantes requisitam sese opposuissent ex prævio consensu, mandato, & jussione, Illustrissimi Archi-episcopi, qui etiam ulteriùs declarásset suam esse intentionem ut deinceps in præfata Ecclesia Parochiali. quoad punctum concionandi, assumerentur tales Concionatores seu Sæculares seu Regulares quales prædicti Pastores judicarent expedire: At vero cum status negotii obstaret quominus Citati eadem exhiberent, recurrerent ad prædictum Consilium, humillimè supplicantes quatenus prædicta facta & allegata insuper ad litem assumerentur, idemque libellus ad dictum effectum ratus haberetur pro Civili, quo viso libello cum statutum fuisset ut supplicantes petitionem suam exponerent in rotula, debitè vocata aut citata parte aut ejus Procuratore factaque illins in rotula expositione, dicti Impetrantes contra exhibuissent rationes impertinentiæ. Quibus omnibus bene maturè expensis Clementissimus Dominus Noster Rex Dux Brabantiæ &c. admittens ad litem præfatum libellum Civilem & rationes impertinentiæ, declarat præfatas litteras patentes manutenentiæ sub- & obreptitias, Impetrantesque eo quod vi earum taliter & prout fecerunt, concluserint, pariterque in materia attentati infundatos & non receptibiles, condemnans eosdem Impetrantes in expensas hac de causa factas juxta debitam taxam & moderationem præfati Consilii. Actum & pronunciatum Bruxellis 3. Octobris 1675. extensumque ad requisitionem & sumptus Citatorum.*

A. V. GINDERTALEN.

CAPUT IX.

Quæ observanda à Parocho circa Stationarios.

1 *Primò ne quempiam ad concionandum admittat, nisi de licentia Episcopi docuerit.*

2 *Secundò, ut curet convenientiorem sibi mitti.*

3 *Convenit ut Parochus per se vel per alium concioni intersit.*

4 *Conveniens est, ut cum stationario collationem instituat.*

5 *Stationario in temporalibus subsidio sit.*

OStendimus quidem Capite præcedenti, Fratres Mendicantes vi suarum Stationum quantumvis multorum annorum serie continuatarum Parochis per se munus prædicandi aut catechizandi obire volentibus haud posse obsistere vel impedimento esse; at quia nonnumquam contingit, ut parochi legitimè impediti, vel certis diebus ad magnum populi concursum quibusdam locis, præsertim in civitatibus hactenus insufficientes sint, ut in Quadragesima & Adventu quotidie, aut Dominicis Festisq; diebus non unam dumtaxat, sed plures conciones habeant; ideóque necesse sit, ut vel Fratres Mendicantes Stationes suas cótinuare hactenus permittant, vel aliquos in auxilium advocent, expendenda sunt, quæ potissimum

mùm circa hujusmodi Subsidiarios Parochis agenda incumbant.

Et quidem cùm ex Decreto Synodi Tridentinæ Regulares ad prædicandum in Ecclesiis quæ suorum Ordinum non sunt, ultra licentiam suorum Superiorum, etiam Episcopi licentiam habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis non suorum Ordinum nullo modo prædicare possint, *Sess. 5. cap. 2. De reformat.* Parochus attendere debet.

I. Primò, ne ullum in sua Ecclesia prædicare permittat, nisi de hac Episcopi licentia prævie in scriptis doceat. Quod & Synodi, & Episcoporum Decreta sedulò & enixè Parochis inculcant.

II. Secundò, cum Parocho cura Ovium suarum incumbat, eoque titulo solicitè attendere debeat, quo pabulo Oves suæ reficiantur; non cuivis vices indifferenter, & cæco quodam modo, quasi ad se non spectaret, an Oves salutari vel insano pabulo pascerentur, committere potest; sed quantum in se est, allaborare debet, ut is in subsidium suum mittatur, de quo meritò confidat, quod populum sincerè Evangelicæ doctrinæ pabulo pascet; & affectuosè ad vitia declinandum & virtutes amplectendum movebit & inclinabit.

III. Quia tamen non ubiq; à Parocho dependet hujusmodi Stationariorum deputatio; neq; semper tales, quales desiderat, obtinere potest, consultum erit interdum à Parochis observari, quod faciendum monuit Synodus Audomarensis an. 1583. *tit. 19. c. 4.* "ut quandocumq; alius, „quàm ipsemet Pastor concionatur, Pastor ipse per se vel per idoneum substitutum concioni intersit, diligenterque „audiat, an porrigatur Christi Ovibus quale convenit pa„bulum, an dicatur aliquid quod Fidei Catholicæ, aut „bonis moribus non sit consonum, vel quod pias aures „possit offendere: Quod si quid hujusmodi observet, mo„neat Concionatorem; ut apud populum id revocet, aut „nobis per se vel per Decanum suum id significet: denun„tientque Concionatores eos omnes (id quod etiam ro„gamus omnes utriusque sexus fideles pro eo quo tenen„tur zelo tuendæ gloriæ Dei) qui opere, sermone, aut „conversatione scandalosi, vel criminum suspecti, male„que famati, plus exemplo suo destruunt, quam verbo „ædificant."

IV. Tertiò, quia Parochus exactiorem Parochiæ suæ notitiam habere solet, quàm Stationarii seu Terminarii qui dumtaxat quasi transeundo, & stando, à quo Stationes dicuntur, in Parochiis versantur, multùm conveniens, ac penè necessarium est, ut conferant quandoque cum Terminariis, cæterisque Regularibus ipsorum nomine Concionantibus uti monet dicta Synod. *eodem tit. cap. 2.* "iis „de rebus, quas expediat maximè in Concione ad popu„lum ipsorum tractari, ex gr. ut in vitia quæ maximè illic „regnant, maximè invehantur, ut virtutes quæ illic fri„gent, cum primis commendent, & alia pro populi con„ditione sibi sumant tractanda, quæ non ita possint no„visse foris advenientes Religiosi, ut Pastores domestici; „& ut noverint, maximè tamen utilis sit hujusmodi colla„tio, quo & Pastor & qui ejus loco est Concionator, con„cordes uno ore loquantur, & sententiam animi sui per „se unus, per alterum alter dicat."

V. Denique si videat Parochus Stationarios sive Terminarios aliosve Regulares se veros Parochorum subsidiarios exhibere; sibique in Officio Pastorali sedulò, & cum fructu subservire, dignum & justum erit, ut illos cum omni benignitate ac benevolentia recipiat: "eosque, ut monet „Synodus Cameracensis *P. 1. tit. 6. cap. 6.* apud populum „habeat commendatos tamquam operarios mercede sua „dignos." Ubique enim, præcipuè tamen in Parochiis ruralibus, Stationarii, aut aliqui ex eorum Ordine solent certis diebus eleëmosynam à Parochianis quasi in mercedem suorum laborum petere.

Quin & usus obtinuit, ut Stationarii, qui certis designatisque diebus concionantur, sumptibus communitatis excipiantur, uti testatur de Sercy loco supra citato: Hi vero qui ab ipso Parocho ob impedimentum repentinum subinde vocantur, ejus sumptibus excipiendos esse monet: quod & moribus Belgii congruit. Conveniens tamen est, ut potius apud Pastorem, quam Laicos hospitentur; ipsaque communitas potius Pastori, quam alteri sumptus suppeditet, atque refundat.

CAPUT X.

Sicuti Parochorum est populum instruere; ita Parochianorum est eum audire.

1 *Adstruitur auctoritate Scripturæ S.*
2 *Auctoritate Concilii Trid.*
3 *Auctoritate S. Caroli.*
4 *Commoda ex frequentatione Parochiæ provenientia*
5 *Rejicitur inepta cujusdam glossa.*
6 *Incommoda ex neglectu frequentationis Parochiæ.*
7 *Motiva dictam frequentationem promoventia.*
8 *Litteræ Pastorales S. Caroli ab Episcopis Belgii adoptatæ.*
9 *Omnibus Verbi Dei præconibus injungitur ut hanc obligationem populo proponant.*

I. Sicuti boni Pastoris est teste ipso Summo Pastore Christo *Joan. 10.* Oves proprias noscere, eas præire, ac nominatim vocare, & ad salubria pascua educere, ita eodem testificante, Ovium est vocem Pastoris audire, & vocantem sequi.

Si ergo Parochi tamquam boni Pastoris sit oves pascere & instituere, etiam reciprocè Parochianorum tamquam ovium est, à Pastore Divini Verbi pabulo velle pasci, ejusque vocem audire.

II. Hanc Parochianorum obligationem supponens Synodus Tridentina loco citato Episcopis mandat, "ut mo„neant populum diligenter, *teneri* unumquemque Paro„chiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad au„diendum Verbum Dei."

III. Huic Synodali decreto parere volens S. Carolus litteras monitoriales, quibus populus de hac obligatione moneretur, in Concilio suo Provinciali VI. edidit; quas in idioma vulgare versas populo prælegi & explicari per omnes suæ Provinciæ Diœceses voluit.

In his primò ostendit, quanti olim apud antiquos Patres fuerit frequens ad Ecclesiam propriam parochialem fidelium conventus, ac deinde subdit: "Cujus veteris discipli„næ restituendæ in usumque revocandæ desiderio fla„grans olim Summus Pontifex Urbanus VI. eo de genere „Apostolica Sanctione diligentissimè cavit, & nuper Sa„cra Tridentina Synodus Oecumenica ab Episcopis fide„les non solum hoc moneri voluit, ut frequenter ad *pro„prias Parochiales Ecclesias* saltem Dominicis diebus, festis„que majoribus accedant, sed illud etiam diligenter o„stendit, *unumquemque teneri*, ubi commodè fieri potest, „Parochiæ suæ interesse ad audiendum Verbum Dei.

Hæc Viri Sanctissimi (cui Concilii Tridentini directio præcipuè incumbebat dum allegatum Decretum editum fuit) verba utinam expenderent illi, quos non pudet dicere, Decreto Concilii Tridentini non præceptum, sed consilium contineri.

IV. Prosequitur deinde S. Carolus: "His igitur ejus„dem Tridentinæ Synodi Decretis, & veteri salutarique „exemplo adducti, cum populum urbis, Diœcesis, Pro„vinciæque Mediolanensis nostræ rebus ad salutem ne„cessariis instructum, per bona opera ad præmium sem„piternum perducere summopere in Domino cupiamus, „hac nostra monitione eos universos & singulos cohor„tamur, ac per viscera Misericordiæ Jesu Christi obsecra„mus, atque obtestamur, ut quamvis in sua vicinia, op„pidis, & suburbiis, Oratoria, Capellas, aliasque Ecclesias „habeant, ubi sanctissimo Missæ Sacrificio interesse pos-

„ possint; frequentet tamen Dominicis saltem aliisque so-„ lemnibus festisque diebus ad suam quique Parochialem „ Ecclesiam conveniant: ubi à Parocho, cui cura commis-„ sa est, Verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimen-„ tis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudi-„ antur; ad Sanctissima Sacramenta Religiosiùs percipien-„ da instruantur, ad eorumque frequentem usum, ut illa „ sacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus indies „ magis inflammentur: tum ab eodem item audiant, qui „ dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ „ vigiliæ jejuniave servanda sint: Discant ab ipso item, quæ „ Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præ-„ stari oporteat; ac quæ præterea Supplicationes, Proces-„ sionesvè aut Stationes, Ordinationes, Indulgentiæ, Jubi-„ læa indicantur, quæ Matrimoniorum Denuntiationes „ fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu jus-„ suvè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem „ promulgentur."

V. Si hæc unà cum ipsa Concilii Tridentini sanctione paulisper expendisset Auctor Libelli, cui titulus: *Exhibitio Canonum circa prædicationem Regularium*, indubiè intellexisset ineptitudinem Glossæ, quam pag. 67. citato Concilii Trid. Decreto appendit: "Concilium Trid. ait, Ecclesiæ „ Parochialis jus non firmat contra Mendicantium Ordi-„ nes, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim „ contra Oratoria seu Capellas......Ordinum etiam Men-„ dicantium Ecclesiæ sunt Vicariæ, atque appendices Ro-„ manæ Ecclesiæ, ideoque quisque Fidelis potest illic Sacra audire: " Si, inquam, Litteras S. Caroli unà cum ipsa Tridentini lege attendisset, intellexisset suæ Glossæ ineptitudinem. Cùm enim edicat Synodus unumquemque teneri *suæ Parochiæ*; vel ut S. Carolus, *Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse*, nonnè evidentissimè etiam contra Ordinum Mendicantium Ecclesias firmavit jus Ecclesiæ Parochialis? Num forsan dicet, Fideles *sua Parochia*, vel Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse, quando Ecclesiis Mendicantium intersunt? Hoc qui dicere audet; etiã dicat, Ecclesias Mendicantium esse Fidelium *Parochias*, aut *Parochiales proprias Ecclesias*: ipsosque Fratres Mendicantes Fidelium *proprios Parochos*, coram quibus & Matrimonium contrahi posse affirment.

Quod verò Auctor addit; Ecclesias Mendicantium esse Vicarias, ac appendices Romanæ Ecclesiæ, haud capio: Hoc scio, Fratres Mendicantes, eorumq; Ecclesias à Sede Apostolica esse probatos, & admissos, ut Prælatorum & Parochorum administros & subsidiarios: Ideoque rectè dici, eorum Ecclesias ex intentione Pontificum & Fundatorum esse vicarias, & appendices subsidiarias seu succursales Ecclesiarum Parochialium. Sed missâ hac glossâ ad litteras S. Caroli revertamur.

VI. Propositis fructibus ex diligenti Parochiæ frequentatione sperandis ex adverso nunc incommoda ex ejus neglectu obvenientia enumerat, & ob oculos ponit: " Hinc, „ ait, in plerisq; sæpe Articulorum, & Dei Sanctæque Ma-„ tris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequen-„ dam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, fe-„ storum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pie-„ tatis opera non exculta, non cognita Christiana familia-„ rum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum „ omne officium, eorum aliquis contemptus; Sanctissimo-„ rum Institutorum, & Sacrorum Canonum violatus usus; „ hinc denique Ecclesiis Parochialibus, quæ à majoribus „ tanto pietatis studio exædificatæ sunt, instaurandis, or-„ nandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus „ neglecta, in illisque nulla aut penè exigua Ecclesiastica „ ad Divina Officia obeunda necessaria suppellex."

„ His tot tantisque malis, atque incommodis unusquis-„ que occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod „ Sanctorum Patrum suadet authoritas, quod Tridentina „ Synodus moneri jubet, quod ex illius jussu nos de unius-„ cujusque vestrum salute soliciti, paternis vocibus cohor-„ tamur & monemus in Domino."

VII. Denique præoccupat quæ in excusationem neglectus assumenda prævidebat; motivaque pietatis ad sedulam Parochiæ frequentationem incitantia adducit: " Nec „ vero quemquã aliquod quod vel ex pluvia, frigore, æstu, „ temporumve vicissitudine existat incommodum, ab hoc „ officio deterreat: imo verò ad illud diligentiùs exequen-„ dum, prout in Domino confidimus, se quisq; eorum ac-„ cendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gra-„ vitatem eorum, quæ commemorata sunt ratione perpen-„ dent, quique aliquando animo secum reputabunt, non „ solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua pri-„ mum Baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis Sa-„ cramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum „ etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere quem „ diligant, colant atq; observent; hoc sibi proponentes, il-„ lum pro fidelibus sibi commissis apud Deum Internun-„ tium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis Interpretem, „ Dispensatorem ministeriorum Dei, Christianæ vitæ & „ morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant piè re-„ ctèque vivendi consilium, ac denique Ministrum om-„ nium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt."

VIII. Has litteras hîc referendas judicavi, tum ut ex illis pateat, quid de obligatione frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ejusque momento senserit Sanctissimus hic Præsul; tum quia litteras has etiam Episcopi Belgii, ut mandato Concilii Tridentini satisfacerent, non semel probarunt & in suis Diœcesibus promulgari mandarunt.

Et quidem Andreas Creusen Archiepiscopus Mechlin. cum comperisset, subditos suos in crassa Mysteriorum fidei ignorantia versari; eamque pro magna parte oriri ex eo, quod non haberetur diligentia conveniens, & affectus frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ut ipse loquitur in suo Decreto 16. Octob. 1667. evulgato, voluit has S. Caroli Litteras in idioma Flandricum & Gallicum versas suo Decreto annecti, & populo proponi.

Quod idem modernus Antverpiensium Antistes Joannes Ferdinandus Van Beugem evulgato Decreto die 21. Martii 1687. fieri mandavit; "Ut quisque, ait, tum aucto-„ ritate tanti viri, tum concludentibus ejus rationibus ad „ Parochiæ frequentationem impensius incitetur."

IX. Porrò Episcopi Belgii, ut juxta legem sibi à Synodo Tridentina positam, populus sæpius de hac obligatione moneatur, præter iterata à se edita Decreta, insuper omnibus Verbi Dei Præconibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus hæc duo injungunt: primum, ut "moneant „ populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus „ Dominicis & Festis majoribus accedant. " Alterum: „ Diligenter item moneant, unumquemque teneri Paro-„ chiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad au-„ diendum Verbum Dei: " Instructiones pro concionat. *Art. 9. & 10.*

Hæc continua Episcoporum mandata, & sæpius iteratæ Pastorales exhortationes, sat probant, quantopere hujus legis custodia ipsis cordi sit; quod & amplius patebit, si expenderimus, quæ in hoc nostro Belgio ad promovendum Parochialium Officiorum frequentationem decreta sint.

CAPUT XI.

Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendum Verbum Dei.

1 *Tempore instructionis Parochialis Missa celebrari non potest.*
2 *Nemo tempore concionis Parochialis concionari potest.*
3 *Edicta Regia circa hanc rem.*
4 *Varia ad promovendam frequentationem Catechismi præsertim circa pauperes.*

Magistratuum cura in promovendo Catechismo,
Quid Litteræ Regiæ de hac re habeant.

SYnodi Belgicæ supponentes obligationem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei adeò claris ac evidentibus terminis in Sacris Canonibus ; ac novissimè in Synodo Tridentina esse expressam , ut nullo vel apparenti colore ...tificari posset , non tam fuêre solicitæ , ut hanc legem ...is Decretis inducerent, quàm ut removerent ea , qui...bus à Parochiæ frequentatione populus quacumque ra...tione avocaretur ; eaque ordinarent , quibus ad eam fre...quentandam incitaretur & moveretur.

I. "Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum „Parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum Verbum „Dei, ubi commodè id fieri potest ; quo tempore illud in „Ecclesia Parochiali annuntiatur, (ait Synodus D. Mechl. „*tit. 10. cap. 5.*) nemo in Capellis quæ Parochiæ finibus „continentur, concionari, aut Missam celebrare præsumat „sub pœna arbitraria. Et similiter nemo in eadem Ecclesia „sub concione Missam, etiam privatam , celebret."

Similiter Buscoducensis sub Masio *tit. 11. cap. 3.* "Ne „Parochiani , qui diebus Dominicis & festivis juxta Con„cilii Tridentini declarationem , Parochiæ suæ interesse „ad audiendum Verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, „præcipit, ne quis Sacerdos eo tempore in Ecclesia Paro„chiali, aut extra eam in Capellis Sacrum facere aut con„cionari præsumat, sub pœna nostro arbitrio infligenda." Et altera sub Masio, postquam statuit in Parochia , Missa matutinali finita, Catechismum esse instituendum, adjungit: "Caveant Sacerdotes , ne tempore concionis hujus „matutinæ, sive etiam Pastoralis , audeant Missam legere „ne occasione hac Auditores à catechizatione avocentur."

"Capellani (ait Synodus Namurcensis anno 1639. *tit. 3.* „*cap. 16.*) sive intra sive extra Ecclesiam Parochialem tali „tempore Missas dicant, ut populus hac occasione à Missa „Parochiali , Concione, aut Catechismo non avertatur."

II. Synodus autem Antverpiensis sub Miræo *tit. 11. c. 8.* ...eadem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei obligationem ex Concilio Tridentino præmittens ...it: "nemo in civitate nostra, & oppidis , Dominicis & ...festis diebus ante meridiem extra Ecclesiam Parochia...lem lingua vernacula concionetur , nequidem sub præ...textu Indulgentiarum , aut Confraternitatum : linguâ ...externa non fiat concio ante horam decimam."

Quod hæc Synodus statuit, generaliter in Belgio rece...ptum est, ut nimirum nemo in civitate aut oppidis concio...nari queat eo tempore , quo concio Parochialis habetur; ...populus hac occasione avocetur à Parochia , cui ad au...diendum Verbum Dei interesse tenetur.

III. Neque Episcopis duntaxat, sed & ipsis Principibus ...cura fuit, ne quid populum ab officio Parochiali retrahe...ret. Hinc Philippus II. edicto anni 1587. ad Synodum ...Cameracensem *art. 5.* cavit Ne "quis diebus Dominicis aut ...festis tempore Concionis, Summi Sacri , & Vesperarum, ...liceat ambulare in foro , aut locis publicis , aut propè ...Ecclesiam, neque intrare popinas , aut publicè quocum...que ludo se occupare , vel choreas ducere, vel piscari ; ...aut scholas gladiatorias vel hortos Sagittariorum fre...quentare sub pœna arbitraria." Et Carolus V. Edicto ...1531. *art. 31.* ne quis eo tempore ad tabernas reci...piatur.

IV. Porrò cum non tantùm instructio Parochi, quæ fit ...modum concionis necessaria sit , sed vel maximè illa, ...ad parvulorum & rudiorum captum instituitur quæ ...Catechismus dicitur, varia quoque quibus tum pueri, tum ...iores adulti ad hujus frequentationem incitarentur & ...rentur, ordinata sunt.

...imprimis Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit. 1.* ...statuit "ut Pastor inducat Rectores Fabricæ & Men„sæ S. Spiritus aliosque viros probos & honestas matronas „ad charitatis officia præstanda promptos, ut sua præsen„tiâ & opera tam sanctum opus modis omnibus , quibus „possunt, promoveant : petatque Pastor à quolibet Ma„gistratu unum alterumvè virum pium , honestum & ta„lium rerum amantem , qui unà cum ipso Catecheseos „continuationi & bono ordini superintendant."

Et cap. 5. pergit : "Ad hunc Catechismum teneantur „Ludimagistri & Magistræ ducere suos discipulos : pueri „verò à sexto ætatis anno usque ad decimumquintum , „qui Scholas quotidianas non visitant ob paupertatem, de„scribantur à committendis à Magistratu loci , qui & eò „compellantur venire sub pœna quâ parentes, aut ii qui„buscum habitant, mulctentur : in quem finem suspen„datur catalogus in Scholis qui singulis vicibus legatur, „absentes requirantur , quos si contingat sæpius sine cau„sa legitima abesse , deferantur ad Superintendentes ca„stigandi; & Rectores mensæ pauperum eleëmosynas da„ri solitas Parentibus, qui suas proles non mittunt ad Ca„techismum, suspendant. Si verò animadvertatur quod „catechizatio fieri commodè non possit hora prima , fiat „aut manè post Missam matutinam aut summam Missam: „ita tamen ut semper sit certa hora , & quantumcumque „pauci conveniant , non ideo omittatur.

„Utque etiam pauperiores , ait *cap. 8.* ea quæ salutis „sunt discere possint, emantur sumptibus mensarum pau„perum, vel communitatum libelli Catechismi & præmia „ad pueros excitandos."

V. Quia verò, ajunt Statuta Synodalia Gandensia sub Antonio Triest, "Plurimi arte mechanica & ex eleëmosy„nis victitantes, quò rudiores existunt, eò tardiores repe„riuntur in frequentando Catechismo , eos singulariter „curæ Parochorum & Catechistarum in Domino com„mendantes, quantum opus est mandamus, ut importunè „opportunè instent apud Dominos temporales & Magi„stratus , quatenus omnem operam in promotionem pro„fectus spiritualis hujusmodi ignorantium impendant ; „ac ipsis exponant Decretum Principis desuper emana„tum litteris ad Concilium Flandriæ directis, nec non a„lias litteras ejusdem Concilii datas ad singulos Diœcesis „nostræ Magistratus, quarum copias ad finem horum De„cretorum adjicimus."

VI. Litteræ Regiæ datæ ad postulationem Episcopi Gandensis , quarum hæc Decreta meminêre injungunt omnibus Magistratibus Diœcesis Gandensis , ut adigant Ludimagistros , & Magistras sub pœna suspensionis ab officio, adducere pueros Scholas suas frequentantes ad locum Catechismo habendo per Episcopum aut Decanum ruralem assignatum aut assignandum.

Ex his fat intelligitur, Belgii nostri Moderatores seu Ecclesiasticos seu Politicos nihil prætermisisse, quò tum prædicationis tum Catechismi Parochialis adeò pium & necessarium opus promoverent ; & populus in iis quæ salutem animæ spectant, debitè instrueretur : illud duntaxat dolendum , tam sancta ac necessaria Decreta adeò negligi, atque ob eum neglectum fideles præcipuè pauperiores in tanta Mysteriorum fidei & Religionis nostræ ignorantia versari.

Cæterùm de qualitate & ætate in Pastoribus cæterisque curam Animarum gerentibus requisitis tractabitur in Parte Secunda, ubi de qualitate & ætate ad Beneficia requisitis agetur. Similiter de examine & concursu ad Pastoratus instituendis ; item de officio & jure Pastorum in administratione Sacramentorum, celebratione Exequiarum , & Funeralium suorum Parochianorum; jure ad decimas, oblationes, atque competentiam Pastoralem; aliisque ad munia Parochorum atque jura Ecclesiarum Parochialium pertinentibus in Secunda Parte sub suis respectivè titulis agetur.

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT I.

De Officio Custodum.

1 *Officium Custodum de Jure communi.*
2 *In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.*
3 *Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.*
4 *Custodes cautionem dare debent.*
5 *Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.*

I. Si jus Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea quæ Ecclesiæ competunt, custodire; in Canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire; lampades & laternas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap. 1. ꝟ. De Off. Custodis.*

Adhæc solicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiæ, & luminariis sive incenso; nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habere debet. Præterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archidiaconi absente Episcopo, inter Fratres dividat, *Cap. 2. ꝟ. eod. tit.*

II. Hîc non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ, quem Thesaurarium dicimus, & plerumque Canonicos dignitate præcedit, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sat innuunt; præsertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Toletano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & *Custode*, tamquam in tribus *Ecclesiæ Columnis* consistere debeat *alma Mater Ecclesia*: Quæ nullatenus congruere Custodibus sive Matriculariis Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his dumtaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quàm Synodis Belgicis, quæ de his Custodibus ex professo agunt, petendæ sunt.

Illud cumprimis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum eorumve vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum persolutione ministros, & administros.

III. "Pastori, vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gandensis, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes „vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu de„centi & superpelliceo indutus debitè assistet, prout & „Missam solemnem vel privatam quocumque anni die ce„lebranti, ac paratus erit quacumque hora illi à Pastore „significanda saltem quoad Missas, ut Pastori inserviat in „muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus; „cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absentet; imo „si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur, „mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas „committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos „suos vel ipsum Pastorem certiorem reddat, quonam „pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente facilè „valeat reperiri, & advocari." *Tit. 16. cap. 19.*

Huic conformes sunt pleræque Belgicæ Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit. 20. cap. 2.* "Ornamenta „bonaque Ecclesiæ solliciti sint ut ne perdantur, seduli ut „lacera fractave restaurent, aut Ecclesiæ impensis restau„rari curent, prudentes ut detrita indecorè non prodeant „in servitium Dei. Dent operam ut sursum & deorsum „in templis omnia sint munda ac nitida. Pavimenta, pa„rietes, altaria altarium tecta & sacras vestes tergant „frequenter. Altarium mappas, Sacerdotum amictus at„que albas, sacra Corporalia, calicum purificatoria, pri„usquam evadant sordida, mutent, aut Sacerdotibus mu„tanda dent: phialas sive ampullas, quibus vinum & a„qua subministrantur, singulis septimanis ut minimum „lavent, ac mundent. Non committant ut dent Sacerdo„tibus ad Sacrificium panem mucidum aut maculosum, „vinum acidum, impurum, evanidum, aut quod pridie „profana mensa respuerit. Denique in omnibus diligen„ter & fideliter quæ officii sui sunt præstent, magnis à „Deo præmiis remunerandi.

Quæ hæc Synodus fusius, paucis comprehenderat Synodus I. P. Cameracensis: "Vestes, ornamenta, suppelle„ctilem diligenter conservent, exponantque, & reponant „honestè ut dignum est." *tit. De ministeriis Eccles. cap. 10.*

Verùm non ubique curæ Custodum eadem concredi; sed alibi pauciora, sat indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens. "ut iis in locis, ubi Matriculariis cura & „custodia ornamentorum & aliorum mobilium bonorum „Ecclesiæ committuntur, non admittatur ad hoc munus, „nisi sufficientem judicio Pastoris & præcipuorum Paro„chianorum, de iis fideliter conservandis & restituendis „præbuerint cautionem." *tit. 9. cap. 11.*

IV. Quoad hanc cautionem à Custodibus præstandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur. Similem cautionem aliæ Synodi quoque exigunt; eamque nonnullæ sufficientem judicio Pastoris & Notabilium; in qua re uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique præcipit jam citata Synodus Namurcensis *c. 12.* "Ut moneantur diligenter & frequenter à Pasto„ribus, ut nullas in Altaribus aut in Parietibus, nec in ipso „templi pavimento, imo nec in cœmiteriis notabiles sor„des patiantur, sed reipsa omnibus testentur, se diligere „decorem Domus Dei, cujus ministerio sunt mancipati."

CAPUT II.

Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.

1 *Custodes Ministris Ecclesiæ annumerandi.*
2 *Horum qualitates habere debent.*
3 *Sæcularibus Officiis implicati assumi non possunt.*
4 *Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiæ.*
5 *Simoniam sapit vendere Officium Custodis.*
6 *Tangitur abusus circa Ministrum Missæ.*

I. Qui functiones, & munia Custodum præcedenti capite breviter exhibita expenderit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiæ, eorumque Officia Ecclesiasticis Ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas meritò in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quæ dignos Ecclesiæ Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quæ hujusmodi Ecclesiæ Ministros dedecent; & per quæ ministerium ipsorum vituperaretur.

II. "Considerantes indecorum esse, inquiunt Patres „Synodi Brugensis sub Driutio, statui Ecclesiastico, Lai„cos, quibus jure vetitum est, cancellos sive chorum „Ecclesiarum ingredi, Custodum officia in diversis „Ec-

cclesiis exercere: præcipimus & injungimus singulis [De]canis, ne deinceps quispiam ad custodiæ deserviturum [a]dmittatur, non tonsuratus, aut bigamus, aut qui ballivi [a]ut clientis Officium exercet, aut in judicio criminali [a]ssessor fuit, suamque in eo sententiam protulit, vel officium cauponarii vel tabernarii aliudvè vile & Clerico indi[g]num exercet, aut qui barbam defert longiorem, seu ve[s]tem Clericis indecentem; atque ante admissionem di[c]tis Decanis de vitæ suæ honestate & fidei sinceritate testimonium scripto exhibeat."

III. Simile est Decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Richovio anno 1577. *tit.* 25. *cap.* [un]ico, solosque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, "& de quorum probitate, religione, peritiâ, & „laudabili conversatione, fide digno testimonio (sicuti „decet *Ministros Ecclesiæ*) constet." Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 20. *cap.* 3. Synodus quoq; Antverpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 23. ad officium Custodis non admittendos censet. "qui Ballivi, Prætoris, „Procuratoris, aut simili officio funguntur, aut cauponam „aperiunt; cum hujusmodi officiis distracti, inquit, debi„te officium Custodis facere non soleant." Et *cap.* 19. [r]eiterat, ut Custos assumatur, *qui boni sit nominis & famæ, & honestæ conversationis, peritus cantûs.*

Quin Synodus Gandensis anno 1613. *tit.* 16. *cap.* 12. & Decreta Synodalia sub Triest *tit.* 16. *cap.* 20. nec ad *deserviturum* custodiæ admitti volunt, "qui Collectoris ve„ctigalium, cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordi„dum officium exercet; nec bigamum, sine legitima di„spensatione."

Denique Synodus I. P. Cameracensis *tit. De ministeriis Ecclesiasticis cap.* 10. paucis multa comprehendens, ait: "Matricularii, & Custodes Ecclesiarum munera sordida, „& planè Laica non obeant: Ne sint publicani, sylvarum „Custodes, villici locatitii, nec vestitu præ se ferant aliud, „quàm castum & modestum *Ecclesiæ ministerium*, cui sunt „attributi."

IV. Nullatenus ergo ambigi potest quin Synodi Belgicæ uno consensu Custodes Ministris Ecclesiæ annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: "Assumpti autem qui fuerint, abstineant omni tabernarum ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant „Dei Ministris dignam, nec prodeant, saltem in Ecclesiam „aut ad obeundum quod sui est muneris, nisi in tonsura „& habitu decenti."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 15. vult, ut in sua assumptione promittant, "se in officio Divino & admini„stratione Sacramentorum superpellicio usuros, alioquin „officio privandos. Et si Custodes non resideant, teneantur providere Ecclesiæ de idoneo aliquo substituto, cum „stipendio Ordinarii arbitrio illi constituendo."

V. Ex his patescit, Synodos nostras conformiter ad jus commune non dubitâsse, quin officium Custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum; ipsique Ministris Ecclesiæ sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum [su]pposuerint, veram esse Simoniam mediante temporali [h]ujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurrente [ali]quando respondit Wamesius *Cons.* 562.

VI. Adhæc si quis attendat morum ac vitæ honestatem [a]liasque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo [qu]od Parochis in suis assistere debeant functionibus, faci[le] intelliget, quàm à Patrum mente alienum sit, quòd in [præ]cipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Mis[sæ], assistat nescio quis sordidus & immorigerus puer, [qu]i tamquam Minister nomine totius Ecclesiæ Sacerdo[ti r]espondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplo[ra]ndo abusu plura *Part.* 2. *tit. De Sacrificio Missæ.*

CAPUT III.

A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura?

1 *Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.*
2 *Consuetudine aliovè titulo ad Æditues aliosvè spectare potest.*
3 *Parochus suum Ministrum habere debet.*
4 *Unde Custodibus competentia assignanda.*
5 *Custos partem suam habet in oblationibus.*
6 *Circa hoc jus Custodis observanda Consuetudo.*

I. CUm Custodes sint ministri Pastoris ut ipsi serviant in iis omnibus quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis *tit.* 20. *c.* 2. naturale est ut Parocho competat jus constituendi Custodem tamquam ministrum suum; ideoque, nî contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur quo Parochus excludatur, non apparet qua ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaq; Ecclesiæ utensilia curare est, quorum cura & ad Æditues Ecclesiarum solet spectare; hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matriculario ipsos Æditues unà cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primò & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si verò de his non constet, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Æditui ad constituendum Matricularium præ cæteris fundati videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannetensi relatum *in cap.* 3. *x. De vita & honestate Cleric.* Ut quisque „Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui se„cum cantet, & Epistolam & Lectionem legat, & qui pos„sit tenere scholas, & admonere suos Parochianos, ut fi„lios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam; quos „ipse cum omni castitate erudiat."

Clericum, de quo in citato decreto, eumdem esse, quem hodie *Custodem* vocamus inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulteriùs ad citatum Capitulum notat Glossa, quod Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proinde non Parochus dumtaxat sed & Custos jus habet; ut sibi tamquam Ecclesiæ Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiæ. Ideoque cum decimæ sint institutæ, & ab Ecclesia ordinatæ, ut Ministri Ecclesiæ intertineantur, si hæ ad Monasteria aut Capitula transierint, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantum Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *De reformat.* tantum ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro *rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.*

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiæ necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda è decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Hæc tamen intellige, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus onus sustentandi Custodem ad alios transtulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cum Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui Altari servit de Altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum persolutione dari solitis participet, quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quædam oblationum jura, Ecclesiarum non una sæpe est consuetudo; quæ cum nihil per se inordinati habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente rectè respondit & probavit Wamesius *Consil.* 436.

TITULUS V.

De Æditiuis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

CAPUT I.

Qui, & à quibus constituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?

1 *Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.*
2 *Interdum possunt esse Ecclesiastici.*
3 *Illorum electio pendet à consuetudine.*
4 *Justum est ut interveniat Parochus.*
5 *Potest tamen subinde excludi.*
6 *Quid Parocho incumbat dum electioni intervenire nequit.*
7 *Juramentum noviter electi.*
8 *A quo recipi debeat.*

I. Quod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligerent; quinimo ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permitterent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit "Ut nullus ex locis „ipsis sæcularibus, Clericis in beneficium conferatur; etiamsi de consuetudine (quam, ait, reprobamus) hoc fuerit observatum: nisi in illorum fundatione secus fuerit „constitutum, seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum, sed eorum gubernatio Viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, „& valeant bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum „proventus & reditus in personarum miserabilium usum „fideliter dispensare; & quos in usus alios bona prædicta „convertere præsumptio verisimilis non sit. *Clem.* QUIA CONTINGIT, *De relig. domib.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iterato à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Æditui Ecclesiarum, itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patres familias ex cujusque Parochiæ incolis; adeò ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, aliique simplices cives, aut pagorum incolæ sint eligendi; uti tradit Autumnus ad *leg.* 33. *Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione, aut inveterata consuetudine secus obtineat. Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Æditiuos, seu Magistros Fabricæ non tantùm ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonicorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit; sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, "ut Administratores tam *Ecclesiastici*, „quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ singulis annis rationem administrationis reddere teneantur Ordinario;" *Sess.* 22. *cap.* 9. *De reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infra referendis.

III. Quibus verò Æditiuorum seu Magistrorum Fabricæ, aut mensarum S. Spiritus electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino *Epist.* 54. *ad Januarium num.* 3. "Nec „disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit." Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuere, successisse videantur, primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatus Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum "Præcipuè ad Parochos „spectare, nisi ex contraria & legitimè præscripta „consuetudine, aut in largitionum fundatione secus „fuisse institutum appareat evidenter. Quibus rursum „casibus nihilominus Pastores nominationi seu electioni „nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant, advigilare volumus.... Qua in re ut major cautio adhibeatur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum electiones, populo imprimis Dominico aut Festo die immediatè diem electionis præcedente inter Missarum solemnia præcertiorato, & in termino per campanæ pulsum „specialiter convocato, ut is dispiciat cum Pastore de „magis idoneis eligendis."

IV. Quod de Parocho hîc dicitur, de consuetudine ubique penè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur; ipsaque Synodalia Decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *cap.* 1. Fabricis „Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione „*Pastoris* & Notabilium Parochianorum præficiantur „Magistri seu Gubernatores, omni exceptione majores „bonæ conversationis & industriæ, atque ad bona Fabricarum conservandum, recipiendum, & utiliter dispensandi idonei & sufficientes, & nullo modo de hæresi suspecti." Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque Decretis inseruit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 22. *cap.* 1. *&* 2.

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & numquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licet nonnihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primariò cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen toleranda est; eamque supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à Laicis instituantur &c.*

VI. Verumtamen ubi consuetudo ad Laicos privativè hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos; quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quòd si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minùs fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis an. 1609. *tit.* 10. *cap.* 19. postquam monuit multùm interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit; *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num actionum similium iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum & pauperum conservabunt; & deperdita, quantum poterunt recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obvenientem dispensabunt: quodque pro eorundem bonorũ conservatione & fideli dispensatione non mino-

minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quàm circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 1. *&* 2. & Audomarensi 1583. *tit.* 21. *c.* 1. *&* 2. cui quoad substantiam plerisq; in locis consueta formula juramenti consonat; nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in Regulamento Concilii Flandriæ anni 1651. quod extat ad calcem statutorum Synodalium sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tamquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur: Hæcq; consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Metio, quàm sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepta administratione præstent *tit.* 24. *c.* 7. Altera verò ut antequam se administrationi immisceant, teneantur juramentum fidelitatis, instar tutorum & curatorum coram Parocho præstare, *Tit.* 12. *c.* 1.

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concilii Flandriæ *art.* 2. injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scautetero, Drossardo, aut alio primario Officiali ad quem pertinet.

Et cum Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocâsset ad præstandum juramentum injecta appellatione tamquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad parlamentum parisiense, cassatum, nullumq; declaratum fuit decretum Officialis; dictumq; est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus laicis esse præstandum. Papon *lib.* 4. *tit.* 12. *Arrest.* 14.

In his ergo cujusq; Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est; unde Synodus Iprensis 1609. *tit.* 20. *c.* 22. simpliciter dicit, "Ut qui admittuntur ad administrationem bo„norum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent *Superio*„*ribus* juramentum," non designando vel Ecclesiasticos vel sæculares.

CAPUT II.

Quænam præcipuè ab Æditituis & Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

1 *Res sibi commissas ut proprias administrare debent.*
2 *Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.*
3 *A consuetudine pendent, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicæ instituenda.*
4 *Nec nisi præstitâ cautione.*
5 *In elocationibus prandia non facienda.*
6 *Lites non suscipiendæ sine auctoritate & prævio Superiorum examine.*
7 *Litteræ fundationum aliaque monumenta solicitè servanda.*
8 *Quid observandum dum ex Archivis aliquid extrahitur.*

I. Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tamquam res proprias administrare debent, omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentiâ pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione principes nostri in Edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem *art.* 8. conformiter ad jus commune interdixerunt omnem rerum alienationem, permutationem, oppignorationem vel hypothecationem; & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienationi consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia præviè examinentur, & sedulò discutiantur per Episcopum, aliósq; ad quos hactenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant tamquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, "quæ factæ sunt sine consensu Superiorum, & con„venienti causæ cognitione; idq; non obstante quacumq; „contraria consuetudine quoad alienationes post Edi„ctum factas. Insuper pro invalidis reputari vult venditi„ones granorum, quorum termini nondum effluxerunt „factas viliori pretio ob anticipatam solutionem."

III. Cùm verò Edicta non exprimant, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hactenus observatam consuetudinem remittant, ea omninò attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, aliisve justis alienationis causis, præ cæteris meliùs solent esse instructi, judicium saltem expetatur, æquum „justumq; est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 4. vult, "ut in majoribus negotiis, & maximè ubi de „præjudicio fabricarum seu pauperum agitur, nihil admi„nistratores, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium con„sensu attentare præsumant."

Adhæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitiæ aliove humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art.* 25. ne hujusmodi bona elocentur, nisi præviis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quàm bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris; sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ supra allegato *art.* 5. cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi *publicè*, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens præferatur.

IV. Idem pleræq; Synodi Belgicæ inculcant, adduntq; ut non habeantur ratæ elocationes nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarensis an. 1583. *tit.* 21. *c.* 4. Mechl. an. 1609. *tit.* 21. *c.* 2. & Iprens. an. 1577. *titul.* 25. *ca.* 5. quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore seposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Deniq; Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sanè quid injustius aut inhumanius, quàm bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi conviviorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulteriùs cùm inter majoris momenti negotia meritò numerentur lites; quæ, ut experientiâ notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt justo procliviores, meritò Synodalibùs Decretis ordinatum est, quòd sine authoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

„ Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritus nul„las lites assumant (ait Synodus Antverp. sub Miræo *tit.* „21. *c.* 25) nisi causâ priùs à nobis nostrove Vicariatu exa„minatâ, ne alicui inconsulta temeritate per injuriam mo„lesti sint, atq; non necessariis sumptibus, salariis, vacatio„nibusque fabricas aut mensas pauperum gravent. „Quòd si etiam causa gravioris momenti sit, committetur alicui ex Vicariatu aut Decano Christianita„tis, ut antequam lites instituantur, cum adversariis

„seria

„ seria ratione agant; ut si fieri possit, res sine strepitu Judicii terminetur, assumptis potiùs, si dubium fuerit, utrinque Jurisconsultis, quibus decisio negotii committatur: si quis secus fecerit, nullo modò expensas in fabricæ aut mensæ S. Spiritus rationes referat, nec auditores rationum inferri patiantur in quas fortè condemnatus erit, aut quas ab adversario recuperare nequiverit, sed eas ipse in pœnam temeritatis suæ luat."

Huic justissimo Decreto passim consentiunt reliquæ Synodi, requirentes in assumptione litis prævium Pastoris, vel etiam Episcopi, & Magistratus consensum. Synodus Namurc. anno 1639. *tit.* 18. *cap.* 7. Buscoduc. anno 1612. *tit.* 21. *c.* 4. Iprens. 1577. *tit.* 28. *c.* 4. Audomar. an. 1583. *tit.* 21. *c.* 4. quæ duæ ultimæ generaliter decernunt, ut in majoribus & magis arduis negotiis nihil, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant.

VII. Deniq; cùm experientiâ compertum sit, multa bona Fabricarum piarumq; fundationum perire, aut deperdi, eò quòd litteræ fundationum, aliave monumẽta ad probationem necessaria non satis fideliter & exactè conserventur; tum Principum, tum Synodorum Decretis sancitum est, ut omnia documenta, computus, & litteræ Ecclesiarum & pauperum referantur in unum respectivè archivum, quòd vulgò dicitur *DeCom.* sub clausura trium diversarum clavium; quarum una sit penes Pastorem, altera penes Magistratum, & tertia penes Magistros Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus respectivè; ita Edictum Concilii Flandriæ supra citatum; quòd apertè supponit esse duo archiva, unum monumentis ad Ecclesiam spectantibus, alterum ad Mensam S. Spiritus pertinentibus subserviens; ut illius clavis sit penes Magistros Fabricæ, hujus verò apud Magistros S. Spiritus.

Edicto jam citato quoad archivum ejusque sub tribus distinctis clavibus clausuram Synodi nostræ consentiunt, sed pro monumentis Fabricæ & pauperum conservandis, unicum supponere videntur; cum passim clavium custodiam ita distribuant, ut unam quidem Pastori, reliquas verò primario Mamburno seu Magistro Fabricæ, & primario Magistro Mensæ S. Spiritus respectivè committant. Etenim quoad hanc clavium custodiam, si reperiatur Ecclesiarum varia consuetudo, aut ordinatio, cuiq; Ecclesiæ sua servanda erit.

VIII. Additque citatum Edictum Concilii Flandriæ, & communiter Synodi nostræ, ut si quando necesse fuerit aliquod monumentum ex ipso archivo extrahi, loco illius in archivo ponatur scripta notitia cum expressione nominis & cognominis, & residentiæ illius, qui hoc monumentum accepit, unà cum signatura ipsius, quo fatetur se illud accepisse.

Quod de clausura archivi seu scrinii pro conservatione monumentorum cautum, idem Edicto Caroli V. anni 1531. *art.* 16. & Synodalibus decretis sancitum est circa gazophilacia sive truncos recipiendis Fidelium oblationibus expositos; ut nimirum tribus distinctis seris firmentur, utque clavium una sit penes Pastorem.

ADDITAMENTA.

AD CAPUT II.

Decretum Episcopi & Principis Leodiensis pro fideli & recta administratione bonorum Fabricæ Ecclesiæ & Mensæ S. Spiritus.

Maximilian Henry, par la grace de Dieu, Archevesque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archichancelliur par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat né, Evesque & Prince de Liege, Hildesheym, élu Evesque de Munster, Administrateur de Bergresgarde, & Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphaliæ, Lingeren, & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leuchtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Herne, &c.

SUr rapport nous fait, que dans nos villes, bourgades & villages de nôtre Pais & Diœcese de Liege, il se glisseroit un abus tres considerable au suget des Comptes, tant des biens appartenants aux Eglises, Frabriques & Luminaires, que membres des pauvres, les uns des Auditeurs d'iceux se faisant mettre à disner, les autres se faisant payer en argent, au lieu de servir gratuitement l'Eglise & les pauvres d'icelles, les Mambors desquels feroient des effractions de muyds à petit prix, comme aussy la distribution des pains, ainsy que bon leur semble, les donnant aux riches aussy bien qu'aux pauvres: voulant à ce remedier avons ordonné, comme Nous ordonnons par les presentes à tous Mambours & Auditeurs desdits Comptes d'y vacquer gratuitement pour Dieu & pour les pauvres, sans pretendre chose que ce soit, pour depense de bouche ou autrement: Comme aussy Nous ordonnons à tous Mambours desdites Eglises & pauvres de suivre au futur les affractions du Clergé de Liege pour les muyds qui leur sont d'heus, & de ne faire distribution desdits biens, soit en argent, soit en pains à autres qu'à ceux, qui sont vrayement pauvres, & connus pour tels par les Pasteurs, pardevant lesquels, & les deux plus vieux Eschevins ou Principaux du lieu, tous les comptes susdits de l'Eglise & pauvres seront rendus & examinez gratuitement. Ordonnant à tous Pasteurs & Deserviteurs desdites Eglises de publier cestuy nôtre Mandement un jour de Dimanche pendant la Messe Paroissiale dans chaque leurs Eglises, & pour meilleure & absolute observance de choisir chacun dans leurs Paroisses un ou deux Simaux pour annoter les contraventeurs, & leur en faire pertinente relation, afin qu'il soit procedé contre eux à la peine de cinque florins d'or pour les pauvres de la Paroisse.

Et comme plaintes Nous ont aussy esté faites, que des personnes peu soinieuses de leur instruction Chrétienne tant necessaire pour le salut de leurs ames, sortiroient pendant la grande Messe de l'Eglise, pour n'attendre le Sermon ou exhortation du Pasteur, & s'en iroient caquetter au portail de l'Eglise, menant grand bruit, & commettant insolence, Nous le deffendont tres serieusement, & enchargeons les Pasteurs de surveiller soigneusement la dessus, pour que telles personnes soient chastiées d'un florin d'or d'amende, pour chaque fois applicable aux pauvres comme dessus. Donne en nostre ville de Bonne le vingtiéme May mille six cents quatre vingt & six. Etoit signé Maxilian Henry, & puis écrit., Lieu (†) du seel & en suite sous signé Ferd. Schich.

Formula quâ expeditur Nominatio Regia ad Abbatias.

CHarles par la grace de Dieu Roy de Castille, de Leon, &c. A Religieuses personnes nos cheres & cien aimés les Prieure, Religieuses & Convent de l'Abbaye N. Salut & dilection. Comme à nous comme Ducq de Brabant affiert & appartient d'avoir soigneux esgard.

Digitized by Google

esgard, que le Prelatures, Abbayes, Prieurez, & autres Dignitez estans en icelluy Pays soient pourveues des gens Catholiques, de bonne vie & conversation, pour les entretenir en bonne & Chrestienne Religion, & par Indult Apostolique, droit de personnage, Regale, & autrement nous compete, & ayons droit de auxdites Prelatures, & dignitez, quando elles vacquent, nommer personnes suffisantes, idoines & à nous agreables. Et il soit par le trespas de Dame N. vostre derniere Abbesse, ladite Abbaye presentement vacante, nous ayons fait informer de l'idoineté & capacité des Religieuses d'icelle, entre lesquelles nous seroit estre presentée Dame N. Religieuse de la mesme Abbaye: Scavoir vous faisons, que le bon rapport que fait nous à esté de ladite Dame N. & de ses sens, experience, bonne Religieuse vie, & conversation, nous l'avons par la deliberation de nôtre tres cher & feal Cousin Don Francisco Antonio de Agurto, Marquis de Castannaga Chevalier de l'Ordre d'Alcantara Lieutenant Gouverneur Capitaine General de nos Pays-bas &c. a denommé & denommons par ces presentes, à ladite Abbaye N. vous consentans & requirans que procedans à l'Election de vostre nouvelle & future Abbesse, vous elisiez & acceptiez à icelle Dignité, ladite Dame N.. comme personne à ce capable, & à nous aggreable, à laquelle consentons & permettons de pouvoir sur ce obtenir de nostre Saint Pere le Pape, de l'Evesque Diocesain, ou autre Superieur, telles Bulles Apostoliques & provisions de Confirmation qu'il appartiendrà & icelles à deue execution, au surplus prendre, & apprehender la vraye, reele, & actuelle possession de ladite Abbaye, ensemble des droits, fruits, proufit & emolument d'icelle, pour doresnavant la tenir, regir & administrer tant au spirituel que au temporel en a gardées & observées les solemnités en tel cas requises & accoutumées. Si donnons en mandement à nos Tres-chers & Feaux les Chef President & Gens de nos Privé & Grand Conseil Chancelier le gens de nostre Conseil ordonné en Brabant & à tous autres no Justiciers, Officiers, & Subjets, à qui ce regarder, a qu'a vous en ce que dit est, ils assistent si besoing en avez, & en outre facent, souffrent & laissent ladite Dame N. de cette nostre presente nomination, accord & consentement plainement & paisiblement jouir & user, cessans tous concredits & empaichement au contraire. Car ainsi nous plaist il. Donné en nostre ville de Bruxelles &c. Christ. Vt. *Inferius erat signatum: Par le Roy, Galvan.*

CAPUT III.

Quomodo bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritus dispensanda, & à quibus.

1 *Bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs fideliter dispensanda.*
2 *Bona Pauperum ex humano affectu non dispensentur.*
3 *Non tantum inopia, sed & morum ratio in hac dispensatione habenda, & qui hoc nomine ab eleëmosyna arcendi?*
4 *Quomodo Parochus in horum distributione intervenire debeat.*
5 *Qui eleëmosynis gaudent à Parocho examinandi.*

I. BOna Fabricæ sive Ecclesiæ in usus Ecclesiæ esse fideliter expendenda, ipsa nominis ethimologia evincit. Neque enim alia ratione dicuntur bona Fabricæ sive Ecclesiæ, nisi quòd usibus Ecclesiæ sint destinata. Quapropter attendendum Æditiuis aliisve bonorum illorum Administratoribus, ut fideliter in utilitatem Ecclesiæ proventus illorũ expendantur; & si in alios usus ex aliquo humano affectu impenderint, restitutioni se reddi obnoxios. Similiter bona Mensæ S. Spiritus seu pauperum esse destinata in usus pauperum, ipsum nomen manifestat, adeòque & illa in pauperum usum fore impendenda.

II. Verùm quia pauperum magna solet esse copia cónenque multiplex conditio; neque facilè generaliter determinari queat, qui sint habendi ut pauperes, quibus hæc bona rectè impendantur; idque ferè arbitrio & prudentiæ credi debeat eorum, qui bonorum illorum dispensationi præsunt, ideò in hac dispensatione facilè ex humano amicitiæ, aut proprii emolumenti affectu à justitiæ tramite deflectitur, aut in vitium acceptionis personarum inciditur. Quòd vitium haud evadunt, qui in distributione hujusmodi eleëmosynarum ex privato aliquo affectu minus merentes magis merentibus præferunt: cùm dubitari nequeat, offerentium hujusmodi eleëmosynas intentionem esse, ut dum omnibus pauperibus provideri nequit, magis merentes primò de illis participent.

Hinc Synodi nostræ passim solicitè inculcant, " ut „ eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu „ & acceptione personarum, iis tantùm distribuantur, „ qui verè pauperes sunt." Ita Synodus Mechl. ann. 1609. „ titul. 22. capit. 11. Idem & reliquæ Synodi communiter monent; additque Franciscus Sonnius Antverpiensium Antistes in Decretis Synodalibus tit. *de bonis Fabricæ & S. Spiritûs c. 6.* ut " in singulis Parochiis Mamburni S. „ Spiritus habeant Mensam convenienti loco positam ad „ distribuendas ex ea pauperum portiones: ut videat popu„ lus, neq; indignos admitti, neq; dignos repelli, fierique „ hanc distributionem sine personarum acceptione."

III. Monet præterea citata Synodus Mechliniensis, ut in eleëmosynarum distributione " non inopiæ & egestatis „ tantùm, sed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio ha„ beatur."

Atque imprimis hoc nomine ab his eleëmosynis arcendi sunt validi mendicantes; qui hujusmodi eleëmosynis victitantes in otio, & desidia, ac quæ exinde sequuntur multis sceleribus vitam ducunt: quos & Principes ab eleëmosynis arcendos multis Edictis sanxerunt. Nam ut de similibus monet Synodus Coloniensis 1536. *part. 11. c. 5.* " Vtilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus „ justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus „ in justitiæ acquiescat."

IV. Hinc facilè patebit, distributionem eleëmosynarum præ cæteris convenire Parochis, eisq; primo loco deferendam: & si consuetudo eam Magistris detulerit, omninò convenire, ut ipsi in eleëmosynarum distributione Parochum ad minus consulant, & audiant. Hinc Synodus Iprensis sub Carolo Masio an. 1609. *tit. 20. c. 16.* ait. " Distri„ butiones eleëmosynarum liberæ semper fiant conscio „ Pastore; qui eas non ex humano affectu, aut cum accep„ tione personarum, (inquit capite sequenti) sed omnibus „ indifferenter verè pauperibus & probis honestisque vel „ ipse distribuat, vel distribui curet."

Similiter Synodus Namurcensis an. 1659. *tit. 22. c. 6.* E„ leëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & „ acceptione personarum iis tantùm distribuantur, qui „ verè pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ ac morum „ probitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, „ poterit adesse Pastor loci."

V. Addit & meritò Buscoducensis sub Masio *tit. 21. c. 5.* „ Ut diebus Dominicis & festivis post summum Sacrum „ & Concionem (quibus omnes interesse debent sub pri„ vatione eleëmosynæ) sine humano affectu distribuantur. Deinde prosequitur. " Notabiliter ante Festum Nativitatis „ Jesu Christi & Paschæ Magistri S. Spiritus dabunt nomi„ na Pastoribus gaudentium subsidio S. Spiritus, ut fidem „ eorum & Religionem cognoscant: non enim eleëmosynis „ gaudere poterunt, nisi de Confessione & Communione „ in Paschate docuerint."

Hæc aliaque saluberrima Decreta & conditioni horum bonorum & legibus justitiæ distributivæ planè conformia, si exactè servarentur non tantùm corporalibus, sed & spiritualibus necessitatibus pauperum quàm optimè provideretur. Adde Decretum Synodi Antv. supra citatum.

CA-

„ possint; frequenter tamen Dominicis saltem aliisque so„lemnibus festisque diebus ad suam quique Parochialem „Ecclesiam conveniant: ubi à Parocho, cui cura commis„sa est, Verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimen„tis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudi„antur; ad Sanctissima Sacramenta Religiosius percipien„da instruantur, ad eorumque frequentem usum, ut illa „sacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus indies „magis inflammentur: tum ab eodem item audiant, qui „dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ „vigiliæ jejuniave servanda sint: Discant ab ipso item, quæ „Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præ„stari oporteat; ac quæ præterea Supplicationes, Proces„sionesvè aut Stationes, Ordinationes, Indulgentiæ, Jubi„læa indicantur, quæ Matrimoniorum Denuntiationes „fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu jus„suvè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem „promulgentur."

V. Si hæc unà cum ipsa Concili Tridentini sanctione paulisper expendisset Auctor Libelli, cui titulus: *Exhibitio Canonum circa prædicationem Regularium*, indubiè intellexisset ineptitudinem Glossæ, quam pag. 67. citato Concilii Trid. Decreto appendit: "Concilium Trid. ait, Ecclesiæ „Parochialis jus non firmat contra Mendicantium Ordi„nes, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim „contra Oratoria seu Capellas...... Ordinum etiam Men„dicantium Ecclesiæ sunt Vicariæ, atque appendices Ro„manæ Ecclesiæ, ideoque quisque Fidelis potest illic Sacra audire: " Si, inquam, Litteras S. Caroli unà cum ipsa Tridentini lege attendisset, intellexisset suæ Glossæ ineptitudinem. Cùm enim edicat Synodus unumquemque teneri *suæ Parochiæ*, vel ut S. Carolus, *Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse*, nonnè evidentissimè etiam contra Ordinum Mendicantium Ecclesias firmavit jus Ecclesiæ Parochialis? Num forsan dicet, Fideles *suæ Parochiæ*, vel Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse, quando Ecclesiis Mendicantium intersunt: Hoc qui dicere audet; etiã dicat, Ecclesias Mendicantium esse Fidelium *Parochias*, aut *Parochiales proprias Ecclesias*: ipsosque Fratres Mendicantes Fidelium *proprios Parochos*, coram quibus & Matrimonium contrahi posse affirment.

Quod verò Auctor addit; Ecclesias Mendicantium esse Vicarias, ac appendices Romanæ Ecclesiæ, haud capio: Hoc scio, Fratres Mendicantes, eorumq; Ecclesias à Sede Apostolica esse probatos, & admissos, ut Prælatorum & Parochorum administros & subsidiarios: Ideoque rectè dici, eorum Ecclesias ex intentione Pontificum & Fundatorum esse vicarias, & appendices subsidiarias seu succursales Ecclesiarum Parochialium. Sed missâ hac glossâ ad litteras S. Caroli revertamur.

VI. Propositis fructibus ex diligenti Parochiæ frequentatione sperandis ex adverso nunc incommoda ex ejus neglectu obvenientia enumerat, & ob oculos ponit: "Hinc, „ait, in plerisq; sæpe Articulorum, & Dei Sanctæque Ma„tris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequen„dam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, fe„storum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pie„tatis opera non exculta, non cognita Christiana familia„rum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum „omne officium, eorum aliquis contemptus; Sanctissimo„rum Institutorum, & Sacrorum Canonum violatus usus; „hinc denique Ecclesiis Parochialibus, quæ à majoribus „tanto pietatis studio exædificatæ sunt, instaurandis, or„nandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus „neglecta, in illisque nulla aut penè exigua Ecclesiastica „ad Divina Officia obeunda necessaria suppellex."

„His tot tantisque malis, atque incommodis unusquis„que occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod „Sanctorum Patrum suadet authoritas, quod Tridentina „Synodus moneri jubet, quod ex illius jussu nos de unius„cujusque vestrum salute soliciti, paternis vocibus cohor„tamur & monemus in Domino."

VII. Denique præoccupat quæ in excusationem neglectus assumenda prævidebat; motivaque pietatis ad sedulam Parochiæ frequentationem incitantia adducit: "Nec „vero quemquã aliquod quod vel ex pluvia, frigore, æstu, „temporumve vicissitudine existat incommodum, ab hoc „officio deterreat: imo verò ad illud diligentiùs exequen„dum, prout in Domino confidimus, se quisq; eorum ac„cendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gra„vitatem eorum, quæ commemorata sunt ratione perpen„dent, quique aliquando animo secum reputabunt, non „solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua pri„mum Baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis Sa„cramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum „etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere quem „diligant, colant atq; observent; hoc sibi proponentes, il„lum pro fidelibus sibi commissis apud Deum Internun„tium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis Interpretem, „Dispensatorem ministeriorum Dei, Christianæ vitæ & „morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant piè re„ctèque vivendi consilium, ac denique Ministrum om„nium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt."

VIII. Has litteras hic referendas judicavi, tum ut ex illis pateat, quid de obligatione frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ejusque momento senserit Sanctissimus hic Præsul; tum quia litteras has etiam Episcopi Belgii, ut mandato Concilii Tridentini satisfacerent, non semel probarunt & in suis Diœcesibus promulgari mandarunt.

Et quidem Andreas Creusen Archiepiscopus Mechlin. cum comperisset, subditos suos in crassa Mysteriorum fidei ignorantia versari; eamque pro magna parte oriri ex eo, quod non haberetur diligentia conveniens, & affectus frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ut ipse loquitur in suo Decreto 26. Octob. 1667. evulgato, voluit has S. Caroli Litteras in idioma Flandricum & Gallicum versas suo Decreto annecti, & populo proponi.

Quod idem modernus Antverpiensium Antistes Joannes Ferdinandus Van Beugem evulgato Decreto die 21. Martii 1687. fieri mandavit; "Ut quisque, ait, tum aucto„ritate tanti viri, tum concludentibus ejus rationibus ad „Parochiæ frequentationem impensius incitetur."

IX. Porrò Episcopi Belgii, ut juxta legem sibi à Synodo Tridentina positam, populus sæpius de hac obligatione moneatur, præter iterata à se edita Decreta, insuper omnibus Verbi Dei Præconibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus hæc duo injungunt: primum, ut "moneant „populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus „Dominicis & Festis majoribus accedant." Alterum: „Diligenter item moneant, unumquemque teneri Paro„chiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad au„diendum Verbum Dei:" Instructiones pro concionat. *Art. 9. & 10.*

Hæc continua Episcoporum mandata, & sæpius iteratæ Pastorales exhortationes, sat probant, quantopere hujus legis custodia ipsis cordi sit; quod & amplius patebit, si expenderimus, quæ in hoc nostro Belgio ad promovendum Parochialium Officiorum frequentationem decreta sint.

CAPUT XI.

Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendum Verbum Dei.

1 *Tempore instructionis Parochialis Missa celebrari non potest.*
2 *Nemo tempore concionis Parochialis concionari potest.*
3 *Edicta Regia circa hanc rem.*
4 *Varia ad promovendam frequentationem Catechismi præsertim circa pauperes.*

5 Ma-

5 *Magistratuum cura in promovendo Catechismo,*
6 *Quid Litteræ Regiæ de hac re habeant.*

SYnodi Belgicæ supponentes obligationem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei adeò claris ac evidentibus terminis in Sacris Canonibus, ac novissimè in Synodo Tridentina esse expressam, ut nullo vel apparenti colore obfuscari posset, non tam fuêre solicitæ, ut hanc legem suis Decretis inducerent, quàm ut removerent ea, quibus à Parochiæ frequentatione populus quacumque ratione avocaretur; eaque ordinarent, quibus ad eam frequentandam incitaretur & moveretur.

I. "Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum „Parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum Verbum „Dei, ubi commodè id fieri potest; quo tempore illud in „Ecclesia Parochiali annuntiatur, (ait Synodus D. Mechl. „*tit.* 10. *cap.* 5.) nemo in Capellis quæ Parochiæ finibus „continentur, concionari, aut Missam celebrare præsumat „sub pœna arbitraria. Et similiter nemo in eadem Ecclesia „sub concione Missam, etiam privatam, celebret."

Similiter Buscoducensis sub Masio *tit.* 11. *cap.* 5. "Ne „Parochiani, qui diebus Dominicis & festivis juxta Concilii Tridentini declarationem, Parochiæ suæ interesse „ad audiendum Verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, „præcipit, ne quis Sacerdos eo tempore in Ecclesia Parochiali, aut extra eam in Capellis Sacrum facere aut concionari præsumat, sub pœna nostro arbitrio infligenda." Et altera sub Masio, postquam statuit in Parochia, Missa matutinali finita, Catechismum esse instituendum, adjungit: "Caveant Sacerdotes, ne tempore concionis hujus „matutinæ, sive etiam Pastoralis, audeant Missam legere „ne occasione hac Auditores à catehizatione avocentur."

"Capellani (ait Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. „*cap.* 16.) sive intra sive extra Ecclesiam Parochialem tali „tempore Missas dicant, ut populus hac occasione à Missa „Parochiali, Concione, aut Catechismo non avertatur."

II. Synodus autem Antverpiensis sub Miræo *tit.* 11. *c.* 8. eandem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei obligationem ex Concilio Tridentino præmittens „ait: "nemo in civitate nostra, & oppidis, Dominicis & „festis diebus ante meridiem extra Ecclesiam Parochialem lingua vernacula concionetur, nequidem sub prætextu Indulgentiarum, aut Confraternitatum: linguâ „verò externa non fiat concio ante horam decimam."

Quod hæc Synodus statuit, generaliter in Belgio receptum est; ut nimirum nemo in civitate aut oppidis concionari queat eo tempore, quo concio Parochialis habetur; ne populus hac occasione avocetur à Parochia, cui ad audiendum Verbum Dei interesse tenetur.

III. Neque Episcopis dumtaxat, sed & ipsis Principibus curæ fuit, ne quid populum ab officio Parochiali retraheret: Hinc Philippus II. edicto anni 1587. ad Synodum Cameracensem *art.* 5. cavit Ne "quis diebus Dominicis aut „Festis tempore Concionis, Summi Sacri, & Vesperarum, „audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut propè „Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocumque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari; „aut scholas gladiatorias vel hortos Sagittariorum frequentare sub pœna arbitraria." Et Carolus V. Edicto anni 1531. *art.* 31. ne quis eo tempore ad tabernas recipiatur.

IV. Porrò cum non tantùm instructio Parochi, quæ fit per modum concionis necessaria sit, sed vel maximè illa, quæ ad parvulorum & rudiorum captum instituitur quæ Catechismus dicitur, varia quoque quibus tum pueri, tum rudiores adulti ad hujus frequentationem incitarentur & moverentur, ordinata sunt.

Et inprimis Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit.* 1. *c.* 4. statuit "ut Pastor inducat Rectores Fabricæ & Mensæ S. Spiritus aliosque viros probos & honestas matronas „ad charitatis officia præstanda promptos, ut sua præsentiâ & opera tam sanctum opus modis omnibus, quibus „possunt, promoveant: petatque Pastor à quolibet Magistratu unum alterumvè virum pium, honestum & talium rerum amantem, qui unà cum ipso Catecheseos „continuationi & bono ordini superintendant."

Et cap. 5. pergit: "Ad hunc Catechismum tenentur „Ludimagistri & Magistræ ducere suos discipulos: pueri „verò à sexto ætatis anno usque ad decimumquintum, „qui Scholas quotidianas non visitant ob paupertatem, describantur à committendis à Magistratu loci, qui & eò „compellantur venire sub pœna quâ parentes, aut ii quibuscum habitant, mulctentur: in quem finem suspendatur catalogus in Scholis qui singulis vicibus legatur, „absentes requirantur, quos si contingat sæpius sine causa legitima abesse, deferantur ad Superintendentes castigandi; & Rectores mensæ pauperum eleëmosynas dari solitas Parentibus, qui suas proles non mittunt ad Catechismum, suspendant. Si verò animadvertatur quod „catechizatio fieri commodè non possit hora prima, fiat „aut manè post Missam matutinam aut summam Missam: „ita tamen ut semper sit certa hora, & quantumcumque „pauci conveniant, non ideo omittatur.

„Utque etiam pauperiores, ait *cap.* 8. ea quæ salutis „sunt discere possint, emantur sumptibus mensarum pauperum, vel communitatum libelli Catechismi & præmia „ad pueros excitandos."

V. Quia verò, ajunt Statuta Synodalia Gandensia sub Antonio Triest, "Plurimi arte mechanica & ex eleëmosynis victitantes, quò rudiores existunt, eò tardiores reperiuntur in frequentando Catechismo, eos singulariter „curæ Parochorum & Catechistarum in Domino commendantes, quantum opus est mandamus, ut importunè „opportunè instent apud Dominos temporales & Magistratus, quatenus omnem operam in promotionem profectus spiritualis hujusmodi ignorantium impendant; „ac ipsis exponant Decretum Principis desuper emanatum litteris ad Concilium Flandriæ directis, nec non alias litteras ejusdem Concilii datas ad singulos Diœcesis „nostræ Magistratus, quarum copias ad finem horum Decretorum adjicimus."

VI. Litteræ Regiæ datæ ad postulationem Episcopi Gandensis, quarum hæc Decreta meminêre injungunt omnibus Magistratibus Diœcesis Gandensis, ut adigant Ludimagistros, & Magistras sub pœna suspensionis ab officio, adducere pueros Scholas suas frequentantes ad locum Catechismo habendo per Episcopum aut Decanum ruralem assignatum aut assignandum.

Ex his satis intelligitur, Belgii nostri Moderatores seu Ecclesiasticos seu Politicos nihil prætermisisse, quò tum prædicationis tum Catechismi Parochialis adeò pium & necessarium opus promoverent; & populus in iis quæ salutem animæ spectant, debitè instrueretur: illud dumtaxat dolendum, tam sancta ac necessaria Decreta adeò negligi, atque ob eum neglectum fideles præcipuè pauperiores in tanta Mysteriorum fidei & Religionis nostræ ignorantia versari.

Cæterùm de qualitate & ætate in Pastoribus cæterisque curam Animarum gerentibus requisitis tractabitur in Parte Secunda, ubi de qualitate & ætate ad Beneficia requisitis agetur. Similiter de examine & concursu ad Pastoratus instituendis; item de officio & jure Pastorum in administratione Sacramentorum, celebratione Exequiarum, & Funeralium suorum Parochianorum; jure ad decimas, oblationes, atque competentiam Pastoralem; aliisque ad munia Parochorum atque jura Ecclesiarum Parochialium pertinentibus in Secunda Parte sub suis respectivè titulis agetur.

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT I.

De Officio Custodum.

1 *Officium Custodum de Jure communi.*
2 *In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.*
3 *Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.*
4 *Custodes cautionem dare debent.*
5 *Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.*

I. Si jus Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea quæ Ecclesiæ competunt, custodire; in Canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire; lampades & laternas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap.* 1. ᵹ *De Off. Custodis.*

Adhæc solicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiæ, & luminariis sive incenso; nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habere debet. Præterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archidiaconi absente Episcopo, inter Fratres dividat, *Cap.* 2. ᵹ *eod, tit.*

II. Hic non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ, quem Thesaurarium dicimus, & plerumque Canonicos dignitate præcedit, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sat innuunt; præsertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Tolerano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & *Custode*, tamquam in tribus *Ecclesiæ Columnis* consistere debeat *alma Mater Ecclesia*: Quæ nullatenus congruere Custodibus sive Matricularii Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his duntaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quàm Synodis Belgicis, quæ de his Custodibus ex professo agunt, petendæ sunt.

Illud cumprimis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum eorumve vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum persolutione ministros, & administros.

III. "Pastori, vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gandensis, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes „vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu de„centi & superpelliceo indutus debitè assistet, prout & „Missam solemnem vel privatam quocumque anni die ce„lebranti, ac paratus erit quacumque hora illi à Pastore „significanda saltem quoad Missas, ut Pastori inserviat in „muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus; „cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absentet; imo „si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur, „mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas „committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos „suos vel ipsum Pastorem certiorem reddat, quonam „pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente facilè „valeat reperiri, & advocari." *Tit.* 16. *cap.* 19.

Huic conformes sunt pleraque Belgicæ Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit.* 20. *cap.* 2. "Ornamenta „bonaque Ecclesiæ solliciti sint ut ne perdantur, seduli ut „lacera fractave restaurent, aut Ecclesiæ impensis restau„rari curent, prudentes ut detrita indecorè non prodeant „in servitium Dei. Dent operam ut sursum & deorsum „in templis omnia sint munda ac nitida. Pavimenta, pa„rietes, altaria altarium tecta & sacras vestes tergant „frequenter. Altarium mappas, Sacerdotum amictus at„que albas, sacra Corporalia, calicum purificatoria, pri„usquam evadant sordida, mutent, aut Sacerdotibus mu„tanda dent: phialas sive ampullas, quibus vinum & a„qua subministrantur, singulis septimanis ut minimum „lavent, ac mundent. Non committant ut dent Sacerdo„tibus ad Sacrificium panem mucidum aut maculosum, „vinum acidum, impurum, evanidum, aut quod pridie „profana mensa respuerit. Denique in omnibus diligen„ter & fideliter quæ officii sui sunt præstent, magnis à „Deo præmiis remunerandi.

Quæ hæc Synodus fusius, paucis comprehenderat Synodus I. P. Cameracensis: "Vestes, ornamenta, suppelle„ctilem diligenter conservent, exponantque, & reponant „honestè ut dignum est." *tit. De ministeriis Eccles. cap.* 10.

Verùm non ubique curæ Custodum eadem concredi; sed alibi pauciora, sat indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens. "ut iis in locis, ubi Matriculariis cura & „custodia ornamentorum & aliorum mobilium bonorum „Ecclesiæ committuntur, non admittatur ad hoc munus, „nisi sufficientem judicio Pastoris & præcipuorum Paro„chianorum, de iis fideliter conservandis & restituendis „præbuerint cautionem." *tit.* 9. *cap.* 11.

IV. Quoad hanc cautionem à Custodibus præstandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur. Similem cautionem aliæ Synodi quoque exigunt; eamque nonnullæ sufficientem judicio Pastoris & Notabilium; in qua re uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique præcipit jam citata Synodus Namurcensis c. 12. "Ut moneantur diligenter & frequenter à Pasto„ribus, ut nullas in Altaribus aut in Parietibus, nec in ipso „templi pavimento, imo nec in cœmiteriis notabiles sor„des patiantur, sed reipsa omnibus testentur, se diligere „decorem Domus Dei, cujus ministerio sunt mancipati."

CAPUT II.

Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.

1 *Custodes Ministris Ecclesiæ annumerandi.*
2 *Horum qualitates habere debent.*
3 *Sæcularibus Officiis implicati assumi non possunt.*
4 *Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiæ.*
5 *Simoniam sapit vendere Officium Custodis.*
6 *Tangitur abusus circa Ministrum Missæ.*

I. Qui functiones, & munia Custodum præcedenti capite breviter exhibita expenderit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiæ, eorumque Officia Ecclesiasticis Ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas meritò in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quæ dignos Ecclesiæ Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quæ hujusmodi Ecclesiæ Ministros dedecent; & per quæ ministerium ipsorum vituperaretur.

II. "Considerantes indecorum esse, inquiunt Patres „Synodi Brugensis sub Drimtio, statui Ecclesiastico, Lai„cos, quibus jure vetitum est, cancellos sive chorum „Ecclesiarum ingredi, Custodum officia in diversis

„Ec-

ecclesiis exercere: præcipimus & injungimus singulis Decanis, ne deinceps quispiam ad custodiæ deservituram admittatur, non tonsuratus, aut bigamus, aut qui ballivi aut clientis Officium exercet, aut in judicio criminali testis fuit, suamque in eo sententiam protulit, vel officium cauponarii vel tabernarii aliudvè vile & Clerico indignum exercet, aut qui barbam defert longiorem, seu vestem Clericis indecentem; atque ante admissionem dictis Decanis de vitæ suæ honestate & fidei sinceritate testimonium scripto exhibeat."

III. Simile est Decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Rithovio anno 1577. *tit.* 25. *cap. unico*, solosque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, "& de quorum probitate, religione, peritiâ, & „laudabili conversatione, fide digno testimonio (sicuti „decet *Ministros Ecclesiæ*) constet." Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 20. *cap.* 3. Synodus quoq; Antverpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 23. ad officium Custodis non admittendos censet. "qui Ballivi, Prætoris, „Procuratoris, aut simili officio funguntur, aut cauponam „aperiunt; cum hujusmodi officiis distracti, inquit, debi- „tè officium Custodis facere non soleant." Et *cap.* 19. edixerat, ut Custos assumatur, *qui boni sit nominis & famæ, & honestæ conversationis, peritus cantûs.*

Quin Synodus Gandensis anno 1613. *tit.* 16. *cap.* 12. & Decreta Synodalia sub Triest *tit.* 16. *cap.* 20. nec ad *deservituram* custodiæ admitti volunt, "qui Collectoris ve- „ctigalium, cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordi- „dum officium exercet; nec bigamum, sine legitima di- „spensatione."

Denique Synodus I. P. Cameracensis *tit. De ministeriis Ecclesiasticis cap.* 10. paucis multa comprehendens, ait: "Matricularii, & Custodes Ecclesiarum munera sordida, „& planè Laica non obeant: Ne sint publicani, sylvarum „Custodes, villici locatitii, nec vestitu præ se ferant aliud, „quàm castum & modestum *Ecclesiæ ministerium*, cui sunt „attributi."

IV. Nullatenus ergo ambigi potest quin Synodi Belgicæ uno consensu Custodes Ministris Ecclesiæ annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: "Assumpti autem qui fuerint, abstineant omni taberna- „rum ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant „Dei Ministris dignam, nec prodeant, saltem in Ecclesiam „aut ad obeundum quod sui est muneris, nisi in tonsura „& habitu decenti."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 15. vult, ut in sua assumptione promittant, "se in officio Divino & admini- „stratione Sacramentorum superpellicio usuros, alioquin „officio privandos. Et si Custodes non resideant, tenean- „tur providere Ecclesiæ de idoneo aliquo substituto, cum „stipendio Ordinarii arbitrio illi constituendo."

V. Ex his patescit, Synodos nostras conformiter ad jus commune non dubitâsse, quin officium Custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum; ipsique Ministris Ecclesiæ sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum supposuerint, veram esse Simoniam mediante temporali hujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurrente ...tium respondit Wamesius *Cons.* 562.

VI. Adhæc si quis attendat morum ac vitæ honestatem ...isque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo ...uòd Parochis in suis assistere debeant functionibus, faci- ...e intelliget, quàm a Patrum mente alienum sit, quòd in ...æcipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Mis- ...æ, assistat nescio quis sordidus & immorigerus puer, ...qui tamquam Minister nomine totius Ecclesiæ Sacerdoti respondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplorando abusu plura *Part.* 2. *tit. De Sacrificio Missæ.*

CAPUT III.

A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura?

1 *Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.*
2 *Consuetudine aliovè titulo ad Æditues aliosvè spectare potest.*
3 *Parochus suum Ministrum habere debet.*
4 *Unde Custodibus competentia assignanda.*
5 *Custos partem suam habet in oblationibus.*
6 *Circa hoc jus Custodis observanda Consuetudo.*

I. CUm Custodes sint ministri Pastoris ut ipsi serviant in iis omnibus quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis *tit.* 20. *c.* 2. naturale est ut Parocho competat jus constituendi Custodem tamquam ministrum suum; ideoque, nî contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur quo Parochus excludatur, non apparet qua ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaq; Ecclesiæ utensilia curare est, quorum cura & ad Æedituos Ecclesiarum solet spectare; hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matriculario ipsos Æedituos unà cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primò & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si verò de his non constet, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Æditui ad constituendum Matricularium præ cæteris fundati videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannatensi relatum *in cap.* 3. *X. De vita & honestate Cleric.* Ut quisque „Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui se- „cum cantet, & Epistolam & Lectionem legat, & qui pos- „sit tenere scholas, & admonere suos Parochianos, ut fi- „lios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam; quos „ipse cum omni castitate erudiat."

Clericum, de quo in citato decreto, eundem esse, quem hodie *Custodem* vocamus inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulteriùs ad citatum Capitulum notat Glossa, quod Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proinde non Parochus dumtaxat sed & Custos jus habet; ut sibi tamquam Ecclesiæ Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiæ. Ideoque cum decimæ sint institutæ, & ab Ecclesia ordinatæ, ut Ministri Ecclesiæ intertineantur, si hæ ad Monasteria aut Capitula transierint, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantum Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *De reformat.* tantum ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro *rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.*

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiæ necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda è decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Hæc tamen intellige, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus onus sustentandi Custodem ad alios transtulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cum Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui Altari servit de Altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum persolutione dari solitis participet, quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quædam oblationum jura, Ecclesiarum non una sæpe est consuetudo; quæ cum nihil per se inordinari habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente rectè respondit & probavit Wamesius *Consil.* 436.

...zed by Google

TITULUS V.

De Æditûis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

CAPUT I.

Qui, & à quibus constituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?

1 *Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.*
2 *Interdum possunt esse Ecclesiastici.*
3 *Illorum electio pendet à consuetudine.*
4 *Justum est ut interveniat Parochus.*
5 *Potest tamen subinde excludi.*
6 *Quid Parocho incumbat dum electioni intervenire nequit.*
7 *Juramentum noviter electi.*
8 *A quo recipi debeat.*

I. QUod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligerent; quinimo ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permitterent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit "Ut nullus ex locis „ipsis sæcularibus, Clericis in beneficium conferatur; eti„amsi de consuetudine (quam, ait, reprobamus) hoc fue„rit observatum: nisi in illorum fundatione secus fuerit „constitutum, seu per electionem sit de Rectore locis hu„jusmodi providendum, sed eorum gubernatio Viris pro„vidis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, „& valeant bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum „proventus & reditus in personarum miserabilium usum „fideliter dispensare; & quos in usus alios bona prædicta „convertere præsumptio verisimilis non sit. *Clem.* QUIA CONTINGIT, *De relig. domib.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iteratò à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Æditui Ecclesiarum, itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patres familias ex cujusque Parochiæ incolis; adeò ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, aliique simplices cives, aut pagorum incolæ sint eligendi; uti tradit Autumnus ad *leg.* 33. *Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione, aut inveterata consuetudine secus obtineat. Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Æditûos, seu Magistros Fabricæ non tantùm ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonicorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit; sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, "ut Administratores tam *Ecclesiastici*, „quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ singulis annis ra„tionem administrationis reddere teneantur Ordinario;" *Sess.* 22. *cap.* 9. *De reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infra referendis.

III. Quibus verò Æditûorum seu Magistrorum Fabricæ, aut mensarum S. Spiritus electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino *Epist.* 54. *ad Januarium num.* 3. "Nec „disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Chri„stiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ec„clesiam ad quam fortè devenerit." Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuere, successisse videantur, primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatus Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum "Præcipuè ad Parochos „spectare, nisi ex contraria & legitimè præscripta „consuetudine, aut in largitionum fundatione secus „fuisse institutum appareat evidenter. Quibus rursum „casibus nihilominus Pastores nominationi seu electioni „nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant, advigi„lare volumus.... Qua in re ut major cautio adhibea„tur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum electio„nes, populo imprimis Dominico aut Festo die imme„diatè diem electionis præcedente inter Missarum solem„nia præcertiorato, & in termino per campanæ pulsum „specialiter convocato, ut is dispiciat cum Pastore de „magis idoneis eligendis."

IV. Quod de Parocho hîc dicitur, de consuetudine ubique penè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur; ipsaque Synodalia Decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *cap.* 1. Fabricis „Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione „*Pastoris* & Notabilium Parochianorum præficiantur „Magistri seu Gubernatores, omni exceptione majores „bonæ conversationis & industriæ, atque ad bona Fabri„carum conservandum, recipiendum, & utiliter dispen„sandi idonei & sufficientes, & nullo modo de hæresi su„specti." Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque Decretis inseruit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 22. *cap.* 1. *&* 2.

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & numquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licet nonnihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primariò cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen tolleranda est; eamque supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à* Laicis instituantur &c.

VI. Verumtamen ubi consuetudo ad Laicos privativè hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos; quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quòd si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minùs fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis an. 1609. *tit.* 10. *cap.* 19. postquam monuit multum interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit; *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num actionum similium iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum & pauperum conservabunt; & deperdita, quantum poterunt recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obvenientem dispensabunt: quodque pro eorundem bonorū conservatione & fideli dispensatione non mino-

minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quàm circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 1. *&* 2. & Audomarensi 1583. *tit.* 21. *c.* 1. *&* 2. cui quoad substantiam plerisq; in locis consueta formula juramenti consonat; nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in Regulamento Concilii Flandriæ anni 1651. quod extat ad calcem statutorum Synodalium sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tamquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur: Hæcq; consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Metsio, quàm sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepta administratione præstent *tit.* 24. *c.* 7. Altera verò ut antequam se administrationi immisceant, teneantur juramentum fidelitatis, instar tutorum & curatorum cum Parocho præstare, *Tit.* 12. *c.* 1.

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concilii Flandriæ *art.* 2. injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scautlero, Drossardo, aut alio primario Officiali ad quem pertinet.

Et cum Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocâsset ad præstandum juramentum injecta appellatione tamquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad parlamentum parisiense, cassatum, nullumq; declaratum fuit decretum Officialis; dictumq; est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus laicis esse præstandum. Papon *lib.* 4. *tit.* 12. *Arrest.* 14.

In his ergo cujusq; Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est: unde Synodus Iprensis 1609. *tit.* 20. *c.* 22. simpliciter dicit, "Ut qui admittuntur ad administrationem bo„norum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent *Superio„ribus* juramentum," non designando vel Ecclesiasticos vel sæculares.

CAPUT II.

Quænam præcipuè ab Æedituis & Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

1 *Res sibi commissas ut proprias administrare debent.*
2 *Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.*
3 *A consuetudine pendent, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicæ instituendæ.*
4 *Nec nisi præstitâ cautione.*
5 *In elocationibus prandia non facienda.*
6 *Lites non suscipiendæ sine auctoritate & prævio Superiorum examine.*
7 *Litteræ fundationum aliaque monumenta solicitè servanda.*
8 *Quid observandum dum ex Archivis aliquid extrahitur.*

I. Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tamquam res proprias administrare debent, omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentiâ pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione principes nostri in Edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem *art.* 18. conformiter ad jus commune interdixerunt omnem eorum alienationem, permutationem, oppignorationem sive hypothecationem; & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienationi consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia præviè examinentur, & sedulò discutiantur per Episcopum, aliósq; ad quos hactenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant tamquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, "quæ factæ sunt sine consensu Superiorum, & con„venienti causæ cognitione; idq; non obstante quacumq; „contraria consuetudine quoad alienationes post Edi„ctum factas. Insuper pro invalidis reputari vult venditi„ones granorum, quorum termini nondum effluxerunt „factas viliori pretio ob anticipatam solutionem."

III. Cùm verò Edicta non exprimant, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hactenus observatam consuetudinem remittant, ea omninò attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, aliisve justis alienationis causis, præ cæteris meliùs solent esse instructi, judicium saltem expetatur, æquum „justumq; est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 4. vult, "ut in majoribus negotiis, & maximè ubi de „præjudicio fabricarum seu pauperum agitur, nihil admi„nistratores, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium con„sensu attentare præsumant."

Adhæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitiæ aliove humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art.* 25. ne hujusmodi bona elocentur, nisi præviis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quàm bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris; sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ supra allegato *art.* 5. cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi *publicè*, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens præferatur.

IV. Idem pleræq; Synodi Belgicæ inculcant; adduntq; ut non habeantur ratæ elocationes nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarensis an 1583. *tit.* 21. *c.* 4. Mechl. an. 1609. *tit.* 21. *c.* 2. & Iprens. an. 1577. *titul.* 25. *ca.* 5. quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore seposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Deniq; Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sanè quid injustius aut inhumanius, quàm bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi conviviorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulteriùs cùm inter majoris momenti negotia meritò numerentur lites; quæ, ut experientiâ notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt justo procliviores, meritò Synodalibus Decretis ordinatum est, quòd sine authoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

„Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritus nul„las lites assumant (ait Synodus Antverp. sub Miræo *tit.* „21. *c.* 15) nisi causâ priùs à nobis nostrove Vicariatu exa„minatâ, ne alicui inconsulta temeritate per injuriam mo„lesti sint, atq; non necessariis sumptibus, salariis, vacatio„nibusque fabricas aut mensas pauperum gravent. „Quòd si etiam causa gravioris momenti sit, commit„tetur alicui ex Vicariatu aut Decano Christianita„tis, ut antequam lites instituantur, cum adversariis

„seria

„ seria ratione agant; ut si fieri possit, res sine strepitu Ju-„ dicii terminetur, assumptis potiùs, si dubium fuerit, u-„ trinque Jurisconsultis, quibus decisio negotii com-„ mittatur: si quis secus fecerit, nullo modò expensas in „ fabricæ aut mensæ S. Spiritus rationes referat, nec audi-„ tores rationum inferri patiantur in quas fortè condem-„ natus erit, aut quas ab adversario recuperare nequive-„ rit, sed eas ipse in pœnam temeritatis suæ luat."

Huic justissimo Decreto passim consentiunt reliquæ Synodi, requirentes in assumptione litis prævium Pastoris, vel etiam Episcopi, & Magistratus consensum. Synodus Namurc. anno 1639. *tit.* 18. *cap.* 7. Buscoduc. anno 1612. *tit.* 21. *c.* 4. Iprensf. 1577. *tit.* 28. *c.* 4. Audomar. an. 1583. *tit.* 11. *c.* 4. quæ duæ ultimæ generaliter decernunt, ut in majoribus & magis arduis negotiis nihil, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant.

VII. Deniq; cùm experientiâ compertum sit, multa bona Fabricarum piarumq; fundationum perire, aut deperdi, eò quòd litteræ fundationum, aliave monumẽta ad probationem necessaria non satis fideliter & exactè conserventur; tum Principum, tum Synodorum Decretis sancitum est, ut omnia documenta, computus, & litteræ Ecclesiarum & pauperum referantur in unum respectivè archivum, quòd vulgò dicitur *De Com.* sub clausura trium diversarum clavium; quarum una sit penes Pastorem, altera penes Magistratum, & tertia penes Magistros Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus respectivè; ita Edictum Concilii Flandriæ supra citatum; quòd apertè supponit esse duo archiva, unum monumentis ad Ecclesiam spectantibus, alterum ad Mensam S. Spiritus pertinentibus subserviens; ut illius clavis sit penes Magistros Fabricæ, hujus verò apud Magistros S. Spiritus.

Edicto jam citato quoad archivum ejusque sub tribus distinctis clavibus clausuram Synodi nostræ consentiunt; sed pro monumentis Fabricæ & pauperum conservandis, unicum supponere videntur; cum passim clavium custodiam ita distribuant, ut unam quidem Pastori, reliquas verò primario Mamburno seu Magistro Fabricæ, & primario Magistro Mensæ S. Spiritus respectivè committant. Etenim quoad hanc clavium custodiam, si reperiatur Ecclesiarum varia consuetudo, aut ordinatio, cuiq; Ecclesiæ sua servanda erit.

VIII. Addit que citatum Edictum Concilii Flandriæ, & communiter Synodi nostræ, ut si quando necesse fuerit aliquod monumentum ex ipso archivo extrahi, loco illius in archivo ponatur scripta notitia cum expressione nominis & cognominis, & residentiæ illius, qui hoc monumentum accepit, unà cum signatura ipsius, qua fatetur se illud accepisse.

Quod de clausura archivi seu scrinii pro conservatione monumentorum cautum, idem Edicto Caroli V. anni 1531. *art.* 16. & Synodalibus decretis sancitum est circa gazophilacia sive truncos recipiendis Fidelium oblationibus exposita; ut nimirum tribus distinctis seris firmentur, utque clavium una sit penes Pastorem.

ADDITAMENTA.

AD CAPUT II.

Decretum Episcopi & Principis Leodiensis pro fideli & recta administratione bonorum Fabricæ Ecclesiæ & Mensæ S. Spiritus.

Maximilian Henry, par la grace de Dieu, Archevesque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archichancelliur par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat ne, Evesque & Prince de Liege, Hildesheym, eleu Evesque de Munster, Administrateur de Bergtesgarde, & Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphaliæ, Lingeren, & Bouillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leuchtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Herne, &c.

Sur rapport nous fait, que dans nos villes, bourgades & villages de nôtre Pais & Diœcese de Liege, il se glisseroit un abus tres considerable au suget des Comptes, tant des biens appartenants aux Eglises, Frabriques & Luminaires, que membres des pauvres, les uns des Auditeurs d'iceux se faisant mettre à disner, les autres se faisant payer en argent, au lieu de servir gratuitement l'Eglise & les pauvres d'icelles, les Mambors desquels feroient des effractions de muyds à petit prix, comme aussy la distribution des pains, ainsy que bon leur semble, les donnant aux riches aussy bien qu'aux pauvres: voulant à ce remedier avons ordonné, comme Nous ordonnons par les presentes à tous Mambours & Auditeurs desdits Comptes d'y vacquer gratuitement pour Dieu & pour les pauvres, sans pretendre chose que ce soit, pour depense de bouche ou autrement: Comme aussy Nous ordonnons à tous Mambours desdites Eglises & pauvres de suivre au futur les affractions du Clergé de Liege pour les muyds qui leur sont d'heus, & de ne faire distribution desdits biens, soit en argent, soit en pains à autres qu'à ceux, qui sont vrayement pauvres, & connus pour tels par les Pasteurs, pardevant lesquels, & les deux plus vieux Eschevins ou Principaux du lieu, tous les comptes susdits de l'Eglise & pauvres seront rendus & examinez gratuitement. Ordonnant à tous Pasteurs & Deservriteurs desdites Eglises de publier cestuy nôtre Mandement un jour de Dimanche pendant la Messe Paroissiale dans chaque leurs Eglises, & pour meilleure & absolute observance de choisir chacun dans leurs Paroisses un ou deux Sinaux pour annoter les contraventeurs, & leur en faire pertinente relation, afin qu'il soit procedé contre eux à la peine de cinque florins d'or pour les pauvres de la Paroisse.

Et comme plaintes Nous ont aussy esté faites, que des personnes peu soinieuses de leur instruction Chrétienne tant necessaire pour le salut de leurs ames, sortiroient pendant la grande Messe de l'Eglise, pour n'attendre le Sermon ou exhortation du Pasteur, & s'en iroient caquetter au portail de l'Eglise, menant grand bruit, & commettant insolence, Nous le deffendons tres serieusement, & enchargeons les Pasteurs de surveiller soigneusement la dessus, pour que telles personnes soient chastiées d'un florin d'or d'amende, pour chaque fois applicable aux pauvres comme dessus. Donne en nostre ville de Bonne le vingtiéme May mille six cents quatre vingt & six. Etoit signé Maxilian Henry, & puis écrit., Lieu (†) du seel & en suite sous signé Ferd. Schich.

Formula quâ expeditur Nominatio Regia ad Abbatias.

Charles par la grace de Dieu Roy de Castille, de Leon, &c. A Religieuses personnes nos cheres & cien aimés les Prieure, Religieuses & Convent de l'Abbaye N. Salut & dilection. Comme à nous comme Ducq de Brabant affiert & appartient d'avoir soigneux esgard.

esgard, que le Prelatures, Abbayes, Prieurez, & autres Dignitez estans en iceluy Pays soient pourveues des gens Catholiques, de bonne vie & conversation, pour les entretenir en bonne & Chrestienne Religion, & par Indult Apostolique, droit de personnage, Regale, & autrement nous compete, & ayons droit de auxdites Prelatures, & dignitez, quando elles vacquent, nommer personnes suffisantes, idoines & à nous agreables. Et il soit par le trespas de Dame N. vostre derniere Abbesse, ladite Abbaye presentement vacante, nous ayons fait informer de l'idoineté & capacité des Religieuses d'icelle, entre lesquelles nous seroit estre presentée Dame N. Religieuse de la mesme Abbaye: Scavoir vous faisons, que le bon rapport que fait nous à esté de ladite Dame N. & de ses sens, experience, bonne Religieuse vie, & conversation, nous l'avons par la deliberation de nôtre tres cher & feal Cousin Don Francisco Antonio de Agurto, Marquis de Castannaga Chevalier de l'Ordre d'Alcantara Lieutenant Gouverneur Capitaine General de nos Pays-bas &c. a denommé & denommons par ces presentes, à laditte Abbaye N. vous consentans & requirans que procedans à l'Election de vostre nouvelle & future Abbesse, vous elisiez & acceptiez à icelle Dignité, laditte Dame N. comme personne à ce capable, & à nous aggreable, à laquelle consentons & permettons de pouvoir sur ce obtenir de nostre Saint Pere le Pape, de l'Evesque Diocesain, ou autre Superieur, telles Bulles Apostoliques & provisions de Confirmation qu'il appartiendra à & icelles à deue execution, au surplus prendre, & aprehender la vraye, reele, & actuelle possession de laditte Abbaye, ensemble des droits, fruits, proufit & emolument d'icelle, pour doresnavant la tenir, regir & administrer tant au spirituel que au temporel en a gardées & observées les solemnités en tel cas requises & accoutumées. Si donnons en mandement à nos Tres-chers & Feaux les Chef President & Gens de nos Privé & Grand Conseil Chancelier & gens de nostre Conseil ordonné en Brabant & à tous autres no Justiciers, Officiers, & Subjets, à qui ce regarder, a qu'a vous en ce que dit est, ils assistent si besoing en avez, & en outre facent, souffrent & laissent laditte Dame N. de cette nostre presente nomination, accord & consentement plainement & paisiblement jouir & user, cessans tous concredits & empaichement au contraire. Car ainsi nous plaist il. Donné en nostre ville de Bruxelles &c. Christ. Vt. *Inferius erat signatum: Par le Roy, Galvan.*

CAPUT III.

Quomodo bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritus dispensanda, & à quibus.

1 *Bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs fideliter dispensanda.*
2 *Bona Pauperum ex humano affectu non dispensentur.*
3 *Non tantùm inopia, sed & morum ratio in hac dispensatione habenda, & qui hoc nomine ab eleëmosyna arcendi?*
4 *Quomodo Parochus in horum distributione intervenire debeat.*
5 *Qui eleëmosynis gaudent à Parocho examinandi.*

I. BOna Fabricæ sive Ecclesiæ in usus Ecclesiæ esse fideliter expendenda, ipsa nominis ethimologia evincit. Neque enim alia ratione dicuntur bona Fabricæ sive Ecclesiæ, nisi quòd usibus Ecclesiæ sint destinata. Quapropter attendendum Æditiuis aliisve bonorum illorum Administratoribus, ut fideliter in utilitatem Ecclesiæ proventus illorũ expendantur; & si in alios usus ex aliquo humano affectu impenderint, restitutioni se reddi obnoxios. Similiter bona Mensæ S. Spiritus seu pauperum esse destinata in usus pauperum, ipsum nomen manifestat, adeóque & illa in pauperum usum fore impendenda.

II. Verùm quia pauperum magna solet esse copia eorumque multiplex conditio; neque facilè generaliter determinari queat, qui sint habendi ut pauperes, quibus hæc bona rectè impendantur; idque ferè arbitrio & prudentiæ credi debeat eorum, qui bonorum illorum dispensationi præsunt, ideò in hac dispensatione facilè ex humano amicitiæ, aut proprii emolumenti affectu à justitiæ tramite deflectitur, aut in vitium acceptionis personarum inciditur. Quòd vitium haud evadunt, qui in distributione hujusmodi eleëmosynarum ex privato aliquo affectu minus merentes magis merentibus præferunt: cùm dubitari nequeat, offerentium hujusmodi eleëmosynas intentionem esse, ut dum omnibus pauperibus provideri nequit, magis merentes primò de illis participent.

Hinc Synodi nostræ passim solicitè inculcant, "ut „ eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu „ & acceptione personarum, iis tantùm distribuantur, „ qui verè pauperes sunt." Ita Synodus Mechl. ann. 1609. „ *titul.* 22. *capit.* 11. Idem & reliquæ Synodi communiter monent; additque Franciscus Sonnius Antverpiensium Antistes in Decretis Synodalibus *tit. de bonis Fabricæ & S. Spiritûs c.* 6. ut" in singulis Parochiis Mamburni S. „ Spiritus habeant Mensam convenienti loco positam ad „ distribuendas ex ea pauperum portiones: ut videat populus, neq; indignos admitti, neq; dignos repelli, fierique „ hanc distributionem sine personarum acceptione."

III. Monet præterea citata Synodus Mechliniensis, ut in eleëmosynarum distributione" non inopiæ & egestatis „ tantùm, sed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio ha- „ beatur."

Atque imprimis hoc nomine ab his eleëmosynis arcendi sunt validi mendicantes; qui hujusmodi eleëmosynis victitantes in otio, & desidia, ac quæ exinde sequuntur multis sceleribus vitam ducunt: quos & Principes ab eleëmosynis arcendos multis Edictis sanxerunt. Nam ut de similibus monet Synodus Coloniensis 1536. *part.* 11. *c.* 5. " Vtilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus „ justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus „ in justitiæ acquiescat."

IV. Hinc facilè patebit, distributionem eleëmosynarum præ cæteris convenire Parochis, eisq; primo loco deferendam: & si consuetudo eam Magistris detulerit, omninò convenire, ut ipsi in eleëmosynarum distributione Parochum ad minus consulant, & audiant. Hinc Synodus Ipensis sub Carolo Masio an. 1609. *tit.* 20. *c.* 16. ait. " Distri- „ butiones eleëmosynarum liberæ semper fiant conscio „ Pastore; qui eas non ex humano affectu, aut cum accep- „ tione personarum, (inquit capite sequenti) sed omnibus „ indifferenter verè pauperibus & probis honestisque vel „ ipse distribuat, vel distribui curet."

Similiter Synodus Namurcensis an. 1659. *tit.* 22. *c.* 6. E- „ leëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & „ acceptione personarum iis tantùm distribuantur, qui „ verè pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ ac morum „ probitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, „ poterit adesse Pastor loci."

V. Addit & meritò Buscoducensis sub Masio *tit.* 21. *c.* 5. „ Ut diebus Dominicis & festivis post summum Sacrum „ & Concionem (quibus omnes interesse debent sub pri- „ vatione eleëmosynæ) sine humano affectu distribuantur Deinde prosequitur. "Notabiliter ante Festum Nativitatis „ Jesu Christi & Paschæ Magistri S. Spiritus dabunt nomi- „ na Pastoribus gaudentium subsidio S. Spiritus, ut fidem „ eorum & Religionem cognoscant: non enim eleëmosynis „ gaudere poterunt, nisi de Confessione & Communione „ in Paschate docuerint."

Hæc aliaque saluberrima Decreta & conditioni horum bonorum & legibus justitiæ distributivæ planè conformia, si exactè servarentur non tantùm corporalibus, sed & spiritualibus necessitatibus pauperum quàm optimè provideretur. Adde Decretum Synodi Antv. supra citatum.

„ possint; frequenter tamen Dominicis saltem aliisque solemnibus festisque diebus ad suam quique Parochialem „ Ecclesiam conveniant: ubi à Parocho, cui cura commissa est, Verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisque animarum saluti necessariis præceptis erudiantur; ad Sanctissima Sacramenta Religiosius percipienda instruantur, ad eorumque frequentem usum, ut illa sacra Synodus optat, paternis ejus cohortationibus indies magis inflammentur: tum ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ jejuniave servanda sint: Discant ab ipso item, quæ Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præstari oporteat; ac quæ præterea Supplicationes, Processionesvè aut Stationes, Ordinationes, Indulgentiæ, Jubilæa indicantur, quæ Matrimoniorum Denuntiationes fiant; quæ item pro ratione temporum, admonitu jussuvè Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur."

V. Si hæc unà cum ipsa Concilii Tridentini sanctione paulisper expendisset Auctor Libelli, cui titulus: *Exhibitio Canonum circa prædicationem Regularium*, indubiè intellexisset ineptitudinem Glossæ, quam pag. 67. citato Concilii Trid. Decreto appendit: "Concilium Trid. ait, Ecclesiæ „ Parochialis jus non firmat contra Mendicantium Ordines, sed contra alias Parochiales Ecclesias, ac præsertim „ contra Oratoria seu Capellas...... Ordinum etiam Mendicantium Ecclesiæ sunt Vicariæ, atque appendices Romanæ Ecclesiæ, ideoque quisque Fidelis potest illic Sacra audire: " Si, inquam, Litteras S. Caroli unà cum ipsa Tridentini lege attendisset, intellexisset suæ Glossæ ineptitudinem. Cùm enim edicat Synodus unumquemque teneri *suæ Parochiæ*; vel ut S. Carolus, *Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse*, nonnè evidentissimè etiam contra Ordinum Mendicantium Ecclesias firmavit jus Ecclesiæ Parochialis? Num forsan dicet, Fideles *suæ Parochiæ*, vel Parochiali propriæ Ecclesiæ interesse, quando Ecclesiis Mendicantium intersunt: Hoc qui dicere audet; etiã dicat, Ecclesias Mendicantium esse Fidelium *Parochias*, aut *Parochiales proprias Ecclesias*: ipsosque Fratres Mendicantes Fidelium *proprios Parochos*, coram quibus & Matrimonium contrahi posse affirment.

Quod verò Auctor addit; Ecclesias Mendicantium esse Vicarias, ac appendices Romanæ Ecclesiæ, haud capio: Hoc scio, Fratres Mendicantes, eorumq; Ecclesias à Sede Apostolica esse probatos, & admissos, ut Prælatorum & Parochorum administros & subsidiarios: Ideoque rectè dici, eorum Ecclesias ex intentione Pontificum & Fundatorum esse vicarias, & appendices subsidiarias seu succursales Ecclesiarum Parochialium. Sed missâ hac glossâ ad litteras S. Caroli revertamur.

VI. Propositis fructibus ex diligenti Parochiæ frequentatione sperandis ex adverso nunc incommoda ex ejus neglectu obvenientia enumerat, & ob oculos ponit: " Hinc, „ ait, in plerisq; sæpe Articulorum, & Dei Sanctæque Matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet, imperitia, festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus; Sanctissimorum Institutorum, & Sacrorum Canonum violatus usus; hinc denique Ecclesiis Parochialibus, quæ à majoribus tanto pietatis studio exædificatæ sunt, instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis cura multis ex partibus neglecta, in illisque nulla aut penè exigua Ecclesiastica ad Divina Officia obeunda necessaria suppellex."

„ His tot tantisque malis, atque incommodis unusquisque occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod Sanctorum Patrum suadet authoritas, quod Tridentina Synodus moneri jubet, quod ex illius jussu nos de uniuscujusque vestrum salute soliciti, paternis vocibus cohortamur & monemus in Domino."

VII. Denique præoccupat quæ in excusationem neglectus assumenda prævidebat; motivaque pietatis ad sedulam Parochiæ frequentationem incitantia adducit: " Nec „ vero quemquã aliquod quod vel ex pluvia, frigore, æstu, „ temporumve vicissitudine existat incommodum, ab hoc „ officio deterreat: imo verò ad illud diligentiùs exequendum, prout in Domino confidimus, se quisq; eorum accendat necesse est, qui salutis suæ memores, hujus rei gravitatem eorum, quæ commemorata sunt ratione perpendent, quique aliquando animo secum reputabunt, non solum Parochialem Ecclesiam sibi datam esse, in qua primum Baptismo suscepto Christo Domino renati, aliis Sacramentis aluntur ad perpetuam salutem; sed Parochum etiam Sacerdotem sibi loco parentis esse debere quem diligant, colant atq; observent; hoc sibi proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum Internuntium, ac deprecatorem esse, divinæ Legis Interpretem, Dispensatorem ministeriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant piè rectèque vivendi consilium, ac denique Ministrum omnium ferè, quæ ad salutem eis necessaria sunt."

VIII. Has litteras hîc referendas judicavi, tum ut ex illis pateat, quid de obligatione frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ejusque momento senserit Sanctissimus hic Præsul; tum quia litteras has etiam Episcopi Belgii, ut mandato Concilii Tridentini satisfacerent, non semel probarunt & in suis Diœcesibus promulgari mandarunt.

Et quidem Andreas Creusen Archiepiscopus Mechlin. cum comperisset, subditos suos in crassa Mysteriorum fidei ignorantia versari; eamque pro magna parte oriri ex eo, quod non haberetur diligentia conveniens, & affectus frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei, ut ipse loquitur in suo Decreto 26. Octob. 1667. evulgato, voluit has S. Caroli Litteras in idioma Flandricum & Gallicum versas suo Decreto annecti, & populo proponi.

Quod idem modernus Antverpiensium Antistes Joannes Ferdinandus Van Beugem evulgato Decreto die 21. Martii 1687. fieri mandavit: "Ut quisque, ait, tum auctoritate tanti viri, tum concludentibus ejus rationibus ad „ Parochiæ frequentationem impensius incitetur."

IX. Porrò Episcopi Belgii, ut juxta legem sibi à Synodo Tridentina positam, populus sæpius de hac obligatione moneatur, præter iterata à se edita Decreta, insuper omnibus Verbi Dei Præconibus, tam Regularibus, quàm Sæcularibus hæc duo injungunt: primum, ut "moneant „ populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus „ Dominicis & Festis majoribus accedant." Alterum: „ Diligenter item moneant, unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi commodè id fieri potest, ad audiendum Verbum Dei: " Instructiones pro concionat. *Art. 9. & 10.*

Hæc continua Episcoporum mandata, & sæpius iteratæ Pastorales exhortationes, sat probant, quantopere hujus legis custodia ipsis cordi sit; quod & amplius patebit, si expenderimus, quæ in hoc nostro Belgio ad promovendum Parochialium Officiorum frequentationem decreta sint.

CAPUT XI.

Quæ in Belgio fuerint statuta ad promovendum frequentationem Parochiæ ad audiendum Verbum Dei.

1 *Tempore instructionis Parochialis Missa celebrari non potest.*
2 *Nemo tempore concionis Parochialis concionari potest.*
3 *Edicta Regia circa hanc rem.*
4 *Varia ad promovendum frequentationem Catechismi præsertim circa pauperes.*

5 Ma-

5 *Magistratuum cura in promovendo Catechismo,*
6 *Quid Litteræ Regiæ de hac re habeant.*

SYnodi Belgicæ supponentes obligationem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei adeò claris ac evidentibus terminis in Sacris Canonibus, ac novissimè in Synodo Tridentina esse expressam, ut nullo vel apparenti colore obfuscari posset, non tam fuère solicitæ, ut hanc legem suis Decretis inducerent, quàm ut removerent ea, quibus à Parochiæ frequentatione populus quacumque ratione avocaretur; eaque ordinarent, quibus ad eam frequentandam incitaretur & moveretur.

I. "Quia unusquisque juxta Concilium Tridentinum ,, Parochiæ suæ interesse tenetur ad audiendum Verbum ,, Dei, ubi commodè id fieri potest; quo tempore illud in ,, Ecclesia Parochiali annuntiatur, (ait Synodus D. Mechl. ,, *tit.* 10. *cap.* 5.) nemo in Capellis quæ Parochiæ finibus ,, continentur, concionari, aut Missam celebrare præsumat ,, sub pœna arbitraria. Et similiter nemo in eadem Ecclesia ,, sub concione Missam, etiam privatam, celebret."

Similiter Buscoducensis sub Masio *tit.* 11. *cap.* 5. "Ne ,, Parochiani, qui diebus Dominicis & festivis juxta Concilii Tridentini declarationem, Parochiæ suæ interesse ,, ad audiendum Verbum Dei tenentur, ab illo avocentur, ,, præcipit, ne quis Sacerdos eo tempore in Ecclesia Parochiali, aut extra eam in Capellis Sacrum facere aut concionari præsumat, sub pœna nostro arbitrio infligenda." Et altera sub Masio, postquam statuit in Parochia, Missa matutinali finita, Catechismum esse instituendum, adjungit: "Caveant Sacerdotes, ne tempore concionis hujus ,, matutinæ, sive etiam Pastoralis, audeant Missam legere ,, ne occasione hac Auditores à catechizatione avocentur."

"Capellani (ait Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. ,, *cap.* 16.) sive intra sive extra Ecclesiam Parochialem tali ,, tempore Missas dicant, ut populus hac occasione à Missa ,, Parochiali, Concione, aut Catechismo non avertatur."

II. Synodus autem Antverpiensis sub Miræo *tit.* 11. *c.* 8. eandem frequentandi Parochiam ad audiendum Verbum Dei obligationem ex Concilio Tridentino præmittens ,, ait: "nemo in civitate nostra, & oppidis, Dominicis & ,, festis diebus ante meridiem extra Ecclesiam Parochialem lingua vernacula concionetur, nequidem sub prætextu Indulgentiarum, aut Confraternitatum: linguâ ,, verò externa non fiat concio ante horam decimam."

Quod hæc Synodus statuit, generaliter in Belgio receptum est; ut nimirum nemo in civitate aut oppidis concionari queat eo tempore, quo concio Parochialis habetur; ne populus hac occasione avocetur à Parochia, cui ad audiendum Verbum Dei interesse tenetur.

III. Neque Episcopis duntaxat, sed & ipsis Principibus curæ fuit, ne quid populum ab officio Parochiali retraheret: Hinc Philippus II. edicto anni 1587. ad Synodum Cameracensem *art.* 5. cavit Ne "quis diebus Dominicis aut ,, Festis tempore Concionis, Summi Sacri, & Vesperarum, ,, audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut propè ,, Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocumque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari; ,, aut scholas gladiatorias vel hortos Sagittariorum frequentare sub pœna arbitraria." Et Carolus V. Edicto anni 1531. *art.* 31. ne quis eo tempore ad tabernas recipiatur.

IV. Porrò cum non tantùm instructio Parochi, quæ fit per modum concionis necessaria sit, sed vel maximè illa, quæ ad parvulorum & rudiorum captum instituitur quæ Catechismus dicitur, varia quoque quibus tum pueri, tum rudiores adulti ad hujus frequentationem incitarentur & urgerentur, ordinata sunt.

Et inprimis Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit.* 1. *cap.* 4. statuit "ut Pastor inducat Rectores Fabricæ & Mensæ S. Spiritus aliosque viros probos & honestas matronas ,, ad charitatis officia præstanda promptos, ut sua præsentiâ & opera tam sanctum opus modis omnibus, quibus ,, possunt, promoveant: pariterque Pastor à quolibet Magistratu unum alterumvè virum pium, honestum & talium rerum amantem, qui unà cum ipso Catecheseos ,, continuationi & bono ordini superintendant."

Et cap. 5. pergit: "Ad hunc Catechismum teneantur ,, Ludimagistri & Magistræ ducere suos discipulos: pueri ,, verò à sexto ætatis anno usque ad decimumquintum, ,, qui Scholas quotidianas non visitant ob paupertatem, describantur à committendis à Magistratu loci, qui & eò ,, compellantur venire sub pœna quâ parentes, aut ii quibuscum habitant, mulctentur: in quem finem suspendatur catalogus in Scholis qui singulis vicibus legatur, ,, absentes requirantur, quos si contingat sæpius sine causa legitima abesse, deferantur ad Superintendentes castigandi; & Rectores mensæ pauperum eleëmosynas dari solitas Parentibus, qui suas proles non mittunt ad Catechismum, suspendant. Si verò animadvertatur quod ,, catechizatio fieri commodè non possit hora prima, fiat ,, aut manè post Missam matutinam aut summam Missam: ,, ita tamen ut semper sit certa hora, & quantumcumque ,, pauci conveniant, non ideo omittatur.

,, Utque etiam pauperiores, ait *cap.* 8. ea quæ salutis ,, sunt discere possint, emantur sumptibus mensarum pauperum, vel communitatum libelli Catechismi & præmia ,, ad pueros excitandos."

V. Quia verò, ajunt Statuta Synodalia Gandensia sub Antonio Triest, "Plurimi arte mechanica & ex eleëmosynis victitantes, quò rudiores existunt, eò tardiores reperiuntur in frequentando Catechismo, eos singulariter ,, curæ Parochorum & Catechistarum in Domino commendantes, quantum opus est mandamus, ut importunè ,, opportunè instent apud Dominos temporales & Magistratus, quatenus omnem operam in promotionem profectus spiritualis hujusmodi ignorantium impendant; ,, ac ipsis exponant Decretum Principis desuper emanatum litteris ad Concilium Flandriæ directis, nec non alias litteras ejusdem Concilii datas ad singulos Diœcesis ,, nostræ Magistratus, quarum copias ad finem horum Decretorum adjicimus."

VI. Litteræ Regiæ datæ ad postulationem Episcopi Gandensis, quarum hæc Decreta meminère injungunt omnibus Magistratibus Diœcesis Gandensis, ut adigant Ludimagistros, & Magistras sub pœna suspensionis ab officio, adducere pueros Scholas suas frequentantes ad locum Catechismo habendo per Episcopum aut Decanum ruralem assignatum aut assignandum.

Ex his sat intelligitur, Belgii nostri Moderatores seu Ecclesiasticos seu Politicos nihil prætermisisse, quò tum prædicationis tum Catechismi Parochialis adeò pium & necessarium opus promoverent; & populus in iis quæ salutem animæ spectant, debitè instrueretur: illud duntaxat dolendum, tam sancta ac necessaria Decreta adeò negligi, atque ob eum neglectum fideles præcipuè pauperiores in tanta Mysteriorum fidei & Religionis nostræ ignorantia versari.

Cæterùm de qualitate & ætate in Pastoribus cæterisque curam Animarum gerentibus requisitis tractabitur in Parte Secunda, ubi de qualitate & ætate ad Beneficia requisitis agetur. Similiter de examine & concursu ad Pastoratus instituendis; item de officio & jure Pastorum in administratione Sacramentorum, celebratione Exequiarum, & Funeralium suorum Parochianorum; jure ad decimas, oblationes, atque competentiam Pastoralem; aliisque ad munia Parochorum atque jura Ecclesiarum Parochialium pertinentibus in Secunda Parte sub suis respectivè titulis agetur.

TITULUS IV.

De Custodibus Ecclesiarum Parochialium.

CAPUT I.

De Officio Custodum.

1 *Officium Custodum de Jure communi.*
2 *In Decretalibus non agitur de hodiernis Ecclesiarum Parochialium Custodibus.*
3 *Functiones Custodum ex Synodis Belgicis.*
4 *Custodes cautionem dare debent.*
5 *Cura ipsorum circa nitorem Ecclesiarum.*

I. SI jus Decretalium consulamus, quod pro jure communi hodie receptum est, Custodis est, ea quæ Ecclesiæ competunt, custodire; in Canonicis horis signa tintinnabulorum pulsanda, ipso Archidiacono jubente pulsare; pallia vel linteamina altaris, seu cuncta utensilia Ecclesiæ indesinenter custodire; lampades & laternas in accendendo, seu extinguendo, pervigilem existere. *Cap.* 1. ꝟ *De Off. Custodis.*

Adhæc solicitus esse debet de omni ornamento Ecclesiæ, & luminariis sive incenso; nec non panem & vinum omni tempore præparatum ad Missam habere debet. Præterea omnes oblationes seu decimas cum consensu tamen Archidiaconi absente Episcopo, inter Fratres dividat, *Cap.* 2. ꝟ *eod. tit.*

II. Hîc non de Custodibus Ecclesiarum Parochialium, quales hodie in plerisque sunt, tractari, sed potius de Custode Cathedralis, aut Collegiatæ Ecclesiæ, quem Thesaurarium dicimus, & plerumque Canonicos dignitate præcedit, tum officia jam descripta, tum illa ab Archidiacono dependentia sat innuunt; præsertim cum in dicto Capitulo 2. referatur ex Concilio Toletano, eam esse Custodis eminentiam, ut in his tribus, nimirum, Archidiacono, Archipresbytero & *Custode*, tamquam in tribus *Ecclesiæ Columnis* consistere debeat *alma Mater Ecclesia*: Quæ nullatenus congruere Custodibus sive Matriculariis Parochialium Ecclesiarum nemo non videt. Quapropter cum de his duntaxat hoc titulo agere decreverim, functiones non tam ex jure communi, quàm Synodis Belgicis, quæ de his Custodibus ex professo agunt, petendæ sunt.

Illud cumprimis ex Synodis constat, Custodes esse Parochorum eorumve vices gerentium in administratione Sacramentorum divinorumque Officiorum persolutione ministros, & administros.

III. "Pastori, vel ejus vices gerenti, ait Synodus Gandensis, diebus Dominicis & Festis Vesperas & Laudes „vespertinas solemniter decantanti, Custos in habitu de„centi & superpelliceo indutus debitè assistet, prout & „Missam solemnem vel privatam quocumque anni die ce„lebranti, ac paratus erit quacumque hora illi à Pastore „significanda saltem quoad Missas, ut Pastori inserviat in „muneribus Pastoralibus ipsius auxilium requirentibus; „cavebit igitur, ne sine Pastoris licentia sese absentet; imo „si interdum ob negotia privata domo sua abesse cogatur, „mandamus, ut alteri idoneo & Pastori grato vices suas „committat, vel de absentia sua domesticos aut vicinos „suos vel ipsum Pastorem certiorem reddat, quonam „pergat, quatenus necessitate vel occasione urgente facilè „valeat reperiri, & advocari." *Tit.* 16. *cap.* 19.

Huic conformes sunt pleræque Belgicæ Synodi; additque Audomarensis 1583. *tit.* 20. *cap.* 2. "Ornamenta „bonaque Ecclesiæ sollicití sint ut ne perdantur, seduli ut „lacera fractave restaurent, aut Ecclesiæ impensis restau„rari curent, prudentes ut detrita indecorè non prodeant „in servitium Dei. Dent operam ut sursum & deorsum „in templis omnia sint munda ac nitida. Pavimenta, pa„rietes, altaria altarium tecta & sacras vestes tergant „frequenter. Altarium mappas, Sacerdotum amictus at„que albas, sacra Corporalia, calicum purificatoria, pri„usquam evadant sordida, mutent, aut Sacerdotibus mu„tanda dent: phialas sive ampullas, quibus vinum & a„qua subministrantur, singulis septimanis ut minimum „lavent, ac mundent. Non committant ut dent Sacerdo„tibus ad Sacrificium panem mucidum aut maculosum, „vinum acidum, impurum, evanidum, aut quod pridie „profana mensa respuerit. Denique in omnibus diligen„ter & fideliter quæ officii sui sunt præstent, magnis à „Deo præmiis remunerandi.

Quæ hæc Synodus fusius, paucis comprehenderat Synodus I. P. Cameracensis: "Vestes, ornamenta, suppelle„ctilem diligenter conservent, exponantque, & reponant „honestè ut dignum est." *tit. De ministeriis Eccles. cap.* 10.

Verùm non ubique curæ Custodum eadem concredi; sed alibi pauciora, sat indicat Synodus Namurcensis anni 1604. statuens. "ut iis in locis, ubi Matriculariis cura & „custodia ornamentorum & aliorum mobilium bonorum „Ecclesiæ committuntur, non admittatur ad hoc munus, „nisi sufficientem judicio Pastoris & præcipuorum Paro„chianorum, de iis fideliter conservandis & restituendis „præbuerint cautionem." *tit.* 9. *cap.* 11.

IV. Quoad hanc cautionem à Custodibus præstandam, Synodus D. Mechl. 1609. vult, ut requisiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur. Similem cautionem aliæ Synodi quoque exigunt; eamque nonnullæ sufficientem judicio Pastoris & Notabilium; in qua re uniuscujusque Ecclesiæ consuetudo & statuta attendenda sunt.

V. Denique præcipit jam citata Synodus Namurcensis *c.* 12. "Ut moneantur diligenter & frequenter à Pasto„ribus, ut nullas in Altaribus aut in Parietibus, nec in ipso „templi pavimento, imo nec in cœmiteriis notabiles sor„des patiantur, sed reipsa omnibus testentur, se diligere „decorem Domus Dei, cujus ministerio sunt mancipati."

CAPUT II.

Qui ad Officium Custodum admittendi, & qui rejiciendi.

1 *Custodes Ministris Ecclesiæ annumerandi.*
2 *Horum qualitates habere debent.*
3 *Sæcularibus Officiis implicari assumi non possunt.*
4 *Debent se exhibere ut Ministros Ecclesiæ.*
5 *Simoniam sapit vendere Officium Custodis.*
6 *Tangitur abusus circa Ministrum Missæ.*

I. QUi functiones, & munia Custodum præcedenti capite breviter exhibita expenderit, haud difficulter fatebitur, Custodes Ministris Ecclesiæ, eorumque Officia Ecclesiasticis Ministeriis esse annumeranda: Adeoque eas meritò in Custodibus conditiones & qualitates requiri, quæ dignos Ecclesiæ Ministros decent; eaque omnia ab iis esse fugienda, quæ hujusmodi Ecclesiæ Ministros dedecent; & per quæ ministerium ipsorum vituperaretur.

II. "Considerantes indecorum esse, inquiunt Patres „Synodi Brugensis sub Driutio, statui Ecclesiastico, Lai„cos, quibus jure vetitum est, cancellos sive chorum „Ecclesiarum ingredi, Custodum officia in diversis „Ec-

„Ecclesiis exercere: præcipimus & injungimus singulis „Decanis, ne deinceps quispiam ad custodiæ deservituram „admittatur, non tonsuratus, aut bigamus, aut qui ballivi „aut clientis Officium exercet, aut in judicio criminali „interfuit, suamque in eo sententiam protulit, vel officium „cauponarii vel tabernarii aliudvè vile & Clerico indi„gnum exercet, aut qui barbam defert longiorem, seu ve„stem Clericis indecentem; atque ante admissionem di„ctis Decanis de vitæ suæ honestate & fidei sinceritate „testimonium scripto exhibeat."

III. Simile est Decretum iisdem penè verbis conceptum Synodi Iprensis sub Rithovio anno 1577. *tit.* 15. *cap. unico*, solosque *Tonsuratos* ad hoc ministerium assumi permittens, " & de quorum probitate, religione, peritiâ, & „laudabili conversatione, fide digno testimonio (sicuti „decet *Ministros Ecclesiæ*) constet." Idem requirit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 20. *cap.* 3. Synodus quoq; Antverpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 23. ad officium Custodis non admittendos censet, "qui Ballivi, Prætoris, „Procuratoris, aut simili officio funguntur, aut cauponam „aperiunt; cum hujusmodi officiis distracti, inquit, debi„tè officium Custodis facere non soleant." Et *cap.* 19. ediderat, ut Custos assumatur, *qui boni sit nominis & famæ, & honestæ conversationis, peritus cantus.*

Quin Synodus Gandensis anno 1613. *tit.* 16. *cap.* 12. & Decreta Synodalia sub Triest *tit.* 16. *cap.* 20. nec ad *deservituram* custodiæ admitti volunt, " qui Collectoris ve„ctigalium, cauponis, tabernarii, vel aliud vile & sordi„dum officium exercet; nec bigamum, sine legitima di„spensatione."

Denique Synodus I. P. Cameracensis *tit. De ministeriis Ecclesiasticis cap.* 10. paucis multa comprehendens, ait: "Matricularii, & Custodes Ecclesiarum munera sordida, „& planè Laica non obeant: Ne sint publicani, sylvarum „Custodes, villici locatitii, nec vestitu præ se ferant aliud, „quàm castum & modestum *Ecclesiæ ministerium*, cui sunt „attributi."

IV. Nullatenus ergo ambigi potest quin Synodi Belgicæ uno consensu Custodes Ministris Ecclesiæ annumeraverint. Hinc Synodus Audomarensis loco jam citato ait: " Assumpti autem qui fuerint, abstineant omni taberna„rum ingressu & conversatione indecenti, vitam ducant „Dei Ministris dignam, nec prodeant, saltem in Ecclesiam „aut ad obeundum quod sui est muneris, nisi in tonsura „& habitu decenti."

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 15. vult, ut in sua assumptione promittant, " se in officio Divino & admini„stratione Sacramentorum superpellicio usuros, alioquin „officio privandos. Et si Custodes non resideant, tenean„tur providere Ecclesiæ de idoneo aliquo substituto, cum „stipendio Ordinarii arbitrio illi constituendo."

V. Ex his patescit; Synodos nostras conformiter ad jus commune non dubitâsse, quin officium Custodis seu Matricularii sit officium Ecclesiasticum; ipsique Ministris Ecclesiæ sint annumerandi; ideoque tamquam indubitatum supposuerint, veram esse Simoniam mediante temporali hujusmodi officium vel impetrare, ut in casu occurrente etiam respondit Wamesius *Cons.* 562.

VI. Adhæc si quis attendat morum ac vitæ honestatem aliasque conditiones in Matriculariis requisitas, eo titulo quod Parochis in suis assistere debeant functionibus, facilè intelliget, quàm à Patrum mente alienum sit, quòd in præcipua & sublimissima functione, scilicet Sacrificio Missæ, assistat nescio quis sordidus & immorigerus puer, isque tamquam Minister nomine totius Ecclesiæ Sacerdoti respondeat: sed de hoc summo & nunquam satis deplorando abusu plura *Part.* 2. *tit. De Sacrificio Missæ.*

CAPUT III.

A quo Custos constituendus; & quæ ejus Jura?

1 *Jure communi electio Custodis spectat ad Parochum.*
2 *Consuetudine aliovè titulo ad Æditituos aliosvè spectare potest.*
3 *Parochus suum Ministrum habere debet.*
4 *Unde Custodibus competentia assignanda.*
5 *Custos partem suam habet in oblationibus.*
6 *Circa hoc jus Custodis observanda Consuetudo.*

I. Cum Custodes sint ministri Pastoris ut ipsi serviant in iis omnibus quæ muneris ejus sunt, uti loquitur Synodus Audomarensis *tit.* 20. *c.* 2. naturale est ut Parocho competat jus constituendi Custodem tamquam ministrum suum; ideoque, nî contraria consuetudo aut alius legitimus titulus probetur quo Parochus excludatur, non apparet qua ratione ab electione excludi queat.

II. Quia tamen Matricularii quoque ornamenta aliaq; Ecclesiæ utensilia curare est, quorum cura & ad Æditituos Ecclesiarum solet spectare; hinc consuetudo multarum Ecclesiarum in constituendo seu eligendo Matriculario ipsos Æditituos unà cum Parocho admittit.

Quin tamen ex singulari titulo, aut legitima longa consuetudine ad alios jus illud transferri possit, dubium non est. Unde primò & ante omnia de titulo & consuetudine inquirendum; si verò de his non constet, aut non satis probentur, eo casu juxta jam dicta Parochus & Æditui ad constituendum Matricularium præ cæteris fundati videntur.

III. Jam pridem decretum fuit in Concilio Nannatensi relatum *in cap.* 3. *De vita & honestate Cleric.* Ut quisque „Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui se„cum cantet, & Epistolam & Lectionem legat, & qui pos„sit tenere scholas, & admonere suos Parochianos, ut fi„lios suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam; quos „ipse cum omni castitate erudiat."

Clericum, de quo in citato decreto, eumdem esse, quem hodie *Custodem* vocamus inter Canonistas convenit; & monet Boëtius Epo in commentario ad dictum Capitulum.

IV. Ulteriùs ad citatum Capitulum notat Glossa, quod Ecclesia dedicari non debeat, nisi dos pro duobus ad minus sufficiat Clericis.

Proinde non Parochus dumtaxat sed & Custos jus habet; ut sibi tamquam Ecclesiæ Ministro dos competens ad sustentationem assignetur ex proventibus Ecclesiæ. Ideoque cum decimæ sint institutæ, & ab Ecclesia ordinatæ, ut Ministri Ecclesiæ intertineantur, si hæ ad Monasteria aut Capitula transierint, tenebuntur eam dare ex illis portionem, ut non tantum Parochus, sed & ejus Minister, qui illi in functionibus suis assistere debet, decenter vivere queat.

Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *De reformat.* tantum ex primitiis, decimis, aut aliunde redigi vult, quod pro *rectoris aut Parochiæ necessitate decenter sufficiat.*

Cum ergo ambigendum non sit, quin Matricularius Parochiæ necessarius sit, nec ambigendum videtur, quin & assignanda è decimis competentia illius quoque necessitati respondere debeat.

Hæc tamen intellige, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus onus sustentandi Custodem ad alios transtulerit, uti in Belgio multis locis onus illud incolis incumbit.

V. Deinde cum Custos in Officiis Ecclesiasticis Parocho ut Minister accedat; justumque sit, ut qui Altari servit de Altari vivat, nequaquam injustum est, ut Custos de oblationibus aliisque in ejusmodi officiorum persolutione dari solitis participet, quod & in plerisque Ecclesiis consuetudine obtinuit.

VI. Attamen circa quantitatem & particularia quædam oblationum jura, Ecclesiarum non una sæpe est consuetudo; quæ cum nihil per se inordinati habere soleat, observanda est; ut in casu occurrente rectè respondit & probavit Wamesius *Consil.* 456.

TITULUS V.

De Æditiuis Ecclesiarum Parochialium, & Magistris pauperum Mensarum Sancti Spiritus.

CAPUT I.

Qui, & à quibus constituendi? & quod ab electis præstandum juramentum?

1 *Jure communi & moribus hodiernis eligendi sunt ex communibus Laicis.*
2 *Interdum possunt esse Ecclesiastici.*
3 *Illorum electio pendet à consuetudine.*
4 *Justum est ut interveniat Parochus.*
5 *Potest tamen subinde excludi.*
6 *Quid Parocho incumbat dum electioni intervenire nequit.*
7 *Juramentum noviter electi.*
8 *A quo recipi debeat.*

I. QUod piorum locorum Rectores, locorum ipsorum curâ postpositâ, bona, res & jura ipsorum interdum ex occupatorum & usurpatorum manibus excutere negligerent; quinimo ea collabi & deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permitterent; quin & proventus eorum in usus suos damnabiliter converterent, videns Synodus Viennensis, statuit "Ut nullus ex locis „ipsis sæcularibus, Clericis in beneficium conferatur; eti- „amsi de consuetudine (quam, ait, reprobamus) hoc fue- „rit observatum: nisi in illorum fundatione secus fuerit „constitutum, seu per electionem sit de Rectore locis hu- „jusmodi providendum, sed eorum gubernatio Viris pro- „vidis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, „& valeant bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum „proventus & reditus in personarum miserabilium usum „fideliter dispensare; & quos in usus alios bona prædicta „convertere præsumptio verisimilis non sit. *Clem.* QUIA CONTINGIT, *De relig. domib.*

Conformiter ad hanc Concilii Viennensis constitutionem iterato à Concilio Tridentino innovatam, moribus obtinuit, ut Æditui Ecclesiarum; itemque Magistri Mensarum S. Spiritus eligantur communes Laici, boni Patres familias ex cujusque Parochiæ incolis; adeò ut nec Ecclesiastici, imò nec Laici nobiles aut Officiales, sed mercatores, opifices, aliique simplices cives, aut pagorum incolæ sint eligendi; uti tradit Autumnus ad *leg. 33. Cod. de Episc. & Cler.*

II. Hoc tamen cum ea limitatione intelligendum, nisi ex fundatione, aut inveterata consuetudine secus obtineat. Ecclesiasticos enim esse subinde Ecclesiarum Æditiuos, seu Magistros Fabricæ non tantùm ipsa multarum Ecclesiarum, præsertim quibus Canonicorum Capitula intendunt, consuetudo ostendit; sed etiam ipsa Synodus Tridentina supponit, volens, "ut Administratores tam *Ecclesiastici*, „quam Laici Fabricæ cujusvis Ecclesiæ singulis annis ra- „tionem administrationis reddere teneantur Ordinario;" *Sess. 22. cap. 9. De reform.* Idem supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, uti manifestum erit ex verbis infra referendis.

III. Quibus verò Æditiuorum seu Magistrorum Fabricæ, aut mensarum S. Spiritus electio competat, inter disciplinæ puncta referendum est, de quibus dici potest cum S. Augustino *Epist. 54. ad Januarium num. 3.* "Nec „disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Chri- „stiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ec- „clesiam ad quam fortè devenerit." Cum tamen hi Fabricæ & pauperum Magistri in hac bonorum administratione in locum ac vices Diaconorum, qui viduarum & pauperum mensis præpositi fuere, successisse videantur, primitivæ ac puriori Ecclesiasticæ disciplinæ sat videtur conforme statutum Archidiaconatus Hispaniæ in Ecclesia Leodiensi, cujus territorium etiam vicina nobis loca complectitur, quo edicitur, nominationem Mamburnorum sive Magistrorum "Præcipuè ad Parochos „spectare, nisi ex contraria & legitimè præscripta „consuetudine, aut in largitionum fundatione secus „fuisse institutum appareat evidenter. Quibus rursum „casibus nihilominus Pastores nominationi seu electioni „nedum interesse, sed ut ritè omnia procedant, advigi- „lare volumus.... Qua in re ut major cautio adhibea- „tur, fient deinceps ejusmodi Mamburnorum electio- „nes, populo imprimis Dominico aut Festo die imme- „diatè diem electionis præcedente inter Missarum solem- „nia præcertiorato, & in termino per campanæ pulsum „specialiter convocato, ut is dispiciat cum Pastore de „magis idoneis eligendis."

IV. Quod de Parocho hîc dicitur, de consuetudine ubique penè obtinet; ut nimirum Parochi interventu Magistri Fabricæ, & pauperum nominentur; ipsaque Synodalia Decreta probant.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 28. cap. 1.* Fabricis „Ecclesiarum cujusque loci ex communi deliberatione „*Pastoris* & Notabilium Parochianorum præficiantur „Magistri seu Gubernatores, omni exceptione majores „bonæ conversationis & industriæ, atque ad bona Fabri- „carum conservandum, recipiendum, & utiliter dispen- „sandi idonei & sufficientes, & nullo modo de hæresi su- „specti." Idem de Magistris mensæ S. Spiritus decernitur capite sequenti.

V. Hæc iisdem verbis repetit, suisque Decretis inseruit Synodus Audomarensis anno 1583. *tit. 22. cap. 1. & 2.*

Subinde tamen, vel ex fundatione, vel ex vetusta & numquam interrupta consuetudine etiam contingere potest ut ad solos Laicos pertineat: quæ licet nonnihil dura videatur utpote excludens Parochum, cui primariò cura Ecclesiæ & pauperum commendata censetur, tamen toleranda est; eamque supponunt Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem in verbis: *Quod si Magistri Fabricæ Mensæ S. Spiritus, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à* Laicis instituantur &c.

VI. Verumtamen ubi consuetudo ad Laicos privativè hanc nominationem detulerit, Parochi erit electoribus inculcare rationibusque persuadere, ut sine acceptione personarum eligant illos; quos administrandis bonis Ecclesiæ & pauperum convenientiores scient: illis ostendendo, quòd si ex affectu carnali incapaces, aut parum idoneos nominaverint, se coram Deo debitores constitui eorum omnium, quæ per minùs fidelem aut parum providam horum administrationem Ecclesiæ aut pauperibus subtraherentur; quæque habituri fuissent, si sine acceptione personarum capaciores electi fuissent. Hinc Synodus Iprensis an. 1609. *tit. 20. cap. 19.* postquam monuit multum interesse ut semper probi & fideles Magistri Fabricæ & mensæ pauperum constituantur, subjungit; *Viderint proinde qui alios & negligentes creant, num actionum similium iniquarum coram Deo participes esse velint.*

VII. Electi priusquam administrationi se immiscere queant, medio juramento promittere debent in hujusmodi officio fidelitatem; quodque bona Fabricarum & pauperum conservabunt, & deperdita, quantum poterunt recuperabunt; ac utiliter juxta Fundatorum intentionem & necessitatem obvenientem dispensabunt: quodque pro eorundem bonorū conservatione & fideli dispensatione non mino-

minorem, sed, si fieri potest, majorem impendent operam & diligentiam, quàm circa res proprias. Hæc est formula juramenti expressa in Synodo Iprensi sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 1. *&* 2. & Audomarensi 1583. *tit.* 21. *c.* 1. *&* 2. cui quoad substantiam plerisq; in locis consueta formula juramenti consonat; nisi quod alibi addatur aliquid de annua redditione computus: uti videre est in Regulamento Concilii Flandriæ anni 1651. quod extat ad calcem statutorum Synodalium sub D. Triest.

VIII. A quo juramentum illud recipi debeat, non eadem est omnium Ecclesiarum consuetudo. Alibi enim à Pastore, tamquam primario Ecclesiæ & pauperum intendente, & locum Episcopi tenente, recipitur: Hæcq; consuetudo probatur à Synodo Buscoducensi tam sub Metio, quàm sub Masio. Prima quidem mandat, ut Magistri Fabricæ & mensæ S. Spiritus juramentum in præsentia Parochi infra mensem à suscepta administratione præstent *tit.* 24. *c.* 7. Altera verò ut antequam se administrationi immisceant, teneantur juramentum fidelitatis, instar tutorum & curatorum coram Parocho præstare, *Tit.* 12. *c.* 1.

Alibi verò consuetudo habet, ut juramentum illud recipiatur à Magistratu, vel primario Officiali. Et quidem citatum regulamentum Concilii Flandriæ *art.* 2. injungit Magistris Fabricæ, & Mensæ S. Spiritus præstare juramentum fidelitatis coram Ballivo, Scautetо, Drossardo, aut alio primario Officiali ad quem pertinet.

Et cum Officialis Noviodunensis cujusdam Parochiæ Magistros Fabricæ evocâsset ad præstandum juramentum injecta appellatione tamquam ab abusu, juxta usum Regni Franciæ, ad parlamentum parisiense, cassatum, nullumq; declaratum fuit decretum Officialis; dictumq; est, juramentum hujusmodi Magistrorum, utpote qui Laici sunt, & solis rebus temporalibus præfixi, coram superioribus laicis esse præstandum. Papon *lib.* 4. *tit.* 12. *Arrest.* 14.

In his ergo cujusq; Ecclesiæ antiqua consuetudo tenenda est: unde Synodus Iprensis 1609. *tit.* 20. *c.* 22. simpliciter dicit, "Ut qui admittuntur ad administrationem bo„norum Fabricæ aut Mensæ pauperum, præstent *Superio„ribus* juramentum," non designando vel Ecclesiasticos vel sæculares.

CAPUT II.

Quænam præcipuè ab Æditúis & Magistris pauperum in administratione bonorum observanda.

1 *Res sibi commissas ut proprias administrare debent.*
2 *Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu.*
3 *A consuetudine pendent, qui in alienatione intervenire debent elocationi publicæ instituendæ.*
4 *Nec nisi præstitâ cautione.*
5 *In elocationibus prandia non facienda.*
6 *Lites non suscipiendæ sine auctoritate & prævio Superiorum examine.*
7 *Litteræ fundationum aliaque monumenta solicitè servanda.*
8 *Quid observandum dum ex Archivis aliquid extrahitur.*

I. Imprimis ex ipsa lege justitiæ, & religione sui juramenti omni fidelitate res Ecclesiæ & pauperum tamquam res proprias administrare debent; omnem impendentes curam & studium, ut nihil vel eorum negligentiâ pereat, aut deterioretur.

II. Pro securiori autem bonorum conservatione principes nostri in Edicto ad Synodum P. II. Mechliniensem *art.* 18. conformiter ad jus commune interdixerunt omnem eorum alienationem, permutationem, oppignorationem sive hypothecationem; & in casum notabilis necessitatis, aut utilitatis, ratione cujus oporteret hujusmodi alienationi consentire, intentionis suæ esse declarant, ut omnia præviè examinentur, & sedulò discutiantur per Episcopum, aliosq; ad quos hactenus recurri solitum fuit, & ut à singulis respectivè obtineatur eorum consensus in scriptis.

Similiter Philippus II. Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut Judices Regii aliique habeant tamquam nullas & invalidas omnes alienationes rerum Ecclesiasticarum, "quæ factæ sunt sine consensu Superiorum, & con„venienti causæ cognitione; idq; non obstante quacumq; „contraria consuetudine quoad alienationes post Edi„ctum factas. Insuper pro invalidis reputari vult venditi„ones granorum, quorum termini nondum effluxerunt „factas viliori pretio ob anticipatam solutionem."

III. Cùm verò Edicta non exprimant, quinam præter Episcopum huic alienationi consentire debeant, sed ad hactenus observatam consuetudinem remittant, ea omninò attendenda & examinanda est; ut tamen Parochi, & Notabilium Parochianorum, qui de necessitate Ecclesiæ, aut Parochiæ, aliisve justis alienationis causis, præ cæteris meliùs solent esse instructi, judicium saltem expetatur, æquum „justumq; est. Unde & Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 28. *c.* 4. vult, "ut in majoribus negotiis, & maximè ubi de „præjudicio fabricarum seu pauperum agitur, nihil admi„nistratores, nisi de unanimi Pastoris & Notabilium con„sensu attentare præsumant."

Adhæc ne in ipsa bonorum elocatione carnalis affectus se immisceat, ea viliori pretio amicitiæ aliove humano intuitu elocando, cautum est Edicto Philippi II. supra citato *art.* 25. ne hujusmodi bona elocentur, nisi præviis tribus proclamationibus aut chartularum affixionibus in locis consuetis; vel saltem non elocentur minori pretio quàm bona vicina ejusdem naturæ & qualitatis elocari consueverunt; ita ut nec accipi queat poculum vini in diminutionem mercedis elocationis, nisi de consensu Superioris; sub pœna nullitatis talium contractuum.

Similiter Edicto Concilii Flandriæ supra allegato *art.* 5. cautum est, ne Magistri Fabricæ aut Mensæ pauperum, aut Receptores quidquam elocent, nisi *publicè*, prævia chartularum affixione, & proclamatione; plusque offerens præferatur.

IV. Idem pleræq; Synodi Belgicæ inculcant; adduntq; ut non habeantur ratæ elocationes nisi sufficienti cautione data. Synodus Audomarensis an. 1583. *tit.* 21. *c.* 4. Mechl. an. 1609. *tit.* 21. *c.* 2. & Iprens. an. 1577. *titul.* 25. *ca.* 5. quæ & addit, ut elocationes fiant omni privato favore reposito, præsentibus Notabilibus & aliis, qui interesse voluerint.

V. Deniq; Synodus P. II. Cameracensis monet, ne in hujusmodi elocationibus prandia fiant sumptibus ipsarum fundationum, nisi quæ à Fundatoribus sunt instituta.

Et sanè quid injustius aut inhumanius, quàm bona pauperum, aut Ecclesiæ usibus deputata in hujusmodi conviviorum inutiles & superfluos sumptus impendere!

VI. Ulteriùs cùm inter majoris momenti negotia meritò numerentur lites; quæ, ut experientiâ notum est, non sine magnis sumptibus agi consueverunt; & ad quas Administratores & Receptores nonnumquam ob speratum lucrum ex vacationibus sunt justo procliviores, meritò Synodalibus Decretis ordinatum est, quòd sine authoritate Superiorum & prævio maturo examine, à Magistris institui aut suscipi non possint.

„Rectores Fabricarum aut mensarum S. Spiritus nul„las lites assumant (ait Synodus Antverp. sub Miræo *tit.* „21. *c.* 15) nisi causâ priùs à nobis nostrove Vicariatu exa„minatâ, ne alicui inconsulta temeritate per injuriam mo„lesti sint, atq; non necessariis sumptibus, salariis, vacatio„nibusque fabricas aut mensas pauperum gravent. „Quòd si etiam causa gravioris momenti sit, commit„tetur alicui ex Vicariatu aut Decano Christianita„tis, ut antequam lites instituantur, cum adversariis

„ seria ratione agant; ut si fieri possit, res sine strepitu Judicii terminetur, assumptis potiùs, si dubium fuerit, utrimque Jurisconsultis, quibus decisio negotii committatur: si quis secus fecerit, nullo modò expensas in fabricæ aut mensæ S. Spiritus rationes referat, nec auditores rationum inferri patiantur in quas fortè condemnatus erit, aut quas ab adversario recuperare nequiverit, sed eas ipse in pœnam temeritatis suæ luat."

Huic justissimo Decreto passim consentiunt reliquæ Synodi, requirentes in assumptione litis prævium Pastoris, vel etiam Episcopi, & Magistratus consensum. Synodus Namurc. anno 1639. *tit.* 18. *cap.* 7. Buscoduc. anno 1612. *tit.* 21. *c.* 4. Iprens. 1577. *tit.* 28. *c.* 4. Audomar. an. 1583. *tit.* 21. *c.* 4. quæ duæ ultimæ generaliter decernunt, ut in majoribus & magis arduis negotiis nihil, nisi de un[illegible]mi Pastoris & Notabilium consensu attentare præsumant.

VII. Deniq; cùm experientiâ compertum sit, multa bona Fabricarum piarumq; fundationum perire, aut deperdi, eò quòd litteræ fundationum, aliave monuméta ad probationem necessaria non satis fideliter & exactè conserventur; tum Principum, tum Synodorum Decretis sancitum est, ut omnia documenta, computus, & litteræ Ecclesiarum & pauperum referantur in unum respectivè archivum, quòd vulgò dicitur *De Com.* sub clausura trium diversarum clavium; quarum una sit penes Pastorem, altera penes Magistratum, & tertia penes Magistros Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus respectivè; ita Edictum Concilii Flandriæ supra citatum; quòd apertè supponit esse duo archiva, unum monumentis ad Ecclesiam spectantibus, alterum ad Mensam S. Spiritus pertinentibus subserviens; ut illius clavis sit penes Magistros Fabricæ, hujus verò apud Magistros S. Spiritus.

Edicto jam citato quoad archivum ejusque sub tribus distinctis clavibus clausuram Synodi nostræ consentiunt; sed pro monumentis Fabricæ & pauperum conservandis, unicum supponere videntur; cum passim clavium custodiam ita distribuant, ut unam quidem Pastori, reliquas verò primario Mamburno seu Magistro Fabricæ, & primario Magistro Mensæ S. Spiritus respectivè committant. Etenim quoad hanc clavium custodiam, si reperiatur Ecclesiarum varia consuetudo, aut ordinatio, cuiq; Ecclesiæ sua servanda erit.

VIII. Additque citatum Edictum Concilii Flandriæ, & communiter Synodi nostræ, ut si quando necesse fuerit aliquod monumentum ex ipso archivo extrahi, loco illius in archivo ponatur scripta notitia cum expressione nominis & cognominis, & residentiæ illius, qui h[illegible] monumentum accepit, unà cum signatura ipsius, qui fatetur se illud accepisse.

Quod de clausura archivi seu scrinii pr o conservatione monumentorum cautum, idem Edicto Caroli V, anni 1531. *art.* 16. & Synodalibus decretis sancitum est circa gazophilacia sive truncos recipiendis Fidelium oblationibus exposita; ut nimirum tribus distinctis seris firmentur, utque clavium una sit penes Pastorem.

ADDITAMENTA.

AD CAPUT II.

Decretum Episcopi & Principis Leodiensis pro fideli & recta administratione bonorum Fabricæ Ecclesiæ & Mensæ S. Spiritus.

Maximilian Henry, par la grace de Dieu, Archevesque de Cologne, Prince Electeur du Saint Empire Romain, Archichancelliur par l'Italie, & du Saint Siege Apostolique Legat né, Evesque & Prince de Liege, Hildesheym, éleu Evesque de Munster, Administrateur de Bergtesgarde, & Duc des deux Bavieres, du haut Palatinat, Westphaliæ, Lingeren, & Boüillon, Comte Palatin du Rhin, Landgrave de Leuchtenberg, Marquis de Franchimont, Comte de Looz, Herne, &c.

Sur rapport nous fait, que dans nos villes, bourgades & villages de nôtre Païs & Diœcese de Liege, il se glisseroit un abus tres considerable au suget des Comptes, tant des biens appartenants aux Eglises, Frabriques & Luminaires, que membres des pauvres, les uns des Auditeurs d'iceux se faisant mettre à disner, les autres se faisant payer en argent, au lieu de servir gratuitement l'Eglise & les pauvres d'icelles, les Mambors desquels feroient des effractions de muyds à petit prix, comme aussy la distribution des pains, ainsy que bon leur semble, les donnant aux riches aussy bien qu'aux pauvres: voulant à ce remedier avons ordonné, comme Nous ordonnons par les presentes à tous Mambours & Auditeurs desdits Comptes d'y vacquer gratuitement pour Dieu & pour les pauvres, sans pretendre chose que ce soit, pour depense de bouche ou autrement: Comme aussy Nous ordonnons à tous Mambours desdites Eglises & pauvres de suivre au futur les affractions du Clergé de Liege pour les muyds qui leur sont d'beus, & de ne faire distribution desdits biens, soit en argent, soit en pains à autres qu'à ceux, qui sont vrayement pauvres, & connus pour tels par les Pasteurs, pardevant lesquels, & les deux plus vieux Eschevins ou Principaux du lieu, tous les comptes susdits de l'Eglise & pauvres seront rendus & examinez gratuitement. Ordonnans à tous Pasteurs & Deserviteurs desdites Eglises de publier cestuy nôtre Mandement un jour de Dimanche pendant la Messe Paroisiale dans chaque leurs Eglises, & pour meilleure & absolute observance de choisir chacun dans leurs Paroisses un ou deux Sinaux pour annoter les contraventeurs, & leur en faire pertinente relation, afin qu'il soit procedé contre eux à la peine de cinque florins d'or pour les pauvres de la Paroisse.

Et comme plaintes Nous ont aussy esté faites, que des personnes peu soinienses de leur instruction Chrétienne tant necessaire pour le salut de leurs ames, sortiroient pendant la grande Messe de l'Eglise, pour n'attendre le Sermon ou exhortation du Pasteur, & s'en iroient caquetter au portail de l'Eglise, menant grand bruit, & commettant insolence, Nous le deffendons tres serieusement, & enchargeons les Pasteurs de surveiller soigneusement la dessus, pour que telles personnes soient chastiées d'un florin d'or d'amende, pour chaque fois applicable aux pauvres comme dessus. Donne en nostre ville de Bonne le vingtiéme May mille six cents quatre vingt & six. Etoit signé Maxilian Henry, & puis écrit., Lieu (†) du seel & en suite soûs signé Ferd. Schich.

Formula quâ expeditur Nominatio Regia ad Abbatias.

Charles par la grace de Dieu Roy de Castille, de Leon, &c. A Religieuses personnes nos cheres & cien aimés les Prieure, Religieuses & Convent de l'Abbaye N. Salut & dilection. Comme à nous comme Ducq de Brabant affiert & appartient d'avoir soigneux esgard,

esgard, que le Prelatures, Abbayes, Prieurez, & autres Dignitez estans en icelluy Pays soient pourveues des gens Catholiques, de bonne vie & conversation, pour les entretenir en bonne & Chrestienne Religion, & par Indult Apostolique, droit de personnage, Regale, & autrement nous compete, & ayons droit de auxdites Prelatures, & dignitez, quando elles vacquent, nommer personnes suffisantes, idoines & à nous agreables. Et il soit par le trespas de Dame N. vostre derniere Abbesse, ladite Abbaye presentement vacante, nous ayons fait informer de l'idoineté & capacité des Religieuses d'icelle, entre lesquelles nous seroit estre presentée Dame N. Religieuse de la mesme Abbaye: Scavoir vous faisons, que le bon rapport que fait nous à esté de ladite Dame N. & de ses sens, experience, bonne Religieuse vie, & conversation, nous l'avons par la deliberation de nôtre tres cher & feal Cousin Don Francisco Antonio de Agurto, Marquis de Castannaga Chevalier de l'Ordre d'Alcantara Lieutenant Gouverneur Capitaine General de nos Pays-bas &c. a denommé & denommons par ces presentes, à ladite Abbaye N. vous consentans & requirans que procedans à l'Election de vostre nouvelle & future Abbesse, vous elisiez & acceptiez à icelle Dignité, ladite Dame N.. comme personne à ce capable, & à nous aggreable, à laquelle consentons & permettons de pouvoir sur ce obtenir de nostre Saint Pere le Pape, de l'Evesque Diocesain, ou autre Superieur, telles Bulles Apostoliques & provisions de Confirmation qu'il appartiendrà & icelles à deue execution, au surplus prendre, & aprehender la vraye, reele, & actuelle possession de ladite Abbaye, ensemble des droits, fruits, proufit & emolument d'icelle, pour doresnavant la tenir, regir & administrer tant au spirituel que au temporel en a gardées & observées les solemnités en tel cas requises & accoutumées. Si donnons en mandement à nos Tres-chers & Feaux les Chef President & Gens de nos Privé & Grand Conseil Chancellier de gens de nostre Conseil ordonné en Brabant & à tous autres no Justiciers, Officiers, & Subjets, à qui ce regarder, a qu'a vous en ce que dit est, ils assistent si besoing en avez, & en outre facent, souffrent & laissent ladite Dame N. de cette nostre presente nomination, accord & consentement plainement & paisiblement jouir & user, cessans tous concredits & empaichement au contraire. Car ainsi nous plaist il. Donné en nostre ville de Bruxelles &c. Christ. Vt. *Inferius erat signatum: Par le Roy, Galvan.*

CAPUT III.

Quomodo bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritus dispensanda, & à quibus.

1 *Bona Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs fideliter dispensanda.*
2 *Bona Pauperum ex humano affectu non dispensentur.*
3 *Non tantum inopiæ, sed & morum ratio in hac dispensatione habenda, & qui hoc nomine ab eleëmosyna arcendi?*
4 *Quomodo Parochus in horum distributione intervenire debeat.*
5 *Qui eleëmosynis gaudent à Parocho examinandi.*

I. BOna Fabricæ sive Ecclesiæ in usus Ecclesiæ esse fideliter expendenda, ipsa nominis ethimologia evincit. Neque enim alia ratione dicuntur bona Fabricæ sive Ecclesiæ, nisi quòd usibus Ecclesiæ sint destinata. Quapropter attendendum Æditvis aliisve bonorum illorum Administratoribus, ut fideliter in utilitatem Ecclesiæ proventus illorū expendantur; & si in alios usus ex aliquo humano affectu impenderint, restitutioni se reddi obnoxios. Similiter bona Mensæ S. Spiritus seu pauperum esse destinata in usus pauperum, ipsum nomen manifestat, adeóque & illa in pauperum usum fore impendenda.

II. Verùm quia pauperum magna solet esse copia eorumque multiplex conditio; neque facilè generaliter determinari queat, qui sint habendi ut pauperes, quibus hæc bona rectè impendantur; idque ferè arbitrio & prudentiæ credi debeat eorum, qui bonorum illorum dispensationi præsunt, ideò in hac dispensatione facilè ex humano amicitiæ, aut proprii emolumenti affectu à justitiæ tramite deflectitur, aut in vitium acceptionis personarum inciditur. Quòd vitium haud evadunt, qui in distributione hujusmodi eleëmosynarum ex privato aliquo affectu minus merentes magis merentibus præferunt: cùm dubitari nequeat, offerentium hujusmodi eleëmosynas intentionem esse, ut dum omnibus pauperibus provideri nequit, magis merentes primò de illis participent.

Hinc Synodi nostræ passim solicitè inculcant, "ut „eleëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu „& acceptione personarum, iis tantùm distribuantur, „qui verè pauperes sunt." Ita Synodus Mechl. ann. 1609. *titul. 21. capit. 11.* Idem & reliquæ Synodi communiter monent; additque Franciscus Sonnius Antverpiensium Antistes in Decretis Synodalibus *tit. de bonis Fabricæ & S. Spiritûs c. 6.* ut" in singulis Parochiis Mamburni S. „Spiritus habeant Mensam convenienti loco positam ad „distribuendas ex ea pauperum portiones: ut videat populus, neq; indignos admitti, neq; dignos repelli, fierique „hanc distributionem sine personarum acceptione."

III. Monet præterea citata Synodus Mechliniensis, ut in eleëmosynarum distributione " non inopiæ & egestatis „tantùm, sed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio ha„beatur."

Atque imprimis hoc nomine ab his eleëmosynis arcendi sunt validi mendicantes; qui hujusmodi eleëmosynis victitantes in otio, & desidia, ac quæ exinde sequuntur multis sceleribus vitam ducunt: quos & Principes ab eleëmosynis arcendos multis Edictis sanxerunt. Nam ut de similibus monet Synodus Coloniensis 1536. *part. 11. c. 5.* " Vtilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securus „justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus „in justitiæ acquiescat."

IV. Hinc facilè patebit, distributionem eleëmosynarum præ cæteris convenire Parochis, eisq; primo loco deferendam: & si consuetudo eam Magistris detulerit, omninò convenire, ut ipsi in eleëmosynarum distributione Parochum ad minus consulant, & audiant. Hinc Synodus Iprensis sub Carolo Masio an. 1609. *tit. 20. c. 16.* ait. " Distri„butiones eleëmosynarum liberæ semper fiant conscio „Pastore; qui eas non ex humano affectu, aut cum accep„tione personarum, (inquit capite sequenti) sed omnibus „indifferenter verè pauperibus & probis honestisque vel „ipse distribuat, vel distribui curet."

Similiter Synodus Namurcensis an. 1659. *tit. 22. c. 6.* E„leëmosynæ Mensarum pauperum sine humano affectu & „acceptione personarum iis tantùm distribuantur, qui „verè pauperes sunt, & in iis nihilominus vitæ ac morum „probitatis cujusque ratio habeatur, ad quem finem, ait, „poterit adesse Pastor loci."

V. Addit & meritò Buscoducensis sub Masio *tit. 21. c. 5.* „Ut diebus Dominicis & festivis post summum Sacrum „& Concionem (quibus omnes interesse debent sub pri„vatione eleëmosynæ) sine humano affectu distribuantur Deinde prosequitur. "Notabiliter ante Festum Nativitatis „Jesu Christi & Paschæ Magistri S. Spiritus dabunt nomi„na Pastoribus gaudentium subsidio S. Spiritus, ut fidem „eorum & Religionem cognoscant: non enim eleëmosynis „gaudere poterunt, nisi de Confessione & Communione „in Paschate docuerint."

Hæc aliaque saluberrima Decreta & conditioni horum bonorum & legibus justitiæ distributivæ planè conformia, si exactè servarentur non tantùm corporalibus, sed & spiritualibus necessitatibus pauperum quàm optimè provideretur. Adde Decretum Synodi Antv. supra citatum.

CA-

CAPUT IV.

Qui computibus intervenire debeant.

1. *Quis ex Decreto Concilii Tridentini hic intervenire debeat.*
2. *Synodus Tridentina cum limitatione hic recepta.*
3. *Qui interveniant secundùm Concordatum inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.*
4. *Qui ex Edicto Philippi II.*
5. *Qui ex Edicto Alberti & Isabellæ.*
6. *Interdum cum Parocho intervenire debet Commissarius Episcopi.*

I. „ Administratores, tam Ecclesiastici, quàm Laici, *Fabricæ* cujusvis Ecclesiæ, etiam Cathedralis, „ Hospitalis, Confraternitatis, eleëmosynæ Montis Pietatis, & quorumcumque piorum locorum, singulis „ annis teneantur, ait Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 9. „ *De reform.* reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus & privilegiis quibuscumque in „ contrarium sublatis: nisi secus fortè in institutione & „ ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expresse cautum „ esset. Quòd si ex consuetudine aut privilegio aut constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordinarius: & „ aliter factæ liberationes dictis Administratoribus minimè suffragentur."

Ex mente ergo Synodi Tridentinæ in redditione rationum semper intervenire debet Ordinarius loci, nisi in fundatione contrarium expresse cautum sit.

II. Verùm notum est, Synodum Tridentinam in Belgio receptam ac publicatam esse cum quibusdam restrictionibus, quas Regii Magistratus Regiæ suæ Majestati suggesserant, quasque pro pace ac quiete harum Provinciarum, imò & faciliori ipsius Synodi executione necessariò adjiciendas publicationi Synodi judicabant, ipsumque Regem in litteris tum ad Archiepiscopum Cameracensem, tum Regios Ministros, quibus executionem Concilii suis Ministris injungit hanc addidisse clausulam: "Ne „ quid mutetur aut innovetur circa jura Regalia, privilegia suæ Majestatis, aut suorum vasallorum & subditorum, & speciatim circa superintendentiam Hospitalium, aliorumque piorum locorum."

Igitur ad plenè dignoscendum, qui computibus & rationum redditioni hic in Belgio interveniant, non tantùm Synodi Tridentinæ Decreta, sed vel maximè inveteratæ Belgii consuetudines, & specialia jura exquirenda sunt.

III. Et quidem concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem inita anno 1541. (quæ & in publicatione Concilii Tridentini Brabanti in hac materia conservanda dixerunt) *tit.* 3. §. 11. habent: "Quòd si Magistri „ Fabricæ, Mensæ S. Spiritûs, aut Administratores Hospitalium Laici fuerint, & à Laicis instituti, rationes administrationum suarum reddere coguntur coram Superioribus suis, vocato ad hoc Curato, si resideat, vel eo „ absente Vicecurato, vel Vicario perpetuo residente, ut „ si voluerit, intersit, absque eo quòd Decanus foraneus, „ aut alius Episcopi Commissarius necessariò vocari aut „ interesse debeat." Sequenti §. dicti Concordati cautum est, " Ut institutio, destitutio vel correctio talium Administratorum Laicorum & à Laicis institutorum ad „ eosdem Superiores Laicos pertinebit, & in casum negligentiæ ipsorum post monitionem per Episcopum eis „ legitimè factam, eorum negligentiam poterit Episcopus supplere, rationes administrationum exigendo, puniendo, vel destituendo delinquentes pro illa vice. Si „ Administratores omnes vel major pars Ecclesiastici fuerint, tunc omnis cura Administrarum quoad computum, institutionem, &c. ad Episcopum spectabit."

Igitur vi Concordatorum illorum, si fabricæ aut Mensæ S. Spiritûs Administratores Laici fuerint & à Laicis instituti, rationes reddi debent coram eorum Superioribus & Curato, aut ejus Vicecurato vel Vicario perpetuo residente: Episcopus verò aut ejus Deputatus nequaquam vocari aut interesse debet. In casum tamen negligentiæ poterit Episcopus rationes exigere.

IV. Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 13. cavet, " ut quo proventus Fabricarum & aliorum piorum locorum, meliùs impendantur, & fundationes, prout oportet, conserventur, *redditioni computûs proventuum fabricarum*, præsens sit & vocetur Curatus loci, vel Episcopus mittat unum alium suum Deputatum, quando ex causa id judicaverit expedire, idque sine sumptu dictæ Fabricæ, & sine præjudicio juris „ vel authoritatis Regiæ, aut particularium Toparchorum ipsorum locorum."

V. In Edicto Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem per octo articulos de administratione piarum fundationum & locorum tractatur; & quidem *artic.* 23. quasi præfando ajunt Principes, "Conservationem piorum locorum, eorumque proventuum specialiter sibi „ esse commendatam, utpote cujus pars notabilis à Principibus suis Prædecessoribus, aut eorum Vasallis provenit." Deinde subdunt: "Nos confidentes, nec dubitantes de bono affectu Archiepiscopi & Episcoporum „ hac in parte nobis assistendi, & satisfaciendi obligationi, quæ juxta Sacros Canones ipsorum officio & dignitati annexa est, statuimus, &c."

Agnoscunt ergo Principes, Episcopis vi sui officii curam fabricæ piarumque fundationum specialiter incumbere; seque Edicta legesque suas eò dirigere, ut in hac officii executione Episcopis subsidio sint: quem in finem præterea inter alia, " quoad redditionem computuum „ seu rationum, præter illos qui hactenus intervenerunt, „ sive ex parte Principum, sive Vasallorum, intentionis „ suæ esse declarant, & præcipiunt, conformiter ad id, „ quod jam ordinatum fuit per Edictum Regium ad Synodum Cameracensem 1. Junii anni 1587. ut Episcopi „ ejusve Commissarii in præfata computuum redditione „ interveniant sine sumptu aut onere dictarum fundationum, pro meliori causarum directione, & uniuscujusq; „ satisfactione; omnesque exorituræ difficultates sopiri „ queant communi arbitrio eorum qui computibus intendent." *art.* 25.

VI. Ex his Principum Edictis & Concordatis fit intelligitur, intentionem eorum fuisse, ut redditioni computuum Parochus interveniat; imò & subinde ultra Parochum Episcopus ejusve Commissarius.

Et quidem cum ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem expresse Parochus esset vocatus, & ex Edicto Alberti & Isabellæ præter illos qui consueverant intervenire vocetur Episcopus ejusve Commissarius, non obscurum est, cur in istis Parochiis, quæ aliquando fuerunt sub Diœcesi Leodiensi, unà cum Parocho interveniat Archipresbyter.

Nequaquam ergo Principum intentio fuit, per limitationem publicationi Concilii Tridentini adjectam, Parochum aut Episcopum omnino excludere.

Imò cùm Sacri Canones, ipsorumque Principum Edicta jus interveniendi ejusmodi rationum exhibitioni adeò enixè, & evidenter Parocho & Episcopo asserant, consequens est, quod non nisi evidenter & juridicè contrario titulo probato Parochus vel Episcopus excludi queat.

CAPUT V.

Quæ circa redditionem computûs observanda?

1. *Singulis annis computus reddendus.*
2. *Certus dies præfigendus, & à quo?*
3. *Conclusiones computuum purganda.*
4. *Expensæ inutiles vitandæ.*
5. *Bona Pauperum in usum Communitatis non convertenda.*

6. *Defectus & abusus circa computus per quos corrigendi.*
7. *Qui cognoscere debeant de quæstionibus in hac materia exurgentibus.*

I. „ RAtiones Fabricarum, & Mensarum pauperum „ aliarumque piarum fundationum, ait Synodus „ Mechl. P. II. singulis annis ubique reddantur, vel saltem, ubi tenuiores sunt earum proventus, singulis biennis." *Tit. 21. cap. 8.*

Hanc annuam rationum exhibitionem non tantùm Synodi, sed & Principum Edicta urgent; quin & juramento in sæpe citato Regulamento Concilii Flandriæ præscripto annua illa computûs exhibitio exprimitur, & exigitur.

II. Præterea Edicto Principum ad Synodum Mechliniensem *art. 23.* statuitur: " Ut Episcopi per se, vel per „ Commissarios cum interventione patronorum fundationum, vel aliorum qui hactenus curam habuêre, alioquin primarii Officialis, certum perpetuumque diem „ præfigant, quo quotannis administratores rationem seu „ computum reddant. "

Regulamentum Concilii Flandriæ similiter certum diem singulis annis redditioni computus designari optat; vultque ut dies ille publicetur ante fores Ecclesiæ 14. aut minus 10. vel 8. diebus ante; ut unusquisque se juxta hoc gerere queat.

Cùm ergo vi Edicti Commissario Episcopi, qui solet esse ipse Decanus Ruralis, primaria cura incumbat designandi diem redditionis computus, non dubium quin ex intentione Principum ipsi Decani Rurales specialiter invigilare teneantur, ut suo tempore computus fiant.

III. Adhæc non tantùm invigilare tenentur, ut computus nondum exhibiti exhibeantur, sed insuper præcedentes computus examinare, & attendere, num conclusiones debitè sint purgatæ, seu reliqua eorum plenè soluta. Synodus Mechl. P. II. *tit. 22. cap. 10.*

Quin & Regulamentum Flandriæ *art. 3.* vult, ut Administratores fabricæ & mensæ S. Spiritûs intra 6. hebdomadas, vel ad summum duos menses à deposito officio conclusiones suas purgent ad manus successorum, sub pœna executionis.

IV. Ut verò paucioribus expensis fiant, decrevit Concilium Flandriæ, ut reddentes computum, aut quem hi designare volent ad describendum dictum computum, sive sit Graphiarius Parochiæ, sive quis alius, " Non " ampliùs possint accipere in singula folia ex utraque par„ te conscripta quàm quatuor asses, etiam cum duplica„ to, modò unaquæque pagina contineat 17. aut 18. li„ neas, & singulæ lineæ sex verba, sic ut Articuli inutili„ ter non extendantur, sub pœna quòd horum respectu „ in taxando salario nulla habeatur ratio ab Auditoribus „ computûs."

Et Articulo 10. decernitur, ut " Auditoribus sive pro „ auditione sive conclusione computus loco salarii singu„ lis unus dumtaxat florenus detur; Graphiario autem „ pro lectione ac signatura tam originalis quàm duplicati „ duo floreni; neque aliquid præterea eorum intuitu in „ computum induci possit; ac signanter ne aliquæ convi„ vationes fiant ad onus fabricæ aut pauperum."

Denique ut omnes superfluæ expensæ vitentur, nec quocumque colore bona Ecclesiæ vel pauperum in proprium suum commodum Graphiarii aliique Officiales divertant, cautum est, ne expensis fabricæ vel pauperum ampliùs quàm duo exemplaria computus conficiantur: unum reponendum in archivis Ecclesiæ, & alterum ut maneat apud eum qui computum exhibuit.

Mandant quoque singulariter Synodi nostræ, ut à commessationibus & conviviis, quibus fabricæ pauperesque gravantur in redditione computûs & elocatione bonorum abstineatur.

Et sanè qui inutilibus, superfluis, imò profanis expensis res pauperum & Ecclesiæ consumunt, aut in proprium usum quocumque prætextu convertunt, nequaquam ab injustitia & restitutione excusari possunt: qua de re à Parochis interdum monendi sunt.

V. Quin nec id justum est, ut bona in eleëmosynas pauperum distribuenda convertantur in honoraria aut salaria eorum, qui Communitati serviunt; tametsi pauperes sint: cùm ejusmodi salaria non ut eleëmosynæ debeantur. *Non detur*, ait Synodus Namurcensis an. 1639. tit. 18. cap. 23. *subulcis vel Communitati servientibus aliquid stipendii è mensa pauperum.*

Deinde *cap. 27.* monet: " Ut Pastores bona pauperum „ & fabricarum, pro Sacris, Hebdomadariis, Defunctorum, Venerabilis Sacramenti, Supplicationum pompâ, „ Citharædis, ad libitum non expendant. " Ne eâ occasione Pastores res Ecclesiæ aut pauperum vel in alienos, vel etiam indirectè in proprios usus divertant.

VI. Si autem contingat, " Episcopos eorumve Com„ missarios vel in visitatione, vel in ipsa computuum au„ ditione deprehendere notabiles defectus, volunt Prin„ cipes in Edicto ad Synodum Mechl. *art. 30.* de iis in„ formari Fiscales Regios; ut hi ex officio hujusmodi de„ fectibus & abusibus obvient, & remedium adhibeant."

Huic conforme est Decretum Synodi Namurc. anni 1659. *tit. 16. cap. 27.* statuens, ut " Ubi in rescriptioni„ bus invenietur Mamburnos fabricæ & mensæ paupe„ rum alicujus Parochiæ non reddere computum, ad nos „ deferantur, ut mox certiorato Procuratore Generali „ Brabantiæ & Namurcensi respectivè per eos ad reddi„ tionem compellantur. "

VII. Quapropter si Edicta & quotidiana praxis attendantur, etiam in Belgio obtinere videtur, quod de Gallia refert Carolus Fevret, nimirum Judices Regios esse in possessione cognoscendi de quæstionibus occasione computuum, aut Administrationis bonorum fabricæ exorientium. Cùm enim agatur de rebus profanis seu temporalibus, ipsique Administratores sint personæ Laicæ; sustinent Magistratus Civiles, Ædituos & Magistros pauperum ratione suarum Administrationum coram Ecclesiastico judice conveniri non posse. Ideoque, ait dictus Fevret, omnia Parlamenta Galliæ abusivas declarant omnes simplices citationes Ædituorum ad Tribunal Ecclesiasticum, omnemque processum in ordine ut coram Archidiaconis, aut Officialibus suos computus reddere compellantur. Vide etiam Renatum Choppinum de Polit. Eccles. *lib. 2. tit. 2.*

Hanc disciplinam confirmat Articulus 26. Edicti Principum ad Synodum Mechliniensem, quo decernitur, „ Ut si occasione resolutionis captæ per Episcopum ejus„ ve Commissarium & alios Superintendentes auditioni „ computus, quispiam prætendat se læsum, is possit que„ relam deponere coram Superiore *sæculari* judice loci „ ipsius fundationis, de cujus Administratione agitur; cu„ jus sumptibus tunc sustinebitur, quod per Auditores „ decretum fuerit. "

Eodem Carolo Fevret referente, Judices Ecclesiastici nequaquam judicare possunt de destitutione, aut institutione Ædituorum & Magistrorum: quod & conforme est Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, si Æditui ac Magistri pauperum Laici sint, & à Laicis instituantur; uti his in Provinciis plerumque contingit: unde & quæstiones in hac materia occurrentes vix alibi quàm coram Regiis Tribunalibus agitari videmus.

CAPUT VI.

Proponuntur Regulæ generales in hac materia observandæ.

1. *In hac materia alia sunt Juris naturalis, alia sunt merè disciplinæ.*

2. In

2. *In his primò inspicienda cujusque loci consuetudo.*
3. *Deficiente consuetudine, localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta.*
4. *Quædam circa Edicta Regia notanda.*
5. *Deficientibus Synodorum Decretis & Principum Edictis attendenda Synodus Tridentina.*
6. *Post hæc recurrendum ad Jus commune.*
7. *Præ omnibus tamen attendenda fundatio.*

I. INter illa, quæ hactenus dicta sunt de Administratione Fabricarum & Mensarum S. Spiritûs sive pauperum, aliqua sunt, quæ lex naturalis servanda præcipit; quæque consequenter nec per locorum spatia, nec temporum decursum mutari, aut variari possunt: v. g. quod bona ad fabricam aut pauperum mensam spectantia fideliter & in utilitatem Ecclesiæ ac pauperum administrentur & dispensentur; nullæ superfluæ ac inutiles expensæ in eorum elocatione vel redditione computuum fiant; lites aliave negotia majoris momenti per quæ notabile damnum bonis illis inferri posset, non nisi prævio maturo examine suscipiantur, proventus pauperum ita distribuantur, ut non tantùm corporalibus, sed quantum possibile est, etiam spiritualibus necessitatibus pauperum succurratur; utque sine ullo humano affectu, & personarum acceptione magis merentibus dispensentur.

Alia verò, eaque non pauca, sunt merè disciplinæ ex eorum genere, quæ per loca terrarum, & temporum vicissitudines variari possunt. Exempli causâ, à quibus eligendi Æditui aut Mamburni; à quo recipiendum eorum juramentum, qui redditioni computus intervenire debeant, & alia similia.

II. Super his ergo si forsan quæstio incidat; primò & ante omnia inquirendum erit, utrùm antiqua & hactenus non interrupta consuetudo & possessio non habeatur, quæ casum decidat. Hæc si habeatur, haud facilè ab ea in hac materia, & punctis supra expressis, recedendum erit; sed servanda regula, quam in similibus tradit S. Augustinus Epist. 54. ad Januarium num. 3. *Nec disciplina ulla est in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiam ad quam fortè devenerit. Ipsa quippe mutatio consuetudinis*, ut ibidem num. 6. dicit August. *etiam quæ adjuvat utilitate, novitate perturbat.*

III. Deficiente verò consuetudine, vel eâ dubiâ aut incertâ existente, recurrendum erit ad localium Synodorum Decreta, aut Principum Edicta in hac materia evulgata: ut si casus in illis decidatur, aut dubium illustretur, illis sit inhærendum: præsertim tamen Principum Edictis.

IV. Illud verò hîc observandum, licèt Edicta nomine Principis, cui totum Belgium erat subjectum, emanaverint; inde tamen consequens non esse, hæc Belgium integrum sive omnes ejus Provincias concernere: quia subinde contingit ut Princeps non nisi unam Provinciam suo Edicto obligare velit: interdum duas, & aliquando omnes. Hoc ut dignoscatur, videndum qua qualitate Legislator loquatur, & quibus. Si omnibus salutem dicit, plerumque generalis Lex est; eoque casu ad calcem publicatio & executio Conciliis aut Parlamentis omnium Provinciarum injungi solet. Mandata verò & Decreta solùm Provincialia solis duntaxat qui sunt de illa Provincia inscribuntur: & in fine publicatio & executio Præsidi & Concilio illius Provinciæ demandatur. Vide Zypæum in Proœmio Notitiæ Juris Belgici.

V. Si nec ex ipsis Synodorum Decretis, nec Principum Edictis decisio casus haberi queat, inquirendum erit, num ipsa Concilii Tridentini Decreta elucidationem subministrare queant. Nam ut in prologomenis notatum fuit, & in terminis expressis Senatui Frisiæ 6. Junii anno 1569. respondit Concilium Secretum Regium; Synodus Tridentina in his Provinciis simpliciter publicata fuit, intimatâ solummodo Archiepiscopo Cameracensi ac Magistratibus Civilibus Regis voluntate de conservandis Provinciarum consuetudinibus & Juribus Regiis ac Vasallorum in hac materia: consequenter ubi vetusta consuetudo, aut Jus Regium aut Vasallorum non ostenditur, Tridentina Decreta subintrare debent.

VI. His quoque deficientibus, aut non satis apertè casum exprimentibus, ex Juris communis dispositione resolutio quæstionis petenda erit. Commune enim & receptum Jurisconsultorum principium est: Deficiente consuetudine & jure patrio, juri communi standum esse; illaque si dubia sint, eorum interpretationem ex jure communi desumendam esse.

VII. Porrò hæc omnia intelligi oportet, nisi quidquam quoad administrationem ipsius fundationis à Fundatore præscriptum sit: quia leges fundationis in hac materia primum locum obtinere solent. Denique efficacissimum sopiendis quæstionibus remedium erit, si sincero pietatis zelo, in hoc pietatis & religionis opere omnes procedant: ostendantque se non quærere quæ sunt sua, sed quæ Dei & pauperum.

TITULUS VI.

De Decanis Christianitatis seu Ruralibus.

CAPUT I.

Archipresbyteri alii Urbani, & alii Rurales: Hi à quo eligendi?

1. *Antiquus Archipresbyterorum in Ecclesia usus.*
2. *A multis sæculis plures in una Diœcesi Archipresbyteri constituti.*
3. *Archipresbyterorum electio & destitutio olim ad Episcopum & Archidiaconum, hodie ad solum Episcopum spectat.*
4. *Archipresbyteratus hodie nulli Beneficio aut determinatæ Parochiæ solet esse annexus.*
5. *Functiones Archipresbyterales unicè penè dependent ab arbitrio Episcopi.*

I. ANtiquum esse Archipresbyterorum usum & institutionem testis est Sanctus Hieronymus, qui in Epistola ad Rusticum ait: " Singuli Ecclesiarum „ Episcopi, *singuli Archipresbyteri*, Archidiaconi; „ & omnis Ordo Ecclesiasticis suis Rectoribus nititur."

Supponit quidem S. Hieronymus, unicum fuisse in singulis Ecclesiis Cathedralibus Archipresbyterum, sicuti unicus erat Episcopus. Nec mirum; eo quippe tempore, prior Ordinatione inter Presbyteros Archipresbyter, seu *primus* Presbyterorum erat; isque toti Collegio Presbyterorum præsidebat: quemadmodum & hodie unicus esse solet Archipresbyter in Cathedrali Ecclesia, qui omnibus Presbyteris & Clericis civitatis Episcopalis præesse consuevit; & Archipresbyter Cathedralis vocatur; atque inter dignitates numerari solet, de quo hîc non agitur, sed de solis Ruralibus, id est, qui extra civitatem Episcopalem curam agunt.

II. Jam enim à multis sæculis populo multiplicato, plures in una Diœcesi Archipresbyteri constitui cœperunt; qui extra civitatem Presbyteris & Clericis intenderent, & præessent; dicti propterea *Rurales*.

Et quidem sæculo nono inter constitutiones Riculfi Epi-

Episcopi Suessionensis *cap.* 20. legitur: "Rationi quoque „ proximum est, ut unoquoque mense statuta die, id est, „ kalendis uniuscujusque mensis per singulas *Decanias* „ Presbyteri simul conveniant, & de his quæ in eorum Pa„ rochiis accidunt, sermonem habeant."

Erant ergo jam tum Diœceses in certas *Decanias* distinctæ; sive designati districtus, quibus singuli Decani præessent; quæ disciplina ad hæc nostra tempora pervenit: hoc unum cavendum, *ne pluribus præficiantur Ecclesiis* (ut loquitur Synodus Mechl. P. I. *tit. De Decanis cap.* 1.) *quàm possint commodè regere.*

III. Si jus commune sive Decretalium spectetur, electio, uti & destitutio Decanorum Ruralium communiter ad Episcopum & Archidiaconum spectat: "Quia, cum „ ab omnibus, quod omnes tangit (ait Pontifex in *cap.* 7. „ *De offic. Archid.*) approbari debeat, & commune eo„ rum Decanus officium exerceat, communiter est eligen„ dus, vel etiam amovendus."

At quia in Belgio omnis penè Archidiaconorum potestas & jurisdictio ad Episcopos revoluta est, ut infra dicetur, etiam in plerisque Belgii partibus obtinet conformiter ad Decretum Synodi Mechl. P. I. c. 3. "Ut Archipres„ byteri Rurales in singulis Diœcesibus pro discretione „ Episcoporum assumantur . . . . ac sint arbitrio Episco„ porum amovibiles."

IV. Imò moribus Belgii passim obtinuit, ut non tantùm Episcopi soli pro suo arbitrio Decanos Rurales constituant, sed insuper libertas eis sit, quemcumque è Presbyteris, quem huic officio maximè judicant convenire, eligere; nec solet officium Archipresbyteratus ulli determinatæ Parochiæ aut Dignitati, vel Beneficio esse annexum.

Similiter in potestate Episcopi est, districtum Decanorum vel extendere, vel limitare; imò & unam Decaniam sive districtum Archipresbyteratus in plures dividere; aut plures in unum conflare.

V. Functiones quoque & potestas Decanorum à commissione seu instructione, quam ab Episcopis accipiunt, unicè dependent: unde in Litteris, quibus Archipresbyter ruralis constituitur, inseri consuevit hæc clausula: *Archipresbyterum districtus N. te nominamus & deputamus cum facultatibus hujusmodi Archipresbyteris concedi solitis ac consuetis juxta instructiones datas.*

Ut ergo de officiis juribusque Decanorum Ruralium conformiter ad jus Belgii judicemus, Decreta Synodalia, ipsorumque Episcoporum instructiones, quibus facultates, & functiones Archipresbyterorum continentur, potiùs quàm Juris Communis præscripta examinanda sunt.

CAPUT II.

Decani Rurales Pastoribus & Ecclesiasticis sui districtus intendere debent.

1 *Decani Rurales sunt Pastores Pastorum.*
2 *Tenentur ad residentiam.*
3 *Pastoribus invigilare, & de vita & moribus soliciti esse debent.*
4 *Qui in Decanos eligendi.*

I. ARchipresbyteros seu Decanos Rurales esse Pastores Pastorum, sive curam Pastorum sui districtus agere, imò & omnium Ecclesiasticorum, nisi consuetudo aliusve legitimus titulus curam aliquorum ad alium detulerit, tum commissio Archipresbyteris dari solita, tum Synodalia decreta manifestè supponunt.

II. Unde Synodus Mechl. P. I. *tit. de Decanis cap.* 2. cùm priùs de residentia personali Pastorum dixerat, subjungit: "Cùm eadem sit ratio de Pastoribus & Archipres„ byteris seu Decanis ruralibus qui & ipsi Pastores Pasto„ rum sunt, & eorum officium in observatione morum tam „ Pastorum quàm laicorum sui districtus consistit; sta„ tuit hæc Synodus, ut sicuti singuli Pastores in suis Pa„ rochialibus, ita omnes Archipresbyteri seu Christiani„ tatum Decani in suorum Decanatuum limitibus ad „ personalem residentiam compellantur."

III. Et *c.* 4. deinde infert, ut Archipresbyteri rurales in singulis Diœcesibus pro discretione Episcoporum assumantur, *qui possunt*, inquit, *Pastoribus vitâ, consilio & exemplo prodesse.*

Synodus quoque Cameracensis P. II. *tit.* 19. *cap.* 11. supponens Archipresbyteris curam Pastorum & Ecclesiasticorum incumbere, ait: "Decani autem rurales Parocho„ rum, adeòque omnium, etiam Sacerdotum & Clerico„ rum, quin & laicorum suorum districtuum mores dili„ genter observent, potissimùm autem, ut Pastores in præ„ dicatione verbi Dei, Sacramentorumque administratio„ ne, ac in cæteris omnibus suo muneri satisfaciant."

Synodus etiam Antverpiensis claris terminis hanc Archipresbyterorum obligationem expressit & declaravit: "Archipresbyteri seu Decani rurales, cùm sint Parocho„ rum aut Sacerdotum sui districtus Pastores, soliciti sint, „ ait, de eorum salute & profectu spirituali, & singularem „ habeant inspectionem & curam de ipsorum doctrina, „ vita & moribus. Et vicissim mandamus Parochis & Sa„ cerdotibus, ut Decanos uti Superiores suos agnoscant, „ revereantur & ament."

Idem omnes passim Synodi & Episcoporum instructiones solicitè inculcant; monetque Audomarensis *tit.* 18. *cap.* 1. "Decanorum esse in sui Decanatus partibus sive „ Parochiis curare, ut Sacerdotes & Clerici omnes, & sin„ gulariter ut Pastores vitam agant sua vocatione dignam, „ ac talem ut nemo de ipsis queri possit, nihilque in ipsis, „ nisi grave, modestum, imitationeque dignum conspici; „ deinde in hoc advigilare, ut Pastores in prædicatione „ verbi Dei, Sacramentorum administratione, & omnino „ in functione pastoralis officii sui rectè, diligenter, & „ quemadmodum oportet, versentur: Adhæc ipsos quando „ opus fuerit, visitare, monere, corripere, consolari, consi„ lio ipsis subvenire: denique veri Pastoris officium erga „ illos, sanos & ægrotos, vivos & mortuos, exercere."

Addit Namurcensis anni 1639. *tit.* 21. *cap.* 6. ut eos hortentur, ut "quotidie aliquid temporis orationi & le„ ctioni spirituali tribuant."

Ut verò Parochiarum & Parochorum notitiam exactiorem habeant, rectè monet dicta Synodus Namurcensis *tit.* 20. *cap.* 35. ut "Decani habeant aliquot probos & sibi fi„ dos Pastores, à quibus excessus vicinarum Ecclesiarum „ addiscant."

Duo hîc notanda. Primum, omnia hæc à Synodis decreta unicè ac quasi per necessariam consequentiam profluere ex cura pastorali, quam Archipresbyteri Pastoribus & Ecclesiasticis sibi subjectis impendere debent.

Ex quo ulterius consequens est, quod suppositâ curâ animarum ab Archipresbyteris, omnia quæ Synodi ac Episcoporum instructiones tamquam necessaria aut admodum convenientia pro debito illius curæ exercitio præscripserunt, eatenus semper & ubique esse observanda, in quantum cura pastoralis, quam Pastoribus aliisque Ecclesiasticis debent, requirere videtur.

IV. Alterum notandum, quàm soliciti meritò sint Episcopi, ut doctiores, zelosiores, in cura animarum exercitatiores, ac pietate morumque integritate eminentiores ad hoc officium eligantur; utpote, qui non Laicis tantùm, sed & ipsis Laicorum directoribus, & conductoribus, vitâ, consilio & exemplo prodesse, & præire debent.

CAPUT III.

De Visitatione Archipresbyterorum.

1 *Visitatio decanorum necessaria.*
2 *Singulis annis instituenda.*
3 *Primò de vita & moribus inquirendum.*
4 *Inducere studeant Pastores ad Officia Spiritualia.*
5 *Satagere debent ut plenam notitiam Parochiarum sui districtûs accipiant.*
6 *Præter annuam visitationem Parochias suas frequenter invisent.*
7 *Quæ potissimum Decanis attendenda, ut officium suum recognoscant.*

I. CUm Archipresbyteri omnibus Pastoribus, & Ecclesiasticis sui districtus superintendere, & invigilare debeant; attendere quoque, num nihil in Parochiis sibi subjectis, ad earum debitum regimen & curam animarum spectans negligatur; nihil evidentius, quàm inter primas Archipresbyterorum obligationes, esse Parochiarum sibi subjectarum exactam, & frequentem visitationem; qua mediante in notitiam Parochiarum venire, & corrigenda corrigere, aut ad Episcopum corrigenda referre queant.

II. Et quidem in omnibus Synodis Archipresbyteris injungitur, ut semel ad minus singulis annis Parochias sui districtus visitent; tempusque visitationi destinatum Pastoribus tempestivè præsignificent: caveantque seriò, ne occasione visitationum comessationes ullæ fiant.

III. Inter cætera autem visitaturi sedulò inquirant, ait Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 17. *cap.* 11. „An Pastores „ipsi, ac reliqui Sacerdotes, & Ministri Ecclesiæ honestè „vivant; & an officio suo in prædicatione Verbi Dei, cele„bratione Missarum, administratione Sacramentorum, ac „cæteris omnibus, satisfaciant.

Et Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 16. *cap.* 13. monet omnes Archipresbyteros, "Ut annales visitationes „obeuntes, & aliàs diligenter inquirant, quibus rebus „Pastores se impendant, ut si quos otio deditos repere„rint, ne nihil agendo malè agere discant, eos actionibus „Ecclesiastico homine dignis incumbere, & per bona ope„ra certam suam vocationem facere procurent."

„Cui fini inducent omnes & singulos (pergit capite „sequenti) ut quotidie ad mediam horam lectioni Scrip„turæ Sacræ aut alicujus pii libri, & aliam mediam horam „divinorum mysteriorum, & maximè Passionis Christi „meditationi insumant.

IV. „Inducent etiam illos, ut quotannis opportuno „tempore se recolligant faciantque exercitia spiritualia „apud eos qui in ista arte versati sunt, quibus sic absenti„bus providebitur populo de Sacerdote, qui tam in con„cionando, celebrando, quàm confessiones audiendo eo„rum vices suppleat.

Eidem & cæteræ Synodi Archipresbyteris inculcant; ut nimirum „sedulò inquirant in suis visitationibus de „vita, doctrina & moribus Curatorum & aliorum Pres„byterorum, „uti loquitur Synodus Brugensis sub Druitio; quæ & addit: Ac Præceptorum seu Magi„strorum; & cujus sint qualitatis, fidei, & nominis ac „famæ.

V. Quibus consonant novissimæ instructiones datæ Archipresbyteris Diœcesis Mechliniensis, quibus ante omnia injungitur, „Curent visitationem, ut potissimam „officii sui partem, sedulò, accuratè & cum timore Dei „perficere, ac præcipuè invigilare, ut Altaria, ac Sacra„mentalia, ipsaque templa nitida serventur, *Pastoresque* „*ipsi, quoad obligationes & functiones suas Pastorales exacti* „*sint & diligentes, an quo studio, quove exercitio otium pel*„*lant. Quare non plures uno die visitabunt Ecclesias, quàm* „*commode possint.*

Varia alia, tum statum interiorem, tum exteriorem Parochiarum spectantia, super quibus Archipresbyteri visitando se informare debent, Synodi & instructiones Episcopales præscribunt; quo possint integrum Parochiæ statum plenè cognoscere, eumque Episcopo referre; ut ipse Diœcesis suæ notitiâ habitâ, possit intelligere quæ pro bono cujusque Parochiæ ordinanda, aut facienda occurrant.

VI. Porrò cum unica annua visitatione vix assequi possint totius Parochiæ perfectam notitiam, rectè monent Synodi, ut præter visitationem ordinariam, data occasione, sæpiùs Parochias sibi commissas invisant. Synodus Antverp. *tit.* 16. *cap.* 1. Namurcens. anno 1639. *tit.* 21. *cap.* 5. Hinc & in *cap.* 4. ☓ *De offic. Archipresbyt.* præcipitur, "ut singulæ Plebes Archipresbyterum habeant „propter assiduam erga populum Dei curam, qui non so„lum imperiti vulgi solicitudinem gerat, verùm etiam „Presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vi„tam *jugi* circumspectione custodiat, & qua unusquis„que industria divinum opus exerceat Episcopo suo re„nunciet."

Et Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 7. *cap.* 2. Decanorum officium esse ait, "Pastores, quando opus est, „monere, corripere, visitare, consolari, bono con„silio subvenire, ac veri Pastoris officium erga illos exer„cere.

VII. Uno verbo, recogitare debent Archipresbyteri, se esse constitutos Pastorum & Ecclesiasticorum sui Districtus Pastores; ipsarumque Parochiarum Vice-Episcopi directioni intendere debere; ut vel ipsi defectus corrigant, vel ad minus Episcopum de omnibus plenè instruant.

Hinc apparet, officium Archipresbyterale gravius sanè esse, quàm vulgò apprehenditur; atque ad illud non esse assumendos, nisi qui zelo, & pietate Pastoribus præeant, ac ea doctrina sint & eruditione, qui & Pastoribus consilia, & salutaria monita dare possint; & exactè ac prudenter defectus Parochiarum observare, & ad Episcopum referre.

Cæterum plura, quæ Archipresbyteri circa scholas, domos pastorales, ornamenta Ecclesiarum; imò circa Monasteria Monialium sibi subjecta aliaque similia inquirere & facere tenentur, notabimus, ubi parte secunda specialiter de illis rebus tractabitur.

CAPUT IV.

De Congregationibus Pastorum & Archipresbyterorum.

1 *Decanus dum expedire judicaverit Parochos sui districtûs convocare potest.*
2 *Quomodo Capitula Pastorum instituenda.*
3 *Quid in illis tractandum; & quis eorum scopus.*
4 *Etiam Parochi sine Decano Capitula habere possunt utiliter.*
5 *Decani annuatim cum Episcopo convenire debent.*

I. „UT Decani, quæ ipsis ratione Decanatus „incumbunt officia faciliùs exequantur, „ait Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* „7. *cap.* 3. liceat iis, quoties expedire vi„debitur, omnes pastores sui Decanatus „ad aliquam parochialem Ecclesiam convocare, atque „cum illis communiter & divisim consilia de pastorali of„ficio, & pro uniformi executione & observatione statu„torum tractare."

Præter has extraordinarias ex causa instituendas Congregationes, volunt insuper Synodi nostræ, ut Capitula Pastorum singuli Archipresbyteri quotannis celebrent, præcisè illo die quem Ordinarius illis statuit. Synodus Mechl. P. II. *tit.* 17. *cap.* 14.

II. „Porrò

II. „ Porrò hæc ipsa Capitula sic celebrentur; ut ea non „ad compotandum, sed ad tractandum de rebus seriis indi„cta esse omnibus innotescat. Proinde in illis initium rerum „agendarum sumatur ab invocatione Spiritus Sancti, quo „dirigente de rebus Ecclesiæ conferatur. Prandium verò „non fiat nisi frugale & moderatum, ut nemo sumptibus „vel potu gravetur, nec unquam illud in taberna vel di„versorio instituatur. Extranei quoque per quos tractatio „de rebus Ecclesiæ possit impediri, ab eo excludantur." Ita Synodus Mechl. D. *tit.* 16. *cap.* 9. cui & aliæ Synodi consonant.

III. In his autem congregationibus de morum correctione, abusuum reformatione tractetur, ait Synodus Cameracensis P. II. *tit.* 19. *cap.* 16. & à singulis Pastoribus in scriptis referatur status suarum Ecclesiarum; item quidquid in eis defectus animadversum fuerit: vel ut loquitur Synodus Antverpiensis *tit.* 16. *cap.* 2. singuli Pastores liberè pandent, si in suis aut vicinis Ecclesiis aliquos defectus aut transgressiones animadverterint.

Monent quoque Synodi, ut Archipresbyteri tamquam Pastorum Pastores, & Congregationis præsides, eosdem ad statutorum Synodalium observantiam, ac diligentem munerum suorum adimpletionem & defectuum suorum Parochianorum declarationem pia & seria oratiuncula adhortentur. Synodus Buscod. sub Masio *tit.* 16. *cap.* 5. & Synodus Camerac. P. II. loco citato *cap.* 17. quæ ejusmodi exhortationem haberi vult vel per Archipresbyteros, vel aliquem ex Pastoribus ab eis deputatum, in eum finem, ut *omnes de abusibus aut negligentiis à postrema Congregatione per eos observatis sincerè deponant.*

Scopus proinde harum Congregationum unicus hic est, ut abusibus & defectibus, aut difficultatibus, vel mutua collatione occurri & mederi possit; vel eorum haberi exacta notitia; qua habita de omnibus Episcopus informetur; & ejus auctoritate quod expedire judicabitur, statuatur.

IV. Præter hæc communia omnium Pastorum cum suo respectivè Decano Capitula, hodie sunt non minùs utiles Pastorum inter se Congregationes, quarum meminit, & quas institui vult Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 16. *cap.* 16. "Ubicumque, ait, hactenus Pastores non sunt reducti in „classes, qui singulis mensibus, & certo statuendo die, vel „horis conveniant, ibique tractent de promovenda pietate „in Deum, zelo animarum, & de scientia Pastoribus neces„saria, fiat quantocius, ubi per temporum difficultates, & „armorum strepitus licebit. Præscribentur quoque libri „tam pii, quàm Theologici, quos ante proximum con„ventum legere tenebuntur, & in quibus examinandum „vel è quibus disputandum, & cum Confratribus confe„rendum erit."

Dum hæ Pastorum congregationes modestè, piè ac vero Pastorali zelo instituuntur, nemo de earum fructu & utilitate dubitare poterit; summum tamen erit adjumentum, si inter eos sint aliqui scientiâ, pietate & zelo eminentiores, qui juniores aut rudiores, vel tepidiores erudire, vel excitare queant; suâque authoritate & eruditione congregationem dirigere.

V. Adhæc, ut ipsi Episcopi exactiùs & opportuniùs, quæ & generaliter suæ Diœcesi, aut aliquibus particularibus Parochiis conveniunt, statuere queant, nonullæ Synodi ordinarunt, ut quotannis certo designatoq; die omnes Archipresbyteri Episcopum accedant, atque cum illo de statu suorum respectivè Districtuum conferant, exponantq; quid singuli, tum in visitatione, tum congregationibus Pastorum aut aliunde observarint; quidquid pro bono Parochiarum statuendum judicarint; ac deinde post mutuam collationem, maturamque deliberationem audiant, quæ pro salute, ac utilitate Animarum Episcopus statuenda & ordinanda duxerit.

Hic rursus intelligitur, quàm meritò Episcopi sint solliciti, ut constituantur Archipresbyteri eruditione, zelo animarum, & rerum agendarum peritiâ eminentes, qui unà cum ipsis queant de statu & regimine Diœcesis conferre & deliberare.

Tales sanè si essent Archipresbyteri, eaque annuatim Capitula ad morum & disciplinæ reformationem celebrarentur, spes esset, quod illa aliquatenus supplerent vicem Synodorum Diœcesanarum, quas quotannis celebrandas præcipit Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *c.* 2. *De reformat.* & hodie proh dolor! unà cum totius disciplinæ collapsione, negligi penitus videmus.

CAPUT V.

De Juribus Archipresbyterorum.

1 *Decani habent jus visitandi Parochias sui districtûs*
2 *Pastores illos ut Superiores cognoscere debent*
3 *Decanorum est Pastoribus sibi subjectis administrare Sacramenta.*
4 *Etiam pro illis funebre officium persolvere.*
5 *Pastores & Beneficiatos in possessionem introducere.*
6 *Jus habent interveniendi computibus Fabricæ, hospitalium, Monasteriorum &c.*
7 *Nonnulla observanda à Decanis circa usum suorum jurium.*

I. ARchipresbyteris, sive Decanis Ruralibus incumbere curam Parochiarum suorum respectivè districtuum extra dubium est; adeòque jus est Archipresbyteris visitandi dictas Parochias, quoties id necessarium aut utile videbitur, ut debitam Parochiæ notitiam habere queant.

II. Adhæc cùm Decani Rurales sint Pastorum & Ecclesiasticorum suorum districtuum Pastores, etiam justum est, ut Pastores & Ecclesiastici ipsos ut Superiores suos agnoscant, revereantur & ament; uti Synodi nostræ præcipiunt.

III. Porrò quia Pastorum est, subditis suis Sacramenta administrare, etiam Decanorum est, Pastoribus aliisque Ecclesiasticis sibi subjectis Sacramenta porrigere. Hinc passim Synodi monent Archipresbyteros, „Ut ubi intel„ligent aliquem è sui districtus Pastoribus aut Sacerdoti„bus periculosè laborare, statim ad eum excurrant, mo„neantque ut saluti suæ consulat, eique, si opus est, Sacra„menta administrent." Ita Synodus Antverpiensis *tit.* 16. *cap.* 4. cui passim reliquæ Synodi ac Episcoporum instructiones consonant.

IV. Ulteriùs cùm Pastorum sit subditis suis è vita decedentibus justa persolvere, etiam Archipresbyteris jus est, „ Omnibus Ecclesiasticis tam sæcularibus, quàm regulari„bus, (verba sunt Synodi Antverpiensis *cap.* 5.) extra Mo„nasterium degentibus, in suo districtu morientibus, Sacra„menta administrare, & *officium funebre* facere. Urgente „tamen necessitate Pastor loci aut vicinus vices suppleat.

Addit insuper Synodus Namurcensis an. 1618. *titul.* 21. *cap.* 9. officia per Decanos sive Archipresbyteros fieri solita, „ut puta exequiæ Pastorum, Sacerdotum, vel in Sacris „Ordinibus constitutorum, nobilium, leprosorum & alia „hujusmodi, si per Prælatum vel alium fiant, serventur De„cano sua jura.

V. In plerisque quoque Diœcesibus jus est Archipresbyteris introducendi Pastores aliosque Beneficiatos in possessionem; recipiendi ab iis Fidei professionem aliaque solita juramenta. Quinimo in quibusdam locis obtinuit, „ut nullæ litteræ curæ animarum Deservituræ, „vel Vicepastoratus cuiquam suffragentur, nisi prævié Ar„chipresbytero istius districtus exhibeantur & ab eodem „subsignentur." Ita Decreta Synodalia Gandens. *tit.* 16. *cap.* 9.

VI. Solent quoque Archipresbyteri loco Episcopi intervenire computibus non tantùm Fabricæ, aut Mensæ S. Spiritus in Parochiis sui districtus, sed etiam Hospitalium, Begginagiorum & Monasteriorum Ordinario subjectorum.

VII. Verùm circa hæc aliaque jura & officia Archipresbyterorum notandum, illa plurimum ex consuetudine, & instructionibus, seu facultatibus, quæ Archipresbyteris in singulis Diœcesibus dari consueverunt, dependere, & variari; adeò ut ex consuetudine aut Decreto unius Diœcesis quoad similia ad alias Diœceses ordinariè non liceat inferre.

Denique recogitare debent Archipresbyteri, in tuendis aut exigendis juribus, præsertim temporalibus, se admodum moderatos esse debere. Cùm enim ipsi sint Pastores Pastorum; etiam officii eorum est, Pastoribus ostendere, & suo agendi modo vivaciter imprimere, quòd prima cura & solicitudo esse debeat salus animarum; Jura verò præcipuè temporalia parùm esse curanda; maximè ubi eorum rigorosa exactio nata esset profectum animarum & progressum Evangelii impedire.

Uno verbo, Archipresbyteri ita suorum jurium curam agant, ut tamen nunquam excidat, quòd cùm sint Parochorum & Sacerdotum sui Districtus Pastores, ante omnia soliciti sint de eorum salute & profectu spirituali, & singularem habeant inspectionem & curam de ipsorum vita & moribus, ac diligentia zeloque circa functiones Pastorales; seque respectu Pastorum gerant non ut dominantes in Clero, sed tamquam Patres & forma gregis facti ex animo. Pastoribus zelosis, & in officio Pastorali obeundo intrepidis & ferventibus consilio, auxilio, & solatio contra obmurmuratores & refractarios sua authoritate assistant & opitulentur.

TITULUS VII.

De Canonicis Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum, & officiis juribusque utriusque communibus.

CAPUT I.

Unde Canonici Collegiatarum & Cathedralium Ecclesiarum hodie dicantur SÆCULARES?

1. *Synodi etiam Generales Canonicos quosdam* sæculares *vocant.*
2. *Vocabulum* sæculare *nonnunquam in malam partem accipitur.*
3. Sæculares *interdum dicuntur, qui civilibus negotiis præcipuè occupantur.*
4. *Vox* sæcularis *prout applicatur Canonicis in malam partem non sumitur.*
5. *Qua ratione* Canonicè *viventes, rectè dicantur* sæculares.

Canonicos Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum non tantùm à vulgo & imperitis, aut malevolis hominibus hodie dici *sæculares*; eoque vocabulo distingui à Canonicis Regularibus in Monasteriis sub trium votorum professione viventibus, ex ipsis conciliis manifestum est.

I. Synodus Lateranensis sub Innocentio III. non obscurè distinguit Ecclesias Canonicorum *sæculares à Regularibus*: sed manifestiùs ipsa Synodus Tridentina *Sess. 7. c. 14. De reform. Sæculares* Clericos à *Regularibus* distinguens; & alibi sæpiùs Regularium Canonicorum ut à sæcularibus distinctorum verba faciens, hanc nomenclaturam probavit.

Quòd igitur Canonici hodierni, qui votis Monasterii non astringuntur, dicantur *sæculares*, ipsos offendere non potest, cùm etiam ipsa Concilia eo nomine à *Regularibus* ipsos distinguant.

II. Verùm vocabulum illud *sæculare* frequenter in malā partem accipi; ut v. g. ab Apostolo, dum præcipit, ut *abnegantes impietatem & SÆCULARIA desideria, sobriè, justè & piè vivamus in hoc sæculo*, negari non potest.

III. Similiter interdum *sæculares* dicuntur, qui in civilibus rebus & actionibus occupantur, qui soliciti esse debent, quomodo uxori placeant, quomodo liberos honestè educent & doceant. A quibus negotiis cùm sese Ecclesiasticus Ordo Deo mancipatus abstrahere debeat, dicente Apostolo: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus*, alii ad eorum discretionē homines *sæculares* dicti sunt: ac frequenter in canonibus clerici hujusmodi sæcularibus opponuntur.

IV. Neque ergo etiam hac ratione Canonici aut alii quicumque Ecclesiastici, si conformiter suæ vivant vocationi, *sæculares* dici possunt; neque hac significatione à conciliis Canonici vocantur *sæculares*, sed quatenus opponuntur iis, qui recedentes à sæculo ad claustra & solitudines se retrahunt; & exteriori professione per trium votorum emissionem omnibus sæcularibus & mundanis renuntiantes, sæculo & mundo nuntiū mittere; imò quodammodo mori dicuntur.

V. Horum ergo respectu Canonici, postquam rejecta communi vita, singularem vitam inter sæculares vivere cœperunt, *sæculares* dicti sunt; non ea quidem ratione, qua Laici actionibus civilibus & sæcularibus impliciti *sæculares* vocantur; sed eatenus, quòd jam in sæculo, hoc est, inter sæculares homines conversentur & habitent, qui antea in claustris ab omni mundi strepitu & hominum sæcularium conversatione segregati planè è sæculo exiisse videbantur.

Hinc Adamus Canonicus Præmonstratensis apud Molanum *lib. 1. cap. 15. De Canonicis*, cùm sibi objecisset: „Si „Canonici, quomodo sæculares? Ut cignos nigros, sic au„dio dici Canonicos *sæculares*: (*subdit*) sed esto, nec ip„sum culpemus modum loquendi. Sit quòd sic appellentur, „non quia criminibus sæculi ipsi sæculo conformati impli„cantur, sed pro eo quòd tam arctum vivendi propositum „non amplectantur, quàm arctum illi tenere videntur, qui „Regulares appellantur.

CAPUT II.

Canonici qui hodie dicuntur *sæculares*, vitam communem & claustralem egerunt. Et quando ab ea recesserint?

1. *Canonici sæculares olim in communi vixerunt.*
2. *Probatur pluribus exemplis.*
3. *Quando desierit vita communis.*
4. *Quæ desertionis causa.*

I. Si antiqua Canonicorum monumenta & temporum historiæ revolvantur, nihil certius quàm pleraque, quæ hodie dicuntur Capitula Canonicorum sæcularium, vitam communem vixisse; eodem penè modo, quo hodie Canonici, qui dicuntur *Regulares*; licèt vota solemnia, præcipuè paupertatis non emitterent.

II. Et

II. Et quidem in Ecclesia Leodiensi sæculo XII. vitam communem inter Canonicos adhuc superstitem fuisse scribit Bartholomæus Fisen *lib.* 10. *cap.* 10. *Hist. Leodiensis*, ubi loquens de Alberone Principe ait: "Ipso Principe, Canonicorum omnis disciplina corruit, quam neque Præsides curárunt, neque Episcopus ipse: ut qui negligere cœpit Decessoribus suis solemnes Collegiorum inspectiones. *Claustri* ergo ratione omni sublata, dies noctesque Collegia patuêre, etiam equitibus curribusque; cùm ad eam ætatem clausa perseverassent, quo ritu hodie Monasteria."

Et anno 1189. Godefridus III. donans decimas Collegio Canonicorum S. Joannis Leodii ait: "Et residuum fructuum in usum Fratrum in Ecclesia vestra residentium, juxta *portionem*, quæ unumquemque Fratrum in *refectorio* contingere debet, prout competens videretur, rationabiliter Capitulum dispensaret." Apud Miræum in Diplomat. Belg. *cap.* 65. quæ evidenter vitam communem supponunt.

De Ecclesiis Cameracensibus, aliisque vicinis testatur Chronicon Cameracense per Baldericum; & de Trevirensi, Wormatiensi, Coloniensi, aliisque Germaniæ Canonicorum Ecclesiis testis est Trithemius ad annum 975.

Et quid plura, nonne vitam illam communem clamant etiamnum "hodie *dormitoria*, *refectoria*, & alia id genus loca publica, quibus nostri Ordinis Canonici, ait Aubertus Miræus *in notis ad Regulam Canonicorum*, olim usi fuerunt, hodieque extant, & cum admiratione monstrantur Coloniæ Agrippinæ, Tornaci, Leodii, Brugis, Insulis, & alibi."

III. Hæc vitæ communis institutio in aliquibus citiùs, in aliis seriùs desiit. Circa sæculum X. nonnullos ad vitam singularem abjecta communi convolasse tradit Trithemius loco citato: "Sub Theodorico Archiepiscopo Trevirensi, Canonici majoris Ecclesiæ ibidem abjecta vita regulari, quam hucusque in eadem Ecclesia Majores eorum continuaverant, desierunt esse Regulares, & facti sunt nomine & conversatione sæculares. Quorum exemplo malo Canonici quoque S. Paulini Trevirenses, Sancti Castris in Confluentia, Moguntinenses, Wormatienses, Spirenses, & complurium aliarum Ecclesiarum, diversis quidem temporibus, sed uno impietatis spiritu, Regularis vitæ communitatem abjecerunt."

IV. Hos successivis temporibus alios secutos fuisse, Scriptores sæculi XI. & XII. abunde testantur, & altè deplorant; eamque mutationem non authoritati Ecclesiæ, sed defectui, & refrigescenti charitati adscribunt.

S. Ivonem Episcopum Carnotensem audiamus. "Quòd communis vita, inquit, in omnibus Ecclesiis penè defecit tam civilibus quàm Diœcesanis, non authoritati, sed desuetudini, & defectui adscribendum est, refrigescente charitate, quæ omnia vult habere communia, & regnante cupiditate; quæ non quærit ea, quæ Dei sunt & proximi, sed tantùm quæ sunt propria." *Epist.* 60.

Similiter sub idem tempus de hoc Canonicorum transitu à vita communi ad singularem loquens Stephanus Tornacensis, dicit, Canonicos transitum illum fecisse, *quia dispensationis levamen libentiùs admittebant, quàm authoritatis vigorem.* Quapropter urget Decanum Remensem, ne patiatur hanc Ecclesiasticam & diu servatam disciplinam aboleri, neque tam facilè *juventuti singulariter, ne dicam*, ait, SÆCULARITER *vivere volenti obediat. Epistola* 160.

CAPUT III.

Ex desertione vitæ communis quasi naturaliter sequuta est vitæ Canonicalis dissolutio.

1. *Desertio vitæ communis secum traxit solutionem disciplinæ Canonicalis.*
2. *Primum medium conservandæ disciplinæ Canonicalis, quod suppeditabat vita communis, & cum vita singulari desiit.*
3. *Promitur medium secundum.*
4. *Tertium.*
5. *Quartum.*
6. *Ex desertione vitæ communis factum, ut in vita Canonicali homines mundani desiderata invenerint.*
7. *Hinc totius disciplinæ Canonicalis ruina.*

I. Vix ullum reperire est Scriptorem, qui Canonicorum è vita communi ad vitam singularem transitum refert, quin unà referat & deploret ut ex ea secutam totius Canonicalis disciplinæ relaxationem; testeturque è Regularibus, non nomine duntaxat, sed vitâ & moribus etiam factos *sæculares*. "Etenim, ait Dionysius Carthusianus, quæ, quanta & qualia vitia orta sint atq; quotidie oriantur ex relaxatione illa *vitæ communis*, dormitoriique ejusdem experientia potiùs docuit, quàm lingua possit explicare."

Quàm verò hæc vitæ Canonicalis dissolutio ex ea vitæ communis in singularem commutatione naturaliter & quasi sua sponte profluxerit, ultro fatebitur, qui utramque vivendi normam, & exteriorem disciplinam paulò attentiùs consideraverit.

II. Dum in communi vivebant, simul in uno reficiebantur refectorio; mensuramque potus & cibi Superiores pro necessitate, non pro voluptate moderabantur: ipsaque convivia sacrâ semper lectione condiebantur. Unde de Canonicis Remensibus adhuc in communi viventibus quasi exultans scribit Stephanus Tornacensis: "procedentibus unanimiter de Missa ad Missam, de spirituali refectione ad corporalem, præmissa invocatione Dominica, & signo benedictionis super cibum extenso, reficiebant convivæ Domini minùs ventrem, quàm mentem, sonante eis per ministerium lectoris *divino eloquio.*" Epist. 160.

At arrepta vita singulari, tum non secundùm moderationem & discretionem Superiorum cibus potusque subministrabatur, sed suo quisque arbitrio mensam suam instruere potuit, deliciisque, quantum placuerit, affluere, genioque & concupiscentiis indulgere. Pro electione sacra discursus non tantùm otiosos & sæculares, sed & pejores liberum fuit permittere.

III. Vita communis de bonis & proventibus Ecclesiasticis singulis pro necessitate suppeditabat: quibus usibus datum impenderetur, Prælati invigilabant & rationem exigebant; at in vita singulari singulis suæ præbendæ sive proventuum portio ita concreditur, ut de ea nulli rationem, nisi soli Deo, reddere teneantur: atque hinc liberrima cuique ex bonis Ecclesiasticis consanguineos familiaresque ditandi relicta potestas: hinc de patrimonio Christi luxuriandi, nullo fræno restricta libertas.

In vita communi nulla nisi de licentia Prælati dabatur egrediendi è claustro Canonicorum facultas; atque hinc rara erat cum hominibus sæcularibus Canonicorum conversatio; cum mulieribus autem rarissima. At per vitam singularem reserato, seu potiùs deserto claustro, libera ac familiaris cum sæcularibus, non viris modò, sed & mulieribus conversatio facta est.

IV. Durante vita communi tempora singula, quibus impendi deberent, ex præscripto Regulæ & Superiorum erant determinata; atque ita otio pro magna parte occasio subtrahebatur. Aderant & Superiores, qui quid singuli suo tempore facerent, intenderent; minùsque

rectè agentem aut otio diffluentem monerent & corriperent.

At nihil horum in vita singulari Canonicorum: quidquid lubet, quisque pro suo agit arbitrio;si otiari, si vagari,imò & parum Clericum decentibus occupationibus vacare lubet,quis est qui vigilet,qui moneat,aut qui corripiat?

V. Florente vita communi,domo sive claustro omnibus communi,& supellectili vulgari pro discretione Superiorum contenti esse debebant;dum autem vivunt singulariter, quisque domicilia exstruit aut comparat, ac supellectili ornat, prout suæ ambitioni, aut vanitati congruere judicat.

Utque verbo dicam, cum vita singulari irrepsit libertas Canonicorum pro suo libitu vivendi; reditusque Ecclesiasticos pro arbitrio dispensandi.

Huic vivendi libertati, si quis conjunxerit divitias,& honores etiam mundanos, quos ipse Canonicalis status hodie dare solet,facilè videre est,qua ratione homines mundani,carnales,ambitiosi, avari aliique vitiis pleni, in vita Canonicorum reperire cœperint, quo suis concupiscentiis,& carnalibus desideriis satisfacere possent.

VI. Hinc contigit, ut Canonicatus & præbendas ambire cœperint in quibus regnabat avaritia,imperabat ambitio; aut quos commodè, deliciosè, imò splendidè, & honorificè secundùm seculum vivendi incitabat desiderium. Jamque vita Canonicalis non ampliùs considerata fuerit, quasi eam profitentes mundo ejusque pompis & prætentionibus valedicerent, seque totos Dei & Ecclesiæ servitio consecrarent;vitamque secundùm Canones seu Regulas ab Ecclesia præscriptas sanctè instituere deberent:sed considerari cœpit,quasi vita commoda & honorifica secundùm seculum,dans ea omnia, quæ homines seculi existimanda & optanda credunt.

Inde felices æstimati,etiam maximè secundùm mundũ, qui Canonicatus assequuntur; sed eo feliciores quo *pinguiores*,ut vocant,aut honorabiliores sunt præbendæ.

Ex quo ulteriùs parentum cura & studium, ut suos quâcunque viâ ad Canonicatus promoveant; tametsi nec minima in illis appareant vitæ Clericalis specimina.

Quin & parvulis nondum penè natis provida parentum solicitudo Canonicatus parare cœpit:"Hunc nos,inquiunt apud S.Bernardum in *Declamat*.§.5.illi vel illi „tradamus Episcopo,apud quem habemus gratiam aut „cui fortè servimus,ut ditetur de bonis Domini, nec in „tot liberos nostra dividatur hæreditas."

VII. Quid igitur mirum,si postquam ea de vita Canonicali fuit impressa idea,postquam ad illam ambitio,avaritia,ipse mundi spiritus,homines carnales & mundanos solicitavit & induxit,imò & plerumque intrusit,unà secuta sit totius disciplinæ relaxatio?Imò sanè mirandum quòd adhuc illius vel vestigia superesse reperiantur?

„Si enim, teste Bellarmino de Gemitu Columbæ *lib*.2 „*cap*.8.multitudo Monachorum ex monte perfectionis „exciderit ad vallem profundam nimiæ relaxationis, „quia non duxit eos stella ad præsepium Christi, id est, „non traxit eos Divina vocatio ad humilitatem Christi „sectandam; sed carnalis sensus qui mentem excæcat, „duxit illos vel ad vitam commodiorem cùm essent pauperes,vel ad honores ambiendos in Religione, cùm in „seculo non invenirent qua viâ possent ascendere: vel „alio aliquo humano consilio vestẽ sanctam induerunt. „Et quid mirum si multi vestem Religiosam induant, „cùm non spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad „Religionem duxerit."

Si, inquam, hæc de Religiosis non recta intentione Monasteria intrantibus verè dixerit Bellarminus,quid dicendum erit de iis,qui vitam commodiorem & honores non in Monasterio,ubi adhuc vita quædam communis & austeritas servatur,sed in seculo,ubi ambitio & dissolutio dominatur,cum studio quærunt & sæpe inveniunt?

CAPUT IV.

Ipsa Canonicorum institutio, seu professio semper mansit invariata.

1 *Perversa de vita Canonicali idea.*
2 *Disciplinâ exteriori mutata, invariata mansit Canonicalis institutio.*
3 *Non minor hodie in Canonicis requiritur morum integritas, quàm durante vita communi.*
4 *Sola exterior disciplina mutata est.*
5 *Hac facilitabat ut Canonicè viveretur, non tamen omnino necessaria erat.*
6 *Alia habenda de Canonicis idea quàm vulgò habetur.*

TAndem connivente Ecclesia Canonicos à vita communi ad singularem transivisse; magnamque circa exteriorem vivendi disciplinam mutationẽ intervenisse ex dictis capite superiore satis constat.

I. Ulterius ex hac vivendi ac exterioris disciplinæ variatione magnam vitæ libertatem,atque inde totius Canonicalis professionis dissolutionem sequutam abundè quoque ostendimus; quæ dissolutio ubi universas penè per orbem Christianum Canonicorũ Ecclesias pervasit, eam tandem plerisque impressit ideam, quasi vita Canonicalis esset vita commoda & honorifica,maximeque secundùm seculum optanda; sine ulla penè obligatione divitias, honores aliaque secundum mundum appetibilia affluenter suppeditans.

Verùm nihil à mente Ecclesiæ magis alienum, quàm hæc de vita Canonicali secularis & perversa idea.

II. Licet enim disciplinæ exterioris mutationem tandem toleraverit Ecclesia, numquam tamen de sanctitate vitæ, & vivendi secundùm Canones seu Ecclesiasticas Regulas obligatione quidquam remisit:imò immobilem semper supposuit ipsam Canonicalem institutionem, & professionem, si ipsas essentiales & interiores status Canonicalis obligationes spectemus.

Hinc seculo xv.non de Canonicis in communi viventibus,sed singularẽ jam vitã agentibus dicebat Dionysius Carthusianus:"Clerici vocantur Canonici, quoniam regularem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumq; „obliquitates vitando,sinceriter gradari juxta præfixa eis „à SS.Patribus statuta." *Tractat. de vita Canon.*

Utq; propiùs ad nostram ætatem descendamus,præcedenti seculo Synodus Coloniensis:"Ut de Canonicis dicamus paucis, inquit, respondeat eorum vita titulo,respondeat *nomini*: sic reipsa, ut sunt nomine *Canonici*,id est *Regulares*." An 1536.*Part*.3.*cap*.4.

Quin & sub finem ejus seculi Clerus Gallicanus ut Canonicos ad vitæ rectitudinem,morum integritatem, Canonumq; sedulã observantiã efficaciùs reduceret, ut nominis sui memores essent,admonuit:"Canonicos semper „suæ denominationis memores esse oportet, inquit, ne „quis eorum Canones & Regulas,vitæ aut morum pravitate umquam transgrediatur,sed è contra qui ex leges „sunt,aut in futurum esse possent,eorum exemplo ad pietatis & probitatis totius formã & regulã revocentur."

III. Et quid plura, an minorem hodie in Canonicis in cibo potuque aut mensarum apparatu frugalitatem requirit Ecclesia, quàm olim, cùm communi refectorio utentes,cibi potusque mensuram suorum prælatorum arbitrio accipiebant? An minùs se à spiritu mundi,& secularibus negotiis separare debent Canonici,qui hodie vitam singularem agunt,quàm olim in communi viventes? An minùs castè vivere; aut mulierum suspecta & periculosa consortia vitare, quàm dum simul in uno claustro habitantes,à secularium ac mulierum conversatione manebant separati? An hodie ex proventibus Ecclesiasticis liberaliùs, & extra necessitatem consanguineos aut fami-

familiares ditare possint; aut in luxum, usus superfluos vel profanos erogare, quàm dum eos ex communi massa dispensante Prælato pro sua quisque necessitate accipiebat? An minor hodie Canonicorum orandi, divinumque officium devotè ac diligenter persolvendi obligatio, quàm dum in una domo commorantes, simul è dormitorio, aut refectorio, instar hodiernorum Religiosorum, statis horis ad persolvendas Horas Canonicas pergebant? An minor est hodie, quàm olim fuerit, Canonicorum Deo & Ecclesiæ serviendi, seque eorum ministerio consecrandi necessitas?

Revolvantur, releganturque Canones, etiam his postremis sæculis, postquam vita communis Canonicorum in singularem transivit, editi, nihil planè circa hæc mutatum reperietur: Sed eadem omninò Canonicis inculcata invenientur & præscripta.

IV. Uno verbo, quidquid mutationis intervenit, unicè ipsam exteriorem vivendi disciplinam concernit: quæ quidem non parum facilitabat, ut Canonici ea ad quæ vi suæ professionis indispensabiliter adstringuntur, observarent; nequaquam tamen ejus erat conditionis, ut eâ non observatâ, Canonici quæ suæ sunt vocationis & professionis exactè, licet fortè difficiliùs, implere nequeant.

V. Quidni enim inter Canonicos *singulariter*, hoc est, extra congregationem viventes, reperiantur, qui ejus sint virtutis & perfectionis, ut eam in cibo & potu totiusque mensæ apparatu sibi præscribant, & servent moderationem, quam etiam in ordinatissima congregatione Superiores juxta Canones præscriberent? Qui reditus Ecclesiasticos, quantumvis suæ dispensationi pro arbitrio concreditos, summo cum timore ac tremore, tamquam patrimonium pauperum dispensent? Qui curam temporalium sine curis agant? Qui divitias possideant quasi nihil habentes? Inque particulari familia ita vitam instituant, ut munia omnia Canonicorum ad præscriptum Sacrorum Canonum non minus perfectè & absolutè adimpleant, quàm si juxta pristinam vivendi disciplinam vitam agerent communem.

VI. Ex his quisque facilè intelliget, aliam planè de vita Canonicali esse concipiendam ideam, quàm vulgo concipitur; vitamque Canonicalem ex mente Ecclesiæ non esse institutam aut ordinatam, ut quis commodè, lautè, ac honorificè secundum sæculum vivat, sed ut à mundo abstractus, omnibusque ejus prætensionibus renuntians, unicè Deo & Ecclesiæ sive orando, sive laborando serviat; vitamque Clericalem juxta Sacros Canones tantò exactiùs & ferventiùs instituat, quanto reliquis Clericis & nomine & dignitate præcellit.

Ex his quoque non difficulter intelligitur, quàm procul à mente Ecclesiæ, & à vera idea, quam de Canonicatibus habere deberent, recedant, qui ad eos tamquam ad res secundùm mundum maximè optabiles & commodas, aspirant; fœlicesque se autumant, dum ad eos pervenerint; nihil aut parum de obligatione, quam ratione Canonicatûs contrahunt, soliciti.

CAPUT V.

De Congregationibus Capitularibus.

1 *Collegia Canonicorum olim dicta* Monasteria; *hodie* Capitula.
2 *Congregationes Canonicorum quando dici cœperint* Capitula.
3 *Soli Canonici Capitulum constituunt.*
4 *In dignitate constituti si non sint Canonici non sunt de Capitulo.*
5 *Fallit in Decano.*
6 *Canonicatum & dignitatem obtinens non gaudet duplici suffragio.*
7 *Canonici Sacris non initiati Capitulo non interveniunt.*
8 *Canonici non ordinati an turnum suum habeant in Collatione Beneficiorum?*
9 *Olim Canonici quotidie Collationem instituebant.*
10 *In hujus locum successere Capitula disciplinæ, & quid in eis tractandum?*
11 *In Capitulis primùm de disciplina & vivendi ratione tractandum?*
12 *In Capitulis à majori parte suffragiorum concluditur, & hinc nonnunquam statuta injusta.*
13 *Non cæco modo in Capitulorum statuta jurandum.*
14 *Quando indicenda Capitula?*
15 *Non indicenda tempore divini officii.*
16 *Nec in hoc consuetudo excusari potest.*
17 *Nec alia negotia non Capitularia tempore divini officii tractanda.*

I. Dum olim Canonici vitam communem agerent; unoque claustro sub certa regula, & Superiorum directione viverent, eorum collegia dicta fuisse *monasteria*, ex monumentis & Scriptoribus illorum temporum notissimum est: ut meritò Molanus *lib. 1. De Canonicis c. 12.* imperitiæ arguat eos, " qui dum alicubi incidunt in locum „ quemquam apud superiorum ætatum Scriptores, in quo „ Canonicorum collegium vocatur *Monasterium*, aut errorem esse, aut monasticum ordinem antequam Canonici „ essent in eo viguisse, putent, non alia ratione moti; quam „ quòd videant monasterii nomen illi quandóque tributum esse.

At postquam Canonici abjectâ vitâ communi ad vitam singularem transierunt, externâq; vivendi disciplina se planè à Monachis & Regularibus in communi viventibus discreverunt, sensim quóq; vocabula communem illam vitam præferentia respuerunt; atq; ita eorum Ecclesiæ sive Collegia prius *Monasteria* nuncupata, dici cœperunt *Capitula*: hocq; nomine hodie Canonicorum sæcularium Ecclesiæ à Monachorum & Canonicorum Regularium Conventibus distinguuntur.

II. Ulterius singularitate semel inductâ; suas etiam congregationes, quæ durante vita communi dicebantur *Conventus*, *Collatio* aliove simili nomine, quo communitas aliquo modò indicabatur, *Capitula* dixerunt; hodieq; Congregationes seu Conventus Canonicorum vulgari nomine *Capitula* vocantur; eaque quæ in illis Congregationibus acta sunt, *acta Capitularia*, *Capitulariter* acta dicuntur.

III. Ad hanc Congregationem, quæ communiter *Capitulum* nuncupatur, jus habent soli *Canonici*: id est, qui in ea Ecclesia verè sunt Canonici, omniaque jura Canonicorum habent.

Unde Beneficiati qui Canonici nō sunt, licèt etiam haberent jus præbendæ, sive cum Canonicis proventus dividerent aut participarent, imò & de administratione bonorum cum Canonicis in communi deliberandi jus haberent si tamen Canonici non sint, de Capitulo esse non censentur neque in electionibus, aliisque actibus Capitularibus ipsam bonorum administrationem haud concernentibus interveniendi jus habent, nisi aliud de consuetudine aliove particulari titulo obtineat: uti latè Fagnanus ad *c. 1.* ;; *de elect. n. 33. & seq.*

IV. Quin imò, si in eadem Ecclesia sint dignitates, quarum possessores simul non sunt Canonici, de jure communi vocem aut Sedem in Capitulo non habent, nisi ex earum fundatione seu erectione expressè, aut ex antiqua consuetudine secus obtineat. Unde Glossa ad Sanctionem Pragmaticam *c. sicut §. quanta*, post Innocentium aliósque Canonistas ait:" Archidiaconus, alii Prælati inferiores & alii „ Beneficiati in Ecclesia Cathedrali nisi habeant Canonicatum, non sunt de Capitulo, nec debent habere vocem in „ Capitulo."

Et generaliter Rebuffus Tractat. de Nominat. *quæst. 8. num. 32.* asserit:" Habentes dignitatem in Ecclesia de „ jure non sunt de Capitulo, nisi aliàs sint Canonici, soli

rectè agentem aut otio diffluentem monerent & corriperent.

At nihil horum in vita singulari Canonicorum: quidquid lubet, quisque pro suo agit arbitrio;si otiari, si variis,imò & parùm Clericum decentibus occupationibus vacare lubet,quis est qui vigilet,qui moneat,aut qui corripiat?

V. Florente vita communi, domo sive claustro omnibus communi,& suppellectili vulgari pro discretione Superiorum contenti esse debebant;dum autem vivunt singulariter, quisque domicilia exstruit aut comparat, ac suppellectili ornat, prout suæ ambitioni, aut vanitati congruere judicat.

Utque verbo dicam, cum vita singulari irrepsit libertas Canonicorum pro suo libitu vivendi; reditusque Ecclesiasticos pro arbitrio dispensandi.

Huic vivendi libertati, si quis conjunxerit divitias,& honores etiam mundanos, quos ipse Canonicalis status hodie dare solet,facilè videre est,qua ratione homines mundani,carnales,ambitiosi, avari aliisque vitiis pleni, in vita Canonicorum reperire cœperint, quo suis concupiscentiis,& carnalibus desideriis satisfacere possent.

VI. Hinc contigit, ut Canonicatus & præbendas ambire cœperint in quibus regnabat avaritia,imperabat ambitio; aut quos commodè, deliciosè, imò splendidè, & honorificè secundùm seculum vivendi incitabat desiderium. Jamque vita Canonicalis non ampliùs considerata fuerit, quasi eam profitentes mundo ejusque pompis & prætensionibus valedicerent, seque totos Dei & Ecclesiæ servitio consecrarent;vitamque secundùm Canones seu Regulas ab Ecclesia præscriptas sanctè instituere deberent:sed considerari cœpit,quasi vita commoda & honorifica secundùm seculum,dans ea omnia, quæ homines seculi existimanda & optanda credunt.

Inde felices æstimati,etiam maximè secundùm mundũ, qui Canonicatus assequuntur; sed eo feliciores quo *pinguiores*,ut vocant,aut honorabiliores sunt præbendæ.

Ex quo ulteriùs parentum cura & studium, ut suos quâcumque viâ ad Canonicatus promoveant; tametsi nec minima in illis appareant vitæ Clericalis specimina.

Quin & parvulis nondum penè natis provida parentum solicitudo Canonicatus parare cæpit:"Hunc nos,inquiunt apud S.Bernardum in *Declamat*.§.5.illi vel illi „ tradamus Episcopo,apud quem habemus gratiam aut „ cui fortè servimus,ut ditetur de bonis Domini, nec in „ tot liberos nostra dividatur hæreditas."

VII. Quid igitur mirum,si postquam ea de vita Canonicali fuit impressa idea,postquam ad illam ambitio,avaritia,ipse mundi spiritus,homines carnales & mundanos solicitavit & induxit,imò & plerumque intrusit,unà secuta sit totius disciplinæ relaxatio?Imò sanè mirandum quòd adhuc illius vel vestigia superesse reperiantur?

„ Si enim, teste Bellarmino de Gemitu Columbæ *lib.*2 „ *cap.*8.multitudo Monachorum ex monte perfectionis „ exciderit ad vallem profundam nimiæ relaxationis, „ quia non duxit eos stella ad præsepium Christi, id est, „ non traxit eos Divina vocatio ad humilitatem Christi „ sectandam; sed carnalis sensus qui mentem excæcat, „ duxit illos vel ad vitam commodiorem cùm essent pau„ peres,vel ad honores ambiendos in Religione, cùm in „ seculo non invenirent qua viâ possent ascendere: vel „ alio aliquo humano consilio vestẽ sanctam induerunt. „ Et quid mirum si multi vestem Religiosam induant, „ cùm non spiritus Domini, sed carnalis sensus eos ad „ Religionem duxerit."

Si, inquam, hæc de Religiosis non recta intentione Monasteria intrantibus verè dixerit Bellarminus,quid dicendum erit de iis,qui vitam commodiorem & honores non in Monasterio,ubi adhuc vita quædam communis & austeritas servatur,sed in seculo,ubi ambitio & dissolutio dominatur,cum studio quærunt & sæpe inveniunt?

CAPUT IV.

Ipsa Canonicorum institutio, seu professio semper mansit invariata.

1 *Perversa de vita Canonicali idea.*
2 *Disciplinâ exteriori mutata, invariata mansit Canonicalis institutio.*
3 *Non minor hodie in Canonicis requiritur morum integritas, quàm durante vita communi.*
4 *Sola exterior disciplina mutata est.*
5 *Hæc facilitabat ut Canonicè viveretur, non tamen omnino necessaria erat.*
6 *Alia habenda de Canonicis idea quàm vulgò habetur.*

TAndem connivente Ecclesia Canonicos à vita communi ad singularem transiisse; magnamque circa exteriorem vivendi disciplinam mutationẽ intervenisse ex dictis capite superiore satis constat.

I. Ulterius ex hac vivendi ac exterioris disciplinæ variatione magnam vitæ libertatem,atque inde totius Canonicalis professionis dissolutionem sequutam abundè quoque ostendimus; quæ dissolutio ubi universas penè per orbem Christianum Canonicorũ Ecclesias pervasit, eam tandem plerisque impressit ideam, quasi vita Canonicalis esset vita commoda & honorifica,maximeque secundùm seculum optanda; sine ulla penè obligatione divitias, honores aliaque secundum mundum appetibilia affluenter suppeditans.

Verùm nihil à mente Ecclesiæ magis alienum, quàm hæc de vita Canonicali secularis & perversa idea.

II. Licet enim disciplinæ exterioris mutationem tandem toleraverit Ecclesia, numquam tamen de sanctitate vitæ, & vivendi secundùm Canones seu Ecclesiasticas Regulas obligatione quidquam remisit:imò immobilem semper supposuit ipsam Canonicalem institutionem, & professionem, si ipsas essentiales & interiores status Canonicalis obligationes spectemus.

Hinc seculo xv. non de Canonicis in communi viventibus,sed singularẽ jam vitã agentibus dicebat Dionysius Carthusianus:"Clerici vocantur Canonici, quoniam re„ gularem & rectam tenentur ducere vitam, vitiorumq; „ obliquitates vitando,sinceriter gradari juxta præfixa eis „ à SS.Patribus statura." *Tractat.de vita Canon.*

Utq; propiùs ad nostram ætatem descendamus,præcedenti seculo Synodus Coloniensis:"Ut de Canonicis dica„ mus paucis, inquit, respondeat eorum vita titulo,re„ spondeat *nomini*: sint reipsa, ut sunt nomine *Canonici*,id est *Regulares*." An 1536.*Part*.3.*cap*.4.

Quin & sub finem ejus seculi Clerus Gallicanus ut Canonicos ad vitæ rectitudinem,morum integritatem, Canonumq; sedulã observantiã efficaciùs reduceret, ut nominis sui memores essent,admonuit:"Canonicos semper „ suæ denominationis memores esse oportet, inquit, ne „ quis eorum Canones & Regulas,vitæ aut morum pra„ vitate umquam transgrediatur,sed è contra qui exleges „ sunt,aut in futurum esse possent,eorum exemplo ad pi„ etatis & probitatis totius formã & regulã revocentur."

III. Et quid plura, an minorem hodie in Canonicis in cibo potuque aut mensarum apparatu frugalitatem requirit Ecclesia, quàm olim, cùm communi refectorio utentes,cibi potusque mensuram suorum prælatorum arbitrio accipiebant? An minùs se à spiritu mundi,& secularibus negotiis separare debent Canonici,qui hodie vitam singularem agunt,quàm olim in communi viventes? An minùs castè vivere; aut mulierum suspecta & periculosa consortia vitare, quàm dum simul in uno claustro habitantes,à secularium ac mulierum conversatione manebant separati? An hodie ex proventibus Ecclesiasticis liberaliùs, & extra necessitatem consanguineos aut fami-

familiares ditare possunt; aut in luxum, usus superfluos vel profanos erogare, quàm dum eos ex communi massa dispensante Prælato pro sua quisque necessitate accipiebat? An minor hodie Canonicorum orandi, divinumque officium devotè ac diligenter persolvendi obligatio, quàm dum in una domo commorantes, simul è dormitorio, aut refectorio, instar hodiernorum Religiosorum, statis horis ad persolvendas Horas Canonicas pergebant? An minor est hodie, quàm olim fuerit, Canonicorum Deo & Ecclesiæ serviendi, seque eorum ministerio consecrandi necessitas?

Revolvantur, releganturque Canones, etiam his postremis sæculis, postquam vita communis Canonicorum in singularem transivit, editi, nihil planè circa hæc mutatum reperietur: Sed eadem omninò Canonicis inculcata invenientur & præscripta.

IV. Uno verbo, quidquid mutationis intervenit, unicè ipsam exteriorem vivendi disciplinam concernit: quæ quidem non parum facilitabat, ut Canonici ea ad quæ vi suæ professionis indispensabiliter adstringuntur, observarent; nequaquam tamen ejus erat conditionis, ut eâ non observatâ, Canonici quæ suæ sunt vocationis & professionis exactè, licet fortè difficiliùs, implere nequeant.

V. Quidni enim inter Canonicos *singulariter*, hoc est, extra congregationem viventes, reperiantur, qui ejus sint virtutis & perfectionis, ut eam in cibo & potu totiusque mensæ apparatu sibi præscribant, & servent moderationem, quam etiam in ordinatissima congregatione Superiores juxta Canones præscriberent? Qui reditus Ecclesiasticos, quantumvis suæ dispensationi pro arbitrio concreditos, summo cum timore ac tremore, tamquam patrimonium pauperum dispensent? Qui curam temporalium sine curis agant? Qui divitias possideant quasi nihil habentes? Inque particulari familia ita vitam instituant, ut munia omnia Canonicorum ad præscriptum Sacrorum Canonum non minus perfectè & absolutè adimpleant, quàm si juxta pristinam vivendi disciplinam vitam agerent communem.

VI. Ex his quisque facilè intelliget, aliam planè de vita Canonicali esse concipiendam ideam, quàm vulgo concipitur; vitamque Canonicalem ex mente Ecclesiæ non esse institutam aut ordinatam, ut quis commodè, lautè, ac honorificè secundum sæculum vivat, sed ut à mundo abstractus, omnibusque ejus prætensionibus renuntians, unicè Deo & Ecclesiæ sive orando, sive laborando serviat; vitamque Clericalem juxta Sacros Canones tantò exactiùs & ferventiùs instituat, quanto reliquis Clericis & nomine & dignitate præcellit.

Ex his quoque non difficulter intelligitur, quàm procul à mente Ecclesiæ, & à vera idea, quam de Canonicatibus habere deberent, recedant, qui ad eos tamquam ad res secundùm mundum maximè optabiles & commodas, aspirant; fœlicesque se autumant, dum ad eos pervenerint; nihil aut parum de obligatione, quam ratione Canonicatûs contrahunt, soliciti.

CAPUT V.

De Congregationibus Capitularibus.

1 *Collegia Canonicorum olim dicta* Monasteria; *hodie* Capitula.
2 *Congregationes Canonicorum quando dici cœperint* Capitula.
3 *Soli Canonici Capitulum constituunt.*
4 *In dignitate constituti si non sint Canonici non sunt de Capitulo.*
5 *Fallit in Decano.*
6 *Canonicatum & dignitatem obtinens non gaudet duplici suffragio.*
7 *Canonici Sacris non initiati Capitulo non interveniunt.*
8 *Canonici non ordinati an turnum suum habeant in Collatione Beneficiorum?*
9 *Olim Canonici quotidie Collationem instituebant.*
10 *In hujus locum successêre Capitula disciplinæ, & quid in eis tractandum?*
11 *In Capitulis primùm de disciplina & vivendi ratione tractandum?*
12 *In Capitulis à majori parte suffragiorum concluditur, & hinc nonnunquam statuta injusta.*
13 *Non cæco modo in Capitulorum statuta jurandum.*
14 *Quando indicenda Capitula?*
15 *Non indicenda tempore divini officii.*
16 *Nec in hoc consuetudo excusari potest.*
17 *Nec alia negotia non Capitularia tempore divini officii tractanda.*

I. Dum olim Canonici vitam communem agerent; unoque claustro sub certa regula, & Superiorum directione viverent, eorum collegia dicta fuisse *monasteria*, ex monumentis & Scriptoribus illorum temporum notissimum est; ut meritò Molanus *lib.* 1. *De Canonicis c.* 12. imperitiæ arguat eos, " qui dum alicubi incidunt in locum „ quemquam apud superiorum ætatum Scriptores, in quo „ Canonicorum collegium vocatur *Monasterium*, aut erro„ rem esse, aut monasticum ordinem antequam Canonici „ essent in eo viguisse, putent, non alia ratione moti; quam „ quòd videant monasterii nomen illi quandóque tribu„ tum esse.

At postquam Canonici abjectâ vitâ communi ad vitam singularem transierunt, externáq; vivendi disciplina se planè à Monachis & Regularibus in communi viventibus discreverunt, sensim quóq; vocabula communem illam vitam præferentia respuerunt; atq; ita eorum Ecclesiæ sive Collegia priùs *Monasteria* nuncupata, dici cœperunt *Capitula*: hocq; nomine hodie Canonicorum sæcularium Ecclesiæ à Monachorum & Canonicorum Regularium Conventibus distinguuntur.

II. Ulterius singularitate semel inducta, suas etiam congregationes, quæ durante vita communi dicebantur *Conventus*, *Collatio* aliove simili nomine, quo communitas aliquo modò indicabatur, *Capitula* dixerunt; hodieq; Congregationes seu Conventus Canonicorum vulgari nomine *Capitula* vocantur; eaque quæ in illis Congregationibus acta sunt, *acta Capitularia*, *Capitulariter* acta dicuntur.

III. Ad hanc Congregationem, quæ communiter *Capitulum* nuncupatur, jus habent soli *Canonici*: id est, qui in ea Ecclesia verè sunt Canonici, omniaque jura Canonicorum habent.

Unde Beneficiati qui Canonici nó sunt, licèt etiam haberent jus præbendæ, sive cum Canonicis proventus dividerent aut participarent, imò & de administratione bonorum cum Canonicis in communi deliberandi jus haberent si tamen Canonici non sint, de Capitulo esse non censentur neque in electionibus, aliisque actibus Capitularibus ipsam bonorum administrationem haud concernentibus interveniendi jus habent, nisi aliud de consuetudine aliove particulari titulo obtineat: uti latè Fagnanus ad *c.* 1. *de elect. n.* 33. *& seq.*

IV. Quin imò, si in eadem Ecclesia sint dignitates, quarum possessores simul non sunt Canonici, de jure communi vocem aut Sedem in Capitulo non habent, nisi ex earum fundatione seu erectione expresse, aut ex antiqua consuetudine secus obtineat. Unde Glossa ad Sanctionem Pragmaticam *c. sicut §. quanta*, post Innocentium aliósque Canonistas ait: " Archidiaconus, alii Prælati inferiores & alii „ Beneficiati in Ecclesia Cathedrali nisi habeant Canonica„ tum, non sunt de Capitulo, nec debent habere vocem in „ Capitulo."

Et generaliter Rebuffus Tractat. de Nominat. *quæst.* 8. *num.* 32. asserit: " Habentes dignitatem in Ecclesia de „ jure non sunt de Capitulo, nisi aliàs sint Canonici, soli

„ enim Canonici faciunt Capitulum & unum corpus cum „ Episcopo."

V. Decanus tamen, licet præbenda canonicali careat, nec specialem canonicatum obtineat; quia caput est canonicorum eorumq; curam gerere debet Capitulo intervenire eique præsidere consuevit, nisi forsan de rebus temporalibus seu præbendis, in quibus ipse non participat, tractetur. Ita judicatum pro Decano *non præbendato* Ecclesiæ Cathedralis Amiensis in Parlamento Parisiensi 28. Julii 1672. uti refertur in Libro cui titulus, *Journal du Palais Tom.* 2.

VI. Quinimò si dignitatem quis obtineat unà cum Canonicatu, si jus commune spectemus, duplici suffragio in capitulo non gaudet, illudq; prætendens; vel consuetudine aliòve particulari titulo munitum se esse ostendere debet. Panormitanus ad *c.* 11. *de sent. & re jud.* & Cujacius ibid.

VII. Ulterius, quamvis Canonicis per solam Canonicatus assecutionem & captam possessionem quæsita sint omnia jura Canonicalia, dicanturq; esse de Capitulo, tametsi etiam nullo Sacro Ordine sint insigniti, nihilominus in actibus Capitularibus suffragium non habent, nisi ut minus ordinem habeant Subdiaconatus, etiamsi hoc illis ab aliis esset concessum. *Clement.* Ut II. *De ætate & qualit. & ordine præfic.* innovata per Synodum Tridentinam *Sess.* 22. *c.* 4. *de reform.* ut nimirum hoc pacto, "Qui Divinis in Cathedrali„ bus, vel Collegiatis, Sæcularibus, vel Regularibus Eccle„ siis sunt mancipati officiis, ad suscipiendos Sacros Ordi„ nes propensius inducantur," ait dicta Clementina.

Ita quippe comparatùm est, proh dolor! ut canonici, qui nihil ex Sacerdotio lucri temporalis exspectant, nihilq; mundani honoris accedere sibi autumant; sed libertatem sibi per susceptionem S. Ordinis potiùs adimi, ad Sacrorum Ordinum susceptionem quodammodò cogi debeant: Capellani verò, & viliores clerici ad Sacerdotium tamquam artem de pane lucrando currant & festinent: quòd jam pridem altè deploravit & graphicè expressit Philippus Abbas Bonæ Spei S. Bernardo coævus *De dign. Cler. c.* 15. & 16.

Procedit autem hæc juris dispositio non tantùm in voce decisiva, sed etiam consultiva, adeò ut neque assistentiam, neque sedem in Capitulo habere possit Canonicus, qui Ordine saltem Subdiaconatus non est initiatus; quemadmodum declarâsse S. Congregationem refert Garcias *De Benef. p.* 5. *c.* 4. *n.* 25.

VIII. Hæc tamen non procedunt in his, quæ à Canonicis fiunt non capitulariter; sive extra Capitulum. Ita in Ecclesiis, ubi collatio spectat ad Canonicum hebdomadarium sive turnarium, Canonicum in Sacris non constitutum suam habere hebdomadam sæpius judicatum fuisse refert Garcias loco citato *n.* 29.

Verùm si bene attendatur, dum Canonico *Turnario* Sacro Ordine non insignito datur jus præsentandi, atque ad ejus præsentationem Capitulum præsentatum instituere debet, in effectu datur simili Canonico jus concurrendi ad unum è præcipuis actibus Capitularibus, qui est nominatio ad Beneficia, atq; hac de causa Advocatus Regius conclusit, non esse dandum jus *Turnarii* cuidam canonico Ecclesiæ Cathedralis Constantiensis Sacris non initiato, non obstante Statuto & consuetudine trium sæculorum ejusdem Ecclesiæ: sustinens statutum illud ac consuetudinem esse merum abusum tendentem in fraudem juris excludentis similes canonicos ab actibus capitularibus. Et ita judicavit Senatus Rotomagensis, atq; instante Procuratore Regio unà inhibuit omnibus Capitulis sui Districtûs conferre quodcumque Beneficium ad præsentationem canonicorum Sacris Ordinibus non initiatorum, eámque suam Ordinationem per modum Regulamenti publicari præcepit. Vide *Journal du Palais* tom. 3.

IX. In his capitularibus conventibus tractandum de iis omnibus quæ Statum & Administrationem Ecclesiæ; quæque ipsum canonicorum officium concernunt; ac in primis & ante omnia, ipsam disciplinam, vivendique rationem morumque reformationem spectantia.

Et quidem Regula Canonicorum in Synodo Aquisgranensi exarata *c.* 123. præcipit, "Ut Canonici quotidiè ad „ collationem veniant, ubi & hanc institutionem & alia„ rum sanctarum Scripturarum lectiones perlegant, & pro „ admissis veniam postulent, & sententiam pro qualitate „ admissi suscipiant: ubi etiam de communi profectu & u„ tilitate Ecclesiæ pertractent."

X. Scio quidem cum vita communi hanc sanctissimam disciplinam in plerisque Canonicorum Ecclesiis exolevisse; at in ejus locum successerunt conventus, quos *Capitula disciplinæ* vocant.

Synodus Colon. anno 1536. *p.* 3. *c.* 14. quæ in his potissimùm tractanda sint exponens. "Capitula, inquit, disci„ plinæ quæ vocant, multò majori diligentia observentur „ atque hactenus. Id ita fiet, si non tam profanæ quàm res „ sacræ in his tractentur: si de moribus inquiratur, si vita „ expendatur singulorum, & quòd olim sancti Patres fe„ cisse dignoscuntur, ex temporali oratione interdum „ commoneantur Fratres, & in primis ad Sacras Litteras ca„ pescendas instigentur, atque ut in his optimas horas col„ locent, incitentur, quòd hic reperiatur fons vitæ scatu„ riens, ex quo qui haurit non sitit in æternum; hic thesau„ rus Evangelicus, propter quem oportet vendere univer„ sa, reconditus sit, ex quo prudens ille Pater-familias pro„ fert nova & vetera."

Indubiè admodùm esset optandum, ut in omnibus canonicorum Ecclesiis hæc specialia disciplinæ Capitula frequenter ac seriò instituerentur; vel si hæc specialia Capitula non habeantur, ipsæ ordinariæ capitulares congregationes ita instituantur, ut non planè temporalibus negotiis occupentur adeò ut nihil morum ac disciplinæ, Divini Officii rectæ institutioni, aut reformationi impendatur; neque cura tantùm habeatur de minimis, neglectis majoribus.

Aliud sanè ipsum canonicorum officium exigit, & Decreta Synodorum clamant.

XI. "Canonici (inquit Synodus Bituricensis an 1564. *tit.* 34. *can.* 9.) convenientes ad capitula, primùm tractent „ de celebratione Divini Officii, & quæscùmq; defectus de„ linquentium corrigant, tum de temporalibus negotiis „ statuant."

Et Synodus Tolosana an. 1590. *p.* 1. *c.* 2. §. 7. ait: "In co„ mitiis sodalitiis & capitulo de iis primum quæ ad Divi„ num cultum spectabunt, tum de justa morum reforma„ tione, delictorum debita animadversione, demum de „ privatis rebus temporalibusque negotiis agant."

Consonat & concilium Avenionense anno 1594. *tit.* 33. ita decernens: "In capitulo clamosas & contentiosas „ confabulationes evitabunt, & de iis quæ ad Ecclesiæ cul„ tum, & ad pietatem promovendam spectant, de bono„ rum Ecclesiasticorum administratione tractabunt."

Volunt ergò concilia, ut ea, quæ mores, divinum officium, ac Ecclesiæ cultum spectant, præcipuum ac primum locum in capitulis obtineant. Et meritò, cum nihil justius ac rationalius sit, quàm negotia majoris ponderis & momenti præferri negotiis minoris momenti. Ac sanè timendum ne Canonici qui adeò soliciti sunt de rebus temporalibus, ut nihil in eorum Conventibus penè nisi de illis audiatur aut tractetur, sint non tantùm nomine, sed reipsa Canonici *Seculares*; vereque dici queat de ipsis, quòd de quibusdam Prælatis sui temporis dixit Bernardus: *Lib.* 4. *De consid. ad Eugen. Papam c.* 6. "Op„ timi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de „ minimis, parvam aut nullam de maximis curam ge„ runt."

XII. Negotia in Capitulis proposita solent ordinariè ex pluralitate suffragiorum concludi; quodque major pars Capituli resolvit, ipsum *Capitulum* resolvisse censetur.

Porrò

Porrò quia non raro contingit, hoc præſertim tempore quando adeo relaxata, & ab omni pene diſciplina exempta eſt Canonicorum vita, ut plures Canonicorum vel nullam veræ diſciplinæ notitiam habeant, aut etiam eam oderint, unicè vivendi libertatem affectantes, & lucro temporali inhiantes: quidni hinc natum eſt contingere, ut inter reſolutiones, vel etiam ordinationes Capitulares bonis vel reclamantibus, vel ſubinde pacis causâ, aut ad majus malum evitandum, diſſimulantibus, reperiantur non paucæ, quæ Canonicæ diſciplinæ adverſantur; magiſque quæſtum aut turpe lucrum; imo ſubinde Simoniam ſapiunt, quàm pietatem, aut ſpiritualem profectum; qua de re audire lubet, quæ per experientiam reperiant, & referunt Patres Synodi Colonienſis anno 1536. *parte 3. cap. 19.* "Habent, inquiunt, ferè quotquot ſunt Cathedrales aut Collegiales Eccleſiæ ſuum volumen peculiarium ſtatutorum, quæ interdum pro affectu privato cujuslibet augentur aut creſcunt. *Inter hæc reperias quàm plura quæ quæſtum magis quàm pietatem reſipiant*, & ad inæqualitatem magis quam æqualitatem faciant: unde diſcordia inter fratres (ut fieri ſolet) frequenter alitur, concordia verò ſcinditur laceraturque. *Et quantumvis pleraque inter hæc iniqua reperias, adiguntur tamen omnes qui recens admittuntur, ut ad ejuſmodi ſtatutorum obſervationem* (etiam penitus ignari quid contineant illa) *citra ullum delectum jurejurando ſe alligent*, cum tamen juramentum non debeat eſſe iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi. Operæ pretium itaque nobis videtur, hujuſmodi ſtatutorum volumina inter viſitandum excutere, & quæ Evangelicæ puritati atque fraternæ charitati, denique diſciplinæ Eccleſiaſticæ minùs conſentanea reperta fuerint, reſecare, caVereque nè poſthac ulla nova ſtatuta in ejuſmodi Eccleſiis (niſi tamen noſter acceſſerit calculus) edantur.

Idem ſuppoſuit Synodus Tridentina *Seſſ. 24. cap. 14. De reform.* deplorans, quòd in pluribus Eccleſiis tam Cathedralibus quàm Collegiatis & Parochialibus, ex earum *Conſtitutionibus*, aut ex prava conſuetudine, in electione, præſentatione..... ſive admiſſione ad poſſeſſionem alicujus Beneficii, vel Canonicatuum certæ conditiones ſeu deductiones ex fructibus, compenſationeſque illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Eccleſiis dicuntur turnorum lucra, interponantur. Quæ omnia deteſtans S. Synodus, "Mandat Epiſcopis, ut quæcumque hujuſmodi in uſus pios non convertuntur, atque ingreſſus eos, qui *Simoniacæ labis*, aut *ſordidæ avaritiæ* ſuſpicionem habent, fieri non permittant, ipſique diligenter de eorum *Conſtitutionibus* ſive conſuetudinibus ſuper prædictis cognoſcant, & illis tantùm, quas ut laudabiles probaverint, exceptis, reliquas ut *pravas* ac *ſcandaloſas rejiciant & aboleant.*" Et eos, qui adverſus prædicta quavis ratione commiſerint, pœnis Simoniacorum ſubjacere decernit, "non obſtantibus (inquit Synodus) quibuſcumque *ſtatutis, conſtitutionibus*, conſuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiam *Apoſtolica auctoritate confirmatis*: de quarum ſubreptione, obreptione & intentionis defectu Epiſcopus tamquam Apoſtolicæ Sedis Delegatus cognoſcere poſſit."

Ex his quis non videat, per Synodum Tridentinam ſupponi, in Statutis & Conſtitutionibus, etiam Cathedralium Eccleſiarum (tametſi per Sedem Apoſtolicam confirmatis) poſſe reperiri aliqua, quæ Synodus tamquam de Simoniaca pravitate ſuſpecta deteſtatur.

Hinc quiſque diſcat non cœco modo in Statuta & Ordinationes Capitulorum eſſe jurandum, ſed ea priùs meritò examinari & expendi debere: eoſque multum hallucinari, qui ſibi licitum credunt, quidquid in Statutis Capituli probatum invenitur; tametſi etiam Sedis Apoſtolicæ confirmatio acceſſerit.

XIV. In pleriſq; Eccleſiis certi dies vel per menſem, vel etiam per hebdomadam ſolent eſſe deſignati, quibus ſtata horâ *Capitulum* conveniat; ſoletque dici *ordinarium*.

Sed quia nonnumquam repentina negotia, quæ dilationem non patiuntur, congregationem Capituli requirunt, in poteſtate Decani alteriuſve, cui jus convocandi Capitulum, ex conſuetudine aliove titulo competit, eſt, quocumque die & tempore Capitulum indicere.

XV. Illud tamen obſervet, ut, niſi neceſſitas urgeat, tempore divinorum officiorum Capitula non habeantur. "Canonici, inquit S. Carolus in concilio Mediol. I. *part. 2 cap. 38.* quo tempore divina officia celebrantur, non habeant Capitula, niſi fortaſſis aliter evidens neceſſitas poſtulaverit: qui contra fecerint, diſtributionem ne capiant ejus horæ, in qua id commiſerint.

Et Synodus Cameracenſis P. II. *tit. 18. cap. 17.* "Canonicorum congregationes pro Eccleſiarum ſuarum negotiis, quæ capitula dici ſolent, hora competenti fiant, nec ſummæ Miſſæ tempore ullo modo habeantur, niſi neceſſaria aliqua cauſa ſuperveniat quæ differri non poſſit, quo caſu ut minimùm mittantur aliqui Canonici in chorum." Et Mechl. P. II. *tit. 12. cap. 11.*

XVI. Idem reſponſum à Sacra congregatione refert Garcias *De Beneficiis parte 3. cap. 2. n. 559.* qui ipſe, cum eſſet Canonicus Abulenſis, atque in ea Eccleſia "ſæpè fierent *Capitula*, & haberentur congregationes *Capitulares* tempore divinorum Officiorum, & dum horæ, etiam Miſſa major celebrarentur, juxta ſtatuta & antiquam conſuetudinem in Hiſpania hactenus obſervatam; ac eſſet in hac Eccleſia ordinatio Capitularis, quòd Canonicus qui fuerit in Eccleſia, & non intraverit Capitulum mulctetur certâ pœna, etiamſi ſit in choro in divinis Officiis: "his, inquam, ſic ſe habentibus petiit ipſe Garcias "declarari, an nihilominus Canonicus ſeu capitularis poſſit licitè à capitulis abeſſe, ſtando in choro nec propterea poſſit mulctari? Secundò, an poſſit, etiamſi velit, intereſſe Capitulis, quæ fiunt tempore divinorum Officiorum, ſuppoſito quod fiunt, & ſatisfaciat ſuæ obligationi & faciat fructus ſuos, qui in illa Hora lucrifiunt.... congregatio Concilii ad primum reſpondit: congregationes hujuſmodi capitulares habendas non eſſe eo tempore quo divina officia celebrantur, niſi cauſa aliqua urgens eas ad aliud tempus non pateretur differri, quod ſi hæ congregationes abſque cauſa prædicta tempore celebrationis divinorum habitæ fuerint, Canonicum jure ab his, ut choro interſit poſſe abeſſe, nec propterea eſſe mulctandum. Ad ſecundum non poſſe, juxta reſponſum ad primum." Quam declarationem, ait Garcias, authenticam habeo.

XVII. Infertur autem ex dictis, uti notat ibidem Garcias, "non licere etiam fieri congregationes particulares Commiſſariorum Capituli, nec occupari Beneficiatos in negotiis & rebus Eccleſiæ (quæ aliàs commodè fieri poſſunt) dum divina officia celebrantur, quamvis oporteret alias eis conſtituere aliquod ſtipendium ſeu ſalarium.

Infertur etiam non licere facere rationes & computus bonorum, & redituum menſæ, vel Fabricæ, dum divina fiunt; & ita reſpondit S. Congregatio apud Garciam loco citato num. 568. his verbis: "congregatio concilii cenſuit, neque Epiſcopum neque Capitulum debere exigere rationum redditionem tempore quo recitantur Horæ Canonicæ, & divina celebrantur.

CAPUT VI.

Canonici Divinum Officium diurnum pariter ac nocturnum publicè perſolvere tenentur.

1 *Præcipuum officium Canonicorum eſt perſolutio Divini Officii.*
2 *Unde hæc obligatio Canonicorum.*
3 *Omnibus Horis etiam minoribus intereſſe debent.*
4 *Debent per ſe Divinum Officium perſolvere.*
5 *Contrarium ſtatutum non valet.*

6 Non

6 *Non improbandus Vicariorum usus.*
7 *Quod Vicariorum officium.*
8 *Quid in his assumendis præcipuè attendendum.*

I. SOlemnem divini Officii persolutionem unam esse è præcipuis Canonicorum obligationibus nemo dubitat. Quapropter maxima pars Regulæ Canonicorum à Synodo Aquisgranensi conscriptæ, circa modum ac normam persolvendi Horas Canonicas versatur; ac *cap.* 131. monentur Canonici. „Ut studeant summopere Horas Canonicas vigilantissima cura custodire, & in his divinum Officium humiliter ac devotè persolvere. Mox enim, „ait Synodus, ut auditum fuerit signum, festinatò omnes „ad Ecclesiam conveniant, quam non pomparicè, aut inhonestè, vel incompositè sed cum reverentia & Dei timore „ingrediantur.

Hinc in Conciliis, etiam post commutatam vitam communem Canonicorum in singularem, nihil tantoperè Canonicis inculcatum, quàm *Ut in Choro ad psallendum instituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter* (verba sunt Synodi Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *De ref.*) *distinctè, devoteque laudent.* Ideoque non immeritò sæculo 11. ad quemdam Canonicum scripsit S. Ivo Carnotensis: „Ad hoc instituta „est Clericalis militia, ut psalmodiæ & hymnodiæ quotidia„num offerat Deo sacrificium.

II. Unde hæc Canonicorum obligatio profluat, sat indicat ipsa Canonicorum Regula monens Canonicos, „Ut laudes Deo in communi persolventes, pro suis po„pulorumque, quorum oblationibus vivunt, delictis Deum „exorent.

Quibus non obscurè innuit, ideo Canonicis factas oblationes fundatasque eorum Ecclesias, ut ipsi pro populo ac Fundatoribus Deum incessanter orarent & laudarent: „Nam, inquit Justinianus Imperator, qui constituerunt vel „fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & com„munis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias, ut per eos „debeant sacræ Liturgiæ fieri, & ut illis à ministrantibus piis „Clericis Deus colatur.

Quàm hæc vera sint, propiùs intelligent Canonici, si fundationum dotationumque suarum monumenta, non tantùm ad conservationem temporalium, uti fieri solet, sed ad intelligendam suam obligationem, sedulò ac diligenter pervolvant.

III. Porrò cùm Officium Divinum juxta normam à multis sæculis receptam constet septem partibus, nimirum Matutino, sub quo & *Laudes* comprehenduntur, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperis & Completorio, illæque simul sumptæ integrum Officium Divinum diurnum ac nocturnum constituant, consequens est, Canonicos non tantùm uni alterivè aut etiam majoribus Horis debere interesse, sed omnibus: quia obligatio Canonicorum est non partem dumtaxat Divini Officii persolvere, sed integrum; unde de canonicis aliisque Clericis choro adstrictis pronuntiat concilium Generale Lateranense sub Innocentio III. quòd teneantur *Divinum Officium nocturnum pariter & diurnum, quantum eis dederit Deus, studiosè celebrare.*

IV. Porrò si Canonicalis muneris & obligationis sit, Officium Divinum publicè & solemniter persolvere, evidenter consequitur, Canonicos ad eam persolutionem *personaliter* obligari; cùm ipsa ratio dictet & clamet, unumquemque teneri ad ea, quæ ex suo instituto seu professione sibi incumbunt & injuncta sunt.

Quapropter de Canonicis tam cathedralibus quàm collegiatis loquens Synodus Trid. *Sess.* 24. *c.* 12. *De ref.* ait: *Omnes verò* PER SE, *&* NON PER SUBSTITUTOS *compellantur obire Officia.*

Huic Concilii Tridentini Decreto consonat Synodus Cameracensis P. I. *tit.* 6. *c.* 7. decernens: „In choro cum psal„litur, canonici omnes qui in choro fuerint & Sacellani „psallant, nec sint in sedibus suis otiosi, nec putent se functos „Officio, si vicaria tantum opera cultum Divinum celebra„ri curent: modò tamen psallere per valetudinem queant, nec aliis impediti justis de causis fuerint.

Et Synodus Mechl. P. II. *tit.* 12. *cap.* 2. Meminerint, „ait, omnes tam in dignitate constituti, quàm Canonici, Ca„pellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui habituati mandati „Concilii Trid. ut omnes Divina *per se*, & non per substi„tutos compellantur obire Officia, atque in choro ad psal„lendum instituto hymnis & canticis Dei nomen reveren„ter, distinctè, devoteque laudare.

V. Infinita propemodum tum veterum, tum recentiorum Synodorum decreta, tum probatissimorum Authorum testimonia, hanc Canonicorum obligationem *per se* Divina Officia, cessante legitimo impedimento, persolvendi asserentia; contrariumque usum tamquam merum abusum ex desidia & superbia canonicorum ortum reprobantia, allegare possem, nisi id fusè & abunde præstitissem in Dissertatione. De Canonicis *parte* 3. *cap.* 2. Illud hic addo, referente Nicolao Garcia de Beneficiis *parte* 3. *cap.* 2. *numer.* 498. resolutum fuisse conformiter ad jam dicta, à Sacra Congregatione, „si factum sit aliquod statutum, quod Canonici „possint inservire per Substitutum, vel alternatim unus pro alio, non habeatur ejus ratio, quia est contra Concilium „Tridentinum.

„Procedit etiam dicta declaratio, ait Garcias, licet ante „Concilium esset statutum, vel consuetudo etiam immemo„rialis in contrarium ut colligitur ex ipso Concilio.

VI. Quia tamen nonnumquam contingit, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus ut Canonici aliis negotiis Ecclesiæ distracti, officia *per se* congruenter persolvere nequeant nullatenus improbandum, ut aliquos vicarios assumant qui Canonicorum legitima ex causa absentium vices suppleant, & in persolvendis Divinis laudibus Canonicis adjutores accedant.

VII. Hunc esse Vicariorum finem indicat Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 3. *cap.* 6. monens Vicarios. „Ut „attendant quod Canonicis adjutores accedant: horum ni„mirum vice qui vel adversa valetudine detenti vel negotiis „necessariis avocati interesse non possint.

„Ita Vicarii opera inquit Synodus Audomarensis 1583. „*tit.* 12. *cap.* 6. Officium peragatur ut nihilominus ii ipsi „quorum proprium est illud agere, qui dignitatem, Canoni„catum aut quodvis aliud beneficium vel officium in Eccle„sia obtinent, nisi legitimè impediantur, per se ipsos, & non „per alios dumtaxat illud faciant.

VIII. Porro in assumendis hisce vicariis meritò attendent Canonici, num mores ac vita officio ab iis obeundo respondeant, ne alias cantando non Deum laudent, sed offendant.

Quare Patres Concilii Cameracensis P. I. *tit.* 1. *cap.* 14. monent „Ut in Ecclesiis sive Cathedralibus sive Collegia„tis non constituantur Vicarii, qui Canonicas, quas vocant, „horas in choro canant, nisi aut Sacerdotes aut in Sacris „Ordinibus constituti, aut saltem Lectores ordinati; atque „hi, quantum fieri potest, sint cœlibes quorum mores vita„que probata fuerit, nec permittantur in choro psallere, nisi „vestitu & habitu corporis, ministros se esse Dei & Ecclesiæ „demonstrent. „ Plura videri possunt in citata Dissertatione de Canonicis *parte* 3. *cap.* 2. §. 5.

CAPUT VII.

De Distributionibus quotidianis.

1 *Quid Distributiones.*
2 *Quæ institutionis ratio.*
3 *Omnibus Horis etiam minoribus assignanda.*
4 *Integris Horis interesse debent qui eas lucrantur.*

I. DIstributiones propriè dicuntur *quotidianæ*, ait Stephanus Weymsius ad Constit. 11. per Concilium Trid.

Tridentinum innovatam *n.* 7. "Quando singulis diebus, „ vel etiam singulis horis distribuuntur, in pecunia, victu, „ potu vel alia specie, his tantùm qui personaliter præsentes sunt in Officiis divinis; quòd moribus hodiernis passim fit per plombetum vel tesserum."

II. Quis sit harum distributionum scopus, jam pridem ad Paschalem Papam scribens S. Ivo Carnotensis expressit: „ Cum in pluribus Canonicorum Carnotensium desuevisset disciplinæ regularis observantia, ut de negligentibus „ facerem diligentes, de somnolentis vigilantes, de tardis „ assiduos ad frequentandas Horas Canonicas, deliberavi „ apud me, ut darem iis dimidiam Præposituram, ut inde „ fieret *quotidianus panis* quem acciperent assidui, amitterent tardi; ut ad quas eos panis interni dulcedo non movebat, panis corporei refectio provocaret; quamvis eorum annua præbenda eis ad hoc sufficiens esse deberet.

Unde & Synodus Coloniensis anno 1536. *p.* 3. *c.* 10. Animadvertens Canonicorum in frequentandis divinis Officiis neglectum, "Facilè, ait, castigabitur hic lapsus, si negligentes subtractione proventuum seu distributionum „ mulctentur."

Et ipsa Synodus Tridentina Distributiones probans, easque, ubi desierant, reduci desiderans, ac ob id præcipiens, „ tertiam fructuum, quorumcumque proventuum & obventionum, tam Dignitatum, quàm Canonicatuum, Personatuum, portionum, & officiorum, separari debere, & „ in *distributiones quotidianas* converti; "hanc suæ præceptionis rationem præmiserat:" cum beneficia ad divinum „ cultum, atq; Ecclesiastica *munia obeunda sint constituta*, „ *ne qua in parte diminuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur: statuit, &c.*"

III. Si ergo quotidianæ Distributiones eo fine institutæ, & ab Ecclesia probatæ sint, ut Canonicorum aliorumque Clericorum in frequentandis Horis Canonicis negligentia puniatur, & mulctetur; ne *qua in parte*, ut loquitur Synodus Tridentina, *diminuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium præstetur*, quis hinc consequi non videt, eas non aliquibus dumtaxat, sed omnibus Horis, id est, integro Officio Divino esse assignandas: ut hoc pacto fiat, ne *qua in parte* cultus divinus diminuatur seu negligatur; nec Canonici suæ impunè desint obligationi.

De hac Synodi Tridentinæ sententia non dubitans S. Carolus in Synodo Mediolanensi IV. *parte* 2. *c.* 13. statuit; "Ut etiam in Ecclesiis vel Cathedralibus vel Collegiatis, „ quamvis reliquis Divinis Officiis congruus quotidianarum distributionum census assignatus sit, *aliquibus* tamen *Canonicis horis* aut cæteris officiis, etiam extraordinariis, quavis auctoritate institutis, nullæ quotidianæ „ distributiones adscriptæ attributæve sint, aut si attributæ sint, exiguæ illæ quidem, atque usque adeò tenues, ut „ verisimiliter negligantur; in iis Episcopus vel de communi residentiæ, distributionumq; quotidianarum censu, si amplius sit, certam portionem arbitrio suo congruam, Capituli ac reliquorum qui ejusdem census participes sunt, consensu detrahat, eamque ipsam statam *unicuique* ex illis Canonicis Horis officiisve attribuat, adscribatve perpetuo, vel omninò ipse authoritate & facultate sibi ab eodem Tridentino Concilio data, quemadmodum etiam à sancta Sede Apostolica declaratum „ est."

Quod hic asseritur à S. Sede Apostolica declaratum esse ei conforme est quod refert Garcias *De beneficiis parte* 3. *c.* 2. *n.* 489. censuisse S. Congregationem, "distributiones „ quotidianas, quæ acceptæ fuerunt ex tertia parte fructuum dignitatum alicujus Ecclesiæ assignari debere non „ duabus Horis tantùm canonicis, sed etiam *reliquis omnibus aliis*, quibus qui non interfuerint, distributionem amittant."

Conformiter proindè ad mentem Concilii Tridentini Synodus Mechl. P. II. *tit.* 2. *c.* 2. "ut minores Horæ non negligantur, voluit, pro illis certæ distributiones assignentur, aut Minores illæ Horæ Majoribus adjungantur; ita ut „ in Majoribus illis Horis nemo distributionibus gaudeat, „ nisi qui in Minoribus quoque Horis debitè interfuerit."

IV. Ulteriùs ipse Distributionum quotidianarum scopus, & institutionis ratio sat ostendunt, eas non deberi nisi illi, qui actualiter, integrè & completè Horis canonicis assistit. Unde Synodus Basileensis declaravit *Sess.* 21. *c.* 4. Ut „ qui in Matutinis ante finem Psalmi, *venite exultemus*; in aliis Horis ante finem *primi Psalmi*, in Missa ante ultimum „ *Kyrie-eleison* usque in finem Divino officio non interfuerit, nisi fortè necessitate cogente, ac petita ac obtenta à „ Præsidente Chori licentia discedere oporteat, pro illa „ Hora absens censeatur: salvis, ait Ecclesiarum consuetudinibus, si quæ fortè circa hoc exactiores existunt."

Et Patres Concilii Moguntini anno 1549. *c.* 72. "Animarum periculo obviare, & Ecclesiarum necessitati consulere volentes, decreverunt & ordinarunt, ne quotidianæ distributiones ad brevissima quædam momenta, puta ad lectionem Epistolæ, seu unius Psalmi aut Responsorii; sed *integris ac totis Officiis & Horis assignentur*, & iis „ modò tribuantur, qui Officiis Divinis de quibus hæc emolumenta dantur, *ab initio ad finem* interfuerint.... „ Quibuscumque irrationabilibus, aut pravis consuetudinibus (quæ potius corruptelæ censendæ sunt) non obstantibus."

Eundem abusum Synodi nostræ Belgicæ pariter damnant, & quidem Mechliniensis P. II. *tit.* 12. *c.* 4. ait: Careant „ distributionibus, qui ante *Gloria Patri* primi Psalmi cujusque officii *usque ad finem* eidem officio *actualiter* non „ intersunt."

Synodus verò Diœcesana anno 1609. *tit.* 11. *c.* 10. hoc Concilii Provincialis decretum renovans addit: "iis distributionibus quoque privari volumus, qui in Missis „ votivis & anniversariorum, quæ ex fundatione sine „ commendationibus canuntur, ante primam Collectam; „ in vigiliis verò ante finem secundi Psalmi Vesperarum „ & in commendationibus ante initium Psalmi, *In exitu*, „ usq; ad finem non intersunt."

Uno verbo Distributiones ex mente Ecclesiæ ita ordinandæ ac dispensandæ sunt, *ne qua in parte* cultus divinus minuatur; sed divinum Officium in omnibus suis partibus, tam majoribus quàm minoribus integrè & ordinatè ab omnibus persolvatur.

CAPUT VIII.

Distributiones non sunt institutæ, ut propter eas Divinum Officium frequentetur.

1 *Multis rationibus improbatur officium intuitu distributionum frequentare.*
2 *Ratio prima.*
3 *Secunda.*
4 *Tertia.*
5 *De Simonia redduntur suspecti qui principaliter ob distributiones frequentant.*
6 *Indicia è quibus cognoscitur num principaliter ob distributiones quis frequentet.*

I. Distributiones quotidianas instituit & probavit Ecclesia, ut Clericorum in persolvendis divinis Officiis neglectus aut tepor, earum privatione mulctaretur ipsiq; hac mulctæ comminatione ad diligentiorem & ferventiorē divini officii persolutionē excitarentur, nequaquam verò ut Canonici earum lucrandarum causâ ad divinum officium accederent, sive eo principaliter animo divino officio interessent, aut ad illud frequentandum moverentur, ut distributionū illarum lucro gaudere possent. 1

II. Scit enim Ecclesia, *voluntariè* sacrificium laudis Deo esse offerendum, juxta illud Psalmistæ à Canonicis

nonicis quotidiè pronuntiandum, *Voluntariè sacrificabo tibi.*

At "si propter aliud laudas Deum, ait S. Augustinus in „ *Ps.* 53. *ex necessitate laudas.* Si adesset tibi quòd amas, non „ laudares Deum, Vide quid dicam: Laudas Deum, v.g. ut „ tibi det amplam pecuniam, (ut distributiones accipias) „ si aliunde haberes amplam pecuniam non à Deo, numquid laudares Deum: Si ergò propter pecuniam laudas „ Deum, non *voluntariè* sacrificas Deo, sed *ex necessitate* „ sacrificas, quia præter illum nescio quid aliud amas."

Qui ergo Divinas Laudes Deo persolvit, Horasque Canonicas frequentat, ut distributiones lucretur, non frequentaturus si eatum lucrum non speraret, aut aliunde habere posset, convincitur non *voluntariè*, sed *ex necessitate* Deum laudare, sive divinum Officium persolvere.

III. Ulterius, novit Ecclesia illud jam pridem ab eodem Doctore pronuntiatum: "Quæcumq; res propter aliud a„ liquod quæritur, sine dubio inferior est (nimirum ap„ pretiatione quærentis) quam id propter quòd quæritur: „ & ideò illud primum est propter quod rem istam quæ„ ris, non ista res, quam propter istud quæris. Quapropter „ si Evangelium & Regnum Dei propter cibum, quærimus, „ priorem facimus cibum, & posterius Regnum Dei."

Qui ergo Officium divinum quærit, seu frequentat propter materiales has Distributiones, convincitur pluris æstimare Distributiones, quàm ipsum divinum Officium; & priores facere Distributiones, quam Officium divinum.

IV. Quinimò, qui eo animo horas canonicas frequentat, spiritualibus terrena mercari convincitur: nam, ut ait S. Bernardus, "qui Officium Ecclesiasticum quærit, aut eò „ tenet animo, eòq; intuitu, ut huic vitæ habeat necessa„ ria, *perverso nimis ordine cœlestibus terrena mercatur.*

V. Cùm igitur ratio Simoniæ in hoc præcipuè consistat, quòd morali agendi modò, res spirituales temporalibus æquiparentur, aut postponantur; ipsaq; spiritualia ut medium ad obtinendum temporalia ordinentur, non dubitant Canonistæ post Glossam in *c. unic. De Clericis non resid. in VI.* condemnare *Simoniæ mentalis Canonicum, qui interest Officio divino principaliter pro denario.*

Quid de eo senserint Patres Synodi Coloniensis anno 1536. discant Canonici ex iis, quæ *parte* 3. *c.* 13. tum optando, cum hortando & comminando Canonicis proposuerunt: "Utinam, inquiunt, optando à Deo Opt. Max. conse„ qui possimus, ne quisquam *lucri causâ* divinis interesset, „ *alioqui non accessurus sacra*, veluti quem nummi magis „ quam Dei amor in templum trahit, quæstum pietatem „ esse putantem: qui non dubium, ex numero eorum est, „ de quibus Isaias dixit: *Omnes diligunt munera, sequuntur* „ *retributiones.* Nec multum is abest (uti plerisque doctis„ simis Viris placuit) *ab horrendo crimine Gezi, qui existima„ vit Divinum munus pecuniâ redimendum.* Quare viderint „ Clerici nostri, ut eorum mens & intentio tota in Deum „ referatur, ut cum David confiteantur *Deo in directione cor„ dis, ac in labiis suis pronuntient omnia judicia oris ejus.* In „ via etiam testimoniorum Domini delectentur sicut in „ omnibus divitiis. Optandum ut Psalmus ille 118. qui „ toties non sine causâ in Ecclesiis replicatur, ore simul & „ corde, respondente singulis verbis mente decantetur & „ cum eodem Psalte ex animo dicatur; voluntariè *sacrifi„ cabo tibi & confitebor nomini tuo Domine quoniam bonum* „ *est.* Non adimit Christus, sed decernit operanti suam „ mercedem: *dignus est enim operarius mercede sua, & qui al„ tario deservit, de altario & vivet.* Sed interim cogitare de„ ber Clericus, *se vivere non ut edat, sed edere ut Christo vivat,* „ habereque semper reconditum Christi verbum, *primum* „ *quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjici„ entur vobis.*"

Similiter Stephanus Episcopus Parisiensis dubitâsse non videtur, Simoniam mentalem committi à Clericis qui Divinum Officium ob solam spem materialium distributionum frequentant: " Prohibemus vobis omnibus, (in„ quit in sua Synodo) *ne committatis Simoniam etiam men„ talem, adeundo ad Divinum Officium sub spe materialium di„ stributionum.*"

VI. Quis verò censeri debeat *principaliter* Horis Canonicis propter distributionem interesse, licet id ab interiori animi affectu dependere videatur, frequenter tamen non obscura occurrunt externa indicia, hanc animi constitutionem pandentia.

Si v.g. Canonicus Horas illas sollicitè frequentet quibus distributiones majores sunt annexæ, illas verò quibus nullæ aut exiguæ constitutæ sunt, sine justa causa passim negligat: nullamque illas frequentandi sibi curam esse ostendat; indicium erit non obscurum, quòd Horas non amore Religionis, sed amore pecuniæ frequentet, easque tamquam medium ad distributiones ordinet. Canonicus quoque, qui mox ut officium, cui distributionum lucrum annectitur, est absolutum, è choro discedere solet, neglecto Officio quòd distributiones non pendit, tametsi etiam immediatè sequatur, difficulter se à suspicione Simoniaca liberabit.

Quapropter Pius Parisiensium Cantor Simoniæ arguit Clericos, qui nolebant Festum S. Stephani postulante quodam Prælato, ritu duplici cantari, "Nisi unà pastum & re„ fectionem annuam Clericis promitteret, insuper num„ mos matutinales illius noctis duplicandos; ut sic cele„ brarent potiùs Festum nummi duplicati, quàm Festum „ S. Stephani..... Quibus sunt similes, pergit Petrus Cantor „ quidam in Ecclesia psallentes & pro pretio cantantes, „ quibus pecunia disciplina est, nummus Decanus, ac etiā „ Deus; qui idololatræ sunt, nummum potiùs adorantes, „ quàm Deum: *non aliàs Deo cantaturi, nisi propter num„ mum.*"

Subdit deinde prædictus Auctor: " Quid vilius, quàm „ duas horas in Ecclesia quadam (quia ad illas decantandas „ non est constituta certa pecunia) à Laicis dici *horas Do„ mini, cæteras denarii,* imò diaboli; imò ad has horas de„ cantandas & horas Beatæ Virginis non adsunt Clerici, sed „ præsentes in aliis, ab his fugiunt, ut nullum opus tibi „ *vendicet in Ecclesia Spiritus Sanctus, cum nihil gratis in ea* „ *fiat, sed omne sibi vendicet nummus.*

Si hodie superesset Petrus, in multis reperiret Ecclesiis quòd in una se reperisse deplorat, & quasdam Horas Vicariorum, quasdam Canonicorum & Capellanorum, non immeritò appellandas videret.

Nonne cum magno divini officii dedecore conspicitur à duobus tribusve Vicariis Horas illas passim cursim, & syncopando decantari, quibus decantandis nullus nummus est constitutus? Numquid qui diligunt decorem Domus Dei, magno animi dolore videre coguntur Canonicos, capellanos aliósque clericos ex Horis canonicis, quibus distributiones quotidianæ sunt assignatæ penè non absolutis, quasi aufugere, & ad plateas aut consortia confabulationis causâ se conferre, interim illa officii parte, quæ distributione caret, neglectâ?

CAPUT IX.

De Residentia canonicorum.

1 *Omnia Beneficia de Jure communi residentiam requirunt.*
2 *Ex Decreto Concilii Trid. Canonici ad residentiam tenentur.*
3 *Quid sit residere.*
4 *Canonici integro Divino Officio assistere debent.*
5 *Sine causa nequidem tres menses abesse possunt.*

I. Cum beneficium detur propter officium *cap. fin. De rescriptis in VI.* nullum ad beneficium esse assumendum, nisi unà in eo loco resideat, ubi officium obire possit, jure cautum est: ideóque ut rectè post alios canonistas notat Fagnanus ad *Capit. Conquerente De Cleri-*

Clericis non resid. " Beneficium quantumcumque minimum, puta viginti solidorum, ex quo habetur pro titulo, de jure communi *personalem* residentiam requirit, adeo ut non residens beneficio privari debeat." Hæc Fagnanus, qui addit: " Iste textus (scilicet citatum Capit. *Conquerente*) optimè probat beneficium quantumvis tenue, de jure comuni obligare ad *personalem* residentiam.

II. Igitur juxta disciplinam juris communis, Canonicos ad *personalem* residentiam astringi dubitari nequit. Quam æquissimam, atque intentioni fundatorum planè conformem disciplinam tempore Synodi Trident. multum prolapsam, restaurare desiderans eadem Synodus, statuit *Sess.* 24. *cap.* 12. *De reformat.* " Quod obtinentibus in Cathedralibus aut Collegiatis Ecclesiis dignitates, Canonicatus, præbendas aut portiones, non liceat vigore cujuslibet statuti, aut consuetudinis ultra tres menses ab iisdem Ecclesiis quolibet anno abesse: salvis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus, quæ longius servitii tempus requirunt.

Cum Synodus hanc novem mensium residentiam requirat, non obstante quocumque statuto, aut quacumq; consuetudine contraria, rectè respondit S. Congregatio, referente Fagnano *ad cap. LICET* ✠ *De præb. Num.* 32. " Eo decreto sublatam esse consuetudinem *immemorialem* vacandi ultra tres menses à servitio chori."

II. *Residere* autem juxta mentem Canonum, & Synodi Tridentinæ, " Est cum effectu Ecclesiæ in divinis deservire; nam residentia, ait Fagnanus *loco citato num.* 14. debet esse laboriosa, non delitiosa; cum beneficia ad divinum cultum & Ecclesiastica munia obeunda sint constituta. Quid enim prodest præsentia in loco, inquit Glossa *ad cap. Unic. De Clerico non resid. in VI.* ex quo divinis non adsunt.

IV. Ut ergo Canonici dicantur residere ad mentem Sacrorum Canonum, tenentur Divino Officio non tantùm pro parte, sed integro assistere; alias enim pro parte dumtaxat residerent. Unde cum fuisset quæsitum à S. Congregatione, an valeret statutum, ut unâ vel duabus Horis interessentes lucrentur massam grossam, sive præbendam, amissis distributionibus quotidianis, responsum est, non valere, Fagnanus dicto loco *num.* 35.

Rectè proinde notavit Joan. Wiggers de jure & justitia *tract.* 7 *cap.* 4 *dub.* 10. *num.* 90. quod " Beneficiati qui præbendas habent liberas sine alio officio v. g. docendi, concionandi, audiendi confessiones, aut simili onere non gravatas, ut ritè peragant suã residentiam, non sufficit quod in die intersint semel officio chori, etiamsi forsitan ex consuetudine Ecclesiæ permittantur tales gaudere proventibus cum aliis, sed debent interesse divinis officiis omnibus, ita ut à peccato mortali non videantur excusandi illi, qui justa cessante causa absentant se ordinariè ab uno aut pluribus officiis.

„Probatur, quia ordo Canonicorum maximè, non Cathedralium, est in Ecclesia principaliter institutus, ut ipsi Horis nocturnis, & diurnis Deum in Psalmis, Hymnis, & Canticis spiritualibus laudent, pro beneficiis gratias agant, iram Domini precibus & intercessione sua à populo avertant: & exequantur illud Prophetæ Joëlis c. 2. *Inter vestibulum & altare plorabant Sacerdotes ministri Domini, & dicent, parce Domine parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium ut dominentur eis nationes:* quo nomine liberalem passim ex bonis Ecclesiæ obtinent sustentationem. Unde ex officio suo & ex seria Ecclesiæ voluntate obligantur ista sedulo curare & præstare.

„ Dixi, inquit Wiggerius, qui habent præbendas liberas, quia in his qui habent alio onere gravatas, Ecclesia quasi commutavit officium chori in aliud munus sibi & populo magis necessarium aut magis utile: quare hi meritò ab officio chori sunt excusati."

V. Denique notandum, concessionem sive permissionem absentiæ ad tres menses, cujus meminit Synodus Tridentina, non sic esse accipiendam, quasi Canonici liberè & licitè abesse possint à choro tanto tempore pro mero [illegible] ; sed hoc sensu, quod tanto tempore abesse possint ex honestis causis absque speciali licentia superioris; sive quod illius absentiæ causa legitima permittatur conscientiæ Canonicorum. Imo Synodus propriè nullum tempus absentiæ dedit aut constituit, sed tantum prohibuit, ne longiori, quàm trium mensium spatio abessent; sive, ut ait Fagnanus, non processit *concedendo*, *sed prohibendo*.

CAPUT X.

De causis excusantibus à residentia.

1 *Facilius à residentia excusatur Canonici quã Pastores.*
2 *Canonici in servitio Episcopi occupati à residentia excusantur.*
3 *Non requiritur licentia Capituli.*
4 *Tantum duo & quidem simplices Canonici cum hoc privilegio assumi possunt.*
5 *Absentia studiorum causa à residentia excusatur.*
6 *De jure communi requiritur licentia Episcopi, secus de consuetudine.*
7 *Debent absentes incumbere studio S. Theologiæ aut sacrorum Canonum.*
8 *Debent transmittere litteras testimoniales de progressu in studiis, & quid hæ continere debeant.*
9 *Litteræ testimoniales non temerè concedendæ.*
10 *Privilegia hæc restringuntur ad beneficia speciali titulo personale servitium non requirentia.*
11 *Clerici studiorum causa absentes observare debent statuta de vita & honestate Clericorum.*
12 *Familiares & Domestici Regis à residentia excusatur.*
13 *Limitationes hujus privilegii.*
14 *Notanda circa causas absentiæ.*
15 *Solent restringi dicta privilegia ad fructus grossos.*

I. Quamvis Canonicos ad residentiam, & personale obsequium in Ecclesia, cui sunt adscripti, obligent Sacri Canones, ipsumq; Canonicale officium; nihilominus esse legitimas nonnullas causas, quæ absentiam licitam faciant, ipsosq; Canonicos à pœnis contra absentes decretis eximant, constat; imò frequentius posse esse causam sufficientem, ut Canonicorum absentia sit legitima, quam Parochorum, aut aliorum curam Animarum sustinentium dubium non est: tum quod ex illorum absentia non sit metuendum tantùm, quantum ex horum, Animarum & Ecclesiæ nocumentum; tum quod illorum facilius, quam horum absentia, aliorum præsentia suppleri possit.

II. Sic Canonicis donec in servitio Episcopi fuerint ne quidquã subtrahatur, quod de cōmunitatis sibi beneficio debetur, respondit Alexander III. in *Cap.* 7. ✠ *De Clericis non resid.* Ratio est, " Quia absentes ab Ecclesia pro servitio Episcopi, ubi servitium est necessarium vel utile Ecclesiæ, & respicit Episcopum, quatenus Episcopum, juris censura, ait Fagnanus ad dictum *cap.* 7. *num.* 12. reputantur præsentes & censentur inservire Ecclesiæ.... Et servitium Episcopi quatenus Episcopus est, censetur quasi servitium Ecclesiæ cui præsidet; cùm Ecclesia sit in Episcopo.

III. Et quidem Canonicos in servitio Episcopi, etiam sine consensu Capituli, fructus in absentia lucrari, neque Episcopum teneri Capitulo probare utilitatem Ecclesiæ, communiter notant Canonistæ: id tamen ad *duos* uno consensu limitant auctoritate responsi Honorii III. In *Cap.* 15. *Clericis non resid.* Quamvis ergo supra citatum *Cap.* 7. loquatur simpliciter de Canonicis sine ulla numeri præfinitione, tamen declarari & restringi debet, inquit Fagnanus, per dictum *cap.* 15. *quod specialiter loquitur de* duobus, *idque Ecclesiarum usus approbavit.*

IV. Ulteriùs si Canonicus in servitio existens Episcopi præ[illegible]anonicatum in eadem Ecclesia Dignitatem obtineret, ratione cujus ad speciale aliquod & personale servitium obligaretur, non posset occasione hujus servitii fructus illius Dignitatis absens percipere, nec à residentia eximi; ut judicatum refert Carolus Fevret Tract. *De Abusu lib. 3. cap. 1. num. 13.* ibidem notans, Episcopos tantùm posse assumere in suum servitium duos simplices Canonicos suæ Ecclesiæ, qui hoc privilegio gaudeant.

V. Secunda eaque hodie usitatissima absentiæ causa, est studium in Universitate publica & probata. "Studentes in Theologiæ Facultate, ait Honorius III. in *cap. fin.* ꝫ *De Magistris*, integrè per annos quinque percipiant de licentia Sedis Apostolicæ proventus præbendarum & beneficiorum suorum, non obstante aliquâ contrariâ consuetudine." Quin & Innocentius III. prædecessor Honorii, Canonicis esse indultum gratiâ studiorum ut in absentia percipiant fructus suarum præbendarum respondit in *Cap. 12.* ꝫ *De Clericis non resid.* Voluitque & ipsa Synodus Tridentina *Sess 5. cap. 1. De reformat.* "Ut Scholares, qui in ipsis Scholis studeant, privilegiis omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum, in absentia à jure communi concessis, plenè gaudeant, & fruantur.

VI. Si jus commune spectemus, ut quis studiorum causa absens fructus percipiat, requiri expressam licentiam Episcopi communiter docent Canonistæ; & fusè probat Fagnanus *ad Cap. Cum ad hoc* ꝫ *De Cler. non resid.* "Ideo autem est necessaria Episcopi licentia; quia cum transmittendi ad studia litterarum debeant esse dociles, Episcopus debet sedulò disquirere, an sint ætate, naturâ, & ingenio tales, qui possint in litteris proficere, & hos tantum licentiare."

Verùm cùm & privilegia Universitatibus Belgii indulta, ipsaque Concilia passim generaliter studiorum causâ absentibus fructus beneficiorum in absentia indulgeant, praxis Belgii hanc Ordinarii licentiam non requirit; & ita quoque servari refert Rebuffus in praxi Benef. *p. 2. De disp. de non resid. n. 25.* & judicatum ait Fevret loco citato, qui & ibidem monet, hoc privilegium non concedi nisi sub certis conditionibus, quarum prima hæc est, quod ii soli hoc gaudeant privilegio, qui ad publicas Universitates mittuntur, ut studeant Theologiæ, vel SS. Canonibus.

VII. Et sanè cum Theologica & SS. Canonum scientia penè unica sit Canonicorum & Clericorum vocationi conveniens, adeoque *sola Clericorum Scholastica disciplina vocetur*, meritò requiritur, ut illi operam suam navent. Unde S. Carolus in Concilio Mediol. 1. *p. 2. c. 27.* recipientibus fructus in absentia causâ studiorum imposuit hanc legem, ut "verè in publico, celebrique Gymnasio *Theologia vel SS. Canonibus* studeant."

Huic consonat praxis Curiæ Romanæ, quæ concedens licentiam absentiæ studiorum causâ apponit hanc clausulam: "Orator operam in aliqua approbata universitate studii generalis, seu Gymnasio publico, studio *Theologiæ* aut *Decretorum*, actu navare teneatur," Pyrrus Corradus De Dispens. *lib. 5. cap. 6.*

VIII. Altera eaque notanda conditio est, quod teneantur residentes in Universitate singulis semestribus, aut ad minus singulis annis, Episcopo, aut Capitulo litteras testimoniales sui Regentis seu Professoris de progressu in studiis exhibere.

Et quidem S. Carolus in Concilio Mediol. 1. *p. 2. cap. 27.* statuit, ut ii qui studiorum causâ absunt, "singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeant, quo is ipsos in eo studii genere proficere testetur, quod etiam Episcopus secretò ab aliis cognoscere studeat."

Similiter Patres Concilii Tolosani an. 1590 *p. 1. cap. 2. §. 5.* volunt. "ut studentes Canonici temporis fideliter exacti studiorumque progressus Capitulum singulo anno admoneant. Cujus rei statim à Capitulo Episcopus certior fiet."

"Synodus quoque Coloniensis anno 1549. *parte 4. c. 5.* loquens de Canonicis ad Universitates studiorum causâ mittendis, adjicit hanc cautionem," dum tamen certis testimoniis singulis annis ad collegia mittendis constet, nec perversis moribus eos deditos, nec studia vana, quæ ad Ecclesiæ ædificationem non conducant, sectari: committendum enim non est, ut divino cultui dicata stipendia, in hujusmodi Canonicos dyscolos erogentur.

Eodem collimant litteræ testimoniales, quas sigillo Universitatis munitas à Canonicis aliisque Clericis studentibus singulis annis exhiberi vult Synodus Mechl. P. I. *tit. De Vita & Honest. Cleric. cap. 4.* quæ & præcipit, ut litteræ illæ quoque testentur, utrùm Clerici studentes utantur vestitu Ordini suo & vocationi congruo.

Ex his evidens est, hoc Studentium privilegium eo unicè collimare, ut Ecclesia aliquando egregios, & eruditos Ministros, & operarios habere queat: ut proinde nullatenus improbandum sit, quod judicatum in Parlamento Tolosano refert Tornet *litt. C. cap. VIII.* ut si Canonicus studens in Universitate postmodum transeat ad statum matrimonialem, aut nolit esse professione Ecclesiasticus, Capitulum posset repetere fructus perceptos.

IX. Ex his facilè intelligitur, litteras testimoniales Clericis studentibus à Doctoribus, aut Universitate non esse annuendas, nisi prævio examine constet de eorum in studiis diligentia & progressu: ne alias per hujusmodi testimonia Episcopis & Capitulis imponatur.

X. Solent denique hæc absentiæ privilegia restringi ad Canonicatus & beneficia, quæ speciali titulo *fundationis* non exigunt aliquod *personale* & particulare servitium; uti aliquoties in contradictorio judicio decisum fuisse testatur Fevret loco citato; & addit, nonnunquam numerum Canonicorum volentium abesse studiorum causâ restrictum fuisse ad duos aut quatuor pro majore vel minore numero Canonicorum præsentium; ne aliàs Officium Divinum aliaque Ecclesiæ munia absolvi non possent. Vide etiam Brodeau in notis ad Louëtium *Litt. C. cap. 6.*

XI. Denique meminisse oportet Canonicos in Academia studiorum causâ versantes, quod Canones, ac Romani Pontifices pro tempore quidem eos à personali residentia absolvant, ut commodiùs majorique otio studiis incumbere queant, scientiamque suæ vocationi congruentem comparare; nequaquam tamen eos eximant ab observatione eorum, quæ de vita & honestate Clericorum Canonibus decreta sunt; nullumque studiis impedimentum ingerunt.

Quapropter voluere Patres Synodi Mechl. P. I. loco citato. "ut Clerici qui in Academiis aut Scholis majoribus vel minoribus vivunt, & in alio quàm in sui beneficii loco resident, intra mensem à die publicati hujus Concilii Provincialis, corona, pileo, caligis, & vestitu Ordini suo & vocationi congruo utantur; "cujus rei etiam in litteris testimonialibus singulis annis transmittendis mentionem fieri mandat.

XII. Plures alias, tum ex jure communi, tum ex privilegiis particularibus causas absentiæ recensent Doctores; & quidem Glossographus ad Sanctionem Pragmaticam titulo *Qualiter Hora sint dicendæ* Verbo, *Teneantur*, dicit: "Ex privilegio Pii II. Mantuæ concesso, Capellani, Clerici familiares & Domestici Regis & Reginæ, in eorum servitio, percipiunt grossos fructus suorum beneficiorum, tanquàm si in iis residerent, non obstante, quod non fecerint primam residentiam ex statuto."

XIII. Verùm hoc privilegium probans Parlamentum Parisiense in favorem Capellanorum Capellæ Regiæ, illud limitavit, inquit Fevret Tract. *De abusu lib. 3. cap. 11.* ad fructus grossos, & tempus servitii. Et Litteræ Regiæ quibus Capellanis Oratorii Regii conceditur jus percipiendi fructus in absentia, nominatim excipiunt distributiones quotidianas. Plurima judicata occasione hujus privilegii videre licet apud Brodeau in notis ad Louëtium *Litt. C. cap. 12.* qui & *cap. 24.* eodem privilegio gaudere asserit, Consiliarios Ecclesiasticos supremorum Parlamentorum tanquam Domesticos Regios; quique Regi in admi-

nistr

niſtranda juſtitia continuò aſſiſtant; atque hoc titulo anno 1641. Concilium privatum adjudicavit Euſtachio l'j Eſcuyer Canonico Tornacenſi & Conſiliario Eccleſiaſtico in Senatu Montenſi fructus ſuæ præbendæ in abſentia, ut refertur in Regiſtro M. S. Archiepiſcopatus Mechlinienſis *Centuria. 2. art. 35.* Hoc tamen privilegium ut & præcedens non habere locum in beneficiis curam animarum habentibus; aut ex fundatione particulare & perſonale officium requirentibus, ſæpius judicatum teſtatur Choppin in Monaſtico *lib. 2. cap. 3.* & De polit. Eccleſ. *Lib. 1. tit. 3. num. 20.*

Idem privilegium Principum noſtrorum Domeſticis & Capellæ Burgundiæ Capellanis conceſſum eſſe noſtrates allèrunt, & praxis comprobat; de quibus vide Zipæum in jure novo *tit. De Clericis non reſid. n. 19.*

XIV. Porrò circa hæc aliaque privilegia Canonicos aliioſq; Eccleſiaſticos à reſidentia eximentia obſervandum, illa eſſe ſpecies quaſdam diſpenſationis; ideoq; iis utentes expendere debent, num ſit ſufficiens cauſa iis utendi, id eſt, ea Eccleſiæ utilitas aut neceſſitas, quæ compenſet incommodum ex non reſidentia proveniens: nimirum quod fructus deſtinatos hujus particularis Eccleſiæ miniſtro percipiat; cum nullum interim huic Eccleſiæ officium impendat; ac inſuper miniſtro privet, quem habere poſſet, ſi beneficium quod abſens retinet dimitteret.

XV. Denique notandum, pleraſque cauſas ſive de jure communi, ſive ex privilegio à reſidentia excuſantes reſtringi ad *fructus groſſos* in abſentia percipiendos; pauciores verò eſſe, quæ & quotidianas diſtributiones comprehendant, de quibus capite ſequenti.

CAPUT XI.

De Cauſis legitimis recipiendi diſtributiones in abſentia.

1 *Diſtributiones jure communi abſentibus vix unquā conceduntur.*
2 *Corporalis infirmitas, aut Eccleſiæ utilitas non ſufficit niſi concurrat conſuetudo.*
3 *Conſuetudo Belgii nō. nihil laxior quàm jus commune.*
4 *An audientes confeſſiones & celebrantes tempore Divini Officii gaudeant diſtributionibus?*
5 *An publicè docentes tempore Divini Officii?*
6 *Quibus cedant diſtributiones abſentium.*

I. SI jus commune ſpectemus, nonnullæ cauſæ quidem ut legitimæ probantur, ob quas Canonici aliique ſimiles Beneficiati à reſidentia excuſentur, fructuſque Beneficiorum etiam abſentes percipiant; ſed penè in omnibus cum reſtrictione ad ſolos fructus *groſſos*, ſive præbendæ, ut vocant, excluſis diſtributionibus quotidianis, quæ *victualia, vel manualia* dicuntur; eo quod in manum præſentem quaſi tradantur; quæ de jure communi vix ulli abſenti concedi reperies; adeo ut etiamſi quis reſcriptum ſive privilegium à Sede Apoſtolica obtinuerit de percipiendis fructibus cum clauſula, *ac ſi præſens eſſet*, "Nihilominus, ait Fagnanus ad *Cap.* LICET *De Præb. n.* 101. diſtributiones non deberentur. Nam harum diſtributionum ea eſt natura propria, ut debeantur his tantùm, qui *verè* interſunt Officiis divinis, non autem his, qui fictè reſident, aut juris interpretatione."

Similiter Synodus Tridentina *Seſſ. 24. cap. 12. De Reformat.* ſtatuit, "ut diſtributiones, qui ſtatis horis interfuerint; recipiant: reliqui, quavis colluſione aut remiſſione excluſa his careant, juxta Bonifacii VIII. decretum quod incipit, *Conſuetudinem*, quod S. Synodus in uſum revocat, non obſtantibus quibuſcumque ſtatutis & conſuetudinibus."

II. Nulli ergo niſi *actualiter* Horis Canonicis interfuerint ex mente Concilii Trident. diſtributiones concedendæ ſunt; idque juxta decretum Bonifacii VIII. à Synodo innovatum: quod decretum relatum in *Cap. unico de Clericis non Reſid. in VI.* reprobat tamquam corruptelam omnem conſuetudinem concedentem diſtributiones quotidianas aliis, quam qui *actualiter & verè* Horis Canonicis interfuerint, *exceptis illis, ait, quos infirmitas, ſeu juſta & corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret.*

Hac exceptione nequaquam intendit Pontifex, diſtributiones concedendas iis omnibus, qui ex evidenti Eccleſiæ utilitate abſunt, aut quorum abſentiam utilitas Eccleſiæ aliundè compenſat, & excuſat; ſed ſolum vult, non eſſe improbandam conſuetudinem, aut Ordinationem Eccleſiæ, diſtributiones abſentibus annuentem, ſi modò vel infirmitas corporalis, aut evidens Eccleſiæ utilitas concurrat.

Quis enim dubitet, in Eccleſiæ utilitatem cedere, ut Canonici in regimine Diœceſis Epiſcopo aſſiſtant, & inſerviant? & tamen ſi jus commune ſpectemus, *diſtributiones* eis abſentibus non debentur. Similiter negari nequit, quin abſentia Canonicorum ſtudiorum cauſa cedere poſſit in Eccleſiæ utilitatem, & tamen diſtributiones quotidianas nemo eis aſſignat.

Ut ergo de recipiendis in abſentia diſtributionibus rectè judicemus, non tantùm inquirendum, an corporalis infirmitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas abſentiam excuſet, ſed an etiam aliqua Eccleſiæ ordinatio vel conſuetudo concurrat.

Ita in pleriſque Eccleſiis abſentes ob corporis infirmitatem lucrantur diſtributiones illarum Horarum, quibus dum ſani ſunt intereſſe ſolent. Et licet Bonifacius VIII. in citato *Cap. unico* idem velit obſervari quoad diſtributiones in defunctorum anniverſariis largiendas, tamen in nonnullis Eccleſiis Canonici abſentes ob corporalem infirmitatem accipiunt diſtributiones Horarum, & non anniverſariorum: Ut proinde id à conſuetudine cujuſque Eccleſiæ maximè dependeat.

III. Similiter, licet de jure communi tantùm gaudeant diſtributionibus, qui occupantur in negotiis Eccleſiæ ſuæ, nihilominus conſuetudo Eccleſiarum Belgii habet, conformiter ad Synodos Provinciales, intelligi "in Eccleſiæ „negotiis occupari non ſolùm eos qui Capituli vel fabricæ „negotia tractant, verba ſunt Synodi Mechl. P. I. ſed „& Epiſcopum, Archidiaconum, Pœnitentiarium, atque „illos omnes, qui propria dignitatum, vel præbendarum „ſuarum munia obeunt, aut Epiſcopis Ordines conferentibus, viſitantibus, ac in aliis Epiſcopatus negotiis occupatis adſunt, vel aliquò ab eis miſſi conſilium „& operam ſuam impendunt, quos, ait, pro eo tempore (fraude & dolo ſecluſis) decernit pro præſentibus reputari, & omnibus emolumentis gaudere debere, ſicut „ſi *perſonaliter* divinis intereſſent." *Tit. De Officio Divino cap. 5.*

IV. Idem declarans Synodus Camerac. P. II. *tit. 18. cap. 5. & cap. 6.* ait "Similiter eos, qui vel celebrant, vel audiunt confeſſiones, ipſâ horâ qua hæc faciunt, pro præſentibus habendos eſſe, modò tamen ad Principales Horas juxta Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem ingreſſum fecerint, „& Miſſâ ſuâ aut confeſſionibus finitis, ſi nondum ſit peractum officium chori, in ipſum redeant." Idem quoad celebrantes habet dicta Synodus Mechlinienſis *cap. 6.* Et ita quoad celebrantes & audientes confeſſiones tempore divini Officii in Belgio obtinet; tametſi jus commune quoad eos, quibus ex munere non incumbit onus excipiendi confeſſiones, vel obligatio illis Horis celebrandi, non omnino conſonet; uti videre eſt apud Fagnanum ad *Cap.* LICET *De Præb. n.* 118.

Illud quoque notandum, quod conſuetudo *celebrantes* tempore divini officii non excuſet, ni cum conſuetudine concurrat juxta conſtitutionem Bonifacii VIII. *utilitas Eccleſiæ.* Unde Canonici, qui aliis majoribus negotiis non diſtrahuntur, tempuſque ſufficiens habent, ut extra tempus divini officii celebrent; neque aliquid notabile occurrit quod celebrationem eo tempore exigit, neſcio an vi hujus conſuetudinis ſatis ſint ſecuri; dum ita paſſim

divina officia negligunt & chorum deserunt celebrationis causâ.

V. Adhæc citata Synodus Cameracensis *cap. 7.* "Favore studiorum eos, qui ad docendum in ipsis Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis, vel in Universitatibus (quoad beneficia quæ in ipsis Universitatibus possident) obligantur, iis diebus, quibus actu docebunt, aut publicis disputationibus intererunt, pro præsentibus habendos esse statuit, modo duabus de Majoribus in die intersint."

Evidens est juxta hujus Synodi Decretum, quòd Professores Academici, qui vi suarum lectionum sunt Canonici, deberent haberi pro *præsentibus*, in iis saltem Horis, quibus actu in lectionibus & disputationibus publicis occupantur: contrarium tamen de consuetudine obtinere manifestissimum asserit Zypæus *De Clericis non resid. num. 40.* qui ibidem quoque multis probat, maximè dependere à consuetudine & ordinatione Ecclesiarum, quæ sit dicenda *Ecclesiæ utilitas* aut *necessitas*, ut distributiones absentibus dari possint.

Qui ergo sine probata causa, secundùm jam dicta, "*personaliter* competens sibi officium juxta formam ab Episcopo præscribendam quolibet die statuto non impleverint, illius diei distributionem amittant, nec ejus (ait Synodus Trid. *Sess. 21. cap. 3. De reform.*) quoquo modo dominium acquirant, sed fabricæ Ecclesiæ aut alteri pio loco arbitrio Ordinarii applicetur."

VI. Verùm quoad applicationem portionis quæ absenti cedere deberet, aliter in plerisque Ecclesiis usus obtinet.

Cùm enim bona Ecclesiæ, sive Fabricæ soleant esse distincta & separata à bonis Canonicorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiæ, sive mensâ Capitulari, quoad distributiones absentium, usus habet; ut si singulis Canonicis & Beneficiatis certa portio assignata sit, seu cuilibet qui Divinis interfuerit, detur certa quantitas, tunc portio absentis, sive id quod superest, inter præsentes non dividitur, sed manet in massa communi: si verò certa portio seu quantitas singulis non sit assignata, sed una omnibus, quæ inter præsentes sit distribuenda, tunc portio absentium manet apud præsentes; augeturque propter absentiam aliorum; idque non tam jure accrescendi, quàm non decrescendi, ut loquuntur jurisconsulti.

Hæc tamen intelligi debent quoad prius membrum, si portiones desumantur ex massa seu bonis Capitularibus: si enim v. g. ab hæredibus defuncti singulis Canonicis aut Beneficiatis detur certa quantitas in exequiis aut sepulturis, absentium portiones manebunt apud hæredes. Similiter hæc omnia intelligenda sunt, nisi alia consuetudo Ecclesiæ quoad hanc appellationem obtineat: Vide Garciam de Beneficiis *parte 3. cap. 2 num. 443. & seqq.*

"Similiter dicendum est, ait Garcias dicto loco *n. 449.* de fructibus Præbendæ amissis ob non residentiam, vel aliàs, quod si in Ecclesia non sunt præbendæ distinctæ, nec est facta divisio redituum inter Ecclesiam & ejus Ministros, sed patrimonio & bonis Ecclesiæ dantur præbendæ, & reditus Ministris, assignata cuilibet certa portione, tunc fructus amissi ad ipsam Ecclesiam pertinent; si verò est mensa Capitularis & massa communis Canonicorum & beneficiatorum distincta à patrimonio Ecclesiæ, seu fabricæ quæ inter residentes pro suis præbendis dividitur, ut communiter est in Ecclesiis Hispaniæ, tunc portio absentium, seu aliàs amissa in mensa Capitulari remaneat cum reliquis ejusdem fructibus inter residentes dividenda."

TITULUS VIII.

De Capitulo Cathedrali.

CAPUT I.

Capitulum Cathedrale Ecclesiæ Senatum repræsentat & unum cum Episcopo corpus constituit.

1 *Primis Sæculis Presbyteri & Diaconi unum cum Episcopo Ecclesiæ Senatum componebant.*
2 *In eorum locum successit Capitulum Cathedrale.*
3 *Capitulum Cathedrale esse Senatum Ecclesiæ probatur.*
4 *Capitulum Cathedrale tamquam Senatus Ecclesiæ præcedit cætera corpora Ecclesiastica.*
5 *Etiam Magistratum Civilem.*
6 *Singuli Canonici Cathedrales præcedunt omnium inferiorum Ecclesiarum Canonicos.*
7 *Canonici Cathedrales ut singuli in dignitate non sunt constituti, ad eam tamen accedunt.*

I. PRimis nascentis Ecclesiæ sæculis Presbyteri & Diaconi in civitate Episcopali curam Animarum gerentes, unum cum Episcopo corpus quasi constituebant, Senatumque formabant, quos idcircò Vir Apostolicus B. Ignatius Martyr scribens ad Magnetianos ait esse loco *Senatus Apostolici*. Et in Epistola ad Trallianos vocat *Consistorium sacrum, Consiliarios & Assessores Episcopi*. De quibus & Hieronymus in Cap. 3. Isaiæ. *Et nos habemus*, inquit, *in Ecclesia Senatum nostrum, Cœtum Presbyterorum.*

II. Subsequentibus sæculis paulatim presbyterorum Clericorumque numero crescente, cœperunt Episcopi è Clero quosdam eligere sibique propius assignare, quorum consilio & opera Diœcesim suam regerent; quos posterior ætas *Canonicos Cathedrales* tamquam *Cathedræ* Episcopali propiùs adhærentes, & eorū Cœtum *Capitulū Cathedrale* vocavit.

III. Porrò quemadmodùm antiquitus Presbyteri & Diaconi civitatis Episcopali *Senatum* Episcopi, atq; unum cum Episcopo corpus formabant, sic Capitulum cathedrale, quod huic Presbyterorum & Diaconorum Cœtui successit, *Senatū* Ecclesiæ, & unum cum Episcopo corpus constituere dicitur.

Unde monet Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 12. De reform.* Canonicos cathedrales, "ut vestitu decenti tam in Ecclesia quàm extra assiduè utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, tabernis, lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut meritò Ecclesiæ *Senatus* dici possit.

Et Synodus Burdigalensis anno 24. currentis sæculi *c. 9.* §. 8. "Decet Metropolitanam Ecclesiam & alias cathedrales Ecclesias eas personas ita probitate & scientia commendatas ad Canonicatus eligere & assumere, ut ex iis corpus Capituli coalescens *Senatus* Episcoporum, unde consilium accersant, meritò dici possit."

IV. Porrò quia Capitulum cathedrale ipsum quodammodò totius Diœcesis Clerum repræsentat, atq; unum cum Episcopo Senatum ac Corpus constituit, etiam prærogativa præcipua gaudet, cæteraq; omnia Corpora Ecclesiastica præcedit.

Hinc concludit Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi *parte 4. consid. 32.* quòd "Abbates debeant supersedere Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, nec debent eos præcedere, maximè quando processionaliter procedunt, & ita quasi universaliter servatur, maxime in Regno Franciæ, ubi semper Ecclesiæ Cathedrales præferuntur in quibuscumque Processionibus & aliis actibus Ecclesiasticis."

V. Cumque quæstio incidisset inter Capitula Cathedralia & Magistratus Civiles super *præcedentia*, hæc non semel in contradictorio judicio Capitulo Cathedrali utpote *Senatum* Eccle-

Ecclesiæ repræsentanti adjudicata fuit; atque generaliter Rex Galliæ declaravit 8. Februarii 1657. Canonicos Cathedrales esse manutenendos in præcedentia in omnibus Conventibus publicis & privatis ante Officiarios & Magistratus, etiam Senatus Regios Præsidiales ut vocant, sive Curiarum subalternarum, ita ut Corpus Canonicorum præcedat Corpus Officiariorum; & singuli Canonici singulos Officiarios. Vide Acta Cleri Gallicani *tom. 1. tit. 1. cap. 8. num. 28. & seqq.*

VI. Quin & singuli Canonici Cathedrales præcedunt singulos Canonicos omnium inferiorum Ecclesiarum, possuntque Canonici Cathedrales juxta Innocentium III. in *Cap.* SEDES APOSTOLICA ꝫ *De rescriptis* dici Clerici *primi* gradus, alii autem Clerici *secundi* gradus.

VII. Qua tamen singuli Canonici propriè non constituunt *Senatum*, aut Corpus ipsam Ecclesiam Cathedralem repræsentans; neque jurisdictio, authoritas singulis Canonicis, sed Corpori competit; singuli quoque Canonici Cathedrales Dignitatem habere non dicuntur; distinguunturque à constitutis in dignitate in *Cap.* STATUTUM *De rescriptis in VI.* ut notat Zypæus *Consult. 2. De Majorit. & obed.* Docetque Canonicos Cathedrales ut singulos cedere debere Decanis, Præpositis aliisque in dignitate constitutis, etiam Ecclesiarum Collegiatarum: quamquam & in his consuetudo locorum varia esse possit; quæ in similibus attendenda, ut rectè monet Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi *parte 4. Cons. 38.*

Prærogativa quidem horum Canonicorum vel in hoc elucet, quod ipsi Judices à Sede Apostolica in partibus delegari queant, quod nulli alteri de Clero præterquam in dignitate constituto conceditur.

CAPUT II.

Capitulum Cathedrale quantumvis exemptum debet Episcopo tamquam *Capiti* reverentiam & honorem exhibere; & in quibus hæc consistant?

1 *Episcopus semper habitus Caput sui Cleri.*
2 *Capitulum Cathedrale eum pro tali agnoscere debet.*
3 *Capitula Cathedralia deserta vita communi à jurisdictione Episcoporum se eximere cœperunt.*
4 *Synodus Trid. voluit præcipuum honorem adhiberi Episcopo, non obstante exemptione.*
5 *Nulla exemptio excusare potest Capitula ab exhibendis iis quæ sunt honoris & reverentiæ.*
6 *Capitula etiam exempta impedire nequeunt ut Episcopus solemniter ad suam cathedram deducatur; eique benedictionem danti se inclinare debent.*
7 *Episcopo in Ecclesia Cathedrali etiam exempta prima & honorabilior Sedes sæpius adjudicata.*
8 *Non obstante exemptione Canonici operâ & consilio Episcopo assistere debent; & ad postulationem Episcopi congregationem indicere.*

I. TOtius Cleri Episcopum Caput esse; eique præcipuam agendorum in sua Diœcesi curam incumbere indubitatum est.

Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. *Can.* 35. apud Gratianū *Dist.* 95. *Can.* 10. "Ut Episcopus in Ecclesia & consessu Presbyterorum *sublimior* sedeat," Et illud Viri Apostolici S. Ignatii in Epistola ad Smyrnenses: "Omnes Episcopum sequemini, ut Christus „Patrem, & Presbyterorum Collegium ut Apostolos. Et „Diaconos revereamini ut ex Dei præcepto ministrantes. „Sine Episcopo *nemo* quidquam faciat eorum, quæ ad Ecclesiam spectant."

II. Cum verò Capitulum cathedrale præcipuam Cleri partem constituat, atque totius Diœcesis quodammodo Clerum repræsentet, *Senatumque* componat; Hierarchicus Ordo atque Episcopalis dignitas exigunt, ut Capituli cathedralis Caput ac Præses sit Episcopus; ipsumque ut talem Canonici revereantur, atque suspiciant, uti respondit Alexander III. in *Cap.* NOVIT ꝫ *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.*

III. Vita communi Canonicorum durante; quando Canonici, quos hodie *Cathedrales* dicimus, cum Episcopo, atque sub ejus directione in communi vivebant, perfectissima erat capitis & membrorum conjunctio: At vita communi in singularem mutata, ipsisque Capitulorum proventibus ab Episcopalibus separatis, cœperunt Canonici non secus ac Monachi à jurisdictione Episcoporum quærere exemptiones.

IV. Quas exemptiones utpotè Episcopis in præcipuam sui Cleri partem subtrahentes auctoritatem; atque liberius delinquendi facultatem Canonicorum foventes, aboleri, ipsaque Capitula cathedralia ad pristinam subjectionem Episcopi reducere desiderantes Patres Tridentini: nonnulla decrevere, quæ temporum ac rerum conditio patiebantur pro restituenda Episcopali in Capitula cathedralia auctoritate *Sess. 25. c. 6. De reform.* "atque inter alia, ut Episcopis „ubique is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est; „eisque in choro, & in Capitulo, in Processionibus & aliis „actibus publicis sit prima sedes & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas."

V. Et sanè, non obstante quacumque exemptione, Episcopus manet Caput & Primarius Pastor, ac Pater sui Cleri, ac totius Ecclesiæ sibi creditæ, ideoq; nullatenus Canonici, quantumvis exempti à jurisdictione Episcopi, ipsi negare possunt, quæ *honoris ac reverentiæ* sunt, non magis quam filius emancipatus naturalia illa obsequii & honoris jura negare queat Patri suo naturali; uti rectè observat Carolus Fevretius Tract. *De abusu lib. 3. cap. 1. cum nusquam exempti liberi esse censeantur*, inquit, *ab obsequio reverentiali.*

VI. Hac de causa Capitula quantumvis exempta impedire nequeunt, quo minus Episcopus in Pontificalibus incedens per Apparitores, & accensos suos, cum suis respectivè sceptris & virgis ad Cathedram suam deducatur; dictique Ministri sua loca prope Episcopum, quo præsto esse queant in ejus servitio, obtineant; quemadmodum ibidem notat Fevretius, qui & ibidem notat, quam injustè ac parum Christianè quidam Canonici prætenderent vi suæ exemptionis se eximere à genuflexione, aut corporis inclinatione cum reliquo populo, dum Episcopus solemniter Benedictionem impertitur; atque ab hac sua prætensa denegatione destitisse, cum præviderent se à Senatu Regio, cujus protectionem Episcopus imploraverat, certò condemnandos.

VII. Ulterius ex Decreto Synodi Tridentinæ, Episcopis "in omnibus actibus publicis, & in choro debetur prima „sedes & locus quem ipse elegerit," idque rursus non obstante quacumque Capituli exemptione à jurisdictione Episcopi eo quod hæc juribus & obsequiis honorificis atque reverentialibus, ratione characteris Episcopalis debitis, minimè deroget.

Quapropter Episcopus in sua Ecclesia cathedrali; tametsi exempta potest habere sedem seu thronum elevatum, uti judicatum in Parlamento Regio pro Episcopo Catalaunensi contra suum Capitulū 15. Feb. 1664. ex Renato Choppino refert Fevretius *L. 3. c. 3* Similiter cū nonnulli Canonici Ecclesiæ cathedralis Æduensis vellent impedire Episcopū ne cathedræ suæ imponeret umbellā quæstione ad Parlamentum Regiū delata, declaratum fuit, 14. Mart. 1657. referente ibidem Fevretio, Episcopo liberum esse habere umbellā in cathedra sua elevata ad tres gradus; ad quam possit accedere sive in habitu Pontificali, sive Canonicali, quotiescumq; ei libuerit.

VIII. Adhæc, quia Episcopis semper intacta ac integra manet cura totius Diœcesis, atque præcipua omnium rerum gerendarum auctoritas; nec non ipsa Capitula cathedralia obligentur, quacumque exemptione non refragante, consilio ac opera ei assistere; cum eum in finem fundata sint

sint & instituta, consequens est, Canonicos negare justè non posse congregationem Capituli, cum eam Episcopus necessariam pro negotiis Ecclesiæ suæ judicaverit. Atque hinc à Senatu Parisiensi 15. Feb. 1564. judicatum fuit, Episcopum Cabilonensem imperare posse, ut cogatur Capitulum, quotiescumque deliberandum erit pro negotiis Ecclesiæ, aut concernentibus servitium Regis. Carolus Fevretius *l.* 3. *c.* 1.

CAPUT III.

Quomodo Episcopus Capitulis etiam exemptis interveniat.

1 *Synodus Trident. voluit ut in Capitulis etiam exemptis Episcopi præsiderent.*
2 *Hoc decretum quantumvis justissimum ubique executioni mandari non potuit.*
3 *Episcopi postularunt unionem præbendæ suo Episcopatui ut* Capitulum *tamquam Canonici intrare possint.*
4 *Non est novum quòd Episcopus in qualitate Canonici Capitulo intersit.*
5 *Unde dignoscatur an interveniat* ut Canonicus, *an* ut Prælatus.
6 *Quem locum obtineat dum intervenit ut Canonicus.*
7 *Non præsidet dum intervenit ut Canonicus nisi privilegio aut consuetudine contrarium obtineat.*
8 *Quod suffragium Episcopus in Capitulo habeat.*
9 *Exemptio Capitulorum quomodo limitanda.*

I. SYnodus Tridentina auctoritatem atque jurisdictionem in Capitula sua Cathedralia, quantum temporum conditio patiebatur, Episcopis restituere volens, præter ea, de quibus capite præcedenti, statuit, ut " si Episcopi „ aliquid Canonicis ad deliberandum proponant, nec de re „ ad suum vel suorum commodum spectante agatur, Episcopi ipsi Capitulum convocent, vota exquirant, & juxta „ ea concludant." *Sess.* 25. *cap.* 6 *De reformat.*

Itaque ex mente Patrum Synodi Tridentinæ, Episcopi sunt ipsorum Capitulorum Moderatores, atque Præsidentium munia & functiones exercent: idque non tantum quoad Capitula jurisdictioni suæ subjecta; sed etiam *exempta*; utpote de quibus unicè in suo Decreto agit Synodus.

Et sanè quid justius ac ipsi Ordini Hierarchico conformius, quam ut is in consessu sui Cleri præsideat, ac negotia proposita Præsidentis instar modeletur, qui præcipuum in Hierarchia locum obtinet; atque eminenter omnem Ecclesiasticam auctoritatem, quæ in Clero inferiori reperitur, continet; imò à quo tamquam è fonte in reliquum Clerum defluere debet? ut propterea Episcopatus plenitudinem Sacerdotii; reliqui vero Ordines aut Dignitates Clericales portionem aliquam duntaxat habere dicantur.

II. Quapropter, uti ex historia Concilii Tridentini intelligitur, votum Patrum erat, eas exemptiones planè abolere; atque Capitula Cathedralia ad plenam Episcopi subjectionem reducere; at temporum ac rerum conditio, aliquam in his moderationem à Concilio extorsit; & nihilominus tamen, uti queruntur Patres Concilii Rothomagensis an. 1581. " exemptiones Capitulorum, propter quas eorum non potest restitui Ecclesiastica disciplina, nec emendari abusus „ Ecclesiarum Cathedralium, nequeunt ad hanc moderationem Concilii Tridentini reduci propter Capitulorum „ resistentium multitudinem, eorumque potentiam."

III. Hinc eidem " Episcopi Rothomagensis Provinciæ „ consenserunt salvas manere exemptiones, ne, inquiunt, „ propter eas Concilio Provinciali poneretur obstaculum." Deinde subdunt, atque Pontifici exponunt: " Sed salvis illis, „ viderunt jam sibi viam paratam à D. Metropolitano ad „ ingrediendum Capitula, & eis præsidendum, in ipsisque „ reformandum omnia. Nam antea Archiepiscopi nostri „ impetrarunt à Sede Apostolica Bullas ad uniendum Canonicatum & præbendam Archi-Episcopatui, ut ita Archiepiscopus tamquam Canonicus intraret Capitulum, quoties vellet, & in ipso præsideret: quo jure nunc etiam utitur. „ Supplicant humillimè Episcopi Sanctitati suæ, ut dignetur „ omnibus ejusdem Provinciæ Episcopis Bullam communem conferre ad uniendum Episcopatui Canonicatum & „ præbendam, quam vacantem deligere voluerint, adinstar „ unionis Archiepiscopo Rothomagensi dudum concessæ, „ atque ad eundem effectum & finem."

IV. Quod hic dicitur indultum Archiepiscopo Rothomagensi, aliisque ejusdem Provinciæ Episcopis indulgeri petitur; nimirum Episcopatibus præbendam & Canonicatum Cathedralem uniri, ut ea mediante *tamquam Canonicus* Capitulo interesse possent, novum non est: nam in *Cap.* 15. ☩ *De Concessione Præbendæ &c.* cum quæsitum esset, collatione Præbendarum spectante ad Episcopum & Capitulum, utrum Capitulo negligente intra tempus legitimum collationem, jus conferendi devolveretur ad Episcopum; respondit Innoc. III. collationem non devolvi ad Episcopum, sed secundùm Statuta Lateranensis Concilii devolvi ad Superiorem: *nisi fortè, inquit, non ut Prælatus, sed ut Canonicus vobiscum jus habeat conferendi*, quo responso supponitur, Episcopum interdum *ut Prælatum*, interdum verò *ut Canonicum* Capitulo intervenire & cum Canonicis deliberare; quod & ad citatum Capitulum uno consensu notarunt Canonistæ.

Hac similiter distinctione utitur Pontifex in *Cap.* A collatione *De appellationibus in VI.* respondens à collatione Beneficii, quæ communiter à Capitulo & Episcopo fit, appellari oportere non ad Episcopum, sed ad ejus Superiorem, si ut *Prælatus* interveniat, aliàs si *ut Canonicus*, ad ipsum Episcopum esse appellandum.

V. Si verò quæratur qua qualitate Episcopus Capitulo intervenire censeatur; an *tamquam Prælatus* & Caput, an *tamquam Canonicus* sive membrum Capituli, censent Canonistæ, quòd si in Ecclesia sit statutum, aut vetusta consuetudo, determinans qua qualitate Capitulo Episcopus interveniat, illi standum esse: his verò deficientibus, aut dubiis, tunc decidendum esse ex conjecturis. Quia si Episcopus non tenet primum locum & honorabiliorem, censetur interesse *ut Canonicus*: si autem præsideat & teneat honorabiliorem locum, censetur esse in Capitulo *ut Prælatus*.

VI Nam ut post Abbatem in *Cap.* POSTULASTI ☩ *De concess. præb. n.* 8. passim tradunt Canonistæ, " ubicumque „ Prælatus interest in aliquo Collegio, non *ut Prælatus* illius „ Collegii, sed *ut singularis* illius Collegii, non debet tenere „ Caput illius Collegii; licet persona sua seu dignitas sit in se „ honorabilior, quàm dignitas Præsidentis in illo Collegio: „ quia non stat ibi tamquam constitutus in sua dignitate; sed „ *tamquã singularis* de Collegio." Hæc Abbas & post ipsum communiter Canonistæ, & inter alios Fagnanus ad citatum Capitulum Postulasti; qui & addit; quòd Episcopus qui est Canonicus in sua Ecclesia, *& ut talis* Capitulo intervenit, debeat sedere immediatè post eum qui præest Capitulo: si autem in aliena Ecclesia habeat Canonicatum, debeat sedere in loco Canonicatus. "Sic in præsens, ait, in Basilica S. „ Petri Patriarcha Hierosolymitanus, qui est etiam Canonicus, sedet in choro post Canonicos ante ipsum receptos."

VII. Quòd igitur Archiepiscopus Rothomagensis assistens Capitulo ratione Canonicatus suo Archiepiscopatui annexi, dicatur in Capitulo *præsidere*, consuetudini aut privilegio tribuendum est: quod sanè & dignitati Episcopali & disciplinæ primitivæ & puriori admodum consentaneum est. In erectione quoque novorum Episcopatuum Belgii, annexus sive incorporatus fuit Canonicatus seu præbenda mensæ Episcopali, ratione cujus *Episcopus persona*

sena Capitularis fit, vocemque & auctoritatem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos habeat.

VIII. Illud insuper notat Glossographus ad allegatum Capitulum *a collatione*, & post eum Canonistæ, quòd Episcopus interveniens Capitulo *ut Canonicus*, habeat vocem, & sua vox augeat numerum: si autem *ut Prælatus*, non habeat vocem, sed solùm habeat potestatem concludendi secundùm majorem partem Capituli.

Hoc tamen Glossographi dictum intelligi debet de voce *absoluta*, non autem de *decisiva* in paritate, quæ in omni Congregatione Præsidenti & concludenti competere solet.

Insuper dictum illud Glossographi intellige, nisi consuetudo aut speciale statutum Episcopo aliquid amplius deferat: uti Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii, in electione Canonicorum Graduatorum dat Episcopo tamquam Canonico primum suffragium æquivalens suffragio unius è reliquis Canonicis Graduatis, ac insuper in paritate suffragium decisivum, sive paritatem dirimens.

CAPUT IV.

In quibus Episcopus teneatur Consilium vel consensum Capituli petere.

1 *Olim Episcopi Presbyterorum & Diaconorum consilio utebantur.*
2 *In decidendis causis Episcopo assistebant.*
3 *In locum Diaconorum & Presbyterorum successit Capitulum Cathedrale.*
4 *Canonici Cathedrales in regimine Ecclesiæ opera & consilio Episcopo assistere debent.*
5 *Episcopus consilium petere, non tamen sequi, ordinariè tenetur.*
6 *In collatione beneficiorum interdum consensum Capituli habere debet.*
7 *Consensus Capituli requiritur in alienatione bonorum.*
8 *Item in unione beneficiorum.*
9 *Moribus Belgii loco Capituli interdum succedit Vicariatus.*

I. Quamquam penès Episcopos præcipua semper fuerit in Ecclesiæ regimine auctoritas; ac tamquam summi Sacerdotes, ipsamque plenitudinem Sacerdotii obtinentes fuerint considerati, nihilominus ab ipsis Ecclesiæ primordiis, fuit & Presbyterorum, Diaconorumque Ordo & cœtus, quorum consilio & opera Episcopi in Ecclesiæ regimine uterentur.

Hinc illud Cypriani ad Presbyteros & Diaconos suos *Epist.* 5. „Quamquam causa compelleret, ut ipse ad vos properare & venire deberem: primò cupiditate & desiderio „vestri, quæ res in votis meis summa est, tum deinde ut ea „quæ circa Ecclesiæ gubernaculum utilitas communis exposcit, tractare simul & plurimorum consilio limare possemus.„ &c. Et infra: „Ad id verò quod scripserunt mihi „Compresbyteri nostri Donatus & Fortunatus, Novatus & „Gordius, solus rescribere nihil potui: quando à primordio „Episcopatus mei statuerim, nihil sine consilio vestro, & „sine consensu plebis, mea privatim sententia gerere.

Cui consonat illud S. Ignatii: *Revereantur omnes Episcopum, ut Jesum Christum existentem Filium Patris; Presbyteros autem ut concilium Dei & conjunctionem Apostolorum. Epist.* ad Tarsenses.

II. Hac de causa videmus passim Sacros Canones in judiciis causarumque decisionibus Presbyteros Diaconosque Episcopis jungere: imò ex Concilio Carthagin. IV. Can. 23. refert Gratianus 15. *q.* 7. *Can* 6. „Ut Episcopus nullius causam audiat absque præsentia suorum Clericorum: alioquin „irrita erit sententia Episcopi, nisi Clericorum præsentia „confirmetur.

III. Cùm ergo Capitulum cathedrale præcipuam Cleri portionem; unumque cum ipso Episcopo corpus Senatumque constituat, pristinumque Presbyterium, quo inconsulto nihil majoris momenti Episcopi in negotiis Ecclesiasticis expedire consueverant, repræsentet; æquum justumque, atque regimini Ecclesiæ convenire judicatum est, ut Episcopi in regimine & administratione Ecclesiæ suæ Canonicorum Cathedralium opera & consilio uterentur, imò & in quibusdam nec sine eorum assensu procedere possent.

Et quidem ad Patriarcham Hierosolymitanum scribit Alexander III. in *Cap.* NOVIT. 4. *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: „Novit pleniùs tuæ discretionis „prudentia, qualiter tu & fratres tui unum corpus sitis, ita „quod tu caput, & illi membra esse probantur. Unde non „decet te omissis membris, aliorum consilio in Ecclesiæ „tuæ negotiis uti; cum id non sit dubium, & honestati tuæ „& SS. Patrum constitutionibus contraire.

„Innotuit siquidem auribus nostris, quod tu sine consilio fratrum tuorum canonicorum S. Sepulchri, Abbates „& Abbatissas & alias Ecclesiasticas personas instituis & „destituis. Ideoque id auctoritate Apostolica prohibemus. „Nos enim tales institutiones & destitutiones carere decernimus robore firmitatis.

Et in *Cap.* QUANTO 5. *eod.* rursus eidem rescribit, „Quia non decet prudentiam tuam in negotiis tibi commissæ Ecclesiæ *consilium* Fratrum tuorum postponere, „cum quibus unum corpus existere comprobaris, Fraternitati tuæ mandamus, quatenus in concessionibus & confirmationibus, & aliis Ecclesiæ tuæ negotiis Fratres tuos re„quiras, & cum eorum consilio vel sanioris partis eadem „peragas & pertractes, & quæ statuenda sunt statuas, & errata corrigas, & evellenda dissipes & evellas.

IV. Juxta modernam proinde Ecclesiæ disciplinam Episcopus Canonicos cathedrales ut suum Senatum, cujus consilio Ecclesiam suam administret, suspicere tenetur: ipsique Canonici sedulò expendere: „Canonicatuum ac Præbendarum instituendi rationem & causam „hanc fuisse, ut bene monuit Cardinalis Polus in *Decreto* „*De reformat. Cleri Anglicani*, ut qui ad eas assumuntur, „Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione *consilio* & opera adjuvent, in Divinis celebrandis Ecclesiæ inserviant.

Hac de causa Canonicos Cathedrales monuit magnus ille Gandensium Antistes Guilielmus Lindanus. „Ut nulla ratione putarent se apud Deum excusari, si solùm Officio „recitando occupentur: in primis verò, ait, per Germaniam, „qui ad docendum Episcopoque suo serviendum præcipuè sunt à Carolo Magno instituti, quemadmodum tabulæ fundationum sonant. „ *Par. Apologia.*

V. Verùm tametsi Ecclesiæ mens sit, ut Episcopi in Ecclesiarum administratione arduisque negotiis *consilio* Fratrum suorum sive Canonicorum utantur, præcipuam tamen auctoritatem arbitriumque penès Episcopum esse vult; ut ipse audito & maturè expenso Canonicorum consilio id decernat, quod Ecclesiæ hic & nunc magis expedire judicaverit.

Qui enim aliquos ut *Consiliarios* sive per modum consilii audire debet, rationes quidem ipsorum expendat justum est; at eorum *consilium* sequi non tenetur; neque consensum Capituli expectare, nisi id speciali jure expressum sit, communiter tradunt canonistæ ad Titulum Decretalium *de his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, quod S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. *par.* 3. *c.* 11. his verbis expressit: „quibus in actionibus aut deliberationibus Oecumenica Syno„do Tridentina, aut Provincialibus conciliis constitutum est „de Capituli clerive consilio aliquid agendum esse, non „propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse Episcopus existimet, nisi in iis tan„tùm

„tium, de quibus id speciatim nominatimque cautum „est.„

Cui conformis est resolutio Sacræ congregationis Cardinalium quam refert Piasecius in praxi Episcoporum *part. 2. cap. 2. num. 8.* qua declaratur, Episcopum in edendis constitutionibus debere requirere consilium Capituli, *Licèt illud non teneatur sequi nisi in casibus à jure expressis.*

VI. Casus verò à jure expressos ibidem enumerat Piasecius; atque in primis requiritur non *consilium* dumtaxat, sed & consensus Capituli in illis omnibus in quibus vertitur interesse Capituli, *Cap. fin.* ✠ *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* Unde si collatio Beneficiorum pertineat tam ad Capitulum, quàm Episcopum, nihil potest de illis disponere Episcopus sine consensu Capituli, *Cap. 6.* ✠ *Eod.*

VII. Item si agatur de notabilium aliquarum rerum ad Ecclesiam spectantium alienatione, *cap. 1. 8 & 9.* ✠ *eod.*

VIII. Hoc ex capite in Ecclesiarum & beneficiorum unione consensum Capituli intervenire debere, non obscurè innuitur in *Clem. fin. De rebus Ecclesiæ non alienandis.* Plura de his casibus à jure exceptis vide apud Barbosam tractatu de Canonicis *cap. finali.*

IX. Notat autem Zypæus *Consult. 17. De Regularibus num. 18.* quod „in his regionibus passim negotia Episcopa„lia, & singulariter uniones, per Episcopos expediantur non „interveniente Capitulo, sed consilio Vicariatus. Usus au„tem is notorius est tam quotidiana praxi, quàm infinitis „hodiernarum & veterum unionum litteris ubique extan„tibus.„ Hæc ille, qui ibidem notat, consuetudinem hanc „non esse planè difformem à mente Concilii Tridentini, „quod in multis negotiis non integrum capitulum, sed aliquos de capitulo ab Episcopis in consilium adhiberi vult, ut infra videbitur, ubi de illis materiis tractabitur.

Praxis hæc, de qua Zypæus, nequaquam universalis est in Ecclesiis cathedralibus Belgicis: plures enim sunt, in quibus, Sede non vacante, nullus Vicariatus instituitur; omniaque negotia *Capitulariter* peraguntur; & ab Episcopis consulitur Capitulum.

TITULUS IX.

De Capitulo Sede vacante.

CAPUT I.

Capitulum Sede vacante in ordinariam Jurisdictionem Episcopi succedit.

1 *Clerus olim Sede vacante Ecclesiam administrabat.*
2 *Capitulum cathedrale Clerum repræsentans, nunc vices Episcopi supplet.*
3 *Illud procedit etiam quoad ea quæ Episcopo speciali jure competunt.*
4 *Et generaliter tam quoad jurisdictionem contentiosam quàm voluntariam.*
5 *Licèt excludantur inferiores Prælati, non tamen Capitulum.*

I. Cum ob tyrannorum persecutiones S. Cyprianus Ecclesiam suam deserere debuisset, ad Clerum Romanum Sede vacante per mortem Fabiani Pontificis scripsit Clerus Carthaginensis, cui respondens clerus Romanus inter alia dicit: „Et cùm incumbat nobis, „qui videmur *Præpositi* esse, & vice *Pastoris* custodire gre„gem, si negligentes inveniamur, dicetur nobis quod & An„tecessoribus nostris dictum est, qui tam negligentes Præ„positi erant: quoniam perditum non requisivimus, & er„rantem non correximus, & claudum non colligavimus, & „lac eorum edebamus, & lanis eorum operiebamur..... „Nolumus ergo, Fratres dilectissimi, & vos Mercenarios „invenire, sed bonos Pastores, cùm sciatis non minimum „periculum imminere, si non hortati fueritis Fratres nostros „stare in fide immobiles; ne præceps iens ad idololatriam „funditus eradicetur fraternitas.„ Hactenus Clerus Romanus *Epist. 2.* inter epistolas Cypriani editionis Rigaltii: quæ evidenter ostendunt, curam regimenque Ecclesiarum Romanæ & Carthaginensis Pastore Eviduatarum, Clero illarum respectivè Ecclesiarum incubuisse.

II. Proinde à Patrum descendit traditione, quod in Capitulum cathedrale, Clerum Ecclesiæ repræsentans, Diœceseos regimen, ipsaque Episcopalis auctoritas Sede vacante devolvatur. *cap. 11. & 14.* ✠ *De majoric. & obed. cap. unico, Ne Sede vacante in VI. cap penult. de suppl. neglig. Prælatorum in VI.* & aliis multis, è quibus canonistæ hanc formant Regulam: Capitulum Sede vacante fungitur vice Episcopi, & succedit in omnibus quæ sunt jurisdictionis ordinariæ, exceptis casibus in jure expressis; licèt etiam non competerent Episcopo jure communi, sed solùm ex consuetudine, vel statuto sive indulto speciali: modò tamen competant tamquam Episcopo & Ordinario.

III. Unde facultas concessa Episcopis à Concilio Tridentino *Sess. 24. cap. 6. De reformat.* dispensandi super irregularitatibus provenientibus ex delicto occulto, etiam competit Capitulo Sede vacante: „Nam licèt illa facultas (ait „Garcias *De Beneficiis part. 3. cap. 7. num. 40.*) Episcopo „competat jure speciali dicti Decreti, tamen competit ei ju„re communi, & ex *jurisdictione ordinaria* ei attributa per „dictum Decretum.„ Quandocumque ergo vel à consuetudine, vel aliunde v. g. à Synodo Tridentina datur Episcopis aliqua facultas, extendendo, aut prorogando eorum jurisdictionem ordinariam; aut in aliquibus casibus tollendo Monasteriorum aut Capitulorum exemptionem, quæ jurisdictioni ordinariæ obstaculum objiciebat, capitulum Sede vacante succedit, uti rectè monet Garcias dicto loco *n. 48.*

IV. Procedit autem tam in jurisdictione contentiosa & necessaria, quàm voluntaria & gratiosa. Vide Glossam Pragmat. *Tit. De concubinariis*, verbo *Superiores.*

V. Quin licèt *cap. 20. Sess. 24. de reform.* causæ matrimoniales & criminales solius Episcopi cognitioni reserventur, exclusis omnibus inferioribus Judicibus, tamen non intelligi exclusum Capitulum Sede vacante, ex Quaranta monet Zypæus, quia *non est inferior Prælatus, sed fungitur ipsa jurisdictione Episcopi.*

CAPUT II.

In quæ Capitulum Sede vacante Episcopo non succedat.

1 *Capitulum in jurisdictionem ordinariam Episcopi, non extraordinariam succedit.*
2 *Quandonam succedat in iis quæ Episcopis conceduntur tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis?*
3 *Quomodo succedat in collationem Beneficiorum?*
4 *Quæ potestas Capituli circa alienationem bonorum ad mensam Episcopalem spectantium?*
5 *Non succedit in ea quæ Ordinis sunt.*

Potest

6 *Potest tamen facultatem dare Ordines conferendi, & Ordines suscipiendi.*
7 *Hac facultas quomodo à Synodo Tridentina limitata?*
8 *An Capitulum possit dare facultatem recipiendi Ordinem titulo Patrimonii?*
9 *Quamdiu Sedes censeatur vacare moribus Belgii?*

I. Capitulum Sede vacante Episcopo tamquam totius suæ Ecclesiæ Ordinario Pastori & Judici succedit, atque in omnibus, quæ ipsi *ut Episcopo* competunt, vicem ejus supplet, nisi specialiter excipiantur: quæ verò Episcopo, *non ut Episcopo*, seu *Ordinario* suæ Diœceseos, sed in alia qualitate *speciali* & *quasi extranea* attribuuntur, in his Capitulum Episcopum non repræsentat, nec ejus vices supplet.

II. Unde infertur, quod potestas attributa à Concilio Tridentino Episcopis *tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis*, defuncto Episcopo in Capitulum non transeat, uti in terminis post alios tradit Fagnanus ad *Cap.* HIS QUÆ *de majorit. & obedientia num.* 55. unà monens, hoc non procedere, si facultas illa Episcopis competat *utroque jure*, scilicet *ordinario & delegato*; veluti si Concilium det illis facultatem procedendi *etiam* auctoritate Apostolica.

Et quidem si Concilium tribuat Episcopis auctoritatem procedendi auctoritate Apostolica iis in casibus, quibus ante concilium poterant procedere auctoritate *ordinaria*, eo casu concilium non censebitur derogasse auctoritati ordinariæ; sed eidem adjunxisse auctoritatem Apostolicam.

Id perspectum habens S. Carolus declaravit, „quod Si „Episcopus tamquam Sedis Apostolicæ Delegatus senten„tiam in iis causis tulerit, in quibus ante Concilium Triden„tinum *Ordinarius* eadem jurisdictione potestateve uti „poterat, *non ad Sedem Apostolicam*, sed *ad Archiepis„copum* ab illa sententia devolvatur appellatio.„ *In Concil. Mediol. V. part.* 3. *cap.* 11.

Itaque Capitulum Cathedrale ad exemplum pristini Presbyterii sive Cleri, Sede vacante fungitur vice *Pastoris*, eique incumbit, curam Diœcesis gerendo ea omnia facere, quæ Episcopus vi sui officii Episcopalis agere deberet; nisi quædam speciali jure futuro Episcopo sint reservata.

III. Cùm autem à Ministrorum electione maximè dependeat bonum Ecclesiæ regimen, voluit Ecclesia, ut si ea conformiter ad jus commune & primævam ac Apostolicam disciplinam Episcopis solis competat, futuro Episcopo illa reservetur.

Hinc inter casus specialiter exceptos, in quibus Capitulum Sede vacante non succedit, præcipuum esse tradunt canonistæ collationem Beneficiorum; idque sive competat jure collationis strictè dictæ, sive jure præsentationis; sive jure proprio, sive jure devoluto: modo tamen collatio sive præsentatio sit libera, neque conjunctim cum capitulo, sed soli Episcopo competat.

Si enim collatio vel confirmatio aut institutio tantùm competat Episcopo ad præsentationem Patroni Laici vel Ecclesiastici; vel collatio sit quidem libera, sed spectet *conjunctim* ad Episcopum & Capitulum, his casibus capitulum Sede vacante Episcopo succedit; & collationem, confirmationem vel institutionem dare potest; uti communiter docent Interpretes, & communis praxis probat.

Imò si ex aliquo privilegio, aut gratia Beneficium spectans ad solius Episcopi collationem, debeatur *certæ* personæ, v.g. Nominato Academico, eo casu posse Capitulum aut Vicarium Sede vacante conferre, tradit Garcias *De Benef. part.* 5. *cap.* 7. ubi *num.* 73. docet eam collationem dici necessariam, quæ est debita certæ personæ, seu certo generi personarum. Et ideo, ait *num.* 75. quando Patronus præsentasset pares æquè idoneos, posset nihilominus Capitulum Sede vacante instituere quem maluerit ex præsentatis.

Conformiter ad hanc distinctionem, Synodus Diœc. Mechliniensis *tit.* 15. *cap.* 6. declarat: „Beneficia ad „collationem Archiepiscopi spectantia, per Capitulum vel „Vicarium non conferantur: Deservitores tamen & admi„nistratores ejusmodi Beneficiorum vacantium licitè con„stituentur: & præsentati à Patronis, si idonei judicati fue„rint per Archidiaconum institui poterunt.

Et capite sequenti addit: „Si quam ex novem Præbendis „affectis (id est Graduatis) Sede vacante vacare contigerit; „reliqui ejusmodi Præbendas obtinentes, liberè illam, debi„tè tamen qualificato, conferre poterunt, Sedis vacatione „non obstante:„ idque ideo indubiè, quia harum Præbendarum collatio spectat conjunctim ad Episcopum & Canonicos Graduatos, ut infra dicetur.

IV. Adhæc Ecclesia suo destituta Patre & Pastore, viduæ ac pupillo comparatur. Quare sicuti alienatio bonorum pupilli interdicta est Tutoribus & curatoribus, pariformiter alienatio bonorum Ecclesiæ seu Episcopatus, sive ad mensam Episcopalem spectantium, Capitulo Sede vacante interdicta est; Fagnanus loco citato *nu.* 58. & alii ibidem citati.

V. Ulteriùs, quia ea quæ Ordinis sunt Episcopalis dependent à charactere Episcopali, qui nec Capitulo nec singulis de Capitulo communicatur, etiam in Capitulum non transeunt quæ ab Ordine Episcopali dependent.

VI. Verùm, quia non tam Ordinis, quàm jurisdictionis est, licentiam impertiri subditis, ut ab alio quàm Diœcesano Ordines suscipiant; aut ut Episcopus in aliena Diœcesi quæ Ordinis sunt exerceat, hinc est, quòd Capitulum Sede vacante nequeat quidem ea quæ Ordinis sunt, per se sive Vicarium suum exercere, possit tamen vi jurisdictionis Ordinariæ per vacationem Sedis ad se devolutæ concedere, ut Subditi sui ab alio Ordines suscipiant, *Cap.* 3. *De temporib. Ordinat. in* 6. vel alteri Episcopo licentiam impertiri, etiam in Diœcesi viduata quæ Ordinis sunt exercendi.

VIII. Hanc tamen Capituli potestatem limitavit Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 10. *De Reformat.* ut „non li„ceat Capitulis Ecclesiarum Sede vacante, infra annum à „die vacationis, ordinandi licentiam, aut Litteras Dimisso„rias, seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris com„munis dispositione, quàm etiam cujusvis privilegii, aut „consuetudinis vigore, alicui, qui Beneficii Ecclesiastici re„cepti, sive recipiendi occasione arctatus non fuerit, con„cedere.

Hoc Decreto etiam comprehendi Dimissorias pro prima Tonsura notat Garcias *De Beneficiis part.* 5. *cap.* 7. *nu.* 93. non obstante declaratione S. Congregationis Cardinalium ad calcem hujus Decreti relata his verbis: *Congregatio censuit, textum hunc non comprehendere primam Tonsuram*; quia, ut monet Garcias, intelligenda est, non quoad prohibitionem, sed quoad pœnas in Decreto adjectas: hancque explanationem communis praxis comprobat: notatque Fevretus, Capitula, Sede vacante non posse infra annum Dimissoriales concedere, tametsi consuetudine immemoriali essent muniti.

Restringit tamen Synodus Tridentina suum Decretum ad eos, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, sive recipiendi occasione arctati fuerint: his enim Dimissorias etiam à die vacationis Capitulum dare potest. *Arctati* ratione Beneficii *recepti* dicuntur, qui obtinent Beneficium ratione cujus infra determinatum tempus tenentur ad certum Ordinem promoveri; quod tempus si infra annum à vacatione Sedis Episcopalis elabatur, poterit Capitulum ei tamquam *arctato* ratione *Beneficii recepti* Litteras Dimissoriales concedere. Si verò nullum Beneficium habeat, sed præsentetur à Patrono ad aliquod Beneficium, quod certum Ordinem actu requirit, poterunt ei dari Litteræ Dimissoriales tamquam *arctato* ratione Beneficii *recipiendi*.

VIII. Post annum verò libera est potestas Capitulo, tamquam vices Ordinarii supplenti, dare Dimissorias, etiam titulo patrimonii vel pensionis, si id Ecclesiæ necessitas aut utilitas requirat, conformiter ad *cap.* 2. *Sess* 21.

De

Digitized by Google

De reformat. quamvis S. Congregatio videatur declarasse, Capitulum Sede vacante non posse dare Dimissorias ordinandi *ad titulum patrimonii*; quia uti de Regno Castellæ monet Garcias loco citato *num.93.* ita & de Belgio dici potest; nimirum declarationem illam non videri receptam, uti monet Zypæus in jure novo *Tit.* NE SEDE VACANTE *num.2.*

IX. Vacare autem Sedes censetur, saltem de consuetudine Belgii, donec Litteras confirmationis à Pontifice obtentas Regi sive consilio Regio Episcopus confirmatus ostenderit, illæque placetatæ Capitulo exhibitæ sint; atque in vim illarum per se vel alium possessionem acceperit: quod & in Hispania aliisque Regnis servari testatur Garcias *De benef. part.5. cap.4. num.258.*

CAPUT III.

Qualis Vicarius Sede vacante hodie constitui soleat.

1 *Olim Clerus in communi Sede vacante Ecclesiam ministrabat.*
2 *Hodie ex Decreto Concilii Tridentini constituendus Vicarius.*
3 *Synodus Tridentina Officialem & Vicarium pro uno eodemque accipit, secus obtinet in Belgio.*
4 *Moribus Belgii Capitulum Officialem distinguit à Vicario.*
5 *Officiales à Capitulo eligi non solent, sed constituti ab Episcopo continuari.*
6 *Decretum Concilii Tridentini moribus Belgii solùm habet locum in Vicario obtinente jurisdictionem voluntariam.*
7 *Intra octo dies à vacatione constitui debet, vel ab Episcopo constitutus continuari.*
8 *Non debet esse graduatus in Jure.*
9 *Moribus hodiernis constituendus est Vicarius distinctus ab Officiali.*
10 *Possunt plures constitui Vicarii.*
11 *Præter Vicarium potest constitui Vicariatus.*

I. De jure communi jurisdictionem Episcopi devolvi ad Capitulum Sede vacante supra ostendimus; illamque per se in communi olim exercere poterat, atque ita Clerum Romanum vacante Sede eam exercuisse ex supra relatis ejus ad Clerum Carthaginensem litteris sat manifestum est.

II. At cùm compertum esset, etiam hìc non rarò locum habere illud tritum: *Segnius expediunt commissa negotia plures*, declaravit Synodus Tridentina *Sess.24. c.16. de reform.* quod „Capitulum Sede vacante Officialem seu Vicarium infra octo dies post mortem Episcopi constituere, vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in jure Canonico sit Doctor, vel Licentiatus, vel aliàs quantum fieri poterit, idoneus: si secus factum fuerit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvatur.

Pro intellectu hujus Decreti prænotanda sunt sequentia.

III. Primò, Concilium in hoc Decreto pro uno eodemque accipere Officialem & Vicarium; idque juxta usum plurium Ecclesiarum, & quidem totius Italiæ; ubi referente Thomasino *De Discipl. Eccles. part.4. lib.1. cap.27.§.5.* etiamnum hodie Officialis & Vicarius Episcopi solet esse eadem persona; at in hisce vicinisque Provinciis solent Episcopi habere Officialem, qui contentiosam jurisdictionem, & Vicarium qui voluntariam exerceat; hicque *Vicarius generalis* dici consuevit.

IV. Simili modo, Capitulum Sede vacante in jurisdictionem Episcopi & contentiosam & voluntariam succedens, alterum Officialem, qui contentiosæ jurisdictioni præsit, & Vicarium generalem, qui voluntariæ, de novo creare, vel ab Episcopo creatum confirmare consuevit.

V. Et quidem quoad Officiales constitutos ab Episcopis, hi in Officio suo Sede vacante continuari consueverunt; raròque à Capitulo novi eliguntur: quin moderna praxis in Regno Galliæ obtinet, sæpiùs in contradictorio judicio firmata, Capitulum Sede vacante Officiales ab Episcopo institutos destituere non posse, nisi capitulum probet se esse in antiqua possessione contraria, uti latè refert Brodeau in *Notis ad Louet Litt.O. art.2.*

VI. Decretum proinde Concilii Tridentini, in quantum injungit Capitulo post mortem Episcopi constituere Officialem seu Vicarium infra octo dies, moribus nostris attentis ferè unicè locum habet in Vicario generali *voluntariam* jurisdictionem, & curam spiritualem obtinente.

VII. Et quidem si similem Vicarium infra octo dies non constituerit, vel existentem non confirmarit, ad Metropolitanum deputatio hujusmodi devolvitur: poterit tamen lapso octiduo moram purgare, & Vicarium eligere, quamdiu Metropolitanus manum non apposuit; uti & in his partibus, etiam collatores & Patroni Beneficia conferunt, & ad ea præsentant, quamdiu Superior nihil præstitit. Zypæus in jure novo *Tit. Ne Sede vacante.*

Hunc Vicarium vel de novo constituere, vel ab Episcopo constitutum confirmare in arbitrio est Capituli.

VIII. Cùm verò in similem Vicarium generalem transire non soleat jurisdictio contentiosa; sed ea apud eum, qui *Officialis* dicitur, resideat, etiam non requiritur, ut hic Vicarius sit Doctor aut Licentiatus in Jure Canonico; quam qualitatem requirit dumtaxat Synodus Tridentina in Vicario cui exercitium jurisdictionis contentiosæ committitur; quem & propterea cum Officiali confundit.

Hinc, uti bene notat Zypæus in jure novo *tit. Ne Sede vacante*, videmus hic tam ab Episcopis, quàm Capitulis Sede vacante in *Theologia graduatos* Vicarios passim constitui ad exercendam voluntariam jurisdictionem.

IX. Ulterius quia Synodus Tridentina Vicarium confundit cum Officiali, videtur attentis verbis Decreti, unum dumtaxat posse constitui à Capitulo Vicarium, qui & contentiosam & voluntariam jurisdictionem exerceat. Verùm cùm notorium sit, in hisce aliisque multis Provinciis Officialem à Vicario distingui, etiam notorium est, Sede vacante præter Officialem insuper Vicarium eligi. Unde quando Synodus D. Mechliniensis voluit ut Capitulum Metropolitanum Sede vacante infra octo dies non plures Vicarios, sed unum tantùm Vicarium constituat, vel existentem confirmet juxta præscriptum Concilii Tridentini, indubiè intelligi debet de illo, qui attento harum Provinciarum usu, Vicarius dicitur; & ab Officiali distinguitur.

X. Insuper notandum, quod in pluribus, etiam Belgicis Ecclesiis consuetudine immemoriali obtineat, ut plures Vicarii Sede vacante cum eadem auctoritate & æquali jurisdictione constituantur: quam consuetudinem à Concilio non esse sublatam multis probat Garcias *de Beneficiis part.5. c.7. n.56.* referens ita à S. Congregatione responsum fuisse.

XI. Ulteriùs moribus nostris obtinuit, ut quemadmodum Episcopus aliquos Canonicos interdum eligit, è quibus Concilium suum, quod *Vicariatum* vocat, componit, ita quoque Capitulum Sede vacante, subinde unum nominat Vicarium generalem, ac insuper aliquos è Canonicis, qui *Vicariatum* constituant; cujus consilio vel assensu Vicarius generalis juxta capituli deliberationem in regimine Diœcesis procedat.

CAPUT IV.

A quo & qualem jurisdictionem accipiat Vicarius.

1 *Vicarius jurisdictionem accipit à Capitulo.*
2 *Jurisdictio devolvitur ad Capitulum non ad Vicarium.*
3 *Cura & solicitudo Ecclesiæ, etiam constituto Vicario, manet apud Capitulum.*

4 *Si Vicarius sit suspectus, Capitulum de causa suspectationis cognoscit.*

5 *Capitulum potest Jurisdictionem Vicarii limitare.*

6 *An Vicarius pro libitu & arbitrio Capituli possit revocari.*

7 *Quid circa hoc moribus Belgii obtineat.*

8 *Meritò soliciti sunt Canonici ut bonus constituatur Vicarius.*

9 *Ultra Vicarium, à Capitulo constituendus Oeconomus qui rebus temporalibus Episcopatus intendat.*

10 *Fallit in Episcopatibus qui subjacent Juri Regaliæ.*

11 *Oeconomi à Capitulo deputati succedenti Episcopo rationem administrationis reddere debent.*

I. Sicut Vicarius Episcopi omnem suam auctoritatem & jurisdictionem ab Episcopo recipit; eamque juxta limites & formam sibi ab Episcopo præscriptos exercere debet; ita quoque Vicarius à Capitulo Sede vacante nominatus omnem suam jurisdictionem & auctoritatem à Capitulo mutuat.

II. Licèt enim Synodus Tridentina voluerit à Capitulo constitui Vicarium, nihil tamen circa jurisdictionis immediatam devolutionem mutavit: sed eam in terminis juris communis reliquit: ut quemadmodum de jure communi tota ad Capitulum devolvebatur, ita & nunc devolvatur, maneatque ipsa jurisdictio radicaliter, etiam constituto Vicario, apud ipsum Capitulum; exercitium verò apud Vicarium; quod fieri mandavit Tridentinum: quia penè impossibile esset, ut, si Capitulum *per se* administraret, singulis Ecclesiæ necessitatibus, præsertim repentinis, & moram non ferentibus, pro debito posset satisfieri: Vide Zypæum *resp.* 1. NE SEDE VACANTE.

III. Hinc ulteriùs consequens est, uti ibidem notat Zypæus, Capitulo post nominationem Vicarii adhuc incumbere solicitudinem Episcopalem in quam successit; neque ab ea constituto Vicario plenè exonerari; quod etiam evidenter supponit epistola Clementis VIII. ad capitulum Neapolitanum, quam ex Quaranta ibidem refert Zypæus.

IV. Eodem ex fonte, si Vicarius sit in aliqua causa suspectus, providet Capitulum: atque vi jurisdictionis apud ipsum remanentis de causis suspectationis cognoscit, ut tradit Fagnanus ad *Cap.* HIS QUÆ *de major. & obed. Num.* 75.

V. Quin eodem ex capite, si Capitulum det Vicario limitatam jurisdictionem & auctoritatem reservando sibi aliqua, ea Vicarius exercere non potest. Garcias *De beneficiis part.* 5 *cap.* 7. *Num.* 30. cui & Ecclesiarum multarum praxis consentit.

VI. Quandoquidem de ratione Vicarii esse videatur dependere à voluntate & arbitrio constituentis; sive illius cujus vices sustinet, consequens apparet, Vicarium Capituli, non secus ac Vicarium Episcopi, pro libitu & arbitrio capituli revocari posse: & ita ante Concilium Tridentinum unanimi consensu sentiebant canonistæ. At cùm hodie ex præscripto Tridentini concilii, Capitulum Vicarium nominare jubeatur; adeòque nominatio Vicarii, vel non designatio non ita sit in arbitrio capituli, quemadmodum est in arbitrio ipsius Episcopi, hinc etiam penès Episcopum hodie videtur esse liberior revocatio ipsius Vicarii, quàm penès Capitulum.

Et quidem Synodus Mechliniensis decernit, „Vicarium „semel à capitulo electum, vel confirmatum, postea sine ju„*sta & rationabili causa* removeri non posse.

Quin & refertur declarasse Sacram congregationem, Vicarium à Capitulo nominatum removeri non posse, nisi ex causa à Sacra congregatione Episcoporum probanda: „Sed, „ait Zypæus in Jure novo loco citato, credo hic non obti„nere eum recursum.

VII. Interim tamen, quia Vicarii generales à Capitulo electi solent constitui pro tempore vacantis Sedis; nec nisi rarissimè renovari solent, ægrè mores Belgii paterentur, ut sine causæ allegatione, & probatione Vicarius officio suo destitueretur; præsertim cùm ea amotio vix sine aliqua infamiæ nota hodie fieri posset.

Ita quippe consuetudine passim obtinuit, ut licèt officia seu secularia seu Ecclesiastica sint de natura sua, aut etiam speciali statuto revocabilia; imò teneantur possessores eorum singulis annis ea ad manus constituentium resignare, nequeant tamen iis privari, nisi ex causa vera, & probata; si talia sint, quæ revocari, & mutari non solent, sed ad vitam continuari; ac ut talia vulgò reputari; adeo ut mutatio, vel revocatio sine nota infamiæ fieri non posset. Vide Wamesium Consilio Canonico 301. & Dominum Christinæum in Notis ad Bugnyonium *De legibus abrogat. Libr.* 1. *Satyra* 1.

Interim tamen cùm ex justa & rationabili causa Capitulum possit Vicarium electum vel confirmatum removere, argumentum est nequaquam obscurum, jurisdictionem penès Capitulum etiam constituto Vicario manere: licèt exercitium illius juxta terminos à Capitulo præfixos, sit apud Vicarium, & non apud Capitulum.

VIII. Ex his facilè quisque judicare poterit, quanta debeat esse Canonicorum cura & solicitudo, ut prudens, peritus ac zelosus Vicarius eligatur; quandoquidem bonum vel malum regimen totius Diœcesis unicè penè dependeat à bono vel malo Vicario.

IX. Ultra Vicarium, cui regimen Ecclesiæ committitur, vult Synodus Tridentina, ut Capitulum Sede vacante Oeconomum unum vel plures fideles ac diligentes decernat: qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant.

X. Hanc tamen dispositionem Concilium limitat ad casum, ubi fructuum percipiendorum cura Capitulo Sede vacante incumbit.

Unde si Episcopatus Juri Regaliæ sint subjecti, Sede vacante rerum temporalium administratio, non ad Oeconomos à Capitulo deputandos, sed ad Officiarios Regios spectare consuevit.

XI. Oeconomi à Capitulo deputati solam custodiam & curam rerum ad Episcopatum spectantium habent: unde instar curatorum nihil de fundis aut rebus Episcopatus alienare possunt: tenénturque hi Oeconomi Episcopo ad vacantem Ecclesiam promoto rationem suæ administrationis, si exigat, reddere; tametsi ex ipso Capitulo fuerint assumpti; potestque eos Episcopus punire, si in officio administrationis deliquerint: etiamsi prædicti officiales, ait Tridentinum, redditis rationibus, à Capitulo, vel deputatis ab eodem, absolutionem, aut liberationem obtinuerint.

TITULUS X.

De Canonicis Graduatis.

CAPUT I.

Qua ratione & quomodo Canonici Graduati, præsertim in Belgio instituti.

1 *Ecclesia semper desideravit ut ad Canonicatus Graduatos assumerentur Viri docti.*
2 *Hoc ut assequeretur, gradus Academicos Canonicatibus annexuit.*
3 *Eundem in finem in erectione novorum Episcopatuum Belgii instituti sunt Canonici* Graduati.
4 *Hi tenentur specialiter operâ & consilio Episcopo assistere.*
5 *Ex iisdem eligendi Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius.*
6 *Eligendi per Episcopum & Graduatos, & quare.*
7 *Hæ præbendæ sub nullis reservationibus &c. comprehenduntur.*
8 *Tres ex iis Canonicis examinant admittendos ad Sacros Ordines & curam animarum.*

I. Canonicos Cathedrales successisse pristino Presbyterio, quod Episcopo pro Senatu esse in Ecclesiæ suæ administratione solebat, supra vidimus, ipsosque ex sua institutione ac mente Ecclesiæ debere operâ ac consilio episcopis assistere; ac unà cum ipsis Episcopis Senatum Ecclesiæ constituere ostendimus.

Quapropter solicita admodum fuit Ecclesia, ut ad hos præsertim Canonicatus assumerentur viri eruditione ac moribus ita conspicui, ut meritò sperari queat, quod ex iis corpus tale coalescat, à quo Episcopi in Ecclesiæ regimine operam & sanum consilium habere queant. „Decet „namque (ait Synodus Burdigalensis anno 1624. *cap.* 9.) „Metropolitanam aliasque cathedrales Ecclesias, eas per„sonas ita probitate ac scientia commendatas ad Canoni„catus assumere & eligere, ut ex iis Corpus Capituli coales„cens, *Senatus* Episcoporum, unde *consilium* accersant, „meritò dici possit.

II. Hoc ut faciliùs & efficaciùs consequerentur Patres Concilii Basileensis *Sess.* 31. voluerunt, „Ut in qualibet ca„thedrali & Collegiata Ecclesia ultra Præbendam Theo„logo assignandam, tertia pars Præbendarum conferatur „*Graduatis*. „Hoc Decretum non tantùm in Sanctionem Pragmaticam jussu Caroli VII. Galliarum Regis relatum est; sed etiam concordato inter Leonem X. & Franciscum I. conservatum & de novo confirmatum.

Quin & Synodus Tridentina expendens, quantopere Ecclesiæ intersit, ut ad Canonicatus promoveantur Viri doctrina & probitate insignes & probati, hortatur ut „in Pro„vinciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes, & „saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ec„clesiis & Collegiatis insignibus conferantur tantùm Ma„gistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia „vel Jure Canonico. „*Sess.* 24. *c.* 12. *De reformat.*

III. Eundem in finem in erectione novorum Episcopatuum Belgii facta ad instantiam Philippi II. per Paulum IV. statutum fuit, „Ut decem Canonicatus sive Præben„dæ primò vacantes sic maneant affecti, quod ipse Episco„pus unum vel unam omnium primò vacaturos tamquam „mensæ Episcopali perpetuò unitos obtinere, illorumque „ratione personam Capitularis esse, vocemque & auctorita„tem etiam in Capitulo super Decanum & Canonicos ha„bere possit.

„Reliqui verò novem Canonicatus & Præbendæ præ„dicti tribus *Magistris* aut Licentiatis in Theologia, & „tribus aliis *Doctoribus Decretorum*, seu in iis Licentiatis, „ac tribus aliis *Nobilibus* ejus Diœcesis, etiam in Jure vel „Theologia saltem gradu Licentiaturæ in famosa quapiam „Universitate Studii Generalis, secundùm tenorem prædi„ctarum Litterarum promotus, ordine in dicta designatione „expresso, in perpetuum concedi & assignari debeant.

IV. „Quodque ad sex priores tam Nobiles quàm alii „non Nobiles, ut præfertur, tamen qualificati, ad reliquos „verò tres Canonicatus & tres Præbendas ex reliquis no„vem Canonicatibus & Præbendis hujusmodi, nulli nisi „Nobiles & Graduati, ut præfertur, assumi possint; ac om„nes & singuli ratione suarum hujusmodi Præbendarum „consilium & operam in negotio Ecclesiæ & Religionis, „cæterisque difficultatibus pro tempore emergentibus, „quoties ab Episcopo suo requisiti fuerint, tam conjunctim „quàm divisim præstare teneantur.

V. „Ac unus Archidiaconus ad Archidiaconatum, & „alius Archipresbyter ad Archypresbyteratum, nec non „reliquus ex dictis Graduatis, Pœnitentiarius ad Pœniten„tiariam hujusmodi, ad nominationem Episcopi assumi, & „omnium primi post Episcopum vacaturos Canonicatus & „Præbendas prædictos simili ordine consequi debeant.

Hæc sat patenter evincunt, hanc Graduatorum institutionem unicè factam, ut in Cathedralibus Ecclesiis aliqui ut minùs inter Canonicos essent, qui scientia ac eruditione in Sacra Theologia & Sacris Canonibus excellerent; qui Episcopis consilio & opera in regimine suæ Ecclesiæ assistere possint.

VI. „Ut autem, prosequitur Bulla erectionis, de vi„ris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem „Ecclesiæ Dei, accuratiùs prospiciatur, quod ipsi novem „Canonicatus & novem Præbendæ hac prima vice per „Episcopum dumtaxat, & deinde quoties illi futuris tem„poribus vacaverint, ut præfertur, ad electionem Epis„copi & aliorum Graduatorum præfatorum superstitum „per eos conferantur, & in hujusmodi electione suffra„gium Episcopi non plus juris sive momenti, quàm cu„jusvis Graduatorum habeat, nisi vocum paritate occurren„te, tuncque iteratum ad hoc Episcopi suffragium parita„tem dirimat.

Ex his erectionis verbis intelligant Canonici Graduati electionem loci vacantis sibi esse delatam; ut nimirum, *De Viris spectatæ doctrinæ & probitatis, ad ædificationem Ecclesiæ Dei accuratius prospiciatur.* Proinde hinc intelligant, quàm soliciti esse debeant, ut omni humano respectu seposito, hujusmodi Viros eligant.

Hac de Episcopis & Canonicis Graduatis spe concepta, pro stabilienda eorum in hac electione libertate, declaratur & statuitur in ipsa erectionis Bulla, „Quod ipsi novem Ca„nonicatus & novem Præbendæ sub nullis specialibus vel „generalibus etiam mentalibus reservationibus, affectioni„bus, etiam in Corpore Juris clausis, nec non expectativis, „coadjutoriis, mandatis, facultatibus, indultis de providen„do, commendando, & aliàs disponendo, primariis preci„bus nuncupatis, vel aliis gratiis præventivis, per Nos aut „Romanos Pontifices pro tempore existentes, & Sedem „Apostolicam prædictam, vel ejus Legatos etiam conside„ratione, intuitu, contemplatione, vel ad instantiam Impe„ratoris, Regis, Ducum, ac aliorum Principum, aut ejus„dem S.R.E. Cardinalium, & ex quacumque causa quan„tumlibet urgenti pro tempore factis & concessis compre„hendantur, nec etiam tamquam vacantes Sedem eandem, „aut ulla alia ratione generaliter vel specialiter reservari, „nec illorum vacatione per resignationem, etiam ex „causa permutationis apud Sedem eandem pro tempore „occur

„ occurrentem, per Romanum Pontificem aut Sedem hu-
„ jusmodi, de illis provideri, aut aliàs quoquo modo disponi
„ possit, sed forma electionis præmissæ omni tempore ser-
„ vari nullàque causa infringi debeat.

Adhæc, quòd magna de eruditione cæterisque qualitatibus Canonicorum Graduatorum concepta fuerit idea, & illud non obscurè evincit, quòd è novem Graduatis eligi debeant ab Episcopo tres præcipui ejus Ministri, scilicet Archidiaconus, Archipresbyter cathedralis, & Pœnitentiarius.

VIII. Accedit, quòd in Bulla dicitur: „Ex senioribus
„ præfatis Canonicis duo in Theologia, & unus in Jure
„ Canonico Graduati unà cum Archidiacono curam ha-
„ beant examinandi promovendos ad Sacros Ordines, & ad-
„ mittendos ad curam animarum, quacumque illi auctori-
„ tate provisi fuerint.

CAPUT II.

De Graduatis Theologis & Canonistis.

1 *Solent Graduati in Theologia & Jure Canonico æquiparari.*
2 *Objectio contra hanc paritatem.*
3 *Solvitur objectio.*
4 *Canonista Canonibus SS. ut oportet instructus etiam aliquo modo Theologus est.*
5 *Pluribus sæculis Canonistarum & Theologorum distinctio fuit ignota.*
6 *Utiliter Canonista studium Theologiæ & Theologus studium Canonum jungunt.*
7 *Quæ causa quod Graduati in Jure Canonico SS. Canonibus ut oportet non sint instructi.*
8 *Conveniens esset ut gradus in Jure Civili non semper jungeretur gradus in Jure Canonico.*
9 *Ex præmissis ostenditur, Canonistam posse Theologo comparari.*

I. SYnodus Tridentina sive in promovendis ad Canonicatus & Præbendas, sive in promovendis ad primarias dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopatum, requirens gradum Academicum, ubique gradum in Jure Canonico jungit gradui in Sacra Theologia; ita ut velit promovendum esse Graduatum in Theologia aut Jure Canonico. Similiter Bulla erectionis novorum Episcopatuum in Belgio numerum æqualem Graduatorum in Jure Canonico, & Graduatorum in Theologia instituit; neque in electione ad Dignitates, Theologos canonistis præfert, sed Episcopo liberum relinquit, vel ex his, vel ex illis assumere.

II. Verùm, cùm Canonici cathedrales, ac præcipuè ipsi Graduati instituti sint, ut Episcopo in regimine Ecclesiæ consilio & opera assistant; illudque regimen unicè ferè spiritualem animarum profectum atque directionem respiciat, qua ratione canonistæ cum Theologis in hoc munere concurrere, aut his æquari possunt?

Canonistarum quippe scientia, non tam regimini spirituali subservire posse videtur, quàm litibus ac controversiis forensibus terminandis; quæ minima ac infima est regiminis Episcopalis portio.

III. Negari non potest, non paucos hodie inter Graduatos in Jure Canonico reperiri, qui unicè penè incubuerunt canonibus & Decretalibus, quæ ad lites & judicia valent; eosque ferè solos in prælectionibus exponi audiverunt: adeò que forensibus judiciis ac litibus prosequendis aut terminandis idonei dumtaxat reperiuntur: sed absit, ut hujusmodi Graduatos in Jure Canonico ad canonicatus & dignitates Ecclesiasticas, ut Episcopis in regimine & cura Ecclesiæ adjutores & consiliarii essent, Ecclesia aut Fundatores desideraverint; sed veros indubiè voluerunt præfici canonistas; id est, eâ canonum scientiâ refertos, qui Patrum acta ac mores repræsentantes, optimam Ecclesiæ componendæ atque ordinandæ rationem continent.

„ Hi autem canones, (uti rectè monuit Pius Parisien-
„ sis Universitatis Cancellarius Joannes Gersonius) si be-
„ ne inspiciamus, non sunt nisi conclusiones elicitæ vel illa-
„ tæ ex principiis Theologicis, id est, ex Evangelio & aliis
„ libris Canonicis per illos, quibus dicitur: *Qui vos audit,*
„ *me audit.*

IV. Hisce Canonibus si ritè essent instructi Canonistæ, sive in Jure Canonico Graduati, quis non videat, quàm hi possent, non secus ac Theologi, regendæ Ecclesiæ esse idonei?

Imò si hisce Canonibus sese occuparent, qui Jure Canonico operam navant; atque ad Ecclesiæ serviendum se studio illi impendunt, etiam in Theologicis scientiis non essent ignari.

V. Si enim Canones sint *Conclusiones ex principiis Theologicis elicitæ vel illatæ*, qui illorum plenam notitiam ac genuinum sensum assequi desiderat, etiam principiorum, è quibus deducuntur, planè ignarus esse non potest.

Hinc Gersonius asserere non veretur, „per quadrin-
„ gentos & ampliùs annos ita gubernatam fuisse Eccle-
„ siam, ut non esset distinctio Theologorum & canoni-
„ starum: licèt Canones Sacri multi essent ultra tenorem
„ expressè traditum in Evangeliis & cæteris Libris cano-
„ nicis.

VI. Deinde monet, „Dominum non ita distinxisse
„ Theologiam à Sacris Canonibus, & è contra, quin utiliter
„ & salubriter possint ab eodem homine, quantum sibi con-
„ ceditur, investigari. Si enim reperti sunt, qui ultra canones
„ Sacros Legibus humanis dederunt studium suum, & è
„ contra, & profecerunt in utrisque, si ultra Philosophiam
„ & Metaphysicam multi quotidie in Theologia se vehe-
„ menter exercent. Hoc convenientius habet fieri quòd
„ Theologus descendat ad inspiciendum canones tamquam
„ conclusiones elicitas ex suis principiis Theologicis dedu-
„ cere. Sic erit talis ambidexter Theologus canonista &
„ Canonista Theologizans: Et quis est iste & laudabimus
„ eum. Quid autem facilius est ex ambobus aut per Theolo-
„ giam S. cognoscere Canonicam scientiam, vel è contra.
„ Existimo, quòd primum, sicut faciliùs est & ordinatiùs de-
„ ducere ex principiis conclusiones, quàm ex conclusionibus
„ ad principiorum notitiam devenire.

Si hoc Gersonis consilium attenderent tam Theologi quàm canonistæ, illi nimirum Sacris Canonibus, utpote conclusionibus practicis ex principiis Theologicis elicitis; hi verò Libris Canonicis & Sanctis Patribus incumbendo, non dubium, quin & illi & hi majori cum fructu Ecclesiæ regendæ, & Episcopis consilio & opera assistendi forent capaciores.

Ejusdem cum Gersonio sententiæ fuisse S. Carolum, refert in ejus vita Carolus à Basilica S. Petri. „Ea, inquit, ca-
„ nonum scientia ipsi perjucunda erat, quæ Patrum mo-
„ res & acta repræsentans Ecclesiæ componendæ atque or-
„ dinandæ rationem continet. Dolens autem eos commu-
„ ni consuetudine tantummodo canones ad interpretandum
„ seligi, qui ad lites judiciaque valent, constituit ipse
„ qui iis declarandis præesset, unde sacra Majorum institu-
„ ta & ritus, optimumque Ecclesiæ administrandæ genus
„ hauriretur.

Ut ergo scientiam Canonum, qua Ecclesiæ serviendi reddantur idonei, faciliùs assequerentur Juris Canonici Studiosi, optandum esset ut hi saltem, qui se non forensibus controversiis occupare, sed in clericali Statu Deo & Ecclesiæ servire intendunt, potiùs studium Theologicum, id est, Sacræ Scripturæ & SS. Patrum, quàm Legum civilium jungerent aut præmitterent studio Sacrorum canonum.

VII. Et sanè quod hodie Juris Canonici Studiosi penè non imbuantur, nec studeant nisi canonibus aut Decretalibus, quæ ad lites judiciaque valent, quidni

magna ex parte inde proveniat, quod nulli hodie creari soleant Doctores Canonum seu Decretorum, nî unà & Legum Doctores creentur; paucique Juris Canonici aut Decretorum dumtaxat Licentiati fiant.

Cùm enim legum studium ad forenses controversias, judiciaque terminanda penè unicè spectet, facilè contingit, ut etiam studium Canonum eò conferant.

VIII. Ut ergo verum, ac Ecclesiæ utile Canonum studium ampliùs floreret, optandum esset, ut non tantùm Licentiati, sed & Doctores crearentur, qui unicè se Canonum studio occuparent; verumque sensum è suis fontibus eruerent; quemadmodum in ipsis Universitatis nostræ florentibus exordiis frequens fuisse ipsi Fasti Academici abundè testantur, in quibus referuntur plurimi solius Juris Canonici seu Decretorum Doctores.

IX. Hæc sat ostendunt, quâ ratione Graduatus in Jure Canonico, si scientiâ Sacrorum Canonum qui veram Ecclesiæ disciplinam, quin & *Patrum mores actaque repræsentant*, sit debitè instructus, quemadmodum publicum Academicum testimonium sive Gradus præfert, possit unà cum Graduato Theologo Episcopis in administratione Ecclesiæ esse admodum idoneus.

Adhæc, quis ultra mirabitur, si ad præcipuas Ecclesiæ Dignitates ac Munia vocentur indifferenter Graduati in Jure Canonico & Theologia, qui attenderit, Sacros Canones esse conclusiones è Libris Canonicis & Sanctis Patribus elicitas; ac per consequens peritum SS. Canonum etiam Sacrarum Litterarum ac Patrum non posse esse ignarum; è quorum lectione etiam Theologus suam haurire debet scientiam.

Sicuti enim Canonistæ nomen non meretur, saltem ut ad Ecclesiastica munia assumatur, iis Canonibus tantùm instructus, qui ad forenses quæstiones, judiciaque terminanda conducunt, ita nec Theologi nomine dignus est, qui scientiam suam è Sacris Litteris & Patribus non hausit.

CAPUT III.

De Graduatis Nobilibus.

1 *An probanda consuetudo Capitulorum nullos admittendi nisi Nobiles?*
2 *In electione ad munia Ecclesiastica magis attendenda virtutum quàm generis nobilitas.*
3 *Potest tamen quandoque generis nobilitas attendi.*
4 *Hæc debet attendi cum respectu ad bonum Ecclesiæ.*
5 *Nobilitas potest conferre ut quis magis prosit Ecclesiæ.*
6 *Quid Nobilibus Canonicis præ reliquis incumbat.*
7 *Nobiles etiam gradu Academico insigniti esse debent.*
8 *Gradus Academici magna cautione concedendi.*

I. NOnnulla sunt Canonicorum Collegia, in quibus invaluit consuetudo, quam etiam nonnumquam ex ipsa fundatione originem habere asserunt, ut nullos ad suum gremium admittant, nisi suam nobilitatem legitimis testimoniis asseruerint; contra quam referente Molano *lib. 2. De Canonicis c. 29.* prolixè scribit Guilielmus Peraldus, acriter reprehendens consuetudinem illarum Ecclesiarum, quæ nolunt *canonicare*, ut loquitur, *nisi Nobiles*.

Peraldo consentire videtur Gregorius IX. in *Cap. 37. De Præbendis & Dignitatibus.* Cùm enim auctoritate Apostolica Episcopus Portuensis tamquam Sedis Apostolicæ Legatus contulisset jure devoluto Præbendam in Ecclesia Argentina cuidam Clerico, & Capitulum illum admittere nollet, allegans consuetudinem antiquam inviolabiliter observatam, juxta quam nullum nisi *nobilem* & liberum, & ab utroque parente illustrem, honestæ conversationis, ac eminentis scientiæ in suum consortium hactenus admiserant; quæstione ad Sedem Apostolicam devoluta, respondit Pontifex Gregorius IX. „Nos igitur „attendentes, quòd non *generis*, sed virtutum *nobilitas*, vitæque honestas, Deo gratum faciunt, & idoneum servitorem, ad cujus regimen non multos secundùm carnem nobiles & potentes elegit, sed ignobiles ac pauperes: eò quòd „non est acceptio personarum apud ipsum, & vix ad culmina dignitatum (nedum ad Præbendas) viri eminentis scientiæ valeant reperiri, exceptiones hujusmodi non duximus „admittendas.

II. Profectò, quin in electione & vocatione ad Ecclesiastica Ministeria vitæ merita, ac eruditio potiùs sint attendenda, quàm familiæ prosapia & nobilitas, nemo ambigere potest: ut propterea meritò dicat Molanus loco citato, quod „reprehendenda & reformanda sunt Collegia, in quibus „postposito de pietate & eruditione examine, hoc solum „diligentissimè discutitur; an nominatus sit satis nobilis, „qui admittatur, an stemma ejus nusquam deficiat, an tot „recensere possit proximos suos parentes aut Barones, aut „Comites; an habeat omnia sua quarteria, ut loquuntur, integra, & similia, quæ nec recensere valeo, nec commemorari necesse est.

III. At verò ubi pietas ac eruditio non desunt, quin & ipsa generis nobilitas subinde considerari expendique queat, inficiari nullus potest. Certum enim atque experientiâ notorium est, quod nonnumquam Nobiles atque Illustres Viri, dum de cætero pietate & eruditione sunt insignes, multa sua auctoritate in bonum Ecclesiæ præstare possint, quæ alii pari aut majori pietate ac eruditione conspicui præstare non possent.

IV. Tametsi ergo in electione ad munia Ecclesiastica generis nobilitas vel familiæ prosapia nequaquam per se ac simpliciter sit attendenda; nihilominus cum respectu ad bonum Ecclesiæ, sive in quantum ea conferre potest, ut Nobilis majori auctoritate Ecclesiæ serviat, meritò attenditur; poteritque interdum Nobilis Ignobili, licèt nonnihil doctiori & capaciori, sine personarum acceptione præferri.

Hæc præ oculis habuisse creditur Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. inter novem Graduatos in singulis Cathedralibus Ecclesiis noviter erectis tres Nobiles Graduatos esse voluit; non quosvis; sed nobiles ipsius Diœcesis.

V. „Quòd enim, ait Molanus, ad Ministerium Ecclesiæ „vocentur, & invitentur, hoc fit, ut non solùm per eruditionem & pietatem, sed per *nobilitatem* quoque suam Ecclesiam Dei juvent. Cùm enim *Nobiles* sæculares gladium „portent, & per suam potentiam possint Ecclesiæ Dei, & „viris Ecclesiasticis multùm prodesse, valde expedit ex eorum familiis in Clero aliquos esse, ut eorum favor obsequium & reverentia erga Ecclesiam & Ecclesiasticos magis foveatur & conservetur. Imò dum in Clero sunt Nobiles, libenter Nobiles Viri & Illustres Principes eò filios „suos destinant, ut nobilitati stemmatis nobilitatem addant „morum, animum liberalibus & honestis studiis excolant, „& à teneris annis reverentiam Ecclesiastici Ordinis imbibant.

VI. „Nobiles proinde Canonici semper meminerint „sui officii, atque suæ vocationis esse, ut nobiles sæculares, apud quos propter carnis & sanguinis nobilitatem „plerumque præ reliquis Canonicis gratiores & majoris „auctoritatis sunt, adhortentur & doceant, Deum & Ecclesiam ab iis requirere, ut veluti nutritii Ecclesiæ Christi, primò & ante omnia tueantur honorem Dei, fidem „Catholicam, pacem Christianorum, pietatem, & bonos mores, Ecclesiam, viros Ecclesiasticos, & Monasticos, eorumque privilegia & immunitates. Et ut „filios suos à teneris annis sic institui curent, ut simul „cum pietate observantiam Sacerdotii & Cleri imbibant. Ex quo facilè intelligitur, cur conveniat patrios „nobiles exteris præferre, quòd hi plus apud nobilitatem

„Patriæ

„Patriæ & Diœcesis, quàm exteri nobiles præstare possint.

VII. Neque *Nobilitatem* dumtaxat, sed & eruditionem desideraverit Pontifex, dum ad instantiam Philippi II. tres Præbendas sive Canonicatus in singulis noviter erectis Ecclesiis Cathedralibus *Nobilibus* Diœcesanis assignavit: id vel inde intelligitur, quod ultra Nobilitatem etiam gradum Doctoratus aut Licentiæ in *Theologia* aut *Jure Canonico* requisiverit; ut scilicet hoc publico Academico testimonio probarent se non tantùm generis, sed & eruditionis nobilitate insignes & idoneos qui ecclesiæ operâ & consilio servire possint.

VIII. Ex hactenus dictis quisque facilè intelliget, quàm soliciti esse debeant, quibus incumbit Gradus Academicos annuere, ne aliis annuant, quàm qui eruditionem aliasque animi dotes habent, quas Gradus ille Academicus ceu publicum quoddam testimonium præfert.

Ut quid enim Gradus illi requiruntur, nisi ut per illos constet de eruditione & capacitate promovendi; sed de his alibi latiùs.

TITULUS XI.

De Dignitatibus Capitulorum.

CAPUT I.

De Præposito.

1. *Quales durante communi Canonicorum vita essent Præpositi.*
2. *Hodierni Præpositi ab antiquis in multis distincti.*
3. *Non omnium Præpositorum eadem jura & officia.*
4. *In his attendenda consuetudo, Statuta & fundatio.*

I. IN plerisque Ecclesiis Cathedralibus prima post Episcopalem dignitas, & in Collegiatis absolutè prima est Præpositi.

Officium Præpositorum in Ecclesiis Canonicorum, cùm inter Canonicos adhuc vigeret vita communis, describit Synodus Aquisgranensis anno 816. *cap.* 139. „Quamvis, ait, „omnes qui præsint, Præpositi ritè dicantur, usus tamen „obtinuit, eos vocari Præpositos, qui quandam Prioratus „curam sub aliis Prælatis gerunt. Hi tamen, qui juxta hunc „morem præpositi vocantur, tales & tam strenui sunt constituendi, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi injuncta sunt, fideliter, humiliterque expleant; & pro eo quod „aliis prælati sunt, nequaquam parvi pendeant canonica instituta; sed quantò plus implicantur in fratrum curis, tantò magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi esse utiles, & de ministerio commisso fideliter prodesse. Ea verò quæ fratribus dare debent, cum charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga hujuscemodi „verò delinquentes, & obedientiam sibi commissam bene „administrantes, modus superiùs comprehensus tenendus est.

II. Si quis attendat, quæ hîc Præpositis injunguntur, & incumbunt, facilè apparebit, quantùm moderni Præpositi, quos in Belgio habemus, ab illis, quos describit Synodus, discrepent.

Tunc Præpositura erat officium, nunc non solùm est beneficium, sed primaria dignitas. Tunc cura & regimen Canonicorum & Clericorum in communi viventium præposito incumbebat; nunc pauci sunt, quibus cura animarum, aut aliquod spirituale regimen incumbit. Tunc Præpositi in congregatione & pervigili cura Fratrum assidui erant: hodie verò plures credunt se ab omni residentia personali exemptos: Imò in Diœcesi Leodiensi omnes opulentiores Collegiatarum Ecclesiarum Præpositaræ possidentur à Canonicis Sancti Lamberti. Uno verbo, uti rectè notat Molanus *lib.* 2. *De Canonicis cap.* 4. „Si nostros præpositos ad priscos illos conferamus, nihil ferè aliud videmur reservasse, quàm umbram quamdam præposituræ, „quæ adhuc relucet in prima sessione, in opimis fructibus, „qui tamen in nonnullis locis justo Dei judicio propter intermissam residentiam multùm attenuati sunt: rursus „in collatione Beneficiorum, & nonnullis aliis.„ Hæc Molanus; quæ tamen commodè intelligenda sunt.

III. Constat enim, & in Belgio nostro esse quasdam Præposituras, quibus Canonicorum & Cleri cura spiritualis est annexa, præpositusque est Canonicorum Pastor; quique consequenter etiam de jure naturali ac divino ad residentiam tenetur: Alii sunt quibus alia Officia etiamnum hodie incumbunt.

Et quidem Ecclesiæ Coloniensis præpositos vi sui juramenti adstringi ad defensionem jurium, Privilegiorum & Statutorum Ecclesiæ, apertè supponit Synodus Coloniensis an. 1549. *Remedio* 3. *cap.* 5.

Et inter Statuta Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis titulo de officio præpositi legitur: „Absente vel impedito „Archiepiscopo, ejus vices in divinis supplebit præpositus, cùm huic Ecclesiæ aliquis datus erit, celebrabitque Sacrum secundùm præscriptum Tabulæ capitularis, & in „decisionibus capitularibus habebit primum suffragium „post Reverendiss. & Illustriss. D. Archiepiscopum: Post „quem etiam habebit primum locum in confessionibus & „actibus publicis; suberit tamen Capitulo, Decano autem „ut Pastori.

IV. Itaque quoad jura, dignitatem & munia Præpositorum, cujusque Ecclesiæ fundationes, statuta & consuetudines attendenda sunt; ut ex illis, quid Præpositis competat aut incumbat, judicari possit: Illud autem meritò monet Molanus loco citato, ut Præpositus, qui à cura animarum est liber: „meminerit saltem, ut purus sit in conferendis Beneficiis, ne, si aliter faciat, gravissimum reportet Dei judicium: Et quia numquam Clericis bonæ voluntatis desunt „officia & exercitia Ecclesiastica, quibus se & Deo & hominibus commendent, meminerit eum qui cæteris antistat „honore, etiam meritò & labore antistare debere, seque „tantò magis Ecclesiæ Dei debitorem esse, quantò abundantiores & majores sunt fructus, quos de Altari Dei „percipit.

CAPUT II.

De Decano.

1. *Decanorum origo.*
2. *Cura animarum à Præpositis translata in Decanos.*
3. *Hodie unicus est in singulis Capitulis Decanus, cui totius Cleri cura incumbit.*
4. *Solet esse Caput & Præses Capituli.*
5. *Jurisdictio Decani maximè à consuetudine dependet.*
6. *Jurisdictio interdum est non apud Decanum, sed apud Capitulum. Interdum apud utrumque.*
7. *Jure communi non habet jurisdictionem* contentiosam, *sed dumtaxat* correctionalem.

8 *Jurisdictio correctionalis competit Capitulo vel Decano, etiam in Capitulo non exempto.*
9 *Etiam Capitulum hanc aliquando exercet in Decanum.*
10 *Potest Decanus & Capitulum Canonicos ob indecentiam in vestibus, aut irreverentiam in Ecclesia suspendere ab introitu Chori & Capituli.*
11 *Officialis Episcopi non potest suspendere resolutiones Capitulares in materia disciplinæ.*
12 *Quam grave sit Decanorum officium.*

I. Notissimum est ex historiis & Regulis Patrum, olim fuisse in plerisque Monachorum Congregationibus, præter Abbatem & Præpositum, varios Decanos, qui singuli sub sua cura habebant decem Monachos. „Si major fuerit congregatio, ait S. Benedictus *in Regula cap.* 21. eligantur de ipsis Fratres boni testimonii, & „Sanctæ Conversationis, & constituantur *Decani*, qui sollicitudinem gerant super *Decanias* suas.

Cum verò Canonici in communi viventes disciplinam Monasticam in plurimis æmularentur, etiam ad imitationem Monachorum Decanos constituerunt; quare & in plerisque Hispaniarum Ecclesiis Cathedralibus Decani olim vocabantur *Priores* teste Innocentio III. *Lib.* 1. *Epist.* 77. „Quia Asloricensis Ecclesia dignitatem Decanatus à longis retro temporibus noscitur habuisse, licèt qui eo fungebatur honore promoveretur aliquando & destitueretur „pro Episcopi & Capituli voluntate, nec Decani, sed *Prioris* nomine vocaretur, secundùm consuetudinem ferè „*omnium* Ecclesiarum Hispaniæ, quæ tunc temporis ibi vigebat, &c.

II. Cum verò Præpositi ob curam temporalium, curam spiritualem negligerent; sæpiusque à Congregatione ob eam temporalium curam abesse deberent, tandem interior cura ad Decanos translata fuit: ipsique Decani in plerisque Ecclesiis capita Congregationis, saltem quoad disciplinæ directionem constituti fuere.

III. Et quidem in plerisque tam cathedralibus quàm Collegiatis Ecclesiis Decani solent totius Capituli & Cleri Capitulo subjecti curam spiritualem habere; ubique receptum est, ut quantumcumque numerosum sit Canonicorum collegium, unicum habeat Decanum, qui tam Canonicorum, quàm inferioris Ecclesiæ suæ Cleri curam habeat.

Unde Synodus Coloniensis anno 1260. firmiter præcipiendo Decanis injungit, „Totâ eos ad id niti solertiâ, quod „in Ecclesiis disciplinalis observantia vigeat honestatis: & „sicubi enervata extiterit, ipsam studeant reformare, com„missam sibi excessuum correptionis potestatem & regi„men sui officii taliter exequendo, ut boni Dispensatores „in Domo Domini super ejus familiam digna possint com„mendatione censeri. Et hoc quidem se facere arbitrentur, „si ipsi disciplinati appareant in seipsis, & per bonum ex„emplum confortent & animent suos Confratres.

Similiter sæculo præterito altera Synodus Coloniensis iisdem vestigiis insistens, monet utrobique: *Decanis* curæ „sit, ut clericos suos ad observationem piorum rituum pro„vocent ac reducant; ut ad agendam vitam Clericis dignam „perpetuò cohortentur ac impellant, ut à negotiis, à tumul„tibus mundanis revocent, ne magis sæculi quàm Christi „milites videantur, ut commessationibus, ebrietatibus, ac „omni luxui interdicant, denique ut suo officio satisfacere „compellant. „ An. 1536 *part.* 3. *cap.* 2.

Et sanè de jure communi Decano incumbere curam animarum ostendit Concilium Lateranense in *Cap.* 7. *X. de elect.* statuens, „Ut *Decanatum*, Archidiaconatum & alia „quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino „suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui „jam 25. ætatis annum attigerit, & qui scientia & moribus „existat commendandus.

IV. Nec tantùm Pastor est, seu curam animarum sustinet totius Cleri, sed & in plerisque Ecclesiis caput est totius Collegii; ipseque in Congregatione Capitulari præsidere proponere & ex relatione Canonicorum concludere solet; tametsi etiam in choro & publicis consessibus Præpositus ipsum Decanum præcedat.

V. Quoad jurisdictionem Decani in Canonicos aliosque Ecclesiæ suæ Clericos plus ex consuetudine & privilegio, quàm ex jure dependet; uti monet Glossographus ad Sanctionem pragmaticam *Tit. Quomodo divinum Officium sit celebrandum* Verbo *Decanus*, ibidem tamen monens, „Ubi Decanus esset Prælatus Ecclesiæ Col„legiatæ, de jure haberet jurisdictionem ordinariam in il„los de Collegio „ Additque, „quod quasi in omnibus „Ecclesiis Regni Galliæ hæc obtinet consuetudo, quod De„cani jurisdictionem habent in Capitulum, & in aliquam „partem Cleri.

VI. Hoc Glossographi dictum commodè intelligendum est, etiam quoad Ecclesias Regni Galliæ; cùm certum sit, non tantùm in Belgio, sed & in Gallia plures esse Ecclesias, in quibus de consuetudine jurisdictio est non apud solum Decanum, tametsi caput Capituli, sed vel apud solum Capitulum, vel apud Capitulum & Decanum conjunctim.

Et quidem immediatè post allegata Glossographi verba, observandum subjicit ejus notator Philippus Probus, quod „Decanus Parisiensis jurisdictionem non habet in „Capitulum, nec in Clerum, sed ipse & Capitulum eam „simul in singulos Ecclesiæ Ministros, etiam Canonicos „Præbendatos, etiam Dignitates in ea obtinentes ha„bent, quam per Officialem capitulariter institutum ex„ercent.

Inter statuta quoque Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis *Tit. De Officio Decani*, legitur, quod Decano quidem onus curæ animarum in omnes Capitulares & Capitulo subditos incumbat, sed tamen quod „Propria auctoritate „graviores pœnas nemini infliget, sed monitum & non resi„piscentem Capitulo deferet, porro puniendum.

VII. Verùm sive Capitulo, sive Decano, sive utrisque conjunctim jurisdictio competat, ea tamen de jure communi non *contentiosa*, sed *correctoria*, seu *correctionalis*, ut loquuntur Canonistæ, esse intelligitur: unde cùm diceretur in *Cap.* 6. de sententia excommunicationis in VI. quòd Decanus usus fuerit gladio spirituali excommunicationis, idque probaretur ab Innocentio IV. observat Glossa, „Quod Decanus iste de *consuetudine* vel *privilegio* haberet „jurisdictionem ordinariam, vel saltem potestatem fulmi„nandi censuram.

Itaque nisi consuetudo, aut alius specialis titulus Decano aut Capitulo jurisdictionem contentiosam tribuerit, sola *correctionalis* competet; reliquâ apud Episcopum ex jure communi remanente.

Hinc cùm Capitulum Nivernense quemdam suum subditum carceri mancipasset; isque ab illo capituli Decreto tamquam ab abusu, juxta mores Regni Galliæ, ad Senatum Regium provocasset; auctoritate Senatus, Decretum capituli cassatum fuit; declaratumque, incarcerare Canonicos spectare ad Episcopum, non ad Capitulum. Menardus in suis Arrestis *lib.* 1 *tit.* 3. *arrest.* 3.

VIII. At ea, quæ correctionem paternam & disciplinam spectant, ad Capitulum vel Decanum, etiam in Capitulis non exemptis, pertinere vulgò receptum est. Quapropter, si quis Canonicus aliusve de Clero Capitulo subjectus, aliquam in divino Officio, aut Capitulo vel alibi irreverentiam, aut insolentiam committat, capitulum vel Decanus, pro Ecclesiarum diversa consuetudine vel statuto poterit eam punire non *contentiosè*, sed *correctionaliter*; idque per modum jurisdictionis, quam Canonistæ dicunt *correctionalem*; v. g. privando similes irreverentes aut insolentes suis distributionibus, vel ingressu chori vel Capituli ad certum tempus; vel quod in inferioribus sedilibus aliquanto tempore consistere debebunt, aliave simili leviori pœnâ mulctando; quæ

potiùs ad correctionem quàm ad punitionem tendere videtur; argumento *Cap.* 13. *De Offic. Ordin.* ubi notat Panormitanus, quòd „quilibet Prælatus habens subditos possit & debeat procedere ad correctionem excessuum & reformationem morum.

IX. Conformiter ad hanc decisionem, Capitulum Carnotense privaverat Decanum suum distributionibus suis per octiduum, eò quòd in pleno Capitulo unum è canonicis contumeliosè tractâsset; cùmque ab hac Capituli resolutione Decanus tamquam ab abusu appellâsset ad Parlamentum Parisiense, resolutio Capituli confirmata fuit. *Fevret. Tract. De abusu lib. 4. cap. 4. num.* 3.

X. Similiter quidam Canonici Ecclesiæ collegiatæ Divæ Virginis Baunensis, ob indecentiam in capillis & vestitu, necnon irreverentiam commissam erga Decanum, per deliberationem Capitularem condemnati fuêre, petere veniam à Decano & capitulo, & abstinere ab introitu chori per quindenam, & ab introitu capituli per mensem: A qua deliberatione appellantes dicti Canonici ad Officialem Augustodunensem, obtinuerunt ab eodem Officiali interdictum contra capitulum procedendi ad executionem istius deliberationis: Quod cum Syndico capituli esset intimatum, mox à dicto Decreto Officialis interjecit appellationem *tamquam ab abusu*: Atque per sententiam Parlamenti Regii 31. Maji 1635. declaratum fuit, nulliter & abusivè per Officialem fuisse decretum; annullavitque omne quod in vim illius Interdicti actum erat, condemnatis Canonicis in expensas, & mulctam 20. librarum: ac jus dicendo super principali, dixit, deliberationem esse exequendam in omnibus suis punctis.

Per hanc sententiam, ait Frevret. loco citato, Senatus Regius duo puncta decidit. Primum, quod Capitulum potuerit uti hac moderata & levi correctione pro conservatione disciplinæ, juxta id quod dicitur in *L. Unica Cod. De emendat. propinq. lib.* 9. „Jure patrio auctoritas corrigat propin„qui juvenis erratum, & privatâ animadversione compes„cat. Quod si atrocitas facti jus domesticæ emendationis „excedat, placet enormis delicti reos dedi Judicum no„tioni.

XI. Alterum, quod Officialis non potuerit dare Decretum suspensivum in materia correctionis & disciplinæ. Plures similes sententias, quibus declaratum fuit, Capitulis & Decanis pro varietate Ecclesiarum competere jurisdictionem *correctionalem* in materia disciplinæ, vide apud Tornet. *Litt. C. cap.* 49. 53. *&* 54.

XII. Cæterùm non tantùm quoad jurisdictionem; sed etiam quoad alia jura Decanorum potissimùm inspicienda sunt antiqua singularum Ecclesiarum statuta & consuetudines; & si inspiciantur Ecclesiarum Belgii consuetudines & statuta, in plerisque verissimum esse reperietur, quod monet Molanus *lib.* 2. *De Canonicis cap* 6. „Multâ sanè opus est „prudentiâ, authoritate, eruditione & morum probitate, ut „Decanus Dignitatem suam tueatur. Pastor est omnium „Canonicorum & inferioris Cleri, qui pro his omnibus „& singulis redditurus est Deo rationem. Nec tantùm Pa„stor est, sed caput collegii, qui, sicut bonus Paterfamilias, „domui suæ præesse debet. Est enim ei familiæ Ecclesiasti„cæ regimen commissum, ut honorem Domûs Dei tuea„tur, ut disciplinam conservet in clero, ut in rebus spiritua„libus & temporalibus conservandis ministerium sibi con„creditum adimpleat, nec tam præesse, quàm omnibus & „singulis prodesse velit. Quàm arduum autem sit hoc mu„nus, non ignorant multi viri boni, qui in Collegiis Cano„nicorum sincerè Deo placere cupiunt.„ Hæc Molanus; quæ utinam attenderent, qui ad Decanatum tamquam ad Dignitatem & Officium sine onere currunt.

CAPUT III.

De Cantore.

1 *Cantor olim dictus* Primicerius.
2 *Officium Cantoris.*
3 *Cantor dictus chori Episcopus.*
4 *Cantor irreverentes & defectuosos in Divino Officio punire potest.*
5 *Cur baculum in præcipuis Festivitatibus ferat.*
6 *Cantor in plerisque Ecclesiis inter Dignitates computatur.*
7 *Obligationes Cantoris meritò expenduntur.*

I. Inter omnes penè Canonistas convenit, *Primicerium*, de quo est titulus Decretalium, esse eumdem quem hodie in plerisque Ecclesiis Canonicorum dicimus *Cantorem*: dictumque credunt *Primicerium*; eò quòd in Ecclesiis præfectus sit Canonicis & aliis Clericis atque Cantoribus instituendis & docendis ad cantum in choro destinatus; atque ita velut *primus* in choro, & *primus* in cantu. Primicerius enim dictus est: „quasi *pri„mus* in ordine ceræ seu scripturæ (ait Vallensis ad Titu„lum *De Officio Primicerii*) in omnibus ordinibus dignior: „sic enim sæpius legimus in Novella 8. *Notariorum Pri„micerium*, id est, primum, seu in Matricula Notariorum „primò scriptum; & in codice *Lib.* 12. *Primicerium men„sorum*.... Et Augustinus vocat Stephanum, *Primicerium „Martyrum*. Is verò qui Primicerium in quocumque „sequebatur, Secundicerius & sic deinceps dicebatur.„ Hæc ille.

II. Cantoris autem, qui & interdum dicitur *Præcentor*, officium est, choro præesse, ut ibidem Canonicos reliquosque clericos & Ministros ad divina dirigat officia canendi; quod divinæ laudis in communi choro decantandum est, per eum prærordinetur, & solicitè psallendi ordinem, ac orandi modum committat, silentiumque indicat; risus cohibeat & colloquia; ac curet, ne quis in psallendo nimiùm festinet, vel tardet; nec versus alter ante alterius finem incipiatur. Uno verbo, Cantoris oneri incumbit, ut divina officia graviter & ordinatè Altissimo persolvantur; ut juxta Apostolum omnia secundùm ordinem fiant in Ecclesia: Ita post Barbosam *De Canonicis c.* 9. aliosque canonistas tradit Farmosinus in commentario ad *Titulum De Offic. Primicerii quæst.* 1. *num.* 19.

III. Mirum ergo videri non debet, quòd in Synodis Coloniensibus anni 1260. & anni 1536. cantores dicantur *Chori Episcopi*, sive latinè chori *inspectores*.

IV. Et inter statuta Ecclesiæ Metropolitanæ Mechliniensis sub titulo De Officio Cantoris habetur: „chorum reve„renter diriget, discursiones, confabulationes, cachinnatio„nes, omnesque alias insolentias & irreverentias compescet; „curamque geret, ut omnes chori leges & statuta bene ob„serventur; & maximè ut totum divinum Officium tractim, „distinctè, articulatim ac reverenter peragatur; & quos in „prædictis delinquere videbit, semel monitos propria au„ctoritate corripiet, & distributionibus privabit.„ Tradit quoque Renatus Choppin *Lib.* 1. *De Polit. Eccles. cap.* 3. *num.* 10. ex Glossa Pragmatica, quod in plerisque Ecclesiis sit „Cantor Præses seu Præsul chori dictus, aut chori Dire„ctor, cum sacra potestate Juridica in Sacrificulos templi, „vel Canonicos quidem & alios Ecclesiastica præstantes „Dignitate.

V. In signum hujus potestatis receptum videtur in quibusdam Ecclesiis, ut cantor utatur in præcipuis festivitatibus *baculo* argenteo, quem *baculum Cantoralem* vocant; cujus usus præscribitur in ritibus Ecclesiæ Lugdunensis, quos cum observationibus nuper evulgavit Antonius Bellot Lugdunensis Decanus; qui ibidem *pag.* 739. ex Honorio Augustodunensi mysticam illius baculi significationem refert.

Imò in hac nostra Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii; licèt Cantoria non sit Dignitas; locumque post omnes Canonicos primæ fundationis in choro habeat, tamen *personaliter* in solemnioribus officiis assistens, Canonicos omnes, qui per ordinem ei assistunt, præcedit, quasi in Dignitate constitutus.

VII. Utinam hæc onera, quæ sibi ex officio incumbunt, expenderent Ecclesiarum Cantores; facilè intelligerent, se in clero Digniorem locum habere, proventusque Ecclesiasticos percipere, non ut inde superbiant, aut otientur & commodè vivant, sed majori auctoritate munera sibi incumbentia exsolvere queant, recogitentque seriò, defectus & irreverentias Divini Officii, si muneri suo desint, aliquando in districto Dei judicio sibi imputandos.

CAPUT IV.

De Scholastico.

1 *In Collegiis Canonicorum olim fuerunt Scholæ puerorum.*
2 *Ecclesiæ Cathedrales & Collegiatæ suas Scholas retinuerunt.*
3 *Scholasteria olim simplex beneficium sensim in Dignitatem degeneravit.*
4 *Decretum Concilii Tridentini circa Scholasterias.*
5 *Scholastici per se formandæ juventuti intendere debent.*
6 *Eorum cura in constituendis Scholarum Magistris.*
7 *Sæpius Scholas frequentare & curare debent.*
8 *Primaria cura semper manet apud Scholasticos.*

1. JAm pridem in Canonicorum Collegiis, vigente adhuc vita communi fuisse adolescentum & puerorum Scholas, in quibus à pueritia paulatim ad vitam clericalem formarentur, notissimum est.

Ut verò Scholæ illæ non solùm essent Scholæ litterarum, sed & virtutum, unus ex probatissimis Senioribus, qui pueros & adolescentes in bonis moribus & vitæ sanctitate erudiret, sollicitè deputabatur. „Frater, ait Regula Canonicorum *cap.* 135. cui hæc cura committitur, si eorum curam „parvipenderit, & aliud quàm oportet, aut eis in aliquo læ„sionis maculam ingesserit, severissimè correptus ab officio „amoveatur: & Fratri alii id committatur, qui eos & *in„nocentis* vitæ exemplis informet, & ad *opus bonum* pera„gendum excitet.

II. Vita communi Canonicorum in singularem commutata, licèt pueri & adolescentes Canonicis sensim quoque cohabitare desierint, nihilominus mansère puerorum & adolescentum Scholæ cathedralibus & collegiatis Ecclesiis subjectæ; mansitque & unus è Clero, qui eam curam ageret, qui hodie *Scholasticus*, sive interdum *Scholarchus*, hoc est, Scholæ Præpositus sive Præfectus nuncupatur.

III. Olim Scholasteria sive munus Magistri Scholarum erat simplex officium, à quo si quis minùs conveniens judicabatur, pro arbitrio Superiorum amovebatur; ac stabilita tandem singulari Canonicorum vita, uti & pleraque canonicorum munia, in Beneficium, imò & in aliquibus Ecclesiis ad Dignitatem evecta est. Hinc ulteriùs contigit, ut ob splendorem Dignitatis & proventus amplos annexos munia illa ambiri cœperint; constituique *Scholastici*, qui vix seipsis regendis essent idonei; autumantes satis esse, si ipsi Dignitate & proventibus potirentur, officium verò à se in alios derivarent. *Ætate nostra*, ait Albertus Crantius *lib.* 7. *Wandal. cap.* 4. *Scholastici nullum officium est, nisi collectas pauperum Scholarium in usus mensæ suæ vertere.*

IV. Huic abusui obviare volens Synodus Tridentina statuit *Sess.* 23. *cap* 18. *De reformat.* Ut „de cætero officia vel Dignitates illæ, quæ Scholasteriæ dicuntur, non „nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licentiatis in Sacra Pa„gina aut in Jure Canonico, & aliis personis idoneis, & „qui per seipsos id munus explere possint, conferantur, & „aliter facta provisio nulla sit & invalida, non obstantibus „quibusvis privilegiis & consuetudinibus etiam immemo„rialibus.

V. Hoc Decreto apertissimè declarat Synodus, Scholasticos tales esse constituendos, qui *per se* munus suum expleant: id est, curam Scholarum habeant, & formandæ instituendæque juventuti intendant.

VI. In primis igitur Scholastici est curare, ut si ad ipsum spectet constituere magistros sive magistras Scholarum, nullum aut nullam admittat, nisi priùs de illius capacitate & bona conversatione ac piis moribus apprimè sit instructus, de quo meritò sperare queat, quod tenellæ juventuti continua virtutum exempla ob oculos ponet; & cui nihil magis curæ sit, quàm puerorum malas inclinationes refrænare ac mortificare, & virtutum semina inserere.

Si enim Magistri aut Magistræ non undequaque à vitiis sint immunes, facilè aliquam vitiorum illorum maculam juventuti communicabunt. Notum quippe est, quàm facilè pueri velut novæ & adhuc recentes testæ odorem aliquem, quem diu reservent, recipiant.

VII. Neque hic sistere potest Scholasticus, quasi sufficeret, quod Magistrum aut Magistram Scholis designaverit & instituerit, sed ipse meminisse debet, se semper manere Scholarum Præfectum, ideoque jugem Scholarum curam sibi incumbere; seque invigilare debere, num juventus tam in litteris, quàm moribus ritè instituatur & proficiat: eumque in finem frequenter *per se* visitet, examen instituat, eaque omnia faciat, quæ ostendant, eum juventuti sedulò invigilare, atque de eorum profectu in litteris ac morum pietate multùm esse solicitum verumque esse Scholarchum sive Scholarum Præfectum. Et quidem tanto vigilantior esse debet Scholasticus puerorum Magister ab Ecclesia designatus, quantò tenella juventus faciliùs vel perversâ doctrinâ, vel perversis moribus inficitur; eòque periculosior sit vel minima puerorum infectio, quod ea quæ primùm cum lacte quasi imbibunt, etiamsi pessima sint, plerumque usque ad senectam, imò ad mortem usque retinere soleant.

VIII. Tametsi ergo hodie à Scholasticis aliisve, quibus id ex consuetudine aliove titulo competit, præficiantur instituendæ & formandæ juventuti Magistri vel Magistræ, tamen præcipua ac primaria cura manet apud Scholasticos: quæ sanè non exiguam prudentiam, eruditionem ac zelum requirere solus inficiabitur, qui nescit, quanta peritia, quantusque labor & industria requirantur, ut juventutis corrupta natura in novam commutetur, atque in ea conservetur; ut propterea non immeritò Synodus Tridentina tam solicitè inculcaverit, ut Scholasteriæ non nisi Doctoribus, vel Magistris aut Licentiatis in Sacra Pagina, aut in Jure Canonico, aliisve personis idoneis, qui per seipsos id munus explere possint, conferantur.

Porrò qua ratione Scholæ tum in Civitatibus, tum in Pagis ex Synodorum & Principum nostrorum Decretis sint instituendæ, quæque circa eas observanda, pluribus exponetur *part.* 2. *tit. De Scholis.*

CAPUT V.

De Thesaurario.

1 *Thesaurarius unde dictus?*
2 *Thesauraria interdum simplex Officium, interdum Dignitas.*
3 *Officium Thesaurarii.*

4 Thes.

4 *Thesaurario cura suppellectilis Ecclesiasticæ incumbit.*
5 *Custodia altorum & litterarum ad Ecclesiam spectantium incumbit eidem.*
6 *Quomodo Thesaurarius à consuetudine Ecclesiæ suæ officia metiri debeat?*
7 *Thesaurario ordinariè plura incumbunt quàm apprehenditur.*
8 *Monitum Molani ad Thesaurarios notandum.*

I. IN plerisque Canonicorum Ecclesiis solet esse unus *Thesaurarius* à thesauris Ecclesiæ, qui ejus custodiæ committuntur, nomen habens, inquit Molanus *lib. 1. De Canon. cap. 13.*

II. Est autem Thesauraria apud quosdam ut exempli gratia in Ecclesia Collegiata S. Petri Lovanii, simplex officium, à quo, si inidoneus appareat, amoveri potest. In plerisque verò Ecclesiis est vel Beneficium vel dignitas, etiam interdum ex primariis. Et quidem tempore Innocentii III. Thesaurariam Nivernensem fuisse pro dignitate reputatam, inde apparet, quod Thesaurario Nivernensi causæ cognitio delegata reperiatur in *Cap. 32. De Offic. Judicis Delegati.* Notat autem Molanus, “quod prius, (scilicet esse simplex Officium,) simplicitati vetustatis magis competat; tunc enim omnia Officia in Clero erant obedientiæ, ut alicubi Clerus Coloniensis loquitur. Posterius verò ex divitiis enatum est, quæ in Cathedralibus aliisque Capitularibus Ecclesiis varia Officia, non modo in beneficia, sed etiam in Dignitates evexerunt. Quo fit, ut aliquando is fiat Thesaurarius, qui se ipsum custodire ac gerere nesciat, quique ineptus sit ad cujuscumque parvæ domus custodiam.”

III. Officium Thesaurarii describit conformiter ad ea, quæ dicuntur sub titulis Decretalium *De officio Sacristæ*, & *De officio Custodis*, Rodericus Zamocensis his verbis: “Thesaurarius sive custos præcipua quadam prærogativa, ac honoris præeminentia in Sacrosancta Ecclesia fulget: illorum enim Dignitati & Officio Basilicarum primo incumbit custodia & tuitio, Ostiariorum institutio, luminarium incensio, & præparatio, cura denique baptisterii. Vasorum quoque Sanctorum & Sacerdotalium vestium, nec non Sacrarum Reliquiarum, ac tandem totius Ecclesiæ Thesauri ad eum principaliùs pertinet custodia. Sed & inter Ecclesiæ Ministros, pro modo obsequii, & personarum differentiis, reditus & oblationes dividit. Meritò igitur S. Synodus idipsum dignitatis officium, ut unam Ecclesiæ columnam, summo studio eligendum, honorique habendum decrevit, ut nullus, in ea nisi sanctior & melior ordinetur.”

Hæc ille, supponens cum pluribus aliis Canonistis ea quæ in Decretalibus De officio Sacristæ & Custodis leguntur, hodiernis Thesaurariis esse applicanda, neque iis qui hodie in Ecclesiis sive Canonicorum, sive Parochialibus *Custodes* seu *Matricularii* vulgo appellantur, applicari posse; quod & suprà *tit. 4. cap. 1.* notavi.

IV. Concilium Coloniense anno 1260. Thesaurarios cum Custodibus confundit; monetque; “ut luminaria Ecclesiæ ita fideliter administrent, & generaliter omnis Ecclesiasticæ suppellectilis seu Thesauri custodiam, eorum fidei atq; curæ commissam ita conservent fideliter & solerter, quod inde non sint reprehensibiles, & quod pœnam Canonicæ castigationis evitent.”

V. Nec tantum vasa & ornamenta sacra; sed etiam acta omnia, instrumenta & privilegia, quibus feuda, beneficia & reliqua omnia jura continentur, sub Sacristæ, seu Thesaurarii manu remanere debere ex *Ep. 57. lib. 1. Innocentii III.* tradit Cironius in commentario ad titulum *De Officio Sacristæ*, qui tamen ad titulum *De Officio Custodis* rectè monet, de his non esse certi quippiam statuendum, propter varias Ecclesiarum consuetudines, “ad quas, inquit, omnia hæc Officiorum & Dignitatũ jura semper referre debemus.

VI. Hæc tamen nolim ita intelligi, quasi sufficiat Thesaurario alterive Dignitatem aut Beneficium in Ecclesia obtinenti examinare, quid eorum Prædecessores aliqui egerint; aut quid similem Dignitatem in aliis Ecclesiis obtinentes passim agant. Cum nihil sit frequentius, quam inter hujusmodi generis homines reperiri, qui nihil penè eorum quæ Officium requirit, adimplent; rati sufficere, si dignitate & proventibus potiantur; sed horum negligentia non pro legitima consuetudine, sed pro enormi & deplorando abusu reputanda est.

XII. Ut ergo de sua obligatione statuat Thesaurarius, aliusve Dignitatem aut Beneficium obtinens, consulere debet Sacros Canones, litteras fundationis sive erectionis, statuta suæ Ecclesiæ aliaque similia monumenta; ut ex illis, quid sui Officii sit intelligat; nec dubitandum, si hæc seriò revolvantur, quin constabit, nullum esse Beneficium aut Dignitatem, cui non sit ex mente Ecclesiæ & Fundatorum onus notabile annexum: atque omne Beneficium dari propter Officium; verissimeque dictum esse à Molano; *etsi Thesaurarii nomen perdulce sit, difficile tamen est Officium si rectè geratur.*

Unum hic præterea monendum censuit Molanus, quod & præsenti temporum calamitati admodum congruit, nimirùm, “multos esse nedum Thesaurarios, sed & corpora sive Collegia Canonicorum, qui nesciant, quid sit Custodire Thesauros Ecclesiæ, Putant enim tunc demum eos custodiri, si ad ornatum templi Dei custodiantur, Si quis verò vel propter publicam famem, vel propter redemptionem captivorum, eos alienare velit, quam multi clamabunt non custodiri sed distrahi & dissipari vasa Dei? Quasi verò quod in viva Dei templa ex necessitate impenditur, hoc malitiosè materiali Dei templo detrahatur. Sic carnales homines sapiunt, sed longè aliud est Sanctorum Dei judicium.”

CAPUT VI.
De Canonico Theologo.

1 *Decretum Concilii Lateran. de institutione Theologi.*
2 *Decretum Concilii Basiliensis.*
3 *Decretum Concilii Trid.*
4 *Consectaria ex Decreto Concilii Trid.*
5 *Præbenda non intelligitur affecta Theologo nisi per actualem deputationem.*
6 *Quoties & quo tempore Theologus prælegere debeat, Synodus Trid. non determinavit.*
7 *Hac de re S. Caroli Decretum.*
8 *Pleraque Concilia volunt bis aut ut minùs semel per hebdomadam doceri.*
9 *Et Canonici lectioni interesse debent.*
10 *Ex mente Ecclesiæ Theologus* per se *docere, & omnes de Clero Ecclesiæ lectioni interesse debent.*
11 *Theologus iis horis quibus docet etiam* distributiones *in absentia lucratur.*

I. CONcilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap. 4. De Magistris*, voluit, ut Metropolis Ecclesia Theologum habeat, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceat, & in his præsertim informet, quæ ad Curam Animarum spectare noscuntur.

II. Hoc generalis Concilii Decretum per Synodum Basiliensem *Sess. 31. cap. 3.* extensum fuit ad Ecclesias Cathedrales, taliter videlicet, “Quòd quilibet Collator ipsarum Præbendarum teneatur & debeat Canonicatum & Præbendam, quamprimùm facultas se obtulerit & inveniri potuerit, uni Magistro, Licentiato, vel in Theologia Baccalaureo formato conferre, qui per decennium in Universitate privilegiata studuerit, & onus residentiæ & lecturæ & prædicationis subire voluerit, quique bis aut semel ad minus per singulas hebdomadas, cessante legitimo impedimento legere debeat; & quoties ipsum in hujusmodi lectura deficere contigerit, ad arbi-

arbitrium Capituli in subtractione distributionum totius hebdomadæ puniri possit. Et si residentiam deserverit, de alio provideatur. Veruntamen ut liberiùs studiò vacare possit, nihil perdat, cùm absens fuerit à Divinis."

Decretum illud ad verbum Sanctioni Pragmaticæ, nec non Concordato inter Franciscum I. Regem Galliæ & Leonem X. insertum est.

III. Intelligens autem Synodus Tridentina hæc saluberrima Decreta non ubique suum hactenus obtinuisse optatum effectum, edixit *Sess. 5. cap. 1. De reformat.* Ut "in Ecclesiis Metropolitanis vel Cathedralibus, si civitas insignis, vel populosa, ac etiam in Collegiatis existentibus in aliquo insigni oppido, etiam nullius Diœcesis, si ibi Clerus numerosus fuerit, ubi nulla Præbenda aut præstimonium seu stipendium hujusmodi deputatum reperitur, Præbenda quomodocunq; præterquã ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ad eum usum ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur. Et quatenus in ipsis Ecclesiis nulla vel non sufficiens præbenda foret, Metropolitanus vel Episcopus ipse per assignationem fructuum alicujus simplicis Beneficii, ejusdem tamen debitis supportatis oneribus, vel per contributionem Beneficiatorum suæ civitatis & Diœcesis, vel aliàs, prout commodiùs fieri poterit, de Capituli consilio ita provideat, ut ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur; ita tamen, ut quæcumque aliæ lectiones, vel consuetudine, vel quavis alia ratione institutæ, propter id minimè intermittantur. Ecclesiæ verò, quarum annui proventus tenues fuerint, & ubi tam exigua est Cleri & populi multitudo, ut Theologiæ lectio in eis commodè haberi non possit, saltem Magistrum habeant ab Episcopo cum consilio Capituli eligendum, qui Clericos aliosque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa Sacræ Scripturæ studia annuente Deo, transire possint; ideoque illi Magistro Grammatices vel alicujus simplicis Beneficii fructus, quos tamdiu percipiat, quamdiu in docendo persiterit, assignentur; dum tamen Beneficium ipsum suo debito non fraudetur obsequio: vel ex Capitulari vel Episcopali mensa condigna aliqua merces persolvatur: vel aliàs Episcopus ipse aliquam rationem ineat suæ Ecclesiæ & Diœcesi accommodam; ne pia hæc, utilis, atque fructuosa provisio quovis quæsito colore negligatur. In Monasteriis quoque Monachorum, ubi commodè fieri queat, etiam lectio sacræ Scripturæ habeatur."

IV. Ex mente proinde Concilii Tridentini, non tantùm in Cathedralibus & Metropolitanis Ecclesiis juxta præcedentium Conciliorum Decreta, sed etiam in Collegiatis Insignibus, ubi numerosus est Clerus, constituendus Theologus, qui Sacram Scripturam prælegat; eique Præbenda quomodocunque, præterquam ex causa resignationis, primò vacatura, cui aliud onus incompatibile injunctum non sit, ipso facto perpetuò constituta & deputata intelligatur.

V. Hoc tamen intelligendum est, modò ipse Episcopus primò vacantem Præbendam huic muneri *actualiter* deputarit & annexuerit, Theologalemque declaraverit. Ante enim hanc actualem Episcopi deputationem Præbendam non censeri Theologalem; sed manere liberam, communiter tradunt Canonistæ; & ita declarasse S. Congregationem Cardinalium refert Fagnanus ad *Cap. 4.* §. *De Magistris.* Vide Zypæum *Consult. 2. tit De Magistris.*

VI. Quoties verò per hebdomadam, & quo tempore docere debeat, Synodus non expressit; censuitque S. Congregatio teste Garcia *De Beneficiis parte 3. cap. 7. n.* 155. quod de tempore & hora & materia Scripturæ, Theologiæ, quæ in S. Scriptura continetur, super qua legendum sit, relinquitur arbitrio Ordinarii. Et ita Synodi pro executione Synodi Tridentinæ celebratæ quoque intellexerunt. Synodus P. I. Cameracensis postquam nonnulla de lectionibus Theologicis in Capitulis & Monasteriis habendis statuisset, in fine adjungit: *Relinquatur autem Episcoporum, Capitulorum & Abbatum judicio, qua hora, quibusvè diebus sit prælegendum.*

VII. Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo statuit, Ut "quicumque Præbendam Theologalem vel Tridentino, vel Decreto, aliâ authoritate rationevè institutam, in Cathedrali Collegiatisque Ecclesiis obtinet, is & quæ sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, ut interpretationis suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præstet; ita ut etiam, si expedire censuerit, & in Seminario & in aliis Clericalibus Sacerdotalibusque Collegiis doceat: in Basilica vero Cathedrali, talem die festo, semper Sacram Scripturam publicè interpretetur & exponat, nisi aliquando aliud jusserit Episcopus."

Et in Synodo sua Diœcesana XI. declarat S. Carolus, ut si singulis feriis prælegere non possit, *ter* saltem per singulas hebdomadas id præstet: additque "Clericos porro inferiorum ordinum aut Catechismi Romani doctrinâ, aut alia lectione etiam separatim à reliquo Clero sæpius in hebdomada erudiat, atque instituat, ex præscripto regularum nostrarum."

VIII. Alia Concilia pressiùs inhærendo determinationi Concilii Basiliensis insertæ Concordato Leonem 10. inter & Franciscum I. Regem Galliæ, & probatæ in Concilio Lateranensi sub eodem Leone, decernunt, ut Theologalem præbendam obtinentes teneantur *bis*, aut ad *minus semel* in hebdomada prælegere, & diebus Dominicis & Festis solemnibus concionem publicam habere. Synodus Turonensis an. 1583. *cap.* 13. Bituricensis 1584. *tit.* 34. *can.* 7. Aquensis *tit. De Canonicis*, quæ ultima vult, ut *saltem bis* in hebdomada doceat.

IX. Porrò cum frustranea esset Theologiæ prælectio, nisi sint qui eum prælegentem audiant; curare debent Episcopi, Capitula, aliique Superiores, ut Clerici instructione indigentes diligenter prælectioni intersint.

"Curent autem Episcopi (inquit Synodus P. I. Cameracensis) cum Capitulis & Monasteriis, quacumque ratione commodius fieri queat, proposita sive pœna, sive præmio, ut frequens sit auditorium, qua in re plerumque valebit docentis industria, si sit efficax in docendo; ut non tantùm rem exponere, sed Auditorem retinere, & objectare possit." Atque eum in finem capite præcedenti monuerat, "ut ii qui Theologiam in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, aut Monasteriis docent, in eo præstando eum ordinem teneant; qui maximè Auditoribus sit commodus ut lectionis adminiculo non doctiores tantùm, sed probiores evadant."

Synodus Turonensis jam citata, postquam dixit, cogendos esse ad sui muneris expletionem Canonicos Theologales, tamquam consequens subjungit: "cæteris Canonicis, Capellanis, Vicariis, Presbyteris & Clericis civitatis injungentes, ut prædicationibus & lectionibus intersint." Bituricensis loco supra allegato vult, ut "etiam *Dignitates* habentes cum reliquis Canonicis & Ecclesiasticis concionanti aut prælegenti teneantur adesse sub pœnis indicendis: graviore autem pœna plectentur, ait, qui semel atque iterum moniti abfuerint." Synodus Aquensis, ejus lectioni interesse quoque vult Clericos Seminarii, si ita Episcopo videbitur.

X. Itaque ex mente Ecclesiæ, & natura ipsius Præbendæ Theologalis, tenetur ejus possessor *per se*, & non per substitutum, cessante legitimo impedimento Scripturam prælegere, ejusque prælectioni Clerus Ecclesiæ interesse.

Hinc cum Canonicus Theologalis Ecclesiæ Sangiensis esset monitus à Capitulo, ut conformiter ad Conciliorum Sanctiones concionaretur & prælegeret sub pœna amissionis fructuum suæ præbendæ; isque replicasset, prælectionem suam futuram inutilem: eo quod Canonici non interveniant; quodque Decreta Theologo prælectionem injun-

injungentia, similiter injungant Canonicis, ut prælectioni assistant, quæstione ad Senatum Regium delata, utrique parti injunctum fuit, ut respectivè Decreta & Canones servarent: id est, Theologus suo muneri satisfaceret; & Canonici assisterent. Tournet *Litt. C. cap.* 18.

XI. Ut verò Theologus utiliùs & fructuosiùs suo muneri satisfacere; studiisque liberiùs vacare possit, *etiamsi absens fuerit à divinis*, ait Synodus Basiliensis, *habeatur pro præsente, ita ut nihil perdat*.

Quare non tantùm grossi fructus, sed & quæcumque propriè dictæ distributiones quotidianæ, etiam ex anniversariis provenientes, Theologo absenti debentur, iis saltem diebus, quibus docere debet.

Hac de causa, cum Officialis Carnotensis privasset Canonicum Theologalem distributionibus quotidianis, quia ordine in tabella chori designato lectiones nocturni non cantasset, interjecta appellatione tamquam *ab abusu* ad Senatum Regium, sententia Officialis cassata fuit; declaratumque, Canonicum Theologalem à servitio Chori esse exemptum; nec nomen esse inscribendum tabellæ pendenti in Choro Tournet *Litt. C. cap.* 17.

Refert quoque Nicolaus de Rebbe Canonicus Insulensis in tractatu de Canonicatu Theologali *quæstione VII.* Gregorium XIII. ex certa scientia & de consilio Cardinalium sanctione irrefragabili ordinasse, ut Theologus solitus legere, absens à servitio Chori, percipiat integros fructus præbendæ, exceptis distributionibus quotidianis propriè dictis quas & percipiet diebus lecturæ.

TITULUS XII.

De Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium.

CAPUT I.

De Archidiacono.

1 *Primus Episcopi Minister est Archidiaconus.*
2 *Amplissima olim erat Archidiaconi authoritas.*
3 *Archidiaconus erat generalis Episcopi Vicarius.*
4 *Ejus authoritas etiam ad Presbyteros extendebatur.*
5 *Archidiaconi authoritas primùm tantùm fuit vicaria sive delegata.*
6 *Quomodo sensim facta sit ordinaria?*
7 *Sæculo XIII. erat ordinaria.*
8 *Archidiaconi interdum habuerunt jurisdictionem Fori contentiosi.*
9 *Non omnium Archidiaconorum eadem fuit auctoritas & jurisdictio.*
10 *Archidiaconorum potestas multùm diminuta.*
11 *Jurisdictio Archidiaconorum per Concilium Trid. restricta.*
12 *In plerisque Ecclesiis hodie nulla est Archidiaconorum jurisdictio contentiosa, sed sola cura extrajudicialis.*
13 *Distinguenda quæ facit Archidiaconus jure proprio ab iis, quæ agit tamquam Officialis Episcopi.*
14 *Archidiaconorũ est Ordinandos præsentare Episcopo.*
15 *Archidiaconi Examini ad Ordines & Beneficia jure suo interveniunt.*
16 *Jure communi Archidiaconi jus habent visitandi Diœcesim.*
17 *An sine consensu Episcopi post Concilium Trid. Archidiaconi visitare possint?*
18 *Consensum suum Episcopus facilè negare non debet.*
19 *Decani Rurales jure communi ab Archidiacono & Episcopo olim dependebant, secus hodie.*
20 *De jure communi institutio corporalis Beneficiatorum ad Archidiaconum spectat.*
21 *De consuetudine institutio* tituli collativa *etiam spectat ad Archidiaconum.*
22 *In nonnullis Ecclesiis adhuc hodie amplissima est Archidiaconorum jurisdictio.*
23 *Exemplum suppeditat Ecclesia Leodiensis.*
24 *Aliud exemplum est in Ecclesia S. Jacobi Lovanii.*
25 *Quidquid Archidiacono competit, jure ordinario.*
26 *Qua ratione Archidiaconus hodie adhuc dicatur Vicarius Episcopi?*
27 *An Archidiaconus Ordinandos præsentare possit, quos indignos novit, si eos Episcopus dignos judicet?*
28 *Archidiaconi debent esse ad minus Licentiati in Theologia aut Jure Canonico, & in Belgio ex Canonicis Graduatis assumi.*

Diaconos olim fuisse præcipuos Episcoporum tum in sacris, tum temporalibus ministros suprà *tit.* 1. *cap.* 4. ostendimus.

I. Porro inter Diaconos eminebant Archidiaconi tamquam primi Diaconorum, sive primi ministrorum.

Archidiaconus itaque quasi *præcipuus* Episcopi minister, negotiis Ecclesiasticis præficiebatur.

Unde S. Leo conqueritur de Anatolio Episcopo Constantinopolitano, quod eum Archidiaconum constituisset, qui Eutychianæ hæreseos se prodiderat defensorem: "quem „ quia, inquit, *nunc Ecclesiasticis negotiis præposuit*, pro„pter hæreticam perversitatem eidem favorem suum præ„stare convincitur." *Epist.* 85. ult. edit.

Archidiaconus itaque generalis quodammodo erat Episcopi Vicarius; tantæque propterea auctoritatis, ut de S. Joanne Archidiacono, qui postmodum fuit Episcopus Cabilonensis, loquens Sidonius Apollinaris, dicat, eum diu hæsisse in Officio Archidiaconi priusquam ad Sacerdotium elevaretur, quia non inveniretur, qui dignè officio illo fungeretur: in quo Archidiaconi gradu, seu ministerio, multum retentus propter industriam, diu dignitate non potuit augeri, ne potestate posset absolvi *lib.* 4. *Epistola* 25.

II. Amplissimam hanc Archidiaconorum auctoritatem terminis specificis expressit sæculo sexto S. Isidorus Hispalensis, & refertur apud Gratianum *Dist.* 25. *can.* 1. Archidiaconus, inquit, imperat Subdiaconis & Levitis: "ad quem „ ista ministeria pertinent, ordinatio vestiendi à Levitis, cu„ra incensi & sacrificii necessaria sollicitudo; quis Levita„rum Epistolam & Evangelium legat, quis preces dicat, seu „responsoria in Dominicis diebus aut solemnitatibus de„cantet; sollicitudo quoque Parochiarum & ordinatio, & „jurgia ad ejus pertinent curam: pro reparandis Diœcesa„nis Basilicis ipse suggerit Sacerdoti: ipse inquirit Parochias „cum jussione Episcopi, & ornamenta, vel res Basilicarum „Parochiarum; gesta libertatum Ecclesiasticarum Episcopo „idem refert; collectam pecuniam de Communione ipse „accipit & Episcopo defert, & Clericis proprias partes idẽ „distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur Episcopo excessus „Diaconorum: ipse denuntiat Sacerdoti in sacrario jejunio„rum dies atque Solemnitatum, & ab ipso publicè in Ec„clesia prædicatur."

III. Hæc Isidori expressio ostendit, Archidiacono integram Episcopalem jurisdictionem tam in spiritualibus quàm in temporalibus fuisse concreditam, eique visitationem Parochiarum & Ecclesiarum demandatam fuisse. Uno verbo, Archidiaconus erat Episcopi generalis & universalis Vicarius; ut meritò Vincentius Fortunatus scribens

bens ad Archidiaconum Meldensem, eum *Magnum* Ministrum dixerit hocque Poëma cecinerit.

Det tibi larga Deus, qui curam mente fideli
De grege Pontificis, MAGNE *Minister habes.*

IV. Adhæc non tantùm in Laicos, aut inferiores Clericos, vel etiam Diaconos, sed & in ipsos Presbyteros auctoritatem & potestatem exercebant Archidiaconi; uti ex relatis Isidori verbis colligi potest; qui id ipsum eodem loco evidentioribus & expressioribus terminis declarat dicens: "Archipresbyter vero se esse sub Archidiacono, ejusque præceptis, sicut Episcopi sui, sciat obedire.

V. Verùm quia Archidiaconorum auctoritas solummodo erat *vicaria* sive delegata, totaque ab Episcoporum delegatione dependens; ea pro diversitate locorum & temporum, nunc extensior, nunc restrictior fuisse legitur.

VI. Cum verò Episcopi vices suas Archidiaconis generaliter & penè semper committere solerent; & ipsi auctoritatem suam, etiam absentibus vi suæ *generalis* & *solita* commissionis *per se* exercere, paulatim auctoritas illa Archidiaconorum, origine sua *vicaria* & *delegata*, in *ordinariam* mutari cœpit; ipsique Archidiaconi ea agere jure *proprio* cœperunt, quæ prius jure dumtaxat *delegato* seu *vicario* exercuerant. Cumque prius Archidiaconorum ministerium tantùm esset *merum officium* ab arbitrio Episcopi committentis *dependens*, tandem in *beneficium* & *dignitatem* mutatum fuit; ipsique Archidiaconi qui hactenus Episcoporum dumtaxat fuerunt *vicarii*, sensim Prælatis *ordinariis* annumerati.

Et quidem jure Decretalium, nec non hodierno ac signanter Belgii, omnis Archidiaconorum auctoritas & jurisdictio reputatur *ordinaria*, ita ut eam jure *proprio* sive *jure dignitatis* exerceant; neque magis ab Episcoporum arbitrio dependeat quàm aliorum Prælatorum *ordinariorum*; tametsi etiam hodie rectè dicantur *oculi* Episcoporum: utpote qui ipsi Diœcesi in adjutorium Episcoporum, non auctoritate *vicaria*; sed *ordinaria* invigilare debeant.

VII. Hinc Synodus Oxoniensis anno 1287. Archidiaconos judicibus *ordinariis* annumerat: "Singulis *Archidiaconis*, eorum Officialibus cæteris jurisdictionem *ordinariam* habentibus præcipimus &c." *Can.* 35.

Similiter Innocentius III. respondit, ab Officialibus Suffraganeorum Remensis Ecclesiæ, non posse appellari ad ipsos Suffraganeos, ne ab *eodem ad eundem* appelletur; sed appellandum esse ad Curiam Archiepiscopi, "At ab Archidiaconis aliisque, ait, inferioribus Prælatis Suffraganeis subjectis eisdem, & eorum Officialibus ad *Suffraganeos* ipsos debet, & non ad *eandem Curiam* (omissis dictis Suffraganeis) appellari." *Cap.* 3. *De Appellat. in* 6.

Supposuit igitur Innocentius, Tribunal Archidiaconi non esse *vicarium*, uti erat & nunc esse solet Officialium.

VIII. Insuper ex hac Decretali aliisque quamplurimis constat, Archidiaconos tunc temporis habuisse jurisdictionem fori *contentiosi*, eamque ordinariam & à delegatione Episcopi *independentem*: quin & ex *Cap.* 54. ;; *De Elect.* intelligitur, quòd Archidiaconus Ambianensis de consuetudine suspenderet, excommunicaret & absolveret Presbyteros & Priores; & Parochiales Ecclesias interdiceret; nec non visitaret & inquireret, quæ viderentur inquirenda, & procurationes ratione visitationis reciperet; in quibus concludit Pontifex, *evidenter* apparere, quod hic Archidiaconus curam Animarum haberet; ideoque aliud Beneficium curatum cum Archidiaconatu habere non posset.

IX. Non omnium tamen Archidiaconorum nec olim fuit, nec hodie est eadem auctoritas & jurisdictio; sed ea fere tota à consuetudine dependet. Unde respondit Honorius III. in *Cap.* 10. ;; *De Off. Archid.* Archidiacono Senonensi nihil amplius licere jurisdictionis vel auctoritatis in Monasteria exercere, quam constiterit Prædecessores ejus *De pacifica sic obtenta consuetudine* exercuisse.

X. Et quidem postquam Archidiaconorum potestas in *ordinariam*, & ab Episcopi arbitrio quasi *independentem* mutata fuit, multùm per Episcopos & Synodos. ac iis faventem consuetudinem restricta fuit; paucique hodie sunt Archidiaconi, qui pristinæ auctoritatis & jurisdictionis insignia, imo vestigia retinuerunt.

XI. Quod enim jurisdictionem *contentiosam* sive fori externi attinet, imprimis receptum est hic in Belgio Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 20. *De reformat.* quo cavetur, ut "causæ matrimoniales & criminales non Decani, *Archidiaconi* aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando; sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur." Receptum similiter Decretum *Sess.* 25. *c.* 14. *De reformat.* quo Clericorum concubinariorum, aut de hujusmodi crimine suspectorum causa sive cognitio *Archidiaconis* adimitur, & Episcopis reservatur.

XII. Quin & in plerisque Belgicis Ecclesiis consuetudo omnem planè jurisdictionem *contentiosam* Archidiaconis ademit, & ad Episcopos ejusve Officiales transtulit: salva tamen Archidiaconis curâ & sollicitudine tam in Clerum, quam in populum; ut nimirum, tamquam *oculi* Episcoporum omnia lustrent, & omnibus intendant; & leviora quæ emendatione indigent tamquam *vices* gerentes sui Episcopi corrigant & emendent, idque sine strepitu judicii; majora verò & ardua ad Episcopum referant: uti notat Zypæus *Consult. De Off. Archid. Num.* 2. ibidem *num.* 3. monens, quod *criminales* causas, quas Synodus Tridentina cognitioni Archidiaconorum subtrahit, accipere oporteat strictè, ut non comprehendat *correctorias*, quæ tantùm pro emendatione excessuum proponuntur; sed illas quæ ad punitionem & pœnas *ordinarias* legales, & Canonicas.

Et *num.* 4. docet, "secundùm eum sensum etiam reservari judicio Episcopi causam *concubinatus*; scilicet quando agitur ad *pœnas* ibidem propositas; non verò si vel criminaliter non agatur; vel in rigore verbi non sit concubinatus: ita ut fornicatio, & non assidua frequentatio, monitio etiam concubinarii ad Archidiaconi curam spectent; non autem rigorosa dicti capitis 14. punitio: sed illa jam sit redacta in ordinem arduorum negotiorum, quæ nequeunt sine majoris præsentia terminari, dicto capite 7. nec excludatur Episcopus per monitiones aut correctiones Archidiaconi; ut in aliis casibus Synodus Mechliniensis decrevit."

XIII. Unde conformiter ad modernam præsertim Belgicam disciplinam rectè monet Carolus Fevret *Tract. De abusu lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 20. & 21. diligenter esse distinguenda quæ nudè ad Archidiaconi, ut Archidiaconus est, officium pertinent, & quæ exercere potest non *jure suo* & tamquam Archidiaconus, sed tamquam *Vicarius* aut *Officialis* Episcopi: hæ quippe duæ qualitates disparatæ in eumdem concurrere subinde possunt.

Tamquam Archidiaconus enim regulariter & ex Juris Canonici præscripto levem solùm ac volaticam habet jurisdictionem. Cùm enim Officialis Episcopi sit gravium controversiarum Judex, earumque omnium, quæ causæ cognitionem postulant, & ab Ecclesiastica jurisdictione pendent, iniquum profectò videretur duos Judices diversos duoque diversa Tribunalia in una eademque Diœcesi reperiri. Idcirco Archidiaconorum jurisdictio ad levia tantùm negotia revocatur, quæ obiter in transitu in cursu visitationis expediri possunt: & dum hujus levioris correctionis & momentaneæ cognitionis terminos transgredi, sine speciali aliquo titulo præscriptionis aut immemorialis consuetudinis, voluerunt, omne quod egerunt, tamquam abusivum & Sacris Canonibus contrarium cassatum fuit, ait idem Auctor, idipsum prolatis nonnullis Parlamentorum Arrestis confirmans.

XIV. De jure communi, quod & hodie adhuc obtinet, Archidiaconorum est, Ordinandos præsentare Episcopo.

Cap.

Cap. 9. ij *De offic. Archidiac.* Cui consonat praescriptum Pontificalis Romani, jubens Ordinandos Diaconos & Presbyteros per Archidiaconum Episcopis praesentari.

Cùm ergo ex praescripto Pontificalis Archidiaconi de capacitate testimonium ferre debeant; nemo non videt, quàm justum & aequum sit, ut Archidiaconi Ordinandorum examini interveniant, ut Ordinandorum capacitas iis perspecta esse queat.

XV. Nec tantùm Ordinandorum, sed & promovendorum ad Beneficia examini jus interveniendi Archidiaconis jure communi, & hodierno competit. Et licet Concilium Tridentinum, aut Synodi Locales, vel Episcoporum Decreta aliquos speciales examinatores nominent, nullatenus ipse Archidiaconus censetur exclusus, sed hi Archidiacono censebuntur adjuncti; uti rectè advertit Zypaeus in dicta consultatione. Unde Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii volens, ut duo seniores ex Canonicis Theologis graduatis & unus in Jure Canonico graduatus curam habeant examinandi promovendos ad Ordines & curam Animarum, expressè dicit, examen illud instituendum *unà cum Archidiacono*; sat insinuans, Archidiaconum in hoc examine praecipuam personam sustinere.

XVI. Hunc in finem jure communi Archidiaconis visitandi Dioecesim jus est. *Cap. 1. & 6.* ij *De Offic. Archidiac.*

XVII. Circa hoc tamen visitandi jus notandum Decretum Concilii Tridentini *Seß. 24. cap. 3. De reformat.* quo decernitur, ut "*Archidiaconi* Decani & alii inferiores in iis „Ecclesiis, ubi hactenus visitationem exercere legitimè con„sueverunt, debeant quidem *assumpto Notario*, de con„sensu Episcopi deinceps *per seipsos tantùm* ibidem visi„tare."

Hoc Decretum ita videtur intellexisse Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis (qui Concilio Tridentino interfuit, & in hujus sessionis apertione coram Patribus perotavit) ut verba illa *De consensu Episcopi* referantur ad *assumendum notarium*, non ad facultatem visitandi; ita ut *notarium de consensu* Episcopi assumere deberet, qui acta visitationis scribat, sed *consensus* Episcopi, ut visitationem instituat, non esset necessarius.

Nam in Synodo sua Dioecesana anni 1577. *tit. De visitationibus cap. 1*, declarat: "Cum in hac Dioecesi nostra „Parochialium Ecclesiarum visitatio ex antiqua consuetu„dine sit penes Archidiaconos Ecclesiae nostrae, quibus ex „Decreto Tridentini Concilii mandatur, ut visitationem „hanc *adjuncto notario nostro* personaliter obeant &c." Quibus verbis non obscurè innuit, Concilium nihil circa visitationem Archidiaconorum statuisse, nisi ut visitationem *adjuncto notario Episcopi, & personaliter* obeant.

Non desunt tamen, qui credant, mentem Patrum Tridentinorum fuisse, ut Archidiaconi aliique inferiores, quibus jus visitandi quacumque ex causa competit, illud sine consensu Episcopi posthac obire nequeant: quae interpretatio magis congruere videtur cum verbis sequentibus ipsius Decreti, quae volunt, ut "visitatores à Capitulo deputandi, „ubi Capitulum jus visitandi habet, *priùs ab Episcopo ap„probentur.*"

XVIII. Si juxta hunc sensum Concilium accipiatur rectè monet Zypaeus in citata consultatione; id tamen accipiendum esse moraliter; ita ut Episcopus non semper & praefractè dissentire possit, ne Archidiaconus visitet, sed arbitrio boni viri. Non enim intendit Concilium, sollicitudinem Archidiaconorum extinguere; sed ut omnia ordinatè fiant, & concorditer: Nam unus aedificans, & unus destruens, quid prodesset illis nisi labor. *Ecclesiast.* 25. Unde & decernit Concilium in *d. cap.* 3. ne inferiorum visitatio Episcopi visitationem impediat, & ut illi huic peractae visitationis rationem reddant. "Haec Zypaeus, „qui ibidem iis ex causis dubitat, num concordatum o„lim inter Episcopum, & Archidiaconos Cameraci initum, ne scilicet in posterum hi visitarent, sed nomine utriusque Episcopi & Archidiaconi visitaret Decanus Christianitatis, juraque reciperet, undique fuerit rationabile; & an non rationi magis congrueret, ut sicuti Archiepiscopi Cameracenses nunc *per se* visitant, ita quoque Archidiaconi *per se* visitarent, quàm quod Decanus loco utriusque non visitantis, jura reciperet.

Illud insuper observandum, uti bene monet Franciscus Richardotus Episcopus Atrebatensis loco citato „ut visitatio Archidiaconorum diligenter fiat, non au„tem perfunctoriè, neque ut tantùm cognoscatur de Bo„nis Ecclesiasticis, quomodo insumantur; aut de Ec„clesiarum rebus, cujusmodi sunt ornamenta, libri, alta„ria, aut de Sacrosanctae Eucharistiae honesta conser„vatione, aut baptisteriis, & hujusmodi aliis: sed de Sa„cerdotum, Clericorum & Laicorum fide, vita & mo„ribus.

XIX. Ex hoc interim concordato, tametsi undique rationabile non esset, sat apparet, Decanos sive Archipresbyteros ad Episcopum & Archidiaconum habuisse communem aliquem respectum juxta *Cap. 7. §. fin.* ij *De Off. Archid.* ubi dicitur; „quod cum Decanus *commu„ne* eorum (Episcopi & Archidiaconi) officium exer„ceat, communiter est eligendus, vel etiam amo„vendus."

At hîc in locis hujusmodi Decani à solis Episcopis constituuntur, & amoventur juxta Synodum I. P. Mechliniensem *tit. De Decanis cap. 3.*

XX. Insuper institutio corporalis sive missio in possessionem de jure communi competit Archidiacono *Cap. 7.* ij *De Off. Archid.* Institutionem verò *authorizabilem* seu tituli attributivam, & de qua loquitur regula Juris: *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Canonica institutione obtineri*; de jure communi ad solum Episcopum spectare tradunt Canonistae ad *Cap. 4.* ij *De Off. Archid.* ipsam scilicet institutionem authorizabilem cum commissione seu datione curae Animarum confundentes, juxta illius Capituli rubricam quae habet: *Archidiaconus sine mandato Episcopi, non committit curam Animarum id est, non habet institutionem authorizabilem.*

XXI. At in hoc puncto, à jure communi, & hac Canonistarum interpretatione, in his Provinciis per consuetudinem nonnihil recessum est.

His enim in locis, institutionem *corporalem* consuetudo ferè ad Episcopos, qui eam Archipresbyteris committere solent, transtulit: Institutio verò *authorizabilis* seu tituli attributiva, etiam in Beneficiis Curatis Archidiaconis competere consuevit: ita tamen ut curam Animarum ab Episcopo obtinere debeant: ideoque consuetudo Belgii institutionem authorizabilem à datione curae Animarum distinguit.

Et quidem adeo propria est Archidiaconis Beneficiatorum institutio, ut Collegia Canonicorum, dum Collegas suos ipsi instituunt (uti plerisque in locis consuetudine obtinuit) id *jure Archidiaconali* se facere dicant; satis insinuantes, actum illum propriè esse Archidiaconorum; eumque peragendo se de juribus Archidiaconalibus aliquid participare; & in hoc actu jus Archidiaconale obtinere.

XXII. Ex his sat manifestum est, jura Archidiaconorum magis ex consuetudine, quam è jure communi esse metienda; quae consuetudo in nonnullis Dioecesibus praesertim latis & diffusis, & ubi Episcopi simul sunt Principes saeculares, amplissimam jurisdictionem & auctoritatem iis attribuit, seu potius conservavit.

XXIII. Exemplum suppeditat Belgii nostri Ecclesia Leodiensis quae octo habet Archidiaconos anno 799. à Leone III. Pontifice institutos.

Scribit enim Bartholomaeus Fisen *Lib. 5. hist. Ecclesiae Leodiensis* §. 28. quod „cum Dioecesim admodum va„stam Episcopus lustrare pro munere suo unus ipse non „posset,

possit, magnis potissimum Reipublicæ negotiis aliò sæpe avocantibus, imò accerlentibus è vicino plerumque Regibus ad graviora Regni negotia, id muneris partitus est Pontifex in Archidiaconos octo. Primum jussit esse ipsum S. Lamberti Præpositum, attribuitque Provinciam, civitatem Leodiensem. Reliquam omnem Diœcesim in 7. alias portiones distribuit. Ardennam, Brabantiam, Campiniam Condrusos. Famennam, Hannoniam, & Hasbaniam. singulas singulis Archidiaconis subjecit, quorum ea est dignitas in Ecclesia Leodiensi, ut Abbates etiam in consessibus antecellant." Hæc ille.

De his Archidiaconis etiamnum hodie verè dici potest, quod in omnibus sint *Vicarii & oculi* Episcoporum; omnem curam & sollicitudinem in Clero & Ecclesiis impendendo; jurgia singulorum audiendo; causasque eorum decidendo; idque non jure *merè vicario*, uti olim, sed *jure quasi ordinario*, id est jure dignitatis.

Hinc Synodus Leodiensis anni 1618. monet Archidiaconos, ut "visitent Ecclesias suas diligenter; & in visitatione facienda contenti sint moderatis & frugalibus expensis. In processibus contra Pastores & alias personas Ecclesiasticas, gerant se Archidiaconi, & eorum Officiales, maturè & circumspectè; ne quid in contemptum status illorum temerè committatur."

Item vult ut Archidiaconi Synodos consuetas, juxta laudabilem Diœcesis Leodiensis consuetudinem celebrent, ac temerarios à Synodis absentes puniant.

Plura quæ his Archidiaconis competunt, videri possunt in concordatis inter Episcopum & Archidiaconos generaliter, & Archidiaconum Brabantiæ specialiter initis 24. Septemb. 1334. quæ utique, ait Zypæus in citata consultatione *n.* 18. "etiam nunc obtinere debent, quatenùs Canones Tridentini, aut novæ hic erectiones non derogarunt, iis in locis, quæ ab Episcopatu Leodiensi sunt præcisa."

XXIV. Similiter Decanus Capituli S. Jacobi (quod ad hanc civitatem an 1456. translatum est, cùm primitus esset Encuriæ in Gallo-Brabantia Diœcesis olim Leodiensis nunc Namurcensis) hic, inquam, Decanus est Archidiaconus cum amplissima jurisdictione etiam in foro contentioso sive judiciali in Parochos & Clericos quatuor Parochiarum, tam in causis criminalibus quam civilibus.

XXV. Porrò quidquid consuetudo, aut jus hodiernum Archidiaconis detulit, aut conservavit, illud non jure *delegationis* sive vicario, sed *jure ordinario* sive jure suæ dignitatis exercere censentur; ideoque nec illud propriè *vice* Episcopi, at *jure proprio* agere dicuntur.

XXVI. Verissimum proinde est, saltem inspecto jure hodierno Belgii, quod post Innocentium aliosque Canonistas asserit Fagnanus ad *Cap.* AD HÆC ;; *De off. Archid. n.* 31. Archidiaconos ideo dici Vicarios Episcopi, quia exercent ea quæ etiam ad Episcopos pertinent; illos tamen non esse *tantùm Vicarios*, sed *certa Dignitate* potiri, adeò ut proptereà removeri non possint *ad libitum* Episcopi, nec ipse pro suo velle illorum officia exercere: multò minùs Archidiacono adimere, & alteri committere.

Quare cùm Ordinandorum præsentatio de jure & consuetudine ad Archidiaconum pertineat, eam excluso Archidiacono Episcopus alteri committere nequit.

XXVII. Sed quid, si Episcopus ordinare velit, quos Archidiaconus *dignos* non novit, imò *indignos* esse novit, num eos Episcopo præsentare debebit aut poterit? Nequaquam. Quomodo enim juxta Formulam Pontificalis dicet, *Scio & testificor eos dignos esse quantùm humana fragilitas nosse sinit*, si nesciat dignos, aut quod amplius, indignos esse sciat?

Verbo, cùm Archidiaconi *oculi* sint Episcopi, ut loquitur Conventus generalis Cleri Gallicani an. 1579. *tit. De Eccles. visitat.* "Juxta antiquos & recenter editos Canones Constitutionesque ita suum officium ac munus obeant, ut fidelem hac in re tam sancta tamque necessaria, cum Ecclesiæ, tum Episcopo operam suam comprobent.

XXVIII. Ut verò ea eruditione cæterisque dotibus ad id muneris obeundum necessariis instructi assumantur, decrevit Concilium Trid. *Sess.* 24. *c.* 12. *De reformat.* ut Archidiaconi, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus Ecclesiis, ubi fieri poterit, Magistri in Theologia, seu Doctores aut Licentiati in Jure Canonico.

Hic in Belgio in Ecclesiis Cathedralibus noviter erectis non tantùm debet esse Licentiatus in Theologia aut Jure Canonico, sed assumendus est ex novem Canonicis Graduatis.

Hic rursus advertitur, cujus debeant esse eruditionis, quibus Gradus illi Academici concedantur; & quanta debeat esse Doctorum cura nè idonei ad Gradus illos admittantur, ac ita per illos Gradus ad primarias Ecclesiæ Dignitates inidonei promoveantur.

CAPUT III.

De Archipresbytero Cathedrali.

1 *De hoc Archipresbytero agitur in Decretalibus Titulo* De Officio Archipresbyteri.

2 *Dignitas & officia Archipresbyteri multum pendent à consuetudine.*

3 *Hic Archipresbyter eandem penè auctoritatem habet in Clerum Civitatis Episcopalis quam Decanus Ruralis in Clerum sui districtus, cum quadam tamen differentia.*

4 *Officia Archipresbyteri de jure communi.*

5 *Quoad celebrationem divini Officii spectanda consuetudo cujusque Ecclesiæ.*

6 *Idem penè jus competit huic Archipresbytero jure proprio, quod Decanis Ruralibus jure delegato.*

7 *Archipresbyter assumendus ex Canonicis Graduatis.*

I. INter Dignitates Ecclesiarum Cathedralium post Archidiaconatum in plerisque Belgii Ecclesiis est Archipresbyteratus; de quo in *Cap.* 1. 2. *&* 3. ;; *De officio Archipresbyteri* tractari notarunt Interpretes; diciturque *Archipresbyter Urbicus* sive *Urbicarius*; id est, urbis Episcopalis, ad distinctionem Archipresbyterorum *Ruralium*, quos hodie *Decanos Christianitatis* dicimus, de quibus suprà *Tit.* 6. actum fuit.

II. Porrò Archipresbyteri Dignitas & munia, quemadmodùm de Archidiaconis notatum fuit, magis ex singularum Ecclesiarum consuetudine, quàm è jure scripto metienda sunt.

III. Solent autem Archipresbyteri Cathedrales similem curam & auctoritatem eaque jura obtinere in Clerum & personas Ecclesiasticas *urbis Episcopalis*, quam Decani Rurales in suis respectivè Districtibus. Hac tamen differentia, quod Decani sive Archipresbyteri Rurales nullam de consuetudine Belgii dignitatem; sed merum officium habere censeantur; ac in omnibus suis functionibus ab instructionibus Episcoporum dependeant; Archipresbyteratus verò Cathedralis vera sit dignitas; muniaque de jure vel consuetudine annexa, *jure* dignitatis, id est, *jure ordinario* sicuti Archidiaconi habeant; ideoque nec pro arbitrio Episcoporum tolli aut diminui possint.

IV. De jure communi Archipresbyter in Episcopi sui absentia, ad vicem ejus Missarum solemnia celebrat, collectam dicit, aut is cui ipse injunxerit *Cap.* 1. ;; *De Off. Archipresbyt.* itaque hinc concludunt Canonistæ, Archipresbyterum *in divinis*, non *foris* Archidiaconum præcedere; sed hanc Archipresbyterorum præcedentiam nulla Belgica Ecclesia novit, sed ubique locorum, etiam in choro Archidiaconus solet præcedere Archipresbyterum.

V. Quod celebrationem officiorum in absentia Episcopi

copi attinet, singularum Ecclesiarum consuetudines & constitutiones attendendæ sunt; quæ subinde eam curam ad Præpositum, Decanum, Archidiaconum aliumve in Dignitate constitutum transtulerunt, quemadmodum & cura Pastoralis ipsorum Canonicorum & Cleri Cathedralis ad Decanum aliumvè plerumque spectat; ita ut Archipresbyteri solum inferiorem Clerum civitatis sibi subjectum habeant.

VI. Porro quid Archipresbytero respectu Cleri & Monasteriorum sibi subjectorum incumbat; & quomodo curam & sollicitudinem Pastoralem eis impendere debeat, colligi potest ex iis quæ de Decanis Ruralibus dicta sunt: cum non minor sit Archipresbyteri Cathedralis obligatio respectu Cleri sui districtus, quam Decanorum Ruralium intuitu suorum subditorum.

Undè indubiè hæc Dignitas annumeranda est, Dignitatibus, quibus cura Animarum subest; & ad quam consequenter ex Decreto Concilii Tridentini *Sess. 24. c. 12. De reform.* nemo promoveri possit, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.

VII. Et quamvis vi Tridentini Concilii necessariò conferenda non sit hæc Dignitas Graduatis in Theologia aut Jure Canonico; in Belgicis tamen Ecclesiis noviter erectis, uni è novem Graduatis Canonicis hæc Dignitas conferri debet.

CAPUT III.

De Pœnitentiario.

1 *Jam pridem fuerunt Presbyteri qui Episcopis in excipiendis confessionibus assisterent.*
2 *Horum Presbyterorum potestatem tum quoad personas tum quoad crimina Episcopi pro suo arbitrio limitabant.*
3 *Sæculo XIII. necdum invaluerat consuetudo approbandi Confessarios pro tota Diœcesi.*
4 *Liberum non erat Confessarium pro libitu deligere.*
5 *Poterat tamen ad Episcopum quisque recurrere.*
6 *Episcopus unum nominabat ad quem unicuique liberum erat accedere; & quem inferiores Presbyteri in dubiis consulerent.*
7 *Huic graviora crimina reservabantur.*
8 *Ad illum pœnitentes graviorū criminū mittebantur.*
9 *Pœnitentiarius erat quasi Vicarius generalis Episcopi in injungendis pœnitentiis & arduis causis decidendis.*
10 *Magna requiritur eruditio & prudentia in Pœnitentiario.*
11 *Ex Decreto Concilii Trid. in omnibus Ecclesiis Cathedralibus constituendus Pœnitentiarius, & qualis.*
12 *In Belgio assumi debet ex Canonicis Graduatis.*
13 *De consuetudine Belgii Pœnitentiariatus est Dignitas.*
14 *Vi sui officii est Confessarius ordinarius totius Diœcesis & quilibet ei etiam in Paschate confiteri potest.*
15 *Tenetur confessiones excipere, & ad id ab Episcopo cogi potest.*
16 *Pœnitentiarii eximia scientia esse debent.*
17 *Quid in illis requisivit S. Carolus.*

I. INter coadjutores & Vicarios Episcoporum jam olim fuere Presbyteri, qui excipiendis confessionibus & imponendis pœnitentiis vices Episcopi supplebant.

Hinc illud Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap. 15. ;; De Offic. Ordinarii.* "Præcipimus tam in Cathedralibus, quàm aliis Conventualibus Ecclesiis Viros idoneos ordinari, quos Episcopi possint Coadjutores & cooperatores habere, non solùm in prædicationis officio, verùm etiam in *confessionibus audiendis & pœnitentiis* injungendis.

II. Vicariorum sive cooperatorum horum potestatem & jurisdictionem Episcopi ad quasdam personas, & certa crimina restringere solebant: ut nimirum pro diversa personarum conditione varios assignarent Confessarios; graviora quoque crimina sibi nonnunquam reservantes.

Alii quippe Confessarii Laicis, alii Clericis, alii Monialibus, & alii subinde sublimioribus personis deputabantur: quibus solis & non aliis tales confiteri poterant.

"Volumus (inquit Synodus Wigorniensis anno 1240. *can. 17.*) ut ad audiendas *Clericorum* confessiones *certi* deputentur in singulis Decanatibus Confessores, quos in præsenti Synodo per ipsos electos volumus nominari."

Et Synodus Cicestrensis an. 1289. *can. 12.* ait: "In singulis autem Decanatibus per Capitulum eligantur duo Presbyteri, qui moribus & scientia præditi confessiones audiant *Sacerdotum.*"

III. Neque enim hactenus invaluerat consuetudo hodierna approbandi passim Confessarios, quorum potestas se per totam Diœcesim generaliter extendat; qui omnium scilicet *indifferenter* confessiones excipere queant ita ut *unicuique* liberum sit quemcumque voluerit, sive sæcularem sive Regularem hujusmodi Confessarium approbatum eligere.

IV. Quin nec juri communi, quod Decretalibus Gregorii IX. continetur, hæc moderna disciplina consonat; cum jure Decretalium electio libera Confessarii privilegii loco habeatur, *Cap. fin. ;; De pænit. & remiss.*

V. Verum in hac particularium Confessariorum designatione semper manebat salva ipsa auctoritas Episcoporum; ita ut liberum esset ad ipsos Episcopos recurrere ac omissis designatis Confessariis conscientiam iis aperire.

VI. Cum verò hujusmodi recursus essent tunc temporis frequentiores, Episcopi tum nominare cœperunt prudentia, eruditione, ac pietate præstantiorem, ad quem tamquam ad Episcopum omnibus pateret accessus; quem *Confessorem* aut *Pœnitentiarium generalem* nominabant: quem similiter inferiores Confessarii, & Pœnitentiarii in casibus dubiis consulere poterant; & ad quem tamquam Episcopum graviorum criminum absolutio & pœnitentiæ impositio referentur. Synodus Oxoniensis an. 1287. *can. 5.* postquam statuit, "ut Archidiaconi, qui de Sacerdotum moribus & prudentia pleniorem habent notitiam, de quolibet Decanatu unum vel duos eligant Confessores, quos ad hæc (audiendas confessiones) scientia & meritis crediderint magis idoneos; qui vice Episcoporum, Decanorum Ruralium, Rectorum, Vicariorum & Parochialium Sacerdotum audiant confessiones," subjungit sequentia: "*Pœnitentiarii* nostri *generalis* auctoritate in omnibus salva, ad cujus *arbitrium* in *dubiis* & *gravioribus* recurratur, nisi fortè talis emergat articulus, qui nobis inconsultis nequeat expediri."

VII. Et infra: "Majora & notoria crimina *Pœnitentiario* nostro *reservet* (Sacerdos) & pœnitentem sibi transmittat cum litteris causam delicti, & circumstantias ipsius continentibus. Pœnitentes iterùm cum litteris Pœnitentiarii, absolutionis & pœnitentiæ modum continentibus, ad suum redeant Sacerdotem, reverenti aliter non credatur. Hæc nedum in foro pœnitentiali, sed judiciali præcipimus firmiter observari."

VIII. Synodus quoque Cicestrensis anno 1289. *can. 12.* enormia delicta Episcopo vel ejus Pœnitentiario ad hoc specialiter deputato, præterquam in articulo mortis, reservat. "Litteras autem, ait, Archidiaconi, Decani vel Officiariorum ad Pœnitentiarium *gratis* concedi pœnitenti volumus & præcipimus. Et ut liqueat, *qualis* fuerit *pœnitentia*, & pro *quo* crimine specialiter injuncta: pœnitens litteras *Pœnitentiarii* referat ad mittentem."

IX. Itaque Pœnitentiarius erat quasi Vicarius *generalis* Episcopi in injungendis pœnitentiis & arduis causis in illo tribunali occurrentibus decidendis & resolvendis.

"Ad illum, inquiebat anno 1218. Episcopus Ambianensis loquens de Pœnitentiario à se recenter instituto, tam-

igitized by Google

tamquam ad illum quem post *nos* in hoc officio (audiendi confessiones) *proximum* esse volumus, *dubitationes* si quæ emergunt in foro pœnitentiali, jubemus *reportari*." Hab. *tom.* 12. Spicil. Dacheriani.

Et Synodus Bituricensis anno 1584. *tit.* 21. §. 21. *can.* 15. ait, "confessionibus audiendis præpositi dubitantes de casuum gravitate aut differentia consulant Episcopos aut eorum *Pœnitentiarios aut viros in ea re versatos*, non expressis pœnitentium nominibus.

X. Si quis porro expendat, quam graves difficilesque casus & dubitationes in hoc tribunali occurrant, facilè intelliget, quanta eruditio, experientia ac prudentia in Pœnitentiario requiratur; quamque optandum esset, ut similis ubique haberetur, quem in difficilioribus casibus, inferiores tutò consulere, & à quo difficultatum suarum optimam ac fundatam resolutionem referre possent: quique majoribus & enormioribus criminibus convenientes pro qualitate criminum & pœnitentium satisfactiones, & remedia salutaria injungere novisset.

XI. Et quidem Synodus Tridentina *Sess.* 24 *c.* 8. *De ref.* voluit, ut "In omnibus Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commodè fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum unione Præbendæ proximè vacaturæ ab Episcopo instituatur, qui Magister sit vel Doctor aut Licentiatus in Theologia vel Jure Canonico, & annorum quadraginta, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur."

Hoc Concilii Tridentini Decretum Belgicæ variæque Ecclesiæ uno consensu recepere.

XII. Bulla erectionis novorum Episcopatuum vult Pœnitentiarium ab Episcopo assumi è novem Graduatis Canonicis; adeoque licet vi Concilii Tridentini Pœnitentiarius etiam non Graduatus assumi interdùm posset; id recentiorum illarum Ecclesiarum erectio non permittit.

XIII. Ulteriùs consuetudine Belgii vicinarumque Ecclesiarum obtinet, ut Pœnitentiariatus non sit merum officium, & Pœnitentiarius simplex Episcopi *Vicarius*; sed ut Pœnitentiariatus Beneficium sit, imò & Dignitas, ipseque Pœnitentiarius reliquos Canonicos tametsi seniores præcedat; ita tamen ut novissimum inter Dignitates locum obtineat: nî alia sit particularis Ecclesiæ consuetudo, quæ servanda erit.

XIV. Quapropter verissimum est, in Belgio præsertim, quod communiter tradunt Canonistæ, Pœnitentiarium institutum eo ipso habere *à jure* facultatem audiendi confessiones Pœnitentium illius Diœcesis; & jurisdictionem ad absolvendum à peccatis, & esse veluti *Parochum* totius Diœcesis, nec requiri novam licentiam Ordinarii: cum sit ordinarius Confessor Diœcesis, ejusque jurisdictio ordinaria. Vide Fagnanum ad *Cap.* GRAVE ;; *De præb. num.* 12. & Garciam *De benef. parte* 5. *cap.* 4. *num.* 112. qui & *num.* 113. infert: "Undequilibet poterit ei confiteri peccata & satisfacere præcepto *Capituli* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS *De pœnit. & remiss.* ut censuit S. Congregatio, 16. Febr. 1593. his verbis: An si quis confessus fuerit sua peccata semel in Paschate Pœnitentiario deputato in vim Decreti Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 8. dicatur satisfecisse præcepto contento in dicto *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, Congregatio censuit satisfecisse.

XV. Cùm itaque vi sui officii & Dignitatis Pœnitentiarius sit quasi Vicarius *natus* Episcopi in audiendis confessionibus, etiam tenetur munus illud tempore & loco arbitratu Episcopi designandis obire; & in casum negligentiæ ab Episcopo puniri, imò & Dignitate privari potest; ut censuisse S. Congregationem testatur Garcias loco citato *num.* 117. *& seqq.*

XVI. Qui igitur Pœnitentiarii "munere funguntur, *eximia* scientiæ esse debent (inquit Synodus Turonensis anno 1583. *c.* 15.) ut vitium à vitio discernere, & animas, quæ peccaverunt, modò leniter blandisque verbis consolari mœstasque reficere, modò acerbè & graviter increpare, atque etiam instruere valeant."

XVII. Hujus Dignitatis & officii gravitatem expendens S. Carolus in Synodo Mediol. V. *parte* 3. §. 5. decrevit: "Ut ubi primum Præbenda pœnitentialis vacaverit, edictum de more proponatur, quo ad concursum evocentur quicumque sint, qui illius muneris causa examen subire velint, aliosque nominare qui subeant..... Episcopus adhibitis sibi pro arbitrio suo aliis peritis probisque Viris, tum etiam de illorum vita & moribus, ætate, Gradu, Ordine, cæterisque conditionibus ad tale munus necessariis accuratè perquirat. Tum demum Episcopus ipse solùm rebus iis omnibus accuratè perpensis, maturè in Domino deliberet, & liberè deligat, quem pro conscientiæ religione digniorem aptioremque existimet, cui tale munus tantique ponderis rectè committatur. Qui in deliberatione idem videat, ut quod præsertim ad Pœnitentiarium attinet, cùm peritiam necessariam spectarit, tum maximè vitæ innocentiam, morum gravitatem, spiritualium exercitationum studium, & usum diuturniorem in confessionibus audiendis, exercitationem, prudentiam, cæterasque Religiosæ pietatis virtutes perpendat.

Si eum Episcopi in conferenda hac Dignitate delectum facerent, omnibus facilè appareret, quàm merito hujusmodi Dignitas in Ecclesiis instituta sit; quæ hodie penè inutilis & sine ullo officio aut onere esse apparet.

CAPUT IV.

De Officiali Episcopi.

1 *Officialis & Vicarius Episcopi jure communi sæpe pro eodem sumuntur.*

2 *Secus moribus Belgii.*

3 *Officialis dicitur qui foro contentioso præest, olim dictus* Missus.

4 *De jure communi Episcopus potest creare plures Officiales.*

5 *Quis Officialis Principalis & quis foraneus?*

6 *Moribus hodiernis Episcopi tenentur interdum plures Officiales constituere.*

7 *Officialis principalis jure communi aliquam dignitatem habere videtur.*

8 *Quæ tamen non est propriè beneficium, nec cum alia dignitate incompatibilis.*

9 *Officialis etiam principalis jurisdictio de jure communi tantum est vicaria & ad nutum revocabilis, secus moribus nostris.*

10 *An Episcopi possint pro libitu alios judices constituere?*

11 *Utrum Episcopi possint per se jus dicere.*

12 *An Officialis principalis jurisdictio morte Episcopi extinguatur.*

13 *Tribunal Officialis non est distinctum à tribunali Episcopi.*

14 *Qualis constituendus Officialis?*

15 *De hoc Officiali intelligitur Concilium Trid. Sess. 24. Cap. 16. De reformat.*

16 *Religiosi nequidem de consensu Superiorum possunt esse Officiales.*

I. Si jus commune spectemus, Vicarius & Officialis Episcopi sæpius coincidunt; ipseque Officialis, Vicarius Episcopi dicitur. Et quidem toto titulo Sexti Decretalium, qui inscribitur simpliciter, *De Officio Vicarii*, vix de alio quàm *Officiali* Episcopi tractatur; ipsaque hodierna Italiæ praxis est, ut Vicarius Episcopi sit & Officialis; quam secuta Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 16. *De reformat.* Officialem cum Vicario Episcopi confundit; uti suprà notavimus.

II. At moribus Belgii vicinarumque Ecclesiarum Officialis à Vicario Episcopi simpliciter dicto omnimò diversus est.

III. Officialis enim is dicitur, qui jurisdictioni contentiosæ præest; atque in forensibus vices gerit Episcopi, ejusque tribunali præsidet; qui olim *Missus* Episcopi dictus

fuit

fuit *Cap. 2.* ⁊ *De Regularib.* & *Cap. 1.* ⁊ *De frigidis & malefic.* nota: que Glossa ad *Cap. 2. Verb.* OFFICIALEM *De offic. Vicarii in 6.*

IV. De jure communi Episcopum posse plures creare Officiales expeditum est. *Clem. 2. De Rescriptis*: ubi distinguitur Officialis *principalis* Episcopi ab Officiali *Foraneo*.

V. Principalis dicitur, qui constituitur in ipsa civitate Episcopali, ut jus dicat in ipso tribunali, in quo ipse Episcopus jus dicere consuevit.

Foraneus verò, qui extra civitatem Episcopalem in aliqua parte Diœcesis jure dicendo præest.

VI. Hæc Officialium multiplicatio licet spectato jure communi arbitrio Episcoporum committatur, moribus tamen obtinuit ut, si Diœcesis se in plures Provincias Civiles extendat, Episcopus teneatur in singulis Provinciis tribunal erigere, atque Officialem præficere, ne aliàs contra notoria Belgii aliarumque vicinarum Provinciarum antiqua privilegia & inveteratas consuetudines subditi in jus vocentur extra Provinciam. Vide Carolum Fevret. *tract. De abusu lib. 4. cap. 3. §. 7.* qui ibidem asserit, extra hunc casum ordinariè ab Episcopo unicum, idque in ipsa civitate Episcopali Officialem constituendum: testaturque an. 1600. in Parlamento Parisiensi eo ex capite rejectum fuisse tamquam abusivam nominationem Officialis, quem pro loco à civitate Episcopali 12. milliaribus distante nominaverat Episcopus: idque confirmat auctoritate Baldi dicentis: "Neque enim debent esse unius civitatis plures Episcopi, ut nec plures „Vicarii aut Officiales." Sed id moribus Belgii receptum „non est. Plures enim in una eademque Provincia v. g. Bra- „bantia, ob ejus extensionem, ejusdem Episcopi Officiales creari videmus.

VII. Principalis Officialis, qui in ipsa civitate Episcopali constituitur, etiam jure communi aliquam dignitatem habere videtur: quandoquidem ei per rescriptum Apostolicum causæ committi possint, *Clem. 2. De rescriptis*: quæ non nisi Canonicis Cathedralibus, aut aliis in Dignitate constitutis committi queunt *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in 6.* secus verò de Officiali foraneo; cui nec similes causas committi posse in eadem Clementina deciditur.

VIII. Hæc tamen Dignitas nec ut beneficium, nec propriè in titulum possidetur; ut Archidiaconatus, Decanatus & similes; quare nec cum alia Dignitate incompatibilis est, quemadmodum observat Rebuffus in praxi *De Vicariis Episcoporum n. 4. & 7.*

IX. Quin si jus commune spectemus, Officialis tametsi principalis, sive Cathedralis, jurisdictionem habet duntaxat *vicariam* ad arbitrium Episcopi *revocabilem*; quod hodie secus obtinere contendit Carolus Fevret; prætenditque, Officialem semel institutum non posse à constituente, aut ejus successore pro arbitrio removeri.

Cùm enim Episcopi non amplius soleant *per se* quæ sunt contentiosæ jurisdictionis exercere, videntur, inquit Fevret, Officiales hodie esse veri & *ordinarii* Ministri jurisdictionis Episcopalis: adeo ut ea de causa non dicantur Officiales *Episcopi* sed *Episcopatus*; ipsaque rescripta Romana inscribantur non Officiali *Episcopi* Mechliniensis, sed simpliciter, *Officiali Mechliniensi*.

X. Similiter censet idem Author cum Mornacio ad *L. 1. §. 1. ff. De Off. ejus cui mandata est jurisdictio*: "Episco- „pos non posse pro animi sui libidine permutare judices, no- „vosque ad singulas lites in hanc vel illam partem sufficere: „perpetuum enim debere esse eum, quem semel elegerunt, „ut vice sua judicet; nisi incidat delegandi alterius causa ex „morbo, recusatione aut absentiâ, quæ impedimento sit „quo minus ipse cognoscat de Episcopalis juridicinæ nego- „tio" additque Mornacius, in causa appellationis tamquam ab abusu interjectæ occasione hujusmodi particularis delegationis, & designationis judicis ad unam causam, à Senatu Regio judicatum, Episcopum abusum fuisse sua jurisdictione, & in expensas condemnatum. Simile judicatum Senatus Parisiensis anni 1602. refert Peleus *lib. 1. c. 37. action. forens.* Plura tamen eaque recentiora Parlamentorum judicata, quibus potestas revocandi suos Officiales Episcopis fuit adjudicata, referuntur in Actis Cleri Gallicani *parte 1. tom. 2. cap. 15. num. 27. 28. 29. 30. & 31.* Item *parte 8. tit. 3. n. 1. & 2.* quin tamen Officiales suos foraneos facilius, quàm principalem sive Cathedralem revocare queant, dubium non est.

XI. Quin & prætendit sæpè citatus Carolus Fevret Episcopos adeo se hodie jurisdictione contentiosa exuisse, eamque in Officiales suos transtulisse, ut nec possint causas Ecclesiasticas ad forum suum spectantes sibi judicandas & *per se* decidendas reservare; quod num verum sit, multum sanè dubito.

Contrarium insinuat Concilium Narbonense anno 9. currentis sæculi habitum *c. 42.* mandans, "ut Episcopi *per se* „*ipsos* causas audiant, quas si *omnes* audire nequeant, Offi- „ciales deputent." Cui conformis videtur Belgii nostri moderna disciplina, quæ Episcopis auctoritatem causarum decisionem sibi reservandi hactenus conservasse videtur.

XII. Jure communi Officialiatus etiam principalis, tamquam officium merè *vicarium*, morte ipsius concedentis extinguitur; quod Ecclesiarum Belgicarum consuetudinem necdum abrogasse manifestum est; quandoquidem praxis notoria, saltem quarumdam Ecclesiarum habeat, quod Capitulum Sede Vacante Officialem, etiam Cathedralem vel de novo eligat, vel constitutum confirmet; tametsi Fevretius moribus Galliæ secus obtinere asserat.

XIII. Quocumque demum jure sive titulo Officialis hodie sua jurisdictione utatur, certum est, illam esse Episcopalem; nec tribunal Officialis distinctum esse à Tribunali Episcopi: adeoque & certissimum est etiam moribus hodiernis, ab Officiali sive principali sive foraneo non appellari ad Episcopum, sed provocandum esse ad eum, ad quem esset appellandum, si Episcopus per se sententiam dixisset.

XIV. Cum igitur Officialis jurisdictioni contentiosæ, causarumque forensium decisioni præsit, meritò monentur Episcopi, ut personas providas, & ab omni avaritia vacuas, & in Jure Canonico atque disciplina Ecclesiastica multùm exercitatas, Officiales constituant.

XV. De hoc quoque Vicario sive Officiali intelligitur Synodus Tridentina *Sess. 24. c. 16. De reform.* requirens, "ut Capitulum Sede vacante teneatur infra 8. dies post mor- „tem Episcopi *Officialem* seu Vicarium constituere, vel „existentem confirmare, qui saltê in Jure Canonico sit Do- „ctor vel Licentiatus vel aliàs quantum fieri potest idoneus."

Neque Capitulum posse vi finalis clausulæ eligere non *Graduatum*, si in Capitulo adsint Doctores aut Licentiati in Jure Canonico huic officio idonei, censuit S. Congregatio apud Garciam *De benef. parte 5. c. 7. n. 12.*

XVI. Quam parum Monasticæ professioni congruat munus Officialiatus, quod totum in strepitu forensi penè versatur, nemo non videt; unde notat Mornacius ad *L.* PLACET *Cod. De Episcopis & Clericis*, moribus hodiernis, ne quidem de consensu Superiorum ad hujusmodi officium eos assumi posse; ideo ait Mornacius, *abusivum id esset, contrariumque Monastica Professioni, si Episcoporum vel Archidiaconorum fierent Officiales Religiosi.*

Cæterum plura de observandis ab Officialibus in exercitio suæ jurisdictionis, & abusibus qui irrepserunt, dicentur Parte 3. ubi de jurisdictione Ecclesiastica agetur.

CAPUT V.

De Vicario Episcopi.

1. *Moribus nostris Officialis Episcopi distinguitur à Vicario.*
2. *Vicarius Episcopi nullam jurisdictionem contentiosam habet.*
3. *Non potest negotia judicialiter examinare.*
4. *Potest Episcopus unum vel plures pro libitu constituere.*

5 *Potestas Vicarii est tantùm delegata ad nutum Episcopi revocabilis.*
6 *Debet habere commissionem suam in scriptis.*
7 *Episcopus potest Vicarii potestatem pro arbitrio restringere.*
8 *Episcopo mortuo vel aliàs sua jurisdictione destituto extinguitur etiam jurisdictio Vicarii.*
9 *Quæ forma revocationis Vicarii?*

1 TAmetsi in jure Vicarius Episcopi & Officialis ejus frequenter confundantur & pro synonimis accipiantur, ut suprà notatum est, moribus tamen nostris quoad functiones & jurisdictionis exercitium omninò distinguuntur.

II. Officialis enim, de quo capite præcedenti, ea quæ contentiosæ jurisdictionis sunt exercet; at qui hodie Vicarius Episcopi dicitur, nihil jurisdictionis contentiosæ habet; sed omnis ejus auctoritas versatur circa ea, quæ voluntariæ jurisdictionis sunt: adeò ut Vicarius limites suæ jurisdictionis excederet, si *judicialiter* partes coram se citari juberet, aut judiciales informationes super commisso crimine caperet.

III. Hoc ex capite, cùm quidam Vicarius certam Confraternitatis erectionem examinasset & discussisset *judicialiter* sive in forma judiciali, per Senatum Regium judicatum fuit, abusivè Vicarium processisse: eo quòd nullam jurisdictionem *contentiosam* vi sui Vicariatus haberet, sed ea in solidum penes Officialem resideat: ita refert Germanus Forget in suo Tractatu *De personis & rebus Eccles. lib. 1. cap. 42. n. 10.* Vide etiam Fevret *lib. 3. cap. 5.* ibidem notantem, quòd si causa aliàs ad officium Vicarii spectans more judiciali instituatur & examinetur; agitari debeat coram Officiali, non coram Vicario, & si secus fiat, abusivum esse; atque ita aliquando judicatum fuisse.

IV. Potest Episcopus unum vel plures, uti sibi visum fuerit, Vicarios constituere. Et quidem in quibusdam Ecclesiis Episcopi plures nominant Vicarios, qui simul corpus unum, quod Vicariatus dicitur, componunt; à quo pleraque, quæ jurisdictionis voluntariæ sunt, expediuntur.

Et si Zypæo credimus *Consult 17 nu. 3 8. De Regularib.* his in regionibus passim Episcopalia negotia, & singulatim uniones, per Episcopos expediuntur non interveniente Capitulo, sed concilio Vicariatus.

V. Porrò authoritas & potestas horum Vicariorum tam de jure quàm consuetudine merè vicaria est, & à beneplacito Episcopi dependet; adeò ut eam extendere & restringere liberè queat: quare de Vicariorum authoritate ex ipsa commissione judicandum est.

VI Unde ne fraus aut error in his contingat, Vicarius non debet officium suum exercere, nisi habeat scripturam suæ potestatis, inquit Rebuffus in praxi benef. *tit. De Vicariis Episc. n. 9.* qui & *n. 13.* monet, „in constitutione Vicariatus „intervenire debere testes; alioquin, ait, instrumentum cum „signo sui Secretarii tantùm esset scriptura privata quæ „non probaret. Et bonum est, ait *n. 14.* quod nullus recipere- „tur Vicarius, nisi instrumentum Vicariatus esset registra- „tum in actis, & ita fuit in Senatu statutum requirente Dio- „nysio Riaux Advocato tunc egregio Universitatis, nunc „autem Advocato Regio anno 1548. mense Martio. „Hæc Rebuffus; quæ latius secundum praxim Regni Galliæ deducit Fevretius in suo tractatu de abusu *lib. 3. c. 5. n. 13 & 14.*

VII. Si litteræ commissionis mandatum restringant ad certos actus, aut locum vel tempus, termini commissionis servandi erunt. Si verò nulla specialis restrictio sive limitatio facta sit, sed generalis sit, tunc mandata creduntur omnia quæ voluntariæ jurisdictionis sunt; iis exceptis, quæ de jure aut consuetudine sub generali mandato sive commissione non veniunt, sed speciale mandatum requirunt; de quibus consule Rebuffum in praxi *tit. De forma* Vicariatus Archiepiscoporum & aliorum Collatorum.

VIII Quandoquidem jure communi, cui mores hactenus non derogarunt, Vicarii Episcoporum habeant duntaxat mandatam potestatem, omnis eorum potestas non tantum morte Episcopi, quandocumque ea intervenerit; sed & quoties Episcopus sua auctoritate vel jurisdictione exuitur, v. g. per excommunicationem, vel renuntiationem, plenè extinguitur: quandoquidem omnimodo tamquam rivulus à suo fonte à jurisdictione Episcopi dependeat; imo vicarii jurisdictio non est nisi ipsa Episcopi jurisdictio mandata sive delegata.

IX. Eodem ex fundamento, potest Episcopus Vicarium etsi generalem revocare sive destituere, etiam sine consensu Capituli, sicuti absque ejus consensu constitui potest: debet tamen revocatio intimari Vicario; quin uti post Rebuffum, Boërium aliosque docet Garcias de Beneficiis *parte 5. cap. 8. n. 176. & 177.* hæc revocationis intimatio adeo necessaria est, ut aliàs gesta à Vicario valebunt etiamsi habeat notitiam revocationis, & illa publicè sit nota.

Sed hic notandum, Rebuffum aliosque per Vicarium *generalem* Episcopi, intelligere illum, qui non tantùm in spiritualibus & in iis quæ voluntariæ sunt jurisdictionis constituitur, sed etiam in contentiosis, & Ordinariam jurisdictionem concernentibus. Verbo, qui in omnibus Episcopi v. g. absentis vices suppleat; & cui omne regimen Ecclesiæ, omnisque jurisdictio Episcopalis commissa sunt; nequaquam verò illum, quem hodie Vicarium *generalem* hic dicimus, qui ad nutum Episcopi constituitur & revocatur, & cui duntaxat quædam voluntariæ jurisdictionis munia, nec tamen omnia committuntur.

In hoc porrò Vicario supradicto omnia requiri, sive in constitutione, sive revocatione, non credimus:

TITULUS XIII.
De Electione & Nominatione Episcoporum.

CAPUT I.

Quas partes olim populus habuerit in hac Electione.

1 *Populus electioni olim interveniebat; idque ex Apost. traditione descendit.*
2 *Probatur hac disciplina ex antiquo Testamento.*
3 *Eadem disciplina sæculo 5. erat tam in Ecclesia Græca quàm in Latina.*
4 *Seriùs in Ecclesia Latina quàm in Græca.*
5 *Sæculo 9. superstes fuit etiam in his partibus.*
6 *Rationes hujus disciplinæ.*
7 *In hac electione tamen præcipuas partes habebant Episcopi.*
8 *Poterant Episcopi Electum à populo interdum rejicere.*
9 *Poterant etiam sine prævia plebis electione ordinare Episcopum.*
10 *Electio populi nullum jus tribuebat Electo.*
11 *Episcopo defuncto, mittebatur Visitator ut populum circa Electionem instrueret.*
12 *Electio examinanda mitti debebat ad Metropolitanū.*
13 *Metropolitanus cum sua Provincia Episcopis electionem & personam Electam examinabant.*

I. DIsciplinam, quam in Electione Episcopi ex traditione Apostolica primis sæculis universalis servabat Ecclesia, describit S. Cyprianus *Epist 68.* editionis Rigaltii: „Propter quod (nimirum nè indignus „promoveatur) diligenter de traditione Divina & *Apo-* „*stolica observatione* observandum est & tenendum, quod „apud

„ apud nos quoque, & ferè per *provincias universas* tene„ tur, ut ad Ordinationes ritè celebrandas, ad eam plebem „ cui Præpositus ordinatur, Episcopi ejusdem Provinciæ „ proximi quique conveniant, & Episcopus eligatur *plebe* „ *præsente*, quæ singulorum vitam *plenissimè* novit, & uniuscujusque actum de ejus *conversatione* perspexit. Quod „ & apud vos factum videmus in Sabini Collegæ nostri Ordinatione ut de *universæ Fraternitatis suffragio*, & de „ Episcoporum qui in præsentia convenerant, quique de eo „ ad vos litteras fecerant, judicio, Episcopatus ei deferretur, „ & manus ei in locum Basilidis imponeretur."

II. Et paulò ante; "Quod & ipsum videmus de divina au„ ctoritate descendere ut Sacerdos *plebe* præsente sub *omnium* oculis deligatur, & dignus atque idoneus publico judi„ cio ac testimonio comprobetur, sicut in Numeris Domi„ nus Moysi præcepit dicens: *Apprehende Aaron fratrem* „ *tuum, & Eleazarum filium ejus, & impones eos in* „ *montem coram* OMNI *Synagoga, & exue Aaron stolam* „ *ejus, & indue Eleazarum filium ejus, & Aaron appositus moriatur illic.* Coram *omni* Synagoga jubet Deus „ constitui Sacerdotem, id est, instruit & ostendit, Ordina„ tiones Sacerdotales non nisi sub populi assistentis consci„ entia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur ma„ lorum crimina, vel bonorum merita prædicentur, & sit „ Ordinatio justa & legitima, quæ omnium judicio & suf„ fragio fuerit examinata."

Conformiter ad hanc disciplinam, Cornelium Romæ Clericorum *plebisque* suffragio Episcopum Ordinatum testis est idem Cyprianus *Epist.* 41. & 42. atque de ipso Cypriano testatur Pontius Diaconus in ejus vita, "quod judi„ cio Dei & *plebis* favore officium Sacerdotii, & Episcopa„ tus gradum adhuc Neophytus, & ut putabatur, novellus „ electus est."

III. Quin & eam disciplinam, etiam quoad suffragia *plebis*, non tantum in Ecclesia Latina, sed & Græca integram ac illibatam fuisse post Synodum Laodicænam sub initio sæculi quarti celebratam constat. Nam in Synodo Calchedonensi actione II. Stephanus Episcopus Ephesinus volens ostendere se canonicè electum ait: "Me quadraginta Episco„ pi Asiani, suffragio Clarissimorum & Primatum, & totius „ Reverendissimi Cleri, & omnis civitatis ordinaverunt."

Quin & novellæ Justiniani expressè volunt in electione Episcopi unà cum Clero *Primates* Civitatis, cui Episcopus ordinandus est, intervenire. *Novellâ* 123. *c.* 1.

IV. Hoc equidem constat, apud Græcos citius quam Latinos, ab Episcoporum electionibus laicos exclusos fuisse; siquidem Sæculo 9. Synodus VIII. *Can.* 22. "statuit, atque „ jure promulgat, *neminem laicorum* Principum vel Po„ tentum semet inserere electioni vel promotioni Patriar„ chæ vel Metropolitæ, aut cujuslibet Episcopi, ne videlicet „ inordinata hinc & incongrua fiat confusio, vel contentio: „ præsertim cum nullam in talibus potestatē quemquā po„ testativorum vel cæterorum laicorū habere conveniat, sed „ potius silere, ac attendere sibi, usque quo regulariter à Col„ legio Ecclesiæ suscipiat finem electio futura Pontificis."

V. At in Ecclesia Latina sæculo 9. etiam laicos electioni intervenisse; plebisque suffragia fuisse expetita, ex historiis formulisque electionum est notorium. Utque prætereamus quæ remotiores Ecclesias concernunt, una sufficiet epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Hedenulphum Laudanensem Episcopum, ut Visitatoris officio fungatur in electione Episcopi Cameracensis, qua eum his verbis hortatur: "Ad eamdem Ecclesiam quantocyus stu„ deas properare, ac assiduis hortationibus Clerum, *plerumque* Ecclesiæ publicè admonere festines, ut remoto pri„ vato studio, uno eodemque consensu talem sibi præfici„ endum expetant ac eligant Sacerdotem, qui & tanto „ ministerio dignus valeat reperiri, & à venerandis Cano„ nibus nullatenus respuatur.... Quæ electio non tantùm à „ civitatis Clericis erit agenda, verum & de omnibus „ Monasteriis ipsius Parochiæ, & de rusticanarum Paro„ chiarum Presbyteris occurrant Vicarii, commorantium „ secum concordia vota ferentes; sed & Laici nobiles ac ci„ ves adesse debebunt: quoniam ab omnibus debet eligi, cui „ debet ab omnibus obediri." Habetur hæc epistola tomo „ 8. Conciliorum generalium collectionis Labeanæ *col.* 1867. ibi & columnâ sequenti extat ejusdem Hincmari epistola ad Clerum & *plebem* Cameracensem, ut Canonicam electionem faciant cum Visitatore sibi designato.

Non dubium ergo in Cameracensi, uti aliis vicinis Ecclesiis, quod formulæ ibidem relatæ ostendunt, sæculo 9. non Clerum dumtaxat, sed & *plebem* ad Episcopi electionem concurrisse.

VI. Rationem hujus disciplinæ ex Cypriano supra audivimus; nimirum, ut *plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Alteram dat S. Leo *Ep. ad Episcopos* Provinciæ Viennensis. Quæ est 10. in editione Quenellianâ. Cùm enim dixisset, "per pacem & quietem Sacerdotes qui futuri sunt, „ postulentur," addit: "Teneatur subscriptio Clericorum, „ honoratorum testimonium, Ordinis consensus & *plebis*. „ *Qui præfuturus est omnibus ab omnibus eligatur.*" Vel ut loquitur Cælestinus I. "Nullus *invitis* detur Episcopus „ Cleri, Plebis & Ordinis consensus, & desiderium requira„ tur." *Ep.* 2, *c.* 5. apud Gratianum *Dist.* 61. *can.* 14. Aut „ sicuti exprimitur in citata Epistola Hincmari Remensis: *Quoniam ab omnibus debet eligi, cui ab omnibus debet obediri.*

VII. Dum verò his rationibus permota Ecclesia, plebem ac Clerum totum in sui Pastoris electione intervenire, atque audiri voluit, præcipuas tamen in hac momentosa Electione partes esse voluit Metropolitani ac Comprovincialium Episcoporum; atque ab his propriè Eligi ac præfici Episcopum; populumque ne in hac nominatione aut postulatione Pastoris errare contingat docere; errantemque in viam rectam reducere.

Hinc Synodus Nicæna *Can.* 4. statuit: "Episcopum con„ venit ab omnibus qui sunt in Provincia constitui. Si autem „ sit hoc difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel „ viæ longitudinem; tres omnino eumdem in locum con„ gregatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scri„ ptisque assentientibus, tunc Electionem fieri."

Canonem non tantùm de consecratione, sed etiam de electione loqui ostendimus in Scholiis; neque de hoc esse dubitandum monet Christianus Lupus *parte* 4. *Schol. pag.* 148. Episcopis ergo tribuit Electionem sive ordinationem; quia plebe Cleroque postulante, aut consentiente, ordinatio sive nominatio Episcopi ipsis præcipuè competebat.

Hinc Episcopi Alexandriæ, quorum plures Concilio Nicæno interfuerant, describentes ordinationem S. Athanasii in Episcopum Alexandrinū; eamque ab Arianorum calumniis vindicantes, dicunt, quod cum convenissent ad constituendum in locum Alexandri defuncti Episcopum, tunc "o„ mnis multitudo, & omnis populus Catholicæ Ecclesiæ, „ tanquam ex una anima & corpore convenientes, vocife„ rabantur, clamabant petentes Athanasium Episcopum Ec„ clesiæ: hoc precabantur publicè, à Christo, & hoc *nos* „ adjurabant facere, per multos dies & noctes, ipsi neque „ ab Ecclesia discedentes, neque *nos* sinentes abire: hujus rei „ nos testes sumus, hujus & urbs universa, & Provincia."

Liquet ergo, Synodum Episcoporum tunc habitam fuisse ad celebrandam Episcopi ordinationem, & populum præviè suum testimonium de eligendo tulisse; ac juxta populi postulationem ab Episcopis Electum ac ordinatum fuisse Athanasium.

VIII. At si populus tumultuosè, aut passione aliquâ præventus, vel ignorantiâ seductus idoneum, aut minùs convenientem postulasset, eum Episcopi rejicere poterant & debebant; atque de hoc casu scribit Cælestinus I. ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ: "Docendus est populus non „ sequendus. Nosque (si nesciunt) eos, quid liceat „ quidve non liceat, commonere, non his consensum „ præbe-

„præbere debemus.„ *Epist. 3. cap. 3.* Et apud Gratianum *Dist. 61. Can 2.*

IX. Quinimo interdum, ubi persona aliqua Divino indicio ad regimen Ecclesiæ videbatur vocata, etiam sine plebis consensu Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis Episcopum ordinabant: ait enim Cyprianus ad Clerum & plebem suam scribens: „In ordinandis Clericis, fratres „charissimi, solemus vos ante consulere,& mores ac merita singulorum communi consilio ponderare; sed exspectanda non sunt testimonia humana, cum præcedunt divina suffragia.

X. Neque etiam eo tempore electio illa plebis jus aliquod *ad rem* dabat ipsi Electo, sed potius erat simplex postulatio ipsius Plebis & Cleri de persona sibi grata ordinanda in suum Pastorem.

Quia tamen voluntati desiderioque populi non consentire difficile erat,atque invitis ac reluctantibus Pastorem dare infaustos non raro pariebat effectus, hinc multum solliciti erant Episcopi,ut rite populus instrueretur, atque ad postulandum idoneum induceretur.

XI. Quapropter durante hac disciplina, Metropolitanus mox ut aliquam in sua Provincia Ecclesiam suo viduatam Episcopo intellexerat,Episcopum Visitatorem ad viduatam Ecclesiam destinabat, qui populi Clerique animos ad concordem ac Canonicam digni Præsulis Electionem faciendam disponeret; cujus Visitatoris frequens mentio occurrit in Epistolis S.Gregorii,ac signanter *lib. 2. epist.* 19 ad Benenatum Visitatorem Ecclesiæ Cumanæ;ubi quæ ejus sint munia latè describit;quæ omnia allegata tum in Epistola Hincmari ad Hedenulphum Laudunensem,tum in ejusdem ad Clerum & plebem Bellovacensem; atque in allocutione Visitatoris Episcopi ad Clerum & plebem Electionis causa congregatum etiam exprimuntur; atque eam disciplinam sæculo 9. & in hisce partibus conservatam evincunt. Habentur in dicto tomo 8. Conciliorum *Col.* 1867. *& seqq.*

XII. Illud notandum, quod in epistola Hincmari Archiepiscopi Remensis ad Clerum & plebem Bellovacensem, postquam de pluribus in electione servandis eos instruxit; qualitatesque eligendi exposuit; subdit: „Hujusmodi autem, „quantum Dominus dederit,ipso cooperante electum cum „Visitatore vestro, præsente scilicet confratre nostro; & „cum decreto canonico,ad humilitatis nostræ solicitudinem „examinandum adducite: quia, ut longè ante nos dictum „est,non *est facilè dimittendus,cui est proximus committendus.* Prænoscere vos denique volo, quia si personam à „Sacris Canonibus deviam *scienter* nobis adduxeritis, non „solum ex ea Pontificem non habebitis,verùm etiam pro illicita electione,ut contemptores Canonum, judicium incurretis. Sed & nostro & Coëpiscoporum nostrorum judicio refutata rationabiliter electione vestrâ incongruâ, „talem secundum Laodicenses Canones studebimus eligere,qui vestris vitiosis voluntatibus non valeat consentire.

Hæc ostendunt,Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales non ita fuisse electione populi & Cleri constrictos, quin eam ex causa legitima rejicere possent.

Electione itaque peracta *Decretum Canonicum* Electionis,Clericorum, Monachorum ac Laicorum subscriptione munitum conficiebatur;illudque Metropolitano offerentes, Electum in Episcopum suæ Ecclesiæ ordinari postulabant. Plures hujusmodi *Decreti* formulæ extant *To. 8. Con.*

XIII. Hoc decreto accepto, Metropolitanus convocatis suæ Provinciæ Episcopis tum Electionis formam, tum qualitates Electi examinabat;quæ si examine instituto Canonica reperiebantur, Electum cum consensu Episcoporum suæ Provinciæ in Episcopum consecrabat: atque cum canonicis literis,quibus novus Episcopus de suo officio instruebatur, ad Ecclesiam sibi commissam mittebat. Exemplar tam dicti examinis,quam Litterarum Canonicarum extat in allegato tomo 8. Conciliorum;atque in illis plura occurrunt,quæ ad notitiam disciplinæ illius temporis conducere possunt.

CAPUT II.

Quomodo Electio Episcoporum ad Capitula Cathedralia sit devoluta, & una de Concordatis Germaniæ.

1 *Sæculo 11. Electio adhuc erat penes populum & Clerũ.*
2 *Sæculo 12. cœpit transire ad Capitula Cathedralia.*
3 *Sæculo 13. penes Capitula Cathedralia erat Electio Episcopi exclusis etiam Suffraganeis.*
4 *Per Reservationes Pontificias jus illud Capitulis fuit ademptum.*
5 *Reservationes illæ non ubique fuerunt receptæ.*
6 *In Concilio Constantiensi contra dictas Reservationes tractari cœpit.*
7 *Decretum Concilii Basiliensis contra dictas Reservationes Sanctione pragmatica Regis Galliæ probatum.*
8 *Urgentibus Pontificibus Rom. Pragmatica Sanctio abolita fuit.*
8 *Pro restituendis Electionibus inita sunt Concordata inter Rom. Pontificem & Principes Germaniæ.*
10 *Quid in his concordatis continetur quoad Electiones.*
11 *Concordata hac concernunt dumtaxat illos qui sunt sub Imperio.*
12 *Non extendunt se in Brabantiam exceptis paucis civitatibus.*
13 *Hæc Concordata tantùm obligant illos qui ea acceperunt.*
14 *Beneficia extra fines Imperii sita non subjacent Concordatis,licet Collatores sint sub Imperio.*
15 *Sola Ecclesia Nationis Germanicæ jus Electionis conservant.*

I. Clerum ac populum electionibus Episcoporum in Ecclesiis Occidentalibus adhuc sæculo undecimo intervenisse, testantur epistolæ Gregorii VII. ac signanter *lib. 1. epist.* 35. *lib* 5. *epist.* 8. in qua post cæ inter plura contra Episcopum Aurelianensem allegata recenset.„Dicitur siquidem legitimam ætatem non habens contra Decreta Sanctorum Patrum sine idonea Cleri & *populi* electione Ecclesiam invasisse.

II. Quin & sæculo duodecimo electiones Episcoporum Cabilonensis & Gebennensis adhuc peractas fuisse cum consensu *populi* non obscurè innuit S.Bernardus *epist.* 13. & 27. tametsi fatendum sit,sæculo illo cœpisse electiones Episcoporum à populo & Clero transire & transferri ad Capitula Cathedralia tamquam clerũ totius diœcesis repræsentantia,atq; unum cum suo Episcopo corpus & Collegium constituentia.

III. Et quidem circa initium sæculi decimitertii jus Capitulorum Cathedralium circa Electiones Episcoporum planè fuisse stabilitum, colligitur ex epistolis ac responsis Innocentii III. & sequentium Pontificum, quæ Decretalibus Gregorii IX. sunt inserta;adeo quidem ut cum Canonici Strigoniensis Ecclesiæ Colocensem Archiepiscopum sibi dari in Episcopum ab Innocentio III. postulassent;ac Suffraganei Episcopi prætenderent,eam postulationem non debuisse fieri nisi ipsis consultis, ut qui solerent electioni Strigoniensis Archiepiscopi interesse cum Capitulo; respondit Innocentius Præposito & Capitulo Strigoniensi: „vobis dedimus in mandatis, ut ad promovendum vobis Pastorem idoneum per „electionem Canonicam vel postulationem concordem(requisito Suffraganeorum assensu, si esset de antiqua & ap„probata consuetudine requirendus) procedere curaretis; „alioquin nos ipsi provideremus Ecclesiæ viduatæ.„ *Cap. 4. De postulat. Prælat.*

Itaque jus electionis tempore Innocentii III. ita *privativè* spectabat ad Canonicos Cathedrales; ut ne ipsi quidem Suffraganei Episcopi ad electionem sui Metropolitani cum Capitulo concurrerent; imo nec ipsorum assensus requirendus, nisi esset assensus *de antiqua & approbata consuetudine* requirendus.

IV. „Duravit (ait Barbosa *Lib. 1. Juris Eccles. cap. 8.*) „hujus-

„hujusmodi potestas eligendi Episcopum in Capitulis & „Canonicis usque ad tempora Bonifacii VIII, & Clementis V. ut constat ex titulis de electione in Sexto & Clementinis.

„Primum Cathedrales Ecclesias, quæ apud Romanam „tantum Curiam vacare contigissent suæ dispositioni (in„quit Barbosa dicto loco) reservare cœpit Clemens V. in „*Extrav.* ET SI IN TEMPORALIUM *De præbendis in* „*Comm.* Deinde vero idem Clemens V. earum quoque Ec„clesiarum provisionem, quæ Clero & populo Christiano „carerent, Rom. Pontificis dispositioni reservavit, *in Clem.* „IN PLERISQUE *De Elect.* Postea Benedictus IX. *in Ex*„*travag.* SANCTA ROMANA *De Elect. inter Comm.* sta„tuit, quatuor Patriarchalibus Ecclesiis vacantibus, illis „non posse provideri Romano Pontifice inconsulto. Hinc „Joannes XXII *in Extravag.* EX DEBITO *Eodem Tit. De* „*Elect. inter Comm.* provisioni suæ reservavit Episcopa„les, & earum superiores Sedes, quæ apud Sedem illo vi„vente vacare contigerint. At Benedictus XII. *in Extra*„*vag.* AD REGIMEN *De præbendis inter Comm.* disposi„tioni Apostolicæ reservavit omnes Patriarchales, Archi„episcopales, & Episcopales Ecclesias &c. tunc apud Sedem „Apostolicam quomodocumque vacantes, & imposterum „vacaturas. Denique per sequentes Romanos Pontifices „reservatio facta fuit simpliciter & generaliter quoad om„nes Ecclesias Episcopales tam apud Sedem Apostoli„cam, quàm extra curiam vacantes in *Regula* 2. Can„cellariæ.

Per has reservationes ad nihilum redactum esse jus eligendi Prælatum, quod habebant Capitula Cathedralia & Collegiata, etiam post alios Canonistas observat Fagnanus ad *Cap.* NULLUS ☧ *De Electionib.*

V. Verum Reservationes illæ non ubique receptæ fuerunt aut probatæ, renitentibus tum Episcopis, Capitulis & Patronis, quibus jus eligendi, conferendi & præsentandi penè omne per has adimebatur; tum etiam Regibus & Principibus Vasallorum suorum atque subditorum jura tuentibus; quippe qui malebant penès Capitula aliosque sibi subditos esse jus Electionis, quàm penès Pontifices.

Nec enim metuebant Principes, ne manente electione apud Capitula sibi subdita, facilè aliquis sibi non gratus, aut in sui Regni negotiis suspectus ad Prælaturam eligeretur; quod è contra manente apud Pontifices provisione se metuere per promotionem extraneorum dicebant.

VI. Et quidem in Concilio Constantiensi, Prælati, præsertim Regni Galliæ instanter petierunt, ut *jus Electionis* per reservationes quodammodo extinctum restitueretur iis quibus de jure communi competit. Sed Concilium hoc unicè penè occupatum & intentum extinguendo schismati, quod per plures annos Ecclesiam sciderat, & afflixerat, hunc articulum *De reservationibus Sedis Apostolicæ*; item *De collationibus Beneficiorum & gratiis expectativis*; item *De confirmationibus Electionum*, futuro Romano Pontifici per Concilium eligendo commisit, ut super illo unà cum Concilio aut Deputatis ex qualibet Natione secundùm æquitatem ac bonum Ecclesiæ regimen ante dissolutionem Concilii provideret.

VII. Cùm vero Martinus V. à Concilio Constantiensi electus nihil super his articulis statuisset, rursus in Concilio Basiliensi institerunt Patres ac præcipuè Ecclesiæ Gallicanæ pro abrogatione reservationum, atque restitutione Canonicarum Electionum; ac tandem *Sess.* 23. hoc editum fuit Decretum, quod & in Conventu Bituricensi Cleri ac Procerum Regni Gallicani probatum, ac auctoritate Caroli VII. Galliarum Regis cum aliis pluribus articulis partim ad verbum, partim cum aliqua moderatione ex Synodo Basiliensi desumptis, probatum & evulgatum est sub nomine ac titulo *Pragmaticæ Sanctionis.* „Sancta Synodus in Spiritu Sancto congre„gata statuit & definivit, generalem reservationem o„mnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedra„lium, Collegiatarum, & Monasteriorum, ac Dignitatum „electivarum, per Romanum Pontificem de cætero fieri, „aut factis uti non debere, reservationibus in corpore ju„ris clausis, & his quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratio„ne directi seu utilis dominii mediatè vel immediatè subje„ctis fieri contigerit, semper exceptis: sed quod per ele„ctiones & confirmationes Canonicas, secundùm juris „communis dispositionem, prædictis Metropolitanis, Ca„thedralibus, Monasteriis, & Collegiatis Ecclesiis, ac „Dignitatibus electivis vacantibus, debitè provideatur: non „derogando propterea statutis, privilegiis & consuetu„dinibus rationabilibus, quibuscumque postulationibus „in dispositione juris communis remanentibus. Decer„nitque hæc Sancta Synodus rationi fore consentaneum „& Reipublicæ accommodum, ut contra hoc salutare „Decretum Romanus Pontifex nihil attentet, nisi ex ma„gna rationabili ac evidenti causa, in litteris Apostolicis „nominatim exprimenda. Et ut eò firmius hoc salubre De„cretum custodiatur, vult eadem Sancta Synodus, ut inter „alia, quæ Romanus Pontifex in sua assumptione pro„fitebitur, juret Decretum hoc inviolabiliter observare. „Et quoniam tales (ut prædictum est) oportet esse Præ„latos, hi, ad quos jus pertinet eligendi, omnem curam „adhibeant ut dignam coram Deo & hominibus electio„nem faciant, exactamque proinde apponant sollicitudi„nem, ut tales eligant qui tanto officio valeant satisfacere. „Scientes quòd si vel dolosè vel negligenter ac timore „Domini postposito in re tam gravi se gesserint, sicut aucto„res erunt & causa malorum Pastorum, ita participes fient „pœnarum, quas ipsi mali Pastores in districto Dei judicio „patientur.

VIII. Hoc igitur Decreto electio Episcoporum Capitulis Cathedralibus restituta fuit; atque Reservationes magna ex parte abolitæ ac multùm limitatæ. Sed cùm in hac Pragmatica Sanctione non tantùm electiones Capitulis restituerentur, ac Reservationes Pontificiæ abolerentur; verùm & confirmationes Prælatorum inferioribus & Ordinariis reservarentur, aliaque plura præjudiciosa Sedi Apostolicæ in illa occurrere viderentur, Pius II. anno 1458. ad Pontificatum assumptus, aliique ejus Successores apud Reges Galliæ vehementer pro ejus abrogatione institerunt; sed quia Prælati, Parlamenta Regia, atque Parisiensis Universitas ejus observantiam ac necessitatem ex adverso vehementer urgerent, contigit, ut per quinquaginta & ampliùs annos super hac re certatum sit (uti in historia Pragmaticæ & Concordatorum videri potest) donec tandem anno 1516. initis Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. res tota sopita fuit, atque iterum electiones abrogatæ, Nominatione Episcoporum ipsi Regi; confirmatione verò Pontifici delata, ut capite sequenti latiùs exponetur.

IX. Neque Galli duntaxat de sublatis per Reservationes juribus Ordinariorum, Capitulórum, Patronorum atque Collatorum conquesti fuère; sed eadem quoque Germanorum fuit querela; quos inter & Sedem Apostolicam pro ipsius tranquillitate inita atque conclusa est *concordia*; quæ vulgò dicitur, *Concordata Germaniæ*, & à Nicolao V. speciali Bulla, quæ incipit, *Ad sacram*, probata.

X. In his Concordatis quoad electiones Episcoporum hæc habentur: " Placet nobis, quòd in Metropolitanis & „Cathedralibus, etiam immediatè non subjectis Eccle„siis, & Monasteriis immediatè subjectis Sedi Apo„stolicæ, *fiant Electiones Canonicæ*, quæ ad dictam Se„dem deferantur. Quas etiam ad tempus constitutionis „felicis record. Nicolai Papæ III. quæ incipit: *Cupientes*, „expectabimus, & elapso dicto termino, si non præsen„tatæ, vel si præsentatæ minùs canonicæ fuerint, „providebimus; & si Canonicæ fuerint, eas confir„mabimus; nisi ex *rationabili & evidenti* causa ac „de dictorum Fratrum Cardinalium consilio de digniori „& utiliori persona duxerimus providendum, proviso

„ quod confirmati prædicti, & per Nos provisi Metropolitanis suis & aliis præstent debita juramenta, & alia ad quæ de jure tenentur.

Itaque vi horum concordatorum, Capitulis Cathedralibus competit jus eligendi suos respectivè Episcopos, prout jure communi præscribitur; „exceptis tamen Cathedralibus & Metropolitanis, quas apud *Sedem Apostolicam* quocunque modo vacare contigerit; nec non quæ per mortem Cardinalium aut Officialium quorumcumque dictæ Sedis, quamdiu ipsa officia *actualiter* tenebunt, & etiam quorumcumque Legatorum seu collectorum, ac in terris Romanæ Ecclesiæ Rectorum & Thesaurariorum deputatorum seu missorum vacabunt, ubicumque dictos Legatos, vel collectores seu Rectores & Thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis; quæ omnes Sedi Apostolicæ reservantur; uti & quorumlibet pro quibuscumque negotiis ad Romanam curiam venientium, seu etiam recedentium ab eadem, si in locis à dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus ab hac luce transire contigerit.„ Constitutio Nicolai III. ad quam textus concordatorum remittit, refertur in *cap. 16 de elect. in 6*.

XI. Porrò *Concordata* hæc inita & conclusa per Fredericum III. Imperatorem, nec non quosdam Principes Nationis Germanicæ ex una parte, & Legatum Apostolicum sufficienti authoritate fulcitum ab altera, & per Nicolaum V. confirmata, ultra Nationem Germanicam non extenduntur; nec alios, quàm qui sub Imperio sunt, complectuntur.

XII. Cùm igitur Brabantiæ Ducatus Imperatorem pro Superiore non cognoscat, nec sub Imperio comprehendatur, neque in Brabantia ullæ Leges Imperiales, constitutiones aut Decreta locum habeant, nec hæc quoque concordata Brabantinos concernunt, neque Beneficia in Brabantia sita umquam subjecta fuere regulis aut conditionibus in hisce concordatis præscriptis: uti latè post Wamesium *Consil. Can. 155.* ostendit Zypæus *Consult. 3. De Præbendis*; quamvis interim negari non possit, hæc concordata Trajecti ad Mosam & Nivellis, quantumvis Ducatûs Brabantiæ civitatibus, notoriè observari: nam, uti notat Zypæus loco citato, „ Proclive est credere Dominam Nivellensem olim fundationis Imperatoriæ & Principem ipsam Imperii, Imperii concordata acceptasse, & iis conformes fecisse collationes Præbendarum. Trajectum porrò fuit à Philippo II. Imperatore, Henrico Duci Beneficiario jure concessum, & à Frederico II. & Henrico ejus filio confirmatum, & à Leodiensibus variè controversum, ut refert Divæus in Brabantia *lib. 1. cap. 11.* & Kinschot *tract. 1. cap. 2.* ut quamvis à Carolo V. demum Brabantiæ sit annexum, non desierunt tamen Leodienses indivisâ ibi jura possidere. Unde nec erectis novis Belgii Episcopatibus inde est abscissum, ut mirum non sit, si illa Ecclesia Cathedræ suæ mores sit imitata, cui in spiritualibus & temporalibus non desierat subesse, adeòque concordata Germanica acceptaverit.

XIII. Ulteriùs quia Concordata illa inita non fuerunt per totam Nationem Germanicam, sed tantùm per Imperatorem & aliquos Principes *inclytæ Nationis Germanicæ*, illa nequaquam omnes omnino Imperii Principes comprehenderunt, aut obligarunt, sed eos dumtaxat, qui illa acceptanda duxerunt, quemadmodum latè probat Zypæus; „ Multi siquidem, ait *num. 6.* per Germaniam eadem concordata non acceptarunt, ut Herbipolenses, Bambergenses aliique, qui ampliora Privilegia, vel sibi fortè convenientiora obtinuerant.

XIV. Ad hæc notandum, quòd tametsi Collatores hæc Concordata acceptaverint; atque sub illis comprehendantur, si tamen Beneficia ad eorum collationem spectantia sita sint extra fines Imperii, in horum collatione concordatis locum non esse.

Unde nec litteræ Maximiliani Imperatoris scriptæ 11. Januarii 1518. ad Leodienses, & Caroli V. ad Cameracenses 9. Februarii 1554. quibus sub gravissimis pœnis injungitur, ne quem ad Beneficium quodcumque admittant vigore litterarum Apostolicarum, nisi juxta terminos Concordatorum, concernunt Beneficia in Brabantia sita. Et quamvis tam Maximilianus, quàm Carolus essent Duces Brabantiæ, non tamen in hac qualitate *Ducis*, sed *Imperatoris* litteras scriptas probat Zypæus; & ipse litterarum contextus ostendit.

XV. Ecclesiæ ergo Nationis Germanicæ, quæ hæc Concordata acceptârunt, etiamnum hodie, ex quo penè solæ, jus Electionis conservârunt: quæ in sua Electione formam jure communi præscriptam servare debent, nisi ex speciali privilegio, consuetudine, aut fundatione aliquid secus obtinere probetur: cùm Concordata nullum specialem Electionis ritum aut formam præscribunt. Quæ verò forma in Electionibus sit servanda, infra Parte 2. dicemus.

CAPUT III.

De Regia Episcoporum Nominatione.

1 *Ex quo Principes fidem Catholicam susceperunt, Electioni Episcoporum intenderunt.*

2 *Sæculo 6. Episcopos de consensu Principis fuisse Ordinatos probatur auctoritate S. Gregorii.*

3 *Episcopos Nominatos fuisse a Regibus, probatur testimonio Leonis IV. & Stephani IV.*

4 *Reges Hispaniæ nominasse Episcopos ostendit Concilium Toletanum XII.*

5 *Etiam sæculo 8. jus nominandi Episcopos habuerunt Reges Galliæ.*

6 *Licet electio fieret à Capitulis Cathedralibus, licentia tamen eligendi petenda erat à Regibus.*

7 *Nullus facile eligebatur à Capitulis, nisi quem Rex electum volebat, & ideo electionibus favebat.*

8 *Reservationes Romanæ Principibus displicuerunt.*

9 *Pontifices maluerunt jus nominandi Regibus concedere, quàm Canonicas Electiones & Confirmationes restituere.*

10 *Probatur ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I.*

11 *Jus nominandi abrogatis Electionibus Regi Galliæ delatum est per dicta Concordata.*

12 *Hæc Concordata non sine contradictione recepta fuere.*

13 *Exceptæ fuere Ecclesiæ, quæ specialibus Apostolicis privilegiis jus eligendi se habere poterant docere.*

14 *Hæc exceptio hodie locum non habet.*

15 *Regi Catholico indulta nominandi Episcopos à variis Pontificibus concessa fuerunt.*

16 *Jus illud Regibus Hispaniæ etiam competere dicitur titulo Jurispatronatus.*

17 *In erectione novorum Episcopatuum Belgii jus nominandi Principibus reservatur.*

18 *Idem jus passim aliis etiam Principibus Catholicis concessum.*

19 *Rex Catholicus non tantùm indulti Apostolici, sed etiam* Regaliæ *in litteris Nominationis meminit.*

I. UBi fides Christiana primùm prædicari cœpit, ut occulta hæc primùm fuit propter metum Principum Ethnicorum, ita inconsultis Principibus Sacerdotales Dignitates ab Episcopis assentiente *Clero populoque*, uti supra expositum fuit, conferebantur. Sed simul ac fidem Christianam susceperunt Principes, & Reges, continuò & ipsi cœperunt curam, & authoritatem adhibere, non quidem ut ad se plenum jus conferendi, aut nominandi avocarent (nam illud etiam aliquot sæculis post Constantini ad fidem Christianam conversionem penès Episcopos, Clerum, populumque

lumque mansit) sed quo providerent, ut Sacerdotia ritè ac canonicè conferrentur; nec quisquam indignus, aut qui Ecclesiæ aut Reipublicæ Statum ac pacem turbaret intruderetur; ideoque & sine suo assensu consecrari aut confirmari Electos Episcopos ægrè sinebant.

Unde rectè notat Christianus Lupus in dissertatione *De Regia Nominatione* tomo 3. Scholiorum præfixâ, *cap.6.* Regium consensum electioni dandum, esse antiquum, & à Romana etiam Ecclesia probatum, aut certè toleratum. „Etenim, pergit Lupus, Eusebianæ factionis Antiochena Synodus, dum ejusdem Civitatis Patriarcham S. Eustachium „dejecit, electum à se Eusebium Cæsariensem Constantino „Augusto obtulit, & petiit confirmari, factamque de illo „Electionem, quod Canon Apostolicus & Nicæna Synodus vetarent translationes, Princeps cassavit. Ita in hujus „vita scribit ipse Eusebius, & Hermias Zozomenus. „Hæc ille; qui ibidem plura refert, quibus ostenditur, jam sæculo quarto Principes Electioni Episcoporum se immiscuisse.

II. Ut ad recentiora veniamus; S. Gregorius sæculo 6. scribit Joanni primæ Justinianæ Illyrici Episcopo: „ „Quia suscepta Fratrum & Coëpiscoporum nostrorum relatio, ad locum vos Sacerdotii totius Concilii unito con„sensu, & *Serenissimi Principis voluntate* declarat accer„siri, gratias Omnipotenti Deo Creatori nostro magna cum „exultatione retulimus. „ *Lib. 4. epist. 8.* apud Gratianum *Dist. 63. can. 9.*

III. Et apud Gratianum eâdem distinctione *can. 16.* scribit Leo IV. pro Colono Reatinæ Ecclesiæ Electo ad Lotharium Augustum ac Ludovicum ejus filium: „Vestram „mansuetudinem deprecamur, quatenùs Colono humili „Diacono eandem Ecclesiam (scilicet *Reatinam*) ad re„*gendum concedere dignemini ut Vestrâ licentiâ acceptâ,* „ibidem eum, Deo adjuvante, consecrare valeamus Episco„pum. Sin autem in prædicta Ecclesia *nolueritis* ut præfi„ciatur Episcopus, Tusculanam Ecclesiam, quæ viduata exi„stit, illi *Vestra Serenitas dignetur concedere*, ut à nostro „Præsulatu consecratus, Deo Omnipotenti, Vestroque Im„perio grates peragere valeat.

Similis est epistola Stephani IV. ad Guidonem Comitem quam ibidem *Can.18.* retulit Gratianus; ad quas respexisse videtur S. Ivo Carnotensis in Epistola ad Hugonem Lugdunensium Primatem, in qua scribit: „Post Canonicam Ele„ctionem Reges Apostolica auctoritate à concessione E„piscopatuum prohibitos minimè videmus. Legimus enim „sanctæ recordationis summos Pontifices aliquando apud „Reges pro Electis Ecclesiarum, ut eis ab *ipsis Regibus* „concederentur Episcopatus ad quos Electi erant, interces„sisse; aliquorum, quia *concessiones Regum* nondum conse„cuti fuerant, consecrationes distulisse.

IV. Etiam sæculo 7. Regum Hispaniæ consensum in Electione Episcoporum desideratum fuisse, quin nec quemquam nisi ab eo prius designatum consecrari potuisse manifestum est ex *Canone 6.* Concilii Toletani XII. qui & à Gratiano *Dist. 63. Can. 25.* refertur in probationem hujus assertionis: *In Electione Episcoporum Principis desideratur assensus.*

Idem ad citatum Canonem sextum notat Garcias Loaisa, qui ibidem relatis Litteris Isidori Hispalensis, nec non Decreto Concilii Toletani XVI. concludit: „Unde constat „*ad Regiam curam pertinere nominare Episcopos*: quod, „ait, fiebat hoc pacto. Rex de ea re nominationem refere„bat ad Concilium, Concilium autem inquirebat, an nomi„natus dignus esset eo munere ut ad Episcopatum evehe„retur, quod si inventus esset moribus & doctrina ornatus „statim à Concilio confirmabatur.

V. Nec tantùm in Hispania, sed & in Gallia sub primis Regibus nominationem Episcoporum fuisse penes Reges notat Jacobus Sirmondus in præfatione de antiquo more promovendi Episcopos; quæ extat tom. 8. Conciliorum generalium editionis Labeanæ; ubi unà ex eodem Sirmondo referuntur formulæ antiquæ de *Episcopatu*, quarum usus fuit sub primis Regibus; sub his titulis: Primò: *Cleri plebisque viduatæ civitatis preces ad Regem pro Episcopo instituendo.* Secundò: *Præceptum Regis de Episcopatu, ad Episcopum designatum.* Tertio: *Indiculus Regis ad Metropolitanum, ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.* Quartò: *Indiculus alter ad Episcopum pro eadem designati Episcopi ordinatione.*

Hæ formulæ ostendunt, plenam nominationem eo tempore penès Reges fuisse, ac personam ad Episcopatum nominatam Metropolitano ejusque Comprovincialibus à Rege fuisse præsentatam, ut ab ipsis in Episcopum ordinaretur.

Legitur quidem sæculo nono & sequenti apud Clerum & populum Electionem fuisse; sed quasi beneficio Principis aut Regis: nam ad Electionem procedere fas non erat, nisi prævia Principis licentiâ.

Extat etiamnum hodie in appendice ad tomum 8. Conciliorum Generalium epistola Hincmari Remensis Archiepiscopi ad Carolum Regem Francorum, qua petit, ut Clero & plebi Silvanectensi Episcopi Electionem permittat; ac Visitatorem, qui electioni præsit, designet. Et in Decreto Cleri & plebis Senonensis de electione Ansegisi, quo ab Episcopis Provincialibus electum sibi in Pastorem ordinari petunt, asserunt, elegisse se per licentiam Episcoporum, *Domino etiam Christianissimo Carolo annuente.*

VI. Et licèt sæculo 13. electiones Episcoporum ad Capitula Cathedralia fuerint devolutæ; atque inter alios S. Ludovicus Galliarum Rex in sua Sanctione Pragmatica anno 1268. decrevisset, „Item Ecclesiæ Cathedrales, „& aliæ Regni nostri liberas electiones, & earum effe„ctum integraliter habeant, „ nequaquam tamen hæ electiones sine licentia ac inspectione Principis peragebantur.

Nam hoc ipso anno, quo prædicta Pragmatica Sanctio edita fuit, Decanus & Capitulum Morinense ad S. Ludovicum destinarunt suum Archidiaconum & Scholasticum „ad petendum, inquiunt, nomine nostro à supereminenti & „magnifica Regia Dominatione & munificentia *licentiam* „*eligendi*, & providendi nobis, & nostræ Ecclesiæ de Pa„store.

Eandem licentiam anno sequenti ab eodem Sancto Rege postularunt Decanus & Capitulum Cenomanensis Ecclesiæ; uti patet ex supplica, quæ unà cum prædicta supplica Morinensis Capituli, nec non Pragmatica Sanctione S. Ludovici extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ editas per Pithæum tom. 1. *cap. 15.* qui & ibidem plurimas similes supplicas, Regibus subsequentibus exhibitas producit. Voluerunt ergo Reges, ut Ecclesiis Cathedralibus libera electio esset suorum Prælatorum; sed præviâ eorum licentiâ, quo innuerent, Capitula eam eligendi libertatem debere liberalitati Regum acceptam referre. „Quia, ait „Christianus Lupus, Reges etiam *nominationis* sibi jus ar„rogabant, Canonicam electionem censuerunt esse *suum* „*singulare beneficium*: ideoque per singulares preces sin„gulis vicibus implorandum.

VIII. Sive autem electioni faciendæ consensum Principis exspectare deberent Capitula; sive electionis factæ approbationem, semper tamen natum erat contingere, ut non alius eligeretur, aut admitteretur, nisi quem Princeps cupiebat.

Non mirum proinde quod Principes Capitulis sibi subjectis annuerent Canonicam electionem, quam vel ipsi pro suo arbitrio fieri permittebant, aut probabant vel improbabant. Quin & facilè eis erat sua auctoritate, aut precibus interpositis à Capitulis impetrare, ut illum in Episcopum eligerent, quem Principes desiderabant.

VIII. Porrò cùm viderent per reservationes Pontificias Prælatorum nominationes ad Curiam Romanam devolutas, non perinde ampliùs à suo dependere arbitrio Ecclesiarum Cathedr. provisiones, imò frequenter personas extraneas sibi haud gratas, quin & nonnunquam suspectas

ad

ad Prælaturas suorum Regnorum nominari, omni conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt; atque Canonicas electiones restitui voluerunt; suamque quam in iis jam pridem habuerunt, auctoritatem reduci.

IX. E contra Pontifices attendentes, quòd restitutis Canonicis electionibus reipsa quodammodo ad Reges & Principes devolveretur Prælatorum Nominatio; ipsi verò Pontifices in totum ab eis excluderentur; in tantum ut nec Prælatorum confirmatio, quæ de jure communi Metropolitano competit, ad ipsos in posterum spectaret, convenientiùs crediderunt, si Regibus concederent privilegium seu indultum nominandi, sive præsentandi *ipsi Pontifici* personas ad Episcopatus promovendas; & ita Reges jus nominandi Episcopos ex privilegio aut indulto Sedis Apostolicæ habere viderentur; ac unà Sedi Apostolicæ Episcoporum promotio & confirmatio reservaretur.

X. Et sanè Franciscum I. Galliarum Regem non desiderasse abrogationem Canonicarum electionum, quæ per Sanctionem Pragmaticam erant restitutæ, & per famosum Concordatum inter ipsum Franciscum & Leonem X. unà cum Sanctione Pragmatica sunt abrogatæ, sat innuere videtur in proœmio Concordatorum. Ibidem enim exponens, qualiter sibi cura fuerit, ut Concordata ita essent confecta temperataque, ut pleraque Pragmaticæ Sanctionis firma nobis, ait, posthac rataque futura sint; ac tum pluribus articulis Pragmaticæ Sanctionis relatis, qui post Concordata salvi manserunt, ad articulum de electionibus descendens ait: „Quod verò ad electiones pertinet, minimè *quod optabamus* obtinere potuimus.„

E contra Leo X. totus est, ut ostendat electiones esse abrogandas; asseritque, ex electionibus quæ in Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis à multis in Regno Galliæ fiebant, grandia animarum pericula provenire; idque hac inter alias ratione, quod *pleraque per abusum sæcularis potestatis* fierent.

Supposuit ergo Pontifex, electiones plerasque ad arbitrium & beneplacitum Principum fieri.

XI. Itaque post multas discussiones ac deliberationes, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliarum conclusa & recepta fuere anno 1516. quorum primus articulis hic est: „Quod de cætero Cathedralibus & „Metropolitanis Ecclesiis in Regno Galliæ, Delphinatu & „Comitatu Diensi ac Valentinensi nunc & pro tempore et„iam per cessionem in manibus nostris (Pontificis) & Suc„cessorum nostrorum Romanorum Pontificum Canonicè „intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula & „Canonici ad electionem seu postulationem, inibi futuri „Prælati procedere non possint: sed illarum occurrente hu„jusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, u„num gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, „aut in utroque seu altero Jurium Doctorem aut Licentia„tum in Universitate famosa & cum rigore examinis & in „vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, „& aliàs idoneum infra sex menses à die vacationis Eccle„siarum earumdem computandos, *nobis* & Successoribus „nostris Romanis Pontificibus seu Sedi prædictæ *nomina„re*, & de persona per Regem hujusmodi nominata per nos „& Successores nostros, seu Sedem prædictam *provideri „debeat*: & si contingeret præfatum Regem personam ta„liter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes no„minare, per nos & Successores seu Sedem hujusmodi de „persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè provideri „debeat, „ &c.

XII. Hæc Concordata tandem post multas tam ex parte Curiæ Regiæ, quàm Prælatorum atque Universitatis Parisiensis oppositiones, auctoritate Regia publicata & executioni mandata fuere; atque hodie in vim illorum Rex ad Episcopatus & Archiepiscopatus nominat.

XIII. Declarat tamen Pontifex, se non intendere per præmissa in aliquo præjudicare Capitulis Ecclesiarum *Privilegia a Sede Apostolica* proprium eligendi Prælatum *obtinentibus, quominus* ad electionem liberè procedere possint, juxta formam in eorum privilegiis contentam: „Et „si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non fuerit, „tunc formam Concilii generalis, Capituli QUIA PROP„TER tantùm servare teneantur: dummodo de privilegiis „sibi concessis hujusmodi, per litteras Apostolicas, seu alias „authenticas scripturas docuerint, omni alia specie proba„tionis eis in hoc adempta.

XIV. Verùm, primùm ipse Leo X. ac deinde Clemens VII. per speciale indultum concesserunt ipsi Francisco I. suspensionem privilegiorum, si quæ Sedes Apostolica quibusdam Ecclesiis annuisset; permittentes interim Regi nominationem ad Prælaturas. Simile indultum Pius IV. postmodum Carolo IX. dedisse legitur; ac interea injungebatur omnibus Capitulis, ut si quæ prætenderent hujusmodi privilegia à Sede Apostolica accepisse, eorum litteras Cancellario Regio examinandas traderent. Post hæc Reges Galliæ manserunt in possessione nominãdi ad omnes sui Regni Ecclesias Cathedrales; vel quod privilegia in forma authẽntica non fuerint producta, vel quod longa possessio jus illud formaverit & firmaverit; uti observat Pinsonius in Historia de Indultis, qui & ibidem refert plura indulta Regibus Galliæ à variis Pontificibus concessa, quibus jus nominandi extenditur ad Provincias & Ecclesias Concordato non comprehensas.

XV. Regi Catholico similia quoque Indulta nominandi ad Cathedrales Ecclesias concessa testantur unanimiter rerum Hispanicarum Scriptores; atque hodie Præsentatio sive Nominatio fit à Rege teste Garcia *De benef. part. 5. cap. 1. numer. 217.* „cujus juris præsentandi, ait, „& patronatus præcipuum fundamentum est privilegium „Apostolicum, quod habent Reges Hispaniæ. „Deinde ex Mariana in historia Hispanica *lib. 24. cap. 16.* refert, quòd „cùm fuisset de hoc controversia, Sixtus IV. con„cessit perpetuò Regibus Castellæ, quod in Episcopati„bus eligerentur per eos nominati & petiti. „ Quin & teste Mariana *lib. 25. cap. 5.* uti ibidem etiam retulit Garcias: „Papa Adrianus VI. concessit Carolo Imperatori „Regi Hispaniarum & ejus Successoribus jus præsentandi „Episcopos Hispaniæ, qui ante providebantur ad supplica„tionem Regum.

XVI. De hoc jure Regum Hispaniæ latiùs tractat Covarruvias ad *Cap. Possessor part. 2. §. 10 numer. 5.* ibique observat, quod non tantùm ex privilegio, sed vi juris patronatus competat Regibus Catholicis jus præsentandi: „Si„quidem, ait, Hispaniarum Reges Patronatus jus obtinent „in Ecclesiis Cathedralibus, cùm eas erexerint, construxe„rint, & amplis patrimoniis dotaverint.

Uno verbo, uti rectè monet Covarruvias, „absque ulla „controversia Hispaniarum Reges jus, & quasi posses„sionem habent ab eo tempore, cujus initium memoriam „hominum excedit, eligendi & nominandi eos, qui „à Romanis Pontificibus sunt præficiendi, ita quidem, „ut nisi à Rege nominatus nemo possit his dignitatibus in„signiri.

XVII. Et in Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii, Paulus IV. Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis (scilicet ejus partis inferioris Germaniæ quæ Philippo Regi Catholico hæreditario jure subjecta erat) in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas ad dictas Ecclesias, quotiescumque illas vacare contingeret, per eumdem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad Nominationem hujusmodi Ordinandos, in perpetuum reservavit.

Pari jure omnes penè Principes & Reges Catholicos suarum respectivè Ditionum Episcopos nominare asserit Martha tractatu de jurisdictione *part. 2. cap. 4.* & latiùs Michaël Roussel in historia Pontificiæ jurisdictionis *lib. 2. cap. 7.*

Porrò „Principes nostri (uti post Boëtium Eponem

„ad-

„advertit Zypæus in Jure novo tit. de electione *nu.* 3.) cùm ad Episcopatum aliquem nominant, prætantur, se id facere vigore *Regaliæ, Indulti Apostolici*, seu *quovis* alio jure sibi competente. Pontifex verò in litteris confirmationis providet nominato in vim *Indulti Apostolici*, omissa *Regaliæ* mentione, utpote quasi rejectæ, si non agnitæ.

CAPUT IV.

Quæ conditiones in Nominatione Regia sunt servandæ.

1 *Nominandus secundùm Concordata Galliæ debet esse graduatus in Jure vel in Theologia.*
2 *An magis expediat, ut sit graduatus in Theologia, quàm in Jure?*
3 *Exceptio à dicta Regula Concordati.*
4 *Rex Catholicus aliique Principes ex præcepto Concilii Tridentini qualem nominare debeant?*
5 *Decretum Tridentini ostendit, non exiguam curam adhibendam in concedendis gradibus Academicis.*
6 *Ut Concordatorum Galliæ nominatio fieri debet intra sex menses à die vacationis.*
7 *Si Rex personam non qualificatam nominaverit, tenetur intra tres menses à die recusationis aliam nominare.*
8 *Quomodo recusatio intimanda, & cui?*
9 *Prædictæ limitationi temporis non astringitur Rex Catholicus nec alii Principes.*
10 *Pontifex vigore prædictorum Concordatorum liberè providere potest de Ecclesiis apud Sedem Apostolicam vacantibus: & quid sit ibidem vacare?*
11 *Interdum Rex Galliæ provisioni Pontificis se opponere posset.*
12 *Regia Nominatio Pontifici præsentanda.*
13 *Speciales conditiones in Concordatis seu Indultis in nominatione Regia sunt servandæ.*

I. Plures conditiones in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. in Nominatione Regia servandæ præscribuntur. Et quidem quod personam à Rege nominandam attinet, decernitur, Nominandum à Rege esse debere „Virum gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, aut in utroque Jure seu in altero Jurium Doctorem aut Licentiatum in Universitate famosa, & cum rigore examinis, & in 27. suæ ætatis anno ad minus constitutum.

II. Notat autem Michaël Roussel in historia jurisdictionis Pontificiæ *lib. 2. cap. 6. n.* 19. quod Henricus II. statuerit in Comitiis Blesensibus, neminem se nominaturum, nisi qualitates haberet; ac insuper voluerit ut nominatus examinaretur ab Episcopo vel Archiepiscopo & duobus Theologis: „Sed tutius esset, ait Roussellius, neminem nominari, nec nominatum admitti, nisi qui *Theologiæ Doctoratum optimo marte meruisset*: sic enim dignitas Ecclesiæ, quæ maximè viget in doctis & benè moratis Præsulibus (à doctrina autem præclari mores plerumque nascuntur, ut ab ignorantia pravi) facilè restitueretur: idque absolutè addi Concordato debuerat; siquidem nemo nescit, quàm facilè gradus Jurium obtineantur, ut ex illis doctus & capax præsumi non debeat.

Videant qui hodie annuendis Gradibus Academicis præsunt, an hoc Roussellii dictum hodie non verificetur.

III. Porrò conditioni de Gradu Academico in nominando requirendo hæc moderatio, subjicitur; „Exceptis consanguineis Regis, ac personis sublimibus ex causa rationabili, & legitima in Nominatione, & Apostolicis litteris exprimenda, nec non Religiosis Mendicantibus *Reformatis, eminentis* scientiæ, & *excellentis* doctrinæ, qui juxta Ordinis Regularia instituta ad Gradus hujusmodi assumi non possunt.

IV. Rex Catholicus aliique Principes, licèt legibus horum Concordatorum non adstricti, nihilominus easdem penè circa Nominandas personas quoad hunc articulum leges servare tenentur vi Concilii Tridentini, quod *Sess.* 22. *cap.* 2. *De Reform.* præscribit, „Ut quicumque posthac ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus præter cæteras qualitates, scientiâ ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in Universitate studiorum Magister sive Doctor in S. Theologia vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut publico alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

V. Hic notandum, Synodum Tridentinam in defectum Gradus Academici requirere, ut Nominandus sive Promovendus *publico* alicujus Academiæ *testimonio* idoneus ad alios docendos ostendatur; adeòque non obscurè intimare & supponere, Gradus Academicos esse publica eruditionis ac scientiæ testimonia; ut consequenter, qui his muniti fuerint, alio publico Academiæ testimonio non indigeant.

Hinc patet, quàm soliciti esse debeant Doctores, quibus admissio ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia annuantur iis, qui scientiâ atque capacitate, quam Gradus præfert, debitè non sunt instructi: ne aliàs levius illa concedentes, Ecclesiæ ac Fundatoribus, qui Gradus illos tamquam eruditionis testimonia requisierunt, in re summi momenti imponatur.

Unde inter rationes, quibus pius ille Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius ad renuntiandum officio Cancellarii movebatur, hæc una erat: „Cogor ad deliberationem aliorum, vel pro consuetudine temporis, *ignaros* scientiâ & *perniciosis* moribus promovere.„ Ad quæ reflectens Joannes Sinnichius ait: „Censuit nimirum, indignorum ad Gradus Academicos promotionem, *gravem* esse *iniquitatem*; ideo utique, quia *immanem* Reipublicæ tam Ecclesiasticæ quàm Politicæ infert perniciem.„ Saul Exrex *lib.* 1. *cap.* 122. §. 465.

VI. Aliæ sunt conditiones in præfatis Concordatis, quæ respiciunt tempus, intra quod Nominatio à Rege fieri debet; nimirum intra *sex menses* à die vacationis Ecclesiarum computandos.

VII. Deinde additur: „Et si contigerit, Regem personam taliter *non qualificatam* ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, nos (Leo X.) & Successor seu Sedes hujusmodi de persona sic Nominata iisdem Ecclesiis minimè providere debeat: Sed teneatur idem Rex intra *tres alios menses à die recusationis* personæ nominatæ non qualificatæ, solicitatori Nominationem non qualificatam prosequenti, *consistorialiter* factæ intimandæ computandos, alium supradicto modo nominare.

Prima ergo nominatio per Regem fieri debet *infra sex menses à die vacationis*; si autem nominata sit persona, non qualificata juxta præscripta in Concordato, eamque Pontifex confirmare recusaverit, alium nominare Rex poterit; sed intra *tres menses*, si verò prima Nominatio Regia non fuerit plenè sortita effectum; utpote quia nominatus consentire recusavit, vel post consensum juri suo renuntiat, aut fortè diem clausit extremum, seu propter occultum ejus vitium nominatio irritatur, tunc, inquit Rebuffus, Rex habebit alios *sex menses*, ac si vacatio nova esset.

VIII. Prædicti verò *tres menses* computandi sunt à die *recusationis intimatæ prosequenti* Nominationem.

Hinc infert Rebuffus in Commentario ad Concordata titulo de Regia nominatione, verbo *prosequenti*, quod *solicitator* Regis debeat prosequi Nominationem factam per Regem; „Atque per hoc infertur, ait Rebuffus, quod Rex tenetur habere Romæ *solicitatorem*, qui nominationem hanc prosequatur. Quod si *solicitator* mor-

„tuus

„ tuus sit, tunc putarem, ait idem, recusationem posse inti-„ mari *Procuratori Nominati* vel illi cui directæ sunt litte-„ ræ, fortè etiam posset eo casu recusatio intimari *Protectori* „ Galliarum, vel alteri *negotia* Regis Romæ *gerenti*, vel al-„ teri *solicitatori* prosequenti hanc nominationem.

Imò juxta stylum hodiernum, Rex tres litteras Romam pro expeditione ac prosecutione Nominationis mittit. Unam ad Pontificem, alteram ad suum Legatum Romæ residentem, & tertiam ad Cardinalē Protectorem Regni Franciæ; qui etiam in Consistorio negotium illud proponit ac refert; uti titulo sequenti dicetur.

Porrò hæc *recusationis intimatio* nequaquam fieri debet *consistorialiter*, uti nonnulli ex verbis concordati concludere voluerunt, sed *recusatio* tantùm *consistorialiter*, sive in *Consistorio* concludenda est, quemadmodùm observat & probat Rebuffus loco citato, verbo *Consistorialiter*.

IX. Porrò eâ temporis limitatione per Concordata præfixâ, nec Rex Catholicus, nec alii Principes Concordatis hisce non comprehensi constringuntur; quinimò Regibus Hispaniæ non currit tempus *quatuor* mensium, quod de jure omnibus Patronis laicis præscriptum est; etiamsi *sciat* Rex vacationem; idque ex legitima præscriptione, quâ omnes Reges Hispaniæ *tuti* sunt, ait Garcias *De beneficiis parte 10 cap. 2. n. 34.* „ eò quòd impediti multis oc-„ cupationibus tam in bello, quàm in pace, non possint in-„ tra illud tempus præsentare. Et ita *semper practicari vi-„ demus*, cum Rege enim non curatur de tempore & ter-„ mino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quàm in a-„ liis præsentationibus.

X. Præscribitur præterea in sæpe dicto Concordato, quòd de Ecclesiis per *obitum* apud *Sedem* Apostolicam vacantibus, semper, etiam nullâ Regis præcedente Nominatione, *liberè* per *Pontificem* provideri possit.

„ Tunc dicitur *apud Sedem* vacare (ait Rebuffus in ver-„ bo, *Apud Sedem*) etiamsi in locis vicinis per *duas dietas* „ moriatur, sive ibi occasione *Curiæ* moraretur, sive *aliâ* „ *causâ* apud *Sedem prædictam* esset.

Restringitur autem vacatio hæc ad vacationem *per obitum*; ideoque si per resignationem aliovè modo apud Sedem vacare contigerit, Pontifex providere non poterit, nisi præviâ Nominatione, aut saltem prævio Regis consensu, uti notat Rebuffus verbo, *Per obitum*; & latiùs prosequitur Fevretius *lib. 2. De abusu cap. 7. n. 11.*

XI. „ Posset etiam Rex Franciæ (inquit Rebuffus ibi-„ dem verbo, *Provideri possit*) in hoc casu quando vacat „ per obitum in curia, contra provisum per Papam se oppo-„ nere & excipere, si timeret *de conjuratione*, seu *proditio-„ ne patriæ*, seu revelatione *secretorum* suorum ratione pa-„ triæ, unde provisus est oriundus, vel propter parentes suos, „ qui semper Regi fuerunt infesti, & tunc esset audiendus, „ quia satis prosequitur interesse proprium.

XII. Denique vi Concordatorum, Regia Nominatio ad Romanum Pontificem deferenda est; à quo solo provisoria seu confirmatoria diplomata concedi possunt; quod hodie etiam in aliorum quorumcumque Regum ac Principum Nominatione; quin & in Electione quæ vi Concordatorum Germaniæ fit, ubique obtinet; idque contra pristinam, ac etiam jure Decretalium stabilitam Ecclesiæ disciplinam, quæ Episcoporum confirmationem, vel Conciliis Provincialibus, vel Metropolitanis deferebat, uti latius titulo sequenti exponetur.

XIII. Si quæ præterea speciales conditiones in Concordatis, aut Indultis vel privilegiis, quibus Regibus & Principibus jus nominandi concessum est, fuerint expressæ & acceptatæ, hæ indubiè juxta tenorem expressum servandæ sunt, præter illa, quæ ipsa ratio & divina lex omnibus, quibus jus nominandi aut eligendi Ministros Ecclesiæ competit, servanda præscribit.

CAPUT V.

Quædam circa Electionem, & Nominationem Episcoporum invariata manserunt.

1 *Qui ad Electionem & Nominationem concurrunt, tenentur bonum Ecclesiæ præ oculis habere.*
2 *Patroni etiam laici vi sui juris Ecclesiæ Ministros designant.*
3 *In distributione beneficiorum committitur acceptatio personarum, dum ex humano respectu minus digmus digniori præponitur.*
4 *Probatur auctoritate S. Thomæ.*
5 *In promotione ad Episcopatum acceptio personarum est grave peccatum.*
6 *Nominationem Episcoporum recusavit Valentinianus Imperator; & quare?*
7 *Ludovicus VI. Galliarum Rex noluit acceptare Privilegium conferendi munia Ecclesiastica.*
8 *Idem fecit S. Ludovicus.*
9 *Quam solicitus hic fuerit, ut digni ad munia Ecclesiæ promoverentur.*
10 *Qui in Nominatione ad Episcopatus non multùm sunt soliciti de qualitatibus promovendorum convincuntur non satis æstimare pretium animarum.*
11 *Ab Episcopatu repellendi ambientes.*
12 *Prævie ad Nominationem diligens instituenda inquisitio.*
13 *Pro obtinendo bono Pastore, tum publicæ, tum privatæ preces instituendæ.*
14 *Quomodo ad has populus excitandus?*

VAria fuisse circa personas eligentes aut ad electionem concurrentes disciplinam, & electionis formam, ex historiis & sacris Canonibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis in præcedentibus sufficienter est ostensum.

I. Verùm quæcumque in his potuerit pro ratione temporum aut locorum intervenire mutatio, illud semper mansit, & manebit immutabile, ac invariabile, quod quicumque sive Clerici sive Laici; seu Reges, seu populus ad Electionem vel Nominationem concurrant, teneantur in Electione sive Nominatione bonum Ecclesiæ, cui Pastor præficiendus est, præ oculis habere.

II. Indubitatum quippe est, quod etiam Reges aliique Patroni laici vigore jurispatronatus, aut indulti vel alterius tituli ad Episcopatus cæteraque Ecclesiastica beneficia nominantes aut præsentantes, vi illius Ecclesiæ Ministros designent, atque Ecclesiastica munia distribuant.

III. Certum autem est, in distributione beneficiorum seu officiorum Ecclesiæ eam qualitatem personæ attendendam esse, quæ personam magis idoneam aut utilem ad ministrandum & serviendum Ecclesiæ ostendit; id est, attendendam esse qualitatem, quæ ad bonum Ecclesiæ facit.

Hinc ulteriùs consequitur, quòd quicumque ad beneficia nominant, vitium acceptionis incurrant, ipsamque justitiam distributivam lædant, si ex humano aliquo respectu, & intuitu qualitatis personæ aut motivi, quæ nullatenus Ecclesiæ utilitatem respiciunt, nec personam Ministerio, ad quod eligitur, digniorem reddit, ad nominandum aliquem minùs dignum, relicto digniore, moveantur.

IV. „ Si potest haberi aliquis magis idoneus, ait Sanctus „ Thomas 2. 2. *quæst. 63. art. 2. ad 3.* erga aliquam digni-„ tatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter „ aliquam causam: quæ quidem si *pertineat ad negotium*, „ quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si ve-„ rò non pertineat ad negotium id quod consideratur in „ causa, erit *manifestè acceptio personarum.*

V. Nec

V. "Nec sanè quantum arbitror, inquit S. Augustinus *epist. 54.* putandum est, leve esse peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nostri JESU CHRISTI; si illam distantiam sedendi & standi ad honores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructiore atque sanctiore."

Si hoc generatim de *honoribus Ecclesiasticis* putaverit Augustinus, quid non censendum, si hæc personarum acceptio ad *Episcopatus* referatur? Nam, ut meritò monuerunt Patres Tridentini *Sess. 24. cap. 1. De reform.* "Si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterq; cavendum est, ut in domo Domini nihil sit inordinatum, nihilq; præposterum: multo magis elaborandum est, ut in Electione ejus, qui suprà omnes gradus constituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini status & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non inveniatur in capite."

Ac deinde tamquam ex prædictis consequens subjungit: "Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumq; jus quacumque ratione à Sede Apost. habent, aut alioquin operam suam præstant; nihil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, hortatur & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promovere studeant, eosq; alienis peccatis communicantes *mortaliter* peccare, nisi quos *digniores* & Ecclesiæ *magis utiles* ipsi judicaverint, non quidem *precibus, vel humano affectu*, aut *ambientiū suggestionibus*, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præditos sciant, quæ juxta Sacros Canones, & Tridentinæ hujus Synodi decreta requiruntur."

VI. Hoc periculum in Electione seu Nominatione ad Ecclesiæ Ministeria, præsertim Episcopatûs, expendens Valentinianus Imperator, ad Eligendum Mediolanensem Episcopum Synodum Episcoporum quidem convenire jussit; eosque exhortatus est, ut talem eligerent Episcopum, qui *non solo verbo, sed etiam conversatione gubernet subjectos, & totius semetipsum imitationem virtutis ostendat, testemque doctrinæ conversationem bonam habeat*; at cum Synodus petiisset, ut *magis ipse decerneret* eligendum *sapiens & pius*, mox respondit: *Supra nos est talis Electio. Vos enim gratiâ divinâ potiti, & splendore fulgentes, meliùs poteritis eligere.* Apud Gratianum *Dist. 63. Can. 3.*

VII. De Ludovico VI Galliarum Rege refertur: "Reversus de Hierosolymitana contra Saracenos expeditione, cum quidam Clericus Româ Papale quoddam privilegium attulisset, quo in omni Ecclesia Cathedrali sui regni jus conferendi cui vellet primam vacaturam cum cunctis fructibus medio tempore provenientibus consequebatur, confestim combussit litteras, dicens:" *Malo illas hîc comburere, quam si propter illas in inferno comburerer.* Thomas Walsingam in hypodigm. Neustriæ.

VIII. Scribit Broymarus Cancellarius S. Ludovici Galliarum Regis in ejus vitâ: "cum ei instituendi Pastores à Pontifice potestas facta esset, ad idque diploma legatus Româ rediens attulisset: quod mea, inquit, Romæ negotia strenuè obieris, laudo: quod mihi à Pontifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim *quanto cum periculo anima mea* & regni id susciperem, ac protinus diploma in ignem projecit."

IX. Quàm verò ipse solicitus esset, ut optimè in Ecclesiæ bonum de Beneficiis ad suam Nominationem spectantibus, provideretur, exponit Nangius in ejus vitâ pag. 369. "Sanè in Beneficiis conferendis, quæ ad patronatum, sive donationem ipsius pertinebant, *Deum semper* præ oculis habebat, & Electis & probatis personis, quantum poterat, conferebat. Quas personas eligi & *inquiri* faciebat per Cancellarium Parisiensem & alios bonos viros."

X. Et profectò Principes eorumque Ministri, qui in nominatione ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim Episcopatus, unde salus unius integræ Diœcesis magna ex parte dependet, soliciti non sunt, ut capaciores ac digniores promoveantur, convincuntur non æstimare pretium Animarum. Divinitus enim jam pridem dixit Hormisdas Papa *Epist. 25. cap. 1.* "Æstimet quis pretium Dominici Gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris."

XI. Sed prô dolor! frequenter amplius inquirunt, magisque anxii sunt, ut fidelem ac expertem constituant civitatis alicujus aut castri Rectorem aut Gubernatorem, cui salus & conservatio temporalis concredatur, quam quis constituatur Civitatis aut Diœcesis Episcopus, cui tot animarum æterna salus committitur: non rarò hîc vix aliud considerantes, quam quis pluribus commendationibus, ne dicam muneribus & obsequiis sit instructus.

Utinam hi expenderent illud numquam satis expendendum Imperatorum in *L. 31. Cod. De Episcopis & Clericis*: "Tantum ab ambitu debet esse sepositus (ordinandus Episcopus) ut *quæratur cogendus*, rogatus *recedat*, invitatus effugiat, sola ei suffragetur *necessitas* excusandi. Profectò *indignus est* Sacerdotio, nisi fuerit ordinatus *invitus*."

XII. Laudandum ergo fuit Decretum Regis Galliæ in Comitiis Blesensibus promulgatum, ne Nominatio Regia ad Episcopatus fieret ante mensem à vacatione, ut maturius de persona Nominandâ deliberari ac inquiri posset.

Quàm hæc inquisitio necessaria sit, & quomodo nullatenus excusentur prætextu ignorantiæ, si omissâ sedulâ ac studiosâ inquisitione, Ecclesiæ zelosum ac fidelem Ministrum non dederint, quibus jus Eligendi aut Nominandi competit, multis ostendit S. Chrysostomus *Lib. 1. De Sacerd. cap. 2.*

Ulteriùs, quamvis moderna Ecclesiæ disciplina nec populum, nec Clerum saltem inferiorem ad Electionem Episcoporum admittat, tamen illud semper verum manebit, tam populi quàm Cleri plurimum interesse, ut talis Pastor Ecclesiæ detur, qui Boni Pastoris qualitatibus sit instructus.

XIII. Et quia scimus, cor Regis esse in manu Dei, & quod à Summo Animarum Pastore dependeat, mittere operarios in messem suam, illud saltem Populo & Clero incumbit, ut precibus ad Deum fusis Bonum Pastorem instanter ac humiliter petant.

Quapropter durante disciplinâ, quæ Electionem Clero populoque deferebat, Visitator Electioni intendens universos monebat. "Magnopere studendum est, dilectissimi fratres, *Deum suppliciter deprecari*, ut talem inter vos, ad suum servitium aptum, & vobis profectuosum per suam magnam clementiam manifestare dignetur. Ideoque admonemus, ut *triduana jejunia* ab omnibus in ista Parochia commorantibus fieri jubeantur, & ut *eleëmosyna*, quantumcumque dare potuerit in suo maneat arbitrio. Simulque omnes unâ voce unâq; mente omnipotentem Deum deprecemur, ut talis Dei famulus, Deoque dignus, & bonis hominibus acceptus, ad illam Venerabilem Sedem Pontifex eligatur, qui postmodum nullo vitio, nullâ reprehensione arguatur; sed sit bonis moribus ornatus, & sancta conversatione suffultus, Sacrisque Litteris imbutus, & idoneus minister esse possit ad perficiendum ea quæ ei commissa fuerint."

Eâdem ratione, stante modernâ disciplinâ, Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 1. De reform.* statuit, "Ut, cùm primùm Ecclesia vacaverit, Supplicationes ac *Preces publicè privatimque* habeantur, atque à Capitulo per civitatem & Diœcesim indicantur; quibus Clerus popu-

„populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare."

XIV. Plurimùm valebit ad excitandam populi devotionem & fervorem, si animarum Directores frequenter ac vivaciter populo exponant, quantum mali immineat sibi, si pro Pastore bono mercenarius, aut etiam lupus aliquis intret; quodque Deus interdum ob peccata populi permittat, ut non mercenarii dumtaxat, sed & lupi in ovile suum intrent, illudque tum suis malis exemplis & moribus, tum perversis doctrinis devastent, ovesque spiritualiter occidant.

TITULUS XIV.
De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT I.
Ad quem spectet Episcoporum Confirmatio.

1 *Primitus ad Metropolitanum cum Episcopis Comprovincialibus spectavit.*
2 *Probatur ex Concilio Nicano & Laodiceno.*
3 *Pracipua auctoritas erat penès Metropolitanum; & ad hunc solum sensim devolutum est jus confirmandi.*
4 *Per 13. sacula apud Metropolitanum permansit.*
5 *Per Reservationes Pontificias saculo 14. ad Sedem Apostolicam jus confirmandi devolvi cœpit.*
6 *Etiam post sublatas Reservationes mansit jus confirmandi penès Pontificem.*
7 *Concordata Germania illud Sedi Apostolica deferunt.*
8 *Item Concordata Gallia.*
9 *Similiter Indulta & Privilegia nominandi Episcopos Regi Catholico aliisque Principibus concessa.*

I. Electionem Episcoporum multis sæculis, præsertim in Ecclesia Latina suffragio Cleri ac populi factam fuisse, supra ostendimus; unà quoque ibidem notavimus, non eam fuisse hujus electionis vim, sive authoritatem, ut necessariò is esset Ordinandus, quem populus Ordinandum expetiisset; sed penès Metropolitanum cum Episcopis suffraganeis jus fuisse, electionem, electamque personam examinandi; utrùm nimirum & illa Canonica esset; & hæc ad Ecclesiam regendam, & onus Episcopale sustinendum sufficiens: atque ulteriùs in potestate Metropolitani & Episcoporum fuisse, electionem probare, vel improbare; prout eam vel Canonicam, aut minùs Canonicam judicarent. Hoc insuper notandum, quod nec per ejusmodi electionem, uti hodie, jus aliquod *ad rem* ipsi electo acquireretur, antequam per Metropolitanum, ac Episcopos Comprovinciales electio seu nominatio populi esset probata & admissa; ipseque electus Ordinatus & in Cathedra collocatus.

II. Itaque Confirmatio & approbatio electionis sive nominationis primis Ecclesiæ sæculis omnimoda erat penès Episcopos Ordinatores, id est, Metropolitanum cum Suffraganeis juxta Canonem IV. Nicænum, quo decernitur: "Episcopum oportet maximè quidem ab omnibus qui sunt in Provincia *constitui*, si autem fit hoc „difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ „longitudinem, tres omnino eundem in locum congre„gatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scrip„tisque assentientibus, tunc electionem fieri, eorum au„tem quæ fiunt, Confirmationem in unaquaque Provin„cia à *Metropolitano* fieri."

Hoc Canone non de sola ordinatione sive consecratione agi, sat innuit ipse consensus absentium in scriptis requisitus; qui ad Confirmationem sive approbationem electionis, nequaquam ad ipsam formalem ordinationem sive consecrationem aliquid conferre potest.

Unde Canone 12. Synodi Laodicænæ edicitur, ut "Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum qui cir„cumcirca sunt Episcoporum provehantur ad Ecclesia„sticam Dignitatem; ii videlicet qui plurimo tempore „probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis „exemplo."

Metropolitano igitur cum vicinis, id est, Comprovincialibus Episcopis defert hæc Synodus, eodem quo Nicæna celebrata sæculo, *constitutionem* sive *provectionem* Episcoporum; idque indubiè ob approbationem & confirmationem electionis, quæ ab ipsis, secundùm temporis illius disciplinam dependebat.

Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus & præses esset Metropolitanus; neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset, ad singulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim et quodam ut minùs tacito Ecclesiæ consensu ad Metropolitanum integrum plenè devolutum est jus electionis discutiendi, easque vel ut Canonicas probandi, vel ut minùs Canonicas reprobandi.

Et quidem Nicæna Synodus hanc Metropolitani auctoritatem in Episcoporum ordinatione in relato Canone non obscurè expressit his verbis: "Potestas sane „vel *confirmatio* pertinebit per singulas Provincias, ad „Metropolitanum Episcopum." Gratianus *Dist.* 64. *can.* 1.

Et Canone 6. ait: "Illud generaliter clarum est: quod „si quis præter *sententiam Metropolitani* fuerit factus E„piscopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum „esse non oportere." *Dist.* 64. *can.* 8.

Hinc illud Innocentii I. "Extra *conscientiam Metropo„litani* Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum." *Dist.* 64. *can.* 5.

Quin & si inter Electores circa personam eligendam sit dissensio, Metropolitani est, eum ordinare, qui majoribus meritis juvatur: Ita enim ad Anastasium Thessalonicensem scribit S. Leo: "Cùm ergo de summi Sacerdotis „electione tractabitur, ille omnibus proponatur, quem „Cleri, plebisque consensus, *concorditer* postulavit; ita „ut si in aliam fortè personam partium se vota *diviserint*, „*Metropolitani judicio*, is alteri præferatur, qui majoribus „& studiis juvatur & meritis."

Synodus VII. *Can.* 2. Metropolitani munus esse declarat, futurum Episcopum examinare, probareque, an sacri scientiâ sit satis instructus.

IV. Hæc disciplina Metropolitano Confirmationem suorum Suffraganeorum attribuens per tredecim facilè sæcula inconcussa permansit; eamque & jus commune Decretalium Gregorii IX. apertissimè supponit, & confirmat; unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episcopum de jure communi confirmandum esse à suo Metropolitano.

Unde Joannes Eckius, ille famosus Lutheri Antagonista *lib.* 3. *De primatu Petri cap.* 40. ait, ab antiquo constitutum, Episcopum quemlibet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à suo Patriarcha: miraturque quomodo contra jura (quæ plurima ibidem profert) suas Confirmationes Episcopi præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim: „Quod jugum nescio quomodo Episcopi excusserunt, „ut Confirmationem, saltem in Germania, omnes ex „Roma petant. Forsan Viri magni & potentes, ac na„talibus illustres, dedignabantur confirmari ab humi„lis generis Metropolitano. Hoc autem de Confirma-

„tione

„tione per Metropolitanum facienda, constitutum fuit „in concilio Niceno &c."

V. Verùm an hæc fuerit aliquando occasio quòd Episcopi pro Confirmatione ad Sedem Apostolicam recurrerint, nescio; illud certius est, quòd sicuti per Reservationes Pontificias, quæ potissimùm à Joanne XXII. incrementum accepêre, ad Sedem Apostolicam sæculo 14. provisiones sive nominationes fuêre devolutæ; atque eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ; pariter jus confirmandi Episcopos Metropolitanis ademptum & Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Indignum quippe credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum designatus, à Metropolitano Confirmationem petere & accipere juberetur. Quid enim id aliud, quàm nominationem Pontificiam, Metropolitani judicio probandam vel improbandam subjicere?

VI. Licèt verò hæ Pontificiæ reservationes quoad Episcopatus & Prælaturas, sive per Concordata sive per indulta ac privilegia Regibus concessa quoad nominationes & electiones ad Cathedrales Ecclesias fuerint in multis restrictæ; scilicet reservando ipsis Capitulis Canonicas electiones, uti contigit per Concordata Germaniæ; vel jus nominandi Regibus ac Principibus indulgendo, tamen Confirmationes Romano Pontifici hactenus reservatæ manserunt; nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

VII. Et quidem Concordata Germaniæ volunt, "quod „in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis immedia„tè non subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Cano„nicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur; quas etiam, ait „Pontifex Nicolaus V. ad tempus constitutionis felicis „recordationis Nicolai Papæ III. quæ incipit *Cupientes* „exspectabimus, & elapso dicto termino si non præsen„tatæ, vel si præsentatæ minus Canonicæ fuerint, provi„debimus, & si Canonicæ fuerint, eas *confirmabimus*, nisi „ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum „consilio de digniori & utiliori persona duxerimus pro„videndum, proviso quòd Confirmati prædicti, & per „nos provisi, Metropolitanis suis & aliis præstent debita „juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur."

VIII. Concordata similiter inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Franciæ habent, ut Rex Virum gravem qualitatibus ibidem expressis instructum, & aliàs idoneū infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum Romanis Pontificibus seu *Sedi Apostolicæ nominabit*, & de persona per Regem hujusmodi nominata per *Romanos Pontifices*, seu *Sedem* prædictam *providebitur*.

Itaque etiam vi horum Concordatorum requiritur Papæ provisio: "Alioquin si à Rege nominatus (inquit Rebuffus *De Regia ad Prælaturas nominatione*, verbô *Pro„videri*) ceperit fructus Episcopatus *ante Papæ provi„sionem*, amittit jus nominationis & dicitur *intrusus*."

IX. Indulta quoque ac privilegia, quibus Romani Pontifices Regibus Hispaniæ & Principibus nostris jus nominandi ad Cathedrales Ecclesias indulserunt, Confirmationem sive Provisionem Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ reservârunt; nec alteri, quàm Sedi Apostolicæ personam à Rege præsentari volunt.

CAPUT II.

Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.

Confirmanti meritò applicatur illud Apostoli: Manus citò nemini imposueris.

Quid sit manus citò imponere?

Confirmatio danda est prævio diligenti examine.

Ante Confirmationem citandi, qui electioni se volunt opponere; & quomodo?

Informatio accipienda etiam circa personam electam.

Informatio facienda in loco in quo Electus solitus fuit conversari.

7 *Quàm solicitè inquisierit circa personam electam ante Confirmationem S. Gregorius?*

8 *Exactum fuisse institutum examen seculo nono in hisce Provinciis ostenditur.*

I. Cum is qui confirmat electum vel nominatum, eumdem instituat; ac propriè Ecclesiæ Pastorem provideat & constituat, meritò innocentius III. in *Cap.* 19. ✠ *De Elect.* confirmanti applicat illud Apostoli ad Timotheum: *Manus* CITO *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. *ad Tim.* 5. 22.

II. "Quid verò est (ait S. Leo *Epist.* 1. *c.* 2.) CITO *manus imponere*, nisi ante ætatem maturitatis, ante tem„pus *examinis*, ante meritum laboris, ante experientiam „disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere *non proba„tis*." Gratianus *Dist.* 78. *Can.* 3.

III. Meritò ergo jam pridem Sacris Canonibus cautum fuit, ne Metropolitani aliique Prælati, quibus jus confirmandi seu probandi electiones aut nominationes ad Ministeria Ecclesiastica præsertim Episcopatus competit, præcipitanter sine prævio maturo ac diligenti examine & informatione ad Confirmationem prosiliant. Hos renovans Concilium Lateranense sub Innocentio III. "ir„refragabili constitutione sancivit, quatenus cùm quis„quam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem „pertinet ipsius confirmatio, *diligenter examinet & ele„ctionis processum, & personam electi*: ut cùm omnia ritè „concurrerint, munus ei Confirmationis impendat: quia „si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm dejici„endus est indignè promotus, verùm etiam *indignè pro„movens puniendus*. Ipsum quoq; decernimus hac animad„versione puniri: ut cùm de ipsius constiterit negli„gentia, maximè si hominem insufficientis scientiæ, „vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbave„rit: non solùm confirmandi primum successorem il„lius careat potestate, verùm etiam (ne aliquo casu pœ„nam effugiat) à perceptione proprii beneficii suspen„datur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam va„leat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per ma„litiam excessisse, graviori subjaceat ultioni." *Cap.* 44. ✠ *De Elect.*

IV. Si electus coëlectum aut specialem suæ electionis adversarium habeat, is ante Confirmationem *nominatim* vocandus erit; aliàs ubi *concors* fuit electio, aut nullus *nominatim* se electioni opponit, generale ac peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua electio facta est: ut si qui sint, qui se volunt, opponere, constitutò termino veniant. *Cap. fin. de elect. in VI.* ubi & Confirmationes hisce non observatis factæ, declarantur viribus omnino carere, irritæ & inanes.

V. Examen, seu informationem esse faciendam, non tantùm circa electionis processum, sed etiam *personam electi*, declarat citatum Lateranensis Concilii sub Innocentio III. Decretum. Et quidem quòd tria præcipuè inquirenda sint in persona electi, videlicet, ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens, scribit idem Innocentius Archiepiscopo & Capitulo Capuano *in c.* 19. ✠ *De Elect.* IN INTEGRA.

VI. Quia verò vita cujusq; exactiùs nosci potest in loco in quo quis diu conversatus fuit, ibidem inquirendum est de moribus electi, *c.* 3. ✠ *de elect.* quod sub nomine Gregorii III. retulit Raymund. at, uti rectè notavit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretal. fragmentum est, licèt truncatum, & in nonnullis immutatum, *ep.* 18. *lib.* 8. S. Gregorii ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ; ex qua apparebit, quàm fuerit hic S. Pontifex solicitus, ut accuratè de vita moribusq; electi esset instructus, priusquā electionem suo assensu probaret, atq; unà intelligetur, quàm utile sit ad intellectum Decretalium, recurrere ad fontes è quibus sua Raymund. aut alii Decretalium collatores hauserunt: uti latiùs in tractatu Histo-

Historico-Canonico in Canones *part.* 8. *cap.* 1. §. 6. monui.

VII. Itaque in citata epistola scribit S. Gregorius: "Postquam ii, qui ad Episcopatum Surentinæ civitatis „ electus fuerat, aptus nobis visus non est, Amandum „ Presbyterum Oratorii S. Severini, quod in castro Luculano situm est, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ „ præcipimus, ut eundem Presbyterum excusatione postposita, sub omni ad nos studeat festinatione transmittere: quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, „ si nihil est quod eum impediat, impleantur. Cujus vita „ vel actus, quia meliùs possunt illic ubi diu est conversatus, agnosci, curæ tuæ sit cum fratre & Episcopo nostro fortunato de eo *diligenter inquirere.* Et si nulla „ sunt quæ ad sacrum Ordinem obsistere valent, ad nos „ debet omni postposita tarditate transmitti."

Quàm exactum examen super electionis processu, & persona electi per Metropolitanum sæculo nono, etiam hisce in partibus institueretur, abundè probat examinatio Willeberti Catalaunensis ordinandi Episcopi per Hincmarum Remensem Metropolitanum, assidentibus Provinciæ Remensis, & aliarum Provinciarum Episcopis: quæ extat integra in appendice *Tom.* 8. Conciliorum generalium editionis Labeanæ *col.* 1878.

Firmum itaque & constans semper fuit, Confirmationem Episcoporum non esse *leviter* annuendam; sed serium tam super qualitatibus electi, quàm forma electionis examen esse præmittendum; quamvis ritus hujus examinis, & Confirmationis pro temporum & locorum diversitate varius fuerit; quemadmodum in sequentibus ostendetur.

CAPUT III.

Per quos, & quâ formâ hodie informatio de Nominatis ad Episcopatus sumatur?

1 *Synodus Tridentina non determinavit per quem aut quâ formâ facienda sit informatio.*
2 *Vult dicta Synodus, ut in Synodo Provinciali forma præscribatur.*
3 *Forma examinis in Synodo Provinciali Cameracensi anno* 1565. *præscripta.*
4 *Eadem in Synodo ejusdem Provinciæ anno* 1586. *& in Mechliniensi anno* 1570. *probatur.*
5 *Patres harum Synodorum non crediderunt, per Synodum Tridentinam solis* Nuntiis *Apostolicis informationem demandatam fuisse.*
6 *Neque id in Gallia creditum: & quid in Comitiis Blesensibus super forma examinis decretum?*
7 *Gregorius XIV. & Urbanus VIII. declarârunt, informationem non esse sumendam per Ordinarios, nisi* deficientibus *Legatis Sedis Apostolicæ.*
8 *Synodus Provincialis Mechliniensis an.* 1607. *recepit Bullam Gregorii XIV.*
9 *Conformiter ad illam Bullam in hisce Provinciis soli Nuntii Apostolici exclusis Ordinariis informationes accipiunt.*
10 *In Gallia id non æquè receptum.*
11 *Quid anno* 1596. *Notabiles Regni in conventu Rothomagensi de hac re Regi proposuerint?*
12 *Quid occasione Nominati ad Episcopatum Convenarum anno* 1639. *à Parlamento Parisiensi decretum sit.*
13 *Praxis Galliæ habet quod Nominatus jubeat informationes accipi per Episcopum ultimæ suæ residentiæ.*
14 *Omnes quibus jus nominandi aut confirmandi Episcopos competit, meritò de vita & moribus inquirunt.*
15 *Pontifices à facienda informatione excludunt, qui Nominatum in tertio consanguinitatis aut affinitatis gradu contingit.*
16 *Prælati ad faciendam informationem designati, tenentur eam facere* per se.
17 *Prælatus inquirens per se ex officio testes vocare & examinare debet; idque secretò.*
18 *Testes debent esse viri graves, prudentes & pii.*
19 *Testes debent scire quæ requiruntur in promovendo ad Episcopatum.*
20 *Consanguinei & familiares; item æmuli & inimici in testes non recipiendi.*
21 *Non sufficit aliquem gradu Academico esse insignitum, sed major de ejus doctrina habenda notitia.*

I. Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 2. *De reform.* expressis qualitatibus in assumendo ad Ecclesiam Cathedralem requisitis, subjungit: "Quarum rerum instructio, si ejus notitia nulla aut recens in „ Curia fuerit, à Sedis Apostolicæ Legatis seu Nuntiis „ Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, à „ vicinioribus Ordinariis sumatur."

Decretum hoc nequaquam determinat, per quem aut qua formâ in singulis Provinciis informatio sive instructio de qualitatibus assumendi ad Ecclesiam Cathedralem sumenda sit; sed eam vel à Legatis seu Nuntiis Apostolicis, aut Ordinario ejus qui assumendus est, accipi posse tantummodo dicit: quod & non obscurè insinuat *Sess.* 24. *cap.* 1. *De reformat.* ubi expressè fatetur, in accipienda hac informatione, *non uniformem* rationem ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate posse adhiberi.

II. Quapropter mandat, "ut in Provinciali Synodo per Metropolitanum habenda, præscribatur, „ quibusque locis, & Provinciis *propria examinis*, seu „ inquisitionis, aut instructionis faciendæ *forma*, Sanctissimi Romani Pontificis *arbitrio* approbanda, quæ „ magis eisdem locis *utilis*, atque *opportuna* esse videbitur."

III. Conformiter huic Tridentino Decreto, Synodus Cameracensis Provincialis anno 1565. titulo *De examine Episcoporum* formam inquisitionis sive informationis de nominato ad Cathedralem Ecclesiam his verbis expressit: "Ubi autem vel electio, vel postulatio, aut nomi- „ natio facta fuerit; per eos eumve quorum aut cujus interfuit, auctoritate Metropolitani, aut si defuerit, vi- „ cinioris Episcopi Provinciæ affixis schedulis denunciatoriis ad valvas vacantis Ecclesiæ, denuntietur patere „ aditum omnibus, qui sciant aut impedimentum aut vitium esse aliquod, quamobrem electus, vel postulatus, aut nominatus minimè promoveri debeat; ut liberè, ac tutò eidem Episcopo aut Archiepiscopo denun- „ cianti intra tempus definitum significent: idemque assumptis secum duobus vacantis Ecclesiæ Canonicis testes productos audiat, & examinet: quæratque de natalium integritate, de ætate, an sit annorum triginta; „ de vita, moribus, & exercitiis, de gradu, statu, facultate; an Doctor, an doctus saltem; sitque iis virtutibus „ præditus, quas Apostolus in Episcopo requirit: & an „ sex mensium spatio in sacro Ordine fuerit constitutus. „ Quæ omnia fideliter descripta, ac ejusdem Episcopi, „ aut Archiepiscopi manu, ac sigillo firmata, & obsignata mittantur ad S. D. Papam, ut sufficienter instructus „ confirmare tutiùs electum, postulatum, aut nominatum queat."

IV. Et ejusdem Provinciæ altera Synodus anno 1586. habita, vult, ut "novo Episcopo Electo aut Nominato „ processus super ejus doctrina & moribus Romam transmittendus fiat, juxta dispositionem, ait, Decreti primi „ Concilii Provincialis." *Tit.* 17. *cap.* 9.

Similem formam sumendæ informationis in Synodo Provinciali Mechliniensi titulo de *Episcopis cap.* 1. & 2. præscriptam habemus.

V. Hinc patet, quod tametsi Episcopatuum Belgii tunc temporis provisio ac Confirmatio à Sede Apostolica petenda & accipienda esset, nihilominus instructio seu infor-

informatio super qualitatibus promovendorum per Metropolitanum, aut eo absente, seniorem Suffraganeum fieret; adeòque nec crederent Synodorum harum Patres, vi Decreti Concilii Trident. solis Legatis, seu Nuntiis Sedis Apostolicæ jus sumendi informationes competere.

VI. In Gallia quoque non obstante prædicto Concilii Tridentini Decreto, informationes nequaquam per Nuntios Apostolicos, sed per Ordinarios pluribus annis factæ sunt.

Nam in Comitiis Blesensibus anno 1576. inter alia decretum fuit, ut priusquam litteræ nominationis Regiæ ad Pontificem mitti solitæ expediantur, nomina eorum, qui per Regem nominati sunt, mittantur ad *Episcopum Diœcesanum* loci ubi Nominati *ultimis annis* resederint, & domicilium habuerint; ac etiam ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui respectivè inquirent de vita, moribus, bona disciplina, & conversatione Catholica dictorum Nominatorum; & de omnibus conficient legitimos processus verbales, quos clausos & obsignatos quantocyus transmittent.

Insuper statutum est, ut ante expeditionem litterarum nominationis, dicti Nominati examinentur super eorum in Sacris Litteris eruditione per unum Archi-Episcopum aut Episcopum per Regem designandum, adscitis duobus Doctoribus Theologiæ, qui de Nominatorum sufficientia aut insufficientia testimonium ad Regem mittent.

Post hæc supervenit Bulla Gregorii XIV. quæ incipit, *Onus Apostolicæ* edita 1. Maji 1591. qua prædictum Decretum Concilii Tridentini renovatur, ac multa insuper circa formam faciendæ informationis adduntur & explicantur.

VII. Ac imprimis præcipit, "ut cùm extra Romanam „Curiam examen, instructio sive inquisitio facienda erit, „nemo omnino cujuscumque status, gradus, conditionisve fuerit, inquisitionem sibi arrogare præsumat, sed in„tegrum hoc negotium iis, qui à prædicto Tridentino „Concilio designantur, Apostolicæ videlicet Sedis Lega„tis, seu Nuntiis Provinciarum, aut ejus de quo inquisi„tio fit Ordinario, *eoque deficiente* Ordinariis viciniori„bus relinquatur; nisi justis de causis nobis aut pro tem„pore existenti Romano Pontifici per speciale manda„tum alicui alteri hoc munus quandoque committen„dum visum fuerit."

Deinde addit: "Quod si fortè aliquis prædictorum „consanguinitate aut affinitate usque ad tertium gradum „inclusivè promovendum contigerit, ut omnis suspicio „carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille „quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui „*proximè* sequitur, hoc est, *si legatus excludendus* erit, „*ad Nuntium*; si *Nuntius*, ad *Ordinarium*; si Ordina„rius, ad viciniorem Ordinarium inquisitionis officium „deferatur."

Ex quibus non obscurum est, Pontificem in hac Bulla, inquisitionem sive examen de qualitatibus promovendi, dumtaxat *deficientibus* Legatis vel Nuntiis Apostolicis per Ordinarios fieri velle; quod & in sequentibus his verbis rursus insinuat: "Quod si de Episcopo, vel Me„tropolitano extra Romanam Curiam degente ab una „Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi & justa causa transfe„rendo ageretur, hoc munus Legato vel Nuntio Apo„stolico ejus Provinciæ, aut Regni ubi Ecclesia ipsa, à „qua transfertur, sita erit, ad Metropolitanum, si Epi„scopus, ad suffraganeum verò antiquiorem residentem, „si Metropolitanus transferendus erit, pertinere decla„ramus."

Hanc Sedis Apostolicæ mentem clarioribus terminis expressit Urbanus VIII. anno 1627. in nova ac particulari instructione circa conficiendos processus inquisitionis super qualitatibus promovendorum ad regimen Cathedralium, aut aliarum Superiorum Ecclesiarum.

"Si processus inquisitionis, ait, conficiendus sit extra „Romanam Curiam, hoc munus spectet ad Legatos Se„dis Apostolicæ, vel ad Nuntios Provinciarum in locis, „in quibus commorantur: *Si non adsint* Legati, neque „Nuntii, spectet ad Ordinarios personarum promoven„darum, & ipsis deficientibus, ad Ordinarios vicinores, *qui „ordo servandus est*, neque quisquam debet sibi hoc mu„nus arrogare præter ordinem supradictum, nisi Roma„no Pontifici per *speciale mandatum* alicui alteri illud „demandare placuerit. Quo casu apparere debet de man„dato speciali in principio processus."

VIII. Synodus Provincialis Mechliniensis anno septimo labentis sæculi juxta præcitatam Gregorii XIV. Bullam processum super qualitatibus promovendi ad Episcopatum fieri mandat. "Factâ novi Episcopi nomina„tione, (inquit *tit. 16. c. 8.*) processus super ejus natali„bus, vita, ætate, doctrinâ & moribus, Romam transmit„tendus, fiat juxta dispositionem Bullæ Gregorii XIV. „quæ incipit, *Onus Apostolicæ.*"

IX. Porrò quia hæc Bulla, uti jam notatum est, informationem non permittit fieri per Ordinarios, nisi *deficientibus* Legatis aut Nuntiis Apostolicis, in Belgio tandem receptum fuit, ut dicta informatio ac processus fiant per Nuntium sive Internuntium Apostolicum in hisce Provinciis residentem; neque Ordinarii ullas in processu illo formando partes habeant.

X. Galli verò ægrè hanc provinciam Nuntiis Apostolicis permittere volunt; sed ad Ordinarios, & alios à Rege committendos spectare contendunt.

Et quidem in reconciliatione Henrici IV. propositus à Pontifice hic articulus, quod *omnes informationes de vita & moribus & religione, quæ posthac fient ratione provisionis Beneficiorum consistorialium in Gallia, fient per Nuntios & alios Ministros Sedis Apostolicæ*, tamquam moribus Regni contrarius à Rege rejectus fuit.

XI. Rursus anno 1596. Notabiles sive Primores Regni congregati Rothomagi suggesserunt Regi, quod iis in locis, in quibus non videtur hactenus Regiæ suæ Majestati conveniens restituere electiones, dignetur interea in nominationibus suis jubere observari articulum 2. Comitiorum Blesensium anni 1576. atque eundem ampliando præcipere, ut informationes super religione, vita, moribus & doctrinâ promovendorum ad Archiepiscopatus fiant per Episcopum Provincialem seniorem in ordine Episcopali & residente: Et promovendorum ad Episcopatus per Archiepiscopum in Provincia residentem; & in hujus absentia per seniorem Episcopum Provinciæ similiter residentem, adscitis tribus Canonicis Ecclesiarum vacantium, à Capitulis ad hunc effectum deputatis.

Et ad obviandum abusibus qui committuntur in faciendis informationibus ad Curiam Romanam mittendis per dictos Nominatos ad Prælaturas, pro quibus informationibus faciendis accipiunt commissarios, & testes adducunt, quos sibi convenire judicant; supplicant Regi, quatenus dignetur statuere, ut prædictæ informationes fiant à dictis Archiepiscopis & Episcopis in forma superius descripta; quodque Archiepiscopi & Episcopi has informationes facientes, inquirent quoque de mediis, quibus obtentæ sint nominationes ad Archiepiscopatus vel Episcopatus; etiam de confidentia & Simonia, pensionibus, & pactionibus illicitis, si quæ intervenerint. Et ubi hæc informationum forma observata non fuerit, possint Capitula interponere appellationem tamquam *ab abusu* ab executione provisionum ad Archiepiscopatus & Episcopatus; qua pendente non tenebuntur provisos recipere ad Archiepiscopatus vel Episcopatus, nec ut tales agnoscere.

XII. Rursus cum anno 1639. Pontifex differret dare provisionem Nominato à Rege ad Episcopatum Convennarú, quia informationes ad Curiam Romanam missæ, factæ essent in forma superius descriptâ; ac insuper à Sacra Congregatione decretum fuisset, ut dictus No-

minatus instituì juberet novam informationem in Curia Romana, & si desint testes, Dominum Nuntium posse *delegare* Ordinario eos articulos super quibus informatio Parisiis fieri non poterit; Procurator Regius habitâ eorum notitiâ, Parlamento Regio exposuit, quod juxta primum articulum Comitiorum Blesensium, informationes super vita, moribus ac doctrina Nominatorum à Rege ad Prælaturas fieri debent per Episcopos Diœcesanos Galliæ; quod tamen eo non obstante, Nuntii Apostolici eas sibi eousque attribuerint, ut Bullæ aliæque provisiones Romæ non expediantur, nisi informationes per Nuntium sint factæ. Quandoquidem verò, ajebat Procurator Regius, dictæ informationes unicè fiant, ut securius ac maturius in Nominationibus, quæ ad Regem pertinent, procedatur; neque Romam mittantur, nisi ut Pontifici ostendatur, Nominatum esse instructum qualitatibus à Sacris Canonibus & in Concordato requisitis; & per consequens Nominatum recusari non posse, justum apparet, ut Decreta & Ordinationes Regiæ per solos Regios Commissarios executioni mandentur. Addebat insuper Procurator Regius, quod per jura ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Nuntii Apostolici in Gallia residentes nullam jurisdictionem exercere possint. Hisce aliisq; per Regium Procuratorem expositis, Parlamentum Regium edixit, ut informationes super ætate, vita, moribus & conversatione Catholica Nominatorum à Rege ad Episcopatus aliasq; Prælaturas & beneficia, posthac fiant per Episcopos Diœcesanos illius loci in quo Nominatus ultimis quinq; annis resederit, conformiter ad articulum primum Comitiorum Blesensium. Inhibitione insuper facta Nominatis, utendi aliis informationibus quàm per prædictos Episcopos factis, sub pœna excidendi jure per nominationem acquisito. Præterea inhibitum fuit omnibus Regnicolis, depositiones facere, aut testimonia reddere in ordine ad has informationes, quàm coram prædictis Episcopis; atque omnibus Banquariis & Expeditionariis alias informationes Romam mittere, sub pœna privationis suorum officiorum, quòdque punientur tamquam pacis publicæ perturbatores. Mandatumque fuit, ut præsens Decretum ubique publicaretur. Vide Carolum Fevretium *Lib. 5. cap. 4. num. 11.* & latiùs Tractatum Gallicum *De informatione Nominatorum ad Episcopatus.*

XIII. Unde praxis hodierna Galliæ habet, uti asserit D. Fleury in Institutionibus Juris Canonici *part. 1. cap. 10.* quod Nominatus curet informationem de vita & moribus suis fieri per Episcopum suæ ultimæ residentiæ.

XIV. Quin Reges aliique, quibus aut nominatio aut electio Episcoporum incumbit, meritò per se vel ministros suos aliosve quos ad id convenientiores judicaverint, de vita ac moribus Promovendi informationes sumant, nemini dubium esse potest. Cùm verò Romanus Pontifex, juxta modernam disciplinam, in danda Confirmatione & provisione ad Episcopatus successerit Metropolitano, meritò & ipse inquirit ac informationes de vita ac moribus cæterisque Nominati aut Electi qualitatibus *per se* aut alios capit; formamque informationis capiendæ præscribit, quam ad assequendam convenientem notitiam de capacitate Nominati aptiorem credit.

Et sanè forma tam à Gregorio XIV. in citata Bulla, quàm Urbano VIII. præscripta, si seriò atque exactè in capiendis informationibus servaretur, spes esset, instructionem super qualitatibus Promovendorum sufficientem acceptam iri.

XV. In primis circa personas, quibus inquisitio sive informatio committitur, inter alia decernitur; ut si aliquis ex Prælatis, ad quem in ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate usq; *ad tertium gradum inclusivè* Promovendum contingat, ille *excludatur* ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illū, qui proximè sequitur, servato eodem ordine & gradu.

XVI. Adhæc Prælati in Bulla designati, "non per suos Vicarios, Auditores vel alios Ministros, sed per *seipsos* inquirendi munus, ait Gregorius XIV. exercere debent; quamvis ab hujusmodi personis, aliisque viris peritis juvari possint." Rationem hujus præmiserat: "Quia Sacrum Concilium Tridentinum non sine *magna* ratione eminentes personas, & quæ negotii *magnitudinem probè* intelligerent, ad hoc officium nominavit."

XVII. "Ad hoc autem, ut mens ejusdem Sacri Concilii (pergit Gregorius XIV.) rectè ac feliciter debitæ executioni mandetur, & tale sit examen, quale requiritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac statuimus, non esse in vita ac doctrina Promovendi investiganda, eam rationem adhibendam, ut ab ipso Promovendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed oportet ut Prælatus, qui munus inquirendi suscepit, articulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincerum ac fidele testimonium daturos esse existimet. Verùm, ut inquisitio prædicta facilius ac pleniùs perfici atque expediri queat, utile erit si Prælatus, qui inquisitionem facturus est, vel à Promovendo, vel ab aliquo alio confici curet scedulam, in qua sint ordine descripta, nomen Promovendi, cognomen, patria, parentes, ætas, ordo, gradus, professio, functio, si quam is fortè exercuit, loca in quibus aut Theologiæ vel Juri Canonico operam dederit, aut longo tempore versatus fuerit, denique amici ac familiares, qui tam ipsum quàm parentes ejus intimè nôrint. Quòd si Promovendus documentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius ætas, gradus, dignitas, sacri Ordines, functio, officia, muneraque, aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum, ac processui inserendum erit, modò documentum publicum seu authenticum fuerit."

Eadem habet instructio Urbani VIII. quæ insuper addit: "Ipse (Prælatus inquirens) ex officio suo *secretò* vocari mandet, & *secretò* examinet, *ipsemet* recipiat in manibus suis singulorum testium juramentum."

XVIII. Nec quoscumque in testes adhibendos esse voluêre Pontifices, sed "Testes sint Viri *graves, pii, prudentes, docti*, & qui de qualitatibus Promovendorum rectum judicium ferre valeant, *sincerumque* ac fidele testimonium verisimiliter sint daturi; prætertim verò hujusmodi qualitates esse debent in testibus, qui interrogandi erunt de fide Catholica, vita, moribus, doctrina, & aptitudine Promovendi ad regendam Ecclesiam."

XIX. Deinde rationem, quæ testes hujusmodi dotibus instructos assumendos suadet, hanc apprimè notandam subjicit: "Scire enim debent ipsi testes quæ requirantur in eo, qui recturus est Ecclesiam Cathedralem, ad hoc ut sit idoneus ad alios docendum, aptus ad illam gubernandam, & dignus qui ad eam promoveatur."

XX. Pergit deinde: "Non sunt recipiendi in testes *cognati* vel *nimiùm familiares*, aut *inimici* sive *æmuli* personæ promovendæ. In investigandis testium qualitatibus adhibenda est diligentia per Prælatum inquirentem, ut cognoscere possit quam sint erga Promovendum affecti, exindeque conjicere, utrùm ex affectu, an ex veritate testimonium dicant. Si aliquando Prælato inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memoriam reducet vim juramenti & gravitatem perjurii, admonebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum omnium, quorum vel committendo, vel omittendo rei erunt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel tacendo vera causa erunt, ut homines indigni vel minus idonei Ecclesiis præficiantur."

XXI. Hæc ad verbum desumpta sunt ex *Instructione* jussu Urbani VIII. emanata, quæ præter hæc exhibet quoque interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendum omnes qualitates in Promovendis requisitas, quæ pleraque circa vitam, mores, fidem Catholicam & doctrinam ipsius Promovendi versantur; sed præ reliquis notanda

hæc

hic articulus: „ An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in Sacra Theologia insignitum esse, quibus in lo„cis, quanto tempore, & quo fructu ipsi Theologiæ, vel „ Juri Canonico operam dederit, & an *verè ea doctrinâ* „*polleat*, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit a„lios docere, & quæ sit causa scientiæ.„

Ex hoc articulo non obscurè colligitur, Pontificem haud credidisse, eos omnes sufficienti doctrina pro Episcopatu esse instructos, qui gradu Doctoratus aut Licentiæ in Theologia vel Jure Canonico sunt insigniti; quod apertius expressit Gregorius XIV. Cum enim renovavit Decretum Concilii Tridentini, in Promovendis ad Ecclesias Cathedrales dictum gradum Academicum, aut certè publicum alicujus Academiæ testimonium requirens, subjungit: "Tamen quia circa doctrinam plures fraudes „committi solent, & sæpe contingit ut nonnulli scientiâ „vacui, de solo Doctoris titulo, aut privilegio glorientur, „volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inqui„ratur, qui vel Doctoratus vel Licentiæ titulis, & privile„giis gaudent, vel etiam à publicis Academiis testimoni„um habuerint, quòd idonei essent ad alios docendos; „nisi fortè aliquorum insignis doctrina ex publica ipso„rum functione notoria esset."

Quam hæc cautio etiam hodie omnino sit necessaria, nemo non agnoscet, qui expenderit, quàm leviter & quanta facilitate hi gradus nonnumquam concedantur.

Ex his breviter ac in compendio relatis non difficulter quoq; judicare quisq; poterit, quàm exacta notitia Promovendorum ad Prælaturas sperari posset, si seriò & exactè juxta mentem Concilii Tridentini & Pontificum, qui has inquirendi formulas præscripsêre, informatio & inquisitio fieret. Bulla Gregorii XIV. extat in Bullario Romano tomo 2. *pag.* 705. edit anni 1655. Instructio Urban. VIII. habetur apud Barbosam *Lib.* 1. *Juris Ecclesi. c.* 8.

CAPUT IV.

Quo ritu expediatur Confirmatio.

1 *Olim Confirmatio à consecratione vix separata fuit.*
2 *Ex stylo Decretalium Electus ante consecrationem, tametsi Confirmatus non dicatur simpliciter Episcopus*, *sed* Electus.
3 *Quæ forma Confirmationis observaretur, cum electio esset penes populum & Clerum?*
4 *Quomodo peteretur Confirmatio Nominati à Principe?*
5 *Quomodo Capitula Cathedralia Electum Metropolitano præsentarent; & quomodo hic confirmaret?*
6 *Ex Decreto Trid. Concilii processus inquisitionis mitti debet ad Pontificem, à quo Confirmatio habenda est.*
7 *Moderatio dicti Decreti juxta stylum hodiernum.*
8 *Prælatus qui inquisivit, judicium suum de testibus & persona promovenda transmittere debet.*
9 *Totus inquisitionis processus à Cardinale Relatore cum tribus aliis accuratè examinari debet; & in duobus successivis Consistoriis relatio fieri.* (*lest*
10 *Quis hodie soleat esse* Relator; *& qui alii tres Cardina-*
11 *In primo Consistorio fit nuda propositio vocaturq;* præconizatio: *in secundo fit totalis relatio; atq; ex suffragiis Cardinalium Nominatum Pontifex sub certa forma Episcopum pronuntiat.*

I. PRistina disciplina, quæ facilè per decem sæcula inconcussâ permansit, Confirmationem Episcoporum ab eorum consecratione vix sejunxit; sed Episcopus Electus à Metropolitano & Comprovincialibus examinatus, uno eodemq; quasi actu & tempore consecrabatur, & confirmabatur; sive potius ordinando confirmabant; neq; ante ordinationem Prælatus aut Episcopus dicebatur, nisi ad summum cum addito, *Electus.*

II. Quin ex stylo Decretalium, uti observat cum aliis Fagnanus ad *Cap.* EAM TE ☩ *De Rescriptis*, ante consecrationem non dicitur, Episcopus simpliciter, sed *Electus.* „Et meritò, ait, quia electio & consecratio *unum* faciunt „ Episcopum.... Quod locum habet non modo in Cano„nicè Electis & Confirmatis, sed etiam in illis, quos *Papa* „ pronuntiavit *Episcopos*; quia ante consecrationem vo„cantur *Electi*... Nec Electus in Papam ante benedictio„nem, coronationem & *consecrationem* ex stylo intitula„tur *Pontifex*, nec scribit *Pontificatum* in *data*"

Hæc enim, inquit Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Ecclesiæ parte* 4. *lib.* 2. *c.* 50. *n.* 8. restantes reliquiæ pristinæ disciplinæ, quæ Confirmationem à consecratione non distinguebat; imo vix apud Veteres ante decimum aut undecimum sæculum *confirmationis* Episcoporum, sed electionis, consecrationis, & ordinationis dumtaxat mentio fit.

Juxta disciplinam ergo pristinam, quæ per decem & amplius sæcula duravit, Confirmatio hac ferè formâ peragebatur.

III. Quam primum electio à Clero populoq; facta erat Decretum electionis, Eligentium subscriptionibus roboratum ad Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales mittebatur, ut Electus in Episcopum ab ipsis ordinaretur.

Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum generalium Decretum Cleri & Plebis Ecclesiæ Laudunensis de electione Hedenulfi Episcopi ad Hincmarum Metropolitanum Remensem & Episcopos Provinciæ, ut illum in Episcopum ordinent.

Hic postquam præfati sunt, æquum esse, ut ab omnibus eligatur, cui debet ab omnibus obediri, Metropolitanum interpellantes, dicunt: " Quapropter cum *Decreto nostræ electionis* manibus singulorum nostrorum robora„to ad Paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ec„clesiæ nostræ filium, & in Ecclesia nostra, suffragantibus „ stipendiorum meritis, ad onus usq; Sacerdotale promo„tum, vitâ & moribus ac sanctâ conversatione idoneum „ approbatum, quem per licentiam vestrã, favente Chri„stianissimo Imperatore Carolo pari consensu, ac con„cordi devotione, atq; unanimi voluntate elegimus, per „ *manus vestras*, ac *cæterorum vestræ Diœceseos Sancto„rum Episcoporum, consecrari*, nobisque & Ecclesiæ no„stræ *Doctorem* atq; *Pontificem institui* imploramus, pre„camur ac petimus."

Extat quoq; ibidem sub *n.* 13. Decretum Cleri Parisiensis de electione Æneæ Episcopi ad Metropolitanum Senonensem ejusq; Provinciales Episcopos; & *n.* 14. Decretum Cleri & Plebis Senonensis de electione Ansegisi Metropolitani, qui ex alia Provincia petitus est, ad Episcopos Provinciæ Senonicæ.

Hæc Decreta; præter alia plura ad disciplinam Ecclesiæ spectantia, ostendunt, eo tempore, factâ electione à Clero & Plebe, electionem fuisse oblatam Metropolitano, ut ipse illam cum Provincialibus Episcopis examinaret; & Electum in Episcopum ordinaret; si omnia canonicè acta, ipsumq; Electum secundum Canones idoneum reperisset: prout ex actis, quæ in eadem Appendice referuntur, ac supra *tit.* 13. *c.* 1. annotavimus, intelligi potest.

IV. Reges quoq; nominatum à se ad Episcopatum Metropolitano in Episcopum ordinandum præsentâsse, ex Concilio Toletano 12. *Can.* 12. superius notatum fuit; & probat forma præsentandi, quæ in sæpius citata Appendice *ad tom.* 8. Conciliorum generalium exhibetur sub hoc titulo: *Indiculus Regis ad Metropolitanum ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.*

Verum quidem est, in dictis formulis ac decretis unicè peti à Metropolitano, ut unà cum Comprovincialibus, Episcopum electum *Ordinet* & *consecret*: quia, ut jam monuimus, disciplina illius temporis Confirmationem à consecratione seu ordinatione non distinguebat; sed Metropolitanus consecrando probabat & admittebat

electio.

ad Prælaturas suorum Regnorum nominari, omni conatu studioque illis reservationibus sese opposuerunt; atque Canonicas electiones restitui voluerunt; suamque quam in iis jam pridem habuerunt, auctoritatem reduci.

IX. E contra Pontifices attendentes, quòd restitutis Canonicis electionibus reipsa quodammodo ad Reges & Principes devolveretur Prælatorum Nominatio; ipsi verò Pontifices in totum ab eis excluderentur; in tantum ut nec Prælatorum confirmatio, quæ de jure communi Metropolitano competit, ad ipsos in posterum spectaret, convenientiùs crediderunt, si Regibus concederent privilegium seu indultum nominandi, sive præsentandi *ipsi Pontifici* personas ad Episcopatus promovendas; & ita Reges jus nominandi Episcopos ex privilegio aut indulto Sedis Apostolicæ habere viderentur; ac unà Sedi Apostolicæ Episcoporum promotio & confirmatio reservaretur.

X. Et sanè Franciscum I. Galliarum Regem non desiderasse abrogationem Canonicarum electionum, quæ per Sanctionem Pragmaticam erant restitutæ, & per famosum Concordatum inter ipsum Franciscum & Leonem X. unà cum Sanctione Pragmatica sunt abrogatæ, sat innuere videtur in proœmio Concordatorum. Ibidem enim exponens, qualiter sibi curæ fuerit, ut Concordata ita essent confecta temperataque, ut pleraque Pragmaticæ Sanctionis firma nobis, ait, posthac rataque futura sint; ac tum pluribus articulis Pragmaticæ Sanctionis relatis, qui post Concordata salvi manserunt, ad articulum de electionibus descendens ait: „Quod verò ad electiones pertinet, minimè *quod optabamus* obtinere potuimus.„

E contra Leo X. totus est, ut ostendat electiones esse abrogandas; asseritque, ex electionibus quæ in Ecclesiis Cathedralibus & Metropolitanis à multis in Regno Galliæ fiebant, grandia animarum pericula provenire; idque hac inter alias ratione, quod *pleraque per abusum sæcularis potestatis* fierent.

Supposuit ergo Pontifex, electiones plerasque ad arbitrium & beneplacitum Principum fieri.

XI. Itaque post multas discussiones ac deliberationes, Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliarum conclusa & recepta fuère anno 1516. quorum primus articulus hic est: „Quod de cætero Cathedralibus & „Metropolitanis Ecclesiis in Regno Galliæ, Delphinatu & „Comitatu Diensi ac Valentinensi nunc & pro tempore etiam per cessionem in manibus nostris (Pontificis) & Successorum nostrorum Romanorum Pontificum Canonicè „intrantium sponte factam vacantibus, illarum Capitula & „Canonici ad electionem seu postulationem, inibi futuri „Prælati procedere non possint: sed illarum occurrente hujusmodi vacatione, Rex Franciæ pro tempore existens, unum gravem Magistrum seu Licentiatum in Theologia, „aut in utroque seu altero Jurium Doctorem aut Licentiatum in Universitate famosa & cum rigore examinis & in „vigesimo septimo suæ ætatis anno ad minus constitutum, „& aliàs idoneum infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum earumdem computandos, *nobis* & Successoribus „nostris Romanis Pontificibus seu Sedi prædictæ *nominare*, & de persona per Regem hujusmodi nominata per nos „& Successores nostros, seu Sedem prædictam *provideri* „*debeat*: & si contingeret præfatum Regem personam taliter non qualificatam ad dictas Ecclesias sic vacantes nominare, per nos & Successores seu Sedem hujusmodi de „persona sic nominata eisdem Ecclesiis minimè provideri „debeat,„ &c.

XII. Hæc Concordata tandem post multas tam ex parte Curiæ Regiæ, quàm Prælatorum atque Universitatis Parisiensis oppositiones, auctoritate Regia publicata & executioni mandata fuère; atque hodie in vim illorum Rex ad Episcopatus & Archiepiscopatus nominat.

XIII. Declarat tamen Pontifex, se non intendere per præmissa in aliquo præjudicare Capitulis Ecclesiarum *Privilegia à Sede Apostolica* proprium eligendi Prælatum *obtinentibus, quominus* ad electionem liberè procedere possint, juxta formam in eorum privilegiis contentam: „Et „si in eorum privilegiis forma aliqua expressa non fuerit, „tum formam Concilii generalis, Capituli QUIA PROP„TER tantùm servare teneantur: dummodo de privilegiis „sibi concessis hujusmodi, per litteras Apostolicas, seu alias „authenticas scripturas docuerint, omni alia specie probationis eis in hoc adempta.

XIV. Verùm, primùm ipse Leo X. ac deinde Clemens VII. per speciale indultum concesserunt ipsi Francisco I. suspensionem privilegiorum, si quæ Sedes Apostolica quibusdam Ecclesiis annuisset; permittentes interim Regi nominationem ad Prælaturas. Simile indultum Pius IV. postmodum Carolo IX. dedisse legitur; ac interea injungebatur omnibus Capitulis, ut si quæ prætenderent hujusmodi privilegia à Sede Apostolica accepisse, eorum litteras Cancellario Regio examinandas traderent. Post hæc Reges Galliæ manserunt in possessione nominādi ad omnes sui Regni Ecclesias Cathedrales; vel quod privilegia in forma authêntica non fuerint producta, vel quod longa possessio jus illud formaverit & firmaverit; uti observat Pinsonius in Historia de Indultis; qui & ibidem refert plura indulta Regibus Galliæ à variis Pontificibus concessa, quibus jus nominandi extenditur ad Provincias & Ecclesias Concordato non comprehensas.

XV. Regi Catholico similia quoque Indulta nominandi ad Cathedrales Ecclesias concessa testantur unanimiter rerum Hispanicarum Scriptores; atque hodie Præsentatio sive Nominatio fit à Rege teste Garcia *De benef. part.* 5. *cap.* 1. *numer.* 217. „cujus juris præsentandi, ait, „& patronatus præcipuum fundamentum est privilegium „Apostolicum, quod habent Reges Hispaniæ. „Deinde ex Mariana in historia Hispanica *lib.* 24. *cap.* 16. refert, quod „cùm fuisset de hoc controversia, Sixtus IV. con„cessit perpetuò Regibus Castellæ, quod in Episcopati„bus eligerentur per eos nominati & petiti.„ Quin & teste Mariana *lib.* 25. *cap.* 5. uti ibidem etiam retulit Garcias: „Papa Adrianus VI. concessit Carolo Imperatori „Regi Hispaniarum & ejus Successoribus jus præsentandi „Episcopos Hispaniæ, qui ante providebantur ad supplica„tionem Regum.

XVI. De hoc jure Regum Hispaniæ latiùs tractat Covarruvias ad *Cap. Possessor part.* 2. §. 10 *numer.* 5. ibique observat, quod non tantùm ex privilegio, sed vi jurispatronatus competat Regibus Catholicis jus præsentandi: „Si„quidem, ait, Hispaniarum Reges Patronatus jus obtinent „in Ecclesiis Cathedralibus, cùm eas erexerint, construxe„rint, & amplis patrimoniis dotaverint.

Uno verbo, uti rectè monet Covarruvias, „absque ulla „controversia Hispaniarum Reges jus, & quasi posses„sionem habent ab eo tempore, cujus initium memoriam „hominum excedit, eligendi & nominandi eos, qui „à Romanis Pontificibus sunt præficiendi, ita quidem, „ut nisi à Rege nominatus nemo possit his dignitatibus in„signiri.

XVII. Et in Bulla erectionis novorum Episcopatuum Belgii, Paulus IV. Philippo Regi ejusque Successoribus, qui pro tempore ejusdem Regionis (scilicet ejus partis inferioris Germaniæ quæ Philippo Regi Catholico hæreditario jure subjecta erat) in temporalibus Domini essent, jus nominandi Romano Pontifici pro tempore existenti personas idoneas ad dictas Ecclesias, quotiescumque illas vacare contingeret, per eumdem Pontificem in Archiepiscopos & Episcopos ad Nominationem hujusmodi Ordinandos, in perpetuum reservavit.

Pari jure omnes penè Principes & Reges Catholicos suarum respectivè Ditionum Episcopos nominare asserit Martha tractatu de jurisdictione *part.* 2. *cap.* 4. & latiùs Michaël Rousel in historia Pontificiæ jurisdictionis *lib.* 2. *cap.* 7.

Porrò „Principes nostri (uti post Boëtium Eponem „ad-

„advertit Zypæus in Jure novo tit. de electione *nu. 3.*) cùm „ad Episcopatum aliquem nominant, prætantur, se id facere vigore *Regaliæ, Indulti Apostolici*, seu *quovis* alio jure „sibi competente. Pontifex verò in litteris confirmationis „providet nominato in vim *Indulti Apostolici*, omissa *Regaliæ* mentione, utpote quasi rejectæ, si non agnitæ.

CAPUT IV.

Quæ conditiones in Nominatione Regia sunt servandæ.

1 *Nominandus secundùm Concordata Galliæ debet esse graduatus in Jure vel in Theologia.*
2 *An magis expediat, ut sit graduatus in Theologia, quàm in Jure?*
3 *Exceptio à dicta Regula Concordati.*
4 *Rex Catholicus aliique Principes ex præcepto Concilii Tridentini qualem nominare debeant?*
5 *Decretum Tridentini ostendit, non exiguam curam adhibendam in concedendis gradibus Academicis.*
6 *Vi Concordatorum Galliæ nominatio fieri debet intra sex menses à die vacationis.*
7 *Si Rex personam non qualificatam nominaverit, tenetur intra tres menses à die recusationis aliam nominare.*
8 *Quomodo recusatio intimanda, & cui?*
9 *Prædictæ limitationi temporis non astringitur Rex Catholicus nec alii Principes.*
10 *Pontifex vigore prædictorum Concordatorum liberè providere potest de Ecclesiis apud Sedem Apostolicam vacantibus: & quid sit ibidem vacare?*
11 *Interdum Rex Galliæ provisioni Pontificis se opponere posset.*
12 *Regia Nominatio Pontifici præsentanda.*
13 *Speciales conditiones in Concordatis seu Indultis in nominatione Regia sunt servandæ.*

I. PLures conditiones in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. in Nominatione Regia servandæ præscribuntur. Et quidem quod personam à Rege nominandam attinet, decernitur, Nominandum à Rege esse debere „Virum gravem Magistrum seu Licen„tiatum in Theologia, aut in utroque Jure seu in altero Ju„rium Doctorem aut Licentiatum in Universitate famosa, „& cum rigore examinis, & in 27. suæ ætatis anno ad mi„nus constitutum.

II. Notat autem Michaël Roussel in historia jurisdictionis Pontificiæ *lib. 2. cap. 6. n.* 19. quod Henricus II. statuerit in Comitiis Blesensibus, neminem se nominaturum, nisi qualitates haberet; ac insuper voluerit ut nominatus examinaretur ab Episcopo vel Archiepiscopo & duobus Theologis: „Sed tutius esset, ait Roussellus, neminem nominari, nec „nominatum admitti, nisi qui *Theologiæ Doctoratum opti„mo marte meruisset*: sic enim dignitas Ecclesiæ, quæ ma„ximè viget in doctis & benè moratis Præsulibus (à doctri„na autem præclari mores plerumque nascuntur, ut ab ig„norantia pravi) facilè restitueretur: idque absolutè addi „Concordato debuerat; siquidem nemo nescit, quàm facilè „gradus Jurium obtineantur, ut ex illis doctus & capax „præsumi non debeat.

Videant qui hodie annuendis Gradibus Academicis præsunt, an hoc Roussellii dictum hodie non verificetur.

III. Portò conditioni de Gradu Academico in nominando requirendo hæc moderatio, subjicitur; „Exceptis „consanguineis Regis, ac personis sublimibus ex causa ra„tionabili, & legitima in Nominatione, & Apostolicis litte„ris exprimenda, nec non Religiosis Mendicantibus *Refor„matis, eminentis* scientiæ, & *excellentis* doctrinæ, qui „juxta Ordinis Regularia instituta ad Gradus hujusmodi „assumi non possunt.

IV. Rex Catholicus aliique Principes, licèt legibus horum Concordatorum non adstricti, nihilominus easdem penè circa Nominandas personas quoad hunc articulum leges servare tenentur vi Concilii Tridentini, quod *Sess. 22. cap. 2. De Reform.* præscribit, „Ut quicumque posthac „ad Ecclesias Cathedrales erit assumendus præter cæteras „qualitates, scientiâ ejusmodi polleat, ut muneris sibi in„jungendi necessitati possit satisfacere. Ideoque antea in „Universitate studiorum Magister sive Doctor in S. Theo„logia vel Jure Canonico meritò sit promotus, aut publi„co alicujus Academiæ testimonio idoneus ad alios docen„dos ostendatur.

V. Hic notandum, Synodum Tridentinam in defectum Gradus Academici requirere, ut Nominandus sive Promovendus *publico* alicujus Academiæ *testimonio* idoneus ad alios docendos ostendatur; adeòque non obscurè insinuare & supponere, Gradus Academicos esse publica eruditionis ac scientiæ testimonia; ut consequenter, qui his muniti fuerint, alio publico Academiæ testimonio non indigeant.

Hinc patet, quàm soliciti esse debeant Doctores, quibus admissio ad hujusmodi Gradus incumbit, ne publica illa eruditionis ac capacitatis testimonia annuantur iis, qui scientiâ atque capacitate, quam Gradus præfert, debitè non sunt instructi: ne aliàs levius illa concedentes, Ecclesiæ ac Fundatoribus, qui Gradus illos tamquam eruditionis testimonia requisierunt, in re summi momenti imponatur.

Unde inter rationes, quibus pius ille Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius ad renuntiandum officio Cancellarii movebatur, hæc una erat: „Cogor ad deliberationem „aliorum, vel pro consuetudine temporis, *ignaros* scientiâ „& *perniciosis* moribus promovere.„ Ad quæ reflectens Joannes Sinnichius ait: „Censuit nimirum, indignorum ad „Gradus Academicos promotionem, *gravem* esse *iniqui„tatem*; ideo utique, quia *immanem* Reipublicæ tam Ec„clesiasticæ quàm Politicæ infert perniciem.„ Saul Exrex *lib. 1. cap. 122. §. 465.*

VI. Aliæ sunt conditiones in præfatis Concordatis, quæ respiciunt tempus, intra quod Nominatio à Rege fieri debet; nimirum intra *sex menses* à die vacationis Ecclesiarum computandos.

VII. Deinde additur: „Et si contigerit, Regem perso„nam taliter *non qualificatam* ad dictas Ecclesias sic va„cantes nominare, nos (Leo X.) & Successor seu Se„des hujusmodi de persona sic Nominata iisdem Eccle„siis minimè providere debeat: Sed teneatur idem Rex in„fra *tres alios menses à die recusationis* personæ nomina„tæ non qualificatæ, solicitatori Nominationem non „qualificatam prosequenti, *consistorialiter* factæ inti„mandæ computandos; alium supra dicto modo nomi„nare.

Prima ergo nominatio per Regem fieri debet *infra sex menses à die vacationis*; si autem nominata sit persona, non qualificata juxta præscripta in Concordato, eamque Pontifex confirmare recusaverit, alium nominare Rex poterit; sed intra *tres menses*, si verò prima Nominatio Regia non fuerit plenè sortita effectum, utpote quia nominatus consentire recusavit, vel post consensum juri suo renuntiat, aut fortè diem clausit extremum, seu propter occultum ejus vitium nominatio irritatur, tunc, inquit Rebuffus, Rex habebit alios *sex menses*, ac si vacatio nova esset.

VIII. Prædicti verò *tres menses* computandi sunt à die *recusationis intimata prosequenti* Nominationem.

Hinc infert Rebuffus in Commentario ad Concordata titulo de Regia nominatione, verbo *prosequenti*, quod *solicitator* Regis debeat prosequi Nominationem factam per Regem; „Atque per hoc infertur, ait Rebuffus, „quod Rex tenetur habere Romæ *solicitatorem*, qui no„minationem hanc prosequatur. Quod si *solicitator* mor„tuus

„ tuus sit, tunc putarem, ait idem, recusationem posse intimari *Procuratori Nominati* vel illi cui directæ sunt litteræ. fortè etiam posset eo casu recusatio intimari *Protectori* „ Galliarum, vel alteri *negotia* Regis Romæ *gerenti*, vel alteri *solicitatori* prosequenti hanc nominationem.

Imò juxta stilum hodiernum, Rex tres litteras Romam pro expeditione ac prosecutione Nominationis mittit. Unam ad Pontificem, alteram ad suum Legatum Romæ residentem, & tertiam ad Cardinalē Protectorem Regni Franciæ; qui etiam in Consistorio negotium illud proponit ac refert; uti titulo sequenti dicetur.

Porrò hæc *recusationis intimatio* nequaquam fieri debet *consistorialiter*, uti nonnulli ex verbis concordati concludere voluerunt, sed *recusatio* tantùm *consistorialiter*, sive in *Consistorio* concludenda est, quemadmodùm observat & probat Rebuffus loco citato, verbo *Consistorialiter*.

IX. Porrò eâ temporis limitatione per Concordata præfixâ, nec Rex Catholicus, nec alii Principes Concordatis hisce non comprehensi constringuntur; quinimò Regibus Hispaniæ non currit tempus *quatuor* mensium, quod de jure omnibus Patronis laicis præscriptum est; etiamsi *sciat* Rex vacationem; idque ex legitima præscriptione, quâ omnes Reges Hispaniæ *tuti* sunt, ait Garcias *De beneficiis parte* 10 *cap.* 2. *n.* 34. „ eò quòd impediti multis occupationibus tam in bello, quàm in pace, non possint intra illud tempus præsentare. Et ita *semper practicari vidimus*, cum Rege enim non curatur de tempore & termino ad præsentandum, tam in Episcopatibus, quàm in aliis præsentationibus.

X. Præscribitur prætereà in sæpe dicto Concordato, quòd de Ecclesiis per *obitum* apud *Sedem* Apostolicam vacantibus, semper, etiam nullâ Regis præcedente Nominatione, *liberè* per *Pontificem* provideri possit.

„ Tunc dicitur *apud Sedem* vacare (ait Rebuffus in verbo, *Apud Sedem*) etiamsi in locis vicinis per *duas dietas* „ moriatur, sive ibi occasione *Curiæ* moraretur, sive *aliâ* „ *causâ* apud *Sedem prædictam* esset.

Restringitur autem vacatio hæc ad vacationem *per obitum*; ideoque si per resignationem aliovè modo apud Sedem vacare contigerit, Pontifex providere non poterit, nisi prævià Nominatione, aut saltem prævio Regis consensu, uti notat Rebuffus verbo, *Per obitum*; & latiùs prosequitur Fevretius *lib.* 2. *De abusu cap.* 7. *n.* 11.

XI. „ Posset etiam Rex Franciæ (inquit Rebuffus ibidem verbo, *Provideri possit*) in hoc casu quando vacat „ per obitum in curia, contra provisum per Papam se opponere & excipere, si timeret *de conjuratione*, seu *proditione patriæ*, seu revelatione *secretorum* suorum ratione patriæ, unde provisus est oriundus, vel propter parentes suos, „ qui semper Regi fuerunt infesti, & tunc esset audiendus, „ quia satis prosequitur interesse proprium.

XII. Denique vi Concordatorum, Regia Nominatio ad Romanum Pontificem deferenda est; à quo solo provisoria seu confirmatoria diplomata concedi possunt; quod hodie etiam in aliorum quorumcumque Regum ac Principum Nominatione; quin & in Electione quæ vi Concordatorum Germaniæ fit, ubique obtinet; idque contra pristinam, ac etiam jure Decretalium stabilitam Ecclesiæ disciplinam, quæ Episcoporum confirmationem, vel Conciliis Provincialibus, vel Metropolitanis deferebat, uti latius titulo sequenti exponetur.

XIII. Si quæ præterea speciales conditiones in Concordatis, aut Indultis vel privilegiis, quibus Regibus & Principibus jus nominandi concessum est, fuerint expressæ & acceptatæ, hæ indubiè juxta tenorem expressum servandæ sunt, præter illa, quæ ipsa ratio & divina lex omnibus, quibus jus nominandi aut eligendi Ministros Ecclesiæ competit, servanda præscribit.

CAPUT V.

Quædam circa Electionem, & Nominationem Episcoporum invariata manserunt.

1 *Qui ad Electionem & Nominationem concurrunt, tenentur bonum Ecclesiæ præ oculis habere.*
2 *Patroni etiam laici vi sui juris Ecclesiæ Ministros designant.*
3 *In distributione beneficiorum committitur acceptatio personarum, dum ex humano respectu minus aignus dignioti præponitur.*
4 *Probatur auctoritate S. Thomæ.*
5 *In promotione ad Episcopatum acceptio personarum est grave peccatum.*
6 *Nominationem Episcoporum recusavit Valentinianus Imperator; & quare?*
7 *Ludovicus VI. Galliarum Rex noluit acceptare Privilegium conferendi munia Ecclesiastica.*
8 *Idem fecit S. Ludovicus.*
9 *Quam solicitus hic fuerit, ut digni ad munia Ecclesiæ promoverentur.*
10 *Qui in Nominatione ad Episcopatus non multùm sunt soliciti de qualitatibus promovendorum convincuntur non satis æstimare pretium animarum.*
11 *Ab Episcopatu repellendi ambientes.*
12 *Prævie ad Nominationem diligens instituenda inquisitio.*
13 *Pro obtinendo bono Pastore, tum publicæ, tum privatæ preces instituendæ.*
14 *Quomodo ad has populus excitandus?*

VAria fuisse circa personas eligentes aut ad electionem concurrentes disciplinam, & electionis formam, ex historiis & sacris Canonibus, aliisque Ecclesiasticis monumentis in præcedentibus sufficienter est ostensum.

I. Verùm quæcumque in his potuerit pro ratione temporum aut locorum intervenire mutatio, illud semper mansit, & manebit immutabile, ac invariabile, quod quicumque sive Clerici sive Laici; seu Reges, seu populus ad Electionem vel Nominationem concurrant, tenentur in Electione sive Nominatione bonum Ecclesiæ, cui Pastor præficiendus est, præ oculis habere.

II. Indubitatum quippe est, quod etiam Reges aliique Patroni laici vigore jurispatronatus, aut indulti vel alterius tituli ad Episcopatus cæteraque Ecclesiastica beneficia nominantes aut præsentantes, vi illius Ecclesiæ Ministros designent; atque Ecclesiastica munia distribuant.

III. Certum autem est, in distributione beneficiorum seu officiorum Ecclesiæ eam qualitatem personæ attendendam esse, quæ personam magis idoneam aut utilem ad ministrandum & serviendum Ecclesiæ ostendit; id est, attendendam esse qualitatem, quæ ad bonum Ecclesiæ facit.

Hinc ulteriùs consequitur, quòd quicumque ad beneficia nominant, vitium acceptionis incurrant, ipsamque justitiam distributivam lædant, si ex humano aliquo respectu, & intuitu qualitatis personæ aut motivi, quæ nullatenus Ecclesiæ utilitatem respiciunt, nec personam Ministerio, ad quod eligitur, digniorem reddit, ad nominandum aliquem minùs dignum, relicto digniore, moveantur.

IV. „ Si potest haberi aliquis magis idoneus, ait Sanctus „ Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, oportet quod hoc sit propter „ aliquam causam: quæ quidem si *pertineat ad negotium*, „ quantum ad hoc erit ille, qui eligitur, magis idoneus: si verò non pertineat ad negotium id quod consideratur ut „ causa, erit *manifestè acceptio personarum*.

V. Not

V. "Nec sanè quantum arbitror, inquit S. Augustinus „*epist.* 54. putandum est, leve esse peccatum in persona„rum acceptione habere fidem Domini nostri JESU „CHRISTI; si illam distantiam sedendi & standi ad ho„nores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi „divitem ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupe„re instructiore atque sanctiore."

Si hoc generatim de *honoribus Ecclesiasticis* putaverit Augustinus, quid non censendum, si hæc personarum acceptio ad *Episcopatus* referatur? Nam, ut meritò monuerunt Patres Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 1. *De reform.* "Si in „quibuslibet Ecclesiæ gradibus providenter scienterq; „cavendum est, ut in domo Domini nihil sit inordina„tum, nihilq; præposterum: multo magis elaborandum „est, ut in Electione ejus, qui suprà omnes gradus con„stituitur, non erretur. Nam totius familiæ Domini sta„tus & ordo nutabit, si quod requiritur in corpore, non „inveniatur in capite."

Ac deinde tamquam ex prædictis consequens subjungit: "Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præfi„ciendorum quodcumq; jus quacumque ratione à Sede „Apost. habent, aut alioquin operam suam præstant; ni„hil in iis pro præsenti temporum ratione innovando, „hortatur & monet, ut imprimis meminerint, nihil se ad „Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, „quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ ido„neos promovere studeant, eosq; alienis peccatis com„municantes *mortaliter* peccare, nisi quos *digniores* & „Ecclesiæ *magis utiles* ipsi judicaverint, non quidem *pre„cibus*, vel *humano affectu*, aut *ambientiū suggestionibus*, „sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter cura„verint; & quos ex legitimo matrimonio natos, & vitâ, „ætate, doctrinâ, atque aliis omnibus qualitatibus præ„ditos sciant, quæ juxta Sacros Canones, & Tridentinæ „hujus Synodi decreta requiruntur."

VI. Hoc periculum in Electione seu Nominatione ad Ecclesiæ Ministeria, præsertim Episcopatûs, expendens Valentinianus Imperator, ad Eligendum Mediolanensem Episcopum Synodum Episcoporum quidem convenire jussit; eosque exhortatus est, ut talem eligerent Episcopum, qui *non solo verbo, sed etiam conversatione gubernet subjectos, & totius semetipsum imitationem virtutis ostendat, testemque doctrina conversationem bonam habeat*; et cum Synodus petiisset, ut *magis ipse decerneret* eligendum *sapiens & pius*, mox respondit: *Supra nos est talis Electio. Vos enim gratiâ divinâ potiti, & splendore fulgentes, meliùs poteritis eligere.* Apud Gratianum *Dist.* 63. *Can.* 3.

VII. De Ludovico VI Galliarum Rege refertur: "Re„versus de Hierosolymitana contra Saracenos expe„ditione, cum quidam Clericus Româ Papale quoddam „privilegium attulisset, quo in omni Ecclesia Cathe„drali sui regni jus conferendi cui vellet primam va„caturam cum cunctis fructibus medio tempore prove„nientibus consequebatur, confestim combussit litteras, „dicens:" *Malo illas hic comburere, quam si propter illas in inferno comburerer.* Thomas Walsingam in hypodigm. Neustriæ.

VIII. Scribit Broymarus Cancellarius S. Ludovici Galliarum Regis in ejus vitâ: "cum ei instituendi Pasto„res à Pontifice potestas facta esset, ad idque diploma le„gatus Româ rediens attulisset: quod mea, inquit, Ro„mæ negotia strenuè obieris, laudo: quod mihi à Pon„tifice munus hoc retuleris, non probo. Intelligo enim „*quanto cum periculo anima mea* & regni id susciperem, „ac protinus diploma in ignem projecit."

IX. Quàm verò ipse solicitus esset, ut optimè in Ecclesiæ bonum de Beneficiis ad suam Nominationem spectantibus, provideretur, exponit Nangius in ejus vitâ *pag.* 369. "Sanè in Beneficiis conferendis, quæ ad pa„tronatum, sive donationem ipsius pertinebant, *Deum „semper* præ oculis habebat, & Electis & probatis perso„nis, quantum poterat, conferebat. Quas personas eligi „& *inquiri* faciebat per Cancellarium Parisiensem & a„lios bonos viros."

X. Et profectò Principes eorumque Ministri, qui in nominatione ad Beneficia Ecclesiastica, præsertim Episcopatus, unde salus unius integræ Diœcesis magna ex parte dependet, soliciti non sunt, ut capaciores ac digniores promoveantur, convincuntur non æstimare pretium Animarum. Divinitus enim jam pridem dixit Hormisdas Papa *Epist.* 25. *cap.* 1. "Æstimet quis pretium Domini„ci Gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat „esse Pastoris."

XI. Sed prô dolor! frequenter ampliùs inquirunt, magisque anxii sunt, ut fidelem ac expertem constituant civitatis alicujus aut castri Rectorem aut Gubernatorem, cui salus & conservatio temporalis concredatur, quam quis constituatur Civitatis aut Diœcesis Episcopus, cui tot animarum æterna salus committitur: non rarò hîc vix aliud considerantes, quam quis pluribus commendationibus, ne dicam muneribus & obsequiis sit instructus.

Utinam hi expenderent illud numquam satis expendendum Imperatorum in *L.* 31. *Cod. De Episcopis & Clericis*: "Tantum ab ambitu debet esse sepositus (or„dinandus Episcopus) ut *quæratur cogendus*, rogatus *re„cedat*, invitatus effugiat, sola ei suffragetur *necessitas* ex„cusandi. Profectò *indignus* est Sacerdotio, nisi fuerit „ordinatus *invitus*."

XII. Laudandum ergo fuit Decretum Regis Galliæ in Comitiis Blesensibus promulgatum, ne Nominatio Regia ad Episcopatus fieret ante mensem à vacatione, ut maturius de persona Nominandâ deliberari ac inquiri posset.

Quàm hæc inquisitio necessaria sit, & quomodo nullatenus excusentur prætextu ignorantiæ, si omissâ sedulâ ac studiosâ inquisitione, Ecclesiæ zelosum ac fidelem Ministrum non dederint, quibus jus Eligendi aut Nominandi competit, multis ostendit S. Chrysostomus *Lib.* 1. *De Sacerd. cap.* 2.

Ulteriùs, quamvis moderna Ecclesiæ disciplina nec populum, nec Clerum saltem inferiorem ad Electionem Episcoporum admittat, tamen illud semper verum manebit, tam populi quàm Cleri plurimum interesse, ut talis Pastor Ecclesiæ detur, qui Boni Pastoris qualitatibus sit instructus.

XIII. Et quia scimus, cor Regis esse in manu Dei, & quod à Summo Animarum Pastore dependeat, mittere operarios in messem suam, illud saltem Populo & Clero incumbit, ut precibus ad Deum fusis Bonum Pastorem instanter ac humiliter petant.

Quapropter durante disciplinâ, quæ Electionem Clero populoque deferebat, Visitator Electioni intendens universos monebat. "Magnopere studendum est, dile„ctissimi fratres, *Deum suppliciter deprecari*, ut talem in„ter vos, ad suum servitium aptum, & vobis profectuo„sum per suam magnam clementiam manifestare digne„tur. Ideoque admonemus, ut *triduana jejunia* ab omni„bus in ista Parochia commorantibus fieri jubeantur, & „ut *eleëmosyna*, quantumcumque dare potuerit in suo „maneat arbitrio. Simulque omnes unâ voce unâq; men„te omnipotentem Deum deprecemur, ut talis Dei fa„mulus, Deoque dignus, & bonis hominibus acceptus, „ad illam Venerabilem Sedem Pontifex eligatur, qui „postmodum nullo vitio, nullâ reprehensione arguatur: „sed sit bonis moribus ornatus, & sancta conversatione „suffultus, Sacrisque Litteris imbutus, & idoneus mini„ster esse possit ad perficiendum ea quæ ei commissa „fuerint."

Eâdem ratione, stante modernâ disciplinâ, Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 1. *De reform.* statuit, "Ut, cùm „primùm Ecclesia vacaverit, Supplicationes ac *Pre„ces publicè privatimque* habeantur, atque à Capitulo „per civitatem & Diœcesim indicantur; quibus Clerus

„ populusque bonum à Deo Pastorem valeat impetrare."

XIV. Plurimùm valebit ad excitandam populi devotionem & fervorem, si animarum Directores frequenter ac vivaciter populo exponant, quantum mali immineat sibi, si pro Pastore bono mercenarius, aut etiam lupus aliquis intret; quodque Deus interdum ob peccata populi permittat, ut non mercenarii dumtaxat, sed & lupi in ovile suum intrent, illudque tum sui malis exemplis & moribus, tum perversis doctrinis devastent, ovesque spiritualiter occidant.

TITULUS XIV.

De Confirmatione Episcoporum.

CAPUT I.

Ad quem spectet Episcoporum Confirmatio.

1 *Primitus ad Metropolitanum cum Episcopis Comprovincialibus spectavit.*

2 *Probatur ex Concilio Nicæno & Laodiceno.*

3 *Præcipua auctoritas erat penès Metropolitanum; & ad hunc solum sensim devolutum est jus confirmandi.*

4 *Per 13. sæcula apud Metropolitanum permansit.*

5 *Per Reservationes Pontificias sæculo 14. ad Sedem Apostolicam jus confirmandi devolvi cœpit.*

6 *Etiam post sublatas Reservationes mansit jus confirmandi penès Pontificem.*

7 *Concordata Germaniæ illud Sedi Apostolicæ deferunt.*

8 *Item Concordata Galliæ.*

9 *Similiter Indulta & Privilegia nominandi Episcopos Regi Catholico aliisque Principibus concessa.*

I. ELectionem Episcoporum multis sæculis, præsertim in Ecclesia Latina suffragio Cleri ac populi factam fuisse, supra ostendimus; unà quoque ibidem notavimus, non eam fuisse hujus electionis vim, sive authoritatem, ut necessariò is esset Ordinandus, quem populus Ordinandum expetiisset; sed penès Metropolitanum cum Episcopis suffraganeis jus fuisse, electionem, electamque personam examinandi; utrùm nimirum & illa Canonica esset; & hæc ad Ecclesiam regendam, & onus Episcopale sustinendum sufficiens: atque ulteriùs in potestate Metropolitani & Episcoporum fuisse, electionem probare, vel improbare; prout eam vel Canonicam, aut minùs Canonicam judicarent. Hoc insuper notandum, quod nec per ejusmodi electionem, uti hodie, jus aliquod *ad rem* ipsi electo acquireretur, antequam per Metropolitanum, ac Episcopos Comprovinciales electio seu nominatio populi esset probata & admissa; ipseque electus Ordinatus & in Cathedra collocatus.

II. Itaque Confirmatio & approbatio electionis sive nominationis primis Ecclesiæ sæculis omnimoda erat penès Episcopos Ordinatores, id est, Metropolitanum cum Suffraganeis juxta Canonem IV. Nicænum, quo decernitur: "Episcopum oportet maximè quidem ab *omnibus* qui sunt in Provincia *constitui*, si autem sit hoc „ difficile, vel propter urgentem necessitatem, vel viæ „ longitudinem, tres omnino eundem in locum congre„gatos, absentibus quoque suffragium ferentibus, scrip„tisque assentientibus, tunc electionem fieri, eorum au„tem quæ fiunt, Confirmationem in unaquaque Provin„cia *à Metropolitano* fieri."

Hoc Canone non de sola ordinatione sive consecratione agi, sat innuit ipse consensus absentium in scriptis requisitus; qui ad Confirmationem sive approbationem electionis, nequaquam ad ipsam formalem ordinationem sive consecrationem aliquid conferre potest.

Unde Canone 12. Synodi Laodicænæ edicitur, ut "Episcopi judicio Metropolitanorum & eorum qui cir„ cumcirca sunt Episcoporum provehantur ad Ecclesia„ sticam Dignitatem; ii videlicet qui plurimo tempore „ probantur tam verbo fidei, quàm rectæ conversationis „ exemplo."

Metropolitano igitur cum vicinis, id est, Comprovincialibus Episcopis defert hæc Synodus, eodem quo Nicæna celebrata sæculo, *constitutionem sive provectionem* Episcoporum; idque indubiè ob approbationem & confirmationem electionis, quæ ab ipsis, secundùm temporis illius disciplinam dependebat.

Quoniam tamen inter Episcopos Ordinatores, primus & præses esset Metropolitanus; neque semper omnibus Comprovincialibus Episcopis commodum esset, ad singulas Episcoporum ordinationes convenire, sensim et quodam ut minùs tacito Ecclesiæ consensu ad Metropolitanum integrum plenè devolutum est jus electionis discutiendi, easque vel ut Canonicas probandi, vel ut minùs Canonicas reprobandi.

Et quidem Nicæna Synodus hanc Metropolitani auctoritatem in Episcoporum ordinatione in relato Canone non obscurè expressit his verbis: "Potestas sanè „ vel *confirmatio* pertinebit per singulas Provincias, ad „ Metropolitanum Episcopum." Gratianus *Dist. 64. can. 1.*

Et Canone 6. ait: "Illud generaliter clarum est: quod „ si quis præter *sententiam Metropolitani* fuerit factus E„ piscopus, hunc magna Synodus definivit, Episcopum „ esse non oportere." *Dist. 64. can. 8.*

Hinc illud Innocentii I. "Extra *conscientiam Metropo„ litani* Episcopi, nullus audeat ordinare Episcopum." *Dist. 64. can. 5.*

Quin & si inter Electores circa personam eligendam sit dissensio, Metropolitani est, eum ordinare, qui majoribus meritis juvatur: Ita enim ad Anastasium Thessalonicensem scribit S. Leo: "Cùm ergo de summi Sacerdotis „ electione tractabitur, ille omnibus proponatur, quem „ Cleri, plebisque consensus, *concorditer* postulavit; ita „ ut si in aliam fortè personam partium se vota *diviserint*, „ *Metropolitani judicio*, alteri præferatur, qui majoribus „ & studiis juvatur & meritis."

Synodus VII. *Can.* 2. Metropolitani munus esse declarat, futurum Episcopum examinare, probareque, an sacri scientiâ sit satis instructus.

IV. Hæc disciplina Metropolitano Confirmationem suorum Suffraganeorum attribuens per tredecim facilè sæcula inconcussa permansit; eamque & jus commune Decretalium Gregorii IX. apertissimè supponit, & confirmat; unde uno consensu tradunt Canonistæ, Episcopum de jure communi confirmandum esse à suo Metropolitano.

Unde Joannes Eckius, ille famosus Lutheri Antagonista *lib. 3. De primatu Petri cap. 40.* ait, ab antiquo constitutum, Episcopum quem libet à suo Metropolitano confirmandum, & Metropolitanum à Primate, & Primatem à suo Patriarcha: miraturque quomodo contra jura (quæ plurima ibidem profert) suas Confirmationes Episcopi præsertim Germani, ex Roma petant. Pergit enim: „ Quod jugum nescio quomodo Episcopi excusserunt, „ ut Confirmationem, saltem in Germania, omnes ex „ Roma petant. Forsan Viri magni & potentes, ac na„ talibus illustres, dedignabantur confirmari ab humi„ lis generis Metropolitano. Hoc autem de Confirma„ tione

„tione per Metropolitanum facienda, constitutum fuit: „in concilio Niceno &c."

V. Verùm an hæc fuerit aliquando occasio quòd Episcopi pro Confirmatione ad Sedem Apostolicam recurrerint, nescio; illud certius est, quòd sicuti per Reservationes Pontificias, quæ potissimùm à Joanne XXII. incrementum accepêre, ad Sedem Apostolicam sæculo 14. provisiones sive nominationes fuêre devolutæ; atque eo titulo electiones canonicæ quodammodo abolitæ; pariter jus confirmandi Episcopos Metropolitanis ademptum & Sedi Apostolicæ fuerit reservatum. Indignum quippe credebatur, ut à Romano Pontifice ad Episcopatum designatus, à Metropolitano Confirmationem petere & accipere juberetur. Quid enim id aliud, quàm nominationem Pontificiam, Metropolitani judicio probandam vel improbandam subjicere?

VI. Licèt verò hæ Pontificiæ reservationes quoad Episcopatus & Prælaturas, sive per Concordata sive per indulta ac privilegia Regibus concessa quoad nominationes & electiones ad Cathedrales Ecclesias fuerint in multis restrictæ; scilicet reservando ipsis Capitulis Canonicas electiones, uti contigit per Concordata Germaniæ; vel jus nominandi Regibus ac Principibus indulgendo, tamen Confirmationes Romano Pontifici hactenus reservatæ manserunt; nec quidquam juris Metropolitanis restitutum est.

VII. Et quidem Concordata Germaniæ volunt, "quod „in Metropolitanis & Cathedralibus Ecclesiis immedia„tè non subjectis Sedi Apostolicæ, fiant electiones Cano„nicæ, quæ ad dictam Sedem deferantur; quas etiam, ait „Pontifex Nicolaus V. ad tempus constitutionis felicis „recordationis Nicolai Papæ III. quæ incipit *Cupientes* „exspectabimus, & elapso dicto termino si non præsen„tatæ, vel si præsentatæ minus Canonicæ fuerint, provi„debimus, & si Canonicæ fuerint, eas *confirmabimus*, nisi „ex rationabili & evidenti causa, ac de dictorum Fratrum „consilio de digniori & utiliori persona duxerimus pro„videndum, proviso quòd Confirmati prædicti, & per „nos provisi, Metropolitanis suis & aliis præstent debita „juramenta, & alia, ad quæ de jure tenentur."

VIII. Concordata similiter inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Franciæ habent, ut Rex Virum gravem qualitatibus ibidem expressis instructum, & aliàs idoneũ infra sex menses à die vacationis Ecclesiarum Romanis Pontificibus seu *Sedi Apostolicæ nominabit*, & de persona per Regem hujusmodi nominata per *Romanos Pontifices*, *seu Sedem* prædictam *providebitur*.

Itaque etiam vi horum Concordatorum requiritur Papæ provisio: "Alioquin si à Rege nominatus (inquit Re„buffus *De Regia ad Prælaturas nominatione*, verbo *Pro„videri*) receperit fructus Episcopatus *ante Papæ provi„sionem*, amittit jus nominationis & dicitur *intrusus*."

IX. Indulta quoque ac privilegia, quibus Romani Pontifices Regibus Hispaniæ & Principibus nostris jus nominandi ad Cathedrales Ecclesias indulserunt, Confirmationem sive Provisionem Romanis Pontificibus seu Sedi Apostolicæ reservârunt; nec alteri, quàm Sedi Apostolicæ personam à Rege præsentari volunt.

CAPUT II.

Confirmatio dari debet prævia causæ cognitione.

1 *Confirmanti meritò applicatur illud Apostoli:* Manus cito nemini imposueris.
2 *Quid sit* manus citò imponere?
3 *Confirmatio danda est prævio diligenti examine.*
4 *Ante Confirmationem citandi, qui electioni se volunt opponere; & quomodo?*
5 *Informatio accipienda etiam circa personam electam.*
6 *Informatio facienda in loco in quo Electus solitus fuit conversari.*
7 *Quàm solicitè inquisierit circa personam electam ante Confirmationem S. Gregorius?*
8 *Exactum fuisse institutum examen sæculo nono in hisce Provinciis ostenditur.*

I. Cum is qui confirmat electum vel nominatum, eumdem instituat; ac propriè Ecclesiæ Pastorem provideat & constituat, meritò innocentius III. in *Cap.* 19. ¡¡ *De Elect.* confirmanti applicat illud Apostoli ad Timotheum: *Manus* CITO *nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. *ad Tim.* 5. 22.

II. "Quid verò est (ait S. Leo *Epist.* 1. *c.* 2.) CITO *ma„nus imponere*, nisi ante ætatem maturitatis, ante tem„pus *examinis*, ante meritum laboris, ante experientiam „disciplinæ, Sacerdotalem honorem tribuere *non proba„tis*." Gratianus *Dist.* 78. *Can.* 3.

III. Meritò ergo jam pridem Sacris Canonibus cautum fuit, ne Metropolitani aliique Prælati, quibus jus confirmandi seu probandi electiones aut nominationes ad Ministeria Ecclesiastica præsertim Episcopatus competit, præcipitanter sine prævio maturo ac diligenti examine & informatione ad Confirmationem prosiliant. Hos renovans Concilium Lateranense sub Innocentio III. "ir„refragabili constitutione sancivit, quatenus cùm quis„quam ad regimen animarum fuerit electus, is ad quem „pertinet ipsius confirmatio, *diligenter examinet* & *ele„ctionis processum*, & *personam electi*: ut cùm omnia ritè „concurrerint, munus ei Confirmationis impendat: quia „si secus fuerit incautè præsumptum, non solùm dejici„endus est indignè promotus, verùm etiam *indignè pro„movens puniendus*. Ipsum quoq; decernimus hac animad„versione puniri: ut cùm de ipsius constiterit negli„gentia, maximè si hominem insufficientis scientiæ, „vel inhonestæ vitæ, vel ætatis illegitimæ approbave„rit: non solùm confirmandi primum successorem il„lius careat potestate, verùm etiam (ne aliquo casu pœ„nam effugiat) à perceptione proprii beneficii suspen„datur, quousque (si æquum fuerit) indulgentiam va„leat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per ma„litiam excessisse, graviori subjaceat ultioni." *Cap.* 44. ¡¡ *De Elect.*

IV. Si electus coëlectum aut specialem suæ electionis adversarium habeat, is ante Confirmationem *nominatim* vocandus erit; aliàs ubi *concors* fuit electio, aut nullus *nominatim* se electioni opponit, generale ac peremptorium edictum proponendum est in Ecclesia, in qua electio facta est: ut si qui sint, qui se volunt opponere, constituto termino veniant. *Cap. fin. de elect. in VI.* ubi & Confirmationes hisce non observatis factæ, declarantur viribus omnino carere, irritæ & inanes.

V. Examen, seu informationem esse faciendam, non tantùm circa electionis processum, sed etiam *personam electi*, declarat citatum Lateranensis Concilii sub Innocentio III. Decretum. Et quidem quòd tria præcipuè inquirenda sint in persona electi, videlicet, ætas legitima, morum honestas, & litteratura sufficiens, scribit idem Innocentius Archiepiscopo & Capitulo Capuano *in c.* 19. ¡¡ *De Elect.* IN INTEGRA.

VI. Quia verò vita cujusq; exactiùs nosci potest in loco in quo quis diu conversatus fuit, ibidem inquirendum est de moribus electi, *c.* 3. ¡¡ *de elect.* quod sub nomine Gregorii III. retulit Raymund. at, uti rectè notavit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretal. fragmentum est, licèt truncatum, & in nonnullis immutatum, *ep.* 18. *lib.* 8. S Gregorii ad Anthemium Subdiaconum Campaniæ; ex qua apparebit, quàm fuerit hic S. Pontifex solicitus, ut accuratè de vita moribusq; electi esset instructus, priusquã electionem suo assensu probaret, atq; unà intelligetur, quàm utile sit ad intellectum Decretalium, recurrere ad fontes è quibus sua Raymundus aut alii Decretalium collatores hauserunt: uti latiùs in tractatu Histo-

Hiſtorico-Canonico in Canones *part.* 8. *cap.* 1. §. 6. monui.

VII. Itaque in citata epiſtola ſcribit S. Gregorius:
"Poſtquam is, qui ad Epiſcopatum Surentinæ civitatis
„ electus fuerat, aptus nobis viſus non eſt, Amandum
„ Presbyterum Oratorii S. Severini, quod in caſtro Lucu-
„ lano ſitum eſt, elegerunt. Ea propter experientiæ tuæ
„ præcipimus, ut eundem Presbyterum excuſatione poſt-
„ poſita, ſub omni ad nos ſtudeat feſtinatione tranſmitte-
„ re: quatenus petentium deſideria cum Chriſti auxilio,
„ ſi nihil eſt quod eum impediat, impleantur. Cujus vita
„ vel actus, quia meliùs poſſunt illic ubi diu eſt conver-
„ ſatus, agnoſci, curæ tuæ ſit cum fratre & Epiſcopo no-
„ ſtro fortunato de eo *diligenter inquirere*. Et ſi nulla
„ ſunt quæ ad ſacrum Ordinem obſiſtere valent, ad nos
„ debet omni poſtpoſita tarditate tranſmitti."

Quàm exactum examen ſuper electionis proceſſu, & perſona electi per Metropolitanum ſæculo nono, etiam hiſce in partibus inſtitueretur, abundè probat examinatio Willeberti Catalaunenſis ordinandi Epiſcopi per Hincmarum Remenſem Metropolitanum, aſſidentibus Provinciæ Remenſis, & aliarum Provinciarum Epiſcopis: quæ extat integra in appendice *Tom.* 8. Conciliorum generalium editionis Labeanæ *col.* 1878.

Firmum itaque & conſtans ſemper fuit, Confirmationem Epiſcoporum non eſſe *leviter* annuendam; ſed ſerium tam ſuper qualitatibus electi, quàm forma electionis examen eſſe præmittendum; quamvis ritus hujus examinis, & Confirmationis pro temporum & locorum diverſitate varius fuerit; quemadmodum in ſequentibus oſtendetur.

CAPUT III.

Per quos, & quâ formâ hodie informatio de Nominatis ad Epiſcopatus ſumatur?

1 *Synodus Tridentina non determinavit per quem aut quâ formâ facienda ſit informatio.*
2 *Vult dicta Synodus, ut in Synodo Provinciali forma præſcribatur.*
3 *Forma examinis in Synodo Provinciali Cameracenſi anno* 1565. *præſcripta.*
4 *Eadem in Synodo ejuſdem Provinciæ anno* 1586. *& in Mechlinienſi anno* 1570. *probatur.*
5 *Patres harum Synodorum non crediderunt, per Synodum Tridentinam ſolis* Nuntiis *Apoſtolicis informationem demandatam fuiſſe.*
6 *Neque id in Gallia creditum: & quid in Comitiis Bleſenſibus ſuper forma examinis decretum?*
7 *Gregorius XIV. & Urbanus VIII. declarârunt, informationem non eſſe ſumendam per Ordinarios, niſi* deficientibus *Legatis Sedis Apoſtolicæ.*
8 *Synodus Provincialis Mechlinienſis an.* 1607. *recepit Bullam Gregorii XIV.*
9 *Conformiter ad illam Bullam in hiſce Provinciis ſoli Nuntii Apoſtolici excluſis Ordinariis informationes accipiunt.*
10 *In Gallia id non æquè receptum.*
11 *Quid anno* 1596. *Notabiles Regni in conventu Rothomagenſi de hac re Regi propoſuerint?*
12 *Quid occaſione Nominati ad Epiſcopatum Convenarum anno* 1639. *à Parlamento Pariſienſi decretum ſit.*
13 *Praxis Galliæ habet quod Nominatus jubeat informationes accipi per Epiſcopum ultimæ ſuæ reſidentiæ.*
14 *Omnes quibus jus nominandi aut confirmandi Epiſcopos competit, meritò de vita & moribus inquirunt.*
15 *Pontifices à facienda informatione excludunt, qui Nominatum in tertio conſanguinitatis aut affinitatis gradu contingit.*
16 *Prælati ad faciendam informationem deſignati, tenentur eam facere per ſe.*
17 *Prælatus inquirens per ſe ex officio teſtes vocare & examinare debet; idque ſecretò.*
18 *Teſtes debent eſſe viri graves, prudentes & pii.*
19 *Teſtes debent ſcire quæ requirantur in promovendo ad Epiſcopatum.*
20 *Conſanguinei & familiares; item æmuli & inimici in teſtes non recipiendi.*
21 *Non ſufficit aliquem gradu Academico eſſe inſignitum, ſed major de ejus doctrina habenda notitia.*

I. SYnodus Tridentina *Seſſ.* 22. *cap.* 2. *De reform.* expreſſis qualitatibus in aſſumendo ad Eccleſiam Cathedralem requiſitis, ſubjungit: "Quarum rerum inſtructio, ſi ejus notitia nulla aut recens in
„ Curia fuerit, à Sedis Apoſtolicæ Legatis ſeu Nuntiis
„ Provinciarum, aut ejus Ordinario, eoque deficiente, à
„ vicinioribus Ordinariis ſumatur."

Decretum hoc nequaquam determinat, per quem aut quâ formâ in ſingulis Provinciis informatio ſive inſtructio de qualitatibus aſſumendi ad Eccleſiam Cathedralem ſumenda ſit; ſed eam vel à Legatis ſeu Nuntiis Apoſtolicis, aut Ordinario ejus qui aſſumendus eſt, accipi poſſe tantummodo dicit: quod & non obſcurè inſinuat *Seſſ.* 24. *cap.* 1. *De reformat.* ubi expreſſè fatetur, in accipienda hac informatione, *non uniformem* rationem ubique ex nationum, populorum, ac morum varietate poſſe adhiberi.

II. Quapropter mandat, "ut in Provinciali Sy-
„ nodo per Metropolitanum habenda, præſcribatur,
„ quibuſque locis, & Provinciis *propria examinis*, ſeu
„ inquiſitionis, aut inſtructionis faciendæ *forma*, San-
„ ctiſſimi Romani Pontificis *arbitrio* approbanda, quæ
„ magis eiſdem locis *utilis*, atque *opportuna* eſſe vide-
„ bitur."

III. Conformiter huic Tridentino Decreto, Synodus Cameracenſis Provincialis anno 1565. titulo *De examine Epiſcoporum* formam inquiſitionis ſive informationis de nominato ad Cathedralem Eccleſiam his verbis expreſ-
ſit: "Ubi autem vel electio, vel poſtulatio, aut nomi-
„ natio facta fuerit; per eos eumve quorum aut cujus in-
„ tereſt, auctoritate Metropolitani, aut ſi defuerit, vi-
„ cinioris Epiſcopi Provinciæ affixis ſchedulis denuncia-
„ toriis ad valvas vacantis Eccleſiæ, denuntietur patere
„ aditum omnibus, qui ſciant aut impedimentum aut vi-
„ tium eſſe aliquod, quamobrem electus, vel poſtula-
„ tus, aut nominatus minimè promoveri debeat; ut libe-
„ rè, ac tutò eidem Epiſcopo aut Archiepiſcopo denun-
„ cianti intra tempus definitum ſignificent: idemque aſ-
„ ſumptis ſecum duobus vacantis Eccleſiæ Canonicis te-
„ ſtes productos audiat, & examinet: quæraturque de na-
„ talium integritate, de ætate, an ſit annorum triginta;
„ de vita, moribus, & exercitiis, de gradu, ſtatu, facul-
„ tate; an Doctor, an doctus ſaltem; ſitque iis virtutibus
„ præditus, quas Apoſtolus in Epiſcopo requirit: & an
„ ſex menſium ſpatio in ſacro Ordine fuerit conſtitutus.
„ Quæ omnia fideliter deſcripta, ac ejuſdem Epiſcopi,
„ aut Archiepiſcopi manu, ac ſigillo firmata, & obſigna-
„ ta mittantur ad S. D. Papam, ut ſufficienter inſtructus
„ confirmare tutiùs electum, poſtulatum, aut nomina-
„ tum queat."

IV. Et ejuſdem Provinciæ altera Synodus anno 1586. habita, vult, ut "novo Epiſcopo Electo aut Nominato
„ proceſſus ſuper ejus doctrina & moribus Romam tranſ-
„ mittendus fiat, juxta diſpoſitionem, ait, Decreti primi
„ Concilii Provincialis." *Tit.* 17. *cap.* 9.

Similem formam ſumendæ informationis in Synodo Provinciali Mechlinienſi titulo de *Epiſcopis cap.* 1. & 2. præſcriptam habemus.

V. Hinc patet, quod tametſi Epiſcopatuum Belgii tunc temporis proviſio ac Confirmatio à Sede Apoſtolica petenda & accipienda eſſet, nihilominus inſtructio ſeu infor-

informatio super qualitatibus promovendorum per Metropolitanum, aut eo absente, seniorem Suffraganeum fieret; adeòque nec crederent Synodorum harum Patres, vi Decreti Concilii Trident. solis Legatis, seu Nuntiis Sedis Apostolicæ jus sumendi informationes competere.

VI. In Gallia quoque non obstante prædicto Concilii Tridentini Decreto, informationes nequaquam per Nuntios Apostolicos, sed per Ordinarios pluribus annis factæ sunt.

Nam in Comitiis Blesensibus anno 1576. inter alia decretum fuit, ut priusquam litteræ nominationis Regiæ ad Pontificem mitti solitæ expediantur, nomina eorum, qui per Regem nominati sunt, mittantur ad *Episcopum Diœcesanum* loci ubi Nominati *ultimis annis* resederint, & domicilium habuerint; ac etiam ad Capitula Cathedralium Ecclesiarum vacantium, qui respectivè inquirent de vita, moribus, bona disciplina, & conversatione Catholica dictorum Nominatorum; & de omnibus conficient legitimos processus verbales, quos clausos & obsignatos quantocyus transmittent.

Insuper statutum est, ut ante expeditionem litterarum nominationis, dicti Nominati examinentur super eorum in Sacris Litteris eruditione per unum Archi-Episcopum aut Episcopum per Regem designandum, adscitis duobus Doctoribus Theologiæ, qui de Nominatorum sufficientia aut insufficientia testimonium ad Regem mittent.

Post hæc supervenit Bulla Gregorii XIV. quæ incipit, *Onus Apostolicæ* edita 1. Maji 1591. qua prædictum Decretum Concilii Tridentini renovatur, ac multa insuper circa formam faciendæ informationis adduntur & explicantur.

VII. Ac imprimis præcipit, "ut cùm extra Romanam „Curiam examen, instructio sive inquisitio facienda erit, „nemo omnino cujuscumque status, gradus, conditionisve fuerit, inquisitionem sibi arrogare præsumat, sed integrum hoc negotium iis, qui à prædicto Tridentino „Concilio designantur, Apostolicæ videlicet Sedis Legatis, seu Nuntiis Provinciarum, aut ejus de quo inquisitio fit Ordinario, *eoque deficiente* Ordinariis vicinioribus relinquatur; nisi justis de causis nobis aut pro tempore existenti Romano Pontifici per speciale mandatum alicui alteri hoc munus quandoque committendum visum fuerit."

Deinde addit: "Quod si fortè aliquis prædictorum „consanguinitate aut affinitate usque ad tertium gradum „inclusivè promovendum contigerit, ut omnis suspicio „carnalis affectus à tam sancto negotio repellatur, ille „quidem eo casu censeatur exclusus, atque ad eum, qui „*proximè* sequitur, hoc est, *si legatus excludendus* erit, „*ad Nuntium*; si *Nuntius*, ad *Ordinarium*; si Ordinarius, ad viciniorem Ordinarium inquisitionis officium „deferatur."

Ex quibus non obscurum est, Pontificem in hac Bulla, inquisitionem sive examen de qualitatibus promovendi, dumtaxat *deficientibus* Legatis vel Nuntiis Apostolicis per Ordinarios fieri velle; quod & in sequentibus his verbis rursus insinuat: "Quod si de Episcopo, vel Metropolitano extra Romanam Curiam degente ab una „Ecclesia ad aliam ex aliqua gravi & justa causa transferendo ageretur, hoc munus Legato vel Nuntio Apostolico ejus Provinciæ, aut Regni ubi Ecclesia ipsa, à „qua transfertur, sita erit, ad Metropolitanum, si Episcopus, ad suffraganeum verò antiquiorem residentem, „si Metropolitanus transferendus erit, pertinere declaramus."

Hanc Sedis Apostolicæ mentem clarioribus terminis expressit Urbanus VIII. anno 1627. in nova ac particulari instructione circa conficiendos processus inquisitionis super qualitatibus promovendorum ad regimen Cathedralium, aut aliarum Superiorum Ecclesiarum.

"Si processus inquisitionis, ait, conficiendus sit extra „Romanam Curiam, hoc munus spectet ad Legatos Sedis Apostolicæ, vel ad Nuntios Provinciarum in locis, „in quibus commorantur: *Si non adsint* Legati, neque „Nuntii, spectet ad Ordinarios personarum promovendarum, & ipsis deficientibus, ad Ordinarios vicinores, *qui* „*ordo servandus est*, neque quisquam debet sibi hoc munus arrogare præter ordinem supradictum, nisi Romano Pontifici per *speciale mandatum* alicui alteri illud „demandare placuerit. Quo casu apparere debet de mandato speciali in principio processus."

VIII. Synodus Provincialis Mechliniensis anno septimo labentis sæculi juxta præcitatam Gregorii XIV. Bullam processum super qualitatibus promovendi ad Episcopatum fieri mandat. "Factâ novi Episcopi nominatione, (inquit *tit.* 16. *c.* 8.) processus super ejus natalibus, vita, ætate, doctrinâ & moribus, Romam transmittendus, fiat juxta dispositionem Bullæ Gregorii XIV. „quæ incipit, *Onus Apostolicæ*."

IX. Porrò quia hæc Bulla, uti jam notatum est, informationem non permittit fieri per Ordinarios, nisi *deficientibus* Legatis aut Nuntiis Apostolicis, in Belgio tandem receptum fuit, ut dicta informatio ac processus fiant per Nuntium sive Internuntium Apostolicum in hisce Provinciis residentem; neque Ordinarii ullas in processu illo formando partes habeant.

X. Galli verò ægrè hanc provinciam Nuntiis Apostolicis permittere volunt; sed ad Ordinarios, & alios à Rege committendos spectare contendunt.

Et quidem in reconciliatione Henrici IV. propositus à Pontifice hic articulus, quod *omnes informationes de vita & moribus & religione, quæ posthac fient ratione provisionis Beneficiorum consistorialium in Gallia, fient per Nuntios & alios Ministros Sedis Apostolicæ*, tamquam moribus Regni contrarius à Rege rejectus fuit.

XI. Rursus anno 1596. Notabiles sive Primores Regni congregati Rothomagi suggesserunt Regi, quod iis in locis, in quibus non videtur hactenus Regiæ suæ Majestati conveniens restituere electiones, dignetur interea in nominationibus suis jubere observari articulum 2. Comitiorum Blesensium anni 1576. atque eundem ampliando præcipere, ut informationes super religione, vita, moribus & doctrinâ promovendorum ad Archiepiscopatus fiant per Episcopum Provincialem seniorem in ordine Episcopali & residente: Et promovendorum ad Episcopatus per Archiepiscopum in Provincia residentem; & in hujus absentia per seniorem Episcopum Provinciæ similiter residentem, adscitis tribus Canonicis Ecclesiarum vacantium, à Capitulis ad hunc effectum deputatis.

Et ad obviandum abusibus qui committuntur in faciendis informationibus ad Curiam Romanam mittendis per dictos Nominatos ad Prælaturas, pro quibus informationibus faciendis accipiunt commissarios, & testes adducunt, quos sibi convenire judicant; supplicant Regi, quatenus dignetur statuere, ut prædictæ informationes fiant à dictis Archiepiscopis & Episcopis in forma superius descripta; quodque Archiepiscopi & Episcopi has informationes facientes, inquirent quoque de mediis, quibus obtentæ sint nominationes ad Archiepiscopatus vel Episcopatus; etiam de confidentia & Simonia, pensionibus, & pactionibus illicitis, si quæ intervenerint. Et ubi hæc informationum forma observata non fuerit, possint Capitula interponere appellationem tamquam *ab abusu* ab executione provisionum ad Archiepiscopatus & Episcopatus; qua pendente non tenebuntur provisos recipere ad Archiepiscopatus vel Episcopatus, nec ut tales agnoscere.

XII. Rursus cum anno 1639. Pontifex differret dare provisionem Nominato à Rege ad Episcopatum Convennarū, quia informationes ad Curiam Romanam missæ, factæ essent in forma superius descriptâ; ac insuper à Sacra Congregatione decretum fuisset, ut dictus No-

minatus institui juberet novam informationem in Curia Romana, & si desint testes, Dominum Nuntium posse *delegare* Ordinario eos articulos super quibus informatio Parisiis fieri non poterit; Procurator Regius habitâ eorum notitiâ, Parlamento Regio exposuit, quod juxta primum articulum Comitiorum Blesensium, informationes super vita, moribus ac doctrina Nominatorum à Rege ad Prælaturas fieri debent per Episcopos Diœcesanos Galliæ; quod tamen eo non obstante, Nuntii Apostolici eas sibi eousque attribuerint, ut Bullæ aliæque provisiones Romæ non expediantur, nisi informationes per Nuntium sint factæ. Quandoquidem verò, ajebat Procurator Regius, dictæ informationes unicè fiant, ut securius ac maturius in Nominationibus, quæ ad Regem pertinent, procedatur; neque Romam mittantur, nisi ut Pontifici ostendatur, Nominatum esse instructum qualitatibus à Sacris Canonibus & in Concordato requisitis; & per consequens Nominatum recusari non posse, justum apparet, ut Decreta & Ordinationes Regiæ per solos Regios Commissarios executioni mandentur. Addebat insuper Procurator Regius, quod per jura ac libertates Ecclesiæ Gallicanæ, Nuntii Apostolici in Gallia residentes nullam jurisdictionem exercere possint. Hisce aliisq; per Regium Procuratorem expositis, Parlamentum Regium edixit, ut informationes super ætate, vita, moribus & conversatione Catholica Nominatorum à Rege ad Episcopatus aliasq; Prælaturas & beneficia, posthac fiant per Episcopos Diœcesanos illius loci in quo Nominatus ultimis quinq; annis resederit, conformiter ad articulum primum Comitiorum Blesensium. Inhibitione insuper facta Nominatis, utendi aliis informationibus quàm per prædictos Episcopos factis, sub pœna excidendi jure per nominationem acquisito. Præterea inhibitum fuit omnibus Regnicolis, depositiones facere, aut testimonia reddere in ordine ad has informationes, quàm coram prædictis Episcopis; atque omnibus Banquariis & Expeditionariis alias informationes Romam mittere, sub pœna privationis suorum officiorum, quòdque punientur tamquam pacis publicæ perturbatores. Mandatumque fuit, ut præsens Decretum ubique publicaretur. Vide Carolum Fevretium *Lib. 3. cap. 4. num. 11.* & latiùs Tractatum Gallicum *De informatione Nominatorum ad Episcopatus.*

XIII. Unde praxis hodierna Galliæ habet, uti asserit D. Fleury in Institutionibus Juris Canonici *part. 1. cap. 10.* quod Nominatus curet informationem de vita & moribus suis fieri per Episcopum suæ ultimæ residentiæ.

XIV. Quin Reges aliique, quibus aut nominatio aut electio Episcoporum incumbit, meritò per se vel ministros suos aliosve quos ad id convenientiores judicaverint, de vita ac moribus Promovendi informationes sumant, nemini dubium esse potest. Cùm verò Romanus Pontifex, juxta modernam disciplinam, in danda Confirmatione & provisione ad Episcopatus successerit Metropolitano, meritò & ipse inquirit ac informationes de vita ac moribus cæterisque Nominati aut Electi qualitatibus *per se* aut alios capit; formamque informationis capiendæ præscribit, quam ad assequendam convenientem notitiam de capacitate Nominati aptiorem credit.

Et sanè forma tam à Gregorio XIV. in citata Bulla, quàm Urbano VIII. præscripta, si seriò atque exactè in capiendis informationibus servaretur, spes esset, instructionem super qualitatibus Promovendorum sufficientem acceptam iri.

XV. In primis circa personas, quibus inquisitio sive informatio committitur, inter alia decernitur; ut si aliquis ex Prælatis, ad quem in ordine supradicto spectat processum conficere, consanguinitate vel affinitate usq; *ad tertium gradum inclusivè* Promovendum contingat, ille *excludatur* ab hoc munere, quod eo casu deferatur ad illū, qui proximè sequitur, servato eodem ordine & gradu.

XVI. Adhæc Prælati in Bulla designati, " non per suos Vicarios, Auditores vel alios Ministros, sed „per *seipsos* inquirendi munus, ait Gregorius XIV. „exercere debent; quamvis ab hujusmodi personis, „aliisque viris peritis juvari possint." Rationem hujus præmiserat: "Quia Sacrum Concilium Tridentinum „non sine *magna* ratione eminentes personas, & quæ „negotii *magnitudinem probè* intelligerent, ad hoc offi„cium nominavit."

XVII. " Ad hoc autem, ut mens ejusdem Sacri Con„cilii (pergit Gregorius XIV.) rectè ac feliciter debitæ „exequutioni mandetur, & tale sit examen, quale requi„ritur in negotio tanti ponderis, declaramus ac statui„mus, non esse in vita ac doctrina Promovendi investi„ganda, eam rationem adhibendam, ut ab ipso Promo„vendo articuli offerantur, ac testes producantur, sed „oportet ut Prælatus, qui munus inquirendi suscepit, ar„ticulos conscribat, atque ipse ex officio suo illos testes „vocet atque examinet, quos de rebus inquirendis sincε„rum ac fidele testimonium daturos esse existimet. Ve„rùm, ut inquisitio prædicta facilius ac pleniùs perfici „atque expediri queat, utile erit si Prælatus, qui inqui„sitionem facturus est, vel à Promovendo, vel ab aliquo „alio confici curet scedulam, in qua sint ordine descri„pta, nomen Promovendi, cognomen, patria, parentes, „ætas, ordo, gradus, professio, functio, si quam is fortè „exercuit, loca in quibus aut Theologiæ vel Juri Cano„nico operam dederit, aut longo tempore versatus fue„rit, denique amici ac familiares, qui tam ipsum quàm „parentes ejus intimè nôrint. Quòd si Promovendus do„cumentum aliquod exhibere voluerit, unde ipsius ætas, „gradus, dignitas, sacri Ordines, functio, officia, munera„que, aut aliquid ejusmodi comprobetur, admittendum, „ac processui inserendum erit, modò documentum pu„blicum seu authenticum fuerit."

Eadem habet instructio Urbani VIII. quæ insuper addit: " Ipse (Prælatus inquirens) ex officio suo *secretò* vo„cari mandet, & *secretò* examinet, *ipsemet* recipiat in ma„nibus suis singulorum testium juramentum."

XVIII. Nec quoscumque in testes adhibendos esse voluêre Pontifices, sed " Testes sint Viri *graves, pii, pru„dentes, docti*, & qui de qualitatibus Promovendorum „rectum judicium ferre valeant, *sincerumque* ac *fidele* „testimonium verisimiliter sint daturi; præsertim ve„rò hujusmodi qualitates esse debent in testibus, qui „interrogandi erunt de fide Catholica, vita, moribus, „doctrina, & aptitudine Promovendi ad regendam Ec„clesiam."

XIX. Deinde rationem, quæ testes hujusmodi dotibus instructos assumendos suadet, hanc apprimè notandam subjicit: "Scire enim debent ipsi testes quæ requirantur „in eo, qui recturus est Ecclesiam Cathedralem, ad hoc ut „sit idoneus ad alios docendum, aptus ad illam guber„nandam, & dignus qui ad eam promoveatur."

XX. Pergit deinde: "Non sunt recipiendi in testes *co„gnati* vel *nimiùm familiares*; aut *inimici* sive *æmuli* per„sonæ promovendæ. In investigandis testium qualitati„bus adhibenda est diligentia per Prælatum inquiren„tem, ut cognoscere possit quam sint erga Promoven„dum affecti, exindeque conjicere, utrùm ex affectu, an „ex veritate testimonium dicant. Si aliquando Prælato „inquirenti ita expedire videbitur, testibus ad memo„riam reducet vim juramenti & gravitatem perjurii, ad„monebitque ipsos reos futuros apud Deum eorum om„nium, quorum vel committendo, vel omittendo rei e„runt, qui promovebuntur, si vel falsa narrando, vel ta„cendo vera causa erunt, ut homines indigni vel minus „idonei Ecclesiis præficiantur."

XXI. Hæc ad verbum desumpta sunt ex *Instructione* jussu Urbani VIII. emanata, quæ præter hæc exhibet quoque interrogatoria, quæ necessaria sunt ad inquirendū in omnes qualitates in Promovendis requisitas, quæ pleraque circa vitam, mores, fidem Catholicam & doctrinam ipsius Promovendi versantur; sed præ reliquis notanda hic

hic articulus: „ An sciat eum aliquo gradu in Jure Canonico, vel in Sacr. Theologia insignitum esse, quibus in locis, quanto tempore, & quo fructu ipsi Theologiæ, vel „ Juri Canonico operam dederit, & an *verè ea doctrinâ polleat*, quæ in Episcopo requiritur, ad hoc, ut possit alios docere, & quæ sit causa scientiæ. „

Ex hoc articulo non obscurè colligitur, Pontificem haud credidisse, eos omnes sufficienti doctrina pro Episcopatu esse instructos, qui gradu Doctoratus aut Licentiæ in Theologia vel Jure Canonico sunt insigniti; quod apertius expressit Gregorius XIV. Cum enim renovavit Decretum Concilii Tridentini, in Promovendis ad Ecclesias Cathedrales dictum gradum Academicum, aut certè publicum alicujus Academiæ testimonium requirens, subjungit: "Tamen quia circa doctrinam plures fraudes „ committi solent, & sæpe contingit ut nonnulli scientiâ „ vacui, de solo Doctoris titulo, aut privilegio glorientur, „ volumus, ut de eorum etiam doctrina diligenter inquiratur, qui vel Doctoratus vel Licentiæ titulis, & privilegiis gaudent, vel etiam à publicis Academiis testimonium habuerint, quòd idonei essent ad alios docendos; „ nisi fortè aliquorum insignis doctrina ex publica ipsorum functione notoria esset."

Quam hæc cautio etiam hodie omnino sit necessaria, nemo non agnoscet, qui expenderit, quàm leviter & quanta facilitate hi gradus nonnumquam concedantur.

Ex his breviter ac in compendio relatis non difficulter quoq; judicare quisq; poterit, quàm exacta notitia Promovendorum ad Prælaturas sperari posset, si setiò & exactè, juxta mentem Concilii Tridentini & Pontificum, qui has inquirendi formulas præscripsère, informatio & inquisitio fieret. Bulla Gregorii XIV. extat in Bullario Romano tomo 2. *pag.* 705. edit. anni 1655. Instructio Urban. VIII. habetur apud Barbosam *Lib.* 1. *Juris Eccles. c.* 8.

CAPUT IV.

Quo ritu expediatur Confirmatio.

1 *Olim Confirmatio à consecratione vix separata fuit.*
2 *Ex stylo Decretalium Electus ante consecrationem, tametsi Confirmatus non dicatur simpliciter Episcopus, sed* Electus.
3 *Quæ forma Confirmationis observaretur, cum electio esset penes populum & Clerum?*
4 *Quomodo peteretur Confirmatio Nominati à Principe?*
5 *Quomodo Capitula Cathedralia Electum Metropolitano præsentarent; & quomodo hic confirmaret?*
6 *Ex Decreto Trid. Concilii processus inquisitionis mitti debet ad Pontificem, à quo Confirmatio habenda est.*
7 *Moderatio dicti Decreti juxta stylum hodiernum.*
8 *Prælatus qui inquisivit, judicium suum de testibus & persona promovenda transmittere debet.*
9 *Totus inquisitionis processus à Cardinale Relatore cum tribus aliis accuratè examinari debet; & in duobus successivis Consistoriis relatio fieri.* (*lest*
10 *Quis hodie soleat esse* Relator; *& qui alii tres Cardina-*
11 *In primo Consistorio fit nuda propositio vocaturq;* præconizatio: *in secundo fit totalis relatio; atq; ex suffragiis Cardinalium Nominatum Pontifex sub certa forma Episcopum pronuntiat.*

1. PRistina disciplina, quæ facilè per decem sæcula inconcussa permansit, Confirmationem Episcoporum ab eorum consecratione vix sejunxit; sed Episcopus Electus à Metropolitano & Comprovincialibus examinatus, uno eodemq; quasi actu & tempore consecrabatur, & confirmabatur; sive potius ordinando confirmabant; neq; ante ordinationem Prælatus aut Episcopus dicebatur, nisi ad summum cum addito, *Electus*.

II. Quin ex stylo Decretalium, uti observat cum aliis Fagnanus ad *Cap.* EAM TE 7. *De Rescriptis*, ante consecrationem non dicitur, Episcopus simpliciter, sed *Electus*. „ Et meritò, ait, quia electio & consecratio *unum* faciunt „ Episcopum... Quod locum habet non modo in Canonicè Electis & Confirmatis, sed etiam in illis, quos *Papa* „ pronuntiavit *Episcopos*; quia ante consecrationem vocantur *Electi*... Nec Electus in Papam ante benedictionem, coronationem & *consecrationem* ex stylo intitulatur *Pontifex*, nec scribit *Pontificatum* in *data*."

Hæc sunt, inquit Ludovicus Thomasinus *De Disciplina Ecclesiæ parte 4. lib. 2. c.* 50. *n.* 8. restantes reliquiæ pristinæ disciplinæ, quæ Confirmationem à consecratione non distinguebat; imo vix apud Veteres ante decimum aut undecimum sæculum *confirmationis* Episcoporum, sed electionis, consecrationis, & ordinationis dumtaxat mentio fit.

Juxta disciplinam ergo pristinam, quæ per decem & amplius sæcula duravit, Confirmatio hac ferè formâ peragebatur.

III. Quam primum electio à Clero populoq; facta erat Decretum electionis, Eligentium subscriptionibus roboratum ad Metropolitanum & Episcopos Comprovinciales mittebatur, ut Electus in Episcopum ab ipsis ordinaretur.

Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum generalium Decretum Cleri & Plebis Ecclesiæ Laudunensis de electione Hedenulfi Episcopi ad Hincmarum Metropolitanum Remensem & Episcopos Provinciæ, ut illum in Episcopum ordinent.

Hìc postquam præfati sunt, æquum esse, ut ab omnibus eligatur, cui debet ab omnibus obediri, Metropolitanum interpellantes, dicunt: "Quapropter cum *Decreto nostra electionis* manibus singulorum nostrorum roboratо ad Paternitatem vestram accedentes, Hedenulfum Ecclesiæ nostræ filium, & in Ecclesia nostra, suffragantibus „ stipendiorum meritis, ad onus usq; Sacerdotale promotum, vitâ & moribus ac sanctâ conversatione idoneum „ approbatum, quem per licentiam vestrâ, favente Christianissimo Imperatore Carolo pari consensu, ac concordi devotione, atq; unanimi voluntate elegimus, per „ *manus vestras*, ac *cæterorum vestræ Diœceseos Sanctorum Episcoporum, consecrari*, nobisque & Ecclesiæ nostræ *Doctorem* atq; *Pontificem institui* imploramus, precamur ac petimus."

Extat quoq; ibidem sub *n.* 13. Decretum Cleri Parisiensis de electione Æneæ Episcopi ad Metropolitanum Senonensem ejusq; Provinciales Episcopos; & *n.* 14. Decretum Cleri & Plebis Senonensis de electione Ansegili Metropolitani, qui ex alia Provincia petitus est, ad Episcopos Provinciæ Senonicæ.

Hæc Decreta, præter alia plura ad disciplinam Ecclesiæ spectantia, ostendunt, eo tempore, factâ electione à Clero & Plebe, electionem fuisse oblatam Metropolitano, ut ipse illam cum Provincialibus Episcopis examinaret; & Electum in Episcopum ordinaret; si omnia canonicè acta, Ipsumq; Electum secundum Canones idoneum reperisset; prout ex actis, quæ in eadem Appendice referuntur, ac supra *tit.* 13. *c.* 1. annotavimus, intelligi potest.

IV. Reges quoq; nominatum à se ad Episcopatum Metropolitano in Episcopum ordinandum præsentâsse, ex Concilio Toletano 12. *Can.* 12. superius notatum fuit; & probat forma præsentandi, quæ in sæpius citata Appendice *ad tom.* 8. Conciliorum generalium exhibetur sub hoc titulo: *Indiculus Regis ad Metropolitanum ut designatum Episcopum ordinet cum suis Comprovincialibus.*

Verum quidem est, in dictis formulis ac decretis unicè peti à Metropolitano, ut unà cum Comprovincialibus, Episcopum electum *Ordinet & consecret*: quia, ut jam monuimus, disciplina illius temporis Confirmationem à consecratione seu ordinatione non distinguebat; sed Metropolitanus consecrando probabat & admittebat

electionem, & Electum Ecclesiæ Pastorem dabat.

V. Et licet postmodum Confirmatio à consecratione distingui cœperit, atque ob raritatem Conciliorum Provincialium ad solum Metropolitanum Confirmatio fuerit devoluta, tamen illa fere juxta pristinam formam petebatur, atque cum causæ cognitione à Metropolitano expediebatur. "Nam Capitulum (ait Barbosa *lib. 1. Juris Ecclesiastici cap. 9. n. 5.*) cui jus eligendi suum Episcopum „de Jure communi spectat, eidem Metropolitano seu alteri Superiori mittebat litteras sigillo suo & singulorum „munitas, ac per Canonicos subscriptas, quæ appellabantur Decretum, in quibus Electio facta seriatim narrabatur, & Confirmatio petebatur."

Hodie verò omnium Episcoporum confirmatio ad Romanum Pontificem spectat; eaque hac ferè forma expediri solet.

VI. Cum inquisitio de persona promovenda (formâ capite præcedenti expressâ) „perfecta fuerit, ea in instrumentum publicum redacta, inquit Synodus Tridentina „*Sess. 24. cap. 1. De reform.* cum toto testimonio ac professione fidei ab eo (Nominato aut Electo ad Episcopatum) factâ, quamprimum ad Sanctissimum Romanum „Pontificem omnino transmittatur, ut ipse summus Pontifex plena totius negotii, ac personarum notitiâ habita, „pro gregis Dominici commodo de illis, si idonei per „examen seu per inquisitionem factam reperti fuerint, „Ecclesiis possit utilius providere."

VII. Quod hic dicitur de transmissione processus sive inquisitionis ad Rom. Pontificem, intelligi debet juxta stylum hodiernum, si Ecclesiæ non sint ad nominationem vel præsentationem Imperatoris vel Regis alicujus; quia si fit de hujusmodi nominatione vel præsentatione, Prælatus qui processum confecit, eum transmittet ad Cardinalem illius regni vel provinciæ protectorem, in qua est Ecclesia providenda pastore.

VIII. "Ipse quoque Prælatus qui processum examinis „confecit, vel per litteras separatas (juxta Decretum „Urbani VIII.) simul tamen cum processu mittendas, „vel per subscriptionem hujusmodi processus significabit quanta fides testibus examinatis, eorumque dictis, & „scripturiis productis suo judicio habenda sit, simul etiam „quid de promovendo ipse sentiat."

IX. "Omnes verò inquisitiones, informationes, testimonia ac probationes quæcumque de promovendi „qualitatibus, & Ecclesiæ statu à quibuscumque, etiam „in Curia Romana habitæ (ait Synodus Trid. loco citato) per Cardinalem, qui relationem facturus erit in „Consistorio, & alios tres Cardinales diligenter examinentur, ac relatio ipsa, Cardinalis relatoris & trium „Cardinalium subscriptione roboretur; in qua ipsi singuli „quatuor Cardinales affirment, se, adhibitâ accuratâ diligentiâ, invenisse promovendum qualitatibus à jure, & „ab hac sancta Synodo requisitis præditos; ac certò existimare sub periculo salutis æternæ idoneos esse, qui „Ecclesiis præficiantur: ita ut relatione in uno Consistorio factâ, quò maturiùs intereà de ipsa inquisitione cognosci possit, in aliud Consistorium judicium differatur, „nisi aliud Beatissimo Pontifici videbitur expedire."

X. Cardinalis proponens, ex stylo hodierno, si de Ecclesia spectante ad nominationem Regis agatur, est Cardinalis *Protector* illius regni. Tres alii Cardinales sunt: primus Cardinalis Episcopus, primus Cardinalis Presbyter, & primus Cardinalis Diaconus.

XI. In primo Consistorio fit nuda propositio Nominati ad Ecclesiam vacantem per Cardinalem Proponentem, diciturq; *Praconizatio*; resolutione tamen dilatâ in alterum Consistorium, ut intereà Pontifex & Cardinales de persona *Promovendâ* melius se informare queant. In secundo Consistorio idem Cardinalis rursus præsentat Promovendum; ac de omnibus, quæ statum Ecclesiæ, ac qualitates promovendi spectant, Pontificem & Cardinales informat; vocaturq; hæc præsentatio *Propositio*. Omnibus absolutis Pontifex colligit suffragia Cardinalium, & si dicant, nominatum esse confirmandum, Pontifex pronuntiat ipsum Episcopum, per hæc verba: "Auctoritate Dei O- „mnipotentis Patris, & Filii & Spiritus Sancti, & Beatorum „Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, Ecclesiam N. providemus, ipsumq; illi in Episcopum præficimus, & Pastorem, curam & administrationem ipsius eidem in spiritualibus & temporalibus plenariè committendo."

Si hæc tam serio atq; exactè observarentur in facienda informatione super moribus atq; conversatione Nominati aut Electi ad Cathedrales Ecclesias, quam à Conciliis & Romanis Pontificibus ordinata sunt, indubiè spes esset, quod sat exacta etiam haberetur de Promovendis notitia.

CAPUT V.

De effectu Confirmationis; & quæ hodie requirantur, ut plenum effectum sortiatur.

1 *Ante consecrationem Episcopus electus aut nominatus administrationi se ingerere nequit.*
2 *Episcopi immediatè Romano Pontifici subjecti debent, antequam plenitudinem officii accipiant, se eidem præsentare ex Decreto Concilii Lateranensis.*
3 *Ne quidem sub titulo OEconomi aut Procuratoris possunt administrationem ante Confirmationē suscipere.*
4 *Hac non tantùm in Electo, sed quocumq; Nominato locum habent.*
5 *Fallit in Electis* concorditer, *in partibus à Curia Romana* : emotis.
6 *Sub remotis etiam Angli, Franci, & Alemanni comprehenduntur.*
7 *Per Confirmationem Electus aut Nominatus verus Pastor Ecclesiæ constituitur.*
8 *Cur Episcopus Confirmatus ante Consecrationem ex stylo Decretalium non dicatur simpliciter Episcopus, sed Electus?*
9 *Episcopus confirmatus omnia potest exceptis his quæ* Ordinis *sunt.*
10 *Inspecto Jure Decretalium sola Confirmatio expedita hæc operatur; secus ex Constitutione Bonifacii* VIII. *& stylo hodierno.*
11 *Juxta stylum hodiernum Episcopus confirmatus non potest accipere possessionem nisi litteris expeditis, & Capitulo exhibitis.*
12 *Debent à Rege* placitari.
13 *Ut provisi de Ecclesiis quæ juri* Regaliæ *sunt subjectæ plenum effectum Confirmationis obtineant*, Regalia *debet esse* clausa.
14 *Ut* claudatur, *debet provisus præstitisse juramentum Fidelitatis Regi.*
15 *Quæ insuper* ad clausuram *requirantur.*
16 *Quædam notanda pro intellectu* Regaliæ.
17 *Quæ Ecclesiæ in Gallia huic juri sint subjectæ?*
18 *Quid in Germania & Belgio obtineat?*

I. QUemadmodum olim Electus à Clero & populo aut à Rege nominatus nullatenus Pastor aut Episcopus censebatur Ecclesiæ vacantis, priusquam à Metropolitano & Episcopis provincialibus confirmatus atq; in Ecclesiæ Pastorem & Episcopum ordinatus esset; ita nec de jure communi, & hodierno, Electi à Capitulis Cathedralibus, aut Nominati à Regibus se administrationi Ecclesiæ sive in temporalibus sive spiritualibus quocumq; prætextu immiscere possunt ante confirmationem expeditam *Cap. 17.* ☩ *De Elect.* quia, ut ait ibidem Pontifex, *nemo debet sibi honorem assumere: sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron.*

II. Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. vult, "ut qui ad Romanum pertinent immediatè Pontificem, ad percipiendam sui Confirmationem officii, ejus

ejus se conspectui [si commodè fieri potest] *personaliter* „ repræsentent, aut personas transmittant idoneas, per „ quas diligens inquisitio super electionibus & electis „ haberi possit: ut *sic demum* per ipsius circumspectionem „ consilii, sui *plenitudinem* officii assequantur, cum eis ni- „ hil obstiterit de Canonicis institutis. *Cap.* 44. ¨ *De Elect.*

III. Cùm verò nonnulli hanc Concilii sanctionem illudere volentes, sub titulo OEconomi aut procuratoris se administrationi Ecclesiarum ante Confirmationem ingererent, Concilium Lugdunense sub Gregorio X. his fraudibus obviare volens, generali constitutione sancivit, ut „ nullus de cætero administrationem dignitatis, (ad quam „ electus est) priusquam celebrata de ipso electio Confir- „ metur: sub œconomatus vel procurationis nomine: aut „ alio de novo quæsito colore: in spiritualibus vel tem- „ poralibus, per se vel per alium, pro parte vel in totum „ gerere vel recipere, aut illis se immiscere præsumat. O- „ mnes illos, qui secus fecerint, jure [si quod eis per ele- „ ctionem quæsitum fuerit] decernentes eo ipso priva- „ tos." *Cap.* 5. *De elect. in* VI.

IV. Nec tantum in electione obtinet hæc Juris decisio, sed & in præsentatione sive nominatione, uti post alios Canonistas tradit Fermosinus *ad Cap.* 15. ¨ *De elect. q.* 2. *n.* 11. "Nam si persona præsentati, aut, se ingerat ante Confirmationem, revera dicitur *intrusus*, & subjectus *pœnis* dicti *Cap. Avaritiæ.*"

V. Nullo ergo titulo, Electi aut Nominati se administrationi Ecclesiæ viduatæ ingerere possunt ante Confirmationem; eamq; juxta stylum hodiernum in Curia Romana expediendam, nisi tamen" *valde remoti* sint, videli- „ cet ultra Italiam constituti: hi si electi fuerint *in concor-* „ *dia* (in quit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in „ citato *c.* 44.) dispensativè propter necessitates Ecclesia- „ rum, & utilitates in spiritualibus & temporalibus ad- „ ministrent; sic tamen ut de rebus Ecclesiasticis nihil pe- „ nitus alienent."

VI. In *Cap.* 18. ¨ *De electione* in integra Decretali, inter remotiores hoc Privilegio gaudentes exprimuntur Metropolitani Angliæ, Franciæ & Alemaniæ; hac assignata ratione: " Quia si tanto tempore quousq; posset Electus „ Confirmationem cum Pallio à Sede Apostolica obtine- „ re, *Regalia* non reciperet, Ecclesia quæ interim admini- „ stratione careret non modicum incurreret detrimentũ.

Hîc obiter notandum, tempore Innocentii III. auctoris dictæ Decretalis, in Anglia, Francia & Alemania nota fuisse *Regalia.*

VII. Itaq; ex hactenus dictis constat, Electum aut Nominatum ante Confirmationem non tantùm Pastorem aut Episcopum non esse; sed nec administrationi Ecclesiæ ullatenus se posse regulariter ingerere; at obtenta Confirmatione, tamquam verus Pastor & Episcopus Ecclesiæ vacantis reputatur.

Quod non tantum olim, dum Confirmatio à consecratione vix sejuncta erat; verùm & hodie, si jus commune Decretalium spectemus, obtinet; ipsaq; formula provisionis sive Confirmationis Pontificiæ manifestè exprimit. Dicit enim: "Ecclesiam N. de persona N. providemus, ip- „ sumq; illi in *Episcopum* præficimus, & *Pastorem*, curam „ & administrationem eidem in spiritualibus & tempo- „ ralibus *plenariè* committendo.

Verus igitur Pastor & Episcopus per Confirmationem sive provisionem Pontificiam constituitur; omnisq; cura Pastoralis & Episcopalis *plenariè* ei competit; eamq; tamquam Episcopus & Ordinarius Ecclesiæ Pastor administrare potest, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

VIII. Verum quidem est, illum ante *consecrationem* juxta stylum hodiernum non dici simpliciter *Episcopum* sed cum addito, *Electum*: sed id aliundè non fit, quam quòd ante consecrationem, *characterem* seu Ordinem ipsum Episcopalem nec dum acceperit; ideóq; nec plenitudinem Sacerdotii habeat; quæ requiritur ut quis simpliciter & absolutè *Episcopus* aut *Summus Sacerdos* dicatur.

IX. Hinc concludunt Canonistæ, & communis praxis probat, Episcopum *confirmatum, non consecratum*, posse plenariè jurisdictionem suam exercere; eaq; omnia quæ ad curam Pastoralem & Episcopalem pertinent agere, exceptis his dumtaxat, quæ ordinis seu characteris sunt Episcopalis; qualia sunt Ordines Sacros *per se* conferre; Chrisma conficere, Sacramentum Confirmationis dare &c.

X. Et quidem si citata provisionis verba, & jus commune Decretalibus Gregorii IX. comprehensum spectemus, sola confirmatio prædictos effectus parit; potestque Electus aut Nominatus mox ab acceptâ confirmationis notitia, administrationem & curam Ecclesiæ sibi commissæ suscipere; at Constitutione Bonifacii VIII. quæ refertur in *Extravagante* INJUNCTÆ *De Elect. in Communibus*, & cui praxis hodierna conformis est, sancitum est," ut „ Episcopi aliiq; Prælati superiores quocumq; nomine „ censeantur, qui apud Sedem Apost. promoventur, aut „ *confirmationis*, consecrationis vel benedictionis munus „ recipiunt, ad commissas eis Ecclesias absq; dictæ Sedis „ *Litteris*, hujusmodi eorum promotionem *confirmati-* „ *onem*, consecrationem seu benedictionem continenti- „ bus accedere, vel bonorum Ecclesiasticorum admini- „ strationem accipere non præsumant; nullisq; eos absq; „ dictarum Litterarum ostensione recipiant aut eis pare- „ ant vel intendant. Quòd si forsan contra præsumptum „ fuerit, quod per Episcopos, Prælatos, Abbates, Priores, „ & alios Monasteriorum regimina exercentes prædicto „ medio tempore actum fuerit, irritum habeatur: nec „ quidquam interim iidem Episcopi vel Prælati, Abbates, „ Priores, vel regimina exercentes, de Ecclesiarum vel „ Monasteriorum proventibus percipiant; eorundem „ Capitula verò & Conventus Ecclesiarum, & Monasteri- „ orum ipsorum, & alii quicumq; ipsos absq; hujusmodi „ dictæ Sedis litteris recipientes, vel obedientes eisdem, „ tam diu sint à beneficiorum suorum perceptione sus- „ pensi, donec super hoc ejusdem Sedis gratiam merue- „ rint obtinere."

XI. Itaq; Provisus à Sede Apostolica, non potest possessionem adipisci, uti bene notat Zypæus ad titulum *De causa possess.* nisi Litteris in forma expeditis; quin nec sufficit Litteras in Curia Romana in forma esse expeditas, sed insuper desideratur, ut provisus eas exhibeat & præsentet ipsi Capitulo; neque sufficit per testes earum expeditionem probare.

Ulterius, si consuetudinem ac praxim Belgii spectemus, verissimum est, quod de praxi Hispaniæ testatur post Garciam & alios citatos, Fermosinus ad *Cap.* 15. ¨ *De elect. q.* 3. scilicet, Provisum non posse administrare, nisi naturalem & *actualem* possessionem acceperit.

XII. Quin & illud Belgii nostri praxi planè consonat, quod de Hispania, ex Garcia ac aliis testatur Fermosinus loco citato *q.* 4. *n.* 23. " quòd Episcopus etiam Confir- „ matus, litteras Confirmationis teneatur mittere Regi & „ ejus Regio Concilio; & quod antequam ibidem expe- „ diantur, non capitur possessio." Quid enim notius, quàm hisce in Provinciis vigore litterarum Curiæ Romanæ non posse accipi possessionem cujuscumque Beneficii, nisi prius Litteræ Regi in suo Concilio exhibitæ, & ibidem *placitata* fuerint?

XIII. Provisi de Ecclesiis Cathedralibus quæ Juri *Regalia* subjectæ sunt, ut post obtentam provisionem Pontificiam, plenam temporalium sui Episcopatûs administrationem, ac Beneficiorum collationem obtineant debent *manus Regiæ levationem* obtinuisse; sive ut loquuntur, *Regalia* debet esse *clausa.*

XIV. Ut verò *clausura* fiat, requiritur primò, ut Provisi juramentum fidelitatis Regi præstiterint, quòd nimirum " Regi erunt *legales*, & *fideles* in suo Episcopali sta- „ tu, & populum earum Civitatum & Episcopatuum, „ in quantum poterunt, in obedientia & recognitione „ supre-

„ supremæ potestatis erga Regem & suam successionis „ sanguinis posteritatem tenebunt," Ita refert Philippus Probus in Supplemento ad Tractatum *Juris Regaliæ* per Arnulphum Ruzæum, *q.2.n.6.* qui *n.7.* asserit, ob hoc juramentum, omnes Episcopos Regni Franciæ *fideles Consiliarios Regis* appellari.

XV. Nequaquam tamen sufficit hoc fidelitatis juramentum præstitum esse, sed insuper requiritur, quòd Lit„ teræ Regiæ attestantes dictum juramentum sic fuisse „ præstitum (inquit Philippus Probus loco citato *q.3.n.2.*) „ præsentatæ, registratæ & expeditæ fuerint in Camera „ computorum: & quod Receptor seu Commissus ad re„ ceptam ipsius Regaliæ receperit mandatum à prædicta „ Camera emanatum, per quod mandetur quòd levet ma„ num Regis, & permittat dictum Episcopum uti & gau„ dere, ponendo ipsam temporalitatem ad plenam deli„ berantiam: nec ante receptionem hujusmodi mandati à „ dicto Receptore, seu Commisso, reputatur dicta Regalia „ clausa, sed usq; ad diem ipsius receptionis, tenetur red„ dere computum & rationem de fructibus hujusmodi „ temporalibus, & confert Rex beneficia tamquam in Re„ galia vacantia, & hoc de jure & consuetudine Regis & „ suæ Coronæ Franciæ.

XVI. Ut faciliùs intelligantur, quæ hic de apertione & *clausura Regaliæ* dicuntur, notandum, Jus *Regaliæ* juxta hodiernum, præcipuè Regni Galliæ, stylum & modum loquendi, esse Jus quo Rex Sede vacante sibi attribuit dispositionem omnium proventuum Episcopatus; & collationem *pleno jure* omnium Beneficiorum non Curatorum ad liberam collationem Episcopi spectantium.

Dicitur ergo Regalia *aperta*, quando per mortem Episcopi, aut alio modo Sedes vacat; tunc enim Regi Jus *Regaliæ* jam descriptum acquiritur, sive *aperitur*.

Manet autem *aperta Regalia*, sive Jus illud apud Regem manet, quousq; novus Episcopus præstito juramento, ac litteris Regiis obtentis & registratis, & manus Regiæ levatione factâ possessionem Episcopatus *per se* acceperit; quo demum, juxta modernam praxim, Regalia *clauditur* sive Jus Regium tam quoad proventuum dispositionem, quàm Beneficiorum collationem extinguitur, & plenaria dispositio Episcopo defertur.

XVII. Porrò de hoc Jure *Regaliæ* plura dicemus parte secundâ, ubi de collatione Beneficiorum tractandum erit; illud equidem sciendum, neq; in Regno Galliæ jam pridem omnes Episcopatus huic juri fuisse subjectos, uti passim Authores de illo Jure tractantes testantur; atq; inter cæteros Philippus Probus qui loco suprà allegato *q.60.* enumerat Archiepiscopatus & Episcopatus qui huic fuerint subjecti, & qui ab eo exempti; manserunt q; plures Ecclesiæ ab hoc jure liberæ, atq; per Arresta Regia in ea libertate conservatæ fuerunt usq; ad annum 1673. quando in conformitatem Arresti Parlamenti Parisiensis Rex declaravit, jus *Regaliæ* esse inalienabile & impræscriptibile; illudq; sibi *generaliter in omnibus* Archiepiscopatibus & Episcopatibus sui Regni, ac ditionum suæ Obedientiæ competere, iis solis exceptis, qui titulo *oneroso* sunt exempti.

Conformiter ad hanc declarationem Regiam, & alteram de 2. Aprilis 1675. prioris confirmativam & explanativam, jus *Regaliæ*, Rege urgente, ac tandem etiam Clero consentiente, licèt nonnullis Episcopis fortiter resistentibus, ad omnes Ecclesias Metropolitanas & Cathedrales extensum est.

XVIII. In Imperio quoad *Regaliam* moderatius agitur, uti notat Zypæus in Jure novo *De elect. n.3.* "ut Episcopi „ qui & Principes sint (ut sunt pleriq;) statim per se vel a„ lios juramenta debita præstent quidem, & Regalia ac „ feuda sua relevent; non tamen vacante Sede temporali„ tas ad manus Imperatoris ponitur, sed capitulum admi„ nistrat pro Successore: sed id fortè, quia Pontifices Ger„ manos Imperatores Fredericum, Henricum &c. superâ„ runt: Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum aut Succes„ sores non item."

Belgii Episcopatus, si Tornacensem excipiamus, juri *Regaliæ* subjecti non sunt; unde temporalia per Capitulum aut OEconomum à Capitulo deputandum Sede vacante administrantur pro successore; atq; ipsa beneficiorum collatio novo Episcopo reservatur; juxta ea quæ titulo *9.c.2.* dicta sunt.

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

CAPUT I.

A quibus; intra quod tempus; & quo loco Consecratio fieri debeat?

1. *Præcipua in Consecratione auctoritas erat penes Metropolitanum.*
2. *In conservanda hac Metropolitanorum auctoritate valde religiosi fuerunt Romani Pontifices.*
3. *Suffraganeorum in Consecratione olim requisita fuit præsentia, aut ut minus assensus.*
4. *Tres ut minus Episcopi debent esse præsentes.*
5. *Hæc disciplina tam in Græca quàm Latina Ecclesia etiamhodie obtinet.*
6. *Ratio hujus disciplinæ.*
7. *Præsentia plurium Episcoporum spectat duntaxat ad disciplinam.*
8. *Necessitate cogente potest interdum ab hac disciplina recedi, & à duobus Consecratio peragi.*
9. *Ita Ordinatus Pelagius I. Papa.*
10. *Etiam ab uno Episcopo fieri potest Consecratio, nec apud Veteres desunt exempla.*
11. *Probatur auctoritate S. Gregorii.*
12. *Conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ.*
13. *Quoad Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina difformis est à pristina.*
14. *Consecratio tam ex veteri, quam moderna disciplina debet fieri intra tres menses.*
15. *Est tamen differentia in tempore à quo tres menses computari debent.*
16. *Quo in loco fieri debeat?*

I. PRæcipuam in confirmatione Episcoporum authoritatem per duodecim & amplius sæcula fuisse penes Metropolitanos, titulo præcedenti abundè probatum fuit. Cùm verò confirmatio ab ipsa Consecratione vix sejungeretur, sed Metropolitanus unà cum Episcopis Comprovincialibus, examine supra electionis forma ac persona electa facto, ad Ordinationem seu Consecrationem procederet; si electionem canonicam & personam electam idoneam reperisset, mirum non est, si primas quoq; in Consecratione Episcoporum partes duodecim facilè sæculis Metropolitano delatas esse videamus.

Et quidem Canone 6. Nicæno dicitur: "Illud generali„ ter est clarum, quòd si quis *præter sententiam Metropoli„ tani* fuerit *factus* Episcopus, hunc magna Synodus diffi„ nivit Episcopum esse *non oportere*." Apud Gratianum *Dist. 64. Can. 8.*

Hinc

Hinc illud Innocentii I. ad Victricium Episcopum: "Extra conscientiam *Metropolitani* Episcopi, nullus audeat „*ordinare* Episcopum... Hoc enim & Synodus Nicæna „constituit atq; definivit," Gratianus ibidem *can.* 5.

II. Eam Metropolitani in consecrandis Episcopis suis suffraganeis prærogativam pluribus inculcat Gelasius I. apud Gratianum loco citato *can.* 6. atq; in illa conservanda adeò erant religiosi Pontifices, ut Stephanus VI. ne hanc perturbaret, Lingonensem à populo & Clero ritè electum & Romam pro Consecratione cum decreto electionis missum (recusante nimirum Lugdunensi Metropolitano eum consecrare) illum consecrare bis renuerit, ac repulerit, ad Lugdunensem scribens & rescribens, ut ipse suo munere in hujus Consecratione fungeretur; tertiò demum interpellatus, vix magna Lugdunensis pertinaciâ coactus, illum consecravit; uti latiùs ex Frodoardo in historia Remensi refert Baronius ad *annum* 885.

Similiter Gregorius VII. licet ipse Robertum Carnotensem ab Episcopatu deposuisset; non tamen propterea sibi alterius suffectionem aut ordinationem reservavit; sed ad ordinatios tam electores, quàm Consecratores illum rejecit. Simoniensi enim Metropolitano & Suffraganeis ita scribit: "Ecclesiam illam (Carnotensem) Canoni„cam electionem in aliquam idoneam personam facere „admonuimus; admonemus & vos, ut eidem electioni e„tiam quam oportet aut per vos, aut idoneos nuntios ve„stros diligentiam adhibentes, quem electum Canonicè „cognoveritis, & *manus imponere*, & in Episcopum *Con„secrare*, nullâ occasione recusetis." *Lib.* 4. *Epist.* 15.

III. Porrò licet præcipua fuerit in Episcoporum confirmatione & Consecratione penes Metropolitanum auctoritas, aliorum tamen Suffraganeorum seu Comprovincialium nequaquam negligendus erat consensus, & auctoritas.

Confirmationem enim Episcoporum Metropolitano & Episcopis Suffraganeis per Canones Nicænos aliósque subsequentes per continuam decem sæculorum seriem delatam fuisse supra ostendimus. Cumq; ordinatio sive Consecratio à confirmatione necdum esset sejuncta etiam Consecrationem Episcoporum, Metropolitano cum Episcopis Comprovincialibus delatam fuisse cognoscimus; idq; uno consensu Theologi & Canonistæ fatentur; eamq; disciplinam etiam Jure communi seu Decretalium conservatam tradunt ad *Cap.* 7. *De Temp. Ordin.*

IV. Verùm quia difficile erat ad omnem Episcopi ordinationem omnes Provinciæ Episcopos *personaliter* convenire & assistere, Canone 4. Nicæno cautum fuit, "ut si „hoc difficile fuerit vel aliqua urgente necessitate, vel i„tineris longitudine, certè tres Episcopi debeant in unum „congregari; ita ut etiam cæterorum, qui absentes sunt, „consensum in litteris teneant, & ita faciant ordinatio„nem." Gratianus *Dist.* 64. *can.* 1.

V. Et licet tum præsens Canon, tum pleriq; alii eandem disciplinam præscribentes, videantur non tantùm de Consecratione; sed vel præcipuè de electione & confirmatione Episcopi agere; nihilominus ex hisce Canonibus stabilita ac conservata fuit in Græca pariter ac Latina Ecclesia hactenus disciplina, ut ad Consecrationem Episcopi convenire, eiq; *personaliter* assistere debeant, præter Metropolitanum aliumvè Episcopum ordinantem, duo alii Episcopi.

"Adsint (ait modernum Pontificale Romanum *Titulo „De Consecratione Electi in Episcopum*) *duo ad minus Epis„copi assistentes*" Et Rituale Græcorum ordinem in Consecratione Episcopi servandum præscribens, ait. "*Tres* vero „Pontifices sive etiam plures, Pontificium omnem orna„tum induti in sellis suis sedent ante sacras sancti altaris „fores."

VI. Rationem hujus disciplinæ jam pridem assignavit Innocentius I. in epistola ad Victricium apud Gratianum *Dist.* 64. *can.* 4. "Ne unus Episcopus ordinare præsumat „Episcopum, ne, ait, *furtivum Beneficium* præstitum vi„deatur. Hoc enim & in Nicæna Synodo constitutum est „atque definitum."

Quasi diceret; noluit Synodus ut Episcopus *furtivè* sive tamquam *fur* clam in Olive Christi ascendat; sed *publicè*, id est, Ecclesiâ universâ, per cujusq; Provinciæ Episcopos repræsentatâ, probante & assentiente.

Non absimilem hujus disciplinæ rationem dedit S. Anselmus Cantuariensis in litteris ad Regem Hiberniæ, improbans in Regno illo, *ab uno Episcopo Episcopum sicut quemlibet Presbyterum ordinari*, subjungit: "Minùs quàm „à *tribus* Episcopis ordinari non debet; cum propter „multas alias & rationabiles causas, quas epistolaris bre„vitas non admittit; tum ut *fides, vita, & solicitudo ejus „qui invigilare debet idoneis & legalibus testibus com„probetur.*" Lib. 3. epist. 147.

VII. Hic nota, nec Innocentium, nec Anselmum Episcoporum Ordinationes sive Consecrationes sine legitimo Episcoporum numero factas, tamquam nullas invalidasque rejicere; sed solùm arguere, eas clandestinè ac sine legitima quasi approbatione peragi; ipsorumq; Episcoporum præsentiam non tam ad substantiam & validitatem Consecrationis, quàm ad discutiendam & comprobandam Ordinationem requirere: quod & probat absentium Episcoporum Comprovincialium per litteras requisitus consensus.

VIII. Licet ergo disciplina hæc, utpote ab Apostolis nobis tradita, & hactenus in Ecclesia reservata, meritò religiosè observetur, nihilominus, sicut in aliis disciplinæ articulis contingit, necessitate cogente, ex Superiorum judicio, ab ea nonnihil recedi posse, & ratio & authoritas probant.

Et quidem in Constitutionibus Ecclesiæ Alexandrinæ sub nomine Apostolorum præcipitur, *Ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis; necessitate verò cogente à* DUOBUS. Apud Gulelmum Beveregium in notis ad Canonem 1. Apostolorum.

Et in Constitutionibus vulgò Apostolorum *lib.* 3. *c.* 20. "Jubemus autem ut *à tribus* Episcopis Episcopus ordine„tur, & *ut minimum à duobus*; ita ut ab uno constitui „non possit; testimonium enim duorum & trium firmius „est & certum."

IX. Sic Ordinatus est Pelagius I. Episcopus Romanus à duobus Episcopis & uno Presbytero, scilicet, "Dum non „essent Episcopi qui eum ordinarent, inventi sunt *duo* E„piscopi, Joannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & An„dreas *Presbyter* de Ostia, & eum ordinaverunt Pontifi„cem; tunc enim non erant in Clero qui poterant eum „promovere," Anastasius Bibliothecarius in ejus vita.

X. Quin & eadem necessitate urgente quidni ab *uno* Episcopo Episcopus ordinari posset? cum sicuti *trium* ita quoq; *duorum* præsentia ad disciplinam, non ad substantiam seu essentiam Consecrationis spectare videatur: nec desunt apud veteres hujusmodi ordinationis exempla.

Synesius Siderium Palæbiscæ Episcopum à Philone Cyrenensi solo ordinatum fuisse refert; additque *Verum in temporibus formidolosis, summum jus prætermitti necesse est. Epist.* 67.

XI. Sed in hanc rem dignissima notatu est S. Gregorii ad Augustinum Anglorum Apostolum responsio. Interrogaverat eum Augustinus, "Si longinquitas itineris magna „interjaceat, ut Episcopi non facilè valeant convenire, „an debeat *sine aliorum* Episcoporum præsentia Episco„pus ordinari?" Respondit Gregorius: "Et quidem in An„glorum Ecclesia, in qua adhuc *solus* Episcopus inveniris, „ordinare Episcopum *non aliter nisi sine Episcopis* po„tes." Ita Beda in Hist. Angl. *lib.* 1. *c.* 27. à quo primùm hanc epistolam accepimus; uti notat Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc epistolam, quæ est, 31. lib. 12 observatq; tam ex antiquis quàm recentioribus editionibus, codicibus manuscriptis, & auctoribus Ecclesiasticis, hanc esse genuinam epistolæ lectionem, vitiosam verò quorumdam exemplarium quæ habet: *Ordinare Episco-*

piscopum non aliter nisi cum Episcopis potes. Idem notat ac solidè probat Guilelmus Beveregius Presbyter Anglicanus in notis ad Canonem I. Apostolorum.

XII. Hisce conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ. Hodie quippe, teste Fagnano, in Litteris pro Consecratione Episcoporum in Indiis apponitur clausula infrascripta, videlicet: *Tibi Presbytero, ut à quocumq; malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis & in hoc illi assistentibus duabus vel tribus* DIGNITATIBUS, *munus Consecrationis recipere valeas.* Ad *Cap.7.* ⁑ *De temp. Ord. n.20.*

XIII. Quoad ipsum verò Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina à pristina nonnihil dissona est. Nam juxta disciplinam Sacris Canonibus & Decretalibus Gregorii IX. expressam, ordinarius Consecrator est Metropolitanus respectu suorum Suffraganeorum; hodie verò sicut Episcoporum Confirmatio, ita & Consecratio ad Pontificem devoluta est. Unde in Pontificali Romano sub titulo *De Consecratione Electi in Episcopum* præmittitur hoc monitum: " Nemo consecrari debet, nisi priùs constet „ Consecratori de *commissione* consecrandi, sive per *Litteras Apostolicas*, si sit extra Curiam; sive per *commissionem* vivæ vocis oraculo à Summo Pontifice *Consecratori factam*, si Consecrator ipse sit Cardinalis."

Et ex præscripto ejusdem Pontificalis, Ordinator priusquam Consecrationem inchoet, petit ab Episcopis Assistentibus, & Electum Consecratori ut eum ad onus Episcopatus sublevet, præsentantibus; *Habetis mandatum Apostolicum?* quo lecto demum ad Consecrationem procedit.

XIV. Jam pridem in Concilio Calchedonensi decretum fuit, "ut intra *tres menses* Episcoporum ordinationes „ fiant, nisi inexorabilis utiq; necessitas effecerit, ut dilati„ onis tempus prorogetur." Gratianus *Dist. 75. Can. 2.*

Synodus Tridentina advertens plures Episcopos electos, munus consecrationis negligere; rati sibi sufficere accepta confirmatione, ea quæ jurisdictionem & temporalium administrationem & usum spectat, pleno jure obtinuisse, edixit: " Ecclesiis Cathedralibus, seu superiori„ bus quocumq; nomine ac titulo præfecti, etiam si San„ ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus Conse„ crationis intra *tres menses* non susceperint, ad fructu„ um perceptorum restitutionem teneantur: si intra toti„ dem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso „ jure sint privati." *Sess. 23. c. 2. De. Reform.*

XV. Sive ergo pristinam sive modernam spectemus disciplinam, Consecrationi peragendæ trium mensium tempus est præfixum; hac tamen differentia, quod Canon Calchedonensis (uti rectè monet Lupus) "à *cœpta vacatio„ ne*, Tridentinum verò Decretum à *data* per D. Papam „ *confirmatione*, velit tres menses computari."

Dum enim Metropolitano & Episcopis Comprovincialibus præcipuæ partes essent in eligendo, confirmando & consecrando Episcopo, omnia facilè intra tres menses à die vacationis expediri poterant: sed devoluto jure confirmandi & providendi ad Sedem Apostolicam, vix possibile est, ut omnia intra tres menses à die vacationis expediantur; ideóq; à die obtentæ provisionis Apostolicæ tempus trium mensium consecrationi præfixum computari cœpit.

XVI. " Consecratio verò, ait Synodus Tridentina loco „ citato, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad „ quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè „ fieri poterit, celebretur."

CAPUT II.

De Juramento ab Episcopis ante Consecrationem Romano Pontifici præstando.

1 *Ab ordinandis exigi professionem juratam olim Patribus displicuit.*
2 *Professionem obedientiæ sine juramento olim Episcopi etiam præstabant suis Metropolitanis.*
3 *Circa sæculum 11. professioni obedientiæ cœpit adjungi juramentum.*
4 *Sola obedientia Canonica promittebatur usq; ad tempora Gregorii VII. qui novam juramenti formulam induxit.*
5 *Novam hanc esse formulam probatur.*
6 *Sæculo XIII. Juramentum cum dicta formula exigebatur in concessione* Pallii.
7 *Eodem sæculo exigi cœpit per Romanos Pontifices ab Episcopis eorum ordinationi immediatè subjectis: & per Metropolitanos à suis Suffraganeis.*
8 *Hodie ab omnibus Episcopis præstatur Romano Pontifici juxta formam in Pontificali expressam.*
9 *Tres priores articuli in formula juramenti expressi, conformes sunt Juramento fidelitatis à vasallo præstando Domino directo.*
10 *Refertur quartus articulus juramenti; & quæ sit ejus genuina lectio, ostenditur.*
11 *Quid per* Regalia Sancti Petri *intelligatur.*
12 *Quintus articulus.*
13 *Sextus articulus.*
14 *Septimus articulus.*
15 *Tres posteriores articuli cum quadam moderatione intelligendi.*
16 *Visitationis Liminum Apostolorum, de qua in articulo septimo, meminit Synodus Romana anno 743.*
17 *Visitare Limina Apostolorum primitus idem fuit quod ad Synodos convenire; & solos Episcopos ad Metropolim Romanam pertinentes obligabat.*
18 *Quare citius Metropolitanis quàm reliquis Episcopis, hæc obligatio fuerit imposita?*
19 *Hodie omnibus generaliter Episcopis vi Juramenti imponitur, & quare?*
20 *Quoties Episcopi Belgii Limina Apostolorum visitare (debeant?*
21 *Quid per Limina Apostolorum in formula juramenti intelligatur?*
22 *Quis præcipuus scopus visitationis.*
23 *Juxta formulam Juramenti Episcopi non nisi legitimo impedimento detenti per specialē nuntium huic obligationi satisfacere possūt: & qualis debeat esse ille Nuntius*
24 *De praxi & consuetudine Belgii, Episcopi visitationem hanc absolvunt per Nuntium.*
25 *Refertur articulus octavus Juramenti; & ostenditur quomodo hic & alii articuli cum quadam moderatione sint intelligendi.*
26 *Proponitur articulus nonus Juramenti.*
27 *Sæculo etiam XIV. simile juramentum fidelitatis & obedientiæ ab Episcopis præstabatur Metropolitanis.*
28 *Formulæ hodiernæ multa addita sunt post tempora Gregorii VII.*

I. PRistina Patrum ætas attendens, quam enixè ac verè Christus inculcâsset, & Apostolus Jacobus monuisset, *non jurare omnino; sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autē his abundantius est, à malo est*, Matth. 5. admodum solicita fuit, ne citra necessitatem inevitabilem juramentum, præsertim à Ministris Ecclesiæ exigeretur.

Hinc illud etiam sæculo 9. Concilii II. Cabilonensis: „ Dictum est interea de quibusdam fratribus, quod eos „ quos ordinaturi sunt *jurare* cogant, quod digni sint, & „ contra Canones non sint facturi, & obedientes sint

Episcopo qui eos ordinat & Ecclesiæ in qua ordinantur. Quod juramentum quia *periculosum* est, omnes unâ inhibendum statuimus." *Can.* 13.

Et in Conventu Episcoporum, Abbatum, Comitum, vel Majorum natu Francorum jussu Ludovici Pii Imperatoris anno 816. Aquisgrani habito Decretum est: "De Episcopis verò in Longobardia constitutis, qui ab his quos ordinabant, *Sacramenta* & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere, vel *exigere* soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat: quia juxta Sacros Canones uterque gradu proprio talia facientes decidi debent." *Cap.* 16. & refertur *lib.* 1. *Capitular. Regum Francorum cap.* 91.

II. Ipsam juramentorum exactionem præcipuè displicuisse, non verò obedientiæ professionem sat innuunt illa ipsa Regum Francorum Capitularia; in quibus *lib.* 7. *cap.* 466. legitur: "Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos *professionem* Episcopo suo facere." Quid hæc professio contineret, titulus ipsius Capitularis ostendit: "Ut Presbyteri & Diaconi quando per Parochias constituuntur, *stabilitatis* & *obedientiæ suæ* atque *statuta servare* promissionem suo faciant Episcopo."

Similem professionem suis Metropolitanis in sua ordinatione faciebant Episcopi. Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum generalium *col.* 1881. professio Adalberti futuri Episcopi Morinensis, Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo oblata, in qua præter professionem fidei habetur: "Privilegio etiam metropolis Rhemorum Ecclesiæ ac ejus *Præsulis*, secundum Sacrosanctos Conciliorum Canones, & Decreta Sedis Apostolicæ ex Sacris Canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse, absq; dolo & simulatione, vel indebita & pertinaci contradictione, me *obediturum* profiteor."

Eamdem professionem eidem Remorum Archiepiscopo fecisse Hincmarum Laudunensem Episcopum ejus nepotem scribit Amoinus, aut ejus Continuator ad annum 870. eamque in Concilio apud Attiniacum Episcoporum decem Provinciarum, cùm de multis, atque inter alia de inobedientia erga suum Archiepiscopum impeteretur, propriâ manu subscriptam porrexit.

Porrò in hac professione nullius Juramenti mentio occurrit; nec aliud quàm Canonicam obedientiam Metropolitano debitam exprimit. Unde Hincmarus Remensis de Laudunensi loquens ait: "Non debuerat oblivisci *professionis* & subscriptionis suæ, ante Ordinationem Episcopalem: qui coram Altari Sanctæ Mariæ, & cunctis qui adfuerunt, non solùm de Remensi Ecclesia, & de Laudunensi Parochia, verùm & de Rhemorum Provincia Episcopis, & aliis diversi ordinis Viris, secundùm morem Rhemensis Ecclesiæ, sicut *soliti erant Episcopi Ordinandi subscribere*: post Catholicæ fidei professionem, de *obedientia* sua secundùm sacras regulas erga *Rhemorum Metropolim* propriâ manu subscripsit."

III. Tametsi circa sæculum undecimũ professioni Juramentũ subinde adjungi cœperit, nihilominus illa professio solam adhuc *Canonicam obedientiam* respiciebat; quod ex professione Thomæ Eboracensis factâ S. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi manifestum est.

Postquam enim anno 1072. multùm disputatum fuisset de subjectione, quam Ecclesia Eboracensis debebat Ecclesiæ Cantuariensi, tandem "Lanfrancus Dorobernensis Archi-Episcopus ex antiqua Antecessorum consuetudine ostendit, Archi-Episcopum Eboracensem professionem Archi-Episcopo Cantuariensi facere etiã cum *Sacramento* debere (inquiunt Acta Concilii Anglicani tom. 9. Conciliorum generalium *Col.* 1211.) sed ob amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi Sacramentum relaxavit, scriptamque tantùm professionem recepit, non præjudicans Successoribus suis, qui voluerint *Sacramentum* cum professione à Successoribus Thomæ exigere." Hactenus Acta dicti Concilii; quibus subjicitur professio Thomæ Eboracensis facta Lanfranco Cantuariensi in qua hæc leguntur: "Ego Thomas Ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi Lanfrance Dorobernensis Archi-Episcope, tuisque Successoribus, de *Canonica obedientia* professionem facio: & quidquid à te, vel ab eis justè ac canonicè injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto.

IV. Sacramentum ergo sive juramentum professioni adjici quidem cœpit; at nihilominus *sola obedientia Canonica* hactenus exigebatur; neq; aliam etiam à Rom. Pontificibus exactam fuisse vel in Ordinatione Episcoporum aut Metropolitanorum; imò nec in concessione *Pallii* Archiepiscopalis legitur ante tempora Gregorii VII. qui primus anno 1079. à Patriarcha Aquiliensi in Concilio Romano exegit non *Canonicam* dumtaxat obedientiam; sed Juramentum *fidelitatis* non absimile illi, quod Vasallus præstare solet Domino directo: *Non ero in consilio, neque in facto ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint malâ captione.*

V. Novam fuisse hanc juramenti formulam sufficienter quoque probat epistola Paschalis II. sub finem sæculi 11. aut initium sæculi 12. scripta ad Archiepiscopum Panormitanum, cujus fragmentum extat in *Cap.* 4. ꝟ *De elect.* & integra refertur in prima Decretalium collectione Antonii Augustini eodem titulo *cap.* 21. & tomo 10. Conciliorum inter epistolas Paschalis II. ubi tamen inscriptio alia est; *nec mirum*, inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum *De electione pag.* 119. edit. anni 1679. *eodem enim exemplo, ad plures Metropolitanos missam fuisse, varietas inscriptionis indicat.*

Ita Litteras orditur Paschalis: "Significasti Reges & Regni Majores admiratione permotos, quod Pallium tibi ab Apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum, quod à nobis scriptum detulerant *exhiberes*," vel ut alia lectio habet, *jurares*.

Hæc quid aliud, quam rem hactenus inusitatam, quæ suâ novitate admirationem ingerere solet, indicant? Quod & totus epistolæ contextus ostendit; qui unicè in hoc collimat, ut evincat, Pontifici liberum esse in concessione Pallii exigere juramentum, quod pro conservanda Ecclesiæ unitate, & obedientia in Sedem Apostolicam judicat necessarium; unaque obloquentium argumentis occurrere conatur; atque ipsius juramenti æquitatem & necessitatem adstruere.

Mirum ergo videri non debet, si nec in Ordine Romano veteri, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, atque his recentiorem Rupertum Abbatem, ulla hujusmodi juramenti mentio occurrat; quamvis omnes ex professo de *Pallio* scripserint; cumque omnes vel Galli, vel Germani, aut Scoti fuerint, non obscurè innuitur, illis in partibus juramentum hoc, etiam in receptione Pallii, serius notum fuisse.

VI. At sæculo decimo tertio in concessione Pallii, Romanos Pontifices à nonnullis saltem Metropolitanis hujusmodi juramentum exegisse, evincunt acta Innocentii III. edita à Francisco Bosqueto; in quibus paginâ 64. extat Formula dandi Pallium cum adjuncto fidelitatis juramento simili Gregoriano.

VII. Quin & eodem labente sæculo invaluisse, ut idem juramentum exigeretur etiam ab Episcopis ad ordinationem Pontificis Romani immediatè spectantibus; sive, *à suis Coepiscopis sibi immediatè subjectis*, testatur Gregorius IX. *in Cap.* 13. ꝟ *De Majoritate & Obed.* ibidem respondens, simile quoque juramentum exigi posse per Metropolitanum ab Episcopis sibi subjectis; eoque debere esse contentum; hoc est, juramento Gregorii VII. de quo in *Cap.* 4. *De Jurejurando*; uti ad dictum Cap. 13. monet Glossographus, verbo, *forma.*

VIII. Postquam vero omnium Episcopatuum provisio ad Sedem Apostolicam, exclusis Metropolitanis & Episcopis

copis Comprovincialibus, translata fuit; atq; solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari & Consecrari cœperunt, etiam ab omnibus, tamquam ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjectis, juramentum hoc Romano Pontifici præstandum exigitur, idque hodie præstatur juxta Formulam à Clemente VIII. reformatam & extensam; ac Pontificali Romano insertam.

IX. Formula Juramenti prout à Gregorio VII. proposita fuit, & in *Cap.4. ℣ De Jurejurando* refertur, septem continet articulos, sive clausulas; quorum tres primi planè conformes sunt iis, qui in Juramento fidelitatis quod Vasallus præstare tenetur Domino directo, continentur, uti videre licet *Lib.2. Feud. tit.5.6. & 7.* atque his verbis in formula Juramenti exprimuntur: *Ego N. Episcopus* (Pontificale addit: *Electus Ecclesiæ N.*) *ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, Dominoq; meo Papæ C. ejusque successoribus Canonicè intrantibus. Non ero in consilio* (Pontificale addit: *aut consensu*) *neque in facto ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione* (addit Pontificale: *aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur; vel injuria aliqua inferantur, quovis quæsito colore.*) *Consilium quod mihi aut per se, aut per litteras, aut nuntium manifestabit, ad ejus damnum* (Pontificale addit: *me sciente*) *nulli pandam.*

Hi articuli sat ostendunt, hoc Juramentum Fidelitatis præcipuè concernere Episcopos qui Sedi Apostolicæ non in spiritualibus dumtaxat, sed & in temporalibus subjecti sunt.

X. Quartus articulus in *Cap.4. ℣ De jurejurando* exprimitur hac formâ: *Papatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum* (pro his finalibus verbis legitur in Pontificali: *& regalia Sancti Petri*) *adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines.*

Pontificali Romano consonat formula Gregorii VII. prout refertur in Concilio Romano VI. anno 1079. quæ extat tomo 10. Conciliorum generalium edit Labeanæ *col.379.* Ibi enim legitur: *Papatum Romanum & REGALIA Sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum salvo ordine meo.*

Hanc lectionem sibi *valde placere* dixit Antonius Augustinus ad *Cap.10. De elect.* in prima collectione; atque unà dicit: " Erratum esse videtur ex litterarum compen„dio. In alia formula Sacramenti Roberti Ducis Apuliæ, „ Calabriæ, & Siciliæ est: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ti„ bique adjutor ero ad tenendum, acquirendum & de„ fendendum *regalia Sancti Petri*, ejusque possessiones „ pro meo posse contra omnes homines." Hæc ille; notatque & vir eruditus Franciscus Florens, hanc esse veram & antiquam lectionem.

XI. *Realia S. Petri* hic accipiuntur pro *Patrimonio* Sancti Petri; quod apertè confirmat Formula Innocentii III. extans in ejus gestis pag.64. in qua ita explicantur Regalia. *Honores, dignitates & rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo:* & pluribus probat D. Du Cange in suo *Glossario*, verbo *Regalia:* ideoq; dici potest, quod sub nomine *Regalium* eorumque defensionis in Formula Gregorii VII. omnia essent comprehensa, quæ latius in Pontificali Romano ex præscripto Clementis VIII. his verbis sunt expressa: " Jura, honores, *privilegia & auctoritatem* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ „ & successorum prædictorum, conservare, defendere, „ augere, promovere curabo. Neque ero in Concilio, vel „ facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum „ nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua si„ nistra, vel præjudicialia personarum, *Juris, honoris, status, & potestatis* eorum machinentur. Et, si talia à qui„ buscumque tractari, vel procurari novero, impediam „ hoc pro posse, & quantò citius potero, significabo ei„ dem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ip„ sius notitiam pervenire."

XII. Quintus Articulus habet: *Vocatus ad Synodum veniam nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione.* In antiqua formula Gregorii VII. ita exprimitur: *Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam & canonicè obediam, aut si non potero Legatos meos mittam.*

XIII. Sextus Articulus: *Legatum Apostolicæ Sedis quem certum esse cognovero* (hæc postrema clausula, *quem certum* &c. in Pontificali omittitur) *in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.*

XIV. Septimus est: *Limina Apostolorum singulis annis* (Pontificale: *Singulis triennis*) *per me aut per certum nuntium* (Pontificale: *Personaliter per me ipsum*) *visitabo: nisi eorum absolvar licentiâ.* Hæc ultima clausula non habetur in Pontificali, sed adduntur sequentia: *Et Domino nostro ac successoribus præfatis, rationem reddam de toto meo Pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum ad Cleri & populi disciplinam. Animarum denique quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem, quovis modo pertinentibus;* & cætera quæ inferiùs referentur.

Totus hic Articulus de visitatione Liminum Apostolorum deest in formula Gregorii VII. suprà citatâ; sed vice illius habentur hæc, quæ nec in Decretalibus, nec in Pontificali occurrunt: *His quos nominatim excommunicaverint scienter non communicabo: Romanam Ecclesiam per SÆCULAREM MILITIAM fideliter juvabo, cùm invitatus fuero.*

Hic rursus non obscurè innuitur, juramentum hoc primitus conceptum fuisse pro solis Episcopis, qui etiam in temporalibus Sedi Apostolicæ aliquo vinculo obstricti essent.

XV. Cæterum circa tres posteriores articulos notandum, tria ibidem præscripta, ita commodè & rectè ab Episcopis præstari posse, dummodo consensus Regis & Principum interveniat, præsertim in Gallia & hisce Provinciis, in quibus absque consensu Regis, nec legatum Pontificis ut talem agnoscere, adire, excipere & comitari; nec Regni finibus excedere, vel ad Synodum vel ad Pontificem licet proficisci. De quibus videri potest Franciscus Florens ad titulum *De concessione Pallii pag.231.* & ab eo citati: & quæ infra titulo de Nuntiis & Internuntiis Apostolicis notata sunt

XVI. De *liminum Apostolorum* visitatione mentio fit in Synodo Romana sub Zacharia Papa anno 743. *can.4.* ex qua desumptus est *Canon. 4. dist.93.* apud Gratianum, uti rectè notârunt Correctores Romani.

In hoc Canone statuitur: " Ut juxta Sanctorum Pa„ trum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus „ *Apostolicæ Sedis ordinationi subjacebunt*, qui *propinqui* „ sunt, *annuè* Idibus mensis Maji Sanctorum Principum „ Apostolorum Petri & Pauli *liminibus* præsententur, „ omni occasione sepolita: qui verò de *longinquo*, jux„ ta *chirographum* suum impleant. Nam qui hujus con„ stitutionis contemptor exstiterit, præter si ægri„ tudine valida fuerit detentus, sciat se *Canonibus* sub„ jacere."

XVII. Duo nobis hic Canon aperit. Alterum, quod Episcopi Liminibus Apostolorum se præsentare deberent, ut Synodo annuè juxta Canones celebrandæ interessent; atque *Liminibus Apostolorum se præsentare*, idem esset, quod Romam ad Synodum juxta Limina Apostolorum celebrandam convenire.

Alterum, obligationem se præsentandi liminibus Apostolorum solis Suffraganeis Romanæ Metropolis sive qui ordinationi Sedis Apostolicæ subjacebant, fuisse impositam: nec tamen his omnibus, sed solis *propinquis*; remotiores enim, tametsi ad Romanam Metropolim spectantes, ipsi venire non tenebantur; sed satis erat, si chirographo suo, quæ in Synodo agebantur, confirmarent.

Itaq; obligatio adeundi limina Apostolorum profluxisse videtur ex obligatione accedendi ad Synodos Metropoli-

politanas; quod apertius indicat S. Leo, qui scribens ad Episcopos Siciliæ, Pontificis Romani ordinationi subjectos, ait: "Illud primitus pro concordissimæ unitatis "custodia exegimus, ut quia saluberrimè à Sanctis Patri„bus constitutum est, *binos* in annis singulis Episcoporum „debere esse *conventus*, *terni* semper *ex vobis* ad diem „tertium kalend. Octobr. *Romam* fraterno *Concilio sociandi*, indissimulanter occurrant."

Hic ergo manifestum est, obligationem veniendi Romam, à Sancto Leone elici ex obligatione accedendi Synodos Provinciales.

Cùm verò juxta pristinam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi ad ejus spectarent Synodum à quo ordinationem acciperent, facilè intelligitur, cur Episcopi ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjecti ad Limina Apostolorum accedere specialiter adstricti essent.

XVIII. Hinc ulterius intelligimus, quare hæc obligatio citius Metropolitanis, quam Episcopis cæteris imposita sit; uti colligitur ex Epistola 6. Paschalis II. quia scilicet, Metropolitanorum ordinatio citius, quam Episcoporum ad Sedem Apostolicam translata est; atque Metropolitani ab eadem Sede *Pallium*, & cum eo *plenitudinem* Sacerdotii accipere consueverant.

Quod intelligens antiquus Juris Canonici Glossographus ad *Cap.* 4. ꝟ. *De Jurejurando*, verbo, *singulis annis*, notavit, obligationem visitandi Limina Apostolorum, de qua in citato Capitulo, intelligendam de *Archiepiscopis & Episcopis qui subsunt Domino Papæ* NULLO MEDIO. Additur in margine ex Joanne Andræa: *Idem servatur in aliis, si confirmationem, Consecrationem vel Pallium à Papa recipiunt.*

XIX. Translatâ ergo non tantum Metropolitanorum, sed & Episcoporum confirmatione & Consecratione ad Sedem Apostolicam, unà ipsa obligatio visitandi Limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apostolicã, cujus jam ordinationi omnes immediatè censentur subjici, generaliter ad Episcopos, unà cum juramento extensa fuit.

XX. Cumque jam inter Episcopos huic obligationi subjectos essent nonnulli in Provinciis remotis, quibus singulis triennis Limina Apostolorum visitare, esset non parum incommodum, Xistus V. varia temporum intervalla, pro varietate Provinciarum & Regnorum præfixit; quæ in Pontificali Romano expressa sunt; atque inter alia ait: "Ad tempus singulorum quadrienniorum tenen„tur Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Boëmi, Hungari, „Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes qui in Europa sunt „citra mare Germanicum & Balticum, atque omnium „insularum maris mediterranei."

XXI. Per *Limina Apostolorum* in Formula juramenti relatâ in citato *Cap.* 4. non intelligi Ecclesias SS. Petri & Pauli, nec mortua eorum corpora, vel sepulchra, sed Papam, vel Sedem Apostolicam, apertè colligitur ex verbis quæ subjiciuntur: *nisi eorum absolvar licentiâ*: quæ necessariò ita debent exponi, nisi absolvar per Papam, qui illis *Liminibus* præest, & illorum Apostolorum vice fungitur; uti post alios Canonistas notat Fagnanus ad citatum *Capitulum* 4. Unde obligatio Episcoporum visitandi materiales illas Apostolorum Basilicas non tam ex juramento, quam consuetudine atque posteriorum Pontificum Decretis profluit; quod & Fagnanus ibidem notavit.

XXII. Porrò præcipuus scopus hujus visitationis, uti colligitur ex Bulla Xisti V. & hodierno stylo Curiæ Romanæ, est, ut Episcopi Sedem Apostolicam de statu Ecclesiæ suæ plenè informent; eumque Sacræ Congregationi Cardinalium super Interpretatione Concilii Tridentini (quæ ad hoc specialiter deputata est) referat; quod & hodierna formula juramenti in verbis supra relatis exprimit.

Hic autem status duplex est, materialis & spiritualis. "Materialis versatur circa loca Urbana, suburbana, rura„lia, sylvestria. Item circa Cathedralem, Collegiatas, „Parochiales & alias Ecclesias, & Oratoria. Item circa „Monasteria tam virorum, quàm mulierum, hospitalium „Montem pietatis, Collegia, Confraternitates, & alia pia „loca tam Civitatis, quam Diœcesis, & circa earumdem „Ecclesiarum & locorum situm, fabricam, ornatum, bo„na, reditus, sacram suppellectilem, personarum ac mi„nistrorum numerum, & ordinem, & alia his similia. Et „quoad hunc statum materialem praxis est, ut unusquis„que Episcopus in prima ejus visitatione plenam exhi„beat relationem; in sequentibus autem visitationibus „super hoc statu materiali simpliciter se referat ad rela„tionem primò exhibitam, & tantum adjiciat, si quid ad„ditum, imminutum, immutatum fuerit, quod S. Con„gregationem scire expediat." Hæc Fagnanus ad dictum *Cap.* 4. n. 73.

Status spiritualis, sive formalis ut eum vocat Fagnanus, in quo præcipuè eniti debent, versatur circa Pastorale officium atque omnia, quæ ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum regimen & Animarum salutem pertinent, de quibus S. Congregatio juxta præscriptum Xisti V. edoceri vult, scilicet, "quæ in Ecclesiis eorum curæ ac fidei „commissis, Cleri, populique morum disciplina sit, quæ „Concilii Tridentini, cum in omnibus, tum præcipuè in „residentiæ munere executio, quæ item piæ cõsuetudines „& qui omnium denique in via Domini sint progressus." Sive ut in suo juramento ad præscriptum Pontificalis exprimit Episcopus: "Rationem reddam de toto meo Pa„storali officio, de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ sta„tum, ad Cleri & populi disciplinam, Animarum deni„que, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo „pertinentibus; & vicissim mandata Apostolica humili„ter recipiam, & quam diligentissime exequar."

Et hæc quidem generalia sunt, super quibus S. Congregatio informari debet; quæ pro accuratiore informatione ad specialia descendere solet; quemadmodum monet Fagnanus, qui & articulos illos ibidem annotat: De quibus si sincerè ac pro rei veritate Congregatio informetur, non dubium, quin frequenter perspectum esse debeat Sedi Apostolicæ, quantus sit in pluribus Ecclesiis super hisce defectus; cui per Sedem Apostolicam opportunis remediis meritò occurratur.

XXIII. Formula Juramenti expressa in *Cap.* 4. ꝟ. *De Jurejurando*, tantum obstringit jurantem, ut *per se* VEL *per certum nuntium* Limina Apostolorum visitet; at formula in Pontificali expressa, obligat *personaliter* per *seipsum* visitare; nec nisi *legitimo impedimento* detentum per alium; atque hoc casu, uti habent verba juramenti: "per *certum* „nuntiũ ad hoc *speciale mandatum* habentem, de *gremio* „mei Capituli, aut alium in *dignitate* Ecclesiastica consti„tutum, seu alias *personatum* habentem; aut, his mihi de„ficientibus, per Diœcesanum Sacerdotem; & clero de„ficiente omnino per aliquem alium Presbyterum sæ„cularem vel regularem spectatæ probitatis & religionis „de supradictis omnibus plenè instructum. De hujusmo„di autem *impedimento* docebo per *legitimas* probatio„nes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem *Proponentem* in Congregatione *Sacri Concilii*, per supradictum „nuntium transmittendas."

XXIV. Moderna Belgii vicinarumque Provinciarum constans ac uniformis praxis habet, ut visitatio per Nuntium fiat; quasi ob itineris longitudinem molestias & expensas; atque diuturniorem à Diœcesi absentiam legitimum ac continuum impedimentum subsit; neque ulli Episcopo hinc difficultatem moveri hactenus intelleximus; in Gallia verò hic articulus non observatur, ait D. Fleury in Instit. Juris Canonici *parte* 1. *cap.* 11.

XXV. Præter septem articulos in formulâ Juramenti Gregoriani, prout refertur in dicto *Cap.* 4. contentos, addit insuper formula Pontificalis moderna: "Regulas „Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes seu disposi„tiones, reservationes, provisiones, & mandata Aposto„lica totis viribus observabo, & faciam ab aliis obser„vari."

"Hæc clausula (inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum de concessione Pallii *pag.* 230.) latissimè patet, nec eam usus noster admittit in plerisque. Ideoque omissa est in *formula* Gregorii XV."

Formula Gregorii XV. cujus hîc meminit Florens, est illa, quam novum Archiepiscopum Parisiensem eidem Pontifici præstitisse testatur Florens; extatque apud Andræam Du Saussai libro *De mysticis Galliæ scriptoribus.*

Quod de Gallia asserit Florens, id quoque de Belgio affirmari posse non dubium. Nihil enim certius, quam provisiones, reservationes, ac mandata Apostolica non generaliter & indistinctè, sed cum certis limitationibus, juxta jura ac receptas Provinciarum atque Ecclesiarum consuetudines hîc admitti; credendumq; nec eorum observantiam aliter jurari velle Pontifices; videturque usus ac communis intellectus, in hunc sensum juramentum exposuisse, non tantum quoad hunc articulum, sed etiam reliquos; ut scilicet contenta in illis articulis intelligantur prout Provinciarum jura ac consuetudies illa observari permittunt.

XXVI. Denique additur in formula Pontificalis: "Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo; nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero; pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo."

XXVII. Juramenti ab Episcopis præstandi de non alienandis rebus ad suam mensam spectantibus fit mentio in *Cap.* 8. ꝗ *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*: illudq; vel Pontifici, vel Metropolitano præstandum erat. "Nam (ut ait Glossa ibidem verbo, *Sacramento*) quilibet Episcopus qui immediatè Domino Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit bona Ecclesiæ, nec infeudabit, & idem juramentum præstant alii Episcopi *suis Metropolitanis.*"

Hîc nota, tempore Glossographi hujus, id est, sæculo 14. nondum omnes Episcopos præstitisse hoc juramentum fidelitatis Romano Pontifici; sed tantum immediatè Pontifici subjectos; reliquos verò illud idem præstitisse suis Metropolitanis; sive Episcopos, uti ante diximus, juramentum præstitisse illi à quo ordinationem sive confirmationem accipiebant. Et etiamnum hodie extat in Pontificali Romano ordo Consecrationis, quo à Metropolitano electus ordinari solebat; ubi idē pene per omnia juramentum, quod hodie Pontifici præstatur, præstandum præscribitur Metropolitano. Habetur in Pontificali sub titulo, *De scrutinio quo Antiqui utebantur antequam* ELECTUS *in* EPISCOPUM *consecraretur.* Plura de hoc Juramento dicentur infrà Titulo De Metropolitanis.

XXVIII. Notandum quoque, hujus clausulæ *de non alienandis rebus* Ecclesiæ, nullam in Formula Gregorii VII, prout vel in Concilio Romano, vel Decretalibus exhibetur fieri mentionem; unde post tempora Gregorii VII. insertam fuisse rectè observat Franciscus Florens loco citato *pag.* 231. quemadmodum plura alia successu temporis addita fuisse, ex dictis facilè intelligi potest; & utramque formulam inter se conferenti ad oculum patebit.

CAPUT III.

De moderno ritu Consecrationis.

1 *Electus præsentatur Consecratori.*
2 *Olim interrogabat Metropolitanus, num præsentantes scirent electum esse dignum: quod etiam tempore Innocentii III. in usu fuit.*
3 *Olim solebat fieri præsentatio electi pridiè ante Consecrationem per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ vacantis.*
4 *Hodie Consecrator tantum petit à præsentantibus electum an habeant* mandatum Apostolicum; *& quæ hujus ratio?*
5 *De examine electi faciendo ante Consecrationem.*
6 *In quo hæc examinandi ratio differat a pristina Patribus usitata?*
7 *Consecrator electo exponit, quid Episcopum facere oporteat.*
8 *Liber Evangeliorum cervicibus & scapulis electi imponitur; & Consecrator cum Episcopis assistentibus manus capiti consecrandi imponit.*
9 *Manuum impositio ritus est antiquissimus, semper in Ecclesia tam Latina quam Græca observatus.*
10 *Impositio libri Evangeliorum etiam est antiquissima, non tamen universaliter ubique eodem tempore recepta.*
11 *Hæc verba* Accipe Spiritum Sanctum *recitari in ipsa manuum impositione recens est cæremonia; non tamen frustrà dicuntur.*
12 *Oratio Consecratoris pro Consecrato.*
13 *De unctione capitis & manuum Consecrati.*
14 *Benedictio & traditio* Baculi *Pastoralis, & hujus cæremonia antiquitas.*
15 *Cur in ordinatione Romani Pontificis, hæc cæremonia omittatur; & an olim non fuerit adhibita?*
16 *Impositio annuli & ejus antiquitas.*
17 *Traditio libri Evangeliorum ipsi Consecrato est recens cæremonia.*
18 *Consecratus offert panem & vinum, quod antiquitus etiam à populo fiebat.*
19 *Consecratus cum Consecratore stando missam peragit, & de eadem Hostia, & eodem Calice communicant.*
20 *Hic ritus olim in Ecclesia Latina, & hodie etiam in Ecclesia Græca est usitatus & ordinarius.*
21 *Impositio* Mitræ, *& quando ejus usus inceperit?*
22 *De* Chirothecis *Pontificalibus.*

I. RItu hodierno, Electus sive Nominatus medius inter duos Episcopos ducitur ad Metropolitanum sive Consecratorem; & senior assistentium eum Consecratori præsentat consecrandum sub hac formula verborum. *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.*

II. Tempore electionis petebat Metropolitanus: *Scitis illum esse dignum?* Respondebat Episcopus: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scimus & credimus illum dignum esse.*

Hancque formulam in usu fuisse tempore Innocentii III. patet ex ejus responso relato in *Cap. Unico* ꝗ *De scrutinio in Ordine faciendo*; ubi interrogatus, an Episcopus assistens hoc responsum dare queat, dum Electi conversatio minùs sibi cognita, aut penitus ignota est, respondit: "In tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodò contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter illum asserit dignum, sed *in quantum humana fragilitas nosse sinit*: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Hujusmodi ergo responsione securè uti poterit, nisi fortè de indignitate tibi constiterit Consecrandi."

Ad hanc responsionem reflectens antiquus Glossographus ait: "Mirabilis est responsio ista: potiùs enim dicere deberet, *se nullam habere scientiam* de ejus dignitate vel indignitate." Deinde respondet: "Ex eo, quòd videt illum electum *à bonis*, quamdam videtur habere notitiam de dignitate ipsius, & de tali respondet, quia audivit ab aliis."

Hoc responsum Glossæ attendens Panormitanus, ait: præsumitur hoc in casu dignus, quia præsumptio est pro ejus dignitate; eò quòd per alios est præsentatus *ut bonus*, ad hoc est electus *ut bonus* & confirmatus: sicut in illo qui pe-

petit consecrari; & tunc præsumitur accidentalis bonitas. Hæc quidem vera sunt, quando ipsi testanti constat, in electione aut confirmatione Consecrandi ita fuisse inquisitum in idoneitatem Consecrandi, ut reverâ notitiam illius habere censeatur; ideoque de illa testari possit: alioquin, uti rectè monet Joannes Andreas, *Quomodò testificabitur de eo quod non novit?*

III. Solebat insuper die præcedente ipsam Consecrationem fieri alia præsentatio ipsius Electi per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ cui Electus erat præficiendus; qui Electum medium inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ Metropolitano præsentabat; qui Metropolitano interroganti: *Fili mi, quid petis?* respondebat: *ut Deus & Dominus noster concedat nobis Pastorē.* Rursus eum interrogabat Metropolitanus: *quid vobis complacuit in illo?* Respondebat præsentans: *Modestia, humilitas, patientia, & cæteræ virtutes.* Ulterius Metropolitanus: *Habetis Decretum?* Respondebat: HABEMUS. Tum legebatur Decretum, quo declarabatur, Canonicos præsentem Presbyterum in suum Episcopum elegisse; eumque in Pontificem ordinari postulare: quæ latius referuntur in Pontificali Romano sub tit. *De Scrutinio Serotino.*

IV. Hodie omnibus hisce interrogationibus & responsionibus omissis, Consecrator postulationi Episcopi offerentis hoc unum reponit: *Habetis mandatum Apostolicum?*

Respondente Episcopo Assistente, *habemus*; jubetur legi mandatum, quo auctoritate Sedis Apostolicæ consecrandi potestas committitur.

Cum ergo *Consecratio* fiat auctoritate Sedis Apostolicæ sive ex ejus delegatione, mirum non est, si Consecrator ex præscripto Pontificalis Romani, non interroget Episcopos Assistentes & Electum consecrari postulantes, *num sciant eum esse dignum*; quia, uti refertur in citato responso Innocentii III. Pontifex non in ordinatione Pontificis, sed in ordinatione Diaconi vel Presbyteri id interrogare etiam eo tempore solebat.

V. Lecto mandato Apostolico, nec non præstito per Electum juramento, de quo capite præcedenti, incipit Consecrator Electum examinare; quod antiquam Patrum institutionem docere asserit; tum ut observetur illud Apostoli: *Manus nemini citò imposueris*: tum, ut etiam is, qui ordinandus est, erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei.

Extat formula examinis modernæ planè similis in antiquo Ordine Romano; in qua tamen post articulum de obedientia ac subjectione Romano Pontifici exhibendâ, subjicitur articulus, quo similis fides & subjectio Metropolitano, ejusque Successoribus promittebatur à Consecrando.

VI. Indubitatum est, semper Ecclesiam valde solicitè inculcâsse, ut ante ordinationem Episcoporum serium atq; exactum de fide & moribus Ordinandorum examen institueretur; adeoque ritus hic, in quantum prævium illud examen repræsentat, ex Patrum Traditione descendere rectè dicitur: At illud dolendum, quod quæ à Patribus seriò fiebant, ut exactam notitiam ipsius Ordinandi consequerentur, hodie tamquam meram ac nudam cæremoniam, juxta Formulam præscriptis verbis expressam adhiberi & proponi; neque ad aliud in Pontificali conservari videantur, quam ut omnibus, quibus Episcopos promovendi officium incumbit, in memoriam revocetur, quàm enixè semper voluerit Ecclesia, ut de persona promovenda exactum atque serium examen institueretur: ne alias, manus citò imponentes, alienis peccatis communicent.

VII. Examine peracto, Consecrator versus ad Electum dicit: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

VIII. Tum precibus aliquibus cum Litaniis recitatis, Consecrator accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervices & scapulas Electi: quem unus ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continuè sustinet. Deinde Consecrator & Assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes. *Accipe Spiritum Sanctum.*

IX. Ritum hunc, in quantū *manuum impositionem* continet, à Judæis ac Synagoga in Ecclesiam traductum atque ab Apostolis observatum, & per eorum Successores ad nos transmissum fuisse, ostendit Guilelmus Beveregius *ad Canonem primum Apostolorum*; notatque Morinus de Sacris Ordinationibus *parte 2. exercit. 1. cap. 1.* tam Græcos, quam Latinos libros Rituales veteres & recentiores in Consecratione Episcopi præscribere *manuum Episcoporum impositionem*; imo SS. Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque dicere, per manuum impositionem aliquam Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum.

X. Nec tantum ritus hic, quoad manuum impositionem est antiquissimus, sed etiam quoad ipsam *Evangelii impositionem* Patribus usitatus fuit: "eamque *omnes* Rituales antiqui & recentes Latini, Græci, Syri commemorant: quam S. Clemens, S. Dionysius, Concilium Carthaginense IV. referunt & explicant, quam denique laudat S. Chrysostomus in oratione quâ probat, unum esse novi & veteris Testamenti Legislatorem," inquit Morinus loco citato *n. 3.* qui tamen ibidem *n. 5.* observat, quod antiquissima hæc cæremonia non fuerit universaliter ab omnibus Ecclesiis accepta; quod ibi latius prosequitur; asseritque, plures Ecclesias in Gallia & Germania hanc cæremoniam olim non observâsse; imo, nec forsan primis temporibus Romanam Ecclesiam.

XI. Quoad illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ Consecrator & Episcopi Assistentes in ipsa manuum impositione pronuntiant, recens est cæremonia, solisque Latinis, (si Morino credimus) nota. "Nulli enim, ait, Rituales Latini antiqui hæc habent verba; nusquam comparent; etiam in recentioribus multis nulla eorum mentio. Antiqui Scholastici, Hugo de S. Victore, Alexander Alensis, Guilelmus Altissiodor. S. Bonaventura, S. Thomas, licet quæ ad Ordines spectant *diligenter & minutè* persequantur, eorum non meminerunt. Apud Latinos cœpta sunt usurpari vix ab annis *quadringentis*. Apud Græcos autem & Syros; nec est, nec umquam fuit illorum usus. Itaque nulla ratione dici possunt ad Ordinis substantiam pertinere." Qui deinde ostendit, quod nihilominus rectè pronuntiaverit Synodus Tridentina *Sess. 23. can. 4. De Ordine.* "Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum* &c. anathema sit."

"Catholicis quippe certum est, ait, Ordinationis ritu, obicem non ponentibus Spiritum Sanctum dari & gratiam produci. Præterea ab *antiquissimis temporibus* tam apud Latinos, quàm apud Græcos non modo in Ordinatione Episcopi, sed etiam Presbyteri & Diaconi, invocatur Spiritus Sanctus. Invocationem illam nobis repræsentant Rituales *omnes*, Latini, Græci, Syri, antiqui & recentiores in hunc usque diem."

XII. Prædictâ cæremoniâ expletâ, Consecrator recitat præfationem, in qua Deum precatur, ut dignetur Electo dare virtutes, quas vestes summi Sacerdotis Veteris Testamenti figurabant: "Illius namque, ait, Sacerdotii anterioris habitus, nostræ *mentis ornatus est*, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium *sed splendor animarum.* Quia & illa, quæ carnalibus *blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda* poscebant."

XIII. Interea verò Choro decantante hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, chrismate ungit caput Electi dicens: *Ungatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione, in Ordine Pontificali.*

Unctionem hanc apud Latinos antiquissimam esse contendit Morinus de SS. Ordinat. *parte 3. exercit. 6. c. 2.* in aliquibus tamen Ecclesiis citius, in aliis serius adhibitam fuisse probat; ipsamque Episcopalem Unctionem in Ecclesia Romanâ antiquiorem esse Presbyterali.

Expletâ unctione, Consecrator resumit præfationem, precaturq; ut Deus virtutum & gratiarum abundantiam, per hanc materialem unctionem designatam, Electo infundere dignetur. *Hoc Domine*, ait, *copiosè in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat, hoc in totius corporis extrema descendat, ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat.*

Finitâ præfatione Chorus canit Psalm. 132. qui loquitur de unctione Aaron; atque interea Consecrator ungit chrismate manus Electi; precaturque, ut ipse Deus eum *Chrismate & mystica delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ubertate fœcundet: Quidquid benedixerit, benedicatur; & quidquid Sanctificaverit, Sanctificetur; & consecratæ manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem.*

XIV. Post hæc benedicit Baculum Pastoralem, eumq; tradit Consecrato dicens; *accipe Baculum Pastoralis Officii; ut sis in corrigendis vitiis piè saviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Baculi hujus Pastoralis, qui communiter dicitur *pedum*, meminit quoque antiquus Ordo Romanus; quin Concilium Toletanum IV. an. 633 *can. 28.* inter ornamenta Episcopalia *Baculum* numerat.

Apud Græcos, quemadmodum observat Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 313. edit. Parisiensis an. 1647. " à cunctis, tum Pontificibus, tum Monasteriorum „ Præfectis, manibus fertur; illoq; utpote breviori & mi„nus pretiosâ materiâ conspicuo (rarò namq; argenteus „ est, sæpius autem ebero & ebeno solum variegatur) per „ viam gradientes se sustentant: Illoque ut potestatis in „ inferiores exercendæ symbolo, ab Imperatoribus quon„dam donari solitos Patriarchas, & alios præcipuos ani„ marum præfectos scribit Codinus *c.* 20. Patriarcham „ quidem his verbis: *Patriarcha deinde in suggestū conscendens, è manu Imperatoris pedum Pastorale accipit.*"

VX. Non immeritò ergo notavit Morinus citata exercitatione 2. *cap.* 2. *n.* 5. hanc cæremoniam esse *admodum antiquam.*

Illud tamen notandum, quod Romanus Pontifex *non utatur Baculo Pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*, ait Innocentius III. *in cap. Unico De Sacra Unctione.*

Pontificem hic citare acta S. Martialis Limovicensis, atq; alludere ad historiam in illis relatam rectè monet Baronius ad diem 30. Junii; quam historiam Glossa recitat his verbis: "Martialis unus de Discipulis Petri, quem po„ suit Dominus inter discipulos cum dixit: nisi efficiami„ ni sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum Cælo„ rum &c. quem postea Petrus cum alio, scilicet Materno „ ad prædicandum misit in Germaniā, qui cum iret mor„ tuus est, & redit collega ad Petrum: & Petrus ait: *Ac„ cipe baculum*, & tangens eum dic ut in nomine Domini „ surgat & prædicet, & ivit. Et XL. die à tempore mortis „ tetigit eum & resurrexit, & prædicavit, & ita Petrus *re„ movit à se baculum*, & dedit subditis."

Verùm adverterunt Eruditi, hæc acta Martialis, quæ tamquam ab Aureliano ejus immediato successore scripta circumferuntur, non obscura præferre suppositionis & falsitatis indicia. Et quidem per crassam inscitiam auctor dicit, Vespasianum successisse *immediatè* Neroni. Asserit insuper, Martialem parem cum Apostolis à Christo post resurrectionem accepisse potestatem, eum numquam esuriisse vel sitivisse aut aliquo dolore laborâsse, & alia plura narrantur; quæ non minus fabulosa sunt, quam quæ in Synodo Limovacensi anno 1031. celebratâ pro asserendo S. Martialis Apostolatu, narrantur. Cujus consequenter auctoritatis reputanda sit historia, quæ unicè innititur fidei hujusmodi actorum, intelligi potest.

Mysticas rationes plures allegant Glossa, Joannes Andreas aliique relati ad citatum Cap. *Unicum*, verbo: *Mysticam rationem*: quæ, an sat sint convenientes, meritò Lector expendet. illud interim constat, Romanos Pontifices olim etiam usos fuisse virga Pastorali.

Luitprandus enim loquens de exauctoratione Benedicti V. Pontificis in quodam Romano Conciliabulo factâ an. 964. inter alia dicit: "Post hæc Pallium ubi abstulit (Be„ nedictus) quod simul cum *Pontificali Ferula*, quam ma„ nu gestabat, Domino Papæ Leoni reddidit, quam *Feru„ lam* idem Papa fregit, & fractam populo ostendit." Habetur tomo 9 Conciliorum Generalium *Col.* 659. Eadem habet author Appendicis ad Reginonem an 964. Et Cencius Camerarius in Cæremoniali, de inauguratione Celestini III. Papæ: " Idem Electus sedet ad dexteram in sede „ Prophyretica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii dat ei *Fe„ rulam*, quæ est signum *Regiminis & correctionis.*"

XVI. Post traditum Baculum Pastoralem, Consecrator benedicit *annulum*; eumque in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus Sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemeratâ fide ornatus, illibatè custodias.*

Meminit quoq; *annuli* tamquam ornamenti Pontificalis vetus Ordo Romanus, ubi & tres verborum formulæ, per quas annulus tradi posset, referuntur; quarum sola tertia hodiernæ formulæ conformis est.

Et ante annos mille jam citatum Concilium Toletanū IV. *Can.* 28. ornamentis Episcopalibus annumeravit *annulum*: ut proinde etiam hanc cæremoniam jure merito *admodum antiquam* dicat Morinus loco suprà citato. Attamen quia apud Alcuinum, Amalarium, & Rabanum de *annulo* summum est silentium, argumentum est sat plausibile, serius in Gallia & Germania fuisse notam; quemadmodum *Græcos Episcopos* ANNULI *usum ignorare*, testatur Jacobus Goar loco citato.

XVII. Imposito *annulo*, Consecrator accipit Librum Evangeliorū de scapulis Consecrati; & adjuvantibus ipsum Episcopis assistentibus, tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.*

Huic traditioni vim Consecrationis nonnulli Scholasticorum dare voluêre; at eos refutat Morinus, observans; "Quòd traditio illa res sit *nupera*, quam, ait, nulli Ritua„ les ante quingentos annos scripti, nulli Auctores ante „ idem tempus commemorant, licet nonnullis, ut Isido„ ro, Alcuino, Amalario, & aliis commemorationis causa „ non defuisset. Nec etiam illa ætate invenies Authorem „ aut Ritualem, qui de Ordinationibus Sacris agentes, „ istius cæremoniæ meminerit."

Deinde judiciosè reflectit Morinus, quòd & in traditione Baculi Pastoralis, annuli & Evangelii semper Episcopus dicatur *Consecratus*, ante autē semper, *Electus*. Indicium minimè obscurum, quòd etiam Liber Pontificalis, ante hanc traditionem, eum habeat pro *Consecrato*; adeoque & traditiones illas ut meras cæremonias Consecrato Episcopo accedentes.

XVIII. His peractis, Consecrator pergit in Missa usq; ad Offertorium inclusivè. Dicto Offertorio, sistit se Consecratus medius inter Episcopos Assistentes coram Consecratore; eique offert duo intorticia accensa, duos panes, & duo barilia vino plena; idque juxta antiquam Ecclesiæ disciplinā, cujus hic memoria conservatur. Ipse enim Ordo Romanus circa sæculum 9. aut 10. compositus, ritum offerendi describens, ait: " Populus dat oblationes, „ id est, *panem & vinum*, & offerunt cum fanonibus can„ didis primò masculi, deinde fœminæ." Sed de his plura infrà parte 2. Titulo De Oblationibus.

XIX. Post hæc Consecratus ad posterius cornu Epistolæ

stolæ altaris accedit, & ibi stans medius inter duos Episcopos Assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit & facit omnia prout in Missali. Deinde cùm ad Communionem ventum est; Corporis Christi Communionem accipit à Consecratore reverenter inclinatus, non genuflexus. Unam autem hostiam ambo, id est, Consecrator & Consecratus consecrant, & de ea participant. Similiter Consecrans postquam Sacri Sanguinis partem cum hostiæ particula intincta sumpsit, reliquum Sanguinis Consecrato tradit.

XX. Hæc rursus si cum moderno Ecclesiæ Latinæ ritu conferantur, planè extraordinaria apparebunt; at si comparentur cum ritu, qui ante quingentos aut sexcentos annos viguit in Ecclesia Latina; & adhuc hodie viget in Ecclesia Græca, apparebit nihil hic extraordinarii fuisse statutum, sed hic conservatum esse veteris ritus monumentum.

Nihil enim olim tum in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Ecclesia Græca usitatius ac frequentius, quàm plurium Presbyterorum aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebratio; idq; eodem penè per omnia ritu qui hodie in Episcopi Consecratione superest; quemadmodum latè probat & describit Morinus *De SS. Ordin. part. 3. exercit. 8. c. 1.* eumq; tempore Innocentii III., id est, sub initium sæculi 13. nondum abolitum fuisse advertit, licèt tunc abolescere cœperit; ejusq; abolitioni multùm subservisse Theologiam Scholasticam, quæ sub id tempus præcipuè emersit; eò quòd mos ille sive ritus fuerit Doctoribus Scholasticis innumerarum difficultatum seges amplissima.

XXI. Finitâ Missâ Consecrator benedicit *Mitram* eamque adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis capiti Consecrati imponit, dicens: *Imponimus, Domine capiti hujus Antistitis & agonistæ tui galeam munitionis & salutis; quatenus decorata facie & armato capite, cornibus utriusq; testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, &, te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat: qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti.*

Vir eruditus Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentarium S. Gregorii *pag. 362.* de Mitræ usu loquens ait: "Cujus in Sacramentariis nostris manuscriptis, in Ordinibus Romano & Tiliano, in Pontificali manuscripto, quòd servatur in Sacristia Ecclesiæ Rothom. & putatur esse Remense, Missâ ab Illyrico edita, apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum, & alios antiquos Scriptores, qui de Officiis Divinis tractavère, & ornamenta Pontificalia recensent, mirum est silentium: ita ut existimem, vix *ante annum* post Christum natum *millesimum* mitræ usum in Ecclesia fuisse."

A mitra sive Pontificio pileo capiti imponendo (ait Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag. 314.*) hucusq; vulgò Græci abstinuerunt: cujus rationes prolixè ibidem proponit Goartius.

Post hæc, ex præscripto Pontificalis sequitur benedictio chirothecarum, quas, adjuvantibus Episcopis Assistentibus Consecrator imponit, manibus Consecrati dicens: *Circumda Domine manus hujus Ministri tui munditiâ novi hominis qui de cœlo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hædorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato Patri cibo potuq; gratissimo, impetravit; sic & iste oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur.*

Chirothecarum usum Apostolicæ traditionis esse asseruit Honorius Augustodunensis in Gemma animæ *Lib. 1. c. 215.* ubi ait: *Chirothecarum usus ab Apostolis est traditus.* Sed [ait Cardinalis Bona *Lib. 1. rerum Liturg. c. 24. §. 12.*] "hoc credibile non est, cùm per aliquot sæcula, nullum earum reperiatur monumentum, nec illis umquam usa sit Ecclesia Orientalis."

Meminit interim chirothecarum sive *Manicarum* in Ordinatione Episcopi sub certa verborum formula Consecrati manibus imponendarum vetus Ordo Romanus: earumdem quoq; inter ornamenta Pontificalia meminit vetus liber Sacramentarius, jussu Rotaldi Abbatis Corbejensis ante annum millesimum scriptus, uti in præfatione ad Sacramentarium S. Gregorii monet Menardus, qui primus illum publicavit.

In Missa quoq; quam Illyricus sub nomine Missæ veteris Gallicanæ præcedenti sæculo edidit; & quam Cardinalis Bona in appendice ad libros suos rerum liturgicarum sub titulo *Missa Romana variis orationibus interpolata* evulgavit, extat quoq; oratio ad *induendas manicas*: "Creator totius creaturæ, dignare me indignum famulum induimentis justitiæ & lætitiæ induere, ut puris mentibus ante conspectum tuum assistere merear mundus."

Hinc apparet hunc usum non adeò esse in Ecclesia recentem.

Hactenus dicta sat ostendunt, ritus ac ornamenta Pontificalia in Ordinatione Episcoporum, unicè ex mente Ecclesiæ ad hoc adhiberi, ut ipsis Episcopis in memoriam reducatur, quas virtutes ministerium Episcopale in ipsis exigat; & qualiter suo Officio eos incumbere oporteat. Hinc videant Episcopi, quantopere à spiritu Ecclesiæ aberrent, qui illa Pontificalia ornamenta sibi quasi ad pompam ac fastum mundanum imposita & data credunt.

CAPUT IV.

De Effectu Consecrationis; ac præcipuè de Vinculo quo Ecclesia alligatur Episcopus; & unà de prohibita translatione Episcoporum.

1 *Olim ante Consecrationem nullum jus acquirebatur Electo.*
2 *Per Consecrationem olim in Episcopum transibant non solùm quæ erant* Ordinis, *sed &* jurisdictionis.
3 *Hodie sola conferuntur quæ sunt* Ordinis.
4 *Plenitudo nihilominus Sacerdotii confertur per Consecrationem.*
5 *Episcopus alligatur Ecclesiæ cui præficitur, eamque sibi desponsat.*
6 *Transmigrationes de una Ecclesia ad aliam vetita per Synodum Nicænam.*
7 *Huic obsequens Eusebius Cæsariensis laudatur à Constantino Magno.*
8 *Ariani Episcopi Synodi Nicænæ Decretum contemnunt.*
9 *Patres Sardicenses hisce occurrere volentes graviori pœnâ transmigrationes Episcoporum prohibent.*
10 *Communione laica etiam in fine vitæ privant Episcopos sine causa ad alias Ecclesias transmigrantes; & quæ hujus disciplinæ ratio?*
11 *Sensum Canonis intervertit Raymundus Decretalium compilator.*
12 *Hæc disciplina rigorosè observata in Ecclesia Romana.*
13 *Canon Sardicensis etiam sæculo X. renovatus.*
14 *Sub his Canonibus non comprehenduntur translationes Episcoporum factæ necessitate aut utilitate Ecclesiæ cogente.*
15 *Translationes olim fiebant auctoritate Synodi Provincialis.*
16 *Auctoritas illa Synodi Provincialis mansit inconcussa sæculo IX.*
17 *Sæculo Duodecimo Sedi Apostolicæ videtur fuisse reservata.*
18 *Innocentius III. dicit,* Institutione Divina *translationem Episcoporum esse reservatam.*
19 *Quomodo illud dictum Innocentii intelligendum?*
20 *Hodie sola auctoritate Romani Pontificis Episcopus à sua Ecclesia absolvi potest.*
21 *Translatio Episcopi hodie fieri nequit sine consensu Regis, ejusque nominatione.*

„ supremæ potestatis erga Regem & suam successionis „ sanguinis posteritatem tenebunt," Ita refert Philippus Probus in Supplemento ad Tractatum *Juris Regaliæ* per Arnolphum Ruzæum, *q.2.n.6.* qui *n.7.* asserit, ob hoc juramentum, omnes Episcopos Regni Franciæ *fideles Consiliarios Regis* appellari.

XV. Nequaquam tamen sufficit hoc fidelitatis juramentum præstitum esse, sed insuper requiritur, quòd Litteræ Regiæ attestantes dictum juramentum sic fuisse „ præstitum (inquit Philippus Probus loco citato *q.3.n.1.*) „ præsentatæ, registratæ & expeditæ fuerint in Camera „ computorum: & quod Receptor seu Commissus ad re- „ ceptam ipsius Regaliæ receperit mandatum à prædicta „ Camera emanatum, per quod mandetur quòd levet ma- „ num Regis, & permittat dictum Episcopum uti & gau- „ dere, ponendo ipsam temporalitatem ad plenam deli- „ berantiam: nec ante receptionem hujusmodi mandati à „ dicto Receptore, seu Commisso, reputatur dicta Regalia „ clausa, sed usq; ad diem ipsius receptionis, tenetur red- „ dere computum & rationem de fructibus hujusmodi „ temporalibus, & confert Rex beneficia tamquam in Re- „ galia vacantia, & hoc de jure & consuetudine Regis & „ suæ Coronæ Franciæ.

XVI. Ut faciliùs intelligantur, quæ hic de apertione & *clausura Regaliæ* dicuntur, notandum, Jus *Regaliæ* juxta hodiernum, præcipuè Regni Galliæ, stylum & modum loquendi, esse Jus quo Rex Sede vacante sibi attribuit dispositionem omnium proventuum Episcopatus; & collationem *pleno* jure omnium Beneficiorum non Curatorum ad liberam collationem Episcopi spectantium.

Dicitur ergo Regalia *aperta*, quando per mortem Episcopi, aut alio modo Sedes vacat; tunc enim Regi Jus *Regaliæ* jam descriptum acquiritur, sive *aperitur*.

Manet autem *aperta Regalia*, sive Jus illud apud Regem manet, quousq; novus Episcopus præstito juramento, ac litteris Regiis obtentis & registratis, & manus Regiæ levatione factâ possessionem Episcopatus *per se* acceperit; quo demum, juxta modernam praxim, Regalia *clauditur* sive Jus Regium tam quoad proventuum dispositionem, quàm Beneficiorum collationem extinguitur, & plenaria dispositio Episcopo defertur.

XVII. Porrò de hoc Jure *Regaliæ* plura dicemus parte secundâ, ubi de collatione Beneficiorum tractandum erit; illud equidem sciendum, neq; in Regno Galliæ jam pridem omnes Episcopatus huic juri fuisse subjectos, uti passim Authores de illo Jure tractantes testantur; atq; inter cæteros Philippus Probus qui loco suprà allegato *q.60.* enumerat Archiepiscopatus & Episcopatus qui huic fuerint subjecti, & qui ab eo exempti; mansei untq; plures Ecclesiæ ab hoc jure liberæ; atq; per Arresta Regia in ea libertate conservatæ fuerunt usq; ad annum 1673. quando in conformitatem Arresti Parlamenti Parisiensis Rex declaravit, jus *Regaliæ* esse inalienabile & impræscriptibile; illudq; sibi *generaliter* in *omnibus* Archiepiscopatibus & Episcopatibus sui Regni, ac ditionum suæ Obedientiæ competere, iis solis exceptis, qui titulo *oneroso* sunt exempti.

Conformiter ad hanc declarationem Regiam, & alteram de 2. Aprilis 1675. prioris confirmativam & explanativam, jus *Regaliæ*, Rege urgente, ac tandem etiam Clero consentiente, licèt nonnullis Episcopis fortiter resistentibus, ad omnes Ecclesias Metropolitanas & Cathedrales extensum est.

XVIII. In Imperio quoad *Regaliam* moderatius agitur, uti notat Zypæus in Jure novo *De elect. n. 3.*" ut Episcopi „ qui & Principes sint (ut sunt pleriq;) statim per se vel a- „ lios juramenta debita præstent quidem, & Regalia ac „ feuda sua relevent; non tamen vacante Sede temporali- „ tas ad manus Imperatoris ponitur, sed capitulum admi- „ nistrat pro Successore: sed id fortè, quia Pontifices Ger- „ manos Imperatores Fredericum, Henricum &c. superâ- „ runt: Bonifacius VIII. Philippum Pulchrum aut Succes- „ sores non item."

Belgii Episcopatus, si Tornacensem excipiamus, juri *Regaliæ* subjecti non sunt; unde temporalia per Capitulum aut OEconomum à Capitulo deputandum Sede vacante administrantur pro successore; atq; ipsa beneficiorum collatio novo Episcopo reservatur; juxta ea quæ titulo *9.c.2.* dicta sunt.

TITULUS XV.

De Consecratione Episcoporum.

CAPUT I.

A quibus; intra quod tempus; & quo loco Consecratio fieri debeat?

1. *Præcipua in Consecratione auctoritas erat penes Metropolitanum.*
2. *In conservanda hac Metropolitanorum auctoritate valde religiosi fuerunt Romani Pontifices.*
3. *Suffraganeorum in Consecratione olim requisita fuit præsentia, aut ut minus assensus.*
4. *Tres ut minus Episcopi debent esse præsentes.*
5. *Hæc disciplina tam in Græca quàm Latina Ecclesia etiam hodie obtinet.*
6. *Ratio hujus disciplinæ.*
7. *Præsentia plurium Episcoporum spectat duntaxat ad disciplinam.*
8. *Necessitate cogente potest interdum ab hac disciplina recedi; & a duobus Consecratio peragi.*
9. *Ita Ordinatus Pelagius I. Papa.*
10. *Etiam ab uno Episcopo fieri potest Consecratio, nec apud Veteres desunt exempla.*
11. *Probatur auctoritate S. Gregorii.*
12. *Conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ.*
13. *Quoad Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina difformis est à pristina.*
14. *Consecratio tam ex veteri, quam moderna disciplina debet fieri intra tres menses.*
15. *Est tamen differentia in tempore à quo tres menses computari debent.*
16. *Quo in loco fieri debeat?*

I. Præcipuam in confirmatione Episcoporum authoritatem per duodecim & amplius sæcula fuisse penes Metropolitanos, titulo præcedenti abundè probatum fuit. Cum verò confirmatio ab ipsa Consecratione vix sejungeretur, sed Metropolitanus unà cum Episcopis Comprovincialibus, examine supra electionis forma ac persona electa facto, ad Ordinationem seu Consecrationem procederet; si electionem canonicam & personam electam idoneam reperisset, mirum non est, si primas quóq; in Consecratione Episcoporum partes duodecim faciлè sæculis Metropolitano delatas esse videamus.

Et quidem Canone 6. Nicæno dicitur:" Illud generali- „ ter est clarum, quòd si quis *præter sententiam Metropoli-* „ *tani* fuerit *factus* Episcopus, hunc magna Synodus diffi- „ nivit Episcopum esse *non oportere*." Apud Gratianum *Dist. 64. Can. 8.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc illud Innocentii I. ad Victricium Episcopum: "Extra conscientiam *Metropolitani* Episcopi, nullus audeat *ordinare* Episcopum.... Hoc enim & Synodus Nicæna constituit atq; definivit," Gratianus ibidem *can.* 5.

II. Eam Metropolitani in consecrandis Episcopis suis suffraganeis prærogativam pluribus inculcat Gelasius I. apud Gratianum loco citato *can.* 6. atq; in illa conservanda adeò erant religiosi Pontifices, ut Stephanus VI. ne hanc perturbaret, Lingonensem à populo & Clero ritè electum & Romam pro Consecratione cum decreto electionis missum (recusante nimirum Lugdunensi Metropolitano eum consecrare) illum consecrare bis renuerit, ac repulerit, ad Lugdunensem scribens & rescribens, ut ipse suo munere in hujus Consecratione fungeretur; tertiò demum interpellatus, vix magna Lugdunensis pertinaciâ coactus, illum consecravit; uti latiùs ex Frodoardo in historia Remensi refert Baronius ad *annum* 885.

Similiter Gregorius VII. licet ipse Robertum Carnotensem ab Episcopatu deposuisset; non tamen propterea sibi alterius suffectionem aut ordinationem reservavit; sed ad ordinarios tam electores, quàm Consecratores illum rejecit. Senoniensi enim Metropolitano & Suffraganeis ita scribit: "Ecclesiam illam (Carnotensem) Canonicam electionem in aliquam idoneam personam facere admonuimus; admonemus & vos, ut eidem electioni etiam quam oportet aut per vos, aut idoneos nuntios vestros diligentiam adhibentes, quem electum Canonicè cognoveritis, & *manus imponere*, & in Episcopum *Consecrare*, nullâ occasione recusetis." *Lib.* 4. *Epist.* 15.

III. Porrò licet præcipua fuerit in Episcoporum confirmatione & Consecratione penes Metropolitanum auctoritas, aliorum tamen Suffraganeorum seu Comprovincialium nequaquam negligendus erat consensus, & auctoritas.

Confirmationem enim Episcoporum Metropolitano & Episcopis Suffraganeis per Canones Nicænos aliósque subsequentes per continuam decem sæculorum seriem delatam fuisse supra ostendimus. Cumq; ordinatio sive Consecratio à confirmatione necdum esset sejuncta etiam Consecrationem Episcoporum, Metropolitano cum Episcopis Comprovincialibus delatam fuisse cognoscimus; idq; uno consensu Theologi & Canonistæ fatentur; eamq; disciplinam etiam Jure communi seu Decretalium conservatam tradunt ad *Cap.* 7. *De Temp. Ordin.*

IV. Verùm quia difficile erat ad omnem Episcopi ordinationem omnes Provinciæ Episcopos *personaliter* convenire & assistere, Canone 4. Nicæno cautum fuit, "ut si hoc difficile fuerit vel aliqua urgente necessitate, vel itineris longitudine, certè tres Episcopi debeant in unum congregari; ita ut etiam cæterorum, qui absentes sunt, consensum in litteris teneant, & ita faciant ordinationem." Gratianus *Dist.* 64. *can.* 1.

V. Et licet tum præsens Canon, tum pleriq; alii eandem disciplinam præscribentes, videantur non tantùm de Consecratione; sed vel præcipuè de electione & confirmatione Episcopi agere; nihilominus ex hisce Canonibus stabilita ac conservata fuit in Græca pariter ac Latina Ecclesia hactenus disciplina, ut ad Consecrationem Episcopi convenire, eiq; *personaliter* assistere debeant, præter Metropolitanum aliumvè Episcopum ordinantem, duo alii Episcopi.

"Adsint (ait modernum Pontificale Romanum *Titulo De Consecratione Electi in Episcopum*) *duo ad minus Episcopi assistentes*" Et Rituale Græcorum ordinem in Consecratione Episcopi servandum præscribens, ait. "*Tres* verò Pontifices sive etiam plures, Pontificium omnem ornatum induti in sellis suis sedent ante sacras sancti altaris fores."

VI. Rationem hujus disciplinæ jam pridem assignavit Innocentius I. in epistola ad Victricium apud Gratianum *Dist.* 64. *can.* 4. "Ne unus Episcopus ordinare præsumat Episcopum, ne, ait, *furtivum Beneficium* præstitum videatur. Hoc enim & in Nicæna Synodo constitutum est atque definitum."

Quasi diceret; noluit Synodus ut Episcopus *furtivè* sive tamquam *fur* clam in Olive Christi ascendat; sed *publicè*, id est, Ecclesiâ universâ, per cujusq; Provinciæ Episcopos repræsentatâ, probante & assentiente.

Non absimilem hujus disciplinæ rationem dedit S. Anselmus Cantuariensis in litteris ad Regem Hiberniæ, improbans in Regno illo, *ab uno Episcopo Episcopum sicut quemlibet Presbyterum ordinari*, subjungit: "Minùs quàm à *tribus* Episcopis ordinari non debet; cum propter multas alias & rationabiles causas, quas epistolaris brevitas non admittit; tum ut *fides, vita, & solicitudo ejus qui invigilare debet idoneis & legalibus testibus comprobetur.*" Lib. 3. epist. 147.

VII. Hîc nota, nec Innocentium, nec Anselmum Episcoporum Ordinationes sive Consecrationes sine legitimo Episcoporum numero factas, tamquam nullas invalidasque rejicere; sed solùm arguere, eas clandestinè ac sine legitima quasi approbatione peragi; ipsorumq; Episcoporum præsentiam non tam ad substantiam & validitatem Consecrationis, quàm ad discutiendam & comprobandam Ordinationem requirere: quod & probat absentium Episcoporum Comprovincialium per litteras requisitus consensus.

VIII. Licet ergo disciplina hæc, utpote ab Apostolis nobis tradita, & hactenus in Ecclesia reservata, meritò religiosè observetur, nihilominus, sicut in aliis disciplinæ articulis contingit, necessitate cogente, ex Superiorum judicio, ab ea nonnihil recedi posse, & ratio & authoritas probant.

Et quidem in Constitutionibus Ecclesiæ Alexandrinæ sub nomine Apostolorum præcipitur, *Ut ordinetur Episcopus à tribus Episcopis; necessitate verò cogente à* DUOBUS. Apud Gulielmum *Beveregium* in notis ad Canonem 1. Apostolorum.

Et in Constitutionibus vulgò Apostolorum *lib.* 3. *c.* 20. "Jubemus autem ut *à tribus* Episcopis Episcopus ordinetur, & *ut minimum à duobus*; ita ut ab uno constitui non possit; testimonium enim duorum & trium firmius est & certum."

IX. Sic Ordinatus est Pelagius I. Episcopus Romanus à duobus Episcopis & uno Presbytero, scilicet, "Dum non essent Episcopi qui eum ordinarent, inventi sunt *duo* Episcopi, Joannes de Perusio, & Bonus de Ferentino, & Andreas *Presbyter* de Ostia, & eum ordinaverunt Pontificem; tunc enim non erant in Clero qui poterant eum promovere," Anastasius Bibliothecarius in ejus vita.

X. Quin & eadem necessitate urgente quidni ab *uno* Episcopo Episcopus ordinari posset? cum sicuti *trium* ita quoq; *duorum* præsentia ad disciplinam, non ad substantiam seu essentiam Consecrationis spectare videatur: nec desunt apud veteres hujusmodi ordinationis exempla.

Synesius Siderium Palæbiscæ Episcopum à Philone Cyrenensi solo ordinatum fuisse refert; additque *Verum in temporibus formidolosis, summum jus prætermitti necesse est. Epist.* 67.

XI. Sed in hanc rem dignissima notatu est S. Gregorii ad Augustinum Anglorum Apostolum responsio. Interrogaverat eum Augustinus, "Si longinquitas itineris magna interjaceat, ut Episcopi non faciè valeant convenire, an debeat *sine aliorum* Episcoporum præsentia Episcopus ordinari?" Respondit Gregorius: "Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc *solus* Episcopus inveniris, ordinare Episcopum *non aliter nisi sine Episcopis* potes." Ita Beda In Hist. Angl. *lib.* 1. *c.* 27. à quo primùm hanc epistolam accepimus; uti notat Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad hanc epistolam, quæ est, 31. lib. 12. observatq; tam ex antiquis quàm recentioribus editionibus, codicibus manuscriptis, & auctoribus Ecclesiasticis, hanc esse genuinam epistolæ lectionem, viciosam verò quorumdam exemplarium quæ habet: *Ordinare Episco-*

Digitized by Google

piscopum non aliter nisi cum Episcopis potes. Idem notat ac solidè probat Guilelmus Beveregius Presbyter Anglicanus in notis ad Canonem I. Apostolorum.

XII. Hisce conformis est moderna praxis Curiæ Romanæ. Hodie quippe, teste Fagnano, in Litteris pro Consecratione Episcoporum in Indiis apponitur clausula infrascripta, videlicet: *Tibi Presbytero, ut à quocumq; malueris Catholico Antistite gratiam & communionem Sedis Apostolicæ habente, accitis & in hoc illi assistentibus duabus vel tribus* DIGNITATIBUS, *munus Consecrationis recipere valeas.* Ad *Cap.* 7. ⁑ *De temp. Ord. n.* 20.

XIII. Quoad ipsum verò Consecratorem Episcoporum hodierna disciplina à pristina nonnihil dissona est. Nam juxta disciplinam Sacris Canonibus & Decretalibus Gregorii IX. expressam, ordinarius Consecrator est Metropolitanus respectu suorum Suffraganeorum; hodie verò sicuti Episcoporum Confirmatio, ita & Consecratio ad Pontificem devoluta est. Unde in Pontificali Romano sub titulo *De Consecratione Electi in Episcopum* præmittitur hoc monitum: " Nemo consecrari debet, nisi priùs constet „ Consecratori de *commissione* consecrandi, sive per *Literas Apostolicas*, si sit extra Curiam; sive per *commissionem* vivæ vocis oraculo à Summo Pontifice *Consecratori factam*, si Consecrator ipse sit Cardinalis."

Et ex præscripto ejusdem Pontificalis, Ordinator priusquam Consecrationem inchoet, petit ab Episcopis Assistentibus, & Electum Consecratori ut eum ad onus Episcopatus sublevet, præsentantibus; *Habetis mandatum Apostolicum*? quo lecto demum ad Consecrationem procedit.

XIV. Jam pridem in Concilio Calchedonensi decretum fuit, "ut intra *tres menses* Episcoporum ordinationes „ fiant, nisi inexorabilis utiq; necessitas effecerit, ut dilati„ onis tempus prorogetur. " Gratianus *Dist.* 75. *Can.* 2.

Synodus Tridentina advertens plures Episcopos electos, munus consecrationis negligere; rati sibi sufficere accepta confirmatione, ea quæ jurisdictionem & temporalium administrationem & usum spectāt, pleno jure obtinuisse, edixit: " Ecclesiis Cathedralibus, seu superiori„ bus quocumq; nomine ac titulo præfecti, etiam si San„ ctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint, si munus Conse„ crationis intra *tres menses* non susceperint, ad fructu„ um perceptorum restitutionem teneantur: si intra toti„ dem menses postea id facere neglexerint, Ecclesiis ipso „ jure sint privati." *Sess.* 23. *c.* 2. *De Reform.*

XV. Sive ergo pristinam sive modernam spectemus disciplinam, Consecrationi peragendæ trium mensium tempus est præfixum; hac tamen differentia, quod Canon Calchedonensis (uti rectè monet Lupus) "à *cœpta vacatio„ ne*, Tridentinum verò Decretum à *data* per D. Papam „ *confirmatione*, velit tres menses computari."

Dum enim Metropolitano & Episcopis Comprovincialibus præcipuæ partes essent in eligendo, confirmando & consecrando Episcopo, omnia facilè intra tres menses à die vacationis expediri poterant: sed devoluto jure confirmandi & providendi ad Sedem Apostolicam, vix possibile est, ut omnia intra tres menses à die vacationis expediantur; ideóq; à die obtentæ provisionis Apostolicæ tempus trium mensium consecrationi præfixum computari cœpit.

XVI. " Consecratio verò, ait Synodus Tridentina loco „ citato, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad „ quam promoti fuerint, aut in Provincia, si commodè „ fieri poterit, celebretur."

CAPUT II.

De Juramento ab Episcopis ante Consecrationem Romano Pontifici præstando.

1 *Ab ordinandis exigi professionem juratam olim Patribus displicuit.*

2 *Professionem obedientiæ sine juramento olim Episcopi etiam præstabant suis Metropolitanis.*

3 *Circa sæculum* 11. *professioni obedientiæ cœpit adjungi juramentum.*

4 *Sola obedientia Canonica promittebatur usq; ad tempora Gregorii VII. qui novam juramenti formulam induxit.*

5 *Novam hanc esse formulam probatur.*

6 *Sæculo XIII Juramentum cum dicta formula exigebatur in concessione* Pallii.

7 *Eodem sæculo exigi cœpit per Romanos Pontifices ab Episcopis eorum ordinationi immediatè subjectis: & per Metropolitanos a suis Suffraganeis.*

8 *Hodie ab omnibus Episcopis præstatur Romano Pontifici juxta formam in Pontificali expressam.*

9 *Tres priores articuli in formula juramenti expressi, conformes sunt Juramento fidelitatis à vasallo præstando Domino directo.*

10 *Refertur quartus articulus juramenti, & quæ sit ejus genuina lectio, ostenditur.*

11 *Quid per* Regalia Sancti Petri *intelligatur.*

12 *Quintus articulus.*

13 *Sextus articulus.*

14 *Septimus articulus.*

15 *Tres posteriores articuli cum quadam moderatione intelligendi.*

16 *Visitationis Liminum Apostolorum, de qua in articulo septimo, meminit Synodus Romana anno* 743.

17 *Visitare Limina Apostolorum primitus idem fuit quod ad Synodos convenire, & solos Episcopos ad Metropolem Romanam pertinentes obligabat.*

18 *Quare citius Metropolitanis quàm reliquis Episcopis hæc obligatio fuerit imposita?*

19 *Hodie omnibus generaliter Episcopis vi Juramenti imponitur, & quare?*

20 *Quoties Episcopi Belgii Limina Apostolorum visitare (debeant?*

21 *Quid per Limina Apostolorum in formula juramenti intelligatur?*

22 *Quis præcipuus scopus visitationis.*

23 *Juxta formulam Juramenti Episcopi non nisi legitimo impedimento detenti per specialē nuntium huic obligationi satisfacere possūt: & qualis debeat esse ille Nuntius*

24 *De praxi & consuetudine Belgii, Episcopi visitationem hanc absolvunt per Nuntium.*

25 *Refertur articulus octavus Juramenti; & ostenditur quomodo hic & alii articuli cum quadam moderatione sint intelligendi.*

26 *Proponitur articulus nonus Juramenti.*

27 *Sæculo etiam XIV. simile juramentum fidelitatis & obedientiæ ab Episcopis præstabatur Metropolitanis.*

28 *Formulæ hodiernæ multa addita sunt post tempora Gregorii VII.*

I. PRistina Patrum ætas attendens, quam enixè ac verè Christus inculcâsset, & Apostolus Jacobus monuisset, *non jurare omnino; sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autē his abundantius est, à malo est.* Matth. 5. admodum solicita fuit, ne citra necessitatem inevitabilem juramentum, præsertim à Ministris Ecclesiæ exigeretur.

Hinc illud etiam sæculo 9. Concilii II. Cabilonensis: „ Dictum est interea de quibusdam fratribus, quod eos „ quos ordinaturi sunt *jurare* cogant, quod digni sint, & „ contra Canones non sint facturi, & obedientes sint

Epis-

Episcopo qui eos ordinat & Ecclesiæ in qua ordinantur. Quod juramentum quia *periculosum* est, omnes una inhibendum statuimus." *Can. 13.*

Et in Conventu Episcoporum, Abbatum, Comitum, vel Majorum natu Francorum jussu Ludovici Pii Imperatoris anno 816. Aquisgrani habito Decretum est: "De Episcopis verò in Longobardia constitutis, qui ab his, quos ordinabant, *Sacramenta* & munera contra divinam & canonicam auctoritatem accipere, vel *exigere* soliti erant, modis omnibus inhibitum est, ne ulterius fiat: quia juxta Sacros Canones uterque gradu proprio talia facientes decidi debent." *Cap. 16.* & refertur *lib. 1. Capitular. Regum Francorum cap. 91.*

II. Ipsam juramentorum exactionem præcipuè displicuisse, non verò obedientiæ professionem sat innuunt illa ipsa Regum Francorum Capitularia; in quibus *lib. 7. cap. 466.* legitur: "Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias constituuntur, oportet eos *professionem* Episcopo suo facere." Quid hæc professio contineret, titulus ipsius Capitularis ostendit: "Ut Presbyteri & Diaconi quando per Parochias constituuntur, *stabilitatis* & *obedientia sua* atque *statuta servare* promissionem suo faciant Episcopo."

Similem professionem suis Metropolitanis in sua ordinatione faciebant Episcopi. Extat in Appendice tomi 8. Conciliorum generalium *col.* 1881. professio Adalberti futuri Episcopi Morinensis, Hincmaro Rhemorum Archiepiscopo oblata, in qua præter professionem fidei habetur: "Privilegio etiam metropolis Rhemorum Ecclesiæ ac ejus *Præsulis*, secundum Sacrosanctos Conciliorum Canones, & Decreta Sedis Apostolicæ ex Sacris Canonibus & legibus promulgata, pro scire & posse, absq; dolo & simulatione, vel indebita & pertinaci contradictione, me *obediturum* profiteor."

Eandem professionem eidem Remorum Archiepiscopo fecisse Hincmarum Laudunensem Episcopum ejus temporem scribit Amoinus, aut ejus Continuator ad annum 870. eamque in Concilio apud Attiniacum Episcoporum decem Provinciarum, cùm de multis, atque inter alia de inobedientia erga suum Archiepiscopum impeteretur, propriâ manu subscriptam porrexit.

Porrò in hac professione nullius Juramenti mentio occurrit; nec aliud quàm Canonicam obedientiam Metropolitano debitam exprimit. Unde Hincmarus Remensis de Laudunensi loquens ait: "Non debuerat oblivisci *professionis* & subscriptionis suæ, ante Ordinationem Episcopalem: qui coram Altari Sanctæ Mariæ, & cunctis qui adfuerunt, non solùm de Remensi Ecclesia, & de Laudunensi Parochia, verùm & de Rhemorum Provincia Episcopis, & aliis diversi ordinis Viris, secundùm morem Rhemensis Ecclesiæ, sicut *soliti erant Episcopi Ordinandi subscribere*: post Catholicæ fidei professionem, de *obedientia* sua secundùm sacras regulas erga *Rhemorum Metropolim* propriâ manu subscripsit."

III. Tametsi circa sæculum undecimũ professioni Juramentũ subinde adjungi cœperit, nihilominus illa professio solam adhuc *Canonicam obedientiam* respiciebat; quod ex professione Thomæ Eboracensis factâ S. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi manifestum est.

Postquam enim anno 1072. multùm disputatum fuisset de subjectione, quam Ecclesia Eboracensis debebat Ecclesiæ Cantuariensi, tandem "Lanfrancus Dorobernensis Archi-Episcopus ex antiqua Antecessorum consuetudine ostendit, Archi-Episcopum Eboracensem professionem Archi-Episcopo Cantuariensi facere etiã cum *Sacramento* debere (inquiunt Acta Concilii Anglicani tom. 9. Conciliorum generalium *Col.* 1211.) sed ob amorem Regis, Thomæ Archiepiscopo Eboracensi Sacramentum relaxavit, scriptamque tantùm professionem recepit, non præjudicans Successoribus suis, qui voluerint *Sacramentum* cum professione à Successoribus Thomæ exigere." Hactenus Acta dicti Concilii; quibus subjicitur professio Thomæ Eboracensis facta Lanfranco Cantuariensi in qua hæc leguntur: "Ego Thomas Ordinatus jam Eboracensis Ecclesiæ Metropolitanus Antistes, auditis cognitisque rationibus, absolutam tibi Lanfrance Dorobernensis Archi-Episcope, tuisque Successoribus, de *Canonica obedientia* professionem facio: & quidquid à te, vel ab eis justè ac canonicè injunctum mihi fuerit, servaturum me esse promitto.

IV. Sacramentum ergo sive juramentum professioni adjici quidem cœpit; at nihilominus *sola obedientia Canonica* hactenus exigebatur; neq; aliam etiam à Rom. Pontificibus exactam fuisse vel in Ordinatione Episcoporum aut Metropolitanorum; imò nec in concessione *Pallii* Archiepiscopalis legitur ante tempora Gregorii VII. qui primus anno 1079. à Patriarcha Aquiliensi in Concilio Romano exegit non *Canonicam* duntaxat obedientiam; sed Juramentum *fidelitatis* non absimile illi, quod Vasallus præstare solet Domino directo: *Non ero in consilio, neque in facto ut vitam, aut membra, aut Papatum perdant, aut capti sint malâ captione.*

V. Novam fuisse hanc juramenti formulam sufficienter quoque probat epistola Paschalis II. sub finem sæculi 11. aut initium sæculi 12. scripta ad Archiepiscopum Panormitanum, cujus fragmentum extat in *Cap. 4.* ꝗ *De elect.* & integra refertur in prima Decretalium collectione Antonii Augustini eodem titulo *cap.* 21. & tomo 10. Conciliorum inter epistolas Paschalis II. ubi tamen inscriptio alia est; *nec mirum*, inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum *De electione pag.* 119. edit. anni 1679. *eodem enim exemplo, ad plures Metropolitanos missam fuisse, varietas inscriptionis indicat.*

Ita Litteras orditur Paschalis: "Significasti Reges & Regni Majores admiratione permotos, quod Pallium tibi ab Apocrisariis nostris tali conditione oblatum fuerit, si Sacramentum, quod à nobis scriptum detulerant *exhiberes*," vel ut alia lectio habet, *jurares*.

Hæc quid aliud, quam rem hactenus inusitatam, quæ suâ novitate admirationem ingerere solet, indicant? Quod & totus epistolæ contextus ostendit; qui unicè in hoc collimat, ut evincat, Pontifici liberum esse in concessione Pallii exigere juramentum, quod pro conservanda Ecclesiæ unitate, & obedientia in Sedem Apostolicam judicat necessarium; unaque obloquentium argumentis occurrere conatur; atque ipsius juramenti æquitatem & necessitatem adstruere.

Mirum ergo videri non debet, si, nec in Ordine Romano veteri, nec apud Alcuinum, Amalarium, Rabanum Maurum, atque his recentiorem Rupertum Abbatem, ulla hujusmodi juramenti mentio occurrat; quamvis omnes ex professo de *Pallio* scripserint; cumque omnes vel Galli, vel Germani, aut Scoti fuerint, non obscurè innuitur, illis in partibus juramentum hoc, etiam in receptione Pallii, serius notum fuisse.

VI. At sæculo decimo tertio in concessione Pallii, Romanos Pontifices à nonnullis saltem Metropolitanis hujusmodi juramentum exegisse, evincunt acta Innocentii III. edita à Francisco Bosqueto; in quibus paginâ 64. extat Formula dandi Pallium cum adjuncto fidelitatis juramento simili Gregoriano.

VII. Quin & eodem labente sæculo invaluisse, ut idem juramentum exigeretur etiam ab Episcopis ad ordinationem Pontificis Romani immediatè spectantibus; sive, *à suis Coepiscopis sibi immediatè subjectis*, testatur Gregorius IX. *in Cap.* 13. ꝗ *De Majoritate & Obed.* ibidem respondens, simile quoque juramentum exigi posse per Metropolitanum ab Episcopis sibi subjectis; eoque debere esse contentum; hoc est, juramento Gregorii VII. de quo in *Cap. 4. De Jurejurando*; uti ad dictum Cap. 13. monet Glossographus, verbo, *forma*.

VIII. Postquam verò omnium Episcopatuum provisio ad Sedem Apostolicam, exclusis Metropolitanis & Episcopis

copis Comprovincialibus, translata fuit; atq; solius Sedis Apostolicæ auctoritate confirmari & Consecrari cœperunt, etiam ab omnibus, tamquam ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjectis, juramentum hoc Romano Pontifici præstandum exigitur, idque hodie præstatur juxta Formulam à Clemente VIII. reformatam & extensam; ac Pontificali Romano insertam.

IX. Formula Juramenti prout à Gregorio VII. proposita fuit, & in *Cap.4.* ꝟ. *De Jurejurando* refertur, septem continet articulos, sive clausulas; quorum tres primi planè conformes sunt iis, qui in Juramento fidelitatis quod Vasallus præstare tenetur Domino directo, continentur, uti videre licet *Lib.2. Feud. tit.5.6 & 7.* atque his verbis in formula Juramenti exprimuntur: *Ego N. Episcopus* (Pontificale addit: *Electus Ecclesiæ N.*) *ab hac hora in antea fidelis ero Sancto Petro, Sanctaque Romanæ Ecclesiæ, Dominoq; meo Papæ C. ejusque successoribus Canonicè intrantibus. Non ero in consilio* (Pontificale addit: *aut consensu*) *neque in facto ut vitam perdat aut membrum, vel capiatur mala captione* (addit Pontificale: *aut in eos violenter manus quomodolibet ingerantur, vel injuria aliqua inferantur, quovis quæsito colore.*) *Consilium quod mihi aut per se, aut per litteras, aut nuntium manifestabit, ad ejus damnum* (Pontificale addit: *me sciente*) *nulli pandam.*

Hi articuli sat ostendunt, hoc Juramentum Fidelitatis præcipuè concernere Episcopos qui Sedi Apostolicæ non in spiritualibus dumtaxat, sed & in temporalibus subjecti sunt.

X. Quartus articulus in *Cap.4.* ꝟ. *De jurejurando* exprimitur hac formâ: *Papatum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ & regulas Sanctorum Patrum* (pro his finalibus verbis legitur in Pontificali: *& regalia Sancti Petri*) *adjutor ero ad defendendum & retinendum, salvo ordine meo, contra omnes homines.*

Pontificali Romano consonat formula Gregorii VII. prout refertur in Concilio Romano VI. anno 1079. quæ extat tomo 10. Conciliorum generalium edit Labeanæ *col.379.* Ibi enim legitur: *Papatum Romanum & REGALIA Sancti Petri adjutor ero ad retinendum & defendendum salvo ordine meo.*

Hanc lectionem tibi *valde placere* dixit Antonius Augustinus ad *Cap.10. De elect.* in prima collectione; atque unà dicit: " Erratum esse videtur ex litterarum compen„dio. In alia formula Sacramenti Roberti Ducis Apuliæ, „ Calabriæ, & Siciliæ est: Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ti„ bique adjutor ero ad tenendum, acquirendum & de„ fendendum *regalia Sancti Petri*, ejusque possessiones „ pro meo posse contra omnes homines." Hæc ille; notatque & vir eruditus Franciscus Florens, hanc esse veram & antiquam lectionem.

XI. *Realia S. Petri* hic accipiuntur pro *Patrimonio* Sancti Petri; quod apertè confirmat Formula Innocentii III. extans in ejus gestis pag.64. in qua ita explicantur Regalia. *Honores, dignitates & rationes Apostolicæ Sedis defendam pro posse, salvo ordine meo:* & pluribus probat D. Du Cange in suo *Glossario*, verbo *Regalia:* ideoq; dici potest, quod sub nomine *Regalium* eorumque defensionis in Formula Gregorii VII. omnia essent comprehensa, quæ latius in Pontificali Romano ex præscripto Clementis VIII. his verbis sunt expressa: " Jura, honores, *privilegia & auctoritatem* Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Domini nostri Papæ „ & successorum prædictorum, conservare, defendere, „ augere, promovere curabo. Neque ero in Concilio, vel „ facto, seu tractatu, in quibus contra ipsum Dominum „ nostrum, vel eamdem Romanam Ecclesiam, aliqua sinistra, vel præjudicialia personarum, *Juris, honoris, status, & potestatis* eorum machinentur. Et, si talia à qui„ buscumque tractari, vel procurari novero, impediam „ hoc pro posse, & quantò citius potero, significabo ei„ dem Domino nostro, vel alteri, per quem possit ad ip„ sius notitiam pervenire."

XII. Quintus Articulus habet: *Vocatus ad Synodum veniam nisi præpeditus fuero canonicâ præpeditione.* In antiqua formula Gregorii VII. ita exprimitur: *Ad Synodum, ad quam me vocabunt, vel per se, vel per suos nuntios, vel per suas litteras, veniam & canonicè obediam, aut si non potero Legatos meos mittam.*

XIII. Sextus Articulus: *Legatum Apostolicæ Sedis quem certum esse cognovero* (hæc postrema clausula, *quem certum* &c. in Pontificali omittitur) *in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo.*

XIV. Septimus est: *Limina Apostolorum singulis annis* (Pontificale: *Singulis trienniis*) *per me aut per certum nuntium* (Pontificale: *Personaliter per me ipsum*) *visitabo: nisi eorum absolvar licentiâ.* Hæc ultima clausula non habetur in Pontificali, sed adduntur sequentia: *Et Domino nostro ac successoribus præfatis, rationem reddam de toto meo Pastorali officio, ac de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum ad Cleri & populi disciplinam, Animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem, quovis modo pertinentibus;* & cætera quæ inferiùs referentur.

Totus hic Articulus de visitatione Liminum Apostolorum deest in formula Gregorii VII. suprà citatâ; sed vice illius habentur hæc, quæ nec in Decretalibus, nec in Pontificali occurrunt: *His quos nominatim excommunicaverint scienter non communicabo: Romanam Ecclesiam per* SÆCULAREM MILITIAM *fideliter juvabo, cùm invitatus fuero.*

Hic rursus non obscurè innuitur, juramentum hoc primitus conceptum fuisse pro solis Episcopis, qui etiam in temporalibus Sedi Apostolicæ aliquo vinculo obstricti essent.

XV. Cæterum circa tres posteriores articulos notandum, tria ibidem præscripta, ita commodè & rectè ab Episcopis præstari posse, dummodo consensus Regis & Principum interveniat, præsertim in Gallia & hisce Provinciis, in quibus absque consensu Regis, nec legatum Pontificis ut talem agnoscere, adire, excipere & comitari; nec Regni finibus excedere, vel ad Synodum vel ad Pontificem licet proficisci. De quibus videri potest Franciscus Florens ad titulum *De concessione Pallii pag.231.* & ab eo citati: & quæ infra titulo de Nuntiis & Internuntiis Apostolicis notata sunt.

XVI. De *liminum Apostolorum* visitatione mentio fit in Synodo Romana sub Zacharia Papa anno 743. *can.4.* ex qua desumptus est *Canon. 4. dist.93.* apud Gratianum, uti rectè notârunt Correctores Romani.

In hoc Canone statuitur: " Ut juxta Sanctorum Pa„ trum & Canonum statuta, omnes Episcopi, qui hujus „ *Apostolicæ Sedis ordinationi subjacebunt*, qui *propinqui* „ sunt, *annuè* Idibus mensis Maji Sanctorum Principum „ Apostolorum Petri & Pauli *liminibus* præsententur, „ omni occasione sepositâ: qui verò de *longinquo*, jux„ ta *chirographum* suum impleant. Nam qui hujus con„ stitutionis contemptor extiterit, præter si ægri„ tudine valida fuerit detentus, sciat se *Canonibus* sub„ jacere."

XVII. Duo nobis hic Canon aperit. Alterum, quod Episcopi Liminibus Apostolorum se præsentare deberent, ut Synodo annuè juxta Canones celebrandæ interessent; atque *Liminibus Apostolorum se præsentare*, idem esset, quod Romam ad Synodum juxta Limina Apostolorum celebrandam convenire.

Alterum, obligationem se præsentandi liminibus Apostolorum solis Suffraganeis Romanæ Metropolis; sive qui ordinationi Sedis Apostolicæ subjacebant, fuisse impositam: nec tamen his omnibus, sed solis *propinquis*; remotiores enim, tametsi ad Romanam Metropolim spectantes, ipsi venire non tenebantur; sed satis erat, si chirographo suo, quæ in Synodo agebantur, confirmarent.

Itaq; obligatio adeundi limina Apostolorum profluxisse videtur ex obligatione accedendi ad Synodos Metropoli-

politanas; quod apertius indicat S. Leo, qui scribens ad Episcopos Siciliæ, Pontificis Romani ordinationi subjectos, ait: "Illud primitus pro concordissimæ unitatis custodia exegimus, ut quia saluberrimè à Sanctis Patribus constitutum est, *binos* in annis singulis Episcoporum debere esse *conventus*, *terni* semper *ex vobis* ad diem tertium kalend. Octobr. *Romam* fraterno *Concilio sociandi*, indissimulanter occurrant."

Hic ergo manifestum est, obligationem veniendi Romam, à Sancto Leone elici ex obligatione accedendi Synodos Provinciales.

Cùm verò juxta pristinam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi ad ejus spectarent Synodum à quo ordinationem acciperent, facilè intelligitur, cur Episcopi ordinationi Sedis Apostolicæ immediatè subjecti ad Limina Apostolorum accedere specialiter adstricti essent.

XVIII. Hinc ulterius intelligimus, quare hæc obligatio citius Metropolitanis, quam Episcopis cæteris imposita fuerit; uti colligitur ex Epistola 6. Paschalis II. quia scilicet, Metropolitanorum ordinatio citius, quam Episcoporum ad Sedem Apostolicam translata est; atque Metropolitani ab eadem Sede *Pallium*, & cum eo *plenitudinem* Sacerdotii accipere consueverant.

Quod intelligens antiquus Juris Canonici Glossographus ad *Cap.* 4. ꝟ *De Jurejurando*, verbo, *singulis annis*, notavit, obligationem visitandi Limina Apostolorum, de qua in citato Capitulo, intelligendam de *Archiepiscopis & Episcopis qui subsunt Domino Papæ* NULLO MEDIO. Additur in margine ex Joanne Andræa: *Idem servatur in aliis, si confirmationem, Consecrationem vel Pallium à Papa recipiunt.*

XIX. Translatâ ergo non tantum Metropolitanorum, sed & Episcoporum confirmatione & Consecratione ad Sedem Apostolicam, unà ipsa obligatio visitandi Limina Apostolorum, sive accedendi ad Sedem Apostolicã, cujus hic ordinationi omnes immediatè censentur subjici, generaliter ad Episcopos, unà cum juramento extensa fuit.

XX. Cumque jam inter Episcopos huic obligationi subjectos essent nonnulli in Provinciis remotis, quibus singulis trienniis Limina Apostolorum visitare, esset non parum incommodum, Xistus V. varia temporum intervalla, pro varietate Provinciarum & Regnorum præfixit; quæ in Pontificali Romano expressa sunt; atque inter alia ait: "Ad tempus singulorum quadrienniorum tenentur Germani, Galli, Hispani, Belgæ, Boëmi, Hungari, Angli, Scoti, Iberni, & cæteri omnes qui in Europa sunt citra mare Germanicum & Balticum, atque omnium insularum maris mediterranei."

XXI. Per *Limina Apostolorum* in Formula juramenti relatâ in citato *Cap.* 4. non intelligi Ecclesias SS. Petri & Pauli, nec mortua eorum corpora, vel sepulchra, sed Papam, vel Sedem Apostolicam, apertè colligitur ex verbis quæ subjiciuntur: *nisi eorum absolvar licentiâ*: quæ necessariò ita debent exponi, nisi absolvar per Papam, qui illis *Liminibus* præest, & illorum Apostolorum vice fungitur; uti post alios Canonistas notat Fagnanus ad citatum *Capitulum* 4. Unde obligatio Episcoporum visitandi materiales illas Apostolorum Basilicas non tam ex juramento, quam consuetudine atque posteriorum Pontificum Decretis profluit; quod & Fagnanus ibidem notavit.

XXII. Porrò præcipuus scopus hujus visitationis, uti colligitur ex Bulla Xisti V. & hodierno stylo Curiæ Romanæ, est, ut Episcopi Sedem Apostolicam de statu Ecclesiæ suæ plenè informent; eumque Sacræ Congregationi Cardinalium super Interpretatione Concilii Tridentini (quæ ad hoc specialiter deputata est) referat; quod & hodierna formula juramenti in verbis supra relatis exprimit.

Hic autem status duplex est, materialis & spiritualis. Materialis versatur circa loca Urbana, suburbana, ruralia, sylvestria. Item circa Cathedralem, Collegiatas, Parochiales & alias Ecclesias, & Oratoria. Item circa "Monasteria tam virorum, quàm mulierum, hospitalium Montem pietatis, Collegia, Confraternitates, & alia pia loca tam Civitatis, quam Diœcesis, & circa earumdem Ecclesiarum & locorum situm, fabricam, ornatum, bona, reditus, sacram suppellectilem, personarum ac ministrorum numerum, & ordinem, & alia his similia. Et quoad hunc statum materialem praxis est, ut unusquisque Episcopus in prima ejus visitatione plenam exhibeat relationem; in sequentibus autem visitationibus super hoc statu materiali simpliciter se referat ad relationem primò exhibitam, & tantum adjiciat, si quid additum, imminutum, immutatum fuerit, quod S. Congregationem scire expediat." Hæc Fagnanus ad dictum *Cap.* 4. n. 73.

Status spiritualis, sive formalis ut eum vocat Fagnanus, in quo præcipuè eniti debent, versatur circa Pastorale officium atque omnia, quæ ad ipsarum, quibus præsunt, Ecclesiarum regimen & Animarum salutem pertinent, de quibus S. Congregatio juxta præscriptum Xisti V. edoceri vult, scilicet, "quæ in Ecclesiis eorum curæ ac fidei commissis, Cleri, populique morum disciplina sit, quæ Concilii Tridentini, cum in omnibus, tum præcipuè in residentiæ munere executio, quæ item piæ cõsuetudines, & qui omnium denique in via Domini sint progressus." Sive ut in suo juramento ad præscriptum Pontificalis exprimit Episcopus: "Rationem reddam de toto meo Pastorali officio, de rebus omnibus ad meæ Ecclesiæ statum, ad Cleri & populi disciplinam, Animarum denique, quæ meæ fidei traditæ sunt, salutem quovis modo pertinentibus; & vicissim mandata Apostolica humiliter recipiam, & quam diligentissime exequar."

Et hæc quidem generalia sunt, super quibus S. Congregatio informari debet; quæ pro accuratiore informatione ad specialia descendere solet; quemadmodum monet Fagnanus, qui & articulos illos ibidem annotat: De quibus si sincerè ac pro rei veritate Congregatio informetur, non dubium, quin frequenter perspectum esse debeat Sedi Apostolicæ, quantus sit in pluribus Ecclesiis super hisce defectus; cui per Sedem Apostolicam opportunis remediis meritò occurratur.

XXIII. Formula Juramenti expressa in *Cap.* 4. ꝟ *De jurejurando*, tantum obstringit jurantem, ut *per se vel per certum nuntium* Limina Apostolorum visitet; at formula in Pontificali expressa, obligat *personaliter* per *seipsum* visitare; nec nisi *legitimo impedimento* detentum per alium; atque hoc casu, uti habent verba juramenti: "per *certum* nuntiũ ad hoc *speciale mandatum* habentem, de *gremio* mei Capituli, aut alium in *dignitate* Ecclesiastica constitutum, seu alias *personatum* habentem; aut, his mihi deficientibus, per Diœcesanum Sacerdotem; & clero deficiente omnino per aliquem alium Presbyterum sæcularem vel regularem spectatæ probitatis & religionis de supradictis omnibus plenè instructum. De hujusmodi autem *impedimento* docebo per *legitimas* probationes, ad Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem *Proponentem* in Congregatione *Sacri Concilii*, per supradictum nuntium transmittendas."

XXIV. Moderna Belgii vicinarumque Provinciarum constans ac uniformis praxis habet, ut visitatio per Nuntium fiat; quasi ob itineris longitudinem molestias & expensas; atque diuturniorem à Diœcesi absentiam legitimum ac continuum impedimentum subsit; neque ulli Episcopo hinc difficultatem moveri hactenus intelleximus; in Gallia verò hic articulus non observatur, ait D. Fleury in Instit. Juris Canonici *parte* 1. *cap.* 11.

XXV. Præter septem articulos in formulâ Juramenti Gregoriani, prout refertur in dicto *Cap.* 4. contentos, addit insuper formula Pontificalis moderna: "Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones, & mandata Apostolica totis viribus observabo, & faciam ab aliis observari."

"Hæc clausula (inquit Vir Eruditus Franciscus Florens ad titulum de concessione Pallii *pag.* 130.) latissimè patet, nec eam usus noster admittit in plerisque. Ideoque omissa est in *formula* Gregorii XV."

Formula Gregorii XV. cujus hîc meminit Florens, est illa, quam novum Archiepiscopum Parisiensem eidem Pontifici præstitisse testatur Florens; extatque apud Andræam Du Saussai libro *De mysticis Galliæ scriptoribus.*

Quod de Gallia asserit Florens, id quoque de Belgio affirmari posse non dubium. Nihil enim certius, quam provisiones, reservationes, ac mandata Apostolica non generaliter & indistinctè, sed cum certis limitationibus, juxta jura ac receptas Provinciarum atque Ecclesiarum consuetudines hîc admitti; credendumq; nec eorum observantiam aliter jurari velle Pontifices; videturque usus ac communis intellectus, in hunc sensum juramentum exposuisse, non tantum quoad hunc articulum, sed etiam reliquos; ut scilicet contenta in illis articulis intelligantur prout Provinciarum jura ac consuetudies illa observari permittunt.

XXVI. Denique additur in formula Pontificalis: "Possessiones verò ad mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque impignorabo; nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero; pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo ipso incurrere volo."

XXVII. Juramenti ab Episcopis præstandi de non alienandis rebus ad suam mensam spectantibus fit mentio in *Cap.*8. tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*: illudq; vel Pontifici, vel Metropolitano præstandum erat. "Nam (ut ait Glossa ibidem verbo, *Sacramento*) quilibet Episcopus qui immediatè Domino Papæ subest, jurat ei fidelitatem, quod non alienabit bona Ecclesiæ, nec infeudabit, & idem juramentum præstant alii Episcopi *suis Metropolitanis.*"

Hîc nota, tempore Glossographi hujus, id est, sæculo 14. nondum omnes Episcopos præstitisse hoc juramentum fidelitatis Romano Pontifici; sed tantum immediatè Pontifici subjectos; reliquos verò illud idem præstitisse suis Metropolitanis; sive Episcopos, uti ante diximus, juramentum præstitisse illi à quo ordinationem sive confirmationem accipiebant. Et etiamnum hodie extat in Pontificali Romano ordo Consecrationis, quo à Metropolitano electus ordinari solebat; ubi idē pene per omnia juramentum, quod hodie Pontifici præstatur, præstandum præscribitur Metropolitano. Habetur in Pontificali sub titulo, *De scrutinio quo Antiqui utebantur antequam* ELECTUS *in* EPISCOPUM *consecraretur.* Plura de hoc Juramento dicentur infrà Titulo De Metropolitanis.

XXVIII. Notandum quoque, hujus clausulæ *de non alienandis rebus* Ecclesiæ, nullam in Formula Gregorii VII. prout vel in Concilio Romano, vel Decretalibus exhibetur fieri mentionem; unde post tempora Gregorii VII. insertam fuisse rectè observat Franciscus Florens loco citato *pag.* 231. quemadmodum plura alia successu temporis addita fuisse, ex dictis facilè intelligi potest; & utramque formulam inter se conferenti ad oculum patebit.

CAPUT III.

De moderno ritu Consecrationis.

1 *Electus præsentatur Consecratori.*
2 *Olim interrogabat Metropolitanus, num præsentantes scirent electum esse dignum: quod etiam tempore Innocentii III. in usu fuit.*
3 *Olim solebat fieri præsentatio electi pridiè ante Consecrationem per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ vacantis.*
4 *Hodie Consecrator tantum petit à præsentantibus electum an habeant* mandatum Apostolicum; *& quæ hujus ratio?*
5 *De examine electi faciendo ante Consecrationem.*
6 *In quo hæc examinandi ratio differat a pristina Patribus usitata?*
7 *Consecrator electo exponit, quid Episcopum facere oporteat.*
8 *Liber Evangeliorum cervicibus & scapulis electi imponitur; & Consecrator cum Episcopis assistentibus manus capiti consecrandi imponit.*
9 *Manuum impositio ritus est antiquissimus, semper in Ecclesia tam Latina quam Græca observatus.*
10 *Impositio libri Evangeliorum etiam est antiquissima, non tamen universaliter ubique eodem tempore recepta.*
11 *Hæc verba* Accipe Spiritum Sanctum *recitari in ipsa manuum impositione recens est cæremonia; non tamen frustrà dicuntur.*
12 *Oratio Consecratoris pro Consecrato.*
13 *De unctione capitis & manuum Consecrati.*
14 *Benedictio & traditio* Baculi *Pastoralis, & hujus cæremoniæ antiquitas.*
15 *Cur in ordinatione Romani Pontificis, hæc cæremonia omittatur; & an olim non fuerit adhibita?*
16 *Impositio* annuli *& ejus antiquitas.*
17 *Traditio libri Evangeliorum ipsi Consecrato est recens cæremonia.*
18 *Consecratus offert panem & vinum, quod antiquitus etiam à populo fiebat.*
19 *Consecratus cum Consecratore stando missam peragit, & de eadem Hostia, & eodem Calice communicant.*
20 *Hic ritus olim in Ecclesia Latina, & hodie etiam in Ecclesia Græca est usitatus & ordinarius.*
21 *Impositio* Mitræ, *& quando ejus usus inceperit?*
22 *De* Chirothecis *Pontificalibus.*

I. RItu hodierno, Electus sive Nominatus medius inter duos Episcopos ducitur ad Metropolitanum sive Consecratorem; & senior assistentium eum Consecratori præsentat consecrandum sub hac formula verborum. *Reverendissime Pater, postulat Sancta Mater Ecclesia Catholica, ut hunc præsentem Presbyterum ad onus Episcopatus sublevetis.*

II. Tempore electionis petebat Metropolitanus: *Scitis illum esse dignum?* Respondebat Episcopus: *Quantum humana fragilitas nosse sinit, & scimus & credimus illum dignum esse.*

Hancque formulam in usu fuisse tempore Innocentii III. patet ex ejus responso relato in *Cap. Unico* tit. *De scrutinio in Ordine faciendo*; ubi interrogatus, an Episcopus assistens hoc responsum dare queat, dum Electi conversatio minùs sibi cognita, aut penitus ignota est, respondit: "In tali responsione aliquem peccare non credimus, dummodò contra conscientiam non loquatur: quia non simpliciter illum asserit dignum, sed *in quantum humana fragilitas nosse sinit*: cum illum, quem indignum esse non novit, dignum debeat æstimare. Hujusmodi ergo responsione securè uti poteris, nisi fortè de *indignitate* tibi constiterit Consecrandi."

Ad hanc responsionem reflectens antiquus Glossographus ait: "Mirabilis est responsio ista: potiùs enim dicere deberet, *se nullam habere scientiam* de ejus dignitate vel indignitate." Deinde respondet: "Ex eo, quòd videt illum electum *à bonis*, quamdam videtur habere notitiam de dignitate ipsius, & de tali respondet, quia audivit ab aliis.

Hoc responsum Glossæ attendens Panormitanus, ait: præsumitur hoc in casu dignus, quia præsumptio est pro ejus dignitate; eò quòd per alios est præsentatus *ut bonus*, ad hoc est electus *ut bonus* & confirmatus: sicut in illo qui pe-

petit consecrari; & tunc præsumitur accidentalis bonitas. Hæc quidem vera sunt, quando ipsi testanti constat, in electione aut confirmatione Consecrandi ita fuisse inquisitum in idoneitatem Consecrandi, ut reverâ notitiam illius habere censeatur; ideoque de illa testari possit: alioquin, uti rectè monet Joannes Andreas, *Quomodò testificabitur de eo quod non novit?*

III. Solebat insuper die præcedente ipsam Consecrationem fieri alia præsentatio ipsius Electi per Archipresbyterum vel Archidiaconum Ecclesiæ cui Electus erat præficiendus; qui Electum medium inter duos Canonicos ejusdem Ecclesiæ Metropolitano præsentabat; qui Metropolitano interroganti: *Fili mi, quid petis?* respondebat: *Deus & Dominus noster concedat nobis Pastorē.* Rursus eum interrogabat Metropolitanus: *quid vobis complacuit in illo?* Respondebat præsentans: *Modestia, humilitas, patientia, & cæteræ virtutes.* Ulterius Metropolitanus: *Habetis Decretum?* Respondebat: HABEMUS. Tum legebatur Decretum, quo declarabatur, Canonicos præsentem Presbyterum in suum Episcopum elegisse; eumque in Pontificem ordinari postulare: quæ latius referuntur in Pontificali Romano sub tit. *De Scrutinio Serotino.*

IV. Hodie omnibus hisce interrogationibus & responsionibus omissis, Consecrator postulationi Episcopi offerentis hoc unum reponit: *Habetis mandatum Apostolicum?*

Respondente Episcopo Assistente, *habemus*; jubetur legi mandatum, quo auctoritate Sedis Apostolicæ consecrandi potestas committitur.

Cum ergo *Consecratio* fiat auctoritate Sedis Apostolicæ sive ex ejus delegatione, mirum non est, si Consecrator ex præscripto Pontificalis Romani, non interroget Episcopos Assistentes & Electum consecrari postulantes, *num sciant eum esse dignum*; quia, uti refertur in citato responso Innocentii III. Pontifex non in ordinatione Pontificis, sed in ordinatione Diaconi vel Presbyteri id interrogare etiam eo tempore solebat.

V. Lecto mandato Apostolico, nec non præstito per Electum juramento, de quo capite præcedenti, incipit Consecrator Electum examinare; quod antiquam Patrum institutionem docere asserit; tum ut observetur illud Apostoli: *Manus nemini citò imposueris*: tum, ut etiam is, qui ordinandus est, erudiatur, qualiter sub hoc regimine constitutum oporteat conversari in Ecclesia Dei.

Extat formula examinis modernæ planè similis in antiquo Ordine Romano; in qua tamen post articulum de obedientia ac subjectione Romano Pontifici exhibendâ, subjicitur articulus, quo similis fides & subjectio Metropolitano, ejusque Successoribus promittebatur à Consecrando.

VI. Indubitatum est, semper Ecclesiam valde solicitè inculcâsse, ut ante ordinationem Episcoporum serium atque exactum de fide & moribus Ordinandorum examen instituatetur; adeoque ritus hic, in quantum prævium illud examen repræsentat, ex Patrum Traditione descendere rectè dicitur: At illud dolendum, quod quæ à Patribus seriò fiebant, ut exactam notitiam ipsius Ordinandi consequerentur, hodie tamquam meram ac nudam cæremoniam, juxta Formulam præscriptis verbis expressam adhiberi & proponi; neque ad aliud in Pontificali conservari videantur, quam ut omnibus, quibus Episcopos promovendi officium incumbit, in memoriam revocetur, quàm enixè semper voluerit Ecclesia, ut de persona promovenda exactum atque serium examen institueretur: ne alias, manus citò imponentes, alienis peccatis communicent.

VII. Examine peracto, Consecrator versus ad Electum dicit: *Episcopum oportet judicare, interpretari, consecrare, ordinare, offerre, baptizare, & confirmare.*

VIII. Tum precibus aliquibus cum Litaniis recitatis, Consecrator accepto libro Evangeliorum, illum apertum, adjuvantibus Episcopis Assistentibus, nihil dicens, imponit super cervices & scapulas Electi: quem unus ex Capellanis Electi, post ipsum genuflexus, quousque liber ipse eidem Electo in manus tradendus sit, continuè sustinet. Deinde Consecrator & Assistentes Episcopi, ambabus manibus caput consecrandi tangunt, dicentes. *Accipe Spiritum Sanctum.*

IX. Ritum hunc, in quantū *manuum impositionem* continet, à Judæis ac Synagoga in Ecclesiam traductum atque ab Apostolis observatum, & per eorum Successores ad nos transmissum fuisse, ostendit Gulielmus Beveregius *ad Canonem primum Apostolorum*; notatque Morinus de Sacris Ordinationibus *parte 2. exercit. 1. cap. 1.* tam Græcos, quam Latinos libros Rituales veteres & recentiores in Consecratione Episcopi præscribere *manuum Episcoporum impositionem*; imo SS. Patres, cum Episcopatus causam allegant, ad manuum impositionem confugere, semperque dicere, per manuum impositionem aliquam Episcopatus gratiam consecutum, vel ordinatum, vel factum Episcopum.

X. Nec tantum ritus hic, quoad manuum impositionem est antiquissimus, sed etiam quoad ipsam *Evangelii impositionem* Patribus usitatus fuit: "eamque *omnes* Rituales antiqui & recentes Latini, Græci, Syri commemorant: quam S. Clemens, S. Dionysius, Concilium Carthaginense IV. referunt & explicant, quam denique laudat S. Chrysostomus in oratione quâ probat, unum esse novi & veteris Testamenti Legislatorem," inquit Morinus loco citato *n. 3.* qui tamen ibidem *n. 5.* observat, quod antiquissima hæc cæremonia non fuerit universaliter ab omnibus Ecclesiis accepta; quod ibi latius prosequitur; asseritque, plures Ecclesias in Gallia & Germania hanc cæremoniam olim non observâsse; imo, nec forsan primis temporibus Romanam Ecclesiam.

XI. Quoad illa verba, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ Consecrator & Episcopi Assistentes in ipsa manuum impositione pronuntiant, recens est cæremonia, solisque Latinis, (si Morino credimus) nota. "Nulli enim, ait, Rituales Latini antiqui hæc habent verba; nusquam comparent; etiam in recentioribus multis nulla eorum mentio. Antiqui Scholastici, Hugo de S. Victore, Alexander Alensis, Gulielmus Altisiodor. S. Bonaventura, S. Thomas, licet quæ ad Ordines spectant *diligenter & minutè* persequantur, eorum non meminerunt. Apud Latinos cœpta sunt usurpari vix ab annis *quadringentis*. Apud Græcos autem & Syros; nec est, nec umquam fuit illorum usus. Itaque nulla ratione dici possunt ad Ordinis substantiam pertinere." Qui deinde ostendit, quod nihilominus rectè pronuntiaverit Synodus Tridentina *Sess. 23. can. 4. De Ordine.* "Si quis dixerit, per sacram Ordinationem non dari Spiritum Sanctum; ac proinde frustra Episcopos dicere, *Accipe Spiritum Sanctum* &c. anathema sit."

"Catholicis quippe certum est, ait, Ordinationis ritu, obicem non ponentibus Spiritum Sanctum dari & gratiam produci. Præterea ab *antiquissimis temporibus* tam apud Latinos, quàm apud Græcos non modo in Ordinatione Episcopi, sed etiam Presbyteri & Diaconi, invocatur Spiritus Sanctus. Invocationem illam nobis repræsentant Rituales *omnes*, Latini, Græci, Syri, antiqui & recentiores in hunc usque diem."

XII. Prædictâ cæremoniâ expletâ, Consecrator recitat præfationem, in qua Deum precatur, ut dignetur Electo dare virtutes, quas vestes sumtuosæ Sacerdotii Veteris Testamenti figurabant: "Illius namque, ait, Sacerdotii anterioris habitus, nostræ *mentis ornatus est*, & Pontificalem gloriam non jam nobis honor commendat vestium *sed splendor animarum.* Quia & illa, quæ carnalibus *blandiebantur obtutibus, ea potius quæ in ipsis erant intelligenda* poscebant."

XIII. Interea verò Choro decantante hymnum, *Veni Sancte Spiritus*, chrismate ungit caput Electi dicens: *Ungatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictione, in Ordine Pontificali.*

Unctionem hanc apud Latinos antiquissimam esse contendit Morinus de SS. Ordinat. *parte 3. exercit. 6. c. 2.* in aliquibus tamen Ecclesiis citius, in aliis serius adhibitam fuisse probat; ipsamque Episcopalem Unctionem in Ecclesia Romanâ antiquiorem esse Presbyterali.

Expletâ unctione, Consecrator resumit præfationem, precaturq; ut Deus virtutum & gratiarum abundantiam, per hanc materialem unctionem designatam, Electo infundere dignetur. *Hoc Domine*, ait, *copiosè in caput ejus influat; hoc in oris subjecta decurrat hoc in totius corporis extrema descendat ut tui Spiritus virtus, & interiora ejus repleat, & exteriora circumtegat.*

Finitâ præfatione Chorus canit Psalm. 132. qui loquitur de unctione Aaron; atque interea Consecrator ungit chrismate manus Electi; precaturque, ut ipse Deus eum *Chrismate & mystica delibutionis liquore perfundat, & spiritualis benedictionis ubertate fœcundet: Quidquid benedixerit, benedicatur; & quidquid Sanctificaverit, Sanctificetur; & consecratæ manus istius, vel pollicis impositio cunctis proficiat ad salutem.*

XIV. Post hæc benedicit Baculum Pastoralem, eumq; tradit Consecrato dicens: *accipe Baculum Pastoralis Officii; ut sis in corrigendis vitiis piè sæviens, judicium sine ira tenens, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcens in tranquillitate severitatis censuram non deserens.*

Baculi hujus Pastoralis, qui communiter dicitur *pedum*, meminit quoque antiquus Ordo Romanus; quin Concilium Toletanum IV. an. 633 *can.* 28. inter ornamenta Episcopalia *Baculum* numerat.

Apud Græcos, quemadmodum observat Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 313. edit. Parisiensis an. 1647. " à cunctis, tum Pontificibus, tum Monasteriorum „ Præfectis, manibus fertur; illoq; utpote breviori & minus pretiosâ materiâ conspicuo (rarò namq; argenteus „ est, sæpius autem ebero & ebeno solum variegatur) per „ viam gradientes se sustentant: Illoque ut potestatis in „ inferiores exercendæ symbolo, ab Imperatoribus quondam donari solitos Patriarchas, & alios præcipuos animarum præfectos scribit Codinus c. 20. Patriarcham „ quidem his verbis: *Patriarcha deinde in suggestũ conscendens, è manu Imperatoris pedum Pastorale accipit.*"

VX. Non immeritò ergo notavit Morinus citatâ exe. citatione 2. *cap. 2. n. 5.* hanc cæremoniam esse *admodum antiquam.*

Illud tamen notandum, quod Romanus Pontifex *non utatur Baculo Pastorali, tum propter historiam, tum propter mysticam rationem*, ait Innocentius III. *in cap. Unico* ;; *De Sacra Unctione.*

Pontificem hic citare acta S. Martialis Limovicensis, atq; alludere ad historiam in illis relatam rectè monet Baronius ad diem 30. Junii; quam historiam Glossa recitat his verbis: "Martialis unus de Discipulis Petri, quem po„ suit Dominus inter discipulos cum dixit: nisi efficiami„ ni sicut parvulus iste, non intrabitis in Regnum Cælo„ rum &c. quem postea Petrus cum alio, scilicet Materno „ ad prædicandum misit in Germaniâ, qui cum iret mor„ tuus est, & rediit collega ad Petrum: & Petrus ait: *Ac„ cipe baculum*, & tangens eum dic ut in nomine Domini „ surgat & prædicet, & ivit. Et XL. die à tempore mortis „ tetigit eum & resurrexit, & prædicavit, & ita Petrus *re„ movit à se baculum*, & dedit subditis."

Verùm adverterunt Eruditi, hæc acta Martialis, quæ tamquam ab Aureliano ejus immediato successore scripta circumferuntur, non obscura præferre suppositionis & falsitatis indicia. Et quidem per crassam inscitiam auctor dicit, Vespasianum successisse *immediatè* Neroni. Asserit insuper, Martialem parem cum Apostolis à Christo post resurrectionem accepisse potestatem, eum numquam esuriisse vel sitivisse aut aliquo dolore laborâsse, & alia plura narrantur; quæ non minus fabulosa sunt, quam quæ in Synodo Limovacensi anno 1031. celebratâ pro asserendo S. Martialis Apostolatu, narrantur. Cujus consequenter auctoritatis reputanda sit historia, quæ unicè innititur fidei hujusmodi actorum, intelligi potest.

Mysticas rationes plures allegant Glossa, Joannes Andreas aliique relati ad citatum Cap. *Unicum*, verbo: *Mysticam rationem*: quæ, an sat sint convenientes, meritò Lector expendet. Illud interim constat, Romanos Pontifices olim etiam usos fuisse virga Pastorali.

Luitprandus enim loquens de exauctoratione Benedicti V. Pontificis in quodam Romano Conciliabulo factâ an. 964. inter alia dicit: "Post hæc Pallium ubi abstulit (Be„ nedictus) quod simul cum *Pontificali Ferula*, quam ma„ nu gestabat, Domino Papæ Leoni reddidit, quam *Fern„ lam* idem Papa fregit, & fractam populo ostendit." Habetur tomo 9 Conciliorum Generalium *Col.* 659. Eadem habet author Appendicis ad Reginonem an. 964. Et Cencius Camerarius in Cæremoniali, de inauguratione Celestini III. Papæ " Idem Electus sedet ad dexteram in sede „ Prophyretica, ubi Prior Basilicæ S. Laurentii dat ei *Fe„ rulam*, quæ est signum *Regiminis & correctionis.*"

XVI. Post traditum Baculum Pastoralem, Consecrator benedicit *annulum*; eumque in digitum annularem dexteræ manus Consecrati immittit, dicens: *Accipe annulum, fidei scilicet signaculum; quatenus Sponsam Dei, Sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornatus, illibatè custodias.*

Meminit quoq; *annuli* tamquam ornamenti Pontificalis vetus Ordo Romanus, ubi & tres verborum formulæ, per quas annulus tradi possit, referuntur; quarum sola tertia hodiernæ formulæ conformis est.

Et ante annos mille jam citatum Concilium Toletanũ IV. *Can.* 28. ornamentis Episcopalibus annumeravit *annulum*: ut proinde etiam hanc cæremoniam jure merito *admodum antiquam* dicat Morinus loco suprà citato. Attamen quia apud Alcuinum, Amalarium, & Rabanum de *annulo* summum est silentium, argumentum est sat plausibile, serius in Gallia & Germania fuisse notam; quemadmodum *Græcos Episcopos* ANNULI *usum ignorare*, testatur Jacobus Goar loco citato.

XVII. Imposito *annulo*, Consecrator accipit Librum Evangeliorũ de scapulis Consecrati; & adjuvantibus ipsum Episcopis assistentibus, tradit eum clausum Consecrato, tangenti illum sine apertione manuum, dicens: *Accipe Evangelium, & vade, prædica populo tibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat tibi gratiam suam.*

Hinc traditioni vim Consecrationis nonnulli Scholasticorum dare voluêre; at eos refutat Morinus, observans; " Quòd traditio illa res sit *nupera*, quam, ait, nulli Ritua„ les ante quingentos annos scripti, nulli Auctores ante „ idem tempus commemorant, licet nonnullis, ut Isido„ ro, Alcuino, Amalario, & aliis commemorationis causa „ non defuisset. Nec etiam illa ætate invenies Authorem „ aut Ritualem, qui de Ordinationibus Sacris agentes, „ istius cæremoniæ meminerit."

Deinde judiciosè reflectit Morinus, quòd & in traditione Baculi Pastoralis, annuli & Evangelii semper Episcopus dicatur *Consecratus*, ante autẽ semper, *Electus*. Indicium minimè obscurum, quòd etiam Liber Pontificalis, ante hanc traditionem, eum habeat pro *Consecrato*; adeoque & traditiones illas ut meras cæremonias Consecrato Episcopo accedentes.

XVIII. His peractis, Consecrator pergit in Missa usq; ad Offertorium inclusivè. Dicto Offertorio, sistit se Consecratus medius inter Episcopos Assistentes coram Consecratore; eique offert duo intorticia accensa, duos panes, & duo barilia vino plena; idque juxta antiquam Ecclesiæ disciplinâ, cujus hîc memoria conservatur. Ipse enim Ordo Romanus circa sæculum 9. aut 10. compositus, ritum offerendi describens, ait: " Populus dat oblationes, „ id est, *panem & vinum*, & offerunt cum fanonibus can„ didis primò masculi, deinde fœminæ." Sed de his plura infrà parte 2. Titulo De Oblationibus.

XIX. Post hæc Consecratus ad posterius cornu Epi-

stolæ

stolæ altaris accedit, & ibi stans medius inter duos Episcopos Assistentes, ante se habens Missale suum, simul cum Consecratore dicit & facit omnia prout in Missali. Deinde cùm ad Communionem ventum est; Corporis Christi Communionem accipit à Consecratore reverenter inclinatus, non genuflexus. Unam autem hostiam ambo, id est, Consecrator & Consecratus consecrant, & de ea participant. Similiter Consecrans postquam Sacri Sanguinis partem cum hostiæ particula intincta sumpsit, reliquum Sanguinis Consecrato tradit.

XX. Hæc rursus si cum moderno Ecclesiæ Latinæ ritu conferantur, planè extraordinaria apparebunt; at si comparentur cum ritu, qui ante quingentos aut sexcentos annos viguit in Ecclesia Latina; & adhuc hodie viget in Ecclesia Græca, apparebit nihil hic extraordinarii fuisse statutum, sed hic conservatum esse veteris ritus monumentum.

Nihil enim olim tum in Ecclesia Latina, ac etiamnum hodie in Ecclesia Græca usitatius ac frequentius, quàm plurium Presbyterorum aut Episcoporum cum uno principaliter celebrante concelebratio; idq; eodem penè per omnia ritu qui hodie in Episcopi Consecratione superest; quemadmodum latè probat & describit Morinus *De SS. Ordin. part. 3. exercit. 8. c. 1.* eumq; tempore Innocentii III. id est, sub initium sæculi 13. nondum abolitum fuisse advertit, licèt tunc abolescere cœperit; ejusq; abolitioni multùm subservisse Theologiam Scholasticam, quæ sub id tempus præcipuè emersit; eò quòd mos ille sive ritus fuerit Doctoribus Scholasticis innumerarum difficultatum seges amplissima.

XXI. Finitâ Missâ Consecrator benedicit *Mitram* eamque adjuvantibus ipsum Assistentibus Episcopis capiti Consecrati imponit, dicens: *Imponimus, Domine capiti hujus Antistitis & agonistæ tui galeam munitionis & salutis; quatenus decorata facie & armato capite, cornibus utriusq; testamenti terribilis appareat adversariis veritatis, & te ei largiente gratiam, impugnator eorum robustus existat: qui Moysi famuli tui faciem ex tui sermonis consortio decoratam lucidissimis tuæ claritatis ac veritatis cornibus insignisti, & capiti Aaron Pontificis tui tiaram imponi jussisti.*

Vir eruditus Hugo Menardus in notis ad Librum Sacramentarium S. Gregorii *pag. 362.* de Mitræ usu loquens ait: "Cujus in Sacramentariis nostris manuscriptis, in Ordinibus Romano & Tiliano, in Pontificali manuscripto, "quòd servatur in Sacristia Ecclesiæ Rothom. & putatur "esse Remense, Missâ ab Illyrico edita, apud Alcuinum, "Amalarium, Rabanum, & alios antiquos Scriptores, qui "de Officiis Divinis tractavère, & ornamenta Pontificalia "recensent, mirum est silentium, ita ut existimem, vix *ante annum* post Christum natum *millesimum* mitræ usum "in Ecclesia fuisse."

A mitra sive Pontificio pileo capiti imponendo (ait Jacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag. 314.*) hucusq; vulgò Græci abstinuerunt: cujus rationes prolixè ibidem proponit Goartius.

Post hæc, ex præscripto Pontificalis sequitur benedictio chirothecarum, quas, adjuvantibus Episcopis Assistentibus Consecrator imponit, manibus Consecrati dicens: *Circumda Domine manus hujus Ministri tui munditiâ novi hominis qui de cælo descendit: ut quemadmodum Jacob dilectus tuus pelliculis hœdorum opertis manibus, paternam benedictionem, oblato Patri cibo potuq; gratissimo, impetravit: sic & iste oblata per manus suas hostia salutari, gratiæ tuæ benedictionem impetrare mereatur.*

Chirothecarum usum Apostolicæ traditionis esse asserit Honorius Augustodunensis in Gemma animæ *Lib. 1. c. 215.* ubi ait: *Chirothecarum usus ab Apostolis est traditus.* Sed [ait Cardinalis Bona *Lib. 1. rerum Liturg. c. 24. §. 12.*] "hoc credibile non est, cùm per aliquot sæcula, nullum "earum reperiatur monumentum, nec illis umquam usa "sit Ecclesia Orientalis."

Meminit interim chirothecarum sive *Manicarum* in Ordinatione Episcopi sub certa verborum formula Consecrati manibus imponendarum vetus Ordo Romanus: earumdem quoq; inter ornamenta Pontificalia meminit vetus liber Sacramentarius, jussu Rotaldi Abbatis Corbejensis ante annum millesimum scriptus, uti in præfatione ad Sacramentarium S. Gregorii monet Menardus, qui primus illum publicavit.

In Missa quoq; quam Illyricus sub nomine Missæ veteris Gallicanæ præcedenti sæculo edidit; & quam Cardinalis Bona in appendice ad libros suos rerum liturgicarum sub titulo *Missa Romana variis orationibus interpolata* evulgavit, extat quoq; oratio ad *induendas manicas*: Creator "totius creaturæ, dignare me indignum famulum indu-"mentis justitiæ & lætitiæ induere, ut puris mentibus an-"te conspectum tuum assistere merear mundus."

Hinc apparet hunc usum non adeò esse in Ecclesia recentem.

Hactenus dicta sat ostendunt, ritus ac ornamenta Pontificalia in Ordinatione Episcoporum, unicè ex mente Ecclesiæ ad hoc adhiberi, ut ipsis Episcopis in memoriam reducatur, quas virtutes ministerium Episcopale in ipsis exigat; & qualiter suo Officio eos incumbere oporteat. Hinc videant Episcopi, quantopere à spiritu Ecclesiæ aberrent, qui illa Pontificalia ornamenta sibi quasi ad pompam ac fastum mundanum imposita & data credunt.

CAPUT IV.

De Effectu Consecrationis; ac præcipuè de Vinculo quo Ecclesia alligatur Episcopus; & unà de prohibita translatione Episcoporum.

1 *Olim ante Consecrationem nullum jus acquirebatur Electo.*
2 *Per Consecrationem olim in Episcopum transibant non solùm quæ erant* Ordinis, *sed & jurisdictionis.*
3 *Hodie sola conferuntur quæ sunt* Ordinis.
4 *Plenitudo nihilominus Sacerdotii confertur per Consecrationem.*
5 *Episcopus alligatur Ecclesiæ cui præficitur, eamque sibi desponsat.*
6 *Transmigrationes de una Ecclesia ad aliam vetitæ per Synodum Nicænam.*
7 *Huic obsequens Eusebius Cæsariensis laudatur à Constantino Magno.*
8 *Ariani Episcopi Synodi Nicænæ Decretum contemnunt.*
9 *Patres Sardicenses hisce occurrere volentes graviori pœnâ transmigrationes Episcoporum prohibent.*
10 *Communione laica etiam in fine vitæ privant Episcopos sine causa ad alias Ecclesias transmigrantes; & quæ hujus disciplinæ ratio?*
11 *Sensum Canonis intervertit Raymundus Decretalium compilator.*
12 *Hæc disciplina rigorosè observata in Ecclesia Romana.*
13 *Canon Sardicensis etiam sæculo X. renovatus.*
14 *Sub his Canonibus non comprehenduntur translationes Episcoporum facta necessitate aut utilitate Ecclesiæ cogente.* (cialis.
15 *Translationes olim fiebant auctoritate Synodi Provin-*
16 *Auctoritas illa Synodi Provincialis mansit inconcussa sæculo IX.* (vata.
17 *Sæculo Duodecimo Sedi Apostolicæ videtur fuisse reser-*
18 *Innocentius III. dicit,* Institutione Divina *translationem Episcoporum esse reservatam.*
19 *Quomodo illud dictum Innocentii intelligendum?*
20 *Hodie sola auctoritate Romani Pontificis Episcopus à sua Ecclesia absolvi potest.*
21 *Translatio Episcopi hodie fieri nequit sine consensu Regis, ejusque nominatione.*

Digitized by Google

21 *Etiam hodie translationes fieri nequeunt sine necessitate, aut majori utilitate Ecclesiæ.*

I. Multis sæculis Consecrationem Episcoporum haud fuisse à Confirmatione sejunctam, non semel in præcedentibus notavimus; ac insuper observavimus, olim per electionem Cleri & Plebis nullum propriè jus Electo fuisse acquisitum, multisq; sæculis ignotum fuisse, per electionem acquiri Electo *jus ad rem*; per Confirmationem verò *jus in re*: hæc enim Patrum ætas ignoravit.

II. Hac ergo disciplina durante, Electus nullum jus habebat in administratione Ecclesiæ; neq; Ecclesiæ Pastor aut Prælatus habebatur ante Consecrationem; sed demum per Consecrationem sive ordinationem Episcopus constituebatur. Unde Patribus idem erat, Ordinare aut Consecrare Episcopum, & constituere Episcopum, aut Ecclesiæ de Episcopo providere: neq; inter illa decem primis Ecclesiæ Sæculis in Sacris Canonibus ullum discrimen reperitur.

Itaq; si pristinam illorum temporum disciplinam spectemus per Consecrationem demum, omnem accipiebant Episcopi auctoritatem & potestatem; tam quoad ea quæ *jurisdictionis*, quàm quæ *Ordinis* dicuntur. Neque illa sine his in Episcopos transibant.

III. At posterior ætas, quæ Confirmationem à Consecratione distinguere cœpit, etiam ea quæ *jurisdictionis* sunt ab his quæ *Ordinis* sunt tandem separavit: atq; per Confirmationem ante Consecrationem quæ *jurisdictionis* sunt in Episcopum transire voluit; imò per Confirmationem Pastorem ac Prælatum Ecclesiæ sine Consecratione constitui; omneq; regimen Ecclesiæ committi; solis iis exceptis, quæ *Ordinis* sunt; quæ tamen ut in Ecclesia sua, aut Subditis suis per alios Episcopos conferantur & impendantur, permittere, aut delegare potest; uti titulo præcedenti *c.4.* latiùs ostendimus.

IV. Itaq; juxta hodiernam disciplinam Consecrationis proprius effectus censetur, Electo & Confirmato conferre characterem Episcopalem; vi cujus accipit plenitudinem Sacerdotii; & vi hujus consequitur plenissimam Episcopalis Ministerii exercendi auctoritatem, etiam quoad ea quæ *Ordinis* sunt; cúmq; priùs, licèt confirmatus adhuc esset in Ordine Presbyterali, per Consecrationem in Superiorem, scilicet Episcopalem sublimatus est: atq; arctiori quodammodo vinculo Ecclesiæ alligatus seu Consecratus.

Hinc illud Innocentii III. spectata recentiori disciplina: "Spirituale fœdus conjugii, quod est inter Episcopum „ & Ecclesiam, in electione *initiatum*, in confirmatione „ *ratum*, & in consecratione intelligitur *consummatum*. *Cap.4.* ;; *De Translat. Episc.*

V. Porrò seu disciplinam veterem, sive recentiorem attendamus, Episcopus semel certæ Ecclesiæ datus & ordinatus, illi tamquam perpetuus illius Minister ac Pastor alligatus est; eamq; quodammodo sibi sponsam & uxorem desponsat, ideoq; eam facilè deserere, aut aliam desponsare, adulterii cujusdam spiritualis species Patribus visum fuit; præterquam quod transcursiones de una ad aliam Ecclesiam, ipsis Ecclesiis perniciosas, & populo scandalosas existimarent; nec aliunde quàm ex avaritia vel ambitione procedere.

Et quidem à tempore, quo Ecclesia pleniori pace sub Constantino frui cœpit; atq; temporalibus magis abundare, necesse fuit huic avaritiæ ac ambitioni frænum per Sacros Canones injicere.

VI. "Propter multum tumultum [ait Canon 15. Nicæ„ nus] & seditiones quæ fiunt, omnino visum est, ut con„ suetudo, quæ præter Canonem in nonnullis partibus „ invenitur, tollatur; ut à civitate in civitatem nec *Episco„ pus*, nec Presbyter, nec Diaconus *transeat*. Si quis autem „ post sanctæ & magnæ Synodi definitionem tale quip„ piam aggressus fuerit, vel se rei ejusmodi dederit, quod „ factum erit, omnino reformabitur, & Ecclesiæ restitue„ tur, cui Episcopus vel Presbyter ordinatus fuerit."

VII. Hunc Canonem, ejusq; rationem perpendens Eusebius Cæsariensis, qui Concilio Nicæno interfuerat, recusavit relicta Ecclesia Cæsariensi ad Antiochenam transire: cujus factum laudans Constantinus in litteris ad Eusebium datis dixit: " Rectissimè fecit Prudentia tua, quæ „ & mandata *Dei*, & *Apostolicam* atq; *Ecclesiasticam* Re„ gulam custodire statuit, Episcopatum Antiochensis „ Ecclesiæ repudians, & in eo potiùs permanere deside„ rans, quem *Dei mandato* ab initio suscepisset." Apud Eusebium *Lib.3. De vita Constantini c.6* 1. editionis Valesianæ.

Quasi diceret; rectissimè fecit, quòd Ecclesiam cui *Dei mandato* ab initio fuisti mancipatus, non deserueris; sive repudiaveris aliâ desponsatâ.

VIII. Non obstante æquissima hac Apostolica & Canonica regula à Synodo Nicæna exposita & probata, Episcopi plures præsertim Ariani, crebris mutationibus & translationibus, eo tempore, omnes Orientis Ecclesias perturbabant; idq; tum ambitione, tum avaritia ducti; tum etiam ut hæresim suam latiùs spargerent: exemplum secuti Ducis sui Eusebii, qui primum Biryti Episcopus, deinde Episcopatum Nicomediæ; postea Constantinopolis ambivit & obtinuit, ope Imperatoris Constantii " Quin etiam depositis Episcopis Orthodoxis, aliquando „ relegatis, imò & necatis, in eorum Episcopatus transfe„ rebant Ariani suarum partium Episcopos: ut constat ex „ epistola Synodi Alexandrinæ, relata ab Athanasio in 2. „ *Apologia de fuga sua*, & in *epistola ad vitam solitariam* „ *degentes tom.1.*

IX. Hisce ut occurrerent; Patres Sardicenses graviore sanctione & pœna coërcendas hasce transmigrationes censuêre. Itaq; Osius Præses Concilii, Patres alloquens dixit; "Non minùs mala consuetudo, quàm perniciosa „ *corruptela* funditus eradicanda est: ne cui liceat Episco„ po de civitate sua ad aliam transire civitatem." Deinde hanc hujus *corruptelæ* rationem notandam, ac utinam non modernarum translationum ordinariam causam, subjicit: " *Manifesta* est causa, quâ hoc facere tentant: „ cùm nullus in hac re inventus sit Episcopus, qui de ma„ jori ad minorem transiret. Unde *apparet avaritia arde„ re* eos inflammari, & *ambitioni* servire, & ut domina„ tionem agant. Si omnibus placeat, hujusmodi pernici„ es sæviùs & austriùs vindicetur, ut nec laicam commu„ nionem habeat, qui talis est. Responderunt universi: „ *Placet.*"

Can.II. ita habet: "Osius Episcopus dixit: Etiamsi talis „ aliquis extiterit temerarius, ut fortassis excusationem „ afferens, assereret, quod populi litteras acceperit, cùm „ manifestum sit, potuisse paucos præmio & mercede „ corrumpi eos qui sinceram fidem non habent, ut cla„ marent in Ecclesia, & ipsum petere viderentur Episcopū „ omnino has fraudes damnandas esse arbitror, ita ut nec „ laicam in fine communionem talis accipiat, Si vobis o„ mnibus placet statuite, Synodus respondit: *Placet.*"

X. Communione ergo Laica, nec in fine vitæ donan„ dos Episcopos, contra Canonicas Sanctiones de una ad aliam migrantes Ecclesiam decernit Canon; ad quem rigorem reflectens Aristenus ait: Hoc enim inauditum & „ horrendum est, ut neq; in discessu communione dignus „ censeatur, quod alibi in Canonum ullo non invenies „ cuilibet impositum & inflictum peccato. "

A vero forsan non aberravit Aristenus Auctor Græcus, si ad Orientales reflexerit Ecclesias: nam ipse Morinus *lib. 9.c.19. de pœnit.* fatetur, in Orientalibus nulli unquam crimini hanc pœnam impositam fuisse: in aliquibus tamen Ecclesiis, primis sæculis, tria crimina, nimirum idololatriam, homicidium, & mœchiam hac pœnâ fuisse vindicata: id est; illis, qui horum aliquod admisisset, etiam in fine vitæ reconciliationem denegatam fuisse, *diffiteri, ut opinor*, ait Morinus, *nemo poterit, qui antiquorum testimonia de hac re tantisper animo versaverit.*

Cùm

Cum ergo mechiæ carnali olim in aliquibus Ecclesiis imposita legeretur hæc pœna; eamdem hic imponi non abs re censuit Synodus Sardicensis, uti notavit Christianus Lupus scribens: "Episcopi enim sine competenti causa translatio est *Spirituale adulterium*, nequaquam minus carnali, cui eamdem pœnam antiqua Ecclesiæ disciplina inflixit." In Scholiis ad *Dictatum Gregorii* VII. *Can.* 13.

Si ergo ex rigore & atrocitate pœnæ liceat arguere de enormitate delicti, expendant Episcopi, qui tam facilè paupere & humili Ecclesiâ desertâ ad ditiorem ac honorabiliorẽ transeunt, quanti peccati periculo se exponant.

XI. Canonis 1. fragmentum refertur in *Cap. 1.* ⁑ *De Clericis non residentibus.* Canon verò 2. relatus est in *Cap. 2.* ⁑ *De Elect.* Sed Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator reflectens ad pœnam hoc Canone indictam, scilicet, privationem communionis *Laicæ*, etiam in *fine vitæ*, eámq; disciplinæ sui temporis dissonam videns, addidit hanc parenthesim, *nisi de hoc pœnituerit*, non solum contra omnium Latinorum & Græcorum Codicum, atq; ipsius pristinæ Decretalium compilationis fidem, verùm etiam contra manifestum Canonis sensum. Ut vel hinc appareat, quàm necessarium sit ad ipsos fontes, è quibus sua desumpsit Raymundus, recurrere, ut genuinus Canonum sensus habeatur.

Innumeri sunt Ecclesiæ Canones, & Pontificum Decreta hanc Disciplinam stabilientes Canonesq; Nicænos & Sardicenses innovantes; quorum plures à Gratiano *causâ 7. q. 1.* referuntur.

XII. Et quidem adeo tenax hujus disciplinæ fuit Sedes Apostolica, ut primus de alia Ecclesia ad Romanam transmigrâsse dicatur Formosus circa finem sæculi 9. neque in omni illa horrenda barbarie quâ in adversus defunctum exercuit Stephanus VII. aliud ei improperasse legitur, nisi *cum Portuensis esses Episcopus, cur ambitioni spiritu Romanam universalem sedem usurpasti?*

XIII. Joannes IX. successor Stephani volens reparare quæ nimia atrocitate & odio in Formosum attentaverat Stephanus; & ne tamen factum Formosi ab aliis in perniciosum exemplum traheretur hunc in Concilio Romano anno 940. Canonem edidit: "Quia necessitatis causâ de Portuensi Ecclesia Formosus pro vitæ merito ad Apostolicam Sedem provectus est, statuimus & omninò decernimus, ut id in exemplum nullus assumat, præsertim cum Sacri Canones hoc interdicant, & præsumentes tanta feriant ultione, ut etiam *in fine Laicam eis prohibeant* communionem; quippe quòd necessitate aliquoties inductum est, necessitate cessante in auctoritatem sumi non est permissum."

XIV. Hic Canon dum ostendit, quantopere Sacri Canones transmigrationes Episcoporum, quarum avaritia vel ambitio causa est, aversentur, unà quoq; ostendit, translationem Episcopi, quam necessitas aut utilitas Ecclesiæ exigit, hac prohibitione non comprehendi. Tunc enim non tam dicuntur Episcopi suam Ecclesiam deserere, repudiare, aut ad aliam migrare, aut invadere; quam cogente necessitate aut utilitate Ecclesiæ ab Ecclesia avelli & ad aliam protrudi sive transferri.

Hanc distinctionem manifestè supponit antiquus Canon 14. Apostolorum: "Episcopo non liceat suâ relictâ Parochia ad aliam transire, etiamsi à pluribus cogatur, nisi sit aliqua causa rationi consentanea, quæ eum *cogat* hoc facere, utpote ad majus lucrum, cum possit ipse iis, qui illic habitant, pietatis verbo conferre, idq; non *ex se* sed ex *multorum Episcoporum judicio* & *maxima* exhortatione."

Et apud Gratianum legitur ex epistola Anteri Papæ: "Non enim transit de civitate ad civitatem, nec transfertur de minore ad majorem, qui hoc non ambitu nec propria voluntate facit, sed aut vi à propria sede pulsus aut necessitate coactus, aut utilitate loci, aut populi, non superbè, sed humiliter ab aliis translatus, & inthronizatus est." *7. q. 1. can. 34.*

Plura in hanc rem ibidem recitat Gratianus, atq; inter alia ex Synodo Carthaginensi IV. *Can. 27.* "Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem non transeat, nec quisquam inferioris Ordinis Clericus. Sanè, si *utilitas* Ecclesiæ fiendum poposcerit, *Decreto* pro eo *Clericorum* & laicorum *Episcopis porrecto*, in *præsentia Synodi* transferatur, nihilominus alio in locum ejus Episcopo surrogato."

Etiam antiquum in hanc rem Canonem; atq; plura antiquorum & Sanctorum Episcoporum exempla profert Socrates *lib. 7. hist. Eccles. c. 35.*

XV. Insuper ex citatis Canonibus & aliis innumeris veteris disciplinæ monumentis & historiis compertum est, ad Metropolitani & Episcoporum Comprovincialium cognitionem olim spectasse, an ex translatione hujusmodi emersura sit utilitas Ecclesiæ tanta; aut ea urgeat necessitas, ut omnibus expensis meritò Episcopus à vinculo quo Ecclesiæ suæ tenetur alligatus, absolvatur, & alteri alligetur.

Et Canon Antiochenus 16. apertè quoq; supponit Episcopum auctoritate Synodi Provincialis, quam *perfectam* Synodum vocat, de Ecclesia in Ecclesiam transferri posse; quam disciplinam usq; ad sæculum decimum inconcussam mansisse ostendit Thomasinus; atq; circa illa tempora paulatim ad Sedem Apostolicam devolvi cœpisse Episcoporum trãslationes; utpote quæ *majoribus causis*, quæ sub idem tempus Sedi Apostolicæ reservari cœperunt, tunc annumeratæ fuerunt. *De disc. Eccl. par. 3 lib. 2. c. 40.*

XVI. Hinc in epistolis illis, quas primis Romanis Pontificibus supposuit, nescio quis Pseudo-Isidorus circa sæculum nonum, integra adhuc circa translationes Episcoporum elucet Synodorum Provincialium auctoritas; "Nam (ait suppositititius sive fictus Anterus in citata epistola) sicut Episcopi habent potestatem ordinare regulariter Episcopos, & reliquos Sacerdotes, sic quoties utilitas, aut necessitas coëgerit, supradicto modo & *mutare*, & inthronizare potestatem habent."

Additur quidem apud Gratianum: *Non tamen sine Sacrosanctæ Romanæ Sedis auctoritate & licentia*; sed uti rectè notarunt Correctores Romani, hæc verba non leguntur in epistola Anteri, neq; in Panormia, neque apud Burchardum & Ivonem.

Non obscurum sanè argumentum, tempore Pseudo-Isidori, id est circa sæculum IX. adhuc constantem fuisse disciplinam, quæ Synodis Provincialibus translationes Episcoporum tribuit.

XVII. Sæculo verò XII. quò Gratianus Decretum suum compilavit, eas Sedi Apostolicæ fuisse delatas; ac propterea dictam clausulam epistolæ Anteri fuisse adjectam.

XVIII. Igitur cum magna moderatione intelligi oportet, quod scripsit Innocentius III. Decano & Capitulo Andegavensi, & refertur in *Cap. 2.* ⁑ *De translat. Episc.* Non enim humana, sed potius *divina potestate* conjugium spirituale dissolvitur, cùm per translationem, depositionem, aut cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse Vicarium Jesu Christi, Episcopus ab Ecclesia removetur: & ideo tria hæc, quæ præmisimus, non tam *constitutione Canonica*, quàm *institutione divina* soli sunt Romano Pontifici reservata."

Et rursus in *Cap. 3. eodem titulo* dicit: "Potestatem transferendi Pontifices, ita sibi retinuit Dominus & Magister, quod soli Beato Petro Vicario suo, & per ipsum Successoribus suis, speciali privilegio tribuit & concessit, sicut testatur antiquitas, cui Decreta Patrum sanxerunt exhibendam reverentiam. Et evidenter asserunt Sacrorum Canonum sanctiones. Non enim homo sed Deus separat, quos Romanus Pontifex [qui non puri hominis, sed veri Dei vicem gerit in terris] Ecclesiarum necessitate vel utilitate pensata, non humana, sed *divina* potiùs auctoritate dissolvit."

Hæc, inquam, non severè ad rigorem expressionis sunt

acci-

accipienda, sed benigna interpretatione mollienda. Neq; enim quidquam evidentius, quàm vinculum conjugii spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam sola auctoritate humana inductum, eâdem quoq; dissolvi; illudq; multis sæculis non solius Romani Pontificis, sed & Synodorum Provincialium auctoritate fuisse dissolutum; atq; cessiones ac translationes Episcoporum earum auctoritate fuisse factas.

XIX. Quid igitur voluit Pontifex, dum asserit, *non tam constitutione Canonicâ, quàm institutione Divina soli sunt Romano Pontifici reservata*; scilicet, Translatio, depositio & cessio Episcoporum: Ludovicus Thomasinus aliique nonnulli credunt, Pontificem voluisse, translationem, depositionem & cessionem Episcoporum *divina* dispositione reservatam, quatenus scilicet *Primatûs jure divino* à Christo collati Petro & eius Successoribus Romanis Pontificibus, appendix quædam est jus illud cognoscendi de *causis majoribus*; atq; Episcopos rationem habuisse hujus Primatus, cùm *causas majores*, inter quas est *translatio Episcoporum*, ad Sedem Apostolicam referendas sanxère. Ita Thomasinus *part.4. De discipl. Eccles. lib.2 c.56. n.7.*

Et quidem hanc suam fuisse mentem, insinuat *epist.16. lib.1.* ad Capitulum S. Anastasiæ scribens: "Ex illo singula-„ri *excellentiæ privilegio*, quòd *Unigenitus ille Filius Jesus* „*Christus* Apostolorum Principi *Petro* concessit, *Sancto-*„*rum Patrum postmodum instituta manârunt*, ut *majo-*„*res causæ* ad Sedem Apostolicam perferrentur." Idem innuit epistola 48. ad Patriarchã Antiochenum, cujus fragmentum proposito subserviens legitur in *Cap. 1.* ;; *De Translat. Episcopi.*

XX. Quidquid sit, illud certum est, juxta stabilitam jure Communi Decretalium, & hodie per totam Ecclesiam receptam disciplinam, translationes Episcoporum, uti & cessiones soli Romano Pontifici esse reservatas; nec posse sine ejus expressâ licentia Episcopum à vinculo quo suæ Ecclesiæ est alligatus, absolvi; ne quidem auctoritate *Legati à latere* sine speciali Sedis Apostolicæ indulto *Cap.3.* ;; *De Officio Legati.*

XXI. Ulteriùs cùm translatio fieri nequeat, nisi Ecclesia à qua fit translatio vacet, & alteri de novo provideatur, hinc usu notorio receptum est, quod ubi Reges ad Episcopatus jus nominandi habent, nequaquam sine consensu Regis translatio fieri possit.

"Necesse est (inquit Rebuffus in praxi titulo *de trans-*„*latione Episcopi*) Regem translationibus Episcoporum „consentire, cùm ejus intersit, tamquam Fundatoris; alio-„quin appellaretur ab abusu."

Imó nec solus Regis consensus seu approbatio sufficit, sed debet insuper in ipsa bulla provisionis fieri mentio nominationis Regiæ; quemadmodum solemni Arresto aliquandò decisum esse refert Joannes Tornet in sua collectione Arrestorum *lit. R. c.82.* Et ita passim videmus, etiam in Belgio, ad nominationem Regiam Episcopos transferri.

XXII. Porrò licèt mutata nonnihil sit disciplina quoad ipsam translationis formam, semper tamen mansit & manebit inconcussa Patrum Regula, quòd nonnisi necessitate aut utilitate cogente, translationes Episcoporum fieri possint; nec minùs hodie, quàm ætate SS. Patrum culpabiles sunt Episcopi, qui avaritiâ aut ambitione ducti, de unâ Ecclesia migrant ad aliam.

Unde in Dictatu vulgò Gregorio VII. adscripto Canone 13. dicitur: *Quòd Papæ liceat de Sede ad Sedem*, NECESSITATE COGENTE, *Episcopos transmutare.*

Et inter monita Cardinalis Bellarmini ad Clementem VIII. hoc unum erat: "Translatio Episcoporum secun-„dùm Canones & usum veteris Ecclesiæ, non debet fieri, „nisi ob *Ecclesiæ necessitatem*, vel *majorem utilitatem.* „Nec enim institutæ sunt Ecclesiæ propter Episcopos, sed „Episcopi propter Ecclesias. Nunc autem quotidie fieri „translationes videmus, ea solùm de causa, ut Episcopi „honore vel opibus augeantur."

De hac veritate non minùs persuasus ipse Pontifex, quàm ipse Bellarminus, respondit: *Nos cum difficultate transferimus, & non desinimus monere Principes per nos & per Nuntios nostros.*

TITULUS XVI.

De Cura Episcopali.

CAPUT I.

Quomodo Episcopi successerint in locum Apostolorum?

1. *Christus in opere sibi injuncto socios habere voluit.*
2. *Ad hoc elegit specialiter duodecim Apostolos.*
3. *Hos misit sicut ipse missus erat à Patre,*
4. *Dedit Apostolis etiam potestatem alios mittendi.*
5. *Apostoli in suos successores transmiserunt quæ pro regimine Ecclesiæ essent necessaria.*
6. *Probatur Episcopos esse Apostolorum successores.*
7. *Quæ Apostolis ut* Episcopis *commissa fuerunt, in Episcopos transmissa sunt.*
8. *Nequaquam quæ Apostolis ut* Apostolis *erant propria; & quæ illa sint?*
9. *Episcopatus plenitudinem Sacerdotii continet; & in quo hæc plenitudo consistat?*

I. REdemptor humani generis Christus Homo Deus, missus à Patre ut perficeret opus ejus; nimirum conversionem hominum ad fidem per prædicationem Evangelii socios habere voluit & ministros; quorum operâ ad ejusdem Evangelii prædicationem uteretur; & quibus idem opus committeret.

II. Ad hoc igitur ex numerosâ Discipulorum turba duodecim elegit *quos & Apostolos nominavit*; quos familiaritate continua, verbis & factis optimè instructos, deinde ad prædicationem Evangelii mitteret, tamquam testes oculatos vitæ, doctrinæ, & resurrectionis suæ: *Et vos*, ait illis, *testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis.*

III. Hos igitur misit prædicare, & Evangelizare; atque post resurrectionem totum illud officium, quod ipse acceperat à Patre, perficiendum generali mandato commisit dicens: *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos.* Joan. 20. Ad idem nimirum opus perficiendum: quod quidem ipse Christus à Patre missus, tamquam præcipuus, propria auctoritate, propriaque doctrina hic existens in terris visibiliter exercuit, *circumeundo civitates & castella*; ipsi verò tamquam ejus ministri, auctoritate *delegata* & doctrinâ eis tradita ac infusa & experimentali continuarent; & quod ipse cœperat, ipsi prosequerentur.

IV. Verùm Christus, qui est ipsamet increata Sapientia, Ecclesiæ suæ, quam tamquam aciem castrorum ordinatam, Ducibus, Tribunis & Centurionibus bene instructam esse voluit, haud sat prospexisset, si solis eam Apostolis ita commendasset, ut illis extinctis, utpote mortalibus, nulli alii succederent in eodem gubernandi munere.

Verùm

by Google

Verum quidem est, quod Christus tametsi non amplius visibiliter cum hominibus conversetur, tamen Ecclesiam sponsam suam non omnino deserat, sed Spiritu suo perpetuò præsens, eam ipsemet regat adhuc & gubernet, tanquam Caput & Dominus; cui promisit se ad futurum usq; ad consummationem sæculi; nihilominus uti voluit ministris & operariis, qui ipsius nomine ea exhibeant ministeria, quæ opere peraguntur corporali, & visibili.

Hi primi fuère Apostoli ab ipsomet Christo, ut dixi, electi, & ad hoc munus assumpti; qui tamen, ut ipsi etiam possent aliquo modo esse perpetuî in Ecclesia, dedit, & eis potestatem, alios eligendi & assumendi ad idem opus, sicut ipse eos elegerat, & assumpserat. Dixit igitur illis: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos*; cum commissione & mandato generali; ut sicut ipse habuit à Patre mandatum generale docendi, instruendi & convertendi mundum ad cognitionem veri Dei, & Ministros ad hoc necessarios, necessariâ auctoritate instructos deputandi; ita & ipsi haberent idem officium & mandatum, cum eadem potestate Ministros eligendi simili auctoritate instructos; idq; continuatâ successione usque ad consummationem sæculi.

V. Apostoli ergo auctoritate à Christo sibi delegatâ, quidquid pro Ecclesiæ debitâ administratione necessarium erat, in Episcopos tamquam legitimos Successores transfuderunt.

VI. Hinc illud Psalmistæ, *Pro Patribus nati sunt tibi filii* sic exponit Augustinus: "Patres missi sunt Apostoli, pro „*Apostolis* filii nati sunt tibi, *constituti sunt Episcopi*. Ho„die enim *Episcopi*, qui sunt per totum mundum, unde „nati sunt? Ipsa Ecclesia Patres illos appellat, ipsa illos ge„nuit, ipsa illos constituit in *Sedibus Patrum*. Non ergo „te putes desertam, quia non vides Petrum, quia non vi„des Paulum, quia non vides illos per quos nata es, de „prole tuâ tibi crevit paternitas, *pro Patribus tuis nati* „*sunt tibi filii*." In Psalm. 44.

Sanctus Cyprianus ad Cornelium Papam scribit: "Hoc „vel maximè, Frater, laboramus, & laborare debemus, ut „unitatem à Domino, & per Apostolos nobis *Successori*„*bus* traditam, quantum possumus, obtinere curemus. Epist. 42. Item "Christus dicit ad Apostolos, ac per hos ad „omnes Præpositos qui *Apostolis vicariâ ordinatione* „*succedunt*: *Qui vos audit, me audit*." Epist. 69.

Apud nos Apostolorum locum, ait Hieronymus, *Episcopi tenent*.

Et S. Gregorius: "*Horum* profectò (Apostolorum) nunc „in Ecclesia *Episcopi* locum tenent, ligandi atq; solvendi „authoritatem suscipiunt, qui *gradum regiminis* sorti„untur." *Homil. 26. in Evang.*

His aliisq; Patribus inhærens Synodus Tridentina declarat, *Episcopos*, qui in *Apostolorum locum successerunt*, ad Ordinem Hierarchicum præcipuè pertinere. *Sess. 23. De Ordine c. 4.*

VII. In ipsam ergo Apostolicam auctoritatem succedunt Episcopi, ita nimirum, ut quidquid potestatis Episcopalis, id est, ad regimen Ecclesiæ spectantis Apostoli habuerant, id ab ipsis in Episcopos, tamquam eorum in Ecclesiæ administratione & regimine Successores transfusum sit.

VIII. Ea verò, quæ Apostolis non ut Episcopis, sed ut Apostolis sunt propria; neq; debito Ecclesiæ regimini & administrationi sunt necessaria, nî fortè ad tempus, in Episcopos non transierunt; neq; in his Apostolis successerunt: ut propterea, non *Apostoli*, sed simpliciter *Episcopi* dicantur.

Verbo, succedunt Apostolis in *regiminis* Ecclesiastici *ministeriali* potestate, nequaquam verò in hoc, ut sint testes vitæ, doctrinæ, & Resurrectionis JESU CHRISTI Domini nostri, & sanè testes *oculati*; neque in eo, quòd à Christo *immediatè* eligantur, & ad evangelizandum mittantur: neq; in multis gratiis & prærogativis; ut in *copia* Spiritus Sancti, in *doctrina infallibilitate* in *plenitudine scientia*, in *dono linguarum* & *miraculorum* &c. In his enim Apostolorum proprietatibus nulla datur successio *ordinaria* in Ecclesia: fuerunt enim dona & privilegia *Apostolatus propriè dicti*, in quem Episcopi non successerunt: Quidquid verò reliquæ potestatis ac officii habuère Apostoli, id totum fuit Episcopale; & in Episcopos tamquam eorum Successores pro regimine suarum Diœcesium *plenariè* transfusum est.

IX. Episcopatus ergo *per se* plenam regiminis Ecclesiastici potestatem, & ipsius Sacerdotii plenitudinem continet: adeò ut Episcopi, præveniendo omnem Ecclesiæ restrictionem seu limitationem, eandem in regimine Ecclesiastico illimitatam, quam Apostoli habuère, auctoritatem *vi sua* Ordinationis accipiant.

Hinc illud Clari à Mascula apud Augustinum *Lib. 7. de Bapt. contra Donatist. c. 43.* "Manifesta est sententia Do„mini nostri Jesu Christi Apostolos mittentis, & ipsis so„lis potestatem sibi à Patre datam permittentis, quibus „nos successimus, *eadem potestate* Ecclesiam Domini *gu*„*bernantes*."

CAPUT II.

Episcopi vocantur ad nudum Ecclesiæ ministerium & servitutem.

1 *Ostenditur Apostolos ad laborandum vocatos fuisse.*
2 *Munus Apostolorum non nisi laboriosum fuisse.*
3 *Episcopi tamquam Apostolorum successores non nisi ad laborem vocantur.*
4 *Nomen ipsum Episcopi significat eos ad solicitudinem & laborem esse vocatos.*
5 *Monitum Synodi Tridentinæ ad Episcopos.*
6 *Dictum Doctoris Clictovei contra illos qui onus Episcopale in Vicarios conjiciunt.*

I. SI eas Apostolorum prærogativas, quæ dona fuère temporis, potiùs quàm personarum, ut loquitur Augustinus, exceperis, unicè ad Ecclesiæ ministerium ac populi instructionem, & ipsius Ecclesiæ spiritualem ædificationem ministerialem vocati fuère, ut propterea Apostoli, seipsos tamquam simplices Ministros & Operarios ad laborandum in vinea Domini, eamq; excolendam reputaverint; atq; eumdem in finem ad idem ministerium sibi Successores ordinaverint.

Ita Paulus vocat se *Ministrum Evangelii* & Ecclesiæ: *Cujus ego* Ecclesiæ, inquit *factus sum Minister secundùm dispensationem Dei quæ data est mihi in vos, ut impleam verbum Dei*. Ad Colos. 1. Et alibi plantandi & rigandi officium sibi applicat; quod est, esse merè operarios in Vinea Domini: *Dei enim adjutores*, inquit, *sumus*, *Dei Agricultura estis*; *omnia enim vestra sunt*, id est, in vestri gratiam; quasi diceret, omnia quæ agimus tamquam Dei Adjutores & Operarii in vestri gratiam & profectum spiritualem facimus.

Unde & ipse Christus *dedit quosdam quidem Apostolos quosdam autem Prophetas alios autem Evangelistas alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem Sanctorum* IN OPUS MINISTERII, IN ÆDIFICATIONEM *Corporis Christi*. En opus Ministerii ad quod Apostoli & Pastores vocantur; nimirum ad ædificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia.

II. Rectè ergo Os verè aureum Sanctus Chrysostomus recensens munera Apostolorum, non nisi laboriosa, obsequiosa, ministerialia protulit: "*Columnæ* quidem, quoni„am virtute sua Ecclesiæ robur sunt..... *Gubernatores*, „quoniam orbem terrarum viam rectam docuerunt; „*Pastores*, quoniam lupos abegerunt, & Oves conserva„verunt; *Aratores*, quoniam spinas eradicaverunt; *Vinitores*

„ *tores*, quoniam labruscas eradicaverunt, & semina pietatis plantaverunt." *Serm. De Pentecoste.*

Vocati ergo fuêre Apostoli eorumq; Successores ad ministerium; id est, ut Vineam Domini excolant; ejus Gregem custodiant & pascant, atq; ad æternæ vitæ pascua perducant.

III. Hæc expendens S. Gregorius, in persona Joannis Episcopi primæ Justinianæ omnibus Episcopis scribit: "Estote in *custodia* commissi gregis *vigilantes solicitis*, & disciplinæ zelo districti, ne Lupus insidians, nec ovile turbare Dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Animarum lucrum tota mentis intentione *ferre* festinate; nomen nos *Pastoris*, *non ad quietem*, sed *ad laborem* suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere, quod signamur in *nomine*. Sacerdotii prærogativam si recta consideratione pensemus, *solicitis* & *bene gerentibus* in honore, *negligentibus* autem profectò erit in onere. Sicut igitur *laborantes*, & circa animarum salutem *solicitos* hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam; ita *desides* ac *torpentes urget ad pœnam*." Lib. 4. Epist. 8.

IV. Et S. Augustinus *lib.* 19. *De civit. Dei c.* 19. apud Gratianum 8. *q.* 1. *Can.* 11 ex ipso nomine *Episcopi* ostendit, Episcopum ad curam & laborem vocari; onusq; Episcopale, non nisi cogente charitate esse suscipiendum. Verba ejus sunt: "*Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat.* Exponere voluit, quid sit Episcopatus; quia nomen est *operis*, non honoris. Græcum est enim, atq; inde ductum vocabulum, quòd ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens: ἐπὶ quippe, super; σκοπὸς verò intentio est. Ergo Episcopos, si velimus, Latinè superintendentes possumus dicere: ut intelligat non se esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaq; à studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quòd ad laudabile pertinet otium. Locus verò superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur, atq; administretur, ut decet, tamen non decenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis: negotium justum suscipit *necessitas charitatis*: quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atq; intuendæ vacandum est veritati: si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem: sed nec sic omnimodò veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, & opprimat ista necessitas."

V. Itaq; optandum esset, (verbis loquor Synodi Tridentinæ *Sess.* 25. *c.* 1. *De Reform.*) "ut ii qui Episcopale Ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant! ac se non ad propria commoda, non ad divitias aut luxum, sed ad *labores* & *solicitudinem* pro Dei gloria vocatos esse intelligant."

VI. Videant ergo hi qui se Apostolorum Successores esse gloriantur, ne dum rejecto in alios pondere diei & æstus, reservatis sibi honoribus & divitiis, in ipsis verificetur quod dictum refertur de similibus à Judoco Clictovio Doctore Sorbonico: *Adibunt hujusmodi per* VICARIOS *paradisum*, IN PERSONA *inferos*. Apud Espencæum *lib.* 3 *digress. c.* 2.

CAPUT III.

Quisque Episcopus hodie habet distinctam Diœcesim, extra quam jurisdictionem aut Pontificalia exercere nequit

1 *Christus Apostolos non misit ad certam Ecclesiam, sed in universum mundum.*
2 *Ipsi certas orbis partes singuli delegerunt.*
3 *Apostoli certas Ecclesias fundabant, & his proprios Episcopos assignabant; idq; cum potestate rursus alios ordinandi.*
4 *Tempore Apostolorum erant Episcopi quidam certæ Ecclesiæ alligati, quidam nulli, inter quos tamen nullum erat essentiale discrimen.*
5 *Post tempora Apostolorum singulis Episcopis sua fuit assignata Ecclesia.*
6 *Episcopis interdictum fuit quidquam in aliena Diœcesi ordinare aut agere sine licentia Ordinarii.*
7 *Synodus Tridentina interdixit Episcopis exercere* Pontificalia *in alterius Diœcesi sine licentia Ordinarii.*
8 *Quis ad mentem Concilii Tridentini dicatur Ordinarius.*
9 *Episcopus in loco* simpliciter exempto *suæ Diœcesis potest* Pontificalia *exercere.*
10 *Archiepiscopus in Diœcesi sui Suffraganei* Pontificalia *ordinariè exercere non potest.*
11 *Quid sub nomine* Pontificalium *contineatur?*
12 *Non potest Episcopus in aliena Diœcesi Missam in* Pontificalibus *celebrare; nec solemnem benedictionem impertiri sine licentia Ordinarii.*
13 *Archiepiscopi vel Primates non possunt extra suam Diœcesim incedere* cruce elevata.
14 *Actus* voluntariæ *jurisdictionis usum* Pontificalium *non exigentes in aliena Diœcesi expediri possunt.*

I. CHristus Dominus ascensurus ad Patrem, & Ecclesiam suam visibiliter derelicturus dixit Apostolis: *Euntes in mundum* UNIVERSUM *prædicate Evangelium* OMNI *Creaturæ*. Deinde subdit Sacer Textus: *Illi autem profecti, prædicaverunt* UBIQ; *Domino cooperante & sermonē confirmāte sequentibus signis.* Marci 16.

II. Nequaquam ergo Christus Apostolos suos ad *certam* ac limitatam orbis *partem* misit; sed in mundum *universum*, ut docerent *omnes* gentes; & prædicarent *ubiq;*

Verùm cùm singuli non possent *ubiq;* prædicare Evangelium, & actualiter operi Apostolico incumbere, sed tantùm in ea orbis parte, in qua præsentes erant, initio quidem, ex communi mutuoq; consensu, non tamen sine interna Spiritus Sancti inspiratione, quia pauci erant, ut tamquam *testes oculati vitæ* & doctrinæ Christi ejusque Resurrectionis, Evangelium per *universum* mundum disseminarent, admodum latas & diffusas orbis partes, seu ut hodie loquimur, Diœceses singuli sortiti sunt: adeò ut etiam integra ac latissima Regna pro sua quisque Diœcesi haberet; in qua *actu* quisque operaretur.

III. Adhæc quocumq; Apostoli perveniebant, non solùm Evangelizabant atq; populos docebant, & Ecclesias fundabant, sed etiam proprios Episcopos creabant, quibus Ecclesias noviter fundatas commendabant; ac insuper quo ipsi pertingere non poterant, Discipulos in doctrina Christi ritè instructos & ordinatos ablegabant; idq; rursus ad amplas Diœceses; & cum potestate alios constituendi & ordinandi.

Exemplum habemus in Apostolo Paulo, qui Titum reliquit Cretæ, *ut ea*, ait, *quæ desunt corrigas, &* CONSTITUAS *per civitates* PRESBYTEROS, *sicut & ego disposui tibi.* Ad *Titum* 1. cujus priùs operâ confirmaverat alias quoq; Ecclesias, Dalmaticam & Corinthiacam.

IV. Ut proinde dubitari nequeat, tempore quoq; Apostolorum fuisse Episcopos, qui non secus quam Apostoli, indiscriminatim per Orbem & varias Regiones discurrentes, semina Evangelii mitterent; alios verò particularibus partibus orbis seu Ecclesiis adstrictos & destinatos quod tamen nullum inter illos essentiale discrimen constituebat,

V. Post mortem verò Apostolorum, cernens Ecclesia ex indivisa illo regimine non rarò oriri confusionem & perturbationem in Ecclesiæ regimine, *singulis Pastoribus* (uti loquitur S. Cyprianus) *portio gregis fuit adscripta, quam regat unusquisque & gubernet.*

VI. Hæcque disciplina confusioni tollendæ adeò necessaria visa fuit, ut eam Ecclesia in hodiernam usque diem conservaverit, variisque Canonibus frequenter stabilie-

Digitized by Google

bilierit; interdixeritque severè Episcopis, in aliena Diœcesi quidquam ordinare aut agere sine licentia Episcopi Diœcesis illius.

"Episcopus (inquit Synodus Antiochena anno 341. *Can.* „ 22.) in aliam civitatem, quæ ei subjecta non est, non ascen- „ dat, nec in Regionem, quæ ad eum non pertinet, ad ali- „ cujus ordinationem nec Presbyterum nec Diaconum con- „ stituat in locis alii Episcopo subjectis, nisi cum voluntate „ proprii illius Regionis Episcopi; si quis autem tale quid „ ausus fuerit, infirma sit ordinatio, & ipse à Synodo punia- „ tur."

Apud Gratianum 9. *q.* 1. *can.* 7. ubi plures antiquos Canones in eandem rem profert.

VII. His insistens novissimè Synodus Tridentina *Sess.* 6. *cap.* 5. *De reformat.* ait: "Nulli Episcopo liceat cujusvis „ privilegii prætextu Pontificalia in alterius Diœcesi exerce- „ re, nisi de Ordinarii loci expressâ licentia, & in personas „ eidem Ordinario subjectas tantùm; si secùs factum fuerit, „ Episcopus ab exercitio Pontificalium, & sic Ordinati ab „ executione Ordinum sint ipso jure suspensi."

VIII. Ordinarius cujus Licentia hîc desideratur dicitur, qui jurisdictionem & auctoritatem Episcopalem in loco obtinet, sive sit Episcopus, sive alius Prælatus non Episcopus; Episcopalem tamen jurisdictionem vel ex privilegio, aut Jure communi obtinens.

Unde Capitulum Sede vacante, aut ejus Vicarius exercitium Pontificalium Episcopo extraneo concedere potest.

Eodem ex capite eandem Licentiam impartiuntur Abbates aliique Prælati non *simpliciter* exempti; sed *nullius* Diœcesis; qui Episcopalem jurisdictionem ex privilegio, aut inveteratâ consuetudine exercent. Adeo quidem, ut nec vicinior Episcopus, aut is qui ad visitanda similia loca in Concilio Provinciali, juxta Decretum Concilii Trident. *Sess.* 24. *cap.* 9. *De Reformat.* electus est, Pontificalia sine hujusmodi Abbatis, aut Prælati Licentia exercere queat; uti notat Zypæus *Resp.* 1. *De Excess. Prælat.*

IX. In loco autem *simpliciter exempto*, quique manet illius Diœcesis, intra cujus fines situs est; nullus Episcopus sine Licentia Ordinarii istius Diœcesis Pontificalia exercere potest: ipse verò Episcopus Diœcesanus in simili loco exempto, absque consensu Superioris illius loci, *Pontificalia* agere potest: idque ob reliquias jurisdictionis, quas Episcopus in loca quantumvis exempta suæ Diœcesis retinet. Quare dici non potest, hoc casu, Episcopum in aliena Diœcesi Pontificalia exercere. Et ita judicatum fuit à Concilio Privato Regio pro Episcopo Audomarensi contra Abbatem & Conventum S. Bertini in civitate Audomarensi 21. Augusti 1591. & rursus 25. Septembris ejusdē anni; uti refertur in Registro MS. Archi-Episcopatûs Mechliniensis Cent. 2. *n.* 88.

X. Aliud est de Archiepiscopo quoad Diœceses suorum Suffraganeorum. Cum enim in his jurisdictionem ordinariam non obtineat, citra consensum Ordinarii in his exercere Pontificalia nequit, si casum visitationis excipias. Vide Zerolam in praxi V. *Archiepiscopus*: & Zypæum in jure novo *tit. De excess. Prælat. Num.* 1. item Cardinalem De Luca *Ad Concil. Trid. Disc.* 6.

XI. Sub exercitio Pontificalium à Synodo Tridentina comprehenditur, non tantum Ordinum collatio, quamvis præcipuè ad eam respiciant verba Decreti, sed & alia, quæ aliquam jurisdictionem aut Episcopalem sive Pontificalem auctoritatem requirunt, & præ se ferunt.

XII. Unde nec missam quidem in Pontificalibus citra licentiam Ordinarii celebrare posse plures docent; atque novissimè Cardinalis De Luca in annotationibus ad Concilium Tridentinum *disc.* 6. qui addit, nec Mozzettam deferre, nec benedictionem impertiri posse; quod ille Pontificalium ornamentorum publicus & solemnis usus aliquam jurisdictionis speciem referat in utente. Et quidem dum Baculus Pastoralis Episcopo in ordinatione traditur, ex præscripto Pontificalis dicitur: *Accipe Baculum* PASTORALIS OFFICII, *ut sis in corrigendis vitiis piè saviens &c.*

Hinc evidens est, Baculum Pastoralem, jurisdictionis, & superioritatis cujusdam esse signum; quod & de reliquis ornamentis Pontificalibus facilè esset ostendere. Et hæc Doctorum opinio conformis est modernis Belgii moribus qui nullum extraneum sine consensu Ordinarii in Diœcesi in Pontificalibus celebrare permittunt: quamvis credat Zypæus in citato responso, non videri tamen ubique quoad pœnam suspensionis ex sola celebratione esse certo usu receptum.

XIII. Eodem ex capite, judicatum legitur, nec Archiepiscopum, nec Primatem posse extra suæ jurisdictionis terminos, *cruce elevata* procedere: eò quod *crucis* illa solemnis delatio indicium jurisdictionis præferat: de quo consule Carolum Fevret, & ab eo citatos *tract. De abusu S.* 3. *cap.* 2. §. 12. & sequentibus.

XIV. Si autem agatur de actibus *voluntariæ* jurisdictionis qui non exigunt usum Pontificalium; ut sunt provisiones beneficiorum, ac deputationes Officialium, vel delegationes causarum cum similibus, hæc in aliena Diœcesi expediri possunt; uti notat De Luca loco citato: qui addit, quod propterea prima Tonsura ab Episcopo proprio subdito in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii conferri possit: quia etiam in camera sine Pontificalibus dari potest; & quia propriè Ordo non est, sed introductio ad Ordines.

CAPUT IV.

Cura & regimen totius Diœcesis primariò & principaliter incumbit ipsi Episcopo.

1 *Episcopus est primarius Pastor totius Diœcesis, eique cura omnis populi incumbit.*
2 *Ob hanc curam Episcopatus habitus semper fuit pro formidabili onere.*
3 *Ministri inferiores à cura sua Diœcesis eum non eximunt.*
4 *Presbyteri omnes sunt in adjutorium Episcoporum.*
5 *Nec Presbyteri, nec quicumque Beneficiati quidquam agere possunt in Cura animarum nisi cum subjectione ad Episcopum.*
6 *Nulla exemptio quantumvis generalis eximere potest ab obedientia Episcopi in his quæ concernunt curam animarum.*
7 *Quia Episcopo incumbit cura totius Diœcesis, ideo ad eum de jure communi spectat collatio omnium Beneficiorum in sua Diœcesi.*
8 *Nullus potest dare curam animarum, nisi Episcopus.*
9 *Illud etiam conforme est moribus Belgii*

I. SPectatâ disciplinâ Ecclesiæ à primis sæculis acceptâ, & hactenus conservatâ, Episcopi in ipsa Ordinatione deputantur singuli ad suam respectivè singularem Ecclesiam sive Diœcesim, in qua actu quisque laboret, & ministerium suum impleat, juxta illud vulgare Sancti Cypriani: "Singu- „ lis Pastoribus portio gregis est adscripta, quam regat unus- „ quisque, & gubernet."

Hujus igitur gregis cura Episcopo tamquam primario & principali Pastori incumbit; propterea Episcopos* verbis Apostoli monendos duxit Synodus Tridentina *Sess.* 6. *c.* 1. *De reform.* "Ut attendentes sibi & *universo gregi*, in quo „ Spiritus Sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam „ acquisivit Sanguine suo, vigilent, in omnibus laborent, & „ ministerium suum impleant."

Hinc Episcopum, illum esse dicit Canon 38. Apostolorum, "Cujus fidei *populus est creditus*, & à quo pro animabus „ ratio exigetur."

Et Canon 24. Antiochenus vult res Ecclesiæ esse in

in potestate Episcopi; "Cui, ait, est *omnis* populus creditus, & *eorum animæ*, quæ in Ecclesiam conveniunt."

II. Hanc totius populi curam Episcopis incumbentem expendentes SS. Patres Episcopatum esse onus humeris Angelicis formidandum dicere haud dubitârunt; eosque ad indefessam ac vigilem gregis custodiam hortati fuêre. "Estote „(ait S. Gregorius in persona Joannis Episcopi primæ Justinianæ ad omnes Episcopos) in custodia commissi gregis „vigilantes atque solliciti, & disciplinæ zelo districti; ne lupus insidians nec Ovile Dominicum turbare, nec nocere „ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Animarum lucrum Deo nostro tota mentis intentione facere festinate: „nomen vos Pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite." *lib. 4. epist. 8.*

III. Verum quidem est, spectata Diœcesium latitudine & extensione, quæ sæpe etiam centena hominum millia complectitur, solum Episcopum haud posse omnem totius Diœcesis populum actu & continuatè pascere ac dirigere; eaque omnia facere, quæ ad spiritualē totius populi curā & Diœcesis regimen requiruntur: ideoq; necessarium fuisse, ut & plures sint inferiores Sacerdotes & ministri, qui unà cum Episcopo populi curam atque Ecclesiæ regimen suscipiant. At hæc inferiorum ministrorum cura ac sollicitudo nequaquam Episcopum à totius Diœcesis cura eximit. Ipse namque est & manet totius Diœcesis Caput & principalis minister, cui omnes inferiores adjutores & administri accedunt, cum quadam ad ipsum Episcopum, in his quæ Ecclesiæ regimen, & functiones hierarchicas spectant, dependentia & subjectione.

IV. Unde Ordinandos Presbyteros, ex præscripto Pontificalis Romani ita alloquitur Episcopus ordinans: "Tales esse studeatis, ut in *adjutorium* Moysi & duodecim Apostolorum, *Episcoporum* videlicet *Catholicorum*, qui per „Moysen & Apostolos figurantur, dignè per gratiam Dei, „eligi valeatis.... Itaque Filii dilectissimi, quos ad nostrum „*adjutorium* Fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, servate in moribus vestris castæ & sanctæ vitæ „integritatem."

Post hæc orat Deum his verbis: "Quapropter *infirmitati* quoque nostræ quæsumus, hæc *adjumenta* largire; qui quantò fragiliores sumus, tantò his pluribus indigemus."

Itaque constat, Sacerdotes in solum *adjutorium* Episcoporum ordinari; non quò Episcopi à cura eximantur, sed in cura sustinenda adjuventur.

V. Quin & omnia Ecclesiæ ministeria, & Ecclesiastica Officia, sive dignitates, sive Beneficia, juxta modernum loquendi usum, & Ecclesiæ disciplinam dixeris, in adjutorium Episcoporum instituta sunt, atque ipsum Episcopum, in iis quæ regimen Ecclesiæ, & curam populi concernunt, tamquam superiorem; & cui primariò cura incumbat; & à quo tamquam è fonte omnis Ecclesiastica potestas in inferiores Ministros dirivatur, suspicere tenentur.

Hinc illud viri Apostolici S. Ignatii Martyris: "*Sine „Episcopo* nemo *quidquam* faciat eorum, quæ *ad Ecclesiam* spectant; & honora Deum, ut omnium auctorem & „Dominum; Episcopum verò, ut *Principem Sacerdotum*; „imaginem Dei referentem: Dei, inquam, propter *Principatum*, Christi verò propter *Sacerdotium*." *Epist. ad Trallef.*

Item illud Canonis 38. Apostolici: "Presbyteri & Diaconi sine *licentia Episcopi nihil* perficiant: ipse enim est, ait, „cujus fidei populus est creditus, & à quo pro animabus ratio exigetur.

VI. Quapropter nulla, quantumvis generalis ab Episcopi jurisdictione, cuicumq; seu personæ seu corpori aut congregationi indulta exemptio, eximit à dependentia & subjectione Episcopali *in his* quæ *curam* populi & *regimen* Ecclesiæ concernunt; uti infra ubi de exemptione Regularium, & ea occasione etiam Canonicorum agendū erit, ostendetur.

VII. Ulteriùs eodem ex principio profluit, vulgatissimum illud ac fundatissimum Canonistarum principium, nimirum, Episcopum esse de jure communi collatorem Beneficiorum in sua Diœcesi; ideoque qui alicujus Beneficii collationem ad exclusionem Episcopi sibi competere asserit, debere probare titulum, vi cujus contra jus commune collatio ipsi, excluso Episcopo competat. Cùm enim totius Diœcesis regimen illi incumbat, merito etiam electio Ministrorum, quales sunt omnes Beneficiati, ei concredita censetur; sed de hoc latiùs in secunda parte hujus operis, ubi de Collatione Beneficiorum agetur.

VIII. Similiter, quia Episcopatus *plenitudinem* Sacerdotii habet; atque ex ejus plenitudine in inferiores ministros defluit, nemo ea quæ *Curam animarum* respiciunt in ejus Diœcesi exercere potest, nisi auctoritate & facultate ab Episcopo accepta.

Quare Archidiaconum Eliensem reprehendit Alexander III. in *Cap. 4. X. De offic. Archidiac.* quod obtentu *consuetudinis* sine licentia & mandato Episcopi *Curam animarum* committere præsumat: "Cùm satis sit absurdum, ait, & à „*Sanctorum Patrum* institutionibus alienum, ut Archidiaconus auctoritate *propria* debeat cuilibet *Ecclesiarum „Curam* committere."

IX. Quod & moribus Belgii consonum est. Licèt enim Archidiaconi quidam, aliique nonnulli ex privilegio vel antiqua consuetudine prætendant non tantùm quorumdam Beneficiorum collationem, sed etiam eorum institutionem *auctorizabilem*, sive *tituli collativam Curam* tamen *animarum* ab Episcopo habendam esse concedunt; & licèt vi collationis aut institutionis acceptæ possessionem corporalē ipsius Beneficii accipere possit Beneficiatus, nequaquam tamen his, quæ *animarum Curam* spectant, se posse sine licentia Episcopi immiscere concedunt; & usu notorio comprobatur.

CAPUT II.

Episcopi jure Divino tenentur ad residentiam; & qualis debeat esse illa residentia?

1 *Ex Cura Pastorali sequitur obligatio residendi.*
2 *Consequentiam hanc probat Synodus Tridentina.*
3 *Eodem jure quo Episcopo incumbit Cura animarum, etiam incumbit necessitas residendi.*
4 *Nullus Antiquorum negavit Episcopos jure Divino ad residentiam teneri, idque Synodus Tridentina sat patenter declaravit.*
5 *Sancti Patres non ex positivis Decretis, sed ex Sacris Litteris necessitatem residendi adstruxerunt.*
6 *Episcopi non eximuntur a residentia substituendo Vicarios.*
7 *Nulla inveterata consuetudo Episcopos à residentia excusare potest.*
8 *Synodus Tridentina veteres Canones circa residentiam tamquam numquam abrogatos innovat.*
9 *Nulla eminentia personæ Episcopum a residentia eximit.*
10 *Residentia merè corporalis non sufficit, sed debet esse laboriosa.*
11 *Ipsum verbum* RESIDERE *id etiam importat.*
12 *Canones loquuntur non de residentia otiosa, sed laboriosa.*
13 *Etiam Pastores* mercenarii *corporaliter resident, & de hac re discursus Bartholomæi De Martyribus.*
14 *Decretum Synodi Aquileiensis contra otiosam residentiam Episcoporum.*

I. Juxta inveteratam & hactenus conservatam Ecclesiæ disciplinam, Episcopi singuli in sua Ordinatione certæ Ecclesiæ deputantur, in qua actualiter officium Episco-

Episcopale obeant; è qua particulari deputatione & applicatione satis patenter oritur ipsa Episcoporum in sua Ecclesia residendi necessitas.

Cùm enim quis ad Episcopatum promovetur, unà fit Pastor & minister; Christique locum in Ecclesia accipit in ea parte, in qua legitimè fuerit per Ecclesiam constitutus; quæ omnia cùm sint *personalia* ipsis personis alligata, residentiæ personalis obligationem secum trahunt.

II. Quapropter Synodus Tridentina residendi necessitatem Episcopis aliisque Ecclesiarum Rectoribus persuadere & inculcare volens, munia illa personalia Episcopis aliisque Ecclesiarum Rectoribus incumbentia proponit; atque ex illis obligationem residentiæ sua sponte profluentem educit. "Cùm *præcepto Divino* mandatum sit omnibus, ait, quibus animarum cura commissa est; oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere, & in cætera munia Pastoralia incumbere; quæ omnia nequaquam ab iis præstari & impleri possunt, qui gregi suo *non invigilant nec assistunt*, sed mercenariorum more deserunt: Sacrosancta Synodus eos admonet & adhortatur, ut Divinorum Præceptorum memores, factique forma gregis, in judicio & veritate pascant & regant." *Sess. 23. cap.* 1.

III. Itaque eodem titulo, eodemque jure obligari Episcopos ad residendum credit Synodus, quo eis injunctum est, iis incumbere, quibus sine personali apud gregem residentia satisfacere nequeunt.

IV. Nemo proinde miretur, uti ex Cajetano refert Fagnanus ad *Cap.* EX PARTE *De Cleric. non resid. num.* 21. quod "nullus Antiquorum contradicebat, quin Pastores animarum tenerentur *præcepto Divino* ad personaliter residendum." Quam veterum sententiam contra quosdam Neotericos solidissimis ac convincentibus rationibus astruit ibidem Fagnanus: unà advertens & ostendens, quod licèt Synodus Tridentina eam sententiam verbis formalibus & in terminis expressis, ut ajunt, non definiverit, nihilominus sufficienter eam in allegatis verbis insinuaverit, & virtualiter declaraverit: declarando nimirum, quod illa omnia, quæ *præcepto Divino* Episcopis aliisque Curam animarum habentibus incumbunt, nequaquam ab iis præstari & impleri possint qui gregi suo non invigilant neque assistunt; sed mercenariorum more deserunt.

V. Et sanè residendi necessitatem non ex Ecclesiæ positivis Decretis, sed ipsis Sacris Litteris, & ipso Pastorali officio Patres astruxerunt.

"Nolli (inquiebat S. Athanasius ad Constantium Imperatorem) ex *lectione Scripturarum*, quanti sceleris sit, Episcopum Ecclesiam suam deserere, & negligere gregem Dei. Pastorum enim absentia lupis invadendi gregis occasionem præstat. Si fugissem, quam excusationem apud veros Episcopos, vel potiùs apud eum, qui mihi hunc gregem credidit, habuissem." *Apol. ad Constantium.*

VI. Nec obstat si dicatur, Episcopi possunt hæc munia exercere per Vicarios & alios Episcopos pauperes: quoniam, ut verbis utar Cajetani relatis à Fagnano loco citato, *n.* 44. "*Abusionis* est *detestabilis*, ut pauper Episcopus relictâ suâ Ecclesiâ alteri deserviat: cùm singuli Episcopi teneantur ad hæc omnia *per se* explenda in sua Diœcesi."

Insuper Episcopus pauper vel titularis non est proprius hujus populi Pastor; sed alienus; "at grex à Domino jubetur pasci per *proprium* Pastorem; non per *Mercenarium* ad quem non pertinet de ovibus:" ait enim Dominus Joan. 10. *Qui autem intrat per ostium Pastor est ovium; cujus vocem oves ejus audiunt, & proprias oves vocat nominatim & educit eas. Et cùm proprias oves emiserit, ante eas vadit, & oves illum sequuntur, quia sciunt vocem ejus, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.*

Hæc ibi: "Pondera singula verba, (ait Fagnanus *n.* 49.) quæ *evidenter* demonstant, officium Pastoris animarum esse omnino *personale ex præcepto Evangelico*, nec posse ex sui natura per alium adimpleri."

Adhæc, quid certius, uti rursus advertit Fagnanus, quàm in electione ad Episcopatum considerari industriam & qualitates personæ? In his autem in quibus personæ industria requiritur, & attenditur, operam Vicariam non admitti in confesso est: Unde meritò hic applicatur dictum S. Bernardi relatum ab Hostiensi in *Cap.* EXTIRPANDÆ ;; *De præb. Qui per Vicarium inservit, per Vicarium remunerabitur.*

VII. Quemadmodum ergo nulla, quantumvis inveterata consuetudo seu potiùs corruptela efficere potest, quin Episcopi debeant *attendere sibi & universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei*, nec non implere, quod ipsis in persona Timothei dixit Apostolus: *Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple*, ita nec consuetudo sufficiens est, ut à residentia, sine qua illa præstari nequeunt, excuset.

VIII. Unde Synodus Tridentina sciens Canones residentiam Episcopis præscribentes, jus Divinum potius, quàm positivum continere; ideoque hac in parte consuetudine quidem conculcari, sed aboleri haud posse, non dubitavit, antiquos Canones, qui *temporum* atque "hominum *injuriâ* penè *in desuetudinem* abierant, adversùs non residentes promulgatos innovare; quemadmodum, ait, virtute præsentis Decreti innovat." *Sess. 6. cap. 1. De reform.*

IX. Uti temporis lapsus, ita nec personæ eminens qualitas à gregis sui custodia & Pastorali sollicitudine, ac consequenter neque à residentia eximere Episcopos sufficit.

Quod probans Synodus Tridentina declarat, "omnes Patriarchalibus, Metropolitanis ac Cathedralibus Ecclesiis quibuscumque, quocunque nomine & titulo præfectos, etiamsi Sanctæ *Romanæ Ecclesiæ Cardinales sint*, obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, ubi injuncto sibi officio defungi teneantur." *Sess. 23. cap. 1. De reform.*

X. Verùm, quia ipsa Episcoporum residentia corporalis, parùm prodesset, nisi etiam residentes se Pastores & Rectores Gregis commissi ostenderent; atque ea obirent, ob quæ ipsa personalis residentia præcipuè exigitur, meritò Synodus Tridentina necessitatem residendi inculcans; Canonesque adversùs non residentes innovans; aliaque pro eorum meliore executione adjungens, omnes Patriarchalibus, Metropolitanis, & Cathedralibus quibuscumque, quocumque nomine ac titulo præfectos monet ac monitos esse voluit, (*Sess. 6. cap. 1. De reformat.*) "ut *attendentes sibi & universo gregi, in quo Spiritus S. posuit eos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo, vigilent sicut Apostolus præcipit, in omnibus laborent, & ministerium suum impleant*: implere autem se nequaquam posse sciant, si greges sibi commissos, mercenariorum more deserant, atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo judice requirendus *custodiæ minimè incumbant*; cùm certissimum sit, non admitti Pastoris excusationem, *si lupus oves comedit & Pastor nescit.*"

Et in alio suo de residentia Episcoporum Decreto, non solùm ex Officio Pastorali Episcopis incumbente, residendi necessitatem consequi ostendit, sed insuper declarat, eos obligari ad personalem in sua Ecclesia vel Diœcesi residentiam, *ubi injuncto sibi officio defungi teneantur.*

Ex his per quàm manifestum est, non localem & corporalem duntaxat præsentiam requisisse Synodum; dum Episcopos ad residentiam obligari declaravit, & edixit; sed *laboriosam*, id est, ut tamquam veri Pastores gregi suo *attenderent* & *invigilarent*, in *omnibus laborarent*, &

ministerium suum implerent; atque ovium suarum, quarum sanguis de eorum est manibus à supremo judice requirendus, *custodia* incumbant; easque *à lupis defendant* & præservent.

XI. Quin & ipsum verbum *residere*, uti post alios Canonistas notat Fagnanus de residentia Canonicorum differens, "accipiendum est cum effectu, id est, Ecclesiæ in divinis officiis deservire: Nam residentia debet esse *laboriosa*, non „ *desidiosa*, cum Beneficia ad divinum cultum & Ecclesiastica munia obeunda sint constituta." *Ad Cap.* LICET 22 *De Prabend. Num.* 23.

XII. Quapropter si expendantur Canonum atque SS. Patrum de necessaria Pastorum, ac præsertim Episcoporum residentia dicta & decreta universa, apparebit, non merè *localem* ac *otiosam* apud Gregem præsentiam, sed *laboriosam* & *invigilantem* urgeri & desiderari.

Unde nec Ecclesia in Ordinatione, seu consecratione Episcopi tantum ad residentiam, sed laborem Episcopos mittit, dum Ordinando dicit: *Vade & prædica populo tibi commisso*: Quasi diceret, non tantum ad populum *vade*, sive accede ut præsens ei sis, sed *prædica*, id est, labora, uti infra latius exponetur.

XIII. Et quid magnum esset, nudam ac sterilem residentiam seu præsentiam Episcoporum obtinere, cum hæc in illis, quos Christus odioso nomine *Mercenariorum* exagitat, etiam reperiatur. Ni enim gregi suo adessent, non dicerentur fugere dum vident lupum venientem; quemadmodum piè & doctè advertit Bartholomæus De Martyribus Archiepiscopus Bracarensis. *Vir* (fatente Palavicino *lib.* 15. *hist. Conc. Trid. cap.* 11.) *sanctitate doctrinaque spectabilis*, dum in ipso Concilio Tridentino super formando Decreto de residentia Episcoporum suum suffragium depromeret. Discursum dignum judico qui in gratiam Lectoris integer hic referatur.

"Ex Prælatis plures qui ante me locuti sunt, plus satis & „ magno numero exhibuerunt loca Conciliorum & SS. Pa„ trum, speciatimque S. Thomæ, è quibus videre est, resi„ dentiã Pastorum & indispensabilem, & *juris Divini*, esse. „ Sed si quod in animo est, mihi licet verbis enuntiare; infe„ lices profectò videmur, quòd super hoc negotio sententi„ am proferre debeamus. Quò enim, eheu! Ecclesia reda„ cta est, si illi ipsi, quos Deus protectores & custodes ejus „ constituit, incumbatnè ipsis obligatio cum ipsa fideliter „ remanendi, in dubium revocet? Intolerabile nobis foret, „ si quispiam vel dubitaret solùm, teneaturnè fidelis famulus „ parvulis suæ curæ commissis, Pastor gregi suo vel mater „ filio quem lactat, fideliter adhærere; dubitamus, an Deus, „ qui Curam committit nobis filiorum suorum, quorum, te„ ste Paulo, simul & Pastores & patres & matres sumus, in„ dispensabili vinculo ipsis adhærendi nos adstrinxerit? Pa„ stores vocat S. Ambrosius Vicarios amoris Christi, *vica„ rii amoris Christi*; vultque, quemadmodum Christus ip„ sos hæredes effecit Sacerdotii sui, ita fiant & imitatores „ perfectæ ejus charitatis. Propterea à sancto Petro & in „ Petri persona ab omnibus Pastoribus, antequam Pastorem „ agnorum suorum eum constituat, triplicem amorem ex„ poscit. An ergo dubitabimus, teneamurnè cum illis mane„ re, pro quibus omni momento ipsam etiam animam po„ nere paratos nos esse oportet? Disceptamus an nostra „ præsentia ipsis debita sit, cui tamen diffiteri nequaquam „ possumus, vitam nostram ipsorum magis quàm nostram „ esse. Qui igitur audent quidam prætendere, in his nos & „ nimis multa expetere & quodammodò excedere? Econ„ trario hac super re dicere nobis licet quod dicebat olim Di„ vus Bernardus Eugenio Pontifici: *Non fortia loquimur*, „ *sed possibilia: non exhibemus hic quod maximè perfe„ ctum est; sed tantùm quod possibile*. Nè nobis abblandia„ mur, nè nos ipsos decipiamus, maximum malum, &, ve„ lut existimamus, magnum crimen Episcopo est, non resi„ dere; sed hinc non sequitur, laudabile esse valdè, quòd re„ sideat. Ita non laudatur propterea famulus quod semper „ adsit hero suo, nec Gubernator, quod locum suum non „ deserat, neque Medicus, quod ægro suo fideliter assistat. „ His quidem omnibus necessaria est præsentia ut officio suo „ fungantur, sed sola non sufficit, aliæ insuper conditiones „ desiderantur, quas assidua illa, & exterior præsentia sup„ plere non potest. Dum ergo optamus residentia stabilia„ tur tanquam indispensabiliter trahens secum obligatio„ nem, non requirimus, ut Ordo Episcopalis prima væ & „ antiquæ suæ perfectioni restituatur, quemadmodum di„ cunt quidam nos velle, sed solummodo, ut ab eo maxima „ & maximè omnium pudenda exulet inordinatio: maximè, „ inquam, omnium pudenda: cùm Pastores infra *ipsammet „ mercenariorum conditionem*, quæ tamen & coram Deo, „ & coram hominibus adeò contemptibilis est, *deprimat*, „ deturbetque. Propterea gemens & suspirans, ait quidam „ Ecclesiæ Pater. *damnat Salvator Pastores mercenarios*, „ sed utinam Ecclesia hodie vel *mercenarios* haberet qui e„ am regerent. Mercenarius enim, saltem prout eum nobis „ exhibet Evangelium, *apud gregem suum manet*, cùm fu„ giat dum videt lupum venientem, qui certè non fugeret, „ nisi ovibus adesset. Sed hodie Pastores ut gregem suum „ deserant non expectant donec veniat lupus, quasi ad eos „ nihil de ovibus pertineat, propria sponte dimittunt, nihil „ solliciti, an hostis ille animarum eas dispergat, capiat, dila„ niet, nec ne. Præveniunt illi inhumanitate, & negligentia „ sua, quod mercenarii non nisi timentes & periculo tam „ propinqui exequuntur. Insuper mercenarius, ut loquitur „ Augustinus, etiam dum fugit apud gregem manet: fugit e„ nim à facie Dei, non à loco in quo est, dum innocentiam „ & veritatem deserit, dum timiditas, qua possidetur, lin„ guam alligat, impeditque ne & agat & loquatur ut eas de„ fendat. *Fugisti, quia tacuisti*, inquit iste Sanctus, *tacuisti*, „ *quia timuisti*. Amoveamus igitur ab Ecclesia tam ignomi„ niosum opprobrium. Ne sinamus ut Episcopi qui eam „ regunt infra mercenarios ipsos deprimantur; dicamus sin„ cere, residentiam & juris Divini esse & indispensabilem. „ Lacrymas abstergamus Ecclesiæ matris nostræ, quæ unde„ quaque filios suos à patribus derelictos circumspicit. Sista„ mus tandem tam horrendam inordinationem & dissolu„ tionem, quæ tam multarum aliarum fons est & origo, ne, „ si adhuc dissimulemus, dum Deus eam in ira sua conside„ rat, dum eam probi omnes cum gemitu deplorant; dum „ eam irrident hæretici; de Ecclesia dicatur, quod plaga ejus „ incurabilis facta sit & desperata; cùm nec mala sua, nec „ remedia perferre valeat." Extat in ejus vita Gallicè conscripta *lib.* 2. *Cap.* 11.

XIV. Concludamus ergo cum Patribus Concilii Aquilejensis anni 1596. Tit. *De resid. Episcoporum*, "Quod de „ residentia Episcoporum à Sacro Tridentino Concilio & „ summorum Pontificum Constitutionibus cautum est, hoc „ non est intelligendum, ut præsentiâ assideant, nihil præte„ rea agant: cùm ex Sacris Canonibus residentia sit accipien„ da in eum sensum, ut sit *laboriosa*, *non otiosa*. Id quod „ duobus præsertim Tridentinæ Synodi verbis egregiè ex„ primitur, ut *pascant & regant*: quorum primum ad vitæ „ innocentiam, ad salutaris verbi prædicationem, ad Sacra„ mentorum administrationem, & bonorum operum ex„ emplum pertinet: secundum ad disciplinam restituendam, „ ad mores purgandos, & juris Ecclesiastici ditionem, ad „ bonorum laudem & vindictam malorum sustinendam „ spectat. Utrumque si præstiterint Episcopi, satis illa, „ quæ sunt Episcopalis muneris, videbitur præstitisse & im„ plesse."

CAPUT VI.

De legitimis causis absentiæ Episcoporum à suis Diœcesibus.

1 *Interdum Episcopus plus potest prodesse absens quàm præsens.*

2 *Bonum universalis Ecclesiæ interdum absentiam requirit.*

3 *Synodus Tridentina nonnullas absentiæ causas probat.*

4 *Quinam ex Decreto Concilii Tridentini de causa absentiæ cognoscere debeant?*

5 *Indulgentia absentiæ est quædam species dispensationis*

6 *Regulæ observandæ in dispensatione, etiam hic servari debent.*

7 *Notandum hac de re Concilium Toletanum anni 1566.*

8 *Bonum Ecclesiæ universalis non est legitima absentiæ causa, si illud per alium procurari possit.*

9 *Residentes in Curia Romana & Curiis Principum non semper a residentia excusantur.*

10 *Synodus Tridentina permittit Episcopis duorum vel trium mensium per annum absentiam.*

11 *Ut licite hac licentia Episcopus utatur, debet subesse justa causa; quæ an subsit ejus conscientiæ relinquitur.*

12 *Cavendum, ne in solemnioribus Festis ab Ecclesia sua absit.*

13 *Quando corporaliter abesse coguntur, curam tamen gregis sui negligere non possunt.*

14 *Quandonam ob imminentem persecutionem Episcopi Ecclesiam suam deserere possint?*

15 *Quinam spiritualiter fugere censeantur, licèt corporaliter suo gregi assistant?*

16 *Quomodo hodie plures fugiant & deserant spiritualiter gregem suum, & lupis exponant?*

I. Episcopos aliosque Curam animarum habentes, teneri *jure divino* ad residendum in suis Ecclesiis, sive Diœcesibus vel Parochiis, ubi injuncto sibi officio defungi queant, in præcedentibus ostendimus; unà quoque probavimus ex mente Ecclesiæ residentiam requiri non merè corporalem & otiosam, sed *laboriosam*, id est in Ecclesiæ & gregis sibi commissi utilitatem ac profectum.

Si ergo Episcopus, aut Pastor suâ absentiâ interdum queat plus Ovibus suis prodesse, quàm *corporali* sua præsentia; indubiè intentione Ecclesiæ requirentis residentiam contrairet, si tali casu localem præsentiam absentiæ corporali præferret.

II. Adhæc, cùm bonum universalis Ecclesiæ nonnunquam præferri debeat commodo particularis Ecclesiæ, contingere quoque potest, ut particularis Ecclesia debeat corporali sui Pastoris præsentia, etiamsi cum aliquo forsan suo incommodo, carere, si id bonum notabile universalis Ecclesiæ exigat.

III. Hinc Synodus Tridentina postquam omnes quacumque dignitate etiam Cardinalitia fulgentes Patriarchalibus, Primatialibus, Metropolitanis ac Cathedralibus, Ecclesiis præfectos ad residentiam obstrictos dixit, declarat quidem eos ab Ecclesiis haud posse abesse, sed cum hac clausula: "Nisi ex *causis* & modis infrascriptis," id est: "*cùm Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia*, ac *evidens* Ecclesiæ vel *Reipublicæ* utilitas aliquos nonnunquam abesse postulant, & exigunt."

IV. Verùm num *Christiana* charitas, *urgens* necessitas, vel *evidens* Ecclesiæ, aut Reipublicæ utilitas absentiam requirant, Synodus noluit proprio Episcoporum judicio permittere; sed decernit: "Has legitimæ absentiæ causas à Beatissimo Romano Pontifice, aut à Metropolitano, vel eo absente, Suffraganeo antiquiori residente, qui idem Metropolitani absentiam probare debebit, in scriptis esse probandas; nisi cùm absentia inciderit propter aliquod munus & Reipublicæ officium, Episcopatibus adjunctum; cujus quoniam causæ sunt notoriæ, interdum repentinæ, nec eas quidem significari Metropolitano necesse erit: ad eumdem tamen cum Concilio Provinciali spectabit judicare de Licentiis à se, vel à Suffraganeis datis; & videre, ne quis eo jure abutatur; & ut pœnis Canonicis errantes puniantur."

V. Porrò, quia indulgentia absentiæ, quædam est quasi dispensatio in regula, quæ residentiam præscribit; ideo qui causis absentiæ examinandis præsunt, quique iis uti volunt, regulas in materia dispensationū à Patribus & Sacris Canonibus præscriptas & traditas attendere & observare debent.

VI. Debent itaque ante omnia expendere, num bonum quod ex absentia proventurum speratur, prævaleat incommodis, quæ Pastoris absentia secum trahere nata est: quam regulam in dispensationibus sequendam post Patres & SS. Canones tradit doctissimus ac sanctissimus Canonum Collector S. Ivo Carnotensis in suo erudito Prologo Decreto præfixo: "In his, ait, quæ propter rigorem disciplinæ vel muniendam salutem Posteriorum sanxit diligentia; si *honesta* vel *utilis* sequatur *compensatio*, potest præcedere auctoritate Præsidentium diligenter deliberata dispensatio." Id est, si incommodum quod secum trahit Canonum infractio, compensetur per bonum quod ex dispensatione proventurum speratur, honesta ac utilis sequatur dispensatio.

VII. Sapientissimè proinde Patres Concilii Toletani anni 1566. *act.* 2. *decreto* 1. declarant conformiter ad Synodum Tridentinam, "quod non *quævis* causa, quæ vel ad Christianam charitatem, urgentem necessitatem, debitam obedientiam, evidentem Ecclesiæ vel Reipublicæ utilitatem cuiquam pertinere videbitur, à residentia excusare debeat: sed ea tantum, quæ Superioribus *diligentissimo examine*, *maturo judicio*, *exactaque* censura sic probata fuerit, ut *verè* seclusâ omni indulgentiâ, aliqua ex prædictis ratione dubio procul, justa sit *omnino* censenda: atque ei utilitati, quæ ipsius Pastoris præsentiam exigit, & quæ non potest non esse *publica*, sit *nihilominus præferenda*."

VIII. Adhæc expendendum, num illud bonum, quod absens Episcopus Ecclesiæ, aut Reipublicæ præstat, per alium Curæ animarum non incumbentem, haberi nequeat.

Si enim bonum Ecclesiæ aut Reipublicæ, quod ex absentia Episcopi speratur, aliunde haberi non minùs queat, causa sufficiens non erit legitimæ absentiæ: quandoquidem non requiratur absentia Episcopi eo casu, ut bonum illud Ecclesiæ procuretur; cùm supponatur sine ejus absentia illud haberi per alium posse.

Hinc principio insistens Cardinalis Cajetanus, quem refert & sequitur Fagnanus *ad Cap.* EX PARTE ⁙ *De Clericis non resid. Num.* 85. docet, distinctione opus esse, ut resolvatur, an negotium utile Ecclesiæ aut Reipublicæ sit legitima causa non residentiæ Episcopalis; utrùm nimirum, "negotium universalis Ecclesiæ sit *necessariò* exigens *Episcopum*, vel non: nam si negotium *necessariò* exigit *Episcopum*, ut ire ad Concilium generale, vel Synodum Provincialem, quæ etiam se habet ad Ecclesiam Episcopalem ut totum ad compartem; constat, quod rationabilis est absentia: sed si negotium universalis Ecclesiæ non *necessariò* exigit *Episcopum*, puta quia persona Episcopi habet officium, quo oportet ipsum universalis Ecclesiæ servitio perpetuò *personaliter* Romæ deservire, v.g. est Secretarius Sedis Apostolicæ, vel Auditor Rotæ, aut hujusmodi: *non ex hoc excusatur à residentia quoad Deum*..... Et quia servitia quædam, ut ire ad Synodum, sunt manifestè in articulo necessitas Ecclesiæ universalis, vel provincialis, servitia autem quæ Romæ in hujusmodi officiis exhibentur, *nulla necessitate* communiter exigunt, ut *Episcopi* incumbant talibus officiis, sed sunt tales in Ecclesia Dei, velut *monstra in natura*: ideo non excusantur à residentia. Et si instetur, quod residentes in Ecclesia communi,

„ qualis est Romana, censentur ubique residere: Responde-„ tur, quòd si hoc est verum *fictione juris positivi* quod Juri-„ stis relinquo, non tamen est verum *quoad Deum*."

IX. Hæc post Cajetanum Fagnanus; qui ad *Cap.* QUALITER ;; *eod. num.* 13. refert expostulationem Cardinalis de Turrecremata contra Episcopos in Aulis Principum & Curia Romana perpetuò residentes.

„ Turpe est, ait, ut Episcopi se inserant ad servitia Imperatoris vel alterius Principis sæcularis, & deserant causam „ subditorum, & officia devotionis. Hoc non facerent, si „ mortem spiritualem timerent, & intelligerent, se reddituros rationem de ovibus suis Deo summo Judici. Utinam „ etiam de Curia Romana hoc in parte observaretur, in qua „ plures Episcopi conveniunt non devotionis gratia, sed ambitionis spiritu propulsati, ut altiora quærant, aut beneficia „ addant beneficiis, aut honores honoribus, utque officia & „ legationes quærant, quæ curæ animarum sibi commissarum adferunt plurimum impedimenti. Utinam summi „ Pontifices considerarent, quanta negligentia circa animas „ committitur ex absentia Prælatorum ab Ecclesiis „ suis."

Eundem de Episcopis à sua Diœcesi absentibus, & in Curia Romana honoribus & Beneficiis aucupandis intentis, abusum exagitavit sæculo præterito Gentianus Hervetus epistola ad Salmeronem S. I. in qua introducit Episcopum alloquentem Pontificem in hæc verba: " Quàm verò hoc „ est miserandum & planè deplorandum, quod cùm in Italia tot sint Diœceses, vix tamen vigesimus quisque Episcopus in sua Ecclesia resideat, & populum pascat! Neque „ verò hoc te fugere potest, Beatissime Pater, cùm omnes „ ferè, qui Romæ in Aula tua Magistratus gerunt. & munera obeunt, ex eorum sint numero, & diebus festis in tuo „ Sacello tantam eorum videre possis multitudinem, ut ferè „ ex ea justus conscribi possit exercitus."

Cardinalis Bellarminus proponens Clementi VIII. quædam in Ecclesia reformanda, inter cætera residentiam Episcoporum quoque urgebat; præcipuè eorum, qui ad longum tempus à Diœcesibus suis abiiunt ob Nuntiaturas eis à Pontifice demandatas; vel ob negotia & munia politica, quibus sunt implicati; aut denique, ob officia & ministeria in Curia Romana, quæ per alios quàm Episcopos exerceri possunt. Quin tamen ad tempus aliquod ex justa causa Pontifex Episcopos à residentia eximere queat, non dubitabat Bellarminus: " Fateor quidem, ait, aliquos Episcopos à residentia per obedientiam excusari: neque istud inficior „ summum Pontificem certis de causis, atque ad tempus „ Episcopos aliquos à residentia eximere. Sed nescio, an Deo „ placeat, ut tantus numerus Episcoporum tam longo tempore cum tanto animarum detrimento, à propriis Ecclesiis absit: quos certè suo muneri satisfacere non posse perspicuum est."

Illud præterea indubitatum est, causam absentiæ eò debere esse majorem & urgentiorem, quo absentia est diuturnior.

X. " Quoniam autem, qui aliquantisper tantùm absunt, „ ex veterum Canonum sententia non videntur abesse, quia „ statim reversuri sunt: Sacrosancta Synodus (Tridentina) „ vult, illud absentiæ spatium singulis annis sive continuum, „ sive interruptum, extra prædictas causas, nullo pacto debere duos, aut ad summum tres menses excedere; & haberi „ rationem, ut id æqua ex causa fiat, & absque ullo gregis „ detrimento: quod an ita sit, abscedentium conscientiæ relinquit, quam sperat religiosam & timoratam fore, cùm „ Deo corda pateant. Cujus opus non fraudulenter agere, „ suo periculo tenentur."

XI. Concedit ergo Synodus, conformiter ad veteres Canones, ut Episcopus aliquantisper abesse queat, si nimirum fuerit justa causa, quæ absentiam postulet; idque etiam ad *duos* vel *tres* menses; quia & in hac duorum aut trium mensium absentia justam causam requirit Synodus, ita tamen ut ipsorummet Episcoporum conscientiæ relinquat, num justa ac sufficiens subsit causa temporis illius absentiam postulans; ipsique secum expendant, num eam coram summo Pastore, cui de cura suarum Ovium exactam rationem reddere tenebuntur, sufficientem probare poterunt.

XII. " Interim ipsos admonet, & in Domino hortatur, ne per illius temporis spatium *Dominici Adventus*, „ *Quadragesima, Nativitatis*, *Resurrectionis Domini*, „ *Pentecostes*, item & *Corporis Christi* diebus, quibus refici „ maximè & in Domino gaudere Pastoris præsentia Oves „ debeant. ipsi ab Ecclesia sua *Cathedrali* ullo pacto absint; „ nisi Episcopalia munia in sua Diœcesi eos aliò vocent."

XIII. Illud etiam cogitent Episcopi à Grege suo justa de causa absentes, ut si corpore adesse nequeant, affectu tamen, & curâ, quantum fieri potest, semper adsint; ad exemplum S. Augustini, qui de sua absentia ita ad Clerum & populum Hipponensem scribit: " Peto Charitatem vestram, & per „ Christum obsecro, ne vos mea contristet absentia *corporalis*. Nam *Spiritu* & *cordis affectu* puto vos non dubitare nullo modo me *à vobis* posse discedere: quamvis me „ ampliùs contristet, quàm fortè vos ipsos, quòd infirmitas „ mea sufficere non potest omnibus curis, quas de me exigunt membra Christi, quibus me & timor ejus, charitas „ servire compellit."

XIV. Hæc Augustinus *Epist.* 122. qui *Epist.* 128. ad Honoratum fusè inquirit, & doctè ac piè resolvit, quando Episcopis, aliisque Pastoribus ob imminentem persecutionem fugere liceat; atque in primis hanc assignat regulam: " Fugiant omnino de civitate in civitatem, quando eorum quisquam *specialiter* à persecutoribus quæritur, ut ab aliis, qui non ita requiruntur, non deseratur Ecclesia, sed præbeant cibaria conservis suis, quos aliter vivere non posse noverunt. Cùm autem *omnium*, id est Episcoporum, Clericorum, & Laicorum est „ commune periculum, si qui aliis indigent, *non deserantur ab his quibus indigent*. Aut igitur ad loca munita omnes transeant, aut qui habent remanendi necessitatem, non relinquantur ab eis, per quos illorum est Ecclesiastica supplenda necessitas, ut aut pariter vivant, „ aut pariter sufferant, quod eos Paterfamilias volet perpeti."

Post hæc sermonem vertit ad eos, " Qui sibi putant *indifferenter* obtemperandum esse præcepto, ubi legunt; *de civitate in civitatem esse fugiendum*; & mercenarium „ non exhorrent, qui videt lupum venientem & fugit, quoniam non est ei cura de ovibus. Cur, inquit, non istas duas „ Dominicas verasque sententias, unam scilicet, ubi fuga sinitur aut jubetur, alteram, ubi arguitur atque culpatur, „ sic intelligere student, ut inter se reperiantur non esse contrariæ, sicut non sunt? Et hoc quomodo reperitur, nisi attendatur, quod jam superiùs disputavi, tunc de locis in „ quibus fuimus, premente persecutione fugiendum esse „ Christi ministris; quando ibi aut *plebs* Christi *non fuerit*, „ cui ministretur, aut etiam fuerit, & potest impleri *per alios* necessarium ministerium, quibus eadem non est causa „ fugiendi."

Sed fortè quis dicat, " Ideo debere Dei ministros fugere „ talibus imminentibus malis, ut se pro *utilitate* Ecclesiæ „ temporibus *tranquillioribus* servent." Respondet Augustinus: " *Rectè* hoc fit à *quibusdam*, quando non desunt „ alii *per quos* suppleatur Ecclesiasticum ministerium, ne „ ab omnibus deseratur; quod fecisse Athanasium supra diximus, ... Sed Quando est *commune* periculum, magisque „ timendum est, ne quisquam id facere credatur, non *consulendi* voluntate, sed *timore moriendi*, magisque *fugiendi* „ *obsit exemplo*, quàm *vivendi prosit officio*, nulla ratione faciendum est."

XV. Hactenus Augustinus; quæ forsan nonnullis vide-

videbuntur hodie rarò aut numquam locum habere; utpote Tyrannorum persecutione haud fervente; at cum eodem Doctore advertamus, Pastorem illum etiam esse mercenarium & specialiter fugere, qui publicos peccatores, & in grege grassantes arguere timet; „ne scilicet *perdat* quod *sectatur, humanæ amicitiæ commoditatem, & inimicitiarum* „*humanarum incurrat molestiam*, tacet, non corripit. Ecce „Lupus ovi guttur apprehendit: diabolus fideli adulterium „persuasit, *tu taces*, non increpas: ò mercenarie, Lupum „venientem vidisti & fugisti. Respondet fortè & dicit, *Ecce* „*hic sum, non fugi. Fugisti*, quia *tacuisti*: *tacuisti*, quia *ti-* „*muisti*. Fuga animi timor est. Corpore stetisti, spiritu fu- „gisti. „ *Tract. 46. in Joan. n. 8.*

XVI. Hanc spiritualem fugam, frequenter non minus perniciosam quàm corporalem, si seriò expenderimus; facilè deprehendemus plurimos hodie mercenarios esse, qui videntes Lupum venientem, imò & in grege suo crudeliter grassantem fugiunt, id est *tacent*; idque hoc prætextu, quod lupis se opponendo, vitia arguendo, peccantes pro merito increpando & puniendo, Magnatum vel Principum indignationem incurrant; atque ita inidoneos se reddant, ut *prosint* gregi suo.

CAPUT VII.

Præcipuum munus Episcoporum est Prædicatio verbi Dei.

1 *Apostoli arbitrati sunt præcipuum munus suum esse prædicare verbum Dei.*
2 *Quare Apostoli per se officium prædicandi, & per alios officium Baptizandi obirent?*
3 *Synodus Tridentina iteratò declarat Episcopos per se ipsos teneri ad prædicandum verbum Dei.*
4 *Idem fortiter inculcat S. Carolus.*
5 *Eandem obligationem urgent Synodi Belgicæ.*
6 *Nulla consuetudo Episcopos ab hac obligatione eximere potest.*
7 *Non sufficit ad satisfaciendum huic obligationi aliquoties per annum publicè concionari.*
8 *Episcopi præcipuè intendere debent, ut populus ritè sit instructus.*
9 *Instructioni Cleri & populi servire possunt Instructiones & Epistolæ Pastorales.*
10 *Hoc egregiè præstitit S. Carolus.*
11 *Expenditur Epistola ejus Pastoralis pro orationis in communi agendæ instituto, in singulis familiis tempore vespertino instituenda.*
12 *Notanda ejus Epistola pro tempore Adventus & Quadragesimæ.*
13 *Episcopus nihil omittere potest, quod ad instructionem populi sit necessarium.*

I. PRæcipuum Apostolorum officium esse ministerium verbi, sive prædicationem Evangelii, sat declararunt Apostoli, dum convocatâ multitudine Discipulorum dixerunt: „Non est æquum nos *derelinquere verbum Dei*, & ministrare mensis. Considerate ergo fratres, „viros ex vobis boni testimonii septẽ, plenos Spiritu Sancto, „& sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. Nos verò „orationi, & *ministerio verbi*, instantes erimus. *Act. 6.*

Et Apostolus Paulus audacter pronuntiat, *non misit me Dominus baptizare, sed* PRÆDICARE. 1. *Corinth.* 1. *v.* 18. Et quid rursus aliud indicat vehemens ejusdem Apostoli ad hoc opus in persona Timothei exhortatio & adjuratio? *Testificor coram Deo, & Jesu Christo qui judicaturus est vivos & mortuos, per adventum ipsius, & regnum ejus*: PRÆDICA VERBUM, *insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina.* 2. Ad Timoth. 4.

II. Hinc S. Thomas advertit, „Quod utrumque officium, „scilicet *docendi & baptizandi*, Dominus Apostolis injun- „xit, quorum vicem gerunt Episcopi: aliter tamen & aliter. „Nam officium docendi commisit eis Christus, ut ipsi illud „*per se* exercerent tamquam *principalissimum*... Officium „autem *baptizandi* commisit Apostolis, ut *per alios* exercendum.... Et hoc ideo, quia in baptizando nihil operatur „meritum & sapientia ministri, sicut in docendo. „ 3. *parte q. 67. art. 2. ad 1.*

III. Utque infinita propè Patrum & Canonum dicta & Decreta, quæ hanc Episcoporum obligationem vehementissimè urgent, sileam, Synodus Tridentina duobus locis iteratò inculcatum voluit; „Prædicationem Evangelii, sive „prædicationis *munus* esse Episcoporum *præcipuum*; eos- „que teneri *per seipsos*, si legitimè impediti non fuerint, ad „prædicandum sanctum JESU CHRISTI Evangelium. „ *Sess. 5. cap. 2. & Sess. 24. cap. 4. De Reform.*

IV. Sanctus Carolus fidelissimus Concilii Tridentini executor in sua prima Provinciali Synodo *parte 1. tit. 6.* ita loquitur: „Apostoli, in quorum locum Episcopi successerunt, „satis nobis aperuerunt, *verbi Dei prædicationem esse præ-* „*cipuum* illorum munus, qui in Episcopali Sede collocantur. „Quamobrem nos auctoritatem Sacrosancti Trid. Con. & „veterum PP. secuti in Domino Episcopos hortamur, ut *to-* „*to pectore* in hanc curam incumbentes, greges sibi com- „missos *ipsimet*, præsertim in Ecclesia sua, *verbo Dei pas-* „*cant*. Quod si *levi* de causa, aut quodam *animi languore* „impediti non fecerint, sciant sibi prætermissi necessarii of- „ficii, Judici Deo præcipuè rationem esse reddendam. Sin „autem se interdum verè impeditos cognoverint, per viros „idoneos, ex præscripto ejusdem Concilii deligendos, hoc „munus studiosissimè populo præstent.

V. Non minus hanc obligationem urgent Patres Synodi P. II. Cameracensis *tit. 17. c. 2.* „Et quia inter munia Epis- „copalia potissimas partes sibi meritò vendicat prædicatio „verbi Dei, & ab Apostolis memoriæ proditum sit, non esse „æquum ipsos relinquere verbum Dei, & ministrare men- „sis, quantum fieri poterit, diligentiam adhibere studebunt „Episcopi, ut negotiis sæcularibus sese expediant, etiam re- „giminis Episcopalis maximam partem doctis & prudenti- „bus viris committendo, & rerum temporalium admini- „strationem OEconomo fideli concredendo ut prædicatio- „nis officio sibi proprio liberius vacare possint. Quod si „legitimè impediti per seipsos id præstare non possint, alios „viros doctos tum in suis Ecclesiis Cathedralibus, tum in „aliis suæ Diœcesis deputent, qui eorundem nomine hoc „assiduè præstent, saltem quoad dictas Cathedrales solem- „nioribus festis & tempore adventus & quadragesimæ, ut „minimum ter in septimana; horam autem cum ipsemet „Episcopus concionatur sibi commodiorem præscribere „possit, non obstantibus quibuscumque.

Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 16. c. 3.* ait: „Inter cætera „meminerint Episcopi oneris prædicationis Verbi Dei.

VI. Nulla proinde consuetudo, nulla contraria multorum praxis Episcopos ab hoc munere prædicationis eximere potest; sed eadem indispensabili lege, qua salutem subditorum suorum procurare tenentur, eadem hoc prædicationis officium eisdem impendere jubentur: quia, ut ait Concilium Lateranense III. sub Innocentio III. in *c. 15.* ☩ *De offic. Ordin.* „inter cætera, quæ spectant *ad salutem* populi Christiani „*pabulum Verbi Dei per maximè* sibi noscitur esse *neces-* „*sarium*; quia sicut corpus materiali, sic anima spirituali ci- „bo nutritur.

Unde illud S. Ambrosii de semetipso: *Officium docendi nobis imposuit Sacerdotii necessitudo.* Lib. 1. Offic. cap. 1.

Synodus quoque Tridentina *Sess. 23. cap. 1. De Reform.* declarat, PRÆCEPTO DIVINO *mandatum esse omnibus, quibus animarum Cura commissa est, oves suas agnoscere,... verbique Divini* PRÆDICATIONE *pascere.*

Nequaquam ergo (uti etiam rectè advertit Fagnanus ad *Cap.* INTER CÆTERA ☩ *De officio Ordinarii num. 12.*) in his Episcopi possunt se excusare in vim contrariæ consue-

tudinis; quia cum ſit contra præceptum Divinum, illa conſuetudo reputari debet pro corruptela & abuſu.

VII. Verùm cùm præcipuus ſcopus hujus Paſtoralis & Epiſcopalis muneris ſit, debita populi inſtructio, id eſt, ut de omnibus, quæ ad ſalutem conſequendam ſcitu ſunt neceſſaria, ſit plenè inſtructus, Epiſcopus huic ſuo muneri haud ſatisfaciet, ſi v.g. aliquoties per annum publicè ex cathedra concionetur; ſed vel præcipuè in hoc totis viribus incumbere debet, ut populum ſibi commiſſum *per ſe*, quantum poteſt, aliiſque inſtruat.

VIII. Hinc illæ Sanctorum ac zeloſorum Epiſcoporum non tantùm frequentes ad populum & Clerum publicæ conciones & exhortationes, ſed etiam continuæ per vicos & civitates viſitationes, & curſationes, ut de populi & Cleri debita inſtructione informarentur, ac mediis opportunis, ubi defectum inveniſſent, providerent.

IX. Hinc quoque ſimilium Epiſcoporum Epiſtolæ Paſtorales pietate doctrinaque refertæ, quibus totam Diœceſim longè lateque diffuſam indeſinenter quodammodò de præcipuis Religionis Myſteriis, & hominis Chriſtiani Officiis inſtruebant.

Huc quoque referri poſſunt Inſtructiones, quas ad Cleri præcipuè directionem emittebant & publicabant; ut hoc modo omnes non uno tantùm tempore, certiſque diebus, aut uno loco, ſed ſemper & ubique, quantum poſſibile erat, inſtruerent, & normam vivendi præberent.

X. Ex hoc Epiſcopali & verè Apoſtolico zelo, quo in ſuorum ſalutem ferebatur S. Carolus, prodierunt tot ejus doctiſſimæ & piiſſimæ Inſtructiones & Epiſtolæ Paſtorales, quas in magna copia exhibent Acta Eccleſiæ Mediolanenſis, dignæ ut ab omnibus, præſertim Eccleſiaſticis, legantur & ruminentur.

XI. Inter has verò valde notanda eſt, quam pro orationis in communi deinceps agendæ inſtituto, quæ in ſingulis familiis ſerotinis horis fieri poterit, emiſit; atque per omnes ſuæ diœceſis parochias publicari fecit. Hic verus animarum zelator vivaciter ob oculos ponit orandi neceſſitatem atque unà utilitatem præcipuam orationis in communi recitatæ: atque eum in finem mandat: „in civitate Mediolanenſi, me„diâ horâ circa noctis initium (id eſt circa veſperam) pul„ſetur campana in Eccleſia noſtra majori aliiſque, & ut in „univerſa Diœceſi idem à ſingulis Paſtoribus eâdem horâ „obſervetur.

„Quamobrem adhortamur, pergit Carolus, paternoque „animo omnes, & ſingulos rogamus in Domino, ut eo ipſo „quo campanæ ſignum pro oratione audierint, quiſque „domum ſuam devotè ſe conferat, eâ mente, quâ credat non „poſſe ſe niſi ex pietatis Chriſtianæ nævo & Religionis in„juria ex tot diei horis tam puſillum temporis, ut ſeipſum „colligat, & mundi hujus negotiis plenè vacuo animo pro „ſua ſalute Deum alloquatur, non impendere. Patresfami„lias, quorum curæ & periculo non propria modò, ſed & „domeſticorum animæ committuntur, omnes è ſua familia „ad hanc orationem convocent, ita ut nulli ſervo, aut ancil„læ, filiis, aliiſvè ab ea abeſſe fas ſit.

Poſt hæc ſubjicit materiam circa quam ipſi orantes tempore hujus orationis occupari queant; atque deinde ſummarium adjungit, quo modus rituſque habendæ hujus orationis latiùs exponuntur; ac inter cætera monet, quod „cum „opificibus, & officinarum Magiſtris, eorum famulis, & con„ductitiis operariis difficilè ſit, ſe tum domum ſuam recipe„re, poterunt in ipſis officinis operumque locis ſeſe pro ora„tione quam ibi habebunt colligere, magiſtrorumque erit „ſubditos artifices, tyrones, operarioſque in ſuis ædibus de„gentes, ut hoc quadrantis ſpatio vacent orationi præ„ſtare.„

Optat quidem ut communis hæc oratio ab omnibus ſimul eodemque tempore ad pulſum campanæ obſervetur; ſed tamen ſi ob domeſticum impedimentum haberi eo tempore nequeat, nequaquam tamen omittatur: ſed horâ proximè ſequenti inſtituatur, atque ad quadrantem ſaltem duret.

Hoc pium ac ſalutare Caroli inſtitutum multum laudavit Gregorius XIII. atque deſiderans ut illud etiam extra Diœceſim Mediolanenſem longè lateque diffunderetur, plures indulgentias huic orationis exercitio incumbentibus elargitus eſt; quæ Bulla Indulgentiarum unà cum prædicta Epiſtola Paſtorali refertur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *parte 7. pag. 906.* & ſequentibus, edit. Lugdunenſis anni 1683.

Deinde ſequuntur *Inſtructiones pro oratione ſine intermiſſione*, non minus piæ ac ſalutares; ubi inter calamitates quarum causâ hæc oratio habetur, reponit hanc: „Pro per„ſecutionibus & damnis, quæ ab hæreticis *Gallia & Bel„gium* ſuſtinent, cum tot animarum detrimento, ſanctique „nominis Dei dedecore.

Quidni ergo jure merito plures civitates, atque præ cæteris hæc Lovanienſis hunc in Patronum aſſumant; eumque ſpeciali cultu & fiduciâ colant & invocent, qui etiam vivens Belgii nequaquam oblitus eſt; & cujus precibus forſan debemus, quod in Catholica fide conſervati ſimus.

XII. Quia verò tempore Adventus & Quadrageſimæ præcipuè populus debet à ſuis Paſtoribus inſtrui & ad pietatis exercitia excitari; epiſtolas Paſtorales per univerſam ſuam Diœceſim mittit, populoque prælegi juſſit, quibus myſteria hiſce temporibus præcipuè recolenda proponit, variaque Chriſtianæ pietatis opera, quibus tempora illa utiliter traducantur, præſcribit; quæ lectu digniſſimæ cum aliis multis inſtructionibus & Epiſtolis Paſtoralibus in citatis Actis referuntur.

XIII. Muneris ergo Epiſcopalis eſt, nihil omittere quo minus populus ſibi commiſſus ſciat ea quæ neceſſaria ſunt, ut ſalutem æternam aſſequi, & pœnas æternas evadere queat: poſſitque ipſe conſummatione ſui curſûs inſtante dicere ad gregem ſibi commiſſum ad exemplum Apoſtoli: *Vos ſcitis quomodo nihil ſubtraxerim utilium, quo minus annuntiarem vobis, & docerem vos publicè & per domos.... nec facio animam meam pretioſiorem quam me, dummodo conſummem curſum meum & miniſterium verbi, quod accepi a Domino JEſu, teſtificari Evangelium gratiæ Dei.*

CAPUT VIII.

Nullus ſine auctoritate Epiſcopi publicè prædicare poteſt.

1 *Olim nullus niſi ex* ſpeciali *commiſſione Epiſcopi verbum Dei populo annuntiare poterat.*
2 *Sicuti cura animarum, ita auctoritas prædicandi ab Epiſcopo in inferiorem Clerum diffunditur*
3 *Synodus Tridentina ſupponit neminem poſſe annuntiare publicè Verbum Dei, niſi auctoritate Epiſcopi.*
4 *Epiſcopus legitimè impeditus deputat Concionatorem, qui ejus vices ſuppleat in Eccleſia Cathedrali; non obſtante etiam conſuetudine* immemoriali.
5 *Fallit in Eccleſiis Cathedralibus, quæ ſimul ſunt Parochiales.*
6 *Etiam Parochi auctoritate Epiſcopi verbum Dei annuntiant.*
7 *Olim auctoritas concionandi in omnibus Presbyteris erat revocabilis ad voluntatem Epiſcopi.*
8 *Aliud hodie obtinet reſpectu Parochorum: & quare?*
9 *Epiſcopus nequit hodie pro libitu Parochum ſuſpendere à concionibus.*
10 *Parochis legitimè impeditis aut non ſufficientibus, Epiſcopi eſt mittere concionatores.*
11 *Epiſcopi quoque eſt mittere Concionatores pro Adventu & quadrageſima, etiamſi eſſet contraria conſuetudo.*
12 *Conſuetudo tamen* immemorialis *poteſt nominationem Concionatorum ad alios, etiam laicos transferre.*
13 *Quæ de nominatione Concionatorum dicta ſunt, probantur per Arreſta Regia, & notoriam praxim Belgii.*
14 *Jus nominandi Concionatorem eſt ſimile juri patronatus ad beneficia Eccleſiaſtica.*

15. Su-

15 *Super approbatione Regularium magna fuit inter Patres Concilii Tridentini concertatio.*
16 *Distinctio facta est inter Regulares concionantes in* Ecclesiis suorum Ordinum, *& concionantes in Ecclesiis* non suorum Ordinum.
17 *Hæc distinctio non placuit Episcopo Felusano; eique in oratione publica multa opposuit.*
18 *Juxta Decreta Synodi Tridentinæ nequeunt Regulares etiam in Ecclesiis* suorum Ordinum *sine tacita saltem Episcopi licentia concionari.*
19 *Praxis S. Caroli circa licentiam concionandi indulgendam Regularibus in Ecclesiis* suorum Ordinum.
20 *Synodus Bituricensis requirit licentiam Episcopi ut Regulares concionari possint in* Ecclesiis suorum Ordinum.
21 *Facultas concionandi data Secularibus aut Regularibus non habentibus Beneficia Curata potest pro arbitrio Episcopi restringi ac etiam revocari.*
22 *Parochi Regulares ad concionandum admittere non possunt, nisi exhibita licentia Ordinarii in scriptis.*
23 *Episcoporum est intendere Concionatoribus, nec Judices Regii impedire eos possunt in capienda informatione super doctrina ab illis proposita.*
24 *Propositio, quæ judicibus Regiis attribuit potestatem approbandi Concionatores in defectum Episcopi, censurata.*

1 NUm primis Ecclesiæ sæculis soli Episcopi sermonem ad populum habuerint, à multis in controversiam & quæstionem revocatum fuit. Illud equidem expeditum est, prædicandi munus pleno jure exercere, tanquam potiorem Apostolici muneris partem, Episcoporum esse proprium; neque illud unquam Presbytero, aut Diacono, aut cuivis de Clero sine Episcopi auctoritate licuisse. Quod observans Balsamon ad Canonem 64. Trullanum ait: „Populum Domini docere, & Divina Decreta interpre„tari *solis Antistitibus* à Divinâ Spiritûs gratiâ concessum „est, & iis quibus ab his permissum est.

Et ad Canonem 19. Trullanum notatum vult. „Quòd „populum docere *solis* Episcopis datum est, & magnæ Ec„clesiæ Doctores Patriarchæ jure docent. „Hoc est, ex commissione & authoritate Patriarchæ.

Ita ex commissione Valerii Hipponensis Episcopi S. Augustinum adhuc Presbyterum ad populum sermonem habuisse testis est Possidius in ejus vita c. 5 Et de S. Chrysostomo in ordine Presbyteratûs constituto refert Palladius: „Agebat „*vices Episcopi* in prædicatione verbi Dei, omniumque „corda mirabili facundiâ Scripturarum dulcedine ornatâ ad „se rapiebat.

II. Quemadmodùm enim omnis animarum Cura & Sacerdotii plenitudo penes Episcopos, atque ab his in inferiorem Clerum diffunditur; ita quoque prædicandi authoritas, quæ Sacerdotii & Pastoralis officii præcipua portio est, tota & plenariè penes Episcopos est, atque ab his in alios inferiores ministros diffunditur; qui, nisi auctoritate ab Episcopo acceptâ, id muneris obire non possunt.

Unde Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap. 15.* *ti De Offic. Ordinar.* & renovatur à Synodo Tridentinâ *Sess. 5. c. 2. De Reform.* advertens „Episcopis non sufficere, „*per seipsos* ministrare populo verbum Dei maximè per am„plas Diœceses & diffusas, generali constitutione sancivit, ut „Episcopi viros idoneos ad Sanctæ *Prædicationis* officium „salubriter exequendum assumant, potentes in opere & ser„mone, qui plebes sibi commissas *vice ipsorum* (cum per se „iidem nequiverint) sollicitè visitantes, eas *verbo* ædificent „& exemplo.

III. Et Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 4. De Reformat.* mandat, „ut in Ecclesia sua ipsi Episcopi *per se*, aut si *legiti„mè* impediti fuerint, per eos quos ad *Prædicationis munus* „*assument*; in aliis autem Ecclesiis per Parochos, sive iis im„peditis, per alios *ab Episcopis* impensis eorum qui eas præ„stare vel tenentur, vel solent; deputandos in civitate, aut in „quacumque parte Diœcesis, censebunt expedire. „

Supponit ergo Synodus Tridentina Episcoporum proprium esse, verbum Dei populo annuntiare, neque alios id nisi ex auctoritate & missione ab Episcopis accepta præstare.

IV. Et quidem in Ecclesia sua propria Cathedrali, si Episcopus *legitimè* impeditus *per se* prædicationis munere fungi nequeat, ipsius est Concionatorem eligere, & deputare; & ita quidem, ut nec Canonici sive Capitulum, nec alius quispiam illius deputationi se immiscere queat; tametsi etiam essent in possessione *immemoriali* deputandi Concionatorem; quam sustulisse Synodum Tridentinam non semel respondit S. Congregatio, uti refert Fagnanus ad *Cap.* INTER CÆTERA ¶ *De Off. Ordinarii.*

Neque quidquam hac in parte exemptio Capituli juvare potest: atque ita pro Episcopo Cathalaunensi contra Capitulum licet exemptum judicavit Senatus Parisiensis teste Renato Choppino *Lib. 1. de S. Pol. tit. 5. n. 8.*

V. Si tamen Cathedralis simul sit Parochialis; atque in ea soleat per Parochum verbum Dei, quemadmodum in aliis Ecclesiis Parochialibus annuntiare, exceptis quibusdam diebus solemnioribus Episcopo reservatis, eo casu circa deputationem Concionatoris observandum, quod Synodus Tridentina circa deputationem Concionatorum in aliis Ecclesiis, quam Cathedralibus, decrevit.

VI. Vult itaque, ut Episcopi *legitimè* impediti aut non sufficientes ut *per se* toti suæ Diœcesi verbum Dei annuntient, id præstent in aliis Ecclesiis distinctis à Cathedrali per *Parochos*.

Hinc patet, Parochos *vice* quodammodo & *auctoritate Episcopi* verbum Dei annuntiare.

VII. Et sanè si pristinam Ecclesiæ disciplinam attendamus, nemo Presbyterorum Concionari sive verbum Dei populo annuntiare poterat, nisi ex *speciali* commissione Episcopi; idque *dependenter* ab ejus voluntate & nutu; adeo ut penes Episcopum esset libera facultas, auctoritatem concionandi, quando ei visum esset, renovare; at hodie postquam officia & ministeria Ecclesiæ in Beneficia ac dignitates transivere, non eadem mansit Episcoporum auctoritas seu libertas.

VIII. Parochi quippe aliique Beneficia curata possidentes; vi suorum Beneficiorum juxta modernam disciplinam jus *quasi ordinarium* & perpetuum accipiunt; ita ut, titulo sui Beneficii jure *proprio & ordinario* exerceant ea omnia, ad quæ vi sui Beneficii obligantur.

Itaque Parochus cæterique Beneficia curata possidentes, accipiunt quidem, etiam secundum hodiernam disciplinam, institutionem Canonicam atque curam Animarum ab Episcopo; atque eatenus jus Concionandi, quod præcipuè ad curam Animarum pertinet, ab Episcopo in ipsos derivatur, at institutione seu *cura Animarum* semel acceptâ, jam jure sui Beneficii, quod est jus *perpetuum*, functiones Beneficio suo annexas persolvunt.

IX. Sicut ergo Episcopus non potest illum, spectatâ modernâ disciplinâ, pro libitu, nullo juris ordine servato, privare Beneficio; ita nec liberum est Episcopo, pro suo arbitrio suspendere aut impedire à functionibus beneficio suo essentialiter annexis, qualis est, Verbum Dei populo annuntiare.

Quod etiam non obscurè innuit Synodus Tridentina, dum vult, ut Episcopi legitimè impediti, in aliis Ecclesiis à Cathedrali distinctis, per *Parochos* Divinam legem annuntient; *his* autem *impeditis per alios ab ipso deputandos*: sat indicans, Episcopos debere *Parochis* tamquam *Ordinariis*, sed subalternis Verbi Dei præconibus, permittere ejusdem prædicationem; neque aliis eam posse committere, nisi dum ipsi *Parochi* legitimè fuerint impediti.

X. Parochis autem *legitimè* impeditis, Episcopi est deputare & eligere concionatores; idque per totam Diœcesim; & quidem impensis eorum qui eas præstare tenentur vel solent.

Unde etiam hodie ex Decreto Concilii Tridentini, Episcopus habet fundatam intentionem deputandi & mittendi concionatores, qui in civitate, aut in quacumque

parte

parte Diœcesis annuntient Verbum Dei *Parochis impeditis aut insufficientibus*, ut illud *per se* pro necessitate populi annuntient.

XI „Hinc cum Episcopus Miletensis providere voluisset, (ait Fagnanus loco citato *numer.* 25.) de concionatore in suburbio Victoriosæ subditis suis, & Officiales ipsius, consulto prius magno Magistro Petro de Monte; respondissent, electionem dicti Concionatoris *non spectare ad Episcopum*, sed ad *eos qui eleemosynam Concionatoribus ex bonis universitatis ministrant*, Episcopo super hoc declarationem postulante, S. Congregatio censuit: Electionem Concionatoris *ad Episcopum* pertinere ex Decreto Concilii *Cap.* 4. *Sess.* 24.

Quin etsi populus aut alius ex consuetudine *non immemoriali* eligeret concionatorem, qui certis diebus Verbum Dei annuntiet, posset nihilominus Episcopus non obstante hac consuetudine Concionatorem deputare, uti sæpius resolvit S. Congregatio apud Fagnanum *numer.* 27. & 31.

XII. Sed si ex consuetudine *immemoriali* ad populum, Capitulum, Parochum aliosve hujusmodi electio sive designatio spectet, ea servanda erit, nec ad Episcopum eo casu deputatio Concionatoris in Ecclesia non Cathedrali spectabit: „quia, inquit Fagnanus *nu* 28. Concilium Trid. *Sess.* 24. „*c.* 4. *De Reformat.* non sustulit consuetudinem *immemorialem* secundum quam facultas nominandi Concionatorem in Ecclesiis *non Cathedralibus* alii, quam Episcopo „competeret, ut sæpius fuit resolutum.

Refert quoque Carolus Fevret in tractatu suo *De abusu lib.* 3. *cap.* 4. §. 22. esse plura Regiorum Tribunalium arresta, quibus declaratum fuit, liberum esse Episcopis mittere Concionatores ad concionandum per Adventum & Quadragesimam in Ecclesiis suarum respectivè Diœcesium, quibus locorum Incolæ obligabuntur dare hospitium & victum.

XIII. Et in specie, cum circa an. 1655. Episcopus Augustodunensis misisset ad quamdam suæ Diœcesis civitatem Concionatorem ex Minimorum Ordine ad concionandum per Adventum: ipseque civitatis Magistratus ipsi hospitium & alimenta recusaret; Episcopus junctis sibi commissariis Cleri Gallicani recurrit ad Concilium privatum Regium: ubi dictum fuit, ut dictus Magistratus & Syndicus Cleri Gallicani contestarentur; ac interim per provisionem conformiter ad Arresta die 30. Martii 1635. & 26. Augusti 1639. Concionatores qui mitterentur ad concionandum in dicta civitate consuetum hospitium & victum acciperent. Cumque Episcopus ulterius pro definitivâ urgeret; & ipse Magistratus Civitatis affirmaret, se esse in possessione *immemoriali* præsentandi Concionatores pro Adventu & Quadragesima ipsi Episcopo: die 17. Decembris ejusdem anni 1655. decretum fuit, ut Magistratus & Incolæ illius civitatis probarent *intra tres menses*, se esse in possessione *immemoriali* nominandi & præsentandi dictos Concionatores Episcopo; salvâ Episcopo probatione contrariâ; interim per provisionem & sine præjudicio juris alterutrius in principali, declaravit Episcopum esse manutenendum & defendendum in jure eligendi & mittendi Concionatores, quibus prædicti Incolæ tenebantur hospitium & victum præbere; nec non permittere solitam quæstuationem. Quæ sententia provisionalis postmodum in definitivam transivit; uti latius in Actis Cleri Gallicani refertur *tom.* 1. *tit.* 2. *cap.* 8.

Hic duo, quæ supra diximus, Regio Arresto decisa videmus. Primum, Episcopum de jure habere fundatam intentionem eligendi ac mittendi Concionatores per totam suam Diœcesim, qui Parochis legitimè impeditis, aut insufficientibus, Verbum Dei annuntient.

Secundum, quòd consuetudo seu possessio immemorialis possit jus Concionatores eligendi & nominandi transferre non tantum in Capitula, Parochos aliosve Ecclesiasticos, sed etiam in laicos; quod apertè supponit sententia provisionalis 17. Decembris an. 1655. prolata; atque in termi-nis pro Æditius judicatum refert De Fresne in libro cui titulus *Journal des Audiances tom.* 1. *lib.* 1. *cap.* 18. & probat notoria Belgii praxis, quæ electionem & nominationem Concionatoris passim ad Parochos, Capitula, Æditiuos, aliosve, pro varia locorum consuetudine transtulit.

XIV. Hæc porro Concionatoris electio seu nominatio, est instar juris Patronatus ad Beneficia Curata; quod & laicis competere potest. Unde sicuti præsentatus à Patrono sive Ecclesiastico sive laico se functionibus Pastoralibus immiscere nequit, nisi prius ab Episcopo curam Animarum acceperit; ita & nominatus seu electus in Concionatorem, debet ab Episcopo concionandi licentiam obtinuisse: neque in vim hujusmodi consuetudinis immemorialis aliud competere potest sive Ecclesiasticis sive laicis, quam eligere Concionatorem unum ex approbatis ab Episcopo; vel sub illa clausula, modo licentiam obtineat.

Certum enim est, nec quisquam in dubium vocat, nullum Presbyterum aut Clericum sæcularem, nisi Beneficium curatum habeat, sine approbatione & expressa licentia *Ordinaris loci publicè* concionari posse.

XV. Quoad Regulares, ob varia quæ prætendebant sibi à Summis Pontificibus indulta in hac materia privilegia, non exigua fuit inter Patres Concilii Tridentini contestatio; de qua videri potest ejusdem Concilii historia à Palavicino conscripta *lib.* 7. *cap.* 4.

XVI. Post hanc concertationem tandem *Sess.* 5. *cap.* 2. *De Reformat.* quoad licentiam ab Ordinario obtinendam, distinctio aliqua facta est inter facultatem concionandi in Ecclesiis *suorum Ordinum* & Ecclesiis *non suorum Ordinum*, ut scilicet, „Regulares cujuscumque Ordinis, nisi à Superioribus suis de vitâ, moribus & scientia examinati & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis „*suorum Ordinum*, prædicare non possint: cum qua licentia *personaliter* se coram Episcopis *præsentare*, & ab eis „*benedictionem petere teneantur*, antequam prædicare incipiant. In Ecclesiis verò quæ *suorum Ordinum non sunt*, „ultra licentiam suorum Superiorum, etiam *Episcopi licentiam* habere teneantur; sine qua in ipsis Ecclesiis *non* „*suorum Ordinum* nullo modo prædicare possint. Ipsam „autem licentiam Episcopi gratis concedant.

„Si verò, (pergit Synodus) quod absit, Prædicator errores aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi in „monasterio sui vel alterius Ordinis prædicet; Episcopus ei „prædicationem interdicat. Quòd si hæreses prædicaverit; „contra eum, secundùm juris dispositionem, aut loci consuetudinem procedat; etiam si prædicator ipse generali vel „speciali privilegio exemptum se esse prætenderet. Quo „casu Episcopus auctoritate Apostolica, & tamquam Sedis „Apostolicæ delegatus procedat.

XVII. Hoc Decretum, in quantum Regularibus permittit prædicare in Ecclesiis *suorum Ordinum* ex sola Superiorum licentia ipsi Episcopo *simpliciter* præsentanda, & *benedictione* ab ipsis *petitâ*; & insuper Episcopis prædicationem Regularibus interdicendi potestatem demum facit, dum Prædicator errores aut scandala in populum disseminaverit, nonnullis è Patribus Tridentinis; atque præ cæteris Brachio Martello Episcopo Felusano miré displicuit; ajebatque publicè in cœtu Patrum super discussione hujus decreti instituto 15. Aprilis an. 1546. „Acerbè se angi, quod liberum esset Regularibus, neque *missis*, „neque *vocatis*, suis in Cœnobiis per Episcoporum Diœceses Concionari. *Quod*, exclamavit, *quidnam est aliud*, „*ô Patres*, *nisi permittere*, *ut lupi non per ostium*, *sed* „*aliunde ingressi ovile perturbent*? Deinde eosdem per „Deum ac Superos obsecrare non destitit, ne id paterentur: „si abnuerent, se pro sua virili parte causam sustentaturum, „provocantem ad cœleste Tribunal, apud quod contestabatur, se insontem in eo esse, & super illos populorum „crimen ac sanguinem abiturum. „Hæc Palavicinus loco citato *nu* 3.

Deinde in generali Congregatione habita 10. Maji rursus

sus prolixâ oratione coram Patribus, idem vehementissimè urgere perrexit, atque ipsos Regulares de privilegiis suis contra auctoritatem Episcoporum gloriantes alloquens, ait: „Nolite nos ita tardo ingenio existimare, ut ista sophismata sive paralogismata non intelligamus, putemusque vos „*vestris in Monasteriis non populo nostro*, sed *Fratribus* „*vestris tantùm*, aut tectis & parietibus esse concionatores. Nolite adeo inhumaniter, ne dicam irreverenter cum „sanctissimis Episcopis agere, ut *nostras plebes* docere *sine* „*permissu & consilio* nostro cogitetis.

His contendebat Antistes ille, nec in Monasteriis *suorum Ordinum* permittendum esse Regularibus *sine licentia Episcoporum* concionari: cùm non minus in Ecclesiis suorum Ordinum, quàm non suorum Ordinum populum Episcoporum Curæ Commissum doceant.

Post hæc prosequitur Felusanus: „Additum est nescio „quid de coërcendis his, qui in concionando à fide aberrarent. Hic ergo jam illud quod notissimum est, non disputabo, quàm non sit facile errantem aliquem & perniciosa docentem redarguere, propterea, quòd non solum „habent ibi tot latebras tantosque recessus, ut etiam deprehensi facile elabantur: sed veniunt ita sæpe ad fallendum „instructi atque artificiosâ concionandi ratione, ut vel eruditissimas quasque aures atque attentissimas non magno „labore fallere, atque in dicendo præterire possint. Sed quæro, utrum tandem ad ulciscendas oves nostras, an ad custodiendas vocati sumus. *Pascite*, nobis dictum est, *gregem* „*& custodite non, vindicate. Mihi* enim *vindicta, & ego* „*retribuam*, atque *occisarum* ovium à nobis, non occidentium lapor an sanguis requiretur.

Hæc & plura Felusanus Antistes in oratione coram Patribus Tridentinis pronuntiatâ, & insertâ *tomo 14. Concil. Col.* 1636. sub hoc titulo: *Brachii Martelli Florentini Episcopi Felusani sententia, quâ declarat, Regulares sine licentia Episcoporum nec in Monasteriis, nec extra Monasteria debere fungi officio prædicandi.*

XVIII. Et licet Patribus Tridentinis tunc visum haud fuerit, postulatis hujus Episcopi per omnia consentire; eamque distinctionem inter facultatem concionandi in Ecclesiis *suorum Ordinum*, & *non suorum Ordinum* omnino tollere; his tamen aut similibus rationibus indubiè effectum est, ut *Sess. 24. cap. 4. De Reformat.* habita 11. Novemb. 1563. cum jam numerus Episcoporum esset frequentior, & temporum conditio convenientior decretum sit, ut „Nullus Sæcularis sive Regularis, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum contradicente* Episcopo, prædicare præsumat.„ Quo Decreto, si cum Decreto priori combinetur, omne in effectu, quod Felusanus optabat, haberi poterit.

Cum enim ex Decreto *Sess. 5. cap. 2. De Reformat.* Regulares priusquam concionari incipiant, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum*, ab Episcopis benedictionem petere debeant; & vi posterioris Decreti non possint in Ecclesiis suorum Ordinum *contradicente* Episcopo prædicare, nonne in potestate Episcoporum est, efficere, ut nemo Regularium, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum* concionetur, de cujus vita, moribus, doctrina & sufficientia non sint plenè instructi; & quem ad id muneris saltem tacitè non approbaverint?

XIX. Id sanè obtinebunt Episcopi, si ad exemplum S. Caroli statuant, „Ne patiatur Parochus, cujusvis Ordinis Regulares in *Ordinis sui Ecclesiis*, intra fines Parochiæ suæ sitis, concionem habere, nisi ex *scripto testimonio* perspexerit, eos muneris hujusmodi in illis Ecclesiis obeundi causâ, *se ad Episcopum* cum concionandi „facultate, quàm à Superioribus suis ipsi obtinuerint, „*contulisse, & benedictionem*, ut Tridentino Concilio cautum est, ab *eodem petiisse.* „ In Concilio Mediolan. III. *cap.* 5.

Hoc quippe pacto fiet quod nullus Regularis etiam in *Ecclesiis suorum Ordinum* concionetur, de quo non constet, eum se præsentasse Episcopo, & benedictionem ab eodem petiisse; adeoque in Episcopi potestate fuisse, ei quoad conciones habendas contradicere, si de ejus moribus & doctrina non satis sit instructus; quâ contradictione vi Concilii Tridentini fit, ut nec in *Ecclesiis suorum Ordinum* concionari queat, adeoque si Episcopus benedictionem impertiatur, testimoniumque illius annuat, neque contradicat, an non sat apertè censebitur illum Regularem, saltem *tacitè*, ad concionandum approbare; & licentiam concedere? præsertim quia simplex Episcopi contradictio, nullâ expressa contradictionis causâ, tam in sæcularibus, quàm Regularibus Beneficium curatum non habentibus sufficit; eo quod horum concionandi potestas tantum sit *vicaria* seu *delegata*, quam ad nutum revocari posse apud omnes in confesso est. Unde sine ulla hæsitatione ait Zypæus in jure novo *tit.* 1. *nu.* 10. „Episcopo contradicente etiam *non dictâ causâ* „(quamvis sine causâ id facere non debeat) nemo prædicare potest, *quantumvis exemptus, quovis privilegio* & „appellatione non obstante.

XX. Nullatenus proinde à mente Synodi Tridentinæ aberrasse videntur Patres Synodi Bituricensis anni 1584. *tit. 3. can. 4.* decernendo, ut „Regulares cujuscumque sint „Ordinis, prædicare non præsumant, etiam in Ecclesiis *suorum Ordinum*, nisi prius examinati & approbati à suo „Superiore, & *impetratâ* ab Episcopo aut ejus Vicario benedictione & *licentiâ*. „ Tacita nimirum *licentia*; quæ „data intelligitur, dum benedictione impertita, non contradicendo, ad concionandum dimittitur.

XXI. Ulterius cum facultas concionandi seu Regularibus seu sæcularibus non habentibus Beneficium curatum concessa duntaxat sit delegata & vicaria, ea ad nutum revocari, restringi & modificari, adinstar jurisdictionis delegatæ, potest.

XXII. Hac de causa præcipiunt passim Synodi, & frequenter Episcoporum Decretis renovatum fuit, ut Pastores neminem in Ecclesiis suis concionari permittant, nisi de *licentia Ordinarii* in *scriptis* prædocuerit. Synod. Mechl. P. II. *tit. 11. cap. 1.* Gand. *tit. 10. cap. 1.* Namurcensis an. 1659. *tit. 10. cap. 1.* &c.

XXIII. Porrò sicuti etiam ad Episcopum sive Ordinarium spectat principaliter munus prædicandi, populumque instruendi; atque inferiores quodammodo tantum *vices* ejus suppleant, eique adjutores sint, & ab ipso missionem ac licentiam accipiant; ipsius quoque est, invigilare atque intendere, num Officio in nullo desint; sed diligenter instructioni populi incumbant, eique sincerum & conveniens spirituali Verbi Divini pabulum porrigant; eosque si in eo delinquant, corrigere & punire.

Quapropter cum Senatus Burdigalensis interdixisset Episcopo Bagienti, inquirere in doctrinam inter concionandum propositam, causâ ad Concilium privatum Regium devolutâ, Rex, cassato dicto Burdigalensis Senatus decreto, inhibuit tam prædicto Senatui Burdigalensi, quàm aliis Senatibus & Judicibus laicis, ullo titulo aut prætextu esse impedimento Prælatis in capienda informatione super *doctrina* in concionibus sive à Sæcularibus sive Regularibus proposita, ipsam religionem concernente.

Similiter inhibitio Regia facta fuit an. 1657. Parlamento Parisiensi, & cæteris omnibus, cognoscendi de materia doctrinæ, missionibus Concionatorum, approbationibus Confessariorum; & aliis materiis merè spiritualibus, & per sententiam Concilii Sanctioris rursus confirmatum fuit, Referuntur hæc arresta & decreta in Actis Cleri Gall. *Tom.* 1. *tit. 2. cap. 20. 22. 23. & 24.*

XXIV. Et inter propositiones quas Anno 1656. 10. Archiepiscopi cum 73. Episcopis plurimisque Abbatibus aliisque Prælatis Conventum generalem Cleri Gallicani constituentes, tamquam temerarias, scandalosas, falsas, erroneas, in hæresim & schisma inducentes, Sedi Apostolicæ, Conciliis tum Œcumenicis, tum Provincialibus, & Præcipuè Sacro Tridentino, & Ordini Episcoporum Apostolico contrarias & injurio-

sas,

sas, Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivas respectivè damnarunt, erat hæc: „Regulares Mendicantes petere possunt „ licitè à Judicibus secularibus, ut injungant Episcopis, quatenus ipsis mandata concedant, ad prædicandum in Adventu & Quadragesima: quod si renuant facere Episcopi, „ Decretum Judicum sæcularium *tantumdem valet*, ac *si* „*permissio dictis Religiosis concessa* fuisset.

Quin tamen interdum Magistratus Regii procedere atque informationes sumere possint contra Concionatores seditiosa aut scandalosa in populum spargentes, quæ magis ad emotionem & seditionem, quam ad pietatem & debitam erga Superiores & Magistratus observantiam plebem excitare possent, non est dubium.

Unde cum quidam Parochus in urbe Parisiensi aliqua admodum seditiosa; quæ populum contra Magistratus incitare & commovere nata erant, in concione dixisset, per sententiam Senatus Regii decreta fuit dicta Parochi incarceratio, quoadusque aliter per Curiam esset statutum 11. Junii 1590. Rursus 8. Martii 1591. injunctum fuit per Senatum Regium ad instantiam Procuratoris Regii omnibus Concionatoribus, ne in suis concionibus utantur discursibus seditiosis, qui populum ad emotionem excitare possent, sub pœna quod adversus contravenientes pro casus exigentia procedetur; injungens unà locorum Officialibus ut manum adhibeant, atque in contravenientes secundum rigorem ordinationum procedant. Quæ omnia aliaque plura latiùs referuntur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c. 29.*

CAPUT IX.

Episcoporum est pro populo orare; populum ad orationem excitare; preces publicas indicere & dirigere, & abusus, si qui irrepserint, tollere.

1 *Instantiam orationis præcipuum esse suum officium, crediderunt Apostoli: & quare?*
2 *Episcopi certam horam orationi destinare debent.*
3 *Episcopo præcipuè incumbit sacrificii incruenti oblatio.*
4 *Quandonam specialiter Episcopus Missæ Sacrificium offerre debeat.*
5 *Episcopus populum ad orandum excitare; modumque orandi docere debet.*
6 *Libellos precum examinare Episcopo incumbit.*
7 *Orationes publicas ex causa publica & communi, Episcopi est indicere, & dirigere.*
8 *Episcopi est præscribere orationem* Quadraginta horarum, *& quomodo hanc instituerit Sanctus Carolus?*
9 *Non sufficit in hac oratione publicè exponi* Venerabile; *sed præcipuè incitandus populus ad solidam devotionem.*
10 *Preces publicas indicere ad Episcopum spectare sæpius declararunt Parlamenta Regia.*
11 *Precibus publicis annumerantur supplicationes seu processiones; hasque indicere pertinet ad Episcopum.*
12 *Exemptio non impedit hac in parte authoritatem Episcopi.*
13 *Episcopi est præscribere quomodo processiones sint habendæ; & quæ in iis cavenda aut observanda.*
14 *An Episcopus possit præscribere, ut in Processionibus Venerabile non circumferatur cum Imaginibus aut Reliquiis Sanctorum?*
15 *Episcopi est cõponere controversias de* præcedentia *quæ inter personas Ecclesiasticas in processionibus oriuntur.*
16 *Hæ controversiæ* summariè *absolvi debent.*
17 *Interdum super his controversiis ad Tribunalia Regia recurritur.*
18 *Clerici tam Regulares quam seculares ad publicas Processiones vocati accedere debent; & etiam compelli possunt.*
19 *Etiam exempti accedere tenentur.*
20 *Consuetudo nequidem immemorialis eximere potest Capitula Cathedralia ab accessu ad publicas supplicationes.*
21 *Episcopus mutare aut etiam abrogare potest antiquas supplicationes.*
22 *Precibus publicis, quarum directio est apud Episcopum, annumerandum Officium Canonicum.*
23 *Episcopi est, Breviaria, Missalia, aliosque libros ad Divinum Officium pertinentes revidere & emendare.*
24 *Correctio Breviarii Aurelianensis nuper ab Episcopo facta; & quæ hic observata.*
25 *Ubi est receptus ritus Romanus observanda Bulla Pii V. & stilus Curiæ Romanæ.*
26 *Episcopus abusus circa Missæ Sacrificium corrigere debet.*

I. APostoli convocantes multitudinem Discipulorum dixerunt: *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergò, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto & sapientiâ, quos constituamus super hoc opus. Nos verò* ORATIONI *& ministerio Verbi* INSTANTES *erimus*. act. 6.

Ministerio ergo Verbi junxerunt Apostoli *instantiam orationis*; scientes, quam esset necessarium hanc illi jungere, si prædicationis fructum in populo videre vellent; juxta illud quod postmodum dixit Apostolus: *Neque qui plantat est aliquid neque qui rigat, sed qui incrementum dat Deus.*

Hoc verò incrementum divinum quis suis precibus præcipuè in populum attraher, nisi is *qui ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis, quæ sunt ad Deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis*; id est, omnis Pontifex sive Episcopus?

Hinc illud Apostoli ad Colossenses 1. *v. 9. Non cessamus pro vobis* ORANTES & POSTULANTES *ut impleamini agnitione voluntatis ejus in omni sapiẽtia & intellectu spiritali.*

II. Cum ergo „ in Oratione Sanctisque meditationibus „ eos (Episcopos) frequentes esse oporteat (verba sunt S. „ Caroli in Concilio Mediolanensi IV. *parte 3. cap. 1.*) certam sibi horam quotidie sumant, quam in contemplationum divinarum studio, exercitationeque attentissimis religiosæ mentis cogitationibus ponant. Qua oratione *non* „ *sibi ipsis tantum* Divini luminis illustrationem deposcant, „ sed etiam *pro fidelibus* suæ curæ commissis humiles preces fundant; *eorum peccata deplorando*, pioque gemitu „ & religiosa supplicatione Deum orando, ut disjectis peccatorum nubibus, pluviam, & rorem suæ divinæ gratiæ ac misericordiæ effundat in hæreditatem & agrum Ecclesiæ suæ.

Et Patres Concilii Tholosani an. 1590. „Orationibus & „ meditationibus singulo quoque die, certis statisque horis „ incumbant, quibus in cœlestium rerum contemplatione „ versantes, divinam sibi, suisque gregibus gratiam summâ „ & veneratione & contritione deprecabuntur. „ *parte 1. tit. De Episcopis.*

Idipsum & Concilium Narbonense an. 1609. Episcopis attentissimè inculcat; „ ut quod, ait, in Fidelibus sibi commissis „ confractum, divinâ bonitate alligetur, quod languidũ est sanetur, perditum reparetur, & quod bonum est conservetur.

III. Porrò excellentior & efficacior species orationis cùm sit Missæ Sacrificium, hujus quoque celebratio præcipuè ad Episcopum spectat. Nec primis Ecclesiæ seculis Presbyteris oblatio hujus Sacrificii concedebatur, nisi absente aut impedito Episcopo; imò tam apparuisset insolitum, quòd Episcopus diebus Dominicis festisque conventui Fidelium non præsedisset, verbum Dei non explanasset aut Sacrificium non obtulisset, quàm si Judex diebus juri dicendo designatis pro tribunali non sedisset.

Quare S. Gregorius volens exprimere magnitudinem dolorum quos ex podagra patiebatur, scribit, „se tantis podagræ doloribus affligi, ut vix in diebus Festis usque ad horarum trium spatium surgere valeat, *Missarumque Solemnia* celebrare. „ *Lib. 8. epist. 35.*

Non immerito proinde dixit Synodus P. I. Mechliniensis:

ſenſis: „Inter cæteras Epiſcoporum functiones non infi„mum locum habet *oratio* pro populo & *communis Sa„crificii oblatio*, de quibus ſi bonum habeant teſtimonium, „non parum inde eis auctoritatis accedet. „*Tit. de Epiſcopis cap.3.*

IV. Rectè ergo Epiſcopos monuit S. Carolus in ſuo Concilio Mediol. IV. loco citato, „Miſſæ Sacrificium frequen„tius celebrare ſtudeant. Dominicis verò feſtiſque diebus, „ne id præſtare omittant. Hoc verò ipſum facere curent „crebriùs in Eccleſiis, quàm in privatis oratoriis.

„Præterea Miſſæ Sacrificium facere ſtudeant illis diebus, „quibus Eccleſiaſtica Beneficia conferent; & generalia Cle„ricorum, qui initiandi ſunt, & Confeſſariorum examina „habebunt, cæteraſque denique graviores conſultationes & „deliberationes inibunt.

V. Nec tantùm ipſe pro ſe populoque ſuo multum orare debet, ſed inſuper populum ad orandum incitare, ipſumque orandi modum docere; nec non preces tum privatas tum publicas præſcribere ac dirigere.

Quantâ curâ & ſolicitudine S. Carolus populum ſibi commiſſum ad orationis exercitium quotidianum excitaverit, paternoque affectu monuerit, ipſumque orandi modum docuerit; ejus Litteræ Paſtorales ea de re ad univerſos ſuæ Diœceſis Fideles miſſæ oſtendunt, quarum compendium ſuprà *cap 7.* retulimus.

VI. Quia verò populus ad evitandas diſtractiones, & ad excitandam in ſe pia deſideria & affectum inflammandum uti ſolet certis libellis devotionis aut formulis precationum, Epiſcoporum atque Paſtorum eſt, invigilare in hujuſmodi libellos & precationum formulas, num ad ſolidam devotionem excitandam & fovendam ſint convenientes; utrum nihil ſanæ doctrinæ aut ſolidæ pietati contrarium contineant; utrum nihil ſuperſtitionis, aut ad eam inclinans ſub ſpecie pietatis miſceatur.

„Libris, quibus preces variæ continentur (ait Synodus „Cameracenſis P.I. *tit. 1. cap.3.*) plerumque falſis, ſuperſti„tioſiſque titulis aſperguntur: ea omnia *purgari* diligen„ter, & ad *proportionem fidei reduci Epiſcoporum ſeduli„tate* præcipit Sancta Synodus.

VII. Ad Epiſcopum quoque ſpectat, preces publicas & communes inſtituere, ipſique populo præſcribere, modumque in illis ſervandum conſtituere.

Hujuſmodi preces publicas & communes, non tantùm pro calamitatibus & periculis temporalibus Reipublicæ aut populo imminentibus, ſed vel præcipuè ut ſpiritualia animarum pericula & calamitates avertantur, inſtituere, exemplo S. Caroli, Epiſcopis incumbit; vel etiam de aliquo negotio, à quo multarum animarum ſalus dependet.

VIII. Et quidem de *Oratione 40. horarum*, quæ una atque hodie vulgatiſſima Orationis *publica* ſpecies eſt, dicit S. Carolus in concilio ſuo Mediol. II. *tit. 1. dec. 16.* „Oratio quæ *quadraginta horarum* dicitur, ne ulla in Eccleſia extra ordinem conſtituatur *ſine Epiſcopi conceſſu*. Iſque eam ita ſanctè geri curet, ut pii illius inſtituti ratio exigit.

Ut autem hoc aſſequeretur, plura poſtmodum ſtatuit in ſuo concilio Mediol. IV. *parte 2. tit.* *Quæ ad Sanctiſſimum Eucharistiæ Sacramentum pertinent*; atque inter alia, in iis ſolum Eccleſiis ſive ſæcularibus, ſive Regularibus fiat celebreturvè, in quibus Sanctiſſimum Sacramentum aſſervatur: nec vero in iis omnibus, ſed in illis tantummodò, quas *Epiſcopus ſtatuerit*. Fiat autem in conſpectu Sanctiſſimi Sacramenti: quod è tabernaculo expoſitum, in majori, aliovè, *ſi Epiſcopus ita cenſuerit*, altari propalam collocetur.

Poſthæc vult, ut non minùs quàm ſex cerei & tres lampades ante Venerabile luceant; nec plures quàm decem cerei, aut 12. vel 13. lampades; *niſi Epiſcopus ex cauſa majorem luminum numerum permittat*. Deinde orationis tempore cum Sanctiſſimum Sacramentum palam proponendum eſt, Clerus omnis ipſius Eccleſiæ ſuperpelliceo indutus Sacerdoti Venerabile exponenti aſſiſtat; & ſi pauciores ſint quàm ſex in illa Eccleſia, aliunde advocentur; ut ne eo numero pauciores ſint; iique *cum luminibus accenſis*; tum homines itidem Parochiæ in cujus Eccleſia finibusvè oratio exponitur, præſertim Sodalitati Sanctiſſimi Sacramenti adſcripti.

Dum illud in Altari propoſitum eſt; interdiu duo Clerici ſuperpelliceo induti, capite aperto ad Altare ſemper aſſiſtant: quorum alter Diaconus ſaltem ſit; noctu verò ſaltem unus, iſque in ſacro Ordine conſtitutus.

„Ad excitandam populi in ſtatâ hac oratione verſantis „pietatem, ait, hoc curetur, ut aliquando, quo præſertim „tempore, quâve horâ frequens eſt Fidelium ad eam con„curſus, *ſermo, iſque brevis*, ad *pia meditationis* ſtudium „inflammandum appoſitè habeatur.

Præterea vult ab Epiſcopo deſignari viros aliquos graves, pietatis ſpiritualiſque vitæ amantes qui in ſua quiſque regione orationis hujus curam gerant, quo tempore illa celebratur. Qui inter cætera curabunt, ut oratio hæc per 40. horas *continenter* fiat; quem in finem Parochiam, in cujus finibus oratio habetur, in certas claſſes partientur; ſinguliſque ſuas horas aſſignabunt, ut tamen fœminæ noctu ad Eccleſiam non accedant: Et ſi noctu orantes deeſſent, Venerabile in tabernaculo reponatur.

IX. Hic in primis intelligant Epiſcopi & Paſtores, quibus inſtituendi ac dirigendi hujuſmodi publicas preces officium incumbit, non ſatis fuiſſe S. Carolo, uti hodie à nonnullis apprehendi videtur, ut Venerabile Sacramentum publicè in Eccleſia exponatur; ſed præcipuè curæ fuiſſe, ut populus ad ſolidam ac ſinceram devotionem excitetur; atque preces illæ vero devotionis affectu agantur.

Inſuper videmus, non dubitaſſe S. Carolum cæteroſque qui ipſi in celebratione concilii Provincialis aſtiterunt, quin publicæ hujus orationis inſtitutio & directio *ad Epiſcopos* ſpectaret.

Nec mirum, cùm enim ſimiles publicæ orationes populum præcipuè concernant: atque ad populi pietatem & devotionem excitandam inſtituantur, quis naturalior earum director eſſe poteſt, quam Epiſcopus; cui totius populi cura & directio in his, quæ ad pietatem & religionem ſunt, incumbunt.

X. Unde cum Magiſtratus & intendentes cujuſdam Urbis ſuâ propriâ auctoritate ordinaſſent cantari ſolemniter *Te Deum laudamus*; ipſoſque Eccleſiaſticos ad id coëgiſſent, priuſquam interveniſſet Decretum Epiſcopi Diœceſani; facta inſuper inhibitione recipiendi Epiſcopale mandatum ſi quod daretur: Re delatâ per Epiſcopum ad Concilium ſanctius, per Arreſtum concilii 14. Decembris 1638. caſſata fuit dicti Magiſtratus ordinatio; ipſique Eccleſiaſtici exonerati à mulctâ per Magiſtratum comminatâ; cum inhibitione factâ Magiſtratui, impoſterum quidquam ſtatuendi quod Eccleſiam concernit; aut turbaret Epiſcopum in functionibus ſuæ curæ. Refertur in Actis cleri Gallicani *tomo 1 tit. 2. cap. 5. n.6.* Et *nu. 7.* refertur Arreſtum ejuſdem concilii Regii, quo 20. Novemb. 1643. declaratum fuit, Capitulum Burdigalenſe non debere recipere mandata pro publica gratiarum actione, aliiſque publicis precibus, quas Rex judicaſſet eſſe faciendas in Eccleſia Burdigalenſi, ab alio, quàm *Archiepiſcopo, ejuſque Vicario* generali in ejus abſentia.

XI. Et *num. 8.* aſſeritur, per Senatum Pariſienſem 8. Januarii 1647. declaratum, *Proceſſiones generales, Te Deum*, aliaſque *publicas Preces*, quæ fient ad inſtantiam Regis, indicendas eſſe per *Epiſcopum* ejuſvè *Vicarium*, de quo Capitulum *gratioſè* monebitur. Particulares verò preces ex communi Epiſcopi & Capituli reſolutione.

Hic precibus publicis, quarum indictio & directio Epiſcopo adjudicatur, annumerantur *Proceſſiones*; utpote quæ & ad populi pietatem promovendam inſtituuntur.

L His

His consonat resolutio S. Congregationis, quam ex Barbosâ recitat Zypæus in Jure novo *Tit. De majoritate & obed. numer.* 12. nimirum, Episcopum in indicendis *Processionibus publicis* non debere habere consensum Capituli; & quidem non obstante quasi possessione contrariâ aut consuetudine.

XII. Neque Prælatum quantumvis exemptum posse impedire Episcopum indicere *Processiones* in sua Ecclesia, judicavit Concilium Privatum pro Episcopo Audomarensi 21. Aug. 1593. & 25. Septemb. eodem anno, contra Abbatem S. Bertini. Habetur sententia in Registro sententiarum Concilii Privati, quod incipit à prima Februarii 1591. fol. 25.

XIII. Nec indicere dumtaxat Processiones seu Supplicationes solemnes ad Episcopum spectat, sed etiam quâ viâ & quò ducendæ & dirigendæ; item quo ritu & formâ instituendæ; quæque in iis cavenda aut observanda sint.

Hâc ratione mandavit in sua Synodo D. anno 1567. Archiepiscopus Cameracensis Archipresbyteris suis: „Ut sollicitè perspiciant in Ecclesiarum visitatione, num non irrepserunt aliqua superstitiosa & vana *in Processiones*. Ubi verò hujusmodi aliquid compertum habuerint, volumus, ait, nobis nostrisque Vicariis quamprimum denuntiari, ut ab omni irreverentia repurgatis Ecclesiis, in vera pietate Fideles omnes contineamus.

Eâdem ferè ratione vetuere Episcopi Belgii in suis respectivè Synodis: „Ne in *Processionibus*, quas *dedicationum* vocant, *Venerabile Sacramentum* circumferatur: eò quòd ad hujusmodi Processiones populus magis spectandi, quàm orandi causâ accedere soleat.

Et Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 14. *cap.* 2. & 5. „Imagines sacras sæculariter comptas, nec in Templis, nec in *Processionibus* tolerent Episcopi; & quæ ad ornatum *Supplicationum* proponuntur, ejusmodi sint, quæ oculos spectantium non offendant.... Numquam etiam Reliquiæ vel Imagines in *Processionibus* deferantur, nisi per Clericos sacris initiatos, quantum fieri potest; neque tam longi itineris circuitu, ut aut populi devotio langueseat, aut compotationibus aliisque insolentiis occasio præbeatur.

XIV. Similiter licet *per se* inordinatum non sit, Imagines aut Reliquias Sanctorum unà cum Venerabili Sacramento in *Processionibus* circumferre; *significantes*, ut ait Synodus Coloniensis anno 1549. *illos nunc cum ipso regnare & triumphare in cœlis, qui vestigia ejus hic in terris secuti sunt*; si tamen Episcopus videat, eam esse populi sui circa aliquas Sanctorum Imagines aut Reliquias inordinatam devotionem, ut ex externo agendi modo sat appareat, honorem SS. Sacramento debitum ad Sanctorum Imagines potius, quàm ad ipsum Venerabile referri: idque etiam non raro cum summo hæreticorum scandalo, poterit Episcopus præcipere, ne cum ipso Venerabili Sanctorum Imagines aut Reliquiæ circumferantur.

Quod etiam pridem, ob illud indubiè periculum, sæpius Decretum fuit. „In solemni illa Processione, ait S. Carolus, in qua Sanctiss. Domini Corpus per urbem religioso cultu defertur, *ne Reliquia ulla*, sed *illud solum*, ut *veteris* instituti, *Ecclesiæque Romanæ Matris consuetudinis est*, pio, religiosoque apparatu, solemnique celebritate feratur. Concil. Med. IV. *parte* 2. *cap* 4.

Similiter An 1639. Synod. Namurc. statuit: „Quando continget Venerabile Sacramentum deferri, nullæ aliæ Reliquiæ vel Imagines Sanctorum deferantur.... in die verò Patroni sola ejus Imago vel Reliquiæ deferantur.

Quin & An. 51. currentis sæculi Maximilianus Henricus Archiepiscopus Coloniensis decrevit: „quod tametsi pium & laudabile sit, ut in communibus Processionibus & supplicationibus ac stationibus deportentur Sanctorum (si quæ in Ecclesiis habentur) Reliquiæ, vel sola Imago Divi loci Titularis, in eis tamen Processionibus & supplicationibus ubi SS. Sacramentum circumfertur, nullæ meritò Sanctorum vel Imagines vel Statuæ juxta S. Caroli Borromæi præscriptum (nisi pia multorum locorum consuetudo, aliud postulet) deportentur; de qua tamen *consuetudine integrum erit nobis nostrove in spiritualibus Vicario generali, seu Decanis ruralibus cognoscere, an cum pietate verâ & persuasâ consistat*.

Hinc patet, dictum Archiepiscopum desiderasse quidem, ut juxta S. Caroli præscriptum cum Venerabili Sacramento Sanctorum Imagines non circumferantur; aliquid tamen consuetudini in re de se minimè inordinatâ detulisse; ita tamen ut sibi integrum esse declaraverit, judicare, num hic & nunc consuetudo illa veram populi devotionem non impediat, nec ejus erga SS. Sacramentum reverentiam potius diminuat quam promoveat.

Et meritò; in his enim quæ interdum devotioni congruere, subinde verò ob temporum circumstantias & populi conditionem officere possunt, Episcoporum est invigilare & judicare, quid conveniat; subditorum verò obedire, & judicio Episcopi se submittere; juxta illud Augustini in simili materia indifferenti: *Episcopo tuo in hac re noli resistere, & quod facit ipse, sine ullo scrupulo vel disceptatione sectare.*

XV. Hæc plenam Episcoporum auctoritatem in indicendis dirigendisque *Processionibus*, utpote publicis precibus populum spectantibus abundè evincunt; quam & Synodus Tridentina supposuit, dum *Sess.* 25. *c.* 13. *De Regularibus* voluit, ut „controversias omnes de præcedentia, quæ persæpe maximo cum scandalo oriuntur inter Ecclesiasticas personas, tam Sæculares, quam Regulares, cum in *Processionibus publicis*, tum in iis quæ fiunt in tumulandis defunctorum corporibus, & in deferenda umbellâ & aliis similibus; Episcopus amotâ omni appellatione, & non obstantibus quibuscumque componat.

XVI. Cum præcipuè in hoc Decreto Synodus intendat obviare scandalis, quæ ex hisce controversiis nata sunt oriri, ni mox & indilatè sistantur, compositio Episcopi eò maximè tendere debet, ut brevi manu, summariè, ac de plano, sine strepitu & figura Judicii expediat universa, quemadmodùm S. Congregationem declarâsse fertur, quæ similiter declaravit, appellationem hic amotam dumtaxat quoad effectum suspensivum; nequaquam verò quoad effectum devolutivum.

XVII. Quia verò interdum Episcopalis auctoritas hujusmodi controversiis diminuendis ac sopiendis haud sat potens & efficax est, Regia nonnunquam accedit; quæstionesque super hisce controversiis ad Concilia Regia, præcipuè si de possessorio agatur, frequenter devolvuntur; quod quotidianâ praxi notius est, quàm ut probari debeat. Et plura Regia Arresta in hac materia refert Renatus Choppinus *Lib.* 2. *Monast. tit. ult. num.* 23.

XVIII. Addit deinde Synodus Tridentina: „Exempti autem omnes, tam Clerici Sæculares, quàm Regulares, quicumque, etiam Monachi, ad *publicas* Processiones *vocati* accedere compellantur, iis tantùm exceptis, qui in strictiori clausura vivunt.

Vigore hujus Decreti decisum esse testatur Stephanus Gratianus *Decis.* 232. *num.* 15. in Curia Episcopali Papiæ, „Monachos posse compelli ab Episcopo, & Censuris distringi aut saltem pœnis pecuniariis, ut vadant ad Processiones publicas.

XIX. Et Erasmus Choquier post Choppinum *De Sacra Politia lib.* 2. *tit.* 6. *n.* 18. refert judicatum, „quod omnes, *quantumcumque exempti*, accedere tenentur ad processiones consuetas, aut indictas pro bono publico vel honore.„ *De Jurisd. in exemptos parte* 2. *quæst.* 45. *numer.* 109.

XX. Fuere quidem nonnulla Capitula Canonicorum, quæ titulo *immemorialis* consuetudinis & possessionis se prætendebant ab hac accedendi ad processiones obligatione exemptos; sed observat Aloytius Riccius in *praxi sua Neapol.* hanc consuetudinem in Gallia esse reprobatam tamquam illegitimam & irrationabilem. Et in

specie

specie Canonici Metenses, quantumvis exempti, declarati sunt non receptibiles ad prætendendum se non esse obligatos comitari suum Episcopum in publica supplicatione, per sententiam Senatus Parisiensis anno 1583. Similia duo alia Arresta contra Canonicos titulo *antiqua possessionis* idipsum prætendentes referuntur per Meynardum *lib.* 1. *Notab.* 44. *cap.* 5.

XXI. Hac eadem auctoritate possunt Episcopi Processiones antiquitus institutas, ac multo tempore observatas, vel in totum abrogare, aut immutare, si in eas abusus irrepsisse viderint, nec tam ad excitandam devotionem, quàm ad excessus committendos conducere perspexerint.

Hoc motivo Patres Synodi Coloniensis Anno 1536. processiones quæ per agros & campos peragebantur, abrogarunt, sive voluerunt, ut hæ processiones de cætero intra septa Ecclesiarum religiosè fierent, ac ut in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur Deus, habeaturque tum pius rei ac tempori conveniens sermo commonitorius.

Rationem hujus desideratæ mutationis assignant, quod processionum harum institutio rationem quidem habeat, nempe quod populus oret, *ut segetes ac fruges terræ à Domino conserventur*: „Verùm ut alia plurima, inquiunt, ita & „hic mos hominum malitia depravatus est, quod per occasionem talis deambulationis, quæ Deo placando erat instituta, pleraque scelera committantur. Quamobrem nobis „sanius videtur, ut hæ aliæque supplicationes ac processiones, de cætero intra septa Ecclesiarum religiosè fiant, ac ut „in templo, loco precationibus peculiariter dedicato, oretur „Deus, habeaturque tum pius rei ac tempori conveniens ad „populum commonitorius sermo.

XXII. Quin inter species orationis publicæ recensendum sit Officium Canonicum, sive Horarum Canonicarum solemnis persolutio, indubitatum est; ut proinde etiam hic cura Episcopalis invigilare debeat, num omnia ritè devotè ac recto ordine peragantur; nihilque solidæ devotioni, ac Divini Officii majestati contrarium immisceatur.

XXIII. Quapropter non tantum in pristinis, sed etiam recentioribus, ac nostræ penè ætatis Synodis frequenter inculcatum Episcopis legitur, ut Breviaria, Missalia, Antiphonalia, aliosque ad Ecclesiasticum Officium spectantes libros diligenter examinent; & si quid superfluum aut cultui divino indecens aut minus dignum repererint, tollant.

Concilium Senonense superiori sæculo Lutetiæ Parisiorum sub Antonio à Prato S. R. E. Cardinale, nec non Senonensium Archiepiscopo, & Galliarum Primate celebratum statuit: „ut Diœcesani statim post dissolutum præsens Con„cilium diligenter visitent Breviaria, Missalia, Antiphonalia, „ac Sanctorum Legendas. Et quæ deprehenderint in illis „superflua, aut non satis pro Ecclesiæ dignitate convenien„tia ipsi continuo tollent & resecabunt, & quæ viderint esse „necessaria, adjicient. „ *Cap.* 1.

Similiter sub idem pene tempus. Patres Concilii Coloniensis attendentes „nonnulla in divinum officium cæco „quodam judicio invecta, judicarunt operæ pretium fa„ctum, si Missalia perinde atque Breviaria pervideri cura„rent, ut amputatis tantùm superfluis & quæ superstitiosius „invecta videri possint, ea tantum, quæ dignitati Ecclesiæ „& priscis institutis consentanea fuerint, relinquantur. „ An. 1536. *part.* 2. *c.* 11.

Concilium quoque Mechliniense intelligens, quoniam in Divino Officio quandoque „& potissimum in festis quæ „certis Diœcesibus propria sunt, in historiis quæ leguntur, „& sequentis Missarum quædam occurrunt, quæ subinde „pios offendunt, statuit ut curent Episcopi & quod in eo „officio purgandum videtur & corrigendum, expurgent & „corrigant, aut loco Officii hujusmodi jubeant Officium de „communi cantari.

Hisce addi possunt quæ in sua Synodo anno 1570. statuit Episcopus Namurcensis Antonius Havetius, qui Concilio Tridentino interfuit, titulo *De Sacra Eucharistia & Divini Officii persolutione cap.* 8. „In Divino Officio, „ea tantùm convenit decantari vel legi, quæ solida sunt, & „ad ædificationem faciunt tam proferentium quam au„ditorum. Quare Ecclesiarum Rectores & Præfecti dili„genter advertant, an in suis Ecclesiis aliqua sint immixta „Officio Ecclesiastico *falsa, incerta*, vel *non verosimilia*: „quæ si deprehenderint, ad nos deferant, ut eorum loco, „*ex scriptura, vel veteribus ac probatis scriptoribus soli„da substituantur*.

Nullatenus proinde dubitarunt Episcopi, quin Breviariorum aliorumque librorum ad Divinum Officium spectantium visitatio atque correctio sibi incumberet.

XXV. Hac auctoritate usus Episcopus Aurelianensis anno 1693. novam Breviarii Diœcesis suæ editionem & emendationem procuravit.

In hac verò emendatione seu correctione inprimis observavit, ut „nihil in *Antiphonis*, nihil in *Versibus & Re„sponsoriis* sit insertum, quod ex *Scripturis Sacris* non sit „descriptum, ita ut (verba ejus sunt in præfatione Bre„viario correcto præfixâ) in his omnibus vel Deus ip„se nos alloquatur, vel verba suppeditet quibus ipsum al„loquamur. *Amica* enim *& familiaris* oratio est (ait S. „Cyprianus Martyr & Episcopus *lib. De orat. Dom.*) „*Deum de suo rogare*.

Ulteriùs indicta præfatione exponit: „Optandum quidem „esse, totam utique Scripturam unâ serie in Officiis Divi„nis singulis annis legi potuisse: sed, at cùm plura contineat, „quàm ut integra hoc temporis spatio legatur; id saltem ef„fecimus, ut ex Scripturæ lectionibus nulla (paucissimis „exceptis) umquam omitteretur, & lectiones ipsæ ex iis de„sumerentur locis, quæ & scitu magis essent necessaria, & „ad animos rerum cœlestium amore inflammandos magis „efficacia.

„Lectiones ex *genuinis & indubitatis* SS. Patrum ope„ribus, inquit, depromptæ sunt, quæ Scripturarum locis „difficilioribus lucem afferant, fidei dogmata firmius stabi„litant, Christi præcepta luculentius explicent, peccati o„odium altius in animis imprimant, ac vitæ æternæ deside„rium ferventius excitent.

Psalterium sic disposuit, ut singulis ferè hebdomadis totum recitetur.

Hoc verò vel maximè cordi fuit huic Antistiti, ne quid falsi aut incerti vel fabulosi in Officio divino legeretur; quare omni studio in hoc allaboratum fuisse ait, „Ut veritati si„mul ac Fidelium ædificationi consulentes, *falsa* ac *dubia*, „removerentur; eaque ex Sanctorum historia proponeren„tur, quæ legentium animos ad Deum amandum, & San„ctos imitandos suavius allicerent.

Denique cùm nulli Sacerdotum Canones ignorare permittatur; ideo „quæ Clerici & maximè Sacerdotes qui pro „aliorum salute invigilant, circa fidem & mores scire appri„mè convenit, ex Conciliorum Decretis, & Sanctorum scri„ptis excerpsit & ad calcem Breviarii edi curavit: ut singulis „diebus ad *Primam*, etiam ab iis qui privatum Officium „recitant, aliquid inde legatur.

Et quidem pro die 29. Aprilis, qua die hæc scribo hoc à Canonicis Clericisque notandum Synodi Coloniensis Decretum assignatur: „Utinam optando, à Deo Op„timo Maximo consequi possimus, ne quisquam lucri „causâ divinis intersit, alioquin non accessurus sacra; „veluti quem nummi magis, quàm Dei amor in tem„plum trahit, quæstum pietatem esse putans: qui (non „dubium) ex numero eorum est de quibus Isaias dixit; „omnes diligunt munera, sequuntur retributiones. „ Optandum, ut & Breviarii Romani, quo plerique in Belgio utuntur, aliqua nova correctio fieret; qua præsertim

sertim apocrypha & dubia tollerentur; atque certa & indubitata substituerentur.

XXV. Sed cum pleræque Ecclesiæ Belgicæ, præsertim sæculares receperint Breviarium & ritum Romanum, attendenda erit circa Librorum Divinorum correctionem Bulla Pii V. quæ Breviario Romano præfici solet; atque stylus Curiæ Romanæ, qui omnia pene ad Ritus spectantia Congregationi quæ *Rituum* dicitur commisit; ubi de hac Congregatione agetur, latius ostendetur.

XXVI. Denique Synodus Tridentina hanc circa preces publicas Episcopalem auctoritatem expendens, ipsis Episcopis mandavit, ea omnia quæ à Sacrificii Missæ dignitate aliena sint, quæque vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio induxit, è medio tollere sedulò curent, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque; uti fusius dicetur, & abusus è medio tollendi proponentur infra *parte 2. titulo De Celebratione Missarum.*

TITULUS XXVII.
De visitatione Episcoporum.

CAPUT I.
De necessitate & scopo Visitationis.

1 *Cura animarum necessario requirit Episcoporum Visitationes.*
2 *Canones obligationem visitandi urserunt.*
3 *Synodus Tridentina quotannis Visitationem institui voluit.*
4 *Episcopus non adstringitur ad* unicam *Visitationem* annuam.
5 *Synodus conscientiæ Episcoporum permisit, num plures quàm annua Visitationes sint necessaria.*
6 *Episcopus cessante legitimo impedimento* per se *visitare tenetur.*
7 *Quid Episcopum agere conveniat si Diœcesim ob ejus latitudinem convenienter* per se *visitare nequeat.*
8 *Scopus Visitationis à Synodo Tridentina expressus.*
9 *Visitatio præcipuè versari debet circa interiorem statum Diœcesis.*
10 *Quæ præcipuè inquirenda ex mente Synodorum?*
11 *Scopus Visitationum compendiosè à S. Carolo expositus.*
12 *Vetus formula Visitationis multa hisce quoque temporibus utilia continet.*
13 *Episcopus ut faciliùs ac* celeriùs *cum fructu Visitationem absolvat, debet Ministros inferiores præmittere.*
14 *Hoc etiam probavit S. Carolus?*
15 *Litteras Pastorales materiam & scopum Visitationis continentes, præmittenda: & quid hic fecerit S. Carolus.*
16 *Parochi litteras populo prælegere, eumque ad Visitationem obedienter recipiendam inducere tenentur.*

I. ANimarum curatio ritè peragi nequit, si morbi nesciantur. Hi verò sciri nequeunt, nisi medici ægros visitent, in morbos inquirant & studiosè examinent. Quapropter nihil adeo à Patribus & Sacris Canonibus Episcopis inculcatum fuit, quàm continua Diœcesium perlustratio & visitatio: præcipuaque Sanctorum Episcoporum occupatio fuit Diœcesium continua circuitio & perlustratio.

II. Cumque labentibus sæculis hæc Episcoporum sollicitudo interdum flaccesceret; atque inde sensim dormientibus Pastoribus zizania malæ doctrinæ, aut morum abusus seminarentur & crescerent, non defuere Concilia, & Pontifices, qui Episcoporum hac in parte obligationem urgerent, & ob oculos ponerent.

„Multorum casuum (ait Synodus Tarraconensis III, „*can.* 8.) experientiâ magistrante, reperimus nonnullas „Diœcesanas Ecclesias esse destitutas; ob quam rem hac „constitutione decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo „servetur, & *annuis* vicibus ab Episcopo Diœcesano *visi-* „*tentur*; & si qua fortè basilica reperta fuerit destituta, or- „dinatione ipsius reparetur.

Synodus Lugionensis in Gallæcia & Portugalia Diœceses multiplicari voluit, „quia in tota Gallæciæ regione *spa-* „*tiosæ* satis diœceses ab Episcopis tenentur: ita ut aliquantæ „Ecclesiæ per *singulos annos vix* possint à suo Episcopo „*visitari*.

III. His aliisque infinitis propemodum Canonibus, qui visitationem, tamquam præcipuam ac maximè necessariam Episcoporum functionem urserunt, insistens Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 3. De Reform.* decrevit, „ut Patriar- „chæ, Primates, Metropolitani & Episcopi propriam Diœ- „cesim per *seipsos*, aut si legitimè impediti fuerint, per „suum generalem Vicarium, aut Visitatorem, si *quotannis* „totam, propter ejus latitudinem, visitare non poterunt, „saltem majorem ejus partem; ita tamen, ut *tota biennio* „*per se*, vel *Visitatores suos* compleatur, visitare non præ- „termittant.

IV. Porrò cum præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus Animarum cura commissa est, *oves suas agnoscere*, uti loquitur Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 1. De Reform.* nullatenus ex mente Patrum Concilii est, quod Episcopi unicâ Diœceseos Visitatione *annuâ* aut *biennali* obligationi suæ semper satisfaciant: quandoquidem fieri possit, frequentiores Visitationes requiri, ut oves suas cognoscere, & statum suæ Diœcesis perspectum habere queant.

Et uti rectè advertit Cardinalis De Luca Discursu 5. ad Concilium Tridentinum: „terminus *unius* anni, vel saltem „*biennii* (de quo in Decreto Concilii Tridentini) quamvis „ex præcepto statutus videatur, ne id negligi valeat; non ta- „men adeò *taxativus* est, ut intra breviorem terminum, „quando Episcopus seu Ordinarius opportunum vel salu- „bre credat, visitare non possit; cum etiam *bis in eodem* an- „no, juxta casuum contingentiam, ac rerum opportunita- „tem, id facere valeat: dummodò tamen ad bonum finem, „bonoque zelo id agatur, non autem ut id serviat ad solum „prætextum exigendi à Capitulis & Cleris aliisque subditis „procurationes, ac munera, victualia, sub quorum prætextu „magnæ fieri solent extortiones.

V. Itaque, Synodus quidem voluit, ut semel saltem quotannis Diœcesim suam visitarent; permittens de cætero Episcoporum conscientiæ, num pro Diœcesis & ovium sibi commissarum notitia frequentiores requirantur; juxta illud Leonis IV. ad Episcopos Britanniæ apud Gratianum 10. *q.* 1. *can.* 4. „Regenda est unaquæque Parochia sub tuitione „& provisione Episcopi per Sacerdotes vel cæteros Cleri- „cos, quos ipse cum Dei timore providerit, cui jure pertine- „re videtur, & *circumire*, ut sibi necessarium visum fuerit „Ecclesiastica utilitate cogente.

VI. Cùm enim Episcopus *per se* curam suæ Diœcesis habere & gerere debeat, meritò quoque injungitur, quod eam *per se* lustrare visitareque teneatur; & si vel ob ejus latitudinem aut legitima impedimenta eam toties *per se* circumire ac visitare nequeat, ut perfectam illius notitiam accipiat, satagat, ut per inferiores v.g. Archidiaconos, Decanos seu Archipresbyteros, aut Visitatores specialiter ab ipso designandos visitatio ita instituatur & agatur, ut per ipsos plenam totius Diœcesis, & ovium sibi commissarum notitiam habere queat.

VII. Ita

VII. Ita S. Carolus, quantumvis in visitatione suæ Diœcesis indefessus & assiduus, quemadmodum ejus acta ac vita testantur, cùm nimiam suæ Diœcesis videret extensionem, ac infinita propemodum reformanda comperisset, „ea ab eo inita fuit deliberatio, ut quo diligentiùs & visitatio, & per executionis usum perpetuò salutaria Decreta „inducantur; Ecclesiastici aliquot homines, spectata morum probitate, prudentia, doctrina, disciplinæque Ecclesiasticæ usu periti deligerentur, quibus tum visitandi, „tum omnem executionem procurandi, promovendique „munus committeretur.

Hæc in præfatione Instructionum pro Visitatoribus; quæ meritò ab Episcopis aliisque, quibus visitandi obligatio incumbit, legentur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part. 4. pag. 540. & seqq. Edit. 1683.*

VIII. Synodus Tridentina postquam ostendit, quando Episcopi, Archidiaconi, aliique quibus jus visitandi competere consuevit, visitationem instituere debeant, subjungit: „Visitationum autem omnium istarum præcipuus sit scopus, sanam orthodoxamque doctrinam, expulsis hæresibus inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere; populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem, „pacem, innocentiamque accendere; cætera, prout locus, „tempus & occasio feret, ex Visitantium prudentia ad Fidelium fructum constituere.

IX. Scopum hunc ut assequantur Visitatores, non sufficit informari de iis, quæ externum Ecclesiarum statum contemnant; sed præcipuè de interiori statu dignoscendo allaborandum est.

Unde in formula visitationis, quam anno 1579. in generali Conventu proposuit Clerus Gallicanus, non tantùm quid de exteriori statu Ecclesiarum (circa quem plerique hodie Visitatores occupantur) sed præcipuè, quid de interiori inquirendum sit proponitur; quemadmodum & in ea, quam S. Carolus in sua Synodo Provinciali quarta exhibuit.

X. Unde Synodus P. I. Cameracensis *Tit. De visitatione cap. 2.* vult, ut Episcopi in visitatione „primùm cognoscant de fide, vitæ sanctimonia ac moribus: sive visitatio fiat in Monasteriis, sive Capitulis tam Cathedralibus, quàm Collegiatis, vel etiam aliis Ecclesiis. Quoniam id *præcipuè* spectandum est, ne doctrinæ sinceritas „ullo errore corrumpatur; nec præterea vitiis vita maculetur. Cognoscant deinde de regula ac statutis; an serventur, an negligantur: & singula ritè ac ordinatè constituantur.

Deinde *Cap. 3.* „Externa etiam visitando non negligant: ut sunt habitus, decens Tonsura, & hujusmodi reliqua.

Post hæc subjungit *cap. 4.* „Sed illud *præcipuè* spectent, quàm rectè & diligenter *Pastores* ministeria sua obeant: sive docendo, sive Sacramenta ministrando, & Venerabile Sacramentum & Unctiones & Baptisteria honestè conservando. Cognoscant præterea de bonis Ecclesiarum, ac suppellectile, de bibliothecis & aliis hujusmodi, ne quid per negligentiam pereat. Provideant etiam ut „& fundationes observentur, & eleëmosynæ liberalitate „piorum hominum institutæ pauperibus nulla fraude distribuantur.

XI. Hæc aliaque similia passim in Synodis Visitatoribus, atque imprimis Episcopis inculcantur, quæ manifestè ostendunt Ecclesiæ mentem esse, ut Episcopi „diligentiam omnem visitando adhibeant (verba sunt Concilii Mediolanensis IV. *parte 3 tit. De visitatione* non modò in Ecclesiarum cultu & ornamento tuendo, augendove, sed maximè in omni & Cleri & populi pristina Christiana disciplina restituenda; in utriusque item moribus cognoscendis, „iisdemque depravatis corrigendis.

XII. Vetus Formula Inquisitionis, juxta quam Episcopi aliique inferiores Prælati olim Visitationem suam dirigere debebant, idem evincit. Nam Formula hæc prout eam circa sæculum X. evulgavit Regino Abbas Prumiensis in suo Opusculo de Ecclesiasticis disciplinis, in duos libros erat distincta; atque in primo continebatur, quid ab Episcopis circa Ecclesiasticos Viros esset inquirendum; secundo autem, quid circa Laicos.

Plura de hac Inquisitionis Formula & Opusculo Reginonis observavi Tractatu Historico-Canonico in Canones *parte V. cap. 1.* Neque inutiliter Formula inquisitionis unà cum Opusculo Reginonis legetur ab iis, quibus visitandi munus incumbit: plurima quippè & hodie utilia, ac modernis temporibus accommodata diligens lector & peritus scrutator reperiet; eamque consuluisse S. Carolum, aut eos, qui instructionibus Visitatorum, quæ in Actis Ecclesiæ Mediolanensis parte IV. prostant, formandis fuere occupati, innuit harum cum prædicta Inquisitione in multis consonantia.

Post expositum scopum omnium Visitationum, Synodus Trid. Visitatores instruere pergit; quæque ad scopum illum assequendum conducant proponit. „Quæ ut facilius feliciusque, ait, succedant; monentur prædicti omnes & singuli, „ad quos Visitatio spectat, ut *paternâ charitate Christianoque zelo* omnes amplectantur: ideoque modesto contenti equitatu famulatuque, studeant *celerrimè*, debita tamen *cum diligentiâ*, Visitationem ipsam absolvere.

XIII. Ut verò Episcopus celeriùs, debitâ tamen cum diligentiâ, visitationem absolvere queat, jam olim decretum fuisse legitur: „Cùm Episcopus suam Diœcesim circuit, Archidiaconus, vel Archipresbyter eum præire debet uno „aut duobus diebus per Parochias quas visitaturus est; & „plebe convocatâ, adnuntiare debet proprii Pastoris adventum, & ut omnes ad ejus Synodum die denominatâ impætermissè occurrant, omnimodis ex auctoritate sanctorum Canonum præcipere, & minaciter denuntiare, „quòd si quis absque gravi necessitate defuerit, procul dubio à communione Christiana sit repellendus. Deinde „ascitis secum Presbyteris, qui illo in loco servitium debent, exhibere Episcopo, quidquid de minoribus & levioribus causis corrigere potest, emendare satagat; ut Pontifex „veniens nequaquam in facilioribus negotiis fatigetur, aut „ibi immorari ampliùs necesse sit quàm expensa sufficiat. Apud Reginonem *lib. 2. cap. 1.*

XIV. Hoc Rothomagensis Concilii Decretum, tamquam visitationi celeriùs ac fructuosiùs perficiendæ summoperè opportunum renovavit, ac observari præcepit S. Carolus in suo Concilio IV. Mediolanensi; permittens tamen Episcoporum arbitrio, num Archidiaconum Archibresbyterum, aut alium Ecclesiasticum hominem præmittere velit.

XV. Insuper Zelosissimus hic Pastor, ut majori cum fructu ac minori morâ Visitationem absolverent Episcopi, litteras Pastorales, quæ Visitationis materiam, scopum, atque alia eo spectantia continebant, Visitationi præmittendas censuit. „Porro Parochus aliusve Ecclesiæ Rector vel Præfectus, in qua Animarum curam gerit, cum visitandus erit, „Pastorales Episcopi Litteras, Visitationis nomine editas, „duobus ante illius adventum proximis festis diebus, inter „Missarum solemnia, cum populi frequentia adest, de scripto recitet. Itidem Parochus aut Ecclesiæ Rector præstet „de Litteris, quas de Confirmationis Sacramento ritè religiosèque suscipiendo, Episcopus instructionum monitionumve nomine ediderit.

Deindè monet: „Ut Parochus Litterarum, edictorumvè „Episcopalium evulgationem recitationemve & Sermone, „& Concione, & monitionibus, & omni alio tum publico „tum privato cohortationum officio prosequatur, prout „expedire animadverterit: quo fidelium animos diligentiùs præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis „Visitationis officium.

CAPUT II.

Quæ *procurationes* ab Episcopo Visitante exigi, vel recipi possint; & qui ad eas teneantur.

1 *Proponitur Decretum Synodi Tridentinæ circa* procurationes.
2 *Ratione* Visitationis *nihil etiam* ultrò oblatum *ab Episcopis exigi permittit.*
3 *Non prohibet petî quæ alio titulo debentur.*
4 *Ratio cur Synodus nihil voluerit ab Episcopis exigi ratione Visitationis.*
5 *Permisit Synodus accipi* victualia.
6 *Quid veniat nomine* victualium?
7 *Synodus Tridentina ita* victualia *restrinxit, ut omnis luxus excludatur.*
8 *Ex mente Synodi, Episcopi deberent esse contenti iis quæ ipsis apponuntur: quod suo exemplo ostendit S. Carolus.*
9 *Victualia tantum subministranda pro temporis* necessitate.
10 *Episcopus eodem die Visitans plures Parochias aut Ecclesias debet esse contentus* unica *procuratione.*
11 *Episcopo visitanti Ecclesias Civitatis suæ Cathedralis non debetur* procuratio.
12 *Synodus Tridentina intendit sublevare Visitandos ab omni gravamine.*
13 *Permisit arbitrio* Visitandorum *an consuetam procurationem in* pecunia *continuare velint; an convertere in simplicia* victualia.
14 *Præservat conventiones, & consuetudines de non solvendis etiam* victualibus.
15 *Observanda circa illas consuetudines.*
16 *Juxta hodiernam Belgii praxim Episcopi visitantes, à* laicis *procurationes exigere nequeunt.*
17 *Idem servatur in Regno Galliæ, ubi & quæstio de* procurationum *solutione in Tribunali Regio agitari debet.*
18 *Mores hodierni non patiuntur, ut Episcopus per* censuras *cogat subditos ad* procurationes *solvendas.*
19 *Quas pœnas Synodus Tridentina decernat in Visitantes majores* procurationes *exigentes?*
20 *Decretum de moderatione procurationum; & pœna contra excedentes decreta, etiam ad Familiares & Ministros Episcoporum extenduntur.*

I. UT Visitatio à populo & Clero gratiori animo suscipiatur, vult Synodus Tridentina, „ut Episcopi Visitantes caveant, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves onerosive sint: neve ipsi, aut quisquam suorum „quidquam procurationis causâ pro Visitatione, etiam testamentorum ad pios usus, præter id quod ex relictis piis „jure debetur, aut alio quovis nomine, nec pecuniam, nec „munus, quodcumque sit, etiam qualitercumque offeratur, „accipiant: non obstante quacumque consuetudine, etiam „immemorabili.

II. His verbis voluit Synodus, ne quidquam causâ Visitationis, etiam *ultrò oblatum* à Visitatoribus recipiatur, nequidem pro *Visitatione testamentorum ad pios usus*: quæ eatenus Visitationi Episcoporum de jure communi subjacent, ut perspiciat Episcopus, num juxta voluntatem Testatorum executioni mandentur.

III. Quod verò alio quam Visitationis titulo, ut v. g. ex *relictis piis*, uti loquitur Synodus Tridentina, Episcopo debetur sublatum non est; ideoque nec *Cathedraticum* Episcopis debitum sublatum esse declaravit S. Congregatio apud Weymium *ad 24. Constitutiones per Concilium Trid. innovatas constit.* 17. *n.* 21.

IV. Et meritò Synodus voluit, Episcopos in ipsa Visitatione ab omni vel specie avaritiæ, aut habendi cupiditate esse alienos. Si enim (teste eadem Synodo *Sess.* 25. *cap.* 1. *De Reformat.*) ad restituendam disciplinam præcipuum sit, quod fideles Præpositos suos videant non ea quæ mundi sunt, sed Animarum salutem ac cœlestem patriam cogitare; idipsum vel maximè in ipsa Visitatione, quæ tota ad restituendam Ecclesiasticam disciplinam, vitia eradicanda, virtutesque plantandas dirigenda est, Episcopi suo agendi modo ostendere debent; ut dicere confidenter queant cum Apostolo: *Non enim quæro quæ vestra sunt, sed* vos.

V. Exemplo tamen Christi, qui mittens Discipulos suos ad prædicandum Regnum, dixit: *In eadem domo manete, edentes & bibentes, quæ apud illos sunt: dignus est enim operarius mercede sua... Et in quamcumque civitatem intraveritis & susceperint vos, manducate quæ apponuntur vobis.* Lucæ 10. v. 8. Hoc, inquam, exemplo, Synodus Tridentina generali prohibitioni, quicquam etiam *ultrò oblatum* ratione visitationis accipiendi, hanc subjecit exceptionem: „Exceptis tantùm *Victualibus*, quæ sibi ac suis *frugaliter moderateque* pro temporis tantum necessitate, & „non ultra, erunt ministranda.

Hæc *victualia* sive præstationes comprehenduntur sub nomine *procurationum*, de quibus sæpius in Jure Canonico meritò occurrit; inde dictæ, quòd *procurari* sive subministrari debeant ab iis qui visitantur.

VI. Cùm hæ procurationes ex Decreto Concilii Tridentini ad sola *victualia*, hoc est, esculenta & poculenta restringantur: „traditum est, ait Weymsius ex Zerola, subditos „non teneri ad medicinam Visitantium, vel alia similia quæ „extra communem victum sunt; propterea quod appella„tione expensarum victualium veniant ea dumtaxat, quæ in „victu consistunt, non etiam alia, quæ concernunt alias per„sonarum necessitates, nè alioquin etiam tandem ad vesti„tum cogerentur; neque enim debentur victualia nisi actu „visitantibus, quorum numero haberi vix possunt, qui æ„grotant.

VII. Dum autem addidit Synodus victualia *moderatè* ac *frugaliter* esse ministranda, indubiè omnem luxum conviviorum & epularum abundantiam exclusam voluit; ut scilicet vel in ipso actu Visitationis mores suos ita componant Episcopi aliive Prælati, ut „reliqui ab eis *frugalitatis*, modestiæ, „continentiæ, ac, quæ nos tantopere commendat Deo san„ctæ humilitatis exempla petere possint:„ quemadmodum Synodus Tridentina monet *Sess.* 25 *c.* 1. *De Reformat.*

VIII. Imo sat ostendit Synodus per moderationem ac frugalitatem, qua victualia subministrari vult, se desiderare, ut Episcopi aliique Visitatores observent id quod à Christo Discipulis suis inculcatum est, ut scilicet non soliciti de mensarum instructione aut victualium apparatu, contenti essent iis, quæ ipsis apponuntur.

Quod apprimè intelligens S. Carolus severè suis inhibebat, ne quid esculenti ac poculenti secum ferrent, sed contenti essent iis, quæ Visitandi ad manducandum apponerent; quo fiebat, ait Godæus in ejus vita *lib.* 1. *cap.* 13. ut frequenter pro lecto nihil præter stramina aut arborum folia; & pro cibis delicatioribus, nuces, castaneas, aut caseum reperiret; volebatque ut tam ipse quam sui, tum in manducando, tum in cubando paupertati in montibus habitantium se conformarent.

IX. Ad Synodum Tridentinam revertamur: quæ non *moderatè* ac *frugaliter* dumtaxat victualia dicit esse ministranda, sed insuper addit; *pro temporis tantum necessitate, & non ultra.*

X. Unde si unâ die Episcopus visitet duas Parochias, de„bet esse contentus unâ procuratione, etiamsi locus quilibet „visitatus ab illo sufficeret ad procurationem integram per„solvendam: cùm eidem sufficere debeat, ut temporalia me„tat à locis personaliter visitatis, pro *diebus* quibus eis spiri„tualia subministrat.„ *c.* 3. *De censibus* in VI. „Quo fit, in„quit Weymsius loco citato, ut si secus faciant Visitatores, „vel exigendo duplices procurationes ab uno vel duobus lo„cis visitatis eodem die, vel etiam procrastinando suam Vi„sitationem eo fine, ut duplicatas procurationes lucrentur, „malè versentur, & ad acceptorum restitutionem teneantur „ipsum Deum habituri ultorem; quia sic proprium suum „compendium quæsiverint, non qui JEsu Christi sunt.

XI.

XI. Eodem fundamento, dum Episcopus visitat Ecclesias civitatis Cathedralis, non potest prætendere *procurationem*, aut victualia à Visitatis; „Quia, inquit Fagnanus „ad Cap. VENERABILI ꝟ *De censibus n.* 15. cessat illa *ne*„*cessitas temporis*, quam Concilium ad hoc præcisè requi„rit: cùm visitatione expleta, possint domi suæ victum su„mere: & hanc sententiam jam pridem probavit Sacra „Congregatio ejusdem Concilii interpres: Nam dubitanti „Episcopo Tarenti, an in Visitatione posset exigere procu„rationem à Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, censuit *Cap.* 3. „*Sess.* 24. *De Reformat.* dum de victualibus subministran„dis disponit, non habere locum in Visitatione Cathedralis „Ecclesiæ, sed Diœcesis tantùm, ibi, *æquitatis*, ibi, *pro tem*„*poris necessitate* &c. Sed & aliàs censuit, nullam deberi „procurationem Episcopo Visitanti Clerum civitatis, ubi „*est Cathedra.* „Hæc Fagnanus.

XII. Ex his facilè animadverti potest, Synodum Tridentinam exemplo Pontificum, quorum Decreta referuntur in Jure Canonico, huic rei potissimùm intendisse, ut subditos, quantum posset, à Visitatorum immoderatis & insuetis oneribus sublevaret.

XIII. Quapropter ut visitandi etiam procurationes, quæ in solis moderatis ac necessariis victualibus consistunt, faciliùs ac leviùs ferre possent, voluit: „ut sit in optione eorum, „qui visitantur, si malint solvere id quod erat ab ipsis antea „solvi, certâ pecuniâ taxatâ, consuetum; an verò prædicta „victualia subministrare.

XIV. (Deinde insuper addit) salvo item jure conventio„num antiquarum cum Monasteriis, aliisve piis locis, aut „Ecclesiis non Parochialibus inito, quod illæsum perma„neat. In iis verò locis seu Provinciis, ubi consuetudo est, „ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquā aliud à Visitato„ribus accipiatur, sed omnia *gratis* fiant ibi id observetur.

XV. Illud porrò circa hujusmodi consuetudinem negativam, quam Concilium præservat, non absolvendi *procurationem*, advertendum monet Fagnanus loco citato *num.* 29. „quia ad hoc, ut de tali consuetudine dicatur constare, „ex ipsius Congregationis sententia, non sufficit, ut visitati „nunquam Episcopum procuraverint, sed probari oportet „Episcopum *petiisse* procurationem, & visitatos *detrectâsse* „illam solvere, & postea Episcopum per longum tempus „acquievisse, prout requiritur in facultativis.

XVI. Insuper notandum, Episcopos aliosve jus Visitationis habentes, nec in toto nec in parte posse à laicis visitatis procurationem exigere, juxta notoriam harum & vicinarum Provinciarum consuetudinem, in eo fundatam, quod Canones de solis Ecclesiasticis loquantur, quando de procurationibus agunt; uti monet Zypæus in jure novo *tit. De censibus num.* 9. Et latiùs Grivellius *Decis.* 119. qui Litteras Ducum nostrorum Alberti & Isabellæ ad Senatum Dolanum recitat, quibus declaratur, fas non esse Episcopo à laicis exigere *procurationes.*

XVII. Idem quoad regnum Galliæ testatur Carolus Fevret. tractatu *De Abusu lib.* 3. *cap.* 4. qui & ibidem notat, quod inspectis dispositionibus Juris Canonici, quæstionem de solvendis procurationibus agitandam & decidendam esse coram Judice Ecclesiastico; sed id hodie in Gallia haud observari, futurumque abusum, si Judex Ecclesiasticus prætendisset adjudicare hoc jus pecuniarium procurationis.

XVIII. Notat insuper, quòd si Episcopus aut Archidiaconus præsumerent excommunicare Parochum, aut Ecclesiam interdicto subjicere ob recusatam procurationem, futurum abusum; & Senatum Regium ita judicasse contra Episcopum Bayonensem refert ex Mornacio *ad l.* 3. *Cod. De Apostatis*; „eò quòd Ecclesiam Harsanam, ob solum „Diœcesanæ visitationis non refusum viaticum, interdicto „subjecisset.

XIX. Ut verò Synodus Tridentina significaret, quàm sibi cordi esset, ut præscriptam in procurationibus moderationem & frugalitatem Episcopi servarent, decernit: „Quod si quisquam, quod absit, aliquid amplius in supra„dictis omnibus casibus accipere præsumpserit; is, præ„ter dupli restitutionem intra mensem faciendam, aliis „etiam pœnis juxta constitutionem Concilii generalis Lug„dunensis, quæ incipit, *Exigit*; necnon & aliis pœnis in „Synodo Provinciali arbitrio Synodi, absque ulla spe ve„niæ, mulctetur.

Constitutio Lugdunensis Concilii à Tridentina Synodo hic innovata refertur in *Cap.* 2. *De censibus* in VI. qua statuitur: „Ut universi & singuli, qui ob procurationem „sibi ratione visitationis debitam exigere pecuniam, vel „etiam à volente recipere, vel aliàs constitutionem ipsam „recipiendo munera, sive Visitationis officio non impenso „procurationem in victualibus, aut aliquid aliud procura„tionis occasione violare præsumpserint, duplum ejus „quod receperint Ecclesiæ, à qua id receptum fuerit, in„tra mensem reddere teneantur. Alioquin ex tunc Patriar„chæ, Archiepiscopi, Episcopi, duplum ipsum ultra præ„dictum tempus restituere differentes ingressum sibi Ec„clesiæ sentiant interdictum. Interiores verò ab officio & „beneficio noverint se suspensos, quousque de duplo hu„jusmodi gravatis Ecclesiis plenariam satisfactionem im„pendant; nulla eis in hoc dantium remissione, liberalitate „seu gratia valitura.

XX. Hæc interdicta ipsis Visitatoribus, etiam esse interdicta ipsorum Familiaribus & Ministris, ne possint causâ Visitationis quidquam pecuniæ aut muneris, etiam ultrò oblati, accipere; & quod si acceperint iisdem pœnis sint obnoxii, tam constitutio Innocentii IV. in *Cap.* 1. quàm Constitutio Concilii Lugdunensis in *Cap.* 2. *De censibus* in VI. ac novissimè Synodus Tridentina satis patenter insinuant.

CAPUT III.

Quæ loca ab Episcopis *visitari* debeant, & possint?

1 *Episcopus fundatus est de jure in visitatione totius suæ Diœcesis.*
2 *Episcopus excludi nequit à visitatione Ecclesiarum Parochialium, aut Beneficiorum Curatorum.*
3 *Synodus Tridentina declaravit Beneficia Curata* visitationi *Episcopali esse subjecta.*
4 *Exemptio* visitationem *in his non impedit.*
5 *Datio in* commendam *etiam non impedit.*
6 *Ecclesia Curata unita aut incorporata Monasteriis aut Capitulis exemptis* visitationi *subsunt.*
7 *Etiam ubi Prælati habent utramque jurisdictionem.*
8 *Ecclesiæ Parochiales unitæ Ordini S. Joannis Jerosolymitani subjectæ visitationi.*
9 *Variis Regiis Arrestis confirmatum jus* visitandi *quoad Beneficia unita Monasteriis exemptis.*
10 *Nulla exemptio aut consuetudo dictas Ecclesias à visitatione eximere potest.*
11 *Clerici meritò* visitationi *Episcoporum subjecti.*
12 *Illos generaliter iterato Decreto Episcoporum* visitationi *subjectos declaravit Synodus Tridentina.*
13 *Capitula Cathedralia etiam* exempta *visitationi Episcopi subjecta.*
14 *Potest in visitatione Episcopus* solus *procedere.*
15 *Quid circa visitationem* Monasteriorum *remissivè.*
16 *Quod jus competat Episcopis hodie* visitandi *Hospitalia & alia pia loca remissivè.*

I. QUemadmodum Episcopo totius suæ Diœcesis cura incumbit; omnesque in sua Diœcesi consistentes sunt ejus curæ commissi, etiam totius Diœcesis visitatio Episcopo incumbit; quia sine visitatione curam ovium habere nequit. Unde communiter tradunt Canonistæ, uti notat Fagnanus *ad Cap.* EX PARTE ꝟ *De Clericis*

Digitized by Google

non residentibus num. 59. personalem visitationem Prælatorum esse de *jure Divino.*

Hinc concluditur, nulla consuetudine, nullove privilegio Episcopum impediri posse à visitatione, quæ exigitur, ut Animas sibi commissas regere ac dirigere possit.

II. Hoc titulo Episcopus excludi nequit à Visitatione Ecclesiarum quibus cura Animarum personarum sæcularium, quæ Episcoporum curæ sunt concreditæ, annexa est; saltem quoad ea quæ curam illam concernunt. Si enim ab hac Visitatione excluderetur, curam Animarum sibi commissarum debitam habere non posset.

III. Unde Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 7. *De reformat.* declaravit; " Beneficia Ecclesiastica *curata*, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, „ beneficiis, seu collegiis aut piis locis quibuscumque perpetuò unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum „ annis singulis visitentur.

IV. Et ne Ecclesiarum *exemptio* hanc necessariam visitationem impediret, *cap.* 8. ulterius declaravit: " Locorum „ ordinarii Ecclesias quascumque, quomodolibet exemptas, „ auctoritate Apostolica, singulis annis visitare teneantur, & „ oportunis juris remediis providere, ut, quæ reparatione „ indigent, reparentur; & cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minimè defraudentur: appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore præscriptis, judicum deputationibus, „ & illorum inhibitionibus penitus exclusis."

V. Ulteriùs cum titulo *commendationis*, prætenderentur Beneficia etiam *curata* à Visitatione Episcopi libera, statuit Synodus *Sess.* 21. *cap.* 8. *De reform.* " Quæcumque „ in Diœcesi ad Dei cultum spectant, ab Ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri æquum est; „ propterea commendata monasteria, etiam Abbatiæ, Prioratus, & Præpositura nuncupatæ, in quibus non viget regularis observantia; nec non Beneficia tam curata, quàm „ non curata, sæcularia, & Regularia, qualitercumque commendata, etiam exempta ab Episcopis; etiam tamquam „ Apostolicæ Sedis delegatis, annis singulis visitentur; curentque iidem Episcopi congruentibus remediis, etiam per „ sequestrationem fructuum, ut quæ renovatione indigent, „ aut restauratione, reficiantur: & cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia „ rectè exerceantur; appellationibus quibuscumque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore „ præscriptis, conservatoriis, judicum deputationibus, & „ eorum inhibitionibus non obstantibus."

Cum verò nonnulli contra mentem Synodi prætenderent hoc Decretum non pertinere ad Ecclesias *nullius Diœcesis* (de quibus sub titulo de exemptionibus agetur) Synodus novo edito Decreto mentem suam clarius expressit *Sess.* 21. *cap.* 9. *De reformat.* " Quæ aliàs sub fel. rec. Paulo III. & „ nuper sub Beatissimo Domino nostro Pio IV. in hoc eodem Concilio de adhibenda ab Ordinariis diligentia in „ beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta „ sunt; eadem etiam in iis Ecclesiis sæcularibus observentur, „ quæ in *nullius Diœcesi* esse dicuntur; ut ab Episcopo, cujus Cathedralis Ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo qui semel in Concilio provinciali à Prælato loci illius electus fuerit, tamquam Sedis Apostolicæ delegato, visitentur non obstantibus privilegiis & consuetudinibus quibuscumque, etiam immemorabilibus.

VI. Quandoquidem non minus Episcopo cura populi incumbat; ejusque saluti ac directioni æque invigilare debeat, sive Regulares sive sæculares tamquam inferiores Ministri ipsi in cura Animarum assistant, ac curam populi agant, meritò Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 11. *De Regularib.* edixit: " In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, „ quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, „ præter eas quæ sunt de [illegible]rum Monasteriorum seu locorum familia, personæ, tam regulares quàm sæculares, hujusmodi curam exercentes, subsint immediatè in iis quæ „ ad dictam curam & Sacramentorum administrationem „ pertinent, jurisdictioni, visitationi, & correctioni Episcopi in cujus Diœcesi sunt sita."

VII. Et quidem declaravit Pius V. die 4. Sept. 1570. ab hoc nullas Ecclesias, quibus cura animarum personarum sæcularium annexa, excipi; tametsi etiam essent sitæ in Monasteriis quorum Præpositi haberent utramque jurisdictionem temporalem & spiritualem; idemque Sacram Congregationem declarasse 7. Aprilis 1592. notatur in Declarationibus ad citatum *Cap.* 11.

VIII. Conformiter ad citatum Synodi Decretum anno 1629. edicto Ludovici XIII. Regis Galliarum declaratum fuit, " Beneficia Curata, Ecclesias, Capellas dependentes ab „ Ordine S. Joannis Jerosolymitani fore subjectas *visitationi* & correctioni Ordinariorum in his quæ concernunt „ correctionem abusuum, qui committuntur in administratione Sacramentorum tam Matrimonii, quàm aliorum; „ celebratione Divini officii & residentiæ, salvis Ordinis „ Privilegiis in reliquis.

IX. Hinc Episcopus Abrincensis per sententiam magni Concilii Parisiensis fuit manutentus in jure visitandi Ecclesiam Parochialem Montis S. Michaelis dependentem à Monasterio ejusdem loci, spectantemque ad collationem *pleno jure* Abbatis; uti & visitandi Monasterium, tametsi Congregationi S. Mauri unitum, exceptis tamen locis Regularibus, disciplina Monastica, & personis Regularibus, quamdiu manebit in dicta Congregatione 3. Feb. 1648. Eodem arresto decisum fuit, Parochum dictæ Ecclesiæ Parochialis debere assistere Synodo Diœcesanæ: inhibitumque fuit dictis Religiosis excipere confessiones ullius personæ sæcularis, aut ad eum effectum quemquam committere sine Episcopi approbatione.

Post hæc 18. Junii 1650. rursus intervenit sententia arbitralis inter Episcopum & dictum Monasterium, qua declaratum fuit, Ecclesiam Parochialem unitam dicto Monasterio esse *pleno* jure subjectam Episcopo in omnibus quæ concernunt curam Animarum; tametsi illa etiam exerceretur per Priorem Claustralem dicti Monasterii exempti vigore privilegii Congregationis S. Mauri.

Hæc latius referuntur in Actis Cleri Gallicani *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 12. *Num.* 19. & 20. Deinde *n.* 21. refertur, Archiepiscopum Viennensem manutentum fuisse in jure visitandi in Ecclesia S. Antonii Ordinis ejusdem Sancti, Fontes baptismales, & Capellam seu Parochialem cum omnibus suis annexis, atque in his exercendi omnia quæ Curam Animarum spectant, sicut in aliis beneficiis curatis suæ Diœcesis 17. Aprilis 1668. Et *n.* 22. idem judicatum fertur pro Episcopo Ambianensi 5. Feb. 1664.

Uno verbo, nulla exemptio, nullaque incorporatio, aut vetusta consuetudo eximere potest loca seu Regularia seu sæcularia qualiacumque à *visitatione* aut correctione Episcoporum; ni unà Episcopalis auctoritas, & Hierarchica subordinatio penitus destruatur; quemadmodum latius infra titulo de exemptionibus ostendetur.

X. Cum verò nihil sit, (ut loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 1. *De reform.*) "quod alios magis ad pietatem & „ Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt; sat intelligitur, „ quantopere intersit Episcopi, ut Clerici seu Sæculares seu „ Regulares ita vitam suam coram populo componant; atque ita in omnibus se exhibeant, ut nihil nisi grave, modestum, ac religione plenum præ se ferant.

XI. Quapropter, ut id Episcopi faciliùs assequi possint, Synodus *Sess.* 6. *c.* 3. *De reform.* declaravit, quòd " nemo „ sæcularis Clericus, cujusvis personalis, vel Regularis extra „ monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu „ tutus censeatur, quò minùs, si deliquerit, ab Ordinario loci, tamquã super hoc à Sede Apostolica delegato, secundũ „ Canonicas sanctiones visitari, puniri, & corrigi valeat."

Hoc

Hoc Decretum rursus *Sess.* 14. *cap.* 4. *De reformat.* generaliter *omnes Clericos* concernere, nulloque prætextu refugi posse, declaravit. " Omnes Ecclesiarum Prælati, ait, „qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, & à quibus nullus Clericus per hujus sanctæ „Synodi statuta, cujusvis privilegii prætextu, tutus censetur, quò minus juxta Canonicas sanctiones visitari, puniri „& corrigi possit; si in Ecclesiis suis resederint, quoscumque sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui alias suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam „extra visitationem, tamquam ad hoc Apostolicæ Sedis delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos „obligent auctores, ipsis Clericis, ac eorum consanguineis, „Cappellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione & intuitu minime suffragantibus.

Quin & eodem motivo noluit Synodus vel ipsa Capitula Cathedralia ullo exemptionis aliove titulo à Visitatione Episcopi esse libera.

XIII. " Capitula Cathedralium & aliarum majorum Ecclesiarum, (ait *Sess.* 6. *cap.* 4. *De reformat.*) illorumque „personæ, nullis exemptionibus, consuetudinibus sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minùs „à suis Episcopis, & aliis majoribus Prælatis, per seipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctoritate Apostolica, possint & „valeant."

Hoc Decretum tamquam disciplinæ Ecclesiasticæ retinendæ ac restituendæ summopere necessarium renovat Synodus *Sess.* 25. *cap.* 6. *De reformat.* declaratque, Episcopum dum *visitando* procedit, nequaquam observare debere modum procedendi ibidem præscriptum; sed eum duntaxat observandum esse, dum *extra visitationem* contra Capitula Cathedralia exempta procedit.

XIV. Quapropter refert Fagnanus ad *Cap.* UT JUXTA *De offic. Ordinarii num.* 38. Sacram Congregationem declarasse, Episcopum posse *visitare* Capitulum Cathedrale per seipsum *solum*, *nullis* sibi Capitularibus *adjunctis*: immò posse assumere aliquos extra Capitulum omissis *Capitularibus suis* juxta dictum *Cap.* 4. *Sess.* 6. *Concilii Tridentini*, quam resolutionem ibidem pluribus probat.

XV. Quoad visitationem Monasteriorum tam virorum, quàm mulierum circa disciplinam regularem interiorem & exteriorem multa statuit Synodus Tridentina; eaque alia circa exempta & non exempta; item diversa circa illa quæ alicui certæ Congregationi subjecta suos particulares Visitatores habent, & illa quæ nulli Congregationi sunt incorporata, nec speciales Visitatores hactenus habent; de quibus infra, ubi de Monasteriis eorumque exemptionibus tractabitur: ibi quoque expendentur casus, quibus hodie etiam Monasteria *exempta* visitationi Episcoporum subsint: & quæ in visitatione Monasteriorum præsertim Monialium inquirenda sint; & qua forma visitatio instituenda.

XVI. Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *De reform.* declarat, quod " Episcopi, etiam tamquam Sedis Apostolicæ „Delegati, in casibus à jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, „sint executores; habeant jus visitandi hospitalia, Collegia „quæcumque, ac confraternitates laicorum, etiam quas „Scholas, sive quocumque alio nomine vocant, non tamen „quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum „licentia: eleëmosynas Montis Pietatis, sive Charitatis, & „pia loca omnia, quomodocumque nuncupentur, etiamsi „prædictorum locorum cura ad laicos pertineat, atque eadem pia loca exemptionis privilegio sint munita; ac omnia, quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pau„peres sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta „sacrorum Canonum statuta cognoscant, & exsequantur: „non obstantibus, quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto."

Verùm cùm certum sit, hoc Concilii Tridentini Decretum in tota sua generalitate in Belgio aliisque vicinis Provinciis non esse receptum; atque circa hanc Episcopi visitationem non esse idem statuendum quoad omnia hospitalia & loca pia; sed varium esse jus Episcoporum pro varietate Locorum & Superintendentium, idcirco de jure Visitationis quod Episcopis competit in hæc loca, agetur *parte* 2. sub Titulo *De Hospitalibus aliisque piis locis.*

CAPUT IV.

Quomodo in Visitatione procedendum; & quem effectum Decreta in Visitatione habeant?

1 *Episcopi in Visitatione maximè intenti esse debent ad morum reformationem ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
2 *In Visitatione non judiciali, sed paterno modo est procedendum.*
3 *Officium Visitatorum non malè comparatur officio Ædilium Romanorum.*
4 *Debent emendare quæ judiciariam indaginem non requirunt.*
5 *In Visitatione imponi non possunt pœnæ ordinariæ.*
6 *Episcopus visitando processum formare non potest super excessibus non notoriis.*
7 *Decreta in Visitatione circa reformationem morum per appellationem non suspenduntur ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
8 *Idem obtinet Jure Decretalium.*
9 *Neque in Gallia per appellationem tamquam ab abusu.*
10 *Principes nostri noluerunt Episcopum in Visitatione impedire prætextu Juris patronatûs.*
11 *Jam pridem pro faciliore executione eorum quæ in Visitatione ordinata sunt Ministri Regii Episcopis adjuncti fuerunt.*
12 *Hæc Ministrorum Regiorum adjunctio non præjudicat Episcoporum auctoritati.*
13 *Nisi Regia auctoritas accedat, frequenter Visitationes redduntur inutiles.*
14 *Interdum ordinata in Visitatione etiam per appellationem suspenduntur.*

1. Synodus Tridentina *Sess.* 24 *cap.* 10. *De reform.* volens providere ne Prælatorum Visitationes suo frustrarentur effectu, atque unà ut illæ ad mentem Ecclesiæ instituerentur, statuit: " Episcopi, ut aptiùs, quem „regunt populum possint in officio atque obedientia conti„nere, in omnibus iis quæ ad visitationem, ac morum cor„rectionem subditorum suorum spectant, jus & potestatem „habeant, etiam tamquam Apostolicæ Sedis delegati, ea or„dinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, juxta Cano„num sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro subditorum „emendatione, ac Diœcesis suæ utilitate necessaria videbun„tur. Nec in his, ubi de visitatione aut morum correctione „agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad Sedem Apostolicam interposita, executionem „eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fuerint, „quoquo modo impediat, aut suspendat.

II. Hoc Concilii Tridentini Decretum planè consonat Decreto Innocentii IV. in *Cap.* 1. §. *Sanè De Censibus in VI.* ubi modum quem in visitatione Prælati observare debent ita describit: " Sanè hujusmodi impensurus offi„cium (visitationis) proposito Verbo Dei quærat de

„vita

vita & conversatione ministrantium in Ecclesiis & locis aliis Divino cultui deputatis, ac cæteris, quæ ad officium spectant absque coactione, & exactione qualibet juramenti, ad ipsorum subditorum emendationem per salubria monita, nunc levia, nunc aspera, juxta datam sibi à Deo prudentiam diligenter intendentes. Quòd si de aliquibus orta fuerit infamia, contra eos Ordinariis ipsorum, ut super his solemniter inquirant, denuntiet, si viderit expedire. Notoria verò crimina, quæ examinatione non egent, liberè corrigat. pœnam debitam pro illis infligendo."

III. Hinc conficitur, visitationem ad morum correctionem magis, quàm ad judiciarium processum pertinere; ideoque officium Visitatorum non malè conferri cum officio Ædilium Romanorum, quod magis in lustrando & exequendo, quàm cognoscendo consistebat. Si quid enim obviam esset quod politiam notoriè offenderet, Ædiles è medio tolli, frangi, emendari jubebant, magis facti, quàm juris tramitem servantes. Et hodie quid simile fieri videmus in visitandis per Magistratus & Prætores viis & aggeribus, qui si quid inveniant, quod notoriè vias publicas, aut aggeres impediat, mox emendant ac corrigunt; vel emendandum aut corrigendum sine ullo judicii strepitu decernunt.

IV. Itaque Episcopi aliique Visitatores in sua visitatione Diœcesim circumire ac lustrale debent; & quidquid inordinatum repererint, reforment sine strepitu ac forma ordinaria judicii, sed summariè, non pœnas ordinarias imponendo, sed correctiones; neque circa dubia & altiorem indaginem requirentia, sed circa notoria versari potissimùm debent; uti bene notat & probat Zypæus in Jure novo *tit. de Accusat. num. 9.*

V. Idem quoque refert, Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretem respondisse 14. Aprilis 1595. "Episcopum non posse imponere in visitatione pœnas ordinarias, sed tantùm extraordinarias, quæ magis ***morum emendationem*** & ***correctionem***, quàm ***delicti vindictam*** respiciant."

VI. Et teste Fagnano *Cap.* DILECTUS ;; *De rescript. n.* 46. Sacra Congregatio 1. Feb. 1607. præcepit Episcopo Tornacensi, "Ut in visitatione Collegiatæ Ecclesiæ exemptæ, contineret se intra limites notissimos visitationis, ita ut nec ad ***specialem inquisitionem*** descenderet, nec ***processus*** conficeret, nec sententias ferret; sed in his, quæ morum correctionem & emendationem respiciunt, sine ***strepitu*** Judicii decerneret."

VII. Dum hos limites visitationis non excedunt Episcopi, ac unicè morum correctionem ac emendationem intendunt, nulla exemptio, nulla appellatio aut querela executionem eorum, quæ ab ipsis visitando ordinata sunt, impedire potest ex Decreto Concilii; id est, appellatio effectum ***suspensivum*** in his nullum habet.

VIII. Quod & jam pridem in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statutum fuerat, ut scilicet, ***correctionis & reformationis officium liberè valeant exercere.*** Cap. 13. ;; De Offic. Ordin.

IX. Similiter refert Choppinus *lib. 2. De Sacra Polit. tit. 4. n. 28.* procurationis sive appellationis tamquam abusu interjectu non suspendi decreta concernentia correctionem morum. "Quod supra scriptum est, ait, provocationis interjectu ab executione sententiæ non supersederi in multis causarum generibus, id pertinet etiam ad eas fori controversias, quibus morum castigatio reformatioque agitur, Ecclesiasticæ disciplinæ vinculum. Nam hoc casu, ait, edixit Princeps noster, callidum appellationis perfugium rei judicatæ executioni impedimento esse non debere. Lege judiciaria Francisci I. an. 1539. & Caroli IX. lata 16. Kal. Majas an. 1571. art. 5. quam Ornatiss. Curia solemni more comprobavit 7. Idus Septembres eodem anno..... Quibus consonat Curiæ Decretum, ad quam in emendationis morum negotio fuerat provocatum, abusus nomine 5. Idus Decembr. an. 1550. secundum Cathalaunense summi templi Collegium. Eodem vergit Allobrogica Sanctio, ne appellationis obtentu, quæ abusus ergò interposita sit, Ecclesiastica morum censura correctioque retardetur."

X. Idipsum quoque, uti monet Zypæus loco citato, Philippus II. Hispaniarum Rex expressit in Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. de Requestis art. fin.*

"Sic & Princeps noster (ait Zypæus in Jure novo *tit. De Accusationibus n. 9.*) interpellatus ut Patronus Ecclesiæ Insulensis, nulla ratione induci potuit, ut Episcopus Tornacensis à visitatione excluderetur, sed si quid ordinando excederet, se querelas auditurum, ante paucos annos respondit."

XI. Cùm verò Episcoporum auctoritas, imò & Ecclesiasticæ censuræ ed emendationem vitiorum & abusuum, præcipuè inveteratorum & longè lateque grassantium frequenter non sufficiant, jam pridem in more positum fuit, ut Episcopis Ministri Regii, quos media ætas *Missos Dominicos* vocabat, adjungerentur.

Dignum ac necessarium est, ait Synodus Moguntinensis an. 813. c. 20. ut Missi per quæque loca directi, "simul cum Episcopis uniuscujusque Diœcesis perspiciant loca Monasteriorum, Canonicorum pariter & Monachorum, similiterque puellarum, si in apto & congruo loco sint posita, ubi commodum necessarium possit acquiri, quod ad utilitatem pertinet Monasterii, sicut in sancta regula dicitur." Quod iisdem verbis repetitur in Capitularibus Regum Francorum *lib. 5. cap.* 143.

XII. Nec id ad imminutionem seu depressionem potestatis Ecclesiasticæ, aut ejusdem usurpationem fiebat; sed ad faciliorem executionem eorum quæ Episcopi visitando pro morum correctione ordinanda censebant; protestantibus ipsis Regibus, ad hoc à se *Missos* esse constitutos, ut Episcopi eorum adjutorio munus suum & ministerium faciliùs implerent; *lib. 2. Capitular. cap. 26. ut si quos* (verba sunt Concilii Arelatensis an. 813. *c.* 17.) ***Sacerdotalis admonitio non flecteret ad justitiam, Regalis potestas ab improbitate reduceret ad pietatem & obedientiam.***

XIII. Si & hodie aliqui subinde Regii deputati seu Missi Episcopis visitantibus essent juncti, atque eorum, quæ ad morum correctionem & emendationem Episcopi ordinarunt, executionem Regia auctoritate urgerent, & firmarent, major indubiè esset sæpiùs visitationum fructus; ordinataque firmiorem ac stabiliorem sortirentur effectum.

Hoc attendens Sebastianus Zamet Episcopus Lingonensis conquerebatur fructum suarum visitationum, & effectû ordinatorum contra Clericos incontinentes non haberi; eò quòd frequenter eluderentur per appellationes ***tamquam ab abusu*** aliasque tegnas; ideoque resolvit ad obviandum hujusmodi impedimentis petere à Parlamento Diensi, ut dignaretur assignare unum è Consiliariis Parlamenti, qui visitationibus suis assisteret, & exequi juberet ea, quæ contra Clericos incontinentes ipse in visitatione decerneret, uti refert Carolus Fevretius tractatu De Abusu *lib. 5. c. 4. n. 7.*

XIV. Quamvis summus sit visitationis favor, nequaquam tamen generaliter ac indefinitè recipiendum est, Decreta in visitatione per appellationem non suspendi; quoniam (ut rectè advertit Cardinalis De Luca Disc. 5. ad Concilium Tridentinum) "id percutit solùm ea, quæ concernunt correctionem morum, aliasque provisiones, quas in forma extrajudiciali potiùs more prudentis Patrisfamilias promptè dare oporteat, vel congruat, non autem in iis, in quibus more judicis, atque in figura seu forma judicii procedi debeat; cùm tunc dispositio Canonum seu juris communis incorrecta remaneat; nihilque refert ad effectum appellationis, ac Ordinis judiciarii benè servandi, an de tempore visitationis, vel extra id fiat."

TITU-

TITULUS XVIII.

De Synodis Diœcesanis seu Episcopalibus.

CAPUT I.

Quoties hæ Synodi celebrandæ, & qui interveniant?

1 *Primis Ecclesiæ sæculis frequentissimæ erant hæ Synodi*
2 *Labentibus sæculis* bis *annuatim haberi cœperunt.*
3 *Synodus Lateranensis annuam celebrationem admisit.*
4 *Mansit tamen consuetudo in aliquibus Ecclesiis annuatim* bis *celebrandi Synodos.*
5 *Synodus Tridentina annua celebratione fuit contenta.*
6 *Decretum Concilii Tridentini hodie non observatur.*
7 *Quinam ex Decreto Concilii Tridentini Synodo intervenire debeant.*
8 *Regulares quantumvis exempti Curam Animarum exercentes Synodum accedere debent, & ab Episcopo cogi possunt.*
9 *Sufficit quòd Beneficium situm sit in Diœcesi, licèt Beneficiatus habitet extra Diœcesim.*
10 *Quinam Synodo interesse debeant multùm dependet à consuetudine.*
11 *Probatur ex Synodis Belgicis.*
12 *Quinam Synodo Diœcesanæ S. Caroli intervenerint?*
13 *Sæpe contentiones oriuntur cum exemptis Regularibus an Synodo intervenire debeant.*

I. PRistinis Ecclesiæ sæculis frequentissimos fuisse Episcoporum cum suo respectivè Clero, quasi cum suo Senatu, quem *Presbyterium* vocare solebant, Conventus, quos hodie Synodos *Diœcesanas* dicimus, sat constat.

Neque primis sæculis hisce Conventibus habendis certa tempora designata fuisse legimus; sed quandocumque ardua eaque negotia occurrebant, Episcopus Senatum seu Presbyterium suum convocabat; ut simul super negotiis deliberarent. Hæc ex Epistolis S. Cypriani aliorumque Patrum manifesta sunt.

II. Labentibus verò sæculis harum Synodorum celebratio *bis* in anno haberi cœpit; creditumq; fuit duplicem hanc celebrationem sufficere, eò quòd Canones Synodum Provincialem *bis* in anno celebrari juberent.

Deinde cùm paulatim invaluisset, ut Synodi Provinciales *singulis* annis *semel* duntaxat haberi deberent, unà quoque invaluit, ut Synodi Diœcesanæ *semel annuatim* haberetur.

III. Et quidem Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap. 25. ¾ De accusat.* hanc consuetudinem supposuit, & tacitè saltem approbasse videtur. Nam jubens *singulis* annis celebrari Synodum Provincialem unà præcipit, ut "ea „quæ statuerint, faciant observari; publicaturi ea in Episco„palibus Synodis *annuatim* celebrandis."

IV. Post hoc Concilii Lateranensis Decretum videmus in plerisque Conciliis injunctum fuisse, ut conformiter ad hoc Concilii Decretum Synodi Diœcesanæ *annuatim* haberentur; in aliquibus tamen Ecclesiis consuetudo remansit, ut juxta pristinam disciplinam *bis* annuatim haberentur; quam expressè supponit & probat Synodus Basiliensis *Sess. 15.* decernens, "Synodum Diœcesanam *ad minus semel* in anno, „ubi non est consuetudo *bis annuatim* celebrari."

Ita legimus in Concilio Coloniensi an. 1549. ordinatum fuisse, ut Synodus Diœcesana *quotannis bis*, pro veteri more celebretur; sed addit: "Sufficerit tamen in Diœcesi Leo„diensi, propter ejus latitudinem & multitudinem Prælato„rum *semel* quotannis rectè & studio ferventi celebrari."

V. Synodus Tridentina tametsi frequentiorem Synodorum celebrationem pro reformatione morum desideraret, nihilominus amplexa moderationem Concilii Lateranensis, tantùm *annuam* harum Synodorum celebrationem injunxit *Sess. 24. cap. 6. De reformat.*

VI. Verùm nec hoc moderatum Concilii Decretum hodie observatur; cum nullibi *annuam* hanc Synodorum celebrationem fieri videamus; imò in multis Diœcesibus nec spatio quinquaginta & ampliùs annorum ullam Synodum celebratam; quæ verò sint causæ quæ ad hanc Synodorum intermissionem inducendam contribuere potuerint, in decursu notabimus.

VII. Qui his Synodis interesse debeant, verbis subsequentibus indicat Synodus Tridentina: "Ad quas exempti e„tiam omnes, qui aliàs, cessante exemptione, interesse de„berent, nec Capitulis generalibus subduntur, accedere te„neantur; ratione tamen Parochialium, aut aliarum sæcula„rium Ecclesiarum, etiam annexarum, debeant ii, qui illa„rum curam gerunt, quicumque illi sint, Synodo interesse."

VIII. Vi hujus Decreti Regulares omnes sive sint exempti sive non, qui vel Capitulis generalibus non subduntur, vel curam animarum exercent, tenentur & cogi possunt ad Synodum accedere sub pœna privationis vocis activæ ipso facto incurrenda, aliisque pœnis arbitrio Episcoporum etiam excommunicationis: adeò ut jus declarandi, & pœnas imponendi ad Episcopos, exemptione non obstante, pertineat, quemadmodum S. Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* QUOD SUPER ¾ *De majorit. & obed. n. 8.* declaravit.

IX. Ut verò quis ratione Beneficii Synodo interesse cogatur, attendendum est, num Beneficium tale habeat *in Diœcesi* cujus Synodus agitur, tametsi alibi domicilium habeat; & ita in terminis declaravit S. Carolus in Synodo Mediolanensi V. *parte 3. tit. Quæ ad Synodum attinent.*

X. Præter Curam Animarum exercentes, qui Synodo assistere debeant, non ex Canonum sanctionibus duntaxat, sed & varia locorum consuetudine petendum est.

XI. Quare in Synodorum Belgicarum indictione videmus generaliter vocari Capitulum Episcopale, Reverendos Dominos Abbates, Abbatissas, Præpositos, Archipresbyteros Rurales, Priores, Priorissas, cæterosque omnes, qui *de jure* vel *consuetudine* Synodo Diœcesanæ interesse debent.

Hæc ex convocatione Synodi D. Mechliniensis sub Hovio. In formula indictionis Synodi Antverpiensis sub Miræo præter expressos in dicta formula Mechliniensi, exprimuntur, *Capitula Ecclesiarum Collegiatarum, Pastores, Pastoratuumque Deservitores.* In convocatione ultimæ Synodi Namurcensis an. 1659. formula Mechliniensis servata est; eo solo excepto, quòd *Capitula Ecclesiarum Collegiatarum* nominatim exprimantur.

Synodus Namurcensis anno 1639. *t. 26. c. 1.* cum pro annua Synodi Diœcesanæ celebratione designasset feriam tertiam post Dominicam *Jubilatè*, quæ est tertia post Pascha, subjungit: "Eapropter omnes qui jure, vel *consuetudine* „illi interesse debent, illo die deinceps compareant." Quæ manifestè supponunt, Patres illius Synodi non dubitasse, quin à *consuetudine* dependeat, qui Synodo interesse debeant; quod & S. Carolus in sua Synodo V. Mediolanensi supposuit.

XII. Qui Diœcesanis sub Sancto Carolo interfuerint ex ejus ad Clerum oratione in ejus Synodo XI. Diœcesana habita colligere possimus. Ita enim ad Synodum loquitur: "Quid agimus, Fratres? Synodum agimus, & quid Synodi

„no-

„ nomen importat? Congregationem significat, atque conventum. Et quarum personarum? Nempe adeo excellentium & eminentium in Sancta Ecclesia; Episcopi videlicet, & membrorum ei conjunctorum, Canonicorum Metropolitanæ hujus Ecclesiæ, tum etiam aliarum; Præpositorum, Parochorum, Sacerdotum, Clericorum."

XIII. Nihilominus tamen (uti notat De Luca *disc.* 30. *ad Concilium Tridentinum*) "Super convocatione, sive interventu in Synodo, controversiæ oriri solent, cum Capitulis & Cleris oppidorum, aliorumque locorum Diœcesis, An scilicet omnes Presbyteri & Clerici ad Synodum convocari possint, ut ab aliquibus Episcopis (& utinam non ad industriam, & occasione mulctarum & pœnarum, sive extorsionum & contributionum) fieri consuevit; ideoque provisum est, ut sufficiat interventus Deputatorum Cleri cujuslibet loci, & Parochorum, seu Vicariorum, aut illorum, quibus aliàs exercitium curæ animarum, & administrationis Sacramentorum incumberet; licèt enim Capituli Cathedralis interventus requiratur, attamen id incommodum non præbet, ex quo in eadem Cathedrali Synodus celebranda est."

"Majores autem ac frequentiores esse solent controversiæ cum exemptis, præsertim Regularibus, an ipsi, eorumque Prælati in Synodo intervenire debeant; receptaque distinctio est (ut in Regularium adnotationibus advertitur) ut illi intervenire debeant, atque cogi valeant, qui curam animarum habeant, & administrationem Sacramentorum exerceant; cùm in hac parte subditi sint, atque à primo Pastore, qualis est Episcopus, instruendi sint, quomodo in sibi commissarum ovium cura & regimine se gerere debeant; quod etiam procedit in aliis sæcularibus exemptis, suum inferiorem Prælatum habentibus cum ordinaria quasi Episcopali jurisdictione; potissimè ubi de illis agitur, qui hanc jurisdictionem habent in locis intra Diœcesis fines existentibus."

CAPUT II.

Quæ in Synodo Diœcesana tractanda?

1 *Vetus formula habendi Synodum Diœcesanam.*
2 *Juxta hanc formulam ad Synodum conveniunt Presbyteri, Diaconi & aliqui laici.*
3 *Omnes Presbyteri Synodum cum Episcopo conficiunt.*
4 *Presbyteri hic idem sunt quod Parochi.*
5 *In Synodo omnia non contentiosè agenda.*
6 *Controversia laicos inter & Clericos deciduntur.*
7 *Synodi tunc temporis erant quasi tribunalia justitiæ.*
8 *Lites Clericorum aut Laicorum in Synodis hodie rarò determinantur.*
9 *In Synodis præcipuè de corrigendis excessibus & reformandis moribus agitur.*
10 *Synodi Diœcesanæ habentur, ut Decreta Conciliorum generalium & Provincialium uniformiter executioni mandentur.*
11 *Probatur ex S. Carolo.*
12 *Item ex Synodo Audomarensi.*
13 *Ut fructum Synodorum assequeretur Sanctus Carolus, per Vicarios inquiri jussit, quæ in Diœcesi essent reformanda.*
14 *Ante Synodum Congregationes super reformandis moribus à S. Carolo instituta.*
15 *Antiquum est institutum, ut quæ Clericalem disciplinam spectant breviter ab Episcopo in Synodo proponantur.*
16 *Formula istius admonitionis extat apud Reginonem & in Pontificali Romano.*
17 *Convenientes admonitiones Clero proponendas S. Carolus proposuit.*
18 *In Synodo Diœcesana constituendi* Examinatores *vulgo* Synodales.
19 *Item Judices Synodales.*

I. Apud Burchardum Wormatiensem reperitur formula habendi Synodum Diœcesanam sub nomine concilii Salegunstadiensis anni 1022. quod & teste Baronio ab auctore Micrologi *Moguntinum* nuncupatur; eoque nomine meritò appellari in sua historia Moguntina existimat Nicolaus Serarius, eo quod Salegunstadium jam tum Moguntinæ esset Diœcesis.

II. Juxta hanc formulam, Synodus in Ecclesia celebranda est; atque Sella in media ponenda, & super eam *Sacra Reliquiæ*.

Deinde dicitur: "convenientes Presbyteri omnes intrent, & secundum ordinationis suæ tempus resideant. Post hos ingrediantur Diaconi probabiles, quos ordo poposcerit interesse. Exinde introducantur laici bonæ conversationis. Tunc ingrediatur Episcopus, si voluerit, vel si necessitas exegerit: & si non aderit Episcopus, ejus Vicarius eadem faciat."

III. Post hæc Episcopus salutat præsentes, ac varias preces unà cum præsentibus recitat; quibus expletis jubentur egredi omnes, *exceptis Presbyteris* & cæteris idoneis Clericis.

IV. Hic nota, omnes indistinctè Presbyteros ad Synodum admitti. Nec mirum; quia juxta phrasim illius temporis, nomine Presbyterorum veniebant Parochi; adeo ut *admittere Presbyteros* ad Synodum idem tunc significaret, quod hodie *admittere Parochos*.

V. Presbyteris ergo seu Parochis cum cæteris idoneis Clericis concedentibus, nec non lecto canone Concilii Toletani modum celebrandi Synodum exprimente, admonitio ab Episcopo vel etiam à Diacono legitur.

In hac inter alia monet: "Quod si forsitan aliquis nostrum, aliter quam dicta fuerint, senserit: sine aliquo *scrupulo contentionis* in nostrum omnium copulatione ea ipsa de quibus dubitaverit, conferenda reducat, qualiter Deo mediante aut doceri possit aut doceat."

VI. Prosequitur Post hæc admonitio: "Deinde vos simili obtestatione conjuro ut nullus vestrum in judicando aut personam accipiat, aut quolibet favore aut munere pulsatus à veritate discedat. Sed cum tanta pietate quidquid cœtui se judicandum intulerit retractare, ut nec discordans contentio ad subversionem justitiæ inter nos locum inveniat, nec iterum in perquirenda æquitate rigor nostri ordinis vel sollicitudo tepescat."

VII. En manifestum argumentum Synodos has Diœcesanas æquè ac provinciales fuisse quasi quædam Tribunalia justitiæ, in quibus sine strepitu Judicii, aliisque formalitatibus forensibus, Clericorum & Laïcorum quæstiones summariè deciderentur.

Primùm quidem Clericorum, idque primâ die Synodi; ideoque immediatè post expletam admonitionem subjungitur: "Post hanc exhortationem, *quisquis Clericorum* velit, *querelam* conferat.

Secundâ die Synodi, "Tunc si Clerici querelam non habent conferendam, *Laici* intromittantur. Quisquis ex *Laicis* habet querelam, proferat."

VIII. Hodie verò rarò querelæ sive lites Clericorum vel Laïcorum in Synodis terminantur; sed illæ vel in Tribunalibus Ecclesiasticis coram Officialibus, vel Tribunalibus laïcis pro diversitate materiæ & personarum agitari & terminari consueverunt.

IX. In Synodis verò præcipuè de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligens cum Dei timore habendus est tractatus, uti loquitur Synodus Lateranensis loco citato.

Hinc juxta præscriptum Pontificalis Romani sub titulo *De Ordine ad Synodum*, ita præsentes in Synodo Episcopus alloquitur. "Venerabiles consacerdotes, & fratres nostri charissimi, præmissis Deo precibus, oportet, ut ea quæ de divinis officiis, vel Sacris Ordinibus, aut etiam

„ etiam de noſtris moribus, & neceſſitatibus Eccleſiaſti-„ cis, à nobis conferenda ſunt, cum charitate & benigni-„ tate unuſquiſque veſtrum ſuſcipiat, ſummâque reve-„ rentia, quantum valet, Domino adjuvante, percipiat; „ & quæ emendatione digna ſunt, omni devotione unuſ-„ quiſque fideliter ſtudeat emendare."

X. Adhæc Synodi Diœceſanæ celebrantur, ut Univerſalium atque Provincialium Synodorum Decreta facilius executioni mandentur; atque interdum in nonnullis articulis Diœceſi particulari accommodentur; habeaturque uniformis totius Diœceſis pro executione reſolutio.

XI. Unde S. Carolus in oratione ad Clerum in Synodo XI. Diœceſana, congregatum inter alia, ob quæ Synodus ſit coacta, hæc proponit: "Hic præterea applicatio fit „ magis particularis Conciliorum tam Univerſalium „ quàm Provincialium: mutuò ſeſe Epiſcopus cognoſcit „ & Clerus; qui quidem, vel ſolus aſpectus, maximam „ excitat charitatem animoſq; conciliat, ad adjuvandum „ & promovendum unanimiter Dei honorem: Hic con-„ ſultantur ea, quæ ad hoc ſpirituale regimen pertinent, „ cum his qui adminiſtrationis participes ſunt; hic uni-„ formitas deliberatur in executione legum præteritarũ; „ de abuſis qui vigent in populo diſquiruntur, & op-„ portuna eis adhibenda remedia ſtatuuntur; ac quam „ quiſque in hac re diligentiam adhibeat, cognoſcitur. „ Hic demum præterita tempora cum futuris conferen-„ tes, & utraque Decreta ac conſtitutiones jam editas „ applicantes, culpas quidem præteritas deflemus, emen-„ dare vero inpoſterum deliberamus."

XII. Similiter Epiſcopus Audomarenſis in Synodo Diœceſana an. 1585. allegans cauſam indicendarum *annuarum* harum Synodorum ait: "Quædam ſunt ita com-„ munia mala, ut Diœceſim unam integram obtineant, „ ne facilè poſſint, niſi communi conſilio & auxilio eo-„ rum omnium qui in Diœceſi præſunt, extirpari. Adhæc „ congruit, ut *eadem una* Diœceſis, *eodem uno modo*, & „ *iiſdem unis legibus univerſa* regatur. Quare rectè à „ Patribus, & nominatim à Tridentinis ſtatutum eſt, ut „ præter particulares Eccleſiarum viſitationes, quotan-„ nis etiam Synodi Diœceſanæ celebrentur, in quibus, „ congregatis totius Diœceſis Capitibus omnibus„, ſta-„ tuantur ea quæ pro communi totius Diœceſis bono „ ſtatuenda videri poſſint, & caveatur, ne quæ bene con-„ ſtituta ſunt temerentur."

XIII. Hunc Synodorum Diœceſanarum fructum ut uberius aſſequeretur Sanctiſſimus Præſul, quem Paſtoralis ſollicitudo glorioſum reddidit, præter ferventes ac inſtantes preces ad quas populum Clerumque inſtante Synodo excitandum voluit, inſuper præcipit, "ut & in ci-„ vitate ii quibus id curæ Epiſcopus dederit, & in Diœ-„ ceſi Vicarii foranei (qui cum noſtris hodiernis Deca-„ nis Ruralibus penè coincidunt) & Parochi præterea „ tum urbani tum Diœceſani, ut ipſi Epiſcopo adjumen-„ tum adferant, diligenti aliqua earum rerum indagatio-„ ne ac relatione, quibus per eum conſuli aut provideri „ in Synodo præſertim oportebit, ſedulò videant ac no-„ tent: ut ea omnia ad præſcriptam ab eo rationem & „ formam tum litteris, cum coram, conſtituto tempore „ referant."

„ Primò igitur ii omnes pro ſuorum quiſque munerum „ officiorumve ratione & cura diſpiciant, quæ Cleri ſit „ in Clericalis vitæ moribus progreſſio; quæ in vita ſpi-„ rituali diſciplina, & quàm ſolicitum in divinorum offi-„ ciorum cultu ſtudium; quàm diligens in Eccleſiaſticis „ functionibus obeundis ſolicitudo; quæ etiam, & quàm „ frequens in litterarum exercitationibus cura; qui in ea-„ rum ſtudiis progreſſus item.

„ Vicarii autem foranei & regionarii in civitate præ-„ fecti, aliive Eccleſiaſtici homines, quos ob eam cauſam „ Epiſcopus delegerit, exquirant; qui præterea Paro-„ chorum in primis zelus in animarum ſalute procuran-„ da; quæ in Sacramentis miniſtrandis ſedula diligentia; „ quàm frequens in paſcendis verbo Dei fidelibus offi-„ cium; quæ denique in omnibus Parochialis muneris „ partibus vigilantia, quæve aſſiduitas.

„ Deinde ii omnes & ſinguli pro ſui officii munere in-„ veſtigent, quæ populi in Chriſtianæ charitatis operibus „ exercitatio, quàm religioſus feſtorum dierum cultus, „ quàm pia in Eccleſiis converſatio, quæ in doctrinæ „ Chriſtianæ ſcholis frequentia: tum de aliis piis ſodali-„ tatibus diſquirant, tum denique de reliqua omni ejuſ-„ dem populi diſciplina, & in via Domini progreſſu."

Hæc aliaque plura pro inſtructione Epiſcopi notari, atque ad Synodum referri voluit & proponuntur in Concilio V. Provinciali Mediol. parte 3. tit. *Quæ ad Synodum, Congregationes ve alias Clericales, & viſitationem attinent*; ubi una exponens, qualiter ipſa Synodus habenda ſit, & quàm ſanctè ſe gerere debeant Sacerdotes eo tempore quo Synodus agitur; ut "cùm eos poſuerit Deus in ac-„ quiſitionem ſalutis, atque in ædificationem, officii ſui „ memores, *ambulent dignè Deo*, ſanctèque, ſicut decet „ Miniſtros Myſteriorum Dei, vivant."

XIV. Eadem quoque intelligi poſſunt ex litteris quas immediatè ante Synodum mittebat ad Vicarios foraneos & Parochos, quarum exemplar habetur in Actis Eccleſiæ Mediolanenſis *part. 8.* ubi ſimiliter referuntur Congregationes quas cum Vicariis foraneis & viſitatoribus ſuis Synodali die appropinquante inſtituebat; & quæ in illis inquireret; ac dein fusè deſcribuntur acta Synodi XI. & ultimæ, quam celebravit ſanctiſſimus hic Archipræſul; in quibus integra forma celebrandæ Synodi Diœceſanæ repræſentatur.

XV. Pervetus illud quoque inſtitutum eſt, ut quæ Sacerdotalem Clericalemque diſciplinam, officia ac partes ejus maximè attingunt, ea certis monitionibus, iiſque brevibus comprehenſa ab Epiſcopo in Synodo Clero proponantur; quò breviùs illa expreſſa, crebriùſque repetita, diligentiùs item non ſolùm animis, mentibuſque imprimantur, ſed etiam omni ſtudio inviolatè ſerventur.

XVI. Extat veteris admonitionis formula ſub nomine inquiſitionis duobus libris diſtincta apud Regionem Abbatem Prumienſem; de qua egi in Tractatu Hiſtorico-Canonico in Canones *part. 5. c. 1.* ibique oſtendi, quòd pro aſſequenda notitia diſciplinæ Eccleſiaſticæ lectio illius non parùm conducere queat: & §. 2. oſtendi, quomodo in nonnullis articulis hæc formula differat à formula *admonitionis* quæ in hodierno Pontificali Romano proſtat; atque ex illa differentia evincatur, hanc eſſe recentiorem, aut à recentiori manu immutatam.

XVII. S. Carolus in omnibus Sanctorum Patrum veſtigia premens, nihilque quod ad inſtructionem reformationemque Clericorum conducere poſſet omittens, monitiones edidit, in unaquaque Synodo Diœceſana Seſſione publica univerſo Clero de libro accuratè legendas, graviterq; pronuntiandas, quæ compendioſam atque accuratam vitæ Clericalis diſciplinam atque vivendi rationem continent; unà cum annotatione omnium quæ Clerici præcipuè cavere debent; ita ut in hiſce Monitionibus Lector repertutus ſit totius Clericalis inſtituti exactiſſimum & perfectiſſimum compendium.

Publicavit primùm illas Monitiones in Concilio ſuo Provinciali IV. de Epiſcoporum ſuorum Suffraganeorum conſilio & aſſenſu, cum hac tamen clauſula: "Quibus „ (Monitionibus) quiſque Epiſcopus addat, & detrahat, „ prout Eccleſiæ ſuæ Clero pro temporum ratione utile „ eſſe viderit."

Hanc clauſulam utinam notent Epiſcopi, qui Clero ſuo in ſacris Ordinationibus, aliiſque publicis conſeſſibus nihil præter generales & præſcriptas jam pridem formulas prælegunt, non attendentes, quid Clero ſuo pro temporum ratione utile ſit.

Aliter exemplo ſuo docuit Sanctus Carolus, dum has generales *monitiones* in Synodo ſua Diœceſana III. ube-

riores, accommodatioresque ad usum suæ Ecclesiæ Mediolanensis edidit; & ita auctæ & accommodatæ extant in actis Ecclesiæ Mediolanensis *part. 2. pag. 299.* edit. anni 1683.

XVIII. Ex præscripto Concilii Tridentini *Sess. 24 c. 18. De Reform.* singulis annis in Synodo Diœcesana ab Episcopo vel ejus Vicario ad minùs sex Examinatores proponendi sunt; qui Synodo satisfaciant, & ab ea probentur; advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ Parochialis tres ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen in Concursu perficiant, indeque succedente alia vacatione, aut eosdem, aut alios tres quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat.

Hi Examinatores quia in Synodo eligendi & probandi sunt, vulgò *Synodales* etiam hodie dici solent; tametsi extra Synodum ab Episcopis eligi & probari, ob intermissam Synodorum celebrationem consueverint; de quibus infra *part. 2.* tit. *De concursu ad Ecclesias Parochiales* fusiùs tractabitur.

XIX. Præterea idem Concilium *Sess. 25. cap. 10. De reform.* statuit, " In singulis Conciliis Diœcesanis aliquot „ personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem „ Bonifacii VIII. quæ incipit *Statutum*, & alioquin ad id „ aptas designari, ut præter Ordinarios locorum iis etiam „ post hæc causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum „ Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ com„ mittantur."

Porrò quemadmodum Examinatores Synodales ob intermissas Synodos solent extra Synodum ab Episcopis designari; ita quoque consuetudo invaluit, ut hæ personæ, quas Judices Synodales dicimus, ab Episcopis sine Synodo constituantur; de quibus latiùs Parte 3. agetur.

CAPUT III.

De Testibus Synodalibus.

1 *Synodus Lateranensis vult designari personas in Synodis Provincialibus qui in excessus & abusus inquirant.*
2 *A Canonistis vocantur Testes Synodales.*
3 *Hi jam pridem à Synodis Diœcesanis constituti fuerunt, & Episcopi vigilantiores iis sunt usi.*
4 *Institutum illorum innovavit S. Carolus.*
5 *Quales eligi debeant.*
6 *Testes jurare debent, se officium suum fideliter expleturos.*
7 *Quæ sit formula juramenti.*
8. *Testes sincerè & liberè officium suum obire debent.*
9 *Circa quæ Testes inquirere debeant.*
10 *Quo tempore relationem coram Episcopo facere teneantur.*
11 *Clerus Gallicanus officium Testium Synodalium descripsit.*
12 *Franciscus Sonnius Antverpiensium Episcopus Testium Synodalium necessitatem agnovit, eosque institui mandavit.*
13 *Ex defectu Testium Synodalium natum est contingere, ut exacta Diœcesis notitia non habeatur.*
14 *Defectum Testium Synodalium aliquatenus supplere posset diligentia Archipresbyterorum.*

I. SYnodus Lateranensis sub Innocentio III. postquam SS. Patrum institutum de celebrandis Conciliis Provincialibus renovavit, mandavitque in iis de corrigendis excessibus & reformandis moribus diligenter esse tractandum, subjicit: "Ut autem id „ valeat efficacius adimpleri, per singulas Diœceses sta„ tuant personas idoneas, providas videlicet & honestas, „ quæ per totum annum simpliciter & de plano absque „ ulla jurisdictione solicitè investigent, quæ correctione „ vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant „ ad Metropolitanum & Suffraganeos & alios in Conci„ lio subsequenti, ut super his & aliis (prout utilitati & ho„ nestati congruerit) provida deliberatione procedant."

II. Hæ personæ communiter à Canonistis dicuntur *Testes Synodales*; eo quod à Synodo sint constitutæ, ut testimonium ferant.

III. An de his Testibus loquatur Canon EPISCOPUS IN SYNODO, *Caus. 35. quæst. 6.* à Gratiano sub nomine Eutychiani Papæ relatus, fat incertum est; quemadmodum notat Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum: illud certius est, jam pridem usitatum fuisse, hujusmodi Testes non tantùm in Synodis Provincialibus, sed & Diœcesanis fuisse nominatos; iisque vigilantiores Episcopos usos fuisse, ut exactiorem totius suæ Diœcesis notitiam accipere possent, atque abusus & excessus in Synodis reformandos & corrigendos faciliùs & exactiùs cognoscere.

IV. Id expendens vigilantissimus Mediolanensium Antistes S. Carolus, ejusque Suffraganei, in Concilio Mediolanensi IV. decreverunt, ut institutum illud nonnullis in locis intermissum restituatur; atque ut non nomine tantùm, sed certis officii partibus rectè per eos geratur, quibus in Synodo vel Provinciali vel Diœcesana committetur, plura ordinarunt.

V. Atque imprimis, ut " Viri Ecclesiastici ætate mo„ ribusque graves, prudentes, ac virtutum Christiana„ rum studiosi, & spiritualis vitæ amantes in Concilio „ Provinciali Metropolitano ex unaquaque Diœcesi duo „ saltem; in Synodo Diœcesana ab Episcopo è Diœcesi „ sua *septem*, pluresve, prout expedire viderit *Testes Synodales* deligantur."

VI. „ Qui à Metropolitano delecti & nominati sunt „ in eodem Provinciali Concilio, qui ab Episcopo in ipsa „ Diœcesana Synodo jurati, allatis Sanctorum pignori„ bus, sanctè spondeant, ex formula verborum infra „ præscripta, muneris sui partes, infra constitutas, se „ executos esse."

„ Si verò à Concilio Provinciali abest qui à Metropo„ litano nominatus est, tunc Episcopus, pro cujus civita„ te, vel Diœcesi ille electus est, unius mensis à fine Con„ cilii spatio, eum ad se litteris accersat: eumdemque ex „ ipsa præscripta formula jurejurando obstringat, ac ju„ risjurandi præstiti testimonium, publica auctoritate „ munitum, intra alium mensem, ad Metropolitanum „ omnino mittat."

VII. Posthæc inseritur formula juramenti eadem quæ habetur apud Gratianum in citato Canone *Episcopus in Synodo*; ut vel hinc appareat, S. Carolum credidisse, Canonem illum de *Testibus Synodalibus* loqui; aut saltem non dubitasse, quin juramentum quod ibidem à septem ex plebe ipsius Parochiæ de dicenda veritate super abusibus & excessibus in Synodo exigendum præscribitur, meritò à testibus Synodalibus exigi posset: utpote qui similiter eliguntur à Synodo, ut de iisdem inquirant, & postmodum in Synodo aut coram Episcopo sincerè ac veraciter deponant.

VIII. Deinde ipsos Testes monent, ut " hoc perpetuò „ meminerint, se non amore, non odio, non invidia, non „ spe, non metu, non pœna, non præmio, non cogna„ tione, non ulla denique re commoveri, aut impediri „ debere, quo minus liberè & integrè munus suum pro „ ratione infra præscripta præstent.

IX. Post hæc quid agere debeant describunt, atque in„ ter cætera: " Quo tempore hoc munus gesserint, per„ sonas discretas interrogando simpliciter, & de plano, „ absque ulla jurisdictione solicitè investigent hæc quæ „ sequuntur; idq; singuli, aut in universa civitate & Diœ„ cesi, aut in regione, unicuique eorum potissimùm no„ minatimque commissa.

„ An Parochi, Canonici, & alii quicumque Ecclesia„ stici homines, quos residere oportet, præsentes in Ec„ clesiis suis adsint; anque rursus si præsentes in Paro„ chialibus vel Canonicalibus, Clericalibusque ædibus „ habitent."

„ An Parochi præterea, aliique animarum Curatores „ soli-

„ solicitè, ut debent, Fidelium sibi commissorum saluti „ invigilent."

„ An in Sacramentis sanctè ministrandis, in Verbi Dei „ prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium, & pue„ rorum ad doctrinam Christianam institutione, & in cæ„ teris omnibus curæ Parochialis officiis, diligentis mu„ neris partes præstent."

„ An reliqui, quicumque sint, Ecclesiastici Ordinis „ homines Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua Digni„ tatem vel Canonicatum, vel Capellam, vel Ecclesiasti„ cum aliquod munus habent, aut in qua adscripti sunt, „ oneribus satisfaciant, & præscriptas sibi functiones „ obeant."

„ An Ecclesiæ sartæ tectæ sint; an ornamentis, & sup„ pellectili Ecclesiastica necessaria & congrua instructæ; „ an in illis, aut earum cœmeteriis atriisve aliquid incul„ tum sit, quodque sordibus obsolescat, anve aliquid à re„ ligioso cultu & pietate alienum."

„ Videant item, an populus in via Domini ambulet, „ frequensque adit Divinis officiis & sacris concionibus, „ & in Ecclesia piè religiosèque versetur, atque dies fe„ stos colat."

„ An jejunium Quadragesimæ, quatuor Temporum, „ statutaq; reliqua Ecclesiæ jejunia observet."

„ An idem decimas, primitias, aliaque debita emolu„ menta, adjumentave præstare, aut solvere recuset."

„ An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarii, ad„ ulteri, incestuosi, virginum raptores, an excommunica„ ti, an hæresis & magiæ, superstitionúmve nomine su„ specti sint."

„ An denique aliæ in eodem morum corruptelæ, quæ „ correctionem, emendationémve requirant."

„ Dispiciant item, an quæ Romanorū Pontificum con„ stitutionibus, Oecumenicis, Provincialibus, Diœcesa„ nisq; Synodis, Episcoporumq; Edictis, quovis de genere „ decreta, sancitave sunt, ab iis serventur, quorum inter„ est, sive Ecclesiastici, sive laici homines sint."

X. Ut verò hæc præstent utiliùs, qui à Synodo Provinciali constituti sunt, omnia quæ reformatione aut emendatione indigere judicaverint in scriptum redacta tribus mensibus antequam dies Concilio Provinciali præstituta venerit, ad Metropolitanum deferre debebunt: qui verò à Synodo diœcesana, uno mense ante habendam Synodum Diœcesanam ad Episcopum. Hæc aliaque habentur in Concilio Mediolanensi IV. *part. 3. tit. De testibus Synodalibus.*

Hisce addidit in Synodo sua Diœcesana XI. "Testes „ Synodales quarto quoque mense, de his quæ pro ratio„ ne sui muneris agere debent, ad nos, Vicariumve no„ strum generalem, cùm absumus, scribant."

XI. Clerus quoque Gallicanus in Conventu Melunensi anno 1579. meminit *Testium Synodalium*, & quæ in Diœcesi aut Parochia sibi ad visitandum commissa inquirere debeant, describit; atq; inter alia hoc meritò notandum: "Si Opiliones Christianè versentur in agris curam pecorum agentes."

Quàm enim frequenter illud hominum genus in vitiis dominandis, & crassa fidei & religionis ignorantia versetur, sat notum est; ut proinde non immeritò Episcopi Pastores in illos inquirerent.

XII. Quin & Franciscus Sonnius primus Antverpiensium Episcopus videns, quia peccandi licentia multùm valuisset ex eo quòd crimina Superioribus plerumque lateant, hinc in Synodo sua Diœcesana an. 1576. observari voluit Canonem *Episcopus 35. quæst. 6.* "Mandantes, ait, Decanis nostris, ut in singulis Parochiis constituant duos viros honestos & zelosos Testes Synodales, qui concubinarios, adulteros, Clericorum invasores & percussores, usurarios, contractúsque illicitos exercentes, & quæcumque crimina ad nostram correctionem spectantia quotannis coram ipsis Decanis aut aliis ad hoc à nobis deputandis exponant, ut habita inquisi„ tione possit contra eos procedi ad emendationem."

XIII. Hæc sat ostendunt, institutum *Testium Synodalium* aptissimum semper judicatum fuisse, ut Episcopi ad plenam abusuum & defectuum corrigendorum notitiam pertingant; eorúmque intermissioni & neglectui non immeritò imputari, quod Episcopi nonnumquam in crassa & multùm noxia Diœcesis suæ ignorantia versentur; neque de vitiorum atque abusuum grassantium, quos ignorant, emendatione & correctione anxii sint.

XIV. Illud tamen haud diffitendum, quòd si Episcopi in Decanos seu Archipresbyteros Rurales eligerent doctos, zelosos, atque in cura animarum exercitatos, qui diligenter, prout officium exigit, Parochiarum sibi subditarum statum inquirerent (prout supra *Titulo 6. cap. 2. & 3.* exposuimus) magna ex parte per horum vigilantiam & Solicitudinem suppletum iri *Testium Synodalium* defectum; quemadmodum annuæ Congregationes Decanorum cum Episcopo supplere aliquatenus possent defectum Synodorum Diœcesanarum, uti *eodem tit. cap. 3.* notatum est.

Non parùm quoque conduceret ad supplendum defectum *Testium Synodalium*, si "Decani habeant aliquot „ probos & sibi fidos Pastores, à quibus excessus vicina„ rum Ecclesiarum addiscant: Similiter quilibet Pastor „ habeat viros probos & bonos è sua Parochia, qui sibi „ defectus Parochiæ referant." Quemadmodum præcipit Synodus Namurcensis anni 1639. *titulo 20. cap. 35.* Idem habet Synodus Tornacensis anni 1589. *titulo 23. capite 7.*

CAPUT IV.

Qui his Synodis subdantur, & quæ earum auctoritas?

1 *Synodi Diœcesanæ suam auctoritatem mutuant ab Episcopo.*
2 *Multis sæculis omnes Clerici indifferenter Synodis subjiciebantur.*
3 *Nulla hac in parte erat differentia inter Clerum Sæcularem & Regularem.*
4 *Monachi etiam Synodis subjiciebantur.*
5 *Exemptiones Capitulorum & Monasteriorum quæstiones pepererunt.*
6. *Capitula subjiciuntur Synodis quamdiu plenè non probatur exemptio.*
7 *Subjiciuntur Synodis in materia* non exempta.
8 *Item in his quæ concernunt correctionem morum.*
9 *Regulares etiam exempti Synodis subjiciuntur in materia* non exempta.
10 *Item in his quibus subjiciuntur Episcopis tamquam Sedis Apostolicæ* Delegatis.
11 *Exemptiones præsertim Regularium circa subjectionem Synodorum pariunt multas quæstiones.*
12 *Constitutiones Synodales in Italia edi non possunt nisi priùs à S. Congregatione examinatæ & probatæ.*
13 *Hodie etiam Laici quæstiones movere solent super Observatione Decretorum Synodalium.*
14 *In Belgio ægrè permittitur promulgatio Synodorum sine consensu Regis, & quare?*
15 *Quæ sint causæ quod hodie rariùs habeantur Synodi Diœcesanæ*

I. SYnodos Diœcesanas præcipuam suam auctoritatē, ac vim obligandi mutuare ab Episcopo qui illis *per se* aut Vicariū suum præest; illarumque statutis obstringi omnes qui Episcoporum decretis ac mandatis subjecti sunt, indubitatum est; quandoquidem ambigi nequeat, quin ut minùs tantæ sint auctoritatis Synodorum Diœcesanarum sanctiones, quàm Episcoporum decreta.

II. Porrò constat per undecim & amplius sæcula universum Clerum jurisdictioni & regimini sui respectivè Episcopi fuisse subjectum; nec umquam per ea tempora in quæstionem venisse, num Clerici Decretis Episcoporum in his quæ morum atque disciplinæ reformationem attinebant, essent subjecti, eisque obedire deberent: ideoque nec ambigebatur, quin Clerici omnes etiam Synodorum Episcopalium sanctionibus tenerentur; iisque in omnibus se subjicere juberentur.

III. Neque hac in parte ulla erat Clericos Regulares inter & sæculares distinctio. Hoc ipso enim quo Monachi sive Religiosi Clero adscribebantur, mox in omnibus non secus ac alii de Clero subjiciebantur ipsi Episcopo, tamquam totius Cleri suæ Ecclesiæ Capiti & Pastori.

IV. Quinimo multis sæculis juxta Canonicas sanctiones præsertim Concilii Calchedonensis Canonem quartum, Monachi universi Episcoporum jurisdictioni subjecti fuere; ipsorumque consequenter Episcoporum ac Synodorum Episcopalium Ordinationibus & Decretis subjecti, uti latius infra ubi de exemptionibus Monachorum agetur, probabitur.

V. At postquam hisce posterioribus Ecclesiæ sæculis, non tantum Monachi, sed etiam Clerici præcipuè Canonici exemptionem à jurisdictione Episcoporum à Romanis Pontificibus prætenderunt, & subinde obtinuerunt, quæstiones frequentes excitari cœperunt, circa obedientiam quam Capitula Canonicorum & Monachorum Monasteria deberent Decretis & Ordinationibus Synodorum Episcopalium.

VI. Illud imprimis indubitatum manet, Capitula Canonicorum aliosque clericos subjici Synodis Episcopalibus, in omnibus quæ ipsos concernunt, quamdiu plenè non constat de eorum exemptione. Quamdiu enim dubia est exemptio, salva manet ordinaria Episcoporum auctoritas juri communi innixa; uti latius dicetur loco citato.

VII. Adhæc certum quoque est, canonicos etiam exemptos subjici ordinationibus Synodorum Episcopalium in omnibus quæ concernunt materiam *non exemptam*; id est, in his ad quæ exemptio se non extendit; de quibus similiter infra tractabitur.

VIII. Quinimo cum ex Decreto Synodi Tridentinæ Clerici in his quæ correctionem ac reformationem morum & abusuum concernunt, Episcopis subjiciantur non obstante quacumque exemptione, etiam Synodis Episcopalibus in his subjecti erunt.

Cùm vero Synodi hodie non tam circa forensium quæstionem decisionem, aut judiciarios processus, quam circa reformationem morum & disciplinæ versentur, videtur quod Capitula Canonicorum quantumvis exempta meritò dici possint Decretis Synodorum esse subjecta; atque ita declarasse Sacram Congregationem Concilii Tridentini Interpretum testatur Synodus D. Mechliniensis *tit.* 24. "Sciant, ait, Capitula *exempta*, exemptionemque prætendentia se non tantùm ad Statutorum *Synodi Diœcesanæ*, verùm etiam ad Decretorum Synodi Provincialis, uti à Sacra Congregatione declaratum est, observationem *teneri*." Idem repetiit Synodus Namurcensis an. 1659. *tit.* 25.

IX. Quoad Regulares *exemptos*, ipsos legibus Synodorum Episcopalium teneri in iis omnibus quæ materiam non *exemptam* concernunt; & generaliter in omnibus in quibus etiam Episcoporum Decretis non obstante exemptione subjiciuntur, ambigi nequit. Unde consequenter ut intelligi queat, in quibus Regulares exempti Synodis Diœcesanis subdantur, scire oportet, ad quæ exemptio ipsa Regularium se extendat, quod infra titulo *De exemptionibus* latius dicetur.

X. Quin si Episcoporum jurisdictioni tamquam Sedis Apostolicæ *Delegatorum* Regulares subdantur, etiam ad Synodum Episcopalem accedere tenebuntur, si ad eam ab Episcopo tamquam Sedis Apostolicæ *Delegato* vocentur; ejusque ordinata observare, ut latè probat Fagnanus ad *Cap.* Quanto ;; *De Officio Ordin.* & per speciale Breve declaravit Alexander VII. quod ibidem à Fagnano refertur *num.* 64.

XI. Quia autem non satis convenit Episcopos inter & exemptos, quæ sit materia *exempta*, quæ *non exempta*; & in quibus obedire teneantur variæ solent occasione istarum exemptionum oriri quæstiones & jurgia Episcopos inter & exemptos, præcipuè Regulares.

XII. Hac de causa teste Cardinali De Luca *Disc.* 30. *ad Concil. Trid. n.* 9. ob ista jurgia, quæ Synodi Diœcesanæ cum exemptis parere solent, "à Sacra Congregatione in Italia injunctum est Episcopis, ut jam editas Synodales Constitutiones eidem examinandas, & confirmandas transmittere debeant, *istaque*, ait, *est praxis*.

XIII. Ulteriùs, quia in Synodis interdum quædam occurrunt, quæ licet Ecclesiastica officia, aut functiones, vel Ecclesiasticorum aut Ecclesiarum jura concernere videantur, temporalia tamen etiam attingunt, difficulter Laici hisce Ordinationibus se subjiciunt, nisi auctoritas Regia accedat.

Neque enim credunt, auctoritatem Episcoporum aut Ecclesiasticorum eo se extendere, ut in his quæ temporalia sunt, laicis absque Regio consensu legem ponant; ut sunt v. g. jura sepulturæ, decimatum, oblationum; item quæ Hospitalium aut etiam mensarum S. Spiritus aut Fabricæ Ecclesiæ administrationem concernunt; aliaque similia.

Hinc videmus Synodos passim confirmationem Regiam postulasse; atque ultimam Diœcesanam Namurcensem à Rege tam in Concilio Privato, quàm Brabantiæ examinatam & probatam videmus.

XIV. Quin & ægrè hic in Belgio permitteretur sine prævio Regis consensu Synodorum publicatio; ne fortè aliquid contra jus Regis aut Vasallorum contineretur.

Et quidem cùm anno 1639. Episcopus Namurcensis Synodalia sua statuta evulgasset sine consensu Regis; Senatus Namurcensis litteris datis ad Concilium Privatum exposuit, Episcopum hac publicatione præjudicare auctoritati Regiæ. Habitâ deliberatione Concilium Privatum scripsit Episcopo Namurcensi, quod excessisset limites suæ potestatis, atque præjudicasset auctoritati Regiæ publicando sua Statuta Synodalia sine consensu Regis; injunxitque ipsi, ut omnia exemplaria dictorum statutorum retraheret, & eorum executionem suspenderet; deinde Concilio Namurcensi scripsit, ut invigilaret an hæc mandata executionem haberent; Hæc scripta fuere anno 1644.

Idem judicavit Concilium Privatum anno 1605. circa Synodum Tornacensem similiter sine consensu Regis publicatam: ac iterum occasione alterius Synodi Tornacensis anno 1645. hæc latius referuntur in sæpius citato Regesto MS. Archiepiscopatûs Mechliniensis.

XV. Hæ controversiæ & quæstiones quæ tum ratione exemptionum Regularium & Capitulorum, tum jurium laicorum oriri solent inter Episcopos & Exemptos, ac etiam laicos super executione Ordinationum Synodalium, non dubium, quin contribuerint ad omissionem Synodorum; quantumvis negari nequeat, quin ex earum omissione magnoperè disciplina Ecclesiæ patiatur, & abusus incrementum accipiat.

TITU-

TITULUS XIX.

De Metropolitanis.

CAPUT I.

Quando & à quibus Metropolitani instituti?

1 *Antiqua est Metropolitanorum institutio.*
2 *Synodum Nicænam præcessit.*
3 *Metropolitanorum nomen derivatur à Metropoli Civili.*
4 *Episcopus qui Metropoli præest dictus est Metropolitanus.*
5 *Metropoles Ecclesiasticæ ad normam Civilium formatæ fuerunt.*
6 *Probatur ex Concilio Niceno.*
7 *Item ex Concilio Taurinensi.*
8 *Ratio hujus disciplinæ.*
9 *Divisâ per Principem Provinciâ duo constituebantur Metropolitici.*
10 *Posterioribus seculis Metropolis erectio à Metropoli Civili sejuncta fuit.*
11 *Devoluta est erigendi auctoritas ad Romanum Pontificem.*
12 *Intervenire debuit consensus Principis, quod pluribus exemplis probatur.*
13 *Hæc est moderna Ecclesiæ disciplina.*
14 *Archiepiscopus Rhemensis protestatus est contra erectionem Metropolis Cameracensis, quia consensus Regis non intervenerat.*

I. TAmetsi non constet, Metropoliticam dignitatem ab Apostolis esse institutam; vel utrùm Apostoli aliquibus Ecclesiis à se fundatis, aut earum Episcopis quædam jura & privilegia in alias Ecclesias concesserint, eam tamen antiquissimam esse nemo inficiari potest.

II. Synodus Nicæna sub Constantino M. multis locis supponit, Metropolitanorum institutionem ab antiquo factam. Canone IV. ait: "Eorum autem quæ fiunt, confir-„mationem in unaquaq; Provincia à Metropolitano fie-„ri" oportet. Item Canone VI. "Illud autem est omni-„no manifestum, quod si quis absque *Metropolitani* sen-„tentia factus ut Episcopus, eum magna Synodus defini-„vit non esse Episcopum." Imò Canone VII. annuens Episcopo, qui est in Ælia, sive Episcopo Hierosolymitano aliquam honoris prærogativam, addit hanc cautionem: *Metropoli propriâ dignitate servatâ*: quæ omnia Metropolitanorum institutionem, non à Synodo Nicæna primùm institutam; sed jam ab antiquo factam sat patenter supponunt.

III. Unde verò Metropolitanorum institutio originem suam sumpserit, non æquè expeditum. Hoc sat constat, Metropolitanus dici à *Metropoli*. Metropolim verò dici *Urbem matrem*: id est, quasi primam & præcipuam reliquarum veluti *matrem*. Quoniam verò in unaquaq; Provincia urbs est aliqua, quæ inter cæteras eminet, hæc dicta est *Metropolis*; ac ideo Episcopus qui hujusmodi urbi præest, *Metropolitanus* dictus fuit; qui quibusdam juribus & prærogativis præ cæteris, & in cæteras Ecclesias donatus fuit.

IV. Illud quoque sat compertum est, jam pridem Metropolitanum dictum fuisse Episcopum, qui *Metropoli*, sive civitati, quæ in certa Provincia prærogativis & juribus cæteras antecellebat, præesset.

V. Neque illud ambigi potest, quin Metropoles Ecclesiasticæ ad normam Metropoleon Civilium formatæ fuerint; sive consuetudine primùm introductum, ac postmodum Conciliorum Decretis firmatum fuisse, ut *Metropoles* Civiles, simul essent Metropoles Ecclesiasticæ: seu, ut Episcopus qui præesset civitati, quæ in divisione Imperii esset totius Provinciæ prima seu Metropolis, unde aliæ dependerent, etiam in Hierarchia Ecclesiastica esset Metropolitanus, cæterisque Episcopis ejusdem Provinciæ præesset: imò tota Ecclesiarum distributio ad formam Imperii facta est; Urbesque Metropoles etiam Metropoles fuère Ecclesiasticæ; atque earum Episcopus factus Metropolitanus; qui & sensim variis juribus & prærogativis in cæteras Ecclesias ejusdem Provinciæ fuit donatus.

VI. Et quid enim Nicænos Patres impellere potuit, ut potiùs Cæsareæ jus Metropoliticum, quàm Æliæ conferrent sive conservarent, nisi quòd illa Provinciæ esset Metropolis, non hæc; atque propterea jus Metropoliticum ad illam esset translatum: ideoque Patres Niceni etiam simpliciter dicunt: *Metropoli propriâ dignitate servatâ*: sat innuentes, eam *Metropolis* esse *propriam*.

VII. In Concilio Taurinensi statutum est, illi totius Provinciæ *Primatum deberi, qui suam civitatem demonstrasset Metropolim*: quia scilicet non aliunde Metropolitana Ecclesia statuitur; quàm ex ipsius urbis Metropolitica Civili dignitate.

VIII. Quod apertiùs expresserunt Patres Antiocheni, qui & rationem illius aliquam addunt *Can.* 9. "Epi-„scopum, qui Metropoli præest, etiam curam suscipere „oportet totius Provinciæ: eò quòd in *Metropolim un-„dequaque* concurrant omnes qui habent negotia. Un-„de visum est, eum quoque, honore præcedere, reli-„quos autem Episcopos nihil magni momenti aggredi „sine ipso."

Constat ergo Metropoles civiles electas fuisse ut essent Metropoles Ecclesiasticæ; atque Episcopus *Metropolis Metropolitanus*, qui totius Provinciæ curam ageret, eò quòd ad Metropolim civitatem undequaque concurrant omnes, qui habent negotia; ideoque conveniens quoque videbatur, ut ad eam civitatem negotia Ecclesiastica potiùs, quàm ad ullam aliam deferrentur; eòque potiùs, quàm alibi, Episcopi, aliique, qui quæstiones haberent, convenirent.

IX. Hinc ulteriùs contingebat, quemadmodum etiam notat Lupus ad Canonem XII. Calchedonensem, "Ut „divisâ per Principem Provinciâ, quomodo duos Præ-„sules, seu Civiles Rectores, ita duos acciperet Episco-„pos Metropolitas."

Unde factum, ut Episcopi Metropolitica jura ambientes Imperatores adirent, à quibus obtentâ Metropoleos in urbis suæ gratiam dignitate, Ecclesiastica etiam Metropolitica jura & Provinciarum ordinationes invalebant: uti latiùs exposui *ad Canonem XII. Calchedonensem*; ubi unà ostendi, quomodo Synodus Calchedonensis, salva Principum auctoritate in distribuenda una Provincia in plures, hanc Episcoporum ambitionem reprobaverit, & refrænaverit.

X. Labentibus autem sæculis Metropoles Ecclesiasticæ paulatim à Metropoli civili disjungi cœperunt; neque urbium evectio ad Metropolim civilem secum traxit Metropolim Ecclesiasticam; sed pro utilitate ac necessitate Ecclesiæ, quædam Ecclesiæ, quæ opportuniores videbantur, in Metropoles erectæ fuerunt.

XI. Porro hæc Metropoleon institutio & erectio jam à seculis aliquot ad Romanum Pontificem devoluta fuit, ita tamen ut consensus Principis interveniat; nec non Suffraganei aliique interesse habentes audiantur.

XII. Et quidem anno 832. Ludovicus Pius ordinari jussit Ansgarium Amburgensem Archiepiscopũ in quadam Synodo Nationali, obtinuitq; pro eo *Pallium* & ordinaria Metropolitanorum jura à Pontifice, uti narrat

Adamus Chronologista *lib.* 1. *c.* 17. his verbis: " Habito „ Sacerdotum generali Concilio, *Pius Cæsar* votum Pa- „ rentis implere cupiens, Amaburg civitatem Transalbia- „ norum *Metropolim statuit*, eique Cathedræ primum „ Archiepiscopum ordinare fecit Ansgarium &c. Robo- „ rante id *Gregorio IV.* Apostolica auctoritate, & Pallii „ donatione."

Eodem sæculo Joannes VIII. Ecclesiam Ovetensem in Galecia in Metropolim erexit ad postulationem Regis Alphonsi: " Et Ecclesiæ Ovetensi, ait, quam vestro „ consensu & assidua petitione Metropolitanam consti- „ tuimus, omnes vos subditos esse mandamus. Et conce- „ dimus etiam prædictæ Sedi, ea quæ Reges seu fideles „ justè obtulerunt .... rata, firma & inconcussa manere „ in perpetuum."

De erectione Ecclesiæ Beneventanæ in Metropolim scribens ad recenter evectum illius Ecclesiæ Metropolitanum Joannes XIII. ait, se illam Ecclesiam in Metropolim erexisse hortatu Imperatoris, Episcoporum & Clericorum Ecclesiæ Romanæ in Synodo Romana, & postulante Principe Capuano; uti videri potest in Epistola ipsius Papæ, quæ extat tom. 9. Concil. generalium *col.* 1238.

XIII. Hæcque est moderna Ecclesiæ disciplina, ut & Episcopatuum & Archiepiscopatuum sive Metropoleon institutio seu erectio non nisi auctoritate Papæ, interveniente tamen Principis consensu; imò ferè non nisi ad ejus postulationem fiat.

Ita quoque ad postulationem Philippi II. Hispaniarum erectos fuisse novos in Belgio Episcopatus & Metropoles, significat ipse Pontifex Paulus IV. in Bulla erectionis.

XIV. Quin protestatum fuisse Archiepiscopum Rhemensem in suo Concilio Rhemensi an. 1565. contra erectionem Ecclesiæ Cameracensis in Metropolim; eò quòd non audito Rege Christianissimo ab Archiepiscopatu Rhemensi divulsa esset ipsa Cameracensis aliæque, quæ cùm antea essent suffraganeæ Rhemensis Ecclesiæ, jam essent Suffraganeæ Cameracensis, testantur acta Concilii Rhemensis anni 1564.

CAPUT II.

Quam obedientiam Episcopi Suffraganei debeant suis Metropolitanis.

1 *Canones Apostolorum Episcopos suis subjiciunt Metropolitanis.*
2 *Canonis Apostoli meminit Synodus Antiochena.*
3 *Synodus Nicæna Episcopos suis Metropolitanis subjicit.*
4 *Eandem auctoritatem agnovit Innocentius III.*
5 *Episcopum non obedientem suo Metropolitano increpavit Sanctus Gregorius.*
6 *Episcopi jam pridem juramentum fidelitatis præstiterunt suo Metropolitano.*
7 *Refertur formula ex Pontificali Romano.*
8 *Juramentum illud simile est illi quod hodie exhibetur Pontifici Romano.*
9 *Unde hodie imminuta Metropolitanorum auctoritas.*

I. Metropolitanorum auctoritatem in suos Suffraganeos, sive Episcopos suæ Provinciæ, jam pridem Canones Conciliorum, & Pontificum Decreta amplissimè astruxerunt.

"Episcopos (ait Canon. 33. Apostolorum) uniuscujusq; gentis nosse oportet eum, qui in „ eis est *primus*, & existimare ut *Caput*; & nihil facere, „ quod sit arduum aut magni momenti, præter illius sen- „ tentiam: illa autē facere unumquemque, quæ ad suam „ Parochiam pertinent, & pagos qui ei subsunt. Sed nec „ ille absq; omnium sententia aliquid agat." (in aliquorum versione additur: *aliquid in eorum Parochiis*) " „ enim erit concordia, & glorificabitur Deus per D. „ JESUM CHRISTUM."

II. Ad hunc Canonem sat apertè alludunt, eumq; novant Patres Concilii Antiocheni *Can.* 9. " Episco„ qui sunt in unaquaque Provincia, scire oportet Epi„ pum, qui præest Metropoli, etiam curam suscipere „ tius Provinciæ, eò quòd in Metropolim undequa„ concurrunt omnes qui habent negotia. Unde visum „ eum quoque honore præcedere: reliq. os autem E„ scopos nihil magni momenti aggredi sine ipso, ut v„ qui ab initio obtinuit, *Patrum Canon*."

III. Quid plura? " Decreta Nicæna (inquiunt Pat„ Africani in epistola ad Cælestinum Papam) sive infe„ ris gradus Clericos sive ipsos Episcopos suos Metrop„ litanis apertissimè commiserunt." Habetur tomo Concil. generalium. *col.* 1674.

Hinc compertum est, Episcopis quidem semper li[b]rum fuisse Diœcesium suarum regimen seu directione neq; Metropolitanis fas fuisse in hoc regimine Episco turbare; nihilominus Episcopos debuisse agnoscere M tropolitanum tamquam *Caput*, & Superiorem, qui ju regulas sibi ab Ecclesia præscriptas, vel solus, vel unà c cæteris Provinciæ Coëpiscopis ipsos delinquentes ve Canonū præscripto in suæ Diœcesis regimine deflecte tes, corrigere & interdum punire posset; eoque sensu M tropolitanos, jam pridem habitus fuit ordinarius adm nitor, corrector, & judex suorum Suffraganeorum.

IV. Innocentius III. ad Suffraganeos Arelatensis M tropolitani scribens, ipsum Suffraganeorum *Prælatu* vocat; " quatenus ipsi tamquam *Patri*, inquit & *Episc* „ *po animarum vestrarum*, devotè studeatis & humilit „ *obedire*: ad vocationem ipsius, nisi evidens necessit „ contradicat, secundùm traditionem Canonicam si „ difficultate qualibet accedentes." *lib.* 1. *Epist.* 466. ad Suffraganeos Acheruntinæ scribit: " Fraternitati v „ stræ per Apostolica scripta mandamus, atque præcip „ mus, quatenus ad eum (Archiepiscopum Acherun „ num) sicut *Patrem* & *Pastorem* pium geratis devoti „ nis respectum." *Lib.* 2. *Epist.* 159.

V. Indubitatum ergo fuit, quòd Episcopi ad reveren tiam ac obedientiam tenerentur. Unde S. Gregorius F licem in Sardinia Episcopum graviter objurgavit, quò suo Metropolitano *obediens* non esset, vindictamque e nî obediat, comminatur: " Contristamur, ait, quia supe „ biæ de te manifestè præbes indicium ...... hortamur „ ut mentis tumore deposito, *Ordinatori* tuo antedict „ Fratri & Coëpiscopo nostro humilem te exhibere, a „ parere non desinas." *Lib.* 4. *Epist.* 10.

VI. Sed nihil est quod luculentiùs exprimat obedien tiam & subjectionem quam suis Metropolitanis jam pr dem debuere Episcopi, quàm juramentum, quod in Or dinatione sua præstare debebant, & cujus formula etiam num in hodierno Pontificali conservatur sub titulo *D scrutinio serotino.*

VII. Sub hoc titulo describitur, quo ritu peragereti examen Episcopi ejusque consecratio à Metropolitanc dum ipsa Episcoporum electio esset penes Canonico Cathedrales, & confirmatio & consecratio fiebat à Me tropolitano; atque inter alia refertur juramentum ab Or dinato præstandum ipsi Metropolitano sub hac formula " Ego N. Ecclesiæ N. vocatus Episcopus, promitto „ conspectu omnipotentis Dei, atq; totius Ecclesiæ, quò „ ab hac hora in antea fidelis & obediens ero perpetu „ more prædecessorum meorum beato N. sanctæque Ec „ clesiæ N. *nominando Ecclesiam Metropolitanam*, & vob „ D. meo N. Dei gratia ejusdem Ecclesiæ Archiepiscopo „ vestrisque successoribus Canonicè intrantibus prout e „ à SS. Patribus institutum, & Ecclesiastica ac Rom. Pon „ tificum commendat auctoritas. Non ero in consilio „ aut consensu, vel in facto, ut vitam perdatis, au „ membrum, aut capiamini mala captione. Consilium, „ quod

„quod mihi per vos, aut per litteras, vel per nuntium creditum est, ad damnum vestrum, me sciente, nulli pandam. Vocatus ad Synodum veniam, nisi præpeditus fuero Canonica præditione. Vos quoq; & nuntios vestros, ac Ecclesiæ N. *nominando Ecclesiam Metropolitanam*, quos certos esse cognovero, in eundo, stando, & redeundo, honorificè tractabo, & in suis necessitatibus adjuvabo: possessiones vero ad mensam mei Episcopatus pertinentes non vendam, neq; donabo, neque de novo infeudabo, vel aliquo modo contra jus vel consuetudinem Ecclesiæ meæ alienabo, vobis, vel vestris succelloribus inconsultis.

"Deinde librum Evangeliorum quem Metropolitanus coram eo apertum super genibus tenebat, Electus ambabus manibus supra scripturam tangebat, dicens:

"Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia."

VIII. Hanc formulam si quis conferat cum formula juramenti quod Romano Pontifici præstant Episcopi, apparebit, Episcopos eandem penè obedientiam jurasse Metropolitanis, quàm hodie promittunt ipsi Romano Pontifici, atque verissimum esse, quod notavit antiquus Glossographus Juris Canonici, juramētum fidelitatis tantum præstitum fuisse Romano Pontifici ab Episcopis immediatè Romano Pontifici subjectis, sive qui ad ejus ordinationem spectabant; reliquos verò illud suis Metropolitanis tanquam suis Ordinatoribus præstitisse; uti suprà *Titulo 15. c. 2.* observavimus.

IX. Cum verò circa sæculum decimumquartum confirmatio & consecratio Episcoporum ad Romanum Pontificem cœpit devolvi, atq; Romanus Pontifex exclusis Metropolitanis, ordinarius Episcoporum Consecrator constitutus fuit, etiam ipsi soli juramentum obedientiæ & fidelitatis præstitum est; atq; exinde unà cœpit Metropolitanorum in Episcopos Suffraganeos auctoritas nonnihil diminui; eamq; hodie non parùm imminutam esse rectè notavit Zypæus *in Jure Novo titulo De Officio Ordinarii n. 15.* & ex infrà dicendis patebit.

CAPUT III.

In quibus causis Metropolitanus sit Judex Ordinarius Episcoporum?

1 *Querela Episcoporum juxta Canonum Decreta ad Metropolitanum deferenda.*
2 *Idetiam locum habebat in prima instantia.*
3 *Etiam per Censuras contra Episcopos procedere possunt Metropolitani.*
4 *Metropolitanus est judex Ordinarius suorum Suffraganeorum.*
5 *Metropolitanorum auctoritatem in causis Episcoporum imminuit Synodus Tridentina.*
6 *Causæ criminales, ubi Episcopi personaliter comparere debent, coram Pontifice celebrandæ.*
7 *Majores causæ criminales Episcoporum à solo Pontifice decidendæ.*
8 *Quando hæ causæ Sedi Apostolicæ fiunt reservatæ, incertum; fuerunt tamen ante Synodum Tridentinam.*
9 *Quædam circa hæc Decreta Concilii Tridentini à Belgicis Magistratibus in publicatione Concilii observata.*
10 *Mores Belgii non patiuntur ut Episcopi extra suas Provincias judicentur.*
11 *Debent dari judices in partibus.*
12 *Jus illud est admodùm antiquum.*
13 *Metropolitani in causis civilibus manent judices suorum Suffraganeorum.*
14 *Quid hic in Belgio obtineat?*
15 *Hodie Episcopi vix in Civilibus coram Metropolitanis conveniuntur.*

I. *In* Concilio Carthaginensi III *Can. 7.* & apud Gratianum *4. q. 5. can. 1.* legitur: „Quisquis Episcoporum accusatur ad *Primatem* Provinciæ ejus causam deferat accusator, nec à communione suspendatur, cui crimen intenditur, nisi ad causam suam dicendam, die statuta, Primatis Litteris evocatus minimè occurrerit."

Ad intellectum hujus Canonis notandum in Africa *Primates* Provinciarum eosdem fuisse, qui hodie dicuntur *Metropolitani*; adeoq; Episcopos accusari apud *Primatem Provinciæ*, est accusari apud *Metropolitanum* Provinciæ.

Indubitatum ergo est, apud Africanos, Primates seu Metropolitanos actus judiciarios in Episcopos exercuisse.

Et ex Concilio Toletano III. refertur apud Gratianum *10. q. 3. can. 6.* "Ut Clerici tam locales, quàm Diœcesani, qui se ab Episcopo gravari cognoverint, *querelas* suas ad *Metropolitanum* deferre non differant, & Metropolitanus non moretur ejusmodi præsumptiones coercere.

II. Patet hic non de appellationibus sermonem esse, sed de excessibus Episcoporum, quos per modum simplicis querelæ læsi deferant contra Episcopum lædentem ad Metropolitanum tamquam Judicem primarium & ordinarium Episcoporum.

Quod & apertè decidit Concilium Matisconense II. ubi *Can. 9.* habetur: "Si aliquid contentionis adversus Episcopum potentior persona habuerit, pergat ad Metropolitanum Episcopum, & ei causas alleget, & ipsius sit potestatis honorabiliter Episcopum de quo agitur evocare, ut in ejus præsentia accusatori respondeat; & oppositas sibi actiones extricet. Quod si talis fuerit immunitas causæ, ut eam solus Metropolitanus definire non valeat advocet secum unum, vel duos Coëpiscopos. Quod si & ipsis dubietas fuerit Conciliabulum definito die, vel tempore instituant, in quo universa ritè fraternitas collecta, Cœpiscopi sui causas discutiat, & pro merito aut justificet aut culpet.,,

III. Utq; pristina Conciliorum de hac Metropolitanorum in Episcopos ordinaria & judiciali auctoritate Decreta plura omittam, ipse Honorius III. in *Cap. 52.* ⁙ *De sententia excomm.* Canornanensem Episcopum à sententia excommunicationis in ipsum per Turonensem Archiepiscopum tamquam suum Metropolitanū latā ad cautelam tantùm absolvit, ipso Episcopo in præsentia Procuratoris dicti Archiepiscopi præstante corporaliter juramentum, quod parebit mandatis, quæ idem Archiepiscopus sibi propter hoc fecerit; si constiterit ipsum in eo, pro quo fuit lata sententia prædicta, culpabilem esse.

Agnovit proinde Honorius III. in Metropolitano potestatem Excommunicandi Episcopum Suffraganeum; quam & in Archiepiscopo Remensi respectu suorum Episcoporum Suffraganeorum supposuit Innocentius IV. in *Cap. 1. §. fin. De Officio Ordin.* in VI.

IV. Hinc uno consensu tradunt Canonistæ, de jure communi Metropolitanum esse judicem ordinarium suorum Suffraganeorum; & contra illos per solam querelam, etiam sine appellatione, posse coram Metropolitano induci accusationes; ipsósq; Metropolitanos posse quibusq; censuris Suffraganeos ex justa causa agere, apertissimè concedunt. Vide Stephanum Quarantam in summa Bullarii, verbo: *Archiepiscopi auctoritas*, & Panormitanum aliósq; veteres Interpretes *ad Cap.* PASTORALIS ⁙ *De Officio Ordin.*

V. Hanc Metropolitanorum in suos Suffraganeos judiciariam potestatem per Concilium Tridentinum in aliquibus causis, præsertim criminalibus imminutam ac immutatam esse, rectè advertit Zypæus loco supra citato.

VI. Et quidem *Sess. 13. c. 8. De Reform.* decretum est: „Causæ Episcoporum, cum pro criminis, objecti qualitate comparere debeant, *coram Pontifice Maximo* referantur, ac per ipsum terminentur.„

VII. Rursus *sess.* 24. *c.* 5. *De Reform.* " Causæ criminales „ graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quòd absit, „ quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd si *ejusmodi* sit causa, quæ necessariò extra „ Romanam Curiam sit committenda, nemini protsus ea „ comittatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, „ & manu ipsius Sanctiss. Pontificis signata, nec umquam „ plus tribuat, quàm ut solam facti instructionem sumant „ processumq; conficiant: quem statim ad Romanum „ Pontificem transmittant; reservatâ eidem Sanctissimo „ sententiâ definitivâ. Cætera aliàs sub fel. rec. Julio *III.* „ super his decreta; nec non & constitutio sub Innocentio III. in Concilio generali, quæ incipit, *Qualiter & quando*, quam sancta Synodus in præsenti innovat; ab omnibus observetur. Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium „ provinciale. „

Hoc itaq; Decreto causæ criminales contra Episcopum, quæ *depositione* aut *privatione* dignæ sunt, *soli* Romano Pontifici, saltem quoad *sententiam definitivam* reservantur; adeò ut in his causis Metropolitani judices Ordinarii Episcoporum non sint.

VIII. Quandonam hæ causæ Sedi Apostolicæ fuerint reservatæ, incertum est; illud satis constat, Episcoporum *depositionem* uti & translationem inter *majores causas* jam dudum ante Synodum Tridentinam fuisse computatas; atque ut tales Sedi Apostolicæ reservatas; uti suprà de translatione Episcoporum ex Innocentio III. ostendimus, *tit.* 15. *c.* 4. & in causa Hæresis contra Episcopum etiam tempore Bonifacii VIII. reservatam fuisse in tantùm, ut Inquisitores hæreticæ pravitatis à Sede Apostolica generaliter deputati, non possent de crimine hæresis contra Episcopos inquirere, aut eo prætextu contra eos agere; nisi in litteris commissionis Apostolicæ, quòd hoc possint contineretur *expressè*: sed si quos scíverint hoc crimine infectos, aut de illo diffamatos, tenerentur Sedi Apostolicæ nuntiare, colligitur ex *Cap.* 16. *De Hæreticis in* VI.

IX. Cæterum circa hæc Concilii Tridentini; observandum; quòd cùm prævìè ante Concilii publicationem Decreta reformationis missa essent ad Concilia Regia, ut super iis judicium suum" depromerent, ad *Cap.* 8. *Sess.* 13. speciatim Brabantinos observasse, hac ratione subditos extra „ patriam forè trahendos, quòd directò adversatur Indul„ to summorum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus suæ Majestatis, & Illustrissimorum ejus Præ„ decessorum, qui non sine gravi ac prægnanti causa id „ concesserunt." Et ad *Cap.* 5. *Sess.* 24. Brabantini, Flandri, „ aliiq; monuerunt, posse Regem inhærere veteri juri & „ auctoritati suæ, ad conservandam securitatem & tran„ quillitatem Reipublicæ & subditorum."

X. Neq; Belgii Leges ac privilegia, quæ in promulgatione Concilii Tridentini salva voluit Rex Catholicus, patiuntur, ut subditi præsertim Brabantini, extra Provinciam in jus vocentur, & judicentur: de quo usu sic loquitur Renatus Choppinus de S. P. *lib.* 2. *tit.* 4. *n.* 8. " In Belgicis Hispa„ ni Regis ditionibus usu receptum est abs pacto conven„ to inter Regem & Pontificem, nè causæ Ecclesiasticæ a„ libi, quàm in patriis litigatorum finibus dirimantur."

De hisce Belgii moribus similiter testatur Guicciardinus in generali descriptione Belgii sub finem his verbis: " Pontifex nullius omnino prætensionis vel correctionis „ prætextu quemquam hominem, sivè Ecclesiasticus is, si„ ve laicus, evocare potest extrà Provinciam. Unde si quid „ fortè occurrat, oportet ut mittat, vel hic deputet com„ missarios, qui de prætensa causa cognoscant."

XI. Profert quoq; Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis in appendice ad suum Commentarium in Edictum Perpetuum Principum nostrorum Alberti & Isabellæ declarationem Senatus Brabantiæ datam, ad instantiam Procuratoris Regii confirmativam hujus privilegii, atq; annullativam cujusdam prætensæ citationis factæ de persona Archiepiscopi Mechliniensis, & Episcopi Gandensis ad Curiam Romanam.

XII. Hæc quidem quoad causas criminales: quoad civiles autem nihil à Synodo Tridentina immutatum apparet; adeóq; in his juxta jura communia Episcopi suos respectivè Metropolitanos tamquam Judices Ordinarios agnoscere tenentur; nisi privilegio exemptionis suffulti, immediatè Sedi Apostolicæ sint subjecti.

XIII. Porrò in Concordatis initis inter Carolum V. & „ Episcopum Leodiensem an. 1541. *Tit.* 3. *art.* 7. conventum est:" Abbates, Abbatissæ, & alii de Statibus Brabantiæ „ existentes, juri stabunt activè & passivè coram Judicibus „ illis, coram quibus, de antiqua consuetudine, stare juri „ consueverunt:" scilicet (uti monet Zypæus in Jure novo *tit. De Foro competenti n.* 1.) coram Duce seu ejus Concilio „ Brabãtiæ, qui in hoc Ducatu est supremus Senatus: prout „ passim praxis induxit, ut Prælati ac Collegia Ecclesiastica „ coram Principum Conciliis conveniantur & alios eò „ trahant." Zypæus loco citato.

XIV. Et tametsi ea jurisdictio Regia non sit privativa & exclusiva jurisdictionis Ecclesiasticæ, quemadmodum monet Zypæus, rarissimè tamen videmus Episcopos in Belgio coram alio quam Regiis Senatibus in causis civilibus juri stare: adeò ut Metropolitanorum jurisdictio in his causis respectu Episcoporum Suffraganeorum pene nulla sit.

CAPUT IV.

Quam auctoritatem Metropolitani hodie habeant in Diœcesi suorum Suffraganeorum?

1 *Episcopi habent liberam suæ Diœcesis administrationē.*
2 *Metropolitanus nullam habet* immediatam *jurisdictionem in subditos suorum Suffraganeorum.*
3 *Quâ ratione Metropolitanus sit Judex totius Provinciæ.*
4 *Metropolitani auctoritas se non extendit ad Diœceses Suffraganeorum, nisi in ipsorum defectu.*
5 *Metropolitani de jure communi Diœceses suorum Suffraganeorum visitare possunt.*
6 *Hæc auctoritas per Synodum Trid. restricta.*
7 *Hodie Metropolitani non visitant Diœceses Suffraganeorum & quare?*
8 *Suffraganei ad Ecclesiam Metropolitanam accedere debebant, sed Synodus Trid. necessitatem illam limitavit.*
9 *Quomodo intelligendum Decretum Concilii Trid.*
10 *Metropolitani etiam hodie manent Superiores suorum Suffraganeorum.*
11 *Causa a Suffraganeis per appellationem devolvuntur ad Metropolitanum tamquam Superiorem.*
12 *Ex sola negligentia Suffraganeorum etiam ad Metropolitanum transeunt.*
13 *Auctoritatem Metropolitanorum in Diœceses Suffraganeorum rectè explicat Gratianus.*
14 *Auctoritatem Metropolitanorum in supplendis defectibus Suffraganeorum agnovit Synodus Tridentina.*
15 *Super defectu in officio Episcopali Suffraganeos suos monere debent Metropolitani, eosque corrigere.*

I. EPiscopis singulis suam esse attributam Diœcesim, ut illam pleno jure regant, suprà *Tit.* 15. *c.* 3. ostendimus: ita ut nullus Prælatus sine ejus consensu actum aliquem vel minimum jurisdictionis, præcipue in ejus subditos exercere, aut Pontificalibus in ejus

Diœ-

Diœcesi uti queat. Nam, ut ait Canon IX. Antiochenus, „Unumquemq; Episcopum oportet habere suæ Diœcesis potestatem, & administrare pro unicuiq; convenienti religione, & totius regionis curam agere, quæ suæ urbi subest."

II. Et licet Metropolitanus seu Archiepiscopus aliquam in Suffraganeos jurisdictionem & superioritatem habeat, nullam tamen *immediatam* in subditos Suffraganeorum ejusque Diœcesium habere, expeditum est.

III. Hanc communiter tradunt Canonistæ, quòd Metropolitanus quidem sit Judex totius Provinciæ tamquam habens jurisdictionem Archiepiscopalem, non tamen tamquam habens jurisdictionem Episcopalem seu ordinariam in totam Provinciam, seu singulas ejus Diœceses.

Jurisdictio verò Archiepiscopalis tantummodò se extendit ad ipsos Suffraganeos Episcopos, nequaquam autem in eorum subditos, nisi *mediatè*, quatenus nimirùm Suffraganeorum negligentia sive defectus esset supplendus, aut eorum procedendi modus corrigendus.

IV. Quapropter Metropolitanorum auctoritas in Diœceses Suffraganeorum se non extendit, nisi ipsi Episcopi à Sacris Canonibus deflectant, aut in eorum executione sint defectuosi; adeò ut de Metropolitanis dici queat, quod de Sede Apostolica dixit S. Gregorius *Lib. 7. Epist. 46 ind. 2.* "Si qua culpa in Episcopis invenitur, nescio quis Sedi Apostolicæ Episcopus subjectus non sit: cùm vero culpa non exigit, omnes secundùm rationem humilitatis æquales sunt."

Itaq; Metropolitanus nullam quidem ordinariam & Episcopalem auctoritatem habet aut exercere potest in Diœcesibus suorum Suffraganeorum; attamen Archiepiscopalem eatenus obtinet, ut in Suffraganeorum defectus inquirere, eósque corrigere ac supplere possit.

V. Hac de causa Metropolitanus jure communi potest per totam Provinciam vel ejus partem visitationis officium exercere, civitates, Diœceses, Suffraganeos suos „eorum subditos, Cathedralium & aliarum Ecclesiarum „Capitula & Monasteria, Ecclesias & alia religiosa & pia „loca, Clerum & populos liberè visitando, ac procurationes à locis tantùm recipere visitatis." Prout latè describitur *Cap. 1. De Censibus in VI.*

VI. At Synodus Tridentina etiam in hoc articulo Metropolitanorum auctoritatem nonnihil limitavit, decernendo *Sess. 14. c. 3 De reform.* ut "à Metropolitanis, etiam „post plenè visitatam propriam Diœcesim, non visitentur „Cathedrales Ecclesiæ, neq; Diœceses suorū Comprovincialiū, *nisi causâ cognitâ & probatâ in Cōcilio Provinciali.*

VII. Cùm verò hodie rarissimè habeantur Concilia Provincialia; ac insuper illa ex pluribus Episcopis Comprovincialibus, (qui visitationem suarum Diœcesium à Metropolitano fieri haud optant) & uno dumtaxat Metropolitano constent, etiam Metropolitanorum hæc visitatio in desuetudinem abiit; nec facilè stante hoc Decreto obtinebitur: neq; hodie videmus per Metropolitanos visitationem Provinciæ fieri.

VIII. Insuper Metropolitani tamquam Superiores Suffraganeorum poterant ad se vocare suos Suffraganeos; atq; in multis Ecclesiis consuetudine invaluerat, quòd Suffraganei ad suos Metropolitanos statutis temporibus accedere tenerentur: ac hic rursus Synodus Tridentina Episcopis subvenit statuens: "Ne Episcopi Comprovinciales prætextu cujuslibet consuetudinis ad Metropolitanam Ecclesiam imposterum accedere *inviti* compellantur." *Sess. 24. c. 2. De Reform.*

IX. Hic de personali dumtaxat accessu sermonem esse, aliquando censuerat S. Congregatio Concilii Tridentini interpres; at postmodùm de eadem re maturiùs deliberans, censuit, Concilium liberasse suffraganeos etiam ab onere mittendi procuratorem, non obstante contrariâ consuetudine etiam immemoriali. Ita Fagnanus *ad Cap.* QUONIAM ;; *De constitut. n. 57.* qui insuper *ad Cap.* SI ARCHIEPISCOPUS *de temp. ordin.* credit, Concilium non exemisse Episcopos Comprovinciales ab obligatione accedendi ad Ecclesiam Metropolitanam, quæ ex jure communi profluit; sed tantùm ab ea quæ ex particularibus consuetudinibus, quibus Episcopi nimiùm gravabantur, profluebat; quas tamquam abusus & corruptelas concilium sustulisse, sacram Congregationem declarasse testatur: adeóq; ex sententia Sacræ Congregationis de subjectione Episcoporum Comprovincialium respectu Metropolitani Synodus Tridentina hoc suo Decreto nihil detraxit, quòd jure comuni erat introductum aut probatū.

Si tamen Palavicino *Lib. 23. hist. Conc. Trid. c. 10. n. 2.* credimus, sententia Patrum fuit, ut Episcopi Suffraganei solverentur ab obligatione adeundi Metropolitanorum Sedes, exceptâ Synodi convocatione.

X. Quidquid sit de hujus Decreti sensu, hoc imprimis constat, eam ad Ecclesiam Metropolitanam accedendi consuetudinem, de qua Synodus, passim in desuetudinem abiisse.

Ad hæc certum similiter est, Metropolitanos etiamnum hodie post Synodum Tridentinam esse Suffraganeorum suorum Superiores; eisq; Suffraganeos esse subjectos nisi probent se particulari jure aut privilegio esse exemptos.

XI. Hoc ex capite per legitimam appellationem etiamnum hodie causæ totius Provinciæ immediatè à suffraganeis aut eorum Officialibus devolvuntur ad Metropolitanum tamquam *immediatum* Superiorem; de quo Jure latius *parte 3. titulo De Appellationibus.*

XII. Eodem ex capite non tantùm per appellationem, sed etiam ex sola negligentia Episcoporum, causæ Subditorum totius Provinciæ ad Metropolitanum devolvuntur; ut ipse tamquam Superior negligentiam eorum suppleat; juxta illud Hilarii Papæ jam pridem ad Ascanium Metropolitanum: "Tuæ sollicitudinis est, Frater carissimè „omnia debitâ tibi auctoritate tueri; & illicitis non modo non præbere assensum, sed etiam cuncta quæ contra regulam facta reperis, coërcere: " scilicet per totam Provinciam, ubi Episcopi muneri suo deessent; de quo apertè ipsa Epistola loquitur, quæ extat *tomo 4.* Conciliorum generalium *col. 1037.*

XIII. Auctoritatem hanc Metropolitanorum optimè explicat Gratianus postquam enim aliquot collegit Canones, quibus Metropolitanus monetur, ne se ingerat in regimine Ecclesiarum suorum suffraganeorum, subjungit; "Sed aliud est quod ex temeritate assumitur præsumptionis: aliud, quod ex necessitate geritur charitatis. Cū „Suffraganei Archiepiscoporum subditis suis ad malum „favere cœperint, atq; circa eorum correctiones negligentes extiterint, tunc licet Metropolitanis præter illorū „voluntatem, & ligandos damnare, & reconciliandos absolvere. Cum verò Episcopi zelo divinæ charitatis accensi, bonos verbo & exemplo ædificant, & malorū vitia „asperâ increpatione redarguunt, absq; taliū consilio non „licet Metropolitanis in eorū Parochia aliquid agere, vel „disponere. Unde in fine capituli *Martini Papæ* non simpliciter dictum est (*nihil agat*) sed cum determinatione „(*nihil præsumptivè assumat absque eorum consilio*) ut vitium præsumptionis videatur improbatum, non officiū „charitatis. Sic & Apostolus, quia Corinthios vidit negligentes circa correctionem fornicatoris, suâ auctoritate „illum damnavit. Joannes verò, quia Episcopum Ephesiorum vidit paratum ad corrigenda vitia subditorū, sine „ejus auctoritate illos corrigere noluit; sed illum tantùm „de eorum correctione admonuit." *Caus. 9. q. 3.* in fine.

XIV. Hanc auctoritatem in Metropolitanis agnoscens Synodus Tridentina voluit, ut „si Cathedralium & „aliarum majorum Ecclesiarum Prælati in Seminarii erectione, ejusque contributione negligentes fuerint, ac „suam portionem solvere detrectaverint; *Episcopum Archiepiscopus*, Archiepiscopum & Superiores Synodus „Provincialis *acriter corripere* & ad supradicta *cogere* „debeat." *Sess. 23. cap. 18. De reform.*

XV.

XV. Manent ergò Metropolitani Suffraganeorum Superiores, atque per totam Provinciam Metropoliticam auctoritatem retinent, ut Suffraganeorum delectus suppleant, eósq; officii sui admoneant, atq; etiam ad ea quæ sui muneris sunt exequenda cogant. Quare etiamnum hodie si Metropolitani videant Suffraganeos negligentes in instructione populi, etiam ipsos non tantùm monere, sed cogere possunt & debent, juxta illud Concilii Toletani XI. *Can.* 2. "Insistendum ergo semper erit majoribus, ut „quos sub regiminis sui cura tuentur, famе Verbi Dei perire non sinant. Sic Metropolitanis in confinitimos cæteróſq; Ecclesiasticis ordinibus deditos; sic confinitimis in commisso sibi religiosorum numero vigilandum „est, qualiter nescientia talium divinæ legis traditionibus „imbuatur."

CAPUT V.

De Pallio & Cruce Archiepiscopali.

1 *Inter ornamenta Pontificalia* Pallium *proprium est Metropolitanis.*
2 *Ejus antiquitas non sufficienter astruitur ex Decreto* Donationis *Constantini; neq; ex libro Pontificali.*
3 *Tempore S. Gregorii & Justiniani Imp. notus usus Pallii.*
4 *Multa circa* Pallium *apud antiquos obscura.*
5 *Forma* Pallii *ex Innocentio III.*
6 *Quid huic formæ additum.*
7 *Ex qua lana conficiantur* Pallia; *& quomodo* agni *ad hoc specialiter offerantur?*
8 *Quomodo* Pallia *benedicantur.*
9 *Quare dicantur sumpta de* corpore Beati Petri.
10 *A solo Pontifice hodie dantur.*
11 *Quomodo peti debeant?*
12 *Qua forma petentibus dentur.*
13 *Etiam ad absentes mittuntur; & quomodo eis imponantur.*
14 *Qua ratione per* Pallium *dicatur dari* Pontificalis officii plenitudo.
15 *Quæ restrictio quoad loca & tempora in datione Pallii addi soleat.*
16 Pallium *est mere personale.*
17 *Ademptio Pallii est signum exauctorationis.*
18 *De Cruce Archiepiscopali.*

I. PRæter ornamenta Pontificalia omnibus Episcopis communia, est unum admodum famosum ipsis Metropolitanis sive Archiepiscopis proprium; nec ullis Episcopis, saltem in Ecclesia Latina juxta modernam disciplinam commune, nisi speciali privilegio Sedis Apostolicæ eis indultum sit; dicitur ornamentum illud apud Latinos *Pallium*; de cujus usu & auctoritate specialis habetur titulus in Decretalibus Gregorii IX.

Quandò & quomodò usus illius ornamenti incœperit, sat obscurum est, sive Græcam sive Latinam Ecclesiam spectemus.

II. Si Decretum illud *Donationis* vulgò Constantini, cujus fragmentum refertur à Gratiano *Dist.* 96. *Can.* 14. fide certa subsisteret facilè probaretur à Constantini dono ornamentum illud initium accepisse; at cum eruditis hodie sufficienter persuasum sit, Decretum illud posteriori ætate fabricatum esse, frustra initia illius ex illo astruere prætenderemus.

Meminit quoq; ornamenti hujus liber Pontificalis, qui sub nomine Damasi circumfertur, in quo de *Pallii usu* vivente adhuc Constantino M. sermo est; ita enim de S. Marco Papa loquitur: "Hic constituit ut Episcopus Ostiensis, „qui consecrat Episcopos Urbis, tunc *Pallio* uteretur, & „ab eodem Urbis Episcopo consecraretur."

Sed quam parva huic libro fides danda sit pariter eruditis notum; ut proinde nec hujus testimonio certa de vetustate Pallii fides haberi queat.

III. Illud equidem certum, tempore S. Gregorii & Justiniani Imperatoris, tam in Ecclesia Latina quàm Græca usum Pallii fuisse; uti ex illius epistolis (quarum plura fragmenta extant apud Gratianum *Dist.* 100.) atq; hujus novellis constitutionibus est manifestum.

IV. A quibus verò antiquitus sive in Ecclesia Latina sive Græca tradita fuerint; quibus concessa, quæ eorum forma, materia & usus, multùm obscurum est; eaq; pluribus discutit Ludovicus Thomasinus in opere suo de Disciplina Ecclesiastica: quem curiosus Lector consulere poterit: nobis sufficiet breviter modernam disciplinam proponere.

V. Formam *Pallii* ita describit Innocentius III *Lib.* 1. *Myster. Missæ c.* 63. "Pallium fit, ait, de candida lana con„textum, habet desuper circulum humeros constringen„tem, & duas lineas sive fascias ex eodē panno ab utraq; „parte dependentes; quatuor autem Cruces purpureas, „antè & retrò, à dextris & sinistris: sed à sinistris Pallium „est duplex, simplex à dextris; cui in tres partes conciso „tres acus infiguntur (spinas vocāt alii) quibus consuitur.

VI. "Atq; ex his Innocentii verbis habemus (inquit Ni„colaus De Bralion Presbyter Oratorii in sua particulari „de *Pallio* Dissertatione c. 3. fidelem & exactam formæ „sacri Pallii delineationem, etiam ut nunc est, hoc excep„to, quòd habet nunc sex cruces ex serico insertas (addi„tis duabus, paucis, ut opinor, abhinc annis) quatuor sci„licet in circulo, nempe antè, & retrò, à dexteris, & à sini„stris: & prætereà unam in medio utriusq; lineæ; & quòd „cruces intextas quas dicit esse purpureas, recentiores „quidem Canonistæ scribant esse nigras, & re vera nigræ „apparent, non solùm in Palliis quibus nunc utuntur Ar„chiepiscopi, sed in illo antiquissimo quo utebatur Ste„phanus tertius Papa, qui sedebat anno septingentesimo, „quinquagesimo, quódq; ipse reliquit apud D. Dionysii „Basilicam Mausoleis Regum Christianissimorum cele„brem, ubi adhuc ostenditur."

Porrò juxta modernum usum, *Pallia* conficiuntur ex lana agnorum priùs in Missa solemni in Ecclesia Sanctæ Agnetis extra muros Urbis, die ejus cultui dicato, oblatorum.

VII. Quâ autem formâ hi agni offerantur, & eum in finem à Pontifice benedicantur, ac postmodum educentur describit, De Bralon.

Subdiaconi Apostolici seu Ministri Ecclesiastici, Papæ, qui quidam quinque numero sunt, procurant ut die Festo Sanctæ Agnetis, qui est 21. Januarii, habeantur duo candidissimi agni, qui ponuntur supra equum hinc inde in duobus asellis, in ejus Ecclesiam portandi. Consuetudo autem est, ut conductor primùm cum his transeat per plateam Sancti Petri antè Palatium Vaticanum Papæ qui è fenestra, manu eos benedicit, De hinc verò per mediam urbem eos defert ad præfatam Ecclesiam Sanctæ Agnetis, in qua ejus sanctum corpus religiosè asservatur, & colitur, ubi in Missa solemni, cum perventum est ad *Agnus Dei* offeruntur à Religiosis hujus Ecclesiæ, qui nunc sunt Canonici Regulares Congregationis Sancti Salvatoris; deinde traduntur duobus Canonicis Basilicæ Lateranensis Sancti Joannis, quæ est Cathedralis Papæ, à quibus eorum cura committitur dictis Subdiaconis Apostolicis, qui primùm eos in pascuis quibusdam particularibus ad tempus servant, deinde eorum lanam à certis monialibus in filum duci curant, ex quo filo adhibito tamen alio ex ordinaria lana, cùm ista non sufficiat, vel ipsi, vel illæ moniales fasciolas, eas lanas intertexendo conficiunt, & ex iis Pallia, postea benedicenda apud Sanctum Petrum.

Hæc Benedictio Palliorum non fit singulis annis, sed rariùs prout necessitas mittendorum Palliorum exigit: & fit non in Altari majori Sancti Petri, quod cernitur in medio

Digitized by Google

medio superioris partis Ecclesiæ, sed in alio inferioris partis, quod est sub isto, & ideò sepulturæ S. Petri viciniori. Facta demum benedictione, relinquuntur Pallia unâ nocte super altare sepulturæ S. Petri; deinde reconduntur in capsula, seu arcula parva, quæ ponitur & asservatur supra Cathedram S. Petri in qua primum Romæ sedit.

IX. Hic intelligitur, cur dicat Paschalis II. in *Cap.* 4. *De elect.* scribens Panormitano Archiepiscopo, & loquens de Pallio: insignia hæc dignitatis *à Beati Petri tantùm CORPORE assumi*: quia scilicet, "*Pallium* benedicitur & consecratur à Papa super altare Beati Petri, & ibi ponitur (uti notat Glossa) & ille qui debet, uti *Pallio*, recipit ipsum de altari, si est præsens: vel alius pro ipso, si est absens, & sic assumitur de *Corpore* B. Petri.

X. Cum Pallium de *Corpore* B. Petri assumi debeat, etiam à solo Rom. Pontifice dari potest.

Scribit Will. Tyrius *libr.* 15. *c.* 13. Radulphum Patriarcham Antiochenum, Romanæ Ecclesiæ subjicere dedignantem, quod diceret, utrámq; *Petri esse Cathedram*, suamq; quasi primogenitæ insignem prærogativâ, Pallium *de Altari Antiochenæ* Ecclesiæ suæ sibi sumpsisse auctoritate; sed post modum eo resignato, aliud ei sumptum de *Corpore* Beati Petri more solemni per priorem Diaconorum traditum. Ita refert Du Cange in Glossario, verbo *Pallium*.

Et quidem ita propria fuit sæculo 13. Pontifici Romano concessio Pallii, ut illud Patriarchæ Constantinopolitano Innocentius III. dederit; atq; insuper potestatem ei fecerit, illud auctoritate Apostolica Metropolitanis sibi subjectis concedendi. Extat charta concessionis in Actis dicti Pontificis editis à Bosqueto *pag.* 102. quòd postmodum privilegium datum fuit omnibus quatuor Patriarchis ab eodem Pontifice, & refertur in *Cap.* 23. *De Privilegiis*.

Possunt itáq; hodie Patriarchæ quidem concedere Pallium Metropolitanis; modo tamen ipsi priùs illud à Pontifice Romano acceperint.

XI. Itáq; verum est juxta modernum stylum, illud à solo Romano Pontifice proficisci; illúdq; peti debet cum *instantia* juxta illud S. Gregorii apud Gratianum *Dist.* 100. *Can.* 1. "Prisca consuetudo obtinuit, ut honor Pallii, nisi exigentibus meritis & *fortiter postulantibus* dari non debeat."

Quapropter Archiepiscopi Romæ præsentes per seipsos, vel etiam procuratores absentium petunt à Summo Pontifice in Consistorio suum *Pallium*, idq; juxta formam petitionis *instanter, instantius, & instantissimè*. papa autem petitioni annuens committit priori Diaconorum Cardinalium ut illud det, quod fit sequenti modò.

Statuta die prælatus pallium recepturus, si est præsens, vel ejus procurator in ejus absentia, cum speciali mandato venit ad locum destinatum, qui sæpè est Capella ipsius Cardinalis Diaconi; aliquando tamen datur pallium in ipsa Ecclesia principis Apostolorum Sancti petri, & ad altare majus. Adest ipse Cardinalis cum capellanis, ac etiam unus ex Subdiaconis Apostolicis, quibus, ut diximus, cura palliorum committitur, qui palliū extendit in medio Altaris, & prælatus indutus cotta super Rochetum, genuflexus ante Cardinalem, qui stat in cornu dextro Altaris, scilicet à parte in qua legitur Evangelium in Missa, petit sacrum pallium hac formula.

"Ego N. Electus Ecclesiæ N. instanter, instantius, & instantissimè peto mihi tradi & assignari pallium de Corpore Beati petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis Officii."

XII. Quâ autem formâ tradatur sive præsenti sive procuratori absentis, his verbis describit De Bralion in citata dissertatione *c.* 12. "Tum Cardinalis, ait, accipit pallium de altari, & imponit illud super humeros prælati genuflexi dicens.

"Ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatæ Mariæ semper Virginis, atq; BB. Apostolorum petri & pauli, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi pallium de corpore B. petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis Officii, cum patriarchalis, vel Archiepiscopalis nominis appellatione, ut utaris eò intra Ecclesiam tuam certis diebus qui exprimuntur in privilegiis, ab Apostolica Sede concessis."

XIII. Olim quidem nonnisi Romam & ad Limina Apostolorum venientibus pallium dari solebat; idq; auctoritate pontificum suorum Antecessorum decretum fuisse scribit ad Brunonem Episcopum Veronensem Gregorius VII. "Quam utiq; dilectionem tuam in his quæ à nobis expostulasti, id est in pallii concessione, ad præsens non recompensamus, quia Antecessorum nostrorum decrevit auctoritas, nisi præsenti personæ pallium non esse concedendum. Unde si Fraternitas tua Apostolicæ Sedis privilegiis munita ad nos venerit, honorem, quem Romani pontifices Antecessoribus tuis contulerunt, nos tibi, Deo concedente, conferemus."

Circa idem tempus Lanfranco electo Archiepiscopo Cantuariensi Hildebrandus Archidiaconus Romanus scripsit, quòd ipsi missum fuisset pallium, si vel uno exemplo ostendi potuisset, quòd *absenti* pallium missum fuisset: *Si alicui Archiepiscoporum vestris temporibus hoc concessū fuisse vidissemus*. Ep. 6. inter Epistolas Lanfranci.

Eamdem disciplinam asserit Petrus Damiani *libr.* 7. *Epist.* 4. ubi tamen admittit, *Pallium* à Romanis Pontificibus ad plurima loca sæpè per Nuntios fuisse transmissum; sed respondet; quia tunc temporis Legati Romanæ Ecclesiæ vice Papæ fungebantur, per provincias constituti. Illi igitur eos, qui ad Episcopatus apicem promovebantur, examinabant, sicque *Pallium* ab Apostolica Sede per Nuntios accipiebant. Quod nonnullis ibidem ex S. Gregorio adductis exemplis astruit; ac deinde adducit Decretalem quamdam sub nomine Damasi Papæ, quæ privat Metropolitanos sua dignitate, qui ultra tres menses post ordinationem suam Romano Pontifici fidem suam exponere & Pallium flagitare distulerint: quam Decretalem sub nomine Pelagii retulit Gratianus *Dist.* 100. *can.* 1. Eam verò nequaquam Damasi esse aut Pelagii; sed unam ex fœtidis mercibus Isidori Mercatoris, jam norunt Eruditi. Ex hac tam Decretali originem sumpsisse disciplinam non mittendi Pallium ad absentes, valde verisimile est, uti notat Ludovicus Thomasinus *De Disciplina Ecclesiæ parte* 4. *lib.* 1 *cap.* 38. ut proinde mirum non sit, disciplinam tam infirmo nixam fundamento in desuetudinem jam pridem abiisse; maximè accedente difficultate accedendi personaliter ad Limina Apostolorum; quare nec in Decretalibus Gregorii IX. ullum reperitur hujus disciplinæ vestigium. Hodie per Procuratores peti consuevit, & ad Provincias mittitur; atque alicui Episcopo sive Pontifici illud Metropolitano imponendi cura mandatur. Hic verò ex præscripto Pontificalis Romani statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commodè fieri potest, vel alia Ecclesia suæ Diœcesis vel Provinciæ magis commoda, in qua Missarum Solemnia peraguntur. Et factâ communione per celebrantem, Pallium reponitur supra medium Altaris extensum, & serico in quo involutum portatum fuit, coopertum: deinde peractis Missarum solemniis, ac per Electum fidelitatis "*Juramento præstito*, (de quo infra) *Pontifex* (sive Episcopus) *surgit cum mitra & Pallium de Altari accipit, & illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit, dicens*.

„Ad honorem omnipotentis Dei, & beatæ Mariæ semper virginis, ac beatorum Apostolorum Petri & Pauli, Domini nostri N. Papæ N. & sanctæ Romanæ Ecclesiæ, nec non Ecclesiæ N. tibi commissæ, tradimus tibi Pallium de corpore beati Petri sumptum, in quo est plenitudo Pontificalis officii, cum Patriarchalis (*vel* Archiepiscopalis) nominis appellatione; ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui expri-

„ primuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis. In „ nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

XIV. Quod autem dicitur in *Pallio* contineri *plenitudinem Pontificalis Officii cum Archiepiscopalis nominis appellatione*, reperitur quoq; in *Cap. 3.* ✠ *De usu & auct. Pallii*, Id tamen nequaquam hoc sensu accipiendum est, quasi ipsum *Pallium* aliquam revera Ordinis potestatem ipsi Consecrato tribueret; cum sit merum externum aliquod ornamentum, sed quod ante illius receptionem ex jure merè positivo, seu consuetudine jam recepta Metropolitani nec suas functiones obire, nec nomen Archiepiscopi assumere queant: quæ disciplina quo præcisè tempore invaluerit, incertum est; videtur autem tempore Concilii VIII. OEcumenici saltem in Oriente fuisse nota; & ex Oriente ad Latinam Ecclesiam transiisse. Quidquid sit, certum est, quòd hodie Metropolitani ante receptum Pallium nec Synodos celebrare, nec Episcopos consecrare valeant; quin imo neq; Sacros Ordines conferre, neq; Chrisma conficere, nec dedicare Basilicas, quamvis ea Episcopi consecrati sine Pallio possint; *Cum* (ait Innocentius III. *in Cap 23.* ✠ *De electione*) *id non tamquam simplex Episcopus, sed tamquam Archiepiscopus facere videatur.*

XV. Cum vero *Pallium* designet *plenitudinem Pontificalis Officii*; atq; inter Pontificalia ornamenta præcipuum sit, facilè hinc deducitur, quod illo in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii uti non possit; cum nec hic Pontificalibus uti ei permissum sit: at ipsius *Pallii* usus restrictior est quàm Pontificalium. Nam in ipsa datione Pallii dicitur: *Tradimus tibi Pallium, ut eo intra Ecclesiam tuam utaris.* „ Quod ita intelligitur (ait Pontifex in *Cap. 1.* ✠ *De Auctoritate & usu Pallii*) videlicet intra quamlibet Ecclesiam „ Provinciæ tibi commissæ. Si verò facis indutum vestibus Ecclesiam *processionaliter*, vel alio modo *exire* contigerit, tunc tuo Pallio minimè uti debes."

In hoc igitur restrictior est usus *Pallii*, quàm *Pontificalium*, quòd his etiam extra suam Ecclesiam materialem uti queat, non autem *Pallio*.

Quod verò permittatur intra *quamlibet Ecclesiam* Provinciæ *sibi commissæ* Pallio uti, id nequaquam usum *Pallii* extensiorem facit, quam Pontificalium: quia ante Concilium Tridentinum, etiam usus Pontificalium Metropolitano intra quamlibet Ecclesiam provinciæ sibi commissæ licitus erat. Synodus vero Tridentina usum Pontificalium in aliena Diœcesi sine consensu Ordinarii inhibens, etiam usum Pallii inhibuisse censenda est.

Adhæc non tantum quoad loca, sed & tempora usus Pallii, juxta jus commune & hodiernum restringitur; asseritq; Innocentius III, in *Cap. 4.* ✠ *De Auctoritate & usu Pallii*, quod solus Romanus Pontifex in Missarum solemniis Pallio *semper* utatur & *ubiq;* " Quoniam, ait, assumptus est in *plenitudinem* Ecclesiasticæ potestatis quæ per „ Pallium significatur. Alii autem eo, nec semper nec ubique, sed in Ecclesia sua, in quâ jurisdictionem Ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus. Quoniam „ vocati sunt in *partem* solicitudinis, *non in plenitudinem* „ potestatis.

Qui autem sint illi dies & tempora quibus aliis Metropolitanis, aut Episcopis, quibus ex speciali privilegio usus Pallii est indultus, Pallio uti liceat, annotat Glossa ad citatum Capitulum 4. & latius exprimit modernum Pontificale Romanum.

Et quidem hanc limitationem ad *certa* tempora etiam apud Græcos seculo IX. receptam fuisse, colligitur ex Concilio VIII. OEcumenico, ubi Canone 14. ex editione Græca legitur: "Sancimus, ut designati ad *superhumeralia* „ gestanda Episcopi *certis statisq; temporibus*, temporibus „ illis ea & locis gestent, nec hujusmodi cultu per fastum „ & superbiam abutantur, aut *quovis* tempore divini Sacrificii, & quacumque Ecclesiastica functione ferant."

Anastasius Bibliothecarius per *superhumeralia* hic *Pallia* intelligi nequaquã dubitavit: ita enim vertit ex Græco: *Quibus concessum est* PALLIIS *uti*. In hac Anastasii editione hic Canon numeratur 27, atq; ex illo Canone præterea elicitur, eo saltem tempore non omnibus Episcopis usum Pallii etiam in Ecclesia Græca concessum fuisse; quamvis hodie omnes illo utantur; uti observat Goarius in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 312.

XVI. Deniq; notandum, *Pallium* esse ornamentum adeo personale, ut Cælestinus III. in *Cap. 3.* ✠ *De Auctoritate & usu Pallii* responderit cuidam ipsum interroganti quod non videatur esse conveniens, "ut Pallium tuum alicui commodes: cum Pallium *in personam non transeat*, „ sed quisque debeat cum eo (sicut tua novit discretio) „ *sepeliri.*"

Imo si Archiepiscopus de una Ecclesia Metropolitana ad aliam transferatur, Pallio, quod acceperat, uti non potest; multo minus Prædecessoris defuncti seu translati, sed debet de novo aliud petere & obtinere; & interim ab omnibus functionibus, quæ sine Pallio exerceri nequeunt, abstinere; uti præscribit pontificale Romanum.

Juramentum quod hodie exigitur in traditione pallii penè incidit cum juramento, quod ab omnibus Episcopis in consecratione exigitur; illudque in datione pallii circa sæculum XI. exigi cœpisse, ostendimus *Tit.* 15. *n.* 2.

XVII. Deniq; sicut traditio pallii perficit Archiepiscopum & plenitudinem pontificalis officii confert; ita & ademptio *pallii* jam pridem signum fuit exauctorationis & depositionis, vel abdicationis sive renuntiationis.

Liberatus Diaconus in Breviario c. 21. ait: *Anthimus videns se Sede pulsum*, PALLIUM *quod habuit Imperatoribus tradidit*. Et c. 23. ita de Paulo Alexandrino Patriarcha: *Aufferentes Paulo* PALLIUM *deposuerunt*. Anastasius in vita Sylverii: "Joannes Subdiaconus tulit *Pallium* de collo „ ejus, & *exspolians* eum induit veste monachica." Item apud Flodoardum *lib. 4. c. 45.* ita loquitur Attaldus Remensis Episcopus: "Qui postquam me in potestate sua „ conspiciunt, quærere cœperunt, ut eis *pallium* à Sede „ Romana mihi collatum traderem, & Sacerdotali me „ ministerio penitùs *abdicarem.*"

XVIII. Insigne quoq; particulare Archiepiscoporum seu Metropolitanorum est *Crux* quam ante se *elevatam* in signum jurisdictionis & potestatis deferri faciunt.

Hoc insigne primùm *Legatis Apostolicis* à Sede Apostolica concessum, ac deinde Patriarchis ac Primatibus indultum fuisse, multis ostendit Ludovicus Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte 4 lib. 1. c. 39.* Ac demum cum variis Metropolitanis per speciale privilegium à Sede Apostolica esset indultum, tandem insigne omnibus Archiepiscopis commune factum est; illudq; sat apertè supposuit Concilium Viennense V. in *Clementina 2. De privilegiis:* " Archiepiscopo per *quævis* loca *exempta* suæ Pro„ vinciæ facienti transitum, aut ad ea forsan declinanti, ut Crucem ante se liberè portare faciat... sacro probante „ Concilio præsentis constitutionis serie duximus concedendum."

Hanc Clementinam recepit & probavit Clerus Gallicanus an 1635. nihilominus eam restringendam ad terminos Concilii Tridentini *Sess. 6. c. De Reform.* bene advertit Zypæus ad titulum de Officio Ordinarii *n.* 18. & notatum fuit supra *tit.* 16. *c.* 2. ubi quoq; *n.* 13. observavimus, Archiepiscopos non posse incedere *Cruce elevata* extra limites suæ jurisdictionis.

TITULUS XX.
De Synodis Provincialibus.

CAPUT I.

Quoties Synodus Provincialis celebranda, & qui illi interveniant?

1 *Synodos Provinciales indicere est Metropolitani.*
2 *Illo impedito, Comprovincialis senioris.*
3 *Olim Synodus Provincialis bis singulis annis haberi debebat.*
4 *Labente tempore semel in anno haberi cœpit.*
5 *Hæc moderatio primùm licet ægrè, tamen admissa fuit ab Ecclesia Græca.*
6 *Eam etiam toleravit Ecclesia Latina.*
7 *Sæculo XIII. summus fuit in celebrandis his Synodis defectus.*
8 *Hic defectus effecit ut tandem ad* Triennium *protracta sit celebratio Concilii.*
9 *Synodus Trident. tantum singulis trienniis jubet celebrare Synodum.*
10 *Optat Synodus Tridentina frequentiorem Synodorum celebrationem.*
11 *Collapso disciplinæ imputanda pro magna parte defectus Synodorum.*
12 *Synodo interesse debent omnes Provinciæ Episcopi.*
13 *Quid de Episcopis nulli Archiepiscopo subjectis?*
14 *Qui præter Episcopos Synodo interesse debeant pendet à consuetudine.*
15 *Qui primæ Synodo Provinciali Cameracensi interfuerunt?*
16 *Soli Episcopi suffragium habent* decisivum; *alii tantum* consultivum.
17 *Quod si Episcopi dissentiant à Metropolitano, Episcoporum suffragia prævalent.*
18 *Metropolitanus solus Synodum dissolvere; aut aliquid in eo faciendum mandare non potest.*

Concilium Provinciale dicitur, ad quod unà cum suo Metropolitano conveniunt totius Provinciæ Episcopi.

I. Concilium à Metropolitano convocandum esse adeò verum est, ut Episcopi Provinciæ convenire sine ejus consensu nequeant; quemadmodum conceptis verbis definivit Concilium Antiochenum *Can.* 20. Postquam enim conformiter ad Canonem 5. Nicænum statuit, bis in anno celebrandas esse Synodos Parochiales, subjungit: "Nullus verò liceat apud "se Synodos per se facere sine iis, quibus sunt creditæ *Metropoles*:" Nimirum Provinciales, de quibus unicè in "hoc & aliis istius Synodi Canonibus actum fuit.

Imò illud Concilium *perfectum* dicitur à Patribus Antiochenis, cui Metropolitanus interest. "Sit autem inquiunt, illa *perfecta* Synodus, cui unà quoque adest Metropolitanus." *Can.* 16.

II. Metropolitano verò legitimè impedito Coepiscopus antiquior ex Decreto Synodi Tridentinæ *Sess.* 24. *c.* 3. *De reform.* Synodum Provincialem convocat. Idemque esse, Sede Metropolitanâ vacante, docet post alios Fagnanus ad *Cap.* Cum olim ij *De accusationibus n.* 17.

III. Synodus hæc secundum pristinas Patrum Regulas *bis* in anno celebranda erat. "Synodi autem fiant (nimirum Provinciales) *una* quidem, ait Synodus Nicæna "*Can.* 5. ante quadragesimam, ut omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offeratur: *secunda* autem autumni tempore."

Hunc Canonem renovantes Patres Concilii Antiocheni an. 341. *Can.* 20. statuerunt, ut "propter usus Ecclesiasticos, "& pro componendis controversiis, Synodi Episcoporum in unaquaque Provincia fiant *bis* in anno."

Patres Synodi Calchedonensis intelligentes, quod in Provincia constituta Episcoporum Concilia minimè celebrarentur, statuêre "secundum *Regulas Patrum* bis in "anno in unum convenire Episcopos, ubi singula, quæ "emerserint, corrigantur." *Can.* 19.

Hos aliosq; plures pristinos Patrum Canones *binas* per annum Synodos præscribentes, refert Gratianus *Dist.* 18.

IV. At labente tempore cum difficile videretur ac incommodum, toties Episcopos convenire, paulatim ad annum celebratio Synodorum Provincialiū protrahi cœpit.

V. Et quidem Justinianus Imperator de his Synodis loquens ait: "Quando autem quod in Canonibus cautum "est de Synodis Sanctissimorum Episcoporum per singulas Provincias congregandis, hucusque observatum "minimè est, illud imprimis corrigere necessarium est." Deinde adducto Canone 36. Apostolorum quo jubetur, ut bis in anno Synodi Provinciales congregentur, concludit: "nos autem invenientes quod ex hujusmodi ne"gligentia multi diversis peccatis implicati sunt, jube"mus omnibus modis *unam* Synodum fieri singulis an"nis in singulis Provinciis, mense vel Junio, vel Septembri." *Novel.* 137. *cap.* 4.

Synodus Quini-Sexta seu Trullana volens omnia quæ à Sanctis Patribus decreta fuerunt, rata ac firma esse, Canonem quoque renovat, qui jubet uniuscujusq; Provinciæ *binas quotannis Synodos* fieri, ubi Metropolitanus Episcopus satius esse duxerit. "Quoniam autem propter "Barbarorum incursiones, inquit, & quasdam alias inci"dentes causas non possunt, qui Ecclesiis præsident, Sy"nodos *bis* in anno facere visum est, ut omnino *semel* in "anno propter Ecclesiasticas quæstiones, ut consentane"um est, emergentes, fiat dictorum Episcoporum Syno"dus à S. Paschæ festo & usque ad Octobris mensis com"plementum singulis annis, in loco, quem, ut prædictum "est, Metropolitanus Episcopus aptiorem judicaverit."

Hic patet Synodum hanc optasse quidem, ut Canon duas quotannis Synodos requirens, fuisset servatus; neo eum abrogatum existimari; sed nonnisi ob necessitatem permisisse, ut *semel* tantum in anno congregaretur; quod & Synodus VII. *Can.* 6. similiter permittit.

VI. Similem Canonum moderationem quoad celebrationem Synodorum Ecclesia Latina ægrè quidem, sed necessitate coacta paulatim admisit; uti constat ex Concilio Toletano III. *Can.* 18. S. Gregorio *lib.* 7. *Epist.* III. Concilio Parisiensi VI. *Cap.* 26. quæ tamen unà innuunt, Canones Patrum *binam* in anno Synodum requirentes in suo robore manere.

Hæc interim moderatio ob solam necessitatem admissa, adeo tandem invaluit, scilicet unam tantum esse Synodum annuè celebrandam, ut obliteratâ Patrum disciplinâ de bina Synodorum annuatim celebratione, hanc moderationem quasi à Sanctis Patribus promanantem Innocentius III. in Concilio Lateranensi observari voluerit in *Cap.* Sicut olim ij *De Accusationibus*, "Sicut "olim, inquit, *à Sanctis Patribus* noscitur institutum, Me"tropolitani *singulis* annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant Concilia celebrare."

VII. Verum nec hoc Decretum tantâ moderatione conceptum, potuit vel annuam Synodorum Provincialium congregationem efficaciter persuadere; adeo ut Gregorius XI. scribat ad Archiepiscopum Narbonensem an. 1275. "quod celebratio Conciliorum ubi"que ferè terrarum, quod, inquit, dolenter, referimus, "longis temporibus esset negligenter omissa: propter "quod idem Clerus ab honestate sui primævi statûs non "modicum excidit, multipliciter in devium declina"vit &c."

VIII. Hæc negligentia in convocandis Conciliis Provincialibus cum continuò magis magisque cresceret; ac tandem omnis pene eorum usus penitus cessaret, cum summa in doctrina ac disciplina deformatione, Patres Basilienses attendentes ab una parte necessitatem Conciliorum; & ab alterâ quàm difficulter etiam *annuam* celebrationem reducerent, decreverunt, ut *ad minus semel de triennio ad triennium Concilium Provinciale celebretur*; quam moderationem Concilia quædam particularia, nec non Leo X. in Synodo sua Lateranensi admiserunt.

IX. Ipsa tandem Synodus Tridentina hanc moderationem admittens statuit, ut "Metropolitani per seipsos, seu „illis legitimè impeditis Coëpiscopus antiquior intra „annum ad minus à fine præsentis Concilii, & deinde „quolibet *saltem triennio* post octavam Paschæ Resurre„ctionis Domini N. J. C. seu alio commodiori tempore „pro more Provinciæ non prætermittat Synodum in Pro„vincia sua cogere." *Seff.* 24. *c.* 2. *De reform.*

X. Ex verbis Decreti nequaquam obscurum est, Patres Tridentinos non quidem pristinos Ecclesiæ Canones frequentiorem Synodorum celebrationem præscribentes abrogasse; sed dumtaxat præscripsisse, ut *saltem* singulis *triennnis* Synodus Provincialis cogeretur: ut consequenter voto Patrum Synodi Tridentinæ obsequerentur Episcopi, qui frequentius, quam singulis trienniis Synodos celebrarent.

XI. Sed prò dolor! ea est temporum nostrorum miseria ac iniquitas, ut nec singulis trienniis; imò nec vicenniis Synodus Provincialis habeatur; imò jam anni sunt ferè nonaginta quod Belgium nostrum Synodum Provincialem congregatam non viderit.

Examinent ipsi Metropolitani aliive qui ut Synodi cogantur curare debent, quomodo Deo & Ecclesiæ (quæ per multiplices pœnas, quas negligentibus minatur, enixam suam voluntatem sufficienter expressit) respondeant. Hoc sat constat, per hunc Synodorum neglectum, Ecclesiæ disciplinam ita esse collapsam, ut vix vestigium supersit; vitiaque omnia ubique ita invaluisse, & abundare, ut pro nihilo reputentur; & populus iniquitatem quasi aquam bibere videatur.

XII. Synodo Provinciali interesse debere, atq; ad eam esse vocandos omnes totius Provinciæ Episcopos indubitatum est; & Canones supra citati exprimunt. Imò si „quis Episcoporum commonitus à Metropolitano," (verba sunt Concilii Tarraconensis *can.* 6.) "ad Syno„dum, nullâ gravi intercedente necessitate, corporaliter „venire contempserit (sicut *Patrum* statuta sanxerunt) „usq; ad futurum Concilium cunctorum Episcoporum „charitatis communione privetur" *Dist.* 18. *can.* 14.

XIII. Si verò sint " Episcopi, qui *nulli* Archiepiscopo „subjiciuntur, aliquem *vicinum* Metropolitanum semel „eligant; in cujus Synodo Provinciali," (ait Synodus Tridentina loco citato) "cum aliis interesse debeant; & quæ „ibi ordinata fuerint, observent ac observari faciant."

XIV. Qui verò præter Episcopos ad Synodum Provincialem vocandi sint non è jure scripto dumtaxat; sed vel maximè à consuetudine desumi debet; quod & Synodus Tridentina innuit, dum monet Metropolitanum Synodum in sua Provincia cogere, " quo Episcopi omnes; „& alii, qui de jure vel *de consuetudine* interesse debent, „convenire omnino teneantur."

XV. Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. præter Episcopos Suffraganeos interfuere atque eidem subscripserunt primo loco Capitulorum Cathedralium Deputati; post hos, variorum Ordinum Abbates, alii nomine proprio, alii per procuratores; deinde Abbatissæ quoque per suos procuratores.

Hos sequuntur Ecclesiarum Collegiatarum Deputati, quos excipiunt nonnulli Præpositi, Priores & una Priorissa. Denique subscribunt Archipresbyteri seu Decani Christianitatis Diœcesis Cameracensis, tam suis, quam Curatorum suorum Decanatuum respectivè nominibus.

XVI. Quicumque verò præter Episcopos sive de jure, sive de consuetudine Synodo Provinciali intersunt, votum *consultivum* dumtaxat habere communiter receptum est; refertque Fagnanus *ad Cap.* Et si membra ⁏ *De his quæ fiunt à Prælato &c. n.* 53. " Abbates Commenda„tarios & Capitulorum Deputatos vocem dumtaxat *con„sultivam* in Concilio Provinciali habere. Episcoporum „verò procuratores posse habere etiam *decisivam*, si Con„cilio Provinciali placuerit."

Ita quoque responsum fuit à Pontifice auditâ prius relatione Congregationis Concilii, occasione difficultatum quas ad Sedem Apostolicam remiserant Patres Concilii Rothomagensis anno 1581. & habentur responsa unà cum difficultatibus propositis tomo 15. Concil. General. col. 871.

XVII. Soli itaq; Episcopi Comprovinciales cum Metropolitano vocem *decisivam* obtinent; unaque cum Metropolitano judicant: "Si igitur Metropolitanus est unius „sententiæ & Suffraganei alterius, S. D. N. dixit, inquit „Fagnanus, sententiam prævalere Suffraganeorum, & „hoc quia habent votum decisivum, & sunt conjudices." *Ad Cap.* Sicut olim ⁏ *De Accusat. n.* 104.

XVIII. Eodem fundamento, " Archiepiscopus non „potest dissolvere Synodum, nisi de consilio & assensu „Coëpiscoporum; nec nisi de eorumdem consilio & as„sensu cuiquam silentium indicere, vel jubere aliquod „scriptum aut libellum legi aut non legi ait Fagnanus „loco citato."

CAPUT II.

Quæ in Concilio Provinciali tractanda?

1 *Synodus Nicena vult Synodos haberi ut excommunicationes ab Episcopis inflicta examinentur.*
2 *Qui se læsos ab Episcopis existimant in Synodis audiendi.*
3 *Accusationes etiam contra Metropolitanum in Synodo discutienda.*
4 *Causæ etiam criminales Episcoporum indistinctè olim Synodis terminabantur.*
5 *Hodie distinctio adhibenda.*
6 *In Synodis vitia corrigenda, & mores reformandi.*
7 *Quis modus servandus in vitiis corrigendis?*
8 *Quæ ratio ineunda in reformatione morum?*
9 *Patrum disciplinā Episcopi sibi ob oculos ponere debent*
10 *Zelus Matthia Hovii Archiepiscopi Mechliniensis in restituenda integrâ disciplinâ.*
11 *Ad integram reformationem suos animabat Metropolita Cameracensis.*
12 *Decretum S. Caroli pro assequendo fæliciori Synodorum effectu.*
13 *Testes Synodales convenientes pro facilitando Synodorum optato exitu.*
14 *Ut perfecta morum ac disciplina reformatio obtineatur conveniens est crebra Synodorum celebratio.*
15 *Id expertus fuit S. Carolus.*
16 *Quare in Synodis Belgicis immediatè post Synodum Tridentinam habitis non sit expressa perfecta morum disciplina.*

I. Synodus Nicæna postquam declaravit, ut obtineat sententia secundum Canonem, qui pronuntiat eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis admittendos subjicit. " Examinetur autem nunquid vel pusillanimitate, vel contentione, vel ali„qua hujusmodi Episcopi acerbitate, congregatione „pulsi sint. Ut hoc ergo convenientem *examinatio„nem* accipiat, rectè habere visum est, ut *singulis* an„nis in unaquaque Provincia *bis* in anno Synodi fiant." *Can.* 5.

Hic

Hic manifestum est Synodum Nicænam indictas voluisse Synodos Provinciales, ut examinetur, num Episcopi in excommunicatione ferenda rectè processerint.

II. "Propter utilitates Ecclesiasticas, *& absolutiones* earum rerum, quæ dubitationē *controversiamq;* recipiunt, optimè placuit (ait Concilium Antiochenum *Can.* 20.) ut per singulas quasque Provincias bis in anno Episcoporum Concilia celebrentur.... In ipsis autem Conciliis adsint Presbyteri & Diaconi, & omnes qui se *læsos* existimant, & Synodi experiantur judicium."

Plura uno verbo complectens Synodus Calchedonensis vult, "ut bis in anno eumdem in locum conveniant cujusq; Provinciæ Episcopi, ut Metropolitanus melius hic perspexerit, *& singula emergentia corrigant.*" *Can.* 19.

III. Primo itaque loco in Synodo Provinciali discutiendæ controversiæ seu quæstiones à quibuscumque ad Synodum delatæ. "Quapropter, inquit Fagnanus loco citato *n.* 41. expostulantium querelæ & *accusationes* non modò contra inferioris Ordinis Clericos, sed potissimùm contra *Episcopos*, ipsumque *Metropolitanum* æquis auribus excipientur, & prout justitia suaserit *terminabuntur.*"

IV. Et sanè negari non potest, quin controversiæ atque querelæ Ecclesiasticorum, & Laicorum contra Episcopos in Synodis Provincialibus olim terminari solerent; imò & accusationes quascumq; etiam in causis criminalibus, quæ depositione mulctandæ erant, in Synodis institui & terminari solitas fuisse expeditum est.

V. Nihilominus quoad causas criminales Episcoporum hodie distinctio est adhibenda ex præscripto Synodi Tridentinæ, ut graviores quidem, quæ *depositione* aut *privatione* dignæ sunt, ab ipso *tantùm summo* Pontifice cognoscantur & terminentur, uti supra monui; *minores* verò in Concilio tantùm Provinciali cognoscantur & terminentur; quæ si pleniores probationes & cognitionem postulent, quàm ut brevi illo tempore quo Synodus Provincialis est congregata expediri possint, judicibus à Synodo Deputatis cognoscendæ committentur ad præscriptum Synodi Tridentinæ *Sess.* 24. *c.* 5. *De reform.*

VI. Præter controversiarum ac querelarum decisionem, Synodis Provincialibus allaborandum est, ut vitia, abususque corrigantur, ac mores ad optimam Sacrisque Canonibus conformem disciplinam revocentur. "Sicut olim à sanctis Patribus noscitur institutum, ait Concilium Lateranense sub Innocentio III. Metropolitani singulis annis cum suis Suffraganeis Provincialia non omittant celebrare Concilia: in quibus de corrigendis excessibus & moribus reformandis, præsertim in Clero, diligentem habeant cum Dei timore tractatum." *Cap.* 25. *De accusat.*

VII. „In delictis corrigendis" (inquiebat S. Carolus ad Patres in primo Mediolanensi Provinciali Concilio congregatos) "illa nobis ineunda ratio est, ut pro vi & modo morborum, ægrotorumque natura, medicinam accommodemus, nunc levibus admonitionis & objurgationis remediis errata castigantes, nunc acriori curatione utentes; denique exulceratis partibus ferrum & ignem admoventes, quemadmodum mali ratio, & contagionis periculum postulabit, memores semper nos esse Patres, non Dominos."

VIII. "Morum autem disciplinam, pergit Zelosissimus Antistes, facilè restituemus, si qua ratione, quibusve factis primùm constituta, diuque conservata est, eamdem nos in restituenda adhibebimus, illorum vestigia persequentes, qui hanc bonorum amplitudinem nobis, Deo auctore, sua virtute pepererunt. Proponamus nobis quæso, Patres, illorum vitæ sanctitatem, & in administratione sui officii sapientiam. Erant integri, casti, simplices, modesti, humiles, bene morati, in oratione & lectione assidui, sui despicientes, in alienæ salutis cura & cogitatione defixi, consilio, & operâ benigni, hospitales, in domestico cultu & victu parci, in alios benefici & liberales. Erant vigilantes super gregibus suis, vineam Domini summa diligentia & labore colentes & custodientes. Pascebant assiduè oves sibi commissas triplici salutis cibo, verbo, exemplo, & sacramentis; memores quoque & imitatores summi Pastoris Christi, qui pro universo grege suo Sanguinem & vitam profudit, ipsi pro sua rum ovium incolumitate quemvis excipere laborem, subire omnes casus, omnem vim, atque injuriam perferre, denique ut bonus ille Pastor Evangelicus, animam suam pro ovibus ponere non dubitabant, nullum inde hujus vitæ fructum exspectantes, ut maximos cœlestis retributionis fructus consequerentur. Hæc si, ut debemus, Patres, ante oculos habebimus, facilè intelligemus, quid in restitutione Ecclesiasticæ disciplinæ nobis sit hoc tempore agendum. In quo illud etiam animadvertendum erit, ut, quemadmodum in conformanda, & constituenda Ecclesiastica ratione Christus Dominus ab ipsis Apostolis, quos Christianæ vitæ magistros esse voluerat, initium fecit: sic nos à nobis ipsis Pastoribus quos vivendi exempla & præcepta aliis tradere oportet, in conformanda restituendaque morum disciplina exordiamur."

IX. Quam verò morum disciplinam restaurare; aut ut minus præ oculis habere debeant Episcopi ab ipso rursus Sanctissimo Metropolita accipiamus: "Non adumbratam quamdam (ait ad Patres in secundo Provinciali Concilio congregatos) sed expressam illam disciplinæ Christianæ formam, afflante Spiritu sancto, Decretis nostris restituere curemus, quam pascente Ecclesia instituit *vivus sermo Dei & efficax penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritûs* compagum quoq; ac medullarum, & discretor cogitationum & intentionum cordis. Nam si vitiorum semina non funditùs tollere studemus, sed satis id esse putamus, ut externa quædam tantùm, quæ oculis offensionem in vulgus præbent, quasi levi manu emendemus; id nobis eveniet quod agricolis, qui dum herbas inutiles radicitus evellere negligunt, quæq; solùm è terra extant amputant, ne agrum quidem à stirpibus noxiis purgant, sed etiam quod planè nolunt, id sanè efficiunt, ut uberiores paucis post diebus emanent. Nec verò est cur à muneris nostri ratione deterreamur, vel quia his pastoralibus nostris studiis actionibusque animos eorum exulcerari videamus, qui filii sunt perditionis; vel quia populares illæ, quibus quasi ficus foliis deformes; praviq; mores contegi solent, voces audiantur: non ferunt hæc tempora veterum Canonum severitatem: sic jamdiu viximus, sic vixerunt; ita egerunt qui ætate antecesserunt; vitæ institutum nihil est quod mutemus. At nos hæc, atque adeo alia ejusmodi contemnamus, proponamusque nobis ob oculos libertatem illam spiritus, & virtutem, quâ armati patres nostri Apostoli, quâ muniti Martyres, quâ instructi nostri ordinis sanctissimi homines, Athanasius, Chrysostomus, Ambrosius, hujus Ecclesiæ antistes, quâ affecti alii religiosi viri, Apostolico quodam animorum ardore flagrantes, nullis non minis, non hominum clamoribus, non furoribus, quasi tribunitiis fracti, nec debilitati, pro Dei gloria, pro gregis commissâ salute, forti, constantique animo adhibuerunt illam quasi censoriam virtutem, acerrimam peccatorum vindicem. Eorum ferè exemplo adducti nos quoq; Apostolica illa constantiâ & Evangelica virtute, quâ una nihil est in Ecclesiasticis Pastoribus illustrius, nihil magis necessarium, sine metu, & constanter certè agamus, atque adeo perficiamus, quod Evangelium docet, quod Christus jubet, quod ratio præcipit, quod gregis salus, quod Ecclesiæ auctoritas dignitasque postulat."

X. Eodem spiritu suos animabat magnus ille Mechliniensis Provinciæ Metropolita Mathias Hovius: "Evellamus, inquit, quæ in agro Dominico deprehenderimus succrevisse zizania, quæque in atriis Domini sub-

„ subnata virgulta: destruamus malè fabricata per prę- „ teritorum temporum nimiam licentiam: plantemus è „ diverso salutarium legum sanctarumque constitutio- „ num surculos, unde piorum operum, & vitæ verè Ec- „ clesiasticæ fructus proveniant." In Oratione habita in Synod. Prov.

XI. Et Cameracensis Metropolita Ludovicus Berlaymontius, postquā exposuisset, quomodo in Synodo summa animorum concordia, ac benignitate & mansuetudine ad emendationem defectuum & morum reformationē esset procedendum, concludit: "Atq; ita totius hujus con- „ vocationis scopum fuisse cognoscetis ut mecum pro re- „ formanda Ecclesia nostra consideretis sollicitè, quæ „ deesse & deficere nostris & ejus rebus videantur: quin „ etiam quæ impedire possint fructus & effectus nostra- „ rum Constitutionum, & quibus præcipuè remediis & „ medicamentis languentes tantopere hujus Provinciæ „ Ecclesias sublevare, sanare & in pristinam status sui „ valetudinem restaurare, Deo cooperante possimus, ju- „ dicetis."

XII. Ut hic Synodorum fructus haberi commodius possit saluberrimum est S. Caroli in Synodo sua IV. evulgatum Decretum, nimirum: "Eò religiosius & frequen- „ tius Episcopus unusquisque in oratione, & precibus & „ Sanctissimis Sacrificiis, illo præsertim tempore, quo „ diem habendæ Synodi instare cognoverit, versari stude- „ bit; quo planius se ad rerum gravium consultationem „ & deliberationem vocatum esse videt.

Quo autem instructior ad Synodalium rerum tracta- „ tionem conveniat; perquirat primo, quæ Tridentina, & „ Provincialia decreta executus sit, quæ non item. Videat „ præterea, quæ ab aliis, quorum interest, præstita non „ sint, quæve non serventur.

"Hæc verò accurate investiget in primis, an qui vel „ jure, vel consuetudine, vel alia quavis ratione residere „ debent, ipsi resideant, anque residentiæ munera per „ eosdem præstentur.

"An Regulares exequantur, quæ Tridentinā constitu- „ tione de eis sancita, in defectum Capitulorum genera- „ lium in Provinciali Concilio supplenda, providendave „ sunt, ejusdem Concilii Tridentini decreto.

"Diligentissime quoque indaget, si quæ superiorum „ Provincialium Synodorum decreta sunt, quæ in sua „ Diœcesi executionem non habuerint.

"Id deniq; omni Christianæ disciplinæ studio perspi- „ ciat, si quæ sunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abu- „ sibus tollendis, pro controversiis componendis, aut alia „ pro universæ Provinciæ Ecclesiasticā & Christianā mo- „ rum gubernatione sanctè instituenda vel restituenda „ tractari aut decerni in Concilio oporteat.

"Quo studiosius autem id omne præstet, paucis ante „ diebus, quam Synodi Provincialis stata & indicta dies „ venerit, urbis, Diœcesisq; suæ sacerdotes aliquot pietatis „ zelo flagrantes, rerumque Ecclesiasticarum peritiā atq; „ usu præditos, ut expedire videbitur, convocet; quibus- „ cum agat de iis singulis Conciliarium rerum tractatio- „ nibus, ac præsertim, quæ ad vitæ Christianæ, & ad Cle- „ ricalis disciplinæ instituta interesse possunt."

XIII. Præterea ad assequendum Synodorum præcipuum scopum; nimirum vitiorum extirpationem & morum reformationem, non parum efficax erit exacta observatio Decreti Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *in Cap.* 25. ⁊ *De Accusat.* ut Episcopi "per singulas Diœceses „ statuant personas idoneas, providas videlicet & hone- „ stas, quæ per totum annum simpliciter & de plano absq; „ ulla jurisdictione sollicite investigent, quæ correctione „ vel reformatione sunt digna, & ea fideliter perferant ad „ Metropolitanum & suffraganeos & alios in Concilio „ subsequenti, ut super his & aliis (prout utilitati & ho- „ nestati congruerit) providā deliberatione procedant."

Hæ personæ vulgò dicuntur Testes Synodales, de quibus supra fusius actum est.

XIV. Hanc perfectam ac integram pristinæ disciplinæ normam, quam Episcopi tamquam formam sibi præscriptam continuo intueri debent, quia temporum ac personarum conditio restitui interdum non patitur, prudenter Ecclesia instituit, ut Synodorum celebratio numquam intermitteretur; quo fieret, ut quod primo obtineri haud potuit, sequentibus sensim obtineatur; adque integram reformationem & perfectam quamdam morum disciplinam gradatim, & suaviter populus ducatur.

XV. Id expertus fuit S. Carolus, quemadmodū in sua ad Patres Concilii sui secundi oratione aperuit: unà vel hoc titulo Coëpiscopis suis persuadere studens, quàm necessaria esset frequens Synodorum celebratio. "Quo tem- „ pore, inquit, huc primò in Concilium convenimus; po- „ pulis nostris, tamquam parvulis, aut certè infirmioribus, „ si præter lac escam dedimus, at solidiorem cibum tum „ præbere vix potuimus; idque Christo Domino magi- „ stro, qui multa cum haberet, quæ Apostolis diceret, „ non omnia tamen uno tempore eos docuit, propterea „ quod ad ea portanda tunc sane essent minus idonei. Et „ quemadmodum is longo temporis progressu, tum ex- „ citatis Sanctorum Patrum mentibus, tum Sacrosanctis „ habitis Conciliis, Ecclesiam suam doctrinæ splendore „ in dies magis atque magis illustrare voluit cum vel „ momento temporis id ipsum præstare potuisset: sic no- „ bis, qui Matrem Ecclesiam colimus, atque observa- „ mus, illud ab ejus benignitate sperandum est, ut & „ nunc, & in posterum, prout temporum ratio requiret, „ ea patefaciat, atque aperiat, quæcumque superioris no- „ stri Concilii temporibus non opportuna ipsius Dei Spi- „ ritus non suggessit, ut illa fidelibus nostris tunc trade- „ remus."

XVI. Quid igitur mirum, si in Belgicis nostris Synodis sub finem præteriti, vel initium præsentis sæculi celebratis, quo summa erat in Clero deformatio & totius penè disciplinæ conculcatio, ac rerum civilium summa perturbatio, integram morum disciplinam restitutam non videamus? Sed illud dolendum, quod qui Ecclesiæ pro Patribus nati sunt filii, tamquam providi Architecti super fundamento, à Patribus posito, superædificare non perrexerint, ipsumque opus ad perfectum perducere non studuerint.

Adhæc consideret quisque (verba sunt Matthiæ Hovii in oratione Synodali) nullum agrum, nullum hortum tam bene excultum, qui non subinde indigeat expurgatione & rastro: Nullam quoque tam exactè ædificatam domum, quæ non aliquando restaurationem requirat. Quocirca & mirā providentiā Spiritus sanctus Ecclesiam suam regens, per Sacrum Concilium Tridentinum mandavit, in omni Provincia Concilium singulis trienniis, in omni Diœcesi singulis annis cogendum.

CAPUT III.

Qui Decretis Synodorum Provincialium sint subjecti: & de confirmatione Sedis Apostolicæ super his Synodis.

1 *Qui Episcopis subjiciuntur quocumque titulo, etiam his Synodis subjiciuntur.*
2 *Exhortatio Archiepiscopi Mechliniensis pro obedientia Decretis Synodorum exhibendā.*
3 *Quare postremis temporibus pro confirmatione recursum fuerit ad Sedem Apostolicam?*
4 *Synodus Provincialis Mechliniensis prima petiit confirmationem à Sede Apostolica.*
5 *Nonnulli articuli reformationis istius Synodi missi fuerunt ad Archiepiscopum Mechliniensem.*

6. Exem-

Exemplar litterarum, cum quibus dicti articuli missi fuerunt.

Reformationes seu annotationes editæ non fuerunt, nec Decreta Synodi immutata.

Referuntur quædam illarum annotationum ex quodã manuscripto; & primùm ad Titulum De Sponsalibus.

Annotatio ad Titulum De Jejuniis.

10 *Ad Titulum De* Sigillis.

11 *Ad Titulum De* Ministris Ecclesiæ.

12 *Ad Titulum De* Decanis.

13 *Ad Titulum De* Seminariis.

14 *Ad Titulum De* Unionibus.

15 *Synodus Provincialis Mechliniensis secunda confirmationem Sedis Apostolicæ petiit & obtinuit.*

16 *Aliqua in ea fuerunt mutata, sed quæ ignoratur.*

17 *Plures Synodi Provinciales similiter in Gallia confirmatæ fuerunt.*

18 *Synodi Mediolanenses Sancti Caroli per speciale Breve confirmationem Sedis Apostolicæ obtinuerunt.*

I. QUin exempti in omni materia non exempta; & omnibus iis casibus, quibus vel ex speciali Sedis Apostolicæ, vel Cõcilii Tridentini Decreto Episcopis subjiciuntur, etiam statutis ac ordinationibus Conciliorum Provincialium obedire teneantur, dubitari nequit: cum in hasce ordinationes non unius dumtaxat Episcopi, sed omnium Episcoporum totius Provinciæ auctoritas concurrat & influat.

Hinc teste Fagnano ad *Cap.* ET SI MEMBRA ῤ. *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli n.* 51. *&* 52. declaravit Sacra Congregatio, "ad observationem Concilii Provincialis omnes esse obligatos, qui *jurisdictioni* Episcoporum subjiciuntur: exemptos etiã in casibus, in quibus à jure communi & Concilii Tridentini decretis *specialiter* Episcopis, aut Concilio Provinciali in ipsos potestas tributa est, & contra *inobedientes* esse *procedendum*."

II. Optandum sanè esset, ut "nemo contra id quod verum, justum & sanctum est, quod Canonibus veteribus, quod denique novo juri Sacrosancti Concilii Tridentini conforme, sui Capituli, sui Monasterii, suæ Ecclesiæ *consuetudines* allegat (verba sunt Matthiæ Hovii Archiepiscopi Mechl. in citata oratione) sed evelli obedienter patiatur, quod per insolitam consuetudinẽ malè succrevit, ut meliori plantæ locus fiat: nemo hic jus acquisitum contra jus in sacris Canonibus aut sancto Concil. Trid. sancitum alleget: nemo privilegia contra intentionem dantis extendat, aut abrogata obtendat: nemo deniq; se à Dei lege, aut Apostolicæ Sedis Delegatis, exemptum putet. Hortor autem vos paucis, cum Apostolo dicente: *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis; ipsi enim pervigilant tamquam rationem reddituri pro animabus vestris.* Seriò consideret quisque, nullum agrum, nullum hortum tam benè excultum, qui non subinde indigeat expurgatione & rastro: nullam quoque tam exactè ædificatam domum, quæ non aliquando restaurationem requirat. Quocircà & mirâ providentiâ Spiritus S. Ecclesiam suam regens, per sacrum Concilium Trident. mandavit, in omni Provincia Concilium singulis triennis, in omni Diœcesi singulis annis cogendum. Quod totum dubiè frustraneum, & illusorium erit, nisi adsit, ut antè diximus, vera obedientia: quæ ubi deesse solet, & Conciliorum celebratio, & ipsa quoque religio tandem perire solet."

III. Quia his postremis temporibus frequenter ipsi Exempti, præsertim Regulares, prætextu suarum exemptionum se subjicere renuebant Decretis Synodorum Provincialium, etiam in materia non exempta; aut quoad Decreta totius Provinciæ regimen concernentia; indeq; Decretorum optata executio impediretur; quin & in contemptũ & vilipendium populi adducerentur; dum illa à Regularibus negligi aut etiam contemni videbat, Episcopis visum fuit, ad Sedem Apostolicam recurrere, ut ab ea Decretorum Synodalium approbatione & confirmatione obtentâ facilior, promptior atq; efficacior Decretorum haberetur executio; atque omnis subtraheretur iis obloquendi, aut ea carpendi occasio; quando ea à Sede Apostolica probata & confirmata intelligerent: illi præsertim, qui privilegia sua unicè Sedi Apostolicæ accepta referre debent: & cui illa interpretandi auctoritas competit.

Et quidem plerasque Synodos Provinciales post Synodum Tridentinam habitas, Sedis Apostolicæ confirmationem seu approbationem postulasse, & obtinuisse, ex eorum actis liquet.

IV. Synodi Provincialis Mechliniensis habitæ sub Cardinali Granvellano primo Mechliniensium Metropolita Decreta Sedi Apostolicæ fuisse præsentata; innuit hæc finalis Synodi clausula: "Submittens se suaque omnia *beneplacito Sanctæ Sedis Apostolicæ*, quam humiliter rogat, ut eadem, quo *meliorem* habeant *progressum*, *suâ auctoritate roborare* dignetur."

V. Nihil quidem impressa Synodi hujus exemplaria de hac sedis Apostolicæ roboratione, aut judicio ejusdem Sedis de Synodalibus hisce Decretis habent; at in quodam libro, quem bibliothecæ Collegii Mechliniensis in Academia Lovaniensi dono dedit Claudius Verrydt Archipresbyter Rothnacensis, habetur manu ejus propriâ exaratum exemplar articulorum reformationis dicti Concilii Mechliniensis, quod post petitam ejusdem Concilii à Sede Apostolica confirmationem cum litteris clausis missum fuit à Deputatis ex ordine Interpretum Concilii Tridentini ad Cardinalem Granvellanum Archi-Episcopum Mechliniensem.

VI. Litteræ erant directæ ad Cardinalem Granvellanum Archiepiscopum Mechliniensem in hæc verba: "Illustrissime & Reverendissime Domine noster colendissime. Cum Amplissimorum Patrum sacri Concilii Trident. Interpretum Ordo Provincialem Synodum Mechliniensem nobis seorsim tribus inspiciendam atque discutiendam dederit, ea cura, ut si quid in ea nobis notatione dignum videretur, id ad Ordinem ipsum referremus: Cumque nos injuncto nobis muneri sanè, & accuratè, quantum in nobis fuit, satisfecerimus; nonnullaque notaverimus quæ attentiùs consideranda atq; etiam reformanda duximus: Visum nobis est pro ea, quæ Amplitudini tuæ Illustriss. à nobis debetur observantia, ea prius diligenter præscripta cum his ad eam litteris mittere, unàque illi rationem, qua moti sumus, explicare. Proinde Amplitudinem tuam Illustriss. rogamus, ut cum primùm per arduas atque immensas occupationes licuerit, quid & ipsa sentiat, quidque nobis faciendum judicet, planè nobis apertéque significet. Nos interim illi omnia fausta plenè fœlicia cupimus & precamur. Romæ die 25. Maji 1571. subscriptum, Stanislaus Cardinalis Warmiensis: J. L. Cardinalis Ursinus. Claudius de aqua viva. Et superscriptum: Illustrissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Granvellano Domino nostro observandissimo."

In eodem libro eadem manu exaratæ sunt, annotationes ad plura ejusdem Synodi Decreta; de quibus in dictis litteris trium Cardinalium, quibus à Congregatione super interpretatione Concilii Trident. examen Concilii Provincialis Mechliniensis demandatum fuerat.

VII. Quid tandem à Granvellano responsum sit, nescio; id constat, Decreta illius Synodi nullam ex dictis annotationibus mutationem accepisse; sed edita esse, hodieque extare quemadmodum Romam missa fuerant; uti ex collatione Decretorum cum dictis annotationibus, quarum præcipuas hic ex dicto MS. subjicio, poterit videri.

VIII. Titulo de Sponsalibus & Matrimonio, ad *cap.* 4. *&* 5. hæc erat observatio: "Non est permittendum, ut à volentibus contrahere Matrimonium, aliquid *exigatur*: ideo loco illorum verborum: *Decani autem* &c. „appo-

„ apponatur, prohibitio: *Decani autem & Pastores ratio-* „ *ne hujus examinis nihil recipiant.*" Et in capite sequenti ibi: *Atque Episcopi*, ab illo verbo deleantur: & ibi, *litterarum*, dicatur, *quæ gratis dentur.*

Ad *cap. 7. ibid.* " Non expedit pecuniariam legi pœ„nam apponere; quæ pro modo culpæ quandoque au„genda, quandoque minuenda est. Satius esset simplici„ter manere præceptum, delendo illud, *sub pœna.*"

IX. Titulo *De Jejuniis* ad *Cap. 1.* " Exprimantur vi„giliæ aliorum Apostolorum præter Joannis Evangeli„stæ, Philippi & Jacobi, juxta *Cap. 2. De Observat. jejun.* „ nam communis sententia excludit contrariam senten„tiam."

X. Titulo *De Sigillis* ad *Cap. 2. & 6.* " Quoad priùs „ consulenda est Sacra Congregatio an quoad illa locum „ habeat Concil. Trid. *Sess. 21. cap. 1. pro litteris*: & juxta „ illud sit limitandum. Et ex *Cap. 6.* delendum est quod „ dicitur, *de applicando fabricæ & seminario*, ne contra „ mentem Concilii *cap. 10. Sess. 21.* ex hujusmodi pro„ventibus, indirectè commodum aliquod proveniat. Et „ *Cap. 5.* ibid. delendum est."

XI. Titulo de *Ministris Ecclesiæ, ad cap. 7.* Consulenda „ est Congregatio, an sit bonum declarare absolutionem „ nullam. Et consideretur *Cap. 15. Sess. 13. Concilii Trid.* „ Eodem capite, considerandum est, an melius sit omitte„re, *saltem mortalia*, an potius dicere licet: mortalia tan„tum de necessitate confiteri teneantur: quia tamen pe„riculosum est discernere venialia à mortalibus, docean„tur omnes."

XII. Titulo de *Decanis, ad cap. 6.* "Ante verbum *dispo„sitionem* dicatur: formam traditam à Concilio Triden„tino: & inferius post verbum *necessaria* deleantur illa: „ *Locum Episcopis auctoritate ejusdem Concilii commis„tis*; sed dicatur; servatis tamen quæ idem Concilium „ super hoc salubriter statuit. Nam est caput. 18. Sess. 24. „ quod quam Episcopis & Provinciali Synodo det facul„tatem addendi vel minuendi circa formam examinis, „ non tamen omnia circa examen, eorum voluntati re„mittit, ut etiam omisso examine valeat collatio; quod „ verba Synodi inferre videntur."

XIII. Titulo de *Seminariis ad Cap. 2.* " Deleatur ver„bum, *Seminaria*, & addatur post verbum *cura*, *Semina„rio.* Consulenda tamen est Congregatio, an quæcumq; „ jam instituta Seminaria an verò destinata tantum, cre„dat quod ad alendos pueros Seminario sint applicanda."

XIV. Titulo de *Unionibus ad cap. 2.* "ibi: *ad proportio„nem*, deleantur verba illa, *quatuor* usque ad finem. Ibi„dem in fine deleantur verba: *Infra dictam taxam*: & „ dicatur, ad proportionem aliquam, prout attentis cir„cumstantiis, judicaverint expedire, reduci posse."

Ad *Cap. 3.* ibid. " Deleatur illud, *juxta taxam præscrip„tam*: & addatur: non admittantur nisi de competenti „ eleëmosyna arbitrio Ordinarii Sacerdotibus provisum „ fuerit. Absonum est in lege inveniri quasi præscriptum „ pretium Missæ Sacrificio."

XV. Decreta Synodi Mechliniensis sub Hovio anno 1607. habitæ, per Dionysium Chrystophori Canonicum & Scholasticum Ecclesiæ Brugensis de mandato Episcoporum Romam fuisse delata pro obtinenda confirmatione, constat ex Brevi Pauli V. super confirmatione dictæ Synodi, quod ad calcem Synodi extat. Ex quo insuper constat, eadem Decreta recognita fuisse à Cardinalibus Interpretibus Sacri Concilii Tridentini; atque *nonnullis mutatis*, auctoritate Apostolica fuisse approbata, " hor„tatur que atque auctoritate Apostolica, quàm à Dei be„nignitate licet immeriti accepimus, inquit, jubemus, ut „ ejus Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Cano„num præscriptum omnes istius Provinciæ Episcopos, „ omnesque eorum Diœcesanos obstringunt, ab omnibus „ quàm diligentissimè ac inviolatè serventur."

XVI. Quæ sint *mutata* illa de quibus in Brevi Apostolico, hactenus mihi scire non licuit; sicuti nec quæ fuerint *protestationes*, quas Cardinalis Pamphilius in suis secundis litteris ad Archiepiscopum Mechliniensem, in Synodo habitas, ac in ipsa Synodi calce descriptas, atque in ipsa Congregatione perlectas, expensas, ac ponderatas fuisse, asserit.

XVII. Synodi quoque Provinciales sub idem tempus in Regno Galliæ habitæ, Decreta sua Sedi Apostolicæ submiserunt; eaque à S. Congregatione examinata, & in nonnullis plerumque emendata seu mutata receperunt; uti ex actis illarum videre licet.

XVIII. Testatur quoque Fagnanus, "Concilia Provin„cialia Mediolanensia approbari consuevisse à Summo „ Pontifice per litteras in forma *Brevis*: cum tamen alia „ Provincialia Concilia non confirmentur, sed tantum„modo recognoscantur & emendentur à S. Congrega„tione Concilii, ad præscriptum Sixti V. super institutio„ne ejusdem Congregationis." *Ad Cap.* FIRMITER *¡¡ De summâ Trinitate num* 48.

CAPUT IV.

Quæ Principum circa Synodos Episcopales auctoritas;

1 *Synodi interdum per Principes convocatæ sunt.*
2 *Probatur ex actis Synodorum.*
3 *Synodi olim vix sine licentia Principis fiebant.*
4 *Hodie agrè permitteretur Synodus congregari sine Principis licentia.*
5 *Nulla hic penè Synodus in cujus indictione mentio licentiæ Principis non occurrat.*
6 *Ex Synodo Turonensi probatur necessitas hujus licentiæ.*
7 *Synodus Remensis de licentia Regis indicta.*
8 *Cameracensis prima similiter meminit obtentæ licentiæ.*
9 *Archiepiscopus Mechliniensis in indictione suæ Synodi mentionem quoque illius fecit.*
10 *Quare Principum licentia requiratur?*
11 *Principes non attribuunt sibi auctoritatem decidendi in Synodis.*
12 *Pro faciliore executione aderat interdum (Regius Minister*
13 *Difficilis est Decretorum Synodalium sine Regia auctoritate executio; ac ideo petitur confirmatio Regia.*
14 *Id olim solitum fuisse probatur.*
15 *Synodus Cameracensis II. non fuit publicata nisi obtentâ confirmatione Regia.*
16 *Nec Synodus Mechliniensis sub Hovio.*
17 *Corollarium ex hactenus dictis.*

I. SYnodus jam pridem nonnunquam jussione Regum ac Principum convocatas fuisse ipsa Acta Synodalia atque temporum historiæ dubitare non sinunt.

II. Patres Concilii Aurelianensis I. anno 511. scribunt Chlodovæo Regi in hæc verba: "Do„mino suo Catholicæ Ecclesiæ filio Chlothovecho glo„riosissimo Regi, omnes Sacerdotes quos ad *Concilium* ve„nire *jussistis*. Quia tanta ad Religionis Catholicæ cul„tum gloriosæ fidei cura Vos excitat, ut Sacerdotalis „ mentis affectu Sacerdotes de rebus necessariis tractatu„ros *in unum colligi jusseritis* secundùm voluntatis ve„stræ consultationem, & titulos quos dedistis, ea quæ „ nobis visum est definitione respondimus, ita ut si ea quæ „ nos statuimus etiam vestro recta esse judicio compro„bantur, tanti *consensus Regis* ac majori auctoritate „ servandam tantorum firmet sententiam Sacerdo„tum."

Et in præfatione ejusdem Concilii legitur: Cum Au„ctore Deo ex *vocatione* gloriosissimi Regis Chlothove„chi, in Aurelianensi urbe *fuisset Concilium congregatum* „ summorum Antistitum" &c.

Rursus in præfatione Synodi Aurelianensis II. an. 533. Patres

Patres dicunt; " Cum *ex preceptione gloriosissimorum Re-* „ *gum* in Aurelianensem urbem, de observatione legis Ca- „ tholicæ tractaturi, Deo auxiliante *convenissemus* " &c.

Præfatio quoque Synodi Aurelianensis V. anno 549. Childebertum Regem Synodum congregasse testatur: " Ad „ Divinam gratiam referendum est, quando vota Princi- „ pum concordant animis Sacerdotum, ut dum fit Pontifi- „ cale Concilium, normam vivendi teneat recapitulatio „ antiqua Canonum, vel, ut locus tempúsq; est, in quibus- „ cúmq; titulis veteribus adhærens nova constitutio san- „ ctionum. Igitur cum *clementissimus Princeps* triumpho- rum titulis invictissimus *Dominus Childebertus Rex* pro „ amore sacræ fidei & statu Religionis in Aurelianensi ur- „ be *congregasset* in unum Domini Sacerdotes, cupiens ex „ ore Patrum audire quòd sacrum est &c."

Infinita penè sunt hanc in rem veterum Synodorum testimonia, quæ evincunt Regum ac Principum auctoritate & præcepto Synodos congregatas fuisse.

III. Quin si Synodorum atq; præteritorum temporum monumenta evolvamus, reperiemus, vix sine licentia Regum ac Principum Episcopos & Prælatos in unum Synodaliter convenisse.

„ Poscendum (inquiebant Patres Concilii Tullensis a- „ pud Saponarias anno 859.) à Christianissimis & piissi- „ mis Principibus nostris, ut *Concilia Episcoporum juxta* „ *antiquam Ecclesiæ observantiam*, & studium Catholico- „ rum Principum, tam Patrum suorum, quàm etiam eo- „ rum qui ante illos extiterunt *nullatenus omittantur*: Sed „ per singulas quasq; Provincias saltem semel per annos „ singulos cum *eorum favore & pia exoratione celebren-* „ *tur*. In eorum quoq; Palatiis saltem semel intra bienni- „ um generalis Episcoporum Conventus agatur."

Hic non obscurè Synodi illius Patres innuunt, celebrationem Conciliorum ægrè sperari posse, nì Principum auctoritas, aut saltem licentia accedat.

IV. Quinimo sicuti in Italia teste Cardinale De Luca Disc. 30. ad Concilium Tridentinū prohibita fuit convocatio Synodi Provincialis inconsulta Sacra Congregatione, ita quoq; hisce in Provinciis ægrè permitteretur Synodorum Congregatio sine prævia Regis licentia.

V. Hinc nullam penè in hisce Provinciis convocatam Synodum videmus nì unà in ipsis litteris convocationis Principis aut Regis licentiæ aut assensús mentio fiat.

VI. Patres Synodi Turonensis anno 1583. in proœmio Synodi ita loquuntur: " Imprimis Deo optimo hæc Syno- „ dus gratias referendas censuit, prout refert, quòd divini „ ejus spiritûs afflatu Christianissimus Rex noster, Eccle- „ siæ Dei statum ac ordinem modis omnibus roborare dis- „ ponens Conciliorum provincialium in universo Galliæ „ regno celebrationem gratam non solùm habuerit, sed „ eam etiam indici procuraverit,"

VII. In litteris indictionis Concilii Remensis an: 1583. hæc leguntur: " Nos igitur divino favore freti, Sanctorum „ Patrū exemplo adducti, grassantibus Ecclesiarū nostra- „ rum morbis pro virili mederi cupientes, huc etiam ac- „ cedente Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate, nec non „ Christianissimi Regis nostri Henrici *consensu* simul & „ hortatu, Concilium provinciale in Ecclesia nostra Re- „ mensi, Dominica 1. post Festum Epiphaniæ celebrare „ decrevimus & statuimus."

VIII. Et Maximilianus à Bergis Archiepiscopus Cameracensis indicendo Synodum suam provincialem anno 1565. se ad hanc indictionem potissimùm animatum fuisse dicit, quòd intelligeret Regem celebrationem Synodi probare. Postquam enim multis exposuisset miserum Ecclesiæ Belgicæ statum, atq; periculum quod Belgio imminet, nisi remedium opportunum adhiberetur, subjicit: Quare cùm sæpiùs inter nos de periculo, quod maximum Ecclesiis impendit, depellendo quæreremus: hæc una, in cæteris, sacra nobis anchora visa est, si maturè Concilium provinciæ Cameracensis haberetur, in quo cùm de restauranda disciplina, tum verò de doctrina „ Christiana conservanda inter Patres ageretur. Huic autē „ indictioni addidit animum invictissimi atq; Religiosis- „ simi *Principis Philippi Regis* Catholici omnium optimi „ & maximi *Pietas* (in cujus ditione tota penè nostra pro- „ vincia patet) qui cùm id sibi *vehementer placere* ac *pro-* „ *bari* pro suo erga rem Christianam studio *declarasset*; „ tum nihil potiùs habuimus, quàm ut diem indiceremus „ ejus ineundi Concilii."

IX. Matthias Hovius Archiepiscopus Mechliniensis suam convocans Synodum anno septimo currentis sæculi, non omisit quoq; in ipsis convocationis litteris significare, ipsam Synodi indictionem & quoad tempus & locum principi placere. " Synodi provincialis convocatio- „ nem existimavimus, inquit, non diutiùs differendam; „ sed eam proxima hac æstate, Deo opitulante, celebran- „ dam, *idq; prout etiam Serenissimæ suæ Celsitudini visum* „ *est*, in civitate Mechliniensi, Ecclesiaq; nostra Metropo- „ litana."

X. Ex his cognoscitur, convocationem atq; indictionem Synodorum provincialium semper mansisse penes Metropolitanos, sed tamen hanc convocationem nequaquam fieri solitam esse, nì principis, in cujus Ditione Synodus convocanda est, consensus accedat: tum quia principis interest scire qui conventus, præcipuè tam illustres & numerosi in suis Ditionibus cogantur: tum etiam quòd Metropolitanorum auctoritas ordinariè esset insufficiens ut omnes qui ad Synodum accedere tenentur, in unum convenire cogeret, nisi Regia aut principalis auctoritas accederet.

XI. Adhæc tametsi videamus frequenter Reges & principes, tamquam Sacrorum Canonum executores, & disciplinæ Ecclesiasticæ defensores ac protectores, Episcopos ad Synodum celebrandam convocasse; atq; eorum auctoritate se convenisse Episcopi frequenter professi fuerint, omnis tamen decernendi atq; statuendi auctoritas penès Metropolitanum atq; Episcopos inviolata remansit; uti ex supra allatis Synodorum præfationibus [quibus probatum fuit Regia auctoritate Synodos nonnumquam convocatas fuisse] patet.

XII. Aderat quidem nonnumquam in ipsa Synodo Minister Regius, sed nequaquam ut decideret, sed ut sua auctoritate Synodum tueretur, turbantes coërceret, atq; inobedientes ac rebelles in ordinem redigeret; uti rectè notat Archiepiscopus Turonensis anno 1583. in Epistola ad Henricum III. Regem Galliarum, in qua imprimis advertit, " quòd ad Concilia Episcoporum olim etiam Impe- „ ratores, Reges, principes, pro sua Episcoporum virtute, „ fiducia ac fide, non solùm Clericorum, sed etiam Laico- „ rum, potentium, divitum, judicumq; graviores causas „ referrent judicandas." Deinde adjungit: Quin etiam ut ne quid ex Regia decerperetur auctoritate & dignitate, „ aderat, ibi Regius procurator (quem appellabant *execu-* „ *torem*) qui in exequendis contra sæculares Ecclesiæ De- „ cretis operam navaret strenuam & efficacem."

XIII. Et sanè quàm difficilis, imò & inefficax sit futura Synodalium Statutorum executio, nisi executioni suffragetur & accedat Regis vel principis auctoritas, semper per experientiam plus quam notorium fuit.

Hinc etiam jam pridem observatum, ut quæ in Synodo Episcopi statuerant & decreverant, principi præsentarentur, ejusq; auctoritate & approbatione confirmari atque roborari peterentur.

XIV. Archiepiscopum Turonensem in citata epistola ad Henricum III. Galliarum Regem pro confirmatione Decretorum Synodalium suo & Coëpiscoporum suorū nomine supplicantem audiamus: " Offerimus tibi libel- „ lum exemplo Patrum Concilii Cabilonensis secundi, „ (anno 813.) qui Imperatori Carolo Magno sua Decreta „ duxerunt offerenda, ut sacratissimo ipsius judicio, quæ „ ab ipsis rectè erāt sancita, *confirmarentur*: & sic ubi for- „ san esset omissum quidpiam, ejus prudentiâ suppleretur. Quod quidem & ita fecisse Concilii Turonensis ter-

„ tii (anno 813.) Patres, ex ipsius fine haud dubiè colligi-„ tur. Neq; enim dum offerimus, ignoramus, quantum Ec-„ clesiæ Ministris tribuas, quàm religiosus iis in tractan-„ dis Ecclesiæ Decretis, quàm diligenter in mentem tuam „ introspicias & percuncteris teipsum, antequam de mi-„ nistrorum Dei statutis aliquid existimes immutandum. „ Grato igitur animo accipe, optime princeps, tuorum „ humilium Oratorum Canones, *eosq; observari* per totam „ Provinciam *jubeto*." Habetur tom. 15. Conciliorum general. *col.* 1064.

XV. Patrum ergo exemplo excitati, & executionis difficultatem prævidentes Episcopi Belgii, suarum respectivè Synodorum Decreta principibus obtulerunt, nec nisi earum obtenta approbatione promulgare voluerunt.

Et quidem Ludovicus De Berlaymont Archiepiscopus Cameracensis, cùm Synodum suam Provincialem celebrasset & conclusisset 23. Octobris anno 1586. ejusdemque publicationem in diem 25. Septembris anni sequentis distulisset, rationem hujus dilationis in litteris publicationis his verbis expressit: "Ea (Decreta Synodalia) ne in „ lucem venirent citiùs ex eo accidit, quòd pro fœliciore „ eorundem executione Regiam Majestatem Catholicam „ multis de causis implorandam duximus; quæ dum maturo Senatorum suorum consilio modum expendit, quò „ minore negotio & majore cum fructu per totam Pro-„ vinciam hæc executio decernatur, supervenientibus interim undequaq; gravissimis aliis rei bellicæ negotiis „ tempus elapsum est, sed ut speramus non sine fructu. Cùm enim dicta sua Majestas pro sua in Deum pietate, in „ Catholicam religionem zelo, Ecclesiasticum statum studio, publico edicto ea, pro quibus maximè Regia ipsius „ auctoritas necessaria visa fuerat, à vobis omnibus juxta „ mentem Patrum dicti Concilii inviolabiliter observari „ caverit; confidimus Deo bene juvante futurum, ut, dum „ concordes inter se, in vos autem communemq; vestram „ salutem propensissimas intelligetis superiorum vestrorum tam spiritualium quàm temporalium voluntates, „ conjunctis etiam animis in hoc unum incumbatis, ut „ piissimis eorum desideriis & conceptæ de vobis exspe-„ ctationi modis omnibus respondeatis. „

Manifestum ergo est, quòd publicationem Decretorum Synodalium sine prævio principis consensu haud convenire judicaverit Metropolita Cameracensis; atque spem optatæ executionis magna ex parte, in Edicto Regio super executione ipsius Synodi, collocaverit.

XVI. Similiter Matthias Hovius concludens Synodum suam provincialem 20. Julii anno 1607. de his Patres monuit, quod de *plerisq; rebus* in Synodo actis *sint consulendæ Serenissimæ Celsitudines, quarum protectione*, ait, *speramus faciliorem executionem*.

Post hæc ipsa Decreta Synodalia, tam ipsius Archiepiscopi, quàm Episcoporum Comprovincialium, nomine Serenissimis Celsitudinibus Alberto & Isabellæ oblata fuerunt; atq; ab his transmissa ad Concilium privatum Regium & Senatum Brabantiæ examinanda; quo examine facto, edictum principum super ejusdem Synodi executione constans 30. articulis ultima Augusti an. 1608. prodiit. Quod edictum, uti & Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem (de quo supra) hodie hic in Belgio pro lege servantur; uti supra titulo V. De Æditius Ecclesiarum notavimus; & in decursu hujus operis sæpiùs adhuc notandum erit.

XVII. Quòd ergo Episcopi agnoverint, quòd auctoritas etiam Regia in executione Decretorum Synodalium concurrere debeat; atq; sine hac auctoritate vix eorum sperandam esse optatam executionem sat manifestum: illud optandum, ut Ministri Regii, quos Ecclesia Canonum suorum vindices & protectores agnoscit etiam allaborarent, ut juxta toties iteratas Conciliorum, ac signanter novissimi Oecumenici Concilii Tridentini Sacrosancta Sanctiones, frequentior esset Synodorum celebratio; quarum intermissioni magna ex parte disciplinæ Ecclesiasticæ collapsio, & abusuum vitiorumque multiplicatio adscribenda.

TITULUS XXI.

De Legatis & Nuntiis Apostolicis.

CAPUT I.

De variis Legatorum speciebus.

1 *Tria Legatorum genera.*
2 *Quid Legati à latere?*
3 *Quid Legati* Missi?
4 *Legati* Missi *interdum mittuntur cum potestate Legati à* latere.
5 *Quid Legati* nati?
6 *Varia Legatorum species ex illis quæ olim gesta originem sumpserunt.*
7 *Frequentes olim fuêre Legationes Pontificiæ ad Imperatores pro particularibus negotiis Ecclesiæ.*
8 *Huic Legatorum generi correspondent hodierni Legati à* latere.
9 *Jam pridem fuêre* Legati *Pontificum qui in Comitatu Principum moras traherent pro quibuscumq; negotiis emergentibus.*
10 *Ex simili delegatione originem sumpsit consuetudo mittendi* Responsales: *& quod horum officium?*
11 *Hi dicti fuêre* Apocrisiarii; *quorum frequens apud Veteres memoria.*
12 *Ex his originem habuêre Legati* Missi.
13 *Hi subinde vocantur* Nuntii, *interdum* Internuntii.
14 *Olim Pontifices* Legatos *suos constituebant illustrium Ecclesiarum Episcopos.*
15 *Hinc profluxêre Legati* nati.

I. INnocentius IV. in *Cap.* 1. *De Officio Legati in VI.* statuit, "ut Ecclesiæ Romanæ Legati quantumcumq; plenam legationem obtineant, sive *à nobis missi* fuerint, sive suarum *prætextu Ecclesiarum Legationis* „ sibi vindicent dignitatem ex ipsius Legationis munere „ conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi „ hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. Quod „ in *fratribus* nostris *legatione* fungentibus nolumus ob-„ servari; quia sicut honoris prærogativâ lætantur, sic eos „ auctoritate fungi volumus ampliori. „

Ex hac pontificis decisione notarunt Canonistæ post glossam ad citatum Capitulum, tria esse Legatorum genera; nimirum Legatos *à latere*, Legatos *Missos*, & Legatos *Natos*.

II. Legati *à latere*, vocantur Legati *Cardinales*, "& hoc „ ideo, ait Glossa, quia assumuntur *de latere* Papæ. Nam „ sicut Imperator & Patricii sive Consiliarii faciunt u-„ num corpus, cujus Imperator est caput, & Consilia-„ rii qui sibi assistunt in secretis, dicuntur esse membra, i-„ ta similiter Papa & Cardinales faciunt unum corpus, „ cujus Papa est caput & Cardinales sunt membra. Ideo „ quando aliquis assumitur de Cardinalibus ut mittatur

„ Lega-

Digitized by Google

„Legatus, dicitur sumptus *de Latere*; & appellatur *Lega-* „*tus de latere*.

III. Legati *Missi* sunt, qui mittuntur ad aliquam Provinciam, sed non sunt *Cardinales*: & hujus generis esse solent hodierni *Nuntii* & *Internuntii*, apud Reges & Principes tanquam Legati Pontificis residentes.

IV. Notandum tamen quod Legatus non Cardinalis, qui *Nuntius* dici consuevit, mittatur interdum adjectâ in ejus Facultatibus hac clausulâ, *cum potestate Legati à latere*, quæ de stylo Curiæ Romanæ consuevit adjici mandatis Legatorum, qui fimbriam vestimenti Papæ tetigerunt, seu qui ab eo vivæ vocis oraculo mandatum acceperunt; uti post alios monet Barbosa *Lib. 1. Juris Eccles. c. 5*.

V. Legati *nati* vocantur, qui dignitati suæ Ecclesiasticæ officium & munus Legati Apostolici annexum habent. Qui ideo *nati* dicuntur, quia per ipsam dignitatis adeptionem, sine nova ulla Sedis Apostolicæ vel Pontificis commissione Legati Apostolici constituuntur, sive *nascuntur*.

VI. Tametsi hæc Legatorum Sedis Apostolicæ distinctio, præcipuè sub his *nominibus*; & cum ea distinctione, quæ juxta modernum Jus Canonicum inter ipsos intercedit, veteribus cognita non fuerit, nihilominus variæ repeniuntur jam pridem Legatorum à Romanis Pontificibus ad Reges & Principes destinatæ Legationes, variiq; missi Legati, qui si attentè considerentur, videbitur has tres Legatorum species ex usitato jam olim vario *Delegandi* modo sensim profluxisse.

VII. Præter Legatos enim, quos Pontifices Romani ad Concilia Oecumenica jam olim mittere consueverant, & quorum in Conciliorum actis frequens mentio occurrit, non erant infrequentes eorumdem Legationes ad Imperatores Christianos pro negotiis Ecclesiæ procurandis.

Hujus generis Legatos ad Constantium Liberius destinavit, ut Concilium Aquilejæ cogendum imperaret, ubi de novo adversùs S. Athanasium objecto crimine majestatis, & de veræ fidei restitutione tractari posset. Missi fuere ad Constantium Vincentius Capuensis Episcopus, cum Marcello æquè ex Campania Episcopo: qui Arelatum accedentes, Athanasii damnationi minis Constantii inflexi subscripserunt, uti patet ex fragmento Epistolæ Liberii ad Osium Cordubensem Episcopum, & pluribus narrat Baronius ad *Annum* 353. Quare fidem Nicænam in causa Athanasii valdè periclitari cernens, secunda legatione Constantium adivit, misso Lucifero Calaritano Episcopo, Pancratio Presbytero, & Hilario Diacono, ut Concilium impetraret: "Ad exorandam igitur mansuetudinem „tuam (inquit in litteris ad Constantium) ut benevolo animo allegationes nostras audire digneris, fratrem & „Coëpiscopum meum sanctum virum Luciferum cum „Pancratio Compresbytero meo & Hilario Diacono placuit proficisci: quos credimus de Clementia tua *ad pa-* „*cem omnium Ecclesiarum Catholicarum non difficulter* „*ipsum Concilium* impetrare. Dei omnipotentis clementia „te nobis custodiat."

Eusebium Vercellensem in Gallia Episcopum litteris quoq; suis hortatus est Liberius ut se Legatis suis adjungeret. "Quia scio, inquit, sanctum fidei tuæ calorem cum „ejus (Luciferi Calaritani) animo concordare."

VIII. Huic Legatorum generi quidni respondeant extraordinarii illi moderni Sedis Apostolicæ Legati, qui juxta modernam praxim (ait Cardinalis de Luca) nonnisi constituti in dignitate *Cardinalitia* deputari solent, & qui *de latere* dicuntur, apud Reges & Principes *pro bellis* componendis, vel *pro fœdere* adversùs infideles vel hæreticos, similibusque *gravioribus* negotiis." In relat. Rom. Curiæ *Disc. 4. n. 11*.

IX. Aliæ itidem fuêre jam pridem Romanorum Pontificum Legationes, quæ longiores moras in Comitatu sive Curia aut Urbe Regia trahebant; quæq; non alicui negotio specialiter adstrictæ, ad quascúmq; causarum emergentium figuras porrigebantur.

Istius legationis exemplum videre est in persona Juliani Coënsis Episcopi, cui mox post solutam Calchedonensem Synodum S. Leo hanc specialiter curam commendavit, ut prospiceret solerter, ne hæresis Nestoriana vel Eutychiana invalesceret; quæ suggerenda Principibus forent vice Pontificis intimaret; de rebus ambiguis Pontificem consuleret, eumque de statu Ecclesiarum Orientis creberrimis relationibus admoneret. "Studeat ergo Dilectio „tua (inquit *Epist. 86.* ad Julianum) piam & necessariam curam sollicitudini Apostolicæ Sedis impendere, „quæ tibi apud se nutrito, Catholicam contra Nestorianos & Eutychianos hæreticos actionem materno jure „commendat, ut Divino fultus auxilio speculari de „Constantinopolitanæ urbis opportunitate non desinas: „ne prædictorum dogmatum impius usquam turbo consurgat."

X. Ex hac delegatione, ait Petrus De Marca *libr. 5. c. 16. De Concord. Sac. & Imp.* "Occasio profecta est mittendorum ad Urbem Regiam *Responsalium* Apostolicæ Sedis; „præcipuè post Justiniani tempora, qui fœlicibus armis „triumpho de Gothis acto, Italiam imperio consolidavit. „Tunc enim erant assidui in Comitatu Diaconi *Responsa-* „*les*, qui & *causas proprias Ecclesiæ Romanæ* apud *Princi-* „*pem* prosequebantur, & pro *negotiis fidei & disciplinæ* „*excubabant*; simulq; veluti fidei publicæ obsides in Comitatu degebant, obsequii Principibus debiti fidejussionem præstantes."

XI. Legati dicti sunt *Responsales*, sive *Apocrisarii* ab illius temporis Scriptoribus, quod responsa seu mandata exequerentur eorum à quibus missi erant.

Ita Agapetus Papa apud Imperatorem Apocrisarium Ecclesiæ suæ Pelagium Diaconum suum constituit, uti refert Liberatus in Breviario *c. 22.* Et Gregorium M. dum adhuc esset Diaconus, nomine Pelagii II. Apocrisarii seu Legati munere apud Imperatorem functum fuisse testatur ipsemet *lib. 3. Dial. c. 23.* his verbis: "Tempore quo exhibendis *responsis* ad Principem ipse transmissus sum." Et *Apocrisariorum* meminit Justinianus in *Novella 6. c. 2.* vetans, ne Episcopi ad Comitatum accedant, sed negotia sua ibidem per *Apocrisarios* agant.

XII. Hinc Legatorum seu Apocrisariorum generi respondent hodierni Sedis Apostolicæ Legati, quos Canonistæ *Legatos missos* vocant, vulgò verò *Nuntii* & *Internuntii* dicuntur.

XIII. Qui enim nomine Pontificis assistunt apud Imperatorem ac Reges, aliosq; supremos Principes, hodie *Nuntii* Apostolici dicuntur." In iis vero Regnis & Principatibus, in quibus ipse Princeps non residet, sed ejus Vicarius vel alter supremus Magistratus, Papa deputat (inquit Card. De Luca) Officiales sub nomine Collectorum, *Internuntiorum* seu Residentium, qui quandam „*Nuntiorum* imaginem habent, iisq; Facultates majores „vel minores communicari solent juxta diversos stylos."

XIV. Deniq; Pontifices Romani intelligentes, quanti momenti esset ad firmandam auctoritatem suam apud gentes gratia & favor Episcoporum principalium & illustrissimarum Ecclesiarum, quibus ob prærogativam urbium præsto quoque erat Principum favor, illos dignitate Vicariorum Sedis Apostolicæ jam pridem honorârunt.

Et ita Patroclo Arelatensi Episcopo propter summam Urbis celebritatem, quam *Gallicam Romam* vocat Ausonius, vices suas commisit Zosimus Papa; Hilarius rursus Leontio; Gelasius I. Æonio; Symmachus Cæsario Arelatensi; Vigilius Auxomio.

XV. Unde cùm per plurium seriem Pontificum Arelatensibus Episcopis continuata fuisset legatio Pontificia per plures annos, generali tandem concessione Pontificum jus *perpetuæ* legationis *ipsi Sedi & Ecclesiæ Arelatensi* fuit tributum & assignatum. Quam in rem notandæ sunt

Epi-

Epistolæ S. Gregorii *lib.* 4. *Epist.* 50. 52. & 54. Item ejusdem responsum 9. ad Augustinum Anglorum Episcopum, relatum à Gratiano 25. *q.* 2. *Can.* 3.

Similia legationis à privilegia pontificibus illustrioribus Ecclesiis concessa tum antiqua, tum recentiora Ecclesiastica monumenta plura suppeditant: quemadmodum videre est apud Interpretes ad titulum Decretaliū *De officio Legati*: dicunturq; qui hujusmodi legationis privilegio sunt insigniti *Legati nati*: eò quod statim, ut Ecclesiis suis præficiuntur & Præsules creantur, id muneris & officii Legati Apostolici nanciscantur; uti superiùs notatum est.

CAPUT II.

De Auctoritate & Dignitate Legatorum.

1 *Legati in Comitatu Principis pro custodia fidei & disciplinæ observantia excubabant.*
2 *Episcopo Thessalonicensi à tempore Damasi Papæ Legatio Sedis Apostolicæ facta fuit.*
3 *Custodia Regularum seu Canonum per omnes Ecclesias Legationi suæ subjectas ipsi incumbebat.*
4 *Curam omnium illarum Ecclesiarum habere debebat; & ordinationi Clericorum intendere.*
5 *Ipso inconsulto Episcopi ordinari non poterant; Metropolitanos ipse ordinare debebat.*
6 *Habebat jus convocandi Synodum.*
7 *Majores causæ Pontifici reservantur.*
8 *Ob non reservatas majores causas Sedi Apostolicæ redarguitur Legatus.*
9 *Metropolitanis sua jura servantur.*
10 *Quomodo in habendis Conciliis se gerere debeat?*
11 *De servanda moderatione in evocandis Episcopis ad Concilia.*
12 *Corollarium ex præcedentibus.*
13 *Major primis septem sæculis fuit auctoritas Legatorum quos hodie dicimus* Natos; *quàm* Missorum.
14 *Cur sequentibus sæculis illorum diminuta, horū aucta.*
15 *Alexander II. necessitatem mittendorum Legatorum desumit ex cura omnium Ecclesiarum Pontifici incumbente.*
16 *Eamdem multùm ursit & magnificis verbis expressit Innocentius III.*
17 *Hoc posito fundamento omnia penè negotia ad Legatos Missos devoluta sunt.*
18 *Legati reputantur* Ordinarii *& eorum potestas* ordinaria.
19 *Statuta eorum morte non extinguuntur.*
20 *Poterant de causis in prima instantia cognoscere.*
21 *Legatorum officium morte Pontificis non exspirat.*
22 *Legatis etiam* procurationes *seu necessarii sumptus tandem subministrari debuerunt.*
23 *Excessus Legatorum in harum exactione; & quæ adhibita moderatio?*
24 *Legati reputati fuerunt tamquā* Proconsules *Romani.*
25 *Ad horum exemplum* insignus *Legationis utebantur etiam extra loca suæ legationis.*
26 *Nequidem Patriarcha præsente Legato potest jubere sibi præferri* crucem; *nec Episcopus actum jurisdictionis ordinariæ exercere.*
27 *Præsente Legato* à latere *aliorum Legatorum auctoritas cessat.*
28 *Legati* à latere *jurisdictionem saltem* voluntariam *extra fines suæ Legationis exercent.*
29 *Potest Legatus* à latere *conferre Beneficia jurispatronatus Ecclesiastici.*
30 *Aliqua semper Pontifici sunt reservata.*
31 *Ex his plura vel pauciora pro arbitrio Pontificum Legatis committuntur.*
32 *Non parùm obscurum determinare ex Jure quæ Legatis competant: & quare?*
33 *Prudenter Pontifices in instructionibus quas Legatis concedunt exprimunt ea quæ eorum curæ concredunt.*

I. SAnctus Leo scribens ad Pulcheriam Augustam Julianı Coënsis Episcopi atq; sui ad Urbem Regiam Legati munus eleganter expressit his verbis: "Cùm in *causa fidei*, „ cui gloria vestra famulatur, *vicem* ipsi „ meam aliquatenus *delegaverim*, ut ab ea, quæ vobis de- „ betur, observantia non recedens, pietati me vestræ præ- „ sentare non desinat: exequens *in custodia fidei*, & in *Ec-* „ *clesiasticis disciplinis* per omnia sollicitudinem meam, & „ *opportunis suggestionibus*, quod *universali* Ecclesiæ „ prosit, *insinuans*: ut in ipso, nec Catholicis vestrum præ- „ sidium, quibus volumus subveniri, nec meum vobis desit „ obsequium." *Epist.* 85. *c.* 2. editionis Quenellii.

II. Quanta autem esset eo tempore eorum auctoritas quos hodie Legatos *natos* dicimus, facilè possumus cognoscere ex litteris S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum.

Pro quo notandum Episcopo Thessalonicensi jam à temporibus Damasi Papæ vices Sedis Apostolicæ fuisse per Illyricum delegatas; uti sat manifestum est ex epistola Innocentii I. qui non ita multò post Damasum in Cathedra Petri sedit. Hic enim ad Anysium Thessalonicensem Episcopum scribens ait, se ipsi eamdem potestatem committere, quam à Damaso, Siricio, & Anastasio ante acceperat. "Cui etiam [id est Anysio] tanti ac tales viri prædecesso- „ res mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ *Damasus*, Siri- „ cius, atq; suprà memoratus vir (id est Anastasius) ita de- „ tulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, San- „ ctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscēda.

Et in epistola ad Rufum Thessalonicensem similiter Episcopum Anysii successorem, qua ei vices suas per Illyricum delegat; "*non primitus* hæc ita statuentes, sed *Prædecessores nostros Apostolicos* imitati, qui beatissimis „ Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista vo- „ luerunt." Habentur hæ litteræ Innocentii in actis Synodi Romanæ sub Bonifacio II. anno 531. tom. 4. Conc. *col.* 1702.

Successores Innocentii prædecessorum vestigia prementes, vices suas Episcopo Thessalonicensi demandare perrexerunt, quemadmodum fusè deducit Stephanus Baluzius in appendice ad librum V. Petri de Marca *De concordia Sacerdotii & Imperii c.* 34. *&* 35.

III. Quæ autem fuerit Episcopi illius in qualitate Vicarii seu Legati Sedis Apostolicæ per Illyricum auctoritas tempore S. Leonis, ex ejus litteris facilè cognosci potest.

Anastasius Thessalonicensis Episcopus à Sixto II. prædecessore Leonis Vicariatu Sedis Apostolicæ fuerat ornatus, eumq; per multos annos gesserat; atq; eumdem sibi à Leone Sixti successore continuari petiit, quod Leo concessit, ad illum scribens in hæc verba: "Postquam itaq; pe- „ titio tuæ dilectionis innotuit per filium nostrum Nico- „ laum Presbyterum, ut *tibi* quoque *à nobis*, sicut *de-* „ *cessoribus tuis*, *per Illyricum* cum nostra vice propter „ *custodiam Regularum auctoritas* præstaretur, præben- „ tes assensum, nostra adhortatione compellimus, ut nul- „ la dissimulatio, negligentia nulla proveniat circa Eccle- „ siarum regimen per Illyricum positarum, *quas* dilectio- „ ni tuæ *vice nostra committimus*, beatæ recordationis „ Siricii exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio „ prædecessori tuo, bene de Apostolica Sede tunc merito, „ & rebus post sequentibus approbato, certa tum pri- „ mùm ratione commisit: ut per illam Provinciam positis, „ quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret: Et infra: "Imitatorem te tam prædecessoris tui, quàm de- „ cessoris, qui pari modo hoc & meruisse & egisse cog- „ noscitur, esse volumus: ut de profectu Ecclesiarum, quas „ tibi vice nostra committimus, gaudeamus." *Epist.* 4. edit. Quenellii.

IV. Po[illegible]

IV. Post narrationem illam, exhortationem subjicit: "Credita itaq; tibi, Frater carissime, *gubernacula* pervigil tene, & mentis tuæ oculos per omnia, quæ curæ tuæ videas injuncta, circumfer, in mercedem tuam profutura custodiens, & his qui disciplinam Canonum labefactare nituntur obsistens, Divinæ legis sanctio veneranda, & Canonum specialiùs decreta serventur. Per commissas tibi Provincias tales Domino Sacerdotes, quibus sola vitæ & Clericalis Ordinis suffragentur merita consecrentur. Nihil gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptionis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentiùs, & per *longum vitæ tramitem* disciplinis Ecclesiasticis, qui ordinandi fuerint, imbuantur. Si tamen illis omnia quæ à SS. Patribus sunt constituta, conveniant, & quæ per beatum Apostolum Paulum de talibus legimus præcepta, custodierint: ut unius uxoris vir sit, & hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit."

V. Docet deinde bigamum verè esse, qui nondum Christianus habuerit uxorem, & ea mortua aliam duxit uxorem. Post hæc pergit in dandis mandatis: "Nullus te inconsulto, per illas Ecclesias *ordinetur Antistes*; ita enim fiet, ut sint de eligendis matura judicia, tum tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopus contra nostram præceptionem præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud nos statûs sui esse noverit firmitatem, eosq; usurpationis rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi; ita eos Metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen & decocto judicio. Quamvis enim omnes Antistites probatos & Deo placitos deceat consecrari, hos tamen præcellere volumus, quos præfuturos his, qui ad se pertinent, Consacerdotibus, noverimus. Quod dilectionem tuam soliciitùs agere præmonemus & cautiùs, ut illud Apostolicum custodire, quod scriptum est, approberis: *Manus citò nemini imposueris.*"

Duo hic Vicario sui tribuit Leo. Primum ut nullus Episcopus à suo ordinetur Metropolitano, nisi cum notitia ipsius Vicarii. Secundùm, quòd Metropolitani non modò consulto priùs Vicario Apostolico, sed ab ipso Vicario per omnes Illyrici provincias ordinentur.

VI. Ulteriùs in dandis mandatis prosequitur: "Ad Synodum *quisquis à Fratrum* fuerit *evocatus occurrat*, nec sanctæ Congregationi se deneget: in qua maximè concurrendum esse noverit, quod ad disciplinam poterit Ecclesiasticam pertinere. Meliùs enim culpa vitabitur, si inter Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur & emendationi pariter & charitati plurimùm præstat adunata societas. Illic, si quæ causæ natæ fuerint, præstante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio nulla resideat; sed solida inter Fratres charitas coalescat." His verbis factam esse auctoritatem Episcopo Thessalonicensi evocandi quoscumq; Episcopos Illyricianos ad Synodum, evidens est; hocq; jam pridem ab Innocentio I. Thessalonicensi Episcopo tamquam vices Sedis Apostolicæ gerenti datum fuisse privilegium, colligitur ex litteris Innocentii ad Ruffum Thessalonicensem Episcopum: "liquidum autem & Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut cùm aliqua Ecclesiastica ratio, sive in tua, vel in memoratis Provinciis agitanda, cognoscendaq; fuerit, *quos velis Episcoporum socios quibuscumq; de Ecclesiis assumas tecum*, quorum & fide & moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, operis dirigas arbiter, & præcipuus; quippe à nobis lectus definias intercessor."

VII. Huic mandato hanc adjungit Leo cautionem: "Si verò causa *major* evenerit, quæ à tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut revelante Domino, cujus misericordiæ fatemur esse quod possumus, quòd ipse nobis aspiraverit rescribamus: ut cognitioni nostræ pro traditione *veteris* instituti & *debita* Apostolicæ Sedis *reverentia*, nostro examine vindicemus: ut enim auctoritatem nostram vice nostra exercere te volumus; ita nobis quæ illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus."

Hic agnoscimus vestigia illius disciplinæ, qua *causæ majores* Sedi Apostolicæ reservantur; neq; sub generalibus mandatis seu instructionibus Legatorum comprehensæ censeantur, uti inferiùs latiùs dicetur.

VIII. Unde cùm postea Anastasius Thessalonicensis Episcopus, cui hic suas vices & mandata dederat Leo, Atticum veteris Epiri Metropolitanum asperè nimis tractasset, deq; ea re idem Atticus querelas suas ad Leonem retulisset, ipse ad Anastasium rescribens de indignissimo modo quo Atticum tractasset, quemadmodùm disertè & latè describit Leo in *Epist.* 12. edit. Quenellianæ, in memoriam ei revocat illa mandata, eum redarguens quòd ea non servasset. "Nam cùm *majora* negotia & *difficiliores* causarum exitus liberum tibi esset, sub nostræ exspectationis sententia expendere, nec ratio tibi nec necessitas fuit in id, quod mensuram tuam excederet, deviandi."

Et inferiùs eamdem causam repetit, pronuntians Anastasium non debuisse causam Attici, qui Metropolitanus Episcopus erat, judicare, donec ad ejus consulta Leo rescripsisset. "Præsertim, ait, cùm etiamsi tale aliquid meretur, exspectandum fuerat quid ad tua consulta rescriberem." Et paucis interjectis: "Sed etiamsi quid *grave intollerandumq;* committeret, nostra erat exspectanda censura, ut nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis placeret agnosceret. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in *partem* sis vocatus *sollicitudinis non in plenitudinem* potestatis." *Epist.* 12.

Sic castigato increpatoq; Anastasio ob transgressos suæ auctoritatis limites, nova dat mandata, sumpta partim ex veteribus, quæ hic vel explicantur, vel illustrantur, partim de novo addita, atque ex his præcipuè notanda sequentia.

IX. Primum quod his verbis exprimitur: "Secundùm SS. PP. Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Provinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut à regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ aut præsumptione discedant." Apud Gratianum 25. *q.* 2. *Can.* 5.

X. Septimum pertinens ad gravissimum disciplinæ punctum, quod versatur in causarum judicio. "De Conciliis autem Episcopalibus, ait, non aliud indicimus, quàm Sancti Patres salubriter ordinarunt: ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nasci adsolent judicetur. Ac si fortè inter ipsos qui præsunt de majoribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quæ Provinciali nequeat examine definiri; fraternitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit instruere, ut si coram positis fratribus, nec tuo fuerit res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid illud est, transferatur."

XI. Decimum caput præscribit modum, quo Legatus se gerere debeat in evocandis Episcopis ad generalem Synodum totius Illyrici. "In evocandis ad te Episcopis moderatissimum esse te volumus, ne per majoris diligentiæ speciem, fraternis videaris gloriari injuriis. Unde si causa aliqua major extiterit, ob quam rationabile ac necessarium sit, fraternum advocare conventum: binos de singulis Provinciis Episcopos, quos Metropolitani crediderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire sufficiat, ita ut præstituto tempore non ultra 15. dies qui convenerint retardentur."

XII. Ex his patet, jam tum tempore S. Leonis non exiguam fuisse Vicariorum Sedis Apostolicæ auctoritatem; ita

ita tamen moderatam, ut Synodorum Provincialium & Metropolitanorum jura illibata esse vellet Leo; nec non graviores ac difficilliores causas, quæ sine multis contentionibus in Provinciis terminari non poterant, ad Sedem Apostolicam per Vicarium esse referendas.

XIII. Adhæc notandum, eam auctoritatem potissimum creditam fuisse Episcopis amplissimarum civitatum; qui, uti supra monui, successu temporis titulo suæ dignitatis *Legatos* Sedis Apostolicæ se dixerunt; atq; inde vocati *Legati nati*.

Hos verò, qui ad Principes aut Reges à Sede Apostolica mittebantur, nusquam legimus primis sæculis tantâ auctoritate instructos; imo plerumq; Diaconi dumtaxat erant; *Responsales*, sive *Apocrisarii* dicti, nulla jurisdictione instructi, solis negotiis Sedis Apostolicæ gerendis apud Principes occupati: ideoq; primitus auctoritas eorum, qui hodie Legati *nati* vocantur, amplior fuit, quàm eorum qui pro certis negotiis ad Provincias mittebantur, vel apud Principes nomine pontificis residebant: quos hodie *Nuntios* dicimus.

XIV. At cum lapsu temporis jus perpetuæ legationis quibusdam Ecclesiis annexum; viderentq; Pontifices, personarum, quæ illis præficiebantur Ecclesiis delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio, cœperunt horum Legatorum auctoritatem imminuere; aliorum verò qui ab ipsorum libera dependebant nominatione augere; quæ auctoritas circa sæculum undecimum summum incrementum accepit.

XV. Legatorum mittendorum necessitatem Alexander II. circa annum 1526. ex eo capite accersit, quod *cura universalis* Ecclesiæ eum cogat mittere ad *vicem* suam personas, quæ visitent Ecclesias, cum id ipse *per se* facere non possit; atq; hinc sumit occasionem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola hæc scripta est ad Archiepiscopos Galliæ, & extat tomo 9. Concil. generalium *col.* 1131.

Altius hoc jus repetit Gregorius VII. qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloromensem, dicit, "se id facere quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ gubernator & Rector ejusdem Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet vice suâ Legatis concessâ monita salutis & morum honestatem per eos *cunctis per orbem terrarum* constitutis Ecclesiis nuntiaret, eaq; Apostolicâ doctrinâ in omnibus quæ Sacræ Religioni conveniunt diligenter instrueret."

XVI. Eandem veterem consuetudinem & rationem allegarunt passim sequentes Pontifices, ut Legatorum mittendorum necessitatem & eorum auctoritatem astruerent; sed præ reliquis Innocentius III. magnificis verbis elocutus, est, quod Prædecessores sui simplici sermone dixerant, Primùm igitur scribit, Dominum J. Christum Sedem Apostolicam instituisse, totius Christiani orbis caput & Magistram, à qua panis intellectûs & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ postulet illuc mitti Legatum *à latere*, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; "cui nos vices nostras commisimus, inquit, ut juxta verbum Prophetićum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundum Deum evellenda & destruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda."

Hæc Epistola scripta ad Imperatorem Constantinopolitanum extat *Lib.* 16. *Epist.* 104.

XVII. Hoc posito fundamento, Legatorum Sedis Apostolicæ ita crevit posterioribus sæculis auctoritas & dignitas, ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum aliis quibuscumque negotiis tractaretur, uti ex actis illorum temporum manifestum est.

Et quidem sæculo duodecimo ad Regem Anglorum scribebat Paschalis II. "Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo. Nec per eorum tantum, sed per Successorum Discipulos ac *Legatos* Europæ universitas conversa est & confirmata. Unde usq; ad nos (licèt indignos) eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit; ut per *nostræ Sedis Vicarios* graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur seu retractarentur."

XVIII. Quin & licèt *Legati* vices agerent Pontificis: ac ob id Sedis Apostolicæ *Vicarii* dicerentur; atq; propterea *delegatam* dumtaxat auctoritatem vi suæ legationis viderentur, obtinere, nihilominus Clemens IV. cuidam Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato scribit: "Legatos quibus in certis Provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent atq; plantent: Provinciarum sibi commissarum ad instar Proconsulum, cæterorumq; Præsidum; quibus certæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ *Ordinarios* reputantes &c."

Hoc Clementis responsum refertur in *Cap.* 2. *De Officio Legati in VI.* atq; ejus auctoritate uno consensu tradunt Canonistæ, *Legatos* Sedis Apostolicæ habere *ordinariam* auctoritatem; atq; *Ordinarios* per omnes suæ Legationis Provincias reputari.

XIX. Unde sicuti Ordinariorum est, auctoritate *ordinaria* statuta *perpetuò* duratura edere; ita & Legatorum statuta *perpetua* esse declararunt Pontifices: "Nemini dubium esse volumus, inquit Gregorius IX. quin Legatorum Sedis Apostolicæ *Statuta* edita in Provincia sibi commissa, durent *tamquam perpetua*, licèt eamdem postmodum sint egressi." *Cap.* 10. *X. De Officio Legati.*

XX. Ulteriùs, quia *Ordinarii* reputabantur; atq; tamquam *Ordinarii* in Provincia constituti qui vice Sedis Apostolicæ *evellant & dissipent atq; plantent*, ideirco jure delegationis non tantùm poterant causas *per appellationem* ad se delatas cognoscere & decidere; sed etiam quæ per *simplicem querimoniam* pervenirent ad ipsorum audientiam, uti respondit Alexander IV. in *Cap.* 1. *X. De Officio Legati.*

XXI. Eodem fundamento declararunt, legationis officium non expirare morte Pontificis à quo missi fuêre, *Cap.* 2. *De Officio Legati VI.*

XXII. Adhæc cum Legati haberentur tamquam *Ordinarii*, qui vice Sedis Apostolicæ curam Provinciarum in spiritualibus agerent, tandem quoq; invaluit, ut ipsis tamquam *operariis & ministris* Ecclesiæ *necessarii sumptus* suppeditarentur. Et quidem Gregorius VII. in formula juramenti quam à Metropolitanis in traditione Pallii exegit; & quæ successu temporis ad omnes Episcopos extensa est, addidit clausulam de procurationibus Legatorum quam hoc verborum tenore expressit: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo & in* NECESSITATIBUS *suis adjuvabo.*

XXIII. Stabilita verò semel necessitate suppeditandorum sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactiq; Provinciales immensas nonnumquam auri argentique moles pendere; quæ adeò publica erant ævo Sancti Bernardi, ut scribens ad Eugenium III. cum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, "*Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda*

„ refi-

„ *reficiant & crimina corrigant*, qui cum ad Apostolicam „ redierint, *redeant fatigati* quidem, sed non sussarcinati: „ simul & gloriantes, non quod curiosa seu preciosa quæ- „ que terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem re- „ gnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis Or- „ dinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, „ sectatorem bonorum operum.

Hinc frequentes Pontificum atque Conciliorum sanctiones quæ Legatorum in exigendis *procurationibus* excessum non semel castigarunt, atque intra moderatos *necessitatis* limites concluserunt, ut *nulla Ecclesia, vel Prelatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Cap. 17. & 23. ;; De Censibus.*

XXIV. Constat ergo, *Legatos* Sedis Apostolicæ tamquam *Ordinarios* per omnia reputatos fuisse; quin eorum, præcipuè *Legatorum à latere*, ea fuit auctoritas & dignitas, ut instar *Proconsulum cæterorumque Præsidum* ad regendas Provincias mitti dicerentur, *Cap. 2. De Officio Legati.*

XXV. Et quidem sicuti Proconsules Romani, euntes & redeuntes è Provinciis sibi concreditis utebantur insignibus suæ dignitatis, ita quoque Legati utuntur insigniis Apostolicæ dignitatis, puta, vestibus rubeis, palafredo albo, freno & calcaribus deauratis, uti post Hostiensem ad *Cap.* ANTIQUA ;; *De Privilegiis* notant communiter Canonistæ, idque mox ut ex Urbe recesserint.

XXVI. Quin ea erat dignitas Legatorum, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possent Dominicæ Crucis vexillum sibi jubere præferri ubicumque præsens esset Summi Pontificis Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis, *Cap.* ANTIQUA ;; *De Privilegiis*; quia in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, inquit Barbosa *lib. 1. juris Eccles. cap. 5. num. 21.*

Unde, uti ibidem observat Barbosa, Episcopus in civitate & Diœcesi cui præest non potest præsente Legato *de latere* benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzetam significantem jurisdictionem illius ordinariam.

XXVII. Simili ratione scripsit Gregorius IX. Patriarchæ Hierosolymitano: "Fraternitati tuæ Legationis officium in „ Provincia tua duximus committendum, ita tamen quod „ si Legatus ad partes illas *de latere nostro* contigerit destinari *executionem* ipsius officii, *quamdiu Legatus ipse ibi „ fuerit*, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino *dimittas.* „ *Cap. 8. ;; De Officio Legati.*

XXVIII. Potestas & dignitas Legatorum *à latere* & in hoc supra aliorum Legatorum dignitate eminet, quod ipsi quoque adinstar Romanorum *Proconsulum* aliquam jurisdictionem, saltem voluntariam exerceant extra fines Provinciæ sibi commissæ; v. g. absolvendo aliquem ab excommunicatione pro injectione manuum violenta in Clericum; quemadmodum ad *Cap. 9. ;; De Offic. Legati* post Glossam notant Canonistæ.

XXIX. Potest quoque Legatus à latere conferre Beneficia in Provincia sibi credita, licet sint Jurispatronatûs Ecclesiastici, *cùm plus juris habeat in concessione Prælatus*, ait Innocentius III. *quam in præsentatione Patronus, nec præjudicetur Prælato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum inconsulto Ecclesia concedatur.* Cap. 6. ;; De Officio Legati.

XXX. Verum, licet amplissima fuerit posterioribus sæculis Legatorum, præsertim *à latere*, auctoritas ac potestas, nihilominus tamen plura in signum suæ supremæ potestatis Pontifices reservarunt, quæ eorum Legatis *à latere* non competunt, nisi specialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis à Pontifice sint expressa; qualia sunt transferre Episcopos aut Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subjicere; aliaque quædam similia quæ ad *Cap. 4. ;; De Offic. Legati* annotavit Glossographus.

XXXI. Ex his verò causis Pontifici specialiter reservatis, Pontifices solent suis Legatis, vel plures vel pauciores committere, quatenus gratiâ vel auctoritate apud Pontificem prævalent; easque exprimere solent in mandatis & facultatibus quas Legatis suis tradere consueverunt.

XXXII. Ex varia hac Pontificũ delegatione nunc ampliore, nunc restrictiore factũ est, ut verissimè annotarit Panormitanus in *Cap.* FIN. ;; *De Confirmat. utili*, adeo perfunctoriè & generaliter de Officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis propriè ad Legatum pertinent.

XXXIII. Hinc & prudenter hodie Pontifices solent mandatis sive facultatibus Legatorum seu Nuntiorum inserere ea omnia, quæ Legatis committenda esse censent. Unde etiam monet Cardinalis De Luca disc. 33. ad Concilium Trid. *n. 21.* quoad jura Legatorum certam regulam statui non posse, *cum totum pendeat à tenore facultatum.* Facultates quas habuit Decius Caraffa Nuntius Apostolicus in Belgio sub Alberto & Isabella, exhibet Zypæus tit. *De Offic. Legati*, notatque eas esse, quales plerumque Nuntii habere solent.

CAPUT III.

Quid moribus hodiernis, præsertim Galliæ & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat?

1 *Legati & Nuntii Ordinarios in sua jurisdictione turbare non possunt.*
2 *Olim multùm solliciti fuère Pontifices, ne per Legatos Ordinariorum jurisdictio & auctoritas impediretur.*
3 *Solliciti quoq; erant, ut essent grati Principi ad quem mittebantur.*
4 *A multis sæculis obtinuit, ut sine prævio Principis consensu non mittantur.*
5 *In Gallia id in usu erat tempore Bonifacii VIII.*
6 *Consuetudo Angliæ de non mittendis Legatis sine prævio Regis consensu probata à Callisto II.*
7 *Legati debent Bullas suæ Legationis Regi exhibere.*
8 *In Gallia Facultatibus Nuntiorum & Legatorum modificationes addi solent.*
9 *Idem observatur in Hispania & Belgio.*
10 *Modificationes Facultatum Legatorum* à Latere *annotantur in Registris Curiæ; & ad quid?*
11 *Referuntur articuli modificationum in Gallia apponi soliti.*
12 *Legati etiam* à Latere *debent Legationem exercere per se.*
13 *Legatorum potestas hodie non censetur* Ordinaria.
14 *Legati non possunt exercere suam Legationem, nisi quamdiu Regi placuerit.*
15 *Legatus discedens debet Legationis acta reponere ad manus alicujus à Curia Regia designati.*
16 *Articuli modificationum in Gallia apponi consueti multùm moribus Belgicis consonant.*
17 *In quibus potissimum hodie versetur Nuntiorum officium.*
18 *Legati & Nuntii plurimùm Ecclesiæ prodesse possunt, si debitis dotibus sint instructi: quæ ibidem referuntur.*

I. SYnodus Tridentina *Sess. 24. cap. 20. De Reformat.* statuit: "Legati quoque etiam „ *de latere*, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumq; facultatũ vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant: sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, eoque negligente, procedant: alias „ eorum processus ordinationesvè nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur."

Hic patet, Synodum Tridentinam in nullo velle auctori-

& [illegible]ritatem & jurisdictionem Ordinariorum per Legatos aut Nuntios perturbari aut impediri: unde etiam notat Zypæus in Jure novo titulo *De Officio Legati*, quod generatim Nuntiis præscribitur, ut procedant sine præjudicio Ordinariorum: quod & Rex in litteris *Placeti* addere solet, ut infra patebit.

II. Quam solliciti jam pridem fuerint Pontifices, ne Legati jurisdictioni & auctoritati Episcoporum in aliqua detraherent, liquet ex verbis S. Leonis Legationi Juliani Episcopi Coensis, de quibus capite præcedenti, subjunctis: " Consulenti autem dilectioni tuæ de his, in quibus putaveris „ ambigendum; non deerit relationibus tuis meæ responsio„nis instructio: ut sequestrata earum actione causarum, „ quæ in quibusque Ecclesiis Præsulum suorum debent cog„nitione terminari, hanc specialem curam vice mea functus „ assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutychiana „ in aliqua parte revirescat &c."

III. Neque minus solliciti erant, ut Legati, præcipuè qui eum in finem ablegabantur ut in comitatu Principis morarentur, Principi grati essent; ejusque patrocinio foverentur. Unde nec facile tunc ad Principes Legatos mittebant, nisi una benevolentiam Principis sollicitarent, omnemque Legatorum ergo Principem observantiam spondecent; quemadmodum in epistolis S. Leonis ad Martianum & Pulcheriam; nec non variis epistolis S. Gregorii videre licet.

IV. Imo à multis sæculis apud plerasque gentes invaluit, ut Legati Pontificii ad Provincias, sine prævio Principis consensu non admittantur; quemadmodum nec Principum Legati à Pontifice, nisi ejus consensu recipiuntur.

V. Illud in Regno Galliæ tempore Bonifacii VIII. & Philippi pulchri Galliarum Regis obtinuisse, sat manifestum est ex articulo, quem inter alios Bonifacius per suum Legatum Philippo proponi voluit; ipsiusque Philippi dato responso. Articulus proponendus hic erat: " Item ad denuntiandum vel declarandum eidem Regi, quod Roma„ nus Pontifex Legatos de latere ac Nuntios liberè mittere „ potest ad quævis imperia, Regna & loca, *prout vult, abs„que petitione* cujuslibet vel *consensu*; usu vel consuetudi„ne contrariis nequaquam obstantibus." Huic articulo re„spondit Rex: " quod non impedivit, nec impedire inten„dit Legatos, Nuntios, vel alias quascumque personas, quo„minus ingredi valeant Regnum suum, nisi *sibi* & *Regno* „*sint legitimâ ratione suspecti*, vel aliàs habeat justam cau„sam."

VI. A Callisto Papâ II. concessum fuisse Henrico I. Angliarum Regi, ut vetustæ Regni sui consuetudines firmæ manerent; atque inter alias hæc, ut nullus Legatus in Regnum ejus mitteretur, nisi à Rege postularetur, refert Rogerius De Hoveden in priore parte Annalium: verba ejus sunt: " Rex à Papa impetravit ut omnes consuetudines, quas „ Pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi con„cederet, & maximè ut *neminem Legati* officio in Anglia „ fungi permitteret, si non ipse (aliqua præcipua querelâ exi„gente, quæ ab Episcopis regni terminari non posset) *hoc* „*fieri à Papa postularet*."

Hæc praxis non admittendi Legatos seu Nuntios Apostolicos sine Regio consensu usque ad hæc nostra tempora, non in Gallia aut Anglia dumtaxat, sed & in Hispania, ac Belgio nostro constantissimè servatur.

VII. Imo quemadmodum olim Proconsules Romani (quibus Legati Apostolici, præsertim *à Latere* comparantur) secum ferebant facultatum seu mandatorum suorum articulos in Provincia sibi demandatá exhibendos; ut juxta illos suam auctoritatem ac jurisdictionem exercerent; ita quoque moribus obtinuit, ut Legati sive Nuntii Apostolici Facultates suas habere debeant, easque Rege ejusve Parlamento exhibere; ut iis visis & examinatis expendatur, num nihil in illis contineatur juribus Regiis, aut Regni, vel subditorum contrarium.

VIII. " Legati de Latere (ait Franciscus Marcus *Decis.* " *Delphin. parte 2. decis. 14.*) apud Gallos nusquam fun„guntur Legationis officio, nisi in eorum ingressu insinua„verint suæ potestatis litteras supremæ Curiæ Parlamentis." Et Renatus Choppinus de P.S. *lib. 2. tit. 4.* " Sacri Legati „ potestas initium sumit apud Gallos, ex quo primum *Curia* „ *codicillos Pontificios approbaverit*."

" Patiuntur Romani Pontifices (inquit Mornacius ad *l. c.* „ *Cod. De summâ Trinit.*) Legatos suos quos mittunt in „ Galliam, Lugduni semper, atque in hunc diem gradum si„stere, donec *singula legationis capita temperentur à Se*„*natu Francico*, qui indicit & cancellat liberè, si imminu„tû in aliquo jus in re profana seu temporali regium viderit.

IX. Quod de Gallia uno consensu Practici testantur, & notoria praxis evincit, idem de Hispania & Belgio refert tamquam indubitatum & Caroli V. edicto firmatum Didacus Covarruvias *Pract. qq. c. 35. §. 4.*

" Sicut apud Hispanos, ait, potestas Legatorum seu „ Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri „ possint à summo Regis prætorio, quibus uti conveniat „ dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Rei„publicæ dispendium: cum plerumque Nuntii Apostolici „ exteri sint, nec satis noverint, quæ sint omninò præcaven„da, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur: ita & „ idem fieri solet apud Gallos teste Carolo Molin. in Reg. „ Cancellariæ de infirmis resignantibus *num.* 139. Ita enim „ inquit de Regno Franciæ: in quo nec Legatus quidem Pa„pæ, sive lateralis sive missus quidquam auctoritate Papa„li exequi potest in regno, nisi prius permissionem expres„sam à Rege obtinuerit homologatam à supremo Tribuna„li Regio, in quo Legatus aliquid exequi nec in terris Re„gni, quæ nuper adhuc erant in possessione Regis Franciæ, „ sine consensu Comitis Flandriæ, ut vidi per programma „ Caroli V. Imperatoris, qui ibi idem jus conservat, cujus „ programmatis exemplar habeo sub data 15. die Maji anno „ 1531. Hactenus Molinæus. Ex quo apparet, non tantum „ in Hispania, sed & in Flandria & apud Gallos hoc ipsum „ frequentissime fieri." Hæc Covarruvias.

X. Ob reverentiam quidem Legatorum *à latere* solet Curia Regia, teste Fevretio *lib. 3. De Abusu cap. 2.* ipsis reddere Bullas legationis nullâ factâ mentione restrictionum sive modificationum, quæ in registris Curiæ duntaxat annotantur, ut ad illas, cum opus fuerit, recurri possit. Si tamen Legatus his contraveniat, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem concernant, abusus judicatur, atque ab illo actu *tamquam ab abusu* ad Curiam Regiam appellatur.

XI. Jacobus Thuanus *Lib. 3. Historia sua ad annum* 1547. in unum redegit & per ordinem retulit modificationes, quæ in verificatione, ut ajunt, facultatum sive Bullarum Legatorum *à latere* per Curiam Regiam diversis temporibus appositæ fuerunt, quemadmodum ex litteris ipsis verificationum relatis *tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23.* videri potest.

Cum verò ex dictis articulis elucescat, quæ sit moderna circa auctoritatem & facultates Legatorum & Nuntiorum disciplina & praxis, non inutile fore credidi dictos articulos eo ordine, quo à Thuano recitantur, referre.

Ut Legatus " mandatorum vi nullam jurisdictionem „ in regis subditos, ne ipsis quidem consentientibus, ex„erceat, nec etiam in eos è Sacro Ordine, qui jurisdi„ctioni ordinariæ exempti sunt, & directè ad S.S. per„tinent; quibus si opus sit, judices in partibus dele„gatos dare tenebitur, qui de appellationibus eorum „ cognoscant, & finem liti imponant: natalium re„stitutionis beneficium spuriis non impertiatur, nisi „ ut ad Sacros ordines admitti, & Sacerdotia obti-

„ nere

[illegible] possint, modo ne eo Beneficio privilegiis, immunitatibus ac [illegible] Sacrorum Collegiorum, quæ spurios [illegible] admittunt, derogetur; non autem beneficium ad id porrigatur, ut spurii ad successiones & Magistratus civiles ac hujusmodi publica munia admittantur: nullorum [illegible] unionem sanciat; tantùm rescripto judices deleget juxta Synodi Constantiensis statutum: [illegible] gradus prærogativam ad Sacerdotia per nominationem jus habent, studiorum curriculi gratiam non [illegible]: nulla pensione Sacerdotia, etiam consentientibus, qui ea obtinent, oneret, nisi commodo eorum, qui ea ejerabunt, aut litigii componendi causâ; neque [illegible], ut qui ea ejerabant, pensionis loco omnes fructus retineant, concedatve, ut qui ea tenent, bona soli ulla de causa aut quovis contractu alienare possint; etiamsi ea Sacerdotia nulli regni jurisdictioni subjaceant, & nullo medio ad Sanctitatem Suam pertineant: tantum eo casu judices in regno deleget, qui causa cognita juxta juris præscriptum auctoritatem decreto interponant: Cœnobia Religiosorum utriusvis sexus nulli, vita durante, aut ad tempus, cum titulo attribuere, aut commendare queat, citra Regis nominationem, juxta pacta cum Leone X. inita; neque Sacerdotiorum vacantium gratiam ulli faciat in indulti à P. P. Parisiensis Senatus assessoribus à Rege nominandis concessi præjudicium: nullam inter regis subditos jurisdictionem exerceat de falso, usuris, separatione conjugatorum, quod ad petitionem dotis, & bonorum per contractus illicitos ablatorum restitutionem: de crimine item novæ sectæ, quæ quietem publicam turbet, cùm de facto tantùm quæritur, non cognoscat, quippe cùm eorum omnium cognitio ad Regem ejusque judices pertineat; neque Regis subditos in iis causis absolvat, nisi quoad conscientiam & pœnitentiam: testandi contra Provinciarum consuetudines, jura Regni ac constitutiones in Curia promulgatas, illis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœnobiis Monasticam professis gratiam non faciat: in diplomatibus suis patronorum aut aliorum Ordinariorum juribus non deroget contra statuta & laudabiles primariarum Ecclesiarum aut Collegialium consuetudines ac privilegia Regis postulatu à Pontificibus concessa gratiam nul[illegible]: plura Sacerdotia uni sub eodem tecto non conferat; executoribus testamentorum tempus à lege præstitutum non proroget: legata pia in alios usus, quàm [illegible] testator voluit, non convertat, nisi eo casu, quo voluntas defuncti planè impleri non possit, & [illegible] commodo commutatio in rem fiat, quæ testationi ejus [illegible] æquipolleat: regulæ *de verisimili notitia, & publicandis resignationibus* non deroget: de fructibus percentis cum iis non paciscatur, qui in Sacerdotiorum possessionem se verè intruserint, aut eos ipsis omnino remit[illegible]; cùm scilicet in usum & utilitatem ipsarum Ecclesiarum, à quibus profecti sunt, resarciri debeant, in conferendis Sacerdotiis, quæ ejerata fuerint, non statuat, [illegible] fides diplomatibus suis adhibeatur, etiam non exhibitis procurationibus, quarum vi ea Sacerdotia ejerata fuerint. In diplomatibus suis clausula, *anteferri*, [illegible] simili, in præjudicium juris jam alteri quæsiti, non [illegible]atur. Causas Ecclesiasticas ad se evocare, aut de iis cognoscere contra caput, *de causis*, aut rei sequestratione uti non possit: de criminibus, quæ verè Ecclesiastica non sunt, etiam si mista fuerint, contra purè Laicos non cognoscat, sed tantùm contra Ecclesiasticos; neque in criminibus purè Ecclesiasticis mulctas pecuniarias Laicis [illegible]roget; si tamen contra Ecclesiasticos hujusmodi mul[illegible] ut jus sit, secundùm sanctiones Canonicas, dum ne derogetur Sacris Conciliorum Decretis in Censura Canonica comprehensis: restitutiones in integrum, aut contractuum inter Laicos factorum rescissiones non conce[illegible]: de actionibus in rem, etiam si contrahentes sacris ad-

„dicti fuerint, aut de contractibus inter quascumque per-
„sonas Laicas aut Ecclesiasticas factis, qui obligationes in
„personam continent, si à Notariis Regis publicæ auctori-
„tate confirmati fuerint, non cognoscat: personas Laicas in-
„famia notatas famæ & dignitati non restituat, sed tantum
„Clericos, quoad Sacros Ordines & Sacerdotales dignita-
„tes: non permittat iis, qui Sacerdotia ejerando pensiones
„retinuerint, eas in alium transferre: Sacerdotia Regni,
„quæ conferre ei, quamdiu in regno erit, jus est, cum extra
„regnum erit, conferendi facultatem non habeat; & cùm è
„regno discedet, in cujusdam viri spectatæ fidei manus acta
„legationis suæ consignare teneatur: nihil postremò faciat,
„quod deroget, aut præjudicet sacris decretis, pactis inter
„Reges & Pontifices initis, Conciliis Oecumenicis, juribus,
„immunitatibus, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Acade-
„miis, & publicis regni scholis, idque scripto manu propria
„idoneè subsignato promittat."

XII. Ulteriùs quia in Legatione electa est industria personæ, ideo in verificatione Facultatum seu Bullarum injungitur, ut Legationem suam exerceat *per se, non per alios.* Unde Curia Regia anno 1529. admisit quidem Legationem Cardinalis Ambrosii, ut tamen ipse nequeat dare in sua absentia, aut alio quocumque prætextu aliquem Vicarium aut substitutum cum pari auctoritate aut facultate: sed posset committere aut delegare dumtaxat aliquem Regentem Cancellariæ suæ, & alios Officiarios pro Legationis suæ exercitio. Habentur hæ litteræ verificationis *tom.* 2. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 27.

XIII. Legatorum præsertim *à latere* potestatem jure communi *Ordinariam* reputari supra notatum fuit: " At
„in terra Gallica (ait Renatus Choppinus *Lib.* 2. *De sacra*
„*politia tit.* 4. *num.* 4.) quæ unius Regis profanum ha-
„ctenus dominatum experta est, Legati functionem nos *a-*
„*lienam* potiùs interpretamur, delatamque à Pontifice,
„quàm illius *propriam ac ordinariam.*"

XIV. Monet quoque ibidem Choppinus *num.* 3. " ad-
„jectum fuisse Senatus Consulto, Legatum tamdiu potesta-
„te usurum quamdiu ageret in Provincia dumtaxat (non si
„Regno Francico semel exisset) *aut quousque placuisset*
„*Principi.*"

Tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 30. referuntur litteræ Archiepiscopi Barensis Nuntii Sedis Apostolicæ ad Curiam Regiam, in quibus hæc habentur:
" Per has præsentes promittimus & juramus per Ordines
„Sacros, quos ab Ecclesia recepimus, præfato Christianissi-
„mo (Regi Franciæ) quod jam dicta Legatione non ute-
„mur in regno suo, terris & Dominiis sibi subditis nisi
„quamdiu suæ libuerit voluntati: adeo ut cùm primùm cer-
„tiores efficiemur quod suæ voluntatis est, ut ampliùs
„illa non utamur, statim cessabimus & desistemus illâ
„uti."

Idem scripto promisit Antonius De Prato Cardinalis tituli S. Anastasiæ & Archiepiscopus Senonensis Legatus *à latere* anno 1529. & extat promissio dicto *cap.* 23. *numero* 39.

XV. Denique notat Choppinus loco citato: " Galli-
„cis autem finibus abscessuro Legato injunctum est, om-
„nia suæ Legationis *acta*, & *commentaria* dimittere *pe-*
„*nes Curiæ Præsidem* aut *Consiliarium*, quemcumque ei
„idcirco *Senatus designasset.* Quorum omnium syngra-
„pham tesseramque assertoriam Legatus Regi præberet,
„*Curiæ Regestis* postea *inscribendam*, sicuti hæc omnia Se-
„natorio Decreto expressa sunt 17. Kalend. Januar. anno
„1551."

In formula juramenti Cardinalis Mauroceni Legati *à latere*, præstiti Henrico III. Francorum Regi anno 1576. ibidem *num.* 60. habentur sequentia: " Juro & promitto
„in verbo Cardinalis per Sacros Ordines meos manibus
„ad pectus positis Christianissimo Regi, me Legati
„munere non functurum, nec Facultatibus mihi

Digitized by Google

„ à S. Sede concessis usurum, nisi quamdiu in Regno ero, & „ suæ majestati Christianissimæ placuerit, adeo ut certior „ factus de illius voluntate, illi convenienter Legati nomen, „ & jus continuò sim depositurus: simulque omnium quæ „ geruntur à me, legatione finita, codicillos relicturum in „ manibus ejus quem voluerit sua Christianissima Majestas: „ item leges & statuta & consuetudines Regni servaturum, „ nec ullo modo auctoritati & jurisdictioni Regiæ, juribus, „ libertatibus, & Privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ & universi- „ tatum derogaturum."

XVI. Prædicti articuli modificationum & reliqua usum Regni Galliæ exponentia si attendantur, & conferantur cum moderna Belgii nostri Praxi, apparebit, in multis mores Belgicos hac in parte Gallorum moribus consentire.

Et quidem Philippus II. Hispaniarum Rex in litteris *Placets* super Legatione Caroli Caraffæ in has Provincias, datis Bruxellis 18. Decembris 1557. postquam declaravit, "quod „ dictus Caraffa sibi exposuisset, se nolle in hisce „ Provinciis uti Facultatibus seu Bullis suæ Lega- „ tionis sine notitia & consensu Regis, quem postulari fecit, „ dicit: se consensisse, atque per præsentes consentire, ut Le- „ gatus suis *Facultatibus & Bullis* utatur; ita tamen, quòd „ non poterit præjudicare indultis aut Privilegiis Regiis no- „ minandi ad Monasteria, Dignitates ac Beneficia in hisPro- „ vinciis, neque etiam ordinationibus aut edictis publicis harum „ Provinciarum: quod non derogabit Juripatronatus Laico- „ rum, neque ulli fundationi quovis prætextu; quod non „ utetur præventione in præjudicium Ordinariorum Colla- „ torum Beneficiorum; non poterit quoque dispensare super „ retentione duorum Beneficiorum Curatorum, neque „ duorum Beneficiorum in eadem Ecclesia: quodque hi „ qui ab eodem Legato obtinebunt quamcumque grati- „ am, provisionem aut Bullam, iis uti non poterunt sine præ- „ viis litteris *Placets Regii*, quemadmodum, ait, observare „ solemus in omnibus provisionibus & Bullis Apostolicis." Habentur hæ litteræ in quodam libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium; nec non diversa alia indulta nominandi ad Beneficia & Dignitates Principibus Belgii indulta, impresso Leodii apud Matthiam Hovium anno 1663. *pag.* 157.

XVI. Auctoritas itaque Nuntiorum Apostolicorum in Gallia ac Belgio ferè in his consistit.

Primò in concedendis rescriptis, quibus designantur Judices Synodales in partibus, qui de causis per appellationem aut alium quemcumque titulum ad Sedem Apostolicam devolutis, cognoscant & judicent.

Secundò, in concedendis dispensationibus, vel conferendis Beneficiis aliisve gratiis elargiendis, quæ privativè ad Sedem Apostolicam eas per Legationis Bullas seu Facultates Legatis seu Nuntiis censuerit communicandas.

Tertiò, ipsi Nuntii etiamnum hodie vice Pontifices in Provinciis pro fidei integritate & conservatione, nec non Canonum custodia excubare debent; atque apud Reges & Principes tamquam Ministri Pontificii negotia Pontificis procurare. Solent quoque Pontifices per Nuntios tamquam suos Ministros apud Principes & Reges in Provinciis agere omniaque per manus ipsorum transire solent. Ipsi quoque omnia majoris momenti Romano Pontifici atque Curiæ Romanæ referunt; quæque agenda sint à Pontifice exspectant, atque de singulis Pontificem ac Curiam Romanam informant. Quare à vero aberrare non videntur, qui hodiernos Nuntios Apostolicos, pristinis Apocrisiariis & Responsalibus (de quibus capite præcedenti) comparari posse credunt.

XVIII. Indubitatum quoque est, non exiguam etiam hodie esse Nuntiorum apud Principes & Ecclesiæ Prælatos auctoritatem, propter reverentiam & eminentiam Sedis Apostolicæ, cujus ipsi vices gerunt, & pro qua Legatione funguntur; quodque Plurimum Ecclesiæ sua auctoritate prodesse possint, præsertim si tales sint, quales Sanctus Bernardus *lib.* 4. *De Considerat. ad Eugenium cap.* 4. describit: "Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. „ Qui quæstum Legationem non æstiment, nec requirant „ datum, sed fructum. Qui Regibus Joannem exhibeant, „ Ægyptiis Moysem, fornicantibus Phinees, Heliam idolo- „ latris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum „ blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus „ non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed ter- „ reant, pauperes non gravent, sed foveant: minas Princi- „ pum non paveant, sed contemnant. Qui non cum turba „ intrent, nec cum ira exeant: qui Ecclesias non spolient, sed „ emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda re- „ ficiant, & crimina corrigant: famæ provideant suæ, nec in- „ videant alienæ. Quorum studium gerant, & usum habe- „ ant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ „ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exi- „ tus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitia, „ quorum præsentia grata, quorum memoria in benedi- „ ctione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: „ reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles „ cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros „ durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retribu- „ tionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio „ crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod „ gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam pati- „ entibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. „ Qui de tuo denique spiritu illorum instar septuaginta „ Moysi accepisse cernantur, per quem sive absentes, si- „ ve absentes contendant placere tibi, placere Deo."

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

CAPUT I.

De Origine, & Dignitate, & Officio Cardinalium.

1 *Qui dicti olim fuerint, Episcopi, Presbyteri, & Diacons* Cardinales?
2 *Unde olim dicerentur* Cardinales?
3 *Quomodo Episcopi, Presbyteri, & Diacons* Cardinales *distinguerentur à* non Cardinalibus?
4 *Episcopum proprium Ecclesia S. Gregorius vocat* Cardinalem.
5 *Eodem sensu dicit Presbyterum* Cardinalem.
6 *Diaconum* Cardinalem *eodem sensu accepit.*
7 *Olim non tantùm in Ecclesia Romana, sed etiam in aliis erant Presbyteri & Diacons* Cardinales.
8 *Etiam sæculo XI. Presbyteri Ecclesiarum Parochialium dicti sunt* Cardinales.
9 *Quæ primitus fuerint* Diaconiæ *in Urbe Roma?*
10 *Quomodo paulatim transierint in titulos* Cardinalium.

11 *Quæ*

10 *Quatuordecim primum fuere Diaconorum Cardinalium tituli, quibus quatuor alii additi.*
11. *Primus Leo X. octodecim titulis Diaconorum Cardinalium unum addidit.*
13 *Olim fuere 28. tituli Presbyterorum* Cardinalium; *& quandiu numerus ille manserit immutatus?*
14 *Episcopi* Cardinales *Romæ multis sæculis ignoti fuère; & quando initium habuerint?*
15 *Quomodo numerus* Cardinalium *subinde diminutus, & subinde nimium auctus fuerit?*
16 *Synodus Basileensis limitavit ad viginti quatuor.*
17 *Sixtus V. numerum primus valde ampliavit.*
18 *Hodie ad septuaginta redactus.*
19 *Antiquitus Cardinales Ecclesiæ Romanæ erant ipse Clerus illius Ecclesiæ; quem* Presbyterium *dicebant.*
20 *Presbyteri aut Diaconi Cardinales olim supra reliquum Clerum non eminebant.*
21 *Multis sæculis Episcopi prælati fuère* Cardinalibus.
22 *Dignitas Cardinalitia cum dignitate Romani Pontificis sensim crevit.*
23 *Circa sæculum XII. cœperunt* Cardinales Episcopi.
24 *Pileus rubeus aliaque insignia Cardinalibus data.*
25 *Quando Cardinales dicti sint* Eminentissimi?
26 *Cardinales nullo alio titulo quàm* Cardinalitio *uti possunt.*
27 *Cardinalitia dignitas omnem aliam suo splendore absorbere videtur.*
28 *Cardinales nonnunquam Episcopos indignè tractarunt.*
29 *Bartholomæus De Martyribus conqueritur Episcopalem dignitatem per Cardinalitiam in vilipendium venisse.*
30 *Præcipuum officium* Cardinalium *olim fuit intendere Ecclesiis suorum respectivè titulorum.*
31. *Hodie præcipuum ipsorum officium est, assistere Pontifici, ratione cujus postmodum suum nomen mutarunt.*
32 *Cardinales hodie cum Pontifice majora Ecclesiæ negotia agunt.*
33 *Quæ qualitates in Cardinalibus requirantur.*
34 *Institutæ sunt Cardinalium Congregationes pro negotiis dirigendis.*
35 *Variæ harum Congregationum species.*
36 *Quarum Congregationum notitiam habere hic conveniat?*

I. A Multis retro sæculis notissimum fuit *Cardinalium* in Ecclesia nomen; sed à modernis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus planè diversorum.

Episcopus quippe *Cardinalis* antiquitùs dictus fuit, omnis ille Episcopus qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus sive *incardinatus*; hoc est, proprius illius Ecclesiæ Episcopus.

Similiter Presbyter, aut Diaconus *Cardinalis* vocatus est, qui alicui Ecclesiæ aut loco pio tamquam *ordinarius*, & *proprius* Presbyter, aut Diaconus erat intitulatus, sive *incardinatus*.

II. Hujusmodi Episcopi, Presbyteri & Diaconi vocabantur *Cardinales*: quia, sicut *cardo* fixus, & immobilis; ac circa illum valvæ volvuntur; ita quoque circa illos Episcopos, Presbyteros ac Diaconos; tamquam *fixos* & proprios Ecclesiarum *cardines*, populus eorum curæ commissus in Ecclesiastico regimine, & animarum cura quodammodo volvebatur.

III. Verbo, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* in hoc unicè ab aliis *non Cardinalibus* differebant, quod illi tamquam *proprii* & quasi *fixi* ac *immobiles* Ministri, Ecclesiis forent intitulati: hi verò tamquam *adventitii* & *subsidiarii* alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem *Cardinalium* nomenclaturam, hodierni Parochi verè dicerentur Presbyteri *Cardinales*, Vice-Pastores verò *non Cardinales*.

Hoc sensu Gelasius I. in litteris ad Cœlestinum Episcopum apud Gratianum *Dist.* 14. *Can* 3. Pontificem *Cardinalem* opponit Pontifici seu Episcopo *Visitatori*; qui scilicet dumtaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tamquam *Visitator* invigilat.

Meminit quoque hujusmodi Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum *Cardinalium* non semel S. Gregorius.

IV. Et quidem, cùm Isauriæ Episcopus, ob imminentes hostes refugium habuisset in insulam Gorcyram, atque ad Ecclesiam quamdam istius insulæ secum sua plebe recepisset; velletque in illa non tantùm corpus Sancti Donati, quod secum attulerat, collocare & consecrare; sed insuper *Pontificalia* exercere, atque ea de causa lis inter Episcopum Isauriæ & Episcopum hujus insulæ orta esset, rescribit huic Sanctus Gregorius *lib.* 12. *Epist.* 2. Sacerdotes vel Clerum Isauriæ civitatis ab illa Ecclesia non esse repellendos, "sic tamen, „ inquit, ut Dilectioni tuæ in cujus Parochia (id est Diœcesi) „ castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione „ munitio, per quam promittat Episcopus Isauriæ, *nullam* „ sibi in eo *potestatem*, nullum privilegium fore, nullam *ju-* „ *risdictionem*, nullam tamquam *Cardinalis* Episcopus ulterius *auctoritatem* defendere: sed post pacem Deo propitio redditam ablato venerabili Sancti Donati, si maluerint, „ corpore, ad propria se modis omnibus reversuros."

Hic Gregorium per Episcopum *Cardinalem* intelligere *proprium fixum* & *ordinarium* Episcopum, perquam manifestum est: quapropter Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad citatam epistolam, verbo, *Cardinalis Episcopus*, sine ulla hæsitatione hanc notam apposuit: *id est*, TITULARIS sive PRINCIPALIS, *ut in epistola sequenti*; sive PROPRIUS, *ut in epist.* 8.

V. Presbyterorum *Cardinalium* & *non Cardinalium* in eodem sensu frequens quoque apud S. Gregorium est memoria.

Et quidem rescribens Castorio Episcopo Ariminensi, ut postulante Timothea illustri fœmina Oratorium pro ejus devotione in honorem Sanctæ Crucis absque *Missis publicis* solemniter consecret, hanc cautionem apponit: "Ita ut in „ eodem loco nec futuris temporibus baptisterium con- „ struatur, nec Presbyterum constituas *Cardinalem*" *Lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 9.

Similiter scribit Episcopo Firmano, ut cuidam suo Diœcesano Oratorium pro sua devotione exstruat; eadem rursus addita conditione, ut consecretur absque *Missis publicis*, & ut in eodem loco nec futuris temporibus *baptisterium* construatur, nec Presbyterum *Cardinalem* constituat.

Hic videmus Gregorium nolle ordinari *Presbyterum Cardinalem*: at verò scribens eidem Episcopo pro consecratione Ecclesiæ, quam quidam ejus Diœcesis Comes in suo Castro suoque sumptu constituere & dotare volebat, vult, Presbyterum ibi constitui *Cardinalem*. *Lib.* 10. *indict.* 5. *epist.* 12.

Ratio verò cur hic Presbyterum *Cardinalem* constitui præcipiat, & alibi inhibeat, hæc est; quod Oratoria, de quibus in prioribus epistolis, solummodo construerentur & dedicarentur ad alicujus privatam devotionem; nequaquam verò ad publicas synaxes, seu publicos populi conventus. Quare & absque *publicis* Missis consecrari debebant. Per Missas *publicas* enim intelligit Gregorius juxta phrasim illius temporis, Missas ad quas unà cum suo Pastore *plebs* convenire debebat.

Oratorium autem de quo in postrema citata epistola, non pro privata Comitis devotione destinabatur, sed insuper, ut ad illud populus convenire posset. Sic enim scribit Gregorius: "Presbyterum quoque te illic constituere volumus *Car-* „ *dinalem*, ut quoties præfatus Conditor fieri sibi Mis- „ sas fortasse voluerit, *vel Fidelium concursus exegerit*, „ nihil sit, quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia va- „ leat impedire.

In hoc ergo Presbyterum *Cardinalem*, id est, *proprium* & *fixum*, quem hodie *Curatum* sive *Plebanum* dicerent, constitui vult pro populi ibidem conveniientis dire-

directione; at in illis Presbyterum non *Cardinalem*; sive, uti hodie diceremus, *Cappellanum*, sive Presbyterum non fixum; ab Episcopo tamen postulandum, si Fundator Oratorii ibi Missas celebrari velit: uti expresse monet S. Gregorius.

VI. De Gratiano Diacono ad Metropolitanum Episcopum ita scribit idem Pontifex *lib.* 5. *indict.* 14. *Epist.* 11. & refertur à Gratiano *dist.* 71. *Can.* 5. " Fraternitatem tu„am nobis petiisse recolimus, Ecclesiæ Benafranæ Diaco„num tuæ concederemus Ecclesiæ *Cardinandum*. Et quo„niam nec Episcopum, cui obsecundare, nec *propriam* ha„bet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat „ministerium exhibere; petitionem tuam non prævidimus „differendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum neces„sariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaco„num illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, „Deo propitio, constituere *Cardinalem*."

Itaque ætate S. Gregorii, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* propriè erant, Episcopi, Presbyteri ac Diaconi qui Ecclesiis erant intitulati seu *incardinati* tamquam *fixi* ac *proprii* illarum Ecclesiarum Pastores & Ministri.

VII. Hinc non tantùm in Ecclesia Romana, sed in omnibus passim Ecclesiis erant Presbyteri ac Diaconi *Cardinales*, præter *Cardinalem*, hoc est, *proprium* Episcopum. Et quidem usque ad sæculum undecimum, Curiones Ecclesiarum Parochialium in Ecclesiis Gallicanis dictos fuisse *Presbyteros Cardinales* ostendit ex illius temporis monumentis author tractatus Gallici *De Origine Cardinalium pag.* 16. *edit.* 1670.

VIII. Atque hoc sensu intelliguntur Sacerdotes *Cardinales* in *Cap.* 2. *De Officio Archipresbyteri*; quos etiam antiquus Glossographus vocat *principales*; & in Corpore Juris Canonici correctæ editionis Antverpiensis anni 1648. ad marginem notatur ex Antonio Augustino: " *Cardinales* Sacerdotes hoc loco non Urbis tantum Romæ, sed *aliarum* „etiam Civitatum *primos* interpretantur. quibus tituli, id „est, *Parochiæ* committuntur."

Author dictæ Decretalis dicitur *Leo Papa*, absque expressione ulteriori; sed Antonius Augustinus monet, *Leonem IX.* appellari à quibusdam ex veteribus libris: quæ inscriptio si vera sit, vel ex hac Decretali habemus, etiam ætate Leonis IX. id est circa medium sæculi XI. Parochialium Ecclesiarum Curiones, fuisse dictos, Sacerdotes *Cardinales*.

Itaque *Cardinales* Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum aliarum Ecclesiarum, erant Presbyteri & Diaconi qui Ecclesiis & titulis Presbyterorum aut Diaconorum erant intitulati seu *incardinati*, tamquam *fixi* ac *proprii* Ministri.

IX. Porrò Diaconiæ erant loca, in quibus per Diaconos Regionarios pauperes viduæ, pupilli, senes cujusque Regionis alebantur; habebantque hæc loca, quæ quasi publicæ domus hospitales erant, Oratoria seu sacella adjuncta. Qui igitur hisce locis tamquam *proprius* Diaconus ad ministrandum dictis personis, & loca illa regenda præficiebatur, Diaconus *Cardinalis* appellabatur, erantque hujusmodi *Diaconiæ* sive domus hospitales in singulis Urbis Regionibus; atque ideo *Diaconi* illi etiam dicti fuere *Regionarii*.

X. At usu harum Hospitalium domorum paulatim exolescente, ipsisque ædibus dirutis, solis sacellis ac oratoriis nomen *Diaconiæ* adhæsit, à quibus tandem *Diaconi Urbis Romæ* dicti fuere.

Porrò hæ Diaconiæ per quatuordecim Regiones Urbis distributæ erant; atque hinc primitus Diaconi hisce præfecti dicti sunt *Cardinales* primæ, secundæ, &c. Regionis; scilicet à Regione in qua titulus ipsius situs erat. At successu temporis antiquata hac appellatione, dici cœperunt, ad exemplum Cardinalium Presbyterorum, Diaconus Cardinalis hujus vel illius Diaconiæ v. g. *Theodori*, *S. Adriani* &c. nimirum à titulo Diaconiæ.

XI. His quatuordecim Diaconiis, sive titulis *Cardinalium* Diaconorum additi jam pridem fuerunt (ait Onuphrius Panvinius in libro *De Episcopatibus*, *Titulis & Diaconiis Cardinalium pag.* 25.) quatuor alii Diaconi „Cardinales, quorum munus tantum erat, Lateranensi „Basilicæ, vel Pontifici Romano, ibidem celebranti mi„nistrare, quos & Altaris Lateranensis ministros appel„latos fuisse legi, sicque XVIII. numerus exple„tus.

XII. Hæc Onuphrius, qui ibidem *pag.* 27. enumeratis hisce octodecim Diaconiis sive Titulis Cardinalium addit: " Porro autem has Diaconias semper fuisse le„gi & numquam vel additis novis, vel antiquis subla„tis mutatas usque ad Leonis X. Pontificatum, qui pri„mus omnium Romanorum Pontificum, Diaconiam u„nam novam adjunxit, quæ fuit Diaconia *S. Onuphrii in* „*Vaticano*, quam Joanni Cardinali Lotharingo à se creato tradidit."

XIII. Titulos *Cardinalium Presbyterorum* viginti octo qui ante millesimum & centesimum ab hinc annum extiterunt, *pag.* 8. enumerat Onuphrius; quorum aliquos circa tempora Gregorii I. mutatos fuisse monet, ita tamen ut numerus viginti octo Presbyterorum Cardinalium integer permanserit, ut habetur ex Pandulpho Pisano in vita Gregorii II. usque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Christi 1125. quo id observari desitum, uti latius exponit Onuphrius *pag.* 17.

XIV. Quoad *Cardinales Episcopos*; cum antiquitus Episcopus *Cardinalis* alius non esset, nisi *proprius* & *intitulatus* Ecclesiæ cujusque Episcopus; nullus in Urbe Roma præter Episcopum Romanum sive Pontificem dici potuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus *Cardinalis*. Unde & multis sæculis ignoti fuère alii *Episcopi Cardinales* Ecclesiæ Romanæ; atque admodum verisimile est, nonnisi circa sæculum XI. & XII. contigisse quod narrat Onuphrius *pag.* 13. nimirum quod " Ecclesiæ Lateranensi, quæ est specialis Sedes „Romani Pontificis, propter suam, & Romani Epis„copi excellentiam *septem* Episcopi ex circumvicinis „civitatibus assignati sint, qui suis statis solemnibusque die„bus singuli coram Romano Pontifice in eadem basilica „celebrarent divina Mysteria, vel Pontifici celebranti assi„stentes essent, atque ob eam causam postea Episcopi & „*Cardinales*, id est, *Principales*, quod huic Ecclesiæ & „Romani Pontificis ministerio adscripti essent, appellari „cœperunt."

XV. Hi septem Cardinales Episcopi si jungantur cum 28. Cardinalibus Presbyteris, & 18. Diaconis, conficiunt 53. Cardinales; qui numerus tamen circa tempora Honorii II. id est, circa initium sæculi XII. minui cœpit; & ad incertum numerum sensim delabi. Imo teste Onuphrio *pag.* 18. ad eam paucitatem redacti sunt, ut non essent nisi septem Cardinales viventes, videlicet tres Presbyteri & quatuor Diaconi, quando creatus fuit Nicolaus III. anno 1277. qui ibidem notat, post tempora Nicolai III. rursus cœpisse augeri numerum Cardinalium; qui ut nec graves Ecclesiæ essent, nec superflua numerositate vilescerent, quod numerum 24. excedere non possent, in Concilio Basil. cautum est.

XVI. " Primus Papa Xystus IV. nullâ habitâ ratione „Decreti Concilii Basiliensis, supra omnes Prædecesso„res suos) si Onuphrio *pag.* 18. credimus) Cardinalium „numerum maximè ampliavit; cujus exemplum opti„mè secutus est Alexander Papa VI. Nullus tamen ho„rum Pontificum antiquum 53. numerum excessit, ut „essent videlicet plures quàm 53. quum nec eum nume„rum attigerint; sed omnium Romanorum Pontificum „primus fuit Leo X. qui antiqui statuti ratione non ha„bitâ, in magnâ illâ 31. Cardinalium creatione, vete„rem & antiquum atque à nullo umquam Romanorum „Pontificum excessum numerumque longe superarit. „Nam sub Leone X. plus minus 65. Cardinales simul vi„ventes fuerunt, quod numquam alias contigerat post „funda-

sedem Romanam Ecclesiam. Ejus exemplum secutiam Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. Prior enim ad 63. numerum Cardinales auxit, sequens ad 70. quem quoque numerum numquam fuisse satis constat.„ Hæc ille.

XVII. Hunc numerum tamquam respondentem septuaginta viris, quos de Senioribus in suum adjutorium ex mandato Domini assumpsit Moyses, & septuaginta Discipulis, quos binos ante faciem misit Christus, retinendum decrevit Xystus V. in sua Constitutione quæ incipit, *Postquam Verum ille*, decernens „ ut imposterum connumeratis omnibus cujuscumque ordinis Episcopis, Presbyteris & Diaconis *Cardinalibus*, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum *septuaginta* nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quovis prætextu, occasione vel causâ etiam urgentissima minime augeatur; „ Declarans insuper electionem ac nominationem alicujus ultra dictum numerum *nullam irritam ac inanem*.

XVIII. Hic est ergo modernus Cardinalium numerus quorum titulos, & à quibus Pontificibus novi erecti fuerint, in citato libro enumerat Onuphrius; hoc unà monens, hodie dumtaxat esse sex Episcopos Cardinales; eo quod Ecclesia Episcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ aliàs Sylvæ Candidæ Calixto II. unita fuerit Episcopatui Portuensi.

Quemadmodum circa numerum Cardinalium varia pro temporum varietate intercessit disciplina, ita nec minor circa Cardinalium eminentiam ac dignitatem intervenit mutatio.

XIX. Antiquitus enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ alii non erant, ut ex jam dictis facile est colligere, quam ipse Romanæ Ecclesiæ ordinarius Clerus, constans ex Presbyteris & Diaconis. Unde *Presbyterium* de quo S. Cornelius Papa ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio notat Pamelius in notis ad citatam epistolam Cornelii: „ Presbyterium, ait, intelligit tum hic tum paulo post, Collegium, sive Senatum (ut loquitur D. Hieronymus epistola ad Rusticum) *Cleri Romani*, utpote sine quorum consilio arduum nihil soleat agere Romanus Pontifex. Atque adeò, tum hinc tum ex Epistolis Cypriani ad Clerum Romanum constat, Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Romanæ, in eadem auctoritate jam olim fuisse, qua nunc pollent, eodem etiam munere functos, quo *nunc Cardinales*; nempe ut essent Consiliarii, & Assessores Episcopi Romani. Quod plane perspicuum fit ex verbis illis epistolæ 55 ad Cornelium: *florentissimo illic Clero tecum præsidente*. Erant tamen illis Episcopi tum temporis superiores.„ Hæc Pamelius.

XX. Cum ergo *Cardinales* R.E. non essent nisi Presbyteri ac Diaconi suis respectivè Ecclesiis aut Titulis *incardinati*; ipsum Clerum Ecclesiæ Romanæ eo modo constituentes, quo aliarum particularium Ecclesiarum Presbyteri ac Diaconi suæ respectivè Ecclesiæ Clerum conficiebant, nullâ quoque supra reliquos prærogativâ in illa qualitate eminebant: quemadmodum sex aut septem illi Episcopi Romanæ adjacentes, etiam postquam R.E. Cardinales creati fuere, ob eam causam (uti monet Onuphrius *pag.* 30.) „ neque Patriarchis, neque Metropolitanis vel Archiepiscopis, neque etiam Episcopis aliarum Civitatum, licet Cardinales non essent, ante se tamen consecratis, digniores erant, nec etiam eos præcedebant: sed eorum præcedentia erat ratione temporis, quo Episcopi creati fuerant: etenim Episcopus *Cardinalis* Ostiensis, si post Episcopum Veronensem, qui non erat Cardinalis, vel post alium quemquo creatus fuisset, superiorem eo locum, neque in consessu neque in procedendo habebat, eos tantum Episcopos præcedebat, qui post eum creati fuerant: quæ omnia idcirco dico, *quod nihil dignitatis* aut *præeminentiæ illis dabat antiquitus esse Cardinales*.„ Hæc ille, unà observans, quod usque ad tempora Gregorii VII. & Urbani II. id religiosè observatum est.

XXI. Et si Zerolæ in praxi Episcopali, verbo *Episcopus*, aliisque Canonistis credamus, Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales; quin imo, uti post alios Canonistas asserit Barbosa *Lib. 1 juris Eccles. cap 3. numer. 17.* „ usque ad tempora Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri *Presbyter Cardinalis*, quia putabant non licere descendere à *majore* dignitate *ad minorem*.„

Et Ludovicus Gometius in procemio ad Regulas Cancellariæ. „ Episcopi usque ad tempora Clementis V. & Joannis XXII. in Ecclesia Dei, ita in excelso honoris & existimationis fastigio positi fuerunt, ut dignitate deprimi ac gradu minui arbitrarentur, si ex Episcopis ad Cardinalatus officium assumerentur.

XXII. Quo verò tempore crescere cœperit Cardinalium R.E. dignitas, nequit præcisè determinari; illud sat constat, sensim atque gradatim ad eam, in quo modo conspiciuntur, eminentiam pervenisse.

Et quidem Cardinalium dignitatem cum Ecclesiæ & Romani Pontificis dignitate semper crevisse, monet Onuphrius *pag.* 34. unà advertens, dignitatem Pontificis Romani maximam fuisse tempore Alexandri III. „ Sub quo, ait, Romana Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, Imperatore potentissimo Frederico Ahenobarbo, eoque Ecclesiæ Romanæ infestissimo hoste, conculcato, victo, pacemque ab Ecclesia petere coacto.

XXIII. Tunc ergo, teste Onuphrio, primum ex Episcopis Cardinales fieri cœpti: hâc tamen moderatione, ut quoties accideret aliquos creari Cardinales, qui Episcopi vel Archiepiscopi essent, singulis una ex *Cardinalibus* Ecclesiis (Episcopalibus) tradebatur, quod tunc incongruum videretur, ex *Episcopo Presbyter* fieri, sed minus inconveniens ex Episcopo vel Archiepiscopo fieri *Episcopus Cardinalis*.

XXIV. Succedentes Pontifices Cardinalium eminentiam ac dignitatem continuò magis magisque elevarunt; pluraque eminentiæ atque dignitatis ornamenta & argumenta addiderunt.

„ Innocentium IV. ipsis Cardinalibus, cùm à Summo Pontifice ad Terras Ecclesiæ regendas mitterentur, *rubeum pileum* tradidisse circa annum Domini 1244. „ ex relatis Canonistis refert Barbosa loco citato *n* 8. additque, „ Quod postea vel per consuetudinem, aut expressam concessionem *omnibus* Cardinalibus datum est.

Paulus II. „ publico Decreto mandavit, propositâ pœnâ (teste Ciaconio in ejus vita) ne quisquam *birretam coccineam* præter Cardinales ferret. Quibus etiam primo Pontificatus sui anno, *pannum* ejusdem coloris dono dedit, quo equos & mulas sternerent, dum equitarent.

Hæc Cardinalitia insignia cùm tantùm Cardinalibus è Clero sæculari assumptis, essent data, Gregorius XIV. etiam *Regularibus rubrum pileum* concessit, & aliquibus tunc præsentibus propriâ manu imposuit; uti videre est in ejus Constitutione quæ incipit *Sanctissimus*, estque nona inter ejus Constitutiones in Bullario Romano.

XXV. Post hæc sub Urbano VIII. decretum fuit, ut jam non *Illustrissimi* vocarentur, prout hactenus, sed *Eminentissimi*, hunc que titulum non esse communicandum nisi solis Electoribus Ecclesiasticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis aliisque Prælatis sub pœna anathematis titulum illum assumere.

XXVI. Denique Innocentius X. anno 1645. confirmavit Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus, etiam quacumque natalium seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativâ insignitis, ut *solo nomine Cardinalis* contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quàm

Epistolæ S. Gregorii *lib.* 4. *Epist.* 50. 52. *&* 54. Item ejusdem responsum 9. ad Augustinum Anglorum Episcopum, relatum à Gratiano 25. *q.* 2. *Can.* 3.

Similia legationis à privilegia pontificibus illustrioribus Ecclesiis concessa tum antiqua, tum recentiora Ecclesiastica monumenta plura suppeditant: quemadmodum videre est apud Interpretes ad titulum Decretaliũ *De officio Legati*: dicunturq; qui hujusmodi legationis privilegio sunt insigniti *Legati nati*: eò quod statim, ut Ecclesiis suis præficiuntur & Præsules creantur, id muneris & officii Legati Apostolici nanciscantur; uti superiùs notatum est.

CAPUT II.

De Auctoritate & Dignitate Legatorum.

1 *Legati in Comitatu Principis pro custodia fidei & disciplinæ observantia excubabant.*

2 *Episcopo Thessalonicensi à tempore Damasi Papæ Legatio Sedis Apostolicæ facta fuit.*

3 *Custodia Regularum seu Canonum per omnes Ecclesias Legationi suæ subjectas ipsi incumbebat.*

4 *Curam omnium illarum Ecclesiarum habere debebat; & ordinationi Clericorum intendere.*

5 *Ipso inconsulto Episcopi ordinari non poterant; Metropolitanos ipse ordinare debebat.*

6 *Habebat jus convocandi Synodum.*

7 *Majores causæ Pontifici reservantur.*

8 *Ob non reservatas majores causas Sedi Apostolicæ redarguitur Legatus.*

9 *Metropolitanis sua jura servantur.*

10 *Quomodo in habendis Conciliis se gerere debeat?*

11 *De servanda moderatione in evocandis Episcopis ad Concilia.*

12 *Corollarium ex præcedentibus.*

13 *Major primis septem seculis fuit auctoritas Legatorum quos hodie dicimus* Natos; *quàm* Missorum.

14 *Cur sequentibus seculis illorum diminuta, horũ aucta.*

15 *Alexander II. necessitatem mittendorum Legatorum desumit ex cura omnium Ecclesiarum Pontifici incumbente.*

16 *Eamdem multùm ursit & magnificis verbis expressit Innocentius III.*

17 *Hoc posito fundamento omnia penè negotia ad Legatos Missos devoluta sunt.*

18 *Legati reputantur* Ordinarii. *& eorum potestas* ordinaria.

19 *Statuta eorum morte non extinguuntur.*

20 *Poterant de causis in prima instantia cognoscere.*

21 *Legatorum officium morte Pontificis non exspirat.*

22 *Legatis etiam* procurationes *seu necessarii sumptus tandem subministrari debuerunt.*

23 *Excessus Legatorum in harum exactione; & quæ adhibita moderatio?*

24 *Legati reputati fuerunt tamquã* Proconsules *Romani.*

25 *Ad horum exemplum* insignis *Legationis utebantur etiam extra loca sua legationis.*

26 *Nequidem Patriarcha præsente Legato potest jubere sibi præferri* crucem; *nec Episcopus actum jurisdictionis ordinariæ exercere.*

27 *Præsente Legato* à latere *aliorum Legatorum auctoritas cessat.*

28 *Legati* à latere *jurisdictionem saltem* voluntariam *extra fines suæ Legationis exercent.*

29 *Potest Legatus* à latere *conferre Beneficia jurispatronatus Ecclesiastici.*

30 *Aliqua semper Pontifici sunt reservata.*

31 *Ex his plura vel panciora pro arbitrio Pontificum Legatis committuntur.*

32 *Non parùm obscurum determinare ex Jure quæ Legatis competant: & quare?*

33 *Prudenter Pontifices in instructionibus quas Legatis concedunt exprimunt ea quæ eorum curæ concredunt.*

I. SAnctus Leo scribens ad Pulcheriam Augustam Juliani Coënsis Episcopi atq; sui ad Urbem Regiam Legati munus eleganter expressit his verbis: "Cùm in *causa fidei*, " cui gloria vestra famulatur, *vicem* ipsi " meam aliquatenus *delegaverim*, ut ab ea, quæ vobis debetur, observantia non recedens, pietati me vestræ præsentare non desinat: exequens *in custodia fidei*, & in *Ecclesiasticis disciplinis* per omnia sollicitudinem meam, & " *opportunis suggestionibus*, quod *universali* Ecclesiæ " prosit, *insinuans*: ut in ipso, nec Catholicis vestrum præsidium, quibus volumus subveniri, nec meum vobis desit " obsequium." *Epist.* 85. *c.* 2. editionis Quenellii.

II. Quanta autem esset eo tempore eorum auctoritas quos hodie Legatos *natos* dicimus, facilè possumus cognoscere ex litteris S. Leonis ad Anastasium Thessalonicensem Episcopum.

Pro quo notandum Episcopo Thessalonicensi jam à temporibus Damasi Papæ vices Sedis Apostolicæ fuisse per Illyricum delegatas; uti sat manifestum est ex epistola Innocentii I. qui non ita multò post Damasum in Cathedra Petri sedit. Hic enim ad Anysium Thessalonicensem Episcopum scribens ait, se ipsi eamdem potestatem committere, quam à Damaso, Siricio, & Anastasio ante acceperat. "Cui etiam [id est Anysio] tanti ac tales viri prædecessores mei Episcopi, id est, sanctæ memoriæ *Damasus*, Siricius, atq; supra memoratus vir (id est Anastasius) ita detulerunt, ut omnia quæ in illis partibus gererentur, Sanctitati tuæ, quæ plena justitiæ est, traderent cognoscẽda.

Et in epistola ad Rufum Thessalonicensem similiter Episcopum Anysii successorem, qua ei vices suas per Illyricum delegat; " *non premitens* hæc ita statuentes, sed *Prædecessores nostros Apostolicos* imitati, qui beatissimis " Acholio & Anysio injungi pro eorum meritis ista voluerunt." Habentur hæ litteræ Innocentii in actis Synodi Romanæ sub Bonifacio II. anno 521. tom. 4. Conc. *col.* 1701.

Successores Innocentii prædecessorum vestigia prementes, vices suas Episcopo Thessalonicensi demandare perrexerunt, quemadmodum fusè deducit Stephanus Baluzius in appendice ad librum V. Petri de Marca *De concordia Sacerdotii & Imperii c.* 34. *&* 35.

III. Quæ autem fuerit Episcopi illius in qualitate Vicarii seu Legati Sedis Apostolicæ per Illyricum auctoritas tempore S. Leonis, ex ejus litteris facilè cognosci potest.

Anastasius Thessalonicensis Episcopus à Sixto II. prædecessore Leonis Vicariatu Sedis Apostolicæ fuerat ornatus, eumq; per multos annos gesserat; atq; eumdem sibi à Leone Sixti successore continuari petiit, quod Leo concessit, ad illum scribens in hæc verba: "Postquam itaq; petitio tuæ dilectionis innotuit per filium nostrum Nicolaum Presbyterum, ut *tibi* quoque *à nobis*, sicut *decessoribus tuis*, *per Illyricum* cum nostra vice propter " *custodiam Regularum auctoritas* præstaretur, præbentes assensum, nostra adhortatione compellimus, ut nulla dissimulatio, negligentia nulla proveniat circa Ecclesiarum regimen per Illyricum positarum, *quas* dilectioni tuæ *vice nostra committimus*, beatæ recordationis " Siricii exemplum secuti, qui sanctæ memoriæ Anysio " prædecessori tuo, bene de Apostolica Sede tunc merito, " & rebus post sequentibus approbato, certa tum primùm ratione committit: ut per illam Provinciam positis " quas ad disciplinam teneri voluit, Ecclesiis subveniret. Et infra: "Imitatorem te tam prædecessoris tui, quàm decessoris, qui pari modo hoc & meruisse & egisse cognoscitur, esse volumus: ut de profectu Ecclesiarum, quas " tibi vice nostra committimus, gaudeamus." *Epist.* 4. edit. Quenellii.

IV. Post

IV. Post narrationem illam, exhortationem subjicit: „Credita itaq; tibi, Frater carissime, *gubernacula* pervigil „tene, & mentis tuæ oculos per omnia, quæ curæ tuæ videas injuncta, circumfer, in mercedem tuam profutura „custodiens, & his qui disciplinam Canonum labefactare nituntur obsistens, Divinæ legis sancto veneranda, „& Canonum specialiùs decreta serventur. Per commissas tibi Provincias tales Domino Sacerdotes, quibus sola „vitæ & Clericalis Ordinis suffragentur merita consecrentur. Nihil gratiæ personali, nihil ambitioni, nihil redemptionis permittas licere suffragiis. Examinentur diligentiùs, „& per *longum vitæ tramitem* disciplinis Ecclesiasticis, „qui ordinandi fuerint, imbuantur. Si tamen illis omnia „quæ à SS. Patribus sunt constituta, conveniant, & quæ „per beatum Apostolum Paulum de talibus legimus præcepta, custodierint: ut unius uxoris vir sit, & hanc virginem, ut auctoritas divinæ legis cavet, acceperit."

V. Docet deinde bigamum verè esse, qui nondum Christianus habuerit uxorem, & eâ mortuâ aliam duxit uxorem. Post hæc pergit in dandis mandatis: " Nullus „*te inconsulto*, per illas Ecclesias *ordinetur Antistes*; ita enim fiet, ut tunc de eligendis matura judicia, tum tuæ ditionis examinatio formidetur. Quisquis verò à Metropolitanis Episcopus contra nostram præceptionem „præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nullam sibi apud „nos status sui esse noverit firmitatem, eosq; usurpationis „hujus rationem, qui hoc præsumpserint, reddituros. Singulis autem Metropolitanis, sicut potestas ista committitur, ut in suis Provinciis jus habeant ordinandi; ita eos „Metropolitanos à te volumus ordinari, maturo tamen „& decocto judicio. Quamvis enim omnes Antistites „probatos & Deo placitos deceat consecrari, hos tamen „præcellere volumus, quos præfuturos his, qui ad se pertinent, Consacerdotibus, noverimus. Quod dilectionem „tuam solicitiùs agere præmonemus & cautiùs, ut illud „Apostolicum custodire, quod scriptum est, approberis: „*Manus citò nemini imposueris*."

Duo hic Vicario sui tribuit Leo. Primum ut nullus Episcopus à suo ordinetur Metropolitano, nisi cum notitia ipsius Vicarii. Secundùm, quòd Metropolitani non modò consulto priùs Vicario Apostolico, sed ab ipso Vicario per omnes Illyrici provincias ordinentur.

VI. Ulteriùs in dandis mandatis prosequitur: " Ad Synodum *quisquis Fratrum* fuerit *evocatus occurrat*, nec „Sanctæ Congregationi se deneget: in qua maximè constituendum esse noverit, quod ad disciplinam poterit „Ecclesiasticam pertinere. Meliùs enim culpa vitabitur, „si inter Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur, & emendationi pariter & charitati plurimùm præstat adunata societas. Illic, si quæ causæ natæ fuerint, „præstante Domino, ita poterunt terminari, ut contentio „nulla resideat; sed solida inter Fratres charitas coalescat.

His verbis factam esse auctoritatem Episcopo Thessalonicensi evocandi quoscumq; Episcopos Illyricianos ad Synodum, evidens est; hocq; jam pridem ab Innocentio I. Thessalonicensi Episcopo tamquam vices Sedis Apostolicæ gerenti datum fuisse privilegium, colligitur ex litteris Innocentii ad Ruffum Thessalonicensem Episcopum: "Itemum autem & Apostolicæ Sedis favore permissum tuæ fraternitati cognosce, ut cùm aliqua Ecclesiastica ratio, vel in tua, vel in memoratis Provinciis agitanda, cognoscendaq; fuerit, *quos velis Episcoporum socios quibuscumq; de Ecclesiis assumas tecum*, quorum & fide & moderatione quidquid necessitas, causave flagitaverit, optimus dirigas arbiter, & præcipuus; quippe à nobis lectus definias intercessor."

VII. Huic mandato hanc adjungit Leo cautionem: Si quæ verò causa *major* evenerit, quæ à tua Fraternitate illic præsidente non potuerit definiri, relatio tua missa nos consulat: ut revelante Domino, cujus misericordiæ confitemur esse quod possumus, quòd ipse nobis aspiraverit, rescribamus: ut cognitioni nostræ pro traditione *veteris instituti & debita* Apostolicæ Sedis *reverentia*, „nostro examine vindicemus: ut enim auctoritatem nostram vice nostra exercere te volumus; ita nobis quæ „illic componi non potuerint, vel qui vocem appellationis emiserit, reservamus."

Hic agnoscimus vestigia illius disciplinæ, quâ *causæ majores* Sedi Apostolicæ reservantur; neq; sub generalibus mandatis seu instructionibus Legatorum comprehensæ censeantur, uti inferiùs latiùs dicetur.

VIII. Unde cùm postea Anastasius Thessalonicensis Episcopus, cui hic suas vices & mandata dederat Leo, Atticum veteris Epiri Metropolitanum asperè nimis tractasset, deq; ea re idem Atticus querelas suas ad Leonem retulisset, ipse ad Anastasium rescribens de indignissimo modo quo Atticum tractasset [quemadmodùm disertè & latè describit Leo in *Epist.* 12. edit. Quenellianæ] in memoriam ei revocat illa mandata, eum redarguens quòd ea non servasset. "Nam cùm *majora* negotia & *difficilliores* causarum exitus liberum tibi esset, sub nostræ exspectationis sententia expendere, nec ratio tibi nec necessitas „fuit in id, quod mensuram tuam excederet, deviandi."

Et inferiùs eamdem causam repetit, pronuntians Anastasium non debuisse causam Attici, qui Metropolitanus Episcopus erat, judicare, donec ad ejus consulta Leo rescripsisset. "Præsertim, ait, cùm etiamsi tale aliquid mereretur, exspectandum fuerat quid ad tua consulta rescriberem." Et paucis interjectis: "Sed etiamsi quid *grave* „*intollerandumq*; committeret, nostra erat exspectanda „censura, ut nihil priùs ipse decerneres, quàm quid nobis „placeret agnosceret. Vices enim nostras ita tuæ credidimus charitati, ut in *partem* sis vocatus *sollicitudinis non* „*in plenitudinem* potestatis." *Epist.* 12.

Sic castigato increpatoq; Anastasio ob transgressos suæ auctoritatis limites, nova dat mandata, sumpta partim ex veteribus, quæ hic vel explicantur, vel illustrantur, partim de novo addita, atque ex his præcipuè notanda sequentia.

IX. Primum quod his verbis exprimitur: "Secundùm SS. „PP. Canones spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentiâ consecratos, Metropolitanos singularum Pro„vinciarum Episcopos, quibus ex delegatione nostra fraternitatis tuæ cura prætenditur, jus traditæ sibi antiquitus dignitatis intemeratum habere decernimus: ita ut à „regulis præstitutis nullâ aut negligentiâ aut præsumptione discedant." Apud Gratianum 25. *q.* 2. *Can.* 5.

X. Septimum pertinens ad gravissimum disciplinæ punctum, quod versatur in causarum judicio. "De Conci„liis autem Episcopalibus, ait, non aliud indicimus, quàm „Sancti Patres salubriter ordinarunt: ut scilicet bini con„ventus per annos singulos habeantur, in quibus de om„nibus querelis, quæ inter diversos Ecclesiæ ordines nas„ci adsolent judicetur. Ac si fortè inter ipsos qui præsunt „de majoribus, quod absit, peccatis causa nascitur, quæ „Provinciali nequeat examine definiri; fraternitatem „tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus cura„bit instruere, ut si coram positis fratribus, nec tuo fuerit „res sopita judicio, ad nostram cognitionem, quidquid „illud est, transferatur."

XI. Decimum caput præscribit modum, quo Legatus se gerere debeat in evocandis Episcopis ad generalem Synodum totius Illyrici. "In evocandis ad te Episcopis mo„deratissimum esse te volumus, ne per majoris diligentiæ „speciem, fraternis videaris gloriari injuriis. Unde si cau„sa aliqua major extiterit, ob quam rationabile ac neces„sarium sit, fraternum advocare conventum: binos de „singulis Provinciis Episcopos, quos Metropolitani cre„diderint esse mittendos, ad fraternitatem tuam venire „sufficiat, ita ut præstituto tempore non ultra 15. dies qui „convenerint retardentur."

XII. Ex his patet, jam tum tempore S. Leonis non exiguam fuisse Vicariorum Sedis Apostolicæ auctoritatem; ita

ita tamen moderatam, ut Synodorum Provincialium & Metropolitanorum jura illibata esse vellet Leo; nec non graviores ac difficilliores causas, quæ sine multis contentionibus in Provinciis terminari non poterant, ad Sedem Apostolicam per Vicarium esse referendas.

XIII. Adhæc notandum, eam auctoritatem potissimum creditam fuisse Episcopis amplissimarum civitatum; qui, uti supra monui, successu temporis titulo suæ dignitatis *Legatos* Sedis Apostolicæ se dixerunt; atq; inde vocati *Legati nati*.

Hos verò, qui ad Principes aut Reges à Sede Apostolica mittebantur, nusquam legimus primis sæculis tantâ auctoritate instructos; imo plerumq; Diaconi dumtaxat erant; *Responsales*, sive *Apocrisarii* dicti, nulla jurisdictione instructi, solis negotiis Sedis Apostolicæ gerendis apud Principes occupati: ideoq; primitus auctoritas eorum, qui hodie Legati *nati* vocantur, amplior fuit, quàm eorum qui pro certis negotiis ad Provincias mittebantur, vel apud Principes nomine pontificis residebant: quos hodie *Nuntios* dicimus.

XIV. At cum lapsu temporis jus perpetuæ legationis quibusdam Ecclesiis annexum; viderentq; Pontifices, personarum, quæ illis præficiebantur Ecclesiis delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio, cœperunt horum Legatorum auctoritatem imminuere; aliorum verò qui ab ipsorum libera dependebant nominatione augere; quæ auctoritas circa sæculum undecimum summum incrementum accepit.

XV. Legatorum mittendorum necessitatem Alexander II. circa annum 1526. ex eo capite accersit, quod *cura universalis* Ecclesiæ eum cogat mittere ad *vicem* suam personas, quæ visitent Ecclesias, cum id ipse *per se* facere non possit; atq; hinc sumit occasionem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola hæc scripta est ad Archiepiscopos Galliæ, & extat tomo 9. Concil. generalium *col.* 1131.

Altius hoc jus repetit Gregorius VII. qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloromensem, dicit, "se id facere quod Romana Ecclesia hanc consuetudinem habuit *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ad omnes partes, quæ Christianæ religionis titulo prænotantur, suos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ gubernator & Rector ejusdem Ecclesiæ per suam præsentiam expedire non prævalet vice suâ Legatis concessâ monita salutis & morum honestatem per eos *cunctis per orbem terrarum* constitutis Ecclesiis nuntiaret, eaq; Apostolicâ doctrinâ in omnibus quæ Sacræ Religioni conveniunt diligenter instrueret."

XVI. Eandem veterem consuetudinem & rationem allegarunt passim sequentes Pontifices, ut Legatorum mittendorum necessitatem & eorum auctoritatem astruerent; sed præ reliquis Innocentius III. magnificis verbis elocutus est, quod Prædecessores sui simplici sermone dixerant. Primum igitur scribit, Dominum J. Christum Sedem Apostolicam instituisse, totius Christiani orbis caput & Magistram, à qua panis intellectûs & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ postulet illuc mitti Legatum *à latere*, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; "cui nos vices nostras commisimus, inquit, ut juxta verbum Propheticum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secundum Deum evellenda & destruenda, nec non ædificanda cognoverit & plantanda."

Hæc Epistola scripta ad Imperatorem Constantinopolitanum extat *Lib.* 16. *Epist.* 104.

XVII. Hoc posito fundamento, Legatorum Sedis Apostolicæ ita crevit posterioribus sæculis auctoritas & dignitas, ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum aliis quibuscumque negotiis tractaretur, uti ex actis illorum temporum manifestum est.

Et quidem sæculo duodecimo ad Regem Anglorum scribebat Paschalis II. "Universum siquidem terrarum orbem Dominus & Magister suis discipulis dispertivit; sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo. Nec per eorum tantum, sed per Successorum Discipulos ac *Legatos* Europæ universitas conversa est & confirmata. Unde usq; ad nos (licèt indignos) eorum Vicarios hæc consuetudo pervenit; ut per *nostra Sedis Vicarios* graviora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur seu retractarentur."

XVIII. Quin & licèt *Legati* vices agerent Pontificis: ac ob id Sedis Apostolicæ *Vicarii* dicerentur; atq; propterea *delegatam* dumtaxat auctoritatem vi suæ legationis viderentur obtinere, nihilominus Clemens IV. cuidam Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato scribit: "Legatos quibus in certis Provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædificent atq; plantent: Provinciarum sibi commissarum adinstar Proconsulum, cæterorumq; Præsidum; quibus certæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ *Ordinarios* reputantes &c."

Hoc Clementis responsum refertur in *Cap.* 2. *De Officio Legati in VI.* atq; ejus auctoritate uno consensu tradunt Canonistæ, *Legatos* Sedis Apostolicæ habere *ordinariam* auctoritatem; atq; *Ordinarios* per omnes suæ Legationis Provincias reputari.

XIX. Unde sicuti Ordinariorum est, auctoritate *ordinaria* statuta *perpetuò* duratura edere; ita & Legatorum statuta *perpetua* esse declararunt Pontifices: "Nemini dubium esse volumus, inquit Gregorius IX. quin Legatorum Sedis Apostolicæ *Statuta* edita in Provincia sibi commissa, durent *tamquam perpetua*, licèt eamdem postmodum sint egressi." *Cap.* 16. X *De Officio Legati.*

XX. Ulteriùs, quia *Ordinarii* reputabantur; atq; tamquam *Ordinarii* in Provincia constituti qui vice Sedis Apostolicæ *evellant & dissipent atq; plantent*, idcirco jure delegationis non tantùm poterant causas *per appellationem* ad se delatas cognoscere & decidere; sed etiam quæ per *simplicem querimoniam* pervenirent ad ipsorum audientiam, uti respondit Alexander IV. in *Cap.* 1. X *De Officio Legati.*

XXI. Eodem fundamento declararunt, legationis officium non expirare morte Pontificis à quo missi fuêre, *Cap.* 2. *De Officio Legati VI.*

XXII. Adhæc cum Legati haberentur tamquam *Ordinarii*, qui vice Sedis Apostolicæ curam Provinciarum in spiritualibus agerent, tandem quoq; invaluit, ut ipsis tamquam *operariis & ministris* Ecclesiæ *necessarii sumptus* suppeditarentur. Et quidem Gregorius VII. in formula juramenti quam à Metropolitanis in traditione Pallii exegit; & quæ successu temporis ad omnes Episcopos extensa est, addidit clausulam de procurationibus Legatorum quam hoc verborum tenore expressit: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo & in* NECESSITATIBUS *suis adjuvabo.*

XXIII. Stabilita verò semel necessitate suppeditandorum sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactiq; Provinciales immensas nonnumquam auri argentique moles pendere; quæ adeò publica erant ævo Sancti Bernardi, ut scribens ad Eugenium III. eum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, "*Ecclesias non spolient, sed emendent, qui marsupia non exhauriant, sed corda*

„ *reficiant & crimina corrigant*, qui cum ad Apostolicam „ redierint, *redeant fatigati* quidem, sed non suffarcinati; „ simul & gloriantes, non quod curiosa seu preciosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis Ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, „ sectatorem bonorum operum.

Hinc frequentes Pontificum atque Conciliorum sanctiones quæ Legatorum in exigendis *procurationibus* excessum non semel castigarunt, atque intra moderatos *necessitatis* limites concluserunt, ut *nulla Ecclesia, vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Cap.* 17. & 23. ⁏ *De Censibus.*

XXIV. Constat ergo, *Legatos* Sedis Apostolicæ tamquam *Ordinarios* per omnia reputatos fuisse; quin eorum, præcipuè *Legatorum à latere*, ea fuit auctoritas & dignitas, ut instar *Proconsulum cæterorumque Præsidum* ad regendas Provincias mitti dicerentur, *Cap.* 2. *De Officio Legati.*

XXV. Et quidem sicuti Proconsules Romani, euntes & redeuntes è Provinciis sibi concreditis utebantur insignis suæ dignitatis, ita quoque Legati utuntur insigniis Apostolicæ dignitatis, puta, vestibus rubeis, palafredo albo, freno & calcaribus deauratis, uti post Hostiensem ad *Cap.* ANTIQUA ⁏ *De Privilegiis* notant communiter Canonistæ; idque mox ut ex Urbe recesserint.

XXVI. Quin ea erat dignitas Legatorum, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possent Dominicæ Crucis vexillum sibi jubere præferri ubicumque præsens esset Summi Pontificis Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis, *Cap.* ANTIQUA ⁏ *De Privilegiis*; quia in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, inquit Barbosa *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 5. *num.* 21.

Unde, uti ibidem observat Barbosa, Episcopus in civitate & Diœcesi cui præest non potest præsente Legato *de latere* benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzetam significantem jurisdictionem illius ordinariam.

XXVII. Simili ratione scripsit Gregorius IX. Patriarchæ Hierosolymitano: "Fraternitati tuæ Legationis officium in „ Provincia tua duximus committendum, ita tamen quod „ si Legatus ad partes illas *de latere nostro* contigerit destinari executionem ipsius officii, *quamdiu Legatus ipse ibi* „ *fuerit*, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino *dimittas.* „ *Cap.* 8. ⁏ *De Officio Legati.*

XXVIII. Potestas & dignitas Legatorum *à latere* & in hoc supra aliorum Legatorum dignitate eminet, quod ipsi quoque ad instar Romanorum *Proconsulum* aliquam jurisdictionem, saltem voluntariam exerceant extra fines Provinciæ sibi commissæ; v. g. absolvendo aliquem ab excommunicatione pro injectione manuum violenta in Clericum; quemadmodum ad *Cap.* 9. ⁏ *De Offic. Legati* post Glossam notant Canonistæ.

XXIX. Potest quoque Legatus à latere conferre Beneficia in Provincia sibi credita, licet sint Jurispatronatus Ecclesiastici, *cùm plus juris habeat in concessione Prælatus*, ait Innocentius III. *quam in præsentatione Patronus, nec præjudicetur Prælato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum inconsulto Ecclesia concedatur.* Cap. 6. ⁏ De Officio Legati.

XXX. Verum, licet amplissima fuerit posterioribus sæculis Legatorum, præsertim *à latere*, auctoritas ac potestas, nihilominus tamen plura in signum suæ supremæ potestatis Pontifices reservarunt, quæ eorum Legatis *à latere* non competunt, nisi specialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis à Pontifice sint expressa; qualia sunt transferre Episcopos aut Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subjicere; aliaque quædam similia quæ ad *Cap.* 4. ⁏ *De Offic. Legati* annotavit Glossographus.

XXXI. Ex his verò causis Pontifici specialiter reservatis, Pontifices solent suis Legatis, vel plures vel pauciores committere, quatenus gratiâ vel auctoritate apud Pontificem prævalent; easque exprimere solent in mandatis & facultatibus quas Legatis suis tradere consueverunt.

XXXII. Ex varia hac Pontificũ delegatione nunc ampliore, nunc restrictiore factũ est, ut verissime annotarit Panormitanus in *Cap.* FIN. ⁏ *De Confirmat. utili*, adeo perfusoriè & generaliter de Officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis propriè ad Legatum pertinent.

XXXIII. Hinc & prudenter hodie Pontifices solent mandatis sive facultatibus Legatorum seu Nuntiorum inserere ea omnia, quæ Legatis committenda esse censent. Unde etiam monet Cardinalis De Luca disc. 33. ad Concilium Trid. *n.* 21. quoad jura Legatorum certam regulam statui non posse, *cum totum pendeat à tenore facultatum.* Facultates quas habuit Decius Caraffa Nuntius Apostolicus in Belgio sub Alberto & Isabella, exhibet Zypæus tit. *De Offic. Legati*, notatque eas esse, quales plerumque Nuntii habere solent.

CAPUT III.

Quid moribus hodiernis, præsertim Galliæ & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat?

1 *Legati & Nuntii Ordinarios in sua jurisdictione turbare non possunt.*

2 *Olim multùm solliciti fuêre Pontifices, ne per Legatos Ordinariorum jurisdictio & auctoritas impediretur.*

3 *Solliciti quoq; erant, ut essent grati Principi ad quem mittebantur.*

4 *A multis sæculis obtinuit, ut sine prævio Principis consensu non mittantur.*

5 *In Gallia id in usu erat tempore Bonifacii VIII.*

6 *Consuetudo Angliæ de non mittendis Legatis sine prævio Regis consensu probata à Callisto II.*

7 *Legati debent Bullas suæ Legationis Regi exhibere.*

8 *In Gallia Facultatibus Nuntiorum & Legatorum modificationes addi solent.*

9 *Idem observatur in Hispania & Belgio.*

10 *Modificationes Facultatum Legatorum* à Latere *annotantur in Registris Curiæ; & ad quid?*

11 *Referuntur articuli modificationum in Gallia apponi soliti.*

12 *Legati etiam* à Latere *debent Legationem exercere per se.*

13 *Legatorum potestas hodie non censetur* Ordinaria.

14 *Legati non possunt exercere suam Legationem, nisi quamdiu Regi placuerit.*

15 *Legatus discedens debet Legationis acta reponere ad manus alicujus à Curia Regia designati.*

16 *Articuli modificationum in Gallia apponi consueti multùm moribus Belgicis consonant.*

17 *In quibus potissimum hodie versetur Nuntiorum officium.*

18 *Legati & Nuntii plurimùm Ecclesiæ prodesse possunt, si debitis dotibus sint instructi: quæ ibidem referuntur.*

I. Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 20. *De Reformat.* statuit: "Legati quoque etiam „ *de latere*, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumq; facultatũ vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant: sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, eoque negligente, procedant: alias „ eorum processus ordinationesvè nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur."

Hic patet, Synodum Tridentinam in nullo velle auctori-

ctoritatem & jurisdictionem Ordinariorum per Legatos aut Nuntios perturbari aut impediri: unde etiam notat Zypæus in Jure novo titulo *De Officio Legati*, quod generatim Nuntiis præscribatur, ut procedant sine præjudicio Ordinariorum: quod & Rex in litteris *Placeti* addere solet, ut infra patebit.

II. Quam solliciti jam pridem fuerint Pontifices, ne Legati jurisdictioni & auctoritati Episcoporum in aliqua detraherent, liquet ex verbis S. Leonis Legationi Juliani Episcopi Coensis, de quibus capite præcedenti, subjunctis: "Consulenti autem dilectioni tuæ de his, in quibus putaveris „ambigendum; non deerit relationibus tuis meæ responsio„nis instructio: ut sequestrata earum actione causarum, „quæ in quibusque Ecclesiis Præsulum suorum debent cog„nitione firmari, hanc specialem curam vice mea functus „assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutychiana „in aliqua parte revirescat &c."

III. Neque minus solliciti erant, ut Legati, præcipuè qui eum in finem ablegabantur ut in comitatu Principis morarentur, Principi grati essent; ejusque patrocinio foverentur. Unde nec facilè tales ad Principes Legatos mittebant, nisi unà benevolentiam Principis sollicitarent, omnemque Legatorum erga Principem observantiam spondenent; quemadmodum in epistolis S. Leonis ad Martianum & Pulcheriam; nec non variis epistolis S. Gregorii videre licet.

IV. Imo à multis seculis apud pleraſque gentes invaluit, ut Legati Pontificii ad Provincias, sine prævio Principis consensu non admittantur; quemadmodum nec Principum Legati à Pontifice, nisi ejus consensu recipiuntur.

V. Illud in Regno Galliæ tempore Bonifacii VIII. & Philippi pulchri Galliarum Regis obtinuisse, fit manifestum est ex articulo, quem inter alios Bonifacius per suum Legatum Philippo proponi voluit; ipsiusque Philippi dato responso. Articulus proponendus hic erat: "Item ad denuntiandum vel declarandum eidem Regi, quod Roma„nus Pontifex Legatos de latere ac Nuntios liberè mittere „potest ad quævis imperia, Regna & loca, *prout vult, abs„que petitione* cujuslibet vel *consensu*; usu vel consuetudi„ne contrariis nequaquam obstantibus." Huic articulo re„spondit Rex: "quod non impedivit, nec impedire inten„dit Legatos, Nuntios, vel alias qualescumque personas, quo„minus ingredi valeant Regnum suum, nisi *sibi & Regno „sint legitimâ ratione suspecti*, vel aliàs habeat justam cau„sam."

VI. A Callisto Papâ II. concessum fuisse Henrico I. Angliarum Regi, ut vetustæ Regni sui consuetudines firmæ manerent; atque inter alias hæc, ut nullus Legatus in Regnum ejus mitteretur, nisi à Rege postularetur, refert Rogerius De Hoveden in priore parte Annalium: verba ejus sunt: "Rex à Papa impetravit ut omnes consuetudines, quas „Pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi con„cederet, & maximè ut *neminem Legati* officio in Anglia „fungi permitteret, si non ipse (aliqua præcipua querelâ exi„gente, quæ ab Episcopis regni terminari non posset) *hoc „fieri à Papa postularet.*"

Hæc praxis non admittendi Legatos seu Nuntios Apostolicos sine Regio consensu usque ad hæc nostra tempora, non in Gallia aut Anglia dumtaxat, sed & in Hispania, ac Belgio nostro constantissimè servatur.

VII. Imo quemadmodum olim Proconsules Romani (quibus Legati Apostolici, præsertum *à Latere* comparantur) secum ferebant facultatum seu mandatorum suorum articulos in Provincia sibi demandatâ exhibendos; ut juxta illos suam auctoritatem ac jurisdictionem exercerent; ita quoque moribus obtinuit, ut Legati sive Nuntii Apostolici Facultates suas habere debeant, easque Rege ejusve Parlamento exhibere; ut iis visis & examinatis expendatur, num nihil in illis contineatur juribus Regiis, aut Regni, vel subditorum contrarium.

VIII. "Legati de Latere (ait Franciscus Marcus *Decis. „Delphin. parte 2. decis. 14.*) apud Gallos nusquam fun„guntur Legationis officio, nisi in eorum ingressu insinua„verint suæ potestatis litteras supremæ Curiæ Parlamentis." Et Renatus Choppinus de P. S. *lib. 2. tit. 4.* "Sacri Legati „potestas initium tum ... apud Gallos, ex quo primum *Curia „codicillos Pontificios approbaverit.*"

"Patiuntur Romani Pontifices (inquit Mornacius ad *l. t. „Cod. De summâ Trinit.*) Legatos suos quos mittunt in „Galliam, Lugduni semper, atque in hunc diem gradum si„stere, donec *singula legationis capita temperentur à Se„natu Francico*, qui indicit & cancellat liberè, si imminu„tû in aliquo jus in re profana seu temporali regium viderit.

IX. Quod de Gallia uno consensu Practici testantur, & notoria praxis evincit, idem de Hispania & Belgio refert tamquam indubitatum & Caroli V. edicto firmatum Didacus Covarruvias *Pract. qq. c. 35. §. 4.*

"Sicuti apud Hispanos, ait, potestas Legatorum seu „Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri „possint à summo Regis prætorio, quibus uti conveniat „dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Rei„publicæ dispendium: cum plerumque Nuntii Apostolici „exteri sint, nec satis noverint, quæ sint omninò præcaven„da, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur: ita & „idem fieri solet apud Gallos teste Carolo Molin. in Reg. „Cancellariæ de infirmis resignantibus *num.* 139. Ita enim „inquit de Regno Franciæ: in quo nec Legatus quidem Pa„pæ, sive lateralis sive missus quidquam auctoritate Papa„li exequi potest in regno, nisi priùs permissionem expres„sam à Rege obtinuerit homologatam à supremo Tribuna„li Regio, in quo Legatus aliquid exequi nec in terris Re„gni, quæ nuper adhuc erant in possessione Regis Franciæ, „sine consensu Comitis Flandriæ, ut vidi per programma „Caroli V. Imperatoris, qui ibi idem jus conservat, cujus „programmatis exemplar habeo sub data 15. die Maji anno „1531. Hactenus Molinæus. Ex quo apparet, non tantum „in Hispania, sed & in Flandria & apud Gallos hoc ipsum „frequentissime fieri." Hæc Covarruvias.

X. Ob reverentiam quidem Legatorum *à latere* solet Curia Regia, teste Fevretio *lib. 3. De Abusu cap. 2.* ipsis reddere Bullas legationis nullâ factâ mentione restrictionum sive modificationum, quæ in registris Curiæ duntaxat annotantur, ut ad illas, cum opus fuerit, recurri possit. Si tamen Legatus his contraveniat, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem concernant, abusus judicatur, atque ab illo actu *tamquam ab abusu* ad Curiam Regiam appellatur.

XI. Jacobus Thuanus *Lib. 3. Historia sua ad annum* 1547. in unum redegit & per ordinem retulit modificationes, quæ in verificatione, ut ajunt, facultatum sive Bullarum Legatorum *à latere* per Curiam Regiam diversis temporibus appositæ fuerunt, quemadmodum ex litteris ipsis verificationum relatis *tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23.* videri potest.

Cum verò ex dictis articulis elucescat, quæ sit moderna circa auctoritatem & facultates Legatorum & Nuntiorum disciplina & praxis, non inutile fore credidi dictos articulos eo ordine, quo à Thuano recitantur, referre.

Ut Legatus "mandatorum vi nullam jurisdictionem „in regis subditos, ne ipsis quidem consentientibus, ex„erceat, nec etiam in eos è Sacro Ordine, qui jurisdi„ctioni ordinariæ exempti sunt, & directè ad S. S. per„tinent; quibus si opus sit, judices in partibus dele„gatos dare tenebitur, qui de appellationibus eorum „cognoscant, & finem liti imponant: natalium re„stitutionis beneficium spuriis non impertiatur, nisi „ut ad Sacros ordines admitti, & sacerdotia obti„nere

„ [illegible] possit, modò ne eo Beneficio privilegiis, immunita„ [illegible] ac privilegiis Sacrorum Collegiorum, quæ spurios „ [illegible] admittunt, derogetur; non autem beneficium „ ad id porrigatur, ut spurii ad successiones & Magistratus „ civiles ac hujusmodi publica munia admittantur: nul„ [illegible] Sacerdotiorum unionem sanciat; tantùm rescripto „ judices deleget juxta Synodi Constantiensis statutum: „ iisque qui gradus prærogativam ad Sacerdotia per nomi„ nationem habent, studiorum curriculi gratiam non „ faciat: nulla pensione Sacerdotia, etiam consentienti„ bus, qui ea obtinent, oneret, nisi commodo eorum, „ qui ea ejerabunt, aut litigii componendi causâ; neque „ [illegible], ut qui ea ejerabant, pensionis loco om„ nes fructus retineant, concedatve, ut qui ea tenent, „ bona soli ulla de causa aut quovis contractu alienare „ possint; etiamsi ea Sacerdotia nulli regni jurisdictioni „ subjaceant, & nullo medio ad Sanctitatem Suam perti„ neant: tantum eo casu judices in regno deleget, qui „ causâ cognita juxta juris præscriptum auctoritatem de„ creto interponant: Cœnobia Religiosorum utriusvis se„ xus, nulli, vita durante, aut ad tempus, cum titulo attri„ buere, aut commendare queat, citra Regis nominatio„ nem, juxta pacta cum Leone X. inita; neque Sacerdotio„ rum vacantium gratiam ulli faciat in indulti à P. P. Parisi„ ensis Senatus assessoribus à Rege nominandis concessi „ præjudicium: nullam inter regis subditos jurisdictionem „ exerceat de falso, usuris, separatione conjugatorum, quod „ ad petitionem dotis, & bonorum per contractus illicitos „ ablatorum restitutionem: de crimine item novæ sectæ, „ quæ quietem publicam turbet, cùm de facto tantùm quæ„ ritur, non cognoscat, quippe cùm eorum omnium „ cognitio ad Regem ejusque judices pertineat; neque Regis „ subditos in iis causis absolvat, nisi quoad conscienti„ am & pœnitentiam: testandi contra Provinciarum con„ suetudines, jura Regni ac constitutiones in Curia pro„ mulgatas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœ„ nobiis Monasticam professis gratiam non faciat: in diplo„ matibus suis patronorum aut aliorum Ordinariorum „ juribus non deroget contra statuta & laudabiles primaria„ rum Ecclesiarum aut Collegialium consuetudines ac privi„ legia Regis postulatu à Pontificibus concessa gratiam nul„ li faciat, plura Sacerdotia uni sub eodem tecto non confe„ rat: executoribus testamentorum tempus à lege præstitu„ tum non proroget: legata pia in alios usus, quàm „ quos testator voluit, non convertat, nisi eo casu, „ quo voluntas defuncti planè impleri non possit, & „ dummodo commutatio in rem fiat, quæ testationi ejus „ [illegible] æquipolleat: regulæ *de verisimili notitia*, & *pub„ licandis resignationibus* non deroget: de fructibus per„ ceptis cum iis non paciscatur, qui in Sacerdotiorum pos„ sessionem se verè intruserint, aut eos ipsis omnino remit„ tat; cùm scilicet in usum & utilitatem ipsarum Ecclesia„ rum, à quibus profecti sunt, resarciri debeant, in con„ ferendis Sacerdotiis, quæ ejerata fuerint, non statuat, „ ut fides diplomatibus suis adhibeatur, etiam non exhi„ bitis procurationibus, quarum vi ea Sacerdotia ejera„ ta fuerint. In diplomatibus suis clausula, *anteferri*, „ aut simili, in præjudicium juris jam alteri quæsiti, non „ utatur. Causas Ecclesiasticas ad se evocare, aut de iis „ cognoscere contra caput, *de causis*, aut rei sequestra„ tione uti non possit: de criminibus, quæ verè Ecclesiastica „ non sunt, etiam si mista fuerint, contra purè Laicos non „ cognoscat, sed tantùm contra Ecclesiasticos; neque in „ criminibus purè Ecclesiasticis mulctas pecuniarias Laicis „ roget; et tamen contra Ecclesiasticos hujusmodi mul„ ctas ut jus sit, secundùm sanctiones Canonicas, dum ne „ derogetur Sacris Conciliorum Decretis in Censura Cano„ nica comprehensis: restitutiones in integrum, aut con„ tractuum inter Laicos factorum rescissiones non conce„ dat: de actionibus in rem, etiam si contrahentes sacris ad„ dicti fuerint, aut de contractibus inter quascumque per„ sonas Laicas aut Ecclesiasticas factis, qui obligationes in „ personam contineant, si à Notariis Regis publicâ auctori„ tate confirmati fuerint, non cognoscat: personas Laicas in„ famia notatas famæ & dignitati non restituat, sed tantum „ Clericos, quoad Sacros Ordines & Sacerdotales dignita„ tes: non permittat iis, qui Sacerdotia ejerando pensiones „ retinuerint, eas in alium transferre: Sacerdotia Regni, „ quæ conferre ei, quamdiu in regno erit, jus est, cùm extra „ regnum erit, conferendi facultatem non habeat; & cùm è „ regno discedet, in cujusdam viri spectatæ fidei manus acta „ legationis suæ consignare teneatur: nihil postremò faciat, „ quod deroget, aut præjudicet sacris decretis, pactis inter „ Reges & Pontifices initis, Conciliis Oecumenicis, juribus, „ immunitatibus, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Acade„ miis, & publicis regni scholis, idque scripto manu propria „ idoneè subsignato promittat."

XII. Ulteriùs quia in Legatione electa est industria personæ, ideo in verificatione Facultatum seu Bullarum injungitur, ut Legationem suam exerceat *per se, non per alios*. Unde Curia Regia anno 1519. admisit quidem Legationem Cardinalis Ambrosii, ut tamen ipse nequeat dare in sua absentia, aut alio quocumque prætextu aliquem Vicarium aut substitutum cum pari auctoritate aut facultate: sed possit committere aut delegare dumtaxat aliquem Regentem Cancellariæ suæ, & alios Officiarios pro Legationis suæ exercitio. Habentur hæ litteræ verificationis *tom.* 2. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 27.

XIII. Legatorum præsertim *à latere* potestatem jure communi *Ordinariam* reputari supra notatum fuit: " At „ in terra Gallica (ait Renatus Choppinus *Lib.* 2. *De sacra „ politia tit.* 4. *num.* 4.) quæ unius Regis profanum ha„ ctenus dominatum experta est, Legati functionem nos *a„ lienam* potiùs interpretamur, delatamque à Pontifice, „ quàm illius *propriam ac ordinariam*."

XIV. Monet quoque ibidem Choppinus *num.* 3. " ad„ jectum fuisse Senatus Consulto, Legatum tamdiu potesta„ te usurum quamdiu ageret in Provincia dumtaxat (non si „ Regno Francico semel exisset) *aut quousque placuisset „ Principi*."

Tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 30. referuntur litteræ Archiepiscopi Barensis Nuntii Sedis Apostolicæ ad Curiam Regiam, in quibus hæc habentur: " Per has præsentes promittimus & juramus per Ordines „ Sacros, quos ab Ecclesia recepimus, præfato Christianissi„ mo (Regi Franciæ) quod jam dicta Legatione non ute„ mur in regno suo, terris & Dominiis sibi subditis nisi „ quamdiu suæ libuerit voluntati: adeo ut cùm primùm cer„ tiores efficiemur quod suæ voluntatis est, ut ampliùs „ illa non utamur, statim cessabimus & desistemus illâ „ uti."

Idem scripto promisit Antonius De Prato Cardinalis tituli S. Anastasiæ & Archiepiscopus Senonensis Legatus *à latere* anno 1529. & extat promissio dicto *cap.* 23. *numero* 39.

XV. Denique notat Choppinus loco citato: " Galli„ cis autem finibus abscessuro Legato injunctum est, om„ nia suæ Legationis *acta*, & *commentaria* dimittere *pe„ nes Curiæ Præsidem* aut *Consiliarium*, quemcumque ei „ idcirco *Senatus designasset*. Quorum omnium syngra„ pham tesseramque assertoriam Legatus Regi præberet, „ *Curiæ Regestis* postea *inscribendam*, sicuti hæc omnia Se„ natorio Decreto expressa sunt 17. Kalend. Januar. anno „ 1551."

In formula juramenti Cardinalis Mauroceni Legati *à latere*, præstiti Henrico III. Francorum Regi anno 1576. ibidem *num.* 60. habentur sequentia: " Juro & promitto „ in verbo Cardinalis per Sacros Ordines meos manibus „ ad pectus positis Christianissimo Regi, me Legati „ munere non functurum, nec Facultatibus mihi

„ à S. Sede concessis usurum, nisi quamdiu in Regno ero, & „ suæ majestati Christianissimæ placuerit, adeo ut certior „ factus de illius voluntate, illi convenienter Legati nomen, „ & jus continuò sim depositurus: simulque omnium quæ „ geruntur à me, legatione finita, codicillos relicturum in „ manibus ejus quem voluerit sua Christianissima Majestas: „ item leges & statuta & consuetudines Regni servaturum, „ nec ullo modo auctoritati & jurisdictioni Regiæ, juribus, „ libertatibus, & Privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ & universitatum derogaturum."

XVI. Prædicti articuli modificationum & reliqua usum Regni Galliæ exponentia si attendantur, & conferantur cum moderna Belgii nostri Praxi, apparebit, in multis mores Belgicos hac in parte Gallorum moribus consentire.

Et quidem Philippus II. Hispaniarum Rex in litteris *Placeti* super Legatione Caroli Caraffæ in has Provincias, datis Bruxellis 18. Decembris 1557. postquam declaravit, "quod „ dictus Caraffa sibi exposuisset, se nolle in hisce „ Provinciis uti Facultatibus seu Bullis suæ Legationis sine notitia & consensu Regis, quem postulari fecit, „ dicit: se consensisse, atque per præsentes consentire, ut Legatus suis *Facultatibus & Bullis* utatur; ita tamen, quod „ non poterit præjudicare indultis aut Privilegiis Regiis nominandi ad Monasteria, Dignitates ac Beneficia in his Provinciis; neque etiam ordinationibus aut edictis publicis harum „ Provinciarum: quod non derogabit Juripatronatus Laicorum; neque ulli fundationi quovis prætextu; quod non „ utetur præventione in præjudicium Ordinariorum Collatorum Beneficiorum; non poterit quoque dispensare super „ retentione duorum Beneficiorum Curatorum, neque „ duorum Beneficiorum in eadem Ecclesia: quodque hi „ qui ab eodem Legato obtinebunt quamcumque gratiam, provisionem aut Bullam, iis uti non poterunt sine præviis litteris *Placeti Regis*, quemadmodum, ait, observare „ solemus in omnibus provisionibus & Bullis Apostolicis." Habentur hæ litteræ in quodam libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium; nec non diversa alia indulta nominandi ad Beneficia & Dignitates Principibus Belgii indulta, impresso Leodii apud Matthiam Hovium anno *1661. pag. 157.*

XVI. Auctoritas itaque Nuntiorum Apostolicorum in Gallia ac Belgio ferè in his consistit.

Primò in concedendis rescriptis, quibus designantur Judices Synodales in partibus, qui de causis per appellationem aut alium quemcumque titulum ad Sedem Apostolicam devolutis, cognoscant & judicent.

Secundò, in concedendis dispensationibus, vel conferendis Beneficiis aliisve gratiis elargiendis, quæ privativè ad Sedem Apostolicam eas per Legationis Bullas seu Facultates Legatis seu Nuntiis censuerit communicandas.

Tertiò, ipsi Nuntii etiamnum hodie vice Pontificis in Provinciis pro fidei integritate & conservatione, nec non Canonum custodia excubare debent; atque apud Reges & Principes tamquam Ministri Pontificii negotia Pontificis procurare. Solent quoque Pontifices per Nuntios tamquam suos Ministros apud Principes & Reges in Provinciis agere omniaque per manus ipsorum transire solent. Ipsi quoque omnia majoris momenti Romano Pontifici atque Curiæ Romanæ referunt; quæque agenda sint à Pontifice exspectant, atque de singulis Pontificem ac Curiam Romanam informant. Quare à vero aberrare non videntur, qui hodiernos Nuntios Apostolicos, pristinis Apocrisiariis & Responsalibus (de quibus capite præcedenti) comparari posse credunt.

XVIII. Indubitatum quoque est, non exiguam etiam hodie esse Nuntiorum apud Principes & Ecclesiæ Prælatos auctoritatem, propter reverentiam & eminentiam Sedis Apostolicæ, cujus ipsi vices gerunt, & pro qua Legatione funguntur; quodque Plurimùm Ecclesiæ sua auctoritate prodesse possint, præsertim si tales sint, quales Sanctus Bernardus *lib. 4. De Considerat. ad Eugenium cap. 4.* describit: "Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. „ Qui quæstum Legationem non æstiment, nec requirant „ datum, sed fructum. Qui Regibus Joannem exhibeant, „ Ægyptiis Moysem, fornicantibus Phinees, Heliam idololatris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum „ blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus „ non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed terreant, pauperes non gravent, sed foveant: minas Principum non paveant, sed contemnant. Qui non cum turba „ intrent, nec cum ira exeant: qui Ecclesias non spolient, sed „ emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda reficiant, & crimina corrigant: famæ provideant suæ, nec invideant alienæ. Qui orandi studium gerant, & usum habeant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ „ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exitus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitia, „ quorum præsentia grata, quorum memoria in benedictione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: „ reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles „ cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros „ durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retributionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio „ crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod „ gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam patientibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. „ Qui de tuo denique spiritu illorum instar septuaginta „ Moysi accepisse censeantur, per quem sive absentes, sive absentes contendant placere tibi, placere Deo."

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

CAPUT I.

De Origine, & Dignitate, & Officio Cardinalium.

1 *Qui dicti olim fuerint, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales?
2 *Unde olim dicerentur* Cardinales?
3 *Quomodo Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales *distinguerentur à* non Cardinalibus?
4 *Episcopum proprium Ecclesia S. Gregorius vocat* Cardinalem.
5 *Eodem sensu dicit Presbyterum* Cardinalem.
6 *Diaconum* Cardinalem *eodem sensu accepit.*
7 *Olim non tantùm in Ecclesia Romana, sed etiam in aliis erant Presbyteri & Diaconi* Cardinales.
8 *Etiam sæculo XI. Presbyteri Ecclesiarum Parochialium dicti sunt* Cardinales.
9 *Quæ primitus fuerint* Diaconiæ *in Urbe Roma?*
10 *Quomodo paulatim transierint in titulos* Cardinalium.

11 *Quæ-*

Digitized by Google

10 *Quatuordecim primum fuêre Diaconorum Cardinalium tituli, quibus quatuor alii additi.*
11. *Primus Leo X. octodecim titulis Diaconorum* Cardinalium *novum addidit.*
13 *Olim fuêre 28. tituli Presbyterorum* Cardinalium; *& quamdiu numerus ille manserit immutatus?*
14 *Episcopi* Cardinales *Romæ multis sæculis ignoti fuêre; & quomodo initium habuerint?*
15 *Quomodo numerus* Cardinalium *subinde diminutus, & subinde nimium auctus fuerit?*
16 *Synodus Basileensis limitavit ad viginti quatuor.*
17 *Sixtus IV. numerum primus valde ampliavit.*
18 *Hodie ad septuaginta redactus.*
19 *Antiquitus Cardinales Ecclesiæ Romanæ erant ipse Clerus illius Ecclesiæ; quem* Presbyterium *dicebant.*
20 *Presbyteri aut Diaconi Cardinales olim supra reliquum Clerum non eminebant.*
21 *Multis sæculis Episcopi prælati fuêre* Cardinalibus.
22 *Dignitas Cardinalitia cum dignitate Romani Pontificis sensim crevit.*
23 *Circa sæculum XII. cœperunt* Cardinales Episcopi.
24 *Pileus rubeus aliaque insignia Cardinalibus data.*
25 *Quando Cardinales dicti sint* Eminentissimi?
26 *Cardinales nullo alio titulo quàm* Cardinalitio *uti possunt.*
27 *Cardinalitia dignitas omnem aliam suo splendore absorbere videtur.*
28 *Cardinales nonnunquam Episcopos indignè tractarunt.*
29 *Bartholomæus De Martyribus conqueritur Episcopalem dignitatem per Cardinalitiam in vilipendium venisse.*
30 *Præcipuum officium* Cardinalium *olim fuit intendere Ecclesiis suorum respectivè titulorum.*
31. *Hodie præcipuum ipsorum officium est, assistere Pontifici, ratione cujus postmodum suum nomen mutuarunt.*
32 *Cardinales hodie cum Pontifice majora Ecclesiæ negotia agunt.*
33 *Quæ qualitates in Cardinalibus requirantur.*
34 *Institutæ sunt Cardinalium Congregationes pro negotiis dirigendis.*
35 *Varia harum Congregationum species.*
36 *Quarum Congregationum notitiam habere hic conveniat?*

I. A Multis retro sæculis notissimum fuit *Cardinalium* in Ecclesia nomen; sed à modernis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus planè diversorum.

Episcopus quippe *Cardinalis* antiquitatis fuit, omnis ille Episcopus qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus sive *incardinatus*, hoc est, proprius ejus Ecclesiæ Episcopus.

Similiter Presbyter, aut Diaconus *Cardinalis* vocatus est, qui alicui Ecclesiæ aut loco pio tamquam *ordinarius*, & *proprius* Presbyter, aut Diaconus erat intitulatus, sive *incardinatus*.

II. Hujusmodi Episcopi, Presbyteri & Diaconi vocabantur *Cardinales*: quia, sicut *cardo* fixus, & immobilis; ac circa illum valvæ volvuntur; ita quoque circa illos Episcopos, Presbyteros ac Diaconos; tamquam *fixos* & proprios Ecclesiarum *cardines*, populus eorum curæ commissus in Ecclesiastico regimine, & animarum cura quodammodo movetur.

III. Verbo, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* hoc unicè ab aliis *non Cardinalibus* differebant, quod illi tamquam *proprii* & quasi *fixi ac immobiles* Ministri, Ecclesiis essent intitulati: hi verò tamquam *adventitii* & *subsidiarii* alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem *Cardinalium* nomenclaturam, hodierni Parochi verè dicerentur Presbyteri *Cardinales*; Vice-Pastores verò *non Cardinales*.

Hoc sensu Gelasius I. in litteris ad Cœlestinum Episcopum apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* 3. Pontificem *Cardinalem* opponit Pontifici seu Episcopo *Visitatori*; qui scilicet dumtaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tamquam *Visitator* invigilat.

Meminit quoque hujusmodi Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum *Cardinalium* non semel S. Gregorius.

IV. Et quidem, cùm Isauriæ Episcopus, ob imminentes hostes refugium habuisset in insulam Corcyram, atque ad Ecclesiam quamdam istius insulæ se cum sua plebe recepisset; velletque in illa non tantùm corpus Sancti Donati, quod secum attulerat, collocare & consecrare; sed insuper *Pontificalia* exercere, atque ea de causa lis inter Episcopum Isauriæ & Episcopum hujus insulæ orta esset, rescribit huic Sanctus Gregorius *lib.* 12. *Epist.* 2. Sacerdotes vel Clerum Isauriæ civitatis ab illa Ecclesia non esse repellendos, "sic tamen, „ inquit, ut Dilectioni tuæ in cujus Parochia (id est Diœcesi) „ castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione „ munitio, per quam promittat Episcopus Isauriæ, *nullum* „ sibi in eo *potestatem*, nullum privilegium fore, nullam *ju-* „ *risdictionem*, nullam tamquam *Cardinalis* Episcopus ulterius *auctoritatem* defendere: sed post pacem Deo propitio redditam ablato venerabili Sancti Donati, si maluerint, „ corpore, ad propria se modis omnibus reversuros."

Hic Gregorium per Episcopum *Cardinalem* intelligere *proprium fixum & ordinarium* Episcopum, perquam manifestum est: quapropter Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad citatam epistolam, verbo, *Cardinalis Episcopus*, sine ulla hæsitatione hanc notam apposuit: *id est*, TITULARIS sive PRINCIPALIS, *ut in epistola sequenti*; sive PROPRIUS, *ut in epist.* 8.

V. Presbyterorum *Cardinalium* & *non Cardinalium* in eodem sensu frequens quoque apud S. Gregorium est memoria.

Et quidem rescribens Castorio Episcopo Ariminensi, ut postulante Timothea illustri fœmina Oratorium pro ejus devotione in honorem Sanctæ Crucis absque *Missis publicis* solemniter consecret, hanc cautionem apponit: "Ita ut in „ eodem loco nec futuris temporibus baptisterium con- „ struatur, nec Presbyterum constituas *Cardinalem*" *Lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 9.

Similiter scribit Episcopo Firmano, ut cuidam suo Diœcesano Oratorium pro sua devotione exstruat; eadem rursus addita conditione, ut consecretur absque *Missis publicis*, & ut in eodem loco nec futuris temporibus *baptisterium* construatur, nec Presbyterum *Cardinalem* constituat.

Hic videmus Gregorium nolle ordinari *Presbyterum Cardinalem*: at verò scribens eidem Episcopo pro consecratione Ecclesiæ, quam quidam ejus Diœcesis Comes in suo Castro suoque sumptu constituere & dotare volebat, vult, Presbyterum ibi constitui *Cardinalem*. *Lib.* 10. *indict.* 5. *epist.* 12.

Ratio verò cur hic Presbyterum *Cardinalem* constitui præcipiat, & alibi inhibeat, hæc est; quod Oratoria, de quibus in prioribus epistolis, solummodo construerentur & dedicarentur ad alicujus privatam devotionem; nequaquam verò ad publicas synaxes, seu publicos populi conventus. Quare & absque *publicis* Missis consecrari debebant. Per Missas *publicas* enim intelligit Gregorius juxta phrasim illius temporis, Missas ad quas unà cum suo Pastore *plebs* convenire debebat.

Oratorium autem de quo in postrema citata epistola, non pro privata Comitis devotione destinabatur, sed insuper, ut ad illud populus convenire posset. Sic enim scribit Gregorius: "Presbyterum quoque te illic constituere volumus *Car-* „ *dinalem*, ut quoties præfatus Conditor fieri sibi Mis- „ sas fortasse voluerit, *vel Fidelium concursus exegerit*, „ nihil sit, quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia va- „ leat impedire.

In hoc ergo Presbyterum *Cardinalem*, id est, *proprium & fixum*, quem hodie *Curatum* sive *Plebanum* diceremus, constitui vult pro populi ibidem convenientis

Digitized by Google

directione; at in illis Presbyterum non *Cardinalem*; sive, uti hodie diceremus, *Cappellanum*, sive Presbyterum non fixum; ab Episcopo tamen postulandum, si Fundator Oratorii ibi Missas celebrari velit: uti expresiè monet S. Gregorius.

VI. De Gratiano Diacono ad Metropolitanum Episcopum ita scribit idem Pontifex *lib.* 5. *indict.* 14. *Epist.* 11. & refertur à Gratiano *dist.* 71. *Can.* 5. "Fraternitatem tuam nobis petiisse recolimus, Ecclesiæ Benafranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ *Cardinandum*. Et quoniam nec Episcopum, cui obsecundare, nec *propriam* habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere; petitionem tuam non prævidimus differendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere *Cardinalem*."

Itaque ætate S. Gregorii, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* propriè erant, Episcopi, Presbyteri ac Diaconi qui Ecclesiis erant intitulati seu *incardinati* tamquam *fixi* ac *proprii* illarum Ecclesiarum Pastores & Ministri.

VII. Hinc non tantùm in Ecclesia Romana, sed in omnibus passim Ecclesiis erant Presbyteri ac Diaconi *Cardinales*, præter *Cardinalem*, hoc est, *proprium* Episcopum. Et quidem usque ad sæculum undecimum, Curiones Ecclesiarum Parochialium in Ecclesiis Gallicanis dictos fuisse *Presbyteros Cardinales* ostendit ex illius temporis monumentis author tractatus Gallici *De Origine Cardinalium pag.* 26. *edit.* 1670.

VIII. Atque hoc sensu intelliguntur Sacerdotes *Cardinales* in *Cap.* 2. ꝫ *De Officio Archipresbyteri*; quos etiam antiquus Glossographus vocat *principales*; & in Corpore Juris Canonici correcto editionis Antverpiensis anni 1648. ad marginem notatur ex Antonio Augustino: "*Cardinales* Sacerdotes hoc loco non Urbis tantum Romæ, sed *aliarum* etiam Civitatum *primos* interpretamur. quibus tituli, id est, *Parochiæ* committuntur."

Author dictæ Decretalis dicitur *Leo Papa*, absque expressione ulteriori; sed Antonius Augustinus monet, *Leonem IX.* appellari à quibusdam ex veteribus libris: quæ inscriptio si vera sit, vel ex hac Decretali habemus, etiam ætate Leonis IX. id est circa medium sæculi XI. Parochialium Ecclesiarum Curiones, fuisse dictos, Sacerdotes *Cardinales*.

Itaque *Cardinales* Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum aliarum Ecclesiarum, erant Presbyteri & Diaconi qui Ecclesiis & titulis Presbyterorum aut Diaconorum erant intitulati seu *incardinati*, tamquam *fixi* ac *proprii* Ministri.

IX. Porrò Diaconiæ erant loca, in quibus per Diaconos Regionarios pauperes viduæ, pupilli, senes cujusque Regionis alebantur; habebantque hæc loca, quæ quasi publicæ domus hospitales erant, Oratoria seu sacella adjuncta. Qui igitur hisce locis tamquam *proprius* Diaconus ad ministrandum dictis personis, & loca illa regenda præficiebatur, Diaconus *Cardinalis* appellabatur, erantque hujusmodi *Diaconiæ* sive domus hospitales in singulis Urbis Regionibus; atque ideo *Diaconi* illi etiam dicti fuère *Regionarii*.

X. At usu harum Hospitalium domorum paulatim exolescente, ipsisque ædibus dirutis, solis sacellis ac oratoriis nomen *Diaconiæ* adhæsit, à quibus tandem *Diaconi Urbis Romæ* dicti fuère.

Porrò hæ Diaconiæ per quatuordecim Regiones Urbis distributæ erant; atque hinc primitus Diaconi hisce præfecti dicti sunt *Cardinales* primæ, secundæ, &c. Regionis; scilicet à Regione in qua titulus ipsius situs erat. At successu temporis antiquata hac appellatione, dici cœperunt, ad exemplum Cardinalium Presbyterorum, Diaconus Cardinalis hujus vel illius Diaconiæ v. g. *Theodori, S. Adriani* &c. nimirum à titulo Diaconiæ.

XI. His quatuordecim Diaconiis, sive titulis *Cardinalium* Diaconorum additi jam pridem fuerunt (ait Onuphrius Panvinius in libro *De Episcopatibus*, *Titulis & Diaconiis Cardinalium pag.* 25.) quatuor alii Diaconi Cardinales, quorum munus tantum erat, Lateranensi Basilicæ, vel Pontifici Romano, ibidem celebranti ministrare, quos & Altaris Lateranensis ministros appellatos fuisse legi, sicque XVIII. numerus expletus.

XII. Hæc Onuphrius, qui ibidem *pag.* 27. enumeratis hisce octodecim Diaconiis sive Titulis Cardinalium addit: "Porro autem has Diaconias semper fuisse legi, & numquam vel additis novis, vel antiquis sublatis mutatas usque ad Leonis X. Pontificatum, qui primus omnium Romanorum Pontificum, Diaconiam unam novam adjunxit, quæ fuit Diaconia *S. Onuphrii in Vaticano*, quam Joanni Cardinali Lotharingo à se creato tradidit."

XIII. Titulos *Cardinalium Presbyterorum* viginti octo qui ante millesimum & centesimum ab hinc annum extiterunt, *pag.* 8. enumerat Onuphrius; quorum aliquos circa tempora Gregorii I. mutatos fuisse monet, ita tamen ut numerus viginti octo Presbyterorum Cardinalium integer permanserit, ut habetur ex Pandulpho Pisano in vita Gregorii II. usque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Christi 1125. quo id observari desitum, uti latius exponit Onuphrius *pag.* 17.

XIV. Quoad *Cardinales Episcopos*; cum antiquitus Episcopus *Cardinalis* alius non esset, nisi *proprius* & *intitulatus* Ecclesiæ cujusque Episcopus; nullus in Urbe Roma præter Episcopum Romanum sive Pontificem dici potuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus *Cardinalis*. Unde & multis sæculis ignoti fuère alii *Episcopi Cardinales* Ecclesiæ Romanæ; atque admodum verisimile est, nonnulli circa sæculum XI. & XII. contigisse quod narrat Onuphrius *pag.* 13. nimirum quod "Ecclesiæ Lateranensi, quæ est specialis Sedes Romani Pontificis, propter suam, & Romani Episcopi excellentiam *septem* Episcopi ex circumvicinis civitatibus assignati sint, qui suis statis solemnibusque diebus singuli coram Romano Pontifice in eadem basilica celebrarent divina Mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent, atque ob eam causam postea Episcopi & *Cardinales*, id est, *Principales*, quod huic Ecclesiæ & Romani Pontificis ministerio adscripti essent, appellari cœperunt."

XV. Hi septem Cardinales Episcopi si jungantur cum 28. Cardinalibus Presbyteris, & 18. Diaconis, conficiunt 53. Cardinales; qui numerus tamen circa tempora Honorii II. id est, circa initium sæculi XII. minui cœpit; & ad incertum numerum sensim delabi. Imo teste Onuphrio *pag.* 18. ad eam paucitatem redacti sunt, ut non essent nisi septem Cardinales viventes, videlicet tres Presbyteri & quatuor Diaconi, quando creatus fuit Nicolaus III. anno 1277. qui ibidem notat, post tempora Nicolai III. rursus cœpisse augeri numerum Cardinalium; qui ut nec graves Ecclesiæ essent, nec superflua numerositate vilescerent, quod numerum 24. excedere non possent, in Concilio Basil. cautum est.

XVI. "Primus Papa Xystus IV. nullâ habitâ ratione Decreti Concilii Basiliensis, supra omnes Prædecessores suos) si Onuphrio *pag.* 18. credimus) Cardinalium numerum maximè ampliavit; cujus exemplum optimè secutus est Alexander Papa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53. numerum excessit, ut essent videlicet plures quàm 53. quum nec eum numerum attigerint; sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui statuti ratione non habitâ, in magnâ illâ 31. Cardinalium creatione, veterem & antiquum atque à nullo umquam Romanorum Pontificum excessum numerumque longe superarit. Nam sub Leone X. plus minus 65. Cardinales simul viventes fuerunt, quod numquam alias contigerat post funda-

„ sendatam Romanam Ecclesiam. Ejus exemplum secu-
„ ti sunt Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. Prior e-
„ nim ad 63. numerum Cardinales auxit, sequens ad 70.
„ quem quoque numerum numquam fuisse satis constat.„ Hæc ille.

XVII. Hunc numerum tamquam respondentem septuaginta viris, quos de Senioribus in suum adjutorium ex mandato Domini assumpsit Moyses, & septuaginta Discipulis, quos binos ante faciem misit Christus, retinendum decrevit Xystus V. in sua Constitutione quæ incipit, *Postquam Verum ille*, decernens „ ut imposterum connumeratis omnibus cujuscumque ordinis Episcopis, Presbyteris „ & Diaconis *Cardinalibus*, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum *septuaginta* „ nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quo„ vis prætextu, occasione vel causâ etiam urgentissima minimè augeatur.„ Declarans insuper electionem ac nominationem alicujus ultra dictum numerum *nullam irritam* ac *inanem*.

XVIII. Hic est ergo modernus Cardinalium numerus quorum titulos, & à quibus Pontificibus novi erecti fuerint, in citato libro enumerat Onuphrius; hoc unà monens, hodie duntaxat esse sex Episcopos Cardinales; eo quod Ecclesia Episcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ aliàs Sylvæ Candidæ Calixto II. unita fuerit Episcopatui Portuensi.

Quemadmodum circa numerum Cardinalium varia pro temporum varietate intercessit disciplina, ita nec minor circa Cardinalium eminentiam ac dignitatem intervenit mutatio.

XIX. Antiquitus enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ alii non erant, ut ex jam dictis facile est colligere, quam ipse Romanæ Ecclesiæ ordinarius Clerus, constans ex Presbyteris & Diaconis. Unde *Presbyterium* de quo S. Cornelius Papa ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio notat Pamelius in notis ad citatam epistolam Cornelii: „ Presbyterium, ait, intelligit tum hic tum paulo post, Collegium, sive „ Senatum (ut loquitur D. Hieronymus epistola ad Rusti„ cum) *Cleri Romani*, utpote sine quorum consilio ar„ duum nihil soleat agere Romanus Pontifex. Atque adeò, „ tum hinc tum ex Epistolis Cypriani ad Clerum Romanum „ constat, Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Romanæ, in „ eadem auctoritate jam olim fuisse, qua nunc pollent, „ eodem etiam munere functos, quo *nunc Cardinales*; „ nempe ut essent Consiliarii, & Assessores Episcopi Ro„ mani. Quod plane perspicuum fit ex verbis illis epistolæ „ 55 ad Cornelium: *florentissimo illic Clero tecum præsidenti*. Erant tamen illis Episcopi tum temporis superiores.„ Hæc Pamelius.

XX. Cum ergo *Cardinales* R.E. non essent nisi Presbyteri ac Diaconi suis respectivè Ecclesiis aut Titulis *incardinati*; ipsum Clerum Ecclesiæ Romanæ eo modo constituentes, quo aliarum particularium Ecclesiarum Presbyteri & Diaconi suæ respectivè Ecclesiæ Clerum conficiebant, nullâ quoque supra reliquos prærogativâ in illa qualitate gaudebant: quemadmodum sex aut septem illi Episcopi Romanæ adjacentes, etiam postquam R.E. Cardinales creati fuere, ob eam causam (uti monet Onuphrius *pag.* 30.) neque Patriarchis, neque Metropolitanis vel Archiepiscopis, neque etiam Episcopis aliarum Civitatum, licet Cardinales non essent, ante se tamen consecratis, digniores erant, nec etiam eos præcedebant: sed eorum præcedentia erat ratione temporis, quo Episcopi creati fuerant: etenim Episcopus *Cardinalis* Ostiensis, si post Episcopum Veronensem, qui non erat Cardinalis, vel post alium quemque creatus fuisset, superiorem eo locum, neque in consessu neque in procedendo habebat, eos tantum Episcopos præcedebat, qui post eum creati fuerant: quæ omnia idcirco dico, *quod nihil dignitatis aut præeminentiæ illis dabat antiquitus, esse Cardinales*.„ Hæc ille, unà observans, quod usque ad tempora Gregorii VII. & Urbani II. id religiosè observatum est.

XXI. Et si Zerolæ in praxi Episcopali, verbo *Episcopus*, aliisque Canonistis credamus, Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales; quin imo, uti post alios Canonistas asserit Barbosa *Lib. 1 juris Eccles. cap 3. numer. 17.* „ usque ad tempora „ Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri *Pres*„ *byter Cardinalis*, quia putabant non licere descendere à „ *majore* dignitate *ad minorem*.„

Et Ludovicus Gomesius in procemio ad Regulas Cancellariæ. „ Episcopi usque ad tempora Clemenus V. & Jo„ annis XXII. in Ecclesia Dei, ita in excelso honoris & exi„ stimationis fastigio positi fuerunt, ut dignitate deprimi ac „ gradu minui arbitrarentur, si ex Episcopis ad Cardinalatus „ officium assumerentur.

XXII. Quo verò tempore crescere cœperit Cardinalium R.E. dignitas, nequit præcisè determinari; illud sat constat, sensim atque gradatim ad eam, in quo modo conspiciuntur, eminentiam pervenisse.

Et quidem Cardinalium dignitatem cum Ecclesiæ & Romani Pontificis dignitate semper crevisse, monet Onuphrius *pag.* 34. unà advertens, dignitatem Pontificis Romani maximam fuisse tempore Alexandri III. „ Sub quo, ait, Roma„ na Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, „ Imperatore potentissimo Frederico Ahenobarbo, eoque „ Ecclesiæ Romanæ infestissimo hoste, conculcato, victo, „ pacemque ab Ecclesia petere coacto.

XXIII. Tunc ergo, teste Onuphrio, primum ex Episcopis Cardinales fieri cœpti: hâc tamen moderatione, ut quo„ ties accideret aliquos creari Cardinales, qui Episcopi vel „ Archiepiscopi essent, singulis una ex *Cardinalibus* Eccle„ siis (Episcopalibus) tradebatur, quod tunc incongruum „ videretur, ex *Episcopo Presbyter* fieri, sed minus incon„ veniens ex Episcopo vel Archiepiscopo fieri *Episcopus* „ *Cardinalis*.

XXIV. Succedentes Pontifices Cardinalium eminentiam ac dignitatem continuò magis magisque elevarunt; pluraque eminentiæ atque dignitatis ornamenta & argumenta addiderunt.

„ Innocentium IV. ipsis Cardinalibus, cùm à Summo „ Pontifice ad Terras Ecclesiæ regendas mitterentur, *rubeum* „ *pileum* tradidisse circa annum Domini 1244. „ ex relatis „ Canonistis refert Barbosa loco citato n. 8. additque, „ Quod „ postea vel per consuetudinem, aut expressam concessio„ nem *omnibus* Cardinalibus datum est.

Paulus II. „ publico Decreto mandavit, propositâ „ pœnâ (teste Ciaconio in ejus vita) ne quisquam *bir*„ *retam coccineam* præter Cardinales ferret. Quibus et„ iam primo Pontificatus sui anno, *pannum* ejusdem co„ loris dono dedit, quo equos & mulas sternerent, dum e„ quitarent.

Hæc Cardinalitia insignia cùm tantùm Cardinalibus è Clero sæculari assumptis, essent data, Gregorius XIV. etiam *Regularibus rubrum pileum* concessit, & aliquibus tunc præsentibus propriâ manu imposuit; uti videre est in ejus Constitutione quæ incipit *Sanctissimus*, estque nona inter ejus Constitutiones in Bullario Romano.

XXV. Post hæc sub Urbano VIII. decretum fuit, ut jam non *Illustrissimi* vocarentur, prout hactenus, sed *Eminentissimi*, huncque titulum non esse communicandum nisi solis Electoribus Ecclesiasticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis aliisque Prælatis sub pœna anathematis titulum illum assumere.

XXVI. Denique Innocentius X. anno 1645. confirmavit Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus, etiam quacumque natalium seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativâ insignitis, ut *solo nomine Cardinalis* contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec uti inter eos possint, quàm

ita tamen moderatam, ut Synodorum Provincialium & Metropolitanorum jura illibata esse vellet Leo; nec non graviores ac difficilliores causas, quæ sine multis contentionibus in Provinciis terminari non poterant, ad Sedem Apostolicam per Vicarium esse referendas.

XIII. Adhæc notandum, eam auctoritatem potissimum creditam fuisse Episcopis amplissimarum civitatum; qui, uti supra monui, successu temporis titulo suæ dignitatis *Legatos* Sedis Apostolicæ se dixerunt; atq; inde vocati *Legati nati*.

Hos verò, qui ad Principes aut Reges à Sede Apostolica mittebantur, nusquam legimus primis sæculis tantâ auctoritate instructos; imo plerumq; Diaconi dumtaxat erant; *Responsales*, sive *Apocrisarii* dicti, nulla jurisdictione instructi, solis negotiis Sedis Apostolicæ gerendis apud Principes occupati: ideoq; primitus auctoritas eorum, qui hodie Legati *nati* vocantur, amplior fuit, quàm eorum qui pro certis negotiis ad Provincias mittebantur, vel apud Principes nomine pontificis residebant: quos hodie *Nuntios* dicimus.

XIV. At cum lapsu temporis jus perpetuæ legationis quibusdam Ecclesiis annexum; viderentq; Pontifices, personarum, quæ illis præficiebantur Ecclesiis delectum nequaquam à libero suo pendere arbitrio, cœperunt horum Legatorum auctoritatem imminuere; aliorum verò qui ab ipsorum libera dependebant nominatione augere; quæ auctoritas circa sæculum undecimum summum incrementum accepit.

XV. Legatorum mittendorum necessitatem Alexander II, circa annum 1526. ex eo capite accersit, quod *cura universalis* Ecclesiæ eum cogat mittere ad *vicem* suam personas, quæ visitent Ecclesias, cum id ipse *per se* facere non possit; atq; hinc sumit occasionem mittendi in Gallias Petrum Damiani Cardinalem & Episcopum Ostiensem, qui illic personam Pontificis repræsentaret. Epistola hæc scripta est ad Archiepiscopos Galliæ, & extat tomo 9. Concil. generalium *col.* 1131.

Altius hoc jus repetit Gregorius VII. qui Legatum in Gallias mittens Amatum Episcopum Oloromensem, dicit, "se id facere quod Romana Ecclesia hanc consuetudi„nem habuit *ab ipsis suæ fundationis primordiis*, ut ad o„mnes partes, quæ Christianæ religionis titulo præno„tantur, suos Legatos mitteret, quatenus ea, quæ guber„nator & Rector ejusdem Ecclesiæ per suam præsentiam „expedire non prævalet vice suâ Legatis concessâ moni„ta salutis & morum honestatem per eos *cunctis per or„bem terrarum* constitutis Ecclesiis nuntiaret, eaq; Apo„stolicâ doctrinâ in omnibus quæ Sacræ Religioni con„veniunt diligenter instrueret."

XVI. Eandem veterem consuetudinem & rationem allegarunt passim sequentes Pontifices, ut Legatorum mittendorum necessitatem & eorum auctoritatem astruerent; sed præ reliquis Innocentius III. magnificis verbis elocutus, est, quod Prædecessores sui simplici sermone dixerant, Primùm igitur scribit, Dominum J. Christum Sedem Apostolicam instituisse, totius Christiani orbis caput & Magistram, à qua panis intellectûs & vitæ ad alias procedat Ecclesias. Pontificem Romanum portare onera gravia cum plenitudine potestatis. Verùm quia ipse cuncta per se facere non potest, multos sibi operarios & coadjutores adjungere, ac per eos exequi, quod per se non potest personaliter adimplere, sic vices suas aliis committendo ut intelligatur ipsemet facere, quod per alios fieri decernit. Cum autem necessitas Ecclesiæ Constantinopolitanæ postulet illuc mitti Legatum *à latere*, destinasse se in eam rem Pelagium Episcopum Albanensem; "cui nos vices no„stras commisimus, inquit, ut juxta verbum Propheti„cum evellat & destruat, ædificet & plantet, quæ secun„dum Deum evellenda & destruenda, nec non ædifican„da cognoverit & plantanda."

Hæc Epistola scripta ad Imperatorem Constantinopolitanum extat *Lib.* 16. *Epist.* 104.

XVII. Hoc posito fundamento, Legatorum Sedis Apostolicæ ita crevit posterioribus sæculis auctoritas & dignitas, ut cuncta omnino provinciarum negotia ad eos deferrentur, sive de judiciis ageretur, sive de confirmationibus privilegiorum; tum aliis quibuscumque negotiis tractaretur, uti ex actis illorum temporum manifestum est.

Et quidem sæculo duodecimo ad Regem Anglorum scribebat Paschalis II. "Universum siquidem terrarum „orbem Dominus & Magister suis discipulis dispertivit; „sed Europæ fines Petro singulariter commisit & Paulo. „Nec per eorum tantum, sed per Successorum Discipulos „ac *Legatos* Europæ universitas conversa est & confirma„ta. Unde usq; ad nos (licèt indignos) eorum Vicarios hæc „consuetudo pervenit; ut per *nostra Sedis Vicarios* gravi„ora Ecclesiarum per Provincias negotia pertractarentur „seu retractarentur."

XVIII. Quin & licèt *Legati* vices agerent Pontificis: ac ob id Sedis Apostolicæ *Vicarii* dicerentur; atq; propterea *delegatam* dumtaxat auctoritatem vi suæ legationis vi„derentur, obtinere, nihilominus Clemens IV. cuidam Presbytero Cardinali Apostolicæ Sedis Legato scribit: "Legatos quibus in certis Provinciis committitur lega„tionis officium, ut ibidem evellant, & dissipent, ædifi„cent atq; plantent: Provinciarum sibi commissarum ad„instar Proconsulum, cæterorumq; Præsidum; quibus cer„tæ sunt decretæ Provinciæ moderandæ *Ordinarios* re„putantes &c."

Hoc Clementis responsum refertur in *Cap.* 2. *De Officio Legati in VI.* atq; ejus auctoritate uno consensu tradunt Canonistæ, *Legatos* Sedis Apostolicæ habere *ordinariam* auctoritatem; atq; *Ordinarios* per omnes suæ Legationis Provincias reputari.

XIX. Unde sicuti Ordinariorum est, auctoritate *ordinaria* statuta *perpetuò* duratura edere; ita & Legatorum statuta *perpetua* esse declararunt Pontifices: "Nemini du„bium esse volumus, inquit Gregorius IX. quin Legato„rum Sedis Apostolicæ *Statuta* edita in Provincia sibi „commissâ, durent *tamquam perpetua*, licèt eamdem „postmodum sint egressi." *Cap.* 10. ꝟ. *De Officio Legati.*

XX. Ulteriùs, quia *Ordinarii* reputabantur; atq; tamquam *Ordinarii* in Provincia constituti qui vice Sedis Apostolicæ *evellant & dissipent atq; plantent*, idcirco jure delegationis non tantùm poterant causas *per appellationem* ad se delatas cognoscere & decidere; sed etiam quæ per *simplicem querimoniam* pervenirent ad ipsorum audientiam, uti respondit Alexander IV. in *Cap.* 1. ꝟ. *De Officio Legati.*

XXI. Eodem fundamento declararunt, legationis officium non expirare morte Pontificis à quo missi fuêre, *Cap.* 2. *De Officio Legati VI.*

XXII. Adhæc cum Legati haberentur tamquam *Ordinarii*, qui vice Sedis Apostolicæ curam Provinciarum in spiritualibus agerent, tandem quoq; invaluit, ut ipsis tamquam *operariis & ministris* Ecclesiæ *necessarii sumptus* suppeditarentur. Et quidem Gregorius VII. in forma juramenti quam à Metropolitanis in traditione Pallii exegit; & quæ successu temporis ad omnes Episcopos extensa est, addidit clausulam de procurationibus Legatorum quam hoc verborum tenore expressit: *Legatum Romanum eundo & redeundo honorificè tractabo & in* NECESSITATIBUS *suis adjuvabo.*

XXIII. Stabilita verò semel necessitate suppeditandorum sumptuum, præscriptus ab iis est ordo solutionis, coactiq; Provinciales immensas nonnumquam auri argentique moles pendere; quæ adeò publica erant ævo Sancti Bernardi, ut scribens ad Eugenium III. eum moneat, ut tales in Cardinales eligat, qui, cum legatione Sedis Apostolicæ ornati fuerint, " *Ecclesias non spolient, sed* „*emendent, qui marsupia non exhauriant, sed cor*„re[illegible]

reficiant & crimina corrigant, qui cum ad Apostolicam redierint, *redeant fatigati* quidem, sed non suffarcinati: simul & gloriantes, non quod curiosa seu pretiosa quæque terrarum attulerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasteriis, Ecclesiis Ordinem, Clericis disciplinam, Deo populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum.

Hinc frequentes Pontificum atque Conciliorum sanctiones quæ Legatorum in exigendis *procurationibus* excessum non semel castigarunt, atque intra moderatos *necessitatis* limites concluserunt, ut *nulla Ecclesia, vel Prælatus se indebitè prægravari rationabiliter conqueratur. Cap. 17. &* 23. ꝟ *De Censibus.*

XXIV. Constat ergo, *Legatos* Sedis Apostolicæ tamquam *Ordinarios* per omnia reputatos fuisse; quin eorum, præcipuè *Legatorum à latere*, ea fuit auctoritas & dignitas, ut instar *Proconsulum cæterorumque Præsidum* ad regendas Provincias mitti dicerentur, *Cap. 2. De Officio Legati.*

XXV. Et quidem sicuti Proconsules Romani, euntes & redeuntes è Provinciis sibi concreditis utebantur insignis suæ dignitatis, ita quoque Legati utuntur insigniis Apostolicæ dignitatis, puta, vestibus rubeis, palafredo albo, freno & calcaribus deauratis, uti post Hostiensem ad *Cap.* ANTIQUA ꝟ *De Privilegiis* notant communiter Canonistæ; idque mox ut ex Urbe recesserint.

XXVI. Quin ea erat dignitas Legatorum, ut nec Archiepiscopi, imo nec Patriarchæ possent Dominicæ Crucis vexillum sibi jubere præferri ubicumque præsens esset Summi Pontificis Legatus utens insigniis Apostolicæ dignitatis, *Cap.* ANTIQUA ꝟ *De Privilegiis*; quia in præsentia majoris deponitur potestas reverentialis minoris, inquit Barbosa *lib. 1. juris Eccles. cap. 5. num. 21.*

Unde, uti ibidem observat Barbosa, Episcopus in civitate & Diœcesi cui præest non potest præsente Legato *de latere* benedicere populum, & deferre vestes, scilicet Mozzetam significantem jurisdictionem illius ordinariam.

XXVII. Simili ratione scripsit Gregorius IX. Patriarchæ Hierosolymitano: "Fraternitati tuæ Legationis officium in Provincia tua duximus committendum, ita tamen quod si Legatus ad partes illas *de latere nostro* contigerit destinari *executionem* ipsius officii, *quamdiu Legatus ipse ibi fuerit*, pro Sedis Apostolicæ reverentia omnino *dimittas*. *Cap. 8.* ꝟ *De Officio Legati.*

XXVIII. Potestas & dignitas Legatorum *à latere* & in hoc supra aliorum Legatorum dignitate eminet, quod ipsi quoque ad instar Romanorum *Proconsulum* aliquam jurisdictionem, saltem voluntariam exerceant extra fines Provinciæ sibi commissæ; v. g. absolvendo aliquem ab excommunicatione pro injectione manuum violenta in Clericum; quemadmodum ad *Cap. 9.* ꝟ *De Offic. Legati* post Glossam notant Canonistæ.

XXIX. Potest quoque Legatus à latere conferre Beneficia in Provincia sibi credita, licet sint Jurispatronatûs Ecclesiastici; *cùm plus juris habeat in concessione Prælatus*, ait Innocentius III. *quam in præsentatione Patronus, nec præjudicetur Prælato, si quando per Apostolicæ Sedis Legatum eo inconsulto Ecclesia concedatur.* Cap. 6. ꝟ De Officio Legati.

XXX. Verum, licet amplissima fuerit posterioribus sæculis Legatorum, præsertim *à latere*, auctoritas ac potestas, nihilominus tamen plura in signum suæ supremæ potestatis Pontifices reservarunt, quæ eorum Legatis *à latere* non competunt, nisi specialiter & nominatim in eorum facultatibus & mandatis à Pontifice sint expressa; qualia sunt transferre Episcopos aut Archiepiscopos; unire duos Episcopatus, aut alteram Sedem Episcopalem alteri subjicere; aliaque quædam similia quæ ad *Cap. 4.* ꝟ *De Offic. Legati* annotavit Glossographus.

XXXI. Ex his verò causis Pontifici specialiter reservatis, Pontifices solent suis Legatis, vel plures vel pauciores committere, quatenus gratiâ vel auctoritate apud Pontificem prævalent; easque exprimere solent in mandatis & facultatibus quas Legatis suis tradere consueverunt.

XXXII. Ex varia hac Pontificū delegatione nunc ampliore, nunc restrictiore factū est, ut verissimè annotarit Panormitanus in *Cap.* FIN. ꝟ *De Confirmat. utili*, adeo perfunctoriè & generaliter de Officio Legati in Jure Canonico tractari, ut vix constitui possint ea, quæ jure Legationis propriè ad Legatum pertinent.

XXXIII. Hinc & prudenter hodie Pontifices solent mandatis sive facultatibus Legatorum seu Nuntiorum inserere ea omnia, quæ Legatis committenda esse censent. Unde etiam monet Cardinalis De Luca disc. 33. ad Concilium Trid. *n. 21.* quoad jura Legatorum certam regulam statui non posse, *cum totum pendeat à tenore facultatum.* Facultates quas habuit Decius Caraffa Nuntius Apostolicus in Belgio sub Alberto & Isabella, exhibet Zypæus tit. *De Offic. Legati*, notatque eas esse, quales plerumque Nuntii habere solent.

CAPUT III.

Quid moribus hodiernis, præsertim Galliæ & Belgii circa Legatos & Nuntios Apostolicos obtineat?

1 *Legati & Nuntii Ordinarios in sua jurisdictione turbare non possunt.*
2 *Olim multùm solliciti fuère Pontifices, ne per Legatos Ordinariorum jurisdictio & auctoritas impediretur.*
3 *Solliciti quoq; erant, ut essent grati Principi ad quem mittebantur.*
4 *A multis sæculis obtinuit, ut sine prævio Principis consensu non mittantur.*
5 *In Gallia id in usu erat tempore Bonifacii VIII.*
6 *Consuetudo Angliæ de non mittendis Legatis sine prævio Regis consensu probata à Callisto II.*
7 *Legati debent Bullas suæ Legationis Regi exhibere.*
8 *In Gallia Facultatibus Nuntiorum & Legatorum modificationes addi solent.*
9 *Idem observatur in Hispania & Belgio.*
10 *Modificationes Facultatum Legatorum* à Latere *annotantur in Registris Curiæ; & ad quid?*
11 *Referuntur articuli modificationum in Gallia apponi soliti.*
12 *Legati etiam* à Latere *debent Legationem exercere per se.*
13 *Legatorum potestas hodie non censetur* Ordinaria.
14 *Legati non possunt exercere suam Legationem, nisi quamdiu Regi placuerit.*
15 *Legatus discedens debet Legationis acta reponere ad manus alicujus à Curia Regia designati.*
16 *Articuli modificationum in Gallia apponi consueti multùm moribus Belgicis consonant.*
17 *In quibus potissimum hodie versetur Nuntiorum officium.*
18 *Legati & Nuntii plurimùm Ecclesiæ prodesse possunt, si debitis dotibus sint instructi: quæ ibidem referuntur.*

I. SYnodus Tridentina *Sess. 24. cap. 20. De Reformat.* statuit: "Legati quoque etiam *de latere*, Nuntii, Gubernatores Ecclesiastici, aut alii, quarumcumq; facultatū vigore, non solùm Episcopos in prædictis causis impedire aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere aut turbare non præsumant: sed nec etiam contra Clericos, aliasve personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo priùs requisito, eoque negligente, procedant: aliàs eorum processus ordinationesvè nullius momenti sint: atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur."

Hic patet, Synodum Tridentinam in nullo velle au-

ctoritatem & jurisdictionem Ordinariorum per Legatos aut Nuntios perturbari aut impediri: unde etiam notat Zypæus in Jure novo titulo *De Officio Legati*, quod generatim Nuntiis præscribatur, ut procedant sine præjudicio Ordinariorum: quod & Rex in litteris *Placeti* addere solet, ut infra patebit.

II. Quam solliciti jam pridem fuerint Pontifices, ne Legati jurisdictioni & auctoritati Episcoporum in aliqua detraherent, liquet ex verbis S. Leonis Legationi Juliani Episcopi Coensis, de quibus capite præcedenti, subjunctis: "Consulenti autem dilectioni tuæ de his, in quibus putaveris „ambigendum; non deerit relationibus tuis meæ responsio„nis instructio: in sequestrata earum actione causarum, „quæ in quibusque Ecclesiis Præsulum suorum debent cog„nitione firmari, hanc specialem curam vice meâ functus „assumas, ne hæresis vel Nestoriana vel Eutychiana „in aliqua parte revirescat &c."

III. Neque minus solliciti erant, ut Legati, præcipuè qui eum in finem ablegabantur ut in comitatu Principis morarentur, Principi grati essent; ejusque patrocinio foverentur. Unde nec facilè suos ad Principes Legatos mittebant, nisi unà benevolentiam Principis sollicitarent, omnemque Legatorum erga Principem observantiam spondérent; quemadmodum in epistolis S. Leonis ad Martianum & Pulcheriam; nec non variis epistolis S. Gregorii videre licet.

IV. Imo à multis sæculis apud pleraſque gentes invaluit, ut Legati Pontificii ad Provincias, sine prævio Principis consensu non admittantur; quemadmodum nec Principum Legati à Pontifice, nisi ejus consensu recipiuntur.

V. Illud in Regno Galliæ tempore Bonifacii VIII. & Philippi pulchri Galliarum Regis obtinuisse, fat manifestum est ex articulo, quem inter alios Bonifacius per suum Legatum Philippo proponi voluit; ipsiusque Philippi dato responso. Articulus proponendus hic erat: "Item ad de„nuntiandum vel declarandum eidem Regi, quod Roma„nus Pontifex Legatos de latere ac Nuntios liberè mittere „potest ad quævis imperia, Regna & loca, *prout vult, abs„que petitione* cujuslibet vel *consensu*; usu vel consuetudi„ne contrariis nequaquam obstantibus." Huic articulo re„spondit Rex: "quod non impedivit, nec impedire inten„dit Legatos, Nuntios, vel alias qualscunque personas, quo „minus ingredi valeant Regnum suum, nisi *sibi* & *Regno* „*sint legitimâ ratione suspecti*, vel aliàs habeat justam cau„sam."

VI. A Callisto Papâ II. concessum fuisse Henrico I. Angliarum Regi, ut vetustæ Regni sui consuetudines firmæ manerent; atque inter alias hæc, ut nullus Legatus in Regnum ejus mitteretur, nisi à Rege postularetur, refert Rogerius De Hoveden in priore parte Annalium: verba ejus sunt: "Rex à Papa impetravit ut omnes consuetudines, quas „Pater suus in Anglia & in Normannia habuerat, sibi con„cederet, & maximè ut *neminem Legati* officio in Anglia „fungi permitteret, si non ipse (aliqua præcipua querelâ exi„gente, quæ ab Episcopis regni terminari non posset) *hoc* „*fieri à Papa postularet*."

Hæc praxis non admittendi Legatos seu Nuntios Apostolicos sine Regio consensu usque ad hæc nostra tempora, non in Gallia aut Anglia dumtaxat, sed & in Hispania, ac Belgio nostro constantissimè servatur.

VII. Imo quemadmodum olim Proconsules Romani (quibus Legati Apostolici, præsertim *à Latere* comparantur) secum ferebant facultatum seu mandatorum suorum articulos in Provincia sibi demandatâ exhibendos; ut juxta illos suam auctoritatem ac jurisdictionem exercerent; ita quoque moribus obtinuit, ut Legati sive Nuntii Apostolici Facultates suas habere debeant, easque Rege ejusve Parlamento exhibere; ut iis visis & examinatis expendatur, num nihil in illis contineatur juribus Regiis, aut Regni, vel subditorum contrarium.

VIII. "Legati de Latere (ait Franciscus Marcus *Decis.* „*Delphin. parte 2. decis. 14.*) apud Gallos nusquam fun„guntur Legationis officio, nisi in eorum ingressu insinua„verint suæ potestatis litteras supremæ Curiæ Parlamentis." Et Renatus Choppinus de P. S. *lib. 2. tit. 4.* "Sacri Legati „potestas initium sui apud Gallos, ex quo primum *Curia* „*codicillos Pontificios approbaverit*."

"Patiuntur Romani Pontifices (inquit Mornacius ad *l. 1.* „*Cod. De summâ Trinit.*) Legatos suos quos mittunt in „Galliam, Lugduni semper, atque in hunc diem gradum si„stere, donec *singula legationis capita temperentur à Se„natu Francico*, qui indicit & cancellat liberè, si imminu„tū in aliquo jus in re profana seu temporali regium viderit.

IX. Quod de Gallia uno consensu Practici testantur, & notoria praxis evincit, idem de Hispania & Belgio refert tamquam indubitatum & Caroli V. edicto firmatum Didacus Covarruvias *Pract. qq. c. 35. §. 4.*

"Sicuti apud Hispanos, ait, potestas Legatorum seu „Nuntiorum Apostolicæ Sedis examinatur, ut admoneri „possint à summo Regis prætorio, quibus uti conveniat „dispensationibus & commissionibus, ne quid fiat in Rei„publicæ dispendium: cum plerumque Nuntii Apostolici „exteri sint, nec satis noverint, quæ sint omninò præcaven„da, ne falsis precibus & suggestionibus decipiantur: ita & „idem fieri solet apud Gallos teste Carolo Molin. in Reg. „Cancellariæ de infirmis resignantibus *num. 139.* Ita enim „inquit de Regno Franciæ: in quo nec Legatus quidem Pa„pæ, sive lateralis sive missus quidquam auctoritate Papa„li exequi potest in regno, nisi priùs permissionem expres„sam à Rege obtinuerit homologatam à supremo Tribuna„li Regio, in quo Legatus aliquid exequi nec in terris Re„gni, quæ nuper adhuc erant in possessione Regis Franciæ, „sine consensu Comitis Flandriæ, ut vidi per programma „Caroli V. Imperatoris, qui ibi idem jus conservat, cujus „programmatis exemplar habeo sub data 15. die Maji anno „1531. Hactenus Molinæus. Ex quo apparet, non tantum „in Hispania, sed & in Flandria & apud Gallos hoc ipsum „frequentissime fieri." Hæc Covarruvias.

X. Ob reverentiam quidem Legatorum *à latere* solet Curia Regia, teste Fevretio *lib. 3. De Abusu cap. 2.* ipsis reddere Bullas legationis nullâ factâ mentione restrictionum sive modificationum, quæ in registris Curiæ duntaxat annotantur, ut ad illas, cum opus fuerit, recurri possit. Si tamen Legatus his contraveniat, sive voluntariam sive contentiosam jurisdictionem concernant, abusus judicatur, atque ab illo actu *tamquam ab abusu* ad Curiam Regiam appellatur.

XI. Jacobus Thuanus *Lib. 3. Historiæ suæ ad annum 1547.* in unum redegit & per ordinem retulit modificationes, quæ in verificatione, ut ajunt, facultatum sive Bullarum Legatorum *à latere* per Curiam Regiam diversis temporibus appositæ fuerunt, quemadmodum ex litteris ipsis verificationum relatis *tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ cap. 23.* videri potest.

Cum verò ex dictis articulis elucescat, quæ sit moderna circa auctoritatem & facultates Legatorum & Nuntiorum disciplina & praxis, non inutile fore credidi dictos articulos eo ordine, quo à Thuano recitantur, referre.

Ut Legatus "mandatorum vi nullam jurisdictionem „in regis subditos, ne ipsis quidem consentientibus, ex„erceat, nec etiam in eos è Sacro Ordine, qui jurisdi„ctioni ordinariæ exempti sunt, & directè ad S. S. per„tinent; quibus si opus sit, judices in partibus dele„gatos dare tenebitur, qui de appellationibus eorum „cognoscant, & finem liti imponant: natalium re„stitutionis beneficium spuriis non impertiatur, nisi „ut ad Sacros ordines admitti, & Sacerdotia obti„nere

inire possit, modo ne eo Beneficio privilegiis, immunitatibus ac juribus Sacrorum Collegiorum, quæ spurios certo casu admittunt, derogetur; non autem beneficium ad id porrigatur, ut spurii ad successiones & Magistratus civiles ac hujusmodi publica munia admittantur: nullam Sacerdotiorum unionem sanciat; tantùm rescripto judices deleget juxta Synodi Constantiensis statutum: iis qui ob gradus prærogativam ad Sacerdotia per nominationem jus habent, studiorum curriculi gratiam non faciat: nulla pensione Sacerdotia, etiam consentientibus, qui ea obtinent, oneret, nisi commodo eorum, qui ea ejerabunt, aut litigii componendi causâ; neque patiatur, ut qui ea ejerabunt, pensionis loco omnes fructus retineant, concedatve, ut qui ea tenent, bona soli ulla de causa aut quovis contractu alienare possint; etiamsi ea Sacerdotia nulli regni jurisdictioni subjaceant, & nullo medio ad Sanctitatem Suam pertineant: tantùm eo casu judices in regno deleget, qui causa cognita juxta juris præscriptum auctoritatem decreto interponant: Cœnobia Religiosorum utriusvis sexus, nulli, vita durante, aut ad tempus, cum titulo attribuere, aut commendare queat, citra Regis nominationem, juxta pacta cum Leone X. inita; neque Sacerdotiorum vacantium gratiam ulli faciat in indulti à P. P. Parisiensis Senatus assessoribus à Rege nominandis concessi præjudicium: nullam inter regis subditos jurisdictionem exerceat de falso, usuris, separatione conjugatorum, quod ad petitionem dotis, & bonorum per contractus illicitos ablatorum restitutionem: de crimine item novæ sectæ, quæ quietem publicam turbet, cùm de facto tantùm quæritur, non cognoscat, quippe cùm eorum omnium cognitio ad Regem ejusque judices pertineat; neque Regis subditos in iis causis absolvat, nisi quoad conscientiam & pœnitentiam: testandi contra Provinciarum consuetudines, jura Regni ac constitutiones in Curia promulgatas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœnobiis Monasticam professis gratiam non faciat: in diplomatibus suis patronorum aut aliorum Ordinariorum juribus non deroget contra statuta & laudabiles primariarum Ecclesiarum aut Collegialium consuetudines ac privilegia Regis postulatu à Pontificibus concessa gratiam nulli faciat: plura Sacerdotia uni sub eodem tecto non conferat: executoribus testamentorum tempus à lege præstitutum non proroget: legata pia in alios usus, quàm quos testator voluit, non convertat, nisi eo casu, quo voluntas defuncti planè impleri non possit, & dummodo commutatio in rem fiat, quæ testationi ejus ultimæ æquipolleat: regulæ *de verisimili notitia*, & *publicandis resignationibus* non deroget: de fructibus perceptis cum iis non paciscatur, qui in Sacerdotiorum possessionem se verè intruserint, aut eos ipsis omnino remittat; cùm scilicet in usum & utilitatem ipsarum Ecclesiarum, à quibus profecti sunt, resarciri debeant, in conferendis Sacerdotiis, quæ ejerata fuerint, non statuat, ut fides diplomatibus suis adhibeatur, etiam non exhibitis procurationibus, quarum vi ea Sacerdotia ejerata fuerint. In diplomatibus suis clausula, *anteferri*, aut simili, in præjudicium juris jam alteri quæsiti, non utatur. Causas Ecclesiasticas ad se evocare, aut de iis cognoscere contra caput, *de causis*, aut rei sequestratione uti non possit: de criminibus, quæ verè Ecclesiastica non sunt, etiam si mista fuerint, contra purè Laicos non cognoscat, sed tantùm contra Ecclesiasticos; neque in criminibus purè Ecclesiasticis mulctas pecuniarias Laicis irroget; ei tamen contra Ecclesiasticos hujusmodi mulctis uti jus sit, secundùm sanctiones Canonicas, dum ne derogetur Sacris Conciliorum Decretis in Censura Canonica comprehensis: restitutiones in integrum, aut contractuum inter Laicos factorum rescissiones non concedat: de actionibus in rem, etiam si contrahentes sacris addicti fuerint, aut de contractibus inter quascumque personas Laicas aut Ecclesiasticas factis, qui obligationes in personam contineant, si à Notariis Regis publica auctoritate confirmati fuerint, non cognoscat: personas Laicas infamia notatas famæ & dignitati non restituat, sed tantum Clericos, quoad Sacros Ordines & Sacerdotales dignitates: non permittat iis, qui Sacerdotia ejerando pensiones retinuerint, eas in alium transferre: Sacerdotia Regni, quæ conferre ei, quamdiu in regno erit, jus est, cùm extra regnum erit, conferendi facultatem non habeat; & cùm è regno discedet, in cujusdam viri spectatæ fidei manus acta legationis suæ consignare teneatur: nihil postremò faciat, quod deroget, aut præjudicet sacris decretis, pactis inter Reges & Pontifices initis, Conciliis Oecumenicis, juribus, immunitatibus, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Academiis, & publicis regni scholis, idque scripto manu propria idoneè subsignato promittat."

XII. Ulteriùs quia in Legatione electa est industria personæ, ideo in verificatione Facultatum seu Bullarum injungitur, ut Legationem suam exerceat *per se, non per alios*. Unde Curia Regia anno 1519. admisit quidem Legationem Cardinalis Ambrosii, ut tamen ipse nequeat dare in sua absentia, aut alio quocumque prætextu aliquem Vicarium aut substitutum cum pari auctoritate aut facultate: sed posset committere aut delegare dumtaxat aliquem Regentem Cancellariæ suæ, & alios Officiarios pro Legationis suæ exercitio. Habentur hæ litteræ verificationis *tom.* 2. libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 27.

XIII. Legatorum præsertim *à latere* potestatem jure communi *Ordinariam* reputari supra notatum fuit: "At in terra Gallica (ait Renatus Choppinus *Lib.* 2. *De sacra politia tit.* 4. *num.* 4.) quæ unius Regis profanum hactenus dominatum experta est, Legati functionem nos *alienam* potiùs interpretamur, delatamque à Pontifice, quàm illius *propriam* ac *ordinariam*."

XIV. Monet quoque ibidem Choppinus *num.* 3. "adjectum fuisse Senatus Consulto, Legatum tamdiu potestate usurum quamdiu ageret in Provincia dumtaxat (non si Regno Francico semel exisset) *aut quousque placuisset Princips*."

Tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 23. *num.* 40. referuntur litteræ Archiepiscopi Barensis Nuntii Sedis Apostolicæ ad Curiam Regiam, in quibus hæc habentur: "Per has præsentes promittimus & juramus per Ordines Sacros, quos ab Ecclesia recepimus, præfato Christianissimo (Regi Franciæ) quod jam dicta Legatione non utemur in regno suo, terris & Dominiis sibi subditis nisi quamdiu suæ libuerit voluntati: adeo ut cùm primùm certiores efficiemur quod suæ voluntatis est, ut ampliùs illa non utamur, statim cessabimus & desistemus illâ uti."

Idem scripto promisit Antonius De Prato Cardinalis tituli S. Anastasiæ & Archiepiscopus Senonensis Legatus *à latere* anno 1529. & extat promissio dicto *cap.* 23. *numero* 39.

XV. Denique notat Choppinus loco citato: "Gallicis autem finibus abscessuro Legato injunctum est, omnia suæ Legationis *acta*, & *commentaria* dimittere *penes Curiæ Præsidem* aut *Consiliarium*, quemcumque ei idcirco *Senatus designasset*. Quorum omnium syngrapham tesseramque assertoriam Legatus Regi præberet, *Curiæ Regestis* postea *inscribendam*, sicuti hæc omnia Senatorio Decreto expressa sunt 17. Kalend. Januar. anno 1551."

In formula juramenti Cardinalis Mauroceni Legati *à latere*, præstiti Henrico III. Francorum Regi anno 1576. ibidem *num.* 60. habentur sequentia: "Juro & promitto in verbo Cardinalis per Sacros Ordines meos manibus ad pectus positis Christianissimo Regi, me Legati munere non functurum, nec Facultatibus mihi

„ à S. Sede concessis usurum, nisi quamdiu in Regno ero, & „ suæ majestati Christianissimæ placuerit, adeo ut certior „ factus de illius voluntate, illi convenienter Legati nomen, „ & jus continuò sim depositurus: simulque omnium quæ „ geruntur à me, legatione finita, codicillos relicturum in „ manibus ejus quem voluerit sua Christianissima Majestas: „ item leges & statuta & consuetudines Regni servaturum, „ nec ullo modo auctoritati & jurisdictioni Regiæ, juribus, „ libertatibus, & Privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ & universi- „ tatum derogaturum."

XVI. Prædicti articuli modificationum & reliqua usum Regni Galliæ exponentia si attendantur, & conferantur cum moderna Belgii nostri Praxi, apparebit, in multis mores Belgicos hac in parte Gallorum moribus consentire.

Et quidem Philippus II. Hispaniarum Rex in litteris *Placets* super Legatione Caroli Caraffæ in has Provincias, datis Bruxellis 18. Decembris 1557. postquam declaravit, "quod „ dictus Caraffa sibi exposuisset, se nolle in hisce „ Provinciis uti Facultatibus seu Bullis suæ Lega- „ tionis sine notitia & consensu Regis, quem postulari fecit, „ dicit se consensisse, atque per præsentes consentire, ut Le- „ gatus suis *Facultatibus & Bullis* utatur; ita tamen, quòd „ non poterit præjudicare indultis aut Privilegiis Regiis no- „ minandi ad Monasteria, Dignitates ac Beneficia in hisPro- „ vinciis; neque etiam ordinationibus aut edictis publicis harum „ Provinciarum: quod non derogabit Juripatronatus laico- „ rum, neque ulli fundationi quovis prætextu; quod non „ utetur preventione in præjudicium Ordinariorum Colla- „ torum Beneficiorum; non poterit quoque dispensare super „ retentione duorum Beneficiorum Curatorum, neque „ duorum Beneficiorum in eadem Ecclesia: quodque hi „ qui ab eodem Legato obtinebant quamcumque gratiam, provisionem aut Bullam, iis uti non poterunt sine præ- „ viis litteris *Placets Regii*, quemadmodum, ait, observare „ solemus in omnibus provisionibus & Bullis Apostolicis." Habentur hæ litteræ in quodam libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium; nec non diversa alia indulta nominandi ad Beneficia & Dignitates Principibus Belgii indulta, impresso Leodii apud Matthiam Hovium anno 1665. *pag.* 157.

XVI. Auctoritas itaque Nuntiorum Apostolicorum in Gallia ac Belgio ferè in his consistit.

Primò in concedendis rescriptis, quibus designantur Judices Synodales in partibus, qui de causis per appellationem aut alium quemcumque titulum ad Sedem Apostolicam devolutis, cognoscant & judicent.

Secundò, in concedendis dispensationibus, vel conferendis Beneficiis aliisve gratiis elargiendis, quæ privativè ad Sedem Apostolicam eis per Legationis Bullas seu Facultates Legatis seu Nuntiis censuerit communicandas.

Tertiò, ipsi Nuntii etiamnum hodie vice Pontifices in Provinciis pro fidei integritate & conservatione, nec non Canonum custodia excubare debent; atque apud Reges & Principes tamquam Ministri Pontificii negotia Pontificis procurare. Solent quoque Pontifices per Nuntios tamquam suos Ministros apud Principes & Reges in Provinciis agere omniaque per manus ipsorum transire solent. Ipsi quoque omnia majoris momenti Romano Pontifici atque Curiæ Romanæ referunt; quæque agenda sunt à Pontifice exspectant, atque de singulis Pontificem ac Curiam Romanam informant. Quare à vero aberrare non videntur, qui hodiernos Nuntios Apostolicos, pristinis Apocrisiariis & Responsalibus (de quibus capite præcedenti) comparari posse credunt.

XVIII. Indubitatum quoque est, non exiguam etiam hodie esse Nuntiorum apud Principes & Ecclesiæ Prælatos auctoritatem, propter reverentiam & eminentiam Sedis Apostolicæ, cujus ipsi vices gerunt, & pro qua Legatione funguntur; quodque Plurimum Ecclesiæ sua auctoritate prodesse possint, præsertim si tales sint, quales Sanctus Bernardus *lib.* 4. *De Considerat. ad Eugenium cap.* 4. describit: "Qui missi post aurum non eant, sed Christum sequantur. „ Qui quæstum Legationem non æstiment, nec requirant „ datum, sed fructum. Qui Regibus Joannem exhibeant, „ Ægyptiis Moysem, fornicantibus Phinees, Heliam idolo- „ latris, Helisæum avaris, Petrum mentientibus, Paulum „ blasphemantibus, negotiantibus Christum. Qui vulgus „ non spernant, sed doceant: divites non palpent, sed ter- „ reant, pauperes non gravent, sed foveant: minas Princi- „ pum non paveant, sed contemnant. Qui non cum turba „ intrent, nec cum ira exeant: qui Ecclesias non spolient, sed „ emendent. Qui marsupia non exhauriant, sed corda re- „ ficiant, & crimina corrigant: famæ provideant suæ, nec in- „ videant alienæ. Qui orandi studium gerant, & usum habe- „ ant, ac de omni re orationi plus fidant, quàm suæ industriæ „ vel labori. Quorum ingressus pacificus, non molestus exi- „ tus sit. Quorum sermo ædificatio, quorum vita justitia, „ quorum præsentia grata, quorum memoria in benedi- „ ctione. Qui se amabiles præbeant non verbo, sed opere: „ reverendos exhibeant, sed actu, non fastu. Qui humiles „ cum humilibus, & cum innocentibus innocentes, duros „ durè redarguant, malignantes coërceant, reddant retribu- „ tionem superbis. Qui non de dote viduæ, & patrimonio „ crucifixi se vel suos ditare festinent, gratis dantes quod „ gratis acceperunt, gratis facientes judicium injuriam pati- „ entibus, vindictam in nationibus, increpationes in populis. „ Qui de tuo denique spiritu illorum instar septuaginta „ Moysi accepisse cernantur, per quem sive absentes, si- „ ve absentes contendant placere tibi, placere Deo."

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

CAPUT I.

De Origine, & Dignitate, & Officio Cardinalium.

1 *Qui dicti olim fuerint, Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales?

2 *Unde olim dicerentur* Cardinales?

3 *Quomodo Episcopi, Presbyteri, & Diaconi* Cardinales *distinguerentur à* non Cardinalibus?

4 *Episcopum proprium Ecclesia S. Gregorius vocat* Cardinalem.

5 *Eodem sensu dicit Presbyterum* Cardinalem.

6 *Diaconum* Cardinalem *eodem sensu accepit.*

7 *Olim non tantùm in Ecclesia Romana, sed etiam in aliis erant Presbyteri & Diaconi* Cardinales.

8 *Etiam sæculo XI. Presbyteri Ecclesiarum Parochialium dicti sunt* Cardinales.

9 *Quæ primitus fuerint* Diaconiæ *in Urbe Roma?*

10 *Quomodo paulatim transierint in titulos* Cardinalium.

11 *Qua-*

Digitized by Google

11 *Quatuordecim primùm fuêre Diaconorum Cardinalium tituli, quibus quatuor alii additi.*
12. *Primus Leo X. octodecim titulis Diaconorum* Cardinalium *novum addidit.*
13 *Olim fuêre 28. tituli Presbyterorum* Cardinalium; *& quamdiu numerus ille manserit immutatus?*
14 *Episcopi* Cardinales *Romæ multis sæculis ignoti fuêre; & quomodo initium habuerint?*
15 *Quomodo numerus* Cardinalium *subinde diminutus, & subinde nimium auctus fuerit?*
16 *Synodus Basiliensis limitavit ad viginti quatuor.*
17 *Sixtus IV. numerum primus valde ampliavit.*
18 *Hodie ad septuaginta redactus.*
19 *Antiquitus Cardinales Ecclesiæ Romanæ erant ipse Clerus illius Ecclesiæ; quem* Presbyterium *dicebant.*
20 *Presbyteri aut Diaconi Cardinales olim supra reliquum Clerum non eminebant.*
21 *Multis sæculis Episcopi prælati fuêre* Cardinalibus.
22 *Dignitas Cardinalitia cum dignitate Romani Pontificis sensim crevit.*
23 *Circa sæculum XII. cœperunt* Cardinales Episcopi.
24 *Pileus rubeus aliaque insignia Cardinalibus data.*
25 *Quando Cardinales dicti sint* Eminentissimi?
26 *Cardinales nullo alio titulo quàm* Cardinalitio *uti possunt.*
27 *Cardinalitia dignitas omnem aliam suo splendore absorbere videtur.*
28 *Cardinales nonnunquam Episcopos indignè tractarunt.*
29 *Bartholomæus De Martyribus conqueritur Episcopalem dignitatem per Cardinalitiam in vilipendium venisse.*
30 *Præcipuum officium* Cardinalium *olim fuit intendere Ecclesiis suorum respectivè titulorum.*
31. *Hodie præcipuum ipsorum officium est, assistere Pontifici, ratione cujus postmodum suum nomen mutuarunt.*
32 *Cardinales hodie cum Pontifice majora Ecclesiæ negotia agunt.*
33 *Quæ qualitates in Cardinalibus requirantur.*
34 *Instituta sunt Cardinalium Congregationes pro negotiis dirigendis.*
35 *Varia harum Congregationum species.*
36 *Quarum Congregationum notitiam habere hic conveniat?*

I. A Multis retro sæculis notissimum fuit *Cardinalium* in Ecclesia nomen; sed à modernis Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus planè diversorum.

Episcopus quippe *Cardinalis* antiquitus dictus fuit, omnis ille Episcopus qui Ecclesiæ alicui Cathedrali erat intitulatus sive *incardinatus*; hoc est, proprius illius Ecclesiæ Episcopus.

Similiter Presbyter, aut Diaconus *Cardinalis* vocatus est, qui alicui Ecclesiæ aut loco pio tanquam *ordinarius*, & *proprius* Presbyter, aut Diaconus erat intitulatus, sive *incardinatus*.

II. Hujusmodi Episcopi, Presbyteri & Diaconi vocabantur *Cardinales*: quia, sicut *cardo* fixus, & immobilis; ac circa illum valvæ volvuntur; ita quoque circa illos Episcopos, Presbyteros ac Diaconos; tanquam *fixos* & proprios Ecclesiarum *cardines*, populus eorum curæ commissus in Ecclesiastico regimine, & animarum cura quodammodo volveretur.

III. Verbo, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* in hoc unicè ab aliis *non Cardinalibus* differebant, quod illi tanquam *proprii* & quasi *fixi* ac *immobiles* Ministri, Ecclesiis fuissent intitulati: hi verò tanquam *adventitii* & *subsidiarii* alicui Ecclesiæ essent assignati; atque ita juxta veterem *Cardinalium* nomenclaturam, hodierni Parochi verè dicerentur Presbyteri *Cardinales*, Vice-Pastores verò *non Cardinales*.

Hoc sensu Gelasius I. in litteris ad Cœlestinum Episcopum apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* 3. Pontificem *Cardinalem* opponit Pontifici seu Episcopo *Visitatori*, qui scilicet dumtaxat ad tempus alicui Ecclesiæ tamquam *Visitator* invigilat.

Meminit quoque hujusmodi Episcoporum, Presbyterorum ac Diaconorum *Cardinalium* non semel S. Gregorius.

IV. Et quidem, cùm Isauriæ Episcopus, ob imminentes hostes refugium habuisset in insulam Gorcyram, atque ad Ecclesiam quamdam istius insulæ se cum sua plebe recepisset; velletque in illa non tantùm corpus Sancti Donati, quod secum attulerat, collocare & consecrare; sed insuper *Pontificalia* exercere, atque ea de causa lis inter Episcopum Isauriæ & Episcopum hujus insulæ orta esset, rescribit huic Sanctus Gregorius *lib.* 12. *Epist.* 2. Sacerdotes vel Clerum Isauriæ civitatis ab illa Ecclesia non esse repellendos, "sic tamen, „inquit, ut Dilectioni tuæ in cujus Parochia (id est Diœcesi) „castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione „munitio, per quam promittat Episcopus Isauriæ, *nullam* „sibi in eo *potestatem*, nullum privilegium fore, nullam *ju*„*risdictionem*, nullam tamquam *Cardinalis* Episcopus ul„teriùs *auctoritatem* defendere: sed post pacem Deo propi„tio redditam ablato venerabili Sancti Donati, si maluerint, „corpore, ad propria se modis omnibus reverturos."

Hic Gregorium per Episcopum *Cardinalem* intelligere *proprium fixum* & *ordinarium* Episcopum, per quam manifestum est: quapropter Vir Eruditus Petrus Gussanvillæus in notis ad citatam epistolam, verbo, *Cardinalis Episcopus*, sine ulla hæsitatione hanc notam apposuit: *id est*, TITULARIS sive PRINCIPALIS, *ut in epistola sequenti*; sive PROPRIUS, *ut in epist.* 8.

V. Presbyterorum *Cardinalium* & *non Cardinalium* in eodem sensu frequens quoque apud S. Gregorium est memoria.

Et quidem rescribens Castorio Episcopo Ariminensi, ut postulante Timothea illustri fœmina Oratorium pro ejus devotione in honorem Sanctæ Crucis absque *Missis publicis* solemniter consecret, hanc cautionem apponit: "Ita ut in „ eodem loco nec futuris temporibus baptisterium con„ struatur, nec Presbyterum constituas *Cardinalem*" *Lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 9.

Similiter scribit Episcopo Firmano, ut cuidam suo Diœcesano Oratorium pro sua devotione exstruat; eadem cursus addita conditione, ut consecretur absque *Missis publicis*; & ut in eodem loco nec futuris temporibus *baptisterium* construatur, nec Presbyterum *Cardinalem* constituat.

Hic videmus Gregorium nolle ordinari *Presbyterum Cardinalem*: at verò scribens eidem Episcopo pro consecratione Ecclesiæ, quam quidam ejus Diœcesis Comes in suo Castro suoque sumptu constituere & dotare volebat, vult, Presbyterum ibi constitui *Cardinalem*. *Lib.* 10. *indict.* 5. *epist.* 12.

Ratio verò cur hic Presbyterum *Cardinalem* constitui præcipiat, & alibi inhibeat, hæc est; quod Oratoria, de quibus in prioribus epistolis, solummodo construerentur & dedicarentur ad alicujus privatam devotionem; nequaquam verò ad publicas synaxes, seu publicos populi conventus. Quare & absque *publicis* Missis consecrari debebant. Per Missas *publicas* enim intelligit Gregorius juxta phrasim illius temporis, Missas ad quas unà cum suo Pastore *plebs* convenire debebat.

Oratorium autem de quo in postrema citata epistola, non pro privata Comitis devotione destinabatur, sed insuper, ut ad illud populus convenire posset, Sic enim scribit Gregorius: "Presbyterum quoque te illic constituere volumus *Car*„*dinalem*, ut quoties præfatus Conditor fieri sibi Mis„sas fortasse voluerit, *vel Fidelium concursus exegerit*, „nihil sit, quod ad Missarum sacra exhibenda solemnia, va„leat impedire.

In hoc ergo Presbyterum *Cardinalem*, id est, *proprium* & *fixum*, quem hodie *Curatum* sive *Plebanum* diceremus, constitui vult pro populi ibidem convenientis dire-

Digitized by Google

directione; at in illis Presbyterum non *Cardinalem*; sive, uti hodie diceremus, *Cappellanum*, sive Presbyterum non fixum; ab Episcopo tamen postulandum, si Fundator Oratorii ibi Missas celebrari velit: uti expressè monet S. Gregorius.

VI. De Gratiano Diacono ad Metropolitanum Episcopum ita scribit idem Pontifex *lib.* 5. *indict.* 14. *Epist.* 11. & refertur à Gratiano *dist.* 71. *Can.* 5. " Fraternitatem tuam nobis petiisse recolimus, Ecclesiæ Benafranæ Diaconum tuæ concederemus Ecclesiæ *Cardinandum*. Et quoniam nec Episcopum, cui obsecundare, nec *propriam* habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere; petitionem tuam non prævidimus distendam. Idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessariò duximus concedendum, habituro licentiam Diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ, Deo propitio, constituere *Cardinalem*."

Itaque ætate S. Gregorii, Episcopi, Presbyteri & Diaconi *Cardinales* propriè erant, Episcopi, Presbyteri ac Diaconi qui Ecclesiis erant intitulati seu *incardinati* tamquam *fixi* ac *proprii* illarum Ecclesiarum Pastores & Ministri.

VII. Hinc non tantùm in Ecclesia Romana, sed in omnibus passim Ecclesiis erant Presbyteri ac Diaconi *Cardinales*, præter *Cardinalem*, hoc est, *proprium* Episcopum. Et quidem usque ad sæculum undecimum, Curiones Ecclesiarum Parochialium in Ecclesiis Gallicanis dictos fuisse *Presbyteros Cardinales* ostendit ex illius temporis monumentis author tractatus Gallici *De Origine Cardinalium pag.* 16. *edit.* 1670.

VIII. Atque hoc sensu intelliguntur Sacerdotes *Cardinales* in *Cap.* 2. *X. De Officio Archipresbyteri*; quos etiam antiquus Glodographus vocat *principales*; & in Corpore Juris Canonici correcto editionis Antverpiensis anni 1648. ad marginem notatur ex Antonio Augustino: " *Cardinales* Sacerdotes hoc loco non Urbis tantum Romæ, sed *aliarum* etiam Civitatum *primos* interpretamur. quibus tituli, id est, *Parochia* committuntur."

Author dictæ Decretalis dicitur *Leo Papa*, absque expressione ulteriori; sed Antonius Augustinus monet, *Leonem IX.* appellari à quibusdam ex veteribus libris: quæ inscriptio si vera sit, vel ex hac Decretali habemus, etiam ætate Leonis IX. id est circa medium sæculi XI. Parochialium Ecclesiarum Curiones, fuisse dictos, Sacerdotes *Cardinales*.

Itaque *Cardinales* Ecclesiæ Romanæ, quemadmodum aliarum Ecclesiarum, erant Presbyteri & Diaconi qui Ecclesiis & titulis Presbyterorum aut Diaconorum erant intitulati seu *incardinati*, tamquam *fixi* ac *proprii* Ministri.

IX. Porrò Diaconiæ erant loca, in quibus per Diaconos Regionarios pauperes viduæ, pupilli, senes cujusque Regionis alebantur; habebantque hæc loca, quæ quasi publicæ domus hospitales erant, Oratoria seu sacella adjuncta. Qui igitur hisce locis tamquam *proprius* Diaconus ad ministrandum dictis personis, & loca illa regenda præficiebatur, Diaconus *Cardinalis* appellabatur, erantque hujusmodi *Diaconia* sive domus hospitales in singulis Urbis Regionibus; atque ideo *Diaconi* illi etiam dicti fuère *Regionarii*.

X. At usu harum Hospitalium domorum paulatim exolescente, ipsisque ædibus dirutis, solis sacellis ac oratoriis nomen *Diaconia* adhæsit, à quibus tandem *Diaconi Urbis Romæ* dicti fuère.

Porrò hæ Diaconiæ per quatuordecim Regiones Urbis distributæ erant; atque hinc primitus Diaconi hisce præfecti dicti sunt *Cardinales* primæ, secundæ, &c. Regionis; scilicet à Regione in qua titulus ipsius situs erat. At successu temporis antiquata hac appellatione, dici cœperunt, ad exemplum Cardinalium Presbyterorum, Diaconus Cardinalis hujus vel illius Diaconiæ v. g. *Theodori, S. Adriani* &c. nimirum à titulo Diaconiæ.

XI. His quatuordecim Diaconiis, sive titulis *Cardinalium* Diaconorum additi jam pridem fuerunt (ait Onuphrius Panvinius in libro *De Episcopatibus, Titulis & Diaconiis Cardinalium pag.* 25.) quatuor alii Diaconi " Cardinales, quorum munus tantum erat, Lateranensi Basilicæ, vel Pontifici Romano, ibidem celebranti ministrare, quos & Altaris Lateranensis ministros appellatos fuisse legi, sicque XVIII. numerus expletus.

XII. Hæc Onuphrius, qui ibidem *pag.* 27. enumeratis hisce octodecim Diaconiis sive Titulis Cardinalium addit: " Porro autem has Diaconias semper fuisse legi & numquam vel additis novis, vel antiquis sublatis mutatas usque ad Leonis X. Pontificatum, qui primus omnium Romanorum Pontificum, Diaconiam unam novam adjunxit, quæ fuit Diaconia *S. Onuphrii in Vaticano*, quam Joanni Cardinali Lotharingo à se creato tradidit."

XIII. Titulos *Cardinalium Presbyterorum* viginti octo qui ante millesimum & centesimum ab hinc annum extiterunt, *pag.* 8. enumerat Onuphrius; quorum aliquos circa tempora Gregorii I. mutatos fuisse monet, ita tamen ut numerus viginti octo Presbyterorum Cardinalium integer permanserit, ut habetur ex Pandulpho Pisano in vita Gregorii II. usque ad Honorii Papæ II. tempora, annumque Christi 1125. quo id observari desitum, uti latius exponit Onuphrius *pag.* 17.

XIV. Quoad *Cardinales Episcopos*; cum antiquitus Episcopus *Cardinalis* alius non esset, nisi *proprius* & *intitulatus* Ecclesiæ cujusque Episcopus; nullus in Urbe Roma præter Episcopum Romanum sive Pontificem dici potuit Ecclesiæ Romanæ Episcopus *Cardinalis*. Unde & multis sæculis ignoti fuère alii *Episcopi Cardinales* Ecclesiæ Romanæ; atque admodum verisimile est, nonnisi circa sæculum XI. & XII. contigisse quod narrat Onuphrius *pag.* 13. nimirum quod " Ecclesiæ Lateranensi, quæ est specialis Sedes Romani Pontificis, propter suam, & Romani Episcopi excellentiam *septem* Episcopi ex circumvicinis civitatibus assignati sint, qui suis statis solemnibusque diebus singuli coram Romano Pontifice in eadem basilica celebrarent divina Mysteria, vel Pontifici celebranti assistentes essent, atque ob eam causam postea Episcopi & *Cardinales*, id est, *Principales*, quod huic Ecclesiæ & Romani Pontificis ministerio adscripti essent, appellari cœperunt."

XV. Hi septem Cardinales Episcopi si jungantur cum 28. Cardinalibus Presbyteris, & 18. Diaconis, conficiunt 53. Cardinales; qui numerus tamen circa tempora Honorii II. id est, circa initium sæculi XII. minui cœpit; & ad incertum numerum sensim delabi. Imo teste Onuphrio *pag.* 18. ad eam paucitatem redacti sunt, ut non essent nisi septem Cardinales viventes, videlicet tres Presbyteri & quatuor Diaconi, quando creatus fuit Nicolaus III. anno 1277. qui ibidem notat, post tempora Nicolai III. rursus cœpisse augeri numerum Cardinalium; qui ut nec graves Ecclesiæ essent, nec superflua numerositate vilescerent, quod numerum 24. excedere non possent, in Concilio Basil. cautum est.

XVI. " Primus Papa Xystus IV. nullâ habitâ ratione Decreti Concilii Basiliensis, supra omnes Prædecessores suos (si Onuphrio *pag.* 18. credimus) Cardinalium numerum maximè amplavit; cujus exemplum optimè secutus est Alexander Papa VI. Nullus tamen horum Pontificum antiquum 53. numerum excessit, ut essent videlicet plures quàm 53. quum nec eum numerum attigerint; sed omnium Romanorum Pontificum primus fuit Leo X. qui antiqui statuti ratione non habitâ, in magnâ illâ 31. Cardinalium creatione, veterem & antiquum atque à nullo umquam Romanorum Pontificum excessum numerumque longe superarit. Nam sub Leone X. plus minus 65. Cardinales simul viventes fuerunt, quod numquam alias contigerat post funda-

„fundatam Romanam Ecclesiam. Ejus exemplum secuti sunt Paulus III. & qui nunc vivit Paulus IV. Prior enim ad 63. numerum Cardinales auxit, sequens ad 70. „quem quoque numerum numquam fuisse satis constat.„ Hæc ille.

XVII. Hunc numerum tamquam respondentem septuaginta viris, quos de Senioribus in suum adjutorium ex mandato Domini assumpsit Moyses, & septuaginta Discipulis, quos binos ante faciem misit Christus, retinendum decrevit Xystus V. in sua Constitutione quæ incipit, *Postquam Verum ille*, decernens „ut imposterum connumeratis omnibus cujuscumque ordinis Episcopis, Presbyteris „& Diaconis *Cardinalibus*, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum *septuaginta* „nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quovis prætextu, occasione vel causâ etiam urgentissimâ minimè augeatur.„ Declarans insuper electionem ac nominationem alicujus ultra dictum numerum *nullam irritam ac inanem*.

XVIII. Hic est ergo modernus Cardinalium numerus quorum titulos, & à quibus Pontificibus novi erecti fuerint, in citato libro enumerat Onuphrius; hoc unà monens, hodie dumtaxat esse sex Episcopos Cardinales; eo quod Ecclesia Episcopalis SS. Ruffinæ & Secundæ aliàs Sylvæ Candidæ Calixto II. unita fuerit Episcopatui Portuensi.

Quemadmodum circa numerum Cardinalium varia pro temporum varietate intercessit disciplina, ita nec minor circa Cardinalium eminentiam ac dignitatem intervenit mutatio.

XIX. Antiquitus enim Cardinales Romanæ Ecclesiæ alii non erant, ut ex jam dictis facile est colligere, quam ipse Romanæ Ecclesiæ ordinarius Clerus, constans ex Presbyteris & Diaconis. Unde *Presbyterium* de quo S. Cornelius Papa ad S. Cyprianum, idem fuisse quoad officium & functiones cum hodierno Cardinalium Collegio notat Pamelius in notis ad citatam epistolam Cornelii: „Presbyterium, ait, intelligit tum hic tum paulo post, Collegium, sive „Senatum (ut loquitur D. Hieronymus epistola ad Rusticum) *Cleri Romani*, utpote sine quorum consilio arduum nihil soleat agere Romanus Pontifex. Atque adeò, „tum hinc tum ex Epistolis Cypriani ad Clerum Romanum „constat, Presbyteros & Diaconos Ecclesiæ Romanæ, in „eadem auctoritate jam olim fuisse, qua nunc pollent, „eodem etiam munere functos, quo *nunc Cardinales*; „nempe ut essent Consiliarii, & Assessores Episcopi Romani. Quod plane perspicuum fit ex verbis illis epistolæ „55 ad Cornelium: *florentissimo illic Clero tecum præsidenti*. Erant tamen illis Episcopi tum temporis superiores.„ Hæc Pamelius.

XX. Cum ergo *Cardinales* R.E. non essent nisi Presbyteri ac Diaconi suis respectivè Ecclesiis aut Titulis *incardinati*; ipsum Clerum Ecclesiæ Romanæ eo modo constituentes, quo aliarum particularium Ecclesiarum Presbyteri ac Diaconi suæ respectivè Ecclesiæ Clerum conficiebant, nullâ quoque supra reliquos prærogativâ in illa qualitate eminebant: quemadmodum sex aut septem illi Episcopi Romanæ adjacentes, etiam postquam R.E. Cardinales creati fuere, ob eam causam (uti monet Onuphrius *pag.* 30.) „neque Patriarchis, neque Metropolitanis vel Archiepiscopis, neque etiam Episcopis aliarum Civitatum, licet Cardinales non essent, ante se tamen consecratis, digniores erant, „nec etiam eos præcedebant: sed eorum præcedentia erat „ratione temporis, quo Episcopi creati fuerant: etenim Episcopus *Cardinalis* Ostiensis, si post Episcopum Veronensem, qui non erat Cardinalis, vel post alium quemquo „creatus fuisset, superiorem eo locum, neque in consessu neque in procedendo habebat, eos tantum Episcopos præcedebat, qui post eum creati fuerant: quæ omnia idcirco „dico, *quod nihil dignitatis* aut *præminentiæ illis dabat antiquitus, esse Cardinales*.„ Hæc ille, unà observans, quod usque ad tempora Gregorii VII. & Urbani II. id religiosè observatum est.

XXI. Et si Zerolæ in praxi Episcopali, verbo *Episcopus*, aliisque Canonistis credamus, Episcopi usque ad Clementem V. & Joannem XXII. erant in dignitate supra Cardinales; quin imo, uti post alios Canonistas asserit Barbosa *Lib. 1 juris Eccles. cap 3. numer. 17.* „usque ad tempora „Bonifacii VIII. nullus erat Episcopus, qui vellet fieri *Pres-* „*byter Cardinalis*, quia putabant non licere descendere à „*majore* dignitate *ad minorem*.„

Et Ludovicus Gometius in proœmio ad Regulas Cancellariæ. „Episcopi usque ad tempora Clementis V. & Jo- „annis XXII. in Ecclesia Dei, ita in excelso honoris & exi- „stimationis fastigio positi fuerunt, ut dignitate deprimi ac „gradu minui arbitrarentur, si ex Episcopis ad Cardinalatus „officium assumerentur.

XXII. Quo verò tempore crescere cœperit Cardinalium R.E. dignitas, nequit præcisè determinari; illud sat constat, sensim atque gradatim ad eam, in quo modo conspiciuntur, eminentiam pervenisse.

Et quidem Cardinalium dignitatem cum Ecclesiæ & Romani Pontificis dignitate semper crevisse, monet Onuphrius *pag.* 34. unà advertens, dignitatem Pontificis Romani maximam fuisse tempore Alexandri III. „Sub quo, ait, Roma- „na Ecclesia ad maximum in terris fastigium evecta fuit, „Imperatore potentissimo Frederico Ahenobarbo, eoque „Ecclesiæ Romanæ infestissimo hoste, conculcato, victo, „pacemque ab Ecclesia petere coacto.

XXIII. Tunc ergo, teste Onuphrio, primum ex Episcopis Cardinales fieri cœpti: hâc tamen moderatione, ut quo- „ties accideret aliquos creari Cardinales, qui Episcopi vel „Archiepiscopi essent, singulis una ex *Cardinalibus* Eccle- „siis (Episcopalibus) tradebatur, quod tunc incongruum „videretur, ex *Episcopo Presbyter* fieri, sed minus incon- „veniens ex Episcopo vel Archiepiscopo fieri *Episcopus* „*Cardinalis*.

XXIV. Succedentes Pontifices Cardinalium eminentiam ac dignitatem continuò magis magisque elevarunt; pluraque eminentiæ atque dignitatis ornamenta & argumenta addiderunt.

„Innocentium IV. ipsis Cardinalibus, cùm à Summo „Pontifice ad Terras Ecclesiæ regendas mitterentur, *rubeum* „*pileum* tradidisse circa annum Domini 1244.„ ex relatis „Canonistis refert Barbosa loco citato *n* 8. additque, „Quod „postea vel per consuetudinem, aut expressam concessio- „nem *omnibus* Cardinalibus datum est.

Paulus II. „publico Decreto mandavit, propositâ „pœnâ (teste Ciaconio in ejus vita) ne quisquam *bir-* „*retam coccineam* præter Cardinales ferret. Quibus et- „iam primo Pontificatus sui anno, *pannum* ejusdem co- „loris dono dedit, quo equos & mulas sternerent, dum e- „quitarent.

Hæc Cardinalitia insignia cùm tantùm Cardinalibus è Clero sæculari assumptis, essent data, Gregorius XIV. etiam *Regularibus rubrum pileum* concessit, & aliquibus tunc præsentibus propriâ manu imposuit; uti videre est in ejus Constitutione quæ incipit *Sanctissimus*, estque nona inter ejus Constitutiones in Bullario Romano.

XXV. Post hæc sub Urbano VIII. decretum fuit, ut jam non *Illustrissimi* vocarentur, prout hactenus, sed *Eminentissimi*, huncque titulum non esse communicandum nisi solis Electoribus Ecclesiasticis Imperii, & vetitum Patriarchis, Primatibus, Archi-Episcopis, Episcopis aliisque Prælatis sub pœna anathematis titulum illum assumere.

XXVI. Denique Innocentius X. anno 1645. confirmavit Decretum Congregationis Sacrorum Rituum, quo præcipitur omnibus Cardinalibus, etiam quacumque natalium seu præcellentium aliarum dignitatum prærogativâ insignitis, ut *solo nomine Cardinalis* contenti, non aliis titulis nuncupentur, nec ut inter eos possint, quàm

Digitized by Google

Eminentissimi ac *Reverendissimi*; nec non *Eminentia Reverendissima*. Insuper jubentur omnes Cardinales è propriis sigillis & signis quibuscumque vulgò *armis* nuncupatis, amovere coronas, „signa, ac omnes notas sæculares, præ„ter eas, quibus intra scutum armorum, eorum familiæ „tamquam de essentia, & integritate eorumdem armorum „utuntur, & ut imposterum ab illorum usu abstineant, „*solo pileo, de pretioso Christi sanguine rubente insigniti* „ac decorati; ac ulteriùs sanctissimus Dominus noster in„hibuit sub excommunicationis latæ sententiæ, ac aliis „arbitrii sui pœnis, sculptoribus, pictoribus, ac aliis qui„buscumque, ne prædictis notas sæculares in sigillis, & „armis, aliisque insignibus S. R. Ecclesiæ Cardinalium „sculpere, ac pingere, aut sculpi vel pingi mandare au„deant.

XXVII. Hæc non obscurè innuunt, Cardinalitiam dignitatem tunc tanti fastigii reputatam, ut reliquæ dignitates seu sæculares, seu Ecclesiasticæ illius splendore tamquam ad majus lumen, offuscari viderentur. Neque aliam de Cardinalitia excellentia ideam tempore Eugenii IV. habitam fuisse, manifestum est ex litteris ejus ad Henricum Archiepiscopum Cantuariensem relatis in Bullario Romano tomo 1. *pag* 351. in quibus asserit, tantæ esse dignitatis Cardinalatum, ut quasi absorbeat aliam quamcumque dignitatem; hoc utens argumento: „Cardinales licet certarum Ecclesiarum „dum ad Cardinalatum assumuntur Episcopi sint, nihilo„minus eos *non Episcopos*, sed *Presbyteros S. R. Ecclesiæ* „*Cardinales*, Sedes Apostolica appellat; quinimo si eis suas „priores Ecclesias in titulum dimittat, non amplius sub *no*„*mine Ecclesiarum*, sed *tituli Cardinalatus* scribit, quasi „ad majorem dignitatem & jurisdictionem assumpserit; a„lioquin non ascendisse, sed descendisse, non honorari, sed „dehonorari, videretur.

XXVIII. Imò in tantum videbatur aliquibus supra Episcopalem dignitatem Cardinalitia dignitas eminere, ut nonnulli Episcoporum ministerio ad vilia quæque munia uti non vererentur; quemadmodum refert & reprobat Leo X. in Bulla reformationis curiæ editâ in Concilio Lateranensi *Sess*. 9. statuitque: „Eos, quos vel nunc habent, vel imposte„rum sunt habituri, *honorificè, ut fratres*, ac juxta eorum „status condecentiam tractent.

XXIX. In hanc quoque Episcopalis auctoritatis dejectionem; & vilipendium vehementius in ipso Concilio Tridentino invectus scribitur nominatissimus ille Bracarentium Archiepiscopus Bartholomæus *De Martyribus*, qui dum durante Concilio unà cum Cardinale Lotharingiæ Romam invisisset; atque ibidem intelligeret, invaluisse consuetudinem, ut in congregatione aut conventu coram Pontifice, Cardinales sederent *tectis* capitibus; Episcopi verò & Archiepiscopi essent *erectis detectis* capitibus, tanta vehementia, totque argumentis indignitatem illius consuetudinis Pontifici exposuit, ut præter omnium exspectationem, Pontifex resolverit, hunc morem tamquam abusum, Episcopali characteri nimiùm derogantem abrogare; uti & reipsâ abrogavit, mandans in congregatione eodem die habitâ, ut Episcopi æquè ac ipsi Cardinales sederent *tectis* capitibus. Historiam ac totum ejus coram Pontifice discursum refert scriptor Gallicus ipsius vitæ *lib*. 2. *cap*. 21.

XXX. Si officium Cardinalium expendamus; atque hodiernum cum pristino conferamus, etiam hic mutationem non modicam intervenisse videbimus.

Cùm enim pristini Romanæ Ecclesiæ Cardinales, essent Presbyteri ac Diaconi, suis respectivè Ecclesiis & titulis tamquam *Ordinarii* atque *fixi* ministri adscripti, etiam *præcipuum* officium eorum erat, illarum Ecclesiarum vel titulorum curam gerere; muniaque Presbyteri seu Parochi, aut Diaconi obire, iisque se totos impendere: quamvis & ipsi tunc etiam Presbyterium constituerent, cujus consilio & operâ Romanus Episcopus uteretur, uti suprà notavimus.

XXXI. At si disciplinam à sex circiter sæculis stabilitam expendamus, videbimus, præcipuum Cardinalium R. E. officium esse, Romano Pontifici in negotiis gerendis consilio & operâ assidere, atque ex hoc capite Cardinalium eminentiam atque dignitatem præcipuè, ne dicam unicè, fuisse desumptam & consideratam.

Et quidem Leo IX. scribens ad Michaëlem Patriarcham Constantinopolitanum, cùm dixisset, quòd sicut cardine totum regitur ostium, ita in Petro & ejus Successoribus totius Ecclesiæ disponatur emolumentum, mox ut consequens infert: „Unde & Clerici ejus *Cardinales* dicuntur *Cardini* u„tique illi, quo cætera moventur; *vicinius* adhærentes.

Itaque jam non ab intitulatione aut incardinatione alicujus Ecclesiæ, *Cardinales* vocantur; sed à majori adhærentiâ Pontifici Romano. Hinc & sub idem tempus *laterales* Pontificis dici cœperunt.

XXXII. Hac de causa ad Cardinales R. E. sæculo 12. scribens S. Bernardus ait: „Nulli dubium quin ad vos spe„cialiter spectet de Regno Dei surgentes succidere spinas, „sedare querelas.... Agite pro loco quem tenetis, pro „dignitate quâ polletis, pro potestate quam accepistis. „ *Epist*. 89.

Hic Bernardum reputare & agnoscere Cardinales tamquam superintendentes *Regno Dei*, id est, *Ecclesiæ*, atque una cum Pontifice illius curam agentes, manifestum est. Unde ad Eugenium III. dicit: „Venimus ad *collaterales* & Co„adjutores tuos. Hi seduli tibi, hi intimi sunt..... An non eli„gendi de toto orbe, *orbem judicaturi*?

XXXIII. Quin & inspiciantur citatæ litteræ Eugenii IV, aliorumque Bullæ; quibus dignitas Cardinalium adstruitur, videbitur, argumenta quibus adstruitur, in hoc unum refundi, quòd ipsorum consilio & operâ negotia non tantum Ecclesiæ Romanæ, sed universalis expediantur; ipsique præcipuas in hisce partes habeant; atque ideo tot quoque eximias dotes in Cardinalibus, tametsi dumtaxat *Diaconis*, posteriora concilia & Pontifices desideraverint; quemadmodùm in concilio Basiliensi *Sess*. 23. & Tridentino *Sess*. 24. *cap*. 1. *De Reformat*. Ubi „ea omnia & singula, quæ „de Episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina & „cæteris qualitatibus aliàs in eadem Synodo constituta „sunt, eadem etiam in creatione sanctæ Romanæ Ecclesiæ „*Cardinalium*, etiamsi *Diaconi* sint, exigenda, quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis „nationibus, quantum commodè fieri poterit, prout ido„neos repererit, assumet.

XXXIV. Porrò hoc Cardinalium munus in dirigendis negotiis maximè hodie elucet ex congregationibus Cardinalitiis, quæ quidem antiquitus ignotæ, sed hodie admodum frequentes sunt.

Hæ congregationes sunt quidam cœtus sive collegia quodammodò Cardinalium per Pontifices instituta ad certa aliqua negotia dirigenda discutienda, quin & terminanda, atque de illis etiam judicium ferendum speciem aliquam tribunalis referentia: ideoque & suos Officiales & inferiores Ministros singulæ habere solent.

XXXV. Harum congregationum quædam sunt jam pridem à Pontificibus erectæ, atque stabilem statum habentes; dicunturque *Ordinariæ*: aliæ verò *Extraordinariæ*, quæ scilicet extra ordinem per Pontificem particulariter pro aliquibus negotiis ordinari solent; cessantque negotiis illis absolutis.

Inter congregationes autem ordinarias & stabiles, quædam sunt quæ explent ea omnia, quæ Pontificem non ut caput Ecclesiæ universalis, aut regimen Ecclesiæ universalis spectant; sed quæ Pontifici tamquam Episcopo particulari Urbis ejusque districtûs incumbunt: qualis v. g. est congregatio *Visitationis Apostolicæ*, uti ostendit Cardinalis De Luca in relatione Romanæ curiæ *Discursu* 24.

Aliæ sunt, quæ concernunt regimen temporale Statûs Ecclesiastici; quales sunt congregatio *super consultatione negotiorum Status Ecclesiastici*, quæ vulgò *Consulta* dicitur:

ciatur: item Congregatio *boni regiminis*, aliæque, de quibus Cardinalis de Luca in citata relatione *Discursu 25. 26. & 27.*

Aliæ denique Congregationes, illæque præcipuæ sunt, quæ versantur circa regimen universalis Ecclesiæ; sive quæ dirigunt atque expediunt ea negotia, quæ ad Pontificem & curiam Romanam ex omnibus provinciis undique deferuntur.

XXXVI. Cumque hic in Belgio videamus multa Decreta ac Resolutiones sub nomine harum Congregationum, & signanter Congregationum *Inquisitionis* sive *S. Officii*, *Judicis*, *Interpretum Concilii Tridentini*, *Sacrorum Rituum*, *& super negotiis Episcoporum & Regularium* circumferri, atque interdum etiam publicari, non inutile judicavi, si harum Congregationum notitia haberetur: cùmque omnes Episcoporum, & nonnullæ quoque Abbatiarum Belgicarum provisiones *Consistorialiter* expediantur, etiam aliquid de *Consistorio* Papæ dicere non importunum credidi.

CAPUT II.

De Consistorio Cardinalium.

1 *Quid generaliter Consistorium?*
2 *Unde Congressus Cardinalium dicatur Consistorium?*
3 *Duplex est Cardinalium Consistorium.*
4 *Tempore Innocentii III. tertio per hebdomadam habebatur.*
5 *Hodie rariùs ad beneplacitum Pontificis habetur.*
6 *Quo ritu ad Consistorium conveniant Cardinales.*
7 *Quomodo in Consistorio procedatur.*
8 *Olim in Consistorio minores causæ etiam judicialiter examinabantur.*
9 *Hodie nulla negotia in Consistorio judicialiter & contentiose tractantur.*
10 *Inter negotia Consistorialia creatio Cardinalium est primaria.*
11 *Provisio Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium* Consistorialiter *fit.*
12 *Etiam aliquibus Abbatiis Consistorialiter providetur.*
13 *Alia negotia* Consistorialia *enumerantur.*
14 *Congregatio vulgò* Consistorialis *instituta est tanquam* Consistorii *consultrix.*

I. Consistorium generaliter accipiendo, est quivis locus ubi *consistitur*. Ita jam pridem Tertullianus de Resurrectione mortuorum *cap. 20.* terram in qua homines consistimus, *consistorium* dixit. Interdum verò in strictiori appellatione *Consistorium* Veteres dixêre, locum in quo Princeps de rebus publicis consultat ac deliberat cum suis Consistorianis, uti multis probat Gothofredus in Notis ad *l. 3. Cod. De officio omnium judicum lib. 1. tit. 10.*

II. Hinc postmodùm invaluit, ut Cardinalium consessus coram Pontifice in ejus palatio per modum Senatûs, dictus sit *Consistorium*; atque in ea appellatione hodie sumitur, dum de *Consistorio* Papæ, atque de Beneficiis ac negotiis *Consistorialibus* sermo incidit.

III. Duplex autem hodie est *Consistorium*. Aliud scilicet *extraordinarium*, magisque solemne, cui præter Cardinales intersunt alii quoque Prælati, Ministri ac Principum Oratores, & Magistratus, qui Papæ præsidenti assistunt; quod & *publicum* dicitur.

Alia species *Consistorii* est, quod *ordinarium* vocatur, fitque in forma minus solemni cum solo interventu Cardinalium pro negotiis pertractandis; soletque *secretum* dici.

IV. Tertiò in hebdomada Consistorium solemne haberi tempore Innocentii III. solitum fuisse probant ejusdem Pontificis acta, quæ *pag. 28.* ex editione Bosqueti hæc habent: „Ter in hebdomada *solemne Consistorium*, quod in *con-„suetudinem* jam devenerat, *publicè* celebrat, in quo audi-„tis querimoniis singulorum, minores causas examinabat „per se tam subtiliter & prudenter, ut omnes super ipsius „subtilitate & prudentiâ mirarentur.

V. Hodie verò illud rariùs habetur ad Papæ beneplacitum, prout negotiorum urgentia (inquit Cardinalis De Luca *in relatione Curiæ Romanæ Discursu 5. n. 6.*) exigit. Pro frequentiore tamen praxi, bis in mense, atque ordinaria dies est feriæ secundæ de mane; quamvis aliquando alia etiam die habeatur; quia hoc à Pontificis dependet arbitrio.

VI. Resolutâ ergo à Pontifice Consistorii in certum diem, horam & locum indictione, & Cardinalibus in curia præsentibus die præcedente insinuatâ, „singuli Cardinales cum „solemni comitatu & obsequio ad illud accedunt, *more Re-„gio*; adeò ut in hac functione (uti notat De Luca) magis „quàm in aliis, Romanæ curiæ majestas videatur elucere; „atque ita verificari id quod antiqui Scriptores de propha-„næ triumphantis Romanæ Reipublicæ Senatoribus dice-„re solent, ut scilicet *tot Reges* reputari mereantur.

VII. Congregatis Cardinalibus, Papâ in Sede aliquantutulum elevatâ sedente, atque adhuc januis apertis, patenteque omnibus Nobilibus, qualificatis Viris ac Prælatis aditu, singulis Cardinalibus petentibus præstatur à Papa privata auricularis audientia super propriis, vel Principum, aut amicorum, vel familiarium precibus aliisque negotiis.

Hac privata audientia, pro Papæ beneplacito, absolutâ omnes à loco Consistorii ejiciuntur, *solis* Cardinalibus cum Papa remanentibus; atque tunc negotia *Consistorialia* tractari incipiunt.

VIII. Tempore Innocentii III. causas minores in Consistorio, auditis utrimque partibus, per Pontificem decisas fuisse, acta hujus Pontificis suprà relata evincunt; notatque De Luca, non ita pridem, „*Consistorium* haberi solitum fuisse, „pro brevioribus causis in forma *contentiosa*, etiam cum in-„terventu Procuratorum & Advocatorum utriusque partis „decidendis per Pontificem cum voto Cardinalium: atque „ex hujusmodi decisionibus aliqua pars Canonum registra-„torum in quinque libris Decretalium est desumpta.

IX. Negotia verò, quæ hodie in Consistorio explicantur, teste De Luca, forensem, & contentiosam formam amplius non habent. Sed solum *gratiosam*, vel *politicam*, ut Principis supremum senatum decet.

X. Inter negotia *Consistorialia* hodierna, primaria est novorum Cardinalium creatio; atque juxta stylum consuetum (ait De Luca loco citato *n. 9.*) „Papa, vel in Consistorii ini-„tio, aut frequentius in fine, dicit Cardinalibus, quod habent „Fratres, atque nominando illos quos in collegium coopta-„re vult, eos interrogat, quid ipsis videatur, eisque appro-„bantibus vel laudantibus fit decretum promotionis, quæ il-„licò publicatur extra Consistorium per curiam; quando-„que tamen non exprimendo numerum eorum, qui pro-„moveantur, aliquorum nomina publicare non solet, sed „ea, ut dicitur, *reservat in pectore*. Et quamvis illa quan-„documque etiam extra actum Consistorii aperire valeat; „quinimmo ex integro Cardinalium promotionem ita fa-„cere, cum omnia pendeant à jure, & à formalitate positi-„vâ, dum, ut præcedenti discursu advertitur, Cardinalium „interventus & consensus est voluntarius, & consultivus; „attamen observantia huc usque dedit, quod tam promotio „quam publicatio jam promotorum, non nisi in consistorio „fieri consuevit.

XI. Altera Consistorialis functio est, provisio Ecclesiarum Patriarchalium, Metropolitanarum, & cathedralium vacantium. Hæc provisio quâ formâ expediatur in duplici consistorio describit De Luca loco citato, & à nobis suprà *titulo 14. cap. 4.* expositum est; hoc tamen monet De Luca, optimum quidem nimiùmque commendabile esse institutum, quod scilicet dictæ provisiones non fiant nisi in consistorio, & quidem iteratò ex

voto

voto Cardinalium: „sed desiderandam videri aliquam me-„liorem ejus praxim: quoniam, ait, ut quandoque fert fa-„ma, sive vera, sive falsa, citra papæ rectam intentionem se-„quuntur ejusmodi electiones in personis parum dignis, „quarum mali mores, vel alii defectus innotescant. Et ta-„men ex quodam usu, vel ex alia causa, nemo loquitur, adeo „ut istud optimum, nimiumq; proficuum institutum quan-„do practicaretur, ad formalitatem redactum videatur.

Quod verò Cardinales in Consistorio teneantur detegere crimina & defectus promovendorum, ostendit Cardinalis Palæotus De sacri Consistorii consultationibus *parte 4. quæst. 2.*

XII. Consistorialiter quoque providetur nonnullis Monasteriis Regularibus; quæ propterea communiter *consistorialia* nuncupantur.

Pontifices enim (uti refert Petardus Gastel in tractatu de usu & praxi Curiæ Romanæ *pag. 35.* edit. 1693.) jam pridem convenerunt cum Cardinalibus, provisiones de certis Monasteriis non daturos, nisi de eorum consilio & *consistorialiter*; prout in litteris provisionis exprimitur: „De perso-„na tua nobis & *fratribus nostris* acceptà Ecclesiæ N. de „*fratrum eorumdem consilio* Apostolica auctoritate pro-„videmus.

Quæ porro Monasteria sunt *consistorialia*, præsertim in Belgio & Provinciis vicinis, videbitur infra, ubi de Abbatibus eorumque electione & confirmatione agetur. Illud quoque advertendum, quod Monasteria, quæ ex se sunt *consistorialia*, interdum expediantur extra Consistorium & non Consistorialiter; sed per *Datariam*; cujus rationem sub titulo De *Dataria* videbimus.

XIII. Coadjutoriæ cum futura successione, tam Cathedralium, & Metropolitanarum Ecclesiarum, quam Monasteriorum consistorialiũ, similiter *consistorialiter* expediuntur.

Dimissio quoque sive libera, sive per translationem alicujus Ecclesiæ, vel Monasterii *consistorialis* pariter in Consistorio admittenda est: prout etiam novæ erectiones Cathedralium aut Metropolitanarum cum dismembratione territorii, novæ Ecclesiæ assignandi, sive earumdem Ecclesiarum uniones vel divisiones in Consistorio fiunt; dicunturque causæ *consistoriales*.

XIV. Quia verò in plerisque illis actibus *consistorialibus* solent fieri oppositiones; debeatque consequenter auditis hinc inde partibus examen institui, quod speciem disputationis, aut discussionis contentiosæ habet; quæ, ob majorem Consistorii majestatem, uti loquitur De Luca, ab eo exulavit, ideo erecta fuit particularis Congregatio, dictorum negotiorum Consistorialium præparatrix, seu Consistorii consultrix, quæ proinde *consistorialis* nuncupatur; constituta ex aliquo competenti numero Cardinalium, ac etiam peritorum Prælatorum cum proprio Secretario, qui juxta hodiernam observantiam non est Prælatus, sed peritus togatus; atque in ista Congregatione prius formiter examinantur materiæ, partibus opponentibus auditis in forma merè contentiosa, proportionata tamen stylo Congregationum Cardinalitiarum circa formalitatem telæ judiciariæ. Hæc de Luca.

Verbo, hæc Congregatio *consistorialis* est ipsius Consistorii pars & quasi Assessor; adeo ut non nisi de ejus voto negotia, quæ controversiam pati possunt, expediantur.

CAPUT III.

De Congregatione S. Officii sive Inquisitionis, atque unà de origine Inquisitionis.

1 *Episcopi vi Officii sui jubentur invigilare in hæreses.*
2 *Per 12. sæcula nulli fuere Fidei Inquisitores præter Episcopos.*
3 *Innocentius III. sæculo 13. primum aliquos Monachos Fidei Inquisitores constituit.*
4 *Episcopi eos aversabantur, sed Pontifex eos sustinebat.*
5 *Multas difficultates tum ab Episcopis, tum à Magistratibus illi Monachi patiebantur; contra quas illos animat Pontifex; eisque auctoritatem magnam impertitur.*
6 *Prædictis Monachis unà cum Episcopo Oxomensi jungitur S. Dominicus.*
7 *Dominicus socios aliquos sibi in adjutorium assumit; & Ordinis sui fundamenta Tolosæ jecit.*
8 *Dominicus ejusque socii tamquam Fidei Inquisitores in hæreticos insurgunt.*
9 *Primum in Concilio Tolosano sub Gregorio IX. specialis modus contra hæreticos procedendi præscriptus fuit, sed totam auctoritatem procedendi contra hæreticos Episcopis committit.*
10 *Postmodum Gregorius IX. Officium Inquisitionis Fratribus Dominicanis commisit.*
11 *Hi nimio suo rigore populum contra se excitarunt.*
12 *Ipsis adjunxit Fratres Minores qui ipsorum rigorem temperarent.*
13 *Fredericus Imperator leges in favorem Inquisitionis evulgavit.*
14 *Has Innocentius IV. confirmavit.*
15 *Officium Inquisitionis commisit Dominicanis & Minoritis unà cùm Ordinariis locorum.*
16 *Plures posthac Inquisitiones per Italiam erectæ sunt nulla tamen hactenus in Urbe Romana.*
17 *Primus anno 1542. Paulus III. Congregationem Inquisitionis instituit.*
18 *Eamdem confirmavit Pius IV. declarans acta per majorem partem Cardinalium habenda esse pro actis Congregationis.*
19 *Pius V. declaravit gesta per majorem partem Cardinalium* præsentium *esse reputanda ac si ab omnibus essent acta, licet etiã* duo *dumtaxat fuissent præsentes.*
20 *Auctoritatem Cardinalium hujus Congregationis latius exposuit Sixtus V.*
21 *Præter Cardinales plures Officiales ad hanc congregationem spectant.*
22 *Qui sint* Consultores?
23 *Consultores cum aliis Officialibus conveniunt feriâ secundâ.*
24 *Quæ in hac Congregatione expediantur?*
25 *Congregatio Cardinalium S. Officii habetur feriâ 4. cujus forma describitur.*
26 *Acta in hac Congregatione per Assessorem S. Officii Pontifici referuntur.*
27 *Qui sint* Qualificatores? *(navit.*
28 *Formula Decretorum quæ ab hac congregatione ema-*
29 *Feria 5. habetur congregatio eorumdem Cardinalium coram Pontifice, quæ propriè est Congregatio S. Officii sive Inquisitionis.*
30 *Quid in hac Congregatione tractetur; & quâ formâ habeatur.* *(Pontificis.*
31 *Decreta hujus Congregationis eduntur sub nomine*
32 *Hæc Decreta tamen sunt reverà Decreta congregationis.*
33 *Decreta Congregationis quibus potissimũ adscribenda;*
34 *De quibus potissimum hæc Congregatio cognoscat?*
35 *Licentia legendi libros prohibitos ab hac Congregatione postulanda.*
36 *An Inquisitionis auctoritas hic in Belgio obtineat?*

I. EPiscopos vi sui muneris Episcopalis obligari, ut populum sibi commissum à periculo aut infectione hæresis præservent, atque Ecclesiam sibi commissam ab omni fermento hæreticæ pravitatis immaculatam custodiant, indubitatum est; ideoque & Episcopos esse naturales Inquisitores Fidei, sive ipsis jure quodammodo naturali, ex Episcopali & Pastorali cura profluente, competere jus inquirendi in hæreticos, aut de hæresi suspectos.

II. Quapropter per duodecim circiter sæcula, nullos Ecclesia Fidei Inquisitores præter Episcopos & Pastores nover-

Google

noverat, neque ullum præter Episcopale notum erat Inquisitionis tribunal, aut speciale officium; sed pari curâ eademque auctoritate Episcopi invigilabant & procedebant contra hæresim, sicuti contra alia, non minus subindè pernicio-sa, vitia; nec non contra hæreticos, atque alios homines sceleratos.

III. Primus sub initium sæculi 13. Innocentius III. contra hæresim Albigensium in Provinciam Tolosanam eique adjacentes misit Arnaldum Abbatem Cisterciensem, Petrum De Castro-novo & Radulphum Monachos Cistercienses, idque plena auctoritate procedendi contra hæreticos, ut patet ex litteris ad ipsos datis 29. Maji anno 1204. in quibus plenam ac omnimodam potestatem eis concessam explicat his verbis. „ Ut autem injunctæ vobis non tam „ nostræ quàm divinæ legationis Imperio, officium possitis „ melius & liberiùs exercere, plenam vobis in Aquensi, Are-„ latensi, & Narbonensi Provinciis, & Vicinis etiam Diœ-„ cesibus, si quæ sunt *hæreticorum* labe *polluta*, concedimus „ *facultatem destruendi*, *disperdendi*, & *evellendi* quæ „ destruenda, disperdenda & evellenda noveritis; & ædifi-„ candi & plantandi, quæ ædificanda fuerint & plantanda; „ illos qui contra prohibitionem vestram venire præsump-„ serint, canonicè puniturí: si quis verò pro violentâ ma-„ nuum inpositione in latæ sententiæ Canonem inciderit, „ auctoritate nostrâ suffulti, ei absolutionis beneficium „ impendatis, injungentes eidem, ut contra hæreticos ac-„ cingatur. „

IV. Episcopis autem aversantibus legatos in causâ fidei, Petrus De Castro-novo litteris ad Innoc. III. scriptis, missionem petit; cui Pontifex rescribens, eum ad fortiter ac viriliter progrediendum animat, ac tandem ita concludit. „ Devotionem tuam monemus & exhortamur in Domino „ per hæc scripta Apostolica mandantes, quatenus, oppor-„ tunè, importunè instans, arguens & obsecrans in operando „ in omni patientia, & doctrina, opus Evangelistæ, ac mini-„ sterium ubi commissum studeas adimplere: firmiter spe-„ rans in Domino JEsu Christo, quod ipse, qui affectum ti-„ bi præstitit laborandi, ne tuus labor inutilis habeatur, effe-„ ctum tribuet & affectum.

V. Hæc aliaque, è quibus intelligitur, quas difficultates & oppositiones Legati illi, tum ab Episcopis, tum sæcularibus Magistratibus passi sint: videri possunt apud Bollandum in actis Sanctorum ad diem 5. Martii in commentario historico de *vita & gestis B. Petri De Castro-Novo*, ubi quoque fit mentio litterarum Innocentii III. ad Archiepiscopum Narbonensem quibus ipsum reprehendit ob auxilium dictis Legatis negatum. Item litterarum ejusdem Pontificis ad Episcopum Agathensem & Abbatem S. Pontii; in quibus inter alia scribit Pontifex, quod Biterrensis Episcopus requisitus à dictis Petro De Castro-novo & Radulpho, cum iis ire noluerit ad commovendum super hoc negotio auctoritate Apostolicâ Comitem Tolosanum, nimirum Raymundum, qui impensè Albigensibus hæreticis favebat: deinde, quod idem Episcopus rogatus ab ipsis Legatis, ut Consules civitatis Biterrensis ad abjurandam hæresim, atque contra hæreticos Ecclesiam defendendam commoneret, non solùm non obedierit, sed etiam id fieri penitus impedierit; cumque dicti Legati auctoritate Apostolica convocato Clero injunxissent Episcopo, ut nisi infra præfixum diem Consules hæresim abjurarent, ipsos non differret excommunicationis vinculo innodare, nihil tamen præstitisset; atque ideo Petrus & Radulphus ipsum ab administratione, nec non & Episcopali officio suspenderint, donec se Pontificis conspectui præsentaret: Clero Biterrensi, ne interim ei obedirent in aliquo, in virtute obedientiæ, & sub excommunicationis pœna districtius inhibentes.

Verum tametsi hæc sat ostendant, quanta esset Monachorum illorum tamquam Sedis Apostolicæ Legatorum auctoritas; nihilque ab Innocentio III. prætermissum fuerit, quo minus suis hisce Legatis in hoc negotio suâ auctoritate assisteret, nihilominus parum aut nihil prædicando contra hæreticos proficiebant; adeo ut præ tædio injunctæ sibi legationi renuntiare intenderent; eo quod jam biennio prædicationi insistentes, nihil aut parum se profecisse viderent, uti testatur Petrus Monachus cœnobii Vallum Cernay in historia Albigensium *cap. 3.*

VI. At cum de his Petrus De Castro-Novo & Radulphus deliberarent, contigit, quod Didacus Episcopus Oxomensis unà cum S. Dominico tunc ejusdem Ecclesiæ Canonico ad Curiam Romanam venerint. Hos idem Pontifex an. 1206. in Provinciam Tolosanam pari auctoritate contra hæreticos misit, qui apud Montem Pessulanum dictis Monachis se junxerunt; animosque fortiter ac viriliter in hoc prædicationis munere pergendi in ipsis addiderunt.

VII. Porro transacto biennio, cum Episcopus ad Ecclesiam suam coactus fuisset reverti, Dominicus, ut fælicius & efficacius operi huic incumbere posset, aliquot sibi Presbyteros sæculares socios & coadjutores adscivit, quibus tandem circa annum 1215. ab Episcopo Tolosano concessa fuit Ecclesia S. Romani in civitate Tolosana cum omnibus proventibus & juribus, ad quam Dominicus cum sociis illis Presbyteris migravit, primaque sui Ordinis fundamenta jecit; quem anno sequenti Honorius III. confirmavit.

VIII. Hi itaque Fidei Inquisitores quaquaversum per provincias discurrentes, tum prædicatione, tum exhortatione hæreticis se opponebant; quin & subinde ipsos Magistratus & principes contra hæreticos incitabant; imo & populum concitabant, ut sub nomine Cruce-Signatorum in hæreticos armarentur, indulgentias promittentes iis, qui arma contra hæreticos sumerent.

IX. Nihil tamen hactenus speciale constitutum erat circa modum contra hæreticos procedendi, nullumque certum Tribunal Inquisitionis erectum.

Gregorius IX. summo contra hæresim zelo animatus, Romanum Sancti Angeli Diaconum Cardinalem legatum suum ad Provincias illas Albigensium hæresi infectas misit, qui anno 1229. celeberrimum Concilium celebravit Tolosæ, in quo de consilio Archiepiscoporum, Episcoporum, Prælatorum & Baronum, & Militum edidit 16. decreta, quibus modus inquirendi ac puniendi hæreticos præscribitur, quæ legi possunt tomo XI. Conciliorum generalium *Col. 427.* Hoc unum notandum, quod Concilium illud totam auctoritatem inquirendi & puniendi Episcopis, tamquam naturalibus Fidei Inquisitoribus, attribuat.

X. Verum idem Gregorius IX. vehementi in hæreticos zelo succensus, existimans Episcopos flaccidius forsan, quam oportet, in hæreticos armari, anno 1231. hoc Inquisitionis officium solis Fratribus Dominicanis, qui ad id officii obeundum præcipuè erant instituti, commisit per litteras ad Priorem Fratrum Ordinis Prædicatorum in Lombardia; quæ exstant tomo XI. Concil. generalium *col. 335.*

XI. Hi ergo quasi defectum aut negligentiam Episcoporum suo zelo supplere volentes, tanto rigore processerunt contra illos quos hæresi infectos, aut de ea suspectos, aut hæreticorum fautores existimabant, ut Comes & populus Tolosanus è civitate sua omnes illos Fidei Inquisitores, nec non totum Dominicanorum Ordinem unà cum Episcopo Tolosano, qui erat ejusdem Ordinis atque illis enixè favebat, expulerint.

XII. Ipsos quidem postmodum auctoritate Apostolica restituit Joannes Viennensis Archiepiscopus; & Inquisitionem exerceri jussit, adjuncto tamen Collegâ ex Ordine Fratrum Minorum, qui Prædicatorum *rigorem sua mansuetudine temperaret*, inquit Guielelmus De Podio-laurentii in chronico *cap. 8.* De quo vide etiam Spondanum ad *annum 1234. n. 3.*

XIII. Adhæc Fredericus II. Imperator circa annum 1244. constitutiones acerbissimas contra hæreticos eorumque fautores evulgavit; ipsosque Fidei Inquisitores sub sua ac Magistratuum protectione esse voluit; ac insuper,

per, ut Magistratus illos, quos ipsi Inquisitores illis ostenderent hæreticos, diligenti custodia detinerent; *ut post Ecclesiastica damnationis judicium,* ait, *pœnam subeant, quam merentur.* Hæ Constitutiones habentur apud Goldastum in *Constitutionibus Imperialibus* tomo 1. pag. 76. 77. & 78.

XIV. Has Frederici leges anno 1251. confirmavit Pontifex Innocentius IV. pluraque pro stabiliendo Inquisitionis Tribunali adjecit per Constitutionem quæ incipit, *Ad extirpandas*, quæ dirigitur *Dilectis filiis, Potestatibus, sive Rectoribus, Consiliis, & Communitatibus civitatum aliarumque locorum per Lombardiam, Romaniolam, & Marchiam Tervisinam constitutis*, in qua per 38. capitula expressit, quæ à Magistratibus contra hæreticos eorumque fautores observanda sunt.

XV. Inquisitionis officium Fratribus Prædicatoribus & Minoribus cum Episcopis commisit, uti patet ex Constitutionibus ipsius, partim Fratribus Prædicatoribus, partim Fratribus Minoribus Fidei Inquisitoribus inscriptis, quæ omnes extant inter Constitutiones dicti Pontificis in tomo 1. Bullarii Romani.

XVI. Itaque jam Inquisitionis Tribunali formato, plures, præsertim in Italia & terris Pontifici Romano temporaliter subjectis Inquisitiones fuere erectæ; ipsique Inquisitores præcipuè ex Ordine Prædicatorum designati fuere: At in Urbe & Curia Romana (uti notat Cardinalis De Luca in relatione Romanæ Curiæ *disc.* 14. *num.* 3.) Inquisitionis Tribunal, per ipsummet Pontificem cum iis Ministris & adjutoribus, quos juxta opportunitates assumere in tempore videbatur, regebatur.

XVII. Primus anno 1542. Paulus III. sex Cardinales constituit & deputavit suos & Apostolicæ Sedis in omnibus & singulis Reipublicæ Christianæ civitatibus, oppidis, terris & locis, tam citra, quàm ultra Montes ubilibet etiam in Italia consistentibus, ac in Romana Curia super negotio Fidei Commissarios & Inquisitores generales & generalissimos. Constit. quæ incipit, *licet ab initio* 34. in Bull. R.

XVIII. Pauli III. vestigia premens Pius IV. octo Cardinales ad idem negotium deputavit, addens & declarans, ut „quidquid per *majorem* partem S. R. E. Cardinalium, qui „in Congregatione pro dicto officio convenerint, dictum, „gestum, statutum, decretum, terminatum, seu sententiatum „extiterit, sit validum & firmum, ita & taliter, quod nullo „modo impugnari possit, perinde ac si omnes & singuli „Cardinales prædicti in dicta Congregatione convenissent, „& major pars consensisset.„ Constitutione quæ incipit: *Cum Nos* 79. in Bull. R.

XIX. Declarationem Pii IV. confirmans & renovans ejus successor Pius V. declaravit, gesta per *majorem* partem præsentium esse reputanda ac si ab omnibus essent ordinata, tametsi tantum *duo* fuissent præsentes. Constit. quæ incipit, *Cum felicis* 23. in Bull. Rom.

XX. Denique Sixtus V. per Constitutionem quæ incipit, *Immensa æterna Dei* 72. in Bull. R. quindecim erigens Cardinalium Congregationes, primo loco Congregationem pro Inquisitione hæreticæ pravitatis, quæ & *Sancti Officii* dici consuevit, instituit sive institutam confirmavit his verbis, quibus Cardinalium ad eam Congregationem pertinentium auctoritatem & officium expressit. „Nos quoque confirmamus & corroboramus, illiusque omnia instituta, omnesque & singulas facultates à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem & potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, & definiendi in omnibus „causis, tam hæresim manifestam quam schismata, Apostasiam à fide, magiam, sortilegia, divinationes, Sacramentorum abusus, & quæcumque alia, quæ etiam „præsumptam hæresim sapere videntur, concernentibus, „non solum in Urbe, & Statu temporali, nobis & huic Sanctæ Sedi subjecto, sed etiam in universo terrarum Orbe, „ubi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, „Primates, Archiepiscopos, & alios inferiores, ac Inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint, quorum, ac „aliorum prædictorum series his nostris litteris ad verbum „expressa censeatur, confirmamus.

XXI. Præter Cardinales qui hanc Congregationem propriè constituunt, ac propterea dicitur Congregatio *Cardinalium* Sancti Officii, ad illam quoque pertinent alii ordinarii & inferiores Officiales, qui hoc Inquisitionis Tribunal regunt & administrant in actuali Jurisdictionis exercitio, ac processuum formatione, reorumque examine.

Horum unus qui judicis Ordinarii partes subit, dicitur *Commissarius Sancti Officii*, de Ordine S. Dominici ex Lombardia.

Hic in Consiliarium sive Assessorem habet Prælatum vel Clericum sæcularem, qui vocatur *Assessor Sancti Officii.* Alii item sunt ministri, v. g. Fiscalis & Notarius.

XXII. Deinde ad hanc Congregationem quoque spectant Theologi & Canonum periti, qui *Consultores S. Officii* vocantur, atque ex diversis Religionibus pro Papæ beneplacito soliti assumi; quamvis interdum etiam è Clero sæculari assumantur.

Inter Regulares tamen (uti loco citato monet Cardinalis De Luca) fixum locum occupant duo Ordinis S. Dominici Professores, nimirum Magister generalis dicti Ordinis, & Magister sacri Palatii; ac etiam alter Professor ordinis Minorum Conventualium, cui tamquam fixo & invariabili congruit singulariter nuncupatio Consultoris S. Officii, habens hoc munus magis peculiariter, illudque præ cæteris Consultoribus exercet.

XXIII. Hi Consultores cum Patre Commissario, Assessore, Fiscali, & Notario Sancti Officii conveniunt singulis feriis secundis in Palatio Sancti Officii prope Basilicam Vaticanam.

XXIV. In hac Congregatione (quæ à Consultoribus, qui præcipuam ejus partem constituunt *Consulta* dicitur) leguntur processus criminales, ac etiam Episcoporum atque localium Inquisitorum litteræ, aut relationes aliaque etiam gravioris momenti negotia, quæ Cardinales Consultoribus committunt; idque pro majore instructione Assessoris, ait De Luca, qui ea relaturus est in alia congregatione ad quam conveniunt Cardinales.

XXV. Hæc Cardinalium Congregatio habetur singulis feriis quartis in Conventu Patrum Prædicatorum prope Ecclesiam B. Mariæ *super Minervam.* Congregatis Cardinalibus, primùm habetur congregatio *secreta*, in qua soli Cardinales cum Commissario & Assessore interveniunt, & deliberatur de negotiis quæ consultoribus commissa non fuerunt, majusque secretum requirere videntur.

Postquam verò super his sufficiens discussio facta est, advocantur consultores, eorumque consilium seu votum expetitur.

XXVI. Eorum verò quæ in hac Cardinalitia congregatione decreta aut resoluta sunt, eodem die post meridiem per Assessorem Sancti Officii fit relatio ad Sanctissimum, qui huic congregationi non intervenit.

Hac de causa, hujus congregationis Decreta prodeunt sub nomine Cardinalium Sancti Officii, factâ tamen mentione relationis ad Sanctissimum, ac etiam votorum Theologorum, si ad hoc negotium specialiter deputati fuerint.

XXVII. Notandum enim, quod subinde examen librorum aut propositionum committatur quibusdam Theologis, qui examine facto, referant congregationi, an aliquam, & qualem censuram libri aut propositiones mereantur; qui *Qualificatores* à qualificatione, censuræ

sunt dici solent; nec unquam Congregationi intersunt, nisi cum relationem negotii ipsis commissi sunt facturi.

XXVIII. Formula ergo Decretorum hujus Congregationis ita concipi solet: Feria IV. Sacra Congregatio „Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E. „Cardinalium in tota Republica Christiana contra hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum habita „in Conventu S. Mariæ Super Minervam post examen „Theologorum specialiter ad hoc deputatorum, factâ „relatione ad Sanctissimum, præsenti Decreto declarat, &c.

XXIX. Feriâ 5. habetur alia Congregatio eorumdem Cardinalium, idque coram Sanctissimo in Palatio Apostolico: hæcque videtur propriè esse Congregatio inquisitionis sive Sancti Officii, de qua in citata Constitutione Sixti V. est, inquit, *ob summam rei gravitatem, Romanus Pontifex præsidere solet.*

XXX. In hac Congregatione præcipuè tractatur casus seu negotium, quod ex omnibus illâ hebdomadâ relatis præcipuum videtur, quodque præ cæteris coram sua Sanctitate discuti meretur.

Postquam casus propositus coram Pontifice maturè discussus fuit, atque Theologi, si negotium ipsorum examini commissum fuerit, relationem suam absolverint, omnes dimittuntur exceptis solis Cardinalibus. Hi coram solo Pontifice vota sua depromunt, atque ex eorum suffragiis ipse concludere solet. Quo facto & signo dato, rursus intrat Assessor Sancti Officii cum Patre Commissario, quibus resolutionem Congregationis significat sua Sanctitas.

XXXI. Tametsi resolutiones quæ hic accipiuntur, & Decreta quæ eduntur, revera sint resolutiones & Decreta Congregationis Inquisitionis; & ob id à Notario Congregationis signentur; tamen quia ipsi Congregationi Papa præsidet, & concludit, idcirco in Decretis hujus Congregationis, non ipsi Cardinales, sed ipse Papa tamquam decernens & resolvens introducitur, hac ferè formulâ: „Feria V. „die... mensis... anni.... in generali Congregatione S. „Romanæ & universalis Inquisitionis habita in Palatio A„postolico Montis Quirinalis „ vel aliàs, *apud S. Petrum* (si ibi Pontifex resideat) „coram Sanctissimo D. N. ac „Eminentissimis & Reverendissimis Dominis S. R. E. „Cardinalibus in tota Republica Christiana contra hæ„reticam pravitatem generalibus Inquisitoribus à S. Se„de Apostolica specialiter deputatis: *Sanctissimus Pater* „prædictus auditis votis eorumdem Dominorum Car„dinalium „ (si negotium commissum fuerit examini Theologorum additur, *& Theologorum votis*) „ *statuit* „*& decrevit.*

XXXII. Porro notandum, quod licet Decreta hæc, non secus ac Congregationis feriæ IV. sint revera Decreta Congregationis Sancti Officii, hæc tamen Pontifici potiori jure adscribi posse videantur, quam Decreta Congregationis feriæ IV. In illa enim quæ feria V. ipso præsente habetur, ipsemet vota Cardinalium & Theologorum, eorumque rationes audit, & expendit; ubi Decreta Congregationis Feriæ IV. tantum per Assessorem S. Officii ipsi Pontifici referuntur, ac compendiosè vota Cardinalium & Theologorum exponuntur: inter quæ quantopere intersit, nemo non videt.

XXXIII. Adhæc ex prædictis facilè intelligitur, quod Decreta & resolutiones tametsi in Congregatione coram Pontifice sint facta, potissimum tamen Cardinalibus sint adscribenda: utpotè è quorum votis & suffragiis Pontifex concludere consuevit.

Quinimo in negotiis, quæ Theologorum examini committuntur, præcipuè ipsis Theologis decisiones & resolutiones, quæ super illis accipiuntur, adscribendæ: quia ipsi Cardinales consueverunt sine novo examine se votis Theologorum conformare. Si tamen inter Theologos super resolutione negotii non conveniat, iteratò examen Theologis committitur; aut si res magni momenti sit, v.g. si agatur de proscriptione alicujus libri, qui auctorem habet in magna dignitate & auctoritate constitutum, subinde aliqui Cardinales librum illum per se legunt & examinant; quin & votum suum cum rationibus in scriptis exponunt, & aliis Cardinalibus communicant.

XXXIV. Hæc congregatio præcipuè cognoscit de causis fidei, omnibusque eo spectantibus; ideoque & libris invigilat, eosque examinat, & censurâ dignos proscribit, neque hac in parte auctoritas hujus Congregationis per Congregationem Indicis vel in minimo læsa est aut imminuta; uti capite sequenti notabitur.

XXXV. Adhæc Gregorius XV. generatim revocavit omnes licencias legendi quoscumque libros prohibitos à quibuscumque concessas: vetuitque deinceps eas concedi, nisi à Congregatione S. Officii, quæ singulis hebdomadis coram nobis, ait, haberi solet. Constit. quæ incipit, *Apostolatus Officium* 40. in Bull. R. Atque in conformitatem hujus Constitutionis, videmus passim licentias legendi libros prohibitos à Cardinalibus hujus Congregationis signatas.

XXXVI. Tametsi Belgium non agnoscat tribunal ullum Inquisitionis, ut coram illo Belgæ de hæresi accusati aut suspecti judicialiter conveniri queant, uti infra parte III. latius ostendetur, nihilominus Decreta hujus Congregationis super prohibitione librorum, aut propositionum aliquarum censura hic recipi & promulgari solent.

CAPUT IV.

De Congregatione Indicis.

1 *Synodus Romana anno 494. catalogum librorum confecit, quos legere vel non legere liceret.*
2 *Hic tantum actum fuit de lectione publica.*
3 *Non erat hic index librorum prohibitorum, prout hodie accipitur.*
4 *Hic Index tantum sæculo præterito confici cœpit.*
5 *Facultas Theologica Lovaniensis rogatu Caroli V. Indicem confecit.*
6 *Paulus IV. primus è Romanis Pontificibus Indicem confici jussit.*
7 *Hic Index Pauli IV. in quatuor classes erat distinctus.*
8 *Quid in hoc Pauli Indice à quibusdam reprehensum?*
9 *Variæ fuerunt in Synodo Trid. Patrum sententiæ circa Indicem formandum.*
10 *Tandem delecti fuere Patres, qui Indicem conficerent.*
11 *Resolutio Patrum Decreto firmata.*
12 *Synodus complementum confectionis Indicis tandem ad Pontificem remisit.*
13 *Pius IV. Indicem probat & evulgat.*
14 *Confectio Regularum Indicis à Synodo Patribus Delectis commissa non fuit: & quare eas composuerint.*
15 *Indicem unà cum Regulis per speciale* Breve *probavit Pius IV.*
16 *Forma ipsius Indicis.*
17 *Hic Index in multis consentit cum Indice Pauli IV.*
18 *Quot sint Regulæ Indicis; & quid præcipuè contineant.*
19 *In prohibitione librorum fit relatio ad pœnas in his regulis præscriptas.*
20 *Qua ratione hic index dici possit* Tridentinus.
21 *Regulæ Indicis non possunt pari ratione Synodo Tridentinæ adscribi.*
22 *De Instructione postmodum Indici & Regulis adjectâ.*
23 *Libri aliqui interdum una in Provincia rectè vetantur, licet non in altera, idque variis titulis.*
24 *Ad Episcopos ac Fidei Inquisitores præcipuè spectat librorum examen & censura.*

25 *Qua de causa instituta Congregatio Indicis?*
26 *Qui hanc Congregationem constituant?*
27 *Quid hodie circa librorum examen competat* Magistro S. Palatii?
28 *Habet etiam hac Congregatio* Consultores.
29 *Soli Cardinales proprie Congregationem constituunt? Et quod eorum pracipuum officium?*
30 *Ob quosvis errores libri non passim prohibendi.*
31 *Huic Congregationi Pontifex non assistit.*
32 *Per hanc Congregationem non est derogatum auctoritati Congregationis S. Officii circa prohibitionem librorum.*
33 *Interdum liber relatus in Indicem postmodum speciali Decreto Congregationis S. Officii ulterius proscribitur.*
34 *Episcoporum ac Inquisitorum auctoritati detractum non est.*
35 *His in partibus Index Romanus in omni suo rigore non est receptus.*

I. SUb nomine Concilii Romani habiti tempore Gelasii I. Papæ anno 494. extat Decretum, quo declaratur, qui libri ab Ecclesia Romana recipiantur, & qui non recipiantur; & qui legi, & qui non legi debeant.

II. Verum ut ex verbis Decreti manifestum est, hic dumtaxat agitur de lectione *publica*, sive de lectione in Ecclesia tempore Divini Officii, ad instructionem & ædificationem populi.

Postquam enim acta Martyrum multis encomiis Synodus extulisset; utpote qui multiplicibus tormentorum cruciatibus & mirabilibus confessionum triumphis irradiant; asseruitque nec quemquam Catholicorum dubitare, & majora eos in agonibus fuisse perpessos, nec suis viribus, sed gratiâ Dei & adjutorio universa tolerasse, subjicit: „Sed ideo „secundum antiquam consuetudinem singulari cautela in „Sancta Romana Ecclesia non leguntur, quia & eorum, „qui conscripsere, nomina penitus ignorantur, & ab infide„libus, aut idiotis superflua, aut minus apta, quam rei ordo „fuerit, scripta esse putantur.

Hæc satis ostendunt, hoc unum voluisse Synodum, à publica lectione & Divino officio amovere quidquid vel speciem falsitatis, aut aliquam fabulæ mixturam habere videbatur; quod adhuc manifestius circa finem Decreti judicatur his verbis: „Cæterùm qui libri in *Ecclesiasticis Officiis* per „anni circulum à nonnullis legantur pro fidelium ædifica„tione, adnotandum censuimus.

III. Itaque catalogus sive index ille librorum nequaquam dici potest, *index librorum prohibitorum*, juxta usitatam modernam phrasim; nimirum, index inhibens libros, omnibus, tam *privatim*, quàm publicè legi prohibitos; qualis librorum *index* ante proximè elapsum sæculum extitisse non reperitur.

IV. Circa medium verò elapsi sæculi, cùm invalescentibus Lutheranâ & Calvinianâ hæresi, libri plurimi mentito nomine auctoris, ac hæretico fermento conspersi ederentur, qui nec facilè à libris catholicis discerni possent; atque hinc multi simplices incautâ horum librorum lectione seducerentur, varii cœperunt à Theologis confici catalogi seu indices librorum, in quibus ipsi notabant libros, quos vel ab hæreticis confectos, vel hæresi conspersos credebant.

V. Et quidem rogatu & mandato Caroli V. Facultas Theologica Lovaniensis indicem librorum hæreticorum, & de hæresi suspectorum, quorum lectionem *pro eo saltem tempore*, uti loquitur, *populo haud convenire indicabat*, confecit, qui & auctoritate ejusdem Cæsaris anno 1546. publicatus fuit.

Cùmque continuo plures hæreticorum libri prodirent, pluresque hæresi respersi notarentur, rursus alium fusiorem librorum illorum indicem eadem Sacra Facultas concinnavit, quem addito speciali edicto, publicari idem Carolus mandavit anno 1556. Hi librorum indices unà cum Cæsaris edictis referuntur in prima parte Edictorum Flandriæ *Lib. 1. Rubr. 7.*

VI. Theologorum atque Cæsaris exemplo excitatus Paulus IV. Pontifex, anno 1557. præcepit iis qui Inquisitioni contra hæreticam pravitatem erant Romæ propositi, ut & ipsi indicem librorum prohibitorum conficerent; qui anno 1559. absolutus, auctoritate Pontificis publicatus fuit.

VII. Hic index in tres classes erat distinctus. Prima classis exhibebat nomina eorum, quorum omnia opera cujuscumque argumenti, etsi profani, omninò vetantur: inter quos & quorumdam nomina Catholicorum occurrunt.

Secunda classe continebantur libri singulatim damnati, dum alii eorum auctorum libri non vetabantur.

Tertia classis complectebantur scripta quædam anonyma, adjectâ clausulâ generali vetante libros omnes anonymos editos ab anno 1519. Denique adjiciebatur catalogus LX. typographorum, quorum omnium libri, quos typis suis evulgarunt, prohibentur, à quocumque demum auctore, aut idiomate produssent.

VIII. Similiter ante hac librorum prohibitorum Indicem à Rom. Pontificibus evulgatum fuisse haud reperitur: unde de hoc Pontifice dicere non dubitat Spondanus, „quod primus extiterit, qui *universalem* omnium perni„ciosorum librorum, cujuscumque argumenti, etiamque „profani, à quibuscumque, etiamque religione *Catholicis* „scriptorum, vel etiam à suspectis typographis de quacum„que arte editorum Indicem contexere studuerit; cum ad „eum usque diem, librorum prohibitiones, tam à Pontifi„cibus, quàm Imperatoribus factæ, numquam excessis„sent terminos *librorum hæreticorum*; aliivè pestilentes „legi prohibiti fuissent, *nisi* quorum auctores etiam dam„nati extitissent.„ Hæc ille ad annum 1557. §. 5. ibidem addens. „Illud in hoc Indice Pauli rigidius visum, quod „pœna legentibus libros eo catalogo comprehensos, ac „prohibitos denuntiata erat excommunicatio latæ senten„tiæ Pontifici reservata, privatio, ac incapacitas quorum„cumque munerum, ac Sacerdotiorum, perpetua infamia, „cum aliis pœnis arbitrariis. Quo factum est, ut Pius IV. „Pauli Successor, rigorem hunc temperans, totum illud li„brorum negotium ad Concilium Trident. retulerit.„ Hactenus Spondanus.

IX. Quod ad Concilium Tridentinum attinet, cum post suspensionem 10. circiter annorum, rursus sub Pio IV. omni suspensione sublatâ, ejus resumptio in sessione habita 18. Januarii Anno 1562. communi Patrum assensu declarata esset, habita fuit Congregatio 26. ejusdem mensis, in qua à Præsidibus Concilii inter alia propositum fuit: „ut libri à diversis auctoribus post hæreses natas edi„ti, unà cum Catholicorum contra eos censuris examina„rentur, quò Synodus quid super illis habeat decernendum „statuat.

Super hoc articulo varias fuisse Patrum sententias ex actis Concilii constat. Et quidem inter alios Archiepiscopus Granatensis „ab ea occupatione Patres dehortatus fuit, „quippe longissimâ, & quæ Synodum abstraheret ab altio„ribus negotiis, magisque indigentibus ipsius proximâ cu„ra.„ Bartholomæus de Martyribus Archiepisc. Bracarensis adjecit, *posse id committi Academiis.*

Petrus Contarenus Paphensis Episcopus „non me„diocri affectus benevolentia„ (uti monet Palavicinus *lib. 15. hist. Concilii Tridentin. cap. 19. numer. 10.*) „erga Paulum IV. cui familiaris intimus fuerat ante Pon„tificatum, & à quo postea thiaram acceperat, suadebat, „ut nulla fieret in Indice Pauli mutatio: esse verius re„centium ingeniorum intemperantiam, quam religio„nis studium, velle decessorum opera reformare, non „quo illa meliora redderentur, sed quo ipsi præstan„tiores ostentarentur. Caverent, ne Sanctiones Majo„rum illi revocantes, posteros stimularent ad eorum „exem-

„exempla sequenda in eorumdem decretis abolen-„dis.„

Econtra Daniel Barbarus Adjutor Patriarchæ Aquileiensis monuit, Indicem Pauli IV. correctione plurima indigere: cum eodem modo proscriberet opus licentiæ juventis, & opus hæreticæ pravitatis. Christophorus Patavinus existimavit, novum ab initio indicem construendum non esse, sed indicem Pauli reformandum. Deinde monebat, „quosdam etiam ex libris esse, qui inter bona plurima mali „aliquid continebant, & hos emendandos quidem esse, non „omnino refellendos; cum ea sit terrenarum rerum con-„ditio, ut is, qui mallet omne bonum quod purum non est „eliminare, & non potius illi defæcando studere, genus hu-„manum omni bono privaret.

X. Inter has Patrum dissensiones & disputationes, tandem plerisque consentientibus, ut aliquibus conficiendi Indicis cura demandaretur; ac rogatis Patribus, ut librorum Censores, qui eam curam susciperent, designarent, communi suffragio Præsidibus Concilii horum electio delata fuit: à quibus designati fuere Georgius Drascovitius Episcopus Quinque Ecclesiensis, Orator Cæsarius pro regno Hungariæ, Joannes Trivisanus Patriarcha Venetus, 4. Archiepiscopi, 9. Episcopi, Abbas unus Cassinensis, & duo Generales, scilicet Minorum de observantia, & Eremitarum S. Augustini: „Sed ita ut non ante finem Concilii In-„dex publicaretur; „ uti refert Spondanus ad anno 1562. §. 17.

XI. Hanc Patrum resolutionem edito Decreto Synodus Tridentina publicavit *Sess.* 18. declaravitque, Synodum censuisse: „ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de cen-„suris, librisque, quid facto opus esset, diligenter considera-„rent, atque etiam *ad eandem S. Synodum* suo tempore „referrent; quò *faciliùs* ipsa possit varias & peregrinas „doctrinas tamquam zizania à Christianæ veritatis tritico „separare, deque his *commodiùs* deliberare, & statuere, „quæ ad scrupulum ex complurium animis eximendum, „& tollendas multarum querelarum causas magis oppor-„tuna videbuntur.

XII. Post hunc Patrum delectum & publicatum hoc decretum, nihil de hoc indicis negotio in Concilio ulterius actum legitur usque ad illum diem, quo finis Concilio impositus fuit; quando inter alia, etiam decretum Patribus prælectum & ab ipsis probatum fuit, in quo prius relatis quæ Sessione XVIII. decreta erant, subditur: „audiens nunc „(Synodus) huic operi ab iis (quibus opus conficiendi in-„dicis fuerat demandatum) extremam manum impositam „esse, nec tamen ob librorum varietatem, & multitudinem „posse distinctè & commodè à S. Synodo dijudicari, præ-„cipit, ut quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Rom. „Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio & auctoritate termi-„netur & evulgetur.

Duo igitur in Trid. Synodo circa Indicem librorum acta sunt. Primum, cura illius conficiendi demandata fuit quibusdam delectis Patribus cum relatione ad Synodum; quò ipsa tunc commodius deliberare ac statuere posset. Secundum, omnium eorum, quæ à delectis illis Patribus acta erant, relatio facta ad sanctissimum, ut ejus judicio opus illud terminaretur & evulgaretur.

XIII. Conformiter ad hoc Decretum Concilii, Index à Patribus delectis confectus, Pio IV. tunc Pontifici oblatus fuit, uti ipse testatur in Brevi quod incipit, *Dominici Gregis*; additque, quod eum doctissimis, probatissimisque Prælatis accuratissimè legendum, examinandumque tradiderit, ipseque etiam legerit.

XIV. Porrò, licet in Synodo Tridentina solummodo actum esset de conficiendo Indice librorum hæreticorum, vel de hæresi suspectorum, aut aliàs perniciosorum, nec aliud delectis Patribus commissum legatur: quo scilicet facilius ipsa Synodus *possit varias & peregrinas doctrinas tamquam Zizania, à Christianæ veritatis tritico separare*, ipsi tamen Prælati ad hoc opus deputati animadvertentes, in Indice Romæ jam pridem confecto, „nonnulla pa-„rum explicatè posita, quæ interpretatione indigerent, re „multum diuque deliberationibus agitatâ, ac viris etiam „ex omni natione, Theologicæ Facultatis scientissimis, in „consilium adhibitis, *subjectas regulas* componendas ju-„dicarunt, ut quod ejus fieri posset, dictorum hominum „commodis & studiis, salvâ veritate ac religione, prospice-„retur. „ Hæc ex prædicatione P. Francisci Forery Ord. Prædicat. Deputationis Tridentinæ ad conficiendum Indicem Secretarii.

Hæ sunt *regulæ*, quæ vulgo dicuntur, *regulæ Indicis*, ipsique Indici præponi solent; quas non ex mandato aut præcepto Concilii Tridentini compositas esse, ex verbis mox relatis sufficienter constat.

XV. Prædictum ergo Indicem cum regulis subjectis, tandem litteris in forma *Brevis*, quæ incipiunt, *Dominici Gregis* 24. Martii anno 1564. adeoque tribus à soluta Synodo mensibus, probavit, & ab omnibus observari mandavit Pius IV.

XVI. In hoc Indice unaquæque pene alphabeti littera tres classes habet, ad exemplum Indicis Pauli IV.

In prima classe non tam libri, quam librorum Scriptores continentur, qui aut hæretici, aut notâ hæresis suspecti fuerunt: „horum enim (ait P. Franciscus Forerius in ci-„tata præfatione) catalogum fieri oportuit, ut omnes intel-„ligant, eorum scripta, non edita solum, sed edenda etiam „prohibita esse.

Illud insuper monet Forerius, non in omnes hujusmodi auctores à partibus inquisitum fuisse, *sed iis pene contenti fuere, ait, qui in Romano catalogo descripti sunt.*

In secunda classe referuntur libri „qui propter doctri-„nam non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem et-„iam in moribus fidelibus afferre potest, rejiciuntur; etiamsi „auctores à quibus prodiere ab Ecclesia numquam desci-„verint.

Tertia „eos libros complectitur, qui sine scriptoris „nomine exierunt in vulgus, & doctrinam continent, „quam Ecclesia Romana tamquam Catholicæ fidei, aut „morum integritati contrariam, refutandam ac refellen-„dam esse decernit. Non enim omnes libros, qui nomen „auctoris non præferunt, damnandos putarunt, quando-„quidem sæpe viros doctos ac sanctos novimus, ut Respu-„blica quidem Christiana ex eorum vigiliis fructum cape-„ret, ipsi verò manem gloriam evitarent, libros optimos „sine nomine edidisse.„ Hæc ex præfatione Patris Francisci Forerii Tridentinæ deputationis ad confectionem indicis secretarii.

XVII. Hæc si conferantur cum his, quæ de Indice Pauli IV. dicta sunt, facile apparebit, Patres ad Indicem concinnandum delectos non quidem Indicem Pauli in omnibus probasse, ejus tamen in multis normam tenuisse.

XVIII. Regulæ à Patribus hisce concinnatæ, quæque Indici hodie præmitti, atque vulgo *Regulæ Indicis* vocari solent, sunt decem numero, multaque continent ab Episcopis, Inquisitoribus, Typographis aliisque circa librorum lectionem, expurgationem, venditionemque observanda; ac tandem edicitur: „Ne quis audeat contra ha-„rum Regularum præscriptum, aut hujus indicis prohibi-„tionem libros aliquos legere, aut habere. Quod si quis „libros hæreticorum, vel cujusvis auctoris scripta ob hæ-„resios vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque „prohibita legerit sive habuerit, statim in excommunica-„tionis sententiam incurrat. Qui verò libros alio nomi-„ne interdictos legerit aut habuerit, præter peccati morta-„lis reatum, quo afficitur, judicio Episcoporum severè pu-„niatur.

XIX. Ad has pœnas in hodierna Romana librorum prohibitione fit allusio dum: *sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.*

Sed quia pœnæ variæ sunt pro varietate librorum pro-

prohibitionem; neque juxta hodiernum Congregationis stylum solet exprimi, quo ex capite liber prohibebatur, incerta quoque manet pœna quam contravenientes incurrunt.

XX. Porro cum ex antedictis constet, Synodum Tridentinam nullum Indicem librorum prohibitorum composuisse; sed dumtaxat Patribus quibusdam ejus curam demandasse; & quidem expresse, *cum relatione ad Synodum*, ut facta relatione, ipsa demum commodius deliberare & statuere posset, atque tandem instante Synodi conclusione, opus à Patribus delectis confectum ad Romanum Pontificem remiserit, eo quod *ob librorum varietatem & multitudinem non posset distincte & commode à Sancta Synodo dijudicari*, evidens est, hunc *Indicem* non alio ex capite posse dici *Tridentinum*, nisi quod Synodus quibusdam Patribus ejus conficiendi curam demandaverit; atque hi durante Concilio, huic operi *ultimam manum apposuissent*, aut saltem (ut loquitur Clemens VIII. in Bulla quæ incipit *sacrosanctum*) *in negotio illo non parum essent progressi*; aut denique, quia totum illud negotium à Synodo ad Pontificem remissum fuit.

XXI. De Regulis verò *Indicis* non idem per omnia dici potest. Cum enim, uti supra monui, Synodus Patribus ad Indicem delectis, nullam componendis hisce regulis curam dederit; atque de solo *Indice* librorum perniciosorum in Synodo actum fuerit, patet, non posse has *regulas* hoc ex capite *Tridentinas* nuncupari; sed eas solis illis Delectis Patribus, qui illas citra ullum Synodi mandatum, composuerunt, esse adscribendas.

Unde S. Carolus in Synodo sua quinta, Indicem librorum prohibitorum vocat quidem Indicem *jussu* Tridentini confectum; at in prima sua Synodo loquens de his regulis ait. *Regulas Indicis de libris vetitis* AB IIS *qui illi negotio a Sacrosancta Synodo Tridentina præfecti fuerunt, ex auctoritate Sanctissimi D.N. Pii IV. editas &c.* ita eas simpliciter dictis Patribus attribuens.

XXII. His Regulis subjicitur insuper *instructio eorum, qui libris, tum prohibendis, tum expurgandis, tum etiam imprimendis, diligentem, ac fidelem* (*ut par est*) *operam sunt daturi*, non à Delectis Patribus à Synodo Tridentina ad concinnandum Indicem confecta, sed postmodum adjecta.

In hac instructione inter cætera sub titulo *De prohibitione librorum* §. 5. præscribitur; „Episcopi & Inquisitores „seu ab iisdem subdelegati, & deputati, tam in Italia, quam „extra, penes se habeant singularum Nationum Indices, „ut librorum, qui apud illas damnati ac prohibiti sunt, cog„nitionem habentes, facilius prospicere possint, an etiam à „suæ jurisdictionis terris, eosdem recognitos arcere, vel re„tinere debeant.

XXIII. Hæc patenter supponunt, interdum libros aliquos in certa Provincia aut Natione prohiberi, quæ in aliis Provinciis non similiter prohiberi, aut non eodem rigore debeant; quod non uno ex capite contingere potest.

Certum imprimis est, expressiones aliquas posse esse nocivas apud populum nimis in fide Catholica, aut Religione instructum, aut hæreticis permixtum, quæ nequaquam offenderent populum melius instructum, vel nullam cum hæreticis communionem habentem; adeoque librum aliquem ob hujusmodi expressiones, esse uno in loco prohibendum, & non alio: idem esto de tempore judicium.

Adhæc contingere subinde potest, ut liber aliquis in certa provincia aut Diœcesi à Pastoribus & Animarum Directoribus tamquam pius & instructioni populi conveniens fuerit commendatus, & vicissim à populo avidè receptus & sine offensione lectus: vel etiam à viris spectatæ doctrinæ & magnæ apud populum auctoritatis probatus. Quis porro ambigat, quin hujusmodi circumstantiis concurrentibus fieri subinde posset, ut libri illius in tali loco prohibitio non conveniret, tametsi alio in loco non esset improbanda?

Quid enim, si liber ille revera quidem obscuriores quasdam contineat expressiones aut etiam leviores aliquos errores, ita ut ex ejus lectione aliquod erroris periculum populo imminere possit; ideoque sepositis particularibus circumstantiis meritò prohiberetur, sed si periculum ex hujusmodi obscurioribus expressionibus, aut levioribus erroribus populo imminens conferatur cum scandalo, quod ob particulares circumstantias concurrentes, ex libri illius prohibitione in tali loco imminet, fieri potest, ut periculum ex lectione illius libri imminens, nullatenus æquiparari queat scandalo ex prohibitione ejusdem orituro: ideoque convenientius foret à prohibitione supersedere; ipsorumque Pastorum curæ permittere, ut obscuriores expressiones populo clarius exponant.

Facilè quippe contingeret, ut ob libri hujusmodi prohibitionem, populus de Pastorum aut Prædicatorum, qui librum illum commendarunt, sinceritate vacillare inciperet; atque suspecta habere, quæ de articulis fidei, aut morum præceptis à Pastoribus audivit: quod malum multo gravius atque populo nocentius esse posse, quàm periculum erroris, quod ex lectione illius populo esset metuendum, dubitari nequit.

Cæterum tota prædicta instructio eo præcipuè tendit, ut ostendat, qualiter Episcopi, Inquisitores & Universitates in prohibendis, & corrigendis libris procedere, quasque regulas tenere debeant.

XXIV. Ad Episcopos quippe atque Fidei Inquisitores præcipuè pertinet invigilare, ne populus ex librorum lectione hæreti aut aliis perniciosis in fide aut moribus erroribus inficiatur; quare & erecta in Urbe Congregatio *Inquisitionis* sive *Sancti Officii* invigilare cœpit prohibitioni & correctioni hujusmodi librorum.

XXV. Cum autem, hac Congregatione in gravioribus actualibus negotiis fidei magis occupata (uti loquitur De Luca in relatione R. Curiæ *disc.* 19.) illa materia revisionis & prohibitionis librorum forsan non adeo diligenter & accuratè ageretur, Sixtus V. hanc Congregationem *Indicis* tamquam dictæ congregationis Sancti Officii vicariam & adjutricem erexit, eadem primævá potestate penes ipsam matrem adhuc remanente.

XXVI. Congregatio autem hæc constituitur ex competenti numero Cardinalium pro Papæ beneplacito. Habet præterea Secretarium ex Ordine S. Dominici, qui unà cum Cardinale Præfecto Decreta congregationis signat.

XXVII. Præterea habet perpetuum & fixum Consultorem, Magistrum Sacri Palatii similiter ex Ordine S. Dominici, qui primitus apparet assumptus, ut quasi Theologus in rebus fidei in privatis occurrentiis (ait Cardinalis De Luca in citata relatione *disc.* 8.) Papam informaret, antequam sub Paulo III. erigeretur Congregatio Inquisitionis, quin & ante erectionem dictæ congregationis Inquisitionis, ac Indicis, ipsi pene soli librorum revisio, expurgatio, ac impressio concredita erat.

Hinc etiamnum hodie, impressio librorum in Urbe ejusque districtu sine ejus licentia inhibita est. Retinet quoque facultatem, quam fortè solus ante erectionem istarum congregationum exercebat, ait De Luca, revidendi, si velit, libros alibi impressos, qui in urbe ejusque districtu vendantur seu legantur: ut proinde mirum non sit, ipsum tamquam perpetuum ac fixum Consultorem congregationibus interesse.

XXVIII. Ad hanc insuper congregationem pertinet magnus numerus Theologiæ aliarumque litterarum Professorum, qui, inquit De Luca, frequentius omnes vel pro majori parte sunt Religiosi diversarum Religionum sub nomine seu vocabulo *Consultorum*.

Partes horum sunt, revidendi vel examinandi libros qui tamquam suspecti denuntiantur, juxta distributionem, quæ per Secretarium eis fieri solet; cum obli-

gatione

gatione referendi & examinandi in plena Congregatione, quæ diem certum non habet, ubi tum determinatur, an liber prohiberi aut expurgari, vel suspendi debeat, vel absolute permitti possit: solentque ut plurimum Cardinales se judicio Consultorum, qui librum reviderunt & examinarunt, conformare.

XXIX. Soli tamen Cardinales votum decisivum obtinent, quibus à Sixto V. in erectione hujus Congregationis injunctum est, ut libros, „qui post Indicem Concilii Tridentini jussu editum prodierunt, Catholicæ doctrinæ, „Christianorumque morum disciplinæ repugnantes, expendant & recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum vero injuria & dolo depravatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios conficiant, novos præterea libros approbandi, & imprimendi rationem præscribant.

XXX. Hic obiter notandum, mentem Pontificis nequaquam fuisse, ut libri studiosis alioquin utiles, ob leviores aliquos errores, aut duriora aliqua dicta absolutè proscribantur. Et sane (ut rectè monet De Luca citato *disc.* 19. *num.* 15.) „id apud omnes commendabile reputatur, ut „quo magis fieri potest, *parce* ac *circumspectè* in hac prohibitione procedatur, ne facilitas vel *frequentia* vilipendium causet, aliaque producat inconvenientia eo modo, „quo in Ecclesiasticis censuris, Canones atque Concilia docent, ac monent.

XXXI. Huic Congregationi Pontifex non assistit; unde etiam communiter sub nomine Cardinalium Congregationis Indicis nulla Pontificis facta mentione Decreta edi solent.

Decreta quidem jam formata, priusquam imprimantur, per Secretarium Congregationis Pontifici exhiberi & ostendi consueverunt; sed quia Pontifex nec librum legit, nec Consultorum, qui illum examinarunt & reviderunt, relationem audit, sed Decreto formato simpliciter annuit, nulla ejus in Decreto mentio injicitur, sed sub solius Congregationis nomine publicatur.

XXXII. Cum verò hæc Congregatio tantum sit quasi Vicaria & adjutrix Congregationis Inquisitionis, per ejus erectionem auctoritas Congregationis Inquisitionis proscribendi libros, nec in minimo diminuta est.

XXXIII. Quin & nonnumquam contingit, ut liber aliquis per Decretum hujus Congregationis in Indicem relatus, postmodum etiam per speciale Decretum congregationis Inquisitionis proscribatur: quemadmodum contigit circa librum Amadæi Guimenii; qui 5. Aprilis an. 1666. à Congregatione Indicis prohibitus & in Indicem librorum prohibitorum relatus, rursus die 12. Septembris an. 1675. à congregatione Inquisitionis prohibitus fuit; uti refertur in Brevi Innocentii XI. die 16. Septembris an. 1680. quo eumdem librum iterato proscribit: eo quod non obstante iteratâ illa per congregationem Indicis & Inquisitionis prohibitione, *nonnulli propriæ salutis immemores eumdem legere & retinere damnabili lectione, usu, & praxi præsumerent.*

XXXIV. Episcopis ac Fidei Inquisitoribus salvam manere in suis respectivè Diœcesibus & districtibus facultatem libros proscribendi, expurgandi & corrigendi, quotidianâ praxi manifestum est: quin imò Inquisitio Hispanica (si fides sit Francisco Salgado in Supplicatione ad Sanctissimum *parte* 2. *cap.* 33. *numer.* 145.) nec in Sicilia „permittit expurgationem & prohibitionem emanatam à Congregatione de Indice Romæ existente publicari, nisi prius per „Consilium ipsum supremum Sanctæ Inquisitionis Hispanæ illi libri prohibiti, expurgati noviter, & accuratè „examinentur & expurgentur, ita ut si quid prohibitionis, „aut expurgationis dignum reperiat sub censura dumtaxat „suâ non attentâ, quæ à Congregatione de Indice emittitur, publicantur. Super quo, ait, plurima exemplaria præ „manibus habui ex Registris hujus supremi Concilii, quæ „facilè hic potuissem inserere, nisi defessus calamus tam „ingentem laborem recusaret. „ Hæc ille.

XXXV. Sed neque hisce in Provinciis Indicem librorum prohibitorum in omnibus receptum esse notoria Belgii praxis evincit.

Quis enim inter Juris-Consultos aut Juris studiosos scrupulo angitur; aut cui scrupulus movetur, dum Passim legunt Commentaria Joannis Schneiduini ad Institutiones Justiniani; Commentaria Francisci De Amaya in tres posteriores libros codicis; Commentaria Donelli Enucleati; opera Andreæ Corvini, Matthæi Wesembecii, aliosque libros quamplurimos Decreto Romano in Indicem librorum prohibitorum relatos.

Imò licet nomen Caroli Molinæi esset relatum in primam classem Indicis Romani, quo indicabatur, omnia ejus, scripta, non edita solum, sed edenda etiam, prohibita esse, nequaquam tamen crediderunt Viri auctoritate Philippi II. atque Albani Ducis consilio an. 1571. delecti ad Indicem expurgatorium pro Belgio concinnandum, omnia generatim Molinæi opera hic in Belgio vi illius relationis in Indicem esse proscripta; sed ejus opera de novo examinanda censuerunt; atque post examen institutum quædam illorum, prius factâ aliquali majori vel minori expurgatione aliqua verò nulla purgatione aut correctione adhibita, legi posse judicarunt. Et quidem de ejus ad consuetudines Parisienses Commentario, hoc testimonium reddunt: *In hoc opere nihil est quod hæresim sapiat, quapropter illud admittitur.* Scripsit idem novum intellectum quinque legum. *Nihil,* inquiunt de illo Expurgatores, *continet quod repurgari debeat, quapropter admittatur.* Idem etiam scripsit novum & analyticum intellectum quatuor & aliarum plurium legum, de quo hoc proferunt judicium: *Nihil repurgatione dignum habet, quapropter admittatur.*

CAPUT V.

De Congregatione pro executione & Interpretatione Concilii Tridentini.

1 *Qua ratione Synodus Tridentina voluerit difficultates occasione suorum Decretorum emergentes resolvi.*
2 *Pius IV. generaliter inhibuit omnibus, Decreta Synodi Tridentinæ interpretari.*
3 *Interpretationem Sedi Apostolicæ reservavit.*
4 *Congregationem Cardinalium pro executione Concilii Tridentini instituit.*
5 *Huic Congregationi non erat auctoritas interpretandi Decreta Synodi; sed tantum exequendi.*
6 *Aliquando dubitavit hæc Congregatio an propter decisos casus ad Interpretationem Concilii Tridentini spectantes, non incidisset in censuram.*
7 *Sixtus V. interpretandi potestatem huic Congregationi attribuit; & dicitur,* Congregatio pro interpretatione Concilii Tridentini.
8 *Præcipuè versatur hæc Congregatio circa Interpretationem Synodi Trid.*
9 *Quæ executionem Concilii Tridentini spectant, interdum etiam ad alias Congregationes mittuntur.*
10 *Hæc Congregatio curat, ut Synodi locales juxta præscriptum Synodi Tridentinæ habeantur; & Decreta Synodorum Provincialium ab ipsa revidentur.*
11 *Audit quoque postulata Episcoporum visitantium Limina Apostolorum.*
12 *In hac Congregatione nulla adest mixtura Prælatorum, præter Secretarium: & inter Cardinales unus dicitur,* Cardinalis Præfectus.
13 *Resolutionibus nisi debitè munitis non creditur.*
14 *Declarationes ab hac Congregatione frequenter dantur super particularibus casibus.*

15 *Declarationes datæ pro casu particulari rarò alteri casui applicari possunt.*
16 *Declarationes hujus Congregationis rarò publicantur.*
17 *Non habent vim legis.*
18 *Interdum Congregatio à Declaratione data recedit; & contrariam dat.*

I. SYnodus Tridentina Sess. 25. in fine *De recipiendis & observandis Decretis Concilii* declaravit: „Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua „inciderint, quæ declarationem, quod „non credit, aut definitionem postulant, „præter alia remedia, in hoc Concilio instituta, confidit Sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim Provinciis, unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit; Provinciarum necessitatibus pro Dei „gloria, & Ecclesiæ tranquillitate consulatur.

II. Porrò nullum Concilium generale posthac celebratum est, neque evocationes ex Provinciis frequentatæ; sed Pius IV. in Bulla confirmationis ipsius Concilii quæ incipit, *Benedictus Deus*, „Apostolica auctoritate inhibuit „omnibus, tam Ecclesiasticis personis cujuscumque sint ordinis, conditionis, & gradus, quàm laicis, quocumque honore ac potestate præditis; Prælatis quidem sub interdicti „ingressus Ecclesiæ, aliis verò quicumque fuerint, sub excommunicationis latæ sententiæ pœna, ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumque omnino interpretationis genus „super ipsius Concilii decretis quocumque modo edere; „aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu „majoris decretorum corroborationis, aut executionis, aliove quæsito colore, statuere.

III. Deinde subjicit: „Si cui verò in eis aliquid obscurius dictum & statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ad„scendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam, omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controversias, si quæ ex „eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas & decidendas, quemadmodum ipsa quoque sancta Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis meritò confisa „est, omnium Provinciarum necessitatibus ea ratione, quæ „commodior nobis visa fuerit, providere: Decernentes nihilominus irritum & inane, si secus super his à quoquam „quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit at„tentari.

IV. Mensibus aliquot post Concilii Tridentini confirmationem, & hanc interpretandi Decreta Sedi Apostolicæ factam reservationem, erecta fuit ab eodem Pontifice aliquorum Cardinalium (illorum præsertim, qui in Concilio interfuerant; quique de mente Concilii magis credebantur instructi) Congregatio per Constitutionem quæ incipit, *Alias nonnullas* 81. in Bull. R.

V. Hæc Congregatio tametsi non esset instituta pro *interpretatione* dubiorum quæ oriri possent circa Decreta Concilii Tridentini, quæ omnia vult Pontifex ad se referri; sed pro executione & observantia illorum Decretorum; tamen eo etiam tempore, uti observat Cardinalis De Luca, aliquâ oriente dubietate, istæ partes interpretandi assumebantur; atque aliquæ, licet pauciores declarationes prodierunt; quæ majoris vel eo titulo auctoritatis reputandæ sunt, uti monet De Luca, „quod plures tunc in ea Congregatio„ne sedebant Cardinales, qui vel tamquam Præsidentes & „Legati, vel tamquam Prælati postmodum ad Purpuram assumpti, in ipso Concilio intervenerant; ideoque tam„quam Sessionum, ac disputationum conscii, melius Patrum sensum callebant, „In annotat. ad Concilium Trid. „*Disc.* 1.

VI. Quin & refert Fagnanus, hanc Congregationem aliquando dubitasse, an ipsa incidisset in censuram, de qua in citata Constitutione, *Benedictus Deus*, „decidendo multos casus propositos ad interpretationem Concilii pertinentes absque eo quod ullam relationem Sanctissimo fecerit. Et cum Congregatio hac de re consuluisset Pium V. „Sanctitas Sua dixit, se non credere Congregationem incidisse in hujusmodi censuras, quoniam opinabatur „hanc prohibitionem eos tantum comprehendere, qui „proprio ausu interpretari præsumpsissent, ut indicant illa „verba, *audeant interpretari*; tamen pro futuro, dixit, „se tribuere facultatem Congregationi ut absque alia delegatione posset decidere casus, quos Congregatio tanquam claros putaret decidendos; quos vero tanquam „dubios putaret referendos Sanctitati Suæ, referret, prout „postea fecit, ut disertis verbis est adnotatum in libris publicis S. Congregationis manu Cardinalis Caraffæ. „*Ad Cap.* 12. *De Judiciis.*

VII. Postmodum Sixtus V. in sua constitutione quæ incipit, *Immensa* 74. in Bull. Rom. inter cæteras Congregationes, hujus quoque congregationis meminit, eique clarius, non tantum exequendi, sed etiam interpretandi Concilii Tridentini Decreta, scilicet *reformationis* (eorum quæ ad fidei dogmata pertinent interpretatione sibi reservatâ) facultatem impartitur; ideoque congregatio, quæ in citata Constitutione Pii IV. dicebatur Congregatio *super* EXECUTIONE & OBSERVANTIA *Sacri Concilii Tridentini*, in hac Sixtinâ Constitutione vocatur *Congregatio pro executione*, & INTERPRETATIONE *Concilii Tridentini*; quamquam & antè hanc Sixtinam Constitutionem, quæ edita est anno 1583. Cardinales eidem congregationi præfecti dici cœperunt Concilii Tridentini *Interpretes*; & congregatio *Interpretum* Concilii Tridentini: ut constat ex litteris super confirmatione primæ Synodi Mechliniensis, de quibus *tit.* 20. *cap.* 3. *num.* 6.

VIII. Et quidem, uti monet De Luca, „hujus Congregationis principale institutum versatur in hac parte *interpretandi*, atque præstandi oracula in abstracto super „dubiis quæ proponuntur; & super hac parte *interpretativa* aliæ congregationes se non intromittunt, unde propterea hæc facultas est privativa: „Hoc est, privativè ad hanc congregationem spectat.

IX. Quæ verò executionem ejusdem Concilii attinent, quamvis frequenter etiam ad hanc congregationem remittantur; atque propterea congregatio hæc non rarò etiam particulares casus in forma contentiosa agitandos & decidendos assumat, nihilominus subinde hujusmodi casus, licet circa Decreta Concilii Tridentini versentur, ad aliam congregationem, v. g. Regularium & Episcoporum mittuntur seu referuntur.

X. Ulterius voluit Sixtus V. in dicta Constitutione, ut hæc congregatio provideat, Synodus Provinciales & Diœcesanas, prout à Synodo Tridentina ordinatum est, celebrari: „Provincialium verò, ait, ubivis terrarum illæ celebrentur, „Decreta ad se mitti præcipiat, eaque singula expendet & „cognoscet.„ Hinc stylus invaluit, quod Decreta Synodorum Provincialium, dum pro confirmatione Romam mittuntur, ab hac congregatione tantummodo recognoscantur & emendentur; uti ex Fagnano supra *Titulo* 2. *cap.* 3. *nu.* 18. notatum fuit.

XI. Huic quoque Congregationi incumbit, audire postulata Episcoporum *Limina Apostolorum* ad præscriptum sui juramenti visitantium; eisque congrua responsa dare cæteraque materiam hujus visitationis spectantia expedire; de quibus actum est *Titulo* 15. *cap.* 2.

XII. In hac Congregatione, quemadmodum monet De Luca, nulla adest mixtura Prælatorum, uno excepto, qui Secretarii munus gerit.

Inter

Inter Cardinales verò hujus congregationis unus habet præfecturam pro subscriptione Litterarum & Decretorum, ipsiusque congregationis cura & directione, diciturque *Cardinalis Præfectus*.

XIII. Subscriptione hujus Cardinalis Præfecti, & Secretarii, nec non sigillo ipsius congregationis, resolutiones ab hac congregatione emanantes muniri debent; adeò ut declaraverit hæc congregatio probante Urbano VIII. 2. Augusti anno 1632. declarationibus seu impressis seu imprimendis, ac etiam manuscriptis nullam fidem in judicio vel extra habendam, nisi in authentica forma soluto sigillo, & subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii ejusdem congregationis fuerint munitæ.

XIV. Declarationes in hac congregatione frequenter dari occasione casuum particularium qui ad hanc congregationem deferuntur, supra notatum fuit: "Quapropter „erroneum est (uti monet Cardinalis De Luca) in particu„laribus Declarationibus cum consueta cœca fide vim con„stituere; cum illæ, quæ singulos, vel particulares concer„nunt casus, ex eorum particulari qualitate & circumstan„tiis manare soleant; ideoque alteri diversas circumstantias „habenti, non semper sunt applicabiles, cùm diversimodè „ob diversam facti qualitatem, fortiùs decernere congruat." Hæc ille in *Annotat. ad Concil. Trid. disc. 1. num. 11.*

XV. Ut ergo declaratio ab hac congregatione emanata, alicui casui particulari applicetur, expendendum, ac inquirendum, num forsan hujusmodi declaratio non emanaverit occasione alicujus particularis casus quibusdam singularibus circumstantiis vestiti: aut certè non cum iisdem, quæ casum occurrentem circumstant.

XVI. Declarationes ab hac congregatione emanantes per modum Legis aut constitutionis publicari non consueverunt, sed per litteras sigillo congregationis, nec non subscriptione Cardinalis Præfecti & Secretarii munitas consulentibus intimari; nisi publicationem casu Pontifex fieri mandet; quemadmodum quoad Decretum circa communionem quotidianam ab hac congregatione 12. Februarii 1679. emanatum, contigit.

XVII. Hinc facilè intelligitur, Declarationes has, non ut Leges generales esse habendas; neque pro hujusmodi Concilii Tridentini interpretatione, à qua recedi numquam liceret; quemadmodum plurimis relatis auctoribus latiùs deducit Berthrandus Loth in Resolutionibus Belgicis *Tract. 2. art. 10.*

XVIII. Et quidem ipsa congregatio nonnumquam ab interpretatione alicujus Decreti Concilii Tridentini data, postmodum re maturiùs discussa recessit, uti notat Fagnanus contigisse circa intellectum *Cap. 2. Sess. 24. De Reformat.* "Nam cùm ante censuisset, Decretum, quo ibidem disponi„tur, ne imposterum Episcopi Comprovinciales ad Metro„politanam Ecclesiam accedere inviti compellantur, intelli„gendum esse de *personali* accessu ipsorum Episcoporum, „non autem de *Procuratore mittendo*: postea tamen die 17. „Julii 1598. de eadem re maturius deliberans censuit, Con„cilium liberasse Suffraganeos etiam ab onere mittendi *Pro„curatorem*, non obstante consuetudine etiam immemo„rabili. Sed quia prius diversum senserat, dixit referen„dum Sanctissimo qui probavit sententiam posteriorem „congregationis, jussitque dari litteras ad Episcopos, præ„sertim Regni Neapolitani, quibus eis significaretur, etsi a„liàs Sacra congregatio aliud censuisset; tamen postea per„pensis aliis rationibus, & facta relatione Sanctitati Suæ ita „fuisse Decretum. Et iterum cum antea declarasset in Paro„chialibus juris patronatus mixti Laicorum, & Ecclesiasti„corum requiri formam examinis per concursum; tamen „postea animadvertens in mixto prævalere qualitatem, quæ „magis favet patronatui; facta relatione Sanctissimo, ac de „ejus mandato iterum articulo discusso recessit à prima de„claratione."

CAPUT VI.

De Congregatione super negotiis Episcoporum & Regularium.

1 *Hodiernæ quæstiones inter Regulares olim penè erant ignotæ.*
2 *Quæ hodie quæstiones pariunt olim erant ignota.*
3 *Unde & quando quæstiones originem sumpserint?*
4 *His controversiis decidendis erecta est hæc Congregatio.*
5 *Hodie unica est Congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium.*
6 *Hæc Congregatio habet majorem numerum Cardinalium: & quare?*
7 *Ob multitudinem negotiorum dicitur* occupatissima.
8 *Est merè Cardinalitia; & feria VI. habetur.*
9 *Quas causas Regularium audiat?*
10 *Quis Congregationis stylus dum quæstio est cum Episcopis.*
11 *Quis item dum quæstio est inter ipsos Regulares.*
12 *Pleraque quæstiones inter Regulares & Episcopos aut Parochos moribus hodiernis deciduntur in* Partibus.

I. Pleræsque quæstiones, quæ hodie inter ipsos Regulares, vel etiam inter Regulares & Episcopos aliosve de Clero agitantur, pluribus sæculis ignotas fuisse, nec nisi ex mutata Monastica ac Regulari disciplina variisque successu temporis impetratis privilegiis originem sumpsisse, manifestum est.

II. Nam uti rectè advertit Cardinalis De Luca *Disc. 1. De Regularibus*: „Certum est, atque apud omnes Scriptores „concorde, quod antiqui, sive Monachi sive Anachoritæ, „aliique Regulares, qui (à Monachis discreti Mendicantes „dicuntur) non erant Clerici; quinimo Clericari prohibiti „erant, ideoque more reliqui populi sæcularis sub Parocho „vivebant, à quo Sacramenta aliaque divina recipiebant; „indeque prodiit, quod decimas, reliqui populi more, solve„bant, ac etiam ejusdem populi, & Cleri sæcularis more „subjacebant loci Ordinario, seu Diœcesano ob adhuc non „introductum usum privilegiorum super illa exemptione, „quam hodie praxis docet.

„Hinc proinde sequebatur, quod nulla aderat controver„siarum occasio inter Regulares, & Ordinarios, vel Paro„chos, aliosque Clericos sæculares, quoniam si more reliqui „populi Ordinario, & Parocho respectivè in omnibus sub„jacebant, atque non se ingerebant in Divinorum & Sacra„mentorum administratione, minùsque in funeribus, & an„niversariis, utique nulla suberat controversiarum occasio.

„Prout ferè nulla suberat occasio controversiarum, sive „inter diversarum Religionum Professores, super præce„dentiis, aliisque præeminentiis, ut hodierna praxis docet, „aut inter ipsosmet Religiosos ejusdem Ordinis, vel Insti„tuti; tum quia cùm non intervenirent in processionibus, „aliisque Ecclesiasticis functionibus deerat præcedentiæ oc„casio; tum etiam quia attento eo primævo statu, ejusdem „Ordinis, vel Instituti Professores, ac Monasteria, non con„stituebant illam universitatem, quam penè omnes Religi„ones hodie constituunt sub uno Prælato Generali, aliisque „Officialibus, ac Prælatis, qui sub Diffinitorum, vel Assi„stentium, seu Consultorum, ac Provincialium, & Visitato„rum, seu alio vocabulo nuncupantur, cum formalibus co„mitiis generalibus, ac Provincialibus, quæ statutis tempori„bus celebrari solent, unde propterea manant inter eosdem „Religiosos pro hujusmodi Prælaturis, aliisque muneribus „contentiones, ac factionariæ æmulationes & divisiones, „cùm solùm aliqua rara dissensio pro electione Abbatis, ac „Prælati localis inter singulorum Monasteriorum alumnos „antiquitus audiri solita esset, dum quodlibet Monasterium „de per se, ac independenter regebatur.

III. Postquam verò per exemptiones Monasteria pe-

ne omnia præsertim Mendicantium, à jurisdictione & subjectione Episcoporum subtrahi cœperunt: atque Ordinum regimen ad formam Reipublicæ vel universitatis redactum est, nec non Regularibus concessa fuerunt indulta se Clericandi, sacrosque Ordines suscipiendi, ac etiam Sacramenta, aliaque divina ministrandi, factum est, ut frequentissimæ essent Regularium quæstiones & difficultates, vel inter ipsos Religiosos in eadem Religione; vel inter diversarum Religionum Professores; vel cum locorum Ordinariis; aut cum Parochis, & cum Capitulis Canonicorum aliisque Clericis sæcularibus.

IV. Porrò cùm etiam ex Juris Communis dispositione, Religiosorum causæ, non per juris apices, neque cum tela judiciaria, sed summariè, ac potiùs in forma extrajudiciali tractari debeant, Sixtus V, inter plures à se erectas Congregationes, hanc quoque erexit, super negotiis Regularium, eam conjungendo cum altera super negotiis Episcoporum, "Ita ut (ait De Luca *dicto discursu num.* 15.) unam eamdemque constituant; & meritò, ob hujusmodi negotiorum „frequentem connexionem, ut ita more Principis, absque strepitu & figura judicii & absque processu vel tela judiciaria, *summariè*, sola facti veritate inspecta, & quandoque, imò frequentiùs, etiam per solas extrajudiciales, ac „secretas informationes, controversias terminet, prudentiales regulas sæpiùs adhibendo potiùs, quàm rigores legales."

V. Unica ergo est hodie Congregatio *super negotiis Episcoporum & Regularium*; cùm tamen in ipsa Sixti V. Constitutione duplex sit Congregatio: una nimirum quæ dicitur, *pro consultationibus Regularium*; altera verò, *pro consultationibus Episcoporum & aliorum Prælatorum*.

VI. Cùm ergo duplex hæc Congregatio in unam redacta sit, rectè monet Cardinalis De Luca *Discurs.* 16. in Relatione Romanæ Curiæ, quod hæc Congregatio duo peragat negotiorum genera, scilicet Episcoporum & Regularium; "quæ propterea, ait idem, quoad negotia Curialia fori Ecclesiastici quæ non concernunt fidem, sed ad Christianæ „Reipublicæ regimen spirituale pertineant, videtur *omnium major*, ideoque *majorem* habere solet numerum Cardinalium, ob majorem negotiorum multiplicitatem."

VII. Quin & eodem Cardinale teste, "Hæc Congregatio „dicitur *occupatissima*, atque in negotiorum multitudine „omnium major ob faciles recursus, querelas, & contentiones Regularium.

VIII. Congregatio merè *Cardinalitia* vocatur; quia nullos præter Cardinales alios inferiores Prælatos habet, nisi unum, qui Secretarii officium exercet, à quo Litteræ & Decreta Congregationis scribuntur & signantur, unà cum subscriptione unius è Cardinalibus, qui *Cardinalis Præfectus* appellatur.

Hæc Congregatio haberi consuevit feria sexta cujuslibet hebdomadæ in Palatio Apostolico.

IX. " Causas Regularium non solùm publicas sive super „regimine Religionis in universum, sive inter unam Religionem & alteram, sed etiam privatas inter Religiosos super electionibus, officiis & Prælaturis, aut super præcedentiis, aliisque præeminentiis, cæterisque occurrentiis „generaliter, inquit De Luca, hæc S. Congregatio cognoscit & determinat summariè & de plano, sola facti veritate „inspecta, quandoque cum extrajudicialibus probationibus, „vel cum sufficientibus probationibus, per Scripturas, nullo „tamen adhibito formali processu, cum Notario, & cum „tela judiciaria."

X. Stylus autem hujus Congregationis est, ut, si quis exhibito libello conquereretur, se à suo v. g. Episcopo gravatum, scribatur epistola familiaris nomine Congregationis signata per Cardinalem Præfectum, & Secretarium cum incluso libello supplici ad Episcopum, vel alium Superiorem, ut super expositis in libello supplici Congregationem informet; qua informatione habita, si Congregatio videat, quod circa facta conveniatur; totaque difficultas ad punctum juris reducatur, tunc negotium in Congregatione discutitur & revolvitur; ipsaque resolutio rursus per litteras ut ante signatas mittatur.

Si verò informatio accepta ipsi Congregationi non appareat sufficiens, aut super factis non conveniat cum libello supplice, tunc Congregatione interdum per alias litteras libellum supplicem pro ulteriori informatione mittit ad Metropolitanum, aut viciniorem Episcopum, vel etiam aliam personam in dignitate constitutam.

XI. Idem est Congregationis stylus, quando quæstio seu controversia agitur inter ipsos Regulares; hoc uno excepto, quod hoc casu litteræ pro informatione inscribantur Procuratori Ordinis, qui in Curia semper assistit; quandoque tamen & ipsi Generali Ordinis; à quibus accepta informatio (si Congregationi insufficiens, aut minùs sincere appareat, nec in factis conveniatur) capiuntur aliæ informationes eâ viâ, quæ Congregationi videtur opportunior.

In hac Congregatione, quemadmodum nec in aliis Congregationibus Cardinalitiis, non admittuntur recusationes ex causa suspicionis, sive suspectationes, uti monet De Luca *disc.* 16. *n.* 6.

XII. Moribus hodiernis, præsertim Belgicis, controversiæ inter Regulares & Episcopos aut Parochos ferè solent in possessorio tractari coram Tribunalibus Regiis, & in petitorio apud judices Ecclesiasticos ordinarios, aut Delegatos in Partibus.

CAPUT VII.
De Sacra Congregatione Rituum.

1 *In quem finem hac Congregatio instituta?*
2 *Qui huic Congregationi interveniant?*
3 *Præcipuè circa ritus Ecclesiasticos occupatur.*
4 *Aliæ subinde quæstiones ad illam mittuntur.*
5 *Hæ quæstiones etiam ad alias Congregationes interdum mittuntur.*
6 *Stylus hujus Congregationis.*
7 *Congregatio super Canonizatione Sanctorum hodie ab hac nonnihil diversa, & qui hanc constituant?*
8 *Describitur compendiosè modernus ritus Canonizationis.*
9 *Canonizatio Sanctorum hodie privativè ad Sedem Apostolicam spectat.*
10 *Olim sola Episcoporum auctoritate aliquis ut* Sanctus *Publicè coli poterat.*
11 *Id sine multis cæremoniis peragebatur.*
12 *Sedes Apostolica Canonizare renuebat sine assensu* plenariæ *Synodi.*
13 *Primus cum suo Consistorio Canonizavit Eugenius III. Quem sequentes Pontifices sunt imitati.*
14 *Sæculo XII. Pontifices Canonizationem Sanctorum sibi privativè reservare cœperunt.*
15 *Etiam Beatificatio Sedi Apostolicæ reservata.*
16 *Belgium* publicum *Sanctorum cultum à* privato *aliquando distinxit.*
17 *Hic privatus cultus Decreto Urbani VIII. sublatus videtur.*
18 *De ritibus Ecclesiasticis jam pridè Episcopi judicarunt.*
19 *Pius V. vetuit aliquid immutari circa Breviarium Romanum inconsulta Sede Apostolica.*
20 *Ecclesiæ quæ receperunt Breviarium Romanum nihil circa Breviarium mutare possunt sine approbatione Sedis Apostolicæ.*
21 *Auctoritas mutandi aut corrigendi Breviaria mansit integra penès Ecclesias, quæ non receperunt Breviarium Romanum.*

I. HAnc Congregationem unà cum pluribus aliis primùm instituit Sixtus V. in Constitutione 74. in Bulla-

Bullario Romano, eique quinque Cardinales præfecit; quibus, ait, hæc præcipuè cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis officiis, Sacramentorum administratione cæterisque ad divinum cultum pertinentibus, à quibusvis personis diligenter observentur, cæremoniæ si exoleverint, restituantur, si depravatæ fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, & cæremoniis, in primis Pontificale, Rituale, Cæremoniale, prout opus fuerit, reforment, & emendent, officia divina de Sanctis patronis examinent, & nobis prius consulto, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, & recte, & ex Patrum traditione fiant."

II. Ex his colligitur, quod si primævam hujus congregationis erectionem attendamus, soli quinque Cardinales eam constituant; at hodie præter Cardinales, quorum numerus dependet à beneplacito Papæ, interveniunt huic congregationi plures prælati, quorum unus est Secretarius (inquit Cardinalis De Luca in Relatione Romanæ Curiæ *discursu* 18.) ac etiam aliqui Religiosi Theologiæ Professores, & præ cæteris Magister Sacri Palatii, & Sacrista Papæ; ac etiam unus aut plures Magistri cæremoniarum Papæ.

III. Ulterius ex citatis verbis constitutionis colligitur, quod primarius finis institutæ hujus congregationis sit, ut omnia in divinis officiis, Sacramentorum administratione atque Dei cultu ritè & religiosè, prout dignitas ac majestas tanti operis exigit, peragantur; nihilque in ritibus aut cæremoniis irreligiosum aut indecens occurrat: ac per consequens, Cardinales, aliosque ad hanc congregationem spectantes, oportere multum esse versatos circa verum ac genuinum Ecclesiæ sensum in ritibus ac cæremoniis præscribendis; nec non in discernendis ritibus quos Ecclesia jam pridem probavit, & ad populi devotionem excitandam, ipsiusque divini operis majestatem imprimendam induxit, ab illo, quos posterioribus sæculis vel irreverentia, vel superstitio, vel avaritia, vel Prælatorum & Pastorum incuria aut ignorantia invexit.

IV. Præter quæstiones, quæ ritus cæremoniasque concernunt, quæque primario ad hanc congregationem spectant, plures aliæ etiam quæstiones ad ipsam referri solent, ut V. G. præcedentiarum, aliarumque præeminentiarum in processionibus aliisque publicis functionibus; aut etiam super jure funerandi, vel celebrandi officium funebre aliisque quæ Divinum Officium turbare possent: quæque eò pertinent, ut ritè & recto ordine omnia in Ecclesia peragantur.

V. Hæ tamen quæstiones, præsentim si inter Regulares incidant, non raro ad congregationem super negotiis Episcoporum & Regularium mittuntur, atque ab ea deciduntur; adeo ut privativa singularis cognitio hujus congregationis Rituum, (quemadmodum monet De Luca in *Relat. Curia R. disc.* 18. *num.* 24.) versetur in præscribendis ritibus in divinis officiis, ac etiam super canonizatione Sanctorum.

VI. Stylus hujus congregationis circa examen controversiarum, earumque decisionem, nec non scriptionem litterarum planè conformis est stylo, quem observat congregatio super negotiis Episcoporum & Regularium, qui capite præcedenti descriptus est.

VII. Juxta constitutionem Sixti V. eadem congregatio, quæ de ritibus & cæremoniis Ecclesiasticis cognoscit & statuit, curam quoque habere debet circa Canonizationem Sanctorum. Inspectâ nihilominus hodiernâ praxi Curiæ Romanæ, congregatio super canonizatione Sanctorum vel eorum Beatificatione nonnihil ab hac diversa est; eamque Cardinalis De Luca *extraordinariam* vocat; eo quod in ea ultra Cardinales & Prælatos ad congregationem *Rituum* spectantes, quasi extra ordinem adjungantur alii Prælati; nimirum Promotor fidei, tres seniores Auditores Rotæ, qui tamquam periti Canonistæ munus Assessorum gerere videntur. Unus quoque ex Prothonotariis participantibus. Adhibentur quoque alii Theologi, qui consultores, vel respectivè Qualificatores dicuntur. Quin & pro consilio adhiberi solent Medici & Philosophi aliique Professores, qui judicent, an operationes quæ miraculis adscribuntur, reverà dici debeant supernaturales, an verò proveniri nequeant à causa aliqua naturali.

VIII. Postquam verò probationes maturè in pluribus congregationibus discussæ fuerunt, atque negotium canonizationis jam præparatum est, tunc habetur congregatio magis solemnis coram ipso Pontifice, qui audito voto Congregationis interponit quidem Decretum super Beatificatione aut concessione cultus particularis in aliqua Ecclesia aut Ordine; sed canonizationem seu absolutam adscriptionem in catalogum Sanctorum non decernit.

Sed hoc examine peracto in hac solemni congregatione coram Papa, aliud instituitur in pleno consistorio secreto; ac denique habetur consistorium solemnius & publicum, ad quod conveniunt omnes Archiepiscopi & Episcopi, qui in Curia præsentes sunt, quorum omnium etiam votum exquiritur, per quamdam Concilii (cui pridem Sanctorum canonizatio deferebatur) imaginem.

In hoc consistorio præmissis precibus alisque cæremoniis, quæ in cæremoniali Romano *lib.* 1. *sect.* 6. latè describuntur, instante Procuratore causæ Pontifex alta voce sedens cum mitra pronunciat in hunc modum: "Ad honorem Sanctæ Individuæ Trinitatis, & exaltationem fidei Catholicæ, & Christianæ religionis augmentum, auctoritate ejusdem Dei Omnipotentis, Patris & Filii & Spiritus Sancti, & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli & nostra, de Fratrum nostrorum consilio decernimus & definimus, bonæ memoriæ N. Sanctum esse & Sanctorum catalogo adscribendum, ipsumque catalogo hujusmodi adscribimus."

IX. Si modernam Ecclesiæ disciplinam spectemus; hoc canonizationis negotium privativè ad hanc congregationẽ spectat. nullus enim hodie tamquam Sanctus de novo coli & honorari *publicè* potest, nisi per Pontificem ritu jam descripto in catalogum Sanctorum relatus; seu ut vulgò dicitur canonizatus fuerit.

X. Multis quidem sæculis auctoritate Episcopali hæc canonizatio sive relatio in Sanctorum catalogum facta fuit; idque sine ullo exteriori penè ritu seu cæremonia.

XI. Cùm enim Episcopis de sanctitate vitæ alicujus defuncti sufficienter constaret, facultas dabatur populo eum publicè tamquam Sanctum colendi; ejusque reliquiæ publicè populi venerationi exponebantur; atque hoc simplici ritu Sanctorum catalogo adscriptus censebatur.

Unde Baldericus Tornacensis Episcopus lib. 1. Chronici sui Cameracensis & Atrebatensis Ecclesiæ cap. 35. describens canonizationem Hadulfi Episcopi Atrebatensis per Engranum Episcopum Cameracensem, simpliciter dicit: *Sanctum corpus levavit*; id est publicè exposuit. *In qua elevatione, ad declaranda Sancti Viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirificè liberata est. Unde Episcopus latus, verbo facto ad populum, Beati Hadulfi solemnia in numero Sanctorum notificavit.*

Et de Oberto Leodiensi Episcopo scribit ad annum decimum sæculi duodecimi Sigebertus Gemblacensis: "Sanctus Guibertus Fundator Gemblacensis Monasterii, quem Deus multis miraculis per annos 12. clarificaverat, assensu generalis Synodi ab Oberto Legiensi Episcopo *elevatur*, cum miraculi concursu & gaudio populorum."

XII. Circa sæculum undecimum hæc canonizatio à Sede Apostolica postulari à nonnullis cœpta fuit; sed eam non nisi comprobante generali Synodo annui consuevisse, respondebant Pontifices.

Benedicto Rempeslegiensi Abbati, Goolgosium Antecess-

teceslorem suum canonizari postulanti, facile concedi non posse, respondit Urbanus II. hanc addens rationem: " Non „ enim Sanctorum quisque debet Canonibus admisceri, ni„ si & testes adsint, qui ejus miracula visa suis oculis attesten„ tur, & *plenariæ Synodi* firmentur assensu.

Similiter Ulricus Constantiensis in Germania Episcopus, SanctumConradum Antecessorem suum canonizari supplicans, ad crebras suas literas hoc immutabilis sententiæ responsum accepit à Romana Ecclesia, vitam ejus in Concilio recitandam & comprobandam fore generali. Hæc ex Chronico Ecclesiæ Constantiensis recitat Christianus Lupus *tom. 3. Scholiorum pag. 569.*

XIII. Notat autem idem, quod primus fuerit Eugenius III. qui sine Concilio solus in suo Consistorio canonizavit Sanctum Henricum de potestatis plenitudine, usus hoc fundamento, quod *Romana Ecclesiæ auctoritas sit omnium Conciliorum firmamentum*; tametsi unà fateretur, *quod hujusmodi petitio* Canonizationis, *nisi in generalibus Conciliis admitti non soleat*. Extat diploma Canonizationis tom. 1. Bull. R. pag. 61. " Quem (Eugenium) ait Lupus, in Sancto „ Eduardo, & S. Thoma Cantuariensi Alexander III. & in „ aliis Sanctis canonizandis alii Pontifices sunt deinceps imi„ tati."

XIV. Quin & circa idem tempus, Pontifices sibi auctoritatem canonizandi privativè cœperunt reservare, eaque reservatio generaliter & ab omnibus tandem Ecclesiis recepta fuit, potissimum auctoritate cujusdam Decretalis Alexandri III. relatæ in Decretales Gregorii IX. in *Cap. 1.* 3. *De Reliquiis & veneratione Sanctorum*, asserentis & edicentis: *etiamsi per eum miracula fierent, non liceret vobis ipsum pro Sancto absque auctoritate Romanæ Ecclesiæ venerari.*

Et de eodem Pontifice Alexandro scribitur: " Hic Papa „ constituit, ut nullus novus Sanctus in veneratione habere„ tur, nisi ex auctoritate Apostolica, & nisi sit canonizatus, à „ Papa tamen. Ante quilibet Episcopus suum Sanctum so„ lemniter canonizavit." Hæc Lupus ex incogniti Scriptoris historica compilatione.

XV. Neque tantùm Canonizatio sive relatio alicujus in catalogum Sanctorum, qua tamquam Sanctus toti Ecclesiæ proponitur, permitturque, ut *publico* cultu ubique & per universalem Ecclesiam, ceu Sanctus colatur, hodie Sedi Apostolicæ reservata est; sed etiam *Beatificatio*, qua permittitur non quidē *ubique* & ab *omnibus* tamquam Sanctus coli; at particulari duntaxat Ordini, Provinciæ, aut Ecclesiæ.

XVI. Publicum Sanctorum cultum à privato olim Belgium nostrum palam distinxisse, advertimus ex Molano in Natalibus Sanctorum Belgii ad 5. Januarii in Sancto Gerlaco, quod inter decantandas Litanias tum Sancti Canonizati sonora voce invocarentur; non Canonizati sine cantu rogarentur, quasi privata cujusque prece. Molanus enim de Beato Gerlaco Eremita in Territorio Falkenburgensi agens ait: " Commemoratio ejus fit in vigilia Epiphaniæ Domini, sed „ quia non est canonizatus, Missæ Sacrificium peragitur de „ æterna Sapientia, & dum cantantur *submissa* voce interse„ ritur, *Sancte Gerlace ora pro nobis.*"

XVII. Verùm Urbanus VIII. plura circa Canonizationem Sanctorum servanda præscribens, Constitutione edita 3. Octobris 1625. inter cætera vetuit, ne cujusquam cum sanctitatis aut martyrii fama quacumque defuncti imagines aut quidquid venerationem aut cultus præ se ferat in Ecclesiis, Oratoriis, locis publicis seu privatis ante Apostolicam Beatificationem seu Canonizationem ponantur. Vide latiùs Zypæum *Consult. 2. de Reliq. & Venerat. Sanct.*

Hoc Urbani Decreto sublatum quoque esse prædictum *privatum* cultum olim Sanctis non canonizatis impendi solitum, obscurum non est: quandoquidem dubitari nequeat, per illum aliquam venerationem impendi illi, quem populus, licèt voce submissiore, tamquam *Sanctum* invocat: unde nec ulli novo Sancto non canonizato, aut ut minùs beatificato, hodie impendi similem cultum videmus vel audimus.

Privativè ergo ad Sedem Apostolicam hodie spectat Sanctorum Canonizatio & Beatificatio; eamque per hanc Congregationem, juxta ritum jam descriptum, expedire solet: neque aliæ Congregationes huic materiæ se immiscent.

XVIII. Quoad ritus verò Divinorum Officiorum, de his Episcopos in sua respectivè Diœcesi potuisse liberè statuere & judicare, etiam usque proximè elapsum sæculum inclusivè, constat ex Synodis quas supra *tit. 16. cap. 9.* allegavimus.

XIX. At Pius V. Breviarium Romanum correctum evulgans, statuit, " Breviarium ipsum nullo umquam tempo„ re vel totum, vel parte mutandum, vel ei aliquid adden„ dum, vel omnino detrahendum."

Hac proinde Constitutione factum, ut si quid *Breviario Romano* judicaretur addendum vel demendum, aut ex parte mutandum, id à Sede Apostolica esset postulandum: quæ pro hujusmodi quæstionibus aut causis decidendis, Congregationem Rituum instituit.

XX. Quapropter, Ecclesiæ quæ Breviarium Romanum receperunt (uti penè omnes Ecclesiæ sæculares Belgicæ) nulla nova Officia Breviario addere, vel vetera detrahere, aut lectiones, aliave in Breviario præscripta mutare, propria auctoritate possunt; sed ea à Congregatione Rituum & Sede Apostolica postulare & exspectare tenentur & solent.

XXI. Ecclesiæ verò sæculares, vel Ordines Regulares, in quibus usus Breviarii Romani non est receptus, etiam auctoritatem pristinam sua Breviaria revidendi, corrigendi & mutandi retinent, eâque pacificè utuntur; & plura tum Episcoporum, tum Prælatorum Regularium auctoritate Breviaria correcta, & in aliam planè formam redacta, hoc sæculo edita & evulgata vidimus.

Neque Ecclesiæ illæ, aut Ordines nova Sanctorum Officia, quæ hodie sub ritu duplici aut semiduplici à Congregatione Rituum frequentiùs prodeunt, passim recipiunt; sed præscripta Breviariorum suorum sequuntur.

TITULUS XXIII.

De Officialibus Curiæ Romanæ.

CAPUT I.

De Vice-Cancellario, & Cancellaria Romana.

1 *Cancellarii olim unde dicti, & eorum dignitas.*
2 *Cancellaria quid significet?*
3 *In Ecclesiis Cathedralibus jam pridē erat* Cancellarius.
4 *A quo tempore creverit auctoritas* Cancellarii *Romani.*
5 *Quare vocetur* Vice-Cancellarius?
6 *Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinalitiū.*
7 *Graviora negotia in Cancellaria expediuntur,*
8 *Primus Officialis Cancellariæ post Vice-Cancellarium, est* Regens *Cancellariæ, & quod hujus officium?*
9 *Qui sint Præsidentes de* majore *vel* minore *Parco?*
10 *Præsidentes de* majore Parco *etiam dicuntur Abbreviatores, à conficiendis* abbreviaturis.

11 *Quâ*

11 *Quâ formâ* abbreviaturæ *expediantur.*

12 *Præsidentes de* majore Parco *dubia plura per modum Collegii decidunt.*

13 *Præsidentes de* minore Parco *quid agant.*

14 *Quomodo ex abbreviatura fiat* Bulla?

15 *Plures enumerantur inferiores Cancellariæ Officiales, qui omnes sua habent emolumenta, quæ dicuntur* taxæ Cancellariæ Apostolicæ.

16 *In harum exactione excessus repressus per Gregorium XV.*

17 *Habet Cancellaria suas Regulas, quæ* Regulæ Cancellariæ *dicuntur.*

18 *Hæ Regulæ pro directione Cancellariæ primitus fuêre editæ.*

19 *Hæ Regulæ perpetuæ non sunt; sed à singulis Pontificibus de novo publicantur.*

20 *Hodie etiam quædam ex his Regulis extra Cancellariam se extendunt, & earum usus quoque in Belgio obtinent.*

I. CAncellarii olim dicti potissimùm fuêre qui ad *cancellos forenses* seu judicium stabant. Papias: *Cancellarius, qui in cancellis primus est.* Hi supplicantes introducebant ad judicē, uti legitur apud Cassiodorum *l. 12. ep. 1.* ex quo satis colligitur, *Cancellarios* dictos, quòd ad *cancellos* judicum starent, eorumque jussa ac mandata exequerentur; patetque non exiguam fuisse eorum auctoritatem & dignitatem; uti ostendit Gothofredus ad *l. 3. Cod. Theod. De Assessoribus.*

II. " Cancellaria, vox barbara, inquit Budæus ad Pande-
„ctas, usurpata pro loco, ubi publicæ litteræ à Scribis Prin-
„cipum & magistratuum conficiuntur. Hinc Cancellarius
„dicitur, cujus ex primæ sunt partes, videre, ut nulla Prin-
„cipis constitutio, nulla sanctio, nullum rescriptum, nulli
„codicili Regii, non è Republica; atque etiam à dignitate
„Republicæ principalique exeant." Hæc ille.

III. Legitur quoque in Ecclesiis Cathedralibus jam pridem munus Cancellarii fuisse, sigilla ad causas & negotia conferre, litteras Capituli facere & consignare, uti habetur in Statutis Leicheveldensis Ecclesiæ in Monastico Anglicano *tomo 3. pag. 24.*

IV. Quando verò Cancellarii munus ad eam pervenerit eminentiam & prærogativam, in qua hodie in Romana Curia conspicitur, non omnino constat.

" Qui hujus eminentissimæ dignitatis originem ex anti-
„quis historiarum monumentis disquisierunt (ait Joannes à
„Chokier) tradunt illam demum post tempora Innocentii
„III. inventam, & erectam fuisse, eamque etiam exercuisse
„privatæ sortis homines, sed probitate & eruditione spe-
„ctatissimos: postea sub Bonifacio VIII. dignitatem hanc
„uni ex Illustriss. Cardinalibus tributam; idque ex congru-
„entia rationis, & quoniam justitiæ regimen penès Vice-
„Cancellarium residebat, par erat munus illud commenda-
„re personis illustribus, in quibus maximè excellunt, fami-
„liamque ducunt Illustriss. Cardinales."

V. At illud quæritur, cur hodie, etiam Cardinale eo munere fungente, non dicatur *Cancellarius*, sed *Vice-Cancellarius*, quasi *vices* dumtaxat ageret Cancellarii. Varii varia commenti sunt, uti refert Cardinalis De Luca in Relatione Romanæ Curiæ *Discursu* 10. qui verisimilius credit, Vice-Cancellarium dici cœpisse, cùm dignitas Cardinalitia ad tantum fastigium elevata est, ut non videretur huic dignitati Cardinalitiæ congruere, assumere officium inferius sive Prælativum; quod tamen *provisionaliter*, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari non sit incongruum; quemadmodum & in munere *Datarii* praxis docet. Si enim Cardinalis eo munere fungatur, non vocatur *Datarius*, sed *Prodatarius*. Ergo illud adjectum, *vice*, quod partes *vicarias* denotat, non statum inferiorem, sed potiùs digniorem hic significat.

VI. Vice-Cancellarius habet fixum titulum Cardinalitium, eumque admodum conspicuum & illustrem, scilicet Ecclesiæ Collegiatæ S. Laurentii in Damaso: hicque commodam & amplam habitationem in insigni verèque Regio Palatio, quod *Cancellaria* dicitur: in quo ipsa *Cancellaria* tamquam per speciem magni Tribunalis, statutis diebus tenetur, aliæque functiones publicæ peraguntur.

VII. Primaria & graviora Sedis Apostolicæ negotia publica & solemnia, qualia sunt consistorialia aliaque plurima, per ejus manus transeunt; adeò ut cum quadam proportione dicendus sit *Cancellarius* Papæ, eo modo, quo in singulis Diœcesibus quilibet Episcopus habet Notarium & Cancellarium majorem, qui acta Synodalia & judicialia, ac etiam Pontificalia conscribit authentizat; uti notat Cardinalis De Luca loco citato *num. 5.*

Plures habet Vice-Cancellarius Officiales, quorum aliqui sunt majores Prælati, Prælaturam annexam habentes.

VIII. Primarius post Vice-Cancellarium est ille, qui dicitur *Cancellariæ Regens.* Hujus non exigua est auctoritas, quæ ad longum describitur in ultima Regula Cancellariæ, quæ inscribitur: *De potestate Reverendiss. D. Vice Cancellarii, & Cancellariam* REGENTIS. In primis ipse revidet Bullas expeditas & promulgatas, & si quis error irrepserit, eum corrigit; ac ad calcem Bullæ reformatæ manu sua scribit: *Correcta prout jacet.*

IX. Præterea inter Officiales Cancellariæ, qui Prælaturam habent, sunt Præsidentes de *majori* vel *minori Parco*; ita dicti à loco Cancellariæ in quem conveniunt, qui vulgò *Parcus* dicitur.

X. Hi de *majori Parco* nominantur etiam *Abbreviatores* à conficiendis litterarum Apostolicarum *breviaturis* sive minutis; quas ex signatura Cardinalis Vice-Cancellarii ejusdemque *contra-cedula*, tamquam matrice conficiunt.

XI. Pro quo notandum, quòd facta in consistorio provisione per Pontificem de Ecclesia Cathedrali, Cardinalis Vice Cancellarius accipiat Decretum provisionis Papalis, illudque in libro materiarum consistorialium consignet sub hac formula: *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem.*

Cardinalis Vice-Cancellarius accipit Decretum Provisionis Papalis, quod consignat in libro materiarum consistorialium sub hac formula: *Romæ apud Sanctam Mariam Majorem die..... mensis..... anno..... fuit Consistorium in quo Sanctissimus Dominus noster, referente Cardinale N. providit Ecclesiæ N. per obitum N. vacanti de persona N. cum retentione compatibili, absolutione, Clausulis &c.* Post hæc Cardinalis Proponens conficit *scedam* sive *scedulam*, quæ dicitur, *scedula Consistorialis Cardinalis Proponentis*, per quam significat Cardinali Vice Cancellario Pontificem in consistorio providisse tali personæ de Ecclesia Cathedrali; quâ receptâ Vice-Cancellarius conficit aliam scedulam, quæ vocatur, *contra-cedula*, in qua summariè narrat, qualiter Pontifex in consistorio providerit Ecclesiæ N. de Episcopo & Pastore; eamque cedulam Secretarii sui subscriptione, proprii sigilli impressione, & manus suæ subscriptione munit.

XII. Ulteriùs Prælati de *majori Parco* quoddam quasi Tribunal constituunt, in quo collegialiter convenientes decidunt dubia, quæ oriri contingit super litterarum formula, vel clausuris, & Decretis in eis adjiciendis, ac etiam super emolumentorum solutionibus aliisque contingentiis.

XIII. Prælati de *minori Parco* (ait Petrus Gastelius in sua praxi Curiæ Romanæ pag. 24. edit. 1693.) propriè sunt *Officiales otiosi*, exiguam habentes jurisdictionem; in id unum intendentes ut Bullæ ferantur & tradantur Prælatis de *majori Parco.*

XIV. Factâ minutâ per Prælatum seu *Abbreviatorem* de *majori Parco*, qui est in turno, mittitur deinde ad alium Abbreviatorem ut eam revideat; quæ revisa traditur Scriptori Bullarum.

Tum " per Apostolicos Scriptores, ait De Luca, juxta
„eorum formulas efformantur litteræ, quæ *Bullæ* dicuntur,
„sub plumbo, in ejusdem Vice-Cancellarii aula seu palatio,
„quod

„ quod *Cancellariæ* nomen seu vocabulum habet; eodem „ modo quo per ejusdem Cancellariæ Scriptores & Officia- „ les aliæ efformantur litteræ super provisionibus aliorum „ beneficiorum, nec non super Apostolicis dispensationibus, „ aliisque gratiis & concessionibus, quæ fiant extra Consi- „ storium per organum Datarii."

XV. Plures sunt Cancellariæ Officiales qui Bullis illius revidendis, transcribendis, plumbandis, registrandis occupantur; quorum " alii, inquit De Luca, vocantur Summistæ, alii „ Secretarii, alii Plumbatores; alii Equites, alii „ Cubicularii, & Scutiferi; alii Prothonotarii, alii Subdiaco- „ ni, & alii sub diversis vocabulis nuncupantur."

Hi omnes participant vel in annatis, vel in emolumentis quæ pro litterarum expeditionibus solvuntur; atque jura hæc communiter dicuntur *taxa Cancellariæ Apostolicæ*.

XVI. In harum exactione cùm plures excederent, Gregorius XV. hanc Regulam Cancellariæ proposuit: Item i- „ dem D. N. exactionibus, quas Sanctitas Sua non sine dis- „ plicentia plerumque fieri intellexit per Officiales Romanæ „ Curiæ, qui constitutis sibi emolumentis pro exercitio offi- „ ciorum, quæ obtinent non contenti, ultra à prosequen- „ tibus negotiorum quorumdam expeditionem in eadem „ exigere non verentur, obviare volens districtè præcipien- „ do inhibuit omnibus & singulis, quævis officia in eadem „ Curia obtinentibus, ne de cætero quicquam prætextu of- „ ficiorum, quæ obtinent, quovis colore, etiam celerioris ex- „ peditionis ultra emolumenta ejusmodi exigere, seu ad hunc „ effectum expeditionem eorum, quæ eis incumbunt, mali- „ tiosè differre, sub excommunicationis, & præter illam sus- „ pensionis à perceptione emolumentorum hujusmodi pro „ prima ad semestre, & pro secunda ad annum, & pro tertia „ vicibus, quibus sic excederent, privationis officiorum per „ eos obtentorum, in quibus sic excesserint pœnis, ac volu- „ it, quod S. R. E. Vice-Cancellarius & Camerarius exce- „ dentes ipsos respectivè, prout eis subsunt per subtractio- „ nem emolumentorum eorumdem, ac aliis, ut præmitti- „ tur, compellant ab hujusmodi illicitis exactionibus absti- „ nere & contra eos per prædictas pœnas & alias, prout me- „ lius expedire viderint, procedant."

XVII. Habet Vice-Cancellarius, seu Cancellaria quasdam à Pontificibus Regulas, juxta quas ipse Vice-Cancellarius ejusque Officiales negotia ad Cancellariam spectantia, nec non litteras necessarias gerere & expedire debent; quæ propterea *Regulæ Cancellariæ* vocantur.

XVIII. Unde Ludovicus Gomesius in proœmio ad Regulas Cancellariæ *q.* 2. notat, quod " Regulæ Cancellariæ „ ab initio introductæ fuerint, ut Officiales Cancellariæ per „ eas in litteris expediendis instruerentur, ut patet, ait, ex „ Regulis Joannis XXII. & Benedicti ac aliorum. Et licet à „ tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa judicia addi- „ tum fuit, illud tamen respicit actum in Curia gerendum."

XIX. Hæ Regulæ *perpetuæ* non sunt, sed morte Pontificis extinguuntur; quod in earum proœmio indicatur his verbis: *Et suo tempore duraturas*. Quare singuli Pontifices altero suæ assumptionis die eas de novo evulgant, atque in Cancellaria per Vice Cancellarium publicari jubent; idque nonnumquam novis Regulis additis, vel antiquis immutatis, vel etiam subinde aliquibus expunctis & omissis.

XX. Itaque si ipsam harum Regularum originem primumque instituendi finem attendamus, dumtaxat regimen ac directionem Cancellariæ Romanæ spectare videntur; at hodie inter has Regulas non paucæ reperiuntur, quæ etiam collationes beneficiorum aliasque materias concernunt; & quarum usus se extra Cancellariam Romanam quoque extendit; pluresque in Belgio & Provinciis vicinis receptæ sunt; de quibus in materia beneficiorum P e 2. hujus Operis singillatim tractabitur; ostendetur, in quibus recentiores Regulæ à veteribus discrepent; & quomodo in hisce Provinciis receptæ sint.

CAPUT II.

De Datario & Dataria.

1 *Datarii officium olim ignotum.*
2 *Quæ hodie per Datariam expediuntur, olim penè incognita fuerunt.*
3 *Quomodo reservationes Beneficiorum & Pensionum circa sæculum 14. invaluerint.*
4 *Ex illis aliisque reservationibus originem habuit Dataria.*
5 *Quare Cardinalis assumptus ad officium Datarii dicatur* Pro-Datarius?
6 *Quod sit officium subdatarii.*
7 *De Officiali Datariæ qui dicitur* Concessum; *& quâ formâ hic signet libellos.*
8 *Subdatarius subinde mittit libellos ad aliquam Congregationem Cardinalium; & quâ formâ remittantur?*
9 *De Summario libelli à Subdatario conficiendo: debeat esse libello conforme.*
10 *Datarius unà cum Subdatario & Officiali qui dicitur* Per obitum, *discutiunt libellos Papæ offerendos.*
11 *Quâ formâ Papa signet.*
12 *Libelli Supplices hodie dupliciter signari solent,*
13 *Tres dicuntur partes Signaturæ, quæ describuntur; & quid sit* Signatura?
14 *Cur tertia pars Signaturæ apponatur?*
15 *Subdatarius Supplicam signatam mittit ad Revisorem; & quod officium* Revisorum?
16 *Revisor mittit Signaturam ad Officialem* parvæ Datæ; *& unde dicatur* parva Data?
17 *Ab hoc Officiali Signatura transit ad secundum Revisorem.*
18 *Frequenter mittitur deinde ad Officialem, qui vocatur* Componendæ.
19 *Post hæc ponitur* magna Data: *& quid hæc sit?*
20 *Tum mittitur ad Officialem qui dicitur*, Missis.
21 *Ab hoc mittitur ad* Registratores; *& quis Registrationis effectus?*
22 *Post Registrationem mittitur ad Cancellariam, ut expediantur* Bullæ *necessariæ.*
23 *De differentia inter modum quo Litteræ sunt per Papam signatæ.*
24 *Quid circa parvas Datas obtineat in Gallia?*

I. OFficium *Datarii*, prout hodie accipitur in Curia Romana, antiquum dici haud posse probat Cardinalis De Luca in sæpiùs citata Relatione Romanæ Curiæ *Disc.* 9.

II. " Antiquitus enim (ait De Luca loco citato *num.* 6.) Papa fortè nihil vel parùm se ingerebat „ in illis negotiis, circa quæ penè totum Datarii munus ho- „ die versatur; ut nempe sunt collationes beneficiorum reser- „ vatorum vel affectorum, nec non reservationes pensionum „ super iisdem, ac dispensationes Matrimoniales, aliæve dis- „ pensationes putà super natalibus, vel super irregularitate, „ aut super bigamia, vel super ætate, & similes; ac etiam sunt „ Apostolica beneplacita super alienationibus bonorum Ec- „ clesiæ, vel concessiones officiorum venalium, & similia, „ quæ omnia moderna sunt, dictis antiquis temporibus in- „ congrua.

III. Hæc Card. De Luca; qui deinde ibidem *num.* 12. & 13. deducit, qua ratione circa sæculum 14. introductæ sint reservationes beneficiorum; atque ex his deinde originem sumpserint frequentiores pensionum Ecclesiasticarum reservationes.

IV. " Cùm itaque (pergit De Luca *num.* 14.) hujusmo- „ di provisiones non publicè in consistorio, sed priva- „ tim in Aula, per supplices libellos, aut per suppli- „ cationes

„cationes manu Papæ signatas fierent, casus autem præberet, quod idem Papa ex negotiorum multiplicitate non valens omnia memoriâ retinere, eadem beneficia pluribus personis conferret; unde propterea continua oriebantur jurgia, super temporis anterioritate, quæ etiam in beneficialibus, atque in gratiarum concessionibus attendenda est, quod scilicet gratia anterior posteriori præfertur; *Burratt. & add. dec. 421. & passim*. Idcirco quemdam privatum potiùs, seu fiduciarium ministrum, tanquam per speciem Secretarii, ad id deputare congruum fuit, qui curam hujusmodi supplicationum, & expeditionum haberet, atque postquam Papa per ejus signaturam gratiam perfecit, ipse adnotaret tempus seu diem, ut ita dignosceretur, quænam essent gratiæ anteriores, & quæ posteriores; ac etiam (& fortiùs) ut ita convinci posset, an congruo tempore, gratia petita & respectivè concessa esset, eò quia absque verisimili notitia mortis, beneficia adhuc non vacantia, quando recens vacatio sperabatur, extorqueri solebant, ut etiam hodierna praxis quandoque docet.

"Idemque minister, vel officialis qui hanc habebat curam, adnotandi scilicet *datam* temporis, tanquam rerum beneficialium peritus, gerebat quoque munus Consiliarii vel Auditoris Papæ ad effectum inspiciendi, idemque consulendi, an ea vacatio cederet, nec ne, sub ejus reservationibus, ac provisione; seu quomodo pro beneficiorum qualitate provisio facienda esset; aut an Oratores, qui supplicationes porrigebant, essent digni, ac idonei, nec ne.

"Exinde propterea prodiit hoc Datarii nomen, seu vocabulum; non quidem à verbo *dare*, quoniam non ipse, sed Papa dat beneficia, aliasque gratias, sed ab alio barbaro, ac linguæ latinæ Professoribus ignoto vocabulo *Datare*, quia scilicet adnotabat *datam*, quæ in Principum legibus, ac provisionibus, & gratiis, ab antiquo tempore adhiberi consuevit, ut docet tenor plurium Imperialium Constitutionum in Codice, ac etiam docent Apostolicæ Constitutiones, aliaque diplomata etiam antiqua."

V. Porrò Datarii officium juxta modernum Curiæ Romanæ stylum, inter præcipua munia reputatur; adeò ut subinde etiam Cardinales ad id assumantur: eâ tamen differentiâ, quòd si Cardinalis sit, tunc non *Datarius*, sed *Pro-Datarius* dicatur: "Fortè (ait De Luca) quia non congruat eximiæ Cardinalitiæ dignitati, assumere officium inferius ac Prælatitium, quod ita provisionaliter, seu jure cujusdam commendationis per Cardinalem administrari non congruat.

VI. Habet Dataria præter Datarium plures Officiales & adjutores ipsius Datarii; ex quibus duo primi seu majores, alter *Subdatarius*, & alter *Per obitum* dicitur.

Subdatarius propriè loquendo est substitutus Datarii; nequaquam tamen à Datario dependens; sed à Papa immediatè constituitur, & Prælatis Curiæ annumeratur.

Ipsius est revidere omnes libellos supplices, qui Papæ offerri postulantur, exceptis illis, qui sunt pro impetrandis Beneficiis vacantibus per mortem in terris *Obedientiæ*, qui revideri debent per Officialem, qui dicitur *Per obitum*. Subdatarius visis libellis, eos pro varietate materiæ distribuit.

VII. Et quidem si in libellis agatur de aliqua ex materiis ordinariis, v.g. de resignatione simplici Beneficiorum, quæ à Papa signari non debent, remittuntur ad Officialem qui vocatur, *Concessum*; qui signat libellos supplices sibi à Subdatario transmissos, cum hac nota ad marginem libelli apposita *Ad Ord.*ᵐ quæ significat *ad Ordinarium*. Hic Officialis signat libellos hac formâ. *Concessum ut petitur in præsentia Sanctissimi Domini Nostri Papæ*: & hoc si fuerit factum in præsentia Papæ; alioquin signat simpliciter, *Concessum*: deinde apponit nomen suum.

VIII. Subdatarius videat ex ipsa materia libelli quod Papa petitioni non annuet, nisi prævio judicio Congregationis Cardinalium, ad quam illa materia pertinet, tunc Subdatarius libellum ad illam Congregationē remittit, cum hac apostilla: *Ad Congregationem Rituum*, aut aliam. Secretarius autem Congregationis solet respondere per chartulam quam ipsi libello interius annectit hac fere formâ: *Sacra Congregatio Rituum*, vel alia, *censuit gratiam hanc concedendam si Sanctissimo D. N. placuerit*.

IX. Quod attinet ad libellos supplices pro gratiis; quæ à solo Papæ arbitrio dependent, illos *Subdatarius* aut aliquis ejus substitutus examinat, atque ad calcem illorum apponit summarium libelli supplicis.

Hoc verò summarium debet esse conforme ipsi libello, quia Pontifex priusquam gratiam annuat, vel neget, non solet integrum libellum supplicem, sed tantum hoc *summarium* legere.

X. Datarius antequam accedat Papam pro signatura vocare solet *Subdatarium* & *per obitum*, ut sciat quos libellos Papæ offerre debeat. Ipsi verò inter se discutiunt illos, qui aliquam difficultatem habere videntur, ad informandum Papam. Posthæc plures simul libellos Papæ offerunt signandos; cui tunc Datarius unà cum *Subdatario* assistit; Officialis verò *per obitum* nonnisi Subdatario infirmo.

XI. Hi exponunt Pontifici rationes ob quas gratia sit concedenda vel neganda; iisque auditis, si Papa renuat, Subdatarius scribit, *Nihil* vel, *Non placet Sanctissimo*: si vero annuat, signare solet hac formulâ: *Fiat ut petitur*, & apponit primam litteram sui nominis, non quidem Pontificatûs, sed baptismatis: v. g. modernus Pontifex Innocentius XII. ponit litteram A. quia ante Pontificatum vocabatur *Antonius*.

XII. Hodie ferè, ait Rebuffus, omnes signaturæ solent dupliciter signari; atque primum *fiat* collocatur inter partis petitionem & concessionem; secundum verò *fiat* in margine clausularum seu dispositionis conscribitur.

XIII. Pro quo notandum, supplicam conscribi solere in medio folio chartæ. In summitate exprimitur Diœcesis in qua Beneficium est situm, si de Beneficio agatur; sin verò quæstio sit de gratia Beneficium non concernente, exprimitur Diœcesis supplicantes; v. gr. *Mechlin. Antverp.* &c. Ad latus autem dextrum supplicæ exprimitur gratia petita, ut *Provisio, Resignatio simplex, Dispensatio in 3. & 4. gradu consanguinitatis* &c. Deinde supplica incipit, *Beatissime Pater* &c. Ac tum sequitur nomen Oratoris sive Supplicantis, gratia quæ petitur, ac reliqua necessariò exprimenda pro impetratione similis gratiæ; diciturque hæc prima pars Signaturæ eamque vocant Pragmatici Romani, *Corpus Signatura*. Tum relinquitur aliquod spatium vacuum pro Signatura Papæ, à qua Papæ Signatura hæc charta dicitur *Signatura*, uti observat Rebuffus. Post hæc Supplica concluditur sub hac solita verborum formula. *Et cum absolutione à censuris ad effectum dumtaxat* &c. cum omnibus decretis, restrictionibus & clausulis, quibus gratiæ hujusmodi concedi consueverunt: unde, uti monet Rebuffus, hæc tertia pars Signaturæ, est dispositio & Papæ concessio; & quod ipse simpliciter concessit, dicendo, *fiat ut petitur*, hic singillatim exprimitur.

XIV. Itaque hæc tertia pars apponitur, quia supponitur, quod Papa in spatio illo vacuo, apponet ordinariam signaturam; quam Rebuffus vocat secundam partem Signaturæ. In Praxi Benefic. tit. *De Forma Signaturæ simplicis provisionis*; agens de hac secunda parte Signaturæ inquirit, quid inter sit, num signetur per *Fiat*, an verò per *Concessum*.

XV. Postquam supplica fuerit signata, Subdatarius eam mittit ad primum *Revisorem*. Porrò duo sunt in Dataria *Revisores*, quibus incumbit revidere omnes supplicas signatas (exceptis Matrimonialibus pro quibus est

est specialis Revisor) utrùm nimirum *summarium* ad calcem supplicæ adjectum & cui Papa gratiam annuendo se conformat, uti supra monuimus, sincerè exprimat totum contentum supplicæ.

Si primus *Revisor* deprehendat aliquid contineri in supplica non expressum in *summario*, subinde ipse illud è supplica eradit, subinde verò eam supprimit: interdum verò Datarium aut Subdatarium adit, atque cum illis super defectu supplicæ tractat: Et quidem hi judicant, utrum non obstante illo defectu expediri queat: quia Primarii hi Officiales censendi sunt *Organum Papæ*, & quia quotidie cum Papa agunt, judicantur scire intentionem Papæ. Dum ergo in casu dubio hi significant primo *Revisori* ut pergat, hic signat ponendo primam litteram sui nominis ad initium *summarii*.

XVI. Hic Revisor pro ulteriore expeditione mittit Signaturam ad Officialem *parva Data*, qui in calce ipsius summarii ponit *parvam Datam*, quæ propterea dicitur *parva*, quia paucis verbis inscribitur, *S. M. M. Kalendis Martii anno 4.* eaque postmodum per Datarium extenditur; cujus proprium officium est, supplicas *Datare*; imò ipsa *parva Data* (uti observat Pyrrhus Corradus in praxi Dispensationum *lib. 2. cap. 7. num. 30.*) tantùm inservit in signum memoriæ super gratia concessa vel concedenda, ut ad datam illius temporis retrotrahatur.

XVII. Post positam *parvam Datam*, transit Signatura ad Secundum *Revisorem*, qui revidet rursus quod à primo jam revisum est; & si nullum defectum reperiat, ipsamque Signaturam admittendam judicet, illam signat apponendo suum nomen infra nomen primi Revisoris, exprimendo primam nominis sui litteram.

XVIII. Si materia supplicæ sit subjecta juribus *Componenda*, ut sunt Prioratus titulares, Abbatiæ, Coadjutoriæ, Indulta &c. tunc ab Officiali *parva Data* Signatura transit per manus illius, qui *Componenda* Officialis vel Administrator est: eoque casu unus Revisorum ponit litteram *C.* vel *Comp.* quo insinuatur, esse *componendum* antequam Datarius ponat magnam *Datam*. Si autem materia non sit subjecta *Componenda*, & requirantur Bullæ, tunc ponitur, *Expediantur littere.*

In variis materiis jura non adeò fixa sunt, quin frequenter super iis cum Officiali *Componende* & Datario componendum sit: quod in his materiis spiritualibus, quàm malè nonnumquam oleat, nemo non videt.

XIX. Quando Officiali *Componenda* est satisfactum, ponit super plicam Signaturæ inferiùs, *Solvit*: atque ab hoc Officiali transit supplica rursus ad Subdatarium, qui nomine seu vice ipsius Datarii ponit magnam datam v. g. *Datum apud S. Mariam Majorem Kalendis Julii anno 4. Pontificatus Innocentii Divina Providentia Papa XII.*

XX. Hac *Data* expedita transit Signatura ad Officialem qui dicitur *Missis*; eò quòd *mittat* Signaturas ad registra.

XXI. Unus ex Registratoribus supplicam registrat, atque in dorso Signaturæ notat librum & folium registri, ac deinde cum ipso registro fert ad unum è quatuor Magistris registrorum, ad *auscultandum*, ut ajunt, *supplicam*; hoc est, videndum, num supplica planè conformis sit registro. Quo facto, hic Magister registri ponit in dorso supplicæ magnum *R.* & in superiore parte istius litteræ ponit primam litteram sui prænominis, & in calce suum cognomen integrum. Hæc verò littera *R.* significat, *Registrata*.

"Per hunc registrationis actum, ait De Luca, sequi dicitur omnimoda gratiæ perfectio, adeò ut jus quæsitum esse dicatur Gratiato, non autem priùs."

XXII. Notandum denique, quod secuto hoc registrationis actu, supplica sive Signatura dimittatur à Dataria, & consignatur Expeditoribus, ut per Officiales Cancellariæ expediantur litteræ, quæ pro gratiæ executione necessariæ sunt, & sine quibus supplicationes, quamvis perfectæ & registratæ, non suffragantur impetrantibus, ob Regulam Cancellariæ 26. *De non judicando juxta formam supplicationum, sed litterarum expeditarum.*

Observat tamen Joannes à Choquier ad Regulam 51. Cancellariæ, dictam Regulam non obstare nec procedere, quando Supplicatio producitur pro declaratione litterarum, & ad probandum circumstantias, & qualitates gratiæ, & an illa sit per *Fiat*, an per *Concessum*.

XXIII. Multùm quippe refert, num uno an alio modo signatura sit expedita; quod tamen ex Bulla dignosci nequit: quia Bulla eodem modo expeditur, sive uno sive alio modo signatura facta sit.

Si enim unus habeat signaturam per *Fiat*, & alter eodem die habuerit per *Concessum*, illa huic præferetur juxta Regulam Cancellariæ quæ est 34. Innocentii X. & hoc tenore exprimitur: "Item voluit D. N. quod concurrentibus eadem die super quocumque Beneficio per *Fiat* & *Concessum*, signaturis, ex iis, per *fiat*, etiam *ut petitur*, habens, alteri per *Concessum* etiam *motu proprio* habenti præferatur, etiamsi in illa per *Concessum*, prægnantiores, & quantumlibet privilegiatæ essent clausulæ." Ideoque bonum est (inquit Rebuffus loco citato num 13.) producere signaturam, alioqui ex Bullæ tenore dignosci non potest. Unde quis cautus esse debet, ut tam Bullam, quàm signaturam conspiciat, & ex illis veritatem elicere poterit."

XXIV. Notandum quod circa *parvas Datas* sit speciale Gallorum privilegium. Mox enim ut Cursor è Gallia attulit supplicas in materia Beneficiali, Bancquarius Romanus supplicam præsentat Officiali *parva Data*, qui *datam* ejus diei quo Cursor advenit, apponit, modo ante mediam noctem illius diei supplica exhibeatur; aliàs diei sequentis; & licet signatura multo post tempore expediatur, semper tamen manet eadem *data*; scilicet quæ posita fuit eo die quo Cursor è Gallia advenit; hocque est particulare Gallis privilegium. Aliæ enim Nationes accipiunt signaturas *data* currente. Vide latiùs Perardum Gastel in praxi Curiæ Romanæ.

CAPUT III.

De Pœnitentiario & Pœnitentiaria.

1 *Sicuti Episcopi habuêre Pœnitentiarium, ita & Pontifex.*
2 *Pleraque negotia olim tam pro foro externo, quàm interno per Pœnitentiarium expediebantur.*
3 *Quomodo erecta Pœnitentiaria?*
4 *Auctoritatem Pœnitentiariæ primus restringere cœpit Pius Quartus.*
5 *Novam planè Pœnitentiariæ formam induxit Pius V.*
6 *Numerum Officialium diminuit.*
7 *Officia Pœnitentiariæ non sunt venalia.*
8 *Primus Magister Pœnitentiariæ est* Major Pœnitentiarius.
9 *Sunt insuper Pœnitentiarii Minores ex diversis Ordinibus Religiosorum assumpti.*
10 *Hi in communi vivunt subjecti Pœnitentiario Majori in his quæ Pœnitentiariam spectant.*
11 *Præter hos plures sunt Pœnitentiariæ Officiales; quorum primus est* Regens *Pœnitentiariæ.*
12 *Quod* Regentis *officium?*
13 *De Datario Pœnitentiariæ, & qua forma ponat* Datum.
14 *De Procuratoribus Pœnitentiariæ, & quod horum munus?*
15 *Consultores Pœnitentiariæ.*
16 *De Sigillatore Pœnitentiariæ.*
17 *Quis* Corrector *sive* Revisor.
18 *De Scriptoribus Pœnitentiariæ.*
19 *Juramentum Officialium Pœnitentiariæ.*
20 *Major Pœnitentiarius quolibet mense Officiales convocat, ad casus occurrentes decidendos.*

21 *Interdum Papam consulit.*
22 *Negotia ad Pœnitentiariam spectantia.*
23 *Litteræ expediuntur sub nomine Pœnitentiarii Majoris, vel Pœnitentiariæ, in forma commissoria.*
24 *Quibus hæ Litteræ dirigi soleant.*
25 *De qualitate Doctoris seu Magistri in Commissario requisita.*
26 *De qualitate Confessarii requisita.*
27 *Quâ forma concipiatur supplicatio, & commissio.*
28 *Non nisi super* occultis *impedimentis Matrimonialibus in Pœnitentiaria dispensatur.*
29 *Absolutiones à censuris, etiam* non occultis *conceduntur, & quâ formâ expediantur.*
30 *Formula litterarum, quibus absolutio à censuris committitur.*
31 *Omnia* gratis *in Pœnitentiaria expedienda.*

I. Quemadmodum Episcopi jam pridem habuerunt *Pœnitentiarium* generalem, ad quem tamquam ad ipsum Episcopum pro absolutione gravium criminum recursus haberetur, & quem in perplexis atque difficilioribus casibus inferiores Confessarii consulerent (uti supra *tit. 12. cap. 3.* ostensum fuit) ita & Romanus Pontifex jam pridem Pœnitentiarium suum habuit.

Cùmque labentibus sæculis, plurium criminum ac censurarum absolutiones, nec non votorum atque irregularitatum dispensationes, atque Canonicorum impedimentorum relaxationes ad Sedem Apostolicam devolutæ sunt, etiam major & frequentior pro iis obtinendis fuit ad Sedem Apostolicam accedendi necessitas.

II. His verò solus Pontifex examinandis & decidendis insufficiens ea omnia Pœnitentiario suo plenè commisit; idque primitus, uti notat Cardinalis De Luca, tam in foro externo, quàm interno; adeò ut pleraque negotia, quæ hodie per *Datariam* & *Secretariam Brevium* expediuntur, concederentur per organum *Pœnitentiariæ*: ita ut tunc temporis non esset necesse super dispensatione v. g. Matrimoniali, pro foro interno recurrere ad Pœnitentiariam, & pro foro externo ad Datariam, quemadmodum hodie fieri debet.

III. Verùm cùm tractu temporis plura continuò negotia ad Pœnitentiariam Apostolicam devolverentur, tandem necesse fuit, alios Officiales ei adjungere, qui unum quasi cum ipso Pœnitentiario tribunal constituunt, quod *Pœnitentiaria* dicitur.

IV. Duravit hæc summa Pœnitentiarii auctoritas usque ad tempora Pii IV. qui anno 1562. Bullam reformationis Pœnitentiariæ Apostolicæ edidit, quæ incipit: *In sublimi 53.* in Bull. Rom.

In hac Bulla præfatur Pontifex, quòd ad Pœnitentiariæ Apostolicæ officium considerationis oculis directis, attendit, in Pœnitentiariæ officio, in quo *morum censura, & animarum salus præcipuè vertitur*, plures & diversos abusus, propter superiorum temporum licentiam & injuriam irrepsisse, idemque hanc præsentem reformationem decrevisse, qua plurimas facultates Pœnitentiario & ejus Officialibus adimit.

V. Ulteriùs progressus Pius V. novam planè formam ipsius Pœnitentiariæ, priore in totum renovata & abolita, induxit per Bullam quæ incipit *In omnibus 83.* in Bull Romano: "Qua, ait, ipsum Pœnitentiariæ officium certis quibusdam facultatibus, quæ aliis magis convenerunt, exoneratum atque expeditum, dehinc ea quæ *animarum salutem* præcipuè concernunt, *attentiore* studio prosequatur."

VI. Functionibus Pœnitentiarii imminutis, consequens erat, ut & Officialium & Ministrorum quoque numerus diminueretur. Unde in citata Constitutione suppresso & abolito magno numero Officialium & Ministrorum, certos ac paucos, qui hoc Tribunal regant, negotiaque ad illud pertinentia expediant, Pontifex designavit.

VII. "Illorum autem omnium officiorum in ipso Pœnitentiariæ officio constitutorum (ait Pius V.) venditionem, aut quamvis aliam voluntariam, tacitam vel expressam ea dimittentium dispositionem expressè prohibemus; sed illa omnia probis & peritis *gratis omnino*, & sine aliqua dimittentium, aut aliorum quorumcumque acceptione concedantur; quod si secùs factum fuerit, quæcumque concessiones de illis pro tempore factæ, nullius sint roboris vel momenti."

Optandum esset, ut id ad omnia ubique officia, præsertim quæ circa spiritualia versantur, extenderetur; ut scilicet nulla essent *venalia*: notum quippe est illud vulgare: Qui emit, vendere debet.

VIII. Primus Pœnitentiariæ Minister est Pœnitentiarius Apostolicus, qui *Pœnitentiarius Major* dicitur; isque juxta Constitutionem Pii V. officium suum per *seipsum* exercere debet; *quare*, ait, *sit Presbyter Magister in Theologia, seu Decretorum Doctor.*

IX. Præter Pœnitentiarium *majorem* sunt insuper in tribus Patriarchalibus Ecclesiis Urbis *Pœnitentiarii minores*; qui ex diversis Religionibus assumuntur. In *Lateranensi* Basilica Religiosi Ordinis Minorum Observantium reformatorum. In *Vaticana* Societatis Jesu. In *Liberiana* sive *S. Mariæ Majoris* Ordinis Prædicatorum. Illi omnes confessiones excipientes, in signum majoris potestatis, *virgam* in manibus tenent, quibus pœnitentes tangere consueverunt.

X. Hi respectivè in domo Basilicæ propinqua sub obedientia unius eorum, qui superior deputatur, regulari modo, tamquam in claustro vivunt; "atque in pertinentibus ad hoc munus, ait Cardinalis De Luca, sunt subjecti Pœnitentiario, ejusque visitationi & correctioni; in iis verò quæ concernunt disciplinam regularem sunt subjecti Prælato propriæ Religionis."

Hic obiter nota notabilem regulam in materia exemptionis; nimirum quod concurrente diversâ qualitate in eamdem personam, illa persona possit esse exempta in una, & subjecta in alia qualitate.

Ad hos minores Pœnitentiarios à Majori Pœnitentiario mitti solent absolvendi, aut à voto vel impedimento relaxandi, qui in Curia præsentes, absolutionis aut relaxationis gratiam mereri judicantur.

XI. Alia species Officialium est illorum, qui regunt Pœnitentiariam per quamdam speciem tribunalis, audiendo scilicet Supplicationes super petitis absolutionibus & dispensationibus, præcipuè absentium ab Urbe, pro quibus expediendæ sunt litteræ in forma.

Juxta hodiernum Curiæ stylum, & prætactam reformationem Pii V. primus post Pœnitentiarium Officialis est ille, qui vocatur *Regens Pœnitentiariæ*; teneturque ex Constitutione Pii V. esse *Magister in Theologia, vel Decretorum Doctor, vir eximiâ doctrinâ præstans, casuumque conscientiæ peritus*; uti & alter Officialis, qui *Datarius* vocatur.

XII. Regens vices Majoris Pœnitentiarii gerit, habens etiam facultatem plures absolutiones & dispensationes, quæ nimirum negari non solent, non consulto *Majore Pœnitentiario*, concedendi. Has ipse quoque signat, idque per *Fiat*, quemadmodum ipse Pœnitentiarius, sed aliter quàm Papa. Hic enim signat hac forma: *Fiat ut petitur*; Pœnitentiarius verò aut ejus Regens: *Fiat de speciali*; vel: *Fiat de expresso*; si nimirum, facto priùs verbo cum Sanctissimo concedatur gratis; uti observat Marcus Leo in praxi Pœnitentiariæ *parte 1. cap. 1. num. 8.*

XIII. Datarius Pœnitentiariæ in calce supplicationum scribit datam, mensis & anni Pontificatus Papæ viventis in hunc modum: *Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub sigillo Pœnitentiariæ*, si Pontifex in Palatio Vaticano resideat; si verò in monte Quirinali, ponitur: *Apud Sanctam Mariam Majorem, quinto Idus Julii Pontificatus Sanctissimi Domini nostri Innocentii Papæ Duodecimi anno quarto.*

XIV. Adsunt præterea in hoc tribunali, uti asserunt Marcus Leo & De Luca, tres Procuratores (quamvis duo

duntaxat assignentur à Pio V.) seu Secretarii in hac materia bene periti, qui per turnum, ait De Luca, inter se distribuunt libellos, qui porriguntur sine nomine, sub aliquo signo vel litera, ut dignoscantur ab iis qui negotia gerunt; ipsique Procuratores desuper efformant supplicationes juxta stylum Tribunalis, quas in Congregatione (de qua mox dicetur) proponunt.

XV. Præterea habet Pœnitentiaria duos Consultores, unum scilicet Theologiæ Magistrum, qui Theologus Pœnitentiarii vocatur, & alterum Doctorem in Decretis.

XVI. Habet insuper suum *Sigillatorem*. "Hic (ait Marcus Leo loc. cit. *n.* 14. publicum sigillum Sac. Pœnitentiariæ apud se retinet, litteras Majoris Pœnitentiarii nomine expediendas, *intus* & *extra*, Bullas verò *intus* subscribit tantùm post *Correctorem*, subsequenti forma: *Gratis ubique J. Rospigliosus*" Hæc ille, cujus tempore Sigillator erat Julius Rospigliosus.

XVII. Corrector seu Revisor est Officialis, qui supplicationes à Procuratoribus Pœnitentiariæ confectas perlegit, & cùm necessitas exposcit, corrigit; & pro adimpleti sui muneris signo notulam peculiarem imprimit in extremis Supplicationum paginis: litteras demum omnes in forma Brevis ac Bullas secundùm præscriptam supplicationis formam expediendas, & expeditas subscribit."

XVIII. Demum in hoc Tribunali sunt tres Scriptores, qui postquam Supplicatio signata est, de commissione Procuratorum, litteras vel Brevia juxta formam supplicationis scribunt, ut postmodum subscribantur, & claudantur, ac sigillentur, Oratoribus, vel eorum agentibus consignanda.

XIX. Omnes hi Pœnitentiariæ Officiales juramento interposito promittunt, "quod officium suum fideliter exercebunt, ejusque ratione nihil ab aliquibus etiam sponte oblatum, vel donatum accipient, præterquam salarium sibi constitutum. Secreta Sacræ Pœnitentiariæ, & occultos casus, ac personas, de quibus in ea tractabitur, numquam cuiquam extra officium revelabunt."

XX. "Major Pœnitentiarius (inquit Marcus Leo *cap.* 1. *num.* 4.) semel quolibet mense, & sæpiùs si necessitas poscat suos convocat Officiales, unà cum Procuratoribus, seu Secretariis, per Capellanum ejusdem Pœnitentiariæ; quæ convocatio appellatur Signatura Pœnitentiariæ, eò quòd spectantibus Majori Pœnitentiario, prædictisque Officialibus, Memorialia signentur à D. Regente; illorumque interventu graviores casus à prædictis Procuratoribus de mandato ipsius Domini Regentis propositos discutit, & cum eorum voto gratias concedit, vel negat."

XXI. Interdum tamen, ut monet De Luca, ubi dubitatur de potestate dispensandi, ipsemet Pœnitentiarius, vel quandoque Regens Papam adit, atque ab eo tam oraculum, quàm auctoritatem recipit.

XXII. Negotia quæ cum Brevibus sive litteris in forma Brevis expeditis in Pœnitentiaria explicantur, sunt dispensationes super *occultis* irregularitatibus ex causa homicidii vel illegitimorum natalium, aut alterius defectus; ac etiam revalidationes Matrimoniorum contractorum cum impedimento dirimenti, sed planè *occulto*; item revalidationes simoniacarum provisionum, modò simonia sit *occulta*.

Item absolutiones à censuris, præsertim ab excommunicatione ob percussionem Clerici; hocque casu in hoc Tribunali conceditur absolutio, tametsi negotium sit publicum, atque excommunicatio judicialiter declarata sit.

XXIII. Porrò litteræ ab hoc Tribunali emanantes, semper prodeunt sub nomine *Pœnitentiarii Majoris*; aut Sacræ Pœnitentiariæ, idque frequentiùs in forma commissoria; id est, committendo aliquem in partibus, qui super irregularitate vel impedimento dispenset, & à crimine absolvat.

XXIV. Diriguntur autem alicui Confessario sub hac formula: *Discreto Viro Confessori Magistro in Theologia, Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario, per latorem præsentium ad infrascripta specialiter eligendo salutem in Domino.*

Hæc formula communis omnibus hisce dispensationibus, exprimit qualitates personæ, cui earum executio committitur; sive cui auctoritas dispensandi à Pœnitentiario auctoritate Apostolica specialiter munito, committitur.

Duplex autem in Delegato qualitas exprimitur & requiritur.

XXV. Primò, ut sit *Doctor* Decretorum, vel *Magister* in Theologia, quod est idem (uti bene monet Sanchez de Matrimonio *lib.* 8. *disput.* 34. *num.* 5.) quod in Theologia *Doctor.*

Hinc consequens, has litteras illos exequi non posse, qui in aliqua Universitate publicè Theologiam, vel Jus Canonicum prælegunt & docent, si revera ad *Doctoris* gradum non sint promoti; nec enim Pœnitentiarius has dispensationes committit nisi illis, qui revera hoc gradu sunt insigniti, quia, ait Sanchez loco citato, *publicum Academiæ testimonium sua peritia habent.*

Hic rursus obiter nota, quomodo Ecclesiæ perniciosè imponant, qui hos gradus inidoneis annuunt.

Ulterius infertur, non posse dispensationes has expediri per Regulares, qui juxta suorum Ordinum instituta quibusdam Magistrorum privilegiis fruuntur, atque in ipso Ordine *Magistri* creantur & evocantur; nisi ipsi verè ad Magisterii gradum in aliqua Academia promoti sint; eò quòd ad hos litteræ dirigantur ob publicum Academiæ testimonium.

XXVI. Secunda qualitas in Delegato requisita, est approbatio ab Ordinario; id est, ut ultra gradum Doctoratus sit approbatus ab Ordinario, ut possit excipere confessiones hujus personæ, cum qua est dispensandum. Unde approbatus ad excipiendas confessiones certarum duntaxat personarum non potest exequi has litteras, si lator earum non sit de numero illarum personarum.

XXVII. Post hæc exprimitur in litteris ipsa Supplicatio Oratoris, quæ pro varietate ejus, quod petitur, varia est.

Subsequitur deinde ipsa commissio dispensandi, quæ pariter diversimode nonnihil concipitur pro diversitate materiæ; adhibita semper cautione, *Audita priùs ejus Sacramentali confessione..... In foro conscientiæ, & in ipso actu Sacramentalis confessionis* TANTUM, *& non aliter*, "neque alio aliò modo; ita quòd hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragentur; nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, pro processibus confectis, sed præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ita ut nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas, quòd si eas restitueris, nihil ipsi præsentes litteræ suffragentur."

Hæc ostendunt, quàm sollicitè caveatur, ne dispensationes, præsertim Matrimoniales in hoc Tribunali expeditæ ad forum externum extendantur, ut ita frequentiùs ad Datariam recursus habeatur.

XXVIII. Additur præterea clausula, *Dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit* OCCULTUM: eò quòd super solis *occultis* in Pœnitentiaria, super aliis verò in Dataria dispensationes concedantur: sed de his plura Parte secunda, ubi de Dispensationibus Matrimonialibus ex professo agetur.

XXIX. Illud hic observandum, quòd licèt dispensationes, præcipuè Matrimoniales, non nisi super *occultis* in Pœnitentiaria concedantur, tamen absolutio à censuris, etiam publicis in Pœnitentiaria sæpiùs expediatur.

Et quidem si innodatus censurâ ob percussionem v. g. Clerici, *personaliter* ad Curiam Romanam accedat, se primò præsentat Pœnitentiario Majori, vel ejus Regenti, atque ab altero eorum absolvitur; vel juxta stylum con-

consuetum ab eis petit facultatem, ut ab aliquo ex ejus minoribus Pœnitentiariis possit absolvi; qua facultate obtenta, Pœnitentiarium minorem adit, à quo absolvi petit. Absolutione obtenta, adire debet unum ex tribus Procuratoribus Pœnitentiariæ, qui conficiat litteras in forma Brevis ad Ordinarium ipsius absoluti dirigendas, quibus Ordinario intimatur, illum in forma Ecclesiæ consueta à censura, esse absolutum, eumque ut talem recipiendum.

XXX. Formulam hanc litterarum, uti & illarum, quibus absolutio à censuris committitur Ordinario, eo quod ipse Orator ad Urbem *personaliter* accedere nequeat, refert & exponit Marcus Leo *parte 3*. Hoc unum notandum, quod in litteris quæ Ordinario diriguntur, Pœnitentiarius Major titulos Episcoporum, aut Archi-Episcoporum præmittat suo nomini hac similive formulâ: *Venerabili in Christo Patri Episcopo* vel *Archi Episcopo* N. *Leander Colore do* &c. *salutem in Domino*.

XXXI. "Illud autem (inquit Pius V. in citata Constitu„tione) sanctè & inviolatè apud officium prædictum (Pœni„tentiariæ) volumus observari, ut nihil prorsus pro littera„rum confectione & expeditione, nec aliàs etiam pro char„ta, atramento, cera, capsula, cordulis, aliisque rebus ad ip„sam expeditionem pertinentibus exsolvatur."

Unde monet de Luca, omnes expeditiones in Pœnitentiaria concedi *gratis*, absque solutione, ne quidem mercedis Procuratorum & Scriptorum; ideoque aliud solvendum non est, nisi aliquid modicum ipsi Correspondali; "& ad „quod adverti debet (ait De Luca) ne ab iniquis Curialibus „crumenarum tortoribus, qui furibus vel grassatoribus as„similari debent, decipiantur, cum assertione, quòd expen„sas pro hujusmodi expeditionibus facere oportuerit."

CAPUT IV.

De Secretario Brevium; & de differentia inter Brevia & Bullas.

1 *Olim in Curia Romana nulli erant Secretarii; & quare?*
2 *Primus Secretariorum est Secretarius* Status.
3 *Quis dicatur Secretarius* Brevium?
4 *Quid sit* Breve *Apostolicum*.
5 *Jampridem Pontifices in signandis litteris* privatis *usi sunt annulo Piscatoris*.
6 *Quid sit* Bulla *juxta stylum Curiæ Romanæ*?
7 *Quando inceperint Pontifices litteras* plumbo *obsignare*?
8 *Prima differentia inter Bullam & Breve ex diversitate sigilli*.
9 *Secunda ex diversitate membranarum*.
10 *Tertia ex diversitate characteris*.
11 *Litteræ Pœnitentiariæ, quæ* Brevia *dicuntur, aliam ab his* Brevibus *Pontificis formam habent*.
12 *Quæ negotia per* Brevia *expediri soleant*?
13 *Quæ cautio adhibeatur, ne falsitas circa Brevia fieri contingat*.

I. ANtiquo tempore, quemadmodum observat Cardinalis De Luca in Relatione Curiæ R. *disc.* 7, nulli erant in Curia *Secretarii*; quia quæ hodie per Secretarios expediuntur, expediebantur per Vice-Cancellarium, qui erat Secretarius Papæ. At postremis hisce temporibus excrescentibus negotiis, plures fuere constituti Secretarii; iique varii pro diversitate negotiorum & litterarum per ipsos expediendarum.

II. Primus inter illos est, qui vocatur *Secretarius Status*. Hic licet non sit in Ordine Hierarchico Officialium aut Magistratuum Papæ, est tamen summæ confidentiæ & auctoritatis," Atque de facto, ait De Luca, secundum locum occu„pare videtur in iis, quæ concernunt politicam ac etiam in „parte civilem utriusque status administrationem, dum „graviora negotia majoris confidentiæ cum Regibus & „Principibus, ac etiam cum Legatis & Nuntiis Apostolicis, „per hoc organum junctum cum altero Cardinalis Nepotis „pertractantur, & quandoque etiam in civilibus, & Eccle„siasticis negotiis, Ordinariis Locorum, vel Gubernatori„bus, aliisque Officialibus & Magistratibus Status Ecclesia„stici, oracula & mandata Papæ explicantur."

III. Secretarius *Brevium* dicitur, per cujus organum expediuntur litteræ Apostolicæ, quæ dicuntur in forma *Brevis*. Quædam enim negotia expediuntur per litteras quæ *Brevia* Apostolica vocantur, alia verò per *Bullas*.

IV. Breve Apostolicum ita definit Rebuffus: "Scriptura „modica in parvis concessa negotiis, in papyro frequenter „scribi solita rubea cera *annuloque Piscatoris* sigillata, ac „signo Secretarii subscripta." In Praxi Benef. tit. *De Brevi Apostolico*.

V. Jampridem Pontifices in signandis *privatis* litteris usos fuisse *Annulo Piscatoris*, probat Epistola Clementis IV. ad Petrum Grossum nepotem suum data anno 1265. cujus hæc est finalis clausula: "Non scribimus tibi nec fami„liaribus sub Bulla, sed sub *Piscatoris annulo*, quo Roma„ni Pontifices in suis secretis utuntur."

VI. Bulla verò juxta stylum Curiæ Romanæ sumitur pro litteris Pontificum plumbeo sigillo notatis, eorum Decreta continentibus.

VII. Originem hujus moris investigans Polydorus Virgilius *lib.* 8. *De Invent. rerum cap.* 2. ait satis constare Agatonem in cera annulo impressisse sigilla: "Verùm, ait, po„stea cùm Rom. Pontifex multa irrogaret privilegia, & di„plomata diuturniora forent, placuit Stephano III. ac dein„de Hadriano I. tabulas Apostolicas plumbo obsignari. „Fuit is annus salutis 772. cùm ipse Hadrianus factus est „Pontifex: nam *antiquius* non reperitur sigillum *plumbe„um*: quemadmodum constat, ante Carolum M. Impera„torem, litteras auro obsignasse Principum Romanorum „neminem."

Vetustiora tamen diplomata Pontificum *plumbo* obsignata reperiri, asserit Dominicus Raynaldus Bibliothecæ Vaticanæ custos apud D. Du Cange in Glossario suo Verbo, *Bulla plumbea*. Et quidem Bullam plumbeam Sylvestri Papæ asservari in Archivo Aretino asserit; uti & Leonis I. Gregorii Magni, ac Sergii, vetustissima diplomata in papyro, ex frutice confecta, plumbo obsignata in Archivo Castri S. Angeli.

Observat quoque idem Raynaldus, *in plumbo* diplomatum vetustissimorum Pontificum non impressas fuisse imagines Petri & Pauli, sed tantùm illius Pontificis nomen, cujus litteræ obsignabantur. Vetustiorem quippe usque adhuc Bullam cum imaginibus Petri & Pauli non se reperisse ait, quàm sub Adriano IV. qui 1153. vixit.

VIII. Quidquid sit de antiquitate ritus hodierni obsignandi Litteras Pontificias, quas hodie *Bullas* dicimus, illud constat, *Bullas* à litteris in forma *Brevis* in hoc à se mutuo differre, quòd Bulla sigillo *plumbeo* pendente quidem ex *chordis sericeis*, si sit Bulla *gratiosa*; si verò sit *justitiæ*, ex *filo canabis*; Breve verò sub Annulo Piscatoris expediatur.

IX. Circa membranas quoque characteris differentia est. Pro Brevibus enim in usu sunt membranæ subtiles & albæ; pro Bullis autem membranæ magis nigræ & grossæ.

X. Brevia scribuntur in charactere latino, nitido & eleganti ac intelligibili; "in Bullis autem (ait de Luca) retinetur „antiquus stylus characteris gallici, eo quia in Gallia de tem„pore, quo Sedes Apost. residentiam habebat in Civitate „Avenionensi, magis practicari cœperunt reservationes, & „affectiones Apostolicæ Beneficiorum, cum expeditione „Bullarum, & cum solutione Annatarum aliorumque emo„lumentorum."

XI. Adhibetur etiam in Curia vocabulum *Brevium* in illis expeditionibus, ait De Luca, quas concedit Tri-

bunal pœnitentiæ, sed aliam omnino formam habent, diversumque sigillum, uti supra notavimus.

XII. Quæ provisiones & gratiæ expediantur per *Bullas* in Cancellaria Apostolica; quæ verò per *Brevia* per Secretariam Brevium, enumerat Cardinalis De Luca, & fusius Rebuffus in Praxi titulo *De Brevi Apostolico*; notatque De Luca, in summa omnia per *Breve* expediri, quæ per Papam concessa, ex Regulis Cancellariæ, vel ex stylo non exigunt „necessitatem Litterarum sub plumbo per vitam Cancellariæ." Rebuffus verò monet, "quòd Breve in parvis materiis concedatur, & ubi non est multa pecunia exponenda: & sic in casibus conscientiæ & in absolutionibus dari potest, & pauperibus ac viduis."

Ulteriùs monet ibidem Rebuffus, "quod per *Breve* concedi potest, ubicumque in *Signatura* est expressum, ut in forma *Brevis* expediri possit. Et hoc solet, inquit, à cautis Pragmaticis Curiæ Romanæ in Signatura poni, quod hoc expediatur per *Breve*, vel quod sola Signatura sufficiat, & maximè in modicis, ut expensæ vitentur."

XIII. Porrò quia Brevia aliud non habent signum authenticum nisi subscriptionem Secretarii, & impressionem *Annuli Piscatoris* in rubea cera facilè delebili & amovibili, hinc pro certitudine expeditionis, non tantùm registrantur in libris seu regestis sub fidei custodia, sed insuper minutæ seu matrices manu ipsius Papæ subscriptæ, per Secretarium pro sua indemnitate conservantur, ac etiam pro verificatione gratiæ concessæ in Archivo Apostolo diligenter custodiuntur, "illis forsan gratiis vel Brevibus exceptis, quæ concedantur super rebus *consuetis*, modicique momenti, adeò ut penè nemini negentur, unde propterea generalis commissio, seu probata fides Secretarii, ac impressio dicti annuli Piscatoris sufficientes videntur, ut ex. gr. sunt Brevia super dispensatione Interstitiorum pro suscipiendis sacris Ordinibus in tribus diebus festivis, aut super dispensatione ætatis 13. mensium ad suscipiendum Ordines sacros, sive quædam species Indulgentiarum, quæ sub certa forma omnibus conceduntur; putà pro Altari Privilegiato in una die hebdomadæ, & in Octava Mortuorum, pro Indulgentia Plenaria in una tantùm solemnitate totius anni alicujus Ecclesiæ, cum similibus gratiis, quæ sub certa & generali formula inalterabili, cuiq; petenti conceduntur: quoniam cùm fraudis vel falsitatis timor desuper verisimiliter non cadat, idcirco superfluæ videntur dictæ majores diligentiæ; potissimè ob hujusmodi expeditionum multiplicitatē, magnāq; copiam, unde propterea quando desideratur aliquid speciale & alterativum formulæ consuetæ, tum dictæ diligentiæ intrant, pro diversa negotiorum qualitate, diversisque stylis, quibus in his materiis deferendum est."

TITULUS XXIV.

De Instituto Regularium & eorum Admissione.

CAPUT I.

De primævo Monachorum Instituto, eorumRegulis & Constitutionibus.

1 *Vita Monastica è vita primorum fidelium originem accepit.*
2 *Probatur ex Cassiano.*
3 *Primi Monachismi Auctores privata sua electione & instinctu vitam illam assumpserunt.*
4 *Vita Monastica principaliter tantùm spectat* privatam *Monachorum salutem.*
5 *Probatur auctoritate SS. Basilii & Hieronymi.*
6 *Superiorum ex tempore data præcepta erant primitus Monachis pro* Regula.
7 *Probatur ex S. Augustino.*
8 *Veteres Patrum Regulæ tantùm sunt privata Institutiones Monachis ex tempore data.*
9 *Etiam Regula S. Augustini non nisi privata instructio primitus fuisse videtur.*
10 *Primis sæculis vix ulla Regula litteris fuère consignata*
11 *Antiquitus Regularum frequens mutatio; & plures frequenter in eodem Monasterio recepta.*
12 *Primus S. Benedictus Regulas mutandi licentiam tantisper castigavit; & qua occasione id factum.*
13 *Multis sæculis nulla aut Episcoporum, aut Sedis Apostolicæ approbatio Regulæ Monasticæ necessaria fuit.*
14 *Primus approbationem Sedis Apostolicæ requisivit Innocentius III.*
15 *Non dicitur hodie vera* Religio Monastica, *quæ non profitetur* Regulam *ex* approbatis.
16 *Olim nota non erant discrimina inter* Regulas *Monachorum, & Ordinis* constitutiones.
17 *Primum discrimen quod hodie inter* Regulam *& Constitutiones intercedere dicitur.*
18 *Secundum discrimen.*
19 *Tertium discrimen cum quadam reflexione.*

1. Vitam Monasticam, præcipuè Cœnobitarū sive in communi viventium, originem sumpsisse è vita primorum fidelium, de quibus in Actibus Apostolorum legitur: *Multitudinis autē credentium erat cor unum, & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat sed erant illis omnia communia*, notavit & pluribus expressit Cassianus.

II. Postquam enim tria Monachorum genera annotavit *Collat*. 18. *c*. 4. deinde *c*. 5. Cœnobitarum originem ita describit: "Cœnobitarum itaq; disciplina, à tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis extitit in Hierosolymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita scribitur: Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones & substantias vendebant, & dividebant ea omnibus prout cuique opus erat. Et iterum: Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorū quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat. Talis inquam erat tunc omnis Ecclesia, quales nunc perpaucos in Cœnobiis invenire difficile est. Sed cùm post Apostolorum excessum tepescere cœpisset credentium multitudo, ea vel maximè quæ ad fidem Christi de alienigenis ac diversis gentibus confluebat, à quibus Apostoli pro ipsis fidei rudimentis ac inveterata gentilitatis consuetudine nihil ampliùs expetebant, nisi ut ab immolatitiis idolorum & fornicatione & suffocatis & sanguine temperarent, atque ista libertas quæ gentibus propter infirmitatem primæ credulitatis indulta est, etiam illius Ecclesiæ quæ Jerosolymis consistebat perfectionem paulatim contaminare cœpisset, & crescente quotidie vel indigenarum numero vel advenarum, primæ illius fidei refrigesceret fervor, non solùm hi qui ad fidem Christi confluxerant, verùm etiam illi qui erant Ecclesiæ Principes; ab illa districtione laxati sunt. Nonnulli enim existimantes id, quod videbant gentibus pro infirmitate „con-

Digitized by Google

„concessum, sibi etiam licitum, nihil se detrimenti „perpeti crediderunt, si cum substantiis ac facultatibus suis „fidem Christi confessionemque sequerentur. Hi autem „quibus adhuc Apostolicus inerat fervor, memores illius „pristinæ perfectionis, discedentes à civitatibus suis, illorum„que consortio qui sibi vel Ecclesiæ Dei remissioris vitæ „negligentiam licitam esse credebant, in locis suburbanis „ac secretioribus commanere, & ea quæ ab Apostolis per „universum corpus Ecclesiæ generaliter meminerant insti„tuta, privatim ac peculiariter exercere cœperunt, atque „ita coaluit ista quam diximus discipulorum, qui se ab illo„rum contagio sequestraverant, disciplina. Qui paulatim „tempore procedente segregati à credentium turbis, ab eo „quòd à conjugiis abstinerent, & à parentum se consortio „mundique illius conversatione secernerent, Monachi sive „Monazontes singularis ac solitariæ vitæ districtione nomi„nati sunt. Unde consequens fuit, ut ex communione con„sortii Cœnobitæ, cellæque ac diversoria eorum Cœnobia „vocarentur.

III. Ex hoc Cassiani discursu non obscurum est, quòd nonnulli saluti suæ securiùs faciliùsque agendæ desiderio succensi, privatâ ac propriâ electione & instinctu secesserint, & quod hodie vocatur *Monachale* Institutum, assumpserint, eique originem dederint.

IV. Patet insuper, hanc secessionem Monasticam non publicum & commune Ecclesiæ bonum (nisi in quantum privatorum virtutes, & vitæ sanctitas, totam Ecclesiam exornant & juvant) sed privatum ipsorum recedentium seu eam vivendi normam amplectentium commodum & emolumentum, sive salutem propriam principaliter spectasse; eumque in finem à primis illis Monachis fuisse arreptam: quod & manifestum est ex iis, quæ passim à Patribus de Monachis, & eorum vivendi Instituto dicuntur.

V. Basilius enim, ait: „Monachorum vitæ ratio, *unum* „sibi tantummodò propositum habet, *animæ salutem*; & „quidquid prodesse ad eum finem potest.

Sanctus Hieronymus de se & Vincentio Monachis loquens idem asserit: „Ob id enim & ego Antiochiam, & ille „Constantinopolim, Urbes celeberrimas reliquimus, non „ut te in populo prædicantem (alloquitur Joannem Con„stantinopolitanum) laudaremus; sed ut in agris, & in soli„tudine adolescentiæ peccata deflentes, Christi in nos mise„ricordiam deflecteremus. „ Et rursus libro adversùs Vigilantium hæc de Monachis habet: „Monachus non *Docto„ris*, sed *plangentis* habet officium; qui vel *se* vel *mundum* „lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum; qui „sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, ti„met offendere, ne impingat, corruat, atque frangatur; unde „& mulierum maximè adolescentularum vitat aspectum; „& in tantum castigator sui est, ut etiam quæ tuta sunt per„timescat. „ Verbo, perlegantur omnes omninò Patrum Regulæ Monasticæ, videbitur, in hoc unum directas, ut Monachi propriam suam salutem & profectum faciliùs securiùsque, juxta normam Evangelicam, operari queant.

VI. Hinc quidquid pro temporum, locorum, & personarum circumstantiis, in eum finem utilius atque opportunius videbatur, id à Præpositis & Superioribus statuebatur. Voluntas Superiorum eis pro regula erat; atque Superioribus obedire prima Monachorum virtus, & Monasticæ disciplinæ fundamentum.

Neque enim primis sæculis Monachi certam fixamque Regulam profitebantur aut promittebant; sed quidquid ad profectum Monachorũ videbatur hic & nunc conveniens, à Superioribus ordinabatur; idque Monachis pro Regula erat.

VII. De Patribus Cœnobitarum seu Monachorum in communi viventium scribit Augustinus *lib. 1. De Moribus Ecclesiæ cap. 31.* „Hi Patres non solùm sanctissimi mori„bus, sed etiam Divinâ doctrinâ excellentissimi, omnibus „rebus excelsi, nullâ superbiâ consulunt iis, quos filios vo„cant, *magnâ suâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum* „*in obtemperando voluntate.* Conveniunt autem diei tem„pore extremo de suis quisque habitaculis, dum adhuc je„juni sunt, ad audiendum illum Patrem, & conveniunt ad „singulos Patres terna, ut minimum, hominum millia: nam „etiam multò numerosiores sub uno agunt. Audiunt au„tem incredibili studio, summo silentio, affectiones animo„rum suorum, prout eos pepulerit differentes oratio, vel ge„mitu, vel fletu, vel modesto & omni clamore vacuo gau„dio significantes.

VIII. Si quis seu Orientalium seu Occidentalium antiquas Monachorum regulas quas Lucas Holstenius nuper sub titulo *Codicis Regularum* evulgavit attentius expenderit, non difficulter intelliget, plerasque earum non esse, nisi particulares aliquibus Monachis ex tempore aut data occasione datas vivendi formulas, sive privatas instructiones, successu temporis aliis communicatas, & à pluribus tamquam disciplinæ Monasticæ utiles & convenientes Regulas receptas; quod etiam ipse Holstenius in præfatione ad dictum Codicem *cap. 3.* notavit.

Loquens quippe de antiquis Regulis in suo Codice contentis ait: „Illæ à singulis, ut *præsens usus poscebat*, Patri„bus scriptæ, aliorum similia cupientium studiis descriptæ „in commune proponebantur, ut ex his quique pro loco„rum & nationum differentia vitam uniformi, quoad præ„cipua, disciplina temperarent. Primaria sanè & quasi fun„damentalis Monachorum regula Evangelium erat: illa, „inquam, Christi consilia, quæ castrare se ipsum propter „regnum cœlorum, quæ abnegare se, & crucem tollere, „quæ patrem & matrem, uxorem, agros propter Christum „relinquere, quæ vendere patrimonia & dare pauperibus, „sicque nudos Christum sequi suadebant. Regulæ parti„culares nihil nisi ejus primæ, ac *universalis* regulæ *appli„cationes* aut *declarationes* locis & personis *plerumque* „*aptatæ* habebantur.

IX. Quin & S. Augustini Regulam nunc toto orbe per tot Religiosorum virorum ac fœminarum cœtus diffusam, non nisi planè extemporaneam fuisse, quamvis in se dignissimam, scriptionem, ad unius solius Parthenonis usum in quo ipsa sancti Doctoris soror Præposita fuerat, observat R. P. Papenbrochius ad vitam S. Alberti VIII. Aprilis „Etenim, „ait, neque Possidius, qui vitam Magistri sui scripsit, neque „ipse Sanctus Doctor, ex cujus scriptis plurima pars rerum „ab eo gestarum nobis innotescit, uspiam mentionem fece„re curæ impensæ sanctimonialibus per regulæ scriptio„nem, & ipsa regula nusquam inter Augustini scripta nume„ratur: licet Possidius post vitam catalogum texuerit om„nium quorum potuit notitiam consequi, etiam singula„rium epistolarum, adeo ut videatur planè extemporanea, „quamvis in se dignissima, fuisse scriptio; cujus, tamquam „alium deinceps usum non habituræ, exemplar servare S. „Doctor neglexerit, & tamen ex illis aliquando producta „angustiis quantam approbationem non retulit.

X. Itaque rectè observavit Haeftenus Disquisit. Monast. *lib. 1. tract. 1. Disquisit. 2.* quod „primis sæculis vix ullæ „litteris consignatæ fuerint Regulæ; & ipsimet Regularum „Conditores, ait, antequam eas scriberent, communi tantum „traditione, consuetudine & usu suos regebant; eratque iis „*Superioris imperium instar vivæ cujusdam Regulæ*, si„cut Regula mutus quidam Superior.

XI. Hinc antiquitus mutatæ passim Regulæ & plures etiam in eodem Monasterio non rarò servatæ, uti de Athanensi testatur Gregorius Turonensis *lib. 10. hist. cap. 29.* in quo ait servatus *fuisse Regulas Sancti Basilii, Cassiani, & reliquorum Abbatum*, detractis scilicet & usurpatis iis, quæ pro locorum ac temporum conditione intempestiva aut opportuna videbantur.

XII. Si Viro erudito Joanni Mabillonio credimus, vagam illam Regulas mutandi licentiam primus tantisper castigavit Sanctus Benedictus, cujus discipulis susceptam semel Regulam abdicare numquam fas fuit. „Id „verò inde processit, ait Mabillonius, quod cum san-

ctissi-

„ ctissimus Legislator primus aut certè inter primos, solemnis professionis formam, modumque præscripserit; intra „ professionis terminos incluserit Regulæ suæ observationem, à qua deinceps recedere non liceat. „ In præfatione ad primam partem sæculi IV. Benedictinorum *n.* 53.

Observat vero Holstenius in citata præfatione, quod nec ipse S. Benedictus, „ Regulam universalem suis ubique omnibus promulgarit; sed *peculiarem* dumtaxat Cassinensi „ Cœnobio cui præerat: quæ inde *privatâ* diligentiâ descripta, & imitandi studio publicata est.

XIII. Quia ergo Monachorum Regulæ à Præpositorum voluntate penitus dependebant, mirum non est, si in antiquis Patrum Regulis, nec Episcoporum, neque Sedis Apostolicæ approbatio vel confirmatio appareat.

XIV. Primus Innocentius III. in Concilio Lateranensi in *Cap. fin.* ☩ *De Religiosis domibus*, decrevit, ut *qui voluerit religiosam domum de novo fundare*, REGULAM *& institutionem accipiat de* APPROBATIS.

Hoc Decreto vetitum creditur, sine auctoritate seu approbatione Sedis Apostolicæ novam Religionis *Regulam* condere: dicitur que ipse Innocentius III. Beato Dominico Ordinis sui confirmationem petenti respondisse, ut Regulam aliquam *approbatam* eligeret; quam & elegit, nimirum Regulam S. Augustini, quæ tum totius Ecclesiæ consensu recepta & probata erat.

XV. Quin si quæ mulierum aut virorum hodie congregatio sit, quæ privatam sibi vivendi Regulam præscripserit, atque illam professi vitam solitariam etiam cum emissione trium votorum agant, nequaquam dicetur Religio; neque *vota* in illa emissa dicentur vota *solemnia* Religionis; eo quod Regulæ & Religionis approbatio desit.

XVI. Adhæc quamdiu Monachis præcepta & ordinationes Superiorum pro Regula fuerunt, quidquid pro bono disciplinæ & vitæ Monasticæ observantia à Præpositis ordinabantur, vice *Regulæ* erant: neque nota erant discrimina inter *Regulam* Monasticam, & inter Constitutiones Ordinis, quæ postrema ætas invexit; quorum hæc præcipua à recentioribus alleganutr.

XVII. Primum desumitur à diversitate auctorum. Regulæ enim dicuntur, quæ à SS. Patribus Ordinum Fundatoribus, aut aliquibus Episcopis jam pridem præscriptæ sunt, & ipsi professionis formulæ solent suo nomine *Regulæ* includi. Constitutiones verò dicuntur quæ à Capitulis generalibus, aut Ordinum Congregationibus, diversis temporibus emanarunt.

XVIII. Secundum discrimen desumitur à duratione, vel perpetuitate. Regula enim vix aut ne vix quidem mutari solet: Constitutiones vero pro temporum & locorum varietate non rarò mutantur. Unde S. Antoninus *parte 1. tit.* 16. *cap. 1.* §. 4. ex Joanne Andræa scribit, quod Regulæ mutari non possint, nisi à Summo Pontifice: Constitutiones verò mutari queant per Prælatos Religionum, qui tantæ sunt auctoritatis, quantæ fuerunt eas instituentes. Hanc S. Antonini sententiam veram esse, moderna Religiosorum Praxis evincere videtur. Passim enim Religiosi Ordines potestate mutandi suas Constitutiones sive Statuta utuntur; Regulam verò mutandi nequaquam.

XIX. Tertium discrimen nonnulli constituunt inter Regulam & Constitutiones; quod illa arctius & sub graviori culpa obliget; quam hæ. Et quidem apud Patres Discalceatos declaratum est (uti ex eorum Statutis refert Haeftenus loco citato *Disquisit.* 3.) Regulam, exceptis votis & officio divino, ad culpam tantùm venialem obligare. Constitutiones autem non ad culpam, sed ad pœnam impositam vel à Superiore imponendam, nisi contemptus adsit, aut contrarium ejus quod statuitur, ex natura sua, aut aliunde culpa sit.

Quidquid sit circa hoc Regulam inter & Constitutiones discrimen, illud indubitatum, neque hoc neque præcedentia discrimina inter Regulam & Constitutiones antiquitus nota fuisse; nullumque in Canonibus aut Patrum scriptis illorum discriminum esse vestigium; sed jam pridem ipsis Monachis omnia Superiorum Statuta in pari fuisse veneratione.

CAPUT II.

Multis sæculis Ordinum Monasticorum ignota diversitas; quomodo postmodum inducta; & quomodo restricta novorum Institutio?

1 *Varietas circa exteriorem disciplinam diversitatem Ordinum primitus non faciebat.*

2 *Una erat Monachorum societas; & facilis de uno Monasterio ad aliud transitus.*

3 *Uniformitatem Monachorum durasse usque ad sæculum 11. observarunt Lucas Holstenius, & Christianus Lupus.*

4 *Primus Benedictinos ab aliorum Ordinum Monachis discrevit Trithemius; optandumque ut hodie super hac discretione quæstiones cessarent.*

5 *Diversitas Ordinum à S. Odone incœpisse videtur.*

6 *Sæculo 11. & sequenti multùm invaluit.*

7 *Concilium Lateranense sub Innocentio III. novum Ordinem institui vetuit; & quare?*

8 *Hoc Decretum non observatum.*

9 *Prædictum Decretum renovavit Concilium Lugdunense sub Gregorio X.*

10 *Etiam post hoc Concilium nimia Religionum excrescentia.*

11 *Primi approbationem sui Ordinis à Sede Apostolica petierunt SS. Dominicus & Franciscus.*

12 *Quare requiratur approbatio Sedis Apostolicæ?*

13 *Approbatio novæ Religionis hodie Sedi Apostolicæ est reservata.*

14 *Quis hodie hujus approbationis effectus?*

I. Quamquam olim etiam inter Monachos pro temporum & locorum varietate, varia esset exterior aliquantulum disciplina, prout hanc illamve Monasteriorum Præpositi Monachis magis convenire judicabant; nullam tamen hæc exterior disciplinæ varietas Ordinum diversitatem inducebat; ita nimirum ut ob eam diversi ac distincti Monachorum Ordines haberentur, sic ut in uno professi liberè ad alium transire non possent.

II. „ Una quippe erat eorum societas (ait Mabillonius „ in præfatione ad primam partem sæculi IV. Benedictinorum *nu.* 52.) facilis & promiscuus in alia Monasteria Mo„ nachorum invicem cum Præfectorum licentia commea„ tus: tametsi omnia separata erant; sed unâ charitatis lege „ confœderata. Primaria vitæ monasticæ Regula erat abdi„ catio rerum omnium, tum propriorum studiorum, qualis „ in Evangelio præscribitur. Adhæc secessio à Sæculi tumul„ tu: officia divina statis horis, obedientia summa, juge silen„ tium, labor manualis, ciborum tenuitas & delectus, corpo„ ris castigatio, delictorum etiam levium pœnæ graves; in „ summa, propriæ salutis una fere & maxima cura; pro alie„ na continentes ac sollicitæ preces; pro Ecclesia etiam sus„ cepti labores, ubi postulabat charitas, aut necessitas. Le„ gumlatorum omnium regulæ eo spectabant: & quæ ad id „ magis conducere videbatur, eam suscipiebant Monachi „ cujusque monasterii pro Rectorum arbitrio & voluntate „ apud occidentales seu latinos.

III. Hanc Monachorum uniformitatem usque ad sæculum XI. perdurasse observavit quoque Vir eruditus Lucas Holstenius in præfatione ad Codicem Regularum, asseritque, diversitatis Ordinum, qualis hodie inter varios Ordines præsertim Mendicantium cernitur, ne vestigia quidem sibi ante annos sexcentos apparere: „ Qui „ quocumque intueor, inquit, *uniformem* ubique Mo„ nachatus rationem, & *facilem ac promiscuum* invicem

tran-

„transitum, mutuumque commeatum, professionum & „Cœnobiorum cerno. Orientales Monachi quando in Occidentem venerant, cum ibi profitentibus religiosam vitam sine discrimine censebantur: vicissim Occidentales „in Oriente; quod cum innumeris exemplis demonstrari „possit, unum tantum hic afferam Cassiani & Germani Gallorum Monachorum, qui Ægypti monasteria peragrarunt instituti monastici cognoscendi causâ, & animo in „patriam referendi haustam inde notitiam disciplinæ, in „suum & popularium suorum usum, undè satis apparet existimasse ipsos unum esse in commune omnium ubique „Monachorum modum & usum Religionis profitendæ.

Nullos fuisse *diversos* Monachorum Ordines tempore Gregorii VII. id est, sub finem sæculi 11. annotavit quoque Christianus Lupus tomo 5. Schol. pag. 279.

IV. Et Mabillonius in citata præfatione *num.* 50. asserit, neminem Antiquorum, qui de Monachis scripsere, Benedictinos ab aliis usquam discrevisse ante Trithemii ætatem: id est, ante finem sæculi 15.

Optandum, ut & hodie cessarent inutiles illæ altercationes, quæ de Sanctis certo Ordini vindicandis præter modum excitari, ac progredi solent: vigeretque charitas veterum Monachorum, quibus unus Ordo erat, sicque eadem societas; atque omnes invicem æquali charitate complecterentur.

V. Circa sæculum 10. per Sanctum Odonem Abbatem Cluniacensem, quem Flodoardus in Chronico ad annum 842. *multorum restauratorem Monasteriorum, sanctaque Regulæ reparatorem* appellat, erecta fuit Cluniacensis Congregatio, propriis Ritibus adstricta Regulæ S. Benedicti. Tunc quæ priscos ritus retinebant Monasteria, alterius Ordinis dici cœperunt, tametsi ejusdem Regulæ unione confœderata: sed exigua erat hæc diversitas.

VI. At sæculo XI. Carthusiensi, Camaldulensi, Vallumbrosa, Grandimontensi, ac Cisterciensi familiis exortis, major facta Monachorum discretio, ob varias vestes aut Regulas, variosque ritus, quibus singuli utebantur. *Nigros* appellabant veteres Benedictinos; Cistercienses primum *griseos*, tum *albos* seu *candidos*. Hinc S. Bernardus in Apologia ad Guillelmum Abbatem: *Unum Ordinem professione teneo, cæteros charitate.*

Hoc verò sæculo ac sequenti ita multiplicari Religiones, totque novæ continuò exurgere cœperunt, ut ex earum multitudine & varietate confusio in Ecclesia timeretur, quin & subinde ne sub specie virtutis ac Religionis superstitio, imò & hæresis ac impietas nonnunquã se intermiscerent; quemadmodum in illis qui se *Humiliatos*, aut *Pauperes De Lugduno* vocabant, compertum fuit; quos Lucius III. in *Cap. 9. De Hæreticis in Integra*, tamquam hæreticos damnavit.

VII. Itaque his providere volens Ecclesia, sub initium sæculi XIII. in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. statuit: „Ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei *confusionem* inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat: „sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam „de *approbatis* assumat.„ Refertur in *Cap. 9. fin.* ✠ *De Religiosis Domibus*.

Meminit hujus Decreti Matthæus Parisiensis ad annum 1246. scribens: „In quo Concilio (Lateranensi) post „Ordines *Prædicatorum & Minorum* initiatos & authorisatos, irrefragabiliter sancitum & statutum fuit, assensum „Fratribus Cardinalibus, cum tota sacri Concilii Universitate præbentibus, ne ex tunc amplius *novi* Ordines adinvenirentur, vel adinventi admitterentur, ne scilicet authentici ac jam recepti Ordines vilescerent, spreti & similiter „damnificati.

VIII. Verùm non obstante hoc Conciliari Decreto, variæ nihilominus ac novæ quotidie Religiones exoriebantur, „admirantibus, imò obstupentibus (ait Matthæus Parisiensis loco citato) viris sapientibus & discretis, super tot *novis* Ordinibus quotidie exorientibus & emergentibus, „quod spretis Beatissimi *Benedicti* pleni spiritu omnium „Sanctorum, & magnifici Augustini disciplinis, contra Statutum Concilii sub gloriosæ memoriæ Domino Papa Innocentio III. celebrati, tot viri litterati ad inauditos ac noviter inventos Ordines subitò convolarunt.

IX. Cum igitur contra Decretum Concilii Lateranensis „non solum importuna petentium inhiatio Religionum „multiplicationem extorsisset (uti loquitur Concilium Lugdunense sub Gregorio X.) verum etiam præsumptuosa „temeritas diversorum Ordinum præcipuè Mendicantium „(quorum nondum approbationis meruere principium) „effrænatam quasi multitudinem adinvenisset: repetita Constitutione idem Concilium districtiùs inhibuit, ne aliquis „de cætero novum Ordinem aut Religionem adinveniat, „vel habitum novæ Religionis assumat. Cunctas affatim „Religiones & Ordines mendicantes post dictum Concilium adinventos, qui nullam confirmationem Sedis Apost. „meruerunt, perpetuæ prohibitioni, ait, subjicimus, & quatenus processerant, revocamus.„ Refertur in *Cap. Unico De Religiosis domibus in* VI.

X. Ingentem numerum Religionum Mendicantium per hoc Decretum reduxisse Concilium, notat Fagnanus, „cum tamen, ait, ab eo tempore usque adeo excreverint, ut „à multis viris piis Apostolicæ Sedis provisio hac in re desideretur.„ Ad *Cap.* CUM SIT ARS ✠ *De ætate & qualit. Ordinand. num.* 15.

XI. Monet Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *De Monachis cap.* 4. ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. Ordinis seu Religionis novæ institutionem non indiguisse approbatione seu confirmatione Sedis Apostolicæ; primosque fuisse SS. Dominicum & Franciscum, qui sui Ordinis confirmationem petierunt; unà monens, Innocentium III. ad edendum jam dictum Decretum, permotum fuisse, ob periculum Ecclesiæ imminens superstitionum ac rituum à Catholica & solida pietate alienorum, si cuilibet privato novam Religionem instituere liceret.

XII. Si ergo Bellarmino credimus, Sedis Apostolicæ approbatio requiritur vice testimonii, quo constet, ex judicio Sedis Apostolicæ, novum hoc Institutum nihil à doctrina Evangelii aut Ecclesiæ dissentaneum continere.

XIII. Quidquid sit, id certum est, nullam hodie Religionem de novo institui aut admitti posse sine Sedis Apostolicæ prævia approbatione seu confirmatione; atque admissionem & institutionem novæ Religionis numerari inter causas Sedi Apostolicæ reservatas.

XIV. Declaravit insuper Bonifacius VIII. *in Cap. Unico De Voto in* VI. votum Religionis demum esse *solemne* atque ad dirimendum Matrimonium contractum efficax, *per professionem tacitam vel expressam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.*

„Ergo, ait Glossa, si profitetur Religionem non approbatam, si postea contrahat, tenet Matrimonium: quod verum „puto (pergit Glossa) etiamsi, quando profitebatur, credebat „illam approbatam.

Neque juxta modernam disciplinam, *Regulares* sive *Religiosi* dicuntur, tametsi in communi vivant & tria vota Religionis emittant, si ea non emittant in Religione *approbata*, uti observat Zypæus ad *Tit. De Regularibus.* Elenchum Ordinum approbatorum habemus apud Miræum ad calcem Codicis Regularum.

CAPUT III.

De nova constructione Monasteriorum.

1 *Nova Monasteria sine consensu Episcopi loci exstrui non possunt.*
2 *Hæc disciplina hodie magis quàm olim necessaria.*
3 *Eam innovavit Synodus Tridentina.*

4. Can-

4 *Causâ cognitâ & auditis interesse habentibus, consensum dare debent Episcopi.*
5 *Regulares aliorum Ordinum in eodem loco existentes audiendi.*
6 *Locorum Incolæ audiendi.*
7 *Hæc conformia moribus Belgicis.*
8 *Expendendum num Incolæ sufficientes sint novis & antiquis intertenendis.*
9 *Ecclesiarum Parochialium Æditui & Pastores audiri debent.*
10 *Multiplicatio Monasteriorum nocere potest Ecclesiis Parochialibus: & quo ex capite?*
11 *Jam pridem Principis consensus expetitus.*
12 *Hic etiam hodie necessarius est.*
13 *Moribus nostris in admissione novi Conventus adjici solent variæ modificationes.*
14 *Modificatio adjecta admissioni PP. Societatis in Galliam & Belgium, de non præjudicandis juribus Ordinariorum & Parochorum.*
15 *Hæc clausula solet in omni passim admissione addi.*
16 *Variæ modificationes adjectæ admissioni PP. Oratorii ad Urbem Rothomagensem.*
17 *Variæ conditiones adjectæ per Concordata inter Parochum & Regulares in admissione Conventus, quoad jura Parochialia, & celebrationem Divini Officii.*
18 *Interdum modus adjicitur facultati quæstuandi, & numerus admittendorum Fratrum limitatur.*
19 *Restringitur facultas recipiendi temporalia eorum qui Monasterium ingrediuntur.*
20 *In omni passim Regularium admissione hujusmodi modificationes & restrictiones adjectæ fuerunt.*
21 *In admissione novi Conventus meritò examinatur, num disciplina Regularis in Ordine illo vigeat.*
22 *Sacra Congregatio interdum suspendit receptionem Novitiorum ob collapsam disciplinam.*
23 *Rex Galliæ aliquando institit ut non admitterentur Novitii nisi pristina disciplina esset restituta.*

I. „Placuit (ait Synodus Chalcedonensis *Can.* „4.) nullum quidem usquam ædificare, „aut construere *Monasterium* vel Ora„torii domum, præter *conscientiam ci„vitatis Episcopi*.„

„Est antiquus (inquit Lupus ad dictum Canonem) at „qui apud Orientales in dissuetudinem abierat, Canon. Et„enim hac Synodo dudum prior Sanctus Augustinus nul„lum in Africa Monasterium constituit, nisi de licentia Epis„coporum... Causam scribit S. Ivo Carnot. Episcopus in „litteris ad Goffredum Abbatem Vindocinensem: *Omnis „traditio Religionis novitate ac varietate viget & floret; „antiquitate & numerositate, nisi districtè legetur & ser„vetur, frigescit ac vilescit.* Genus multiplicatio lætitiæ „magnificationem quandoque subnervat. Quocirca non„nisi sub Episcopali oculo & examine congruit monasteria „multiplicari.

II. Hæc disciplina hisce nostris temporibus magis necessaria est eo titulo, quòd Monachi sive Religiosi præsertim Ordinum Mendicantium hodie ampliùs, quàm olim hierarchicis functionibus applicentur; imò tamquam Episcoporum & Pastorum copiæ auxiliares reputentur. „Ordinario„rum quippe est (uti bene advertit Zypæus *Tit. De Regul. „n.35.*) in ea statione quemque collocare, quam non admit„tendorum commoditas, qui non sibi, sed ovibus pascendis „opportuna quæsituri veniunt, sed salus populi ab eo requirit.

III. Quapropter canonicam hanc disciplinam injuriâ temporum collapsam renovare haud dubitavit Synodus Tridentina *Sess.25 De Regular. cap.3.* statuens. „Ne de cætero ulla „Monasteria seu mulierum erigantur sine *Episcopi*, in cu„jus Diœcesi erigenda sunt, licentiâ priùs obtenta.

IV. Hujus saluberrimi Decreti executionem plures Romani Pontifices editis Constitutionibus urserunt; atque inter cæteros Clemens VIII. in Constitutione quæ incipit, *Quoniam ad institutum* 99. in Bull. Rom. A. quæ insuper addit, „Locorum *Ordinarios* non posse licentiam ad no„vos Conventus cujusque Ordinis Mendicantium, in civi„tatibus, & locis ordinariæ eorum jurisdictioni subjectis e„rigendos impertiri, nisi *vocatis* & *auditis* aliorum in iis„dem civitatibus & locis *existentium Conventuum Prio„ribus* seu Procuratoribus, & aliis *interesse* habentibus, & „causâ servatis servandis cognitâ constiterit, in iisdem civi„tatibus & locis *novos* hujusmodi erigendos Conventus, si„ne aliorum detrimento *commodè* sustentari posse.

„V. Ut ita, ait Zypæus, novis admissionibus gratificatio „fieret, ut veteribus penuriam, egestatem & famem non in„gereret.

Hanc Clementis Constitutionem Paulus V. anno 1618. observari injunxit Episcopis Belgii, litteris ad eos datis, ait Zypæus *Tit. De Regular. n.35.* eamque innovans Gregorius XV. per Bullam quæ incipit *Cum alias* 31. in Bull. R. addit, „Ne de cætero ullum Monasterium aut domus cujuscum„que Ordinis aut Instituti de novo erigatur, nisi in eo *duo„decim* saltem Fratres, aut Monachi seu Religiosi inhabita„re, ac ex redditibus, & consuetis eleëmosynis sustentari va„leant, ac Priores seu Procuratores aliorum Monasterio„rum, non solùm in prædictis, sed etiam in aliis per quatuor „millia passuum circumvicinis locis, ad id vocati & auditi „fuerint, ac tali erectioni consenserint, vel aliàs Ordinariis „locorum constiterit, Religiosos Monasterii vel Conventus „sic erigendi, absque detrimento Religiosorum in Mona„steriis seu Conventibus anteà in civitatibus seu locis hujus„modi erectis degentium, ibi in numero duodecim commo„dè & congruè manuteneri & ali posse.

VI. „Si verò novi Conventus, Domus, Congregatio vel „Societas hujusmodi instituendæ erunt, nullique alii Regu„lares inibi reperiantur, Ordinarii locorum (pergit Grego„rius XV.) nihilominus diligenter inquirant, an locorum „*Incolæ* & habitatores, quorum & *consensum* requirant, ac „adhibeant, hujusmodi duodecim Religiosos in Conventi„bus, ut præmittitur, instituendos, *commodè* alere & manu„tenere valeant.

VII. Hæc omnia & Belgicis, vicinarumque Provinciarum moribus consona sunt. Neque enim novi Conventus aut Domus Religiosorum, præcipuè Mendicantium solent admitti, nisi priùs auditis Conventuum, Domorum, & Congregationum Regularium, signanter Mendicantium præexistentium Superioribus aut Procuratoribus: atque insuper Incolis loci, in quo de novo conventus aut Domus constituenda est.

VIII. „Expendere debemus (ait Carolus Fevret. *Tract. „De Abusu lib.2 cap.1. §. 10.*) num Conventus, quorum „nova constructio prætenditur, sint dotati, & utrum civita„tes sint amplæ & abundantes, ut queant & novis & anti„quis Conventibus sufficere. Nam in parvis civitatibus reci„pere multitudinem Conventuum Fratrum Mendican„tium, est extrahere panem è manibus pauperum, & suffo„care avitam pietatem per novam; oportet sanguinis extra„ctionem attemperare viribus ægri, efficereque ne pietas „in quandam degeneret inhumanitatem, mendico suum au„ferendo panem, ut alteri detur.

IX. Præter locorum Magistratum & Incolas, qui *in Corpore*, ut ajunt, congregati, novi Conventus seu Domus exstructioni consentire debent, insuper audiendi omnes interesse *habentes*; uti loquitur Clemens VIII. in præcitatâ Constitutione.

His imprimis accersendi sunt Parochialium Ecclesiarum Rectores, & Magistri.

Ecclesiæ Parochiales sunt pristinæ, & primitus constructæ Ecclesiæ; ac per consequens, ait Carolus Fevret. loco citato §. 11. præcipuè earum interest; quia populus inescatus novitate, facilè abstrahitur ab ea assidua frequentatione, quam Ecclesiæ Parochiali tamquam matri, quæ eos per Baptismum genuit, debent. Tantum autem Parochiali Ecclesiæ decrescit, quantum diminuto concursu

cursu accedit aliis. Quapropter, cessante necessitatis causâ, non debent novæ Ecclesiæ & Monasteria in præjudicium Ecclesiarum Parochialium ædificari; uti post Glossam *in Cap. 1. §i De Novi operis nunt.* Tradit Panormitanus ad *Cap. 1. §i De Ædificand. Eccles.*

X. Quantum Parochialibus Ecclesiis, quæ olim maximè floruerunt; & in quibus extruendis ac dotandis Fidelium avita pietas eluxit, Fratrum Mendicantium similiumque Religiosorum multiplicatio detraxerit, Parochiæ ubique penè dejectæ ac collapsæ sat superque testantur.

Porrò hanc Parochialium Ecclesiarum collapsionem atque egestatem provenire à neglectu frequentationis; atque ex eo quod populus ad alias Ecclesias & Oratoria divertat, jam pridem advertit S. Carolus: qui ut populum ad frequentationem Ecclesiarum Parochialium incitaret, incommoda ex neglectu frequentationis profluentia recensens inter alia dicit: „Hinc Ecclesiis Parochialibus, „quæ à Majoribus tanto pietatis studio exædificatæ sunt, „instaurandis, ornandis, satis tectisque habendis cu„ra multis ex partibus neglecta, in illisque nulla penè „aut exigua Ecclesiastica ad divina officia obeunda sup„pellex.

XI. Principis quoque consensum jam pridem expetitum fuisse, probat Epistola Pepini Regis Francorum ad S. Bonifacium Archiepiscopum Moguntinum, in qua loquens de quodam Monasterio, quod Bonifacius de novo construi jusserat in *solitudine Buconia* juxta flumen Fuldæ, hæc habet: „Sicut ex auctoritate sancti Petri Principis Apostolo„rum pro quo legatione fungeris, privilegio Sedis Aposto„licæ sublimatum constat esse Monasterium, à te noviter „constructum, ita etiam *nostra auctoritatis præcepto* quod „actum est, *roborari* convenit.

XII. Si modernam Belgii & Vicinarum Provinciarum disciplinam spectemus, nullus novus Ordo admitti, aut novum Monasterium construi sine Principis licentia potest.

Ludovicus XIII. Rex Galliæ, edicto die 21. Novembris 1619. & 13. Decembris sequenti per Parlamentum Parisiense probato, vetuit, ne quodcumque Monasterium, domus aut conventus Regularium sive virorum sive mulierum in quocumque loco aut civitate sui Regni, etiam Ordinis jam ante recepti & admissi, construatur, sine *expressa licentia Regis* per litteras ab uno è Secretariis Status signatas, & majori Regis sigillo munitas; ut Rex judicare queat de prædicta constructione, & juxta circumstantias decernere, quibus in locis & civitatibus talis nova constructio admittenda sit pro fidei & Religionis Catholicæ augmento.

Et Carolus V. in ordinatione die 19 *Octob.* 1520. vetuit, in Brabantia novas Ecclesias aut Capellas ædificari, sub pœna ædificatori infligenda & demolitionis.

XIII. Illud quoque notoriâ praxi & moribus nostris receptum est, quod Senatus Regii in expeditione litterarum, quibus novas Religiones, aut Conventus admittunt, solent adjicere varias conditiones & modificationes, prout, auditis quorum interest, & expensis privilegiis ac legibus Patriæ, Ecclesiæ & Reipublicæ expedire judicaverint.

XIV. Parlamentum Parisiense admittens Bullas & Institutiones Patrum Societatis, quæ prius communicatæ fuerant Episcopo Parisiensi, Decano & Facultati Theologicæ, aliisque quorum interesset, decrevit, ut dictæ Bullæ in libris Parlamenti registrarentur, & Patres Societatis illis uti possent, iis exceptis, in quibus Bullæ illæ contrariari aut præjudicare possent legibus Regni, libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, Concordatis inter Pontificem & Regem, juribus Episcopalibus & Parochialibus, in quorum præjudicium nullis Bullis, Indultis, aut privilegiis uti possent. Hæc latius cum modificationibus ac conditionibus admissioni adjectis videri possunt relata in Actis Cleri Gallicani *Tomo 1. tit. 2. cap. 14.*

Similiter Philippus II. admittens dictos Patres Societatis in hisce Belgicis Provinciis, litteris admissionis hanc clausulam adjecit, quod Socii illius Societatis se non poterunt ingerere exercitio ullius rei spectantis ad Officium Pastorale sine scitu, consensu & beneplacito tam Curatorum, quàm Episcoporum & aliorum Ordinariorum, quibus auctoritas competit.

XV. Quin & monet Carolus Fevretius *Lib. 2. De Abusu cap. 1. num. 12.* Prædictam clausulam admissioni Patrum Societatis adjectam, adjici generaliter omnium Regularium utriusque sexus admissioni.

XVI. Tomo 2. Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *Cap. 32. num. 8.* refertur admissio Patrum Oratorii ad civitatem Rothomagensem anno 1616. cui per Senatum Regium præter dictam clausulam generalem, adjectum fuit, quod dicti Patres, nullam publicam functionem facient in suo Conventu aut Ecclesia diebus Dominicis & Festis solemnibus, illis horis quibus divinum officium in Ecclesiis Parochialibus celebratur; ne Parochiani à solita officiorum illorum Parochialium frequentatione abstrahantur. Deinde quod non administrabunt Sacramenta etiam Pœnitentiæ ulli illorum Parochianorum, nisi de consensu Ordinarii, vel licentia Parochorum: neque ulla Parochorum jura occupabunt: Quodque nullus hujus Congregationis poterit disponere de suis bonis mobilibus aut immobilibus in favorem Congregationis, sive per testamentum sive inter vivos de ampliore portione, quam uni ipsorum hæredi cedere posset, idque sub pœna nullitatis.

XVII. Anno 1664. cùm ageretur de admissione Patrum Recollectarum S. Francisci ad oppidum & territorium De Eecloo Diœcesis Brugensis initum fuit concordatum inter Pastorem, Clerum, & juratos Ecclesiæ Parochialis Rectores ex una, & Patrem Provincialem nomine sui Ordinis ex altera partibus: desuper etiam prævie auditis & interpellatis Dominis Ballivo, Burgimagistris & Scabinis præfati oppidi; conclusumque concordatum in palatio Episcopi Brugensis 19. Januarii 1664.

In hoc concordato inter cætera articulis 7. 8. 9. habetur: „Similiter non licebit prædictis Patribus Recollectis cele„brare Missam vel quodcumque aliud Officium, nec con„cionari, aut Sodalitatem habere eo tempore quo in Ec„clesia Parochiali fiet vel matutina vel Summa Missa, Con„cio, Professio, Officium Vesperarum vel Laudis, uti nec „Missam cantare Dominicis & Festis, nisi finitâ Concione „seu Catechismo, qui pro tempore fiet in dicta Ecclesia „Parochiali, neque ante horam undecimam auditam, ad „quam tamen ad quadrantem antea poterunt pulsare. Con„cionari etiã non poterunt in sua Ecclesia tempore matuti„no Dominicis & Festis, nisi fortè in Festis S. Francisci, Por„tiunculæ & Patroni. Quandocumque ab hora octava us„que ad undecimam contigerit per peregrinos aut adven„tantes Patres celebrari aliquam Missam in Ecclesia PP. „Recollectarum, non poterit ad eandem Missam prævie „pulsari. Non poterunt etiam in Ecclesia PP. Recollecto„rum (omissâ Parochiali) celebrari solemniter Missæ Con„fraternitatum, Opificum & aliæ ordinariè in Parochiali „celebrari consuetæ.

Item art 13. „Nullo modo populum directè vel in„directè divertere poterunt à supradicta Ecclesia Paro„chiali, sed hortabuntur ut illam diligenter frequentet, „Missæ solemni, aliisque Officiis & Concionibus ac Cate„chismo ibidem intersit, proprio Pastori debitum hono„rem, reverentiam ac obedientiam impendat, illique ad mi„nus semel in anno, idque circa Festum Paschæ confitea„tur, si qui tamen Patribus Recollectis etiam tunc confi„teri voluerint, audiri ab illis poterunt & absolvi dato ali„quo signo per quod Pastori de illorum Confessione con„stare possit.

Denique art. 17. & 18. „Præterea quia ratione Commu„nionis Paschalis sæpe oritur contentio inter Pastores & „Clerum Regularem: Rustici etiam alii imperiti deci-

pium-

„piuntur, dum putant se præcepto Ecclesiæ apud Regula-„res satisfacere posse, non licebit Patribus Recollectis intra „quindenam Paschalem Venerabile publicè in sua Ecclesia „exponere, nec etiam privatim Sacram Synaxim admini-„strare, nisi illis, quos constabit prævię in Parochia satisfe-„cisse. Sicut nec ægrotis privatim & in occulto, neque pu-„blicè, nisi de consensu Pastoris, & eo impedito Sacram Sy-„naxim deferre poterunt.

Eodem Concordato plura continentur, quibus jura parochialia tam circa sepulturas Parochianorum, & officia & jura funeralia, quàm processiones conservantur, de quibus suo loco dicetur.

Cumque super observantia hujus concordati quæstio orta esset inter Pastorem dictæ civitatis & Patres Minores Recollectas, per sententiam Vicariatus Brugensis vacante Sede Episcopali 6. Octob. 1683. mandatum & injunctum fuit dictis Patribus, ut præcisè & punctualiter præfatum ipsorum concordatum, & contractum admissionis observent: nec non virtute illius inhibitum ipsis, ne Missam celebrent diebus Dominicis & Festis ab octava usque ad undecimam, etiamsi in Ecclesia Parochiali *nullum* officium fiat; nisi casu peregrini aut adventantes eo venirent, cum ii absque prævio pulsu tum excipiantur.

XVIII. Frequens quoque modificatio adjicitur, præsertim admissioni Ordinum Mendicantium, circa numerum Fratrum recipiendorum, vel etiam modum & limites quæstuandi; item quantitatem bonorum acquirendorum.

Sic Parlamentum Rothomagense admittens Fratres Minores vulgo *Recollectas* Gisortii, quæstuandi facultatem restrinxit ad ipsam civitatem ejusque suburbium Fevret. *Tract. De abusu l. 2. c. 1.*

In admissione PP. Minorum S. Francisci ad civitatem & territorium Turnhautanum Diœcesis Antverpiensis, cautum fuit, ut numerus eorum tantùm 8. aut 9. esset; quodque tantum esset eorum Conventus quasi quoddam refugium cui dumtaxat præesset *Vicarius* à Guardiano Herentalensi omnino dependens; ipsique Fratres nullatenus essent oneri ipsi Communitati, neque Ecclesiæ Parochiali in aliquo præjudicarent; quin & sua divina Officia peragere deberent in Ecclesia Parochiali; neque ipsi Capellam, multo minus Ecclesiam habere possent; sed ad summum altare *portatile* usque ad revocationem. Uti latiùs exprimunt Acta admissionis die 23. Januarii 1652.

Senatus Burgundiæ anno 1610. in conformitatem litterarum Regis, consensus Episcopi Cathaulonensis, & Magistratus ac Incolarum Civitatis, admisit Fratres Montis Carmeli ad civitatem Cathaulonensem sub expressâ conditione, quod *quæstuare non possent*: uti refert Fevretius loco citato.

XIX. Parlamentum Divionense admittens litteras Regias obtentas per Ursulinas Cabilonenses in Martio an. 1620. & ut in conformitatem earum construeretur Conventus Ursulinarum in dicta civitate ad instructionem & eruditionem puellarum, has conditiones adjecit; quod Conventus construi non posset in veteri civitatis parte, neque ipsæ Ursulinæ mendicare possent; quod prius quam domicilium figerent, ostenderent ipsi Magistratui Civitatis, quod haberent in capitalibus quinque millia librarum Gallicarum. Non possent recipere in suum conventum puellas habentes patrem & matrem sine horum consensu; neque puellas parentibus orbatas sine consensu Tutorum vel Curatorum: Quodque nulla harum puellarum habentium liberam rerum suarum dispositionem, si habeat 12. millia librarum, possit dare Conventui plus quam tria millia, & si minus quam 12. millia librarum Gallicarum in bonis habeat, nequeat dare ultra quartam partem; idque dumtaxat quousque dictus Conventus fuerit constructus, & dotatus usque ad 4. millia florenorum; quo casu nihil poterunt à puellis accipere præter pensionem aliquam vitalitiam morte earum extinguendam.

Ita refert Carolus Fevretius loco citato; qui testatur in particularibus casibus conformiter ad jam dictum Arrestum non semel judicatum fuisse.

XX. Si quis Regularium utriusque sexus admissiones scrutari velit, reperiet, tum in litteris Regiis, tum etiam in concordatis cum Capitulis, Magistratibus, & Parochialium Ecclesiarum Curatis & Magistris initis, similes passim conditiones & modificationes fuisse additas; at illud experientia docet, lapsu temporis, conditiones & modificationes negligi; atque ex illo neglectu incommoda, quibus per illas restrictiones occurri posse credebatur, plura indies oriri, in grave sæpe populi atque Ecclesiarum, præsertim Parochialium gravamen & nocumentum; adeo ut non raro satiùs esset, novorum Conventuum exstructionem non admittere, quàm hujusmodi modificationibus, & conditionibus, concordatisque, futuris incommodis velle occurrere.

XXI. Adhæc in admissione novorum Conventuum meritò attenditur, num in ordine illo Regularis disciplina sit integra; an verò non ita collapsa, ut nisi priùs in suum primævum statum restituatur, potius expediret numerum Conventuum atque Religiosorum diminui, quàm multiplicari.

XXII. Ita Sacra Congregatio sub Urbano VIII. die 14. Junii 1628. & die sequenti Fratrum Minorum de observantia S. Francisci familiæ Cismontanæ consultationibus præposita, volens, quantum potest in Domino ipsorum postulatis satisfacere circa Novitios ad habitum & professionem admittendos; Sanctitate suâ approbante, censuit, tunc demum esse illis permittendum, ut Novitios recipiant, cum constiterit ex ipsorum Conventibus eos sustulisse *abusus omnes*, qui Regulæ S. Francisci observantiæ adversantur. Fagnanus ad *Cap.* NIMIS PRAVA *De Excess. Prælat. nu.* 55. subjiciens ibidem abusus, quos S. Congregatio emendatos volebat.

Meminit rursus ejusdem resolutionis idem Fagnanus ad *Cap.* CUM VIRUM *ii De Regularib. num.* 50. Additque, ab eadem Congregatione decretum fuisse, „ut Fratribus „ad certum numerum decedentibus, illorum Conventus „traderentur Fratribus *Reformatis* seu *strictioris* obser-„vantiæ ejusdem Ordinis, à quibus tantum reciperentur „Novitii. „Et in hujusmodi prohibitione multos annos perduratum est. „Et utinam, ait Fagnanus, paulò diutius perse-„veratum fuisset: nam ubi numerus fratrum reformationis „multùm excrevisset, pauci in familia superstites deposita „jam spe vestiendi Novitios, & majores dignitates, asse-„quendi, facilè ad reformationem transiissent. Atque ita „nulla esset in Religione divisio, vel scissura, sed tota ad „primum institutum, & regulæ puritatem redacta fuisset. „Verùm fratribus reformationem pollicentibus, tandem „oportuit illis ad vestiendos Novitios aditum aperire. Do-„cuerunt enim ordinariorum attestationibus, se adimple-„visse conditiones sibi præscriptas, & legatis annuis in Cu-„riis Episcopalibus solemniter renuntiasse. Et sic tributa fuit „illis licentia vestiendi usque ad certum numerum in singu-„lis provinciis præfinitum. Nobis tamen quantum per mo-„destiam licuit *semper reluctantibus*.

„Memini etiam, pergit ibidem Fagnanus, Regem Chri-„stianissimum superioribus annis supplicasse S. D. N. ut „in regno Galliæ de cætero non vestirentur Novitii nisi in „Religionibus in quibus *verè* servatur regularis discipli-„na juxta primævum institutum: quod tamen etsi Sanctissi-„mum foret, nihilominus magnopere hæsitatum est, ne pro-„hibitio tam generalis magnos motus excitaret, ita ut „diu postea sustineri non posset, cum tamen satius sit legem „non condere, quam conditam protinus abrogare. Multo „securius & fructuosius hæc præstari possent in generali „Concilio, quemadmodum factum legimus in Concilio „Lugdunensi sub Gregorio X. ut patet ex *Cap.* UNICO *De* „*Relig. Domibus lib.* 6.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XXV.

De Admissione ad Religionem & Novitiatu.

CAPUT I.

Qualiter probandus admittendus ad Religionem?

1 *Multum nocet disciplina Regulari praeceps & inconsiderata admissio ad Religionem.* (*civa.*
2 *Nec tantum Religioni, sed & ipsis intrantibus est no-*
3 *Quam probationem requirat Regula Benedictina?*
4 *Similem requirit Clemens VIII.*
5 *Quanto tempore & circa quæ postulans examinari debeat priusquam ei ingressus annuatur.*
6 *Postulans aliquo tempore in Cella Hospitũ probandus.*
7 *Hi probandi modi an semper adhibendi?*
8 *Semper diligenter probandus.*

I. Qui collabentis collapsæque Monasticæ disciplinæ causas propius attenderit, haud difficulter intelliget, unam è præcipuis esse, præcipitem ac improvidam ad Religionem admissionem.

Hinc quippe contingit, ut inepti, atque Religionis Monasticæ spiritu vacui, imo mundi adhuc spiritu turgidi in Monasteria irrepant, qui tum reliquos inficiant; tandemque omnem Monasticam disciplinam enervent; quin & evertant.

II. Neque ipsi Ordini dumtaxat nocet hæc indiscreta & præceps ad Religionem receptio, sed ipsis quoque ita admissis periculosa est, & plurimum nociva esse solet.

Dum enim sine serio examine discussioneque admittuntur, fit ut sibi ipsis haud sat cogniti, neque de vita Religiosa satis instructi, eam vivendi institutionem amplectantur, ad quam postea experiuntur, se revera à Deo vocatos non fuisse; neque eas animi corporisque dotes & qualitates habere, quæ huic vitæ instituto ritè obeundo sunt necessariæ, dum interim votorum suorum vinculis ad eam vivendi rationem constricti, in eo vitæ instituto, non rarò maximo cum sensu ac salutis periculo continuare tenentur. Quæ inde anxietates, gemitus, & pejora ex illis resultantia incommoda sequantur, quotidiana experientia nimium probat.

Mirum ergo videri nequaquam debet, si prima Patrum cura semper fuerit, ut super vocatione, moribus, animi corporisque dotibus ad Religionem admitti postulantium serium examen institueretur.

III. „Noviter veniens quis ad Religionem (ait S. Benedictus *cap.* 58. *sua Regula*) *non ei facilè* tribuatur ingressus, sed sicut ait Apostolus: *Probate spiritum si ex Deo est.* Id est, utrum spiritus, quoad vitam religiosam amplectendam ducitur, verè ex Deo sit: utrùm ad Religionem impellitur, ut Deo liberius serviat; suamque salutem securius operetur; an non potius alicujus temporalis commodi adipiscendi, aut incommodi evitandi motivo impellatur; nihilque humani respectûs sese immisceat.

IV. Sancti Benedicti tot Monachorum Patris vestigia premens Clemens VIII. in Decretis pro Novitiorum receptione §. 23. mandat, ut „Superiores *diligenter inquirant*, quo spiritu, qua mente ac voluntate id Regularis vitæ genus elegerint, quem sibi finem proposuerint, num zelo melioris frugis, ac perfectioris vitæ, & ut Deo liberiùs famulari possint, an potiùs levitate, vel humano aliquo affectu, aut inordinato animi motu ducantur.„In Bullario R. *parte* 3. *pag.* 128. dixerat jam ante §. 19. ipse Clemens, compertum esse; „nihil ad gravem illam ac laudatissimam priscorum Patrum vivendi rationem *relaxandam, majorem vim* habuisse, quam vel nimiam in recipiendis Novitiis *facilitatem* supra numerum quem „capere atque alere monasteria ipsa possent; vel *negligentiam in probando & examinando* eorum spiritu, an „verè esset ex Deo, atque ex præcipuo desiderio illi inserviendi; vel denique incuriam in eis educandis atque instituendis.

De modo & tempore, quo hoc examen institui debeat, non una fuit omnium Patrum & temporum disciplina.

V. Sanctus Benedictus post citata verba modum & tempus probationis subjungens ait: „Ergo si veniens perseveraverit pulsans, & illatas sibi *injurias & difficultates* „ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, & persistere petitioni suæ, annuatur ei ingressus.

Primum ergo examen institui vult S. Benedictus super vocatione postulantis ingressum per illius humilitatem; ut ex illa appareat, num aliquousque in spiritu humilitatis profecerit; ac se ut reum seu pœnitentem & vilem tractari & despici sustinere possit: quæ dispositio ad statum Monasticum, qui status est humiliationis & pœnitentiæ, cum primis necessaria est. Unde & in omnium Patrum regulis, super hoc spiritu humilitatis primum examen institui mandatur.

VI. Post hoc examen annuitur quidem ei ex præscripto Regulæ Benedictinæ *ingressus*; at nequaquam ad Cellam *Novitiorum*; sed, ait Regula, *sit in cella hospitum paucis diebus.*

Hic erat quasi secundum postulantium examen. Quid verò facere deberet *noviter* veniens in cella hospitum, S. Benedictus non declarat; sed id ex aliorum Regulis facilè eruitur.

Auctor Regulæ Tarnatensis habet: „Uni de Senioribus deputatus tam diu jubeatur advenientibus deservire, quousque devotio ejus fuerit patientia teste monstrata.„Et S. Fructuosus *cap.* 21. „Hospitibus, sive peregrinis stramina comportabit, aquam pedibus lavandis calefaciens.

Hæc ergo in cellâ hospitum mora instituta videtur, ut interim in mores & actiones ipsius noviter venientis adverteretur; atque hinc major de ejus spiritu ac vocatione certitudo haberi posset. Unde S. Isidorus *cap.* 4. *Regula* ait: „*Vitam* enim uniuscujusque in *hospitalitatis* servitio tribus mensibus *considerari* oportet: quibus peractis ad cœtum sanctæ Congregationis accedere. Neque enim suscipi „intus quemquam convenit, nisi prius foris positus ejus *humilitas* sive patientia probetur.

Verbo, hujus ac præcedentis examinis probationis scopus est, ut noviter venientium spiritus, ac vita aliquousque sit perspecta, priusquam ad Congregationem, ac intra Monasterium cum novitiis admittantur.

VII. Proinde non sine fundamento jam pridem sustinuit Petrus Venerabilis Abbas Cluniacensis, S. Benedictum hoc suæ Regulæ præscripto, solam præcipitem ac temerariam postulantium admissionem improbare; neque vetare alicujus ad Religionem, sine hujus ritûs observantia, admissionem; si modo sat de ejus vocatione constet, & admissionem saluti ejus conducere sat appareat. *Lib.* 1. *epist.* 28.

VIII. Quare S. Basilius multa circa examen recipiendorum differens, omnia ad unum hoc reducit; quod oporteat inquirere de præterita vita & conversatione: *ne fortè simulatâ quis mente, & fallaci animo* ad Religionem *accedat.* In regulis fus. disp. *Interrog.* 10.

His consonant Patrum Eremitarum S. Augustini Constitutiones *parte* 1. *cap.* 2. „Si quis in Ordine nostro „reci-

„ recipi petierit, non statim annuatur ei quicumque sit ille, „ sed *probetur* Spiritus ejus si ex Deo est; quia desideria „ *dilatione* crescunt: & in *privatis* colloquiis voluntas, „ mens, & intentio ipsius à Priore Conventûs, vel à Ma„ gistro Novitiorum seu ab alio *perfectè exploretur*, quod „ si perseveraverit in proposito, Prior eum faciat *diligenter* „ examinari à duobus examinatoribus ad hoc munus de„ putatis.

CAPUT II.

De Novitiatu.

1 *Postulans ad Religionem satis probatus admittitur ad Cellam Novitiorum.*
2 *Hujus Cellæ frequens mentio in Regulis Patrum.*
3 *Erat separata à Reliquorum Religiosorum habitaculo; & quare?*
4 *Separationem Novitiorum à reliquis Fratribus Professis multùm urget Clemens VIII.*
5 *Novitiis præficiendus aliquis Senior, qui hodie dicitur* Magister Novitiorum.
6 *Qualis eligendus in Magistrum Novitiorum? Et circa quæ præcipuè debeat esse solicitus?*
7 *Quid circa Magistrum Novitiorum statuerit Clemens VIII.*
8 *Novitio diligenter exponenda Regula & oblationes Monasticæ.*
9 *Idipsum enixè commendant Synodi Belgicæ.*
10 *Ex Decreto Clementis VIII. etiam Fratres* Conversi *de omnibus ritè instruendi.*
11 *Novitiis persuadendum, esse vivendum secundum Regulam, non autem juxta normam vivendi multorum.*
12 *Quid etiam in finem statuerit Innocentius XII.*
13 *Tempus Novitiatus non ubique fuit uniforme.*
14 *Jure Decretalium poterant Abbates tempus Novitiatui præfixum ex causa abbreviare.*
15 *Ob excessus in hac abbreviatione commissos multis Decretis opus fuit, quibus Fratres Mendicantes illudebant.*
16 *Contra præcipitem Novitiorum Mendicantium admissionem plures editæ Decretales; & efficacissimè illi occurrit Synodus Tridentina.*
17 *Synodus Tridentina sequuta Regulam Benedictinam tempus Novitiatus esse voluit* annale.
18 *Professionem ante tempus Novitiatûs expletum declaravit absolutè* nullam; *substulitque Decisionem* Cap. 1. & 3. De Regularibus in VI.
19 *Nec renuntiatio Novitii, nec consensus Monasterii Professionem anticipatam reddere possunt validam.*
20 *Annus Novitiatûs debet esse* integer.
21 *Requiritur annus* continuus.
22 *Quæ interruptio anni Novitiatûs reddat Professionem nullam, incertum apparet.*
23 *An qui extra Monasterium aliquâ parte anni mansit de licentia Superioris, possit validè profiteri sine novo Novitiatu?*
24 *Si ex speciali Statuto Ordinis prolixiùs quàm annale tempus pro Novitiatu requiratur, huic Synodus Tridentina non derogavit: facta tamen ante tempus ex Statuto præscriptum Professio est invalida.*
25 *Qui anno novitiatus expleto Monasterium deserit, reversus validè sine novo Novitiatu profiteri potest.*

I. POstquam postulans ritè examinatus ac discussus sufficientia signa vocationis dedit, ad Novitiatum; juxta S. Benedicti aliorumque Patrum Regulam recipiendus est. „Postea autem sit, inquit Benedictus, in cella *Novi*„ *tiorum*, ubi meditetur, & manducet, & dormiat.

II. Hujus cellæ Novitiorum meminêre & aliæ Pa[...] Regulæ. Ferreoli Regula *Cap. 5.* de tempore probation[...] novitiatûs tractans ait, „*Victuum* tamen Monaste[...]io [...] „ *lam*, dum prænotatum tempus observat, accipiat. Vic[...] „ que quotidianum à Monasterio, si inter reliquos ope[...] „ exspectet, lectioni ante omnia & orationi dans opera[...]

Sanctus Fructuosus *Cap. 21. Regulæ* hæc habet: „N[...] „ interna Fratrum diversoria accedet, sed delegata in ext[...] „ re curte *cellâ* perfruetur.

III. Manifestum ergo est, jam pridem ex præscripto [...] gularum, Novitios ab aliis Fratribus fuisse separatos; „ (ait Hugo Menardus *ad cap. 65. §. 1. Concord. Regul.*) „ in Monasterio geruntur in eorum notitiam venirent „ discedentes ea sæcularibus revelarent. Id etiam e[...] „ tranquillitati maximè congruum erat, ut ab omni co[...] „ tio sejuncti, faciliùs contemplationi & vitiorum extirp[...] „ ni studerent.

IV. Hanc Novitiorum à cæteris Fratribus separatio[...] multùm urget & observari præcepit Clemens VIII. in [...] Decretis §. 26. „Quod verò ad loci qualitatem univ[...] „ que Novitiatûs spectat, ait, locus hujusmodi propria [...] „ sura ab ea parte Conventûs & Monasterii in qua d[...] „ professi, segregatus sit; atque distinctus; habeatque [...] „ dormiendum cellulas separatas, quot erunt numero N[...] „ tii, vel dormitorium ita capax, ut pro singulis singuli [...] „ li commodè sterni possint; in quo etiam cellula, vel c[...] „ ac determinatus locus pro Magistro, ejusque socio re[...] „ tur. In eo etiam præter alias communes commoditate[...] „ tus locus adsit ad spirituales collationes seu confere[...] „ faciendas, ac lectiones, instructionesque Magistri au[...] „ das, & in quem hiemis tempore ad calefaciendum s[...] „ communi recipiant. Oratorium insuper seu Capella [...] „ commodè fieri poterit, ad Novitios in spiritualibus, [...] „ sertim in cæremoniis, Ecclesiasticisque functionibus [...] „ cendos. Hortus quoque peculiaris ad honestam recre[...] „ nem, benè conclusus atque munitus adsit; sin minus, [...] „ cum cæteris Fratribus communem recreationis tem[...] „ ingrediantur. Ipsis verò Novitiis ibi commorantibu[...] „ cabit Magister cum loci Superioris authoritate, (si [...] „ fuerit) ne in eumdem quisquam alius ingrediatur. Ac[...] „ jusmodi locum Novitiatûs nemini, ejusdem vel al[...] „ Ordinis Regulari etiam Conventûs & Monasterii [...] „ ciali, ullo umquam tempore sub quovis prætextu a[...] „ pateat, præterquam Magistro, ejusque Socio, ac [...] „ Monasterii aut Conventûs Superiori, si quandocum[...] „ ingrediendum sibi necessariò existimaverit; quo t[...] „ casu aliquem semper ex senioribus Conventûs vel M[...] „ sterii Patribus socium assumat. Hujus loci clausuræ [...] „ apud Magistrum semper asservetur, illique soli lice[...] „ gravi tantùm causa ingressum illuc alicui permittere[...] „ quis autem Novitiorum quempiam alloqui voluerit[...] „ gistro præsente, & non aliter alloquatur.

V. Subjicit deinde S. Benedictus: „Et Senior ei tali[...] „ putetur, qui aptus sit ad lucrandas animas, qui super [...] „ curiosè omninò intendat, & solicitus sit, si reverà [...] „ quærit, si solicitus sit ad opus Dei, ad obedientiam, a[...] „ probria.

Senior, cujus hic meminit Benedictus, est ille, qui [...] appellatur *Magister Novitiorum*. An autem singulis [...] vitiis Seniores dandi sint, non expressit Benedictus. [...] „ puto, ait Menardus, hanc esse mentem S. Benedicti, qui [...] „ sequitur Ægyptiorum Monachorum normam, juxta q[...] „ *uni* Seniori *decem* juniores dantur instituendi, ut co[...] „ ex Cassiano *Lib. 4. De Instit. cap. 7.* „Quod & mod[...] disciplinæ Monasticæ est conforme, quæ uni plerum[...] Magistro plures Novitios committit.

VI. Requirit Benedictus, ut pro Novitiis institu[...] eligatur *Senior* aliquis, id est, in exercitiis Monasticis exercitatus, qui verbo & exemplo Novitium insti[...] sit idoneus; qui insuper *aptus sit ad lucrandas* [...] *mas*: hoc est, aptus ad imprimendum Novitio conte[...]

tam mundi, & rerum temporalium, eique inspirandum amorem rerum cœlestium; nec non magnam iustam eorum, quæ mundus despicere solet.

Post hæc, qui *curiosè omnino intendat*, & *solicitus, sit, si Novitius reverà Deum quærat*: id est, num in exercitiis Religionis, ac ipsa vitæ Monasticæ electione unicè Deum quærat: utrum nulla humana consideratio se immisceat, quæ ipsum ad hoc vitæ genus eligendum impellat. Denique solicitè attendat, num ita Novitius in omnibus se gerat, ut merito ac cum fundamento judicari possit, ipsum ad Religionem à Deo esse vocatum. Quæ sat ostendunt, quanti prudentiâ non carnis, sed Spiritus in Magistro Novitiorum opus sit.

Meritò ergo Patres Eremitæ S. Augustini decreverunt, „in Magistrum Novitiorum eligi Fratrem honestum, ac „*probatum*, & sui Ordinis *præcipuum Zelatorem* profectæque ætatis, quantum fieri poterit, à quo ad Dei laudem „& Ordinis decorem cum *omni sanctimonia & bona do-* „*ctrina* diligenter erudiantur & instruantur.

VII. Clemens VIII. in Constitutione sua de recipiendis Novitiis, hæc de Magistro Novitiorum & ejus Socio habet §. 17. „Ipse Magister Sacerdotali Ordine sit initiatus, ac in „quinto saltem supra trigesimum ætatis suæ anno constitu„tus, & per decennium à professione emissâ in Religione „persistens. Socius verò trigesimum annum excedat; sint„que ambo *doctrinâ*, & quantum per Superiorum diligen„tiam & vires fieri poterit, *vita* etiam ante actæ exemplo „*præstantes, orationis* prætereà & *mortificationis operibus* „*addicti, prudentia charitateque referti*, non sine affabi„litate graves, *zelum Dei* cum mansuetudine præ se feren„tes, ab omni cordis & animi perturbatione, ita præsertim „& indignatione, quæ in se & erga alios charitatem impedi„re consueverunt, quàm longissimè alieni, & tales demùm „qui *in omnibus seipsos bonorum operum exemplum* præ„beant, ut ii qui eorum curæ subsunt, illos non tam me„tuant quàm revereantur, nec illis umquam detrahere „quidquam possint.

VIII. Prosequitur Regula Benedictina citato *cap. 58.* „Prædicentur ei omnia *dura & aspera*, per quæ itur ad „Deum. Si promiserit de stabilitatis suæ perseverantia, post „duorum mensium circulum legatur ei hæc *Regula* per or„dinem, & dicatur ei: Ecce lex sub qua militare vis: si potes „observare, ingredere; si verò non potes, liber discede. Si „adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam Novi„tiorum & iterum *probatur in omni patientia.* Et post sex „mensium circulum legatur *ei Regula*: ut sciat ad quod in„greditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum *re*„*legatur* ei eadem Regula. Et si habitâ secum deliberatione „promiserit omnia custodire, & cuncta sibi imperata ser„vare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se jam sub „lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat e„gredi de Monasterio, nec collum excutere de sub jugo Re„gulæ, quam sub tam morosâ deliberatione licuit, aut recu„sare, aut suscipere.

Unicus in his omnibus scopus S. Benedicti fuit, ut Novitius exactè de Regula reliquisque vitæ Monasticæ exercitiis & obligationibus instruatur; nihilque leviter ac inconsideratè arripiat, ejusque animi ac spiritus in his omnibus constantia benè probetur.

Et quia ab hoc puncto totius disciplinæ Regularis recta observantia, atque ipsorum etiam Novitiorum salus plerumque dependet, ideò observantiam illius non tantùm priscorum Patrum Regulæ, sed & recentiorum Ordinum Constitutiones, & Synodorum Decreta urserunt.

IX. Synodus Cameracensis P. I. *Tit. De Monasteriis cap. 14.* „Mandat omnibus Monasteriorum Superioribus, ut „*Regula* ac Statutorum Monasterii, in quo juvenes cupiunt „profiteri, *lectio* & *explicatio* eisdem Novitiis fiat: ne *im*„*prudentius* voveant; si ipsis minus constet, ad quid se per „professionem obligent.

„Novitiorum *diligens* institutio fiat (inquit Synodus „Audomarensis) neque solùm Ecclesiæ officium, sed & „*professionem* ipsam ac *Religionis vota* & *Regulam*, nec „non Monasterii Statuta doceantur, *probèque ea* intelligant, „ac *in eis exerceantur*, priusquam ea profiteri aut vovere „sinantur. „ *Tit. 17. c. 4.* Idem mandat Synodus Mechl. *D. tit. 22. cap. 5.*

X. Quin præcipit Clemens VIII. in jam sæpiùs citata Constitutione, „ut omnes etiam *Conversi* recipiendi de om„nibus prædictis, priusquam ad habitum Regularem ad„mittantur, ab iis quibus munus illud incumbit, diligenter „instruantur.

XI. Verùm frustranea erit, quod & passim experientia docet, Regulæ Statutorumque prælectio; atque rigida etiam votorum explanatio, ni unà persuadeatur Novitius, vivendum esse juxta præscriptum Regulæ & Statutorum prout sonant; tametsi forsitan vita multorum non sit conformis: neque ipsis attendendum esse, quid passim alicujus Ordinis aut Monasterii Religiosi faciant, sed quid Regula Statutaque præscribant; & ad quid ipsa Religiosa professio Religiosos obliget. Ni enim hæc Novitiis fortiter imprimantur, facilè fiet, ut quantumvis aspera ac difficilia in Regula ac Statutis contineri audiant; illa credant tamen cum commoda ac mundana vita componi posse; dum videt Religiosos eandem regulam ac statuta professos similem vitam ducere.

XII. Ut verò Novitii ac recenter Professi haberent ob oculos exactæ Regularis disciplinæ exemplar, quo ipsi efficaciùs ad illam incitarentur, modernus Pontifex Innocentius XII. ex sententia Congregationis Cardinalium specialiter super reformatione Regularium institutæ, edito Decreto 18. Julii 1695. præcepit singulorum Ordinum Regularium Superioribus „ut in unaquaque Provincia per Italiam „& Insulas adjacentes, quamprimum deputent aliquos „Conventus, quos magis aptos censuerint, vel unum sal„tem, ibique authoritate Apostolica statuant omnimodam „observantiam Regulæ, Constitutionum uniuscujusque „Ordinis, & Decretorum Apostolicorum, præcipuè verò „exactæ Vitæ Communis ad formam eorumdem Decre„torum ab omnibus Religiosis, qui in Conventibus, ubi „recipiendi Novitii, & Professi educandi sunt, morabuntur, „omninò servandæ.

Quæ omnia, quo faciliùs, efficaciùs & durabiliùs ad praxim deduci valeant, in virtute S. Obedientiæ eisdem Superioribus præcipitur, „ut in supradictis conventibus „non collocent, nisi Religiosos graves, devotos, exempla„res, regularis observantiæ, & puritatis regulæ studiosos, „orationi præsertim, ac mortificationi, sine quibus non „potest Religiosa vita consistere, addictos, quique consen„tiant exactè servare Vitam Communem, atque indè amo„veant eos omnes, qui tam Sanctæ Ordinationi contradi„cere, seu verbis, aut factis quoquomodo sese opponere au„deant.

XIII. Anno integro Novitium probandum esse, Regula Benedictina supponit. Antiquorum Monachorum, præsertim Ægyptiorum regulæ ad triennium Novitiatum passim produxerunt: quas sequutus Imperator Justinianus sancivit, ut accedentes ad vitam Monasticam per *triennium* in veste *laica* maneant, divina addiscentes eloquia; & ut reverendissimi eorum Abbates requirant eos, undè eis desiderium vitæ singularis accesserit: & discentes ab eis, quod nulla maligna occasio ad hoc eos adduxit, habeant eos inter eos, qui adhuc docentur, & monentur: & experimento percipiant eorum tolerantiam & honestatem: *Non enim facilis est vita mutatio*, inquit, *sed cum anima fit labore.* Novella 5. cap. 2.

XIV. Verùm cum tempus illud annuum aut triennale unicè spectare videretur, ut & Novitii ritè de vita Monastica essent instructi, & Monasterium de Novitio cœpisset experimentum, nullatenus ad substantiam professionis pertinere visum fuit; quod multis jam pridem probavit Petrus Venerabilis Cluniacensium Abbas *Lib. 1*

Epist. 18. & evidenter supposuit Innocentius III. in *Cap.* 16. ⁑ *De Regularibus*, Annalem probationem asserens, esse Patrum institutum, Novitii pariter & Monasterii gratia inductum; cui tamen utriusque consensu renuntiari posse asserit, ideoque professionem ante expletum probationis annum factam validam esse: *Quia*, ait, *multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem*. Post hæc subjungit: „Prohibendum est autem Abbati„bus, ne passim ante tempus probationis quoslibet ad pro„fessionem admittant.

XV. Qua tamen in potestate Abbatum manebat tempus probationis abbreviare, eam abbreviationem vel importunis precibus victi, aut aliquo humano respectu impulsi sæpius annuebant: atque inde rursus fiebat, non sat probatos ad professionem admitti; ut propterea iteratis Decretis ad hunc abusum coërcendum opus fuerit.

Sed cum „hi Canones spectare viderentur ad solum S. „Benedicti Ordinem (inquit Christianus Lupus *Tom.* 3. „*Schol. pag.* 647.) novelli tunc Fratres Prædicatores & „Minores pergebant sine *probationis anno* ad professio„nem admittere. Admittebant etiam *inhabiles* personas, „atque ita suos Ecclesiæ utilissimos Ordines *gravabant* ac „*vitiabant*.

XVI. Plura quidem tam ab Innocentio IV. quam Bonifacio VIII. contra hanc præcipitem Fratrum Mendicantium ad professionem admissionem edita fuere Decreta, quæ in sexto Decretalium sub titulo de Regularibus referuntur; sed eorum vel non observantiam, vel inefficaciam advertentes Patres Tridentini decreverunt *Sess.* 25. *cap.* 15. *De Regularibus*. „Ne in quacumque Religione tam „virorum quam mulierum, qui *minore* tempore, quam *per* „*annum* post susceptum habitum in probatione steterit, ad „professionem admittatur. Professio autem antea facta sit „*nulla, nullamque* inducat *obligationem* ad alicujus regulæ, „vel religionis, vel ordinis observationem, aut ad alios quos„cumque effectus.

XVII. Sequuta est ergo Synodus Benedictinam regulam annuam probationem præscribentem. Quam Regulam S. Benedicti, uti rectè notat Lupus loco citato, *esse omnium regularum Dominam semper censuit Apostolica Sedes*.

XVIII. Omnimodam tamen illam professionis *nullitatem*, ad robur & firmitatem sui Decreti superaddidit Benedictinæ Regulæ Synodus: quo etiam sublatam esse decisionem *Cap.* 2 & 3. *De Regularib. in* VI. ex resolutione S. Congregationis annotavit Fagnanus ad *Cap.* PERLATUM *de his quæ vi metusve causâ nu.* 29. & 30. quatenus ibi declarabatur, quod professio facta durante anno probationis non obligaret quidem ad individuam religionem quam esset professus, sed tamen professum astringeret ad aliquam religionem in genere: ita ut professo integrum non esset ad sæculum reverti. At juxta Decretum Tridentinum, professio ante expletum annum novitiatûs emissa est nulla *nullitate absoluta*; ut ipsi professo liberum sit non obstante illa professione ad sæculum redire.

XIX. Neque ipsius Novitii renuntiatio validam reddere potest professionem: quia annus ille probationis, ut rectè notat Zypæus in *Jure novo tit. De Regularib.* non in illius privati favorem, sed *publicæ* politiæ causâ inductus est: quæ etiam ex indiscreta & præcipiti ad professionem admissione non exigua incommoda sæpius experitur.

XX. Annum Novitiatus debere esse integrum; ut etiam defectus unius horæ professionem redderet nullam, latè docet Fagnanus ad *Cap.* AD NOSTRAM ⁑ *De Regularibus*.

XXI. Annum probationis ex mente Synodi Tridentinæ, debere esse continuum seu nullatenus interruptum post alios resolvit Zypæus *Consult.* 18. *De Regularibus*. In tantum ut si Novitius vel die uno religionem deseruerit: reversus teneatur rursus integrum annum probationis, sub pœna nullitatis professionis, absolvere. Ex duarum horarum interruptionem reddere novitiatum nullum, resolvit S. Congreg. apud Fagn. ad *Cap.* AD NOSTRAM *De Regular. num.* 27.

XXII. Contrarium tamen innuunt Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini *p.* 1. *cap.* 3. ubi statuunt: „Si aliquis Novitius intra assignatum sibi tempus proba„tionis, aspexerit retro, si postmodum transactâ die eâdem „suæ egressionis redire voluerit, non recipiatur, nisi ea „conditione & modo, ut iterum per annum & diem de„beat in probatione manere, nisi ejus vita & conversatio „talis fuerit, quod videatur discretioni Prioris Provin„cialis *misericorditer esse dispensandum*. „ Hæc dispensandi facultas data Provinciali videtur indicare, non credidisse Statuti illius conditores, ex mente Synodi Tridentinæ annum probationis debere ita esse continuum, ut vel modica illius interruptio novitiatum inchoatum omnino reddat invalidum. Suppositâ enim illa nullitate per Concilium inductâ, non posset Provincialis super novo novitiatu dispensare.

At videntur Patres illi supposuisse, modici temporis interruptionem pro interruptione non esse considerandam, nec impedire, quo minus id obtineatur, ob quod requiratur annus novitiatus *continuus* sive *non interruptus*; nimirum, ut Novitius vitæ Monasticæ austeritates omnes experiatur; quæ uno anni tempore majores esse possent, quam alio; & difficilius est, v. g. alicujus molestias per annum *continuum*, quàm per interrupta intervalla sustinere; quæ ratio tunc dumtaxat obtinere videtur, dum notabilis esset interruptio. Unde in prædicto statutò additur: „Non tamen cum eo „qui ultrà mensem extra Ordinem permanserit, ullo modo „dispensare debet.

Nihilominùs, si Fagnano credimus „Procuratori ge„nerali Ordinis Minimorum quærenti, an Novitius, „qui à monasterio ut aliam Religionem ingrederetur, „abierat, ac *duas tantum horas* in alio Conventu mo„ram traxerat, moxque facti pœnitens reversus fue„rat, teneretur incipere novum annum probationis: „Responsum est, teneri ab eo die quo rediit. „ Ad *Cap.* INSINUANTE ⁑ *Qui Clerici vel Voventes &c. numer.* 26.

Incertum ergo aliquousque apparet, quæ interruptio novitiatum vitiet, ipsumque Novitium ad novum novitiatum peragendum obstringat sub pœna nullitatis Professionis secuturæ; uti etiam apparet ex auctoribus in utramque partem adductis per Barbosam in Jure Ecclesiastico *Lib.* 1. *cap.* 42. *num.* 124.

XXIII. Illud certius esse videtur, quod si aliquam partem novitiatûs Novitius in Monasterio peregerit, atque durante novitiatu de mandato Superioris exiverit, ac sub illius obedientia & ex rationabili causâ residuo anni tempore extra Monasterium manserit, si expleto anno professionem sine alio novitiatu emiserit, professionem valere, quemadmodum resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus loco citato *nu.* 38. eamque resolutionem multis argumentis adstruens; unà tamen monens *nu.* 41. id hodie non procedere in eo, qui extra Monasterium habitum Regularem assumpsisset; nec unquam per anni circulum Monasterium esset ingressus.

XXIV. Cùm verò Synodus Tridentina annum probationis requirat, ut & Novitius plenè sit instructus de his quæ professio secum trahit, & Monasterium de capacitate & spiritu ipsius Novitii, nequaquam Synodus reprobare intendit Statuta aut consuetudines Religionum, quæ prolixius probationis tempus requirunt; sed illa integra ac inviolata permittit: ita tamen, ut si anno probationis expleto, at nondum evoluto ulteriori tempore per Statuta aut consuetudinem requisito, ad Professionem admittatur Novitius, professio propterea non sit invalida: eò quòd Statuta tempus illud requirere non soleant sub pœna nullitatis: & ita quoad Novitios in Societate JESU expressè docet Barbosa loco citato *nu.* 133.

XXV.

XXV. Si autem integro anno novitiatûs abſoluto ante emiſſam profeſſionem Monaſterium deſeruerit, reverſus poterit ſine novo noviriatûs anno ad profeſſionem admitti: quia verum eſt, annum integrum ac continuum in probatione fuiſſe: & ita reſpondit S. Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* PRESBYTERUM ☧ *De Pœnit. & remiſſ. nu.* 116. niſi Religionis aut perſonæ conditio ſit immutata; idque Superiores Religionis diligenter animadvertere debere.

CAPUT III.

De Libertate Novitii deſerendi Religionem ante Profeſſionem; & ad eam ſpectantibus.

1 *Ante emiſſam Profeſſionem manet Novitio integra libertas redeundi ad ſæculum.*

2 *Novitii olim probabantur in veſte* laicali.

3 *Hæc diſciplina ſæculo 12. adhuc erat in Ord. Ciſterc.*

4 *Hinc originem ſumpſiſſe videtur* tacita *profeſſio.*

5 *Quomodo hæc diſciplina mutata?*

6 *Quare diſtinctus habitus Novitiorum ab habitu Profeſſorum?*

7 *Non mutabatur habitus Novitii, ut major maneret libertas egrediendi.*

8 *Eundem in finem capilli puellarum ante profeſſionem non abſcinduntur.*

9 *Pueri à parentibus oblati hac oblatione hodie non aſtringuntur; ſecùs olim.*

10 *Jure communi & ex moderna diſciplina nemo ex oblatione parentum Religioni aſtringitur.*

11 *Æquum eſt, ut meditantes ingreſſum Religionis conſulant parentes; profeſſio tamen facta invitis parentibus eſt valida.*

12 *Interdum auctoritate Regia filii familias jubentur extra Monaſteria collocari, ut parentibus detur ad ipſos liber acceſſus.*

13 *Neque id à jure diſſonum eſt.*

14 *Nulla renuntiatio aut obligatio à Novitio fieri poteſt, niſi ſub certis conditionibus, ut major maneat Novitii libertas.*

15 *Etiam procedit in eo qui meditatur ingreſſum.*

16 *Decretum Concilii Tridentini loquitur de omni renuntiatione, modò appareat factam eſſe animo ingrediendi Religionem.*

17 *Renuntiatio facta à Novitio poſt 10. menſes probationis valet; licet profeſſio ultra annum protrahatur.*

18 *Decretum Synodi Tridentinæ vetans donari ex bonis Novitii ipſi Monaſterio.*

19 *Synodus loquitur de* gratuita & ultronea *donatione.*

10 *Synodus non dicit aliquid poſſe* exigi *pro expenſis Novitiatus.*

21 *Nullatenus probat praxim Monaſteriorum etiam opulentorum* exigendi *expenſas Novitiatus.*

22 *Hæc praxis à multis improbatur.*

23 *Eſt contra mentem Fundatorum.*

24 *Decretum habet locum in bonis parentum.*

25 *Etiam in Novitio qui eſt ſui juris.*

26 *Etiam facta donatio ſub cautione de reſtituendo.*

1 DUrante Novitiatu, vel etiam eo finito, necdum tamen emiſſâ Profeſſione, integra manet Novitio libertas Monaſterium deſerendi, & ad ſæculum redeundi *Cap.* 23. ☧ *De Regularibus* Et in *Cap.* 2. *eodem in* VI. Fratribus Minoribus & Prædicatoribus in virtute obedientiæ & ſub pœna excommunicationis diſtrictiùs inhibetur, ne aliquem intra annum probationis conſtitutum ante emiſſam Profeſſionem tacitam vel expreſſam impedire præſumant, ne ad ſæculum rediret.

II. Olim Novitii probabantur in veſte *laicali*; neque ante emiſſam profeſſionem veſtem mutabant; uti colligitur ex Regula Benedictina c. 58. ubi præcipitur, ut poſt Novitiatum expletum & emiſſam profeſſionem „ſuſcipiendus Frater in „Oratorio exuatur rebus propriis, quibus *veſtitus* eſt, & „*induatur rebus* Monaſterii.

Conformiter ad hanc ejus temporis diſciplinam ſcribit S. Gregorius apud Gratianum *Diſt.* 53. *Can.* LEGEM: milites ad Religionem divertentes, „juxta normam Regularem „debere in *ſuo habitu* per triennium *probari*, & tunc *Mo-* „*nachicum* habitum Deo auctore ſuſcipere.

Et in Conventibus Regum Francorum de ſuſcipiendo ad Religionē præcipitur: „Ipſe verò nec *tondeatur*, nec *priſtina* „*veſtimenta* immutet *priuſquam* obedientiam promittat.

III. Hanc diſciplinam tempore S. Bernardi apud Ciſtercienſes in uſu fuiſſe ſat apertè innuit S. Bernardus *Epiſt.* 1. ad Robertum, eundem obtecrans ut meminerit, quod demum anno Novitiatûs tranſacto, poſt annum *ſponte* profeſſus, *tunc primùm ſæculari veſte relicta habitū religionis ſuſceperit.*

IV. Hinc forſan ſucceſſu temporis originem ſumpſit *tacita* profeſſio per habitus Monaſtici ſuſceptionem, cujus frequens in Decretalibus Gregorii IX. mentio occurrit. Cùm enim ante profeſſionem *habitus* Monaſticus ſuſcipi non ſoleret, qui eum ſuſcipiebat, *profiteri* cenſebatur.

V. Cùm verò, uti ſuprà notavimus, circa ſæculum 12. & 13. in pluribus Religionibus annus Novitiatus negligeretur, etiam mox à receptione *habitum* Monaſticum inducere cœperant. Hoc autem ritu ſic introducto; quòd ſcilicet habitus Monaſticus mox à receptione ad Religionem traderetur, quia Novitiatus tum prætermittebatur; cùm poſteà Pontifices & Concilia Novitiatum urſerunt, nec ante illum expletum profeſſionem emitti voluerunt, remanſit conſuetudo tradendi habitum Monaſticum in ipſa receptione; atq; ita introducta diſciplina ipſum Novitiatum in habitu Monaſtico peragendi, quæ hodie apud omnes Regulares ſervatur; neque Novitiatus ante habitum ſuſceptum inchoatus reputatur.

VI. Porrò quia eo tempore adhuc vigebat tacita profeſſio per ſuſceptionem *habitus Profeſſorum*; ne ex ſuſceptione veſtis Monaſticæ in ipſo Novitiatu dubium oriretur, num profeſſionem emiſiſſet, decrevit Gregorius IX. *Cap. penult.* ☧ *De Regularibus*; „Quòd cùm in locis Religiotis Novi„tiorum habitus non diſtinguatur ab habitu Profeſſorum: „profeſſionis tempore benedicantur veſtes, quæ Profiten„tibus conceduntur, ut Novitiorum habitus à Profeſſorum „habitu diſcernatur.

VII. Quidquid ſit de origine mutatæ hujus diſciplinæ, cauſam Statuti iſti (id eſt, ut Novitiatus in veſte laicali fieret) eam S. Benedictum habuiſſe „crediderim (ait Haeftenius „*Diſq. Monaſt. lib.* 5. *tract.* 2. *diſq.* 2.) ut *libertati* Novitio„rū conſuleretur: eòq; minori cum infamia Monaſterio egre„di poſſent, quòd numquam Monaſticum habitū detuliſſent.

VIII. Eodem ſpiritu Synodus P. II. Mechlinienſis *tit.* 24. *cap.* 7. libertati profeſſionis Virginum Deo dicandarum conſulens, renovanſque omnia ſtatuta ac conſuetudines huic libertati contraria, inter alia prohibet, *Ne quarumcumque virginum* CAPILLI *ante profeſſionem reſecentur.*

IX. Ob eandem libertatem, tandem poſterioribus ſæculis data eſt facultas integra illis, qui ante pubertatem, id eſt, maſculi ante 14. & puellæ ante 12. ætatis annum à parentibus Religioni erant oblati, dum ad pubertatem venerint, relictâ Religione ad ſæculum redeundi; contra veterem diſciplinam, quæ pueros à parentibus ante pubertatis annos oblatos ipſi Religioni ita obſtringebat, ac ſi ipſi per ſe profeſſionem emiſiſſent; juxta illud Concilii Tolet. IV. *Can.* 48. apud Gratianū *Cauſ.* 20. *qu.* 1. *Can.* 3. „Monachum aut *paterna devotio*, aut „propria profeſſio facit. Quidquid horum fuerit, *alligatum* „tenebit.„ Plures in hujus diſciplinæ probationem Canones cit. Gratian. ac tandem concludit: „Ex his auctoritatibus col„ligitur, quod *paterna profeſſio* pueros tenet *obligatos*; nec li„cebit eis à propoſito diſcedere, quod paternâ devotione in „*puerilibus* annis ſuſceperunt.„ De hac puerorum oblatione ejuſq; ritu & effectu latè tract. Haeften. *Diſq. Monaſt. l.* 5. *tr* 5.

X. At juxta reſponſum Cæleſtini III. datum anno 1191. & relatum in *Cap.* 14. ☧ *De Regularibus*, mutatâ veteri diſciplinâ, puer in minore ætate à parentibus oblatus, poſtquam ad annos pubertatis ſive diſcretionis pervenit, ſi Monachalem habitum retinere noluerit, non eſt ullatenus compellendus: „ quia tunc liberum ſibi erit

Digitized by Google

„eum dimittere, & bona paterna, quæ ipsi ex successione „proveniunt, postulare.

Cui responso moderna Monastica disciplina est conformis; maximè cùm nec ante 16. ætatis annum ullam sive virorum, sive mulierum professionem admittat; uti infrà dicetur.

XI. Quamvis justum sit, ac obedientiæ & reverentiæ parentibus debitæ planè consonum, ut liberi inconsultis ac reluctantibus parentibus statum facilè non assumant, nequaquam tamen ipsa professionis validitas à parentum dependet consensu; licitumque subinde esse potest, invitis ac reclamantibus parentibus Monasterium ingredi, & professionem emittere. Unde est illud apud Gratianum *Caus.* 10. *quæst.* 2. *Can.* 2. „Si verò in *fortiori* ætate „(id est ultra annos pubertatis) adolescentula vel adolescens servire Deo elegerit, non est *potestas parentibus* „prohibendi.

XII. Si tamen ex circumstantiis & conjecturis sit non infundata suspicio, quòd per fraudes aut minas, vel alia nonnulla humana motiva ad Religionem, insciis parentibus juvenes aut puellæ fuerint invitati & allecti, nonnunquam officio judicis, petentibus parentibus aut etiam tutoribus, Superiores compelluntur illos parentibus vel curatoribus reddere; aut saltem eos in loco aliquo à Monasterio separato collocare, ut ibidem à parentibus examinentur, atque eorum voluntas, num libera sit & recta ac firma, discutiatur; quemadmodum frequenter auctoritate Senatus Regii factum fuisse refertur *Tomo* 2. *Libert. Eccles. Gall. cap.* 33. & nuper à Concilio Sanctiori Bruxellis ordinatum fuit in causa Josephi Vande Walle Novitii apud PP. Societatis.

XIII. Neque id dissonum est à jure communi, quo statuitur, pueros ante annos pubertatis non posse invitis parentibus aut tutoribus Religionem ingredi; & si contra fecerint, posse repelli, & Religiosos officio judicis compelli ad reddendum *Cap.* 8. *&* 11. ✠ *De Regularibus.*

XIV. Ad eandem libertatem Monasterium deserendi, Novitio, conservandam, Synodus Tridentina *Seß.* 25. *cap.* 16. *De Regularibus* decrevit: „Nulla renuntiatio, aut obligatio „ante professionem facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscumque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia „Episcopi, sive ejus Vicarii, fiat intra *duos* menses *proximos* „ante professionem; ac non aliàs intelligatur effectum suum „sortiri, nisi *secutâ* professione: aliter verò facta, etiamsi „cum hujus favoris *expressâ renuntiatione*, etiam *juratâ*, „sit *irrita, & nullius effectus.*

Renuntiatio, de qua in Decreto, non tantùm complectitur renuntiationem rerum aut jurium temporalium, sed etiam renuntiationem Beneficii quod ante ingressum ipse Novitius possidebat: adeò ut Beneficium illud nequeat validè conferri, nisi renuntiatio juxta formam hujus Decreti facta sit.

Verba enim imprimis generalia sunt, omnem renuntiationem complectentia. Ipse quoque scopus Concilii, ne scilicet per similem renuntiationem adimatur libertas Novitiis Religionem deserendi, in hac renuntiatione militat; quandoquidem dubium non sit, quin per ejusmodi renuntiationem, Novitius mediis vivendi destitutus, cogeretur quodammodò invitus in Religione perseverare; quapropter & S. Congregationem sæpius illa resolvisse refert Fagnanus ad *Cap.* STATUIMUS ✠ *De Regular. numer.* 19. ac per consequens derogatum esse *Cap.* 4. *De Regularib. in* VI. in quantum ibidem Episcopo permitti videtur, conferre Beneficium ejus, qui Religionem ingreditur, intra annum probationis, *si ad id ipsius Novitii accesserit consensus.*

XV. Insuper Decretum Concilii Tridentini procedere, quando renuntiatio fit quidem ante ingressum Religionis, sed tamen *intuitu ingressionis* in Monasterium, declaravit S. Congregatio referente Azorio *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 20. *q.* 6. quia aliàs fraus fieret Decreto.

XVI. Insuper Decretum intelligi de quacumque renuntiatione aut alienatione factâ ante ingressum; modò appareat, eam intuitu & animo ingrediendi factam, sustinet post Navarrum & alios Zypæus in Jure Novo *Tit. De Regularibus num.* 29. creditque Declarationem Cardinalium, quâ contrarium declaratum dicitur, esse accipiendam de casu, quo renuntiatio facta est in sæculo, absque intuitu aut intentione ingrediendi; „alioquin, ait, non id satis cum intentione „Concilii & indistinctis verbis conveniet; adeoque an De„claratio authentica esset, dubitandum esset.

XVII. Porrò renuntiationem sive obligationem factam à Novitio, qui decem mensibus in novitiatu fuisset, futuram validam, si cum consensu Episcopi ejusvè Vicarii facta sit, tametsi Superior ex justa causâ professionem ultra annum distulerit, notat ibidem Zypæus: eò quòd facta sit infra duos menses proximos tempori, quo professio legitimè emitti potuisset; atque ita resolvisse S. Congregationem.

XVIII. Adhæc pro asserenda libertate Novitii deserendi religionem decrevit Synodus Tridentina *Seß.* 25. *cap.* 16. *De Regularibus.* „Sed neque ante professionem, ex„cepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, „quo in probatione est, quocumque prætextu, à parenti„bus, vel propinquis, aut curatoribus ejus monasterio ali„quid ex bonis ejusdem tribuatur: ne hac occasione disce„dere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ „suæ Monasterium possideat: nec facile, si discesserit, id re„cuperare possit.

XIX. Hoc Decreto imprimis decernitur, nihil à parentibus vel propinquis aut curatoribus ex bonis novitii Monasterio ante emissam professionem quocumque prætextu tribui posse, etiam *liberaliter* seu *ultroneè*, citra ullum pactum aut conventionem cum Monasterio; excepto victu & vestitu illius temporis, quo in probatione est.

XX. Nullatenus ergo ex hoc Decreto elici potest, mentem Concilii fuisse, Monasterium posse *exigere* atque *pacisci* cum ingrediente ejusve parentibus super expensis & vestitu Novitii; nam duntaxat declarat Synodus, quod Parentes nihil queant tribuere Monasterio ex bonis Novitii excepto victu & vestitu Novitii vel Novitiæ illius temporis, quo in probatione est: quod Suaresius aliique recentiores quoque annotarunt. Verum est, (ait Suaresius *Lib.* 4. *De Simonia cap.* 17. *num.* 19.) „Concilium Tridenti„num non loqui de *pacto*, nec de *modo* recipiendi, id est, an „posit Monasterium ita sustentationem petere, ut sine illa „nolit Novitium recipere.

XXI. Hinc ulterius infertur, nec in speciem, Tridentinum hoc loco favere hodiernæ multorum Monasteriorum, etiam admodum opulentorum praxi exigendi ab Ingredientibus eorumve parentibus ea, quæ pro victu & vestitu Novitii aut Novitiæ illius temporis, quo in probatione est, necessaria creduntur.

XXII. Unde prædicta praxis à non paucis, etiam post Concilium Tridentinum reprobata fuit. Et quidem Directorium Ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accommodatum, sub initium hujus sæculi evulgatum auctoritate Episcopi Tricaricensis Sedis Apostolicæ per Germaniam inferiorem & Belgarum Provincias Nuntii, & à Facultate Theologica Lovaniensi probatum, relato hoc Concilii Tridentini Decreto, ait: „Quin nec pro ipso „victu aut vestitu Novitii aliquid *ex pacto* detur. Cum „enim Novitiatus res sit spiritualis cui annexum est jus ad „victum & vestitum, à Simonia abesse non potest, de his pa„cisci, vel pro jure Novitiatus acquirendo ad victum & ve„stitum contribuere. Si quis autem jure novitiatus acquisito „sumptus liberaliter refundere velit, licitè id facere potest, „modo nullum intercedat pactum, conventio, spes, aut mu„tuus intellectus.

Sententiam hanc ex professo propugnat, & pluribus adstruere conatur Petrus à S. Audomaro, aliàs Wallon-Capelle Prior Monasterii Montis D. Guinoci; cujus verba retuli in dissertatione de peculiaritate & Simonia circa ingressum Religionis *part.* 2. *cap.* 5. §. 3.

XXIII. Quid-

XXIII. Quidquid sit de Simonia, illud indubitatum est, improbandum esse, Monasteria aliundè fundata, ab ingredientibus Religionem exigere expensas pro victu & vestitu, etiam frequenter non sine magno ac notabili Parentum incommodo, ac fidelium scandalo; quia, uti bene advertit Zypæus in jure novo *tit. De Regularib. n.* 26. Monasteriorum fundationes tam pro Novitiis, quàm pro professis institutæ sunt.

Omnium quippe Fundatorum mens fuit, quam in testamento suo expressit Fundator Cluniacensis Monasterii his verbis: " Ut illis essent Monasteria ad perpetuum refugium, „ qui pauperes de sæculo egressi, *nihil* secum præter bonam „ voluntatem attulerunt, *ut nostrum,* ait *supplementum sit* „ *abundantia illorum.*

Latius de hac Fundatorum intentione consule S. Augustinum *conc.* 3. *in Psal.* 103. Vide citatam Dissertationem *parte* 2. *cap.* 5. §. 4.

XXIV. Ut rursus ad Decretum Concilii, à quo nonnihil deflexmus, redeamus, notandum, quod Decretum quidem tantum loquatur verbis expressis de bonis Novitii aut Novitiæ; sed quia bona parentum quodammodo sunt bona liberorum, & Novitii libertas ad redeundum ad sæculum non parum læderetur, si bona parentum alienata sciret, nec facilè recuperari posse, meritò S. Congregatio resolvit apud Fagnanum l. c. *n.* 55. Decretum Concilii habere locum etiamsi aliquid tribuatur non ex puellæ propriis bonis, sed parentum vel consanguineorum.

XXV. " Et rursus oborto dubio pergit Fagnanus, an si „ Novitius sit sui juris & non habeat parentes, possit in reli„ gionis ingressu, præter victum aliquid donare Religioni „ amore Dei, censuit non posse, ex verbis expressis *d. c.* 16."

XXVI. Denique teste Fagnano resolvit eadem Congregatio, Decretum obtinere, etiamsi aliquid ex bonis Novitii aut Novitiæ à Monasterio recipiatur sub nomine depositi, seu sub cautione de restituendo professione non secuta.

CAPUT IV.

Quomodo Novitii de bonis suis disponere possint, & debeant.

1 *Novitii liberè possunt de bonis suis per testamentum disponere.*
2 *In hac dispositione Novitius meritò attendit ad verba Christi:* Vade & vende omnia & da pauperibus.
3 *Id inculcant Regulæ Monasticæ.*
4 *Regulæ Patrum nequaquam interdicunt Novitiis aliquid ex suis bonis Monasterio donare.*
5 *Qua ratione datum Monasterio censeatur datum pauperibus.*
6 *Cavendum Religiosis ne quem intuitu rerum temporalium ad Religionem admittant.*
7 *In receptione rerum temporalium Novitii cautè procedendum, ne scandalum detur.*
8 *Malebat S. Theresia ut pauperes, quam divites se offerrent: & quare?*
9 *Quid in dispositione rerum temporalium Novitiorum observari voluerit S. Franciscus?*
10 *Aliqui nihil à Novitiis recipi voluerunt.*
11 *Cavere debent Religiosi ne à Novitiis dispositionem in favorem Monasterii extorqueant.*
12 *Odiosæ ac suspectæ sunt donationes factæ à Novitiis ipsis Monasteriis.*
13 *Quid in Gallia circa illas obtineat?*
14 *Quid in Belgio?*

I. NOvitium ante emissam professionem liberè posse per testamentum de bonis suis disponere jam pridem expressit Justinianus in *Novella* 5. *cap.* 4. neque id per Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 16. *De Regularibus* mutatum esse, omnes consentiunt, & quotidiana praxi notorium est.

II. Porrò in hac temporalium dispositione, oportet, ut Novitius specialiter meminerit hujus sententiæ Evangelicæ: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Hæc enim tamquam specialim dicta ad illos, qui vitam Monasticam amplecti volunt, Novitiis proponi Monachorum Patres desiderarunt; ut nimirum ex illis normam disponendi de rebus suis temporalibus assumerent.

III. " Si dives est, ait Regula Patrum, habens multas di„ vitias & converti voluerit, debet primò Dei voluntatem „ implere, & consequi præceptum illius, præcipuè quod A„ dolescenti diviti dicitur: *Vende omnia tua, & da pauperi„ bus, & tolle crucem tuam & sequere me.*"

Et S. Fructuosus in regul. 1 *cap.* 4. " Qui ingredi petunt „ acrius percunctentur, si fecerint illud quod dives quon„ dam adolescens: qui omnia, quæ lege præcepta sunt, se „ implesse jactabat, ad quem Dominus ait: *Si vis perfectus* „ *esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus:* „ *& veni, sequere me, & habebis thesaurum in Cœlo.*"

Auctor Regulæ, qui vulgò *Magister* dicitur, quemque non multo post tempora Gregorii M. vixisse credit Hugo Menardus, qui & de ejus Regula dicere non dubitat: " Hæc „ regula magnâ cum simplicitate, fervore, & regularis ob„ servantiæ curâ procedit." Hic, inquam, cum ostendit Religionem ingredienti convenire, ut ante omnia, rebus sæcularibus se privet, mox recipi postulantem alloquens ait: „ Ideoque constituimus salubre consilium ut audias vocem „ Domini tibi dicentem: *Vade, vende omnia, & da paupers„ bus, & veni, sequere me,* Quam ergo si sequi vis vocem, „ vade & vende quæ habes, & omne pretium huc ante me „ defer, ut te præsente à me *pauperibus* erogetur. Rationem „ deinde suggesti consilii subjicit: Hanc ideo voluntatem „ Abbas ingredientibus tribuit, ut non ab introeuntibus ju„ dicetur, potius res hominum desiderare, quàm animas."

IV. Sed petet quis, num ergo Ingredientes Monasterium ita res suas *pauperibus* dare debent, ut numquam in favorem Monasterii disponere possint? Nequaquam: nam S. Benedictus in sua Regula expressis verbis recipiendo ad Religionem optionem dat, si quidem sit ætate major, ut res, si quas habet, aut eroget pauperibus aut conferat Monasterio.

Nec mirum, quia juxta mentem Patrum, qui res suas offert Monasterio, eas etiam *pauperibus* tribuit: ut nimirum vel pauperes de sæculo egressi, & nihil præter bonam voluntatem afferentes, ex iis sustententur; aut certè per ipsos Monasterii Præfectos pauperum usibus impendantur, juxta naturam ac conditionem proventuum Monachalium; nec aliâ intentione Monasteria sibi ab Ingredientibus oblata recipere possunt. Unde citatus *Magister* postquam loco suprà allegato dixisset, Novitium si noluerit sua vendere & dare pauperibus, posse ea Monasterio offerre, monendo adjungit: " Jam de ipsis rebus Ingressi Abbas in sua potestate „ mutatis quidquid *necessariæ utilitati Monasterii* abun„ dare viderit, pro anima fratris ipsius *propter præceptum* „ *supradictum sequendi Dominum per eleemosynam di„ stractâ illâ re supervacuâ pretium ejus pauperibus tri„ buat*: ut quod ille imperitus frater non meruit facere, „ pro illo iste quasi doctus Magister valeat adimplere."

Ad hæc *Magistri* verba reflectens Hugo Menardus: „ Notanda, inquit, hominis integritas, sinceritas, simul & „ charitas. Quàm longè abest à quorumdam avaritia, aut „ curiositate, qui aut bona Novitiorum in arca recondunt, „ aut ea insanis substructionum molibus erigendis similibus„ que vanitatibus impendunt, Christo in suis membris al„ gente & esuriente."

Nequaquam ergo Patrum Regulæ interdicunt Novitio, aliquid Monasterio hâc intentione offerre; neque illicitum Religiosis ea recipere, modò tamen caveant.

VI. Primò, ne quem recipiant amore pecuniæ, ita quòd

quòd si possent illam pecuniam habere sine persona ista, non reciperent personam, sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt: & hoc *penitus impurum est & Simoniacum*, ait S. Bonaventura: " Quia ibi pecunia causa est receptionis per-„ sonæ, non è converso. Et hoc plerique (pergit Doctor Se-„ raphicus) etiam ex mera inopia faciunt, optantes aliquem „ venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia „ repararetur, vel debita contracta solverentur, vel bona „ concupita emerentur, vel ædificia construerentur."

VII. Secundò monet idem Doctor, illicitum quidem non esse, personam recipere non pro pecunia, sed cum pecunia, ita ut si nihil afferret, tamen reciperetur pro Deo; *sed*, ait, *sanè agendum coram hominibus, ne detur eis occasio scandali, & ne sit ibi affectus avaritiæ ex spe lucri.*

VIII. Hæc omnia expendens Seraphica Mater Theresia; intelligensque quàm facilè ac quasi insensibiliter aliquid ex jam dictis interveniat, dum persona, à qua temporalia, præsertim notabilia, sperantur, Religioni se præsentat, ad Confessarium suum scribit: " Pater quoties filias nihil secum in „ Conventum afferentes ex solo Dei amore suscipio, inex-„ plicabile mihi gaudium esse pro certo habeas." *Epist. 16.*

IX. Et S. Franciscus *cap. 2. suæ Regulæ* vult, " Ingressu-„ ris dicant Ministri Provinciales verbum Sancti Evangelii, „ quod *vadant & vendant omnia sua, & ea studeant pau-„ peribus erogare.* Quod si facere non poterunt, sufficit eis „ bona voluntas. Et caveant Fratres, & eorum Ministri, *ne „ solliciti* sint de rebus temporalibus; ut liberè faciant de re-„ bus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen con-„ silium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos „ ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pau-„ peribus distribuant."

Hæc Franciscus, ut omnem inordinatum affectum ac sinistram suspicionem in receptione rerum temporalium è Fratribus amoliretur.

X. Quin ut occasionem malorum, quæ tum ipsis offerentibus, tum recipientibus Fratribus imminent, efficaciùs removeret S. Fructuosus Episcopus Bracarensis *cap. 18. Regulæ* statuit, " Ut *nihil* de facultatibus Ingredientis in eumdem locum, ubi, ingredi se petit Monasterium, vel ad *u-„ num nummum* recipiatur: sed & ipse *manu suâ* cuncta „ *pauperibus* eroget."

XI. Tertiò summoperè cavendum Religiosis, ne dum gratanter, & ex mera offerentium liberalitate superficietenus recipere videntur, blandimentis, variisque persuasionibus, aut taliis subinde adductis motivis, ab Introeuntibus temporalia extorqueant; quo contingat, ut coactè potiùs extorta, quàm voluntariè oblata accipiant, quod jam pridem Synodus Cabilonensis secunda acriter perstrinxit: " Constituit „ sanè sacer iste Conventus, ut Episcopi, sive abbates, qui „ non in fructum animarum, sed in avaritiam, & turpe lu-„ crum inhiantes, quoslibet homines illectos circumvenien-„ do totonderunt, & res eorum tali persuasione non solùm „ acceperunt, sed potiùs subripuerunt, pœnitentiæ canoni-„ cæ, sive Regulari, ut puta turpis lucri sectatores subjace-„ ant."

XII. Et licet non semper ex parte Religiosorum similes inductiones interveniant, fatendum tamen, raro donationes & oblationes, quæ fiunt à Novitiis in favorem Monasterii, procedere à libera omnino ac spontanea voluntate; sed frequenter ex timore ut minùs reverentiali, atque zelo non satis discreto & prudenti; atque hâc præcipuâ ratione jam pridem suspectæ admodùm & odiosæ fuère hujusmodi donationes & oblationes, uti latè ostendit Ludovicus Servin Advocatus in Parlamento Parisiens. *plaidoye 21.*

XIII. Et quidem in Gallia (uti testatur Julianus Brodeau in Notis ad Louëtium *Litt. C. n. 8.*) regula generalis est, quòd Religiosus Novitius neque professione instante, neque ante quidquam possit directè aut indirectè donare aut legare Monasterio in quo professionem est emissurus in præjudicium suorum hæredum, sive ex propriis bonis sive acquisitis aut etiam mobilibus, tam quoad proprietatem quàm usumfructum; atque ita decisum esse Edicti Aurelianensis, *art. 19.* & expressiùs *art. 28.* Edicti Blesensis: quemadmodùm, ait, per alias Ordinationes Regias cautum est, quòd pupillus nec directè nec indirectè aliquid possit dare suo tutori, pædagogo, aut alteri suo curatori; æger durante suo morbo medico, apothecario, chirurgo, aut suo custodi; discipulus suo pædagogo; famulus aut famula suo hero aut heræ: eò quod præsumatur, hujusmodi donationes numquam procedere à voluntate omni ex parte planè libera, sed aliquo affectu reverentiali ut minùs, cum quadam violentia & metu, vel ex aliquo zelo immoderato, & liberalitate indiscreta, non condita sale prudentiæ: & uti rectè notat Balsamon in Notis ad Can. 40. Epistolæ Canonicæ S. Basilii: *Eorum qui in potestate sunt, consensus infirmi sunt.*

Senatus Regius, pergit Brodeau, conformiter ad citata Edicta sæpius judicavit, idque tam quoad donationes inter vivos, quàm testamentarias factas in favorem Monasteriorum; idque tam in patria juris scripti, id est, quæ jure Civili utitur & regitur, quàm patria consuetudinariâ, quæ scilicet proprio jure consuetudinario regitur, quicumque prætextus aut favor donationem comitaretur.

Plura Curiæ Regiæ arresta ibidem notat & refert Brodæus; atque inter illa occurrunt nonnulla cum specialibus circumstantiis; quæ ostendunt, ægrè admodum admitti donationes factas à Novitiis in favorem Monasteriorum ad exclusionem consanguineorum hæredum ab intestato.

Ulterius refert, quod an. 1635. 11. Jan. editum fuerit celebre regulamentum, per quod ad instantiam Advocati Regii, vetitum fuit generaliter Superioribus Monasteriorum Monialium, recipere, aut permittere ut recipiantur ullæ pecuniæ pro admissione alicujus ad Religionem vel professionem; sed dumtaxat recipere possint aliquam pensionem vitalitiam moderatam, & quæ respectu ditiorum excedere nequeat summam quingentarum librarum Parisiensium; idque sub pœna nullitatis, & restitutionis ulterioris summæ; quod & aliis pluribus sententiis postmodum confirmatum fuisse testatur.

Ac rursus an. 1667. ad instantiam Advocati Regii, generalior inhibitio facta fuit per arrestum in modum Regulamenti emanatum à Parlamento Parisiensi, relatum in Libro cui titulus Journal du Palais *parte 2. pag. 163.*

XIV. Similiter cum quædam nobilis puella ingressa Monasterium Ursulinarum in Urbe Bruxellensi dedisset tum donatione inter vivos, tum per testamentum Monasterio quantitatem suorum bonorum ascendentem circiter ad 56. millia florenorum, fratribus puellæ se opponentibus huic dispositioni, quæstio coram judicibus Regiis dudum agitata, tandem 24. Decembris 1682. per sententiam Parlamenti Mechliniensis limitata & taxata fuit tam ipsa pensio Novitiatûs, quam ipsa dos dictæ puellæ, & quæ inde dependent, ad summam octo millium florenorum; tametsi hi ipsi Fratres puellæ consensissent, & judicassent, quod Rex posset illi, non obstante sua minorennitate, dare *veniam ætatis*, ad disponendum *liberè* de suis bonis: quam etiam *veniam* à Rege obtinuerat.

Rursus cum altera soror supra nominatæ puellæ ingressa esset Monasterium Ursulinarum in civitate Gandensi; ac ejus mater tam pro expensis novitiatûs, quàm dote promisisset quotuor millia florenorum; ac postmodum ante professionem matre mortuâ dicta puella Monasterio donasset bona, sua quæ ascendebant circiter ad 20. millia florenorum, rursus fratres puellæ hanc donationem impugnarunt coram Concilio Flandriæ, à quo 7. Maji an. 1688. declaratum fuit, quod Moniales Ursulinæ deberent esse contentæ dictis quatuor millibus florenorum; omnem ulteriorem donationem & dispositionem in favorem Monasterii indebitè & nulliter factam. A qua sententia cum esset appellatum ad Parlamentum Mechliniense, declaravit 2. Septembris 1690. malè appellatum, & benè fuisse à Concilio Flandriæ judicatum.

Hinc

Hinc apparet, non tantùm in Gallia, sed & Belgio hujusmodi donationes & dispositiones Novitiorum aut Novitiarum in favorem Monasterii, præsertim excessivas esse odiosas, & multis titulis suspectas, & rescissioni ac annullationi obnoxias.

CAPUT T.

De Examine Puellarum ante habitûs susceptionem, & Professionem.

1 *Decretum Synodi Tridentinæ circa hoc examen.*
2 *Decretum Tridentinum quando duplex examen requirat?*
3 *An hodie duplex requiratur?*
4 *Episcopus ejusve Vicarius vocari debet ad examen Puellarum etiam in Monasteriis* exemptis.
5 *Primò examen institui vult Synodus Trid. super voluntate & intentione puellarum; & ideo* solæ *examinandæ.*
6 *Potest etiam examen institui extra septa Monasterii.*
7 *Inquiri debet quo motivo inducatur ad Religionem.*
8 *Inquirendum num satis deliberavit priusquam resolverit ingredi Religionem.*
9 *Quærendum utrũ nullus metus aut violentia interveniat.*
10 *Interroganda puella super his quæ ad vitam Religiosam spectant.*
11 *Examinator tenetur Puellæ explicare, quid vota Religionis contineant, & ad quæ vita Religiosa obstringat.*
12 *Quid de hac re decreverit S. Carolus?*
13 *Episcopi soliciti sint, ut doctos & prudentes Commissarios huic examini deputent.*
14 *Debet inquiri circa conditiones puellæ.*
15 *Item utrum Monasterium sit idoneum.*
16 *Unde desumenda idoneitas? & quomodo hic subinde monenda Puella.*
17 *S. Congregatio aliquando prohibuit recipi Puellas ad Professionem ob relaxationem disciplinæ Regularis.*
18 *Quid inquirendum circa Directores Monialium.*

SYnodus Tridentina libertati professionis Virginum Deo dicandarum prospicere volens, statuit atque decrevit, „ Ut si puella, quæ habitum Regularem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non antè eum suscipiat; nec „postea ipsa vel alia professionem emittat, quàm exploraverit Episcopus, vel eo absente vel impedito, ejus Vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis deputatus, virginis „voluntatem diligenter, an coacta, ac seducta sit, an sciat „quid agat: & si voluntas ejus pia ac libera cognita fuerit; „habueritque conditiones requisitas juxta Monasterii illius „& Ordinis Regulam, nec non Monasterium fuerit idoneum; liberè ei profiteri liceat, cujus professionis tempus „ne Episcopus ignoret, teneatur Præfecta Monasterio eum „ante mensem certiorem facere: quòd si Præfecta certiorem Episcopum non fecerit; quamdiu Episcopo videbitur, „ab officio suspensa sit."

II. Ex verbis Decreti sat manifestum est, non tantùm ante professionem, sed etiam ante habitûs susceptionem, puellam majorem annis duodecim ab Episcopo ejusvè Commissario examinandam esse; & ita sæpius à S. Congregatione decisum esse refert post Piasecium, Zerolam aliosque Fagnanus ad *Cap.* CUM VIRUM ⁓ *De Regularib.* Et ita mandat fieri Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 24. *c.* 7. Unde & duplex extat formula examinis, juxta quam in hac Mechliniensi Diœcesi Commissarius Episcopi puellam, tum ante susceptionem habitûs, tum ante professionẽ interrogare debet.

III. Credit quidem Diana, uti refert Zypæus, " consuetudine obtentum, ut unicum in professione sufficiat, non „tamen, ait Zypæus, illa est ubique uniformis: sed magis re„verentes Canonum Sacrorum utrumque examen observant." In Jure novo *Tit. De Regularibus.*

IV. Utrumque examen etiam requirit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 10. *cap.* 20. additque: *Etiamsi Monasterium sit exemptum;* quòd non tantùm S. Congregatio sæpius declaravit, sed etiam quotidiana & notoria praxis confirmat, juxta quam Commissarius Episcopi solet vocari ad examinandas puellas professuras in Monasteriis etiam *exemptis*, & quæ Regularium directioni & jurisdictioni subsunt.

Examen circa tria potissimum institui vult Synodus Tridentina.

V. Primùm quidem circa libertatem ac piam voluntatẽ puellæ habitum suscepturæ, aut professionem emissuræ.

Hunc in finem vult Synodus P. II. Mechliniensis, ut Episcopus ejusve Commissarius, non aliter puellas examinet, *quàm eas solas esse certò cognoscat:* ut hoc pacto major sit puellæ, omnia quæ in corde habet, eloquendi libertas.

VI. Quin addit S. Carolus in Synodo P. Mediolanensi V. „ Quòd si causa sit, probabilisvè Episcopi judicio suspicio, „ quamobrem potius esse censuerit, ut etiam à septis Mo„nasterii puella egrediatur, & ut alio loco ejus voluntas per„quiratur, tunc vel in Ecclesiam Monasterii exteriorem, „ vel in aliam proximam, prout commodiùs, decentiusvè fi„ eri viderit, illam perduci jubeat."

Itaque Episcopi judicio permissum credidit S. Carolus, ut eo loco puellam examinet, quo pro indaganda ac assequenda ejus sincerâ voluntate ac intentione opportunius judicaverit.

VII. Pro assequenda faciliùs recta ac pia puellæ in assumenda vita Religiosa intentione & voluntate, meritò ante omnia examen instituitur circa motivum, quo inducta fuit ad hunc statum; ubi prudens ac sagax Commissarius per interrogationes ac responsiones facilè deprehendet, num humana consideratio sese non nimis immisceat.

VIII. Deinde inquiret, à quo tempore cœperit hanc resolutionem; exponendo, quàm periculosum sit, hujusmodi statum stabilem ac perpetuum præcipiti resolutione arripere; ideoque ulteriùs seriò interrogabit, an saltem super negotio tanti momenti maturè deliberaverit, & consilium cum proprio Confessario, aut alia persona gravi cæperit. Hic meritò advertet Commissarius num Confessarius, aut persona cui consilium communicavit, non habeat interesse, ut persona Religionem ingrediatur; aut sit satis doctus & prudens qui sanum consilium det; de quo indubiè per Commissarium puella monenda ac instruenda est.

IX. Diligenter ac summa cum sagacitate exploranda, num nullus metus, saltem reverentialis ex parte parentum aut consanguineorum, ut minùs indirectè vel obliquè interveniat: quod eo diligentiùs inquirendum, quo circumstantiæ magis aut minus metũ hunc insinuant: v. g. quòd sit familia quidem illustris, aut juxta vulgi existimationem notabilis, sed multis prolibus gravata, nec sufficiens, quæ omnibus prolibus honestè secundùm mundi existimationem in statu Matrimoniali provideat.

X. Ulteriùs interroganda puella, an sciat, quid agat, & ad quæ per Religionis professionem sit obliganda; an Regulam & statuta ac austeritates Religionis expenderit. An expenderit, quid sit vovere perpetuam castitatem, paupertatem obedientiam, clausuram &c.

XI. Hæc sunt præcipua puncta præscripta in formula examinandi Novitias ante professionem & susceptionem habitûs. Regularis in hac Provincia Mechliniensi, quæ tamen parum ad dignoscendam voluntatem ac vocationem Novitiæ valebunt, nisi ipse Commissarius non tantùm probè sciat quid contineant, & ad quid obligent tria vota Religionis juxta mentem Patrum & Regulæ; sed etiam sciat ea breviter & perspicuè Novitiæ explicare, atque ostendere, quod non sufficiat, vota ac Regulam, quam vovere intendit, observare prout in nonnullis relaxatis Monasteriis observatur; sed vota esse exsolvenda, prout verè coram Deo sonant & Regula præscribit.

XII. Hinc S. Carolus in prima sua Synodo Provinciali vult, ut Commissarius Episcopi " Novitiæ demonstret, „ quàm gravis ea res sit, quàmve multas res tria illa Religi„ onis vota requirant, ut vinculi vim intelligat, quo se ob„ stringi vult."

XIII. Ex quibus patet, quàm Episcopi soliciti esse debeant, ut prudentes ac experti doctique Commissarii ad hoc exa-

examen deputentur, ne aliàs saluberrimum hoc Concilii Tridentini Decretum inanè planè reddatur; nihilque exinde proveniat, nisi aliquis nummus aut munusculum in commodum Archi-Presbyterorum aut aliorum Commissariorum.

XIV. Secundò inquiri vult Synodus Tridentina, num puella *habeat conditiones requisitas juxta Monasterii illius & Ordinis regulam*: quod in dubiè tam de conditionibus corporis, quàm animæ intelligendum est: idque non tantum ut sustineat regulam prout forsan in Monasterio à relaxatis aliquibus servatur, sed prout ea juxta normam professionis servanda est.

XV. Tertiò ex præscripto Synodi Tridentinæ inquirendũ à Commissario Episcopi, an *Monasterium sit idoneum*, hoc est, tale sit, in quo ea sit Regularis disciplina, ut meritò sperari queat, quod in illo ipsa puella vota sua exactè exsolvere, & vitam Religiosam sine salutis discrimine agere queat.

XVI. Quid enim si Episcopus ejusve Commissarius intelligat, omnes aut plerasque Moniales in illo Monasterio *peculia* possidere, atque vitio proprietatis infici, aliave vitia & regularis disciplinæ relaxationes ibidem inolevisse? nonne meritò judicabit, Monasterium illud esse *inidoneum* in quo ipsa puella securè vota sua exsolvat, & vitam religiosam agat? adeoque puellam jure meritò monebit, ut attendat, an inter Moniales & Sorores à regula sua recedentes poterit ipsa regulam inviolatam observare.

XVII. Sic legimus apud Fagnanum ad *Cap.* MONACHI *De Statu Monach.* quod S. Congregatio Cardinalium in pluribus Monasteriis Monialium, in quibus ex relatione Episcoporum intellexerat non servari vitam *communem*, inhibuerit receptionem puellarum ad professionem; *periculosum* existimans profiteri in Monasterio, in quo Moniales omnes essent proprietariæ.

Quidni quoque Episcopus ejusve commissarius præsertim in Monasteriis *exemptis* attendat ad Confessarios & Directores spirituales ipsius Monasterii? Quis enim nescit, quod ab idoneitate aut inidoneitate illorum pro magna parte dependeat bonum vel malum regimen Monialium; quodque graves molestias experiantur, si malos aut saltem parum idoneos Directores sortiantur: ut meritò etiam de hoc puncto puella moneatur; ubi seriò expendat, num difficultates, quæ hoc ex capite non raro oriuntur, sustinere poterit; ac sufficienter ponderaverit.

TITULUS XXVI.

De Simonia circa ingressum Religionis.

CAPUT I.

Est Simonia aliquid exigere pro sustentatione Professuri, dum Monasterium est sufficiens.

1 *Disciplinam Monasticam multùm enervat temeraria & praceps ad Religionem admissio.*

2 *Ne hoc fiat cavenda est omnis temporalis lucri ex admissione cupiditas.*

3 *Connexio hujus materiæ cum præcedenti.*

4 *Aliquem admittere ad Religionem* amore pecuniæ *Simoniacum est.*

5 *Pro admissione ad Religionem pecuniam accipere est æquè Simoniacum, ac eam exigere ad Canonicatum.*

6 *Simoniacum est exigere pecuniam pro sustentatione Professuri, quando Monasterium est* sufficiens.

7 *Eâdem ratione quâ illicitum est vendere præbendam annexam Canonicatui, etiam illicitum est vendere jus sustentationis, quando Monasterium est sufficiens,*

8 *Jus sustentationis annexũ est admissioni ad professionem,*

9 *Primò ex intentione Fundatorum,*

10 *Secundò ex mente Ecclesiæ.*

11 *Admissus ad professionem etiam consequitur jus ad sustentationem.*

12 *Nihil potest accipi pro jure sustentationis, quin una censeatur acceptum pro admissione ad professionem.*

13 *Probatur ex Gratiano.*

14 *Dum quis* gratis *admissus est ad Religionem, nihil potest accipi titulo sustentationis.*

15 *Proponitur novus titulus quo aliqui exactiones dotium à Simonia vindicare volunt.*

16 *Primum argumentũ quo tituli illius infirmitas ostenditur.*

17 *Secundum argumentum.*

18 *Tertium argumentum.*

19 *Quartum argumentum.*

Nihil esse quod ipsam disciplinam Monasticam, ipsamque Religionem ita natum sit enervare, imò pessumdare ac totaliter corrumpere, quam indiscretam ac præcipitem ad Religionem non satis probatorum admissionem tit. do præcedenti notatum fuit ac uti ostensum, nihil adeo à Monachorum Patribus & Ecclesiæ Prælatis inculcatum, quàm postulantium atq; Novitiorum sedula probationem & diligens circa mores & vocationem illorum examen.

II. Ut verò justum de vocatione & idoneitate postulantium ac Novitiorum formetur judicium, summopere cavendum, ne judicium per spem aliquã lucri vel commodi temporalis ex admissione Postulantis aut Novitii consequendi corrumpatur; atq; hinc contingat, ut non tam morum integritas ac vocationis signa in ipso Postulante expendantur, quam commodum temporale quod ex ejus admissione speratur: Nam uti in simili notat S. Gregorius, amor pecuniæ facit, ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla de vita discussio; sed solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur. *Lib.* 7. *Epist.* 111.

III. Priusquam ergo de ipsa Religiosa professione agam, prius de Simonia, ex ipsa pecuniæ cupiditate seu avaritia profluente, agendum credidi; quam vel eo titulo studiosè cavendam in admissione ad Religionem, & Ecclesiæ Canones & Monachorum Regulæ ac Constitutiones inculcant, quod per eam contingat, ineptiores non rarò ad religionem admitti, & capaciores excludi.

IV. Amore pecuniæ alicui Religionis ingressum annuere cui ille negatus fuisset, si pecunia sine illa persona haberi potuisset; ita ut consequenter persona ad Religionem admittatur *propter pecuniam*, Simoniacum esse cum S. Bonaventura tradunt Theologi & Canonistæ.

„Frequenter contingit (ait S. Bonavent. in Libello *Apol.*
„ *qu.* 18.) ut personam recipiant *amore pecuniæ*, ita, quod si
„ possent illam pecuniam habere sine persona istâ, non reci-
„ perent personam; sed ut habeant pecuniam, personam
„ recipiunt, & hoc penitus impurum est & *Simoniacum*; quia
„ ibi pecunia *causa* est *receptionis* personæ & non è conver-
„ so. Ubi ergo recipitur *propter pecuniam*, *Simonia per se est*,
„ quia ibi venditur spirituale, id est, consortium spiritualis
„ societatis pro temporali, scilicet pro pecunia.

V. Imo si pro ingressu Religionis, seu admissione ad consortium spiritualis Societatis, sive vitæ Monasticæ pecunia exigatur, æque expeditum est apud omnes, Simoniam committi à Religiosis exigentibus; non secus atque à Canonicis exigentibus pecuniam pro admissione alicujus ad Canonicatum sive consortium spiritualis Societatis Canonicalis.

VI. Illud quoque expeditum est, quod sicuti Patronus aut Collator Canonicatus est Simoniacus, atque ipsum Canonicatum vendere censeatur, si pecuniam non quidem directè & principaliter exigat pro Canonicatu, sed propte-

Digitized by Google

præbenda temporali, seu jure recipiendi temporalia emolumenta Canonicatui annexa, ita quoque Simoniam committi à Monasteriis *opulentis* seu *sufficienter dotatis*, si à Postulantibus admitti ad religionem exigant pecuniam, non quidem directè & principaliter pro *ipso ingressu*, sed pro *sustentatione* sive alimentatione, quam ei post professionem, tamquam uni de communitate Monasterium subministrare tenebitur.

VII. Ratio enim ob quam Patronus sive Collator Canonicatus per hujusmodi exactionem fiat Simoniacus, hæc est, quod Præbenda seu jus percipiendi temporalia sit ita annexum Canonicatui, ut Canonicatu obtento necessariò illud sequatur; adeoque Canonicatu *gratis* obtento, etiam unà obtineatur jus percipiendi temporalia, tamquam ipsi Canonicatui inseparabiliter ex constitutione Ecclesiæ & mente Fundatorum annexum: ita ut de similibus sibi mutuo eo modo annexis & se concomitantibus rectè dixerit S. Thom. 2. 2. q. 100. art. 4. *Rebus istis venditis, etiam spiritualia venditioni subjici.* Quia, teste Paschali II. in *Can. 7. caus. 1. q. 3. Quisquis horum alterum vendit sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

VIII. Porrò jus ad sustentationem non minus annexum esse admissioni ad Religionem, sive professionem Religiosam non minùs tribuere jus ad alimentationem ex proventibus Monasterii ipsi Professo, quàm admissio ad Canonicatum tribuit jus ad præbendam temporalem Canonicatui annexam, ipsa conditio proventuum Monasticorum, sive mens Fundatorum, sive ipsius Ecclesiæ præscripta attendantur, evincit.

IX. Ea enim est, & semper fuit Fundatorum ac dotantium Monasteria intentio, illudque desiderium, ut ex rebus eorum temporalibus alerentur ii, qui omnibus renuntiantes, tamquam *pauperes* in hoc sæculo Christo unicè vivere volunt, quemadmodùm piè ac doctè exponit S. Augustinus in *Ps. 103.* & ex omnium penè Fundatorum atque dotationum antiquis monumentis est manifestum; eamque præ cæteris fusiùs ac luculentiùs in suo testamento expressit Piissimus Cluniacensium Fundator Gulielmus Dux Aquitaniæ: qui postquam diutius secum deliberasset, quâ ratione per temporales sibi datas divitias æternas mercari posset, dicit: "Hoc nullâ specie vel modo fieri posse videtur, nisi ut juxta „Domini præceptum amicos mihi faciam *pauperes* ejus: „utque hujusmodi actio non ad tempus, sed continuè peragatur, *Monasticâ* professione congregatos ex propriis „sumptibus sustentem. Eâ siquidem fide, eâ spe, ut quamvis „ipse cuncta contemnere nequeam, tamen dum mundi contemptores, quos justos credo, suscepero, justorum mercedem accipiam.... Præcipimus siquidem, ut *maximè* illis „sit hæc nostra donatio ad perpetuum refugium, qui *pauperes* de sæculo egressi, *nihil* secum *præter bonam voluntatem* attulerint, ut *nostrum supplementum* sit *abundantia* illorum."

E quibus perspicuum est, intentionem pii Fundatoris fuisse, ut his bona sua essent in sustentationem & supplementũ, qui *pauperes* de sæculo egressi non pecuniam, aut aliud quidpiam temporale, sed *bonam* solummodò *voluntatem* secum attulerunt.

X. De hac Fundatorum mente persuasus S. Gregorius scribit ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum: "Alicui „Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam „disciplinæ aliquid molestiæ inferatis. Aut si quid illic pro „diversorum devotione accesserit, vobis vindicare æstimetis: *Cùm Monachis ibi servientibus debeat proficere* „*quidquid à fidelibus taliter offerri contingit.*" Refertur in *Cap. 1. ff. De Statu Monach.*

Deinde quidquid ex labore aut industria aliovè titulo Religiosis obvenit, non ipsis Monachis *in particulari*, sed ipsi Monasterio seu Communitati acquiritur; ut in omnium, qui de Communitate sunt, necessitates cedat; juxta illud Canonistarum vulgare axioma: *Quidquid Monachus acquirit, Monasterio acquirit.*

XI. Quæ ostendunt rectè jam pridem notasse Dionysium Carthusianum *Lib. 1. De Simonia art. 11.* "Quod (Re„gulares) recipiendo ad Ordinem seu vitam Monasticam, „recipiant eum ad vitam communem & *eorum* quæ ha„bent faciant *eum participem* secundùm institutionem & „intentionem SS. Patrum, qui Ordines fundaverunt."

XII. Cum ergò Monachi vi suæ professionis & admissionis ad Societatem Monasticam consequantur jus vivendi ex bonis Monasterii, æquè ac Canonicus vi suæ admissionis adipiscitur jus ad præbendam, consequens est quòd, si quid pro jure alimentationis seu sustentationis ab Ingrediente exigatur, nec ipsum quoque ingressum *gratis* dari; atque hic quoque applicari posset illud dictum Paschalis II supra relatum: *Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit.*

XIII. Neque hic illud applicare jam pridem dubitavit Gratianus noster: "Sed adhuc objiciunt, ait, quòd qui ingrediendi „Monasterium pecunias tribuunt, *non propositum* Religio„nis, sed *participationem stipendiorum* Ecclesiæ emunt. „*Temporalia* ergo, non spiritualia ementes, nequaquam „Simoniaci habendi sunt. His itaque respondetur, non so„lùm qui *spiritualia*, sed etiam qui *temporalia eis annexa* „*pretio* accipiunt vel tribuunt, *Simoniaci* judicantur." Hæc Gratianus *Caus. 1. q. 3.* qui in suæ dictionis confirmationem, inter cæteras Patrum & Canonum auctoritates, jam allegatum Paschalis II. dictum adducit.

XIV. "Itaque spiritualibus (scilicet admissione ad Ordi„nem & professionem) primò *gratis* exhibitis, non possunt „Religiosi (ait Dionysius Carthusianus *Lib. 2. De Simo„nia art. 4.*) à recepto aliquid temporale exigere per mo„dum *debiti* persolvendum aut exhibendum, nec tamquam „pretium Religionis, nec *tamquam sustentaculum vitæ*, „ad quod exhibendum *jam seipsos* obligaverunt."

XV. Sunt nonnulli qui Simoniam committi fatentur, si vel pro religionis ingressu, vel pro *sustentatione* ingressi post professionem *temporale* quidquam exigatur, sed secus, inquiunt, *si ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professum poterit, & liberetur ab incommodis ex alimentatione professuri secuturis.*

XVI. Sed nonne, dum aliquid exigitur à Professuro, ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit, reipsa exigitur pro sustentatione vel alimentatione, ipsi Professuro tamquam uni de communitate ex proventibus Monasterii subministrandâ?

XVII. Num quisquam credat, Simoniam non in verbis dumtaxat consistere, si dicamus, Simoniam committi, dum ab ingrediente aliquid exigitur pro sustentatione, nequaquã verò committi, si exigatur *ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professurum poterit?*

XVIII. Insuper si hoc colore exigere liceat; atque simili formatione intentionis, & verborum adornatione & expressione exactiones rerum temporalium à labe Simoniacâ eximi possint; nonne non inutilia dumtaxat, sed & ridicula reputanda tot Ecclesiæ Decreta, & Monachorum statuta, quibus cavetur, ne ab iis qui ad Religionem transire volunt, aliqua pecunia exigatur; quibus itidem districtè inhibetur Religiosis universis, ne à volentibus ingredi eorum Monasteria, nec ante nec post receptionẽ, pecunias aut res alias, etiã ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usũ deputatas vel deputandas directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant; quemadmodũ loquitur Extravagans *Sane in vinea, De Simonia*, nec non alia Decreta inferius citanda.

XIX. An dicemus, Monasteria illa *gratis* ad Religionem postulantes admittere; eo quod Religiosi sciant suam formare intentionem, quòd non exigant pro admissione ad Religionem aut sustentatione Professuri, sed ut *Monasterio provideatur de mediis undè sustentare Professurũ poterit?*

XX. Denique quid opus erat tot iteratis Decretis ad eliminandam hanc Simoniam, si Ecclesia credidisset, monasteriorum Superiores & regulares exigentes & stipulantes pecuniam seu dotem ab Ingressuris à Simonia immunes, modò intentionem suam formarent, se pecuniam non exigere pro receptione ad Religionem, aut sustentatione Ingressuri post pro-

professiones, at solùm ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare Professum poterunt, & liberetur Monasterium ab incommodis ex alimentatione Professuri sequuturis? Quid enim movere potuisset Regulares, ut hac formatione intentionis à Simonia non abstinuissent? cum nihil minus pecuniæ aut commodi temporalis, quod unicè intenditur, habuissent.

Utinam illi, qui hujusmodi verborum formulis & intentionem restrictionibus Sacris Canonibus & Ordinum suorum Statutis illudunt, attendant ad illud Apostoli: *Deus non irridetur.*

CAPUT II.

An titulus paupertatis *exactiones* dotiũ justificet?

1 *A multis sæculis Regulares palliare voluerunt exactiones Simoniacas titulo paupertatis.*

2 *Frequenter prætexitur paupertas Monasterii, quæ revera non subest.*

3 *Plura Monasteria videntur insufficientia, quia proventus malè impendunt.*

4 *Falsò creditur: quòd supellectilem, mensam, aliaque liceat augere auctis proventibus.*

5 *Unde proveniat, quòd Monasteria quædam quò ditiora, eò majorem dotem requirant?*

6 *Exigere aliqua ultra necessaria ad sustentationem Professuri in commodum Monasterii est Simoniacum; etiamsi Monasterium sit* pauper.

7 *Fœda Simonia est exigere pecuniam pro extruendis conviviis in die vestitionis aut professionis.*

8 *Non excusantur à Simonia Monasteria, si exigant pecuniam in communes Monasterii necessitates.*

9 *Monasteria etiam insufficientia incurrunt Simoniam quia personam recipiunt propter pecuniam.*

10 *Ostenditur quod Ecclesia potuerit generaliter inhibere omnem temporalium exactionem.*

11 *Quòd titulum paupertatis excluserit, probatur ex generalitate Canonum.*

12 *Probatur ex Extravagante* Sane in vinea.

13 *Hæc Extravagans clarissimè titulum paupertatis excludit.*

14 *Extravagans illa in plurium Ordinum Constitutionibus observari præcipitur.*

15 *Plures Pontifices illam innovàrunt.*

16 *Probatur quòd Concilium Lateranense sub Innocentio III. titulum paupertatis excluserit.*

17 *Idem probatur ex Constitutionibus Patrum Eremitarum S. Augustini.*

I. PLures à Regularibus præsertim mulieribus sub prætextu *paupertatis* Simoniacas exactiones in receptione ad Religionem jam pridem exercuisse testatur Synodus Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 40.
2 *De Simonia* his verbis: "Quoniam Simoniaca labes adeo *plerasque* Moniales infecit, ut *vix* aliquas *sine pretio* recipiant in Sorores, *prætextu paupertatis* volentes hujusmodi vitium *palliare* &c."

Num hic verus an falsus fuerit *paupertatis prætextus* parum refert, hoc constat, Moniales illo prætextu Simoniacas suas exactiones teste ipsa Synodo, voluisse palliare.

Et circa idem tempus de Monialibus sui temporis scribit Jacobus à Vitriaco Cardinalis Historiæ Occidentalis *c.* 15. "quæ *passim* & *publicè* pro miserabili Cœnobiorum ingressu pecuniam exigebant, allegantes *suam paupertatem*, & de Simoniæ pessimo crimine non curantes, domum orationis in forum negotiationis convertebant."

Multis autem titulis contingit falsum atque infundatum esse paupertatis prætextum.

II. Primò, quod paupertatem ac insufficientiam Monasterii prætexant, quæ revera non subest, eo quod multa prætendant esse necessaria, quæ necessaria non sunt.

"Religiosi, ait Dionysius Carthusianus, si sub *paupertatis colore* aliquid volunt à recipiendis aut receptis personis exigere, imprimis considerent, quæ, ut ait Dominus Antisiodorensis in Summa sua, *parcitas* seu *tenuitas* victûs atque vestitûs voto paupertatis indispensabiliter est annexa: imo & secundum Philosophos natura paucis minimisque contenta est. Et sicut ad abstinentiam, prout est virtus naturalis & acquisita pertinet non plus de cibo ac potu accipere, quam expedit homini ad usum rationis expeditum, & convenientem naturæ sustentationem; ita ad abstinentiam (ut est virtus infusa) spectat etiam aliquid necessariorum naturæ subtrahere, ut pro peccatis aliqua recompensatio fiat, & Passioni Christi conformet se Christianus per quotidianam quamdam sanguinis sui minorationem, ac sui ipsius salubrem mortificationem. Hinc juxta Apostolum, *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Certumque est istud ad Religiosos potissimum pertinere. Antequam ergo *sub paupertatis prætextu* aliquid exigere audeant, diligenter se ipsos examinent, an ante omnia prætacta jam ritè observent, ne superfluitatem judicent necessitatem, & ne sufficientiam judicent indigentiam: de delicatioribus, abundantioribus, pretiosioribus cibis ac potibus, vestimentis ac cæteris utensilibus, atque ad corpus pertinentibus utantur, quam regula instituit, præcipit seu permittit, & ne dispositione utantur nimis laxa."

III. Indubiè si proventus Monasteriorum juxta Religiosam paupertatem & modestiam impenderentur, plurima Monasteria, quæ indigentiam ac insufficientiam prætendunt, eoque titulo dotes ab ingredientibus exigunt, convenienti numero Religiosorum intertinendo plusquam sufficientia deprehenderetur.

IV. Et unde tot Monasteria abunde fundata & dotata insufficientiam & paupertatem hodie prætendunt? nisi quod persuasum videatur multis Monasteriorum Superioribus, licitum esse pro modo & abundantia proventuum Monasterii supellectilem, nec non mensam Religiosorum ac hospitum augere & splendidiùs lautiusq; instruere; adeo ut in Monasteriis quibusdam opulentioribus, quæ vulgo *Abbatiæ* vocantur, supellex etiam argentea, quin & deaurata conveniens, ac quasi necessaria credatur; cœnacula Abbatum ac hospitũ aulæis tapetibusque, non secus ac Principum aulæ decorata esse oportere: Religiosorum ac Hospitum mensam pro ratione proventuum, ferculorum varietate instructam esse debere supponant. His deniq; Abbatum famulitium atque externum apparatum conformem esse oportere existiment.

Hoc agendi modo, quis miretur, si Monasteria, etiã abundè fundata & dotata, *paupertatem & insufficientiã* prætexant?

Quid enim facilius, quam ita reditus Monasterii impendendo, debitis aliquibus gravari, aut aliis, quin & sibi etiam persuadere, reditus annuos Monasterii non esse sufficientes oneribus ferendis, & impensis quotidianis sustinendis, dum jam semel persuasum sibi habent, eam debere esse vivendi rationem.

V. Ex hac quoque perversa Regularium quorumdam persuasione, originem cœpisse videtur abusus, quem suo tempore communem esse dicebat S. Antoninus in Summa *Lib.*1. *tit.* 1. *c* 5. *n.*18. & nostro tempore deploravit Joann. Wiggers, nimirum: *Quanto Monasteriũ est abundantius, tanto volunt majores dotes.* Cum enim supellex, mensa, totaq; Monasterii instructio proventibus Monasterii abundantioribus commensuretur, etiam majores prætendi posse dotes existimant; ut ita data respondeant aliqualiter recipiendis.

VI. Adhæc si Monasterium sit revera *pauper* ac insufficiens ut ingressum intertineat, paupertatis titulus ipsos Religiosos temporalia à Professuris exigentes à Simonia totaliter non eximet; si non contenti iis quæ alimentationi professuri sufficiunt, plura in commodum ipsius Monasterii extorqueant; uti post alios etiam ipse Navarrus *Tract. de reditibus Eccles.* tamquam indubitatum tradit. "Illud *pro certo* habeant & animadvertant, ait, ex pacto aliud accipere *ultra id quod necessarium sustentationi Monialis* judicio cordatorum censeatur, esse Simoniacum: nam ex pacto nihil aliud possunt accipere præter *illud quod*

alendo

„*alendæ Moniali fit necessarium*, eò quod ei Monasterium præ inopia non potest tribuere. Si ergo aliquid *ultra* acceperint, vel si dolorem exegerint, quando Monasterium posset eam alere, illicitè recipiunt.„

VII. Post hæc subjungit Navarrus„ Quod si hæc vera sunt, quid, quæso, dicemus ad prodigas illas expensas, & profanos apparatus fieri solitos ex pacto tacito, vel expresso, dum vel ingrediuntur Monasterium, vel professionem emittunt? Quid aliud moderatius, quam ut hæc vehementer interdicantur & culpentur, ac puniantur illæ, quæ talia faciunt; Et simul etiam doceantur, quanto honestior appareret cunctis hæc inspicientibus, modesta quædam humilisque temperantia sprituali conjuncta contemplationi, quam pomposa intemperantia mundanæ cuidam admixta voluptati in *funeralibus ejus, quæ per professionem moritur mundo, & nascitur vel excrescit Deo.*

Hunc abusum in Cap. 19. ✠ De Simonia; nec non in *Extrav.* SANE *De Simonia*, aliisque Conciliorum ac Pontificum Decretis frequenter reprobatum, deplorante Christiano Lupo: *Belgica infirmitas etiamnum hodie* AD SÆVA DISCIPLINÆ DAMNA RETENTAT. Utinam Superiores remedium efficax adhibeant.

VIII. Quin & Monasteria etiam *verè* insufficientia ultra necessaria ad alimentationem Ingressuri exigentia Simoniam non evadent, si Joanni Wiggerio credamus, tametsi per illa quæ exigunt, intendant communibus Monasterii necessitatibus occurrere:„ Nam, inquit, non magis potest Monasterium quæstum facere ex admissione aut receptione ad Novitiatum aut Professionem, quam Montes Pietatis possunt facere quæstum ullum ex mutuo, quantumvis essent indigentes & in posterioribus: eaque fundantur, pergit idem auctor, *non in prohibitione humana, sed in jure Divino.*„

IX. Ulterius prætextu paupertatis in Monasteriis *verè* insufficientibus, ac inopiâ laborantibus, committitur Simonia; quia „frequenter contingit ut personam recipiant (inquit S. Bonaventura loco supra citato) *amore pecuniæ*, ita ut si possent pecuniam habere *sine persona* ista, non reciperent personam; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt; & hoc *penitus impurum* est & *Simoniacum*... Et hoc faciunt plerique etiam ex *mera inopia*, optantes aliquem venire cum pecunia, quem reciperent, ut eorum inopia repararetur, vel debita contracta solverentur. De talibus dicit Ecclesiasticus: *Propter inopiam multi deliquerunt.*„

X. Cum ergo titulus paupertatis non rarò falsus sit & ...fundatus, merumque pallium ad tegendas Simoniacas ...ctiones; aut certè plures eo abutantur, atque in Simo...cas pactiones ejus occasione incidant, satis apparet ...ud meritò Ecclesia potuerit prætextum hunc Religiosis ...pere; atque ut ab omni pactione & exactione Simonia...ejusque periculo, & suspicione sint remotiores, & tuti, ...cipere, ut nullam, etiam *tit. paupertatis* in admissio... ad Religionem pactionem stipulationemvè interpo...; tametsi casu aliquo per se & ex natura sua posset es... ...tum, ut Monasterium *verè* insufficiens ab ingressuro ...eret, ut necessaria suæ alimentationi subministraret; ...eretque se non aliter admittere posse, eò quod Mona...um revera destituatur mediis temporalibus alimenta... ...ejus necessariis: quæ si adessent, libenter *gratis* ad...erent: nec quidquam ex ejus velint admissione lucrari. ...i tamen quis attendat, quam facile in Simoniacas, fu...tas ac scandalosas exactiones Monasteria incidant, si ...lus paupertatis admittatur, non difficulter intelliget, ...n meritò Ecclesia omnem in admissione ad Religio... ...pactionem atque exactionem prohibuerit; neque ...lum paupertatis in ullo suo Decreto tamquam suffici... ...n ad justificationem hujusmodi exactionis admiserit; ...d & revera fecisse multis argumentis probari po...

XI. Omnia imprimis decreta has exactiones proscri...ntia generaliter ac indistinctè loquuntur; nulla inter opulenta & non opulenta Monasteria factâ distinctione.

Imprimis Synodus Nicæna II. *Can.* 19. deplorat tantam execrabilem avaritiam Ecclesiarum Præfectos invasisse, ut nonnulli eorum virorum ac mulierum, qui Pii ac Religiosi dicuntur, Domini mandati obliti fallantur, & eos qui ad vitam Monasticam accedunt, pecuniâ admittant; ac deindè indistinctè in eos advertens, decernit:„ Si quis inventus fuerit hoc facere, si quidem sit Monasterii Præfectus ex Sacerdotali Ordine deponatur; sin autem Præfecta, à Monasterio extrudatur, & alii Monasterio tradatur ad subjectionem.„

Concilium Turonense anno 1163. sub Alexandro III. in *Cap.* 8. ✠ *De Simonia*, rursus generaliter ac indefinitè ita loquitur.„ Non satis utiliter in populo avaritia redarguitur, si ab his qui in Clero constituti videntur, & *præcipuè* qui *contempto* sæculo Religiosum nomen profitentur & regulam, modis omnibus non cavetur. Prohibemus igitur, inquit, ne *ab iis* qui ad religionem transire volunt, *aliqua* pecunia *requiratur*.„

Et in Concilio Lateranensi III. sub eodem Pontifice in *Cap.* 2. ✠ *De Statu Monach.* indistinctè iterum dicitur: *Monachi non pretio recipiantur in Monasterio.*

XII. His generalibus Conciliorum Decretis insistens Urbanus V. in *Extravag.* NE IN VINEA *De Simonia de communib.* Universis Abbatibus, Prioribus, Decanis, Præpositis & Magistris, nec non Abbatissis & Priorissis, aliisq; Prælatis, quovis nomine nuncupatis, & eorum Officialibus quarumcunque etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & locorum quorumlibet, Religionum, Ordinum etiam militarium, tam exemptorum quam non exemptorum, quocumque nomine censeantur, ac Capitulis & Conventibus & singularibus eorum, tenore præsentium auctoritate Apostolica (*quamvis* ait, *sit vis à jure inhibitum*) districtius inhibet," ne tam à maribus quam à mulieribus volentibus ingredi eorum Religionem, Ecclesias, Monasteria, Prioratus, Domus seu loca, in earundem personarum receptione, aut ante aut post illam quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia, aut res alias etiam ad usum Ecclesiasticum, seu quemvis pium usum alium deputata, vel deputanda, directè vel indirectè petere vel exigere quoquo modo præsumant. Sed eas potiùs cum omnimoda pietate recipiant, ac in victu & vestitu sicut alias personas suarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Domorum & locorum sincera charitate pertractent: illa dumtaxat quæ personæ ipsæ ingredientes purè & spontè, & plenâ liberalitate, omnique pactione cessante dare vel offerre Ecclesiis, Monasteriis, Prioratibus, Domibus, & locis hujusmodi voluerint, cum gratiarum actione licitè recepturi."

Quomodò clarius & expressius omnem quemcumque prætextum aut titulum excludere potuisset Pontifex. Undè Dionysius Carthusianus *Lib.* 1. *De Simonia, art.* 14. de hac Urbani Constitutione agens dicit, eam tam evidenter excludere titulum *paupertatis*, ut verba *nullam recipiant evasionem aut palliationem.*

Et *Lib.* 2. *art.* 10. ait, quod "Urbanus V. tam evidenter, imò *clarissimè*, omnifariè & rigorosè prohibuit omnem hujusmodi exactionem directè indirectève factam, sive sub ratione pretii, sive colore *indigentiæ & sustentaculi vitæ*, ut constitutio illa nullam prorsus recipiat *inflexionem, retorquentiam, epykizationem seu interpretationem ad oppositum*, quemadmodum luce clariùs ex verbis ipsius est demonstratum. Quam etiam Urbani constitutionē, pergit prædictus Doctor, confirmavit successor ejus Greg. absq; exceptione & interpretatione, Ideò dato, inquit, (N.B.) quòd *Thomas, Raymundus, Joan. & qui ante Urbanum V. fuerunt.* intenderint dicere, quod aliquid *per modum sustentaculi vitæ exigi possit* à persona recipienda seu recepta, & quod hoc *non sit Simòniacum ex sua natura*, attamen omnia illorum scripta & dicta cessant atque solvuntur per hoc quod Dominus Apostolicus post eos determinavit & jussit oppositum, per cujus diffinitionem & prohibitionem

„prohibitionem omnis talis exactio, quæ per verba „Doctorum jam prædictorum à quibusdam licita probatur ac reputatur, absolutè prohibetur, imò & *Simoniaca* esse censetur, itaque Simoniaca est ad minus de *jure* „*positivo*, ut puta, *quia prohibita*."

Hanc Constitutionem Urbani amplexi Canonici Regulares Capituli Windesemensis statuerunt: " A Novitiis „nec vestis, nec *aliud aliquid exigatur*, ne exigens, quod „absit, illius Extravagantis Domini Urbani quæ incipit, „NE IN VINEA, pœnam incurrat." *Parte* 3. *c.* 1.

Canonici Præmonstratenses anno 30. hujus sæculi decernunt: "Ut si supplicantes admitti ad Ordinem, exami„nati & probati, sui Ordinis convenire putentur, exclu„sa omni Simoniâ, & Constitutione Urbani Papæ quæ „incipit, NE IN VINEA DOMINI &c. *integre* observa„tâ admittantur."

Hæc Extravagans tam dilucidè & specificè omnem prætextum aliquid ab Ingredientibus *exigendi* excludit, ut Dionysius Carthusianus de ea loquens dicere non vereatur, verba adeò clara & plana esse, ut *nullam recipiant evasionem aut palliationem* Lib. 1. De Simonia *art.* 24. Et *lib* 2. *art.* 10, ait, quòd Urbanus V. tam *evidenter* imo *clarissime* omnifariè & rigorosè prohibuit omnem hujusmodi exactionem directè *indirectève* factam sive sub ratione pretii, sive sub colore *indigentiæ* & *sustentaculi vitæ*, ut Constitutio illa nullam prorsus recipiat inflexionem, retorquentiam, epykizationem seu interpretationem ad oppositum, quemadmodum *luce clariùs* ex verbis ipsius est demonstratū. Hæc ille, qui deinde subjungit: "Quā Con„stitutionem confirmavit successor ejus Gregorius abs„que exceptione & interpretatione. Ideò dato, inquit, [NOTA BENE] quòd *Thomas, Raymondus, Joannes*, & „*qui ante Urbanum V. fuerunt*, intenderint dicere, quod „aliquid per *modum sustentaculi vitæ exigi posset* à perso„na recipienda seu recepta, & quod hoc *non sit Simonia*„*cum ex sua natura*, attamen omnia illorum scripta & „dicta cessant atque solvuntur per hoc, quòd Dominus „Apostolicus post eos determinavit & jussit oppositum, „per cujus diffinitionem & prohibitionem omnis talis „exactio, quæ per verba Doctorum jam prædictorum à „quibusdam licita probatur ac reputatur, absolutè prohi„betur, imò & *Simoniaca* esse censetur, itaque Simoniaca „est ad minus de *jure positivo*, ut puta, *quia prohibita*.

Adhæc si Concilium Lateranense in *Cap.* 40. ✠ *De Simonia*, titulum *paupertatis* sufficientem existimasset, ut Moniales ab Ingredientibus dotem sive pecuniam pro alimentatione exigere, atque de ea stipulari citra Simoniam possent, quomodò omnes illas Moniales tam dantes, quam recipientes sine *ulla distinctione* aut *inquisitione*, num Monasterium *revera* esset *insufficiens*, potuisset Concilium tamquam *Simoniacas* damnare, gravissimis pœnis subjectas declarare? cùm omnes illæ Moniales exactiones illas *prætextu paupertatis* vellent palliare; hoc est, non secùs ac hodie titulum *paupertatis* in justificationem harum exactionum allegarent. Neque dubium videtur, si Synodus credidisset, titulum *veræ paupertatis* sufficientem, ut actiones illas ab omni labe Simoniæ purgaret, quin plures è Monialibus illis se à culpa potuissent probare immunes. Quis enim dubitet, etiam eo tempore Monasteria aliqua fuisse æquè ac hodiè indigentia & insufficientia; & quæ consequenter exactiones suas justificare potuissent; si titulus paupertatis tanquam legitimus agnitus fuisset.

Similiter non apparet dubitari posse, quin sub initium currentis sæculi, in Ordine PP. Eremitarum S. Augustini fuerint Conventus non minùs quàm hodie paupertate gravati, & tamen sine ulla distinctione inter opulenta & insufficientia sive indigentia, anno 25. hujus sæculi, generaliter " *omnibus* & singulis Prioribus & quibuscumque Su„perioribus, ac aliis Fratribus nostræ Religionis, inquiunt „strictè præcipimus & mandamus, *ut nullus ex eis fratrem* „*aliquem ad Ordinem recipiat, vel recipi faciat vel ut re*„*cipiatur consentiat vel permittat*, RE ALIQUA AC„CEPTA VEL DETENTA, VEL PACTIONE ALI„QUA INTERVENIENTE TACITA VEL EXPRES„SA: quod si quis immemor suæ salutis contra fecerit, si „officium habuerit cum cura animarum, ipso facto sit tali „officio privatus, & ad aliquod officium cum prædictâ cu„ra in nostro Ordine nullatenus assumatur, nisi super hoc „secum per Capitulum generale fuerit dispensatum, & „per quinquennium voce activa & passivá careat. Qui„cumque verò Frater subditus inveniatur Simoniam in „eodem casu commisisse, eidem pœnæ subjaceat, & pœ„nā gravioris culpæ per mensem sustinere cogatur."

CAPUT III.

Media convenientia ad exstirpandas pactiones Simoniacas.

1. *Convenit ut amputetur prætextus* paupertatis.
2. *Non facilè admittenda Monasteria non sufficienter dotata.*
3. *Sententia S. Caroli super hoc articulo*
4. *Votum Christiani Lupi de eodem articulo.*
5. *Non admittendi plures ad Religionem, quam à Monasterio ali possunt.*
6. *Quid circa hoc decreverit Synodus Tridentina?*
7. *Synodus suo Decreto omnia Monasteria, etiam Mendicantium, complectitur.*
8. *Quid sint* consuetæ eleëmosynæ *ex mente Synodi?*
9. *Synodus per suum Decretum palam exclusit titulum* insufficientiæ.
10. *Probatur ex Synodis particularibus post Synodum Tridentinam celebratis.*
11. *Pontifices Decretum Synodi Tridentinæ sæpiùs innovarunt*
12. *Primū incommodū quod ex his exactionibus provenit.*
13. *Secundum incommodum*, 14. *Tertium incommodum*
15. *Quartum incommodum.*
16. *Ostenditur æquitas Decreti Tridentini de non admittendis pluribus, quam ali possunt è proventibus Monasterii.*
17. *Non semper utile est Religioni, multiplicari numerum Religiosorum.*
18. *Canones exactiones dotium vetantes* perpetuam *rationem habent.*
19. *An per consuetudinem dici possint abrogati?*
20. *Quid de dotibus Monialium senserit S. Carolus?*

I. Unicum penè prætextum exigendi dotes ab ingredientibus Religionem esse aut prætendi Monasterii *paupertatem* aut insufficientiam ad alendum ingressurum ex communibus Monasterii obventionibus, suprà ostensum est. Quapropter præcipuum adversus Simoniacas hasce exactiones remedium est, auferre, sive amputare hunc paupertatis prætextum.

II. Hunc in finem conveniet, ut Episcopi aliique ad quos novi Conventûs admissio spectat, nullos novos, præsertim Monialium, admittat, nisi constet, convenientem Monialium numerum vel ex reditibus Monasterii, vel consuetis eleëmosynis posse sustentari.

III. Sanctus Carolus tantoperè hanc in Monasteriis sufficientiam judicavit necessariam, ut in primo ejus concilio Provinciali Decretum sit: " Monasteria in quibus duode„cim non sunt, quæ professæ velo utantur, quæque eum „numerum propriis fructibus, aut consuetis eleëmosynis „alere non possunt, transferre, & cum aliis Monasteriis „ejusdem aut alterius Ordinis unire studeat Episcopus dili„genter; vocatis ad id Superioribus Regularibus, si modo „res agatur ejus Monasterii, cujus cura ad illos pertineat. „Si verò ejusmodi unio minimè expedire videatur, eum „numerum Monialium tempore interire, & ad nihilum „redigi sinat, adempta omninò illis Monialibus facultate „recipiendi Novitias."

IV. Christianus Lupus, quamvis pacta super dote danda cum ingredientibus aut eorum parentibus interdum licita esse crederet titulo *transactionis super futura hæreditate* per professionem ingredientis ad Monasterium devolvendâ [cujus tituli insufficientiam latè probavi in Dissertatione Canonica De Simonia circa ingressum Religionis] tamen pro animi sui candore fatebatur, pacta illa esse de fœdo isto ulcere [Simoniæ] graviter suspecta, frequen-

frequenterque in facta, esse semper sordida, statui Monastico dedecorosa, immo & graviter perniciosa, ideoque eliminanda. Quid enim, ait, possit esse fœdius, aut perniciosius, quam stipulatâ pecuniâ solos opulentos ad Monasteria admittere? "Quare ob inopiam parentibus & necessarium fratrum & sororum numerum alere non valentibus Monasteriis, servanda est antiqua, quam Regulæ suæ S. Benedictus inseruit Patrum lex, ut spontè oblatum acceptetur, & nihil penitus exigatur. Quam legem diversæ generales Synodi innovarunt, & usque ad paucos abhinc annos Belgium nostrum observavit sanctissimè. Reducenda omninò est illa animi castitas, rogandique Episcopi nostri, ut novis & superfluis, à quibus nobis oriuntur tantæ sordes, præsertim Monialium Monasteriis, non sinant suas Ecclesias gravari."

Hæc ille in responsione ad quæstionem: *Num licita pacta de dote danda ab Ingredientibus Monasterium*, cujus responsionis seu resolutionis originale servatur in Monasterio Carmelitissarum in civitate Alostana; ejusque copiam mihi submisit D. Papenbrochius Ecclesiæ Collegiatæ B. Martini ibidem Præpositus.

V. Alterum remedium eodem collimans subministravit Concilium Arelatense relatum in *Cap.* 1. ¶ *De Instit.* ut non amplius in Monasterio Canonicorum atque *Monachorum* suscipiantur, seu etiam puellarum, nisi quantum ratio permittit, & in eodem Monasterio *atque necessariorum penuria* degere possunt.

Hæc Canonica disciplina manifestè titulum paupertatis sive insufficientiæ, in justificationem dotalitii pacti adduci solitum, excludit: cùm prohibeat admitti plures, quàm ex proventibus Monasterii ali possunt.

VI. Hanc disciplinam innovans Synodus Tridentina, postquam omnibus Monasteriis utriusque sexûs, exceptis domibus Fratrum S. Francisci Capucinorum, & eorum qui Minorum de Observantia vocantur, indulsit, ut bona immobilia in communi possidere eis liceret, subjicit: "In prædictis autem Monasteriis & domibus tam virorum quàm mulierum bona immobilia possidentibus, vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis, commodè possit sustentari: nec de cætero similia loca erigantur sine Episcopi, in cujus Diœcesi erigenda sunt, licentia priùs obtenta." *Sess.* 25. *cap.* 3. *De Regularib.*

VII. Ex contextu verborum hîc patet, Synodum voluisse suo Decreto generaliter complecti *omnia* Monasteria, etiam Ordinum Mendicantium, tametsi immobilia possidere nequeant, sed ex *solis eleemosynis* vivant. "Neque obstat, ait Fagnanus ad citatum *Cap.* 1. *nu.* 13.) impossibilitas taxationis, quoniam in Monasteriis non possidentibus bona stabilia, fieri potuit *taxatio secundum* CONSUETAS *eleemosynas.*"

VIII. Ulterius contextum Decreti expendenti obscurum non erit, per *consuetas eleemosynas* ibidem designari eleëmosynas quas Fratres Ordinum Mendicantium à populo petere & accipere consueverunt; & è quibus penè solis vivunt illi, qui bona stabilia in communi non possident.

Unde Pius V. in Constitutione quæ incipit: *Cura Pastoralis* 8. in Bull. Rom. recenset, *consuetas eleemosynas*, quarum inspectâ quantitate, numerus monialium, juxta præscriptum Concilii Tridentini, figendus est, per Conversas Sorores extra Monasterii clausura commorantes colligendas esse, aut si eo modo necessitatibus Monialium provideri nequeat, Ordinarii locorum, aut earum Superiores provideant de aliis personis piis & Deo devotis, quæ *fidelium eleemosynas colligant*. E quibus satis intelligitur, Pium V. per *consuetas eleemosynas*, de quibus in Decreto Tridentino, intellexisse eleëmosynas, quæ *ostiatim* à Fidelibus petuntur & colliguntur.

Dicimus ergo cum Joanne Wiggerio de Jure & Justitia *tract.* 7. *cap.* 4. *dub.* 10. "quod nullam habeat probabilitatis speciem commentarius ille, quem aliqui faciunt super verbis Concilii, quod dum dicitur, vel *ex consuetis eleemosynis*, ibi sub *consuetis eleemosynis* comprehendi *dotes*, quas vocant, inferendas à Novitiis."

"Quomodo enim illæ sunt *eleemosynæ*, ut rectè advertit doctus Author, quæ ad tam certam summam solemni stipulatione seu pactione determinantur, & quomodo illæ possunt dici *consueta eleemosyna*, cùm per accidens & quasi extra ordinem accedant."

IX. Cum ergo Synodus Tridentina velit generaliter in omnibus Monasteriis eum tantum numerum Religiosorum conservari, qui ex reditibus Monasterii vel *consuetis* eleëmosynis, hoc est, *eleemosynis* quæ è Fidelibus colliguntur, commodè possit sustentari, consequens est, Synodum omnem paupertatis aut insufficientiæ prætextum exclusisse. Si enim numerus qui ex prædictis commodè sustentari potest expletus est, jam vetante Concilio plures recipere fas non est.

X. De hac Synodi sententia haud dubitasse videntur Patres Synodi Cameracensis P. I. quorum plures Concilio Tridentino interfuerant eo tempore, quo prædictum Decretum confectum & evulgatum fuit. Cum enim declarassent, se velle omnem etiam speciem detestabilis Simoniæ à Religionis ingressu amovere, tum seriò præcipiunt sacros Canones insecuti, "Ne Monachi vel Moniales aliquem vel aliquam ad professionem recipiant, mediante alicujus pecuniæ aut muneris pacto, ne ea quidem ex causa, inquiunt, quod plures alere non possint sine aliquo subsidio: cùm Trid. Synodus Cap. 3. De Regularibus apertè velit, ne plures recipiantur in Monasterium, quam ex propriis Monasteriorum reditibus, vel ex consuetis eleëmosynis commodè ali possint."

Plura in eamdem rem Synodorum Decreta retuli in citata Dissertatione Canonica *parte* 2. *cap.* 4. §. 9. *Et* §. 10. judicium Joannes Hesselii, qui Synodo Tridentinæ tempore formati allegati Decreti interfuit, atque tamquam indubitatum supponit, quod Decretum illud à Synodo editum sit, ut omnem Symoniæ committendæ prætextu *paupertatis* occasionem Monasteriis adimeret.

XI. Ostendi insuper in citata Dissertatione eodem capite §. 7. quod varii Pontifices Decretum hoc Tridentini Concilii innovarint, & ejus executionem urserint; quodque inter alios Innocentius X. in Constitutione quæ incipit: *Inter cætera* 23. in Bulla Romana dixerit: "Inter cætera, quæ ad Regularem disciplinam instaurandam conservandamque Sacro-sancta Trid. Synodus salubriter decrevit, illud semper *præcipuum* & *maximi* momenti habitum est, quo injungitur, ut in singulis Monasteriis & Domibus is *tantum* numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui vel ex *reditibus propriis* Monasteriorum, vel *consuetis* eleëmosynis commodè sustentari possit."

Ulterius, ut Monasteria ab his exactionibus pactionibusque caveant, admodum utile erit expendere incommoda, quæ exactiones pactionesque illæ parere solent.

XII. Imprimis per similes pactiones *Decori Ecclesiastico & immaculatæ religionis detrahitur & in multorum mentibus fidelium scandalum generatur. Extravag.* SANE *De Simonia in Commun.*

Notorium enim est, quomodo per hujusmodi pactiones & contractus super dotibus ingredientium passim notam avaritiæ, quin & Simoniæ Monasteria incurrant; atque sæculares de ipsis Religiosis eam concipiant ideam, quod etiam in ipsa ad Religionem admissione lucrum quærant, & augmento rerum temporalium studeant, tametsi verbo paupertatem profiteantur, atque hinc contingit, ut minus illis afficiantur, quin & ipsam Religionem despicere incipiant.

XIII. Deindè cum hominibus sæcularibus passim Monasteriorum paupertas non innotescat; imò in Ecclesiarum, ædificiorum, suppellectilis aliorumque exteriorum apparatu ipsa sæpè Monasterii paupertas non appareat, imò frequenter illorum apparatus contrarium innuat, etiam nonnumquam ob scandalum Fidelium ab exactione dotis esset abstinendum, etiamsi daretur,

eo seposito, dotem licitè peti posse; quemadmodum late ostendit Dionysius Carthusianus *lib. 1. De Simonia art. 6.* Locum integrum retuli in Dissertatione citato *c. 4. §. 11.*

XIV. Nec tantùm Sæculares, sed etiam Religiosi, aliorum Monasteriorum opulentorum offenduntur. Dum enim intelligunt hæc aliave Monasteria sine scrupulo dotes exigere; facilè sibi persuadent, se æquè ac illa indigere; atque ita fit, inquit Joannes Wiggers, "ut Monasteria satis dotata idem imitentur, etiamsi possint quoque numerum longè majorē quam habeant, commodè alere." *De jure & justitia. Tract. 7. cap. 4. dub. 10. num. 57.*

XV. Præterea teste Pontifice in citata Extravagante SANE, per hujusmodi pactiones & exactiones contingit, ut *quamplures tam execratione hujusmodi criminis, quam expensarum onere à sacra Religionis proposito retrahantur.*

"Nec dubium (uti rectè advertit Dionysius Carthusianus *lib. 2. de Simonia art. 2.*) quin exactio, pactio, seu temporalium exhibitio ita gravat & à Religione impedit pauperes, dum fit pro *sustentaculo* vitæ ipsorum, sicut si fiat pro spiritualium exhibitione. Et proh dolor exclamat idem Doctor, quam multæ bonæ *pauperculæ* quotidiè clamant, conqueruntur & dicunt se esse paratas ad Religionis & vitæ reclusæ ingressum, sed non posse acquirere locum, eò quod jam undique temporalia exigantur. Similiter quædam puellæ & fœminæ divites, Deum timentes, Religionemque ingredi cupientes, paratæ quoque ad comportandum pro se sufficientiam temporalem, ex consideratione utitatæ exactionis & pactionis Religiosarum quarumdam, retrahuntur ab ingressu ad eas."

Dum verò pauperes defectu temporalium rejiciuntur, & aliæ timoratæ conscientiæ, & vero Religionis spiritu plenæ horrore hujusmodi pactionum ut minus de labe Simoniæ suspectarum à Monasteriis hujusmodi retrahuntur, quid inde natum evenire, nisi quod minus idoneæ, & spiritum Religionis non habentes ad Religionem admittantur cum maximo regularis disciplinæ nocumento. Nam, uti benè advertunt Patres Synodi Burdigalensis anno 1583. *tit. 25.* "Experientia docet, disciplinam Religiosam eorum vitio ex parte collapsam esse, qui in Religiosas familias intrusi, aut aliâ quàvis ratione humanâ inducti potiùs, quàm à Spiritu Sancto vocati fuerunt."

XVI. Qui hæc aliaque incommoda, quæ hasce stipulationes contractusque super dotibus Ingredientium sequuntur, seriò expenderit, haud difficulter percipiet, quàm meritò Synodus, ut omnem eorum prætextum præscinderet, præceperit, "Ut is tantùm numerus constituatur ac imposterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex *consuetis* eleemosynis commodè possit sustentari."

XVII. Nec obstat, quod ex hac Decreti exacta observantia numerus Regularium subinde minor solito esset; nam rectè dixit citata Synodus Burdigalensis: "Sancta & religiosa paucorum congregatio, quantumvis magnâ ineptorum hominum multitudine, Deo & hominibus acceptior est, & Ecclesiæ utilior."

Quin advertit Cardinalis Bellarminus, quod postquam Regulares cœperunt multiplicari sine numero, multi non à Deo vocati, ad statum perfectionis, sed aliis rationibus adducti, Monasteria repleverint: "& impletum est, ait, illud Isaiæ: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Indè nata sunt scandala gravia & multiplicia omnibus nota, quæ materiam uberem præbent columbæ gemendi & plangendi relaxationem, ne dicam corruptionem Ordinum Religiosorum." *Lib. 2. De Gemitu columbæ, cap. 6.*

XVIII. Si quis incommoda, quæ exactiones & stipulationes dotium, tametsi titulo paupertatis vestitas, comitantur, expenderit; haud difficulter quoque intelliget, Canones dictas exactiones generaliter vetantes, rationem quandam *perpetuam* habere; ideòque hisce meritò applicari illud S. Thomæ: "Si maneat ratio eadem propter quam lex primo utilis erat, non consuetudo Legem, sed lex consuetudinem vincit; nisi fortè propter hoc solum inutilis lex videatur, quoniam non est possibilis secundùm consuetudinem patriæ, quæ erat una de conditionibus legis." *1. 2. q. 79. art. 3. ad 2.*

XIX. Hinc consequens est, periculosos hisce Canonibus contrariam consuetudinem opponi; præsertim, quia si quid humani ac positivi juris in Canonibus illis occurrat, illud tale est, ut sine illius exacta observantia admodùm difficulter caveatur, quod jure etiam naturali vetitum omnes agnoscunt; uti suprà *cap. 3.* ostendimus.

Adhæc (uti rectè advertunt Doctores Lovanienses in resolutione casûs quam in Dissertatione Canonica *parte 2. cap. 4. §. 10.* exhibui) "consuetudo hæc stipulando dotes non est universalis, & sicubi sit, non est attendenda; ubi adeo enixa est adversus præfatas exactiones Pontificum voluntas, & tam seria, sollicita, & expressa toties que repetita Canonum prohibitio, prout est in præsenti materia."

XX. His quæ hucusque dicta fuerunt opponi solet Decretum Concilii Mediolanensis II. sub S. Carolo his verbis expressum: "Episcopus prætereà tum impensas æstimet, quæ & in Religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu, aut pro aliis rebus, ad ipsius puellæ, vel monasterii usum commoditatemve pertinentibus; tum pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, ejusdē judicio, ad ea alimenta satis, sint monasterio attribuantur. Ea autem omnis pecuniæ summa, eo nomine ab Episcopo decreta, re ipsâ apud certum hominem, & virum bonum deponatur, qui professione confecta, illam statim monasterio tradat."

Advertendum hic nullatenus probari, quod Moniales ab Ingressuris aliquam dotem exigant; aut de ea cum Ingressura ejusve parentibus stipulentur vel contrahant: sed Episcopo dumtaxat injungitur, ut is consideratis, in *singularibus* casibus, omnibus circumstantiis tum ex parte Ingressuræ, tum ex parte Monasterii determinet, an æquum aut justum sit aliquid dari Monasterio.

Quin enim frequenter justum esse possit, ut Parentes suas proles Monasterio offerentes, aliquid in earum alimentationem offerant, dubium non est; imò nonnumquam contingere posset, ut etiam ob avaritiam ac tenacitatem parentum, qui proles suas in Monasteria intrudere volunt, ut alias proles ditare & secundùm sæculum extollere possint, à Monasterio proles repellantur.

Itaque quidquid ex hoc concilio haberi potest, illud est, ut Episcopus in *singulis* casibus determinet & judicet, quid hic & nunc Monasterio ex bonis Ingressuræ sit attribuendum: nequaquam Monialibus, quæ ex proprio interesse hic sæpius procedunt, permittat dotes exigere aut stipulari; sed hæ recipiant novitias prout Episcopus hic & nunc spectatis omnibus circumstantiis judicaverit, qui indubiè spectatis circumstantiis sæpius judicare debebit, nihil ab Ingressura ejusve parentibus petendam esse.

TITULUS XXVII.

De Professione & ejus effectu.

CAPUT I.

De Professione solemni ejusque ritu; & an *tacita* hodie obtineat?

1. *Quam vim habeat solemnis Monachorum benedictio antiquitus ignota?*
2. *Ritus professionis à S. Benedicto præscriptus.*
3. *Regula Benedictina requirit, ut Professus petitionem suam signet; quod moderna disciplina est conforme.*

4. *Ritus*

Ritus externi in Regulis & Constitutionibus praescripti non sunt de essentia professionis.

5. *Jure Decretalium professiones* tacitae *admittuntur; neque per Synodum Tridentinam omninò sunt sublatae.*

6. *Moribus Galliae & Belgii professio non nisi per* scripturam *probari potest.*

7. *Professio* tacita *hodiernis moribus non admittitur.*

8. *Puella quae 30. annis post noviciatum habitum professarum gestaverat, & tamquam professam se gesserat, admissa fuit ad haereditatem paternam tamquam* non professa.

9. *Carthusiani in suis Constitutionibus excludunt* tacitas *professiones.*

I. SOlemnem ac publicam Monasticam benedictionem variis ritibus ac caeremoniis vestitam in professione adhiberi solitam, aliam vim non habere, quam habet super populum Sacerdotis oratio, visum jam pridem fuit S. Ivoni Carnotensi. Eam S. Antonio ac aliis antiquis dicit fuisse ignotam: multiplicatis verò postmodum Monachorum gregibus inductam ex quadam cautela, tamquam Religionis vinculum humanae infirmitati provisum. "Ut monasticus ordo, inquit, quantò firmiùs in „conspectu Dei & hominum, & solemnius ligaretur, tan„tò robustius ac devotius à Monachis servaretur: & qui „vellent ab hoc proposito recedere, testimoniis pluribus „convincerentur, & tamquam jurati in Christi Sacramen„ta tyrones ad propositum suum reverti cogerentur. Qui„bus liquet, traditiones hujusmodi nihil esse aliud quam „quaedam Religionis vincula, humanae instabilitati pro„visa." *Epist.* 41.

Hanc S. Ivonis reflexionem probans Christianus Lupus ad *Canonem* 40. *Trullanum*, rectè consequenter notat, "Dionysium illum, qui nobis Monachorum benedictio„nes producit, non esse *Areopagitam* Apostoli discipu„lum, sed sancto Antonio ac primis ejus discipulis poste„riorem."

Quo tempore hae Moniales benedictiones, ac professionis ritus primum invaluerint, incertum est.

II. Extat ritus professionis in Regula S. Benedicti non absimilis ei, quem omnes passim Religiones observant; si quasdam orationes ac preces, quas posterior aetas addidit, excipias.

"Suscipiendus in Oratorio coram omnibus (ait Regula „Benedictina *cap.* 58.) promittat de stabilitate sua & con„versione morum suorum, & obedientia coram Deo & „Sanctis ejus: ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se dam„nandum sciat, quem irridet. De qua promissione sua fa„ciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiae „ibi sunt, & Abbatis praesentis. Quam petitionem manu „sua scribat, aut certè si non scit litteras, alter ab eo roga„tus scribat. Et ille Novitius signum faciat, & manu sua „eam super altare ponat. Quàm dum posuerit, incipiat „ipse Novitius mox hunc versum: *Suscipe me Domine se„cundum eloquium tuum, & vivam; & non confundas me „ab exspectatione mea.* Quem versum omnis Congregatio „tertiò respondeat, adjungentes: *Gloria Patri* &c. Tunc „ille frater Novitius prosternatur singulorum pedibus, ut „orent pro eo, & jam ex illa die in congregatione repu„tetur."

III. Quod Regula requirit, ut petitionem suam profitens *manu sua scribat*, aut certè ab alio scriptam *signo Crucis* signet ad majorem cautelam in casu, quo professio negaretur, meritò in omnibus passim Monachorum Congregationibus receptum est: quin & in Constitutionibus Fratrum Eremitarum S. Augustini legitur, "ut quandocumque fit aliqua professio, praesens semper sit *publicus „Notarius*, qui eadem die de omnibus quae viderit, & audierit, *publicum* conficiat instrumentum, in quo *distinctè* notetur, professum liberè, & spontè, & non vi vel metu spospondisse; idque verbo protulisse."

IV. Verùm haec scriptura, uti & reliqui ritus in Regulis Constitutionibusve Religiosorum quovis modo praescripti, essentiam professionis attingere non solent.

V. Ideoque jure Decretalium, etiam professiones sine ulla solemnitate; imò & sine verbis, solo aliquo facto exteriori validae declarantur; easque sine verborum formula & non expressè factas Canonistae *tacitas* professiones appellant; quarum species occurrit in *Cap.* 22. ✠ *De Regularib.* & fusius exponitur in *Cap.* 1. *eod. in* VI. creditque Fagnanus ad *Cap.* AD NOSTRAM ✠ *eod.* nec per Concilium Tridentinum professionem *tacitam* sublatam, quae de jure communi censebatur emissa & facta per susceptionem *habitus* professorum; modò haec nunc fiat completo probationis & expleto 16. aetatis anno.

VI. Apud Gallos ex constitutione Molinensi *art.* 55. cautum est, professionem Monachalem non nisi per scripturam probari posse. Similiter apud nos Edicto Perpetuo Alberti & Isabellae *art.* 21. est statutum, ut professio Religiosa fiat per litteras; & non per testes, nisi allegaretur, registra esse deperdita; quo casu probatio per testes recipi posset. Qui verò deperdita registra allegat, ei probationis onus incumbit; uti monet Antonius Anselmo ad Edictum Perpetuum *art.* 17.

VII. Cum igitur neque in Gallia, neque in Belgio nostro ulla professionis quàm per Scripturam probatio admittatur, facilè colligere est, non professiones *tacitas*, quae ex solis quibusdam factis, aut modo agendi colliguntur, & de quibus per nullum authenticum scriptumque instrumentum constat; sed solas professiones *expressas*, de quibus per scripturam constare potest, in judiciis admitti posse.

VIII. Unde non ita pridem certam puellam quae post annum probationis per 30. circiter annos habitum Monialium professarum gestaverat, & cum aliis Monialibus tamquam professa Capitulo & deliberationibus intervenerat, ad haereditatem paternam tamquam *non professam* admittendam judicavit Senatus Parisiensis; eo quod de *expressa* professione non constaret; uti refert D. De Fresne *p.* 2. *du Journal des Audiences.*

IX. Refert quoq; Wamesius in additione ad *consilium* 454. ex secunda parte novae collectionis statutorum Ordinis Carthusiensis *Cap.* 18. *Professionem tacitam in nostro ordine non habemus, neque permittimus, sed omnes volumus expressè & publicè professos.*

CAPUT II.
De Aetate Profitentium.

1. *Sanctus Basilius aetatem* 16. *aut* 17. *annorum requisivit.*
2. *Hoc tempus Synodus Trullana ad* 10. *annorum aetatem contraxit; & quare?*
3. *Tempore S. Ambrosii eadem aetas ad professionem Monasticam sufficiebat, quae ad Matrimonium requirebatur.*
4. *Haec disciplina Juri Decretalium videtur conformis.*
5. *Nonnulli Ordines ob disciplinae asperitatem maturiorem aetatem requisierunt.*
6. *Ne aliquis immaturae aetatis ad Religionem admitteretur, aetas* 20. *aut* 18. *annorum requisita.*
7. *A Patribus Tridentinis exaratus Canon requirens aetatem* 18. *annorum; & quare ab eo recessum.*
8. *Perniciosa vulgi opinio, quod Professurum oporteat* mundum novisse.
9. *Decretum Synodi Tridentinae requirens annum* 16. *completum.*
10. *Synodus non improbat statuta majorem aetatem requirentia.*
11. *Professio facta completo anno* 16. *aetatis, sed ante aetatem per statuta requisitam, est valida.*

VAria jam pridem fuit disciplina circa aetatem in recipiendis ad Vitam Monasticam requisitam.

I. Sanctus Basilius in Epistola sua Canonica, *Can* 18. professiones Virginum validas non reputabat, quae ante 16. aut 17.

aut 17. annum fiebant. "Professiones, inquit, ab eo tempore judicamus, quo ætas rationis complementum habuerit. Non enim pueriles voces omninò in his ratas esse existimare oportet: sed eam quæ suprà *sexdecim* vel *septemdecim* annos nata fuerit, rationisque compos; & diu examinata, probataque perseveraverit."

II. Synodus Trullana ætatem à Basilio requisitam ad ætatem 10. annorum contraxit; volens ut qui Monachicum jugum est subiturus, non sit minor quàm decem annorum natus; ejus quoque rei examinatione in Præsulis arbitrio sitâ, an augeri tempus conducibilius existimet ad introductionem & constitutionem in vita Monastica. Post hæc Patres illius Synodi rationem allegant, ob quam à regula S. Basilii nonnihil recedendum crediderint: de qua vide notas nostras ad *Can.* 40. *Trullanum.*

III. Si S. Ambrosio credimus *Libro* 3. *De Virginibus*, ætas sufficiens ad matrimonium carnale, etiam ad matrimonium spirituale per professionem sufficere debet; adeo ut ætas 12. annorum in puellis, & 14. in adolescentibus sufficiens judicaretur.

IV. Hanc disciplinam Ecclesia Latina tandem recepisse videtur; eamque, si jus commune seu Decretalium spectemus, firmavit; uti colligere est ex *Cap.* 8. 11. & 12. ¤ *De Regularibus*; additâ tamen hac exceptione desumpta ex *Epist.* 48. *lib.* 1. sancti Gregorii, "Quia dura est in insulis Congregatio Monachorum, etiam pueros in iisdem Monasteriis ante 18. annum suscipi prohibemus," *Cap.* 6. ¤ *eod.*

V. Ex hac consideratione ex vitæ austeritate deprompta, aliqui Monachorum Patres & Superiores ætatem nonnihil majorem, quam jure communi statuebatur, requisierunt.

Et quidem Carthusiani, ut ipsorum pristina Ordinis statuta indicant, ante 20. *annum* nullum ad suum ordinem recipiebant; haud idoneum judicantes militiæ adeò laboriosæ ante eam ætatem sustinendæ. "Pueros sive adolescentes non recipimus, inquiunt, sed viros, qui juxta præceptum Domini per manum Moysi, *viginti* ad minùs annorum, ad bella sacra possint procedere."

VI. Inter statuta Congregationis Cluniacensis à Petro Venerabili sæculo 12. collecta habetur; "Statutum est, ut nullus etiam ex concessione futurus Monachus, *Regularibus* usque *ad* 20. *annos* vestibus induatur."

"Causa hujus instituti fuit (inquit Petrus Venerabilis) *immatura, nimisque celer infantium susceptio*, qui antequam aliquid rationabilis intelligentiæ habere possent, sacræ Religionis vestibus induebantur, & admixti aliis, puerilibus ineptiis omnes perturbabant." *Biblioth. Cluniacens. pag.* 1364. *Statuto* 36.

Anno 1238. Otto Sedis Apostolicæ in Anglia Legatus convocatis totius Regni Abbatibus Ordinis S. Benedicti, quædam Statuta eis proposuit, quorum primum erat: ut nullus *ante* 20. *annum completum* ad professionem, & ante 19. ad probationem *in Monasterium* de cætero admittatur. Apud Matthæum Paris ad annum 1238.

Synodus Parisiensis sub initium sæculi 13. vetuerat quemquam ante 18. annum in Monasterium recipi; quod & sub idem tempus Synodus Oxoniensis decreverat.

VII. Si Cardinali Palavicino credimus, à Patribus Concilii Tridentini paratus fuit Canon, quo statuebatur, fas non esse regularem professionem emitti ante annum *decimum octavum.* "Sed Archiepiscopus Pragensis, Bartholomæus de Martyribus) vir claustri peritus, ait Palavicinus, prævalidè dehortatus est Patres ab eo consilio affirmans, deteriorem fructum reddi plerumque Cœnobiis ab iis, qui à teneris annis illic sati non fuerint, adeòque adhuc illæsi à vitiis laxioris libertatis: satius esse, sancire, ut probationis tempus ad duos annos produceretur; ita tamen ut fas esset, professionem emitti anno decimo sexto." *Lib.* 24. *cap.* 6.

VIII. Hic obiter nota, quàm longè abesset magnus ille Præsul ab ea vulgi opinione, quod priusquam Monasticam vitam quis profiteatur, eum oporteat *mundum novisse*; hoc est, ejusdem vulgi sensu, vitiis & voluptatibus mundi nonnihil fuisse immersum, quod quam ipsis adolescentibus perniciosū, multis ostendit Petrus à S. Audomaro vulgo *Wallon-Capelle* Prior Monasterii S. Wignoci *l.* 3. *Instit. Monast. cap.* 24. exclamatque: "O utinam nulli Religiosorum nunquam audissent, vidissent, & gustassent quidquam sæcularium, non sanè adeo multi perditè viverent in suis Cœnobiis, nec tot apostatæ essent, jugumque Christi suave detrectarent."

IX. Hac Archiepiscopi Pragensis aliisque rationibus inducti Patres Tridentini tandem decreverunt, "in quacumque religione, tam virorum quam mulierum, professio non fiat ante *decimum sextum annum expletum*... Professio autem antea facta sit *nulla, nullamque* inducat obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observationem, aut alios quoscumque effectus." *Sess.* 25. *De Regularib. cap.* 15.

X. Si quis verba hujus Decreti attendat, facilè intelliget, mentem Patrum quidem fuisse, ut *ante* 16. *annum* facta professio esset nulla & invalida; ideòque noluerit in minori ætate ad professionem nullum seu virum seu mulierem admitti posse: sed tamen nequaquam improbasse particulares Ordinum quorumdam constitutiones, *majorem* ætatem requirentes; quod & Sacram Congregationē aliquando declarasse testatur Fagnanus ad Cap. NULLUS ¤ *De Regularib. num.* 15. "Quippe quod Concilium non ponit, inquit ut professio fiat anno *decimo sexto*, sed non possit fieri *ante*, sed post." Qui & ibidem num. 13. observat in Religione Fratrum Capucinorum S. Francisci, ex statutis Ordinis novitios non recipi ad habitum *ante* 17. *annum* completum si Clerici sint, & ante 19. si laici; & per consequens, non admitti Clericos ad professionem, nisi *exacto* 18. & laicos 20. *anno*. Et in Religione minorum Conventualium S. Francisci Novitii Clerici prohibentur ad professionem admitti ante *annum* 19. & laici ante 25. *completum* ex constitutione Pii V. quæ incipit, *Illa nos*. Hæc Fagnanus; qui insuper *n.* 16. monet, generaliter à Clemente VIII. in Decretis super receptione & educatione Novitiorum prohiberi *Conversos* recipi ad habitum Regularem ante annum ætatis *vigesimum*; & consequenter ad professionem non ante annum *vigesimum primum*.

Quousque hoc Decretum extendatur, ac receptum sit, ex usu & consuetudine ipsi Superiores Ordinum intelligere possunt.

XI. Si tamen anno ætatis 16. *expleto* professio fuerit facta, non exspectato anno ætatis ulteriore per statuta Ordinis requisito, non videtur propterea professio futura invalida: eo quod statuta; dum majorem ætatem requirunt, invaliditatem aut nullitatem professionis adjunctam habere non soleant: quemadmodum suprà de longiori quam annali novitiatûs tempore in aliquibus Ordinibus præscripto notatum est.

CAPUT III.
De Formula Professionis, & quid contineat?

1. *Pristina professionis formula nullum particulare votum exprimebat.*
2. *Qui vitam Monasticam profitetur, omnia ejus essentialia promittere censetur.*
3. *Olim formula professionis nullam determinatam regulam exprimebat.*
4. *S. Benedictus primus formulæ professionis observantiam sua regula inclusit.*
5. *Quæ hodierna formula professionis benedictina expressè includantur.*
6. *Paupertatis & castitatis vota tacitè censentur comprehensa.*
7. *Quoad tria vulgaria Religionis vota formula Benedictina reipsa convenit cum recentioribus.*

8. *Etiam*

8. *Etiam votum stabilitatis tacitè continetur in formulis recentioribus.*

9. *Stabilitas loci in formula Benedictina expressa quid significet?*

I. SI pristinas Monachorum regulas actaque revolvamus, nullam reperiemus professionis formulam, quæ aliquod particulare votum cujus virtutis aut actionis exprimat; sed simplicem dumtaxat Monasticæ vitæ professionem.

II. Noverant enim pristini Monachi, eum, qui se dedicat Monachatui, voverque vitam ac professionem Monachalem, *virtualiter* vovere omnia, quæ sunt *substantialia* Monachatui; uti sunt vera morum conversio, cœlibatus sive continentia, voluntaria paupertas, obedientia, loci stabilitas aliaque eo pertinentia.

III. Imo per quinque circiter sæcula adeo indeterminata ac generalis erat Monachorum professio, ut nequidem certam determinatamque regulam profiterentur, sed eam, quæ ad observantiam vitæ Monasticæ magis conducere videbatur, judicio Superiorum suscipiebant Monachi; ad eamque servandam vi suæ professionis se adstrictos credebant.

IV. Hinc mutatæ passim regulæ, & plures in uno eodemque Monasterio servatæ, uti monet Vir eruditus Joan. Mabillonius in præfatione ad *part. 1. seculi IV. SS. Benedictinorum*; & addit, quod "Sanctissimus Legislator „Benedictus, primus aut certè inter primos solemnis pro„fessionis formam, modumque præscripserit, atque intra „professionis terminos incluserit Regulæ suæ observatio„nem; à qua deinceps recedere non liceat."

V. Juxta formulam à S. Benedicto præscriptam, prout hodie extat & à Benedictinis usurpatur, tria explicitè promittuntur; nimirum *stabilitas loci, conversio morum*, atq; *obedientia* secundum Regulã à S. Benedicto conscriptam. "Quanquam (uti monet Mabillonius in citata præfatio„ne *n. 59.*) in veteri Benedictinæ professionis formula a„pud Theodemarum, & duabus aliis in appendice no„stra, ait, relatis, atque in Regula Magistri *cap. 89.* (quæ „Regula non tam specialis est, quam commentatio Bene„dictinæ) nulla etiam occurrat mentio *conversionis mo„rum*: nimirum quia *obedientia secundum Regulam* „voto satis contineri videbatur."

VI. Verum sicuti ipsa *morum conversio*, tamen formulæ professionis non expressa, satis videbatur comprehensa eò quòd observantia Regulæ promitteretur, ita quoq; voluntariæ paupertatis, ac cælibatus seu castitatis vota inclusa censebantur, quia etiam illa tamquam vitæ Monasticæ *essentialia* Regula percipit, & complectitur.

VII. Quapropter formula Benedictina reipsa quoad tria illa vitæ Monasticæ ordinaria vota, non differt à recentioribus quorumdam Ordinum formulis, quibus tria illa vota *explicitè* continentur: v. g. in formula Fratrum Minorum S. Francisci, quâ promittit profitens, toto tempore vitæ suæ servare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Honorium Papam confirmatam: vivendo in *obedientia, sine proprio, & in castitate.* Sic quod recentiores formulæ explicitè promitti volunt, id Benedictina ac pristina Monachorum professio virtualiter semper continebat, & modò continet; & hanc profitentes eadem quoque vovent, quæ illæ complectuntur.

VIII. Similiter loci *stabilitas* quã exprimit professio Benedictina, etiam in recentioribus professionis formulis *virtualiter* continetur, tametsi explicitè de ea mentio non fiat.

IX. Si enim Benedictina Regula ritè expendatur, notum erit, voto *stabilitatis* Monachum ita obstringi, ut nunquam vitam Monasticam deserere; aut sine licentia Superioris Monasterio egredi possit, uti rectè advertit Cardinalis à Turre-Cremata in commentaria ad Regulam S. Benedicti *tract. 127.*

Postquam enim Novitius anno integro probatus fuit, Regulamque tertiò sibi prælectam seriò expendit, " si ha„bitâ secum deliberatione, ait Regula, *promiserit* se om„nia custodire, & cuncta sibi imperata servare, tunc susci„piatur in congregatione, sciens se sub lege Regulæ con„stitutum, quod ei ex illa die *non liceat egredi de Monaste„rio, nec collum excutere de sub jugo Regulæ*, quam sub tam „morosa deliberatione licuit aut excusare, aut suscipere.

Ecce ipsi Monacho clarissimè proponitur, ad quid facta professione voto suo sit constringendus; nimirum, posthac liberum ipsi nequaquam futurum, de Monasterio egredi, ne jugum Regulæ excutere; quod omnibus professionibus Monasticis, ac Religiosis commune esse, nemo negaverit.

CAPUT IV.

Professio Religiosa an professum astringat stabiliter Monasterio? Et quid ab exeunte Monacho observandum?

1. *Regula Benedictina Monachis solitudinem commendat.*
2. *Eadem passim in Regulis & Canonibus commendata.*
3. *Votum stabilitatis Monachos ad perpetuam clausuram non adstringit.*
4. *Multa circa egredientes Fratres præscripsit S. Benedictus à moderna disciplina Monastica non dissona.*
5. *Egressuri debent se Superioris & Fratrum orationi commendare; hinc hodierna* benedictionis *postulatio.*
6. *Benedictina Regula non sinit Monachum* solum *egredi.*
7. *Regula Orientalium non permittebat Monachum* solum *cum extraneo colloqui.*
8. *Etiam posteriores Regularium, præsertim Mendicantiũ Constitutiones præcipiunt, egredienti socium adjungi.*
9. *Monachi ad Monasterium revertentes orationem propter excessus petere debent.*
10. *Monachi mensas laicorum declinare debent dum egrediuntur.*
11. *Quid de hoc articulo recentiores Ordinum Constitutiones?*
12. *Decretum Synodi Tridentinæ circa Regulares sine licentia à suis Conventibus recedentes.*
13. *Quid circa illos habeant Ordinum Constitutiones?*
14. *Non facilè admittenda Regularium evagatio.*

I. PRæcitata Regulæ Benedictinæ verba sat insinuant mentem sancti Patris esse, Regulamque, quam profitentur, exigere, quò Monachis suo arbitrio & propriâ voluntate de Monasterio exire non liceat. Quod ipsum clarius expressit *cap. 66.* suæ Regulæ, ubi ait: "Monasterium „(si fieri potest) ita construi debet, ut omnia necessaria, „id est, aqua, molendinum, hortus, pistrinum, vel artes di„versæ intra Monasterium exerceantur: *ut non sit necessi„tas, ait, Monachis vagandi foras*: Quia omnino non ex„pedit animabus eorum."

II. Neque soli Benedicto hic solitudinis amor insedit, sed omnibus Monachorum Patribus fuit communis, & passim in omnibus Regulis solitudo inculcata, atque Ecclesiasticis Decretis præcepta tamquam perfectionis Monasticæ assequendæ & conservandæ primarium instrumentum: uti videre est in *Can. 4.* Calchedonensi, & *46. Trullano.* Hinc illud sub nomine Eugenii Papæ apud Gratianum *16. q. 1. can. 8.* "Monachus claustro sit contentus: quia „sicut piscis sine aqua caret vitâ, ita sine Monasterio Mo„nachus. Sedeat itaque solitarius, & taceat; quia mundo „mortuus est, Deo autem vivit."

III. Nequaquam tamen hinc quis concludat, ex S. Benedicti aut Ecclesiæ intentione Monachos seu Religiosos voto stabilitatis obstrictos, vi illius perpetuâ clausura esse Monasterio conclusos; quia & ipse Benedictus in sua Regula non semel supponit, Monachos è Monasterio causâ necessitatis, aut utilitatis cum licentia Superioris egredi posse.

IV. Et quidem *c. 67.* de fratribus itinerantibus agens, expressit quæ in exitu, quæ in reditu ipsis agenda sint: quæ nec ab hodierna Religiosorum, etiam recentiorum disciplina aliena sunt.

V. Ac imprimis vult, ut "dirigendi Fratres in via, *om„nium Fratrum vel Abbatis se orationi commendent.*"

Ad idem collimat quod in sua Regula *cap. 8.* habet S

Digitized by Google

Fructuosus: "Nemo Monachus uspiam sine *benedictione* „sui Senioris progrediatur."

Ad quæ verba reflectens Hugo Menardus ad *Cap.* 61. §. 9 Conc. Reg. ait: "Antiquus & laudabilis in Monasteriis mos invaluit, ut numquam Monachus *sine benedictione* vel oratione sui Rectoris foras progrediatur, ut „hâc veluti circumvallatus mundi pericula & dæmonum „tela declinare possit."

Hujus porrò disciplinæ non tantùm in *Can.* 64. Trullano, sed etiam in hodiernis ac recentioribus Religiosorum Constitutionibus mentio passim occurrit; nec praxis dissonat.

"Fratres (inquiunt Constitutiones Fratrum Eremitarum „S. Augustini *p.* 2. *c.* 17.) antequam domum exeant *genu* „*flexo benedictionem petant à Superiore* dicentes, *Benedi-* „*cite Pater*: Superior verò det illam tamquam *deprecans* „*Deum*, quòd in eundo, stando, redeundo, eos ab omnibus animæ & corporis periculis servare dignetur."

VI. Observat insuper Vir eruditus Hugo Menardus, quòd S. Benedictus loquatur in plurali, *Dirigendi Fratres*, "Quia, ait, numquam solus Monachus, sed duo vel „tres in via dirigendi sunt, ob *mutuam custodiam animæ* „præsertim."

VII. Quin & ex Regula Orientali notat idem Menardus, "disciplinam antiquam illorum Patrum non permisisse Monacho *soli cum extraneo colloqui*, sed dedisse co„mitem, & sermonum testem, non quemvis de trivio, sed „*probatum moribus*, ne daretur occasio maligno."

VIII. Ad hac provida Patrum disciplina nec recentiores Monachorum ac Religiosorum Regulæ Constitutionesque recesserunt.

"Statuimus, ut nullus Frater nostri Ordinis sive con„ventualis sit, sive hospes (verba sunt Constitutionum E„remitarum S. Augustini) cujuscumque dignitatis vel „gradûs, vadat ad civitatem vel oppidum *absq; socio Fra-* „*tre* Ordinis nostri Clerico vel laico seu converso à Prio„re assignando, neque aliquem Prior *solum* mittat, nisi ob „gravem & urgentem necessitatem. . . . Sed nec ipse Pri„or *solus* vadat, nisi pro inevitabili necessitate."

Similia in aliorum Ordinum Constitutionibus ac Statutis passim occurrunt, refertque Petrus Martyr in Compendio Constitutionum Ordinis FF. Prædicatorum *parte* 3. *c.* 74. statutum: "Cum discursus inutilis & vagus Fra„trum turbationem & scandalum pariat, & ex defectu „*combinationis* Fratrum, dissolutiones, & insolentiæ cres„cant, ideo neque sine licentia, neque *sine socio* itinera con„ficiant Fratres, & combinati nullo modo se separent ab „invicem, quin se videre possint, & valeant mutuo testi„monium perhibere, in quocumque sint loco, vel nego„tio, & transgressores acriùs puniantur."

IX. Pergit ulteriùs Benedictus: "Revertentes autem de „via Fratres, ipso die, quo redeunt, per omnes horas Ca„nonicas, dum expletur opus Dei, prostrati solo oratorii, „ab omnibus petant orationem propter excessus; ne quid „forsan subripuerit in via visus aut auditus malæ rei aut o„tiosi sermonis."

Laudabilis planè praxis, ut nimirum per hanc humiliationem, atque Fratrum communes preces mundentur regredientes de via ab infectione, si quam à mundana conversatione contraxerint.

Ad idem tendit, quæ in plerisque religionibus servatur & præscripta est disciplina, ut Fratres ad Monasteria revertentes *benedictionem* à Superiore petant & accipiant.

Addunt Constitutiones Eremitarum S. Augustini *p.* 2. *c.* 17. "Cùm Fratres debent aliquò ire, eâdem die non re„versuri, in exeundo & redeundo ante majus Altare dicant „*Psalmum cum precibus* & *orationibus* prout in Officiis „nostri Ordinis continentur."

X. Prætereà S. Benedictus *c.* 51. *Regulæ* habet, "Frater „qui pro quovis responso dirigitur, & ea die speratur re„verti ad Monasterium, non præsumat *foris manducare*, „etiamsi omnino rogetur à quovis, nisi fortè ei ab Abbate „suo præcipiatur."

"Hæc est [ait Hugo Menardus ad *Cap.* 58. §. 1. Con„cord. Regul.] antiqua Monachorum disciplina *nobis sa-* „*nè imitanda*, ut *mensas laicorum* præsertim nobilium & „divitum, quantum in nobis situm erit, declinamus."

Hactenus ille, qui ibidem latiùs exponit pericula Monachis ex hisce laïcorum conviviis imminentia.

XI. Eodem indubiè collimat, quod in plerisque, præsertim Fratrum Mendicantium, Constitutionibus seriò inculcatur, ut extra Monasteria in civitatibus *non bibant nec manducent*.

Et quidem inter novissima Decreta an. 1678. instante Patre Christiano Lupo tunc Ordinis Eremitarum S. Augustini in Belgio Provinciali, per Cardinalem Protectoré, probante S. Congregatione Cardinalium, edita, decimum quartum est: "Omnibus *cujuscumq; conditionis* aut *præ-* „*minentiæ* Patribus ac Fratribus in salutaris obedientiæ „merito præceptum sit, ne quis extra Conventum in ci„vitate, vel oppido, aut suburbiis intra ejusdem civitatis „aut oppidi muros comprehensis audiat *comedere vel bi-* „*bere*, sine expressâ & in *scriptis* habita licentia Patris „Provincialis."

XII. Novissimè decrevit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *c.* 4. *De Regul.* "Nec liceat Regularibus à suis Conventi„bus recedere, etiam prætextu ad Superiores suos acce„dendi, nisi ab eisdem missi, aut vocati fuerint. Qui verò „sine prædicto mandato *in scriptis obtento* repertus fuerit „ab Ordinariis locorum tamquam desertor sui Instituti „puniatur."

Hoc Superiorum *mandatum* vulgò dicitur hodie *obedientia*. Unde in Constitutionibus PP. Eremitarũ S. Augustini *parte* 2. *cap.* 17. ubi de licentia exeundi danda à Priore agitur, ad marginem notatur: *Quando* OBEDIENTIA *in scriptis debet dari.*

XIII. Et ibidem præcipitur: "Si autem Frater aliquis „extra Provinciam propriam sine litteris *testimonialibus* „sui Provincialis exiverit, veniens ad Conventum aliquẽ „nostri Ordinis ab ostiario intromittatur, & postquã præ„dictas litteras non ostenderit, Prior eum in carcerem in„cludi faciat, nec inde extrahatur donec Provincialis pro„viderit quid de eo sit agendum. Idem sit omninò judici„um de Fratribus ejusdem Provinciæ sine litteris testi„monialibus venientibus."

In aliorum Ordinum Constitutionibus graves quoque pœnæ intentantur iis, qui sine hujusmodi litteris à suis Conventibus recedunt.

XIV. Ex hactenus dictis facilè colligi potest, quòd licet nec votum stabilitatis, nec professio Monastica astringat profitentem ad perpetuam clausuram, nihilominus Patres monachorum judicaverint, evagationem Monachorum ac frequentem cum sæcularibus conversationem Monasticæ professioni esse contrariam, & Religiosæ perfectioni conservandæ periculosam; undè non nisi ex causa, & multis adhibitis cautionibus egressum è Monasterio concedendum esse præceperunt.

"Evitentur quoad fieri poterit" (inquiunt Constitutiones Eremitarum S. Augustini *par.* 2. *c.* 17.) "Fratrum „discursus per civitates & oppida, nec enim Religionis o„pinio ac *devotio* apud sæculares ex eo augetur, imò indi„es magis ac magis minuitur."

Et in compendio Constitutionum PP. Prædicatorum *par.* 2. *c.* 71. refert Petrus Martir: "Licentiæ autem hu„jusmodi *difficulter* à Prælato concedi debent. Unde Ro„mæ 1601. ordinatur, & præcipitur Conventuum Præ„sidentibus sub pœna absolutionis ab officio, ne facilè fa„cultatem præbeant, etiam de consilio Patrum, fratribus „vagandi extra conventum, vel eundi ad alios conventus, „seu oppida, etiam prætextu alicujus necessitatis, nisi ve„ra sit & urgentissima, cum constet hujusmodi discursus „magna parere incommoda & scandala. Idem confirma„tur Romæ 1608."

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

An Professio Religiosa permittat transitũ de una Religione ad aliam.

1. *Primitus liber erat & frequens Monachorum de uno ad aliud Monasterium transitus.*
2. *Quid circa peregrinos Monachos statuerit S. Benedictus*
3. *Rarior cœpit esse Monachorum transitus: & quare?*
4. *Rationes quæ rariorem transitum suadent.*
5. *Legitima causa transitus Monachorum.*
6. *Aliquando Monachus tenetur ad aliud Monasterium aut Ordinem transire.*
7. *Suspectus aliquando visus fuit crebrior Monachorum transitus: & quis transitus hic intelligatur.*
8. *Ex Decreto Tridentino nullus potest transire ad* laxiorem *Religionem, etiam prætextu privilegii.*
9. *Nulla Regularis superioris licentia ad hoc sufficit; & à quo licentia transeundi peti debeat.*
10. *Qualiter transitus Regulariũ Mendicantiũ prohibitus [tus?*
11. *Qua de causa concedatur transitus ad* laxiorem *Religionem?*
12. *Ad* strictiorem *Religionem qualiter permissus transi-*
13. *Unde judicandum de* rigore *aut* laxitate *Religionis?*
14. *Non facilè ob relaxationem Disciplinæ in aliquo Monasterio transeundum ad diversum planè Ordinẽ.*
15. *Quid si dubitatur, num Religio sit* arctior?
16. *Monachus meditans transitum tenetur consulere suum Superiorem.*
17. *Quid si Superior consensum transeundi neget;*
18. *In Italia transitus etiã ad* Strictiorem *non fit, nisi de licentia S. Congregationis.*
19. *Transiens ad aliam Religionem, an novum* Novitiatũ *absolvere debeat?*
20. *Monachus transitum postulans* exactè *probandus, antequam ad professionem admittatur.*

I. PRimitus dum *una* quasi erat omnium Monachorũ congregatio, unumque institutum, facilior ac frequentior quam hodie erat Monachorum de uno Monasterio ad aliud transitus.

II. Hinc Regula S. Benedicti extat caput integrum 61. *De Monachis peregrinis qualiter suscipiantur;* vultq; Benedictus, ut, "Si quis Monachus peregrinus de longinquis Provinciis supervenerit, si pro hospite voluerit habitare in Monasterio, & contentus est consuetudine loci, quam invenerit, & non forte superfluitate sua perturbat Monasterium, sed simpliciter contentus sit, quod invenerit, suscipiatur quanto tempore cupit."

"Si verò postea, pergit Regula, voluerit *stabilitatem* suam firmare, *non renuatur* ei talis voluntas: & maximè, quia tempore hospitalitatis potuit ejus vita dignosci. Quod si superfluus aut vitiòsus inventus fuerit tempore hospitalitatis, non solum non debet sociari corpori Monasterii, verum etiam dicatur ei honestè, ut discedat, ne ejus miseriâ etiam alii vitientur. Quod si non fuerit talis, qui mereatur projici, non solum, si petierit, suscipiatur Congregationi sociandus; verum etiam suadeatur, loco uni Domino servitur, & uni Regi militatur."

III. Et quantumvis Benedictus loqui videatur de Monachis, qui nullam loci stabilitatem, aut determinatam Regulam fuerunt professi; nihilominus, etiam postquam Monachi loci stabilitatem, certamque Regulam vovere cœperunt, ipsis licitum fuit, non tantum Monasterium, sed & Ordinem mutare; id tamen rariùs contigit, nec nisi ferè urgentibus ex causis. Illa enim Monasterii Ordinisque semel suscepti mutandi prurigo tamquã levis animi nota suspecta habita est à Patribus; multisque titulis improbata.

IV. Et quidem S. Bernardus *lib. de præcepto & dispens. c.16.* multis de causis hanc mutationem improbat. Primò, "propter scandalum ipsorum quos deserit. Deinde, quia certa pro dubiis relinquere tutum non est, forsan enim hæc tenere potest. Tertió, suspectam habeo, ait, levitatem quâ id, quod facilè volumus antequam probemus, experti jam nolimus, uno propè momento id ipsum & cupientes & respuentes tam leviter, quàm & irrationabiliter."

V. Bernardo consonans S. Anselmus pluribus idem argumentum prosequitur; ac tandem concludit: "Quapropter, quicumque Cœnobitarum fortè propositum aggreditur; expedit ei, ut in quocumque Monasterio professus fuerit, nisi tale fuerit, ut ibi *malum invitus facere cogatur*, tota mentis intentione amoris radicibus ibi radicare studeat; atque aliorum mores, aut loci consuetudines, si contra divina præcepta non sunt etiamsi inutiles videantur, dijudicare refugiat." *Lib. 1. Epist. 29.*

Legitimam proinde causam mutationis aliam agnoscere non videtur Anselmus, nisi *peccandi necessitatem*, quam quis sibi imminere videt, si in Monasterio manere cogatur. Quam rationem S. Bernardus his verbis expressit: "Nam si hæc (conversio morum & obedientia) ibidem pro improbata nimirum atque irreligiositate cohabitantium *obtineri* fortè nequierint, duce spiritu libertatis *indubitanter* suadeo *transire ad alium locum*, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua." Et rursus *Epist. 7. ad Adamum Monachum*, reddens rationem ob quam in suo Monasterio reciperet Monachos propria Monasteria deserentes, ait: "Hàc ratione illos suscipimus, quoniam non putamus esse malum, si vota labiorum suorum quæ in locis suis potuerunt quidem promittere, sed *nequaquam* persolvere Deo, qui ubique est, ubicumque reddere."

VI. Si itaque Religiosus seu Monachus videat communitatem suam adeò deformatam, ut nulla videat nec in Fratribus, nec Superioribus observantiæ Regularis exempla, sed è contrario continuas transgressiones, atq; ad prævaricandum Regulam, quam vovit, incitamenta; ita ut spectatâ suâ fragilitate videat sibi moraliter impossibile esse, in tali Communitate posse vota labiorum suorum Deo dignè persolvere, vitamque verè Religiosam agere, indubiè duce spiritu libertatis poterit, imò debet se à tali Communitate, si fieri potest, separare, tutioremque locum quærere.

VII. Ex dictis satis apparet, quòd suspecta ac multis incommodis obnoxia jam pridem visa fuerit Monachorum, qui *loci stabilitatẽ* promiserunt, & *certam* Regulã vivendi voverunt, mutatio, sive translatio ad aliud Monasteriũ sive Religionem, eo nimirum sensu, ut desinat esse Monachi Monasterii, vel Congregationis, cui semel per professionẽ solemnem erant incorporati; neque unà à Regula, cui se astrinxerunt, absolvantur, & alteri Monasterio incorporentur, alterique Regulæ & Religioni alligentur.

VIII. Juxta disciplinam modernam per Concilium Tridentinum Sess. 25. cap. 9. de Regular. "*Nemo Regularis cujuscumque facultatis vigore transferri potest ad* LAXIOREM *Religionem.*

IX. Quin nec Superioris cujuscumque Regularis licentia, sed sola Pontificis ex justa causa dispensatio sufficit, quod & in praxi servari notat Fagnanus ad *Cap.* CUM DILECTI ꝫ *De Renunt.* Et hujusmodi licentiæ, ait, transeundi ad *laxiorem* Religionem, etiam legitimis subsistentibus causis, consueverunt concedi à Papa in signatura gratiæ, & à Sacra Pœnitentiaria, à qua conceduntur plerumq; ad supplicationem Generalis vel Procuratoris Ordinis, & de utriusq; Religionis consensu S. Pœnitentiariæ exhibito, ut sæpissimè vidi observatum, ait Fagnanus; atque ita ipsimet Superiores Regulares agnoscunt, se non habere potestatem super hoc dispensandi, cùm pro ea obtinenda recurrant ad Sedem Apostolicam. Hæc ille *n*, 28.

X. Ulteriùs cùm experientiâ constaret, nonnullos è Religiosis Mendicantibus ad alios Ordines; præsertim Monasticos convolare, fucatis quidem coloribus, asserentes id fieri ob frugem melioris vitæ aut arctioris observantiæ, sed reverà, ut liberiùs degerent, dignitatesque & beneficia Monastica consequi valerent, & ex certis aliis causis honestati non consonis (uti loquitur Pontifex in *Extrava-*

travagante 1. De Regularib. in comm.] generaliter prohibitus fuit Fratribus Mendicantibus transitus ad alium quemcumque Ordinem non Mendicantium, excepto solo Ordine Carthusianorum, sine licentia Papæ; idque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ & soli Papæ reservatæ. *Dicta extrav.*

XI. Dispensat autem sacra Pænitentiaria super transitu ab Ordine strictiori ad laxiorem ob ægritudinem aut infirmitatem: quam esse solam justam causam dispensandi credit Fagnanus, additque: Quinimò bonæ mem. Antonius Cardinalis Carafa olim Signaturæ Sanctissimi Præfectus in sua *Glossa manuscripta ad Cap.* 19. *Sess.* 25. *De Regularib.* testatur, se numquam vidisse in Signatura gratiæ concedi transitum ab arctiore ad *laxiorē* Religionem, nisi ob infirmitatem vel debilitatem provenientē ex observantia ipsius Regulæ arctioris, cùm non possit ipsius statuta servare.

Verùm, ut etiam hæc causa sit justa, videtur expendendum esse, num incommoda quæ sequerentur in Religione, à qua transitus petitur, ex relaxatione aliquali Statutorum aut Regulæ in gratiā illius, qui illa in omni rigore ob corporis infirmitatē servare non potest, tanta sint, ut præponderent incōmodis, quæ sequi solent ex translatione Regularis in aliam Religionem, præsertim laxiorem.

XII. Si quis autem inspirante Spiritu Sancto desideret, non fictè, sed sincerè ad frugem melioris vitæ transmigrare, eumque in finem Religionem *arctiorem* amplecti, nequaquam prohibendus, etiam sub prætextu, quòd quibusdam Monachis & Canonicis, nec non Hospitalariis aut Templariis à Sede Apostolica sit indultum, *ne* postquam aliquis fuerit professus apud eos, ad alium locum *ipsis invitis*, arctioris etiam Religionis obtentu transire valeat: quia *ubi Spiritus Dei est*, ait Pontifex in *Cap.* 18. ✠ *De Regularib. ibi libertas: & qui Dei Spiritu aguntur, non sunt sub lege, quia lex non est posita justo.*

XIII. Porro ut hoc ex capite fiat transitus, ad sensum hujus Decretalis nequaquam est attendendum, uti observat Fagnanus, an Monasterium, ubi primò quis fecit professionem, à principio suæ fundationis fuerit strictioris Regulæ, quàm Monasterium, ad quod fit transitus, sed an secundum Monasterium *modò* sit arctioris observantiæ. Itaque sive laxior vita oriatur ex transgressione Regulæ, sive ex obedientia Constitutionum, à Religione, in qua remissiùs vivitur, potest quis licitè transire ad minorem meliùs observatam.

Idem observat Cardinalis De Luca *Discursu* 38. *De Regularibus*, aitque rectè adverti à Canonistis, " quòd *strictius* est Monasterium Religionis *laxioris*, in quo servatur Regula, quàm illud *strictioris* Religionis, in quo „ Regula non servatur. Neque refert, ait, quòd Regula „ sit stricta, si vita est larga, neque perfectio consistit in In„ stituto, sed in observervantia."

XIV. Quia tamen Monacho certam Regulam professo manendum est in ejusdem Regulæ & Religionis observantia, ni notabilis causa avocet, non immeritò post Joannem Andræam monet Fagnanus, transitum ad aliam Religionem sive Ordinem, ob disciplinæ collapsionem, fieri non posse, nisi totus Ordo sit collapsus, nec subsit spes reformationis. Unde si Monasterium v. g. S. Benedicti sine spe reformationis sit collapsum: nihilominus si plura Monasteria ejusdem Ordinis, saltem in patria vel provincia reperiantur non collapsa, tunc minimè licebit ad aliam Religionem transmigrare. Hæc ille ad *Cap.* SANE ✠ *De Regularibus*, qui & ad *Cap.* LICET ✠ *eodem nu.* 21. juxta prædicta, ait, quempiam posse transire de arctiore Religione, in qua remissiùs vivitur, ad minorem Religionem meliùs observatam; uti docet S. Thomas 2. 2. *q.* 189. *art.* 8. ubi refert in collationibus Patrū, Abbatē Joannem dicere de se ipso, quòd à vita solitaria, in qua professus fuerat, transiit ad minorem, scilicet eorum qui vivunt in societate, propter hoc, quòd vita Eremitica cœperat declinare, & laxius observari.

XV. Si vero dubitatur, num secunda Religio sit arctior, necessarium videtur judicium Superioris, uti post alios Canonistas notat ibidem Fagnanus.

XVI. Adhæc ne zelo sanctioris vitæ Monachus decipiatur, atque Angelus sathanæ se transformet in Angelū Lucis, tenetur Monachus transire volens petere licentiam Superioris, eique causam transitûs exponere, qui eam sedulò expendat, perspiciatque utrum reverà ex zelo sanctioris vitæ hunc transitum meditetur, nihilque sit quod hic & nunc eum transitum impediat.

XVII. Si Superior licentiam transeundi neget, poterit quidem juxta juris cōmunis dispositionem, movente Spiritu Sancto, transire; sed meritò hic prudentum atque expertorum judicium expetet, ne aliàs seipsum Monachus fallat, vel etiam zelo præcipiti magna in Religione scandala & contentiones excitat.

XVIII. Quare notat Cardinalis De Luca, " neque à „ *laxiore* ad *strictiorem* transeundi licentiam concedi sine „ licentia Sacræ Congregationis Regularium, quæ audito „ Superiore primæ Religionis, id concedere solet certas „ præscribendo Religiones, in quibus benevoli receptores inveniantur, pro facti qualitate ac singulorum casuum circumstantiis." *Disc.* 41. *ad Concilium Trid.* Quod an extra Italiam obtineat, dubito. Quod hic dicitur, Sacrā Congregationem hanc licentiam non annuere, nisi *audito Superiore primæ Religionis*, conforme est Regulæ Benedictinæ, quæ ait: " Caveat autem Abbas, ne aliquando de „ alio noto Monasterio Monachum ad habitandum suscipiat sine consensu Abbatis ejus aut litteris commendatitiis: quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne „ feceris. Cap.* 61.

XIX. Cùm verò per veram translationem Monachus à Monasterio sive Religione, in qua professionem emisit, absolvatur, & alteri Monasterio vel Religione per professionem incorporetur, vitamque suam juxta normam vivendi in hac Religione aut Monasterio observatam instituere debeat; ipsaque Religio eum pro sua facta professione debeat agnoscere, etiam novum Novitiatum seu annum probationis præmittendum esse benè probat Fagnanus ad *Cap.* AD APOSTOLICAM ✠ *De Regularibus*, & post ipsum Cardinalis De Luca *Disc.* 38. *De Regularibus*, qui tamen ibidem monet, " quod S. Congregatio passim dispensare soleat, aliquo brevi termino contenta, „ quoties præsertim non agitur de transitu ad *strictiorem* „ *magisque asperam* vitā: quoniā rigor integri & continui „ anni, qui regulariter dispensari non solet, procedit, ubi agitur de imprimendo statum Regularem in genere, cum „ formali ac omnimoda mutatione statûs irretractabilis, „ de sæculari in Regularem ac de libero in servum, seu de „ vivo in mortuum. Secùs autem ubi, isto statu jam impresso, agitur tantùm de accidentali mutatione vitæ „ potiùs sub una, quàm sub altera Regula."

XX. Monet nihilominus sæculi nostri Monasticæ disciplinæ zelosus instaurator Abbas Trappensis, majorem exactioremque probationem meritò exigi in receptione Monachi transeuntis, quàm in receptione alicujus de sæculo." Et sanè, qui per experientiam noverunt, inquit, „ difficilius esse reformare, seu potiùs totaliter immutare aliquem venientem ex aliquo Monasterio, quàm si „ è medio sæculo veniret, non dubitabunt, quin novus „ Novitiatus sit necessarius, non tantùm, uti loquitur quidam Pontifex, ob bonum Postulantis qui se obligat, sed „ etiam in securitatem Congregationis quæ eum recipit, „ Qui de sæculo immediatè egreditur, est quasi tabula rasa, cui quidquid libuerit insculpitur & imprimitur; estque res insolita, ut is adeò esset præsumptuosus ut „ non reciperet cum submissione & docilitate instructiones & præcepta in re cujus ipse hactenus nullam notitiam habet. At non idem dici potest de Monachis: hi „ veniunt ab observantiis suis Monasticis pleni principiis, præventionibus & imaginationibus falsis, habitibus ibi sēm contractis ferè in perpetuum addicti, ad ea „ contradicenda atque carpenda, quæ nec suis judiciis, nec „ idæis de Religionis statu præconceptis conformia sunt,

„ prom-

Digitized by Google

„promptissimi. Tandem tam multa in eis prius sunt evertenda, quàm fiant capaces eorum, quibus & mente & corde imbuendi sunt, ut tempus novitiatûs & probationis non tam contrahendum sit quàm protrahendum. Equidem ex hujusmodi translationibus tam rarus est profectus, ut antiqua Instituta quæ Ordini, Regularitati, ac paci studerunt, iis aditum præcluserint, aut saltem eas, nisi quam maximè præconsultè non admittant.

„Antiquis majorem admittendi facilitatem conferre potuit integra & non impedita libertas, pacem Congregationis turbantes dimittendi, sed jam cùm non adsit ampliùs æqualis potestas, & etiam ab invitis Religiosi morum non integrorum quantumcumque sese efferat eorum depravatio retineri debeant, nulla cura, nullum studium quo deceptio in ejusmodi Institutis evitetur, non est subeundum. Et dici potest, sanctum Benedictum, si nostris viveret diebus, perspexissetque quàm rarò in fines exspectatos mutationes hujusmodi devenirant, non tantum tempus probationi Religiosorum extraneorum destinatum ad unam diem diminuturum non fuisse, sed potiùs eorum novitiatum in annos duos protracturum." Hæc ille *ad Cap. 61. Reg. Bened.*

CAPUT VI.

Quid observandum à Regulari prætendenti professionem suam fuisse invalidam?

1. *Olim liberum fuit omni tempore allegare & probare nullitatem professionis.*
2. *Decretum Synodi Tridentinæ circa licentiam allegandi dictam nullitatem.*
3. *Nullitas professionis hodie proponi debet intra quinquennium à die professionis.*
4. *Idemque procedit tametsi nullitas prætendatur ex impedimento* perpetuo.
5. *Per lapsum quinquennii non inducitur tacita professio.*
6. *Reclamatio post quinquennium admittitur si impedimentum sit notorii facti permanentis.*
7. *Contra lapsum quinquennii non admittitur excusatio ignorantiæ.*
8. *Metus aut vis tametsi perpetua non admittitur contra lapsum quinquennii.*
9. *De Stilo Curiæ Romanæ datur restitutio in integrum adversus lapsum quinquennii; & qua forma expediatur?*
10. *In Gallia restitutio illa non admittitur.*
11. *Causa nullitatis debet tractari coram Ordinario & Superiore Regulari.*
12. *Quis hic dicatur Superior Regularis; & quis Ordinarius?*
13. *Synodus Tridentina Superiori Regulari adjungens Ordinarium non recedit à jure communi.*
14. *Conventus prætendens nullitatem alicujus professionis, eam coram Ordinario idque intra quinquennium allegare debet.*
15. *In Gallia deduci debet coram delegatis per Rescriptum Apostolicum judicibus* in partibus.
16. *Qui sponte habitum Religiosum dimisit, causam nullitatis allegans non auditur, antequam habitum resumpserit.*
17. *Neque hic attenditur, num justa causa fuerit habitum dimittendi.*
18. *Edictum Caroli V. contra Religiosos abjicientes habitum Religiosum.*

Olim, uti notant Canonistæ ad *Cap. 1 ꝟ De his quæ vi metúsve causa fiunt*, si professus, qui è Monasterio exiverat, justam causam timoris seu nullitatis suæ professionis prætendebat & allegabat, ad suum Monasterium redire non compellebatur, nisi causâ prius deductâ atque decisâ.

II. At cum similis à Monasterio recessus atque indefinita ac illimitata contra professionem semel emissam reclamandi licentia, varia secum traheret incommoda, Synodus Tridentina hisce obviare volens statuit *Sess. 25. c. 19. De Regularibus*: "Quicumque Regularis prætendat, se per vim & metum ingressum esse Religionem: aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile; velitque habitum dimittere quacumque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum, non audiatur, *nisi intra quinquennium tantùm à die professionis*; & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quod si anteà habitum spontè dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcumque causam admittatur; sed ad monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur."

III. Tria hic statuit Synodus. *Primò*, ut Regularis prætendens, professionem suam esse nullam ob *vim metumve* illatum, aut *defectum ætatis*, aut *quid simile*, debeat causas nullitatis allegare & deducere intra quinquennium à die professionis, alias non audiendus.

IV. Cùm verò Synodus nullam causam nullitatis excipiat, sed duabus expressis generaliter dicat, aut *quid simile*; id est, similiter inducens nullitatem professionis, non videtur distinctio facta à Synodo, inter impedimenta temporalia, & perpetua; uti benè probat Fagnanus ad *Cap. 1. ꝟ De his quæ vi metusve causa fiunt*; asseritq; sententiam asserentem, invaliditatem professionis ex impedimento *perpetuo* etiam lapso quinquennio posse proponi, semper à S. Congregatione Regularium fuisse reprobatam; ac discusso articulo respondisse, quod etsi impedimentum sit *perpetuum*, illud tamen deducendum fuisse infra legitima tempora.

Insuper refert, Gregorium XIII. ex sententia S. Congregationis declarasse, Regularem elapso quinquennio non esse audiendum, tametsi professus alleget, vim & metum semper durasse.

V. Hinc ulterius infert Fagnanus, Synodi mentem haud fuisse, ut per lapsum quinquennii indicatur tacita professio, sed tantum, ut post tanti temporis silentium *audientia* negetur: Neque enim absurdum est, ut qui tam diu tacuit, deinceps non audiatur.

VI. Si tamen impedimentum sit notorium facti permanentis, adeo ut nulla super ejus existentia aut non existentia quæstio moveri queat, sed ad oculum pateat, tunc post quinquennium proponi poterit; non quia *perpetuum* est; sed ob notorietatem *facti permanentis*: Ut v.g. si vir in habitu muliebri professionem emiserit in Monasterio Monialium; quo item casu, quemadmodum monet ibidem Fagnanus, non obstat quinquennium Concilii, propter periculum scandali, & peccati.

VII. Quinquennium autem ex verbis Synodi currit à die professionis; ideoque lapso quinquennio à die professionis viâ ordinariâ, & juxta Decretum Synodi, Regularis causas nullitatis deducere volens, non est audiendus; tametsi ignorantiam nullitatis aut impedimenti prætendat; aut fuisset aliunde impeditus, quo minus ipsam causam nullitatis deducere potuerit. Quod & ipsa Synodus non obscurè innuit, cum dicit; *audiendum non esse, nisi intra quinquennium* TANTUM *à die professionis*.

VIII. Huic conforme est, quod dicitur Gregorius XIII. ex sententia Congregationis Concilii declarasse, nempè eos, qui per vim & metum se Religionem professos prætenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo lapso non esse audiendos, tametsi allegarent vim & metum semper durasse.

IX. Hunc tamen quinquennii lapsum non impedire, quin ex justa causa detur restitutio in integrum, plures Canonistæ contendunt; eamque opinionem confirmat praxis Curiæ Romanæ; uti notat Cardinalis de Luca *discurs. 41. De Regularibus*; monens ibidem, "non pertinere ad Judices de hujus restitutionis in integrum concessione cognoscere vel judicare; cum id *privativè* pertineat *ad Papam*; qui eamdem restitutionem concedere non solet, aut, nisi prævia consultatione Sacræ Congregationi Concilii, cui frequentiùs commissiones super hujusmodi restitutionis petitione dirigi solent; licet quandoque, sed *nimium rarò*, etiam huic congregationi Regularium directæ fuerint: ac propterea in una, vel altera congregatio-

„gatione assumitur formalis disputatio, non constet necnè „de sufficienti causâ dictæ restitutionis; istâque consulta-„tione accedente, signatur commissio directa præfatis „judicibus à Concilio demandatis."

X. Et hæc quidem juxta praxim Romanam; at in Gallia ubi Decretum Concilii Tridentini quoad hanc quinquennii præfixionem etiam Regio Decreto firmatum est, restitutio in integrum contra hunc quinquennii lapsum recipi non solet; neque executio rescripti Pontificii cum clausula hujusmodi restitutionis admitti; nisi in casu admodum extraordinario, uti docet Brodeau in notis ad Louët *litt. C. n.*8. ibidem referens plura Parlamentorum judicata, quibus hujusmodi restitutiones abusivæ declaratæ fuêre; & latiùs prosequitur Carolus Fevret tract. De Abusu *L.* 5. *c.* 3. Et admodum notandum exemplum refertur in libro cui titulus *Journal des Palais* Tomo 7. p. 65.

Monet insuper Fevretius ibidem *nu.* 26. non sufficere, intra quinquenniū fuisse reclamatum; sed constare debere de reclamatione per instrumentū authenticum in scriptis; quemadmodum professio ipsa Religiosa per scriptum, non autem per testes probari debet; uti suprà monuimus.

XI. Secundò juxta Decretum Concilii Trident. debet Regularis causas nullitatis, quas prætendit, deducere coram Superiore suo & Ordinario.

XII. Superior, de quo in Decreto, intelligitur Superior localis, id est, illius Monasterii, in quo professionem emiserit, seu ubi à Superioribus collocatus fuerit: cum sub nomine Superioris regularis, inquit De Luca *Disc.* 41. *ad Concil. Trid.* veniat ille, qui est Prælatus illius Monasterii, vel Conventûs, non autem totius Ordinis.

Huic convenit arrestum Parlamenti Parisiensis quo declaratum fuit, Provincialem Minimorum abusivè processisse propria sua auctoritate ad declarationem nullitatis professionis alicujus sui Religiosi. Fevret dicto loco.

Similiter Ordinarius habetur ad mentem Synodi, qui est Ordinarius loci in quo situm est Monasterium Regularis nullitatem deducentis.

XIII. Porro Synodus ad majorem cautelam Superiori Regulari adjungens Ordinarium, non planè corrigit jus commune, uti benè observat Fagnanus ad *Cap.* NULLUS 31 *De Regularibus*; " quoniam de jure veteri, ait, Mona-„steria subjecta erant Episcopo Diœcesano *Can. Mona-„steria* 18. *qu.* 2. & ad eum spectabat cura & solicitudo „Monachorum: unde ipse poterat nulliter professos eji-„cere, sicut poterat illos ad Religionem admittere." Hæc Fagnanus; ex his ulterius concludens, Concilium Tridentinum dum jubet adhiberi Episcopum in judicio nullitatis professionis, esse favorabile, & latè interpretandum; cum per illud reditus fiat ad jus commune.

XIV. Quamvis ergo Synodus Tridentina verbis expressis dumtaxat loquatur de Regulari *subdito* volente nullitatem professionis deducere, nihilominus prætendit Fagnanus, juxta naturam correllativorum, quod si Religio ipsa seu Conventus contendat nullitatem professionis, eadem quoque deducenda sit coram Ordinario: quin & ex eadem ratione correllativorum, ac insuper ex eo quòd sit professio quidam contractus ultro citroque obligatorius inter professum & Monasterium, in quo consequenter utrimque æqualitas servanda est, conficit, Monasterium seu Religionem teneri intra *quinquennium* causas nullitatis deducere; eoque elapso non ampliùs audiendum; quod & S. Congregationem censuisse testatur.

XV. Refert autem Fevret loco citato *num.* 28. in terris Ecclesiæ & quibusdam Provinciis, quas *Obedientia* vocant, causam hanc ad præscriptum Synodi Trid. peragi; at in Gallia usu receptum esse, ut professionis nullitatem prætendens, recurrere teneatur ad Pontificem, à quo obtineat rescriptum, quo causa delegetur judicibus *in partibus*; & si aliter fiat, processum tamquam abusivum rescindi.

XVI. Tertiò mandat Synodus, ut, si Regularis antequam causam nullitatis coram Superiore suo & Ordinario deduxit, habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam causam admittatur, sed ad Monasterium redire cogatur, & tamquam apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.

XVII. Porro ut ad Monasterium redire, habitumque assumere cogatur, donec causa integrè deducta & finita sit, non attenditur, num justa causa dimittendi habitum fuerit, vel non; uti monet De Luca citato *Disc.* 41. *de Regularib.* Mandat enim Synodus simpliciter, ut Regularis, qui sponte habitum dimisit, priusquam causa legitimè deducta fuit, restituatur, ac si numquam habitum dimisisset; *ne aliàs*, ait," ita Religioso sub hoc prætextu concedatur licen-„tia vivendi extra claustra durante lite; quæ ita in longum „protrahi posset, quamvis agnosceretur, quod litis even-„tus futurus esset malus, dum ita obtineretur intentum vi-„vendi interim in sæculo."

XVIII. His consonat, quod Carolus V. edicto anni 1535. Bruxellis edito declarat, " Ne quis Apostatas Religiosos, „aut sine licentia exeuntes recipiat aut hospitetur vel as-„sistat, sed denuntiet Officiario loci, qui apprehensos re-„stituat Monasteriorum præfectis, unde fugerunt, & si „super dispensatione aut professione litigandum sit, judex „in habitu eos manere & in aliquo loco Religioso interim „degere jubebit." Zyp. in Jure Novo *Tit. de Apostatis n.* 9.

CAPUT VII.

An Monachi contumaces & rebelles possint post professionem è Monasterio ejici; & à Religione abscindi?

1. *Olim licitum fuit, Monachum rebellem & incorrigibilem è Monasterio ejicere.*
2. *Tentanda omnia pro ejus emendatione priusquam ejiciatur.*
3. *Monachus ejiciendus induebatur veste sæculari, & abscindebatur absolutè à Religione; & à Superiorum Regularium cura & regimine solvebatur, & Episcopo subdebatur.*
4. *Hæc disciplina etiam sæculo 9. quin & 13. obtinuit.*
5. *Hæc tamen disciplina paulatim mutari cæpit: & quare?*
6. *Jus Decretalium non admittit ejectionem absolutam à Monasterio vel Ordine.*
7. *Jus Decretalium repugnat antiquis Monachorum Regulis.*
8. *Aliquando acriter disputatum, num jus Decretalium hac in esse esset in usu; & an conveniret in usum deduci.*
9. *Decretum Urbani VIII. circa ejectionem incorrigibiliū, deliquo usque veterem disciplinam renovans.*
10. *Num moribus nostris hoc Decretum sit receptum.*
11. *Circa Monachos Apostatas hodierna disciplina à pristinis Monachorum Regulis recedit.*
12. *Magna cura adhibenda à Superioribus, ut rebelles ad meliorem reducant.*
13. *Veteres Monachorum Patres soliciti fuerunt, ne ovis morbida alias inficeret.*
14. *Meritò exactius examen hodie circa recipiendos ad professionem, quàm olim præmittitur.*

I. MOnachos incorrigibiles olim potuisse ejici è Monasterio, ex Monachorum Regulis manifestum est.

Et quidem S. Benedictus *cap.* 28. *Regulæ* præscribens modum, quem Superior in correctione Monachi inobedientis servare debet, si omnibus adhibitis nihil profecerit, vult, ut à Congregatione abscindatur. " Si quis „Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, inquit, „si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei „accedat correptio; id est, ut verberum vindicta in eum „procedat. Quòd si nec ita correxerit, aut fortè, quod „absit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit „opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens Medicus. Si „exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si me-„dicamina Scripturarum Divinarum, si ad ultimum u-„stionem excommunicationis, vel plagarum virgas, e-„tiam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhi-„beat

„ hibeat etiam, quod majus est, suam & omnium Fratrum „ pro eo orationem; ut Dominus, qui omnia potens est, „ operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quòd si nec „ isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro „ abscissionis, ut ait Apostolus: *Auferte malum ex vobis*: „ & iterum: *Infidelis si discedit, discedat*: ne una ovis morbida omnem gregem contaminet."

II. Vult ergo Benedictus, ut quidem nihil à Superiore omittatur, quo Monachus ad obedientiam, & meliorem frugem, ac præcipuè ad humilitatem reducatur; sed si pertinax atque rebellis perseveret, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, eum ex Congregatione & Monasterio ejici præcipit.

S. Isidorus vult Monachum inobedientem priùs ergastulo coerceri, eoque ad obedientiam reduci; " Quod si „ tamen in malo perseverans perduraverit, & proná voluntate pœnitentiam agere noluerit, & sæpe ac sæpe contumax murmurator patulè contra Seniores vel Fratres in „ facie perstiterit, & cum propinquis se vindicare maluerit, in collatione deductus *exuatur* Monasterii *vestibus, & induatur*, quas olim adduxerat, *sæcularibus*, & „ cum confusionis nota *à Monasterio expellatur*, ut cæteri „ emendentur, dum fortassis solus tali correptione ille delinquens corrigitur." *Apud Menardum ad cap. 37. Conc. Reg. §. 4.*

III. Hinc elucet, Monachos rebelles & incorrigibiles è Monasterio non tantùm fuisse ejectos, sed etiam veste Monachali exutos, & sæculari indutos, à Monastica disciplina & Abbatum ac Superiorum cura & regimine solutos, atque ita cum reliquis laïcis Episcoporum ac Pastorum sollicitudini concreditos.

IV. Quod & sæculo 9. obtinuisse sat apertè declarant Patres Concilii Meldensis anno 845. decernentes *Canone* 55. " Ut Monachus de Monasterio, sine consultu vel præ„ sentia *Episcopi* aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur: *cujus dispositione* & authoritate *de cætero* vita & conversatio *ejecti*, ne perditus perpetuò fiat, „ si aliquo modo salvari potest, ordinari debet atque decerni."

Quin & sæculo 13. scripsit S. Thomas *Quodlib. 12. q. fin.* Quandoquidem Apostolus velit, ut auferatur malum „ de communitatibus nostris, ne modicum fermentum „ totam massam corrumpat, justum est, ut abscindamus „ ac ejiciamus Monachum incorrigibilem & insolentem."

Nequaquam igitur repugnat professioni Monasticæ, quo minus Monachi post emissam professionem propter inobedientiam & rebellionem è Monasteriis ejiciantur, ne contagio ipsorum reliqui inficiantur.

V. Verùm cùm experientiâ compertum fuerit, quòd nonnulli Prælati ad ejiciendos suos Monachos essent promptiores, atque exinde vagandi occasionem acciperent Monachi cum evidendi salutis suæ detrimento, nec non publico Fidelium scandalo, hinc disciplina circa hanc ejectionem mutari cœpit.

Et quidem Gregorius IX. in *Cap. fin.* ✠ *De Regularib.* Ut Præsidentes Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii Generalis, seu Patres Abbates, seu Priores fugitivos suos & ejectos de Ordine suo sollicitè requirant annuatim. Qui si in Monasteriis suis recipi possint secundum Ordinem Regularem, Abbates seu Priores eorum monitione prævia per censuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem illorum, salvâ Ordinis disciplinâ. Quòd si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostrâ provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam, talibus „ vitæ necessaria ministrentur."

VI. Hæc Decretalis, dum mandat ejectos annuatim requiri, necessariò supponit (ut rectè post alios Canonistas advertit Fagnanus ad dictum *Cap. fin. num. 37. & 38.*)" de cætero illos ejici non posse, ita ut extra loca ip„ sorum vagentur, sed tantùm ne stent cum aliis Religio„ sis; alioquin inutilis esset circuitus, ut cogendi essent „ Superiores Regulares ad recipiendos ejectos incor„ rigibiles, si statim iterum possent illos Monasterio e„ jicere.... Præcipit ergo Gregorius, ut expulsi de cætero „ ita recipiantur, ut ampliùs ab Ordine expelli non pos„ sint, sed in locis competentibus intra idem vel aliud „ Monasterium detineantur ad agendam pœnitentiam; „ quod clariùs probatur communi intelligentiâ ad *Cap.* „ CUM IN ECCLESIIS ✠ *De Majorit. & obedientia,* „ in verbis: *Alioquin de Fratrum consortio penitùs exclu*„ *datur*; non enim dixit, *incorrigibiles excludi debere à* „ *Monasterio*, sed *à consortio*, ita ut non stent cum aliis, „ recludantur in locis competentibus, ut hic præcipitur „ ad agendam pœnitentiam." Hactenus Fagnanus; qui & ibidem plures refert famosos Canonistas, qui notârunt, per hanc Decretalem expulsionem incorrigibilium è Monasterio vel Ordine esse sublatam; eamque sententiam probatam esse à S. Congregatione sub Pio IV. edito Decreto, & Procuratoribus Ordinum intimato, quo prohibetur ne quis Regularium imposterum ejiciatur è Monasterio, etiamsi sit incorrigibilis, sed peccantes à Superioribus ignominia & carcere castigentur, & acrius etiam, si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur.

VII. Non diffitetur equidem Fagnanus huic Decreto ac decretali contrariari non tantùm S. Benedicti, sed & Augustini, aliorumque Patrum Regulas, quæ satis clarè permittunt omnimodam expulsionem incorrigibilium ex Religione.

VIII. Neque pariter dissimulat, acriter disputatum fuisse sub initium hujus sæculi tempore Urbani VIII. num hæc Decretalis, nec non prædictum Congregationis Decretum usu recepta essent, conveniretque in usum deduci; pregnantesque rationes à Regularibus fuisse adductas, quibus suadebatur, expulsionem è Monasterio esse permittendam; quas ibidem etiam proponit; sed nec rationes deerant, quæ hujus Decretalis, & Decreti observantiam postulare viderentur

IX. Omnibus perpensis, S. congregatio probante Urbano VIII. inter cætera Decreta de Regularibus Apostatis & Ejectis statuit sequentia: " Adhæc, ut impo„ sterum nullus legitimè professus ejici possit, nisi *sit verè* „ *incorrigibilis*; verè autem incorrigibilis minimè cen„ seatur, nisi non solum concurrant ea, omnia, quæ ad „ hoc ex juris dispositione requiruntur, sublatis in hac „ parte statutis, & constitutionibus cujusque Religionis, „ & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis & con„ firmatis; verùm etiam *unius anni spatio in jejunio, & pœ*„ *nitentia probetur in carceribus* :proindèque Religio „ privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. „ Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed a„ nimo indurato in sua pervicacia perseveraverit, *ne con*„ *tagione pestifera* plurimos perdat, tamquam pecus mor„ bidum ac membrum putre *tandem ejici possit*, sed ab „ ipsomet Generali tantum ex consilio, & assensu sex Pa„ trum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Ca„ pitulis vel Congregationibus Generalibus; tumque non „ nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones „ processu, & plenè probatis causis expulsionis ad SS. Ca„ nonum præscriptum.

X. Juxta hujus Decreti tenorem, revocata aliquatenus videtur pristina Monachorum circa incorrigibilium & rebellium Monachorum expulsionem disciplina; sed multum dubito, num moribus nostris hæc congruant; hancque etiam cum tanta moderatione expulsionem patiatur.

Et quidem teste Zypeo in jure novo *Titulo De Apostatis*, mandavit S. Congregatio Nuntio Belgii 26. Februarii 1608. ut Decretalem Gregorii IX. de qua supra, in his

in his regionibus juberet efficeretque observari per Superiores Regularium.

Neque in Gallia hujusmodi expulsionem permitti, sat indicat Renatus Choppinus in suo Monastico *lib. 1. tit. 3.* atque in contradictorio judicio declaratum fuisse, fas non esse Superiori Monachum è Monasterio ejicere, aut ad triremes condemnare refert Boniface *lib. 2. tit. 31. cap. 4.*

XI. Quoad Apostatas jam notavimus, Edicto Caroli V. cautum fuisse, ne quis Apostatas Religiosos, aut sine licentia exeuntes recipiat, aut hospitetur, vel assistat; sed denuntiet officiario loci, qui apprehensos restituat Monasteriorum Præfectis undè fugerunt.

Sat apertè significat Edictum, Religiosos Apostatas etiam invitos ac rebelles Monasteriorum Præfectis esse restituendos, ac in Monasterium retrudendos; quo rursum à pristinâ Monastica disciplinâ nonnihil receditur.

Pristina enim disciplina nonnisi pœnitentes, & emendationem promittentes, qui à Monasterio propria voluntate se subtraxerant readmittebat; atque illos quos in sua Apostasia obstinatos videbat, â Monasterio repellebat. "Frater [ait Regula Benedictina *cap. 29.*] qui proprio „ vitio egreditur de Monasterio, si *reverti voluerit*, spon- „ deat priùs omnem emendationem vitii, pro quo egres- „ sus est; & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus „ humilitas comprobetur. Quod si denuò exierit, usque „ tertio ita recipiatur; jam postea *sciens* omnem sibi *re-* „ *versionis aditum denegari*."

XII. Interim ex illa Patrum disciplina quilque sat intelligere potest, quam curam & sollicitudinem, ac prudentiam desideraverint, ac requisierint Patres in Monasteriorum Præfectis, quo subditos suos ad obedientiam ac meliorem frugem quacumque viâ reducerent.

XIII. Discere quoque poterunt Monasteriorum Moderatores, ac Monasticæ disciplinæ Zelatores, quam solliciti fuerint Monachorum Patres, ut morbidas, atque putridas ac penè desperatas oves à suis gregibus separarent, scientes quàm facilè vel ab una infecta Ove totus Grex inficiatur.

XIV. Deinde cum moderna disciplina non permittat, Monachos rebelles, ipsamque Religionem quantumcunque turbantes expellere & à Congregatione omninò dimittere, major meritò hodie in recipiendis ad Monasticam professionem cura, diligentiusque atque exactius examen, & probatio adhibenda sunt, quam olim, dum similes è Monasterio ejicere licebat, uti rectè advertit & monet zelosissimus Monasticæ disciplinæ Abbas Trappensis in commentario *ad cap. 61.* Regulæ Benedictinæ; cujus verba supra *cap. 5.* retulimus.

TITULUS XXVIII.

De Voto Obedientiæ

CAPUT I.

Qualis debeat esse obedientia?

1. *Præcipua virtus Monachorum est* Obedientia.
2. *De ea Magister Novitios præcipuè instruere debet.*
3. *Qua ratione* Obedientia *dicatur primus gradus humilitatis.*
4. *Obedientia debet esse generalis.*
5. *Obedientia requirit plenam à voluntate Superioris dependentiam.*
6. *Debet esse sine mora.*
7. *Requiritur ut sit* fervens *non tepida.*
8. *Debet exhiberi* hilari *ac* prompto *animo.*
9. *Debet verus* Obediens *renuntiare propriæ voluntati.*
10. *Tenetur etiam renuntiare proprio judicio.*

I. DE Monachis sui temporis loquens S. Hieronymus Epist. 22. ad *Eustochium* ait: "Prima apud eos „ confœderatio est, *obedire* majoribus, & quidquid jusserint, facere." Similiter Sulpitius Severus *Dialogi 1. cap. 11.* "Præcipua, inquit, ibi virtus & prima est „ *obedientia*."

II. Et Cassianus Magistri Novitiorum officium describens *Lib. 4. Instit. cap. 8.* ait: "Hæc erit ejus sollicitu- „ do & eruditio principalis, ut doceat juniorem primitus „ suas vincere voluntates? quem studiosè in his ac diligen- „ ter exercens, hæc illi semper imperare de industria pro- „ curabit, quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis „ siquidem experimentis edocti tradunt, Monachum, & „ maximè juniores, ne voluptatem quidem concupiscen- „ tiæ suæ refrænare posse, nisi prius mortificare per *obedientiam* suas dedicerint voluntates."

III. *Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora*, ait S. Benedictus in Regula *cap. 5.* Non quidem Ordine, sed utilitate, uti notat Smaragdus *cap. 13.* Diadematis Monachorum: "Obedientia, ait, salus est omnium fidelium, „ obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia „ regni cœlorum inventrix est, cœlum aperiens, homi- „ nem de terra elevans, obedientia cohabitatrix est An- „ gelorum, obedientia Sanctorum omnium cibus est; ex „ hac enim ablactati sunt, & per hanc ad perfectionem „ venerunt."

Cui convenit illud S. Ferreoli Ucetiensis Episcopi in Regula *cap. 1.* "Primum ut Monachus, quem propriè ma- „ net multas in se virtutes ædificare, *obedientia* in se col- „ locet fundamentum." Ut verò *Obedientia* Religiosa „ vera sit ac perfecta, requiritur.

IV. Primò, *Præceptis Abbatis in omnibus* [uti loquitur S. Benedictus *cap. 4.*] *obedire, etiamsi aliter, quod absit, agat.* Vel ut *cap. 7.* dixit, "Pro Dei amore cum *omni* o- „ bedientia se subdere Majori."

„ Nihil itaque recusandum est [inquit S. Columbanus „ in Regula *cap. 1.*] obedientibus veris Christi discipulis, „ quamvis *durum & arduum* sit: sed cum *fervore*, cum *lætitia* arripiendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, „ non erit acceptabilis Deo qui ait: *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus.* Et S. Bene- „ dictus *cap. 68.* "Si cui Fratri aliqua fortè gravia aut im- „ possibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis impe- „ rium cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si „ omninò virium suarum mensuram viderit pondus ex- „ cedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, pa- „ tienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut re- „ sistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem „ suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, „ sciat junior ita sibi expedire, & ex charitate confidens „ de adjutorio Dei obediat."

V. Secundò, perfecta Monachi obedientia exigit, ut Monachus in omnibus à voluntate Superioris dependeat; nihilque sine ejus agat consensu. Hinc S. Benedictus *cap. 49.* suæ Regulæ loquens de operibus supererogationis, vult ut "hoc ipsum quod unusquisque offert prius Abba- „ ti suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate: „ quia quod sine permissione Patris spiritualis fit, præ- „ sumptione deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. „ Ergo, ait, cum voluntate Abbatis *omnia* agenda sunt." Et *capite 67.* vindictæ regulari vult subjacere eum, "qui „ præsumpserit *quidpiam*, etiam *parvum*, sine Abbatis „ jussione facere."

VI. Tertiò debet esse Obedientia *sine mora.* Hanc conditionem exponens S. Benedictus *cap. 5.* ait de veris obe-

obedientibus. "Mox ut aliquid imperatum à Majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit: *obeditu auris obedivit mihi.* Et item dicit Doctoribus: *Qui vos audit, me audit.* Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis insequuntur; & veluti uno momento prædicta magistri jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur."

Benedicto congruens S. Columbanus ait: "Ad *primum verbum* Senioris *omnes* ad obediendū audientes *surgere oportet*: Quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro Jesu Christo: *Qui vos audit me audit.*"

Et S. Bonaventura: "Obediens non est, sed negligens, qui *secundum exspectat mandatum.* Ut obedientia Religiosi Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione."

VII. Quartò obediendum *non tepidè* monet Regula Benedictina *cap. 5.* sed ferventer, sollicitè & diligenter: & hoc est ex charitate obedire. Charitas enim excitat fervorem & solicitudinē. Unde *cap. 71.* dicitur: "Omnes juniores Prioribus suis *omni charitate* & solicitudine obediant."

VIII. Quintò, obedientia exhibeatur *hilariter*, sive ut Regula Benedictina exponit; *cum bono animo*; " quia HILAREM *datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis." *Dicto cap. 5.*

IX. Porro talis nequaquam erit Religiosa obedientia, nisi prius propriæ renuntietur voluntati. Unde & S. Benedictus veros obedientes dicit, *voluntatem propriam deserentes.* Et inter instrumenta bonorum operum reponit, *voluntatem propriam odisse.* Et *cap. 7.* suæ Regulæ vult, *ut quis propriam non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere.*

Nec tantū n propriæ voluntati renuntiare, atque Superiorum se voluntati subjicere tenetur obediens Religiosus, sed etiam proprio judicio renuntiando alienum sequi; juxta illud de veris obedientiæ Filiis dictum S. Benedicti, citato *cap. 5.* "Non *suo arbitrio* viventes, vel desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes *alieno judicio* & imperio in cœnobiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant." Vel ut ait *cap 72.* "non quod sibi utile *judicat* sequatur, sed quod magis alii." Atque hæc est illa priscis recentioribusque toties commendata OBEDIENTIA CÆCA; de qua latius capite sequenti.

CAPUT II.
De Obedientia *cæca.*

- *Veri obedientes alieno judicio vivunt, & hinc obedientia* cæca.
- *Obedientia an exigat, ut in omnibus obediatur Superioribus.*
- *Interdum magna in obediendo discretione opus est.*
- *Non semper Monachum excusat præceptum aut licentia Prælati.*
- *Quâ ratione obedientia dicitur* cæca?
- *In quibus obedientia debeat esse cæca?*
- *In aliquibus cum magna discretione & discussione obediendum est.*
- *Valde perversum est obedire Superioribus contra legem Dei aliquid præcipientibus.*
- *Aliquorum obedientia meritò dicenda inobedientia.*
- *Quandonam voluntas Prælati suscipienda ut voluntas Dei.*
- *Obedientia fiduciam conciliat Monacho in agendis, si Prælatus sit talis, qualis esse debet.*
- *Subinde major difficultas est, majusque meritum in refragando, quam obediendo Prælatis.*

Sanctus Benedictus de veris obedientibus ait: *Non suo arbitrio viventes & desideriis suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes* ALIENO JUDICIO *& imperio.* C. 5 Reg.

Cui congruit illud S. Gregorii in *I. Regum cap. 14.* "Vera obedientia nec Præpositi *interiora discutit*, nec præcepta discernit: quia qui omne vitæ suæ *judicium* Majori subdidit, hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operetur: *Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire:* quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat.

Et Joannes Climacus *Gradu 4.* "Obedientia est *inexaminatus* atque *indiscussus* mutus, spontanea mors..... Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihilque discernit, mortua in malis & in bonis apparentibus." Ita legit editio Veneta.

Hinc illa à Patribus aliisque vitæ Monasticæ Magistris tot encomiis celebrata *obedientia cæca.*

II. Quid igitur, obediendumne indifferenter ac generaliter Superiorum mandatis, nullumque subditis periculum obediendo imminere potest: adeò ut sine discussione aut examine *cæcâ obedientiâ* in omnibus Prælatorum præceptis obtemperantes in suis actionibus sint omninò securi, quòd nihil Dei voluntati contrarium faciant? Nequaquam sanè.

III. "Admonendi sunt subditi (ait S. Gregorius apud Gratianum *2. q. 7. Can. 57.*) ne plus *quàm expedit* sint subjecti, ne cùm student plus quàm necesse est hominibus subjici, compellantur vitia eorum venerari."

IV. Cui consonat quod Adamo Monacho, se ob præceptum Superioris quod sequutus fuerat, excusare volenti respondit S. Bernardus.

"Sed quid ad me, inquiebat Monachus, ille viderit cui mihi contradicere fas non erat. Non est discipulus super Magistrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorum auditor." Ad hæc exclamat Doctor mellifluus: "O Monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet Seniorum verbulis ne unum quidem jota prætervolet. Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii: *Estote prudentes sicut serpentes*, sufficienter quippe quod sequitur, *Et simplices sicut columbæ.* Nec dico à subditis mandata Præpositorum esse dijudicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis contrarium institutis; sed necessariam assero & prudentiam, qua advertatur, si quid adversatur, & libertatem, qua & ingenuè contemnatur."

Prudentia ergò Christiana etiam in obediendo necessaria est Monacho.

Et sanè quia omnis Superior homo est, isque peccatis & ignorantiis obnoxius, quidni & in præcipiendo à lege Dei incommutabili recedere possit? Quod si contigerit, *indubitanter*, uti loquitur Bernardus, *peragendum in Petri sententiam:* Quia *oportet Deo magis obedire, quam hominibus.*

V. Quâ ratione ergo *cæca* obedientia? Respondeo, *cæca* est ad ea quæ cupiditas seu amor proprius suggerit. Vera enim ac perfecta obedientia non solet discutere, aut inquirere, quæ contra Superiorum mandata amor proprius sive cupiditas suggerit, ut se à mandatis eximere possit; ut puta, quod naturæ nimium dura & aspera, imo quodammodo *impossibilia*: quod alteri potiùs quam sibi id injungendum esset; quod importuno præcipiatur tempore; quod ultra Regulam; quod indiscretè; imo malo & averso animo, aliaque similia: Ad ista, inquam, *cæca* est perfecta obedientia, nihilque eorum sollicita attendere, aut discutere; Prælatorum judicio, tanquam Dei Ordinationi se subjiciens.

VI. De his intelligi oportet illud Bernardi tractatu de præcepto & dispensatione *cap. 10.* "Porro *imperfecti cordis & infima* prorsus *voluntatis* indicium est, statuta seniorum *studiosiùs* discutere; *hærere ad singula* quæ injunguntur, *exigere de quibusque rationem*; & *malè* suspicari de omni præcepto cujus *causa lateat*; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit,

„quod *fortè libuerit* : aut quod non aliter licere seu expe„dire monstraverit vel *aperta* ratio, vel *indubitata* aucto„ritas. Delicata satis imò nimis molesta est hujuscemo„di obedientia. Non planè hæc illa est, quæ ex regula tra„ditur, *obedientia sine mora*."

VII. At cùm de transgressione legis divinæ agitur, nequaquam vera obedientia *cæca* est; sed tota luminosa, & undequaque prospiciens & attendens: utpotè ex luminosa Dei charitate Superioribus tamquam Deo obediens, sollicitè cavet, ne Superioribus obediens, Deo inveniatur inobediens.

VIII. Sciunt hi quod ad Adamum Monachum dicebat S. Bernardus in citata *Epistola* 7. "Valdè autem perversum „est profiteri te obedientem, in quo nosceris superiorem „propter inferiorem, id est, divinam propter humanam „solvere obedientiam. Quid enim? quod jubet homo, „prohibet Deus, & ego audiam hominem, surdus Deo? „Non sic Apostoli. Clamant quippè dicentes: *Melius est* „*obedire Deo quam hominibus*. Igitur facere malum quo„libet etiam jubente, constat non esse obedientiam, sed „potiùs inobedientiam."

IX. Illa ergò obedientia, qua nonnulli se in omnibus sine ulla discussione Superiorum voluntati subjiciunt; præsertim in his quæ corruptæ naturæ & concupiscentiis magis favent, & ad Regulæ ac disciplinæ Monasticæ relaxationem tendunt; idque non raro ut sibi Abbatum aut Superiorum gratiam & favorem concilient, sæpiùs potiùs *inobedientia*, quàm obedientia dicenda erit; atque hic meritò applicari potest, quod Adamo Monacho similem obedientiam obtendenti respondit S. Bernardus: "Vanis„simam præsumptionem, turpissimam levitatem, cru„delissimam dissensionem, *obedientiæ*, modestiæ, man„suetudinis nominibus velas & velatis sordibus sacra illa „vocabula maculas."

X. Itaque dicamus cum S. Basilio in *Regulis breviter disputatis quæst.* 114. "Quod si quid nobis imperatum sit, „quod idem sit cum mandato Domini, adjuvetve, illud „tamquam voluntas Dei studiosius diligentiusq; à nobis „suscipi debet, idque servari convenit, quod dictum est: „*supportantes invicem in charitate Christi*. Quoties verò „aliquid, quod mandato Domini aut repugnat, aut aliqua „ex parte vitiet contaminetve, facere ab aliquo jussi fue„rimus, tunc commodè illud usurpabimus: *Oportet obe*„*dire Deo magis, quam hominibus*."

XI. Illud equidem indubitatum est, per obedientiam Religiosam conciliari fiduciam ac pacem internam, si Monachi nacti fuerint Superiorem, qui rectum iter ad Deum volentibus pergere (uti loquitur S. Basilius) "sciat „commonstrare, qui ornatus virtutibus sit, cujus univer„sæ totius ipsius vitæ actiones testimonio sint, charita„tem in eo erga Deum messe, qui divinarum litterarum „scientiam habeat, virum integrum, nec ulli distractio„ni indulgentem, ab avaritia abhorrentem, minimè li„benter gerendis se negotiis admiscentem, quietum, a„mantem Deum, egentium studiosum, minimè iracun„dum, injuriarum immemorem, natura propensum ad „eos docendos, qui ad ipsum accedant, quem gloria ina„nis non inflet, superbia non extollat, adulatio non fran„gat, severum atque constantem, cui denique nihil sit „præstantius honore Dei. "Tunc Monacho rectè dicetur: "Voluntatem tuam exuito, ac foras projicito: atque „ubi hoc feceris, dede te illi, ut sincerissimum veluti vas „quoddam existas, qui quæ in te infundantur virtutes, ad „laudem Dei gloriamque ab omni vitio castas conserves."

XII. At è contrario si Superior scientiâ convenienti appareat destitutus, plus habens de mundi quàm Religionis spiritu, magis ad relaxationem quam Religiosam observantiam inclinatus; tunc indubiè non tantum prudentia ac discretione magna in obediendo; sed etiam non rarò magna virtute & constantia opus erit, ut Superiorum voluntati & inclinationi non pareatur: quin & subindè difficilius erit in Monasteriis, quibus similes Superiores præsunt, Deo fideliter servire, & vota sua exactè persolvere, quàm in Monasteriis reformatis ardua quæque ac aspera vitæ Monasticæ exercitia cum plena ac perfecta obedientia subire.

CAPUT III.

An obediendum Superiori aliquid contra vel supra Regulam præcipienti?

1. *Quod ante professionem erat libertatis, post professionem fit necessitatis.*
2. *Superiori obediendum est juxta Regulam.*
3. *Promissio obedientiæ fit,* salvâ professione, *sive* secundùm Regulam.
4. *Abbas non potest suo arbitrio Regulam infringere.*
5. *Differentia eorum, quæ in Regula occurrunt.*
6. *In his quæ ad substantiam Regulæ pertinent Superior dispensare nequit.*
7. *Vitam communem relaxare Superior non potest.*
8. *Superioribus eam auctoritatem sibi asserentibus credendum non esse declaravit Clemens* VIII.
9. *Quædam in Regula præcipiuntur, quæ ad substantiam Regulæ non spectant.*
10. *Quomodo in his Superiores interdū dispensare possint.*
11. *Obedire Superiori relaxanti aliquid de Regula plus meriti habet, quam exteriori Regulæ observantiæ insistere.*
12. *Superiori fas non est arctiorem vivendi normam suis præscribere quam Regulâ continetur.*
13. *Potest aliquando Superior aliquid subdito imponere, quod Regula non præscribit.*
14. *Id permittit S. Benedictus.*
15. *His non refragatur S. Bernardus.*
16. *Non facilè recusanda obedientia, dum aliquid imponitur quod supra Regulam videtur.*

1. QUod de Regula S. Benedicti dixit S. Bernardus, id universim de omnium Ordinum Regulis dicendum, nimirum quod illa "omni homini proponitur, „imponitur nulli: prodest, si devotè suscipitur & tene„tur: non tamen, si non suscipitur, obest. Quod autem in „voluntate est suscipientis, non in potestate proponen„tis, voluntarium meritò dixerim, non necessarium. At„tamen hoc ipsum quod dico voluntarium, si quis ex „propria voluntate semel admiserit, & promiserit dein„ceps tenendum, profectò in necessarium sibi ipse con„vertit; nec jam liberum habet dimittere, quod ante ta„men non suscipere liberum habuit. Ideòque quod ex „voluntate suscepit, ex necessitate jam tenebit: quia „omninò necesse est eum reddere vota sua, quæ distinxe„runt labia sua, ex ore suo aut condemnari jam aut justi„ficari."

Uno verbo, quæ in Regula continentur, nec tamen à Deo aut Ecclesia præcepta sunt, non profitentibus quidem libera sunt, nec eos gravant non observata: cùm tamen Profitentibus, ait ibidem Bernardus, *in præcepta, prævaricantibus in crimina fiant.*

Quemadmodùm ergo non sufficit Religioso velle Superiori obedire, nì unà & Deo obediat; quia, ut ait Bernardus loco citato *cap.* 14. "ut interior oculus verè sim„plex sit, duo illi arbitror esse necessaria, *charitatem* in in„tentione, & in electione *veritatem*," ita nec Superiori obediendum, nisi secundum Regulam imperet. Regulam enim quam professus est, tenetur Religiosus servare; & consequenter obedientiam ita exhibere Superiori, ut Regulæ votique non inveniatur prævaricator.

III. Quod & in ipsa professionis formula indicatum voluit Benedictus, cùm obedientiam exigit, non simpliciter, sed *secundum Regulam.*

Hoc advertens S. Bernardus ait: "Hic qui profitetur „spondet quidem obedientiam, sed *non omnimodam*, sed „*determinatè secundùm Regulam.*" Et alibi: "Dico ergò „Abbati per omnia obtemperandum, sed *salvâ professio*„*ne.*" *Epist.* 7.

IV. Ne-

Digitized by Google

IV. Nequaquam ergo Abbati, aut Superiori obedientia exhibenda, si obediendo constitueretur Regulæ transgressor. Neque enim Abbatis est Regulam invertere, aut ab ea pro suo recedere arbitrio. " Notum est, (ait Bernardus *Ep.7.*) solenniter ac regulariter profiteri quemque in præsentia Abbatis. In *præsentia* ergò *tantùm* non etiam *ad nutum* illius fit cujusque professio. *Testis* proinde adhibetur Abbas non *dictator* professionis; *adjutor* non *fraudator* adimpletionis; *vindex* non *auctor* prævaricationis. Quod igitur ? Ponam in manu Abbatis quod absque ulla exceptione coram Deo & Sanctis ejus propria manu & ore firmavi, audiens ex Regula, si quando aliter fecero, à Deo me esse damnandum, quem irrideo ? Si Abbas meus aut etiam Angelus de cœlo contraria jusserit, liberè recusabo hujusmodi obedientiam, quæ me transgressorem voti proprii, & pejerare faciat nomen Dei mei...... Viderit denique Abbas meus quid sibi faciendum putet de eo quod ex Regula ad ipsum specialiter dirigitur, ut *præsentem Regulam in omnibus conservet*; & item quod universaliter præcipitur, & nemo excipitur : ut omnes scilicet *per omnia magistram sequantur Regulam*; *nec ab ea temerè devietur à quoquam*. Ego sic ipsum sequi decrevi semper & ubique magistrum, ut nequaquam à Regulæ, quam teste ipso juravi & statui custodire, deviem magisterio.

V. Sed numquid Abbas aliusve Regularis Superior in Regula dispensare potest, eique dispensanti à Subditis obedientia exhibenda ? Pro hujus quæstionis elucidatione & resolutione prænotandum, quædam in Regula esse, quæ etiam inviolabili, & immobili lege Dei præcepta sunt; ut v.g. quidquid de amore Dei & proximi, de humilitate, mansuetudine cæterisque virtutibus Regula præscribit. Alia sunt, quæ quidem præcepto divino omnibus non sunt imposita, sed tamen talia sunt, ut sine illis professio Religiosa, seu vota emissa nequaquam servari queant.

VI. Quoad hæc nulla est Superiori dispensandi auctoritas; quia ipse non destructor professionis, sed vindex professionis constituitur : nec Regulam ipse destruere, sed conservare jubetur. Unde inter monita, quæ Abbati proponit S. Benedictus illud est *præcipuum*, *ut præsentem Regulam in omnibus conservet*. " Neque enim, ait Bernardus, Abbas supra Regulam est, cui semel & ipse spontanea se professione submisit."

VII. Si ergo Abbatis alteriusve Prælati jussio servari nequeat sine manifesta relaxatione vel infractione votorum aut vitæ communis, quæ, ut ait Synodus Tridentina *Sess. 25. De Regularibus cap. 1.* "ad *substantiam* Regularis vitæ pertinent; *& bases* sunt *& fundamenta* totius Regularis disciplinæ, quibus non exactè conservatis, totum corruat ædificium necesse est," nequaquam ei obediendum erit; sed dicere poterit subditus, quod in simili dixit Bernardus : "Liberè recusabo hujusmodi obedientiam, quæ me transgressorem voti proprii constituit, & pejerare faciat nomen Dei mei."

VIII. Hisce principiis insistens Clemens VIII. in Constitutione quæ incipit, *Nullus omnino*, propositâ vitâ communi, ad quam vi suæ professionis Regulares obligantur, pœnisque in non observantes decretis, monet universos, à dictis pœnis nequaquam futuros immunes ob Superiorum quamcumque indultam licentiam : "etiamsi, ait, Superiores asseverent se ejusmodi dispensationes, aut licentias dari posse : quibus in ea re fidem minimè adhiberi volumus.

IX. Tertii denique generis præcepta in Regulis Monasticis occurrunt, quæ quidem ad legis divinæ, ipsiusque professionis monasticæ observantiam plurimùm conducunt, atque pro facilitanda votorum impletione ordinatè præscripta fuere, nequaquam tamen ita necessaria, quin interdum sine illis non tantum lex divina, sed etiam ipsa Religiosa professio exactè observari queat ; imo si ad litteram Regulæ semper deberent observari, nonnumquam legis divinæ, aut professionis monasticæ impletioni plus obessent, quam prodessent, cujus generis sunt jejunia, vigiliæ, aliæque corporales exercitationes.

X. Hæc, quia & per ipsam Regulam, cui & Abbas subjectus est, ordinata sunt, quamdiu charitati [cui augendæ & fovendæ unicè Regula subservit] militant, immobiliter fixa sunt, inquit S. Bernardus, immutarique omninò ne ab ipsis quidem Præpositis sine offensa possunt. At si contraria aliquando charitati visa fuerint, his duntaxat, quibus hoc posse videre datum est, & providere creditum est, nonne justissimum esse liquet, ut quæ pro charitate inventa fuerunt, pro charitate quoque, ubi expedire videbitur, vel omittantur, vel intermittantur, vel in aliud fortè commodiùs demutentur? Hæc Bernardus *Tractatu De Præcepto & Dispensatione cap. 2.* qui ibidem *cap. 4.* fusè ostendit, neque hæc in Abbatis ita voluntate sita esse ut ejus serviant voluntati, sed magis charitati. "Esto proinde [pergit Bernardus] ut interdum Regulæ littera cedat pro tempore charitati, cùm ratio *necessitatis* vel *charitatis* exegerit, absit tamen ut hominis cujuspiam subdatur voluntati....... Arbitror namque sanctas illas observantias Prælatorum prudentiæ & fidei creditas ; non subditas voluntati."

Licet ergo Prælati ne in his externis atque corporalibus observantiis Regulam abolere aut mutare queant, possunt tamen pro temporum ac personarum circumstantiis in illis ex justa causa dispensare, ut charitati subserviant. Neque in hoc regulæ repugnant, sed obsequuntur; quæ hæc non quidem Prælatorum voluntati, sed providæ dispensationi relinquit.

XI. Proinde obedientia Religiosa, tametsi à Regula recedere non debeat, nec Prælatus Regulæ prævaricationem sequi, tamen en Prælato pro tempore aut personis ex rationabili causa in hisce dispensanti obsequi tenetur; imò & in hisce subinde locum habere potest *cæca* obedientia : ac interdum plus meriti erit in obediendo, quàm in arctiori ipsius Regulæ exteriore & litterali observantia.

XII. Porrò sicuti Prælato fas non est, Regulam pro suo arbitrio relaxare, subditosque ab ejus observantia generaliter & in perpetuum eximere ; ita nec illi fas est, ejus rigorem augere, atque Subditos arctiori Regulæ subjicere.

" Is qui profitetur, (verbis loquor S. Bernardi) spondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, sed determinatè secundùm Regulam, ... ut oporteat eum, qui præest, non fræna suæ laxare voluntati super Subditos : sed præfixam ex Regula sibi scire mensuram... Ergo Prælati jussio vel prohibitio non prætereat terminos professionis. Nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Nil me Prælatus prohibeat horum quæ promisi, nec plus exigat quam promisi. Vota mea nec augeat sine mea voluntate, nec minuat sine certa necessitate... Ponant ergo Præpositi metam obedientiæ Subjectorum ex votis labiorum ipsorum, non suorum desideriorum ; monentes eos, non cogentes ad celsiora; condescendentes eis cum necesse fuerit ad remissiora, non cadentes cum eis." *De Præcept. & disp. cap. 4. & 5.*

XIII. Verum hinc nullatenus consequens, Abbatem aliumve Superiorem non posse subinde in certis circumstantiis, & justis de causis, vel in pœnam delinquentis, vel pro exercitio virtutis huic illive Religioso injungere aliquod opus magis arduum, v. g. jejunium prolixius, quam Regula præscribit.

XIV. In his rursus ipsa Religiosa obedientia elucere debet : quod & non obscurè supponit S. Benedictus *cap. 68.* suæ Regulæ præcipiens, ut Monachus etiam obediat, si aliqua fortè *gravia* aut *impossibilia* injunguntur; apertè satis innuens, illa à Prælato ultra Regulam imponi subindè posse.

XV. Dicta igitur S. Bernardi nequaquam accipienda sunt de Præpositis, qui justa de causa in casu aliquo particulari aliquid ultra Regulam imponunt ; sed de his, qui gene-

generaliter atque pro *omni* tempore, Subditis suis duriorem arctioremque vivendi normam, quàm per Regulam præscripta est, imponere vellent; atque ita quodammodo alia ipsis Regula præscriberetur: quo casu locum haberet illud Bernardi, *Solùm id à me exigi posse arbitror, quod promisi.*

XVI. Quoad ea verò quæ in particulari casu, atque certis de causis ultrà Regulam subindè injunguntur, verificatur illud ejusdem Doctoris immediatè subjunctum: "Perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur: neque contenta angustiis professionis, largiore voluntate fertur in latitudinem charitatis.... Quamquam nec istam Regula ipsa tacuerit, ubi monet, si fratri impossibilia injunguntur, *ut confidens de adjutorio Dei, obediat ex charitate.* In eadem denique regula tertius humilitatis describitur gradus, ut *omni obedientia Monachus se subdat majori.* Dicens quippe, *omni*, non vult nos in obediendo mensura esse contentos professionis, non attendere promissi debitum, non de pacto sumere modum; sed transire alacriter etiam votum, & obedire in omnibus."

CAPUT IV.

An Regularibus à præcepto Superiorum appellare liceat?

1. *Quid agendum Religioso, qui credit sibi aliquid durius, aut supra vires à Superiore imponi?*
2. *Quomodo dura & quasi impossibilia subindè acceptare debeat Religiosus.*
3. *Olim incognita erat à præceptis Superiorum appellatio.*
4. *Alexander* III. *scribit non admittendas appellationes à correctione Regulari: & quare?*
5. *Concilii Lateranensis sub Innocentio* III. *Decretum contrà similes appellationes.*
6. *Appellatio à correctione Prælatorum de Jure Communi non datur quoad effectum suspensivum.*
7. *Facultas appellandi impedit fructum correctionis Monasticæ.*
8. *Nonnulli Ordines contra has appellationes specialibus Pontificum Bullis sibi providerunt.*
9. *Ordo Cisterciensis speciali privilegio munitus est contra appellationes ad Sedem Apostolicam.*
10. *Aliquando per Statuta Ordinum prohibita fuit appellatio à correctione sub pœna excommunicationis.*
11. *Senatus Regius similia Statuta subinde in contradictorio judicio probavit.*
12. *Innocentius IV. concessisse dicitur Ordini S. Benedicti quod Superiores appellationi deferre non debeant.*
13. *In aliquibus casibus particularibus Parlamenta Regia solent Regularium appellationes admittere.*
14. *Moribus nostris à correctione Regulari appellatio ordinariè non admittitur.*

I. Contingit, ut Religiosus credat, sibi à Prælato aliquid ultra vires, aut extra Regulam impositum: quid hic tum agere debeat, docet S. Benedictus *cap. 68. Regulæ*: "Quod si omninò virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo."

Admittit igitur in duris ac penè impossibilibus excusationem subditi; sed quæ fiat *patienter*; *opportunè*, non *superbiendo*, non *resistendo*, non *contradicendo*; suggeratque, potiùs, quàm multâ exaggeratione sibi displicere ostendat.

II. Post hæc subjungit Benedictus: "Quod si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat Junior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei, obediat."

"Divino enim adjutorio (ait Haeftenus *Disq. Monast. lib. 6. tr. 2. disp. 7.*) per obedientiam fit nonnumquam possibile, quod erat impossibile per naturam; faciet namque gratia, quod abhorret natura; adimplebit charitas, quod abhorret infirmitas."

III. Procul ergo abest à mente Patrum, ut Religiosis, ubi credunt sibi durius aliquid, quàm oportet, à suis Prælatis impositum aut imperatum, non tamen contradicendi sed & à judicio. Prælatorum appellandi sit indulta facultas, cujus, vigente à vita Monachorum simplicitate, nec vestigium occurrit: Imò ubi illa appellandi potestas à Monachis etiam usurpari cœpit, mox illa reprobata fuit, tamquam malum præsentissimum, quo discoli atque inobedientes Monachi se à correctione Prælatorum subtrahere, malitiamque suam libertiùs exercere possent.

IV. Et quidem sæculo 12. Abbati S. Petri scribit Alexander III. "Ad nostram noveris audientiam pervenisse quod si quando subditos tuos vis pro suis excessibus *secundùm Regulam S. Benedicti*, & institutionem uti Ordinis corrigere & castigare, ipsi ut *malitiam suam liberiùs valeant exercere, ad remedium appellationis confugiunt.* Quia verò remedium appellationis non ideò est inventum, ut alicui à Religionis & Ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere, mandamus, quatenus, si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium *appellationis* convolaverit, non ideò minus eum juxta tenorem mandati, quod in prædicta Regula continetur, & institutionem corrigas & castiges."

Hoc Alexandri responsum relatum in *cap. 3. ☩ De Appellat.* jus commune constituit.

V. Similiter Concilium Lateranense sub eodem Pontifice celebratum advertens, quod nonnulli "dum Superioris sententiam & disciplinam Canonicam reformidant, sine ullo gravamine appellationem objiciunt, & ad defensionem iniquitatis usurpant, quod ad præsidium innocentum dignoscitur institutum, voluit observari, ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, contra regularem [sive ut alii legunt *Regulam*] Prælati sui & Capituli sui disciplinam *appellare* præsumant, sed humiliter ac devotè suscipiant, quod pro salute sua fuerit eisdem injunctum." *Cap. 26. ☩ De Appellat.*

VI. Ex his aliisque juris textibus statuunt Canonistæ, à correctione Prælati Regularis non dari appellationem saltem quoad effectum suspensivum; si limites correctionis non excedat; neque tela judiciaria procedat in puniendo; uti latiùs exponit Fagnanus ad citatum *Capitulum* 3.

VII. Et sanè quis non videat, omnem disciplinam Regularem pessumdari, omnemque correctionis fructum impediri, si Subditis licitum sit passim à Superiorum correctione appellare, atque per appellationem correctionis executionem suspendere?

VIII. Quapropter nonnulli Ordinum Superiores, ut se contra has appellationes firmiùs & efficaciùs munirent etiam specialibus Bullis & declarationibus à Sede Apostolica sibi providerunt; uti videre est apud Renatum Choppinum in Monastico *lib. 1. tit. 3. num. 16.* & Carolum Fevretium in tractatu de abusu *lib. 9. cap. 2. num. 8.*

IX. Refertur inter alia monumenta Bulla Alexandri III. qua, auctoritate Apostolica conceditur & indulgetur Ordini Cistercensi, "ut Abbates hujus Ordinis, qui de aliquo crimine convicti, à Patris Abbatibus secundùm formam Ordinis depositi, suæ prælationi cedere noluerint, *appellandi* ad Sedem Apostolicam facultatem non habeant; districtiùs etiam inhibemus, ait Pontifex, ne Religiosus, aut monialis prætextu cujuslibet quæstionis, vel difficultatis in Ordine emergentis, extra ipsum appellare præsumant, decernentes eos, qui sic egerint, si sint Abbates, sive Monachi, sive conversi, vigori dicti Ordinis inibi introducto omni appellatione cessante subjacere."

Bonifacius VIII. anno 1269. eadem confirmavit his verbis: "Authoritate vobis Apostolica indulgemus, ut ad correctiones & punitiones Monachorum & Monialium delinquentium indigendas, Prælati Ordinis vestri

„ vestri, ad quos ea spectare noscuntur, liberè providere „ valeant, secundùm generalia facta, & facienda dicti Or- „ dinis instituta: ita ut non liceat Monachis, Monialibus „ & Sororibus ab eisdem appellare."

X. Conformiter ad has aliasque Pontificum declarationes, nec non Patrum Regulas & jus commune, sæpiùs per ejusdem Ordinis Constitutiones ac deliberationes cautum fuit sub pœnis gravissimis, ne quis, præsertim in materia correctionis & disciplinæ appellare audeat. Notanter in Capitulo generali anno 1223. dictum fuit: "Statuimus atque præcipimus in virtute obedientiæ, ne quis „ de cætero in Ordine nostro vocem *appellationis* emittat; „ excommunicamus etiam & anathematizamus omnes „ tam Conventum, quam personam, quæ contra Ordi- „ nis Instituta, seu contra obedientiam taliter appellave- „ rit, sciatque se statim in Canonem latæ sententiæ inci- „ disse. Denique quicumque contra præsentem Constitu- „ tionem appellare præsumpserit; si sit Abbas, sciat se es- „ se depositum; si Monachus aut Conversus, pœnam „ conspiratorum sustineat."

XI. Cùmque hæc admodùm conducant, imò penè necessaria sint disciplinæ, quietique Monasticæ conservandæ, nequaquam facilè eis derogari permittendum.

Unde cum Generalis hujus Ordinis contra quamdam sui Ordinis Abbatissam mandasset inquiri, ac ad pœnam condignam procedi; hæcque ad Sedem Apostolicam appellasset, & ab ea Rescriptum ad Judices in Partibus obtinuisset, qui de causa appellationis seu conjunctim seu separatim cognoscerent & judicarent; à Promotore dicti Ordinis interjectâ appellatione *tamquam ab abusu* tam ab executione Rescripti Apostolici, quàm commissioni uni è judicibus factâ, Parlamentum Regium Diense 4. Febr. 1551. declaravit benè appellatum, malè & injustè impetratum, & fulminatum fuisse prædictum Rescriptum per Abbatissam; atque judicem delegatum vi illius malè processisse; uti refert Fevretus *loco cit.*

XII. Scribitur quoque, Innocentium IV. dedisse Bullam Ordini Benedictinorum anno 1252. in hæc verba: "Quia Monachi refugi disciplinæ frequenter obstacu- „ lum interponunt; sicque hujusmodi appellationis ob- „ tentu, remanent talium excessus impuniti, mandamus „ quatenus illarum appellationum obtentu non obstante, „ Superiores Officii sui debitum exequi non omittant."

XIII. Similiter Parlamentum Parisiense advertens, frequentes appellationes Monachorum ad Judices Regios plurimum nocere correctioni morum, atque discolorum & indisciplinatorum audaciam fovere, solemni Arresto 19. Octobris 1543. inhibuit universis Regularibus sub pœna arbitraria recurrere ad Judices Regios *subalternos* per viam *appellationis*; sed solùm per viam requisitionis ac implorationis brachii sæcularis, idque dumtaxat in casum seditionis, tumultûs, aut gravis scandali: permittens nihilominùs idem Supremus Senatus recursum ad suum Tribunal casu quo esset *clarus & notorius* abusus, infractio Legum & Ordinationum Regni, Arrestorum Curiæ Statutorum Ordinis per Regem probatorum, Canonum & Decretorum Conciliorum: quo casu & non alio permittitur Regularibus habere recursum ad Senatum Supremum, idque vel viâ appellationis tamquam *ab abusu*, aut implorationis brachii sæcularis. Et si quando pro alio casu ad Curiam recursum haberent, Curia permitteret Superioribus cogere subditos ad obedientiam; atque contra rebelles eâ correctione regulari uti, quæ ipsis opportuna videretur.

XIV. Itaque sive spectemus pristinam Monasticam disciplinam, sive jus Decretalium, sive mores nostros, dicere possumus cum renato Choppin in Monastico *lib. 1. tit. 3. num. 16.* Sublatum est meritò omnis appellationis ad Superiorem Judicem perfugium ab indicta pœnali Cœnobitæ vitiorum emendatione, ne impunitatis spe irrita fierent Monasticæ Religionis præcepta, neglectisque iis regulares pœnæ condictæ.

TITULUS XXIX.
De Voto Paupertatis.

CAPUT I.

Abdicatio *omnis* proprietatis est *essentialis* Statui Religioso.

1. *In omni professione Religiosa includitur votum paupertatis.*
2. *Abdicatio proprii est essentialis Monasticæ professionis.*
3. *Professio Monastica includit observantiam Consilii Evangelici de abdicatione rerum temporalium.*
4. *Quam rerum abdicationem Consilium Evangelicum exigat?*
5. *Monachus omnibus rebus temporalibus se nudare debet.*
6. *Monachus nihil vel minimi sibi appropriare potest.*

I. Tametsi formula professionis Religiosæ usitata nullam *paupertatis* aut *proprii* abdicationis expressam mentionem faciat, votum tamen *paupertatis* in omni professione Religiosa includi, ipsumque paupertatis votum esse unum e tribus substantialibus votis Religionis, nemò dubitat.

II. Imò ipsa abdicatio *proprietatis* adeò annexa censetur Regulæ Monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere, uti respondit Innocentius III. *c. Cap. 6. de Statu Monach.* "*Proprii* carentia (inquit Lupus *tom. 4 Schol. pag. 55.*) est Evangelicæ perfectionis „ ac Monasticæ professionis portio *essentialis*, ideoq; clarū „ est, quòd nec Sumus Pontifex possit in ipsa dispensare."

Undè jam pridem ad Monachos dixit S. Basilius: *Si quis* PROPRIUM *esse dicit, absque dubio alienum se facit ab Ecclesia Dei.* In regulis brevioribus *cap. 27.*

III. Nemo enim umquam dubitavit, quin Monachalis professio includeret Evangelicorum consiliorum observantiam; atque illud præsertim quod Christus tamquam assequendæ Evangelicæ perfectioni opportunissimum expressit his verbis: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Matt. 19. ℣. 21.

IV. Quibus verbis Christus eam rerum terrenarum abdicationem ab hujus consilii Evangelici observatione requisivit, qualis est illius, qui simpliciter res suas omnes venderet, ac earum pretium titulo simplicis & absolutæ donationis in pauperes effunderet, atque ita omnimodè se rebus omnibus terrenis plenè exuens nihil sibi proprium retineret.

V. Hinc illud Cassiani in Regula *cap. 27.* "Qui convertitur, præ omnibus erudire debet, ut nihil ei peculiare „ liceat possidere, sed ita se *nudatum* ex omni parte co- „ gnoscat, ut præter tunicam, pallium, calciarium, vel „ maculam suam nihil ampliùs habeat."

Et S. Benedictus: "Ne quis præsumat aliquid habere *pro-* „ *prium nullam omnino rem*, neque codicem, neque tabu- „ las, neque graphium, sed *nihil omninò.*" Cap. 33. Reg.

VI. Itaque vi voti paupertatis Religiosus imprimis nihil sibi proprii, etiam vel minimi vendicare potest, neque rem quamcumque tametsi victui suo subservientem ita habere, ut de illa independenter à voluntate Superioris disponere prætendat. Undè illud S. Isidori in sua Regula *cap. 5.* "Monachi neque in suis cellulis, quidpiam quod *ad* „ *victum*, vel ad quamlibet rem aliam pertineat, sine regu- „ lari dispensatione habere vel possidere præsumant."

CAPUT II.

Religiosi privati sunt omni jure successionis.

1. *Jure Justinianeo Monachi vi suæ professionis à successione parentum non excluduntur.*

2. *Leges Justinianeæ de Monachorum jure ad hæreditatem parentum jam pridem hic abrogatæ.*
3. *De immemoriali consuetudine Regni Galliæ excludente Monachos à jure succedendi testatur Guilielmus Benedictus.*
4. *Ejusdem consuetudinis testis est Rebuffus.*
5. *De simili Belgii consuetudine testantur Petrus Gudelinus & Franciscus Zypæus.*
6. *Hanc Belgii consuetudinem speciali Edicto firmavit Carolus V.*
7. *Succedendi incapacitas omnes generaliter veros Religiosos complectitur.*
8. *Non habet locum in obstrictis voto paupertatis, sed non Religiosis.*
9. *Quid circa Patres Societatis obtineat?*
10. *Dispensatio Papæ an Religiosum reddat successionis capacem?*
11. *Ob penuriam Monasteriorum aliquando Parentes tenentur Monacho alimenta subministrare.*

I. INspecto Jure Justinianæo, si parentes testamentum faciant, eandem portionem hæreditatis, sive legitimam relinquere tenentur suo filio Monasterium ingresso & professo, quam illi assignare debuissent, si in sæculo mansisset. Si verò sine testamento Parentes decesserint, ipse eo modo Parentibus succedit, quo successisset, si Monachus factus non esset: *Nullo eis* (ait Justinianus in *L. 56. Cod. De Episcopis & Clericis.*) *impedimento ex sanctimoniali conversatione generando, sive soli, sive cum aliis ad successionem vocantur.*

II. Hæ Justinianeæ Sanctiones an umquam in Gallia aut hisce in Provinciis receptæ fuerint, non constat. Illud certum est, jam pridem sive per contrarias Leges sive per contrariam consuetudinem omnino fuisse abrogatas, ipsosque Monachos quoad successionem in bona parentum reputatas fuisse *civiliter mortuos.*

III. Hujus inveteratæ consuetudinis apud Gallos testis est Guilielmus Benedictus, qui à duobus circiter sæculis scribit, hanc tunc fuisse consuetudinem *immemorabilem,* quod Religiosi Parentibus non succedant Ad *Cap.* RAYNUTIUS ꝟ *De Testam. cap. 220. & seq.*

Verba ejus sunt: "Et idem quod in Cordigeris & Mendicantibus, ut Parentibus succedere non possint, servatur in præsenti Regno Franciæ ex ipsius generali consuetudine, de quolibet alio Religioso, etiam non Mendicante cujuscumque Ordinis existat: in quo Regno fuit *immemorabiliter* observatum, quod Religiosi numquam suis *ab intestato* successerunt Parentibus patri nec matri; & minùs cæteris eorum consanguineis; nec jura *suitatis* profitendo retinuerunt, & per consequens non succedũt."

"Nec pariter servatur *lex fin. Cod. de Episcop. & Cler.* nec quod ibi dicunt Doctores, maximè Joannes Faber, quod Monachus jure suitatis transmittat in Monasteriũ hæreditatem paternam, sicut filius in potestate patris tempore mortis constitutus illam transmittit in quoscumque hæredes: quoniam hæc omnia juris communis statuta *in Regno Franciæ non servantur quoad Religiosos:* quia non subest Imperatori, qui tales leges concludit. In quo Regno etiam Monasteria *numquam successerunt*, nec succedunt: nec visum fuit *unquam Monasteria succedere,* nec successiones petere ex personis professorum viventium aut mortuorum, saltem quam obtinuerunt: nec etiam jure proprio tanquam loco filiorum existunt. Cùm etiam verè Monasterium loco filii non sit, ut clarè decidit Panormit. 15. *Constit.* Felinus magis plenè 18. *col. in C. In præsentia.* ꝟ *De probationib.* Imò notoriè eis & quibuscumque Religiosis partagium ab intestato petentibus à suis fratribus vel aliis parentibus in Cancellaria Regia litteræ denegantur, obstante eis generali Regni consuetudine."

IV. De eadem consuetudine testatur Rebuffus dicens. "Nullus Religiosus professus, quamvis filius vel propinquior cognatus sit, ex consuetudine Regni Franciæ potest suis succedere parentibus vel consanguineis, nec Monasterium pro eo... Ratio hujus consuetudinis esse potest, quia Religiosi pro mortuis habentur. Ideò non tenetur Pater in hoc Regno de consuetudine observata filium suum Religiosum hæredem instituere; vel aliquam ei ficto mortuo legitimam relinquere." In procœmio ad *Constit. Reg. glossâ 5. num. 22. & 24.*

Moribus Galliæ in hoc articulo planè conformes esse Belgii nostri mores & consuetudines, & quotidiana praxis ostendit, & Practici Nostrates uno consensu testantur.

V. Et quidem Petrus Gudelinus in suo tractatu De Jure novissimo *lib. 6. cap. 10.* variis propositis quæstionibus pro elucidatione Juris Justinianæi, deinde jus consuetudinarium more suo subjiciens ait: "Magna pars superiorum quæstionum cessat moribus seu legibus harum Regionum & Regni Franciæ, utpotè quibus is, qui professus est Religionem, adeò pro mortuo, adeò ex numero hominum civiumque per omnia sublatus habetur, ut fit deinceps omnis hæreditatis expers atque incapax, nec legitima portio liberorum ipsi debeatur, omnemque testamenti factionem etiam inter liberos amittat; ac succedant ei mox propinqui ipsius ab intestato, non secus quàm si è vita migrasset; nihilque prorsus rerum ejus Monasterio, quod intrat, acquiratur, absque expressa dedicatione seu donatione."

Franciscus Zypæus in Notitia Juris Belgici *Tit. de Episc. & Cler. nu. 10.* de hac Belgica consuetudine testatur his verbis: "Professus Religionem adeò *pro mortuo* est apud nos, *ut omnis hæreditatis* sit *incapax*, legitima liberorum ei non debeant, testamenti factionem etiam inter liberos non habeat, succedant ei propinqui ab intestato tamquam mortuo, nihil Monasterio cedat, nisi quod expressè donavit, legavit."

VI. Hanc Belgicam inveteratam consuetudinem speciali Edicto firmavit Carolus V. 21. Februarii anno 1588. ordinans & statuens, "Ut nulli Religiosi professi, neque ulla Monasteria aut Claustra pro eis, se poterunt dicere hæredes in aliqua domo mortuaria, neque titulo successionis habere aut capere aliqua bona."

VII. Hæc verò succedendi incapacitas, & omnimoda exclusio omnes Religiosos voto paupertatis obstrictos comprehendit, quocumque etiam Sedis Apostolicæ privilegio vel indulto munitos; etiam Fratres & Sorores tertii Ordinis sancti Francisci vulgò *De Pœnitentia*; si claustraliter, & instar Religiosorum in unum claustrum congregati vivant: quemadmodum judicatum fuisse Fevretius loco citato refert, & tradit Choppinus de S. P. *Lib. 2. Tit. 8.*

VIII. Monet tamen ibidem Choppinus eos non excludi à Parentum successione, si certis votis aut regulis vivant extra claustrum in Domo Parentum, aut inter sæculares.

Eadem distinctio adhibenda circa Eremitas & Hospitalarios, uti videri potest apud Fevretium & ab ipso citatos *lib. 4. De Abusu cap. 6. n. 15.*

IX. In admissione PP. Societ. in Regn. Galliæ addita fuit clausula, quod Sodales hujus Societatis, tam hi qui tantùm vota *simplicia* emiserunt, quàm alii, non poterunt acquirere in hoc Regno quæcumque bona immobilia quocumque titulo, sine Regis licentia: Item quòd non poterunt Sodales ejusdem Societatis capere ullam successionem, sive directam sive lateralem, non magis quàm cæteri Religiosi: in casum tamen quo è Societate dimitterentur, in suum jus reintrarent sicut ante.

Itaque juxta hanc Declarationem, post emissionem votorum simplicium Patres Societatis omnis successionis sunt incapaces; eâ tamen limitatione, quæ in aliorum Ordinum Religiosis non obtinet, quòd si post emissa Religionis vota dimittantur, rursus successionis capaces reddantur; & ita aliquo tempore post dictam Declarationem observatum fuisse refert Carolus Fevretius *lib. 4. De Abusu cap. 7. num. 14.* ibidem unà monens, quòd cùm per experientiam constaret, multas familias turbari, & in multa graviaque incommoda incidere, dùm paternorum bonorum factâ divisione, & bonis nonnumquam

quam distractis, ipsâque familiâ juxta statum bonorum institutâ, tandem aliquis de eorum familia per plures annos in Societate professus post emissionem votorum simplicium dimittitur, & cum aliis ad successionem admitti prætendit; ac ipsam consequenter hæreditatis divisionem & bonorum applicationem invertere, tandem, ait Fevretus, hæc moderatio adhibita fuit, ut si quis è Societate dimittatur ante elapsum quinquennium ab emissione votorum simplicium, is admittatur ad petendam successionem; secùs verò si dimittatur elapso quinquennio à die professionis: idque, inquit Fevretus, hodie ubique observatur; ita ut de eo ampliùs non dubitetur; annotatis pluribus Parlamentorum Regiorum Arestis, quæ idipsum confirmârunt. Quin & judicatum est anno 1631. Jesuitas dimissos è Societate qui absoluto biennali Novitiatu emiserunt vota simplicia, non posse, exemplo aliorum Religiosorum, succedere; uti refertur apud Le Prestre *Centur. 1. c. 28.* in Annotationibus.

X. *Tanta* est Religiosorum moribus nostris succedendi incapacitas, ut teste Masuero in sua Praxi *tit. 32. nu. 18.* per consuetudinem Regni Franciæ, Papa non possit dispensare ut Monachus succedat, etiam dato, quòd factus sit Episcopus, & maximè in his, in quibus non habet jurisdictionem temporalem. Quapropter Rescripta Apostolica Religiosos à voto absolventia cum facultate *succedendi*, in Gallia nequaquam admittuntur. "Quinimo (ait Du„rant. *qu. 13.*) licet ab executione hujusmodi dispensatio„nis appellare ad Senatum tamquam *ab abusu*." Videri potest Julianus Brodeau in notis ad Louëtium *litt. C. n. 8.* ubi allegat plura Aresta, quibus declaratum fuit, Milites Ordinis S. Joannis Hierosolymitani excludi à successione in hæreditatem eo quòd essent veri Religiosi.

Neque promotionem Monachi ad Episcopatum, illum reddere capacem successionis in bona Parentum, non semel judicatum esse refertur in recentioribus Additionibus ad *cap. 27. Cent. 1.* Claudii Le Prestre.

XI. Si tamen Monasterium per injuriam temporis, aliove infortunio destrui, aut in ruinam cadere contingat, impotensque fiat Monachis necessaria subministrandi, æquitas sane hoc suadet, ut hi ad quos Monachi notabilis hæreditas devoluta est, eo casu illis in necessariis subveniant; atque ita in certis casibus & circumstantiis judicatum fuisse refert Tornet *litt. P. num. 85.* condemnatosque hæredes Monachi ad aliquam annuam & alimentariam portionem Monacho subministrandam, attentâ & paupertate Monasterii, & quantitate bonorum ad hæredes per professionem Monachi devolutâ.

CAPUT III.

Paupertas Religiosa permittit bonorum etiam immobilium possessionem in communi; hodie necessaria amortizatio.

1. *Monachi olim in Ægypto ex quotidiano manuali opere victitarunt.*
2. *Opus manuale semper & ubique Monachis commendatum.*
3. *An pretextu orationis Monachus ab opere manuali excusandus sententiâ S. Augustini.*
4. *S. Benedictus opus manuum suis discipulis commendat.*
5. *Monachus non tantùm sibi, sed etiam aliis opere manuum succurrere studeat: neque prætextu lectionis ab eo excusandus.*
6. *Varia Monachorum opera, quorum præcipuum aliquando fuit describere libros.*
7. *Sæculo 12. S. Albertus in Regula opus manuum commendabat & sæculo 13. S. Franciscus.*
8. *Aliqua etiam olim fuêre Monasteria, in quibus non è solo opere manuum Monachi victitabant.*
9. *Sanctus Benedictus supponit aliqua esse Monasteria, in quibus è solo opere manuum Monachi vivere non deberent.*
10. *Id ipsum indicat S. Augustinus.*
11. *Fideles multa offerebant Monasteriis in sustentationem Monachorum.*
12. *Tanta divitiarum copia ad Monasteria sensim devoluta est, ut etiam quædam deberent militiam Regibus præstare.*
13. *Sæculo 11. summa fuit Fidelium ad fundanda & dotanda Monasteria propensio.*
14. *Collapsionem disciplinæ in Ordine Cisterciensi ex abundantia divitiarum deplorat Alexander III.*
15. *Prohibita rerum immobilium in Monasteria & alia corpora vulgò* manus mortuæ *translatio.*
16. *De prima hujus prohibitionis lege.*
17. *Constitutio Philippi Pulchri.*
18. *Edictum Caroli V.*
19. *Abbates se huic Edicto opposuerunt.*
20. *Edictum alterum Caroli V. quod hodie est in usu.*
21. *Quid Carolum ad hoc edendum moverit?*
22. *Quod hic statuit Carolus, etiam primis sæculis ab Imperatoribus decretum fuit.*
23. *Quid intelligatur in Edicto Carolino per* manū mortuā
24. *Ut aliquid censeatur relictum* manui mortuæ, *debet esse relictum Corpori ut Corpori.*
25. *Quid propriè sit* amortizatio?
26. *In Gallia solus Rex amortizat.*
27. *Quæ bona in Brabantia censeantur amortizata ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem?*
28. *Amortizatio denegari non solet, quando Pastoribus aut Monasteriis de competentia non est provisum.*
29. *Quomodo incommodis ex translatio bonorum in manus mortuas orituris occurratur.*

I. CŒnobitarum seu Monachorum suo tempore per Ægyptum in commune viventium Institutum describens S. Augustinus De Moribus Ecclesiæ *lib. 1. c. 31.* ait: "Nemo quidquam possidet proprium, nemo *cuiquā* „*onerosus* est. *Operantur manibus* ea, quibus & corpus „pasci possit, & à Deo mens impediri non possit.. Sanè „quidquid necessario victui redundat [nam redundat plu„rimum ex *operibus* manuum & epularum restrictione] „tantâ curâ egentibus distribuitur, quantâ non ab ipsis „qui distribuunt comparatum est. Nullo modo namque „satagunt ut hæc sibi abundent, sed omni modo agunt, ut „non apud se remaneat quod abundaverit, usque adeo ut „oneratas etiam naves in ea loca mittant, quæ inopes in„colunt."

Et Theodoretus scribit: "In Ægypto ferunt quædam „esse Monasteria, quæ virorum habeant quinque millia „*opus facientium*, Deumque interea laudantium, qui *opi*„*ficio* suo non solum victum parant necessarium, sed pe„regrinis etiam egentibus subveniunt."

Hæc non obscurè evincunt, Monachos Ægyptios nihil præter quotidianum opus manuum suarum unde victitarent habuisse; unde & quidam Solitarius apud Socratem *lib. 4. hist. c. 23.* dixisse fertur: *Monachum qui opus non faceret, non secus ac alieni cupidum, judicatum iri.*

II. Sanè *opus manuum* universis Monachis, tam per Occidentem, quàm orientem summopere commendatum fuisse, tum ex scriptis & historiis pristinis, tum Monachorum Regulis notum est.

III. Et quidem "cùm Carthagine cœpissent esse Mo„nasteria [ait Hugo Menardus in Concord. Regul. *cap.* „*55. §. 1.*] orta inter Monachos contentione, an è re „Monastica magis esset, aut animum duntaxat ad oratio„nem & contemplationem appellere, & piorum Chris„tianorum oblationibus vitam sustentare, juxta illud E„vangelii; *Nolite solliciti esse quid manducetis aut biba„tis*: aut juxta Apostolum: *Qui non laborat, non manducet,* „labori manuum victum sibi comparare: Aurelius Car„thaginensis Antistes totam litem S. Augustini arbitrio „permisit, qui obtemperans librum illum præstantissi„mum De Opere Monachorum composuit, atque ita, „qui laborem manuum à Monachorum disciplina remo„vendum esse contendebant, lite ceciderunt, ut ipse testā„tur *cap. 1.* ejusdem libri & *libr. 2. Retractationū c. 21.*"

IV. Utque veterum Orientalium Regulas omittam, S. Benedictus in Regula sua *cap. 48.* ait: "Otiositas inimi„ca est animæ. Et ideò certis temporibus occupari de-

„ bent Fratres in *labore manuum*; certis iterum hor s in „ lectione Divina.... Si autem necessitas loci aut pauper- „ tas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupen- „ tur, non contristentur, quia tunc verè Monachi sunt, „ si *labore manuum* vivunt, sicut & Patres nostri & Apo- „ stoli."

V Sanctus Isidorus Regulæ suæ *c.* 6. "Monachus sem- „ per *operetur manibus suis*, ita ut quibuslibet variis opifi- „ cum artibus laboribusque studium suum impendat, se- „ quens loquentem Apostolum, qui dicit: *Neque panem* „ *gratis manducavimus: sed in labore & fatigatione nocte & die laborantis*. Et iterum: *Qui non vult operari, non* „ *manducet*. Deinde adducto exemplo Patriarcharum, Apostolorum, aliorumque multorum summæ auctoritatis virorum, qui corporale opus fecerunt, unde vitam corporis sustentabant, subjicit: Si igitur tantæ auctoritatis homi- „ nes laboribus & operibus, etiam rusticanis inserviebant, „ quanto magis Monachi, quos oportet non solùm vitæ „ necessaria propriis manibus exhibere, sed etiam indigen- „ tiam aliorum laboribus suis reficere..... Qui sic volunt „ vacare lectioni ut non operentur, ipsi lectioni contuma- „ ces existunt, quia non faciunt quod ibi legunt. Ibi enim „ scriptum est: *Operantes suum panem manducent*. Et ite- „ rum: *ipsi enim scitis, quomodo oportet imitari nos: quia* „ *non inquieti fuimus apud vos, neque panem gratis ab ali-* „ *quo manducavimus, sed in labore & fatigatione die &* „ *nocte operantis, ne quem vestrum gravaremus*. Qui per „ infirmitatem corporis operari non possunt, humanius, „ clementiùsque tractandi sunt nec contra eos murmuran- „ dum est ab eis qui vires laborandi habent; sed magis „ consulendum est eis, quos sciunt corpore infirmos. Ipsi „ autem, qui non possunt, eos qui laborant & possunt, me- „ liores sibi fœlicioresque fateantur. Qui verò languidus „ est, & laborem operum corporalium sustinere non po- „ test, consulendum est illi, & ejus infirmitas temperanda „ est. Qui verò sani sunt, & fallunt, procul dubio dolendi „ atque lugendi sunt: quia non corpore, sed [quod pejus „ est] mente ægroti sunt: quique, etsi humanis oculis con- „ vinci non possunt, Deum tamen non fallunt. Tales igi- „ tur ferendi sunt, si ægritudo latet; aut distringendi, si sa- „ nitas pateat. Monachi operantes meditari aut psallere „ debent: ut carminis verbique Dei delectatione consolen- „ tur ipsum laborem. Si enim sæculares opifices inter ipsos „ labores suorum operum amatoria turpiaque cantare non „ desinunt, atque ita horam suam in cantibus & fabulis „ implicant, ut ab opere manus non subtrahant: quantò „ servus Christi sic manibus operari debet, ut semper lau- „ dem Dei in ore habeat, & lingua ejus psalmis atque hym- „ nis inserviat. Laborandum est ergo corpore, animi fixâ „ in Deum intentione; sicque manus in opere implicanda „ est, ut mens non avertatur à Deo. Propriis autem tempo- „ ribus oportet operari Monachum, & propriis, & oratio- „ ni lectioni incumbere."

VI. Aliæ Patrum Occidentalium Regulæ idem passim inculcant, discernitque S. Ferreolus Episcopus Regulæ *c.* 28. Monachum absque certis solemnitatibus, vel manifesta ægritudine diem sine operatione transigentem à convivio excludendum, jubente beato Apostolo: *Qui non laborat, non manducet*. Hic deinde varia Monachorum illius temporis opera recenset; atque inter cætera ait, *scribere* esse *præcipuum opus*. Nec sanè dubium, antiquum & usitatissimum Monachorum opus fuisse, libros scribere.

Id abunde testantur veteres bibliothecæ Monasteriorum multis adhuc codicibus MSS. refertæ, in quibus scribendis Monachi desudantes doctrinam posteritati conservaverunt.

VII. Et hactenus allegatis habemus, Monachis ubique commendatum fuisse *opus manuale*, illudque & S. Albertus sæculo 13. Fratribus Montis Carmeli in Regula multùm commendans exemplo S. Pauli, concludit his verbis: *Hac via sancta & bona; ambulate in ea*. Et S. Franciscus idem inculcat, ut capite sequenti videbimus.

Insuper nequaquam obscurum est, plurimos Monachos ex opere manuum suarum victitasse.

VIII. Sed illud quoque constat; nonnulla etiam antiquitus fuisse Monasteriorum Claustra, in quibus non è solis Monachorum laboribus quotidianis Monachi sustentarentur, sed vel ex oblationibus parentum eorum, qui ingrediebantur, vel etiam ex bonis Fidelium in sustentationem Monachorum ipsis Monasteriis donatis.

IX. Regula enim S. Benedicti, uti ex allegatis verbis patescit, Monachos ad colligendas *per se* fruges obstringit sub hac expressa conditione, *Si necessitas loci, aut paupertas exegerit*, non obscurè supponens, non semper loci *necessitatem*, aut *paupertatem* opus illud manuale à Monachis exigere.

Et *capite* 58. vult, ut Novitius ante professionem, "res „ si quas habet, aut eroget priùs pauperibus, aut factâ so- „ lemniter donatione, *conferat Monasterio*, nihil sibi reser- „ vans ex omnibus." Et S. Isidorus *cap.* 4. "Qui relicto sæ- „ culo ad militiam Christi pia & salubri humilitate con- „ vertuntur, omnia sua primùm aut indigentibus divi- „ dant, aut *Monasterio* conferant..... Qui aliqua habentes „ in sæculo convertuntur, non extollantur, si de *suis facul-* „ *tatibus* quodcumque *Monasterio contulerunt*, sed potius „ timeant, ne per hæc in superbiam labantur, & pereant, „ quibus melius esset, si divitiis cum humilitate in sæculo „ perfruerentur, quàm ut jam pauperes effecti, de eorum „ distributione elatione superbiæ extollerentur.

X. Quin duobus ut minùs sæculis ante hos scribit S. Augustinus: "Quæ aliquid habebant in sæculo, quando „ ingressæ sunt Monasterium, libenter velint esse *commu-* „ *ne*." *Epist.* 109. *cap.* 4.

Non tantum ergo ex labore manuum, sed etiam ex oblationibus eorum, qui Monasterium ingressi sua Monasterio obtulerant, Monachi vivebant.

Nec Ingredientes dumtaxat in sustentationem eorum, qui pauperes è sæculo ad Monasteria Divertebant, de suis rebus offerebant; sed vel præcipuè ipsi Fideles Laici Monasteria ex bonis suis fundantes, vel fundata dotantes.

Sanctus Augustinus explicans *Psalmum* 103. dicit per *Cedros Libani* posse intelligi nobiles sæculi, excelsi genere, opibus & honoribus; per *Passeres* verò minutos & parvos ac humiles hujus sæculi, "id est, ait, sunt quidam servi „ Dei audientes in Evangelio, dimitte omnia tua, vel, ven- „ de omnia tua, & da pauperibus, & habebis thesaurum in „ cœlis, & veni & sequere me."

Quomodo hi pauperes tamquam Passeres nidificent in Cedris Libani subjicit: "Etenim & Cedri Libani, nobiles „ & divites & excelsi hujus sæculi, quoniam cum timore „ audiunt, *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem*, „ attendunt res suas, villas suas, & omnes superfluas co- „ pias, quibus videntur excelsi, & *præbent illas servis Dei*; „ dant agros, dant hortos, ædificant Ecclesias, *Monaste-* „ *ria*, colligunt passeres, ut in Cedris Libani, nidificent „ passeres. Ergo *satiantur* Cedri Libani, quas plantavit „ Dominus, & illic passeres nidificabunt. Attendite to- „ tam terram si non ita est."

XII. Quanta fundorum ac divitiarum copia, tum per oblationes ingredientium, atque effusam fundatorum, aliorumque fidelium liberalitatem ad Monasteria sensim devoluta fuerit, notius est, quàm probari debeat; in tantum, ut sæculo 9. legamus, Abbatias plures ad eas divitias pervenisse, ut etiam ipsis Regibus dona annua & *militiam* suppeditare deberent; uti videre est apud Labbeum *tomo 7. Conciliorum generalium col.* 1513. ubi refertur Constitutio Ludovici Pii edita circa annum 817. seu notitia de Monasteriis, "quæ in Regno, vel Imperio suo *dona* „ & *militiam* facere possunt, quæ sola dona sine milit- „ quæ verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro „ salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate „ Imperii."

XIII. Quæ fuerit sæculo XI. Laicorum in Monachos liberalitas, & ad fundanda dotandaque monasteria propensio-

pensio, ex iis solis quæ sub initio Ordinis Cistercienfis acta sunt, colligi potest.

Viveret primum hujus Ordinis Monasterium, scilicet Molismense, fundatum erat à S. Roberto Ordinis hujus Auctore, quin ex iis, uti narrat historia, à principibus in vicinia viris, ad nova in eorum fundis constituenda cœnobia, petiti sint. Quin & adhuc vivente Molismi primo Fundatore S. Roberto, ad tantas divitias ascendit, ut brevi sancta Molismi initia collapsa sint, & ex nimia temporalium fœlicitate & abundantia remissior facta disciplina; tanti paulatim eam remissionem subsequente morum corruptelâ, ut quantumcumque S. Robertus exemplo & monitis anniteretur, revocari Monachi non possent ad pristinam integritatem. Vide Papenbrochiũ in commentario prævio ad vitam S. Roberti 29. Aprilis §. 1 n. 7.

XIV. Quin & unius sæculi spatio Ordo ille tanta divitiarum affluentiâ auctus fuit, atque in illa affluentia à pristina vitæ sanctitate, & disciplinæ Monasticæ integritate adeo decidit, ut de illo hæc sæculo 12. scribat Alexander III. "Recolentes qualiter hæc plantatio sancta, hæc „vitis fructifera, hæc denique vinea Domini Sabaoth sub „primis ordinis patribus pullulavit; & palmites longe „lateque producens ad mortifera circumquaque venena „pellenda protulit flores, & odores effudit; pervigili „custodia custodiatis eorum in omnibus inhærere vestigiis, per quos cooperante omnino in deserto [hujus „mundi flos hujuscemodi plantatus est honestatis. Hi e„rum monasticæ frugalitatis contentissimi, optimum po„nentes in paupertate principium, totius sufficientiæ as„secuti sunt complementum, Ecclesiæ cari, Episcopis & „Prælatis accepti, atque in conspectu Regum ac Princi„pum famâ & merito gloriosi. Nunc autem, quod do„lentes dicimus, & si non ab omnibus, neque in omnibus, „a plerisque tamen, & in pluribus ab illa sancta institu„tione dicitur declinatum, in tantum, ut aliqui ex vobis „primæ institutionis obliti penitus, vel ignorantes con„tra ordinis vestri regulam villas, molendina, Ecclesias, „& altaria possident, fidelitates, & hominia suscipiunt, „jurisdictiarios, & tributarios tenent, omne studium adhi„bent, ut termini eorum dilatentur in terris, quorum „conversatio debet esse in cœlis. Læditur hinc ordo peni„tus, & vitiatur, [nec est mutatio dexteræ excelsi, quin „immo potius de dextera transeunt in sinistram; qui cum „relicto sæculo sub paupertatis habitu Deo militare de„creverunt, in negotiis denuo sæcularibus implicantur. „Inde est quod vobis ab iis, qui foris sunt, contentiones, „& litigia suscitantur, & Abbatibus in causis forensibus „occupatis, plurimum in commissis domibus & tepor „ordinis, & dissolutio nascitur charitatis, maxime quia „charitas in paupertate plus proficit, & cupiditatis dedi„gnata consortium, nisi illa restringatur, hæc reposcit, „ideo sanctum, ac venerabile collegium vestrum preci„bus, & monitis, quibus possumus, exhortamur; quate„nus domus illæ, quæ à prima sui origine in ordine ipso „sunt fundatæ, constitutis, & ordinatis terminis sint con„tentæ, nec velint inordinatè ad ea manus extendere, quæ „sine laboribus, & periculis multis, & demum sine cri„minibus, & magna confusione non poterunt retinere." *Cap. 5. De Statu Monach.*

XV. Cum verò continuò magis ad Monasteria, aliaque Corpora Ecclesiastica, bona devolverentur; idque non sine gravamine Principum & laïcorum: eo quod bona sic ad Corpora illa devoluta eximerentur à variis oneribus. quibus Respublica sublevari, & Principis ærarium conflari debet; tandem Principes huic ad Corpora Ecclésiastica bonorum devolutioni modum ponere debuerunt.

Et quidem Principes nostri edixerunt, ne res *immobiles* cujuscumque naturæ & conditionis in Monasteria, Capitula, aliaque Corpora, quæ vulgo *manus Mortua* dicuntur, quovis titulo transferri possent.

XVI. "Primum in Belgio Edictum prohibitorium, ait Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 50. §. 6. [quod ad manus meas pervenit] est Guidonis „Comitis Flandriæ de anno 1295. Verùm illud promul„gatum pro Flandris solis, & non pro Brabantis. " Hæc ille; qui §. 7. dicit, " primò Religiosis & Monasteriis bo„na stabilia in Brabantia acquirere vetitum est in Tabulis „Ducis Joannis de anno 1312. *art.* 12." Extat *Vol.* 1. Edictorum Brabantiæ *Lib.* 2 *tit.* 1. *cap.* 1. Loquitur generaliter de personis Ecclesiasticis.

XVII. Huic prohibitioni accessit deinde Constitutio Philippi Pulchri de 20. *Sept.* 1451. extans in citato volumine Edictorum *Lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 4. vetaturque Ecclesiasticis Brabantinis titulo emptionis acquirere bona immobilia sita in Brabantia, nisi sub conditione, quod venditor aut ejus hæredes ea semper poterunt redimere ad nummum 18.

XVIII. Cùm verò, uti loco citato §. 8. notat Anselmus, hæc Constitutio usu recepta non esset, nova prohibitio de non acquirendo Ecclesiasticis facta est *art.* 14. in additione novi Introitus Caroli V. 26. Aprilis 1515. extatque indicto volumine *Lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 17. quo cavetur, nulla bona seu allodialia, seu feudalia, seu emphyteuticaria, vel censualia posse vendi, transferri, aut cedi quacumque ex causa vel titulo in Monasteria, Hospitalia, Capitula, Collegia, aut alias Manus mortuas; nisi hujusmodi translatio fieret de unanimi Principis & Magistratûs Metropolis Civitatis, sub qua bona illa sita sunt, consensu.

XIX. Sed neque hæc Constitutio statim suum habuit effectum. Nam Abbates sive Status Ecclasiasticus Ordinum Brabantiæ, Libello supplice exposuerunt Concilio Brabantiæ, dictam Constitutionem à Civitatibus Brabantinis subreptitiè, ipsis inauditis, fuisse extortam; super quo libello ordinatum fuit, ut partes hinc indè summariè coram Commissariis audirentur; ac interim executio istius Constitutionis esset in suspenso, 26. April. 1516. Habentur litteræ in allegato volumine Edictorum *Lib.* 1. *t.* 4. *c.* 2.

XX. Verum cum Abbates & Prælati eorumque Mandata causam non prosequerentur, tandem ad instantiam Fiscalium suspensio sublata fuit, produitque Constitutio Caroli V. per formam Edicti Perpetui 19. Octobris 1520. relata in citato volumine Edictorum *Lib.* 1. *tit.* 4. *cap.* 4. qua statuitur, quod nemo quocumque titulo, prætextu, vel colore, neque quacumque de causa, ratione, aut occasione poterit quamcumque rem immobilem sitam in Brabantia vendere, aut quocumque modo alienare in usum aut favorem alicujus Monasterii, Ecclesiæ, Collegii, Conventûs, Hospitalis, vel personarum Ecclesiasticarum seu in *Manus mortuas*, sine expresso consensu Principis, Vasallorum, & Magistratus civitatis Metropolis sub cujus districtu bona erunt sita: quodque nulli Prætores, Viri Feudales, Scabini, Magistratus, aut alii Judices & Officiales intervenient, aut patiantur hujusmodi venditiones, cessiones vel permutationes in *Manus mortuas* fieri; neque dicta Corpora Ecclesiastica in bona illa inhæredari.

Declarans insuper omnem hujusmodi translationem bonorum immobilium in dictas *Manus mortuas*, nullam & sine effectu.

Deinde decernit, ut nulla bona immobilia per particularem & generalem successionem, vel testamentum, ordinationem, donationem, vel ab intestato, devolvantur vel cedant quibuscumque Monasteriis, collegiis, Capitulis vel aliis Manibus mortuis; declarans quidquid in contrarium forsan statueretur à quocumque, & quacumque ex causa, nullum ac nullius effectûs; atque in perpetuum tamquam nullum reputetur & habeatur.

XXI. In narrativa ipsius Constitutionis, declarat, se ad hanc Constitutionem edendum impulsum fuisse, quod expendisset, tantam jam bonorum tam feudalium, quàm allodialium & aliorum, copiam penes Corpora Ecclesiastica possideri, ut ex illis se honeste ac sufficienter intertinere possint. Attenta quoque magna Ecclesiarum, Monasteriorum, Hospitalium, Conventuum, Capellaniarum & fundationum multitudine, per quam suos Subditos & Vasallos multum gravari asserit.

Neque

Neque ergo in odium Ecclesiasticæ immunitatis aut libertatis hæc constituit Carolus V. aliique ante ipsum Principes nostri; sed ne cives & incolæ suis facultatibus exhaurientur.

XXII. De hac Carolina Constitutione ita loquitur Tuldenus noster in Codice *Tit. De Sacrosanctis Ecclesiis n.4.* "Vetuit Edicto suo Carolus quintus bona immobilia Ecclesiis aliisque piis locis ultra acquiri absque consensu Principis. Quod providentissimus Imperator neque sine magna ratione, neque sine exemplo constituit. Idem enim olim Imperator Nicephorus Phocas edixerat, Zonar. *tom. 2. Annal.* aliique Christiani Imperatores *l. 20. & 27. C. Theod. De Episcopis & Cleric.* etiam D. Hieronymo laudante *lib. 2. ep. 12. Non de lege*, inquit, *conqueror, sed de causa, qua hanc legem meruimus.* Namque in sacri Officii reverentiam congestæ Majorum pietate opes penè causam reverentiæ imminuerant, quorumdam (ante salubrem Concilii Trid. medelam) fastu, luxu, desidiâ. Nam, ut ait Salvianus *lib. 2. ad Eccles. Cathol.* "*Nimia profusione opum non suffulcitur Religio, sed evertitur.*"

XXIII. Pro intellectu hujus Carolinæ quâ hodie utimur, notandum, *manum mortuam* in hac materia appellari, "Ecclesiam, civitatem, collegium (ait Pecquius Tractatu De Amortizatione *cap. 2.*) sive illud quodcumque Corpus, vel Ecclesiasticum, vel sæculare, quod bonorum capax est." Ideo verò *manus mortua* hujusmodi corpus appellatur, "quod quemadmodum, ait Pecquius, morientis hominis manus, id quod comprehendit, firmissimè conclusum tenet, neque facilè remittit: sic etiam, quidquid Ecclesia seu Corpus istiusmodi semel acquirit, & in manum, hoc est, potestatem suam semel accipit, non nisi magna cum difficultate & solemnitate in commune hominum commercium deinde remittit, sed accumulando conservat."

XXIV. Ut ergo aliquid censeatur relictum *manui mortua*, debet illud esse relictum *Corpori ut Corpori*: nam si singulis de Corpore sit relictum, non censetur relictum *manui mortua*.

Hoc ex capite, si quis pauperes certæ urbis vel Parochiæ instituit hæredes, vel cognationi suæ annua cibaria reliquerit in sumptus studiorum, instituta fundatione in Collegio Academico, defendi probabiliter potest [ait Stockmannus *Decis. Brabantina 4.*] non *manum mortuam*, seu Corpus aliquod vel Collegium esse vocatum, sed singulas personas esse vocatas certo ordine, inter quæ multum interesse ostendit L. CUM SENATUS 20. *ff. De rebus dubiis*, in verbis: *Nisi singulis legetur, hi enim non quasi Collegium, sed quasi certi homines admittentur ad legatum.* Hæc Stockmannius, qui & addit: "Unde & res immobiles tic relinqui posse non improbabiliter audivi sustineri in lite quapiam."

XXV. Amortizatio juxta hodiernum loquendi usum, nihil aliud est, quam indulgentia, dispensatio, & concessio facta iis, quos *Manus mortuas* vocamus, bona immobilia acquirendi & possidendi.

XXVI. Hanc hodie in Gallia solus Rex indulget, uti testatur Paponius in suis Arrestis *Lib. 1. tit. 14. arresto 1.* In his Regionibus Carolus V. in sua Constitutione cavit, Amortizationem non concedendam, nisi de expresso, unanimi, & communi assensu ipsius Principis, & Magistratûs urbis Metropoliticæ, sub qua bona Amortizanda sita sunt.

XXVII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem initis 10. Matt. 1541. *tit. 3. nu. 1.* dicitur: "Illa bona *tantum* censeri debent *amortizata*, quæ à jurisdictione sæculari per Principem sunt exempta, litteris desuper ritè expeditis, vel quæ à 70. aut 80. annis tamquam amortizata per Ecclesiam possessa sunt."

XXVIII. "Diploma amortizationis, (ait Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap. 87. §. 2.*) vix negari solet, quando Principi cæterisque constat, Pastoribus, seu Monasteriis non esse provisum de competentia."

XXIX. "Quia verò (pergit Anselmo) per hujusmodi concessionem Regi, vel Dominis loci damnum infertur propter laudimia & publicationes, seu confiscationes, & per eas bona immobilia subducuntur è potestate sæculari, adeoque impositionibus gravari non possunt, sicut cætera bona in manibus laicorum existentia: hinc pro obtinendo jure morticinii solent supplicantes Regi pro jure confiscationis offerre censum aliquem irredimibilem & cum Domino loci ratione laudimiorum componere, & deniq; bona amortizanda subjicere, & obnoxia reddere impositionibus, talliis, contributionibus, precariis aliisq; oneribus, perinde ac si essent in potestate sæculari. Hoc modo cessant incommoda, seu rationes ob quas prohibitum est Ecclesiasticis & Monasteriis acquirere."

Si quis plura scire desideret de hac amortizationis materia, consulat Pecquium in tractatu *De Amortizatione bonorum*, & Zypæum in Jure novo tit. *De foro competenti*, alios ab aliis citatis.

CAPUT IV.

Qui Ordines *Mendicantes*; & eorum specialis paupertas; ac quæ Religiosa *Mendicitas*.

1. *Qui Religiosi dicantur* Mendicantes?
2. *Ordines* Mendicantes *olim reditus habere non poterant.*
3. *Aliqui sunt Mendicantes ex* Regula; *alii ex* Constitutionibus.
4. *Soli Franciscani sunt Mendicantes ex* Regula.
5. *Meritò S. Franciscus dicitur primus* Mendicantium *auctor.*
6. *Ordo S. Dominici in sua fundatione reditus in communi possedit.*
8. *Ordo Carmelitarum dici non potest Mendicantium ex* Regula.
9. *Tempore editi libri Decretalium non videntur Ordines Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum fuisse Ordines* Mendicantes.
10. *Hi Ordines videntur sensim Ordinibus* Mendicantibus *fuisse annumerati.*
11. *Circa medium sæculi 13. videtur Ordo Carmelitarum Ordinum Mendicantium institutum cœpisse arripere.*
12. *Similiter circa idem tempus Ordo Eremitarum S. Augustini eam vitæ normam cœpit imitari.*
13. *Ex Decreto Concilii Lugdunensis sub finem sæculi 13. constat hos Ordines necdum tamquam Ordines Mendicantes fuisse* approbatos.
14. *Decretum Concilii Lugdunensis mutilatum tempore Bonifacii* VIII.
15. *Ex illa mutilatione colligitur Ordines illos tunc fuisse tamquam* Mendicantes *probatos.*
16. *Ordo Minimorum Ordinibus Mendicantibus annumeratus.*
17. *Ordo Societatis Jesu declaratur esse verè de Ordinibus Mendicantibus: & quo titulo?*
18. *Similiter Ordo Discalceatorum Ordo Mendicantium declaratur.*
19. *Ordines Mendicantes olim renuntiarunt possessioni bonorum etiam in* communi.
20. *Creditum fuit hanc paupertatem Ordinibus illis maximè convenire: & quare?*
21. *Experientia postmodum docuit, quod multiplicato Religiosorum & Monasteriorum numero difficile esset sine multis incommodis huic paupertatem servare.*
22. *Imbecilliores & imperfecti difficulter molestias ex hac paupertate provenientes sustinere possunt.*
23. *Hinc molestias & incommoda evadant, pro vita subsidiis ad media inordinata recurrere cœperunt.*
24. *Id evincitur ex epistolis S. Bonaventuræ.*
25. *Plures Ordines Medicantes cœperunt etiam ante Concilium Tridentinum reditus in* communi *possidere.*
26. *Synodus Tridentina id omnibus concessit, exceptis Minoribus de observantia & Capucinis.*
27. *Synodus non vult plures recipi quàm ex reditibus Monasterii & consuetis eleemosynis sustentari possunt.*

28. *[Fr]a minores de observantia & Capucini in Decreto Tridentino excepti.*
29. *Quid in publicatione Concilii Tridentini in Belgio circa prædictum Decretum fuerit notatum?*
30. *Licet Ordinibus Mendicantibus concessum sit possidere reditus in* communi, *non tamen desierunt dici* Mendicantes à mendicitate.
31. *Quod S. Franciscus de Mendicitate dixit, id meritò pro norma Religiosa mendicitatis accipitur.*
32. *S. Franciscus noluit ut Fratres Mendicarent, nisi deficientibus aliunde vitæ subsidiis.*
33. *Ut Fratres à sollicitudine anxia vitæ necessariis acquirendis liberaret, voluit ut non erubescerent in necessitate eleemosynas* ostiatim *petere.*
34. *Petere aut accipere eleemosynas extra necessitatem & ultra necessitatem speciem* furti *reputavit Franciscus.*
35. *S. Franciscus tantum voluit Fratres Mendicare, dum ex labore manuum vivere non possunt.*
36. *Nicolaus* III. *declaravit à labore manuum exemptos, qui studiis aut Ecclesiasticis ministeriis obeundis vacant.*
37. *S. Thomas docet tribus titulis Religiosos posse ex eleemosynis vivere.*
38. *Hodie penè solo titulo ministerii populo impensi Religiosi ad eleemosynas petendas admittuntur.*
39. *Sine consensu civilis Magistratus ægrè hic admittitur collectio eleemosynarum.*
40. *Viventes eleemosynis debent tamquam pauperes* paucis *esse contenti.*
41. *Non debent Ordines otiosis & non laborantibus gra(vari.*
42. *Cavere debent in eleemosynarum collectione speciem avaritiæ, & turpis quæstûs,*
43. *Sollicitè cavere debent vitia & abusus* Quæstorum.

I. "HI dicuntur mendicantes [ait Glossographus ad „*Cap. Un. De Excessibus Prælat. in* VI. in Verbo, „*Mendicantes*] quibus victum tribuit incerta mendicitas: „& qui reditus aut possessiones ex Regula vel Constitu„tionibus habere non possunt." Quæ definitio accepta ex *Cap. Unico* §. CONFIRMATOS *De Religiosis domibus in* VI. in quo dicitur, Ordines aliquos per Sedem Apostolicam confirmatos, & post Concilium Lateranense sub Innocentio III. institutos," quibus ad congruam sustenta„tionem reditus aut possessiones habere professio sive „Regula quælibet interdicunt, sed per *quæstum publicum* „tribuere victum solet *incerta mendicitas.*"

II. Si igitur jus Commune inspiciamus Religiosi quos *Mendicantes* dicimus, nec *in communi* reditus aut possessiones ad congruam sustentationem habere possunt; victumque tamquam pauperes ex eleëmosynis etiam, si opus fuerit nec ultrò offerantur, *ostiatim* emendicatis accipere debent.

III. Duo verò, ut ex allegatis intelligitur, sunt hujusmodi Ordinum Mendicantium genera. Alii enim sunt tales ex *Regula*, alii verò ex *Constitutionibus* ipsi Regulæ quam profitentur postmodum adjectis.

IV. Prioris generis sunt soli Franciscani; quorum Regula à S. Francisco dictata, & ab Honorio III. probata in Constitutione quæ incipit: *Solet annuere* 5. *in Bull. R. c.* 6. sic habet: " Fratres *nihil* sibi *approprient*, nec domum, „nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini, „& advenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate „Domino famulantes, *vadant pro eleemosyna* confiden„ter Non oportet eos verecundari, quia Dominus pro „nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Hæc est illa al„tissimæ paupertatis, quæ vos carissimos fratres meos, hæ„redes & reges regni Cælorum instituit, pauperes rebus „fecit, virtutibus sublimavit. Hæc est portio vera quæ per„ducit in terram viventium, cui dilectissimi Fratres tota„liter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri „in perpetuum sub cœlo habere velitis."

Et rursus in suo Testamento, quod in Bullario Romano ipsi Constitutioni Pontificiæ subjicitur, de hac paupertatis professi one ita loquitur: " Et ego manibus meis „laborabam & volo laborare, & omnes alii fratres mei „firmiter volo quod laborent de laboritio, quod pertinet „ad honestatem. Et qui nesciunt, discant, non propter cu„piditatem accipiendi pretium laboris, sed propter bo„num exemplum, & ad repellendam otiositatem. Et „*quando non daretur nobis pretium laboris, recurramus ad* „*mensam Domini, petendo eleemosynas* OSTIATIM."

V. Nullæ aliæ Monachorum Regulæ hujus abdicationis redituum ac possessionem etiam in *communi*, aut *mendicitatis* ullibi meminêre; ut meritò S. Franciscus primum hujus instituti fundamentum posuisse dicatur; atque primus Ordinum Mendicantium Fundator eo titulo jure merito dici queat.

Tametsi enim aliorum Ordinum, qui hodie Mendicantes dicuntur, institutio Ordinem S. Francisci præcessisse potuerunt, nonnisi tamen post institutum Ordinem S. Francisci, atque ab eo exaratam hanc Regulam, hoc vivendi institutum acceperunt: ac propterea Mendicantes non *ex Regula*, sed ex *Constitutionibus* dicuntur.

VI. Et quidem Dominicani Regulam S. Augustini à suo Fundatore acceperunt: nec aliam hucusque receperunt quæ de hac abdicatione redituum aut mendicitate non loquitur.

Unde & Ordinum Dominicanorum in suo exordio reditus ac fundos quin & decimas & Ecclesias eum suis proventibus *in communi* possedisse, evidens est ex Bulla Honorii III. hujus Ordinis confirmatoriâ quæ incipit: *Religiosam vitam.* Quin imò non nisi quadriennio post Ordinis confirmationem in generali Conventu Bononiæ coacto, à Beat. Dominico aliisque Ordinis Fratribus omnium bonorum abdicatio facta est; & nè posterum habere liceat, constitutione edita sanxerunt; atque tunc ex eleëmosynis: etiam *Mendicato* acquirendis, vivere cœperunt; idque ad exemplum & imitationem, ut dicitur, S. Francisci.

VII. Similiter Eremitas S. Augustini eumdem cum Dominicanis Regulam S. Augustini profitentes nequaquam Mendicantes *ex Regula* dici posse compertum est.

VIII. Nec Ordo Montis Carmeli, sive Carmelitarum talis dici potest. Regula enim S. Basilii sive Regula Albertina Regulæ Basilianæ conformis, quam hi primitus acceperunt & nunc profitentur, redituum & bonorum immobilium *in communi* possessionem non prohibet; Imo ex ipsa regula Albertina *cap.* 7. sat constat, Fratres Montis Carmeli primitus bona *in communi* possedisse.

IX. Quo verò tempore hi duo Ordines, nimirum Eremitarum S. Augustini, & Carmelitarum fuerint Ordinibus Mendicantibus annumerati, & tamquam tales à Romanis Pontificibus recogniti ac probati, non satis constat.

Illud sat constare videtur, tempore Gregorii IX. neutrum illorum Ordinum *Mendicantibus* fuisse annumeratum; quia uti observat Azorius *Institutionum Moralium par.* 1. *Lib.* 12 *c.* 23. in toto libro Decretalium jussu hujus Pontificis collecto, solummodo referuntur duo Ordines Mendicantes, *Prædicatorum* scilicet & *Minorum.*

X. Verisimile est, hos Ordines *sensim* & citra ullam specialem & expressam Pontificiam Constitutionem Ordinibus Mendicantibus fuisse annumeratos.

XI. Siquidem Innocentius IV. in Bulla, qua Regulam à S. Alberto Fratribus Eremitis de Monte Carmelo traditam declaravit, & in aliquibus mitigavit, quæ incipit, *Quæ honorem* 6. in Bull. R. *cap.* 13. testatur, Fratres Ordinis illius *mendicare consuevisse:* " Ab esu carnium abstineatis, ni„si pro infirmitatis vel debilitatis remedio sumantur. Et „qui, ait, oportet vos frequenter *mendicare* itinerantes, „ne sitis hospitibus onerosi, extra domos vestras sumere „poteritis pulmenta cocta cum carnibus."

Plura in eadem Regulæ mitigatione continere, quæ innuunt, jam tum Carmelitas [qui primam more Eremitico vixerant, atque adhuc *Eremitæ de Monte Carmelo* in Bulla Honorii III. Regulæ Albertinæ confirmatoria dicebantur] ad vitam Cœnobiticam, atque ad normam aliorum Mendicantium cœpisse regulari; uti ex collatione Regulæ Albertinæ, quemadmodum in Bulla Honorii III. contine-

continetur, cum eadem Regula per Innocentium IV. mitigata & mutata facilè videri potest.

XII. Alexander IV. immediatus Innocentii IV. successor in Bulla qua diversas Eremitarum congregationes, quarum quædam *S. Guillelmi*, quædam *S. Augustini* Ordinum, nonnullæ autem Fratris *Joannis Bonæ*, aliquæ verò *de Fabali*, aliæ verò *de Britinis* censebantur, univit in unam Congregationem sub denominatione *Fratrum Eremitarum S. Augustini*, ejusdem Regulâ, ac uniformis habitûs delatione, ibidem §. 6. hæc habet: " Vos universos, & successores vestros à baculis & ferulis deportandis, & quod non cogamini ad *recipiendas possessiones aliquas, vel habendas*, decernens perpetuò liberos, & exemptos." Incipit Bulla, *Licet Ecclesiæ 6* in Bull. R.

Refert insuper Azorius Institutionum Moralium *parte 1. lib. 12. C. 23.* ex S. Antonino, quod Innocentius IV. immediatus Prædecessor Alexandri IV. decrevisset jam dictos Eremitas sub variis nominibus & Ordinibus viventes in unum corpus redigere, ut more Prædicatorum & Minorum *cibo mendicato* viverent, ad populum conciones haberent, pœnitentium confessiones exciperent, & cæteras functiones Ecclesiæ obirent; sed cum morte præventus perficere non potuerit, Alexander IV. ejus successor perfecit.

Ex his non obscurum est, circa hoc tempus, scilicet sub medium sæculi 13. hos Ordines incœpisse reditus ac possessiones etiam in *communi* abdicare; atque ad exemplum Fratr. Minorum & Prædicatorum ex *eleemosynis* vivere; ac in cæteris quoque *Mendicantium* institutum accipere.

XIII. Hos tamen Ordines inter Ordines Mendicantes *specialiter* nec eo tempore fuisse relatos, neque pro talibus à Sede Apostolica recognitos, indicat Gregorius X. in Concilio Lugdunensi an. 1247. celebrato; ubi Ordinum præcipuè Mendicantum multiplicationem nimiam redarguens; ipsosque Ordines Mendicantes post Concilium Lateranense subinductos & S. A. approbationem necdum commeritos, censent supprimendos: atque unà declarans, quod ad *Prædicatorum & Minorum* Ordines [quos evidens ex eis utilitas Ecclesiæ universali proveniens perhibet *approbatos*] præsentem non patiatur Constitutionem extendi, de Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum Ordinibus ita loquitur: " Cæterum *Carmelitarum & Eremitarum* Ordines, quorum institutio dictum Concilium generale præcessit in *suo statu manere concedimus*, DONEC de ipsis aliter fuerit ordinatum. Intendimus siquidem tam *de illis*, quam de reliquis, etiam non mendicantibus Ordinibus, prout animarum saluti, & eorum statui expedire viderimus, providere."

Ita habet Decretum à Gregorio X. in Concilio Lugdunensi editum, extatque tomo 11. Conciliorum general. *Col 989*. Ex quo non obscurum est, Gregorium X. concessisse quidem, ut hi Ordines in *suo statu*, prout tunc erant, permanerent, donec de ipsis aliter provideretur, sed nequaquam *positivè* probasse, aut positivè *probatos* credidisse.

XIV. Scio quidem in *Cap. unico* §. SANE *De Religiosis domibus in* IV. ubi hoc Decretum refertur, pro his verbis, in SUO *statu*, legi, in SOLIDO *statu*; sed scio quoque jam pridem Glossographum ad citatum Capitulum verbo, *In solido*, notasse: *alias* SOLITO: " Et hoc, ait, detrahit Bonifacius [scilicet VIII. Sexti Decretalium Auctor] de Concilio Gregorii: sic enim dicebat littera, *in* SUO *statu* volumus permanere, donec de ipsis fuerit ordinatum: Intendimus siquidem, &c." prout suprà ex Concilio relatum est. Subjungit deinde Glossographus: " Et dicebatur quòd Gregorius nolebat aliquem de Mendicantibus dimittere, nisi Prædicatores & Minores: De non Mendicantibus tres, Cisterciensem, Ordinem Nigrorum, & de Templariis & Hospitalariis unum Ordinem facere." Hæc Glossa.

XV. Interim ex illa textus mutatione & mutilatione non obscurum est advertere, tempore Bonifacii VIII. id est, sub finem sæculi XIII. aut initium XIV. Ordines Carmelitarum & Eremitarum S. Augustini Ordinibus Mendicantibus fuisse *stabiliter* annumeratos, atque ut tales agnitos ac receptos: ideoque & ab eo tempore passim quatuor famosi Ordines mendicantium recensiti fuêre; scilicet, Prædicatorum, Minorum, Eremitarum S. Augustini & Carmelitarum; de quibus loquens Synodus Coloniensis 1536. *parte 4. cap. 7.* ait: " Aliquod retro sæculis in Ecclesiam recepti sunt quatuor Mendicantium Fratrum Ordines, quò Parochorum in verbi Ministerio cooperarii forent."

XVI. His quatuor Ordinibus successu temporis plures accesserunt, atque inter Ordines Mendicantes recensiti. Ordinem S. Francisci De Paula vulgo *Minimorum* inter Ordines *Mendicantes* comprehendi speciali Bulla Declaravit Pius V. quæ incipit, *Apostolicæ Sedis 49. in Bulla Romana.*

XVII. Idem Pontifex per Bullam quæ incipit, *Dum indefessæ 131. in Bull. R.* Religionem Clericorum Regularium Societatis Jesu esse *verè* de *Ordinibus Mendicantibus* declaravit; " Tum quia, ait, ipsa Societas MENDICANS existit, quippe quæ ex ejus instituto & constitutionibus à Sede Apostolica confirmatis, *bona stabilia possidere nequit*, sed *incertis* eleëmosynis, fideliumque largitionibus & subventionibus vivit; tum quia non minus quam cæteri mendicantes in *excolenda* vinea Domini assiduè laborat."

XVIII. Carmelitarum Discalceatorum Ordinem esse unum è quatuor Ordinibus Mendicantibus, scilicet; Ordinem *Carmelitarum*, cujus Religiosi Regulam ab Alberto Patriarcha Hierosolymitano habitantibus in monte Carmelo traditam & ab Innocentio IV. confirmatam profitentur & observant, declaratur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit, *Romanum Pontificem* 101. *in Bul. R.*

Ex hactenus dictis habemus, Ordines Mendicantes, partim ex Regula, ut S. Francisci, partim ex Constitutionibus & consuetudine jam pridem renuntiasse reditibus & possessionibus non tantum in particulari, sed etiam *in communi*, ita ut nec ipsa *Communitas* reditus & possessiones, è quibus singuli sua necessaria acciperent, habere posset.

XX. Hanc paupertatem Ordinibus sive Religionibus Mendicantibus, quæ non tantùm ad contemplandum; sed etiam ad *contemplata* aliis tradendum ordinantur, magis convenire docuit S. Thomas 2. 2. *q.* 187. *art:* 7. " Quia, inquit, illis Religionibus quæ ordinantur ad contemplata aliis tradenda, competit vitam habere maximè ab exterioribus sollicitudinibus expeditam. Quod quidem fit dum *modica*, quæ sunt *necessaria* vitæ, *congruo tempore procurata* conservantur."

Non dubium, quin, si vitæ necessaria suo tempore subministrarentur iis, qui ad contemplandum ac contemplata per prædicationem aliis tradendum sunt ordinati, sine minore sollicitudine, ac consequenter sine minore impedimento suis functionibus insistere possent. " Nam, ut aitidem Doctor, possessiones communes multas sollicitudines ingerunt de ipsis conservandis; & custodiendis & excolendis.

XXI. Verùm vix Ordinibus hisce exortis, & nonnihil multiplicatis, visum fuit, quàm difficile, quamque molestum sit, tantum Religiosorum numerum Fidelium eleëmosynis sustentari; adeò ut ex Matthæo Parisiensi ad an. 1258. in suo Monastico referat Dadinus Alteserra *lib. 1. cap. 11.* " Universitas insuper Parisiaca per prædicatores & Minores non mediocriter est perturbâta; tot autem Ordines exorti sunt, quod hi hos & è converso supplantant: *nec sufficit*, ut consuevit, populus eos *plebeis eleemosynis* sustentare."

XXII. Insuper altissima illa paupertas, quæ nec *in communi* reditus possessionesque admittit; sed jubet vitæ necessaria à Fidelium mera liberalitate, quasi *mendicato* expectare; frequenter non exigua secum trahit incommoda ac molestias, quibus ferendis penè non sufficiunt etiam illi, qui ad vitæ Monasticæ perfectionem jam aliquatenus pervenerunt.

Undè

Unde S. Thomas in Opusculo 15. cap. 17. expresse fatetur, quòd expediat propter eos qui non sunt *summæ* perfectionis capaces, *communes* possessiones possidere.

... inordinationes & ipsi quoque Regularis disciplinæ collapsio tandem in multis Monasteriis secutæ sunt.

XXIII. cùm enim multiplicatis Ordinum Mendicantium Fratribus, cœpissent & imbecilliores minùsque perfecti inter ipsos reperiri, qui molestias & incommoda, ex summa illa & utilissima paupertate provenientia animo Christiano ferre non possent, compertum fuit, quòd multi, ut se à molestiis ac indigentiis eximerent, recurrerent ad media ab Instituto suo, & mente Patrum aliena; ac ipsius Religionis disciplinam enervantia, imò quæ ipsi populo ac Clero hos Ordines odiosos redderent.

XXIV. Et quod mirum, eodem sæculo quo primùm exorti fuerunt Mendicantes, ad provinciales & custodes sui Ordinis scribit Seraphicus Doctor Bonaventura tunc Ordinis Minorum Minister Generalis electus: " Perquirenti mihi causas, cur splendor nostri Ordinisq uodammodò obscuratur, Ordo exteriùs inficitur, & nitor conscientiarum interiùs defædatur; occurrit negotiorum multiplicitas, quâ pecunia nostri Ordinis paupertati super omnia inimica avidè petitur, incautè recipitur, & incautiùs contrectatur. Occurrit quorumdam Fratrum otiositas quæ sentina est omnium vitiorum; quâ plurimi consopiti, monstrosum quemdam statum inter contemplativum & activam eligentes, non tam carnaliter quàm crudeliter sanguinem comedunt animarum. Occurrit evagatio plurimorum, qui propter solatium suorum corporum, gravando eos per quos transeunt, non exempla post se relinquunt vitæ, sed scandala potiùs animarum. Occurrit importuna petitio, quâ omnes transeuntes per terras adeò abhorrent Fratrum occursum, ut eos timeant, quasi prædonibus obviare. Occurrit ædificiorum constructio sumptuosa & curiosa; quæ pacem Fratrum inquietat, amicos gravat, & hominum perversis judiciis multipliciter nos exponit. Occurrit multiplicatio familiaritatum, quam Regula nostra prohibet; ex qua suspiciones, infamationes, & scandala plurima oriuntur. Occurrit improvida commissio officiorum, quâ Fratribus nondum usquequaque probatis, nec carne maceratis, nec spiritu roboratis, imponuntur officia vix portanda. Occurrit etiam sepulturarum & testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione Cleri, & maximè Sacerdotum."

Similia deploravit idem sanctus Doctor in alia Epistola ad eosdem Provinciales & Custodes Ordinis sui iteratò ..., & in Ordinis Annalibus ac temporis illius historiis ... relatâ.

Neque alii Mendicantium Ordines ab iis incommodis immunes fuisse eorum chronica & antiqua monumenta, ... eliminandis opposita Statuta, abunde evincunt.

XXV. Prudentiores autem propiùs expendentes, au... Religiosorum numero, nec non ipsius primo Religio... fervore, & laïcorum in eos affectu defervescente, dif... posse sine magnis incommodis, absque communi... reditibus & possessionibus Ordinem ejusque disciplinam in sua puritate stare, consultiùs credidere, ut illi ... Ordines, quibus non *ex Regula*, sed solùm *ex Constitutionibus* vitium erat *in communi* reditus & possessiones ..., ab his Constitutionibus nonnihil recederent; at... ad Regulam, quæ reditus & possessiones *in communi* ... permittebat, redirent.

XXVI. Quod cùm jam pluribus in Religionibus esset licentiam Sedis Apostolicæ, vel Ordinis contrarias ... inductum, tandem Synodus Tridentina ..., "concedendo omnibus Monasteriis & Domibus ... tam virorum quàm mulierum, & Mendicantium, exceptis Domibus Fratrum S. Francisci *Capucinorum* & ... qui Minorum *de Observantia* vocantur, etiam ... ex Constitutionibus suis erat prohibitum, aut ex privilegio Apostolico non erat concessum, ut deinceps „bona immobilia possidere liceat." *Sess. 25. De Regularibus cap. 3.*

XXVII. Utque Synodus efficaciùs occurreret incommodis, quæ ex nimia Monasteriorum egestate, & necessariorum ad vitæ sustentationem carentia, nata sunt oriri, eodem Decreto sancivit, " In prædictis autem Monasteriis „tam virorum quàm mulierum bona immobilia possidentibus, is tantùm numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari."

XXVIII. Ab hoc Decreto circa possessionem bonorum immobilium excipi voluêre *Capucini & Minores de observantia*, eò quod non tantum eorum Constitutiones, sed ipsa S. Francisci *Regula*, quam profitentur, hujusmodi bonorum possessionem interdicat, eosque ad altissimam illam paupertatem adstringat.

XXIX. Circa Decretum Tridentinum bonorum immobilium possessionem MonasteriisOrdinum Mendicantium permittens, prævia ad publicationem ipsius Concilii in Belgio, id notarunt Regia Concilia, non aliter admitti posse, ut Monasteria illa bona immobilia deinceps possideat, quam si ex *consensu Principis bona amortizentur*. Brabanti addiderunt, si id aliter accipiatur, fore contra articulos inaugurationis, seu læti Introitûs suæ Provinciæ, quibus custodiendis Regia Mejestas jurejurando adstringitur. Ita refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 32. §. 43.

XXX. Quantumvis verò Monasteriis Ordinum Mendicantium, exceptis Capucinis & Minoribus de Observantia S. Francisci, facta sit licentia possidendi bona immobilia *in communi*; atque ea facultate pleraque hodie utantur; nequaquam tamen propterea desierunt esse, & vocari Ordines *Mendicantes*.

Mendicantes quippe præcipuè dicti sunt à *Mendicitate*, quam etiam hodie cum bonorum immobilium & redituum *in communi* possessione tamquam partiale medium, quo sibi vitæ subsidium procurare queant, adhuc retinent.

XXXI Porrò sicut nulla Monachorum Regula ante S. Franciscum vetuit bonorum redituumque in communi possessionem; ita primus ipse Franciscus in sua Regula, *Mendicitatis* seu conquirendi eleëmosynas *ostiatim* mentionem fecit? occasionemque nomenclaturæ *Mendicantium Fratrum* dedit.

Quidni igitur quod S. Franciscus de hac mendicitate dixit, pro norma Religiosæ Mendicitatis habeatur ac reputetur?

XXXII. Voluit S. Franciscus in sua Regula, ut Fratres quibus dedit Dominus gratiam *laborandi*, laborent fideliter & devotè; ita tamen ut per laborem sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deservire.

Insuper vult, " ut de mercede laboris, pro se & suis „ Fratribus necessaria corporis recipiant, & hoc humiliter „ sicut decet servos Dei, & *paupertatis sanctissimæ* sectato„res."

Hæc *cap.* 5. ac tum *cap.* 6. subjungit: " Fratres nihil sibi „ approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, „ sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo, in pau„ pertate & humilitate Domino famulantes, *vadunt pro* „ *eleemosyna*." Quasi diceret, si merces laboris vitæ necessariis non sufficiat, tunc Fratres tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo *vadant pro eleemosyna*. Quod apertius indicat in suo Testamento.

Hîc enim rursus non verbis dumtaxat, sed suo exemplo Fratres ad laborandum excitans dicit: " Et ego mani„ bus meis *laborabam* & *volo laborare*, & omnes alii Fra„ tres mei firmiter volo quod laborent de laboritio, quod „ pertinet ad honestatem, Et qui nesciunt discant, *non* „ *propter cupiditatem* recipiendi pretium laboris, sed „ propter bonum exemplum, & ad repellendam otiositatem."

XXXIII. Ut verò ampliùs Fratres à cupiditate & sollicitu

giosorum *sumptus*. "Nam, inquit, quod triginta Religiosi hodie exigunt, paulo ante *centum* forte sufficiebat."

XLI. Ulteriùs cùm hodiè pene solo titulo *laboris spiritualis* eleëmosinæ à populo petantur; easdem eo intuitu populus det, meritò quoque Ordines illi attendunt, ne populus nimium gravetur sustentatione eorum, qui ad spiritualem hunc laborem impendendum nullatenus conducunt. Quare, ut ait Cajetanus loco citato, " non „deberent omnes ad harum Religionum professionem „recipi, sed soli idonei ad officium prædicandi & con„fessiones audiendi, & ministri eorum necessarii."

Hac de causa Magistratus locorum in admissione Ordinum Mendicantium nonnumquam numerum admittendorum ad hunc Conventum limitant, nè aliàs excessivus eorum numerus administrandis populo spiritualibus haud necessarius, nimium oneri sit; uti suprà notavimus.

XLII. Solicitè insuper adlaborare debent, ut ita in hac eleëmosynarum collectione se exhibeant, ut notam cupiditatis & avaritiæ non incurrant, ipsique populo suadeatur, prædicationem cæteraque spiritualia officia quæstûs causâ non institui.

Hac de re laudabile est Ordinis PP. Prædicatorum statutum: " Cum prædicatores se tamquam veros Religio„sos, & viros Apostolicos exhibere debeant, & nulli ma„teriam scandali præbere, & ab omni specie mali absti„nere, idcircò nullo modo debent permittere, ut dum „actu prædicant, colligantur pecuniæ, sive pro domo, „sive pro quacumque persona, ne notam cupiditatis, vel „avaritiæ incurrant, & prædicationis officium in vilipen„dium veniat. Et ob id sub pœna excommunicationis „mandatur omnibus fratribus, ne de cætero prætextu „cujuscumque extranei quæstus, & indulgentiæ prædi„candæ quovis modo discurrant, precium, aut salarium, „pro hujusmodi prædicationibus accipiant, vel ad hoc „fratrem aliquem inducant. Et nihilominùs tales divi„ni verbi corruptores, qui labe cupiditatis, & quæstua„riæ illusione splendorem nostræ religionis offuscant, of„ficio prædicationis, & bonis ad usum concessis, sint ip„so facto privati, & per annum ad carceres deputentur. „Poterunt tamen Prædicatores, & fratres Conventum „commendare, & populo paupertatem, & necessitatem „exponere, ut suo tempore eis eleëmosynas conferat, & „ad hoc adhortari." Hæc ex Summario Constitutionum, declarationum & ordinationum pro regimine Sacri Ordinis Prædicatorum, *parte 2. cap. 59*.

XLIII. Deinde in hac quæstuatione se ita exhibere debent, ut suo modesto & religioso agendi modo ab odioso illo *quæstorum* hominum genere à Concilio Tridentino abolito se planè distinguant; non minis, aut fraudibus inducant Fideles ad eleëmosynas, non petant tamquam debitum, aut solitum, neque ullâ arte, etiam prætextu dicendi aliquas orationes, aut lucrandi certas indulgentias, aut aliter extorqueant pecunias aut alia bona, sed *simpliciter, piè, & modestè* petendo eleëmosynam pro sustentatione Fratrum, accipiant tantùm quod sibi spontè offertur, nec super iis eleëmosynis nullam quovis nomine conventionem faciant, etiam in utilitatem ipsorum Monasteriorum, quemadmodum Pius V. & Gregorius XIII. ex sententia S. Congregationis Concilii Tridentini in simili quoad collectionem eleëmosynarum ac intentionem Hospitalium responderunt; uti refert Fagnanus ad *Cap.* CUM EX EO ꝫ *De pænit. & remiss. nu. 21. 22. & 23*

CAPUT V.

Omnia undecumque Religiosis obvenientia in communes usus Fratrum sunt dispensanda.

Norma dispensandi Monasteriorum proventus rectè desumitur normâ è primorum Christianorum.

Van Espen Jus Eccles. P. I.

2. *Inter primos Christianos omnia erant communia.*
3. *Erant communia ut in singulorum usus pro cujusque necessitate distribuerentur.*
4. *Eandem dispensandi normam inculcat Regula S. Augustini, estque basis totius vitæ Monasticæ.*
5. *Augustino consonat S. Benedictus.*
6. *Quidquid à parentibus datur Religiosis, debet dari Prælato ut in communes usus distribuatur.*
7. *S. Benedictus voluit ut res alicui Religioso à parentibus donata potiùs aut alteri per Abbatem daretur quàm ei.*
8. *Hanc proventuum in communes usus dispensandorum normam probat Synodus Tridentina.*
9. *Mentem Synodi Tridentinæ exponit Clemens* VIII.
10. *Hanc Clementis declarationem & Constitutionem innovavit Urbanus* VIII. *ac novissimè Innocentius* XII.
11. *Synodus P. I. Cameracensis sequuta mentem Concilii Tridentini, declaravit omnia undecumque Religiosis obvenientia ut* communia *esse dispensanda.*

1. BOna ac proventus Religiosorum in *communi viventium*, quos cœnobitas dicimus, quomodo sint dispensanda, ostendit ipsa dispensationis norma, quam servarunt primi Christiani Hierosol. *in communi* viventes, qui ipsam Cœnobitarum vivendi rationem prælinearunt. Hanc Sacer Textus his verbis expressit: *Multitudinis autem Credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis* OMNIA COMMUNIA *Act. 4. v. 32.*

II. Asserit Sacer Textus, quòd nemo istius multitudinis aliquid *suum* esse diceret; id est, nihil sibi appropriaret, sed illis *omnia* essent *communia*; nimirum ut in *communem* multitudinis *usum*, non tamquam uni magis quàm alteri propria, sed tamquam *omnibus* indifferenter *communia* dispensarentur; quemadmodùm Scriptura in sequentibus exponit. *Quotquot enim*, ait, *possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem* SINGULIS *prout* CUIQUE *opus erat.*

Et alio loco. *Omnes etiam qui credebant, erant pariter, & habebant omnia* COMMUNIA. Ad quid erant *communia*? Mox exponit sacer textus dicens: *possessiones & substantias vendebant & dividebant ea omnibus, prout* CUIQUE OPUS *erat. Act. 2. v. 44. & 45.*

III. Erant ergo omnia illis *communia*, ut multitudini sive Congregationi illorum Fidelium, seu Credentium in *communem* usum, sine respectu à quo plura vel pauciora obvenissent, distribuerentur; imò *singulis* indifferenter prout *cuique opus* erat.

IV. Hæc est illa dispensandi norma, quam Patres tamquam vitæ Cœnobiticæ primarium fundamentum, & totius disciplinæ Regularis basim in suis Regulis fortissimè inculcarunt.

In Regula, quæ S. Augustini dicitur, quámque hodiè tum Canonici Præmonstratenses, & qui vulgò simpliciter *Canonici Regulares* dicuntur, tum Eremitæ S. Augustini, item Dominicani pluresque alii utriusque sexûs Ordines profitentur, hæc habentur *Cap. 1.* " Primum prop„ter quod in unum congregati estis, ut unanimes habite„tis in domo, & sit vobis anima una & cor unum in „Deo, & non dicatis aliquid *proprium*, sed sint in vobis „*omnia communia*, & distribuatur unicuique vestrûm à „Præposito vestro victus & tegumentum, non æqualiter „omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potius „unicuique sicut opus fuerit. Sic enim legitur in „actis Apostolorum: *Quia erant ipsis omnia communia.*"

Ecce Augustinus voluit, ut nullus aliquid haberet *proprium*, sed omnia essent *communia*; ita scilicet *communes* opponens *proprio*. Sed quare *omnia communia*? Ut distribuatur unicuique de Congregatione prout *opus est*? sive ut in *communem omnium usum* pro cujuscumque *necessitate* omnia *indifferenter* dispensarentur.

Audiamus id Augustinum clarius *capite* 8. suæ Regulæ exponentem: " Etiam cum quis suis filiis aut aliquâ necessitudine ad se pertinentibus in Monasterio constitutis, aliquam contulerit vestem, sive quodlibet aliud inter necessaria deputandum, non occultè accipiatur, sed sit *in potestate Præpositi, ut in rem communem redactum cui necesse fuerit, præbeatur.* "

Augustinus ergo communia esse *omnia* voluit, etiam à parentibus aut consanguineis alicui *particulari* de congregatione oblata, ut *cui necesse fuerit præbeantur*; id est, indifferenter dispensentur, tamquam toti Congregationi sive *omnibus communia*, nulli autem peculiaria.

V. S. Benedictum etiam audiamus: " Ne quis, inquit, præsumat aliquid habere *proprium, nullam omninò rem*, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec voluntates suas licet habere in propria potestate: omnia verò necessaria à Patre sperare Monasterii: nec quidquam licet habere, quod Abbas non dederit aut permiserit. *Omniaque omnibus sint communia*: ut sicut scriptum est: *Nec quisquam suum aliquid dicat vel præsumat.* "

Nulli aliquid *proprii* esse vult Benedictus, sed omnia *communia*; tu scilicet ex illis quisque omnia necessaria à Patre Monasterii speret; sive accipiat.

VI. Utque hanc communionem amplius persuaderet, mandat: " ut si à Parentibus Religioso quidquam directum fuerit, non præsumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati, quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari. Et non contristetur Frater cui fortè directum fuerit, ut non detur occasio diabolo. " *cap. 54. Regulæ.*

Ergo etiam filiis à parentibus directa sive oblata, ita voluit esse *communia*, ut in potestate Abbatis sit, cui voluerit illa jubere dari.

VII. Et ne *occasio diabolo detur*, persuadendi scilicet filio Religioso, rem sibi à parentibus directam magis sibi, quam alteri esse debitam, neque omnibus planè communem, voluisse S. Benedictum potius alteri dari, quam filio cui erat directa, non obscurè citata verba Regulæ innuunt; & jam pridem observavit Dionysius Carthusianus, dum citatis hisce Regulæ verbis subjicit: " Rursus ex hoc, quod rem alicui Monacho missam voluit S. Benedictus *potius alteri* datam, quàm *illi*, concluditur quam *serio tè & integre* volebat omnem à suis proprietatem, peculiúmque excludi. In *Tract. De Refor. Claust. art.* 24.

VIII. Hanc rerum omnium perfectam communionem in omnium Patrum Regulis, & Ordinum Constitutionibus expressam & enixè commendatam, Synodus Tridentina tamquam fundamentum ac basim totius Regularis disciplinæ ab omnibus Superioribus observari præcipit; eamque inter substantialia Regularis vitæ reponere non dubitavit: mandatque Superioribus, ut omnis cura diligentiaque ab iis adhibeatur, ut ab illa non recedatur; " Cùm compertum sit, ab eis non posse ea, quæ ad *substantiam* Regularis vitæ pertinent, relaxari: si enim illa quæ *bases* sunt & *fundamenta* totius Regularis disciplinæ exactè non fuerint conservata, totum corruat ædificium necesse est. " *Sess. 25. De Regularib. cap* 1.

Post hæc subjicit tamquam ex priori Decreto consequens: " Nemini ergo Regularium, tam virorum quàm mulierum, liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscumque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria, aut etiam nomine Conventus possidere, vel tenere: sed statim ea superiori tradantur, conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum, vel usum, administrationem, aut commendam. "

Quasi diceret, vita Regularis requirit, ut *omnia* sint *communia*; id est, in usum communem totius communitatis sive Fratrum dispensentur: igitur nemini Regularium quocumque prætextu licet aliqua bona tamquam *propria*, aut etiam nomine Conventus possidere & tenere; sed ea Conventui incorporanda sunt, tamquam bona ipsius Conventus sive Congregationis, in usum Conventus & Congregationis dispensanda.

IX. Hunc Synodi Tridentinæ sensum clarius exposuit Clemens VIII. in Constitutione edita pro reformatione Regularium, quæ incipit, *Nullus omnino* 60. in Bull. R. ubi §. 2. hoc Concilii Decreto ita loquitur: " Quo Tridentini Concilii Decreta de paupertatis voto custodiendo fideliùs observentur, præcipitur, ut nullus ex Fratribus, etiamsi Superior sit, bona immobilia, aut pecuniam, proventus, census, eleëmosynas sive ex concionibus, sive ex lectionibus, aut pro Missis, tam in propria Ecclesia, quàm ubicumque celebrandis, alióve ipsorum justo labore, & causa, & quocumque nomine acquisita, etiamsi subsidia consanguineorum, aut piorum largitiones, legata aut donationes fuerint, tamquam propria, aut etiam nomine Conventûs possidere possit, sed ea omnia statim Superiori tradantur, & Conventui incorporentur, atque cum cæteris illius bonis, reditibus, pecuniis ac proventibus confundantur, quo communis inde victus & vestitus omnibus suppeditari possit. "

Manifestum est ex sententia Pontificis, *Conventui bona incorporari*, idem esse, atque omnia undecumque Religiosis obvenientia cum cæteris Monasterii seu Conventûs bonis, reditibus, pecuniis, ac proventibus confundi, quo *communis inde victus & vestitus omnibus* suppeditari possit; sive ut verbo dicatur: ut omnia inter Regulares sint communia, & dividatur *singulis prout cuique opus erit.*

X. Citatam Clementis Constitutionem innovavit Urbanus VIII. in Constitutione quæ incipit, *Sacra congregatio* 28. Bull. R. ac novissimè modernus Pontifex Innocentius XII. in Decreto edito 18. Julii 1695. in quo enixè mandat, vitam *communem* juxta Decreta suorum Prædecessorum in Monasteriis observari; atque certos Conventus designari ad Novitios educandos, in quibus vita communis exactè observetur, uti suprà *Tit. 25. cap. 2. nu.* 12. annotavimus.

XI. Biennio post absolutam Synodum Tridentinam habita Synodus Provincialis Cameracensis, cui & plures qui Synodo Tridentinæ interfuerant, astiterunt, decrevit, " Ut omnis illa pecunia vel res quam Monachus vel Moniales acquirere labore sive industriâ, sive amicorum liberalitate, seu deinde aliâ quâlibet occasione possit, Superiori tradatur, ita ut ad nutum ejus *tamquam res communis* expendatur. " *Tit.* 8. *cap.* 10.

Nequaquam ergo dubitârunt hujus Synodi Patres, quin mens Synodi Tridentinæ esset, ut res omnes Religiosis undecumque obvenientes Superiori essent tradendæ eum in finem, ut tamquam *res communes* expenderentur

CAPUT VI.

Peculia Monachorum contrariantur voto paupertatis, & vitæ communi.

1. *Describitur peculium servorum, cumque quo peculium Monachorum in multis convenit.*
2. *Ostenditur quomodo hæc duo peculia conveniant.*
3. *Peculium Monachorum est separatum à proventibus Monasterii, sicuti peculium servorum à rationibus Dominorum.*
4. *Ubi habentur peculia, non possunt esse* omnia *communia*
5. *Quemadmodum peculium servi rectè dicitur* patrimonium *servi; ita & peculium Monachi, ejus* patrimonium *bene dicitur.*
6. *Peculium Monachi rectè asseritur spectare ad Monachum licet proprietas* civilis *esset penes Monasterii*
7. *Peculium &* proprium *in Monacho sunt synonyma.*
8. *Monachi peculia habentes reputantur* Proprietarii.
9. *Reservationes redituum vitalitiorum aut cujuscumque alterius rei in* particulares *ejus voto paupertatis adversantur*

10. Re-

10. *Rerum reservationes in particulares usus adversantur vitæ communi, quam Religiosi profitentur.*
11. *Sententia Christiani Lupi de similibus reservationibus,*
12. *Superiorum dissimulatio, aut dispensatio has reservationes licitas reddere nequit.*
13. *Reservationes illæ diametraliter professioni Religiosæ opponuntur.*
14. *Subditi credere non debent Superioribus asserentibus se posse in vita communi dispensare.*
15. *Non eximuntur à vitio proprietatis qui peculia tenent* dependenter *à voluntate Superiorum.*
16. *Licentia Superiorum facit subinde Religiosos liberiùs peccare.*

1. PEculium Monachorum, cujus frequenter in Regulis Monachorum & Canonibus Conciliorum mentio occurrit, in multis cum peculio servorum [de quo in Jure Romano multa dicuntur] convenit: imò ex hoc originem sumpsisse non difficile ex utriusque descriptione apparebit.

Peculium servorum ita definiri potest, "Patrimonium *pusillum*, quod servus Domini permissu *separatum* à rationibus dominicis habet." *L. 5. ff. De peculio.*

„Peculium [ait Florentinus in *l. 39. ff. eodem* [& ex eo „consistit, quod *parcimoniâ* suâ quis paravit, vel *officio* „meruit à quolibet sibi donari. idque *velut proprium* pa„trimonium servum suum habere quis voluerit."

II. Hæc quomodo conveniant peculio Monachorum, nequaquam obscurum est videre.

Quid enim aliud est peculium Monachorum, nisi aliqua pusilla pecunia, aut Pusillus reditus, aliudve simile, quod Monachus parcimonia, vel proprio labore, aut parentum, consanguineorum, sive amicorum liberalitate sibi acquisivit, atque à rationibus Conventûs permissu Superioris *separatum* servat sive retinet in suos usus *particulares* & non in *communes* totius Conventus sive Fratrum tamquam rem omnibus ad usum communem expendendam.

III. Sicuti ergo peculium servi est separatum à rationibus seu proventibus Dominicis, eò quòd *permissu* Domini in *particulares* usus servi sit concessum, ita & peculium Monachi à rationibus sive proventibus Monasterii verè dicitur separatum; eò quòd reservetur in usus, non totius Conventûs, quemadmodum reliqui proventus ipsius Conventûs, sed in *singulares hujus Monachi.*

Hinc non difficulter intelligitur, quâ ratione peculia Monachorum vitam communem, quam Religiosa professio requirit, labefactent.

IV. Neque enim possibile est, inter illos Religiosos *omnia* esse communia, ut *dividatur singulis prout cuique opus erit*; sive ut ex illis tamquam ex rebus communibus victus & vestitus aliaque necessaria indifferenter subministrentur, ubi aliqua reservantur ad *usus particulares* hujus illiusve Monachi; & consequenter nec Conventui incorporantur, sive cum cæteris Monasterii reditibus ac proventibus confunduntur, ut in omnium usus *indifferenter*, prout cuique opus erit, dispensentur.

Id rectè advertit pius ac eruditus Petrus Wallon-capelle Prior Monasterii S. Winoci dicens: "Quod *alicui certo* præfixum servatur, *commune* dici non potest."

V. Ulterius quemadmodum peculium servi rectè vocatur *patrimonium*; imò *proprium patrimonium* servi, tametsi proprietas *civilis* [cujus servus Jure Romano est incapax] sit, penes Dominum, quia tota utilitas & plenus usus est apud servum, ita quoque peculium Monachi rectè dicitur pusillum imò & *proprium patrimonium* Monachi, tametsi ipsa civilis & nuda proprietas sit apud Monasterium: eo quod peculii sive reditus vitalitii aliarumque rerum plenus usus Monacho sit reservatus.

VI. Cum enim rerum temporalium utilitas unicè ferè in earum usu consistat, quidni res aliqua dicatur *propria* sive *appropriata* illi, cui ejus usus est *appropriatus* seu reservatus.

Neque rerum temporalium nuda proprietas vel possessio multum prodest aut nocet, sed earum usus. Quod jam pridem in Monachis notandum duxit Dionisyus Carthusianus dicens: " Magis nocet Religioso habere *usum* „*peculii* sine proprietate *civili*, quam habere *proprieta*„*tem sine usu*. Proprietas namque in se non est peccatum „nec ad peccandum inducit, nisi *per usum rei*.... Imò „quantum ad progressum de malo in malum, parum aut „nihil refert, an habetur *usus sine proprietate, an cum pro*„*prietate*." Tract. De Reformat. Claust. *art. 16.*

VII. Meritò ergo *peculium* & *proprium* pro synonymis accipiuntur à Glossographo qui in nota marginali ad *Cap.* MONACHI ✠ *De statu Monachi* ad verbum *peculium* apposuit hanc notam, *id est* PROPRIUM.

Idipsum præterito sæculo in Conventu Canonicorum Regularium Congregationis Windesemensis quidam ejusdem Congregationis Canonicus in sua contra *proprietarios* oratione notavit & expressit. " Quamvis, ait, se„cundum proprietatem vocum aliud sit *peculium* aliud „*proprium*, in præsenti tamen materia, *proprium* SEM„PER *pro peculio* sumitur. " Habetur hæc oratio ad calcem libri cui titulus, *Regula S. Augustini cum Constitutionibus Canonicorum Regularium Capituli Windesemensis* &c. impressi Ultrajecti an. 1553. in qua fortissimè ipsa Religiosorum peculia retunduntur, omnesque prætextus præscinduntur.

Vidimus quoque capite præcedenti, quod Augustino omne id sit *proprium*, quod non est *commune*, ad hoc ut singulis de Congregatione ex eo distribuatur *prout cuique opus erit*; ideoque quodcumque reservatur in unius *particulares usus*, Augustino *proprium* dici.

VIII. Non mirum proindè si passim proprietariis, & vitam communem infringentibus annumerentur Religiosi, qui reditus vitalitios, aut pecunias aliasve res propria industria, labore, aut parentum vel amicorum liberalitate partas in suos *particulares* usus reservant.

„Proprietarii [inquit Directorium Coloniense] simi„liter censeantur, *& contra* vitam *communem* agere Reli„giosi, qui in *proprios* ac *particulares* usus, reditum ali„quem sibi emunt, aut emptum retinent." Directorium hoc Ecclesiasticæ disciplinæ Coloniensi præsertim accommodatum, editum est à Domino Octavio Frangipano Mirtho Episcopo Tricaricensi Apostolicæ Sedis per inferiorem Germaniam & Belgarum Provincias Nuntio; & à Sacra Facultate Theologica Lovaniensi probatum

IX. Synodus P. I. Mechliniensis volens vota Religionis exactè observari inter alia præcipit: " Pensiones au„tem vitales, aut reditus perpetuos nulli permittantur „recipere, neque liceat eis ratione officiorum, vel ministe„riorum pecuniam corradere, aut *conservare*, etiamsi in „*pios usus* convertere velint, sed omnia in *communem* „*usum* convertantur." *Tit. De Regularib. cap. 1.*

Nequaquam obscurum est, Synodum hanc supposuisse voto paupertatis esse contrarium, rem quamcumque in usus particulares reservare, nec in *communem* usum convertere

Similiter Synodus P. I. Cameracensis, ut" huic pesti„fero vitio [proprietatis] obviam eatur, omnibus om„nium Ordinum Superioribus mandat, ut rescindant & „aboleant prorsus universa illa emolumenta & jura quæ „antiquo more quibusdam Monasteriorum Officialibus „concedi solebant. Breviter, pergit Synodus, omnis illa „pecunia, vel res quam Monachus vel Monialis acqui„rere sive labore, sive industriâ, sive amicorum liberali„tate, seu denique quâlibet aliâ occasione possit, Supe„riori mox tradatur; ita ut ad nutum ejus, tamquam *res* „*communis*, expendatur. " *Tit. De Monasteriis capite 10.*

Judicavit hæc Synodus, vitio proprietatis haud obviam iri, nisi omnis pecunia Monacho quocumque titulo obveniens Superiori mox tradatur, ut ad ejus nu-

Digitized by Google

tum tamquam *res communes*, expendatur: argumento haud obscuro, Synodum judicasse, reservationes pecuniarum aliarumque rerum ad usus *particulares* hujus illiusve Religiosi, voto paupertatis & vitæ communi esse contrarias.

X. Viderunt id quoque Patres Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui advertentes, quod *radix & fomes omnium ferè malorum sit* PROPRIETAS, injungunt Ordinis Generali, ut *eam omninò eradicare procuret*," nulloque „modo in nostra Religione, inquiunt, tolerari permittat, sed quòd juxta SS. Apostolorum morem & D. P. „N. Augustini Regulam *communis omnibus* vita, ac *omnium* rerum temporalium inter ipsos Fratres sit beata *communitas*, undè omnia bona profluenter prosperèque „succedant." *part. 3. cap. 4.*

Patenter supponunt hi Patres, nullatenus vitium *proprietatis* eradicari posse, nisi *communis omnibus* vita, & *omnium rerum* temporalium inter Fratres beata *communitas*, rerum reservationi ad usus particulares hujus illiusvè Religiosi è diametro repugnans, stabiliatur.

XI. Quapropter Christianus Lupus ejusdem Ordinis Professus, & quondam Prior Provincialis, tertiæ classis *proprietarios* [de quibus Cassianus *Monast. Instit. lib. 7. cap. 24.*] ait esse illos, qui omnia quidem sua Monasterio dant aut pauperibus, sed sibi aliquam *reservant* pensionem aut censum. " Ipsorum, ait, exordium est omninò vitio„sum. Monastica quippe professio non est aliud quàm „omnium temporalium abrenuntiatio, atque ita adver„sùm illos rectè dixit in tertia collatione Abbas Panuti„us: *Necdum Evangelicum implet mandatum; qui omni„no sibi adhuc ex suis facultatibus aliquid* RESERVAT." Et adjungit: " *Sicut nonnulli tepidorum faciunt.* „Utroque pede claudicant, nec Monachum induunt, nec „sæcularem deponunt." Hæc Lupus *tomo 4. Schol. ad Can. 6. Tholosanum*; qui deinde relatis variis vitiis ex hac pensionum aut censuum reservatione profluentibus, quæ ipsa Cœnobia pedetentim ad universam formam omnis Monasticæ disciplinæ expertem transvertunt, infert: " Quare „qualiscumque professioni adjecta pensionis reservatio „est *adversa* substantiæ, aut certè *fœda* conditio, ideóque „habenda pro non apposita. Eam Præfecti obligantur „circumducere & in communem substantiam evocare. „Nulla hic dotalis eleëmosyna, nec similis quis humanæ „infirmitatis palpo fucus valeat patrocinari."

XII. Si ergo hujusmodi peculiorum, vel pensionum reservationes adversæ sint professioni Religiosæ, utpotè voto paupertatis & vitæ communi contrariæ, sequitur, quod eas nec Superiorum dispensatio vel indulgentia licitas reddere queat: " Cum compertum sit, ait Synodus „Tridentina, ab eis [Superioribus] non posse ea, quæ ad „*substantiam* Regularis vitæ pertinent, relaxari." *Sess. 25. De Regularib. cap. 1.*

XIII. Unde Synodus Audomarensis habita præterito sæculo sub Joanne Six in hac Universitate quondam Majoris Collegii Theologorum Præside, deplorans, ex quo in oblivionem abiit exemplum initio nascentis Ecclesiæ in Ananiam & Saphiram editum, invasisse pleraque Monasteria exitiosam rerum proprietatem, ex diametro Monasticæ professioni contrariam, præcipit, ut præfecti & Præfectæ vigilent, si suæ suorùmque saluti consultum velint, ut exterminetur hæc pestis, curéntque, ut ablatis ab omnibus, iis omnibus rebus, quas ut proprias possident, victus & vestitus, cæteraque vitæ necessaria, æqualiter omnibus, pro indigentiæ uniuscujusque necessitate & Monasterii facultate, placidè ac benignè ex *communi* thesauro ac penu subministrentur, non pecuniis æstimata ac compensata, sed ipsis rerum speciebus præsentia. Id enim, inquiunt, eis in virtute sanctæ obedientiæ Dei loco præcipimus: nec aliud præcipimus, quam id quod Superiores quidem ex officio prorsus curare tenentur, *nulla ipsis relictâ dispensandi facultate*; Religiosi verò, ex ea quam Deo fecerunt sponsione, observare. Deinde postquam ostenderunt ex *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *De Statu Monach.* quod nec Summus Pontifex possit super proprietate habenda cum Monacho dispensare, tamquam ex præcedentibus consequens subjiciunt: Quare ab„oleatur ea consuetudo, quâ consueverunt Superiores „Religiosis singulis annuam numerare aut permittere „pensionem, atque ita redimere necessaria vitæ eorum: „nec alicui Pecunia permittatur, nisi pro injuncta a Præ„lato administratione, sed *prorsus omnia in communem u„sum convertantur*; ita ut impleatur à Religiosis quod sibi „imitandum sumpserunt, & ad *quod Religione sempiternâ „se obligârunt* (*non potest res ista inculcari satis*) illud „primitivæ Ecclesiæ: *Multitudinis credentium erat cor „& anima una: nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid „suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia, divi„debatur singulis prout cuique opus erat.*"

XIV. Et nè Religiosi crederent se Superiorum auctoritate aut indulgentiâ posse reddi securos; aut temerè Superioribus dispensandi facultatem sibi asserentibus fidem haberent, Clemens VIII. in citata Constitutione, postquam declaravit, ac præcepit, ut res omnes undecumque & quacumque ex causa Religiosis obvenientes cum cæteris Conventûs redditibus, pecuniis, ac proventibus confundantur, quo *communis* victus & vestitus *omnibus* suppeditari possit, addit: "Nulla quorumcumque su„periorum dispensatio, nulla licentia, quantum ad bona „mobilia vel immobilia fratres excusare possit, quo mi„nus culpæ & pœnæ ab ejusdem Concilii Decreto impo„sitæ, & ipso facto incurrendæ, obnoxii sint: etiamsi „superiores asseverent se ejusmodi dispensationes aut „licentias concedere posse: quibus in ea re fidem minimè „adhiberi volumus.

Ad quæ verba reflectens Fagnanus ait: " His verbis „improbantur opiniones illorum, qui asserunt Regula„res excusari à *proprietate*, cum habent peculium *de li„centia Superioris & dependenter ab eorum voluntate & „nutu*: jam enim patet non pendere *à voluntate & dispen„satione Superiorum*, pergit Fagnanus, *quum omnia sint „confundenda cum cæteris bonis Monasterii pro commu„nibus necessitatibus.*

Non ineptè proinde Religiosis peculia ac pensiones suas vitalitias auctoritate Superiorum vindicantibus respondit Petrus à Wallon-cappelle Prior Monasterii S. Winoci: " Utinam non ex consensu eorum & indulgen„tia fierent. Siquidem minus in Deum peccaretur. Nam „per crudelem hanc dispensationem & conniventiam fit, „ut sine ullo conscientiæ scrupulo, ac proinde sine ullo „pœnitentiæ remedio peccetur."

ADDITAMENTA

AD CAP. VI. & VII.

Statutum Capituli Generalis Cisterciensis contra vitium proprietatis anni 1683.

Cum ad audientiam Capituli Generalis clamosa relatione pervenerit pessimum ac detestabile proprietatis vitium, quod ipsamet Religionis fundamenta evertit, in Provinciæ Vasconia quodammodo impunè regnare in perditionem animarum manifestam: hoc malum radicitus extirpare cupiens Capitulum Generale, injungit ac mandat Reverendo Admodum de Claravalle, ut omni mora postposita ad dictam Provinciam Vasconiæ personaliter accedat, eandemque visitando inter cæteros abusus dictum proprietatis vitium singulariter damnet, inhibeat ac proscribat sub pœnis in jure ac Ordinis statutis contentis. Et ut hæc damnatio ipsius inhibitio ac pro-

proscriptio efficaciorem sortiatur effectum, idem Reverendus Admodum Dominus de Claravalle in Capitulis singulorum Monasteriorum residens, peculiares omnium personarum regularium pecunias ad se deferri jubeat, easque in commune confusas Cellerariis tradat in commune servaturas: similiter faciat de blado, vino aliisque rebus tam mobilibus quam immobilibus insuper strictissime præcipit idem Capitulum Generale Vicario Generali aliisque Superioribus Monasteriorum aliorumque locorum Regularium supradictæ Provinciæ Vasconiæ ut ordinationes à dicto Reverendo Admodum Domino Abbate de Claravalle faciendas, manuteneant ac executioni mandent sub pœna depositionis & inhabilitatis ad quæcumque officia consequenda. Et ut omnibus terror salutaris injiciatur præcipit etiam Capitulum Generale ut si quæ persona Regularis Ordinis nostri in hoc detestabili proprietatis vitio obsordescens è vita discesserit, in sterquilinio una cum suæ libertatis substantiâ projiciatur. Quas omnes supradictas Ordinationes, inhibitiones & pœnas præsens Capitulum Generale extendit ad omnes Regulares personas Ordinis universi. Mandatur etiam Abbatibus, Prioribus & Abbatissis sub pœna standi extra stallum & locum præsidentiæ suæ & aliis arbitrio Visitatoris infligendis, ut Religiosis necessaria administrent, ne occasio eis detur ad habendam proprietatem.

CAPUT VII.

Omnibus ex *communi* Monasterii substantia necessaria subministranda, & quæ in horum usu observanda?

1. *Vitio proprietatis occasionem dant Superiores vitæ necessaria non subministrantes.*
2. *Sanctus Benedictus omnibus vult necessaria dari, ut vitium proprietatis extirpetur.*
3. *Item sollicitè inculcat S. Augustinus.*
4. *Palmare fundamentum communitatis Monachalis est subministratio necessariorum,*
5. *Quid Synodi Tridentina & Synodorum Belgicarum de hac obligatione Superiorum Decreta?*
6. *Unica via eliminandi vitium proprietatis est necessariorum placida subministratio.*
7. *Ut huic obligationi satisfacere queant Superiores, voluit Synodus Tridentina, ut non plures quam ex obventionibus ali possunt, recipiantur.*
8. *Hunc fuisse scopum Synodi ostenditur ex Bellarmino.*
9. *Multùm conducit ad observantiam Regularem observantia dicti Decreti Tridentini.*
10. *Religiosi cavere debent, ne quidquam eorum, quæ ad usum conceduntur, possideant ut proprium.*
11. *Qui eo affectu possidet coram Deo est proprietarius.*
12. *Ut veteres Monachi se ab eo affectu immunes ostenderent dicere, non tunicam,* meam, *tabulas* meas, *&c.*
13. *Quid ad præcavendum hunc affectum in Religiosis fecerit S. Theresia?*
14. *Quando meritò eodem, quo usa est, remedio utantur Superiores Religiosorum.*
15. *Cavere debet insuper Religiosus ne concessis ad usum* utatur ut propriis.
16. *Hoc præcipue cavendum in his qui extra Monasteria morantur.*
17. *Prudentissimum circa hoc Canonicorum Præmonstratensium Decretum.*

I. EXperientiâ semper compertum fuit, nullo ex capite vitium proprietatis tantum in Monasteriis sumere incrementum, quam ex negligentia & duritia Superiorum subditis placidè ac benignè vitæ necessaria, ex *communi* Monasterii substantia non subministrantium.

Hinc nihil tantopere in Patrum atque Conciliorum Regulis commendatum Superioribus, quam ut cuique prout opus erit ex communi Monasterii penu placidè ac benignè suppeditent; tamquam efficacissimum vitio proprietatis arcendo ac extirpando remedium.

II. „Ut hoc vitium *peculiare* radicitus amputetur (ait „S. Benedictus in Regula *cap.* 55.) dentur ab Abbate o„mnia, quæ sunt necessaria; id est, cuculla, tunica, pedu„les caligæ, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, „tabula: *ut omnis auferatur necessitatis excusa„tio.*"

III. Quam sollicitè inculcet S. Augustinus, ut Prælati omnibus, non quidem æqualiter, sed pro cujusque necessitate, victus & vestitus ex communi Monasterii substantia suppeditent, tota ejus Regula clamat.

IV. Synodus Tolosana anno 1056, jussu Victoris II. Pontificis convocata assistentibus tribus Archiepiscopis Arelatensi, Aquensi & Narbonensi aliisque Coëpiscopis *Canone* 6. decrevit, " ut Abbates curam Monachorum „& Monasteriorum exerceant, & eis victum & vestitum secundum Regulam S. Benedicti præbeant, & hoc agentes *proprium* eos habere nullatenus permittant."

Ad hunc Canonem notas suas apponens P. Lupus: " „Ad eradicandum plenè *proprietatis* lepram, Canon, in„quit, rectè addit, *eis victum & vestitum præbeant*, Hoc „enim est primum & palmare Monachalis communita„tis fundamentum,"

V. Synodus similiter Tridentina postquam vitium proprietatis è Monasteriis eradicandam esse monuit; mox etiam Superioribus præcipit, ut *nihil subditis, quod sit necessarium, denegetur*.

Quamque hac in parte Synodi nostræ Belgicæ sollicitè monuerint Monasteriorum Prælatos, hæc bina earum Decreta ostendunt.

Synodus Cameracensis apprimè intelligens omnia à se Decreta ad eliminandum proprietatis vitium fore inutilia & inefficacia, ni ex communi Monasterii proventu necessaria Religiosis suppeditentur, hæc suo Decreto adjicere voluit: "Tandem quò ea omnia faciliùs, diligen„tiùs, nec non absque tædio queant observari, præ„cipit Sancta Synodus cunctis cunctorum Monasterio„rum sexûs utriusque Superioribus: quatenùs secun„dùm Regulam, ac Majorum Instituta benignè, nec „non placidè subministrent omnia in universum, quæ „suis subditis necessaria fuerint & convenientia, ne in„ferioribus præbeant ansam detrimenti voto pauperta„tis valdè gravidi; in qua quidem re, si negligentiores „extiterint, admoniti à suo Superiore omninò compel„lantur."

Eodem motivo Synodus P. I. Mechliniensis, cum pestiferum hoc proprietatis vitium penitus eliminandum censuisset, tamquam consequens præcipit, " ut victus, „vestitus, cæteraque vitæ subsidia singulis ex *communi* „pro necessitate indigentiæ, & Monasterii facultatibus „subministrentur, "*Tit. De Regularibus cap.* 1.

VI. Non sine fundamento proindè supra nominatus Canonicus Regularis in Oratione coram Congregatione Canonicorum Regularium Windesemensi volens prælatis ostendere excellentiorem & breviorem viam ad obviandum vitio *proprietatis*, hanc ostendit; " ut faciatis quæ „fecit Dominus & discipuli ejus. Cum enim vidisset „Jesus turbas esurientes, nec haberent quod manduca„rent, noluit ut irent in villas & vicos, & procurarent „sibi; nec etiam voluit eos dimittere jejunos in domos „proprias, ne deficerent in via; sed ait Discipulis suis, „vos date illis quod edant. Ita, Venerandi Patres, vos „date subditis vestris necessaria, ne opus habeant ab a„micis quidquam emendicare. Si vestes, si cultellos, „si devotos libellos, aut simile quid desideraverint, vos „[si tamen superflua non quæsierint] in charitate emite „illis: sic occasionem *proprietatis* amputabitis, & ex do„mibus vestris eliminabitis.

„Sed reperiuntur, proh dolor! Prælati parum curan„tes quid subditi faciant, aut unde sibi quæ desiderant

„quitant: dummodò ipsi sua marsupia resolvere non „cogantur, pecunias plus diligentes, quam Fratrum animas Christi Sanguine redemptas. Hinc est quod Fratres sibi ipsis provideant. Hinc proprietas incrementum capit. Quæ ubi ingressa semel fuerit, multas secum „trahit pedissequas, inobedientiam, intemperantiam, „ebrietatem, & id genus pestes alias."

VII. Ne verò Superioribus detur prætextus negandi Subditis necessaria, eo quod Monasterii proventus communes omnibus non sufficiant, meritò conformiter ad anteriores Canones & jus commune in *Cap.* 1. ⁒ *De Institut.* præcepit Synodus Tridentina, " ut in Monasteriis & „domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is *tantum* numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel „ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis „eleëmosynis *commodè* possit sustentari, " *Sess.* 25. *De Regularib. cap.* 3.

VIII. Quin etiam in formando hoc Decreto fuerit is Patrum Tridentinorum scopus, haud dubitavit Cardinalis Bellarminus, dum inter media extirpandi vitium proprietatis reponit, hujus Decreti maximè necessarii observantiam: " Tunc enim Præpositi, ait, jure cogere poterunt ad omnem proprietatem fugiendam & execrandam, si Ordo ipse singulis ea præbeat omnia quæ singulis necessaria sunt. " *De gemitu columbæ lib.* 5 *cap.* 6.

IX. Ob hæc aliáque quæ exacta illius Decreti custodia à Monasteriis incommoda avertere posset dixit Innocentius X. in Bulla quæ incipit, *Inter cætera* 23. in Bull. R. quod " inter cætera quæ ad Regularem disciplinam „instaurandam conservandamque Sacro-sancta Tridentina Synodus salubriter decrevit, illud semper præcipuum & maximi momenti habitum est, quo injungitur „ut in singulis Monasteriis, & domibus Regularibus is „tantum numerus constituatur, & in posterum conserve„tur, qui vel reditibus propriis Monasteriorum; vel con„suetis eleëmosynis commodè possit sustentari. "

Quantopere Pontifices allaboraverint, quotque Decreta iterato edita fuerint, ut hoc Concilii Tridentini Decretum exactè observaretur, colligi potest ex iis quæ de hac re recitat Fagnanus ad *Cap.* RELATUM ⁒ *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

X. Sed ne in ipso *necessariorum* usu vitium proprietatis se immisceat, duo à Religioso observanda sunt, quæ Clemens VIII. in sæpius citata Constitutione his verbis expressit: " Ne eorum quæ ad necessitatem concessa erunt, „ullus quidquam possideat *ut proprium*, neque *ut proprio* „utatur. "

Primum igitur in his quæ ad *necessitatem* Religioso conceduntur, cavendum est, ne quidquam eorum possideat *ut proprium*; id est, eo loco habeat, quasi in illud *aliquid juris præ aliis* de Conventu prætenderet; illudque *ad nutum* Superioris sibi auferri, atque alteri applicari posse haud crederet.

XI. Quin Religiosus, qui hoc animo res sibi ad necessitatem concessas possidet, affectu *proprietarius* sit, nemo ambigit. Hinc illud S. Augustini in sua Regula *Cap.* 8. „Si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur; utrùm „hoc *recipiat* unusquisque, *quod deposuerat, an aliud* „*quod alter habuerat*: dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur. "

XII. Imò ut ab hoc affectu Monachi se ostenderent planè exemptos, jam pridem vitio vertebatur Monachis, si vel verbo dixissent, *tunicam* MEAM, *tabulas* MEAS, *graphium* MEUM? uti videre est in Concordia Regularum edita per Hugonem Menardum *cap.* 42. qui ibidem ad §. 18. ait: " Non minima hæc hominis infirmitas, ut qui „in mundo multas opes & pretiosa quæque reliquerit, in „claustro ad nescio quas gerras & quisquilias *animum* adjungat, quæ sanè nos à Deo separant, cum illis affectu serviamus, non Deo; nobisque illæ dominentur, non „D... Quamobrem, ait, antiqui illi Patres id unum „maximè studebant, ut animum discipulorum ab ejusmo„di rerum affectu averterent: quemadmodum fecit S. „Dorotheus, qui discipulum suum Dositheum elegantis cujusdam cultelli usu prohibuit, quòd animum ejus „erga ejusmodi reculam propensum videret. Ut ipse Do„rotheus in ejus vita refert. "

XIII. Patrum spiritu plena S. Theresia in suis Constitutionibus *c.* 33. habet, " ut si quam Sororem adverterit „Priorissa cuipiam rei, sive cellæ, sive cuilibet alteri rei „cum affectu tenacius adhærere, magna sollicitudine cu„ret ab illa Sorore rem illam auferri: idque in omnibus „Monasteriis, sive ea proprios habeant proventus sive „non, exactè & cum rigore observetur. Hoc ipsa Superior „sollicitè exequatur, nec patiatur ab aliis contra-iri, quod „si factum fuerit, ipsa à Provinciali severè puniatur. "

XIV. Hoc saluberrimo remedio meritò utentur Ordinum quorumcumque Prælati & Superiores, dum ex modo agendi aut loquendi advertunt, aut non infundatè metuunt, ne quis subditorum rem aliquam sibi ad usum concessam, affectu *proprietatis*, sive *ut proprium* detineat; quemadmodùm suprà citatum Directorium Coloniense monet; ac de hoc præ cæteris esse suspectos, qui aliqua pretiosiora aut elegantiora in usum suum habent, quàm reliqui de Communitate, quæ non *sine murmure* resignare vellent; monetque, vel eo solo titulo res hujusmodi Religiosis esse auferendas, *quia erga res minimas potest esse inordinatissimus affectus, qui sit peccatum mortale.*

XV. Alterum in his, quæ *ad necessitatem* conceduntur, à Religiosis sollicitè cavendum est, ne concessis utantur *ut propriis*, sive ne utantur rebus suo usui & ad necessitatem concreditis, tamquam *proprietarii*. Quod tunc facere censebuntur, si rebus illis utantur non tamquam *alienis* & ad *necessitatem* sibi concessis, sed de illis tamquam *Domini* & *proprietarii* libere disponant.

XVI. Hoc verò præcipuè metuendum in his, qui extra Monasterium morantur, quorum conditio non permittit, ut *necessaria* sua *quotidie* à Superiore accipiant, sed requirit, ut aliqua pecuniæ summa eis credatur, quam in conquirendis sibi necessariis suo tempore expendant; qua occasione contingit, ut illâ pecuniâ non tamquam *pauperes & nihil propriis* habentes, sed tamquam pleni domini & proprietarii in quoscumque usus etiam non *necessarios*, nec à Superiore intentos utantur.

XVII. Prudentissimè ergo Canonici Præmonstratenses in suis Constitutionibus *Distinct.* 2. *Cap.* 23. monue„runt sui Ordinis Parochos, eorumque Capellanos, & „quosvis alios foris aliquod Beneficium vel Officium ob„tinentes, ut memores sint se Religiosos esse, *& tam„quam pauperes nihil possidere.* " Cui Decreto tamquam consequens præcipiendo subnectunt, ut nulla notabilia dona sive Parentibus, sive quibuscumque absque suorum Prælatorum consensu largiantur: aliaque nonnulla adjungentes, quæ pro *usus* illius *restrictione* servire possunt; quo fiat ut nec ipsi, utpote voto paupertatis obstricti, rebus ad usum concessis *ut propriis* utantur.

CAPUT VIII.

Quomodo bona Monasterii à Superioribus dispensanda?

1. *Modum dispensandi præscribit norma Apostolica in Actibus Apostolorum descripta.*
2. *Hanc à Superiorib' servari volunt Regulæ Monasticæ*
3. *Superior singulorum necessitates sine personarum acceptione attendere debet.*
4. *Ægrorum sollicitam curam habere debet.*
5. *Præcipua radix peculiorum est neglecta cura infirmorum.*
6. *Providendum infirmis de necessariis, etiamsi exinde Monasterium debita aliqua contrahere deberet.*

7. Ita

Ita dispensanda res monachis à parentibus aut aliunde obvenientes, ne videantur hi plus juris habere quàm reliqui de Communitate

8. *Periculum hujus persuasionis erit, si Superiores rerum illarum usum passim illis concedant, quibus illa obveniunt.*

9. *Statutum Canonicorum Regularium, quo huic periculo occurritur.*

10. *Ut necessitatibus singulorum ex communi Monasterii substantia queat provideri, congruit, ut necessaria statui paupertatis sint commensurata.*

11. *Religiosi vi sua professionis debent omnem in vestibus & suppellectile fastum vitare.*

12. *Decretum Canonicorum Præmonstratensium de servanda modestia & paupertate Religiosa.*

13. *Difficile est in magna divitiarum affluentia paupertatem servare.*

14. *Collapsio disciplinæ & observantiæ Monasticæ ex affluentia divitiarum profluit.*

I. Modum, quem in dispensandis bonis *communibus* inter primos Fideles (qui normam vivendi Cœnobitarum sive Religiosorum in communi viventium delineaverunt) Sacer Textus paucis his verbis expressit: *Distribuebatur singulis prout cuique opus erat*; hoc est, secundùm uniuscujusque indigentiam.

II. Hanc dispensationis normam ut Prælati & Superiores servent sollicitè Monachorum Regulæ inculcant. *Est ejus*, ait S. Basilius, *penes quem dispensandi munus est, illud exequi diligenter*: DISTRIBUEBATUR SINGULIS PROUT CUIQUE OPUS ERAT. *In Regulis brevior. Resp.* 131.

"Victus & tegumentum [inquit S. Augustinus in Regula *cap.* 8.] *non æqualiter* omnibus distribuatur, quia *non æqualiter valetis omnes*, sed potiùs unicuique, sicut *cuique opus* fuerit: sic enim legitur in Actibus Apostolorum: *Quia erant eis omnia communia, & distribuebatur unicuique*, PROUT CUIQUE OPUS ERAT."

Quibus consonat illud S. Benedicti in Regula *cap* 34. "Sicut Scriptum est: *dividebatur singulis prout cuique opus erat*. Ubi non dicimus ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed *infirmitatum* consideratio. Ubi qui minùs indiget agat Deo gratias, & non contristetur; qui verò plus indiget humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace."

III. Igitur Superior ut justam rectamque dispensandi normam teneat, debet singulorum conditiones & infirmitates considerare, atque ita singulis sine personarum acceptione ex communibus Monasterii proventibus, ad quos nullus præ alio plus juris habet, distribuere *prout cuique opus fuerit*. "Non ab eo [uti loquitur de Abbate S. Benedictus *cap.* 2.] persona in Monasterio discernatur, non unus plus ametur, nisi quem in bonis actibus & obedientia invenerit meliorem; æqualis sit ab eo omnibus charitas; una præbeatur omnibus secundùm merita disciplina."

IV. Illud verò sollicitè in hac temporalium dispensatione attendere debent Superiores, ut ægrorum & infirmorum curam habeant, providentes ut nihil necessarii ipsis desit.

"Infirmorum [ait S. Benedictus *cap.* 36.] cura *ante omnia & super omnia* adhibenda est, ut sicut reverà Christo, ita eis serviatur, quia ipse dicturus est: *Infirmus fui, & visitastis me*. Et, *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*..... Ergo cura *maxima* sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputata, & servitor timens Deum, & diligens, ac sollicitus.... Curam autem *maximam* habeat Abbas ne à Cellariis, aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur."

De Monachis sub Regula S. Pachomii viventibus scribit in præfatione ejusdem Regulæ, S. Hieronymus: *Ægrotantes miro ministrorum sustentantur obsequiis, & adomnem copiam præparatis cibis.*

"Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium uni alicui decet injungi [ait S. Augustinus in Regula] ut ipse de cellario petat, quod *cuique opus* esse prospexerit."

Sanctus Fructuosus in sua Regula *cap.* 7. vult, ut infirmi "tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus nec urbium delicias requirant; sed quod *necesse habuerint*, Cellarius & Præpositus provideant."

V. Et quid mirum, in omnium Ordinum Regulis & Constitutionibus adeò enixè commendari curam infirmorum? Experientiâ enim manifestum est, nullam esse Religiosis majorem tentationem, privata peculia sibi corradendi, & conservandi, quam si videant, ex communi Monasterii penu infirmis necessaria non subministrari.

Unde citatum Directorium Coloniense deplorans quod "procul à *voluntaria paupertate* abessent, qui ut in lecto ægritudinis suæ non egeant, & penuriam aliaque paupertatis incommoda non sentiant, pecuniam corradunt atque seponunt, vel reditus vitales aut perpetuos habent, unde tempore ægritudinis & necessitatis suæ consolationem habeant, & se à molestiis paupertatis tueantur atque defendant." Causam horum abusuum in ipsos Prælatos refundere non dubitat. "Quorum, ait, immisericordiâ huic irreligiosæ sollicitudini, & nefariis ausibus occasionem dedit, & januam aperuit; ut qui famulos Dei, qui omnia propter Christum dereliquerunt, dum ægrotabant ita dereliquisse visi sunt, ac si eorum cura tum ad eos non pertineret."

VI. Meritò proindè Patres Eremitæ S. Augustini in suis Constitutionibus *parte* 2. *cap.* 14. volunt, ut "sollicitè intendat Prior ne aliquid desit *infirmario* quod necessitati expediat infirmorum, etiamsi ob remedium eorum opus esset apud creditores *magna debita* contrahere, vel etiam *bona* Conventus *distrahere & vendere*? quando aliter *mendicari* non possent."

VII. Attendere quoque tenentur Superiores, ut res quæ Religiosi vel suâ propriâ industriâ vel labore, aut Parentum sive amicorum liberalitate acquirunt, ita in ipsorum Fratrum necessitates dispensentur, ne ex modo dispensandi ipsis Religiosis ingeratur opinio, quasi plus juris ad harum usum haberent ipsi, quorum industriâ & labore sunt acquisitæ; vel in quorum gratiam à Parentibus datæ sunt, quam cæteri de Communitate.

VIII. Hujus verò persuasionis periculum erit, si advertant Superiores haud difficulter usum earum rerum concedere his, quorum labore partæ sunt, aut in quorum gratiam à parentibus oblatæ fuerunt, tametsi aliundè sciatur, Religiosos illos præ cæteris illarum rerum usu non indigere; imò esse interdum non paucos in communitate, quibus usus earum rerum magis conveniret, quin & subinde esset necessarius.

IX. Hoc periculum ut præveniant Superiores, admodum est conveniens, ut sæpius observent, quod in Constitutionibus Canonicorum Congregationis Windesemensis legitur *parte* 2. *cap.* 7. "Quod si alicui nostrûm, vestis aut cultellus aut aliud quid missum fuerit, ad Priorem deferatur; *& ex bona consuetudine non* EI CUI *missum est, sed* ALII *potius detur*.

X. Ut autem omnium necessitatibus providere possit ex *communibus* Monasterii *proventibus*, multum juvare poterit, si *necessaria* dispensentur secundùm quod ipsa professio Religiosæ *paupertatis* requirit.

"Mobilium verò usum [ait Synodus Tridentina] ita Superiores permittant, ut eorum supellex statui *paupertatis*, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit." *Sess.* 25. *cap.* 2. *De Regularib.*

XI. Si omnibus in Christo baptizatis rectè dixerit Augustinus: *Quid tibi cum pompis sæculi, quibus renuntiasti?* nonne potiori ratione id Religiosis dicitur, qui præ reliquis Christi Fidelibus specialiter paupertatem & mundi contemptum profitentur; ita ut diametraliter eorum professioni videatur opponi, quidquid in eorum suppellectile aut Monasterii divitias aut mundi fastum præfert. Quod intelligens S. Benedictus in Regula *cap. 7.* ait, "Sextus „humilitatis gradus est, si *omni vilitate* vel extremitate „contentus sit Monachus."

Vilitate, ait, Hugo Menardus, *in cibo & potu, vestimento, calceatu, & quocumque opere injuncto.* Ad Concord. Regul. *cap.* 16. §. 1.

Et *cap.* 55. loquens S. Benedictus de vestibus Monachorum, post varias earum designatas species, ait: "De „quarum rerum omnium colore & *grossitudine* non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in provincia, in qua habitant, aut quod *vilius* comparari potest."

Si Sanctus Thomas rectè resolvat, *vilitatem* vestium Religiosis convenire, *quia Religio est status pœnitentiæ &* CONTEMPTUS MUNDANÆ GLORIÆ; quidnî eâdem consequentiâ inferatur, vilem suppellectilem, humilia ædificia, cæteraque quæ *mundanæ gloriæ contemptum* exhibent Religiosis convenire?

Unde jam pridem S. Bonaventura sui Ordinis Provinciales monuit, "ut sumptuositatem ædificiorum, librorum „ac ciborum ita statuant amputare, ut à *professionis excellentia vitæ observantia non discordet.*"

Et ante S. Bonaventuram dixerat, S. Bernardus de Ordine Cisterciensi: *Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est.* Epist. 142.

XII. Utque Patrum ac veterum de hac *paupertate* & moderatione in suppellectile ac toto vitæ genere exhibenda omittam, unum hic è novissimis Canonicorum Præmonstratensium statutis adducam. Monent ipsi Ordinis sui Prælatos, "ut memores *suæ professionis*, ac SS. Patrum „vestigiis inhærentes, modestâ suppellectili & mensâ, ac „frugali victu semper utantur. In reliquo etiam vitæ genere, ac in tota sua domo caveant, ne quid appareat, quod „à sancto *paupertatis* instituto sit alienum, vel quod non „simplicitatem, Dei zelum ac contemptum vanitatum „præ se ferat." *Dist.* 2. *cap.* 4. §. 1. & 2.

XIII. Scio quidem difficilè esse Religiosis & Abbatibus in magnâ illâ divitiarum abundantiâ, quæ hodie in pluribus Abbatiis habetur, paupertatem in *omni* vitæ genere conservare; nihilque vel in suppellectili, vel mensâ, aut domo, vel comitatu habere, quod non paupertatem & mundanæ gloriæ contemptum præferat: Sed nec illud ignoro, quod in ipsam divitiarum copiam, Religiosæ disciplinæ & perfectionis casum & collapsionem plures veri Religiosi refuderint.

XIV. "Posteaquam census Monachi habere cœperunt „& reditus [inquit Trithemius *homil.* 7.] pristina mox „*humilitatis* studia defecerunt, crevitque paulatim cum „divitiis rerum temporalium *superbia*. Quamdiu fuerunt pauperes Monachi Deum in veritate coluerunt postea verò quando *divitiis abundasse* cœperunt, *simplicitatem* fugavit duplicitas: Integritas namque observantiæ „regularis abundantiam peperit rerum temporalium; sed „paulatim *divitiæ* Monachorum *puritatem* Ordinis *funditus* extinxerunt."

Item *Sermone* 2. ad Monachos, cum dixisset, Ordinem Benedictinum mirum in modum orbem illustrasse, à suoque splendore tandem sensim decidisse, causam illius casus assignans ait: "Contulit Monachis Religio sancta divitias donec matrem filia suffocavit. Nam ut scriptura dicit: *Omnes qui volunt divites fieri incidunt in tentationes diaboli*: incrassatus est dilectus, & recalcitravit; impinguatus & dilatatus terrenis possessionibus, dereliquit institutionis *prima sancta studia*; abiit post *vanitates* falsas, quem copia rerum temporalium, divitiis spiritualibus inopem & miserum fecit."

Sed de his latius infrà ubi de causis collapsionis disciplinæ Monasticæ agetur.

CAPUT IX

Titulus administrationis in simplici Monacho est pallium proprietatis

1. *An in* Cap. 2. De Statu Monach. *permittatur Monacho peculium de licentia Abbatis Titulo administrationis?*
2. *Sententia Glossa.*
3. *Veteres Canonistæ docuerunt administrationem tantum posse concedi* Officialibus.
4. *Decretum Synodi Tridentinæ Veterum Canonistarum expositioni conforme.*
5. *Superiores non possunt Beneficiorum* stabilium *administrationem simplici Monacho committere.*
6. *Synodus etiam vetat administrationem concedi* simplici *Monacho cum* dependentia *à voluntate Superioris.*
7. *Licentia Superiorum non reddit Monachum immunem à vitio* proprietatis; *nec fidem adhibere debet Superiori asserenti se talem licentiam dare posse.*
8. *Ostenditur, Synodum Tridentinam non permittere, ut concedatur administratio* simplici *Monacho tametsi ad* nutum *Superioris* revocabilis.
9. *Nulla ex causa, nec ullo casu administratio* simplici *Monacho dari potest.*
10. *Dum conceditur* simplici *Monacho, constituitur in effectu usufructuarius.*
11. *Tametsi concedatur tantum* dependenter *à nutu Superioris.*
12. *Administratio concessa Officiali illum non facit proprietarium: & quare?*
13. *officialis potest constitui* proprietarius, *si proventus expendat in usus* proprios.
14. *Proprietarii erunt si emolumenta seu jura recipiant & reservent in usus proprios.*
15. *Decretum Synodi Cameracensis contra jura officialium.*
16. *Titulus administrationis pallium proprietatis aliquando erit, tametsi administratio committatur Officialibus Monasterii.*

I. Credunt nonnulli, Monachis permissa esse peculia titulo administrationis de consensu Abbatis aut Superioris, juxta illud quod ex Concilio Lateranensi refertur in *Cap.* 2. *De Statu Monach.* "Qui verò peculium habuerit: nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, communione removeatur altaris."

Ergo, inquiunt, Monacho peculium habere licet, si ei ab Abbate injuncta fuerit administratio; atque ipso peculio utatur de *licentia* Abbatis, & *dependenter* ab ejus voluntate.

II. Verùm, uti rectè notat Glossa ad citatum Capitulum, Monachus potest habere peculium de licentia Abbatis, sed *causâ administrationis*; id est, [uti advertit Fagnanus ad dictum Capitulum *num.* 41.] propter officium administrandi, quia Officialis est Monasterii. Et Innocentius famosus & antiquus Canonista exemplicat in Officialibus puta *Vestiariis*, vel *Eleemosynariis*.

III. Et Hostiensis in Commentario ad hunc textum expressè dicit, non comprehendi nisi Officiales pro administratione *temporalium* deputatos. "Puta, ait, quia est "Vestiarius vel eleëmosynarius, vel Cellarius, vel alius „quicumque certum habens officium, ratione cujus habet „recipere & expendere in *usus Monasterii* sive Monachorum temporalia, sive sint pecuniæ vel quæcumque „alia."

Idem asserit Joannes Andræas, additque, "Monachum „non posse etiam *de licentia* Abbatis habere peculium si „ejus officium tantùm versetur *circa spiritualia*: ut si sis „Prior Claustralis, Sacrista, vel quis alius audiens confessiones, vel tantùm vacans observantiæ Regulari."

Verbo

Verbo, juxta mentem Glossographi& veterum illorum Canonistarum, permittitur Monacho habere peculium, si ab Abbate sit constitutus Officialis Monasterii, qui vi sui officii administrationem habeat peculii in utilitatem Monasterii, nequaquam verò in utilitatem propriam.

IV. Hanc Doctorum responsionem tamquam menti Concilii Lateranensis consonam amplexa Synodus Tridentina *Seß.* 25. *cap.* 2. *De Regularibus* statuit: " Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari „concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum aut Conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superioris amovibiles, pertineat."

V Nulli ergo Regularium bonorum stabilium administrationem concedi à Superioribus posse declarat Synodus, sed *solis* officialibus? idque *dependenter* & ad nutum Superiorum; id est, quod etiam illam administrationem possint illis officialibus semper auferre.

VI. Unde [ut monet Fagnanus loco citato *num.* 49.] " valde inepta est illorum interpretatio, qui asserunt Concilium hoc loco non prohibere administrationem, quam „habent Regulares *dependenter à voluntate suorum Superiorum.* Siquidem verba Concilii non diriguntur in „Subditos, sed *in Superiores* tantùm, ibi: [*nec deinceps liceat Superioribus*] unde cùm improbetur administratio illa, quæ conceditur à Superioribus, sequitur evidenter ut propriè improbetur administratio, quam habent „Regulares *dependenter à voluntate* eorumdem Superiorum, nam si Superioribus non licet concedere alicui administrationem stabilium, ergo non pendet ab eorum „voluntate efficere administrationem licitam, vel illicitam: sicuti videmus usum superfluum bonorum non fieri licitum ex eo, quòd Regularis dicat: *Ego teneo immobilia superflua dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad eorum nutum,* quia Superiores non habent „super hoc dispensandi facultatem."

VII. Testatur quoque ibidem *nu.* 51. quod " consulta S. „Congregatio, an propter talem dispensationem seu licentiam Superiorum possidentes vel tenentes bona immobilia, vel mobilia superflua, à culpa vel pœna excusentur, responderit, non excusari neque à culpa, neque à „pœna ipso facto incurrenda; ac insuper, Superioribus „asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere, „fidem non esse adhibendam."

VIII. Præterea cùm Concilium Tridentinum primo constituat regulam negativam per hæc verba: *Non liceat deinceps Superioribus* &c. ac deindè subjiciat exceptionem à regula dicens: *Administratio autem ad* SOLOS *Officiales ad* NUTUM AMOVIBILES *pertineat,* si Concilium in dicta regula [ait Fagnanus loco citato *num.* 52.] " „non prohibuisset simplici Monacho administrationem „ad nutum? regula non differret ab exceptione, quia eodem modo esset permissa administratio ad nutum simplici Monacho, atque officiali monasterii, quod esset „absurdum; quia de natura exceptionis est ut sit contra „regulam, & eam vitiet in casibus exceptis."

IX. Ex his aliisque argumentis ex ipso Decreto Tridentino desumptis concludit tandem Fagnanus *num.* 59. " Administrationem bonorum stabilium, seu peculium, „ex nulla causa & nullo casu Regularibus esse permissam, „*solis* Officialibus dumtaxat exceptis."

Ratio verò diversitatis inter simplicem Monachum & Officialem quoad administrationem rerum temporalium nequaquam obscura est.

X. Dum enim *simplici* Monacho conceditur administratio, ea conceditur ut proventus in suos particulares usus convertat; atque ita " *in effectu* potest dici usufructuarius bonorum, [ait Fagnanus *num.* 42.] nam cùm possit de fructibus disponere, dicitur habere jus utendi & fruendi, & sic *usumfructum.* Nec refert quod non possit „de illis disponere nisi in honestos usus: nam nec Clerici „sæculares possunt erogare fructus superfluos Beneficiorum suorum nisi in usus pios, & tamen in vita dicuntur „usufructuarii."

XI. " Et similiter, pergit Fagnanus, nihil refert quod „administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis; „siquidem hoc non tollit quin durante administratione „habeat jus utendi & fruendi. Unde propriè dici potest „usufructuarius *ad beneplacitum.*

" Quapropter, infert idem, Titulus *administrationis* „nihil est aliud quam *palliamentum* quoddam ad cohonestandum *proprium*; verè enim usufructuarius est Dominus fructuum."

XII. At secus est in Officiali Monasterii, quia is constituitur administrator in utilitatem Monasterii sive Communitatis; adeoque de proventibus nequaquam disponere potest in usus proprios; sed omnia convertere ac dispensare debet in usus Monasterii, sive illos ad quos ejus officium seu administratio illum adstringit; alioquin si in privatos suos usus impendat, nec furti, nec *proprietatis* crimen evadet.

XIII. " Sollicitè etiam observabit Procurator [inquiunt Constitutiones Canonicorum Regularium Capituli „Windesemensis *parte* 2.] ut concreditas sibi pecunias „in *nullos* quam *officii sui* usus expendat, exactè ad id Prioris sui ordinationem & voluntatem exequendo, ne alioquin *furti* judicio, & tamquam *proprietarius* condemnetur."

Quin nec Officiales immunes erunt à vitio proprietatis, si ipsi ratione suæ administrationis seu officii aliqua jura accipiant, eaque non in communes, sed privatos suos usus reservent impendenda: cum non minus illa, quam alia quæcumque Religiosis quocumque titulo obvenientia debeant Conventui incorporari, ut in communes usus expendantur.

Hinc Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Regularib. c.* 10. volens pestifero proprietatis vitio obviare inter alia mandat: " Rescindant insuper Superiores & aboleant prorsus universa illa *emolumenta, & jura* quæ antiquo more „quibusdam Monasteriorũ Officialib' concedi solebant."

Si ergo Officialibus ad nutum Superiorum etiam amovibilibus tantum possit concedi bonorum stabilium administratio, ut proventus in usus *communes,* tamquam *Communitatis* Officiales administrent, facile est videre, quod titulus administrationis non desinit esse merum *palliamentum* ad *cohonestandum proprium,* si v. g administratio redituum vitalitiorum Officialibus quidem Monasteriorũ committitur, non in communem Monasterii, sed in privatã illius, in cujus favorem sunt reservati, utilitatem.

TITULUS XXX.

De Voto Castitatis.

CAPUT I.

Professio Religiosa includit votum Castitatis saltem implicitè; & ad quid obliget?

1. *In pristinis Monachorum formulis professionis nulla occurrit* expressa *voti Castitatis mentio.*
2. *Etiam plures recentiores illius* expressam *mentionem non faciunt.*
3. *Primus illius expressam mentionem fieri voluit S. Franciscus*
4. *Hodierna Franciscanorum formula votum castitatis expresse continet*
5. *Exemplo S. Francisci nonnulli Ordines cœperunt votum castitatis in formula professionis exprimere.*
6. *Formula professionis Eremitarum S. Augustini hodie exprimit votum castitatis.*

7. *Similiter formula Carmelitarum, licet Regula id non exprimeret; quare, & quando exprimere cœperit?*
8. *Etiam Monachi in quorum professionis formula votum castitatis non exprimitur, voto castitatis obstringuntur; & quomodo?*
9. *Votum Castitatis duo includit.*
10. *Monachi Matrimonium contrahentes olim excommunicabantur.*
11. *An votum Castitatis olim dirimeret Matrimonium, incertum; at hodie certum est.*
12. *Ut votum Religionis* dirimat *Matrimonium debet emitti in Religione per Sedem Apostolicam* approbatâ.
13. *Solemnitas voti, uti & efficacia ad* dirimendum, *pendet à jure positivo.*
14. *Ipsa professio non dat voto illam efficaciam, sed positiva constitutio ei accedens,*
15. *Primum votum, quod emittunt Scholares Societatis JESU, quodam sensu rectè dicitur* solemne.

I. IN nullis Veterum Monachorum Regulis, quin nec in Benedictina, ulla expressa & specialis professio sive promissio servandæ Castitatis sive continentiæ occurrit; imo nec in hodierna Benedictinorum professionis formula castitatis servandæ ulla mentio habetur.

II. De suo similiter Carthusiensium aliisque ordinibus testatur Petrus Dorlandus: " Nos Carthusienses, sed & „ Cluniacenses, & Camaldunenses & Cistercienses & Ca„nonici Regulares, nec paupertatis, nec *castitatis* votum „ palam emittimus. "

Neque in primigenia Carmelitici Ordinis Regula à S. Alberto exarata ulla *castitatis* professio continetur; sed *c.* 1. dicitur dumtaxat, quod Priori *obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare.*

III. Primus qui castitatis & paupertatis expressam mentionem professionis formulæ adjecit, videtur fuisse S. Franciscus; qui *capite* 1. suæ Regulæ habet: " Regula & „ Vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri „ Jesu Christi sanctum Evangelium observare, *vivendo in* „ *obedientia, sine proprio, & in* CASTITATE. "

Deinde *capite* 2. ait: " Finito verò anno probationis, „ recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam „ & Regulam istam semper observare. "

Ex quibus fat manifestè habetur, quod juxta Regulam S. Francisci Professuri promittere deberent, idque verbis *expressis*, vivere in obedientia, *sine proprio*, & in CASTITATE.

IV. His consonat hodierna formula professionis Fratrum Minorum, quæ hoc tenore exprimitur. " Ego frater „ N. voveo & promitto Deo & Beatæ Mariæ Virgini & „ Beato Francisco, ac omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto „ tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum „ per Dominum Honorium Papam confirmatam, viven„do *in obedientia, sine proprio & in* CASTITATE.

V. Ordinis Minorum formulam tamquam clarius & expressius tria illa vota exprimentem, nonnulli alii Ordines postmodum imitati sunt; atque tria illa, vivere in *obedientia, sine proprio, & in Castitate*, in formula suæ professionis exprimere cœperunt.

VI. Ita Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini expresse vovent obedientiam, & *vivere sine proprio, & in Castitate* secundùm Regulam Patris Augustini usque ad mortem: quamquam ipsa Regula Augustini nullam professionem expressam *Castitatis* præscribat: quam nec Ordo Prædicatorum nec Canonicorum Regularium, tametsi Regulam Augustini profiteantur, in suæ professionis formula exprimunt.

VII. Professioni quoque Carmelitarum per Innocentium IV in Constitutione, quâ Regulam Albertinam declarat & mitigat, addita fuere hæc verba: *cum Castitate & abdicatione proprietatis.* " Verebantur enim (ait R. P. Pa„ penbrochius in commentario prævio ad vitam S. Alber„ ti 8 Aprilis *cap.* 11. *num.* 115.) ne absque explicita „ trium Religiosorum votorum professione, negarent a„ liqui pro verè Religiosis habendos Carmelitas; ex vulgi „ scilicet imperiti sensu: Nam explicita trium votorum „ professio usitata non fuit in Monachatu veteri. " Additque, quod ante *Mendicantium* tempora numquam fuit tam clarè expressa trium votorum Religiosorum distinctio

VIII. Num igitur veteres Monachi, atque etiam moderni, qui in suæ professionis formula *Castitatis* mentionem non faciunt, CASTITATIS voto non obstringuntur? Omnino. Nam qui se Deo per susceptionem vitæ Monachalis dedicat, vovetque, is se obstringit vivere secundùm eam vivendi normam, quam vovet.

Porrò vita Monastica includit, ac semper inclusit *essentialiter* cælibatum, sive custodiam continentiæ seu obligationem vivendi *in Castitate*; ita ut si cælibatum destruas, ipsum Monachatum destruas.

Qui ergo Regulam ac vitam Monasticam olim vovebat, quique hodie eam vovet, etiam consequenter vovet vivere *in Castitate*; tametsi formula professionis votum Castitatis explicitè non contineat; eo quod Regula & vitæ norma, quam professus est, obligationem vivendi in Castitate *essentialiter* includit; juxta illud Innocentii III. in *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *De Statu Monach.* " Abdicatio proprietatis & *custodia Castitatis* adeo est an„ nexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus „ Pontifex possit dispensare. "

IX. Duo verò includit votum *Castitatis* in Religione emissum. Primùm vivere in *Castitate* extra Matrimonium; sive omnia peccata seu interna seu externa contra *Castitatem* vitare; idque etiam ex voto: adeò ut, si Religiosus peccet contra Castitatem, non tantum committat simplex peccatum *carnis*; sed etiam contra votum; & votifragus sit.

Secundùm quod includit votum *Castitatis*, est abstinere à conjugio & ab omni actu conjugali.

X. Unde jam pridem in concilio Calchedonensi *Can.* 16. Decretum legitur: " Virginem quæ se Domino Deo „ dedicavit, similiter & *Monachos* non licere matrimonio „ conjungi. Sin autem hoc fecisse inventi fuerint, sint ex„ communicati. Ostendendæ autem in eos humanitatis „ auctoritatem habere statuimus Episcopum ejus loci. " „ Gratianus *caus.* 27. *q.* 1. *Can.* 22.

XI. Num professio Monachalis, ipsumque votum Castitatis *implicitè* saltem in professione Monastica contentum, etiam olim matrimonium contractum *dirimeret*, nullumque redderet, non æque expeditum est.

Illud expeditum est, votum Castitatis sive explicitè sive implicitè in Religione approbata emissum, hodie matrimonium contractum *dirimere*; atque tale votum ponere impedimentum *dirimens*; uti expressum est in *Cap. Unico De Voto in* VI.

XII. Hoc quoque ex eadem Decretali habetur, hodie illud votum dumtaxat dici " solemne, ac ad matrimonium „ dirimendum efficax ; quod solemnizatum fuerit per „ susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam „ vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem A„ postolicam approbatis. "

XIII. Constat insuper, hanc efficaciam votorum dirimendi matrimonium contrahendum esse ex mero jure positivo.

Si enim præveniendo jus positivum votum castitatis à Monacho emissum efficaciam habuerit dirimendi matrimonium postea contractum, indubiè etiam illam efficaciam habuit votum castitatis emissum in Religione per Sedem Apostolicam *non approbata.*

Certum quippe est, ante sæculum 13. nequaquam receptum fuisse, ut nova Monachorum institutio à Sede Apostolica approbationem vel confirmationem habere deberet, uti suprà *tit.* 24. *cap.* 2. notavimus.

Cum verò hodie hæc efficacia solis votis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissis tribuatur, manifestum est, hoc totum à jure positivo dependere. Unde illud Glossæ ad citatum Capitulum unicum :

„ Non

Non est ipsum votum quod matrimonium à rimit: sed est ipsa *constitutio* Ecclesiæ."

XIV Hinc quoque elicitur, non esse ipsam externam formam professionis seu emissionis, quæ faciat votum *solemne* ad hunc effectum *dirimendi* matrimonium; sed ipsa Constitutio positiva dans hanc efficaciam alicui voto, quæ illud reddit *solemne* ad hunc effectum; atque ita juxta modernam phrasim, vota dicuntur *solemnia*, quibus jus positivum similem vim attribuit: & hoc titulo rectè dicitur in allegato Capitulo unico, quod voti *solemnitas ex sola* Constitutione Ecclesiæ est." Hinc consequens, quod propriè loquendo, votum primum in Societate, postquam à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Ascendente Domino*, efficax factum est ad dirimendum matrimonium, non incongruè *solemne* dici possit; quamvis adhuc *simplex* vulgo dicatur: ideo forsàn, quod non *stabiliter* statui alicui astringat: eo quod post emissionem hujusmodi [voti, possit hic è Societate dimitti, & à voto absolvi.

CAPUT II.

Mulierum ad claustra & Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus?

1. *Antiqua Patrum Regula omnem mulierum conversationem Monachis severè interdixit.*
2. *Quarumcumque mulierum ingressus in Monasteria Monachorum vetitus.*
3. *Ægerrimè tulit S. Gregorius mulierum in Monasteria ingressum; & vetuit Monachis habere Commatres.*
4. *Abbas permittens mulierem ingredi Monasterium festivitates videndi causâ pœnitentia subjicitur.*
5. *Interdum etiam excommunicandus dicitur.*
6. *Nonnullæ mulieres illustriores obtinuerunt licentiam intrandi Monasteriorum septa, at eas revocavit P.V.*
7. *Gregorius* XIII. *Constitutionem Pii* V. *renovavit; & declaravit in illa* omnes *generaliter mulieres comprehendi.*
8. *Decretum Eremitarum S. Augustini contra ingressum mulierum in Monasteria.*
9. *Olim etiam ad Ecclesias Monachorum mulieribus non patebat accessus.*
10. *Ea disciplina fuit sæculo VII. in Monasterio Laubiensi.*
11. *Etiam sæculo X. in Monasterio S. Bertini.*
12. *Ut Mulieres à suis Oratoriis Monachi arcerent, Missas* publicas *in iis fieri noluerunt: Quid Missa publica.*
13. *Hæc disciplina etiam usque sæculum 13. durasse videtur.*
14. *Hæc disciplina etiam hodie & populo & Monachis sæpè esset conveniens & utilis.*
15. *Dum mulieres ad Ecclesias Religiosorum admittuntur, curandum ut à Religiosis sint sejuncta.*
16. *Laudabile quoad hoc PP. Prædicatorum Decretum.*
17. *Etiamsi juxta modernam disciplinam liberior sit mulierum ad Ecclesias & Monasteria Religiosorum accessus, omnis tamen familiarior conversatio vitanda.*
18. *Salubre in hoc Eremitarum S. Augustini Decretum.*

I. Mulierum conversationem Monachis in Castitate vivere desiderantibus, & ad eam servandam vi suæ professionis adstrictis admodum periculosam existimantes Patres, omne, quantum possibile est commercium mulierum Monachis interdixerunt.

„Familiaritatem omnium mulierum [ait vetus Patrum Regula quam Lucas Holstenius *tertiam* vocat] „tam parentum quam extranearum pro custodienda vita, „vel cavendis laqueis Diaboli, ab omnibus Monasteriis „vel culturis Monachorum; seu frequentationem Mo„nachorum à Monasteriis puellarum, sicut Regula docet, „prohibere censemus. Neque ulla mulier in interius atri„um Monasterii ingredi audiat. Quod si cum consilio „vel voluntate Abbatis Monasterium vel cellulas Mo„nachorum quædam fuerit ingressa, merito ipse Abbas & „nomen Abbatis deponat, & inferiorem se omnibus „Presbyteris recognoscat, quia talis sancto gregi præponi „debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret; non „per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet."

II. Regula S. Cæsarei Episcopi Arelatensis *c.* 11. "Mu„lieres in Monasterio numquam ingrediantur." Et fortius alius Arelatensis Episcopus S. Aurelianus in Regula *cap.* 15. "Mulieres verò, nec Religiosæ nec sæculares, nul„læ omninò, nec Abbatis, nec cujuscumque Monachi „mater, aut quælibet propinqua aut nota ad salutandum, „aut ad orationem ingredi permittatur."

III. Quàm ægrè tulerit S. Gregorius mulierum in Monachorum domos ingressum, colligi potest ex Epistola ejus ad Valentinum Abbatem *Lib.* 3. *Ep.* 40. in qua scribit:" „Pervenit ad nos, quod in Monasterio tuo passim Mulie„res ascendant, & quod adhuc est gravius, Monachos tuos „sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis com„munionem habere. Ne ergo hac occasione humani ge„neris inimicus sua eos, quod absit, calliditate decipiat: „ideo hujus te præcepti seriò commonemus; ut neque „mulieres in Monasterio tuo deinceps qualibet occasione „permittas ascendere, neque Monachos tuos eas com„matres sibi facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras „quocumque modo pervenerit; sic te severissimæ nove„ris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate „cæteri sine dubio corrigantur."

IV. Quin & jam pridem Antissiodorensi Concilio decretum fuit: "Si quis Abbas mulierem in suo Monasterio „ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare „præceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retruda„tur, pane & aquâ contentus." *Can.* 26.

V. Et Concilium Turonense II. *Can.* 15." Ut mulier „intra septa Monasterii *nullatenus* introire permittatur. „Si Abbas in hac parte, aut Præpositus negligens appaeru„erit, qui eam viderit, & non statim ejecerit, *excommuni„cetur.*"

Plures in hanc rem Canones refert Grat. *caus.* 18. *q.* 12.

VI. Cumque nonnullæ mulieres, præcipue illustrium familiarum à Romanis Pontificibus licentiam contra hanc Canonicam institutionem accepissent: atque hâc licentiâ prætenderent sibi liberum in ipsa Monasteriorum etiam virorum septa patere introitum, Pius V. expendens periculum ex hujusmodi mulierum ingressu & conversatione Religiosis imminens, Constitutionem in forma *Brevis* edidit, qua omnes hujusmodi licentias quocumque titulo, & quibuscumque mulieribus concessas revocavit & annullavit, "districtè prohibentes, ait. mulieribus quidem „prædictas facultates & licentias prætendentibus, sub ex„communicationis latæ sententiæ pœna, postquam ha„rum litterarum notitiam habuerint, à qua non possint „nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore „fuerit, absolvi, præterquam in mortis articulo, ne di„ctas domos & Monasteria ingredi audeant.

„Ipsis vero Monasteriorum & Conventuum Abbati„bus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quo„cumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Cano„nicis, & Fratribus, sive mendicantibus, sive non mendi„cantibus, sub privationis officiorum, quæ in præsentia „obtinent. & inhabilitatis in posterum ad illa & alia om„nia, & suspensionis à divinis ipso facto, sine alia declara„tione; incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittere„ve præsumant."

VII. Hanc Constitutionem rursus renovavit Gregorius XIII. in Constitutione quæ incipit, *Ubi gratia* 28. in B. R.

Cumque postmodum dubitaretur, num hoc Decreto tantum comprehendere voluisset mulieres hujusmodi licentias habentes, respondit idem Pontifex, mentem suam fuisse, comprehendere *omnes & quascumque mulieres alias, tam in genere, quam in specie.* Habetur hæc declaratio in Bullario R. ad calcem citatæ Constitutionis.

Disciplinam hanc Patrum Regulis, atque Conciliorum & Pontificum Decretis expressam & firmatam, passim Ordinum Constitutiones inculcant; serioque ac solicitè conservari præcipiunt.

VIII Et

VIII. Et Constitutiones Eremitarum S. Augustini *parte 2. c. 13.* de hac disciplina itâ loquuntur: " Strictè prohibemus, ne aliquis Frater Prælatus vel subditus mulierem cujuscumque status, gradus, Ordinis, conditionisve sit quacumque etiam dignitate ac præeminentia præditam, etiam Comitissam, Marchionissam, aut Ducissam in monasteria fratrum Ordinis nostri introducere vel admittere præsumat, *sub privationis officiorum, quæ in præsentia obtinuerint & inhabilitatis in posterum ad illa & alia omnia, ac suspensionis à divinis ipso facto* sine alia declaratione, pœnis incurrendis, præterquam in casibus sequentibus. Videlicet; quando fiunt processiones, vel mortui sepeliuntur ac etiam pro iis suffragia fiunt: tunc namque ad illa loca, in quibus dicta pia opera exercentur, accedere mulieribus licitum est, ita tamen quòd porta qua intratur ab Ecclesia in claustrum, non claudatur ullo modo quamdiu mulieres intra steterint quæ eo finito propter quod intraverunt, exire compellantur. "

IX. Non tantum ingressus mulierum in *interiora* ipsorum Monasteriorum septa olim vetitus erat; sed etiam ab ipsis Ecclesiis sive Oratoriis Monachorum mulieres passim arcebantur; neque ad ea ipsis patebat ingressus.

X. Refertur à Fulcuino in libro de gestis Abbatum Laubiensium *cap.* 1. de S. Ursmaro Abbate Leubiensi, & Episcopo in *functoria* tantum prædicatione sacrato [de quo Episcoporum genere vide Mabillonium in præfatione ad partem I. sæculi 3. Benedictinorum *num.* 33. 34. & 35.] quod cum Ecclesiam Monasterii dedicasset anno 697. nolens " pollui cadaveribus mortuorum, fecerit aliam in honorem B. Mariæ in montis vertice, cui subjacet prædictum Monasterium; ubi cœmeterium esset Fidelium, & ad quem confluerct populus. Nam *illuc tus*, ut nunc quoq; nisi certo tempore, apud aliam [Monasterii Ecclesiam] erat *fæminarum* accessus, " Extat apud Mabillonium in Actis Benedictinorum sæculo 3. *parte* 1. *pag.* 247.

XI. In *libro 2. de miraculis S. Bertini Abbatis Sithivensis* narratur: " Adala nobilissima conjux Arnulfi Comitis, cum sæpissimè magis infirmitatibus esset aggravata, cœpit desiderare, ut in hoc Monasterio [S. Bertini] ei licentiam Monachi darent intrare, ut coram *Altari S. Bertini* pro salute sua deprecatura liceret se prosternere. Hujus igitur rei causâ, ait auctor, advocatis venerabilibus Episcopis Wicfrido Tarvennensis Ecclesiæ Episcopo, & Folberto Cameracensis, denudavit eis desiderium suum, acceptâ etiam licentiâ à Monachis anno Nativitatis Domini 938. annoque quinto Ludovici Regis feriâ secunda Paschæ introduxerunt eam præfati Episcopi in eodem Monasterio, non sine *tremore maximo*: quoniam hoc illa *prima* facere præsumpserat, quod ante *Reginarum nulla* concupiscere vel audebat. " Apud Mabillonium loco citato *pag.* 138.

En sæculo decimo quanta cum difficultate, & Episcoporum auctoritate huic Comitissæ ad *Altare* S. Bertini datus est accessus.

XII. Quid plura? cum notorium sit, plurimis sæculis more positum fuisse? imò sæculis & vice privilegii interdum in fundatione cautum, ut Missæ *publicæ*; id est, ad quas populus conveniret, in Monachorum Ecclesiis non fierent; " ne scilicet [ut ait S. Gregorius *lib.* 4. *Epist.* 43.] in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus, & simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in scandalum trahat: frequentior *etiam introitus mulierum* arceatur.

XIII. Hancque disciplinam, Missas *publicas*; sive ad quas esset publicus populi conventus, in Monasteriorum Ecclesiis non celebrandi usque ad tempora S. Bernardi permansisse, ex Philippo Abbate Bonæ spei *Lib. De continentia Clericorum c.* 83. observat Cardinalis Bona *Lib.* 1. *Rerum Liturg. c.* 15. *n.* 3. quin & Innocentium III. Veterum vestigiis insistentem prohibuisse, ne Diœcesis Episcopus in Monasterio Carroffensi, cujus privilegia confirmabat, Missas *publicas* ageret.

XIV. Scio quidem contrariam Disciplinam hodie præsertim post exortos Ordines Mendicantes invaluisse; atque in Ecclesiis sive Oratoriis Monachorum *publicas* Missas; à conventu populi adstantis & offerentis ita dictas passim celebrari: at & illud scio, quod non raro magis cautum esset & populo & Monachis, si juxta disciplinam Patrum suorum, à suis Ecclesiis præcipuè hi qui ad instructionem populi specialiter non sunt vocati publicum populi conventum arcerent. Populo quidem ut in matrice seu Parochiali Ecclesia à suis nutrirentur Pastoribus, Monachis verò, ne sæcularium contagione polluerentur, aut in sua devotione saltem distraherentur.

XV. Similiter, quamvis horum temporum disciplina Mulieres ad plerasque Religiosorum Ecclesias admittat, illud tamen sollicitè cavendum, ut quantum fieri potest, Religiosi à mulieribus sint sejuncti; neque psallentium choris intermisceantur.

XVI. Qua de re prudenter in suis Constitutionibus caverunt PP. Prædicatores: " Mulieres Claustrum vel *Oratorium*, vel alias officinas nostras non ingrediantur, nisi in die consecrationis Ecclesiæ, & *tunc* licebit eis ingredi *chorum* & Claustrum, In Parasceve verò *tantùm chorum* intrare poterunt usque ad officium.

Quin ut chorus à sæcularium conventu magis esset liber, decreverunt sequentia: " In Ecclesiis nostris debent esse *intermedia*, quæ dividunt *chorum à sæcularibus*, & debent ubique ita esse disposita, ut Fratres *chorum* ingredientes non possint à sæcularibus videri, nec ipsi sæculares videre. Poterunt tamen aliquæ fenestræ aptari, ut tempore elevationis Dominici Corporis aperiantur, & Sacramentum à sæcularibus adoretur. " In Constitutionibus editis per Petrum Martyrem *parte* 1. *cap.* 16.

XVII. Insuper quæcumque disciplinæ intervenerit pro temporum varietate immutatio, illud tamen invariatum manet, omnem Religiosis, non minùs ac Clericis, familiariorem & non necessarium cum mulieribus conversationem esse interdictam: ipsisque Superioribus sollicitè esse invigilandum, ut omnem similem conversationem rescindant, & occasionem præveniant.

XVIII. Qua in re notandæ Constitutiones Eremitarum S. Augustini quæ, *parte* 2. *cap.* 13. hæc habent; " In Ecclesia seu ad ostium Conventus nullus Frater cum mulieribus loquatur sine licentia Prioris & socio à Priore assignato, qui audiat, & videat, nisi talis cum matre vel sorore carnali, seu alia muliere maximè sibi consanguinitate vel affinitate conjuncta loqueretur. In quo casu sufficit quòd socius videat, licet non audiat: excipimus tamen viros graviores & ætate maturiores. Omnia tamen supradicta quoad omnes Fratres serventur, quoties contigerit aliquem extra Monasterium egredi, ut cum mulieribus loquatur. "

" Caveat autem Prior ne nimis frequenter eidem Fratri licentiam concedat cum eadem vel eisdem mulieribus colloquendi, vel eas ad proprias domos visitandi, nisi fortè talis persona esset tantæ scilicet authoritatis & tam claræ famæ, quod ex ejus collocutione potius Religioni nostræ honor quàm dedecus accederet.

" Fratres verò foras missi pro necessariis domui petendis loqui poterunt cum mulieribus etiam alter sine altero, si tunc necessitas sic loqui exigit, intrare tamen domum ad sedendum vel confabulandum non licebit.

" Procurator & Fratres alii cùm ad procurandum necessaria Fratribus vadunt, poterunt præsente socio suo & vidente de hujusmodi cum muliere sola loqui, ita tamen quòd cum una eademque muliere frequens non sit talis collocutio. "

CAPUT III.

De Clausura Monialium vetante egressum Monialium.

1. *Ab initio Ecclesiæ fuerunt nonnullæ mulieres in perpetua castitate viventes.*

2. Pro

Pro conservanda castitate convenit sæcularium personarum fuga.

Egressus è Monasterio Monialibus jam pridem interdictus.

Quæ cura olim haberetur ut castitati Virginum extra Monasteria habitantium consuleretur.

5. *Sæculo 5. Clausura Monialium nota fuit.*

6. *Fixa & generalis non fuit circa Monialium clausuram disciplina ante sæculum 13.*

7. *Constitutio Bonifacii VIII. circa clausuram Monialium.*

8. *Decretum Concilii Tridentini eandem Constitutionem innovans.*

9. *Pius V. declaravit omnes quascumque Moniales Decreto Tridentino comprehendi.*

10. *Idem Pontifex egrediendi licentiam nonnisi ex tribus causis concedi posse edixit.*

11. *Vigore Concilii Tridentini Episcopus habet auctoritatem in omnia generatim Monasteria Monialium in his quæ Clausuram concernunt.*

12. *Episcopus potest visitare Monasteria Monialium etiam Regularibus subjecta quoad ea quæ* Clausuram *spectant.*

13. *Primus effectus Clausuræ est prohibitus egressus Monialium è Monasterio.*

14. *Quæ sit* justa *causa dandi licentiam egrediendi, non determinavit Tridentinum: tres expressit Pius V.*

15. *Prima causa est*, magnum incendium; *& quid per illud intelligatur.*

16. *Quæ sit* infirmitas *ratione cujus egressus sit permittendus?*

17. *Causæ à Pio V. expressæ etiam in Synodis fuerunt probatæ,*

18. *An aliquando liceat indulgere egressum ob rationes à Pio V. non expressas.*

1. AB ipso Ecclesiæ exordio fuisse mulieres virginitatem servantes etiam ipsa Acta Apostolorum testantur *Cap.* 21. ℣ 9. ubi de Philippo refertur: *Huic autem erant quatuor filiæ* VIRGINES *prophetantes.*

Idem confirmant Patrum de Virginibus multiplicia scripta; quibus suam erga illas specialem curam ac sollicitudinem expresserunt.

"Nunc nobis [ait S. Cyprianus *De disciplina & habitu Virginum*] ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantòque plus copiosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potiùs quàm potestate: non quod extremi & minimi & humilitatis nostræ admodum conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus; sed, quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus.

II. Inter cætera autem quæ pro custodia Virginitatis Patres suggessère, fuit hominum sæcularium, atque præcipuè alterius sexûs fuga, atque ab omni mundana & externa hominum conversatione sequestratio.

III. Et quidem, dum circa sæculum IV. formari cœperunt Virginum Monasteria, cœpit quoque eis egressus è Monasterio, si non totaliter, saltem extra necessitatis casus, & citra Superioris licentiam interdici.

Sanctus Basilius De Institutione Monachorum inter alia præcepta seu regulas habet: "Egredi verò *extra Monasterium*, præterquam ubi statutis temporibus *necessitas* postulaverit, nemini licitum esto."

Ne verò crederetur quæ ab eo tradita sunt ad solos Monachos spectare, monet ea non tantum in Virorum, sed & Virginum Monasteriis esse servanda; atque in his eo accuratius, quanto in his majus est periculum. "Verum, ait, quoniam non Virorum modo conventus sunt, sed etiam *Virginum*, cætera quidem omnia, quæ hactenus præcepta tradidimus, æque utrisque communia sunto. Unum tamen illud scire convenit, longe accuratiorem, majoremque in fœminarum vita quam in virorum, disciplinam requiri, veluti voluntariæ paupertatis virtutem, quietem atque silentium, obedientiam, studium in sorores, cautionem *in publicum prodeundi*, diligentem quibuscum colloquium sit, animadversionem, parem inter ipsas mutuo benevolentiam, & illud, quod nulla seorsim apud eas conventicula sint. In his enim omnibus in virginum vita accurandis, majore quodam multo opus est studio." Hæc Basilius *De Instit. Monach.*

Hinc licet, quàm sollicitè Basilius Virginibus clausuram Monasterii commendaverit.

De Monasterio Virginum in Thebaide, in quo sæculo IV. vixit S. Euphrasia, legitur in hujus vita: "Nulla earum *januas exibat*. Erat autem janitrix per quam responsa omnia fiebant matura." Apud Bollandum ad 13. Martii.

IV. Eodem sæculo in Concilio Carthaginensi III *Can.* 33. decernitur: "Ut Virgines sacræ, cum parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi, vel Presbyteri, ubi Episcopus absens est, providentiâ, gravioribus fœminis commendentur, aut simul habitantes invicem custodiant: ne passim vagando, Ecclesiæ lædant existimationem.

V. S. Cæsarius in Regula ad Virgines *cap.* 1. "Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo adjuvante possit evadere, usque ad mortem suam de Monasterio non *egrediatur*, nec de Basilica, ubi ostium esse videtur."

VI. Quâ solicitudine Virginibus clausura omnibus sæculis inculcata fuerit, speciali tractatu novissimè ostendit Joannes Baptista Thiers, qui tamen rectè advertit, non semper nec ubique eamdem fuisse circa clausuram sacrarum Virginum disciplinam; neque fuisse aliquam generalem Ecclesiæ legem, omnibus indifferenter Monialibus clausuram perpetuam imponentem ante Bonifacium VIII. qui sub finem sæculi XII. & initium XIV. Pontificatum gessit.

VII. Hic edita Constitutione quæ refertur in *Cap.* PERICULOSO, *De Statu Regular. in* VI. generaliter omnibus Monialibus perpetuam clausuram imposuit. "Periculoso & detestabili quarumdam Monialium statui [quæ honestatis laxatis habenis, & Monachali modestiâ, sexûsque verecundiâ impudenter abjectis, extra sua Monasteria nonnumquam per habitacula sæcularium personarum discurrunt, & frequenter intra eadem Monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium & scandalum plurimorum] providere salubriter cupientes, præsenti constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, sancimus, universas & singulas moniales præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cætero permanere clausura: ita quòd nulli earum Religionem tacitè vel expressè professæ, sit vel esse valeat quacumque ratione vel causa [nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset cum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari] monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas."

VIII. Hanc Bonifacii Constitutionem innovavit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *De Regularibus cap.* 5. atque "universis Episcopis, sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui; & ubi inviolata est, conservari maximè procuret: inobedientes atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliàsque pœnas, quâcumque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quòd auxilium ut præbeatur, omnes

"Chri-

„Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, omnibus Magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus."

IX. Pontifices Romani, signanter Pius. V. & Gregorius XIII. dictam Bonifacianam Constitutionem, nec non hoc Concilii Decretum suis respectivè Bullis non tantùm particulatim approbârunt, ac denuo innovârunt, sed aliquatenus etiam adauxerunt.

Etenim cùm dubitari potuisset, num Synodus Trid. suo Decreto comprehenderet Monasteria Monialium, in quibus clausura numquam fuit recepta, & quæ ex sua Regula aut Institutione ad clausuram non adstringuntur, Pius V. declaravit, "universas & singulas Moniales, præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis, Ordinis vel Militiarum, etiam Hierosolymitanæ sint, quæ vel jam receptæ sint, vel imposterum in quibusdam Monasteriis sive Domibus recipientur, & tacitè vel expressè Religionem professæ, etiamsi *conversæ*, aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fundationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, nec umquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam ab immemorabili tempore ea servata fuerit, sub perpetua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cætero permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutionis fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit. Periculoso, in sacro Conc. Trid. approbatam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus & innovamus, in omnibus & per omnia, ac illam districtè observari mandamus,"

Insuper cùm Synodus causam legitimam egrediendi Monasterium Episcopi judicio permisisset, Pius V. in determinationem ac generalitatem restringens, nullâ occasione, nullovè alio prætextu licentiam indulget," *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidemia*, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Superiores quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum jurisdictione exempta esse reperiantur, cognita & expresse in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium tempus stare licere."

X. Si ergo Bonifacianam Constitutionem, atque Decretum Synodi Tridentinæ, unà cum Bulla Pii V. spectemus, in omnibus Monialium Monasteriis indistinctè clausura erit servanda, atque per Episcopos partim ordinariâ, partim delegatâ auctoritate, ubi recepta non fuit, aut violata, introducenda aut reducenda erit, & ubi hactenus inviolata mansit, solicitè conservanda.

XI. "Ex quo manifestè fundata dignoscitur [ait Stephanus Weyms] Episcoporum, & Ordinariorum quoad clausuram hanc aliaque eò spectantia jurisdictione in cujusvis Ordinis Moniales, etiam eas quæ à Regularibus teguntur, & aliàs sunt exemptæ, " Hæc ille ad Constitutiones 24. per Tridentinum innovatas, *Constit.* 15. *n.* 11.: quod & clarè expressit Pius in citata Bulla *Cura Pastoralis*, & manifestè supponit § 10. ejusdem Bullæ, qui ita habet "Per hoc autem in Monasteriis exemptis, Ordinarii locorum, *quoad alia* nullam credant sibi jurisdictionem vel potestatem aliquatenus attributam."

XII. Unde fertur declaratum è S. Congregatione Concilii 17. Julii 1597. " Episcopos posse Moniales *Regularibus subjectas*, in iis quæ clausuram concernunt, toties visitare, quoties verè cognoverint expedire."

Et Concilium Aquense an. 1585. *Tit. De Visitatione* ait: Monialium Monasteria *Regularium juri curavè* subjecta, Episcopi quoad *clausuram* attinet, accuratè visitent. Loca ipsa introspectent, atque è superiori etiam parte circumlustrent & cautè solerterque inspiciant prospectus omnes, aditus, & cætera deinde omnia, quæ ad clausuram rectè tuendam ullo quovis modo pertinent."

Atque ita in contradictorio judicio in Concilio Privato Regio Parisiensi pro Episcopo Podiensi contra Moniales S. Claræ judicatum fuisse 26 Augusti 1575. refert Claudius Henrys in suis Decisionibus sive Arrestis *tomo* 2. *lib.* 1. *q.* 1.

XIII. Porrò hujus clausuræ modus & effectus est, uti ex citatis Pontificum Bullis, & Decreto Concilii Tridentini constat, primò, ut Monialibus post professionem egredi non liceat Monasterii sui claustra sive interiora septa, etiam ad *breve* tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbandâ, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus, uti loquitur Tridentinum.

XIV. Quæ autem censenda sit *justa causa*, Synodus Tridentina non expressit; eamque judicio Episcopi permisisse videtur: at Pius V. nullâ occasione aut prætextu egressum permittit, *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepra, aut epidemia*.

XV. Nomine *magni incendii*, ait Barbosa, intelligitur "incendium ita magnum & evidens, ut certum sit, aut saltem probabile multùm esse videatur, quòd nisi Moniales omnes statim à Monasterio exeant, omnes simul sint morituræ ac consumendæ præ nimia exustione ignis."

XVI." Sub nomine verò *infirmitatis lepræ*, ait idem, intelligitur infirmitas quædam adeò contagiosa, quod si ipsius radix & origo foras non ejiceatur (hoc est Monialis eo morbo infecta) citò omnes ejusdem Monasterii Sorores inficeret..... Sub nomine deinde *epedimiæ*, quantum ad præsens attinet propositum, intelligitur morbus quidem *pestiferus*, similiter ac eadem ratione contagiosus Communitati præjudicialis." Hæc Barbosa *lib.* 1. *juris Ecclef. cap.* 44. post plures alios ibidem *num.* 73. relatos.

XVII. Et longo tempore ante Pium V. Synodus Moguntina an. 1549. c. 79. egressum non permittit nisi fuerint *inevitabili* necessitate compulsæ, *aut tali morbo infecta, unde ex contagione aliis periculum immineat*.

Synodus quoque Cameracensis D. an. 1550. inter causas concedendi egressum reponit *morbum quo cum aliis absque gravi periculo commorari non posset*.

XVIII. Credit nihilominùs idem Barbosa post alios ab ipso citatos, quòd non obstante restrictione Pii V. Moniales possint exire è Monasterio ex aliis causis similibus aut urgentioribus in Bulla Pii V. nominatim non expressis, v. g. tempore belli, cùm periculum imminet invasionis à militibus, multaque incommoda sustinendi, nisi se in locum tutum recipiant.

Synodus Tridentina causam exitûs ab Episcopo *approbandam* statuit; Pius V. verò vult, ut "*infirmitas* ratione cujus egressus permittitur, præter alios Ordinum Superiores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi prædicta Monasteria ab Episcoporum &. Ordinariorum jurisdictione exemptæ esse reperiantur, cognita & *expressè in scriptis* approbata sit." Additque "Sed nec in prædictis casibus extra illa (Monasteria) nisi ad *necessarium* tempus stare liceat."

CAPUT IV.

De Clausura vetante ingressum in Monasteria; quæ sit circa clausuram Belgica disciplina?

1. *Per clausuram Monialium vetitus personarum extranearum in Monasteria ingressus.*
2. *Nullus Monasteria Monialium intrare potest sine licentia scriptis obtenta; nec illa dari potest nisi in casibus* necessariis.
3. *Quando Episcopi aliive Superiores ingredi possint, & quid ab illis observandum?*
4. *Casus* necessarii *quibus ingressus annui potest, intelligi debent respectu Monasterii* non respectu ingredientis.

5. *Syn*

Synodus Cameracensis non permittit Episcopum ingredi nisi causâ visitationis, aut necessitatis

non licet Sacellanis ingredi chorum Monialium, prætextu ibi celebrandi aut concionandi.

Neque in Vestitione, aut professione licitus est ingressus, nec personis necessariis nisi cum magna cautela

Per frequentiora ad cancellos colloquia violari clausura potest.

Ad Episcopum spectat hujusmodi colloquiis modum ponere, etiam in Monasteriis curæ Regularium subjectis.

10. *Episcopus punire potest Regularem etiam exemptum ob colloquium cum Moniali.*

11. *Multum conducit ad conservationem clausuræ prohibitio colloquendi cum Monialibus.*

12. *Episcopis Belgii volentibus introducere clausuram multæ difficultates oppositæ.*

13. *Synodus Camer. rationes Monialium* clausuram *recusantium censet Pontifici exponendas.*

14. *Proponuntur rationes quæ potuerunt introductioni clausuræ opponi.*

15. *Clausura non in omnibus Belgicis Monialium Monasteriis recepta.*

16. *Concilium Tridentinum quoad clausuram in Belgio in omni suo rigore non est receptum; uti nec Constitutio Pii V.*

17. *Multa in Belgio sunt Moniales, quarum institutum rigorem clausuræ non compatitur.*

18. *Non dubium per clausuram multis periculis occurri*

19. *Allaborare debent Superiores, ut in Monasteriis exteriori clausuræ rigori non subjectis fixa clausura habeatur.*

20. *Vetitus secularium personarum in Monasteria clausuræ non subjecta ingressus.*

21. *Omnis periculosa & suspecta conversatio generaliter Monialibus interdicenda.*

22. *Vitiia institutio conviviorum quibus intersint personæ extraneæ in Monasteriis Monialium etiam clausuræ non subjectis.*

23. *Egressus è Monasterio Monialibus quamvis clausuræ non adstrictis concedi debet cum magna moderatione.*

24. *Septa Monasterii facta sunt, ut Moniales sejunctæ à sæculo vivant.*

25. *Circumspecti esse debent Superiores dum egressum permittunt; Decretum Synodi Cameracensis circa egressum Monialium ægris ministrantium*

26. *Simile Decretum Archiepiscopi Mechliniensis pro* nigris *Sororibus*

27. *Olim in plerisque xenodochiis erant* utriusque *sexus Religiosi ad serviendum* utrique *sexui infirmo.*

28. *Laudabile hoc institutum, modo caveantur incommoda ex simultanea cohabitatione timenda.*

29. *Merito advocantur viri ut sexui virili ministrent.*

30. *Decretum Tridentinum de transferendis Monasteriis Monialium ad urbes.*

31. *Hoc Decretum hic effectum habere non potuit.*

I. SEcundus effectus clausuræ Monialium est, prohibitus quarumcumque personarum extranearum ad Moniales accessus, quem hisce verbis expressit Bonifacius VIII. " Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec „etiam honestæ [nisi rationabilis & manifesta causa exi„stat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia] „ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic à publicis „& mundanis conspectibus separatæ, omninò servire Deo „valeant liberiùs, & [lasciviendi opportunitate sublatâ] „eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia dili„gentiùs custodire.

II. Synodus verò Tridentina vetat, quemquam " in„gredi intra septa Monasterii, cujuscumque generis, sex„us, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia „in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœna ipso „facto incurrenda. Dari autem tantùm Episcopus aut Su„perior licentiam debet, ait Synodus, in casibus *necessariis* „neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque „facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel imposterum „concedendi. "

III. Hæc autem *necessitas* ingrediendi à Tridentino requisita, sic accepta & intellecta est, ut etiam ipsi Prælati tam sæculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum incumbit, ita demum auctoritate sibi ex officio attributâ ingrediendi Monasteria Monialium uti possint, si id faciant in casibus *necessariis* & à paucis iisque *senioribus* ac religiosis personis comitati, quemadmodum declaravit Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit: *Dubiis*, edita pro majore declaratione alterius Bullæ ejusdem Pontificis quæ incipit: *Ubi sacra* 28. in Bull. R. per quam revocatis quibuscumque licentiis seu indultis etiam à Romanis Pontificibus concessis, ingrediendi Monialium Monasteria, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibet ac interdicit " omnibus & quibuscum„que personis Ecclesiasticis & sæcularibus, ac etiam Or„dinum quorumcumque etiam Mendicantium Regula„ribus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Supe„rioribus quibus illas concedendi in casibus necessitatis „tantum ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne „Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitati„bus urgentibus dumtaxat ingredi, nevè Moniales sub „eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. "

IV. Casus *necessarii*, quibus Episcopis licet ingressum personarum sæcularium permittere, intelliguntur *respectu Monasterii*, non autem respectu ingredientis; sive necessitas debet se tenere ex parte *Monasterii*, uti sæpiùs declarasse S. Congregationem testatur Fagnanus ad *cap.* CUM VIRUM ※ *De Regularibus num.* 20.

V. Ad citatam Gregorii XIII. Constitutionem respexisse apparet Synodus P. II Cameracensis an. 1586. *tit. De Regularibus c.* 14. ubi habet: " Sed nec ipsi Episcopi, aut „eorum Vicarii, aut alii Superiores Monialium unquam „ingredi intra septa clausuræ, nisi *visitationis* aut alia *necessaria causa* sub pœnis contra ingredientes à jure decretis."

VI. Præcedenti vero capite de Præfecto Monialium ita loquitur: " Præfectus quoque ejusmodi Monialium, „seu ejus Capellanus, aut alius Sacerdos eam Ecclesiæ „partem ubi ipsæ psallunt, ne quidem prætextu ibidem „celebrandi vel concionandi ingrediatur. Quod si quis „ibi celebrare, aut concionari ausus fuerit, suspensionis à „divinis, Perfecta quæ eum admiserit, excommunicatio„nis pœnam ipso facto incurrant."

VII. Similiter *cap.* 12. vult ut " ad eas [Moniales] nul„lus omnino aut viris aut mulieribus etiam illustribus, e„tiam in *vestitionum* aut *professionum* solemnitatibus pa„teat accessus, sed per cancellos, cum *necessitas* erit, collo„quantur, exceptis tamen personis *necessariis*, utpote „Confessario [cum ad ægrotantium Monialium, quæ ad „confessionale accedere non possunt, confessiones audi„endas, aut sanctissimum Eucharistiæ vel extremæ Uncti„onis Sacramentum ipsis deferenda, & similia charitatis „officia iisdem ægrotis impertienda erit admittendus] „medico, chirurgo, bajulo vini aut cerevisiæ, fabris, & „similibus personis, quibus tamen non nisi in necessitate „ingressus pateat, quos duo antiquiores Sanctimoniales „comitentur."

VIII. Quod verò Synodus Cameracensis citato *c.* 12 nonnisi cum *necessitas* habuerit etiam ad cancellos colloquia Monialium cum viris aut mulieribus permittat, omnino ad finem clausuræ obtinendum conducit.

Quis enim nesciat, ex hujusmodi colloquiis non tantum quietem atque tranquillitatem Monialium turbari, sed & corda earum humano & mundano pulveri conspurcari; quin & nonnunquam castitati earum periculum imminere, earumque integritatem violari.

IX. Hinc consequens est, per illa colloquia clausuram aliquatenus violari; & consequenter ad Episcopum pertinere, hujusmodi colloquutionibus modum ponere, etiam in Monasteriis regimini Regularium subjectis.

„ Ideoque cum Episcopus Bellunensis olim retulisset „S. Congregationi Concilii nonnullos abusus circa facul„tatem *alloquendi* Moniales Regularibus subjectas, S „Congregatio respondit, hoc caput, quod *clausuram* ejus.

„con-

„equitant: dummodò ipsi sua marsupia resolvere non „cogantur, pecunias plus diligentes, quam Fratrum animas Christi Sanguine redemptas. Hinc est quod Fratres sibi ipsis provideant. Hinc proprietas incrementum capit. Quæ ubi ingressa semel fuerit, multas secum „trahit pedissequas, inobedientiam, intemperantiam, „ebrietatem, & id genus pestes alias."

VII. Ne verò Superioribus detur prætextus negandi Subditis necessaria, eo quod Monasterii proventus communes omnibus non sufficiant, meritò conformiter ad anteriores Canones & jus commune in *Cap. 1.* ⁂ *De Institut.* præcepit Synodus Tridentina, " ut in Monasteriis & „domibus tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is *tantum* numerus constituatur, ac imposterum conservetur, qui vel „ex reditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis „eleëmosynis *commodè* possit sustentari, " *Sess. 25. De Regularib. cap. 3.*

VIII. Quin etiam in formando hoc Decreto fuerit is Patrum Tridentinorum scopus, haud dubitavit Cardinalis Bellarminus, dum inter media extirpandi vitium proprietatis reponit, hujus Decreti maximè necessarii observantiam: " Tunc enim Præpositi, ait, jure cogere poterunt ad omnem proprietatem fugiendam & execrandam, si Ordo ipse singulis ea præbeat omnia quæ singulis necessaria sunt." *De gemitu columbæ lib. 5 cap. 6.*

IX. Ob hæc aliáque quæ exacta illius Decreti custodia à Monasteriis incommoda avertere posset dixit Innocentius X. in Bulla quæ incipit, *Inter cætera 23.* in Bull. R. quod " inter cætera quæ ad Regularem disciplinam „instaurandam conservandamque Sacro-sancta Tridentina Synodus salubriter decrevit, illud semper præcipuum & maximi momenti habitum est, quo injungitur „ut in singulis Monasteriis, & domibus Regularibus is „tantum numerus constituatur, & in posterum conservetur, qui vel reditibus propriis Monasteriorum; vel consuetis eleëmosynis commodè possit sustentari."

Quantopere Pontifices allaboraverint, quotque Decreta iterato edita fuerint, ut hoc Concilii Tridentini Decretum exactè observaretur, colligi potest ex illis quæ de hac re recitat Fagnanus ad *Cap.* RELATUM ⁂ *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant.*

X. Sed ne in ipso *necessariorum* usu vitium proprietatis se immisceat, duo à Religioso observanda sunt, quæ Clemens VIII. in sæpius citata Constitutione his verbis expressit: " Ne eorum quæ ad necessitatem concessa erunt, „ullus quidquam possideat *ut proprium*, neque *ut proprio* „utatur."

Primum igitur in his quæ ad *necessitatem* Religioso conceduntur, cavendum est, ne quidquam eorum possideat *ut proprium*; id est, eo loco habeat, quasi in illud *aliquid juris præ aliis* de Conventu prætenderet; illudque *ad nutum* Superioris sibi auferri, atque alteri applicari posse haud crederet.

XI. Quin Religiosus, qui hoc animo res sibi ad necessitatem concessas possidet, affectu *proprietarius* sit, nemo ambigit. Hinc illud S. Augustini in sua Regula *Cap. 8.* „Si fieri potest, non ad vos pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur; utrùm „hoc *recipiat* unusquisque, *quod deposuerat, an aliud* „*quod alter habuerat*: dum tamen unicuique, prout cuique opus est, non negetur."

XII. Imò ut ab hoc affectu Monachi se ostenderent planè exemptos, jam pridem vitio vertebatur Monachis, si vel verbo dixissent, *tunicam* MEAM, *tabulas* MEAS, *graphium* MEUM: uti videre est in Concordia Regularum edita per Hugonem Menardum *cap. 42.* qui ibidem ad §. 28. ait: " Non minima hæc hominis infirmitas, ut qui „in mundo multas opes & pretiosa quæque reliquerit, in „claustro ad nescio quas gerras & quisquilias *animum* adjungat, quæ sanè nos à Deo separant, cum illis affectu „serviamus, non Deo; nobisque illæ dominentur, non „Deo. Quamobrem, ait, antiqui illi Patres id unum „maximè studebant, ut animum discipulorum ab ejusmodi rerum affectu averterent: quemadmodum fecit S. „Dorotheus, qui discipulum suum Dositheum elegantis cujusdam cultelli usu prohibuit, quòd animum ejus „erga ejusmodi reculam propensum videret. Ut ipse Dorotheus in ejus vita refert."

XIII. Patrum spiritu plena S. Theresia in suis Constitutionibus *c. 53.* habet, " ut si quam Sororem advertent „Priorissa cupiam rei, sive cellæ, sive cuilibet alteri rei „cum affectu tenacius adhærere, magna sollicitudine curet ab illa Sorore rem illam auferri: idque in omnibus „Monasteriis, sive ea proprios habeant proventus sive „non, exactè & cum rigore observetur. Hæc ipsa Superior „sollicitè exequatur, nec patiatur ab aliis contra-iri, quod „si factum fuerit, ipsa à Provinciali severè puniatur."

XIV. Hoc saluberrimo remedio meritò utentur Ordinum quorumcumque Prælati & Superiores, dum ex modo agendi aut loquendi advertunt, aut non infundatè metuunt, ne quis subditorum rem aliquam sibi ad usum concessam, affectu *proprietatis*, sive *ut propriam* detineat; quemadmodum suprà citatum Directorium Coloniense monet; ac de hoc præ cæteris esse suspectos, qui aliqua pretiosiora aut elegantiora in usum suum habent, quàm reliqui de Communitate, quæ non *sine murmure* resignare vellent; monetque, vel eo solo titulo res hujusmodi Religiosis esse auferendas, *quia erga res minimas potest esse inordinatissimus affectus, qui sit peccatum mortale.*

XV. Alterum in his, quæ *ad necessitatem* conceduntur, à Religiosis sollicitè cavendum est, ne concessis utantur ut *propriis*, sive ne utantur rebus suo usui & ad necessitatem concreditis, tamquam *proprietarii* Quod tunc facere censebuntur, si rebus illis utantur non tamquam *alienis* & ad *necessitatem* sibi concessis, sed de illis tamquam *Domini* & *proprietarii* libere disponant.

XVI. Hoc verò præcipuè metuendum in his, qui extra Monasterium morantur, quorum conditio non permittit, ut *necessaria* sua *quotidie* à Superiore accipiant, sed requirit, ut aliqua pecuniæ summa eis credatur, quam in conquirendis sibi necessariis suo tempore expendant; qua occasione contingit, ut illâ pecuniâ non tamquam *pauperes* & *nihil propriis* habentes, sed tamquam pleni domini & proprietarii in quoscumque usus etiam non *necessarios*, nec à Superiore intentos utantur.

XVII. Prudentissimè ergo Canonici Præmonstratenses in suis Constitutionibus *Distinct. 2. Cap. 23.* monue„runt sui Ordinis Parochos, eorumque Capellanos, & „quosvis alios foris aliquod Beneficium vel Officium ob„tinentes, ut memores sint se Religiosos esse, *& tam*„*quam pauperes nihil possidere.*" Cui Decreto tamquam consequens præcipiendo subnectunt, ut nulla notabilia dona sive Parentibus, sive quibuscumque absque suorum Prælatorum consensu largiantur: aliaque nonnulla adjungentes, quæ pro *usûs* illius *restrictione* servire possunt; quo fiat ut nec ipsi, utpote voto paupertatis obstricti, rebus ad usum concessis *ut propriis* utantur.

CAPUT VIII.

Quomodo bona Monasterii à Superioribus dispensanda?

1. *Modum dispensandi præscribit norma Apostolica in Actibus Apostolorum descripta.*
2. *Hanc à Superiorib' servari volunt Regulæ Monasticæ*
3. *Superior singulorum necessitates sine personarum acceptione attendere debet.*
4. *Ægrorum sollicitam curam habere debet.*
5. *Præcipua radix peculiorum est neglecta cura infirmorum.*
6. *Providendum infirmis de necessariis, etiamsi exinde Monasterium debita aliqua contrahere deberet.*

7. Ita

7. *Ita dispensandæ res monachis à parentibus aut aliunde obvenientes, ne videantur hi plus juris habere quàm reliqui de Communitate*
8. *Periculum hujus persuasionis erit, si Superiores rerum illarum usum passim illis concedant, quibus illæ obveniunt.*
9. *Statutum Canonicorum Regularium, quo huic periculo occurritur.*
10. *Ut necessitatibus singulorum ex communi Monasterii substantia queat provideri, congruit, ut necessaria statui paupertatis sint commensurata.*
11. *Religiosi vi suæ professionis debent omnem in vestibus & suppellectile fastum vitare.*
12. *Decretum Canonicorum Præmonstratensium de servanda modestia & paupertate Religiosa.*
13. *Difficile est in magna divitiarum affluentia paupertatem servare.*
14. *Collapsio disciplinæ & observantiæ Monasticæ ex affluentia divitiarum profluit.*

I. MOdum, quem in dispensandis bonis *communibus* inter primos Fideles (qui normam vivendi Cœnobitarum sive Religiosorum in communi viventium delinearunt) Sacer Textus paucis his verbis expressit: *Distribuebatur singulis prout cuique opus erat*; hoc est, secundùm uniuscujusque indigentiam.

II. Hanc dispensationis normam ut Prælati & Superiores servent sollicitè Monachorum Regulæ inculcant. *Est ejus*, ait S. Basilius, *penes quem dispensandi munus est, illud exequi diligenter:* DISTRIBUEBATUR SINGULIS PROUT CUIQUE OPUS ERAT. *In Regulis breviorib. Resp.* 131.

"Victus & tegumentum [inquit S. Augustinus in Regula *cap.* 8.] *non æqualiter* omnibus distribuatur, quia *non æqualiter valetis omnes*, sed potiùs unicuique, sicut *cuique opus* fuerit: sic enim legitur in Actibus Apostolorum: *Quia erant eis omnia communia, & distribuebatur unicuique*, PROUT CUIQUE OPUS ERAT."

Quibus consonat illud S. Benedicti in Regula *cap.* 34. "Sicut Scriptum est: *dividebatur singulis prout cuique opus erat*. Ubi non dicimus, ut personarum, quod absit, acceptio sit, sed *infirmitatum* consideratio. Ubi qui minùs indiget agat Deo gratias, & non contristetur; qui verò plus indiget humilietur pro infirmitate, & non extollatur pro misericordia; & ita omnia membra erunt in pace."

III. Igitur Superior ut justam rectamque dispensandi normam teneat, debet singulorum conditiones & infirmitates considerare, atque ita singulis sine personarum acceptione ex communibus Monasterii proventibus, ad quos nullus præ alio plus juris habet, distribuere *prout cuique opus fuerit.* "Non ab eo [uti loquitur de Abbate S. Benedictus *cap.* 2.] persona in Monasterio discernatur, non unus plus ametur, nisi quem in bonis actibus & obedientia invenerit meliorem; æqualis sit ab eo omnibus charitas; una præbeatur omnibus secundùm merita disciplina."

IV. Illud verò sollicitè in hac temporalium dispensatione attendere debent Superiores, ut ægrorum & infirmorum curam habeant, providentes ut nihil necessarii ipsis desit.

"Infirmorum [ait S. Benedictus *cap.* 36.] cura *ante omnia & super omnia* adhibenda est, ut sicut reverà Christo, ita eis serviatur, quia ipse dicturus est: *Infirmus fui, & visitastis me*. Et, *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis*..... Ergo cura *maxima* sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus Fratribus infirmis sit cella super se deputata, & servitor timens Deum, & diligens, ac sollicitus.... Curam autem *maximam* habeat Abbas ne à Cellariis, aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid à discipulis delinquitur."

De Monachis sub Regula S. Pachomii viventibus scribit in præfatione ejusdem Regulæ, S. Hieronymus: *Ægrotantes ministrorum sustentantur obsequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis.*

"Ægrotantium cura, sive post ægritudinem reficiendorum, sive aliqua imbecillitate etiam sine febribus laborantium uni alicui decet injungi [ait S. Augustinus in Regula] ut ipse de cellario petat, quod *cuique opus* esse prospexerit."

Sanctus Fructuosus in sua Regula *cap.* 7. vult, ut infirmi "tanto ministerio foveantur, ut nec propinquorum affectus nec urbium delicias requirant; sed quod *necesse habuerint*, Cellarius & Præpositus provideant."

V. Et quid mirum, in omnium Ordinum Regulis & Constitutionibus adeò enixè commendari curam infirmorum? Experientiâ enim manifestum est, nullam esse Religiosis majorem tentationem, privata peculia sibi corradendi, & conservandi, quam si videant, ex communi Monasterii penu infirmis necessaria non subministrari.

Unde citatum Directorium Coloniense deplorans quod "procul à *voluntaria paupertate* abessent, qui ut in lecto ægritudinis suæ non egeant, & penuriam aliaque paupertatis incommoda non sentiant, pecuniam corradunt atque seponunt, vel reditus vitales aut perpetuos habent, unde tempore ægritudinis & necessitatis suæ consolationem habeant, & se à molestiis paupertatis tueantur atque defendant." Causam horum abusuum in ipsos Prælatos refundere non dubitat. "Quorum, ait, immisericordiâ huic irreligiosæ sollicitudini, & nefariis ausibus occasionem dedit, & januam aperuit; ut qui famulos Dei, qui omnia propter Christum dereliquerunt, dum ægrotabant ita dereliquisse visi sunt, ac si eorum cura tum ad eos non pertineret."

VI. Meritò proindè Patres Eremitæ S. Augustini in suis Constitutionibus *parte* 2. *cap.* 14. volunt, ut "sollicitè intendat Prior ne aliquid desit *infirmario* quod necessitati expediat infirmorum, etiamsi ob remedium eorum opus esset apud creditores *magna debita* contrahere, vel etiam *bona* Conventus *distrahere & vendere*? quando aliter *mederi* non possent."

VII. Attendere quoque tenentur Superiores; ut res quæ Religiosi vel suâ propriâ industriâ vel labore, aut Parentum sive amicorum liberalitate acquirunt, ita in ipsorum Fratrum necessitates dispensentur, ne ex modo dispensandi ipsis Religiosis ingeratur opinio, quasi plus juris ad harum usum haberent ipsi, quorum industriâ & labore sunt acquisitæ; vel in quorum gratiam à Parentibus datæ sunt, quam cæteri de Communitate.

VIII. Hujus verò persuasionis periculum erit, si advertant Superiores haud difficulter usum earum rerum concedere his, quorum labore partæ sunt, aut in quorum gratiam à parentibus oblatæ fuerunt, tametsi aliundè sciatur, Religiosos illos præ cæteris illarum rerum usu non indigere; imò esse interdum non paucos in communitate, quibus usus earum rerum magis conveniret, quin & subinde esset necessarius.

IX. Hoc periculum ut præveniant Superiores, admodum est conveniens, ut sæpius observent, quod in Constitutionibus Canonicorum Congregationis Windesemensis legitur *parte* 2. *cap.* 7. "Quod si alicui nostrûm, vestis aut cultellus aut aliud quid missum fuerit, ad Priorem deferatur; *& ex bona consuetudine non* EI CUI *missum est, sed* ALII *potius detur.*

X. Ut autem omnium necessitatibus providere possit ex *communibus* Monasterii *proventibus*, multum juvare poterit, si *necessaria* dispensentur secundùm quod ipsa professio Religiosæ *paupertatis* requirit.

"Mobilium verò usum [ait Synodus Tridentina] ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui *paupertatis*, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit." *Sess.* 25. *cap.* 2. *De Regularib.*

XI. Si omnibus in Christo baptizatis rectè dixerit Augustinus: *Quid tibi cum pompis saeculi, quibus renuntiasti?* nonne potiori ratione id Religiosis dicitur, qui præ reliquis Christi Fidelibus specialiter paupertatem & mundi contemptum profitentur; ita ut diametraliter eorum professioni videatur opponi, quidquid in eorum suppellectile aut Monasterii divitias aut mundi fastum præfert. Quod intelligens S. Benedictus in Regula *cap. 7.* ait, "Sextus humilitatis gradus est, si *omni vilitate* vel extremitate contentus sit Monachus."

Vilitate, ait, Hugo Menardus, *in cibo & potu, vestimento, calceario, & quocumque opere injuncto.* Ad Concord. Regul. *cap.* 16. §. 1.

Et *cap.* 55. loquens S. Benedictus de vestibus Monachorum, post varias earum designatas species, ait: "De quarum rerum omnium colore & *grossitudine* non causentur Monachi, sed quales inveniri possunt in provincia, in qua habitant, aut quod *vilius* comparari potest."

Si Sanctus Thomas rectè resolvat, *vilitatem* vestium Religiosis convenire, *quia Religio est status pœnitentiæ &* CONTEMPTUS MUNDANÆ GLORIÆ; quidni eâdem consequentiâ inferatur, vilem suppellectilem, humilia ædificia, cæteraque quæ *mundanæ gloriæ contemptum* exhibent Religiosis convenire?

Unde jam pridem S. Bonaventura sui Ordinis Provinciales monuit, "ut sumptuositatem ædificiorum, librorum ac ciborum ita statuant amputare, ut à *professionis excellentia vita observantia non discordet.*"

Et ante S. Bonaventuram dixerat. S. Bernardus de Ordine Cisterciensi: *Ordo noster abjectio est, humilitas est, voluntaria paupertas est.* Epist. 142.

XII. Utque Patrum ac veterum de hac *paupertate* & moderatione in suppellectile ac toto vitæ genere exhibenda omittam, unum hic è novissimis Canonicorum Præmonstratensium statutis adducam. Monent ipsi Ordinis sui Prælatos, "ut memores *suæ professionis*, ac SS. Patrum vestigiis inhærentes, modestâ suppellectili & mensâ, ac frugali victu semper utantur. In reliquo etiam vitæ genere, ac in tota sua domo caveant, ne quid appareat, quod à sancto *paupertatis* instituto sit alienum, vel quod non simplicitatem, Dei zelum ac contemptum vanitatum præ se ferat." *Dist. 2. cap. 4. §. 1. & 2.*

XIII. Scio quidem difficilè esse Religiosis & Abbatibus in magnâ illâ divitiarum abundantiâ, quæ hodie in pluribus Abbatiis habetur, paupertatem in *omni* vitæ genere conservare; nihilque vel in suppellectili, vel mensa, aut domo, vel comitatu habere, quod non paupertatem & mundanæ gloriæ contemptum præferat: Sed nec illud ignoro, quod in ipsam divitiarum copiam, Religiosæ disciplinæ & perfectionis casum & collapsionem plures veri Religiosi refuderint.

XIV. "Posteaquam census Monachi habere cœperunt & reditus [inquit Trithemius *homil.* 7.] pristina mox *humilitatis* studia defecerunt, crevitque paulatim cum divitiis rerum temporalium *superbia*. Quamdiu fuerunt pauperes Monachi Deum in veritate coluerunt postea verò quando *divitiis abundasse* cœperunt, *simplicitatem* fugavit duplicitas: Integritas namque observantiæ regularis abundantiam peperit rerum temporalium; sed paulatim *divitiæ* Monachorum *puritatem* Ordinis *funditus* extinxerunt."

Item *Sermone* 2. ad Monachos, cum dixisset, Ordinem Benedictinum mirum in modum orbem illustrasse, à suoque splendore tandem sensim decidisse, causam illius casus assignans ait: "Contulit Monachis Religio sancta divitias donec matrem filia suffocavit. Nam ut scriptura dicit: *Omnes qui volunt divites fieri incidunt in tentationes diaboli*: incrassatus est dilectus, & recalcitravit; impinguatus & dilatatus terrenis possessionibus, dereliquit institutionis *primæ sancta studia*; abiit post *vanitates* falsas, quem copia rerum temporalium, divitiis spiritualibus inopem & miserum fecit."

Sed de his latius infrà ubi de causis collapsionis disciplinæ Monasticæ agetur.

CAPUT IX

Titulus administrationis in simplici Monacho est pallium proprietatis

1. *An in* Cap. 2. ✠ De Statu Monach. *permittatur Monacho peculium de licentia Abbatis Titulo administrationis?*
2. *Sententia Glossæ.*
3. *Veteres Canonistæ docuerunt administrationem tantum posse concedi* Officialibus.
4. *Decretum Synodi Tridentinæ Veterum Canonistarum expositioni conforme.*
5. *Superiores non possunt Bonorum* stabilium *administrationem simplici Monacho committere.*
6. *Synodus etiam vetat administrationem concedi* simplici *Monacho cum* dependentia *à voluntate Superioris.*
7. *Licentia Superiorum non reddit Monachum immunem à vitio* proprietatis; *nec fidem adhibere debet Superiori asserenti se talem licentiam dare posse.*
8. *Ostenditur, Synodum Tridentinam non permittere, ut concedatur administratio* simplici *Monacho tametsi ad* nutum *Superioris* revocabilis.
9. *Nulla ex causa, nec ullo casu administratio* simplici *Monacho dari potest.*
10. *Dum conceditur* simplici *Monacho, constituitur in effectu usufructuarius.*
11. *Tametsi concedatur tantum* dependenter *à nutu Superioris.*
12. *Administratio concessa Officiali illum non facit proprietarium: & quare?*
13. *officialis potest constitui* proprietarius, *si proventus expendat in usus* proprios.
14. *Proprietarii erunt si emolumenta seu jura recipiant & reservent in usus proprios.*
15. *Decretum Synodi Cameracensis contra jura officialium.*
16. *Titulus administrationis pallium proprietatis aliquando erit, tametsi administratio committatur Officialibus Monasterii.*

I. CRedunt nonnulli, Monachis permissa esse peculia titulo administrationis de consensu Abbatis aut Superioris, juxta illud quod ex Concilio Lateranensi refertur in *Cap. 2. De Statu Monach.* "Qui verò peculium habuerit: nisi ab Abbate fuerit ei pro injuncta administratione permissum, communione removeatur altaris."

Ergo, inquiunt, Monacho peculium habere licet, si ei ab Abbate injuncta fuerit administratio; atque ipso peculio utatur de *licentia* Abbatis, & *dependenter* ab ejus voluntate.

II. Verùm, uti rectè notat Glossa ad citatum Capitulum, Monachus potest habere peculium de licentia Abbatis, sed *causâ administrationis*; id est, [uti advertit Fagnanus ad dictum Capitulum *num.* 42.] propter officium administrandi, quia Officialis est Monasterii. Et Innocentius famosus & antiquus Canonista exemplicat in Officialibus puta *Vestiariis*, vel *Eleemosynariis*.

III. Et Hostiensis in Commentario ad hunc textum expressè dicit, non comprehendi nisi Officiales pro administratione *temporalium* deputatos. "Puta, ait, quia est Vestiarius vel eleëmosynarius, vel Cellarius, vel alius quicumque certum habens officium, ratione cujus habet recipere & expendere in *usus Monasterii* sive Monachorum temporalia, sive sint pecuniæ vel quæcumque alia."

Idem asserit Joannes Andræas, additque, "Monachum non posse etiam *de licentia* Abbatis habere peculium si ejus officium tantùm versetur *circa spiritualia*: ut si sis Prior Claustralis, Sacrista, vel quis alius audiens confessiones, vel tantùm vacans observantiæ Regulari."

Verbo

Verbo, juxta mentem Glossographi & veterum illorum Canonistarum, permittitur Monacho habere peculium, si ab Abbate sit constitutus Officialis Monasterii, qui vi sui officii administrationem habeat peculii in utilitatem Monasterii, nequaquam verò in utilitatem propriam.

IV. Hanc Doctorum responsionem tamquam menti Concilii Lateranensis consonam amplexa Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 2. *De Regularibus* statuit: " Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari „concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum aut Conventuum ad solos officiales eorumdem, ad nutum Superioris amovibiles, pertineat."

V. Nulli ergo Regularium bonorum stabilium administrationem concedi à Superioribus posse declarat Synodus, sed *solis* officialibus? idque *dependenter* & ad nutum Superiorum; id est, quod etiam illam administrationem possint illis officialibus semper auferre.

VI. Unde [ut monet Fagnanus loco citato *num.* 49.] "valde inepta est illorum interpretatio, qui asserunt Concilium hoc loco non prohibere administrationem, quam „habent Regulares *dependenter à voluntate suorum Superiorum.* Siquidem verba Concilii non diriguntur in „Subditos, sed *in Superiores* tantùm, ibi: [*nec deinceps liceat Superioribus*] unde cùm improbetur administratio illa, quæ conceditur à Superioribus, sequitur evidenter ut propriè improbetur administratio, quam habent „Regulares *dependenter à voluntate* eorumdem Superiorum, nam si Superioribus non licet concedere alicui administrationem stabilium, ergo non pendet ab eorum „voluntate efficere administrationem licitam, vel illicitam: sicuti videmus usum superfluum bonorum non fieri licitum ex eo, quòd Regularis dicat: *Ego teneo immobilia superflua dependenter à voluntate meorum Superiorum, & ad eorum nutum,* quia Superiores non habent „super hoc dispensandi facultatem."

VII. Testatur quoque ibidem *nu.* 51. quod " consulta S. „Congregatio, an propter talem dispensationem seu licentiam Superiorum possidentes vel tenentes bona immobilia, vel mobilia superflua, à culpa vel pœna excusentur; responderit, non excusari neque à culpa, neque à „pœna ipso facto incurrenda; ac insuper, Superioribus „asseverantibus hujusmodi se licentias posse concedere, „fidem non esse adhibendam."

VIII. Præterea cùm Concilium Tridentinum primo constituat regulam negativam per hæc verba: *Non liceat deinceps Superioribus* &c. ac deindè subjiciat exceptionem à regula dicens: *Administratio autem ad* SOLOS *Officiales ad* NUTUM AMOVIBILES *pertineat*, si Concilium in dicta regula [ait Fagnanus loco citato *num.* 52.]" „non prohibuisset simplici Monacho administrationem „ad nutum? regula non differret ab exceptione, quia eodem modo esset permissa administratio ad nutum simplici Monacho, atque officiali monasterii, quod esset „absurdum; quia de natura exceptionis est ut sit contra „regulam, & eam vitiet in casibus exceptis."

IX. Ex his aliisque argumentis ex ipso Decreto Tridentino desumptis concludit tandem Fagnanus *num.* 59. "Administrationem bonorum stabilium, seu peculium, „ex nulla causa & nullo casu Regularibus esse permissam, „*solis* Officialibus dumtaxat exceptis."

Ratio verò diversitatis inter simplicem Monachum & Officialem quoad administrationem rerum temporalium nequaquam obscura est.

X. Dum enim *simplici* Monacho conceditur administratio, ea conceditur ut proventus in suos particulares usus convertat; atque ita " *in effectu* potest dici usufructuarius bonorum, [ait Fagnanus *num.* 42.] nam cùm possit de fructibus disponere, dicitur habere jus utendi & fruendi, & sic *usumfructum.* Nec refert quod non possit „de illis disponere nisi in honestos usus: nam nec Clerici „sæculares possunt erogare fructus superfluos Beneficiorum suorum nisi in usus pios, & tamen in vita dicuntur „usufructuarii."

XI. " Et similiter, pergit Fagnanus, nihil refert quod „administratio possit eidem auferri ad nutum Abbatis; „siquidem hoc non tollit quin durante administratione „habeat jus utendi & fruendi. Unde propriè dici potest „usufructuarius *ad beneplacitum.*

"Quapropter, infert idem, Titulus *administrationis* „nihil est aliud quam *palliamentum* quoddam ad cohonestandum *proprium*; verè enim usufructuarius est Dominus fructuum."

XII. At secus est in Officiali Monasterii, quia is constituitur administrator in utilitatem Monasterii sive Communitatis; adeoque de proventibus nequaquam disponere potest in usus proprios; sed omnia convertere ac dispensare debet in usus Monasterii, sive illos ad quos ejus officium seu administratio illum adstringit; alioquin si in privatos suos usus impendat, nec furti, nec *proprietatis* crimen evadet.

XIII. " Sollicitè etiam observabit Procurator [inquiunt Constitutiones Canonicorum Regularium Capituli „Windesemensis *parte* 2.] ut concreditas sibi pecunias „in *nullos* quam *officii sui* usus expendat, exactè ad id Prioris sui ordinationem & voluntatem exequendo, ne alioquin *furti* judicio, & tamquam *proprietarius* condemnetur."

Quin nec Officiales immunes erunt à vitio proprietatis, si ipsi ratione suæ administrationis seu officii aliqua jura accipiant, eaque non in communes, sed privatos suos usus reservent impendenda: cum non minus illa, quam alia quæcumque Religiosis quocumque titulo obvenientia debeant Conventui incorporari, ut in communes usus expendantur.

Hinc Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Regularib. c.* 10. volens pestifero proprietatis vitio obviare inter alia mandat: "Rescindant insuper Superiores & aboleant prorsus universa illa *emolumenta, & jura* quæ antiquo more „quibusdam Monasteriorũ Officialib⁹ concedi solebant."

Si ergo Officialibus ad nutum Superiorum etiam amovibilibus tantum possit concedi bonorum stabilium administratio, ut proventus in usus *communes*, tamquam *Communitatis* Officiales administrent, facile est videre, quod titulus administrationis non desinit esse merum *palliamentum ad cohonestandum proprium*, si v. g administratio redituum vitalitiorum Officialibus quidem Monasteriorũ committitur, non in communem Monasterii, sed in privatã illius, in cujus favorem sunt reservati, utilitatem.

TITULUS XXX.

De Voto Castitatis.

CAPUT I.

Professio Religiosa includit votum Castitatis saltem implicitè; & ad quid obliget?

1. *In pristinis Monachorum formulis professionis nulla occurrit* expressa *voti Castitatis mentio.*
2. *Etiam plures recentiores illius* expressam *mentionem non faciunt.*
3. *Primus illius expressam mentionem fieri voluit S. Franciscus.*
4. *Hodierna Franciscanorum formula votum castitatis expresse continet.*
5. *Exemplo S. Francisci nonnulli Ordines cœperunt votum castitatis in formula professionis exprimere.*
6. *Formula professionis Eremitarum S. Augustini hodie exprimit votum castitatis.*

7. *Similiter formula Carmelitarum, licet Regula id non exprimeret; quare, & quando exprimere cœperit?*
8. *Etiam Monachi in quorum professionis formula votum castitatis non exprimitur, voto castitatis obstringuntur; & quomodo?*
9. *Votum Castitatis duo includit.*
10. *Monachi Matrimonium contrahentes olim excommunicabantur.*
11. *An votum Castitatis olim dirimeret Matrimonium, incertum; at hodie certum est.*
12. *Ut votum Religionis dirimat Matrimonium debet emitti in Religione per Sedem Apostolicam* approbatâ.
13. *Solemnitas voti, uti & efficacia ad* dirimendum, *pendet à jure positivo.*
14. *Ipsa professio non dat voto illam efficaciam, sed positiva constitutio ei accedens,*
15. *Primum votum, quod emittunt Scholares Societatis JESU, quodam sensu rectè dicitur* solemne.

I. IN nullis Veterum Monachorum Regulis; quin nec in Benedictina, ulla expressa & specialis professio sive promissio servandæ Castitatis sive continentiæ occurrit; imo nec in hodierna Benedictinorum professionis formula castitatis servandæ ulla mentio habetur.

II. De suo similiter Carthusiensium aliisque ordinibus testatur Petrus Dorlandus: " Nos Carthusienses, sed & „Cluniacenses, & Camaldunenses & Cistercienses & Ca„nonici Regulares, nec paupertatis, nec *castitatis* votum „palam emittimus."

Neque in primigenia Carmelitici Ordinis Regula à S. Alberto exarata ulla *castitatis* professio continetur; sed c. 1, dicitur dumtaxat, quod Priori *obedientiam promittat quilibet aliorum, & promissam studeat operis veritate servare.*

III. Primus qui castitatis & paupertatis expressam mentionem professionis formulæ adjecit, videtur fuisse S. Franciscus; qui *capite* 1, suæ Regulæ habet: " Regula & „Vita Fratrum Minorum hæc est, scilicet Domini Nostri „Jesu Christi sanctum Evangelium observare, *vivendo in* „*obedientia, sine proprio, & in* CASTITATE."

Deinde *capite* 2. ait: " Finito verò anno probationis, „recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam „& Regulam istam semper observare."

Ex quibus lat manifestè habetur, quod juxta Regulam S. Francisci Professuri promittere deberent, idque verbis *expressis*, vivere in obedientia, *sine proprio*, & in CASTITATE.

IV. His consonat hodierna formula professionis Fratrum Minorum, quæ hoc tenore exprimitur. " Ego frater „N. voveo & promitto Deo & Beatæ Mariæ Virgini & „Beato Francisco, ac omnibus Sanctis, & tibi Pater, toto „tempore vitæ meæ servare Regulam Fratrum Minorum „per Dominum Honorium Papam confirmatam, viven„do *in obedientia, sine proprio & in* CASTITATE.

V. Ordinis Minorum formulam tamquam clarius & expressius tria illa vota exprimentem, nonnulli alii Ordines postmodum imitati sunt; atque tria illa, vivere in *obedientia, sine proprio, & in Castitate*, in formula suæ professionis exprimere cœperunt.

VI. Ita Fratres Ordinis Eremitarum S. Augustini expresse vovent obedientiam, & *vivere sine proprio, & in Castitate* secundùm Regulam Patris Augustini usque ad mortem: quamquam ipsa Regula Augustini nullam professionem expressam *Castitatis* præscribat: quam nec Ordo Prædicatorum nec Canonicorum Regularium, tametsi Regulam Augustini profiteantur, in suæ professionis formula exprimunt.

VII. Professioni quoque Carmelitarum per Innocentium IV in Constitutione, quâ Regulam Albertinam declarat & mitigat, addita fuere hæc verba: *cum Castitate & abdicatione proprietatis.*" Verebantur enim (ait R. P. Pa„penbrochius in commentario prævio ad vitam S. Alber„ti 8 Aprilis *cap.* 11. *num.* 115.) ne absque *explicita* „trium Religiosorum votorum professione, negarent a„liqui pro verè Religiosis habendos Carmilitas; ex vulgi „scilicet imperiti sensu: Nam explicita trium votorum „professio usitata non fuit in Monachatu veteri." Additque, quod ante *Mendicantium* tempora numquam fuit tam clarè expressa trium votorum Religiosorum distinctio

VIII. Num igitur veteres Monachi, atque etiam moderni, qui in suæ professionis formula *Castitatis* mentionem non faciunt, CASTITATIS voto non obstringuntur? Omnino. Nam qui se Deo per susceptionem vitæ Monachalis dedicat, vovetque, is se obstringit vivere secundùm eam vivendi normam, quam vovet.

Porrò vita Monastica includit, ac semper inclusit *essentialiter* cælibatum, sive custodiam continentiæ seu obligationem vivendi *in Castitate*; ita ut si cælibatum destruas, ipsum Monachatum destruas.

Qui ergo Regulam ac vitam Monasticam olim vovebat, quique hodie eam vovet, etiam consequenter vovet vivere *in Castitate*; tametsi formula professionis votum Castitatis explicitè non contineat; eo quod Regula & vitæ norma, quam professus est, obligationem vivendi in Castitate *essentialiter* includit; juxta illud Innocentii III. in *cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *De Statu Monach.* " Abdicatio proprietatis & *custodia Castitatis* adeo est an„nexa Regulæ Monachali, ut contra eam nec summus „Pontifex possit dispensare."

IX. Duo verò includit votum *Castitatis* in Religione emissum. Primùm vivere in *Castitate* extra Matrimonium; sive omnia peccata seu interna seu externa contra *Castitatem* vitare; idque etiam ex voto: adeò ut, si Religiosus peccet contra Castitatem, non tantum committat simplex peccatum *carnis*; sed etiam contra votum; & votifragus sit.

Secundùm quod includit votum *Castitatis*, est abstinere à conjugio & ab omni actu conjugali.

X. Unde jam pridem in concilio Calchedonensi *Can.* 16. Decretum legitur: " Virginem quæ se Domino Deo „dedicavit, similiter & *Monachos* non licere matrimonio „conjungi. Sin autem hoc fecisse inventi fuerint, sint ex„communicati. Ostendendæ autem in eos humanitatis „auctoritatem habere statuimus Episcopum ejus loci." „Gratianus *caus.* 27. *q.* 1. *Can.* 22.

XI. Num professio Monachalis, ipsumque votum Castitatis *implicite* saltem in professione Monastica contentum, etiam olim matrimonium contractum *dirimeret*, nullumque redderet, non æque expeditum est.

Illud expeditum est, votum Castitatis sive explicitè sive implicitè in Religione approbata emissum, hodie matrimonium contractum *dirimere*; atque tale votum ponere impedimentum *dirimens*, uti expressum est in *Cap. Unico De Voto in* VI.

XII. Hoc quoque ex eadem Decretali habetur, hodie illud votum dumtaxat dici " solemne, ac ad matrimonium „dirimendum efficax; quod solemnizatum fuerit per „susceptionem sacri Ordinis, aut professionem expressam „vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem A„postolicam approbatis."

XIII. Constat insuper, hanc efficaciam votorum dirimendi matrimonium contrahendum esse ex mero jure positivo.

Si enim præveniendo jus positivum votum castitatis à Monacho emissum efficaciam habuerit dirimendi matrimonium postea contractum, indubiè etiam illam efficaciam habuit votum castitatis emissum in Religione per Sedem Apostolicam *non approbata.*

Certum quippe est, ante sæculum 13. nequaquam receptum fuisse, ut nova Monachorum institutio à Sede Apostolica approbationem vel confirmationem habere deberet, uti suprà *tit.* 24. *cap.* 2. notavimus.

Cum verò hodie hæc efficacia solis votis in Religione per Sedem Apostolicam approbata emissis tribuatur, manifestum est, hoc totum à jure positivo dependere. Unde illud Glossæ ad citatum Capitulum unicum :

„Non

Non est ipsum votum quod matrimonium dirimit: sed est ipsa *constitutio* Ecclesiæ."

XIV Hinc quoque elicitur, non esse ipsam externam formam professionis seu emissionis, quæ faciat votum *solemne* ad hunc effectum *dirimendi* matrimonium; sed ipsa Constitutio positiva dans hanc efficaciam alicui voto, una illud reddit *solemne* ad hunc effectum; atque ita juxta modernam phrasim, vota dicuntur *solemnia*, quibus jus positivum similem vim attribuit: & hoc titulo rectè dicitur in allegato Capitulo unico, quod voti *solemnitas ex sola* „Constitutione Ecclesiæ est." Hinc consequens, quod propriè loquendo, votum primum in Societate, postquam à Gregorio XIII. in Bulla quæ incipit, *Ascendente Domino*, efficax factum est ad dirimendum matrimonium, non incongruè *solemne* dici possit; quamvis adhuc *simplex* vulgo dicatur: ideo forsan, quod non *stabiliter* statui alicui astringat: eo quod post emissionem hujusmodi voti, possit huc è Societate dimitti, & à voto absolvi.

CAPUT II.

Mulierum ad claustra & Oratoria Monachorum ingressus quomodo vetitus?

1. *Antiqua Patrum Regula omnem mulierum conversationem Monachis severè interdixit.*
2. *Quarumcumque mulierum ingressus in Monasteria Monachorum vetitus.*
3. *Ægerrimè tulit S. Gregorius mulierum in Monasteria ingressum; & vetuit Monachis habere Commatres.*
4. *Abbas permittens mulierem ingredi Monasterium festivitates videndi causâ pœnitentiæ subjicitur.*
5. *Interdum etiam excommunicandus dicitur.*
6. *Nonnullæ mulieres illustriores obtinuerunt licentiam intrandi Monasteriorum septa, at eas revocavit P.V.*
7. *Gregorius* XIII. *Constitutionem Pii* V. *renovavit; & declaravit in illa* omnes *generaliter mulieres comprehendi.*
8. *Decretum Eremitarum S. Augustini contra ingressum mulierum in Monasteria.*
9. *Olim etiam ad Ecclesias Monachorum mulieribus non patebat accessus.*
10. *Ea disciplina fuit sæculo VII. in Monasterio Lanbiensi.*
11. *Etiam sæculo X. in Monasterio S. Bertini.*
12. *Ut Mulieres à suis Oratoriis Monachi arcerent, Missas* publicas *in iis fieri noluerunt: Quid Missa publica.*
13. *Hæc disciplina etiam usque sæculum* 13. *durasse videtur.*
14. *Hæc disciplina etiam hodie & populo & Monachis sæpè esset conveniens & utilis.*
15. *Dum mulieres ad Ecclesias Religiosorum admittuntur, curandum ut à Religiosis sint sejuncta.*
16. *Laudabile quoad hoc PP. Prædicatorum Decretum.*
17. *Etiamsi juxta modernam disciplinam liberior sit mulierum ad Ecclesias & Monasteria Religiosorum accessus, omnis tamen familiarior conversatio vitanda*
18. *Salubre in hoc Eremitarum S. Augustini Decretum.*

1. MUlierum conversationem Monachis in Castitate vivere, desiderantibus, & ad eam servandam vi suæ professionis adstrictis admodum periculosam existimantes Patres, omne, quantum possibile est commercium mulierum Monachis interdixerunt.

„ Familiaritatem omnium mulierum [ait vetus Patrum Regula quam Lucas Holstenius *tertiam* vocat] „ tam parentum quam extranearum pro custodienda vita, „ vel cavendis laqueis Diaboli, ab omnibus Monasteriis „ vel culturis Monachorum; seu frequentationem Monachorum à Monasteriis puellarum, sicut Regula docet, „ prohibere censemus. Neque ulla mulier in interius atrium Monasterii ingredi audiat. Quod si cum consilio „ vel voluntate Abbatis Monasterium vel cellulas Monachorum quædam fuerit ingressa, merito ipse Abbas & „ nomen Abbatis deponat, & inferiorem se omnibus „ Presbyteris recognoscat, quia talis sancto gregi præponi „ debet, qui eos immaculatos Deo offerre procuret; non „ per quaslibet familiaritates diabolo sociare festinet."

II. Regula S. Cæsarei Episcopi Arelatensis *c.* 11. "Mu„ lieres in Monasterio numquam ingrediantur." Et fortius alius Arelatensis Episcopus S. Aurelianus in Regula *cap.* 15. "Mulieres verò, nec Religiosæ nec sæculares, nul„ læ omninò, nec Abbatis, nec cujuscumque Monachi „ mater, aut quælibet propinqua aut nota ad salutandum, „ aut ad orationem ingredi permittatur."

III. Quàm ægrè tulerit S. Gregorius mulierum in Monachorum domos ingressum, colligi potest ex Epistola ejus ad Valentinum Abbatem *Lib.* 3. *Ep.* 40. in qua scribit:" „ Pervenit ad nos, quod in Monasterio tuo passim Mulie„ res ascendant, & quod adhuc est gravius, Monachos tuos „ sibi commatres facere, & ex hoc incautam cum eis com„ munionem habere. Ne ergo hac occasione humani ge„ neris inimicus sua eos, quod absit, calliditate decipiat: „ ideo hujus te præcepti seriò commonemus; ut neque „ mulieres in Monasterio tuo deinceps qualibet occasione „ permittas ascendere, neque Monachos tuos eas com„ matres sibi facere. Nam si hoc denuò ad aures nostras „ quocumque modo pervenerit; sic te severissimæ nove„ ris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate „ cæteri sine dubio corrigantur."

IV. Quin & jam pridem Antissiodorensi Concilio decretum fuit: "Si quis Abbas mulierem in suo Monasterio „ ingredi permiserit, aut festivitates aliquas ibi spectare „ præceperit, tribus mensibus in alio Monasterio retruda„ tur, pane & aquâ contentus." *Can.* 26.

V. Et Concilium Turonense II. *Can.* 15. " Ut mulier „ intra septa Monasterii *nullatenus* introire permittatur. „ Si Abbas in hac parte, aut Præpositus negligens apparu„ erit, qui eam viderit, & non statim ejecerit, *excommuni„ cetur.*"

Plures in hanc rem Canones refert Grat. *caus.* 18. *q.* 12.

VI. Cumque nonnullæ mulieres, præcipue illustrium familiarum à Romanis Pontificibus licentiam contra hanc Canonicam institutionem accepissent? atque hâc licentiâ prætenderent sibi liberum in ipsa Monasteriorum etiam virorum septa patere introitum, Pius V. expendens periculum ex hujusmodi mulierum ingressu & conversatione Religiosis imminens, Constitutionem in forma *Brevis* edidit, qua omnes hujusmodi licentias quocumque titulo, & quibuscumque mulieribus concessas revocavit & annullavit, "districtè prohibentes, ait. mulieribus quidem „ prædictas facultates & licentias prætendentibus, sub ex„ communicationis latæ sententiæ pœna, postquam ha„ rum litterarum notitiam habuerint, à qua non possint „ nisi à nobis, aut Romano Pontifice, qui pro tempore „ fuerit, absolvi, præterquam in mortis articulo, ne di„ ctas domos & Monasteria ingredi audeant.

„ Ipsis vero Monasteriorum & Conventuum Abbati„ bus, Præpositis, Prioribus, & aliis Præsidentibus quo„ cumque nomine vocentur, & eorum Monachis, Cano„ nicis, & Fratribus, sive mendicantibus, sive non mendi„ cantibus, sub privationis officiorum, quæ in præsentia „ obtinent. & inhabilitatis in posterum ad illa & alia om„ nia, & suspensionis à divinis ipso facto, sine alia declara„ tione; incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittere„ ve præsumant."

VII. Hanc Constitutionem rursus renovavit Gregorius XIII. in Constitutione quæ incipit, *Ubi gratiæ* 28. in B. R.

Cumque postmodum dubitaretur, num hoc Decreto tantum comprehendere voluisset mulieres hujusmodi licentias habentes, respondit idem Pontifex, mentem suam fuisse, comprehendere *omnes & quascumque mulieres alias, tam in genere, quam in specie.* Habetur hæc declaratio in Bullario R. ad calcem citatæ Constitutionis.

Disciplinam hanc Patrum Regulis, atque Conciliorum & Pontificum Decretis expressam & firmatam, passim Ordinum Constitutiones inculcant; serioque ac solicitè conservari præcipiunt.

VIII Et

Pro conservanda castitate convenit sæcularium per sonarum fuga. (*dictus.*
Egressus è Monasterio Monialibus jam pridem inter-
Q. a. .ura olim haberetur ut castitatisVirginum extra Monasteria habitantium consuleretur.
5. *Sæculo 5. Clausura Monialium nota fuit.*
6. *Fixa & generalis non fuit circa Monialium clausuram disciplina ante sæculum* 13.
7. *Constitutio Bonifacii* VIII. *circa clausuram Monialium.* [*innovans.*
8. *Decretum Concilii Tridentini eandem Constitutionem*
9. *Pius V. declaravit omnes quascumque Moniales Decreto Tridentino comprehendi.*
10. *Idem Pontifex egrediendi licentiam nonnisi ex tribus causis concedi posse edixit.*
11. *Vigore Concilii Tridentini Episcopus habet auctoritatem in omnia generatim Monasteria Monialium in his quæ Clausuram concernunt.*
12. *Episcopus potest visitare Monasteria Monialium etiam Regularibus subjecta quoad ea quæ* Clausuram *spectant.*
13. *Primus effectus Clausuræ est prohibitus egressus Monialium è Monasterio.*
14. *Quæ sit justa causa dandi licentiam egrediendi, non determinavit Tridentinum: tres expressit Pius* V.
15. *Prima causa est*, magnum incendium; *& quid per illud intelligatur.* [*tendum?*
16. *Quæ sit infirmitas ratione cujus egressus sit permit-*
17. *Causæ à Pio V. expressa etiam in Synodis fuerunt probatæ,*
18. *An aliquando liceat indulgere egressum ob rationes à Pio V. non expressas.*

1. **A**B ipso Ecclesiæ exordio fuisse mulieres virginitatem servantes etiam ipsa Acta Apostolorum testantur *Cap.* 21. ℣ 9. ubi de Philippo refertur: *Huic autem erant quatuor filiæ* VIRGINES *prophetantes.*

Idem confirmant Patrum de Virginibus multiplicia scripta; quibus suam erga illas specialem curam ac sollicitudinem expresserunt.

„Nunc nobis [ait S. Cyprianus *De disciplina & habitu Virginum*] ad Virgines sermo est, quarum quo sublimior gloria est, major & cura est. Flos est ille Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritalis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atque incorruptum; Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini, illustrior portio gregis Christi. Gaudet per illas atque in illis largiter floret Ecclesiæ matris gloriosa fœcunditas: quantòque plus copiosa virginitas numero suo addit, tantò plus gaudium matris augescit. Ad has loquimur, has adhortamur affectione potiùs quàm potestate: non quod extremi & minimi & humilitatis nostræ admodum conscii, aliquid ad censuram licentiæ vindicemus; sed quod ad sollicitudinem magis cauti, plus de Diaboli infestatione timeamus.

II. Inter cætera autem quæ pro custodia Virginitatis Patres suggessêre, fuit hominum sæcularium, atque præcipuè alterius sexûs fuga, atque ab omni mundana & externa hominum conversatione sequestratio.

III. Et quidem, dum circa sæculum IV. formari cœperunt Virginum Monasteria, cœpit quoque eis egressus è Monasterio, si non totaliter, saltem extra necessitatis casus, & citra Superioris licentiam interdici.

Sanctus Basilius De Institutione Monachorum inter alia præcepta seu regulas habet: " Egredi verò *extra Monasterium*, præterquam ubi statutis temporibus *necessitas* postulaverit, nemini licitum esto. "

Ne verò crederetur quæ ab eo tradita sunt ad solos Monachos spectare, monet ea non tantum in Virorum, sed & Virginum Monasteriis esse servanda; atque in his eo accuratius, quanto in his majus est periculum, " Verum, ait, quoniam non Virorum modo conventus sunt, sed etiam *Virginum*, cætera quidem omnia, quæ hactenus præcepta tradidimus, æque utrisque communia sunto. „Unum tamen illud scire convenit, longe accuratiorem, majoremque in fœminarum vita quam in virorum, disciplinam requiri, veluti voluntariæ paupertatis virtutem, quietem atque silentium, obedientiam, studium in sorores, cautionem *in publicum prodeundi*, diligentem quibuscum colloquium sit, animadversionem, parem inter ipsas mutuo benevolentiam, & illud, quod nulla seorsim apud eas conventicula sint. In his enim omnibus in virginum vita accurandis, majore quodam multo opus est studio," Hæc Basilius *De Instit. Monach.*

Hinc licet, quàm sollicitè Basilius Virginibus clausuram Monasterii commendaverit.

De Monasterio Virginum in Thebaide, in quo sæculo IV. vixit S. Euphrasia, legitur in hujus vita: " Nulla earum *januas exibat*. Erat autem janitrix per quam responsa omnia fiebant matura. " Apud Bollandum ad 13. Martii.

IV. Eodem sæculo in Concilio Carthaginensi III *Can.* 33. decernitur: " Ut Virgines sacræ, cum parentibus, à quibus custodiebantur, privatæ fuerint, Episcopi, vel Presbyteri, ubi Episcopus absens est, providentiâ, gravioribus fœminis commendentur, aut simul habitantes invicem custodiant: ne passim vagando, Ecclesiæ lædant existimationem.

V. S. Cæsarius in Regula ad Virgines *cap.* 1. " Si qua relictis parentibus suis sæculo renuntiare, & sanctum ovile voluerit introire, ut spiritualium luporum fauces Deo adjuvante possit evadere, usque ad mortem suam de Monasterio non *egrediatur*, nec de Basilica, ubi ostium esse videtur. "

VI. Quâ solicitudine Virginibus clausura omnibus sæculis inculcata fuerit, speciali tractatu novissimè ostendit Joannes Baptista Thiers, qui tamen rectè advertit, non semper nec ubique eamdem fuisse circa clausuram sacrarum Virginum disciplinam; neque fuisse aliquam generalem Ecclesiæ legem, omnibus indifferenter Monialibus clausuram perpetuam imponentem ante Bonifacium VIII. qui sub finem sæculi XII. & initium XIV. Pontificatum gessit.

VII. Hic edita Constitutione quæ refertur in *Cap.* PERICULOSO, *De Statu Regular.* in VI. generaliter omnibus Monialibus perpetuam clausuram imposuit. " Periculoso & detestabili quarumdam Monialium statui [quæ honestatis laxatis habenis, & Monachali modestiâ, sexûsque verecundiâ impudenter abjectis, extra sua Monasteria nonnumquam per habitacula sæcularium personarum discurrunt, & frequenter intra eadem Monasteria personas suspectas admittunt, in illius, cui suam integritatem voluntate spontanea devoverunt, gravem offensam, religionis opprobrium & scandalum plurimorum] providere salubriter cupientes, præsenti constitutione perpetuò irrefragabiliter valitura, sancimus, universas & singulas moniales præsentes atque futuras, cujuscumque Religionis sint vel Ordinis, in quibuslibet mundi partibus existentes, sub perpetua in suis monasteriis debere de cætero permanere clausura: ita quòd nulli earum Religionem tacitè vel expressè professæ, sit vel esse valeat quacumque ratione vel causâ [nisi fortè tanto & tali morbo evidenter earum aliquam laborare constaret, quòd non posset eum aliis absque gravi periculo seu scandalo commorari] monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas. "

VIII. Hanc Bonifacii Constitutionem innovavit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *De Regularibus cap.* 5. atque " universis Episcopis, sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, præcipit, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis, ordinariâ, in aliis verò Sedis Apostolicæ auctoritate, clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui; & ubi inviolata est, conservari maximè procuret: inobedientes atque contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliásque pœnas, quâcumque appellatione postpositâ, compescentes, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Quòd auxilium ut præbeatur, omnes

"Chri-

„ Christianos Principes hortatur S. Synodus, & sub excommunicationis pœna ipso facto incurrendâ, omnibus Magistratibus sæcularibus injungit. Nemini autem „ Sanctimonialium liceat post professionem exire à Monasterio, etiam ad breve tempus, quocumque prætextu, „ nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbanda: „ indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus."

IX. Pontifices Romani, signanter Pius. V. & Gregorius XIII. dictam Bonifacianam Constitutionem, nec non hoc Concilii Decretum suis respectivè Bullis non tantùm particulatim approbârunt, ac denuo innovârunt, sed aliquatenus etiam adauxerunt.

Etenim cùm dubitari potuisset, num Synodus Trid. suo Decreto comprehenderet Monasteria Monialium, in quibus clausura numquam fuit recepta, & quæ ex sua Regula aut Institutione ad clausuram non adstringuntur, Pius V. declaravit, "universas & singulas Moniales, præ„sentes atque futuras, cujuscumqne Religionis, Ordinis „ vel Militiarum, etiam Hierosolymitanæ sint, quæ vel „ jam receptæ sint, vel imposterum in quibusdam Mona„steriis sive Domibus recipientur, & tacitè vel expressè „ Religionem professæ, etiamsi *conversæ*, aut quocumque „ alio nomine appellentur, etiam si ex institutis, vel fun„dationibus earum regulæ ad clausuram non teneantur, „ nec umquam in earum Monasteriis, seu domibus, etiam „ ab immemorabili tempore ea servata fuerit, sub perpe„tua in suis Monasteriis, seu domibus debere de cætero „ permanere clausura, juxta formam dictæ Constitutio„nis fel. record. Bonifacii Papæ VIII. prædecessoris no„stri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Conc. Trid. appro„batam, & innovatam, quam nos auctoritate præfata eti„am approbamus & innovamus, in omnibus & per om„nia, ac illam districtè observari mandamus."

Insuper cùm Synodus causam legitimam egrediendi Monasterium Episcopi judicio permisisset, Pius V. in determinationem ac generalitatem restringens, nullâ occasione, nullovè alio prætextu licentiam indulget, "*nisi ex „ causa magni incendii, vel infirmitatis, lepræ, aut epidi„miæ*, quæ tamen infirmitas, præter alios Ordinum Supe„riores quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam „ per Episcopum, seu alium loci Ordinarium, etiamsi præ„dicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum ju„risdictione exempta esse reperiantur, cognita & expres„se in scriptis approbata sit, à Monasteriis præfatis exire, „ sed nec in prædictis casibus extra illa, nisi ad necessarium „ tempus stare licere."

X. Si ergo Bonifacianam Constitutionem, atque Decretum Synodi Tridentinæ, unà cum Bulla Pii V. spectemus, in omnibus Monialium Monasteriis indistinctè clausura erit servanda; atque per Episcopos partim ordinariâ, partim delegatâ auctoritate, ubi recepta non fuit, aut violata, introducenda aut reducenda erit, & ubi hactenus inviolata mansit, solicitè conservanda.

XI. "Ex quo manifestè fundata dignoscitur [ait Ste„phanus Weyms] Episcoporum, & Ordinariorum quoad „ clausuram hanc aliaque eò spectantia jurisdictione in cu„jusvis Ordinis Moniales, etiam eas quæ à Regularibus „ reguntur, & aliàs sunt exemptæ," Hæc ille ad Constitutiones 24. per Tridentinum innovatas, *Constit.* 15. *n.* 11.: quod & clarè expressit Pius in citata Bulla *Cura Pastoralis*, & manifestè supponit § 10. ejusdem Bullæ, qui ita habet "Per hoc autem in Monasteriis exemptis, Ordinarii lo„corum, *quoad alia* nullam credant sibi jurisdictionem „ vel potestatem aliquatenus attributam."

XII. Unde fertur declaratum è S. Congregatione Concilii 17. Julii 1597. "Episcopos posse Moniales *Re„gularibus subjectas*, in iis quæ clausuram concernunt, to„ti esvisitare, quoties verè cognoverint expedire."

Et Concilium Aquense an. 1585. *Tit. De Visitatione* „ ait: Monialium Monasteria *Regularium juri curavè* sub„jecta, Episcopi quoad *clausuram* attinet, accuratè visi„tent. Loca ipsa introspectent, atque è superiori etiam „ parte circumlustrent & cautè solerterque inspiciant pro„spectus omnes, aditus, & cætera deinde omnia, quæ ad „ clausuram rectè tuendam ullo quovis modo pertinent."

Atque ita in contradictorio judicio in Concilio Privato Regio Parisiensi pro Episcopo Podiensi contra Moniales S. Claræ judicatum fuisse 26 Augusti 1575. refert Claudius Henrys in suis Decisionibus sive Arrestis *tom.* 2. *lib.* 1. *q.* 1.

XIII. Porrò hujus clausuræ modus & effectus est, uti ex citatis Pontificum Bullis, & Decreto Concilii Tridentini constat, primò, ut Monialibus post professionem egredi non liceat Monasterii sui claustra sive interiora septa, etiam ad *breve* tempus, quocumque prætextu, nisi ex aliqua legitima causa, ab Episcopo approbandâ, indultis quibuscumque & privilegiis non obstantibus, uti loquitur Tridentinum.

XIV. Quæ autem censenda sit *justa causa*, Synodus Tridentina non expressit; eamque judicio Episcopi permisisse videtur: at Pius V. nullâ occasione aut prætextu egressum permittit, *nisi ex causa magni incendii, vel infirmitatis lepræ, aut epidimiæ.*

XV. Nomine *magni incendii*, ait Barbosa, intelligitur „ incendium ita magnum & evidens, ut certum sit, aut fal„tem probabile multùm esse videatur, quòd nisi Monia„les omnes statim à Monasterio exeant, omnes simul sint „ morituræ ac consumendæ præ nimia exustione ignis."

XVI. "Sub nomine verò *infirmitatis lepræ*, ait idem, „ intelligitur infirmitas quædam adeò contagiosa, quòd si „ ipsius radix & origo foras non ejiceatur (hoc est Mo„nialis eo morbo infecta) citò omnes ejusdem Monaste„rii Sorores inficeret..... Sub nomine deinde *epedimiæ*, „ quantum ad præsens attinet propositum, intelligitur „ morbus quidem *pestiferus*, similiter ac eadem ratione „ contagiosus Communitati præjudicialis." Hæc Barbosa *lib.* 1. *juris Eccles. cap.* 44. post plures alios ibidem *n.* 73. relatos.

XVII. Et longo tempore ante Pium V. Synodus Moguntina an. 1549. c. 79. egressum non permittit nisi fuerint *inevitabili* necessitate compulsæ, *aut tali morbo infecta, unde ex contagione aliis periculum immineat.*

Synodus quoque Cameracensis D. an. 1550. inter causas concedendi egressum reponit *morbum quo cum aliis absque gravi periculo commorari non posset.*

XVIII. Credit nihilominùs idem Barbosa post alios ab ipso citatos, quòd non obstante restrictione Pii V. Moniales possint exire è Monasterio ex aliis causis similibus aut urgentioribus in Bulla Pii V. nominatim non expressis, v. g. tempore belli, cùm periculum imminet invasionis à militibus, multaque incommoda sustinendi, nisi se in locum tutum recipiant.

Synodus Tridentina causam exitûs ab Episcopo *approbandam* statuit; Pius V. verò vult, ut "*infirmitas* ratione „ cujus egressus permittitur, præter alios Ordinum Supe„riores, quibus cura Monasteriorum incumberet, etiam „ per Episcopum seu alium loci Ordinarium, etiamsi præ„dicta Monasteria ab Episcoporum & Ordinariorum ju„risdictione exemptæ esse reperiantur, cognita & *expres„se in scriptis* approbata sit." Additque "Sed nec in præ„dictis casibus extra illa (Monasteria) nisi ad *necessarium* „ tempus stare liceat."

CAPUT IV.

De Clausura vetante ingressum in Monasteria; quæ sit circa clausuram Belgica disciplina?

1. *Per clausuram Monialium vetitus personarum extranearum in Monasteria ingressus.*
2. *Nullus Monasteria Monialium intrare potest sine licentia scriptis obtenta; nec illa dari potest nisi in casibus* necessariis.
3. *Quando Episcopi aliive Superiores ingredi possint; & quid ab illis observandum?*
4. *Casus* necessarii *quibus ingressus annui potest, intelligi debent respectu Monasterii* non respectu Ingredientis.

5. *Syno-*

Digitized

Synodus Cameracensis non permittit Episcopum ingredi nisi causâ visitationis, aut necessitatis

non licet Sacellanis ingredi chorum Monialium, prætextu ibi celebrandi aut concionandi.

Neque in Vestitione, aut professione licitus est ingressus, nec personis necessariis nisi cum magna cautela

Per frequentiora ad cancellos colloquia violari clausura potest.

Ad Episcopum spectat hujusmodi colloquiis modum ponere etiam in Monasteriis curæ Regularium subjectis.

10. *Episcopus punire potest Regularem etiam exemptum ob colloquium cum Moniali.*

11. *Multum conducit ad conservationem clausuræ prohibitio colloquendi cum Monialibus.*

12. *Episcopis Belgii volentibus introducere clausuram multæ difficultates oppositæ.*

13. *Synodus Camer. rationes Monialium* clausuram *recusantium censet Pontifici exponendas.*

14. *Proponuntur rationes quæ poterant introductioni clausuræ opponi.*

15. *Clausura non in omnibus Belgicis Monialium Monasteriis recepta.*

16. *Concilium Tridentinum quoad clausuram in Belgio in omni suo rigore non est receptum; uti nec Constitutio Pii V.*

17. *Multæ in Belgio sunt Moniales, quarum institutum rigorem clausuræ non compatitur.*

18. *Non dubium per clausuram multis periculis occurri.*

19. *Allaborare debent Superiores, ut in Monasteriis exterioris clausuræ rigori non subjectis ficta clausura habeatur.*

20. *Vetitus secularium personarum in Monasteria clausuræ non subjecta ingressus.*

21. *Omnis periculosa & suspecta conversatio generaliter Monialibus interdicenda.*

22. *Vitiosa institutio conviviorum quibus intersint personæ extraneæ in Monasteriis Monialium etiam clausuræ non subjectis.*

23. *Egressus è Monasterio Monialibus quamvis clausuræ non adstrictis concedi debet cum magna moderatione.*

24. *Septa Monasteriis facta sunt, ut Moniales sejunctæ à sæculo vivant.*

25. *Circumspecti esse debent Superiores dum egressum permittunt; Decretum Synodi Cameracensis circa egressum Monialium ægris ministrantium*

26. *Simile Decretum Archiepiscopi Mechliniensis pro* nigris *Sororibus*

27. *Olim in plerisque xenodochiis erant* utriusque *sexus Religiosi ad serviendum* utrique *sexui infirmo.*

28. *Laudabile hoc institutum, modo caveantur incommoda ex simultanea cohabitatione timenda.*

29. *Merito advocantur viri ut sexui virili ministrent.*

30. *Decretum Tridentinum de transferendis Monasteriis Monialium ad urbes.*

31. *Hoc Decretum hic effectum habere non potuit.*

I. SEcundus effectus clausuræ Monialium est, prohibitus quarumcumque personarum extranearum ad Moniales accessus, quem hisce verbis expressit Bonifacius VIII. " Nullique aliquatenus inhonestæ personæ, nec „etiam honestæ [nisi rationabilis & manifesta causa existat, ac de illius, ad quem pertinuerit, speciali licentia] ingressus vel accessus pateat ad easdem: ut sic à publicis & mundanis conspectibus separatæ, omninò servire Deo valeant liberiùs, & [lasciviendi opportunitate sublatâ] eidem corda sua & corpora in omni sanctimonia diligentiùs custodire.

II. Synodus verò Tridentina vetat, quemquam " ingredi intra septa Monasterii, cujuscumque generis, sexus, vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtentâ, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda. Dari autem tantùm Episcopus aut Superior licentiam debet, ait Synodus, in casibus *necessariis* neque alius ullo modo possit, etiam vigore cujuscumque facultatis, vel indulti hactenus concessi, vel imposterum concedendi. "

III. Hæc autem *necessitas* ingrediendi à Tridentino requisita, sic accepta & intellecta est, ut etiam ipsi Prælati tam sæculares quàm regulares, quibus cura & regimen Monasteriorum incumbit, ita demum auctoritate sibi ex officio attributâ ingrediendi Monasteria Monialium uti possint, si id faciant in casibus *necessariis*, & à paucis iisque *senioribus* ac religiosis personis comitati, quemadmodum declaravit Gregorius XIII. in Bulla quæ incipit: *Dubiis*, edita pro majore declaratione alterius Bullæ ejusdem Pontificis quæ incipit: *Ubi sacra* 18. in Bull. R. per quam revocatis quibuscumque licentiis seu indultis etiam à Romanis Pontificibus concessis, ingrediendi Monialium Monasteria, sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibet ac interdicit " omnibus & quibuscumque personis Ecclesiasticis & sæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcumque etiam Mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis vel Superioribus quibus illas concedendi in casibus necessariis tantùm ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus urgentibus dumtaxat ingredi, nevè Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. "

IV. Casus *necessarii*, quibus Episcopis licet ingressum personarum sæcularium permittere, intelliguntur *respectu Monasterii*, non autem respectu ingredientis; sive necessitas debet se tenere ex parte *Monasterii*, uti sæpiùs declarasse S. Congregationem testatur Fagnanus ad *cap.* CUM VIRUM ✠ *De Regularibus num.* 10.

V. Ad citatam Gregorii XIII. Constitutionem respexisse apparet Synodus P. II Cameracensis an. 1586. *tit. De Regularibus c.* 14. ubi habet: " Sed nec ipsi Episcopi, aut eorum Vicarii, aut alii Superiores Monialium unquam ingredi intra septa clausuræ, nisi *visitationis* aut alia *necessaria causa* sub pœnis contra ingredientes à jure decretis. "

VI. Præcedenti vero capite de Præfecto Monialium ita loquitur: " Præfectus quoque ejusmodi Monialium, seu ejus Capellanus, aut alius Sacerdos eam Ecclesiæ partem ubi ipsæ psallunt, ne quidem prætextu ibidem celebrandi vel concionandi ingrediatur. Quod si quis ibi celebrare, aut concionari ausus fuerit, suspensionis à divinis, Perfecta quæ eum admiserit, excommunicationis pœnam ipso facto incurrant. "

VII. Similiter *cap.* 12. vult ut " ad eas [Moniales] nullus omnino aut viris aut mulieribus etiam illustribus, etiam in *vestitionum* aut *professionum* solemnitatibus pateat accessus, sed per cancellos, cum *necessitas* erit, colloquantur, exceptis tamen personis *necessariis*, utpote Confessario [cum ad ægrotantium Monialium, quæ ad confessionale accedere non possunt, confessiones audiendas, aut sanctissimum Eucharistiæ vel extremæ Unctionis Sacramentum ipsis deferenda, & similia charitatis officia iisdem ægrotis impertienda erit admittendus] medico, chirurgo, bajulo vini aut cerevisiæ, fabris, & similibus personis, quibus tamen non nisi in necessitate ingressus pateat, quos duo antiquiores Sanctimoniales comitentur. "

VIII. Quod verò Synodus Cameracensis citato *c.* 12 nonnisi cum *necessitas* habuerit etiam ad cancellos colloquia Monialium cum viris aut mulieribus permittat, omnino ad finem clausuræ obtinendum conducit.

Quis enim nesciat, ex hujusmodi colloquiis non tantum quietem atque tranquillitatem Monialium turbari, sed & corda earum humano & mundano pulveri conspurcari; quin & nonnunquam castitati earum periculum imminere, earumque integritatem violari.

IX. Hinc consequens est, per illa colloquia clausuram aliquatenus violari; & consequenter ad Episcopum pertinere, hujusmodi colloquutionibus modum ponere, etiam in Monasteriis regimini Regularium subjectis.

„ Ideoque cum Episcopus Bellunensis olim retulisset S. Congregationi Concilii nonnullos abusus circa facultatem *alloquendi* Moniales Regularibus subjectas, S. Congregatio respondit, hoc caput, quod *clausuram* ejus.

„ con-

„conservationem ac restitutionem respicit, ad jurisdi„ctionem Episcopi tamquam Sedis Apostolicæ Delega„ti pertinere.“ Hæc Fagnanus *ad cap.* QUANTO ⁜ *De privilegiis num.* 13.

X. Cùmque Gregorius XV. in Constitutione sua quæ incipit, *inscrutabili* 18. in. Bull. R. declaraverit, Episcopum punire posse Regulares etiam exemptos delinquentes *circa clausuram*, ex consequenti resolutum fuit [uti asserit idem Fagnanus loco citato *num.* 9.] Regularem accedentem sine legitima licentia ad Monasterium Regularibus subjectum, ibique in loco *colloquiis* destinato cum Moniali colloquentem ab Episcopo puniri posse.

XI. “Experientia enim docet [ait Fagnanus ad *cap.* „QUANTO ⁜ *De privilegiis n.* 11.] ad clausuræ conser„vationem magnopere pertinere, ut Regulares ad Mo„nasteria Monialium non accedant, nec *cum Monialibus* „*colloquantur* absque legitima licentia: idcirco enim tot „prohibitiones sub gravibus pœnis hac in re à Sede Apo„stolica emanârunt; ergo Episcopus potest illos arcere, „& contrafacientes punire. Et revera maximè absur„dum videtur, ut Episcopi gravissimo illo Decreto præ„cipiantur clausuram inviolatam custodire; & tamen „nequeant ab illa arcere, quos expedire judicaverint.“

Hactenus Fagnanus, qui & ibidem docet, Episcopum posse prohibere, ne quis sine sua, aut commissarii sui licentia ad Monasteria Monialium etiam colloquendi causâ accedat [quemadmodum decrevit S. Carolus in sua Synodo P. VI. *tit. De Monialibus*] atque eo Decreto Regulares quantumvis exemptos ligari; & contravenientes puniri ab Episcopo posse.

XII. Episcopos Belgii non parum solicitos fuisse, ut conformiter ad sacros Canones, nec non Concilii Tridentini Decretum, & Apostolicas Bullas clausura Monialium vel violata restitueretur, vel inviolata conservaretur, excitatis Synodis & pluribus eorum Decretis manifestum est; at & illud constat, nec paucas nec leves ipsis oppositas difficultates, dum Moniales, quæ hactenus clausuram non erant professæ, neque ex sua Regula ad illius rigorem astringebantur, ad rigorosam illam clausuram juxta Decretum Tridentinum & pontificias Constitutiones constringere voluerunt; quod vel ex ipsa Synodo Cameracensi, quæ multa circa clausuram Monialium decrevit, manifestum est.

XIII. Immediatè post Decreta de clausura subdit *cap.* 16. “ Quia verò *non pauca neque leves* in plerisque „Monasteriis claudendis difficultates suboriuntur, sup„plex totius Synodi nomine libellus conficiatur, qui ex„pressis omnibus & singulis incommodis difficultati„busque, nec non Monialium clausuram recusantium „rationibus & argumentis diligenter expositis Sanctissi„mo Domino nostro offeratur, rogeturque illius Sancti„tas ut hujus provinciæ necessitatibus & incommodis „pro sua paterna charitate peculiari aliqua ratione provi„dere ac succurrere dignetur: habito autem ab illius „Sanctitate responso, & cum Reverendissimis Domi„nis Episcopis per litteras communicato, quæcumque „ad hanc materiam pertinebunt, certiùs explicari pote„runt.“

XIV. Quæ fuerint rationes & argumenta ex parte Monialium proposita, atque ex Decreto Synodi per libellum supplicem Pontifici exhibita; aut quid ad libellum responderit Pontifex, hactenus mihi assequi non licuit.

Verisimile verò est, rationes Monialium potissimum fuisse, quod in Belgio haud ita militare videantur ea, quæ alibi clausuræ hujus rigorem exigunt, ut etiam propterea Moniales *clausuram* non professæ, neque vi regulæ suæ ad eam obstrictæ, nihilominus ad eam suscipiendam constringi deberent; tamquam medium conservandæ castitati atque virginali integritate promissæ pene necessarium.

Si enim Belgici climatis constitutio, genius populi & mores gentis attendantur, non apparet eum clausuræ rigorem esse adeò necessarium, ut etiam moniales ad clausuram non professæ, neq; ad eam vi suæ regulæ constrictæ, invitæ ac reluctantes per censuras & pœnas essent cogendæ: præsertim ubi etiam quædam ex sua fundatione ad ægrorum curam agendam destinantur, quæ cum rigorosa & arcta clausura nequaquam consistit.

Accedit quod hîc in Belgio laudatæ matronæ intemeratæq; Virgines plateas ac templum publicè passim frequentent sine illius offensa aut scandalo populi, ita quidem ut si quæ hîc clausura Italica teneretur, proxima videretur infamiæ & censuræ. Videmus insuper tot millia Beguinarum ab aliquot jam sæculis in Belgio sine illa clausuræ rigore castè & religiosè viventium, quæ simplici voto castitatis adstrictæ sunt: tot item Virgines, quas Filias *devotas* vulgò vocant, in ædibus paternis, aut simul commorantes absque ulla clausura, sine periculo, scandalo aut opprobrio à Bonifacio indicatis, castè & devotè viventes.

Hæc aliaque videntur Moniales nonnullæ contra introductionem rigorosæ clausuræ urgisse.

XV. Quidquid sit, certum & indubitatum est, nequaquam in omnibus Monasteriis Monialium hîc in Belgio clausuram in omni suo rigore, prout in Constitutione Bonifacii & Decreto Concilii Tridentini expressus est, esse receptum; multaque Monialium Monasteria partim sub regimine Regularium, ut Cisterciensium, partim sub regimine Episcoporum sine clausura tolerari, & vivere.

XVI. Unde Tridentinum quoad clausuræ rigorem hîc in Belgio universaliter receptum negat Zypæus *Consult.* 9. *De Regularibus.* multò minùs Constitutionem Pii V. notatque, quidem in Synodo P. II. Mechliniensi *Tit. De Regularibus, cap.* 3. haberi, quod “Sanctimoniales „etiam *exemptæ* scire debeant, sibi non licere post pro„fessionem, etiam ad *breve* tempus, Monasterium egre„di; nisi ob aliquam ex tribus causis expressis in Consti„tutione sanctæ memoriæ Pii V. hac de re edita, quæ „*inviolabiliter est observanda*; „ sed observat quod Synodus cum Principi probanda offerretur, in iis articulis qui Principi fuerunt exhibiti haberet, *ut Episcoporum conscientia committeretur observantia clausuræ qui eam urgerent, prout promptitudo, vel pervicacia Monialium permitteret.* Verùm Romani substituerunt, *ne Sanctimoniales egrederentur, nisi tribus ex causis in Piana expressis, eaque* INVIOLABILITER *observaretur.* Hæc Zypæus, qui & indè infert non constare, Constitutionem Pianam hîc esse debitè placitatam & publicatam.

XVII. Et revera si Bulla Pii V. hîc esset ritè publicata & recepta, etiam clausuræ obstringerentur Moniales illæ, quarum fundatio cum clausura non consistit: nam dicta Bulla absolutissimas habet derogationes etiam *fundationum*, & tamen, uti observat Zypæus in Jure Novo *tit. De Regularib. nu.* 4. “In infinitis per Belgium Xe„nodochiis mulierum *Grisearum & Nigrarum*, ut vocant „Sororum Monasteriis, etiam reformatissimis, & sub „Episcopis religiosissimis æquè ut doctissimis, vide„mus clausuram eam non observari, quod earum funda„tio & institutum cum ea incompatibile sit.“

Hæc licet in Belgio ita tolerentur, neque Monialibus, quæ hactenus strictam clausuram non receperunt scrupulus moveri debeat ex dictis Pontificiis Constitutionibus, „fatendum tamen est, uti rectè advertit Zypæus loco ci„tato, pericula multa per clausuram submoveri. Perire „solet, qui amat periculum. Et quamvis de more gen„tis majus id minusve sit, meritò tamen & ibi vigilatur, „ubi non est summum.“

XVIII. Quapropter & in Monasteriis strictæ ac rigorosæ clausuræ non subjectis, invigilare solicitè debent eorum Superiores, ut eatenus clausura servetur, atque sæcularium conversatio cum Monialibus ita limitetur, ut ipsæ Moniales sine offensa, Religionis opprobrio, & scandalo populi vivere, à publicis ac mundanis conspectibus separatæ omnino Deo liberiùs servire, & eidem corda sua & corpora in omni sanctitate custodire valeant.

XIX. Hinc Synodus P. II. Cameracensis in dicto *cap. 16.* quo declaravit, aliqua Monasteria sine clausura permittenda donec SS.mus fuerit consultus, ait: "Interea verò in dictis „Monasteriis, quæ clausuram non admittunt observari „curent Episcopi, ut nec viris, nec mulieribus intra loca „regularia dictorum Monasteriorum pateat accessus.

XX. Sanctus Augustinus lib. 1. de moribus Ecclesiæ *c. 31.* de Sanctimonialibus in Ægypto sine rigore clausuræ suo tempore viventibus loquitur " quæ habitaculis segregatæ „ac remotæ, à viris quàm *longissimè* decet piâ tantum cha„ritate illis junguntur & imitatione virtutis: ad quas ju„venum nullus accessus est, neque ipsorum quamvis *gra„vissimorum & probatissimorum senum*, nisi usque ad ve„stibulum necessaria præbendi quibus indigent, gratiâ.

Itaque Episcopi aliiq; Monasteriorum strictam clausuram non habentium meritò impediunt, omnem quamcumque periculosam ac familiariorem Monialium cum sæcularibus, aliisve etiam viris Religiosis conversationem, atque congressum.

XXI. Cùm verò non parum periculosus multisque incomodis obnoxius sit congressus Monialium cum sæcularibus in conviviis meritò Alphonsus Archiepiscopus Mechliniensis Decreto suo 19. Novembris 1679. inhibuit omnibus Monasteriis Monialium sive clausuræ subjecti, sive *non subjectis*, institui convivium in die professionis, vel vestitionis Monialium, aut occasione jubilæi aut medii jubilæi alicujus Monialis vel die Regalium, aut Patroni vel Patronæ cum invitatione aut congressu personarum extranearum sive laicarum sive Ecclesiasticarum, tametsi etiam consanguinitate conjunctæ fuerint.

XXII. Quoad egressum, is sanè etiam in Monasteriis clausuræ non subjectis cum magna cautela & moderatione permittendus erit.

Si ad Eustochium Virginem nullo claustro inclusam scribat S. Hieronymus: *Rarus* sit egressus in publicum. Martyres tibi quærantur in *cubiculo* tuo. Numquam causa deerit procedendi, si semper quando *necesse* est, processura sis..Sorores tuæ cursitent & quærant quomodo Christum hospitem suscipiant. Tu semel, sæculi onere projecto sede ad pedes Domini, & dic: *Inveni eum, quem quærebat anima mea: tenebo eum nec dimittam*,...Semper te cubiculi tui *secreta* custodiant, semper tecu Sponsus ludat intrinsecus...Cave ne domum exeas, & velis videre filias regionis alienæ: quamvis fratres habeas Patriarchas, & Israel parente læteris. *Dina egressa corrumpitur.*

Si hæc Hieronymus ad Eustochium in domo parentum commorantē scribat pro custodia castitatis, quidni potiori ratione ad Moniales dicta censeantur, quæ non tantum voto castitatis solemni obstrictæ, sed etiam vi sui status & professionis specialiter à mundana conversatione sejunctæ sunt, nec nisi violentè quodammodo, & Ecclesia dissimulante ab omnimoda ac absoluta clausura eximuntur.

XXIII. "Ad hoc enim septa Monasterii vobis facta sunt (scribebat sæculo 11. S. Ivo Carnotensis ad Sanctimoniales „Dunenses) ne mundi amatores intra claustra mundum „fugientium recipiatis, ne ad *publicum prodeatis*, ac de „corporali mundi visione tractus introrsum fœdis imagi„nibus, atque expugnatâ intus virginitate, corpus quo„que corruptioni subjici permittatis.

XXIV. Valde ergo circumspecti, & parci esse debent Monasteriorum Directores, ut Monialibus egressum concedant, & si illum necessitate urgente concedant, eam adhibeant cautelam, quæ periculum aut scandalum ejusmodi egressui conjunctum præveniat.

XXV. Eam circa Moniales infirmis curandis ex fundatione aut instituto deputatas observatam cupientes Patres Synodi P. II. Cameracensis statuunt: " Religiosæ verò „etiam Mendicantes quæ ægrotum ab immemorabili „tempore, atque adeò ex fundatione agunt, *sole* numquam „emittantur ad ægrotos, nec *juniores* quantum fieri po„test, sed ex quæ Matris seu Præfectæ judicio probabun„tur." *Tit. De Regularib. cap. 17.*

XXVI. Hæc cautio in omnibus passim Nigrarū atq; Grisearum similiumq; Monialium Constitutionibus occurrit.

XXVII. Et signanter in Constitutionibus *Nigrarum* Sororum hujus Mechliniensis Diœcesis à Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensi præscriptus habetur: " Mater „numquam permittet aliquam Sororum *solam* ire ad in„firmos, quæcumque sit, sed *duas* simul; quæ numquam „se mutuò possunt dimittere, sive vadant ad templum, si„ve forum, sive aliò quocumque, & quando una soro„rum in cubiculo infirmorum dormiet, tunc altera pro „servitio infirmi vigilabit.

Quam ejus exacta observantia optanda sit, nemo non intelliget, qui expenderit pericula imminentia hisce Monialibus, dum solæ inter sæculares in domo sæculari versantur.

XXVIII. Quæ pericula augentur in Junioribus præcipuè dum etiam alteri sexui inservire debent; id propterea non sine magno fundamento Majores nostri Xenodochia ac domos leprosarias fundantes, voluerint esse instituti religiosi utriusque ut utriq; sexui ægroto ministrarent. Tales sunt [ait Zypæus Jure Novo *Tit. de Regularib. n. 41.*] fundationes Xenodochii Antverpiensis, Lirenensis & aliorum.

XXIX. Fundatio etiam *Leprosariæ* extra mœnia hujus oppidi Lovaniensis vulgò *Ter banck* primitus fuit pro novem mulieribus, & novem viris, qui utrique sexui leprâ infecto servirent; uti patet ex Bulla Honorii III. qua domum illam directioni Abbatis Villariensis subjicit; & inter monumenta hujus domus asservatur.

XXX. Indubiè laudabile esset institutum, ut utriq; sexui infirmo sui respectivè sexus personæ assisterent; modò tamen ipsi inservientes mulieres & viri ita esse nt separati & à se mutuò sejuncti, ut ex mutua cohabitatione nullum periculum, nullumque scandalum esset metuendum.

XXXI. "Et quia Monasteria Sanctimonialium extra „mœnia urbis vel oppidi constituta, malorum hominum „prædæ, & aliis facinoribus sine ulla sæpe custodia sunt „exposita; curent Episcopi, & alii Superiores, si ita vide„bitur expedire, ut sanctimoniales ex iis ad nova, vel an„tiqua Monasteria inter urbes vel oppida frequentia re„ducantur, invocato etiam auxilio, si opus fuerit, brachii „sæcularis. Impedientes verò, vel non obedientes, per „censuras Ecclesiasticas parere compellant." *Synod. Trid. Sess. 25. de Regul. cap. 5.*

XXXII. Verùm cùm de publicatione Concilii Tridentini in Belgio tractaretur, eumque in finem ad Concilia Regia ejus Decreta reformationis examinanda essent transmissa, circa hoc Decretum notatum fuit in litteris responsoriis ad Gubernatricem Belgii Margaritam Parmensem: *Negant Concilia id in Belgio ad effectum perduci posse, ob sumptus ingentes, aliaque commoda.* Ita refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap. 32. §. 25.*

Unde etiam videmus plurima etiamnum hodie Sanctimonialium Monasteria extra mœnia urbis & oppidi; prudenter tamen invigilant superiores, ut tempore bellorum tempestivè ad urbes transferantur; ut hoc pacto saltem ab incommodis & periculis, de quibus Synodus Tridentina, eximantur.

TITULUS XXXI.

De Monasteriorum Superioribus.

CAPUT I.

Quid Abbates & Abbatissæ, & varia eorum distinctio.

1. *Præfectis Monachorum & Canonicorum in communi viventium nomen* Abbatis *generaliter datum*.
4. *In aliquibus Ecclesiis sæcularium Canonicorum nomen* Abbatis *mansit*.
5. *Quid propriè significet* Abbas.

4. *Qua ratione nomen illud congruat Monasteriorum Præfectis.*
5. Abbas *semper meminisse debet quid nomen illud significet.*
6. *Idem qui dicitur Abbas, etiam aliquando vocatur* Major.
7. *Etiam olim* Prælatus *dicebatur, uti & hodie, sed alia ratione quam olim.*
8. *Dictus quoque* Præsul: *& qua de causa.*
9. *Quid hodie nomen* Præsulis *indicare soleat.*
10. *Olim iidem qui dicebantur & erant* Abbates *etiam vocabantur* Priores.
11. *Olim omnium Monasteriorum Præfecti sunt Abbates.*
12. *Quare recentiores Ordines nomen* Abbatis *rejecerint.*
13. *Præfecta Monialium dicta* Abbatissa.
14. *Sicut nomen* Abbatis *ita &* Abbatissæ *in quibusdam Religionibus rejectum.*
15. *Olim Monasteriorum Præfecti omnes erant* perpetui.
16. *Aliqui Ordines qui perpetuos habuerant, posterioribus sæculis maluerunt* temporales, *uti & Ordines Mendicantes, & quare.*
17. *Abbates alii* perpetui *alii* Triennales.
18. *Olim Abbates & Monachorum Præfecti, uni tantum Monasterio erant præfecti, neque alteri Superiori Regulari subjecti.*
19. *Sæculo* 10. *cœperunt constitui Abbates* generales.
20. *Quid* Pater Abbas, *& quæ ejus auctoritas.*
21. *Recens est Abbatum* Commendatariorum *exordium.*

I. COEnobii Præfectum atque Monasticæ Congregationis Caput veteres Monachi, & ipse S. Benedictus *Abbatem* nominârunt. Similiter Præfectis Canonicorum, dum in *communi* vivebant, atque Monasticam disciplinam aliquatenus tenebant, nomen *Abbatis* tributum legimus. Concilium Turonense II. *Can.* 24. "Simili modo & *Abbates* Monasteriorum, in quibus *Canonica* vita antiquitus fuit, vel nunc videtur esse, sollicitè suis provideant Canonicis." Et Parisiense VI. *Can.* 37. "Decet imò necesse est, ut *Abbates Canonicorum* attendant, ut quid *Abbates* vocentur.

II. Atque hinc factum, ut etiam postquam Canonici ad vitam singularem transierunt, in aliquibus Ecclesiis adhuc nomen *Abbatis* penes eorum primarium præfectum manserit uti ostendit Molanus *Lib.* 2. *de Canonicis c.* 5. observatque, non rectè colligi, Ecclesiam Canonicorum olim fuisse *Monachalem*, eo quod nomen *Abbatis* Præfecto Canonicorum tribuitur.

III. Porrò Præfectus seu Superior Congregationis Monasticæ sive Monasterii dictus fuit *Abbas* ab officio; quod singulari ratione inter Monachos debet esse *paternum*. Abbas enim lingua hæbraica & siriaca idê sonat quod latinè *Pater*. Hieronymus in *Epist. ad Galatas c.* 4. "Abba Pater, *Abba Hebraicum* est, idipsum significans quod & *Pater*: & hanc consuetudinem in pluribus locis Scriptura conservat, ut hæbraicum verbum cum interpretatione sua ponat.

IV. Itaque jam pridem Monachorum Præfecti, *Abbates* sive *Patres* appellabantur, ut etiam ipsâ expressione nominis, Officii sui admonerentur. Nam ut ait Tertullianus *lib. De Oratione cap.* 2. *appellatio ista & pietatis est, & potestatis. Pietatis*, quia Superiores instar parentum debent subditos tamquam filios diligere; *Potestatis*, quia eosdem peccantes corrigere & castigare debent.

Hinc S. Benedictus *Abbatem* monet, *ut miscens terroribus blandimenta, dirum magistri, pium Patris ostendat affectum.* In Reg. *cap.* 2.

V. Hanc nomenclaturam inculcat & urget idem Sanctus Legislator dicens: "Meminisse *semper* debet *Abbas* quod est, meminisse *quod dicitur.*" In Reg. *cap.* 2. quod caput ita exorditur: "Abbas qui præesse dignus est Monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur, & nomen Majoris factis implere. Christi enim agere vices creditur in Monasterio; quando ipsius prænomine vocatur, dicente Apostolo: *accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus* ABBA PATER.

VI. Interdum Abbas etiam *Major* dictus fuit, sumendo nomen illud substantivè; adeò ut ipsam dignitatem & præeminentiam Abbatis denotet; atque ita accipitur in Regula Benedictina *cap.* 5. "Mox ut aliquid imperatum à *Majore* fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo.

In regula Pachomii: "Ægrotantem absque concessu *Majoris* nullus audeat visitare." Et in regula Magistri: "Nam non adveniam *Majoris* & ipse pertineat, nisi pœnitentiæ similis satisfactio ab eis æqualiter fuerit operata." In his nomen *Majoris* pro Abbate sumi sat apertum est; unde etiam hodie apud Camaldulenses Eremitas, Monasterii Præfectus dicitur *Major*.

VII. Abbas quoque communiter vocatur *Prælatus*, quod subditis suis præferatur. Unde de Præposito dicit Regula Benedictina; "Quanto *Prælatus* est cæteris tanto eum oportet sollicitus observare præcepta Regulæ. *Cap.* 65.

Hodie Abbates dicuntur *Prælati* & Prælatis annumerantur tamquam quamdam præeminentiam & dignitatem obtinentes, uti communiter observant Canonistæ ad *Cap.* 2. *de Judiciis*, quos citat Ascanius Tamburinus De jure Abbatum *tom.* 1. *disp.* 1. *quæst.* 5.

VIII. Abbates etiam vocati sunt *Præsules*. "Dicitur autem *Præsul.* (inquit Haeftenus *lib.* 3. *tr.* 5. *disp.* 2.) quasi *præsultor* qui in sacris præsiliebat: nam in omnibus pompis, ludisque Circensibus juvenes ibant in numerum saltantes, & subsilientes, qui ludii, & ludiones dicebantur, ut annotat Turnebus. *Præsul* dicebatur, qui primus erat inter salios, id est, Martis Sacerdotes, à saliendo dictus O- nomasticum: *Præsul χοροστάτης*, id est, qui chorum instituit, & ei cantu vel saltu præit. Unde non inelegantimetaphora *Præsul* vocatur, qui cæteris in officio aut munere, præsertim Ecclesiastico præest.

IX. Moribus hodiernis *Præsul* nomen dignitatis sonat, & Abbatibus tamquam in dignitate constitutis tribuitur; quamquam non immeritò Abbates attendant, qua de causa eis hoc nomen primitus datum sit, atque opere complere satagant, quod nomine præferunt.

X. Abbates subinde quoque *Priores* olim dicti fuêre; sive Priores iidem fuêre quod Abbates. Ita in Regula Benedictina aliisque nonnullis, *Priores* pro Abbate sumptos esse multis ostendit Haeftenus *lib.* 3. *tract.* 6. *disp.* 2. quasi *Prior* sive *primus* inter suos.

XI. Distinctio enim hodierna; ut in quibusdam Religionibus, Monasteriorum atque Congregationum primi Præfecti dicantur *Abbates, Prælati* &c. in aliis verò vocentur Priores, Guardiani, Rectores &c. recentioris est disciplinæ. Ante enim recentiores Ordines sæculo 11. & sequentibus exortos, Omnium Monasteriorum Præfecti sive Capita dicebantur *Abbates* sive *Patres*; quæ voces officium Superioris in subditos expedire convenienter exprimunt.

XII. Quod verò recentiorum Ordinum Fundatores nomen *Abbatis* Monasteriorum Præfectis datum noluerint, inde contigisse apparet. Cum disciplinâ Monasticâ sensim collabente, & unâ Monachorum humilitate & pietate imminutâ, cæpissent Monasteriorum Præfecti, *Abbates* dicti, ad non exiguum tum in Ecclesia, tum Republica eminentiæ gradum elevari, nomen quoq; *Abbatis* dignitatem & gradum eminentiorem sonare cæpit; atq; ita *Abbates* reputari pro personis in dignitate constitutis. Itaque recentiorum Ordinum sanctissimi fundatores, omnem suis filiis superbiæ ac fastûs occasionem eripere volentes, aliud eis nomen humilius & mundo abjectius inditum voluêre.

XIII. Quemadmodum Monachorum summi Præfecti *Abbates* seu Patres jam pridem dicti fuêre, eadem ratione Monachorum seu Monialium Præfecti *Abbatissæ* dictæ sunt: eò quod & ipsæ tamquam *Matres* erga sibi subditas sese exhibere debeant. Unde Abbatissa in Concilio Parisiensi, VI. *Can.* 39. *Mater spiritualis* dicitur.

XIV. Abbatissæ autem ad exemplum Abbatum cœperunt quoque sensim aliquam sibi dignitatis & eminentiæ sæcularis speciem atrogare; adeo ut *Abbatissa* nomen aliquid mundanæ excellentiæ præferre cœperit; atque hinc contigisse apparet, ut posteriores Monialium Ordines, humilitatis causâ nomen *Abbatissa* declinaverint, ipsasque Præfectas potius *Priorissas* Matres aliove simili nomine appellandas censuerint.

XV. Antiquitus Monasteriorum Præfecti sive Abbates perpetui, sive ad vitam fuisse videntur; neque ullâ veteri Monastica Regula aut Constitutione de Abbatibus, aut Abbatissis triennalibus mentio fit.

XVI. Ve-

Digitized by Google

XVI Verùm postremis hisce temporibus plures Congregationes & Ordines, qui hucusque perpetuos habuerant, malu erunt habere temporales; & quidem Congregationi Cassinensi Eugenius IV. & Alexander VI. concesserunt facultaté uniendi sub eadem Congregatione omnia ejus Monasteria, & Abbates in eis *ad tempus* creandi juxta determinationem Capituli Generalis & Diffinitorium; quorum Bullæ extant apud Tamburinum in appendice ad Tomum I. De Jure Abbatum; qui ibidem *Disp. 1. quæst. 3.* notat idcirco hoc factum fuisse, quia omnes ferè Abbatiæ & Prælaturæ Regulares excedentes valorem 200. florenorum auri de Camera, Clericis sæcularibus comendabantur; ad quod evitandũ Congregationes Regulares nisæ sunt, illas *manuales* efficere mediante indulto Apostolico; quia tunc "Summus „Pontifex non solet de illis providere? cum enim collatio „debeat esse de sua natura perpetua, Papa non solet provi„dere de manualibus ad evitandum absurdum, quod provi„sus ab illo possit ab inferiori removeri.

Hac aliisque rationibus moti mendicantium Ordinum & eorum qui sub iis comprehenduntur Moderatores, suorum Ordinum Prælatos & Superiores ad tempus dumtaxat constitui voluerunt, atque plerumque triennales constituerunt.

XVII. Itaque juxta hodiernam disciplinam, Abbates, Priores, aliique Monasteriorum Præfecti, alii dicuntur *perpetui*, alii verò *temporales* seu etiam *triennales*.

Et quidem ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Exposcit, Abbatissæ* nonnisi ad *triennium* eligi possunt; at in Belgio quoad hoc punctum Constitutio hæc recepta non est? sed passim eliguntur Abbatissæ perpetuæ. Triennales verò & perpetuos quoad dignitatem ac privilegia inter se non differre multis astruit Tamburinus loco citato; ita ut Abbates triennales aut ad tempus gaudeant iisque privilegiis quibus Abbates perpetui: nihilominus quoad jus nominationis Regiæ, & electionis inter hos esse differentiam infrà ostendetur.

XVIII. Adhæc olim omnes Abbates erant *locales*, sive uni dumtaxat Monasterio præpositi: atque unumquodque Monasterium suum dumtaxat *Abbatem* ut Superiorem agnoscebat, ac illi tantum & non alteri subjiciebatur & obtemperabat: "Nec unus Abbas [ait Tamburinus De Jure Ab„batum *tom. 1. disput. 3. quæst. 1.*] alteri Abbati sed om„nes Episcopis locorum subditi erant juxta *Can.* ABBATES „& *Can.* MONASTERIA 18. *q.* 2. atque ita observatum „fuisse tempore SS. Basilii, Augustini, & Benedicti ex eorũ „Regulis arguitur.

XIX. Hæc disciplina penè intacta mansit usque ad sæculum 10. quando primùm per S. Odonem Abbatem Cluniacensem ejusque Successores, infinita propemodum Monasteria sub unius Abbatis regimine se unierunt, & *Principi* Monasterio Cluniacensi subjecerunt; ex quo originem traxit Congregatio Cluniacensis; cujus Monasteriorum Abbates *locales* Abbati Cluniacensi tamquam Abbati *generali* ab eo tempore subjecti fuerunt.

Hanc Cluniacensem Congregationem sæculo 11. & sequente secutæ Camaldulensis Congregatio auctore S. Romualdo, Vallumbrosana auctore S. Joanne Gualberto, Cisterciensis auctore S. Roberto Abbate Molismensi, aliæque quamplures omnes unum Generalem constituerunt, cui singulorum Monasteriorum Abbates subjicerentur.

Atque ita tandem Abbatum *localium* & *generalium* distinctio primitus ignota invaluit.

XX. Abbatibus Generalibus aliquomodo similes sunt quos hodie vocamus *Patres Abbates*. Dicitur enim *Pater Abbas*, domus illius Abbas quæ alteram genuit, sive Monasterii à quo aliud Monasterium ortũ habuit; qui *Abbas Majoris Ecclesiæ* dicitur apud Cistercienses in charta vulgò *charitatis cap. 5.* Qui quidem Abbas jus superioritatis & visitationis habebat in Monasteriis quæ genuerat, ut habent Institutiones Capituli generalis ejusdem Ordinis.

XXI. Recentior est Abbatum Titularium & Commendatariorum distinctio, atque ipsius disciplinæ Monasticæ demutatæ sæculis; uti infrà ubi ex professo de Abbatibus commendatariis, quorum in Gallia & Italia frequens usus est, ex professo tractabitur.

CAPUT II.

Priore Claustrali, Obedientiario, & Conventuali, eorumque differentiis.

1. *Qui olim dicebatur* Præpositus, *hodie dicitur* Prior.
2. *Hodie primus post Abbatem solet vocari* Prior.
3. *Priores alii hodie* Claustrales, *alii* Conventuales.
4. Claustrales *qui: & unde dicatur. & quis hodie* Supprior.
5. *Claustrali non absimiles Priores* Obedientiarii: *& hi unde dicti.*
6. *Quæ olim dictæ* Obedientiæ.
7. Cellæ *Obedientiariæ unde originem sumpserint.*
8. *Ab his* Cellis *originem habuerunt* Prioratus forenses.
9. *His Prioratibus præesse debet unus* Prior.
10. *Hujusmodi Prioratus uni* soli *Monacho tradi non potest.*
11. *Prioratus hi per Clericos* sæculares *deserviri debent, si plures Monachi poni nequeant.*
12. *Priores horum Prioratuum dicti Obedientiarii & forenses, & debent esse* amovibiles.
13. *Prioratus illi ad* firmam *dari vetantur. & quid sit* firma.
14. *Abbates Monachis Prioratus dantes ad* firmam *Simoniam committebant, & proprietatem fovebant.*
15. *Litteræ Pontificiæ quibus conceditur Monachis facultas hujusmodi Prioratus in perpetuum possidendi subreptitiæ judicantur.*
16. *Synodus Tridentina improbat dari* Prioratus *in perpetuum possidendos.*
17. *Priores Claustrales & Obedientiarii semper sunt ad* nutum *Abbatum amovibiles' tametsi non consueverint revocari.*
18. *Priores Conventuales etiamsi sint tantum* triennales *non possunt amoveri, nisi ex causa & servato juris ordine.*
19. *Minor causa requiritur, ut amoveatur Prior Conventualis, quàm ut amoveatur Clericus à suo Beneficio.*
20. *Prior* Claustralis *sub Abbate* Commendatario *ad hujus* nutum *amoveri non potest.*
21. *Provinciales & Generales non sunt ad* nutum *amovibiles.*
22. *Priores* Conventuales *censentur in* dignitate *constituti.*
23. *Prior Conventualis potest delegari* judex *à Sede Apostolica, secus* Claustralis.

I. Qui olim apud Monachos *Præpositi* dicebantur posterioribus sæculis *Priores* dicti fuere.

Præpositus enim antiquitus dicebatur in Regulis Monachorum, qui curam Monasterii gerebat post Abbatem, atque ita accipitur in Regula S. Benedicti *cap. 65*, ubi præcipitur, "Ut Præpositus illa agat cum reverentia, quæ ab Ab„bate suo ei injuncta fuerunt, nihil contra Abbatis volun„tatem aut ordinationem faciens.

Sicuti ergo qui primam post Abbatem curam Monachorum agebat, olim *Præpositus* vocatus fuit, ita posterior ætas eum vocavit Priorem, Hinc illud in Statutis Lanfranci *cap. 3.* "Servatâ Abbati in omnibus reverentiâ, *Prior*, qui & „*Præpositus in regula* nominatur *honorabilior* est reliquis „Ministris Domus Dei.

II. Hâc notione à tempore Petri Damiani *Priorem* dictum esse constat ex ejus Opusculo 13. *cap. 19.* ubi ordine describens officia Monasterii, immediatè post Abbatem subjicit *Priorem*, nullâ factâ mentione Præpositi; "quod „postea quoque [ait Haeftenus *lib. 3. tract. 6. disq. 2.*] ser„vatum videri potest usu Cisterciensi, Ceremoniali Bursfel„densi Constitutionibus Vallisoletanis." Quin & generaliter usus obtinuit, ut in Monasteriis Abbatialibus prima post Abbatem persona dicatur *Prior*.

III. Cum verò, uti supra notavimus, in quibusdam Ordinibus, & Congregationibus usus obtinuerit; ut primarius Monasterii Præfectus non dicatur *Abbas*, sed *Prior*, hinc etiam tandem invaluit, ut quidam Priores dicti fuerint *Claustrales*, quidam *Conventuales*.

IV. Prior *Claustralis* dicitur qui curam Monasterii & Monachorum gerit sub Abbate? ita ut ipsi Abbati subsit.

Claustralis dictus fuit hujusmodi Prior, tamquam ipsius *claustri* continuã curam agens. "Cum enim [ait Haeftenus „loco citato] in aliqua parte Claustri sive peristylii, aut am„bitus, Monachi communiter ad lectionem resident, nec „sine licentia *claustrum* egrederentur? constitutus est, qui ex „officio illis intenderet, dictusque *Prior claustri* vel *clau„stralis.*" Hinc Lanfrancus in statutis *cap. 3.* "*Prior Claustri* „quocumque *Major* Prior eat, si fieri potest, in *claustro* sem„per aut circa *claustrum* debet semper esse, & *ordinẽ Clau„stri* in omni sollicitudine servare.

Notandum hic dici Priorem *majorem*, qui Monasterio tamquam Caput & primarius Prælatus præest; quem hodie Priorem *Conventualem* dicimus: Priorem verò *Claustri* dici illum, qui Priori illi *Majori* subest, & sub illo curam Claustri agit; quem hodie *Superiorem* dicere solemus, Nec enim juxta hodiernam disciplinā & modum loquendi Prior *claustralis* sive *Claustri* dici consuevit, nisi in Monasteriis quibus præest Abbas *Regularis*; in Monasteriis verò quibus præest Prior Conventualis ille qui sub tali Priore Monasterio præest, *Superior* appellari solet.

V. Prioribus *Claustralibus* non absimiles sunt Priores *obedientiarii*, sive etiam *Forenses*, ita dicti, quod in *Obedientiis* sive *Cellis* à principalibus Monasteriis dependentibus (quas etiam *Prioratus* recentior ætas vocavit) curam haberent Monachorum extra Monasterium sive *foris*, sub ipso tamen Abbate principalis Monasterii.

VI. *Obedientia* dictæ fuerunt *Cellæ*, *Præpositura*, & *grangia* (ait D. Du. Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis Verbo, *obedientia*) à Monasteriis dependentes, quod „ Monachi ab Abbate illuc mitterentur vi *ejusdem obedientiæ*, ut earum curam agerent, aut eas deservirent.

Cellæ verò dicebantur Monasteriola, seu ut eas olim vocabant, *Abbatiola* quæ *majoribus* Abbatiis suberant.

VII. Cum enim Monachi variis in locis prædia possiderent; eò interdum aliquot è suis mittebant, qui fruges colligerent, vel reditus reciperent & ad Monasterium suo tempore deferrent; unde nonnumquam *Grangia* dictæ. Subinde verò ad eas destinati Monachi ut vitam solitariam agerent; vel denique *Cellæ* subinde ædificatæ propter nimium Monachorum numerum, ut ex Monasteriis eo mitterentur Monachi, aliisque identidem *pulsantibus* locum darent, uti notat Du Cange in citato Glossario Verbo, *Cella*.

VIII. Ab istis cellis obedientiariis originem duxêre *Prioratus* rurales seu forenses. Cum enim interdum plures ad eamdem *obedientiam* sive Cellam mitti necesse esset; " Monachi obedientiarii subinde capellas & Ecclesiolas ibi „ construxère, quo in iis sacrū peragerent officium. & mo„ nastica munia obirent, quibus præerat, qui *Prior* diceba„ tur. Liber Ordinis S. Victoris Parisiensis *cap.* 51." Fratres „ qui ad obedientias commorantur singulis locis *tres*, si fieri „ potest, aut *duo* ad minùs esse debent. In victu & vestitu & „ tonsura à communi institutione non recedant: ad mensam „ silentium teneant: in Ecclesia non loquantur: Completo„ rium & in æstate & in hyème tempestivè dicant. pervi„ cos non discurrant &c. In quocumque loco ubi duo „ vel plures simul habitant, *unus* eorum, cui *Abbas* hoc „ injunxerit, inter eos *Prioris* officium agat, & cæteri obe„ diant ei.

IX. Et in Concilio apud Montempesulanum à Petro Beneventano Legato Sedis Apostolicæ, à quinque Archiepiscopis & 28. Episcopis anno 1214. celebrato statuitur *Can.* 30 " ut si talis fuerit Prioratus in quo *tres* Fratres valeant com„ morari, tres ad minùs Fratres ibidem ponantur, & unus ex „ iis *Prior* fiat, qui *curam* omnium habeat.

X. De his obedientiis seu Prioratibus loquitur Concilium Lateranense in *Cap.* 2. ✠ *De Statu Monach.* "Prio„ ratus quoque seu *obedientia* pretii donatione nulli tradatur" Et in *Cap.* 3. ✠ *De Capellis Monach.* litteræ, quibus concessum dicebatur à Sede Apostolica Monachis quibusdam, ut in *singulis* ipsorum Prioratibus *singuli* Monachi commorentur, si pluribus non suppetunt facultates eorumdem, judicantur ab Apostolica Sede non emanasse: quia obviant Concilio Lateranensi, vetanti Monachos *singulos* extra Monasteriū in Ecclesiis commorari, nullā factā ipsius Concilii Lateranensis mentione.

XI. Archiepiscopo Burdigalensi rescripsit Honorius III. "Cum ad audientiam nostrā pervenit, quod nonnulli Mo„ nachi lege tibi diœcesana subjecti, in quibusdam Prioratibus habitant *solitarii*, contra statutum generalis Concilii. „ Ideoque mandamus, quatenus ipsorum Abbates seu Prio„ res, ut vel ipsos ad claustrum revocent, facientes in ipsis „ Ecclesiis deserviri per Clericos sæculares: vel alios Mona„ chos eisdem associent, cum quibus vitam possint duce„ re regularem, monitione præmissa, per Censuram Eccle„ siasticam compellas." Refertur in *Cap.* 4. ✠ *Et Capellis Monach.*

XII. Priores ergo in hisce Cellis seu obedientiis constituti, dicti fuère *obedientiarii* seu *forenses*; etantque *Claustralibus* in hoc similes, quod similiter ut hi, ab Abbate constituerentur, & ad *nutum* Abbatis essent amovibiles, sive revocari possent; imo nec ad vitam constitui poterant juxta Decretum Innocentii III. in *Cap.* 6. ✠ *De Statu Monach.* ubi dicitur: " nec alicui committatur aliqua obedientia *perpe„ tuo* possidenda tamquam in sua sibi vita locetur, sed cum „ oportuerit amoveri, sine *contradictione* revocetur.

XIII. Circa idem tempus Synodus Oxoniensis ait: Mo" nachus Ecclesiam vel Monasterium vel quodlibet prædiū „ Ecclesiæ suæ non audiat retinere *ad firmam*.

" Firma (ait D. Du Cange in citato Glossario Verbo, *firma*) est prædium seu villa alteri elocata ad *certum* tempus, „ sub præstatione annua vel annonaria, vel rerum ad victum „ necessariarum, vel denique pecuniaria, Hinc *datio ad firmam* pro contractu, quo sub annuo reditu fundi ad aliquot „ annos possidendi dantur.

XIV. " Vacuas *Cellas* seu Præposituras Abbates elocabant „ suis Monachis atque ita Simoniam committebant (ait „ Christianus Lupus) fovebantque proprietatem ac inobe„ dientiam. Conductor enim Monachus gerebat se, non ut „ *manualem*, sed ut *firmum* ac *immobilē*, & tam quoad ad„ ministrationem quàm ejus resignationem dependere no„ lebat à voluntate Abbatis." Hæc Lupus in Scolis ad *Can.* 6. Concilii Tolosani *tomo* 4. *pag.* 77.

XV. Deinde addit: " Et Monachi & Regulares Clerici „ quod *Cellas* aut Præposituras à suis Abbatibus aut Episco„ pis deinceps conducere, & ad vitæ finē *firmi* retinere non „ possent, firmitatem illam ab Apostolica Sede flagitabant, „ & quandoque impetrabant: Et quidem suæ professionis „ qualitate suppressā. Omnes hujusmodi gratias esse subre„ ptitias, communis vitæ professioni ac paupertatis voto „ *substantialiter* adversas, ideòque nullas, declaret Pontifex & ab omnibus exsufflandas, *in Cap.* 5. & 6. ✠ *De Con„ firmatione utili vel inutili.*

XVI. His contonat Synodus Tridentina *Sess.* 25. c 2. *De Regularib.* in verbis: " Nec deinceps liceat Superioribus bo„ na stabilia alicui Regulari concedere, etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum Monasteriorum, seu Conven„ tuum ad solos officiales eorumdem ad *nutum* Superiorum „ *amovibilis* pertineat

XVII. Ex his unanimi consensu concludunt Canonistæ Priores *Minores*, quales sunt Claustrales & Obedientiarii, aliosque Monasteriorum Officiales ad *nutum* & *beneplacitū* Abbatum esse amovibiles & revocabiles, quemadmodum videre est apud Fagnanum ad *Cap.* CUM AD MONASTERIUM ✠ *De Statu Monach.n.* 23. & sequentibus; ampliatque *n.* 37. conclusionem, ut " locum habeat non ob„ stante quod Priores manuales *non consueverint* revocari: quia cum sit in facultate Abbatis, si non sit usus tali facultate, consuetudo non introducitur, cum in actibus *mere facul„ tativis* non inducatur consuetudo

XVIII. Priores autem Conventuales, qui ut suprà dictū est, sunt Monasteriorum primarii Præfecti & Capita, quique à Capitulo sive Congregatione eligi, & per superiorē confirmari solent, nequaquam sunt *ad nutum* amovibiles. Et quamvis in pluribus Religionibus præfecti Mendicantium sint triennales, tamen [ait Fagnanus *ad Cap.* PER TUAS ✠ *De Simonia n.* 6.] durante triennio removeri non possunt, nisi ex justa causa, & juris ordine servato. Textus est clarus *Cap.* MONACHI ✠ *De Statu Monach.* cujus hæc sunt verba. *Priores antè cum in Ecclesiis* CONVENTUALIBUS *per electionē Capitulorum suorum fuerint canonicè instituti, nisi pro manifesta & rationabili causa non mutentur.*

XIX. Notat tamen ibidem Fagnanus ex *Cap.* QUALITER ✠ *De Accusationib.* in mutatione Priorū & Prælatorum Regularium, causam non requiri adeò gravem, sicuti exigitur ad privandū Clericos sæculares suis dignitatibus & Bene-

Beneficiis, sed quod ex levioribus causis ab administratione removeri possint.

XX. Et quamvis in Monasteriis habentibus Abbatem Commendatarium ex usu Regni Galliæ Prior intendens Regulari disciplinæ dicatur *Claustralis*, quia tamen quoad disciplinam est Caput Monasterii, neque in his quæ disciplinam Regularem concernunt ab Abbate Commendatario dependeat, etiam ab Abbate amoveri non potest; & ita non semel judicatum fuisse pro Priore Claustrali contra Abbatem Commendatarium refert Joannes Tornet in sua Collectione Arrestorum lit. *A. cap.* 9.

XXI. Quod de Prioribus *Conventualibus* docuêre communiter Canonistæ idem obtinet in *Provincialibus*, qui à Capitulo provinciali; & *Generalibus*, qui à Capitulo generali eliguntur; ut nimirum durante termino sui regiminis sine causa & ordine judicii amoveri nequeant.

XXII. Cum priores *Conventuales* sint non secùs ac ipsi Abbates Conventuum suorum quasi Prælati & Capita: quin & vi suæ electionis seu institutionis *perpetui*, nisi ex speciali statuto aut præscripto Regulæ duntaxat eligantur, etiam & ipsi in dignitate constituti intelliguntur; secùs verò Priores *Claustrales* & *Obedientiarii*.

XXIII. Quapropter cum ex Constitutione Bonifacii VIII. in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in* VI. nullis nisi dignitate præditis, aut Personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedraliũ Canonicis causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem committi possent, dictum est in *Clementina* 2. *De Rescriptis*; causas à Sede Apostolica delegari posse Priori *Conventuali*, non autẽ *Claustrali*; idque non alia de causa, nisi quod *Conventuales* in dignitate constituti intelligantur, secùs Claustrales, uti ad dictam Clementinam notant Canonistæ.

CAPUT III.

De auctoritate Prælatorum regendi & corrigendi Subditos.

1. *Abbates & Priores Conventuales sunt Monasteriorum Pastores.*
2. *Curam animarum habent.*
3. *In deligendis Prioribus Conventualibus maturè procedendum.*
- *Abbates & Priores debent Subditos verbo & exemplo instruere*
- *Debent eo esse doctrina instructi, ut omnibus prodesse possint.*
- *Præcepto Divino illis mandatum est, Oves suas agnoscere & eas pascere.*
- *Debent habere exactam amicorum notitiam; & quare.*
- *Quomodo se diversimodè ad omnes pro varietate dispositionis ipsorum habere debeant.*
- *Debent continuo suis invigilare, ut notitiam habere queant.*
- *Quid de hac Prælatorum vigilantia senserint Canonici Præmonstratenses.*
- *Penes Abbates est corrigendi ac puniendi auctoritas.*
- *Multa mala timenda, si hac auctoritate Superiores abutantur.*
- *Prudentia hic præcipue in Superiore exigitur.*
- *Primo expendere debet qualitatem personarum: & qui durius increpandi.*
- *Qui obsecrandi, & qui arguendi.*
- *Correctio fit verbis aut verberibus: & quibus hæc illave impendenda.*
- *Superiores in correctione considerare debent causam.*
- *Tempus quoque attendendum est.*
- *Superior modum in puniendo servare debet.*
- *Superiori cavendum, ne nimis culpas Subditorum dissimulet.*
- *Quæ sunt pœnæ Monasticæ.*
- *Etiam pœnæ corporales inter Monachos usitatæ.*
- *Etiam carceris pœnæ olim nota, sed hodie usitatior.*
- *Excommunicatio usitata apud Monachos.*
- *Qui ex Regula Benedictina excommunicationi subjecti.*
- *Effectus excommunicationis Monasticæ.*
- *Colloquens aut conversans cum excommunicato, incidit in excommunicationem.*
- *Quam curam circa excommunicatos habere debeat Abbas.*
- *Quomodo excommunicati reconciliatio fiat.*
- *Etiam pro levioribus delictis excommunicatio inflicta,*
- *Excommunicatio non accipitur hic pro censura Ecclesiastica.*
- *Quid cum Monacho incorrigibili agendum remissivè: & quare hodie frequentior incarcerationis usus.*

I. Abbatibus Regularibus, uti & Prioribus Conventualibus incumbere curam animarum, sive eos esse non tantum Patres, sed & quasi Pastores Religiosorum quibus præsunt, non tantum veteri disciplinæ, sed etiam modernæ conforme est. Hinc etiam Abbatiæ & Prioratus à Canonistis, beneficiis & dignitatibus *curam animarum* annexam habentibus annumerantur, in *Cap.* CUM IN CUNCTIS 11. *De Electione*.

II. "Semper cogitet (Abbas) ait S. Benedictus, quia *animas* suscepit *regendas*, de quibus & rationem redditurus „est.... Sciatque, quia qui suscipit *animas regendas*, præ„paret se ad rationem reddendam. Et quantum sub *cura* „*sua* Fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro cer„to, quia in die judicii ipsarum *omnium animarum* est red„diturus Domino rationem. *Cap* 2. *Regula*.

III. Ad Institutionem Priorum Conventualium maturâ deliberatione procedendum esse monent Constitutiones PP. Eremitarum S. Augustini hac addita ratione: "Nam licet „omnia maturè debeant Pater Præsidens & alii Diffinitori „Patres determinare, specialem nihilominus ac *præcipuam* „*diligentiam* debent adhibere in institutione *Priorum* qui„bus ex officio incumbit *cura animarum*, quæ est *ars ar*„*tium & scientia scientiarum*, scientes nihil esse quod Reli„gioni magis officiat, quàm quod ad curam animarum as„sumantur indigni: necesse est enim, ut tales sint familiæ, „quales earum existunt Priores. *Parte* 3. *cap.* 7.

IV. Imprimis ergo Abbates & Priores tanquam Pastores & animarum sibi creditarum Directores, debent verbo & exemplo suos instruere, & ad ipsam observantiam Regulæ & professionis Monasticæ incitare & urgere.

V. Unde S. Benedictus postquam dixisset, Abbatem magnum onus, scilicet curam Animarum in se suscipere, mox tanquam consequens infert: "Oportet ergo eum esse *do*„*ctum lege divinâ*: & sit, unde proferat nova & vetera. *Cap.* 64. *Reg.*

Et *cap.* 2. suæ Regulæ idem ex eodem fundamento latius adstruit dicens: "Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, „duplici debet doctrinâ suis præesse discipulis; id est omnia „bona & sancta *factis* amplius quàm verbis ostendat: ut ca„pacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris „verò corde & simplicioribus, *factis* suis divina præcepta „demonstret. Omnia verò, quæ discipulis docuerit esse „contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis prædi„cans, ipse reprobus inveniatur.

Sanctus Isidorus *cap.* 2. Regulæ ita de Abbate loquitur: "Iste *se imitandum* in cunctis operum exemplis exhibebit.... „Singulos autem hortamentis mutuis excitabit, alloquens „cunctos, exhortans, vel ædificans in eis, si quid eorum vi„tæ pro uniuscujusque gradu prodesse perspexerit.

VI. Quid plura? Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 1. *De Reform.* supponit & declarat, præcepto *divino* mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, verbi divini prædicatione, ac bonorum omnium *operum* exemplo pascere.

Ad hoc Decretum reflectentes Canonici Præmonstratenses anno hujus sæculi 30. edixerunt, ut "omnes Prælati (prout „sibi *à Domino mandatum* atque commissum est) subditis „suis, *tum verbis, tum factis* (si enim absint opera, parùm ef„ficient verba) vera dogmata, & vitæ perfectæ normam „tradant." *Dist.* 2. *cap.* 2. §. 7. Et rursus eadem *dist. cap.* 5. §. „Prælatos monent, " ut ante omnia anxiè caveant, ne vel „scandalosa, vel aliqua statum suum minus decentia per„petrent, considerantes quod tot mortibus digni sint, quot „ad subditos perditionis exempla transmittunt; sed econtra „sic virtutibus studeant, ut eorum vitam quicunque intue„antur, omnium virtutum exemplar ante oculos proposi„tum habeant.

VII. Ut Abbates aliique Monasteriorum Superiores *boni Pastoris* partes rite expleant, necesse est, ut subditorum suorum exactam notitiam habere satagant. Nec enim oves rectè pasci poterunt, nisi Pastor exactam earum notitiam habeat; alia enim & alia pascua & alimenta spiritualia conveniunt aliter & aliter dispositis.

Digitized by Google

"Non una eademque cunctis exhortatio congruit [ait S. Gregorius *in prologo 3. partis De cura Past.* quia non cunctos „ par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt. „ quæ aliis prosunt: quia & plerumque herbæ; quæ hæc alia „ animalia nutriunt alia occidunt: & lenis sibilus equos mi- „ tigat, catulos instigat Et medicamentum quod hunc mor- „ bum imminuit, alteri vires jungit & panis qui vitam for- „ tium roborat parvulorum necat. Pro qualitate igitur au- „ dientium formari debet sermo Doctorum, ut & ad sua sin- „ gulis congruat, & tamen à communis ædificationis arte „ numquam recedat.

VIII. Quæ ad Pastores generaliter dixit S. Gregorius, jam dixerat ad Abbates S. Benedictus *cap. 2.*

"Sciat Abbas quam difficilem & arduam rem suscepit, re „ gere animas, & *multorum servire moribus* .... Et alium „ quidem blandimentis, alium verò increpationibus, alium „ suasionibus: & secundum uniuscujusque qualitatem vel in- „ telligentiam, *ita è omnibus conformet & aptet*, ut non so- „ lùm detrimenta gregis sibi commissi non patiatur, verum „ in augmentatione boni gregis gaudeat." Et paulò supra "Tantundem erit liber [Abbas] ut si inquieto vel inobedi- „ enti gregi Pastoris fuerit omnis diligentia attributa, & „ morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita.

IX. Porrò hæc omnia nullatenus præstare Superior poterit nisi assiduè, tamquam vigilans Pastor, omnibus suis attendat ut per continuam vigilantiam non exteriora tantùm, sed vel præcipuè interiora, id est affectus ac animi motus ovium suarum exquirat; sicque oves suas agnoscat: quod præcepto quidem Divino, declarante Concilio Trid. mandatum est omnibus. quibus cura animarum commissa est.

X. Quid de memorata indefessa sollicitudine, ac continua super gregem vigilantia Prælatis incumbente senserint anno 30. hujus sæculi Canonici Præmonstratenses, ex statutis illo anno conceptus & evulgatis cognoscere licet." Qui Abba- „ tialem functionem suscipiunt, inquiunt, quæ suarum sunt „ partium, agnoscere studeant; & intelligant se non ad pro- „ pria commoda, ad divitias & luxum, sed ad labores & „ sollicitudines pro Dei gloria vocatos; & se obstrictos esse, „ ut attendant sibi, & gregi sibi commisso; ac proinde obli- „ gatos, juxta Apostolum, ut vigilent, in omnibus laborent, „ ac ministerium suum impleant.

"Omnes Prælati, prout omni jure obligantur, strictè re- „ sideant, ut suo gregi, cujus sanguis à Supremo Pastore de „ ipsorum manibus aliquando requiretur, *vigilanter* inten- „ dere queant.

"Rarissimè autem absint, nisi aliud officii eorum ratio „ postulat; quo in casu domui suæ bene prospiciant, ac assi- „ duè curent ne subditi per eorum absentiam, aliquod detri- „ mentum patiantur: scientes quod non sit admittenda Pasto- „ ris excusatio, si oves lupus comedit, & ipse earum custo- „ diæ minimè incumbens nescit.

"Habeant cum Priore, aliisque Superioribus, de suorū „ moribus, profectu atque defectu, frequentes inquisitiones „ & collationes.

"Sæpe Filios suos visitent, vel ad se vocent, eosque tan- „ quam veri Patres, in spiritu lenitatis instruant, moneant, „ consolentur, ac dum opus est, corripiant, objurgent atque „ castigent.

"Vultum pecoris sui agnoscere studeant, & omnia inte- „ riora penetrare nitantur, quò facilius: & interiorum vi- „ tia extirpare & virtutes inserere queant.

Hisce non contenti ulterius adjiciunt;" pro sua ac sub- „ ditorum salute, necessitatibus, atque profectu [prout sunt „ obligati] ardentes ac numquam intermissas fundant pre- „ ces.

XI. Penes Abbates & priores Conventuales, qui sunt Monasteriorum Capita & Pastores, esse auctoritatem Subditorum excessus corrigendi & puniendi indubitatum est; atq; omnes Regulæ Monasticæ illam auctoritatem Abbatibus jā pridem attribuerunt,

XII. Non minima sanè officii Abbatis aliusve cujuscumque Superioris pars est, hac auctoritate ritè defungi. Ut enim correptio Subditorum cum fructu fiat, magnā opus est prudentia & dexteritate; imò & discretione & charitate erga subditos.

Si enim hæc in Superiore desint, fortitudo quæ Superiori inesse debet, degenerabit in asperitatem, suavitas in remissionem, zelus in furorem; compassio vertetur in noxiā conniventiam; patientia sine discretione audaciam & consuetudinem gignet peccandi.

XIII. Monet Abbatem S. Benedictus *cap. 64. Regulæ. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat.*

Prudentia hæc requirit, ut Abbas in correctione hæc quatuor seriò expendat & diligenter distinguat.

XIV. Primò personarum, quibus correctio impendenda qualitatem & conditionem consideret Quam consideratione clarissimè explicat S. Benedictus.

Apostolicam enim illam sententiam 2. *ad Timoth. 4. Argue obsecra, increpa* tribus hominum generibus, ab Abbate vult applicari, *cap. 2.* suæ Regulæ.

Indisciplinatos & inquietos, ait *debet Abbas* DURIUS *arguere.*

Indisciplinati propriè dicuntur, qui disciplinam recipere nolunt, sive qui nullatenus corrigi volunt.

Inquieti verò dici possunt, qui nullo loco quodammodo consistentes, continuò per Monasterium vagantur & cursitant de uno loco ad alium. Hi quia suo exemplo & modo agendi alios provocant ad relaxationem, & ordinem perturbant, durius argui debent: uti latiùs exponit Hæftenus *lib. 8. tract. 8. disq. 5.*

XV. Ad alterum genus personarum pergens Benedictus ait, *Obedientes autem & mites, & patientes, ut in melius proficiant, obsecrare debet Abbas.*

Hi sunt, qui cum deliquerunt, mox aut intus moti à Spiritu aut foris correpti ab homine, ad pœnitentiæ remedium confugiunt.

De tertio hominum genere sic loquitur Benedictus: *Negligentes & contemnentes, ut increpet & corripiat.*

XVI. Cum verò correctio vitiosorum *verbis* fieri possit & *verberibus*, quibus hæc illave impendenda sit subjicit: „ Honestiores quidē atque intelligibiles animos prima vel „ secunda admonitione *verbis* corripiat: improbos autem & „ duros ac superbos, inobedientes *verberum* & corporis ca- „ stigatione ipso initio peccati coerceat.

XVII. Secundò prudentia Superioris attendere debet causam, sive gravitatem culpæ: Nam ut ait S. Benedictus c. 23. *Secundum modum culpæ excommunicationis, vel disciplinæ debet extendi mensura.*

Spectandum igitur quale peccatum sit quod reprehenditur; an Cōmunitati valde noxium, an relaxationi viam sternat; an malo exemplo & contagio alios inficiat; an ex consuetudine sæpius perpetratum, an verò rarius & ex infirmitate.

Culparum distinctio in leviores & graviores in Regulis Monasticis notissima est; & quæ leviores, quæ graviores reputandæ sint passim indicatur.

XVIII. Tertiò consideret *prudens* Superior, *quando* corripiendum, Hoc intendit Benedictus cum Abbatem monet *miscere temporibus tempora* Quod explanans S. Bernardus *sermone 2. De Resurrect.* ait: "Habeat mens nostra spiritu „ discretionis, ut miscens aptè *temporibus tempora* opportu- „ nè æmulari. & nihilominus ignoscere sciat. Samaritanus [illegible] „ custodiens & observans quando vinū misericordiæ, quan- „ do vinum fervoris exhibeat.

XIX. Denique prudens Superior in corripiendo & puniendo modum servare debet juxta illud Benedicti *cap. 64.* "In ipsa correptione prudenter agat [Abbas] & ne quid ni- „ mis; Ne dum nimis cupit eradere æruginem, frangatur „ vas: suamque fragilitatem semper suspectus sit: memi- „ neritque *calamum quassatū non conterendum.* In quibus non „ dicimus, ut permittat nutriri vitia: sed prudenter & cum „ charitate ea amputet ut viderit cuique expedire, sicut jam „ diximus. & studeat plus amari, quam timeri. Non sit „ turbulentus & anxius: non sit nimius & obstinatus: non „ sit zelotypus, & nimis suspiciosus, quia numquā requie- „ cet.

XX. Sed

XX. Sed dum timet Superior in correctione excedere, cavendum ne in alterum extremum labatur; nimiaq; remissione sive indulgentia delinquat. Quare monet Abbatem S. Benedictus *cap. 2.* "Neque dissimulet peccata delinquentium, sed mox ut cœperint oriri, radicitus ea, ut prævalet, amputet; memor periculi Heli Sacerdotis de Silo.

Hæc omnia evincunt, quam verè dixit Benedictus: *Sciat* [Abbas] *quam difficilem & arduam rem suscepit, regere animas & multorum servire moribus.*

XXI. Quemadmodum in Regulis Monasticis defectuum leviorum & graviorum varia distinctio occurrit, ita quoque magna pœnarum varietas passim legitur.

XXII. Et quidem præter pœnas leviores quæ ad humiliationem sive confusionem Monachorum potissimum spectabant, vel ad aliquam mortificationem & pœnitentiam pertinebant, ut dierum aliquot jejunium; aut abstinentia à certo potu vel cibo, etiam corporales pœnæ usitatæ erant. Nihil enim usitatius in Regulis Monasticis quam virgarum inflictio.

In Regula Pachomii *art. 87.* de eo qui fratres ad peccandum sollicitat, & simpliciorum animos pervertit, *separabunt, ait, eum extra Monasterium, & VERBERABUNT eum ante fores triginta novem*: id est, triginta novem plagis, idque juxta morem Judæorum, qui in flagellatione non excedebant numerum 39. plagarum; uti notat Menardus ad *Concord. Regul. cap. 30. 4.*

Apud S. Isidorum in Regula *cap. 17. Gravior culpa diuturna excommunicatione purgatur, & FLAGELLIS emendatur.*

In Regula Benedictina crebra hujus pœnæ fit mentio; Et quidem *cap. 28.* vocat *acriorem correctionem, id est,* VERBERUM *vindictam* & PLAGAS VIRGARUM: & *cap. 23.* vocat *vindictam* CORPORALEM.

XXIII. Subinde etiam carcere includebantur; & quidem vinculis nonnunquam constricti, uti legitur in regula S. Fructuosi *cap. 16.* VINCULISQUE *arctatus ferreis,* CARCERALI *sex mensibus angustiâ maceretur.*

In recentioribus tamen Ordinum constitutionibus frequentior quam in pristinis Monachorum Regulis incarcerationis mentio occurrit cujus ratio infra notabitur.

XXIV. Præter has pœnas corporales, frequens & in Regula præsertim Benedictina notissima erat *excommunicatio*; de qua multis capitibus suæ Regulæ disserit Benedictus.

XXV. "Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, aut in aliquo contrarius existens sanctæ Regulæ, & præceptis Seniorum suorum contemptor repertus fuerit [ait Benedictus *cap. 23.*] hic secundùm Domini nostri præceptum admoneatur semel & secundò secretè à senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publicè coram omnibus. Si verò neque sic correxerit, si intelligit, qualis pœna sit, *excommunicationi* subjaceat.

XXVI. Deinde *cap. 25.* ait: "Si autem Frater, qui gravioris culpæ noxa tenetur, suspendatur à mensa simul & ab Oratorio; nullus ei Fratrum in ullo jungatur consortio neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in pœnitentiæ luctu, sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: Traditum hujusmodi hominem sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini. Cibi autem refectionem solus percipiat, mensurâ, vel horâ, qua præviderit ei Abbas competere. Nec à quoquam Benedicatur transeunte, nec cibus qui ei datur.

Sanctus Fructuosus loquens de Monacho excommunicato *cap. 14.* decernit, "Ut in solo pane & aqua in vespera post cœnam Fratrum medium accipiat paximatium, & non ad satietatem aquam, & hoc ab Abbate *exsufflatum non sanctificatum.*" Nimirum hoc est, quod Benedictus dixit: *Neque benedicatur cibus qui ei datur.*

Paximatium, cujus hic fit mentio, videtur fuisse panis sic coctus & siccus; de quo consule Menardum ad *Concord. Regul. cap. 31. §. 17.*

XXVII. In tantum Fratrum separationem ab excommunicatis urget S. Benedictus, ut *cap. 26.* decernat: "Si quis Frater præsumpserit sine jussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

XXVIII. Porrò quia omnis hæc pœna tendit unicè in emendationem ac correctionem excommunicati, declarat S. Benedictus *cap. 27.* quam sollicitus esse debeat Abbas circa excommunicatos, ex quo discere possunt Superiores, quam curam & affectum erga delinquentes & infirmiores Fratres exhibere debeant. "Omni sollicitudine curam gerat Abbas, inquit, circa delinquentes fratres; quia *non est opus sanis medicus, sed malè habentibus.* Et uti debet omni modo, ut sapiens medicus: immittere synpæctas, id est seniores sapientes fratres, qui quasi secretè consolentur fratrem fluctuantem, & provocent ad humilitatis satisfactionem: & consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur; sed sicut ait Apostolus: *Confirmetur in eo caritas, & oretur pro eo ab omnibus.* Magnopere enim debet sollicitudinem gerere Abbas, & omni sagacitate & industriâ curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: & metuat Prophetæ comminationem, per quem dicit Deus: *Quod crassum videbatis, assumebatis; & quod debile erat projiciebatis.* Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quæ erraverat, quærere; cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, & sic reportare ad gregem.

XXIX. Quomodo tandem excommunicatus, si se emendaverit reconciliandus esset exponitur *cap. 44.* Regulæ Benedictinæ: "Qui pro gravioribus culpis ab oratorio & à mensa excommunicatur, hora qua opus Dei in oratorio celebratur, ante fores Oratorii prostratus jaceat, nihil dicens, nisi tantum posito in terra capite stratus pronus omnium de Oratorio exeuntium pedibus se projiciat. Et hoc tamdiu faciat, usque dum Abbas judicaverit satisfactum esse. Qui dum jussus ab Abbate venerit, volvat se ipsius Abbatis, deinde omnium vestigiis, ut orent pro ipso. Et tunc si jusserit Abbas, recipiatur in Choro, vel in ordine, quo Abbas decreverit ita sanè, ut Psalmum, & electionem, vel aliud quid non præsumat in Oratorio imponere, nisi iterum Abbas jubeat. Et omnibus horis, dum completur opus Dei, projiciat se in terra in loco, in quo stat: & sic satisfaciat, usque dum ei jubeat iterum Abbas, ut quiescat jam ab hac satisfactione.

Hic notandum, quod excommunicatus paulatim & per partes communioni & officiis restituatur; in quantum nimirum viderit Abbas illum sensim magis humiliatum & pœnitentem.

XXX. Subjicit deinde S. Benedictus: "Qui verò pro *levibus* culpis excommunicantur tantum à mensæ in Oratorio satisfaciant usq; ad jussionem Abbatis: & tamdiu hoc perficiant, usque dum benedicat, & dicat, sufficit.

XXXI. Porro cum Benedictus etiam pro levioribus culpis *excommunicationem* infligendam supponat, admodum verisimile est, neque apud Benedictum, neque alios pristinos Monachorum Patres, *excommunicationem* sumptam esse pro censura Ecclesiastica, sive propriè dicta excommunicatione *majori*; qua Monachus ab ipso *corpore* Ecclesiæ abscissus censeretur; quam nonnulli pro gravissimis criminibus infligi posse in confesso est; & infra *parte 3. Titulo De Censuris* latius *ostendetur.*

Accedit quod *cap. 24.* mensuram *excommunicationis* velit extendi juxta *modum culpæ*, quod excommunicationi propriè dictæ applicari nequit; quæ simpliciter excommunicatum à corpore Ecclesiæ rescindit.

Adhæc cum Abbates olim essent *laici*, non apparet qua ratione censuras Ecclesiasticas à potestate Clavium dependentes infligere potuissent.

Verisimilius proinde est, hujusmodi *excommunicationes*

tantùm fuisse aliquas pœnas Regulares Monachis inflictas ad propriam & aliorum emendationem & præcautionem.

Nihilominus quia per illas Monachi separabantur à reliquorum consortio, & oratione, pro magna sanè habebatur pœna; & qui illâ mulctabantur, sathanæ tradi videbantur; eò quod jam reliquorum oratione & consolatione destituti viderentur sathanæ insidiis magis expositi. Uti latius exponit & ostendit Josephus Mege in Commentario ad *cap.* 25. Regulæ Benedictinæ.

Quod tamen hodie Abbates aliive Monasteriorum Prælati excommunicationem *majorem*, quæ sit censura Ecclesiastica ferre possint, ostendemus, dum de Censuris Ecclesiasticis agemus; ubi unà regulas observandas notabimus.

XXXII. Si Frater excommunicatus, neque *excommunicatione*, neque corporali correctione emendetur, potest Abbas juxta præscriptum regulæ Benedictinæ & aliarum Regularum è Monasterio illum ejicere & abscindere, quemadmodum suprà *Titulo* 27. *c.* 7. probavimus; ubi tamen unà observavimus, hanc disciplinam moribus hodiernis esse mutatã; neq; posse Superiores hodie Monachos incorrigibiles à Monasterio rescindere; sed esse ergastulis coercendos; uti & apostatas, si ad Monasteria reducantur; quemadmodum rectè observasse Boetium observo, cujus verba hic addo: "Oportet supplere hodie ubicumque invenitur in Regula, Monachus *projiciatur* vel *expellatur à Monasterio*, id est, *retrudatur in ergastulum*, sive in carcerem, sive in aliud Monasterium ad agendam pœnitentiam transmittatur.

Hinc non obscurum est, cur in posterioribus Regularium frequentior *incarcerationis* mentio fiat, quàm in antiquis; dum olim rebelles & incorrigibiles è Monasterio expelli, & à Religione abscindi poterant.

CAPUT IV.

Quandonam Superior debeat petere *consilium* vel *consensum* Capituli; & qui Capitulum constituant?

1. *Regimen Abbatis ex præscripto S. Benedicti est monarchicum.*
2. *Abbati opus est* consilio.
3. *Consiliarios ab Abbate adhiberi vult S. Benedictus.*
4. *In rebus arduis totam Congregationem consuli vult Benedictus.*
5. *Ad Congregationem spectant tam laici, quam Clerici.*
6. *Ex Regulis Monasticis tam laici, quam clerici in Capitulis* suffragium *habent, quod & nunc in Ordine S. Francisci obtinet.*
7. *Sæculo* 14. *admitti cœperunt ad Capitulum* soli *qui in Ordine* Subdiaconatûs *sunt.*
8. *Ratio hujus Decreti.*
9. *Aliquando Regulares ad Ordines suscipiendos cogi debuerunt.*
10. *In quibus Ordinibus id præcipuè contigerit.*
11. *Hodie nimius in Regularibus ad Ordines suscipiendos pruritus, & unde hæc mutatio.*
12. *Hodie in omnibus penè Monasteriis Fratres laici, & Clerici sacro Ordine non insigniti suffragio etiam* consultivo *privati sunt.*
13. *In Monasteriis Monialium solæ Moniales* Choristæ *exclusis* Conversis *Capitulum constituere solent.*
14. *Sorores* Conversæ *in Ordine S. Francisci manutentæ in electione Abbatissæ: & unde distinctio Sororum,* Conversarum & Choristarum.
15. *Quando requiritur consilium aut consensus Capituli, debet* Capitulariter *dari.*
16. *Abbatis est, negotium Congregationi proponere: & quomodo proponendum.*
17. *Quomodo consilium Fratrum Abbas excipere debeat.*
18. *Quid Abbati faciendum audito Fratrum* consilio
19. *Abbas cavere debet præformare suam opinionem.*
20. *Abbas consilium audire*, non sequi *tenetur.*
21. *Tenetur Abbas in omnibus sequi Regulam.*
22. *In causis* levioribus *vult S. Benedictus adhiberi consilium* Seniorum.
23. *Qui nomine* Seniorum *intelligantur.*
24. *Hodie in plerisque Ordinibus regimen Superiorum est pro parte* aristocraticum.
25. *Quæ sint negotia* graviora *quæ expediri nequeunt* sine consensu *Capituli sive Congregationis.*
26. *Abbas etiam hodie non tenetur habere consensum* Capituli *nisi in casibus specialiter designatis.*
27. *Dum* consensus *Congregationis exigitur, non requiritur* omnium.
28. *Actus est nullus si Abbas* consilium *non petierit, si petere teneretur, etiamsi sequi non deberet.*

I. Regimen monarchicum instituisse sanctum Benedictum manifestum est ex *cap.* 65. suæ Regulæ.

Cùm enim advertisset per ordinationem *Præpositi* qui quasi secundus esse prætendebat, " scandala gravia in Monasteriis oriri, dum sunt aliqui, ait, maligno spiritu superbiæ inflati, existimantes se *secundos Abbates* esse, assumentes tyrannidem, scandala nutriunt, & dissensiones in Congregationibus faciunt.

Deinde ut his aliisque incommodis obviet, subjicit: " Idcoque nos prævidemus expedire propter pacis charitatisque custodiam in *Abbatis* pendere *arbitrio ordinationem* Monasterii sui: " ita ut alii omnes, quocumque etiam officio fungantur, illi subditi, non æquales sint, aut parem cum eo magistratum gerentes.

II. Sed cùm arduam & difficilem rem susceperit, scilicet *regere animas*, opus ipsi est consilio, ut videat quæ ei agenda sint. Nam ut ait Sapiens *Proverb.* 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ.*

III. Quapropter S. Benedictus postquam Abbati oneris sibi impositi gravitatem & agendorum difficultatem fusè & distinctè proposuit *cap.* 2. suæ regulæ, capite sequenti subjungit de ejus *consiliariis*, sive quos in *consilium* adhibere debeat; & quæ in expetendo consilio ab Abbate, & quæ à *consiliariis* sint observanda.

"Quoties aliqua præcipua agenda sunt in Monasterio, inquit, convocet Abbas omnem Congregationem & dicat ipse unde agatur. Et audiens consilium Fratrum, tractet apud se; & quod utilius judicaverit, faciat.

IV. Imprimis vult S. Benedictus in rebus præcipuis tractandis per Abbatem convocari *omnem* Congregationem; id est, omnes qui sunt de Congregatione sive Monasterio; etiam *juniores*: *quia*, ait, *sæpe junior Dominus revelat quod melius est.*

V. Cum ergo omnes tam laici, quàm Clerici ad Congregationem pertineant; imo tempore S. Benedicti nulli aut pauci essent in Monasterio Clerici, manifestum est ex præscripto Regulæ, tam *laicos*, sive ut hodie loquuntur, *Fratres conversos*, quàm Clericos, seu *ad chorum* professos Congregationem sive Capitulum (quod in causis arduis congregari & consuli debet) constituisse; atque æquale suffragium habuisse.

VI. Neque in antiquis Monachorum, neq; recentioribus, ut S. Francisci ulla hujus distinctionis inter Fratres laicos & Clericos mentio fit.

Unde etiamnum hodie in Ordine Fratrum Minorum Fratres *laici* concurrunt & suffragium habent cum aliis Clericis in electione *Discreti*; modo tamen à *quinque* annis professionem emiserint; cùm illi qui Ordine Sacro sunt insigniti suffragio gaudeant, tametsi *duobus* tantum annis sint professi *Cap.* 7. §. 3. *Instit.*

VII. Hæc disciplina quæ omnes indifferenter ad Congregationem sive Capitulum admittebat, primùm mutari cœpit sæculo 14. quando sub nomine Concilii Viennensis in *Clementina* UT 11. *De Ætate & qualit. Ordinand.* decretum fuit, " Ut nullus de cætero in hujusmodi Ecclesiis (Cathedralibus vel Collegiatis sæcularibus vel *Regularibus*) vocem in Capitulo habeat, etiamsi hoc sibi ab aliis liberè concedatur, nisi saltem in *Subdiaconatus* ordine fuerit constitutus.

VIII. Ratio Decreti in præfatione exprimitur: " Ut ii, qui Divinis in Cathedralibus vel Collegiatis, sæcularibus vel *regularibus* sunt mancipati officiis, vel mancipabuntur imposterum, ad *suscipiendos* Sacros Ordines *propensius inducantur.*

IX. Hic obiter notandum, eo tempore in quibusdam Ecclesiis *Regularibus* Religiosos ita fuisse morosos in suscipiendis *sacris* Ordinibus, ut etiam pœnis ad id adigi deberent; quod & indicat aliud sub nomine ejusdem Concilii Decretũ in *Clementina* NE IN AGRO *de Statu Monach.* quo decernitur: " Ad ampliationem autem cultûs Divini statuimus, quod Monachi *quilibet* ad monitionem Abbatis se faciant

ad omnes

„ad omnes Ordines Sacros (excusatione cessante legitimâ) „promoveri.

X. Nomen *Abbatis* insinuat, hoc Decretum potissimùm Monachos *Abbatiales* spectasse: utpote qui aliunde divitiis abundantes, nihil è susceptione Ordinis Sacri lucri aut commodi sperarent, malebant otii delicias, quam Ordine Sacro initiati Divinis officiis peragendis vacare. Unde ad hoc Decretum reflectens Christianus Lupus ait: "Post „ablatum per divitias opus manuum cœperunt Monachi „ab otio invadi, ideoque sacro saltem ministerio adver-„sus illud muniendos Pontifex judicavit. " Ad *Can. 6. Calched.*

XI. Hodie verò postquam ex susceptione Ordinis Sacri aliquod emolumentum, uti ex celebratione Missarum apud Mendicantes, vel aliqua Prærogativa haberi cœpit, tantus est ad Sacros Ordines pruritus, ut nullus penè nisi ætate destitutus ad eos non ascendet; imò ascendere ambiat; idque ferè nullâ capacitatis habitâ ratione; ut meritò hodie desiderarentur Decreta, quibus à Sacris Ordinibus suscipiendis arcerentur; uti infrà parte 2. Titulo De Sacramento Ordinis ostendetur.

XII. Itaque posthac Viennensis Concilii Decretum, ac præsertim sequutam ejusdem innovationem per Synodum Tridentinam *Sess. 21. Cap. 4. De Reformat.* cœperunt in plerisq; Religionibus Fratres *laici* aliique Sacro Subdiaconatûs Ordine non insigniti à Congregationibus Capitularibus exclusi, & suffragio activo etiam *consultivo* privari.

XIII. Cum verò in Monasteriis virorum Fratres *laici* seu *Conversi* à Congregationibus Capitularibus essent exclusi, solique Clerici seu *ad chorum*, ut ajunt, *professi*, Congregationem sive Capitulum conficerent, horum exemplo in Monialium Monasteriis sub eisdem Regulis militantibus, sensim etiâ primò recepta fuit distinctio Sororum *laicarum* seu *Conversarum*, & Sororum *Choristarum* sive ad *chorum* professarum; ac dein Sorores illæ *laicæ* à Congregationibus Capitularibus excludi cœperunt, prout hodie in plerisque Monasteriis excluduntur.

XIV. Quia tamen omnes Moniales seu *laicæ* seu *Choristæ* verè sunt de Congregatione seu Conventu, nec ullum Ecclesiæ Decretum sit hanc exclusionem probans, meritò Senatus Parisiensis anno 1642. per sententiam manutenuit Sorores laicas seu Conversas Ordinis S. Claræ sive Urbanistas in possessione dandi suum suffragium in electione Abbatissæ, uti refertur in appendice ad Opera *Claudii Le Prestre pag. 86.* narraturque discursus Advocati Regii in favorem Sororum *Conversarum*; qui inter alia notabat, primitus nullam fuisse inter Sorores eandem Regulam professas differentiam, sed successu temporis eam distinctionem esse inductam potius ex necessitate divitiarum, quàm meritorum aut alia rationabili consideratione; ut nimirum solæ *pauperes* admittantur tamquam *Conversæ*, *divites* verò *ad chorum*: tametsi subinde illæ capaciores sint per his ut Divinis Officiis occuparentur, & hæ manualibus operibus exercerentur. Hi qui Monasteriis intendunt, expendere poterunt, quid in hisce fieri conveniat.

Ut ad Regulam Benedictinam, à qua nonnihil deflexeimus, redeamus, dicit ab Abbate *convocandam Congregationem.*

XV. Pro quo notandum, quod si negotium aliquod sit *Capitulariter* tractandum; sive ut *consilium* Capituli audiatur, sive *consensus* obtineatur, tunc debeant omnes *Capitulariter* congregati audiri & consilium aut consensum suum dare; neque sufficiat, si *singuli* audiantur & suffragium suum singuli privatim depromant; imo actus sic expeditus ob defectum non *congregati Capituli* esset nullus; uti communiter docent Canonistæ relati à Tamburino De Jure Abbatum *tomo 3. disp. 1. quæst. 2. num. 25.*

XVI. Deinde ait Benedictus: *Dicat ipse, unde agatur.* Hoc est, negotium ipse Abbas proponat, idque juxta modernam disciplinam Præsidenti Congregationi competere solet.

Ita autem proponat, ut meri proponentis partes agat; & tam *propriam celet sententiam*, ait Haeftenus *lib. 3. tract. 5. disp. 6.* " Ne fortè assentatores ei placere studentes, ejus „potius sequantur voluntatem, quàm rei utilitatem: aut ne „timidiores metu displicendi, verum dicere vereantur. Vitabit proinde, ne quis in unam, quàm alteram partem pro-„pensum ejus animum percipiat.

XVII. Pergit Benedictus: " *Audiat consilium Fratrum*: scilicet *omnium*, qui Congregationem constituunt. " Au-„diendi autem benignè, patienter, sine molesta interru-„ptione, concesso loquendi spatio & libertate, nec verbo „aut signo alieniorem à quoquam animo ostendat. " ait Haeftenus.

XVIII. Audito omnium consilio, *tractet apud se*, ait Benedictus, id est, singulorum sententias & rationum momenta expendat, examinet & ponderet nec enim semper quod plures sentiunt, hoc melius. Proinde ubi negotium non dependet à pluralitate suffragiorum, quæ numeranda sunt, Abbas non tam numeret sententias, quàm æquâ lance appendat. Ac præcipuè attendat illud monitum Tobiæ ad filium suum: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo ut vias tuas dirigat, & omnia* CONSILIA *tua in ipso permaneant.* Tob. 4.

XIX. Ut verò æquâ lance consilia Fratrum appendat Abbas, necesse est, ne uni potius quam alteri opinioni ex humana aliqua ratione adhæreat, quousque Fratrum consilia audiverit; quod rectè expressit S. Dorotheus *Doct. 7.* his verbis: *Nihil decretum & præfixum in mente, vel sensu habeat.* Si enim antequam consilium petit, aliquam animo, agglutinatam opinionem habeat, vix umquam ullo Fratrum consilio, quamvis salubri, ab ea deducetur.

XX. Post expensa Fratrum consilia, *quod utilius judicaverit*, ait Benedictus, *faciat* Abbas.

Hæc manifestè supponunt, ex præscripto Regulæ Benedictinæ non competere Monachis in rebus tractandis nisi solum votum *consultivum*; ultimam verò decisionem pendere à *solo* Abbate: adeoque regimen Abbatis, ut suprà monuimus, à S. Benedicto fuisse institutum *monarchicum*.

Quod ulterius in verbis sequentibus inculcat dicens: "Sic „autem dent Fratres *consilium* cum omni humilitatis subje-„ctione, ut non præsumant procaciter defendere quod eis „visum fuerit; sed magis in Abbatis pendeat *arbitrio*, ut „quod salubrius *judicaverit*, ei cuncti obediant.

XXI. Ne tamen *Abbas* hac sua auctoritate abutatur, & subditis graviora quàm professio eorum exigit, imponat, addit: " In omnibus igitur *omnes* magistram sequantur *Regu-„lam*, neque temerè ab ea declinetur à quoquam.

Et ne quis ambigat, num sub hac generali expressione comprehendatur ipse Abbas, mox subjungit: " Ipse tamen „*Abbas* cum timore Dei, & observatione *Regulæ* omnia fa-„ciat, sciens, se procul dubio de omnibus judiciis suis æ-„quissimo judici Deo rationem redditurum.

XXII. Totius Congregationis *consilium* expeti vult S. Benedictus; si *præcipua* agenda sint in Monasterio; hoc est, in causis *gravioribus*: " Si quâ verò ait, *minora* agenda sunt in „Monasterii utilitatibus, *Seniorum* tantùm utatur consilio, „sicut scriptum est: Omnia fac cum consilio, & post factum „non pœnitebis.

XXIII. Qui hic per *Seniores* intelligantur, non determinat Benedictus, Cardinalis à Turrecrementa *Tract. 15. in cap. 3. Regula* ait: " Senior hoc loco non semper videtur notare „senectutem ætatis, aut prioritatem conversionis: quia „quandoque in multis hujusmodi nec abundat consilii ma-„turitas, nec rerum experientia. Sed Seniores credimus hic „prudentiores & magis expertos, appellandos, secundum „illud Tobiæ: *Consilium à Sapiente require.* " Verùm quia invidiosum sæpe est, relictis professione senioribus, designare alios tamquam prudentiores, & magis discretos; hinc a-„pud quosdam in usu est, consulere seniores secundum Or-„dinem professionis.

In aliis nullis Ordinibus eliguntur *Assistentes*, aut *Discreti*; quorum *consilio* vel *assensu* Superiores omnia agant; de quorum electione & auctoritate singulorum Ordinum Constitutiones consulendæ & sequendæ sunt.

XXIV. Illud insuper ex omnium penè Ordinum & Congregationum Constitutionibus, etiam eorum qui sub Regula Bene-

Benedictina militant, intelligi potest, hodie ob depravatos hominum mores, ac naturæ humanæ corruptionem, & quia [ut ait Ascanius Tamburinus loco citato *quæsito* 2. *num.* 2. & 5.] non omnes, qui regunt, esse possunt Augustini aut Benedicti, nec subditi Possidii, factum esse, ut Religiones loco Monarchiæ absolutæ, cum ea simul Aristocratiam amplexatæ sint: imo fere omnes Religiones tam Mendicantium, quàm non Mendicantium, regimen aristocraticum elegerunt, relicto Monarchico, ait Tamburinus; qui ibidem relatis variorum Ordinum Constitutionibus ostendit, eorum regimen esse aristocraticum.

XXV. Atque inter alia recitat ex Joanne Trithemio aliqua, quæ Abbas non tantùm sine consilio, sed nec sine *consensu* Monachorum exequi potest: ut sunt v. g. "Res Monasterii immobiles, agros, prata, & alia hujusmodi vendere. Secundò dicit, quod non potest recipere ad professionem Monachum sine consensu Conventûs. Tertiò, quod non potest Monasterium gravare pignoribus, & aliis cautionibus, magnam summam recipiens pecuniarum super bona Monasterii, absque evidenti necessitate, & Fratrum suorum *consensu*. Quartò, quod non licet Abbati dimittere Monachum ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis, sine prædicto *consensu*. Quinto, non potest aliqua Statuta ipsis imponere, quæ se ultra Regulam extendant, nisi *consentiant* Monachi. Sexto, non potest aliquem ad Confraternitatem spiritualem totius Monasterii accipere, nisi concurrant Monachi subditi. Septimo, non potest præbendarios perpetuos recipere ad Monasterium, sine *voluntate* Conventûs. Deinde subdit hæc verba: Sunt & alii casus, in quibus, si non est semper necessarium, est tamen honestum, ut sine Fratrum suorum Abbas assensu, eorum nihil attentet. In disciplina autem conservanda potest Abbas, sine ipsorum consensu, vel voluntate, si tamen expedit, limites Regulæ non omittens, agere, prout sibi melius visum fuerit expedire.

Quæ hic asserit Trithemius sine *consensu* Monachorum à solo Abbate expediri non posse; etiam hodie in plerisque Religionibus cum *consensu* totius Congregationis expediri consueverunt.

XXVI. Quia tamen ex sua institutione Abbatum regimen est monarchicum, nec nisi *consilium* etiam in rebus arduis expetere debet ex præscripto Regulæ, dicendum, quod *consensus* Capituli sive Congregationis ad validitatem actûs non exigatur, nisi in casibus à Jure vel Constitutionibus Ordinis *specialiter* expressis; quemadmodum Episcopus *consensum* sui Capituli habere non debet, nisi in casibus à jure designatis; uti suprà *titulo* 8. *cap.* 4. *num.* 5. notavimus.

XXVII. Illud insuper notandum, quod dum *consensus* Congregationis requiritur, non *omnium* de Congregatione requiratur; sed ordinariè sufficiat *major* pars totius Congregationis; aut etiam interdum sufficit, præsertim in electionibus, *major* pars comparata ad alias partes quæ alios elegerunt nisi aliquo statuto aliud fuerit expressum.

XXVIII. Denique licet Abbas aliusve Superior in casibus in quibus tantum debet requirere *consilium*, non teneatur *consilium* datum sequi; tamen actus esset nihilominus *nullus*, si à Capitulo aut Congregatione debitè convocata consilium non expetiisset; uti docent communiter Canonistæ quos citat Ascanius Tamburinus loco citato *quæsito* 8. *num.* 1.

CAPUT V.

De Cura temporalium Abbatibus incumbente, & Officialibus ab ipsis constituendis.

1. *Cura temporalium primario Superioribus Monasteriorum incumbit.*
2. *Superior dispensare debet sine acceptione personarum in usus Communitatis.*
3. *Superiores tantum sunt* Dispensatores, *& finem à Fundatoribus præfixum attendere debent.*
4. *Monitum Synodi Cameracensis.*
5. *Quibus debeantur bona Monasterii quæ necessitatibus Religiosorum super sunt.*
6. *Prælati utentes rebus Monasterii ut* propriis, *censendi sunt* proprietarii.
7. *Alienatio rerum Monasterii soli Abbati vetita, etiamsi sint annexæ* mensæ *Abbatiali.*
8. *Superiores tenentur reddere computum suæ administrationis.*
9. *An Episcopus interveniat computus.*
10. *Superiores ita circa temporalia versentur, ut spiritualia non negligant.*
11. *Superiores temporalibus curandis deputant Officiales.*
12. *Præcipuus inter hos Cellerarius, sive Procurator, & qualis eligendus.*
13. *Cavendum ne Procurator ita circa temporalia versetur, ut exercitia spiritualia omittat.*
14. *Periculosum est in Procuratorem constitui qui in virtute non est multum exercitatus, & quare.*
15. *Convenit, ut negotia Monasterii multum distrahentia committantur sæcularibus.*
16. *Officiales in administratione temporalium dependent à Superiore Monasterii.*
17. *Potest Abbas eorum auctoritatem restringere vel ampliare.*
18. *Cavenda in administratione temporalium species avaritiæ.*

I. PRæcipuam rerum temporalium inspectionem & superintendentiam esse penes Abbates aliosque Monasteriorum primarios Præfectos, eosque esse præcipuos rerum suarum dispensatores, tam ex Sacris Canonibus, quam Regulis Monasticis constat.

"Universa [ait Gelasius Papa in *Can.* NULLAM *caus.* 18. *qu.* 2. quæ vel ad Divini cultûs reverentiam, vel ad *utilitatem* Monasterii pertinent *Abbatis sollicitudo*, ad quem potestas *tota* pertinere convenit, debeat adimplere.

Regula Benedictina pluribus locis, ac signanter *cap.* 2. 31. 33. 54. & 57. hanc in dispensandis rebus temporalibus auctoritatem in Abbate manifestè supponit; quam etiam Regula S. Augustini non obscurè expressit, ubi ait: "Non dicatis vos aliquid habere proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuique vestrum *à Præposito vestro*.

Circa hanc Abbatum aliorumque Superiorum dispensandi ac regendi res temporales potestatem plura observanda sunt.

II. Imprimis Superiores in rebus communibus dispensandis tenere debent normâ sibi in Actis Apostolicis his verbis præformatam: *Dividebatur autem* SINGULIS *prout* CUIQUE *opus erat*: hoc est, ut sine personarum acceptione *singulis* Religiosis distribuatur prout *cuique* opus erit; de qua dispensandi norma egimus *tit.* 19. *c.* 5. & 7. atque insuper in hac dispensatione eam tenere moderationem, ut ea quæ Religiosis ad *necessitatem* dantur, limites paupertatis Religiosæ non excedant; uti eodem titulo *cap.* 8. [quod per errorem dicitur septimum] ostendimus.

III. Cum verò rerum proventuumque Monasterii sola dispensatio Abbatibus concredita sit, non autem eorum ipsis data sit proprietas, tenentur ipsi Abbates se tamquam fideles dispensatores & administratores, nequaquam verò ut *proprietarios* aut *rerum dominos* exhibere; ac per consequens in rebus illis dispensandis semper præfixum habere finem quem ipsi Fundatores, qui hanc eis dispensationem crediderunt, intenderunt.

IV. De hoc puncto seriò monet Abbates & Abbatissas Synodus P. I. Cameracensis titulo De Monasteriis *cap.* 16. "Cæterum monet S. Synodus Abbates, Abbatissas, & alios Monasteriorum Præfectos, & Præfectas, ut sui meminerint officii, seque non esse dominos bonorum Monasterii, imo ne fructuum quidem; sed tantùm dispensatores & administratores; neque se pro libitu dispensare posse, sed secundum intentionem Ecclesiæ & piorum Fundatorum. Proinde valde reprehensibile esse eorum factum, qui ex bonis, vel etiam fructibus Monasterii sui ditant propinquos, vel amicos suos. Itemque eorum, qui superfluum & nimis fastuosum habent famulitium & comitatum, nimium equorum numerum, quique nimium splendidè & sumptuosè ædificant, præsertim ædificia non sacra.

V. Hoc decretum innovans ejusdem Provinciæ Cameracensis Synodus Diœcesana Audomarensis sub Joanne Six anno 1585. addit: "Id quod necessariis usibus superfluit, debetur Pastoribus, quibus tenuius quàm oportet provisum est,

Digitized by Google

„est, debetur alendis pauperibus, ædificandis Dei templis, „augendæ ornandæque Christianæ Reipublicæ & similibus finibus.

Deinde monet Prælatos, ut meminerint, *nec se à voto paupertatis absolutos; sed bonorum communium duntaxat dispensatores esse.*

VI. Et revera si Prælati bona Monasterii non tantum fideliter dispensent, sed tamquam *propriis* in quodlibet usus pro arbitrio suo utantur; & de iis disponant, non tantū *injustitiæ*, quemadmodum alii rerum temporaliū dispensatores, sed *proprietatis* & voti infractionis rei reputabuntur coram Deo; uti apposite jam pridem notavit Petrus à S. Audo nato vulgo wallon Capelle *lib. 2. instituт. Monast. cap. 9.* "Quoad dispensationem rerum temporalium ipsis (prælatis) commissam, inquit, iis casibus quibus contingit Dispensatorem dominiorum temporalium *furtum* „in sua dispensatione committere opere vel voluntate, „*peccatum proprietatis* in currunt..... *Proprietarii* igitur „sunt, infert dictus Auctor; imò fures & sacrilegi, non „minus quam Judas loculos Christi expilans, quoties facultatibus Christi & Ecclesiæ utuntur, vel possident tā„quam *propriis*: quod maximè cavebat S. Augustinus, ipso teste: Cū n datur mihi vestis pretiosa, ait, vendo eam, „ut quia vestis non potest esse communis, pretium com„mune sit, maximè verò *proprietarii* sunt, pergit Auctor, „quando iis abutuntur in statuendis sibi magnificis „monumentis, aut celebribus exequiis, vel anniversariis sibi præfigendis, magnis Ecclesiæ sumptibus, in erigendis „superbis ædificiis, eisque decorandis tapetibus variisque „picturis, in luxu, in exquisitioribus cibis & vinis pretio„sis, mensæ superfluo apparatu, in vasis argenteis & aure„is, in ludis, in alenda multitudine famulorū canum, e„quorum, &c.

Non immeritò ergo notavit Joannes Hesselius in *Decalogum cap. 147.* Præfectis Monasteriorum *speciale* periculum imminere peccandi vitio *proprietatis* propter *temporalium dispensationem* eis creditam.

VII. Adhæc, quia sola administratio & dispensatio Abbati credita est, idcirco ad instar aliorum administratorum nullam habet auctoritatem bona immobilia, aut etiā pretiosiores res mobiles sine consensu conventus alienandi; quod & locum habere quoad bona mensæ Abbatiali specialiter addicta iis in Monasteriis in quibus bona inter Conventum & Abbatem sunt divisa, notat Renatus Chopinus *lib. 2. Monastici tit. 2. num. 16.* refertque sæpius in judicio contradictorio ita fuisse declaratum.

VIII. Sicuti administratores & Curatores rerum alienarum tenentur suæ administrationis & cautelæ reddere rationes sive computum," ita in multis Ordinibus [uti ob„servat Zypeus *consult. 6* De Regularib.] Regula, Con„stitutiones aut mores habent, ut Abbates & Abbatissæ „quotannis coram Conventu *computum* faciant.

IX. Insuper decrevit Gregorius XV. in Constitutione quæ incipit *Inscrutabili 18.* in Bull. R. "Sed & administrantes bona ad eadem Monasteria Sanctimonialium, ut præfertur, etiam Regularibus subjectarum, pertinentia, sive Regulares extiterint, sive sæculares quomodolibet exempti, Episcopo loci, adhibitis etiam Superioribus regularibus, singulis annis, rationes administrationis, gratis tamen exigendas, reddere teneantur, an idque juris remediis cogi, & compelli queant.

Sed (uti monet Zypæus citata Consultatione) ea Bulla nondum hic omnino recepta est: Et Abbas S. Redasti, ait, contra Episcopum Atrebatensē Concilii Mechliniensis judicio obtinuit, ne illam ibi viā regiā possit exequi.

Neque hactenus in Belgio usu obtinere videmus, ut Episcopi computibus Monasteriorum exemptorum interveniant; at illorum, quæ sub Episcopi directione & auctoritate consistunt, Episcopus *per se*, aut per suum Commissarium, idque frequentius, intervenire solet.

X. Abbatibus aliisque Monasteriorū Superioribus administrationē habentibus seriò expendendum illud S. Benedicti monitum *c. 2. Regulæ* " Ante omnia ne dissimu„lans aut parvi pendens salutem animarum sibi commis„sarum, non plus gerat sollicitudinem de rebus transito„riis, terrenis atque caducis; sed semper cogitet, quia ani„mas suscepit regendas, de quibus rationem redditurus „est. Et ne causetur de minori fortè substantia, meminerit „scriptum: *Primum quærite regnum Dei, & justitiam e„jus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Et iterum: *Nihil deest* „*timentibus eum.* Sciatque, quia qui suscepit animas re„gendas præparet se ad rationem reddendam.

XI. Ne autem Abbates & Superiores, quibus cura spiritualis Monasterii incumbit, nimium se debeant temporalibus negotiis immergere, passim in Regulis, Constitutionibus Monasticis, & Synodorum Decretis autem fuit, & moribus comprobatum, ut rebus temporalibus admi„nistrandis & curandis aliqui inferiores Officiales à Superioribus deputentur.

XII. Inter hos præcipuus reputatur, qui in Regula Benedictina *cap. 31.* dicitur *Cellerarius*, vel ut alii legunt *Cellarius*, atque idem est, qui hodie in quibusdam Monasteriis *Oeconomus*, *Provisor* vel *Procurator* appellatur.

Qualis esse debeat Cellarius dicit S. Benedictus: " Eli„gatur, ait, de Congregatione sapiens, maturus moribus, „sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, „non injuriosus, non prodigus, sed timens Deum: qui „omni Congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de o„mnibus: sine jussione Abbatis nihil faciat. Quæ juben„tur, custodiat; fratres non contristet. Si quis frater ab „eo fortè aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo „eum contristet, sed rationabiliter cum humilitate malè „petenti deneget. Animam suam custodiat, memor sem„per illud Apostolicum: *quia qui bene ministraverit, gra„dum bonum sibi acquirit.*

XIII. Ad hæc verba, *animam suam custodiat*, addunt Patres Congregationis Cassinensis *num. 2* "Cellerarii non „sic se immergant temporalibus, quin vacent spirituali„bus, sed sic transeant per bona temporalia, ut non amit„tant æterna.

Eumdem in finem monent Bursfeldenses *Dist. 2. cap. 5.* „Cellerarius quamvis exemplo Marthæ circa multa solli„citari & turbari necesse habeat, non tamen se prorsus à „conventualibus alienare, aut silentium & quietem cellæ „penitus abjicere & abhorrere; sed potius quantum sinit „opportunitas, necessariis expeditis ad opus Dei & con„ventum, sed & ad cellam, tamquam ad quietissimum & „tutissimum portûs sinum recurrat, ut legendo, orando, „meditando turbulentos animi sui motus ex cura & dispo„sitione exteriore surgentes, sedare possit, & spirituali„bus consolationibus refrigerari.

Eadem iisdemq; penè verbis habent Cōstitutiones Canonicorū Regularium Capituli Windesemensis *parte 2. c. 38.* & Constitutionis Eremitarum S. Augustini *parte 3, c. 17.*

Canonici quoque Præmonstratenses in ultimis suis Constitutionibus monent Abbates, ne Oeconomum seu Provisorem alium constituant quam Sacerdotem, nisi gravis premat necessitas, adducta hac ratione: *Qui in ruinam agitur, qui nondum in virtute bene roboratus, sua libertati relinquitur.*

XIV. Ante omnia ergo in electione eorum qui administrandis temporalibus præficiunt à Superioribus attendendum, ut præficiendi in omni virtutum genere in tantum sint exercitati, & in charitate adeò fundati & radicati, ut meritò confidere liceat, quod interiorum curam per exteriorem occupationem non minuent, atque exteriorum providentiam, interiorum sollicitudine sedulò curabunt: qui, ut de Gerardo ait S. Bernard. non petulanti (ut assolet) in eo officio detineantur affectu, sed solo intuitu charitatis; qui quantum in ipsis est, semper optent quietem, sibi intendere, Deo vacare, nec implicitos teneant nisi timor Dei, voluntas Fratrum, ac studium obediendi. Nisi enim solitudini, piisque Religionis exercitiis, quibus anima pascitur, & mens à terrenis ad cœlestia revocatur, multùm afficiantur; magnopere verendum, ne sensim, illis neglectis, rerum terrenarum curis implicentur; atque

ita

ita paulatim gustum rerum spiritualium amittentes, tandem sub habitu Religionis cor sæculare inveniant. Quod vel eò magis in Officialibus metuendum, quia ipsis, ob varia quæ in temporalium administratione occurrere solent negotia, major præ reliquis Fratribus concredi debet absentandi ab ordinariis Religionis exercitiis libertas: per consequens nisi tantum in Religione profecerint, ut non timore ad ea pietatis exercitia adigendi sint, sed spiritu charitatis ad illa agantur? non parum timendum, ne libertate illa abutantur.

XV. Porrò ne Procurator Monasterii nimium distrahatur, ac vagandi nimiam occasionem habeat, providè decernitur in Constitutionibus Eremitarum S. Augustini loco citato: "Poterit etiam in principalioribus conventibus „ procurator *sæcularis* constitui pro illis negotiis, quæ per „ laïcum tractari poterunt, ad evitandos nimios discursus „ Procuratoris Religiosi, & ne etiam habitus nostræ sacræ „ Religionis in locis indecentibus quandoque compareat.

Optandum sanè, ut id in omnibus Monasteriis præsertim Abbatialibus, in quibus negotia sæpius in judiciis, & foris agenda occurrunt, observaretur.

XVI. His Officialibus concredita administratio non impedit, quin penes Abbatem & Superiores remaneat primaria ipsa cura; atque ipsi Officiales in hac administratione ab ipsis dependeant.

De Cellario ait S. Benedictus; *Sine jussione Abbatis nihil faciat*. Item: *Omnia mensuratè faciat, & secundū jussionem Abbatis*.

Quin non obscurum est, quod ex præscripto Regulæ Benedictinæ liceat Abbati Cellaris Potestatem ampliare aut restringere; plura aut pauciora ei committere; ait enim:" „ Omnia quæ ei *injunxerit Abbas*, ipse habeat sub cura „ sua: à quibus *eum prohibuerit*, non præsumat.

Dicit insuper S. Benedictus *c. 57.* Regulæ, ut si quid ex operibus Artificum Monasterii aliquid vendendum sit, illi, quibus cura vendendi facta est, videant, ne in ipsis pretiis surripiat avaritiæ malum; sed semper aliquantulum *vilius* detur, quàm ab aliis sæcularibus datur, ut in omnibus glorificetur Deus.

Indubiè monitum hoc S. benedicti à Superioribus & Officialibus Monasteriorum meritò attendendum; ut hoc pacto in administratione rerum temporalium omnem avaritiæ speciem apud homines sæculares evadant.

CAPUT VI.

De usu *Pontificalium* Abbatibus indulto

1. *Quo tempore Abbates uti cœperint* Pontificalibus, *incertum*
2. *Sæculo 12. Abbates Pontificalibus usi fuerunt,*
3. *Quid de hoc usu senserint Abbates Ordinis Præmonstratensis, & Congregationis Bursfeldensis remissivè.*
4. *Usus Pontificalium competit Abbatibus jure* privilegiario.
5. *Quæ singulis competant ex tenore privilegiorum judicandum.*
6. *Usus* Baculi *ante alia Pontificalia Abbatibus competit: & quare.*
7. *Quid* Sudarium *baculo appensum indicet: & qui illud appensum habeant.*
8. *Pontificalibus non contenti etiam* benedictionem solemnem *impartiendi auctoritatem impetrarunt.*
9. *Solemniter benedicendi auctoritas olim Pontificalium usui non erat annexa.*
10. *Inter Pontificalia hodie reponuntur collatio Ordinum, quamvis usui Pontificalium non sit annexa.*
11. *potestas conferendi Tonsuram & lectoratum Abbatibus asseritur Canone Synodi Nicænæ II.*
12. *Synodus Nicæna nullam mentionem fecit specialis &* solemnis *Benedictionis Abbatialis.*
13. *Tempore hujus Synodi nondum nota erat solemnis hodierna Abbatum Benedictio, nec distinctio inter Abbates & Priores Conventuales.*
14. *Gratianus Canonem referens Benedictionis Abbatialis mentionem addit.*
15. *Canon ex Gratiano in Decretales relatus pro jure communi receptus est.*
16. *Hinc invaluit, Monasterii Præfectum non posse Tonsuram & Ordines conferre, nisi sit Abbas* solemniter *benedictus.*
17. *Error Gratiani mutationi disciplinæ occasionem dedit.*
18. *Synodus* Nicæna *II. non permittebat Monasteriorum P[...] Ordinem conferre nisi* Solis *Monachis sibi subjectis.*
19. *Abbates potestatem suam paulatim extenderunt.*
20. *Decretum Synodi Tridentinæ potestatem Abbatum restr[...]*
21. *Juxta hoc Decretum Abbas non potest Tonsuram Mona[...] terius Monasterii conferre etiam de consensu Abbati[...] Sæcularibus habentibus* Dimissoriales *sui Episcopi.*
22. *Abbates jurisdictionem quasi Episcopalem habentes, sive [nul]lius Diœcesis comprehenduntur Decreto Concilii Tri[...]*
23. *Qui censeantur Abbates* nullius *Diœcesis.*
24. *Simplex exemptio Monasterii non facit illud esse* nullius *D[...]*
25. *Abbates non possunt extra* speciale *privilegium solemniter [bene]dicere populo, nisi in Ecclesiis* pleno *jure subjectis.*
26. *Neque alia Pontificalia extra dictas Ecclesias exercere.*
27. *Præsente Episcopo Abbas* solemniter *benedicere non pot[est &] quare.*
28. *Abbates in Synodis cum Episcopis comparentes quibus [...] [uti p...]*
29. *Usus Pontificalium in Abbatibus metiendus ex tenore priv[...]*
30. *Abbates Pontificalibus cum humilitate uti debeant.*

I. QUo tempore Abbates uti cœperint ornamenti[s &] insignibus Pontificalibus, incertum est. Chr[istia]nus Lupus *tomo 5. Scholiorum in Canones pag.* 127. d[e hoc] loquens ait:" Joannes decimus octavus, quem alii vi[gesi]„ mum dicunt (sedit hic sub initium sæculi 11.) *primus* „ cepit Abbatibus permittere ornamenta *Pontifical[ia]* „ quando impetu Episcopi intercesserint, docent p[...] „ tragia exempla.

II. Sæculo 12. nonnullos Abbates ex privilegio S[edis A]postolicæ more Pontificum usos fuisse *mitrâ, annulo [&] sandaliis*; multosque eo temporo Abbates usum illo[rum] non sine labore sollicitasse, testis est S. Bernardus *Epist. [...]* ad Archiepiscopum Senonensem; sive tractatu *De M[ori]bus Offic. Episcop. c. 9.* ubi una ostendit, sibi hunc *Po[nti]ficalium* usum in Abbatibus haut placuisse.

III. Quid de illis senserint sub initium sæculi 13. Ord[inis] Præmonstratensis primi Abbates, intelligi potest ex [In]nocentio III. *lib. 1. epist.* 197. Abbati Præmonstraten[si] ejusdē Ordinis Abbatibus inscriptâ & quid ipsi Abb[ates] Congregationis Bursfeldensis, cognosci potest *ex cap[...]* suarum Constitutionum, cujus verba refert post Chop[pinum] *lib. 1. Monast. t. 2. n.* 18. Ascanius Tamburinus *tomo.* 1 [de] *Jure Abbatum Disp.* 20. *q.* 1. Constat autem Pontific[ali]um usum successu temporis, ac præcipuè sæculo 15. & [se]quenti omnium penè Congregationē Abbatibus sen[sim] fuisse indultū; ut relatis singularū Congregationū spe[cia]libus privilegiis ostendit Ascanius Tamburinus loco cit[ato].

IV. Adhæc certum est [uti etiam notat Tamburinu[s i]bidem *disp.* 21. *q.* 2.] *Pontificalium* insignum exercitiu[m] & usum Abbatibus ex jure *privilegiario* competere, n[on] autē *ratione dignitatis*. Unde nullus Abbatum uti pot[est] Pontificalibus insignibus, nisi jus *privilegiarium* ostend[at] quod lat evidenter expressit Pontifex in *Cap.* Ut APO[S]TOLICÆ *De Privilegiis in* VI. in verbis:" Ut Aposto[li]„ cæ Sedis *benignitas* quæ nonnullis Abbatibus, aliisq[ue] „ Prælatis, quibus non competat ex propriâ dignita[te] „ concessit in Ecclesiarum suarum gloriam & honore[m] „ quod mitrâ & aliis pontificalibus uti possint, provide[at] „ ne inde &c.

Ad quæ verba reflectens Tamburinus post Panormit[a]nū aliosque Canonistas ait:" Ex quibus planè *expresse* pr[o]„ batur, Abbatibus non ratione *dignitatis*, Pontificaliū i[n]„ signiū usū & exercitiū, sed jure *privilegiario* competer[e].

V. " Unde provenit, ait idem Tamburinus, ut non om„ nes Abbates eadem habeat insignia: sed alii plura, al„ verò pauciora juxta *tenorem* privilegiorum, & prout „ Sede Apostolica eis indultum fuerit: ideo si unumquoc„ que Privilegium percurramus, quo Pontificalia ha„ Monachorum Religionibus concessa sunt, inveniem„ aliquibus solius *Baculi* usum, aliis verò majora concell„ fuisse, quæ omnia ex privilegiis colligi possunt.

VI. Inter Pontificalia hic enumerat Tamburinus *Bacu[li]* usum, atque hujus *solius* usum aliquibus Abbatibus privilegio Sedis Apostolicæ concessum.

Verum Benedictus Haeftenus *l. 3. Disquisitionum Monast. tract. 5. Disq. 5.* postqā ostendit, jam pridem variis nominibus appellatum fuisse *Insigne* quod hodie *Baculum*

aut

quem frequentius *Pedem* dicimus, tandem quærit, " An ex „ veteri Monachorum consuetudine Abbatibus relictus, „ an ex similitudine & participatione quadam Episcopalis „ sollicitudinis, auctoritatisque eis sit communicatus.

Quidquid de hac quæstione, hoc sat constat, *Baculum* Pastoralem Abbatibus competiisse, antequam alia Pontificalia insignia, ut sunt *mitra, annulus, sandala* & similia ipsis fuerint communicata.

Unde S. Bernardus aliique ejus temporis scriptores, dú loquuntur de insignibus Pontificalibus, quæ Abbates à Sede Apostolica sollicitabant; quæque sibi in Abbatibus haud placere ostendebant, nequaquam *Baculum* enumerant; quę quasi jure *Pastorali* Abbatibus cōponere supponebant

Hinc quoque videmus, Abbatibus, imo & Abbatissis, nullam aliorum Pontificalium communicationem habentium, Baculum Pastoralem competere.

Admodum proin le verisimile est, hoc ornamentum primitus fuisse *simplex Abbatiale*, sive Pastorale ornamētum; ac successu temporis *Pontificalibus* fuisse ornamentū.

VII. Hoc addendum, Abbatiali *Baculo* appendi jam pridem sollicitum fuisse *sudarium*; ad differentiā (ait Gavantus in Rubricis Missalis *p. 1. t. 9.*) Baculi Episcopalis. Quod etiam in Actis Ecclesiæ Mediolanensis exprimitur; ibi enim inter varias de suppellectile Ecclesiastica instructiones legitur hoc titulo *De Baculo Pastorali:*" Orario aut „ sudario non ornatur, si Episcopalis est; quo *Insigni Abba*„ *tialis* ab illo *distinguitur*." Pag. 523. edit. anni 1683.

Notat quoque Haeftenus, hoc sudarium seu velamen appendi solitum in signum *subjectionis*, quemadmodum mulieri datur velamen supra caput, *subjectionis* indicium sub viro: Quare Abbatissæ etiam hodie *Baculo* hujusmodi *velamen* appensum habent; at Abbates *exempti*, uti observat Haeftenus, hoc *sudarium* prætermittunt. Additq; " Signi„ ficat porrò hoc *sudarium* multo labore & sudore Do„ minicum gregem pasci.

VIII. Sed nec ornamentis Pontificalibus contenti, ut etiam adinstar Pontificum *solemnem* populo *benedictionem* impendere, & Ordines conferre, aliaque Pontificalia sive Episcopalia exercere possent, sollicitārunt.

IX. Neque enim privilegio utendi ornamentis Pontificalibus primitus annexa erat ipsa *solemnis* benedictio, uti ex S. Bernardo manifestum est. Ipse enim adversus infulatos Abbates declamens ait: *Cur non & sacros Ordines celebratis & datis* BENEDICTIONES *in populis*? Tamquam absonum planè supponens, quod Abbates darent benedictiones in populis.

X. Inter Pontificalia, quæ Abbatibus competere solent etiam hodie numeratur potestas conferendi Tonsurā Clericalem & minores Ordines; quamvis ipse usus Pontificalium ornamentorum secum non trahat hanc potestatem ut notent Doctores ad *Cap.* ABBATES *De Privilegiis in* VI. & declaravit S. Congregatio apud Fagnanum ad *Cap.* QUANTO ※ *De Consuet. n.* 30.

XI. Hanc Potestatem Abbatibus jam pridem competiisse compertum est ex *Can.* 14. Synodi Nicænæ II. sive septimæ; in quo dicitur; " Lectoris autem manuum imposi„ tionem licet in proprio Monasterio etiam *soli unicuique* „ *Præfecto* facere; si ad ejus præfecturam ab Episcopo *ma*„ *nuum impositio* fiat ipsi Præfecto, qui scilicet & ipse est „ Presbyter.

XII. His verbis refertur hic Canon apud Balsamonem & alios Græcos commentatores; è quo non obscurum est eo tempore omnibus Monasteriorum Præfectis licuisse *Lectoratum* in suo Monasterio conferre, modo manuum impositionem ab Episcopo accepissent; id est, modo Presbyteri ab Episcopo essent ordinati. Neq; enim de alia manuum impositione hic agi, & contextus Canonis satis insinuat, & Balsamon cæterique Græci Commendatores uno consensu supponunt.

XIII. Et revera tempore hujus Synodi, id est, sæculo VIII. nondū *solemnis* illa, quæ postmodum unà tum Pontificaliū usu invaluit, Abbatū benedictio fiebat, neq; distinctio Abbates inter & Priores Conventuales aliosve similes Monasteriorū Præfectos nota erat, uti supra notatum est.

XIV. Gratianus hunc Canonem *dist. 69. Can. 1.* ita refert: " Lectoris autem manus impositione licentia est Abbati „ solummodo in proprio Monasterio faciendi, si dumta„ xat eidem Abbati manûs impositio facta noscatur ab E„ piscopo, *secundum morem præficiendorum Abbatum*, „ dum constet illum esse Presbyterum.

Qua lectione non obscurè specialis Abbatum benedictio ab ipsa Presbyterali ordinatione distincta insinuatur. At omnibus notum est, quàm parum Gratiano in relatione Canonum fidendum; quamq; frequenter ab ipso originali Canonum textu recedat. Et quidem ad hunc Canonem monent Correctores Romani, hæc verba, *secundum morem præficiendorum Abbatum* non esse in Græco Canone.

XV. Innocentius III. sequutus Gratianum & neglecto textu originali ipsius Canonis, rescribens Archiepiscopo Rothomagensi, ipsum Canonem eisdem verbis, quibus apud Gratianum extabat, retulit: quod præscriptum relatum in Decretales Gregorii IX. in *Cap.* CUM CONTINGAT ※ *De ætate & qualit. præficiendorum*, partem Juris communis constituit.

XVI. Hinc uno consensu conclusere Decretalium Interpretes, duo necessaria esse, ut jure communi Abbas sit fundatus in collatione Tonsuræ & Minorum Ordinum; Ordinem scilicet *Presbyteratūs*, ac insuper benedictionem *solemnem* Abbatialem.

Unde juxta modernam disciplinam, si quis non sit Abbas *solemniter Benedictus*, Tonsuram conferre nequit, nisi speciali & expresso privilegio Sedis Apostolicæ sit munitus.

Quapropter cum quæreretur à Sacra Congregatione Cardinalium, an Generalis Ordinis Sylvestrinorum facultatem haberet conferendi Tonsuram & Minores Ordines, responsum fuit, teste Fagnano, de jure ipsi hanc facultatem non competere: " Nam, ait Fagnanus, ex Juris communis dis„ positione ad hoc ut Abbas suos subditos Ordinibus mi„ noribus initiare valeat, duo necessariò requiruntur, id est „ ut sit *solemniter Benedictus*, & sit Presbyter, ut statutum „ est in *Can.* QUONIAM 69. *dist.* & *Cap.* CUM CON„ TINGAT *de ætate & qualit. Præficiend.* Hæc ille ad *Cap.* „ QUAANTO ※ *de consuetud. num.* 20. & 21.

XVII. Hic obiter nota, quod error Gratiani mutationi disciplinæ occasionem dederit; ut nimirum facultas dandi Tonsuram & Lectoratum cuilibet Monasterii Præfecto, modo Presbyter esset, ex Decreto Synodi septimæ competens, ad solos Abbates *solemniter* Benedictos restricta sit; quod & in nonnullis aliis disciplinæ punctis contigisse, in Commentario ad Canones notatum fuit; ac notanter ad *Can.* 6. Calchedonensem.

XVIII. Hæc autem facultas juxta dictum Canonem Synodi VII. limitata erat ad Monasterium cujuslibet Abbatis; sive quod cuilibet Abbati in *proprio* Monasterio tantummodo liceret ea facultate uti.

XIX. At Abbates continuò magis ad Pontificalem auctoritatem dignitatemq; aspirantes, hac limitata facultate non contenti, ejus extentionem à Sede Apostolica sensim extorserunt; atque imprimis obtinuerunt, ut non tantum in proprio Monasterio *suis* subditis Tonsuram conferre possent, sed *omnibus* in quos Ecclesiasticam & quasi Episcopalem Jurisdictionem obtinent: obtentis insuper sæpenumero privilegiis, omnibus indifferenter eam impartiendi, ut videre est in *Cap.* ABBATES *de privilegiis in* VI.

XX. Cum autem hæc extensio non parum Episcopale regimen, & Hierarchicum ordinem turbaret, Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 10. *de Reform.* pristinam disciplinam renovans statuit:" Abbatibus ac aliis quibuscumque quan„ tumvis *exemptis*, non liceat in posterum, intra fines „ alicujus diœcesis consistentibus, etiam si *nullius* Diœce„ sis, vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui Regularis „ subditus sibi non sit, Tonsurā, vel minores Ordines con„ ferre: nec ipsi Abbates, & alii exempti aut Collegia vel „ Capitula quæcumque, etiam Ecclesiarum Cathedralium, „ litteras dimissorias aliquibus Clericis sæcularibus, ut ab „ aliis ordinentur concedant, sed horum omnium ordina„ tio, servatis omnibus, quæ in hujus sanctæ Synodi decre„ tis continentur, ad Episcopos, intra quorum diœcesis

„ fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis pri-„ vilegiis, præscriptionibus, aut consuetudinibus etiam „ immemorabilibus.

XXI. Orta difficultate super intellectu hujus Decreti inter Episcopū Cathaniensem, & Monachos Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis, Sacra Congregatio auditis utrimq; rationibus, inhærendo anterioribus ejusdē Congregationis resolutionibus, resolvit die 23. Novēbris " 1641. Abbates Regulares *Benedictos* ejusdē Congrega-„ tionis Cassinensis, seu alterius Congregationis vel Or-„ dinis aut instituti, habentes etiā *jura Episcopalia*, seu qua-„ si Episcopalia, usumq; Mitræ, baculi, & benedicendi, ac „ facultatē primam Tonsuram, & Minores Ordines con-„ ferendi, non posse dictā primam Tonsuram, ne alios or-„ dines minores, nisi *suis* subditis *Regularibus* conferre, „ non autē Regularibus alterius Congregationis, Ordinis, „ vel instituti, etiāsi habeant litteras dimissorias suorū Su-„ periorum, & consensum Ordinariorum, intra quorum „ diœcesum fines ipsi Regulares ordinandi existant; & mul-„ tò minùs personis sæcularibus, etiam habentibus litteras „ dimissorias à suis Ordinariis. Ac propterea inhibuit Arc-„ hiepiscopis, Episcopis, & aliis prælatis inferioribus, ut in „ futurum concedere non audeant supradictas litteras di-„ missorias hujusmodi Abbatibus directas, nec ab istis re-„ cipi. Quod si secùs fiat, tam concedentes, quā ordinan-„ tes à collatione Ordinum suspensi remaneant, præter a-„ lias pœnas arbitrio ejusdem Congregationis reservatas.

XXII. Hactenus Fagnanus ad *Cap.* AQUA ⁏ *De Consecrat. Ecclesiæ n.* 19. referens idipsum rursus anno 1658. à Sacra Congregatione responsū. Atque ita per Synodum Tridentinam derogatum est, citato *Cap. Abbates*, in quantum ibidem conceditur Abbatibus, tonsurare illos omnes etiā *non Regulares* in quos jurisdictionē Ecclesiasticam & *quasi Episcopalē* obtinent; uti etiā advertit Fagnanus ad *Cap.* CUM INTER VOS ⁏ *De sent. & re judicata. N.* 6.

XXIII. Abbates Ecclesiasticam & quasi Episcopalem jurisdictionem habentes, sunt illi, qui distinctum habent territorium, sive quasi separatam Diœcesim nulli Episcopo subjectā, neque in *ullius* Episcopi Diœcesi consistentē; in qua tamquam Ordinarii omnem Episcopalem jurisdictionem exercent; atq; Ordinarii in illo Territorio reputantur; dicunturq; Abbates *nullius diœcesis*, quorū non semel in Synodo Tridentina mentio occurrit; & de quibus latè Fagnanus ad *C.* CUM CONTINGAT ⁏ *De Foro competenti*; ibidē *n.* 35. monens, quod quotiescumq; Abbates, vel alii inferiores Prælati habent territorium *separatū*, illud dicitur esse *nullius Diœcesis*; ita ut nec in Diœcesi, nec de Diœcesi alterius censeri possit, sed sit *proprium* territorium, respectu cujus etiam ipsi, *Diœcesani* vocantur.

XXIV. Deinde *n.* 39. notat, simplicem & ordinariā exemptionem non eximere à Diœcesi; ideoque esse incompatibilem cum statu *nullius diœcesis*, cum constituti in hoc statu non agnoscant ullum Diœcesanum Episcopum in cujus Diœcesi consistant, & à cujus jurisdictione sint exempti; sed habeant ipsi *propriā* quasi Diœcesim, sive territoriū extra omnem Episcopi Diœcesim, constitutū; in quo ipsi ordinariam jurisdictionē exercens, & quasi Ordinarii reputantur; adeo ut etiam de causis matrimonialibus & criminalibus cognoscere queant, non obstante Decreto Concilii Tridentini *Sess.* 24. *c.* 20. *De Refor.* uti latè probat Fagnanus ad *Cap.* ACCEDENTIBUS ⁏ *De Excessibus Prælat.*

XXV. Cum verò Abbates passim usū Pontificalium ornamentorum, atq; unà ipsa munia Episcopalia obeundi auctoritatem, obtentu privilegiorum sibi arrogarent; ac eisdem cum vilipendio & imminutione dignitatis & auctoritatis Episcopalis uterentur, Alexander IV. in *c.* 3. *de Privilegiis. in* VI. declaravit, quod" Abbates, quos Sedis Apostolica in „ exhibitione *benedictionis* super populum speciali privi-„ legio insignivit, in Ecclesiis quæ ad eos pertinent *pleno* „ *jure*, quando in eis Divina Officia celebrat, possint post „ Missarum solemnia, & vespertinas ac matutinas Laudes „ benedictionem *solemnem* super populum elargiri. Alibi „ autem *publicè*, aut per vias, civitates, castra & villas, popu-„ lis & plebibus *benedictionem* facere vel impartiri non valeat: nisi hoc eis *expressò* Apostolico privilegio sit concessū.

Hinc colligunt Canonistæ, Abbates quibus *simpliciter* privilegium impartiendi *solemnem* benedictionem datum est, quantumcunq; etiam generaliter loquatur privilegium, illam non posse extra Ecclesias *pleno jure* sibi subjectas impartiri, nisi id in privilegio specialiter sit expressum.

XXVI. Idem à paritate seu identitate rationis statuendum censent de quocumq; usu Pontificalium: eò quod usus Pontificalium non secus ac ipsa benedictio solemnis, jurisdictionem seu auctoritatem quamdā in utente demonstret. Unde sicut Episcopis non licet Pontificalibus extra propriam Diœcesim uti; quemadmodum supra *tit.* 16. *c.* 2. ostensum fuit, ita nec Abbatibus extra Ecclesias *pleno* sibi jure subjectas, id est, in spiritualibus & temporalibus; uti exponit Glossa ad citatum *Capitulum* 3. ibidem quoque notans, hoc privilegiū Abbatum," non extendi extra Mo-„ nasterium ipsius Abbatis, & loca sibi *pleno* jure subjecta, nam, ait, istud privilegium tendit in diminutionem aucto-„ ritatis Episcopalis: ideo debet strictè interpretari, ut mi-„ nùs lædat.

XXVII. Adhæc, jure communi privilegium *solemniter benedicendi* locum non habet *præsente Episcopo*; uti jam pridem notavit Joannes Andræas in additione ad Glossā in *c.* 3. *De Privilegiis in* VI. Rationem assignat Tamburinus De Jure Abbatum *tomo* 1. *Disp.* 11. *q.* 9. quia minor non debet majorem benedicere; subditque: Juri etiam communi consona sunt quamplurima privilegia per Sedē Apostolicam Abbatibus concessa, ut possint in Ecclesiis *pleno* jure sibi subjectis populum benedicere, & in his addita est clausura, *Dummodo in benedictionibus hujusmodi aliquis Antistes, vel Sedis Apostolicæ Legatus præsens non fuerit.* Vide quoque Choppinum *lib.* 1. *Monast. tit.* 2. *n.* 18. ubi referentem privilegium simile Pauli III. in favorē Vallisscholarium, cum eadem clausula, additā tamen hâc disjunctivā: *Vel si præsens fuerit, ejus ad id expressus accedat assensus.*

XXVIII. Ulterius cum Episcopi offenderentur. quod in Synodis Abbati mitrati ab Episcopis in habitu non distinguerentur, Clemens IV. de consilio suorum Fratrum statuit *C.* 6. *De privileg. in* VI. ut" Abbates & alii, quibus „ *mitra* usus est ab eadem Sede [Apostolica] concessus, „ exempti quidem in Provincialibus Conciliis & Episco-„ palibus Synodis [quibus nonnulli eorū interesse tenen-„ tur] mitris tantummodo *aurifrisiatis* [non tamen aureas „ vel argenteas laminas aut gemmas habentibus] uti pos-„ sint: Non exempti verò *simplicibus* & *albis* ac *planis* utā-„ tur. In aliis verò locis exēptis & non exemptis mitris lice-„ at illis uti, prout concessa eis ab eadē Sede indulta permit-„ tunt.

XXIX. Ex hac Decretali aliisque statuunt Canonistæ, Abbatibus nulla ornamenta Pontificalia jure suæ dignitatis competere; sed tantùm ex speciali privilegio; atq; ipsum privilegii tenorem esse inspiciendum, ut de usu ejus judicari queant: nihilq; Abbatibus in hoc usu licere, nisi quod in ipso privilegii tenore expressè est comprehensum. *Inspiciendus est*; ait Glossa, *tenore privilegii & servandus.*

XXX. Ex hactenus dictis intelligi potest, Pontificaliū usum ab Abbatibus, in quorum Monasteriis hactenus non est receptus, non esse ambiendum; & ubi receptus est, magna cum simplicitate & cautione esse assumendum.

CAPUT VII.

De Abbatibus laicis & Commendatariis; & horum origine & juribus.

1. *Ecclesiam commendare est idem quod custodiendam dare.*
2. *Commendarum olim usus probatus quoad Ecclesias Pastore destitutas.*
3. *Commenda illa non erant in commodum Commendatarii, sed Ecclesiæ commendatæ.*
4. *Exempla hujusmodi commendarum quoad Ecclesias Cathedrales & Parochiales apud veteres nota.*
5. *Idem primitus contigit circa Monasteria.*
6. *Hæ Commeda sensim in perpetuas & in commodum Commendatarii commutatæ sunt.*
7. *Monasteria cœperunt etiam laicis tradi: & laici Abbates constituti.*
8. *Etiam Belgii nostri Abbatiæ laicis sic datæ fuerunt.*

9. *Nobiles*

9. *Nobiles hæc Monasteria obtinentes, se* Abbates *dicebant. atque hinc* Abbi-comites.
10. *Hi Abbates constituebant* Decanos *qui curam spiritualem Monasteriorum haberent.*
11. *Episcopi Imperatoribus exponunt quanto cum animarum suarum periculo Monasteria* laicis *concedant.*
12. *Postulant Viros Religiosos Monasteriis præfici. & ne ob paucorum nequitiam loca sacra laicis committantur.*
13. *Discrimen salutis eorum qui res Ecclesiæ inutiliter dissipant.*
14. *Quomodo ob necessitatem temporis permittantur Canonicorum & Sanctimonialium Monasteria* laicis *committi.*
15. *Consectaria ex hactenus dictis.*
16. *Qua ratione se Reges tuerentur contra Episcopos.*
17. *Adhuc sæculo* 10. *erant Abbates sæculares. & qualis esset Monasteriorum sub illis Abbatibus status.*
18. *Abbatiæ à Patre in filium quasi hæreditario jure transibant.*
19. *abusus hic duravit usque ad regnum Hugonis* Capeti.
20. *Episcopi cœperunt, præsertim sæculo* 11. & 12. *Monasteria in* commendam *retinere subventionis gratia.*
21. *Prætextu reformationis cœperunt Episcopi & Cardinales Monasteria habere in* commendam.
22. *Apparet reformandi studium merum fuisse* prætextum *insumendi proventus Monasteriorum in proprios usus.*
23. *Monasteria & Ecclesiæ Cathedrales à Pontificibus dabantur Clericis sæcularibus in* perpetuas commendas.
24. *Quibus motivis ad eas concedendas Pontifices interdum inducerentur.*
25. *Quæ mala ex hujusmodi* commendis *orta sint.*
26. *Clemens V. omnes hujusmodi* commendas *improbavit.*
27. *Constitutionem Clementis V. non habuisse effectum suum constat ex libello Durandi Concilio Viennensi oblato.*
28. *Usus* Commendarum *incrementum accepit durante schismate inter Pontifices sæculo* 14.
29. *Sæculo* 15. *Commendarum usus sub quibusdam conditionibus, & intuitu quarumdam personarum probari videbatur.*
30. *Refertur quid in hac re à Leone X. in Concilio Lateranensi decretum sit.*
31. *Qualiter ex præscripto Leonis X.* Commendatarii *proventus Monasteriorum percipere valeant.*
32. *Post hoc Leonis X. Decretum Commendarum usus per Italiam passim invaluit.*
33. *In Gallia per Concordata inter Franciscum I. & Leonem X.* commendæ *Monasteriorum videbantur sublatæ.*
34. *Qua ratione post concordatum, in Gallia usus* Commendarum *manserit.*
35. *Usus Commendarum in Gallia etiam hodie perseverat.*
36. *Ob auctoritatem Concilii Tridentini à Commendis liberæ manent Abbatiæ quæ sunt* Ordinum Capita.
37. *Commendæ hodiernæ dantur in utilitatem* Commendatarii, *antiquæ vere in utilitatem* Ecclesiæ.
38. *Pristinæ* Commendæ *erant ad tempus. hodiernæ* perpetuæ.
39. *Pristini Commendatarii non poterant de proventibus Ecclesiæ* commendatæ *disponere. secus hodierni.*
40. *Hodierni* Commendatarii *censentur veri* Titulares.
41. *Solus Papa Beneficium Regulare Clerico sæculari in commendam dare potest.*
42. *Commendæ hodiernæ cum aliis Beneficiis permutari possunt, & per mortem Commendatarii Beneficium vacat.*
43. *Commendatarius factus Religiosus non potest sine nova collatione Beneficium retinere.*
44. *Alibi Commendatarii etiam jurisdictionem in Monachos quoad disciplinam regularem exercent.*
45. *In Gallia eam non habent* Commendatarii *nisi sint Cardinales.*
46. *Nonnulli Ordines speciali privilegio obtinuerunt & quod commendatarii jurisdictionem exercere nequeant. nec Officiales Claustrales destituere.*
47. *Quæ cautio in provisione Commendarum adhibeatur, ut Monachis & Monasterio de necessariis provideatur.*
48. *Quæ cautio adhibita à Leone X. quæ non observatur.*
49. *Ut magis cautum esset Monasteriis commendatis, ordinata est separatio mensæ Abbatialis à Conventuali.*
50. *Quem locum inter Abbates titulares, & alios dignitatem habentes habere debeant* Commendatarii.
51. *Commendatarii tenentur aliquatenus ad normam vitæ* Regularis *suam instituere.*
52. *Breve Sixti IV. ad Ducem Brabantiæ, quo eum à datione Commendarum dehortatur.*
53. *Abbates Belgii se* Commendis *opposuerunt: & Principes nostri permittunt, quod* Commendas *non permittent.*
54. *Quæ media maxime efficatia ad* commendas *excludendas.*

I. Commendæ à verbo *commendare* originem suam ducunt. Commendare verò propriè significat *deponere* sive *custodia* alicujus commmittere, Unde Ecclesiam alicui commendare, est Ecclesiam alicui custodiendi committere, Quapropter Ecclesiam habere in *commendam*, idem sonat, quod habere Ecclesiam suæ *custodiæ* commissam sive depositam.

II. Hoc sensu antiquissimus est, ac probatissimus in Ecclesia *Commendarum* usus, Cùm enim interdum contingeret, ut Ecclesiæ vacanti non statim de Pastore aut Rectore providere posset, ne interea ob defectum Rectoris, Ecclesia detrimentum pateretur, cura illius alicui Episcopo aut Clerico cōmittebantur, qui ad tempus illi intenderet.

III. Hic non in *suam*, sed in *Ecclesiæ* utilitatem Ecclesiam commendatam accipiebat, seu ut curam ejus ageret atque quantum in se esset electionem novi Pastoris promoveret; neque ut fructus & emolumenta Ecclesiæ in suum usum acciperet: at ea tamquam fidelis administrator, seu *Commentarius* aut *depositarius* Pastori futuro servaret; unice intentus, ne vacatione durante Ecclesia detrimentum pateretur: ipsique populo spiritualia non deessent.

IV. Similium *Commendarum* plurima in epistolis S. Gregorii exempla occurrunt; atque de hisce intelligendū quod sub nomine Leonis IV, refertur apud Gratianum:" „qui plures Ecclesias retinet, unam quidem *titulatam*, al-„teram verò sub *commendatione* retinere debet." *Can.* 3. *caus.* 21. *q.* 1.

V, Quod circa Ecclesias Cathedrales, & Parochiales primitus contingit, id quoque nonnumquā circa Monasteria evenit; ut nimirum cura eorum ad tempus alicui cōmendaretur; qui illis non in suam, sed duntaxat Monasteriorum utilitatem, ad tempus intenderet, atque commendata haberet.

VI. Verùm sicuti lapsu temporis Cōmendæ Ecclesiarum Cathedralium & Parochialium sensim in *perpetuas* commutatæ sunt; idque non tam in Ecclesiarum utilitatē, quam Commendatariorum emolumenta; atque Clericis pro pallio tegendi pluralitatem Beneficiorum subservierunt, [uti infra *parte* 2. titulo de pluralitate Beneficiorum ostenditur] ita circa Monasteriorum commendas contigit; ut scilicet injuriâ temporis in *perpetuas* transiverint: atque Laicis & Clericis occasionem dederint, proventus Monasteriorum titulo *Commendarum* sibi appropriandi; atque *Abbatum* nomen usurpandi.

VIII. Circa sæculum octavum & nonū proventus non tantum Abbatiarum, sed ipsas Abbatias à Regibus & Imperatoribus datas fuisse laicis; ut etiam nomen Abbatum sibi arrogarent, ex historiis & Conciliis illorum temporum est manifestum.

Legi possunt Epistolæ Lupi Ferrariensis, signatæ 11. 24. & 42. in quibus deplorat Monasteriorum proventus à Fundatoribus in Monachorum & pauperum usus ab eleëmosynis destinatos, à laicis possideri ex largitione Regum. Testatur Amoinus *Lib.* 5. *De gestis Francorum c.* 24. Carolum Calvum filio suo Carolomanno plurimas dedisse Abbatias; quem propterea vocat Amoinus *plurimorum Monasteriorum Abbatē*; quin & de eodem testatur, quod, ut quosdam sibi conciliaret, iis Abbatiolas, sicut erant, *integras* dederit; quibusdam de Abbatia Marciana, *quam diviserat, beneficiola* dederit; refertq; ibidē ab eodem Rege Carolo datam fuisse Abbatiam S. Mauritii Comiti Bosoni Et *c.* 36. de Ludovico Caroli filio & hærede hæc refert:" Ludovicus autem accepto nuntio in Andriaca villa „de morte patris sui Caroli, quos potuit conciliavit sibi, „dans eis *Abbatias* & comitatus ac villas, secundum *uni-„uscujusque postulationem.*

VIII. De Isaaco Comiti Cameracensi scribit in suo Chronico Caldericus *l.b.* 1. *c.* 79." Comes *Abbatiunculā* „beati Humberti possidebat, ipsamque regiam ac locu-„pletem Abbatiam sanctissimi Gangerici cum omnibus „appendiciis sibi *beneficiatam* de regio jure tenebat.

In diplomate Caroli Calvi, quo confirmat donationem prædiorum factam Monasterio S. Bavonis in civitate Gandensi, apud Miræum in codice piarum donationum *c.* 18. hæc habentur." Carissimis fidelis noster Adelmus Comes, „qui & *largitu* nostro *Rector Monasterii* S. Petri & S. Ba-„vonis, quod vocatur GAND. super fluvium SCHALD. „siti &c.

IX. Hi autem Comites ex beneficia Regum Abbatias obtinentes, etiam se Monasteriorū *Abbates* nuncupabant;

atque hinc in antiquis monumentis passim dicuntur. *Abbacomites*, vel *Abbicomites*, uti videre est apud D. Du Cange in glossario verbo, *Abbicomites*.

X. Hi verò *Abbates* nihil nisi temporalia Abbatiarum desiderantes, & ambientes, statuebant *Decanos* (quos hodie *Priores* dicimus) *qui curam Monachorum haberent*, ut est apud Continuatorem Amoini *cap. 42*.

XI. Quanta ex hac laïcorum Abbatum usurpatione Monasteriis, tum in temporalibus tū spiritualibus ruina inferretur, abunde testantur & probant sæculorum illorum historiæ, nec non summorum Pontificum atque Episcoporum adversus illas usurpationes quærelæ.

Illustre illius ruinæ testimonium reddunt Episcopi anno 844. in Synodo apud Theodonis villam congregati, cui Drogo Metensis Episcopus præfuit, Hi Apostolico zelo succensi, Lothario, Ludovico & Carolo Calvo Imperatoribus intrepidè exponunt, se dolere, "sacrum Monasticum Ordinem à Deo inspiratum, & ab ipsis Apostolis fundatum, seu à nominatissimis ac sanctissimis Patribus excultum; atq; à vestris, ajunt, piæ memoriæ prædecessoribus propagatum & quædam etiam loca specialius venerabilia, contra omnem auctoritatem ac rationē, ac patrum vestrorum seu Regum præcedentium consuetudinē, *laïcorum* curæ & potestati, in maximo vestro periculo, & illorum perditione, & Dei ac Sanctorum non modica ad irascendum provocatione vos commisisse dolemus.

XII. Deinde obsecrant, ut tam magnam offensam & justam reprehensionē, atque periculosam sine exemplo præcedentium præsumptionē ab animabus suis & felicitate sui regni pellant; postulantes." ut viris ex Clericali, & *Ecclesiastico* vel *Monastico* Ordine Religiosis, seu & in suo sexu feminis Deo dicatis atque devotis, & in Schola Christi devotis loca venerabilia atque Ordinem sacrum ad custodiendum & providendum committant, qui & Dei sunt Deo, & quæ sunt Cæsaris Cæsari reddant, Qui inquiunt, si minus perfectè & in divina religione, & in reipublicæ utilitatem profecerint, aut corripiantur meliores & utiliores in locis eorum substituantur; & non propter *pravorum nequitiam* Ordo Religionis & loca sacratissima eis, quibus licitum non est, committantur.

XIII. Tum vivaciter Principibus ob oculos ponunt discrimen salutis quod ipsis ex illa horribili rerum Ecclesiasticarum dissipatione ac profanatione imminere tallerunt- que quod *peccata populi comedant*, " qui contra auctoritatem divinam res Ecclesiasticas indebitè pervadunt, & nec intercessionis ope, nec prædicationis consilio, vel quocumque divino auxilio, pro peccatis eorum, qui eas dederant, laborant, nec pro opere ad quod fides fidelium eas tradiderat inservire permittunt.

XIV. Considerantes verò eas esse temporum ac rerum conditiones, ut nec Principum auctoritate omnia ad rectū ac integrum Ordinem reduci possent, dicunt, quædam dissimulanda, quædam etiam gemenda & usque ad tempus perferenda." & ideo, *ajunt cap.* 5. de Canonicorum Monasteriis & Sanctimonialium, quæ sub eadem forma vivere dicuntur, consideravimus, sicut Apostolus Paulus dicit, *secundum indulgentiā*, non secundum imperium, ut si propter imminentem Reipublicæ necessitatem laïcis interim committuntur Episcopi providentia, in cujus parochia consistunt, adjuncto sibi aliquo Abbate viro religioso, studeatur qualiter restauratio locorum, & studium ac custodia officii & religionis, atq; subsidium tēporalis necessitatis in eisdem locis degentibus, juxta qualitatem & quantitatem moderationis, adhibeatur & ministretur. Et qui eadem loca tenuerint, eis inde, sicut & de aliis Christianæ Religionis negotiis, pro Christi & vestra reverentia obediatur,

XV. Ex his intelligimus, sæculo 9. non virorum sed & mulierum Monasteria à laïcis fuisse occupata.

Secundo, quod Episcopi non probaverint, laïcis bona Monasteriorum dari, eo prætextu seu motivo, quod præfecti seu Prælati rebus Monasterii abutantur; aut minus religiosè conversentur. Nec enim ob *paucorum pravitatem debent eis Ordo Religionis aut loca sacratissima, quibus licitum non est, committi*.

Tertio habemus, quod ex illo abusu ædificia Monasteriorum jacerent destructa; studium ac custodia Officii Divini & Religionis periisset, & temporalia subsidia Monachorum defecissent.

XVI. Sub idem tempus frequentes fuēre coactæ Episcoporum Synodi, quæ omnes in hanc laïcorum sacrilegā usurpationem acerrimè insurrexerunt; nec tamen remedium integrum adferre potuerunt; cum Principes dicerent, res Ecclesiasticas sublatas ex integro se restituere non posse, *ne sua Republica militiam defraudare viderentur*, ut est in Epistola Nicolai I. ad Odonem Episcopum Beluacensē, in qua hæc præterea habentur: "Non est leve ante oculos Summi Judicis disceri non religiosis locis & Monasteriis Deo dicatis sæcularem præficere potestatē, & ei contradere Pastoralis curæ sollicitudinē, qui quid sit Pastor ignorat nec quærit lucrum animarū, sed pecuniæ censū; nec ut in Divinis cultibus servitium impendatur, sed ut suis usibus ad dominationis votum deserviatur."

XVII. Neque sæculo 10. Abbates hosce sæculares desiisse palam facit Concilium Trosleianum habitum ab Archiepiscopo Remensi ejusdem Suffraganeis inter quos erat quoq; Episcopus Cameracensis, qui & eidē Concilio subscripsit.

Itaque *Canone* 3. vivis coloribus miserū ac planè deflendum Monasteriorum statum describens hæc Synodus, eū potissimum Abbatibus sæcularibus attribuit" Respectum siquidem timoris Dei habentibus ait, auditu lugubre, dictu nefas, actu dignoscitur horribile, quando contra omnem paratum, & totius Christianæ religionis auctoritatem & consuetudinem, in Monasteriis regularibus laïci in medio Sacerdotum & cæterorum religiosorum, ut domini ac Magistri residentes velut Abbates de illorum vita & conversatione ac regula sibi penitus ignota perverso ordine dijudicant. Quæ pro certo abominatio illa est, quam Dominus in Evangelio præsignat dicens: *Cū videritis abominationem desolationis stantē in loco ubi non debet, qui legit intelligat.*

Deinde adjungunt: "Censemus igitur, ut status Monasteriorum inviolatus juxta antiquam Regulæ traditionē & Canonum constituta, servetur: & ut *Abbates* sint *Religiosæ* personæ, & regularem noverint disciplinam.

XVIII. At nec Conciliorum statuta, nec Episcoporum exhortationes, & comminationes, Monasteria è manibus Comitum & laïcorum liberare potuerunt: nam Robertus Comes Parisiensis sæculo 10. *cupiditate* magis ductus [ait Amoinus *lib. 5. cap.* 41.] quam de cura animarum sollicitus, *Abbatiam* S. Germani accepit seq; se *Abbatem* vocitari fecit." Roberto mortuo, Hugo ejus filius *Abbatis* nomen sumpsit, ait Amoinus ibidē *cap.* 42. enumerans quoque Decanus qui sub Hugone Abbate curam Monachorum gesserunt.

Transivit dicta Abbatia quasi jure hæreditatio & successionis usque ad Hugonem Capetum, qui uti refertur, speciali Spiritus S. instinctu eidem Abbatiæ renuntiavit in favorem Gualonis, qui eandem sanctissimè rexisse fertur.

XIX. Quin de hoc Hugone Capeto legitur:" Pietate Regnum stabilivit, Ecclesiis Monasteriisq; jus electionis & reditus à Carlovingiæ familiæ postremis Regibus usurpatos, publicarum necessitatum specie, restituit, & quantū in novi Principatûs exordiis fieri poterat à Proceribus restitui curavit, Quam ob rem *Ecclesiæ sanctæ amator* appellatus fuit," ut docet fragmentum historiæ Aquitanicæ apud Duschenium *Tomo 4. pag.* 80.

Quidquid sit post hujus Hugonis imperium non legitur à Laïcis Monasteria ulterius occupata fuisse, neque à laïcis à Principibus Abbatias fuisse concessas; atque ita ab eo tempore abusus cessasse videtur.

XX. Verùm Episcopi subinde vel propria auctoritate, vel auctoritate Romani Pontificis sibi Abbatias titulo *commenda* vel administrationis adhuc retinebant: quod circa sæculū XII. & XIII. frequentius contigit. Cum enim sub id tempus Terra sancta ab infidelibus occuparetur, multi Episcopi suis Ecclesiis deturbati fuēre, qui consequen-

Digitized by Google

quenter tunc erant quasi Episcopi *titulares in partibus*; quibus propterea in sustentationem Pontifices alios Episcopatus vel Monasteria in *commendā* perpetuā concedebāt

XXI. Posthæc, cum disciplina Monastica in multis tum Monachorum, tum Canonicorum Monasteriis multum esset collapsa; vita communis penè ubique desiisset; bona Monasteriorum dilapidarentur; Abbates Regulares viverent, non ut Monachi aut Canonici paupertatem professi, sed ut Comites aut Barones; suosq; consanguineos & familiares ex bonis Monasterii ditare studerent; jamque bona Monasterii, & bona Abbatiæ essent in pluribus Monasteriis divisa, hisque uterentur Abbates tamquā pleni domini: hinc occasionem arripuêre Cardinales aliique Prælati auctoritate apud Pontifices & Reges pollentes, postulandi ea Monasteria sibi *in commendam* dari, prætextu ea reformandi & restaurandi; atque ita Monasteria è laïcorum manibus erepta, in Cardinalium, Prælatorum, ac Clericorum manus devenerunt prætextu commendæ seu administrationis, speciosiori ut apparebat, titulo: sed haud feliciori fortunā.

XXII. Mox quippe apparuit reformandi atque restaurandi studium, non fuisse nisi merum *prætextum* deglutiendi Monasteriorum proventus. Monasteria enim sic *commendata* non restaurabantur aut reformabantur, sed magis continuò collabebantur, & deformabantur. Hoc enim unicum agebant Abbates illi Commendatarii, ut ampliores proventus haberent; quo fiebat, ut parū aut nihil Monachis intertinendis, divino officio celebrando, hospitalitati exercendæ, pauperibus sublevandis, fabricæ Monasterii sustinendæ aut reparandæ relinquerent.

XXIII. Quam frequens esset sub initiū sæculi 14. *commendarum* usus; declarat Clemens V. in Constitutione edita anno Pontificatus sui II. id est, anno 1305.

In hac Constitutione imprimis fatetur Pontifex, se in primordio sui Pontificatus, nonnullis Clericis & personis Ecclesiasticis religiosis & sæcularibus, diversorum Ordinum Monasteria destituta suis Pastoribus sub *commenda*, vel custodiæ seu curæ, vel guardiæ aut administrationis titulo nomine vi duxisse perpetuò ad vitam seu ad certi tēporis spatium committenda.

XXIV. Deinde subjungit, quæ ipsum ad concedendas has *commendas* impulerint: "Ex antiqua notitia Regum, „Prælatorum, Magnatum & aliarum nobilium persona„rum Ecclesiasticarum & sæcularium? ac ipsorum aliqui„bus, inquit, tum quia in terris morantes eorūgradū hu„jusmodi promotionis habuimus, tum quia solitæ ad eos „amicitiæ affectibus ducebamur. aliquibus verò ex assue„ta Romanorum Pontificum liberalitate: quā in suis exer„cere soliti sunt novitatibus, volentes honoris & libera„litatis affluentia complacere; ad eorum *importunas* ta„men & *multiplicatas* precum instantias.

Refertur hæc Constitutio in *Extrav. 2. De Præbendis in Commun.* Ex qua hoc primùm discimus, Pontifices agnoscere, se homines esse, & in suis actionibus interdum etiam humanis affectibus subjacere; neque velle, suas particulares actiones esse normam aliis agendi.

XXV. Deinde in eadem Constitutione narrat, quod mala ex hujusmodi *cōmendis* provenientia haud satis perspexerit, quo-usque ipsum *infirmitate satis periculosā* visitavit Omnipotens: tum enim à negotiorum utcumque discussione semoti, ait, "ad hoc sub diligenti examine dire„ximus aciem nostræ mentis, demumque prospeximus e„videnter, quod Ecclesiarum & Monasteriorum eorumdē „cura negligitur, bona & jura dissipantur ipsorum, ac sub„jectis eis personis & populis spiritualiter plurimum & „temporaliter derogatur, eisque redundant ad noxiam, „quæ dicebantur cedere ad profectum.

XXVI. Post hæc, malis hisce remedium adferre cupi„ens omnes & singulas promissiones hujusmodi per nos, ut „præmittitur, factas, ait, quibuscumq; cujuscumq; Ordi„nis dignitatis aut status: sed etiam S. E. R. Cardinalibus „quocumq; modo vel tempore factæ noscantur, auctori„tate Apost. ex nunc ex certa scientia revocamus, cassa„mus, & annullamus, & decernimus de cætero non habere „aliquam roboris firmitatem.

XXVII. Hanc ordinationem non habuisse optatam executionē, sat manifestum est ex libello reformationis à Durando vulgo *Speculatore* Episcopo Mimatensi Concilio Viennensi quatuor annis post dictā ordinationem exhibito, in quo *par. 2. tit. 21.* deplorat, quod Cardinales "Ecclesias „etiam Cathedrales & ultramarinas sub diversis coloribus „faciant commendari. Ex hac peste etiam noviter, inquit, „introductū est contra jura, quod *Prioratus Conventuales*, „& alia Beneficia Ecclesiastica consueta regi per Monachos „& alios Regulares Domini Cardinales, ac si Beneficia sæ„cularia nequaquam sufficiant, sibi & suis faciunt assignari, „quanquam non efficiantur Monachi &c. Ex quibus in „dictis Prioratibus & Beneficiis Regularium periit in to„tum Regularis observantiæ disciplina: cùm non sit inter „eos, qui corrigat, non sit qui doceat, &c. Fraudatur hos„pitalis in dictis Prioribus & Beneficiis consueta, & jura „ac bona Prioratuum hujusmodi dissipantur.

XXVIII. Hunc Commendatum usum neq; auctoritate Concilii Viennensis abolitū fuisse, sed lapsu temporis præsertim durante scismate quod incepit ab Urbano VI. usq; ad Martinum V. majus continuò incrementum & firmiores radices egisse, ex actis illorum temporum constat.

Referente Cardinalis Papiensi *Epist. 93.* respondit Paulus II. (qui sedit circa sæculum 15.) Cardinali Portuensi exagerente mala ex commendis promanantia, *credere se à Pontificatu Calixti* [qui 10. circiter annis ipsum præcesserat] *in eam diem, amplius quam* QUINGENTA *Monasteria esse jam commendata.*

XXIX. Tantum abest ut post hæc, maximè in Italia & Gallia, commendæ minus frequentes fuerint, ut etiam usus earum jam palàm, si non omnino probari, saltem sub quibusdam conditionibus, ac intuitu quarumdam personarum tolerari posse videretur.

XXX. Leo X. in Concilio Lateranensi an. 1514. in Bulla reformationis Curiæ *Sess. 9.* publicatâ, primò deplorat, quod "ex commendis Monasteriorum [ut magistra rerum „experientia sæpius docuit] Monasteria ipsa tam in spiri„tualibus quàm in temporalibus graviter lædantur, quippe „quorum ædificia, partim Commendatariorum negligen„tiâ partim avaritiâ & incuriâ collabuntur, & indies Divi„nus cultus in his magis diminuitur, passimque oblo„quendi materia personis præsertim sæcularibus præbe„tur, non absque dignitatis Apost. Sedis diminutione, à „qua commendæ hujusmodi proficiscuntur.

Indemnitati Monasteriorū consulere volens, vetat quidē Monasteria hactenus *non cōmendata* cuiquā posse cōmendari, hanc tamē subjiciens clausulā: "nisi pro conservatione „auctoritatis Apostolicæ Sedis, & ad occurrendum malitiis „eam impugnantium, pro tēporum qualitate aliter nobis „de Fratrum nostrorum consilio visum fuerit expedire.

"Ea verò Monasteria, pergit, quæ *commendata fuerint* „cum per eorum cessum vel decessum, quibus erant com„mendata, commendæ hujusmodi cessaverint, Cardina„libus dumtaxat ac personis qualificatis & bene meritis, „commendari possint.

XXXI. Postmodum subjicit quasdam modificationes sub quibus hujusmodi Cōmendatarii proventus Monasteriorū percipiant: ut scilicet cujuscumq; conditionis Commendatarii, etiamsi Cardinales fuerint, "si mensam habuerint se„paratam, ac seorsim à mensa conventuali, quartam suæ „mensæ partem pro instauratione fabricæ, seu pro orna„mentis, vestibus ac paramentis emendis sarciendisq;, aut „pauperum alimonia, aut sustentatione, ut major exiget ac „suadebit necessitas; si verò mensa fuerit communis, ter„tiam omnium fructuum dicti Monasterii sibi commen„dati partem pro supra dictis oneribus supportandis, & su„stentatione Monachorum, omnibus aliis deductis one„ribus, impartiri teneantur. Ac litteræ, quæ super Mona„steriorum hujusmodi commendis expedientur, cum „clausura hoc ipsum specificè exprimenti debeant expedi„ri. Alioquin, si aliter expediantur, nullius sint roboris vel „momenti.

XXXII. Hic tandem videmus Commendatum usum intuitu certarum personarũ, ac sub certis quibusdam modificationibus permitti aut saltẽ tolerari;earumque concessionem judicio Sedis Apostolicæ reservari; unde & post hoc Concilium usus Commendarum per Italiam sine ulla interruptione usque modo subsistit.

XXXIII. At in Concordatis inter illum eundẽ Pontificẽ & Franciscum I. anno 1515. initis, ipse Commendarum usus planè sublatus apparet.

In his enim cavetur, quod Rex vacatione Monasterii occurrente, Religiosũ ejusdem Ordinis in ætate 23. annorum ad minus constitutum Sedi Apostolicæ nominare teneatur; quod si Rex nominaret Presbyterum sæcularem, aut Religiosum alterius Ordinis, tunc Pontifex aliquem nominare possit: quod ipsas commendas palam excludit. Nam si Pontifex Clericum sæcularem in Abbatẽ aut Priorem instituere posset, qua specie, nominationem Regiam respueret eo solo titulo, quod *Presbyterum sæcularem* nominasset? Quin ipsum Concordatum expressè declarat, quod casu quo,libera collatio ad Pontificem spectare continget, provisi qualitates ante expressas habere debeant in verbis: *Prioratus vero personis ut refertur qualificatis dumtaxat conferri liberè possint.*

Deinde pro majore præmissorum robore subjicit Pontifex: "Electiones autem nec non provisiones per nos & „successores nostros *contra præmissas* pro tempore factas; „*nullas, irritas* & *inanes* esse decernimus.

XXXIV. Verum quia Concordatum hoc Regem inter & Pontificẽ sive Sedem Apostolicam dumtaxat initũ est, etiam utriusque consensu ab eo recedi nihil vetat. Unde etiam post hoc Concordatum, usus Cõmendatum in Regno Galliæ usque modò perdurat; atque Rex ad plerasque Abbatias & Prioratus Clericos sæculares in *Commendatarios* perpetuos nominat & Papæ præsentat; quibus Papa Commendas annuendo, à concordato communi consensu recedi videtur; & nunc longo temporis usu quodammodo videtur recessum.

Et quidẽ Rebuffus quadraginta circiter annis post dictum Concordatum,cõmendarum quidem abusus latè describit, eas tamẽ in Gallia & Italia cõmuniter receptas supponit;ac stylũ in earum collatione servate solitũ exponit.

XXXV. Quin & *Commendarum* usum tam firmiter stabilitum & profundas radices egisse viderunt Episcopi Gallicani etiam post Concilium Tridentinum, ut de earum totali abolitione desperarent, unicè propterea solliciti,dum totaliter aboleri non possent,saltem abusus,quantum possibile esset, rescinderentur.

"Nihil nisi desiderium nobis superest [inquiunt Patres Concilii Remensis anno 1583. *Tit. De Regularib.*] ut Ab„batiæ Prioratusque non nisi Regularibus spectatæ virtu„tis & per electionem conferantur. Quod à Deo optimo „maximo supplicibus votis contendimus, ut ad id excita„re dignetur Dominos nostros Sanctissimum Rom. Pontificem, & Regem nostrum Christianissimum.

Quæ pro bono usu Commendatum Synodi præscripserint mox dicentur, si ante disciplinã modernã, præsertim Regni Galliæ, circa Commendas & Commendatarios Monasteriorum expressa sit.

XXXVI. Ita que tam in Gallia,quã in Italia *commendarum* usus usque modo quoad Abbatias & Prioratus Conventuales,quibus Abbates & Priores perpetui Regulares aliàs præfici solebant, perdurat; si ea sola penè exceperis, quæ Ordinum Capita sunt; idque ob Decretum Concilii Tridentini *Sess.25. c. 21. De Refor.* quẽadmodum observat Fagnanus ad *Cap.* CUM AD NOSTRAM ;; *De Elect.*

Creditum enim fuit, quod Concilium in priore parte, ubi de Monasteriis inferioribus agit non loquatur *præceptivè*, sed *consultivè*: eo quod utatur verbo *confidit*: At in posteriore parte agens de *Capitibus Ordinum*, loquatur *præceptivè* utendo verbo *teneantur*.

Quidquid sit de hac Concilii interpretatione, illud certum est, Quod Romani Pontifices qui pleraq; Monasteria S. Benedicti & CistercienśisOrdinis [uti ibidem refert Fagnanus] dederunt in *commendã* sæcularibus Clericis, non commendaverint Monasterium Cassinense, quod est *caput* illius Congregationis : nec Monasterium *Cistercii*, quod est *caput* Ordinis Cisterciensis.

XXXVII. Porrò *commenda* juxta hodiernum stylum & praxim multum à *commendis* antiquitus cognitis, & à Sacris Canonibus jam pridem probatis distant.

Commendæ enim antiquæ cõcedebantur principaliter in favorem Ecclesiarum; ut scilicet,Ecclesiæ Pastore viduatæ interea de Rectore esset provisum;commendæ verò nostri temporis,ait Fagnanus,fiunt principaliter non in favorem Ecclesiæ, sed personæ, ut ex fructibus sustentari valeat Quapropter ubi olim in concessionis diplomate causa his verbis reddebatur: *Ut Ecclesia interea rectè atq, ordine administretur, eam vobis commendamus*; hodie hoc tenore exprimitur"ut *commodius* sustentari valeas,de alicujus sub„ventionis auxilio providere cupientes, tale Monasterium „auctoritate Apostolica concedimus&commendamus &c.

XXXVIII. Pristinæ commendæ tantum erant ad tempus,pro tempore nimirum vacationis , quemadmodum hodie solent esse *deservitura* Ecclesiarum Parochialium vacantium :hodiernæ verò perpetuæ sunt; id est, ad vitam Commendatarii juxta clausulam diplomatis : *Per te quamdiu vixeris tenendum & possidendum.*

XXXIX. Commendatarii ad exemplum doctorum Deservitorum olim non poterant de fructibus Ecclesiæ commendatæ disponere ; nec præter moderata alimenta quidquam percipiebant: at moderni liberè de proventibus Beneficii Commendati adinstar veri Beneficiati & Titularis disponunt juxta consuetam formulam diplomatis Pontificii:"Ita quod durante commendã hujusmodi de fructibus, „redditibus & proventibusMonasterii *disponere & ordina„re* valeas,sicuti *veri* Abbates aut Priores ipsius Monaste„rii qui fuerunt pro tempore ordinare potuerunt,&etiam „debuerunt;alienatione tamen bonorum immobilium & „pretiosorum mobilium ipsius Monasterii tibi penitus „interdicta.

Hinc hodieCommendatarius potest præsentare ad beneficia;item eligere &conferre (ait Rebuffus in Praxi Benefic. *Tit. de Commendis*) sicut alius qui titulum habet,quia præsentare,eligere,& conferre est *fructus* Beneficii.

"Locare etiam potest fructus,ait Rebuffus,& possessio„nes sicut habens titulum." Uno verbo,moderni Commendatarii quoad perceptionem fructuum eorumque administrationem sunt per omnia similes veris titularibus.

XL. Quin &" Commendatarii hodie pro veris *Titula„ribus* habentur [ait Fagnanus ad *Cap.* IN ECCLESIIS ;; *De Capellis Monach. nu.5.*] tam in Galliis, quam extra, „& jura *omnia* de Abbatibus & Prioribus loquentia ha„bent etiam locum in hisce Commendatariis.

Commenda quoque rationem veri tituli habet; & pro titulo reputatur.

XLI. Cum ergo Clerici sæculares de jure Beneficium Regulare in *titulum* possidere nequeant juxta Regulã, *Regularia Regularibus*;&tamen Commenda perpetua pro *titulo* reputetur, solus Papa similem *Commendam dispensativè* concedere potest;unde juxta Canonistas commenda hodierna est provisio Papæ *dispensatoria*:& via providendi per commendam dicitur *extraordinaria* & *dispensatoria*.

Ut tamen jura aliquatenus servari viderentur,Papa Clericis sæcularibus in *Commendam* dare mavult Beneficia Regularia,quam in *titulum*.

XLII. Hinc ulterius contingit,quod licet olim *Commenda* adinstar hodiernæ *deservitura*,permutari cum alio Beneficio non posset,hodie tamen non secus ac verum Beneficiũ cum alio Beneficio permutari possit:quia ait Rebuffus loco citato *n.53.*"reputamus Commendam *verum titulum*,& „sic *permutari* potest. Unde sæpius vidi Beneficium com„mendatum permutari cum alio in titulum,etiam coram „Ordinario." Hæc ille:qui ibidem *nu.51.* quoque observat, quod in Francia per mortem Commendatarii impetretur vacans Beneficium, *sicut si tenuisset in titulum*.

XLIII. Cum verò juxta Canonistas, mutatio tituli semel collati non fiat sine nova collatione,hinc praxis Galliæ habet,quod siCõmendatarius profiteatur in Monasterii cujus est

Digitized by Google

est *Commendatarius*, illud Beneficium quod habeat in *commendam*, sine nova provisione non transeat in *titulum*; neque illud tamquam *regulare* retinere queat; sed Beneficium vacare censeatur, non secus ac si sæcularis Clericus obtinens Beneficium *in titulum*, professionem Regularem emisisset; & tamquam vacans, mox à professione Commendatarii de novo possit conferri, uti post Louëtium tradit Fevretius *lib. 6. de Abusu cap. 6. num. 25.*

XLIV. Ulterius "Commendatarius Monasterii perpetuus licet non sit professus Regulam Ordinis, cujus est Monasterium, habet tamen (ait Antonius Faber *in Cod. lib. 1. tit. 2. de fin. 34.*) in Monachos *eamdem* jurisdictionem, quam haberet si ex vero titulo Beneficium possideret: quia pro *vero Prælato & Titulario* habetur, etiam quod ad hoc, quandoquidem comenda ipsa est *titulus dispensatorius*: nec inter Commendatarium & Titularium Ecclesiæ Rectorem *effectu* ipso quidquam interest, sed nominis tantum *sono*." Hæc ille, qui & ibidē asserit Commendatarium posse jurisdictionem in Monachos exercere, tametsi in eodem Monasterio sit aliquis ex Monachis Prior Claustralis; quin & Priorem illum ad *nutum* Commendatarii esse *amovibilem*: testaturque anno 1591. in Senatu Subaudiæ pro Abbate Ambronicensi Commendatario, qui jurisdictione suâ in Monachos usus fuerat ad morum correctionem, judicatum fuisse contra Monachos, qui ab illa correctione *tamquam ab abusu* appellaverant ad Senatum; ac rursus anno 1617. contra eosdem Monachos: "hoc tamen, ait, adhibito æquissimo temperamento, ut non aliter jurisdictionem hanc exercere posset Commendatarius, quam si in Beneficio ipse resideret, & ordinarius Prælatus ejusve Vicarius abesset, cujus sanè jurisdictionem præcipuam conservari & salvā esse conveniunt ut Commendatarii jurisdictio tantum subsidiaria esse videatur.

XLV. Hæc vero ampla potestas seu jurisdictio in Monachos de moribus Galliæ Abbatibus Commendatariis, exceptis *solis Cardinalibus*, non competit: sed omnis jurisdictio & correctio, ac omnia disciplinam interiorem Monasterii spectantia ad Priorem Claustralem spectant; nec iis Abbas Commendatarius se immiscere potest, uti sæpius à Senatu Regio conformiter ad *art. 11.* Decretum Aurelianensium judicatum fuisse, refert Joannes Tornet Lit. *A. n. 9.* ipsaq; Novitiorum ad habitum & professionem receptio, ad Priorem Claustralem, non ad Commendatarium spectat; neq; Priorem illum Commendatarius removere potest; *alioquin*, ait Tornet, *Abbas Commendatarius semper revocaret Priorem utilem Monasterio, quod non esset ferendum.*

Quinimo si Commendatarius obtinuisset indultum à Sede Apostolica cognoscendi de disciplina Regulari, esset locus appellationi tamquam *ab abusu* ab executione hujusmodi rescripti, inquit Fevretius loco citato *num. 16.*

XLVI. Refert insuper Fagnanus ad *Cap.* EDOCERI *de Rescriptis*, Breve Innocentii X. quo ad instantiā Generalis Ordinis Cisterciensis statuitur, "non licere Commendatariis, Priores, Superiores aut Officiales Claustrales instituere ac destituere, visitare Monachos, eosdemque corrigere, nec facultates eisdem in litteris Apostolicis [scilicet provisionis Commendarum] concessas & expressas, ad ea quæ institutum *regulare* concernunt, ac tenore prælibatorum privilegiorum, & sacri Concilii dispositione Monastico regimini relinquuntur, trahi posse, ac debere." Hæc in illo Brevi quod ibidem integrum refertur; additque Fagnanus: "Similes litteræ expeditæ fuerunt pro Monachis Camaldulensibus sub die 20. Martii 1657.

XLVII. Ut verò Monasterium non destituatur convenienti numero Monachorum, neque divinum servitium intermittatur; hospitalitas ac consuetæ eleemosynæ non negligantur; nec Monasterii fabrica collabatur, in litteris Commendarum adjici solet hæc clausula: "Volumus autem quod propter hujusmodi commendam divinus cultus, ac solitus Monachorum & ministrorum numerus in dicto Monasterio N. nullatenus minuatur: sed illius ac dilectorum filiorum conventus ejusdem congruè supportentur onera consueta &c.

XLVIII. Deinde juxta Decretum Concilii Lateranensis sub Leone X. suprà relatum, injungitur Commendatariis, etiam *Cardinalibus*, ut si mensam habuerint separatam à Conventuali, *quartam* suæ mensæ, alias *tertiam* partem *omnium* proventuum Monasterii, impartiri teneantur pro instauratione fabricæ, seu pro ornamentis, vestibus, & paramentis emendis sarciendisque, aut pauperum alimonia, aut sustentatione, ut major exiget aut suadebit necessitas.

Hæc latius referuntur à Rebuffo loco citato, qui & *n. 18.* sic concludit: "Ex his constat Papam velle, ut cultus divinus non diminuatur, & onera consueta solvantur: ut patet in litteris commendæ." *Sed*, ait, *nihil fit à multis.* Ostendens, quod ratione istarum commendarum, Monasteria tam in spiritualibus, quam temporalibus prorsus collabantur; *quia extranei*, ait, *qui istas Abbatias possident, nil nisi lac & lanam quærunt, id est, utilitatem.*

XLIX. Porrò Gregorius XIII. in sua Constitutione quæ incipit: *Superna* 18. in Bull. R. edita pro Ordine Cisterciensi, ut securius ipsis Monachis ac Monasterio de proventibus annuis cautum sit, §. 9. statuit, ut in Monasteriis omnibus commendatis vel commendandis, "ubi non fuerit, instituatur mensa Conventualis ab Abbatiali mensa distincta & separata, cum annuis fructibus, redditibus, & proventibus, juxta Monasteriorum ipsorum facultates competentibus, & honestis, pro sufficienti Conventus & Monachorum, aliorumque Religiosorum ejusdem Ordinis numero in unoquoq; ex ipsis Monasteriis per ipsos Generalem, & cæteros Ordinis ipsius Superiores, aut eorum Vicarios ordinando, quam quidem mensam quia etiam ædificiorum, & locorum ad disciplinæ monasticæ observationē pertinentium scilicet templorum, ornamentorum, jocalium, librorum Ecclesiasticorum, dormitorii, refectorii, aliorumque locorum regularium, nec non Monasteriorum clausuræ necessariis, & ordinariis reparationibus faciendis obligatam & obstrictam esse volumus, ut in ea instituenda expensarum annuarū ad hæc necessariarum ratio habeatur, statuimus, & mandamus, ac ad eamdem mensam sic instituendam, congruosque redditus assignandos ipsi Commendatarii omnino teneantur, & ad id etiam per censuras Ecclesiasticas, fructuum, redditum, & proventuum sequestrationes, & alia opportuna Juris remedia cogi possint, & debeant.

L. In Concilio Rothomagensi an. 1518. orta est difficultas, an Abbates Commendatarii in Synodis Provincialibus recipiendi essent inter Abbates ad sedendū & deliberandū; item inter dignitates ac Procuratores Capitulorum Cathedralium contra Abbates Regulares & Commendatarios de præeminentia in processione sessione, & deliberatione. Difficultatibus ad Sedem Apostolicam delatis, ab eadem responsum est. Quoad primam: *Commendatarios inter Abbates recipiendos esse.* Ad secundam: *Canonicos Cathedralium Ecclesiarum præferendos esse, quando capitulariter procedunt: Abbates benedictos, & qui usum mitræ habent, præcedere Commendatarios: post hos locum obtinere dignitates: & post dignitates collocandos esse Procuratores.*

LI. Eadem Synodus expendens, Commendatarios quodammodo in locum Regularium succedere, atq; proventus Monasteriorum tamquā beneficiatos & Ecclesiæ ministros percipere, eosdem monet: Ut "quamvis ad Regularem observantiam non obligentur, ne tamen sint sine jugo atque omni Regula, decet eos medium statum atq; ordinem sequi ac ostendere inter regulares & sæculares Clericos in vestitu, in victu, & in omni ornatu. Tonsurā utantur ampliori quam Sacerdotali, habitu propius ad regularem accedente: nec existiment sibi commendatum Monasteriorum regimen ad luxum & prodigalitatem, aut ad agendum rem suam & consanguineorum familiam, sed ad piam & justam alienarum rerum dispensationem, & quarum non habent proprietatem, Deoque de omnibus reddendam esse rationem.

LII. Sub finem sæculi 15. via sterni videbatur, ut & in Belgio Commendarum usus introduceretur. Quod advertens Theodoricus Abbas Parcensis totius Ordinis Præmonstratensis

stratensis in Curia Romana Agens à Sixto IV. impetravit *Breve* ad Carolum Ducem Burgundiæ & Brabantiæ, in quo relatis variis incommodis, quæ ex Commendarum usu ipsa Monasteria tam in spiritualibus, quam temporalibus paterentur, dicit: se "Commendis hujusmodi, quæ non nisi ob „ gravem Ecclesiarum necessitatem, ac in illarum favorem, „ cum alias instaurari nequirent, admittendæ noscuntur, fi„ nem imponere cupere; atq; propositi sui esse quantum „ cum adjutorio Dei posset, ab hujusmodi *Commendis* & con„ cessionibus penitùs abstinere;" ac deinde ad Ducẽ se con„ vertens ait: "Et sicuti plerisq; aliis Principibus Catholicis, „ quibus pari modo scribimus, Excellentiæ tuæ notum esse „ volumus, eandẽ exhortantes in Domino, ac requirentes, „ ut sacras nobiscum Religiones confovens, ac conscientiæ „ tuæ consulens, quæ in supplicando super hujusmodi com„ mendis, non parum gravari creditur, nosq; & te à multis „ molestiis eximens, commendas hujusmodi à nobis pete„ re amplius non fatigeris, & nobis desuper scribere nolis, „ quin potiùs talia petentium ambitiones, sic pro tempore „ refellas, ut nemo nos & te desuper inquietare præsumat.

Subjungit deinde hæc meritò notando: "Et ne suggestio„ nibus quorumdam movearis, quod propter religiosarum „ personarum fortè corruptos mores, eorum loca sæcula„ ribus commendanda veniant, eosdem personas & loca „ tam in capite quàm in membris reformare, & corrigere „ multò satius est, quàm in commendam & direptionem „ dare: ad quod faciendum operam adhibere, & diversis „ per orbem Religionibus scribere decrevimus.

Datæ sunt hæ litteræ 2. Martii 1476. & juxta copiam authenticam servatam in archivo Parchensi editæ sunt in Cronologia Parcensi *cap.* 14.

Post hæc eodem capite subjicitur Bulla ejusdem Pontificis, quâ declarat, liberam electionem Abbatum Ordinis Præmonstratensis spectare ad singulos Conventus; neq; Abbatias Ordinis illius sub ullis quantivis generalibus reservationibus Apostolicis, etiã in Regulis Cancellariæ expressis, comprehendi; omnesq; *Commendas* illarum Abbatiarum quacumq; auctoritate cõcedendas *nullas & irritas* declarat.

LIII. Verùm ut refertur in dicta Cronologia, Lucas Episcopus Sibinicensis in partibus Belgii Nuntius Apostolicus cum potestate Legati *à latere*, & Philibertus titulo *S. Luciæ in Silice* Presbyter Cardinalis Matisconensis, ita sub & obreptitiè Romæ agere sciverunt, ut præscriptis Bullis non obstantibus, eodem an. 1476. à *Sixto* IV. impetraverit Episcopus Sibinicensis Abbatiam *S. Michaelis*, & Cardinalis Matisconensis, Abbatiã *Tongerloensem* sibi dari in *Commendã*.

Hic exurgens Ordo Præmonstratensis ac signanter Theodoricus Abbas Parcensis, causam Ordinis sui prosequens, totis viribus se opposuit, quibus & Ordines Brabantiæ, Duces & Principes Patriæ se junxerunt; omnique studio & viâ *Commendatarios* à capienda possessione dictarum commendarum impedire studuerunt; uti fusius ibidem narratur: referturque quomodo tandem post quatuor annorum concertationem, nec non septem Bullas in favorem dicti Episcopi Sibinicensis ab eodem Pontifice datas, emanaverit Bulla, quâ declaratur, in Bullis datis Episcopo Sibinicensi non fuisse sufficienter derogatum privilegiis Ordinis Præmonstratensis; adeoque Episcopo Sibinicensi per reservatorias & alias Bullas nullum jus in Monasterii S. Michaëlis administrationem umquam quæsitum fuisse, vel quæri potuisse; & eadem *Commenda* prout de facto processit, cassatur, revocatur, irritatur & annullatur; & Sibinicensi perpetuum silentium imponitur. Integra Bulla ibidem refertur, additque auctor *Cronologiæ*; " Eodem anno 1480. aliam Bullam emisit Pontifex, quâ annullat *Commendam* Abbatiæ *Tongerloensis* datam Cardinali Matisconensi.

Sic *Commendarum* memoria in Belgio quievit usque ad annum circiter 20. præteriti sæculi, quando (ut narratur in citata Cronologia) Carolus V. Erardo à Marco Episcopo Leodiensi addixit primã vacantem Abbatiam in *Commendam*; cumque sors cecidisset super Abbatiam S. Michaelis Ordinis Præmonstratensis Antverpiæ, Carolus ad eam vacantem nominavit dictum Episcopum Leodiensem; cui nominationi fortiter restiteruntCõventuales dictæ Abbatiæ, memores eorũ quæ ob *Commendã* datam Episcopo Sibinicensi à quadraginta circiter annis facta essent; ac inter alia Carolo exposuerunt, ipsum in suo Læto introitu Abbatibus addixisse & promisisse, numquã Abbatiam aliquam danã in *Commendam*. Quibus aliisq; tandem effectum, ut agente Rege & Episcopo condescendente, mediante aliquâ notabili pensione Episcopus à prætensione Abbatiæ destiterit, & is qui electus à Conventu fuerat, Abbas institutus sit.

Nam ab eo tempore aliquid ultra pro introducendis *Commendis* in Belgio tentatũ sit, nescio; hoc scio, Principes nostros in suo Læto introitu *art.* 56. promittere, "quod nul„ las Abbatias, Prælaturas, aut Dignitates Brabantiæ dabunt „ in *Commendas*, nec jubebunt aut sinunt dari ullo modo.

LIV. Ut hoc jus sibi illatum conservent Abbatiæ & Monasteria; Abbatesque laicos & Commendatarios excludant: nihil efficacius aut convenientius, quàm ut in ipsis Monasteriis habeatur perfecta bonorum omnium ac proventuum communio; rejectâ distinctione seu separatione mensæ Abbatialis à Conventuali: quæ distinctio (uti observat P. Thomassinus De Disciplina Ecclesiæ *parte* 4. *l.* 2. *c.* 3.) pro magna parte occasionem *Commendis* subministravit. Deinde ut juxta leges Ecclesiæ, intentionem Fundatorum, nec non Regulas professionis Monasticæ, proventibus Monasteriorum ita moderatè Abbates utantur, ut in omni ipsorum suppellectile, aut domo nihil appareat à professione *paupertatis* alienum, vel quod mundi fastum redoleat: & quod reliquum fuerit in Christianam hospitalitatem, & pauperum alimoniam impendant: ut hoc pacto reipsâ ostendant, bona Monasteriorum esse *patrimonium pauperum*, quod sine sacrilegio in usus profanos impendi non potest.

CAPUT VIII.

De Electione & nominatione Superiorum.

1. *Regulæ Monasticæ Monachis dant liberam electionem Abbatis.*
2. *His consonat lex Justiniani.*
3. *Canones etiam hanc electionem Monachis deferunt.*
4. *Jure Decretalium electio spectat ad Monachos.*
5. *In Electione Abbatum servanda forma præscripta in* Cap. QUIA PROPTER ;; *De Elect.*
6. *Quæ forma servanda in Electione Abbatissæ.*
7. *Qui Prælati eligendi juxta formam præscriptam in* Cap. QUIA PROPTER.
8. *Quomodo eligendi Abbates & Abbatissæ temporales.*
9. *An Concilium Tridentinum derogaverit formæ præscriptæ in dicto* Cap QUIA PROPTER.
10. *Decretum Concilii Tridentini super forma electionis.*
11. *Electio censetur secreta, licet Episcopus aliquos deputet ad excipienda vota.*
12. *An publicatio voti post vel ante electionem, reddat electionem nullam ex mente Concilii Tridentini.*
13. *Quibus competat electio vel nominatio Superiorum, petendum etiam est ex Regulis & Constitutionibus singulorum Ordinum.*
14. *In Italia vigore Regulæ Cancellariæ pleræque Abbatiæ sunt Pontifici reservatæ.*
15. *Regula Cancellariæ non concernit nisi Beneficia Regula* perpetua.
16 *In Gallia vi Concordati Rex nominat ad Abbatias virorum.*
17. *Concordatum non comprehendit nisi veros Prælatos, qui habent titulum* perpetuum.
18. *Hinc tituli Abbatiæ* triennales *à nominatione Regia sunt exempta.*
19. *Priores Carthusianorum etiam exempti.*
20. *Similiter & Cælestinorum.*
21. *Ordinis SS. Trinitatis quoque sunt exempti, & quare.*
22. *Videtur separatio mensæ Abbatialis à Conventuali occasionem dedisse nominationi Regis.*
23. *Verba Concordati non comprehendunt Monasteria* Monialium; *usu tamen illa extenditur Concordatum.*
24. *Nominatio Regia non extenditur ad Abbatissas triennales.*
25. *Neque ad Abbatissas Ordinis S. Francisci: & quare.*
26. *In quo disciplina Belgica cum jure Gallicano in hac parte conveniant.*
27. *Principes Belgii Monasteriis sæpius liberam electionem addixerunt.*
28. *Difficultas orta inter Principem & Abbates occasione indulti Leonis X.*

29. *Com-*

29. Compromissum fuit in arbitros.
30. Pendente controversia inita Concordata super forma providendi vacantibus Abbatiis.
31. Quomodo hodie juxta hanc formam in electione & nominatione procedatur.

I. UT Monachi suum eligant Abbatem antiquorum Patrum Regulæ, nec non Ecclesiasticæ ac Civiles Sanctiones jam pridem præscripserunt.

Regula Benedictina *cap.* 64. "In Abbatis ordinatione „illa semper consideretur ratio ut hic constituatur, quem „sibi *omnis concors Congregatio* secundùm timorem Dei, „sive etiam pars, quamvis parva, Congregationis *saniori* „consilio *elegerit*. Vitæ autem meritò & sapientiæ doctri„na eligatur, qui ordinandus est, etiamsi *ultimus* fuerit in „*ordine* Congregationis.

Unum circa citatum locum notandum, vocem *parva* ibidem accipi pro voce *minor*. *Hellenismus* [ait Vir eruditus Hugo Menardus ad Concord. Reg. *c.* 5. §. 1.] *positivus pro comparativo*. Id est *minor*, comparatione ad totam Congregationem eligentium, uti rectè notat & explicat Josephus Mege in Commentario ad *cap.* 64. Regulæ Benedictinæ.

II. Huic legi Benedictinæ planè conformis est sanctio Justiniani Imper. *L.* 47. *Cod. de Episcopis & Clericis*: "Sacris „nostris legibus existimavimus oportere & hanc addi; quæ „ex virtute non autem ex temporalibus Religiosas Abba„tias seu præfecturas tribuit: ita videlicet ut in piis Mo„nasteriis aut asceteriis, non omnimodo mortuo Abbate, „vel Abbatissa, is vel ea, qui vel quæ tempore antiquior „est, aut secundus secundave deinceps eligatur. Consenti„mus enim naturæ, neque omnes similiter bonos, neque „omnes in æquo facienti malos; sed quem utique & vita „optima, & mores honesti & circa pium exercitium con„stantia & *commune reliquorum Monachorum* compli„mentum, ut *maxima* eorum pars idoneum ad hoc pu„taverit, & Sacris Evangeliis propositis *elegerit*, ad præfe„cturam vocari.

III. Electionem Abbatis ab Ecclesia Monachis deferri sat manifestum est ex Canonibus relatis à Gratiano *caus.* 18. q. 2. ubi notat Glossa, quod hæc sit secunda pars quæstionis à Gratiano per 7. Canones probata, quod de *jure communi ad Monachos tantùm spectat electio Abbatum*.

IV. Glossam uno consensu sequuti Canonistæ docent, de jure communi, etiam *Decretalium*, electionem Abbatum spectare ad Monachos illius Monasterii cui Abbas est præficiendus; idem & in Priori Conventuali qui in suo Monasterio est quasi Abbas [uti suprà dictum fuit] & Abbatissis respectu Monialium obtinere asserunt.

V. Quin & in electione Abbatum, qui scilicet verè intitulati, hoc est, *perpetui* sunt, observandam esse formam electionis præscriptam in *Cap.* QUIA PROPTER *ss. De Elect.* communiter asserunt; & latè probat Fagnanus ad eum Capitulum.

VI. Eamdem formam servari quoque volunt in electione Abbatissarum, hoc *uno* excepto, quod electio Abbatissæ debet fieri à *duabus* Collegii *partibus*, nullâ habitâ collatione zeli ad zelum, nec meriti ad meritum juxta *Cap.* INDEMNITATIBUS §. SANE *De Elect. in* VI. quæ collatio quamvis per dictum *Cap.* QUIA PROPTER requiri videatur; eò quòd requiratur major & *sanior* pars, hodie tamen in desuetudinem abiit; solentque in electionibus *vota numerari, non ponderari*, nisi ob aliquod Canonicum impedimentum alicujus votum nullari queat.

VII. Hæc forma electionis in dicto Capitulo QUIA PROPTER, generaliter servāda est in electione ad omnes dignitates tam Regulares, quàm Sæculares, per quas earum possessiones constituuntur, ac dicuntur *Sponsi* Ecclesiæ, & per quorum obitum Ecclesia dicitur *viduata*: quales reputantur inter Regulares, Abbates & Abbatissæ; item Priores & Priorissæ Conventuales, eas dignitates in titulum *perpetuum* & ad vitam obtinentes: uti notat Fagnanus ad dictum Capitulum. De forma hujus electionis agemus infra parte 2. ubi de electione ad dignitates tractabimus.

VIII. Abbates verò & Abbatissæ *temporales* aliique Officiales Monasteriorum titulum perpetuum non habentes, non reputantur *Sponsi* Ecclesiæ, nec per ipsorum mortem Ecclesia dicitur *viduata*; "ideoq; [ait Fagnanus] in eorum „electione non sunt necessariæ formæ hic [in Capitulo „QUIA PROPTER] præfinitæ, sed sufficiunt singulares „consensus Capitularium, dummodo præstentur in com„muni, & omnibus collegialiter congregatis, & electio „fiat à majori & saniore parte Capituli. Hæc ille.

IX. Ostendit quoq; ibidem Fagnanus, Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *c.* 6. *de Regularib.* præscribens formam in electione Regularium observandā, non derogari constitutioni Cōcilii Lateranensis, de qua in sæp. uscitato *Cap.* QUIA PROPTER; sed hanc etiamnū hodie observari debere in electione Abbatum *perpetuum & intitulatorum*; formam verò à Concilio Trident. præscriptam in electione aliorum Superiorum Regulariū: quod etiā insinuasse videtur Concilium, ad vocem *Abbatum* addendo vocem *temporalium*.

X. Vult ergo Concilium, *Sess.* 25. *de Regular. c.* 6. "In ele„ctione Superiorum quorumcumque, Abbatum *tempora„lium* & aliorum officialium, ac Generalium & Abbatissa„rum, atq; aliarum Præpositarum, quo omnia rectè & sine „ulla fraude fiat.... omnes supradictos eligi debere per vo„ta *secreta*: ita ut singulorum eligentium nomina *numquā* „*publicentur*. Nec in posterum liceat, Provinciales, aut Ab„bates, Priores aut alios quoscumq; titulares ad effectum „electionis faciendæ, constituere, aut voces & suffragia ab„sentium supplere. Si verò contra hujus Decreti Constitu„tionem aliquis electus fuerit, electio irrita sit: & is qui ad „hunc effectum se in Provincialem, Abbatem aut Priorē „creari permiserit, deinceps ad omnia officia in Religione „obtinenda, inhabilis existit: facultatesq; super his conces„sæ eo ipso abrogatæ censeantur, & si in posterum aliæ „concedantur, tamquam subreptitiæ habeantur.

XI. Reputatur electio *secreta* ad mentem Concilii, licet Episcopus aut Capitulum designaverit aliquos, qui omniū eligentiū vota secreto exciperent, modo postea omnia singulorum eligentium non publicentur: atq; ita censuit Sacra Congregatio, quod in electione Abbatissarum, de qua in *c.* 6. Concilii Tridentini, possit Episcopus cum suo Vicario vel Secretario, vel alio ab ipso assumpto vota singularum Monialium *oretenus* expressa audire; apud Graciam de Benef. *parte* 5. *c.* 4. *n.* 190. & huic resolutioni praxis hodierna conformis est. Solet enim Episcopi Archipresbyteros aliosve Commissarios deputare, qui in electione Superiorum excipiant Monialium suffragia; eaque in scriptum redacta *secretò* Episcopo mittuntur, qui iis visis & computatis, electionem publicat & confirmat, nulla facta votorum publicatione.

XII. Quinimo si aliquis eligentium vel ante electionem diceret quem esset electurus; vel post electionem factam publicaret quem elegisset non propterea electio desineret esse *secreta* & valida, uti à S. Congregatione resolutum esse refert Garcias loco citato *n.* 196. quia alias in potestate particularium esset, electionem Canonicam sibi non placentum irritare.

Sed neque publicationem votorum factam post electionem ac confirmationem ritè peractam, electionem irritare rectè notat Zypæus *Tit. de electione n.* 8. "Quamquam „enim, ait, id sit adversus intentionem Concilii, in verbis; „*nunquam publicentur*? tamen extra causam finalem est „illius Decreti in verbis: *Quo omnia rectè & sine ulla frau*„*de fiant*. Is finis cum electione ritè factā confirmatāque „obtentus sit, eam quæ ex post facto accidunt, infectam „seu nullam reddere nequeunt.

XIII. Hactenus dicta de jure Conventus in electione Abbatum & Abbatissarum ac aliorum Superiorum procedunt *jure communi*; à quo per speciales Constitutiones & consuetudines in aliquibus Ordinibus nonnihil recessum est; dum electionem seu designationem transtulerunt ad Generalem Ordinis, vel ad Provincialem cum suis Diffinitoribus seu assistentibus, uti videri potest esse ex singulorum ordinum usu, & particularibus Constitutionibus.

XIV. Adhæc in Italia Abbatum & Priorum *perpetuorum* & in-

& *intitulatorum* electio hodie ferè cessat, postquam per *regulam 2. Cancellariæ* Pontifex sibi reservat *omnia Monasteria virorum valorem annuum ducentorum florenorum auri communi æstimatione excedentia, nunc quomodocumque vacantia, & imposterum vacatura.*

XV. Hanc regulam non comprehendere Monasteria, quæ ex indulto Apostolico sunt *manualia*, notat Ascanius Tamburinus de Jure Abbatum *tom. 1. disp. 5. q. 2.* Neq; de illis Pontifex providere solet; Unde cum Abbatissæ in Italia passim sint *triennales* ex constitutione Gregorii XIII. non consuevit Pontifex de Monasteriis Monialium providere.

XVI. In Gallia vigore Concordatorum vacantibus Monasteriis & Prioratibus *verè electivis*, videlicet in quorum electionibus forma Capituli QUIA PROPTER servari, & confirmationes electionum hujusmodi solemniter peti consueverunt, Conventus ad electionem seu postulationẽ Abbatis seu Prioris procedere non possunt; sed Rex, illorũ occurrente vacatione, Religiosum ejusdẽ Ordinis in ætate 23. annorum ad minus constitutum infra sex menses à die vacationis Sedi Apostolicæ nominat; ut per Sedem Apostolicã Monasterio vacanti de persona nominata provideatur.

XVII. Cum autem Concordatum tantum loquatur de Monasteriis *verè electivis*, in quorum electionibus servatur forma *Cap.* QUIA PROPTER, & quorum confirmationes solemniter peti consueverunt, deducitur, Concordatum non comprehendere nisi *Abbates* & *Priores* qui sunt veri *Prælati*, id est, juxta Rebuffum, quorum obitu Ecclesia est *viduata* Pastore, de quibus suprà "Unde si probetur, ait, „quod Prior habet alium supra se, non dicitur Ecclesia *vi-* „*duata*: ergo in illo non habebit locum dictum *Cap.* QUIA „PROPTER, nec consequenter Concordatum.

Adhæc, uti suprà notatum est, Abbates & Priores non censentur *Sponsi* Ecclesiæ, per quorum obitum Ecclesia *viduata* dicitur, nisi in *titulum* eumque *perpetuum* dentur; unde etiam Concordatum intelligendum esse, post Rebuffum tradit Coppinus *lib. 1. Monast. tit. 1. n. 5.* "cum civili mode- „ratione de *perpetuis* justis; perpetui Sacerdotiis, non de „*temporariis* Ecclesiæ dignitatibus, quæ *vivo* abrogari „possint aliquando, ex statuta Ordinis regula ac disciplina.

XVIII. Hoc titulo à Regia nominatione quædam Monasteria Ordinis Benedictini exempta sunt, "quod *triennii* „lege teneantur sacræ ejusmodi potestates, nec ultra *triennium* vulgò producantur.

Similiter ibidem testante Choppino, *Gulielmitæ* seu *Albi Mantelli* Priorem sibi eligunt, eo quod in Ordine Priores sint *triennales*.

XIX. Regia insuper ad sacrosanctas Potestates nominatio non procedit in Carthusiensi ejusq; Primatu Conventûs Monastici, ait Choppinus. "Nam etsi is Primatus purè de- „mandetur Cœnobitæ, nec præfinitum in tempus: abrogari „tamen huic ex causa potest à summo Ordinis Præsule, post „inspecta lustrataq; regionatim ejusdẽ familiæ Cœnobia. „Singulorum adhæc Conventuum Præfecti ita decernunt „statuuntque de profanis Monasterii reditibus annuis, ut „nihil *proprium*, sed *communem* in usum omnia referant: „quorum etiam Proventuum ratiocinia quotannis medio „in cœtu sacrorum sodalium excutiuntur, dispunguntur.

XX. In Ordine Cælestinorum, "qui Conventibus singulis „præficiuntur, haud nominantur à Principe, quasi *Priores* „*Conventuales* juxta cit. §. *Monasteriis* in Concordatis [ait „Choppinus ibidem *nu. 7.*] sed legitimis suffragiis desig- „nantur à Monastico Provinciali Magistratu." Rationem illius subjicit: "hi sacro sodalitio præsunt *nuda* temporarii „officii auctoritate verius, quàm *Beneficii* Ecclesiastici: nec „*privatim* suos faciunt fructus Monasticorum prædiorum.

XXI. Ex hisce non obscurum est, Choppinum haud dubitasse, eos solos Prioratus, sive Abbatias Regiæ nominationi subjacere, qui instar *Beneficii* Ecclesiastici possidentur; & vi quorum ipsi Priores partem proventuum quasi sibi *propriam* administrant ac dispensant. Unde probans Ministros Ordinis SS. Trinitatis vulgo *de redemptione captivorũ* esse à Regia nominatione exemptos, inter alia adducit dicti Ordinis regulam qua præcipitur: "Omnes res undecumq; li- „citè veniant in tres partes dividantur æquales: & in quan- „tum duæ partes sufficiunt, exequantur ex illis opera mi- „sericordiæ, cum sui ipsorum, & eis necessario famulan- „tium moderata sustentatione: tertia verò pars reservetur „ad redemptionem captivorum, qui sunt incarcerati pro „fide Christi à Paganis, vel dato pretio rationabili pro re- „demptione ipsorum, vel pro redemptione Paganorum „captivorum: ut postea rationabili commutatione redi- „matur Christianus pro pagano.

Deinde his relatis subjicit: "Unde elicias, Cœnobii cu- „jusque Magistrum seu Ministrum potius vulgò dictum, „omnia habere cum Sodalitio communia, nec fructuarii „instar *Beneficiarii* profanos templi reditus privatim di- „spensare." Quasi diceret, non mirum si ministri hi nomi- „nationi Regiæ non subjacent, cum *non instar Beneficia-* „*rii* proventus dispensent.

XXII. Quare credendum est, quod separatio mensæ Abbatialis à Conventuali occasionem dederit non tantùm introducendis Commendis; sed etiam *nominationi* Regiæ: dum per hanc divisionem, Abbates facti sunt quasi *Beneficiarii*, & Abbatiæ & Prioratus transierunt in Dignitates & Beneficia quibus annexum esset jus percipiendi certos proventus: quamquam jam introductâ nominatione, etiam extensa fuerit ad Abbatias quæ hanc divisionem non fecerunt: uti & in Commendis contigit.

XXIII. Monialium Monasteria Concordato non comprehendi post Rebuffum notat Choppinus *n. 11.* Quapropter vi Concordati, Regiæ nominationi nulla Monialium Monasteria subjacent, uti etiam in contradictorio judicio per Senatum Regium aliquando judicatũ esse refert Choppinus; qui tamen observat, sensim nominationem Regiam ad Abbatias Monialium esse extensam, Regemque personas Monasterio præficiendas Pontifici nominasse, quamvis ipsi Pontifices ægrè ejusmodi nominationem admittere noluerint. "Ideo vidi [inquit Rebuffus ad Concordata *pag. 559. edit. Parif. 1664.*] quasdam nominationes per „Regem factas, in quibus dicebat Papa, providemus tali „N. dummodo Monialium majoris & sanioris partis con- „sensus intervenerit." Quin & postquam nominatio Regia invaluit, adhuc tamen, teste Choppino, in litteris provisioni à Pontifice additur hæc clausula: *Dummodo consensus majoris partis Monialium accedat.*

XXIV. Ulterius sicuti Regis nominatio vigore Concordati non respicit Abbates aut Priores *temporales*; ita nec Concordati extensio postea facta ad Monasteria Monialium comprehendit Abbatissas, aut Priorissas *temporales* quemadmodum observat Rebuffus.

XXV. Adhæc, usum illum Regiæ nominationis ad Virginum Monasterii "benignè interpretati sunt judices [ait Choppinus *l. 1. Monast. tit. 1. nu. 11.*] ex animo sensuq; „Principis non habere locum in mulieribus Franciscanæ „sectæ Monasteriis. Quanquam enim horum Magistræ ti- „tulo decorantur Abbatum fœminarum, communibusq; „nunc fruuntur possessionibus, parando victui idoneis: „haud propterea utiq; à Franciscanis Constitutionibus de- „scivere, quæ singulis propriũ quidvis abnuerint rerũ pro- „fanarum. Nil quippe Monastica Antistes particulare sibi „sumit ex cõmuni fundorum Ecclesiæ proventu ac reditu: „verum annui & ordinarii illorum fructus communem in „mensam conventus haud dubiè inferuntur & insumuntur.

Hic rursum videmus, Choppinum exemptionem horum Monasteriorum à Regia nominatione in hoc refundere, quod nulla in Ordinis istius Monasteriis *mensæ Abbatialis* à Conventuali fuit nota *divisio*.

XXVI. In Belgio, quoad Monasteria Regiæ nominationi non obnoxia, praxis ac usus congruit cum usu Regni Gallicani non autem per omnia quoad Monasteria seu virorum seu mulierum Regiæ nominationi obnoxia.

XXVII. Prælatis enim sive Abbatibus Brabantiæ multoties à Principibus libera electio juxta sanctiones Canonicas & Ordinum Constitutiones, eorumque privilegia addicta fuit.

XXVIII. Porro circa initium præteriti sæculi Carolus V. à Leone

Digitized by Google

à Leone X. obtinuit indultum, ut in his Ditionibus Belgicis nullus ad Dignitates Abbatiales aut quorumcumq; Monasteriorum, etiam per Priores aut Præpositos regi & gubernari solitorum, regimina per Pontificem aut Sedem Apostolicam, seu ejus Legatos & Nuntios præfici; nec illis de quorumcumq; personis quovis modo provideri possit: nisi, ait Pontifex, habitis prius per Nos, aut Sedem Apostolicam, intentionem & consensum, tuis de personis ad hujusmodi dignitates & regimina promovendi. Ita est expressum in Bulla prout habetur parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib. 1. tit. 7. cap. 2.* & in citata Cronologia Parcensi; at credo legi debere: *intentione & consensu tuis*; ut sit sensus: *Nisi habitis prius per Nos aut Sedem Apostolicam intentione & consensu tuis*, de personis.

Vigore hujus Bullæ cum instinctu quorumdã suorum ministrorum vellet Carolus, neglectâ Religiosorum liberâ electione nominare personas sibi *gratas* ad dignitates Abbatiales; unanimiter Abbates & Abbatissæ, Præpositi ac Priores Conventuales se opposuerunt; allegantes tum vi suarum fundationum, tum titulo variorum privilegiorum, ac immemorialis consuetudinis, Religiosis competere liberam electionem suorum respectivè Abbatum, Abbatissarum, Præpositorum, & Priorum; neq; huic juri electionis per Bullam ullatenus esse derogatum; imo Bullam in corroborationem ac præservationem istius juris in favorem Monasteriorum à Carolo fuisse sollicitatam & impetratam: quemadmodum hæc omnia latius deducuntur in Compromisso, quo de consensu Caroli & Abbatum & aliorum hæc difficultas quibusdam arbitris commissa fuit 12. Feb. 1521. Habetur *parte* 4. Edictorum Brabantiæ *lib. 4. tit. 1. cap. 6.*

Verùm cum quæstio hæc ob varias difficultates per arbitros non decideretur, tandem sub Philippo II. Caroli immediato successore inita est Concordia super modo Monasteriis vacantibus de Abbatibus providendi, quæ saltem, *provisionaliter* quousq; quæstio principalis coram arbitris indecisa pendentes terminaretur, observari deberet. Cum autem quæstio nec hactenus decisa fuerit, is modus providendi *provisionalis* quasi in absolutum transiit, atq; hodie juxta illum proceditur. Impressa est hæc Concordia in dicta parte 4. Edictorum loco citato. *cap.* 12.

XXIX. In hac concordia promittit Princeps, quòd, si quando aliquam Abbatiarum vacare contigerit, mittet aliquos Commissarios, duos nimirum ex Abbatibus Brabantiæ ejusdem Ordinis quatenus reperiantur, & quos judicaverit magis idoneos, aut alterius Ordinis illis deficientibus, unà cum aliquo alio tertio Commissario [qui hodie esse solet Cancellarius Concilii Brabantiæ] qui Commissarii super idoneitate & qualitate Religiosorum ejusdem Monasterii diligenter inquirant, ac informationem suam Principi cum suo *adviso* [id est *judicio* remittant, ac deinde eum ait Princeps, quem maximè idoneum inveniemus, si quis modo idoneus reperiatur, desumemus, habitâ ratione tam advisi eorum Commissariorum, quàm vitæ conservationis & idoneitatis electorum, idque ex depositionibus eligentium, ex quibus constabit, quis ex electis in spiritualibus sit magis idoneus: " Et casu quo [pergit Princeps] aliquod canonicum seu legitimum obstiterit impedimentum contra hujusmodi electos seu, ut præfertur, per Religiosos designatos, curabimus novam informationem capi, tam super ejusdem Monasterii quàm aliorum ejusdem Ordinis in Brabantia successivè Religiosis, ad finem ut ex designatis desumamus seu approbemus, quem reperiemus magis idoneum.

XXX. Itaque juxta normam hujus concordiæ, qua hodie utimur, Religiosi coram Commissariis Regis aliquos in Abbatem eligunt, sive proponunt idq; ordine illo quo ad Prælaturam digniores credunt; atq; tres ex illis pluralitate suffragiorum electos, solent Commissarii suo adjecto super designatorum capacitate & meritis judicio Principi proponere; è quibus Princeps unum designat, qui Religiosis Capitulariter congregatis per Episcopum vel alium Superiorem auctoritatem confirmandi seu installandi habentem proponitur; atque ab ipsis per quamdam imaginem seu speciem electionis in Abbatem recipitur.

XXXI. Eadem forma servari solet in designatione & electione Abbatissarum; sustinentque, Principem vi prædictæ concordiæ non posse nominare nisi unam ex electis & propositis à Monialibus.

C A P U T IX.

De Confirmatione & Benedictione Abbatum.

1. *Abbates electi vel nominati debent à Superiore confirmari.*
2. *Abbates à suo Episcopo confirmandi nisi sint exempti.*
3. *Interdum Abbates & Superiores electi una censentur confirmati.*
4. *A quo confirmatio postulanda juxta Concordata Germaniæ.*
5. *In Gallia Abbates à Rege in vim Concordati nominati tenentur à Sede Apostolica confirmationem habere.*
6. *In Belgio aliquando quæstio suborta fuit circa Abbates à Rege nominatos.*
7. *Usu obtinuit, ut Abbates in Belgio confirmentur juxtà jus commune & Ordinum particularia privilegia.*
8. *Quomodo Abbatum confirmatio & provisio expediatur juxta stylum Curiæ Romanæ.*
9. *Ex taxa Cameræ Apostolicæ constat, Abbatias Belgicas plerasque esse* consistoriales
10. *Abbates in vim provisionis Apostolicæ possessionem non accipiunt sine placito Regio.*
11. *Solemnis Benedictionis Abbatialis nulla in Regulis Monasticis mentio.*
12. *Verisimiliter una cum Pontificalium usu invaluit.*
13. *Benedictio* solemnis *non facit Abbatem.*
14. *Etiam hodie sine illa benedictione potest esse verus Abbas.*
15. *Ante benedictionem vocatur simpliciter Abbas.*
16. *A quo benedicendus Abbas.*
17. *Ritus in multis convenit cum ritu consecrationis Episcopalis*
18. *Promittit fidelem rerum Monasterii dispensationem.*
19. *Traditur ei Regula ad regendum Monasterium.*
20. *Abbatissæ etiam solemniter benedicuntur, & regere Monasterium juxta Regulam promittunt.*
21. *Abbatissæ spirituale & temporale regimen Monasterii committitur.*

I. Abbates aliosque Monasteriorum Superiores, qui vel per electionem Conventûs, vel per nominationem Regiam constituuntur, necessariò à Superiore confirmandos esse, priusquam se administrationi immisceant, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.* QUALITER *ii De Electione.*

II. Jure communi Abbates *non exempti*, postquam à suo Conventu fuerint electi, ab Episcopo Diœcesano, cui *immediatè* subjiciuntur, confirmandi sunt; uti communiter tradunt Canonistæ ad *Cap.* STATUIMUS *ii De Suppl. neglig. Prælat.* Exempti verò confirmationem petere debent à Pontifice; quando scilicet exempti *immediatè* sunt Papæ subjecti: " Secus autem [ait Ascanius Tamburinus „ De Jure Abbatum *tomo 1. disp. 6. quæst. 2. num. 2.*] si „ Abbas habet alium Prælatum *medium* cui subsit, prout „ Abbates & Prælati locales habentes Abbatem & Præsi„ dentem *Generalem* vel *Provincialem* à quo confirmentur.

III. Deinde Abbates & Prælati locales qui non per electionem *Conventuum* eliguntur, sed à Generali cum definitorio constituuntur, non indigent confirmatione, ut rectè ibidem *n.* 4. monet Tamburinus: " Quia quando ad eum„ dem spectat electio & confirmatio eodem jure, tunc eo „ ipso, quod eligit, etiam confirmare censetur.

Hinc in Italia Abbates *perpetui*, qui à Pontifice *consistorialiter* designantur, nullâ aliâ indigent confirmatione.

IV. Concordata Germaniæ concedunt, quod in Monasteriis *immediatè* subjectis Sedi Apostolicæ fiant canonicæ e„ lectiones, quæ ad *dictam Sedem deferantur*, " quas etiam „ ait Nicolaus V. ad tempus constitutionis, felicis recorda„ tionis Nicolai Papæ III. quæ incipit *Cupientes*, exspecta„ bimus, & elapso dicto termino, si non præsentatæ, vel si „ præsentatæ minus canonicæ fuerint, providebimus, & si „ canonicæ fuerint, *confirmabimus*.... Et in Monasteriis „ dictæ Sedi *immediatè non subjectis* & aliis regularibus beneficiis,

„ neficiis, super quibus pro *confirmatione*, vel provisione „ ad dictam Sedem non consuevit haberi recursus, electi, „ seu illi, quibus providendum est, pro *confirmatione* & „ provisione hujusmodi ad curiam Romanam venire non tenebantur.

V. In Gallia vigore Concordatorum Rex nominat personas ad Monasteria vacantia Sedi Apostolicæ; ut ab hac Sede *provisionem* accipiant;quæ provisio pro confirmatione reputatur. Quare quoad Abbatias & Prioratus Regiæ nominationi subjectos, *confirmationes* seu provisiones à Sede Apostolica peti & obtineri debent.

VI. In Belgio aliquando quæstio fuisse legitur,num Abbates per Regem designati à Sede Apostolica *confirmationem* sive provisionem obtinere tenerentur: eò quod in Indulto Caroli V. Philippi II. & Alberti Archiducis, & nominando ad primarias Ecclesiarum dignitates habeatur, *quod sic nominati à Sede Apostolica obtinebunt confirmationem*;sed quoad primas dignitates sæculares post Episcopales quoad hoc punctus indultum non est receptum: nec enim ullus à Rege ad hujusmodi dignitatem nominatus confirmationem à Sede Apostolica petit.Quoad Abbatias verò,Principes hoc indulto uti non videntur,sed jure quo prius potiebantur; ut nimirum Monasteriis quidem sua maneat Canonica electio,hoc tamen temperamento,ut eligant quem Princeps, prius factâ inquisitione juxta supra citata Concordata, sibi *gratum* & maximè idoneum designaverit.

VII. Unde moribus Belgii,Abbatum confirmatio peti, & obtineri consuevit juxta jus commune, & particulares cujusque Ordinis Constitutiones & privilegia.Paucissima autem,eaque à jurisdictione Ordinariorum *exempta* Ordinis *Benedictini* Monasteria à Sede Apostolica provisionem seu *confirmationem* petere consueverunt.

VIII. Provisio Abbatiarum excedentium valorem annuũ ducentorum florenorum *auri* deCamera expeditus consistorialiter, sive in Consistorio Cardinalium,idque præviâ informatione ac propositione quæ in Cathedralium Ecclesiarum provisione servari consuevit: uti expresse declaravit Gregorius XIV. in sua Constitutione, quæ incipit: *Onus Apostolica*, de qua supra *tit.* 14. *cap.* 5. actum fuit;ubi & ritus informationis latius descriptus fuit.

IX. Ex taxa autem Abbatiarum & Monasteriorum,quã exhibet Ascanius Tamburinus ad calcem tomi primi De Jure Abbatum,*ad exemplar libri Sacri Collegii,& reverendissima Camera Apostolica*, patet, Abbatias Belgii omnes futuras *Consistoriales*, si earum provisio Romæ peteretur: taxa enim illarum ibidem notata, multùm excedit valorem annuum *ducentorum* florenorum auri de Camera.

X. Circa Abbatias,quarum provisio à Sede Apostolica habenda est,notandum,quod licet Pontifex in Consistorio det provisionem, nequaquam tamen in vim istius provisionis, possessionem Abbatiæ aut ejus administrationem accipere queat provisus, ante expeditionem Bullarum; & priusquam placetum Regium hisce in partibus accesserit, quemadmodum in provisione Cathedralium Ecclesiarum obtinere supra *tit.* 14. *cap.* 5. ostensum est.

XI. De solemni,quæ hodie in usu est,Abbatum benedictione nihil in Regulis Monasticis,aut antiquis historiis, aut Ecclesiasticis monumentis occurrit.

Meminit quidem Canon 14. Synodi VII. Abbatũ,qui ab Episcopo *manus impositionem* acceperunt;sed uti bene notant ad dictum Canonem Balsemon,Zonoras aliiq; Græci Commentatores,tantum sermo est de impositione manûs, quâ Abbas in Presbyterum ab Episcopo fuit ordinatus.Unde errat Glossa dum ad *Can.* 1. *dist.* 69. apud Gratianum *hanc manus impositionẽ* pro *benedictione Abbatiali* accipit.

XII. Admodum verisimile est,solemnem illam Abbatũ benedictionem,quæ ad Episcopalem consecrationem non parum accedit invaluisse,quando Abbates cum ornamentis Pontificalibus ad ipsam quodam̃odo Pontificalẽ sive Episcopalem eminentiam,ac dignitatem ascendere cœperunt.

XIII. Quidquid sit,illud certum est,benedictionem illam *solemnem* non constituere aut efficere Abbatem; nec ita necessariam esse hanc benedictionem in Abbate,uti est consecratio in Episcopo. Unde sæculo 11. scripsit S. Ivo Carnotensis; *Promotionem Abbatis non facit Episcopalis Benedictio, sed Fratrum communis electio.*

XIV. Adhæc Alexander III. in *Cap.* 1. ꝟ *De Suppl. negl. Prælat.* concessit Cisterciensibus, ut " si Episcopus *tertiò* „ cum humilitate, ac devotione, sicut convenit,requisitus, „ Abbates *benedicere* renuerit, liceat Abbatibus proprios „ Monachos benedicere, & alia quæ ad hoc officium per- „ tinent,exercere." Ex quo conficitur,benedictionem nul- „ latenus esse Abbati constituendo necessariam.

Quin nec hodie Abbates *triennales* benedicuntur (ait Tamburinus De Jure Abbatum *tom.* 1. *disp.* 11. *quæst.* 3) & tamen gaudent prærogativis,quibus benedicti.

XV. Notantque ulteriùs Canonistæ,electum & confirmatum, tametsi *necdum benedictum*, vocari simpliciter *Abbatem* in citato *cap.* 1. & *cap.* 13. ꝟ *De Accusationibus*; idemque de stylo Cancellariæ Romanæ servari scribit Oldradus *consil.* 14. subdens,Abbatis beneficia vacare post adeptam possessionem *ante benedictionem*.

XVI Benedictionem de jure communi Abbates accipere debent à proprio Episcopo, uti notatur in citato *cap.* 1.

Martinum. V. Abbati S. Pancratii de Florentina Congregationis Vallis Umbrosæ; & Eugenium IV. Congregationi Cælestinorum concessisse privilegium,ut à quocunque maluerint Antistite gratiam & communionem Sedis Apost. habente benedictionem accipiant, refert Tamburinus loco citato *quæst.* 10.

Et teste Choppino *lib.* 2. *Monast. tit.* 1. *nu.* 7. per Bullam Innocentii VIII. Cistercienses habent privilegium speciale pro Abbate capite Ordinis, ut possit novis Abbatibus & Abbatissis sui Ordinis sacræ benedictionis munus impendere, *citra Episcopi* auctoritatem,editâ Bullâ an. 1384.

Deinde hoc privilegium extendit Clemens VIII. per Bullam 4. Julii 1599. concedendo Abbati Capiti Ordinis Cisterciensis, constituendi ac delegandi Abbates Commissarios per Provincias cum potestate benedicendi novos Abbates & Abbatissas sui Ordinis: quo privilegio etiamnum hodie utitur in Belgio Ordo Cisterciensis.

XVII. Ritus hodiernus benedicendi Abbates, penè per omnia coincidit cum ritu consecrationis Episcopalis,refertur que in Pontificali Romano, in quo hæc duo notanda occurrunt.

XVIII. Primò quod inter articulos examinis hic recensetur: *Vis res Monasterii tibi commissi fideliter custodire, & in usus Ecclesia, Fratrum, Pauperum & Peregrinorum distribuere?* Respondet Benedicendus: *Volo.*

XIX. Secundò ubi Episcopo consecrando traditur liber Evangeliorum, Abbati traditur Regula sui Ordinis his verbis *Accipe Regulam à Sanctis Patribus traditam, ad regendum custodiendumque gregem tibi à Deo creditum, quantum Deus ipse te confortaverit, & fragilitas humana permiserit.*

XX. Abbatissæ etiam solemniter benedici consueverunt ritu in Pontificali descripto, in quo inter cætera hæc notanda sunt.

Primum quod Prælatus benedicens tradat electæ Abbatissæ Regulam dicens: " Accipe Regulam à Sanctis Patri- „ bus traditam, ad *regendum custodiendumque gregem* tibi „ à Deo commissum,quantum Deus ipse te confortaverit, „ & fragilitas humana permiserit. Accipe gregis Domini „ *maternam* providentiam,& *animarum procurationem*;& „ per divinæ legis incedendo præcepta, sis ei Dux ac cæle- „ stis hæreditatis pascua.

XXI. Deinde absoluta benedictione Prælatus eam intronizat, dicens: " Accipe *plenam & liberam* potestatem „ regendi hoc Monasterium, & omnia quæ ad illius regi- „ men *interius & exterius*, spiritualiter & temporaliter „ pertinere noscuntur.

Ex his videmus, Abbatissæ regimen non tantum exterius & temporale, sed & interius ac spirituale; quin & *procurationem animarum* committi.

CAPUT X.

Quis Ordo & ætas in Superioribus regularibus requiratur?

1. *Abbates olim non erant Presbyteri.*
2. *Hanc disciplinam supponit Conventus Aquisgranensis sæculi IX.*
3. *Non refragatur huic disciplinæ Regula benedictina.*
4. *Gratianus censuit ex Regula benedictina Abbates debere esse Presbyteros.*
5. *A mente regulæ aberravit Gratianus.*
6. *Alius Gratiani Error.*
7. *Ad disciplinam sui temporis respexisse videtur Gratianus.*
8. *Jure Decretalium Abbates tenentur ad Presbyteratum promoveri.*
9. *Idem est de Priore Conventuali.*
10. *Hodie cura Animarum requirit Sacerdotium; & quare.*
11. *Jure communi requiritur ætas 25 annorum in Abbate & Priore*
12. *Per concordatum Gallicanum recessum est ab hoc jure communi.*
13. *Qua ratione in Gallia Abbates compellantur ad suscipiendum Presbyteratum.*
14. *Quæ ætas juri communi in Abbatissa & Priorissa requiratur*
15. *Concilium Trid. requirit annum 40. completum.*
16. *Quid Concilium Trid. velit dum in Monasterio non reperitur, quæ has qualitates habet.*
17. *Quandonam ex alio Monasterio eligi possit vel debeat.*
18. *In electione Superiorum magis ad merita quam ad ætatem attendendum.*

I. OLim non omnes Abbates Presbyteros fuisse ex antiquis Monachorum Regulis & vitis sat manifestum est; unde jam pridem sine ulla hæsitatione Rupertus Abbas *Lib. 2. in Regulam Benedictinam cap.* 10. postquam locutus esset de disciplina requirente in Abbate Presbyteratum ait: *Olim non ita erat, multi Abbates erant, qui sacros Ordines non habebant.*

Ad quæ aliaque reflectens Hugo Menardus in appendice 3. *ad caput* 23. *Concordiæ Regularum*, ait: "Quare quorundam Recentiorum opinioni suffragari non possum, „qui dicunt Abbatem teneri ad Sacerdotium ex Regulæ „S. Benedicti instituto.

Deinde refert plura exempla Abbatum qui nunquam Presbyteri fuerunt; atque inter alia S. Eugendi qui nunquam ad hunc ordinem promoveri voluit: "& cum de hoc „ordine suscipiendo sollicitaretur, dixit, utilius multò esse Abbati propter *juniorum ambitionem* liberum à Sacer„dotio præesse fratribus.

II. Hanc pristinam disciplinam non obscurè supponit Conventus generalis Abbatum anno 817. Aquisgrani coram Ludovico Pio habitus ad reformationem Monachorum, ubi *cap.* 62. dicitur: "Ut Abbas, Præpositus, vel Decanus, quamvis *Presbyteri non sint*, Lectoribus benedicti„onem tribuant.

III. Neque his refragatur, quod ex Regula S. Benedicti, Abbas animas regendas suscipiat; atque ita *curam animarum* habeat; quæ videtur Sacerdotium supponere; ita ut communiter tradant Canonistæ, Beneficium curã animarum annexam habens exigere in Beneficiato, ut saltem ad Sacerdotium intra tempus à jure definitum promoveatur. Verum *regimen animarum*, de quo S. Benedictus, comprehendebat quidem omnem auctoritatem & jurisdictionem in Monachos, statuendi, præcipiendi, corrigendi, puniendique, quantum saluti Monachorum, & disciplinæ Monasticæ congruit; sed Eucharistiæ, pœnitentiæ, aliorumque Sacramentorum administrationem, quæ Ordinem Sacerdotalem exigunt, non complectebatur; quo sensu etiamdum hodie Abbatissis, nec non quibusdam Superioribus laicis, ut apud Cellitas seu Alexianos, cura seu regimen animarũ & spiritualis jurisdictio absque potestate Clavium competere dicitur, uti latè probat Zypæus *Resp.* 10. *De Regularibus*; & quoad Abbatissas, manifestè supponit Pontificale, eis *animarum procurationem* incumbere, ut capite præcedenti notatum est.

IV. Gratianus tamen censuisse videtur, quod ex præscripto S. Benedicti Abbas deberet ad Sacerdotium promoveri; eo quod Abbatis sit egredientibus Fratribus *benedictionem* impartiri; quam non nisi à Sacerdote dari posse credidit Gratianus. Verba ejus sunt, subjecta *Canoni* 39 *cauf.* 16 *q.* 1. "Superiori auctoritate non prohibentur Abbates Sacerdo„tes fieri: cum beatus Benedictus jubeat Abbatem fratri„bus egredientibus, & regredientibus *benedictionem* da„re: quod non nisi *Sacerdotum* est.

V. Verum ut notat Haeftenus in *prolegomeno* 18. §. 11. in vitam S. Benedicti, Gratianus hîc à sensu ac mente Patrum aberraverit, dum credidit *Benedictiones*, de quibus in Regulis Monasticis, non nisi à *Presbyteris* dari potuisse. Nam, uti bene monet Haeftenus, hæ monasticæ observantiæ, uti & benedictiones ministrorum & lectorum mensæ nullam cum Sacerdotali Ordine habent connexionem, nec ab eo dependent. Paternas potius has dixerim, ait Haeftenus, quibus abeuntes vel redeuntes prosequuntur filios.

Plura ibidem ait Haeftenus, quibus etiam ex ipsa Regula Benedictina evincit, *Benedictiones* hujusmodi non fuisse Presbyterales; multisque ostendit, Abbates ex præscripto Regulæ non debuisse esse Presbyteros, atque contrariis argumentis occurrit.

VI. Notat insuper Haeftenus ibidem, Gratianum multum aberrare, ac sibi quasi contradicere, dum eodem loco ait, *Lectionem Evangelii cum subsequente oratione dicere, Sacerdotalis esse officii*: cum ipsemet *Dist.* 25. *Can.* PERLECTIS ex Isidoro scripserit, ad *Diaconum* pertinere *Evangelium prædicare Nam sicut Lectoribus vetus Testamentum, ita Diaconis novum prædicare præceptum.*

VII. Cæterùm Gratianus benedictiones Monasticas, atque lectionem Evangelii asserens esse *officii Sacerdotalis*, forsan ad disciplinam sui temporis reflexit; eo quippe tempore Abbates plerique Presbyteri erant. Imo tum in Synodo Pictaviensi sub finem sæculi 11. decretum erat *Canone* 7. "Ut *Abbates*, Decani & Præpositi, qui Presbyteri non „sunt, *Presbyteri fiant*, aut Prælationes amittant.

VIII. Hic Canon postmodum relatus in Decretales Gregorii IX. in *Cap.* 1. ✠ *De ætate & qualit. Ordinand.* partem juris communis constituit.

Hinc nullus dubitat, quin juxta Juris communis dispositionem atque hodiernam disciplinam, Abbates Regulares & Titulares debeant esse Presbyteri, aut infra annum ad Presbyteratum, quemadmodum alii Dignitatem aut Beneficiũ cum curá animarum annexá possidentes promoveri.

IX. Quod de Abbatibus hic statuitur, idem quoque in *Priore* Conventuali juxta modernam disciplinam ex eadẽ ratione obtinere receptũ est: utpote cui non minùs, quàm Abbati cura animarum imminet; atq; ita beneficiis *curatis* annumeratur: quæ Presbyteratum requirere nullus ambigit.

X. Curam enim animarum hodie involvere potestatem Clavium aliaque à Sacerdotali charactere dependentia, receptũ est; nec illi *propriè curam animarum* juxta modernã phrasim habere censentur, qui vi sui muneris non debent Sacramenta & cætera à Clavibus & Sacerdotio dependentia suis subditis administrare; quamvis alias sano sensu curam animarum habere dici possint; uti suprà est expositum

XI. Ulteriùs, quamvis in Regula Benedictina aut aliis Regulis Monasticis non determinetur *ætas* Abbatũ, aut Priorum Conventualium, hodie tamen ex jure communi, nec Prioratus Conventuales, uti nec Abbatiæ, sunt conferendi aut committendi cuiquam, nisi annum 25. attigerit. *Cle.* 1. §. CÆTERUM *De statu Monach.* quæ est ætas legitima ad Sacerdotiũ. Priore ergo disciplinâ quoad Sacerdotii necessitatẽ in Abbate stabilitâ, consequens erat, & hâc introduci.

XII. Hinc Rebuffus reflectens, quod vi Concordati Rex Galliæ possit ad Abbatiam nominare Regularem in 23. dũtaxat ætatis anno constitutum, non dubitat concedere, non tantum esse derogatum Juri communi quoad ætatem, sed etiam per consequens dispensatum censeri in susceptione Sacerdotii; ut nimirum illud infra annum conformiter ad Jus commune suscipere non teneantur. Ad Concordata titulo *De Regia & Prælat. Nominatione* §. *Monasteria.* Verbo: *viginti trium annorum*; ibidemque addit, quod de Jure communi requireretur, quod Abbas esset Sacerdos: "tamen „hodie, ait, consuetudo se habet in contrariũ.... Sed non est „secun-

„ secundùm Lucam, Abbatiæ fructus devorare, & Deo non „ servire, & non promoveri [ad Sacerdotium]; & tales sunt „ Deo exactam rationem reddituri, sed conscientias eorū „ oneramus.

XIII. Huic abusui obviam itum est Decreto Blesensi *art.* 9. quo cavetur, ut Abbates & Priores Conventuales, qui ætatem legitimam attigerint, teneantur intra annum ad ordinem Presbyteratûs promoveri à tempore provisionis computandum: quod si infra biennium subsequens non fuerint promoti ad illum Ordinem, Beneficia per ipsos obtenta declarabuntur vacantia & impetrabilia; ac insuper cogentur restituere fructus perceptos impendendos in pios usus. Le Prestre *Cent.* 2. *cap.* 78. *in Annotationibus.*

Ibidem quoque in corpore notat, pro obtinendo simplici Prioratu Regulari sive in titulum sive in commendam requiri, ætatem 14. annorum; tametsi nullus Ordo requiratur, sed simplex Tonsura sufficiat; & ita sæpius judicatum fuisse asserit.

XIV. In Abbatissa & Priorissa conventuali jure communi in *c.* INDEMNITATIBUS *De Elect. in* 6. requiritur ætas 30. annorum completorum; neque per concordata Galliæ huic articulo derogatum esse monet Rebuffus loc. cit.; quia concordata non loquuntur de Monialibus.

XV. Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *c.* 7. *De Regularibus* vult, ut "Abbatissa & Priorissa, & quocunque alio „ nomine appelletur, eligatur non minor annis quadra„ginta & quæ octo annis post expressam professionem „ laudabiliter vixerit.

Requiri annum quadragesimum *completum* post Garciā probat Fagnanus *ad cap.* CUM IN CUNCTIS ⁘ *De Elect. n.* 123.

XVI. "Quod si his qualitatibus non reperiatur in eo„ dem Monasterio, pergit Synodus, ex alio ejusdem Ordinis „ eligi possit. Si hoc etiam incommodum Superiori, qui e„ lectioni præest, videatur; ex iis qui in eodem Monasterio „ annum trigesimum excesserint, & quinque saltem annis „ post professionem rectè vixerint, Episcopo, vel alio Su„ periore consentiente, eligatur.

XVII. Refert autem Fagnanus ad *c.* CUM IN CUNCTIS ⁘ *De Elect. n.* 114. quod si reperiatur in Monasterio Monialis quadragenaria cum qualitatibus à Synodo requisitis, tunc non possit eligi ex alio Monasterio etiam ejusdem Ordinis. Si non autem talis in ipso Monasterio reperiatur, tunc etiam poterunt de consensu Episcopi aut Prælati electioni præsidentis eligere aliam quæ *trigesimum* annū excesserit & *quinque* annis saltem post professionem rectè vixerit. Quod si nec talis in proprio Monasterio reperiatur, nec quadragenaria in alio Monasterio ejusdem Ordinis, tunc poterunt ex alio Monasterio ejusdem Ordinis eligere, quæ *trigesimum* ætatis annum expleverit, & ad præscriptum Decreti Tridentini professa sit. Nulla tamen ait, minoris ætatis eligi poterit, sed postulanda à Sede Apostolica; idque ob prohibitionem in citato *Cap. indemnitatibus.*

XVIII. Cæterum in electione Abbatum & Abbatissarum præcipuè ad merita & capacitatem attendendum est, quemadmodum optimè expressit S. Benedictus in Regula, & Justinianus in sua Sanctione; quorum verba capite præcedenti *n.* 2. & 3. relata sunt; neque certa ætas, aut tempus professionis jure positivo præscripta fuerunt, nisi quia credebatur, quod hæc conducerent, ut melius de capaciore provideretur Monasteriis.

TITULUS XXXII.

De Regularium Reformatione & Visitatione.

CAPUT I.

Præcipuæ causæ collapsæ disciplinæ Monasticæ recensentur.

1. *Omnia humana mutabilitati obnoxia.*
2. *Ordines etiam sanctissimè instituti eam senserunt.*
3. *Prima Causa relaxationis* peculiaritas.
4. *Hæc eradicanda est.*
5. *Recessus à paupertate in victu, vestitu, ædificiis, & supellectile disciplinæ Monasticæ exitiales.*
6. *Hic recessus trahit ad Monasteria homines carnales.*
7. *Facit ut in admissione ad Religionem humana multa intercurrant.*
8. *Similis ad Religionem introitus & admissio relaxationi religionis occasionem subministrat.*
9. *Sæcularium hominum ad Monasteria Confluxus Monasticam disciplinam labefactat.*
10. *Omissio orationis Religionis spiritum extinguit.*
11. *Hæcque & alia multa oriri solent ex divitiarum affluentia.*
12. *Ex rerum temporalium nimia abundantia collapsam Monasticam disciplinam plures deplorarunt.*
13. *Rerum temporalium abundantia non omnino repugnat cum perfectione vitæ Monasticæ.*
14. *Est tamen difficile utramque simul componere.*
15. *Quid ad obviandum periculis orituris ex hac abundantia statuerit Ordo Carthusianorum.*
16. *Ordines Mendicantes omnem rerum temporalium possessionem ideo abdicarunt.*
17. *Penuria horum Ordinum ex nimia Fratrum multiplicatione orta, plures relaxationi Causas dedit.*
18. *Prima est negotiorum multiplicitas.*
19. *Secunda, evagatio nimia.*
20. *Tertia affectata amicitia & familiaritas cum divitibus & Magnatibus sæculi.*
21. *Quarta, occupatio jurium Parochialium.*
22. *S. Bonaventura restrictum voluit numerum Fratrum, uti & primi Capucinorum Patres.*
23. *Penuria facit, ut plures non satis probati ad religionem admittantur, quod Monasticæ disciplinæ exitiale est.*
24. *Regularum interpretationes & mitigationes, disciplinæ rigorem relaxandi occasionem dederunt.*
25. *Sæcularium confessiones excipere Ordinum Mendicantium prolapsioni occasionem dare potest.*
26. *Applicatio ad functiones Hierarchicas hisce Ordinibus relaxandi materiam subministrare nata est*

I. ÆTerna lex (ait Lipsius *Lib.* 1. *De Constantia cap* 16.) „ à principio dicta omni huic mundo, nasci, denasci, „ oriri, aboriri: nec quidquam stabile: ut firmum arbiter il„ le rerum esse voluit, præter ipsum." *apud quem*, teste A„ postolo, *non est transmutatio nec vicissitudinis obumbra„ tio.*

II. Hanc rerum humanarum vicissitudinem ac mutabilitatem experti quoque fuere quotquot etiam sanctissimè instituti sunt Monachorum atque Religiosorum Ordines.

Quis nescit, quàm sancta fuerint Ordinum illorum initia, quam bonum per Ecclesiam universam sparserint odorem, quam sanctè Patres illorum, ac etiam horum filii vixerint. Sed nec hoc ignoratur à perfectione & sanctitate sua Ordines illos sensim ad magnam subinde prolapsos fuisse deformitatem; cujus prolapsionis penè tot sunt testimonia, quot de rebus Monasticis sunt Scriptores.

Illi consuli poterunt. Nos hic eorum testimoniis omissis, causas præcipuas collapsionis & defectionis Monasticæ disciplinæ breviter annotabimus; ut qui reformationi Monasteriorum intendere ac invigilare jubentur, causas & radices collapsæ disciplinæ intelligentes, iis tollendis & eradicandis præcipuè incumbant & allaborent.

III. Harum facilè præcipua jam pridem reputata est *peculiaritas*, sive vitium *proprietatis.*

Et quidem S. Gregorius *lib.* 10. *epist.* 22. mandat Episcopo Mariano, ut *peculiaritatem* à 4. aut 5. Monachis, in quibus hactenus corrigi minimè potuit, studiosissimè compescat, & Monasterium à tali *peste* mundare festinet: "Quia, a„ it, si illic peculiaritas à Monachis habetur, neque *concor„ dia*, neque *charitas* in Congregatione eadem poterit permanere.

Si autem *concordia & charitas* à Congregatione Monastica exulet, sane quid exurget nisi confusa Babylon, & vitiorum spelunca.

Unde Dionysius Carthusianus tractatu *De Reform. Claust. art.* 16. dans rationē cur Patres Monachorum proprietatē sive peculiū tam rigorosè prohibuerint, ait: "Considerave„ rūt enim quod ex proprietate seu peculio tanquā ex ve„ neno

„ nenosa radice multa peccata proveniunt, ut puta contumacia, superbia, contentio, partialitas, avaritia, vana gloria, invidia, mendacium, luxuria, occupatio infructuosa, cura superflua, multiplex dissolutio, varia mentis distractio, acedia, negligensque Divini officii persolutio, atque similia.

IV. Pluribus hæc ibidem prosequitur Dionysius, uti videri poterit in Dissertatione mea Canonica *De Peculiaritate parte* 1. *c.* 3. §. 5. ibi plura eam in rem referuntur.

Qui igitur reformationi intendunt ante omnia allaborare debent, ut vitium hoc radicitus evellant, occasionesque peculiaritatis Monachis adimere studeant; juxta ea, quæ tum in citata Dissertatione; tum supra *Tit.* 29. notavimus.

V. Exitialis quoque Monasticæ disciplinæ est recessus à paupertate religiosa in victu, vestitu, supellectile, ædificiorum structuris & ornatu, totoque vitæ genere.

Dum enim semel à paupertate ac simplicitate Monastica in his deflectitur, facilè ad delicias & excessus in cibo & potu, mollitiem in vestibus, sæculi pompam & fastum in supellectile, superfluitatem in ædificiis, & à Christiana hospitalitate ad sæcularia & mundana convivia & epulas devenitur.

Hæc verò ubi semel invaluerint, sensim omnem paupertatis, simplicitatis nec non mortificationis & pœnitentiæ spiritum in Monachis extinguent; ac de spiritualibus carnales & mundanos efficient: quemadmodum de similibus suo tempore dixit S. Bernar. in Apologia ad Guilhelmum Abbatem

VI. Ulterius dum in Monasteriis mensa lautè instructa, ædificia ut Principum penè Palatia, supellex superba habentur; notum est fieri, ut Monasteria hujusmodi non tam ambiant illi, qui rejectis pompis ac deliciis mundi Christo pauperi in paupertate ac humilitate vivere desiderant; quam illi, qui commodè & lautè vivere volunt; ac sub Christo paupere quærunt, quod in sæculo invenire non possunt.

Hinc deinde fit ut plures in similia Monasteria irrepant, „ quos non traxit Divina vocatio ad humilitatem Christi „ [verba sunt Bellarmini *lib.* 2. *c.* 7. *De Gemitu Columbæ*] „ sed carnalis affectus, qui mentem excæcat, duxit illos, „ vel ad vitam commodiorem, cum essent pauperes, vel ad „ honores ambiendos in Religione, cum in sæculo non invenerunt, quâ viâ possent ascendere: vel alio humano „ consilio vestem induerunt, sed mores non mutaverunt.

VII. Quin & ipsa quotidiana experientia docet, quod Monasteria hujusmodi secundum sæculum commoditatibus & apparatibus externis instructa reputent pro non exiguo, etiam juxta mundi æstimationem, beneficio, quod multa sollicitatione & amicorum interpellatione interdum obtinendum est, alicujus ad Religionem admissionem: in tantum, ut non rarò hic humanæ plures considerationes interveniant.

VIII. Hujusmodi autem ad Religionem introitus & admissiones, quid aliud quam ipsius Monasticæ disciplinæ integram ruinam parere possunt.

Senserant malum illud sæculo 9. Monachi Fuldenses, supplicantes idcirco Carolo Magno, ut "nullus ante probationem suscipiatur, neque corpori Monasterii societur: „ ne fortè inquiunt, aliquis propter *commoda terrena* potius quam propter *æterna vita* amorem se sociare voluerit & receptus inhonesto suo more conturbet fratres.

Adhæc dum ita omnia in Monasteriis splendent & abundant; atque à Monastica paupertate, frugalitate & simplicitate receditur, quantus ad Monasteria hominum mundanorum confluxus? qui ipsis Monachis non tantum quietem adimunt, sed suâ visitatione, conversatione & colloquiis spiritum sæculi inspirant, eosque totos sæculares efficiunt; ut de Monachis propterea non rarò verificari queat illud Prophetæ Regii: *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum.*

IX. Quam facile insuper in Monasteriis hisce orationis ac meditationis spiritus extinguatur, probè intelligit, qui novit, quam parum cum abundantia ac deliciis in cibo & potu aliisque corporis oblectamentis hujusmodi spiritus consistat. Spiritu verò orationis semel refrigescente etiam ipsa religio refrigescat necesse est; uti bene & fusè ostendit Joannes De Lezana De Reformatione Regularium *c.* 3. & 4.

X. Hæc aliaque, ut sunt otium, evagandi libertas, rerum temporalium cura, atque de hisce cum hominibus sæcularibus tractandi; imo & lites ac forenses contentiones sustinendi & prosequendi necessitas, Monasticæ disciplinæ adeo exitialia, unde primitus oriri solent, nisi ex ipsa divitiarum & rerum temporalium nimia affluentia? è qua & ipsos Abbates Laicos & Commendatarios progenitos esse supra vidimus.

Hinc jam pridem à multis animadversum est, ipsam divitiarum affluentiam Monasticam disciplinam avitamque pietatem in multis Ordinibus extinxisse.

XI. Quid hac de re dixerit Trithemius supra *Tit.* 29. *c.* 7. *n.* 14. notatum est. Cui adde Arnoldum Abbatem Lubecensem in supplemento Helmoldi *Lib.* 3. *c.* 9." Crevit possessio, & evanuit religio, siquidem ex *temporalium abundantia*, dum cœperunt *carnaliter* vivere, cœperunt etiam „ carnaliter sapere; refrixit charitas, subintravit mundialitas

Quid mollem ac dissolutam Monachorum vitam, luxum & ornatum in vestibus & supellectile, splendidum Prælatorum apparatum, nec non luxum & abusum in templis & ædificiis à S. Bernardo tam acriter exagitatum, in Ordinem Benedictinum invexerat, nisi ipsa rerum temporalium abundantia;

Quid rursus Ordinis Cisterciensis, qui tanquam *vitis fructifera & Vinea Domini Sabbaoth sub primis suis Prioribus pullulaverat, & palmites suos longè latèque producens ad mortifera pellenda circumquaque venena flores protulit*, uti loquitur Alexander III. quid inquam, Ordinis hujus sanctitatem labefactavit, nisi ipsa rerum temporalium affluentia? quemadmodum idem Pontifex deplorat in epistola ad Abbates Cistercienses relata in *c.* 3. *X. De Statu Monach.* & suprà *tit.* 29. *cap.* 3. *num* 14. exhibita.

XII. Ex his nequaquam tamen concludendum, divitias multarumque rerum temporalium abundantiam nullatenus cum integritate disciplinæ Monasticæ, ipsoque spiritu Religionis posse consistere.

"Certè multas opes olim possedit Ordo S. Benedicti in „ quibusdam Monasteriis (uti notat Mabillonius in præfa- „ tione ad primam partem sæculi IV. Benedictinorum *n.* „ 143) sed iis rectè usi sunt, ait, Majores nostri. In Cœnobio „ Cluniacensi unâ die septemdecim millia pauperum congrua stipe donati sunt, ut legitur apud Udalricum *lib.* 3. „ Consuetud. Cluniacensium. *cap.* 12.

Nostra quoque ætas conspicit Monasteria in magnâ rerum temporalium copiâ, summam austeritatem & paupertatem cum summa in pauperes effusione & Christiana hospitalitate conjunctam, servantia; atque per totam Europam vitæ Monasticæ perfectionis odorem spargentia.

XIII. Negari tamen nequit, quin summæ difficultatis, magnæque perfectionis sit, inter divitias, eam tenere moderationem, ut à paupertate & simplicitate Monastica non devietur, easque omnes supra memoratas collapsionis & dissolutionis causas totaliter evitare.

Unde qui reformandæ Monasticæ disciplinæ intendunt, nequaquam abundantiam divitiarum desiderare debent; & si adsit, multum ac præcipuè satagere, quomodo dissolutionum rivulos ex hac abundantia divitiarum tanquam ex infecto fonte emanantes occludere vel exsiccare queant.

XIV. Hoc expenderunt primi Ordinis Carthusiensis Fundatores de quibus refert Robertus Montensis in supplemento Sigeberti ad *ann.* 1133."Carthusienses præ cæteris continentes, pesti avaritiæ, quâ plurimos sub religionis habitu laborare videmus, terminos posuerunt, dum certum „ numerum hominum (id est, colonorum seu feudatariorum) animalium, possessionum, quem eis prætergredi „ nullo modo liceat, statuerunt." Et de eisdem Jacobus à Vitriaco in hist. occid. *lib.* 2. *cap.* 18." Habent autem certum animalium numerum & certas metas possessionum quibus *mediocriter austeram* vitam valeant sustentare.

XV. Similiter S. Franciscus aliique Ordinum Mendicantium Patres videntes ex ipsa rerum temporalium possessione præcipuè Monasticæ disciplinæ relaxationem & dissolutionem promanasse, omnem rerum temporalium possessionem non tantum in particulari, sed etiam in communi, suis inter-

interdixerunt, uti supra notatum fuit: ut ita occasiones relaxationis è divitiarum abundantia profluentes in ipsa radice amputarent.

XVII. Verùm ea est rerum humanarum instabilitas, ut nec hi Ordines in ea paupertate fundati diu ipsâ relaxationem & casum evitare potuerint; quin & ipsa paupertas, quam pro firmanda ac fortiter stabilienda disciplina Patres sanctissimè ordinarunt, causas relaxationis subministravit.

Cum enim Ordines illi sensim multiplicarentur, modusque certus & moderatus in recipiendis Fratribus non servaretur, eorum paupertas, & necessariorum defectus, & quæ hinc consequuntur molestiæ, eos ad conquirenda vitæ subsidia etiam cum relaxatione disciplinæ quodammodo coëgit.

XVIII. Hinc "illa (quam Ordine primam inter causas „collapsionis Ordinis sui exprimit S. Bonaventura in *epist.* „2. ad Provinciales sui Ordinis) negotiorum *multiplicitas*, „qua pecunia [ait ipse Doctor] nostri Ordinis paupertati „super omnia inimica avidè petitur, incautè recipitur, & „incautius contrectatur.

XIX. Ex eadem multiplicatione Fratrum, & exinde proveniente mediorum temporalium penuria, profluebat quoque "evagatio plurimorum qui propter solatium suo„rum corporum (ait Doctor Seraphicus) gravando eos, per „quos transeunt, non exempla post se relinquunt, sed „scandala potius animarum.

XX. Inde ulterius cum divitibus ac Magnatibus hujus seculi familiaritas nimia: adeo ut vix 30. annis ab ipso FF. Minorum & Prædicatorum exortu de quibusdam eorundẽ Ordinũ scribat Matthæus Parisiensis Monachus Benedictinus, ad an. 1235." Erant enim Magnatum consiliatores & „Nuntii, etiam domini Papæ Secretarii, nimis in hoc gra„tiam sibi secularem comparantes. Testaturque idem auctor, Pontificem iisdem fratribus torvo vultu dixisse: "quid „est hoc, Fratres? quo prorumpitis? Nonne professi estis „paupertatem spontaneam, ut Discalceati & inglorii peragrantes vicos & castella & loca remotiora, prout opus Dei „exigit, Verbum Dei humiliter seminetur? Præsumitis jam „invitis dominis feudorum mansiones vobis usurpare? „Jam videtur in magna sui parte Religio vestra expirare.

XXI. Ulterius paupertatis ac necessitatis sublevandæ prætextu in Ordinem paulatim invecta est, uti ibidem deplorat Bonaventura, sepulturarum & testamentorum avida quædam invasio, non sine magna turbatione Cleri & maximè Sacerdotum. Sic in alia ad eosdem Provinciales epistola scribit: Sed & Sepulturarum ac testamentorum litigiosa & avida quædam invasio cum exclusione illorum, ad quos animarũ cura spectare dignoscitur non modicum nos Clero toti fecit exosos, sicut experientiâ docente percepimus.

XXII. Has similesque dissolutiones Ordinum Mendicantium causas & occasiones, quidni Fratrum nimiæ multiplicationi, & ex ea profluenti necessariorum defectui adscribamus; ut propterea S. Bonaventura in citata epistola his abusibus remedia adhibere volens, inter alia ordinis sui Provincialibus præcipit: *Restringatis receptionem multitudinis: quia modis omnibus volo, quod constitutio de receptione strictè servetur.*

Quare in illa reformatione Fratrum Minorum, quæ Ordini Capucinorum originem dedit, in primis illius Constitutionibus hæc habentur: "Statuimus ut Conventus fami„liæ *septimum* vel *octavum* Fratrum numerum non exce„dant præterquam in magnis Civitatibus, ubi decem vel „duodecim circiter Fratres commodè habitare poterunt. „In reliquis urbibus aut oppidis non amplius quam septẽ „vel octo Fratres commorentur: ob id potissimum ut per„fectius & sine impedimento, Regula ac *sancta paupertas* „observentur. Ea siquidem erat S. Patris Francisci volun„tas, ut in chronico Ordinis habetur; ut *pauci* duntaxat „Fratres in locis degerent.

XXIII. Præterea temporalium rerum penuria, nec non Ordinem multiplicandi studium, fecit, ut plures haud sat probati & exercitati ad Ordinem reciperentur; uti ex multis contra præcipitatam ac indiscretam admissionem Ordinum illorum, nec non Pontificum Decretis, variis temporibus editis cognoscitur, quæ supra *tit.* 25. *c.* 2. *num.* 16. notata sunt. Præcipuè verò præcipitanter, & sine sufficienti examine admittebantur à quibus tẽporalia suis Monasteriis obventura sperabant; ut hoc pacto suæ inopiæ consulerẽt.

Quod notavit S. Bonaventura. Scribens enim quod Simonia committeretur à recipientibus ad Ordinem, "si perso„nam recipiant *amore pecuniæ*, ita quod si possent illam „pecuniam habere sine persona illa, non reciperent per„sonã; sed ut habeant pecuniam, personam recipiunt, subjicit:" Et hoc plerique faciunt etiam ex *mera inopia*, optan„tes aliquem venire cum pecunia quem reciperent, ut eo„rum inopia repararetur, vel debita contracta. De talibus „dicit Ecclesiasticus: *propter inopiam multi deliquerunt,*" Hæc Bonaventura in Apolog. *quæst.* 18.

Hi porrò haud sat probati, & ex humana aliqua consideratione facilius quam oportebat admissi, rigorem regulæ non ferentes, eam per subtiles interpretationes mitigare studebant.

XXIV. Hisce interpretationibus, quæ omnes ad rigorẽ regulæ mitigantium tendebant, accesserunt mitigationes & privilegia successu temporis à Sede Apostolica importunè sæpius impetrata, quibus à Regulæ ipsius rigore sensim recedebatur, uti videre est in *c.* EXIIT *De V.S. in* VI. Clem. EXIVI; in Extravag. Joannis XXII. *Quorumdam.* & QUIA NONNUNQUAM eodem titulo; in quibus de difficultatibus & mitigationibus Regulæ Franciscanæ agitur, qualia & super aliorum Ordinum Regulis Romanorum Pontificum Bullæ & Brevia extant in Bullario Romano.

Regulæ suæ ac Ordinis collapsionem ex illa glossarum & interpretationum inventione prævidens Franciscus, in suo testamento omnibus suis Fratribus Clericis & laicis præcepit per obedientiam, "ut non mittant *glossas* in Regu„la, neque in istis verbis, dicendo, ita voluit intelligi: sed si„cut Dominus dedit mihi simpliciter, ait, & purè dicere, & „scribere regulam & ista verba, ita purè & simpliciter si„ne glossa intelligatis, & cum sancta operatione observe„tis usque in finem.

XXV. Allegatis prolapsionis causis, non immeritò tanquam non minima accensenda est, seculariũ utriusq; sexus confessionum exceptio; cui functioni Fratres nonnunquã nõ satis in virtute ac vita religiosa exercitati & solidati præfecti, dum ipsi á peccatorum sordibus alios purgare volunt nonnunquam contingit, ut plus ipsi inficiantur, quàm pœnitentes ipsorum operâ expurgentur. Quare in Ordinum Constitutionibus nihil adeò sollicitè inculcatur, quã ut non nisi admodum probati & ætate jam provecti ad seculariũ, præsertim mulierum confessiones excipiendas admittãtur.

Imo ut hoc à Fratribus periculum averterent, primi Ordinis Capucinorum Patres, à Gregorio XIV. impetrarunt Bullam, qua omnibus Ordinibus Fratribus quacunque dignitate vel auctoritate suffultis interdictum fuit seculariũ quorumcunque etiam Clericorum confessiones excipere; prout refertur in Bulla Clementis VIII. quæ incipit, *Alias* 82. in Bull. R. qua dictam Gregorii XIV. constitutionem nonnihil mitigat & moderatur, nimirum, "ut Minister ge„neralis ejusdem Congregationis Capucinorum & diffini„tores in capitulo generali congregati, & in eodem capi„tulo tantum, quibusvis ejusdem Congregationis religio„sis ad confessiones audiendas approbatis, prout ipsis Mi„nistro generali & diffinitoribus videbitur, licentiam au„diendi secularium utriusque sexus confessiones usque ad „novi capituli generalis celebrationem, & non ultra, & sic „de capitulo generali in capitulum generale concedere „respectivè possint & valeant.

XXVI. Adhæc quis nescit, quàm multas hæc Hierarchicarum functionum occupatio hisce Mendicantium Ordinum Religiosis subministraverit cum secularibus & mundanis hominibus conversandi occasiones, ipsius Religionis sævissimas pestes.

Quot hic non habentur evagandi & egrediendi occasiones & prætextus, imo & necessitates, quæ tamen sine dispendio vitæ religiosæ rarò contingunt.

"Religiosum & honestum Monachum (ait S. Thomas à

Villa-

„ Villa-Nova *Serm. 2. in Dominica 1. Quadrag.*) sub charitatis prætextu, ad pacem inter fratres componendum, ad „ solatium infirmis exhibendum, & alia pietatis opera ex- „ ercenda extra Cœnobium ducit Satan: ut sic per plateas „ vagantem, libidine inficiat; curiositate sauciet; ambitione „ inflet; curis secularibus disturbet, & à devotionis fervore „ distrahendo tepefaciat & infrigidet.

Quàm solliciti fuerint Monachorum Patres ne facilè è Conventu Fratres egrederentur; quotque præcautionibus usi sint, ostendimus supra. *tit. 27. c. 4.*

Singulari sanè titulo Religiosis congruit illud Augustini *lib. 19. De Civitate Dei Cap. 19.*" Otium sanctum quærit „ caritas veritatis; negotium justum suscipit necessitas ca- „ ritatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ „ atque intuendæ vacandum est veritati: si autem imponi- „ tur, suscipienda est propter caritatis necessitatem.

Interim expendant hi quibus reformandi & corrigendi cura & auctoritas credita est, qua ratione hisce relaxationis causis & occasionibus pro tempore & loco occurrere aut mederi possint; ipsamque religionem collapsam ad pristinam perfectionem reducere (qui est unicus reformationis scopus, ut infra videbitur) vel integram conservare, & contra prolapsionis pericula munire queant.

CAPUT II.

Ad quos reformandi auctoritas pertineat?

1. *Olim Episcopi & Abbates reformationi Monasteriorum intendebant.*
2. *Præcipua penes Episcopos erat auctoritas.*
3. *Juxta hodiernam disciplinam prima correctio Monachorum est penes Abbates, & his negligentibus penes Episcopos.*
4. *Episcopus solus procedere non potest, sed assumptis Religiosis ejusdem Ordinis.*
5. *Abbates Commendatarii non habent auctoritatem reformandi disciplinam Regularem.*
6. *Statuta circa disciplinam Regularem fieri possunt sine interventione Abbatis Commendatarii secus circa temporalia.*
7. *Sæpius ad effectum reformationis necessaria est Principum auctoritas.*
8. *Auctoritate Ludovici Pii multa pro reformatione Monasticæ disciplinæ facta.*
9. *Principes olim mittebant suos legatos ad inspiciendum statum Monasteriorum.*
10. *Parlamentum Regium aliquando compellit Episcopum ut nominet Consiliarium Regium, qui reformationi præsit.*
11. *Senatus quomodo nominet subinde personas pro reformandis Monasteriis.*
12. *A Senatu Regio Superiori Regulari mandatum ut ad reformationem procedat, adjuncto Consiliario Regio.*
13. *Episcopis aliisque Reformatoribus adjunguntur interdum à Senatu Regio præter Consiliarios certæ personæ Regulares.*
14. *Aliquando injunctum fuit Episcopis ut Consiliariis aut aliis personis reformandi curam darent.*
15. *Quando Superior non est Regnicola injungitur ut committat Vicarios.*
16. *Non minor hodie, quàm olim in hac re Principum auctoritas; & Synodus Trid. curam Principum hac in parte excitat.*
17. *Reformationis executio non suspenditur per appellationes.*
18. *Generales Ordines in Regno non residentes sine licentia Regis ad reformandum non admittuntur.*
19. *Delegatus ad reformandum non potest alium subdelegare.*

I. SI pristinam Monasticam vivendi normam attendamus, reformationem Monasteriorum tum penes Episcopos, tum Abbates fuisse; atque hos illosque indifferenter Ordinum ac Monasteriorum reformationi intendisse constabit.

Et quidem seculo IX. Episcopos Abbatesque reformandis Monasteriis; atque ad pristinam disciplinam reducendis in ipsis etiam Synodis intentos legimus.

In Concilio Moguntino anno 813. in secunda Turma consedisse dicuntur" Abbates ac probati Monachi Regu- „ lam S. Benedicti legentes, atque tractantes diligenter; „ qualiter Monachorum vitam in meliorem statum atque „ augmentum cum Dei gratia perducere potuissent.

II. Quæ autem post discussionem Regulæ reperta sunt pro observantia disciplinæ Monasticæ opportuna, Synodi, quæ præcipuè ex Episcopis constabat, auctoritate decreta fuerunt.

Similli auctoritate usi fuère Episcopi in Conciliis sub idem tempus coactis, non dubitantes, quin præcipua reformandi Monasteria auctoritas sibi competeret, juxta illud Concilii Arelatensis apud Gratianum *caus. 18. q. 2. Can. 17.* " Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum pertine- „ ant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.

III. At inspectâ disciplinâ in Decretalibus Gregorii IX. expressâ, Abbatibus ac Ordinum Regularium Moderatoribus prima reformandi ac corrigendi Monachos cura & auctoritas incumbere videtur; uti colligitur ex *Cap.* QUANTO ꝫ. *De officio Ordinarii*; ubi dicitur, tum demum correctionem Monachorum delinquentium circa disciplinam & regulam Monasticam pertinere ad Episcopum; si ipsi Prælati sive Abbates post factam ab Episcopo monitionē neglexerint: quod hîc notat Glossographus dicens:" Nota „ quod *correctio* Regularium *primò* pertinet ad *Prælatos* „ ipsorum, & si Prælati sunt negligentes tunc Episcopi eos „ corrigant secundum quod hic dicitur.

Sicuti Monachorum correctio, Abbatibus aliisve Prælatis negligentibus, ad Episcopum spectat, ita & reformatio Regularum saltem quoad non exemptos.

IV. "Hoc autem Episcopus potest, ait Rebuffus, vocatis „ aliquibus Abbatibus & Religiosis reformatis; sed non so- „ lus, ut fuit dictum in Senatu contra Episcopum Carno- „ tensem, qui *solus* processerat contra Religiosos S. Patris „ anno 1526. die 13. mensis Decembris." Hæc ille in commentario ad concordata *pag. 557.* Verbo: *Reformatis*; edit. 1664.

Imo in negotio reformationis assumendos esse Religiosos ejusdem Ordinis, & eamdem Regulam professos, cujus sunt Monasteria reformanda, docet Panormitanus ad *Cap.* EA QUÆ ꝫ. *De Statu Monach.* atque ita judicatum fuisse 9. Martii anno 1473. refert Fevretius *Lib. 3. de Abusu cap. 4.*

V. Porro sicuti Abbates commendatarii in his, quæ disciplinam Monasticam ac observantias Regulares concernunt, nullam planè habent auctoritatem nisi fuerint cardinales, uti supra *Tit. 31. Cap. 7.* notatum est; sed tota illorū directio est penes Priores claustrales, ita quoque reformatio Monasteriorum, quantum ad disciplinam modumque vivendi, ad solos Superiores Regulares pertinet exclusis commendatariis.

VI. Unde cum anno 1581. quædam Abbatiæ certa statuta pro stabilienda suorum Monasteriorum reformatione edidissent sub hoc titulo: *Statuta & reformationes Congregationis Benedictinorum exemptorum, & Abbatiarum trium Provinciarum Senonensis, Turonensis & Bituricensis à Sancta Sede dependentium*, interjectâ appellatione tanquā *ab abusu* per quosdā Abbates commendatarios ad Supremum Regis Parlamentum à quibusdam dictorum statutorum articulis: dictum fuit per arrestum 30. Octob. 1583. rectè statutū fuisse quoad ea, quæ concernunt statum spiritualem Religiosorum Regulam & disciplinam Monasticā quoad verò concernentia temporalia Monasterii malè, abusivè & nulliter fuisse statutum; idque rectè, ait Fevretius; quia ad statuendum aut ordinandum quidpiam circa temporalia, consensus Abbatū commendatariorum requiritur

VII. Porrò frequenter contingit, ut Episcoporum & Prælatorum reformandi studium & labor sint sine fructu, ni Principes manum adjutricem addant.

Quod sciens piissimus Imperator Ludovicus cognomento *Pius* in diplomate de Ordine in Monasterio S. Dionysii ejus auctoritate per Episcopos restituto ita loquitur:" Qua- „ propter sæpissimè Sacerdotes Domini, quorum id officiū „ esse noveramus, admonere curavimus, ac nostram prin- „ cipalem autoritatem *adjutricem* ad eorum ministerium „ juxta voluntatem Dei exequendū promptè exhibuimus: „ ut quidquid in Ordinibus Ecclesiasticis, vel in quacunque „ persona emendatione dignum invenirent, pastorali au- „ ctoritate, postpositâ qualibet corporis negligentiâ vel „ personarum acceptione, incunctanter corrigere, & ad „ statum rectitudinis perducere decertarent. *Tom. 7. Concil.* „ *Gal. 1674.*

VIII. De hoc Ludovico inter alia refert Amoinus de Gestis Regum Francorum *lib.* 5. *cap.* 9." Itidemque constituit „Deo amabilis Imperator Benedictum Abbatem, & cum eo „strenuæ Monachos per omnia vitæ, qui per omnia Monachorum euntes redeuntesque Monasteria, uniformem „traderent cunctis Monasteriis (tam viris quam Sanctimonialibus fœminis) vivendi secundum Regulam S. Benedicti incommutabilem morem.

Eodem pietatis zelo" anno quarto sui imperii idem Imperator, Aquisgrani in Palatio cum pluribus Monachis „conventum faciens (ait Leo Ostiensis Monachus Benedictinus in Chronico Cassinensi *lib.* 1. *cap.* 16.) utilissima „nostri Ordinis observationi septuaginta duo generalia „Capitula constituit" Deinde subjicit de his Capitulis dictus auctor:" Quæ omnia apud nos perinde ferè ac Regula „S. Benedicti observantur.

Extant hæc Capitula apud Labeum tom. 7 Conciliorum *ad annum* 817. & apud Haeftenum ad calcem Disquisitionum Monasticarum eruditis notis illustrata.

IX. Ulterius ad promovendam Monasteriorum reformationem mittebant Imperatores suos Legatos, quos *Missos* dicebant, qui Monasteria adirent; quæque esset Monachorum vita & conversatio diligenter inspicerent: quemadmodum in Capitularibus Regum Francorum videmus, atque capitulare quintum anni 806. *cap.* 4. habet:" Ut prædicti *Missi* per singulas civitates ... diligenter inquirant „de conversatione singulorum, vel quomodo emendatū „habeant, quod jussimus de eorum lectione, & cantu, cæterisque disciplinis & Ecclesiasticæ Regulæ pertinentibus

Hæc Principum auctoritas non minor est hodie quàm olim fuit; nec minus etiam hodie necessaria ut reformatio executionem sortiatur.

X. "Parlamentum in hoc Franciæ Regno (ait Rebuffus „loco citato) concessit & compellit Episcopum, ut creet „Vicarios generales certos *Consiliarios* clericos, qui faciunt statuta & alia ad *reformationem* pertinentia, ut vidi „sæpius, inquit, servari in hoc Senatu.

XI. Testatur quoque Joannes Tournetius in sua collectione arrestorum *Litt. A. art.* 9. quod incidente quæstione & materia reformationis, Senatus Regius consueverit ad hoc deputare unum è consiliariis suis, vocatis seu adjunctis uno vel duobus ejusdem Ordinis Religiosis, qui subinde per ipsam curiam nominantur; subinde verò eorum electionem ipsi consiliario deputato committit.

XII. Anno 1513. 18. Novemb. evocatus ad curiam Regiam Provincialis PP. Prædicatorum Provinciæ Franciæ cui insinuatis arrestis curiæ super reformatione Prioratûs Pisciaci eidem injunctum fuit ab eadem curia, dictæ reformationi diligentissimè incumbat, eamque absque ulla dissimulatione aut fictione perficiat; quod ni faciat, curia providebit; utque efficacius aut convenientius reformationē exequi valeat, ipsaque reformatio pleniorem sortiatur effectum, curia unum è suis consiliariis adjunxit; qui secum accipiat unum è clericis cameræ computuum, cui exhibeantur computus temporalium ipsius Prioratus. Ita refertur à Pithæo tom. 2. Libert. Eccl. Gallic. *cap.* 34. *art.* 11. Et rursus (ut *art.* 12. dicitur) 20. Decemb. 1520. eidem Provinciali per curiam Regiam mandatum fuit, ut indilatè ad dicti Monasterii reformationem realiter procedat, eamque indilatè perficiat, ac de ejus perfectione curiam informet ante festum Purificationis proximum; utque ad executionem ejusdem reformationis viriliter pergat, ipsasque Religiosas dicti Prioratûs ad ejusdem observationem modo ac formâ in arresto Curiæ expressis compellat; deputans dicta Curia unum è suis Consiliariis, qui eidem reformationi assistat, ac manum adjutricem concedat.

XIII. Item eodem anno 1520. injunctum fuit per arrestum Parlamenti Tholosani Archiepiscopo Tholosano reformare Conventum PP. Augustinianorum dictæ Civitatis Tholosanæ, in eum finem ipsi adjungendo Inquisitorem fidei, Guardianum conventûs Minoritarum extra muros dictæ civitatis, & Priorem carmelitarum ejusdem civitatis deputans idem Parlamentum duos consiliarios, qui ipsi Archiepiscopo ejusve officialibus in facienda reformatione assistant: injungendo Officiatiis & Magistratui Tholosanis porrigendi manum adjutricem pro exequutione reformationis.

Similiter injunctum fuit Priori S. Martini in Campis, ut titulo Vicariatus sibi per Abbatem Cluniacensem dati, procederet ad reformationem Collegii Cluniacensis in civitate Parisiensi, advocatis sibi in consilium Abbate S. Victoris; Priore Cælestinorum, & Vicario S. Germani, conformiter ad arresta antehac data, adjuncto uno Consiliario. Ita per Curiam resolutum 1529.

XIV, Et anno 1532. cum Episcopus Silvanectensis exposuisset, se non esse sufficientem, ut reformationem cujusdam Conventus Ordinis S. Augustini sibi á Curia injunctam perficiat, dictum fuit, ut aliquos ex Consiliariis, Regis suos pro facienda reformatione Vicarios constitueret, qui tum reformationem in ea qualitate præscriptam, auctoritate Regia observari juberent *art.* 20.

Quin interdum injunctum fuit Episcopo, ut aliquibus Religiosis per Curiam designatis committat potestatem reformandi Monasterium in capite & in membris *Art.* 21.

XV. Et anno 1543. curia Regia informata de dissolutione cujusdam conventus PP. Augustinianorum, injunxit Generali Ordinis, ejusve commissario residenti ultra Montes, ut Vicarios suos designet duos ejusdem Ordinis notabiles & reformatos Religiosos, qui secum adjunctis 4. aliorum Ordinum Religiosis in Arresto designatis, aut saltem duobus ex illis, reliquis impeditis, ad integram illius Monasterii reformationē procedant; atque statuant & ordinent, quæ eum in finem necessaria videbuntur; adjunctis pro faciliore executione duobus consiliariis Regiis. Ibidē *art.* 25.

XVI. Plura similia Parlamentorum arresta, ac Regia mandata super reformatione, ejusque forma, nec non executionē & confirmatione reformationis referuntur tum in citato tomo Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 34. tum à Joanne Tournetio loco supra indicato; è quibus patescit, non minorem nunc esse Principum ac Magistratuum curā & auctoritatem circa negotium reformationis, quàm olim fuerit. Quæ Principum cura in reformationis negotio promovendo menti & desiderio Synodi Tridentinæ planè consonat, quæ hortatur Principes, atque in virtute sanctæ obedientiæ præcipit, ut Episcopis & aliis Prælatis in reformationis executione suum auxilium & auctoritatem impendant, quoties requisiti fuerint; *Sess.* 25. *cap. ult. De regulari.*

XVII. Intelligimus quoque ex hactenus indicatis Parlamentorum arrestis, quod juxta hodiernum stylum, ipsa reformatio per appellationem etiam tanquam *ab abusu*, nequaquam suspendatur. Passim enim in Arrestis curiarū in negotio reformationis additur expressa clausula, quod reformatio suum sortietur effectum, *non obstante oppositione aut appellatione quacunque.*

XVIII. Patet insuper, quod Generales Ordinum Romæ residentes, ad reformationem seu visitationem Monasteriorum in Gallia procedere nequeant, nisi de consensu Regis; neque Vicarios, nisi Regnicolas deputare queant, uti videre est *tomo.* 2. Libert. Eccles. Gall. *cap.* 33. ac signanter *art.* 45. & *cap.* 34. *art.* 31. 36. 39. Eadem est & Belgii nostri notoria praxis.

XIX. Notat quoque Tournetius, quod commissarii super reformatione *Reformatores* alios subdelegare nequeant; atque ita ex Joanne Gallo *quæst.* 18. judicatum refert; quod etiam juri communi conforme est: eo quod in hac delegatione præsumatur electa industria personæ; quæ sane nec mediocris in hoc negotio requiritur.

CAPUT III.

De Congregationibus & Capitulis Regularium.

1. *Multis seculis ignota fuit plurium Monasteriorum in unum corpus adunatio.*
2. *Seculo IX. aliqua illius species fuit, sed evanuit.*
3. *Prima Congregatio fuit Cluniacensis, exorta seculo X.*
4. *Quantopere aucta sit hæc Congregatio.*

5. *Mo-*

5. *Monasterio Cluniacensi hujus Congregationis Capiti præest tanquam Abbas Commendatarius Cardinalis Bullonius, cujus auctoritate prodiit Breviarium reformatum Cluniacense.*
6. *Quædam circa hoc Breviarium observata.*
7. *Seculis sequentibus ad exemplum hujus Congregationis, plures instituta sunt.*
8. *Exordium Congregationis Bursfeldensis, cui & Monasteria belgica nonnulla subjecta sunt.*
9. *Hæc Congregatio à reformatione originem sumpsit.*
10. *Describitur origo Congregationis VVindesemensis Canonicorum Regularium.*
11. *Unde nomen acceperit.*
12. *In humilitate & paupertate fundata fuit, & multa Belgica Monasteria complectitur.*
13. *Ordines Mendicantes qua ratione dici queant* Congregationes
14. *Plurium Monasteriorum in unam Congregationem unio servit ad reformationem.*
15. *Ordo Cisterciensis instituit Capitulum* generale.
16. *Capitula generalia ad reformationem sunt opportuna, eaque celebrari voluit Concilium Lateranense.*
17. *Nomine* Priorum, *qui Capitulis intervenire debent, qui intelligantur.*
18. *Decretum Concilii Lateranensis sæpius innovatum.*
19. *Decretum Concilii Tridentini de redigendis Monasteriis in Congregationes.*
20. *In Ordinibus Mendicantibus duplicis generis sunt Capitula* communia.
21. *Quoties hæc Capitula instituenda sunt.*
22. *Præter Capitula generalia habenda etiam Capitula* quotidiana
23. *Hæc Capitula haberi solebant à Canonicis & Monachis post recitatam* Primam.
24. *In his Capitulis legebatur* Martyrologium.
25. *Deinde Versus Pretiosa cum subsequentibus precibus & quare.*
26. *Sequebatur lectio Regulæ quæ hodiernæ lectioni Brevi ad finem Primæ recitari solitæ respondet.*
27. *Versus Pretiosa & sequentia propriè ad Primam non pertinent.*
28. *Regula in Capitulo etiam exponebatur, quod & juri communi conforme est.*
29. *Quomodo se habere debeant Monachi tempore lectionis Regulæ.*
30. *Capitula hæc præcipuè pro defectuum ac abusuum correctione & reformatione habenda.*

I. PEr septem facilè secula ignota fuit plurium Monasteriorū in unam congregationem seu corpus adunatio, quæ unum ac eundem Præfectum sive Abbatem generalem recognoscerent; sed singula Monasteria ab invicem erant omnino discreta ac separata, proprios suos habentia Abbates & Rectores; idque sub eadem, vel sub diversa Regula; nullatenus sibi mutuo aut uni subjecta.

II. Primus seculo nono fuit Benedictus Abbas Anianensis cui Ludovicus Pius plura Monasteria sub Regula S. Benedicti militantia regenda commisit; quibus omnibus ipse loco Abbatis Primarii præesset: atque hic prima plurium Monasteriorum adunationis seu unionis vel congregationis species enituit; sed quæ cito evanuit. Mortuo enim Benedicto Aniano: eadem illa Monasteria, quæ sub ipso tamquam *primario* Abbate aliquousque unita fuerant, rursus translata sunt ad proprios Rectores, qui hanc Benedictinæ congregationis veluti primam idæam violarunt, & ad diversos ritus iterum redacti sunt, uti observat Mabillonius in præfatione ad sæculi quartū Benedictinorum *part. 1. num. 26.*

III. At sæculo decimo fundato per Gulielmum Arverniæ comitem Monasterio cluniacensi in Burgundia, S. Odo, secundus ejusdem Monasterii Abbas, reformationem strenuam Ordinis Benedictini aggressus, plurima Monasteria cluniacensi Monasterio adunavit, ut unum corpus constituerent; atque ritus & disciplinam cluniacensis Monasterii sequerentur; ipsumque cluniacensem Abbatem pro suo *Primario* Abbate recognoscerent.

De hoc Odone scribit Glaber Rodolphus *lib. 3. hist. cap. 5.* „Hic in tantum hujus instituti [Benedictini] propagator „extitit, ut à Beneventana provincia, quæque habebantur „in Italia, & in Gallis usque ad Oceanum mare potiora „Monasteria illius ditioni gratularentur esse subjecta.

Illum à studio reformationis, & Ordinis propagatione mirificè deprædicat Petrus Venerabilis Abbas cluniacensis *lib. 6. epist. 17.* ubi describens miserandam Monasticæ disciplinæ collapsionem tempore Odonis; adeò ut dicat: *In cunctis penè Europæ nostræ finibus de Monacho, præter tonsuram & habitum nihil.*" Instituit ille Divino operi ferè tunc „solus, & Cluniaci prima faciens fundamenta, post hæc ubique Religionis semina. quamdiu advixit, serere non „cessavit.

IV. Reformationem atque Monasteriorum sub Cluniacensi adunationem Odonis successores continuò promoverunt, ac propagarunt, in tantum, ut infinita penè Monasteria sensim huic Congregationi se univerint, & Abbati cluniacensi sub hoc titulo: *Catalogus Abbatiarum, Prioratuum, & Decanorum, mediatè & immediatè Abbatiæ seu Monasterio Cluniacensi subjectorum.* In hac quoque Bibliotheca referuntur Pontificia ac Regia diplomata, quibus hæc congregatio variis temporalibus firmata, ac privilegiis & rebus temporalibus aucta fuit; ac insuper varia Statuta quæ in variis hujus congregationis seu ordinis generalibus conventibus edita fuêre.

V. Hæc prima videtur fuisse sub Regula S. Benedicti instituta congregatio, sive plurium Monasteriorum sub uno Abbate cluniacensi adunatio, quæ hodie dicitur congregatio, vel etiam Ordo cluniacensis; cui modo tanquam Abbas commendatarius præest Emmentissimus cardinalis Bullionius, sub hujus nomine & approbatione anno 1683. prodiit novum & reformatum *Breviarium Monasticum ad usum sacri Ordinis Cluniacensis:* in quo Breviario præcipuè observatum fuit, ut officium Divinum ad Regulam S. Benedicti, & veterem ac probatum Ecclesiæ morem, ac Patrum mentem diceretur.

VI. Atque hinc nonnulla à Breviario Romano ac ritu hodierno, etiam Benedictinorum, diversa occurrunt; ut v. g quod in officio tridui ante Pascha cantetur Psalmus, *Venite* & *Hymnus*, Itē versiculus, *Gloria Patri*, quod tempore Adventus & Quadragesimæ cantetur, *Te Deum laudamus*, quorum hæc sola ratio est, quia illa S. Benedicti Regulæ consona sunt.

Insuper ea Psalmorum servata distributio, ut singulis hebdomadibus omnes recitentur: in quo non tantū mens S. Benedicti servata: sed & pristinus Ecclesiæ mos retentus est; ut hac ratione psalterium Scripturæ Sacræ quasi compendium, clericis & Monachis familiare redderetur; quod ut etiam memoriter scirent, jam pridem Synodus Nicæna II. *Can. 2.* desideravit.

Hoc insuper observatum, ut omnia ferè, tum in Responsoriis, Antiphonis, Versibus, aliisque ex Scriptura Sacra sint desumpta: quod in Ecclesia jam pridem usitatum fuisse sat constat; adeo ut in concilio coloniensi I. *Cap. 6.* hæc legantur:" cum olim à Sanctissimis patribus institutum fuit, ut „*solæ Scripturæ Sacræ* in Ecclesia recitarentur nescimus quā „incuria acciderit, ut in eorum locum successerint alia „cum his neutiquam comparanda. &c.

Cura quoque fuit, ut per annum tota Scriptura legeretur, & si quando Scriptura occurrens in choro legi non posset, legeretur in refectorio.

Denique studium sedulum impensum fuit, ne quid falsi aut de falsitate suspecti in Sanctorum festis adferretur, quod Ecclesiæ menti conforme esse, & divini Officii majestati congruum alibi ostendimus. cætera in compilatione hujus Breviarii observata breviter in præfatione exponūtur.

VII. Post hanc cluniacensem congregationem, plures sub Regula S. Benedicti exortæ sunt congregationes sive Ordines, quorum Monasterium in unum corpus adunata uni *supremo* Moderatori subjiciuntur: ut camaldulensis auctore S. Romualdo; Vallis Umbrosæ auctore S. Joanne Gualberto, cisterciensis à S. Roberto Abbate Molismensi primum institutus, à Stephano ejus successore auctus ac demū à S. Bernardo Abbate clarevallensi miruum in modum propagatus. Post has aliæ plurimæ sequentibus saculis exortæ fuêre; tam sub S. Benedicti, quàm Basilii, Augustini & Francisci Regulis militantes congregationes, quas post Miræum in Originibus Monasticis recenset Ascanius Tamburinus De Jure Abbatum *Tomo. 2. quæst. 24.*

Inter has sub S. Benedicti ac Augustini regula militantes congregationes, duæ sunt admodum famosæ & per Germaniam ac Belgium latè diffusæ nimirum una Benedictinorū, quæ dicitur *Bursfeldensis*, canonicorum Regularium altera dicta *VVindesemensis*,

VIII. Burs-

VIII. Bursfeldensis demum seculo XV. initium sumpsit; nimirū post finitam Synodum Constantiensem anno circiter 1420. à qua Synodo Joannes Rodius Abbas Cœnobii S. Mathiæ apud Treveros visitator generalis per Germaniam constitutus, seipsum in primis ac Monasterium suum reformavit, & Decretorum à se editorum confirmationem à Romano Pontifice impetravit; uti refert Aubertus Miræus in Originibus Monasticis *Lib.* 2. *cap.* 25. originē & progressum hujus Congregationis his verbis exponens" Inter cætera verò Ordinis hujus Monasteria *Bursfeldia*, pauperculum Saxoniæ Cœnobium, Reformationis Decreta primū suscepit anno millesimo quadringentesimo trigesimo septimo & in *Reinhausense*, aliaque vicina aliquot Saxoniæ Monasteria derivavit. Mortuo deinde Joanne Rodio, *Joannes Hagensis*, Abbas Bursfeldensis, qui in Monasteriis aliquot veterem disciplinam jam instaurarat, agente *Jacobo* Trevirensi Archiepiscopo successor illidatus est. Sed cum nollet is pauperculum Bursfeldense suum Cœnobiū relinquere, alius in Rodii locum ut generalis Reformator est suffectus, sed exiguo admodum fructu. Itaque temporibus istis in Germaniam venit *Nicolaus Cusanus*, Cardinalis, & Sedis Apostolicæ Legatus, qui *Joannem Hagensem* pietatis opinione celebrem ad se evocatum generalem Ordinis Reformatorem pronuntiavit. Quo factum est, ut idem Cusanus Conventum seu capitulum, ut vocant annuum pro conservatione Reformationis institueret, Præsidis seu Præfecti domicilium è sancti Matthiæ Trevirensis cœnobio Bursfeldiam transferret omniaque Reformationis decreta à Romano Pontifice curaret approbāda.

IX. Deinde *cap.* 26. catalogum Monasteriorum huic congregationi variis temporibus unitorum subjicit, inter quæ plura è Belgicis sunt; unà notans annum quo singula congregationi accesserunt.

Hic observa, congregationē hanc à reformatione sumpsisse exordium; sive Monasteria reformationē desiderantia in unam congregationem coaluisse. Unde de hac nascente congregatione loquens Trithemius ait: "Hæc est quæ carnem castigat, vitia fugat, abstinentiam colit, pauperes pro posse largiter sustentat. O Sancta Monachorum unio in qua charitas imperat, humilis subjectio obtemperat, obedientia militat, castitas sancta triumphat, oratio vigilat, perseverantia bonorum operum fructificat." Hæc Trithemius De viris illustribus Ord. S. Benedicti *cap.* 12.

X. Seculo 14. fuit in Oppido Daventriæ quidam Gerardus Vulgo *De Groot*. Hic Zelo religionis excitatus, conventum clericorum Daventriæ collegit, inter quos erat Florentius Radivini Daventriæ Episcopi Vicarius, cujus suasionibus," iidem clerici probante Gerardo vitam communem inter se statuerunt, quam postea summa cum laude non modico tempore tenuerunt: quin & considerantes communem vitam esse viam ad eam vitæ perfectionem assequendam, quæ vigebat in primitiva Ecclesia, quæque summopere laudatur in Actis Apostolorum, illud vitæ communis institutum perpetuò tenere sub obedientia ejusdem Domini Florentii, excepta solemni professione Votorum, communi decreto firmaverunt, victum, vestitum, & cætera necessaria labore manuum in communi procurantes.

Hæc ex Joanne Buschio in chronico capituli windesemensis refert Gabriel Pennotus in historia canonicorum Regularium *lib.* 1. *cap.* 63. qui ibidem subdit: cùm autem præfatus vir Venerabilis Gerardus animadverteret, illud vitæ genus, quod sub nullo instituto regulari à Sede Apostolica probato esset fundatum, diu subsistere non posse, maximè quod infensos sibi haberet nonnullos ex Ordinibus Mendicantiū, morti proximus Fratribus suis persuasit, ut Ordinem canonicorum Regularium assumerent: "Quia, inquiebat, non multum à vestra jam devota conversatione videtur discrepare, nisi quod in illo professi servant ex professione & voto, vos sine voto servatis charitatem & tria vota substantialia.

XI. Defuncto Gerardo, Florentius unà cum aliis hujus congregationis Fratribus consiliū ipsius Gerardi de construendo Monasterio & assumendo Ordine canonicorum Regularium sedulò cogitare ac deliberare cœperunt: ac tandem omnibus expensis locum opportunum prope Svvollam, *Windesem* nuncupatum, nacti, ibidem de consensu Episcopi Trajectensis anno 1386. monasterium ædificare cœperunt; quod adjuvantibus collatâ pecuniâ viris piis, anno sequenti absolutum fuit, atque mox in eodem Monasterio sex de Fratribus Daventriensibus sub Gerardo Magno piè institutis, Ordinem & Regulam Canonicorum Regularium professi sunt: atque in summa paupertate ac humilitate vitam Regularem instituentes plura sensim Monasteria ipsis reformationis causâ, unita fuere; atque in unam Congregationē seu Capitulum, quod à loco fundati primi Monasterii, *Windesemense* nuncupatur, coaluerunt.

XII. Unde rectè notavit Pennotus, hujus amplissimæ congregationis exordia humilia quidem fuisse secundum seculum, sed alta secundum Deum, in humilitate, & paupertate profunda, & asperitate fundata.

Catalogum Monasteriorū, quorum plura in Belgio sita sunt, huic congregationi sive capitulo unitorum exhibet Miræus in Originibus canonicorum Regularium. *cap.* 13.

XIII. Ordines Mendicantes aliique post illos instituti, in unū corpus sub uno capite coadunati sunt, & tot dici possunt congregationes seu corpora, quot Ordines; licet & ipsi tamē in plures particulares quasi congregationes seu capitula soleant per Provincias dividi; ita tamen, ut hæ congregationes seu capitula simul in unā generalem congregationem sive capitulū sub uno Generali Ministro conveniant.

XIV. Porrò unio illa Monasteriorum in unum corpus seu congregationem ad disciplinam Monasticam, aut regimen Monasteriorum ritè ordinandum & conservandum, vel collapsum restaurandum maximè conveniens & opportunum apparuit; eo præcipuè titulo, quod frequentius in unum convenientes Monasteriorum Superiores, communi consilio deliberare & communi operâ ac studio allaborare in bonum ipsius Religionis melius & efficacius valeant.

XV. Unde cisterciensis congregatio seu Ordo in sua primigenia constitutione (quæ vulgo dicitur *charta caritatis*) probata ab Eugenio III. in constitutione quæ incipit: *Sacrosancta Romana* 2. in Bull. R. [cui ipsa *charta caritatis* subjicitur] statuit, "ut omnes Abbates de Ordine nostro, singulis annis ad generale capitulum cisterciense omni postpositâ occasione conveniant, illis solis exceptis quos corporis infirmitas retinuerit: qui tamen idoneum nuntium delegare debebunt, per quem necessitas remorationis eorum valeat capitulo nuntiari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes eo termino venient qui eis fuerit in capitulo constitutus. Quod si quis alia quacumque occasione quandoque remanere à nostro generali capitulo præsumpserit, pro culpa veniam petat, nec sine gravi animadversione transeat.

Hujus capituli generalis meminit S. Bernardus *epist.* 18. ad Petrum Abbatem cluniacensem scribens: "Decretum est mihi ultra non egredi Monasterio, nisi ad *Conventum Abbatum* apud cistercium.

Refert Matthæus Parisiensis ad annum 1151." In *Capitulo* cisterciensi statutum est, ne de cætero aliqui novam construerent Abbatiam, quia numerus Abbatiarum illius Ordinis usque ad quingentas excrevit.

Et in *Cap.* NUPER ☧ *De Decimis* fit mentio constitutionis factæ per Abbates Ordinis in *generali Concilio* congregatos, ne de cætero Fratres ipsius Ordinis emant possessiones, de quibus decimæ Ecclesiis debeantur &c.

XVI. Cum verò deprehenderetur, hæc *Capitula* in Ordine cisterciensi instituta, & annuatim celebrari solita, admodū convenientia esse disciplinæ Monasticæ sustinendæ, aut collapsæ rursus restaurandæ, conciliū Lateranense IV. sub Innocentio II. desiderans, disciplinam in multis monasteriis & Ordinibus non parum collapsam restaurari & primævam Regulam reformari, statuit:" Ut in singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium (salvo jure Diœcesanorum Pontificum) *commune* capitulum Abbatum

„batū atque Priorū, Abbates proprios non habentiu, qui „universi conveniant præpeditionem canonicam non ha„bentes apud unum de Monasteriis ad hoc aptum.

Additque deinde concilium:" Hoc ipsum Regulares *Ca„nonicos* secundùm Ordinem suum volumus & præcipi„mus observari.

Et quia cistercienses præ cæteris erant in celebrandis hisce capitulis magis experti, ordinat concilium:" Advo„cent autem in hujusmodi novitatis exordiis duos cister„ciensis Ordinis Abbates ad præstandum sibi consilium & „auxilium opportunum, cum sint in hujusmodi *Capitulis* „celebrandis ex longa consuetudine *plenius* informati.

XVII. Nomine *Priorum* in Decreto concilii Lateranensis, videntur intelligi omnes illi Priores, qui curam animarum in Monasterio sustinent; nec alium in eodem Monasterio Superiorem in regimine immediato Monasterii agnoscunt, quales sunt Priores *Conventuales*; de quibus supra *tit.* 30. *cap.* 5.

XVIII. Hanc concilii Lateranensis constitutionem plures Pontifices ac inter alios Benedictus XII. in constitutionibus pro reformatione Benedictinorum, & canonicorum Regularium; & Clemens V. in *Clem.* NE IN AGRO §. *fin. De Statu Monach.* expresse iñovarunt, & observari mandarunt

XIX. Demum Synodus Tridentina perpendens non obstante prædictâ concilii Lateranensis Ordinatione, ejusque iterata innovatione multa esse Monasteria admodum deformata, & de quorum reformatione nulla spes superesse videretur, quamdiu ab omni congregatione ac capitulo, præsertim si etiam ab Episcoporum jurisdictione & visitatione essent exempta, voluit, ut" Monasteria omnia quæ „generalibus capitulis aut Episcopis non subsunt, nec su„os habent Ordinarios regulares Visitatores, sed sub *im„mediata* Sedis Apostolicæ protectione ac *directione* regi „consueverunt, teneantur infra annum à fine præsentis „concilii, & deinde quolibet triennio sese in congregati„ones redigere, juxta formam constitutionis Innocentii III „in concilio generali, quæ incipit, *In singulis*: ibique certas „regulares personas deputare, quæ de modo & ordine, de „prædictis congregationibus erigendis, ac statutis in eis „exequendis deliberent & statuant: Quod si in his negli„gentes fuerint; liceat Metropolitano, in cujus Provincia „prædicta Monasteria sunt, tanquam Sedis Apostolicæ de„legato, eos pro prædictis causis convocare. Quod si „intra limites unius provinciæ non sit sufficiens talium „Monasteriorum numerus ad erigendam congregationē „possint duarum vel trium provinciarum Monasteriā u„nam facere congregationem." *Seff.* 25 *cap.* 8. *De Reform.*

XX. Hæc capitula sive comitia in Ordinibus Mendicantibus, aliisque recenter institutis sub uno Præfecto *generali*, solent esse duplicis generalis: alia nimirum *generalia*, ad quæ omnium Provinciarum Præfecti & Deputati conveniunt, atque universum Ordinem repræsentant; & in quibus totius Ordinis *generalis* Præfectus eligi consuevit.

Alia verò *Provincialia*, ita nuncupata, quia ad illa conveniunt soli Monasteriorum Præfecti & Deputati, unius Provinciæ. Ordinum enim Mendicantium aliorumque sub eadem forma viventium Monasteria, dividuntur in varias Provincias; atque unicuique Provinciæ, unus præficitur, dictus *Provincialis*, tanquam totius Provinciæ moderator.

In Ordine autem Benedictinorum & canonicorū Regularium, quorum Monasteria ex prima institutione sunt magis à se mutuo distincta, tantum habetur unius generis capitulum *generale*, nimirum omnium Monasteriorum singularum congregationum, in quas tandem Monasteria illa se redegerunt & univerunt.

XXI. Qua forma & ritu hæc concilia sint celebranda, ex singulorum Ordinum Constitutionibus præcipuè peti debet. Hoc unum monet Concilium Lateranense, & novissimè Tridentinum, ut saltem de *triennio in triennium* commune capitulum habeatur; id est, ut ultra triennium non differatur; nequaquam improbans Ordinum illorum constitutiones, aut consuetudines, frequentiorum conciliorū illorum celebrationem præscribentes.

Unde cum dubitatum esset, an ob hoc Decretum concilii Lateranensis & Tridentini aliquid esset immutandum in illis Religionibus vel Congregationibus Monachorum, in quibus Capitula celebrantur *singulis annis*, & Præsides eliguntur *annales*, responsum fuit à S. Congregatione, nihil esse immutandum; imo retinendos esse Præsides *annales*, ne si *triennales* fierent, etiam forsan capitula non amplius singulis annis haberentur, quæ fieri potissimum solent pro electione Præsidis;" & tamen, inquit, quis neget frequentem „Capitulorum Congregationem prodesse ad regularem „disciplinam vel conservandam, vel ubi collapsa est, re„parandam? Apud Fagnanum ad *Cap.* IN SINGULIS ꝰ *De Statu Monach. num.* 12.

XXII. Præter Capitula generalia & provincialia, jam pridem usitata fuisse tam apud Monachos, quam Canonicos in communi viventes Capitula quotidiana tum ex conciliis, tum Monachorum Regulis & Constitutionibus notissimum est, uti ex mox dicendis patebit.

XXIII. Hæc verò Capitula haberi solebant post Primā absolutam, priusquam ad sua opera Fratres diverterent. Unde in Constitutionibus Congregationis sive Capituli Bursfeldensis *Dist.* 1. *Cap.* 4. legitur:" *Omni tempore, Primâ* „regulari finita, itur ad locum capitularem.

XXIV. In hoc Capitulo primò legi consueverat Martyrologium. In Synodo Aquisgranensi anno 817. *Can.* 69. *Ut ad Capitulum primitus Martyrologium legatur*, & Radulphus De Rivo Decanus Tungrensis enumerans quæ suo tempore, id est, sæculo 15. in Capitulo, quod fit post primam legebantur, dicit. *Primò, memoria Sanctorum in recitatione Martyrologii. De canonum observantia propos.* 14.

XXV. Sequebatur deinde, eodem Radulpho teste, versus *Pretiosa* cum capitulo *Sancta Maria*. Quod & citatus canon Aquisgranensis significat, ubi post allegata verba subjungit: *Et dicatur* VERSUS.

Posthæc, uti scribit Radulphus, & ante ipsum Amalarius Fortunatus," quia tunc ad labores diurnos præparari debe„mus, adduntur preces congruentes, dicendo ter, *Deus in* „*Adjutorium*. Deinde ter *Kyrie-eleison*. *Pater noster* cum „versu *Respice*, & oratio *Dirigere*.

XXVI. Tandem sequebatur lectio Regulæ, uti in dicto canone Aquisgranensi præscribitur; & sæculo VIII. Monachi Fuldenses supplicantes Carolo M. ut liceat eis orationū & psalmodiæ modum tenere, quem Patres eorum habuerunt, inter olim usitata referunt: *Manè quando in unum convenimus*, CAPITULUM DE REGULA *coram fratribus legebatur*, *Lib.* 3. *antiq.. Fuld. cap.* 12.

Hæc quotidiana lectio Regulæ non dissonat à mente S. Benedicti, qui *cap.* 64. Regulæ, ait: Hanc autem Regulam „*sæpius* volumus *in Congregatione* legi, ne quis fratrum se „de ignorantia excuset.

Ab hac lectione alicujus *Capituli* ex Regula, postmodum locus ipsius consessûs, *Capitulum* dictus fuit, ut observat Haeftenus *Lib.* 8. *disquis. Monast. tract.* 1. *disq.* 1. unà observans, hanc lectionem Regulæ, respondere *lectioni Brevi*, quæ hodie juxta ritum Breviarii Romani dicitur in fine *Primæ*. Cumque diceretur olim sub finem consessûs, sive post preces alias in Capitulo recitatas, facilè intelligitur, antiquæ illius disciplinæ vestigium esse, quod etiamnum hodie in rubrica Breviarii Romani præscribatur, hanc brevem lectionem dicendam *ad absolutionem capituli*.

XXVII. Obiter quoque hîc observa, multisque probat Haeftenus, lectionem Martyrologii, versum *pretiosa* & reliqua quæ sequuntur in Breviario Romano post orationem Primæ, consuetamque clausulam *Benedicamus Domino*, non esse propriè partem Primæ, sed recenter, capitulis quotidianis, præsertim apud Canonicos abolitis, per modū appendicis adjecta esse, uti etiam testatur Durandus *lib.* 5. *divin. Off. cap.* 5.

XXVIII. Nec tantum legebatur Regula in capitulo, sed ut eam, præcipuè juniores intelligerent, à Superiore erat exponenda.

Unde Clemens V. in *Clem.* NE IN AGRO §. SANE *De Statu Monach.* ait:" Regula quoque cum in capitulo legi„tur ab

„tur ab illo qui præest ipsi capitulo, vel alio cui hoc ipse „injunxerit propter juniores vulgariter exponatur." Idipsum mandat Benedictus XII. in constitutione super reformatione Monachorum S. Benedicti *cap.* 5.

His conformes sunt constitutiones capituli Bursfeldensis quæ præcipiunt." Lector finita lectione Regulæ, præsentet „librum Præsidenti omni tempore. At ille omnibus expe„ditis *exponat* lectionem capituli, si expositione indigerét.

XXIX. Ad hanc autem Regulæ lectionem, pium admodum ac utile exercitium tradit Trithemius in *Exercitat. Monast. tract.* 3. *consid.* 2." Dum lector, ait, passum unum de „more ex regula recitat, devotus Cœnobita in corde dicat „Adjuva me, dulcissime Domine JESU CHRISTE, ut se„cundum hanc normam servi tui *Benedicti* religiosè pos„sim vivere, & in tuo sanctissimo servitio fideliter perma„nere. Deinde cogitet, quoniam, sicuti regula bonis & de„votis ad profectum quotidiè legitur sic tepidis, malis seu „negligentibus, ut sint inexcusabiles, ad damnationis cu„mulum recitatur. Denique noverit se ad fidelem conatū „obligari omnium quæ regula continet, quemadmodum „tenor professionis habet.

XXX. Ultimus isque præcipuus capituli actus est, culparum ac defectuum Monachorum ultronea confessio & agnitio (de qua latè tractat Haeftenus *lib.* 8. *Disq. Monast. tract.* 2.) atque earum correctio & abusuum reformatio.

Incitata Benedicti XII. constitutione *Cap.* 5. postquam dictum esset, quod per quotidianam & ordinariam factionem capituli regularis fortificatur & durat nervus Monasticæ disciplinæ; statutumque, ut quotidie hujusmodi capitulum habeatur subjungitur:" In quo priusquam ad quæ„vis alia procedatur, plenè (secundum regulam Monasti„cam & Ecclesiarum, Monasteriorum conventualium & „aliorum locorum præfatorum consuetudines approba„tas (Monachorum seu Fratrum excessus, transgressiones, „& negligentiæ corrigantur, ac de disciplina & reforma„tione regulari agatur in illo.

Similiter in ejusdem Pontificis Constitutione totius Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini post ordinatū Regulare Capitulum præcipitur §. 7." In quo antequam „ad tractanda alia procedatur, Canonicorum excessus, „transgressiones & negligentiæ corrigantur ac de discipli„na & reformatione regulari tractetur salubriter & aga„tur, nullo ibidem protervè aut clamosè, seu irreverenter „se habere quomodo libet præsumente.

Similia passim in aliorum Ordinum Constitutionibus occurrunt, quæ si sedulò observarentur, appareret. Capitula hæc ad conservandam vel restaurandam Monasticā disciplinam morūque correctionē piè utiliterque esse instituta.

CAPUT IV.

De Visitatione Monasteriorum.

1. *Frequens Visitatio multum ad conservandam disciplinam monasticam conducit.*
2. *Visitatio Monasteriorum pluribus sæculis ad Episcopos pertinuit.*
3. *Etiam sæculo IX. eadem erat Episcoporum auctoritas.*
4. *Exemptio Monasteriorum Visitationi Episcoporum obicem injecit.*
5. *In Capitulis debent designari* Visitatores.
6. *Quandonam Episcopus Monasteria* immediatè *Sedi Apostolicæ subjecta visitare possit.*
7. *Monasteria Commendata etiam* exemptà *quando ab Episcopo visitari possint.*
8. *Exemptio non se extendit ad functiones hierarchicas.*
9. *Monasteria quibus cura Animarum personarum sæcularium imminet, Episcoporum Visitationi subjacent.*
10. *Constitutio Gregorii XV. pro faciliori hujus Decreti executione.*
11. *Beneficia curata Monasteriis* exemptis *unita subjecta Visitationi Episcoporum.*
12. *Confraternitates personarum sæcularium erectæ in Ecclesiis Regularium Episcoporum visitationi subsunt.*
13. *A quibus visitanda Monasteria Monialium.*
14. *In Capitulis generalibus designandi* Visitatores *Regulares.*
15. *Hi Visitatores cumulativè cum Episcopo concurrunt.*
16. *Synodus Lateranensis volens Visitatores designari, etiam de* non exemptis *loquitur.*
17. *Synodus Tridentina non præcipit, omnia Monasteria in Congregationes redigi, & Visitatores Regulares accipere.*
18. *Monasteria Episcopis subjecta possunt in Congregationem redigi, & Visitatores Regulares accipere.*
19. *Monasteria Episcopis subjecta possunt in Congregationem redigi, & habere* Visitatores *Regulares.*
20. *Habere* Visitatores *Regulares non est sufficiens argumentum exemptionis.*
21. *Generales & Provinciales Ordines etiam visitare tenentur.*
22. *Si sint extranei solent petere veniam Principis.*
23. *In Regno Galliæ tenentur constituere Vicarios Regnicolas.*

I. DUo sunt præcipui disciplinæ Monasticæ axes: Capitulorum exacta & crebra celebratio, in quibus Monachorum culpæ & defectus discutiuntur & emendantur & *visitatio* frequens Monasteriorum. *Cap.* IN SINGULIS ✠. *De Statu Monach.*

His duobus axibus in suis primordiis sustentatus fuit Ordo Cisterciensis, si Cæsario *lib. c. De Initiis Cisterciensium* credimus hæc scribenti:" Quid est *Visitatio*? Disciplinæ „conservatio. Duo enim primitivi Patres instituerunt ad „vitiorum correctionem & caritatis conservationem, vi„delicet generale Capitulum, & *singulis annis visitationem* „Monasteriorum.

II. Primis sæculis, quibus incognita erat Monasteriorum vel Monachorum à jurisdictione Episcoporum exemptio, Episcopis visitandi Monasteria suæ Diœcesis, tam virorū, quam mulierum, cura incumbebat.

Hinc illud apud Gratianum ex Synodo Aurelianensi: " Non semel, sed *sæpius* in anno Episcopi *visitent Mona„steria Monachorum*; & si aliquid corrigendum fuerit; corrigatur; *Can.* 29. *caus.* 18. *q.* 2.

Et in Canone præcedenti ex S. Gregorio *lib.* 2. *epist.* 18. refertur." *Visitandi* exhortandique gratiâ ad Monasterium, „*quoties placuerit* ab Antistite civitatis accedatur: sed sic „charitatis officium illic Episcopus impleat, ut gravamen „aliquod Monasterium non incurrat.

III. Quin & sæculo 9. Concilium Tullense jus visitandi Monasteria ipsis Episcopis competere supponit, ubi *Can.* 9. statuit:" Ut congregationes Canonicorum & Monacho„rum ac Sanctimonialium secundùm canonicam Institu„tionem á *propriis Episcopis* strenuè visitentur, & eorum „religio & habitus exquiratur.

IV. At labentibus sæculis exortâ Monasteriorum ac Regularium á jurisdictione Episcoporum exemptione, cœperunt Monasteria exemptionis privilegio munita visitationem Episcoporum rejicere, atque ab ea se exemptos prætendere; utpote quæ superioritatem aliquam & jurisdictionem in visitante respectu visitati requirit.

V. Cumque experientia ostenderet Monasteria ita exempta paulatim defectu debitæ visitationis in summam dissolutionem prolabi, ipsosque Abbates ab omni penè correctione exemptos pro libitu dominari, ac ipsā Monasterii substantiam dilapidare, Concilium Lateranense sub Innocentio III. statuit, ut in Capitulis generalibus, quæ de triennio in triennium celebrari mandat [de quibus capite præcedenti actum est]" ordinentur religiosæ ac circum„spectæ personæ, quæ *singulas* Abbatias ejusdem regni ac „provinciæ, non solùm Monachorum, sed etiam Moniali„um, secundùm formam sibi præfixam, vice Sedis Aposto„licæ studeant *visitare*, corrigentes & reformantes, quæ „correctionis & reformationis officio viderint indigere.

VI. Quod Decretum probans Synodus Tridentina decernit: Quod si Monasteria quæ generalibus Capitulis aut Episcopis non subsunt, nec suos habent ordinarios regulares Visitatores, sed sub immediata Sedis Apostolicæ protectione ac directione regi consueverunt, si nec instante Metropolitano in congregationem se redegerint, neque capitulis generalibus subdiderint, *Episcopis in quorum Diœcesibus sita sunt, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis subdantur. Sess.* 25. *cap.* 8. *De Regul.*

VII. Ulteriùs Synodus Tridentina considerans Episcopis primariò ac quasi naturaliter ipsam Monasteriorum curā, atque ex ea resultantem visitandi auctoritatē incumbere, decernit

decernit *Sess.* 21. c. 8. *De Reformat.* "Ut in quæ fun Monasteria commendata, etiam exempta, & si vigeret in iis regularis disciplina, provideant Episcopi paternis admonitionibus, ut eorum Regularium Superiores juxta eorũ regularia instituta debitam vivendi rationem observent, observari faciant, & sibi subditos in officio contineant, ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint, vel correxerint; tunc iidem Episcopi, etiam ut Delegati Sedis Apost. eos visitare possint & corrigere, prout ipsi Superiores possent juxta eorum institu. ; t quibuscumque appellationibus, privilegiis, & exemptionibus penitus remotis, & non obstantibus.

VIII. Deinde Quia Regularium exemptio ultra regularem disciplinam, & ea quæ Regulares *ut tales* concernunt, non extenditur; neque ad hierarchica sine confusione hierarchiæ divinitus institutæ extendi potest (uti infra parte 3. titulo De Exemptionibus Regularium ostendetur) etiam Monasteria quacumque exemptione munita quoad hierarchica Episcoporũ visitationẽ recipere tenent;

IX. Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 25. c. 11. *De Reformat.* decrevit: „ In Monasteriis seu domibus virorum seu mulierum, quibus imminet animarum cura personarum sæcularium, præter eas, quæ sunt de illorum Monasteriorum seu locorum familia, personæ, tam regulares, quam sæculares, hujusmodi curam exercentes subsint *immediatè* in iis, quæ ad dictam curam, & sacramentorum administrationem pertinent, jurisdictioni, *visitationi & correctioni Episcopi*, in cujus Diœcesi sunt sita.

X. Pro Decreti hujus elucidatione, atque faciliori & efficaciori ejus executione edita est Constitutio à Gregorio XV. quæ incipit, *inscrutabili* 18. in Bull. R. in qua inter cætera §. 4. hæc habentur;" Maturâ deliberatione nostrâ & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, hac generali ac perpetuò valitura Constitutione decernimus, statuimus, & declaramus, ut deinceps tam regulares, quam sæculares, quomodolibet exempti, sive animarum curam personarum sæcularium Monasteriis, seu domibus regularibus, aut quibusvis aliis Ecclesiis, vel beneficiis sive regularibus, sive sæcularibus incumbentem exerceant; sive aliàs Ecclesiastica Sacramenta, aut unum ex illis ministrent prævia Episcopi licentia & approbatione, sive quoquomodo indictæ curæ exercitio, aut in eorundem Sacramentorum, vel alicujus ex illis administratione de facto, absque ulla auctoritate se ingerant, in his, quæ ejusmodi curam seu administrationem concernunt, omnimodæ jurisdictioni, visitationi, & correctioni Diœcesani Episcopi, tanquam Sedis Apostolicæ delegati *plenè* in omnibus subjiciantur.

XI. Eodem fundamento, Beneficia curata Monasteriis annexa seu unita ab Ordinario loci visitanda esse, non obstante ipsorum Monasteriorum quâcumque exemptione, declaravit Synodus Trid. *Sess.* 7. c. 7. *De Reformat.*

Plura Regia Edicta, & Parlamentorum arresta, quibus Episcopis jus visitandi Ecclesias Parochiales Monasteriis *exemptis* unitas; ut etiam ipsas *Ecclesias Regulares*, quibus cura personarum sæcularium incumbit, asseritur, referuntur in actis Cleri Gallicani *tomo.* 1, *tit.* 2. c. 11.

XII. Confraternitates personarum sæcularium erectas in Ecclesiis Regularium, tametsi *exemptis* Episcopus jure ordinario visitare potest; quin & earum sacella, & oratoria quantum ad administrationem Confratrum attinet, uti decisum à S. Congregatione refert Fagnanus ad c. GRAVE ✠ *De Officio Ordinarii num.* 46.

XIII. Quoad Monialium Monasteria statuitur in *Clem.* ATTENDENTES *De Statu Monach.* "ut singula Monialium Monasteria per Ordinarios, *exempta*, videlicet, quæ ita Sedi Apostolicæ subjiciuntur, quod nulli alii subjecta noscuntur, *Apostolicâ: non exempta* verò *ordinariâ* auctoritate, ac exempta alia per alios, quibus subsunt, annis singulis debeant visitari.

His conforme est Decretum Tridentinum *Sess.* 25. c. 9. *De Regular.* quo decernit, ut" Monasteria Sanctimonialiũ „ Sedi Apostolicæ *immediatè* subjecta, etiam sub nomine „ Capitulorum sancti Petri, vel sancti Joannis, vel alias „ quomodocunque nuncupentur; ab Episcopis tanquam „ Sedis Apostolicæ Delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscunque. Quæ verè à Deputatis in Capitulis „ generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur, sub eorũ „ cura & custodia relinquantur.

Quomodo Episcopi vi Concilii Tridentini visitare possint Monasteria Monialium, quantumvis *exempta*, & à Regularibus *regi* solita, circa ea quæ clausuram ejusque custodiam concernunt, supra *tit.* 39. c. 3. notatum fuit.

XIV. Præter Episcopos naturales quodammodo Monasteriorum in suis Diœcesibus consistentium Visitatores, sunt insuper Visitatores Regulares à Capitulis generalibus seu Provincialibus designandi; quemadmodum ex verbis Concilii Lateranensis supra relatis constat.

XV. Hi Visitatores nec per Visitationem Episcoporum à sua visitatione excluduntur; uti nec ipsi visitationem Episcopi, quoad Monasteria illi subjecta, aut circa ea, in quibus Monasteria etiam *exempta* Episcopis subjiciuntur, impedire possunt: & ita judicatum fuisse anno 1602. refert Tournetius in sua collectione Arrestorum *Litt. A. Cap.* 11. idque conformiter ad jus commune.

XVI. Synodum enim Lateranensem in hac Constitutione non tantum de Monasteriis *exemptis*, sed etiam de *non exemptis* sive jurisdictioni ac Visitationi *Ordinariorum immediatè* subjectis loqui, dubitari non sinunt, tum verba in initio Decreti apposita: *Salvo jure Diœcesanorum Pontificum*, tum hæc finalia:" Porrò Diœcesani Episcopi Monasteria *sibi subjecta*, ita studeant reformare, ut cum ad ea *prædicti Visitatores accesserint*, plus in illis inveniant, quod comendatione, quam quod correctione sit dignũ.

XVII. Sed rectè advertit Zypæus *consult.* 1. *De Censibus n.* 16. quod Synodus Tridentina licet velit à Monasteriis in Congregationem redactis observari formam à Concilio Lateranensi in Capitulo *In singulis* præscriptam, non tamẽ jubeat omnia generaliter Monasteria, etiam *non exempta* & *Ordinariorum visitationi subjecta*, quemadmodum Synodus Lateranensis voluit, in Congregationes redigi; sed duntaxat Monasteria, quæ Episcopis *non subsunt*, nec suos habent *ordinarios* Regulares *Visitatores*, sed sub *immediata* Sedis Apostol. protectione ac *directione* regi consueverunt.

Quare hodie multa etiam in Belgio sunt Monasteria, præcipuè mulierum, Episcopis *immediatè* subjecta, *nulli* Congregation. Regularium unita; neque ullos *Regulares Visitatores* habentia.

XVIII. Nullatenus tamen repugnat juri communi, nec Concilio Trid. Monasteria in congregationem esse redacta & consequenter Visitatoribus à Capitulis generalibus delignatis subjecta, & tamen una Episcoporum jurisdictioni ac Visitationi subjici. Nec enim Synodus Tridentina vetuit, uti monet Zypæus, Monasteria *Episcoporum* jurisdictioni ac *Visitationi* subdita, in congregationem redigi, ipsosque Regulares Visitatores ab eadem Congregatione accipere; licet idipsum quoad similia Monasteria non mandaverit.

XIX. Itaque Monasteria esse in Congregationem redacta, atque *Visitatoribus Regularibus* subjecta, nullum est exemptionis argumentum; neque titulus sufficiens, ut Episcopus à visitatione excludatur; ut infra *parte* 3, *titulo De Exemptionibus* latius ostendetur.

XX. Insuper" Abbates, qui sunt Ordinum Capita, ac „ cæteri prædictorum Ordinum Superiores Episcopis non „ subjecti, quibus est in alia inferiora monasteria Prioratusque legitima jurisdictio, eadem illa sibi subdita monasteria & Prioratus, suo quisque loco atque ordine, ex „ officio *visitent* (ait Tridentinum *Sess.* 25. c. 20. *De Regularib.*) etiamsi *commendata* existant.... Teneanturque, quicunque prædictorum Ordinum monasteriis præsunt, „ prædictos *Visitatores* recipere, & illorum ordinationes „ exequi.

Unde in omnium passim Ordinum mendicantium, iisque communicantium constitutionibus, injungitur Ordinum illorum Generalibus & Provincialibus, ut monasteria sibi subjecta sollicitè visitent.

XXI

Digitized by Google

XXI. Sed quia Ordinum istorum Generales fere solent esse Itali aut saltem extranei, suam in hisce partibus visitationem, utpote jurisdictionis aliquam speciem præferentem, sine consensu Principis facere ægrè permittuntur; videmusque passim, quod prius quàm ad has provincias veniant, ipsum Principem aut ejus ministros certiores reddant, ejusque beneplacitum expectant, cujus plura exempla referuntur *tomo. 2. Libertatem Ecclesiæ Gallicanæ c. 33.* ac signanter *art. 41, 42. & 45.*

XXII. Refert insuper Fevretius *lib. 3. De Abusu c. 5. §. 12.* quod in Gallia, Generales Ordinum extra regnum residentes, debeant constituere Vicarium generalem regnicolam, qui monasteriis in Gallia suis intendat: atque ita non semel judicatum fuisse testatur. Idem testatur Broudæus in notis ad Louëtium *Lit. D. n. 49.*

CAPUT IV.

De Scopo & Forma Visitationis & reformationis.

1. *Scopus visitationis est corrigere & reformare Monasteria in spiritualibus & temporalibus.*
2. *Hic scopus exprimitur in formula delegationis visitatoris Apostolici.*
3. *Idem patet ex Ordinum Constitutionibus.*
4. *Visitatores eligendi, qui sunt observantiores strictioris disciplinæ.*
5. *Forma visitationis petenda ex singulorum Ordinum Constitutionibus, & qualem præscribat Congregatio Bursfeldensis, & quid in hac præcipuè notandum.*
6. *Visitatorum auctoritas ex singulorum Ordinum Constitutionibus plurimum dependet.*
7. *Visitatorum Apostolicorum ex Pontificum diplomate petenda.*
8. *Quomodo fiat hodie Visitatorum Monialium deputatio per Episcopos.*
9. *An acta Visitatorum Regularium per appellationem suspendantur.*
10. *Reformationis scopus est Regulæ restauratio.*
11. *Monachi ultra Regulam, quam professi sunt, non sunt constringendi.*
12. *Omnes jam pridem factæ reformationes unicè ad Regulæ restaurationem factæ, Ostenditur exemplo Cisterciensium.*
13. *Exemplo Patrum Capucinorum.*
14. *Exemplo item Patrum Discalceatorum.*
15. *Nihil aliud intendit in sua reformatione Synodus Tridentina.*
16. *In reformando distinguenda essentialia Religionis ab accidentalibus.*
17. *In his moderatius, quam in illis procedendum.*
18. *Interior reformatio præcedere debet exteriorem.*
19. *Monasteria solum exterius reformata facilè deformantur.*
20. *Reformatio suaviter & pedetentim introducenda.*
21. *Reformatione Ordinum ab uno passim Monasterio inchoatæ.*
22. *Ad firmandam reformationem conducit Monasteriorum in unam Congregationem adunatio.*
23. *Ex reformatione ortæ sunt pleræque Congregationes.*
24. *Ostenditur origo Congregationis 4. Abbatiarum Belgicarum.*
25. *Ex articulis & actis hujus Congregationis ostenditur, hanc Congregationem ad stabiliendam reformationem institutam esse.*
26. *Qua ratione pro firmanda reformatione Congregationes in distinctos Ordines transiverint.*
27. *Extensio & multiplicatio reformationis frequenter reformationis retinendæ necat, eamque destruit.*

I. SCopum visitationis expressit Honorius III. in *Cap. fin. De Statu Monachorum* his verbis: "Cum visitatores secundum Statutum generalis Concilii ordinati à generali Capitulo Abbatum processerit ad visitationis officium exequendum, de statu monasteriorum & observantiis regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quam temporalibus corrigant & reforment, quæ corrigenda viderint: ita tamen quod monachos delinquentes per Abbatem loci corrigi faciant, eisque injungi pœnitentiam salutarem juxta *beati Benedicti Regulam*, & Apostolica Instituta, non secundùm normam pravæ consuetudinis, quæ quasi pro lege in quibusdam Ecclesiis exolevit.

II. Et in formula facultatis visitandi monasteria monialium ex delegatione Apostolica apud Barbosā inter formulas Episcopales *form. 44.* injungitur Visitatori, ut" de ipsorum monasteriorum statu, ac ipsarum monialium vita, & moribus, regularibus institutis, ac monasticæ disciplinæ observantia diligenter inquirant, ac super his & quibuscunque abusibus, nec non criminibus, excessibus & delictis, si quæ deprehenderit, processus faciat, informationes qualcunque sumat, & quæcunque in præmissis & circa ea necessaria, seu quomodolibet oportuna fuerint, faciat, & exequatur.

III. Hic est visitationis ac reformationis scopus, quem Visitatores præ oculis præcipuè habere debent, & singulorum Ordinum Constitutiones, diversis quidem verbis, sed eodem plane sensu exprimunt inculcantque: ut nimirum Visitatores tam in spiritualibus, quam in temporalibus provinciam reformare & ad debitum modum vivendi redigere conentur; uti loquuntur Constitutiones Eremitarum S. Augustini *parte 3. c. 12.*

IV. Meritò ergo monent Patres Capituli seu Congregationis Bursfeldensis, ut" singulorum Monasteriorum Visitatores maturiori deliberatione, altiorique consilio tales deputentur, qui districtionem regularis disciplinæ promovere & efficaciter conservare posse præsumuntur. Ex illorum quippe idoneitate, diligentia, & fidelitate, inquiunt, directio & observatio totius observantiæ non mediocriter dependere creditur." Et rursus de visitatione loquentes dicunt:" Visitatores esse convenit Religionis præcipuos zelatores, moribus maturos & discretos; nec non circa explendum actū visitationis suæ, multùm sollicitos & circumspectos." *In Constitut. dist. 1. c. 2. & 3.*

Unicus ergo Visitatorum scopus esse debet, ut videant, num tam in spiritualibus quam temporalibus Monasteria juxta Regulā ac laudabiles constitutiones regātur, & quidquid his contrarium invaluisse intelligant, corrigere & reducere ad normā Regulæ & regularis observantiæ studeant.

V. Circa formam & modum in visitatione servandum, Ordinū singulorum Constitutiones præcipuè attendendæ sunt, quæ formam modumque visitationis latius prout Ordini magis convenire videbatur, exprimere solent. Illud in omnibus pene saltem in substantia præscribitur, quod in Constitutionibus Bursfeldensibus his verbis exprimitur: "Quod quidem Fratres per Visitatores moneantur atque in virtute sanctæ obedientiæ ipsis præcipiatur, ut de Abbate, de Priore, vel de se ipsis. Fratres invicem, de conversis etiam, ac totius domûs statu, quidquid super iis de quibus interrogati fuerint, accusatione dignum, vel emendatione cognoverint, nullatenus amore vel odio, seu timore cujuscunque veritate suppresā, singuli edoceant evidēter. Eadem Abbas loci Fratribus suā auctoritate præcipiat" addita tamen hāc clausulā:" Aliàs indiscretè nemo constringatur, utpote per extorsionē juramenti, aut excommunicationem: nisi forsan quis deprehendatur, malitiosè veritatem celans." Clausula hodie non immeritò notanda: cum non raro videamus, Subditorum conscientias, etiā in levibus ac modicis materiis exactione juramentorū & censurarum comminatione nimium constringi & vexari.

VI. Potestas seu auctoritas Visitatorum rursus non parum à Constitutionibus & consuetudine singulorum Ordinum dependet; quæ nonnunquam limites aut formam, quos in statuendo aut decernendo observent, præscribunt.

Sic videmus in Constitutionibus Eremitarum S. Aug. *parte 3. c. 12.* statutum: "Cùm autem ad determinationem visitationis ventum fuerit, si aliquas novas ordinationes relinquere voluerint custodiendas, debent primò super his cū Priore & quatuor Patribus deputatis, vel duobus in minoribus conventibus conferre, & eorum sensui qui noverunt pleniùs statum domûs & patriæ fidē adhibere.

Item *c. 11* dicunt:" Ad officium Prioris Provincialis pertinere saltem semel in anno omnes Conventus tam Fratrū quam Monialiū suæ provinciæ personaliter visitare, ac in eis corrigere ac reformare quæ secundū regulam S. Augustini, & constitutiones ac ordinationes sui Ordinis, ac diffinitiones tā generalis capituli, quā provinciæ invenerit corrigenda ac reformanda." Deinde addunt:" Nihil tamen

„tamen poterit Prior Provincialis præcipere toti provin„ciæ sub pœna sanctæ obedientiæ vel excommunicatio„nis, nisi de consilio & assensu Diffinitorum. Idem intelli„gi volumus de provinciæ Visitatoribus.

VII. Si qui sint per speciale diploma Pontificum, aut litteras Regias, vel per Episcopum deputati alicujus Monasterii, vel provinciæ Visitatores, eorum auctoritas & potestas ex ipso litterarum tenore dignosci debet.

VIII. Docet quotidiana praxis ab Episcopis deputari, qui Monasteria, præsertim Monialium, visitent, non quidē ut ipsi sua auctoritate aliquid statuant aut decernant, sed acta visitationis fideliter ac secretò ad Episcopum mittant; quibus visis & examinatis, statuat ac decernat, prout convenire judicaverit. Quales deputati dici consueverunt *Commissarii* potiùs quàm *Visitatores*: cujus generis nonnunquam & à Rege deputari contingit, præsertim ut circa temporalia Monasteria inquirant & referant.

IX. Decreta ac ordinata in visitatione ejus sunt auctoritatis ac firmitatis, ut nulla appellatio aut ad Superiorē recursus, eorum suspendat executionē, quemadmodum supra titulo 17. *c.* 4. circa acta visitationis Episcopum ostensum est; modo tamen nec circa materiam, nec circa modum limites visitationis excesserint Visitatores. Nam si hos limites excedi contingat nonnunquā etiam Regularium appellatio effectum suspensivum habebit; quemadmodum notat Zypæus *Consult.* 1. *de Majorit. & Obed.* & *Resp.* 2. *de Appellat.*

X. Scopus reformationis idem esse debet qui visitationis, itemq; Reformatorum studium. Quid enim est reformatio, nisi deperditæ formæ restauratio? Forma autem sive norma vivendi Monachorum, est ipsa, quam professi sunt, *Regula*; adeoque reformatio Monastica non aliud sonat, quàm formæ illius vivendi deperditæ restaurationem.

Unde, ait Haeftenus in notis ad *Canonem* 1. *Conventûs Aquisgranensis* an. 817. ad calcem Disquisitionum Monasticarum: "Qui collapsam Monasticæ vitæ disciplinā medicantur restaurare, primò omnium in ipsam *Regulam*, ceu „*primigeniam formam* oculos conjiciunt ut ad ejus amussim, quidquid vel hominum negligentiā vel temporum „malignitate dilapsum fuerit postliminio revocetur.

XI. Et sanè uti post Glossographum in *Canone* INTEGRITAS *caus.* 33. *q.* 1. tradunt Canonistæ, Monachi *inviti* non possunt compelli ad districtiorem vitam, quàm Regula præscribit: quia ea res est magis voti, quam præcepti; magis liberæ voluntatis, quam coactionis.

XII. Pervolvantur omnium Ordinum reformationes, & primæ Regulæ restaurationem intentam fuisse facilè reperietur.

De S. Roberto ejusque Sociis, qui Ordinis Benedictini reformationi [unde Cisterciensium Ordo exortus est] initium dederunt, scribit auctor *Exordii Magni lib.* 1. *cap.* 24. "*Regulam* B. Benedicti in loco illo ordinare, & *unanimiter* „statuerunt *tenere*, rejicientes à se *quidquid Regula refragabatur.* Sicque *rectitudinem Regulæ* supra cunctum vitæ suæ tenorem ducentes, tam in Ecclesiasticis, quàm in cæteris observationibus, Regulæ vestigiis sunt adæquati & conformati." Quare in ipsa sui Ordinis *charta* fundamentali, quam *charitatis* vocant, articulo primo præscribitur: *Regula D. Benedicti observetur sine novo sensu, sine mutatione aliqua.*

XIII. Ut; antiquiores Ordinum varias reformationes præteream, quid sæculo præterito aliud intenderunt, Matteus Baschius aliique qui reformationi intenderunt, unde Ordo Capucinorum exortus est, nisi genuinam Regulæ S. Francisci, rejectis mitigationibus diversis temporibus additis, observantiam? uti ex Constitutione Clementis VII. quæ incipit: *Religionis zelus.* 2. in Bull. R. manifestum est.

XIV. Similiter S. Theresia reformando Ordinem Carmelitarum, unde originem habet Ordo Carmelitarum Discalceatorum, quid voluit, nisi primævam Regulam S. Alberti Patriarchæ Hierosolomitani, rejectā illius mitigatione per Eugenium IV. factā, reducere? uti latè refertur in Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit: *Pià consideratione* in Bull. R. in qua relatā mitigatione Eugenianā, dicit, hosce Fratres huic mitigationi ac relaxationi renuntiasse, atq; *primitivam* Regulam observare. Unde Clemens VIII. hunc Ordinem eximens ab omnimoda dependentia & subjectione Patrum Carmelitarum, quia dicta mitigatione dicuntur *Mitigati*, voluit, ut hujus Generalis in posterum vocaretur, *Præpositus Generalis Discalceatorum sive* PRIMITIVORUM, *videlicet* PRIMITIVAM *Regulam Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo observantium*, in Const. quæ incipit. *Pastoralis* 23. in Bull. R.

XV. Quid plura? cum ipsa etiam Synodus Tridentina reformationi Regularium intenta hoc unum præ oculis habuerit, hocq; unum Superioribus reformationi invigilantibus præceperit, ut in hoc sedulo incumbant, ut" omnes „regulares, tam viri, quam mulieres, ad *Regulæ* quam pro„fessi sunt, præscriptum vitam instituant, & componant; „atq; in primis, quæ ad suæ professionis perfectionem, ut „obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt „alicujus Regulæ, & Ordinis peculiaria vota & præcepta, „ad eorum respectivè *essentiam*, nec non communem vi„tam, victum, & vestitum pertinentia, fideliter observent.

XVI. Porrò in hoc reformationis negotio, plura notanda & observanda sunt.

Imprimis distinguenda sunt quæ ad Religiosæ professionis perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis, ac si quæ alia sunt alicujus Regulæ & Ordinis particularia vota & præcepta, ad eorum respectivè *essentiam*, nec non communem vitam, victum & vestitum conservanda pertinent, ab his quæ minùs principalia, & quasi *accidentalia* sunt: & sine quib⁹ ipsa Religiosæ professionis perfectio absolutè, licet forsan difficilius, obtineri & conservari potest: uti non obscurè distinguit Synodus Tridentina loco citato.

XVII. Si quid circa priora collapsum sit, omni modo Superiores ad ejus reformationem intendere tenentur, nihilque omittere, quod huic reformationi conveniens & opportunum judicaverint: quia, ut ait Synodus Tridentina "Si illa, quæ bases sunt & fundamenta totius Regularis „disciplinæ, exactè non fuerint conservata: totum cor„ruat ædificium necesse est.

Si circa posteriora verò, id est, *accidentalia*, minusque necessaria ad Religiosæ professionis perfectionē assequendam, aliquid relaxatum sit; atque in his ipse rigor Regulæ nonnihil mitigatus fuerit, major potest esse Superiorum moderatio in reductione ipsius Regulæ: præsertim si hæc mitigatio longo usu, aut forsan etiam auctoritate Sedis Apostolicæ aliquando probata sit.

XVIII. Secundò ut vera reformatio Ordinis alicujus aut Monasterii ritè fiat, & stabiliatur, oportet primùm & ante omnia Superiores allaborent, ut verbo & exemplo subditos doceant & inclinent, ut *voluntariè* & affectuosè mores suos ad Regulæ præscriptum componant; atque ita prius reformationi interioris hominis studeant, quàm ad exteriores Regulæ austeritates cogant.

Si enim solùm reformatio circa exteriora quædam fiat, atq; ad eam *inviti* quodammodo pœnarum forsan metu, aliove humano motivo constringantur, non vera, sed simulata quædam erit reformatio; nec stabilis, utpote carens firmo fundamento, erit Perruptis enim & disjectis humanis illis vinculis sive claustris, quibus ad exteriorum illorum aliqualem observantiam Monachi constringebantur rursus ad laxitates recident; & ubi impunè possunt, ab exteriore illa se reformatione eximent, & ad ea quibus animus afficitur, relabentur.

XIX Quis enim confidat firmum & stabilem permansurum, quod ab *invito* laxitatem aucupante pendeat? ait pius Joannes Midotius in Commentario communitatis Norbertinæ *antiqui rigoris* p. 99. edit. 1633. Qui ibidem subjicit "In quo si me ratio deficeret, id tamē abunde comprobant „exempla Ordinum, qui reformationem captarunt ab ista „tantùm exteriori observantia regulari. Meminisse enim „potes [ita loquitur ad suum Ethiconem] eorum qui à „viginti quinque annis tentarunt suorum reformationes, „ob idque severè regularem observantiam juxta Ordi„nis instituta suis edixerunt, frequentiores congressus

„cum sæcularibus, itiones crebras ad amicos & mansiones „diutinas, certam Religiosæ puritatis perniciem planissi„mè vetuerunt, cælestium rerum meditationem, & corpo„ris afflictationes desuetudine omissas ad reliquam Re„gulæ observantiam addiderunt. Diceres nullum hoc sæ„culo specimen aliud reformationis sanctius vel religio„sius excogitatum. At quàm diuturna stetit hæc pulchra „species reformationis? Semestris ut maximùm, sensimq; „observantia est ad consuetudinem.

XX. Tertiò si de reformatione alicujus Ordinis agatur, ea non simul ad omnes sed pedetentim introducendo. Neque enim facilè Religiosi alicujus Ordinis omnes & simul reformantur, aut à mitigata disciplina, solitaque vivendi norma abducuntur: sed pedetentim ab ea monitionibus & suasionibus suaviter abducendi sunt.

Uti enim advertit citatus auctor, "quia potissimum in „animo consistit, isque liber & voluntarius ad reformatio„nem adferendus est, neque omnibus tanquam cæleste „quoddam beneficium inest, aut contrario affectu obsi„stente inesse potest, fit ut universus aliquis Ordo ex tot „hominibus sensu affectuque diversis compositus, simul „statim restitui non possit, singulorum animis non feren„tibus hanc morum recoctionem & veluti repastinationē.

XXI. Hinc videmus, reformationes Ordinum, passim ab uno Monasterio inchoatas, sensim ac pedetentim ad plura Monasteria propagatas; imo & unus Monasterii reformationem subinde non ab omnibus, sed à quibusdam duntaxat, ac præsertim junioribus, laxioris disciplinæ necdum assuetis, primò fuisse susceptam: ipsosque Abbates aliosve Superiores etiam ipsam laxiorem disciplinam in Senioribus dissimulasse & tolerasse.

XXII. Ulterius ut firmior esset Monasteriorum reformatio, jam pridem opportunum visum fuit, ut Monasteria eodem spiritu animata, & sub eadem severiori disciplina militare desiderantia, se in unam Congregationē redigant; ut ita communia inter Capitula Conventusq; celebrantia communi operâ & consilio reformationem, ipsamque puriorem disciplinam fovere & integram servare possent.

XXIII. Hinc ex reformatione Congregationem Cisterciensem Bursfeldensem, & Windesemensem originē habuisse capite 2. notavimus; atque nostra penè ætate ortum habuit unio sive Congregatio quatuor Abbatiarum sub nomine & patrocinio Beatæ Mariæ; scilicet S. Dionysii juxta Montes in Hannonia. S. Adriani Gerardimonte, Affligemensis juxta Alostum, & S. Gilleni.

XXIV. Anno enim 25. hujus sæculi in Monasteriis S. Dionysii & S. Adriani suscepta fuit reformatio, quæ paulò post ad Monasterium Affligemense transivit, quando Cornelius Jansenius S.T. Doctor & Sacrarum Litterarum Professor Regius in hac Lovaniensi Academia, ac postmodum Iprensium Episcopus piam illam ac numquam satis laudatam orationem de interioris hominis reformatione ibidem pronuntiavit.

Hæc verò tria reformata Monasteria ut se in suscepta reformatione firmarent, anno 1628. univerunt se, & in Congregationem redegerunt; cui se anno 1643. Abbas S. Gilleni cum suo Monasterio adjunxit.

XXV. Quod verò hæc Congregatio ad stabiliendam reformationem unicè facta fuerit; solamque stabilitatem reformationis in hac unione ob oculos habuerint ipsius Congregationis Auctores ex conditionibus & articulis ipsius unionis sat manifestum est.

Acta unionis sic incipit: "Ad stabiliendam reformatio„nem introductam seu inchoatam in Monasteriis SS. Petri „& Pauli Affligemensis, S. Dionysii in Borgueroia, & S. „Adriani Gerardimonte Ordinis S. Benedicti, Prælati eo„rumdem sequentes articulos conceperunt, & exactè in „perpetuum observare promiserunt.

Deinde articulo primo statuitur: "Singulis annis Capi„tulum celebrabitur, in quo convenient præfati Prælati „nec non Deputati singulorum Conventuum; ita tamen „quod soli Prælati sint habituri vocem decisivam, alii tan„tum consultivam.

Quid verò in hisce Capitulis præcipuè tractandum sit, sequenti articulo declaratur: "Tractabitur autem & ordi„nabitur in eisdem Capitulis de iis quæ pertinebunt ad fœ„licem statum præfatorum Monasteriorum, *& exactam* „*observantiam dictæ reformationis* juxta Regulam S. Pa„tris Benedicti & constitutiones seu declarationes super „ea editas, & cum regula impressas Tulli apud Simonem „Belgrand anno 1625. quatenus nimirum concernunt ri„tus, mores, observantiasque Monasticas, & exceptis capi„tibus & articulis Constitutionum seu declarationum, „qui tangunt jurisdictionem, regimen, exemptiones, & „alia ejusmodi textu Regulæ non specificè determinata.

Articulo V. hæc habentur: "Visitatores in prædictis Ca„pitulis à Prælatis deputandi singulis saltem annis aut sæ„pius, si ita visum fuerit, prædicta Monasteria visitabunt, „& corrigenda absq; mora *secundum Regulam* & præfatas „Constitutiones seu declarationes suprà receptas debitè „corrigent.

Articulus decimus habet: "Nihil umquam fiet aut sta„tuetur quod directè aut indirectè vergat *in detrimentum* „*reformationis*, pro cujus *observatione* omnes strenuè „semper laborare tenebuntur.

Quæ omnia evincunt, unicum scopum institutæ hujus Congregationis fuisse, per eam firmiùs susceptam reformationem stabilire, & conservare atque promovere.

Ut verò ostendant, se nolle per hanc unionem subterfugere correctionem & vigilantiam Ordinariorum, articulo 2. hanc expressam adjiciunt clausulam: "Per hæc omnia ni„hil intenditur, neq; unquam quovis modo aut prætextu „quidquam attendabitur, vel contra jus Principis, vel con„tra jurisdictionem, sive auctoritatem Ordinariorum, ne„que etiam Archiepiscopi Mechliniensis, tanquam Præ„lati Monasterii Affligemensis. Sed omnia eorum jura & „auctoritas [non modo Abbates confirmandi aut bene„dicendi, sed etiam Monasteria visitandi, defectus corri„gendi, & quæcumque alia ad ipsorum jurisdictionem & „officium pertinentia faciendi] integra & illibata mane„bunt, qualia erant ante reformationem: hoc unico exce„pto, quod nihil in ejusdem reformationis detrimentum „dicti Ordinarii neque Archiepiscopus ut Prælatus Af„fligemensis agi vel pati poterunt.

XXVI. Denique, quia admodum difficile, imò penè impossibile est, ut in una Congregatione ac Conventu laxioris ac strictioris observantiæ Monachi concorditer vivant: aut reformatio stabilis maneat in Monasteriis, si illa à Superioribus non reformatis dependeant. Idcirco Congregationes Monasteriorum reformatorum se paulatim à dependentia ac subjectione non reformatorum eximere studuerunt, atque Superiores suæ Congregationis accipere, quemadmodum & in recentioribus etiam nonnullis, in Capucinis, Discalceatis, aliisque plurimis visum est; qui propterea tandem in Ordinem planè è non reformato seu *mitigato* distinctum transierunt, & à Sede Apostolica per per speciales Bullas ab omni aliorum Superiorum non reformatorum subjectione & dependentia subtracti sunt.

XXVII. Sed sicuti difficile est integrum Ordinem collapsum simul reformare, atque ab inveterata vivendi norma ad strictiorem reducere; ita quoque summæ difficultatis est, congregationem aut Ordinem jam publicatum in primævo reformationis spiritu conservare. Cùm enim Ordo aut Congregatio est conventibus multiplicata, natum est fieri ut sensim nonnulli irrepant, qui spiritu reformationis destituuntur; quique laxiorem vivendi disciplinam strictiori præferant; eamque sensim in alios etiam propagent juxta illud Apostoli: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Quod maximè verendum in illis Ordinibus & Congregationibus, quorum Monasteria ita inter se uniuntur, sibique conjunguntur, ut Religiosi passim de uno ad aliud migrent; tunc enim contingit, ut si aliquot Monasteria reformationis spiritu destituantur, etiam alia facile per communicationem corrumpantur.

TITU-

TITULUS XXXIII.
De Quasi Regularibus.

CAPUT I.
De patribus Oratorii.

1. *Sanctus Philippus Nerius sermones ad populum instituens Congregationi Oratorii initium dedit.*
2. *Postulatur a Florentinis ut Ecclesiæ eorum Curam suscipiat.*
3. *Philippus postulatis annuens Congregationis fundamenta posuit.*
4. *Quam vivendi normam tenuerint primi Congregationis Patres.*
5. *Congregatio hæc specialem sibi Ecclesiam assignare petiit, & suam Congregationem à Sede Apostolica confirmari.*
6. *Erigitur Congregatio auctoritate Sedis Apostolicæ, & Ecclesia Parochialis eidem unitur.*
7. *Eidem conceditur facultas condendi statuta.*
8. *Quando prima Congregatio Oratorii plenè formata.*
9. *Hæc Congregatio primitus specialia statuta non habuit.*
10. *Sub initium hujus sæculi statuta collecta sunt, & à Paulo V. confirmata.*
11. *Institutum hoc in Belgium aliasque Provincias propagatum.*
12. *In Gallia alia Congregatio Oratorii instituta, & à Paulo V. probata.*
13. *Petrus Berullus hujus Congregationis Generalis instituitur, & quæ ejus auctoritas.*
14. *Huic impertitur Pontifex auctoritatem Congregationem ubique terrarum instituendi, & statuta condendi, vel mutandi.*
15. *Hæc Congregatio à Neriana independens in varias Provincias propagata.*
16. *Curâ Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis hujus Congregationis fundamenta hic jacta sunt.*
17. *Accersitus è Gallia qui recenter institutas domos visitaret & formaret.*
18. *Epistola Archiepiscopi ad Superiores domorum, ut Visitatori obediant.*
19. *Visitator hic è Gallia missus domos Oratorii Provinciæ Mechliniensis in unam Congregationem univit.*
20. *Hæc Congregatio amplectitur institutum Congregationis Gallicanæ, est tamen ab ea independens.*
21. *Nulla alia Congregatio hujus instituti est à Gallicana independens.*
22. *Domus instituti Neriani nullam inter se habent Communionem, nec non Congregationem generalem constituunt.*
23. *Congregatio Oratorii nulla vota Religionis, aut professionem religiosam in suis alumnis agnoscit.*
24. *Præcipuus scopus Congregationis est, Alumnos suos functionibus Sacerdotalibus applicare: & quid Neriana hic præstet.*
25. *Congregatio Gallicana suos vult ad omnia munia Sacerdotalia obeunda esse paratos.*
26. *Vult ut hæc munia suscipiantur, & exerceantur ad nutum & arbitrium Episcoporum.*
27. *Describitur status Congregationis Gallicanæ & Belgicæ.*
28. *Regimen Congregationis quoad personas & res ipsas spectat ad Præpositos, & primario residet in Congregatione.*
29. *Quando, & qua forma indicenda Congregatio.*
30. *A Congregatione eligitur Præpositus, & duo assistentes: Quæ horum auctoritas.*
31. *Præpositi est Superiores domorum constituere & mutare.*
32. *Ipsius est novos ad Congregationem admittere.*
33. *Præpositi est domos visitare, novas erigere non potest.*
34. *Cujus sit statuta condere.*
35. *Singularum domorum sunt immediati Superiores, iique triennales.*
36. *Quod horum officium.*
37. *Quomodo domus sibi mutuo in temporalibus succurrere debeant.*
38. *Quid Superiores præcipuè inculcare debeant.*
39. *Ad Superiores spectat inferiorum ministrorum deputatio.*
40. *Tempus institutionis supplet vices* novitiatus.
41. *Institutionis tempore elapso probati Congregationi incorporantur: & quis hujus incorporationis effectus.*
42. *De Fratrum laicorum incorporatione.*
43. *Incorporati pro libitu è Congregatione recedere possunt, sed non facilè inviti dimitti.*
44. *Incorporati retinent rerum suarum dominium, & liberam de iis dispanendi facultatem.*
45. *An divites de proventibus communibus domus vivere possint.*
46. *Disciplina vivendi ostendit, institutum Oratorii meritò dici* quasi Regulare.

Van Espen Jus Eccl. P. 1.

I. SAnctus Philippus Nerius Presbyter Romanus annis aliquot in Ecclesia Sancti Hieronymi crebros ad populum sermones, & exhortationes, magno cum fructu & populi concursu habuit; atque nonnullos discipulos, qui in hoc opere assistebant, adscivit.

II. Deinde circa annum sexagesimum quartum præcedentis sæculi cives Florentini ejus famâ excitati, illum conveniunt postulantes, ut Ecclesiæ suæ in Urbe Romana, quæ S. Joannis Baptistæ nomine celebris habetur, curam susciperet.

III. Philippus post maturam rei discussionem, & cum Deo factam consultationem, Florentinorum precibus annuit, sibique id placere dicit; cupere tamen aliquot è suis discipulis Sacerdotio primùm initiari; seque præterea è templo S. Hieronymi haud quaquam recessurum eisdem significat. Accipiunt Florentini conditionem, domum ad habitandum attribuunt: stipendium unde vivant offerunt. Tres igitur è suis Philippus Sacris initiari facit; inter quos unus erat Cæsar Baronius ob Annalium Ecclesiasticorum editionem toti orbi notissimus.

Cum his tribus ad Sacerdotium promotis, quibus alii duo se junxerunt, Philippus se ad domum à Florentinis assignatam contulit, communem victum instituit, atque Congregationem instituere aggressus est. Hæc ex vita ejusdem Sancti scripta per Antonium Gallonium, & descripta per Papenbrochium ad 26. Junii.

IV. Deinde *cap. 8. num. 89.* vitam occupationesque dictorum Sacerdotum ita prosequitur: " Qui Patres unanimes in Domino ambulantes, magno cum animorum „ fructu in Christi vinea excolenda apud Florentinos pro „ viribus laborare cœperunt: accedentium confessiones „ audire: Eucharistiæ Sacramentum, qui per Sacerdotium „ poterant, ministrare: à prandio ad Ecclesiam S. Hieronymi se recipere, ubi de more sermones de rebus piis ad „ multitudinem facerent. Dominicis diebus, præter Oratorii sermones quotidianos, modò Baronius, modò „ Bordinus in æde sacra Florentinorum, populo qui aderat cupidissimè audiente, è suggestu concionabitur. Quibus rebus brevi factum est, ut cum Sacerdotum numerus, quam confluentium ad eum locum multitudo mirificè augeretur.

Deinde *num. 90.* ait: " Hoc quidem vivendi genere „ plures annos usi sunt Patres, eâdem domo viventes, seque suaque Divino obsequio & animarum lucro tradentes. Erat omnium marsupium unum, communis „ mensa, eaque sobria ac frugalis: oratio & meditatio „ plurima: Sacerdotibus, qui illis initiis quinque erant, „ rem Divinam facientibus, cæteri aut quotidie, aut alternis diebus cœlesti pane reficiebantur. Id vitæ institutum ita multis probatum est, & plerique ingeniis doctrinaque præstantes, cum Sacerdotes tum laici, ultro sese „ in Patrum contubernium contulerint: non enim omnes „ Religionis vinculis se astringere omnino audent. Hæc igitur fuère nostris hominibus Congregationis initia.

V. Porro cum maximus hujus Congregationis fructus continuò magis se manifestaret, nec tamen hactenus esset ei firmitas, nullaque propria Ecclesia, tandem circa annum septuagesimum quintum à Gregorio XIII. petierunt hujus Congregationis Sacerdotes, ut Ecclesiam Beatæ Mariæ *à Valli Cella* huic Congregationi assignare, ac in perpetuum unire vellet; atque in ea Congregationem Presbyterorum & Clericorum sæcularium *De Oratorio* nuncupandam erigere & instituere.

VI. Huic petitioni annuens Gregorius, per Bullam quæ incipit, *Copiosus* 101. in Bull. R. in prædicta Ecclesia Congregationem Presbyterorum & Clericorum sæcularium *de Oratorio* nuncupandam auctoritate Apostolicâ perpetuò erexit & instituit, illique Congregationi sic erectæ & institutæ

ſtitutæ præfatam Eccleſiam cum onere curæ animarum Parochianorum, aliiſque omnibus & ſingulis oneribus & honoribus ac annexis, nec non omnibus bonis & proventibus auctoritate Apoſtolicâ conceſſit & aſſignavit.

VII. Inſuper eidem Congregationi illiuſque Rectori ac Presbyteris & Clericis pro tempore exiſtentibus liberam conceſſit facultatem, ut pro ſalubri ſtatu & directione ejuſdem Congregationis illiuſque perſonarum quæcunque honeſta & rationabilia Statuta & Ordinationes de novo edere, aut edita limitare aut mutare valeant; quæ à Sede Apoſt. approbata ab omnibus inviolabiliter obſervari deberent.

VIII. Huic Congregationi ſic inſtitutæ & probatæ non ſtatim ſe junxit Philippus. Scribit enim Antonius Gallonius *c.* 10. *n.* 126." Quanquam Philippus omnium quæ à ſuis a„lumnis apud Vallicellam gerebantur, auctor eſſet, & dux; „non tamen ita ſubitò habitationem templi S. Hieronymi „ut deſereret, induci potuit; id enim multis annis poſt, Pe„tri Donati Cæſii Cardinalis operâ impetratum eſt: anno „ſcilicet 1583. Atque tunc primum Congregationis Cor„pus, arctiore vinculo colligatum, totum integrum capite „cum membris conjuncto conſpici cœpit.

IX. Statuta aliqua vivente Philippo Congregationi præſcripta fuiſſe non legitur." Etenim Philippus omnium „conſilia pro cujuſque ingenio, ſolitus paterno moderari „affectu, ſatis habuit ad pietatem ſimul inflammatos in „ipſa rerum humanarum deſpicientia amore ferventiores „videre ſuos & quæ diuturna experientia ad probitatem „aſſequendam, Deumque promerendum eis placere no„verat, & indies prodeſſe, tanquam à Domini ſpiritu pro„bare & confirmare.

X. Hæc ille, qui circa annum 12. hujus ſæculi, illa quæ ipſe Philippus hac ratione condenda curavit, vel ab ejus inſtitutione inter Congregationis hujus homines conſuetudine recepta, ac deinceps perpetuò ſervata erant, in unũ collegit, atque in ſeptendecim capita diſtinxit: quæ Paulus V. poſt cognitionem aliquam auctoritate Apoſtolicâ etiam approbavit, illiſque omnibus & ſingulis perpetuæ & inviolabilis Apoſtolicæ firmitatis robur adjecit, anno 1612. per Bullam quæ incipit: *Chriſti Fidelium* 92. in Bull. R.

Hæc ſunt Congregationis *De Oratorio* vulgò *Nerianæ* Statuta, quæ prædictæ Bullæ Paulinæ inſeruntur; & referuntur à Myræo inter Regulas & Conſtitutiones Clericorũ in congregatione viventium unà cum præfatione Collectoris, è qua præfatione ſuperiora verba accepta ſunt.

XI. Hæc Congregatio, quæ primum fundamentum Romæ in Eccleſia B. Mariæ *à Vallicella* accepit, longè lateque ſenſim ſuos palmites extendit & protruſit, non tantùm per Italiam, ſed in Belgium uſque.

Hujus enim Congregationis *Oratoria*, id eſt, quæ Statuta normamque ejus vivendi tenent, atque filias Congregationis Nerianæ ſe profitentur, hæc in Belgio enumerat Miræus

Aſpricollenſe in Brabantia ab Alberto & Iſabella Belgarum Principibus fundatum ac dotatum; cum onere Parochiali Duacenſe in Gallo-Flandria ab Hermano Ottembergio Epiſcopo Attrebatenſi fundatum anno 1626. Cervienſe in Hannonia cum onere Parochiali. Branienſe in Hannonia etiam cum onere Parochiali.

XII. Alia Congregatio ſub nomine *Oratorii* JESU CHRISTI *Domini noſtri* ſub initium hujus ſæculi inſtituta, & à Paulo V. per Bullam quæ incipit *Sacroſancta Romana Eccleſia* 91. in Bull. R. approbata eſt.

In hac Bulla ad poſtulationem Mariæ Reginæ Francorum & Henrici Pariſiorum Epiſcopi, Pontifex erigit, & inſtituit unam congregationem ſub nomine *Oratorii* JESU CHRISTI *Domini Noſtri*." in honorem, ait, *orationum* quas in diebus carnis ſuæ fudit; ut ii qui congregationem ipſam „ingredientur, eundem Jeſum Chriſtum pro nobis in *ora„tione* poſitum & pernoctantem revereantur, atque etiã „inſtituti, ad quod vocati ſunt, moneantur, & præſertim „ſemper hanc præcipuam omnibus communem & omni „tempore congruentem officii eorum partem quæ in o„rationibus pro populo, ac in Dei laudibus celebrandis „verſantur, habeant.

XIII. Adhæc cum dicta Regina & Epiſcopus à Pontifice petiiſſent, ut Petro de Berulle Presbytero Pariſienſi (cujus miniſterium felici progreſſui & directioni ipſius congregationis utile futurum confidebant) cura erectionis & inſtitutionis committeretur, Pontifex illorum precibus hac in parte annuens, eundem Petrum in Præpoſitum generalem hujus congregationis deputat & aſſumit.

XIV. Impartitur itidem Pontifex auctoritatẽ dicto Petro, ut hanc congregationẽ tam in civitate Pariſienſi quàm in omnibus aliis civitatibus, oppidis, terris, & locis ad quæ à locorum Epiſcopis vocatus fuerit, & non aliàs inſtituat.

Ipſi unà dans facultatẽ condendi nova Statuta pro felici directione & Statu congregationum opportuna; factaque, edita & condita quoties pro rerum ac temporum qualitate & viciſſitudine, ſeu alias videbitur, corrigendi, immutandi, alterandi, aliaque omnia, & ſingula á ſimilium congregationum, nec non in quorumcunque Ordinum approbatorũ conſtitutoribus, aut aliis Superioribus etiã generalibus, de jure & conſuetudine ſive ex privilegio aut alias quomodocunque fieri & exequi ſolita, faciendi & exequendi.

XV. Hæc congregatio Oratorii Jeſu Chriſti Domini Noſtri planè independens à Romana, quæ à ſuo primo ſancto inſtitutore dicitur *Neriana*, mox non tantùm per Galliam, ſed hoc etiam Belgium noſtrum propagata fuit. Domos ac familias à congregatione progenitas recenſet Miræus loco citato ſub titulo: *Congregatio* JESU CHRISTI *à Petro Berullo Cardinale inſtituta.* cap. 3.

XVI. Ad Belgium quidem, rogante ac inſtante zeloſiſſimo ac nominatiſſimo Mechlinienſium Archi-Præſule Jacobo Boonen miſſus fuit à Petro Berullo tunc S.R.E. Cardinale, Pater Franciſcus Bourgoing cum uno alterove congregationis hujus Patribus, qui ſub auctoritate prædicti Archi-Præſulis primâ Lovanii anno 1626. Oratorii fundamenta poſuerunt; quæ poſtmodum Mechliniam anno 1629. deinde Bruxellas, aliaque loca vicina propagata ſunt

XVII. Ut vero novellæ plantæ incrementum majus acciperent, atque adinſtar congregationis Gallicanæ dirigerentur, eodemque ſpiritu animatæ cohærerent, dictus Mechlinienſium Archi-Præſul Superioribus Domorum Lovanienſis & Mechlinienſis ſignificavit datis litteris 21. Octobris 1631. quod præfato Patri Bourgoineo (qui à generali congregationis Gallicanæ Viſitator generalis conſtitutus fuerat) dederit facultatem & auctoritatem, eaſdem domos tam quoad ſpiritualia, quàm temporalia, quoad perſonas & res, viſitandi; ac in viſitatione corrigendi, immutandi, ſtatuendi & ordinandi prout judicaverit; idque, quantum poterit, conformiter conſtitutionibus congregationis generalis in Gallia habitæ; quæ omnia latius continentur in dictis litteris Archi-Epiſcopi Mechlinienſis, quas hic ex originali, quod aſſervatur in domo Lovanienſi ſubjiciam.

XVIII. "Jacobus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratiâ, Ar„chiepiſcopus Mechlinienſis, omnibus & ſingulis Presby„teris & clericis congregationis Oratorii D. N. JESU „CHRISTI, Domorum Lovanienſis & Mechlinienſis no„ſtræ Diœceſis, Gratiam Benedictionem, & Pacem in „CHRISTO JESU, qui eſt pax noſtra.

"Cum jam pridem plurimi in hac noſtra Belgica, & pe„culiariter in hac noſtra Diœceſi ad prium aliquod Sacerdo„tium in congregatione viventium inſtitutum adſpirare „præ ſe ferrent, qui propriæ perfectioni Sacerdotali incu„bendo, fervorem antiquæ pietatis in clero renovare ac „velut ignem, quem Dominus miſit in terras, accendere „pro viribus ſtuderent; illud autem inſtitutum à fel. mem. „Eminentiſſimo cardinale Petro de Berulle cœptum, & in „Gallia Burgundia & aliis in locis longè lateque cum bo„no Chriſti odore jam propagatum, maximè noſtris deſi„deriis conveniens eſſe cerneremus; utpote cujus ſit pro„prium functiones Ordini Sacerdotali eſſentialiter conve„nientes & ſibi à Rev.mis Hierarchis præſcriptas exerce„re, eiſdemque Reverend.mis in illarum exercitio obedire „& ad illorum nutum præſto eſſe, nec non & alios Sacer„dotes in uſu ſcientiæ & in pietatis exercitiis inſtituere, at„que omnem pro modulo ſuo operam Paſtoribus aliiſque

„curam

„ curam Animarum habentibus impendere, & opem fer-
„ re, ad præfatum Cardinalem, velut ad fontem, unde Cō-
„ gregationis illius spiritus manavit, recurrendum esse, cū
„ bona eorum, ad quos spectat, veniâ duximus. Qui qui-
„ dem nostris benigne votis annuens Rev.dum admodum
„ Patrem Franciscum Bourgoing unum è primis hujusce
„ spiritalis ædificii vivis lapidibus, atque in multis aliis
„ probatum, cum uno aut altero suæ Congregationis in
„ has partis, rei hujusce causâ, destinavit. A quo, sub no-
„ stra Auctoritate, prima, Lovanii, Oratorio Fundamen-
„ ta posita & postmodum Mechliniæ, & aliis in locis col-
„ locata fuerunt, adeo ut felicioris & amplioris in dies pro-
„ gressûs major spes assulgeat. Cùm insuper à Reverendis-
„ simo Patre generali dictæ Congregationis in Gallia fa-
„ ctâ potestate tamquam primus ejusdē Assistens & Visi-
„ tator Generalis ad universas domos, non sine fructu &
„ renovatione animorum, idem P. Bourgoing nuper mis-
„ sus fuerit, & postmodum habita sint ejusdem Congrega-
„ tionis generalia Comitia, in quibus multa ad boni illius
„ regimen & ordinationem constituta fuerunt. Ut hæ no-
„ vellæ plantæ in agro nostro, divinâ irrigante gratiâ, in-
„ crementum, ad Christi Domini gloriā, accipiant; & qua-
„ tenus opportunum sit, adinstar ejusdem Gallicæ Con-
„ gregationis, dirigantur, eodemque spiritu animatæ co-
„ hæreant, idem Reverendo Patri Superiori Domorū Lo-
„ vaniensis & Mechliniensis nostræ dtæ Diœcesis, easdem
„ tam quoad spiritualia, quam temporalia, quoad perso-
„ nas & res nostra Authoritate, visitandi, & Visitatione,
„ corrigendi aut immutandi, quæ correctione, aut immu-
„ tatione indigere judicaverit, nec non statuendi & ordi-
„ nādi, quantùm fieri poterit, conformiter Constitutioni-
„ bus d. tæ Congregationis generalis in Gallia habitæ; alia-
„ que monita & Statuta, pia & patriæ moribus cōvenientia
„ dandi omnia à nobis postea videnda, ad probanda, &
„ confirmanda facultatē concedimus; ac singulos & om-
„ nes dicti Oratorii in hac nostra Diœcesi in Domino plu-
„ rimum exhortamur, ut in ejus honorem, qui fuit obedi-
„ ens usque ad mortem, hanc visitationem, debitâ cum a-
„ nimorum submissione & devotione suscipiant, & om-
„ nia in illa, ut suprà, statuta & ordinata humiliter obser-
„ vent. Ita Deus & Pater Domini nostri JESU CHRISTI
„ benedicat vos in omni benedictione spiritali in cœlesti-
„ bus in CHRISTO JESU. Datum Lovanii nostræ Diœ-
„ cesis sub manu & Sigillo nostris, Anno Domini millesi-
„ mo sexcentesimo trigesimo primo, die vigesimâ primâ
„ Octobris Rev. P. Franciscus Bourgoing, Jacobus Archie-
„ piscopus Mechliniensis. De Mandato Ill.mi & Rev.mi
„ D.ni Archiepiscopi Tim. Hujus Secret. 1631.

XIX. Post varias visitationes, in quibus etiam pia valde ac utilia exercitia & ordinationes pro directione domorum illarum præscripsit; nec non post habitas multiplices deliberationes, tandem anno trigesimo quarto currentis seculi visum fuit dicto Patri Bourgoineo, nec non Mechliniensium Archi-Episcopo, & Antonio Triest Gandensium Antistiti [in cujus etiam Diœcesi nonnullæ Congregationis Oratorii Domus erectæ erant] particularem Cōgregationem ex omnibus seu familiis in Diœcesi Mechliniensi & Gandavensi, aut etiā aliis Archi-Episcopo Mechliniensi suffraganeis, jam institutis aut posthac instituendis erigere; prout dictus Bourgoineus erexit, probantibus dictis Prælatis; eique Constitutiones decem capitibus comprehensas præscripsit & quibus & hodie hæc Congregatio nutitur & regitur.

XX. Voluit quidem ut in omnibus, quantum fieri posset, esset hæc Congregatio conformis Congregationi Gallicanæ, ejusdem spiritu animaretur; sed eam tamen in regimine à Congregatione Gallicana independentē esse voluit.

Unde in dictis Constitutionibus habetur *c. 4.*" Domus „ *Oratorii Domini* JESU erectæ vel erigendæ in *Provin-* „ *tia* Mechliniensi constituent simul unam Congregatio- „ nem à *nulla* alia *dependentem*.

XXI. Et quidem hæc unica est Congregatio à Gallica progenita, ejusque vivendi normam imitata, quæ ab eā sit independens.

Sunt enim & aliæ Congregationes ejusdem instituti, quæ è pluribus particularibus domibus sive familiis unā Congregationem constituunt; atque unum Præpositum Congregationis habent, qualis in Hannonia est Congregatio Montensis; sed omnes hæ à Congregatione Gallicana dependent, atque Præpositum hujus Congregationis pro suo generali agnoscunt; à quo etiam Præpositi singularum Congregationum confirmationem accipere debent secus Præpositus Congregationis Provinciæ Mechliniensis, ut infra dicetur.

XXII. Hæc dependentia & unio minor est inter Domos quæ normam vivendi Congregationis Romanæ sive Nerianæ sequuntur.

Hæ enim domus omnes separatim & per se independenter planè à se mutuò per suos respectivè immediatos Superiores reguntur, sine ulla ab alia dependentia aut mutua unione; ideòque nec ulla harum domorum sive familiarum nota communia aut generalia comitia; nullúsque generalis Præpositus aut superior qui omnibus familiis intendat.

XXIII. Congregationi Oratorii tam Romanæ, quàm Gallicanæ, atq; ab his progenitis Congregationibus commune est, quòd Congregationi adscripti, nullo religionis voto, aut religiosâ professione Congregationi obstringantur; sed in simplici ac primævo statu Sacerdotali ac Clericali vivant; imo nec ulla similia vota Congregatio admittere queat, sed" ipsa Congregatio in primævo & puro sta-
„ tu Sacerdotii, quale Christus Dominus instituit, & in Ec-
„ clesia sua reliquit, nihil addendo, vel detrahendo, per-
„ petuò sit permansura, adeo ut quocumque loco & tem-
„ pore & Congregationis conventu, nulla in ea *professio* si-
„ ve *vota* admittantur: & casu quo aliqui *professionem* e-
„ mittere vel admittere vellent, quamvis essent plures nu-
„ mero, ipso tamen facto à corpore Congregationis se-
„ parati erunt, & bona quælibet & cujuscumque naturæ
„ ac domos, cæteris qui in primævo instituto ac purè Sa-
„ cerdotali, licet pauciores numero remanserint, relin-
„ quere tenebuntur." Ita Constitutiones Congregationis
„ Belgicæ *cap. 1.* quæ iisdem pene verbis in statutis Neria-
„ nis exprimuntur *cap. 4.*

XXIV. Presbyterorum verò hæc Congregatio potissimum instituta fuit, ut in communi viventes functionibus Sacerdotalibus fructuosius & cum populi majore ædificatione incumbere possent,

Nerianæ seu Romanæ Congregationis scopus sive spiritus fuisse videtur, Parochialis alicujus Ecclesiæ curam agere, eamque dirigere; nequaquam verò omnibus indifferenter Sacerdotalibus applicari.

Hinc in Congregationis statutis *cap. 8.* legitur:" Cum „ sint multi in Ecclesia Dei, qui audiendis Monialium con- „ fessionibus aut dant operam, aut dare optimè possint; „ propterea ne quis ab instituto Congregationis nostræ „ proprio possit abduci, statutum est, ne nostrorum ali- „ quis sese obliget aut dedat confessionibus audiendis, moribus reformandis, rebúsque earum gerendis. Idem di- „ cimus de Seminariis, Collegiis, Congregationibus, So- „ cietatibus, aut aliis Universitatibus, rebusque earū quo- „ modolibet tractandis.

Hinc passim domus seu familiæ hujus Neriani instituti uni Ecclesiæ Parochiali regendæ præfectæ sunt; eámque jure Parochiali regunt; nullas præterea hierarchicas functiones obeuntes.

XXV. At Congregationis Gallicanæ, & Belgicæ ab ea progenitæ præcipuum institutum est, ut illis adscripti omnibus quibuscumque functionibus Hierarchicis, ad quas ab Episcopis locorum vocabuntur, applicentur.

Unde in Constitutionibus Congregationis nostræ Belgicæ sive provinciæ Mechliniensis unus è præcipuis finibus institutæ Congregationis assignatur," ut omnia quæ „ sunt Sacerdotum munia & functiones ex fonte gratiæ „ & Spiritu Christi summi Sacerdotis & Sacerdotii insti- „ tutis peragat: hinc Congregatio gratiæ spiritum & in- „ stitutum *Catholicum* seu *universale*, non ad certas ali- „ quas functiones limitatum, habet, *Cap. 8.*

Deinde tamquã consequens subjicitur: " Proinde mo„les religionis & ritus Ecclesiæ loci , in quo fundata est, „quantum potest & decet, sequitur, ac etiam *omnia plane* „munia Ordini Sacerdotali aut Pastorali officia convenientia (uti sunt SS. Sacramentorum administratio, prædicandi, exhortandi, catechizandi munus, juventutis institutio, monialium directio, & hisce similia) exercere potest, & sese ad ista ministeria paratum exhibere debet.

XXVI. Has autem functiones nonnisi ad arbitrium & nutumEpiscoporum exercendas ac subeundas eadẽ Congregatio profitetur his verbis in citato capite 8. expressis: Ad illas porro functiones obeundas, nullam Congregatio facultatem, jurisdictionem aut potestatem sibi vindicat, aut propriam habet à summo Pontifice, sed omnimodam accepit à Rev.mis Dominis Episcopis, ita ut ipsi „non tantum impediendi, prohibendi, interdicendi; sed „etiam præcipiendi, injungendi, & in virtute sanctæ obedientiæ ad exercenda dicta munia Sacerdotalia & Pastoralia, ubi & quæ expedire videbitur, obligandi ergaCongregationem, & singulos ex ea, authoritate polleant. Intendit namque Congregatio, quantum in se est, normam vitæ sacerdotalis ad primævam Christi Domini institutionem continuâ priorum & puriorum temporum praxi observatam reducere, ac ad originem sui revocare principii, & votum seu promissionem obedientiæ, quam Sacerdotes in consecratione emittere solent, quasi renovare & in praxim omnino reducere. Ut sicut Religiosi postmodum in Ecclesia magno ejus bono exorti, ex vi votorum suorum, Prælatis suis per omnia obediunt, ita sint in hacCongregatione è clero simul viventes, quiRevmis Dominis Episcopis in usu suiOrdinis omnino & immediate subjaceant, eisque ex amore ejus, qui Patri suo obediens fuit usque ad mortem, planè submittere se deceant: unde ipsi Rev.mi Domini Episcopi plures ad manum semper habeant operarios, quibus ad omnia munia prædicta uti possint ad nutum.

XXVII. Quare in ipsa præfatione harum Constitutionum declaratur, quod hujus Congregationis" status firmus & perpetuus alius non est, *Quam institutum Sacerdotum vel ad Sacerdotium aspirantium simul & in communi viventium sub directione Præpositorum sive Superiorum*, & sub plena authoritate & Jurisdictione Illustrissimorum seu Reverendissimorum Hierarcharum: quorum principale & principuum institutum sit perfectioni Sacerdotali totaliter incumbere, & in humilitatis spiritu ac piæ vitæ studiis Altissimo famulatum exhibere singulasq; actiones & functiones ordini Sacerdotali propriè convenientes sibi à Reverendissimis præscriptas & non aliàs amplecti, nec non sacerdotum & aliorum ad sacros ordines aspirantium in usu præsertim scientiæ & in pietatis exercitiis institutioni vacare &c.

XXVIII. Porrò hæc omnimoda in exercitio functionũ Sacerdotalium ab Episcopis dependentia nequaquam impedit quo minus directio," sive regimen Congregationis „quoad personas, bona & domus ad ejusdem Præpositos „spectat; ejus quidem directionis potestas primaria in ipso „corpore sive conventu Congregationis legitimè convocatæ, cui etiam Præpositus Congregationis suberit, & in „quo pluralitatem suffragiorum tenebitur sequi, residere „decernitur." Ita Constitutiones Belgicæ *cap.* 2.

XXIX. Convocatio verò Congregationis juxta dictas Belgicas Constitutiones fieri debet unoquoque triennio de consensu Episcoporum, loco & die indicendis ab ejusdẽ Patre Præposito; neque ultra tres menses post expletum triennium prorogari potest.

Penes Congregationem legitimè convocatam est jus eligendi PræpositumCongregationis;" qui debebit pro hac „Mechliniensi Diœcesi per Archiepiscopum confirmari; „imo & pro Provincia, petito tamen prius consilio Episcopi Ordinarii ejus qui electus erit, si is alterius, quam Mechliniensis Diœcesis in hac Provincia fuerit. *Cap.* 4.

XXX. Præter Præpositum, à Congregatione legitimè convocata & congregata ex pluralitate suffragiorum, eliguntur duo *Assistentes*, qui Præposito in negotiis dirigendis assistant.

Hi unà cũ Præposito in omnibus deliberationibus circa „res *temporaneas* jus habent vocis *decisivæ*: quoad spiritualia vero, directionem, ordinem, politiam & regulas, & „res hujusmodi, etiam exteriores, *consultiva* solum.

XXXI. Solius item Præpositi est, Superiores domorum ab Episcopis loci approbandos constituere, vel destituere, seu deponere & mutare, quandocumque judicaverit: idẽ tamen ex causa faciendi jus est etiam penes Congregationem convocatam.

XXXII. Item ejusdem Præpositi est, quos à Deo vocari viderit, admittere; & alia omnia circa personas, domos, spiritualem profectum & bona Congregationis, ex consilio tamen Assistentium peragere.

XXXIII. Præterea quamvis Congregatio à visitatione Episcopi non eximatur, nihilominus quoad ea quæ sunt directionis, Jus etiam visitandi ad Præpositum Congregationis spectat; qui à visitatione domestica per se, vel alium numquam prohiberi potest; eamque ad minimum unoquoque triennio instituere debet.

Novas domos erigere solus Præpositus non potest, sed id ad Episcopos loci Ordinarios spectat.

XXXIV. Nova statuta quoque & leges condere ad solam Congregationem convocatam spectat, postmodum ab Episcopis confirmanda: potest tamen Præpositus mandata & ordinationes ad tempus seu usque ad proximam convocationem servandas, ad omnes domos, modò his Constitutionibus ac Episcoporum authoritati nihil detrahant, destinare.

XXXV. Præter generalem Congregationis Præpositum, penes quem omnium domorum totiusque Congregationis cura & directio quædam eminens residet, sunt insuper singulorum domorum sive Conventuum immediati Superiores: quorum tempus Superioritatis triennio concludi debet; & ad secundum triennium tantummodò & non ultra prorogari potest.

XXXVI. Horum proprium officium est," personas & „domos suæ curæ commissas tam quoad spiritualem statum, quam quoad temporalium administrationem dirigere & conservare, & quantum in se est promovere *C.6.*

Quoad temporalem tamen domorum statum aut exteriorem ejus faciem nihil innovare, aut mutare, vel contractum aliudve negotiũ notabile res tẽporales spectans concludere, sine authoritate Præpositi Congregationis possũt.

XXXVII. Licet singulæ domus seu familiæ sua habere soleant bona separata; tamen quia in unam Congregationem omnes sunt unitæ ut unitas spiritus per charitatis vinculum conservetur, & fortius colligetur, monentur Superiores domorum," ut studeant & se invicem charitate cõplecti, atq; etiam quando secundum Deum se posse indicabunt, præsertim cum domus certis & perpetuis reditibus fundatæ erunt, aliqua domibus magis indigentibus subsidia temporalia præstare ex iis, quæ honestæ & modestæ suarum sustentationi & intertentioni superesse „possent.

XXXVIII. In spiritualibus studium Superiorum eo præcipuo collimare debet, ut Spiritum vitæ JesuChristi D. N. Sacerdotis in æternum, in suis excitent; atque intendant maximè Animarum profectui & perfectioni, occurrendo omnibus impedimentis, succurrendo infirmitati & necessitatibus singulorum: denique firma in illis solidæ virtutis, veræque pietatis fundamenta jaceant & stabiliant.

XXXIX. Ad domorum Superiores præterea pertinet, inferiores quoscumq; singularium suarum respectivè domorum ministros sive officiales instituere, & mutare prout indicaverint; & illis in eorum exercitio superintendere, eosque dirigere, atque defectus supplere.

XL. Quia Congregatio *Oratorii* nulla religionis vota, nullamque religiosam professionem agnoscit, idcirco nec propriè *novitiatum* habet; ne tamẽ haud probati Congregationi incorporentur; probationis tempus præmitti quoque voluit, quod *instientio* dicitur; eo quod illo durante in exerci-

exercitiis pietatis aliisque ad congregationem spectantibus functionibus *instrui* debeant, & probari.

Hoc *institutionis* tempus ex præscripto congregationis Belgicæ extenditur ad triennium cum trimestri, ad honorem ejusdem spatii vitæ conversantis JESU CHRISTI in terris, quo suos Apostolos formavit atque instituit.

XLI. *Institutionis* tempore elapso, si reperti sint tales, „qui congregationi judicantur convenire," Sacerdotes vo„cem activam habebunt, atque omnes censebuntur *incor„porati*: nec poterunt quacunque occasione è congrega„tione dimitti, nisi ob causam valde notabilem, quæ de „novo acciderit, & talis à P. Præposito congregationis, „nec non à tribus Patribus domorum, in quibus illi habi„tarent judicata fit, vel ab ipso solo, si res communicari „non possit. *Cap. 9.*

XLII. Fratres verò *servientes* sive laici debent scripto declarare, se nullâ spe mercedis velle servire: atque per duos ut minus annos conversari & servire debent in habitu sæculari, & tunc vestiri poterunt, & post duos alios annos censebuntur *incorporati*: nec dimitti poterunt nisi ob rem valde gravem, & modo quo Sacerdotes, aut ad Sacerdotium aspirantes. Poterit tamen Præpositus dispensare ut citius vestiantur, vel etiam tempus prorogetur. *Cap. 10.*

XLIII. Porrò quamvis jam *incorporati*, è congregatione nisi ob gravem causam inviti dimitti nequeant, ipsi tamen nullâ assignatâ causâ semper pro libitu à congregatione recedere possunt.

XLIV. Adhæc cum nullum paupertatis votum emittant, per hanc *incorporationem* nihil perdunt aut amittunt de suis juribus, gradibus, beneficiis, aut bonis temporalibus, de quibus etiam liberè, non secus ac alii clerici sæculares disponere possunt.

XLV. Si qui tamen reditus sufficientes vel ex beneficiis, vel ex patrimonio habent, meritò tantum in commune conferent, quantum eorum necessitatibus impendi debet, ne alias ex proventibus communibus in usum pauperum destinatis viventes, suum censum cum aliorum detrimento augere velint.

Qua de re in Statutis congregationis Nerianæ *cap. 8.* hæc leguntur: "Quicunque admittuntur in congregationem, „sciant cujuslibet anni reditus expendendos in bonos, „quos ipsi judicaverint, usus, neque quidquam cumulan„dum: ne quis scilicet è nostra congregatione ullam curã „ponat in divitiis parandis: imò verò ex censu pro suis „quisque facultatibus in commune commodum congre„gationis liberè conferendum est. Quod à nostris adeo ser„vatum est hactenus, ut si quis ob inopiam id non præsti„terit, vel præstare intermiserit, statim atque de suo abun„dantior quoquo modo factus est, pecuniam pro rata „portione dare ac solvere non destiterit. Ita eis conveni„ens ac consentaneum semper visum est stipendiis pro„priis militare, & à rebus etiam congregationis tanquam „ab alienis abstinere, quibus ipsa debet in primis non ha„bentes unde vivant sustentare suos.

Hæc planè consona sunt regulis, quas in rebus temporalibus dispensandis observare debebant Canonici in communi viventes (quorum vivendi normam congregationis hujus Presbyteri æmulantur) quarum summarium c. 107. in Synodo Aquisgranensi expressum ita habet. *Cum quo damno animæ suæ ab Ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiant illi, qui sibi de suo sufficiunt.*

Porro sicut Canonici in *communi* viventes, licet non essent verè *Regulares*, utpote voto paupertatis non adstricti, tamen quasi Regulares reputabantur; atque propterea eorum domus tunc *Claustra*, *Monasteria* & *Abbatia* dicebantur; & eorum Superiores *Abbates*; quidni ob earundem vivendi rationem monasticæ disciplinæ multùm similem Sacerdotes Oratorii dicantur *quasi Regulares*?

Unde videmus, quod etiam subinde quasi pro Regularibus aliquatenus reputentur; atque in eorum admissione ipsi Magistratus adjiciant modificationes similes iis, quæ Regularium admissioni adjici consueverunt; cujus exemplum supra *Tit. 24. c. 3. n. 26.* relatum est.

XLVI. Hactenus tamen dicta sufficienter ostendunt institutum Oratorii nullatenus dici posse institutum *Religiosum*, prout id hodie accipitur; utpote ipsa Religionis substantialis vota non agnoscens. Si tamen vivendi disciplina in ipsis constitutionibus præscripta, & huc usque observata attendatur, apparebit, eam esse plane conformem cum disciplina Clericorum & Canonicorũ in communi viventium, quam Synodus Aquisgranensis anno 816. expressit & compendiosè descripsi in Dissertatione Canonica de instituto Canonicorum *parte 3. c. §. 2.*

CAPUT II.
De Canonissis.

1. *Canonissarum Belgica Collegia.*
2. *Judicium Miræi de Canonissarum origine.*
3. *An hodierna Collegia Canonicarum fuerint Monasteria* publica *Sanctimonialium & Monachorum.*
4. *An Canonissæ hodiernæ successerint Sanctimonialibus, & quo tempore primum audiri cœperit nomen* Canonicarum
5. *Canonissis in Synodo Aquisgranensi seculo 9. regula præscripta, sed ab his multum descriverunt hodiernæ.*
6. *Canonicæ, de quibus Synodus Aquisgranensis, votum perpetuæ castitatis & stabilitatis emittebant.*
7. *Disciplinam planè regularem & communem vivendi normam observabant, neque* ignobiles *excludebantur.*
8. *In Canonicarum Monasteria virorum introitus sollicitè cavetur.*
9. *Erant Sanctimonialibus similiores, quam hodiernis Canonissis.*
10. *In quo à veris Monialibus differrent.*
11. *Quamdiu disciplina hæc inter Canonicas fuerit servata.*
12. *Ad exemplum Canonicorum videntur Canonicæ seculo 12. & 13 ad vitam singularem transiisse.*
13. *Exemplo Canonicorum cœperunt Canonicæ se à voto Castitatis eximere.*
14. *Ad exemplum Canonicorum singulariter viventium, Canonicæ dictæ sunt Seculares.*
15. *Canonicarum secularium meminit seculo 13. Bonifacius VIII.*
16. *Quomodo seculo 13. ad vitam secularem transiissent Canonicæ, & quæ earum vivendi norma.*
17. *Ad Collegia Canonicarum hodie non nisi* nobiles *puellæ admittuntur.*
18. *Ad nuptias transire possunt, excepta Abbatissa, & quibusdam Officialibus: & quæ hujus exceptionis ratio.*
19. *Quis hodiernus Canonicarum vestitus.*
20. *Canonici hodie Collegiis Canonicarum adjuncti, quod eorum officium.*
21. *Unde contingat Canonicos à Canonissis despici.*
22. *Abbatissa aliquando jurisdictionem in Clericos exercet.*
23. *De jurisdictione Abbatissæ Collegii Canonicarum Nivellensis.*
24. *Qualis data sit, & hodie competat Collegio Canonicarum Montensi.*
25. *Malbodiensium Canonicarum jurisdictio.*
26. *Canonicæ seculares ex mente Fundatorum debent etiam* canonicè *vivere.*
27. *Eas reformari superiori seculo desideravit Synodus Coloniensis.*
28. *Quid in illis observatum voluerit Synodus Augustensis.*
29. *Collegium Canonicarum abjecta vita seculari ad regularem transitis.*
30. *Collegia Canonicarum reputantur Corpus* Ecclesiasticum.
31. *Abbatissæ horum Collegiorum ad Synodos vocantur.*
32. *Collegia hæc solent esse sub* immediata *Principis protectione, & consequenter sine ejus consensu visitare nequeunt.*

I. Habemus hic in Belgio nostro nonnulla Canonicarum sive Canonissarum collegia, quæ unà cum aliis in Germania & Lotharingia fundatis & hodiedum exstantibus recenset Miræus ad calcem notarum in Regulam Canonicorum. Et in notis ad *caput 13. Cod. Donat.* de canonissis Belgicis hæc habet: " Canonissarum nobili „stirpe progenitarum, quæque ad nuptias transire possunt „collegia in Hannonia sunt duo, Montense, & Malbodi„ense: totidem in comitatu Namurcensi, andennense & „Monasteriense, & unum in Brabantia Nivellense, omnium apud Belgas (ut arbitror) antiquissimum.

II. De origine Canonicarum hæc scribit idem Auctor libro de collegiis Canonicorum *cap. 19.* " Non sum nesci„us multos contendere olim Canonicarum illarum ut cæ„terarum virginum collegia, si non omnia, saltem, pleraque *voto* sese *castitatis perpetuæ* solita obstringere; etsi id ipsæ Canonicæ ægrè forsan admittant.

III. Vir eruditus Joannes Mabillonius de Canonicarum exordio disserens, contendit in plerisque Canonicarum Collegiis primitus fuisse ordinatas *Sanctimoniales* sub Regula S. Benedicti; iisque Monachos Præfectos; atque ita primitus fuisse *duplicia* monasteria, scilicet Sanctimonialium & Monachorum," Quemadmodum, ait, in Belgica „illa Cœnobia successerunt Collegia *Canonicarũ* Monachabus, ita & Monachis Canonicorum Conventus ut „sicut primitus Monachi Monachabus, ita postmodum „Canonici Canonicabus Sacramenta administrarent. Puellas in illis Cœnobiis degentes (pergit Mabillonius) ve„lo consecratas & voto castitatis obstrictas fuisse, clarius „est, quam ut probatione indigeat.

IV. Hæc ille in præfatione ad sæculum II. Benedict. *n*, 32. qui & alibi Asserit:" Ante sæculum IX. inauditum fuit „in Gallus Canonicarum nomen & institutum: audiri pri„mum cœpit in Concilio Cabilonensi (anno 813. habito) „quod Sanctimonialibus à primæva religione deficienti„bus & Canonicas sese jactantibus primùm *instructionẽ* „*pro Sanctimonialibus quæ se Canonicas vocant c.* 53. ac „sequentibus præscripsit. Notanda capitis 53. hæc verba:" *Libuit namque huic sacro Conventui quasdã admonitiunculas breviter iis* SANCTIMONIALIBUS *scribere, quæ se* CANONICAS VOCANT: *quoniã hæ quæ sub Monastica regula norma degunt, tot ut vita sua ordinem in eadem nam profitentur regula scriptam habent.*" Novum ergo, „inquit Mabillonius tum erat Canonicarum nomen, nova „religio, quibus Conciliũ dictat regulas, quas Ludovicus „Augustinus anno post tertio in Concilio Aquisgranensi „(in quo sua Canonicis, & sua Canonicabus regula condi„ta est) explicari curavit." In observationibus præviis ad vitam S. Gertrudis *ad annum* 658. sæculi 2. Benedictinorũ.

Itaque si Mabillonio credimus circa sæculum 9, quædam Sanctimonialium Monasteria in Canonicarum collegia; quemadmodum nonnulla Monachorum in Canonicarum Capitula, degenerârunt.

V. Quidquid sit de hac Mabillonii opinione id satis constat, Canonicas quibus in Synodo Aquisgranensi anno 817. regula præscripta fuit, multùm in vivendi disciplina ab hodiernis Belgicis Canonicabus fuisse diversas.

VI. Inprimis Canonicæ de quibus Synodus, non secus ac reliquæ Sanctimoniales *perpetuo* castitatis vinculo obstringebantur; uti constat ex *c.* 8. *Regulæ*, ubi præcipitur, ut non facilis ab Abbatissis detur ingressus iis, qui Monasteria expetiverint:" Quia, ait, postquã se Domino in hac „militia devinxerint, nequaquam sibi licitum erit pro„priis uti consiliis, nec sæcularibus penitus implicare pos„se negotiis: nec frequentiam virorum, aut collocutionẽ „familiarem absque causâ inevitabili habere debent Pro„inde scrutentur prius arcana cordis sui simulque super „adnotatas SS. Patrũ sententias assiduâ meditatione per„legant, ne inconsultè & minùs cautè *vinculum continen„tiæ* & virginitatis arripientes, tedeant post satan, & fiant „sicut canis reversus ad vomitum.

VII. Debebant in Monasteriis *jugiter* residere. Vestibus *nigris* utebantur. Omnes *in communi* dormitorio, sed singulæ in singulis lectis dormiebant. In refectorio quotidie *pariter* reficiebantur, nisi quam infirmitas aut ætatis imbecillitas id facere prohibuisset. Omnes *sibi* caritatis officio vicissim *serviebant*. Illis in refectorio comedentibus & silentium religiose tenentibus, continuatim legebatur lectio Ad collationem quotidie veniebant, & hanc institutionem seu regulam sive aliarum scripturarũ lectiones perlegebant & de animæ suæ salute pertractabant ubi etiam delinquentes juxta modum delicti corripiebantur uti hæc omnia constant ex *c.* 10. Regulæ: ex quo pariter intelligitur, quod non tantùm nobiles, sed & ignobiles in Canonicarum Cœnobia admitterentur. *Nobiles genere*, ait, *nequaquam ignobilioribus se præferant scientes quia personarum acceptor non est Deus.*

VIII. Sedulò curabatur, ut virorum ad Monasteria Canonicarum non pateret accessus; omnisque virorũ familiaritas & conversatio caveretur *cap.* 19. 20. & 26. Regulæ Quin & *cap.* 27. decernitur, ut" Presbyteri, qui ipsis „Missarum solemnia celebrare debent, extra Monasteriũ „sit locus, & Ecclesia, ubi cum ministris suis habitent & „Divinæ servitutis obsequium expleant & non nisi sta„tuto tempore Monasterium ingrediantur puellarum, & „cum eis Diaconus tantùm & Subdiaconus, qui scilicet & „vitæ honestate clarescant, & non se, sed JESUM CHRI„STUM amare cupiant; nec sua quærant, sed quæ JESU „CHRISTI: & non amplius ibi immorentur, nisi in Mis„sarum celebrationibus ad Sanctimoniales publicè faci„endis, quibus ritè & devotè celebratis, illico foras egre„diantur, Sanctimoniales namq; velo ante posito, ut mo„ris est, Horas Canonicas & Missarum solemnia celebret „Sed & hoc caveant, ut nulla illarum cum iisdem Pres„byteris, eorúmque ministris aliquam sermocinationem „familiarem habeat. Si qua igitur peccata sua Sacerdoti „confiteri voluerit id in Ecclesia faciat, ut ab aliis videatur „sicut in dictis SS. Patrum continetur: exceptis infirmis, „quibus in domibus id facere necesse est.

IX. Hæc omnia sat ostendunt, Canonicas, quales Regula Aquisgranensis describit; multùm ab hodiernis in vivendi norma fuisse distinctas; magisque *Sanctimonialibus* & *Monialibus*, quam modernis Canonicabus fuisse simi es; unde etiam passim *Sanctimoniales*, earúmque collegi. *Monasteria* vocantur.

X. Differebant autem à veris *Sanctimonialibus*, quod paupertatem sive rerum suarum abdicationem non vovebant; sed tamen ante ingressum (si quidem facultates suas nollent offerre Ecclesiæ) ita jubebantur disponere, ut ad vitam tendentes æternam, nullam earum occasione patiantur perturbationem: utque remotâ quarumcumque forensium rerũ occupatione, suum liberiùs & quietiùs possint custodire propositum *Capite* 9. *Regulæ*.

XI. Quando tempore hæc vivendi norma apud Canonicas viguerit, incertum est. Illud notat Aubertus Miræus, Collegium Canonicarum Nivellense (quod inter Belgica Canonistarum Collegia videtur antiquissimum) in communione bonorum, ac possessionum usque ad annũ 1059. perstitisse: quo anno, ait, prædia illius Ecclesiæ in tres portiones, Henrico IV. Imperatore agente fuerunt divisa: in Xenodochium, in Beneficium Abbatissæ, & in „Præbendas 72. Fratrum ac Sanctimonialium. Divisio„nem istam Lotharius Imp. anno 1136. approbavit." Hæc Miræus in notis ad calcem Indicis Collegiorum Canonicarum qui habetur in Codice Regularum, qui & utrumque illud diploma transcripsit in notitia Eccles. Belgii *cap.* 89. & 347.

Hinc habemus, quod circa sæculum 11. proventus Canonicarum cœperint dividi; atque in *præbendas* degenerari; ac consequenter paulatim magis magisque à disciplina Sanctimonialium seu Monialium recedere.

XII. Imo admodum verisimile apparet, quod sicuti Canonici circa sæculum 12. & 13. desertâ vitâ comuni transiverunt ad vitam singularem, ita quoque Canonicæ circa idem tempus à vita communi transire cœperint ad vitam singularem.

De Monasteriensi S. Petri collegio Canonicorum 10. & Canonissarum 15. scribit Miræus:" Relictâ vitâ *communi* „anno 1282. ad *proprietariam* transierunt.

XIII. Quemadmodum Canonici vi sui Canonicatûs nõ existimârunt se voto *perpetui* celibatûs constringi, solamque Clericalem Tonsuram sufficere crediderunt; atq; dimisso Canonicatu posse transire ad statum Matrimonialẽ: ita sensim quoque invaluit ut Canonicæ à voto perpetuæ castitatis se exemerint; liberúmque sibi esse æstimârint, statum Matrimonialem, relictâ vitâ canonicali, assumere.

XIV. Porrò sicuti Canonici post dimissam vitam communem, & acceptam singularem, dicti fuêre *Sæculares*, ad distinctionem eorum, qui vivunt sub certa Regula *in communi*; ita Canonicæ post transitum ad vitam singularem dici cœperunt *Canonicæ sæculares*.

Rectè proinde notasse videtur Molanus *lib.* 1. *D. Canonicis c.* 15. talem fuisse sæculo 9." Canonicarum propor„tionem erga Sanctimoniales, seu Monachas, qualis erat „Canonicorum erga Monachos, licet sicut Canonici à ve„teri

„teri illa regulæ disciplina plurimum recesserunt, ita & canonicas hac in parte sequaces habuerunt.

XV. De his canonicabus *sæcularibus*, seu vitam singularem agentibus agitur in *c. 43. § penult. De Electione in 6.* cujus auctor est Bonifacius VIII. qui sedit sub finem sæculi 13. declaratque formam præscriptam in electione Abbatissarum & Præfectarum Monialium, etiam servandum in illis(Monasteriis)" ubi sunt juxta quorundam Provinciarum consuetudinem mulieres, quæ nec propriis renunciant, nec professionem faciunt Regularem, sed vivunt „ut in sæcularibus Ecclesiis canonici." Vocanturque in *Rubrica* Decretalis *Canonicæ sæculares.*

Cæterum unà declarat Bonifacius VIII. quod per hanc suam constitutionem, earum statum, Ordinem & regulam nolit nec intendat approbare; quæ eadem clausula legitur in Clementina ATTENDENTES, *De Statu Monachorum*, ubi mulieres illæ expresse dicuntur *Canonicæ sæculares, & ut sæculares Canonici vitam ducunt.*

XVI. Qua ratione ad exemplum canonicorum sæcularium cum vita singulari, ad sæcularem quodammodo, sæculo 13. transiissent canonicæ, narrat illius temporis non contemnendus Historicus Cardinalis De Vitriaco in Hist. Occid. c. 13. "Ad imitationem & exemplum prædictorum „canonicorum sæcularium in partibus Hannoniæ & Brabantiæ, & in quibusdam Theutonicorum & Alemannorum Provinciis sunt mulieres, quas canonicas sæculares „seu Domicellas appellant. Non enim Moniales nominari „volunt, sicut canonici sæculares Monachi non dicuntur. „Hæ siquidem adeo personas accipiunt, quod non nisi filias militum & nobilium in suo collegio volunt recipere „religioni & morum nobilitati sæculi nobilitatem præferentes. Purpura autem & bysso, & pellibus griseis, & aliis „jucunditatis suæ vestibus induuntur, circumdatæ varietatibus, cum tortis crinibus & ornatu pretioso circumamictæ.... Pellibus autem agninis quantumcunque sub„tilibus & delicatis utuntur..... Clericorum autem & puel„larum & juvenum servorum etiam sibi ministrantium „cincta obsequio in domibus propriis honorificè & splen„didè epulantur, nec desunt mensis eorum consanguinei „in primo gradu sibi propinqui, quos cognatos suos ap„pellant. In dormitorio autem juxta Ecclesiam suam de „nocte quiescunt.... Sunt autem in iisdem Ecclesiis pariter Canonici sæculares diebus festis & solemnibus ex altera „parte chori cum prædictis domicellis canentes, & earum „modulationibus æquipollenter respondere studentes.... „Similiter in processionibus compositæ & ornatæ Cano„nici ex una parte & Dominæ ex alia parte concinentes „procedunt. Quædam ex ipsis postquam diebus plurimis „de Christi patrimonio vixerunt, relictis præbendis & Ec„clesiis, carioribus sibi personis matrimonio copulantur. Quod de sui temporis Canonicabus scribit Vitriacus, hoc penè totum de hodiernis Belgicis Canonicabus verificatur.

XVII. De Nivellensibus scribit in sua descriptione Belgii Guicciardinus: Nec in sodalitium hoc admittuntur, nisi magnatum & virorum Principum filiæ, quæque quadruplæ minimum nobilitatis membra paterni simul & materni stemmatis numerent. Idem de Canonicabus Montensium & Malbodiensium & aliis Belgicis collegiis testatur, & notoria praxis docet, nullas scilicet in harum sodalitium, nisi nobilitate insignes admitti.

XVIII. Similiter quod de transitu ad statum matrimonialem scribit Vitriacus, etiam de nostris Guicciardinus asserit, nimirum iis licere, oblata occasione, & pro arbitrio nubere; exceptis Abbatissa & Officialibus, quæ perpetuæ castitatis *voto* astringuntur; exemplo forsan Canonicorum, inter quos Decanus aliique in dignitate constituti, ad Sacros Ordines, iisque annexum votum castitatis, suscipiendos constricti esse solent.

XIX. Vestes & ornatum nostratium Canonicarum ita describit Guicciardinus de Nivellensibus disserens: "Mane „quidem & dum religioni operantur, cultu spirituali, sive „Ecclesiastico, sed qui nobiles deceat, &, ut ipsæ sunt, candido pellibusque pretiosis suffulto; à meridie verò, sæcu„lari, ut vocant, veste, è serico vel id genus materia, nobilium puellarum in morem, ornatæ. Pag. 253.

XX. Habebant Presbyteros, qui Canonicabus sacra ministrarent, eaque exequerentur, quæ Ordo Ecclesiasticus sexui fœmineo non permittit.

Hi primitus etiam ex communibus Monasterii bonis alebantur; at dum Canonicæ ad vitam singularem transiêre, etiam ipsi Presbyteri sensim in Canonicos sæculares transierunt; atque hinc hodie duplex Capitulum, alterum canonicarum, & alterum canonicorum.

Hi canonici, ait Miræus in notis ad Regulam canonicarum,"in Sanctimonialium canonicè viventium templis „Missarum solemnia celebrant; & habent ii insuper sua „propria ac peculiaria templa, in quibus horas canonicas „cantant, & alia sacra munia obeunt.

Quibusdam etiam diebus solemnioribus, in templis cum canonicabus divinum officium peragunt; & in supplicationibus procedunt; uti de canonicis sui temporis retulit De Vitriaco.

XXI. Illud notat Molanus," Passim hujus Ordinis ca„nonicæ, suos confratres, in præbendis pares, in dignitate, „propter Sacerdotium, longè superiores, vix alio loco ha„bere dignantur, quam ut Sacellanos suarum generosarū „Dominationum, quamvis quædam inter eas sint nuptia„rum expectatrices & sollicitatrices. Quod, ait, ex eo capi„te fieri arbitror, quia Abbatissæ jurisdictioni subsunt. *Lib. 1. De Canonicis cap. 15.*

XXII. De jurisdictione Abbatissæ in suas canonicas & clericos habemus Decretalem Honorii III. in *Cap.* DILECTA 2. *De Majoritate & Obed.* ex qua quoque intelligimus, quod Abbatissa clericos *suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum officio beneficioque suspenderet*; mandatque Pontifex Abbati S. Michaelis Abrincensis Diœcesis," quatenus dictas canonicas & clericos, ut „Abbatissæ præfatæ obedientiam & reverentiam debitam „impendentes, ejus salubria monita & mandata obser„vent, monitione præmissâ per censuras Ecclesiasticas ap„pellatione remotâ compellat.

XXIII. Abbatissæ canonicarum Belgicarum similiter clericos suæ jurisdictioni subjectos esse prætendunt; atque de Abbatissa Nivellensi refert Guicciardinus. " Est autem „hæc ipsa Antistita, non sacri tantummodo hujus collegii „caput, verum etiam Domina spiritualis simul & tempo„ralis, ut vocant, Nivellæ & territorii ejus, haud quaquam „exigui. *Pag. 153. edit. 1652.*

XXIV. Collegio canonicarum Diva Gualtrudis" præ„esse voluit, ait Guicciardinus, Abbatissam, & luculentam „profectò ditionem, cum civili pariter atque sacra juris„dictione & amplissima potestate ex patrimonio suo at„tribuit... Factum deinde, ut lapso temporis Abbatialis, ut „sic dixerim, dignitas, & Imperatoris Romani in eam jus „hæreditate obvenerit Hannoniæ Comiti Balduino. Ex „quo tempore comites successores in hunc usque diem „sunt Antistites sæculares, Patroni, custodes, Judices, Pro„tectores ac defensores dictæ ædis divæ Gualtrudis, per„sonarum in ea degentium, & bonorum collegio relicto„rum, quibus & sine ullo prorsus obstaculo hactenus per„fruuntur, & Antistitæ suas regendi vices mandant. Quæ „ex legibus in æternam memoriam sanctis insignis Funda„tionis tantam habet auctoritatem ac præeminentiam, „ut succedente novo Hannoniæ Comite, ipsa eum, ut co„ram nuper spectavimus in persona Philippi Regis, magna „solemnitate suscipiat, ac in comitatus & dignitatis Ab„batialis, aliorum bonorum à collegio dependentium „possessionem immittat: ipso contra jurejurando se ob„stringente ad privilegia omnia, immunitates, exemptio„nes, consuetudines, & possessiones templa atque cœno„bii Divæ Gualtrudis conservandos. *Pag. 456.*

XXV. De Malbodiensi canonicarum collegio loquens Guicciardinus dicit:" Est autem & penes istas canonicas „suprema in oppidum & territorium ejus jurisdictio, sic ut „civilem simul & criminalem justitiam administrent. Gau„dent insuper eo privilegio, ut signare possint quotannis „defini-

„ definitam quandam & certam summam mitarum [ita „ nuncupat minutissimū illud ex plumbo monetæ genus „ Divæ illius effigiem præferens] quarum duodecim singulos valent denarios sive(ut vulgo loquimur) grossos „ Flandriæ. Et exponitur quidem plumbea ista monetula „ per totam quam latè patet Hannoniam, usque ad ipsam „ Bruxellam, sic ut nemini liceat eam defugere. *Pag.* 496.

XXVI. Cæterum sicuti Canonicorum ad vitam singularem transitus, nullatenus ipsos Canonicos exemit, quin juxta suam institutionem *canonicè* vivant; uti latiùs supra *tit.* 7. *c.* 4. ostensum fuit; ita nec similis Canonicarum à vita communi ad vitam singularem transitus efficere potest, quin juxta mentem Fundatorum, quamdiu de proventibus Ecclesiasticis vivunt, se divino cultui consecrent. Certum quippe & indubitatum est, proventus illos non alium in finem illis collegiis Canonicarum attributos, quam ut puellæ in illis susceptæ, & ex illis viventes, cultui Divino vacent, & canonicè & regulariter vivant.

Hodie verò præter Divini Officii, sive Horarum Canonicarum persolutionem nihil pene de vita Canonicali & Religiosa in vivendi ratione apud Canonissas nostrates superest, de reliquo instar puellarum nobilium sæcularium, sed ex bonis & proventibus Ecclesiasticis viventes.

Hi ad quos horum collegiorum cura & regimen pertinent, despicere possunt, num similis vivendi disciplina conformis sit menti ac voluntati Fundatorum, & utrum Ecclesia vitam illarum *singularem* tolerans, eam quoque vivendi rationem permittat.

XXVII. Eas reformari sæculo præterito desiderabat Synodus Coloniensis, atque in Ordinem ac quandam Ecclesiasticam disciplinam revocari." Vitam, conversationem, „ ac mores Canonissarum, quæ seculares ob id appellan„ tur, quod perpetuæ castitatis, ac reliqua vota monastica „ non emittant, reformari omnino ducimus necessarium. „ Nam vitam agunt plures nimiò licentiosam, ac plerique „ scandalosam. Quæ ut in ordinem & Ecclesiasticam „ quandam disciplinam, quoad fieri potest, revocentur, „ nobis cum visitationem aggredimur, curandum est.

XXVIII. Circa idem tempus Synodus Augustensis *cap.* 22. voluit, ut " canonissæ continentiæ studium nulla voti „ solemnitate obstrictum sectantes, commune habeant „ dormitorium, habitu modesto, mundo & castitatis in„ dice utantur. Magna quoque instituti sui commoda (ait „ Synodus) ex mensæ communione perciperent: si contra „ inveteratum apud eas morem adduci ad hoc possent: „ quod ut faciant, eas in Domino hortantur.

XXIX. Canonissarum vitæ laxioris genus cum iniquius ferrent puellæ Monasterii Horreensis apud Treveros, abjecto canonicarum indumento & vitæ genere, ad S. Benedicti leges se revocarunt anno 1494. Eximio sanè exemplo & hortatu D. Joanne de Bertstein Abbatissæ(ait Mabillonius loco citato) quæ avitam Ordinis Monastici disciplinam vetustate & morum corruptelâ collapsam reduxit.

XXX. Tametsi canonicæ hodiernæ à vita communi transierint ad vitam singularem; & è Sanctimonialibus, aut Canonicis quasi Regularibus factæ sint *Saeculares*, nihilominus reputantur etiamnum hodie corpus *Ecclesiasticum*, nam uti rectè notat Bertrandus Loth in suis Resolutionibus Belgicis *tract.* 9. *q.* 2. *art.* 2." Præsens horum collegi„ orum status est, ut sint Ecclesiæ collegiales sæculares & „ tales agnoscantur ab Ordinariis locorum; Capitula habe„ ant & Ecclesias, quæ non sunt nomina laica. Visitantur „ auctoritate Ecclesiasticâ, vitæ institutum ab eadem reci„ piunt, & ordinationes, cùm opus est. In processionibus „ non tantùm inter Ecclesiasticos procedunt, Sacerdotes, „ Sacellanos producunt & Canonicos de suo Collegio; sed „ & supra reliquum Clerum supereminent, dignissimum „ locum sustinente ipsâ Abbatissâ, pedo, Prælatorum Ec„ clesiasticorum insigni, ante lato.

XXXI. Quapropter Abbatissæ horum Collegiorum, etiam ad Synodos, non secus atque aliæ Abbatissæ Regulares, & Capitula Ecclesiarum Collegiatarum vocantur. Et quidem Synodo Provinciali Cameracensi anno 1565. subscribunt:" Margareta D. Hinkaert Abbatissæ de Malbodio „ Joannes De Rametz Procurator. Margaretæ De Noyel„ les Abbatissæ de Nivella Alphonsus Deylleren U. J. Li„ centiatus Procurator. Domicellarum Capituli Sanctæ „ Valdetrudis Montensis Simon Bosquet Procurator.

XXXII. Hæc Collegia pleraque à Regibus fundata, etiam sub *immediata* Regis protectione esse reputantur: ideoque juxta Decretum Synodi Tridentinæ *Sess.* 22. *can.* 8. *De Reformat.* ab Episcopis sine Principis licentia visitari non posse. Declarando enim quod Episcopi habeant jus visitandi Hospitalia, Collegia quæcunque ac Confraternitates laicorum, etiam quas scholas, sive quocunque alio nomine vocant, subjicit hanc exceptionem: *Non tamen quæ sub Regum* IMMEDIATA *protectione sunt sine eorum licentia.*

CAPUT III.
De Beguinis.

1. *Quo tempore inceperint* Beguinæ *incertum.*
2. *Sæculo* 13. *erant mulieres quæ dicebantur* Beguinæ.
3. *Mulieres illæ etiam seculo* 14. *videntur vixisse sicut hodiernæ* Devotariæ *in domibus privatis.*
4. *Quædam illarum simul habitare, & sub certis legibus vivere cœperunt.*
5. *Ecclesias Parochiales frequentabant & Presbyteris Parochialibus erant subjectæ, nec proprium Parochum habebant.*
6. *Habebant Directores & Directrices sicut hodiernæ Devotariæ.*
7. *Interdum ex speciali privilegio dabatur Capellanus, salvo jure Ecclesiæ Parochialis.*
8. *Hodie plerisque Beghinagiis est proprius Parochus.*
9. *Olim Beguinæ à suis Directoribus & Directricibus normam vivendi accipiebant.*
10. *Primitus nullam professionem emittebant: Quæ hodierna professionis formula.*
11. *Vivendi disciplina in singulis pene Congregationibus olim erat diversa, hodie secus.*
12. *Quo tempore Beghinagia pleraque instituta, & quis primus Fundator.*
13. *Sæculo* 14. *institutum hoc non mediocres subiit vexationes.*
14. *Variis illis adscripti errores, & status earum damnatus, atque hinc & Belgicæ vexatæ fuerunt.*
15. *Joannes* XXII. *declaravit non omnes Beguinas ea damnatione comprehendi.*
16. *Idem præcipit, ut Belgicas Beguinas à vexatione Episcopi tutarentur.*
17. *In Gallia institutum Beguinarum desiit & quare.*
18. *In quibus Beguinarum institutum & moderna vitæ disciplina conveniat cum Regulari.*
19. *Qua ratione Beguinæ censeri possint statum assumpsisse, idque potiore ratione quam Filiæ devotæ.*

I. QUo tempore Beguinæ, quarum hodie in Belgio viciniis aliquibus Provinciis magnus est numerus, initium sumpserint; ac præsertim ad eam, quam modo observant vivendi normam, redactæ sint, non parum obscurum est.

II. De S. Ludovico Rege Galliarum scribit Thomas Cantipratanus *lib.* 2. *De Apibus c.* 29. *n.* 40." Rex devotis„ simus Ludovicus, in tantum amplectitur virgineæ digni„ tatis pudicitiam sectantes, ut Parisiis collegerit *Beghina*„ *rum* maximam multitudinem, ut se in humilitatis obse„ quiis exerceat & salute.

Et de Philippo Monmiraltio testatur ibidem *c.* 38. quod octo Monasteriorum Ordinis Cisterciensis Fundator extitit," exceptis, ait, Congregationibus *Beghinarum*, quas „ ad *quinque millia* & eo *amplius* in diversis locis in Chri„ sti servitio mancipavit.

Quam vivendi rationem hæ mulieres, quæ Beghinæ hodie dicuntur, tunc tenerent, incertum est.

II. In *Extravagante* RECTA Ratio *De Religiosis domibus inter communes*, cujus auctor est Joannes XXII. dicitur: "In multis mundi partibus plurimæ sunt mulieres, quæ „ vulgò *Beghinæ* vocatæ, segregatæ, quandoque in paren„ tum, aut suis, interdum verò in aliis, aut conductis sibi „ communibus domibus simul habitantes.

Similiter idem Pontifex in litteris ad Episcopum cameracensem, quas refert Miræus *lib.* 1. *Diplom. Belg. cap.* 91. testatur, quod relatione fide digna didicerit, plurimas esse in civitate & Diœcesi cameracensi mulieres, *Beghinas* simpliciter

citer nuncupatæ," quæ in sancta & solida simplicitate vi-
„ ventes, aliquæ proprias aliquæ parentum, aliquæ condu-
„ ctas, vel sibi communes, & cum honesta familia domos
„ inhabitantes, aliquæ verò rerum cogente defectu, simul
„ in iisdem domibus & diversis Beghinagiis, ad majorem ca-
„ stitatis observantiam, commorantur.

Ex his aliisque monumentis rectè colligit Petrus Coens Canonicus Antverpiensis in Disquisitione historica De Origine Beghinarum *sect.* 3. non tantùm eas, quæ in Congregationibus seu Beghinagiis habitabant sed omnes Devotarias fuisse vocatas communiter *Beghinas*:

IV. Illarum quædã successu temporis sibi fecerunt congregationes & ordinationes ac egerunt Magistras, etiam antequam designatis locis simul in communi habitarent.

Cui consonat quod ex Petro Herentalio refertur in magno Chronico Belgico ad *annum* 1607." Multæ mulieres „ tam senes quam juvenes contempto sæculo cum suis de-„ lectationibus, sponso qui in cælis est servire desiderantes, „ fecerunt sibi congregationes simul commorantes, & vo-„ cabantur *Beghinæ*.

V. In citata Extravagante Joannes XXII. uti & in ejusdem litteris ad Episcopum Cameracensem de his mulieribus *Beghinis* refertur:" Vitas deducunt honestas, Ecclesias „ de nocte frequentant, Diœcesanis locorum & Parochia-„ lium Ecclesiarum reverenter obediunt.

Hinc constat, Beghinas illas subjectas Presbyteri *Parochialibus*, nec tunc proprium Parochum habuisse. Si Petro Coens credimus in dicta Disquisitione *sect.* 1. *n.* 2." Ha-„ bitabant mulieres istæ & puellæ sparsim per civitates & ha-„ habebant Directores & directrices, quæ zelo pietatis eũ „ vivendi modum promovebant.

Sic scribit Thomas Cantipratanus *l.* 2. *De Apibus c.* 30. §. 31. Vide sanctum virum magistrum Guidonem Presbyterum Beghinarum in Nivella. Et *c.* 54. §. 31. meminit Elisabeth de Gravio apud Nivellam in brabantia *magistra* 2000. *Beghinarum*: cum tamen, uti observat Coentiùs, nullum tunc Nivellæ esset Beginagium; sed Beghinæ habitarent sparsim per civitatem, ut ea de causa necesse fuerit, ibidem multiplicare Parochias.

VII. Ex archivis Capituli Antverpiensis profert Coensius loco citato *n.* 4. fragmentum litterarum Episcopi Cameracensis de anno 1313. per quas Beghinis Antverpiensibus." de gratia *speciali*, usque ad revocationem concessit „ ut in Capella *infirmariæ* Beghinagii dicti loci possent „ Missas & alia Divina officia facere celebrari per Sacerdo-„ tes, quorum Ecclesiæ debitis propter hoc officiis non fru-„ strentur, *salvo jure Parochiali*.

Et anno 1236. Episcopus Cameracensis concedens licentiam construendi Valencenis in vico *de salice* Hospitale pro Beghinis unà indulget, quod" Capellanus qui in di-„ cto Hospitali deserviet, omnibus tam manentibus in ip-„ so Hospitali, quam aliis Religiosis mulieribus, quæ *Beg*-„ *hinæ* dicuntur, in vico eodem & vicina commorantibus, „ quæ per concilium Capellani ipsius Hospitalis religiosũ „ tenebunt propositum Ecclesiastica Sacramenta poterit „ ministrare, ubi quoque celebrabitur solemniter Divinũ „ officium, &c... His autem omnibus salvis Presbyter S. „ Nicolaii in omnibus personis prædictis curam parochia-„ lem habebit, &c. Ibidem *n.* 6.

VIII. Cùm verò multiplicatis Beghinis viderentur incõveniens, imò & periculosum, quod earum tanta multitudo quotidie per civitatem transire deberet ad Ecclesiam Parochialem, Beghiniagiorũ Fundatores, quin & sensim ipsæ Beghinæ ab Episcopis postularunt & obtinuerunt separationem Beghinagii, sive Ecclesiæ suæ à Parochia, nec non proprios Pastores Parochiorum Pastoribus non subjectos neque ab his dependentes, quales hodie pleraque Beghinagia habent.

IX. Quemadmodum hodiernæ mulieres quas *Devotarias* dicimus, tametsi etiam plures simul in una Congregatione vivant, non solent ab Episcopis, sed à suis Directoribus aut etiam à suis Magistrabus statuta & normam vivendi accipere; ita & Beghinæ primitus à suis Pastoribus & Magistrabus vitæ normam accipiebant.

In litteris Episcopi Cameracensis, quibus communicatur Bulla Joannis XXII. (de qua supra) conceditur, ut Beghinæ sub *obedientia Magistrarum* in habitu griseo humili & honesto remaneant, nulla statutorũ facta mentione ut non obscurum sit, tunc tẽporis nulla adhuc fuisse Beghinarum statuta specialia, sed in vivendi norma à directione & voluntate Magistrarum & Directorũ dependisse, sicuti hodie filiæ illæ, quas *Devotarias* dicimus.

X. Notat Coentius *sect.* 2. *n.* 17. quod primitus Beghinæ, quemadmodum hodie nostræ Devotariæ, nullam solerent professionem facere, sed solâ vestium mutatione, & cum aliis communi habitatione fierent Beghinæ; atq; posterioribus dumtaxat temporibus præscriptã esse hodiernæ professionis formulam, quæ his verbis exprimitur: *Ego N. promitto tibi D. Parochiano & Magistratibus nunc existentibus & futuris obedientiam & castitatem tam diu ac in Curia Begina habitabo.*

XI. Cum verò vivendi disciplina penderet à singulorũ Congregationum Directoribus & Directricibus, varia erat penè singularum Congregationum vivendi norma; quam diversitatem minus convenientem judicans Archiepiscopus Mechliniensis Hauchinus sub finem præcedentis sæculi," ex variis ordinatiõibus selegit puncta utiliora & con-„ venientiora, quibus omnes *unanimiter*, salutariter & vir-„ tuosè in ejusmodi Congregatione possent conversari & „ perseverare, renovans & annullans omnes præcedentes „ ordinationes & statuta quæ Beghinagia in cõmuni con-„ cernebant, unde & habitũ quem modo gestant, votum „ quod emittunt, præscripsit; quæ etiam in aliis quibusdã „ Diœcesibus absque ordinatione proprii Episcopi fuerunt „ acceptata vel iis conformia ab Ordinariis prout ab III. „ D. A. Bergis Antverpiæ, fuêre proposita, ita ut III. D. „ Hauchinus saltem in Brabantia, meritò dici possit Patri-„ archa Beghinarum, cum institutum istud eo modo refor-„ mavit, & ad majorem perduxit perfectionem, quam an-„ tea ibidem unquam habuit & Beghinagia Diœcesis isti-„ us, quæ prius propter diversitatem Statutorũ erant quasi „ diversi instituti, fecit esse ejusdem & unius moris.

Ex hactenus dictis facile est colligere, Beghinas sensim, nec ubique eodem tempore ad eam vivendi rationem, quam hodie plerisque in locis observant, pertigisse.

XII. Pleraque in Belgio ac locis circumvicinis Beghinagia sæculo 13. & 14. erecta fuisse, ex fundationum monumentis ostendit Coensius in sæpius allegata Disquisitione *sect.* 4. creditq; omnium antiquissimum esse Leodiense institutum, ut ipse putat, à quodam Lamberto *Le Beguer*: de quo in magno Belgii Chronico legitur ad *annum* 1168." „ Apud Leodium electum est in Episcopum Radulphus: „ ille præbendas & beneficia per Udelinum carnificẽ ven-„ debat ad quem propter hæc multi confluebant, contra „ quod homo quidam publicè prædicavit, & quidem sine „ malitia. Prælati indignati, per Episcopum capi illum fa-„ ciunt, & ducentes per Ecclesiam, unguibus impingunt: „ ipse verò prophetando dixit: heu, dies venient cum sub-„ tus altare B. Mariæ porci terram effodient, quod post ac-„ cidit. Vocabatur ille Lambertus Begghe; à cujus nomi-„ ne adhuc Beghinæ vocantur, quia primus invenit Ordi-„ nem Beghinarum, & eis primum castitatis normam ver-„ bo & exemplo prædicavit.

XIII. Quidquid sit de Beghinagii Leodiensis antiquitate, aut Beghinarum primo Auctore, aut earum origine, illud certius est, quod sæculo 14. non modicas aut leves hoc institutum subierit difficultates; eò quod nonnullæ mulieris, præsertim in Alemania dictæ Beguinæ, & viri earum institutum æmulantes dicti *Begardi* apud Sedem Apostolicam fuissent infamati, quasi de Summa Trinitate & Divina essentia disputarent & prædicarent, ac circa Articulos fidei & Ecclesiastica Sacramenta opiniones Catholicæ fidei contrarias introducerent, & multorum simplicium animas in diversos errores inducerent.

XIV. Errores illis adscripti referũtur in *Clemẽtina* AD NOSTRAM *De Hæreticis*, & in *Clementina* CUM DE QUIBUSDAM *De Religiosis Domibus*, sub nomine Cõcilii Viennensis, ubi erroribus Beguinarum relatis, earũ status damnatio his verbis

verbis exprimitur:" Nos tam ex his, quàm ex aliis de ipsarum opinione sinistra frequenter auditis, eas meritò suspectas habentes, statum earumdem sacro approbante Concilio perpetuò duximus proscribendum, & à Dei Ecclesia penitus abolendum: eisdem & aliis mulieribus quibuscumque sub pœna excommunicationis, quam in contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, injungentes expressè, ne statum hujusmodi dudum forte ab ipsis assumptum quoquo modo sectentur, vel ipsum aliquatenus de novo assumant.

Ob hanc damnationem Belgicæ Beghinæ etiam à nonnullis in criminis suspicionē vocatæ fuerunt; adeo ut Antverpiæ (referente Zypeo in Jure novo *t. De Regularibus n. 9.*) omnia earū bona Fiscales rationatores arripuerint.

XV. Sed cum habitâ informatione intellexisset Joannes XXII. immediatus Clementis V. (sub quo Concilium Viennense celebratum fuerat) successor, multas esse in variis mundi partibus Beghinas nullatenus de prædictis erroribus suspectas, editis litteris declaravit, hasce sub *prohibitione aut abolitione prædictis non contineri:*" Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eas sub prætextu hujusmodi nullatenus molestari permittant. Et si quid forsitan ex hoc in bonis aut juribus à quibuscumq; contra eas attentatum est hactenus, vel attentari contigerit in futurum: per illos prædictos Ordinarios auctoritate nostrâ in statum reduci debitum volumus: invocato [si opus fuerit] auxilio brachii sæcularis.

Refertur in *Extra.* RATIO RECTA *De Religiosis Domib. in Comm.*

XVI. Præter hanc generalem declarationem, etiam specialibus litteris ad Episcopum Cameracensem, Leodiensem, & Ultrajectinum (quibus penè totum Belgium tunc temporis in spiritualibus parebat) id ipsum declaravit; uti monet Zypæus loco citato *n. 10.* addens in litteris, ut factâ inquisitione in mores & religionem Beghinarum, suarum respectivè Diœcesium, si tales invenirentur, quales in dicta *Extravagante* describuntur, non paterentur innocentes cum nocentibus ad paria judicari, sed ab omni molestia eximerent; molestatores, si qui fuerint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo.

Episcopi inquisitione factâ ipsas passim tutati sunt: atq; ab eo tēpore Beghinæ hîc in Belgio pacificè vivere, ac in dies magis magisque multiplicari, & ad uniformem atque regularem quamdam vivendi normam redigi cœperunt.

XVII. Non eadem fuit Beghinarum sors in Gallia. Cum "enim (ait D. Du Canghe in suo Glossario verbo *Beghinæ*) Beghinarum institutum haberetur contemptui, sensim desiit, & in earum locum succedere Sorores *tertii Ordinis S. Francisci*, quibus ibidem traditæ in urbibus Galliæ earum ædes.

Neque mirum videbitur, eam fuisse in Gallia Beghinarum sortem, qui attenderit, Philippum Pulchrum Gallarum Regem præcipuum fuisse Concilii Viennensis [in quo Beghinarum abolitio decreta erat] promotorem, ejusque particulare interesse postulasse, ut ejus Decreta executioni mandarentur; ideoque, uti notat Thomasinus in Disciplina Ecclesiastica *p. 4. l. 1. c. 62. §. 11.* facile potuisse, Philippum Pulchrum omnes Beghinarum Congregationes abolevisse, ut Clementi V. & Concilio Viennensi faveret.

XVIII. Norma vivendi Beghinarum, earumque institutum hodiernum in Belgio, mixtum, ac medium quodammodo est inter Regulare & sæculare sive laïcum.

Inprimis si vestes & habitum consideremus, is planè à laicali est diversus; atque Religioso vestitui conformis; solentque pleræque veste nigrâ uti; atque capitis velamento instar Monialium,

Secundò professionem aliquam, votumq; castitatis & obedientiæ saltem temporaneū; ritu etiā quodum solemni sub formula superiùs relatā, instar Moniali ū emittunt.

Tertiò, leges & ordinationes vivendi ab Ordinariis locorum non secùs ac Moniales accipiunt; atq; eorū visitationi æque ac Moniales subjacent. Parochum quoq; proprium fere ubique habent, cujus directioni & curæ subduntur,

Fatendum nihilominus, etiam modernum Beghinarum vivendi genus in multis à Religioso Monialium discrepare.

Primò nullum votum Religionis *perpetuum* … sed tantùm *temporaneum* castitatis & obedientiæ … tius astringens, quam Beghinæ manere volunt; ita … horâ liberè exire & ab omni voto se eximere, atq … monium contrahere possint.

Secundò, paupertatis votum nullum, ne quid … paraneum faciunt; sed etiam Beghinæ existentes … rerum suarum proprietariæ, capacesq; acquirend… nendi, non secus atque aliæ mulieres laïcæ & sæc… isque liberè utuntur, & tam inter vivos, quam mo… sa pro suo arbitrio de illis disponunt.

Tertiò, licet pleræque in Beghinagiis muro & … nocturno vallatis habitent proprias tamen ac sep… des inhabitant; in quibus rem domesticā administ… si laicæ & sæculares matres-famili… , mensā, supp… totamque domesticam œconomiam pro suo arb… statuentes. Unde vita communis inter eas quoque …

Quartò, clausurā Monialium non servant sed l… eunt, atq; per civitatem sua negotia & rem familiar… curant; consanguineos familiaresque invisunt & d… viū frequentant, nisi quod certis legibus quoad di… ras exeundi & redeundi libertas, per ordinationes & … in pleristque Beghinagiis nonnihil limitata & restri…

Quintò, nullam certā Regulam à Sede Apostoli… batam profitentur; atque hoc ex capite juxta dec… Concilii Lugdunensis in *C. 1. De Religiosis Domi…* earum institutum Ordo Religiosus vel status Re… dici nequit.

Hoc sensu accipiendum quod Joannes XXII. in … ta Extravagante, de Beguinis in diversis mundi part… & ab erroribus immunem vitam agentibus dici… " rūm statū *Beguinarum* hujusmodi, quas esse *perm…* " nullatenus ex præmissis intendimus *approbare*, … tanquam novum Ordinem seu statum Religiosu…

Neque enim dubium est, Beguinarum vivendi … haberi ab Ecclesia & à Romanis Pontificibus (… multa jampridem privilegia ac immunitates conce… quæ in earum archivis etiamnum hodie reperiuntu… quam laudabilem; & eatenus probatam, ut institu… lud sequentes salutem suam securè queant operari.

XIX. Adhæc nec illud negandum, quod licet su… habitus Beguinarum, aut earum professio non effic… verè *Religiosas*, neq; dici queant assumptisse propter … tū omnino *fixum* & immutabilem, uti est status reli… tamen quia per habitus illius assumptionē se à sæ… mulierum sæculariū vestitu & vivendi ratione ac con… nio separāt, atq; ad aliquod particulare vitæ institutū … ferunt; idque ea intentione ut toto vitæ tempore in … maneant; tametsi absolute possint sine peccato ad sæ… & communem sæcularium vivendi rationem rever… verè dici potest, Beguinas eatenus *statum* seu vitæ … tionem assumpsisse; & ita vulgo creditur, filias profe… Beguinarum emissā ad *statum* pervenisse: ac propt… consuetudo aut testator aliquid detulerit Filiabus c… statum aliquem pervenerint, id debetur Filiabus fac… guinis, nisi ex circumstantiis appareat, quod consu… vel testator per *statum*, intellexerit statum *Religiosu…* statum *Matrimonialem* sive omnino *stabilem* & *fix…* latiùs deducit Zypæus *Resp. 14. D Regularibus.*

Denique certum est, Beguinas potiori ratione dici … ad statum etiā Ecclesiasticum pervenisse qua filias … hodie *Devotarias* sive *Spirituales* dicimus; utpote n… professionem castitatis etiam ad tempus, saltem publ… vi sui instituti emittentes; neque à sæculariū contub… & vivendi communi vulgarium instituto æquè ac Beg… se separantes; neque in congregationē sub obedient… periorum se redigentes, sed quæ vi sui instituti possun… am inter seculares aut privatim, uti maluerint, vitam … garem in celibatu sine ullo voto agere; idque in veste … ste Religiosa planè disparata: & à vulgari honestarum … tronarum param diversā: ubi è contrario vestis *Beg…* *rum* ad vestem Religiosam proximè accedit.

PARS SECUNDA
DE
REBUS.
TITULUS PRIMUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE.

CAPUT PRIMUM
De Sacramentorum Essentia, Numero, & Divisione.

1. *Variæ significationes vocis* Sacramenti
2. *Quid propriè hodie dicatur* Sacramentum; *ejusque definitio.*
3. *Quid de Sacramentorum institutione eorumque numero habeat hodierna Fidei professio?*
4. *Quid doceat Synodus Tridentina?*
5. *Quoad numerum conveniunt Ecclesia Latina & Græca.*
6. *Quando inceperint Sacramenta explicari per formas & materias?*
7. *Unde hæc explicandi methodus initium habuerit?*
8. *Quæstiones hic moveri solitæ Theologis relinquuntur.*
9. *Divisio Sacramentorum in* necessaria & voluntaria; & *quomodo hic Canonistæ à Theologis dissentiant?*
10. *Sacramenta alia imprimentia* characterem, *alia non imprimentia.*
11. *Quid sit* character?
12. *Sacramenta alia reiterabilia, alia non reiterabilia.*
13. *Patres dum dixerunt quædam Sacramenta iterari non posse; etiam* Characterem *imprimi dixerunt.*
14. *Explanantur Decretales sub titulo* De Sacramentis non iterandis.
15. *Olim Sacramenta non iteralia rursus conferebantur dum rationabiliter de eorum validitate dubitabatur; idque sine expressione conditionis.*
6. *Quando invaluerit forma conferendi sub* conditione?
7. *Quandonam Sacramenta characterem imprimentia & præcipuè Baptismus sint sub conditione reiteranda?*
8. *An baptizati ab Hæreticis sint hodie rebaptizandi sub conditione?*

VOcis *Sacramentum* variæ sunt tam apud Profanos, quàm Ecclesiasticos Auctores significationes.

Primò quidem significat juramentum, divino testimonio firmatum uti in *Authentica* SACRAMENTA PUBERUM *Cod. Si adversus vendit.* Secundò sumitur pro secreto sive arcano sacro, prout id accipit Apostolus ad Ephesios 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis suæ*, id est, arcanum suæ voluntatis circa prædestinationem Electorum. Tertiò extenditur etiam ad designanda mysteria, licet non sint sacra. Ita apud Joannem in sua Apocalypsi *cap.* 17. res illæ occultæ significatæ per *bestiam & mulierem*, vocantur *Sacramentum bestiæ & mulieris.* Quartò Sacramentum interdum sumitur pro abstracto à Sacramentis propriè dictis, & à Sacramentalibus, qualia sunt cæremoniæ in Sacramentorum administratione adhiberi solitæ. In hac significatione legitur apud Augustinum *lib.* 2. *de peccat. meritis cap.* 26. Quintò accipitur subinde pro ipsa *Missarum* liturgia, uti nonnullis adductis testimoniis notat du Cange in Glossario verbo, *Sacramentum.*

II. Denique vox *Sacramentum* jam pridem à Patribus, & hodie communiter accipitur pro Sacramento propriè dicto; definiturq; in *Can.* 32. *Dist.* 2. *de Consec.* sub nomine S. Augustini: *Invisibilis gratiæ visibilis forma.* Verùm, uti sat innuunt Correctores Romani ad citatum Canonem, hæc definitio apud Augustinum iis verbis expressa non reperitur; sed in libro de catechizandis rudibus *cap.* 26. hæc leguntur: "De Sacramento sanè quod accepit, cum ei bene „commendatum fuerit, signacula quidem rerum divina„rum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari. „In epistola autem 166. hæc: Si autem malus est, operatur „per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse au„tem donat invisibilem gratiam." Hæc Augustinus. Ex quibus locis [inquiunt Correctores R.] videtur colligi potuisse vulgata ista Sacramenti definitio.

Hodie à Theologis sequutis Catechismum Romanum traditum communiter hæc *Sacramenti* definitio: *Invisibilis gratiæ visibile signum ad nostram justificationem institutum.*

Definitionis illius expositionem latè post citatum Catechismum prosequuntur passim Theologi Scholastici præsertim qui ex professo de Sacramentis scripserunt.

III. Fidei professio à Pio IV. præscripta, & hodie ubique per Ecclesiam Catholicam recepta de Sacramentorum institutione & numero habet: "Profiteor quoque septem

Digitized by Google

„esse verè & propriè & Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium: illaque gratiam conferre."

IV. Hæc tam quoad Sacramentorum institutionem, eorumque numerum, & gratiæ infusionem suis Canonibus *Sess. 7. De Sacramentis* ita expressit Synodus Tridentina; "Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à JESU CHRISTO Domino Nostro instituta; aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit." *Can. 1. & Canone 6.* ait: "Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus, anathema sit." Rursus *Canone 7.* „Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus anathema sit." Denique *Canone 8.* "Si quis dixerit, per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

V. Quoad numerum Sacramentorum nobiscum consentiunt Græci, tametsi ab Ecclesia Latina schismate divisi; uti ex professo ostendit Petrus Arcudius de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem Sacramentorum administratione; ubi *lib. 1. cap. 2.* hæc habet: "Sacra Mysteria seu Sacramenta tot esse numero apud Græcos, quot apud Latinos, nimirum septem, nemo unquam [quidquid dicant utriusq; gentis communes hostes hæretici nostri temporis] in dubium revocavit. Horum enim sunt paginæ plenæ Sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum. Tametsi enim numerum Sacramentorum antiqui Auctores non expresserint, expressuri sanè, si suo ævo Sacramentarii extitissent: res tamen ipsas, ubi sese offert occasio tractant. Et usus Ecclesiæ Orientalis hoc idem clarè confirmat. Sed & posteriores Græci, abhinc tamen multis annis ad nostra tempora, hunc numerum docent, atque testantur. Simeon Aregi-Episcopus Tessalonicensis, qui librum integrum eumque satis prolixum de septem Ecclesiæ Sacramentis edidit, sic habet: Septem sunt dona Spiritus S. teste Esaia, septem item Ecclesiæ Sacramenta, quæ ab eodem Spiritu S. vim operandi habent, quæ nimirum sunt Baptisma, Chrisma, Communio, Manus Impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sanctum Oleum.

Hæc Arcudius, qui plura ibidem Græcorum testimonia producit, uti & Leo Allatius *de Ecclesia Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione lib. 3. cap. 16.* qui insuper aliqua profert ex Synodis quibusdam Constantinopolitanis, Græcis auctoribus, quibus probat, Græcos nobiscum in septenario Sacramentorum numero consentire.

VI. Quoad effectum Sacramentorum, quomodo & quando gratiam producant, multa disputant Theologi; uti & circa materiam & formam Sacramentorum varias quæstiones movent; quæ præcipuè circa sæculum 12. aut 13. exoriri & mirum in modum excrescere cœperunt. Nam si Morino credimus, nonnisi circa illa tempora Sacramenta per materias & formas explicari cœperunt. "Primus Scholasticorum, ait, quem legi, qui hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus est, & docuit, Gulielmus est Antisiodorensis, qui scribebat paulò post annum Christi 1215." Hæc Morinus *De SS. Ordinat. part. 3. exerc. 1. cap. 3. num. 6.* additque *num. 10.* ante hæc tempora, Theologos totam hanc Sacramentorum materiam explicasse "per verba *Signi & rei sacræ* seu *invisibilis*, dicentes Sacramentum constare signo & re sacra seu invisibili. Per *sign*... intelligebant, quod postea per *materiam* significatu... atq; etiam quod per *formam*; quidquid scilicet sensi... percipitur, Per *rem sacram* seu *invisibilem*, effectû Sa... menti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud ... tiquos frequentissimus explicandi modus; unde illa ... finito, Sacramentum *est invisibilis gratia visibilis for*... Formam vocant speciem quæ sensibus percipitur.

VII. Notat autem ibidem Morinus num. 3. istam ex... candi Sacramenta rationem è Philosophia Peripate... natam esse; utpote quæ rerum naturas sub his nomini... formæ & materiæ inquirere & examinare solet. Hac e... Philosophia [quæ circa sæculum 12. scholas intravit] ... ctores Theologi imbuti, eamdem philosophandi ration... in Theologiam, atque potissimum in Sacramentorum ... ctrinam introduxerunt. " Hinc, ait Morinus, potiss... eorum cura fuit, definire quæ fuerint Sacramento... materiæ, quæ formæ, & sub horum nominum insi... principales de Sacramentis quæstiones efformare & ... tendere."

VIII. De quæstionibus illis circa Sacramenta in gen... li, tum singula in particulari, si quis instrui desideret, c... sulere poterit Theologorum Scholasticorum comme... rios in S. Thomam, & particulares eorum de Sacrame... tractatus; neque enim hasce quæstiones, quæ nec ad ex... nam Sacramenta administrandi rationem, neque Can... cam disciplinam spectant, movere aut discutere inte... sed eas Theologis relinquo; contentus circa Sacram... breviter proponere & discutere disciplinam quam S... Canones, Synodalia Decreta, & Ritualia in eorum ad... ministratione servandam præscripserunt.

IX. Prima Sacramentorum divisio à Canonistis fac... tis Gratianum ad Canonem 39. *caus. 1. q. 1.* & Pontifi... in *Cap. 8. ⁂ De Transactionibus* statuitur, quod aut... *necessaria* aut *voluntaria*. Necessaria dicunt esse, quin... scilicet, Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, ... charistiam, & extremam Unctionem, quæ omnia ad p... cularem cujusque profectum (ait Paulus Lancelott... institutionibus Juris Canonici *l. 2. tit. 2. §. 1.*) sunt p... cipaliter instituta. Rationem verò, cur dicantur *necess*... assignat ibidem Lancelottus: "Quia sine interitu sal... æternæ prætermitti & contemni non possunt." Vel ... lis verbis expressit Glossa ad citatum Capitulum 8. "... sine istis homo salvari non potest, si ex contemptu o... tuntur, & haberi possunt.

„Voluntaria dicuntur, quæ sine salutis dispendio ... cujusque arbitrio recipi possunt & refutari, inquit L... celottus; qualia sunt Ordo sacer & Matrimonium ... hæc ad totius Ecclesiæ profectum & subsidium pri... paliter pertinent.

Hinc ille versiculus à Canonistis relatus:

Ordo voluntatis thorus est, dare quinque necesse.

Quem exponens Panormitanus ad Rubricam tituli ... cretalium *De Sacramentis non iterandis*, ait: "Per quæ... tet quod Ordo & Matrimonium sunt *voluntatis*: ... qua *necessitatis*: quod est dicere, nolens ordinari ve... xorari bene potest esse in statu salutis; sed reliqua q... que contemni non possunt.

Theologi verò necessitatem *absolutam* consideran... nullum Sacramentum præter Baptismum necessar... vocare solent; eo quod hoc solum sit, sine cujus suscep... ne saltem in voto, homo salvari nequit.

X. Ulterius Sacramenta à Canonistis & Theologis d... duntur in ea, quæ *characterem* imprimunt, & ea quæ ill... non imprimunt. Quam divisionem sat apertè stabil... Synodus Tridentina *Sess. 7. De Sacramentis in genere* ... *none 9.* anathema pronuntians in eum, qui dixerit in tri... Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Or... non imprimi characterem.

XI. Qui sit ille *character*, qui in tribus illis Sacrame... imprimi dicitur, à quatuor circiter sæculis anxiè & cop... à Theologis Scholasticis inquiri cœpit, uti notat Mori... *De SS. Ordinat. parte 3. exerc. 3. c. 1.* una observans, pl...

inge

ingenuè fassos, nihil apud Patres aut in antiquis Canonibus de hoc charactere solidi occurrere; sed ad ipsius Ecclesiæ auctoritatem, quæ characterem illum agnoscit, esse recurrendum; atque præcipuè ab antiquis Scholasticis recursum fuisse ad Decretalem Innocentii III. in *Cap.* MAJORES ꝟ. *De Baptismo*, ubi expressis verbis dicitur, in Baptismo *characterem* imprimi.

Verùm in quo consistat hujus Characteris essentia, non determinavit Innocentius III. ipsaque Synodus Tridentina simpliciter quoque dixit, imprimi per dicta Sacramenta *Characterem in anima*, *hoc est*, *signum aliquod spirituale & indelebile*.

Quid verò sit *signum* illud, inter Theologos & Canonistas non convenit. Verisimilis est, aliud dicere noluisse Synodum, nisi quòd per hæc Sacramenta imprimatur in anima ens quoddam morale, quare solet imprimi dum quis ad dignitatem aut conditionem aliquam *stabilem & permanentem* assumitur; ut exempli gratia ad dignitatem Regalem, Doctoralem, &c. In horum enim adeptione & collatione accedit ipsi accipienti hujusmodi dignitatem vel conditionem quoddam ens morale, ratione cujus perpetuò reputetur Rex, Doctor, &c.

Unde non malè Joannes Doujatius in notis ad Institutiones Lancelotti *lib.* 2. *tit.* 1. §. 3. loquens de hoc signo ait: "Hoc signum tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio & „Ordo, ideo, ni fallor, imprimere censentur in anima suscipientium, quòd per ea homines specialiter ad Dei cultum destinentur.

XII. Ex ipsa divisione Sacramentorum in ea quæ imprimunt *characterem*, & ea quæ illum non imprimunt, profluit alia divisio; scilicet in Sacramenta quæ reiterari possunt, & ea quæ reiterari non possunt. Imo ipse character, uti jam descriptus est, supponit per Sacramenta quæ illum imprimere dicuntur, aliquem *stabiliter & firmiter* ad conditionem aliquam & functiones Ecclesiasticas deputari vel assumi: adeò ut ipse character vel ideo impressus credatur, quia per Sacramentorum illorum susceptionem aliquis stabiliter & permanenter ad aliquam conditionem & functionem est deputatus.

Id non obscurè innuit Synodus Tridentina citato Canone 9. dum ex ipsa impressione characteris mox infert: *Unde ea iterari non possunt*.

XIII. Quapropter Augustinus dum frequenter urget ipsam indebilitatem Baptismi, ipsumque Baptismum neque per schisma, neque per apostasiam amitti; licet nomine *characteris* non utatur, tamen idè quod nomine *characteris* significatum voluit postmodum Ecclesia, sufficienter expressit; atque signanter *lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas c.* 1. apud Gratianum *Can.* 40. *Dist.* 4. *De Consecrat.* dicens: "Nullus autem illorum negat habere Baptismum etiam Apostatas, quibus redeuntibus, & per pœnitentiam conversi sunt, non redditur, admitti non potuisse judicatur. Sic & illi qui per sacrilegium schismaticis ab Ecclesiæ communione discedunt, habent utique Baptismum, quem priusquàm discederent acceperunt." Nam „& ipsi, si redeant, non eis iterùm datur." Unde ostenditur illud, quod acceperant in unitate positi, non potuisse amittere ab unitate separatos.

Similiter *Professio fidei* nullam *characteris* mentionem facit; sed simpliciter credere jubet, *Baptismum*, *Confirmationem*, *& ordinem sine sacrilegio reiterari non posse*; supponens, satis indicari *characteris* impressionem, dum ea reiterari non posse definit.

XIV. Porrò in Decretalibus extat titulus *De Sacramentis non iterandis*; vel ut in aliquibus codicibus habetur, *De Sacramentis iterandis vel non*.

Refertur sub hoc titulo responsum Innocentii III. super dubio ipsi ab Episcopo Heliensi proposito: "Utrum scilicet permitti debeat ministrare, qui sine manuum impositione fuerit ad Ordinem Subdiaconatus assumptus. Et si „Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui „per errorem fuit non crismate, sed oleo delinitus." Ad quod breviter respondendum duxit Innocentius *quod in talibus non est aliquid iterandum*, sed CAUTè *supplendum*, *quod* INCAUTè *fuerat prætermissum*.

Conformiter Gregorius IX. in *Cap.* 3. ꝟ. *eod.* ait Presbyter & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali [ritu ab Apostolis introducto] recipiunt: quod si omissum fuerit, non est aliquatenus „iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines „conferendos *cautè* supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.

XV. Supposuisse tam Innocentium III. quàm Gregorium IX. Sacramenta in casibus sibi propositis nequaquam *invalidè* fuisse collata, vel indè evincitur; quod ea reiteranda non dicant; sed solummodò supplendum, quod incautè fuerat omissum.

Neque enim unquam dubium fuit, quin Sacramenta, etiam Baptismi, Confirmationis & Ordinis iterum essent conferenda, si rationabiliter de eorum *validitate* dubitabatur; imò simili casu antiquitùs ea sine ulla expressione conditionis reiterata fuisse, multa evincunt.

Et quidem ex Concilio Carthaginensi V. ubi *Can.* 5. legitur apud Gratianum *Can.* III. *Dist* 4. *De Consecrat.* Placuit, ait Synodus, de infantibus, quoties non inveniuntur *certissimi* testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de „traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos: ne ista trepidatio eos faciat „Sacramentorum purgatione privari.

Idem habetur ibidem *Can.* 112. & 113. ex sancto Leone; *Quoniam*, ait, *non potest in iterationis crimen venire*, *quod omninò factum esse nescitur*. Vel ut alio loco: *Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.*

XVI. Quo autem tempore invaluerit, Sacramenta hæc non iterabilia reiterari sub expressa conditione *si suscepta non sunt*, non omninò constat; illud lat verisimile, eam administrandi formulam invaluisse, postquam responsum Alexandri III. de quo in *Cap.* 2. ꝟ. *De Baptismo*, Decretalibus Gregorii IX. fuit insertum; ac pro jure communi in scholis prælectum: in quo responso dicitur: " De quibus „dubium est, an baptizati fuerint, baptizentur his verbis „præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum* „*baptizatus es*, *ego te baptizo* &c.

Juxta hanc Decretalem tandem à Canonistis & Theologis Scholasticis hæc baptizandi formula recepta fuit, ac Ecclesiarum Ritualibus passim præscripta.

Rituale Romanum sub titulo De forma Baptismi ita habet: "Cùm Baptismum iterare nullo modo liceat, si „quis sub conditione sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo: *Si non es baptizatus*, *ego te baptizo in nomine Patris*, *& Filii*, *& Spiritus sancti*.

XVII. Deinde monet Rituale: "Hæc tamen conditionali forma, *Non passim* aut *leviter* uti licèt; sed *prudenter*, „& ubi re *diligenter* pervestigata, *probabilis* subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

Eodem penè tenore hanc formulam expressit Rituale nostrum Mechliniense, eamdem moderationem in ejus usu præscribens; unà tamen designans *probabilem dubitationem* ordinariè esse, quando infans ab obstetrice baptizatus dicitur; facilè enim ab illa vel turbatione, vel ignorantia erratur, & aliquid essentiale omittitur.

XVIII. Deinde ulteriùs subjungit: "Et quia nostri „temporis Hæretici pro insatiabili suo in Ecclesia odio, „Sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent, meritò Baptismus ab eis collatus, de nullitate suspectus haberi debet. Proinde ab eis baptizati sub conditione baptizentur, ac omissæ cæremoniæ suppleantur.

Nonnulli, qui propiùs Hæreticorum hodiernorum baptizandi modum investigarunt & observarunt, non probant eam in rebaptizandis ex illorum hæresi ad Ecclesiam revertentibus facilitatem. Et quidem Patres Concilii Rothomagensis anno. 1581. fatentur in plerisq; Diœcesium

„ lus est numerosior, bis in die, manè circa horam septi-„ mam, & vesperi sub Laudibus, in templo [Pastor] sese „ præsentem exhibeat omnibus opera illius uti volenti-„ bus.

VII. Cùmq; Pastor animam suam debeat ponere pro ovibus suis, concluditur, Pastorem neq; ob periculum contagionis seu infectionis pestis posse subditis suis negare administrationem Sacramentorum, si alius non adsit, qui ejus vices suppleat; quapropter an. 1665. judicatum fuit in Parlamento Parisiensi, Pastorem potuisse privari suo Pastoratu ob non administrata Sacramenta tempore pestis, ut refertur in opere cui tit. Journal Des Audiences *p* 3. *l.* 4. *c.* 1.

Hanc esse Pastorum obligationem tamquam notorium supposuit & expressit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 5. *c.* 10. "Tamen quia experientia cognitum est, ait Synodus, „ eam esse multorum Parochianorum infirmitatem & pu-„ sillanimitatem, ut à proprio Parocho abhorreant, simul „ atque eundem alicui vel leviter de peste suspecto Sacra-„ menta administrasse intelligunt, præcipit ut tempore pe-„ stis Capellani constituantur sumptibus ærarii publici, „ vel collectis singulorum Parochianorum, in quorum u-„ tilitatem evidenter hoc cedere intelligitur, qui Sacra-„ menta dictis peste infectis, iisque solis administrent, qui-„ bus Capellanis Episcopi dent curam animarum.

Quæ cura & cautio in administrandis Sacramentis, aliisque spiritualibus subsidiis impendendis adhibenda sit tempore pestis, fusè exposuit S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. *parte* 2. Constitutionum; quæ meritò ab Episcopis & Pastoribus hujusmodi occasione incidente consuli poterunt.

VIII. Ulterius ut major sit erga Sacramenta rudioris populi devotio & reverentia, jam pridem à primis Ecclesiæ sæculis ritus seu cæremoniæ quædam in Sacramentorum administratione adhiberi consueverunt, quibus & ipsi Sacramentorum effectus subinde explanantur, & populo sensibiliter proponuntur; mentemque Fidelium ad rerum divinarum contemplationem excitant.

Unde Synodus Tridentina *Sess.* 22. *de Sacrific. Missæ cap.* 5. postquam dixisset varias cæremonias, in Sacrificio Missæ ex Apostolica disciplina & traditione adhiberi, finem earum subjicit his verbis: "Quo & Majestas tanti Sa-„ crificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc vi-„ sibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, „ quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excita-„ rentur.

IX. De his ritibus sive cæremoniis definit Synodus Tridentina *Sess.* 7. *Can.* 13. "Si quis dixerit receptos & appro-„ batos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramento-„ rum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, „ aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in no-„ vos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mu-„ tari posse, anathema sit.

Professio fidei hæc habet: "Receptos quoque & appro-„ batos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omni-„ um Sacramentorum solemni administratione, recipio & „ admitto.

X. Ritus hi tametsi ad ipsum Sacramentorum valorem vel substantiam non pertineant; possintque salva eorum validitate omitti & mutari; imo pro temporum ac locorum diversitate ritus hi varii fuerint, & etiamnum sint, tamen sapienter Ecclesia declaravit, eos non posse arbitrio quorumcumque inferiorum Pastorum vel Ministrorum mutari aut de novo introduci: ne alias sub specie religionis & pietatis, superstitio, aut avaritia, vel irreverentia in Sacramentorum administratione sensim immisceantur: quod aliquot ante Synodum Tridentinam sæculis non infrequens fuit; ipsisque hæreticis, ritus Ecclesiasticos explodendi ac generatim rejiciendi prætextum dedisse videtur.

XI. Quapropter absoluta Synodo Tridentina varii ab Episcopis pro suis respective Ecclesiis seu Diœcesibus compositi fuere libri, quos vulgo *Ritualia* vel *Pastoralia* aut *Manualia* vocare solent.

Horum librorum scopum esse, præscribere ritus, quos in administrandis Sacramentis, & celebrandis Divinis officiis Parochi aliique Ecclesiæ ministri observent, non autem quæstionum Theologicarum aut dogmatum decisionem facere, indicat ipsa librorum nomenclatura, & in præfatione ad suum Rituale expressit Paulus V. his verbis: "His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine com-„ prehensi, sacri & sinceri Ecclesiæ Catholicæ *ritus*, qui in „ Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis „ functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum „ gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus „ voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudi-„ ne, sua illi ministeria tamquam ad publicam & obsi-„ gnatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu in-„ offenso pede ambularent cum consensu.

XII. Quamvis non omnes Ritus seu cæremoniæ in libris Ritualibus singularum Diœcesium præscripti ex Apostolica disciplina & traditione descendant; sed plures postremis Ecclesiæ temporibus sint introducti; imò nec omnes & singuli haberi debeant tamquam ab Ecclesia Catholica probati, nihilominus Parochis aliisque inferioribus ministris fas non est, citra necessitatē privata auctoritate in publica Sacramentorum administratione, aut Divinorum officiorum persolutione à ritibus in Rituali vel Pastorali suæ Diœcesis præscriptis facilè & passim recedere; eo etiam titulo, quòd ritus contrarius puriori primitivæ Ecclesiæ disciplinæ videatur conformior; ne aliàs hæc licentia paulatim latiùs serpens, confusionem aliaque incommoda in ipsos sacros Ritus, & Sacramentorum administrationem inducat.

"In administrandis Sacramentis [ait Synodus P. II. „ Mechl. *tit.* 2. *cap.* 1.] *Pastorale* suæ Ecclesiæ Cathedralis „ omnes sequantur; & eo deficiente, Ecclesiæ Metropoli-„ tanæ, nihil temerè addendo, demendo, vel immutando." Idipsum cæteræ quoque Synodi Belgicæ Mandant; rationemque mandati hanc præmittit Synodus D. Cameracensis anno 1567. tit. *De Sacramentis capit* 3. "In signis ex-„ ternis ac cæremoniis, ne qua malevolis relinquatur of-„ fensio, utque juxta Apostoli sententiam, idipsum dica-„ mus omnes, perfecti in eodem sensu atque sententia.

XIII. Cæterum, sicuti Synodus Tridentina aliæque eam sequutæ Synodi sæpius monuerunt Episcopus, ut suarum respective Ecclesiarum Breviaria & Divini Officii libros reviderent & expurgarent ab omni eo, quod cum Divini Officii Majestate non convenire judicaretur, ita & Episcoporum est Rituales libros suarum Diœcesium subinde revidere & diligenter examinare, num nihil in ritus, vel per negligentiam aut ignorantiam intrusum sit, quod pietatem ac reverentiam Sacramentis debitam minuat, aut saltem minus promoveat, vel etiam superstitionem aliquam redoleat; vel Fideles facilè in superstitionem natum sit inducere. Ac denique expendant, an ritus aliqui hoc tempore induci haud possint, qui & usui ac instituto Sacramentorum sint conformiores, & ad pietatem & reverentiam erga sacra Mysteria in mentibus Fidelium excitandam convenientiores & efficaciores.

XIV. Ex citatis hactenus Synodorum ac Ritualium Decretis & monitis circa observanda & cavenda in administratione Sacramentorum illud perspicuum est, ea potissimùm ad Parochos dirigi; hosque præcipuè circa Sacramentorum administrationem instrui.

XV. Nec mirum, cùm enim Parocho totius Parochiæ cura spiritualis incumbat, quemadmodum *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. ostensum fuit, etiam ipsi principaliter & jure ordinario competit Sacramentorum administratio ad exclusionem omnium aliorum inferiorum Sacerdotum; adeò ut si qui in ejus Parochia, aut ejus Parochianis Sacramenta administrent, id nonnisi ut ejus coadjutores & subsidiarii, ac de ipsius tacito vel expresso consensu facere censeantur.

Hoc Parochorum jus non obscurè expressit Synodus Tridentina, monens Episcopos *Sess.* 24. *c.* 13. *De Reform.* ut pro tutiori animarum eis commissarum salute, distincto po-

cto populo in certas propriasque Parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque Parochum assignent, qui eas cognoscere valeat, & *à quo*, ait SOLO *licitè Sacramenta suscipiant.*

XVI. De hoc Parochorum jure haud dubitans Martinus Rythovius Episcopus Iprensis, qui Tridentinæ Synodo interfuerat, in sua Synodo anno 1577. *tit.* 11. *cap.* 5. ita loquitur: "Cùm in omnibus rebus, pro pace & tranquillitate, sit certus ordo servandus, neque conveniat quempiam in *alienam* messem manum suam mittere; sed unusquisque super grege sibi credito vigilare debeat: Ordinamus ut nullus Sacerdos (cessante periculo & citra necessitatem) extra limites suæ Parochiæ, aut etiam in sua Parochia alienis Parochianis Sacramenta, absque proprii Pastoris consensu, aut nostra speciali licentia, administrare præsumat.

Idipsum iisdem penè verbis expressum, est in Synodis Buscoducensibus sub Metsio & Masio; Cameracensi anno 1567. item anno 1604. Audomarensi anno 1583. aliisque; adeo ut jure communi & etiam Belgico, Parochi sint *ordinarii* Sacramentorum ministri in suis respectivè Parochiis; & respectu suorum Parochianorum.

XVII. Hoc ex capite Parochus *proprius Sacerdos* respectu populi sibi commissi vocatur in *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS 12 *De Pœnitentiis Remiss.* utpote cui jure *proprio* competit Sacerdotale officium populo impendere. Itē anthonomasticè *Pastor* dici consuevit; utpote cui incumbat populum divini verbi prædicatione & Sacramentorum exhibitione spiritualiter pascere. *Curatus* quoque nonnunquam appellatur; eò quòd *cura* populi ipsi primario incumbat.

Quomodo & quousque Sacramentorum, signanter Eucharistiæ & pœnitentiæ, administratio etiam aliis Sacerdotibus, præsertim Regularibus, sive vigore privilegiorum, sive consuetudinis, communicata fuerit; eaque in Ecclesiis Parochialibus, aut extra eas, ipsis tamen Parochianis exhibere sine licentia Parochorum liceat, tractando de singulis Sacramentis notabimus.

CAPUT III.

An aliquid in Sacramentorum administratione exigi possit.

1. *Populi devotioni officit, Sacerdotum ex Sacramentorum administratione quæstus captatio.*
2. *Primi Christiani omnem temporalium exactionem abesse volebant; sed voluntariè offerebant.*
3. *Eamdem disciplinam Ecclesia semper retinuit.*
4. *Neque sub obtentu consuetudinis temporalia exigi permisit.*
5. *Quid circa hoc statuerint Synodi Belgicæ.*
6. *Nec titulo paupertatis hæc exactio permittitur.*
7. *Ecclesia vult retinere oblationum usum; nec vetat voluntariè oblata accipi.*
8. *Cavenda in oblatorum receptione tacita exactio.*
9. *Sacramenta æquè promptè administranda pauperibus ac divitibus.*
10. *Cavendum ne voluntariæ Fidelium oblationes transeant in coactas.*
11. *Aliquando prohibita etiam ultronea temporalium oblatio in receptione Sacramentorum.*
12. *Quid voluerit observari S. Carolus?*
13. *Quomodo omnis turpis quæstus ejusve species in administratione necessariò cavendus.*
14. *Difficulter omnis mali species cavetur dum Ministri ex oblatis in administratione Sacramentorum vivere debent.*
15. *Danda Ministris Ecclesiæ ea competentia ut in administratione Sacramentorum oneri non sint Fidelibus.*
16. *Decimatorum dandi eam competentiam obligatio.*
17. *Offerenda in Sacramentorum administratione aliquando à Superioribus taxata, & quare?*
18. *Sic taxata dici solent jura Pastoralia; & in administratione Matrimonii & sepulturis potissimum obtinent: & quare?*
19. *Videntur successisse in locum decimarum personalium.*
20. *Jura illa hic agre sine consensu Regis imponi possunt.*
21. *Laici ab impositione onerum per judicem Ecclesiasticū subinde ad Senatum Regium appellare possunt.*
22. *Vix jura illa sine offensione exigi possunt; & quid hic à Superioribus faciendum?*
23. *Circumspectè in horum jurium exactione Ministri Ecclesiæ se gerere debent.*

I. Nihil est quod populi erga sacra Religionis nostræ Mysteria reverentiam & existimationem pietatemque ita minuit, quàm si videat, ea à Sacerdotibus atque Ecclesiæ ministris ad quæstum torqueri; ipsosque ex eorum administratione commoda temporalia sibi aucupari.

Hinc nihil unquam magis exhorruit Ecclesia, quàm pactiones, conventiones, atque exactiones cujuscumque rei temporalis in Sacramentorum administratione, quæ speciem Simoniæ, aut ut minùs turpis quæstus præ se ferre solent.

II. De primis Christianis in suo Apologetico *capit.* 39: scribit Tertullianus: "Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat; etiam si quod arcæ genus est, non de *Honoraria* summa quasi redemptæ religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt.

In antiquis, ac etiam Pamelii editionibus Operum Tertulliani, pro his verbis, *non de honoraria summa*, legitur, *non de oneraria summa*; sed priori modo legi in vetustissimo codice observat Rigaltius; quasi diceret: "In nostris conventibus congregatur summa, quæ non sit tamen *dehonestamento* religioni, nec ideo venalis aut redempta dici debet religio nostra." Hæc Rigaltius.

Primi ergo Christiani prompto animo offerebant quæ Ecclesiæ Ministris pauperibusque sustentandis sufficiebant; sed pecuniæ quamcumque exactionem in Sacramentorum aut aliorum sacrorum administratione exhorrebant.

III. Et licet in nonnullis disciplinæ articulis Ecclesia coacta fuit, aliquando à primitiva Patrum puriore disciplina nonnihil recedere, in hoc tamen articulo, eam semper retinuit disciplinam, ut omnem in ipsa Sacramentorum exhibitione temporalium exactionem omnemque turpis quæstus speciem abesse voluerit.

IV. Sæculo 12. Concilium Lateranense sub Innocentio II. *Can.* 2. pecuniam dari aut exigi pro quocumque Sacramento vetat, additque: "Et nec pro pastu, nec sub obtentu *alicujus consuetudinis* ante vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ipse [qui Sacramenta suscipit] dare præsumat: quoniam Simoniacum est.

Et rursus eodem sæculo Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. in *Cap.* 9. *De Simonia, horribile nimis* reputat, quod in quibusdam Ecclesiis pro Sacramentis aliquid requiratur. "Putant autem, inquit, plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa consuetudine invaluisse arbitrantur, non attendentes, quod tantò graviora sunt crimina, quantò diutius infelicem animam tenuerunt alligatam.

Sub idem tempus Concilium Turonense prohibens pro Chrismatis aut olei receptione aliquam pretii exactionem attentari, subjicit: "Nec sub *obtentu cujusdam consuetudinis* reatum suum quis tueatur: quia temporis diuturnitas non diminuit peccata, sed auget." *Cap.* 8. 12 *De Simonia.*

V. His Conciliorum Decretis insistentes posteriores Belgii ac vicinarum Provinciarum Episcopi, omnem tum in suis Ritualibus libris, tum Synodorum Decretis tem-

postulium exactionem in Sacramentorum administratione proscripserunt; eaque *gratis*, & sine ulla quæstus specie dari jusserunt.

"Cùm Sacramenta Ecclesiæ [ait Synodus P. II. Cameracensis *tit. 5. cap. 5.*] non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine *avaritia suspicione* administranda sint, „caveant omnes, ne in eorum administratione quidquam „exigant directè vel *indirectè*.

Synodus D Mechliniensis *tit. 2. cap. 3.* ait: "Sacramenta omnia liberè conferantur, nihilque *omninò* directè vel „*indirectè* in eorum administratione exigatur.

Hæc hisque similia passim Synodi & libri rituales inculcant.

VI. Et quia nonnulli paupertatis aut necessitatis prætextu hasce exactiones colorate prætendunt, plures Synodi expressè, & hunc prætextum, tamquam insufficientem rejiciunt.

"Illud prætereà diligenter caveant Parochi, omnesque „alii ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, „ne pro illis administrandis ab ullo, vel *omnium rerum* „*inope* Sacerdote, verbis aut etiam signis quidquam prorsus, vel *minimum quovis* modo petatur, exigaturve; ait „Synodus Aquensis anno 1585. *tit. De Sacramentis.*

„Pro Sacramentorum ministerio, nullus Sacerdos, „quamvis egens, verbis vel *nutibus* quidquam prorsus vel „*minimum* petat, exigatve; inquit Synodus Avenionensis „anno 1594. *tit. 11.*

VII. Verùm dum adeò severè Sacramentorum ministris omnis cujuscumque rei temporalis exactio in administratione Sacramentorum vetatur, intentio tamen Ecclesiæ in hac prohibitione non est, laicos fideles à veteri & in Ecclesia probato oblationum & eleëmosynarum usu etiam in ipsa Sacramentorum administratione retrahere; aut ipsis Ministris inhibere à Fidelibus liberali animo oblata accipere.

Quinimo Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in Cap. 42. " *De Simonia*, sicuti vetat aliquid à Ministris in Sacramentorum ministerio exigi, ita pariter, vult laudabiles consuetudines aliquid offerendi à laicis observari.

Et Rituale Romanum Pauli V. postquam omnem exactionem in Sacramentorum administratione proscripsit, immediatè subjungit: "Si quid verò nomine eleëmosynæ, aut devotionis studio, *peracto* jam Sacramento, à fidelibus *spontè* offeratur, id licitè pro *consuetudine* locorum Minister accipere poterit.

Nonnulla verò in hac oblatorum receptione à Parochis aliisque Sacramentorum Ministris observanda sunt.

VIII. Primò nè in similium oblatorum receptione tacita saltem exactio, Simoniæ aut avaritiæ suspicionem ingerens, intercedat.

Tacitæ hujus exactionis frequenter sunt rei, qui verbo aut facto eos arguunt avaritiæ aut inhumanitatis, qui post administrationem Sacramentorum nihil aut parum offerunt. Quis enim ambigat, quin sic agendo cogant quodammodo Fideles ad dandum, dum negando, avaritiæ aut inhumanitatis notam sibi impingendam norunt.

IX. Secundò sollicitè cavendum, ne Sacramenta majori promptitudine & hilaritate administrentur illis, à quibus plura offerenda sciunt; facilè enim major illa promptitudo & hilaritas, avaritiæ turpisq; quæstus suspicionem insinuabunt.

X. Tertiò cavendum est, ne gratuitæ oblationes ex devotione Fidelium procedentes facilè in præceptum & necessitatem vertantur; adeò ut si quis offerre prætermittat, avarus imò injustus audiat.

Hinc enim contingeret, ut Fideles vel paupertate, præsertim occulta; vel expensarum gravitate territi, Sacramenta aut non suscipiant, aut saltem diutius, quam oportet, differant. Quod hodie, prohdolor non rarò circa susceptionem Viatici & Extremæ-Vnctionis evenire, nimis quàm manifestum est.

XI. Ob hæc aliaque ex oblatorum receptione pullulantia incommoda, quæ difficulter in totum præcaventur, olim Synodus Elibertana decrevit: *Hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod* GRATIS *accepit* PRETIO *distrahere videatur.* Statuti illius rationem exposuit in Concilio Basileensi Iulianus Cardinalis:" Apostolus præcipit ab omni *specie* mali „abstinendum. Nonne *gratis* offerre, & eleëmosynam da„re est pium & charitatis opus? sed quoniam tempore Ba„ptismi nummos projicere in concham prætendebat *spe„ciem* mali, emendari & aboleri jussit Ecclesia.

XII. Quin Sanctus Carolus, Noluit, ut Presbyteri quācumque rem pro administratione Sacramentorum acciperent; etiam sub *obtentu eleemosynæ*, ut omnem *occasionē* & *notam avaritiæ* adimeret; utque exactè per omnia observarent hæc verba: *Gratis accepistis, gratis date.*

XIII. Scio quidem hanc disciplinæ puritatem nec ubiquē vivere, nec in omnibus Ecclesiis hodie in præcepto esse, ut nimirum ministri non possint, jam administrato Sacramento, *gratis* oblata recipere; ipsa tamen Sacra Ministerii functio omnes Ministros adstringit, ut in oblatorū receptione, eam servant moderationem, & agendi modum, ne avaritiæ, turpisve quæstus notam incurrendo, Ministerium ipsorum vituperetur; & Sacramentis debita reverentia vilescat. Caveantque sedulo ne liberales fidelium oblationes tandem in suspectas exactiones degenerent; quo fiat, ut vel fideles à Sacramentorum receptione retrahantur, aut diutiùs quam convenit, differant.

XIV. Multopere sanè dolendum, quòd in multis Parochiis Belgicis Pastores, ac præcipuè Vice-Pastores adigantur ex oblationibus in Sacramentorum administratione fieri consuetis victitare; neque aliunde ad honestè vivendum ipsis suppetat; hincque contingat, quod ipsa necessitate compellente, si non directè & expressè temporalia in Sacramentorum administratione exigantur, *indirectè* tamen & *tacitè* satis insinuetur dandi necessitas: adeò ut ipsis Laicis quasi persuasum sit, oblationes illas non esse voluntarias, sed se ad offerendum constrictos credant.

XV. Sanè despiciendum est Episcopis aliisque Superioribus & Magistratibus" ut Parochis Evangelii Prædica„toribus [verba sunt Synodi Coloniensis anno 1536. „parte 8. capit. 2.] certa ac competens subministratio vi„ctus & vestitus fiat, idque ad eum modum, ne in admi„nistrandis Sacramentis quidpiam exigendo, oneri „sint Parochianis, aut cibum vicatim discurrendo „emendicare cogantur, quo nihil turpius aut sordidius.

XVI. Hoc quoque indubitatum est, quod Episcopi & alii decimas possidentes Prælati, eorumque Capitula & Monasteria" [uti loquitur Christianus Lupus Dissert. 1. „proemiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones cap. 7.) „rigidum coram Deo onus portent dandæ Parochis su„stentationis integræ, & *miseras* plebis liberandi ab exa„ctionibus variis suspectis & offensivis, ad quas isti à ne„cessitate coguntur.

XVII. Interim dum aliunde Parochis & Sacerdotibus Sacramentorum aliorumque spiritualium officiorum ministris sufficienter nequit succurri, coguntur que necessitate quodammodo ex oblatis vivere, non inconveniens visum est, ut Episcopi aliique Superiores & Magistratus determinent sive taxent, quid à fidelibus Parocho aliisque Ministris in administratione Sacramentorum aliisque functionibus sit dandum.

Hoc quippe pacto contingit, ut Pastoribus aliisque sacerdotibus adimatur occasio, conventiones pactionesque Simoniam aut saltem turpem quæstum redolentes cum Parochianis ineundi.

Vlterius per hanc Superiorum taxationem fit, ut Parochiani contra Parochum & Sacerdotes conqueri nequeant, quasi Parochianos injustis & excessivis juribus & exactionibus gravent, dum id dumtaxat petunt, quod Superiores judicarunt à subditis in Parochorum & Ministrorum sustentationem solvendum,

XVIII. Hæc jura, quæ pastoralia dici solent, potissimum in administratione Sacramenti Matrimonii, & sepulturis locum habent: eo quod in his sine minoribus incommodis, & scandalo peti posse videantur.

Atque imprimis hic periculum non est, quod ob jura solvi consueta & taxata Matrimonium differetur aut omittetur; neque in ejus dilatione multum incommodi esse consuevit; nec sepultura ideo omittitur, aut si forsan non ea, qua aliàs pompa fiat, nihil aut parum inde incommodi timendum; quemadmodum (uti ante monuimus) timendum est, dum Viaticum aut extrema Unctio, propter oblationes & expensas faciendas, differtur, aut etiam omittitur: unde numquam legitur, quod aliqua jura in horum administratione solvenda taxata aut præscripta fuerint.

XIX. Jura hæc in funeralibus aut contracta Matrimonii sovi solita, & à Superioribus ad certam quantitatem taxata, videntur in locum decimarum personalium (quæ de jure communi debentur, & hodie passim in desuetudinem abierunt) successisse; ut sicuti laici eo titulo debebant de omni suo lucro decimas dare Sacerdotibus, ita vice illarum solvant jure illa vel viventes, dum Matrimonium ineunt, vel post mortem, dum sepeliuntur.

Hanc surrogationem in locum decimarum personalium non obscurè expressit Synodus Attrebatensis sub Francisco Richardoto *titulo de Sacramentis cap.* 3. Cum enim *cap.* 2. mandasset, ut Pastores in administratione Sacramentorum, "omnes avaritiæ sordes, & quæstus inhonesti & reprobati suspiciones evitent; ne mercedem (quasi in rebus sanctis & spiritualibus commutatio ulla justa esse queat) vel captent, vel exigant sordide, deinde capite sequenti subjungit: "Sed tamen ubi soliti fructus nulli sunt, aut exigui beneficiorum Curatorum; & minores quam sufficiant alimoniæ Pastorum: si populus se durum & avarum præbeat, nec liberaliter pro suo quisque modulo aliquid conferat Pastoribus Sacramenta ministrantibus; agi debebit cum Majestate Regia, ut iisdem Pastoribus greges necessaria commodè provideant, sive per decimas personales, quas certum est cessisse consuetudini laudatæ, qua populus pro administratione Sacramentorum liberaliter honorarium aliquod impendere solebat; sive alia quavis ratione: alioqui valde esset inhumanum laborem pastoralis officii requirere sine justa mercede & sublata omni ratione parandi victus & vestitus.

XX. Præterea in hoc Decreto notandum, quod dicatur, agi debere cum Majestate Regia, ut laici ad similia jura solvenda cogantur. Sciebant quippe hujus Synodi Patres, ægrè permitti in Belgio viciniisque Provinciis, ut temporalia hujusmodi onera laicis citra consensum & auctoritatem Regis imponantur; neque facilè ad eorum solutionem se constringi patiantur, nisi consensum Regis accessisse constiterit.

Hinc teste Antonio Anselmo in suo Triboriano Belgico, *cap.* 35. cum de publicatione Concilii Tridentini hic tractaretur; eamque in finem ad Concilia Regia reformationis Decreta, expendenda missa essent, *ad c.* 4. *Sess.* 21. *De Reformat.* ubi datur Episcopis facultas novas parochias erigendi, & si necesse fuerit *compellendi* populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustentandam *communis* nota fuit, compulsionem illam populi, & exactionem fieri non posse, sine *auctoritate Regia*, neque hanc jurisdictionem Ecclesiasticis judicibus umquã competiisse.

XXI. De Sacerdotis honorario ex funerarii Sacrificii opera agendum apud prophanum judicem, & non apud Ecclesiasticum, judicatum fuisse anno 1532. refert Renatus Choppinus *lib.* 2. *de Sacra Politia tit.* 2. *n.* 2. & pluribus confirmat Carolus Fevretius tractatu *De Abusu lib* 4. *c.* 8. asseritque Senatum Regium solere improbare & cessare suspectas ac minus honestas exactiones, quæ in sacrorum administratione fiunt; tametsi longa consuetudine firmatas; & à sententia judicis Ecclesiastici similes exactiones adjudicante *tamquam ab abusu* ad Senatum Regium laicos appellare posse.

Decanus & Capitulum Ecclesiæ Cathedralis Engolismensis tamquam Pastores Primitivi cujusdam Ecclesiæ Parochialis condemnaverant Parochianos, ad solvendum quid modicum pro vino quoties communicarent, interjecta per Parochianos appellatione *tamquam ab abusu*, dictum fuit per Parlamentum Parisiense anno 1551. malè & abusivè judicatum.

XXII. Cæterum, quacumque authoritate jura illa sint taxata, nemo non scit, quàm difficulter illa sine omni fidelium scandalo, & offensione exigantur: & quam facilè horum exactio nota sit populo ingerere suspicionem Sacramenta aliaque sacra officia à Sacerdotibus intuitu retributionis administrari; ipsorumque Sacerdotum quæstui Sacra subservire; dum vident, illa non nisi constituta mercede administrari; idque eo majore, quo solemnius administrantur.

Hinc non difficulter intelligitur, Superioribus tum Ecclesiasticis, tum sæcularibus allaborandum esse, ut quantũ rerum conditio patitur, Pastoribus aliisque Ecclesiæ Ministris ita de temporalibus provideatur, ut ab ejusmodi scabiosis & suspectis jurium exactionibus abstinere queant: quod nec difficile esset, si proventus Ecclesiastici iis, qui in Vinea Domini laborant, juxta mentem Ecclesiæ & Fundatorum assignarentur: de quo latius infra ubi de decimis & bonis Ecclesiæ tractabitur.

XXIII. Demque ex dictis concludant Pastores aliique Ecclesiæ Ministri, quod dum ob temporum duritiem aliunde quam ex his juribus necessaria vivendi media non suppetunt, in horum jurium & oblationum receptione aut petitione, eam saltem servare studeant moderationem & circumspectionem, ne avaritiæ turpisve quæstus notã incurrant, qua ipsorum apud laicos ministerium vituperetur, & Sacramentorum aliorumque Sacrorum usus vilescat.

TITULUS II.
De Baptismo.

CAPUT I.
De Materia & forma Baptismi, & quomodo hæc adhibenda.

1. *Primum & maximè necessarium Sacramentum est Baptismus*
2. *Dicitur aliorum Sacramentorum* janua.
3. *Innocentius* III. *dubitavit num Ordo* à non Baptizato *susceptus esset invalidus: aliqua Sacramenta ab illo validè recipi posse credidit.*
4. *Credidit tamen Ordines à tali susceptos reiterandos.*
5. *In quo fundata fuerit resolutio Innocentii?*
6. *Non temere de suscepto Baptismo dubitandum.*
7. *Describitur Baptismus* Flaminis.
8. *Per Baptismum Flaminis quis salvari potest.*
9. *Patrum sententiis acquiescendum.*
10. *Quid sit Baptismus* Sanguinis?
11. *Solus Baptismus* Fluminis *habet rationem veri Sacramenti.*
12. *Forma Baptismi Latinorum.*
13. *Forma Græcorum nonnihil in verbis diversa, tamquam sufficientem probat Ecclesia Latina.*
14. *Expositio* Cap. 1. ✠ De Baptismo,
15. *Materia Baptismi aqua naturalis.*

16. *Quæ*

Digitized by Google

16. *Quæ censenda aqua naturalis?*
17. *Extra casum necessitatis cum dubio liquore Baptizare non potest.*
18. *Ritus adhibendi aquâ in Baptismo non ubique est idē.*
19. *Ecclesia Græca olim usa fuit Immersione & eam hodierna eorum Ritualia præscribunt.*
20. *Idem ritus etiam apud Latinos aliquando usitatus fuit.*
21. *Ritus Baptizandi per* immersionem *multis sæculis in Ecclesia Latina perseveravit.*
22. *Baptizare per* immersionem *non spectat ad valorem Baptismi, sed ad disciplinam.*
23. *An per* infusionem, *an per* immersionem *Baptismus sit conferendus pendet à consuetudine & præscripto Ecclesiarum.*
24. *Debet aqua sic adhiberi ut sit* ablutio, *non* aspersio.
25. *Aqua sic infundenda, ut ipse baptizandus censeatur vere* ablutus.
26. *Quæ censenda pars notabilis ratione cujus Baptizandus dicatur* ablutus.
27. *Quomodo Græci aquam infundant?*
28. *Trina immersio multis Canonibus olim præcepta fuit.*
29. *Licet trina immersio videatur ab Apostolis descendere, non spectat tamen esse essentiam Baptismi.*
30. *Aliquando præceptum ut unica fieret immersio, & quare?*
31. *Regula quæ in hac disciplina diversitate tenenda est.*

I. PRimum inter Sacramenta numeratur *Baptismus*, de quo in Symbolo fidei Constantinopolitano dicitur, *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Et Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit*, Sess. 6. De Baptismo Can. 4.

II. Quin & jam pridem à Theologis dicitur, Baptismum esse Ianuam aliorum Sacramentorum; id est, alia Sacramenta ad sui valorem requirere prævie in suscipiente Baptismum: quod sequutus Bonifacius VIII. in *Cap. 1. De Cognat. spirituali in* VI. vocat Baptismum Sacramentorū *fundamentum & januam reliquorum.*

III. Tempore Innocentii III. Id est, sæculo 13. dubium fuisse, an non baptizatus, qui tamen crederet se baptizatum, non posset validè ordinari, manifestum est ex responso ipsius Innocentii in *Cap. 3.* ;; *De Presbytero non baptizato*, ubi ipse Pontifex multa adducit, quæ validitatem Ordinis ita suscepti evincere videbantur; atq; inter alia tamquam certum supponere apparet, quod" illud non „ sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteri„ bus Sacramentis, quod Baptismus sit *fundamentum* il„ lorum, quoniam & Sacramentum Conjugii & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.

IV. Post hæc subjungit: " Quia verò in Concilio *apud „ Compendium* legitur constitutum, si quis in Presbyterum „ ordinatus deprehenderit se non baptizatum, baptize„ tur, & iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium „ in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, manda„ mus, quatenus ipsum per singulos Ordines, usque ad Sa„ cerdotum promovere procures, & permittas eum in Sa„ cerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratū, quod „ ambigitur esse factum: nec malè de Sacramento sentitur „ cùm illud non religionis contemptus, sed articulus ne„ cessitatis excludit.

Ex his haud obscurum est, Innocentium de validitate suscepti Ordinis à non baptizato dubitasse; neque credidisse, Baptismum esse fundamentum omnium Sacramentorum.

V. Adhæc sat patet, Innocentium dubium suum de invaliditate Ordinis, suamque resolutionem de iterando Ordine fundasse in quodam Decreto Concilii *apud compendium*; quod refertur sub nomine illius Concilii apud Gratianum *caus. 1. q. 1. Can. 60.*

Verùm adverterunt Eruditi, hoc Decretum in nullo Concilio *apud compendium* reperiri. Extat autem *lib. 6. Capitularium Regum Francorum c. 94.* neque antiquior ejus fons reperitur.

VI. Ut verò scrupulosis anxietatis & dubitationis occasionem adimat Innocentius, addit:" Et certè de illo qui „ natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est „ fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd „ fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit „ habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis con„ trarium probaretur.

VII. Dicit præterea Innocentius in citato Capitulo 3. " Quòd quis non solùm per Sacramentum fidei, sed per *fi„ dem* etiam Sacramenti efficitur procul dubio membrum „ Christi.

Illud autem quod dicit *Fidem Sacramenti* per quā quis efficitur membrū Christi, vocari solet *Baptismus flaminis* de quo verbis Augustini dicitur apud Gratianum in *Can. 34. Dist. 4. De consecrat.* "Invenio non tantùm passionem „ pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse „ supplere, sed etiam *fidem*, conversionémque cordis, si „ fortè ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis „ temporum succurri non potest. Neque enim latro ille „ pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis faci„ norum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum pa„ titur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili „ Sacramento Baptismi, *Quod*, ait Apostolus: *Corde credi„ tur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; in illo „ latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, „ cùm Mysterium Baptismi non contemptus religionis, „ sed articulus necessitatis excludit.

VIII. De eodem Flaminis Baptismo agit Pontifex in *C. 2.* ;; *De Presbytero non baptizato*, respōdens Cremonensi Episcopo:" Presbyterum, quem sine unda Baptismatis ex„ tremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ec„ clesiæ fide, & Christi nominis confessione perseverave„ rit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gau„ dium esse adeptum asserimus incunctanter.

Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium ad hæc verba: *Esse adeptum*, ait:" *Potuisse a„ dipisci*, malim, Quid enim si alicujus occulti peccati reus „ mortuus est? Quid si non satisfecit pro aliis etiam con„ fessus.

IX. Post hæc Episcopum remitti ad libros SS. Augustini & Ambrosii, addentes hanc notandum sententiam:" Sopi„ tis igitur quæstionibus Doctorum, *Patrum sententias te„ neas*, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo of„ ferri jubeas pro Presbytero memorato.

X. Præter Baptismum *Flaminis*, meminit quoque Augustinus in citato *Canone* 34. & in *Canone* 37. Baptismi qui vulgo vocatur Baptismus *Sanguinis*, qui consistit in morte pro Christo tolerata; sive *Martyrio*; in quo proprio sanguine pro Christo fuso fidelis abluitur, antequam præ angustiis tēporis aliove impedimento vivificis Baptismi undis regeneretur; de quo in dicto *Canone* 37. sub nomine Augustini:" Catechumenum quamvis in bonis operibus „ defunctum vitam æternam habere non credimus, *exce„ pto Martyrio* ubi tota Baptismi Sacramenta complentur. " Et apertius ipse Augustinus *lib. 3. De Civitate Dei cap. 7* „ Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro „ pro *Christi Confessione moriuntur*, tantum eis valet ad „ dimittenda peccata, quàm si abluerentur sacro Fonte „ Baptismatis.

XI. Verùm licet ex his sufficienter constet, Baptismum *Flaminis* [qui in perfecta peccatorum detestatione ex Dei amore, & desiderio recipiendi Sacramentorum Baptismi consistit], & Baptismum *Sanguinis* suppellere vices Sacramenti Baptismi, nihilominus certum est, neutrum esse Sacramentum; neque verum *Baptismum* de quo loquitur Christus dum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire regnum Dei.* Ioan. 3. ℣. 5. Et rursus: *Euntes docete omnes gentes. Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. ℣. 19.

Hic Baptismus aquæ, sive *Fluminis* est propriè dictus Baptismus; atque solus rationem veri Sacramenti novæ legis habet; appellaturque communiter, Sacramentum *Regenerationis*; eo quod per illum homo spiritualiter *rege-*

gene-

verbis exprimitur:" Nos tam ex his, quàm ex aliis de ipsarum opinione sinistra frequenter auditis, eas meritò suspectas habentes, statum earumdem sacro approbante Concilio perpetuò duximus proscribendum, & à Dei Ecclesia penitus abolendum: eisdem & aliis mulieribus quibuscumque sub pœna excommunicationis, quam in contrarium facientes incurrere volumus ipso facto, injungentes expressè, ne statum hujusmodi dudum forte ab ipsis assumptum quoquo modo sectentur, vel ipsum aliquatenus de novo assumant.

Ob hanc damnationem Belgicæ Beghinæ etiam à nonnullis in criminis suspicioně vocatæ fuerunt; adeo ut Antverpiæ (referente Zypeo in Jure novo *t. De Regularibus n. 9.*) omnia earũ bona Fiscales rationatores arripuerint.

XV. Sed cum habitâ informatione intellexisset Joannes XXII. immediatus Clementis V. (sub quo Concilium Viennense celebratum fuerat) successor, multas esse in variis mundi partibus Beghinas nullatenus de prædictis erroribus suspectas, editis litteris declaravit, hasce sub *prohibitione aut abolitione prædictis non contineri*:" Locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eas sub prætextu hujusmodi nullatenus molestari permittant. Et si quid forsitan ex hoc in bonis aut juribus, à quibuscumq; contra eas attentatum est hactenus, vel attentari contigerit in futurum: per illos prædictos Ordinarios auctoritate nostrâ in statum reduci debitum volumus: invocato [si opus fuerit] auxilio brachii sæcularis.

Refertur in *Extra.* RATIO RECTA *De Religiosis Domib. in Comm.*

XVI. Præter hanc generalem declarationem, etiam specialibus litteris ad Episcopum Cameracensem, Leodiensem, & Ultrajectinum (quibus penè totum Belgium tunc temporis in spiritualibus parebat) id ipsum declaravit; uti monet Zypæus loco citato *n. 10.* addens in litteris, ut factâ inquisitione in mores & religionem Beghinarum, suarum respectivè Diœcesium, si tales invenirentur, quales in dicta *Extravagante* describuntur, non paterentur innocentes cum nocentibus ad paria judicari, sed ab omni molestia eximerent; molestatores, si qui fuerint, per Censuram Ecclesiasticam, appellatione remota, compescendo.

Episcopi inquisitione factâ ipsas passim tutati sunt: atq; ab eo tẽpore Beghinæ hîc in Belgio pacificè vivere, ac indies magis magisque multiplicari, & ad uniformem atque regularem quamdam vivendi normam redigi cœperunt.

XVII. Non eadem fuit Beghinarum sors in Gallia. Cum "enim (ait D. Du Canghe in suo Glossario verbo *Beghinæ*) Beghinarum institutum haberetur contemptui, sensim desiit, & in earum locum successere Sorores *tertii Ordinis S. Francisci.* quibus ibidem traditæ in urbibus Galliæ earum ædes.

Neque mirum videbitur, eam fuisse in Gallia Beghinarum sortem, qui attenderit, Philippum Pulchrum Galliarum Regem præcipuum fuisse Concilii Viennensis [in quo Beghinarum abolitio decreta erat] promotorem, ejusque particulare interesse postulasse, ut ejus Decreta executioni mandarentur; ideoque, uti notat Thomasinus in Disciplina Ecclesiastica *p. 4. l. 1. c. 62. §. 11.* facile potuisse, Philippum Pulchrum omnes Beghinarum Congregationes abolevisse, ut Clementi V. & Concilio Viennensi faveret.

XVIII. Norma vivendi Beghinarum, earumque institutum hodiernum in Belgio, mixtum, ac medium quodammodo est inter Regulare & sæculare sive laïcum.

Imprimis si vestes & habitum consideremus, is planè à laicali est diversus; atque Religioso vestitui conformis; solentque pleræque veste nigrâ uti; atque capitis velamento instar Monialium.

Secundò professionem aliquam, votumq; castitatis & obedientiæ saltem temporaneum; imò etiã quodam solemni sub formula superiùs relatâ, instar Monialiũ emittunt.

Tertiò, leges & ordinationes vivendi ab Ordinariis locorum non secùs ac Moniales accipiunt; atq; eorũ visitationi æque ac Moniales subjacent. Parochum quoq; proprium fere ubique habent, cujus directioni & curæ subduntur.

Fatendum nihilominus, etiam modernum Beghinarum vivendi genus in multis à Religioso Monialium instituto discrepare.

Primò nullum votum Religionis *perpetuum* emittunt, sed tantùm *temporaneum* castitatis & obedientiæ, non diutius astringens, quam Beghinæ manere volunt; ita ut omni horâ liberè exire & ab omni voto se eximere, atque matrimonium contrahere possint.

Secundò, paupertatis votum nullum, ne quidem temporaneum faciunt; sed etiam Beghinæ existentes, manent rerum suarum proprietariæ, capacesq; acquirendi & retinendi, non secus atque aliæ mulieres laïcæ & sæculares, iisque liberè utuntur, & tam inter viros, quam mortis causa pro suo arbitrio de illis disponunt.

Tertiò, licet pleræque in Beghinagiis muro & claustro nocturno vallatis habitent proprias tamen ac separatas ædes inhabitant; in quibus rem domesticã administrant; quasi laicæ & sæculares matres-familias, mensã, suppellectile, totamque domesticam œconomiam pro suo arbitrio instituentes. Unde vita communis inter eas quoque exulat.

Quartò, clausurã Monialium non servant sed liberè exeunt, atq; per civitatem sua negotia & rem familiarem procurant; consanguineos familiaresque invisunt & domos civiũ frequentant, nisi quod certis legibus quoad dies & horas exeundi & redeundi libertas, per ordinationes & statuta in plerisque Beghinagiis nonnihil limitata & restricta sit.

Quintò, nullam certã Regulam à Sede Apostolica probatam profitentur; atque hoc ex capite juxta decisionem Concilii Lugdunensis in *C. 1. De Religiosis Domibus in 6.* earum institutum Ordo Religiosus vel status Religiosus dici nequit.

Hoc sensu accipiendum quod Joannes XXII. in allegata Extravagante, de Beguinis in diversis mundi partibus piè & ab erroribus immunem vitam agentibus dicit: " Cæterùm statũ *Beghinarum* hujusmodi, quas esse *permittimus* nullatenus ex præmissis intendimus *approbare,* " id est tanquam novum Ordinem seu statum Religiosum.

Neque enim dubium est, Beguinarum vivendi rationě haberi ab Ecclesia & à Romanis Pontificibus (qui illis multa jampridem privilegia ac immunitates concesserunt quæ in earum archivis etiamnum hodie reperiuntur) tamquam laudabilem; & eatenus probatam, ut institutum illud sequentes salutem suam securè queant operari.

XIX. Adhæc nec illud negandum, quod licet susceptio habitûs Beguinarum, aut earum professio non efficiat eas verè *Religiosas*, neq; dici queant assumpsisse propterea statũ omnino *fixum* & immutabilem, uti est status religiosus, tamen quia per habitus illius assumptioně se à sæculo & mulierum sæculariũ vestitu & vivendi ratione ac contubernio separãt, atq; ad aliquod particulare vitæ institutũ transferunt; idque ea intentione ut toto vitæ tempore in eo permaneant: etsi absolute possint sine peccato ad sæculum & communem sæcularium vivendi rationem reverti, etiã verè dici potest, Beguinas eatenus *statum* seu vitæ conditionem assumpsisse; & ita vulgo creditur, filias professione Beguinarum emissa ad *statum* pervenisse: ac propterea si consuetudo aut testator aliquid detulerit Filiabus cum ad statum aliquem pervenerint, id debetur Filiabus factis Beguinis, nisi ex circumstantiis appareat, quod consuetudo vel testator per *statum*, intellexerit statum *Religiosum* vel statum *Matrimonialem* sive omnino *stabilem* & *fixum*, ut latiùs deducit Zypæus *Resp. 14. D Regularibus.*

Denique certum est, Beguinas potiori ratione dici posse ad statum etiã Ecclesiasticum pervenisse qua filias, quas hodie *Devotarias* sive *Spirituales* dicimus; utpote nullam professionem castitatis etiam ad tempus, saltem publicè ac vi sui instituti emittentes; neque à sæculariũ contubernio, & vivendi communi vulgarium instituto æquè ac Beguinæ se separantes; neque in congregationě sub obedientia Superiorum se redigentes, sed quæ vi sui instituti possunt etiam inter seculares aut privatim, uti maluerint, vitam vulgarem in celibatu sine ullo voto agere; idque in veste à veste Religiosa planè disparata: & à vulgari honestarum matronarum parum diversa: ubi è contrario vestis *Beguinarum* ad vestem Religiosam proximè accedit.

PARS

PARS SECUNDA
DE
REBUS.
TITULUS PRIMUS
DE
SACRAMENTIS
IN GENERE.

CAPUT PRIMUM
De Sacramentorum Essentia, Numero, & Divisione.

1. *Varia significationes vocis* Sacramenti
2. *Quid propriè hodie dicatur* Sacramentum; *ejusque definitio.*
3. *Quid de Sacramentorum institutione eorumque numero habeat hodierna Fidei professio?*
4. *Quid doceat Synodus Tridentina?*
5. *Quoad numerum conveniunt Ecclesia Latina & Graeca.*
6. *Quando inceperint Sacramenta explicari per formas & materias?*
7. *Unde hec explicandi methodus initium habuerit?*
8. *Quaestiones hic moveri solita Theologis relinquuntur.*
9. *Divisio Sacramentorum in* necessaria & voluntaria; & *quomodo hic Canonista à Theologis dissentiant?*
10. *Sacramenta alia imprimentia* characterem, *alia non imprimentia.*
11. *Quid sit* character?
12. *Sacramenta alia reiterabilia, alia non reiterabilia.*
13. *Patres dum dixerunt quadam Sacramenta iterari non posse; etiam* Characterem *imprimi dixerunt.*
14. *Explanantur Decretales sub titulo* De Sacramentis non iterandis.
15. *Olim Sacramenta non iterabilia rursus conferebantur dum rationabiliter de eorum validitate dubitabatur; idque sine expressione conditionis.*
16. *Quando invaluerit forma conferendi sub* conditione?
17. *Quandonam Sacramenta characterem imprimentia & pracipuè Baptismus sint sub conditione reiteranda?*
18. *An baptizati ab Haereticis sint hodie rebaptizandi sub conditione?*

I. VOcis *Sacramentum* variae sunt tam apud Profanos, quàm Ecclesiasticos Auctores significationes.

Primò quidem significat juramentum, divino testimonio firmatum uti in *Authentica* SACRAMENTA PUBERUM *Cod. Si adversus vendit.* Secundò sumitur pro secreto sive arcano sacro, prout id accipit Apostolus ad Ephesios 1. *Ut notum faceret Sacramentum voluntatis sua*, id est, arcanum suae voluntatis circa praedestinationem Electorum. Tertiò extenditur etiam ad designanda mysteria, licet non sint sacra. Ita apud Joannem in sua Apocalypsi *cap.* 17. res illae occultae significatae per *bestiam & mulierem*, vocantur *Sacramentum bestia & mulieris.* Quartò Sacramentum interdum sumitur pro abstracto à Sacramentis propriè dictis, & à Sacramentalibus, qualia sunt caeremoniae in Sacramentorum administratione adhiberi solitae. In hac significatione legitur apud Augustinum *lib.* 2. *de peccat. meritis cap.* 26. Quintò accipitur subinde pro ipsa *Missarum* liturgia, uti nonnullis adductis testimoniis notat du Cange in Glossario verbo, *Sacramentum.*

II. Denique vox *Sacramentum* jam pridem à Patribus, & hodie communiter accipitur pro Sacramento propriè dicto; definiturq; in *Can.* 32. *Dist.* 2. *de Consec.* sub nomine S. Augustini: *Invisibilis gratia visibilis forma.* Verùm, uti sat innuunt Correctores Romani ad citatum Canonem, haec definitio apud Augustinum iis verbis expressa non reperitur; sed in libro de catechizandis rudibus *cap.* 26. haec leguntur: "De Sacramento sanè quod accepit, cum ei bene „ commendatum fuerit, signacula quidem rerum divina„ rum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari. „ In epistola autem 166. haec: Si autem malus est, operatur „ per illum Deus visibilem Sacramenti formam, ipse au„ tem donat invisibilem gratiam." Haec Augustinus. Ex quibus locis [inquiunt Correctores R.] videtur colligi potuisse vulgata ista Sacramenti definitio.

Hodie à Theologis sequutis Catechismum Romanum traditum communiter haec *Sacramenti* definitio: *Invisibilis gratia visibile signum ad nostram justificationem institutum.*

Definitionis illius expositionem latè post citatum Catechismum prosequuntur passim Theologi Scholastici praesertim qui ex professo de Sacramentis scripserunt.

III. Fidei professio à Pio IV. praescripta, & hodie ubique per Ecclesiam Catholicam recepta de Sacramentorum institutione & numero habet: "Profiteor quoque septem

Digitized by Google

„esse verè & propriè Sacramenta novæ legis, à Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani „generis, licet non omnia singulis, necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, „Extremam Unctionem, Ordinem & Matrimonium: „illaque gratiam conferre."

IV. Hæc tam quoad Sacramentorum institutionem, eorumque numerum, & gratiæ infusionem suis Canonibus *Sess. 7. De Sacramentis* ita expressit Synodus Tridentina; "Si quis dixerit Sacramenta novæ legis non fuisse omnia à „JESU CHRISTO Domino Nostro instituta; aut esse „plura, vel pauciora, quàm septem, videlicet Baptismum, „Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremã „Unctionem, Ordinem, & Matrimonium; aut etiam aliquod horum septem non esse verè & propriè Sacramentum, anathema sit." *Can. 1. & Canone 6.* ait: "Si quis dixerit Sacramenta novæ Legis non continere gratiam „quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, & notæ quædã Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur „fideles ab infidelibus, anathema sit." Rursus *Canone 7.* „Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi ritè ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus anathema sit." Denique *Canone 8.* "Si quis dixerit, per ipsa „novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri „gratiam, sed solam fidem Divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere, anathema sit.

V. Quoad numerum Sacramentorum nobiscum consentiunt Græci, tametsi ab Ecclesia Latina schismate divisi; uti ex professo ostendit Petrus Arcudius de Concordia Ecclesiæ Occidentalis & Orientalis in septem Sacramentorum administratione; ubi *lib. 1. cap. 2.* hæc habet: "Sacra „Mysteria seu Sacramenta tot esse numero apud Græcos, „quot apud Latinos, nimirum septem, nemo unquam „[quidquid dicant utriusq; gentis communes hostes hæretici nostri temporis] in dubium revocavit. Horum enim sunt paginæ plenæ Sanctorum Patrum tam Græcorum quàm Latinorum. Tametsi enim numerum Sacramentorum antiqui Auctores non expresserint, expressuri „sanè, si suo ævo Sacramentarii extitissent: res tamen ipsas, ubi sese offert occasio tractant. Et usus Ecclesiæ Orientalis hoc idem clarè confirmat. Sed & posteriores Græci, abhinc tamen multis annis ad nostra tempora, hunc „numerum docent, atque testantur. Simeon Aregi-Episcopus Tessalonicensis, qui librum integrum eumque satis prolixum de septem Ecclesiæ Sacramentis edidit, sic „habet: Septem sunt dona Spiritus S. teste Esaia, septem „item Ecclesiæ Sacramenta, quæ ab eodem Spiritu S. vim „operandi habent, quæ nimirum sunt Baptisma, Chrisma, „Communio, Manus Impositio, Matrimonium, Pœnitentia, & sanctum Oleum.

Hæc Arcudius, qui plura ibidem Græcorum testimonia producit, uti & Leo Allatius *de Ecclesia Occidentalis atque Orientalis perpetua consensione lib. 3. cap. 16.* qui insuper aliqua profert ex Synodis quibusdam Constantinopolitanis, Græcis auctoribus, quibus probat, Græcos nobiscum in septenario Sacramentorum numero consentire.

VI. Quoad effectum Sacramentorum, quomodo & quando gratiam producant, multa disputant Theologi; uti & circa materiam & formam Sacramentorum varias quæstiones movent; quæ præcipuè circa sæculum 12. aut 13. exoriri & mirum in modum excrescere cœperunt. Nam si Morino credimus, nonnisi circa illa tempora Sacramenta per materias & formas explicari cœperunt. "Primus Scholasticorum, ait, quem legi, qui hanc Sacramenta explicandi methodum amplexus est, & docuit, Guilelmus est „Antissiodorensis, qui scribebat paulò post annum Christi 1215." Hæc Morinus *De SS. Ordinat. part. 3. exerc. 1. cap. 3. num. 6.* additque *num. 10.* ante hæc tempora, Theologos totam hanc Sacramentorum materiam explicasse" per „verba *Signi & rei sacræ* seu *invisibilis*, dicentes Sacramentum constare signo & re sacra seu invisibili. Per *signum* „intelligebant, quod postea per *materiam* significatũ est, „atq; etiam quod per *formam*; quidquid scilicet sensibus „percipitur. Per *rem sacram* seu *invisibilem*, effectũ Sacramenti, gratiam scilicet sanctificantem. Hic est apud Antiquos frequentissimus explicandi modus; unde illa definito, Sacramentum *est invisibilis gratiæ visibilis forma.* „Formam vocant speciem quæ sensibus percipitur.

VII. Notat autem ibidem Morinus num. 3. istam explicandi Sacramenta rationem è Philosophia Peripatetica natam esse; utpote quæ rerum naturas sub his nominibus formæ & materiæ inquirere & examinare solet. Hæc ergo Philosophia [quæ circa sæculum 12. scholas intravit] Doctores Theologi imbuti, eamdem philosophandi rationem in Theologiam, atque potissimum in Sacramentorum doctrinam introduxerunt. " Hinc, ait Morinus, potissima „eorum cura fuit, definire quæ fuerint Sacramentorum „materiæ, quæ formæ, & sub horum nominum insignis „principales de Sacramentis quæstiones efformare & protendere."

VIII. De quæstionibus illis circa Sacramenta in generali, tum singula in particulari, si quis instrui desideret, consulere poterit Theologorum Scholasticorum commentarios in S. Thomam, & particulares eorum de Sacramentis tractatus; neque enim hasce quæstiones, quæ nec ad externam Sacramenta administrandi rationem, neque Canonicam disciplinam spectant, movere aut discutere intendo; sed eas Theologis relinquo; contentus circa Sacramenta breviter proponere & discutere disciplinam quam Sacri Canones, Synodalia Decreta, & Ritualia in eorum administratione servandam præscripserunt.

IX. Prima Sacramentorum divisio à Canonistis sequutis Gratianum ad Canonem 39. *caus. 1. q. 1.* & Pontificem in *Cap. 8.* ¨ *De Transactionibus* statuitur, quod aut sunt *necessaria* aut *voluntaria*. Necessaria dicunt esse, quinque: scilicet, Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, Eucharistiam, & extremam Unctionem, quæ omnia ad particularem cujusque profectum (ait Paulus Lancelottus in institutionibus Juris Canonici *l. 2. tit. 2. §. 1.*) sunt principaliter instituta. Rationem verò, cur dicantur *necessaria*, assignat ibidem Lancelottus: "Quia sine interitu salutis „æternæ prætermitti & contemni non possunt." Vel ut alius verbis expressit Glossa ad citatum Capitulum 8. "Quia „sine illis homo salvari non potest, si ex contemptu omittuntur, & haberi possunt.

„Voluntaria dicuntur, quæ sine salutis dispendio pro „cujusque arbitrio recipi possunt & refutari, inquit Lancelottus; qualia sunt Ordo sacer & Matrimonium: & „hæc ad totius Ecclesiæ profectum & subsidium principaliter pertinent.

Hinc ille versiculus à Canonistis relatus:

Ordo voluntatis thorus est, dare quinque necesse.

Quem exponens Panormitanus ad Rubricam tituli Decretalium *De Sacramentis non iterandis*, ait: "Per quæ patet quod Ordo & Matrimonium sunt *voluntatis*: reliqua *necessitatis*: quod est dicere, nolens ordinari vel uxorari bene potest esse in statu salutis; sed reliqua quinque contemni non possunt.

Theologi verò necessitatem *absolutam* considerantes; nullum Sacramentum præter Baptismum necessarium vocare solent; eo quod hoc solum sit, sine cujus susceptione saltem in voto, homo salvari nequit.

X. Ulterius Sacramenta à Canonistis & Theologis dividuntur in ea, quæ *characterem* imprimunt, & ea quæ illum non imprimunt. Quam divisionem sat apertè stabilivit Synodus Tridentina *Sess. 7. De Sacramentis in genere Canone 9.* anathema pronuntians in eum, qui dixerit in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine non imprimi characterem.

XI. Qui sit ille *character*, qui in tribus illis Sacramentis imprimi dicitur, à quatuor circiter sæculis anxiè & copiosè à Theologis Scholasticis inquiri cœpit, uti notat Morinus *De SS. Ordinat. parte 3. exerc. 3. c. 1.* una observans, plures ingenuè

ingenuè fassos, nihil apud Patres aut in antiquis Canonibus de hoc charactere solidi occurrere; sed ad ipsius Ecclesiæ auctoritatem, quæ characterem illum agnoscit, esse recurrendum; atque præcipuè ab antiquis Scholasticis recursum fuisse ad Decretalem Innocentii III. in *Cap.* MAJORES ⁱⁱ *De Baptismo*, ubi expressis verbis dicitur, in Baptismo *characterem* imprimi.

Verùm in quo consistat hujus Characteris essentia, non determinavit Innocentius III. ipsaque Synodus Tridentina simpliciter quoque dixit, imprimi per dicta Sacramenta *Characterem in anima, hoc est, signum aliquod spirituale & indelebile.*

Quid verò sit *signum* illud, inter Theologos & Canonistas non convenit. Verisimilis est, aliud dicere noluisse Synodum, nisi quòd per hæc Sacramenta imprimatur in animam ens quoddam morale, quare solet imprimi dum quis ad dignitatem aut conditionem aliquam *stabilem & permanentem* assumitur; ut exempli gratia ad dignitatem Regalem, Doctoralem, &c. In horum enim adeptione & collatione accedit ipsi accipienti hujusmodi dignitatem vel conditionem quoddam ens morale, ratione cujus perpetuò reputetur Rex, Doctor, &c.

Unde non malè Joannes Doujatius in notis ad Institutiones Lancelotti *lib.* 2. *tit.* 2. §. 3. loquens de hoc signo ait: "Hoc signum tria Sacramenta, Baptismus, Confirmatio & „Ordo, ideo, ni fallor, imprimere censentur in anima suscipientium, quòd per ea homines specialiter ad Dei cultum destinentur.

XII. Ex ipsa divisione Sacramentorum in ea quæ imprimunt *characterem*, & ea quæ illum non imprimunt, profluit alia divisio; scilicet in Sacramenta quæ reiterari possunt, & ea quæ reiterari non possunt. Imo ipse character, uti jam descriptus est, supponit per Sacramenta quæ illum imprimere dicuntur, aliquem *stabiliter & firmiter* ad conditionem aliquam & functiones Ecclesiasticas deputari vel assumi: adeò ut ipse character vel ideo impressus credatur, quia per Sacramentorum illorum susceptionem aliquis stabiliter & permanenter ad aliquam conditionem & functionem est deputatus.

Id non obscurè innuit Synodus Tridentina citato Canone 9. dum ex ipsa impressione characteris mox infert: *Unde ea iterari non possunt.*

XIII. Quapropter Augustinus dum frequenter urget ipsam indebilitatem Baptismi, ipsumque Baptismum neque per schisma, neque per apostasiam amitti; licet nomine *characteris* non utatur, tamen idē quod nomine *characteris* significatum voluit postmodum Ecclesia, sufficienter expressit; atque signanter *lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas c.* 1. apud Gratianum *Can.* 40. *Dist.* 4. *De Consecrat.* dicens: "Nullus autem illorum negat habere Baptismum etiam Apostatas, quibus redeuntibus, & per pœnitentiam conversi sunt, non redditur, admitti non potuisse judicatur. Sic & illi qui per sacrilegium schismaticis ab Ecclesiæ communione discedunt, habent utique Baptismum, quem priusquā discederent acceperunt." Nam „& ipsi, si redeant, non eis iterùm datur." Unde ostenditur illud, quod acceperant in unitate positi, non potuisse amittere ab unitate separatos.

Similiter *Professio fidei* nullam *characteris* mentionem facit; sed simpliciter credere jubet, *Baptismum, Confirmationem, & ordinem sine sacrilegio reiterari non posse*; supponens, satis indicari *characteris* impressionem, dum ea reiterari non posse definit.

XIV. Porrò in Decretalibus extat titulus *De Sacramentis non iterandis*; vel ut in aliquibus codicibus habetur, *De Sacramentis iterandis vel non.*

Refertur sub hoc titulo responsum Innocentii III. super dubio ipsi ab Episcopo Heliensi proposito: "Utrum scilicet permitti debeat ministrare, qui sine manuum impositione fuerit ad Ordinem Subdiaconatus assumptus. Et si „Confirmationis Sacramentum in eo debeat iterari, qui „per errorem fuit non crismate, sed oleo delinitus." Ad quod breviter respondendum duxit Innocentius *quod in talibus non est aliquid iterandum*, sed CAUTè *supplendum, quod* INCAUTè *fuerat prætermissum.*

Conformiter Gregorius IX. in *Cap.* 3. ⁱⁱ *eod.* ait Presbyter & Diaconus cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali [ritu ab Apostolis introducto] recipiunt: quod si omissum fuerit, non est aliquatenus iterandum, sed statuto tempore ad hujusmodi Ordines conferendos *cautè* supplendum, quod per errorem extitit prætermissum.

XV. Supposuisse tam Innocentium III. quàm Gregorium IX. Sacramenta in casibus sibi propositis nequaquam *invalidè* fuisse collata, vel indè evincitur; quod ea reiteranda non dicant; sed solummodò supplendum, quod incautè fuerat omissum.

Neque enim unquam dubium fuit, quin Sacramenta, etiam Baptismi, Confirmationis & Ordinis iterum essent conferenda, si rationabiliter de eorum *validitate* dubitabatur; imò simili casu antiquitùs ea sine ulla expressione conditionis reiterata fuisse, multa evincunt.

Et quidem ex Concilio Carthaginensi V. ubi *Can.* 5. legitur apud Gratianum *Can.* III. *Dist* 4. *De Consecrat.* "Placuit, ait Synodus, de infantibus, quoties non inveniuntur *certissimi* testes, qui eos baptizatos esse sine dubitatione testentur, neque ipsi sunt per ætatem idonei de traditis sibi Sacramentis respondere, absque ullo scrupulo eos esse baptizandos: ne ista trepidatio eos faciat „Sacramentorum purgatione privari.

Idem habetur ibidem *Can.* 112. & 113. ex sancto Leone; *Quoniam, ait, non potest in iterationis crimen venire, quod omnino factum esse nescitur.* Vel ut alio loco: *Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur: quia non temeritas intervenit præsumptionis, ubi est diligentia pietatis.*

XVI. Quo autem tempore invaluerit, Sacramenta hæc non iterabilia reiterari sub expressa conditione *si suscepta non sunt*, non omninò constat; illud fat verisimile, eam administrandi formulam invaluisse, postquam responsum Alexandri III. de quo in *Cap.* 2. ⁱⁱ *De Baptismo*, Decretalibus Gregorii IX. fuit insertum; ac pro jure communi in scholis prælectum: in quo responso dicitur:" De quibus „dubium est, an baptizati fuerint, baptizantur his verbis „præmissis: *Si baptizatus es, non te baptizo: sed si nondum baptizatus es, ego te baptizo* &c.

Juxta hanc Decretalem tandem à Canonistis & Theologis Scholasticis hæc baptizandi formula recepta fuit, ac Ecclesiarum Ritualibus passim præscripta.

Rituale Romanum sub titulo De forma Baptismi ita habet: "Cùm Baptismum iterare nullo modo liceat, si „quis sub conditione sit baptizandus, ea conditio explicanda est hoc modo: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.*

XVII. Deinde monet Rituale:" Hæc tamen conditionali forma, *Non passim* aut *leviter* uti licèt; sed *prudenter*, „& ubi re *diligenter* pervestigata, *probabilis* subest dubitatio, infantem non fuisse baptizatum.

Eodem penè tenore hanc formulam expressit Rituale nostrum Mechliniense, eamdem moderationem in ejus usu præscribens; unà tamen designans *probabilem dubitationem* ordinariè esse, quando infans ab obstetrice baptizatus dicitur; facilè enim ab illa vel turbatione, vel ignorantia erratur, & aliquid essentiale omittitur.

XVIII. Deinde ulteriùs subjungit: "Et quia nostri „temporis Hæretici pro insatiabili suo in Ecclesia odio, „Sacramentorum formas plerumque invertunt, materiam contemnunt, aut legitimam intentionem non habent, meritò Baptismus ab eis collatus, de nullitate suspectus haberi debet. Proinde ab eis baptizati sub conditione baptizentur, ac omissæ cæremoniæ suppleantur.

Nonnulli, qui propiùs Hæreticorum hodiernorum baptizandi modum investigarunt & observarunt, non probant eam in rebaptizandis ex illorum hæresi ad Ecclesiam revertentibus facilitatem. Et quidem Patres Concilii Rothomagensis anno. 1581. fatentur in plerisq; Diœce-

„lus est numerosior, bis in die, manè circa horam septi„mam, & vesperi sub Laudibus, in templo [Pastor] sese „præsentem exhibeat omnibus opera illius uti volenti„bus.

VII. Cùmq; Pastor animam suam debeat ponere pro ovibus suis, concluditur, Pastorem neq; ob periculum contagionis seu infectionis pestis posse subditis suis negare administrationem Sacramentorum, si alius non adsit, qui ejus vices suppleat; quapropter an. 1665. judicatum fuit in Parlamento Parisiensi, Pastorem potuisse privari suo Pastoratu ob non administrata Sacramenta tempore pestis, ut refertur in opere cui tit. Journal Des Audiences p. 3. l. 4. c. 1.

Hanc esse Pastorum obligationem tamquam notorium supposuit & expressit Synodus P. II. Cameracensis *tit. 5. c.* 10. "Tamen quia experientia cognitum est, ait Synodus, „eam esse multorum Parochianorum infirmitatem & pu„sillanimitatem, ut à proprio Parocho abhorreant, simul „atque eundem alicui vel leviter de peste suspecto Sacra„menta administrasse intelligunt, præcipit ut tempore pe„stis Capellani constituantur sumptibus ærarii publici, „vel collectis singulorum Parochianorum, in quorum u„tilitatem evidenter hoc cedere intelligitur, cui Sacra„menta dictis peste infectis, iisque solis administrent, qui„bus Capellanis Episcopi dent curam animarum.

Quæ cura & cautio in administrandis Sacramentis, aliisque spiritualibus subsidiis impendendis adhibenda sit tempore pestis, fusè exposuit S. Carolus in sua Synodo Provinciali V. *parte* 2. Constitutionum; quæ meritò ab Episcopis & Pastoribus hujusmodi occasione incidente consuli poterunt.

VIII. Ulterius ut major sit erga Sacramenta rudioris populi devotio & reverentia, jam pridem à primis Ecclesiæ sæculis ritus seu cæremoniæ quædam in Sacramentorum administratione adhiberi consueverunt; quibus & ipsi Sacramentorum effectus subinde explanantur, & populo sensibiliter proponuntur; mentemque Fidelium ad rerum divinarum contemplationem excitant.

Unde Synodus Tridentina *Sess. 22. de Sacrific. Missæ cap.* 5. postquam dixisset varias cæremonias, in Sacrificio Missæ ex Apostolica disciplina & traditione adhiberi, finem earum subjicit his verbis: "Quo & Majestas tanti Sa„crificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc vi„sibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, „quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excita„rentur.

IX. De his ritibus sive cæremoniis definit Synodus Tridentina *Sess. 7. Can. 13.* "Si quis dixerit receptos & appro„batos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramento„rum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, „aut sine peccato à ministris pro libitu omitti, aut in no„vos alios per quemcumque Ecclesiarum Pastorem mu„tari posse, anathema sit.

Professio fidei hæc habet: "Receptos quoque & appro„batos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omni„um Sacramentorum solemni administratione, recipio & „admitto.

X. Ritus hi tametsi ad ipsum Sacramentorum valorem vel substantiam non pertineant; possintque salva eorum validitate omitti & mutari; imo pro temporum ac locorum diversitate ritus hi varii fuerint, & etiamnum sint, tamen sapienter Ecclesia declaravit, eos non posse arbitrio quorumcumque inferiorum Pastorum vel Ministrorum mutari aut de novo introduci: ne alias sub specie religionis & pietatis, superstitio, aut avaritia, vel irreverentia in Sacramentorum administratione sensim immisceantur: quod aliquot ante Synodum Tridentinam sæculis non infrequens fuit; ipsisque hæreticis, ritus Ecclesiasticos explodendi ac generatim rejiciendi prætextum dedisse videtur.

XI. Quapropter absoluta Synodo Tridentina varii ab Episcopis pro suis respectivè Ecclesiis seu Diœcesibus compositi fuêre libri, quos vulgo *Ritualia* vel *Pastoralia* aut *Manualia* vocare solent.

Horum librorum scopum esse, præscribere ritus, quos in administrandis Sacramentis, & celebrandis Divinis officiis Parochi aliique Ecclesiæ ministri observent, non autem quæstionum Theologicarum aut dogmatum decisionem facere, indicat ipsa librorum nomenclatura, & in præfatione ad suum Rituale expressit Paulus V. his verbis: "His ita constitutis, restabat, ut uno etiam volumine com„prehensi, sacri & sinceri Ecclesiæ Catholicæ *ritus*, qui in „Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis „functionibus servari debent ab iis, qui curam animarum „gerunt, Apostolicæ Sedis auctoritate prodirent, ad cujus „voluminis præscriptum, in tanta Ritualium multitudi„ne, sua illi ministeria tamquam ad publicam & obsi„gnatam normam peragerent, unoque ac fideli ductu in„offenso pede ambularent cum consensu.

XII. Quamvis non omnes Ritus seu cæremoniæ in libris Ritualibus singularum Diœcesium præscripti ex Apostolica disciplina & traditione descendant; sed plures postremis Ecclesiæ temporibus sint introducti; imò nec omnes & singuli haberi debeant tamquam ab Ecclesia Catholica probati, nihilominus Parochis aliisque inferioribus ministris fas non est, citra necessitatem privata auctoritate in publica Sacramentorum administratione, aut Divinorum officiorum persolutione à ritibus in Rituali vel Pastorali suæ Diœcesis præscriptis facilè & passim recedere; eo etiam titulo, quòd ritus contrarius puriori primitivæ Ecclesiæ disciplinæ videatur conformior; ne aliàs hæc licentia paulatim latiùs serpens, confusionem aliaque incommoda in ipsos sacros Ritus, & Sacramentorum administrationem inducat.

"In administrandis Sacramentis [ait Synodus P. II. „Mechl. *tit. 2. cap. 1.*] *Pastorale* suæ Ecclesiæ Cathedralis „omnes sequantur; & eo deficiente, Ecclesiæ Metropoli„tanæ, nihil temerè addendo, demendo, vel immutando." Idipsum cæteræ quoque Synodi Belgicæ Mandant; rationemque mandati hanc præmittit Synodus D. Cameracensis anno 1567. *tit. De Sacramentis capit.* 3. "In signis ex„ternis ac cæremoniis, ne qua malevolis relinquatur of„fensio, utque juxta Apostoli sententiam, idipsum dica„mus omnes, perfecti in eodem sensu atque sententia.

XIII. Cæterum, sicuti Synodus Tridentina aliæque eam sequutæ Synodi sæpius monuerunt Episcopus, ut suarum respectivè Ecclesiarum Breviaria & Divini Officii libros reviderent & expurgarent ab omni eo, quod cum Divini Officii Majestate non convenire judicaretur, ita & Episcoporum est Rituales libros suarum Diœcesium subinde revidere & diligenter examinare, num nihil in ritus, vel per negligentiam aut ignorantiam intrusum sit, quod pietatem ac reverentiam Sacramentis debitam minuat, aut saltem minus promoveat, vel etiam superstitionem aliquam redoleat; vel Fideles facilè in superstitionem natum sit inducere. Ac denique expendant, an ritus aliqui hoc tempore induci haud possint, qui & usui ac instituto Sacramentorum sint conformiores, & ad pietatem & reverentiam erga sacra Mysteria in mentibus Fidelium excitandam convenientiores & efficaciores.

XIV. Ex citatis hactenus Synodorum ac Ritualium Decretis & monitis circa observanda & cavenda in administratione Sacramentorum illud perspicuum est, ea potissimùm ad Parochos dirigi; hosque præcipuè circa Sacramentorum administrationem instrui.

XV. Nec mirum, cùm enim Parocho totius Parochiæ cura spiritualis incumbat, quemadmodum *parte 1. tit. 3. cap. 1.* ostensum fuit, etiam ipsi principaliter & jure ordinario competit Sacramentorum administratio ad exclusionem omnium aliorum inferiorum Sacerdotum; adeò ut si qui in ejus Parochia, aut ejus Parochianis Sacramenta administrent, id nonnisi ut ejus coadjutores & subsidiarii, ac de ipsius tacito vel expresso consensu facere censeantur.

Hoc Parochorum jus non obscurè expressit Synodus Tridentina, monens Episcopos *Sess. 24. c. 13. De Reform.* ut pro tutiori animarum eis commissarum salute, distin-

Digitized by Google

cto populo in certas propriasque Parochias unicuique *suum perpetuum peculiaremque Parochum* assignent, qui eas cognoscere valeat, & *à quo*, ait SOLO *licitè Sacramenta suscipiant*.

XVI. De hoc Parochorum jure haud dubitans Martinus Rythovius Episcopus Iprensis, qui Tridentinæ Synodo interfuerat, in sua Synodo anno 1577. *tit.* 11. *cap.* 5. ita loquitur: "Cùm in omnibus rebus, pro pace & tranquillitate, sit certus ordo servandus, neque conveniat quempiam in *alienam* messem manum suam mittere; sed unusquisque super grege sibi credito vigilare debeat: Ordinamus ut nullus Sacerdos (cessante periculo & citra necessitatem) extra limites suæ Parochiæ, aut etiam in sua Parochia alienis Parochianis Sacramenta, absque proprii Pastoris consensu, aut nostra speciali licentia, administrare præsumat.

Idipsum iisdem penè verbis expressum, est in Synodis Buscoducensibus sub Metsio & Masio; Cameracensi anno 1567. item anno 1604. Audomarensi anno 1583. aliisque; adeo ut jure communi & etiam Belgico, Parochi sint *ordinarii* Sacramentorum ministri in suis respectivè Parochiis; & respectu suorum Parochianorum.

XVII. Hoc ex capite Parochus *proprius Sacerdos* respectu populi sibi commissi vocatur in *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS ¶ *De Pœnitentiis Remiss.* utpote cui jure *proprio* competit Sacerdotale officium populo impendere. Itē anthonomasticè *Pastor* dici consuevit; utpote cui incumbat populum divini verbi prædicatione & Sacramentorum exhibitione spiritualiter pascere. *Curatus* quoque nonnunquam appellatur; eò quòd *cura* populi ipsi primario incumbat.

Quomodo & quousque Sacramentorum, signanter Eucharistiæ & pœnitentiæ, administratio etiam aliis Sacerdotibus, præsertim Regularibus, sive vigore privilegiorum, sive consuetudinis, communicata fuerit; eaque in Ecclesiis Parochialibus, aut extra eas, ipsis tamen Parochianis exhibere sine licentia Parochorum liceat, tractando de singulis Sacramentis notabimus.

CAPUT III.

An aliquid in Sacramentorum administratione exigi possit.

1. *Populi devotioni officit, Sacerdotum ex Sacramentorum administratione quæstus captatio.*
2. *Primi Christiani omnem temporalium exactionem abesse volebant; sed voluntariè offerebant.*
3. *Eamdem disciplinam Ecclesia semper retinuit.*
4. *Neque sub obtentu consuetudinis temporalia exigi permisit.*
5. *Quid circa hoc statuerint Synodi Belgicæ.*
6. *Nec titulo paupertatis hæc exactio permittitur.*
7. *Ecclesia vult retineri oblationum usum; nec vetat voluntariè oblata accipi.*
8. *Cavenda in oblatorum receptione tacita exactio.*
9. *Sacramenta æque promptè administranda pauperibus ac divitibus*
10. *Cavendum ne voluntariæ Fidelium oblationes transeant in coactas.*
11. *Aliquando prohibita etiam ultronea temporalium oblatio in receptione Sacramentorum.*
12. *Quid voluerit observari S. Carolus?*
13. *Quomodo omnis turpis quæstus ejusve species in administratione necessariò cavendus.*
14. *Difficulter omnis* mali species *cavetur dum Ministri ex oblatis in administratione Sacramentorum vivere debent.*
15. *Danda Ministris Ecclesiæ ea competentia ut in administratione Sacramentorum oneri non sint Fidelibus.*
16. *Decimatorum dandi eam competentiam obligatio.*
17. *Offerenda in Sacramentorum administratione aliquando à Superioribus taxata, & quare?*
18. *Sic taxata dici solent* jura *Pastoralia; & in administratione Matrimonii & sepulturis potissimum obtinent: & quare?*
19. *Videntur successisse in locum decimarum personalium.*
20. *Jura illa hic ægre sine consensu Regis imponi possunt.*
21. *Laici ab impositione onerum per judicem Ecclesiasticū subinde ad Senatum Regium appellare possunt.*
22. *Vix jura illa sine offensione exigi possunt; & quid hic à Superioribus faciendum?*
23. *Circumspectè in horum jurium exactione Ministri Ecclesiæ se gerere debent.*

I. Nihil est quod populi erga sacra Religionis nostræ Mysteria reverentiam & existimationem pietatemque ita minuit, quàm si videat, ea à Sacerdotibus atque Ecclesiæ ministris ad quæstum torqueri; ipsosque ex eorum administratione commoda temporalia sibi aucupari.

Hinc nihil unquam magis exhorruit Ecclesia, quàm pactiones, conventiones, atque exactiones cujuscumque rei temporalis in Sacramentorum administratione, quæ speciem Simoniæ, aut ut minùs turpis quæstus præ se ferre solent.

II. De primis Christianis in suo Apologetico *capit.* 39: scribit Tertullianus: "Præsident probati quique Seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti: neque enim pretio ulla res Dei constat; etiam si quod arcæ genus est, non de *Honoraria* summa quasi redemptæ religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cùm velit, & si modo possit, apponit: nam nemo compellitur, sed spontè confert. Hæc quasi deposita pietatis sunt.

In antiquis, ac etiam Pamelii editionibus Operum Tertulliani, pro his verbis, *non de honoraria summa*, legitur, *non de oneraria summa*; sed priori modo legi in vetustissimo codice observat Rigaltius; quasi diceret: "In nostris conventibus congregatur summa, quæ non sit tamen *dehonestamento* religioni, nec ideo venalis aut redempta dici debet religio nostra." Hæc Rigaltius.

Primi ergo Christiani prompto animo offerebant quæ Ecclesiæ Ministris pauperibusque sustentandis sufficiebant; sed pecuniæ quamcumque exactionem in Sacramentorum aut aliorum sacrorum administratione exhorrebant.

III. Et licet in nonnullis disciplinæ articulis Ecclesia coacta fuit, aliquando à primitiva Patrum puriore disciplina nonnihil recedere, in hoc tamen articulo, eam semper retinuit disciplinam, ut omnem in ipsa Sacramentorum exhibitione temporalium exactionem omnemque turpis quæstus speciem abesse voluerit.

IV. Sæculo 12. Concilium Lateranense sub Innocentio II. *Can.* 2. pecuniam dari aut exigi pro quocumque Sacramento vetat, additque: "Et nec pro pastu, nec sub obtentu *alicujus consuetudinis* ante vel post à quoquam aliquid exigatur, vel ipse [qui Sacramenta suscipit] dare præsumat: quoniam Simoniacum est.

Et rursus eodem sæculo Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. in *Cap.* 9. *De Simonia, horribile nimis* reputat, quod in quibusdam Ecclesiis pro Sacramentis aliquid requiratur. "Putant autem, inquit, plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa consuetudine invaluisse arbitrantur, non attendentes, quod tantò graviora sunt crimina, quantò diutius infelicem animam tenuerunt alligatam.

Sub idem tempus Concilium Turonense prohibens pro Chrismatis aut olei receptione aliquam pretii exactionem attentari, subjicit: "Nec sub *obtentu cujusdam consuetudinis* reatum suum quis tueatur: quia temporis diuturnitas non diminuit peccata, sed auget." *Cap.* 8. ¶ *De Simonia*.

V. His Conciliorum Decretis insistentes posteriores Belgii ac vicinarum Provinciarum Episcopi, omnem tum in suis Ritualibus libris, tum Synodorum Decretis temporalium

poralium exactionem in Sacramentorum administratione proscripserunt; eaque *gratis*, & sine ulla quæstus specie dari jusserunt.

"Cum Sacramenta Ecclesiæ [ait Synodus P. II. Cameracensis *tit. 5. cap. 5.*] non solum sine Simoniæ labe, verum etiam sine *avaritiæ suspicione* administranda sint, caveant omnes, ne in eorum administratione quidquam exigant directè vel *indirectè*.

Synodus D Mechliniensis *tit. 2. cap. 3.* ait: "Sacramenta omnia liberè conferantur, nihilque *omninò* directè vel *indirectè* in eorum administratione exigatur.

Hæc hisque similia passim Synodi & libri rituales inculcant.

VI. Et quia nonnulli paupertatis aut necessitatis prætextu hasce exactiones colorare prætendunt, plures Synodi expressè, & hunc prætextum, tamquam insufficientem rejiciunt.

"Illud prætereà diligenter caveant Parochi, omnesque alii ad quos cujusvis Sacramenti administratio spectat, ne pro illis administrandis ab ullo, vel *omnium rerum inope* Sacerdote, verbis aut etiam signis quidquam prorsus, vel *minimum quovis* modo petatur, exigaturve; ait Synodus Aquensis anno 1585. *tit. De Sacramentis.*

"Pro Sacramentorum ministerio, nullus Sacerdos, quamvis egens, verbis vel *nutibus* quidquam prorsus vel *minimum* petat, exigatve; inquit Synodus Avenionensis anno 1594. *tit.* 11.

VII. Verùm dum adeò severè Sacramentorum ministris omnis cujuscumque rei temporalis exactio in administratione Sacramentorum vetatur, intentio tamen Ecclesiæ in hac prohibitione non est, laicos fideles à veteri & in Ecclesia probato oblationum & eleëmosynarum usu etiam in ipsa Sacramentorum administratione retrahere; aut ipsis Ministris inhibere à Fidelibus liberali animo oblata accipere.

Quinimo Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in Cap. 42. " *De Simonia*, sicuti vetat aliquid à Ministris in Sacramentorum ministerio exigi, ita pariter, vult laudabiles consuetudines aliquid offerendi à laicis observari.

Et Rituale Romanum Pauli V. postquam omnem exactionem in Sacramentorum administratione proscripsit, immediatè subjungit: "Si quid verò nomine eleëmosynæ, aut devotionis studio, *peracto* jam Sacramento, à fidelibus *spontè* offeratur, id licitè pro *consuetudine* locorum Minister accipere poterit.

Nonnulla verò in hac oblatorum receptione à Parochis aliisque Sacramentorum Ministris observanda sunt.

VIII. Primò nè in similium oblatorum receptione tacita saltem exactio, Simoniæ aut avaritiæ suspicionem ingerens, intercedat.

Tacitæ hujus exactionis frequenter sunt rei, qui verbo aut facto eos arguunt avaritiæ aut inhumanitatis, qui post administrationem Sacramentorum nihil aut parum offerunt. Quis enim ambigat, quin sic agendo cogant quodammodo Fideles ad dandum, dum negando, avaritiæ aut inhumanitatis notam sibi impingendam norunt.

IX. Secundò sollicitè cavendum, ne Sacramenta majori promptitudine & hilaritate administrentur illis, à quibus plura offerenda sciunt; facilè enim major illa promptitudo & hilaritas, avaritiæ turpisq; quæstus suspicionem insinuabunt.

X. Tertiò cavendum est, ne gratuitæ oblationes ex devotione Fidelium procedentes facilè in præceptum & necessitatem vertantur; adeò ut si quis offerre prætermittat, avarus imò injustus audiat.

Hinc enim continget, ut Fideles vel paupertate, præsertim occulta; vel expensarum gravitate territi, Sacramenta aut non suscipiant, aut saltem diutius, quam oportet, differant. Quod hodie, prohdolor non rarò circa susceptionem Viatici & Extremæ-Unctionis evenire, nimis quàm manifestum est.

XI. Ob hæc aliaque ex oblatorum receptione pullulantia incommoda, quæ difficulter in totum præcaventur, olim Synodus Elibertana decrevit: *Hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concham non mittant, ne Sacerdos, quod* GRATIS *accepit* PRETIO *distrahere videatur.* Statuti illius rationem exposuit in Concilio Basileensi Julianus Cardinalis:" Apostolus præcipit ab omni *specie* mali abstinendum. Nonne *gratis* offerre, & eleëmosynam dare est pium & charitatis opus? sed quoniam tempore Baptismi nummos projicere in concham prætendebat *speciem* mali, emendari & aboleri jussit Ecclesia.

XII. Quin Sanctus Carolus, Noluit, ut Presbyteri quamcumque rem pro administratione Sacramentorum acciperent; etiam sub *obtentu eleemosynæ*, ut omnem *occasionẽ* & *notam avaritiæ* adimeret; utque exactè per omnia observarent hæc verba: *Gratis accepistis, gratis date.*

XIII. Scio quidem hanc disciplinæ puritatem nec ubiquè vivere, nec in omnibus Ecclesiis hodie in præcepto esse, ut nimirum ministri non possint, jam administrato Sacramento, *gratis* oblata recipere; ipsa tamen Sacra Ministerii functio omnes Ministros adstringit, ut in oblatorũ receptione, eam servent moderationem, & agendi modum, ne avaritiæ, turpisve quæstus notam incurrendo, Ministerium ipsorum vituperetur; & Sacramentis debita reverentia vilescat. Caveantque sedulo ne liberales fidelium oblationes tandem in suspectas exactiones degenerent; quo fiat, ut vel fideles à Sacramentorum receptione retrahantur, aut diutiùs quam convenit, differant.

XIV. Multopere sanè dolendum, quòd in multis Parochiis Belgicis Pastores, ac præcipuè Vice-Pastores adigantur ex oblationibus in Sacramentorum administratione fieri consuetis victitare; neque aliunde ad honestè vivendum ipsis suppetat; hincque contingat, quod ipsa necessitate compellente, si non directè & expressè temporalia in Sacramentorum administratione exigantur, *indirectè* tamen & *tacitè* satis insinuetur dandi necessitas: adeò ut ipsis Laicis quasi persuasum sit, oblationes illas non esse voluntarias, sed se ad offerendum constrictos credant.

XV. Sanè despiciendum est Episcopis aliisque Superioribus & Magistratibus " ut Parochis Evangelii Prædicatoribus [verba sunt Synodi Coloniensis anno 1536. parte 8. capit. 2.] certa ac competens subministratio victus & vestitus fiat, idque ad eum modum, ne in administrandis Sacramentis quidpiam exigendo, oneri sint Parochianis, aut cibum vicatim discurrendo, emendicare cogantur, quo nihil turpius aut sordidius.

XVI. Hoc quoque indubitatum est, quod Episcopi & alii decimas possidentes Prælati, eorumque Capitula & Monasteria" [uti loquitur Christianus Lupus Dissert. 2. proemiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones cap. 7.) rigidum coram Deo onus portent dandæ Parochis sustentationis integræ, & *miseras* plebis liberandi ab exactionibus variis suspectis & offensivis, ad quas isti à necessitate coguntur.

XVII. Interim dum aliunde Parochis & Sacerdotibus Sacramentorum aliorumque spiritualium officiorum ministris sufficienter nequit succurri, coguntur que necessitate quodammodo ex oblatis vivere, non inconveniens visum est, ut Episcopi aliique Superiores & Magistratus determinent sive taxent, quid à fidelibus Parocho aliisque Ministris in administratione Sacramentorum aliisque functionibus sit dandum.

Hoc quippe pacto contingit, ut Pastoribus aliisque sacerdotibus adimatur occasio, conventiones pactionesque Simoniam aut saltem turpem quæstum redolentes cum Parochianis ineundi.

Ulterius per hanc Superiorum taxationem fit, ut Parochiani contra Parochum & Sacerdotes conqueri nequeant, quasi Parochianos injustis & excessivis juribus & exactionibus gravent, dum id dumtaxat petunt, quod Superiores judicarunt à subditis in Parochorum & Ministrorum sustentationem solvendum.

16. *Quæ censenda aqua* naturalis?
17. *Extra casum necessitatis cum dubio liquore Baptizare non potest*
18. *Ritus adhibendi aquā in Baptismo non ubique est idē.*
19. *Ecclesia Græca olim usa fuit* Immersione *& eam hodierna eorum Ritualia præscribunt.*
20. *Idem ritus etiam apud Latinos aliquando usitatus fuit.*
21. *Ritus Baptizandi per* immersionem *multis sæculis in Ecclesia Latina perseveravit.*
22. *Baptizare per* immersionem *non spectat ad valorem Baptismi, sed ad disciplinam.*
23. *An per* infusionem, *an per* immersionem *Baptismus sit conferendus pendet à consuetudine & præscripto Ecclesiarum.*
24. *Debet aqua sic adhiberi ut sit* ablutio, *non* aspersio.
25. *Aqua sic infundenda, ut ipse baptizandus censeatur vere* ablutus.
26. *Quæ censenda pars notabilis ratione cujus Baptizandus dicatur* ablutus.
27. *Quomodo Græci aquam infundant?*
28. *Trina immersio multis Canonibus olim præcepta fuit.*
29. *Licet* trina *immersio videatur ab Apostolis descendere, non spectat tamen esse essentiam Baptismi.*
30. *Aliquando præceptum ut* unica *fieret immersio, & quare?*
31. *Regula quæ in hac disciplina diversitate tenenda est.*

I. PRimum inter Sacramenta numeratur *Baptismus*, de quo in Symbolo fidei Constantinopolitano dicitur. *Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum.* Et Synodus Tridentina: *Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem: anathema sit*, Sess. 6. De Baptismo Can. 4.

II. Quin & jam pridem à Theologis dicitur, Baptismum esse Januam aliorum Sacramentorum; id est, alia Sacramenta ad sui valorem requirere prævie in suscipiente Baptismum: quod sequutus Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. *De Cognat. spirituali in* VI. vocat Baptismum Sacramentorū *fundamentum & januam reliquorum.*

III. Tempore Innocentii III. Id est, sæculo 13. dubium fuisse, an non baptizatus, qui tamen crederet se baptizatum, non posset *validè* ordinari, manifestum est ex responso ipsius Innocentii in *Cap.* 3. ✠ *De Presbytero non baptizato*, ubi ipse Pontifex multa adducit, quæ validitatem Ordinis ita suscepti evincere videbantur; atq; inter alia tamquam certum supponere apparet, quod "illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus Sacramentis, quod Baptismus sit *fundamentum* illorum, quoniam & Sacramentum Conjugii & Eucharistiæ à non baptizatis recipi potest.

IV. Post hæc subjungit: "Quia verò in Concilio *apud Compendium* legitur constitutum, si quis in Presbyterum ordinatus deprehenderit se non baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur: nos circa latorem præsentium in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, mandamus, quatenus ipsum per singulos Ordines, usque ad Sacerdotum promovere procures, & permittas eum in Sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratū, quod ambigitur esse factum: nec malè de Sacramento sentitur cùm illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit.

Ex his haud obscurum est, Innocentium de validitate suscepti Ordinis à non baptizato dubitasse; neque credidisse, Baptismum esse fundamentum omnium Sacramentorum.

V. Adhæc sic patet, Innocentium dubium suum de invaliditate Ordinis, suamque resolutionem de iterando Ordine fundasse in quodam Decreto Concilii *apud compendium*; quod refertur sub nomine illius Concilii apud Gratianum *caus.* 1. *q.* 2. *Can.* 60.

Verùm adverterunt Eruditi, hoc Decretum in nullo Concilio *apud compendium* reperiri. Extat autem *lib.* 6. *Capitularium Regum Francorum c.* 94. neque antiquior ejus fons reperitur.

VI. Ut vero scrupulosis anxietatis & dubitationis occasionem adimat Innocentius, addit: "Et certè de illo qui natus de Christianis parentibus, & inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter præsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur.

VII. Dicit præterea Innocentius in citato Capitulo 3. "Quòd quis non solùm per Sacramentum fidei, sed per *fidem* etiam Sacramenti efficitur procul dubio membrum Christi.

Illud autem quod dicit *Fidem Sacramenti* per quā quis efficitur membrū Christi, vocari solet *Baptismus flaminis* de quo verbis Augustini dicitur apud Gratianum in *Can.* 34. *Dist.* 4. *De consecrat.* "Invenio non tantùm passionem pro nomine Christi id, quod ex Baptismo deerat, posse supplere, sed etiam *fidem*, conversionémque cordis, si fortè ad celebrandum Mysterium Baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum: nec quia credidit passus est, sed dum patitur credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramanto Baptismi, *Quod*, ait Apostolus: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*; in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cùm Mysterium Baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

VIII. De eodem Flaminis Baptismo agit Pontifex in *C.* 2. ✠ *De Presbytero non baptizato*, respōdens Cremonensi Episcopo: "Presbyterum, quem sine unda Baptismatis extremum diem clausisse significasti, quia in S. Matris Ecclesiæ fide. & Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, & cœlestis patriæ gaudium esse adeptum asserimus incunctanter.

Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium ad hæc verba: *Esse adeptum*, ait: "*Potuisse adipisci*, malim, Quid enim si alicujus occulti peccati reus mortuus est? Quid si non satisfecit pro aliis etiam confessus.

IX. Post hæc Episcopum remitti ad libros SS. Augustini & Ambrosii, addens hanc notandum sententiam: "Sopitis igitur quæstionibus Doctorum, *Patrum sententias teneas*, & in Ecclesia tua juges preces, hostiasque Deo offerri jubeas pro Presbytero memorato.

X. Præter Baptismum *Flaminis*, meminit quoque Augustinus in citato *Canone* 34. & in *Canone* 37. Baptismi qui vulgo vocatur Baptismus *Sanguinis*? qui consistit in morte pro Christo tolerata; sive *Martyrio*, in quo proprio sanguine pro Christo fuso fidelis abluitur, antequam præ angustiis tēporis aliove impedimento vivificis Baptismi undis regeneretur; de quo in dicto *Canone* 37. sub nomine Augustini: "Catechumenum quamvis in bonis operibus defunctum vitam æternam habere non credimus, *excepto Martyrio* ubi tota Baptismi Sacramenta complentur. "Et apertius ipse Augustinus *lib.* 3. *De Civitate Dei cap* 7 "Quicumque etiam non percepto regenerationis lavacro pro *Christi Confessione moriuntur*, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quā si abluerentur sacro Fonte Baptismatis.

XI. Verùm licet ex his sufficienter constet, Baptismum *Flaminis* [qui in perfecta peccatorum detestatione ex Dei amore, & desiderio recipiendi Sacramentorum Baptismi consistit] & Baptismum *Sanguinis* supplere vices Sacramenti Baptismi, nihilominus certum est, neutrum esse Sacramentum; neque verum *Baptismum* de quo loquitur Christus dum ait: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto non potest introire regnum Dei.* Ioan. 3. ỷ. 5. Et rursus: *Euntes docete omnes gentes. Baptizantes eos in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti.* Matth. 28. ỷ. 19.

Hic Baptismus aquæ, sive *Fluminis* est propriè dictus Baptismus; atque solus rationem veri Sacramenti novæ legis habet; appellaturque communiter, Sacramentum *Regenerationis*, eo quod per illum homo spiritualiter rege-

ed by Google

generetur, sive *renascatur*; constituaturque *Filius Dei*;& de hoc solo Baptismo hoc titulo tractabitur.

XII. Formam hujus Sacramenti clarè expressit Christus dum *Matthæi* 28. in jam relatis verbis Apostolos jussit baptizare in *nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Unde Ecclesia Latina jam pridem hac forma usa fuit: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: quæ extat in Sacramentario S. Gregorii & in veteri ordine Romano paulo post tempora S. Gregorii composito.

XIII. Ecclesia Græca, uti legitur in eorum Rituali apud Iacobum Goar pag. 355. utitur hac forma: *Baptizatur servus Dei N. in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nunc & semper, & in sæcula sæculorum amen.*

Hanc formam tamquam sufficientem probavit Eugenius IV. in Decreto Unionis Armenorum; quod exstat in appendice Concilii Florentini tom. 13. Concil. col. 529. „Quoniam, ait, cum principalis causa, ex qua Baptismus „virtutem habet, sit S. Trinitas, instrumentalis autem sit „minister qui tradit exterius Sacramentum, si exprimitur „actus, qui per ipsum exercetur ministrum, S. Trinitatis „invocatione perficitur Sacramentum.

Itaque invocationem Sanctæ Trinitatis atque ipsarum Personarum distinctam expressioné in ipsa Baptismi collatione juxta Christi verba & mandatum Ecclesia observavit; eamque ad essentiam ac validitatem Baptismi necessariam supposuit minus sollicita quibus præcisè verbis ipse actus Ministri exprimeretur, de quo nec patribus cum hæreticis fuisse contentionem legimus; modo tamen [uti loquitur Eugenius IV. in citatis verbis] sufficienter *exprimatur actus qui per ipsum exercetur* ministrum.

XIV. Unde credendum est, quod Pontifex *Cap.* 1. ☧ *De Baptismo* dicens," quod si quis puerum ter aqua im„merserit in nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti, a„men, non dixerit, EGO BAPTIZO TE in nomine Pa„tris, & Filii & Spiritus Sancti *non est* puer baptizatus;" eam invaliditatem non refundat in omissionem illorum formalium verborum, *Ego baptizo te*; cum illa verba Græci non adhibeant, sed in hoc potius, quod actus qui per ministrum exercetur, non censeretur sufficienter expressus.

XV. Quemadmodum ex verbis Christi *Matt.* 28. ad Apostolos dictis, Ecclesia intellexit, invocationé SS. Trinitatis;&trium divinarum Personarum distinctam expressionem esse necessarium in Baptismo; ita ex verbis Christi ad Nicodemu *Joan.* 3. *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA *& Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei*, intellexit, fideles esse regenerandos sive baptizandos in vera ac naturali *aqua*.

Unde à quodam Episcopo interrogatus Innocentius III." Utrum parvuli sint pro Christianis habendi quos in „articulo mortis constitutos propter *aquæ penuriam*, & „absentiam Sacerdotis, aliquorum simplicitas in caput ac „pectus ac inter scabulas pro Baptismo *salive* conspersio„ne linivit?" Respondit Innocentius in *Cap.* 5. ☧ *De Baptismo*:" Quod cum in Baptismo duo semper, videlicet „verbum&*elementum* necessario requirantur juxta quod „de verbo Veritas ait: *Euntes in mundum universum præ„dicate Evangelium omni creaturæ, & baptizate omnes „gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.* Eademque „dicat de elemento: *Nisi quis renatus fuerit ex* AQUA „*& Spiritu S. non intrabit in regnum cœlorum*, dubitare „non debes, illos *verum non habere* Baptismum, in qui„bus non solum utrumque prædictorum, sed eorum alte„rum est omissum.

Et Synodus Tridentina *Seff.* 7. *Can.* 2. *de Baptismo*: "Si „quis dixerit, aquam *veram* & *naturalem* non esse de *ne„cessitate* Baptismi, atque ideo verba illa Domini Nostri „JESU CHRISTI: Nisi quis renatus fuerit ex aqua&Spi„ritu Sancto ad metaphoram aliquam detorserit, anathe„ma sit.

XVI. Quæ verò dicenda sit *vera* & *naturalis* aqua, ex communi & vulgari loquendi usu judicandum est; neque extra casum necessitatis adhibendus est liquor de quo dubium sit, num sit *vera* ac *naturalis* aqua, prout hæc communiter & vulgariter intelligitur: tametsi subtiliter philosophando speculativè defendi posset, liquoré illum essentialiter ab *aqua* naturali non differre.

XVII. Ubicumque verò morale aliquod dubium subest, num liquor aliquis sit *vera* ac *naturalis aqua* [extra casum necessitatis ubi alius haberi nequit] nequaquam adhibendus: imò si Pastor aquam *veram* & *naturalem* habere posset, tametsi cum *evidenti periculo vitæ*, nequaquá posset cum liquore *dubio* tali casu infantem baptizare; sed deberet tunc juxta Christi *mandatum*, *animam suam ponendo pro ovibus suis*, aquam veram ac naturalem comparare; ne aliàs salutem æternam illius infantis periculo exponat: uti rectè advertit & multis prosequitur Farvacquius *De Baptismo c.* 2. *q.* 2. *casu* 4. §. 1. & 2.

XVIII. Quo ritu aqua adhiberi debeat, an per *immersionem*, ita ut ipse baptizandus *aqua* immergatur; an per infusionem sive aspersionem; ut nimirum aqua infundatur ipsi baptizando, non una olim fuit, nec hodie est omnium Ecclesiarum disciplina.

XIX. In Ecclesia Orientali jam pridem *immersionem* usitatam fuisse, constat ex Cyrillo Hierosolymitano *catechesi mystagogica* 2. ubi alloquens recenter baptizatos ait:" „& confessi estis salutarem confessionem, & *mersi* ter in „aqua, rursus *emersistis*: atq; ita per hæc symbola triduaná „Christi significastis *sepulturam*" Meminit quoque Sanctus Chrysostomus *Homil.* 6. *in Epistolam ad Collosensis*, IMMERSIONIS in Baptismo adhibitæ; quin & hodie eú baptizandi ritum Euchologia sive ritualia Græcorum præscribunt, atque post expressam formam Baptismi monitú hoc subnectitur: *Unaquaque prolatione* DEMERGENS *&* EDUCENS *eum ex aqua.*

Ad hæc verba reflectens Iacobus Goar in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 365. *n.* 24. ait: *Antiquus* IMMERSIONIS *mos hic annotatur.*

XX. Quin & in Ecclesia Latina hunc *immersionis* ritú multis sæculis usitatum fuisse diffiteri non possumus. Et quidem sæculo 2. ordinarium solitumque fuisse testatur Tertulianus *libro de corona militis cap.* 3. ubi relatis nonnullis quæ Baptismum præcedunt ait; *Dehinc ter* MERGITAMUR. Imò adeo constans erat hic baptizandi ritus ut quidam dubitasse videantur de valore Baptismi per *infusionem* collati; uti colligere est ex quæstione à Magno proposita S. Cypriano:" Quæsisti [ait S. Cyprianus *Epist.* „75. ad Magnum] etiam Fili charissime, quid mihi de il„lis videatur, qui in firmitate & langnore gratiá Dei con„sequuntur, an habendi sint *legitimi* Christiani, *eo quod* „aqua salutari non *loti* sint, sed *perfusi*.

XXI. Et quidem ritus ille multis sæculis etiam in Ecclesia Latina perseveravit, uti videre est apud Authores qui de divinis officiis scripserunt; adeo ut S. Thomas etiá suo tempore judicaverit, *tutius esse baptizare per modum* IMMERSIONIS: *quia*, ait, *hoc habet* COMMUNIS *usus* 3 parte q. 66. art. 7.

Constat tamen ex ipso Sancto Thoma ibidem *a.* 8. quod eodem tempore ritum *infusionis* seu *aspersionis* nonnulli adhibere inciperent.

XXII. Imo licet ritus *immersionis* esset communis, ac in omnibus passim Ecclesiis usitatus, tamen eum non esse de essentia Baptismi satis indicabant, qui de ejus usu scribebant.

Walfridus Strabo sæculo 9. scribit:" Notandum auté „non solum *mergendo*, verum etiam *desuper fundendo*, „multos fuisse baptizatos, & adhuc *posse ita* baptizari, si „*necessitas* sit, sicut in passione B. Laurentii quemdam ur„ceo allato legimus baptizatum. Hoc etiam solet eveni„re, cum provectiorum granditas corporum in minori„bus vasis hominem tingi non patitur." *Libro De Rebus Eccles. c.* 26.

Similiter S. Cyprianum validum existimasse Baptismum illius qui tantum esset *perfusus*, patet ex responsione ipsius ad quæstionem sibi à Magno propositam; dum ait,

Unde

Digitized by Google

Unde apparet ASPERSIONEM *quoque aqua instar lavacri salutaris obtinere*. Quam resolutionem tamquam suo tempore certissimam, amplectitur & probat S. Augustinus *lib. 6. contra Donatistas c. 7.*

Vnde etiam Græci quamvis ex proscripto suorum Ritualium deberent baptizare *immergendo*, tamen teste Iacobo Goar loco jam citato, *infusione sæpius utuntur*.

XXIII. Itaque ritus ille *immersionis* annumerandus est punctis disciplinæ, quæ pro temporum & locorum varietate mutari & variari possunt: quod etiam Rituale Romanum Pauli V. notat & singularum Ecclesiarum consuetudinem hîc esse retinendam mandat. "Baptismus licet fieri possit aut per *infusionem* aquæ aut per *immersionem*, aut per *aspersionem*; primus tamen vel secundus modus, qui magis sunt in usu, pro Ecclesiarum consuetudine retineantur.

XXIV. Cæterum circa *infusionem* observandum, eam debere esse talé, ut revera moraliter & vulgariter loquendo, Baptizandus censeatur *ablutus*; unde Pastorale Mechliniense loquens de aqua in Baptismo adhibenda ait: "Eam verò adhibeat Baptizans in *notabili* quantitate, sicut *ablutio non aspersio* merito censeatur.

Nullatenus ergo probandum, quod Pastor tempore pestis, veritus infici peste, infantem recenter natum ex matre peste infecta *aspergillo* Baptizaret; eo ferè modo, quo Sacerdotes in templis populum aspergunt aqua lustrali; quã praxim latè improbat Farvacquius *c. 5. q. 4. casu 2.*

XXV. Vlterius *infusio* aquæ ita adhibenda est, ut *ipse* baptizatus dicatur verè *ablutus*; ideoque imprimis monet Pastorale Mechliniense, ut baptizans sit *sollicitus, ut ablutio non tantum fiat in capellis sed* IN CUTE. Deinde requiritur, ut abluta sit pars aliqua notabilis, ratione cujus ipse baptizandus moraliter dici queat *ablutus*.

XXVI. Quæ verò sit dicenda notabilis pars, vix aliter quam ex communi Ecclesiæ praxi & piorum fidelium fide determinari potest; censeturque communi existimatione talis pars ipsum *Caput* infantis: neque aliud membrum hodie saltem in Ecclesia Latina ablui solet; sed nec alterius solius membri ablutionem extra casum necessitatis permittit Rituale Romanum dicens: "Nemo in utero matris clausus baptizari debet. Sed si infans *caput* emiserit, & periculum mortis immineat baptizetur in *capite*; nec postea si vivus evaserit, erit iterum baptizandus. At si aliud membrum emerserit, quod vitalem indicet motum in illo, si periculum impendeat, baptizatur, & tunc si natus vixerit, erit sub conditione baptizandus, eo modo quo supra dictam est: *Si non es baptizatus ego te baptizo in nomine Patris &c.* Si verò ita baptizatus deinde mortuus prodierit ex utero, debet in loco sacro sepeliri.

XXVII. Iacobus Goar ubi testatur Græcos hodie interdum per *infusionem* baptizare, unà monet: "Quoad enim licuit observare puerum sedentem in vase vel pelvi ad cubitum profundo, ter superinfusa *non modica* quantitatis aqua *calida* purificat. Vel certè ne aqua copia obruatur, & fortè nimiam epotet, pronum positum, & sinistra in ventre sustentatum, Sacerdos capite & toto corpore salutaribus aquis abluit & lustrat.

XXVIII. Trinam mersionem olim usitatam fuisse constat ex S. Augustino aliisque Patribus quos refert Gratianus *Dist. 4. de Consecratione Can.* 78. & sequentibus; quin & Canone 50. vulgo *Apostolorum*, relatus à Gratiano ibidem *Can.* 79. vult ut "si quis Presbyter aut Episcopus *non trinam* mersionem unius mysterii celebret, sed *semel* mergat Baptismate, deponatur.

Quin & ibidem apud Gratianum *Can.* 82. sub nomine Pelagii Papæ ad Gaudentium refertur: "Multi sunt qui in nomine *solummodo* Christi *una* etiam mersione se asserunt baptizare. Evangelicum verò præceptum ipso Deo, Domino Salvatore nostro Iesu Christo tradente, nos admonet in nomine Trinitatis, *trina* etiam *mersione* sanctum Baptisma unicuique tribuere, dicente Domino Discipulis suis: *Ite, baptizate omnes gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus S.*

XXIX. Hæc aliaque à gratiano relata testimonia sufficienter evincunt, *trinam* mersionem jam à primis sæculis fuisse usitatam, atque ex Apostolica quodammodo traditione descendere; at eam spectare ad essentiam Baptismi nequaquam evincunt, imò non nisi ad disciplinam [circa quam varia potest esse Ecclesiastica consuetudo] pertinere sine ulla dubietate respondit S. Leandro Hispalensi Episcopo Sanctus Gregorius *lib.* 1. *Epist.* 41. referunturq; à Gratiano loco citato *Can.* 80." *De trina* mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quam quod ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit S. Ecclesiæ consuetudo diversa: Nos autem quod tertiò mergimus triduanæ sepulturæ Sacramenta signamus: ut dum tertiò infans ab aquis educitur, resurrexio triduani temporis exprimatur. Quod si quis fortè etiam pro Summæ Trinitatis veneratione existimet fieri, neque istud aliquid obsistit baptizandos semel in aquis mergere, quia dum in tribus Personis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest, infantem in Baptismate vel ter. vel semel immergere: quando & in tribus mersionibus Personarum Trinitas, & in una potest Divinitatis singularitas designari."

XXX. Circa idem tempus Patres Concilii toletani IV. intelligentes inter Sacerdotes summas esse de *trina* vel *simpla* mersione contentiones; atque Arianos ex *trina* illa mersione arguere *trinitatem essentiæ* in Personis, auctoritate S. Gregorii freti decreverunt *Can.* 6." Propter vitandum scismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, *simplam* teneamus Baptismi *mersionem*; ne videantur apud nos, qui *tertiò* mergunt, hæreticorum probare assertionem, dum sequantur & morem. Et ne fortè dubium hujus *simpli* mysterium Sacramenti.... videat in eo unitatem Divinitatis, & Trinitatem Personarum ostendi Vnitatem dum *semel* immergimus; *Trinitatem*, dum in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti baptizamus.

In antiquo Sacramentario Gallicano, quod ex antiquo codice manuscripto Monasterii Bobiensis edidit vir eruditus Ioannes Mabillonius *tomo* 1. *Musæi Italici* [quem codicem scriptum ante annos mille ex charactere conjicit Mabillonius] extat formula Baptismi his verbis expressa *pagina* 324. *Baptizo te in nomine Patris & Filii, & Spiritus Sancti*, VNAM *habentem* SVBSTANTIAM, *ut habeas vitam æternam, partem cum Sanctis.*

Si Sacramentarium illud compositum sit ad usum Ecclesiæ Gallicanæ ante annos mille; adeoque circa sæculum 7. quo dictum Toleranum Concilium habitum fuit, mirum non est, si hæc verba, *unam habentem substantiam,* ad vitandum Arianorum errorem addenda censuerint, sicuti Patris Toletani eodem motivo *simplam* mersionem adhiberi voluerunt.

Interim hîc notare possumus, Ecclesiam interdum ritus aliquos quantumvis antiquitate venerandos mutare, ubi id ob nascentes errores magis convenire judicat.

XXXI. Pastores verò aliique inferiores ministri in his observare debent regulam quam in similibus tradit S. Augustinus *epist.* 54. ad Ianuarium: "Nec disciplina ulla in his melior gravi prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat quo agere viderit Ecclesiã ad quam fortè devenerit, Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est tenendum, & propter eorum inter quos vivitur societatem, servandum est."

CAPUT II.

De ministro, loco & tempore administrandi Baptismi

1. *Ordinarius Minister Baptismi olim fuit Episcopus.*
2. *Olim Episcopi* per se *Baptismum conferebant.*

3. Qu-

Google

3. *Quomodo Parochi hodie jus Baptizandi ab Episcopo accipiant?*
4. *Parochi hodie sunt* ordinarii *ministri Baptismi.*
5. *Baptizare solenniter nemo potest sine consensu Parochi*
6. *Presbyteris & Diaconis administratio Baptismi delegari potest; non autem inferioribus.*
7. *In casu necessitatis etiam* laici *Baptizare possunt.*
8. *An laicus* bigamus, *aut qui Baptismum suum* integrũ *non habet in necessitate Baptizare possit?*
9. *Mulier in necessitate potest Baptizare.*
10. *Haeretici valide baptizant.*
11. *An Baptismus collatus à non Christiano seu non baptizato sit validus?*
12. *Quilibet homo in casu necessitatis potest baptizare; sed inter plures concurrentes ordo servandus.*
13. *Nemo se ipsum potest baptizare.*
14. *Olim fere in sola Ecclesia Cathedrali Baptismus solemniter dabatur.*
15. *Olim Ecclesiae Baptismales distinctae à Parochialibus.*
16. *Unde factum ut Parochiales factae sint pleraeque Baptismales.*
17. *An in domibus privatis Baptismũ administrare liceat.*
18. *Antiquitus tempus Paschatis & Pentecostes administrando Baptismo praestitutum erat.*
19. *Consuetudo extra illud tempus conferendi Baptismum aliquando improbata.*
20. *Quare illud tempus administrationi Baptismi sit conveniens.*
21. *Multis saeculis haec disciplina viguit, semper tamen exceptus fuit casus necessitatis.*
22. *Quomodo haec disciplina sensim abrogata fuerit?*
23. *Baptismus infantium nullo praetextu differendus.*
24. *Quid pro conservanda pristina disciplina decreverit S. Carolus?*
25. *Plura hodie adhuc supersunt veteris ritus vestigia.*

I. ORdinarius Baptismi minister imprimis est Episcopus; tamquam populi sibi commissi primarius & ordinarius Pastor." Dandi (Baptismi) jus habet (ait Tertullianus *lib. De Baptismo c. 16.*) summus Sacerdos, qui est *Episcopus*, de hinc Presbyter & Diaconi, non tamen *sine Episcopi* authoritate.

Et S. Hieronymus contra Luciferianos: " Sine Chrismate, & Episcopi *jussione*, neque Presbyter, neque Diaconus jus habent baptizandi.

Quin & saeculo 8. Synodus Vernensis *Can.* 8. decrevit, " omnes Presbyteri, qui in Parochia sunt, sub potestate Episcopi esse debeant, & de eorum ordine nullus Presbyter praesumat in illa Parochia *baptizare* vel Missas celebrare sine *jussione* Episcopi.

Hinc evidens ex sententia Patrum, solis Episcopis jure proprio & ordinario competere collationem Baptismi.

II. Et quidem olim Episcopi *per se* Baptismum conferre solebant. De S. Ambrosio scribit in ejus vita S. Paulinus: Erat etiam in rebus Divinis implendis fortissimus, in tantum, ut quod implere solitus erat circa *baptizandos*, quinque postea Episcopi à tempore quo decessit, vix implerent.

Dixitque suo tempore S. Hieronymus de Episcopis generaliter: *Dant Baptismum Catechumenos erudiunt.* In Cap. 3. Sophoniae.

III. Sed nec hodie Baptismum solemniter & extra casum necessitatis conferre licitè possunt Presbyteri, nisi potestate ab Episcopo accepta, & in ipsos ex plenitudine Sacerdotii Episcopalis derivata; hac tamen modernam inter & pristinam disciplinam intercedente differentia quod juxta modernam, Parochi accipiant quidem curam animarum ab Episcopo, & per eam jus administrandi Sacramenta? sed ea accepta, illa tunc independenter ab Episcopo, ac quasi jure *proprio* & *ordinario*, id est, jure sui officii & Beneficii Parochialis administrant: ubi econtra olim Presbyteri quantumvis curam animarum exercentes *à jussione* Episcopi in ipsa Sacramentorum administratione continuo dependerent.

IV. Quapropter hodie Parochi sive Presbyteri Parochiales sunt in suis respectivè Parochiis *ordinarii* Ministri Baptismatis; illudque jure *proprio & ordinario* ministrant.

Unde ait Pontificale Romanum Pauli V. " *Legitimus* quidem Baptismi minister est *Parochus*, vel alius Sacerdos à Parocho vel Ordinario delegatus.

V. Et Pastorale Mechliniense: " Jure datum est Sacerdotibus baptizare, sed id in *aliena* Parochia, aut alienos Parochianos exequi non licet, nisi de Parochi, aut Ordinarii licentia.

Nulli ergo Presbytero, Diacono, aut Clerico sive saeculari sive regulari licet baptizare cum consuetis caeremoniis & extra casum necessitatis in aliqua parochia sine *licentia Parochi* aut *Episcopi*; quam tamen licentiam Episcopus in praejudicium Parochi, nec dare solet, nec facilè dare debet.

VI. Presbyteris & Diaconis officium baptizandi in ipsa Ordinatione assignatur, atque ad baptizandum quodammodo destinantur; Quandoquidem Episcopus ordinans ad Sacerdotem dicat: *Sacerdotem oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, &* BAPTIZARE." Et in diaconi Ordinatione: " *Diaconum oportet ministrare ad altare,* BAPTIZARE, *& praedicare.*" Quare his Baptismi solemnis administratio delegari potest; secus dicendum de inferioribus Clericis aut laicis.

Quin *cap. 1. X. De Clerico non ordinato ministrante* sub nomine Hormisde Papae refertur: " Si quis baptizaverit, aut aliquod Divinum officium exercuerit *non ordinatus*, propter temeritatem abjiciatur de Ecclesia, & numquam ordinetur.

VII. Sine caeremoniis & in casu necessitatis non tantùm Presbyteris, Diaconis, & Clericis, sed & laicis jus est baptizandi; illudque jus eis apertè vindicat Tertullianus libro De Baptismo *cap. 17. Alioquin etiam laicis jus est dandi Baptismi. Quod enim, ait, ex aequo accipitur, ex aequo dari potest . . . . . Proinde & Baptismus, aeque Dei census, ab omnibus exerceri potest.*

Et Augustinus apud Gratianum *Dist. 4. De Consecrat. Can. 21.* " In necessitate cùm Episcopi, aut Presbyteri, aut quilibet ministrorum non inveniuntur, & urget periculum ejus qui petit, ne sine isto Sacramento hanc vitam finiat, etiam *laicos* solere dare Sacramentum, quod acceperunt, solemus audire.

VIII. Sed haec non de omnibus laicis intelligi insinuare videtur vetus *Canon.* 38. Elibertitanus; qui à ministrando Baptismo, etiam in necessitate, arcere videtur laicum, qui suum Baptismum *integrum non habet*, aut *Bigamus* est. Verba Canonis sunt: " Peregrè navigantes, aut si Ecclesia in proximo non fuerit, posse Fidelem, qui Lavacrum suum *integrum* habet, nec sit *bigamus*, baptizare in *necessitate* infirmitatis positum Catechumenum; ita ut si supervixerit, ad Episcopum eum perducat, ut per manus impositionem proficere possit.

Ut hic Canon intelligatur, notandum cum Viro erudito Albaspinaeo Episcopo Aurelianensis in notis ad hunc Canonẽ, per illa verba: *Qui Lavacrum sacrum integrũ habet* id indicari, " quod quis post lavacrum *non peccaverit*, neque *poenitentiam ullam* subierit: quod peccato post Baptismum commisso, omnium, ut ita loquar, gratiarum ac beneficiorum quae acceperat, jacturam facere: ideoque Baptismum ejus qui deliquisset, *non integrum* aut incorruptum videri amplius; quòd ex illo Divinae gratiae, qua instructus erat, quasi gradu excidisset.

Sicuti ergo juxta pristinam Patrum disciplinam nullus bigamus, aut *poenitens*, hoc est, qui enormi peccato Baptismum violasset, ad Sacerdotium promoveri poterat, aut Sacerdotale officiũ exercere; ita nec *laicum bigamum* aut *poenitentem* ad hujus muneris *Sacerdotalis* exercitium admittendum censent Patres Elibertitani; uti observat Albaspinaeus, & post illum Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis in suis Institutionibus Juris Canonici *lib. 2. tit. 3. De Baptismo*, una monentes, " nec illud ita intelligendum, quasi ab eo laico Baptismus conferri non possit, qui solus etiam

„etiam in necessitate occurrat *bigamus* & *pœnitens*: sed ut „ex multis laicis ibi præsentibus, ille solus baptizare possit, „qui adhuc *integrum* Lavacrum habeat, & non sit *bigamus*.

Hic obiter nota, quantam vitæ innocentiam Patres desideraverint etiam in laico, ut vel necessitate quodammodò cogente aliquod *Sacerdotale* munus obire posset!

IX. Mulieres à baptizando officio excludere videtur Canon. Concilii Carthaginensis IV. apud Gratianum *dist.* 4. *De Consecrat. Can.* 20." Mulier quamvis docta, & sancta, viros in Conventu docere, vel aliquos *baptizare* „non præsumat.

Verum ex ipso contextu satis intelligitur, quod sicut ibidem agitur de *publica* instructione; ita quoque agatur de *solemni & publica* administratione Baptismi, idque extra casum necessitatis. Unde jam pridem ad citatum Canonem hanc clausulam adjecit Gratianum: *Nisi necessitate cogente*; remittens ulterius ad *Can.* SUPER QUIBUS *caus.* 30. *q.* 3. ubi refertur hoc sub nomine Urbani Vitali Presbytero Brixiensi datum responsum: "Hoc videtur nobis ex sententia „respondendum: ut & Baptismus sit, si instante necessita„te *fœmina* puerum in nomine Trinitatis baptizaverit."

Hoc responsum post Eugenium IV. in Decreto pro Armenis amplectitur Ecclesia Catholica; censetque etiam mulierem *validè* baptizare posse.

X. Quoad Hæreticos an Baptismus ab iis in forma legitima & secundùm intentionem Ecclesiæ collatus esset validus, tempore S. Cypriani magnas fuisse motas difficultates notum est; nimirùm Cypriano & Episcopis Africanis hujusmodi Baptismum invalidum sustinentibus, de quo est *Can.* 70. *caus.* 1. *q.* 1. apud Gratianum: Verum vicit sententia Stephani, Cornelii Romanorum Pontificum aliorumque Baptismum validum esse asserentium; eamque tamquam indubitatam suo tempore tradidit S. Augustin. è cujus scriptis desumpti sunt Canones 28. 29. & 34. *Dist.* 4. *De Consecrat.*

XI. De infideli autem vel Judæo qui in Christum numquam credidit, qui nec Baptismum accepit, etiam ipse Augustinus dubius hæsit. "Et hæc quidem alia quæstio est [ait „*libro* 2. *contra epist. Parmeniani cap.* 13.] utrum & ab „iis, qui *numquam* fuerunt *Christiani*, possit Baptismus „dari: nec aliquid temerè inde affirmandum est sine au„ctoritati Concilii quantum tantæ rei sufficit.

Quin & sæculo 9. Bulgaros de validitate Baptismi à *Judæo* vel *Pagano* collati dubitasse ex epistola Nicolai I. ad consulta Bulgarorum colligitur. In ea enim ait Pontifex: " A „quodam *Judæo*, nescitis utrum Christiano, an *Pagano*, „multos in Patria vestra baptizatos asseritis; & quid de il„lis agendum sit *consultis*. "En hæsitatio Bulgarorum; cui respondet Pontifex: "Hi profectò si in nomine sanctæ Tri„nitatis, vel tantum in Christi nomine, sicut in actibus A„postolorum legimus, baptizati sunt [unum quippe i„demque est, ut S. Ambrosius exponit] constat eos non „esse rebaptizandos. " Apud Gratianum *Dist.* 4. *de Consecrat. Can.* 24.

Post hoc Pontificis responsum ab omnibus creditum est, etiam *infideles* si de cætero essentialia Baptismi adhibeant, validè Baptismum conferre; illudque tamquam Ecclesiæ doctrinam in instructione pro Armenis expressit Eugenius IV. *In casu necessitatis*, inquit, *etiam* PAGANUS *baptizare potest.*

XII. Hinc omnia passim Ritualia & Pastoralia monent, Baptismi ministrum, quoties infans in vitæ periculo versatur, esse *quemlibet* hominem; quod si plures, qui baptizare possint, adsint, ordinem inter illos servandum præscribit Rituale Romanum his verbis: " Si adsit Sacerdos, „Diacono præferatur, Diaconus Subdiacono, Clericus „laico, & vir fœminæ; nisi, ait, pudoris gratia deceat fœ„minam potius quàm virum baptizare infantem non „omnino editum, vel nisi melius fœmina sciret formam „& modum baptizandi. " Quod ultimum non rarò contingit in concursu alicujus vulgaris laici cum *obstetrice*; quæ solet & debet esse magis de forma baptizandi instructa; ut infrà dicemus.

Ordinem in Rituali Romano præscriptum iisdem planè verbis exhibet quoque Pastorale Mechliniense.

XIII. Tametsi à ministrando Baptismo in casu necessitatis nemo repellatur, nequaquam tamen quemquam posse seipsum baptizare respondit Innocentius III. in *Cap.* 4. *de Baptismo*; resolvitque Judæum, qui in mortis articulo existens, nec alius adesset qui ipsum baptizaret, in aquam seipsum immersit, dicendo: *Ego ME baptizo in nomine Patris* &c. denuò ab alio esse baptizandum; cum inter baptizantem & baptizatum debeat esse discretio.

XIV. Quemadmodum primis sæculis penè soli Episcopi Baptismum solemnem conferebant; atque Baptismi soli ministri *Ordinarii* reputabantur, ita in sola Ecclesia Cathedrali seu Episcopali, vel certe Baptisterio illi Ecclesiæ juncto, Baptismus *solemnis* administrabatur: notatque Christianus Lupus, quod olim sola principalis Ecclesia habuerit Baptisterium. *De Africana Ecclesia appellat. cap.* 28.

Illius vestigium hodie visitur Florentiæ in Italia. In ea enim civitate [uti observat Du Cange in Glossario, Verbo: *Baptisteriũ*] "è regione maximi templi Ecclesia est rotun„da S. Joannis Baptistæ sacra: Hanc *Baptisterium* appellant, „tota & hæc marmorea, habens janua, quas æneæ valvæ „operis egregii occludunt. In medio illius Ecclesiæ bapti„sterium è marmore lucidissimo visitur, in quo Florenti„ni omnes baptismi lavacrum percipiunt, neque alibi „quisquam, præterquam in hoc Baptisterio aquis saluta„ribus tingitur. Quæ quidem adnotare libuit, tamquam „veteris moris institutum, cum olim in civitatibus, in Ec„clesiis tantum Cathedralibus, aut iis adjunctis baptiste„riis Baptismus conferretur, in quibus etiamnum super„sunt ejusmodi baptisteria, tametsi nulli ferè usui.

XV. Multiplicato postmodum Fidelium numero, etiam in una eademque civitate plura *Baptisteria* construi cœpere; non tamen nisi in principalioribus Ecclesiis, aut prope eas, quas propterea *Baptismales*, dixerunt, *Can.* 54. & 55. *caus.* 16. *q.* 1. ad distinctionem earum Ecclesiarum etiam Parochialium, quæ *Baptisterio* carebant; quemadmodum etiamnum hodie in aliquibus civitatibus plures cernuntur Ecclesiæ Parochiales *Baptisterio* destitutæ.

Et quidem in civitate Leodiensi, licet sint triginta circiter Ecclesiæ Parochiales, tamen nonnisi quinque sunt *Baptismales*; atque earum una quæ Cathedrali juncta est; quæ forsan olim ipsius Ecclesiæ Cathedralis *Baptisterium* constituebat.

XVI. Dum sequentibus sæculis Parochi facti sunt *ordinarii* ministri Baptismi; illudque ministerium penè totum ad illos fuit devolutum, tunc quoque contigit, ut omnes passim erectæ Parochiales Ecclesiæ *Baptisteriũ* acceperint; in quo omnes Parochiæ incolæ sole nniter baptizarentur, & spiritualiter renascerentur: atque hoc titulo Ecclesia m Parochialem tamquam *matrem* quæ in Christo ipsos genuit, recognoscerent & venerarentur. Hæc omnia fusiùs exponit & probat Josephus Vicecomes in Observationib Ecclesiasticis de antiquis Baptismi Ritibus *lib.* 1. *c.* 8. & 9.

Itaque Parochiani singuli in sua respectivè Ecclesia Parochiali [si Baptismalis fuerit] baptizandi sunt; neque magis fas est aliquem in *aliena* Parochia, quàm ab alieno Parocho baptizari.

XVII. Prohibuit autem Concilium Viennense relatum in *Clem. unica de Baptismo*, "Ne quis de cætero in aulis vel „Cameris, aut aliis privatis domibus; sed dumtaxat in Ec„clesiis in quibus sunt ad hoc fontes specialiter deputati, „aliquos (nisi Regum vel Principum, quibus valeat in hoc „casu deferri, liberi extiterint, aut talis necessitas emerse„rit propter quam nequeat ad Ecclesiam absque periculo, „propter hoc accessus haberi) audeat baptizare. Qui au„tem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam ex„hibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur, quod „alii attentare similia non præsumant."

Hanc Clementinam insequens Rituale Romanum addit, quòd dum in Principum domibus Baptismus confertur, "id fiat in eorum Capellis, seu oratoriis, & in aqua „Baptismali de more benedicta." Adjungitque Pastorale „Mech-

zed by Google

Mechliniense: "Et præmissis exorcismus & catechismo a„ liisque adhibitis cæremoniis in Pastorali præscriptis."

XVIII. Olim solemni Baptismo duo tempora scilicet Paschatis & Pentecostes præscripta fuisse testis est Tertullianus *libro de Baptismo cap.* 19. scribens: *Diem Baptismo solemnem* PASCHA *præstat*. Et paulò post: *Exinde Pentecoste ordinandis lavacris latissimum spatium est.*

XIX. Cumque sæculo 4. apud quasdam Ecclesias invaluisset consuetudo baptizandi passim ac liberè in Natalitiis Christi seu apparitionis, nec non Apostolorum seu Martyrum festivitatibus, Siricius Papa scribens ad Himerium Tarraconensem *cap.* 2. non dubitat dicere, quod hæc consuetudo sit *improbabilis & emendanda confusio*," quæ, „ ait, à nostris Consacerdotibus (quod commoti dicimus) „ non ratione auctoritatis, sed sola temeritate præsumi„ tur.... Cum hoc sibi privilegium & apud nos, & apud „ *omnes* Ecclesias, Dominicum specialiter cum *Pentecoste* „ sua *Pascha* defendat, quibus solis per annum diebus ad „ fidem confluentibus generalia Baptismatis tradi conve„ nit Sacramenta. " Deinde concludens ait: " Hactenus „ erratum in hac parte sufficiat: nunc, præfatam regulam „ omnes teneant Sacerdotes, qui nolunt ab Apostolicæ Pe„ træ, super quam Christus universalem construit Eccle„ siam, soliditate divelli." Fragmentum hujus epistolæ ha„ betur *dist.* 4. *de Consecrat. Can.* 11.

Cumque rursus sæculo 5. nonnulli Episcopi per Siciliam constituti in vigilia & die Epiphaniæ Dominicæ Baptismum conferre præsumerent, S. Leo in epistola ad universos Episcopos per Siciliam constitutos, non dubitat asserere, ipsos ab *Apostolicæ institutionis consuetudine discrepare*; ac se mirari, ipsos ac prædecessores ipsorum *tam irrationabilem usurpare potuisse*.

XX. Posthæc *cap.* 2. ostendit, servandam esse temporum ac mysteriorum distinctionem. Deinde *cap.* 3. docet, diem Resurrectionis Dominicæ sive Paschatis convenienter baptizandis fidelibus esse destinatum: Quia *apparet regenerandis filiis hominum & in Dei filios adoptandis, illum diem esse & illud tempus electum, in quo per similitudinem formamque mysterii, ea quæ geruntur in membris, his quæ in ipso sunt capite gesta congruerent*: " dum in Baptismatis „ regula & mors intervenit interfectione peccati, & sepul„ turam triduanam imitatur trina demersio, & ab aquis „ elevatio, resurgentis instar est de sepulchro."

Paschati " additur etiam Pentecostes, ait Leo, ex Ad„ ventus Spiritus sancti sacrata solemnitas, quæ de Pascha„ lis festi pendet articulo. Et cum ad alios dies alia festa „ pertineant, hæc semper ad eum diem, qui Resurrectio„ ne Domini est insignis, occurrit."

Tandem adductis nonnullis argumentis, quibus hanc disciplinam probet, concludit: "His itaque fratres cha„ rissimi, tot ac tantis existentibus documentis, quibus o„ mni ambiguitate submota, evidenter agnoscitis, in ele„ ctis baptizandis..... *duo tantùm tempora*, id est, *Pascha & Pentecostē* esse servanda, hoc vestræ indicimus charitati, „ ut ab Apostolicis institutis nullo ulterius recedatis exces„ su. Quia inultum post hæc esse non poterit, si quisquam „ Apostolicas regulas in aliquo crediderit negligendas."

Epistola Leonis in plures partes divisam refert Gratianus citata *dist.* 4. *Can.* 12. 13. 14. ac deinde *Can.* 15. 17. & 18. referuntur Decreta Concilii Gerunnensis & Gelasii Papæ eamdem disciplinam confirmantia.

XXI. His addi potest Epistola 4. Gregorii II. qua ostenditur, disciplinam duabus dumtaxat his Festivitatibus baptizandi adhuc sæculo 8. obtinuisse. Quin & sæculo 11. eandem disciplinam superstitem fuisse probat Concilium Rothomagense anno 1072. *Can.* 24. decernens: "Item „ juxta sanctorum Patrum Decreta, scilicet Innocentii „ Papæ, & Leonis, statuimus, ne *generale Baptisma* nisi „ *Sabbato Paschæ & Pentecostes* fiat. Hoc quidem servato „ quod parvulis, quocumque tempore, quocumque die „ petierint, regenerationis lavacrum non negligetur. Vi„ gilia vel die Epiphaniæ ut nullus nisi infirmitatis neces„ sitate, baptizetur, omninò interdicimus."

Porrò quòd excipiatur casus necessitatis, ad jam idem in Decretis Siricii ac Leonis cautum fuit, nimirum: " Si „ qui *necessitate* mortis, ægritudinis, obsidionis, persecu„ tionis, & naufragii urgentur, *omni* tempore debent baptizari: uti loquitur S. Leo in citata Epistola, & apud Gra„ tianum dicta *dist. Can.* 16.

Quia autem infantibus ordinariè morale periculum imminet, rectè hoc Concilium decernit, " ut parvulis „ quocumque tempore, quocumque die petierint, rege„ nerationis lavacrum non negetur.

XXII. Ulteriùs quia tandem invaluit ut vix alii quàm infantes ad Baptismum veniant, hinc quoque factum est, ut pristina disciplina totaliter penè abrogata, Baptismus etiam *solemnis* non tantùm infantibus, sed etiam adultis conferri quovis tempore cœperit. Dicit tamen Rituale Romanum: "Antiquum ritum [scilicet solemni cæremo„ nia in Sabbato Sancto Paschæ, & Sabbato Pentecostes „ baptizandi] quantum fieri commodè potest, in adultis „ baptizandis, nisi vitæ periculum immineat, retineri de„ cet, aut certè non omninò prætermitti, præcipuè in Me„ tropolitanis aut Cathedralibus Ecclesiis.

Hoc desiderio retinendi pristini ritus Patres Concilii Redingensis in Anglia anno 1279. censuerunt, "declaran„ dum vel statuendum, ut pueri per *octo* dies *ante Pascha*, & „ per dies totidem *ante Pentecosten* de matrum uteris nati, „ si absque periculo reservari valeant, reserventur usque „ illa tempora [Paschatis & Pentecostes] baptizandi.

XXIII. Verùm cum in tam tenera ætate vix sine periculo aliquo infantes sine Baptismo per tot dies reservari possint, meritò Synodi nostræ, nec non libri Rituales præscribunt, ut infantes quamprimum baptizentur; atque signanter Pastorale Mechliniense ait: " Hortetur Parochus „ subditos suos, ut infantes non differant ad Baptismum „ offerre, ut saltem *intra triduum* à partu baptizentur; „ neque etiam ipsi puerulo Baptismum impendere diffe„ rat, etiamsi illegitimus sit, nec habeat fidejussorem pro „ alimentatione.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 6. *cap.* 2. vult, ut "Pa„ rochi pro pueris baptizandis vocati, quanto *breviorem* poterunt, præfigant horam qua puer ad Ecclesiam defe„ ratur, eaque ad Ecclesiam se conferant: quod si propter „ ipsorum moram puer sine Baptismo moriatur, graviter „ puniantur.

Et Synodus Diœcesana Cameracensis Anno 1567. *tit. de Baptismo cap.* 1. injungit Pastoribus, " ut studiosè fideles „ doceant, eisque nostra etiam, ait, auctoritate injungant, „ ut *quo citius & commodius* possint, proles suas regene„ randas Ecclesiæ offerant. Nec susceptorum quorumvis „ vel absentia vel mora, Baptismum sine licentia Parochi „ differant diutius, quàm ad *secundum* diem à partu. Ne„ que hujus rei gratia infantes per *laicas* personas bapti„ zari procurent, nam illud maximo salutis periculo non „ caret; istud verò extra necessitatem factum, ut Ecclesiæ „ traditioni est contrarium, ita irregularitatis censura ca„ stigatur.

Eadem reliquæ Belgicæ Synodi passim inculcant; præsertim, ne ob Susceptorum absentiam aut moram Baptismus differatur, aut per laicas personas conferatur.

XXIV. Sanctus Carolus veteris disciplinæ, nec non Apostolici instituti tenacissimus, non ignorans vetus fuisse ac religiosum institutum, Baptismum in festis Paschalibus in Ecclesia Cathedrali solemniter conferre, ut hujus instituti memoria, quantum sine infantium periculo fieri posset, conservaretur, in suo Concilio P. IV. *parte* 2. §. 2. statuit: " Si qui infantes intra alicujus urbanæ Parochialis „ Ecclesiæ fines sabbato sancto, usque ad sabbatum in al„ bis, & à sabbato item vigiliæ Pentecostes, usque ad sab„ batum proximum nati, baptizandi sunt; ad Cathedralem „ Ecclesiam cui pro observantiæ officio, quoque veteris „ instituti usu, statis illis hebdomadis hoc tribui debet, „ deferantur: si modo cuiquam ob mortis periculum, in „ Parochiali Ecclesia, quæ propius abest, Baptismum sta„ tim administrare necesse non sit.

Hæc

Hæc Carolus, qui ibidem præscribit quod Fontis Baptismalis benedictio in vigilia Paschatis & Pentecostes frequenti Sacerdotum & Cleri ad Ecclesiam Cathedralem conventu & solemni ritu sit peragenda.

XXV. Hæc fontis baptismalis illis diebus benedictio, veteris moris conferendi his diebus baptismatis est vestigium; uti & lectio Prophetiarum tunc fieri solita, indicans catechismum Catechumenorum, qui immediatè ante Baptismum prælectione Scripturarum instituebatur.

Similiter orationes quæ tempore Paschali pro Renatis fonte baptismatis specialiter funduntur; ac signanter quod per totam octavam Paschatis & Pentecostes in Canone Sacerdos orans dicat: *Pro his quoque quos regenerare dignatus es ex aqua & Spiritu sancto*, manifesta sunt pristinæ disciplinæ relicta vestigia.

CAPUT III.
De Ritibus Baptismi.

1. *Pristina Ecclesiæ disciplina aperit hodiernorum rituum originem.*
2. *Plures olim fuêre Catechumenorum ordines.*
3. *In primo ordine Catechumeni catechizabantur.*
4. *Sacra Scriptura ipsis compendiosè exponebatur.*
5. *Explorabatur quo motivo ad fidem Christianam accederent.*
6. *Aliter rudiores, aliter eruditiores instruebantur.*
7. *Describitur secundus Catechumenorum ordo, qui* Audientes *dicebantur.*
8. *Tertius Catechumenorum ordo; qui* Orantes *vel* Genuflectentes *dicti sunt.*
9. *In tertio ordine constituti &* peccantes *interdum ad secundum rursus retrudebantur.*
10. *Catechumeni secundi ordinis exire debebant ex Ecclesia ante Catechumenos tertii ordinis.*
11. *Catechumeni suos habebant speciales Catechistas.*
12. *Origo hodierni Catechismi, & qua ratione a pristino differat.*
13. *Catechumeni in tertio ordine exercitati per suos Catechistas baptizandi Episcopo offerebantur; & nomina eorum* dabantur.
14. *Quia hac* nominum datio?
15. *Quartus ordo Catechumenorũ, qui* Competentes *dicti.*
16. *Qua die* nomina danda?
17. *Catechumeni* Competentes *dicti* Electi.
18. *Per signum* crucis *& manus impositionem ad hunc ordinem admittebantur.*
19. *hujus ritus etiam hodie supersunt vestigia.*
20. *Symbolum Fidei competentibus tradebatur, & exponebatur.*
21. *Etiã hodie hic ritus inter Cæremonias Baptismi superest.*
22. *Catechumeni ante Baptismum debebant* reddere Symbolum; *& quid hæc* redditio Symboli?
23. *Hæc* redditio *Symboli etiamnum inter cæremonias Baptismi superest.*
24. *Non tantum circa fidem, sed vivendi præcepta Catechumeni instruebantur & examinabantur.*
25. *Illud examen potissimum instituebatur quando catechumeni erant in quarto gradu.*
26. *Vitæ mutationem æquè ac* fidei *professionem publicè catechumeni profitebantur.*
27. *Hodie similis quoque fit professio.*
28. *Dies Baptismi annuè recolendus.*
29. *Catechumeni exorcismis crucis signationibus & orationibus exercebantur.*
30. *Exorcismos & exsufflationes super infantes dicuntur.*
31. *Manus impositio antiquissima.*
32. *Ritus illi adhuc in Ecclesia perseverant.*
33. *Catechumeni utebantur* minutis *Sacramentis & quare.*
34. *Sacramentum Catechumenorum erat* sal:
35. *Quid hodie huic ritui respondeat?*
36. *Catechumeni demum ad Baptismum admittebantur, quando sufficienter erant probati.*
37. *Idem hodie in adultis observandum.*
38. *Recenter baptizati induebantur veste alba.*
39. *Vestis hæc totum corpus tegebat.*
40. *Veste illa utebantur per septem dies Paschales.*
41. *Quid hodie de hoc ritu observetur?*
42. *Neophytis sive recenter baptizatis dabantur ardentes cerei.*
43. *Gestabant hos cereos per septem dies.*
44. *Hodie etiam datur candela accensa.*
45. *Olim Neophyti post susceptum Baptismum statim confirmabantur.*
46. *Hodie crismantur à Sacerdote in vertice.*
47. *Neophytis etiam antiquitus dabatur S. Eucharistia.*
48. *Dabatur quoque Neophytis lac & mel.*
49. *Etiam adultis illud dabatur.*
50. *Quid mysterii hæc mellis & lactis gustatio denotaret.*
51. *Propter recenter baptizatos voluit Ecclesia dies Paschales esse dies lætitiæ.*
52. *Ex etiam hodierna lætitiæ signa tempore Paschali tendunt.*

I. Pleraque quæ hodie circa baptizandos, aut recenter baptizatos ex præscripto Ecclesiæ peraguntur, facilius percipientur, si attendamus disciplinam, quam olim in Baptismo adultorum, extra casum necessitatis Ecclesia observavit.

Hinc quippe facilè intelligemus, quid plerisque hodiernis ritibus occasionem dederit, quæ circa illos fit ac fuerit vera Ecclesiæ intentio; & qua ratione etiam hodie pristinam Ecclesiæ disciplinam, si non secundum litteram, & exteriorem corticem, saltem juxta ejus spiritum ac interiorem quasi medullam, servare possimus.

II. Plures primitus fuêre eorum qui ad Baptismum disponebantur classes sive ordines, in quibus sensim ad Christianismum & Baptismum disponebantur, & gradatim quasi ascendebant.

III. Dum enim homini pagano seu gentili desiderium aliquod divinitus injiciebatur convertendi se ad Christianismum, primum *privatim* in domo circa vanitatem & superstitionem paganismi, nec non ipsa prima *Christianismi* principia ac fundamenta instruebatur: illudque munus Diaconi aliive inferiores Clerici obibant.

Hinc ille tractatus S. Augustini *de catechizandis rudibus* scriptus ad postulationem cujusdam Diaconi Carthaginensis hujusmodi instructionibus occupati; uti ex his Augustini verbis intelligimus: "Petisti me, Frater *Deo gratias*, ut aliquid ad te de catechizandis *rudibus*, quod tibi usui esset, scriberem. Dixisti enim quod sæpè apud „Carthaginem, ubi *Diaconus* es, ad te adducuntur, qui „fide Christiana *primitus* imbuendi sunt.

IV. In hoc tractatu Augustinus modum admodum concinnum & utilem instruendi sive catechizandi rudiores præscribit, atque imprimis vult, ut catechizando historia veteris Testamenti breviter exponatur; ut ex hac ipsa historia catechizandus ad Christum ejusque Ecclesiam ducatur.

"Nequaquam tamen propterea integram sacram Scri„pturam debemus memoriter reddere, vel nostris verbis, „ait, omnia quæ his continentur voluminibus (Sacræ Scri„pturæ) narrando evolvere & explicare; quod nec tempus „capit, nec necessitas postulat: sed cuncta *summatim ge„neratimque* complecti; ita ut eligantur quædam mirabi„liora quæ suavius audiuntur.

Quare veteris Testamenti expositio convertendis ad Christum & Ecclesiam conveniat, subjungit: "Neque enim „ob aliud ante adventum Domini scripta sunt omnia quæ „in sanctis Scripturis legimus, nisi ut illius commendare„tur adventus, & futura præsignaretur Ecclesia, id est, po„pulus Dei per omnes gentes, quod est corpus ejus; ad„junctis atque adnumeratis omnibus Sanctis, qui etiam „ante adventum ejus in hoc sæculo vixerunt, ita creden„tes eum venturum esse, sicut nos venisse.

V. Monet deinde *cap.* 5. à Catechista diligenter inquirendum, quo motivo catechizandus moveatur ad fidem Christianam suscipiendam. "Si enim, ait, aliquod commodum „devi-

„ devitando, quorum offensionem aut inimicitias reformidat, vult fieri Christianus; non fieri vult potiùs quàm „ fingere.

Hæc meritò attendant, qui hodie convertendis & instruendis hæreticis incumbunt; utpotè qui non rarò spe commodi alicujus temporalis consequendi ad fidem Catholicam amplectendam desiderium aliquod ostendunt, vel potius fingunt.

VI. Ulterius *cap.* 8. ostendit Augustinus, aliter idiotas aliter eruditores Paganos esse catechizandos; pluraque alia deinde præscribit, quæ tractatus illius utilitatem, præsertim pro illis qui catechizandis populis occupantur, evincunt; probantque pristinum catechizandi modum multò sublimiorem fuisse hodierno.

VII. Postquam autem per hanc privatam instructionem aliquousque essent de Religione Christiana instructi, tum ad publicas instructiones, quæ in Ecclesia per Episcopum habebantur, accedebant; atque inde *Audientes* dicebantur; tumque primum propriè *Catechumeni* vocari poterant; "Quia [ait Isidorus *lib. De Origine vocum cap.* 14.] „ Catechumenus dictus pro eo quod adhuc doctrinam fi„ dei *audit*, necdum tamen Baptismum percepit. Quare & „ à Latinis Patribus Catechumenus passim *Auditor* vel „ *Audiens* nuncupatur; uti notat & probat Hugo Menar„ dus in Notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag.* 129.

VIII. Postquam verò catechumeni in hoc ordine aliquo tempore perseverassent; & in excipiendis publicis instructionibus diligentes fuissent; animumque ad amplectendam fidem Christianam testati ad altiorem gradum ascendebant, ubi participes consortesque fiebant orationum, & exorcismorum qui super Catechumenos fundebantur; quem in finem in genua in ipsa Ecclesia procumbebant, inde *Orantes* vel *Genuflectentes* appellati.

IX. Duplicis hujus Ordinis Catechumenorum, scilicet *Audientium* & *Genuflectentium* meminit *Can.* 5. Neocesariensis, qui ex versione Gentiani Herveti ita habet: "Cate„ chumenus si Dominicum ingrediens, in Catechumeno„ rum Ordine steterit, is autem peccat: si *genu* quidem „ *flectens, audiat*, non amplius peccans. Sin autem etiam „ *audiens* adhuc peccet, extrudatur.

Hunc Canonem sic exponit Aristenus: "Nonnulli modò „ accedunt; quocirca & ut *imperfectiores* post Scripturarum „ & Evangeliorum *auditionem* statim emittuntur. Alii autē „ *ante tempus aliquod* advenerunt & *perfectiores* ev.serunt: „ quare & post Evangeliū *preces* pro Catechumenis factas „ expectāt, & dum dicitur *Catechumeni capita vestra Domi„ no flectite*, GENU FLECTUNT. Perfectiores itaque, ut „ qui bona Dei verba prægustarunt, si lapsi fuerint *statione* „ sua moventur, & cum *Audientibus* collocantur; si autem & cum *Audientes* sint, peccāt, ab Ecclesia *perfectè* expellūtur

Hanc Aristeni expositionē eruditiores canonum Interpretes tum Græci, tum Latini communi consensu amplectuntur; agnoscuntque ex mente hujus Synodi, Catechumenum in altiori gradu, scilicet *Genuflectentium*, constitutum & ibi peccantum, rursus ad inferiorem, quasi in pœnam retrudi; qui verò in primo gradu Catechumenorum, id est, *Audientium* constitutus in peccatum labitur, ab Ecclesia *perfectè*, sive absolutè pellatur, seu non amplius tamquam Catechumenus admittatur.

In eumdem sensum accipiendus *Canon.* 14. *Nicanus*: "De Catechumenis, & qui *lapsi*, visum est & sanctæ & „ magnæ Synodo, ut ii tribus tantum annis *Audientes*, „ postea *orent* cum Catechumenis.

X. Insuper hic observant Canonum Commentatores, *Catechumenos Audientes*, sive primi ordinis, tantum potuisse lectioni Scripturarum interesse, ac ea finita mox exire debuisse, ac verò *Genuflectentes* mansisse quousque à Diacono diceretur: *Quicumque Catechumeni discedite*.

XI. Catechumeni verò in *Audientium* aut *Genuflectentiū* classe suos interim Magistros seu Catechistas habebant, qui eosdem in fide & vita Christiana instruerent; atque eorum profectui, modoque vivendi invigilarent. "Optatum „ inter Lectores *Doctorem Audientium* constituimus, ait „ S. Cyprianus *Epist.* 24.

XII. Hinc collige, originem hujus catechismi, qui inter cæremonias Baptismi hodie reponitur; eumque primitus fuisse verum catechismum seu instructionem Catechumenorum vel baptizandorum.

XIII. Dum convenienti tempore in hisce gradibus essent excitati, judicarenturque idonei qui Baptismum accipere possent à suis Catechistis, ad Episcopum ducebantur; atq; testimonium de Catechumenorum scientia & vita reddentes, ac quodammodo spondentes [unde *Sponsores* vel etiam *Fidejussores* dicti] illos ad Baptismum præsentabant; quando & unà Catechumeni *nomina* sua dabant; ut nimirum annotarentur inter illos, qui jam proximè ad suscipiendum Baptismum erant destinati seu *electi*.

XIV. De hac *nominum datione* frequens in pristinis Canonibus & Patribus mentio occurrit: "Baptizandi *nomen* „ *suum dent*, ac diu sub abstinentia vini & carnium ac „ manus impositione crebra examinati, Baptismum per„ cipiant," ait Synodus Carthag. IV. *Can.* 85.

Sanctus Augustin. multis locis *dationis nominum* meminit; atq; signanter libro *De Fide & operibus*, ubi ait: "Quod „ autem fit per omne tempus, quod in Ecclesia salubriter „ constitutum est, ut ad nomen Christi accedentes, Cate„ chumenorum nomen accipiant: hoc fit multò diligenti„ us & instantius his diebus, quibus *competentes* vocantur: „ cum ad percipiendū Baptismū *sua nomina* jam *dederunt*.

XV. Datis nominibus Catechumeni in perfectiore & superiore classe collabantur; dicebanturque *competentes*, ut ex relatis S. Augustini verbis constat.

Sanctus Isidorus *lib.* 2. *De Ecclesiast. Officiis cap.* 21. Competentes dicit, "qui jam post doctrinam fidei, post „ continentiam vitæ, ad gratiam Christi percipiendam „ festinant: ideoque appellantur *competentes*, id est gra„ tiam Christi *petentes*.

Eamdem rationem nomenclaturæ insinuat Augustinus libro *De fide & operibus cap.* 6. dicens: "Cum fontis il„ lius Sacramenta *peteremus* atque *ob hoc competentes* et„ iam vocaremur.

XVI. Quo tempore, & die nomina danda essent, varia fuit pro varietate temporum & Ecclesiarum disciplina.

Initium Quadragesimæ primitus ad hoc ordinatum fuisse non obscurè innuit S. Augustinus *Sermone* 13. *ad Neophytos*: "Per omnem *Quadragesimam* vacaverunt „ [Competentes] orationibus & jejuniis, in sacco & ci„ nere dormierunt, futuram vitam peccatorum suorum „ confessione quærentes.

Sub idem tempus ad Episcopum Terraconens. scribit Siricius Papa: "Generalia Baptismatis tradi convenit Sa„ cramenta, his dumtaxit electis, qui ante *quadraginta* „ dies *nomen dederint*, & exorcismis, quotidianisque o„ rationibus atque jejuniis fuerint expiati.

In Ordine Romano, qui circa tempora S. Gregorii scriptus creditur, hoc tempus ad quartam feriam hebdomadæ quartæ Quadragesimæ contractum est; uti videre est sub titulo *De Denuntiatione scrutinii ad Electos*.

De hac varietate consule Notas ad Sermonem 212. Augustini in editione novissima Parisiensi.

XVII. Quidquid sit de varia in hoc puncto Ecclesiarum disciplina, id constat, Catechumenos in hoc *Competentium* ordine constitutos etiam vocatos fuisse *Electos* tamquam jam ad Baptismum proximè suscipiendum adscriptos; imo jam inter *Fideles* computatos; uti docet S. Isidorus loco citato, ubi ipsos *Audientes* asserit esse *quasi hospites & vicinos* Fidelium, *de foris*, ait, audiunt Mysteria, audiunt gratiam, sed *adhuc non* appellantur *Fideles*." Competentes „ autem [pergit Isidorus] jam petunt, jam accipiunt, jam „ catechizantur, id est, imbuuntur instructione Fidei & „ Sacramentorum. Istis enim salutare Symbolum traditur, „ quasi commonitorium Fidei, & sanctæ confessionis in„ dicium, quo instructi agnoscant, quales jam ad gratiam „ Christi exhibere se debeant.

XVIII. Ad hanc ultimam classem per *crucis* signum ac *manus impositionē* recipiebantur, quemadmodum testatur Augustinus *lib. De Peccatorum Meritis & Remiss. cap.* 26.

„ Nam

„Nam & Catechumenos secundum quemdam modum, „per signum *crucis* & orationem manus impositionis pu„to sanctificari.

Et clarius *libro De Catechizandis Rudibus c. 26.* ubi ex professo dicit, quod postquam catechizatus est instructus, ac interrogatus, an quæ audivit credat, atque observare desideret; quod si responderit, ait, *solemniter utique* SIGNANDUS *est, & Ecclesiæ more tractandus.*

XIX. Hujus ritus etiam hodie superest memoria; quia juxta Rituale Romanum, post factam exorcizationem & varias preces fusas super infantem, tandem prævie ante introductionem in Ecclesiam, signat Sacerdos infantem in fronte *signo crucis & imponit manum super caput infantis.*

XX. His itaque Catechumenis non tantum primæ Religionis rudimenta sive elementa tradebantur, quemadmodum incipientibus, sed abstrusiora etiam mysteria, quæ passim infidelibus occultabantur. Atque imprimis Fidei Symbolum *Competentibus* tradebatur, & exponebatur.

Id aperte tradit S. Augustinus *lib. 1. Retract. c. 17.* ubi rationē reddens scripti à se libri *de fide ac symbolo* ait: *In quo de rebus ipsis ita disseritur, ut tamen non fiat verborum illa contextio,* quæ *tenenda* memoriter competentib⁹ *traditur:* quasi diceret, in exponendo Symbolo non facta est illa verborum contextio quæ solet esse dum Symbolum traditur addiscendum *Competentibus*, quam contextionē ipse Augustin. in tractatu *De Symbolo ad Catechumenos* observavit; ubi & in ipso limine hunc ritum ita exponit: "Accipite „Filii Regulam fidei, quod *symbolum* dicitur. Et cum ac„ceperitis, in *corde* scribite, & *quotidie* dicite apud vos: an„tequam dormiatis, antequam procedatis, vestro symbo„lo vos munite. Symbolum nemo scribit ut legi possit: „sed ad recensendum, ne fortè deleat oblivio, quod tradi„dit diligentia, sit vobis codex vestra memoria. Quod au„dituri estis, hoc credituri; & quod credideritis hoc etiam „lingua reddituri; ait enim Apostolus, corde creditur ad „justitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Hoc est e„nim symbolum, quod recensuri estis & reddituri.

XXI. Huic traditioni Symboli respondet quod hodie ad præscriptum Ritualis Rom. cum fuerint ingressi Sacerdos, infans & Susceptores, Sacerdos procedens ad fontem cum susceptoribus conjunctim clara voce dicat Symbolum. Si autem adultus fuerit baptizandus, tunc is cum Sacerdote illud recitat.

XXII. Quod hic & alibi sæpius de *redditione* Symboli, significat ritum multis sæculis usitatum, recitandi publicè ac solemniter ipsum *Symbolum* ante Baptismi susceptionem per modum cujusdam professionis fidei.

Totum hunc redditionis ritum, & rationem exponit S. Augustinus *lib. 8. Confess. c. 2.* ubi loquitur de Victorino nobili Rhetore Romano, qui cùm primò se Christianum esse occulte Simpliciano Episcopo Mediolanensi intimasset, sed palam profiteri erubescebat, tandem hortatu dicti Episcopi depositu timore, subitò dixit Simpliciano: "Ea„mus in Ecclesiam, Christianus volo fieri. At ille non se „capiens lætitia perrexit cum eo. Ubi autem imbutus est „primis instructionum Sacramentis, non multò post et„iam *nomen dedit*, ut per Baptismum regeneraretur, mi„rante Roma, gaudente Ecclesia.

Post hæc subjicit Augustinus: "Denique ut ventum est „ad horam *profitendæ fidei*, quæ verbis certis conceptis, re„tentisque memoriter, de loco eminentiori in conspectu „populi fidelis Romæ reddi solet ab iis, qui accessuri sunt „ad gratiam tuam, oblatum esse dicebat Victorino à „Presbyteris ut secretiùs redderet, sicut nonnullis, qui ve„recundia trepidaturi videbantur, offerri mos erat; illum „autem maluisse salutem suam in conspectu sanctæ mul„titudinis profiteri.

Hæc ergo Symboli *redditio* erat quædam publica *fidei* professio; de qua etiam loquitur S. August. *Sermone 58. & 59.* ult. edit.

XXIII. Huic redditioni Symboli sive professioni fidei, respondet illa professio fidei, quam immediatè ante Baptismum ad interrogationem Sacerdotis facit baptizandus per se, si sit adultus, per susceptores verò, si fuerit Infans.

XXIV. Nec tantùm circa fidē cura & sollicitudo Pastorum & Episcoporum versabatur, sed vel maximè circa præcepta ac principia vitæ Christianæ, morumque disciplinam solliciti erant Pastores; ut & de illis ipsi Catechumeni ante Baptismum ritè essent instructi; ipsisque constaret, Catechumenos sincerè diabolo ejusque operibus renuntiasse, ac Christum induisse; caventes vel maximè ne Baptismum indignis nec à peccatis suis debitè conversis annuendo, darent sancta canibus.

Hac de re librum integrum *De fide & Operibus* scripsit S. August. in quo ex professo ostendit, non tantùm fidem, sed etiam morum doctrinam esse tradendam ante Baptismum; multisq; probat & invictissimè astruit, peccatis prius esse renuntiandum, vitamque mutandam, quam quis ad Baptismum [extra casum necessitatis] admittatur; atque *c. 6.* hæc habet: "Videamus unde agitur, id est, utrum ad „percipiendum Baptismum sic admittendi sunt homines, „ut nulla ibi vigilet diligentia, ne *Sanctum canibus* detur: „usque adeo ut nec apertissimi adulterii perpetratores & „ejus perseverantiæ professores, à Sacramento tantæ san„ctitatis videantur arcendi; quo sine dubio non admitte„rentur, si per ipsos dies, quibus eandem gratiam perce„pturi, suis nominibus datis abstinentia, jejuniis, exorcis„misque, purgantur, cum suis legitimis & veris uxoribus „se concubituros profiterentur, atque hujus rei, quamvis „alio tempore licitè, paucis ipsis solemnibus diebus nul„lam continentiam servaturos. Quomodo igitur ad illa „sancta recusans correctionem adulter admittitur, quo „recusans observationem non admittitur conjugatus.

Ex hoc Augustini discursu insuper discimus, Catechumenos tempore Catechumenatus, abstinentia, jejuniis, exorcismisque exercitatos ac purgatos; & etiam conjuga„tos actu conjugali abstinuisse.

XXV. Hoc quoque ibidem indicat Augustinus, exercitia illa Catechumenorum, ac Pastorum circa Catechumenos sollicitudinem, nec non scrutinium sive examen super eorum fide & vitæ mutatione potissimùm instituta fuisse eo tempore, quo in hoc gradu *Competentiū* versabantur, quod inferiùs adhuc apertiùs declarat dicens: "Quod autem fit „per omne tempus, quo in Ecclesia salubriter constitutū „est, ut ad nomen Christi accedentes Catechumenorum „*gradus* excipiat [hoc est, uti notant Operum Revisores, „ipse *gradus* Catechumenorum eos *accipiat* qui ad Chri„sti nomen accedunt] hoc fit multò diligentiùs & instan„tiùs his diebus, quibus *competentes* vocantur, cùm ad „percipiendum baptismum sua *nomina* jam dederunt.

In veteri Ordine Romano circa tempora S. Gregorii scripto dicitur, "præscribuntur septem scrutinia Catechu„menorum à die quo *nomina* data sunt, usquead Vigi„liam Paschatis, qua baptismus conferendus erat.

XXVI. Porrò sicuti Catechumeni per Symboli recitationem *publicè* suam profitebantur fidem; ita quoque vitæ suæ putationem testabantur renuntiando *publicè* diabolo ejusque operibus ac pompis.

Unde in hæc verba S. Pauli ad Timotheum: *Apprehende vitam æternam, in qua vocatus es, confessus bonam confessionem coram multis testibus,* scribit S. Hieronymus: "Con„fessus es bonam confessionem in Baptismo, *renuntiando* „*sæculo & pompis ejus* coram *multis* testibus, coram *Sa*„*cerdotibus*, vel *Ministris*, virtutibusque cœlestibus.

Hunc renuntiandi morem ex traditione ad nos dimanasse asserit S. Basilius *libro de Spiritu sancto c. 27.* "Ter im„mergi hominem unde est traditum? Reliqua, item quæ „fiunt in Baptismo, veluti *renuntiare sathanæ* ex qua scri„ptura habemus? nonne ex privata & arcana traditione?

Sanctus Ambrosius *libro de Initiandis c. 2.* "Ingressus „es regenerationis sacrarium, repete quid interrogatus sis, „recognosce quid responderis *Renuntiasti* diabolo & o„peribus ejus, mundo & luxuriæ ejus ac voluptatibus.

XXVII. Huic renuntiationi respondet hodierna renuntiatio, quam Catechumenus per se, vel per Susceptores ad interrogationem Sacerdotis pronuntiat.

XXVIII. Sed quid hæc professio plerumque hodie in infantia fieri solet per Susceptores, monet S. Carolus in sua Synodo VI. *cap.* 8. ut Parochus & Confessarius cohortationis officio in id incumbant, ut Fidelium unusquisque annuè recolat diem suum baptismatis, atque eo potissimùm, die "sanctè sese excitet ad præclaram illam sponsionem & chri- „ stianam professionem, quam in sacro lavacro per Spon- „ sores solemniter edidit. *Repete*, inquit Sanctissimus Pa- „ ter noster Ambrosius, *quid interrogatus sis, recognosce* „ *quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus:* „ *mundo & luxuria ejus ac voluptatibus: memor esto ser-* „ *monis tui, & nunquam tibi excidat tua series cautionis.*

XXIX. In hoc quoque catechumenorū gradu frequentiores erant orationes & exorcismi, iisque adjunctæ manuum impositiones, ut iis mediantibus Catechumeni à vitiis contractis in Gentilitate ampliùs purgarentur, & ad baptismum dignè suscipiendum disponerentur.

Unde Augustinus *libro de Fide & operibus cap. 6. num.* 9. ait: "Vel non intueamur alios, qui per singulos annos „ ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis „ diebus quibus catechizantur, *exorcizantur*, scrutantur, „ quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua „ cura pendeant?

XXX. Exorcismos & exsufflatione etiam super infantes baptizandos suo tempore dici solitos fuisse, testatur Augustinus; atque ex illo Ecclesiæ ritu probat, Ecclesiam agnoscere infantes peccato originali obnoxios nasci. Sic enim scribit ad Sixtum Presbyterum *Ep.* 194. *n.* 43. *ult. edit.* "Cir- „ cumstipantur enim & Divinarum auctoritate lectionum, „ & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in ba- „ ptismate parvulorum, ubi expertissimè demonstrantur „ infantes, & cum *exorcizantur*, & cum ei se per eos, à „ quibus gestantur, *renuntiare* respondent, à diaboli do- „ minatione liberari.

Et infrà *n.* 46. "Quid ad hoc respondeant, quòd *exorci-* „ *zantur* & *exsufflantur* infantes, hoc enim procul dubio „ fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur, & ideò non „ fallaciter *exorcizantur* & *exsufflantur*, per quid domi- „ natur, nisi per peccatum princeps utique peccatorum?

XXXI. Manuum impositionis quoque super Catechumenos frequens est apud Veteres mentio. "Non unius mo- „ di est sanctificatio, nam Catechumenos secundùm unum „ suum quemdam modum per *signum Christi*, & oratio- „ nem suo *manus impositione* puto sanctificari." ait Augu- „ stinus *lib.* 2. *De Baptismo Parvul. cap.* 37. Plura testi- „ monia idipsum probantia notat Du Gange suo Glossa- „ rio, verbo: *Manus impositio.*

Per *Signum Christi* in citatis verbis intelligere Augustinū *Signum Crucis*, perspicuū est; & ipsos Catechumenos Cruce signari solitos fuisse pluribus locis testatur. Et quidem *lib.* 1. *Confessionum* ubi suæ inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam signo* Crucis *ejus.*

XXXII. Hinc facilè intelligimus, quàm immeritò Hæretici ritus nostros Baptismi, qui potissimum in exorcismis, exsufflationibus, manuum impositionibus, crucis signationibus, & orationibus variis consistunt, tamquam novos & quasi superstitiosos explodant: cùm eos videamus jam pridem à Patribus fuisse adhibitos & nobis traditos.

XXXIII. Catechumeni in quarto ordine constituti, jamque Baptismo proximi, minutis quibusdam Sacramentis, sive Sacramentalibus utebantur: ut nimirum per ea ad vera Ecclesiæ Sacramenta suscipienda paulatim disponerentur, quemadmodum exponit Vir eruditus Gabriel Albaspinæus *lib.* 2. *Observat. cap. fin.* "Inter cæteros ritus, ait, quibus o- „ lim formabantur Catechumeni, *minutis*, quibusdam Sa- „ cramentis utebatur Ecclesia, non solum ut Mysteriorum „ rudes Eucharistiæ paulatim assuescerent, sed etiam ut „ vitæ Christianæ semina, quæ in ipsa auditione animis „ combiberant, horum Sacramentorum usu foverent. „ Nam quamvis Corporis Christi perfecta illi & omninò „ formata membra non erant, utcumque tamen ei ad- „ hærebant, Christianitatisque spiritum quodammodo „ ducere incipiebant.

XXXIV. Sacramenti Catechumenorum meminit S. Augustinus *libro De Catechizandis Rudibus c.* 27. "De Sac „ mento *sanè*, ait, quod accipit (Catechumenus) cùm ei „ ne comendatum fuit, signacula quidē rerum divina „ esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; „ sic habendam esse illam speciem benedictione sanc „ catam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dic „ dum etiam quid significet & sermo ille, quem audi „ quid in illo *condiat*, cujus illa res similitudinem gerit.

Notant hic eruditi Operum Augustini Revisores, Lo niensem editionem legere, *condatur*; sed ipsi notant: "V rius *MSS.* & *Am.* CONDIAT. "Nam agitur hic, inq „ unt, de Sacramento *salis*, quo Catechumenus initia „ Huc pertinet illud Augustini *libro* 1. *Conf. cap.* 11. „ *signabar jam signo crucis ejus, & condiebar ejus sale. j* „ *unde ab utero Matris meæ.* Ipsa est, quam hic dixit *s* „ *etem benedictione sanctificantem*: adeóque paulò sup „ loco *sane* legendum videtur, *salis.*

Per Sacramentum ab Augustino intelligi *salem* Catech meno tradi solitum probat quoque Concilium Cartha nense III. cui ipse Augustinus interfuit, *Canone* 5. hæc dec nens: "Item placuit ut per solemnissimos Paschales d „ Sacramentum Catechumenis non detur, nisi *solitum s* „ quia si Fideles per illos dies Sacramentum non muta „ nec Catechumenis oportet mutari.

XXXV. Hic habemus originem benedictionis *salis*, q hodie in collatione Baptismi fieri debet, atque in os infa tis immitti sub hac verborum formula: *N. Accipe* SA LEM *sapientiæ: propitiatio tibi sit in vitam æternam.*

XXXVI. Catechumeni jam sufficienter probati & instr cti ad Baptismū admittebantur: Nam, ut ait *Canon* 2. Nic nus, *Catechumeno tempore opus*; ut scilicet ritè disponat "Quid enim agit totum tempus, quo Catechumenoru „ locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides, & qu „ lis vita debeat esse Christianis, ut cùm *seipsos probav* „ *rint*, tunc de Mensa Domini manducent, & de Calice b „ bant, inquit Augustinus *lib. de Fide & bonis Operibus c.*

XXXVII. Nec minus hodie ipsi baptizandi *adulti* prev probandi sunt quam olim; utrum scilicet in fide sint sati structi, & vitam anteriorem revera detestentur. Hoc pr bè intelligentes & expendentes duo zelosissimi hujus sæc li Præsules, Franciscus Episcopus Heliopolitanus, & Petr Episcopus Berytensis, qui in Tunchini & Cochinnæ regn multo cum fructu Evangelium annuntiarunt, quasd ediderunt Instructiones, quas Cardinalis Bona jussu Co gregationis de propaganda fide recensens, Apostolico sp ritu scriptas fuisse testatur; easque ejusdem Congregati nis typographus Romæ evulgavit.

In his conqueruntur Prælati illi de quibusdam Missio nariis, qui de numero potiùs, quàm de virtute à se bapt zatorum gloriantes, *obvios quosvis, vix explorata illoru voluntate, unâ aut altera instructione contenti, sacro Ba ptismi fonte abluunt.*

Post hæc declarant, sibi visum esse, "Catechismi temp „ non breviori quàm quadraginta dierum spatio vulg „ definire, nec alios ad Baptismum admittendos esse, ni „ qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cum enim „ experientia, quæ sacris Canonibus consona est, satis no „ tum sit, diuturniorem moram esse perutilem ad obtinen „ dam in Christiana fide perseverantiam. Diutius probar „ debent rudiores, & obtusioris tardiorisque ingenii serv „ & qui temporalis pœnæ vitandæ gratia fidem amplect „ velle videntur, aut sperant aliquid lucri & commodi „ consecuturos ex eo quod Christiani fiant: Ii denique, q „ legis & constantis animi signa aliqua dederint.

Declarant præterea, Missionarios, qui passim tempus il lud præoccupant fidem Christianæ & animarum saluti plu rimum nocere. "Enim verò, inquiunt, comprobatum „ experientia, Christianos pejores non inveniri, quàm q „ ante competentem instructionem ad Baptismum admi „ sunt; quippe quâ facilitate Christo nomen dederunt, ea „ dem ut plurimum nuntium ei remittunt.

Tertiò declarant, Missionarios non posse ad Baptismum

admit-

admittere, tametsi in fide bene instructos, & eum ardenter petentes, nisi ante ex bona conversatione exploratum sit, eos pristinis vitiis ac criminibus renuntiasse, moresque verè Christianos induisse.

Nolunt quoq; ad Baptismum admitti Gentiles, quantumvis emendationem vitæ spondeant, nisi ante illius susceptionem *operibus*, non verbis tantum suam emendationem probaverint. "Sicut à sacro Baptismatis fonte rejiciendi sunt (inquiunt) qui vitiis ac peccatis obstinatè adhærent: ita procul ab eo expellendi, qui nolunt interioris conversionis signa *operibus* dare: cum inde pateat, infectam peccati amore voluntatem adhuc gerere.

Denique declarant, nullam esse habendam rationem nonnullorum, qui de Baptismatis dilatione conqueruntur, quasi propter inopinatos casus, Catechumenos morti ac proinde æternæ damnationi exponant.

Hæc omnia latiùs videri possunt apud Gasparem Juenium in Commentario historico & dogmatico De Sacramentis *Dissertat. 2. quæst. 7. cap. 2. art. 2.*

XXXVIII. Baptizati è fonte Baptismatis educti vestibus albis induebantur, de quo ritu testatur Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi myst. 4.* ejus ritûs rationem reddens: "Exutis vestibus antiquis, & iis quæ secundum spiritum *alba*, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere necesse sit; sed quod his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt, vestiri te oporteat.

Ejusdem ritûs meminit S. Ambrosius *libro De Initiandis c. 7.*" Accepistis (ait ad recenter baptizatos) post hæc vestimenta *candida*, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina:" Gratianus *Dist. 4. de Consecrat. Can. 92.* Et Canone præcedenti idem astruitur auctoritate Rabani Mauri; pluresque ejus mysticæ rationes redduntur.

Infinita sunt penes omnes omnium sæculorum tam Latinos, quàm Græcos Scriptores, hujus ritûs testimonia.

XXXIX. Vestem hanc totum corpus baptizati tegisse, ac propterea baptizatos exteriori habitu totos albos & candidos apparuisse, innuunt non obscurè omnia illa Patrum testimonia, quibus testantur simpliciter & indefinitè, baptizatos accepisse *vestem candidam*; quòd *induerentur* vestibus albis; quodque dicerentur, *Neves, Albi, Candidi*: quæ omnia dici non potuissent, nisi ipsi baptizati *vestem* toti corpori congruentem accepissent.

Ad recenter baptizatos sermonem habens S. Augustinus in Vigiliis Paschalibus ita loquitur: "Infantes isti, quos cernitis externus *dealbatos*, interiusq; mundatos, qui *candore vestium* splendorem mentium præfigurant &c." *Serm.* 22: ex edit. Benedictinorum, qui ibidem notant, *infantes*, dictos fuisse novissimè baptizatos etiam ætate majores.

XL. Vestem hanc in omnibus penè Ecclesiis septem diebus retinebant Neophyti; id est ea in Sabbatho sancto egredientes de fonte Baptismatis induebantur, & sabbatho sequenti deponebant. Hujus disciplinæ luculentus testis est S. Augustinus *sermone* 157. de Dominica in Octava Paschatis: "Paschalis solemnitas, ait, hodierna festivitate concluditur, & ideo *hodie* Neophytorum *habitus commutatur*, ita tamen, ut *candor*, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.

Quare septem hos dies *albas* vocabant teste Rabano *libro 2. de Instit. Cler. cap. 39.* "Alios septem dies in memoriam ejusdem Resurrectionis Dominicæ congrua festivitate subjungens, quos septem dies, *albas* vocitamus propter eos, qui in sancta nocte baptizati, *albis* per totam hebdomadam utuntur vestibus.

Nequaquam etiam obscurum est, ex allatis testimoniis, Neophytos seu recenter baptizatos *vestem candidam* integris illis septem diebus, tanquam ordinariam & vulgatem vestem detulisse; nec tantum in Ecclesia sed ubique cum ea incessisse; quod & aliis testimoniis confirmat Vicecomes dicto loco *cap.* 14.

XLI. Hodie ex præscripto Ritualium imponitur capiti recenter baptizati *linteolum* candidum loco vestis albæ sub hac verborum formula: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri* IESU CHRISTI, *ut habeas vitam æternam.*

XLII. Neophytis olim cereos traditos fuisse in manibus refert Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 1. myst ag.* & ejusdem meminit S. Gregorius Nazianzenus *Orat* 40. *De Baptismo*, ubi Baptismi ceremonias describens, in earum numerum gestationem cerei quoque reponit: & *oratione* 39. de baptizatorum luminibus loquens ait:" porrò *luminum* nomine appellatur, quod purget & illustret. Quo etiam fit, ut *faces* eo tempore in lætitiæ signum accendamus.

Et sæculo 9. scripsit Amalarius Fortunatus *lib. De Eccles. Officiis c. 26.*" Clamante voce Sacerdotis, ut descendat virtus Spiritus Sancti in aquam, *cerei* Neophytorum deponuntur in aquam. Quare hoc? Nisi ut demonstretur modò *cereus* signare Spiritum Sanctum.

XLIII. Cereo septem diebus, quemadmodum veste candida Neophytos olim usos fuisse clarè expressit sæculo 6. scribens Alcuinus *De Divinis Officiis: cap. De Sabatho in albis*, ubi postquam dixisset, quod Neophyti septem diebus *vestibus albis* uterentur? id est, à *Sabbatho sancto* usque ad *Sabbathum in Albis* subjicit:" Ita nostri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidie ad Ecclesiam, *columna cerea illuminata* præcedente eos.

XLIV. Hodie Sacerdos dat Neophyto vel Patrino candelam accensam dicens: *Accipe lampadem ardentem & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut Dominus venerit ad nuptias possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula cælesti, habeasq; vitam æternam & vivas in sæcula sæculorum.*

XLV. Post susceptum Baptismū statim baptizati Chrismate ab Episcopo in fronte ungebantur? sive confirmabantur." Oportet (ait Canon 48. Loadicanus) eos qui illuminantur (sive, ut legit Dionysius Exiguus, *qui baptizantur*) post Baptisma inungi super cœlesti Chrismate, & esse regni cœlestis participes.

Hujus disciplinæ apud primæ & mediæ ætatis scriptores Græcos & Latinos infinita sunt & obvia testimonia, quæ citat Menardus in notis ad Sacram. Gregorii pag. 144. additq; Nec ungebantur Neophytus in *vertice* à Presbytero, cum ejusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi. Quinimo, ut rectè advertit Gabriel Albaspinæus *lib. 1. observat. c. 25.*" Nemo *Christiani* nomen olim sortiebatur, nemo *perfectus* existimabatur *Christianus*, qui dono Spiritus sancti *confirmatus* & donatus non esset.

Hocque est, quod Canone 39. Eliberitano dicitur" Gentiles si infirmitate desideraverint sibi manum imponi; si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit, eis manum imponi, & fieri Christianos.

Idipsū Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 3. Myst ag.* evidenter expressit dicens:" Hujus sancti Chrismatis dono accepto, meritò appellamini *Christiani*: veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione ante enim quā hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.

Plura in hanc rem adducit Christianus Lupus in notis ad librum Tertulliani *De Præscriptionibus c. 41.*

XLVI. Hodie Neophytus à Presbytero cum Chrismate ungitur in vertice; (quæ unctio, uti suprà ex Menardo notatu est, olim non fiebat) his verbis: *Deus Omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum ipse te lineat* CHRISMATE *salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam.*

XLVII. Post Confirmationis Sacramentum Neophytis collatum, etiam Eucharistiæ participes efficiebantur. Quē ritum evidenter expressit S. Ambros. libro *De Initiandis c. 8.* & aliorum veterum testimoniis asserit Hugo Menar. loco cit. *pag.* 106. ostenditq, non tantum adultis, sed & *infantibus* recens baptizatis sacram Eucharistiam datam fuisse; quod & Aug. pluribus locis expressit; quamvis crediderit,

zed by Google

diderit, Eucharistiæ sumptionem *infantibus* necessarium esse ad salutem, ut rectè probat Card. Bona *lib. 2. Rerum liturgic. c. 12.*

XLVIII. Datum quoque fuit Neophytis *lac & mel* cujus ritus non obscurè meminit Tertullianus *De Corona militis, c. 3.* ibi referens quid in Baptismate ageretur ait: *Dehinc ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quam Dominus in Evangelio determinavit. Inde* [ex aqua] *suscepti* LACTIS & MELLIS *concordiam prægustamus.* Ejusdem ritus meminit quoque *lib. 1. contra Marcionem*, dicens quod per LACTIS & MELLIS *societatem* Christus *suos infantes lactet*.

Hinc illud Canonis 40. in Codice Ecclesiæ Africanæ:" Primitiæ verò, seu *lac & mel*, quod uno die solemnissimo „ in *infantium mysteriis* solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionē „ ut à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur.

XLIX. Hæc verba ad *mysterium infantium*, non significant, *lac & mel* solis *infantibus* & non adultis recenter baptizatis datum fuisse; sed quod daretur Neophytis ad indicandū mysterium *infantiæ*; hoc est, ut per hoc indicaretur recenter baptizatis, quod per baptisma omni malitia & dolo depositis, debeant semper infantium simplicitatē conservare, juxta illud S. Petri ad Neophytos: *Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite.*

L. In antiquo Ordine Romano extat specialis benedictio *lactis & mellis*, his verbis:" Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pote famulos tuos *fonte* perenni, „ qui est spiritus veritatis, & *enutri* eos de hoc lacte & melle." Deinde subjungit:" Tu enim Domine promisisti Patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob dicens: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac „ & mel." Quibus verbis indicatur alia ratio mystica, nimirum quod baptizati relicto Ægypto, id est, gentilitate ingrediantur in Ecclesiam, terram fluentem lacte & melle; id est, omnibus deliciis spiritualibus.

Tandem subjicitur oratio quæ indicat, *lac & mel* fuisse in unum commixta." Conjunge Domine famulos tuos „ spiritu charitatis & pacis, sicut *conjunctum* est hoc lac & „ mel, in Christo Iesu Domino nostro.

LI Propter recens baptizatos Ecclesia in festis Paschalibus ingentis lætitiæ signa jam pridem exhibuit; ut propterea objicienti cuidam:" ipsum Dominum *post lavacrū* „ statim tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus „ jejuniis functum": Ergo & nos, *à lavacro* potius jejunare oportet: responderit Tertullianus *lib. de Baptismo c. 20* Et quis enim prohibet, nisi *necessitas gaudii* & gratulatio salutis. Et auctor Sermonis 163. de tempore inter sermones Augustini; nunc 168. in appendice ad tomum 5. operum Augustini, ait: Hic igitur dies est, Dilectissimi, quem „ fecit Dominus, ut audistis celsior cunctis, lucidior universis, in quo sibi *novam* plebem, ut ipsi videtis, *regenerationis* spiritu conquisivit, in quo singulorū mentes *gaudio & exultatione* perfudit.

Neque lætitiæ signa in Officio Divino tempore Paschali alio tendere, quam ad demonstrandum gaudium de nova generationis prole, jam pridem expressit Rubertus Abbas *lib. 7. De Divinis Officiis* 11, ubi ait:" Quia nox illa sacratissima in qua jam, ut dictum est, prima resurrectione resurgunt, qui baptizantur, novi Ecclesiæ filii, protinus „ tamquam de salicibus direpta nostra certatim organa „ persultant *alleluja* sicut & reliquum hujus diei officium, „ maximè *baptizatorum* est *exultatio*, eo quod prima, ut „ dictum est, resurrectione jam consurrexerunt cum Christo.

Pluribus hæc prosequitur Iosephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *lib. 5. c. 48.* ostenditque in signum majoris gaudii ac lætitiæ spiritualis, septem dies Paschales *Festos* olim fuisse; uti & Pentecostales; atque exinde apud nos etiamnum hodie *Octavas* superesse.

CAPUT IV.

De Patrinis & obstetricibus.

1. *Catechistæ Catechumenorum olim dicti* Sponsores.
2. *Interdum etiam* Susceptores *dicti*.
3. *Quando alius in baptismo, alius in Catechismo* Susceptor *adhibitus fuerit, incertum.*
4. *Primitus soli viri in Baptismo virorum, & solæ mulieres in Baptismo mulierum adhibebantur: & quare?*
5. *Quando, & quare hæc disciplina mutata?*
6. *Susceptorum officium olim fuit Neophytis ad Baptismū præsentare.*
7. *Hi ipsos baptizatos egredientes è fonte Baptismatis suscipiebant: & quid huic ritui hodie respondeat?*
8. *Qui curam Neophytorum ante Baptismum habuerāt, eam post baptismum continuare debebant,*
9. *Hodie Patrinorum officium circa curam baptizatorum ferè unicè versatur.*
10. *Monitum Concilii Coloniensis de hac obligatione, eamque omnes Synodi Belgicæ inculcant.*
11. *Pastores attendere debent quos in Patrinos admittant.*
12. *Qui ab hoc munere repellendi?*
13. *Eligendi potius, qui animæ prolium, quàm qui inopiæ consulere possunt,*
14. *Patrini non defunguntur suo munere dando munusculum.*
15. *Quid circa muneris dationem Edictis Caroli V. hic in Belgio decretum fuerit,*
16. *Parochi aliique Ecclesiastici & Monachi non facile officium Patrini assumere debent & quare.*
17. *Parentes olim suas proles offerebant ad Baptismum.*
18. *Quomodo, & quare id fuerit vetitum;*
19. *Epistola supposititia Papæ* Deusdedit *mutatæ disciplinæ occasionem forsan dedit.*
20. *Obstetricis ad procurandum Infantibus Baptismum concurrunt & quid de his decreverit Synodus Mechliniensis.*
21. *Obstetrices non admittendæ nisi à Pastore loci examinatæ & instructæ.*
22. *Synodorum Decreta confirmarunt Principes; voluntque in earū admissione interveniat Magistratus loci.*
23. *Obstetrices quam curam adhibere debeant circa proles ex illegitimo concubitu, earumque matres.*
24. *Obstetrices instruendæ circa formam & materiā Baptismi*
25. *Quid agendum, si mulier gravida antequam pariat moriatur ut proli Baptismus conferri queat.*

I. EX dictis capite præcedenti intelligi potest, olim nonnullos fuisse instructioni & directioni catechumenorum specialiter intendentes; qui ipsos Catechumenos, cum tempus Baptismi instaret, ad Episcopum adducerent, sive præsentarent, à Tertulliano de *Baptismo c. 18. Sponsores*, & ab aliis frequenter *Fidejussores*, aut etiam *Fidei dictores*, tamquam qui de fide ac sufficiente instructione Catechumenorum *fidem darent* vel *spponderent*, vel subinde *Offerentes* dictos, eo quod Catechumenos ad Baptismū *offerrent*.

II. Nonnumquam & *Susceptores* appellabantur, eò quòd Catechumenos ex aquis Baptismalibus exeuntes *susciperent* abluerent, & vestirent. Hinc illud S. Basilii ad Posthumianum *Epist. 118.*" Primo Baptismate initiatus es „ ad pietatem manum te è sacro *fonte levassem*.

Et in antiquo Ordine Romano post datum Baptismum jungitur:" Et sint parati qui eos *susceperint* cum linteis „ in manibus eorum, & accipiant ipsos à Pontifice & Presbyteris vel Diaconibus qui eos baptizant.

III. Gratianus sub nomine Higini Papæ *Dist. 4. De Consecrat. Can. 100.* refert" In *Catechismo & in Baptismo &* „ in Confirmatione unus *Patrinus* fieri potest, si necessitas „ cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

Si Decretum hoc Higino Papæ, qui sedit sæcul. 2, adscribi posset, exinde haberemus, etiam antiquitus in Baptismo & in *Catechismo* diversos fuisse Patrinos, seu susceptores. At cum omnibus vel parum eruditis hodie compertum sit, Decretum illud Higino Papæ adscribi non posse, nihil pro hujus disciplinæ antiquitate ex illo elici potest. Sed nec apud pristinos Scriptores, aut in antiquis Canonibus quidquam occurrit, quod vel insinuet antiquitus solitum fuisse, alium in Baptismo, alium in Catechismo Patrinum adhiberi.

Quin tamen interdum contingeret, ut alius instructioni Catechumini præesset, eumque ad Baptismum offerret; ac alius tempore Baptismi accederet, qui eum de aquis Baptismatis emergentem susciperet vel levaret; & curam illius post Baptismum susciperet, dubitari nequit: sed nulla de eo specialis lex aut disciplina apud antiquos occurrit.

IV. Cumque frequens esset adultorum Baptismus; ac toti penè *nudi* immergerentur aquis Baptismatis, etiam plerique viri viros, & mulieres feminas de Baptismo suscipiebant; ut colligitur ex antiquo auctore Constitutionū Apostolicarum *lib. 3. c. 16.* ubi ait: "Deinde aut tu Episcope *Presbyter* tuus qui sub potestate tua est facta super „eos nominatim sacra invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizabis. Ac *virum* quidē suscipiat *Diaconus mulierem* verò *Diaconissa*, ut *honestè* & à quibus „decet fiat signum infractum.

Quin & olim mulieres electas fuisse, quæ etiam mulierum baptizandarū instructioni, ac Catechismo præessent; omniaque peragerent circa Neophytas mulieres, quæ Diaconi circa Neophytos viros, multis ostendit Morinus de SS. Ordinat *parte 3. Exercit.* 10. c. 5.

V. Postquam verò Baptismus adultorum rarior, & parvulorum frequentior esse cæpit, ipseque Baptismus per infusionem aut immersionem alicujus dumtaxat partis corporis conferre, etiam mulieres in matrinas masculorum, & viri in Patrinos puellarum admissi sunt.

VI. Horum susceptorum munus sive officium multa olim complectebatur.

Primum, uti ex Patribus notissimum est, & observat Iosephus Vicecomes De antiquis Baptismi ritibus *lib. 2. c. 31.* horum munus erat, Neophytos ante Baptismum fidei mysteriis imbuere? vitaq; Christianæ normam docere; atq sufficienter instructos Episcopo ad Baptismū offerre.

Hinc forsan hodiernus ritus in administratione Baptismi habet, ut juxta præscriptum Ritualis Mechliniensis Presbyter baptizaturus interroget Patrinos, *Quid petitis*? quo non obscurè innui videtur, *Patrinorum* esse, baptizandos ad Baptismum offerre.

VII. Posthæc, ut jam dictum est, hi ipsos baptizatos è fonte Baptismatis egredientes suscipiebant, & complectebantur; vesteque candida operiebant; & propterea *Susceptores* dicebantur.

Hujus ritus vestigium in hodiernis Ritualibus apparet, ubi præcipitur, ut tempore quo infans baptizatur, Sacerdos *jubeat Patrinum vel Matrinam vel utrumque (si ambo admittantur infantem suscipere)* APPONERE MANUM *baptizando*: quasi nimirum hoc pacto ipsum infantem de fonte susciperent & levarent.

Imò hac sola manuum impositione verum Patrinum effici; ac contrahi cognationem spiritualem inde resultantem communiter creditur? qua de re latiùs infra ubi de impedimento Matrimonii ex hac cognitione spirituali resultante agetur.

VIII. Qui verò ipsos baptizandos ante Baptismum instruxerant, & tamquam sat instructos & ritè dispositos Episcopis baptizandos obtulerant; seque quasi *Vades* pro rectà illorum fide, & vitæ Christianæ desiderio constituerāt, illos non mox à suscepto Baptismo deserebant, sed in suam curam recipiebant; ut hoc pacto sponsionem suam liberarent; quod vel præcipuè cum infantes baptizarentur exigebatur.

Sæculo 9. Concilium Parisiense VI. *lib.* 1. *c.* 19. eandē obligationem in Patrinis & Parentibus naturalibus agnoscit: "Ut parentes, ait, filios suos, & *patrini* eos quos de „fonte lavacri suscipiūt, erudire summopere studeant; „illos, quia eos genuerūt, & eis à Domino dati sunt; & istos, quia pro eis *fidejussores* existunt.

IX. Cum verò hodie infantum Baptismus hic frequens sit; imò ferè solus administretur, etiam officium Susceptorum seu Patrinorum potissimum in eo versatur, ut baptizatis infantibus, cum ad ætatem legitimam & usum rationis pervenerint, curam omnem impendant; ut in fide Catholica ritè instruantur; & innocentiam Baptismalem integram conservent.

X. "Susceptores infantis (Patrini qui dicuntur) meritò „admonentur (ait Synodus Coloniensis anno 1536. *p.* 7. „*c.* 4.) quod ipsi sint qui Ecclesiæ *nomine*, & in Ecclesiæ „fide Christi parvulos *offerant* per Baptismum, ac se propemodum pro parvulis *fidejussores* constituant, nomine „parvuli respondentes: quem etiam postquam adoleverit, Symbolum simul & Orationem Dominicam edocere, atque vitam Christo ac professione in Baptismo facta „dignam perpetuò agere, saltem ubi id necessitas poscere „videbitur, cohortari non omittent.

Similiter Synodus Buscoducensis sub Masio *t.* 3. *c.* 6. vult, ut "moneant Pastores, ut quicumq; viri, quæcumq; „fœminæ proles de sacro fonte spiritualiter susceperint, „cognoscant se fidejussores pro iis apud Deū extitisse, & ideo super eos sollicitudinem veræ charitatis impendant, „& admoneant, ut castitatem custodiant virginitatem usq; „ad nuptias servent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore nō „proferant, non superbiant non invideant, à maledicto „& perjurio linguam custodiant, &c. quæ fusè persequitur „August. *Serm. De Resurrect.* ad quem Pastores remittimus.

Sermo, ad quem hæc Synodus remittit, aliquando inter Sermones S. Augustini relatus fuit; sed in ultima Operum Augustini revisione tanquam suppositius in appendicem tomi quinti rejectus est; constituitq; ibid. Serm. 168 notantque eruditi Revisores, partem posteriorem. in qua citata verba continentur, Cæsarii Arelatensis stylum referre.

Quidquid sit, hanc Patrinorum obligationem omnes passim Synodi Belgicæ inculcant; Patrinosque de illa à Pastoribus seriò monendos volunt.

XI. "Quia autem Susceptores sponsores sunt pro iis qui „baptizantur, fidei ac vitæ Christianæ quam illi debent, ac „proinde ut rectè instruantur, paternam in se curam recipiant, videant Pastores (verba sunt Synodi Audomarensis an: 1583. *tit.* 3. *c.* 6.) quibus tenellas Christi oviculas „credant: caveantq; ne quosvis ad hoc officii admittant, & parentes moneant, ne quosvis promiscue eligant? veram eos tantummodo; de quibus probabile fiat fore ut præstent „id quod promittunt Alienum enim est, recens in Christo „renatis oviculis ejusmodi in Christo parentes aut dare aut „admittere, de quorum paterna sollicitudine spes verisimilis non concipiatur.

XII. Deinde tamquam consequens infert: "Rejiciantur „proinde ab hoc munere quicumque hæretici, quicumq; „excommunicati, quicumq; notoriè criminosi, & scandalosè viventes; rursus ii qui ipsimet nesciant ea, quæ docere oporteat neophytum, & qui per ætatem aut mentis inopiam ipsi notitiam non habent fidejussionis ejus ad quā „se offerunt, denique alii quicumque à quibus fidei liberationē, exonerationemq; vero similiter non exspectant.

Idem inculcat Synodus Mechliniensis anno 1609. & addit: *Eademque cautio sit de Commatribus*; cui & aliæ Synodi passim conveniunt.

XIII. Monet autem citata Synodus Buscoducensis *c.* 7. „Fideles in Baptismo filiorū suorum eos potius Patrinos „& Matrinas eligant, qui eorum *animæ* consulere, quàm „qui *inopiæ* subvenire possint.

XIV. Et quia" persuadent sibi quidam (ait citata Synodus Audomarensis *c.* 7.) sponsioni suæ se fecisse satis, si „munus aliquod post Baptismum offerāt baptizati parentibus, quod quasi ad educationem institutionemque pro-

„lis

„ lis serviat: ideirco consultum foret abrogare prorsus il„ lam munerum offerendorum consuetudinem, quemad„ modum Edicto Cæsareo aliquando cautum fuit, si tem„ porum iniquitas pateretur. Interim rectè faciant in pa„ trinos electi, si non tam *munera* offerre, quàm promi„ sorum meminisse curent, *muneribus* neutiquam redi„ mendorum: ita fiet, ut idonei patrini & quærantur & in„ veniantur.

XV. Edictum Cæsareum, cujus meminit Synodus, editum est à Carolo V. 7. Octob. 1531. ubi *art.* 12. præcipitur omnibus cujuscumque status aut conditionis, ne eligant in Patrinos suarum prolium aliquos, ut ab iis munus aliquod accipiant; imò si quid à Patrinis offeratur, vetat illud à parentibus prolis baptizatæ accipi; inhibens insuper Patrinis aliquid dare sub pœna dupli illiusquod datum est; nisi essent proles pauperum & miserabilium personarum. Habetur *lib.* 1. Edictorum Flandriæ *pag.* 751.

Verum hujus Edicti rigorem idem Carolus edito Decreto anno 1545. *art.* 3. nonnihil mitigavit, permittens dare munusculum trium florenorum non excedens. Habetur eodem libro Edictorum *pag.* 782.

Et licet nec hoc Edictum hodie observetur, interim ex his omnibus apparet sollicitos fuisse & Ecclesiæ & Reipublicæ Magistratus, ut Parentes in electione Patrinorum potius attenderent, qui spiritualiter, quàm qui temporaliter prolibus prodesse possent: nec in electione Patrinorum spe munerum excæcarentur.

Addit nihilominus prædicta Synodus:" Porro prohi„ bere id nolumus, quin subveniant tenuioris fortunæ pu„ erperis Patrini ii quibus res lautior est, quinimo modis „ omnibus id probamus & desideramus.

XVI. Instructio seu Decreta pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis per Episcopum Vigiliarum & Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. evulgata inter alios ab officio Patrini excludendos recenset eos, de quibus constat, vel est verisimile quod hoc officiū *passim* præstare nequeunt ut qui ait, curæ Pastoralis, vel alia vitæ professione prohibentur, cujusmodi sunt" Pasto„ res, & omnes utriusque sexûs Religiosi, ut in Religiosis „ disponit Capitulum IN BAPTISMATE *De Consecra„ tione Dist.* 4. quæ ratio militat etiam in aliis Ecclesiasti„ cis, ut prudenter consideravit Synodus mediolanensis II. „ *Decreto* 17. Hoc idem docet Catechismus Romanus; „ nam quantò minùs istis involvuntur curis pastores, tan„ tò melius cum illis agitur.

Canon, cujus authoritate utitur hoc statutum, est 103. apud Gratianum *De Consecrat. dist.* 4. qui incipit: *Non licet*; estque Canon 25. Synodi Antissiodorensis habitæ anno 578.

Declarat Synodus Gandensis *t.* 3. *c.* 8. innovata in Decretis evulgatis per Episcopum Triest, sub Monachis etiam comprehendi *Monasteriorum Præfectos*, ut *per se*, ita quoque *per procuratorē*, infantem è sacro fonte suscipere prohibeantur.

De Parochis verò hæc habet:" Et ne parochi aliique cu„ ram animarum gerentes, onus hujusmodi suscipiant, „ peroptamus; & nisi rogati ex causa gravi id præstare de„ beant, quatenus opus est inhibemus.

XVII. Parentes olim proles suas præcipuè parvulas ad Baptismum obtulisse evidens est ex S. Augustino, Epist. 98. ad Bonifacium Episcopum, ubi ita scribit *n.* 6." Illud au„ tem nolo te fallat, ut existimes reatus vinculum ex Adā „ tractum, aliter non posse disrumpi, nisi parvuli ad per„ cipiendam Christi gratiam *à Parentibus* offerantur. Si e„ nim scribens dicis, ut sicut parentes fuerunt auctores ad „ eorū pœnam, per *fidem* parentum identidē justificentur: „ cum videas multos non offerri à parentibus, sed etiamā „ quibuslibet extraneis, sicut à Dominis servuli aliquando „ offeruntur.

Evidenter hîc supponitur, ordinariè parentes filios suos solitos fuisse offerre ad Baptismum? aliàs inepta fuisse Bonifacii hæsitatio: & non satis congrua Augustini responsio.

Idipsum clarioribus verbis expressit S. Cæsareus Arelatensis Episcopus sæculo 6. *Homilia* 12. inter editas à Stephano Baluzio, ubi post expressam professionem fidei & renuntiationem diaboli in Baptismo fieri consuetam subjicit:" Quod quia infantes *per se* minimè profiteri possunt „ *parentes ipsorum* pro eis *fidejussores* existunt.

XVIII. Pluribus id probat Iosephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *lib.* 1. *c.* 33. hoc una observās, quod nunc consuetudo illa *penitus* abrogata sit.

"Causam, cur id factum fuerit, ait Iosephus, apud Patres „ non reperio, si conjecturis utendum; existimo fuisse, vel „ ut admonerentur Fideles eam *spiritualem* educationem „ à *carnali* longè distare, vel ut Mysteriorum fidei Chri„ stianæ peritioribus illa provincia demandaretur: cum pa„ rentes in maxima rerum divinarum ignoratione versari „ sæpe contingat.

Verisimilius crediderim, parentibus officium Patrini in Baptismo proprii filii fuisse interdictum, postquam cognatio spiritualis, atque ex ea resultans impedimentum Matrimonii inter Patrinum & baptizati matrem inductum fuit; cujus cognationis & impedimenti apud pristinos Auctores mentio nulla occurrit.

XIX. Meminit quidem illius impedimenti epistola quæ sub nomine *Deusdedit* Papæ, qui sedit sub initium sæculi 7. extatque apud Gratianum *Caus.* 30. *q.* 1. *Can.* 1. sed eam epistolam falsam, ac illi Pontifici suppositam eruditis omnibus compertū est; & monet Labbeus in nota marginali ad hanc epistolam tomo 5. Conciliorum *Col.* 1648. Hæc tamen supposititia Epistola non obscurè indicat hujus impedimenti saltem aliquod initium tunc fuisse unde & post sæculū 7. videmus in Conciliis hujus impedimenti mentionem fieri; ac nominatim in Concilio Moguntino anno 813. statuitur:" Nullus *proprium filium* aut *filiam* de fon„ te Baptismatis suscipiat; nec *Commatrem* ducat uxorem, „ filiolam, nec illam, cujus filium, vel filiam ad Confirma„ tionem duxerit: ubi autem factum fuerit, separentur." „ *Can.* 55. Sed de his latiùs infrà ubi de impedimentis Matrimonii agetur.

XX. Cùm obstetrices non parum concurrant ad Baptismi administrationem infantibus procurandum, non importunum fuerit etiam de illis hîc agere, de quibus ea de causa etiam Synodi tractare solent. Et quidem Synodus Provincialis secunda Mechl. *c.* 7." Requirit omnes Magi„ stratus singulorum locorum, nequam ad obstetricandū „ parturientibus admittant, nisi prius à Curato loci ubi ob„ stetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ fidei „ habeat, professionemque fidei coram Archipresbytero „ suo faciat, nec non materiam formamque Baptismi te„ stimonio ejusdem Curati probè calleat, & ultra consue„ tum juramentum, juret etiam, quòd infantes à se suspi„ ciendos quamtotius, vel saltem intra tres dies, baptizare „ curabit; aut si obsistentibus parentibus vel amicis id ef„ ficere non possit, mox Pastori loci eos denuntiet.

XXI. Similiter Synodus Provincialis Cameracensis secunda *t.* 6. *c.* 11." mandat, ut nullæ mulieres deinceps ad „ hujus officii exercitium admittantur, nisi prius per Pa„ storem loci examinatæ, & si opus sit instructæ fuerint. „ Rogentur autem Magistratus, ut inter cætera ab eisdem „ obstetricibus juramentum exigant, quòd pueros bapti„ zandos, ante diem tertium omninò Parochis denuntia„ bunt.

XXII. Decreta utriusque Synodi Provincialis illarum Provinciarum Synodi Diœcesanæ recipiunt & renovant; insuper & ipsi Principes Belgii Synodorum Decreta suis respectivè edictis pro confirmatione Synodorum Provincialium Cameracensis & Mechliniensis editis, probaverunt additque prætered Edictum Principis ad Synodum Mechliniens. *art.* 8." Eas ab Officiali & Magistratu loci „ debere admitti ad id muneris; qui tamen nullas ad„ mittant, nisi prævie bene sint instructi de earum capaci„ tate & religione, idque per attestationem scriptam Pa„ storis, in cujus Parochia morantur.

XXIII. Si aliquando contingat prolem illegitimam adferri ad ædes patris nolentes eam pro sua agnoscere," talis „ pro

„proles, inquiunt Decreta Gandensia sub Antonio Triest. „1650. c. 11. nullo pacto ibidem deposita relinquetur, nisi „deferens eam curaverit baptizari. Quare Pastores frequenter moneant obstetrices aut alias mulieres quæ parturientibus vel ex charitate vel lucri causa assistunt, ut „huic nostro Decreto sese conforment, ac insuper ne officio suo fungi & puerperas adjuvare differant causa eliciendi nomen patris, quando ex illicito concubitu conceperunt.

XXIV. Et quia experientia docet, obstetrices aliasque mulieres interdum parvulos in necessitate baptizantes errare in forma & ritu, & fortè in materia Baptismi, mandat idem vigilantissimus Præsul [quod merito ubique observetur] in prædictis Decretis c. 12. Parochus," ut sæpius „pro concione & in catechismo singula ad baptizandum „requisita, clarè & distinctè explicent, ita ut facilè omnes „intelligant, aquæ naturalis perfusione super parte nuda „& vivente principali, simul formæ pronuntiatione à „Christo Domino institutæ, hujusmodi Sacramentum à „baptizante & formam ita pronuntiante conferri.

XXV. Præterea, cum summum discrimen sine Baptismo discedendi immineat proli, si mulier gravida priusquã pariat moriatur, monuit jam pridem Synodus Coloniensis 1280. cap. 4. " Ut si certum sit quòd mulier prægnans „moriatur, teneatur os ejus apertum: & cum magna cautela uterus ejus aperiatur: & si infans vivus fuerit, educatur & baptizetur. "Hoc ipsum iisdem verbis reperitur inter antiqua Decreta Diœcesis Cameracensis renovata in Synodo Cameracensi anno 1550.

Porrò cùm non rarò contingat, nullum in Parochia reperiri, aut saltem hic & nunc haberi posse, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum, & exscindendi infantem habeat, oportet ut ipsimet Pastores, præcipuè rurales hujus rei aliquam notitiam à perito aliquo Medico accipiant, qua subinde, cogente necessitate, uti possint.

CAPUT V.

De Purificatione post partum.

1. *Lex Mosaica quid præscripserit mulieribus parturientibus?*
2. *Diva Virgo huic legi se ex humilitate subjecit; atque hinc Festum* Purificationis.
3. *Solebant mulieres honorare* puerperium *Divæ Virginis; quod inhibuit Synodus* VI.
4. *Quid agerent Fideles?*
5. *Quare id inhibuerit Synodus: & quid* puerperium *ad mentem Synodi?*
6. *Mulieres Novi Testamenti legi purificationis non subjectæ, & quare?*
7. *Pium tamen est, ut mulieres à partu aliquo tempore ab ingressu Ecclesiæ abstineant; & hodie mulieres Catholicæ aliquo tempore abstinent; & nonnisi pu*rificatæ *intrant.*
8. *Purificatio fieri debet in Ecclesia Parochiali; & à proprio Parocho.*
9. *Sententia Sacræ Congregationis Cardinalium super hoc jure Parochorum.*
10. *Sententia hæc de mandato Episcopi Antverpiensis publicata, cum inhibitione facta Regularibus mulieres purificandi.*
11. *Decretum Synodi Cameracensis huic sententiæ conforme.*
12. *Quo ritu mulieres in templum introducantur?*
13. *Ex ritibus patet purificationem fieri ad exemplum Divæ Virginis.*
14. *Mulieres solent Sacerdoti nummum offerre: & quare?*
15. *Mulieres nunquam possunt extra Ecclesiam aut per substitutas purificari.*

I. Uxta legem Mosaicam, de qua *cap. 12. Levitici*: "Mulier, si suscepto semine pepererit masculum, „immunda erit septem diebus, juxta dies separationis „menstruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipsa „verò triginta trib. dieb. manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget, nec ingredietur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ. Sin autem fæminam pepererit, immunda erit „duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & „sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis „suæ. Cùmque expleti fuerint dies purificationis suæ, „pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonii, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic „mundabitur à profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculum aut fœminam. Quòd si non invenerit manus ejus, nec potuerit offerre agnum, sumet duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

Mulier interea ingredi sanctuarium seu templum non poterat, donec implerentur dies purificationis.

II. Diva Virgo, etsi huic legi non subjecta, quia *non suscepto semine* pepererat; nihilominus voluntariè & ex humilitate se subjicere voluit; eamque legem subivit: uti legitur *Lucæ 2.* Atque hinc originem sumpsit festum Purificationis B. Mariæ Virginis; quod circa tempora Justiniani Imperatoris institutum fuisse notat Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 2. Februarii.

III. Occasione hujus festi consuetudo ex quadam plebeia ignorantia invaluerat sæculo 7. ut hoc die homines *placentas* sive *similam* coquerent, ac sibi mutuò mitterent, *honoris scilicet prætextu* PUERPERII *impollutæ Virginis Matris*, ait *Canon. 79.* Synodi VI. sive Trullanæ, adjungens: *Statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à Fidelibus.*

IV. Exponens hunc Canonem Zonaras ait: "Nonnulli, se in eo semper Virginis ac Dei Matris honori aliquid „deferre existimantes, die qui sanctam Christi Natalis „Festivitatem proximè consequitur, quædam facere soliti sunt, ex eis quæ in *aliarum* quoque mulierum *puerperio* agi consuevere.

Mulieres autem consueverant propter periculi & doloris evasi gaudium, convivia cum ferculis & placentis facere.

V. Hoc ergo cum etiam in honorem Virginis agerent; atque ita indicarent. Divam Virginem adinstar aliarum mulierum *puerperio* fuisse obnoxiam, Patres Synodi sextæ id præsenti Canone fieri prohibent: " Absque „*puerperio* editum ex Virgine Divinum Partum esse confitentes, ut qui sine se mine constitutus sit: idque toti „gregi annuntiantes, eos qui ex ignorantia faciunt quod „non decet, correctioni subjicimus.

„Puerperium [de quo in præsenti Canone] est [ait „Zonaras] emissio fœtus, quam dolores sensus ac pro„fluvium sanguinis comitantur: quibus quidem malis „nullatenus obnoxiam fuisse Deiparam credimus.

VI. Porrò sicut Deipara ob rationem jam dictam legi purificationis subjecta non fuit; similiter mulieres novi Testamenti, tametsi *puerperio* omnibusque quæ illud consequuntur, non secus ac mulieres veteris Testamenti subjectæ, hac lege cæremoniali non constringuntur: quia, ut ait Innocentius III. *in Cap. unico* *De Purificatione post partum.* " Licet secundum legem Mosaicam certi dies determinati fuissent, quibus mulier post partum à templi „cessaret ingressu, lex per Moysen data est, gratia & veritas per JESUM CHRISTUM facta est.

Hinc ulterius infert & respondet Archiepiscopo Armachano," quod postquam umbra legis evanuit & illuxit veritas Evangelii: si mulieres post prolem emissam actures „gratias Ecclesiam intrare voluerint, *nulla* proinde peccati *mole* gravantur, nec Ecclesiarum est eis aditus *denegandus*, ne pœna illis converti videatur in culpam.

Et sub nomine S. Gregorii refertur *Can. 2. dist. 5.* "Si „mulier

Digitized by Google

„ mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat „ Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur.

VII. Addit nihilominus Innocentius III. in citata decretali: "Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu „ abstinere, devotionem earum non credimus impro„ bandam.

Unde & hodie mulieres sive ex quadam erga Ecclesiam ac Divina mysteria, quæ in ipsa peraguntur, veneratione, sive exemplo Divæ Virginis, quæ ex humilitate legi se subdidit, cui non erat subjecta, etiam consueverunt ad tempus aliquod ab ingressu Ecclesiæ abstinere; nec in eam intrare, nisi se Sacerdoti præsentaverint, & ipse precibus aliquibus præmissis introduxerit, juxta ritum præscriptum in modernis Ritualibus sub titulo: *Ordo introducendi mulierem in Ecclesiam post partum.*

VIII. In Synodo P. II. Mechliniensi *tit. 3. c. 8.* dicitur: "Puerperæ, cum à puerperio domum exeuntes se ad Ec„ clesiam contulerint, à *proprio* Parocho juxta probatissi„ mam Ecclesiæ consuetudinem purificentur.

Hæc Synodus patenter supponit, ritum hunc purificationis in Ecclesia Parochiali, atque à proprio Parocho esse celebrandum; quod & generalis Belgii consuetudo confirmat; atque Sacra Congregatio Cardinalium nuper probavit.

IX. Cum enim in civitate Antverpiensi nonnulli Regulares in suis Ecclesiis mulieres ad purificationem post partum admitterent; ac ea de re Pastores civitatis illius ad Sacram Congregationem querelas detulissent, prodiit sententia hujus tenoris.

"Conquerebantur Parochi civitatis Antverpiensis quod „ non obstante contraria consuetudine, nec non Constitu„ tione Synodi Provincialis, per Sacram Congregationẽ „ recognitæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, Regu„ lares Mendicantes functionibus Pastoralibus se immis„ ceant & præsertim audeant in suis Ecclesiis mulieres post „ partum ad purificationem admittere: addebantque, à „ Domino Episcopo Antverpiensi, utpote Regulari, hu„ jusmodi præjudiciis per Regulares, illatis minimè con„ suli. Quare ab Apostolicæ Sedis auctoritate subsidium, „ ac tutelam suppliciter petentes; quærebant: An prædictis „ Regularibus civitatis Antverpiensis liceat in propriis Ec„ clesiis mulieres post partum ad purificationẽ admittere.

"Die XVIII. Novembris M.DC.LXII. Sacra Congre„ gatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium, Concilii „ Tridentini Interpretum, utraque parte audita censuit, „ prædictis Regularibus civitatis Antverpiæ non licere. „ *Signatum* I. Episcopus Sabinensis Card. Sacchetti Præ„ ses, & C. de Vecchiis Ep. Clus. S. R. C. Secret. *& à latere* „ *impressum erat sigillum præfati Cardinalis Præsidis in* „ *rubro pane.*

X. Hæc sententia ex mandato Episcopi Antverpiensis publicata fuit, ac per publicum programma locis consuetis affixa 20. Novembris 1663. per Petrum Van den Perre tunc Episcopi Officialem; unà vigore authoritatis sibi commissæ," inhibens præfatis *Regularibus*, ne deinceps a„ liquas mulieres post partum *ad purificationem* admittãt: „ mulieribus autem puerperis injungens, ut juxta sententi„ am præmissam ad Ecclesias *suas* respectivè *Parochiales* „ pro *purificatione* se conferant, ut ibidem, juxta probatis„ simam Ecclesiæ consuetudinem *à proprio Parocho* bene„ dicantur.

XI. Quod hîc à *Sacra Congregatione* declaratum fuit, etiam in Synodo II. Cameracensi *tit. 6. cap. 13* decretum fuerat his verbis." Prima vice qua mulieres à puerperio „ domum exeunt, juxta antiquam Ecclesiæ consuetudinẽ „ ad Ecclesiam rectà se conferant, gratias acturæ Deo pro „ beneficio puerperii, & ut à *proprio Pastore*, seu ejus vicem „ gerente, *& non ab alio* purificentur.

XII. Sicut autem in festo purificationis Dei paræ solent Fideles cereos accensos in manibus portare, ita quoque mulier purificationem faciens, candelam accensam in manibus habet.

Sacerdos introducturus mulierem porrigit stolam ex collo dependentem manui mulieris, dicitque: *Ingredere in templum Dei, & adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.*

XIII. Ex hac formula, uti & ex precibus à Presbytero recitandis haud obscurum, hanc mulierum purificationẽ ad exemplum purificationis Divæ Virginis institutam: unde Pastorale Mechliniense etiam monet, quòd si Missa celebretur, *aptissimè huic laudis officio congruet Missa de Purificatione B. Mariæ, quæ incipit,* SVSCEPIMVS.

XIV. Omnibus ceremoniis ac precibus absolutis, Sacerdos præbet mulieri osculandam Crucem libri Sacramentalis, dicendo: *Dominus det tibi suam pacem*; respondet Minister; *Et vitam æternam.*

Inter osculandum solet mulier nummum aliquem ipsi libro per modum oblationis imponere, qui in usum Sacerdotis & Ministri, pro locorum consuetudine, cedere consuevit.

Hac oblatione imitari voluêre piæ mulieres Christi parentes, de quibus legitur: *Et postquã impleti sunt dies purgationis ejus, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; & ut darent* HOSTIAM *secundũ quod dictum est in lege Domini, par turturũ, aut duos pullos columbarũ.* Lucæ 2. ꝟ. 22.

Circa has oblationes meritò expendent & observabunt Parochi aliique Sacerdotes ea, quæ circa oblationes in administratione Sacramentorum fieri consuetas observanda notavimus.

XV. Pastorale Mechliniense deinde monet:" Si conti„ gerit mulierem adversa valetudine, certo tempore à pu„ rificatione impediri, differatur purificatio, donec utcum„ que restituta, in Ecclesiam ingredi possit, etiamsi mortis „ immineat periculum, quia purificatio extra Ecclesiam „ facienda non est, neque substituenda alia mulier purifi„ canda in locum defunctæ puerperæ.

Additamenta ad Tit. 2. cap. 5. num. 9.

Decretum S. Congregationis pro jure Parochorum in purificatione mulierum.

Petrus van der Perre, Iurium Licentiatus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; & officialis Antverpiensis, uti Commissarius & Executor ad infrascripta à perillustri & Reverendissimo Domino Episcopo Antverpiensi, commissus, ac specialiter deputatus, omnibus & singulis hujus Diœcesis subditis, quos infrascriptum tangetnegotium, salutem in Domino.

Cognitum sit universis: quod ex parte RR. DD. Plebanorum præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, & Pastorum Ecclesiarum sub alternarum hujus urbis nobis exhibitus sit libellus supplex, quo petierint, quatenus juxta commissionem nobis impartitam à præfato Perillustri ac Reverendissimo Domino Episcopo die decima quinta Aprilis currentis anni 1663. publicato, ac debitæ executioni demandare dignaremur sententiam quam præfati Domini Plebani & Pastores die decima octava Novembris anni 1662. obtinuerunt à Sacra Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, contra Regulares Mendicantes hujus urbis, tenorem qui sequitur sequentem.

IN ANTVERPIENSI [Episcopatu]

Conquerebantur Parochi civitatis Antverpiensis, quod, non obstante contraria consuetudine, nec non Synodi Provincialis, per Sacram Congregationem recognitæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, Regulares Mendicantes functionibus Pastoralibus immisceant; & præsertim audeant in suis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere addebantque, à Domino Episcopo Antverpiensi, utpote Regulari, hujusmodi præjudiciis per Regulares illatis minimè

con-

consuli Quare ab Apostolicæ Sedis auctoritate subsidium & tutelam suppliciter petentes quærebant: An prædictis Regularibus civitatis Antverpiensis liceat in proprias Ecclesias mulieres post partum ad purificationem admittere.

Die XVIII, *Novembris* M. DC. LXII. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, utraque parte audita censuit, prædictis Regularibus civitatis Antverpiæ non licere.* Signatum *I Episcopus Sabinensis Card. Sacchetti Præses, & C. de Vecchiis. Ep. Clus. S. R. C. Secret.* & à latere impressum erat sigillum præfati Cardinalis Præsidis in rubro pane.

Cum autem justa petentibus non sint deneganda, & Decreta præfatæ Sacræ Congregationis [quantum in nobis est] executioni mandare volentes, præfatam sententiam in tenore ac forma præmissis publicandam duximus, & publicamus per præsentes: ac pro ulteriori ejusdem sententiæ executione, auctoritate præmissâ nobis commissâ, mandamus omnibus & singulis nostræ Diœcesis subditis, & præsertim hujus civitatis Antverpiensis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus, cujuscumq; status ac conditionis extiterint, & quorum interest, seu quomodolibet interesse poterit in futurum, ut præfatæ sententiæ, quantum ipsos concernat, sese plenariè ac totaliter conforment, nec eidem ausu temerario contraire præsumant. Præfatis autem Regularibus inhibemus ne deinceps aliquas mulieres post partum ad purificationem admittant: mulieribus quoque puerperis injungimus, ut juxta sententiam præmissam ad Ecclesias suas respectivè Parochiales pro purificatione se conferant, ut ibidem, juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem à proprio Parocho benedicantur, ac purificentur. In quorum omnium ac singulorum fidem ac robur, præsentes sigillo nostro communitas, & manu nostra signatas, per Graphiarium Curiæ nostræ expedire jussimus & fecimus: mandantes Primario Curiæ nostræ præfatæ, ut in signum veræ & realis executionis præmissorum, has nostras litteras debitis horis & locis per exemplaria debita intimet atque affigat, prout in similibus fieri consuevit. Datum Antverpiæ, anno Domini M DC. LXIII. mensis Novembris die vigesimasexta.

P. VANDER PERRE, *Offic.*

De mandato Admodum Reverendi Domini Officialis & Commissarii.

Locus † Sigilli.

P. DE HERTOGHE *Graph.*

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Qui confirmandi, & quomodo instruendi; & quo tempore confirmandi?

1. *Quæ de hoc Sacramento credenda proponat Synodus Tridentina?*
2. *Hoc Sacramentum variis nominibus olim appellatum fuit.*
3. *Olim non vocabatur* Confirmatio; *unde hoc nomen derivatum sit?*
4. *Olim recenter baptizatis dabatur Sacramentum Confirmationis.*
5. *Quomodo, & qua occasione hæc disciplina apud Latinos desierit?*
6. *Quare conveniens Ecclesia judicaverit, parvulos non mox à suscepto Baptismo confirmare?*
7. *Baptizati olim non credebantur* perfecti Christiani *ante Confirmationem.*
8. *Quæ esset illius ratio: & quare hodie dicantur* Christiani
9. *Synodi Belgicæ passim requirunt in confirmando ætatem ut minus 7. annorum.*
10. *Quomodo confirmandi instruendi & præparandi?*
11. *Populus de dignitate, vi, & effectu hujus Sacramenti à Parochis instruendus.*
12. *Pueri confirmandi testimonium Parochi adferre debent de sufficienti instructione.*
13. *Olim hoc Sacramentum conferebatur in Paschate & Pentecoste; quod & hodie fieri optavit S. Carolus.*
14. *Episcopus ægrum non Confirmatum invisere & confirmare debet.*
15. *Episcopus Parochos tempestivè monere debet, quando hoc Sacramentum conferre intendit, & quid hic observaverit S. Carolus?*

I. Synodus Tridentina *Sess.* 7. *de Confirmatione Can.* 1. ait:" Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum „otiosam ceremoniam esse, & non potius verum & pro„prium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam „catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi suæ „rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

Deinde *Can.* 2." Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui „S. eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem ali„quam tribuunt; anathema sit.

Insuper *eadem Sessione De Sacramentis in genere Can.* 9. anathema dicit in eum, qui diceret in hoc sacramento non imprimi characterem in anima, hoc est, signū quoddam spirituale, & indelebile, unde illud iterari non possit.

Hæc Ecclesiæ dogmata contra modernos & nobis vicinos Hæreticos ex patribus & pristinis Ecclesiæ Canonibus astructa videri possunt apud Theologos, qui ex professo de hac materia contra Hæreticos scribunt.

II. Illud singulariter pro intellectu Canonum notandum, hoc Sacramentum multis diversisque nominibus olim dictum fuisse.

Imprimis apud veteres frequenter vocatur simpliciter *manus impositio*; quia licet in omnibus penè ritibus Ecclesiasticis fieret *manuum impositio*; specialiter tamen huic Sacramento tribuebatur, quod in Actibus Apostolorum per *manuum impositionem* esset expressum. Hoc nomine appellabatur à S. Augustino *lib.* 8. *contra Donatistas c.* 6. Item à S. Isidoro *lib.* 2. *de Officiis Eccles. c.* 26. Amalario Fortunato *lib.* 1. *de Officiis Eccles.* 27.

Dicitur etiam nonnumquam *Supercæleste Chrisma*; ut in *Can.* 48. Laodiceno, ut dicitur." Quod oportet eos qui „illuminantur, post Baptisma inungi super cœlesti Chri„smate, & esse regni Christi participes.

III. Olim hoc Sacramentum frequentiùs *Chrismatio* à Chrismate, vel etiam *manuum impositio* dicta fuit, quàm *Confirmatio*; quo nomine apud Veteres non occurrit.

Quod indicare videtur Innocentius III. in *Cap. unico* §. 4. *de Sacra Unctione*: unà indicans unde *Confirmationis* nomen derivatum sit." Per frontis *chrismationem* ait, ma„nus impositio designatur; quæ alio nomine dicitur *Con„firmatio*: quia per eam Spiritus Sanctus ad *augmentum* „datur & *robur*.

Cui congruit instructio ab Eugenio IV. data Armenis, ubi effectum hujus Sacramenti exponens ait:" Effectus hu„jus Sacramenti est, quòd in eo datur Spiritus Sanctus ad „*robur*, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut sci„licet Christianus audacter confiteatur nomen Christi.

IV. Ut verò hic effectus Christianis non deesset, fortesque redderentur ad fidem, quam in Baptismo professi erāt, generosè ac liberè verbo & operè profitendū, olim in more positū fuit, ut baptizati mox accepto Baptismo confirmaren-

Digitized by Google

marentur; ut titulo præcedente *cap.* 3. monuimus, & clarè citatus Canon Laodicænus indicat.

Et apud Latinos Tertullianus de Baptismo *cap.* 7. ait: " Exinde egressi de *Lavacro* perungimur *benedictâ Unctio-* „ *ne* de pristina disciplina, qua ungi oleo de cornu in Sa- „ cerdotium solebant..... De hinc *manus imponitur*, per „ benedictionem advocans & invitans Spiritum sanctum.

Hujus pristinæ disciplinæ innumera sunt tum apud Veteres, tum apud Recentiores obvia testimonia; quæ recitat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag.* 144. additque, quod hac durante disciplina non ungebatur Neophytus in *vertice* à Presbytero; cum hujusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi.

Hæc disciplina, scilicet confirmandi Neophytos mox post datum Baptismum, adhuc hodie servatur in Ecclesia Græca, uti ex eorum Rituali colligitur, & probat Jacobus Goar in notis ad Rituale *pag.* 367. & propterea nec aliam Chrismatis unctionem adhibent.

V. Quando disciplina confirmandi Neophytos, sive Sacramentum Confirmationis una cum Baptismo conferendi in Ecclesia Latina desierit, incertum est.

Admodùm verisimile est, quod quamdiu frequens fuit adultorum Baptismus, etiam hæc perduraverit disciplina Nec enim dubium, quin Ecclesia semper optaverit, ut Christiani in Christi militiam ingressi, spiritualibus armis ad pugnam instruerentur; & robur spirituale ad pugnandum in hac Christiana militia per Sacramentum Confirmationis acciperent.

Hinc in moderno Rituali Romano sub titulo de Baptismo adultorum præscribitur: *Si adsit Episcopus qui id legitimè præstare possit, ab eo* NEOPHYTI *Sacramento Confirmationis initiantur.*

Dum verò Baptismus adultorum desinere cœpit; atque solus penè infantium invaluit, ipsum Confirmationis Sacramentum conjungi Baptismi dationi paulatim desiit.

VI. Visum enim fuit, satius esse Sacramentum Confirmationis differre in eam ætatem, in qua Baptizati ratione utentes majori cum fructu illud accipere possent; maximè quia parvulis usum rationis non habentibus nondum cum hoste pugnandum est: neque, si morte præveniantur, ob ejus defectum salutis dispendium incurrunt: cum jam per Baptismum regenerati à peccato originali generatione carnali contracto sint liberati.

VII. Sed dicet quis, observat & probat Vir eruditus Gabriel Albaspineus Episcopus Aurelianensis *lib.* 1. *Observ.* c. 25. quod nemo *Christiani* nomen olim sortiebatur, nemo *Perfectus* existimabatur *Christianus*, qui dono Spiritus Sancti *confirmatus* & donatus non esset.

Quod ipsum insinuat Canon 39. Eliberitanus dicens: " Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi *manum* im- „ poni, si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placu- „ it eis *manum imponi*, & fieri *Christianos*.

Hic per *manum imponi*, intelligi *Confirmari*, multis ostendit ad hunc Canonem nominatus Episcopus Aurelianensis, citans etiam Cyrillum Hierosolymitanum *Catechesi* 3. *Mystagogica*, similiter docet, per Chrismationem Neophytos primum fieri *Christianos*: " Hujus Sancti Chris- „ matis dono accepto, ait, meritò appellamini *Christiani* „ veram efficientes appellationem, in ipsa regeneratione: „ ante enim quam hæc gratia vobis donata esset, non era- „ tis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usq; pro- „ gressi estis, ut efficeremini Christiani.

VIII. Ut Verum sit, olim Neophytos seu recenter Baptizatos nequaquã fuisse dictos Fideles, aut *perfectos Christianos*, vel etiam simpliciter, *Christianos*, priusquam Cõfirmationis Sacramentum accepissent; id non propterea contigit, quod ante Confirmationem non crederentur per Baptismum verè in Christo regenerati; sed quia ante Sacramenti Confirmationis susceptionem nondum omnibus armis spiritualibus instructi videbantur, quibus Iesu Christi milites instructos ad prælium oportebat, ideoque sicuti milites sæculi non habentur pro perfectis militibus quousque armis idoneis sint instructi, ita nec Neophyti illi perfecti ac veri milites Christi seu Christiani reputabantur; quamvis revera jam essent per Baptismum regenerati & militiæ Christi adscripti, imo Christum induissent, & cum illo surrexissent.

Adhæc olim dum Confirmatio jungebatur Baptismo nulla Chrismatio nisi sola Sacramentalis Neophyto impendebatur. Cum verò à *Chrismate* dicamus, *Christiani*, propriè eo nomine appellari ante hanc *Chrismationẽ* non poterant.

Hinc postquam Chrismatio Sacramentalis Baptismo jungi desiit, introducta est Chrismatio *ceremonialis*, qua Neophytus non *in fonte*, sed *in vertice* à Presbytero Chrismate ungitur S. Gregorii *pag.* 144. Unde hodie Christiani dicimur non Chrismatione Sacramentali, qua ab Episcopo *in fonte* ungimus, sed à Chrismatione ceremoniali, qua immediate post Baptismum in vertice à Presbytero ungimur sive Chrismamur.

IX. Passim Synodi Belgicæ juxta modernam Ecclesiæ disciplinam requirunt, ut confirmandi saltem *septennio* nõ sint minores;" ut meliùs (ait Synodus Mechliniensis anno „ 1609. *tit.* 4. *cap.* 4.) suscepti Sacramenti memores esse „ possint; nisi ex rationabili causa Confirmanti aliud videatur.

Idem passim inculcant aliæ Synodi; adduntque conformiter ad Pontificale Romanum, ut non admittantur ad hoc Sacramentum, nisi ritè instructi & dispositi.

X. Parochis præcipit Synodus Audomarensis, ut subditos suos sedulò moneãt," quò pueros suos Confirmationis „ Sacramento nondum insignitos, qui quidem sextum su- „ peraverint ætatis annum, ad illud reverenter suscipien- „ dum præparent, doctos orationem Dominicam & Sym- „ bolum Apostolorum, quantum fert ætas atque capacitas, „ jejunos si permittat valitudo, confessione expiatos sidoli „ sint capaces, corporis habitu & capite imprimis mundos.

Idipsum omnes Synodi uno consensu inculcãt, monetque S. Carolus in suis Instructionibus de Confirmatione *p.* 420. *edit.* 1683." Illud verò maximè hortabitur (Parochus) „ ut cum hoc Sacramento Spiritus Sancti gratia uberrimè „ conferatur, ad eam consequendam se jejuniis, eleëmosy- „ na qui per facultates possunt, aliisque pietatis officiis & „ operibus parentiatq; imprimis frequentiori & ardentiori „ religiosæ orationis studio devotè sese exerceant, exemplo „ SS. Apostolorum; qui dum exspectarent Spiritum Sa- „ nctum, *perseverantes erant in oratione & jejunio.*

XI. Ut verò Fideles sint de hoc Sacramento amplius instructi; ac convenientem ideam concipiant, præcipitur Parochis, ut" de dignitate, vi, & effectu hujus Sacramenti „ subditos suos sæpe diligenterque instruant, maximè sub „ id temporis, quo illud Episcopus in iis locis administra- „ turus est," Ita Synodus Mechl. P. II. *tit.* 4. *c.* 1. idipsum aliæ Synodi similiter inculcant; monetque Synodus Buscoducensis sub Masio *t.* 4. *c.* 9. ut id præstet præsertim *festis Pentecostes* & quandocumque Episcopum ad ipsorum loca venturum esse audiunt.

Dum Parochi populum de hisce instruere volent, meritò legent jam citatas Instructiones S. Caroli, in quibus piè & fusè ejus effectus & dignitas, aliaque eo pertinentia explicantur.

XII. Ut confirmandorum curam rectè gerere possint Parochi, multum conferunt Episcopi, qui neminem confirmare volunt, nisi qui testimonium à suo Parocho attulerit; quemadmodum edito Decreto 6. Febr. 1681. declaravit Alphonsius de Berges Archiepiscopus Mechliniensis.

XIII. Quamdiu hoc Sacramentum ipsi Baptismo quodammodo conjunctum fuit, etiam nonnisi in Paschate & Pentecoste, scelus à necessitate, cõferebatur; & licet mutata disciplina, Episcopo liberũ sit etiam alio tempore hoc Sacramentum conferre, tamen monet meritò S. Carolus in suo Concilio IV. *p.* 2. titulo de Sacramento Confirmationis *ne stata* PENTECOSTES *solemnitate id præstare prætermittant*; ad, ungitque in concilio V. eodem titulo, ut „ non solum sacris solemnibus *Pentecostes* diebus, sed e- „ tiam (si ita civitatis suæ ingens frequentia, multitudo- „ que postularit) & Paschæ Resurrectionis tempore &

„& in adventu sacro Domini, & quoties visitationem „obibit Sacramentum Confirmationis ministret: & ob „eam causam, ut Concilio Provinciali quarto cautum „fuit, administrandum sæpe accurret, quibus in locis „Diœcesis opus erit.

XIV. Post hæc monet: "Quòd si quis cùm periculosè „ægrotat se chrismatis Sacramento confirmatum non „esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat; „tunc Episcopus, si eo loci est ubi ille ægrotat, ut ne si„ne hoc Sacramento discedat, eum charitate paterna in„visat, & ritè confirmet.

Insuper in suis Instructionibus inter cætera à Parochis circa hoc Sacramentum observanda præcipit: "Ægrotos „præterea nondum confirmatos designabit, eosq; Archie„piscopo denuntiabit, ut ne ingravescente morbo, sine „hoc Sacramento discedant.

Ex his constat, quam ideam de fructu hujus Sacramenti concepisset hic zelotissimus Archi-Præsul; quamque solicitos esse debere Episcopos ostenderit, ut nemo hoc Sacramento destitueretur.

XV. Volunt quoque Synodi, ut Episcopus Sacramentum hoc administraturus, diebus aliquot ante moneat Parochos, ut populum interea pro ejus digna susceptione disponere & specialiter instruere valeant; voluitque S. Carolus, eum in finem ab Episcopo Litteras Pastorales ad Parochos dandas; è quibus ipsi, quæ potissimùm iis in incumbant, haurire queant; eatq; populo publicè prælegant: ita habetur in Concilio Mediolanensi IV. *parte 3. tit. de visitatione*: & in Instructionibus præcipit (merito ab omnibus Parochis æmulandum) "Paucis ante ministrationem diebus, Parochus, in cujus Parochia hujus Sacra„menti ministratio indicitur, primò orationem publicam „instituet; ut sui divinæ gratiæ dona ubertimè recipiant.

CAPUT II.
De Ministro Confirmationis & de Chrismate.

1. *Primis sæculis solos Episcopos fuisse ministros Confirmationis malè astruitur ex epistola Eusebii Papæ.*
2. *Probatur testimonio Innocentii I.*
3. *Presbyteri apud Græcos etiam hodie hoc Sacramentum administrant; neque hanc disciplinam Ecclesia Romana improbat.*
4. *An eam Innocentius III. improbaverit.*
5. *Etiam in Ecclesia Latina Presbyteri* dispensatoriè *administrare possunt.*
6. *Neque contrarium asseruit Eugenius IV. aut definivit Synodus Tridentina.*
7. *Sepositâ reservatione positivâ posset Presbyter confirmare.*
8. *Disciplina quæ solis Episcopis dat auctoritatem confirmandi occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.*
9. *Episcopi curare debent ne quis ex eorum negligentiâ sine hoc Sacramento discedat.*
10. *Incommoda ex hujus Sacramenti dilatione nata sequi.*
11. *Chrismatis benedictio soli Episcopo competit.*
12. *Primus Episcopus* omni *tempore Chrisma conficere poterat.*
13. *Quandonam invaluerit ut in Cœnâ Domini Chrisma esset conficiendum?*
14. *Olim Presbyteri à suis Episcopis Chrisma accipiebant.*
15. *Hodie singulis annis, secus olim Chrisma renovandum.*
16. *Quomodo hodie ex præscripto Synodorum Chrisma accipiatur: & renovari debeat.*
17. *Aliquando Archidiaconi Chrisma distribuebant; & in illius distributione pecuniam exigebant.*

I. SOlum Episcopum hujus Sacramenti ministrum esse, nec ab aliis quàm ab Apostolis eorumque successoribus Episcopis unquam peractum fuisse, aut administrari posse, claris testimoniis declarat Epistola, quæ sub nomine Eusebii Papæ refertur apud Gratianum *Dist. 5. de Consecr. Can. 4.* "Manus quoq; *impositionis* Sacramentum „magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici „non potest, nisi à *summis* Sacerdotibus, nec tempore A„postolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut „scitur peractum esse; nec ab aliis quàm ab illis, qui eorũ „tenent locum, unquã perfici poterat, aut fieri debet. Nam „si aliter præsumptum fuerit, *irritum* habeatur *& vacuũ*, „& inter Ecclesiastica nunquam reputabitur Sacramenta.

Verùm nôrunt hodie eruditi, quàm exigua sit hujus ac duarum aliarum Epistolarum, quæ sub nomine hujus Pontificis extant, fides; de quibus in nota marginali ad earum primam intrepidè pronuntiat Labbeus: *Confictæ ac spuriæ omnes*: & deinde de hac, quæ ordine tertia est, notat: *Tota Conficta est.*

II. Hoc ergo testimonio prætermisso, aliud habetur, licet nonnihil posterius, certius tamen, nimirum Innocentii I. in Epistola ad Decentium *cap. 3.* "De consignandis verò „infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo „fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontifi„catus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontifici„bus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spi„ritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica de„monstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum quæ „asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam bapti„zatis traderent Spiritum sanctum.

Hoc Innocentii testimonio utuntur communiter Auctores de officiis Ecclesiasticis scribentes, ut probent Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum.

Nequaquam tamen hinc inferre licet, Episcopum ita esse à Christo designatum ministrum, ut ea potestas nullo casu inferioribus Presbyteris communicari possit.

III. Nam Græci non tantùm olim, sed etiam hodie eam auctoritatem in Presbyteris agnoscunt; hique baptizatis Chrismate in fronte consignant; eamque praxim Ecclesiam Latinam non improbasse, ex iis quæ in Concilio Florentino acta sunt non obscurum est.

In hujus quippe Concilii conclusione Eugenius IV. inter alias quæstiones hanc ordine sextam Græcis proposuit: *Quare Pontifices non inungerent sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Et statim subditur in textu: *Hæc a Latinis objecta Mytylinensis canonicè omnia, legitimeque dissolvit.*

Hinc patet, quod etiam tempore hujus Concilii, Græci Sacerdotes confirmarent. Secundò, quòd super ea praxi disputatum fuerit. Tertiò, quòd Græci suæ disciplinæ canonicas rationes dederint; atque Latinorum argumentis satisfecerint. Quartò quod Eugenium IV. aliique Latini Episcopi acquieverint; nec Græcos ad aliter confirmandum adegerint; neque de nullitate Confirmationis sic collatæ scrupulum moverint.

IV. Contrarium prorsus his videtur responsum Innocentii III. in *cap. 4. Si de consuetudine*, ubi eam praxim Græcorum omnino improbare videtur; atque confirmationem à Presbyteris etiam *Constantinopoli* collatam pro invalida habere.

Verùm omnis difficultas evanescet, si consulatur ipsa Decretalis Innocentii prout extat in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; è qua eam desumpsit Raymundus omissâ particulâ *Latinis* ad vocem *Presbyteris*; quæ ostendit, Innocentium tantùm respondisse de Presbyteris *Latinis* Constantinopoli agentibus; quibus præcipit, ut consuetudinem Ecclesiæ Latinæ sequantur. Hîc obiter notent Canonistæ, quàm utile, imò necessarium sit, interdum ad veteres Decretalium collectiones habere recursum; uti monui & pluribus ostendi in commentario ad Canones *parte 8. cap. 3. § 4. & 5.*

V. Cæterum tametsi disciplina Ecclesiæ Latinæ habeat, ut soli Episcopi hoc Sacramentum administrent, quin tamen Presbyteri subinde extraordinariè & absente Episcopo dispensatoriè id ministerii exercere queant, evidenter jam pridem probavit S. Gregorius.

Scripsit ipse Episcopo Calaritano in Sardinia *l. 3. Epist. 9* "Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus „chris-

Digitized by Google

XXVIII. Sed quid hæc professio plerumque hodie in infantia fieri solet per Susceptores, monet S. Carolus in sua Synodo VI. *cap.* 8. ut Parochus & Confessarius cohortationis officio in id incumbant, ut Fidelium unusquisque annuè recolat diem suum baptismatis, atque eo potissimùm, die "sanctè sese excitet ad præclaram illam sponsionem & christianam professionem, quam in sacro lavacro per Sponsores solemniter edidit. *Repete*, inquit Sanctissimus Pater noster Ambrosius, *quid interrogatus sis, recognosce quid responderis. Renuntiasti diabolo & operibus ejus: mundo & luxuria ejus ac voluptatibus: memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis.*

XXIX. In hoc quoque catechumenorũ gradu frequentiores erant orationes & exorcismi, iisque adjunctæ manuum impositiones, ut iis mediantibus Catechumeni à vitiis contractis in Gentilitate ampliùs purgarentur, & ad baptismum dignè suscipiendum disponerentur.

Unde Augustinus *libro de Fide & operibus cap. 6. num. 9.* ait: "Vel non intueamur alios, qui per singulos annos ad lavacrum regenerationis accurrunt, quales sint ipsis diebus quibus catechizantur, *exorcizantur*, scrutantur, quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant?

XXX. Exorcismos & exsufflatione etiam super infantes baptizandos suo tempore dici solitos fuisse, testatur Augustinus; atque ex illo Ecclesiæ ritu probat; Ecclesiam agnoscere infantes peccato originali obnoxios nasci. Sic enim scribit ad Sixtum Presbyterum *Ep.* 194. *n.* 43. ult. edit. "Circumstipantur enim & Divinarum auctoritate lectionum, & antiquitus tradito & retento firmo Ecclesiæ ritu in baptismate parvulorum, ubi apertissimè demonstrantur infantes, & cum *exorcizantur*, & cum ei se per eos, à quibus gestantur, *renuntiare* respondent, à diaboli dominatione liberari.

Et infrà *n.* 46. "Quid ad hoc respondeant, quòd *exorcizantur* & *exsufflantur* infantes, hoc enim procul dubio fallaciter fit, si diabolus eis non dominatur, & ideò non fallaciter *exorcizantur* & *exsufflantur*, per quid dominatur, nisi per peccatum princeps utique peccatorum?

XXXI. Manuum impositionis quoque super Catechumenos frequens est apud Veteres mentio. "Non uniusmodi est sanctificatio, nam Catechumenos secundùm unum suum quemdam modum per *signum Christi*, & orationem suo *manus impositione* puto sanctificari." ait Augustinus *lib.* 2. *De Baptismo Parvul. cap.* 37. Plura testimonia idipsum probantia notat Du Gange suo Glossario, verbo: *Manus impositio.*

Per *Signum Christi* in citatis verbis intelligere Augustinũ *Signum Crucis*, perspicuũ est; & ipsos Catechumenos Cruce signari solitos fuisse pluribus locis testatur. Et quidem *lib.* 1. *Confessionum* ubi suæ inter Catechumenos relationis mentionem faciens ait: *Signabar jam signo* Crucis *ejus.*

XXXII. Hinc facilè intelligimus, quam immeritò Hæretici ritus nostros Baptismi, qui potissimum in exorcismis, exsufflationibus, manuum impositionibus, crucis signationibus, & orationibus variis consistunt, tamquam novos & quasi superstitiosos explodant: cùm eos videamus jam pridem à Patribus fuisse adhibitos & nobis traditos.

XXXIII. Catechumeni in quarto ordine constituti, jamque Baptismo proximi, minutis quibusdam Sacramentis, sive Sacramentalibus utebantur: ut nimirum per ea ad vera Ecclesiæ Sacramenta suscipienda paulatim disponerentur, quemadmodum exponit Vir eruditus Gabriel Albaspinæus *lib.* 2. *Observat. cap. fin.* "Inter cæteros ritus, ait, quibus olim formabantur Catechumeni, *minutis*, quibusdam Sacramentis utebatur Ecclesia, non solum ut Mysteriorum rudes Eucharistiæ paulatim assuescerent, sed etiam ut vitæ Christianæ semina, quæ in ipsa auditione animis combiberant, horum Sacramentorum usu foverent. Nam quamvis Corporis Christi perfecta illi & omninò formata membra non erant, utcumque tamen ei adhærebant, Christianitatisque spiritum quodammodo ducere incipiebant.

XXXIV. Sacramenti Catechumenorum meminit S. Augustinus *libro De Catechizandis Rudibus c.* 27. "De Sacramento *sanè*, ait, quod accipit (Catechumenus) cùm ei benè comendatum fuit, signacula quidẽ rerum divinarum esse visibilia, sed res ipsas invisibiles in eis honorari; nec sic habendam esse illam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum habetur in usu quolibet: dicendum etiam quid significet & sermo ille, quem audivit, quid in illo *condiat*, cujus illa res similitudinem gerit.

Notant hic eruditi Operum Augustini Revisores, Lovaniensem editionem legere, *condatur*; sed ipsi notant: "Verius *MSS.* & *Am.* CONDIAT." Nam agitur hic, inquiunt, de Sacramento *salis*, quo Catechumenus initiatur. Huc pertinet illud Augustini *libro* 1. *Conf. cap.* 11. *Et signabar jam signo crucis ejus, & condiebar ejus sale, jam inde ab utero Matris meæ.* Ipsa est, quam hic dixit *speciem benedictione sanctificatam*: adeoque paulò suprà loco *sane* legendum videtur, *salis.*

Per Sacramentum ab Augustino intelligi *salem* Catechumeno tradi solitum, probat quoque Concilium Carthaginense III. cui ipse Augustinus interfuit, *Canone* 5. hæc decernens: "Item placuit ut per solemnissimos Paschales dies Sacramentum Catechumenis non detur, nisi *solitum sal*, quia si Fideles per illos dies Sacramentum non mutant, nec Catechumenis oportet mutari.

XXXV. Hic habemus originem benedictionis *salis*, quæ hodie in collatione Baptismi fieri debet, atque in os infantis immitti sub hac verborum formula: *N. Accipe* SALEM *sapientiæ: propitiatio tibi sit in vitam æternam.*

XXXVI. Catechumeni jam sufficienter probati & instructi ad Baptismũ admittebantur: Nam, ut ait *Canon* 2. Nicænus, *Catechumeno tempore opus*; ut scilicet ritè disponatur. "Quid enim agit totum tempus, quo Catechumenorũ locum & nomen tenent, nisi ut audiant, quæ fides, & qualis vita debeat esse Christianis, ut cùm *seipsos probaverint*, tunc de Mensa Domini manducent, & de Calice bibant, inquit Augustinus *lib. de Fide & bonis Operibus c.* 6.

XXXVII. Nec minus hodie ipsi baptizandi *adulti* prævie probandi sunt quam olim, utrum scilicet in fide sint satis instructi, & vitam anteriorem revera detestentur. Hoc probè intelligentes & expendentes duo zelosissimi hujus sæculi Præsules, Franciscus Episcopus Heliopolitanus, & Petrus Episcopus Berytensis, qui in Tunchini & Cochinnæ regnis multo cum fructu Evangelium annuntiarunt, quasdam ediderunt Instructiones, quas Cardinalis Bona jussu Congregationis de propaganda fide recensens, Apostolico spiritu scriptas fuisse testatur; easque ejusdem Congregationis typographus Romæ evulgavit.

In his conqueruntur Prælati illi de quibusdam Missionariis, qui de numero potiùs, quàm de virtute à se baptizatorum gloriantes, *obvios quosvis, vix explorata illorum voluntate, unâ aut altera instructione contenti, sacro Baptismi fonte abluunt.*

Post hæc declarant, sibi visum esse, "Catechismi tempus non breviori quàm quadraginta dierum spatio vulgò definire, nec alios ad Baptismum admittendos esse, nisi qui ante quadraginta dies nomen dederint. Cum enim experientia, quæ sacris Canonibus consona est, satis notum sit, diuturniorem moram esse perutilem ad obtinendam in Christiana fide perseverantiam. Diutius probari debent rudiores, & obtusioris tardiorisque ingenii servi, & qui temporalis pœnæ vitandæ gratia fidem amplecti velle videntur, aut sperant aliquid lucri & commodi se consecuturos ex eo quod Christiani fiant: Ii denique, qui legis & constantis animi signa aliqua dederunt.

Declarant præterea, Missionarios, qui passim tempus illud præoccupant fidem Christianæ & animarum saluti plurimum nocere. "Enim verò, inquiunt, comprobatum est experientia, Christianos pejores non inveniri, quàm qui ante competentem instructionem ad Baptismum admissi sunt; quippe qua facilitate Christo nomen dederunt, eadem ut plurimum nuntium ei remittunt.

Tertiò declarant, Missionarios non posse ad Baptismum admit-

admittere, tametsi in fide bene instructos, & eum ardenter petentes, nisi ante ex bona conversatione exploratum sit, eos pristinis vitiis ac criminibus renuntiasse; moresque verè Christianos induisse.

Nolunt quoq; ad Baptismum admitti Gentiles, quantumvis emendationem vitæ spondeant, nisi ante illius susceptionem *operibus*, non verbis tantum suam emendationem probaverint. "Sicut à sacro Baptismatis fonte rejiciendi sunt (inquiunt) qui vitiis ac peccatis obstinatè adhærent; ita procul ab eo expellendi, qui nolunt interioris conversionis signa *operibus* dare: cum inde pateat, infectam peccati amore voluntatem adhuc gerere.

Denique declarant, nullam esse habendam rationem nonnullorum, qui de Baptismatis dilatione conqueruntur, quasi propter inopinatos casus, Catechumenos morti ac proinde æternæ damnationi exponant.

Hæc omnia latiùs videri possunt apud Gasparem Juenium in Commentario historico & dogmatico De Sacramentis *Dissertat. 2. quæst. 7. cap. 2. art. 2.*

XXXVIII. Baptizati è fonte Baptismatis educti vestibus albis induebantur, de quo ritu testatur Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi myst. 4.* ejus ritûs rationem reddens: "Ex itis vestibus antiquis, & iis quæ secundum spiritum *alba*, indutis, perpetuò jam in albis incedere oportet. Non hoc ideo dicimus, quasi alba te semper vestimenta habere necesse sit; sed quod his, quæ verè alba, splendida, & spiritualia sunt, vestiri te oporteat.

Ejusdem ritûs meminit S. Ambrosius *libro De Initiandis c. 7.* "Accepisti (ait ad recenter baptizatos) post hæc vestimenta *candida*, ut esset indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ casta velamina:" Gratianus *Dist. 4. de Consecrat. Can. 92.* Et Canone præcedenti idem astruitur auctoritate Rabani Mauri; pluresque ejus mysticæ rationes redduntur.

Infinita sunt penes omnes omnium sæculorum tam Latinos, quàm Græcos Scriptores, hujus ritûs testimonia.

XXXIX. Vestem hanc totum corpus baptizati tegisse, ac propterea baptizatos exteriori habitu totos albos & candidos apparuisse, innuunt non obscurè omnia illa Patrum testimonia, quibus testantur simpliciter & indefinitè, baptizatos accepisse *vestem candidam*; quod *induerentur* vestibus albis; quodque dicerentur, *Novi, Albi, Candidi*: quæ omnia dici non potuissent, nisi ipsi baptizati *vestem* toti corpori congruentem accepissent.

Ad recenter baptizatos sermonem habens S. Augustinus in Vigiliis Paschalibus ita loquitur: "Infantes isti, quos cernitis exterius *dealbatos*, interiusq; mundatos, qui *candore vestium* splendorem mentium præfigurant &c." *Serm. 22*; ex edit. Benedictinorum, qui ibidem notant, *infantes*, dictos fuisse novissimè baptizatos etiam ætate majores.

XL. Vestem hanc in omnibus penè Ecclesiis septem diebus retinebant Neophyti; id est ea in Sabbatho sancto egredientes de fonte Baptismatis induebantur, & sabbatho sequenti deponebant. Hujus disciplinæ luculentus testis est S. Augustinus *sermone 157.* de Dominica in Octava Paschatis: "Paschalis solemnitas, ait, hodierna festivitate concluditur, & ideo *hodie* Neophytorum *habitus commutatur*, ita tamen, ut *candor*, qui de habitu deponitur, semper in corde teneatur.

Quare septem hos dies, *albas* vocabant teste Rabano *libro 2. de Instit. Cler. cap. 39.* "Alios septem dies in memoriam ejusdem Resurrectionis Dominicæ congrua festivitate subjungens, quos septem dies, *albas* vocitamus propter eos, qui in sancta nocte baptizati, *albis* per *totam* hebdomadam utuntur vestibus.

Nequaquam etiam obscurum est, ex allatis testimoniis, Neophytos seu recenter baptizatos *vestem candidam* integris illis septem diebus, tanquam ordinariam & vulgarem vestem detulisse; nec tantum in Ecclesia sed ubique cum ea incessisse; quod & aliis testimoniis confirmat Vicecomes dicto loco *cap. 14.*

XLI. Hodie ex præscripto Ritualium imponitur capiti recenter baptizati *linteolum* candidum loco vestis albæ sub hac verborum formula: *Accipe vestem candidam, quam immaculatam perferas ante tribunal Domini nostri* IESU CHRISTI, *ut habeas vitam æternam.*

XLII. Neophytis olim cereos traditos fuisse in manibus refert Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 1. mystag.* & ejusdem meminit S. Gregorius Nazianzenus *Orat 40. De Baptismo*, ubi Baptismi ceremonias describens, in earum numerum gestationem cerei quoque reponit: & *oratione 39.* de baptizatorum luminibus loquens ait: "porrò *luminum* nomine appellatur; quod purget & illustret. Quo etiam fit, ut *faces* eo tempore in lætitiæ signum accendamus.

Et sæculo 9. scripsit Amalarius Fortunatus *lib. De Eccles. Officiis c. 26.* "Clamante voce Sacerdotis, ut descendat virtus Spiritus Sancti in aquam, *cerei* Neophytorum deponuntur in aquam. Quare hoc; Nisi ut demonstretur modò *cereus* signare Spiritum Sanctum.

XLIII. Cereo septem diebus, quemadmodum veste candida Neophytos olim usos fuisse clarè expressit sæculo 6. scribens Alcuinus *De Divinis Officiis cap. De Sabatho in albis*, ubi postquam dixisset, quod Neophyti septem diebus *vestibus albis* uterentur? id est, à *Sabbatho sancto* usque ad *Sabbathum in Albis* subjicit: "Ita nostri baptizati, extinctis peccatis præteritis, ducuntur quotidie ad Ecclesiam, *columna ceræ illuminata* præcedente eos.

XLIV. Hodie Sacerdos dat Neophyto vel Patrino candelam accensam dicens: *Accipe lampadem ardentem & irreprehensibilis custodi Baptismum tuum: serva Dei mandata, ut Dominus venerit ad nuptias possis occurrere ei una cum omnibus Sanctis in aula cælesti, habeasq; vitam æternam & vivas in sæcula sæculorum.*

XLV. Post susceptum Baptismū statim baptizati Chrismate ab Episcopo in fronte ungebantur? sive confirmabantur." Oportet (ait Canon 48. Laodicenus) eos qui illuminantur (sive, ut legit Dionysius Exiguus, *qui baptizantur*) post Baptisma inungi super cœlesti Chrismate, & esse regni cœlestis participes.

Hujus disciplinæ apud primæ & mediæ ætatis scriptores Græcos & Latinos infinita sunt & obvia testimonia, quæ citat Menardus in notis ad Sacram. Gregorii pag. 144. additq; Nec ungebantur Neophytus in *vertice* à Presbytero, cum ejusmodi unctio instituta sit ob defectum Episcopi. Quinimo, ut rectè advertit Gabriel Albaspinæus *lib. 1. observat. c. 25.* "Nemo *Christiani* nomen olim sortiebatur, nemo *perfectus* existimabatur *Christianus*, qui dono Spiritus sancti *confirmatus* & donatus non esset.

Hocque est, quod Canone 39. Eliberitano dicitur "Gentiles si infirmitate desideraverint sibi manum imponi; si fuerit eorum ex aliqua parte vita honesta, placuit, eis manum imponi, & fieri Christianos.

Idipsū Cyrillus Hierosolymitanus *Catechesi 3. Mystag.* evidenter expressit dicens: "Hujus sancti Chrismatis dono accepto, meritò appellamini *Christiani*: veram efficientes appellationem in ipsa regeneratione ante enim quā hæc gratia vobis donata esset, non eratis propriè digni eo nomine, sed pergentes eo usque progressi estis, ut efficeremini Christiani.

Plura in hanc rem adducit Christianus Lupus in notis ad librum Tertulliani *De Præscriptionibus c. 41.*

XLVI. Hodie Neophytus à Presbytero cum Chrismate ungitur in vertice; (quæ unctio, uti suprà ex Menardo notatu est, olim non fiebat) his verbis: *Deus Omnipotens Pater Domini nostri Iesu Christi qui te regeneravit ex aqua & Spiritu sancto, quique dedit tibi remissionem omnium peccatorum ipse te liniat* CHRISMATE *salutis in eodem Christo Iesu Domino nostro in vitam æternam.*

XLVII. Post Confirmationis Sacramentum Neophytis collatum, etiam Eucharistiæ participes efficiebantur. Quē ritum evidenter expressit S. Ambros. libro *De Initiandis c. 8.* & aliorum veterum testimoniis asserit Hugo Menar. loco cit. *pag. 106.* ostenditq; non tantum adultis, sed & *infantibus* recens baptizatis sacram Eucharistiam datam fuisse; quod & Aug. pluribus locis expressit; quamvis crediderit,

zed by Google

diderit, Eucharistiæ sumptionem *infantibus* necessarium esse ad salutem, ut rectè probat Card. Bona *lib.* 2. *Rerum liturgic. c.* 12.

XLVIII. Datum quoque fuit Neophytis *lac & mel* cujus ritus non obscurè meminit Tertullianus *De Corona militis, c.* 3. ibi referens quid in Baptismate ageretur ait: *ter mergitamur amplius aliquid respondentes, quàm Dominus in Evangelio determinavit. Inde* [ex aqua] *suscepti* LACTIS & MELLIS *concordiam prægustamus,* Ejusdem ritus meminit quoque *lib.* 1. *contra Marcionem*, dicens quod per LACTIS & MELLIS *societatem* Christus *suos infantes lactet,*

Hinc illud Canonis 40. in Codice Ecclesiæ Africanæ:" Primitiæ verò, seu *lac & mel*, quod uno die solemnissimo „ in *infantium mysteriis* solet offerri, quamvis in altari offerantur, suam tamen habeant propriam benedictionē „ ut à Sacramento Dominici Corporis & Sanguinis distinguantur.

XLIX. Hæc verba ad *mysterium infantium*, non significant, *lac & mel* solis *infantibus* & non adultis recenter baptizatis datum fuisse; sed quod daretur Neophytis ad indicandū mysterium *infantia*; hoc est, ut per hoc indicaretur recenter baptizatis, quod per baptisma omni malitia & dolo depositis, debeant semper infantium simplicitatē conservare, juxta illud S. Petri ad Neophytos: *Quasi modo geniti infantes sine dolo lac concupiscite.*

L. In antiquo Ordine Romano extat specialis benedictio *lactis & mellis*, his verbis:" Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & pote famulos tuos *fonte* perenni, „ qui est spiritus veritatis, & enutri eos de hoc lacte & mel- „ le." Deinde subjungit:" Tu enim Domine promisisti Patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob dicens: Introducam vos in terram repromissionis, terram fluentem lac „ & mel." Quibus verbis indicatur alia ratio mystica, nimirum quod baptizati relicto Ægypto, id est, gentilitate ingrediantur in Ecclesiam, terram fluentem lacte & melle; id est, omnibus deliciis spiritualibus.

Tandem subjicitur oratio quæ indicat, *lac & mel* fuisse in unum commixta." Conjunge Domine famulos tuos „ spiritu charitatis & pacis, sicut *conjunctum* est hoc lac & „ mel, in Christo Iesu Domino nostro.

LI Propter recens baptizatos Ecclesia in festis Paschalibus ingentia lætitiæ signa jam pridem exhibuit; ut propterea objicienti cuidam:" ipsum Dominum *post lavacrū* „ statim tentationes circumsteterunt, quadraginta diebus „ jejuniis functum": Ergo & nos, *à lavacro* potius jejunare oportet: responderit Tertullianus *lib. de Baptismo c.* 20 Et quis enim prohibet, nisi *necessitas gaudii* & gratulatio salutis. Et auctor Sermonis 163. de tempore inter sermones Augustini; nunc 168. in appendice ad tomum 5. operum Augustini, ait: Hic igitur dies est, Dilectissimi, quem „ fecit Dominus, ut audistis celsior cunctis, lucidior universis, in quo sibi *novam* plebem, ut ipsi videtis, *regenerationis* spiritu conquisivit, in quo singulorū mentes *gaudio & exultatione* perfudit.

Neque lætitiæ signa in Officio Divino tempore Paschali alio tendere, quam ad demonstrandum gaudium de nova generationis prole, jam pridem expressit Rubertus Abbas *lib.* 7. *De Divinis Officiis* 11. ubi ait:" Quia nox illa sacratissima in qua jam, ut dictum est, prima resurrectione resurgunt, qui baptizantur, novi Ecclesiæ filii, protinus „ tamquam de salicibus direpta nostra certatim organa „ persultant *alleluja* sicut & reliquum hujus diei officium, „ maximè *baptizatorum* est *exultatio*, eo quod prima, ut „ dictum est, resurrectione jam consurrexerunt cum Christo.

Pluribus hæc prosequitur Iosephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *lib.* 5. *c.* 48. ostenditque in signum majoris gaudii ac lætitiæ spiritualis, septem dies Paschales *Festos* olim fuisse; uti & Pentecostales; atque exinde apud nos etiamnum hodie *Octavas* superesse.

CAPUT IV.

De Patrinis & obstetricibus.

1. *Catechistæ Catechumenorum olim dicti* Sponsores,
2. *Interdum etiam* Susceptores *dicti*,
3. *Quando alius in baptismo, alius in Catechismo* Susceptor *adhibitus fuerit, incertum.*
4. *Primitus soli viri in Baptismo virorum, & solæ mulieres in Baptismo mulierum adhibebantur: & quare?*
5. *Quando, & quare hæc disciplina mutata?*
6. *Susceptorum officium olim fuit Neophytis ad Baptismū præsentare.*
7. *Hi ipsos baptizatos egredientes è fonte Baptismatis suscipiebant: & quid huic ritus hodie respondeat?*
8. *Qui curam Neophytorum ante Baptismum habuerāt, eam post baptismum continuare debebant,*
9. *Hodie Patrinorum officium circa curam baptizatorum ferè unicè versatur.*
10. *Monitum Concilii Colonensis de hac obligatione, eamque omnes Synodi Belgicæ inculcant.*
11. *Pastores attendere debent quos in Patrinos admittant.*
12. *Qui ab hoc munere rejiciendi?*
13. *Eligendi potius, qui animæ prolium, quàm qui inopiæ consulere possunt.*
14. *Patrini non defunguntur suo munere dando munusculum,*
15. *Quid circa muneris dationem Edictis Caroli V. hic in Belgio decretum fuerit,*
16. *Parochi aliique Ecclesiastici & Monachi non facile officium Patrini assumere debent & quare.*
17. *Parentes olim suas proles offerebant ad Baptismum.*
18. *Quomodo, & quare id fuerit vetitum;*
19. *Epistola supposititia Papæ* Deusdedit *mutatæ disciplinæ occasionem forsan dedit.*
20. *Obstetrices ad procurandum Infantibus Baptismum concurrunt & quid de his decreverit Synodus Mechliniensis;*
21. *Obstetrices non admittendæ nisi à Pastore loci examinatæ & instructæ.*
22. *Synodorum Decreta confirmarunt Principes; voluntque in earū admissione interveniat Magistratus loci.*
23. *Obstetrices quam curam adhibere debeant circa proles ex illegitimo concubitu, earumque matres.*
24. *Obstetrices instruendæ circa formam & materiā Baptismi*
25. *Quid agendum, si mulier gravida antequam pariat moriatur ne proli Baptismus conferri queat.*

I. EX dictis capite præcedenti intelligi potest, olim nonnullos fuisse instructioni & directioni catechumenorum specialiter intendentes; qui ipsos Catechumenos, cum tempus Baptismi instaret, ad Episcopum adducerent, sive præsentarent, à Tertulliano de *Baptismo c.* 18. *Sponsores*, & ab aliis frequenter *Fidejussores*, aut etiam *Fidei dictores*, tamquam qui de fide ac sufficiente instructione Catechumenorum *fidem darent* vel *spponderent*, vel subinde *Offerentes* dictos, eo quod Catechumenos ad Baptismū offerrent.

II. Nonnumquam & *Susceptores* appellabantur, eò quòd Catechumenos ex aquis Baptismalibus exeuntes *susciperent* abluerent, & vestirent. Hinc illud S. Basilii ad Posthumianum *Epist.* 328." Primo Baptismate initiatus es „ ad pietatem manum te è sacro *fonte levassem.*

Et in antiquo Ordine Romano post datum Baptismum jungitur:" Et sint parati qui eos *suscepturi* sunt cum *linteis* „ in manibus eorum, & accipiant ipsos à Pontifice & Presbyteris vel Diaconibus qui eos baptizant.

III. Gratianus sub nomine Higinii Papæ *Dist.* 4. *De Consecrat. Can.* 100. refert" In *Catechismo & in Baptismo &* „ in Confirmatione unus *Patrinus* fieri potest, si necessitas „ cogit. Non est tamen consuetudo Romana, sed per singulos singuli suscipiunt.

Si Decretum hoc Higino Papæ, qui sedit sæculo 2, adscribi posset, exinde haberemus, etiam antiquitus in Baptismo & in *Catechismo* diversos fuisse Patrinos, seu susceptores. At cum omnibus vel parum eruditis hodie compertum sit, Decretum illud Higino Papæ adscribi non posse, nihil pro hujus disciplinæ antiquitate ex illo elici potest. Sed nec apud pristinos Scriptores, aut in antiquis Canonibus quidquam occurrit, quod vel insinuet antiquitus solitum fuisse, alium in Baptismo, alium in Catechismo Patrinum adhiberi.

Quin tamen interdum contingeret, ut alius instructioni Catechumini præesset, eumque ad Baptismum offerret; ac alius tempore Baptismi accederet, qui eum de aquis Baptismatis emergentem susciperet vel levaret; & curam illius post Baptismum susciperet, dubitari nequit: sed nulla de eo specialis lex aut disciplina apud antiquos occurrit.

IV. Cumque frequens esset adultorum Baptismus; ac toti penè *nudi* immergerentur aquis Baptismatis, etiam plerumque viri viros, & mulieres feminas de Baptismo suscipiebant; ut colligitur ex antiquo auctore Constitutionū Apostolicarum *lib. 3. c. 16.* ubi ait: " Deinde aut tu Episcope *Presbyter* tuus qui sub potestate tua est facta super eos nominatim sacra invocatione Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, baptizabis. Ac *virum* quidē suscipiat *Diaconus mulierem* verò *Diaconissa*, ut *honestè* & à quibus decet fiat signum infractum.

Quin & olim mulieres electas fuisse, quæ etiam mulierum baptizandarū instructioni, ac Catechismo præessent; omniaque peragerent circa Neophytas mulieres, quæ Diaconi circa Neophytos viros, multis ostendit Morinus de SS. Ordinat *parte 3. Exercit. 10. c 3.*

V. Postquam verò Baptismus adultorum rarior, & parvulorum frequentior esse cæpit, ipseque Baptismus per infusionem aut immersionem alicujus dumtaxat partis corporis conferre, etiam mulieres in matrinas masculorum, & viri in Patrinos puellarum admissi sunt

VI. Horum susceptorum munus sive officium multa olim complectebatur.

Primum, uti ex Patribus notissimum est, & observat Iosephus Vicecomes De antiquis Baptismi ritibus *lib. 3. c. 31.* horum munus erat, Neophytos ante Baptismum fidei mysteriis imbuere? vitaq; Christianæ normam docere; atq sufficienter instructos Episcopo ad Baptismū offerre.

Hinc forsan hodiernus ritus in administratione Baptismi habet, ut juxta præscriptum Ritualis Mechliniensis Presbyter baptizaturus interroget Patrinos, *Quid petitis*? quo non obscurè innui videtur, *Patrinorum* esse, baptizandos ad Baptismum offerre.

VII. Posthæc, ut jam dictum est, hi ipsos baptizatos è fonte Baptismatis egredientes suscipiebant, & complectebantur, vesteque candida operiebant; & propterea *Susceptores* dicebantur.

Hujus ritus vestigium in hodiernis Ritualibus apparet, ubi præscribitur, ut tempore quo infans baptizatur, Sacerdos *jubeat Patrinum vel Matrinam vel utrumque* (*si ambo admittantur infantem suscipere*) APPONERE MANUM *baptizando*: quasi nimirum hoc pacto ipsum infantem de fonte susciperent & levarent.

Imò hac sola manuum impositione verum Patrinum effici; ac contrahi cognationem spiritualem inde resultantem communiter creditur? qua de re latiùs infra ubi de impedimento Matrimonii ex hac cognitione spirituali resultante agetur.

VIII. Qui verò ipsos baptizandos ante Baptismum instruxerant, & tanquam sat instructos & ritè dispositos Episcopis baptizandos obtulerant; seque quasi *Vades* pro rectā illorum fide, & vitæ Christianæ desiderio constituerāt, illos non mox à suscepto Baptismo deserebant sed in suam curam recipiebant; ut hoc pacto sponsionem suam liberarent; quod vel præcipuè cum infantes baptizarentur exigebatur.

Sæculo 9. Concilium Parisiense VI. *lib. 1. c. 19.* eandē obligationem in Patrinis & Parentibus naturalibus agnoscit: " Vt parentes, ait, filios suos, & *patrini* eos quos de fonte lavacri suscipiūt, erudire summopere studeant; illos, quia eos genuerūt, & eis à Domino dati sunt; & istos, quia pro eis *fidejussores* existunt.

IX. Cum verò hodie infantum Baptismus hic frequens sit; imò ferè solus administretur, etiam officium Susceptorum seu Patrinorum potissimum in eo versatur, ut baptizatis infantibus, cum ad ætatem legitimam & usum rationis pervenerint, curam omnem impendant; ut in fide Catholica ritè instruantur; & innocentiam Baptismalem integram conservent.

X. " Susceptores infantis (Patrini qui dicuntur) meritò admonentur (ait Synodus Coloniensis anno 1536. *p. 7. c. 4.*) quod ipsi sint qui Ecclesiæ *nomine*, & in Ecclesiæ fide Christi parvulos *offerant* per Baptismum, ac se propemodum pro parvulis *fidejussores* constituant, nomine parvuli respondentes: quem etiam postquam adoleverit, Symbolum simul & Orationem Dominicam edocere, atque vitam Christo ac professione in Baptismo facta dignam perpetuò agere, saltem ubi id necessitas poscere videbitur, cohortari non omittent.

Similiter Synodus Buscoducensis sub Masio *t. 3. c. 6.* vult, ut " moneant Pastores, ut quicumq; viri, quæcumq; fœminæ proles de sacro fonte spiritualiter susceperint, cognoscant se fidejussores pro iis apud Deū extitisse, & ideo super eos sollicitudinem veræ charitatis impendant, & admoneant, ut castitatem custodiant virginitatem usq; ad nuptias servent, cantica turpia vel luxuriosa ex ore nō proferant, non superbiant non invideant, à maledicto & perjurio linguam custodiant, &c. quæ fusè persequitur August. *Serm. De Resurrect.* ad quem Pastores remittimus.

Sermo, ad quem hæc Synodus remittit, aliquando inter Sermones S. Augustini relatus fuit; sed in ultima Operum Augustini revisione tanquam suppositius in appendicem tomi quinti rejectus est; constituitq; ibid. Serm. 168 notantque eruditi Revisores, partem posteriorem. in qua citata verba continentur, Cæsarii Arelatensis stylum referre.

Quidquid sit, hanc Patrinorum obligationem omnes passim Synodi Belgicæ inculcant; Patrinosque de illa à Pastoribus seriò monendos volunt.

XI. " Quia autem Susceptores sponsores sunt pro iis qui baptizantur, fidei ac vitæ Christianæ quam illi debent, ac proinde ut rectè instruantur, paternam in se curam recipiant, videant Pastores (verba sunt Synodi Audomarensis an: 1583. *tit. 3. c. 6.*) quibus tenellas Christi oviculas credant: caveantq; ne quosvis ad hoc officii admittant, & parentes moneant, ne quosvis promiscue eligant? verum eos tantummodo; de quibus probabile sit fore ut præstent id quod promittunt Alienum enim est, recens in Christo renatis oviculis ejusmōdi in Christo parentes aut dare aut admittere, de quorum paterna sollicitudine spes verisimilis non concipiatur.

XII. Deinde tamquam consequens infert: " Rejiciantur proinde ab hoc munere quicumque hæretici, quicumq; excommunicati, quicumq; notoriè criminosi, & scandalosè viventes; rursus ii qui ipsimet nesciant ea, quæ docere oporteat neophytum, & qui per ætatem aut mentis inopiam ipsi notitiam non habent fidejussionis ejus ad quā se offerunt, denique alii quicumque à quibus fidei liberationē, exonerationemq; vero similiter non expectant.

Idem inculcat Synodus Mechliniensis anno 1609. & addit: *Eademque cautio sit de Commatribus*; cui & aliæ Synodi passim conveniunt.

XIII. Monet autem citata Synodus Buscoducensis *c. 7.* Fideles in Baptismo filiorū suorum eos potius Patrinos & Matrinas eligant, qui eorum *animæ* consulere, quàm qui *inopiæ* subvenire possint.

XIV. Et quia " persuadent sibi quidam (ait citata Synodus Audomarensis *c. 7.*) sponsioni suæ se fecisse satis, si munus aliquod post Baptismum offerāt baptizati parentibus, quod quasi ad educationem institutionemque pro-

„ lis

„ lis serviat: idcirco consultum foret abrogare prorsus il-
„ lam munerum offerendorum consuetudinem, quemad-
„ modum Edicto Cæsareo aliquando cautum fuit, si tem-
„ porum iniquitas pateretur. Interim rectè faciant in pa-
„ trinos electi, si non tam *munera* offerre, quàm promis-
„ sorum meminisse curent, *muneribus* neutiquam redi-
„ mendorum: ita fiet, ut idonei patrini & quærantur & in-
„ veniantur.

XV. Edictum Cæsareum, cujus meminit Synodus, editum est à Carolo V. 7. Octob. 1531. ubi *art.* 12. præcipitur omnibus cujuscumque status aut conditionis, ne eligant in Patrinos suarum prolium aliquos, ut ab iis munus aliquod accipiant; imò si quid à Patrinis offeratur, vetat illud à parentibus prolis baptizatæ accipi; inhibens insuper Patrinis aliquid dare sub pœna dupli illiusquod datum est; nisi essent proles pauperum & miserabilium personarum. Habetur *lib.* 1. Edictorum Flandriæ *pag.* 751.

Verum hujus Edicti rigorem idem Carolus edito Decreto anno 1545. *art.* 3. nonnihil mitigavit, permittens dare munusculum trium florenorum non excedens. Habetur eodem libro Edictorum *pag.* 782.

Et licet nec hoc Edictum hodie observetur, interim ex his omnibus apparet sollicitos fuisse & Ecclesiæ & Reipublicæ Magistratus, ut Parentes in electione Patrinorum potius attenderent, qui spiritualiter, quàm qui temporaliter prolibus prodesse possent: nec in electione Patrinorum spe munerum excæcarentur.

Addit nihilominus prædicta *Synodus:*" Porro prohi-
„ bere id nolumus, quin subveniant tenuioris fortunæ pu-
„ erperis Patrini ii quibus res lautior est, quinimo modis
„ omnibus id probamus & desideramus.

XVI. Instructio seu Decreta pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis per Episcopum Vigiliarum & Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. evulgata inter alios ab officio Patrini excludendos recenset eos, de quibus constat, vel est verisimile quod hoc officiū *passim* præstare nequeunt ut qui aut, curæ Pastoralis, vel alia vitæ professione prohibentur, cujusmodi sunt" Pasto-
„ res, & omnes utriusque sexûs Religiosi, ut in Religiosis
„ disponit Capitulum IN BAPTISMATE *De Consecra-*
„ *tione Dist.* 4. quæ ratio militat etiam in aliis Ecclesiasti-
„ cis, ut prudenter consideravit Synodus mediolanensis II.
„ *Decreto* 17. Hoc idem docet Catechismus Romanus;
„ nam quantò minùs istis involvuntur curis pastores, tan-
„ tò melius cum illis agitur.

Canon, cujus authoritate utitur hoc statutum, est 103. apud Gratianum *De Consecrat. dist* 4. qui incipit: *Non licet*; estque Canon 25. Synodi Antissiodorensis habitæ anno 578.

Declarat Synodus Gandensis *t.* 3. *c.* 8. innovata in Decretis evulgatis per Episcopum Triest. sub Monachis etiam comprehendi *Monasteriorum Præfectos*, ut *per se*, ita quoque *per procuratorē*, infantem è sacro fonte suscipere prohibeantur.

De Parochis verò hæc habet;" Et ne parochi aliique cu-
„ ram animarum gerentes, onus hujusmodi suscipiant,
„ peroptamus; & nisi rogati ex causa gravi id præstare de-
„ beant, quatenus opus est inhibemus.

XVII. Parentes olim proles suas præcipuè parvulas ad Baptismum obtulisse evidens est ex S. Augustino, Epist. 98. ad Bonifacium Episcopum, ubi ita scribit *n.* 6." Illud au-
„ tem nolo te fallat, ut existimes reatus vinculum ex Adā
„ tractum, aliter non posse dirumpi, nisi parvuli ad per-
„ cipiendam Christi gratiam *à Parentibus* offerantur. Si e-
„ nim scribens dicis, ut sicut parentes fuerunt auctores ad
„ eorū pœnam, per *fidem* parentum identidē justificentur:
„ cum videas multos non offerri à parentibus, sed etiamà
„ quibuslibet extraneis, sicut à Dominis servuli aliquando
„ offeruntur.

Evidenter hîc supponitur, ordinariè parentes filios suos solitos fuisse offerre ad Baptismum? aliàs inepta fuisse Bonifacii hæsitatio: & non satis congrua Augustini responsio.

Idipsum clarioribus verbis expressit S. Cæsareus Arelatensis Episcopus sæculo 6. *Homilia* 12. inter editas à Stephano Baluzio, ubi post expressam professionem fidei & renuntiationem diaboli in Baptismo fieri consuetam subjicit:" Quod quia infantes *per se* minimè profiteri possunt
„ *parentes ipsorum* pro eis *fidejussores* existunt.

XVIII. Pluribus id probat Iosephus Vicecomes de antiquis Baptismi ritibus *lib.* 1. *c.* 33. hoc una observās, quod nunc consuetudo illa *penitus* abrogata sit.

"Causam, cur id factum fuerit, ait Iosephus, apud Patres
„ non reperio, si conjecturis utendum; existimo fuisse, vel
„ ut admonerentur Fideles eam *spiritualem* educationem
„ à *carnali* longè distare, vel ut Mysteriorum fidei Chri-
„ stianæ peritioribus illa provincia demandaretur: cum pa-
„ rentes in maxima rerum divinarum ignoratione versari
„ sæpe contingat.

Verisimilius crediderim, parentibus officium Patrini in Baptismo proprii filii fuisse interdictum, postquam cognatio spiritualis, atque ex ea resultans impedimentum Matrimonii inter Patrinum & baptizati matrem inductum fuit; cujus cognationis & impedimenti apud pristinos Auctores mentio nulla occurrit.

XIX. Meminit quidem illius impedimenti epistola quæ sub nomine *Deusdedit* Papæ, qui sedit sub initium sæculi 7. extatque apud Gratianum *Caus.* 30. *q.* 1. *Can.* 1. sed eam epistolam falsam, ac illi Pontifici suppositam eruditis omnibus compertū est; & monet Labbeus in nota marginali ad hanc epistolam tomo 5. Conciliorum *Col.* 1648. Hæc tamen supposititia Epistola non obscurè indicat hujus impedimenti saltem aliquod initium tunc fuisse unde & post sæculū 7. videmus in Conciliis hujus impedimenti mentionem fieri; ac nominatim in Concilio Moguntino anno 813. statuitur:" Nullus *proprium filium* aut *filiam* de fon-
„ te Baptismatis suscipiat; nec *Commatrem* ducat uxorem,
„ filiolam, nec illam, cujus filium, vel filiam ad Confirma-
„ tionem duxerit: ubi autem factum fuerit, separentur."
„ *Can.* 55. Sed de his latiùs infrà ubi de impedimentis Matrimonii agetur.

XX. Cùm obstetrices non parum concurrant ad Baptismi administrationem infantibus procurandum, non importunum fuerit etiam de illis hîc agere, de quibus eadē causa etiam Synodi tractare solent. Et quidem Synodus Provincialis secunda Mechl. c. 7." Requirit omnes Magi-
„ stratus singulorum locorum, nequam ad obstetricandū
„ parturientibus admittant, nisi priusà Curato loci ubi ob-
„ stetrix moratur, testimonium sinceræ & Catholicæ fidei
„ habeat, professionemque fidei coram Archipresbytero
„ suo faciat, nec non materiam formamque Baptismi te-
„ stimonio ejusdem Curati probè calleat, & ultra consue-
„ tum juramentum, juret etiam, quòd infantes à se suspi-
„ ciendos quantotius, vel saltem intra tres dies, baptizare
„ curabit; aut si obsistentibus parentibus vel amicis id ef-
„ ficere non possit, mox Pastori loci eos denuntiet.

XXI. Similiter Synodus Provincialis Cameracensis secunda *t.* 6. *c.* 11." mandat, ut nullæ mulieres deinceps ad
„ hujus officii exercitium admittantur, nisi prius per Pa-
„ storem loci examinatæ, & si opus sit instructæ fuerint.
„ Rogentur autem Magistratus, ut inter cætera ab eisdem
„ obstetricibus juramentum exigant, quòd pueros bapti-
„ zandos, ante diem tertium omninò Parochis denuntia-
„ bunt.

XXII. Decreta utriusque Synodi Provincialis illarum Provinciarum Synodi Diœcesanæ recipiunt & renovant: insuper & ipsi Principes Belgii Synodorum Decreta suis respectivè edictis pro confirmatione Synodorum Provincialium Cameracensis & Mechliniensis editis, probaverunt addidque prætereà Edictum Principis ad Synodum Mechliniens. *art.* 8." Eas ab Officiali & Magistratu loci
„ debere admitti ad id muneris ; qui tamen nullas ad-
„ mittant, nisi prævìè bene sint instructi de earum capaci-
„ tate & religione, idque per attestationem scriptam Pa-
„ storis, in cujus Parochia morantur.

XXIII. Si aliquando contingat prolem illegitimam afferri ad ædes patris nolentes eam pro sua agnoscere," talis
„ pro

„ proles, inquiunt Decreta Gandenſia ſub Antonio Trieſt. „ 1650. c. 21. nullo pacto ibidem depoſita relinquetur, niſi „ deferens eam curaverit baptizari. Quare Paſtores fre- „ quenter moneant obſtetrices aut alias mulieres quæ par- „ turientibus vel ex charitate vel lucri cauſa aſſiſtunt, ut „ huic noſtro Decreto ſeſe conforment, ac inſuper ne offi- „ cio ſuo fungi & puerperas adjuvare differant cauſa elici- „ endi nomen patris, quando ex illicito concubitu conce- „ perunt.

XXIV. Et quia experientia docet, obſtetrices aliaſque mulieres interdum parvulos in neceſſitate baptizantes errare in forma & ritu, & fortè in materia Baptiſmi, mandat idem vigilantiſſimus Præſul [quod merito ubique obſervetur] in prædictis Decretis *c.* 12. Parochus," ut ſæpius „ pro concione & in catechiſmo ſingula ad baptizandum „ requiſita, clarè & diſtinctè explicent, ita ut facilè omnes „ intelligant, aquæ naturalis perfuſione ſuper parte nuda „ & vivente principali, ſimul formæ pronuntiatione à „ Chriſto Domino inſtitutæ, hujuſmodi Sacramentum à „ baptizante & formam ita pronuntiante conferri.

XXV. Præterea, cum ſummum diſcrimen ſine Baptiſmo diſcedendi immineat proli, ſi mulier gravida priuſquã pariat moriatur, monuit jam pridẽ Synodus Colonienſis 1280. *cap.* 4. " Ut ſi certum ſit quòd mulier prægnans „ moriatur, teneatur os ejus apertum: & cum magna cau- „ tela uterus ejus aperiatur: & ſi infans vivus fuerit, edu- „ catur & baptizetur. " Hoc ipſum iiſdem verbis reperitur inter antiqua Decreta Diœceſis Cameracenſis renovata in Synodo Cameracenſi anno 1550.

Porrò cùm non rarò contingat, nullum in Parochia reperiri, aut ſaltem hic & nunc haberi poſſe, qui peritiam modumque convenientem aperiendi uterum, & exſcindendi infantem habeat, oportet ut ipſimet Paſtores, præcipuè rurales hujus rei aliquam notitiam à perito aliquo Medico accipiant, qua ſubinde, cogente neceſſitate, uti poſſint.

C A P U T V.

De Purificatione poſt partum.

1. *Lex Moſaica quid præſcripſerit mulieribus parturientibus?*
2. *Diva Virgo huic legi ſe ex humilitate ſubjecit; atque hinc Feſtum* Purificationis.
3. *Solebant mulieres honorare* puerperium *Divæ Virginis; quod inhibuit Synodus* VI.
4. *Quid agerent Fideles?*
5. *Quare id inhibuerit Synodus: & quid* puerperium *ad mentem Synodi?*
6. *Mulieres Novi Teſtamenti legi purificationis non ſubjectæ, & quare?*
7. *Pium tamen eſt, ut mulieres à partu aliquo tempore ab ingreſſu Eccleſiæ abſtineant; & hodie mulieres Catholicæ aliquo tempore abſtinent; & nonniſi* purificatæ *intrant.*

Purificatio fieri debet in Eccleſia Parochiali; & à proprio Parocho.

Sententia Sacræ Congregationis Cardinalium ſuper hoc jure Parochorum.

Sententia hæc de mandato Epiſcopi Antverpienſis publicata, cum inhibitione facta Regularibus mulieres purificandi.

Decretum Synodi Cameracenſis huic ſententiæ conforme.

Quo ritu mulieres in templum introducantur?

Ex ritibus patet purificationem fieri ad exemplum Divæ Virginis.

Mulieres ſolent Sacerdoti nummum offerre: & quare?

Mulieres nunquam poſſunt extra Eccleſiam aut per ſubſtitutas purificari.

ta legem Moſaicam, de qua *cap.* 12. *Levitici* . ulier, ſi ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, „ immunda erit ſeptem diebus, juxta dies ſeparationis „ menſtruæ. Et die octavo circumcidetur infantulus: ipſa „ verò triginta trib. dieb. manebit in ſanguine purificationis ſuæ. Omne ſanctum non tanget, nec ingredie- „ tur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificatio- „ nis ſuæ. Sin autem fœminam pepererit, immunda erit „ duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menſtrui, & „ ſexaginta ſex diebus manebit in ſanguine purificationis „ ſuæ. Cùmque expleti fuerint dies purificationis ſuæ, „ pro filio, ſive pro filia, deferet agnum anniculum in ho- „ locauſtum, & pullum columbæ ſive turturem pro pecca- „ to, ad oſtium tabernaculi teſtimonii, & tradet Sacerdo- „ ti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & ſic „ mundabitur à profluvio ſanguinis ſui. Iſta eſt lex parien- „ tis maſculum aut fœminam. Quòd ſi non invenerit ma- „ nus ejus, nec potuerit offerre agnum, ſumet duos turtu- „ res vel duos pullos columbarum, unum in holocau- „ ſtum, & alterum pro peccato: orabitque pro ea ſacer- „ dos, & ſic mundabitur.

Mulier interea ingredi ſanctuarium ſeu templum non poterat, donec implerentur dies purificationis.

II. Diva Virgo, etſi huic legi non ſubjecta, quia *non ſuſcepto ſemine* pepererat; nihilominus voluntariè & ex humilitate ſe ſubjicere voluit; eamque legem ſubivit: uti legitur *Lucæ* 2. Atque hinc originem ſumpſit feſtum Purificationis B. Mariæ Virginis; quod circa tempora Juſtiniani Imperatoris inſtitutum fuiſſe notat Baronius in notis ad Martyrologium ad diem 2. Februarii.

III. Occaſione hujus feſti conſuetudo ex quadam plebeia ignorantia invaluerat ſæculo 7. ut hoc die homines *placentas* ſive *ſimilam* coquerent, ac ſibi mutuò mitterent, *honoris ſcilicet prætextu* PUERPERII *impollutæ Virginis Matris*, ait *Canon.* 79. Synodi VI. ſive Trullanæ, adjungens: *Statuimus, ut deinceps nihil tale fiat à Fidelibus.*

IV. Exponens hunc Canonem Zonaras ait: " Nonnul- „ li, ſe in eo ſemper Virginis ac Dei Matris honori aliquid „ deferre exiſtimantes, die qui ſanctam Chriſti Natalis „ Feſtivitatem proximè conſequitur, quædam facere ſo- „ liti ſunt, ex eis quæ in *aliarum* quoque mulierum *puer-* „ *perio* agi conſuevere.

Mulieres autem conſueverant propter periculi & doloris evaſi gaudium, convivia cum ferculis & placentis facere.

V. Hoc ergo cum etiam in honorem Virginis agerent; atque ita indicarent, Divam Virginem adinſtar aliarum mulierum *puerperio* fuiſſe obnoxiam, Patres Synodi ſextæ id præſenti Canone fieri prohibent: " Abſque „ *puerperio* editum ex Virgine Divinum Partum eſſe con- „ fitentes, ut qui ſine ſemine conſtitutus ſit: idque toti „ gregi annuntiantes, eos qui ex ignorantia faciunt quod „ non decet, correctioni ſubjicimus.

„ Puerperium [de quo in præſenti Canone] eſt [ait „ Zonaras] emiſſio fœtus, quam doloris ſenſus ac pro- „ fluvium ſanguinis comitantur: quibus quidem malis „ nullatenus obnoxiam fuiſſe Deiparam credimus.

VI. Porrò ſicut Deipara ob rationem jam dictam legi purificationis ſubjecta non fuit; ſimiliter mulieres novi Teſtamenti, tametſi *puerperio* omnibuſque quæ illud conſequuntur, non ſecus ac mulieres veteris Teſtamenti ſubjectæ, hac lege cæremoniali non conſtringuntur: quia, ut ait Innocentius III. *in Cap. unico* ii *De Purificatione poſt partum.* " Licet ſecundum legem Moſaicam certi dies de- „ terminati fuiſſent, quibus mulier poſt partum à templi „ ceſſaret ingreſſu, lex per Moyſen data eſt, gratia & ve- „ ritas per JESUM CHRISTUM facta eſt.

Hinc ulterius infert & reſpondet Archiepiſcopo Armachano," quod poſtquam umbra legis evanuit & illuxit ve- „ ritas Evangelii: ſi mulieres poſt prolem emiſſam acturæ „ gratias Eccleſiam intrare voluerint, *nulla* proinde pecca- „ ti *mole* gravantur, nec Eccleſiarum eſt eis aditus *dene-* „ *gandus*, ne pœna illis converti videatur in culpam.

Et ſub nomine S. Gregorii refertur *Can.* 2. *diſt.* 5. " Si „ mulier

„ mulier eadem hora, qua genuerit, actura gratias intrat „ Ecclesiam, nullo pondere peccati gravatur.

VII. Addit nihilominus Innocentius III. in citata decretali: "Si tamen ex veneratione voluerint aliquamdiu „ abstinere, devotionem earum non credimus improbandam.

Unde & hodie mulieres sive ex quadam erga Ecclesiam ac Divina mysteria, quæ in ipsa peraguntur, veneratione, sive exemplo Divæ Virginis, quæ ex humilitate legi se subdidit, cui non erat subjecta, etiam consueverunt ad tempus aliquod ab ingressu Ecclesiæ abstinere; nec in eam intrare, nisi se Sacerdoti præsentaverint, & ipse precibus aliquibus præmissis introduxerit, juxta ritum præscriptum in modernis Ritualibus sub titulo: *Ordo introducendi mulierem in Ecclesiam post partum.*

VIII. In Synodo P. II. Mechliniensi *tit. 3. c. 8.* dicitur: "Puerperæ, cum à puerperio domum exeuntes se ad Ecclesiam contulerint, à *proprio* Parocho juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem purificentur.

Hæc Synodus patenter supponit, ritum hunc purificationis in Ecclesia Parochiali, atque à proprio Parocho esse celebrandum; quod & generalis Belgii consuetudo confirmat; atque Sacra Congregatio Cardinalium nuper probavit.

IX. Cum enim in civitate Antverpiensi nonnulli Regulares in suis Ecclesiis mulieres ad purificationem post partum admitterent; ac ea de re Pastores civitatis illius ad Sacram Congregationem querelas detulissent, prodiit sententia hujus tenoris.

"Conquerebantur Parochi civitatis Antverpiensis quod „ non obstante contraria consuetudine, nec non Constitutione Synod: Provincialis, per Sacram Congregationē „ recognitæ, & per Sedem Apostolicam approbatæ, Regulares Mendicantes functionibus Pastoralibus se immisceant & præsertim audeant in suis Ecclesiis mulieres post „ partum ad purificationem admittere: addebantque, à „ Domino Episcopo Antverpiensi, utpote Regulari, hujusmodi præjudiciis per Regulares, illatis minimè consuli. Quare ab Apostolicæ Sedis auctoritate subsidium, „ ac tutelam suppliciter petentes; quærebant: An prædictis „ Regularibus civitatis Antverpiensis liceat in propriis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationē admittere.

"Die XVIII. Novembris M.DC.LXII. Sacra Congregatio Eminentissimorum S.R.E. Cardinalium, Concilii „ Tridentini Interpretum, utraque parte audita censuit, „ prædictis Regularibus civitatis Antverpiæ non licere. „ *Signatum* I. Episcopus Sabinensis Card. Sacchetti Præses, & C. de Vechiis Ep. Clus. S. R. C. Secret. *& à latere* „ *impressum erat sigillum præfati Cardinalis Præsidis in* „ *rubro pane.*

X. Hæc sententia ex mandato Episcopi Antverpiensis publicata fuit, ac per publicum programma locis consuetis affixa 20. Novembris 1663. per Petrum Van den Perre tunc Episcopi Officialem; unà vigore authoritatis sibi commissæ," inhibens præfatis *Regularibus*, ne deinceps aliquas mulieres post partum *ad purificationem* admittat: „ mulieribus autem puerperis injungens, ut juxta sententiam præ-missam ad Ecclesias *suas* respectivè *Parochiales* „ pro *purificatione* se conferant, ut ibidem, juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem *à proprio Parocho* benedicantur.

XI. Quod hîc à *Sacra Congregatione* declaratum fuit, etiam in Synodo II. Cameracensi *tit. 6. cap. 13* decretum fuerat his verbis." Prima vice qua mulieras à puerperio „ domum exeunt, juxta antequam Ecclesiæ consuetudinē „ ad Ecclesiam rectà se conferant, gratias acturæ Deo pro „ beneficio puerperii, & ut à *proprio Pastore*, seu ejus vicem „ gerente, & *non ab alio* purificentur.

XII. Sicut autem in festo purificationis Dei paræ solent Fideles cereos accensos in manibus portare, ita quoque mulier purificationem faciens, candelam accensam in manibus habet.

Sacerdos introducturus mulierem porrigit stolam ex collo dependentem manui mulieres, dicitque: *Ingredere in templum Dei, & adora Filium Beatæ Mariæ Virginis, qui tibi fœcunditatem tribuit prolis.*

XIII. Ex hac formula, uti & ex precibus à Presbytero recitandis haud obscurum, hanc mulierum purificationē ad exemplum purificationis Divæ Virginis institutum: unde Pastorale Mechliniense etiam monet, quòd si Missa celebretur, *aptissimè huic laudis officio congruet Missa de Purificatione B. Mariæ, quæ incipit*, SVSCEPIMVS.

XIV. Omnibus ceremoniis ac precibus absolutis, Sacerdos præbet mulieri osculandam Crucem libri Sacramentalis, dicendo: *Dominus det tibi suam pacem*; respondet Minister; *Et vitam æternam.*

Inter osculandum solet mulier nummum aliquem ipsi libro per modum oblationis imponere, qui in usum Sacerdotis & Ministri, pro locorum consuetudine, cedere consuevit:

Hac oblatione imitari voluêre piæ mulieres Christi parentes, de quibus legitur: *Et postquā impleti sunt dies purgationis ejus, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: quia omne masculum adaperiens vulvam, sanctum Domino vocabitur; & ut darent* HOSTIAM *secundū quod dictum est in lege Domini, par turturū, aut duos pullos columbarū.* Lucæ 2. ℣. 22.

Circa has oblationes merito expendent & observabunt Parochi aliique Sacerdotes ea, quæ circa oblationes in administratione Sacramentorum fieri consuetas observanda notavimus.

XV. Pastorale Mechliniense deinde monet: "Si contigerit mulierem adversa valetudine, certo tempore à purificatione impediri, differatur purificatio, donec utcumque restituta, in Ecclesiam ingredi possit, etiamsi mortis „ immineat periculum, quia purificatio extra Ecclesiam „ facienda non est, neque substituenda alia mulier purificanda in locum defunctæ puerperæ.

Additamenta ad Tit. 2. cap. 5. num. 9.

Decretum S. Congregationis pro jure Parochorum in purificatione mulierum.

Petrus van der Perre, Iurium Licentiatus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis; & officialis Antverpiensis, uti Commissarius & Executor ad infrascripta à perillustri & Reverendissimo Domino Episcopo Antverpiensi, commissus, ac specialiter deputatus, omnibus & singulis hujus Diœcesis subditis, quos infrascriptum tanget negotium, salutem in Domino.

Cognitum sit universis: quod ex parte RR. DD. Plebanorum præfatæ Cathedralis Ecclesiæ, & Pastorum Ecclesiarum sub alternatum hujus urbis nobis exhibitus sit libellus supplex, quo petierint, quatenus juxta commissionem nobis impartitam à præfato Perillustri ac Reverendissimo Domino Episcopo die decima quinta Aprilis currentis anni 1663. publicato, ac debitæ executioni demandare dignaremur sententiam quam præfati Domini Plebani & Pastores die decima octava Novembris anni 1662. obtinuerunt à Sacra Congregatione Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, contra Regulares Mendicantes hujus urbis, tenorem qui sequitur sequentem.

IN ANTVERPIENSI [Episcopatu]

Conquerebantur Parochi civitatis Antverpiensis, quod, non obstante contraria consuetudine, nec non Synodi Provincialis, per Sacram Congregationem recognita, & per Sedem Apostolicam approbata, Regulares Mendicantes functionibus Pastoralibus immisceant; & præsertim audeant in suis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere addebantque, à Domino Episcopo Antverpiensi, utpote Regulari, hujusmodi præjudiciis per Regulares illatis minimè

con-

consuli Quare ab Apostolica Sedis auctoritate subsidium & tutelam suppliciter petentes quærebant: An prædictis Regularibus civitatis Antverpiensis liceat in propriis Ecclesiis mulieres post partum ad purificationem admittere.

Die XVIII. *Novembris* M. DC.LXII. *Sacra Congregatio Eminentissimorum S. R. E. Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, utraque parte audita censuit, prædictis Regularibus civitatis Antverpiæ non licere.* Signatum *I Episcopus Sabinensis Card. Sacchetti Præfec.* & *C. de Vecchiis. Ep. Clus. S.R.C. Secret.* & à latere impressum erat sigillum præfati Cardinalis Præsidis in rubro pane.

Cum autem justa petentibus non sint deneganda, & Decreta præfatæ Sacræ Congregationis [quantum in nobis est] executioni mandare volentes, præfatam sententiam in tenore ac forma præmissis publicandam duximus, & publicamus per præsentes; ac pro ulteriori ejusdem sententiæ executione, auctoritate præmissa nobis commissa, mandamus omnibus & singulis nostræ Diœcesis subditis, & præsertim hujus civitatis Antverpiensis, sive Ecclesiasticis, sive sæcularibus, cujuscumq; status ac conditionis extiterint, & quorum interest, seu quomodolibet interesse poterit in futurum, ut præfatæ sententiæ, quantum ipsos concernat, sese plenariè ac totaliter conforment, nec eidem ausu temerario contraire præsumant, Præfatis autem Regularibus inhibemus ne deinceps aliquas mulieres post partum ad purificationem admittant: mulieribus quoque puerperis injungimus, ut juxta sententiam præmissam ad Ecclesias suas respectivè Parochiales pro purificatione se conferant, ut ibidem, juxta probatissimam Ecclesiæ consuetudinem à proprio Parocho benedicantur, ac purificentur. In quorum omnium ac singulorum fidem ac robur, præsentes sigillo nostro communitas, & manu nostra signatas, per Graphiarium Curiæ nostræ expedire jussimus & fecimus: mandantes Primario Curiæ nostræ præfatæ, ut in signum veræ & realis executionis præmissorum, has nostras litteras debitis horis & locis per exemplaria debita intimet atque affigat, prout in similibus fieri consuevit. Datum Antverpiæ, anno Domini M DC. LXIII. mensis Novembris die vigesima sexta.

P. VANDER PERRE, *Offic.*

De mandato Admodum Reverendi Domini Officialis & Commissarii.

Locus † Sigilli.

P. DE HERTOGHE *Graph.*

TITULUS III.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

Qui confirmandi, & quomodo instruendi; & quo tempore confirmandi?

1. *Quæ de hoc Sacramento credenda proponat Synodus Tridentina?*
2. *Hoc Sacramentum variis nominibus olim appellatum fuit.*
3. *Olim non vocabatur* Confirmatio; *unde hoc nomen derivatum sit?*
4. *Olim recenter baptizatis dabatur Sacramentum Confirmationis.*
5. *Quomodo, & qua occasione hæc disciplina apud Latinos desierit?*
6. *Quare conveniens Ecclesia judicaverit, parvulos non mox à suscepto Baptismo confirmare?*
7. *Baptizati olim non credebantur* perfecti Christiani *ante Confirmationem.*
8. *Quæ esset illius ratio: & quare hodie dicantur* Christiani
9. *Synodi Belgicæ passim requirunt in confirmando ætatem ut minus 7. annorum.*
10. *Quomodo confirmandi instruendi & præparandi?*
11. *Populus de dignitate, vi, & effectu hujus Sacramenti à Parochis instruendus.*
12. *Pueri confirmandi testimonium Parochi adferre debent de sufficienti instructione.*
13. *Olim hoc Sacramentum conferebatur in Paschate & Pentecoste; quod & hodie fieri optavit S. Carolus.*
14. *Episcopus ægrum non Confirmatum invisere & confirmare debet.*
15. *Episcopus Parochos tempestivè monere debet, quando hoc Sacramentum conferre intendit, & quid hic observaverit S. Carolus?*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 7. *de Confirmatione Can.* 1. ait:" Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum „ otiosam ceremoniam esse, & non potius verum & pro„ prium Sacramentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam „ catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi suæ „ rationem coram Ecclesia exponebant; anathema sit.

Deinde *Can.* 2." Si quis dixerit, injuriosos esse Spiritui „ S. eos, qui sacro Confirmationis Chrismati virtutem a„ liquam tribuunt: anathema sit.

Insuper *eadem Sessione De Sacramentis in genere Can.* 9. anathema dicit in eum, qui diceret in hoc sacramento non imprimi characterem in anima, hoc est, signū quoddam spirituale, & indelebile, unde illud iterari non possit.

Hæc Ecclesiæ dogmata contra modernos & nobis vicinos Hæreticos ex patribus & pristinis Ecclesiæ Canonibus astructa videri possunt apud Theologos, qui ex professo de hac materia contra Hæreticos scribunt.

II. Illud singulariter pro intellectu Canonum notandum, hoc Sacramentum multis diversisque nominibus olim dictum fuisse.

Imprimis apud veteres frequenter vocatur simpliciter *manus impositio*; quia licet in omnibus penè ritibus Ecclesiasticis fieret *manuum impositio*; specialiter tamen huic Sacramento tribuebatur, quod in Actibus Apostolorum per *manuum impositionem* esset expressum. Hoc nomine appellabatur à S. Augustino *lib.* 8. *contra Donatistas c.* 6. Item à S. Isidoro *lib.* 2. *de Officiis Eccles. c.* 26. Amalario Fortunato *lib.* 1. *de Officiis Eccles.* 27.

Dicitur etiam nonnumquam *Supercæleste Chrisma*; ut in *Can.* 48. Laodicæno, ut dicitur," Quod oportet eos qui „ illuminantur, post Baptisma inungi super cœlesti Chri„ smate, & esse regni Christi participes.

III. Olim hoc Sacramentum frequentiùs *Chrismatio* à Chrismate, vel etiam *manuum impositio* dicta fuit, quàm *Confirmatio*; quo nomine apud Veteres non occurrit.

Quod indicare videtur Innocentius III. in *Cap. unico* §. 4. *de Sacra Unctione*: undè indicans unde *Confirmationis* nomen dirivatum sit." Per frontis *chrismationem*, ait, ma„ nus impositio designatur; quæ alio nomine dicitur *Con„ firmatio*: quia per eam Spiritus Sanctus ad *augmentum* „ datur & *robur*.

Cui congruit instructio ab Eugenio IV. data Armenis, ubi effectum hujus Sacramenti exponens ait:" Effectus hu„ jus Sacramenti est, quòd in eo datur Spiritus Sanctus ad „ *robur*, sicut datus est Apostolis in die Pentecostes, ut sci„ licet Christianus audacter confiteatur nomen Christi.

IV. Ut verò hic effectus Christianis non deesset, fortesque redderentur ad fidem, quam in Baptismo professi erāt, generosè ac liberè verbo & operè profitendū, olim in more positū fuit, ut baptizati mox accepto Baptismo confirmaren-

Digitized by Google

„& in adventu sacro Domini, & quoties visitationem „obibit Sacramentum Confirmationis ministret: & ob „eam causam, ut Concilio Provinciali quarto cautum „fuit, administrandum sæpe accurret, quibus in locis „Diœcesis opus erit.

XIV. Post hæc monet: "Quòd si quis cùm periculosè „ægrotat se chrismatis Sacramento confirmatum non „esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat; „tunc Episcopus, si eo loci est ubi ille ægrotat, ut ne si- „ne hoc Sacramento discedat, eum charitate paterna in- „visat, & ritè confirmet.

Insuper in suis Instructionibus inter cætera à Parochis circa hoc Sacramentum observanda præcipit: "Ægrotos „præterea nondum confirmatos designabit, eosq; Archie- „piscopo denuntiabit, ut ne ingravescente morbo, sine „hoc Sacramento discedant.

Ex his constat, quam ideam de fructu hujus Sacramenti conceperit hic zelotissimus Archi-Præsul; quamque solicitos esse debere Episcopos ostenderit, ut nemo hoc Sacramento destitueretur.

XV. Volunt quoque Synodi, ut Episcopus Sacramentum hoc administraturus, diebus aliquot ante moneat Parochos, ut populum interea pro ejus digna susceptione disponere & specialiter instruere valeant; voluitque S. Carolus, eum in finem ab Episcopo Litteras Pastorales ad Parochos dandas; è quibus ipsi, quæ potissimùm iis incumbant, haurire queant, easq; populo publicè prælegant: ita habetur in Concilio Mediolanensi IV. *parte 3, tit. de visitatione*: & in Instructionibus præcipit [merito ab omnibus Parochis æmulandum] "Paucis ante ministratio- „nem diebus, Parochus, in cujus Parochia hujus Sacra- „menti ministratio indicitur, primò orationem publicam „instituet; ut sui divinæ gratiæ dona uberrimè recipiant.

CAPUT II.
De Ministro Confirmationis & de Chrismate.

1. *Primis sæculis solos Episcopos fuisse ministros Confirmationis malè astruitur ex epistola Eusebii Papæ.*
2. *Probatur testimonio Innocentii I.*
3. *Presbyteri apud Græcos etiam hodie hoc Sacramentum administrant; neque hanc disciplinam Ecclesia Romana improbat.*
4. *An eam Innocentius III. improbaverit.*
5. *Etiam in Ecclesia Latina Presbyteri* dispensatoriè *administrare possunt.*
6. *Neque contrarium asseruit Eugenius IV. aut definivit Synodus Tridentina.*
7. *Sepositâ reservatione positivâ posset Presbyter confirmare.*
8. *Disciplina quæ solis Episcopis dat auctoritatem confirmandi occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.*
9. *Episcopi curare debent ne quis ex eorum negligentiâ sine hoc Sacramento discedat.*
10. *Incommoda ex hujus Sacramenti dilatione nata sequi.*
11. *Chrismatis benedictio soli Episcopo competit.*
12. *Primum Episcopus* omni *tempore Chrisma conficere poterat.*
13. *Quandonam invaluerit ut in Cœna Domini Chrisma esset conficiendum?*
14. *Olim Presbyteri à suis Episcopis Chrisma accipiebant.*
15. *Hodie singulis annis, secus olim Chrisma renovandum.*
16. *Quomodo hodie ex præscripto Synodorum Chrisma accipiatur: & renovari debeat.*
17. *Aliquando Archidiaconi Chrisma distribuebant; & in illius distributione pecuniam exigebant.*

I. SOlum Episcopum hujus Sacramenti ministrum esse, nec ab aliis quàm ab Apostolis eorumque successoribus Episcopis unquam peractum fuisse, aut administrari posse, claris testimoniis declarat Epistola, quæ sub nomine Eusebii Papæ refertur apud Gratianum *Dist. 5. de Consecr. Can. 4.* "Manus quoq; *impositionis* Sacramentum „magna veneratione tenendum est, quod ab aliis perfici „non potest, nisi à *summis* Sacerdotibus, nec tempore A- „postolorum ab aliis, quàm ab ipsis Apostolis legitur, aut „scitur peractum esse; nec ab aliis quàm ab illis, qui eorũ „tenent locum, unquã perfici poterat, aut fieri debet. Nam „si aliter præsumptum fuerit, *irritum* habeatur *& vacuũ*, „& inter Ecclesiastica nunquam reputabitur Sacramenta.

Verùm nôrunt hodie eruditi, quàm exigua sit hujus ac duarum aliarum Epistolarum, quæ sub nomine hujus Pontificis extant, fides; de quibus in nota marginali ad earum primam intrepidè pronuntiat Labbeus: *Confictæ ac spuriæ omnes*: & deinde de hac, quæ ordine tertia est, notat: *Tota Conficta est.*

II. Hoc ergo testimonio prætermisso, aliud habetur, licet nonnihil posterius, certius tamen, nimirum Innocentii I. in Epistola ad Decentium *cap. 3.* "De consignandis verò „infantibus manifestum est, non ab alio quàm ab Episcopo „fieri licere. Nam Presbyteri, licet sint Sacerdotes, Pontifi- „catus tamen apicem non habent. Hæc autem Pontifici- „bus solis deberi, ut vel consignent, vel Paracletum Spi- „ritum tradant, non solùm consuetudo Ecclesiastica de- „monstrat, verùm & illa lectio Actuum Apostolorum quæ „asserit Petrum & Joannem esse directos, qui jam bapti- „zatis traderent Spiritum sanctum.

Hoc Innocentii testimonio utuntur communiter Auctores de officiis Ecclesiasticis scribentes, ut probent Episcopum esse hujus Sacramenti ministrum.

Nequaquam tamen hinc inferre licet, Episcopum ita esse à Christo designatum ministrum, ut ea potestas nullo casu inferioribus Presbyteris communicari possit.

III. Nam Græci non tantùm olim, sed etiam hodie eam auctoritatem in Presbyteris agnoscunt; hique baptizatis Chrismate in fronte consignant; eamque praxim Ecclesiam Latinam non improbasse, ex iis quæ in Concilio Florentino acta sunt non obscurum est.

In hujus quippe Concilii conclusione Eugenius IV. inter alias quæstiones hanc ordine sextam Græcis proposuit: *Quare Pontifices non inungerent sacro chrismate, sed Sacerdotes, cum hoc Pontificibus sit datum?* Et statim subditur in textu: *Hæc a Latinis objecta Mytylenensis canonicè omnia, legitimeque dissolvit.*

Hinc patet, quod etiam tempore hujus Concilii, Græci Sacerdotes confirmarent. Secundò, quod super ea praxi disputatum fuerit. Tertiò, quòd Græci suæ disciplinæ canonicas rationes dederint; atque Latinorum argumentis satisfecerint. Quartò quod Eugenium IV. aliique Latini Episcopi acquieverint; nec Græcos ad aliter confirmandum adegerint; neque de nullitate Confirmationis sic collatæ scrupulum moverint.

IV. Contrarium prorsus his videtur responsum Innocentii III. in *cap. 4. Si de consuetudine*, ubi eam praxim Græcorum omnino improbare videtur; atque confirmationem à Presbyteris etiam *Constantinopoli* collatam pro invalida habere.

Verùm omnis difficultas evanescet, si consulatur ipsa Decretalis Innocentii prout extat in tertia Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; è qua eam desumpsit Raymundus omissâ particulâ *Latinis* ad vocem *Presbyteris*; quæ ostendit, Innocentium tantùm respondisse de Presbyteris *Latinis* Constantinopoli agentibus; quibus præcipit, ut consuetudinem Ecclesiæ Latinæ sequantur. Hîc obiter notent Canonistæ, quàm utile, imò necessarium sit, interdum ad veteres Decretalium collectiones habere recursum; uti monui & pluribus ostendi in commentario ad Canones *parte 8. cap. 3. § 4. & 5.*

V. Cæterum tametsi disciplina Ecclesiæ Latinæ habeat, ut soli Episcopi hoc Sacramentum administrent, quin tamen Presbyteri subinde extraordinariè & absente Episcopo dispensatoriè id ministerii exercere queant, evidenter jam pridem probavit S. Gregorius.

Scripsit ipse Episcopo Calaritano in Sardinia *l. 3. Epist. 9.* "Presbyteri baptizatos infantes signare sacro in frontibus „chris-

„chrismate non præsumant: sed Presbyteri baptizatos ungant in pectore, ut Episcopi postmodum ungere debeant „in fronte." Apud Gratianum *de Consecrat. dist. 4. Can. 19.*

Cùm verò intellexisset Gregorius quosdam è Sardis hoc responso scandalizatos fuisse, rescribit eidem Episcopo in hæc verba: "Pervenit quoque ad Nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere in „fronte eos, qui baptizati sunt, prohibuimus. Et nos quidem secundùm usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus, „sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos „chrismate tangere debeant, concedimus." Epist. 26. ejusdem libri; & refertur à Gratiano *dist. 95. Can. 1.*

Observatu digna sunt hæc epistolæ verba: *Nos quidem secundùm usum veterem* ECCLESIÆ NOSTRÆ *fecimus*: tacitè innuens, aliam esse Ecclesiæ Orientalis consuetudinem; se autem scripsisse Episcopo Calaritano in priori Epistola, ut procederet juxta consuetudinem *Ecclesiæ suæ*, id est, Romanæ; quæ Presbyteris non permittebat, baptizatos sacro Chrismate in frontibus consignare.

Sed cum hinc offenderentur Sardi, in hac Epistola (quæ ad priorem refertur) permittit Gregorius, *ubi Episcopi desunt, ut Presbyteri etiam in frontibus baptizatos Chrismate tangere debeant.*

VI. Itaque non dubitavit Gregorius, quin Presbyteri etiam subinde esse possent hujus Sacramenti ministri; quod & supposuit Eugenius IV. dum in Instructione pro Armenis dixit: *Legitur tamen aliquando, per Apostolicæ Sedis dispensationem*, SIMPLICEM SACERDOTEM *Chrismate per Episcopum consecrato hoc administrasse Sacramentum Confirmationis.*

Unde Synodus Tridentina *Can. 3.* de Confirmatione dicens, ministrum hujus Sacramenti esse Episcopum, expresse ad vocem *ministrum* addidit, *ordinarium.*

VII. Plura in eamdem rem vide apud Franciscum Farvacquium de Sacramento confirmationis *c. 4. q. 4. §. 1. 3 & 4.* Et *quæst. 5.* ostendit, seposita reservatione, posse etiam in Ecclesia Latina Presbyterum ex sola Episcopi commissione confirmare juxta illud Synodi Toletanæ I. "Statutum est „Diaconum non chrismare, sed *Presbyterum absente Episcopo*; præsente vero, si ab ipso fuerit præceptū." *Can. 20.*

VIII. Quidquid sit, certum est juxta modernam Ecclesiæ Latinæ disciplinam, quam & à sæculo 4. in usu fuisse testis est Innocentius I. solis Episcopis fas esse hoc Sacramentum conferre; quæ disciplina verisimiliter occasionem dedit sejungendi Confirmationem à Baptismo.

Cum enim invaluisset Baptismus infantium, isque à Presbyteris plerumque conferretur, contigit, ut hi potestate confirmandi instituti, Confirmatio differretur quousque præsentia Episcopi haberetur; quæ populo Christiano multiplicato, cum frequenter ad longum tempus expectaretur, tandem conveniens visum fuit, differri quousque baptizati usum rationis attigissent.

IX. Quia ergo ad Episcopos pertinet hoc Sacramentum administrare, debent quoque hi omni curâ invigilare, ne quis ex eorum negligentia hoc Sacramento diutiùs, quàm oportet, destituatur; quemadmodum multis ostendit Farvacquius loco citato in sua *Charitate*; optatque, "ut Episcopi omnes tam vigiles sint ad ministrandum ovibus „Confirmationis Sacramentum, quàm alacres & expediti „sunt ad suscipiendum (utinam non sollicitandum) sublimioris Cathedræ fastigium? certè [pergit Farvacquius] Armacanus Primas Hiberniæ *lib. 9. cap. 30.* non dubitat asseveranter scribere, *Qui Sacramentum Confirmationis retardant, sine quo plurimi suorum subditorum ab hac luce recedunt, graviter valde corā Deo delinquunt.*

X. Ex hac insuper Episcoporum mora in administrando hoc Sacramento contingit, tantam subinde multitudinem confirmandorum concurrere, ut vix confusio tempore administrationis vitari queat; nequeatque Episcopus notitiam convenientem de confirmandis accipere: circa quæ non inutiliter consulent Episcopi quæ in suis Instructionibus præscripsit S. Carolus titulo *De Modo procedendi ad sumendum Confirmationis Sacramentum*; in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag. 421.* edit. 1683.

XI. Sicuti ipsius Confirmationis ministrum *ordinarium* solem Episcopum agnoscit Ecclesia Latina, ita nec *Chrismatis* conficiendi sive benedicendi alium ministrum agnoscit; nec jam pridem agnovit; de quo præter plures Canones Africanos apud Gratianum *Caus. 26. qu. 6. Can. 1. & 2.* hæc habet Canon. 20. Concilii Toletani I. sub initium sæculi 5. "Quamvis penè ubique custodiatur, & absque Episcopo Chrisma nemo conficiat; tamen quia in aliquibus locis, vel provinciis, Presbyteri dicuntur Chrisma „conferre, placuit ex hac die nullum alium, nisi Episcopum chrisma facere, & per Diœcesim destinare.

XII. Quod verò in eodem Canone subjicitur *Episcopo sane* OMNI TEMPORE *licere Chrisma conficere*, manifestè evincit, nequaquam eo tempore adhuc stabilitam modernam disciplinā, quæ vult, ut Chrisma tantū *feria v.* ante Pascha sive in *Cœna Domini* ab Episcopo conficiatur.

Hinc quoque ostenditur, suppositītiam esse Epistolam, quæ sub nomine Fabiani Papæ (qui sedit circa initium sæculi 3.) ad omnes Orientales Episcopos extat; & è qua hoc fragmentum refert Gratianus *Dist. 3. de Consecrat. Can. 18.* "Litteris vestris inter cætera insertum invenimus, „quosdam regionis vestræ Episcopos à vestro nostroque „ordine discrepare, & non per singulos annos in *Cœna Domini* chrisma conficere. Errant verò qui talia excogitant, „& mente pasana potius, quam recta sentientes hæc audent. Sicut enim ipsius diei solemnitas per singulos annos est celebranda, ita ipsius S. Chrismatis confectio per „*singulos annos* est agenda, & de anno in annum revocanda & fidelibus tradenda: quia novum Sacramentum est „per singulos annos, & jam dicto die innovandum, & vetus in sanctis Ecclesiis cremandum. Ista à sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus & vobis tenenda mandamus.

XIII. Videtur autem sæculo 7. præsens disciplina de conficiendo Chrismate *in Cœna Domini* invaluisse: nam illius mentio fit in Sacramentario S. Gregorii, & antiquo Ordine Romano, aliisque qui circa ea tempora de Divinis Officiis scripserunt.

XIV. Prædictus Canon Toletanus vult, ut de singulis Ecclesiis ad Episcopum ante *diem Paschæ* Diaconi destinentur, aut Subdiaconi, ut confectum ab Episcopo Chrisma possint accipere.

Et in Concilio Carthaginensi IV. *can. 36.* apud Gratianum *Dist. 95. can. 4.* "Presbyteri, qui per diversas Ecclesias „regunt, non à quibuslibet Episcopis, sed *à suis*; nec per juniorem Clericum, sed aut per seipsos, aut per illum, qui „Sacrariū tenet ante Paschæ solemnitatē *chrisma* petant.

XV. Addit Gratianus post particulam *sed*, OMNI ANNO idque forsan more suo inflectendo Canonem ad sui temporis disciplinam, quæ chrisma *singulis annis* renovari volebat; quæque etiam hodie obtinet: nisi dicere malimus cum Stephano Baluzio in notis ad hunc Canonem Gratiani, mendum hic esse in editionibus Gratiani, & pro *omni anno* legendum *omninò*.

XVI. Hodie non singuli Parochialium Ecclesiarum Rectores *per se* aut *alium* chrisma accipiunt ab Episcopo; sed Archipresbyteri id pro suis respectivè Districtibus accipere solent; qui illud Rectoribus Ecclesiarum distribuunt; aut in civitatibus Chrisma solemniter ad Ecclesiam primariam sive matricem defertur, ad quam inferiores Ecclesiæ accedentes id quærere solent.

Synodus Mechliniensis P. II. *tit. 2. c. 6.* ait: "Non modo „Archipresbyteri *singulis* annis ab Ordinario suo, vel Sede „vacante à Vicario Generali, sacrum Chrisma & sacra Olea tempestivè petant & per Sacerdotem, Diaconum, vel „saltem Subdiaconum, in mundis & honestis vasculis (scilicet stanneis aut argenteis, nullo modo verò cupreis, testaceis aut vitreis) ad locum residentiæ suæ ferri curent: „sed Pastores etiam singuli quotannis ab Archipresbytero „suo, vel ex ea Ecclesia unde consueverunt, per se aut alium Sacerdotem, non autem illo inferiorem, in similibus

„vasculis

„ vasculis sacrum Chrisma, sanctaq; Olea ferre non omit-„ tant, iisque receptis, veteribus non utantur: sed quidquid „ ex illis superfuerit, si liquidum, lampadi quæ lucet ante „ Venerabile Sacramentum infundatur; sin autem bom-„ byci, vel gossipio immixtum fuerit, super piscinam „ comburatur.

Huic consonat Synodus P. II. Cameracensis *tit. 5. cap. 8. & 9.* atque hodiernam in requirendo ac deferendo sacro Chrismate disciplinam Belgicam hæ Synodi exprimunt.

XVII. Sæculo 9. Parochos ab Archidiaconis aliquando Chrisma accepisse testis est Hincmarus Remensis in Capitulis anno 877. Archidiaconis datis *cap. 5.* ubi unà vetuit ne à Presbyteris, *dum pro Chrisma accipiendo veniunt, eulogias exigant.*

Et in Concilio Cabilonensi II. anno 813. *Can. 16.* apud Gratianum *cauf. 1. quæst. 1. Can. 106.* statutum, "ut sicut „ pro dedicandis Basilicis, & dandis ordinibus nihil accipiendum est, ita etiam pro balsamo, sive luminaribus „ emendis, nihil Presbyteri *Chrisma* accepturi dent.

Idem in Concilio Toletano XI. Bracarensi II. & Triburiensi decretum fuit; quorum Canones refert Gratianus loco citato *Can. 101. 102. & 103.* ad quod reflectens Innocentius III. reprobat consuetudinem quorumdam Episcoporum Provinciæ Cantuariensis, exigendi certam pecuniæ quantitatem pro *Chrismate*, idque per *anticipatam* solutionem; ne viderentur pro *Chrismate* accipere. Refertur in *cap. 36. ⅹ De Simonia.*

CAPUT III.
De Ritibus Confirmationis.

1. *Antiquus est ritus imponendi.*
2. *Manus impositio aliquando sumpta pro Confirmatione.*
3. *Ecclesia R. numquam rejecit manûs impositionem.*
4. *Confirmandus* Chrismate *ungitur in* fronte.
5. *Unde Chrisma conficiatur?*
6. *Incertum est an unctio* Chrismatis *spectet ad essentiam Confirmationis.*
7. *Quam convenienter Balsamum adhibeatur, remissivè.*
8. *Confirmandus apud latinos ungitur in* fronte *apud Græcos in pluribus partibus corporis.*
9. *Unctio fit adhibito signo* crucis.
10. *De verbis in unctione proferendis non convenit inter Græcos & Latinos; nec formula unctionis pertinet ad substantiam Sacramenti.*
11. *Ob formulam unctionis hodiernam Latinorum invaluit nomen* Confirmationis.
12. *Ritus percussionis post factam unctionem quid significet?*
13. *Episcopus confirmato pacem impertitur.*
14. *Hodie etiam assumuntur Patrini; quorum antiquitus mentio non occurrit.*
15. *Quales in Patrinos adhibendi, & quis delectus habendus?*
16. *Quod eorum officium?*
17. *Cavendum ne per horum Patrinorum adhibitionem nimis multiplicentur impedimenta Matrimonii.*
18. *Quæ in administratione servanda modestia.*
19. *Quid nominis mutatio significet.*

I. IMprimis Apostolicus est ritus *manuum impositio* super confirmandos, de quo in Actibus Apostolorum c. 8. *Oraverunt pro ipsis ut acciperent Spiritum Sanctum... Tunc* IMPONEBANT MANUS *super illos & accipiebant Spiritum sanctum.*

Eumdem ritum apud Patres passim expressum & adhibitum videmus: falsumque quod Innocentius III. dixerit eum in *Chrismationem* esse mutatum; quasi Ecclesia Romana (uti clamant Hæretici) abrogato ritu Apostolico sola Chrismatione uteretur.

II. Scribit quidem Innocentius III. in *Cap. unico §. 4. ⅹ De sacra unctione: per frontis chrismationē manus impositio designatur: quæ alio nomine dicitur Confirmatio;* sed nequaquā dicere voluit, *manus impositionem* separari à *Chrismatione;* sed tantùm, quod Frontis Chrismatio designet sive significet illud idem, quod olim simpliciter dicebatur *manus impositio,* & hodie alio nomine vocatur *Confirmatio.*

Idem dicere intendit Eugenius IV. in instructione pro Armenis dicens quod, A postoli *per manus impositionem dabant Spiritum sanctum & loco illius impositionis datur in Ecclesia Confirmatio;* nimirum, Sacramentum quod Apostolorum tempore dicebatur *manuum impositio*, hodie dicitur *Confirmatio.*

III. Neque Ecclesiam Romanam rejecisse *manuum impositionem* in administratione hujus Sacramenti sit manifestum est ex Pontificali Romano, ubi præscribitur, ut Episcopus orationem recitet *extensis versus Confirmandos manibus;* sive ut legitur in Sacramentario S. Gregorii *Levata manu;* quibus idem reipsa indicatur, ac si diceretur, IMPOSITI *super Confirmandos manibus;* iis siquidem tribus formulis idem ritus significatur, nempe oratio quam quis fundit super eo quem *manu* indicat. *Quid enim est aliud manûs impositio* (ait Augustinus *lib. 3. de Baptismo cap. 16.*) *quàm* ORATIO SUPER *hominem?*

IV. Ultra manuum impositionem & orationem super confirmandos, ungitur confirmandus Chrismate in fronte.

De hac unctione frequens est apud Antiquos mentio; & plura apud Theologos obvia sunt testimonia; quæ una quoque ostendunt, jam pridem orationibus Chrisma fuisse benedictum; nec non magnam unctioni efficaciam datam fuisse. Unus pro omnibus S. Cyrilli Hierosolymitani locus sufficit: "Quemadmodum panis Eucharistiæ post S. „ Spiritus invocationem, non amplius est panis communis, sed est *Corpus* Christi: sic & sanctum hoc unguen-„ tum, non ampliùs est *unguentum nudum*, neque [si quis „ ita appellare malit] *commune*, postquam jam *conse-„ cratum est*: sed est *Chrisma Christi*, quod adventu Spi-„ ritus S. per ipsius Divinitatem *energiam* habet. Quod „ *frons* & alii sensus corporis tui symbolicè unguntur: & „ corpus quidem isto visibili unguento perungitur, anima „ verò S. vivifico Spiritu sanctificatur.

V. Chrisma hodie conficitur ex oleo olivarum & balsamo, de quo ita loquitur instructio pro Armenis. "Secun-„ dum Sacramentum est Confirmationis, cujus materia „ est chrisma confectum ex *oleo*, quod significat nitorem „ conscientiæ, & *balsamo*, quod significat odorem bonæ „ famæ, per Episcopum benedicto.

VI. Nequaquam tamen certum esse num Chrismatis unctio ipsi Sacramento sit essentialis, ita ut illa omissa esset tamquam nullum *reiterandum* Sacramentum, sat manifestum est ex responso Innocentii III. in *cap. 1. ⅹ de Sacramentis non iterandis;* nam ad quæstionem, num "Sacra-„ mentum Confirmationis in eo debeat iterari, qui per „ errorem fuit *non chrismate sed oleo* delinitus? non re-„ spondit Innocentius, Sacramentum esse *iterandum* tam-„ quam nulliter collatum, *sed cautè* SUPPLENDUM, „ *quod incautè fuerat prætermissum;* uti fieri solet dum quædam non ad essentiam requisita per errorem omissa sunt.

Cæterùm hoc indubitatum est, hodie licitum non esse, sine vero *Chrismate* hoc Sacramentum conferre.

VII. Quàm convenienter *balsamum* hîc adhibeatur, & quomodo virtutes homini Christiano necessarias, nec non pinguedinem cœlestis gratiæ, quæ per hoc Sacramentum infunditur, designet; pulchrè explicat S. Carolus in suis Instructionibus de Sacramento Confirmationis parte 4. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis *pag. 419.*

VIII. Signatur autem *in fronte;* idque ritu antiquissimo: Nam S. Cyrillus Hierosolymitanus verbis supra relatis immediatè subjungit; "Ac primum quidem *frons* illinitur; ut „ eum abstergat à vobis pudorem, quem primus homo „ transgressor perpetuo circumferebat: simulque efficiat, „ ut possit is vultu non velato gloriam Domini intueri.

Subdit post hæc Cyrillus; "Deinde verò *aures* unguntur, „ ut ad audiendum divina mysteria aures accipiatis: de quibus Isaias dicebat; Et addidit mihi Dominus aures ad au-„ diendum: Et Dominus in Evangelio: Qui habet aures „ audiendi audiat." Posteà *nares:* ut divinum recipien-„ tes, ait, unguentum dicatis: Christi gratus odor est „ Deo, in his qui salvantur. Tum verò & *pectus* inungi-„ tur; ut induti thoracem justitiæ, fortiter adversùs insul-„ tus diaboli consistatis.

Digitized by Google

Hæc Cyrillus, conformiter ferè ad disciplinam Græcorum, qui hodie ungunt baptizatum non tantum in fronte, sed & in oculis, & in naribus, & in utraque aure & pedibus. Ita Rituale editum à Jacobo Goar *pag.* 356.

IX. Conveniunt Græci & Latini, quòd signent sive ungant adhibito *signo crucis*. Hîc apposité exponet Parochus, ait S. Carolus, " illo *crucis* signo, quo Christus Dominus triumphavit, Christianum hominem, in cujus „ *fronte* dum confirmatur, in numerum adscribi *fortissimorum* ejus *militum*.

X. Chrisma per modum crucis fronti confirmandi illiniens Episcopus ritu Latino dicit: *Signo te signo crucis & confirmo chrismate salutis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti.*

Quo tempore hac formula Ecclesia Latina uti cœperit, incertum est; hoc certum est, Græcos hac formula nec olim usos fuisse, neq; hodie uti; creduntque plures formam hodiernam Græcorum esse: *Signaculum doni Spiritus sancti*: neq; Ecclesiam Latinam Confirmationem ritu Græcorum ita factam improbare. Certum quoque est, formulam illam Latinorum primis decem sæculis notam non fuisse; neque ullum auctorem ante sæculum 12. illius meminisse; ac consequenter dici non posse *formam essentialem* hujus Sacramenti; uti latiùs ostendit Farvacquius in Opusculo de hoc Sacramento *cap.* 3. *qu.* 2. ubi §. 2. monet, quod mens Eugenii IV. in instructione pro Armenis non fuerit *essentiales* Sacramentorum formas, sed ad summum assignare formas *ordinarias* in Ecclesia Latina usitatas; ut ita Armeni de ritu Ecclesiæ Romanæ essent instructi.

XI. Non dubium, quin post addita hæc verba: CONFIRMO *te chrismate salutis*, Sacramentum hoc vulgati nomine *Confirmationis* nuncupari cœperit; quo nomine numquam vel raró apud Veteres nuncupatum legitur; quibus tamen verbis & nomine convenienter præcipuus Sacramenti effectus rectè indicatur; qui est spiritualis *Confirmatio* sive roboratio ad resistendum diabolo, & fortiter standum pro Evangelio & Christi nomine; quemadmodum loco citato exponit S. Carolus.

XII. Ubi frontis inunctio peracta est, Episcopus confirmatum leviter in *maxilla cadit*. Non per antiquā esse eam cæremoniam, probat silentium omnium Auctorum qui de Officiis Ecclesiasticis sæculo 9. & 10. scripserunt; illius tamen rationem piam hanc assignat S. Carolus: " Ut sciat „ homo Christianus, se jam militem esse, cujus pugna & „ victoria eluceat in patiendis injuriis, non illis inferendis: „ deinde se in Christiana militia constitutum esse, in qua „ non hujus vitæ jucunditates & commoda quærat, sed incommoda potius, atque adeò mala multa patienter ferat: ac præterea intelligat officii sui esse in acie stare: telaque unde veniant observare; ita ut quamvis illis telorum ictibus corpus, honor, opesque lædantur, anima „ tamen nullo pacto offendatur.

XIII. Demum pacem impartitur confirmando Episcopus ritu antiquo; utpote cujus meminit pristinus Ordo Romanus sæculo 7. conscriptus.

Pacem dari ostendet Parochus, ait S. Carolus, " ut intelligente se gratiæ cœlestis plenitudinem, & pacem, quæ „ exsuperat omnem sensum, consecutos esse.

XIV. Denique juxta hodiernum Ecclesiæ Latinæ morem in hoc Sacramento, non secùs ac Baptismo, adhibentur *Patrini* & *Matrinæ*; atque ratione susceptionis etiam hic cognatio spiritualis constituens impedimen[tum]... iam dirimens matrimonium, contrahitur.

Quod apud Veteres horum Patrinorum ment[io]... mirum apparere non debet: quandoquidem, ut... nuimus, pluribus sæculis hoc Sacramentum à S. Baptismi vix separaretur; ideoq; admodum vet... disciplinā adhibendi speciales Patronos seu Sp[onsores]... Susceptores confirmationis incepisse, postquam C... tio desiit una cum Baptismo administrari. Dum... junctim conferebantur Confirmatio & Baptism... bantur Patrini sive Sponsores pro utroque interv... de contigit, ut facta separatione, etiam separat... ri cœperint Patrini; ut ita antiquus ritus manere...

XV. Synodus Audomarensis Anno 1583. *tit.* 4. ... Patrinorum hæc adhibitio in Confirmatione re... utilis voluit, " ad id muneris non quoslibet absq... „ mine adsumi, sed ejusmodi omninò, qui ut ... „ parentes & possint & velint eorum, quos ad C... „ tionem obtulerint, paternam curam gerere, e... „ struere, quomodò adversus visibiles & invisib... „ tis hostes ut dimicandum certandumque viril... „ beatur itaque delectus & ratio talis, qualem „ tum in Baptismo habendam esse præscripsimus...

Et Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 4. *c.* 2. decl... „ in Baptismo Patrini esse non possunt, nec hic e...

XVI. Synodus Cameracensis P. II. *tit.* 7. *cap.* ... Parochus Patrinorum officium exponat populo... „ quod eorum puerorum, quos susceperint, tam... „ liorum spiritualium curam gerere, eosque pr... „ rudimenta docere debeant, si ea ignorent.

Addit hæc Synodus, ut singuli puerorum ab ali... sentandi adducantur, " mares quidem ait, quoad fi... „ rit à viris, & puellæ à mulieribus.

XVII. Synodus Buscoducensis tam sub Metsio, qu... sio, monet consulendū parentibus, ut pro præsen... seu tenentibus assumant, quantum fieri poterit, co[nsangui]... neos aut affines, aut eos qui in sacris Ordinibus c... sunt. Rationem addit Synodus sub Masio: *Ne mult[iplicen]tur Matrimonii impedimenta.* Id ipsum monent ... Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest. *tit.* 4. *ca*...

XVIII. " Dum Sacramentum hoc ministratur [ai... „ dus Buscod. sub Masio *c.* 7.] non modò qui illu... „ pturi sunt, quique eos offerunt, sed quotquot etia... „ sentes sancto illi ministerio adsunt, sanctè piequ... „ ac summa animi intentione spectent, quod in illa s... „ ministerii celebritate peragitur tum vero mente r... „ cœlestia illa Spiritus S. dona, quæ illius Sacrament... „ te Fidelibus impenduntur: in primisq; tacita me... „ ne videant, quas in illis progressiones habeant, & „ tam agant tanta cœlestium donorum ubertate di[gnos]...

Hoc laudandum suum Decretum; & hodie me... piùs inculcandum desumpsisse videtur Synodus e... cilio V. Mediolanensi sub S. Carolo *cap.* 8. ubi ad v... exhibetur.

XIX. Addit deinde clausulam quæ nominis mut... in hoc Sacramento fieri solitæ rationem indicat: " „ hactenus non ad normam Christi Domini vitan... „ tuit, jam abjecto nomine ejusmodi, depositoque „ homine, & antiqua socordia, rursusque novo ac... „ suscepto nomine, virilem in sanctè agendo c... „ tiam perpetuò deinde præstet.

TITULUS IV.

De Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT I.

De Materia, Forma, & Ministro hujus Sacramenti.

1. *Quid de hoc Sacramento habeat moderna professio fidei?*
2. *Quid Synodus Tridentina?*
3. *Contentio inter Patres Tridentinos occasione Canonis.*
4. *Materia Eucharistiæ est verus panis triticeus; ... num de vite.*
5. *Non refert qua sit species vini, modò sit vinum d...*
6. *Græci utuntur pane fermentato; eo etiam Lat... quando usi fuerint?*

7. *Ag*...

7. *Agnoscunt Latini utrumque esse materiam sufficientem.*
8. *Quisque debet servare in usu panis consuetudinem & praescriptum sua Ecclesia.*
9. *Forma hujus Sacramenti sunt verba quibus Christus illud confecit.*
10 *Non iisdem verbis in omnibus Liturgiis exprimitur forma consecrationis Panis.*
11. *Varietas est in forma consecrationis Calicis.*
12. *Forma hodierna consecrationis Latinorum praesertim Calicis integra non est de essentia Sacramenti.*
13. *Forma hodierna necessariò ab omnibus exactè servāda.*
14. *Forma Consecrationis Calicis non continetur quoad omnia in Scriptura; est tamen conveniens.*
15. *Solus Sacerdos potest hoc Sacramentum conficere.*
16. *Diaconi aliquando hoc Sacramentum populo distribuerunt.*
17. *Diaconi id faciebant ut ministri Sacerdotum.*
18. *Distributio Calicis magis propria fuit Diaconis, quàm Panis consecrati.*
19. *Quamdiu hac disciplina duraverit; & quae hodie illius vestigia?*
20. *Hodie soli Presbyteri distribuunt; & quidem soli Pastores jure ordinario.*
21. *Aliquando Religiosis vetitum fuit Eucharistiam sine consensu Parochi populo distribuere.*
22. *Hodie, excepta Communione Paschali, in omnibus passim Ecclesiis, & ab omnibus Presbyteris distribuitur.*
23. *Unde hac licentia invaluerit?*
24. *Qua hinc incommoda?*

I. Eucharistia vox Graeca, propriè Latinè significat *gratiarum actionem*: quare Sacramentum Corporis & Sanguinis Christi dictu n est Sacramentum *Eucharistia*, vel simpliciter *Eucharistia* à facto Salvatoris; qui illud instituendo *gratias egisse* Patri Evangelistae & Paulus testantur.

De hoc Sacramento habet hodierna fidei professio: "Profiteor in sanctissimo Eucharistiae Sacramento, esse verè, realiter & substantialiter Corpus & Sanguinem, una „cum anima & divinitate Domini nostri Iesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis & Corpus, „& totius substantiae vini & sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia *transubstantiationem* appellat. „Fateor etiam sub altera tantùm specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

II. Haec à Pio IV. hujus formulae professionis auctore desumpta fuerunt ex Canonibus Concilii Tridentini *Sess.* 13. ubi tres sequentes Canones in hanc rem editi sunt.

Primus:" Si quis negaverit in sanctissimae Eucharistiae „Sacramento contineri verè, realiter & substantialiter „Corpus & Sanguinem, unà cum anima & Divinitate „Domini nostri IESU CHRISTI, ac proinde totū Christum: sed dixerit tantummodò esse in eo ut in signo, vel „figura, aut virtute: anathema sit.

Secundus: " Si quis dixerit in sacrosancto Eucharistiae „Sacramento remanere substantiam panis & vini unà cum „Corpore & Sanguine Domini nostri IESU CHRISTI; „negaveritque mirabilem illam & singularem conversionem totius substantiae vini in Sanguinem, manentibus „dumtaxat speciebus panis & vini; quam quidē conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transubstantiationem appellat; anathema sit.

Tertius:" Si quis negaverit in venerabili Sacramento „Eucharistiae sub unaquaque specie, & sub singulis cujusque speciei partibus; separatione facta, totum Christum „contineri: anathema sit.

III. Circa tertium Canonem observat Palavicinus *lib. 12. hist. Concilii Trid. c. 2. n. 15.*" Cum hic Canon à Patribus delectis ita fuisset conformatus: *Si quis dixerit, sub „qualibet specie, & sub qualibet ipsius parte non cōtineri totum Christum, sit anathema*; Ioannem Aemilianum Hispanensem, Tudaetanum Antistitem monuisse, ut adjiceretur, *facta separatione*: siquidem variabant sententiae, an „Christus esset sub qualibet particula hostiae integrae: at- „que ita effectum est.

Veritatem horum dogmatum contra nostri temporis Haereticos varii Theologi doctissimis tractatibus ex Scriptura & traditione solidissime astruerant, atque prae caeteris eruditus Auctor Operis Gallici cui titulus: *Perpetuitè de la Foy*.

IV. Materia hujus Sacramenti, prout exprimitur in Decreto Eugenii IV. pro Armenis (quod extat tomo 13. Concil. generalium pag. 529.) *est panis triticeus, & vinum de vite.*

Quid sit *panis triticeus*; quid *vinum de vite* petendum ex vulgari aestimatione & judicio. Vnde omissis Philosophorum aut aliorum subtilibus de his disputationibus, nūquam pro materia hujus Sacramenti aliud adhibendum, extra casum necessitatis, nisi illud; quod juxta vulgare & commune judicium habetur & dicitur propriè *panis triticeus, & vinum de vite.*

V. Quae sit species vini parum refert; modò revera sit *vinum de vite*: & uti advertit Cardinalis Bona *lib. 1. Rerū Liturg. c. 23. n. 1.*" nulla unquam de *vino* inter Catholi- „cos quaestio fuit; omnes enim *vini* nomine audito, illud „statim mente concipiunt quod ab uvis exprimitur, & „hominibus in potum exhibetur.

VI. De *pane* verò, pergit Cardinalis Bona, inter Orientales & Occidentales acerrimae motae sunt lites; nam Orientales *fermentato* utuntur, & hunc solum legitimam esse materiam hujus Sacramenti affirmant; Occidentales autem in *azymis* conficiunt, utentes tamen *fermento* non damnant. Adhaerent Latinis in usu azymorum Maronitae & Armenii, sed quo tempore his uti coeperint praeter morem caeterorum Orientalium difficile est invenire. Haec ille, qui ibidem post Jacobum Sirmondum sustinet, etiam Ecclesiam Latinam multis saeculis usum fuisse pane *fermētato*; nec nisi post scisma Photianum usum azymorum introductum: econtra verò Christianus Lupus tomo 3. Scholiorum Dissertatione de Actis Leonis IX. *c. 7.* & sequentibus, & post ipsum eruditus Mabillonius in singulari Dissertatione *De pane Eucharistico Azymo Fermentato* multis ostendere volunt; usum *Azymorum* in Ecclesia Latina antiquissimum esse, & multis saeculis schisma Photianum antecessisse.

VII. Quidquid sit de hac facti quaestione, multis difficultatibus intricata, illud sat certum, utrumque panem, tā *azymum*, quàm *fermentatum* esse veram & sufficientem hujus Sacramenti materiam; ipsumque diversum usum esse unum è punctis disciplinae, de quibus rectè dixit S. Anselmus Cantuariensis:" Quoniam multae sunt diversitates „quae non in substantia Sacramenti, neque in virtute ejus, „aut fide discordant, neq; omnes in unam consuetudinem „colligi possunt: aestimo eas potiùs pro pace concorditer „tolerandas, quàm discorditer cum scandalo damnandas. „Habemus enim à sanctis Patribus, quia si unitas servatur „charitatis in fide Catholica, nihil officit consuetudo diver- „sa." Haec ille in Responsione ad Vauleranni querelas *c. 1.*

VIII. Illud quoque certum est, unumquemque teneri hac in re ritum & morem suae Ecclesiae servare; adeoque juxta modernam disciplinam, Presbyteros in Ecclesia Latina non posse uti pane *fermentato*; imò eo utentes *graviter* peccaturos; ita quidem ut qui id scienter perpetrasset, officio & beneficio privandum esse, ex *Cap. finali* ꝰ *De Celebrat. Missarum* concludant Canonistae.

IX. De forma hujus Sacramenti Instructio pro Armaenis loquitur his verbis:" Forma hujus Sacramenti sunt ver- „ba Salvatoris, quibus hoc confecit Sacramentum. Sacer- „dos enim in persona Christi loquens, hoc conficit Sacra- „mentum.

Omnes sive Orientales, sive Occidentales, tam antiquas quàm modernas Liturgias in hoc conspirare notat Vir eruditione celeberrimus Benignus Bossuet Episcopus Meldensis in explicatione quarumdā difficultatū circa preces Sacrificii Missae *n. 45.* quòd ipsa Consecrationis vis, ipsis verbis

bis Christi à Sacerdote prolatis adscribatur: quamvis non eodem modo ubique proferantur.

X. Forma consecrationis panis in Liturgia Ambrosiana edita à Pamelio est: *Hoc est enim corpus meum quod pro multis confringetur.*

Forma consecrationis panis in Liturgia Græcorum exprimitur his verbis. *Hoc est Corpus meum quod pro vobis frangitur.* Et in Missali antiquo Morazabum, quod olim erat Hispanorum, exprimitur hac formula: *Hoc est Corpus meum, quod pro vobis tradetur.*

XI. Forma consecrationis calicis in Græcorum Liturgiis hæc est: *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum.* Ita Liturgia S. Basilii, & S. Chrysostomi; Liturgia S. Iacobi post verbum *effunditur*, addit, *& datur*.

Ambrosiani ritus formula consecrandi calicis in Liturgia à Pamelio edita hæc est; *Hic est enim sanguis meus.*

In recentioribus quidem Missalibus ritus Ambrosiani, quibus hodie utitur Ecclesia Mediolanensis eadem est formula consecrationis tam panis, quàm vini cum Romana quia multi ritus Ordinis Romani in Ordinē Ambrosianū Recentioribus inducti sunt, ait Mabill. *lib.* 1. *de Liturg. Gall. c.* 2. *n.* 8. qui & ibidem *c.* 7. *n.* 3. notat, eamdem fuisse Morazabicam formulam; at & hanc & illam nonnihil sæculo 10. immutatam fuisse magisque Romanæ accommodatam: cujus mutationis occasionē ex Ambrosio Morales refert Baronius ad annum 918.

Extat hoc Missale Mozarabicum apud Mabillonium in citato tractatu De Liturgia Gallicana in appendice ubi & dicta consecrationis verba leguntur *pag.* 448.

XII. Ex his facilè est intelligere, non omnia, quæ in hodierna Romana consecrationis, præsertim Calicis formula (qua universa hodie Ecclesia Latina utitur) occurrunt, esse planè necessaria pro validitate consecrationis: quando quidem videamus hodie Ecclesiam Orientalem, & olim plures Ecclesias etiam Latinas alia formula usas fuisse unde S. Thomas non aliam consecrationis formam agnovisse videtur tamquam necessariam pro *validitate* Sacramēti, nisi hanc *Hoc est corpus meum*: Et, *Hic est sanguis meus* 3. *p. q.* 78. *art.* 2. & 3. concluditq; proinde." Quod si Sacerdos *sola* prædicta verba proferret cū intentione con„ficiendi hoc Sacramentum perficeretur hoc Sacramentum.

XIII. Nihilominus quia hodierna Ecclesiæ Latinæ formula consecrationis usitata, scilicet panis: *Hoc est enim Corpus meū*: Et Calicis: *Hic est enim Calix sanguinis mei novi & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum*, extat in omnibus Missalibus; atque à pluribus sæculis in Ecclesia Latina religiosè observata fuit nemo ab ea vel in minimo recedere potest; atque graviter delinqueret, gravique castigatione dignus esset Sacerdos, qui vel scienter vel negligenter, eam sive quidquam omittendo, sive addendo, aut alio quovis modo immutaret, aut mutilaret.

XIV. Prædicta quidē formula Calicis," non est in Scri„ptura Sacra, nec in Liturgiis (ait Menardus ad Sacram S „Gregorii *pag.* 29.) extat tamen in versione m Codini: est„que optima, quia continet sensum aliarum formularum „quæ sunt apud Evangelistas & S. Paulum." Hæc ille, qui ibidem notat, hæc verba: *Mysterium fidei*, non extare in antiquo Ordine Romano.

Quæstiones plures, quæ tum inter ipsos Theologos, tum etiam inter Catholicos & Hæreticos circa materiam & formam hujus Sacramenti agitantur, hic non attingo; utpote quæ vel disciplinam Ecclesiasticam non tangunt, vel minoris momenti sunt, & ab ipsis Theologis sufficienter excussæ.

XV. Si ipsius Sacramenti confectionem seu consecrationem spectemus, ejus minister est Sacerdos legitimè ordinatus: solisque Sacerdotibus competere hujus Sacramenti confectionem; non obscurè indicat *Canon* XVIII. Nicænus; dum arguit Diaconus, quòd quibusdam in locis Eucharistiam darent Presbyteris:" Quod, ait, nec Canon, „nec consuetudo tradidit, ut qui *offerendi* potestatem *non* „*habent*, iis qui *offerunt*, dent Corpus Christi.

Dicens enim, Diaconus non habere potestatem *offerendi*, sed eam Presbyteris competere; non obscurè significat, nec Diaconis conficiendi Eucharistiam potestatem competiisse: quia consecratio Eucharistiæ nonnisi in ipsa Sacrificii oblatione, etiam antiquitus fieri solebat.

XVI. Si verò Eucharistiæ jam consecratæ administrationem sive distributionem spectemus; eam aliquando etiam Diaconis competiisse sat innuit citatus *Canon* XVIII. Nicænus. Cùm enim prohibeat dumtaxat Diaconis eā *Presbyteris* administrare; idque hac ratione:" quòd neque C„non neque consuetudo tradidit, ut qui offerendi potesta„tem non habent, iis qui offerunt, dent Corpus Christi," sat insinuat, inferioribus Clericis & laicis Diaconos potuisse distribuere Eucharistiam.

Et Sanè ante Nicænam Synodum hanc Diaconorum functionem clarè expressit Iustinus Martyr *Apol.* 2." Et iis „quæ cum gratiarum actione consecrata sunt, unusquisq; „participat, eademque ad eos qui absunt, *Diaconis* dan„tur perferenda.

XVII. Hæc verò Diaconi faciebant, tamquam Episcoporum & Sacerdotum Ministri. Diaconus enim Græcè, Latinè *minister* dicitur? eò quod Episcopis & Presbyteris ministret, ut suprà *par.* 1. *t.* 1. *c.* 3. notavimus. Unde auctor Constitutionum Apostolicarum *lib.* 8. *c.* 28. ait:" Obla„tione verò à Presbytero aut Episcopo facta, ipse Diaco„nus dat populo, *non tamquam Sacerdos*, sed tamquam „qui *ministrat* Presbyteris.

Hac de causa jam pridem in Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 38. apud Gratianum *Dist.* 93. *Can.* 18. decretum fuit:" Præsente Presbytero Diaconus Eucharistiam Cor„poris Christi populo, si necessitas cogat, *jussus* eroget.

XVIII. Nota, hic agi de datione *Corporis* Christi; qua indicatur datio Eucharistiæ sub specie *Panis*. Dispensatio enim *Sanguinis* Dominici sub speciebus *Vini* specialiùs ac frequentiùs in omnibus passim Ecclesiis Diaconis competiit; atque de hac sola loquitur S. Cyprianus *libro De Lapsis* dicens:" Ubi verò solemnibus adimpletis *Calicem* Dia„conus offerre præsentibus cœpit &c. Hinc & illud à S. Laurentio Diacono dictum ad Xystum Papam:" Experire „utrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti *Do*„*minici sanguinis* dispensationem?" Apud S. Ambrosium *lib.* 1. *De Officiis c.* 41.

XIX Quamdiu hic dispensandi usus per Diaconos in Ecclesia duraverit, incertum est. Admodum verisimile est, eam desiisse, quando Communio laicorum sub specie *Vini* desiit; id est, sæculum 12. aut 13. Vestigium nihilominus hujus disciplinæ esse videtur, quod Diaconus in Missa solemni juxta hodiernum ritum offerat cum Presbytero celebrante *Calicem*, atque una cum celebrante verba *oblationis* pronuntiet; non autem *Panis*; ideoque & in oblatione Calicis dicitur pluraliter: *Offerimus*, cum in oblatione Panis dicatur *singulariter*, uti notat Cardinalis Bona *l.* 2. *Rerum liturg. c.* 9. *n.* 5.

XX. Cæterùm hodie soli Presbyteri Eucharistiam administrant. Et quidem cum soli Episcopi ac Parochi vi curæ Animarum sibi jure *ordinario* incumbentis habeant jus administrandi Sacramenta, ut suprà *tit.* 1. observavimus, & apertè declarat Synodus Tridentina *Sess.* 24. *c.* 13. *De Reformat.* consequens est, non omnibus Presbyteris, sed solis Parochis competere, Eucharistiam jure *ordinario* suis respective Parochianis administrare; eosque esse sicuti aliorum Sacramentorum, Baptismi, Pœnitentiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, ita & hujus Sacramenti *ordinarios* ministros.

XXI. Conformiter ad hoc Parochorum jus decernitur in *Clementina I. De Privilegiis*, quod" Religiosi, qui Cle„ricis laicis Sacramentum *Eucharistiæ* ministrare, non ha„bita super his *Parochialis* Presbyteri *licentia speciali* „præsumpserint, excommunicationis incurrant sententi„am ipso facto, per Sedem Apostolicam dumtaxat absol„vendi: quos etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc

eis

zed by Google

„eis constiterit] excommunicatos faciant publicè nuntiari, donec de absolutione ipsorum ipsis super hoc fuerit fa„cta fides, nullo Religiosis super hoc exemptionis, vel a„lio privilegio suffragante.

Insecuta hanc Clementinam declaravit Synodus Moguntina anno 1549. *parte* 1. *Can.* 27. Nulli Religioso [e„tiamsi ad confessiones audiendas, ut præmittitur, admis„sus fuerit] licere volumus cuiquam laico Sacrosanctæ „Eucharistiæ Sacramentum, sine speciali consensu Paro„chi ad cujus curam ille pertinet, porrigere.

XXII. His tamen non obstantibus non tantùm Religiosi, sed quicumque Presbyteri, etiam sæculares solent passim sine ulla *speciali* Parochialis Presbyteri licentia, quibusvis petentibus Eucharistiam, saltem extra tempus Paschale administrare: & illi quidem in Monasteriorum suorum Ecclesiis; & hi in Sacellis aut Ecclesiis, in quibus publicè convenienre populo Missas celebrādi facultas est. Quæ consuetudo verisimiliter invaluit, postquam etiam in Religiosorum Ecclesiis & aliis Sacellis publicè Missæ, id est, ad quas populus admittitur, celebrari cœperunt.

XXIII. Cùm enim Communio sit quasi pars ipsius Sacrificii, consequens visum fuit, quòd ubi Sacrificio interesse liceret, ibi & Communionē accipere possent; atq; ita tandem jus Ecclesiæ Parochialis ad solam Communionem Paschalem; & Parochorum ad hujus, nec non Viatici administrationem redactum creditur.

XXIV. Cæterùm sicuti ex Parochialis officii neglectu plurima incommoda nata sunt oriri, uti verbis S. Caroli ostensum est *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 10. ita hæc libera & generalis à quocumque Sacerdote, & ubique accipiendæ Eucharistiæ libertas, secum nata est trahere inter alia incommoda, Sacramenti illius multiplicem profanationem; dū scelestis quibusque & etiam notoriis peccatoribus, via aperta est, sine ullo repulsionis metu ad Sacram Eucharistiam accedendi. Quid enim facilius est, quàm neglecto Parochiali Presbytero, cui ejus vita nota esse posset, ad alium aliquem ignotum Presbyterum recurrere, atque ab eo Eucharistiam petere & accipere?

Quis non videat, quàm parum efficaciæ sint futura durante hac consuetudine, quæcumque de repellendis publicis & notoriis peccatoribus à Sacra Communione in Synodis toties decreta fuerunt? Episcopi aliique Prælati, quibus disciplinæ Ecclesiasticæ cōservatio, & restautatio [præsertim quæ ad dignam Sacramentorum susceptionem exigitur aut saltem multùm conducit] specialiter incumbit, expendere poterunt, quid secundum temporum & locorum conditionem fieri aut statui expediat, ut hisce incommodis occurri possit.

CAPUT II.
Qui ad Communionem admittendi, qui repellendi;

1. *Eucharistia semper considerata ut cibus spiritualis.*
2. *Recenter baptizatis etiam* infantibus *olim data.*
3. *Hæc disciplina sæculo 12. adhuc vigebat in Ecclesia Latina; & hodie viget apud Græcos.*
4. *Synodus Tridentina hanc disciplinam non improbat; sed Eucharistiam infantibus non esse* necessariam *docet.*
5. *Hodie pueri non admittendi, ni ad usum rationis pertigerint, & rite sint instructi.*
6. *In pueris admittendis ad Communionem non tantùm scientiæ, sed præcipuè probitatis ratio habenda.*
7. *Quæ ratio in præparandis pueris ad primam Communionem servanda.*
8. *Quæ cura adhibenda circa pueros qui penè ad ætatem convenientem pervenerunt.*
9. *Consultum ut pueri prævie aliquoties Parocho fuerint confessi.*
10. *Ecclesia semper fuit sollicita ne indignis Eucharistia detur.*
11. *Olim ante Communionem alta voce dicebatur à Diacono,* Sancta Sanctis
12. *Hodie Parochus sæpius monere debet populum, qua præparatione accedere debeat.*
13. *A Sacra Communione indigni repellendi.*
14. *Si notoriè & publicè indigni sint, etiam publicè repellendi.*
15. *Hi repellendi nisi de eorum pœnitentia constet & scandalo satisfecerint.*
16. *Etiamsi Sacramentaliter confessi, & absolutionis obtentæ testimonium habeant.*
17. *Non tantum* nominatim *in Ritualib. expressi sunt repellendi.*
18. *Qui reverà sunt conversi sed hactenus non est* nota conversio, occultè, *non publicè admittendi.*
19. *Qui* publici *communi & vulgari acceptione dicantur?*
20. *A mente Ecclesiæ recedunt, qui hic requirunt* notorietatem juris.
21. *Ex hac restrictione inutilia redduntur Decreta Ecclesiæ in hac materia.*
22. *Minus verendum quod hic excedent Parochi, quàm quod deficient: & quare?*
23. *Opus tamen quadam Christiana prudentia.*
24. *Hodie damnatis ad mortem in quibusdam Ecclesiis datur S. Eucharistia.*
25. *Alia olim fuit disciplina: & quæ hujus ratio?*
26. *Quid circa occultos peccatores ad Communionem accedentes observandum?*

I. SEmper in Ecclesia considerata fuit Eucharistia tamquam cibus & potus spiritualis, quo in Christo spiritualiter renati, vitam hanc spiritualem alere, confortare & conservare deberent.

II. Hac consideratione multis sæculis usitatum fuit, ut mox post collatum Baptismum etiam ipsa Sacra Eucharistia tamquam spirituale alimentum recenter in Christo renatis porrigeretur; ut suprà *titulo* 2. *cap.* 2. monuimus. Idque adeo generaliter observabatur, ut & ipsis pueris in tenera & infantili ætate baptizatis Eucharistia daretur.

Hujus disciplinæ plurima eaque evidentissima testimonia extant, præsertim apud Patres sex aut septem primorum sæculorum. Imo in ipso S. Gregorii Sacramentario *titulo De Sabbatho Sancto* de infantibus baptizatis dicitur: "Qui etiam non prohibentur *lactari* ante Sacram *Com„munionem*, si necesse fuerit.

Quod & præscribitur in veteri Ordine Romano, qui ipso Gregorio recentior putatur.

III. Hanc disciplinam dandi sacram Communionem *infantibus* adhuc sæculo 11. viguisse in aliquibus Ecclesiis Latinis innuit non obscurè Hugo à S. Victore qui eo sæculo scripsit:" Pueris *recens* natis idem Sacramentum in „*specie Sanguinis* est ministrandum digito Sacerdotis, „quia tales naturaliter sugere possunt.

Apud Græcos eadem etiamnum hodie disciplina servatur, uti ex modernis eorum Ritualibus sive Euchologiis colligitur, testaturque Græcorum rituum peritissimus Arcudius *lib.* 3. *de Sacram Eucharist. cap.* 12.

IV. Ecclesia latina tametsi nec antiquam Latinorum Patrum disciplinam, nec modernam Græcorum improbet, nihilominus ob reverentiam tanto Sacramento debitam, contrariam disciplinam sæculo 12. & sequentibus sensim inductam, in Synodo Tridentina declaravit meritò esse retinendam; ipsosque *infantes* nulla *necessitate* obligari ad Sacram Communionem; ac per consequens declarat, contrariam Antiquorum praxim, ad disciplinam dumtaxat pertinuisse. verba Synodi sunt *Sess.* 21. *cap.* 4. *De Communione:*" Denique eadem sancta Synodus docet „parvulos usu rationis carentes nulla necessitate obligari „ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidē „per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorpo„rati, adeptam jam filiorum Dei gratiam in illa ætate a„mittere non possunt; neque ideo tamen damnanda est „antiquitas, si eum morē in quibusdam locis aliquando „servavit. Ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem

Digitized by Google

„bilem causam pro illius temporis ratione habuerunt cer-„tè, eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controver-„sia credendum est.

V. Conformiter ad hoc Decretum, & disciplinam jam „ab aliquot sæculis in Ecclesia Latina stabilitam, Rituale Mechliniense à Jacobo Boonen Archiepiscopo revisum, & in aliquibus emendatum, de parvulorum Communione hæc habet:" Pueri ad primam Communionem non ad-„mittantur, nisi prius *diligenter* examinati & instructi, „eaque discretione & ætate sint, ut dijudicare possint Cor-„pus Christi." Addebatur in veteri Manuali sub Hovio: "Communiter ætas huic rei apta esse solet ab anno deci-„mo usque ad decimum quartum:" sed illud in hodierno deletum, relictumque judicio Parochi aut Confessarii sive Directoris, qui judicet, qua ætate pueri Communionis sint capaces: cum alii citiùs, alii multò seriùs signa capacitatis ostendant.

VI. Favendum quidem citæ Communioni, ut ejus virtus malitiam ætatis præveniat; sed habita ratione non solùm capacitatis & instructionis ipsorũ; verùm etiã & maximè probitatis ac pietatis, bonæ indolis atq; educationis.

Unde Rituale Romanum in pueris ad S. Communionem admittendis, non tantùm requirit, ut habeant *cognitionem* hujus Sacramenti; sed insuper *gustum* exigit; qui sine probitate ac pietate in suscipiente non habetur:" Iis e-„tiam, ait, qui propter ætatis imbecillitatem nondum hu-„jus Sacramenti cognitionem & *gustum* habent, admini-„strare non debet.

VII. Ut autem pueri ritè ad sacram Communionem disponantur statuit S. Carolus in sua Synodo Diœcesana XI. "ut Parochi singulis mensibus semel certa constituta die „pueros qui annos novem attingunt, ad Ecclesiam evo-„cent, sigillatimq; ad rectam confitendi rationem instru-„ant regulis in Sacramentali libro traditis: illos autem qui „decennium attingerint, hebdomadæ septuagesimæ ini-„tio accersant, & sigillatim instruant, atque erudiant ad „cognitionem, cultumque sanctissimi Sacramenti Eucha-„ristiæ: doceantque quam humiliter & religiosè reveren-„terq; ad eam sumendam accedant, ex regulis item præ-„scriptis ejusdem libri sacramentalis.

Deinde post pauca:" Cum de pueris deliberatur, qui ad „sacram Communionem accedunt, Parochus quidẽ per-„quirat etiam à parentibus, de eorum pietate, & ingenii „præstantia, usuque rationis.

VIII. Adhæc in instructionibus pro administranda Eucharistia monet Parochum, ut cum noverit pueros ad de-„cem annorum ætatem venisse, ita ut capaces sint, qui in-„tra aliquod tempus Communionem excipiant," prima „potissimum quadragesimæ hebdomada, vel si melius vi-„sum fuerit in Nativitatis festis, & hiemis tempore maxi-„mè in villis, pro eorum commoditate qui alio tempore „pecoribus invigilant, animarum statum cognoscendo in-„cumbat, & ut valuerit, eos qui ad supradictam ætatẽ per-„venerint, aut singulos, aut multos simul cogat, ut suprà „dictum est, instruendos. Qui autem ex iis capaces fuerint, „proximo paschate communicaturi segregentur; dimissis „in aliud tempus aliis, ut novam circa eos diligentiam ad-„hibeat.

IX. Insuper vult, ut Parochus" moneat, se neminem ad „primam Communionem admissurum, nisi præter supra-„dictam instructionem, eum ter aut quater audierit con-„fitentem.

Excipe tamen ad hac prævia trina aut quaterna confessione adolescentem solitum alteri Confessario confiteri," „qui testimonium suæ capacitatis & ad communicandum „sufficientiæ, peccataque ter aut quater confessum fuisse à „Confessore, *qui timoratus & pius aliunde habeatur*, at-„tulerit... Interea tamen, ait, ut suo satisfaciat debito; pa-„rochus eam interroget: an sit capax examinet; deficien-„tibusque in hac parte suppleat; & si capacem invenerit, „poterit ei S. Eucharistiam impartiri; licet in hoc casu ter „aut quater non audiverit in confessione; cui confessoris „attestatio supplebit." In Actis Mediol. *p.* 601.

Hinc patet, quantam in Parocho sollicitudinem requisierit S. Carolus, ut pueri ritè ad *primam* Communionem, à qua sequentes non raro dependent, disponerentur; eamque curam principaliter Parocho incumbere judicaverit.

X. Porrò sicuti Ecclesia sollicita fuit, ut renati in Christo hac spirituali alimonia vitam suam spiritualem nutrirent & foverent, ita non minùs sollicita fuit, ne contra Domini præceptum *Sanctum daretur canibus*; & ne quis indignus ad Sacramentum accedens, *judicium sibi manducaret & biberet non judicans Corpus Domini.*

XI. Hac de causa jam pridem usitatum fuit, ut ante Communionem Diaconus *magna voce, terribili clamore* [ut loquitur S. Chrysost.] *tanquam præco manum tollens in altum, stans excelsus, & omnibus manifestus*, clamaret Sancta Sanctis: quasi diceret: *Si quis non est* Sanctus, *non accedat. Non solùm*, inquit, *à peccatis purus, sed etiam* Sanctus. *Sanctum enim non facit solùm liberatio à peccatis, sed etiam præsentia Spiritus, & bonorum operum copia. Non solùm*, inquit, *volo vos à cœno esse liberatos, sed albos esse & speciosos.* Hæc ille *Homil.* 16. *in cap.* 9. Epistolæ ad Hebræos.

XII. Quamvis ritus ille jam à multis sæculis, saltem in Ecclesia Latina, in desuetudinem abierit; nihilominus juxtà hodierna Ritualia ac Synodorum Decreta Parochus tamquam alter *præco* populum sæpius admonere debet, " qua præparatione, & quanta animi religione ac pietate, „& humili etiam corporis habitu ad tam divinum Sacra-„mentum debeat accedere." Ita post Rituale Romanum „Rituale Mechliniense.

Quæ animi dispositio requiratur, ut quis fructuosè, & frequenter communicet, Theologorum est è Patrum Scriptis examinare & determinare. Illud ad disciplinam externumque forum aliquatenus spectat, qui per Parochos aliosve Sacerdotes à Sacra Communione, etiam inviti & reluctantes repellendi & excludendi sint.

XIII. Juxta invariabile Christi præceptum in Apostolorum personis datum omnibus Ecclesiæ Pastoribus, *Nolite dare sanctum canibus*, invariata hactenus mansit Ecclesiæ disciplina, ut Pastores quantum in ipsis est, & ipsa temporum personarum ac locorum conditio patitur, allaborare debeant, ne administrando hoc Sanctissimum Sacramentum contra Domini præceptum *dent sanctum canibus.*

XIV. Atque hinc imprimis non tantum pristina sed etiam moderna disciplina Ecclesiæ vult, ut à sacra Communione repellantur publici & notorii peccatores, tametsi etiam publicè eam petant.

XV. Modernum Rituale Romanum de his ita loquitur:" Arcendi sunt [à sacra Communione] publicè in-„digni, quales sunt excommunicati, interdicti, manife-„stèque infames; ut meretrices, concubinarii fœnera-„tores, magi, sortilegi, blasphemi, & alii ejus generis „publici peccatores nisi de eorum pœnitentia & emen-„datione constet & publico scandalo prius satisfece-„rint.

XVI. Rituale Mechliniense iisdem penè verbis loquitur, nisi quod addat: *Etiamsi fuerint Sacramentaliter confessi.* Idipsum passim & Synodi Belgicæ inculcant. Synodus Cameracensis D. anno 1604. *tit.* 5. *cap.* 3. Ritualium & Synodorum mentem quasi exponens ait:" Publi-„cæ meretrices, usurarii, & alii QUILIBET peccatores „notorii etiam *sanctissimè* confessi, ad publicam Sacra-„mentorum perceptionem non admittantur, nisi publicè „pœnitentiam egerint, aut ex ipsorum bona conversa-„tione, aliove legitimo modo, de vitæ emendatione „publicè constet.

Huic consonat Decretum S. Caroli in Instructionibus pro Pastoribus pro administranda in suis Ecclesiis Eucharistia. " Neminem peccatis publicis irretitum ad Com-„munionem excipiet [Parochus] nisi prius scandalo pu-„blico satisfecerit, etiamsi absolutionis, à Pœnitentiariis „aut Confessoribus etiam Regularibus, acceptæ testimo-

nium

Google

„nium produxerit. In Actis Eccleſiæ Mediolan. *pag.* 601 „edit. 1683.

XVII. Ex his perquam manifeſtum eſt, non tantùm nominatim in Ritualibus expreſſos, tamquam publicos peccatores à Communione arcendos; ſed quo quoſcumque, modò *publici* & notorii peccatores verè dici queant; quod & ratio & ipſe contextus Ritualium ſufficienter evincit.

XVIII. Adhæc ex hiſce Decretis conſtat, nequaquam ſufficere, quod hujuſmodi publici & notorii peccatores ſint *Sacramentaliter*, etiam *ſanctiſſimè* confeſſi; & *abſolutionis acceptæ* teſtimonium habeant, ut *publicè* ad ſacram Communionem admittantur; niſi *publicè* ſcandalo ſatisfecerint, aut *publicè* de eorum vitæ emendatione conſtet; ne ſcilicet eorum ad ſacram Communionem admiſſio, ſcandalo ſit iis, quibus hactenus eorum emendatio incognita eſt. Unde de hiſce publicis peccatoribus, *qui revera* converſi ſunt; ſed tamen nondum eorum converſio publicè nota eſt, addit Manuale Camaracenſe: OCCULTè *ipſis dari poterit* [Communio] *ſi iis qui adſunt nota ſit eorum converſio*

XIX. Qui nomine *publicorum* peccatorum veniant, ex communi hominum æſtimatione potiſſimum deſumendum eſt qui pro publico habent , quod quovis modo *publicè* conſtat. Publicum enim uti poſt Bartholum alioſque Canoniſtas notat Fagnanus ad *Cap.* VESTRA ✠ *De Cohabitat. Cleric. & mulier n.* 52. eſt illud quod omnibus patet: item illud quod ponitur in porta Eccleſiæ." Ad hoc „tamen, ait Fagnanus, ut aliquid dicatur publicum non „requiritur ut ipſius notitia ſingulorum auribus inculce„tur, ſed ſatis eſt quod publicè ſit actum.

XX. Cum ergo Ritualia atque Synodalia Decreta velint, univerſim *publicos* & notorios peccatores à Communione repelli, manifeſtum eſt, à verbis & mente Eccleſiæ omnino deviare, qui hujuſmodi peccatores non prius volunt eſſe repellendos; quàm per ſententiam judicis ſint ut *notorii* peccatores declarati. Quaſi non poſſent per notorietatem *facti* eſſe verè *notorii* & *publici* peccatores antequam per ſententiam tales eſſent declarati. Nam forſan ſcandalum non eſſet; aut *ſanctum* non daretur *canibus*, ſi *notoriis* peccatoribus *notorietate* facti adminiſtraretur publicè Euchariſtia: quamvis necdum per ſententiam Domini Officialis *ut tales* condemnati eſſent?

XXI. Deinde ſi ſententia Iudicis ſuper *notorietate* requiratur, priuſquam *notorii & publici* peccatores à Communione ſint repellendi, facilè quiſque intelliget, inutilia ac ſine executione futura omnia de illa de arcendis *publicis* peccatoribus Decreta, qui expenderit, quàm difficile ſit, quamque ſumptuoſū ac tædioſū, vel unam hujuſmodi ſententiam obtinere; quamque facile ſit futurum, ut hujuſmodi perditiſſimi homines litem ad longum tempus; imò ad finem vitæ protrahant; ipſoſque Paſtores vexent, & tædio afficiant.

XXII. Neque verendum eſt, ne Parochi aut Sacerdotes ſint nimis proclives ad repellendos à S. Communione *publicè* petentes; aut forſan nimis leviter tamquam *notorios & publicos* peccatores à Communione arceant qui tales revera non ſunt. Scitur enim, quàm ſoleant hac in parte plerique eſſe tepidi & timidi ob difficultates & obloquia quæ hinc ſibi imminere prævident: ut propterea totiteratis Decretis opus fuerit, ut Paſtorum zelus excitaretur; nullum verò Synodale Decretum hactenus reperiatur, quo eorum nimius zelus reprimatur.

XXIII. Illud tamen negare nolim, & hîc in Paſtoribus & Sacerdotibus prudentiam Chriſtianam requiri; atque non rarò expedire, ut dum publicos aliquos ac notorios peccatores in ſua Parochia habent Superiores conſulant; & quid agendum ſit ab iis expetant.

XXIV. *Damnatis ad mortem debet dari Euchariſtia*, ait Paſtorale Mechlinienſe; addit tamen: *Sed id fiat ante diem ſupplicii.*

Ejuſdem diſciplinæ teſtis eſt S. Carolus, in Concilio V. Mediolanenſi *titulo* 9. hæc decernens:" Reus capitis dam„natus quo die pro viatico ſanctiſſimum Corpus Domi„ni ſumpſit; Chriſto Redemptori, qui pro illius etiam a„nima ſanguinem in ara crucis profudit, à piis Iudicibus „Magiſtratibusque illo ipſo ſanguine tribuatur, ut ne eo „die ſupplicio efficiatur, ut multis locis piæ & laudatæ „conſuetudinis eſt.

XXV. Aliam fuiſſe priſtinam diſciplinam, ſat notorium eſt; eamque etiamnum hodie vigere in Gallia & Hiſpania aſſerit Gaſpar Iuenin Presbyter Oratorii in ſuo Opere de Sacramentis *Differt.* 4. *q.* 6. *cap.* 4. ubi hujus diſciplinæ varias rationes adfert; nec non unde originē habuerit inquirit; atque inter alias ex Dominico Soto hanc allegat:" Et fortaſſis ortus hujuſmodi conſuetudinis fuit, ait, „quod cum damnati ad mortem à communione Reipu„blicæ abſcindantur, in ſignum hujus abſciſſionis nega„tur eis Sacramentum Communionis tamquam Reipu„blicæ hoſtibus.

Quidni veriſimilius vera illius diſciplinæ cauſa fuerit, quod hujuſmodi publicè de ſcelere perpetrato convicti, & per ſententiam ut tales declarati, non crederentur publicè ſatisfeciſſe, ut ad ſacram communionem admitterentur.

XXVI. Quo ad occultos peccatores Parocho ſic præcipit Rituale Romanum:" Occultos verò peccatores, ſi „occultè petant, & non eos emendatos agnoverit, repellat, „non autem ſi *publicè* petant, & ſine ſcandalo ipſos prate„rire nequeat." Idem habet Paſtorale Mechlinienſe, Manuale Cameracenſe ſimiliter decernit, occultum peccatorem, ſi *publicè* petat, quando ſine ſcandalo præteriri nequit, repelli non poſſe: arcendum verò ſi *occultè* petat; additque: *Et monendus ne publicè petat.*

Additamenta ad Cap. 2. *n.* 19. *& ſeq.*

Reſolutio Doctorum Lovanienſium circa repulſionem publicorum peccatorum à Sacra Communione.

Rituale Romanum, agens de Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, habet hæc ſequentia: Fideles omnes ad Sacram Communionem admittendi ſunt, exceptis iis qui juſta ratione prohibentur. Arcendi autem ſunt publicè indigni, quales ſunt excommunicati, interdicti, manifeſtéque infames, ut meretrices, concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi, & alii ejus generis publici peccatores: niſi de eorum pœnitentia & emendatione conſtet & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

Item Paſtorale Mechlinienſe, agens ſimiliter de eodem Sacramento.

Ad publicam Communionem non admittantur publici peccatores, quales ſunt, uſurarii, meretrices, concubinarii, ſortilegi, excommunicati, interdicti, aliique iſtius generis publicè infames, etiam fuerint ſacramentaliter confeſſi: niſi de eorum pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerint.

QUÆRITUR

An Paſtor, antequam poſſit ſe practicè conformare locis ante citatis, & alicui perſonæ publicè infami negare Sacramentum Euchariſtiæ [niſi prius de ejus pœnitentia & emendatione conſtet, & publico ſcandalo prius ſatisfecerit] teneatur petere & exſpectare declarationem Domini Officialis, qua ille declaret perſonam illam publicè infamem.

RESOLUTIO

Paſtorem non teneri petere & exſpectare declarationem D. Officialis, qua hic declaret perſonam eſſe publicè infamem, antequam poſſit ſe practicè conformare locis in caſu allegatis, tribus potiſſimum rationibus evinci poteſt.

Prima quidem petitur ex ipſis verbis tum Ritualis Romani, tum Paſtoralis Mechlinienſis. Utrumq; enim præcipit à Sa-

Digitized by Google

à Sacra Eucharistia arceri *publicè* indignos, *manifesteque* infames,*publicos* peccatores,nisi de eorum pœnitentia & emendatione constet, & *publico* scandalo prius satisfecerint.

Arcendi ergo sunt *publicè* indigni, publici peccatores." Publicum autem,ut post Canonistas notat Fagnanus,est nomen generale & verificatum in *notorio*,& quandoque in *fama*, Unde *notorium* potest dici *publicum*,sicut id quod constat per *famam* ut est textus in cap. tua ⁑ de cohabit Cler. & mulier. Unde,ut inquit Bartolus,publicum est illud, quod omnibus patet. Item illud,quod ponitur in porta alicujus Ecclesiæ, dicitur esse publicum. Ad hoc tamen subdit Fagnanus,ut quid dicatur publicum,*non requiritur ut ipsum notitia singulorum auribus* inculcetur,sed satis est quod publicè sit actum.

Manifestum similiter dicitur, quod est notorium, ut cum Fagnano docent Canonistæ, & ipse communis nominum sensus comprobat.

Cum igitur *publicum* & *manifestum* dicatur quod est notorium, evidens est, quod juxta prædicta decreta ab Eucharistia arcendi sunt *publicè* indigni, *manifesteque* infames ac *publici* peccatores, tametsi per D. Officialis sententiam ut tales non sint declarati: quandoquidem nihil certius sit, quam aliquem posse esse *notoriè* infamem aut *notorium* peccatorum ante judicis sententiam. Hinc jurisconsulti post glossam, notorium distinguunt in notorium *Juris* & *facti*. Notorium Juris dicunt de quo aliquis condemnatur, vel est in Jure confessus. quænam verò sint notoria facti, his versibus exprimunt:

Quæ vel nemo negat, populo vel teste probantur,
Vel se subjiciunt oculis, notoria dicas.

Secunda ratio assertionis petitur ex mente seu scopo dictorum, qui alius non est,quam publicam Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ,profanationem, & publica fidelium scandala impedire. Quis verò nesciat,scandala publica sacrilegamque Sacramenti profanationem provenire æquè per admissionem publicè peccantium, manifesteque infamium, sive sint publici notorietate facti sive notorietate juris? Quapropter nulla distinctione facta Canones decernunt *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda* Cap. 1. ⁑ pœnit. & remiss. Nota, inquit ibidem Glossographus, *quod qui publicè peccat, publicè puniendus est*. Imò subdit, *qui publicè peccant, publicè corripiantur , ut vitetur scandalum*.

Nonne quoque manifestè notorium notorietate facti, cum notorio notorietate juris eodem loco habent Canones, dum utrumque excommunicatione notatum æqua vitandum esse denuntiant, extravag. ad evitanda Martini v. in Conc. Constant?

Sicuti ergo Canones peccata manifesta indifferenter publicè punienda dicunt, *ut scandalum vitetur* , evidens apparet, quod similiter juxta præallegata decreta ab Eucharistia arceri debeant omnes peccatores modo *notorii* seu *publici* sint, nisi scandalo *publico* seu notoriè satisfecerint. Supponendum enim est,decreta illa conformiter ad Sacros Canones edita fuisse.

Juvat naturalem verborum istorum sensum consuetudo optima legum interpres:hactenus enim praxis illa apud Pastores, præsertim magis zelosos usitata fuit, ut publicis & notoriis peccatoribus, quousque scandalo satisfecerint,negaverint Eucharistiam, nulla D. Officialis expectata sententia.

Tertia denique superioris assertiones ratio petitur ab absurdo quod ex opposita opinione sequeretur. Quis enim inficias eat, nisi qui tergiversationes & tricas litium ignorat, quin si sententia D. Officialis requireretur , priusquam manifestè infamis aut publicus peccator ab Eucharistia removeri posset , inutilia prorsus hæc sanctissima decreta reddenda sint.

Imprimis quid facilius alicui peccatori publico per hodiernas protelationes, & faciles multiplices appellationes etiam à sententiis inter locutoriis, quam litem ad annos plurimos , imò ad vitæ finem protrahere?

Secundò quis non videat quam difficulter Pastor quispiam his decretis se sit conformaturus, dum videt se non posse pertingere ad finem, nisi plerumque duram & odiosam litem sustinere cogatur.

Dum Christus Dominus mandat: *Nolite sanctum dare canibus*, non requirit ut per sententiam Judicis in foro externo sint declarati *canes*. Similiter dum decretis sive Pontificis Romani, sive aliorum Episcoporum præcipitur , Sacram Communionem denegare mulieribus, quæ pectus, humeros aut brachia habent denudata ,non exprimitur requiri ut interveniat sententia declaratoria Judici fori externi, qua hæc illave determinata persona judicetur non satis esse cooperta ut eo titulo excludatur à Sacra communione. Sufficit ergo ut Sacra Communio publicè petenti denegetur,quod ejusmodi peccata sint publica en facto, licet non per sententiam Judicis.

Hinc S. Thomas in 4. dist. 9. art. 5. in resp. ad 2. quæsti dicit, *si sit suspicio procedens ex fama publica non debet ei dari* [nimirum Eucharistia peccatori] *neque in occulto neque in manifesto*. Sufficit ergo S. Thomæ ut peccatori communio denegetur , quod de ejus vita criminosa extet publica fama.

Ita responsum [salvo meliori] Lovanii hac prima Septembris anni 1683. & signatum erat.

Franciscus van Viane S. Th. Doctor & Profess. Regius.
Henricus Scaille S Th. Doctor & Professor Regius.
Gummarus Huygens S. Th. Doctor.
Nat. Chamart I. V. Doctor & Ex professor Primarius.
I. Huet s I. V. Doctor & Professor Ordinarius.
Zegetus Bernardus van Espen I. V. Doctor & SS. Can. Professor.

Resolutio Theologorum Mechliniensium conformis

C A S U S

Cajus à duobus & amplius annis continuo conversatus est cum Titia, habitant in mutua vicinia; Cajus diu noctuque frequentavit domum titia manendo ferè continuò ultra medias, imò ferè integras noctes , & econtra Titia sæpius quocumque tempore diurno domum Caji , idque utrimque talibus modis ut in vicinia Titia & Cajus laborent publica infamia in materia luxuriæ imò, ipsimet famuli & ancillæ Caji sæpius apud plures vicinos conquesti sunt de infamia utriusque conversatione: Titia verò cohabitat matri suæ scienti conversationem illam, ac dissimulanti, imò apud plures personas censetur mater illi conversationi consentire ac filias prostituere secundum rumorem publicum. Titia ac mater super ista conversatione & publica infamia bis à Pastore monitæ sunt similiter & Cajus semel à Pastore monitus,& secunda vice Pastorem monentem ultimi mensis Aprilis die sexta noluit audire loquentem, & minatus est [si adhuc redeat moniturus] domo educere.

QUÆRITUR I.

An Pastor possit admittere Cajum aut Titiam ad communionem Paschalem antequam reparaverint scandalum.

QUÆ.

Quæritur II. An Pastor possit admittere matrem Titiæ ad communionem Paschalem antequam similiter reparaverit vel absterserit infamiam prædictam?

Quæritur III. An si Cajus, Titia, aut mater ejus ità ægrotarent ut debeant eis administrari Extrema Sacramenta, Pastor id facere posset antequam reparaverint scandalum?

Quæritur IV. An Pastor ad in supradictis casibus neganda Sacramenta teneatur expectare sententiam D. Officialis qua declaret præfatas personas esse infames & privandas Ecclesiæ Sacramentis?

Quæritur V. Quamdiu Cajus & Titia debeant abstinuisse à mutua conversatione, & quomodo reparasse scandalum antequam admitti possint ad Ecclesiæ Sacramenta?

Infrascripti, visa positione Casûs suprascripti, respondent supposita notoreitate infamiæ publicæ, de qua in casu.

Ad primum Negativè.

Ad secundum similiter.

Ad tertium Negativè, juxta Rituale Romanum in Rubrica de administratione Sacramenti Eucharistiæ.

Ad quartum Negativè.

Ad quintum. Quoad tempus & modum, relinquitur prudentiæ Pastoris.

Ità resolutum die 9. Aprilis 1688.

Et erat signatum

I. CUYPERS. I. LACMAN. P. BERTRAD. I. F. RICQUAERT.
G. WILT. I. OPSTRAET. BAERTS.

Decretum Episcopi Gandensis inhibens Regularibus tam publicam, quàm occultam Eucharistiæ Delationem ad infirmos extra septis suorum Monasteriorum.

Eugenius Albertus, Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ Episcopus Gandensis, &c Omnibus ac singulis Decanis, Pastoribus, Ecclesiasticis, & Fidelibus nostræ Diœcesis salutem & benedictionem à JEsu Christo Domino nostro.

DUm Paterna & Pastorali sollicitudine intentè circumspicimus, quid causa Divinam Justitiam provocet, ut plagis usque adeò acerbis Belgium hoc nostrum affligat, & porrò graviora minetur, primum ac præcipuum occurrit impia irreverentia, quæ jam passim in templis, non sine gravi scandalo & offensione perpetratur sub tremendo Missæ Sacrificio, aliisque Divinis Officiis, patente etiam Sacrosanctâ Eucharistiâ; *& exiguus ac penè nullus honor ac cultus qui* JEsu Christo, *Dei Filio ac Redemptori nostro, sub illa realiter latente, exhibetur; signanter dum ad ædes ægrotantium defertur: eò enim corruptela abusus hic excrevit, ut promiscuè jam & admodum facilè,* Sacramentum *istud requiratur feraturque secreto & occultè absque ulla exteriore veneratione aut cæremonia, & id sub levibus fictisque coloribus, ob privatam aliquam, fucatam sæpe devotionem, aut respectus prorsus humanos; quæ profectò omnia apud veros Christianos nullo loco esse deberent. Cumque hæc graviter adversentur non solùm honori qui Personæ Divinæ* JEsu Christi *Salvatoris nostri debetur, verum etiam antiquis ac generalibus Ecclesiæ decretis, aliisque particularibus per Prædecessores nostros sancitis ac editis.*

Hinc, ut debito officii ac conscientiæ nostræ satisfaciamus, & pro viribus studiosè curemus ac provehamus cultum illum & reverentiam quam fideles cunctos, semper & ubique Augustissimo Eucharistiæ Sacramento *oportet exhibere (dum interim de mediis opportunis ac efficacibus cogitamus, quibus præfatæ scandalosæ insolentiæ & confabulationes in sacris ædibus compescantur) nec non ut Divinum Numen sacrilegiis istiusmodi lacessitum, propitium reddamus: Decernimus ac præcipimus omnibus & singulis hujus Diœcesis, ac præsertim civitatis Gandavensis Pastoribus, aliisque Sacerdotibus, ne unquam, sive noctu, sive interdiu* Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *clanculum & latenter ad infirmos deferant, quacumque tandem de causa, nisi à Nobis, aut Archipresbytero nostro priùs examinanda & approbanda: sed tenebuntur illud manifestè ac honorificè portare, servatis ritibus ac cæremoniis per Pontifices, Concilia & Prædecessores nostros præscriptis & statutis; idque sub pœna arbitraria.*

Et quandoquidem solis Pastoribus aut eorum vices gerentibus ac delegatis, de jure, officio & ex Concilii Tridentini etiam declaratione, sess. 14. cap. 13. de reform. *competat Sacramenta administrare: Confidimus, & quantùm opus est mandamus, ne ullus Regularis, cujuscunque Ordinis aut Instituti, sibi arroget* Sacrosanctam Eucharistiam *latenter cuivis infirmo conferre, extra septa sui Monasterii, ne quidem ut ex devotione communicetur: aut aliàs cogemur, potestate ac mediis à Deo & Ecclesia Nobis concessis, efficaciùs id impedire.*

Atque ut hæc Constitutio cunctis innotescat, injungimus omnibus Pastoribus & Concionatoribus, etiam Regularibus, ut tribus proximè sequentibus Dominicis diebus, illam pro Concione prælegant, illiusque observantiam Fidelibus sedulò inculcent: Denuntientque verbis nostris, eum qui ex negligentia, aut frivolo prætextu prætermiserit Viaticum salutis publicè, & ut Catholicos decet, recipere, & ita obierit, de Fide suspectum habendum fore, etiamsi Sacram Eucharistiam *privatim à Regulari quopiam aut alio Presbytero percepisset.*

Obtestamur denique Fideles universos ac singulos, quos Spiritus Sanctus Nobis regendos commisit, per nimiam illius Charitatem qui carnem & Sanguinem suum non modò pro ipsorum salute profudit, sed etiamnum quotidie in spiritualem cibum ac potum munificentissimè elargitur; ut in cordibus suis vivam illam Fidem excitent, quâ quotquot sunt sinceri Christiani firmiter credere tenentur, ipsum verè ac realiter existere in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento; *studeantque illud quanto valent maximo cultu ac honore exteriore prosequi, dum in publicum profertur, & signanter ad ægrotantium ædes; postponentes omnem humanum respectum sumptuum ferendorum prætextum (nam hi sæpe sæpiùs ad sui ostentationem veriùs, quam in Dei honorem assumuntur) aliosque colores, qui revera non nisi fuci sunt & technæ quibus Satanas, etiam per suos, perpetuò molitur splendorem gloriæ Redemptoris nostri* Jesu Christi, *cui infensissimè invidet, offuscare & extinguere.*

In quæ ut ferantur proniùs & alacriùs, præter Indulgentias à pluribus Pontificibus, Episcopisq; concessas iis, qui Sacrosanctam Eucharistiam, *dum ad ægros defertur, lumine cohonestabunt, vel aliàs comitabuntur; concedimus quadraginta dies similium Indulgentiarum illis qui umbellæ seu Baldachino portando manus conferent: atque ut id obsequii,* Jesu Christo *Domino ac Regi nostro haud dubiè acceptissimi per viros spectatiores præstetur, exoptamus summoperè, & quàm possumus enixissimè requirimus. Datum Gandavi in Palatio nostro Episcopali 17. Maji 1668.*

Signatum

EUGENIUS ALBERTUS *Episcop. Gandavensis.*

Inferiùs habebatur,

De mandato Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi præfati.

Et signatum erat.

A. VAN WERCHTER Secret.

Judicium Doctorum Lovaniensium de occulta delatione Eucharistiæ ad infirmos per Regulares.

SPECIES FACTI.

Cum ab aliquot annis Antverpiæ increverit abusus, quo Religiosi omnium Ordinum infirmis atque impeditis ut ad Ecclesiam venire non possint, & maximè Filiabus suis spiritualibus, ante & post publicam administrationem Viatici, occultè deferant sacram Communionem per omnes Parochias Civitatis; dicentes id sibi licere per Privilegia: eorumque exemplo etiam alii Sacerdotes sæculares, non habentes jurisdictionem, Capellani Ecclesiarum, & Rectores sacellorum particularium passim idem faciant, contra Decreta Canonum, & Ordinationes Synodorum, præsertim Synodi Provincialis Mechliniensis celebratæ anno 1607. tit.7. cap.3. quæ Synodus non tantùm est confirmata Regio diplomate, sed etiam Romæ à Sancta Congregatione recognita, & approbata per Breve Pauli quinti, in quo hortatur *Pontifex* & auctoritate Apostolica jubet, ut ejus Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum præscriptum, omnes illius Provinciæ Episcopos, omnesque eorum Diœcesanos obstringunt, ab omnibus quàm diligentissimè & inviolatè serventur; *iisque non obstantibus pergant dicti Religiosi, aliique, in dicta functione, tametsi sæpius à Pastoribus moniti; indeque varii abusus, & scandala orta, & oritura sint indies graviora, imò & totalis confusio Ecclesiæ Dei.*

Primò enim, cùm Pastores volentes obedire præceptis & Ordinationibus Ecclesiæ, recusant occultè Sanctam Communionem deferre, sed deferunt cum debito honore, passim eis dicitur à communitate; adhibemus Religiosos, qui id nobis offerunt: adeoque Pastores incurrunt indignationem suorum, illi autem aucupantur gratiam.

Secundò, cùm illi ante extremum periculum pro securitate & devotione, ut dicunt, occultè Sacram Communionem deferunt, sæpiùs fit ut postea negligatur publica administratio tam Viatici, quàm Extremæ unctionis.

Tertiò, aliqui in diuturnioribus morbis occultè recipientes Sacram Communionem à Religiosis, nolunt nequidem in Paschate eam ad se publicè deferri, adeoque aliquot annis non communicant de manu proprii Pastoris.

Quartò, contingit Religiosos seu alios Sacerdotes secum gestantes in capsula vel corporali Venerabile Sacramentum, aliò divertere, aliaque fieri contra debitam reverentiam. Denique, hoc modo paulatim desinet omnis publica administratio, & omnes volunt ad se occultè Sacramenta extrema deferri; quod tamen est actus publicus, & professio Fidei Christianæ.

Quare Pastores sæpe querelas deposuerunt apud Reverendissimum Dominum Episcopum, rogantes ut efficaciter id impedire dignaretur, allegantes Decretum præfatæ Synodi Mechliniensis, & Clementinam de Privilegiis & excessibus Privilegiorum; *in qua expressè hoc prohibetur Religiosis sub pœna excommunicationis: sed Reverendissimus prædictus existimat ibi prohiberi eis sub tali pœna delationem Viatici duntaxat, non autem particularis communionis, id enim eis licere.*

Quæritur ergo. *An dicta Clementina desumpta ex Concilio Viennensi, intelligenda sit tantùm de administratione Viatici, an de omni delatione Sacræ Communionis; præsertim occultè absque licentia speciali parochialis Presbyteri, ut satis clarè in textu dici videtur?*

Secundò utrùm Episcopus non possit prohibere delationem occultam hujus Sacramenti in urbe Antverpiensi & locis suæ Diœcesis, ubi est licitum publicum exercitium Christianæ Religionis; Sacerdotibus quidem sæcularibus sub pœna suspensionis à divinis, aut alia arbitraria; Regularibus autem sub pœna excommunicationis incurrendæ ipso facto, juxta tenorem dictæ Clementinæ, in qua expressè additur, nullo Religiosis eisdem super hoc exemptionis, vel alio Privilegio suffragante. *Super qua quæstione videri potest Reginaldus* in praxi l.29. num.90. & 91. *& locis ibi citatis & Bonacina* Tom.3. *de excommunicationibus* disp.2. quæst. 5. p. 15.

Tertiò, an Episcopus non obligetur in conscientia hos abusus efficaciter impedire?

RESOLUTIO.

Viso, & diligenter examinato Casu superiùs expresso, ad Quæsita eidem subnexa respondent infrascripti.

Ad primum; prohibitionem Clementinæ esse generalem, adeoque omnibus Religiosis prohiberi Sacram Eucharistiam quibuscumque, tam Clericis, quàm Laicis ministrare, sive id fiat occultè sive publicè, absque licentia speciali Parochialis Presbyteri; neque restringi ad administrationem per modum Viatici salvis tamen exceptionibus ad calcem primi Capituli ejusdem Clementinæ quæ firmant regulam in contrarium.

Et quamvis post dictam Clementinam aliqua sint concessa privilegia Regularibus sive Religiosis ut non requisita licentia Parochi omnibus Christi Fidelibus Sacram Eucharistiam administrare possint; id tamen intelligendum est in suis templis & non extra. Videatur Barbosa cum iis quos citat de officio & potestate Parochi, parte 2.c.20.num.8. *Non possunt igitur Religiosi vi suorum privilegiorum sive publicè, sive occultè, deferre Sacram Eucharistiam ad domos ægrotantium sive Laicorum, sive Clericorum; non publicè, quia haud dubiè istud ad jus Parochorum spectat, & consuetudo hactenus inviolata extat in contrarium; non etiam occultè, quia Canones & Concilia mandant, ut quando ad infirmos deferenda est Sacra Eucharistia, id fiat* manifestè & honorificè; *seclusa scilicet necessitate. Ità statuitur capitulo* sanè, de celebratione Missarum, *Ubi Pontifex agens de delatione Eucharistiæ ad infirmos addit,* quam in decenti habitu, superposito mundo velamine ferat & referat manifestè, & honorificè ante pectus, cum omni reverentia, & timore, semper lumine præcedente, cum sit candor lucis æternæ; ut ex hoc apud omnes fides & devotio augeatur. Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerit effugere ultionem. *Cui capitulo consonat hæc ordinatio Ritualis Romani sub tit. de Communione infirmorum.* Deferri autem debet hoc Sacramentum ab Ecclesia ad privatas ægrotantium domos, decenti habitu, superposito mundo velamine, manifestè atque honorificè ante pectus, cum omni reverentia & timore, semper lumine præcedente. *Quæ intelligenda sunt non tantum de administratione per modum Viatici, sed etiam causa devotionis, prout ex antecedentibus liquet. His quoque conformes est constitutio Synodi Provincialis Mechliniensis, tam de anno 1570. quàm de 1607. de Sacramentis.*

Ex quibus quoque patet responsio ad duo Quæsita sequentia: Posse nimirum, & teneri Episcopum prohibere delationem occultam hujus Sacramenti, ut in Quæsito secundo etiam sub pœnis ibidem expressis; signanter quando leviores pœnæ prudenter judicantur non sufficere. Ad obviandum efficaciter abusibus in contrarium: debent enim Episcopi procurare observantiam Canonum salubriter constitutorum, præsertim cum id eis specialiter injungitur, prout per

verba

by Google

verba superius relata. Prælati autem hujusmodi mandati graviter puniri non differant transgressores, si & ipsi divinam & nostram voluerint effugere ultionem. *Ità Lovanii resolutum die 23. Junii anno 1664. & subsignatum erat.*

GER. VAN WERM. S. Theol. Doct. & Profes. Reg.
JACOBUS PONTANUS S. Th. Doct. & Professor.
JOAN. SINNICH S. Th. Doct. & Profess. Ordinarius.
ANDREAS LAURENT. S. Th. Doct. & Prof. Reg.

CAPUT III.

De Communione Paschali.

1. *Primis seculis Fideles quotidie communicabant.*
2. *Seculis posterioribus communio rarior esse cœpit, & ad eam urgeri debuerunt.*
3. *Aliquando præceptum fuit ut ter in anno communicarent.*
4. *Seculo 13. Synodus Lateranensis præcepit ut ad minus in Paschate communicarent.*
5. *Decretum hoc probavit Synodus Tridentina, frequentiorem tamen Communionem desiderans.*
6. *Quæ regulæ pro frequentiore Communione servandæ remissivè.*
7. *Ex præcepto positivo Ecclesiæ sola Communio Paschalis necessaria, & quod dicatur tempus Paschale?*
8. *Hæc Communio in Ecclesia Parochiali facienda.*
9. *Non satisfit huic præcepto per Communionem in Ecclesiis Regularium quantumvis privilegiatorum: & quid de famulis laicis Monasteriorum?*
10. *S. Carolus de hac obligatione communicandi in* Parochia *populum monendum censuit.*
11. *Aliquando statutum fuit ut nullus intra tempus Paschale communionem præter Parochum administrare posset.*
12. *Hic rigor quomodo remissus?*
13. *Hoc præcepto qui teneantur?*
14. *An ægri teneantur?*
15. *Tempus Paschale de Consilio proprii Sacerdotis prorogari potest: & quis hodie censeatur quoad hoc* proprius *Sacerdos?*
16. *Pœna non communicantis in Paschate.*
17. *An Parochus propria auctoritate hanc pœnam infligere queat?*

I. IN primordiis Ecclesiæ certum atque exploratum est, omnes Fideles, *quorum erat cor unum & anima una*, quotidie perseveralle in *communicatione fractionis panis*, ut Acta Apostolorum testantur: nec ullus sacris mysteriis interesse permittebatur, nisi qui offerre poterat; & de oblatis participare; quam consuetudinem diu perstitisse evidens est, ait Cardinalis Bona *lib. Rerum Liturg. cap. 17. n. 1.* "Nam ex Justino *Apol. 2.* ex Constitutionibus Apostolicis *lib. 8. cap. 20.* ex Dionysio *cap. 3. Eccl. Hierarchia* & aliis constat, Pontificem, confectis Mysteriis, sumpsisse Eucharistiam, & *singulis* præsentibus *tradidisse* sive per Diaconos, sive per se ipsum.

Quotidianam communionem suo tempore adhuc Romæ viguisse testatur S. Hieronymus Epist. 5. *ad Pammachium* his verbis: "Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut Fideles *semper* Christi Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo.

Augustinus *Epist. 54.* ult. edit. hac de re varias fuisse in Africa consuetudines scribit.

Ex quibus colligimus, in Ecclesia Latina etiam usque ad seculum 5. in aliquibus saltem Ecclesiis *quotidianam* fuisse Eucharistiæ sumptionem.

II. At fervore Fidelium postea refrigescente, rarior esse cœpit Eucharistiæ sumptio, gustusque hujus spiritualis alimoniæ deficere, ut qui tamquam famelici ad hunc cibum accurrebant, debuerint tandem tamquam ægri ad medicamenta non tantùm invitari, sed & urgeri, imò & pœnis quodammodò constringi; idque non ut *quotidie* sed ut saltem in præcipuis festivitatibus hoc divino alimento reficerentur.

III. In Synodo Agatensi seculo 6. decretum est *Can. 18.* "Seculares, qui in *Natali* Domini, *Pascha & Pentecoste* non communicaverint, Catholici non credantur, nec inter Catholicos habeantur." Apud Grat. *dist. 2. de Consec. Can. 19.*

In concilio Turonensi III. anno 813. *Can. 50.* legitur. "Et si non frequentiùs, vel *ter* laici homines communicent, nisi fortè quis majoribus quibuslibet criminibus impediatur.

Refert hæc Gratianus sub nomine Fabiani Papæ *dist. 2. de Consecrat. Can. 16.* additis his verbis: *In Pascha videlicet, & Pentecoste & Natali Domini*; sed Decretum hoc Fabiano falso adscribi agnoscunt eruditi; neque disciplinam hanc sapere ætatem Fabiani, qui sub initium seculi 3. vixit, nimis notorium est: quo ex capite rectè quoque notavit Ferdinandus de Mendoza in Commentario ad concilium Eliberitanum *lib. 1. cap. 6.* Gratianum falso *Canonem 21. dist. 2. de Consecrat.* quo referuntur verba Synodi Agathensis suprà relata adscribere concilio Eliberitano: "Nam tempore hujus concilii, ait Mendoza, fervente adhuc antiqua nascentis Ecclesiæ devotione, *non ter* in anno, sed *quotidie* communicasse solitos Hispanos testis est D. Hieronymus in Epistola 28. ad Lucinium Bæticum.

IV. Illud ex allegatis Canonibus sat constat, seculo 9. Laicos constrictos fuisse *ter* in anno communicare. Quàm diu hæc disciplina duraverit incertum est; hoc constat, quòd labente per universum orbem pietatis studio, tandem Ecclesia coacta fuerit præceptum suum ad annuam communionem restringere, de qua in Concilio Lateranensi relato in *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS 12 *de Pœnit. & Remiss.* statutum est: "Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam sibi pœnitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter *ad minus* in *Pascha* Eucharistiæ Sacramentum: nisi fortè de proprii Sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab hujusmodi perceptione duxerit abstinendum: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.

V. Hunc Canonem præ oculis habens Synodus Tridentina declarat *Sess. 13. Can. 9. de Eucharistia*: "Si quis negaverit, omnes & singulos Christi Fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri *singulis* annis, saltem in *Paschate* ad communicandum, juxta præceptum sanctæ Matris Ecclesiæ, anathema sit.

Verùm Synodus probans ac invocans prædictam Concilii Lateranensis ordinationem, declarat quidem, astringi omnes Christi Fideles præcepto *positivo* Ecclesiæ, ut *minus semel* in anno Paschate communicare; sed tamen alio in loco declarat, votum suum fuisse, ut Christi Fideles *frequentiùs* ad Sacram Communionem accedant; imò ut in singulis Missis Fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicent. *Sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ.*

VI. Variæ regulæ, quas Parochi aliique animarum Directores in suadenda frequentiore aut rariore Communione sequi debent, ex sanctis Patribus à Theologis assignari solent

lent: & nuper aliquas expressit Innocentius XI. in Decreto circa *Communionem quotidianam* edit. 12. Februarii 1679.

VII. Itaque spectando ipsum solum positivum Ecclesiæ præceptum, huic juxta modernam disciplinam satisfit *semel ad minus* communicando in Paschate; sive tempore Paschali quod comprehendere hebdomadam Sanctam & Octavam Paschatis ex mente Concilii declaravit Eugenius IV. in Bulla quæ incipit, *Fide dignâ* 20. in Bull. R. quam declarationem ubique nunc servat Ecclesia; ità ut quis Ecclesiæ præcepto de Communione *Paschali* satisfecisse censeatur, modò intra *quindenam* Paschalem incipientem à Dominica *Palmarum* & finientem in Dominica *in Albis*, communicaverit.

VIII. Hæc Communio Paschalis in propria Parochia fieri debet, quemadmodum hodierni libri Rituales & Synodorum Decreta uno consensu declarant; eamque esse mentem Concilii Lateranensis evidenter supponunt: ipsaque moderna Ecclesiæ praxis ostendit.

"Quilibet annos discretionis habens communicare de„bet ut minimùm in Paschate in Ecclesia sua *Parochiali*, „ait Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 7. cap. 5.*

IX. Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit. 7. c. 3.* insuper declarat, quòd non satisfaciant communicantes in aliis Ecclesiis quorumcunq; etiam Ordinum *privilegiatorum*. Addit Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 7. cap. 17. Ut declaravit sacra Congregatio*: Atque post hæc tanquam consequens infert: "Laici proinde famuli quicumque Re„gularium monasteriis operam navant, tametsi in illis habi„tent, stato Paschatis tempore in sua quique Ecclesia Paro„chiali sacram communionem sumant, nisi ex speciali con„cordia aliud ipsis sit permissum. " Idem habet S. Carolus in concilio Mediol. V. *parte 1. cap. 9.*

X. S. Carolus veritus ne quis tempore Paschali extra propriam Parochiam communionem accipiens, præcepto Ecclesiæ non satisfaceret, in concilio suo Provinciali II. *tit. 1. Decreto 12.* statuit, ut parochi "Singulis diebus, cùm in Pas„cha Resurrectionis Domini nostri JESU CHRISTI Sacra„mentum Eucharistiæ administrabunt, *antequam* illud cui„quam præbeant, ad populum conversi denuntient, ut si „quis eorum qui adsunt, Parochiæ suæ incola non est, ad *suā* „quisque *Parochialem* Ecclesiam abeat, ubi quemadmo„dum Canonicis sanctionibus jussum est, eo tempore sa„cram Eucharistiam sumat.

XI. Legitur in Synodo Avenionensi habita à trium Provinciarum scilicet Arelatensis, Ebredunensis, & Aquensis Episcopis anno 1337. Can. 4. sancitum, quòd "Curati nullo „Parochiano suo, cujuscumque conditionis vel sexus exi„stat in festo Paschæ, nec in octo diebus immediatè præce„dentibus & octo subsequentibus, concedant licentiam re„cipiendi, nisi ex causa infirmitatis, nec etiam alicui confe„rendi vel administrandi Sacramentum Eucharistiæ extra „Ecclesias suas Parochiales, vel alias Ecclesias ubi per ipsos „curatos ministrari extitit consuetum..... Prælati autem sic „præsens statutum diligenter observent, ut alicui, nisi ex „causâ rationabili, recipiendi Sacramentum prædictum illo „tempore, alibi quàm in Parochiali Ecclesia, licentiam non concedant. " Hoc statutum iisdem verbis recepit, & observari præcepit Synodus Biterrensis celebrata ab Episcopis Provinciæ Narbonensis anno 1351.

XII. Quamvis circa administrationem Eucharistiæ tempore Paschali extra Ecclesiam Parochialem non videatur ille rigor esse in usu, nihilominus si ex conditione personæ aliisque circumstantiis non constet, personam sacram communionem postulantem, jam satisfecisse, aut certè satisfacturam præcepto de communione Paschali in Parochiali faciendâ, meritò Sacerdos seu regularis seu secularis ante administrationem communionis eam de hoc præcepto instruet, & ut in sua Parochia communicet, monebit.

XIII. Hoc præcepto tenentur omnes generaliter Christi Fideles utriusque sexus, ubi ad annos *discretionis* pervenerint, quare & pueri, quando ad eos ætatis annos pertigerunt & ad sacram communionem sat instructi & probati sunt, huic præcepto satisfacere debent. Unde in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis assistente Domino Archiepiscopo anno 1663 resolutum fuit, ut "tempo„re quadragesimæ Pastores instruant pueros, qui annos di„scretionis attigerunt, aut aliàs tanti Sacramenti suscipien„di capaces visi fuerunt, ut in proximo Paschate, vel in fe„sto ascensionis Domini, aut alio opportuno die *primam* „communionem reverenter & cum debita animi & corpo„ris præparatione sumant *in Parochia*, aut alibi de *consen„su proprii* ipsorum *Pastoris*.

XIV. De infirmis ità loquitur Pastorale Mechliniense conformiter ad Rituale Romanum: "Ægrotis quoque Pa„rochialibus, etiamsi communionem extra præscriptos Pa„schales dies sumpserint, in Paschalibus diebus (Parochus) „illam deferet ac ministrabit.

Si tamen appareat paulò post expletos dies Paschales infirmum in eo futurum statu, ut ipse communicaturus ad Ecclesiam accedat, tunc ipse Parochus tempus Paschale prorogare poterit.

XV. Porrò Ecclesia omnes Christi Fideles ad communionem ità demum astringit; "Nisi fortè de consilio *proprii* „*Sacerdotis*, ob aliquam rationabilem causam ad tempus „ab ejus perceptione duxerit abstinendum.

Si enim Pastor aliùsve spiritualis Medicus judicet, hactenus sacrum hoc alimentum ægro non convenire, idque potiùs mortem, quàm vitam allaturum, abest ut pia Mater Ecclesia filios suos simili casu ad sacram communionem cogere intendat: mavult enim ut diutiùs abstinendo dignè accedant, quàm præcipitanter accedendo judicium sibi manducent & bibant.

Vult ergo Ecclesia, ut filii sui non ex socordia & negligentia aut contemptu sacram communionem ultra annum differant; at si ex consilio prudentis Medici sive Directoris abstineant, ut se ad eam escam majori cum fructu & reverentia sumendam intereà præparent, procrastinationem hujusmodi non reprobat; sed potius laudat.

Quamvis certum sit per *proprium Sacerdotem* in Canone *Omnis utriusque sexus* intelligi proprium cujusque Parochum, nihilominus juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, quicumque in Paschate habet potestatem excipiendi confessionem, etiam habet potestatem tempus communionis Paschalis respectu sui pœnitentis prorogandi: utpote qui solus possit judicare, quid huic pœnitenti conveniat: ac per consequens hodie molestari non potest propter omissam communionem Paschalem, qui se probato confessario confessum ejusque consilia sequutum esse ostendit.

XVI. Pœna autem non communicantis in Paschate est, ut *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.*

Ex tenore verborum quo pœna exprimitur, nequaquam obscurum est, hanc pœnam non esse *latæ*, sed dumtaxat *ferendæ* sententiæ. Quod & sat manifestè significat Synodus P. II. Mechl. decernens: "Qui huic mandato Ecclesiæ non „obedierint, vel in Paschate à Parochiâ abfuerint, & reversi „intra octo dies non docuerint se alibi in Paschate com„municasse, mox Episcopo denuntientur, ut ejus judicio, „nisi legitimam excusationem attulerint, & vivi ab ingres„su Ecclesiæ arceantur, & mortuis Ecclesiastica denegetur „sepultura.

Idem iisdem penè verbis decernit Synodus P. II. Cameracensis *tit. 9. cap. 6.*

XVII. Hæc Synodorum Decreta insuper non obscurè supponunt, nequaquam penes Parochos esse authoritatem, aliquem ob omissam Communionem Paschalem vivum ab Ecclesiæ ingressu arcendi, sed dumtaxat deferendi ad Episcopum, qui re maturius examinata delatum vel absolvat vel ad pœnam Canone decretam condemnet.

Neque enim in sepultura illud est timendum sacrilegium quod verendum ex admissione publicorum peccatorum ad sacram Communionem. Præterea cum non ita ordinariè sit notorium; neque tam facilè populo innotescere queat, num

rum quis Communionem Paschalem non fecerit; aut forsan eam haud omiserit de consilio alicujus Confessarii, aut consensu Parochi, etiam eo ex capite minus timendum est scandalum, si quispiam ad sepulturam admittatur, etsi Communionem Paschalem vivus omiserit, quàm si *notorius* criminosus, antequam publicè satisfecerit, ad sacram Communionem admittatur.

CAPUT IV.
De Communione Infirmorum.

1. *Olim infirmis, & in mortis periculo constitutis data fuit Eucharistia.*
2. *Eucharistia danda moribundis hodie dicitur* Viaticum.
3. *Vox* Viaticum *olim aliter quàm hodie accepta.*
4. *Multum à sensu Canonum aberrant, qui per* Viaticum *credunt semper intelligi Eucharistiam.*
5. *Hodie duplex est infirmorum Communio Eucharistica una per modum* Viatici; *altera* ex devotione.
6. *Inter utramque notatur differentia quoad jejunium à communicante servandum.*
7. *Altera differentia quoad formam distribuendi.*
8. *Utriusque Communionis solus Parochus est minister.*
9. *Privilegia Regularia ad administrationem hujus Communionis se non extendunt.*
10. *Synodi Belgicæ jus hoc Parochus asserunt; illudque Regularibus non competere declarant.*
11. *Pœna decreta in Regulares* occultè *deferentes Eucharistiam infirmis.*
12. *Parochus semper debet esse paratus Eucharistiam infirmis administrare, etiam* noctu.
13. *Eucharistia solius adorationis causa ad infirmum non deferenda.*
14. *Quid faciendum Parocho si infirmus Viaticum sumere nequeat.*
15. *Ægrotus instruetur à Parocho, quo modo debeat spiritualiter sumere.*
16. *Eucharistia ad infirmum* publicè *deferenda est.*
17. *Id etiam observandum quando per modum* devotionis *sumenda est.*
18. *Eucharistia non est* occultè *deferenda, quia infirmus morbum* occultare *vult.*
19. *Populus monendus ut Sacramentum ad infirmum deferendum comitetur.*
20. *Multum in hac re potest Pastorum zelus.*
21. *Quid hic statuerit S. Carolus?*
22. *Indulgentia concessa iis qui comitantur.*
23. *Confraternitates erigendæ, quarum Sodales Sacramentum associent.*

I. JAm pridem S. Eucharistiam ægris administratam fuisse probat imprimis Epistola Synodica Ecclesiæ Africanæ ad Cornelium Papam, inter Epistolas Cypriani est ordine 54. quæ est de pace lapsis danda *maturius* ob persecutionem ingruentem; quibus eam ob causam communionis *sacra* munimentum concedunt Patres, ut *tuti contra adversarium* essent: licet revera infirmi corpore non essent, ità scribentes: "Nunc non infirmis, sed fortibus pax necessaria est, nec morientibus, sed viventibus communio à nobis danda, ut quos excitamus & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione Sanguinis & Corporis Christi muniamus: Et cum ad hoc fiat Eucharistia, ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos esse contra adversarium volumus, monimento Dominicæ saturitatis armemus.

Hic manifestè supponitur, morientibus datam fuisse Eucharistiam; quod & Canon. 13. Nicænus supponit ubi ait: "In summa autem, de quolibet excedente & *Eucharistiæ* participationem petente Episcopus cum examinatione oblationem impertiat.

II. Eucharistia quæ morituris administratur hodie *Viaticum* dicitur; imò nomine *Viatici* hodie unicè ipsa communio Eucharistica morituris administrata intelligitur; secus apud Veteres.

III. Hi enim omnia nomine *Viatici* comprehendebant, quæcumque morientibus prodesse possent, ut securius, tutiusque in alteram vitam proficiscantur.

Unde quidquid pœnitentes aut Catechumenos morti proximos communioni Ecclesiæ restituere, atque Deo reconciliare poterat, *Viatici* nomine comprehendebatur. Unde Baptismus, Confirmatio, absolutio, extrema Unctio, imò & bona opera morituris impertita, nomine *Viatici* veniebant; uti notat & latè probat Vir eruditus Gabriel Albaspinæus *Lib. 1. observat. cap. 1.* unà tamen notans, Eucharistiam etiam antiquitus, cum daretur pœnitenti ad mortem præcipitanti venisse nomine *Viatici*; imò *tutissimum, absolutissimum* & *potentissimum Viaticum* reputatum esse: nequaquam tamen *maximè necessarium*; sed hujus nomine venisse *absolutionem* respectu Pœnitentium, & Baptismum respectu Catechumenorum:

IV. Hinc idem auctor credit per *ultimum & necessarium Viaticum*, de quo in parte *Canonis* 13. Nicæni, non intelligi Eucharistiam, sed reconciliationem: ostenditque, à sensu antiquorum Canonum non minus aberraturos, qui ubicumque *Viatici* nomen occurrit, crederent ibidem de Eucharistia sermonem esse; quàm qui in pristinis Canonibus Eucharistiam significari putarent, ubicumque vocem *communio* reperiunt; eò quòd hæc juxta modernam phrasim pro sola communione Eucharistica sumatur; cum olim esset vox generalis, complectens omnes species *communionis*, quibus aliquis quocumque modo *communioni* fidelium aut Sacramentorum restituebatur; quod cum fieret perfectissimè per *Eucharistiam*, per illam dicebatur, quis *perfectissimè* communioni restitui, eaque communio *perfectissima* appellabatur; ut multis ostendit Albaspinæus *Lib. 1. Obs. cap. 1.*

Hæc si ritè expendantur, constabit, non modò conveniens; sed pene necessarium esse, pro assequendo genuino Canonum sensu, ut quis aliqualem saltem habeat notitiam mutatæ vocum & verborum, pro temporum & locorum varietate, significationis; quemadmodum latius ostendi in tractatu Historico-Canonico *parte 10. cap. 1. §. 7.*

V. Hodie nomine *viatici* venit Eucharistia non cuivis infirmo administrata, sed ea sola quæ datur, cum probabile est, quod eam amplius sumere non poterit, uti loquitur Rituale Romanum. Præcipit enim, ut "hortetur Parochus infirmum, ut sacram Communionem sumat, etiamsi *graviter non ægrotet*, aut mortis periculum immineat; maximè si festi alicujus celebritas id suadeat; neque ipse illam administrare recusabit. " Deinde subjungit: "Pro *viatico* autem ministrabit, cum *probabile* est, quod eam *amplius* sumere *non* poterit. Quod si æger sumpto *viatico*, dies aliquot vixerit, vel periculum mortis evaserit, & communicare voluerit, ejus pro desiderio Parochus non deerit.

His consonant Rituale Mechliniense, aliaque passim moderna Ritualia; atque hinc invaluit duplex infirmorum communio, alia *devotionis*, alia per modum *viatici*.

VI. Inter utramque hæc notatur diversitas; quod "possit quidem *viaticum* brevi morituris dari non jejunis..... Cæteris autem infirmis qui ex *devotione* in ægritudine communicant, danda sit Eucharistia ante omnem cibum & potum. "Ità Pastorale Mechliniense; & Rituale Romanum, quod postremum addit: "Non aliter ac cæteris fidelibus, quibus nec etiam per modum medicinæ ante aliquid sumere licet.

Permittit tamen Manuale Cameracense: "In periculo mortis constitutus communicare potest *non jejunus*, etiam *pluries* in eadem infirmitate, si periculum pluribus di-

„ diebus perseveret, nec possit æger permanere jejunus.

VII. Similiter aliam formam distribuendi Eucharistiam per modum *viatici*; aliam per modum *devotionis* Ritualia præscribunt.

Dum enim infirmo datur per modum *viatici* dicit Sacerdos: *Accipe Frater (vel Soror)* VIATICUM *Corporis Domini nostri Jesu Christi qui te custodiat ab hoste maligno & perducat ad vitam æternam.* Si verò non per modum *viatici* datur, dicit more ordinario: *Corpus Domini nostri JEsu Christi custodiat animam tuam in vitam æternam.* Ità passim hodierna Ritualia. Num hæc duplex infirmorum communio etiam Antiquis nota fuerit, nescio; nullum saltem hujus distinctionis in antiquis Canonibus vestigium hactenus reperi.

VIII. Illud utrique communioni infirmorum commune est, quod etiam juxta modernam disciplinam à Parocho ad infirmos Eucharistia deferenda, atque à solo Parocho infirmis distribuenda sit: nullusque Sacerdos, extra casum necessitatis, sive secularis sive Regularis eam ad domos infirmorum deferre sine Parochi licentia possit.

IX. Quapropter privilegia data Regularibus distribuendi sacram Communionem, etiam quibuscumque Fidelibus, intelligi de administratione in propriis suis Ecclesiis post Canonistas notat Augustinus Barbosa *De Officio Parochi parte 2. cap. 20. nu. 3.*

X. Illudque Parochorum jus non obscurè supponunt Ritualia & Synodi, dum semper ad Parochos verba dirigunt ubicumque de infirmorum communione loquuntur; atque nonnullæ nominatim declarant, Regularibus eam esse vetitam. "Sciant Regulares nec ullo tempore deferre posse „ publicè, aut *privatim* Eucharistiam ad ægros extra septa „ monasterii sui;" ait Synodus Namurcensis anno 1659. *tit. 6. cap. 6.* Et *cap. 7.* subjicit: "Multò minus *Viaticum* secularibus, aut Ecclesiasticis in mortis articulo existentibus, „ saltem nonnisi cum licentia & de consensu expresso nostro (Episcopi) vel Vicarii nostri generalis, aut Pastoris „ loci, extra casum necessitatis. "Hæc ibi citata ad marginem Constitutione Gregorii XV. de anno 1622. ac deinde capite sequenti pœnas in contravenientes decernit: "Si qui „ ex illis præsumpserint præmissis contravenire, sciant se „ subjacere censuris, & tam per subtractionem eleemosynarum Cleri, quàm ademptionem Stationum eos cogendos iri ad observationem eorum.

Et Archiepiscopus Mechliniensis in Decreto evulgato 6. Februarii 1680. *art. 9.* ait: "Cum juxta Decretum Concilii „ Tridentini *Sess. 24. cap. 13. De Reformat.* solis Parochis „ competat, ratione suæ curæ, administrare Sacramenta suis „ respective Parochianis, districtè inhibemus, ne ullus Sacerdos *secularis* aut *Regularis*, cujuscumque Ordinis aut instituti sit, tam sit temerarius, aut potestatis suæ immemor, „ ut *occultè* ferat Sacramentum *Eucharistiæ* aut Extremæ „ Unctionis ad aliquem infirmum, aliumve cujuscumque „ fuerit conditionis: eos admonentes ut meminerint pœnarum & censurarum per Ecclesiam decretarum contra eos „ qui contraveniunt decretis dicti Concilii.

XI. Censuræ, quarum in hoc Decreto, & citata Synodo Namurcensi fit mentio, sunt excommunicatio quæ in *Clementina 1. de Privilegiis* decernitur in Regulares, qui Clericis aut laicis Sacramentum *Eucharistiæ* ministrare, non habita super hoc Parochialis Presbyteri licentia speciali, præsumpserint. Cum enim privilegia data Regularibus duntaxat concernant administrationem Eucharistiæ in propriis Ecclesiis & Monasteriis, manet decreta censura in illos, qui eam ultra privilegiorum tenorem, administrant extra proprias Ecclesias & septa Monasterii; atque ità quoque ad interrogationem Pastorum civitatis Antverpiensis responderunt die 25. Junii 1664. quatuor Doctores Theologi Lovanienses, nimirum *Gerardus Van Werm, Jacobus Pontanus, Joannes Sinnich, & Andreas Laurent*; unà addentes posse, imo & teneri Episcopum, prohibere delationem *occultam* hujus Sacramenti sub pœnis in dicta Clementina expressis; signanter quando leviores pœnæ judicantur non sufficere ad obviandum efficaciter abusibus contrariis.

XII. Parochus autem omni tempore paratus esse debet administrare infirmis hoc Sacramentum, tam post prandium, quàm ante, tam noctu, quàm interdiu. Monet tamen Rituale Romanum, *noctu hoc Sacramentum deferri non debere, nisi necessitas urgeat.* Et Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 7. cap. 15.* arguit abusum, tunc frequentem, deferendi Eucharistiam ad ægros *sub vesperam*; monendumque vult populum, ut, quantum fieri potest, nonnisi jejuni hoc Sacramentum ægri percipiant, nec expectent tempus ultimæ necessitatis. "Numquam tamen „ Pastor (inquit Synodus) tempore nocturno aut aliàs „ quantumvis importuno vocatus, cùm id infirmi status postulat, ab officio faciendo se excuset, *gravissimè puniendus*, cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis è vita excesserit." Idem habet Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit. 7. cap. 7.*

XIII. "Cavendum autem imprimis esse monet Rituale „ Romanum, ne ad *indignos* cum aliorum scandalo deferatur, quales sunt publici usurarii, concubinarii, notoriè „ criminosi, nominatim excommunicati aut denuntiati, nisi sese prius sacra confessione purgaverint, & *publicæ* offensioni, prout de jure, satisfecerint.

XIV. Monet insuper Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 7. c. 13.* Sacra Communio ad ægrotum non deferatur nisi ad eum, qui verè eam sumpturus est. Et Manuale Cameracense nec deferri vult Sacramentum *ad adorandum, seu devotionis seu cujusvis rei prætextu ad ostendendum.* Ratio hujus præcipua videtur, quia Sacramentū neq; ad hoc institutum est, neq; hanc consuetudinem habet Ecclesia Dei. Si verò (ait Synodus) aliquando fiat, ut dum ad eum Parochus venit, morbi vi ità illum affectum inveniat, ut eam tunc illi rectè administrare non possit, cum aliis qui adsunt, sanctè oret: & si ægrotus optet aperta pixide liceat ostendere adorandum. Pastorale Mechliniense, uti & Manuale Cameracense dicunt, simili casu, exhibendum esse Sacramentum ad *adorandum sed*, inquiunt, *non detur ad osculandum.*

XV. Utrumque etiam Manuale monet, Parochi tunc officium esse, ut ægrum doceat, quo pacto possit illud spiritualiter sumere, id est, fructum & utilitatem ejus consequi, nimirum per ejus desiderium & votum, ac fidem vivam, quæ per dilectionem operatur; consolando eum his Augustini verbis: *Crede & manducasti.*

XVI. Quo ritu olim ad ægros Eucharistia fuerit delata non satis est expeditum. Illud constat ex præscripto Honorii III. in *Cap.* SANE *ii De Celebrat. Missarum*, mandari Sacerdoti, ut "eam in decenti habitu superpolito mundo „ velamine ferat, & referat *manifestè* ac *honorificè* ante „ pectus cum omni reverentia & timore, semper lumine „ præcedente, cum sit Candor lucis æternæ, ut ex hoc apud „ omnes fides & devotio augeatur.

Quod publicam seu manifestam delationem attinet, eam non tantum moderna Ritualia sive Manualia, sed & Synodi uno consensu urgent & inculcant; additque nostrum Pastorale Mechliniense: "Non enim toleranda est eorum licentia & abusus, qui sine *gravi necessitate* sub clamide „ *occultè* sine lumine & honore illud deferunt.

XVII. Idque observandum esse, sive per modum *Viatici* sive *devotionis* causâ deferatur, ex ipsorum Decretorum expressione & ratione per quam manifestum est; ideòque Synodus P. II. Mechliniensis postquam decrevit, ut "Pastores & quicumque alii Sacerdotes venerabile Corporis „ Christi Sacramentum ad ægrotos, aut alios *numquam* perferant, nisi decenter & reverenter ornati stola & superpelliceo &c. addit: Idque observetur, etiamsi infirmus *frequentius* in ægritudine sua *Viaticum* salutis sibi deferri „ petat, alioqui pœna arbitraria punientur.

Statuta Synodalia Antverpiensia sub Sonnio anno 1570. publicè

publicè deferri volunt Eucharistiam, *quandocumque extra Ecclesiam* administranda est.

Et in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis coram ipso Episcopo anno 1663. *artic.* 15. decretum fuit: " Numquam deferatur Venerabile in *occulto* ad infirmos, sed *semper palam* cum debita reverentia, & accensis luminaribus: qui secus fecerit citra *necessitatem inevitabilem*, correctioni arbitrariæ subjacebit. " Deinde *art.* 16. "Si autem Religiosi aliqui *exempti* id præsumpserint attentare, non tantùm per promptam substractionem eleëmosynarum & stationum, sed etiam per alia opportuna juris remedia procedetur contra eosdem.

Similiter Episcopus Gandensis edito Decreto 17. Maji 1668. præcepit omnibus suæ Diœcesis Pastoribus aliisque Sacerdotibus, " ne *umquam* sive *noctu* sive *interdiu* sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *clanculum* & *latenter* ad infirmum deferant, quacunque tamen de causa; nisi ait à Nobis aut Archipresbytero nostro priùs examinanda & approbanda. " Post hæc mandat, ne ullus Regularis, cujuscumque Ordinis aut Instituti, sibi arroget Eucharistiam *latenter cuivis* infirmo conferre extra septa sui Monasterii nequidem ut *ex devotione* communicetur.

Hoc Decretum cùm quidam è Clero tum seculari tum Regulari ægrè reciperent, eique nescio quæ objicerent, illud solidissimè tum ex sacris Canonibus, tum Synodorum Decretis stabilivit Ignatius Gillemans Cathedralis Ecclesiæ Gandensis Canonicus & Archipresbyter in epistola ad amicum Pastoralem; in qua etiam ad longum refert resolutionem Doctorum Lovaniensium supra citatam.

XVIII. Synodus P. II. Cameracensis " improbat abusum eorum, qui Sanctam Eucharistiam ægris, qui morbum dissimulare volunt, seu alio quocumque prætextu *occultè* sine lumine, & sine honore deferunt, nisi, ait, de *expressa* Episcoporum licentia id faciant. *Tit.* 9. *cap.* 2.

XIX. Deinde *cap.* 3. subjungit: Admodum etiam indecens est, quod solus Pastor cum Clerico suo præeunte, ut plurimum ad ægros deferendum hoc Sacramentum procedat, aut pauci ex populo sequantur. Quare sæpe populum suum moneant Parochi, ut frequens hoc Sanctissimum Sacramentum prosequatur, maximè ii, qui sunt Confratres Sodalitatum Corporis Christi, quas optaret S. Synodus ubique per Episcopos erigi atque institui.

Post hæc *cap.* 4. " Antequam autem ad ægros deferatur, certis campanæ pulsibus signum detur, ut fideles, quibus vacat convenire possint.

XX. Instructio & Decreta generalia pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis facta per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613. habent. " Cum defertur ad infirmos, Pastor pulsandam curet campanulam; quâ deputati Scholæ ad Ecclesiam congregentur, ut illud debita cum reverentia, & honore comitentur, nec umquam prodeat, nisi associatus ad minus à sex viris, si commodè haberi poterunt, cum luminaribus accensis, nec super hoc inexcusationes essent adducendæ, nec est credibile quin populus monitus à Pastore de gravitate negotii, & de mandato sanctissimi, non sit plenè pariturus. Si etenim debitam adhibere voluerit diligentiam, certum est Pastores in hoc genere à populo libenter admodum omnia obtenturos esse.

Verissimè id prædixisse horum Decretorum auctorem ostendit concursus populi, atque luminis copia in delatione Eucharistiæ iis in locis, in quibus Pastorum zelus in excitanda populi pietate ac reverentia erga hoc Augustissimum Sacramentum elucet.

XXI. Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi VI. *Tit.* 9. vult, ut " Parochus hortetur & curet ut unusquisque Paterfamilias præsertim dato campanæ Parochialis signo, quo sacræ Eucharistiæ ad ægrum deferendæ significatio fit, sine mora in Ecclesiam Parochialem conveniat, vel alium de familia digniorem mittat, ad illam cerei candelæve lumine prosequendam. Si quando autem is, qui Paterfamilias est, per necessariam occupationem non potest, saltem certum aliquem hominem, vel filium natu majorem, vel denique famulum, aliumve mittat, qui id pietatis officium præstet. Atque eam ob causam domi etiam omnis Paterfamilias perpetuo funale cereum, aut candelam unam, pluresque habeat, quæ ad id pietatis opus officiumque usui sint.

Eadem pene habet Synodus Iprensis sub Rithovio *Tit.* 14. *cap.* 9. Et *cap.* 10. ad[illegible]: "Quotquot autem Sacerdotem deferentem hoc venerabile Sacramentum concomitantur, omnes, tam eundo, quàm redeundo à fabulis abstineant; sed pro salute infirmantis, devotâ mente, Dominum Deum deprecentur.

XXII. " Atque ut id fiat cum summa religione, populus pro concione moneatur & excitetur, eique inculcetur, Nos omnibus & singulis Fidelibus umbellam hujusmodi deferentibus, vel devotè comitantibus *quadraginta dierum Indulgentias* impertiri, " ait Antonius Triest Gandentium Antistes in Statutis Synodalibus anno 1605. *Tit.* 6. *cap.* 6.

Similes Indulgentiæ passim in Decretis Synodalibus & Episcopalibus adducuntur, additque Synodus Namurcensis anno 1604. *tit.* 6. *cap.* 14. quod si qui impediti comitari nequeunt, in Domibus suis saltem pro salute corporali & spirituali ipsius ægroti Dominum deprecati fuerint, 20. *dierum Indulgentias* habebunt.

XXIII. Ad hæc optant Synodi nostræ in omnibus Ecclesiis Parochialibus saltem celebrioribus erigi Confraternitates SS. Sacramenti; quarum Sodales specialiter honori & cultui hujus sanctissimi Sacramenti intendant; atque ipsum Sacramentum quoties ad infirmos defertur, *per se*, vel *per alium*, legitimo impedimento occurrente, devotè associent, juxta articulum erectioni hujusmodi Confraternitatis inseri solitum.

Confraternitates hujusmodi in pluribus Ecclesiis Belgicis sub finem præteriti seculi; nec non hoc seculo sunt institutæ & à Sede Apostolica, aut Ordinariis locorum probatæ ad normam hujusmodi Confraternitatis primitùs institutæ in Urbe in Ecclesia Domus Beatæ Mariæ super Minervam Ordinis fratrum Prædicatorum quam probavit Paulus III. 1. Julii 1630. Bulla quæ incipit *Dominus noster* 20. in Bull. R. In hac Bulla articulus de associatione Eucharistiæ deferendæ ad infirmos exprimitur his verbis §. 4. " Ac quod Rector cujuslibet ex Ecclesiis prædictis (Parochialibus) seu illius locum tenens, quotiescumque esset necessarium Sacramentum hujusmodi alicui infirmo ministrari, & ad illius domum deferri, campanam suæ Ecclesiæ certis ictibus pulsari facere teneretur, ad hoc ut Confratres vicini Parochiæ illius Ecclesiæ se moneri & convocari ad sociandum Sacramentum ipsum cognoscerent, & per se ipsos associare si legitimo impedimento detenti non forent, alioquin per unum de suis dignioribus familiaribus Sacramentum prædictum ad domum dicti infirmi, facibus accensis associari & comitari facere tenerentur.

CAPUT V.

De Circumgestatione & Expositione Eucharistiæ.

1. *Incertum quo tempore inceperint processiones cum Venerabili.*
2. *Primis 10. seculis ignota.*
3. *An aliqua apud Græcos nota sit?*
4. *Non videtur cum solemnitate Corporis Christi incepisse.*
5. *Videtur seculo 14. sensim invaluisse.*
6. *In quibusdam Ecclesiis citiùs, in aliis seriùs recepta.*
7. *Sub initium seculi 15. erat usitata.*

 8. *Pro-*

8. *Probat hanc Processionis Synodus Tridentina.*
9. *Episcoporum est has Processiones dirigere.*
10. *Olim extra Missam etiam in Ecclesia Latina Venerabile palam populo adorandum non proponebatur.*
11. *Incertum an primitus Venerabile palam in processione portaretur.*
12. *Non videtur ante recepta Ostensoria palam delatum fuisse.*
13. *Quâ ratione ex usu processionum profluxerit publica Venerabilis Expositio?*
14. *Ritus hic expositionis licet recentior, non est tamen improbandus.*
15. *Eucharistiam posse adorandam exponi sequitur ex reali Christi præsentia.*
16. *Penes Episcopum est auctoritas hanc expositionem dirigere.*
17. *Sacra Congregatio declaravit,nec Exemptos posse sine licentia Episcop. Eucharistiam palam exponere.*
18. *Idem declaravit Clerus Gallicanus.*
19. *Sententia Synodi Camaracensis de hac Episcoporum auctoritate.*
20. *Regulares etiam exempti acceptare non possunt fundationes cum onere exponendi Venerabile,nisi accedat licentia Episcopi.*
21. *Cavendum ne nimia expositionis frequentia minuat reverentiam.*
22. *Querela Joannis Gropperi de nimia frequentia;quæ & hodie verificari posset.*
23. *In oratione 40 horarum non semper exponendum Venerabile, & contrarius hodiernus, usus an probandus?*
24. *Non exponendum in Ecclesiis in quibus prævidetur non servanda conveniens reverentia.*
25. *Convenienter & cum decenti ornatu Venerabile exponendum.*
26. *Instruendus populus quo mentis affectu coram Venerabili exposito consistere debeat.*

I. QUando in Ecclesia Sanctissim. Eucharistiæ Sacramentum publicè per plateas solemni pompâ circumferri, ipsæque processiones sive supplicationes cum Venerabili frequentari cœperint, valde obscurum & incertum est.

II. Hoc expeditum est, primis decem seculis hujusmodi processiones sive circumgestationes Eucharistiæ fuisse penitus ignotas. Nec publicas processiones hujusmodi cohæsisse cum disciplina antiquæ Ecclesiæ, etiam notat Christianus Lupus in Tractatu *De sacris processionibus cap. 2.* „ Ista namque disciplina, ait, Sacrosanctam Eucharistiam „ rigidissimè abscondebat, non Judæis duntaxat ac Genti„ libus,sed etiam Catechumenis ac Pœnitentibus.

III. Insuper constat has solemnes processiones cum Venerabili numquam notas fuisse, nec hodie esse in Ecclesiis Græcorum; unde hujus cæremoniæ seu ritus nulla in eorum Ritualibus mentio occurrit; hoc uno excepto, quod species aliqua Processionis apud illos frequentetur, similis illi quæ apud nos fieri solet in die Parasceves, dum Sacra Hostia pridie consecrata; & in parvo altari ad hoc specialiter adornato reposita,*processionaliter* præcedentibus luminaribus,& Clero populoque comitantibus defertur ad summum altare, ut ibi per Sacerdotem Missam Præsanctificatorum celebrantem sumatur.

Græci enim omnibus diebus Sabbathi & Dominicis quadragesimæ per Sacerdotes aut Diaconos ferunt in modum *processionis* ipsa *Præsanctificata* sive hostiam præconsecratam ex parvo Altari, quod *Propositionis* vocant, ad summum Altare: sed Diaconus vel Presbyter illa gestat imposita capiti & longo velo contecta: quemadmodum in Ecclesia Latina in die Parasceves Hostia fertur imposita calici velo contecta & involuta. Præter hanc processionem nulla apud Græcos legitur in qua Eucharistia vel occultè vel apertè circumferatur.

IV. Plures credunt, hodiernas cum Venerabili processiones institutas fuisse, & in Ecclesia Latina originem habuisse sub Urbano IV. qui circa initium seculi 13. solemnitatem Corporis Christi feria V. post octavam Pentecostes celebrandam instituit, aut saltem jam in Ecclesia S. Martini in civitate Leodiensi institutam per omnes Ecclesias celebrari voluit,edita Bulla quæ incipit *Transiturus*; quæ à Joanne XXII.sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi inserta est in *Clementina Unica De Reliquiis & veneratione Sanctorum.*

Verùm in Bulla Urbani, quâ prædictam festivitatem instituit, nulla hujusmodi processionis mentio occurrit. Deinde Urbanus peculiares indulgentias concedit iis, qui vel uni ex horis Canonicis, quas speciatim recenset, interfuerint, nullas tamen concedit iis qui processioni assistunt. Indicium sanè haud obscurum, processionem tunc temporis nondum notam fuisse.

Deinde S. Thomas, qui dicitur jussu Urbani IV. SS. Sacramenti officium composuisse, de hac processione non loquitur; cum tamen de omnibus Officii Divini partibus disserat, hanc utique non prætermissurus, si instituta fuisset; utpote quæ partem Officii Divini nec exiguam, nec levis momenti constituisset.

Sed & auctores,qui sub idem tempus de instituta hac solemnitate per Urbanum IV. scripserunt, de processione silent: uti & ipse Urbanus in Bulla quæ incipit *Scimus* inclusæ Evæ reclusæ S. Martini Leodiensis,scribit quidem se festivitatem Corporis Christi instituisse; ac de institutione Processionis nihil. Extat hæc tomo 11. Concil. *col.* 867.

Itaque non apparet institutio processionis Urbano VI. adscribi posse; neque illam tunc temporis adhuc partem illius solemnitatis constituisse.

V. Verisimile est, eam seculo 14. paulatim invaluisse; atque non simul in omnibus Ecclesiis, sed in aliquibus citius, in aliis serius fuisse institutam, ad solemnitatem institutæ festivitatis augendam.

In Concilio Senonensi habito anno 1320. *can.* 1. hæc habentur: " Circa verò *processionem solemnem*, quæ dicta „ quinta feria fit à Clero & populo in *delatione dicti Sa„ cramenti* (Corporis & Sanguinis Domini) his diebus, „ cum quodammodo divinâ inspiratione introducta videa„ tur, nihil quoad præsens injungimus, devotioni Cleri & „ populi relinquentes.

VI. Evidens hinc est, eo tempore in Ecclesia Senonensi notam fuisse solemnem processionem Venerabilis Sacramenti: eamdemque in Ecclesia Tornacensi anno 1325. notam fuisse exacta Capitulari dictæ Ecclesiæ probat Joannes Baptista Thiers in Dissertatione *de exp. sitione Venerabilis lib. 2. c. 1.* uti & in Ecclesia Carnotensi anno 1330. ex quadam charta ejusdem Ecclesiæ, idipsum ibidem probat.

Quod ergo scribit Donatus Bossius Jurisconsultus Mediolanensis in Chronico ad *annum* 1494. " Anno Domini „ millesimo quadragintesimo quarto, vigesima nona Maji, „ die jovis,Corpus Christi *solemniter*, ut postea facilitatum „ est, per Papiam urbem circumferri cœptum, " nequaquam probat, tunc in Ecclesia primum hujusmodi circumgestationem inchoatam (uti colligit Genebrardus) sed solummodo,quod ante illud tempus *Papiæ* instituta nō fuisset.

VII. Quidquid sit, processionem cum Venerabili sub initium seculi 15. fuisse usitatam, satis innuit Martinus V. in Bulla quæ incipit: *Ineffabile* 12. in Bull. R. Post duplicatas enim indulgentias, quas Urbanus IV. dederat iis qui officio Divino in festo Corporis Christi interessent, subjicit. " Illis „ præterea qui processiones,in quibus ipsum vivificum Sa„ cramentum dicto festo juxta præfatarum Ecclesiarum ri„ tus deferetur, continuò secuti fuerint centum dies singulis „ annis de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxa„ mus.

VIII. Sy-

VIII. Synodus Tridentina de hoc processionum usu tum in Ecclesia Latina recepto & stabilito *sess. 13. c. 5. de Eucharistia*: "Declarat piè & religiosè admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam & festo die præcelsum hoc & venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter & honorificè illud per vias, & loca publica circumferretur.

IX. Cùm verò hæ *processiones* præcipuè institutæ sint ut debitus honor Venerabili Sacramento exhibeatur; atque populi erga idem Sacramentum devotio magis excitetur, Episcoporum ac Pastorum est invigilare, ne per eam frequentiam populi devotio & reverentia defervescat; nil *processionibus* illis admisceatur, quod debitum cultum hujus Sacramenti imminuat, aut in illius vilipendium tendat, vel oculos Fidelium offendere, vel ab adoratione hujus Sacramenti eorum mentem avocare posset, quemadmodum latius *part. 1. tit. 16 cap. 9.* agendo de auctoritate Episcoporum in dirigendis & inducendis precibus publicis ostendimus.

X. Unà cum processionum ritu, credunt nonnulli, etiam publicam expositionem Venerabilis solius adorationis causa originem accepisse. Illud satis compertum, Eucharistiam multis seculis etiam in Ecclesia extra ipsius sumptionem & Missarum solemnia publicè populo ad adorandum expositam non fuisse.

XI. Hoc non perinde compertum est, num in ipsis Processionum initiis, Venerabile Sacramentum ità circumgestaretur, quemadmodum hodie moris est, an verò, quemadmodum in processione diei Parasceves fieri solet, velo aliquo coopertum portaretur; quod verisimilius credit Joannes Baptista Thiers in citata dissertatione; creditque ex primævo illo usu, adhuc in quibusdam Ecclesiis superesse quasdam processiones, in quibus Sacramentum *occultè* sive *contectum* circumfertur: quin asserit necdum elapsos esse 120. annos à quibus in omnibus Galliæ Ecclesiis, etiam in processione *solemnis* Festi Corporis Christi Sacramentum visibiliter delatum sit.

XII. Certum quippe apparet, Sacramentum visibiliter non fuisse delatum ante usum *Ostensoriorum*; hæc verò multò recentiora esse ipsis processionibus omnes agnoscunt: neq; eorum mentio reperitur in aliquo Concilio aut Decreto alicujus Pontificis vel Episcopi ante Concilium Coloniense anno 1452. in quo statuitur "quod deinceps ipsum Sanctissimum Sacramentum, nullatenus *visibiliter* in quibuscunq; *Monstrantiis* ponatur aut deferatur, nisi in Sanctissimo Festo Corporis Christi cum suis octavis semel in anno in qualibet civitate aut oppido, seu Parochia, vel ex singulari indulto Ordinarii; aut aliàs pro pace aut alia necessitate imminente, ex indispositione rempublicam prægravante.

Hinc constat, seculo 15. Ostensoriorum sive Monstrantiarum usum, saltem in aliquibus Ecclesiis, repertum fuisse; atque ipsum Sacramentum in illis positum fuisse *visibiliter* in processionibus delatum; sed num eodem tempore etiam extra processiones in altari ad adorandum publicè expositum fuerit, non perinde compertum est.

XIII. Admodum verisimile est, ut notat Joannes Baptista Thiers in citata dissertatione *pag. 125.* publicam & visibilem Sacramenti expositionem ex ipsius visibili in processione circumgestatione originem sumpsisse.

Cùm enim usus invaluisset, ipsum Sacramentum in plateis & Ecclesiis in processione exponendi; haud inconveniens visum fuit; illud quoque in altari aliòve eminentiori loco extra tempus processionis ad adorandum *visibiliter* exponere, idque primum durante officio divino aut ejus aliqua parte in *Festo Corporis Christi*; deinde integro illo die; postmodum per ejus octavam; ac tandem nonnullis aliis diebus & solemnitatibus; atque ità sensim ad modernam disciplinam delapsi sumus.

XIV. Quamquam ergo agnoscere debeamus, ritum hunc publicè ac visibiliter ad adorandum Sacramentum Eucharistiæ exponendi esse recentiorem, illud tamen expeditum est, ritum hunc nihil ipsius Eucharistiæ institutioni, aut fidei Ecclesiæ Catholicæ contrarium continere; imò ejus legitimum usum ex ipsa fide Ecclesiæ probari.

XV. Supposita enim reali ac substantiali præsentiâ Christi in hoc Sacramento, consequens est ipsum non minus hic sub speciebus *Panis & Vini* jam gloriosum latentem cultu Latriæ adorari posse, quam eum Apostoli viventem & mortalem adoraverunt.

Hinc Synodus Tridentina *sess. 13. de Eucharistia* cum *capite 4.* asseruisset realem præsentiam Christi in Eucharistia, tamquam consequens infert *cap. 5.* "Nullus *itaque* dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto *Latriæ* cultum, qui verò Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant.

Et Canone 6. ait: "Si quis dixerit in sacro Eucharistiæ Sacramento Christum Unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum; atque ideo nec festivâ peculiari celebritate venerandum, neque in processionibus secundùm laudabilem & universum Ecclesiæ ritum & consuetudinem, solemniter circumgestandum, vel *non publicè, ut adoretur populo proponendum* & ejus adoratores esse idololatras; Anathema sit.

XVI. Porro sicuti Episcoporum est, publicas Venerabilis Sacramenti circumgestationes aliasque processiones ordinare & dirigere, ut & devotioni populi, & reverentiæ huic Sacramento debitæ subserviant; ità quoque penes Episcopos est auctoritas, hanc publicam Eucharistiæ expositionem ordinare & dirigere: adeo quidem ut nec Regulares quantumvis exempti, Venerabile sine ordinarii sive Episcopi licentia, seu alia ex causa quam ab Episcopo probata in suis Ecclesiis *publicè* exponere queant.

XVII. Hanc Episcoporum auctoritatem non semel probavit S. Congregatio Cardinalium; atque signanter, cùm anno 1644. super publica hac expositione quæstio incidisset inter Archi-Episcopum Burdigalensem & Patres Dominicanos, re delatâ ad sacram Congregationem & ritè examinatâ missum fuit ad Cardinalem Grimaldum Nuntium Apostolicum in Gallia & per eumdem publicatum Decretum tenoris sequentis: "Congregatio Concilii censuit, non licere Regularibus, etiamsi in eorum Ecclesiis Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum *publicè* adorandum exponere, nisi ex *causa publica quæ probata sit ab Ordinariis*.

XVIII. Conformiter ad hanc declarationem; & ipsam auctoritatem Episcopalem, quâ intendere jubentur Episcopi omnibus quæ ad populi devotionem ab Ecclesia sunt ordinata, declaravit Clerus Gallicanus anno 1655. *nullos exemptos* sive *Seculares* sive *Regulares* posse *exponere palam* SS. Sacramentum, illudve deferre in *publicis processionibus*, nisi in solemnitate SS. Sacramenti aut diebus devotionum extraordinariis pro *publicis* causis indictis & *per Episcopum approbatis, obtentâque ejus permissione*.

XIX. Utque plura Synodorum Decreta his consona omittam, anno 1651. Synodus Cataneensis, cui præsidebat Michaël Angelus *Bona dies* Episcopus Cataneensis quondam totius ordinis FF. Minorum Generalis, hoc notabile in hac materia Decretum emisit *Sess. 1. cap. 4. Numer 72.* "Regulares quid in *propriis Ecclesiis* circa *expositionem* SS. Eucharistiæ facere possint, docentur à decisione S. Congr. rituum, quam omnino observari præcipimus sub *mulcta interdicti Ecclesiæ, & Superiorum suspensionis*. Nimirum ne sine speciali Sedis Apostolicæ privilegio, quod *nobis* ostendere teneantur, illam exponant absque causa, *quam approbare ad nos spectat*; & quidem illa *publica* esse debet, non verò privata ..... Quare Superiores omnes Regularium jubemus, intra mensem ab hujus Synodi publicatione nobis demonstrare, quibus tem-

„ temporibus Synaxim in populorum conspectu dare ha-„ ctenus consueverunt velintque impositum, ut *nos causas* „ *recognoscamus*, & *facultatem litteris obsignatam im-*„ *pertiamur*; qui negligentes fuerint, annuam *suspensio-*„ *nem* incurrunt à divinis. Declaramus præterea nemini „ *Regularium* licere extra claustra quacumque occasione, „ nobis *inscüs & non approbantibus* cum Eucharistia pro-„ cessionem instituere.

XX. Addit insuper Clerus Gallicanus, fas non esse Ecclesiasticis, sive Regularibus, sive secularibus, *exemptis* vel non exemptis, se obligare per contractum vel conventionem quamcumque, publicè & in aperto exponere Venerabile; aut recipere ullam fundationem eum in finem, nisi ex ordinatione, aut consensu Episcopi Diœcesani. In Actis Cleri Gall. *tomo 1. tit. 2. cap. 4. art. 22.*

Hanc Cleri declarationem & ordinationem ut justam anno 1665. probavit Concilium Privatum Parisiense; unà declarans, fas non esse PP. Dominicanis sine licentia Episcopi Eucharistiam in suis Ecclesiis *palam* populo exponere. In causa Episcopi Tarcoxensis contra Dominicanos; uti latius refert Thiersius *lib. 5. cap. 10.*

XXI. Illud imprimis in hac expositione ab Episcopis & Ecclesiarum Prælatis attendendum, ne ejus frequentia minuat reverentiam.

Hinc Synodus P. I. & II. Mechliniensis volens ut extra Festum Corporis Christi ejusque octavam *rarius* & non nisi in *arduis* causis pacis & *publicæ* necessitatis vel utilitatis Venerabile in processionibus circumferatur, hanc allegat rationem: *Ne nimia frequentia minuat reverentiam.*

S. Carolus in sua Synodo Diœcesana inquit: " Sanctissima „ Eucharistia, ne quavis causa, sed *publicâ* duntaxat modo, ea-„ que *gravi* exponatur.

Et rursus in instructionibus Sacramentalibus titulo de De *exponenda Sacra Eucharistia in oratione quadraginta horarum* statuit: " Coram sanctissima Eucharistia ora-„ tio 40. horarum in Ecclesiis fiat, ubi Archi-Episcopus sta-„ tuerit, & quando id concesserit. *Ne quavis causa* tamen „ Eucharistia *palam* & apertè exponatur, sed *publica* tan-„ tum eaque *gravi*: aliis vero de causis orationem licebit „ instituere, sed *non Sacramento apertè* exposito.

Plura Synodorum atque Episcoporum Decreta, quibus hæc publica Eucharistiæ expositio restringitur ad causam publicam per Episcopum approbandam, adducuntur in sæpius allegata Dissertatione Joannis Baptistæ Thiers *lib. 1. cap. 5.* & sequentibus.

Inter cætera allegat hic auctor dicto *cap. 5.* querelam Joannis Gropperi Archiepiscopi Coloniensis omnibus ob præclara sua merita notissimi, de frequentiori Eucharistiæ expositione. " Venerabile Sacramentum, ait, in processioni-„ bus nimis crebro circumfertur, & populo plus nimio & „ plerumque *palam* spectandum exhibetur. Hæc præter-„ quam quod piis & Deum timentibus non probentur, hæ-„ retici & improbi quique offendicula inde nascentia ad su-„ as hæreses & improbitates stabiliendas ac tuendas arri-„ piunt.

Post hæc concludit: " Utinam Deus ea corrigat, iisque „ ut ea corrigant, inspiret, qui ex ratione functionis suæ „ corrigere jure obligantur.

XXII. Si hodie viveret Gropperus, quid non diceret, dum quotidie etiam ex levissimis & privatis causis in omnibus passim Ecclesiis Venerabile exponi videmus; imò ad cujuslibet pene, nescio quam devotionem, Missas votivas cum expositione Venerabilis, modò sat pingue stipendium offeratur, celebrari conspicimus. Ex hac frequentia, quàm exigua sit populi in conspectu Venerabilis devotio & reverentia, atque exterior religionis cultus, omnibus notum est.

XXIII. Adhæc, ex præcitatis S. Caroli instructionibus apparet, nequaquam ex mente hujus zelotissimi Præsulis, Sacram Eucharistiam *palam* exponendam esse in omni 40. horarum oratione; quod nec pridem usitatum fuisse in simili oratione, tametsi ex causa *publica* instituta, probat Thiersius *lib. 3. cap. 9.*

Hodie verò invaluit, ut numquam pene in aliqua Ecclesia oratio instituatur, quin una expositio Venerabilis adjungatur: quo fit, ut frequenter cum magno scandalo, & SS. Sacramenti vilipendio & irreverentia, per majorem diei partem Venerabile non altero ve præsente, quasi ad ostentationem, expositum maneat: quod haud dubiè sæpius maledictionem pro benedictione in populum attrahere natum est.

XXIV. Præterea, si juxta Synodum Tridentinam in Decreto de evitandis & observandis in celebratione Missarum, Sacerdos Missam inchoare nequeat, " nisi prius, qui „ intersunt, decenter composito corporis habitu, declara-„ verint se mente etiam, ac devoto cordis affectu non solùm „ corpore adesse, " quidni & Episcopi iis in Ecclesiis, eoque tempore Eucharistiam palam exponi meritò vetarent, in quibus prævident, & experientia notum est, eam non esse hominum ad Ecclesias illas convenientium devotionem & reverentiam, quæ tanto Sacramento conveniat: imò multas passim in conspectu Venerabilis insolentias committi; confabulationes, aliaque subinde pejora frequentari.

XXV. Multum quoque ad excitandam populi devotionem & reverentiam erga Venerabile conducit, quod exponatur convenienti cultu & ornatu.

In Concilio IV. Mediolanensi *parte 2. cap. 3.* statuit S. Carolus, ut dum Venerabile exponendum est, " Processio „ in exponendo Sanctissimo Sacramento per Ecclesiam a-„ gatur, Litaniis, statisque antiphonis, precibus & orationi-„ bus, cum cereis accensis: itidemque in eo reponendo ser-„ vetur.

Vult autem ut huic processioni non minùs quàm sex Clerici, licèt ex alia Ecclesia essent advocandi, cum accensis cereis assistant.

" Cerei præterea in altari accensi ad summum decem, „ minimum verò sex decenti crassitudine, ac longitudine „ colluceant.

Hic videmus, etiam in cereorum accensione moderationem voluisse S. Carolum: sciebat enim, in similibus ipsum quoque excessum populi devotioni nonnumquam impedire, atque reverentiam imminuere.

Instructio pro Pastoribus civitatis & Diœcesis Leodiensis edita per Antonium Albergatum Nuntium Apostolicum in visitatione Apostolica anno 1613 *pag. 29* decernit, ut Sanctissimum Sacramentum " debita cum reverentia honore-„ tur, nunquam populo adorandum exponatur, quin sint „ accensa ad minus sex *luminaria* circa ipsum; multò enim „ melius est, ait, ut non ità frequenter exponatur, & tunc „ cum debita reverentia, quam ut frequentius & sine debi-„ to obsequio, & reverentiæ significatione id fiat; ut cum „ nostra animi commotione multis in locis exponi vidimus, „ & invenimus.

Conformia Synodorum & Episcoporum Decreta plurima citat sæpius allegatus Thiersius *lib. 5. cap. 1.*

XXVI. Plurimum ad excitandam populi solidam devotionem valebit, si sedulò instruatur, quomodo & qua de causa Venerabile palam exponatur: ut nimirum Christus ibidem sub speciebus panis verè & realiter præsens, ut verus Deus pro nobis homo factus, cultu Latriæ adoretur; atque specialis memoria passionis ejus recolatur: majorique quasi fiduciâ præsente Advocato nostro ad thronum gratiæ accedamus.

TITU.

TITULUS V.

De Celebratione Missarum.

CAPUT I.

De varia *Missæ* significatione; necnon Liturgiarum & Cæremoniarum diversitate.

1. *Missa dicitur à missione seu dimissione populi.*
2. *Missa Catechumenorum à dimissione Catechumenorũ.*
3. *Missa Fidelium à dimissione populi.*
4. *Missa olim in varia significatione etiam accepta.*
5. *Missa hodie sumitur pro integra Sacrificii incruenti celebratione.*
6. *Quid de Missa sic accepta habeat Synodus Tridentina & professio fidei?*
7. *Circa dogmata nulla est Ecclesiarum Catholicarum varietas, secus circa ritus.*
8. *Christus simpliciter Sacrificium illud celebravit, sicuti in scriptura est expressum.*
9. *Dedit potestatem Apostolis eorúmque successoribus ritus ordinandi & immutandi.*
10. *Hac potestate usa est Ecclesia, dum à jejunis Eucharistiam sumi voluit.*
11. *Quo ritu Apostoli Missam celebraverint?*
12. *Refertur ritus Missæ à Justino descriptus.*
13. *Ex descriptione hujus Liturgiæ convincitur falsitas Liturgiarum quæ sub nomine Apostolorum circumferuntur.*
14. *Pace Ecclesiæ reddita plures ritus & cæremoniæ addita fuerunt.*
15. *Unde Ecclesiarum in cæremoniis varietas?*
16. *Mediolanensis Ecclesia speciali Liturgia utitur, eámque retineri voluit S. Carolus.*
17. *Hispani singulare officium habuêre, quod* Mozarabicum *dicebatur.*
18. *Quo tempore Hispani hoc officio abrogato receperint Romanum; & quid de antiquo supersit?*
19. *Ordo Gallicanus diversus fuit à Romano usque ad tempora Caroli M.*
20. *Quis fuerit antiquus ille ritus inquirit Card. Bona.*
21. *Missalia Gallicana evulgavit in suo de Liturgia Gallicana opere Mabillonius; & quid in illo contineatur?*
22. *Ipse ritus Ecclesiæ Romanæ non semper fuit idem.*
23. *Varietas rituum non officit unitati Fidei.*
24. *Unusquisque ritus suæ Ecclesiæ servare debet; nec privatâ authoritate ab iis recedendum.*
25. *Optandum ut periti cæremoniarum Magistri constituerentur.*
26. *Ex horum ignorantia multa à Patrum antiquitate aliena inducta sunt.*
27. *Quædam ex Missa privata contra ordinem in Missam publicam irrepserunt.*
28. *Multa hodie in cæremoniis habentur pro lege, quæ ex abusu irrepserunt.*
29. *Unde plura in Missis privatis sint obscura.*
30. *Ex mutatione disciplinæ, & Missæ abbreviatione magna in cæremoniis obscuritas & perturbatio orta est.*

I. NOmen *Missa* esse Latinum derivatum à *missione* sive *dimissione* populi multis ostendit Cardinalis Bona *Lib.* 1. *Rer. Liturg. capit.* 1. §. 6. atque ità accipi in Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 84. ubi dicitur: " Episcopus nullum prohibeat usque ad *Missam* Catechumenorum, neque Hæreticum, neque Judæum, neque Gentilem Ecclesiam ingredi & audire Verbum Dei. Hoc est usque ad *missionem* Catechumenorum, qui post habitum sermonem ante offertorium clamante Diacono, *Catechumeni recedite*, exibant.

II. Et Augustinus serm. 49. *cap.* 8. *de Verbis Domini* dum dicit: " Ecce post sermonem fit *Missa* Catechumenorum, „ manebunt fideles, venietur ad locum orationis " quid aliud significatum voluit, quam post sermonem, *missionem* seu dimissionem fieri Catechumenorum?

Unde S. Isidorus *lib.* 6. *de orig. vocum. cap.* 16. " Missa est „ tempore Sacrificii, quando Catechumeni foras mittuntur „ clamante Levita: *Si quis Catechumenus remansit exeat* „ *foras*: & inde *Missa*, quia Sacramentis Altaris interesse „ non possunt, qui nondum regenerati noscuntur.

III. Porro sicuti *Missa* Catechumenorum dicta fuit à missione sive dimissione Catechumenorum; ità & Missa Fidelium nomen accepit à missione sive dimissione Fidelium, clamante similiter Diacono: *Ite Missa est.*

Id non obscurè indicatur in Sacramentario S. Gregorii apud Pamelium, ubi descripto officio feriæ VI. Parasceves, tandem in fine dicitur: *Deinde communicat ipse & omnis Clerus, & fiunt* MISSÆ. Ubi quoque ad marginem monet „ Pamelius: Ex postrema hac clausulâ colligere est, cur „ *Missa* nuncupetur, nempe à *dimittendo* populo.

Eodem sensu sumitur à Cassiano dum *caput.* 13. *lib.* 2. *Instit.* ità inscribit: *Quare post Missam nocturnam dormire non oporteat*: id est, post missionem Monachorum à nocturnis officiis.

IV. Quamvis *Missa* primitus dicta fuerit à *missione* seu dimissione, nihilominus hoc etiam constat, varias fuisse jam pridem *Missæ* significationes; neque nomen *Missa* in eadem significatione ubique fuisse acceptum.

Missam pro quovis Ecclesiastico officio quod in ædibus sacris peragebatur, interdum sumptam fuisse, præsertim in regulis Monachorum, ostendit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 2. *num.* 5. & latius Du Cange in Glossario verbo *Missa*.

Missa quoque Catechumenorum olim accepta fuit, & hodie communiter accipitur pro ea parte liturgiæ, quæ Missam fidelium antecedit: id est, ab introitu usque ad lectionem Evangelii ejúsque expositionem inclusive. Similiter *Missa* Fidelium sæpius appellata ea liturgiæ pars, quæ sequitur Missam Catechumenorum usque ad finem.

Adhæc *Missa* frequenter sumitur pro festo alicujus Sancti, ut ostendit Du Cange loco citato notátque verisimiliter inde à Germanis, *Missæ* nomen inditum *nundinis* publicis, quæ ad alicujus Sancti festum vel Ecclesiam celebrari solent. Verbigratiâ, *Francofurter messe*, *Strasburger-messe*. Idem valet ac *Francofordienses*, & *Argentoratenses* nundinæ.

V. Denique sumitur *Missa* pro tota Sacrificii divini celebratione, quatenus comprehendit utramque, scilicet Catechumenorum & Fidelium Missam: quæ acceptio posterioribus seculis adeò invaluit & hodie communis est, ut recentiores, ait Bona, vix aliam agnoscant hujus nominis significationem. Notátque, hinc Theologum magni nominis errandi occasionem accepisse, dum solum nostri temporis usum attendens, quoties apud Cassianum & Benedictum *missæ* nomen invenit, illud de Sacrificio Missæ intellexit; " ex quo sequeretur (ait Bona) pluries in die, imò etiam post „ prandium Sacrificia olim à Monachis oblata; quia etiam „ post Vesperas & Completorium illâ S. P. Benedictus suâ „ phrasi

„phrasi utitur: *& Missæ sint, & Missæ fiant.* Hoc autem „errore nihil absurdius.

Interim hoc titulo de Missâ tractaturi, eam in hodierna vulgari significatione pro ipsa Sacrificii divini integra celebratione accipiemus.

VI. De Missâ itâ sumpta, id est, pro incruento Altaris Sacrificio definivit Synodus Tridentina: " Si quis dixerit, in „Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium, aut „quod offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad man„ducandum dari, anathema sit.

Item: " Si quis dixerit, illis verbis: Hoc facite in meam „commemorationem, Christum non instituisse Apostolos „Sacerdotes: aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes „offerrent corpus & sanguinem suum, Anathema sit.

VII. Circa hæc dogmata; atque ipsam Sacrificii essentiam unus semper fuit omnium Ecclesiarum tam Orientalium quàm occidentalium consensus, uti latè ostendunt Theologi qui ex professo veritatem horum dogmatum, atque Missæ Sacrificium contra hæreticos nostri temporis adstruxerunt.

At circa ritus, & modum peragendi ipsius Sacrificii varia fuit, tam pro temporum, quàm locorum diversitate disciplina.

VIII. Neminem latet, Christum Sacrificium illud incruentum in ultima Cœna instituisse, illúdque celebrasse eo modo quem apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum & Lucam, nec non in prima epistola Pauli ad Corinthios descriptum legimus.

IX. Verum etsi Christus Discipulis præceperit in ipsa institutione Sacrificii, ut quod à se factum fuerat, idem & ipsi deinceps in suam commemorationem facerent; certum tamen est, ipsum Apostolis suis, totique Ecclesiæ, in eorum persona, potestatem auctoritatémque dedisse, ea omnia in augustissimi hujus Mysterii ritibus seu cæremoniis addendi, demendi, immutandi, quæ illius dignitati, & populorum devotioni pro temporum & locorum diversitate magis congruere judicarent.

De hac Christi intentione itâ certus erat Paulus, ut eâ sibi traditâ potestate in Corinthiorum Ecclesia uti se posse significet, cùm ad eam scribit: *Cætera autem cùm venero disponam.*

X. Persuasum quoque erat Augustino, Ecclesiam accepisse plenam mutandi hos ritus potestatem; eaque usam esse sine temeritate aut arrogantia asserit, quando voluit, Eucharistiam à *Jejunis* accipi; quam à Christo Apostolis non jejunis, sed jam sumptâ cœnâ porrectam noverat. " Et ideo „(ait) non præcepit quo deinceps ordine sumeretur, ut A„postolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, servaret „hunc locum." *Epist. 54. §. 8.*

XI. Quænam ipsi Apostoli circa modum ritúsque peragendi Sacrificii post Christum addiderint, aut immutarint, varia admodum fuit & antiquorum atque recentiorum scriptorum opinio seu potiùs conjectura.

De liturgia sive ritu celebrandi incruentum Missæ Sacrificium tempore Apostolorum aut certè eorum, qui ipsis immediatè successerant, & ab ipsis instructi fuerant, nullum apparet luculentius & certius testimonium, quàm illa liturgiæ descriptio, quamvis breviter contracta, quâ Christianos crudelissimo persecutionis tempore, id est, circa medium seculi secundi usos fuisse testatur, qui eodem tempore vixit, S. Justinus Martyr in *apolog.* 2. quam ipse ethnicis Imperatoribus sub idem tempus obtulit. Neque enim credibile est, multas Liturgias tempore Justini post Apostolos factas fuisse additiones, aut immutationes; cùm non longo post Apostolica tempora intervallo apologiam scripserit. Is enim à proximis decessoribus suis, ex quibus non pauci Apostolos audierant, & viderant, accipere potuit, quæ qualisque fuerit, cui sæpius interfuerant, eorum liturgia. Deinde per durissima persecutionum tempora Christianis non licuit in iis quæ ab Apostolis acceperant, maximè verò in rebus liturgicis, plurima addere vel immutare. Adde, his primus persecutionem Ecclesiæ temporibus Christianos multò scrupulosius iis inhæsisse, quæ Apostoli scriptis suis, vivâ voce, exemplo, ac per manus ipsis tradiderant.

XII. Liturgiam sui temporis itâ delineat Justinus: *Die solis*, id est, die Dominica, *omnes qui in oppidis vel agris morantur, conveniunt in eundem locum*: qui cum nondum essent ædificata Christianorum templa, vel Ecclesiæ, domus quædam privata esse debebat. Deinde omnibus coactis, *commentaria Apostolorum aut scripta Prophetarum, quantum per tempus licet, leguntur.*

Post lectiones ac " lectore quiescente, Præsidens oratio„nem, quâ populum instruit, & ad eorum quæ pulchra „sunt, imitationem adhortatur, habet. Tum simul con„surgimus omnes, & precationes fundimus, & sicuti jam „diximus, finitis precationibus nostris, panis offertur & „vinum & aqua. Consimiliter Præpositus ipse, quantum „potest, vota & gratiarum actiones effundit; & populus „faustè acclamat, dicens, Amen. Et distributio commu„nicatióque fit eorum, super quibus gratiæ sunt actæ, „cuique præsenti; absentibus autem per Diaconos mitti„tur.

XIII. Hactenus Liturgia à Justino descripta prout seculo 2.do Christianis fiebat: quæ si conferatur cum Liturgiis, quæ sub nomine SS. Jacobi, Matthæi & Marci extant, facilè apparebit, eas tam esse à simplicitate Liturgiæ à Justino exhibitæ remotas, ut licet nullum aliud suppeteret argumentum, quo probaretur Liturgias illas non posse Apostolis illis adscribi, hoc unum sufficeret; uti doctè ac solidè ostendit Vir eruditus Nicolaus de Nourry Monachus Benedictinus Congregationis Sancti Mauri in suo apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum, *dissertation. 2. cap. 2. §. 10.*

XIV. Illud equidem constat, pace Ecclesiæ reddita ipsa Missarum solemnia sensim majori cum pompa cœpisse celebrari; plurimaque pro temporum ac locorum conditione esse addita & immutata.

XV. Et quidem, quia dispares diversarum Nationum mores & ingenia diversos ritus & cæremonias, ut in politicis, itâ & in Ecclesiasticis exigunt, hinc in ritibus magna Ecclesiarum varietas; præsertim quia nullo extante de his Christi vel Apostolorum præcepto, libera potestas Episcopis relicta erat, id sentiendi & decernendi, quod unicuique salvâ fide magis expediens videbatur.

Quis nescit, quanta sit, & jam pridem fuerit inter Græcos & Latinos in his diversitas; quamque horum liturgiæ diversæ: quanta rursus inter ipsas Orientales Ecclesias rituum varietas; quemadmodum ostendit Cardinalis Bona *lib. 1. Rerum Liturg. Cap. 9.*

Fuisse jam pridem etiam in Ecclesia Latina varias Liturgias diversarum gentium ac regnorum, notorium est.

XVI. Quis enim nescit, aliam fuisse & hodie esse Liturgiam Ambrosianam, quâ usa jam pridem fuit, & nunc utitur Ecclesia Mediolanensis, à Liturgia Ecclesiæ Romanæ?

Liturgiam hanc Ambrosianam edidit Jacobus Pamelius tomo primo Liturgicorum. Ordinem autem Missæ Ambrosianæ compendiosè refert Cardinalis Bona loco citato *cap. 10.* Porrò ex ibidem relatis facilè videri poterit, quæ hanc inter & Romanam Liturgiam intercedat varietas. S. Carolus veteris Ambrosiani ritûs conservandi zelo, in Synodo sua Diœcesana III. *Decreto* 20. statuit: " Ne Sacerdos „ullus qui ritu Ambrosiano Missæ sacrum facere debet, id „(Missam) per quadragesimam *sextis feriis*, ne in Regu„larium quidem Ecclesiis faciat, etiam vel funeris, vel exe„quiarum, vel alterius cujusvis rei oblata causâ." Et in Synodo XI. hujus antiquæ consuetudinis hanc reddit rationem; " quod illa dies plena *mœroris* sit ob *acerbissimam* „Christi passionem; Sacrificium verò *spirituale* populi „præ se ferat *lætitiam*." Tum statuit, " ut illis diebus *Crux* „in Altari solemni ritu adoranda exponatur, & concio de „*passione* habeatur.

XVII. Hi-

XVII. Hispaniam pridem distinctum à Romano officium, sive ritum Missarum habuisse, in confesso est: dictumque fuit officium illud *Mozarabicum*: quia cum Arabes Hispaniam penè omnem occupassent, Christiani *Mixtarabes* & corrupto vocabulo *Mozarabes*, id est, mixti cum Arabibus dicti sunt: atque inde officium eorum *Mozarabicum*.

XVIII. Quo tempore officium illud compositum sit, incertum est. Nonnulli credunt, S. Isidorum Hispalensem illius auctorem; alii verò cum Cardinale Bona illud esse Isidoro antiquius existimant. Quidquid sit illud indubitatum est, ritum illum diu in Hispania viguisse, neque ante tempora Gregorii VII. id est sæculum 11. ritū Romanum abrogato Mozarabico fuisse inductum. Extant ea de re Valeriæ epistolæ Gregorii VII. è quibus constat, quanta difficultate id tandem hic Pontifex obtinuerit. Et primum quidem à Sancio Rege Navarræ & Aragonum, quem propterea laudat *lib. 1. epist. 63.* ac deinde in Regno Castellæ, rem illam promovente Constantia Alphonsi Castellæ Regis uxore, quæ in Gallia enutrita, Romano officio à tempore Caroli M. illic recepto assueta erat; qua de causa ipsum Regem laudat *lib. 9. epist. 2.* hæc inter cætera scribens: " Noverit excellentia tua „ dilectissima, illud unum admodum nobis, imo Cle„ mentiæ divinæ placere, quod in Ecclesiis Regni tui, „ Matris omnium S. Romanæ Ecclesiæ *Ordinem* reci„ pi, & ex antiquo more celebrari feceris.

Tunc igitur in Hispania Romanus ritus abrogato Mozarabico receptus fuit; qui tamen teste Roderico Toletano lib. 6. De rebus Hispaniæ cap. 26. in aliquibus Monasteriis aliquanto tempore custoditus fuit. Et ne tantæ antiquitatis ritus omnino interiret, Franciscus Himenius Cardinalis & Archi-Episcopus Toletanus superiori sæculo Missale Mozarabicum recudi jussit instituto Sacerdotum collegio, à quibus divina officia ritu illo usque in hodiernum diem celebrantur in Sacello quod in Toletana Ecclesia ædificavit.

Ritum hunc compendiosè recitat Cardinalis Bona *cap. 11.* multaque notanda in illo occurrunt. Integram Missam exhibuit Jacobus Pamelius tomo 1. Liturgicorum; & Vir eruditus Joannes Mabillonius in appendice probationum ad Liturgias Gallicanas *pag. 440.*

XIX. Ordinem Missæ Gallicanum olim diversum fuisse à Romano, manifestum est ex secunda interrogatione Augustini Anglorum Apostoli proposita S. Gregorio: " Cur cum una sit fides, sunt Ecclesiarum con„ suetudines tam diversæ? & *altera* consuetudo Missa„ rum est in *Romana* Ecclesia, atque *altera* in *Gallica„ rum* Ecclesiis tenetur?

Hanc diversitatem minimè negans Gregorius, scribit: " Mihi placet, ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive „ in qualibet Ecclesia aliquid invenisti, quod plus omni„ potenti Deo possit placere, solicitè eligas.... Non „ enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda „ sunt.

Hunc ritum conservasse Ecclesias Gallicanas usque ad tempora Caroli M. notat Mabillonius in præfatione ad Libros tres de Liturgia Gallicana; ibidem unà inquirens, quæ fuerit hujus mutationis causa.

XX. Quis fuerit antiquus Ordo Gallicanus solicitè inquirere cœpit Cardinalis Bona; ac multa tandem inquisitione facta, notas nonnullas hujus Ordinis ex antiquis Scriptoribus & Canonibus indicavit; atque insuper duo antiqua Missalia, unum bibliothecæ Vaticanæ, alterum serenissimæ Suecorum Reginæ indicavit quæ collata cum notis veteris Ordinis Gallicani, pro genuinis antiquis Missalibus, quibus Ecclesia Gallicana ante receptum ordinem Romanum usa fuit, habenda esse ostendit.

XXI. Hæc duo Missalia integra anno 1683. protulit in lucem Josephus Thomasius Clericorum Regularium in Urbe Presbyter, tertio Missali addito; quod itidem ad priscum Gallicanæ Ecclesiæ ritum pertinere existimavit.

Deinde Vir rerum sacrarum studiosissimus Joannes Mabillonius libros tres composuit & evulgavit anno 1685. *De Liturgia Gallicana*, quorum tertius complectitur prædicta tria Missalia Gallicana à Thomasio jam ante publicata: additis hinc inde eruditis notis. Primum illorum vocat *Gothico-Gallicanum*: eo quod in usu fuerit apud Gallos *Gothorum* Imperio subjectos, nempe apud Septimanos vel Novempopulanos. Hoc Missale exaratum fuisse ante annos nongentos, post Cardinalem Bona asserit Mabillonius in prologo ad librum tertium *num. 4.*

Secundum Missale vocatur *Francorum*; idque præcipuè ob mentionem *Regni Francorum*, quæ in benedictione Regum non semel occurrit. Tertium Missale vocatur, *Gallicanum vetus*.

Multa de antiquitate, ac ordine illorum Missalium discutit in citato prologo Mabillonius, asseritque; in primo scilicet *Gothico*, contineri purum Ordinem Gallicanum: in aliis vero Ordini Gallicano aliqua ex ordine Romano admixta esse.

Præter tria hæc Missalia exhibet Mabillonius antiquum Ecclesiæ Gallicanæ *Lectionarium*, quod à se repertum dicit in Luxoviensi Benedictinæ Congregationis sancti Vitonis percelebri Monasterio, litteris Franco-Gallicis seu Merovingicis ante annos mille scriptum. Continet vero Lectiones Prophetiarum, Epistolarum, & Evangeliorum per totum annum in Missa, & in aliis majorum solemnitatum officiis recitandas.

Hoc *Lectionarium* unà cum eruditis ac perquam utilibus notis & observationibus ad ejus antiquitatem demonstrandam, ac usum ejus vindicandum Ecclesiæ Gallicanæ; nec non obscuriora quædam illustranda, & pro veterum rituum notitia simul constituunt librum secundum Mabillonii.

In primo libro, postquam de variis Ecclesiæ Latinæ Liturgiis breviter actum est, Gallicanæ indicia, veræque notæ asseruntur, expenduntur, & probantur. Deinde facta ejusdem Liturgiæ Gallicanæ cum Mozarabica comparatione, totam ejus seriem ex Gregorio Trudonensi aliisque priscis monumentis eruit & illustrat. Deinde vetus sacræ supellectilis apud Gallos, Ecclesiarumque forma & apparatus describitur. Denique tam in exordio, quàm fine libri ostendit ex antiquis Liturgiis Gallicanis, eandem fuisse eo tempore Gallorum de Sacra Eucharistia & Missæ Sacrificio fidem & persuasionem, quæ hodie est.

Evulgavit insuper ipse Mabillonius veterem codicem sub nomine *Sacramentarii Gallicani* parte 2. tomi 1. Musæi Italici; quem invenisse se scribit in Bibliotheca percelebris & perantiqui Monasterii Bobiensis; eumque scriptum esse asserit ante annos mille, & quidem Litteris majusculis: variisque argumentis contendit, ibi contineri ritum Gallicanum præter Canonem, qui Romanus est: atque inde conjicit, Gallos prius Romanum Canonem, quam integrum Missæ ritum Romanum suscepisse.

Plurima admodum notanda & utilia circa ritus Ecclesiasticos reperiet, qui dictos libros viri eruditi pervolvere voluerit: quibus libri duo Cardinalis Bona de Rebus Liturgicis magna quoque eruditione conscripti, addi meritò poterunt, ut rituum Ecclesiasticorum plena notitia habeatur.

XXII. Non tantum Ecclesiarum Orientalium; nec non particularium Occidentalium in ritibus & à se invicem & à Romana jam pridem fuit discrepantia; sed nec ipsa Romana Ecclesia eumdem semper ritum retinuit, ut cuilibet notorium erit, si recentiores & hodiernos ritus, cum antiquioribus Missæ Ordinibus Ecclesiæ Romanæ

Romanæ contulerit: & nonnullis in exemplum adductis ostendit Mabillonius in Commentario prævio ad *tomum* 2. *Musei Italici*, qui veteres Ordines Ecclesiæ Romanæ, cum aliis nonnullis antiquis monumentis eò pertinentibus complectitur.

XXIII. De hac rituum diversitate dici potest, quod jam pridem de variis Ecclesiarum consuetudinibus dixit S. Augustinus *epist.* 36. ad Casulanum: "In his rebus, de „ quibus nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi „ Dei vel instituta Majorum pro Lege tenenda sunt: de „ quibus si disputare voluerimus, & ex aliorū consue„ tudine alios improbare, orietur interminata luctatio.

Item quod sanctum Ambrosium in simili materia sibi respondisse refert Augustinus *Epist.* 54. *num.* 3. "Ad „ quam fortè Ecclesiam veneris, ejus morem serva, si „ cuiquam non vis esse scandalo, nec quemquam tibi.

XXIV. Itaque singularium Ecclesiarum ritus, atque cæremonialia sive Ritualia servanda sunt; neq; Presbyteris aliisve Ecclesiæ Ministris privata auctoritate ritum præscriptum immutare licet; eo etiam prætextu, quod contrarius ritus pristinæ Ecclesiæ disciplinæ esset conformior; videreturque magis ad excitandam populi devotionem, nec non explicanda Mysteria aptior & convenientior.

" Novæ cæremoniæ nullæ in Ecclesiis recipiantur si„ ne Episcopi judicio," ait Synodus P. I. Cameracensis tit. De cultu & cæremoniis *cap.* 6.

Similiter Synodus P. II. *tit.* 3. *c.* 7. " interdicit qui„ busvis Sacerdotibus, ne quidquam in officio Missæ, „ maximè in Canone, etiam prætextu pietatis intermi„ scere, aut novas cæremonias inducere præsumant.

XXV. Et capite primo præceperat, ut "deputent „ quamprimum Episcopi cum suis Capitulis viros ali„ quos in officio Divino, ac cæremoniis ad illud perti„ nentibus exercitatos, qui imprimis cæremonias ipsas „ scripto mandent, ac etiam dictorum veterum rituum „ repurgationi, & novæ editioni incumbant, quibus per„ actis non liceat dictis parochialibus, & in eisdem be„ neficialibus, etiam privatim uti alio usu quam Ecclesiæ „ Cathedralis.

Optandum ut periti essent Cæremoniarum Magistri, qui non tantùm modernorum, sed & antiquorū rituum veram ac germanam notitiam haberent.

XXVI. Ut enim rectè animadvertit & deplorat harum rerum notitia excellens Joannes Mabillonius in commentario prævio ad *tom.* 2. Musæi Italici *cap.* 21. " qui novos sacrorum rituum libros novissimis tempo„ ribus scripserunt, mirum est, quantum sibi tribuerint „ in pervertenda venerabili antiquitate, cujus institu„ tiones nedum institutionum rationes omninò ignora„ bant. Cumque quod suo tempore fieri cernebant, id „ omnibus retrò sæculis semper actitatum fuisse autu„ marent, probabiles ut sibi videbantur, receptæ novi„ tatis rationes adinvenerunt, quæ penitus veterum „ sententiis non rarò adversantur.

Nonnulla illius exempla ibidem profert Mabillonius; plura in suo opere de rebus Liturgicis Cardinalis Bona; ac signanter *lib.* 2. *cap.* 7. §. 3.

XXVII. Inter alia observat Bona ibidem quod antiquitus cum Evangelium in ambone legebatur, erantque in templo distincta loca pro viris & mulieribus, Diaconus verteret se adversus meridiem ad partem *virorum*: at nunc se vertat ad aquilonem, partem *mulierum*; eamque mutationem ex Missis privatis ex quodam abusu in Missas publicas irrepsisse notat ex Micrologo de Eccles. observ. *cap.* 9.

XXVIII. Deinde subjicit hoc generale monitum: " Hinc patet quam verum sit, quod à nobis in hoc tra„ ctatu sæpius inculcatur, multa hodie pro lege haberi „ in his, quæ pertinent ad Ecclesiasticas observationes, „ quæ sensim abusu irrepserunt, quorum originem cum „ recentiores ignorarent, varias conantur congruentias, „ & mysticas rationes invenire, ut sapienter instituta „ vulgo persuadeant. Porrò isti, ut scitè Hieronymus de „ Oregine dixit, ingenii sui adinventiones faciunt Ec„ clesiæ Sacramenta.

XXIX. Sicuti nonnulla in Missam publicam & solemnem è Missis privatis sensim introducta sunt, quæ nullatenus illis conveniunt; ita quoque non pauci ritus seu cæremoniæ in Missis privatis adhiberi soliti, difficulter intelliguntur, ac ipso Sacrificio parum convenientes videntur, eo quod primitus non pro Missis privatis, sed publicis instituti sint. Uti enim advertit Cardinalis Bona *lib.* 1. *cap.* 13. §. 2. " Ab initio sic sacrificium prin„ cipaliter institutum fuisse, ut publicè ac solemniter fie„ ret, Clero & populo astante, offerente, ac communi„ cante, ipse tenor Missæ, & veteris Ecclesiæ praxis „ evincunt.

XXX. Ad hæc ritus Missæ tempore pleriq; ordinati præscriptique fuère, quando adhuc populus oblationes suas inter Missarum solemnia solemni ritu offerebat & quando non tantum spiritualiter, sed etiam Sacramentaliter communicabat: quando item frugum aliorumq; benedicendorum benedictiones in ipsa Missa peragebantur: quæ dum partim abolita, partim, tepescente successu temporis populi fervore, ne Missa prolixior esset, ab ea sejuncta fuerunt, magna rituum obscuritas, quin & perturbatio contigit; uti monet Cardinalis Bona *lib.* 2. *cap.* 14. §. 5.

CAPUT II.

De Missa publica sive Parochiali.

1. *Missa publica olim dicta à conventu populi cum suo Pastore.*
2. *Conventus hic unitatem Ecclesiæ repræsentat.*
3. *Qui à Missa publica sive Parochiali se absentabat ab Ecclesiæ unitate recedere credebatur.*
4. *Nullus alienum Parochianum & Missarum solemnia recipere potest.*
5. *Ante sæculum 14. de obligatione frequentandi Missam Parochialem dubitatum non legitur.*
6. *Sæculo 15. exortâ super hac obligatione controversiâ, declaratum est populum de jure teneri Missam Parochialem frequentare.*
7. *Synodus Tridentina eamdem obligationem supposuit, & Synod. Belgicæ expresserunt.*
8. *Missa peculia & ita in publico fieri vetantur, ut populus a Missa Parochiali abstrahatur.*
9. *Missæ fundatæ omnium Confraternitatū ita celebrandæ ut per eas à Parochiali non abstrahatur populus.*
10. *Officia in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, & Monasteriis ita ordinanda, ut populus à Parochiali officio non impediatur.*
11. *Missa Parochialis statutâ horâ semper celebranda.*
12. *Non differenda aut acceleranda ad nutum nobilium.*
13. *Ut populus magis ad frequentationem Parochiæ excitetur, decretum, ut Parochialis majorem campanam habeat.*
14. *Olim etiam juridicè contra absentes à Missa Parochiali procedebatur.*
15. *Hodie ferè solis monitionibus.*
16. *Missa Parochialis specialiter pro populo offertur.* (*lis.*
17. *Antiquitus instructio populi pars erat Missæ Parochia-*
18. *Synodus Tridentina vult ut inter Missarum solemnia fiat Parochorum instructio.*
19. *Hodie in Ecclesiis ruralibus id observatur; atque observari voluit S. Carolus.*
20. *Canones urgentes Missæ frequentationem, unà urgent auditionem Verbi Dei in Parochia.*
21. *Potissimum ob concionem in Missa Parochiali habendam ejus frequentatio urgetur.*

I. Missa

I. Missa publica dicta est jam pridem non à loco; quia & olim in cryptis, abditisq; locis agebatur; sed à conventu populi circumstantis, offerentis, & communicantis, ait Cardin. Bona *l.* 1. *Rerum Liturg. c.* 13 *n.* 3.

De hac Missa loquitur sanctus Gregorius *lib.* 4. *Epist.* 43. vetans in Monasteriis Monachorum, " Missas *pu-* „ *blicas* per Episcopum fieri; ne in servorum Dei secen- „ tibus occasio præbeatur *popularibus conventibus*, & „ simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, in „ scandalum trahat; frequentior quoque introitus mu- „ lieribus arceatur.

Et *lib.* 4. *epist.* 46. scribit Felici Episcopo Pisaurensi, cum ipsi mandatum esset, ut locum sive Oratorium Monasterii absque Missis *publicis* dedicaret, ad se delatum esse, quod Nihilominus *Cathedrâ* posita Sacra illic *publicè* Missarum solemnia celebrentur. "Quod si verum „ est (ait Gregorius) his vos hortamur affatibus, ut „ omni excusatione cessante, Cathedram vestram exinde „ amoveri modis omnibus faciatis, nec denuò illic Mis- „ sas *publicas* peragatis.

Similiter *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 9. Item *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 72. vult Oratorium Monasterii absque Missis *publicis* solemniter consecrari; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec Presbyter constituatur Cardinalis: id est, Parochus, ut ostendimus *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 1.

II. Hinc haud obscurum est, antiquitus Missas *publicas* dictas fuisse illas, ad quas populus una cum suo Pastore conveniebat.

Cum enim *una* sit Ecclesia Catholica, quæ ex singulis particularibus Ecclesiis coalescit, eodem vivens spiritu, iisdemq; sub eodem Pastore communicans Sacramentis; etiam quæque particularis Ecclesia Parochialis *una* est, quæ suo modo generalem illam Sanctorum fidelium communionem repræsentat, Pastorem habens proprium, à quo regi debeant membra singula, foveri, ac nutriri, ut *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 1. ostensum est.

III. Itaque vetat S. Gregorius in Oratoriis Monasteriorum presbyterum *Cardinalem* ordinari, aut Missas *publicas* celebrari, hac quoque inter alias ratione, uti notat Eruditus Revisor Operum S. Gregorii in notis ad *epist.* 9. *lib.* 2. *indict.* 10. quia verebatur ne per alias Missas extra Matrem Ecclesiam celebratas, distractis populis, *unitas* tam sancta solveretur.

Eadem Sardicensis Concilii *Canone* 15. mens fuisse videtur, dum vult, ut Episcopus, si quando *necesse est eum ruri morari*, accedat ad proximum locum, in quo *Presbyter est, ne sine* ECCLESIA *videatur facere diem Dominicum*.

Et Canone 14. dum dicit, in superiore Concilio constitutum fuisse, ut si quis Laicus in ea, in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id est, per tres septimanas non celebrasset *conventum*, communione privetur; ibidem per *conventum* intelligere conventum populi ad publica Missarum solemnia, ubi una cum suo Presbytero sive Pastore populus congregatus; quasi *unam* Ecclesiam constituit, communiter tradunt Canonistæ, & expressè supponit S. Carolus in Concilio suo VI. Mediolanensi, ex illo Canone obligationem frequentandi Missam Parochialem astruens.

Ad hunc quoque Canonem indubiè reflexit Synodus VI. *Canon.* 80. decernens, " ut si Clericus in Civitate agens tribus diebus Dominicis in tribus septimanis una non conveniat; deponatur, Laicus verò segregetur.

IV. Huic obligationi ut satisfieret, jam pridem in Concilio Nannatensi cautum fuit *Can.* 1. " Ut Dominicis & Festis diebus Presbyteri antequam Missas celebrent, plebem interrogent, si alterius Parochianus in Missa „ sit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Missam „ velit audire. Quem si invenerit, statim ab Ecclesia e- „ jiciant, & ad suam Parochiam redire compellant.

Refertur hoc Decretum apud Gratianum *caus.* 9. *quæst.* 2. *Can.* 4. ac inde relatum in Decretales Gregorii IX. in *Cap.* 2. ☧ *De Parochiis* partem juris communis constituit.

In Concilio Nannatensi *Can.* 5. additur: " ut nullus „ Presbyter alterius Parochianum, nisi in itinere fuerit, „ vel placitum ibi habuerit, ad Missam recipiat.

V. Et sanè hæc obligatio tam perspicuè Sacris Canonibus expressa est, ut ante sæculum 14. aut 15. vix dubitatum fuisse legatur; an de jure tenerentur fideles diebus Dominicis & Festis Missarũ solemnibus in propria Parochia interesse. At sæculo 14. & 15. nonnulli Fratrum Mendicantium, cœperunt prætendere juri illi privilegia Ordinibus illis à nonnullis Pontificibus indulta esse derogatum.

VI. Ac signanter suscitata fuit hæc controversia sub finem sæculi 15. in Germania, ac præsertim in oppido Eslingensi Diœcesis Constantiensis, inter parochos & nonnullos Ecclesiarum Prælatos ab una, & nonnullos prædicatorum, Minorum, & Carmelitarum Ordinu Professores ex altera parte. Controversia delata ad Sixtum IV. qui ex Ordine Minorum ad Pontificatum fuerat assumptus, partibus utrimque coram Commissariis auditis, atq; rationibus utrimque allegatis maturè discussis, tandem an. 1478. 17. Junii Sixtus IV. quæstionem decidit edita Constitutione quæ incipit, *Vices illius*, relata in Corpore Juris in *Extravag.* 2. *De Treuga & Pace in communibus*, ubi inter alia ordinat: " Ut Fratres Mendi- „ cantes non prædicent, populos parochianos non tene- „ ri audire Missam in eorũ parochiis diebus Festis & Do- „ minicis; cùm jure *cautum* sit, illis diebus parochianos „ *teneri* audire Missam in eorum *Parochiali* Ecclesia, nisi „ forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent.

Hic notandum, Pontificem nequaquam per hanc Constitutionem jus *novum* voluisse condere; sed simpliciter declarasse; ita de *jure cautum esse*, neq; huic juri per privilegia, uti Fratres mendicantes prætendebant, esse derogatum: ideoque in fine addit, hanc declarationem esse servandam, *non obstantibus Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis*, ac PRIVILEGIIS *eisdem Fratribus in genere vel in specie concessis*.

VII. Huic juri insistens Synodus Tridentina *sess.* 22. *Decreto de observandis & evitandis in celebratione Missa*: " Moneant (locorum Ordinarii) etiam eumdem „ populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem die- „ bus Dominicis & majoribus festis accedat.

Synodi Belgicæ passim idipsum urgent: monetque Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. *c.* 27. " Parochiani, etsi „ vicini alicui Capellæ sub finibus Parochialis extructæ „ præcipuis anni festivitatibus & in Dominicis Ecclesiam „ Parochialem frequentare non omittant; qui verò tri- „ bus continuis Dominicis ab illa se absentaverint ad- „ moneantur primum à suis Pastoribus, & si monitio- „ nem contempserint, ad nos deferantur.

VIII. Et quidem sub nomine S. Augustini legitur apud Gratianum *Dist. de Consecrat. Can.* 52. " Et hoc „ attendendum est, ut Missæ peculiares, quæ per dies so- „ lemnes à Sacerdotibus fiunt, non ita in publico fiant, „ ut propter eas populus à *publicis* missarum solemni- „ bus, quæ hora tertia canonice fiunt, abstrahatur.

Hæc quidem per errorem tribui Augustino, & esse desumpta è Capitulari S. Theodulphi Episcopi Aurelianensis *cap.* 45. quod circa annum 797. editum fuit, notarunt Correctores Romani; at illud interim constat, hic de Missa Parochiali agi, atque Missas peculiares vetari in publico fieri, ne ab ea populus abstrahatur.

IX. Concilium Senonense anno 1528. *c.* 15. vult, ut si quæ Missæ ex tenore fundationis dici debeant die Dominico

minico, *non dicantur, nisi post Missam Parochialem*. De-
„ inde monet Episcopos non facilè admittant fundatio-
„ nes Cappellarum, quibus ordinatur celebratio Missæ
„ die Dominica, ea potissimum hora, qua populus u-
„ niversus convenire debet ad audiendum divina; præ-
„ ceptaque Dei & Ecclesiæ.

Concilium Rotomagense anno 1581. *tit. De Curatorum & Parochorum Officiis*, *num.* 23. hæc decernit. “Quoniam videmus multos adduci ad præceptorum „ Ecclesiæ & ministrorum ejusdem contemptum, non „ facilè admittantur fundationes & erectiones Cappellarum & fraternitatum, in quibus ordinatur *celebratio* „ *Missæ* Dominico die, *ea potissimum hora*, qua populus „ universus convenire debet ad audiendum divina præ„ cepta Dei & Ecclesiæ. In Missis verò charitatum atq; „ aliarum fraternitatum ab antiquo eo die constituta„ rum, nec aqua nec panis benedicantur: & inter illa„ rum Missarum solemnia moneatur, non esse prætermittendas Missas Parochiales propter assistentiam in „ ea Missa, quæ ex devotione & consilio celebratur. „ Quisquis verò Presbyter in alia Missa, quàm parœ„ ciali, aquâ & panè benedixerit, sit suspensus à divinis.

X. Quin in Concilio Turonensi anno 1585. *cap.* 15. cautum est “ne prætextu divinorum officiorum, quæ in „ aliis Ecclesiis, quàm parœcialibus celebrari solent, re„ vocari aut distrahi possint, majorem Missam & Vespe„ ras in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis & Monaste„ riis post parœciale officium peractum, tantum debere „ inchoari decernimus. Quod ut fiat commodius, Epi„ scopi seu eorum Officiales, ipsis Rectoribus seu parœ„ cis certas horas quibus majorem Missam & Vesperas „ in suis Ecclesiis celebrare teneantur, ita præscribant, „ ut parœcialibus divinis peractis, ipsi parœciani ad Ca„ thedralem & Collegiatas, aliasque monasteriorum „ Ecclesias, ad divina in his audienda, pro sua devo„ tione se transferre valeant.

Conformiter ad hos Canones & Ecclesiastica Decreta anno 1574. declaravit Officialis Metropoliticus Senonensis, Presbytero fas non fuisse, tempore Missæ *Parochialis* in eadem Ecclesia celebrare Missam *privatam* contradicente Parocho, quam sententiam Parlamentũ Parisiense confirmavit; quantumvis allegaretur & probaretur contrarius usus in omnibus Ecclesiis ejusdem civitatis: uti post Renatum Choppinum refert Feuretius de abusu *lib.* 3. *cap.* 1.

XI. Insuper ut populus ad Missam Parochialem frequentandam incitetur, decretum est, ut Parochi statuta eaque populo commodiori hora Missam Parochialem diebus præsertim Dominicis & festis celebrent. “In „ omnibus pagis totius Provinciæ Missa *Parochialis* Do„ minicis & festis diebus *certa* & *eadem* hora semper „ fiat, quacumque ratione in contrarium non obstante, „ sub pœna arbitraria; “ ait Synodus P. II. Mechl. *tit.* 11. *cap.* 6.

Hanc horam pro Diœcesi Mechliniensi determinans Synodus Diœcesana anno 1609. *tit.* 11. *cap.* 6. “Mandat ut à Festo Paschæ usque ad Festum S. Remigii, seu „ Kalendas Octobris, Missa Parochialis celebretur horâ „ octava, vel circiter, à Kalendis verò Octobris usque ad „ Pascha horâ nonâ.

Eamdem horam per totam Provinciam servari voluit Synodus P. I. Cameracensis titulo *De cultu, Caremoniis & Officio Divino cap.* 15. & innovavit Synodus P. II. *tit.* 3. *cap.* 10. “Eamque uniformiter & exactè per totam „ Provinciam, quacumque in contrarium allegatione „ non obstante mandat servari, sub pœna suspensionis „ à Divinis ipsis Parochis contravenientibus infligenda, „ nisi fortè superveniente Concionatore horam servare nequeant.

XII. Monet Synodus Turonensis anno 1583. *cap.* 8. ut Missam Parochialem Parochi celebrent hora conve“ nienti; nec prius aut tardius celebrent hi quibu „ cumbit, etiam Nobilium, aut aliarum personaru „ vore aut precibus, minis seu comminationibus in „ trarium non prævalituris.

Et Synodus Bituricensis anno 1584. *tit.* 23. *Can.* “Non celebretur Missa Parochialis ad nutum No „ aut Laicorum; sed consueta & opportuna hora.

XIII. Eodem motivo, nimirum promovendi o sive Missam Parochialem, jam pridem constitutum Ecclesia Parochialis plures, easq; majores campana beat, quarum pulsu populum ad officium convoce gularium verò Ecclesiæ & particularia sacella sive toria unam tantum campanulam habeat. *Extrav.* *Officio Custodis in Comm.* quam in Concilio Mec nensi IV. parte 1. tit. *De Campanis* innovat S. Ca his verbis: “Parochialis Ecclesia, si campanas tres „ diorem scilicet, mediam, & minimam habere non „ sit, saltem duas, ubi fieri potest, habeat, easq; disti „ soni concentu inter se rectè consentientes, pro „ divinorum officiorum, quæ fiunt, ratione & sign „ tione. Simplex Ecclesia, Oratoriumve, unam ta „ campanulam habeat, ut Joannis XXII. Pontificis „ stitutione sancitum est.

XIV. Ex his patescit, quanta fuerit solicitudo Pa ut populus ad Missam Parochialem accederet: qu olim in more fuisse, ut qui à Missa Parochiali abe etiam juridice coram Episcoporum Officialibus endi convenirentur, constat ex variis Synodorum cretis; & signanter ex concordato inito an. 1542. Episcopum Cameracensem & Consiliarios Regios I noniæ, quo conventum est; quod “qui Missam l „ chialem non audient, imposterum non citabuntu „ qui abfuerint diebus solemnibus, aut abesse *consu* „ *rint* sine excusatione legitima, unde malum e plum aut scandalum oriatur.

XV. Citatio juridica ob omissam Missam Paroc hodie fieri non solet; neque censuris mulctisve ad quentationem populum urgere solent Episcopi; sed nitionibus contenti, populo tum in suis Decretis, per Parochos aliosque Concionatores obligatione fructum inde provenientem proponere consuevei conformiter ad Synodum Tridentinam, quæ vult, „ Episcopi moneant populum, ut frequenter ad „ Parochias saltem diebus Dominicis & majoribu „ stis accedant.

XVI. Ut autem facilius intelligatur, qua ratione topere Missa Parochialis præ cæteris commendata rit; ipsiusque frequentationem tantopere urseri notandum, quod ipsa Missa Parochialis primariò fi stituta, ut in illa unius particularis Ecclesiæ populus cum suo Pastore adunatus, uno animo, unoque sp Deum oret atque Sacrificium offerat; atque Paro specialiter pro populo preces & Sacrificium ad D dirigat.

XVII. Præterea ex mente Ecclesiæ, in Missa Paroc non tantum Evangelium legi aut cantari debet, etiam explanari, & à Parocho populus instrui; sive concio Missæ Parochiali jungi debet.

Veteris enim instituti est, ut mox Evangelio reci ipsius sequatur explanatio, quam hodie concionem cimus. “Hic mos (ait Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. ca* „ *n.* 6.) numquam interrupta serie ab initio Eccle „ usque ad nostra tempora servatus est, ut proximè „ Evangelium sermo sive homilia vel tractatus ad „ pulum haberetur.

XVIII. Hunc morem non obscurè supposuit Syno Tridentina *Sess.* 22. *Cap.* 8. *de Sacrificio Missæ*: “man „ Pastoribus & singulis curam animarum gerent „ ut frequenter inter Missarum celebrationem vel „ se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur aliq „ exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus sa

„ficii Mysterium aliquod declarent, diebus præsertim „Dominicis & festis.

Atque generaliter sess. 24, cap. 7. *de Reformat.* præcipit, ut Episcopi curent, ut Parochi "inter Missarum solemnia ac divinorum celebrationem *sacra eloquia* & „salutis monita vernacula lingua singulis diebus festis „vel solemnibus explanent.

Itaque supposuit Synodus Tridentina, inter *Missarum solemnia* à Parochis *sacra eloquia* populo esse explananda; atque ita conciones Parochiales debere fieri in ipsa Missa parochiali; ut sicuti lectio Evangelii, ita ejusdem explanatio partē quodammodo Missæ constituat.

XIX. Ita videmus in omnibus parochiis ruralibus concionem immediatè post Evangelium haberi; idq; ut ubique servaretur S. Carolus desiderabat. "Curent Episcopi, quod veteris Ecclesiæ instituti est, sermonem „sacramve concionem ubiq; inter missarum solemnia „potissimum haberi, sive ab illo eodem Sacerdote, „qui Missā tunc celebrat, canitve sive ab alio habeatur." Concil. Mediol. IV. parte 1. tit. *de Verbi Dei praedicatione.*

XX. Nequaquam proinde mirum videri debet, in sacris Canonibus atque Pontificum Decretis frequentius urgeri obligationem frequentandi Missam Parochialem, quam obligationem audiendi Verbi Dei in parochia. Cum enim instructio populi sive explanatio Evangelii juxta Ecclesiæ institutum esset pars quædam Missæ; urgendo Missam parochialem etiam urgebatur auditio Verbi Dei in Parochia.

XXI. Unde Episcopi urgentes Missæ Parochialis frequentationem, ejusque utilitatem, eam potissimum ex instructione à Parocho fieri solita petunt.

Atque signanter anno 1594. Archi-Episcopus Cameracensis & Episcopus Atrebatensis in suis Litteris Pastoralibus declarantes, quod Fideles ipsis subditi obligarentur & tenerentur audire Missam Parochialem in Dominicis & festis solemnibus, nisi ob legitimam aliquam causam se absentaverint; quodque consuetudo à mille & amplius annis frequentandi Missam Parochialē fuerit custodita magno cum animarum profectu & consolatione, Ecclesiæ disciplinæ manutentione, Ecclesiarum Parochialium decenti ordine & decore, tandem fideles suos alloquentes subjiciunt: "In quibus comparentes ultra persolutionem servitii Deo à vobis debiti, Sancto nimirum Missæ sacrificio interessendi, Dei „verbo reficimini; insuperque instruimini quomodo „debeatis vos regulare tam erga vos ipsos familiamque vestram, quam proximum vestrum: annunciato vobis per Pastorem in particulari, quomodo vos „ipsos per totam hebdomadam dirigere debeatis: Quæ „festa, jejunia & abstinentiæ sint observandæ: Quæ peculiares preces, quæ erga infirmos, captivos aliosque „afflictos misericordiæ opera sint exercenda; ubi publicationem matrimoniorum intelligitis, quæ de impedimentis respondere possitis, & similia multa quæ „vestræ instructioni, & in bonos Christianos educationi deserviunt.

CAPUT III.

De Missa privata.

1. *Missa privata qua hodie dicatur?*
2. *Qua dicatur solemnis?*
3. *Olim Missa* Legitima *dicebatur, cui aderant offerens & communicans præter Sacerdotem.*
4. *Missa primitus instituta ut assistentes etiam communicarent; soliq; communicantes interesse sinebantur.*
5. *Disciplina communicandi quomodo ad solos Altaris ministros redacta?*
6. *Optat Ecclesia ut assistentes Missa Sacrificio etiam Sacramentaliter communicent.*
7. *Parochi meritò allaborant, ut populus volens communicare; intra Missam communicet.*
8. *Ostendendum populo tempus legitimum communicandi esse post Communionem Sacerdotis.*
9. *Orationes specialiter recitantur pro communicantibus in Missa.*
10. *Communio est quasi pars ipsius Sacrificii.*
11. *Communio in Ecclesiis per 12. sacula vix extra Missarum solemnia populo distributa.*
12. *Rituale Romanum hanc disciplinam expressit; uti & S. Carolus.*
13. *Retinetur in omnibus communitatibus Ecclesiasticis.*
14. *Antiquitus præter communicantes requirebatur assistentia populi ut Missa diceretur* publica.
15. *Saculo 9. invaluerunt Missa privata qua solitaria dicta, & in Monasteriis primum frequentata fuerunt.*
16. *Ha à pluribus Synodis reprobata.*
17. *Missa illa dicebantur à solo Sacerdote nemine assistente aut ministrante.*
18. *Videntur Veteres voluisse ut plures assisterent Missa; & quare.*
19. *Duo Ministri etiam in Missis privatis aliquando requisiti videntur.*
20. *Petrus Damiani* solitarias *Missas propugnavit.*
21. *Ex argumento Damiani consequens videtur solo jure* positivo *Ministrum in Missa requiri.*
22. *Missa solitaria hodie prohibita; & privata hodie justo frequentiores.*
23. *Antiqui Canones volunt adhiberi* Clericum; *quod & functio requirere videtur.*
24. *Synodi Belgica id ipsum non obscurè requirunt.*
25. *S. Carolus apertè requisivit.*
26. *Voluit Clericum probatum.*
27. *Insuper requisivit ut ministret in habitu Clericali & decenti; quod & alia Synodi requirunt.*
28. *Clericus Missa assistens non debet aliis intendere.*
29. *Mulieribus vetitum Missa ministrare; vel ad altare accedere.*
30. *Indignum, quod Missa assistant pueri etiam immorigeri ac petulantes.*
31. *Sanctitati ac dignitati Sacrificii hic usus repugnat.*
32. *Sacrificium per hujusmodi pueros profanatur.*
33. *Usus hic repugnat Synodo Tridentina.*
34. *S. Carolus voluit per Ministrum Missa incompositos moneri.*
35. *An conveniat Sacerdotem Missam celebrare cum Ministro immorigero & sordido?*
36. *Non convenit ut similis Minister suppleat in Missa vices populi.*
37. *Hic abusus scandalizat Hareticos, & exiguam de Missa Sacrificio ideam in Catholicis arguit.*
38. *In hoc abusu patescit, quid possit mala consuetudo.*
39. *Unde hic abusus originem habeat; & quomodo etiam pueris mercenariam de Missa ideam imprimat.*
40. *Episcopo huic abusui abolendo merito incumbunt.*

I. Missa privata hodie communiter dicitur illa, quæ fit sine cantu & solemni pompa, à solo Sacerdote, uno alterove ministro Sacerdoti respondente & assistente; sive in publico sive privato loco fiat; sive plures sive pauci vel etiam nulli intersint, aut etiam communicent.

II. Missa verò solemnis prout huic privatæ opponitur, hodie vocatur omnis illa, quæ fit cum cantu & aliquali saltem solemni cæremoniarum apparatu; tametsi etiam pauci assistant, & nemo præter Sacerdotem celebrantem communicet.

Veteres verò, ut Missa diceretur solemnis ac publica,

blica, huic exteriori pompæ addebant *frequentiam populi offerentis & communicantis*, ait Bona *lib. 1. Rerum Liturg. cap. 13.*

III. Hæcque Missa, cui nimirum populus assistebat, & communicabat, *Legitima* vocabatur. Imò teste Walafrido Strabone *libro de Rebus Eccles. cap. 22.* "Fatendum est, illam esse *Legitimam*, cui intersunt Sacerdos, respondens, offerens, atque communicans; sicut (ait) ipsa compositio precum evidenti ratione demonstrat.

IV. Quantum ad *communicantes*. Certum est, Missam primitus sic institutam; omnesque orationes ita esse ordinatas, ut non tantum Sacerdos, sed & adstantes communicare supponantur; imò antiquitus soli ferè communicantes Sacrificio Missæ interesse sinebantur.

„Sciendum est (inquit Micrologus *De Eccles. observ. c. 51.*) juxta antiquos Patres, quod SOLI *communicantes* divinis mysteriis *interesse* consueverunt, unde & ante oblationem juxta Canones jubebantur exire Catechumeni, & pœnitentes: videlicet qui nondum se paraverunt ad communicandum. Hoc quoque ipsa Sacramentorum innuit confectio, in qua Sacerdos *non* pro *sola* sua oblatione & communicatione, sed & aliorum rogat, & maximè in oratione post communionem pro *solis communicantibus* orare videtur. Nec *propriè communio* dici potest, nisi *plures* de eodem Sacrificio participent.

Idipsum pluribus adstruit Cardinalis Bona loco citato; additque *lib. 2 cap. 17 num. 2. Hanc consuetudinem diu perstitisse evidens est.*

V. Sensim verò deferveicente fidelis populi fervore, communio illa quotidiana sub singulis Missis redacta est ad solos sacros Ministros altari assistentes; atq; hinc etiamnum hodie (notat Bona *l. 2. cap. 17. num. 2.*) "In Missa solemni retenta est ab aliquibus Ecclesiis *communio Ministrorum, quæ Romæ nunc* permanet in insignioribus basilicis, & ubi deierat, Apostolicæ visitationis Decreto *restituta* est. Sapientissimo sane consilio, ne in desuetudinem abeat *antiquissimus* Ecclesiæ ritus, sine quo vix possunt intelligi, quæ in liturgicis orationibus quotidie recitantur.

VI. Quin optandum sit, quemadmodum & Synodus Tridentina optavit, ut fideles Missæ assistentes quo die etiam sacramentaliter communicarent, atque etiam fatendum sit, orationes & ritus Missæ supponere, plures esse cum Sacerdote communicantes dubitari nequit; perperam tamen hinc infertur, Sacrificii Missæ integritati quidquam deesse, si excepto Sacrificante nullus communicet; aut Missas in quibus solus Sacerdos *Sacramentaliter* communicat, illicitas esse; ideoque abrogandas; "siquidem illæ quoque Missæ (ait Synodus Tridentina *Sess. 22. de Sacrificio Missæ cap. 6.*) verè communes censeri debent: partim quod in iis populus *spiritualiter* communicet; partim verò, quod à *publico* Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur.

VII. Ut tamen ad antiquum morem & ab Ecclesia multis sæculis servatum, atque etiam hodie desideratum, pro temporum & populi conditione rediri possit eatenus saltem ut in Missis solemnibus præsertim Parochialibus, semper aliqui è populo communicarent, Parochi in hoc saltem merito incumberent, ut sacra communio sine rationabili causa extra Missarum solemnia in Ecclesia non distribueretur; sed postquam Sacerdos communicavit, ipsa quoque communio populo communicare volenti daretur.

VIII. Neque difficile erit praxim hanc introducere, eamque populo persuadere, si ostendatur, "tempus legitimum communicandi esse ante ultimam orationem, quæ dicitur ad *complendum*: quia ejus petitio maximè est pro iis qui communicant: " uti loquitur Walafridus Strabo loco citato *cap. 22.* Oratio quæ à Walafrido dicitur *ad complendum*, hodie vocari solet, *post-communio*, utpote post communionem dicenda.

IX. Imprimis itaque populo dicendum, quod ex mente Ecclesiæ illa oratio specialiter recitetur pro iis, qui communicaverunt; uti & hæc, quam postquam omnes communicaverunt, dicit Sacerdos sub silentio: *Quod ore* Sumpsimus, *pura mente capiamus, & de munere temporali fiat* Nobis *remedium sempiternum*; quemadmodum monet Rudolphus Decanus Tungrensis *De Canonum observantia propos. 23.* addens: "Quæ utique orationes non pro his qui *communicaturi* sunt, sed qui jam *communicaverunt*, juxta proprietatem sui nominis agunt: ergo & *ante ipsas* communicare non negligunt, quicumque earundem orationum benedictione fovere desiderant.

X. Ulterius populo exponendum, quod ipsa *communio* sive participatio Sacramenti partem quodammodo Sacrificii constituat; ideoque summopere conveniens esse, ut dum una cum Sacerdote Sacrificium offerunt, etiam una de Sacrificio *Sacramentaliter* communicando participent.

XI. Hinc indubiè factum, quod duodecim & amplius sæculis constanter sit observatum, ut in Ecclesiis Sacra Communio extra Missarum solemnia non distribueretur.

Et si fides Morino *lib. 8. de pœnit. cap. 14. num. 2.* "Nec in Ecclesia conservabatur Corpus Christi alium in finem, quam propter infirmos, una scilicet ex pane consecrato particula. Quocirca fanis non erat extra sacrificii actionem communicandi locus. Consuetudo moderna Corpus Christi propter fidelium communionem reservandi *recens* est, *à Monachis mendicantibus* primum introducta, deinde ab aliis plerisque usurpata, quæ nondum tamen *Romani ritus rubricas* expungere potuit.

XII. Quod de *rubricis* hic asserit Morinus, verissimum esse evincit *rubrica* Ritualis Romani Pauli V. quæ *titulo de Sacramento Eucharistiæ* hæc præscribit: "Communio autem populi intra Missam statim post communionem Sacerdotis celebrantis fieri debet (nisi quando ex *rationabili* causa post Missam sit accipienda) cum orationes, quæ in Missâ post communionem dicuntur, non solum ad Sacerdotem, sed etiam ad alios communicantes spectent.

Hujus ritus venerandam antiquitatem, atque utilitatem haud ignorans S. Carolus, in Concilio V. Mediolanensi *par. 1, tit. 9.* statuit: "Hoc institutum quod *antiquissimi* ritus est, Sacerdos religiosè servet, ut *intra Missarum solemnia*, postquam scilicet Sanguinem ipse sumpserit, fidelibus sacram communionem ministret.

XIII. His addere poterit Parochus, etiam hodie in omnibus Ecclesiasticis communitatibus ritum illum servari; ut communio præcipue conventualis intra Missarum solemnia distribuatur.

XIV. Præter communicantes requirebant insuper Antiqui populi frequentiam & assistentiam, ut Missa diceretur solemnis, & publica. Unde Missæ illæ ipsis erant *publicæ*, in quibus una cum Episcopo aut Pastore populus conveniebat, tametsi etiam sine cantu fierent, quo sensu eas frequenter accipit S. Gregorius, dum vetat in Monasteriis *publicas* Missas eo fine, ne in servorum Dei secessibus occasio præbeatur popularibus conventibus; ut pluribus ostensum capite præcedenti.

Hoc sensu, Missæ, quæ in Monasteriis etiam cum cantu & exteriori pompa, atq; circumstante Monachorum conventu fiebant, *privatæ* dicebantur.

XV. At sæculo 9. invaluit aliud genus Missæ privatæ; quæ à quibusdam *solitaria* dictæ fuerunt; eò quod Sacerdos

cerdos solus etiam nemine ministrante aut præsente *solitariè & privatim* eas perageret.

Hæ primum in Monasteriis à Monachis frequentatæ, sensim etiam ad Presbyteros sæculares transierunt.

XVI. At hæ, ubi primum invaluerunt, à pluribus improbatæ fuerunt, tamquam primario Missæ instituto, ritibusque Ecclesiasticis parum consonæ. Concilium Moguntinum anno 813. *Canon.* 43. " Nullus Presbyter „ut nobis videtur, *solus* missam cantare valet rectè. „Quomodo enim dicet, *Dominus vobiscum*, vel, *sursum corda* admonebit habere & alia multa his similia, „cum alius nemo cum eo sit?

Et fortius circa idem tempus Concilium Parisiense VI. *lib.* 1. *cap.* 48. " Irrepsit in plerisque locis, partim „incuria, partim avaritia reprehensibilis usus, & con„grua emendatione dignus, eo quod nonnulli Presby„terorum sine Ministris Missarum solemnia frequen„tent: quod nec Verba Domini Salvatoris, quibus my„steria corporis & sanguinis sui Discipulis celebranda „tradidit; nec Apostoli Pauli documenta declarant; „nec etiam in ipsis Actis Apostolorum, si enucleatim „legantur, ita fieri debere ullo modo invenitur. Unde „conveniendus imò interrogandus nobis videtur hu„jusmodi Corporis & Sanguinis Domini solitarius con„secrator, quibus dicit: *Dominus vobiscum*, & à quo „illi respondetur: *Et cum spiritu tuo*: vel pro quibus „supplicando Domino inter cætera: *Memento Domi„ne & omnium circumstantium*, cum nullus circum„stet, dicit. Quæ consuetudo quia Apostolicæ & Eccle„siasticæ auctoritati refragatur, & tanto mysterio „quemdam dehonorationem irrogare videtur, omni„bus nobis in communi visum est, ut deinceps hujusce„modi usus inhibeatur; provideatque unusquisque E„piscoporum, ne in sua Parochia quisquam Presbyte„rorum, Missam solus celebrare præsumat, & si hanc „definitionem superbiendo transgressus fuerit, Cano„nicæ correctioni subjaceat.

Simile Decretum Concilii Nannetensis refertur apud Ivonem *parte* 3. *cap.* 7. additque: " Quapropter „illa periculosa superstitio, maximè à Monasteriis Mo„nachorum exterminanda est. Provideant autem Præ„lati, ut Presbyteri in cœnobiis & aliis Ecclesiis *coope„ratores* habeant in celebratione Missarum.

XVII. His aliisque Decretis relatis concludit Bona *lib.* 1. *cap.* 13. *num.* 5. " Rejectæ itaque & reprobatæ „fuerunt Missæ *solitariæ*, quæ à solo sacerdote nemine „adstante & respondente dicebantur, hac potissimum „ratione, quia absurdum visum est, quod Sacerdos di„ceret *Dominus vobiscum*, *Sursum corda*, *Gratias aga„mus*, cum nullus responderet: aut invitaret ad oran„dum dicens *Oremus*, nemine præsente qui secum o„raret; & in canone memoriam faceret omnium cir„cumstantium, cum nemo adesset.

Quin si verba prædictorum Canonum nec non orationes atque ritus Missarum proprius attendantur, videntur præcipuè intendisse Patres, ut Missa publicè *pluribus* assistentibus & circumstantibus diceretur.

XVIII. Et quidem Gratianus Decretum suum scribens sæculo 12. *Dist.* 1. *de Consecrat. Can.* 61. refert Decretum sub nomine Soteris Papæ: " Hoc quoque statu„tum est, ut nullus Presbyterorum Missarum solemnia „celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique „respondentibus ipse tertius habeatur: quia cum plu„raliter ab eo dicitur (*Dominus vobiscum*) & illud in „secretis (*Orate pro me*) aptissime convenit, ut ipsius „respondeatur salutationi.

Decretum hoc nonnulli Anacleto Papæ adscribunt; at neutri adscribi posse rectè notavit Bona loco citato; " eo quod nihil magis alienum à praxi & spiritu illius sæ„culi, quam *solitaria* Missæ celebratio: nec puto ait, „voluisse sanctos illos edita lege tollere abusum, „qui nonnisi post aliquot secula inter Monachos ir„repsit.

XIX. Nihilominus ex supposititio hoc Decreto non obscurum est, aliquos circa tempora illius supposititii Decreti dubitasse, num Missa uno ministro assistente ritè celebrari posset; quod & Bona ibidem annotavit.

Quin observat Boëtius Epo *ad cap.* 3. *ʒ̨ De vita & honest. Cleric. num.* 7. " Sane nostratibus olim in Sacris „etiam quotidianis & inferioribus vel secundariis, id „est, non summis, *insolentissimum* fuisset visum, si Sa„cerdos ullus absque *duobus* inservientibus & respon„dentibus (altero ad Altaris cornu dextrum, altero ad „sinistrum constituto) celebrasset.

XX. Non tamen defuerunt, qui *solitarias* has Missas propugnarent; atque Sacerdotem tametsi *solus* esset, posse omnia etiam *pluraliter* ad circumstantes dicta veraciter enuntiare. Et præ reliquis B. Petrus Damiani in Opusculo ad Leonem *inclusum* sive Eremitam quod intitulavit *Dominus vobiscum*, quo pluribus ostendere conatur, quod Sacerdos in Missa possit veraciter dicere *Dominus vobiscum*, aliaque similia; atque sibi etiam respondere, æque quam Clericus privatim Horas Canonicas recitans potest similia pronuntiare, & sibi ipsi respondere.

XXI. Ex quo consequens esset, quod nisi Decreta positiva obstarent, non minus liceret Sacerdoti sine Ministro Missam facere, quam privatim Horas Canonicas persolvere: quam sequelam ut legitimam non obscurè quoque agnoscit Cardinalis Bona.

XXII. Quidquid sit, hoc certum est, Missas has *solitarias* quæ à solo Sacerdote nemine præsente aut ministrante dicebantur, pristinis seculis ignotas fuisse privatas verò olim rariores quàm hodie; hasque posterioribus seculis nimium esse multiplicatas, ut infra notabitur.

Ad hæc constat, juxta modernam disciplinam ob reverentiam Sacrificii vetitum esse (saltem extra casum necessitatis) sine Ministro seu assistente Missam celebrare; atque ad minus unum requiri ministrum Sacerdoti celebranti assistentem.

XXIII. Cùm autem dubitari nequeat, quin hæc functio, nimirum ministrandi ac respondendi Sacerdoti in Missæ Sacrificio, sapiat aliquo modo conditionem functionis Ecclesiasticæ; tribuatque jus ad ipsum altare accedendi, jam pridem creditum fuit, eam Clericalem esse; solisque Clericis committendam.

Unde antiquus Decreti Gratiani Glossographus commentans *Canonem* 61. *Dist.* 1. *De Consecrat.* ubi dicitur, ut *nullus Presbyterorum Missarum solemnia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus, sibique respondentibus*, quærit, " nunquid necessarium est, ut „sint duo *Clerici*: aut nunquid duo laici, aut unus Cle„ricus & alter laicus, aut alter masculus, & alter fœmi„na sufficerent? " Respondet: satis videtur, quod de„bent esse *duo Clerici*.

XXIV. Antiqua Statuta Diœcesis Cameracensis renovata in Synodo Diœcesana anno 1550. *tit. de Eucharistia* habent: *Nullus sine* CLERICO *celebrare præsumat*.

Nónne idipsum Synodi Belgicæ quodammodo supponunt, dum non alia de causa exigunt in Ecclesiarum Parochialium Custodibus statum & tonsuram Clericalem, nisi quod Custodes tamquam Ecclesiæ Ministri, teneantur Parocho in celebratione Missarum, & reliquis functionibus Pastoralibus assistere & ministrare? uti *part.* 1. *tit.* 4. *cap.* 1. & 2. ostensum fuit.

XXV. Idipsum apertius declaravit S. Carolus dum statuit in sua Synodo Diœcesana IV. *Decreto* 28. " In „Missæ etiam sacro, *non laicus*, sed *Clericus* qui altari „ministret, semper adhibeatur.

Deinde subjungit: " In omni igitur Parochiali Ec-

clesia illum talem Parochus habeat, ut est Provincialibus nostris Conciliis præscriptum.

Nec tantum in Ecclesiis Parochialibus, sed etiam Cappellis & Oratoriis, *Clericum* qui Sacerdoti ministret constitutum esse vult; & nisi similis Clericis fuerit, vetat in iis ab ullo Sacerdote celebrari, *nisi*, ait, *hujus rei facultatem* NOMINATIM SCRIPTO *expressam* A NOBIS *impetraverit*.

XXVI. Sed quia inter Clericos nonnunquam inveniuntur, qui huic sacræ functioni obeundæ aut digni aut convenientes non sunt, decrevit ipse Carolus ibidem: "Clericus ne Sacerdoti in altari ante ministret, quam in illius ministerii functione ritè instructus sit, & ab eo [Magistro cæremoniarum] probatus.

Et paucis interjectis: "Nec verò Ecclesiasticus homo, Cantoris, Sacristæ, Custodis, *Clerici in Missæ Sacro ministrantis* munus, aliamve Ecclesiasticam functionem in quavis Ecclesia suscipiat: nisi illius uniuscujusque muneris in ea Ecclesia gerendi à nobis facultatem scriptam *quotannis* renovandam, *vita etiam ac moribus à nobis probatus*, impetrarit.

XXVII. Neque ipsi Carolo suffecit, ut Minister esset Clericus, atque circa suum ministerium, vitam, moresque probatus; sed insuper voluit, ut vestitu exteriori se tanti ministerii dignum ministrum exhiberet. Unde in Concilio Mediolanensi IV. *parte* 2. *cap.* 10. voluit, ut "Clericus Sacerdoti ministrans semper indutus sit superpelliceo puro & mundo, eoque non lacero neque ulla alia ratione indecenti; si contrà fecerit, tum ipse, tum sacrista, tum Ecclesiæ præfectus, tum Sacerdos etiam qui sibi ministrare permiserit, plectatur arbitratu Episcopi.

Similiter Concilium Aquense anno 1585. titulo *De celebratione Missæ* decernit: "in celebratione Missæ Sacerdos ne se conferat ad altare, nisi *Clericum* in decenti habitu, & cum superpelliceo mundo cum manicis, sibi inservientem habuerit. Quibus verò in locis propter inopiam Clericus ità commodè haberi non poterit, caveat, ne celebret absque hujusmodi Clerico nisi facultatem ab Episcopo in scriptis impetraverit.

Synodi Belgicæ injungentes Custodibus, ut parati sint quacumque hora Parocho celebranti, etiam *privatim* assistere in habitu decenti & superpelliceo induti, sat indicant, se quoque desiderare habitum Clericalem & honestum in Ministro Sacrificii. Decreta Synodorum videri possunt dicto *tit.* 24.

XXVIII. Sanctus Carolus addidit in Concilio Mediol. VI. "Clericus qui in Missæ Sacrificio ministrat dum eam functionem obit, ne preces horarias, neque aliud quidquam de libro aliove officio recitet; sed toto intimæ pietatis studio ad ministerium attentus sit quod tunc piè religioséque exequi debet. Titulo *quæ ad Missam pertinent*.

XXIX. Si laicos huic functioni adhibere ægrè tulerint Concilia, multo minus mulieres adhibendas esse nemo non intelligit.

Scitur jam pridem dictum fuisse, *non oportere mulierem ad altare ingredi*, Canone 44. Laodicœno.

Et seculo 5. ad Episcopos Lucaniæ scripsit Gelasius I. "Impatienter audivimus tantum divinarum rerum subiisse despectum, ut *fœmina* sacris Altaribus *ministrare* ferantur. *Epist.* 9. *cap.* 26.

Idipsum prohibet Concilium Nannatense *Can.* 3. idque *secundum Canonum auctoritatem*. Et seculo 13. ad Athonem Cardinalem Tusculanum scribit Innocentius IV. "Mulieres autem servire ad altare non audeant, sed ab illius ministerio omninò repellantur. *Ep.* 10. *c.* 4.

Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 15. *cap.* 2. expressè statuit, ut non permittantur in altari ministrare celebrantibus fœminæ, *quantumvis religiosæ*.

Antiqua Decreta Cameracensia in Synodo Diœcesana anno 1550. renovata loco citato "præcipiunt sub pœna 20. solidorum Parisiensium ne quis Presbyter permittat altari, vel circa altare, mulierem insistere, dum divina celebrabuntur.

Novissimè quoque Synodus Namurcensis sub Wachtendunck *tit.* 6. *cap.* 11. "Inhibet omnibus mulieribus tempore celebrationis Missæ vel Laudum quæ celebrabuntur cum Venerabili Sacramento, se inter sepimenta vel cancellos altarium illorum sistere propter reverentiam Sacramenti, ne & Sacerdos celebrans, aut alias Venerabile tenens, earum aspectu tentetur, sub pœna publicæ admonitionis aut alia simili.

Plurima sunt & Synodorum & Episcoporum Decreta, quibus inhibetur mulieribus accessus ad altaria, præsertim dum ipsa Divina in illis celebrantur; quæ consequenter ostendunt, omninò alienum à mente illorum esse, ut mulier quæcumque ipsi Sacerdoti celebranti in altari assistat.

XXX. Ostendunt præallegata Decreta, quàm indignum sit, ut actioni functionive tam sanctæ ac sublimi in ministrum hodie, non laicus modo, sed nescio quis vilissimus ac immorigerus puerulus, seu juvenis adhibeatur; quem nec honestiores laici; imo opifices sibi ministros adciscere vellent.

Imo adeò apud plerosque viluit Missæ Sacrificium, ut vel laicum honestiorem quasi pudeat, sibique quasi dedecori vertat, Sacerdoti in Missæ celebratione ministrare; illudque quodammodo proprium puerorum, aut famulorum credatur.

XXXI. Si sanctitati ac dignitati alicujus actionis merito respondeat sanctitas & dignitas Ministrorum, non obscurum erit colligere, quàm alienum sit à sanctitate hujus actionis, admittere pueros seu juvenes, qui non dico nullam vitæ morumque sanctitatem, sed è contra magnam deformitatem frequenter præseferunt.

XXXII. Si sancta sanctè sint tractanda; quid indignius, quàm in ministrum tam sancti mysterii admittere pueros, qui nullam hujus functionis ideam habentes, omnia quæ agunt, aut dicunt, sine ullo pietatis sensu, aut cordis affectu tamquam psittaci nihil intelligentes, aut alsò distracti enuntiant, aut intra dentes sæpe balbutiunt?

XXXIII. Synodus Tridentina non vult à Sacerdote Missam celebrari, "nisi priùs, qui intersint decenter composito corporis habitu declaraverint se mente, ac devoto cordis affectu non solùm corpore adesse.

Hæc si in assistentibus indifferenter requirat; an minus forsan in ministrante, qui propiùs Sacerdoti assistit; atque tanquam minister Sacerdotis magis ad Sacrificii oblationem, tanquam actionem concurrit?

XXXIV. Imò S. Carolus vult, ut "cùm Sacerdos ad altare accesserit Sacrificium Missæ facturus, Clericus, qui tunc ministraturus est, ubi alius non sit qui tunc hoc officium præstare possit, circumspiciat astantes; & si quempiam animadverterit marem vel fœminam incomposito corporis habitu, vel alias cum injuria vel irreverentia sanctissimi illius Sacrificii interesse, moneat graviter.... Missâ verò inchoatâ si quid hujusmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille minister Clericus præstet modestè & graviter. Concil. Mediolanense IV. *parte* 2. *cap.* 10.

Nostro hoc seculo si vixisset Carolus, vidissétque nullum pene nisi pueros aut viliores homines in Missæ administros adhiberi, cavisset profectò hoc monendi officium illis committere; quin potius designasset, qui removendis repellendisque à sacris altaribus hujusmodi immorigeris ac vilibus ministris invigilassent.

XXXV. Quandoquidem ob hujus Sacrificii sanctitatem ac reverentiam Sacerdos ex præscripto Concilii

Tridentini

Tridentini Missam celebrare nequeat, nisi prius qui intersunt, externo habitu ostendant, se mente ac devoto cordis affectu adesse; an licitum erit Sacerdoti Missam celebrare, priusquam adsit Ministraturus, qui externo corporis habitu declaret, se mente, ac devoto cordis affectu adfuturum & ministraturum?

XXXVI. Ad hæc, Minister Sacrificii Sacerdoti respondens, vices totius populi supplet; & publici Ecclesiæ Ministri partes agit.

Porro an quidquam indecentius, quam ut nomine Ecclesiæ sive fidelis populi, in actione adeo sublimi deputentur vilissimi quique pueruli, aut juvenes, qui nec quid agatur intelligunt, nec attendunt.

XXXVII. Quis sane infidelium, aut Hæreticorum non putet esse actionem ludicram, aut vilissimam quamdam tragœdiam, dum videt Sacerdotem cum nescio quo immorigero, ac verba vix balbutiente puero, in altari alternatim Psalmum & orationes recitantem; ipsam confessionem facientem, aliaque agentem? Quis umquam infideli aut hæretico persuadebit, ibi actionem sublimissimam; & qua ipsa Religio Christiana sanctiorem aut digniorem non habet, peragi?

XXXVIII. Imò ni abusus hic adeo invaluisset; atque Fidelium fides ob multiplicatam Missarum circa hujus actionis dignitatem ac sublimitatem pene elanguisset, etiam ipsis Catholicis indubie hic abusus appareret execrandus & intolerabilis; utpote ipsum Sacrificium in summam profanationem ac vilipendium adducens.

XXXIX. Sanè si ullibi hic verificatur, quo mala consuetudo sive corruptela nisi citius eradicetur, in privilegium & jus assumatur, ac pro lege venerari incipiat. *Can.* 3. *Dist.* 8.

Neque hic abusus aliunde quàm ex nimia Missarum privatarum multiplicatione; & mercenario multorum Sacerdotum celebrandi modo originem & incrementum habuisse certum est; atque inde unà quasi invaluit, quod sæpius nec pueri illi ad ministrandum haberi queant, ni & ipsi munusculo aliquo alliciantur: imò quidam ex ipsa Missæ assistentia, non secus ac Sacerdotes ex celebratione quæstum aucupentur & solicitè quærant: atque ità ab infantia quasi mercenariam idæam de Divinis officiis & functionibus concipiant.

XL. Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati & Pastores facilè ex his perspicere poterunt, quàm merito totis viribus conentur hunc abusum, ipsi Missæ Sacrificio adeò indignum; & ipsum Sacrificium profanantem & quasi risui hæreticorum exponentem, pœnitus eradicare; attendentes, "ut non nisi gravissimè, & ut „summum quoddam totius Ecclesiæ negotium cele„bretur hoc Sacramentum, neque quilibet etiam nul„lius sensûs puerulus ad ministrandum admittatur:" ut loquitur Petrus De Soto *De Sacram Euch. lect.* 15.

CAPUT IV.

De Oblationibus populi inter Missarum solemnia.

1. *Oblationum usus antiquus.*
2. *Quis oblationum ritus in Ordine Romano?*
3. *Seculo VI. præcipitur panis & vini oblatio.*
4. *Ex pane oblato Eulogia populo distribuebantur; in quarum locum successit Panis benedictus.*
5. *Formula benedicendi Eulogias.*
6. *Panis Benedictus sumebatur olim ex Pane à populo oblato pro consecratione.*
7. *Hodie pro Pane benedicto offertur specialis Panis.*
8. *Hic Panis est symbolum unionis; & non nisi in Missa Parochiali offerendus.*
9. *Quo affectu offerendus?*
10. *Qua ratione Panis hujus oblatio juribus honorificis adscribatur?*
11. *Occasione prærogativæ in præsentatione Panis benedicti controversia mota.*
12. *Olim Eucharistia consecrabatur ex pane & vino oblato à populo.*
13. *Hodie etiam hujus ritûs extat memoria.*
14. *Oblatio Panis & vini mutata in denarios.*
15. *Primitus hi in usum pauperum cedebant; postea in usum Sacerdotis.*
16. *Paulatim usus oblationum penè defecit; & quæ defectionis ratio?*
17. *Usum oblationum instauratum voluit S. Carolus.*
18. *Quibus motivis populus ad usum oblationum excitandus, & quo affectu eas facere debeat?*
19. *Notoriè criminosi oblationes non recipiendæ.*
20. *Prudenter hodie in hoc procedendum.*
21. *Rejiciendi publicè à S. Eucharistia non semper repellendi ab offerendo.*

I. Ut populus ad ipsius incruenti Sacrificii oblationem se concurrere amplius ostenderet; atque unà cum Sacerdote sacrificium offerre, vetus in Ecclesia Christianorum mos fuit, ut qui ad Missarum solemnia conveniebant, suam unusquisque partem sacrificii offerret.

Ad hunc ritum non obscure alludit S. Cyprianus *Libro de operibus & eleemosyna* dicens: "Locuples & di„ves es; & Dominicum celebrare te credis, quæ in Do„minicum sine *sacrificio* venis, quæ partem de *sacrifi„cio*, quod pauper *obtulit*, sumis.

Hæc verba Cypriani expendens vir eruditus Nicolaus Rigaltius scribit: "Sacrificia dicit eleëmosynas in „usus fidelium collatas. Inter eleëmosynas erant *panes* „per Eucharistiam *sacrandi*. De panibus autem istis „quandoque dives parcus & sterilis, hoc est, qui nihil „contulerat in eleëmosynam, sumebat Eucharistiam. „Quod pudendum esse ait Cyprianus.

II. Plurima sunt pristini illius moris apud Antiquos testimonia eumque per plura secula in Ecclesia perdurasse, evincit antiquus Ordo Romanus post tempora S. Gregorii conscriptus; in quo legitur. "Transit Sacer„dos ad suscipiendas oblationes. Interim Cantores „cantant offertorium cum versibus, & populus dat ob„lationes suas, id est, *panem & vinum*, & offerunt cum „fanonibus candidis, primo masculi deinde fœminæ," In Ordine Romano II. apud Mabillonium *tomo* 2. *Musæi Italici pag.* 47. notatque *pag.* 554. Fanones hic accipi pro *panno oblongo* ad offerendas, recipiendasve oblationes.

III. Quin & hujus ritus tanta fuit apud Majores nostros religio, ut dum sub finem seculi VI. deprehendissent Patres Concilii Matisconensis II. Christianos nonnullos ad Missarum solemnia accedere, *nullam admoventes hostiam*, decreverint *Can.* 4. "Ut in omnibus „Dominicis diebus Altaris oblatio ab omnibus viris & „mulieribus offeratur tam *panis* quàm *vini*, ut per has „oblationes, & peccatorum suorum fascibus careant, „& cum Abel vel cæteris justè offerentibus promere„antur esse consortes.

IV. Hunc ritum indicare quoque videtur Concilium Nannetense (quod seculo IX. celebratum creditur) *Canon.* 9. Presbytero mandans, ut de oblationibus quæ offeruntur à populo & consecrationi supersunt, partes *incisas* habeat in vase nitido, quas post Missam illis distribuat, qui non communicarunt. Quas particulas Canon *Eulogias* vocat; quarum vices hodie in nonnullis Ecclesiis supplet *panis benedictus*: quem in locum *Eulogiarum* successisse omnes agnoscunt; ut propterea dixerit Honorius Augustodunensis in *Gemma cap.* 67. panem illum vocari *Eulogiam*.

V. Benedicebantur Eulogiæ hac formula, quæ in dicto Canone præscribitur: "Domine sancte, Pater „omnipotens, æterne Deus, benedicere digneris hunc „panem tua sancta & spirituali benedictione, ut sit „omnibus salus mentis & corporis, atque contra omnes „morbos & universas inimicorum insidias tutamen„tum. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium „tuum, panem vitæ qui de cœlo descendit, & dat vi„tam ac salutem mundo, & tecum vivit & regnat, &c.

VI. Præterea ex hoc Canone patet, Eulogias sive panem benedictum olim desumptum esse ex panibus oblatis pro consecratione; quod & apud Græcos servatum fuisse testatur Cabasilas in expositione Liturgiæ *cap. ult.* "Sacrificio peracto, ait, Sacerdos *oblatum* panem, ex quo *sacrum* panem abscidit, in *multa* „divisum tradit *fidelibus*: ut qui sanctus sit, eo quod „Templo fuerit dedicatus & oblatus. Illi autem cum „reverentia suscipiunt, & dextram deosculantur.

VII. Postquam verò hodiernæ illæ graciles & rotundæ hostiæ pro consecratione confici cœperunt, Parochiani aut unus pro omnibus *panem* offerre cœperunt, qui per Parochum benedictus, Parochianis intro Missarum solemnia distribuitur in signum communionis; sive ut tesseram, quam Christiani à suo Parocho accipiunt, in signum fraternæ communicationis in fide & charitate.

VIII. Cum autem hæc unio & contesseratio specialiter esse debeat inter fideles unius Parochiæ; utpote unam quasi Ecclesiam constituentes, etiam hoc unitatis & charitatis symbolum in solis Ecclesiis Parochialibus sub Missâ Parochiali distribuendum est. V. Conc. Rothomag. 1581. *tit.* 9. *num.* 23.

IX. Optandum esset, ut nobiles aliique, tum in recipiendo, tum offerendo Pane benedicto, meminissent, panem hunc esse *vicarium* sacrosanctæ Eucharistiæ, ideoque à sanctis Patribus appellari ἀντίδωρον & ità cum humilitate accipiendum, uti monet Franciscus Le Roy Antecessor Aurelianensis in tractatu De juribus honorificis in Ecclesia *lib.* 1. *c.* 12.

X. Hic ostendit insuper eodem loco, hujus panis oblationem & acceptionem juribus honorificis eatenus annumerari; quod nobiles, aliique honoratiores personæ in illius præsentatione & receptione aliqua prærogativa gaudeant; quod & asserit Matthias Mareschal in suo tractatu gallico *Des droits honorifiques*, *titulo De distribution panis benedicti*; testaturque, „panem benedictum ordinariè præsentari Toparchis, „Nobilibus, Officialibus, aliisque secundum gradûs „& officii prærogativam; quantumvis rationi magis „consonum videretur, eum distribui primo occurren„ti, quemadmodum sacra Eucharistia distribui solet, „cujus hic panis est quoddam symbolum. Hæc ille.

XI. Occasione prærogativæ nonnunquam quæstiones litesque oriri notat idem Matthias; ac signanter sub initium hujus seculi quæstionem fuisse super præsentatione hujus panis inter uxorem Patroni & Parochianos; illa sustinente sibi privativè competere vice sui mariti prærogativam præsentandi panem benedictum; quod & ipsi per tres sententias conformes adjudicatum fuit.

XII. Insuper ex citato Canone Nannetensi constat, ipsam Eucharistiam ex pane à populo oblato fuisse confectam: quod & indicat Sacramentarium S. Gregorii apud Pamelium *pa.* 179. Postquam enim præcepit cantari Offertorium, ait: "Et offeruntur à populo ob„lationes & *vinum*, è quibus in altari ponuntur, ut *sa*„*crentur*.

Item Ordo Romanus loco citato ait: "Archidiaco„nus accipiens oblatas ponit tantas super altare, quan„tæ possunt populo sufficere.

XIII. Quin & nonnullæ, quæ etiamnum hodie extant in Missali, orationes *Secretæ*; quæ olim dicebantur *super oblata*, hunc morem evidenter supponunt; ac præ cæteris oratio *secreta* dicenda Dominica V. post Pentecosten his verbis expressa, "Propitiare Domine, „supplicationibus nostris: & has *oblationes* famulo„rum famularumque tuarum benignus assume; ut „quod *singuli* obtulerunt ad honorem, singulis profi„ciat *ad salutem*.

XIV. Quo tempore populus desierit panem & vinum in Missa offerre, incertum est. Hoc constat, quod tempore Honorii Augustodunensis moris jam esset, loco panis sive farinæ *denarios* offerri; creditque Honorius, mutationis hujus originem rariori Fidelium communioni adscribendam: "Quia, ait, populo non com„municante, non erat necesse, panem tam magnum „fieri, statutum est, eum in modum *denarios* formari; „& ut populus pro oblatione farinæ *denarios* offerret," In Gemma animæ *cap.* 58.

XV. Addit deinde Honorius: "Qui tamen denarii „in usum pauperum qui membra sunt Christi cederent, „vel in aliquid, quod ad hoc sacrificium pertinet.

Verum ut advertit Christianus Lupus Dissertatione II. procemiali ad tomum III. Schol. in Canones *cap.* 11. „Hæc puritas, quod non esset Apostolicæ legis, & „quod priorum oblationum emolumentis aut non „possent, aut nollent privari Sacerdotes, non diu per„mansit: uti antea panis & vinum & farina, ità & hi „denarii illis pedetentim appropriari cœperunt." Et hæc fere ubique est hodierna disciplina, ut oblati denarii inter Missarum solemnia ad altare cedant Sacerdoti; nisi alio titulo alteri competere ostendantur: sed de hoc jure latius infrà, ubi de Decimis aliisque Ecclesiasticis proventibus agetur.

XVI. Illud hic insuper monet Christianus Lupus, quod postquam denarii oblati in usum Sacerdotum cedere cæperunt, "hinc ob avitam populi, de Cleri ava„ritia & nimiis proventibus calumniam, defecerit pau„latim etiam denariorum oblatio, contracta ferè ad „solam Missam in exequiis defunctorum. Accedens „(pergit Lupus) Ecclesiarum, Altarium in eadem et„iam Ecclesia, Sacerdotum, plurium quotidie in eo„dem quoq; Altari Missarum multiplicatio istam con„tractionem strenuè adjuvit

XVII. Hunc oblationum morem & institutum ab Apostolorum tempore ad nos devolutum; at injuria temporum pene abrogatum, variæ Synodi posterioribus his temporibus restituendum decreverunt, atque præ cæteris Synodus Mediolanensis IV. sub S. Carolo *parte* 1. *cap.* 15. declarat, "oblationum institutum, „quo gravius his temporibus à fidei doctrinæque Ca„tholicæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis „studio, quo magis à Fidelibus negligitur, hoc diligen„tius servari, atque ad executionis usum, ubi inter„missum est, revocari convenit, cum præsertim & ad „divinum cultum pertineat, & populis salutare sit, „ad expiandaque peccata utile.

Postea monet Episcopos, ut omni modo curent, „ut in solemnitatibus Domini, diebusque Dominicis „ac Festis item, quos coli, aut præcepti, aut consuetu„dinis est, omnis Christianus aliquid, prout sua quis„que *pietate devotioneque maluerit*, Deo offerre pro„curet, idque in Ecclesia vel Cathedrali, cum ad „Missæ Sacrificium, quod solemniter celebratur, vel in „Parochiali cum Parocho convenerit.

„Quo gratius autem Deo sit quod offerunt, ad præ„standum accedant *Fideles intima animi pietate*, *spi*„*rituali hilaritate*, *sancta charitate*, *omnique Christia*„*na devotionis testificatione*.

XVIII. Hujus quoque instituti restitutionem multum urgit Synodus Coloniensis anno 1549. *cap.* 20. declaratque illud pene totum abire cœpisse in desuetudinem,

nem, *hominibus piis causam & originem offerendi ad altare ignorantibus & tempus cupiditate Sacerdotum usum illum introductum calumniosè asserentibus.*

Quapropter præcipit Verbi Divini Concionatoribus, ut populo veritatem rei istius & utilitatem exponant; hortenturque omnes sequi Majorum studia, ut vel exigui munusculi oblatione suam pro rebus à Deo acceptis ostendant gratitudinem.

En primum motivum, quo populus ad hunc ritum excitandus est.

Deinde subjungit alterum motivum: *Quo etiam preces Ecclesiæ in eos conquadrent.* Certum enim est, jam pridem Ecclesiam voluisse specialem in Missa memoriam Offerentium fieri; atque plures etiamnum recitari orationes ad Offerentes specialiter directas; uti capite sequenti latius ostendetur.

Præterea monet Concionatores, "ut inculcent eis, " quod Deus non tam ad dona, quàm ad voluntatem & " mentem piorum respiciat: quamquam locupletes & " divites convenit esse liberaliores, *quo gratitudinis signum de se amplioris præbeant, & testentur se à Deo ad Dei honorem & cultum habere quidquid habent.*

Meritò hic præmonuit Synodus, ut hæc populo proponantur & inculcentur à Concionatoribus, *illa præsertim qui de oblationibus populi non participant*, AD CUPIDITATIS SPECIEM TOLLENDAM.

XIX. Denique S. Carolus paternarum traditionum atque Canonicæ disciplinæ zelosissimus conservator, & instaurator, in citato Concilio IV. decrevit: "Ab iis " oblationes ne recipiantur, ut antiquo Canone vetitum est, qui scilicet inter se iniquo animo desistentes, " inimicitias exercent, qui usurarii, meretrices, sacrilegi, raptores, quive alio nomine publicè notoriéque " criminosi sunt.

Canon antiquus, cujus hic meminit S. Carolus, est *Canon.* 93. Concilii Carthaginensis IV. relatus apud Gratianum *Dist.* 9. *Can.* 2.

XX. Tametsi optandum esset ut juxta mentem Ecclesiæ, puriorémque ejus disciplinam, hujusmodi notorii & scandalosi peccatores ab altaribus removerentur; nec ad Offertorium admitterentur, nihilominus magna prudentia & moderatione opus est, ut Parochi præsertim, ac inferiores Presbyteri eam disciplinam, ubi planè abolita est, revocent meritoque priusquam quidquam attentent, Episcopos aliosque Superiores consulent: qui & sacris Canonibus ab una parte: & temporum, personarum conditione aliisque circumstantiis ab altera parte ritè expensis, judicent, qualiter expediat, Canonicam hanc disciplinam esse executioni mandandam.

XXI. Neque illud dubium est, quin publici ac notorii peccatores nonnunquam ad offerendum oblationes ad altare admittendi sint; tametsi ad sacram Eucharistiam nullatenus essent recipiendi, imo publice etiam rejiciendi, ob evidens periculum sacrilegii in hac admissione, non item in illa concurrens, nec non majus scandalum ex admissione ad sacram Eucharistiam, quàm ex admissione ad offerendum verisimiliter oriturum.

CAPUT V.

De Honorario Missæ, de quibus ejus occasione populus instruendus?

1. *Unde factum ut Denarius extra Missam Sacerdoti offerri cœperit?*
2. *Quo tempore hoc captum fieri?*
3. *Pecuniaria eleëmosyna seculo IX. nota fuit.*
4. *Ex hac eleëmosyna paulatim invaluit, ut laici voluerint Missas* speciales *pro se celebrari, quod initio vetitum videtur.*
5. *Idipsum erroris arguit Walafridus Strabo.*
6. *Olim arbitrio Sacerdotis relictum, utrum* unum *pro* multis *an* singula *pro* singulis *offerentibus Sacrificia celebraret.*
7. *Hodie prohibitum plura honoraria à pluribus accipere; & uno Sacrificio satisfacere.*
8. *Sacrificium, quo hodie pro offerente Honorarium* specialiter *offertur, pluribus commune est.*
9. *Proponitur dubium circa prohibitionem accipiendi plura Honoraria pro uno Sacrificio.*
10. *Hodie non minus, quam olim, Sacrificium infiniti valoris est.*
11. *Olim offerentes in Missa non petebant* speciales *pro singulis Missas.*
12. *Offerentes Honoraria hodie volunt celebrari pro se* speciales *Missas.*
13. *Sacerdotes ea lege Honoraria accipientes tenentur pro* singulis *Missas* singulas *celebrare.*
14. *Decretum Alexandri VII. in materia Honorarii.*
15. *Resolutio S. Congregationis in eadem materia.*
16. *Decreta Pontificum & resolutiones S. Congregationis infidelitatem & avaritiam Sacerdotem duntaxat feriunt.*
17. *Idipsum seculo XIII. ostendit Archiepiscopus Cantuariensis.*
18. *Conciliatur doctrina Walafridi Strabonis cum censuris Pontificum.*
19. *Non minus hodie, quam olim Sacrificium pluribus Missæ assistentibus pro ratione devotionis prodest.*
20. *Honorarium hodiernum est quædam oblationis species, & ità à populo offerendum.*
21. *Monendus est, ne nimium fidat multitudini* Honorariorum.
22. *Ut quis fit particeps Sacrificii quid requiratur?*
23. *Sacrificium non applicatur pro solo Sacerdotum arbitrio.*
24. *Quæ fuerit occasio eam opinionem imputandi Ecclesiæ?*
25. *Pauperes æque ac divites Sacrificii participes esse possunt.*
26. *Quid operetur specialis Sacerdotis applicatio?*
27. *Plus prodest devotè Missæ assistere, quam curare pro se* specialiter *celebrari.*
28. *Ecclesia præcepit Missæ interesse, sed nunquam præcepit curari Missas speciales celebrari.*

I. CUm invaluisset vice *panis & vini* offerri in Missa *denarios*, idque in usum Sacerdotis celebrantis, tandem visum est, idipsum, quod in Missa offerre licebat, quoque ante vel post Missam offerri posse.

Itaque dum jam sensim oblatio inter Missarum solemnia pene cessabat, atque in Missis præcipuè privatis oblatio parum nota esset, tunc qui pro se *specialiter* tamquam *offerente* Missam celebrari, & orari volebat, id oblato *denario* à Sacerdote postulabat, atque hinc ille *denarius*, quem hodie *Honorarium*, aut *stipendium* Missæ vocamus.

II. Quo tempore denarii in Missa oblati in usum Sacerdotum cedere cœperint, & quando cessante oblatione in Missa, *denarius* extra missam Sacerdoti offerri ab his, qui pro se Missam celebrari petebant, incertum est.

Sæpius laudatus Joannes Mabillonius in præfatione ad primam partem seculi III. Benedictinorum *num.* 62. fatetur oblationi panis & vini à laicis antiquitus fieri solitæ, successisse eleëmosynam pecuniariam Presbytero factam, quam *stipendium* vocant: videturque ipsi, id fieri cœptum seculo VIII. saltem in missis privatis, non tamen ubique passim ante seculum XII.

III. Pecu-

III. Pecuniariam eleëmosynam satis apertè designat Chrodegangus Metensis Episcopus in regula Canonicorum scripta sub initium seculi IX. ubi *cap.* 32. Et seculo II. pecuniam in usum Sacerdotis, etiam extra Missarum solemnia, oblatam fuisse testatur Petrus Damiani *lib.* 5. *epist.* 15. at hujusmodi *pecunia oblata admissionem & in Clerico & in Monacho tunc male eluisse* advertit Christianus Lupus. Vide Dissertationem meam De pensionibus.

IV. Hinc factum (ait Mabillonius) ut laici ob modicam stipem singulas quique Missas sibi arrogarent.

Hunc usum introduci cæptum reprehendere videtur Eugenius Papa II. in Concilio Romano anno 826. *Cap.* 17. "Presbyteri nullius blan diantur aut suadeantur sermonibus, ut *non omnium* ad se concurrentium „in *quibuslibet* sacris locis oblationes ad Missarum solemnitates recipiant: quia cum mediatores Dei hominumque existant, in exercendis votis relaxandisque peccatis largissimam debent orationem peragere." Idipsum repetit Leo IV. in Synodo Romana.

V. Eodem tempore Walafridus Strabo nascentem ejusmodi morem erroris arguit in libro *De rebus Eccles. cap.* 21. "Sed & in hoc *error non modicus* videtur, „quod quidam se non posse aliter *plenam* commemorationem eorum facere pro quibus offerunt, nisi *singulas* oblationes pro *singulis* offerant, vel pro vivis „& defunctis non simul æstimant immolandum, cum „verè sciamus unum pro omnibus mortuum, unum panem esse & sanguinem, quem universalis Ecclesia offert. Quod si cui placet, pro singulis singulatim offerre; pro solius devotionis amplitudine, & orationum augendarum delectatione id faciat, non autem pro *stulta* opinatione, qua putet unum Dei Sacramentum, non esse generale medicamentum.

VI. His Walafridi Strabonis verbis relatis ait Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 8. *num.* 7. "Hactenus ille, cujusque Sacerdotis arbitrio seu devotioni „relinquens *unum* pro *multis* offerentibus Sacrificium, aut *singula* pro *singulis* celebrare. Nostrorum verò temporum alia conditio est, alii mores: nec ullus „ignorat, quid de hac re ab Apostolica Sede statutum „sit.

Finalibus his verbis indicari quæ tum sub Urbano VIII. tum Alexandro VII. in hac materia decreta fuêre, haud obscurum est.

VII. Et quidem sacra Congregatio Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini auctoritate Urbani VIII. anno 1625. declaravit: "Ubi pro pluribus „Missis, etiam ejusdem qualitatis celebrandis stipendia quantumcumque incongrua & exigua, sive ab una, sive à pluribus personis collata fuerunt, aut conferuntur in futurum Sacerdotibus, Ecclesiis, Capitulis, „Collegiis, Hospitalibus, Societatibus, Monasteriis, „Conventibus, Congregationibus domibus ac locis „piis quibuscumque, tam secularibus, quàm Regularibus, sacra Congregatio sub obtestatione divini judicii „mandat ac præcipit, ut absolutè tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleëmosynæ præscriptæ fuerint, ità ut alioquin ii, ad quos pertinet, „suæ obligationi non satisfaciant; quin imò graviter „peccent, & ad restitutionem teneantur.

VIII. Quid igitur? probavitne Urbanus VIII. ità pro uno offerri posse Missæ Sacrificium ut illi soli & non aliis pluribus prosit; aut pro uno solo reliquis exclusis offerri possit quod *errorem non modicum, & opinionem stultam* esse, dixit Walafridus? nequaquam sanè. Nec enim minus Sacrificium Missæ hodie, quam olim, etiam illud, quod ratione accepti *stipendii* à Sacerdote pro aliquo particulari sub *stricta*, ut vocant, *intentione* celebratur, pro *omnibus fidelibus Christianis vivis atque defunctis* offertur. Nec minus in Missis illis, quas accepto stipendio pro aliquo particulari celebrat Sacerdos, quam in aliis *libera*, ut ajunt, *intentionis*, à Sacerdote instituitur *memento vivorum & mortuorum*, ubi Sacerdoti liberum manet, non obstante *stricta intentione*, specialem aliquorum memoriam facere; quin ex præscripto Missalis subjicit: *Et omnium circumstantium quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, &c.*

Unde & Synodus Tridentina docens, Missas nullas esse propriè *privatas*; sed omnes censendas esse *communes*, hinc inter cæteras rationem reddit: "Quod à „publico Ecclesiæ Ministro non pro se tantum, sed pro „*omnibus fidelibus*, qui ad Corpus Christi pertinent, „celebrentur." *Sess.* 22. *De Sacrificio Missæ cap.* 7.

IX. Cur ergo Sacerdos à pluribus *honorarium* sive *stipendium* accipiendo non satisfacit *unum* pro omnibus Sacrificium offerendo; quemadmodum olim, dum oblatio panis & vini in Missa fieri solebat, uno eodemque Sacrificio pro pluribus offerentibus oblato satisfaciebat? num forsan qui hodiè *specialiter* pro se petunt, *dato stipendio*, Missam celebrari, aliquid plus de Sacrificio participant; quàm olim participabant *offerentes* in Missa; vel offerentes plus participabant, si pauci, quam si plures offerrent?

X. Sicuti ipsum sacrificium Missæ semper fuit quantum ex parte Christi primarii offerentis, & Hostiæ oblatæ infiniti valoris; ità semper incertum fuit, quantum ex illo infinito cuique Offerenti, aut instanti applicaretur; quidve ipsa Sacerdotis celebrantis intentio in hac fructus Sacrificii applicatione, ex mero Dei beneplacito dependente, valeret.

XI. Primitùs ergo fideles sua munera offerentes, non petebant Missam *specialiter pro se* celebrari; sed sufficere credebant, si Missæ sacrificio devotè conjungerentur; atque unà cum Sacerdote ipsum Sacrificium offerrent; divinæ Misericordiæ confidentes, Sacrificii fructum sibi applicandum pro ratione Sacrificii & dispositionis.

XII. At alia est hodierna Offerentium *honoraria* sive *stipendia* Missarum intentio. Hi enim ea mente & conditione *stipendia* hæc offerunt, ut tot Missæ quot dantur stipendia *specialiter pro se vel alio* quem nominant celebrentur & specialiter applicentur.

XIII. Et licet incertum sit, quid hæc specialis applicatio valeat; imò sub sola intentione *generali* stando *non minus sæpe apud Deum mereatur, quàm particularius exigendo*; uti monet Pius Hersonius *tract. De Solicit. Eccles.* nihilominus Sacerdotes *honoraria* ea intentione & lege à Fidelibus oblata accipientes, ipsius quasi justitiæ leges infringerent; suamque avaritiam proderent, si intentioni Fidelium non satisfacerent: hancque solam injustitiam, atque Sacerdotum avaritiam suo Decreto Urbanus VIII. meritò jugulavit; nihil de valore Sacrificii pro pluribus oblato; aut de efficacia applicationis ipsius Sacerdotis definiens.

XIV. Eodem imo majori fundamento hanc, quam quorumdam Sacerdotum sordida avaritia & cæca cupiditas parturiverat, opinionem damnavit Alexander VII. anno 1665. "Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere & Sacrificium *unum* offerre; neque etiam est contra *fidelitatem*, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti „stipendium, quod pro nullo alio offeram.

XV. Similiter proposito dubio Sacræ Congregationi, "An cùm Ordinarius præscripserit eleëmosynam „congruam juxta qualitatem loci, personarum ac „temporum, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum, teneantur Missas illis ab offerente „præscriptas celebrare? Respondit S. Congregatio: „*Teneri.*

Item

Item cùm quæsitum esset ab eadem Congregatione ;
„ An Sacerdotes, qui tenentur Missas celebrare ratione
„ beneficii, seu Capellæ, legati aut salarii possint etiam
„ manualem eleëmosynam pro Missis votivis, aut De-
„ functorum, recipere, & unico Missæ Sacrificio utri-
„ que oneri satisfacere ?

Censuit Congregatio: " Sacerdotes quibus diebus
„ tenentur Missas celebrare ratione beneficii, seu Ca-
„ pellæ, legati, aut salarii, si eleëmosynas pro aliis et-
„ iam Missis celebrandis susceperint, non posse eadem
„ Missa utrique obligationi satisfacere.

XVI. Hæc aliaque sententiarum monstra, quæ sacrilega Sacerdotum quorumdam aviditas adinvenit, si quis unà cum censuris hisce attendat, facilè intelliget, Pontificum in censurandis propositionibus mentem dumtaxat fuisse, injustitiam & avaritiam Sacerdotum, Fidelibus Laicis imponentium, refrenare.

XVII. Quod & obscurè seculo XIII. (quando Honorarium Missæ jam invaluerat) ostendit Archiepiscopus Cantuariensis anno 1281. in suis Constitutionibus *Can.* 2. decernens: " Nullus plura recipiat annalia ce-
„ lebranda, quàm habet Socios celebrantes, illo casu ex-
„ cepto, in quo procurans suffragia fieri pro Defuncto,
„ *consentit expressè* Defuncti memoriam alii, vel aliis
„ copulari. Nec credat celebrans se dicendo Missam u-
„ nam posse satisfacere pro duobus, pro quo utroque
„ *promisit specialiter* & in solidum celebrare.

XVIII. Quòd ergo suo tempore dixit Walafridus, *errorem non modicum & stultam opinionem* esse illorum, qui prætendebant, non posse satisfieri *pluribus* Offerentibus, nisi pro *singulis singula* Missæ celebrarentur: ideo dixit, quia tum temporis nondum invaluerat mos hodiernus dandi stipendium Sacerdoti *eâ lege*, ut pro dante *specialiter* Missam celebret; sed oblatio simpliciter fiebat; ea dumtaxat conditione, ut in Sacrificio *specialis* commemoratio fieret in ordine Offerentium.

Cùm ergo ex parte Offerentium nihil esset, quod ad *singulas* Missas pro *singulis* Offerentibus celebrandis cogeret; nihil quoque impediebat quò minùs *uno* Sacrificio, quod ex parte Sacrificii est infiniti valoris, omnibus satisfieret. At postquam populus incepit offerre honorarium, sive stipendium Sacerdoti ea lege, ut pro se *specialem* Missam celebret, justitiæ leges refragantur, ut uno Sacrificio, contra fidem, saltem tacitè datam, pluribus satisfiat.

XIX. Manet ergo etiam hodie verum, quòd Missæ Sacrificium, quantum est ex parte Christi primarii Sacrificantis, & Hostiæ oblatæ sit infiniti valoris; atque Fidelibus assistentibus cum proportione devotionis & fidei fructus illius communicetur æqualiter sive pauci, sive multi assistant.

XX. Deinde hoc quoque indubitatum est, hodiernum Missarum *stipendium* esse considerandum, ut voluntariè cujusdam oblationis speciem; in locum oblationis in Missa primitus fieri solitæ surrogatam.

Instruendus ergo est populus, ne *honorarium* illud habeat tamquam pretium Sacrificii, sed ut voluntariam oblationem; qua Deum tamquam rerum temporalium auctorem recognoscens, una cum Sacerdote Sacrificium offerre, & ipsius Sacrificii, ac signanter precum, quæ pro offerentibus funduntur, participes esse mereatur.

XXI. Monendus insuper est populus, ne in numero aut magnitudine *honorariorum* nimium confidat; quasi eorum sola oblatione virtutem Sacrificii consequatur: cum non tam ad oblationum magnitudinem, quam offerentis affectum respiciat Deus.

Unde post alios dicit Petrus De Soto De Sacrificio Missæ *Lect.* 7. " intentionem Sacerdotis offerentis &
„ applicationem ejus prodesse quidem, sed juxta *dispo-*
„ *sitionem illorum pro quibus* offertur: Non enim quan-
„ tum celebrans aut intendit, aut vult, consequitur,
„ is pro quo celebrat, sed quantum *sua fides & devo-*
„ *tio* digna vel capax est.

XXII. Quapropter Synodus Tridentina *Sess.* 22 *De Sacrificio Missæ cap.* 2. docens hoc Sacrificium esse verè propitiatorium; per ipsumque fieri, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in tempore opportuno, hanc requirit conditionem: *Si vero corde & rectâ fide; cum metu & reverentia, contriti pœnitentes ad Deum accedamus.*

Et S. Thomas ait: " Hoc Sacrificium quod est me-
„ moriale Dominicæ passionis non habet effectum nisi
„ in illis; qui conjunguntur huic Sacramento per fidem
„ & charitatem." 3. *parte q.* 79. *art.* 7. *ad* 2. "Et *art.* 5.
„ Quamvis hæc oblatio (Sacrificii) ex sui quantitate
„ sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna; tamen fit
„ satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offe-
„ rentibus secundùm qualitatem devotionis, & non
„ pro tota pœna.

Populus ergo sæpius monendus, ut potius satagat fidem & charitatem piumque cordis affectum in se excitare, quibus ipsi Sacrificio jungantur, quam accumulare nummos, quibus multa Sacrificia pro se offerri procuret.

XXIII. Hinc ulterius inculcandum populo, falsam omnino esse opinionem, quam per calumniam Ecclesiæ imputant hæretici, & non pauci è Catholicis, si non verbis saltem suo agendi modo probare videntur: quod
„ Missam ejusmodi actum externum esse sentiamus,
„ quem Sacerdos suo arbitratu, quibus velit seu vivis seu
„ mortuis accommodare queat, etiamsi is nulla fide,
„ nullaque voluntate præditus sit. Qui aliquam ex hoc
„ Sacrificio ad se utilitatem redire volunt, ejusmodi sint
„ oportet, qui ad divinam sperent misericordiam; a-
„ lioqui citra propriam fidem & devotionem aliena
„ actio neminem salvum & beatum facere potest, &
„ Ecclesia Dei hac sua Sacrosancta victima homini im-
„ pio non nisi hactenus conferre aliquid potest, quam
„ ut precibus illius causâ id agat apud Deum, ut pro
„ sua clementia hujusmodi hominum corda conver-
„ tat.

XXIV. Hæc Michael Episcopus Mesburgensis *concione* 17. *De Sacrificio Missæ*, apud Georgium Cassandrum in consultatione de articulis religionis ad Imperatores Ferdinandum I. & Ferdinandum II. *cap.* 24. ibi pluribus ostendit, hanc opinionē falsò Catholicis affingi.

XXV. Ex his quoque facilè intelligent pauperes, se posse non secus ac divites esse Sacrificii participes; modo ferventi charitate & viva fide Sacrificio jungantur; memores quod Sacerdos specialiter memoriam agens *omnium circumstantium*, addat: *Quorum tibi fides cognita est & nota devotio.* Quibus rursus evincitur, ut notat Cajetanus, " applicationem hujus Sacrificii non
„ *sola intentione*, sed *devotione* adjuncta perfici: cu-
„ jus rei ratio sit, quia in Sacrificiis & oblationibus,
„ *quantitas devotionis* magis pensatur, quàm *rei ob-*
„ *latæ.*

XXVI. Quid igitur nihil operatur intentio sive applicatio Sacerdotis? Respondet Petrus de Soto loco citato: " Intentio quidem celebrantis, maximè quando
„ ille Deo gratus est, multum prodest, sed nihil deter-
„ minati tamen haberi potest, nec id opus est inquiri:
„ cum procul dubio magis valeat devotio accedentis.
„ Sacerdos verò hanc applicationem applicans (ut lo-
„ quuntur) isti aut illi, hoc agit, ut eos Deo commen-
„ dans, ipsi æstimationem valoris relinquat, & hoc
„ quidem tam in ipso Sacrificio, quam in suis, quas vel
„ ex Ecclesiæ ordinatione, vel voluntate propria Deo
„ fundit precibus.

XXVII. Inde hanc sine ulla hæsitatione format conclusionem: " Unde non est dubitandum, melius & uti-
„ lius esse fidelibus, astare Sacrificio Missæ, & fide & de-

zed by Google

„ votione illi conjungi, quàm curare ut pro se sæpius celebretur.

Et licet Sacerdos etiam pro absentibus orare & Sacrificium offerre queat; nihilominus indubitatum est; & constat ex precibus, quæ tempore Sacrificii dicuntur, Missam specialiter pro circumstantibus, sive præsentibus offerri; ipsosque fideles præsentes unà cum Sacerdote offerre; adeo ut ipse Sacerdos conversus ad populum dicat: *Orate Fratres, ut meum ac VESTRUM Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem.*

XXVIII. Hinc Ecclesia à suis primordiis rigidè mandavit fidelibus, diebus Dominicis festisque Missarum solemniis devotè assistere; ut nullibi mandavit, ut quis Missam pro se celebrari curet. Neque hactenus ullus umquam asserit, neque asserere cum aliqua veri specie potest, utilius esse hominibus divitibus, etiam seposita lege positiva, jubere diebus Dominicis & festis Missam pro se celebrari, quam illi devotè assistere.

CAPUT VI.

Quid Sacerdotes in receptione Honorarii servare debeant; & quæ incommoda ex Honorario profluant?

1. *Honorarium accipi debet à Sacerdote ut* oblatio *voluntaria.*
2. *Honoraria habenda sunt ut alia bona Ecclesiastica.*
3. *Indignum est ut Honoraria habeantur ut rerum profanarum pretia.*
4. *Cavendum Sacerdoti, ne de his Honorariis mercari videatur.*
5. *Nihil pro Missis* exigendum.
6. *Synodi Tridentinæ Decretum contra conventiones super Honorariis Missarum.*
7. *Decretum Synodi Mechliniensis contra similes stipulationes.*
8. *A Missæ celebratione abesse debet animus* Mercenarius.
9. *Modus agendi aliquorum Sacerdotum indicat Missas ad quæstum celebrari.*
10. *Indicium animi mercenarii in Sacerdotibus.*
11. *Secundum illius indicium.*
12. *Nonnumquam Mercenario modo pro ratione stipendii major vel minor est Missæ solemnitas.*
13. *Indecens est, quod ex Honorariis Missarum Sacerdotes vivere debeant.*
14. *Hinc contingit plures non solo pietatis affectu Missam celebrare.*
15. *Verendum ne hodie plures ex humano affectu ad Altare accedant.*
16. *Plures hodie videntur ordinari Sacerdotes ut ex Missis vivituri.*
17. *Ob Honoraria Sacerdotes se facilè Divitum obsequio cum vilipendio Sacerdotii addicunt.*
18. *Quod remedium contra hos abusus.*
19. *Sanctus Franciscus veretus Missas* quæstuarias *tantummodo celebrari voluit.*
20. *Sanctus Ignatius Honoraria accipi noluit.*
21. *Monasteria omne etiam sponte oblatum Honorarium respuentia meritò laudanda.*

I. Hodiernum Missarum *honorarium* speciem quamdam esse voluntariæ oblationis; atque in locum oblationum successisse capite præcedenti ostendimus; consequenter, sicut Laici illud tamquam Deo acceptam oblationem Sacerdoti offerre debent, ita quoque illud Sacerdotes non tamquam pretium Missæ, sed ut *voluntariam* oblationem *grato* animo accipere tenentur: unaque ostendere; se velle Deo *voluntariè* sacrificare. " Et si quando nihil aut aliquid minus *liberali* animo *honoraris* loco eis donatum fuerit, non in hoc contristentur, minimeque aliquod indignationis dent indicium; quin potius ut ostendant se magno liberalique animo *gratis*, dare quod gratis acceperunt; ab omni cogitatione & desiderio muneris ac *honorarii* se semper contineant; & si quando aliquid accipere cogantur, illud quamvis *exiguum* lætiori lubentiorique animo accipiant, quam paupercula illa vidua æra minuta duo, quæ sola habebat, in gazophylacium mittebat." Ità Directorium Ecclesiasticæ disciplinæ, Coloniensi præsertim Ecclesiæ accommodatum sub finem præcedentis seculi per Octavium Frangipanum Mirthum Episcopum Tricaricensem Sedis Apostolicæ per Germaniam inferiorem & Belgarum Provincias Nuntium; nec non per Facultatem Theologicam Lovaniensem approbatum, *lib. 1. tit. De Divinis Officiis num. 53.*

II. Hinc consequitur, *honoraria* hæc tamquam Fidelium *oblationes* in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ Deo factas, non secus ac alias oblationes & decimas, bonis Ecclesiasticis esse annumerandas; uti rectè docet Boëtius Epo apud Duacenses olim SS. Canonum Primarius Antecessor ad Cap. 1. & 2. De Testamentis n. 80. adeoque falsam esse Doctorum de his *Honorariis* ideam, qui ea *quasi patrimonialibus* Clericorum accensent, atque à proventibus *verè* Ecclesiasticis distinguunt.

III. Pejorem adhuc de *Honorariis* his ideam formant illi, qui asserere non erubescunt, quod *stipendia* Missarum *admodum pretii rerum habeat medium, infimum & summum*: considerantes scilicet illa non tanquam *voluntarias* fidelium religiosas oblationes; sed ut quædam profanarum rerum pretia. Quo quid turpius, ne dicam abominabilius cogitari potest!

IV. Cavendum autem Sacerdotibus, ne suo modo agendi, eam sede stipendio sive Honorario Missarum ideam habere ostendant; conventiones directè aut indirectè super hisce Honorariis ineundo.

De qua infami mercatura quorundam Sacerdotum ità anno 1324. conqueruntur Patres Synodi Tolletanæ *Can. 6.* " Multa mentis amaritudine concitamur, gravique doloris aculeus effodit mentem nostram, intelligentes, quod aliqui Presbyteri detestanda & abominabili ambitione cœcati, pro Missis per eos celebrandis pecuniam exigunt, & super hoc ac si vellent vendere rem profanam, *impudenter mercantur*: quandoque etiam publicè qui eas faciunt celebrari, æstimantes, quod ex eorum facto pernitioso vendant gratiam Dei quæ in Sacramento Missæ confertur, vel verius ipsum Deum, qui nobis sub specie dicti Sacramenti se exhibet, pecunia posse vendi.

V. Posthæc abominandum hunc abusum ex sordida Sacerdotum avaritia promanantem extirpare volentes, subjungunt: " Verùm cum dictum Sacramentum super omnia pretiosum, sit *liberaliter* sicut cætera Sacramenta celebrandum: districtiùs prohibemus, ne aliquis Presbyter pro Missis celebrandis pecuniam exigat, vel rem aliam temporalem; sed *gratè* accipiat, si aliquid per facientem Missas celebrari oblatum sibi *charitativè* fuerit, *absque pacto & conventione quacumque.* Qui verò contrarium fecerit, à celebratione Missæ per annum noverit se suspensum, & aliàs pro tam gravi excessu ad arbitrium proprii Episcopi puniendum.

VI. Synodus Tridentina advertens, Sacerdotes cupiditate excæcatos nequaquam à profano illo mercimonio cessare, injunxit Episcopis, ut è medio tollant, quidquid avaritia contra reverentiam Sacrificii Missæ induxit; atque imprimis, " cujusvis mercedum conditiones, pacta, & quidquid pro Missis novis cele-

„ celebrandis datur; nec non importunas atque illiberales eleëmosynarum exactiones potius quàm postulationes, aliaque hujusmodi quæ à Simoniaca labe, vel certè à turpi quæstu non longè absunt, omnino prohibeant." In Decreto *De observandis & Evitandis in celebratione Missæ.*

VII. Decreto Synodi Tridentinæ satisfacere cupiens Synodus P. I. Mechliniensis tit. *De Decanis cap.* 11. „ Pastoribus quibuscunque Sacerdotibus inhibet sub pœna suspensionis, ne per se vel alium, *directè* vel *indirectè stipulentur* pro Missis votivis, ad piorum postulationem celebrandis; sed quod eis *sponte* oblatum fuerit, accipiant.

VIII. Dum verò Synodi adeò sollicitè cavent, ne quæ conventio aut illiberalis eleëmosynarum exactio; aliunde turpem quæstum sapiens, occasione celebrationis Missarum interveniat; quid aliud voluit, nisi generaliter præcavere, ne sacrificium Missæ, mercenario & sordido modo à Sacerdotibus tractetur, seu potius profanetur? quod & ipsa ratio clamat; ac dignitas & sanctitas Sacrificii expostulant.

" Quod si enim fatemur (ait Synodus Trid. loco citato) nullum opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum Mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse, ut quantâ maximâ fieri potest interiori cordis munditiâ & puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

IX. Si hodiernum plurimorum Sacerdotum, præsertim tenuioris fortunæ inter Seculares; & inter Regulares, quorum Monasteria hisce Missarum *honorariis* victitant, modum agendi vel leviter attendamus prò dolor! verendum ne & hodie verissimum sit? quod jam pridè deploravit Alvarus Pelagius *lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ art.* 5. quòd tot dicantur Missæ *quæstuariæ*, ut apud populum vel Clerum Corpus Domini jam vilescat.

Nónne plurimos hodie conspicimus Sacerdotes ad domos mortuarias cursitare, ubi stipendia, præsertim pinguiora se accepturos sperant; non secus atque opifices ac mercenarii quique, operum suorum pinguiores mercedes venantur?

X. Quam paratos & obvios reperies Sacerdotes plurimos ad Missæ Sacrificium quacumque hora, & quocumque loco, tametsi etiam parum opportunis & canonicis celebrandum, si congruentia ad ipsorum placitum offerantur Honoraria; econtra quam difficiles & refractarios habebis, ut hora & loco quantumvis populo maximè opportunis, & subinde ferè necessariis, Missam celebrandam suscipere velint, si Honoraria congrua desint; quasi Sacerdotes ordinati non tam essent ad offerendum Sacrificium tamquam Ministri Ecclesiæ, ad devotionem & ædificationem fidelium, quam ut ex celebratione Missarum sibi comparent *Honoraria* sive stipendia, atque ex iis vivant. Unde similes Sacerdotes parum attendere solent, num celebratio Missarum tempore aut loco magis congruis fiat, modo hoc loco aut tempore celebrando majus Honorarium accipere possint. Quid hæc nisi mercenarium Sacerdotum illorum animum in Missarum celebratione indicant?

XI. Adhæc non paucos conspicimus tam è Secularibus quàm Regularibus, mercenariorum seu opificum more, stipendia Missarum pro mensura laboris & temporis in earum celebratione impendenda taxantes atque commensurantes.

Quid hodie familiarius, quam majora taxari stipendia, dum in hoc illove Altari celebrantur; eò quod ob quamdam devotionem populi erga certam Imaginem vel Sanctum, plura ad illud Altare petantur fieri Sacra. Quo fit ut pluribus Sacerdotibus concurrentibus ad celebrandum, nonnunquam tempore aliquo sit expectandum, ob quam expectandi moram, Sacerdotes illi quasi mercenarii, Missæ celebrationem ampliori stipendio compensatam volunt.

Si Ecclesiæ utilitas postulet, ut certis destinatisque horis Sacra legantur, nónne videmus quod more mercenariorum majus stipendium requiratur, quam si libertas hora quacumque celebrandi Sacerdotibus illis relinquatur? Quo quid evidentius, in oblatione Sacrificii non tam inspici, quid hic & nunc postulet utilitas Ecclesiæ, quam quid exigat quantitas stipendii.

Si ulterius similes Sacerdotes requirantur, ut ad dissitam aliquam Ecclesiam celebrandi gratia accedant, nónne mox ut quidam bajuli aut nuntii volent stipendium labori itineris, & tempori impendendo præcisè esse proportionatum?

XII. Nec hic Sacerdotum sistitur mercenarius animus. Eo enim hodie mercenarius ille taxandi modus devenit, ut ipsa Sacrificii solemnitas, non jam à festi solemnitate atque Ecclesiæ præscripto, sed à quantitate stipendii persoluti aut persolvendi desumenda videatur.

Quid hodie frequentius, quam Missæ Sacrificium pro cujusque privato affectu, nulla publica causa aut Festi solemnitate occurrente, solemnissimè peragi, modo stipendium, pro ratione solemnitatis, more mercenario à ministris illis taxatum offeratur? econtra si desit hujusmodi stipendium, occurrat quantumvis magna festivitas, non ritus solemnis, sed ritus simplicior stipendio proportionatus habebitur. Quinimò, in nonnullis Ecclesiis conspicimus, per similes mercenarios Ministros ipsum ritum ab Ecclesia præscriptum nonnunquam truncari, & fœdè mutilari: quia stipendium ipsorum judicio, quo non nisi stipendium ponderatur, non correspondet labori; quem Sacrificii decantationi cum integro ritu peragendi impendere deberent "O mercimonia!

XIII. Dicet forsan nonnemo, quid mirum si honoraria, stipendiave Missarum tam anxie à nonnullis Sacerdotibus quærantur; nec faciles se ad celebrandum, nisi hæc adsint, præbeant; cum vel ipsi, vel ipsorum Conventus majore ex parte ex hisce honorariis stipendiisve vivere cogantur? haud diffiteor, ita in more positum esse: Sed quis & illud non deploret, imò exhorrescat, ipsum tremendum divinissimumque, atque Religionis nostræ augustissimum Mysterium, eò esse vilitatis redactum, ut ceu quoddam opificium victui quotidiano parando subservire debeat?

Quis ambigat, quin temporalia modo mercenario & sordido facilè ex Missarum celebratione sint quæsituri, qui Missæ celebratione tamquam medio ad vitæ necessaria paranda uti coguntur?

XIV. Atque hinc contingit, quod Sacerdotes ex Missarum honorariis victitantes ex humano potius affectu, aut consuetudine, aut sane ex necessitate vitæ subsidia consequendi, quam devotionis affectu, & Spiritûs Sancti impulsu quotidie ad Missam celebrandã accedant.

XV. Imò si horum Sacerdotum ratio agendi propius attendatur, verendum ne cum Patribus Synodi Coloniensis anno 1536. *parte* 2. *capit.* 10. dicere etiam hodie debeamus: " Terret, nec immerito, nos sermo „ Dominicus, qui vetat nos sanctum dare canibus, & „ margaritas nostras projicere ante porcos, dum quosdam leviculos Sacerdotes illotis manibus pedibusque, „ ut in Proverbio est, audacius in hæc sacratissima mysteria, quam in profana irrumpere comperimus. Quales sunt, *Qui humano affectu tantùm, & potius ex more, quam devotionis ardore* ad Altare accedunt, „ quorum polluta est mens & conscientia, quos merito „ horrendũ Evangelii exemplum (quod Joannis decimo „ tertio

Digitized by Google

„ tertio legimus in hæc verba: *Et postquam accepisset* „ *buccellam introivit in eum Satanas*, & cætera quæ se- „ quuntur ad meliorem vitæ frugem, altioremque tanti „ mysterii contemplationem revocaret.

An non magna cum Sacrificii irreverentia hodie conspicimus, Sacerdotes vitam otiosam, imò multis defectibus, ne dicam criminibus obnoxiam agentes, necessitate victum quærendi ex stipendiis Sacrorum quodammodo compulsos, accedere ad *quotidianum* Sacrificium, non secùs ferè atque opifices ad opus suum manuale lucelli causa indies properare solent?

Non dubium quin & hodie verum sit, quod olim dixit S. Augustinus, *Omnem conditionem includere bonos & malos, esseque Clericos permulti falsos ac Monachos. Sunt*, ait, *& Monachi falsi & nos novimus tales, sed non perit fraternitas pia propter eos, qui profitentur quod non sunt, tam sunt enim Monachi falsi, quàm Clerici falsi & fideles falsi*; & tamen nónne inviti hodie videmus, quod in plerisque Monasteriis nulla bonos inter & malos, veros & falsos fratres intercedente differentia, omnes frequentissimè, si non quotidie tremendis Altaribus assistant; quin assistere jubeantur: in illis præsertim Congregationibus, quibus vivere ex Sacrorum stipendiis in more positum est. O quot ex inde non timenda sacrilegia!

XVI. Hi plerumque sunt è Sacerdotibus illis, de quibus ad Nepotem suum scribit Cardinalis Bellarminus: „ Plurimi ordinari cupiunt pro utilitate sua, non Eccle- „ siæ, & de *celebratione Missæ faciunt artem de pane lu-* „ *crando*: unde Sacerdotium contemptibile redditur, & „ Ecclesia scandalis scatet.

Nec hæc tantum in ordinatione Sacerdotum secularium metuenda; sed & Regularium, præsertim illorum Ordinum, qui ex honorariis Missarum victum quærere solent: omnesque, modo ætatem Sacerdotio prærequisitam attigerint, ad Sacerdotium mittere consueverunt; atque Sacerdotes ordinatos honorarii quotidiani lucrandi causa, ad quotidianum Sacrificium quodammodo adigunt. Sed de hoc latius infra *tit.* 9. ubi de *Ordine* agetur.

XVII. Ex hoc quoque Sacerdotum mercenario agendi modo evenit, ut Sacerdotes se Magnatibus & divitibus quibusque celebrandi causa Capellanos constituant; quos hi ut servos admittunt, nec honestius plerumque tractant, quàm artifices, qui ad opera sua elocanda spe mercedis invitantur; gloriosum autumantes, inter famulos seu pedissequos suos, non tantum vile aliquod hominum genus; sed ipsos quoque Sacerdotes numerare. At de hoc abusu latius capite 8. ubi de oratoriis domesticis agitur.

XVIII. Hæc aliaque, quæ ex hodiernis Missarum stipendiis profluunt; ipsumque Missæ sacrificium horrendum in modum profanant; vileque ac contemptibile Catholicis pariter & Acatholicis reddunt, Ecclesiarum Prælati, ac Præcipuè Episcopi ex mandato Synodi Tridentinæ omnibus viribus, tanquam abusum verè magnum & execrandum eradicare tenentur; omniaque media adhibere, quæ eum in finem subservire queunt. Inter media autem illud non minimum videtur, ut neminem ad Sacerdotium admittant, quem verisimiliter intelligunt, eo præcipuè fine Sacerdotio intrandum Præsentari, ut vel sibi, vel Communitati suæ ex celebratione Missarum victum conquirat; atque ità verendum sit, ne ex celebratione missarum faciat artem de pane lucrando. De quo latius infra *titulo de Ordine*.

XIX. Profanationem hanc aliaque incommoda veritus S. Franciscus, teste Alvaro Pelagio, " voluit quod „ in quocumque loco Fratres contenti essent una Missa, „ præsciens, Fratres se velle justificare per Missas, & *ad* „ *quæstum eas reducere*: sicut videmus hodie fieri." Hæc ille loco supra citato.

Similiter S. Ignatius Societatis Fundator parte VI. Constitutionum cavit: " Omnes qui sub obedientia „ sunt Societatis, meminerint, se gratis dare debere, „ quæ gratis acceperunt, nec postulando, *nec admittendo* „ *stipendium*, vel *eleemosynas ullas*, *quibus Missæ*, vel con- „ fessiones, vel prædicationes, vel lectiones vel visitatio- „ nes, vel quodvis aliud officiú ex iis quæ Societas juxta „ nostrum institutum exercere potest, compensari *vi-* „ *deatur*: ut sic majori cum libertate possit & proximo- „ rum ædificatione, in divino servitio procedere.

Unde & Christianus Lupus in Dissertatione 2. proœmiali ad *tomum* 3. *Schol. cap.* 11. ait: " Reformata „ quædam, omnem etiam *sponte* oblatum denarium re- „ cusantia Monasteria sunt plurimum laudanda, & o- „ randus est Deus, ut ad omni saltem coactione renun- „ tiandum nos promovere, atque ità casta Patrum „ corda in nos reducere dignetur.

CAPUT VII.

De Anniversariorum & Missarum Fundationibus, eorumque Reductione.

1. *Primis seculis anniversaria dies obitûs celebrata; sed an annuatim recurreret incertum.*
2. *Seculo IX. anniversaria annuatim recurrentia nota fuêre.*
3. *Anniversaria Regum & Abbatum celebrabantur in Monasteriis.*
4. *Anniversaria jam pridem cum Missa & Psalmorum cantu peracta.*
5. *In die anniversaria antiquitùs campanæ etiam pulsabantur. & eleemosyna pauperibus distribuebantur.*
6. *Occurrente anniversario Monachis & Canonicis refectio dabatur.*
7. *Apud Canonicos hæ refectiones in denarios Canonicis præsentibus distribuendos conversa sunt.*
8. *Anniversaria olim pro Fundatoribus & benefactoribus fieri solebant; nec quidquam* speciale *pro ejus celebratione assignabatur.*
9. *Hodie pro celebrante, Ministris & etiam Ecclesiæ fabricâ certa summa relinqui solet.*
10. *Quâ celebritate anniversaria celebranda, pendet præcipuè à Fundantium voluntat e.*
11. *Anniversaria nunc valdè multiplicata; & unde?*
12. *Accesserunt Missarum multarum fundationes.*
13. *Fundationis Missæ quotidianæ meminit Alexander III. eamque nonnihil restringit.*
14. *Qui Cappellaniam cum onere Missæ* quotidianæ *habet, an debeat* quotidiè *Missam celebrare?*
15. *Obligatus ratione Beneficii ad celebrandum, satisfacit dando substituto convenientem Honorarium.*
16. *Qui accipit Honorarium pro Missa, non potest alteri eam committere parte Honorarii retenta.*
17. *Qua disparitatis ratio.*
18. *Qui Beneficii etiam simplicis fructus percipit, debet se ut Ecclesiæ Ministrum exhibere.*
19. *Nulla Capellaniarum solo onere celebrandi Missam utilitas esse solet.*
20. *Debet Fundatorum mens impleri; & quis soleat esse defectus.*
21. *Anniversaria, & Missæ fundatæ frequenter admodum negligenter peraguntur.*
22. *Quæ Pastorum circa hæc cura esse debeat?*
23. *Qui animo mercenario his officiis interesse censentur? quibus distributiones dandæ?*
24. *Unde factum ut omnibus fundationibus Missarum satisfieri non potuerit?*
25. *Synodus Tridentina dat Episcopis facultatem anniversaria & Missas reducendi ad minorem numerum: & quare?*

26. Sacer-

26. *Sacerdotes privata auctoritate ea reducere non possunt.*
27. *An Episcopi extra Synodum habeant illam facultatem?*
28. *Decretum S. Congregationis potestatem Episcoporum restringens in Belgio non receptum.*
29. *Reductiones facienda pravio examine; & auditis quorum interest.*
30. *Episcopus in reductione non tam utilitatem privatorum, quam augmentum divini cultus attendere debet.*
31. *Non multum urgendi Fideles ad Missarum fundationes, præsertim à Presbyteris, & quare?*
32. *Si Fundator voluerit Missam certo loco aut tempore fieri, voluntas servanda est.*
33. *Potest Episcopus has conditiones interdum tollere aut mutare.*

1. A Primis seculis defunctorum extremum diem annua celebritate cultum fuisse, testis est Tertullianus De Corona Militis *cap.* 3. *Oblationes pro Defunctis, pro Natalitiis annua die facimus.*

Et apud Cassianum *Collat.* 19. *cap.* 1. legitur: "Nam „prioris Abbatis, qui eidem Cœnobio præfuerat *anniversaria* depositio solemniter celebrabatur." Plura ibidem vide apud Gazæum in notis.

An verò anniversaria illa officia semel tantùm an perpetuo recurrerent, non ausim affirmare, ait Mabillonius in præfatione in primam partem seculi III. Benedictinorum *num.* 101.

II. In Vita S. Eigilis Abbatis Fuldensis scribit Candidus Monachus: "Simili namque consilio atque Fratrum nostrorum de hac luce defunctorum in Natale „S. Ignatii Martyris Christi, qui paulò inferius ab hac „*anniversaria* numeratus, propter intercessionem tanti „Patroni, in Missarum celebratione, Psalmodiis & ora„tione sancta celebrari sancivit. Hujus rei siquidem „constitutio, dum cunctæ Congregationi prælecta es„set, ac deinde si placeret interrogatum fuisset, re„spondebatur ab omnibus: Placet. Sed ne cui fortasse „hæc celebratio superstitiosa, & cassa esse videatur, le„gat collationes Sanctorum Patrum, & ibi reperiet hu„jus Festivitatis exemplum.

Ex his non obscurum est, similia Anniversaria ut minùs seculo IX. quo dictus Sanctus vixit, nota fuisse.

III. Unde & eodem seculo Synodus Pistensis multorum Episcoporum & Abbatum ratas habuit *refectiones* quas Hilduinus Abbas constituit Dionysianis Monachis in festivitatibus Sanctorum, quorum corpora in eodem loco sunt humata, atque ANNIVERSARIO *Dagoberti Regis ex Auriaco.* Deinde subdit: "Caritates etiam in „*Anniversariis* Regum & Abbatum de cellario Abba„tis juxta solitum accommodentur. Item *refectionem* „Fratribus de rebus Ecclesiæ ac thesauri, veluti Hildui„nus ordinaverat subministrandas, hoc est Purificatio„ne S. Mariæ, Assumptione ejusdem, Nativitate, Mis„sa S. Petri Apostoli, *Anniversario Hildovici Impera„toris* festivitate omnium Sanctorum, dieque *depositio„nis* suæ decernimus." Habentur tomo 8. Concil. general. Col. 756.

Quin & sub initium ejusdem seculi in Conventu Abbatum Aquisgranensi *cap.* 73. decretum est, "ut pro „Abbate defuncto *anniversarium* fiat officium.

Scribit quoque circa idem tempus Amalarius *lib.* 3. *De Eccles. Officiis cap.* 44. "Anniversaria dies ideo *re„petitur* pro Defunctis, quoniam nescimus, qualiter „eorum causa habeatur in alia vita.

IV. Quo ritu Anniversaria hæc antiquitus celebrarentur, incertum est. Hoc satis constat, non eodem ritu, nec eadem celebritate ubique fuisse peracta.

Ex verbis supra è Vita S. Eigilis relatis patet, quòd Anniversarium Sturmii Abbatis Fuldensis, *in celebratione Missarum, Psalmodiis & Oratione celebrare sanciverit peragi* S. Eigilis Abbas.

Illud quidem Anniversarium etiam ante Eigilis Decretum fuisse à Monachis Fuldensibus celebratum, sed minùs solemniter evincit eorum Libellus supplex Carolo M. oblatus, in quo dicunt: *Pro Sturmio quoque Abbate in* ANNIVERSARIA *obitus die, unam Vigiliam; & unum Psalterium per singulos annos* legimus.

V. Apud Odericum Vitalem *libro* 3. *historiæ* refertur, Osbernum Abbatem Uticensem constituisse *generale, anniversarium* singulis annis fieri pro patribus & matribus, pro fratribus & sororibus omnium Monachorum Cœnobii Uticensis. "Anniversarium verò de quo „loquimur [ait Vitalis] sexto Kalendas Julii sic agitur. „*Omnia signa serò & manè* ad officium defunctorum „*diu pulsantur*, volumen mortuorum super Altare dis„solutum palam expanditur: & deprecatio priùs pro „defunctis, postea pro vivis parentibus & benefactori„bus cunctis Fidelibus Deo offertur. Missa verò matuti„nalis ab Abbate celebriter canitur: ab Eleëmosynario „autem tot *pauperes*, quot Monachi sunt, ipsa die in „Cœnobio colliguntur.

Hinc habemus, nequaquam recens esse, quod omnia signa, id est campanæ serò & manè ante officium *diu* pulsentur.

Ulterius habetur, quod in die anniversaria specialiter eleëmosynæ in pauperes distribuerentur.

VI. Hoc quoque jam pridem in usu fuisse videtur, ut die anniversaria recurrente, Fratribus refectio amplior daretur; uti supra ex Synodi Pistensis decreto vidimus. Et verbis è vita S. Eigilis supra relatis ab auctore subjicitur: "Eadem verò die ob reverentiam tantæ solemni„tatis, secundum congruentiam Monasticæ vitæ, ad „*victum* fraternum *culcius* quid *solitò jucundiusque* fieri „demandavit.

Apud Miræum in Donationibus Belgicis *cap.* 62. occurrit diploma Godefridi Barbati Ducis Brabantiæ quo donatur Collegio Canonicorum Lovanii in Ecclesia Sancti Petri *Ecclesia de Rode* cum universa dote sua, eâ adjectâ lege, "ut in anniversario Domini Ducis, quan„documque occurreret, Fratres simul essent *in charita„te*: & si res aliquando ad ea concresceret in anniver„sariis uxoris ejusdem Ducis Dominæ Idæ, & matris „ejus Aleidis similis ageretur *lætitia.*

Si quis Capitulorum & Monasteriorum antiqua monumenta revolvat, plura ejusmodi anniversaria reperiet; habenturque in collegiis Academicis pleraque defunctorum Præsidum & Benefactorum anniversaria cum refectione Communitati ea die danda; quam vocabulo barbaro *pitantiam* dicere consueverunt.

VII. In Collegiis Canonicorum posterior ætas has refectiones in denarios inter Canonicos celebrationi anniversariorum assistentes distribuendos ubique ferè convertit; quarum distributionum mentio fit in *Cap. Unico de Clericis non residentibus in VI.* Decrevit ibidem Bonifacius VIII. id quod statutum erat de distributionibus Horarum Canonicarum: *De distributionibus etiam pro defunctorum anniversariis largiendis observandum.*

VIII. Antiquitus anniversaria illa nonnisi pene pro Fundatoribus, & Benefactoribus agebantur; neque aliqua certa ac determinata summa, quæ Celebranti & ministris in honorarium cederet assignari solebat.

XI. At postquam Missarum honoraria invaluerunt: etiam pro celebrandis anniversariis *honoraria* Sacerdoti celebranti, & Ministris assistentibus assignari cœperunt; idque pro ratione celebritatis, qua celebranda sunt. Insuper numerus aliquis ipsi Fabricæ Ecclesiæ pro impensis in Sacrificium & ornamenta faciendis constitui.

X. Porro celebritas anniversariorum; nec non relictorum vel in pauperes, vel Ministros Ecclesiæ aliave pia opera distributio dependent à Fundatorum voluntate & arbitrio; quæ illorum prima lex esse solet.

XI. Sicuti cuilibet particulari liberum tandem fuit, dato Honorario sibi *specialem* Missam juberi fieri; ità quoque eadem ratione invaluit, ut quisque potuerit *speciale anniversarium* fundare; atque hoc pacto postremis hisce seculis Anniversaria in immensum excrevêre.

XII. Hic accessere insuper crebræ Missarum fundationes quæ vel quotidianam, vel plures per mensem, aut hebdomadam, vel annum, pro ratione stipendiorum, & voluntate fundatorum Missas requirunt.

XIII. Fundationis Missæ quotidianæ mentio occurrit in *Cap.* 11. ꝗ. *De Præbendis*: ubi narratur, quod Præpositus & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Insulensis in Flandria, communi voluntate cuidam Sacerdoti præbendam unam dedissent in Ecclesia sua, ità quod *Missam de Sancta Maria* (nisi corporis infirmitate gravatus sit) debeat *quotidie* celebrare, & Ecclesiam non nisi communi tam Præpositi, quàm Capituli assensu posset deserere, vel cuiquam præbendæ illius *anniversarium* delegare. Pontifex Alexander III. interpellatus hanc concessionem hoc tenore firmavit: "Quam siquidem institutionem eatenus confirmamus, ut prædictus Sacerdos, nisi infirmitate corporis fuerit impeditus, *assiduè* debeat obsequium suum impendere Ecclesiæ memoratæ, & *quanto* frequentius potest [*salva honestate* sua, & *debita devotione*] Missarum solemnia celebrare: nec sibi liceat hoc illi subtrahere: sive causa voluptatis, sive se ad aliam Ecclesiam transferendo.

XIV. Ex hac restrictione post alios Canonistas colligit Fagnanus ad hoc Capitulum *num.* 8. "Statutum vel pactum quo Sacerdos obligatur ad celebrandum unam Missam *quotidie* & de uno Sancto, non adeo strictè esse intelligendum, ut *singulis* diebus absque ulla intermissione, vel semper de illo Sancto celebrare teneatur; sed hanc interpretationem admittere, ut illam celebret quantò frequentius poterit, *salva honestate* & *devotione*, prout ejusmodi ordinationem & pactum hic temperat & moderatur Pontifex.

Imò quia onus quotidie celebrandi gravius visum fuit, Cœlestinus Pontifex præbendam illam in duas divisit, ubi testatur Innocentius III. *Lib.* 2. *Registri pag.* 487. his verbis: "Verum prædecessor Papa memoratus, uni Presbytero esse nimis onerosum attendens, *divina singulis diebus* celebrare, Præbendam ipsam divisit in duas.

Verùm pro resolutione hujus Decretalis notandum, quod presbyter, cui hæc præbenda cum onere Missæ *quotidianæ* erat assignata, ex vi institutionis esset obligatus eam Missam quotidie *per se* celebrare; uti colligitur ex finali hac clausula: *Vel cuiquam præbendæ illius anniversarium delegare*, & communiter notant Canonistæ: concluduntque ad hunc casum resolutionem seu moderationem Pontificis esse restringendam.

Si enim in fundatione aut institutione *expressè* cautum non sit, Presbyterum fundatione gaudentem debere *per se* Missam celebrare, potest toties, quoties ei videbitur abstinere, atque *per alium* oneri satisfacere; & consequenter cùm hic cesset ratio illa *honestatis* à Pontifice pro fundamento restrictionis assumpta, cessat quoque ipsa moderatio.

XV. Quæsitum aliquando fuit à Congregatione sub Urbano VIII. "An Rector Beneficii, qui potest *per alium* celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti, dare stipendium ad rationem redituum Beneficii. Respondit: Satis esse, ut rector Beneficii, qui potest Missam per alium celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleëmosynam congruam secundum morem civitatis, vel Provinciæ, nisi in fundatione ipsius beneficii aliud cautum sit.

XVI. Sin autem Sacerdoti oblata fuerit eleëmosyna major solita pro celebratione Missæ, si per alium jubeat Missam celebrari, tenetur eandem *integram* celebranti dare; nec *ullam* illius partem sibi retinere potest, uti eadem Congregatio interrogata respondit: habenturque prædicta dubia cum responsis tomo 4. Bullarii R. *pag.* 90. & 91.

XVII. Ratio hujus diversæ decisionis videtur fuisse, quod in priori casu, Fundator non assignaverit reditus annexos Capellaniæ *præcisè* pro *stipendio* sive *honorario* Missarum; sed simpliciter fundaverit Capellaniam, eique assignaverit dotem cum onere aliquot Missarum celebrandarum; atque ità videatur titulo beneficii, exsoluto hoc onere, posse fructus excrescentes retinere. In posteriori verò casu; quia eleëmosyna *unicè* offertur Sacerdoti pro celebratione Missæ; si illam alteri committat, nullus superest legitimus, quo posset sibi partem eleëmosynæ applicare: unde lucrum tale vocat S. Congregatio *damnabile lucrum.*

XVIII. Quidquid sit, illud constat, quod qui hujusmodi Capellaniam possidet; atque titulo beneficii fructus sibi applicat, considerare consequenter debeat, beneficium omne dari propter officium *Cap. fin. de Rescriptis in* VI. ac proinde etiam se exhibere debere tanquam Ministrum Ecclesiæ; *officium* ipsi Ecclesiæ præstare: neque bona Ecclesiæ, ut sunt omnium beneficiorum etiam simplicium proventus, otiando consumere posse.

XIX. Qui verò vitam modumque agendi similium Capellanorum vel Beneficiatorum expenderit, facilè videbit, quàm parum utilitatis & ædificationis ex hujusmodi fundationibus provenire soleat; quodque ferè ad nihil valeant, quàm ut otiosos, ne dicam scandalosos Clericos faciant, & nutriant; quamque proinde meritò in Concilio Tridentino plures optaverint similia Beneficia extingui, aut aliis uniri, vel aliter reformari; de quo latius infra ubi de Beneficiis agetur.

XX. Ad hæc, similium beneficiorum possessores etiam attendere debent, se onera à Fundatoribus imposita ità debere adimplere, ut non verbis dumtaxat; sed menti atque intentioni Fundatorum plenè satisfacere studeant.

Qua in re haud satisfaciunt, qui, ut plures sibi fundationis proventus retinere queant, Sacerdotibus Sacra illa celebranda, aliave onera exsolvenda committunt, quos viderint minoribus Honorariis onera illa velle exsolvere; nihil aut parum soliciti, qualiter onera illa à similibus Sacerdotibus sint exsolvenda; imò probe noverint, Sacerdotes illos mercenario modo, non secus atque opifices sua opera, sacra illa ministeria peracturos. Et hinc fit, ut occasione hujus fundationis, præter mentem fundatoris, plus interdum maledictionis, quàm benedictionis & in Ecclesiam & Fundatores accersatur.

XXI. Insuper quia sacra illa aliaque divina officia similibus Sacerdotibus, qui ex stipendiis Missarum vivunt; atque de Missarum celebratione quasi artem de pane lucrando faciunt, committuntur, fit ut plerumque planè perfunctoriè & irregulariter peragantur; ipaque Fundatorum voluntas, dum exteriùs adimpleri videtur, revera tamen negligatur. Ipsi enim indubie, & ut animæ suæ consuleretur, ipsaque Ecclesia ædificaretur, hæc officia devotè ac reverenter & modestè, prout officiorum illorum dignitas requirit, celebrari voluêre.

Unde merito Synodus Tridentina Sess. 25. in Decreto *de Purgatorio* mandavit Episcopis, "Curent ut fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, eleëmosynæ aliaque pietatis opera, quæ à fidelibus

„libus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverint, „secundum Ecclesiæ instituta piè & devotè fiant, quæ „pro illis ex testatorum fundationibus, vel alia ratione „debentur: non perfunctoriè, sed à Sacerdotibus, & Ec„clesiæ ministris, & aliis qui hoc præstare tenentur, ac„curatè & diligenter persolvantur.

XXII. In Decretis Synodalibus Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest. *tit. 11. cap. 11.* statuitur: "Pasto„res seduló advigilabunt, & strenuè adlaborabunt, ut „*vigiliæ & exequiæ* fidelium defunctorum, *solemniter*, „*tractim*, *& graviter & devotè* decantentur, sub gravi „mulcta in eos decernenda qui in officiis hujusmodi „fuerint defectuosi.

Si hoc Decretum ubique observaretur, sperari posset, quod solito majori cum fructu atque fidelium ædificatione hæc divina officia exsolverentur; ipseque populus veriorem ac religiosiorem de hisce officiis ideam conciperet; nec tantùm ut mundo aliquousque satisfaceret, & se à vexis Sacerdotum eximeret (quemadmodum non rarò hodie fit,) sed animo voluntario, & pia planè intentione vigilias, exequias aliaque officia celebrari postularet.

XXIII. Canonici quoque & Clerici sat ostendunt, quo animo hisce divinis Officiis intersint, qui *Offertorio* absoluto & distributionibus acceptis seu lucratis, mox, quasi flagellis abacti, Ecclesiam deserunt: quos ut compesceret Synodus P. II. Cameracensis *tit. 14. cap. 7.* decrevit, ut illud, quod Clero ob funus, aut exequias defunctorum datur, iis qui *eodem officio ab initio usque ad finem fuerint*, *distribuatur*.

Et Synodus D. Mechliniensis *tit. 11. cap. 10.* privari vult distributionibus illos, "qui in Missis votivis & „*anniversariorum*, quæ ex fundatione sine commenda„tionibus canuntur, *ante primam collectam*; in Vigiliis „verò *ante finem secundi Psalmi Vesperarum*; & in com„mendationibus *ante initium Psalmi* IN EXITU usque „*ad finem* non intersunt.

Sacerdotes & Clerici, qui officia hæc omittunt, mox ut honoraria seu stipendia consueta deficiunt, sat ostendunt, quo affectu hæc officia persolvant & frequentent. De quo latius supra actum est, *Parte 1. tit. 7. cap. 8.*

XXIV. Postremis hisce sæculis numerus Missarum potissimum multiplicatus fuit, postquam honorarium sive Denarius Missarum invaluit; eo quod offerentes singuli velint *pro se* specialem Missam fieri. Eadem quoque ratione factum, ut *anniversaria* atque Missarum fundationes in tantum tempore Concilii Tridentini excrevissent; ipsæque Ecclesiæ & Monasteria tot Missis onerata deprehenderentur, ut iis omnibus persolvendis non sufficerent.

Ulterius postquam invaluit Missarum *honorarium*, atque unà populus voluit tot Missas celebrari, quot darentur *honoraria*, etiam multi requirebantur Sacerdotes & Ministri qui illis fundationibus satisfacerent.

Cum verò successu temporis fundationum reditus vel essent deperditi, vel decrescente pecuniarum valore, & rerum pretio è contra excrescente, contingit, ut vix invenirentur Sacerdotes, qui fundationum onera vellent suscipere.

XXV. Duplici hoc titulo contingebat, uti deplorat Synodus Tridentina *Sess. 25. c. 4. de Reformat.* ut deperirent piæ testantium voluntates; & eorum conscientias, ad quos prædicta spectant, onerandi occasio daretur.

Igitur "Sancta Synodus cupiens hæc ad pios usus re„licta, quo plenius & utilius fieri potest, impleri, Fa„cultatem dat Episcopis, ut in Synodo Diœcesana, item„que Abbatibus & Generalibus Ordinum, ut in suis „Capitulis generalibus, re diligenter perspecta, possint „pro sua conscientia in prædictis Ecclesiis, quas hac „provisione indigere cognoverint, statuere circa hæc „quidquid magis ad Dei honorem & cultum atque „Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.

XXVI. Decretum hoc sat ostendit, Sacerdotibus non licere privata auctoritate onera Beneficiis aut fundationibus imposita reducere vel immutare; sed id quoad Ecclesias sæculares spectare ad Episcopos.

Quapropter anno 1639. Synodus Namurcensis *tit. 5. cap. 31.* conformiter ad Decretum Synodi Tridentinæ statuit, "Nullus propria auctoritate reducat Mis„sas: anniversaria, & alia quæcumque onera, suis Be„neficiis incumbentia.

Deinde *c. 32.* addit: "Et quia intelligimus plures „pauciora sacra exonerare, quàm primæva ipsorum Be„neficiorum institutio requirit; mandamus, ut de illo„rum reductione nos doceant intra trimestre.

XXVII. Quin si verba Synodi Tridentinæ attendantur, reducendi aut immutandi, has pias fundationes potestas Episcopis non nisi in Synodo Diœcesana competere videtur; uti enim notat Garcias *De Beneficiis parte 7. c. 1. nu. 135.* addit tamen *n. 136.* "verum esse tamen, "quod in aliquibus Episcopatibus non sit usu receptum „hoc Decretum Concilii Tridentini: semper enim fiunt „(inquit) *sine Synodo* reductiones, non tantum Missa„rum, Capellaniarum, sed etiam anniversariorum & „dotationum Ecclesiarum.

Notoria & quotidiana Belgii praxis evincit, Episcopos has reductiones absque Synodis, suâ ordinaria auctoritate facere; vel quod credant quoad hanc formam præscriptam Synodum Tridentinam hic non fuisse usu receptam; vel quòd putent eam sibi facultatem jure communi competentem, à Synodo Tridentina non fuisse ademptam, dum Synodi Diœcesanæ non habentur.

Quidquid sit, hoc constat, quod sive Synodi Tridentinæ Decretum, sive juris communis dispositio attendatur, hanc Episcoporum potestatem generaliter ad Missas, anniversaria aliaque pia opera extendi; tametsi etiam post Concilium Tridentinum, & in limine fundationis constituta sint; uti rectè notat Zypæus *Consult. I. De Celebratione Miss.* & quotidiana praxis confirmat.

De eadem non receptione in aliquibus Ecclesiis testatur Diana *tomo 1. tract. 14. resol. 3.* Et *resol. 4.* dicit Abbates & Generales Religionum nullatenus posse reducere absque Capitulo generali: "Quia (ait) Episco„pi id facere possunt ex jure communi; neque quoad „eos Concilium statuit jus novum, sed statuit antiquum „jus servari: quo verò ad Abbates & Generales jus no„vum constituit.

XXVIII. Extat quidem Decretum S. Congregationis editum anno 1625. probante Urbano VIII. in quo *art. 5.* "districtè prohibet atq; interdicit, ne Episcopi in Diœ„cesana Synodo, aut Generalis in Capitulis generalibus, „vel aliàs quoquo modo reducant onera ulla Missarum „celebrandarum, aut *post* idem Concilium imposita, „aut in *limine fundationis*; sed pro his omnibus redu„cendis, aut moderandis vel commutandis, ad Apo„stolic. Sedem recurratur.

Sed ut notat Zypæus in citata consultatione *n. 7.* utitur S. Congregatio vocabulo, *prohibet atque interdicit*; quæ Concilii Trid. non declarationem, sed *novi* juris constitutionem indicant: "Et ut in Italia, ait, facile est „ad S. Sedem accessus, adeoque Decreti non incommo„da observatio; ita in dissitis regionibus odiosa est Con„cilii constrictio; nec hactenus hic recepta; nisi forsan „apud Regulares, ad quos à suis Superioribus Romà „talia mitti solent; ut non dirigunt superiores sæcula„res ad Episcopos regionum dissitarum.

XXIX. Requirit autem Synodus, ut reductio hæc fiat *re diligenter perspecta*: id est, prævio diligenti examine, num causa reductionis aut mutationis sufficiens sit.

In hac reductione si qui sunt Patroni fundationum, aut alii interesse habentes, necessariò audiendi: & si quæ opponenda habent examinari. Unde prævie ad publicationem Synodi Tridentinæ in Belgio, ad citatum *Cap.* 4. hæc à Conciliis Regiis annotata fuerunt: "Relinquitur arbitrio Episcoporum, Abbatum &c. ut ob tenuitatem eleëmosynarum, statuant de numero Missarum, uti judicaverint expedire. Visum Conciliis, vocandos & audiendos esse Pastores, Magistros, Fabricæ, aliosque quorum interesse ex probabili causa poterit.

XXX. Permittit autem Synodus, ut *re diligenter perspecta*; id est, præmisso diligenti examine; & auditis quorum interest, Episcopi possint "statuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Ecclesiarum utilitatem viderint expedire.

Itaque ex mente Synodi, Episcopi in hac reductione & dispositione, non tam ipsorum particularium Sacerdotum, qui è stipendiis Missarum, aut proventibus fundationum emolumentum quærunt, utilitatem, quam *Dei honorem & cultum*, *atque Ecclesiarum utilitatem* attendere debent.

Unde si Episcopus videat, ob multitudinem Missarũ & anniversariorum celebrandorum, non ea qua decet reverentia ac devotione & modestia hæc peragi; atque insuper ob hanc Missarum celebrandarum multitudinẽ, plurimos ineptos & otiosos, mercenariosq; Sacerdotes ordinari quidni Missarum fundationes reducere, aut in alia pia opera convertere poterit? si inde videat Missas, licet pauciores, majore cum reverentia, modestia ac pietate celebrandas; numerumque Sacerdotum illorum otiosorum diminuendum: cum id ad honorem & cultum Dei, atque utilitatem Ecclesiarum expedire, nemini ambiguum esse possit.

XXXI. Incommoda quæ ex hac multiplicatione Missarum & fundationum nascuntur, facilè quoq; persuadent, Parochos aliosque quibus incumbit procurare, quæ magis ad honorem Dei & Ecclesiarum utilitatem spectant, non debere ipsos Fideles multum ad hujusmodi Missarum fundationes (quæ ferè ad nihil serviunt nî ut Mercenarios Sacerdotes nutriant) incitare: quod vel eo etiam titulo meritò cavent Parochi; ne suadendo Anniversaria, aliasque similes fundationes, avaritiæ turpisve quæstus suspicionem incurrant.

Quod prævidens Antonius Albergatus Episcopus Vigiliarum & Nuntius Apostolicus in instructione quam anno 1613. pro Pastoribus Civitatis & Diœcesis Leodiensis edidit, *pag.* 40. dedit hoc monitum: "Caveant Pastores in suadendis *anniversariis* mortuorum, ne in *avaritiæ* notam incidant.

XXXII. Si Missarum fundatio requirat, ut Missæ certa hora, certoque loco, vel ad determinatum altare celebrentur, circa ea etiam voluntatem Testatoris servandam esse declaravit S. Carolus in Concilio Mediol. IV. *parte* 2. *tit. Quæ pertinent ad SS. Missæ Sacrificium*, statuens: "Quicumque Sacerdos in altari *certo* Missam celebrare debet, præstitisse censeatur; nisi Episcopi alteriusque, cui ille id curæ commiserit, jussu, concessu, permissione aliquando fecerit.

XXXIII. At si Episcopus videat Missas certis locis, aut horis celebrandas, convenientius ad populi ædificationẽ ac Dei cultum alio loco & tempore celebrari, faciliùs in his mutationem aliquam facere poterit, eò quòd ipsa fundatio in suo principali hîc ordinariè non alteretur: atque non minus Fundatori, imò magis ordinariè prosint Missæ celebratæ in loco & tempore convenientiori, quàm si juxta Fundationis tenorẽ in locis designatis, sed minùs convenientibus populi ædificationi & cultui divino celebrarentur.

Sic S. Carolus voluit ut in Capellis aut Oratoriis infra limites Parochiæ diebus festis non nisi *una* Missa, eaque in aurora, ante absolutam Missam Parochialem celebretur: additque: "Quòd si die festo etiam per illud Missæ Sacrificium quod in aurora fit populus à Parochiali avocetur, tunc Episcopus illud etiam Festo die post Missam Parochialem celebrari jubeat.

CAPUT VIII.

De Oratoriis privatis sive domesticis.

1. *Jam pridem quædam loca pro Missarum celebratione destinata,*
2. *Fideles unum in locum conveniebant.*
3. *Qui se è conventu hoc separabat,* unitatem *Ecclesiæ scindere censebatur.*
4. *Olim vetitum est extra publicum conventum ad Missam convenire.*
5. *Sanctio Justiniani contra privatos conventus.*
6. *Excrescente turba Sacerdotum Ditiores cæperunt habere Capellanos domesticos.*
7. *Quàm indignè habiti hi Capellani à suis Dominis.*
8. *Nobiles hac occasione Ecclesias Parochiales deserebant.*
9. *Hic abusus labentibus sæculis multum crevit, & unde?*
10. *Altaria* potatilia, *quæ sæculo XIII. invaluerunt, abusum hunc propagarunt.*
11. *Decretum Synodi Tridentinæ contra privata Oratoria.*
12. *Privilegium datum Mendicantibus utendi altari* Viatico *sublatum.*
13. *An Episcopi hodie possint concedere licentiam celebrandi in Oratoriis* privatis?
14. *In his concedendis parci debent esse Episcopi*
15. *Quæ in iis designandis Episcopo inquirenda?*
16. *Danda sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis.*
17. *Etiam facultas celebrandi in his Oratoriis ad certos dies restringi solet,*
18. *Diebus solemnioribus ad Ecclesiam Parochialem accedendum.*
19. *Quæ personæ in his Oratoriis Missam audire possint.*

1. AB ipsis Apostolorum temporibus fuisse loca specialiter deputata celebrandis Missarum solemnibus, non obscurè indicat ipse Apostolus, ipsum Eucharistiæ sumendæ ritum & populi ad eam celebrandam conventum describens I. *ad Corinth. cap.* 11. *Convenientibus*, ait, *vobis in* ECCLESIAM *audio scissuras esse inter vos.* Et paucis interjectis: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum aut* ECCLESIAM *Dei contemnitis.* Hîc *Ecclesiam* accipi pro loco ad quem Fideles sacra Mysteria celebraturi accederent, hancque privatis *domibus* ibidem opponi, non obscurum est; eumque locum ita exponunt SS. Basilius in regulis brevioribus *interrogat.* 301. & Augustinus *quæst.* 57. *in Leviticum.*

Ejusdem disciplinæ testis est S. Justinus Martyr *Apol.* 2. ubi ritum celebrandi divina Mysteria sæculo II. describens ait: "Solis qui dicitur die omnium qui vel in oppidis, vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit, & commentaria Apostolorum, aut scripta Prophetarum, quoad tempus fert, leguntur. Deinde lectore quiescente, Præsidens orationem, quæ populum instruit, habet.

II. Ad unum ergo locum Fideles conveniebant, ut in unam quasi Ecclesiam coadunati, ipsa Unitatis mysteria convenientius agerent; atque orantes facilius exaudirentur.

"Corpus sumus (ait Tertullianus) de conscientia, „religionis, & disciplinæ unitate & spei fœdere. Coimus ad Deum quasi manu facta precationibus ambiamus. Hæc vis Deo grata est. *In Apolog. cap. 39.*

III. Hinc qui se à conventu publico, ac loco huic conventui deputato separabant; atque particulares conventus instituebant, unitatem quodammodo Ecclesiæ scindere; seseque ab unitate separare putabantur.

IV. Unde Synodus Gangrensis *Can. 6.* anathemate percellit Eustachianos qui publicum Fidelium cœtum contemnentes, extra ecclesiam *privatim* conveniebant, ac sacra mysteria celebrabant.

Et sub idem tempus Synodus Laodicena *Can. 58.* decrevit: "Quod non oportet in domibus fieri oblationes „ab Episcopis vel Presbyteris.

V. Multus quoque contra privatos hos conventus egit sæculo 6. Justinianus Imperator in suis Constitutionibus Novellis, atque signanter *Novella 58.* ait, omnibus interdicimus magnæ hujus civitatis (Constantinopolis) habitatoribus, magis autem etiam totius nostræ ditionis in *domibus* suis habere quasdam quasi *orationũ domos*: & in his *sacra celebrare mysteria*: " & hinc fieri quædam Catholicæ, & Apostolicæ traditioni extraordinaria. Sed si quidem *domos* ita simpliciter aliqui „habere putant oportere in sacris suis, *orationis* videlicet *illius* gratia, & *nullo celebrando* penitus horum quæ „sacri sunt mysterii, hoc eis permittimus.

VI. Verum cum sensim labentibus sæculis continuò magis excresceret numerus Sacerdotum; Missæque multiplicarentur; potentiores ditioresque, quibus non libebat certa determinataque hora, ipsis subinde minus commoda, ad Ecclesias Parochiales Missarum solemnia cum reliquo vulgo audituri accedere; illicque per longius temporis spatium, in Missarum solemnibus quæ & concionem comprehendebant, permanere, facile Sacerdotem reperire potuerunt, qui ipsis in aliquo Oratorio aut Sacello domibus ipsorum propinquo, pro eorum nutu & commoditate, tamquam alter quidam famulus mercede conductus, celebraret.

VII. Quam hi Sacellani domestici seu conductitii frequentes fuerint, quamque indignè habiti à suis Dominis sæculo 9. vel unius S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis testimonium evincit. Hic in tractatu *De privilegio & jure Sacerdotii cap. 11.* ita scribit: "Increbuit consuetudo *impia*, ut penè nullus inveniatur anhelans, & quantulumcumque proficiens ad honores & „gloriam temporalem, qui non domesticum habeat Sacerdotem, non cui obediat, sed à quo incessanter „exigat licitam simul atque illicitam obedientiam, non „solum in divinis officiis, verùm etiam in humanis; ita „ut plerique inveniantur, qui aut ad mensas ministrent, aut saccata vina misceant, aut canes ducant, „aut caballos, quibus fœminæ sedent, regant, aut agellos provideant. Et quia tales de quibus hæc dicimus, bonos Sacerdotes in domibus suis habere non „possunt, (nam quis esset bonus Clericus qui cum talibus hominibus dehonestari nomen & vitam suam „ferret?) non curant omninò quales Clerici illi sint, „quanta ignorantia cœci, quantis criminibus involuti; tantum ut habeant Presbyteros proprios, quorum occasione deserant Ecclesias, seniores, & officia publica. Quòd autem non habeant eos propter „religionis honorem, apparet ex hoc, quòd non habent eos in honore. Unde & contumeliosè eos nominantes, quando volunt illos ordinari Presbyteros „rogant nos aut jubent, dicentes: Habeo unum „Clericionem, quem mihi nutrivi de servis meis „propriis, aut beneficialibus, sive pagensibus; aut „obtinui ab illo vel illo homine, sive de illo vel illo pago. Volo ut ordines eum mihi Presbyterum. „Cumque factum fuerit, putant ex hoc quòd majoris „ordinis Sacerdotes non eis sint necessarii, & derelinquunt frequenter publica officia & prædicamenta.

VIII. Sub idem tempus Concilium Ticinense: " Quidam Laici & maximè *potentes* ac *nobiles*, quos studiosius ad prædicationem venire oportebat, *juxta domos suas Basilicas* habent, in quibus divinum audientes „officium, ad majores Ecclesias rarius venire consueverunt, & dum soli afflicti & pauperes veniunt, quid „aliud quàm ut mala patienter ferant illis prædicandum est? si autem divites, qui pauperibus injuriam „facere soliti sunt, venire non tenuerint, admoneri „utique possent, ut eleëmosynis peccata sua redimerent, ut à fluxu rerum temporalium se abstinerent. Admonendi sunt igitur Potentes, ut ad majores Ecclesias „ubi prædicationem audire possint conveniant, & „quantum dono Omnipotentis Dei vitiis & honoribus „cæteros antecedunt, tanto ad audiendum præcepta „conditoris sui alacrius festinent.

IX. Porrò hic abusus sequentibus sæculis, jam invalescente Missarum Honorario: atque cum illo Sacerdotum de hoc Honorario penè victitantium multitudo, incredibile quantum acceperit incrementum, quantaq; hinc Ecclesiarum Parochialium, atque Verbi Divini neglectus, atque Sacrificii, & Sacerdotii contemptus & vilipendium: uti ex historiis atque Conciliorum Decretis illorum temporum constat.

X. Ad hæc cum sæculo octavo cœpisset Altarium *portatilium* sive *Viaticorum* usus (nec enim ante illud sæculum agnitus fuit, ut monet Joannes Thiers in Dissertatione De præcipuis Altaribus *cap. 2.*) tandem sæculo 13. à Sede Apostolica privilegia impetrari cœperunt, utendi hujusmodi *Altaribus*, atque ubicumque locorum, etiam locis Deo non dedicatis, celebrandi.

Et quidem Honorium III. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus indulsisse, ut ubicumque fuerint, sine Parochialis juris præjudicio, cum Altari *Viatico* valeant celebrare, ipse Honorius testatur in *Cap. 30.* ⁘ *De Privilegiis*, declarans eam indulgentiam sic interpretandam, ut ea etiam sine licentia Prælatorum uti queant.

Similia Privilegia & Regulares & Sæculares tum à Sede Apostolica, tum à propriis Episcopis impetrantes, Missas passim in locis privatis & sæpius parum dignitati ac reverentiæ Sacrificio convenientibus celebrabant.

XI. Synodus Tridentina mandans Episcopis, ut ea omnia prohibere, atque è medio tollere sedulò curent, quæ vel avaritia idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix à tanti Sacrificii dignitate aliena induxit, inter cætera mandat: " Ne patiantur *privatis* in domibus, atque omninò *extra Ecclesiam*, & ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, „ab eisdem Ordinariis designanda & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium à Sæcularibus, aut Regularibus „quibuscumque peragi.... Non obstantibus *privilegiis*, *exemptionibus*, *appellationibus* ac *consuetudinibus* quibuscumque.

XII. Imprimis textus Concilii manifestè evincit, sublatum esse privilegium indultum Prædicatoribus & Minoribus utendi Altari *Viatico* sive *portatili*, uti post Barbosam *De Officio Episcopi parte 2. Allegat. 23.* aliosque docet Fagnanus ad *Cap.* IN HIS ⁘ *De Privilegiis.*

XIII. Quin & ibidem cum Barbosa aliisque nonnullis prætendit Fagnanus, Concilium hoc Decreto ademisse auctoritatem Episcopis concedendi licentiam celebrandi quacumque de causa in *domibus privatis*, tametsi in illis essent exstructa Oratoria ad divinum tantum cultum destinata; eamque interpretationem sæpius secuta est Sacra Congregatio, inquit *nu.* 18. easque decla-

declarationes refert Azorius Institut. Moralium *lib.* 10. *cap.* 26. quem citat Zypæus titulo *De Celebrat. Missarum num* 8. qui tamen huic sententiæ non acquiescens subjungit: "Certè salva Sedis Apostolicæ censura locus „ hic tantum est ad abusus extirpandos eorum, qui id sua „ auctoritate præsumunt, quos ne patiantur, monentur „ Episcopi, sed ea verba (*non patiantur*) si ad rigorem „ examinentur, non inferunt, ut permittere non pos„ sint; vel derogationem auctoritatis Episcopis compe„ tentis, ne id queant, ubi justa ex causa id permitten„ dum censuerint.

Hæc ibidem latiùs prosequitur Zypæus; cujus interpretationem Belgii vicinarumque Provinciarum Episcopi notoriè amplectuntur; concedentes licentiam celebrandi in oratoriis privatis quantumvis in *domibus privatis* exstructis.

XIV. Hoc equidem constat, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ipsamq; Sacrificii reverentiam, nec non Ecclesiæ disciplinam multis titulis requirere, ut Episcopi admodum parcè nec nisi necessitate, gravibusque de causis & cautelis hanc licentiam indulgeant.

Intentionis Concilii Tridentini, cui interfuerat, perquàm conscius Martinus Rithovius; momentumque hujus disciplinæ expendens in Synodo sua anno 1577. *tit.* 15. *cap.* 4. relata ordinatione Concilii Tridentini subjicit: "Quæ quidem ordinatio, ut pro rei gra„ vitate, fideliorem observationem habeat; man„ damus omnibus Presbyteris nobis subditis, ne quis „ prætextu antiquorum Statutorum aut consuetudi„ nis, extra Ecclesiam, aut hujusmodi Oratoria, de„ inceps Missam celebrare præsumat: injungentes o„ mnibus Pastoribus, & Presbyteris, ne deinceps di„ ctæ ordinationi Concilii Tridentini contraveniant: & „ etiam Laicis quibuscunque, ne per aliquos Presbyte„ ros etiam exemptos, in suis ædibus Sacrosanctum „ Missæ officium, aliqua ratione celebrari patiantur, „ aut petant; in pœnam arbitrariæ correctionis. Pasto„ res autem subditos suos, qui morbo detenti, Eccle„ siam visitare non possunt, doceant; ut pia devotione „ suas preces jungant cum illis, qui corporali præsentia „ divinis officiis intersunt. Et, ut ad excitandam de„ votionem, observent divinorum Officiorum tempo„ ra, vel campanarum pulsum, per quem significatio „ Sacrorum, quæ in templis peraguntur, & ubi corpore „ adesse non possunt, corde, & piis orationibus se præ„ sentes statuant.

Deinde his notandis verbis concludit: "Quod dum „ Religiosè faciunt, & obedienter Ordinationibus pa„ rent, per quas antiqui Canones in usum revocantur, „ plus in vera pietate proficient, quàm, si ex privata de„ votione, ad domesticas missas importunè consensum „ extorqueant, vel sub prætextu Privilegii, irreligiosam „ singularitatem foveant.

Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi I. *part.* 2. *tit. Quæ pertinent ad celebrationem Missæ* ait; "Orato„ riorum autem ædificationem, aut usum ne facilè, sed „ magna de causa permittant iidem Episcopi.

XV. Dum verò hæc oratoria necessitate, magnave causa exigente concedenda videbuntur, vult S. Carol. loc. cit. ut Episcopi in iis designandis, vel probandis, hæc servent.

"Ne sint in interiorum ædium partibus, in quibus Do„ mini, vel familia frequentius versentur, sed commodo „ & honesto loco, à cubiculis, tricliniis, & ab aula sepa„ rato, ad templi formam & regulam propius accedant. „ Nec ita angusta sint, ut qui Missam audierint, ad ostiũ „ aut fenestram stare cogantur, aut denique ibi sacris „ interesse, ubi promiscuè profanum aliquod exercea„ tur, quod fieri omnino prohibemus.

XVI. Ulterius ne populus per hæc Oratoria à frequentatione Parochialis Ecclesiæ nimium distrahatur, addi consuevit de stylo curiæ Romanæ, & etiam hodierno Episcoporum, quod hæc concessio fiat sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, uti notat Barbosa *De Officio Episcopi parte* 2. *Alleg.* 23. Et in formulario Episcopali quod extat ad calcem ejusdem operis refertur *n.* 85. formula *facultatis construendi oratorium simplex in quo celebretur* cum hac clausula: *Sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio.*

Ut verò hæc clausula melius servaretur, voluit etiam S. Carolus loco citato, ut "cui id permissum fuerit, is eo „ rarius utatur; ne distracti homines illa commoditate, „ Ecclesiam Dei minus frequentent; quod exemplo et„ iam noceat aliis.

XVII. Adhæc de stylo ordinario in concessione Oratoriorum & Capellarum excipi solent præcipuæ per annum Festivitates; ut nimirum non liceat tunc ibidem celebrare; idque conformiter ad vetus Decretũ Synodi Agathensis apud Gratianum *Dist.* 1. *De Consecr. Can.* 35. quo decernitur: "Si quis extra Parochias, in quibus *le„ gitimus est ordinariusq;* conventus, oratorium in agro „ habere voluerit, reliquis festivitatibus, ut ibi Missas au„ diat, propter fatigationem familiæ justa ordinatione „ permittimus. Pascha verò, Natali Domini, Epiphaniâ „ Domini, Ascensione Domini, Pentecoste, & Natali San„ cti Joannis Baptistæ & si qui maximi dies in festivitati„ bus habentur, non nisi in civitatibus, aut in Parochiis „ audiant. Clerici verò, si qui in festivitatibus, quas supra „ diximus (nisi jubente, sive permittente Episcopo) Mis„ sas celebrare voluerint, communione priventur.

Hic nota, Parochias sive Parochiales Ecclesias esse propriè loca illa, in quibus *legitimus ordinariusque* conventus habetur.

XVIII. Secundò notandum, mentem Ecclesiæ semper fuisse, ut saltem diebus *solemnioribus*, Ecclesia Parochialis non deseratur; tametsi etiam cum aliqua incomoditate frequentatio fieri deberet, cui & conforme est ipsũ Decretum Synodi Tridentinæ præcipiens Episcopis ut "moneant populum, ut frequenter ad suas Parochias, „ saltem *diebus Dominicis & majoribus festis* accedant.

Unde Synodus Namurcensis 1639. *tit.* 5. *c.* 27. "Pa„ rochiani etsi vicini alicui Capellæ sub finibus Paro„ chialis extructæ, præcipuis anni festivitatibus & Domi„ nicis, Ecclesiã Parochialem frequentare non omittant, „ qui vero tribus continuis Dominicis ab illa se absen„ taverint; admoneantur primum à suis Pastoribus, & si „ monitionem contempserint, ad nos deferantur.

XIX. Denique stylus hodiernus addit in concessionibus hujusmodi Oratoriorum ut alii præterquã servitio personæ, cujus intuitu Oratorium conceditur, necessarii, ibidem audientes Missam ab obligatione eam in Ecclesia audiendi per hoc non liberentur.

CAPUT IX.

Quædam observanda & cavenda pro reverentia Sacrificii.

1. *Perniciosum est, ignotos & vagantes Sacerdotes ad Missas celebrandas admittere.*
2. *Jam pridem vetitum, Clericum externum sine litteris commendatitiis admittere.*
3. *Postremis sæculis id magis necessarium: & quare?*
4. *Decretum Synodi Tridentinæ de non admittendo ignoto Sacerdote sine litteris commendatitiis.*
5. *Quid Synodi Belgicæ decreverint circa ignotos Sacerdotes?*
6. *Sanctus Carolus voluit litteras commendatitias non esse nimis antiquas: & quare?*
7. *Ex Decreto S. Caroli nullus potest ad sua Sacella aut Oratoria admittere Sacerdotem sine licentia Episcopi.*

8. De-

8. *Decretum de non admittendis Clericis ignotis etiam obtinet in Ecclesiis* Regularium.
9. *Nullus ex aliena Diœcesi admittendus sine litteris Ordinarii sui.*
10. *Litteræ hæ non tantum Ordinum susceptorum, sed & vitæ morumque testimonium perhibere debent.*
11. *Parochi admittere non debent quoscumque Sacerdotes Litteris Episcopalibus munitos.*
12. *Sine Parochi licentia nullus in Ecclesia Parochiali celebrare potest.*
13. *Jus Parochi per sententiam Regiam firmatum.*
14. *Notoriè criminosus ad ministerium Altaris non admittendus.* (*eluerit.*
15. *Non admittendus nisi vita emendata maculam*
16. *Si pridiè temulentus aut in notorium crimen lapsus se ad celebrandum obtulerit ob scandalum castigandus.*
17. *Qui pridiè impudicitiam etiam secretam commisit ad celebrandum se præsentare non potest, tametsi confessus.*
18. *Nullus malæ famæ ad Divina celebranda admittendus.*
19. *Sacerdotes solum quæstum sectantes ad celebrandum non recipiendi.*
20. *Meritò à Divinis repellendi notorii aleatores, & tabernarum frequentatores.*
21. *Sacerdos Missam celebrare non potest nisi adstantes externo habitu ritè dispositi appareant.*
22. *Quid hac in re statuerit S. Carolus?*
23. *Ad excitandam populi devotionem exponenda à Parocho quæ in Missa aguntur.*
24. *Scopus hujus instructionis est, ut populus instructus se jungat Sacerdoti, & voto id agat, quod Sacerdos* ministerio.
25. *Menti Ecclesiæ conformius est attendere iis quæ in Missa aguntur, quam ex libro preces recitare.*
26. *Simultanea plurium Missarum in eadem Ecclesia celebratio minus conveniens: & quarè?*
27. *Vetitum ne inter Missarum solemnia adhibeatur cantus non satis gravis.*
28. *Hodierna Musica parum gravis; & de hac querela Cardin. Bona.*
29. *Ecclesia quæ hactenus musicam non admiserunt, laudantur.*
30. *Quod Episcoporum ac Pastorum circa hæc officium?*
31. *Attendendum ne organa quid lascivè sonent.*
32. *Idem est de tintinnabulis, & quomodo contravenientes puniendi?*
33. *Omnes actiones sæculares ab Ecclesiis arcendæ.*
34. *Penes Episcopos est summa auctoritas abusus in Missarum celebratione occurrentes tollendi.*
35. *Prælati Ecclesiarum non debent abusus permittere, quia jam inoleverunt.*
36. *Quam perniciosum sit argumentum, quod à tolerantia aut facto Prædecessorum petitur.*

I. SEmper omnibus persuasum fuit, quàm perniciosum, malique exempli esset, si Sacerdotes & Clerici de una Ecclesia ad aliam transeuntes & vagantes, indifferenter ad sacra Mysteria celebranda admittantur: quàm inde natum sit fieri, pessimos quosque perditissimosque homines in sacra involare, eaque profanare.

II. Hinc jam pridem à primis Ecclesiæ sæculis cautum fuit, ne quis Clericus externus & ignotus sine Litteris commendatitiis sui Episcopi recipiatur.

Canon. 41. Laodicenus ita habet: "Quod non oportet eum, qui est sacratus vel Clericus sine canonicis „Litteris iter ingredi.

Et apertius *Canon.* 13. Calchedonensis vetat: "Externos Clericos & ignotos in alia civitate sine propriis Episcopi commendatitiis Litteris nusquam ullo modo „ministrare. Apud Gratianum *Dist* 71. *Can.* 7. Sed per „errorem & contra fidem textûs Græci originalis pro „ *ignoto* legit *Lectori*, uti rectè notat Cujacius ad *Cap.* 5. *De Clericis non resid.*

III. Postremis hisce sæculis, postquam invaluit Titulus *patrimonii*; quo solo plures ordinantur, nullius particularis Ecclesiæ servitio *adstricti*, multò magis hæc disciplina necessaria fuit.

Cum enim hi nulli Ecclesiæ essent adstricti, liberior ipsis de una ad aliam Ecclesiam discurrendi videbatur indulta libertas: atque hinc facilè fiebat, ut immorigeri, quin & multis titulis notoriè infames, Ecclesiam, in qua noti erant deserentes, ad aliam ubi eorum vita ignorabatur, aut ubi scirent Pastores minus esse vigilantes aut disciplinæ Ecclesiasticæ observantes, convolarent; ibique se in Ecclesiastica munia intruderent; ipsumque Missæ Sacrificium multis modis profanarent.

IV. Hæc advertens Synodus Tridentina statuit *Sess.* 23. *cap.* 16. "Nullus Clericus peregrinus sine commendatitiis sui *Ordinarii Litteris* ab ullo Episcopo ad „*divina celebranda* & Sacramenta administranda admittatur.

Ad hæc volens Synodus, ut in Sacrificio Missæ omnis irreverentia vetetur, mandavit Episcopis, ut "singuli in „suis Diœcesibus interdicant, ne cui *vago & ignoto* Sacerdoti Missas celebrare liceat. In Decreto *De Observandis & Evitandis in Celebratione Missæ.*

V. His Synodi Tridentini Decretis obsequi volentes Episcopi, in suis respectivè Synodis prohibuerunt, Sacerdotem exterum & ignotum ad Missam celebrandam admitti, nisi Litteris testimonialibus Episcopi instructum.

Synodus P.I. Mechliniensis tit. *De Ministris Ecclesiæ cap.* 8. "Præcipit etiam Pastoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, ne quem vagum & ignotum Sacerdotem, sine licentia Episcopi sui Diœcesani in scriptis obtenta, ad celebrationem Missarum aut Sacramentorum „administrationem admittant, sub pœna duorum florenorum per Pastores seu Rectores incurrenda, & „vagorum Sacerdotum correctione arbitraria: Episcopi autem prædictam licentiam non concedant, nisi visis Litteris Sacerdotii, & commendatitiis, & testimonialibus Episcopi vel Vicarii loci ultimæ residentiæ eorum.

Et Synodus P.II. *tit.* 12. *cap.* 16. "Vago ac ignoto „Sacerdoti, etiam *Regulari* Missam celebrare non liceat, „nisi ostensis testimonialibus vel commendatitiis Litteris sui Ordinarii.

VI. Prævidens S. Carolus Sacerdotum mores vitamque nonnumquam temporis successu vel immutari, aut certè amplius innotescere & manifestari, in Concilio Mediolanensi I. *parte* 2. *tit.* 5. decernit: "Clericis alienæ Diœcesis res divinæ faciendæ facultatem ne permittat Episcopus: nisi ostendant Litteras „testimoniales seu dimissorias Ordinarii sui *duobus* „tantùm mensibus ante, si in provincia, si extra provinciam in Italia, *quatuor-sex* verò, si extra Italiam datas; „vel si *eæ antiquiores* sint, afferant etiam scriptum testimonium de vita, & moribus ab iis ordinariis, in quorum Diœcesi post illud tempus aliquamdiu permanserint.

VII. Quin & ibidem præceperat: "Nemo Clericus „vel Laicus in suis sæcularibus Ecclesiis, Capellis, vel Oratoriis quamvis ab Ordinario probatis, etiam si juris „Patronatus sint, quemquam sæcularem vel regularem Sacerdotem celebrare patiatur, qui scriptum celebrandi, singulis sex mensibus renovandum, ab Episcopo non impetraverit.

VIII. In Concilio III. Mediolanensi *tit.* 11. declarat, "Quod

„ Quod primo Concilio Provinciali interdictum est, ne „ peregrino Sacerdoti sine dimissoriis, testimonialibus ve „ Litteris Missæ Sacrum facere liceat, id ei vetitum sit in „ *Regularium* etiam *cujusvis* Ordinis Ecclesiis.

IX. Synodus Burdigalensis anno 1583. *tit.* 5. vetat ab Ecclesiarum Rectoribus, quemquam vagum ac ignotum ad celebrandum admitti, *nisi priùs diligenter explorata Ordinarii licentia & facultate.* Deinde adjungit: „ Nullumque pariter alienæ Diœcesis admittant, nisi „ acceptas ab Ordinario suo Litteras, sibi concessæ fa„ cultatis, & *anteactæ vitæ, morumque* ac religionis te„ stes adhibeat: quæ vetustiores non appareant, quàm „ quæ intra annum scriptæ sunt.

Celebrata anno 9. hujus sæculi Synodus Narbonensis *Cap.* 20. non vult ab Episcopis facultatem celebrandi concedi Clericis alienæ Diœcesis, „ nisi visis litteris Or„ dinum Clerici, & attestatione proprii Episcopi, super „ *vita & moribus* eo anno concessis.

X. Hactenus adducta Decreta manifestè evincunt, litteras Episcopales, non tantum requiri, ut testes susceptorum Ordinum; sed vel præcipuè ut testes probæ vitæ & bonorum morum: ipsosque Episcopos has litteras haud annuere posse, nisi præmissa & facta diligenti inquisitione super vita & moribus Sacerdotum dimittendorum.

Si ea cautione in litteris expediendis procederent Episcopi; neque ullus Sacerdotum in Ecclesiis sive sæcularibus sive Regularibus sine hujusmodi litteris, conformiter ad SS. Canones & Synodorum Decreta, ad celebrandum admitterentur, quàm multi scandalosi, otiosi ac vagabundi Sacerdotes ab Altaribus arcerentur, quantæque irreverentiæ per similes Sacerdotes in Sacrificio Missæ committi solitæ, vitarentur.

XI. Porro quia litteræ hæ testimoniales, nonnumquam faciliùs, quàm oportet, conceduntur, aut sub- vel obreptitiè impetrantur, nequaquam Parochi aliique Ecclesiarum præfecti omnes quoscumque Sacerdotes hujusmodi Litteris munitos ad celebrandum admittere debent.

Quid enim si aliunde vita scandalosa Parocho vel Rectoribus innotescat; nullusque titulus aliunde sit, qui Sacerdoti huic jus celebrandi in tali Ecclesia tribuat, indubiè poterit, imò & non rarò debebit à celebrando repelli.

Adhæc Canones quidem vetant quempiam *extraneum & ignotum* sine Litteris Episcopi ad celebrandum admitti, sed nequaquam Parochis aut Ecclesiarum Rectoribus præcipiunt, ut omnes hujusmodi Litteris instructos in suis Ecclesiis ad celebrationem admittant.

XII. Imò cùm Parochus sit quasi Caput Parochiæ, & primarius & ordinarius Ecclesiæ Rector, nullus (ni specialia aliquo titulo munitus) potest in ecclesia Parochiali sine speciali licentia Parochi sacras quascumque functiones obire.

Hinc Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 3. *c.* 43. ait: „ Nullus aliquod officium in aliena Ecclesia, sine „ Pastoris ejusdem loci licentia, facere præsumat.

Eodem fundamento Synodus P. I. Cameracensis tit. *De Ministeriis Ecclesiasticis cap.* 9. voluit, ut „ qui præ„ sunt fabricis Ecclesiarum, nullos Sacerdotes admittant „ ad suffragia & sacrificia legatorum piorum causa „ præstanda; nisi ab Episcopo, aut ejus Vicario pro„ batos, & ad id ministerium destinatos Pastoris vo„ luntate. Cui, quod ad officium Ecclesiasticum per„ tinet, pareant: ne per licentiam aditus improbis & „ vagis ad Ecclesias concedatur cum detrimento & „ scandalo publico.

Denique addit Synodus: „ Et qui admissi fuerint, Pa„ storem adjuvent in cultu & officio divino.

Si nulli ad celebrandas fundatas Missas & anniversaria admitterentur, nisi cum onere juvandi Pastores in officio Pastorali, quam multi otiosi Sacerdotes ab Ecclesiis removerentur.

XIII. Cum anno 1671. quidam in suo testamento ordinasset Missam pro refrigerio animæ suæ solemniter celebrari in Ecclesia Parochiali per Patres Carmelitas; disputatumque esset, num vi hujus testamentariæ dispositionis Carmelitæ essent admittendi ad celebrandam Missam illam; judicatum fuit à Parlamento Parthensi, id in Ecclesia Parochiali Carmelitas non posse sine Parochi licentia. Uti refertur *parte* 3. *Journalis du Aud. lib.* 6. *cap.* 19.

XIV. Præterea ut irreverentia vitetur præcipit Synodus Tridentina Episcopis, „ neminem qui *publicè* & „ *notoriè* criminosus sit, aut Sancto Altari ministrare, aut „ sacris interesse permittant.

XV. Decretum hoc quoad primam partem innovans S. Carolus in Concilio I. Mediolanensi *tit.* 5. ait: „ Sa„ cerdotes qui publicè & notoriè criminosi fuerint à „ celebratione arceantur, nisi *emendata vita* sceleris „ maculam eluerint.

XVI. Synodus P. I. Cameracensis *Tit. De Cultu, Ceremoniis & Officio Divino cap.* 2. vult, ut „ quicum„ que ad celebrandum se obtulerit, ac pridie temulen„ dus, insolensve fuerit, aut crimen ullum *notum* admi„ serit, à Rectore Ecclesiæ castigandus non modò pro„ pter crimen admissum, sed & propter scandalum, & „ irreverentiam illatam Sacramento denuntietur Epi„ piscopo, aut ejus Vicario, vel Officiali. Rector verò, si „ denuntiare neglexerit, tamquam tanti sceleris dissi„ mulator puniatur.

Subjicit deinde notandam hanc rationem: „ Est enim „ valde præpostorum & indignum, quod velint Sacer„ dotes omnem à laicis reverentiam huic Sacramento „ exhiberi: nec ipsi tamen moribus & religione sua ex„ hibendam declarent.

XVII. Addit ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis anno 1583. *tit.* 6. *cap.* 2. nec *confessione prævia* hujusmodi Sacerdotes ad celebrandum se præsentare præsumant, *qui pridie*, *quamcumque* SECRETAM *impudicitiam admiserint.*

XVIII. Præcitata Synodus Burdigalensis, „ Sacerdo„ tes aut quoscumq; alios, *publicè & notoriè criminosos*, „ rem divinam facere, vel ad altare ministrare prohiben„ dos censet, nisi qui ad meliorem frugem redierint, & „ morum vitæque pristinæ commutatione facta, præte„ ritorum scelerum veniam meruerint, eamque ab or„ dinariis suis impetraverint.

Namurcensis Synodus anno 1639. *Tit.* 3. *cap.* 4. præcipit: „ Nullus *malæ famæ*, Pastori in Divinis Offi„ ciis assistat.

XIX. Quod hic Synodus Tridentina aliæque subsequentes decrevêre, illud Carolus V. in formula reformationis ejus nomine anno 1548. publicata expresserat; atque præter publicis criminibus infames etiam *solum quæstum sectantes* ad celebrationem Missæ non admittendos censuit.

XX. Quis ambigat, horum Sacerdotum, Clericorumque generi adscribendos, quos publicè notoriéque popinas frequentare; aleis, illicitisque lusibus; cum magno populi scandalo vacare videmus. Meritò proinde, Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati secum expendant, num Sacris Canonibus obtemperent, dum similes Sacerdotes à sacris Altaribus continuò adstare vident, & silent.

XXI. Ulterius pro reverentia tanti Sacrificii vult Synodus Trident. ut Sacerdos non aliter Missam celebrare incipiat, „ nisi priùs, qui intersint, decenter „ composito corporis habitu, declaraverint se mente et„ iam, ac devoto cordis affectu, non solum corpore ad„ esse.

XXII.

XXII. Sanctus Carolus Decretum hoc renovans, & executioni mandari volens, in Concilio Mediolanensi IV. *tit.* 10. præcipit, ut Clericus Missæ Sacrificio ministraturus aliúsve cui hoc munus incumbit, mox ut Sacerdos ad Altare accesserit, " circumspiciat modestè adstantes ; & si quempiam animadverterit marem vel fœminam incomposito corporis habitu, aut aliàs contra præscriptas regulas Provincialibus nostris Conciliis cum injuria vel irreverentia sanctissimi illius Sacrificii interesse , moneat graviter ut opus erit; neque Sacerdos ante Missæ initium faciat , quàm omnes qui adsunt , quemadmodum Tridentino Concilio curæ Episcopi commissum est, decenter composito corporis habitu declaraverint se mente etiam ac devoto cordis affectu, non solùm corpore adesse. Missâ verò jam inchoata, si quid ejusmodi fiat, hoc idem officium admonendi itidem ille Minister Clericus præstet modestè & graviter. Si quis verò ab iis de ejusmodi monitus non resipuerit , quamprimum eorumdem cura deferatur ad Episcopum, ut jure cum eo efficacius agatur.

XXIII. Ut verò populus majori cum reverentia & attentione ad ea quæ in Missâ aguntur assistat, uberiorémque Sacrificii fructum percipiat, præcipiunt passim Synodi nostræ, conformiter ad Synodum Tridentinam *Sess. 26. De Sacrificio Missæ cap. 8.* " Pastoribus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missâ aguntur, aliquid exponant; atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.

XXIV. Porrò scopus Synodorum est, ut Fideles Missæ assistentes; eaque, quæ à Sacerdote aguntur intelligentes, iis sint intenti, " & voto id agant , quod Sacerdos agit ministerio ; ut scilicet discant & ipsi suam totiusque Christiani orbis salutem tam salutaris & gratæ hostiæ interventione & Christi Jesu meritis , Deo Patri commendare : " uti loquitur Concilium Moguntinum anno 1549. *cap.* 58.

Et antiqua Atrebatensia statuta renovata in Synodo anno 1570. sub Francisco Richardoto, qui Tridentino interfuit, volunt de his populum instrui, ut *Religiosius & libentius, quæcumque Sacerdotes in Missa agunt, observet.*

Idem aliæ quoque Synodi innuunt, desiderantes populum instrui de his quæ in Missa aguntur , ut *quæ in illa geruntur debita cum attentione perpendat*, quemadmodum loquitur Synodus Namurcensis anno 1659. *tit. 16. cap. 1.* vel ut *majore reverentiâ sacris intendat*, uti expressit Synodus Cameracensis anno 1567. *Tit. De Eucharistia cap. 4.*

XXV. Neque dubium est, quin populo utilius sit, & menti Ecclesiæ conformius; ipsique Sacrificio convenientius , intendere iis quæ in Missâ aguntur, quam preces alias, quantumvis pias, sed Sacrificio Missæ haud respondentes è libro legere.

Quapropter Synodus Remensis anno 1583. *tit. De Eucharistia n. 5.* præcipiens ut laïci *preces horarias* tempore divini officii non nisi submissâ voce recitent, addit : " Qui tamen inter eos doctiores , reique Christianæ peritiores extiterint *præclarius* agent, si loco precum ex scripto recitandarum, à præfatione, quâ pertractantur mysteria animo defixo mentisque fervore complectantur atque contemplentur.

XXVI. Formula reformationis jussu Caroli V. scripta, & anno 1550. evulgata dicit : " Neque sub sacro solemni convenit, ut coram populo eodem legantur etiam Missæ speciales, quibus huc illuc populus *distrahatur*, avocetúrque ut nulli Sacro *satis intendat.*

Idipsum in executionem hujus formulæ circa idem tempus Synodi Moguntina & Coloniensis anno 1549. ordinârunt: atque sub initium præsentis seculi Synodus Sylvæducensis sub Masio *tit. 11. cap. 9.* judicavit planè conveniens ut in Ecclesiis, Monasteriisve, ubi est magna Missarum frequentantia, singulæ *distinctis* horis legantur : " Ne, ait, simultanea illa plurimorum celebrantium turba decori Domûs Dei aut mysteriorum venerationi & gravitati aliquid decedat.

XXVII. Si ea omnia inter Missarum solemnia cavenda sint , quæ populum ab hac sancta actione aliò distrahere possent, quis non videt, quàm meritò Synodus Tridentina arceri præcipiat " ab Ecclesiis musicas eas, ubi sive organo, sive cantu *lascivum* aut *impurum* aliquid miscetur.

Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Cultu & Ceremoniis cap. 5.* de musica in Missâ adhibenda agens, statuit, ut quæ in Missâ ad eruditionem & doctrinam Fidelium leguntur aut canuntur, ut Epistola, Evangelium & Symbolum, ità legantur aut canantur , ut præsentes *distinctè* exaudire *singula* verba possint. " Quare, ait; in Symbolo canendo placet nec organa nec musicam adhiberi : nisi sit simplex, ac talis ut singula verba sine repetitione possint intelligi. Quæ verò ad laudes pertinent, ut sunt Hymni, *Gloria in excelsis*, *Sanctus* : in his musica locum habeat : sed nec lasciva, nec choreis potiùs, quàm choro congruens, sed gravis & movens pios affectus.

Fortius hunc abusum proscripsit Synodus P. I. Mechliniensis *tit. De Officio & Cultu divino cap. 10.* " Cohibeant Episcopi Cantores, Organistas, Campanarios, & alios quoscumque à lasciva militari & quavis indecora musica in cantu organis & campanis, sub pœna decem stuferorum, ad pios usus arbitrio Episcopi applicanda. Et si semel puniti non abstinuerint, pœna carceris aut alia arbitraria plectantur.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 12. cap. 7.* monet, ut " gravis tantùm , & quæ ad *pios* affectus moveat musica , officio divino adhibeatur , non etiam lasciva vel secularis.

XXVIII. Cardinalis Bona tractatu *De Divina Psalmodia cap. 17. §. 3.* advertit, Musicam sæpius fuisse mutatam ; at illud ab antiquis observatum esse , numquam ab aliqua gente mutatam fuisse Musicam, quin & ipsa in *deterius* mutata sit.

Post hæc multorum authorum relatis sententiis testantium, Musicam veterem fuisse *virilem*, recentiorem verò *effractam verè & effœminatam* , tandem concludit his verbis : " His veterum sententias eò libentius transcripsi, quò magis hodiernæ Musicæ deplorabilis status innotescat : fastidit ætas nostra concentum gravem, & stabilem, amátque modulos quosdam , quibus in frusta concisus cantus dissiliat & enervetur.

XXIX. Musicæ & Musicorum parum gravem, & ad pietatem haud conducentem sonum multis deplorat nominatissimus Ganoensium Antistes Wilhelmus Lindanus in *Panopl. Evang. lib. 4. cap. 78.* ac tandem relatâ hodiernâ musicæ confusione & infractione, dicere non veretur : " Illarum magis constantiam admiror Ecclesiarum, quæ istum prævidentes divini cultûs abusum , semel musicam illam choro maluerunt excludere, uti Trajectensis, & quod audio Lugdunensis , quam illarum veneror magnificam, quam ipsi & putant & jactant adeò majestatem, quâ Dei chorum omni phonascorum syntagmate, vocum omnis generis discrimine, imò & tubarum clangore, cornutorum stridore, alióque strepitu vario, ne quid prætermittere videantur, quod cantici verba semel obscuret, sensumque sepeliat, & obruat , sibi præclarè gloriantur adimplesse.

XXX. Episcopi atque Prælati, qui musicam in officio divino retinendam autumant, videant, ut " pro illo musices genere, quod nunc passim Ecclesias occupat, aliud introducatur & gravius, & rebus ipsis convenientius: & si non, ut oportet, pronuntiatiori quàm cantui vicinius, saltem rebus quæ canuntur aptius atque accommodatius ; " uti loquitur Lindanus loco citato. Vel ut in Concilio Mediolanensi I. *parte 2. cap. 51.* S. Carolus : " Cantus & soni graves sint, pii ac distincti , & Domui Dei, ac divinis laudibus

„ accommodati; ut simul & verba intelligantur, & ad pieta-
„ tem Auditores excitentur.

XXXI. Synodus P. II. Mechliniensis verbis suprà relatis subjungit: " Similiter & organa , & quæcunque instru-
„ menta musica, tam in processionibus, quàm in Ecclesiis,
„ modulatione suâ *lascivas* cantiones non imitentur.

XXXII. Deinde capite sequenti: " Tintinnabula quoque
„ & campanas ad harmoniam quamdam pulsantes , ejus-
„ modi pulsatione turpes, inhonestas vel scandalosas cantio-
„ nes non exprimant, vel imitentur, sed potius hymnorum
„ & canticorum Ecclesiæ modulationes. Et sic ubi necesse
„ fuerit, cum Magistratu desuper agatur.

Idem de tintinnabulis habet Synodus P. I. Cameracensis loco citato *cap.* 15. addens: " Si quis non paruerit, puniatur;
„ ut qui multis labendi occasionem præbuerit, & in re sa-
„ cris dicata, & spurca & inhonesta attulerit.

XXXIII. Denique Synodus Tridentina omnem irreverentiam à locis sacris remotam desiderans, præmissis addidit: " Item seculares omnes actiones, vana atque adeò pro-
„ fana colloquia, exambulationes, strepitus, clamores ar-
„ ceant: ut domus Dei verè domus orationis esse videatur
„ ac dici possit.

Multa pro executione hujus Decreti observanda proposuit S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *parte* 1. *cap.* 17. cujus hic est titulus: *De profano usu à sacris locis tollendo.*

XXXIV. Ut autem hæc omnia facilius executioni mandari queant, Synodus Tridentina vult ut Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati corrigant, statuant, prohibeant, & mandent ea, quæ opportuna videbuntur; atque ad ea inviolatè servanda censuris Ecclesiasticis, aliisque pœnis fidelem populum compellant, non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumque.

XXXV. Verendum, ne plures Ecclesiarum Prælati in resecandis abusibus, qui hoc titulo notati sunt, segniores reddantur vulgari illo, sed admodum pernicioso argumento: Hoc jam diu ità observatum fuit; hoc Prædecessores nostri toleraverunt; cur nos illis volumus esse sapientiores aut meliores: sufficit nobis vivere, ut illi vixerunt.

Perniciosum sanè argumenti genus, quo detestandi, maximique abusus, cùm semel invaluerint, justificari poterunt.

XXXVI. Nónne hoc specioso argumento jam pridem nonnulli justificare, ac retinere contendent *festum fatuorum*; ubi videbat populus Sacerdotes & Clericos Divini
„ Officii tempore larvatos, monstruosos vultibus, aut in ve-
„ stibus mulierum, aut lenonum vel histrionum choreas du-
„ cere, in choro cantilenas inhonestás cantare, offas pingues
„ supra cornu Altaris juxta celebrantem Missam comedere,
„ ludum taxillorum exarare , thurificare de fumo fœtido
„ ex corio veterum sotularium, & per totam Ecclesiam cur-
„ rere.

Ità hanc celebrationem descripsit Facultas Theologica Parisiensis in epistola Prælatis & Capitulis Ecclesiarum Regni Galliæ infrascripta, & in appendicem operum Petri Blesensis relata *pag.* 782. quâ ipsos multis argumentis, ad hunc abusum longa consuetudine & multarum Ecclesiarum praxi inolitum, tollendum movere conatur; atque inter alia argumentum à tolerantia & facto Prædecessorum præveniens, tale de illo judicium depromit: " Nolite sub-
„ dolas hominum voces audire sic dicentium: Prædecesso-
„ res nostri, qui erant notabiles viri reputati, istud permi-
„ serunt , sufficit nobis vivere ut ipsi: procul dubio istud
„ argumentum *diabolicum* est, *infernalis* hæc *persuasio*:
„ vos illorum exitum ignoratis , an bonus an malus
„ fuerit.

TITULUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

De variis Nominibus, Partibus, Forma & Effectu hujus Sacramenti.

1. *Sacramentum olim dictum Sacramentum reconciliationis.*
2. *Secundò* Confessionis.
3. *Tertiò* Absolutionis.
4. *Quartò frequenter* manûs impositio.
5. *Quintò* Communio *seu* Pax.
6. *Sextò* Secunda post naufragium tabula.
7. *Septimò* Laboriosus Baptismus.
8. *Octavò olim & hodie frequentissimè,* Sacramentum Pœnitentiæ.
9. *Quid significet apud veteres etiam Ethnicos* pœnitere?
10. *Qui facti sui* pœnitet, *punit in se quod fecit.*
11. *Definitio pœnitentiæ à Gratiano & Canonistis tradita.*
12. *Quid de hoc Sacramento habeat Decretum Eugenii IV. & quid ejus prima pars, sive* Contritio?
13. *De Confessione secunda hujus Sacramenti parte.*
14. *Etiam circumstantia peccatorum exprimenda; & quare?*
15. *Quare* confessio *præcipuè requiratur?*
16. *De satisfactione tertia parte hujus Sacramenti.*
17. *Ratio Divinæ Justitiæ exigit, ut difficilius dimittantur peccata post Baptismum, quàm ante commissa.*
18. *Justitia Divina non permittit ut ordinariè sine ulla satisfactione peccata remittantur.*
19. *Satisfactiones habent vim suam ex meritis Christi.*
20. *Forma hujus Sacramenti.*
21. *Effectus ejusdem.*
22. *Varia quæstiones circa præmissa, remissive.*

I. SAcramentum hoc jam pridem diversis nominibus appellatum fuit.

Primò quidem dictum fuit Sacramentum *reconciliationis*; nimirum ab effectu; eò quòd homo virtute hujus Sacramenti Deo *reconcilietur*.

II. Secundò Sacramentum *confessionis*, à parte conspicua & ante remissionem peccati, sive reconciliationem necessaria; quâ peccator sua peccata Sacerdoti aperire atque *confiteri* debet.

III. Tertiò Sacramentum *absolutionis* ab actu Sacerdotis formam Sacramenti proferentis cum dicit: *Ego te absolvo* &c.

IV. Quartò antiquitus frequenter dictum fuit, *manuum impositio*, à ceremonia externa. Sæpius enim in decursu agendæ pœnitentiæ ipsis Pœnitentibus *manus* imponebantur ab Episcopis & Presbyteris; idque vel dum orationes super pœnitentes fundebantur , vel absolutione donabantur. Ità accipitur in *Can.* 76. Concilii Carthaginensis IV. "
„ Si continuò creditur moriturus, reconcilietur per *manus*
„ *impositionem*.

Porrò cum & in aliis Sacramentis manûs impositio fieret

Digitized by Google

ret atque inde etiam nomine *manus impositionis*, præsertim Sacramentum Confirmationis indicaretur, ne ex nominis identitate confusio oriretur, dicere solebant hoc Sacramentum, *manuum impositionem reconciliatoriam*, uti videre est in Can. 3. Concilii Arausicani I.

V. Quintò dictum fuit *Communicatio* sive *Communio & Pax*, eò quòd lapsi per pœnitentiæ actionem & absolutionem Sacerdotis restituerentur Communioni, & Eucharistiæ percipiendæ facultati, atque ad eam dignè sumendam præpararentur.

VI. Sextò *Secunda post naufragium tabula* sæpè à Patribus vocatur; eamque nomenclaturam tanquam huic Sacramento convenientem probavit Synodus Tridentina *Sess. 6. cap. 14. De Justificatione* his verbis: " Qui verò ab „ accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rur„ sus justificari poterunt, cùm, excitante Deo per pœniten„ tiæ Sacramentum, meritò Christi amissam gratiam recu„ perare procuraverint. Hic enim justificationis modus est „ lapsi reparatio, quam *secundam* post naufragium deper„ ditæ gratiæ *tabulam* SS. Patres aptè nuncuparunt.

VII. Septimò à Patribus dicitur *laboriosus Baptismus*; quam rursus appellationem huic Sacramento convenire dixit Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 2. De Pœnitentia*; rationem illius dictionis præmittens; eò quòd ad vitæ novitatem & integritatem in Baptismo acquisitam, & per peccatum amissam, " per Sacramentum Pœnitentiæ sine *ma„ gnis nostris fletibus & laboribus*, divinâ id exigente ju„ stitiâ, pervenire nequaquam possumus. Quod nuper à Pa„ tribus fusè ac solidè adstruxit Vir eruditus Joannes Op„ stratius in speciali tractatu *De Laborioso Baptismo*.

VIII. Denique hoc Sacramentum & olim & hodie frequentius & usitatius, aptissimèque dicitur Sacramentum *Pœnitentiæ*, à contritione, quæ primum locum inter actus pœnitentiæ habens, dicitur animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero, uti docet Synodus Tridentina citatâ *Sess. 14. cap. 4.*

IX. Pœnitere enim apud Latinos auctores etiam ethnicos dicimur, *cùm quæ ipsi fecimus, aut quæ de nostra voluntate, nostroque consilio facta sunt, ea nobis post incipiunt displicere, sententiamque in iis officiis nostram demutamus*: uti latius prosequitur Morinus de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ *lib. 1. cap. 2.* notatque, hanc esse vulgatissimam apud probatissimos Linguæ Latinæ quosque auctores significationem; atque inde concludit, etiam juxta Ethnicos auctores, Pœnitentiam duo complecti, consilii sive sententiæ mutationem & animi dolorem propter factum aliquod inde consequens.

Post hæc subjungit: Tertium addi debet, quod ex utroque necessariò videtur emanare, cautio scilicet, ne postea idem consulat, aut exequatur. Vix enim aliquem facti sui seriò pœnitet, qui etiam sibi non proponat ab eo imposterum non abstinere, & incommoda ex priori consilio & facto exorientia impedire, & à se avertere.

Lactantius *lib. 6. cap. 24. Institutionum* hæc tria significata complectens ait: " Is quem facti sui pœnitet erro„ rem suum pristinum intelligit. Ideoque Græci meliùs & „ significantiùs *μετάνοιαν* dicunt, quam nos possumus resi„ piscentiam dicere. Resipiscit enim ac mentem suam quasi „ ab insania recipit, quem errati piget, castigatque seipsum „ dementiæ, & confirmat animum ad rectius vivendum; „ tum illud ipsum maximè cavet, ne rursus in eosdem la„ queos inducatur.

X. Dolor autem ille, qui pœnitentiæ semper comes est si exardescit, eo animum facti pœnitentem ducit, & impellit, ut pœnas à se ipsis sumat, quemadmodum ibidem notat & probat Morinus; subditque: " Hinc appositè admodum „ ad geminam hanc pœnitentiæ significationem, quæ om„ nibus auctoribus Ecclesiasticis ab ipsis Ecclesiæ incuna„ bilis familiarissima & acceptatissima fuit, S. Isidorus in „ exhortatione ad Pœnitentiam, hanc nobis tradit istius „ nominis etymologiam. *A punitione Pœnitentia nomen „ accepit, quasi Punitentia, dum ipse homo punit pœni„ tendo quod male admisit.*

XI. Et apud Gratianum *Dist. 3. De Pœnitentia, Can. 4.* auctor libri de vera & falsâ Pœnitentia sub nomine S. „ Augustini: Continuè dolendum est de peccato, quod de„ clarat ipsa dictionis virtus. Pœnitere enim est pœnam te„ nere, ut semper puniat *in se* ulciscendo quod commisit „ peccando.

Ex his hanc definitionem à Canonistis & Theologis communiter probatam elicit Gratianus: *Pœnitentia itaque est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse.*

Hinc manifestum est, convenientissè hoc Sacramentum à contritione tanquam præcipuâ suâ parte, *Pœnitentiæ* nomen mutâsse.

XII. De hoc Sacramento habet Decretum Eugenii IV. pro Armenis: " Quorum Sacramentum est Pœnitentia cu„ jus materia sunt actus Pœnitentis, qui tres distinguuntur „ partes. Prima est cordis contritio, ad quam pertinet ut „ doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi „ de cætero.

De prima hac parte latius agit Synodus Tridentina *Sess. 14. De Pœnitentia cap. 4.* declarátque quod fuerit " quo„ vis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic „ *contritionis* motus necessarius; & in homine post Baptis„ mum lapso ità demum præparat ad remissionem pecca„ torum, si cum fiducia divinæ misericordiæ, & voto præ„ standi reliqua, conjunctus sit, quæ ad ritè suscipiendum „ hoc Sacramentum requiruntur.

Declarat præterea, hanc contritionem non solùm cessationem à peccato, & vitæ novæ propositum & inchoationem, sed veteris etiam odium continere. Quod ibidem multis Scripturæ testimoniis confirmat.

Post hæc duplicem contritionem asserit. Unam charitate perfectam. Alteram *imperfectam*; quam & *Attritionem* nuncupat; atque utriusque effectum exponit.

XIII. Secunda pars in Decreto Eugenii " est *oris Confes„ sio*; ad quam pertinet, ut peccator omnia peccata, quo„ rum memoriam habet, suo Sacerdoti confiteatur *integra„ liter*.

Hanc partem fusius exponit Synodus Tridentina loco citato *cap. 5.* declarans imprimis hanc integram peccatorum confessionem à Christo esse institutam, & omnibus post Baptismum lapsis jure divino necessariam existere.

Cùm enim Sacerdotes in hujus Sacramenti administratione sustineant personam judicis, constat, judicium hoc incognitâ causâ illos exercere non posse, nec æquitatem quidem in pœnis injungendis servare posse, si in genere dumtaxat, & non potius in specie, ac sigillatim sua ipsis peccata declararentur. Atque hinc concludit Synodus, oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem sui discussionem, conscientiam habent, in confessione recenseri, etiamsi occultissima illa sint, & adversus duo ultima Decalogi præcepta commissa.

Quod ipsum Judicis officium exigit, idipsum & Medici munus (quod & hic Sacerdotes spiritualiter exercere debent) requirit: " Si enim, ait Synodus, erubescat ægrotus „ vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non „ curat.

XIV. Ex his rectè colligit præterea Synodus etiam eas „ circumstantias in Confessione exprimendas esse, quæ „ speciem peccati mutant, quod sine illis peccata sua neque „ à pœnitentibus integrè exponantur, nec judicibus inno„ tescant: & fieri nequeat, ut de gravitate criminum rectè „ censere possint, & pœnam, quam oportet, pro illis pœni„ tentibus imponere.

XV. Quæ hoc capite Synodus pro astruenda necessitate Confessionis adducit, ostendunt, quod finis Confessionis omnium peccatorum Sacerdoti factæ, non sit sola & *nuda* Confessio sive revelatio peccatorum ; sed remediorum morbis spiritualibus convenientium applicatio, quibus anima curationi disponatur, & disposita per reconciliationem perfectè sanetur, uti loquitur Morinus loco citato *Lib. 1. cap. 3. n. 9.* atque per consequens, omnia in Confessione esse aperienda, per quæ ipse Sacerdos tamquam Medicus spiritualis veniat in convenientem notitiam vulnerum animæ; possitque conniventia medendis vulneribus pharmaca præscribere & explicare.

XVI. Tertia pars, ait Eugenius in suo Decreto, est *satisfactio* pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis; quæ „ quidem præcipuè fit per orationem, jejunium & eleëmo„ synam.

De hac parte agit Synodus Tridentina citatâ sessione *c.* 8. declarátque imprimis, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino numquam remitti, quin & universa etiam pœna condonetur. Perspicua enim & illustria in sacris Litteris exempla experiuntur, quibus, præter Divinam Traditionem, hic error quam manifestissimè revincitur.

XVII. Ulterius dicit, quod & divinæ justitiæ ratio exige„ re videatur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui an„ te Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter verò, „ qui semel à peccati & dæmonis servitute liberati, & acce„ pto Spiritûs sancti dono scientes, templum Dei violare, & „ Spiritum sanctum contristare non formidârint.

XVIII. Præterea monet Synodus, " & Divinam Clemen„ tiam decere ne ità nobis absque ulla satisfactione peccata „ dimittantur, ut occasione acceptâ, peccata leviora putan„ tes, vel ut injurii, & contumeliosi Spiritui sancto, in gra„ viora labamur, thesaurizantes nobis iram in die iræ. Pro„ cul dubio enim magnopere à peccato revocant, & quasi „ fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ, cautio„ résque & vigilantiores in futurum Pœnitentes efficiunt; „ medentur quoque peccatorum reliquiis; & vitiosos ha„ bitus, malè vivendo comparatos, contrariis virtutum „ actionibus tollunt. Neque verò securior ulla via in Ec„ clesia Dei umquam existimata fuit ad amovendam immi„ nentem à Domino pœnam, quam ut hæc Pœnitentiæ „ opera homines cùm verò animi dolore frequentent. „ Accedit ad hæc, quod dum satisfaciendo patimur pro pec„ catis, Christo Jesu, qui pro peccatis nostris satisfecit, ex „ quo omnis nostra sufficientia est, conformes efficimur, „ certissimam quoque inde arrham habentes, quod si com„ patimur, & conglorificabimur.

XIX. Ne verò videretur affectum illum humanis meritis tribuere, declarat, satisfactiones nostras & opera pœnitentiæ omnem suam efficaciam & meritum accipere ex meritis Christi." Neque verò, ait, ità nostra est satisfactio hæc, „ quam peccatis nostris exolvimus, ut non sit per Christum „ Jesum.... Facientes fructus dignos Pœnitentiæ, qui ex illo „ vim habent, ab illo offeruntur Patri, & per illum acce„ ptantur à Patre.

Ut autem optatum effectum in peccatoribus satisfactiones à Sacerdotibus injunctæ sortiantur, ipsis peccatis & personis convenientes sint oportet de quo latius infra *cap. 3. & 4.*

XX. Decretum Eugenianum post expressas tres partes hujus Sacramenti de forma ejusdem subjicit: " Forma hujus „ Sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos pro„ fert, cùm dicit: *Ego te absolvo*, &c.

Similiter Synodus Tridentina docet, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius vis sita est, in illis „ Ministri verbis positam esse *Ego te absolvo*, &c. quibus „ quidem de Ecclesiæ Sanctæ more preces quædam lauda„ biliter adjunguntur: ad ipsius tamen formæ essentiam „ nequaquam spectant, neque ad ipsius Sacramenti Admi„ nistrationem sunt necessariæ." *Sess. 14. De Sacram. Pœnit. cap. 2.*

XXI. " Effectus hujus Sacramenti est absolutio à pecca„ tis," ait Decretum Eugenianum. Et Synodus Tridentina citato *Cap. 3.* "Sanè verò & *effectus* hujus Sacramenti, quan„ tum ad ejus vim & efficaciam pertinet, reconciliatio est „ cum Deo, quam interdum in viris piis, & cum devotione „ hoc Sacramentum percipientibus, conscientiæ pax, sere„ nitas cum vehementi Spiritus consolatione consequi solet.

XXII. Plurimæ tum circa singulas suprà numeratas Sacramenti partes, tum circa formam, effectúmque quæstiones à Theologis Scholasticis agitantur, quas, utpote à proposito meo alienas Theologis relinquo; plurésque à Veteribus ignotas, & à Recentioribus moveri cœptas recitat Morinus *Lib. 8. cap. 2, 3. & 4.*

CAPUT I.

De Publica, solemni & privata Pœnitentia.

1. *Quid Pœnitentia publica?*
2. *Pluribus seculis pro peccatis* occultis *pœnitentiam* publicam *impositam fuisse credit Morinus; & primum hujus argumentum.*
3. *Secundum Morini argumentum.*
4. *Tertium ejusdem argumentum.*
5. *Quartum argumentum.*
6. *Pro peccatis* occultis *pœnitentia tametsi* publica, *non tamen publicè imponebatur; nec Pœnitens publicè reconciliabatur.*
7. *Simplices Presbyteri poterant inconsulto Episcopo peccatores* occultos *reconciliare.*
8. *Utrumque probatur ex Concilio Carthaginensi III.*
9. *Peccator* occultus *per censuras ad agendam* publicam *pœnitentiam cogi non poterat.*
10. *Plures nullius gravioris criminis rei ultro pœnitentiam* publicam *amplectebantur.*
11. *Magna Veterum de utilitate pœnitentiæ* publicæ *æstimatio.*
12. *Ex impositione pœnitentiæ publicæ pro peccatis occultis non sequebatur infractio* sigilli.
13. *Circa seculum VIII. disciplina imponendi pœnitentiam* publicam *pro peccatis* occultis *cœpit desinere.*
14. Sensim *hæc disciplina mutata fuit.*
15. *Postquam pro peccatis* occultis *cœpit agi Pœnitentia* occulta, *adhuc magnus erat Pœnitentium numerus, & quare?*
16. *Per censuras aliaque media* publici *peccatores ad publicam pœnitentiam cogebantur.*
17. *Multis seculis pœnitentia etsi* occulta *ad Canonum Pœnitentialium præscriptum imponebatur.*
18. *Usque ad seculum XII. non fuit nota distinctio inter* publicam *&* solemnem *pœnitentiam.*
19. *Hujus distinctionis origo.*
20. *Quæ hodie dicatur pœnitentia* solemnis: *& quæ* publica *& quæ* privata.
21. *Plura olim omni pœnitentiæ* publicæ *competentia ad* solemnem *restricta.*
22. *Primò quod à solo Episcopo imponeretur.*
23. *Secundò quod* semel *dumtaxat imponi posset.*
24. *Tertiò quod qui eam egerant à Clericatu dejicerentur, aut ad illum promoveri non possent.*
25. *Pœnitentiam publicam à solemni distinctam à Presbytero imponi posse docent Canonistæ.*
26. Publicam *pœnitentiam pro peccatis* publicis *imponendam esse multis ostenditur.*
27. *Idipsum probavit Synodus Tridentina.*
28. *Conformia sunt hodierna Ritualia & Concilia.*

29. *Quæ-*

Digitized by Google

29. *Qualiter hodie debeant Presbyteri Pœnitentiam* publicam *imponere pro peccatis* publicis?
30. *Qualis esse debeat species* Pœnitentiæ publicæ?
31. *Pœnitentiam* solennem *ab Episcopis etiam hodie Ecclesia imponi optat.*
32. *Quid circa hanc statuerit Carolus?*

I. PUblica Pœnitentia dicitur, quæ in facie Ecclesiæ palam & publicè peragitur.

Hanc primis sex seculis unicè ferè impositam fuisse notat Morinus *lib. 4. De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap. 20. §. 5.* nullúmque ante seculum septimum usum fuisse, ait, Pœnitentiæ *privatæ Canonicæ*; cùm omnia crimina graviora Pœnitentia publica punirentur, minus gravia Sacerdotis arbitrio & consilio.

II. Publicam hanc Pœnitentiam etiam pro peccatis *occultis* primis sex Ecclesiæ seculis juxta Sacros Canones actam, & à Sacerdote, cui peccatum secretò detectum fuerat, impositam fuisse, contendit Morinus *libro 5. capite 9.* idque tribus potissimum argumentis ex antiqua disciplina erutis.

Primò, quia certum est, pœnitentias Canonibus illorum temporum expressas, & pro singulorum criminum gravitate præscriptas, fuisse pœnas *publicas*, easque palam in facie Ecclesiæ peragendas: cúmque in Canonibus illis nulla occurrat publicorum ab occultis criminibus distinctio; sed indifferenter crimina exprimantur, indicium est, de utrisque Canones illos indifferenter quoque intelligendos esse.

III. Secundum argumentum ex veteri disciplina erutum ità proponit Morinus: "Sequetur antiquos Patres de „publicis criminibus curam tantùm gessisse, de occultis „verò nullam. Si enim Canones illi de peccatis publicis in„telligendi sunt, de occultis homicidiis, fornicationibus, „&c. nulli amplius supersunt. Atqui crimina ejusmodi „sexcenta perpetrantur occultè, dum unum aut alterum „publicè deprehenditur. Consequeretur igitur gravissi„morum animi morborum sanationem antiquos Patres „prorsus neglexisse; quod cogitare nefas est, nedum dice„re. Si Pœnitentiæ rationem tantùm haberent pœnarum, „tolerari forsan hoc posset. Verum cùm medicamentorum „rationem potissimum induant, hancque rationem Patres „præ cæteris spectent, dici non potest ulcerum tam pestife„rorum nisi publicè & in propatulo serperent, (quod quàm „rarissimè, & vix contingit,) curationem deseruisse, „suíque deque habuisse, & de levibus tantùm venia„libusque peccatis sanandis curiosos fuisse & sollici„tos.

IV. Tertium argumentum Morini hoc est: "Si crimina „quis spontè enuntiâsset, minori tempore in Substratione, „Auditione &c. commoraturum, quàm si accusatus & con„victus esset. Plerique enim Canones, & Patrum pleraque „dicta hanc legem Reis criminum dictant; cujus rei testi„monia multa legere potes lib. 2. cap. 6. Si crimina ponas „publica pro specie istarum legum explananda, quæ ratio „fingi potest istius temperamenti? si crimen publicum est, „jam convictio per se facta est. Ipsa facti, ut ità dicam, no„torietas, convictioni æquivaluit. Delatus tergiversari „non potest. Imò ne delatore quidem opus habet Episco„pus, cùm ponatur crimen publicum & notorium; sed „monitore, ac ne monitore quidem: cum eo casu Episco„pus sola muneris peragendi conscientia stimulatus publi„cum peccatorem, & resipiscentem Pœnitentia castigare „possit.

V. His argumentis plura ex Sanctis Patribus testimonia eandem disciplinam astruentia subjicit Morinus ibidem *cap. 9.* & sequentibus; & denique *cap. 11.* speciale argumentum desumit ex Canonibus, qui Clericos in crimen quantumvis *occultum* lapsos non modò ab officio suspendebant, sed etiam deponebant, ità ut per aliquot seculorum spatia, ab omni spe restitutionis dejicerentur: "Non video, ait, quâ „ratione idem de publica Laicorum Pœnitentia dici non „debeat. Si consulendum honori & famæ, id sanè factum „potiùs oportuit Clericis, quàm Laïcis.

VI. Non diffitetur tamen Morinus, multiplicem fuisse inter pœnitentiam publicam impositam pro peccatis *publicis*, & eandem impositam pro peccatis *occultis*.

Pro peccatis publicis ac notoriis, quæ totam Ecclesiam commovebant, manus imponebantur ab Episcopo vel Presbytero *publicè* in medio Ecclesiæ ante *absidem*, hoc est in gremio navis Ecclesiæ. *Absis* enim vel absida est sanctuarium Ecclesiæ. Eaque manus impositio eo ritu fiebat, tam in pœnitentiæ impositione, quàm pœnitentis absolutione, seu reconciliatione.

Dum verò *occulta* erant crimina, necesse non erat, *publicè* in medio Ecclesiæ per manus impositionem pœnitentiam imponere; aut pœnitentem actâ pœnitentiâ publicè reconciliare: sed sicuti peccata illa *secretò* Sacerdoti aperiebantur, ità quoque *secretò* pœnitentia imponebatur, & reconciliatio fiebat.

VII. Hinc altera consequebatur differentia; quod *publicè* pœnitens ob crimen *occultum*, actâ pœnitentiâ, *secretò* posset *inconsulto* Episcopo à Presbytero reconciliari. Secus verò pœnitens ob peccatum *publicum*. His enim cùm non nisi *publicè* reconciliari posset, etiam sine *speciali* Episcopi licentia (nisi extrema necessitas Licentiæ petendæ tempus intercluderet) à Presbytero reconciliationem obtinere nequibat: Interdictum enim erat Presbyteris, pœnitentem *publicè* reconciliare.

VIII. Utrumque non obscurè indicat *Canon. 32.* Concilii Carthag. III. qui in duas partes divisus refertur à Gratiano *caus. 26. q. 6. Can. 14. & q. 7 Can. 5.* verba Canonis sunt: "„Ut Pœnitentibus secundùm differentiam peccatorum E„piscopi arbitrio pœnitentiæ tempora decernantur, & ut „Presbyter *inconsulto* Episcopo non reconciliet pœniten„tem: nisi absentiæ Episcopi necessitate cogente. Cujus„cumque autem Pœnitentis publicum & vulgatissimum „crimen est, quod universam Ecclesiam commoverit, ante „*absidem* manus ei imponantur.

IX. Altera differentia eaque notabilis erat. Cùm publicum erat peccatum ad agendam *publicè* pœnitentiam peccatores excommunicatione & omnimoda ab Ecclesia expulsione cogi poterant. At quum peccatum erat occultum, Pœnitentiæ *publicæ* actio erat *spontanea*, hoc est, ad eam cogi non poterant ullâ excommunicatione, aut Sacramentorum publicâ denegatione. Peccatori equidem ejusmodi *secretò* confitenti, nisi Pœnitentiam Canonicam agere vellet, reconciliationem *secretò* denegabat Sacerdos, sed quod ultra in eum ageret, nihil habebat.

X. Neque verò soli *occulti* gravium criminum rei publicam pœnitentiam sibi à Sacerdotibus *secretò* impositam & indictam *spontaneâ* quadam voluntate suscipiebant, & *publicè* cum aliis pœnitentibus, etiam *graviorum* criminum reis peragebant; sed & leviorum dumtaxat aut nullorum criminum sibi conscii, eam ultrò amplectebantur, quemadmodum notat Morinus *lib. 5. cap. 7.*

XI. Ex hac praxi deducit ibidem Morinus, quanta fuerit de Pœnitentiæ publicæ utilitate Veterum æstimatio. Verba ejus sunt: "Quanta fuerit antiquitus Pœnitentiæ publicæ „æstimatio, quam efficax auxilium ad dolorem de peccatis „concipiendum, & de iis remissionem obtinendam, affer„re judicata sit, nullo mihi videtur illustriore argumento „demonstrari posse, quàm eâ consuetudine, quæ præsertim „in Hispania viguit, illius sponte suscipiendæ & agendæ, „nullâ præcedente criminum atrocium conscientiâ, nullâ „criminum publicorum, aut occultorum confessione pu„blicâ, nedum convictione.

XII. Hinc ulterius deducitur, Pœnitentiam publicam pro peccatis *occultis* potuisse sine ullo sigilli confessionalis periculo imponi & peragi. Ipsa enim Pœnitentiæ impositio secretò à Sacerdote fiebat; & publica Pœnitentiæ actio erat

etiam innocentibus, nullorúmque criminum reis communis: ac per consequens, crimen occultum ex actione Pœnitentiæ publicæ haud facilè concludi poterat. Si tamen præviderent Patres ex impositione Pœnitentiæ publicæ crimen *occultum* revelandum iri; tunc pœnitentias *publicas* in *privatas*, ob revelationis periculum, commutasse monet Morinus *lib.* 5. *cap.* 8. *num.* 20. Ità enim pœnitentias *publicas* usurpabant, ut privatis & secretis virtutem non adimerent.

XIII. Disciplina imponendi pœnitentiam publicam pro peccatis *occultis* in Ecclesia Latina perseveravit usque ad finem seculi septimi aut initium seculi octavi, si Morino credimus *lib.* 7. *cap.* 1. atque ab eo tempore vulgari cœpit commune atque hodie ab omnibus receptum axioma: *De peccatis publicis publicè; de occultis occultè esse pœnitendum.*

XIV. Hoc autem observat Morinus, quod mutatio illa facta non sit physico more in momento temporis, aut Concilii generalis alicujus Decreto, sed paulatim; & tacito quodam Ecclesiarum consensu. Atque hinc factum, ut alibi segius, alibi citius hæc mutatio recepta fuerit.

XV. Quamvis jam receptâ hac distinctione inter peccata *publica & occulta* defierit pœnitentia *publica* pro peccatis *occultis*, magnus tamen seculis aliquot sequentibus numerus pœnitentium *publicorum*, veste, loco, victu, luctu, totaque vitæ diæta à Fidelibus divisus in Ecclesia remansit, uti ostendit Morinus loco citato *cap.* 2. & *cap.* 3. demonstrat, quàm " sollicitè & diligenter providerent illorum seculorum Episcopi, non modò ut peccatorum publicorum, quæ per varias Diœcesis parœcias perpetrabantur, cognitio illos non lateret, sed etiam ut occulta ipsos non effugerent. Eâ enim disciplinâ & cautione in iis inquirendis utebantur, ut difficile esset crimina occulta, nedum publica, eorum solertiam & sollicitudinem effugere. Quamobrem hoc? non peccantium odio, sed amore & studio, nos ut malum malo medicarentur, sed ut optimi Medici, sanitatis ægrotorum desiderantissimi. Omnis enim eorum cura & sollicitudo eò tendebat, ut vulnera per crimen animæ illata curarentur, ne mors Pœnitentiam præveniens animæ ut corporis interitum afferret.

XVI. Post hæc *c.* 4. & 5. probat, Episcopos per censuras, ac subinde etiam per invocationem brachii secularis peccatores *publicos* ad agendam *publicam* pœnitentiam adegisse.

XVII. Qui ritus in impositione nec non actione pœnitentiæ publicæ observati fuerint, præsertim à seculo septimo usque ad duodecimum latè exponit *cap.* 7. & sequentibus; atque *cap.* 21. 22. & 23. probat, multis seculis, etiam postquam invaluit pœnitentia *occulta*, sive privata pro peccatis *occultis*, semper impositas fuisse pœnitentias *Canonicas* pro peccatis *occultis*; sive secundùm Canones pœnitentiales, non secus atque pro peccatis publicis; atque ità pœnitentiam privatam à Pœnitentiæ publicæ impositione & actione per solius solemnitatis omissionem discrepasse. Confessio igitur peccatorum *occultorum* secreta erat: omne pœnitentiæ exercitium *secretò* & extra faciem Ecclesiæ agebatur, & absolutio secreta: at ipsa opera pœnitentiæ exercitiaque juxta Canonum præscripta imponebantur. Neque enim minus curandis peccatis occultis, quàm publicis invigilabant Ecclesiæ Pastores: ideoque remedia utrisque curandis indifferenter suis Canonibus præscribebant.

XVIII. Cùm autem pœnitentia publica semper quibusdam externis ritibus ac solemnitatibus vestita fuerit multis seculis omnis pœnitentia Publica etiam *solemnis* reputata fuit; nec primis seculis distinctio inter publicam & solemnem pœnitentiam nota fuit: quin si Morino *Lib.* 5 *cap.* 25. credimus, ante seculum 13. hæc distinctio incognita fuit; atque primum illo currente seculo recipi cœpta.

XIX. Credit Morinus Theologos Scholasticos distinctionis hujus occasionem sumpsisse ex varia disciplina circa pœnitentiam publicam, quæ variis temporibus à Patribus decreta fuit: quàm cum in Canonibus apud Gratianum *distinctione* 50. suo aspectu expressam viderent; nec attendentes, qui ratione omnia quæ dicebantur, uni eidemque pœnitentiæ publicæ potiùs pro varietate temporum & locorum applicari; pœnitentiam publicam in solemnem & non solemnem distinguere cœperunt, atque hac distinctione Canones apparenter sibi contrarios conciliare.

" Aberrationis istius causa, non postrema (ait Morinus ibidem *nu.* 14.) fuit Gratiani in discernendis Authoribus, eorumque ætate cœcutientia, quæ eruditorum nemini ignota est. Hinc sæpius apud eum præpostera diversorum canonum concordia, qui temporum distinctione nullo negotio verè & piè conciliari poterant. Hunc secuti Scholastici & Canonistæ, decreta & canones variorum seculorum uni & eidem tempori tribuerunt, & reconciliationem, quæ obviam sæpe occurrebat, in transversum egerunt.

XX. Quidquid sit, apud Canonistas atque Theologos Scholasticos receptissima hodie est, Pœnitentiæ in tres species distinctio; nimirum solemnem, publicam & privatam.

De triplici hac pœnitentiæ specie agens Cardinalis Hostiensis in Summa titulo De Pœnitentiis & Remissionibus ait: " Propriè dicitur illa solemnis quæ fit in capite quadragesimæ cum illa solemnitate de qua habes *Dist.* 50. *Can.* IN CAPITE. In hoc citato Canone sub nomine Synodi Agathensis describitur ritus impositionis publicæ pœnitentiæ eodem ferè modo, quo in hodierno Pontificali Romano descriptus habetur. Unde & notant Correctores Romani: " Sententia verò hujus capitis magna ex parte habetur in Pontificali & Ordine Romano: " Pœnitentia hoc ritu imposita, à Canonistis hodie communi consensu dicitur *solemnis.*

" Publica propriè dicitur illa, inquit Hostiensis, quæ fit in facie Ecclesiæ, non cum prædicta solemnitate, sed quando injungitur peregrinatio per mundum cum baculo, & perâ benedictis.

Verùm pœnitentia publica etiam meritò dicitur, quæ fit in facie Ecclesiæ, tametsi prædictus ritus non adsit. Publica enim propriè appellatur, ab eo quod in publico fiat.

" Privata autem Pœnitentia dicitur illa, quæ quotidie fit à justis, & quæ saltem semel in anno est facienda, quando scilicet aliquis solus & secretè Sacerdoti confitetur, " ait Hostiensis.

XXI. Receptâ hac inter solemnem & publicam pœnitentiam distinctione, plura ex his quæ pœnitentiæ publicæ jam olim tributa erant, Canonistæ ad solemnem restrinxerunt; eique soli convenire crediderunt.

XXII. Imprimis cum pristinis Canonibus cautum esset, pœnitentiam à *solo* Episcopo; vel à Presbyteris de Episcopi *speciali* consensu imponi; id ad pœnitentiam *solemnem* restrinxerunt Canonistæ; hancque à solo Episcopo imponi posse asserunt; eaque sententia etiam hodie recepta est: cum tamen Canones de omni *publica* pœnitentia saltem pro peccatis *publicis* imponenda, loquerentur. Vide Fagnanum in *Cap.* MANIFESTA ... *De pœn.* & *Remiss. n.* 5.

XXIII. Ulterius cum in nonnullis Canonibus dictum reperirent, Pœnitentiam publicam reiterari non posse, illud huic *solemni* Pœnitentiæ appropriârunt; cum tamen pluribus seculis saltem in Ecclesia Latina omni publicæ Pœnitentiæ commune fuerit, juxta illud S. Augustini Epistola ad Macedonium. " Cautè salubriterque provisum est, ut locus illius humillimæ Pœnitentiæ *semel* in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset ægrotis, quæ tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit.

Hanc disciplinam in Ecclesia Latina usque ad seculum VIII. durâsse ostendit Morinus *lib.* 5. *cap.* 28.

XXIV. Præterea ad hanc *solemnem* Pœnitentiam pertinere crediderunt Canonistæ, quod Canones dicunt, Clericos pœnitentes Ordinibus suis nec post actam Pœnitentiam publicam restitui; nec Laicos ad Ordines promoveri posse: cum id de qualibet Pœnitentia publica, juxta Canonum præ-

præscripta intelligeretur; non quidem ratione Pœnitentiæ, sed ratione criminis commissi ex mente Patrum; ut infrà titulo De Irregularitate ostendetur, ac una dicetur, quæ fuerit Canonistis errandi occasio.

XXV. Pœnitentiam publicam, ut à *solemni* distinguitur; id est, quæ quidem in facie Ecclesiæ seu publicè peragitur; sed sine solemnitate in citato Canone *In Capite* & Pontificali Romano descripta, à presbytero etiam sine speciali mandato Episcopi, pro peccatis publicis imponi posse communiter tradunt Canonistæ, conformiter ad *Cap.* 1. *De Pœnit. & Remiss.* ubi dicitur: *Manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda.*

XXVI. Et sanè pœnitentiam publicam pro peccatis *publicis* non tantum ipsa Ecclesiastica disciplina, sed ratio naturalis ipsaque Divina justitia exigere videtur.

Quid enim rationi justitiæque divinæ congruentius, quàm ut pœnitentia sit peccatis proportionata; adeoque publica pro publicis peccatis.

Adhæc cùm per peccata publica plerumque aliis scandalum generetur, dum videntes publicè peccata committi, ad eadem etiam committenda provocantur, nisi pœnitentiæ alicujus timore coërceantur, ratio exigit ut quos publicè peccando ad peccandum incitavit, publicè pœnitendo à peccatis revocet.

Denique dum pro peccatis *publicis* agi pœnitentiam populus non videt, idæa de peccatorum magnitudine adeò paulatim minuitur; ut nisi per manifesta pœnitentiæ publicæ exempla aliquando magnitudo peccatorum eorum oculis objiciatur, futurum sit, ut sine ullo timore peccata committant; atque peccata alioquin gravia, appareant levia aut nulla.

Hinc illud Apostoli I. ad Timoth. *Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.*

XXVII. Hoc Apostolicum monitum assumens Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 8. *De Reformat.* declarat: "Quando igitur ab aliquo publicè, & in multorum conspe„ctu crimen commissum fuerit, unde alios scandalo offen„sos commotosque fuisse non sit dubitandum; huic con„dignam pro modo culpæ pœnitentiam publicè injungi „oportet; ut quos exemplo suo ad malos mores provoca„vit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vi„tam. Episcopus tamen publicæ hoc pœnitentiæ genus in „aliud secretum poterit commutare, quando ità magis ju„dicaverit expedire.

Ex his verbis evidens est, voluisse Synodum, pro peccatis *publicis*, & in conspectu multorum commissis pœnitentiam *publicam* à Confessariis esse imponendam; eatenus saltem, ut *publico* scandalo satisfiat? utque eo pacto peccator, *quos exemplo suo ad malos mores provocavit, sua emendationis testimonio ad rectam revocet vitam.*

XXVIII. His conforme est quod decernitur in Rituali Romano & Pastorali Mechliniensi titulo *De Sacramento Pœnitentia.* "Videat autem diligenter Sacerdos.... ne ab„solvat eos qui publicum scandalum dederunt, nisi *publicè* „satisfaciant & scandalum tollant.

Sanctus Carolus in primo suo Concilio Mediolanensi titulo, *quæ pertinent ad Sacramentum Pœnitentiæ*, decernit: "Iidem (Confessarii) quemadmodum à Sancta Triden„tina Synodo jussum est, *publicè* peccantibus *publicam* „Pœnitentiam imponant: neque illud pœnitentiæ genus, „nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia, pœna commu„tare audeant.

XXIX. Igitur eatenus saltem hodierna Ecclesiæ disciplina Pœnitentiam *publicam* retineri, & à Presbyteris imponi vult, ut per eam scandalum per publica peccata datum reparetur; utque sua pœnitentia peccator eos quos exemplo suo ad malos mores provocavit, suæ emendationis testimonio ad rectam revocet vitam, eamque Pœnitentiam pro peccatis publicis ac notoriis à Presbyteris ità imponendam censuit Synodus, ut soli Episcopo facultatem tribuat, publicæ hoc Pœnitentiæ genus in aliud secretum, quando ità magis judicaverit expedire, commutandi.

XXX. Quod verò genus Pœnitentiæ hic requiratur, non expressit Synodus; sed illud Confessariorum prudentiæ permisit; qui criminis, personæ, loci & temporis conditione diligenter expensa, judicent quæ Pœnitentia publica pro scandalo reparando imponenda sit: qua in re ne subinde præcipiti zelo aberret Confessarius, nonnunquam expediet, Superiores aliosque peritiores consulere.

XXXI. Quod verò ad Pœnitentiam *publicam* omnibus illis ritibus externis vestitam, quam *solemnem* vocant Canonistæ, attinet, eam à Patribus utiliter præscriptam, atque cum fructu non exiguo impositam agnoscit Ecclesia; atque etiamnum hodie ipsis Episcopis in Pontificali exhibet, ejusque ritum exactè describit, ut pro temporum locorum atque criminum gravitate & personarum qualitate eam reducant.

XXXII. Huic Ecclesiæ voto obsequens S. Carolus in Concilio Mediolanensi III. *titulo De iis qua ad pœnitentia Sacramentum pertinent* statuit: "Studeat Episcopus ad „sacrorum Canonum & Tridentini Concilii præscriptum, „pro publicorum delictorum gravitatis ratione, & publi„cam & *solemnem* pœnitentiam in usum revocare. Quos „verò ità solemniter pœnitere oportet, mense ante quadra„gesimæ initium ad se per Parochos deferri curet, ut pri„mum ineunte quadragesima illi pœnitentia affici, tum „die cœnæ Domini Ecclesiæ reconciliari possint stato so„lemni ritu.

Hoc Decretum rursus renovavit in Concilio Mediolanensi V. utque utriusque Concilii Decretum eam executionem habeat, in Synodo sua Diœcesana II. voluit, "ut si qui „tale facinus commiserint ut pœnitentia *publicâ & solem„ni* satisfacere debeant, eorum nomina Parochi mense „ante quadragesimæ initium ad nos deferant, ut ineunte „quadragesima ex instituto Ecclesiæ rite ea pœnitentia „imponatur.

Solemnem ergo pœnitentiam à solis Episcopis imponi vult, quando ipsi pro gravitate delicti & scandali dati, temporum atque personarum conditione, non politicè, sed juxta Evangelicas & Ecclesiasticas regulas expensa, imponendam judicaverint.

CAPUT III.

De Canonibus & Libris Pœnitentialibus.

1. *Quid propriè Canones* Pœnitentiales?
2. *Eorum usus antiquissimus; & quare?*
3. *In determinandis Pœnitentiis admodum circumspecti & soliciti erant olim Episcopi.*
4. *Insigniores etiam Episcopi non audebant* soli *aliquid determinare; sed alios consulebant.*
5. *Exemplum in Episcopis Africanis.*
6. *Alterum in Clero Romano.*
7. *Argumentum hujus disciplina suppeditant priscorum conciliorum Canones.*
8. *Epistola Canonica S. Gregorii Thaumaturgi & Petri Alexandrini non benè argumentum subministrant.*
9. *Omnium fœcundissima est hanc in rem Epistola Canonica S. Basilii.*
10. *Pontifices etiam sæpius super pœnitentia imponenda consulti; & ejus exemplum ex Gratiano.*
11. *Ex cura Patrum circa pœnitentias orti sunt Canones Pœnitentiales.*
12. *Qua ratione mediis seculis compositi Libri Pœnitentiales?*
13. *Horum librorum Descriptio.*
14. *Ex præscripto horum librorum Presbyteri pœnitentias imponere debebant.*

15. *Episcopi sedulò invigilabant, num juxta Canones pœnitentia imponeretur.*
16. *Pro assequenda Canonum pœnitentialium notitia intelligendi 4. Pœnitentium* gradus.
17. *Quatuor hi gradus recitantur.*
18. *Descriptio primi gradus.*
19. *Hic gradus erat extra templum.*
20. *Quid in hoc gradu agerent Pœnitentes?*
21. *In hoc gradu existentes nondum erant propriè Pœnitentes.*
22. *Hic gradus non ubique, nec semper inter gradus pœnitentia computatus.*
23. *Descriptio secundi gradus pœnitentialis.*
24. *Quo loco hic gradus consisteret.*
25. *Quæ Pœnitentium in hoc gradu exercitia?*
26. *In hoc gradu nulla super Pœnitentes manûs impositio aut oratio; nec opera pœnitentialia eis imponebantur.*
27. *Quâ ratione auditio Scripturæ sacræ huic gradui Pœnitentiali esset propria.*
28. *Quid per admissionem ad primum & secundum gradum consequeretur peccator?*
29. *Tertii gradus pœnitentialis descriptio.*
30. *In hoc gradu crebra fiebant super Pœnitentes manuum impositiones & orationes.*
31. *Quo tempore hæ fierent?*
32. *In hoc gradu imponebantur opera corporis afflictiva.*
33. *Hic gradus* propriè *pœnitentialis; & in illo existentes propriè Pœnitentes dicti fuere.*
34. *Quarti gradus descriptio.*
35. *In hoc existentes manebant toto tempore Sacrificii.*
36. *Non tamen poterant* offerre; *vel communicare.*
37. *Plura hominum genera ad hunc gradum redigebantur.*
38. *Quanto tempore in unoquoque gradu subsistendum?*
39. *Episcopi tempus abbreviare poterant.*
40. *Poterat Episcopus omisso inferiori gradu collocare pœnitentem in altiore gradu.*
41. *Præcipuus scopus Œconomiæ pœnitentialis erat, ut sciretur, an peccator verè esset conversus.*
42. *Episcopi diligenter observabant modum agendi Pœnitentium; & monebant Presbyteros ut sincerum de Pœnitentibus testimonium redderent.*
43. *Quomodo circa dispensationem Pœnitentes de uno ad alium gradum ascenderent.*
44. *Quandoque Canones Pœnitentiales cœperint abrogari?*
45. *Quæ occasiones abrogationis?*

1. CAnon Græcè, Latinè *regula* nuncupatur, ait Isidorus apud Gratianum *Dist.* 3. *Can.* 1. Hinc Canones Ecclesiastici proprio & Antiquis usitato modo loquendi, sunt regulæ morum Directrices, non unius, sed plurium Ecclesiæ Præsulum consensu præscriptæ.

Itaque Canones *Pœnitentiales* sunt *regulæ*, quibus Pontifices, concilia, atque SS. Patres *pœnitentiæ* peragendæ normam peccatoribus præscripserunt; opera pœnosa & laboriosa cuique crimini proportionata & opportuna decernendo, ac injungendo.

II. Horum usus antiquissimus est, & ab ipsis propemodum Ecclesiæ incunabilis exordium sumpsit.

Cùm enim Patribus esset persuasum, pœnitentias convenientes peccatis impositas plurimum ad sanationem peccatoris, & remissionem criminum valere, uti variis Patrum testimoniis ostendit Morinus *lib* 3. *De Administ. Sacr. Pœn. c.* 12. magnopere soliciti fuere Episcopi, ut scirent, quæ qualesque pœnitentiæ singulis quibusvis criminibus congruerent.

III. Utque in re tanti momenti, à qua ipsius animæ curatio potissimùm dependet, securiùs procederent, nihil ferè circa hanc rem pronuntiabant aut statuebant, quod anteà à multis Episcopis seriò deliberatum & examinatum non esset.

Quapropter, "quoties peccatum aliquod novum occur„rebat, aut peccati nova species vel magni momenti cir„cumstantia, toties in unum conveniebant Episcopi, & „scrupulosè admodum inquirebant pro pœnitentiæ gene„re peccatum illud esset expiandum: & re deliberata & de„finita singulis Parœciis suis id quod communi consensu „statutum erat significabant, ut Episcopi omnes & Presby„teri crimen illud juxta Canonem recens conditum pœni„tentia imposita curarent. Tanto studio cavebant, ne re„conciliationem cum indignis communicarent?

IV. Hæc Morinus *lib.* 6. *cap.* 14. qui ibidem addit: "Vi„dere est insignes & doctissimos Episcopos emergente ali„quo novo crimine hærentes qua pœnitentia esset eluen„dum, jubentesque criminis Reos tantisper apud se flere, „orare, jejunare, donec Episcopi convenientes deliberas„sent, quo pœnitentiæ medicamine essent sublevandi & cu„randi. Videre est alios in ejusmodi casu suspensos nihil de „pœnitentia statuentes donec à vicinis Episcopis respon„sum tulissent.

"Nec ista (ait Morinus) diligentia tribus tantùm aut „quatuor seculis in Ecclesia viguit, sed undecim integris „ità constanter perduravit, ut de ea nihil prorsus remissum „fuerit.

V. Antiqui hujus moris locupletissimus testis est S. Cyprianus in variis suis Epistolis, ac signanter *Epistola* 53. ubi sex Episcopi eum consulunt, an tutò post *triennii* pœnitentiam iis reconciliatio concedi posset, qui fortissimè coram Magistratu & populo frequente tormenta passi fuerant, & vicerant, deinde à Proconsule tenti, & gravissimis pœnis diutissimè excruciati, tandem ceciderent, & gloriam priore certamine partam maculaverant. Neque tantùm de hac re Cyprianum consulunt, sed etiam rogant ut cum aliis Episcopis quæstionem illam communicet.

Verba Cypriani sunt: "Quoniam tamen scripsistis, ut „cum pluribus Collegis de hoc ipso plenissimè tractem, & „res tanta exigit majus & impensius de multorum collati„one consilium, & nunc omnes ferè inter Paschæ prima „solemnia apud se cum fratribus demorantur, quando so„lemnitati celebrandæ apud suos satisfecerint, & ad me ve„nire cœperint, tractabo cum singulis plenius, ut de eo „quod consuluistis figatur apud nos, & rescribatur vobis „firma sententia, multorum Sacerdotum consilio ponde„rata.

VI. Hujusmodi plurima inter epistolas Cypriani testimonia illius disciplinæ occurrunt; atque inter alia etiam testimonium Cleri Romani tempore Cypriani, Sede vacante per mortem Fabiani Papæ, ità ad ipsum Cyprianum de causa lapsorum scribentis: "Quamquam *nobis* in tam in„genti negotio placeat quod tu & ipse tractasti prius: Ec„clesiæ pacem sustinendam; deinde sic collatione consi„liorum cum Episcopis, Presbyteris, Diaconis, Confessori„bus, pariter ac stantibus Laicis facta, Lapsorum tractare „rationem.

Hæc Clerus Romanus *epist.* 31. inter epistolas Cypriani.

Et ne horum lapsorum interim cura ac salus neglecta prorsus videretur, moderamen quidem aliquod excogitarunt, sed iterum nonnisi de consilio plurium Episcoporum, uti liquet ex subsequentibus: "Cujus temperamenti mode„ramen hîc tenere quærentes diu & quidem multi, & qui„dem cum quibusdam Episcopis vicinis nobis & appro„pinquantibus, & quos ex aliis provinciis longè positis per„secutionis istius ardor ejecerat, ante constitutionem Epis„copi nihil innovandum putavimus, sed lapsorum curam „mediocriter temperandam esse credimus ut interim dum „Episcopus dari à Deo nobis sustinetur, in suspenso eorum, „qui moras possunt dilationis sustinere, causa teneatur.

VII. Ejus-

VII. Ejusdem diligentiæ ac sollicitudinis argumenta insignia sunt singuli ferè Canones Elibertani, Ancyrani, Nycæni, Concilii Arelatensis I. In his enim penè omnibus agitur de pœnitentia certis criminibus imponenda; criminum variæ species circumstantiæ, peccantium voluntas, necessitas, occasio discutiuntur, & unicuique speciei circumstantia aggravatæ aut sublevatæ analoga pœnitentia à Patribus injungitur; ut pluribus annotavi in Commentario ad Canones præsertim *Ancyranos*.

VIII. Argumentum quoque non leve suppeditat Epistola Canonica S. Gregorii Thaumaturgi. Hic enim interrogatus à vicinis Episcopis, quæ pœnitentia certis criminibus noviter in eorum Diœcesibus, occasione incursionis Barbarorum, perpetratis, illis hac Epistola respondet; eosque modum pœnitentiarum docet: ac præterea Presbyterum à se bene instructum ad eos ablegat; una addens, nonnullis peccatis pœnitentiam se definire non audere, sed expectandam Episcoporum Synodum, ac interim criminum reos ab Ecclesia pellendos. Sic scribit *Can. 5.* "Propterea ergo Fratrem & consenem nostrum Euphrosynum ad vos misimus, ut secundùm formam quæ hic est, & ipse similiter det, & quomodo accusationes admittere oporteat, & quos *à precibus* abdicare." Et *Can. 7.* de quodam speciali crimine loquens ait illius criminis reos, "etiam ab auditione arcere oportet, donec *de iis, congregatis* Sanctis, *aliquid commune* visum fuerit, & ante eos Sancto Spiritui.

Insigne quoque istius disciplinæ exemplum est Epistola Canonica S. Petri Alexandrini constans 14. Canonibus in quibus singulæ species lapsorum examinantur, & singulis pœnitentia conveniens assignatur; ut eam formam universæ Patriarchatus Alexandrini Ecclesiæ teneant.

IX. Sed nihil est in hanc rem præclarius aut fœcundius, quàm epistola canonica S. Basilii continens 85. Canones, qui, vix uno excepto, nihil aliud spectant, quàm pœnitentias singulis peccatis injungendas. Id autem fecit S. Amphilochii Iconiensis Episcopi interrogatis stimulatus, qui à tanto & tam celebri viro edoceri volebat quibus pœnis peccata curari possent: non enim à seipso vir alioquin magnus id audebat statuere.

X. Pontifices quoque sæpè consulti sunt, quæ pœnitentia nonnullis criminibus esset imponenda & augenda, ut peccator reconciliationem è Deo, & ab Ecclesia mereretur. "Tanti enim æstimatum est ab Antiquis (ait Morinus *lib. 6. cap. 15. num. 7.*) dignam & sceleribus æquatam Pœnitentiam agere, ut non modo Episcopi quorum erat Pœnitentiam dictare, sed etiam ipsi criminum rei doctissimos quosque & in canonum lectione optimè versatos diligenter consulerent, ut eorum consilio, & ductu canonicam Pœnitentiam agere, ejusque omnes molestias perpeti possent. Pontificem autem adibant, non ut relaxationem, nedum immunitatem à pœnitentia Canonibus instituta obtinerent: Hoc erat seculis illis inauditum; sed ut eam integrè, & juxta Canonum placita mentemque præstarent. Fixum enim erat eorum animis, pœnitentiam, ejusque labores omnes auxilia Dei impetrare, quibus peccatores adjuti multò faciliùs, securiùs, & efficacius ad gratiam Dei & remissionem peccatorum obtinendam disponebantur.

Exemplum insigne illius consultationis, & Pontificii responsi refertur apud Gratianum *Cauf. 12. q. 2. Can. 17.* & plura à Morino loco citato.

XI. Ex his per quàm manifestum est, summam jam pridem fuisse Patrum curam & studium, ut quibusque criminibus convenientes & dignas pœnitentias, atque peccatorum remedia præscriberent, eaque certis Canonibus seu regulis exprimerent, qui à pœnitentia præscripta *Pœnitentiales* dicti fuêre.

XII. Cùm verò sensim hi Canones ac Patrum & præscriptiones, & responsa de pœnitentiis imponendis multiplicarentur; atque in Canonum collectionibus nonnulla intercurrerent quæ alio spectabant; nec non in Patrum Tractatibus sparsim multa de remediis peccatorum immiscerentur, opportunum visum fuit, pro majore inferiorum Presbyterorum (ad quas circa seculum 8. impositio pœnitentiæ, præsertim pro peccatis *occultis* devolvi cœperat) commodo, Canones illos in certum ordinem, & compendium colligere; certosque libellos, nihil nisi hujusmodi Canones continentes componere; ut ità unusquisque Presbyter in promptu semper haberet regulam pœnitentiæ imponendæ. Hi libelli à materia subjecta vulgò dicti fuêre *Pœnitentiales*; multaque in illis pro commoditate Presbyterorum occurrebant quæ in Canonibus deerant.

XIII. Hæc exponit Morinus in præfatione ad libros Pœnitentiales; atque una horum librorum utilitatem astruit; eosque *lib. 6. cap. 14. num. 17.* ità describit.

Omnes hæ collectiones quotquot sunt, inquit Morinus ibidem *num. 17.* "nihil aliud sunt, quàm præcedentium Canonum, & sententiarum Paternarum collectiones inter se tantùm differentes, quòd & ordinem varium sequuntur, & varias librorum, titulorum, & capitum distinctiones. Quum enim quæstioni propositæ respondent, nihil de suo proferunt, sed nudos Canones, & nuda Patrum verba afferunt. Annis 1160. nullus doctor privatus inventus est, qui aliter de Pœnitentia & remediis, quibus peccata per Sacramenta pœnitentiæ puniuntur, & curantur, scribere tentaverit.

XIV. Libri hi Pœnitentiales auctoritate Episcoporum probati & evulgati, Presbyteris inferioribus tradebantur; ut juxta quod in illis erat præscriptum, Pœnitentias imponerent; & Pœnitentes dirigerent.

Unde in Ordine ad celebrandam Synodum circa seculum 10. composito, inter cæteras admonitiones Episcopi ad Presbyteros una hoc erat: "Feria IV. ante Quadragesimam plebem ad confessionem invitate, & ei juxta qualitatem delicti Pœnitentiam injungite, *non ex* CORDE, sed sicut in *Pœnitentiali* scriptum est.

Quod hic dicitur, *non ex corde*, idem est ac si diceretur, *non ex animi sui motu*, non ex impetu quodã mentis & voluntate, sed prout in *Pœnitentiali* scriptum est; uti rectè exponit Vir eruditus Stephanus Balusius in notis ad *art. 57. lib. 1.* Reginonis, ubi citatus Ordo refertur.

Et formula visitationis Episcopalis *art. 95.* interrogare jubet: "Si habeat Pœnitentiale Romanum, vel à Theodoro Episcopo, vel à Venerabili Presbytero Beda editum, & *secundum quod ibi scriptum est*, interroget confitentem, & confesso *pœnitentiam* imponat." Apud Reginonem lib. 1.

XV. Episcopi autem multum soliciti erant & invigilabant, ne Sacerdotes aliter quàm juxta *Canonicam auctoritatem* pœnitentiam imponerent; quemadmodum ex Conciliis seculo 9. celebratis videre est; atque signanter Parisiensi VI. anno 829. quod *lib. 1. cap. 32.* præcipit ut unusquisque Episcoporum in sua Parochia instruat Presbyteros "qualiter & confitentium peccata audire discreteque inquirere, eisque congruum modum pœnitentiæ secundùm *Canonicam auctoritatem* noverint imponere." Ratio quam reddunt notatu dignissima est: "Quoniam hactenus eorum incuria & ignorantiâ multorum flagitia manserunt impunita.

XVI. Pro assequenda horum Canonum (quorum tanta per undecim circiter secula in Ecclesia fuit veneratio; atque constans, saltem in Ecclesia Latina usus) exactiore notitia nonnulla necessariò notanda, atque exponenda sunt.

Primum, in hisce Canonibus frequenter occurrit mentio diversorum *graduum* sive *ordinum* vel *stationum* per quos pœnitentes gradatim quasi ascendebant, priusquam omnimodæ ac perfectissimæ communioni restituerentur.

XVII. Communiter autem quatuor *gradus* assignantur; quos expressit Canon qui vulgò Canonibus epistolæ Canonicæ S. Gregorii Taumaturgi subjicitur, atque jam pridem

ex

ex ipsis Canonibus Gregorii collectus videtur. Porro primus *graduum* ibidem occurrentium dicitur *Fletus*, secundus *Auditio*, tertius *Substratio*, & quartus *Consistentia*.

XVIII. Primus gradus in citato Canone describitur his verbis: "Fletus seu luctus est extra portam Oratorii: ubi „peccatorem stantem oportet Fideles ingredientes orare ut „pro se precentur.

XIX. Ex hac descriptione planum est, Flentium stationem fuisse extra Ecclesiam; quod & non obscurè docet S. Basilius *Can.* 56. dicens: *Debet quatuor annis* DEFLERE stans EXTRA *foras oratorii*. Et *Can.* 75. *Triennio* DEFLEAT *stans ad fores domus oratoria*.

Idipsum pluribus confirmat Morinus *lib.* 6. *cap.* 2. asseritque *num.* 1. in omnibus antiquis Ecclesiis Baptismalibus aream quamdam fuisse & spatium ante templum & ejus vestibulum, in qua collocata erat statio *flentium*; nec ultra progredi fas illis erat.

XX. Quid in hac *statione* agerent pœnitentes indicat citatus Canon S. Gregorii Thaumaturgi in verbis: *ubi peccatorem stantem oportet Fideles* ORARE, *ut pro se precentur*. Et S. Basilius citatis verbis Canonis 56. subnectens: *Et Fideles ingredientes rogans ut pro eo precentur suam iniquitatem pronuntians*.

Hæc evincunt, in hoc *gradu* Pœnitentes duo præcipuè egisse: nimirum peccata sua publicè ac palam confiteri, seu iniquitatem suam pronuntiare; atque Fidelibus Ecclesias ingredientibus ad geniculari, ut pro ipsis apud Deum, Episcopum ac Clerum intercederent, quatenus ad Pœnitentiam recipi possent.

XXI. Neque enim stantes in hoc gradu adhuc propriè erant pœnitentes; sed dumtaxat orabant & gemebant, ut possent ad pœnitentiam admitti: quare hic gradus potiùs quoddam præambulum erat ad Pœnitentiam, quam verus Pœnitentiæ gradus. Unde nihil ad hos pertinebat Missa catechumenorum: nullæ super eos orationes recitabantur; imò ne ad prædicationem quidem admittebantur; utpotè à templi vestibulo exclusi.

XXII. Hac de causa nonnulli auctores & Canones etiam Veteres hunc gradum non annumerant gradibus Pœnitentiæ: quin & monet Morinus, hanc *stationem* eatenus fuisse Græcis propriam, & in Ecclesia Latina septem ut minus seculis incognitam, in quantum sumitur pro certa statione, cui ex Ecclesiæ mandato Pœnitentes *certo* tempore adstringebantur. Ac insuper monet ipse Morinus *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 5. quod ante Novatum *Fletus* non esset Statio Pœnitentialis, in qua certo tempore manere juberentur; licet nonnulli extra fores Ecclesiæ etiam tunc Fidelium preces postularent, ut ad Pœnitentiam recipi mererentur; sed *voluntariè*, ac sine determinatione temporis id faciebant.

XXIII. Secundus gradus dicitur *Auditio*, qui in citato Canone S. Gregorii Thaumaturgi his verbis describitur: "Auditio est intra portam in Narthece, ubi oportet eum „qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illinc egre„di. Audiens enim Scripturas & doctrinam ejiciatur, & „precatione indignus censeatur.

XXIV. Locus hujus Stationis erat porta Ecclesiæ seu porticus magnis Ecclesiæ portis connexa. Notandum autem monet Morin. *lib.* 6. *c.* 3. *n.* 2. "antiquarum Ecclesiarum „portis ædificiolum quoddam conjunctum semper fuisse, „quod vestibulum προπύλαιον πρόθυρον & πρόναον me„ritò dici potest; quale visitur in omnibus antiquis Roma„nis Ecclesiis quod ingentibus columnis marmoreis inni„titur, quæ Canstantinianum opus manifestissimè arguunt, „& nonnullæ opera unius aut vix alterius post Constanti„num seculi. Huic ædificiolo similia videre est in singulis „ferè Galliæ rusticorum Ecclesiis: Sed ea nunc prophanis „inserviunt usibus, quos in Ecclesiis religione ducti exerce„re non audent.

Quæ de Ecclesiis Galliæ asserit, idem de Belgicis quoque dicendum. In his enim simile ædificiolum passim habetur; atque in illis mulieres post partum venientes ad Ecclesiam *purificationis* causâ tantisper subsistunt, quousque Parochus eas in Ecclesiam introducat.

XXV. Exercitia verò Pœnitentium in hac Statione erant, diligenter audire lectionem Scripturæ sacræ, ejusque interpretationem sive sermonem: quod significat citatus Canon Thaumaturgicus, verbis supra allegatis subdens: *Audiens Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censeatur*. Hæc desumpta apparent ex *Can.* 75. Basilii qui ait: *Scripturam ac doctrinam Audiens ejiciatur, & oratione indignus habeatur*.

E his duo elicit Morinus *lib.* 6. *cap.* 3. *num.* 5. uti & Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 17. Primum, exercitia horum pœnitentium propria, & publicè ipsis imposita fuisse diligenter auscultare Scripturam sacram ejusque expositionem.

XXVI. Alterum, nullas manuum impositiones, una excepta quæ fiebat in ipsa ad hanc Stationem admissione nullasque orationes expiatorias aut alterius generis super eos specialiter fusas fuisse: uti nec opera pœnalia ac laboriosa ipsis imposita, quæ erant tertiæ stationis specialia exercitia; ut infrà dicetur. Si quæ verò à pœnitentibus in hac Statione suscipiebantur, ea voluntariè ex Spiritus fervore obibant sed in hac, uti & *Flentium* statione *imperata non lege*, ait Morinus *lib.* 6. *cap.* 5. *num.* 4.

"Auditio enim (pergit Morinus) in secundum pœniten„tiæ gradum constituta est veluti opprobrii causâ, ut ad eū „relegati pœnitentes fidei rudimenta iterum edocerentur, „non secus ac infimæ classis Catechumeni. Ea enim non di„dicisse censebantur, qui regenerationis lavacro abluti gra„vissimis sceleribus iterum sese polluerant; necdum digni „censebantur, quibus opera laboriosa ad promerandam Dei „gratiam & redimenda peccata imperarentur. Fundamen„ta Dei quæ tam malè & negligenter dedicerant in eorum „animis iterum jacere necessarium judicabatur.

XXVII. Verum quidem est, quod ad audiendam lectionem Scripturæ Sacræ ejusque expositionem præter Pœnitentes in hac Statione admissi fuerunt etiam Ethnici, Judæi, Hæretici, Catechumeni aliique hujusmodi generis homines juxta Canonem Carthaginensem: "Episcopus nullum „prohibeat ingredi Ecclesiam, & *audire* Verbum Dei sive „Gentilem, sive Hæreticum, sive Judæum usque ad Mis„sam Catechumenorum: "sed in nullis nisi Pœnitentibus, qui *Audientes* dicebantur, *auditio* hæc Scripturarum rationem *Stationis pœnitentialis* habebat: nam aliis, ut ibi starent in pœnam aut Pœnitentiam injunctum non erat.

Hi enim voluntariè ac sine ullo Ecclesiæ mandato ibidem consistebant, & Verbum Dei audire permittebantur. Pœnitentes verò ex mandato Episcopi ibi manebant, certo temporis spatio iis constituto; tenebanturque huic Stationi adesse quoties fiebat Synaxis, & ibidem subsistere donec voce Diaconi ejicerentur: uti latius prosequitur Morin. *Lib.* 6. *c.* 4. *n.* 5.

XXVIII. Porrò, cum per admissionem ad hanc Stationem; uti & ad Stationem *Fletus* reciperentur graviorum criminum rei in numerum Pœnitentium; atque *Fletus & Auditio* in pœnitentiam imponerentur, etiam in ipsa Stationum assignatione eis manus adjuncta oratione imponebantur: & insuper in gravissimis delictis, propter quæ peccator ab Ecclesia pulsus & excisus fuerat, per hanc Pœnitentiæ impositionem *excommunicationis* vincula solvebatur; & qui ad Ecclesiam non pertinebat, quique cum ea nullo Religioso commercio devinciebatur, per eam Pœnitentiæ impositionem incipiebat ad Ecclesiam pertinere, eique curæ esse, jusque ad communionem, etiam perfectissimam recipiebat, quæ ab eo tempore, si periculo mortis urgebatur, illi denegari non debebat. Ità Morinus *Lib.* 6. *cap.* 5. *nu.* 2. Atque hinc apparet, non fuisse gravium criminum reis infructuosam ad hasce Stationes admissionem; tametsi ipsa Stationum exercitia etiam non Pœnitentes obire possent.

XXIX. Tertius gradus seu Statio vocabatur *Substratio* vel *Subjectio*, de qua hæc leguntur in citato Canone Thauma-

Thaumaturgico: *Subjectio autem, seu Substratio est, ut intra portam templi stans cum Catechumenis egrediatur.*

Dicebatur autem Substratio sive Subjectio, eo quod tempore hujus Stationis essent quasi continuò sub manu Episcoporum & Sacerdotum tamquam rei & humilitati, prostrati, sive subjecti.

XXX. Toto quippe tempore hujus Stationis fiebant crebræ manuum impositiones super Pœnitentes; juxta illud Felicis Papæ III. *epist.* 7. "Tribus annis inter Audientes sint; „ septem autem annis *subjiciant* inter Pœnitentes *manibus* „ Sacerdotum. Et illud Concilii Carthag. IV. *Can.* 80. "Omni tempore jejunii *manus* Pœnitentibus à Sacerdotibus „ imponantur.

Plura testimonia hujus disciplinæ refert Morinus *lib.* 6. *cap.* 8. qui *cap.* 9. multis probat, huic manuum impositioni semper conjunctam fuisse orationem: ideoque quemadmodum crebra erat super Pœnitentes durante hac Statione manuum impositio, sic quoque frequens super iis fundebatur oratio; ut scilicet per eas ad veram cordis contritionem & pœnitudinem excitarentur & promoverentur.

XXXI. Hæc autem manuum impositio & oratio super Pœnitentes fiebat post lectionem Scripturarum, & sermonem habitum ad populum. His enim absolutis voce Diaconi ejiciebantur *Audientes* aliique qui hisce interesse potuerant; quibus ejectis, sub manuum Episcopi succedebant hujus Stationis Pœnitentes; atque oratio ipsius propria recitabatur: hisque peractis etiam ipsi jubente Diacono dimittebantur; eaque dimissione facta Fidelium Missa inchoabatur.

XXXII. Nec tantum impositio manuum atque frequens oratio super pœnitentem ad curanda expiandaque in hac Statione fiebant; sed longè acriora & austeriora pro uniuscujusque vulneris ratione, & pœnitentis conditione medicamenta applicabantur. Imponebantur enim in hac Statione pœnitentibus varia opera laboriosa & corpus ac corporis pravos affectus exterminantia privatim exercenda. Quanti verò essent hi pœnitentiæ labores, & quam dura opera pœnitentialia ostendit Morinus *lib.* 6. *cap.* 11. notatque Antiquos Patres *interitum carnis* apud Apostolum ubi dicit se incestuosum Corinthium *tradidisse Sathanæ in interitum Carnis* intellexisse, de *interitu* per pœnitentiæ labores.

XXXIII. Quia in hac statione præcipuè peccatores per crebras manuum impositiones, orationes, & propria opera Pœnitentiæ purgabantur, hinc hæc statio propriè erat *Pœnitentialis*; atque ideò (ait Morinus) in Ecclesia numquam non viguit; cum aliæ Stationes tantum disciplinæ causâ fuerint adjectæ: Ubi verò erat rarus Stationum *Fletus* & *Auditionis*, ut in Occidente, & ubique ante Novatiani hæresim tota Pœnitentia in hac Statione peragebatur, teste Morino *lib.* 6. *cap.* 8. ac Propterea soli in hac Statione consistentes dicebantur propriè *Pœnitentes*.

XXXIV. Quarta Statio dicta fuit *Consistentia*, de qua in Canone Thaumaturgico: "Congregatio sive Consistentia „ est, ut cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis „ non egrediatur: postremo est participatio Sacramento„ rum.

Id ipsum clarius expressit S. Basilius *Can.* 75. "Postquam „ pœnitentiæ fructus dignos ostenderit, decimo anno in „ Fidelium *orationes* suscipiatur, *sine oblatione*; & cùm „ duobus annis unà cum Fidelibus ad orationem *substiterit*, sic deinceps dignus habeatur *boni* communione.

Et Felix III. in citata Epistola 7. de Consistentibus ait: "Duobus annis oblationes modis omnibus non sinantur „ offerre, sed tantum secularibus in oratione socientur.

XXXV. Hac descriptione docemur, Consistentes jus habuisse, unà cum Fidelibus orationi assistendi, id est, Sacrificio & omnibus quæ ad Sacrificium pertinent ritibus, usque ad finem; neque cum Pœnitentibus sive Substratis potuisse dimitti: atque ab hac cum Fidelium assistentia *Consistentes* sive simul *sistentes* dicti fuêre.

XXXVI. Alterum ex illa descriptione habetur, quòd *Consistentes* cum Fidelibus quidem sacrificio assisterent, sed *absque oblatione*; id est, quòd ipsorum munera seu oblationes ad altare non reciperentur. Moris olim fuit, ut Fideles omnes, nisi extrema paupertate premerentur, ad Missarum solemnia sua munera in altari offerrent; eaque oblatione quodammodo Sacrificio communicarent; ut titulo præcedenti ostendimus.

" Pœna igitur qua mulctabantur Consistentes hæc erat „ (inquit Morinus *lib.* 6. *cap.* 17. *num.* 6.) quòd munera „ eorum ut Fidelium non acciperentur; unde consequens „ erat, eos Corpori Christi non communicare. Quibus enim „ non licebat offerre, unde Corpus & Sanguis Christi con„ secrarentur, iis non judicabant licere ipsum Corpus & „ Sanguinem manducare & bibere. Quapropter ista sunt „ æquipollentia, communicare precibus sine oblatione, & „ non communicare Corpori Christi.

XXXVII. Quæ pluribus ibidem adstruit Morinus; qui *capite* 18. ostendit, plura horum genera hanc Stationem complexam fuisse: illos tamen præcipuè ad hanc Stationem spectasse, qui tamquam Pœnitentes, inferiores Stationes absolverant; atque tandem ad hanc ascenderant: "Imò „ propter illos (ait) in *pœnitentialem* Stationem instituta „ fuit hæc antiqua Censura, ut post toleratas graves mole„ stias pœnitentiæ, aliquanto tempore experirentur Patres, „ an iis liberati vitam ducerent Fideli dignam, atque possent „ illis tutò credere Christi Corpus & Sanguinem.

XXXVIII. Quanto tempore in una Statione sive Gradu esset subsistendum, ex gravitate criminis Canones plerumque determinabant. Ordinariè tempus *Substrationis* prolixius erat, quàm aliarum Stationum; eò quod in hac præcipuè ipsi Pœnitentes purgarentur; ipsaque esset propria statio *pœnitentialis*.

XXXIX. Notandum autem tempora atque exercitia istarum stationum Canonibus ità fuisse præfixa, ut tamen in Episcopi esset potestate, attenta vita, conversatione Pœnitentium, eorumque in peragenda pœnitentia fervore, ea contrahere aut mutare, atque humanius agere.

Hanc Episcopi auctoritatem his verbis expressit Canon 5. Ancyranus: "Statuimus autem ut Episcopi modo conver„ sationis examinato potestatem habeant, vel utendi *clementia*, vel plus temporis adjiciendi. Ante omnia autem, „ & præcedens vita, & quæ consecuta est, examinetur, & sic „ eis *clementia* impertiatur.

Eandem auctoritatem Canon 12. Nicænus; item Canon ultimus Trullanus aliique plures, quos citat Morinus *lib.* 1. *cap.* 15. attribuunt.

XL. Ex his Canonibus quoque evincitur, in potestate Episcopi fuisse, Pœnitentem ex inferiori Statione, prætermissâ media ad superiorem transferre? cum videret pœnitentem in ea Statione ità conversatum, & ità ferventer pœnitentiam peregisse, ut de ejus conversione dubitare nequiret. Ità ab *Auditione* ad *Consistentiam* transire permittit Canon 12. Nicænus, "quicumque & metu & lacrymis, & „ tolerantia & bonis operibus, conversionem & opere & „ habitu ostendunt. "Hæc latius prosequitur Morinus *lib.* 9. *cap.* 19. & breviter expressit Auctor *Canonis* 86. *De Pœnit. Dist.* 1. apud Gratianum, "Ipsa tempora pœnitentiæ „ pro fide & pro conversatione Pœnitentium abbrevianda „ præcipiunt, & pro negligentia protelanda.

XLI. Hujus indulgentiæ primum ac originarium fundamentum nos docet paucis verbis S. Gregorius Nyssenus in Epistola ad Letoium de hujus indulgentiæ causis doctissimè disserens: "Quemadmodum enim (inquit) por„ cis margaritas projicere est vetitum; ità & pretiosa mar„ garita privare eum, qui jam per alienationem à vitio & „ purgationem homo factus est, absurdum est.

Monet hîc Gregorius Letoium, pœnitentiam Canonicam ità moderandam esse per Episcopos, ut si videant quòd peccatores, "diligentiori conversatione usi fuerint, & vita „ ad id quod bonum est, reditum ostenderint, liceat ipsis „ pro Ecclesiasticæ œconomiæ utilitate, tempus contrahe-

Digitized by Google

„ re & celerius ad conversionem deducere ; " ut in eadem Epistola loquitur *cap.4.*

Pœnitentialis enim OEconomia licet etiam alios fines haberet, unus tamen è præcipuis erat ut per eam peccator à vitiis suis expurgaretur, & Sacerdotibus de vera ejus conversione constaret. "Ut quid temporis mora? (petit Mori„ nus *lib.1.cap.16.num.6.*) Tot Pœnitentiæ Stationes, tam „ longa duratio, tot corporis afflictationes? Ut experiren„ tur an, vera esset animi conversio, & eò vehementiæ per„ venisset, quæ desiderabatur. Si brevi tempore ista Con„ tritio erat Episcopo comperta, quod ex animi zelo & ar„ dore inconstanter subeundis in unaquaque pœnitentiæ „ statione præscriptis laboribus innotescebat, breviori „ quoque tempore reconciliabatur Pœnitens.

Quod ibi multis adductis Patrum ac Canonum testimoniis confirmat. " Non negabant peccatoris compunctio„ nem tam ardentem & inflammatam esse posse (ait Mori„ nus ibid. *cap.17.num.4.*) ut uno momento perfectam à „ Deo peccatorum remissionem obtineret, omnesque in„ ferorum pœnas extingueret; sed hoc & rarum esse, & sibi „ quando contingeret, incognitum esse profitebantur. Ideò „ ut Pœnitentium conversionem explorarent, atque illius „ inflammationem Pœnitentes à Deo promererentur, ope„ ra varia injungebant, quibus diligenter peractis eos pur„ gatos esse & sanatos, Deo œconomiam Ecclesiasticam „ approbante, non dubitabant; atque ut verè tales à Deo „ habitos reconciliabant, & communione donabant.

XLII. Hinc Episcopi pœnitentium conversationem, mores, vitæque institutum, tum per se, tum per alios diligenter toto pœnitentiæ curriculo explorabant, ut ex iis de interiore animi conversione judicium formarent.

Solicitè propterea monebant Presbyteros ac Diaconos, quos pœnitentibus dirigendis ac invigilandis præficiebant ne de pœnitentis in peragenda pœnitentia diligentia munere aut gratia inducti testimonium falsum ferrent. Seculo IX. Hincmarus Archiepiscopus Remensis in Capitulis datis Presbyteris *art.13.* "Nemo Presbyterorum à quocum„ que Pœnitente aut gratiam, aut favorem, aut munus sus„ cipere præsumat, aut minus dignè Pœnitentem ad recon„ ciliationem adducat, & ei testimonium reconciliationis „ ferat, & quocumque livore alium quamlibet dignius „ Pœnitentem à reconciliatione removeat quia hoc Simo„ niacum & Deo & hominibus abominabile est.

Quin & in visitationis Episcopalis formula hic interrogationis faciendæ est *articulus* 38. "Si aliquem minus dignè „ pœnitentem favoris aut familiaritatis aut consanguinita„ tis gratia ad reconciliationem adducat, aut ei testimonium „ reconciliationis ferat.

Id ipsum vetatur in *Cap.14.* ;; *De sim.* sub nomine Alexandri III. pronuntiaturque *Simoniacum* esse.

XLIII. Si Episcopus inspectis pœnitentis conversione & modo peragendæ pœnitentiæ nihil deprehendisset, quod ipsum ad *indulgentiam* inclinaret, pœnitens tempora pœnitentiæ in unaquaque Statione absolvere debebat, atque tempore unius Stationis absoluto ad superiorem Stationem quasi suo jure ascendebat; nec poterat denegari, nisi novi criminis reus fuisset peractus: uti fieri etiam nunc videmus in Clericorum ab officio vel ordinibus suspensione, ubi elapso tempore limitato cessat ipso jure suspensio; nec ulla opus est ad peragendam cessationem accedat solennitas. Ità Morinus *lib.6.cap.5.nu.6.*

XLIV. Canonum Pœnitentialium usum & rigorem in Ecclesia Latina integrum perseverasse usq; ad initium seculi duodecimi observat Morinus; at "hoc seculo ineunte, pœ„ nitentiæ exterioris severitas decrescere, minui & obso„ lescere cœpit, & consequenter cum ea severitatis admini„ cula, scilicet antiqui illi ritus publici, tam qui pœnitentiæ „ actionem, quàm qui pœnitentium reconciliationem spe„ ctabant. "Ità Morinus *lib.10.cap.16.num.1.* monetque „ *n.2.* Numquam juris rigor auctoritate Ecclesiastica remis„ sus est; sed in privatis causis & justis rigoris species in a„ liam frequenter commutata, plurimis occasionem de„ dit Pontificum beneficio ad præposteram relaxationem „ abutendi.

XLV. Occasiones plures hujus relaxationis Canonum Pœnitentialium assignat Morinus; quarum præcipue fuere; commutatio pœnitentiarum Canonicarum cum opere aliquo laborioso propter evidentem aut apparentem Ecclesiæ utilitatem, qualis erat susceptio armorum contra Infideles aut Hæreticos.

Ex hac verò altera orta est, nimirum remissio alicujus partis Pœnitentiarum Canonicarum ob collatum denarium in reparationem aut ædificationem alicujus Ecclesiæ, aliudve opus pium; quin ad refectionem pontium, itinerum aliasve res sæculares hæc remissio, extenta fuit. Quomodo autem hæc ex priori orta sit, & qua ratione ex utraq; præcipue tamen ex posteriore Canonum Pœnitentialium relaxatio & abrogatio sequuta sit, titulo sequenti *cap.1.* paucis ostendetur.

Tandem hisce accessit, ut notat Morinus *Lib.10.cap.25. n.1.* redemptionum antiquarum facilitas, quam tum unusquisque Sacerdos arbitrio suo commutare continuavit; unde factum est more hominum solito, ut ex facilibus facillimæ redderentur.

" Deinde Confessorum ordinariorum universalis sen„ tentia eodem sæculo prævalescens, Pœnitentias quas„ cumque in foro conscientiæ Sacerdotum arbitrio esse in„ fligendas, ultimam operi (abrogationi Canonū Pœniten„ tialium) coronidem imposuit. "Hæc Morinus: qui ibidem ex auctoribus seculi 13. hanc suam assertionem astruit; ostendens, quod quidem Pœnitentia Canonica eo tempore adhuc Pœnitentibus à Confessariis proponeretur; sed jam inciperent magna auctoritate in ea remittenda & relaxanda uti; atque ulterius progrediendo, tandem invaluerit ea opinio, quod Pœnitentiæ imponendæ arbitrio Sacerdotum essent relictæ; nec consequenter ipsos amplius Canonibus esse obstrictos.

CAPUT IV.

De moderna circa pœnitentias imponendas disciplina; & quis hodie Canonum pœnitentialium usus?

1. *Modernam disciplinam circa imponendas pœnitentias expressit Synodus Tridentina: & pœnitentiarum fructum.*
2. *Qualis debeant esse pœnitentia.*
3. *Quid in pœnitentiis imponendis attendendum.*
4. *Pœnitentiarum imponendarum determinatio arbitrio Sacerdotum committitur; & eatenus moderna disciplina à pristina differt.*
5. *Hodierna disciplina consentit veteri si scopus Canonum pœnitentialium attendatur.*
6. *Quomodo Synodus Tridentina genuinam Patrum disciplinam Sacerdotibus proposuerit.*
7. *Etiam hodie Confessarii sunt spirituales animarum medici.*
8. *Ut tamquam medici facilius in morbum inquirere queant, Fideles tempestivè ad confessionem urgendi.*
9. *Confessarius more periti medici conditionem vulnerum, & ægrorum diligenter attendere debet in pœnitentiis imponendis.*
10. *Confessarii in pœnitentiis injungendis omnem speciem quæstus fugere debent.*
11. *Si Missa celebranda, aut aliena restituenda, hac per Confessarium fieri non convenit.*
12. *Confessarius etiam Judicis partes sustinet.*
13. *Debet ideo gravitatem criminum sedulò attendere.*

14. Hoc

14. *Hoc officium monet Confessarium ab omni temporalium expectatione debere esse alienum.*
15. *Quomodo munera excæcaverint olim falsos Prophetas.*
16. *Synodi Belgicæ monent Confessarios ut à temporalium Spe caveant.*
17. *Merito Confessarii expendunt, quæ cura in decernendis pœnitentiis adhibita olim fuerit.*
18. *Multis titulis hodie Confessariis convenient Canonum Pœnitentialium notitia: primò ut judicent de gravitate.*
19. *Secundò ut facilius pœnitentes ad suscipiendas impositas pœnitentias inducant.*
20. *Tertiò ut statuant, quando protrahenda, quando accelerandа absolutio.*
21. *Quartò ut sint Sacerdotibus regulæ directivæ pro pœnitentiis præscribendis.*
22. *Quid de horum notitia senserit Corporis Canonici Collector.*
23. *Quam utilem horum scientiam judicaverit Sanctus Carolus?*
24. *Canones Pœnitentiales editi à S. Carolo.*

I. MOdernam Ecclesiæ disciplinam, nec non sincerum pœnitentiarum seu satisfactionum spiritum, quem in ipsis etiam Canonibus Pœnitentialibus sibi Patres propositum habuère, expressit Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 8. De Sacramento Pœnitentiæ.*

Imprimis harum pœnitentiarum seu satisfactionum multiplices fructus præmittit, atque inter alios, hunc, Quod "magnopere à peccato revocent, & quasi fræno quodam „coerceant hæ satisfactoriæ pœnæ, cautioresque & vigilan- „tiores in futurum Pœnitentes efficiant; medeantur quoque „peccatorum reliquiis, & vitiorum habitus malè vivendo „comparatos contrariis virtutum actionibus tollant.

II. Ut verò pœnitentiæ à Sacerdotibus impositæ illum salutarem in Pœnitentibus effectum operentur docet, quales debeant à Sacerdotibus pœnitentiæ imponi. "Debent „ergo Sacerdotes Domini (inquit) quantum spiritus & pru- „dentia suggesserit, pro *qualitate criminum* & *Pœniten-* „*tium qualitate* salutares & convenientes satisfactiones „injungere: ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs „cum Pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro „gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum „participes efficiantur.

III. Deinde instruit Sacerdotes, quid præcipuè in determinandis pœnitentiis attendere debeant. "Habeant autem „præ oculis (ait) ut satisfactio, quam imponunt, non sit „tantum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medici- „nam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam „& castigationem.

IV. Hoc Decretum ostendit, eatenus saltem hodiernam Ecclesiæ disciplinam à pristina discrepare; quod hæc obstringeret Sacerdotes, pœnitentias seu satisfactiones imponere prout hæ in Canonibus & libris pœnitentialibus erant expressæ, quemadmodum capite præcedenti ostensum fuit: idque ante absolutionem tam eas quæ necessariæ erant ad acquirendam cordis conversionem, eamque Sacerdoti probandam, quam quæ requirebantur ad satisfactionem pro culpa & pœna, eradicandos vitiosos habitus &c.

At moderna disciplina Sacerdotes ab exacta & exteriori Canonum Pœnitentialium observantia eatenus absolvit, ut non constringantur, pœnitentias Canonibus præscriptas imponere, sed earum determinatio Sacerdotum prudentiæ & arbitrio committatur, tam quoad eas quæ necessariæ sunt ante absolutionem pro acquirenda debita dispositione & eam Sacerdoti probandam, quàm quoad eas, quæ necessariæ post absolutionem (de quibus specialiter Synodus Tridentina) ad satisfaciendum Deo pro pœna temporali aliosque effectus in Decreto Synodi Tridentinæ expressos.

V. Ostendit præterea Decretum illud, modernam disciplinam à pristina non discrepare, si non tam exteriorem Canonum Pœnitentialium rigorem attendamus; sed interiorem eorum spiritum, seu scopum quem in his Canonibus condendis, atque eorum exactam observantiam urgendo Patres habuerunt.

Quid enim aliud in his omnibus Patres intenderunt, nisi ut Sacerdotibus per hos Canones ostenderent, quæ pœnitentiæ singulorum peccatorum gravitati convenirent; quæque essent his illisve animæ vulneribus medendis, nec non in futurum præcavendis convenientiores. Et ne Sacerdotes in imponendis pœnitentiis aberrarent, eos ad Canonum illorum observantiam constringebant.

VI. Dum ergo Synodus Tridentina in allegato Decreto præcipit Sacerdotibus, pro qualitate criminum, & Pœnitentium facultate salutares & convenientes satisfactiones injungere; atque præ oculis habere, ut satisfactio, quam imponunt. *Non sit tantum ad novæ vitæ custodiam & infirmitatis medicinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem*, ipsam genuinam Patrum disciplinam, quoad pœnitentias post absolutionem injungendas, quam in figendis & exequendis Canonibus Pœnitentialibus intenderunt, expressit; atque eatenus hodierna per Synodum Trid. stabilita disciplina Patrum disciplinæ consona est: idemque modernus & pristinus Ecclesiæ Spiritus.

Et sanè non minus hodie, quàm olim Confessarii sunt spirituales animarum medici.

VII. Unde seculo 13. postquam jam Canonum pœnitentialium exterior rigor & observantia magna saltem ex parte desierat, dixit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in Capitulo OMNIS UTRIUSQUE SEXUS 12 *De Pœnit. & Remiss.* "Sacerdos autem sit discretus & cautus, ut more pe- „riti *medici* superinfundat vinum & oleum vulneribus sau- „ciati, diligenter inquirens & peccatorum circumstantias „& peccati: quibus prudenter intelligat, quale debeat ei „præbere consilium, & cujusmodi remedium adhibere, „diversis experimentis utendo ad salvandum ægrotum.

VIII. Porrò ut Confessarius tamquam spiritualis medicus facilius & animæ vulnera, & qualitatem ac conditionem ægri perspecta habere, atque cum otio examinare & curare queat, monent Synodi nostræ, ut qui rarius confiteri solent, & tamen in Paschate ad Sacram Communionem accedere intendunt, sub initium quadragesimæ, aut saltem ante Dominicam *Lætare* ad Confessionem accedant.

"Antiquam consuetudinem confitendi in initio quadra- „gesimæ continuari, vel in usu revocari peroptamus, " ait Synodus Gandensis anno 1610. *Tit. 5. capite 5.* innovata per Decreta Synodalia sub Antonio Triest. *Titul. 5. capite 9.*

Synodus Sylvæducensis sub Metsio *Tit. De pœnit. Sacramento capite 3.* præcipit Parochis, ut "adhortentur & „inducant eosdem (Parochianos suos) ut tempore quadra- „gesimali statim in *principio*, vel saltem ante Dominicam „*Lætare* proprio Sacerdoti, aut ejus vicem gerenti confi- „teantur, & nihilominus circa Festum Paschæ illud idem „reiterent, antequam ad Sacræ Eucharistiæ sumptionem „accedant.

Idipsum in sua Synodo rursus renovavit Gisbertus Masius *Tit. 6. cap. 5.* atque aliæ Synodi Belgicæ passim inculcant.

IX. Diligenter ergo adinstar periti medici Confessarius, & animæ vulnera & ægri conditionem ac spirituale temperamentum examinare & attendere debet; ut iis ritè expensis non unam eamdemque omnibus, iisque plane disparatis morbis medicinam applicet; sed singulis eam, quæ iis medendis conveniat.

Hinc monet Synodus Audomarensis *Tit. 7. c. 13.* ut "Confessa-

„ fessarii Confessione audita injungant Pœnitentibus salu„ tares Pœnitentias, peccatis commissis (ait) quantum fieri „ potest, *contrarias...* Pro peccato itaque luxuriæ, jejunium „ præcipiant & abstinentiam; pro avaritia, eleemosynam; „ pro furto, aut rei alienæ detentione primò restitutionem, „ deinde orationes & eleemosynam; pro ira mansuetudinis „ opera pro superbia humilitatis; pro peccatis spirituali„ bus meditationes, orationes & similia, prout observave„ rint Pœnitentium saluti expedire posse.

Hæc omnia latius proponit & inculcat S. Carolus in Instructionibus pro Sacramento Pœnitentiæ; quæ habentur in Actis Ecclesiæ Mediol. *pag.* 433.

X. Ad hæc Confessarius ad instar Medici spiritualis, ità sua spiritualia pharmaca præscribere debet, ut ostendat, se illa unicè ad ipsius ægri salutem procurandam præscribere, nihilque se in eorum præscriptione lucri quærere.

Hac de re ità loquitur S. Carolus in Instructionibus Confessariorum *parte* 2 *cap.* 8. "Ut liberior sit Confessarius „ in exequendo officio, quod illi cum Pœnitente est, majo„ reque apud eundem in auctoritate habeatur in decernen„ dis iis omnibus, quæ ad Pœnitentis salutem referuntur. „ non solum fugiet studiosè avaritiam, sed etiam *Omnes e„ jus vel minimam suspicionem*.

XI. Deinde pro fugienda omni specie lucri nominatim in Pœnitentiis injungendis, subjungit: "cum Pœnitenti ju„ bebit ut Missæ Sacrificium faciat uspiam peragi, *nec dire„ ctè nec obliquè* significet quasi velit ipse celebrare, vel in „ sua *Ecclesia* aut *monasterio* curare celebrari.

"Idem faciat, pergit S. Carolus, in satisfactionibus iis, „ cum pœnitens vel debita incerta reddere pauperibus, „ vel pro votorum commutatione aliquid solvere de„ bebit.

Tandem ut Confessarius omnem vel speciem avaritiæ subterfugiat, eum monendum censuit, "ut neque pecu„ nias aliave, quæ à pœnitente restituenda sunt propriis „ dominis, in se provinciam reddendi assumat, nisi necessi„ tas id requirat, ut videlicet hoc modo pœnitens non pro„ datur, quod cum erit ab eo factum, curet ut is, cui rem „ restituit, chyrographum suum in testimonium ei tribuat, „ ut illud pœnitenti consignet, ac plane eo modo procedat, „ ut *omnem speciem ac signum avaritiæ subterfugiat*.

XII. Nec tantum Medici sive medentis officio Confessarius in pœnitentiis imponendis fungi debet juxta allegatum, Concilii Tridentini Decretum; sed etiam Judicis punientis sive vindicantis & castigantis.

Neque enim pœnæ satisfactoriæ, declarante Concilio, tantum debent esse ad medicinam vulnerum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & castigationem; "Nam Claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, „ sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & cre„ dunt & docent, "ait eodem loco Concilium.

XIII. Hoc judicis officium ut ritè exerceant, debent imprimis prudenter & circumspectè gravitatem criminum & Pœnitentium qualitatem discutere; iisque discussis tamquam integri ac incorrupti judices solvere & ligare, majorem vel minorem pœnitentiam injungendo: "ne si fortè „ peccatis conniveant, & indulgentius cum Pœnitentibus „ agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis „ injungendo, alienorum peccatorum participes effician„ tur, " uti loquitur Synodus Tridentina.

XIV. Ex hoc quoque judicis Officio Confessariis incumbente, id est statuendum, admodum cavendum Confessariis, ne à Pœnitentibus occasione Confessionis quidquam temporale accipiant, aut sperent. Præterquam quod id, ut minus speciem aliquam Simoniæ aut saltem turpis quæstûs præferat, illud etiam constat ipsa veritate teste, *Munera excæcare oculos Sapientum & mutare verba justorum*.

Hinc de filiis Samuelis testatur sacer Textus 1. *Regum cap.* 8. *Declinaverunt post avaritiam acceperuntque munera*; ac deinde tanquam consequens subjicit: *Et perverterunt judicium*.

XV. Nonne hæc fuit excæcatio, quæ jam pridem pseudo-Prophetas induxit, ut falsa prophetarent & populum seducerent, pacem dando, quam Dominus non dederat? * Hæc dicit Dominus Deus (ait Ezechiel *cap.* 13.) væ qui „ consuunt pulvillos sub omni cubito manûs: & faciunt „ cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas „ & cum caperent animas populi mei, vivificabant animas „ eorum.

Quæ porrò tam perversi judicii ratio? audi Prophetam „ & violabunt me ad populum meum, ait, *propter pugillum „ hordei & fragmen panis*, ut interficerent animas, quæ „ non moriuntur, & vivificarent animas, quæ non vivunt, „ mentientes populo meo credenti mendaciis.

Si munera aliaque temporalia olim prophetarum judicium perverterint & eorum verba mutaverint; num forsan minus efficacia hodie illa censebimus ad oculos Sacerdotum excæcandum, eorumque judicium pervertendum?

XVI. Meritò proinde monuit in suis Ordinationibus Episcopus Gandensis anno 1629. *tit.* 3. *cap.* 2. "Caveant e„ tiam Confessarii, ne quæ commoda temporalia, sibi vel „ suis (occasione Confessionis) à pœnitentibus aucupen„ tur; neque convenit, ut ipsorum temporalibus bonis ad„ ministrandis se misceant.

Idem in suis Ordinationibus habet Gaspar Nemius Episcopus Antverpiensis *tit. De Sacramento Pœnit. num.* 13.

Item Synodus Namurcensis anno 1659. *tit.* 5. *cap.* 16.

Verbo: "ad audiendas Confessiones, non inani gloria, non „ lucri cupiditate, non curiositate, non denique ullo hu„ mano affectu ductus; sed salutis fidelium procurandæ „ studio inflammatus accedet; " ut loquitur S. Carolus loco citato.

Plura hanc in rem videri possunt in tractatu meo de *Simonia circa Beneficia & administrationem Sacramentorum parte* 1. *cap.* 7. ubi unà ostendi, qui de hac munerum aut temporalium expectatione meritò habeantur suspecti; ac dein §. 3. monui, quam periculosum sit, multisque incommodis obnoxium, quod Sacerdotes cogantur vivere ex honorariis à Pœnitentibus oblatis; quodque pro Pœnitentium numero etiam augeantur temporalia vitæ subsidia.

XVII. Si secundum modernam Ecclesiæ disciplinam, atque invariabiles Evangelii regulas, Sacerdotes debeant hodie non secus ac olim, pro qualitate criminum & pœnitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere, convincitur, quàm meritò ipsi etiam Confessarii reflectant ad eam curam & sollicitudinem, quam jam pridem Patres in discernendis ac statuendis Pœnitentiis & peccatorum remediis adhibuerunt, quam capite præcedenti exhibuimus; eo fine ut Confessarii intelligant, quàm moderatè, circumspectè ipsi in his procedere debeant; cum nec in scientia, nec vitæ Sanctitate Patribus istis comparari queant.

XVIII. Hactenus dicta insuper ostendunt, quod tametsi Confessarii hodie non adstringantur ad imponendas pœnitentias juxta præscriptum Canonum Pœnitentialium, horum tamen notitia non uno titulo sit etiamnum hodie perutilis.

Primò quidem ut ex horum notitia aliquo usque possint de criminum gravitate judicare.

Si enim non tantum in certis casibus aut singularibus circumstantiis, sed constanter & ubique uni peccato præ alio gravior ac diuturnior pœnitentia imposita deprehendatur, pro indubitato erit, ex mente Patrum, illud præ hoc gravius esse: cum semper fixum fuerit & indubitatum, pœnitentias, sepositis particularibus circumstantiis, secundum gravitatem criminum esse imponendas.

Exempli gratia, dum in omnium temporum ac locorum Canonibus & libris pœnitentialibus videbitur pro fornicatione, etiam simplici non minorem unquam, sed fre-

quen-

quentissimè majorem, quàm *annalem* pœnitentiam, in jejuniis aliisque carnem cruciantibus operibus peragendam, fuisse impositam; pro ebrietate verò, etiam in homine Ecclesiastico, atque etiam cum aliqua circumstantia aggravante, 40. duntaxat dierum, aut in Laico 15. aut 7. dierum, nequaquam dubium esse poterit, quin fornicationem multo graviorem, quàm ebrietatem Patres & Concilia Canonum illorum auctores existimaverint.

XIX. Secundò notitia horum Canonum utilis erit; ut ipsis peccatoribus ostendatur (uti etiam monet celebris ille Canonum interpres Antonius Augustinus in præfatione ad libros pœnitentiales à se vulgatos) quam pœnitentiam & vindictam illis peccatis olim Patres imposuerint; ut ità levius ferant pœnitentias leviores & modum leviorem, quibus nunc cum illis agitur; videbuntque verissimum esse quod observat Eminentissimus Aguirius *Dissert.* VIII. *ad Concil. Tolet.* III. *n.* 159. "Satisfactiones imponi solitæ hoc tempore ante vel post absolutionem pro gravioribus peccatis (etiam ab iis Confessariis qui *rigidi* habentur, & *crudelitatis* incusari solent, tamquam *conscientiarum carnifices*) non æquant ne centesimam quidem partem ejus pœnitentiæ, quam imponebant Canones illi nec penes durationem, nec secundum acerbitatem: ut patebit consideranti.

XX. Tertiò hi Canones ostendent, quomodo de acceleratione vel procrastinatione reconciliationis, non tam ex verbis, quam operibus pœnitentium statuendum sit. Ut enim *Canone* 13. Nicæno cavetur: Episcopus de iis pœnitentibus aliquid humanius statuere, & tempus pœnitentiæ contrahere poterit, qui *lacrymis, tolerantia* & *bonis* Operibus *conversionem* & Opere *& habitu ostendunt*. E quibus quoque facilè constabit, ut loquitur Aguirius, "quam injustè & imprudenter ii (delicati peccatores) criminentur Confessarios (quamvis doctos, pios ac notæ prudentiæ) nolentes absolutionem impendere *statim*, sed illam differentes donec ea *pœnalia opera* exhibeantur per aliquot hebdomadas, vel dies saltem, juxta prudens ipsorum judicium.

XXI. Serviet denique horum Canonum notitia, ut sint ipsis Sacerdotibus regulæ directivæ, in quibus tamquam in speculo videant quæ Pœnitentiæ ex mente SS. Patrum his illisve peccatis convenientes judicatæ fuerint; ac tum ipsi pro conditione temporum; personarum aliarumque circumstantiarum judicent, qualiter has Pœnitentias moderari aut mutari oporteat.

XXII. Unde nullatenus horum Canonum notitia tamquam inutilis rejicienda.

Et quidem qui ad studiosæ Juventutis instructionem Corpus Canonicum compilavit, ad calcem Decreti, Gratiani Canones Pœnitentiales exhibet cum hac epigraphe: *Canones Pœnitentiales quorum notitia viris Ecclesiasticis est* VALDE NECESSARIA: *sunt enim regulæ* DIRECTIVÆ *ad Pœnitentias imponendas.*

XXIII. Notitiam horum Canonum præterito seculo non inutilem credidisse zelosum ac sanctorum Canonum scrutatorem & instauratorem S. Carolum patet ex ejus Concilio I. *parte* 2. *tit.* 6. ubi ait: *Confessores Canones Pœnitentiales bene noverint.* Et in Concilio V. *parte* 3. §. 2. præcipitur, ut Examinandi interrogentur: *An Canones Pœnitentiales ritè teneant.*

Fructus qui ex horum Canonum notitia hauriendi sunt uno non loco exposuit: "Patres docuerunt (ait in præfatione ad Canones pœnitentiales à se editos) quàm *necessaria admodum* sit Sacerdotibus Canonum pœnitentialium scientia. Etenim si omnia quæ ad pœnitendi modum pertinent, non prudentia solum ac pietate, sed justitia etiam metienda sunt; certè norma hæc è Canonibus Pœnitentialibus sumatur oportet. Sunt namque ii quasi regulæ quædam, quibus tum ad culpæ commissæ gravitatem rectè dignoscendam, tum ad imponendam pro illius ratione VERAM POENITENTIAM Sacerdotes Confessarii dirigantur, aut ibi singula, & quæ ad peccati magnitudinem & quæ ad pœnitentis statum, conditionem, ætatem, intimumque cordis contriti dolorem, pertinent, accuratè perpenderint; tum demum pœnitentiam judicio ac prudentia sua moderentur.

Et alibi postquam monuit, quod in imponenda pœnitentia Confessarius prudens esse debeat, ne forsan aut leviores, aut graviores & diuturniores, quam oportet, imponat, pro remedio non errandi subjungit: "Ideo Sacerdos *Canones Pœnitentiales* consulet, quibus licet cum prudentia, discretione & modo, pro pœnitentis contritione, qualitate, statu, aliisque circumstantiis uti debeat, observandi tamen sunt, ità ut juxta eos quasi traditam sibi regulam Sacerdos se gerat prout expedire ei visum fuerit; & quando pœnitentiam Canonum rigori omninò conformem non imponet, eam tamen pœnitenti significabit, ut ad contritionem eum moveat, & leviorem injunctam pœnitentiam ipse ardentius exequatur; motus scilicet ex hodiernæ Ecclesiæ benignitate, qua antiquioris disciplinæ rigor mitigatur.

XXIV. Ut verò faciliùs horum Canonum notitiam hauririre possent Confessarii, illos ex variis Conciliis & Canonum Collectionibus juxta ordinem Decalogi disponi curavit; atque una cum instructionibus pro Sacramento Pœnitentiæ evulgavit; & hodie habentur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *parte* 4. quos Confessarii meritò consulent, & expendent.

CAPUT V.

De Ordinario Pœnitentiæ Ministro.

1. *Olim soli Episcopi Pœnitentes reconciliabant.*
2. *Hæc auctoritas multis seculis ipsis competiit quoad peccatores* publicos.
3. *Præcipua cura circa Pœnitentes Episcopis incumbebat.*
4. *Hi Diaconos & Presbyteros invigilandis Pœnitentibus delegabant.*
5. *Postquam pro peccatis* occultis *cœpta est agi pœnitentia* occulta, *pœnitentium reconciliatio ad presbyteros devolvi magis cœpit.*
6. *Seculo* 8. *& sequentibus Presbyteri erant frequentiores Pœnitentiæ ministri.*
7. *Non omnibus Presbyteris sed ferè solis Parochis respectu suorum Parochianorum hæc auctoritas competebat.*
8. *Pluribus seculis absolutio ab alieno Sacerdote sine licentia* proprii *habita fuit nulla.*
9. *Idem supponit Concilium Lateranense sub Innocentio* III.
10. *Seculo* 8. *cœpit dari facultas excipiendi Confessiones Fratribus Mendicantibus; & sensim aliis Presbyteris.*
11. *Creditum fuit, Fidelibus liberum esse eligere unum ex his Presbyteris in Confessarium.*
12. *Quomodo hæc privilegia & facultates concessa sint sine præjudicio* proprii *Sacerdotis.*
13. *Post concessa hæc privilegia & facultates mansit obligatio confitendi semel in anno* proprio *Sacerdoti.*
14. *Id declaravit Martinus* IV.
15. *Declaratio Concilii Basiliensis conformis.*
16. *Idipsum in contradictorio judicio decisum per Xystum* IV.
17. *Eamdem obligationem agnovit S. Carolus.*
18. *Synodus Atrebatensis idipsum declarat.*
19. *Non tantum à Laicis; sed & Clericis Synodi Belgicæ id exigunt; & quis sit singulorum* proprius *Sacerdos declarant.*

20. *Hanc obligationem fusè declararunt Archiepiscopus Cameracensis, & Episcopus Atrebatensis.*
21. *Quid de hac obligatione sentiat Ecclesia Gallicana?*
22. *Sententia Archiepiscopi Remensis super hoc jure Parochorum.*
23. *Ratio hujus juris & disciplinæ.*
24. *An ubique hoc Parochi æque urgere debeant?*
25. *Parochi haud facilè licentiam alteri Sacerdoti confitendi negare possunt; eorumque moram Episcopus supplere potest.*

I. PRæcipuam circa pœnitentes curam; nec non reconciliandi potestatem olim fuisse penes Episcopos dubitari nequit.

Sanctus Cyprianus *Epistola* 11. conquerens de quibusdam Presbyteris, qui pœnitentes ante actam pœnitentiam, contemptâ Canonicâ disciplinâ conciliabant, inter alia reprehendit quod se in consulto id facerent. Verba ejus sunt: "Audio quosdam „de Presbyteris nec Evangelii memores, nec quid ad „nos Martyres scripserint cogitantes, nec *Episcopo honorem* Sacerdotii sui & Cathedræ reservantes, jam cum „lapsis communicare cœpisse, & offerre pro illis, & Eu„charistiam dare, quando oporteat ad hæc *per ordinem* „perveniri. Nam cum in minoribus delictis, quæ non in „Dominum committuntur, pœnitentia agatur justo tem„pore, & exomologesis fiat, inspectu vitæ ejus qui agit pœ„nitentiam, nec ad communicationem venire quis possit, „nisi prius illi ab Episcopo & Clero manus fuerit imposi„ta, quanto magis in his gravissimis & extremis delictis „cautè omnia & moderatè secundum disciplinam Domini „observari oportet?

Perspicuum hinc est, Cyprianum existimasse, reconciliandi præcipuam auctoritatem fuisse penes Episcopum; Presbyterosque eam sine auctoritate Episcopi dando, Canonicam disciplinam infregisse: quod etiam Morinus advertit, addens: "Exigebat enim Ecclesiæ disciplina, ut pu„blicæ pœnitentiæ rei *ab Episcopo*, aut illius *jussu* reconci„lientur." *Lib.9. Cap.23. num.*7.

II. Hanc disciplinam pluribus seculis perseverasse, ut *publici* saltem criminosi & pœnitentiæ *publicæ* subjecti, non nisi ab Episcopo ejusve jussu reconciliarentur, constat ex *Can.3. Concilii Carthaginensis* II. ubi legitur: "Ab „universis Episcopis dictum est: Chrismatis confectio, & „puellarum consecratio, à Presbyteris non fiant, vel *re„conciliare* quemquam in *publica* Missâ Presbyteris non „licere; hoc omnibus placet." Apud Gratianum *caus.* 26. *q.*6. *Can.*1.

III. Hinc pristinis illis seculis summa Episcoporum vigilantia & cura fuit de pœnitentibus, toto tempore pœnitentiæ; ut intelligerent, an opera pœnitentiæ quemadmodum erant imposita ipsi Pœnitentes exequerentur; item quo animi affectu, diligentiâ, perseverantiâque pœnitentiam peragerent.

Ad hanc vigilantiam excitat Episcopos Synodus Nicæna *Can.*12. "In his omnibus examinare convenit consilium & „speciem pœnitentiæ, quicumque enim & timore & lacry„mis, & tolerantia & bonis operibus conversionem reapse „non specie tenus demonstrant, hi impleto auditionis „tempore quod præfinitum est, meritò orationum com„munionem habebunt, cum eo quod etiam liceat *Episcopo* „humanius aliquid de iis statuere.

Pluribus hæc prosequitur Morinus *Lib.6. cap.*16. ostenditque hanc in Episcopis vigilantiam & curam necessariam fuisse, ut de conversione, & dispositione justè judicare possent; atque dignoscere, qui citius, qui tardius ad reconciliationem essent recipiendi.

IV. Observat præterea, quod cum Episcopi non possent *per se* convenientem de omnibus pœnitentibus curam agere, Diaconos Presbyterosque delegisse qui Pœnitentibus invigilarent; atque opportuno tempore statum vitamque illorum ad Episcopum referrent.

V. Hæc Episcoporum auctoritas in pœnitentiis imponendis, moderandis, & tandem pœnitentibus reconciliandis, post seculum septimum sensim Presbyteris magis communicari cœpit.

Cùm enim post seculum septimum pro peccatis *occultis* desiit imponi pœnitentia *publica*, una quoque vulgatum fuit, pœnitentiam *occultorum* criminum Presbyteris concessam; *publicorum* vero Episcopis reservatam. Quo magis ergo labentibus seculis pœnitentia *publica* desiit, atque pœnitentia *occulta* & *privata* facta frequentior, etiam auctoritas pœnitentias imponendi, & pœnitentes reconciliandi ad Presbyteros magis magisque devolvi cœpit; adeo ut tandem nonnisi *solemnis* pœnitentia Episcopis reservata remanserit, ut *cap.*2 notatum fuit.

VI. Hinc videmus, libros pœnitentiales, nec non Canones pœnitentiales octavo & sequentibus seculis conditos, præcipuè ipsos Presbyteros, tamquam pœnitentiæ ministros respicere; cum antiquiores Canones ferè solos Episcopos instruant, atque dispensatores pœnitentiarum supponant.

VII. Verum hæc auctoritas non omnibus presbyteris ità competebat, ut omnes indifferenter Presbyteri indistinctè quoslibet pœnitentes reconciliare possent: sed erat penes solos illos presbyteros, qui specialiter ad curam animarum tamquam *proprii* Sacerdotes erant populo præpositi & deputati.

Sicuti enim his solis Sacramentorum & Divini verbi dispensatio respectu populi sibi concrediti competebat; ità quoque iis solis pœnitentiarum impositio & pœnitentium reconciliatio concredita erat.

VIII. Imò pluribus seculis obtinuit, ut confessio facta alieno Sacerdoti, & absolutio ab illo sine licentia proprii Sacerdotis obtenta in valida reputaretur. Neque ulli eo tempore licebat præter proprium Sacerdotem alium Confessarium, à quo validè absolveretur, eligere; nisi speciali privilegio esset munitus, quemadmodum in *Cap. fin. De Pœnit. & Remiss.* dicitur: "Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum „immineat animarum, *permittimus Episcopis* & aliis Su„perioribus, nec non minoribus Prælatis exemptis, ut etiam „præter sui Superioris licentiam providum & discretum „sibi possint eligere Confessorem.

Ad hunc textum rectè notat Glossographus: "Sic ergo „videtur, quod Episcopi vel alii inferiores Prælati ex„empti ante istam permissionem non poterant se subjicere „alicui Confessori sine licentia Superioris: quia nullus „Clericus sine licentia sui Episcopi potest eligere judicium „non sui judicis personæ vel rerum; ergo multò minùs ju„dicium animæ, quod majus.

Hujus Decretalis cum auctor scribatur Gregorius IX. apparet, adhuc seculo 13. hanc disciplinam viguisse; ut quisque suo proprio Sacerdoti sive Superiori confiteri deberet, nec sine hujus licentia alteri fas esset.

IX. Idipsum non obscurè supponit Concilium Lateranense sub Innocentio III. sub initium illius seculi celebratum in *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS 12 *De Pœnit. & Remiss.* Cum enim statuit, ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno proprio Sacerdoti: & injunctam sibi pœnitentiam studeat pro viribus adimplere; nonnullis de perceptione Eucharistiæ, & hujus Decreti promulgatione interjectis, subjicit: "Si „quis autem *alieno* Sacerdoti voluerit justa de causâ sua „confiteri peccata, licentiam prius postulet & obtineat „à proprio Sacerdote, *cum aliter ille ipsum non possit sol„vere vel ligare.*

Finalis hæc clausula satis patenter supponit, secundum disciplinam illius temporis, *alieno* Sacerdoti non fuisse potestatem solvendi vel ligandi sine licentia proprii Sacerdotis: cum aliàs ineptè à Concilio hæc ratio adduceretur, ad probandum,

Digitized by Google

bandum, licentiam proprii Sacerdotis esse necessariam, ut quis *alieno* Sacerdoti confiteri posset.

X. At exortis hoc & sequenti seculo Fratribus Mendicantibus, concessum iis fuit à variis Pontificibus; ut Fidelium ad eos accedentium confessiones liberè exciperent, iisque convenientes pœnitentias, & debitè dispositis absolutionem impartiri valerent; quibus etiam ipsi Episcopi eamdem facultatem dare cœperunt: quam & ad alios quoque Presbyteros, nullam specialem curam Animarum habentes, extenderunt.

XI. Vigore horum privilegiorum, ac Episcopalis auctoritatis cœperunt Fratres Mendicantes, atque alii Presbyteri Seculares nullam curam animarum habentes, omnium indifferenter fidelium ad se accedentium; pro tenore privilegii & auctoritatis Episcopalis, confessiones excipere; persuasumque fuit fidelibus, sibi liberum esse, hujusmodi Presbyteris etiam sine licentia *proprii Sacerdotis* confiteri; atque validè & licitè ab iis reconciliari.

XII. Verùm quemadmodum in privilegiis communiter salvum censetur *jus tertii*; ità quoque Pontifices & Episcopi hæc privilegia & facultates Regularibus aliisque presbyteris concessa voluêre salvo *jure Parochi*, sive *proprii* Sacerdotis; cui titulo curæ Animarum sibi concreditæ competit *jure suo* sive *ordinario* Sacramenta populo sibi subjecto administrare.

Sed quia juxta Ordinationem Concilii Lateranensis populus non videbatur, saltem ex præcepto Ecclesiæ adstrictus nisi *semel in anno* sua peccata confiteri; non videbatur *jure* proprii Sacerdotis aliquid detractum; si permitteretur populo ex devotione *alieno* Sacerdoti confiteri, si modò semel confiteretur in anno proprio Sacerdoti sicuti nihil detractum videbatur juri Ecclesiæ Parochialis, licet Fidelibus indulgeretur in Ecclesiis Regularium Sacram Eucharistiam sumere, modò *semel* in Paschate in Ecclesia *Parochiali* communicarent.

XIII. Ne ergo juri Parochi sive *proprii* Sacerdotis videretur per privilegia aut licencias generales Mendicantibus concessas derogatum, non semel declararunt Pontifices & Episcopi, ità liberum esse Fidelibus confiteri quoties voluerint Presbyteris Regularibus legitimè approbatis, ut tamen annuè semel *proprio* Sacerdoti confiteantur, aut alieno *de hujus licentia*.

XIV. Imprimis Martinus IV. anno 1281. in Bulla qua Fratribus Minoribus impartitur licentiam excipiendi Fidelium confessiones expressè declarat, quod ii qui Fratribus confitebuntur, *suis Presbyteris Parochialibus* confiteri, *saltem semel in anno*, *prout Concilium generale statuit*, teneantur, quodque iidem Fratres eosdem diligenter ad hæc & efficaciter secundum datam eis à Domino gratiam exhortentur.

XV. Referente Augustino Patricio in Historia Concilii Basiliensis inter cæteras Mendicantium assertiones à Concilio damnatas, erat hæc. "Fratres Mendicantes etiam non „ præsentatos Ordinariis, omnium Confessiones posse audi„ re, illosque qui apud ipsos sint confessi, *non obligari* etiam „ *semel* in anno confiteri *proprio* Sacerdoti, nec petere con„ fitendi veniam." *Cap.157. Extat tom.13. Conc. col.1608.*

XVI. Rursus seculo 15. Sixtus IV. in *Extrav.* VICES *De Trenga & pace in Communib.* præcipit, ut "ipsi Mendican„ tes desistant prædicare, quod Parochiani non sint obliga„ ti, saltem in Paschate *proprio* confiteri Sacerdoti: Quia (ait) „ *de jure tenetur* Parochianus *saltem in Paschate proprio* „ confiteri Sacerdoti.

Post hæc subjungit Pontifex: "per hoc tamen ipsi Fra„ tres Mendicantes non censeantur exclusi, quo minus se„ cundum *juris* communis & *privilegiorum* eis concesso„ rum dispositionem confessiones audire & pœnitentias in„ jungere valeant.

Ex sententia igitur Pontificis, ipsa privilegia Fratrum Mendicantium non intelliguntur, nisi cum hac clausula, *salvo jure Parochi* ad *annuam* confessionem suorum Parochianorum secundum Ordinationem Concilii Lateranensis.

Hanc privilegiorum expositionem utpote æquitati ac juri communi contonam, Synodi & Episcopi passim in suis Decretis expresserunt; nec aliter Regularium approbationes, tametsi illimitatas intelligendas declararunt.

XVII. Sanctus Carolus in Concilio Mediol. I. *parte 2. cap.6* ait: "Innocentii III. constitutionem in generali Con„ cilio editam, qua sancitum est, ut Fideles saltem semel in „ anno *proprio* Parocho peccata sua confiteantur, inviolatè „ omnes servent.

Non ergo suffecit Sancto Carolo, quod Fideles semel in anno confiterentur Confessario ab Episcopo legitimè approbato; sed voluit, ut *proprio* Parocho semel in anno confiterentur juxta constitutionem Concilii generalis.

XVIII. Synodus Atrecatensis sub Francisco Richardoto anno 1570. ità statuit: "Pastores diligenter considerent o„ vilia sua, & inscribant singulos qui (semel in anno saltem) „ confessi fuerint peccata propria, idque *proprio* Sacerdoti „ aut alteri idoneo, qui hujus rei *potestatem* habeat ab „ ipso *Pastore*, ut intelligat & plane cognoscat in suis gre„ gibus, an sint aliqui, qui hoc sanctum Ecclesiæ præcep„ tum negligant, quos tenebitur notare & deterre." *De Sacramento Pœnit. cap.2.*

Quid evidentius, quàm Synodi hujus Patres supponere, Parochianos semel in anno teneri confiteri *proprio Pastori*; aut alteri de Pastoris speciali licentia.

XIX. Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.7. cap.1.* mandat districtè observari *Canonem* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, ac deinde *cap.5.* declarat illum non de solis Laicis, verum etiam de *Clericis*, & omnibus qui in Ordinibus constituti sunt sive sacris, sive non sacris intelligendum esse, ac tandem *cap.6.* quis sit singulorum *proprius* Sacerdos ad mentem dicti Canonis exponit his verbis: "proprium „ autem Sacerdotem illum intelligi declaramus, cujus cu„ ræ quisque propriè subjectus est. Sic Parochus *proprius* „ Sacerdos est Parochianorum suorum, tam Sacerdotum ac „ Clericorum Parochiæ subservientium, aut in Parochia „ habitantium, nec ad certam Ecclesiam pertinentium, quàm „ laicorum. Sic Archipresbyterum seu Decanum Christia„ nitatis cujusque loci, *proprium* Sacerdotem esse & agnosci „ volumus Pastorum sui decanatus; sic Archipresbyterum „ civitatensem, *proprium* Sacerdotem, ut Pastorum sui deca„ natus, ità & cæterorum Archipresbyterorum sive Deca„ norum Christianitatis. Eorum qui dignitatem, Canoni„ catum, beneficium, vel officium, in Ecclesiis Collegiatis „ nobis subditis obtinent, *proprius* Sacerdos est is, cui ratio„ ne dignitatis animarum cura incumbit, aut, ubi hujus„ modi non est, cui nos id muneris crediderimus; Mona„ chorum, est Prælatus. Singuli itaque, juxta præscriptum „ hoc, *proprium* suum Sacerdotem agnoscant; aliquoties „ annis singulis, & ut minimùm semel, suo quique con„ fitentes.

Idipsum de Canonicis & Capellanis in Ecclesiis Collegiatis præcipit Synodus Cameracensis anno 1567. *tit. De Pœnit. cap.3.* ut nimirum saltem semel in anno confiteantur suis Decanis aut præpositis, tamquam *propriis* Pastoribus, videlicet in Paschate, aut saltem eo tempore alteri confitendi *licentiam* impetrent.

Idem non tantum à Canonicis & Capellanis, sed & Pastoribus aliisque Clericis observari vult Synodus Buscoducensis sub Messio *Tit. de pœnit. Sacram. cap. 4.* Similiter Iprensis sub Rithovio idipsum inculcat; addita ab omnibus hac ratione: *Non enim minus Ecclesiasticos, quam laicos obligat dictum Capitulum* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS.

Similia in aliis Synodis Belgicis sub idem tempus celebratis leguntur; additque Synodus Tornacensis anno 1574. *Tit. De Sacram. Pœnit. cap.4.* "Et ob id nullus Sacerdos re„ gularis vel secularis, etiam privilegii Apostolici prætextu, „ tempore quadragesimæ, pœnitentium confessiones exci-

„excipere præsumat, nisi de impetrata à Pastore licentia, eidem innotuerit."

XX. Demum sub finem præcedentis seculi, occasione cujusdam controversiæ inter Parochos & Fratres Mendicantes in civitate Duacensi; & brevis Clementis VIII. hac de causa missi ad Nuncium Apostolicum Bruxellis residentem, Archiepiscopus Cameracensis & Episcopus Atrebatensis litteris suis Pastoralibus datis 26. Februarii 1594. id est, biennio post emanatum Breve Clementis VIII. scripserunt, "juxta laudabilissimam consuetudinem observatam in Cameracensi Diœcesi nostra, & per totam Rhemensem Provinciam, unde antea dependebat; huc etiam additis Synodalibus nostris, nostrorumque Prædecessorum Decretis; quorum aliqua trecentis annis & ampliùs vetusta sunt; *obligatos* estis confiteri semel in anno, scilicet pro Paschate *proprio* vestro Curato vel alii de ejus licentia: ut post Pascha rationem Nobis, prout per præfata Decreta tenetur, de defectuosis reddere valeat.

Hæc in Litteris Archiepiscopi Cameracensis, quibus ad verbum respondent litteræ Episcopi Atrebatensis; hoc solo excepto quod pro his verbis: *Et per totam Rhemensem Provinciam unde antea dependebat*, in Litteris Atrebatensis habeatur: *Et per totam Provinciam Cameracensem, quondam Provinciam Rhemensem unde ante Diœcesis nostra dependebat.*

Declarant præterea, huic præcepto & consuetudini *per Sanctissimum Dominum nostrum Papam* (Clementem VIII. intelligunt) *vel Prædecessores ejus, minimè derogatum fuisse.* Quod latius ostendit Bonaventura Basseau in suo Theophilo Parochiali *part. 4. art. 15.*

XXI. Quid de disciplina censeant Episcopi Ecclesiæ Gallicanæ, præterquam quod eam in omnibus penè suis respectivè Synodis stabiliant, dignoscitur ex Declarationibus quas non semel Clerus Gallicanus edidit; ac signanter novissimè anno 1665. in generali Congregatione Cleri habita Parisiis eam his verbis expressit: "Juris obligatio qua Fideles *tenentur confiteri* & communicare semel in anno, præscripta è Concilio Lateranensi sub Innocentio Papa III. confirmata in Concilio Trid. & explicata à S. Carolo in priore Synodo Mediol. religiosè observari debet. Quamobrem curabunt Fideles, ut Paschatis tempore *confiteantur*, & communicent in *sua Parochia*, nisi ab Episcopo, generali illius Vicario vel *Parocho* extra Ecclesiam confiteri permissi fuerint.

XXII. Conformiter ad has Cleri Gallicani Declarationes necnon Decretum Concilii Provincialis Rhemensis anni 1583. *tit. De Pœnitentia*, orta super hoc jure Parochorum controversia in civitate Ambianensi, atque per appellationem causa devoluta ad Archiepiscopum Remensem tamquam Metropolitanum, hic per sententiam definitivam 22. Martii 168 . declaravit, "Quod hæc obligatio confitendi *proprio* Parocho, aut ab eo petendi & obtinendi licentiam confitendi alteri Sacerdoti, intelligenda sit de confessione annua, ad quam omnes utriusque sexus Fideles tenentur infra quindenam Paschalem conformiter ad usum Ecclesiæ Gallicanæ; & signanter hujus Provinciæ (Remensis) ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ expresso in Canone *Omnis utriusque sexus* Concilii Lateranensis IV. Quod Canon Concilii Provincialis Remensis interpretatus juxta usum constantem illius Provinciæ, taliter obliget utriusque sexûs Fideles, ut iis licitum non sit instituendi confessionem suam *annuam* omni alteri Sacerdoti sive seculari sive regulari, etiam legitimè & indefinitè approbato sine *speciali* licentia sui Parochi aut Episcopi Diœcesani: qui Episcopus eam cum cognitione causæ dare potest recusante Parocho; imò & concedere in certis casibus, & ob rationes ipsi notas & bonum conscientiarum illis qui in his casibus non habuerint recursum ad Parochum, quem ordinariè Fideles suo Parocho debent, sed directè se Episcopo præsentarunt. Quodque Confessarii seu seculares, seu regulares etiam legitimè & indefinitè approbati nequeant absolvere illos, qui ad satisfaciendum *annuæ* confessioni per Concilium Lateranense præceptæ, non petiissent & obtinuissent licentiam *specialem* sui Curati aut Episcopi modo supra descripto.

XXIII. Rationem hujus disciplinæ jam pridem exposuit S. Bonaventura in Tractatu *Quare Fratres Minores prædicent*: "Primò quidem ut Pastor cognoscat in quo statu quilibet commissorum sibi sit, ut sic item sciat medicinam ei competentem exhibere, instructionis, correctionis, consolationis. Secundo ut noscat quibus possit Corpus Christi indulgere, vel quos è Sacramentis arcere. Deinde ut discernantur obedientes à negligentibus vel hæreticis per observantiam talis Statuti.

XXIV. Cæterum cum præceptum *annuæ* confessionis juxta *Canonem* OMNIS UTRIUSQUE faciendæ *proprio* Sacerdoti in pluribus Belgii hujus Diœcesibus nec ab Episcopis nec à Pastoribus urgeatur, neque à tempore immemoriali aliquod speciale Decretum super hujus præcepti observantia emanavit, apparet, Fideles illarum Diœcesium per tacitum Prælatorum & Pastorum consensum, hactenus ab ea obligatione solutos; saltem quousquè Episcopi & Superiores eam novis Decretis urgebunt.

Inferioribus verò Curatis in hujusmodi Diœcesibus hanc disciplinam sive obligationem privata auctoritate urgere, & introducere non convenit; ne aliis silentibus aut secus sentientibus Episcopis, plus destruant, quàm ædificent; ipsasque Parochias suæ curæ commissas sine fructu turbent, animosque Fidelium inquietent.

At ubi Episcopi hactenus eam disciplinam urgent ac tuentur, suisque Decretis stabiliunt, & Fideles ei obedire, & inferiores Curati aliique Confessarii seu seculares seu regulares se illis conformare tenentur.

XXV. Ne vero stante hac disciplina conscientia subditorum nimium constringatur, præcipiunt passim Synodi, ne Parochi postulantibus licentiam alteri confitendi eam facilè negent.

De hac licentia in sua Synodo Diœcesana XI. ità loquitur S. Carolus: "In Diœcesi autem & generatim & sigillatim Parochus se facilem præbeat, in consentiendo Parochialibus suis, de quibus nulla sit suspicio, eos medicinæ vitandæ causa Parochi judicium subterfugere, ut ad alios Confessarios à nobis testimonio scripto probatos se conferant, qui peccatorum suorum confessionem audiant. Imo vero eam facultatem spontè sigillatim offerre debet iis, qui lites, controversias, dissentionesve secum exercuerint, exercentve, de iis præsertim rebus, quæ ad munus spirituale parochialis curæ non attinent. Quâ in re si Parochus defuerit, tunc is Vicarius foraneus facultatem concedat, licet ut alios Confessarios adire possint. Verùm ne idem Vicarius foraneus & Parochus generatim contentus, eos à quo voluerint Confessario audiri, sed ab eo, quem ipse, vel Parochus, vel Vicarius maluerit; vel ab illo quem è pluribus piis & peritis ab eodem Parocho & Vicario propositis, Pœnitens ipse sibi delegerit.

Quin & istud constat, ipseque Carolus in præallegatis verbis expressit, si Parochus in concedenda licentia justo morosior fuerit, Episcopum ejusve Vicarium eam licentiam dare, & defectum Parochi supplere posse; quin & interdum eam licentiam dare iis, qui eam à Parocho non petierunt.

CAPUT VI.

De Approbatione Confessariorum, & ejus Limitatione ac Revocatione.

1. *Primis seculis Presbyteri non erant* ordinarii *Ministri Sacramentorum.*
2. *Qua ratione Presbyteri cœperint functiones obire* jure ordinario?

3. Ob-

3. *Obtinentes Beneficia Curata jure* ordinario *seu proprio administrant Sacramentum Pœnitentiæ.*
4. *Parochiale Beneficium obtinens ex Decreto Concilii Trid. vi sui Beneficii excipere potest Confessiones.*
5. *Ratio hujus Decreti; & ea obtinet in omni Beneficio Curato.*
6. *Dimisso Beneficio Curato exspirat facultas audiendi Confessiones.*
7. *Curatum Beneficium possidens non est approbatus per totam Diœcesim.*
8. *Sanctus Carolus supposuit Parochum titulo sui Beneficii extra Parochiam non posse excipere Confessiones.*
9. *Vi consuetudinis Parochi sine* speciali *Episcopi approbatione excipiunt Confessiones extra Parochiam; & in quo hæc consuetudo fundata?*
10. *Etiam in quibusdam Ecclesiis Parochi unius Diœcesis possunt excipere Confessiones in alia Diœcesi sine speciali Episcopi approbatione.*
11. *In quo hæc consuetudo fundata; & quare de ea interdum inquirendum.*
12. *Presbyteri non habentes Beneficium Curatum sine approbatione Episcopi Confessiones excipere nequeunt.*
13. *Approbatus in una Diœcesi non potest in alia Diœcesi vi hujus approbationis Confessiones excipere.*
14. *Propositio contrarium asserens censurata.*
15. *Nec sine hac approbatione Confessiones excipere potest in Monasteriis* exemptis.
16. *Presbyter quantumvis doctus & capax non potest excipere Confessiones nisi* reipsa *approbatus.*
17. *Approbatio Presbyterorum non habentium Beneficium Curatum pro arbitrio Episcopi limitari potest.*
18. *Contraria assertio censurata.*
19. *Hæc limitatio etiam procedit quoad* personas.
20. *Solent excipi in Belgio Moniales.*
21. *Regulares sine Episcopi approbatione nequeunt excipere Confessiones Monialium Regularibus subditarum ex Constit. Gregorii XV.*
22. *Dubia occasione hujus Constitutionis; & eorum resolutio.*
23. *Possunt quæcumque personæ à generali approbatione excipi.*
24. *S. Carolus excepit Clericos; & quare?*
25. *Potest etiam approbatio limitari ad locum; & quomodo ea auctoritate usus sit S. Carolus.*
26. *Quomodo approbatio semel data possit revocari?*
27. *Auctoritatem Episcopalem in limitanda & revocanda approbatione etiam Regularium speciali Edicto roboravit Rex Galliæ.*
28. *An Vice-Pastorum approbatio tam facilè revocari queat, quàm aliorum.*

I. PRimis Ecclesiæ seculis præcipuam auctoritatem & curam imponendi ac moderandi Pœnitentias; nec non Pœnitentes reconciliandi fuisse penes Episcopos, ostendimus capite præcedenti.

Imò hæc auctoritas ità propria erat Episcopis, ut non nisi auctoritate & licentia ab his accepta, Presbyteri inferiores quicumque Pœnitentias injungere, atque Pœnitentes reconciliare possent.

Qua pluribus seculis, sicut in aliis Ecclesiasticis functionibus, ità in hac Presbyteri non nisi *Delegatâ* quasi ac *Vicariâ* auctoritate Episcoporum auctoritate fungebantur.

II. Postquam verò labentibus seculis Beneficiorum Ecclesiasticorum tituli erecti fuerunt, cœperunt Presbyteri, qui Beneficia Curata obtinebant, functiones Beneficiis illis annexas jure *ordinario*; sive *jure* suorum Beneficiorum seu titulorum obire; atque functionum illarum dici Ministri *Ordinarii.*

III. Cùm igitur præcepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est oves suas agnoscere, atque *Sacramentum administratione pascere*, ut loquitur Tridentinum *Sess. 23. cap. 1. De Reform.* etiam *jure divino* quodammodo mandatum censetur Sacerdotibus quibus curam animarum commissa est, Fidelibus hoc Sacramentum administrare.

Cùm verò juxta modernam Ecclesiæ disciplinam Presbyteri Beneficium Parochiale aliudve Curatum in titulum possidentes censeantur habere curam Animarum *jure ordinario*, seu vi sui tituli Beneficialis, etiam reputantur hujus Sacramenti *Ordinarii* Ministri; sive habere auctoritatem excipiendi confessiones eorum ad quos Cura Animarum beneficio annexa se extendit.

IV. Unde Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 15. De Reformatione* decernens, nullum Presbyterum etiam Regularem posse confessiones secularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopo approbationem obtineat, excepit tamen: *Nisi Parochiale Beneficium obtineat*: quâ exceptione ostendit, Presbytero *Parochiale* Beneficium obtinenti, nullam specialem approbationem Episcopi necessariam esse, ut confessiones excipere queat.

V. Neque ratio obscura est. Quandoquidem enim hujusmodi Beneficium obtinendo unà Curam Animarum annexam obtineat, etiam cum cura animarum auctoritatem administrandi hoc Sacramentum accepisse censetur; idque eodem titulo sive jure quo ipsam animarum curam accepit, scilicet *jure ordinario.*

Et licèt Synodus loquatur dumtaxat de habentibus Beneficium *Parochiale*; idem nihilominus eâdem ratione & fundamento obtinet in quocumque Beneficio sive Dignitate seculari & regulari, cui vera & interna cura animarum incumbit: ut ii qui hujusmodi Beneficia aut dignitates obtinent, & curam animarum iis annexam acceperunt, censeantur unà accepisse facultatem accipiendi confessiones eorum ad quos eorum cura se extendit; atq; eatenus *ordinarios* hujus Sacramenti Ministros reputari; neque speciali approbatione ad confessiones excipiendas indigere: quod notoria praxis in Decanis Canonicorum nec non Abbatibus, Prioribus Conventualibus aliisque similibus ostendit.

VI. Porrò cùm hæc auctoritas excipiendi Confessiones profluat ex ipsa Cura Animarum Beneficio Parochiali aut Curato annexa, si Curam Animarum per dimissionem Beneficii aliove titulo habere desinat, auctoritatem quoque excipiendi Confessionem à Cura Animarum unicè dependentem amisisse censebitur; quod in terminis tradit Piasecius in Praxi Episcopali *parte 2. cap. 1. num. 10.*

VII. Similiter quia cura animarum non se extendit ultra limites Parochiæ aut personarum in quas vi sui Beneficii curam accepit, neque auctoritas excipiendi confessiones in consequentiam illius competens se ulterius extendere potest: etiam nullatenus vi sui Beneficii Curati dicendus est habere facultatem excipiendi Confessiones per totam Diœcesim.

Unde interrogata S. Congregatio, "An provisus de Parochiali per concursum, censendus sit approbatus idoneus minister ad audiendas Confessiones in illa Diœcesi in qua illam Parochialem obtinet? Respondit, censeri dumtaxat in ea civitate vel oppido ubi sita est Parochialis, non autem passim per totam Diœcesim." Apud Piasecium ibidem.

VIII. Sanctus Carolus dans facultatem Parochis, ut tempore Paschali aliorum Parochorum ministerio ad audiendas Confessiones uti possent, declaravit in Synodo sua Diœcesana XI. " Id de Parochis tantummodo intelligi, quibus *extra Parochiæ propriæ* fines ad audiendas confessiones probatis, in scriptis *facultas* data est.

Hic manifestè supponit S. Carolus, facultatem excipiendi confessiones Parocho vi suæ Curæ Pastoralis competentem, extra fines propriæ Parochiæ non extendi; tametsi etiam alterius Parochi consensus accedat.

IX. At cùm jam passim invaluerit, ut Presbyteri tam Seculares, quàm Regulares etiam nullum Beneficium Curatum habentes, simpliciter approbati ad audiendas Confessiones, haberentur approbati per totam Diœcesim; ac possent in omnibus Parochiis Diœcesis, saltem de consensu Parochorum Confessiones excipere, consuetudine tandem ac tacito Episcoporum consensu invaluisse videtur, quod Parochiale Beneficium obtinens, in vim illius censeretur approbatus ad audiendas Confessiones per totam Diœcesim & in omnibus Parochiis hujus Diœcesis de solo consensu Parochorum; tametsi nullam specialem approbationem ad audiendas Confessiones ab Episcopo obtinuerit, præter eam quæ cum ipsa Cura animarum data fuit.

Apparebat enim injustum, quod Vice-Pastores aliique inferiores Presbyteri ad Confessiones audiendas, etiam duntaxat ad certum tempus, approbati, possent per totam Diœcesim eâ facultate uti de solo Parochorum aut aliorum quorum interest consensu, Parochi verò hujus Sacramenti *ordinarii* Ministri auctoritatem haberent adeò arctatam.

Hinc passim Parochus unius Parochiæ advocare solet vicinos Parochos, ut sibi in Confessionibus audiendis subsidio sint; iique publicè Confessiones in aliorum Parochiis excipiant; tametsi nullam specialem approbationem habeant: quam praxim non obscurè probavit Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit. 5. cap. 7.* permittens "Pastoribus „qui in aliorum veniunt auxilium, tempore Indulgentia„rum, vel Turni, Confraternitatum, aut aliâ justâ causâ, „etiam audire Confessiones in aliorum Ecclesia Parochiali.

X. Quin ulterius addit: "Prout etiam Pastores qui in alia „Diœcesi approbati sunt; quod similiter locum habebit in „Ecclesiis Regularium. Videant tamen ut ii quos in subsi„dium admittent, apti sint, scientes conscientiam suam de„super onerari.

Cæterùm cùm hæc Parochorum facultas excipiendi Confessiones extra fines propriæ Parochiæ & personarum sibi non subditarum, non profluat ex ipsa Cura Pastorali, sed ex consuetudine tacito consensu Episcoporum probata si de hac consuetudine & tacito Episcoporum consensu alibi sit dubium, meritò Episcopi & Archi-Presbyteri de ea consulentur; nec aliàs ipsum Sacramentum vitio nullitatis exponatur.

Hæc tamen inquisitio præcipuè requiritur de Parochis ex aliena Diœcesi adventantibus. Major enim difficultas est ut Parochus alienæ Diœcesis sine ulla Episcopi Diœcesani approbatione admittatur ad excipiendas Confessiones de sola Parochi aut Superioris Regularis licentia; quemadmodum Synodus Namurcensis permittere videtur. Neque enim id passim receptum videtur, neque pro recepto habendum, nisi de Episcoporum consensu satis constet.

XI. Ante Concilium Tridentinum Parochis jus fuit cuicumque Presbytero nec Parochiale Beneficium habenti, nec per Episcopum specialiter ad audiendas Confessiones approbato, dandi licentiam excipiendi Confessiones suorum Subditorum, quemadmodum hodie Parochus potest dare licentiam cuilibet Presbytero assistendi Matrimonio, administrandi Viaticum &c. uti communiter docent Canonistæ, & satis indicat *Cap.* OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, dum præter licentiam *proprii* Sacerdotis nihil requirit, ut Fideles alteri Sacerdoti confiteri queant.

Proinde non ità absonum apparet, si Episcopi Parochis permitterent licentiam assumendi in subsidium ad Confessiones audiendas non quemlibet Presbyterum, sed Parochum, qui ut ordinarius hujus Sacramenti minister admissus est, saltem in sua Parochia: quia tamen hæc à consuetudine & Episcoporum consensu dependent, de his antea inquirendum priusquam quidquam in praxim deducatur.

XII. Quoad Presbyteros seu seculares seu regulares Beneficium Parochiale non habentes, decernit Synodus Trid. „Nullum etiam regularem posse confessiones secularium „etiam Sacerdotum audire, nec ad idoneum reputari, nisi „ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessa„rium, aut aliàs idoneus judicetur, & approbationem obti„neat.

Ex hoc Decreto manifestum est, Synodum quoad approbationem & examen, hic per omnia Presbyteros seculares & regulares Beneficium Parochiale non habentes æquiparare: ità ut eadem in utrisque requirantur; atque æqualiter in hoc puncto ab Episcopis dependeant; & excipiendi confessiones auctoritatem accipere debeant; idque *privilegiis, & consuetudine quacumque, etiam immemorabili non obstantibus*; uti in fine sui Decreti declarat Synodus.

XIII. Cùm verò Presbyteri nullam in populum jurisdictionem sive Clavium potestatem vi sui Beneficii habentes, eam juxta Decretum Concilii Tridentini accipere debeant ab Episcopo vigore approbationis ab ipso obtentæ; ipsa autem Episcopi jurisdictio se ultra fines suæ Diœcesis non extendat, consequens est; nec Episcopum per suam approbationem eam ultra suam Diœcesim extendere posse; & consequenter, quod approbatio Episcopi quantumcumque generaliter & illimitatè concessa nequeat approbatum idoneum reddere ad confessiones excipiendas extra Diœcesim; quandoquidem ad confessiones audiendas & absolutionem impendendam requiratur in Sacerdote jurisdictio seu potestas Clavium in Pœnitentem, quam extra limites suæ Diœcesis, & in non suos subditos Episcopus dare non potest.

XIV. Quapropter merito in generali Cleri Gallicani Conventu constante ex 10. Archiepiscopis, 73. Episcopis, pluribusque Abbatibus, aliisque Prælatis, damnata fuit hæc quorumdam assertio: "Regulares Ordinum Mendicanti„um semel approbati ab *uno Episcopo* ad confessiones au„diendas *in sua* Diœcesi, habentur pro approbatis *in aliis* „Diœcesibus, *nec novâ* indigent Episcoporum approba„tione.

Eandem postmodum in suo ad Henricum Episcopum Andevagensem misso Decreto reprobavit Alexander VII. tamquam *falsam*, & *saluti animarum perniciosam*.

XV. Quin eodem nixus fundamento, declaravit S. Carolus: "Ne in Monasteriis quidem & locis, ubi Regulares spi„ritualem temporalemque jurisdictionem habent, quis„quam Sacerdos etiam *regularis & exemptus* confessio„nes audiat, nisi primum ab Episcopo, *intra cujus Diœcesis* „*fines* ea Monasteria locaque sunt, ad id probatus fuerit.

XVI. Ulterius cùm regularis Presbyter æquè ac secularis per approbationem accipere debeat jurisdictionem ad excipiendas Confessiones necessariam, sequitur, quod nec ille quantumvis doctus & capax ad excipiendas Confessiones auctoritatem habere censendus sit, nisi reipsa approbationem obtinuerit; tametsi etiam *injustissimè* ab Episcopo eam negari supponatur; quod sat clarè expressit Pius V. in Bulla quæ incipit *Romani Pontificis* 133. in Bullar. Rom. declarans, nec Lectores Theologiæ posse Confessiones excipere ni *prius* ab Episcopo *approbationem obtinuerint*. Et Alexander VII. in Decreto de 24. Septemb. 1665. inter varias propositiones hanc ordine 13. damnavit: "Satisfacit „præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari, „Episcopo præsentato, sed ab eo *injustè* reprobato.

„Hinc fit ut si aliquis Doctor, vel in Sacra Theologia „Professor licentiam petierit, & *injustè* ei negetur, non cen„seatur approbatus;" ità post alios citatos resolvit Barbosa De Officio Episcopi *Allegat.* 25. *num.* 15.

XVII. Sicuti Presbyteri seculares Beneficium Parochiale seu Curatum non habentes, nullam *ordinariam* seu Beneficio annexam jurisdictionem habent, vi cujus Confessiones excipere queant; sed solam *Delegatam* sive *Vicariam*; similiter Presbyteri Regulares, etiam Mendicantes nulli Beneficio Parochiali præfecti, solam jurisdictionem *delegatam* per approbationem Episcopi accipiunt.

Jurisdictionis autem *Delegata* ea est natura, quod pro arbitrio ac voluntate Delegantis restringi ac limitari ad tempus, personas, atque materiam possit.

Huic notissimo juris principio innixi Episcopi aliique Prælati Clerum Ecclesiæ Gallicanæ constituentes; sæpius

in

in suis generalibus Conventibus declarârunt, quod " Regulares, qualiacumque privilegia aut immunitatem obtendant, Sæcularium Confessiones audire non poterunt, quin Episcopi Diœcesani examen subierint, & ab ipso, vel ejus Generali Vicario fuerint approbati, è *quorum nutu & arbitrio pendebit ius vel temporariam, vel perpetuam Confessiones accipiendi facultatem facere, vel sub quacumque restrictione placuerit concedere.*

Quin & anno 1650. idem Clerus Gallicanus per litteras circulares significavit omnibus Episcopis; ut *quemadmodum in Italia*, quin & ROMÆ *& plurimis aliis Provinciis & Diœcesibus observatur, post hac nulli Regulari detur facultas excipiendi Confessiones nisi ad* CERTUM TEMPUS *limitata.* Hac insuper formulâ admissionis Regularium ad excipiendas Confessiones, & annuntiandum Verbum Dei præscriptâ *N. Ecclesiæ N. Episcopus dilecto nobis in Christo N. Ordinis vel Societatis N. Presbytero, salutem & benedictionem. Cùm multa J. Christi messis, nos cogat, undequaque ad auxilium nostrum operarios advocemus, teque Charissime Frater, pium & doctum examine noverimus, aptumque ut sub nostri regiminis magisterio procuranda fidelium saluti inservias, Verbo Dei prædicando, administrandoque Pœnitentiæ Sacramento admovere statuimus* AD (hic debet exprimi tempus) PRÆSENTIBUS POST ILLUD TEMPUS NON VALITURIS; *eâ tamen conditione, ut à casibus nobis reservatis non absolvas.*

XVIII. Cùm verò non obstante hac perspicuâ juris ratione; atque iteratâ totius Cleri Gallicani declaratione; nec non notoriâ praxi, etiam Ecclesiæ Romanæ, quidam in Diœcesi Andegavensi sustinere veriti non essent hanc assertionem: *Ubi Concilium Tridentinum est receptum, non possunt Episcopi* RESTRINGERE *vel* LIMITARE *approbationes, quas Regularibus concedunt ad Confessiones audiendas*; eam primùm Clerus Gallicanus censuravit; ac postmodum Alexander VII. in citato Decreto ad Episcopum Andegavensem, *falsam, temerariam, scandalosam, in hæresim, & schisma inducentem, Sacro Concilio Tridentino, & Sedi Apostolicæ injuriosam* declaravit.

XIX. Quemadmodum judex delegans suam jurisdictionem, illam ad certas personas restringere potest; ut nimirum judex delegatus non nisi inter certas personas jus dicere queat; itâ quoque Episcopi potestatem clavium seu jurisdictionem Presbyteris delegando, eam quo ad personas limitare & restringere possunt.

XX. Hac auctoritate passim utuntur Episcopi dum declarant in suis respectivè Synodis ac Ritualibus, sub generali approbatione non comprehendi *Moniales* clausuram servantes; ad quas formulæ generales, & ordinariæ approbationis ad confessiones audiendas minimè extenduntur; nisi clarè & expressis terminis ad eas extendantur; uti loquuntur Decreta Synodalia Diœcesis Gandensis sub Antonio Triest. *Tit. 5. cap. 3.*

XXI. " Confessarii sive Regulares, sive seculares etiam *generaliter* approbati, non immisceant se audiendis confessionibus Monialium etiam sibi *subditarum*, nisi ad id habeant *specialem* facultatem, juxta Constitutionem Gregorii XV. editam anno 1622. " Itâ Synodus Namurcensis anno 1659. *Tit. 5. cap. 1.*

Constitutio Gregorii XV. cujus meminit hæc Synodus, incipit *Inscrutabili* 18. in Bull. R. atque in illa §. 5. decernitur: " Confessores verò, sive seculares, sive Regulares quomodocumque *exempti* tam *Ordinarii* quàm *extraordinarii* ad confessiones Monialium, etiam *regularibus subjectarum*, audiendas nullatenus deputari valeant, nisi *prius* ab *Episcopo Diœcesano* idonei judicentur, & *approbationem*, quæ gratis conceditur obtineant.

XXII. Occasione hujus Constitutionis quædam dubia Congregationi Cardinalium fuére proposita; quæ unà cum resolutione Congregationis subnectuntur ipsi Constitutioni in Bullario Romano; quorum nonum, decimum & undecimum his verbis erant proposita.

Nonum: " An Regulares generaliter ab Episcopo approbati ad Confessiones personarum secularium audiendas, censeantur etiam approbati, ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum.

Decimum " An Regularis ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatus, Confessiones Monialium alterius Monasterii audire possit.

Undecimum " An Confessores Regulares extraordinarii semel ab Episcopo deputati, & approbati ad audiendas Monialium Confessiones pro una vice infra annum ad præscriptum Sacri Concilii Tridentini, possint virtute dictæ approbationis, pluries tamquam Confessores extraordinarii, earumdem Confessiones audire absque nova Episcopi licentia?

His propositis dubiis respondet S. Congregatio in hunc modum: " Ad IX. Regulares generaliter ab Episcopo approbatos ad Confessiones personarum secularium audiendas, nequaquam censeri approbatos ad audiendas Confessiones Monialium sibi subjectarum, sed egere quo ad hoc speciali Episcopi approbatione.

" Ad X. Regularem ad audiendas Confessiones Monialium unius Monasterii ab Episcopo approbatum, minimè posse audire Confessiones Monialium alterius Monasterii.

" Ad XI. Confessores extraordinarios semel deputatos, atque approbatos ab Episcopo ad Monialium Confessiones pro una vice audiendas, haud posse pluries in vim approbationis ejusmodi illarum confessiones audire: sed ab Episcopo toties esse approbandos, quoties casus deputationis contigerit.

XXIII. Sicuti Monialium; itâ & aliarum personarum confessio à generali hujusmodi approbatione excipi potest: modò eam Episcopi sufficienter exceptam declarent.

Itâ in quibusdam Diœcesibus ac signanter Antverpiensi non tantùm Monialium clausuram servantium, sed & Begginarum à generali & ordinaria facultate audiendi Confessiones excepta est.

XXIV. Constat quoque hac eâdem auctoritate usum fuisse S. Carolum, deputando certos ac speciales Confessarios ad audiendas *Clericorum* Confessiones; uti videre est in Synodo Diœcesana IV. *Decreto 24.*

Hoc S. Caroli institutum si Episcopi sequerentur, deputando speciales Confessarios eruditione, prudentia ac pietate præcellentes, qui Clericorum Confessiones exciperent, non dubium, quin paulatim Clerum suarum Diœcesium multò reformatiorem viderent. Nemo quippe ignorat, quam magno auxilio sint boni Confessarii ipsis Pœnitentibus ad vitæ emendationem & progressum in virtutibus. Unde monet Synodus Tornacensis anno 1585. *Tit. De Sacram. Pœnit. cap. 2.* ut Sacerdotes bonum probatúmque eligant Confessarium, cùm bonus Confessarius, ait, magno sit auxilio ad obtinendam veram Contritionem, & seriam vitæ emendationem. Neque illud quis inficiabitur, magnâ prudentiâ, eruditione opus esse, ut quis non tantùm bonos Christianos; sed bonos Clericos, Christianorum futuros magistros, formare queat.

XXV. Eâdem auctoritate possent Episcopi secularium & regularium approbationes limitare quo ad loca, ut v. g. non possent in domibus privatis *infirmorum* confessiones excipere; aut saltem non nisi habitâ Parochorum licentiâ vel ut minus eo præmonito; quemadmodum in Institutionibus Confessariorum præscribit S. Carolus. " Regulares ad infirmos audiendos convocati (ait) si ex temporis angustia aliud non poterint, hujus infirmi Pastorem adeant, quæ spectant ad ejus statum sciscitaturi, ut diligentius illum examinent, utpote in hoc vitæ termino constitutum, à quo salus aut æterna damnatio pendet: quod si ante confessionem Pastorem convenire tempus non fuerit, saltem post eam quamprimum Confessor adeat, ut ambo de inferni necessitatibus, eoque spiritualiter adjuvando statuant.

XXVI. Quem-

XXVI. Quemadmodum ex natura jurisdictionis delegatæ est penes Episcopos auctoritas, jurisdictionis illius usum limitandi ac modificandi; ità ipsis eàdem ratione competit facultas, eam jurisdictionem revocandi vel suspendendi.

De hac auctoritate minimè dubius S. Carolus in Synodo suo Mediolanensi VI. *De his quæ ad Sacram. Pœnitent. pertinent* statuit, " ut Episcopus à confessionibus audiendis „ suspendat aut omnino amoveat Confessarios etiam regu„lares jam approbatos, quos pro suæ timoratæ conscientiæ „ religione viderit in eo munere non ità sincerè integrèque, „ & cum ædificatione se gerere, quemadmodum & tanti „ ministerii illis commissi sanctitas & animarum salus de„poscit, quæ sua fidei concreditæ sunt.

XXVII. Episcopalem hanc licentiam tam limitandi, quàm revocandi Confessariorum jurisdictionem auctoritate regiâ nuper roboravit, stabilivitque Rex Christianissimus edito Decreto mense Aprili anno 1695. & à Parlamento Regio probato concernente jurisdictionem Ecclesiasticam cujus articulus 11. hic est: " Presbyteri Seculares & Regula„res, non poterunt administrare Sacramentum Pœniten„tiæ, sine obtenta licentia ab Archiepiscopis aut Episco„pis, qui illam poterunt limitare quo ad loca, personas, „ tempus & casus, uti convenire judicaverint; & eam revo„care, etiam ante elapsum terminum ex causis quæ ad eo„rum notitiam post datam licentiam pervenerunt, nec eas „ exprimere debebunt; ità ut dicti seculares & Regulares „ in excipiendis Confessionibus continuare non possint sub „ quocumque prætextu, nisi in casu extremæ necessita„tis, quousque obtinuerint novam licentiam; quin & sub„ierint novum examen, si prædicti Archiepiscopi aut Epi„scopi judicent necessarium; volens, ut dictæ licentiæ sine „ expensis dentur; atque ordinationes quæ factæ fuerint per „ Archiepiscopos vel Episcopos super hac materia execu„tionem habeant, non obstante omni appellatione *simplici* „ vel *tamquam ab abusu*, tamen sine ejus præjudicio.

Articulo sequenti declarat, " sub articulis præcedenti„bus non comprehendi *Curatos* sive Seculares sive Regu„lares, qui concionari & Sacramentum Pœnitentiæ in suis „ Parochiis administrare poterunt.

XXVIII. Vice-Pastores hic in Belgio non solent quidem habere verum titulum Beneficii, ratione cujus dici possent habere curam animarum jure ordinario seu *proprio*; attamen cùm revera cura Animarum ipsis incumbat ratione Vice-Pastoratus; atque ipse Vice-Pastoratus sit species officii Ecclesiastici aliquatenus ad naturam Beneficii accedentis, non videtur ipsa facultas excipiendi Confessiones tam facilè & pro nutu Episcopi Vice-Pastoribus adimi posse, uti aliis Presbyteris seu secularibus seu Regularibus nullum hujusmodi speciale officium cum cura animarum habentibus; cum adimendo alicui facultatem excipiendi Confessiones, quodammodo privetur suo officio seu Vice-Pastoratu, cui sine hac facultate satisfacere nequit.

CAPUT VII.

De Reservatione Casuum.

1. *Quid reservatio casuum?*
2. *Duplex hodie casuum reservatio; & quid Episcopalis?*
3. *Quid Papalis?*
4. *Utilitas reservationis casuum; & in Ecclesia jam pridem usitata.*
5. *Hac reservatio non est tantùm quoad externam politiam.*
6. *Olim omnia graviora crimina Episcopis erant reservata.*
7. *Hodierna Episcopalis reservatio minor est, quàm antiquitus fuit.*
8. *Primis seculis reservatio Papalis non æquè nota.*
9. *Circa seculum XI. cœpit absolutio Pœnitentium ad Papam deferri.*
10. *Etiam subinde aliquorum criminum absolutio ipsi reservari.*
11. *Ratio illius facta reservationis.*
12. *Primitus nemo à casibus reservatis Papa absolvebatur, nisi eum personaliter adiret; & hinc à peccatis retrahebat reservatio.*
13. *Qui à personali accessu excusarentur?*
14. *Quando potestas absolvendi à casibus reservatis Papa communicari cœperit.*
15. *De reservationibus Papalibus latius remissivè.*
16. *Reservatio criminum pertinet ad populi Christiani disciplinam.*
17. *Primò quia incutit horrorem criminum.*
18. *Secundò quia minuit facilitatem veniæ.*
19. *Tertiò quia majoribus morbis animæ curandis præficit peritiores Medicos.*
20. *Cavendum ne reservationes nimium multiplicentur.*
21. *In criminibus reservandis temporum & locorum conditio attendenda.*
22. *Hanc attendit Sanctus Carolus.*
23. *Quàm moderati fuerint etiam seculo XIII. Episcopi in danda facultate absolvendi à casibus reservatis.*
24. *Etiam seculo XIII. habebant facultatem absolvendi à casibus reservatis restrictam ad eos qui ad Episcopos ejúsve Pœnitentiarios accedere non poterant.*
25. *Reservationes suo frustrantur effectu dum facultas absolvendi à reservatis facilè communicatur.*
26. *Privilegia Ordinibus, aut Ecclesiis concessa non dant facultatem absolvendi à casibus* reservatis *Episcopo.*
27. *Regulares nequeunt absolvere à casibus* reservatis *sine speciali licentia Episcopi; & contraria assertio censurata.*
28. *Nullâ privilegiorum authoritate id possunt.*
29. *Non obtentu cujusquam Confraternitatis.*
30. *Facultas absolvendi à reservatis Papæ non infert facultatem absolvendi à reservatis Episcopo.*
31. *Episcopi possunt hanc facultatem restringere ad certos casus.*
32. *Unde haurienda notitia casuum reservatorum.*
33. *Moderatè utendum facultate absolvendi à reservatis.*

I. Reservatio casuum juxta modernam phrasim dicitur ea, quæ nonnulla graviora peccata majoribus Ecclesiæ Prælatis reservantur ità ut inferiores ea remittendi potestatem non habeant; nisi hæc potestas ipsis *specialiter* data fuerit.

II. Reservatio alia dicitur Episcopalis, alia Papalis seu Pontificia.

Prior est, quâ ipsi Episcopi quædam peccata sibi vel generaliter per totam Diœcesim, & respectu omnium generaliter Confessariorum reservant; ità ut nulli inferiores Confessarii quantumvis indefinitè & illimitatè approbati ab iis Sacramentaliter absolvere queant sine speciali facultate; vel specialiter respectu hujus illiúsve Confessarii, aut pro quadam suæ Diœcesis parte reservant.

Sicuti enim Episcopus potest Presbyterorum tam secularium, quàm regularium, præsertim Parochiale Beneficium non habentium, approbationem ad tempus limitare; ità eamdem quo ad materiam sive peccata restringere potest.

III. Reservatio Papalis sive Pontificia est illa quâ nonnulla atrociora crimina Papæ reservantur; ut nullus ab iis præter Papam aut ab eo potestatem habentem, absolvere ordinariè queat.

IV. De

Digitized by Google

IV. De hac casuum reservatione, atque Pontificum & Episcoporum auctoritate loquens Synodus Tridentina *Sess. 14. cap. 7. De Pœnitentia* declarat: " Magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere Sanctissimis Patribus „ nostris visum est, ut atrociora quædam & graviora crimina, non à quibusvis, sed à summis duntaxat Sacerdotibus „ absolverentur. Unde meritò Pontifices Max. pro suprema „ potestate sibi in Ecclesia universa tradita causas aliquas „ criminum graviores suo potuerunt peculiari judicio reservare. Neque dubitandum est, quæ à Deo sunt, ordinata „ sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique „ Diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem „ liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa, quibus „ excommunicationis censura annexa est.

V. Et Canone II. Si quis dixerit, Episcopos non habere „ jus reservandi sibi casus, nisi quo ad externam politiam, „ atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus Sacerdos à reservatis verè absolvat; anathema sit.

Igitur Synodus non tantùm in Pontifice; sed & in Episcopis hanc auctoritatem agnovit; & ab omnibus agnoscendum esse definivit.

VI. Quod Episcopos attinet, jam pridem pene omnia graviora peccata ipsis reservata fuisse non sine fundamento asseritur.

Constat enim, pluribus seculis penes solos Episcopos fuisse pœnitentium publicorum reconciliationem; neque Presbyteris inferioribus fas fuisse Pœnitentes reconciliare, nisi vel Episcopo absente ac necessitate urgente; vel ex speciali Episcopi delegatione; quemadmodum *capite 3.* ostensum est.

Cùm verò de gravioribus quibuslibet peccatis multis seculis pœnitentia *publica* acta fuerit (uti *cap. 2.* dictum fuit) etiam graviorum criminum absolutio Episcopis reservata censebatur.

VII. Dum autem sensim pœnitentia *publica* pro occultis agi desiit; etiam *occultorum* criminum absolutio Presbyteris concredita fuit; publicorum verò, pro quibus *publica* pœnitentia erat peragenda, absolutio Episcopis longo tempore reservata fuit; ut proinde reservatio quorumdam criminum sive casuum hodie ab Episcopis fieri solita, non nisi exigua sit pristinæ auctoritatis Episcopalis particula.

VIII. De reservatione Papali non idem per omnia dici potest. Nam uti notat Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Ecclesiastica parte 4. lib. 1. cap. 71. num. 1.* pluribus seculis penes Episcopos fuit plena ac omnimoda auctoritas absolvendi in foro pœnitentiali cujuscumque quantumvis enormis sceleris reos; neque iis seculis ulla erat reservatio Papalis in foro illo pœnitentiali nota.

IX. At circa seculum XI. cœperunt Episcopi ipsi nonnullos graviorum criminum reos ad Sedem Apostolicam mittere; idque vel ut à Pontifice reconciliarentur; vel ut à Pontifice Pœnitentia imponeretur; quâ demum peractâ ab Episcopis absolverentur.

X. Nec tantùm in particulari aliquo casu Pœnitentes ad Sedem Apostolicam mittebant; sed subinde etiam generali Decreto criminis alicujus reos non ab Episcopis aut Archi-Episcopis, sed à solo Pontifice absolvendos decernebant. Hoc verò hac ratione factum videtur; ut hac reservatione difficilior esset obtinendi à crimine commisso absolutionem occasio, atque hac difficultate à crimine committendo retraherentur.

De Concilio Londinensi habito anno 1143. à Wilhelmo Wintoniensi Episcopo loquens Matthæus Parisiensis asserit, sancitum ibi esse, & generaliter constitutum, " ne aliquis, qui Ecclesiam, cœmiteriumque violaverit, vel in „ Clerico, aut viro Religioso manus injecerit violentas, ab „ alio quàm ipso Papa possit absolvi.

XI. Rationem hujus Decreti præmisit his verbis expressam: " Nullus enim honor vel reverentia ferebatur Dei „ Ecclesiæ vel ejus Ordinatis à prædonibus sceleratis, sed „ æquè Clerici & laici capiebantur, redimebantur, & in „ vinculis tenebantur.

Idipsum testatur Rogerius in Annalibus, qui relato superiori Decreto addit: " Unde Clericis aliquantulum serenitatis vix tandem illuxit. " Hæc tum Matthæi Parisiensis, tum Rogerii testimonia extant tomo 10. Concil. general. *Col. 1035.*

XII. Quâ ratione difficultas obtinendæ absolutionis nata esset retrahere à committendo crimine Sedi Apostolicæ reservato facilè apparebit, si attendatur, quod juxta disciplinam illius temporis, nemo à Pontifice absolutionem impetraret nisi personaliter Pontifici se sisteret & ab eo Pœnitentiam acciperet; adeò ut vel ipsa itineris fatigatio pars Pœnitentiæ judicaretur. Exemplum suppeditat Epistola 160. Ivonis Carnotensis. Quidam Nobilis audaciâ inauditâ mutilaverat quemdam Religiosum Presbyterum; imposuerat ei Ivo 14. annorum Pœnitentiam, susceperat nobilis; sed cùm in decursu Pœnitentiæ iterato institisset ut pro sua adversus quemdam suum inimicum defensione sibi liceret arma portare, Ivo tandem eum ad Pontificem Rom. pro indulgentia obtinenda remisit; " reservantes itaque hanc „ indulgentiam Apostol. moderationi ad Apostolorum „ eum limina direximus, quatenus & fatigatione itineris „ hujus peccatum suum diluat, & apud pietatis vestræ viscera misericordiam, quam Deus vobis inspiraverit inveniat.

XIII. Hac quoque de causa qui personaliter Pontificem adire non poterant ut v. g. Mulieres, valetudinarii & similes ab Episcopis absolvi poterant à censuris aliàs Pontifici reservatis v. g. pro violenta injectione manuum in Clericum. *Cap. 6. & 13. ⁂ De Sent. Excom.*

XIV. Quo tempore Pontifices absolutionem à casibus sibi reservatis inferioribus Presbyteris & Confessariis delegare cœperint, incertum est. Hoc constat, quod seculo XV. pius ac doctus Gersonius desideraverit, ut hæc absolvendi facultas pluribus fuisset communicata; quo intelligitur, eo adhuc tempore parcè datam esse. Verba ejus sunt: " Saltem „ det facultatem Papa absolvendi transgressores superioribus Monasteriorum & Ecclesiarum, ut quando dederit „ Dominus Spiritum compunctionis, inveniant promptum „ remedium, & non in desperationis præcipitium ruant, „ pro difficultate Papam vel suam curiam adeundi. " Apud Thomasium *p. 4. l. 1. c. 70. n. 11.*

Verum ut notavit Thomasius, fateri oportet, quod indulgendo quod pio affectu desideravit Gersonius, & facilitando absolutionem illorum enormium criminum Papæ reservatorum, dirutum fuerit, quod de veteri pœnitentia supererat, rupta fræna, quæ scelestos refrænabant; atque præcipua ac fundamentalis ratio harum reservationum destructa.

XV. Cæterùm de his reservationibus Papalibus, quomodo scilicet postremis hisce seculis fuerunt multiplicatæ; Episcoporum, atque præsertim quo ab crimina occulta, & aliorum inferiorum Confessariorum circa illas auctoritate, aliisque eò pertinentibus latius agetur parte 3. ubi de *censuris Papæ reservatis* tractabitur.

XVI. Docet Synodus Tridentina in citato Decreto, „ magnopere ad Christiani populi disciplinam pertinere „ jam pridem Patribus Sanctissimis visum esse, ut *atrociora* „ *quædam* & *graviora* crimina, non à quibusvis, sed à *Summis duntaxat* Sacerdotibus absolverentur.

XVII. Hic autem reservationis effectus habetur primò ex eo, quod per criminum quorumdam reservationem populo criminum horror aliquis major objiciatur; dum ea ob sui enormitatem *summis* Sacerdotibus reservata intelligit; atque ab iis absolvendi auctoritatem inferioribus Confessariis subtractam.

XVIII. Secundò dum populus intelligit, crimen aliquod reservatum, ac per consequens eodem semel involutum, non posse per obvium quemcumque Confessarium ab eo absolvi; sed pro absolutione obtinenda ad Episcopum aliumve

liúmve speciali auctoritate insignitum recurri, eique conscientiam suam pandere debere, natum est fieri ut à crimine illo committendo aliquatenus saltem retrahatur. Notum enim est, quod sicut facilitas veniæ est incentivum delinquendi; ità econtrariò difficultas veniæ minuat facilitatem peccandi.

XIX. Denique magnopere ad populi Christiani disciplinam pertinet, ut morbis spiritualibus periti medici, atque congruentia pharmaca & remedia adhibeantur.

Cùm vero compertum sit morbos, quò graviores sunt, peritiores requirere medicos, atque majore cum discretione remedia esse applicanda; etiam hoc titulo reservatio ad populi Christiani disciplinam pertinet, quod graviora crimina, quæ sunt graviora animæ vulnera, non omnibus indifferenter spiritualibus Medicis curanda committantur; sed his curanda reserventur, qui præ reliquis peritiores in applicandis remediis, & morbis spiritualibus curandis creduntur.

XX. Ex his non obscurum est colligere, ad assequendum scopum & finem reservationum à Patribus & Ecclesia intentum, requiri imprimis in reservandis criminibus non modicam discretionem: ac imprimis ut non ità reservationes multiplicentur, ut ex multiplicatione tandem earum auctoritas vilescat; nec ipsa reservatio consequenter ulterius peccatorum reservatorum enormitatem persuadeat, aut horrorem peccatorum incutiat.

XXI. Insuper ut jam notatum est, præcipuus reservationem finis est populum à peccatis per difficultatem obtinendæ absolutionis tamquam quodam fræno cohibere. Cùm ergo populus uno tempore,&uno loco ad certum peccatum sit proclivior quàm altero,sequitur,quod subinde ad populi Christiani disciplinam magnopere pertinebit, unum idémque peccatum uno tempore, & uno loco reservari, quod alio tempore alióve loco reservationem non exigit: eò quòd hoc tempore,vel hoc loco non ea sit ad hoc peccatum populi proclivitas, & peccati hujus frequentia ut ab eo hoc reservationis fræno cohiberi debeat aut conveniat.

XXII. Hanc in reservandis casibus Episcoporum prudentiam ac discretionem ut necessariam supposuisse S. Carolum ostendit ejus Decretum in Concilio V. Mediolanensi *cap.* 10. his verbis expressum: " Cùm pro temporum varietate casuum reservationem ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos casus ei reservatos Confessarii Sacerdotes perpetuò nôrint, eos Episcopus singulis annis, vel in Synodo Diœcesana, vel ineunte Januario promulget, ità ut quæ illorum casuum reservatio proximè facta est, vim habeat, quoad altera fiet.

XXIII. Adhæc ut hic effectus reservationum facilius & efficacius obtineretur, jam pridem Episcopi rarò admodum, & paucis facultatem à reservatis absolvendi indulgebant: sed sicuti eorum absolutionem sibi reservabant, ità quoque volebant, ut criminum rei à se absolutionem acciperent.

In Concilio Arelatensi anno 1260. *Can.* 16. legitur, quod propter *imbecillium & impotentium & pauperum occupationes & penuriam*, aliquando per villas & oppida consuevissent Episcopi *Pœnitentiarios* suos in quadragesima destinare, qui eos *à casibus*, qui *Majoribus reservabantur* absolverent: indicium haud obscurum, interioribus Confessariis per villas & oppida constitutis facultatem à reservatis absolvendi non fuisse communicatam: neque Pœnitentiarios ab Episcopis destinatos potuisse quoslibet à casibus reservatis absolvere; at dumtaxat illos, qui per impotentiam aut penuriam ad Episcopum facilè accedere non poterant; quod ipsa Synodus clarissimis terminis in fine sui Canonis expressit: " Nec Prælati, ait, super casibus sibi reservatis, ad Parochianos suos Pœnitentiarios destinent, nisi eos, qui *commodè* suos Prælatos *adire non possunt*.

XXIV. Rursus ejusdem Provinciæ Synodus quinquennio post priorem, id est, anno 1265. congregata, postquam *Can.* 12. & 13. plures casus Episcopis reservatos enumerasset, tandem in fine *Canonis* 13. inhibet, " quod illi qui confessiones audiunt, se intromittere non debeant de absolutionibus peccatorum (reservatorum) nisi personæ quæ in aliquos prædictorum casuum inciderint, fuerint adeò senes vel valetudinariæ; quod ad Episcopos, vel eorum pœnitentiarios, venire non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ. Et tunc eis nihilominus injungatur, quod si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcoporum aspectibus præsentare.

XXV. Et sanè nisi Episcopi in deleganda hac potestate admodum fuerint moderati; ut eam non nisi paucis, iisque pietate, eruditione atque prudentiâ præcellentibus communicent, ipse reservationum usus omni suo frustrabitur effectu; quemadmodum hodie multis in locis nullum pene ejus fructum & effectum videmus.

XXVI. Cùm verò nequaquam præsumendum sit, privilegia sive personis Regularibus sive Secularibus, vel confraternitatibus aut Ecclesiis à Sede Apostolica indulgeri cum disciplinæ Ecclesiasticæ, atque auctoritatis Episcopalis destructione aut imminutione, nequaquam verisimile est, privilegia à Sede Apostolica emanâsse, quibus potestas absolvendi à casibus Episcopis *reservatis* sub generalibus terminis Confessariis indulgeretur.

XXVII. Unde inter propositiones damnatas ab Alexand. VII. anno 1665. hæc ordine 12. refertur: " Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopo *reservatis*, non obtentâ ad id Episcoporum *facultate*.

Et rursus in Decreto ad Episcopum Andegavensem idem Pontifex hanc propositionem: " Regulares habent potestatem absolvendi seculares à peccatis Episcopo reservatis, etiamsi ab Episcopo auctoritas illa ipsis indulta non fuerit, damnavit, ut *falsam, auctoritati Episcoporum & Sedis* Apostolicæ *injuriosam*.

Eamdem & Conventus Gallicanus in causâ Episcopi Andegavensis jam ante reprobaverat.

XXVIII. Quin & S. Carolus Syn. Mediolanensi III. *tit.* 8. prohibens " ne Confessarii Regulares, eorum peccatorum, quorum *absolutio* Episcopo *reservata* est, vinculis irretitos Pœnitentes absolvant. " Addit: " Quemadmodum *à Sede Apostolica* declaratum est, id eis non licere, *quavis privilegiorum* suorum auctoritate.

Deinde in Concilio Mediolanensi V. *cap.* 10. ait: Ab iis verò casibus (reservatis) proximè promulgatis, si quis Confessarius *cujusvis ordinis* sine facultate scripta, ab Episcopo datâ, aliquem absolvere attentârit, *excommunicationis* pœnam ipso facto subeat.

XXIX. Et infra: " Ne facultatum, privilegiorúmque jura quæ cuicumque etiam Rosarii, & cruce signatorum Scholæ, confratriæ, collegióve, etiam laïcorum, quæve collegis, confratribúsve in eo adscriptis ante, vel post Concilii Tridentini confirmationem, concessa sunt; Confessarius; cujusvis ordinis sit, ab iis casibus, quos sibi Episcopus in sua Diœcesi reservaverit, pœnitentes sine illius facultate absolvat. Si contrafecerit, suspensionem à divinis ipso facto incurrat.

XXX. Neque Confessarii habentes specialem facultatem à Pontifice absolvendi à casibus *reservatis Sedi Apostolicæ*, propterea censendi sunt habere facultatem absolvendi à reservatis Episcopo; tametsi reservati Episcopo essent quoque inter casus reservatos Sedi Apostolicæ.

Pontifex enim dans eam licentiam, tantùm concedit licentiam ab illis casibus absolvendi *ut sibi* reservatis: Episcopalem verò reservationem tangere non præsumitur, ut Episcopis sua integra maneat auctoritas; & ità habet Clemens X. in Bulla quæ incipit *Superna*; & Innocentium X. declarâsse Jacobo Boonen Archiepiscopo Mechliniensi testatur Bosco *Tomo* 4. *Disp.* 8. *De Ministro Pœnit. Sect.* 5. *concl.* 11.

XXXI. Porrò sicuti Episcopi possunt facultatem absolvendi restringere & modificare, ità quoque licentiam absolvendi à *reservatis*, & quo ad personas & casus. Quin & de-

declarare, quoddam speciale peccatum ob sui gravitatem non comprehendi sub generali licentia absolvendi à *reservatis*: quemadmodum in Congregatione Archipresbyterorum anno 1663. *art.* 65. declaravit Archi-Episcopus Mechliniensis, quod "nullus Confessarius (extra mortis articulum) etiamsi aliàs *habeat potestatem* absolvendi à casibus *reservatis*, absolutè possit à peccato quolibet mortali & externo contra castitatem (si fortè id contingeret, quod Deus avertat) complicem in eodem secum peccato absolvere: Quem proinde casum Illustrissimus Dominus respectu Confessarii complicis in casus reservatos refert, subtrahendo omnem ad id jurisdictionem, imo etiam declarando, neminem ad istiusmodi casum censeri approbatum, & approbationes hactenus generaliter datas ita se restringere, & pro restrictis haberi velle & quatenus opus est, ad istum omninò revocare restrictionis modum statim à publicatione hujus Decreti, quam vult quamprimum fieri per Archipresbyteros in Congregatione Pastorum, atque ipse Illustrissimus Dominus Religiosorum etiam Superioribus curabit intimari.

XXXII. Cæterum qui sint casus in singulis respectivè Diœcesibus reservati, videri poterit ex Synodis, & Pastoralibus seu Ritualibus singularum Diœcesium; præcipuè verò ac certius ex litteris approbationis Confessariis dari solitis, in quibus casus tunc *reservati* referuntur. Conveniens autem erit, ut casuum illorum habitâ notitiâ, etiam subinde Parochus populo notificet casuum illorum reservationem; ut vel inde gravitatem criminum illorum concipiat, & horrorem aliquem de peccatis illis populo incutiat.

XXXIII. Meritò autem monet Synodus Gandensis *tit.* 5. *cap.* 6. ut "qui à casibus reservatis absolvendi potestatem accepit, non ad destructionem, sed ad ædificationem eâ utatur, exponendo Pœnitentibus gravitatem peccatorum, & convenientes satisfactiones prout spiritus suggesserit prudenter injungendo." Idipsum innovatum est Decretis Synodalibus sub Antonio Triest, *tit.* 5. *cap.* 11.

TITULUS VII.

De Indulgentiis.

CAPUT I.

De variis Indulgentiarum Speciebus sive Formulis.

1. *Indulgentia olim dicta remissio.*
2. *Unde hoc nomen derivatum?*
3. *Prima species Indulgentiæ ex Apostolo.*
4. *Quam Apostolus Indulgentiam concesserit; & quare?*
5. *Describitur secunda Indulgentiæ species.*
6. *Tertia species Indulgentiæ ad preces Martyrum, & quomodo moribundis daretur.*
7. *Quomodo eis prodesset.*
8. *Etiam sanis & benevalentibus dabatur.*
9. *Quarta species Indulgentiæ propter opus laboriosum susceptum: & quæ hujus formula?*
10. *Insigne hujus exemplum sub Urbano II.*
11. *Potius erat Pœnitentiæ commutatio, quàm indulgentia.*
12. *Quare plurimi mallent hoc opus laboriosum suscipere, quam Canonicam pœnitentiam agere.*
13. *Quomodo hæc Indulgentia occasionem dederit abrogationi Canonum pœnitentialium?*
14. *Quinta species Indulgentiæ ex præcedenti orta.*
15. *Formula hujus Indulgentiæ; & quomodo hæc Indulgentia sensim extensa?*
16. *Hæc Indulgentia dicta à sua origine* relaxatio *pœnitentiarum Canonicarum; & quare?*
17. *Hujus Indulgentiæ usus demum sæculo XI. cœpit.*
18. *Episcopi mox admodum liberales fuêre in concedenda hac Indulgentia.*
19. *Non extat hujus Indulgentialis formulæ monumentum ante sæculum XI.*
20. *Quidam credunt similem Indulgentiam concessam à S. Gregorio; sed erroneè.*
21. *Quæ erroris occasio?*
22. *Nonnulli credunt concessam à Leone* III. *auctoritate epistolæ S. Ludgeri.*
23. *Hujus epistolæ fictio ostenditur.*
24. *Indulgentia falsò adscripta Sergio* II. *& quæ falsitatis origo.*
25. *Indulgentia S. Sylvestro sine fundamento adscripta.*
26. *Nullus Catholicus asserit usum Indulgentiarum primum sæculo XI. cœpisse; sed fatentur verum quod Tridentinum dixit, & professio fidei exprimit.*
27. *Multa circa Indulgentias à Theologis moventur & traduntur; sed pauca certitudinem fidei attingunt.*

I. Nomen *Indulgentiæ* derivatur à verbo *indulgere*, atque idem valet, quod aliquid remittere seu relaxare. Unde quod hodie phrasi Ecclesiæ dicitur *Indulgentia*, olim frequentius dicebatur *remissio*; atque inde titulus Decretalium *De Pœnitentiis & Remissionibus.*

Et in Cap. 4. ☩ *De Pœnit. & Remissionibus* scribit [illegible] Archi-Episcopum Cantuariensem Alexander III. "Quod autem consuluisti, utrum *remissiones*, quæ fiunt in Dedicationibus Ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem Pontium, aliis prosint quàm his, qui remittentibus subsunt. Hoc volumus Tuam Fraternitatem tenere, quòd cùm à non suo judice ligari nullus valeat, vel absolvi, remissiones prædictas prodesse tantummodò arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt.

Hic à Pontifice vocari *remissiones*, quæ hodie dicuntur *Indulgentiæ*, evidens est ex ipso contextu.

II. Videtur autem Ecclesia nomen hoc derivasse ab usu veterum Imperatorum & Juris Consultorum: siquidem illi *Indulgentiam* solemni proprioque vocabulo appellant *remissionem* generalem criminum, quam aliquando Principes sæculi publicæ lætitiæ causa faciebant; quemadmodum videri potest in Codice Theodosiano titulo *De Indulgentiis criminum*; ac nominatim videre est in *lege* 3. *Indulgentiam* fuisse *remissionem* criminum, quoad solam pœnam legibus debitam. Hoc pluribus ostendit Bellarminus *lib.* 1. *de Indulg. cap.* 1.

Plures hujus Indulgentiæ Ecclesiasticæ species sive formulæ, aliæ antiquiores aliæ recentiores, occurrunt.

III. Prima eaque antiquissima est illa, quâ usus est Apostolus erga incestuosum Corinthium his verbis expressa: "Sufficit illi, qui ejusmodi est, objurgatio hæc, quæ fit à pluribus; ita ut è contrario magis *donetis, & consolemini*, ne fortè *abundantiori tristitia*

Digitized by Google

„ *tia absorbeatur* qui ejusmodi est. Propter quod ob-„ secro vos, ut *confirmetis* in illum *charitatem*.....„ Cui autem aliquid donastis,& ego: Nam & ego quod „ donavi,si quid donavi, propter vos in persona Christi, „ ut non circumveniamur à Sathana: Non enim igno-„ ramus cogitationes ejus." 2. *Corinth.* 2.

De quo hic loquitur Apostolus, est *incestuosus* ille *Corinthius*, quem ob fornicationem, qualis nec inter gentes audiebatur, commissam, tradiderat Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus esset in die Domini nostri Jesu Christi; quemadmodum in priore sua Epistola ad Corinthios *cap.* 5. scripserat.

Hunc igitur vult à Corinthiis in gratiam ac communionem nunc recipi; non quod jam *totaliter* satisfecisset atque pœnam tanto crimini debitam *integram* persolvisset; sed ei indulgeri voluit,quod agendum superat, *ne abundantiori tristitia absorbeatur*. "Nam „ quamvis peccatum confessus fuerit,ipsiusque *pœnituerit*: ostendit tamen eum, non tam pœnitentiæ operâ, „ quàm gratiâ & beneficio veniam consequi,ait S.Chrysostomus *Homilia* 4. *in epistolam* 2. ad Corinth. Et „ subdit: ob idque ait, DONETIS *& consolemini*. Et quod „ sequitur, idem declarat. Non enim, inquit, quod id „ promereatur, nec quod eam, quam par sit,pœnitentiam præstiterit: sed quia *infirmus* est,idcirco hoc peto. Unde etiam subjunxit; *Ne fortè abundantiori tri-„ stitia absorbeatur, qui est ejusmodi*. Quæ verba sunt „ hominis magnæ pœnitentiæ testimonium ipsi tribuentis, nec eum in desperationem ruere sinen-„ tis."

IV. Itaque ob incestuosi hujus infirmitatem: & ne diuturniori ac acerbiori pœnitentia gravatus *abundantiori tristitia absorbeatur*; atque forsan in *desperationem* adigatur, voluit Apostolus ei aliquid donari sive *indulgeri*; ut nimirum illum ante *peractam totalem* pœnitentiam in gratiam & communionem reciperent.

V. Secunda species indulgentiæ, est de qua loquitur Synodus Nicæna *Can.* 11. & Ancyrana *Can.* 4. & 5. aliique veteres Canones decernentes,ut Episcopi modo conversationis ipsorum Pœnitentium considerato, potestatem habeant, vel *clementia* utendi, vel plus temporis adjiciendi: quemadmodum titulo præcedenti *cap.* 3. ostensum est.

Licuit ergo, uti rectè Suaresius Disp. 49. de Indul. sect. 3. *n.* 1. "Episcopis ex Canonicis pœnitentiis pu-„ blicis, quæ pro diversis criminibus imponi solebant, „ aliquid Pœnitentibus remittere, si eorum vita & lau-„ dabilis conversatio id mereretur." Hæc ille, qui ibidem fatetur ex illis Canonibus,pro astruendis Indulgentiis nihil amplius *efficaciter* elici posse. Quin tamen hæc Episcoporum remissio seu relaxatio aut mitigatio dici possit quædã species Indulgentiæ dubitari nequit: cum revera pœnitentibus per Episcopus aliquid remitteretur sive indulgeretur.

VI. Tertia species *Indulgentiæ* occurrit apud Veteres & præsertim apud S.Cyprianum; quæ dabatur ab Episcopis ed preces & intercessionem martyrum.

De hac Indulgentia hæc scribit S.Cyprianus *epist.* 15. "Si qui libello à Martyribus accepto de sæculo excede-„ rent, exomologesi factâ, & manu eis in pœnitentiam „ imposita *cum pace* sibi *à Martyribus* promissa ad Do-„ minum remitterentur." Hoc est, lapsi in idololatriam, etiamsi *vita durante Pœnitentes non fuerint*, *nec* pœnitentiam *petierint*, si periculo mortis urgente pœnitentiam cum lachrymis & magno affectu desideraverint, eis hæc *indulgebatur*; manu in pœnitentiam imposita *cum pace*, id est, reconciliati ad Dominum dimittebantur, si modo *libellis* Martyrum essent muniti. Hoc œconomicè sive per Indulgentiam in favorem Martyrum decretum fuisse scribit Cyprianus.

VII. Neque id exiguum erat Martyrum privilegium, Nam a Canonicam enim disciplinam illius ætatis, qui sanus pœnitentiam neglexerat, eam nec in vitæ periculo constitutus accipiebat; sed sine reconciliatione è vita migrabat; uti latè probat Morinus *lib.* 9 *cap.* 24. ibidem ostendens, quod ante hoc œconomicum ac dispensatorium Decretum numquam moribundis illis *pax* seu *reconciliatio* data fuerit ab Episcopis, qui sani numquam pœnitentiam egerant, aut petierant: at illud primum in favorem lapsorum & Martyrum à S. Cypriano & Episcopis Africanis, ac postmodum à Clero Romano inductum fuisse.

VIII. Nequaquam tamen hoc solum fuit Martyrum privilegium; neq; hæc sola *indulgentia*, intuitu precum & libellorum Martyrum Pœnitentibus data. Certum enim est, etiam sanis ac bene valentibus pœnitentibus ob preces Martyrum, concessam fuisse aliquam indulgentiam; uti ex epistolis S. Cypriani probat Morinus *lib.* 9. *cap.* 26. & ostendetur capite sequenti, ubi exponendum erit, qua cautione & moderatione hæc indulgentia ab Episcopis daretur; & quid à Martyribus observatum vellent in datione Libellorum.

IX. Quarta species Indulgentiæ dici potest illa pœnitentiarum sive pœnarum remissio, quæ sæculo XI. fieri cœpit intuitu alicujus operis laboriosi propter evidentem aut apparentem Ecclesiæ utilitatem suscepti.

Indulgentia illa proponi solebat hac ferè formula: "Qui hoc opus egerit, aut ut peragatur, pro viribus an-„ nexus fuerit, peccatorum omnium remissionem con-„ sequatur.

Magnum illud opus ferè semper fuit, arma contra Ethnicos, Hæreticos, aut Schismaticos ferre; vel si ipse per se ferre non posset, suis sumptibus alere qui ferret.

X. Insigne & memorabile hujus *Indulgentiæ* sive remissionis exemplum fuit expeditio Hierosolymitana hortante Urbano II. à Gallis anno 1096. suscepta; & descripta à Guilelmo Tyrio de Bello Sacro; qui *libro* 1. relata exhortatione Urbani II. ad hanc expeditionem suscipiendam, subjicit verba quibus suam exhortationem finiebat Pontifex: "Nos autem misericordia Dei „ & Beatorum Apostolorum Petri & Pauli authoritate „ confisi,fidelibusChristianis qui contra eos arma susce-„ perint,& onus sibi hujus peregrinationis assumpserint, „ immensas pro suis delictis pœnitentias relaxamus: „ Qui autem in vera pœnitentia decesserint, & pecca-„ torum indulgentiam, & fructum æternæ mercedis se „ non dubitent habituros.

Hæc exhortatio habita fertur à Pontifice in Concilio Claromontano, in quo etiam hic Canon conditus est: "Quicumque pro *sola devotione*, non pro honoris vel „ pecuniæ adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei „ Hierusalem *professus* fuerit, *iter illud* pro *omni patien-„ tia* ei reputetur.

Hanc indulgentiam seu remissionem plures sequentes Pontifices confirmarunt,uti ostendit Morinus *lib.* 10. *cap.* 19.

XI. Si hujus expeditionis labores, expensæ, itineris molestiæ, patriæ familiæque abdicatio, aliaque his adjuncta incommoda expendantur, facilè apparebit,quod expeditio hæc longissimis Pœnitentiis non immeritò æquiparari possit; ac proinde qui hanc expeditionem Pœnitentiis Canonicis permutabant, non χρύσεα χάλκειων sed paria paribus rependebant.

XII. Quia tamen hanc expeditionem susciperent omnis generis homines etiam innocentissimi ex sola devotione,aut spiritu voluntariæ pœnitentiæ, tegebatur hoc titulo ipsa criminis professio, quæ aliàs Pœnitentiæ Canonicæ præsertim *publicè* peragendæ annexa videbatur: ac propterea peccatores publici hanc expeditionem præ Canonica pœnitentia eligebant.

Adhæc

Digitized by Google

Adhæc notum est, quam multos ad suscipiendas peregrinationes, quantumvis laboriosas & periculosas ac dispendiosas incitet curiositas; præsertim si specie religionis insuper velari queat; ipsæque peregrinationes etiam ab honestioribus suscipiantur, & laudentur imo tamquam ad opus admodum pium suscipiendum Superiorum exhortatio accedat.

Denique si hominum sæcularium genius attendatur, videbitur, quomodo sese militiæ potius, tametsi cum summo discrimine magnisque incommodis, addicant, quam duriusculam aliquam pœnitentiam à Sacerdotibus impositam acceptare, & sub Sacerdotum directione peragere velint.

Hæc si quis expenderit non mirabitur adeò ingentem multitudinem hanc expeditionem suscepisse, exhortantibus præsertim Pontificibus & Episcopis, atque omnium peccatorum & integræ pœnitentiæ remissionem addicentibus, ut de hac multitudine scribens S. Bernardus *Ep.* 246. dicat: " Vacuantur Urbes & castel„la; & penè jam non inveniunt quem apprehendant „septem mulieres virum unum, adeò ubique viduæ vi„vis remanent viris.

XIII. Hinc ulteriùs colligitur, qua ratione hæc indulgentia sive potius Pœnitentiæ Canonicæ commutatio, occasio fuerit abrogationis pœnitentiæ Canonicæ, & Canonum Pœnitentialium; dum plerique omissa Canonica Pœnitentia expeditionem hanc suscipiebant.

Sed hæc abrogatio majus incrementum adhuc cœpit, quando ea remissio etiam facta fuit iis, qui cum legitimè impediti *personaliter* ad expeditionē non pergebant, saltem militem suis sumptibus eo mittebant, & alebant. Quis enim hos sumptus ferre non maluisset, quam multorum annorum laboriosam illam pœnitentiam ad præscriptum Canonum subire?

XIV. Ex hac indulgentia altera sequuta est remissionis seu Indulgentiæ species sive formula.

Cum enim jam invaluisset & persuasum esset, licere integram pœnitentiam remittere, & omnium peccatorum remissionem dare iis, qui pecuniam contulissent in expeditionem contra infideles aut Hæreticos, non apparebat, cur non liceret quoque integram aut saltem partem pœnitentiæ remittere illi, qui eleëmosynam conferret in aliud pium opus; verb. grat. ædificationem aut reparationem Ecclesiæ, Monasterii, hospitalis alteriusve ædificii Ecclesiastici.

XV. Formula hujus Indulgentiæ erat: " Qui dena„rium in ædificationem aut reparationem hujus Eccle„siæ, aut Oratorii contulerit, tertiam, vel quartam &c. „partem pœnitentiarum imponendarum illi in Domi„no relaxamus.

Ita refert Morinus *lib.* 9. *cap.* 20. *num.* 2. qui & ibidem monet, quod eodem tempore extensa fuerit ista relaxatio ad res sæculares; Pontium, itinerum, rerumque similium refectionem.

Denique Indulgentia hæc extensa fuit ad alia pietatis opera verb. gr. visitationem alicujus Ecclesiæ cum obligatione ibidem orandi ad intentionem concedentis Indulgentiam, & tenorem Bullæ indulgentialis.

XVI. Notat Morinus, quod " hæc relaxatio meritò „dici possit causa remissarum & tandem obsoletarum „pœnitentiarum canonicarum. Quis enim longissimis „& durissimis pœnitentiis noctu diuque incumbere ve„lit, qui uno denario aut etiam obolo juxta Episcopi „mandatum erogato, tertiæ Pœnitentiarum canonicarū „parti summa quadrantis satisfacit, & triplicato dena„rio totam summā albo expungit? Quidquid subtiliter „dicatur, & disputetur, hoc axiomate politico difficillimè „Pœnitentiæ canonicæ actio persuadebitur, cum ad se „ab ea redimendum tam facile & parabile unicuique „præsto semper sit remedium. Stupidissimus quisque „ad hanc consequentiam intelligendam idoneus est. „Quis verò quæ contra subtiliter opponi possunt, ani„mo capit? Hoc paulò post demonstravi: experientia, & „in hunc usque diem demonstrat.

XVII. Hactenus Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. *num.* 5. & qui *num.* 8. advertit, hunc remissionum usum demum circa tempora Petri Cantoris, id est, circa medium sæculi XII. ortum habuisse: " brevi tamen, licet „multi contradicerent, alii variè de iis, earumque effe„ctu dubitarent, magnos progressus fecisse. Nec hoc „creditu difficile est, cum lucrum temporale, & maxima „commoda in Ecclesiarum fabricas, & Episcopos hinc „redundent.

XVIII. Advertit insuper ex verbis Petri Cantoris, " privatos Episcopos certatim hanc consuetudinem sta„bilisse; sed cum scribebat Cantor, Romanos Ponti„fices eam, quantum ille rescire potuit, nondum vul„gò usurpasse, & pœnitentiæ actionem huic relaxationi „longè prætulisse.

XIX. Circa Epocham exortæ hujus Indulgentialis formulæ Eruditi passim Morino assentiuntur; atque fatentur nullum authenticum illius monumentum sæculo duodecimo antiquius hactenus repertum esse.

XX. Scribit quidem Gulielmus Altisiodorensis in Summa *lib.* 4. *tractat.* 6. *cap.* 9. " Sanctus Gregorius „instituit Romæ ejusmodi relaxationes (nimirum „quæ dantur visitantibus Ecclesias Stationum) & si a„liquis est Romæ per quadragesimam, habet de relaxa„tionibus plusquam quinquaginta annos. Plures ce„lebres Scholastici idipsum post Altisiodorensem scri„pserunt; & in probationem hujus Indulgentialis for„mulæ adduxerunt.

Sed uti advertit Morinus apud S. Gregorium ista numquam occurrunt, nec quid aliud quod aliquatenus id confirmet. Et si hujusmodi Indulgentiarum formula usitata fuisset tempore S. Gregorii, indubiè ob suam commoditatem & utilitatem frequentissima fuisset; cum tamen nec eo tempore, nec multis ante & post sæculis ulla memoria, ullum vestigium, ulla umbra illius occurrat.

Ad auctoritatem Scholasticorum qui fidem Altisiodorensis secuti sunt, respondet: " Quis nescit qua critice „valerent in antiquis operibus discernendis & dispun„gendis plerique istorum sæculorum auctores.

XXI. Admodum verisimile est hunc Scholasticos vulgarem, qui tunc erat, errorem sequutos fuisse.

Cum enim sæculo XIII. Pontifices soliti essent dare aliquas *Indulgentias* Ecclesias Stationarias visitantibus; atq; apud Joannem Diaconum legeretur, Sanctum Gregorium *Stationes per Basilicas vel beatorum Martyrum cœmiteria ordinasse*, vulgus ex præsentibus de præteritis judicans, supposuit, Sanctum Gregorium Stationes ordinando, etiam Indulgentias concessisse; quemadmodum à posterioribus Pontificibus factum videat.

Scholastici qui facta non examinabant juxta regulas historiæ aut critices, sed ad sua principia Theologica, facilè recipiebant, quidquid vulgò credebatur, modò principiis suis Theologicis haud repugnaret.

XXII. Nonnulli cum Baronio credunt à Leone III. sub initium sæculi IX. Indulgentias similes concessas; idque ex fide epistolæ S. Ludgeri Episcopi Monasteriensis, quæ extat ad calcem vitæ Sancti Ludgeri ad diem 26. Martii apud Bollandum: in qua scribitur, Leonem III. anno 803. venisse ad Carolum M. multas Ecclesias, Capellas & Altaria consecrasse, *ubique Indulgentias concedendo*; ac dein Leonem Papam cum Carolo Imperatore *Verdam* se contulisse ac ibidem S. Swibertum in Catalogum Sanctorum retulisse: *Obtulit autem*, ait, *idem Sanctus Papa eidem Ecclesiæ* SPECIALES INDULGENTIAS cunctis *Fidelibus celebrantibus festum S. Swiberti, & ad divina confluentibus.*

XXIII. Verùm hujus epistolæ fides ob varia quæ in ipsa occurrunt apud Eruditos non tantum vacillat; sed uno penè consensu judicatur conficta, & S.Ludgero ab aliquo recentiore supposita.

Imprimis enim ipsa S. Swiberti Canonizatio eo modo & ordine enarratur, quo nunc & ab annis quadringentis celebrari solet. Certum est autem, hanc celebritatem trecentis & minus annis post Leonem III. cepisse: usq; ad illud tempus enim simplex admodum erat Canonizationis ritus; de quo vide dicta *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 1.

Adhæc auctor hujus epistolæ sæpius recitat Episcopos Archiepiscopos, Cardinales & Proceres Pontifici assidentes, sed semper primo loco Cardinales collocat contra morem illius temporis & sæculorum sequentium, ait Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. *num.* 11. qui ibidem plura illius Epistolæ suppositionis indicia allegat, atque ex iis instituere non dubitat, "eam esse confi„ctam ante trecentos annos, aut ut maximè quadrin„gentos nomine S. Ludgeri ab aliquo Verdensi Mona„cho in sui Monasterii commodum & gloriam.

XXIV. Pro antiquitate harum Indulgentiarum allegat quoq; Baronius aliique eum sequuti quemdam antiquum marmoreum lapidem, qui Romæ in Ecclesia SS: Sylvestri & Martini extat; in quo lapide insculptū legitur, à Sergio Papa varia Sanctorum Corpora ibidem fuisse recondita; additurque: "Et dictus Pontifex con„cessit singulis, ad hanc Ecclesiam venientibus, in festi„vitatibus istorum Sanctorum *tres annos & tres qua„dragenas* de vera *Indulgentia*.

Verum cum in lapide non notetur æra positionis aut insculptionis, quis dicet, hunc lapidem positum fuisse, aut sculpturam factam tempore hujus Pontificis; aut si lapis aliquis positus fuerit, & inscriptio facta; quis scit, an successu temporis lapide trito, & litteris exesis, lapis renovatus & inscriptio alia insculpta non fuerit; præsertim, quia Anastasius Bibliothecarius in vita hujus Pontificis referens hunc Pontificem, Ecclesiam in meliorem & pulchriorem statum à fundamentis perfecisse; atque in eandem ipsum plura Sanctorum (quorum nomina exprimit) corpora condidisse; nullam tamen *Indulgentiarum* faciens mentionem; nec non alia nonnulla ita referens, ut non obscurum sit, manu recentiore nonnulla addita fuisse ab eo qui lapidem posuit, & scriptionem cudit: quemadmodum pluribus probat R.P. Papenbrochius in Propyleo ad Acta Sanctorum mensis Maji *differt.* 17.

XXV. Indulgentiæ plenariæ quæ à S. Sylvestro concessæ dicuntur visitantibus Ecclesiam Lateranensem nullam apud eruditos fidem merentur.

Quid enim Sylvester Papa ad ornatum Basilicarum Romanarum suo tempore & suasu structarum contulerit, fusissimè prosequitur Anastasius Bibliothecarius; sed nec hic nec alius fide dignus Historicus, antiquus aut novus meminit *Indulgentiæ plenariæ*, quam omnibus ad Lateranensem Basilicam venientibus largitus sit; quemadmodum in magna tabula Basilicæ istius hodie inscriptum est. Argumentum sanè, tametsi negativum, vel solum sufficiens ad falsitatem illarum *Indulgentiarum* convincendam; licet nec alia positiva desint illius falsitatis argumenta.

Anastasius enim qui omnia donaria à Sylvestro Basilicæ isti collata retulit, potestne præsumi rationabiliter, fuisse silentio præteriturus donarium hoc *plenariarum Indulgentiarum*, tanto quam aliorum donariorum pretiosiorem thesaurum?

Firmum itaq; manet Morino, quem Eruditiores plerique hodie sequuntur, ante sæculum saltem XI. hujusmodi formulas Indulgentiarum nec Episcopis, multò minus Romanis Pontificibus visitatas fuisse.

XXVI. At hinc nemo concludat, Morinum ullumve Catholicum credere, *Indulgentiarum* usum dumtaxat sæculo XI. in Ecclesia notum fuisse; aut potestatem concedendi Indulgentias ab Episcopis & Pontificibus illo sæculo usurpatam.

Omnes enim Catholici libenter fatentur, *Indulgentiarum potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse*: uti habet hodierna *Professio Fidei*; atque unà cum Synodo Tridentina in Decreto *De Indulgentiis*, eos damnant *qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant*.

Verum qua forma, & modo concessæ jam pridem fuerint; aut quando primum hæc aliave formula usitari cœperit, ad disciplinam historiamque, nequaquam ad fidem pertinere dicunt.

XXVII. Similiter de causa ex parte dantis; de dispositione ex parte lucrantium aliisq; similibus, jam pridem, uti & hodie multæ, præsertim à Theologis quæstiones, salva fide agitantur & discutiuntur; quæ quia ad dogmata magis, quàm ad disciplinam, aut historiam spectant, eas, ne falcem in messem alienam mittam, Theologis relinquo; intra materiam disciplinæ & historiæ me concludens: præsertim quia pauca quæ à Scholasticis in hac materia Indulgentiarum agitantur aut traduntur ad certitudinem Fidei & doctrinam Ecclesiæ Catholicæ pertingunt; uti ostendit Veronius in *Regula Fidei* à Walleburgicis probata & adoptata; ac sufficienter insinuat Episcopus Meldensis in Expositione doctrinæ Ecclesiæ Catholicæ à variis Cardinalibus, Episcopis & Prælatis, nec non speciali *Brevi* Innocentii XI. probata ac laudata, in qua de Indulgentiis tamquam doctrinam Ecclesiæ Catholicæ hæc dumtaxat proponit: "Cum aspera pec„catoribus & laboriosa opera injungit, iique illa sub„misso animo subeunt, ea dicitur satisfactio: cum au„tem propter eximiam Pœnitentium pietatem, aliave „bona opera quæ iis ipsa præscripserit, è debita aliquid „ipsis pœna remittit, ea dicitur indulgentia. Nihil a„liud de Indulgentiis credendum proponit Tridentina „Synodus quam *potestatem eas conferendi à Christo Ec„clesia concessam esse, earumque usum esse salutarem*. „Additque: *retinendum illum, adhibita tamen modera„tione, ne nimia facilitate* Ecclesiastica disciplina *ener„vetur*. Unde patet Indulgentiarum dispensandarum „modum ad disciplinam pertinere.

CAPUT II.

De Moderato Indulgentiarum Usu.

1. *Apostolus magna usus moderatione in concessione Indulgentiæ.*
2. *Hanc sequuta pristinæ Synodi.*
3. *Ne hic excederent Episcopi Pœnitentibus sedulò invigilabant.*
4. *Ut moderatio hæc servaretur, jubentur Martyres, priusquam dent libellos statum Pœnitentium expendere.*
5. *Arguuntur Martyres, qui sine prævio examine libellos tradunt.*
6. *Martyres de disciplina Ecclesiæ per Diaconos instruebantur.*
7. *Libelli non dandi nisi iis, qui erant satisfactioni proximi.*
8. *Non omnibus libellos Martyrum habentibus Indulgentia dabatur.*
9. *Episcopi libellos Martyrum examinabant; & nonnisi prævia matura discussione Indulgentia dabatur.*
10. *Indulgentia extra casum imminentis mortis, non nisi sedata persecutione, & post mortem Martyrum dabatur; & quare?*
11. *Hac species Indulgentiæ quando desierit?*
12. *Seculo XII. cœperunt Episcopi aliqui in dandis Indulgentiis excedere; & qua ratio excessus?*

13. Re-

13. *Romani Pontifices in dandis Indulgentiis etiam sæculo 12. moderationem tenuerunt.*
14. *Indulgentiæ aliquot centenorum aut millium annorum fictitia.*
15. *Romani Pontifices applicationem Indulgentiarum aliquando commiserunt Episcopis: & quare.*
16. *Concilium Lateranense culpat excessum Indulgentiarum.*
17. *Episcoporum auctoritas in dandis Indulgentiis per Concilium restricta.*
18. *Concilium excitavit Episcopos ad moderationem exemplo Pontificum Romanorum.*
19. *Ostenditur Pontifices etiam sæculo 13. parce dedisse Indulgentias; sed sensim fuisse liberaliores.*
20. *Ostenditur exemplo Indulgentiarum concessarum in canonizatione Sanctorum.*
21. *Sixtus IV. Indulgentias nimias à se & à Prædecessoribus indultas restrinxit, & quare?*
22. *Quare ægre debita moderatio in usu Indulgentiarum obtineri potuerit?*
23. *Moderationem juxtà veterem usum servari voluit Synodus Tridentina.*
24. *Synodi nolunt adhiberi fidem libellis promittentibus plurimas indulgentias ex levissimis causis.*
25. *Merito Parochi hodie de his populum monent.*
26. *Hallucinantur & nocent peccatoribus, qui tempore Indulgentiarum pro gravibus peccatis imponunt leves pœnitentias.*
27. *Regula Cancellariæ volens ex primi Indulgentias anteriores.*
28. *Quomodo hæc regula mutata?*
29. *Regula Cancellariæ vetans dari indulgentias* adinstar.
30. *Congregatio Indulgentiis concedendis & examinandis præposita.*

I. Apostolum Paulum Corinthio incestuoso Indulgentiam dedisse ostendimus capite præcedenti: "at non nisi post afflictionem Pœnitentiæ tam gravem ut „ex ea desperationis periculum metuetur, illi Corinthio residuum donat Pœnitentiæ." ait Estius in IV. *Sentent. dist.* 20. §. 10. Unde intelligitur, quanta moderatione hæc Apostolica Indulgentia concessa fuerit.

II. Eam attendentia antiqua Concilia declararunt quidem, Episcopis esse potestatem dandi Pœnitentibus Indulgentiam seu remissionem; at cum summa moderatione & circumspectione eam concedendam monuerunt.

„Statuimus ut Episcopi, modo conversationis examinato potestatem habeant vel utendi *clementia*, vel „plus temporis adjiciendi," ait Synodus Ancyrana *Can.* 5. additque: "Ante omnia autem & præcedens „vita, & quæ consecuta est examinetur, & sic eis *clementia* impertiatur.

Idipsum indicat Canon 12. Nicænus, permittens iis Pœnitentibus Indulgentiam concedi, sive *humanius* cum illis agi, "quicumque & metu & lachrymis & tolerantia, & bonis operibus, conversionem opere & „non tantum habitu ostendunt.

Rectè proinde Estius post supra citata verba immediatè subjungit: "Et vetera Concilia statuunt circa eos „Pœnitentes *humanius* aliquid cogitandum, qui cum „omni timore & lachrymis perseverantibus conversio„nem bonam ostendissent.

III. Hinc tanta jam pridem fuit Episcoporum vigilantia ac diligentia, ut modum conversandi, peragendique statutam Pœnitentiam ipsorum Pœnitentium probè noscerent. Idcirco Presbyteros vel Diaconos constituebant, qui continuò Pœnitentibus invigilarent, eorumque curam agerent, atque statuto tempore de conversatione & statu Pœnitentium sine odio aut humano affectu sincerum testimonium Episcopis darent: quo Episcopi intelligerent, quam clementiam seu indulgentiam attento modo conversationis & statu Pœnitentium, dare conveniret.

IV. Hæc moderatio ut servaretur in largiendis Indulgentiis ad *preces* Martyrum, imprimis Episcopi volebant, ut Martyres lapsorum personas & criminum qualitates diligenter expenderent, antequam Indulgentiæ beneficium pollicerentur, sive *libellos* darent.

Unde ad Martyres scribit Cyprianus *Epist.* 10. "Oro „vos quibus possum precibus, ut Evangelii memores, „& considerantes quæ & qualia in præteritum Ante„cessores vestri Martyres concesserint, quam *sollicite* „in omnibus fuerint, vos quoque *sollicitè* & *cautè* pe„tentium desideria *ponderetis*. Ipsorum quoque *deli*„*ctorum genera & qualitates* cogitetis, ne si quid abru„ptè & indignè vel à vobis promissum, vel à nobis fa„ctum fuerit, apud Gentiles quoque ipsos Ecclesia no„stra erubescere incipiat.

V. Cum quidā Lucianus & ipse *unus de Confessoribus fide quidem calidus & virtute robustus minus tamen Dominica lectione fundatus* (ut de ipso scribit Cyprianus *Epist.* 33.) his non attentis, promiscuè sine examine lapsis pacem dedisset, graviter à Cypriano reprehenditur; uti & à Clero Romano *Epist.* 30. inter Epistolas Cypriani; ubi & istam quorumdam Martyrum seu Confessorum imprudentiam, & lapsorum qui illa abutebantur temeritatem acriter increpat.

VI. Et quia sub levissima Deciana persecutione tempore S. Cypriani, magna esset copia Confessorum, hoc est, qui fidei causa in carceribus detinebantur, etiam plures idiotæ, nec litteras callentes & disciplinæ Ecclesiasticæ planè ignari inter illos inveniebantur; ideoq; erant *Diaconi ad carceres commeantes, qui Martyrum desideria consiliis suis, & Scripturarum præceptis gubernarent*; teste Cypriano *Epist.* 10. ne Martyres temerè nec satis moderatè hos *libellos* Indulgentiarum annuerent.

Eandem ob causam in libellis *nominatim* designari volebant à Martyribus, quibus pacem seu Indulgentiam dari rogarent. "Sed & illud (ait eadem epistola 10.) „ad diligentiam vestram redigere, & emendare debe„tis, ut *nominatim* designetis eos, quibus pacem dari „desideratis: audio enim quibusdam sic libellos fieri „ut dicatur: *Communicet ille cum suis*. Quod numquam „omnino à Martyribus factum est, ut *incerta* & *cæca* „petitio invidiam nobis postmodum cumulet: *Late* e„nim patet quando dicitur: *ille* enim *cum suis*; & pos„sunt nobis *viceni*, & *triceni*, & *amplius* offerri, qui pro„pinqui & affines & liberti ac domestici esse alleveren„tur ejus, qui accipit libellum.

VII. Deinde hæc notanda subjicit: "Et ideò peto, ut „eos, quos ipsi videtis, quos nostis, quorum *pœnitentiam* „*satisfactioni proximam* conspicitis, designetis *nomina*„*tim* libello, & sic ad nos fidei ac disciplinæ congruen„tes litteras dirigatis.

En quanta circumspectione & moderatione hos *Indulgentiarum* libellos à Martyribus dandos esse judicaverint Patres.

VIII. Nec tamen omnes qui Martyrum libellos accipiebant, ideò Indulgentiam seu pacem consequebantur.

Martyres enim pacem lapsis non concedebant, sed Episcopis dumtaxat pro lapsis supplicabant; ut ad suas preces & desideria indulgentiam lapsis dare vellent.

IX. Porrò Martyrum desideria & preces Episcopi discutiebant, examinabantque, num his pro quibus Martyres rogabant, ob honorem & reverentiam Martyrum eorumque preces & merita aliquid esset indulgendum; atque ante actam pœnitentiam *pax* danda foret.

Digitized by Google

Ad plebem suam scribit adversus quosdam Presbyteros Martyrum libellos exequi, & Indulgentiam dare ausos S. Cyprianus adhuc exul: "Audiant quæso, patienter nostrum consilium, expectent regressionem nostram, ut cùm ad vos per Dei misericordiam venerimus, convocati Coëpiscopi plures, secundum Domini disciplinam & Confessorum præsentiam, Beatorum Martyrum *litteras & desideria examinare* possimus. *Epist.* 12.

Rationem assignat in litteris ad Clerum suum: "Hoc enim & verecundiæ & disciplinæ & vitæ ipsi omnium nostrum convenit, ut Præpositi cum Clero convenientes præsente & stantium plebe, quibus & ipsis pro fide & timore suo honor habendus est, disponere omnia consilii communis religione possimus. *Epist.* 13.

Tanta circumspectione procedendum esse in elargiendis his indulgentiis credit Cyprianus, "ut censeat nec à se *solo Primate* totius Africanæ Diœceseos, ideoque nec à quovis aliò Episcopo Indulgentias dandas, sed à Synodo; & quidem præsente Clero & Stantium plebe: " uti advertit Lupus in citata Dissertat. procemiali *cap.* 7.

X. Ulterius verisimile est, indulgentias has datas non fuisse, nisi sedata persecutione seu pace Ecclesiæ data extra casum necessitatis; nec libellos Martyrum vim habuisse ante eorum obitum. Hoc non obscurè indicat Cyprianus *epist.* 10. in qua quorumdam Presbyterorum temeritatem exaggerat, quod "contempta Domini Lege & observatione, quam Martyres & Confessores tenendã mandant, ante *extinctum persecutionis metum* communicent cum lapsis, & offerant, & Eucharistiam tradant.

Metuebant enim sæviente persecutione indulgentias dare, ne spe indulgentiæ consequendæ minus generosè & fortiter tormenta Tyrannorum sustinerent; atque facultas veniæ, incentivum esset delinquendi.

Ante mortem Martyrum similiter difficulter dabant: eo quod à morte & merito Martyrum vim suam libelli & preces Martyrum præcipuè acciperent.

XI. Hæc interim Indulgentiarum species, uti monet Morinus *lib.* 9. *cap.* 17. *nu.* 8. cum Martyribus defecit. "Ab eo enim tempore ut Ethnicorum persecutiones desierunt, sic & Indulgentiarum libelli: imo Ecclesiæ monumenta post S. Cyprianum nihil hujusmodi commemorant.

XII. Moderationem magnam in dandis indulgentiis ab Episcopis servatam fuisse usque ad sæculum XI. satis est in comperto; nec vix ullæ de Indulgentiarum excessu ante illud sæculum querelæ apud Antiquos extant.

At jam exorta & invalescente circa hoc sæculũ quinta Indulgentiarum specie, capite præcedenti exposita, vix conveniens moderatio servari potuit; idque ob lucrum ex istius speciei Indulgentiis proveniens; adeo ut sensim ex nimia harum indulgentiarum extensione summa disciplinæ Ecclesiasticæ collapsio, & pœnitentialis satisfactionis enervatio sequuta fuerit, uti ostendit Morinus *lib.* 10. *cap.* 20. quam tamen facilitatem, & effusiorem Indulgentiarum concessionem nec Ecclesia, nec ipsi quoque Romani Pontifices probabant.

XIII. Romani enim Pontifices etiam sæculo XI. & XII. in elargiendis Indulgentiis moderatos & parcos fuisse variis testimoniis ostendit Baronius. Et quidem ad annum 1177. relatis indulgentiis *unius* anni concessis ab Alexandro III. in dedicatione majoris Altaris in Ecclesia Ferrariensi subjicit: "Quibus videas, usum ejus temporis concedendi per Pontifices Romanos indulgentias, quæ *unius anni* terminum non excederent, præterquam in expeditione terræ sanctæ, ut constat ex aliorum etiam Pontificum diplomatibus.

XIV. Hæc Baronius; qui deinde quasi consequens subinfert: "Quibus redarguuntur scripta, quibus proditur, concessum ab eodem Pontifice primis Dominicis singulorum mensium Anconitanis tantum indulgentiarum, quantum arenæ possent capere ambæ manus simul junctæ.

Hic obiter nota, quàm à disciplina & moderatione etiã eo sæculo à Pontificibus servata, sit aliena Indulgentiarum in annos centenos aut millenos liberalitas; quam & absurdam & Sedi Apostolicæ minimè adscribendam, sed vel *merè commentitiam* vel *imprudenter extortam* asserere non dubitat Estius in IV. *Sent. Dist.* 20. §. 20.

Similiter Dominicus Soto in IV. *Sent. Dist.* 21. *art.* 1. *quæst.* 2. dicit: "Quinimo solent nonnumquam divulgari Indulgentiæ quibus remittuntur quinque annorum millia aut plura pœnitentiæ, & quadragenæ totidem. Ad hoc prima fronte responsio dari posset cum Gersone Cancellario Parisiensi in suo tractatu de absolutione Sacramentali, atque in alio de Indulgentiis, quod istæ *portentosæ* indulgentiæ non emanant à Papa, sed sunt *Quæstorum impostura*. Quare præfatus Doctor eas *irridet*. Et revera tam immodicus excessus non est ferendus: nam audies nonnumquam Indulgentias viginti mille annorum & ampliores.

Hactenus ille, qui deinde nonnullis interpositis quærit: "Quid de Indulgentiis *centum* aut *mille* annorum? Dicendum (ait) quod hujusmodi *portenta* numquam Papa concedere cogitavit...... Præterquam quod nullatenus negari potest, quin Indulgentiarum Quæstores, cùm sint homines non nimis ad regionem attendentes, *deridenda* nonnumquam prædicent, qui ideo essent publica auctoritate cohibendi.

XV. Refert insuper Baronius ad annum 1118. epistolam Gelasii Papæ II. ad *Exercitum Christianorum*, qua Indulgentiam concedit omnibus aliquid conferentibus in exercitus hujus sustentationem cum hac clausula: "Secundum laborum & beneficiorum suorum Ecclesiæ impensorum quantitatem, ad *Episcoporum arbitrium* in quorum Parochiis degunt, pœnitentiarum suarum remissionem, & Indulgentiam consequantur. " Litteræ Pontificis una cum litteris Episcopi Cæsaraugustani quibus has Indulgentias publicavit, habentur *tom.* 10. Concil. General. *col.* 820.

Hæ ostendunt, Romanos Pontifices etiam sæculo 12. & *partiales* dumtaxat Indulgentias dedisse, & insuper earum determinationem arbitrio Episcoporum commisisse: "Non abs re sanè, cùm paria non sint omnium scelera & merita, sanitas & infirmitas, " inquit Morinus *lib.* 10. *cap.* 23. *num.* 7.

XVI. Quin & sæculo 13. in concedendis Indulgentiis Pontifices specialem moderationem tenuisse; sed Episcopos nonnullos non parum in iis concedendis justo liberaliores fuisse testatur Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in *Cap.* 14. ꝟ. *De Pœnit. & Remiss.* his verbis: "Quia per indiscretas & superfluas Indulgentias, quas quidam Ecclesiarum Prælati facere non verentur, & claves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur: decernimus, ut cum dedicatur Basilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, sive ut uno solo sive à pluribus Episcopis dedicetur, ac deinde in anniversario dedicationis tempore 40. dies de injunctis pœnitentiis indulta remissio non excedat. Hunc quoque dierum numerum Indulgentiarum litteris præcipimus moderari, quæ pro quibuslibet casibus aliquoties conceduntur, cum Rom. Pontifex, qui plenitudinem obtinet potestatis, hoc in talibus moderamen consueverit observare.

Hic videmus, Concilium improbasse effusiorẽ Episcoporum in dandis indulgentiis liberalitatem; eò quòd per indiscretas & superfluas Indulgentias *claves Ecclesiæ contemnantur, & pœnitentialis satisfactio enervetur.*

XVII. Ut

Digitized by Google

XVII. Ut hunc excessum Episcoporum in Indulgentiis dandis auctoritatem restrinxit ad annalem Indulgentiam in Ecclesiarum dedicatione; & in aliis ad 40. *dierum*; quæ restrictio & hodie servatur. Ante hanc enim restrictionem, Episcopi poterant *plenariam* Indulgentiam; at ex illo tempore *plena* Indulgentia fuit Summo Pontifici reservata, ait Lupus loco citato *pag.* 638.

XVIII. Denique constat, ad eam moderationem Concilium Episcopos incitasse exemplo Pontificis; dum pro ratione injunctæ moderationis addit: "Cum „Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet pote„statis hoc in talibus moderamen consueverit observa„re:" Constat & eam in Pontificibus moderationem probasse, dum eam imitandam Episcopis proposuit.

XIX. Et sanè Pontifices adhuc seculo XIII. in Indulgentiis elargiendis non modicam moderationem servasse, ex variis illius temporis diplomatibus habetur.

Urbanus IV. Instituens Festum Venerabilis anno 1264. tametsi maximo desiderio in celebritatem illius festi ferretur, ultra *centum dierum* tamen Indulgentiam horis Canonicis illius festi interessentibus non concessit. Has Indulgentias Martinus V. seculo XV. duplicavit; quas rursus ejus immediatus Successor Eugenius IV. duplicavit per Bullam quæ incipit *Excellentissimum* 6. in Bull. R.

XX. Seculo XIII. primum cœperunt dari indulgentiæ in Canonizatione Sanctorum; at quàm parce! Primus qui eas concessisse legitur, fuit Honorius III. qui anno 1225. in Canonizatione S. Laurentii Archiepiscopi Dublinensis "omnibus verè pœnitentibus & confessis qui „ad Ecclesiam ubi corpus ejusdem sancti requiescit, in „*die* solemnitatis ejusdem, vel infra *octavas* cum de„votione accesserint ejus orationum suffragia petituri, „*viginti dies* de injunctis sibi pœnitentiis misericordi„ter relaxavit." In Bulla quæ incipit *Ineffabilis* 7. in Bull. R.

Ejusdem seculi anno 33. Gregorius IX. in Canonizatione S. Antonii De Padua, omnibus verè pœnitentibus & confessis sepulchrum hujus sancti in festivitate ipsius usque ad octavum diem cum reverentia visitantibus *annum unum* de injuncta eis pœnitentia relaxavit. Bulla quæ incipit, *Cum dicat* 4. in Bull. R. Similem concessit in Canonizatione S. Dominici; at paulò post in Canonizatione S. Elisabeth ad *annum* addidit *dies quadraginta*.

Clemens IV. in Canonizatione S. Hedvvigis Ducissæ Poloniæ anno 1267. sepulturam ejus visitantibus in die festivitatis ejusdem *annum unum & quadraginta dies*; accedentibus verò ad prædictam sepulturam infra ejusdem festi *octavas centum dies* de injuncta sibi pœnitentia relaxavit. Bulla quæ incipit *Exultat* 9. in Bull. R.

Calixtus III. seculo XV. in Canonizatione S. Vincentii Ferrerii accedentibus ad sepulchrum & Ecclesiam hujus Sancti *septem annos* & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis relaxavit: uti habetur in Litteris à Pio II. expeditis quæ conficiunt primam Bullam hujus Papæ in Bullario Romano. His addidit Sixtus IV. eodem seculo in Canonizatione S. Bonaventuræ *Dominicis singulis per annum dies centum*. In Bulla quæ incipit *Superna* 21. Bull. R.

Dein Leo X. in Canonizatione S. Francisci De Paula anno 1519. in loco sepulturæ die depositionis suæ, videlicet 2. Aprilis officio divino devotè assistentibus perpetuo duraturam *quadraginta annorum totidemque quadragenarum* Indulgentiam condonavit.

Insuper dedit Indulgentiam *plenariam* omnibus qui ipsi officio divino ipsius solemnis Canonizationis astiterant; qualem nullus ante hunc Pontificem hujusmodi causa dedisse legitur. Quod autem hic Pontifex concessit assistentibus solemni Canonizationis officio, hoc subsequentes tandem extenderunt ad visitantes Ecclesias Sanctorum; uti hodie passim observari videmus.

Hinc perspicuum est, Pontifices etiam seculo XIII. moderatos fuisse in concedendis Indulgentiis; sed illud manifestum est, sensim eorum in concedendis Indulgentiis liberalitatem crevisse; verissimumque esse quod notavit Christianus Lupus, posteriores Pontifices in largiendis Indulgentiis *longè liberaliores* fuisse prioribus; loco supra citato pag. 145.

XXI. Indulgentias nimias & extensas tum à se, tum à suis Prædecessoribus concessas, sive importunitate multorum extortas deplorans Sixtus IV. plurimas revocavit; atque moderationem quandam adhibens in *Extravag.* 5. *de Pœnit. & Remiss. in communib.* præmissa hac ratione, "ne cujusvis Indulgentiæ, remissionis, vel „facultatis obtentu Christi Fideles procliviores ad il„licita imposterum committenda reddantur; aut faci„litas veniæ eis peccandi tribuat incentivum.

XXII. At cum ex indulgentiis præsertim quintæ speciei, quæ concedebantur iis, qui in ædificationem, vel utilitatem hujus illiusve Ecclesiæ vel Hospitalis vel Monasterii denarium obtulissent, notabile lucrum in Monasteria, Ecclesias, Hospitalia, aliosque de collectis illis participantes redundaret; non facile dictu, quàm difficile fuerit, omnem in earum largitione & usu excessum cohibere.

XXIII. Synodus Tridentina non tantum abusus qui in usum Indulgentiarum ex Quæstorum avaritia & fraudibus irrepserant, quorum occasione insigne hoc Indulgentiarum nomen ab Hæreticis blasphemabatur, emendatos & correctos voluit; sed insuper; "in his „concedendis *moderationem* juxta veterem & proba„tam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit; ne ni„mia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur." In Decreto *De Indulgentiis*.

Cum ergo Synodus velit *moderationem* in his concedendis juxta *veterē & probatam* in Ecclesia consuetudinem adhiberi, nemo non intelliget, quanta in iis dandis moderatio exmente Synodi etiam hodie sit servanda; nam jam ostensum est quam moderati fuerint Veteres in concedendis Indulgentiis.

XXIV. Hinc meritò Synodus P. I. Cameracensis tit. *De indulgentiis* præcipit, ut Parochi populum suum „diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, „aut etiam impressis libellis temerè fidem adhibeant, „qui ex levibus, vanis, & superstitiosis causis exorbi„tantes Indulgentias pollicentur: cum Indulgentiæ „non nisi ex piis, & rationabilibus causis concedi de„beant.

De eadem re suos pios filios monitos voluit Synodus P. I. Mechliniensis tit. *De Indulgentiis* additque "Po„tissimum, si promissiones contineat certorum effe„ctuum, periculorum scilicet evitationem, à gladiis, à „tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem cer„tam à purgatorio. Quemadmodum & Missis quibus„dam, & precibus certo numero recitandis affixas, ali„cubi videre licet.

XXV. Quam conveniens, imò necessarium sit, ut Parochi conformiter ad hæc Synodalia Decreta populum de his sæpius moneant, haud difficulter agnoscet, qui vel paulisper reflectit ad omnes illos Confraternitatum circumforaneos libellos refertos indulgentiis pene quotidianis, iisque vel plenariis, vel centenorum aut millium aliquot annorum tam pro vivis, quàm defunctis; idque levissimis ex causis, etiam frequenter cum promissione certæ liberationis ex purgatorio; vel non discedendi ex hac vita sine confessione & pœnitentia aliisve similibus privilegiis: per quæ passim fideles procliviores ad illicita committenda, aut tardiores redduntur ad faciendos dignos fructus pœnitentiæ.

XXVI. Ulterius cum certum sit, juxta veterem & probatam

probatam consuetudinem, Indulgentias jam pridem data fuisse prout merita & fervor Pœnitentiam merebatur, Synodus Tridentina declarans indulgentias juxta *veterem & probatam* consuetudinem dandas esse, sat insinuat, Indulgentias esse concedendas cum ea moderatione ut opera pœnitentiæ non negligantur; ne alias per Indulgētias *Disciplina Ecclesiastica enervetur.* Unde meritò dicit Christianus Lupus in citata dissertatione *cap.* 8. " Pœnitentiales Presbyteri qui tempore Indul„gentiæ pro gravibus peccatis imponunt leves pœni„tentias hallucinantur insigniter, & peccatoribus plu„rimum nocent. Quò major eis pœnitentia imponi„tur, eò fiunt viciniores satisfactioni, & ad Indulgen„tiæ fructum aptiores.

XXVII. Pro moderatione Indulgentiarum videtur jam pridem confecta Regula Cancellariæ quæ erat 57. Innocentii VIII. nunc verò est 53. solita jam pridem his verbis exprimi: " Item voluit quod in litteris Indul„gentiarum ponatur, quod si Ecclesiæ seu Cappellæ „vel aliàs aliqua Indulgentia fuerit *per ipsum* concessa, „de qua inibi specialis mentio facta non sit, hujusmo„di litteræ sint nullæ.

Notat enim Alphonsus antiquus Regularum Cancellariæ Glossator, quia Papa " si sibi fuisset facta men„tio de alia Indulgentia, fortè illam non dedisset, sal„tem non ità de facili.

At si Indulgentia aliqua data sit idem Ecclesiæ à Prædecessoribus hujus Pontificis secundam Indulgentiam concedentis, credit Alphonsus, & post eum Joannes Choquier & alii ab eo citati, litteras Indulgentiæ non esse nullas licet prioris Indulgentiæ jam concessæ mentio *specialis* facta non sit ob verba Regulæ *per ipsum*, quæ regulam restringere videntur ad Pontificem Indulgentiam *secundam* concedentem.

XXVIII. At hodie in regula illa prout à moderno Pontifice Innocentio XII. promulgata est, prædicta verba *Per ipsum* non habetur, uti etiam notavit R. P. Hunoldus Pletenbergius in *Notitia Congregationum, & Tribunalium Curiæ Romanæ pag.* 468. Ideo forsan expuncta ut major in Indulgentiis moderatio servetur; nec facilè plures, etiam sub prætextu quod à diversis Pontificibus indultæ sint, in eadem Ecclesia aut Cappella habeantur: atque ità aliquando paulatim perficeretur quod aggressus fuerat Clemens VIII. de quo Baronius, relata antiqua Indulgentiarum moderata forma, ità scribit: " Ad quam laudabilem antiquam formam „S. D. N. Clemens VIII. non sine divino instinctu ef„fusas nimis Indulgentiarum concessiones restringere „aggressus est; fiunt enim potiùs remissiones vasta In„dulgentiarum laxitate Fideles. " Hæc ille ad annum 847.

XXIX Altera Regula Cancellariæ 54. habet: " Item „voluit idem D. N. quod litteræ super Indulgentiis „non expediantur *adinstar,* nisi specificentur.

Adinstar nimirum aliarum Indulgentiarum aliis Ecclesiis, locis aut personis concessarum, super quibus non vult Pontifex expediri literas, nisi Indulgentiæ antea concessæ specificentur; tum ne nimium multiplicentur Indulgentiæ, tum ut præcaveantur fraudes, quæ facilè in hujusmodi generalitate irrepunt.

XXX. Clemens IX. anno 1669. instituit novam Congregationem Cardinalium & aliorum Prælatorum „cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in „Indulgentiis emergentem, quæ ad fidei dogma non „pertineat (circa graviora & difficiliora Romano Pon„tifice prius consulto) expediendi. Abusus quoque, „qui irrepsisse possent, judicii tamen forma planè post„posita corrigendi & emendandi.... Falsas, apocry„phas indecretasque Indulgentias typis imprimi ve„tandi, impressas recognoscendi & examinandi; & ubi „Pontifici retulerit, ejus auctoritate rejiciendi.... Ac „in Indulgentiis concedendis *moderationem* adhiberi, „omniaque piè, sanctè & incorruptè fieri curandi. " In Constit. quæ incipit *In ipsis* 36. in Bull. R.

CAPUT III.

De abusu Quæstorum Eleemosynarum, eorum abolitione; & de quæstu in usu Indulgentiarum vitando.

1. *Quæstores unde dicti, & quo potissimum tempore cœperint?*
2. *Formula litterarum hujusmodi Quæstoribus dari solitarum.*
3. *Quæstores non admittendi nisi ostensis litteris, & juxta earum tenorem.*
4. *Quæ à Quæstoribus cavenda ex Decreto Concilii Lateranensis.*
5. *Quæstores subinde falsum Religionis habitum assumebant.*
6. *Referuntur multiplices illorum Quæstorum excessus.*
7. *Decretum Concilii Viennensis contra Quæstores.*
8. *Hoc Decretum effectum non habuit; & quare?*
9. *Quæstores à Joanne XXIII. missi in Belgium.*
10. *Quanti essent horum abusus tempore exortæ hæresis Lutheranæ.*
11. *Horribilem & infamem horum mercenariam & mala ex ea provenientia proponit Conventus Principum Germaniæ.*
12. *Decretum Synodi Tridentini quo usus Quæstorum aboletur & ratio hujus Decreti.*
13. *Omnes Indulgentiæ pro quibus* manus adjutrices *essent porrigendæ; aut quæ quæstuandi dant facultatem revocatæ.*
14. *Ecclesia voluit arceri omnem quæstum ab Indulgentiarum usu.*
15. *Indulgentiæ hodie per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo publicari & recognosci debent.*
16. *Id obtinet in omnibus Indulgentiis quibuscumque locis, etiam exemptis concessis.*
17. *Eleemosynæ & charitatis oblata sine ulla* mercede *colligenda; & à quibus?*
18. *Quid S. Carolus ad hunc effectum decrevit?*
19. *Monendus populus non esse necessariam pecuniæ dationem pro lucranda Indulgentia.*

I. ELeëmosynaria Indulgentia post institutum ab Urbano II. sacrum bellum cœ„pit admodum frequentari, " [ait Chri„stianus Lupus in Dissert. *De Peccatorum „& satisfactionum Indulgentiis cap.* 4.„] „Dari cœpit omnibus, qui sanctum illum domini exer„citum suis eleemosynis adjuvarent. Extendi item ad „sustentanda pauperum hospitalia, reparandas basili„cas, aliasque causas similes. Et tam à Rom. Pontifice, „quam ab aliis Episcopis instituti sunt Prædicatores, „qui per singula oppida & Pagos adjuvarent Indulgen„tias suis concionibus, & pœnitentium oblationes col„ligerent. Et hos ista ætas titulavit *eleemosynarum Quæ„stores* ac Prædicatores *quæstuarios.*

II. De his loquitur Concilium Lateranense IV. sub Innocentio III. in *Cap.* 14. ☩. *De Pœnit. & Remiss.* expressa ibidem formula litterarum Apostolicarum, quæ hujusmodi eleëmosynarum Quæstoribus à Sede Apostolica dari consueverant; erat autem hæc: " Quo„niam (ut ait Apostolus) omnes stabimus ante tribu„nal Christi, recepturi prout in corpore gessimus sive „bonum fuerit, sive malum: oportet nos diem mes„sionis extremæ misericordiæ operibus prævenire, ac ater-

Digitized by Google

„æternorum intuitu seminare in terris, quod reddente „Domino cum multiplicato fructu recolligere debea„mus in cœlis firmam spem fiduciamque rectam tenen„tes: quoniam *qui parcè seminat, parcè & metet: & qui „seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet* „vitam æternam. Cum igitur ad sustentationem fratrum „& egenorum ad tale confluentium hospitale, propriæ „non suppetant facultates: universitatem vestram mo„nemus & exhortamur in Domino atque in remissio„nem vobis injungimus peccatorum, quatenus de bonis „vobis à Deo collatis pias eleëmosynas, & grata eis cha„ritatis subsidia erogetis: ut per subventionem vestram „ipsorum inopiæ consulatur, & vos per hæc bona & „alia, quæ Domino inspirante feceritis, ad æterna „possitis gaudia pervenire.

III. Forma autem idcirco exprimitur, ut ex illa Episcopi litteras falsas à veris discernere possent. Quidam enim, testante Concilio, se *alios mentiendo abusiones nonnullas in sua prædicatione proponebant*. Unde Quæstores admitti prohibet, nisi prius litteras *veras* exhibeant: *Et tunc præter id quod continebitur in ipsis litteris, nihil populo proponere permittantur.*

IV. Deinde addit: "Qui autem ad quærendas eleë„mosynas destinantur, modesti sint, & discreti, nec „in *tabernis* aut in aliis locis *incongruis* hospitentur; „nec *inutiles* faciant aut *sumptuosas* expensas; caven„tes omnino ne *falsæ* religionis habitum gestent.

„V. Notanda sunt verba . *alios se mentiendo ne falsæ Religionis habitum gestent.* " Quo populum in „largas eleëmosynas circumscriberent, isti Parasiti as„sumebant Monasticum habitum: Simulabant curios, „& ex alienis peccatis vivebant Bacchanalia:" ait Lupus loco citato.

VI. De quæstorum illorum excessibus in *Clem. 2. De Pœnit. & Remiss.* sub nomine Concilii Viennensis refertur; quod "non sine multa temeritatis audacia, & „deceptione multiplici animarum, Indulgentias popu„lo motu suo proprio defacto concedant, super votis „dispensent, à perjuriis, homicidiis, & peccatis aliis „sibi confitentes absolvant, malè ablata incerta [data „sibi aliqua pecuniæ quantitate] remittant, tertiam aut „quartam partem de pœnitentiis injunctis relaxent, „animas tres, vel plures parentum, vel amicorum illo„rum, qui eleëmosynas eis conferunt, de purgatorio „(ut asserunt mendaciter) extrahant & ad gaudia para„disi perducant, benefactoribus locorum, quorum „Quæstores existunt, remissionem plenariam pecca„torum indulgeant, & aliqui ex ipsis eos à pœna & „à culpa [ut eorum verbis utamur] absolvant.

Hæc autem omnia, quemadmodum monet Concilium: ut *simplices decipiant, & aurum subtili vel fallaci potius ingenio extorqueant ab eisdem.*

VII. Hoc omnes excessus cohibere studuit dictum Concilium, atque inter alia districtè prohibuit; "ne „Quæstores aliqui (nisi Apostolicas vel Diœcesani E„piscopi litteras exhibuerint) quomodolibet ad„mittantur, nec permittantur [cùm solùm ipsis com„petat indulgentias sibi concessas insinuare populo, & „charitativa postulare subsidia suppliciter ab eodem] „nullatenus ipsi populo prædicare, nec aliud exponere, „quam quod in litteris continebitur supradictis. Litte„ras quoque Apostolicas Diœcesani Episcopi [ne quid „fraudis committi valeat per easdem] antequam ad„mittant Quæstores ipsos, examinent diligenter.

VIII. At frustraneum & sine effectu fuit hoc Decretum. Hoc enim hominum genus ad quæstum unicè intentum, simili repagulo cohiberi non potuit.

„Nec soli quorundam hinc inde Episcoporum, sed „etiam Romanorum Pontificum Quæstores commise„runt gravissimos abusus," inquit Christianus Lupus Loco allegato.

Et quidem inter articulos contra Joannem XXIII. in Synodo Constantiensi allegatos erat hic ordine 25. „Dominus Joannes Papa Nicolao Mercatori in Lega„tione existenti concessit, indulsit, & commisit, ut „idem Nicolaus quibuscumque hominibus utriusque „sexus ad suæ libitum voluntatis deputare posset Con„fessores. Et quod hujusmodi Confessores deputati ab„solvere possent à pœna & à culpa, certis tamen pecu„nus taxatis mediantibus. Quas quidem prætensas in„dulgentias idem Mercator publicavit & publicari fe„cit in certis locis, Civitatibus & Villis, utpote Tra„jecti, Mechliniæ, Antverpiæ, & alibi, de quibus „maximas pecuniarum summas exhausit & extorsit „Christi fideles seducendo, ac statum & vitam totius „Ecclesiæ Catholicæ enormiter scandalizando.

IX. Quam horribilis esset Quæstorum illorum excessus tempore exortæ hæresis Lutheranæ narrat Joachimus Camerarius de Bello Smalcaldico: "Veniales pra„ponebantur defunctorum animæ, quas licebat redi„mere certo soluto pretio, & peccatis suis quisque „qualibuscumque hanc veniam impetrare poterat nu„merata pecunia quantum Institutor petebat. Ac num„mi collecti ab illis negotiatoribus insumebantur in „varias voluptates, cum de Germanorum stolidorum „opibus animo illi quieto delicatissimè viverent. „Hæc autem mercatura vocabatur venia peccato„rum.

X. Has Quæstorum nundinationes sub idem pene tempus exposuit Conventus Norembergensis in sua ad Adrianum VI. Legatione; asseritque, quod hi Indulgentiarum Buccinatores, "Laudes suis mercibus occi„nerent; miras & inauditas condonari per emptitias „has condonationes, nedum noxas præteritas, aut „futuras viventium; sed & functorum vita, existenti„um in purgatorio igne, modo muneretur aliquid, „modò timeat dextra." Post hæc, quid ex hac mercimonia natum sit, oriri subdit: "Atque his merce„dum nundinationibus, simul & spoliata est ære Ger„mania, & Christi pietas extincta, quando quilibet pro „pretii, quod in has merces expenderat, modo peccan„di impunitatem pollicebatur. Quod enim malorum „amplius jam horrebunt mortales, quando sibi pec„candi licentiam ac impunitatem, nedum in vita, sed „& post obitum, ære, licet immodico comparari posse „à nundinatoribus illis Indulgentiariis, semel persua„sum habent? Maximè Germani quibus hos veræ pie„tatis fucos, sub religionis persona, nihil non persua„deri difficile est, ut ingenio planè ad pietatem credulo „est Germania.

XI. Cumque Patribus Tridentinis hi Quæstorum excessus nimis quam noti essent; atque ab ipsis materiam hæresi Lutheranæ præbitam esse scirent; ipsisque sat persuasum esset, adversis Conciliis adversus horum abusus adhibita remedia fuisse frustranea; eorumque malitiam & fraudem, ità quotidie magno Fidelium omnium scandalo & querela excrescere, ut de eorum emendatione nulla spes amplius relicta videretur, unanimi consensu decretum est, "ut post hac in quibuscumque „Christianæ religionis locis eorum nomen, atque usus „penitus aboleatur; nec ad officium hujusmodi exer„cendum ullatenus admittantur, non obstantibus pri„vilegiis, Ecclesiis, Monasteriis, hospitalibus, piis „locis, & quibusvis, cujuscumque gradus, status „& dignitatis personis, concessis, aut consuetudini„bus etiam immemorabilibus." *Sess. 21. cap. 9. De Reformat.*

XII. Cum non obstante hoc Concilii Decreto, nonnulli prætextu Indulgentiarum certis Ecclesiis, Hospitalibus & Monasteriis per Romanos Pontifices concessarum, lucrum ex illis quærere pergerent, Pius V. „omnes & singulas indulgentias etiam perpetuas, &

pecca-

Digitized by Google

„peccatorum remissiones quibuscumque Ecclesiis, „Hospitalibus, Monasteriis, Confraternitatibus aliisve „piis locis etiam per ipsum aliosve Romanos Pontifi„ces, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum „quibusvis clausulis & decretis, etiam motu proprio „& ex certa scientia, ac ex quibusvis etiam urgentissi„mis causis, etiam causa redemptionis captivorum & „aliàs quomodolibet concessas; pro quibus *manus sunt* „*porrigenda adjutrices*, & quæ *quæstuandi* facultatem „quomodolibet continent, auctoritate Apostolica per„petuo revocavit, cassavit, irritavit, & annullavit, ac „viribus vacuavit." Constit. quæ incipit, *Etsi Domini*-*ci* 30. in Bull. R. Est & alia ejusdem Pontificis Constitutio quæ incipit, *Quam plenam* 99. in Bull. R. qua similem abusum in quibusdam Hispaniarum Ecclesiis adhuc vigentem reprobat.

XIII. Ex Decreto concilii, & hisce Pontificiis Constitutionibus non obscurum est, principium Ecclesiæ in abrogatione Quæstorum scopum fuisse, omnem quæstum ab Indulgentiarum usu arcere, "ut tandem cœ„lestes hos Ecclesiæ thesauros [indulgentiarum] non „ad quæstum, sed ad pietatem exerceri omnes verè in„telligant," uti in citato Decreto loquitur Synodus Tridentina.

XIV. Ut autem fideliùs dispensentur, mandat, "In„dulgentias aut alias spirituales gratias deinceps per „ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, „debitis temporibus publicandas esse.

Synodus P. II. Mechliniensis tit. 6. expresso hoc Tridentino Decreto, addit, "Quod ab eis (Episcopis) erit „*diligenter* observandum, *summâ* in illis indulgentiis „recognoscendis adhibita *diligentiâ*.

XV. Sanctus Carolus in Concilio Mediol. V. *parte* 1. *tit. De Indulgentiis* conformiter ad citatum Tridentini Decretum declaravit: "Ne cuivis Rectori Ecclesiæ „etiam *exempta* quovis modo, neque ulli ordini Re„gularium, neque cuiquam scholæ, confratriæ, etiam „Rosarii, & cruce signatorum, locive pii Collegio, „prætextu, causave vel privilegiorum etiam antiquo„rum, vel indulgentiarum, quas sibi quovis modo con„cessas, etiam instar Ecclesiarum locorumque piorum, „confratriarumve Urbis Romæ habet, liceat illas ipsas „in suis Ecclesiis promulgare? sed ut Decreto Trid. ca„vetur, per Episcopum adhibitis duobus de Capitulo, „illæ quotannis publicentur atque evulgentur.

Si hoc exactum examen prævie ad publicationem Indulgentiarum ubique ab Episcopis instrueretur, spes esset, majorem futuram in earum publicatione moderationem; atque illæ exorbitantes, quæ in multis Confraternitatum libellis, multisque Ecclesiis proponuntur, rescinderentur.

XVI. Addit insuper Synodus Tridentina eodem hoc Decreto: "Quibus (Episcopis adjunctis duobus de „Capitulo) etiam eleëmosynas atque oblata sibi cha„ritatis subsidia, nullâ prorsus mercede acceptâ, fide„liter colligendi facultas datur.

XVII. Hoc Decretum innovavit S. Carolus in Concilio Mediol. V. loco supra citato; ac una omnem quæstus faciendi speciem in hac materia remotam cupiens cavit: "Ne Indulgentiarum litteræ, inscriptionésve ea„rum nomine exaratæ, eo loco, ubi *capsa* ad *eleëmosy*„*nam colligendam* apparata est, etiam extra Ecclesiam „proponantur, affiligantúrve, sed vel in altari majori „vel in alio, ubi Indulgentiæ causa, statio, ratiove con„stituta est.

XVIII. Deinde addit: "Ac proinde statis iis diebus, „quibus Episcopus indulgentiam promulgandam de„creverit, cum fideles ad eleëmosynam Ecclesiæ, loco„ve pio tribuendam, ubi illius indulgentiæ celebritas „agitur, Parochus, Concionatorve excitabit, doceat si„mul diligenter, ejus consequendæ causâ non esse ne„cessariò præstitutam eleëmosynæ largitionem: ut cœ„lestem eum Ecclesiæ thesaurum, spiritualiaque mu„nera exponi omnes intelligant, non ad quæstum, sed „ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exerci„tationem. Si verò aliquando Episcopi concessu capsa „in quam eleëmosynæ fidelium conjiciantur, palam „ponatur, intus in Ecclesia loco longè ab altari, ubi in„dulgentiæ statio agitur, decorè collocetur.

CAPUT IV.

De Jubilæo.

1. *Primus hujus formulæ indulgentialis Auctor creditur Bonifacius VIII.*
2. *Formula Indulgentialis ex præscripto Bonifacii.*
3. *Conditiones pro lucranda indulgentia à Bonifacio requisita.*
4. *Qui plus participent? & quid per* plenissimam *Indulgentiam intelligatur?*
5. *Bonifacius VIII. non concessit Indulgentiam nisi per*sonaliter *Basilicas Apostolorum visitantibus.*
6. *Annum Jubilæi Clemens VI. contraxit ad annum quinquagesimum.*
7. *Clemens in sua Bulla Indulgentia adstruit thesaurum Indulgentiarum.*
8. *Cui thesauri hujus dispensatio à Christo credita sit explicat.*
9. *Rationes contracti Jubilæi ad annum quinquagesimum.*
10. *Extensa Indulgentia à Clemente ad aliquos* persona*liter non visitantes Basilicas.*
11. *Quanta hominum multitudo ad lucrandas Indulgentias Romam perrexerit.*
12. *Annum Jubilæi rursus contraxit Urbanus VI. ad annum trigesimum tertium, & indixit.*
13. *Bonifacius IX. successor Urbani Jubilæum ab Urbano indictum celebravit, sed plures illud non agnoverunt; & quare?*
14. *Romana Ecclesia reductionem Urbani VI. non admisit.*
15. *Xystus IV. reductionem Pauli II. Jubilæi ad annum 25. probavit; & illo anno alias Indulgentias suspendit.*
16. *Quomodo Bonifacius IX. Indulgentias Jubilæi etiam ad alias Ecclesias extenderit; & quare hæ Indulgentiæ a non nullis parum æstimarentur.*
17. *Sub medium seculi XV. Indulgentia hæc nondum generaliter omnibus Ecclesiis communicabatur.*
18. *Primus extensionem fecisse legitur ad omnes Ecclesias Paulus II.*
19. *Sub medium seculi XV. nondum Confessariis facultas absolvendi à reservatis; aut commutandi vota per Bullam Jubilæi data.*
20. *Usque ad seculum XVI. Jubilæum non dabatur aliis Ecclesiis nisi anno Jubilæi Romæ absoluto.*
21. *Xystus V. primus videtur Jubilæum extra annū sequentem annum Jubilæi Romani dedisse; & quomodo subsequentes eum secuti.*
22. *Conditiones in hodierna Jubilæi forma præscripta.*
23. *Populus à Parocho instruendus quomodo hæ conditiones implendæ.*
24. *Datur libera electio Confessarii approbati idque cum facultate absolvendi à reservatis & vota commutandi.*

1\. Famosa admodum Indulgentiæ species est, quæ *Jubilæum* vocari solet; eaque omnium largissima æstimatur.

Hujus Indulgentialis formulæ monumentum hactenus non reperitur anti-

Digitized by Google

antiquius Constitutione Bonifacii VIII. quæ refertur in extravagante ANTIQUORUM *De Pœnitentiis & Remiss. in Communib.*

Dicit quidem Pontifex in hac Constitutione: " Antiquorum habet fida relatio, quod accedentibus ad venerabilem Basilicam Principis Apostolorum de Urbe concessæ sunt magnæ remissiones & Indulgentiæ peccatorum " sed quia harum Indulgentiarum olim concessarum non reperitur authenticum & sufficiens testimonium, hactenus hic Pontifex Bonifacius VIII. habetur primus hujus Indulgentialis formulæ promulgator.

II. In hac constitutione Bonifacius VIII. ait: " Nos de Omnipotentis Dei misericordia, & eorumdem Apostolorum ejus (Petri & Pauli) meritis & auctoritate confisi de Fratrum nostrorum consilio, & de Apostolicæ plenitudine potestatis omnibus in præsenti Anno millesimo trecentesimo à festo Nativitatis D. N. J. C. præterito proximè inchoato, & in quolibet anno centesimo secuturo, ad Basilicas ipsas accedentibus reverenter, verè pœnitentibus & confessis; vel qui verè pœnitebunt, & confitebuntur in hujusmodi præsenti & quolibet centesimo secuturo annis, non solum plenam, & largiorem, imò plenissimam omnium suorum concedemus & concedimus veniam peccatorum.

III. Post hæc, conditiones lucrandæ Indulgentiæ exprimit his verbis: " Statuentes, ut qui voluerint hujusmodi Indulgentiæ à nobis concessæ fieri participes: si fuerint Romani, ad minus triginta diebus continuis seu interpolatis, & saltem semel in die: Si verò peregrini fuerint aut forenses, simili modo diebus 15. ad Basilicas easdem accedant." Romanos ad 30. peregrinos ad 15. visitationis dies adstrinxit: quod nempe ad urbem laboriosa peregrinatio sit in partem satisfactionis computanda.

IV. Hoc deinde monet: " Unusquisque tamen plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas ipsas amplius & devotius frequentabit.

Dum ergo dixit, se non *plenam*, aut *largiorem* dumtaxat, sed & *plenissimam* Indulgentiam dare; idem est, ac si dixisset, omnem *possibilem*; atque unumquemque eò amplius de ea percepturum, quo se magis per devotam Basilicarum visitationem ad lucrandam Indulgentiam præparavit.

Antiquus Glossographus quærens, *quomodo ista se compatiantur*, PLENAM, LARGIOREM, & PLENISSIMAM: Respondet: " Dico Papam interpretatum fuisse in Consistorio me præsente, hanc Indulgentiam adeo plenam, prout Clavium potestas se extendit.

V. Hanc Indulgentiam Bonifacius VIII. iis solis concessit, qui recurrente *centesimo* anno *personaliter* ipsas Basilicas Principis Apostolorum reverenter & devotè visitarent, nullâ alterius Basilicæ, aut *absentium*, qui ipsum iter suscipere, aut perficere non possent, factâ mentione.

VI. Necdum à prima Indulgentia Bonifaciana anni quinquaginta erant elapsi, cum Clemens VI. ad instantiam & supplicationem Romanorum, qui de hac re ad eum nuntios miserant, mutaverit magnum Jubilæum de anno quinquagesimo in quinquagesimum, quod Bonifacius VIII. voluerat esse de centesimo in centesimum; atque ità Clemens VI. anno 1350. voluit esse Jubilæum; cum juxta constitutionem Bonifacii annus Jubilæus tantum recurrisset anno 1400. voluitque Clemens VI. ut imposterum de quinquagesimo in quinquagesimum annus Jubilæus semper recurreret.

Extat diploma hujus Jubilæi in *Extrav.* UNIGENITUS *De Pœnit. & Remiss. in Communib.*

VII. In hac ante omnia fusè ostenditur, Ecclesiæ relictum esse thesaurum ex meritis Christi constantem: " Ad cujus quidem *thesauri* cumulum Beatæ Dei Genetricis omnium Electorum à primo Justo usque ultimum adminiculum præstare noscuntur.

VIII. Deinde dicit, quòd Christus " hunc Thesaurum non in sudario repositum, non in agro absconditum, sed per Beatum Petrum cœli Clavigerum ejusque Successores suos in terris Vicarios commisit Fidelibus salubiter dispensandum: & propriis, & rationabilibus causis, nunc pro totali, nunc pro partiali remissione pœnæ temporalis pro peccatis debitæ, tam generaliter, quàm specialiter [prout eum Deo expedire cognoscerent] verè pœnitentibus & confessis misericorditer applicandum.

IX. His expositis, adducit rationes contracti temporis indicendi *Jubilæi* Primò, quod Jubilæum Judaicum non quovis anno centesimo dumtaxat, sed quovis *quinquagesimo* recurreret; ipsumque fuisse imaginem *Jubilæi* Christiani.

Secundò, quod " numerus *quinquagenarius* in Testamento veteri ex Legis datione, in Novo ex visibili Spiritûs Sancti in Discipulos missione, per quem datur remissio peccatorum, singulariter honoratur.

Tertiò, quòd vellet, " quamplurimos ejusmodi Indulgentiæ fore participes, cùm pauci multorum respectu propter vitæ hominum brevitatem valeant ad annum centesimum pervenire.

X. Præterquam quòd Jubilæum ad annum quinquagesimum reduxerit Clemens VI. addidit insuper: " ut ii etiam qui pro ea consequenda ad easdem basilicas & Ecclesiam accedent, at post iter arreptum *impediti legitimè*, quò minùs ad Urbem illo anno valeant pervenire, aut in via, vel prætaxato numero dierum non completo in Urbe decesserint, verè pœnitentes & confessi, eamdem Indulgentiam consequantur," atque ità rursus hoc titulo Indulgentiam Bonifacii extendit, qui iis tantùm qui *personaliter*, & quidem præfinito numero dierum, Basilicas Apostolorum visitassent, Indulgentiam concesserat.

XI. De hac Clementis liberalitate agens magnum Chronicum Belgii scribit: " Anno illo Jubilæo à Clemente VI. instituto & publicato per totam Christianitatem, innumerabilis populus utriusque sexus turmatim Romam perrexit pro Indulgentiis impetrandis, Cujus tanta fuit multitudo, sicut quidam ex Peregrinantibus narravit, ut *quotidie* infra dictum annum 5000. peregrinorum intrantes & exeuntes Romæ computarentur." Hæc ibi.

XII. Rursus anno quinquagesimo à celebratione Jubilæi nondum expleto Urbanus VI. (à quo famosum ac diuturnum schisma Avenionense incepit) tempus Jubilæi contraxit ad annum trigesimum tertium; ità enim de eo scribit Theodoricus A Niem *lib.* 1. *De Schismate cap.* 88. " Urbanus ultimo anno Pontificatus annum Jubilæi abbreviavit, scilicet ad singulos triginta tres annos, & constituit quòd tunc anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo octavo in festo Natalis Domini inciperet annus Jubilæus in Urbe, & duraret per annum inclusivè. Prout & factum fuit, Sed ipse Urbanus illum non vidit: Quia priùs ab hac luce migravit. Et innumerabiles peregrini toto illo anno, postquam incepit Jubilæus, præsertim de Allemannia, Hungaria, Polonia, Bohemia, Anglia & aliis Regnis ac Provinciis, quæ fuerunt de obedientia Urbani ad urbem venerunt: Unde & maxima offertoria Ecclesiis & Basilicis Urbis per visitatores data fuerunt, sed residuum, & major pars ad manus Bonifacii noni, & quorundam aliorum devenit.

XIII. Idipsum quoque refertur in magno Chronico Belgii pag. 300. additque de Bonifacio IX. Successore Urbani VI. " Anno Pontificatus Bonifacii primo, juxta ordinationem Domini Urbani Pap. VI. ex hujus appro-

„approbatione, plurimi qui obedientiam Bonifacio „præstabant, pro Indulgentiis anni Jubilæi consequendis de universis mundi partibus ad Urbem Romanam „confluxerunt. Illi verò, qui de Regno Franciæ erant, & „alii ejus obedientiam repudiantes hoc anno pro hujusmodi Indulgentiis Romam non venerunt, sed juxta „primam ordinationem Clementis VI. anno Domini „millesimo quadringentesimo, in maxima multitudine „pro ejusdem Indulgentiis obtinendis Romam venientes Limina Sanctorum visitabant.

Grassabatur enim eo tempore schisma; sedentibus duobus, qui se pro Pontifice gererent; altero Romæ scilicet Bonifacio IX. altero Avenione in Gallia Petro de Luna qui dicebatur Benedictus XIII. huncque ut solum legitimum Pontificem Galli & alii nonnulli agnoscebant; atque Urbanum & Bonifacium pro intrusis Pontificibus habebant; ideoque alteratum ab ipsis Jubilæum non agnoscebant.

XIV. " Quin & post Concilium Constantiense & extinctum schisma, etiam Romana Ecclesia abjecit illam Urbani novitatem, rediitque ad Decretum Clementis VI. Et ità fuit usque ad Paulum II. qui Jubilæi „indulgentias esse voluit quovis anno vigesimo quinto. „Hæc Lupus loco citato.

XV. Reductionem à Paulo II. factam confirmavit Xystus IV. cujus constitutio infertur in *Extrav.* QUEMADMODUM *De Pœnit. & Remiss. in Communib.* atque una omnes quascumque Indulgentias etiam plenarias adinstar Jubilæi quibuscumque Ecclesiis aut locis extra Urbem, & sub quacumque forma à sede Apostolica non concessas durãte anno Jubilæo suspensas esse voluit, nec interim alicui suffragari. Et ità etiamnum hodie vivimus

XVI. Verum Bonifacius IX. non tantum probavit reductionem Jubilæi ad annum trigesimum tertium factam per Urbanum VI. sed insuper anno Jubilæi Romæ absoluto, easdem Indulgentias per modum Jubilæi ad alias civitates extendit, de quo in citato Chronico Belgii hæc leguntur *pag.* 333. "Postquam annus Jubilæus „juxta constitutionem Urbani, & approbationem istius Bonifacii transiit, Dominus Bonifacius unum annum sub anni Jubilæi urbis Romæ Indulgentiarum „forma Coloniensi civitati concessit. Ità ut venientes „Coloniam, vel ibidem habitantes, isto anno mediante visitationes certas Ecclesias ad hoc directas cum „oblationibus suis, possent consequi Indulgentias, „quæ visitantibus urbem Romanam in anno Jubileo „concessæ erant, videlicet plenissimam remissionem „omnium peccatorum. Quo anno elapso, similis annus ab eodem Bonifacio sub eadem forma concessus „est civitati Magdenburgensi. Et ad utramque hanc „civitatem missus est Collector Papæ, qui certam partem recepit oblationum. Deinde Indulgentias similes concessit visitantibus alias nonnullas civitates Germaniæ ad certos menses. Unde in Misnia & Praga ex „hujusmodi concessione concursus magnus populorum „fuit. Deinde idem concessit multis locis Alemanniæ, „ut visitantes certas istorum locorum Ecclesias consequerentur Indulgentias similes, quæ erant quondam „concessæ tali vel tali loco, seu tali vel tali Ecclesiæ, „quæ in ipso privilegio concessionis exprimebantur. „De quibus locis vel Ecclesiis fama vulgaris erat, quod „ea vel eas visitantibus concessæ olim essent à Sede Apostolica Indulgentiæ plenissimæ. Prædictæ verò Indulgentiæ non solùm concedebantur in locis insignibus, sed in villis etiam non muratis, & in Monasteriis „vel Ecclesiis sitis in campis. Et in omnibus privilegiis „concessionum prædictarum ponebatur clausula: *Porrigentibus manus adjutrices.* Ità ut hujusmodi Indulgentias, nisi qui ipsis locis vel Ecclesiis manum porrigeret adjutricem, nemo consequi posse videretur.

Subjicit denique auctor: " Unde quidam concessiones hujusmodi non magni faciebant, ut quas lucro „magis, quam ex zelo, tum institutas à Papa suspicabantur.

Illud equidem constat, nullum extare vestigium extensionis hujus Indulgentiæ sive Jubilæi ad alias civitates ante Bonifacium IX. unde & communiter ipse hujus extentionis auctor reputatur.

XVII. In citato Belgii Chronico 380. legitur: Anno 1450, sedente Nicolao V. fuit annus Jubilæus Romæ, & magnus populus ex omni natione porrexit Romam pro Indulgentiis.

Deinde paucis interjectis prosequitur: " Anno sequenti Dominus Nicolaus Papa ad instantiam illustris „Ducis Burgundiæ Philippi, unum annum sub anni „Jubilæi urbis Romæ Ingulgentiarum forma concessit „oppido Mechliniensi, ità ut venientes Mechliniam, „vel ibidem habitantes, si illo anno durante certas Ecclesias ad hoc decretas cum oblationibus suis visitarent, consequi Indulgentias omnium peccatorum „possent.

Ex his discimus, quod Nicolai V. tempore (id est „sub medium seculi XV.) Jubilæa Indulgentia needum „ad omnes civitates, oppida & pagos extenderetur sequenti anno, sed duntaxat ad unam Regni aut Provinciæ civitatem; & quidem ad preces Regias ac de „singulari gratia; " uti rectè reflectit Lupus loco allegato *pag.* 651.

Hanc generalem ad omnes Ecclesias extensionem primus fecisse creditur Paulus II. an. 1464. ad Pontificatum assumptus; qui ad Indulgentias & Gratias dandas facillimus esse cœpit; adeo, ut videns ex nimia sua facilitate pœnitentialem disciplinam non parum lædi suam liberalitatem moderari debuerit per Constitutionem quæ refertur in *Extrav.* 3. *De Pœnit. & Remiss. in Comm.*

XIX. Refert præterea Belgici Chronici Compilator *pag.* 380. & sequenti, quod sub dicto Nicolao V. eodem anno 1451. venerit in Alemanniam tamquam Papæ Legatus Nicolaus Cusanus Cardinalis; atque omnibus qui in terminis suæ legationis habitabant, postquam ad ipsos pervenerat, verè contritis & confessis, & qui ad cistas in diversis Alemanniæ Ecclesiis de consilio suo & loci Episcoporum ordinatis certam pecuniæ summam juxta bonorum suorum facultatem voluntariè in pios patriæ illius usus mox convertendam contribuerunt concesserit *Jubilæum*, id est, plenam omnium peccatorum remissionem..... " Ut autem omnem Clerum & devotum „populum suæ Legationis redderet aptum ad hujusmodi Indulgentias promerendas, certos Confessores in „civitatibus constituit, qui sine pecunia, auctoritate „Sedis Apostolicæ, etiam in casibus *reservatis* confitentes absolverent, dicens, non esse absolutos nec Jubilæi gratiam promereri, qui suis Confessoribus contra mandatum dare quidquam præsumerent.

Hinc colligitur, nec tempore Cardinalis Cusani litteris Jubilæi insertam fuisse hodiernam clausulam, quâ omnibus Confessariis fit facultas absolvendi à casibus reservatis, & commutandi vota, paucis exceptis.

Quæ omnia evincunt, etiam in hac Indulgentiarum specie locum habere, quod capite præcedenti notavimus, nimirum, in concedendis Indulgentiis posteriores Pontifices longè fuisse liberaliores.

XX. Hactenus tamen nullus Pontificum Jubilæi Indulgentiam ad alias Ecclesias extenderat, nisi tantùm in anno qui sequebatur immediatè annum Jubilæi Romæ absolutum: ut qui Romæ Indulgentias lucrati non essent, ex speciali gratia eas in suis Ecclesiis lucrari possent; neque nota erat alia indictio generalis Jubilæi ex quacumque causa.

XXI. Primus qui Jubilæum indixit in initio suæ assum-

assumptionis, ad implorandum Dei auxilium pro bono regimine Reipublicæ Christianæ, videtur fuisse Sixtus V. qui mox à sua ad Pontificatum assumptione, Bullam Jubilæi publicavit; extatque in Bullario Romano tomo 2. pag. 490. neque alia anterior hujusmodi Jubilæi indictio in Bullario occurrit; monetque simpliciter Angelus Cherubinus Bullarii Collector: "Similem in„dictionem omnes ferè Pontifices promulgare solent, „eas tamen præterii hac dumtaxat pro exemplo reten„ta; & aliâ addita Pauli V." Quibus haud obscurè innuit, hanc indictionem à Sixto Quinto primum factam, à sequentibus Pontificibus in exemplum sumptam esse.

Nec tantùm in initio Pontificatus ad implorandum Divinum auxilium; sed etiam aliis ex causis subsequentes Pontifices generale Jubilæum indixerunt; uti & modernus Pontifex Innocentius XII. iteratò publicavit & ad omnes Ecclesias misit.

XXII. Forma ac conditiones Jubilæi in Bulla Sixti V. expressæ, eædem sunt quæ hodie in Bullis Jubilæi exprimi solent: ut vel inde quoque verisimile sit, ipsum primum subsequentibus pontificibus exemplum dedisse. Imprimis assignantur duæ hebdomadæ, in quarum altera conditiones requisitæ impleri debent; nimirum ut quis intra hebdomadam illam tribus diebus jejunet; eleemosynam, quantum pro sua facultate visum fuerit, in pauperes eroget; atque unam ut minùs Ecclesiam ex designatis ab Ordinario visitet; atque ibidem oret, ad finem in Bulla expressum; peccata sua omnia humiliter & contrito corde confiteatur; & Eucharistiam devotè accipiat.

XXIII. Circa modum & rationem hæc fructuosè adimplendi, populus à Parochis, occasione occurrente, ritè instruendus est; atque eum in finem Parochis conducere poterunt litteræ Pastorales, quas S. Carolus scripsit & emisit occasione Jubilæi concessi à Gregorio XIII. Ecclesiæ Mediolanensi anno 1576. postquam scilicet anno præcedenti, qui erat *annus* 25. jam pro tertia vice seculo illo recurrens, annus *Jubilæus Romæ* erat absolutus. Nec enim adhuc hactenus Indulgentiæ Jubilæi alio tempore aliis Ecclesiis fuerant concessæ. Extant hæ litteræ in actis Ecclesiæ Mediolanen. pag. 936.

XXIV. Adhæc ut fideles ad prædicta omnia peragenda magis idonei efficiantur, conceditur omnibus Fidelibus, ut possint hac vice, vigore Jubilæi eligere Confessarium sive secularem, sive Regularem ab Ordinario approbatum, qui audita ejus Confessione, possit eum à quibuscumque criminibus, quacumque ratione reservatis; ac etiam à sententiis, censuris, & pœnis Ecclesiasticis per eum quomodolibet incursis, injuncta ei pro culpæ modo pœnitentia salutari, absolvere in foro conscientiæ dumtaxat; ac quæ cumque per eum emissa vota (præterquam castitatis & Religionis) in alia pietatis opera commutare valeat.

Plures occasione hujus potestatis Confessariis factæ quæstiones præsertim apud Theologos Scholasticos moventur quarum decisio ibidem videri poterit.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

De Materia, Forma, & partibus inungendis.

1. *Extrema Unctio est verum Sacramentum.*
2. *Effectus hujus Sacramenti.*
3. *Materia oleum ab Episcopo benedictum.*
4. *Quando oleum benedicatur; & quo ritu à Parochis accipiatur?*
5. *Quomodò oleum benedictum sit servandum; & annis singulis renovandum?*
6. *Apud Græcos oleum etiam à Presbyteris benedicitur.*
7. *Quæ hujus disciplinæ origo;*
8. *Ecclesia Latina hanc disciplinam Græcorum non improbat.*
9. *Quâ ratione Synodus Tridentina dixerit materiam esse oleum ab* Episcopo *benedictum?*
10. *Forma hujus Sacramenti ex Decreto Eugenii IV. & Synodi Tridentinæ, & Præscripto Ritualium.*
11. *Hæc forma non est necessaria ex institutione Divina.*
12. *Eam nunquam adhibuit Ecclesia Græca.*
13. *Ecclesia Latina multis seculis eamdem ignoravit, & formâ indicativâ fuit usa.*
14. *Forma Ambrosiana erat* indicativa; *atque usque ad præteritum seculum in quibusdam Ecclesiis Latinis talis usitata fuit.*
15. *Usus antiquus formæ* indicativæ *non repugnat Decreto Concilii Tridentini; neque eam Synodus improbavit.*
16. *Christus nullam specialem formam hujus Sacramenti instituit.*
17. *Partes inungendas Apostolus Jacobus non expressit.*
18. *Non constat primis seculis* plures *corporis partes fuisse inunctas.*
19. *Seculo VI. moris fuisse videtur* pectus *tantùm inungere.*
20. *Septimo seculo cœperunt* plures *inungi; sed non eædem ubique.*
21. *Aliquando moris fuit, ut pars magis affecta inungetur: & quæ hujus ratio, & quare postea vetitum?*
22. *Circa ritum inungendi pridem fuit Ecclesiarum varietas.*
23. *Synodus Tridentina Ecclesiæ Romanæ ritum probando, aliarum Ecclesiarum alios ritus non reprobavit.*
24. *Quæ partes ex præscripto Ritualis Romani inungendæ.*
25. *An ultra quinq. sensuum organa aliæ partes sint necessario inungendæ?*
26. *Quomodo hodie in partium unctione forma pronuntianda?*
27. *In morbis contagiosis & morte imminente quid servari velit manuale Cameracense?*
28. *Non facilè omittenda inunctio quinq; sensuum organorum.*

1. SYnodus Tridentina *Sess.* 14. *De Sacramento Extremæ Unctionis* inter alia definit *Can.* 1. "Si quis dixerit Extre„mam Unctionem non esse verè & „propriè Sacramentum à Christo Do„mino nostro institutum & à Beato Ja„cobo Apostolo promulgatũ; sed ritum tantum acceptũ „à Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

II. Deinde *Can.* 2. effectum hujus Sacramenti astruit his verbis: "Si quis dixerit, Sacram infirmorum Uncti„onem non conferre gratiam, nec remittere peccata, „nec alleviare infirmos; sed jam cessasse, quasi olim tan„tùm fuerit gratia curationum; anathema sit.

III. Eugenius IV. in Instructione pro Armenis materiam hujus Sacramenti dicit esse Oleum Olivæ

per

per Episcopum benedictum. Idem docet Synodus Tridentina citata sessione cap. 1. ubi relatis verbis Jacobi Apostoli ex Epistola Canonica *cap. 5. Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, UNGENTES eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum: & alleviabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Immediatè subjicit: „ Quibus verbis, ut ex Apostolica Traditione per manus accepta, Ecclesia didicit, docet materiam, formam, proprium Ministrum & effectum hujus salutaris Sacramenti. Intellexit enim Ecclesia, materiam esse *Oleum ab Episcopo benedictum.*

IV. Oleum hoc dictum *Infirmorum* semel in anno juxta ritum Ecclesiæ Latinæ benedicitur ab Episcopo inter Missarum solemnia feria V. in Cœna Domini.

Illud quoque annis singulis, eodem ritu quo sacrum Chrisma (de quo supra *tit. 3. cap. 3.*) Parochi singuli accipiunt; nec Sacramentum hoc sine Oleo sic benedicto administrare possunt.

V. Unde passim Ritualia conformiter ad Rituale Romanum præcipiunt: " Habeat Parochus loco mundo & decenter ornato in vaso argenteo seu stanneo, „ diligenter custoditum sacrum Oleum Infirmorum, „ quod singulis annis feria V. in Cœna Domini ab Episcopo benedictum, veteri combusto, renovandum „ est. Id tamen si fortè infra annum aliquo modo ità „ deficiat, ut sufficere non posse videatur, neque aliud „ benedictum haberi queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate super infuso, reparari poterit.

VI. Testatur Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag. 436. notâ 22.* " Cum Sacerdotalis sit „ ministerii ægrotos *oleo Sacro* linire, usu consentiente „ factum esse, ut non à Græcis Pontificibus, sed à *Sacerdotibus* consecratum, & quoties urget necessitas renovatum & recens benedictum huic Sacramento conferendo proferatur.

VII. Benedicit quidem & ipse Episcopus ritu Græcorum feria V. in *Cœna Domini* Sacrum Oleum; sed mox post factam benedictionem, totum Oleum benedictum consumitur: nam more Græcorum, " cuncti „ accessuri ad Sacram Sinaxim in peccatorum expiationem sese *ungendos* offerunt; & Episcopus ipse primus „ omnium Oeconomi manu Unctionem suscipit; quem „ deinde omnes alii sequuntur, & ab Episcopo unguntur," ait ibidem.

Hac itaq; unctione quantumvis tantùm *cæremoniali* " cum oleum totum consumitur, facultatem illud „ denuo consecrandi privato cuicumque Parocho ipsi „ Pontifices tacitè, ex antiquo more videntur remittere." Ità Goartius.

VIII. Quidquid sit de origine hujus moris, hoc constat, Ecclesiam Latinam numquam improbasse hanc Græcorum consuetudinem: imò eam sat apertè probavit Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos qua inter cætera dicit: " Non sunt „ cogendi Presbyteri Græci Olea Sancta, præter „ Chrisma, ab Episcopis Latinis Diœcesanis accipere: cum ejusmodi Olea *ab eis*, in ipsa Oleorum & „ Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu *conficiantur & benedicantur.*

IX. Hinc ulterius statue, Synodum Tridentinam, non eo sensu, *Oleum* ab *Episcopo benedictum* materiam hujus Sacramenti reputasse, quasi ex institutione *divina* sine hujusmodi Oleo conferri hoc Sacramentum *validè* non posset; sed dumtaxat, eam esse veram & sufficientem; ac etiam *necessariam*, spectata scilicet Ecclesiæ Latinæ consuetudine.

X. Formam hujus Sacramenti hanc esse dicit Decretum Eugenii IV. *Per istam sanctam unctionem & suam piissimam misericordiam in dulgeat tibi Dominus quidquid per visum deliquisti.* Et similiter in aliis membris.

Eamdem assignat Synodus Tridentina citato *cap. 1.* eamque omnia Ritualia proponunt, & à Sacerdotibus exactè observari præscribunt: neque aliam hodie agnoscit Ecclesia Latina.

XI. Cæterum quod circa materiam supra notatum est, id quoque circa hanc formam notandum; nimirum; eam non ità huic Sacramento ex institutione Divina esse essentialem, ut sine illa numquam Sacramentum validè conferri posset aut potuisset.

XII. Imprimis certum est, Ecclesiam Græcam nec hodie uti, nec umquam usam fuisse hac formula: & tamen Ecclesia Latina numquam de validitate collati hujus Sacramenti cum forma à Græcis usitata, ipsis quæstionem movit.

XIII. Adhæc constat, in Ecclesia Latina hanc formam antiquitus usitatam non fuisse. Et quidem in Sacramentario S. Gregorii apud Hugonem Menardum pag. 251. legitur sub hoc titulo, *oratio ad infirmum ungendum*: " Inungo te de oleo sancto sicut unxit Samuel „ David in Regem & Prophetam. Operare creatura o„ lei in nomine Patis Omnipotentis: ut non lateat illic „ spiritus immundus, neque in membris illius neque „ in medullis, neque in ulla compagine membrorum: „ sed in te habitet virtus Christi altissimi, & Spiritus „ Sanctus per eundem.

Ad quæ verba reflectens ipse Menardus in notis *pag.* 332. ait: " Olim forma hujus Sacramenti fuit *indicativa*, ut hic apparet, (quamvis hic appelletur *oratio*, „ sed impropriè, verè etenim oratio non est) & clarè „ constat ex codicibus MSS. Ratoldi & Tiliani, monasterii S. Remigii & Manuali excuso Ecclesiæ Suessionensis, quæ *indicativam* habent, *deprecatoriam* ignorant. " Hæc ille: qui contextum dictorum Codicum exhibet *pag. 336.* & sequentibus; in quibus nulla forma *deprecatoria*, qualis est nostra hodierna, sed sola *indicativa* occurrit.

XIV. Ostendit insuper Menardus ibidem, formam Ambrosianam relatam à Sancto Bonaventura esse indicativam; eamque à Bonaventura aliisque Antiquis Scholasticis non fuisse improbatam; adeoque credidérint, formam *deprecatoriam* non esse de substantia hujus Sacramenti ex institutione Divina; idque supposuisse Facultatem Theologicam Parisiensem dum anno 1635. permisit sustineri publicè hanc positionem: *Etiam unica Olei unctione in necessitate, verbisque* INDICATIVE *prolatis perfici posse.* Sententiam Menardi probat quoque Morinus de Administrat. Sacramenti Pœnit. *lib. 8. cap. 16.* & novissimè Joannes Lanojus in speciali libro de Sacramento Unctionis Infirmorum: qui ulterius probat, à multis Ecclesiis Illustrioribus formam indicativam usque ad proximè elapsum seculum retentam fuisse; ac tandem ubique *deprecatoriam* assumptam. Und exponens quomodo sensim hæc mutatio contigerit.

XV. " Neque hæc doctrina [ait Menardus] adver„ satur Concilio Tridentino cum ait *Seff. 14. cap. 1.* „ *Formam deinde esse illa verba*, PER ISTAM UNCTIONEM &c. nam Concilium deprecatoriam non ità „ astruit, ut rejiciat indicativam, quam olim in usu fuisse, luce meridiana clarius est; ut nec ità astruit per „ illa verba *per istam unctionem*, ut destruat formam „ Græcorum, quæ licet deprecatoria sit, ejusmodi verba non tamen agnoscit.

Et revera, Synodum Tridentinam non improbasse formam *indicativam* probat allegatus Lanojus; idque ex variis Manualibus, in quibus exhibetur forma *indicativa* editis post declarationem factam à Synodo Tridentina; & quidem ab *Episcopis* qui ipsi Synodo interfuerant.

XVI. Notat insuper Lanojus, Christum nullam specialem

specialem formam hujus Sacramenti instituisse; sed eam instituendi, libertatem Ecclesiæ suæ reliquisse. Meminit quidem Jacobus Apostolus *Orationis & Unctionis*; sed quibus verbis oratio fundenda; & quomodo aut qua verborum forma perficienda sit Unctio, non determinat: quare hæc arbitraria esse credidit Ecclesia: idcoque unusquisque in his Ecclesiæ suæ morem sequi tenetur.

XVII. Hæc Ecclesiarum varietas non tantùm circa verba quibus orationes & sacra Unctio exprimi debent, intercessit; sed etiam circa partes corporis inungendas magna fuit Ecclesiarum diversitas; eo quod Jacobus Apostolus nullam partem corporis ungendam in particulari designaverit.

XVIII. Plurimos tam veteres, quàm recentiores libros Rituales & Sacramentarios, hanc diversitatem manifestè ostendentes profert Lanojus in citato libro sub hoc titulo, *Explicata Ecclesiæ traditio circa* PARTES *corporis, quæ unguntur in Sacramento Extremæ Unctionis cap.* 1. Et *cap.* 2. *Observat.* 1. ex allegatis monumentis concludit, nullum apud primorum seculorum auctores reperiri testimonium, quo probetur, antiquitus *plures* corporis partes inunctas fuisse.

XIX. Qui S. Eugendi vitam scripsit, tantùm *unius* partis, scilicet *pectoris*, inunctæ meminit. " Vocato, ait, „ uno ad se de Fratribus, cui cum libertate peculiari o„lim etiam perungendi infirmos opus injunxerat, secre„tissimè quoque sibi *pectusculum* petiit (*ut moris* est) „inungi." Ergo tunc *moris* erat, *pectusculum* tantùm inungere. Quod & in præfatione ad seculum primum Benedictinorum observat Mabillonius *num.* 97. Vixit autem S. Eugendus seculo VI.

XX. Deinde *observatione* 2. ex præallegatis libris Ritualibus concludit Lanojus, post tempora S. Gregorii paulatim invaluisse, ut plures corporis partes inungerentur; sed non eædem in omnibus Ecclesiis; imò in aliquibus quasdam debuisse inungi, quas in aliis inungi vetitum erat.

XXI. Constat in pluribus Latinis Ecclesiis visum fuisse, eam esse ungendam corporis partem, quæ *majori dolore* cruciaretur. Sic in Codice Tiliano apud Menardum *pag.* 340. legitur: "Et sic perungant singuli Sacer„dotes infirmum de oleo sanctificato, cruces faciendo „in collo & gutture & pectore, & inter scapulas, seu in „loco *ubi dolor plus* imminet.

Hæc autem unctio suam habet rationem in Jacobi Apostoli verbis: *Et alleviabit eum Dominus*; sed anni jam plures sunt, cum hæc unctio ubique planè desiit: ne forsan videretur, *Unctio* hæc sacri olei ad medicinam corporis magis, quàm animæ adhiberi.

XXII. Circa ritum ungendi Infirmum, non eadem quoque fuit semper Ecclesiarum disciplina: nam in quibusdam sub *unica* verborum formula omnes *partes* inungebantur; in aliis *singula* partes sub *diversa* verborum formula. In aliquibus etiam uno Sacerdote ungente, alius formam proferebat; uti notat Menardus *pag.* 332.

XXIII. Unde prudenter processit Synodus Tridentina, dum aliarum Ecclesiarum ritum non reprobando, simpliciter definivit: "Si quis dixerit Extremæ Unctio„nis ritum & usum, quem observat Sancta Romana Ec„clesia, repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli; ideo„que eum mutandum, posseque à Christianis absque „peccato contemni; annathema sit. *Can.* 3.

XXIV. Quoad partes inungendas, ritum hodiernum Ecclesiæ Romanæ exhibet Rituale Pauli V. his verbis: „Quinque verò corporis partes præcipuè ungi debent, „quas veluti sensuum instrumenta homini natura tri„buit, nempe oculi, aures, nares, os, & manus: atta„men pedes etiam & renes ungendi sunt; sed renum „unctio in mulieribus, honestatis gratia, semper omit„titur: atque etiam in viris, quando infirmus commo„dè moveri non potest. Sed sive in mulieribus, sive in „viris, alia corporis pars pro renibus ungi non de„bet.

XXV. Quoad quinque partes corporis, quæ sunt præcipua sensuum instrumenta, Rituali Romano consentiunt nostra Belgica; sed nullum præter hæc inungendum membrum præscribit Manuale Cameracense: & indubiè horum unctio ad validitatem Sacramenti sufficit. Unde Pastorale Mechliniense, tametsi ultra inunctionem horum quinque membrorum, requirat etiam inunctionem pectoris & pedum, disertè tamen monet: Prioribus partibus inunctis, *Presbyteri animus quiescat, quod jam infirmus receperit Sacramentum.* Et in morbis contagiosis, & peste grassante dicit, *posse inungi* TANTUM *organa quinque sensuum.*

XXVI Quoad formam in ipsa partium unctione pronuntiandam vult Rituale Romanum, ut *eandem* ac *integram* formam ad *singulorum* membrorum unctionem Sacerdos pronuntiet; monetque "dum oculos, au„res & alia corporis membra quæ *paria* sunt, Sacerdos „ungit, caveat ne altero eorum inungendo, Sacramen„ti formam priùs absolvat, quàm *ambo* hujusmodi *pa„ria* membra inunxerit.

Pastorale novum Mechliniense, tametsi in morbis contagiosis & peste grassante permittat *tantùm quinque sensuum organa* inungi, vult tamen ad singulas unctiones dici *integram* formam, sensui qui inungitur accommodatam.

XXVII. Cameracense Manuale in morbis contagiosis ac peste grassante, atq; insuper etiam morte urgente, permittit, " ut ungantur *celeriter* quinque sensuum or„gana in capite dicendo *semel*: Per istam sanctam Un„ctionem & suam piissimam misericordiam indulgeat „tibi Dominus quidquid deliquisti per visum, auditum &c." Quin & addit hoc Manuale: " Quod si tamen sit „contagii vel mortis periculum, ut nec *consueta* partes „ungi, nec illa forma pronuntiari possit; ungatur or„ganum sensus magis ad unctionem expositum, dicen„do: *Per istam sanctam Unctionem &c. quidquid deli„quisti per quinque sensus tuos.*

Ulterius ad vitandum contagium adjicit idem Manuale. " In rabidis ungatur pars ori vicina, ne saliva quæ „inficiendi vim habet, tangatur. In pestiferis uti licebit „virga oblonga oleo tincta quæ deinde comburatur, „aut servanda purgetur.

XXVIII. In variis Diœcesibus moris est, ut etiam extra periculum contagii, unctio fiat non pollice, sed virgula.

Interim ex citato Manuali Cameracensi colligitur, ab auctoribus illius Manualis creditum fuisse, alicujus determinatæ partis unctionem ad Sacramenti validitatem requiri: At quia hoc certum non est, haud facilè Sacerdotes quinq; sensuum organorum inunctionem ob infectionis periculum, præsertim si propinquum non sit, omittere possunt; præcipuè iis in locis ubi Ritualia licentiam omittendi expresè non tribuunt.

CAPUT II.

Quibus & quando hoc Sacramentum administrandum?

1. *Solis infirmis ex sententia Sancti Jacobi, & Traditione Ecclesiæ.*
2. *Id confirmat Synodus Trid.*
3. *Quàm gravis debeat esse infirmitas, incertum.*
4. *Non requiritur extrema omni convalescentiæ spe destituta.*
5. *Græci extremam non requirunt.*

6. *Hodierna Ecclesia Latina disciplina requirit eam, quæ morale mortis periculum ingerit.*
7. *Non sufficit morale mortis periculum; nisi adsit infirmitas.*
8. *An mulieribus in partu graviter laborantibus?*
9. *Quomodo pueris administrandum?*
10. *Amentibus quomodo dandum?*
11. *Infirmis sensu & ratione destitutis quomodo administrandum?*
12. *Nequaquam differendum quousque infirmus sit sensibus destitutus.*
13. *A Parochis monendi Fideles, ne nimium hoc Sacramentum differant.*
14. *Olim stulta fuit persuasio, quòd hoc Sacramento suscepto fas non esset infirmo condere testamentum.*
15. *Evellenda persuasio de adempta spe convalescentiæ post susceptum hoc Sacramentum.*
16. *Aliquando persuasum fuit, non licere conjugatis post semel acceptum hoc Sacramentum uti matrimonio.*
17. *Item non licere vesci carnibus.*
18. *Ob vulgarium deliramenta sensim hoc Sacramentum dilatum fuit ad extremum mortis articulum; & Viatico postpositum.*
19. *Deliramenta hæc invaluerunt, eò quòd Extrema Unctio reputata esset pro solemni pœnitentia.*
20. *Infirmus ungendus cinere & cilicio operiebatur.*
21. *Fusius ostenditur deliramentorum præfatorum origo.*
22. *Extrema Unctio tamquam Pœnitentiæ complementum credebatur olim Viatico præmittenda.*
23. *Hic ritus præscribitur in Sacramentario S. Gregorii.*
24. *Ritus usque ad annum 1000. ubique retentus.*
25. *Etiam seculo XIII. perduravit, & in Belgio notus.*
26. *Demum hoc seculo aut circa finem præteriti mutatus.*
27. *Inquiritur causa mutati ritus.*
28. *Hodie etiam ex præscripto Ritualium Viaticum Sacræ Unctioni præmittendum.*
29. *A præscripto suorum Ritualium inferiores Presbyteri facilè recedere non possint.*
30. *Episcopis expendendum, num & quousque pristina disciplina revocanda.*

1. EX Epistola Apostoli Jacobi, ad quam quidquid de vera hujus Sacramenti natura dicitur tamquam in certam regulam transferendum est, nequaquam obscurum est, solis *infirmis* corpore hoc Sacramentum esse administrandum: nam de his solis loquitur dicens: SI QUIS INFIRMATUR *in vobis inducat Presbyteros*, &c.

Quapropter constans fuit Ecclesiæ, præsertim Latinæ traditio, non nisi ægris hoc Sacramentum exhibendum esse.

Innocentius I. in Epistola ad Decentium *cap.* 8. relatis verbis Apostoli Jacobi: *Si quis infirmatur in vobis* &c. subnectit: "Quod non est dubium de Fidelibus *ægrotantibus* accipi, vel intelligi debere, qui sancto „Oleo Chrismatis perungi possunt: quo ab Episcopo „confecto, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus „uti Christianis licet in sua, aut suorum *necessitate* ungendis.

II. Traditioni huic & Apostoli Jacobi verbis inhærens Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 3. *De Extrema Unctione* declarat, "esse hanc Unctionem *infirmis* adhibendam; illis verò præsertim qui tam periculosè „decumbunt, ut in exitu vitæ constituti videantur: undè & Sacramentum *exeuntium* nuncupatur.

III. Quàm gravis autem corporis *infirmitas* requiratur, ut ad mentem Apostoli Jacobi, Sacramentali hac Unctione infirmus inungi queat, facilè determinari nequit: quia simpliciter & indefinitè dicit: *Si quis* INFIRMATUR *in vobis inducat Presbyteros*, &c.

IV. Hoc sat videtur expeditum, non eam infirmitatem requiri quæ extrema sit, nullam reconvalescentiæ penè spem relinquens; sed *gravem* sufficere.

De S. Eugendo, cujus suprà meminimus, refertur, quòd cùm Unctionem sibi imperturi petiit, ultra sexagenariam ætatem sex ferè mensibus *inæqualitate* corporis laborasse, adhuc tamen corpore firmus, quòd *numquam Canonico usque ad horam defuisset cursu, nec bis in die fesso corpusculo coactus fuerit aliquid impertiri.*

V. Notat Goartius ad Rituale Græcorum *pag.* 431. apud Græcos moris esse, ut ægri plurimi Unctionem Sacram accepturi "aliorum manibus & ope ad Ecclesiam se deferri faciant; ibique plurium nonnunquam „dierum spatio in Catechumenæis jaceant, pernoctent, „morentur, & sacra tandem Unctione sibi remedium „exposcant." Indicium, Græcos non credere, *extremam* planè infirmitatem ad suscipiendum Unctionis Sacramentum esse necessariam.

VI. Quidquid sit de pristino Ecclesiæ usu, quoad gravitatem infirmitatis in ungendo requisitam, hodie, saltem in Ecclesia Latina, requiritur infirmitas *periculosa*; & quidem talis, ut ob eam videatur morale mortis periculum imminere.

D. Rituale Romanum ait: "Debet autem hoc Sacramentum infirmis præberi, qui cùm ad usum ratio„nis pervenerint, tam graviter laborant, ut *mortis pe„riculum* imminere videatur, & iis qui præ senio defi„ciunt, & in diem videntur morituri, etiam sine alia „infirmitate.

VII. Pastorale Mechliniense præscribit, "Nemini, „qui *gravi* morbo affectus non sit, Sacramentum Un„ctionis dare licet, quamvis *periculum mortis* adeat, vel „quia periculosam navigationem parat, vel quia præ„lium initurus sit, à quo certe mors illi impendeat, vel „etiam capitis damnatus ad supplicium raperetur.

Non ergo sufficit imminens *mortis periculum*; sed requiritur, ut hoc vi *morbi* immineat: conformiter ad verba S. Jacobi: *Si quis infirmatur*, &c.

VIII. Idipsum expressit Rituale Romanum, item S. Carolus in suis Instructionibus Extremæ Unctionis, additque: *Neque mulieribus in partu laborantibus.* Manuale tamen Cameracense vult hoc Sacramentum administrari *fœminis in partu deficientibus*: adjungitque "„Rabidis; peste infectis; lethaliter vulneratis; ex hausto „veneno periclitantibus; etiam dum adhuc *robusti* „sunt, si postea suscipiendæ Unctionis opportunitatem „non habent.

IX. *Non ministretur pueris rationis usum non habentibus*, Rituale Roman. idem habet Pastorale Mechliniense; unà tamen monens: "Secùs de pueris periculosè „ægrotantibus, qui peccati mortalis, ac confessionis „capaces sunt, licet sint solùm octo aut novem anno„rum, & quamvis numquam communicaverint; ità ta„men, ut si eos mori contingat, non sint eorum paren„tes urgendi ad exequias more adultorum.

X. "Amentes, qui ab ipso ortu numquam fuerunt „mentis compotes, ungendi non sunt, ait pastorale „Mechliniense." Amentes autem & furiosi [ait idem „Pastorale] habentes interdum rationis usum, si eo „potissimum tempore piam animi significationem de„derunt, aut hoc Sacramentum petierunt, licet postea „in furorem, aut insaniam incidant, ungendi sunt, nisi „tanta sit frenesis, ut infirmus aliquid contra reveren„tiam Sacramenti facere posset; quo casu non ungatur, „nisi periculum tollatur omnino.

XI. "Infirmis autem cui dum sana mente & integris „sensibus essent, illud petierunt, seu verisimiliter pe„tiissent, seu dederint signa contritionis (ait Rituale „Roman.) etiamsi deinde loquelam amiserit, vel amen„tes effecti sint, vel delirent, aut non sentiant, nihilo„minus præbeatur.

Dicit

Dicit Pastorale Mechlin. " Quamvis non petierit; si „ tamen erat bonæ vitæ, quia non præsumitur imme- „ mor suæ salutis in morte plus quàm in vita. Unde „ præsumitur quòd petat, vel quod petiisset, & quòd „ petere voluit, sed non potuit.

XII. Itaque juxta modernam disciplinam, signanter Ecclesiæ Latinæ, Sacramentum Extremæ unctionis dandum non est, nisi infirmitas tanta fuerit, ut *mortis* periculum vi istius infirmitatis imminere videatur; hæc tamen infirmitatis gravitas non eousque extendenda est; nec administratio hujus Sacramenti tam diu differenda est, ut vel nulla omninò spes convalescentiæ supersit; aut ipse infirmus sensibus & ratione destitutus sit, uti expressè inculcant Synodi nostræ.

XIII. " Parochi ægrotos sæpè invisant hortenturque „ *nè ad extremum* Sacramenti hujus susceptionem diffe- „ rant; ac potius *sensibus rationisque usu adhuc integris*, „ illud sibi administrari petant, ut ità uberiorem ejus „ fructum percipiant" ait Synodus P. II. Mechl. *tit.* 8. *cap.* 1.

XIV. Idipsum passim omnes Synodi præcipiunt; uti & illud quod dicta Synodus Mechl. immediatè subjicit *cap.* 2. " Falluntur qui existimant, suscepto hoc Sacra- „ mento vel testamentum condi non posse, vel spem „ convalescendi ob id imminui; ideoque Pastores con- „ trarium subindè populum doceant. Etsi fortè alicubi „ usus introductum sit, ut testamentum à susceptione „ hujus Sacramenti conditum non subsistat, declarat hæc „ Synodus ejusmodi consuetudinem pro corruptela ha- „ bendam esse, utpote causam, cur tam salutaris Sacra- „ menti susceptio, ad extremum vitæ spiritum à plerisq; „ differatur; itquè interim effectus Sacramenti non per- „ cipiant, & sæpè etiam sine eo moriantur.

Communis atque vulgaris hæc de adempta facultate condendi testamentum opinio in hoc Belgio fuisse videtur; quandoquidem omnes passim Synodi moneant, ut stultam hanc opinionem convellant: hacque forsan Synodorum monitione effectum, hodiè contrarium sit persuasum, & quotidiè testamenta post hujus Sacramenti susceptionem ab infirmis fieri videamus; nec ullus eo titulo invaliditatis arguere testamenta præsumat.

XV. Utinam æquè è mente Fidelium evulsa esset altera de adempta omni spe convalescentiæ stulta opinio, quâ etiamnum hodiè contingit, ut frequenter hoc Sacramentum ad extremum vitæ spiritum differatur; atque hinc ulterius fiat, ut sine ullo devotionis affectu, & non rarò sine omni effectu recipiatur.

XVI. Observat Joannes Mabillonius in præfatione ad primum seculum Benedictinorum *num.* 100. quod seculo XIII. invaluisset, præsertim in Britannia, stulta opinio, quod uxoratis post susceptam Sacram Unctionem non liceret reverti ad opus conjugale; eamque superstitionem ad alia nonnulla erroris capita sensim prolapsam.

Richardus Episcopus Sarisberiensis in Constitutionibus editis anno 1217. *cap.* 68. ait: " Dicant etiam ac „ denuntient. confidenter Sacerdotes, quod post susce- „ ptum hoc Sacramentum licitum est reverti *ad opus con-* „ *jugale*." Habetur tomo 11. Concil. general. *col.* 264. Idipsum repetitur in constitutionibus cujusdam Anonymi editis anno 1237. & habetur eodem tomo *col.* 550.

XVII. Synodus Wigorniensis anno 1240. *cap.* 19. hæc inter alia habet: " Sunt autem quidam, ut audimus, „ qui post præceptionem hujusmodi Sacramenti sanitati „ pristinæ restituti nefas reputant, vel uxores suas co- „ gnoscere, vel carnes comedere, vel etiam aliqua ra- „ tione nudis pedibus ambulare. Horum autem errorem „ utpotè doctrinæ sanæ contrarium execramur, & eos „ excommunicationibus & monitionibus duximus esse „ corrigendos.

Has erroneas vulgarium opiniones rursus anno 1287. Synodus Exoniensis & anno 1307. Synodus Wintoniensis acriter convellunt; ut vel inde appareat, eas opiniones altas radices in mentibus Vulgarium egisse.

XVIII. Ad iterata hæc Decreta reflectens Mabilonius dicit, verisimile esse, " sub ea vulgi deliramenta Unctio- „ nem infirmorum *in mortis articulum* reservari cœpis- „ se; ac sensim usum in omnes Ecclesias fuisse propaga- „ tum." Cui forsan & stulta opinio de adempta facultate condendi testamentum non parum contulit.

Credit quoque Mabilonius ex hac vulgi perversa opinione factum esse, ut seculo XIII. contra hactenus observatam disciplinam Sacræ Unctioni Viaticum præmissum fuerit.

XIX. Prædicta autem deliramenta hinc ortum suum habuisse videntur, quod veteres habuerint Sacram Unctionem pro complemento *Pœnitentiæ*: adeò ut propterea Græci etiam sani Sacra Unctione utantur in pœnitentiæ signum & peccatorum expiationem, uti multis docet Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 432. quamvis eam non ut Sacramentalem, sed ut *cæremonialem* dumtaxat à *sanis* adhiberi credat.

XX. Hinc vetus quoque cæremonia pœnitentialis in exhibitione hujus Sacramenti, in quibusdam Ecclesiis adhita, signandi scilicet ægrum signo crucis *ex cinere*? atque imponendi ægro *cilicio*.

In antiquo codice Rotaldi Abbatis apud Menardum in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag.* 337. in ritu Unctionis dicitur: " Tunc Sacerdos facit crucem *ex* „ *cinere* super pectus ejus, & imponit *cilicium*, desuper, „ dicens: Si quis infirmatur, agat *pœnitentiam* etiam ex „ necessitate, quia misericors est.

Idipsum habent alii veteres Sacramentarii libri editi ibidem à Menardo; quibus Lanojus addit Librum Pontificalem M. S. Ecclesiæ Cameracensis, in quo ritus Unctionis describitur; atque inter alia, Benedictio *cineris*, Benedictio *cilicii* & nonnullæ Orationes, ac denin dicitur: " Tunc Sacerdos facit crucem ex *cinere* cum „ aqua super pectus ejus, & imponit *cilicium* desuper.

De hoc ritu in pluribus Ecclesiis olim religiosè at non ubique uniformiter observato ex libris Ritualibus latè agit citatus Lanojus sub titulo: *Explicata veteris Ecclesiæ traditio circa usum* CINERIS & CILICII *in infirmis, & circa lectum seu stratum cinere respersum in morituris.* Advertitque ex Breviario Romano, S. Carolum se huic disciplinæ submisisse: de ipso enim legitur: " Mediolanum reversus, ingravescente morbo, *cinere* ac „ *cilicio* coopertus, & oculis in Crucifixi imaginem de- „ fixis migravit in cœlum.

XXI. Cùm ergo Extrema Unctio jam pridem reputata fuerit pro pœnitentia; quin & quidam ritus in *solemnis* pœnitentiæ impositione adhiberi solitus hic quoque adhiberetur; quidni hinc sensim aliquibus persuasum fuisse credamus, comestionem carnium, actum conjugalem, & similia vetita esse post impositam hanc quasi publicam pœnitentiam; quandoquidem constaret, similia Pœnitentibus fuisse jam pridem interdicta; uti multis ostendit Morinus *lib.* 7. *cap.* 10. & sequentibus.

Quidquid sit de horum deliramentorum & falsarum opinionum origine seu fundamento; duo tamen certa sunt

XXII. Alterum, quòd Extrema Unctio reputata fuerit ut complementum pœnitentiæ; atque ad reliquias peccatorum abstergendas efficax, juxta illud S. Jacobi: *Et si in peccatis fuerit remittentur ei.*

Hinc ulterius reputabant, Sacramentum hoc convenienter post Sacramentum Pœnitentiæ suscipi; ut si quæ peccatorum reliquiæ superessent, Sacra hac Unctione abstergerentur; atque ità majore cum puritate Viaticum Corporis & Sanguinis Domini ab infirmo sumeretur.

XXIII. Unde in Sacramentario S. Gregorii apud Menardum post recitatas preces & Unctionem infirmi subditur: *Deinde communicet cum Corpore & Sanguine Domini.* Ad quæ verba notat Menardus *pag.* 334. "Ità „in codice Rotradi & Ratoldi & Tiliano, & S. Remigii „& S. Germani à Pratis, in quibus datur Eucharistia „post ipsam Unctionem. Quod valde notandum est: „quia olim ungebatur infirmus antequam sumeret „Viaticum Corporis & Sanguinis Domini. Hæc ille, qui hanc disciplinam ibidem pluribus astruit; atque latiùs prosequitur Joannes Lanojus sub titulo: *Explicata vetus Ecclesiæ Traditio de data infirmis post Unctionem Eucharistia.*

XXIV. Prima parte hujus tituli profert Lanojus monumenta & exempla, quæ hanc traditionem astruant ab anno 700. usque 1000. atque inter cætera *Canonem* 5. Concilii Aquisgranensis anno 836. celebrati: "Si quis „infirmitate depressus fuerit, ne confessione atque o„ratione Sacerdotali nec non *Unctione* sacrificati *Olei* „per ejus negligentiam careat; denique si finem urgen„tem perspexerit, commendet animam Christianam „Domino Deo suo more Sacerdotali cum acceptione „Sacræ Communionis.

Hic videmus, non tantùm Unctionem datam ante Sacram Communionem; sed insuper, data jam Unctione, demum Sacram Communionem fuisse datam, si ulteriùs Sacerdos *finem urgentem perspexerit.*

XXV. Parte secunda sui tituli refert Lanojus Scriptorum testimonia, eandem traditionem adstruentia ab anno millesimo ad millesimum trecentesimum: ac inter cætera monumenta adfert antiquum Librum Pontificalem MS. Ecclesiæ Cameracensis, ubi in Ordine ad visitandum infirmum primò ponuntur orationes à Sacerdote recitandæ, deinde ipsa Unctio infirmi, quia absoluta sequitur oratio: "Domine Sancte Pater omni„potens, æternæ Deus te fideliter deprecamur, ut acci„pienti fratri nostro Sacrosanctum Corpus & Sangui„nem Domini nostri Jesu Christi Filii tui, tam corpo„ris quam animæ sit salus. Per eundem Dominum no„strum, &c.

Hoc hic referendum credidi, ut appareat, etiam in Belgio nostro pridem hanc disciplinam viguisse.

XXVI. Tertia parte refertur ex Ritualibus praxis quarumdam Ecclesiarum, probans eandem disciplinam ab anno millesimo trecentesimo ad annum millesimum sexcentesimum; atque ibidem notat, in plerisque Ecclesiarum Gallicanorum Ritualibus sive Manuaualibus, etiam præterito seculo excusis, veterem ordinem administrandi Sacramentum Unctionis ante Viaticum, fuisse servatum; at illud mutatum fuisse in plerisque illis Ritualibus præsenti seculo recusis. Unum tamen Manuale Cœnomanensis Ecclesiæ, quod anno octavo præsentis seculi recusum est, antiquum Ordinem retinuisse observat.

Ex his constat, in multis Ecclesiis etiam usque præsens seculum, aut saltem finem præteriti perseverasse praxim dandi Sacram Unctionem ante Viaticum; at eam in aliquibus Ecclesiis mutari cœptam seculo XIII. ac tandem sub finem proximè elapsi aut initium præsentis seculi ubique pene in Ecclesia Latia mutatum esse ordinem; atque Viaticum Unctioni præmissum fuisse.

XXVII. Putat autem Lanojus, "quod ad illam muta„tionem plurimum valuit male percepta *Extrema* Un„ctionis notio, quæ quorumdam è Schola Theologo„rum animis *extremum* Sacramentum objecit. At pro„fectò sonat tantum Unctionem quæ in genere Un„ctionis *extrema* est, non quæ *extremum* Fidelium „Sacramentum." Hæc ille *observ.* 5. ad citatum titulum; qui dein *observat.* 6. ostendit, apud veteres nullum occurrere testimonium quo probetur, Sacram hanc Unctionem fuisse dictam *Extremum* Sacramentum. Lanojo consentit Mabillonius in citata præfatione *num.* 98. asserens, *Extremam* vocari cœptam sub finem seculi XII. idque antequam Unctio Viatico posterior esset: ut proinde nomenclatura illa, Viatico eam postponendi occasionem aliquam dedisse potuerit.

XXVIII. Tametsi occasio mutari ritus nonnihil obscura sit; ac forsan non una fuerit in omnibus Ecclesiis, illud tamen constat, ritum illum præmittendi Sacram Unctionem Viatico in omnibus Ecclesiis Latinis, solis Cistercienſibus & paucis forsan Ecclesiis exceptis, desiisse; contrariumque ordinem non tantum consuetudine invaluisse; sed etiam in plerisque Ritualibus & Synodis præscriptum.

Rituale Romanum Pauli V. sub initium præsentis seculi de hoc ritu præmittendi Viaticum Unctioni, tamquam jam generali Ecclesiæ consuetudine recepto loquitur, hæc statuens: "In quo illud in primis ex *gene„rali* Ecclesiæ consuetudine observandum est, ut si „tempus, & infirmi conditio permittat *ante Extremam Unctionem* Pœnitentiæ & *Eucharistia* Sacramenta infirmo præbeantur.

Pastorale Mechliniense præscribit: "Licet Sacra„mentum extremæ Unctionis *regulariter post* Pœni„tentiæ & *Eucharistia* Sacramenta ministrari debeat, „ei tamen qui ob insaniam, furorem vel alium mor„bum, hæc Sacramenta recipere non potest, confe„renda est extrema Unctio sine prævia confessione aut „communione.

Similia aliarum Ecclesiarum Ritualia præscribunt; atque hodiernum ritum à veteri diversum stabiliunt.

XXIX. Hæc Ritualium præscripta oportet, ut inferiores Presbiteri sequantur; nec facilè hic recedendum quasi antiqua disciplina ipsius Sacramenti institutioni videatur conformior; eo quod institutum sit ad tollendum peccatorum reliquias; & consequenter ad disponendum infirmum, ut fructuosius Sacrum Viaticum recipiatur; quia cum hic de puncto disciplinæ agatur, non facilè Presbyteris inferioribus à consuetudine suæ Ecclesiæ, præsertim jam in Ritualibus libris auctoritate Superiorum stabilitâ; recedendum est. Si tamen infirmus aliquis de veteri Ecclesiæ disciplina instructus, desideraret sibi ad abstergendas peccatorum reliquias, ante Viaticum administrari hoc Sacramentum, etiam posset infirmi desiderio interdum satisfieri; modò non timeretur inde Fidelium scandalum aut Superiorum offensio; quemadmodum non ità pridem duo hujus Academiæ Eximii Doctores ex Ordine Eremitarum S. Augustini, Christianus Lupus & Franciscus Farvacquius optimè de antiqua Ecclesiæ praxi instructi, sibi ante Viaticum dari Extremam Unctionem postularunt, & obtinuerunt.

XXX. Episcopi autem aliique Prælati, quibus disciplinæ conservatio & restauratio præcipuè incumbit, expendere possunt, quid pro locorum & temporum conditione retinendum aut mutandum vel restaurandum sit; illud attendentes, per antiquam disciplinam dandi Sacram Unctionem ante Viaticum, futurum esse, non tantùm, quod infirmi à reliquiis peccatorum expurgati, cum majore puritate, majorique fructu Viaticum sint recepturi; sed insuper futurum sit, quod Extrema Unctio non differatur usque ad extremum vitæ spiritum, & frequenter negligatur.

CAPUT III.

De Ministro, Ritu, & Iteratione hujus Sacramenti.

1. *Ministros hujus Sacramenti esse Presbyteros docet S. Jacobus; & traditio Ecclesiæ.*
2. *Ipsum declarat Synodus Tridentina.*

3. *Sanctus*

3. *Sanctus Jacobus* plures *Presbyteros inducit; unde & ritu Græcorum plures interveniunt.*
4. *Nec tantùm intersunt, sed etiam inungunt.*
5. *Etiam in Ecclesia Latina* plures *adhibiti.*
6. *Sæculo XII. dubitatum, an* plures *requirerentur; & unum sufficere resolutum.*
7. *Conveniens est, ut plures interveniant; & quare?*
8. *Sanctus Carolus desideravit ut* plures *intervenirent.*
9. *An conveniat, ut solus Parochus cum custode preces recitet.*
10. *Regulares Presbyteri sine licentia Parochi administrare non possunt.*
11. *Solus Parochus hodie est* ordinarius *Minister.*
12. *Monere debet populum ut tempestivè petant administrari.*
13. *Interdum ultrò infirmum adire & monere debet.*
14. *Quàm periculosum Parocho si ejus culpa negligatur.*
15. *Nec tempore pestis administratio negligenda, & an danda cum manifesto vitæ periculo?*
16. *Parochus delaturus Sacrum Oleum superpelliceo & stola indutus sit oportet.*
17. *In delatione S. Olei* nola *pulsari non potest, & quare?*
18. *An lumen præferendum?*
19. *Ante declarationem Sacri Olei campana pulsanda, & quare?*
20. *Eundo & redeundo à fabulis abstinendum, & orationi instandum.*
21. *Monendus populus ad orandum, eò quòd effectus hujus Sacramenti singulariter orationi adscribatur.*
22. *Manus Infirmo, Unctione peracta imponitur.*
23. *Infirmo cereus ardens porrigitur.*
24. *Imago Crucifixi datur*
25. *Quando hi duo ritus verisimiliter adhiberi cœpti? & quid occasione illorum adstantibus dicendum?*
26. *Olim etiam in Ecclesia Latina in eodem morbo hoc Sacramentum reiterabatur.*
27. *Neque redarguendi Græci qui etiam hodie reiterant.*
28. *Antiquorum opinio sæculo XI. quòd nullatenus etiam in diverso morbo iterari posset, & quod fundamentum?*
29. *Contraria sententia ut probabilior sustinebatur.*
30. *Sententia Magistri Sententiarum & Altissiodorensis.*
31. *Sanctus Thomas reiterationem tantum permittit si morbus aut periculum sit diversum.*
32. *Eadem sententia posteriorum Scholasticorum.*
33. *Quid Synodus Tridentina senserit?*
34. *Invaluit sententia S. Thomæ & eam passim Ritualia præscribunt.*
35. *Aliquando etiam hodie in eodem morbo reiteratur.*
36. *Damnata praxis non reiterandi hoc Sacramentum* intra annum *tametsi* status *morbi fuerit mutatus.*
37. *Quæ circa reiterationem hujus Sacramenti statuta sunt, ad disciplinam spectant.*
38. *Circa hæc quisque suæ Ecclesiæ præscriptum sequi debet.*
39. *Parochus in dubio magis in reiterationem inclinare debet.*

I. HUjus Sacramenti Ministros sat patenter expressit Jacobus Apostolus dicens: *Si quis infirmatur in vobis inducat* PRESBYTEROS *Ecclesiæ & orent super eum ungentes eum Oleo in nomine Domini.*

Unde Innocentius I. respondens Decentio Episcopo Eugubino *cap.* 8. repetens jam relata verba Apostoli, subdit: "Cæterum illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod *Presbyteris* licere non dubium est. Nam idcircò *Presbyteris* dictum est, quia Episcopi aliis occupationibus impediti, ad omnes languidos ire non possunt.

Tam constans igitur eo tempore erat persuasio, *Presbyteros* esse hujus Sacramenti Ministros, ut dubitaret Decentius, num Episcopus & illud administrare posset.

Porrò, evidens est Innocentium ibidem de veris & legitimè ordinatis *Presbyteris* loqui; ipsumque non dubitasse, quin Jacobus Apostolus de hujusmodi Presbyteris loqueretur; quemadmodum & omnia tam Græcorum, quàm Latinorum antiqua & recentiora Ritualia intellexerunt; uno consensu in ministros hujus sacræ Unctionis nominando Presbyteros seu Sacerdotes, idque auctoritate Apostoli Jacobi.

II. Unde contra nostri temporis Hæreticos definivit Synodus Tridentina *Sess* 14 *Can.* 4. *de extrema Unctione*: "Si quis dixerit, Presbyteros Ecclesiæ, quos Beatus Jacobus adducendos esse ad infirmum inungendum hortatur, non esse Sacerdotes ab Episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate; ob idque proprium Extremæ Unctionis ministerium non esse solum Sacerdotem: Anathema sit.

III. Cum verò Jacobus non unum Presbyterum ad infirmum induci velit, sed *plures*, dicendo, *inducat* PRESBYTEROS; videntur in administratione hujus Sacramenti, non unus dumtaxat, sed *plures* Presbyteri adhibendi.

Et quidem Græcorum ritu, *septem* Presbyteri hoc peragunt; aut si copia tot Presbyterorum desit, ad minus *tres* adhiberi debent; quapropter titulus officii *Olei* Sancti in eorum Rituali apud Goartium *pag.* 408. his verbis exprimitur: *Officium Sancti* OLEI *decantatum à* SEPTEM *Sacerdotibus congregatis in Ecclesia; aut in domo.* Deinde relato officio pro infirmo ante sacram inunctionem recitando, nec non oratione in ipsa Unctione dicenda, subjicitur in Rituali: "Hæc oratio ab *unoquoque* Sacerdotum postquam dixerit Evangelium & orationem, cum videlicet infirmum oleo perungit.

IV. Hic nota, Græcorum ritu, non tantum plures Sacerdotes in hujus Sacramenti administratione adesse, ut simul pro infirmo precentur; sed ut etiam in eadem infirmitate, nec non ejusdem *temporis tractu*, plures, id est septem eorum Sacerdotes, *easdem* infirmi partes, Oleo sacro, repetitâque debitâ verborum formâ, perungant, quemadmodum id ipsum observat Goartius *pag.* 438.

V. Neque Græcorum dumtaxat, sed & Latinorum praxis jam pridem fuit, ut plures Presbyteri ad Sacræ Unctionis ministerium vocarentur; atque simul pro infirmo orarent.

In veteri Codice Sacramentarii S. Gregorii apud Menardum *pag.* 253. dicitur: MULTI *Sacerdotum infirmos perungent insuper in quinque sensus.* Et in Codice Tilianoʃ apud Menardum in notis ad Sacramentarium Gregorii legitur: "imponunt manus super infirmum *omnes* Sacerdotes, jubente, vel tantum permittente Episcopo, quia Canonicus sic ordo docet.

VI. Quin & sæculo XII. dubitasse videtur Episcopus Carnotensis, num Sacerdos uno tantum Clerico præsente infirmum inungere posset; uti colligitur ex Decretali Epistola Alexandri III. ad dictum Episcopum, apud Antonium Augustinum in prima Decretalium Collectione *l.* 5. *tit.* 27. *c.* 9. ubi hæc leguntur: "Quæsivit à nobis tua Fraternitas utrum Sacerdos *uno* Clerico *tantum* præsente infirmum debeat inungere... Nos itaque duximus respondendum, Sacerdos uno præ-

„ sente Clerico, & etiam *solus* infirmum ungere potest: " Fragmentum Epistolæ continens responsum Pontifi- „ cis refertur in *Cap.* 14. " *De V. S.*

VII. Ex his duo habemus, Unum, jam pridem apud Latinos, & hodie etiam apud Græcos, plures Sacerdotes in administratione hujus Sacramenti intervenisse. Alterum, nequaquam tamen plurium Sacerdotum concursum ita necessarium esse, quin unus solus validè hoc Sacramentum administrare queat.

Utrumque expressit S. Thomas *lib.* 4. *contra Gentiles cap.* 73. " Quia hoc Sacramentum (Unctionis) „ perfectæ curationis effectum habet, & in eo requiri- „ tur copia gratiæ, competit huic Sacramento, quod „ *multi* Sacerdotes intersint, & quod oratio *totius* Ec- „ clesiæ ad effectum hujus Sacramenti coadjuvet. Unde „ Jacobus dicit: *Inducat Presbyteros Ecclesiæ & ora-* „ *tio fidei sanabit infirmum*; si tamen unus solus Pres- „ byter adsit, intelligitur hoc Sacramentum perficere „ in Virtute totius Ecclesiæ, cujus Minister existit, & „ cujus personam gerit.

Non dubium quin, institutioni hujus Sacramenti esset convenientius, ut plures Sacerdotes & Clerici ad infirmum inungendum accederent: ut ipsa plurium Sacerdotum simul convenientium *oratio fidei* efficacius impetraret, & infirmo gratiam accesseret.

VIII. Hinc S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *part.* 2, *cap.* 6. monet Parochum, ut " id Extremæ Un- „ ctionis Sacramentum ministraturus, *quos* commodè „ potest, *Presbyteros* & Clericos adhibere studeat su- „ perpelliceo indutos: qui ipsum & ministrantem & *pre-* „ *cantem*, pietatis orationisque studio in eo ministerio „ adjuvent.

Optandum sanè esset, ut Episcopi & Parochi excitarent Sacerdotes & Clericos, ut officium hoc pietatis Infirmis, quando occasio se offert, & aliis necessariis negotiis non impediuntur, impenderent; atque sua pietate & precibus hujus Sacramenti uberiorem gratiam in Infirmum quodammodo attraherent.

IX. Sanè cùm juxta Jacobi Apostoli verba, non tantùm S. Unctioni; sed & *orationi fidei* effectus Sacramenti tribuatur, atque propterea ex præscripto Ecclesiæ, etiam multò plures in hujus, quàm aliorum Sacramentorum administratione, preces recitandæ sint, dolendum est, unum dumtaxat Sacerdotem cum Clerico seu Custode adhiberi; eosque non rarò has preces seu formulas quasdam sibi præscriptas sine intimo pietatis affectu, & fidei ardore recitare; ut meritò dubitetur, num ex parte ipsorum dici queat *oratio fidei*, quam S. Jacobus requirit, & an non meritò adscribi queat defectui *orationis fidei*, quod hujus Sacramenti tam exiguus appareat fructus. Licet enim Sacramentum suum operetur effectum ex *opere operato*, ut loquuntur, dubitari tamen nequit, quin pietas atque fides ministrantium & astantium, ac multorum adunata & charitate fideque fervens oratio non parum conferant, ut uberiorem effectum in suscipiente habeat.

Hic quoque obiter reflectendum, quam meritò in Synodis sæpius decretum sit, ut in Custodes Ecclesiarum Parochialium eligantur pietate ac morum probitate insignes; uti suprà *parte* 1. *tit.* 4. *cap.* 2. annotavimus; quandoquidem ipsi sint, qui una cum Sacerdote preces in administratione hujus Sacramenti pro infirmo recitare solent.

X. Secundùm modernam disciplinam non quilibet Presbyter est hujus Sacramenti Minister, sed soli Parochi; in tantum ut in *Clem.* 1. *De Privilegiis* decernatur, quod " Religiosi, qui Clericis aut Laicis Sacramen- „ tum *Unctionis Extremæ*, non habita super hoc *Paro-* „ *chialis* Presbyteri licentia *speciali* ministrare præsumūt, „ excommunicationis incurrant sententiam ipso facto, „ per Sedem Apostolicam dumtaxat absolvendi; quos „ etiam locorum Ordinarii (postquam de hoc eis con- „ stiterit) excommunicatos faciant publicè nuntiari, „ donec de absolutione ipsorum eis fuerit facta fides, „ nullo Religiosis eisdem super hoc *exemptionis*, vel alio „ privilegio suffragante.

XI. Insuper Synodi, ac Ritualia alium hujus Sacramenti ministrum (excepto casu necessitatis) quàm Parochum non agnoscunt; omniaque Decreta, ac instructiones omnes ad Parochos diriguntur.

Sanctus Carolus in Synodo Mediol. V. *parte* 1. *tit.* 11. expressè habet: " Ne alius Sacerdos, nisi *Parochus* hoc „ Sacramentum ministret. Si porrò is impeditus aut a- „ liàs in mora est, mortisque periculum instat tunc Sa- „ cerdos alius ministret licet. " Et Catechismus Romanus *parte* 2. *de Sacramento extremæ Unctionis* §. 21. ait: " Neque tamen ex Ecclesiæ Decreto cuivis Sacerdoti; „ sed *proprio Parocho* qui jurisdictionē habet, sive alteri „ cui ille hujus muneris fungendi potestatem fecerit, „ hoc Sacramentum administrare licet.

XII. Imprimis autem monent, ut " Parochi ægrotos „ sæpè invisant, hortenturque, ne ad extremum Sacra- „ menti hujus susceptionem differant; ac potius sensi- „ bus rationisque usu adhuc integris, illud sibi admini- „ strari petant, ut ita uberi rem ejus fructum percipiant; „ uti loquitur Synodus P. II. Mechl. *tit.* 8. *cap.* 1. & aliæ „ passim Synodi inculcant.

XIII. Quin, ubi infirmum esse resciverit Parochus de quo veretur, ne fortè negligentia aut malignitate domesticorum aut propinquorum non munitus Sacramentis moriatur, adeat ædes infirmi, etiam non vocatus, eumque ad suscipienda Sacramenta excitare conetur; quemadmodum habet Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 8. *cap.* 2. aliæque plures.

XIV. " Ut vigilanter Pastor hoc Sacramentum in- „ firmis impendat (*ait* citata Synodus Buscoducensis „ *cap.* 4.) non tantū officii sui ratio eum excitare debet, „ sed etiam exemplum B. Malachiæ Episcopi, de quo „ scribit Bernardus in ejus vita: quod cum ad nobilem „ fœminam Oleo Sacro ungendam vocatus esset, & illa „ tamen sine hoc Sacramento expirasset, ita Vir San- „ ctus consternatus est, ut juxta eam stans, pro Oleo „ Sacro largissimo lachrymarum imbre mortuam per- „ fuderit, totaque nocte gemitibus consumpta, non „ priùs animo quietem restituerit, quam defuncta ad „ vitam revocata gratia hujus Sacramenti, qua caruerat, „ frueretur.

XV. Neque tempore pestis aut alterius morbi contagiosi hujus Sacramenti administrationem negligendam esse passim Ritualia & Synodi indicant, ritum & cautionem designantes, quibus morbis hujusmodi infectis administrari possit.

Imò contrariam opinionem, quæ alibi invaluerat, quod peste infecto ministrare non deberet, tamquam perniciosum errorem reprobat Synodus Namurcensis anno 2639. *tit.* 14. *cap.* 9. dicens: " Saluti Sub- „ ditorum nostrorum consulere volentes, ordinamus, „ ut Pastores suis subditis pestilentia correptis, quam- „ vis Sacramenta Pœnitentiæ & Eucharistiæ eis admi- „ nistraverint, non omittant etiam Extremam Un- „ ctionem illis dare, si id absque manifesto vitæ periculo „ præstare possint.

Deinde *c.* 10. " Qui autem peste afflatus non est con- „ fessus, nec potest confiteri, Pastor teneatur illi Extre- „ mam Unctionem, etiam cum periculo vitæ dare.

Ideò indubiè, quod priori casu, ipsa confessio & absolutio quodammodo vices Extremæ Unctionis, saltem quoad remissionem peccatorum, & Viaticum quoad infusionem gratiæ suppleverint; posteriore verò casu, ipsa Extrema Unctio tanquam species Pœnitentiæ, defectum Confessionis & Sacramenti Pœnitentiæ supplere aliquo modo debeat.

XVI.

XVI. Cum juxta modernam praxim, non nisi post Viaticum, & in gravi valde infirmitate Sacra Unctio conferri soleat; nec ægri illam in Ecclesia (quemadmodum olim frequenter fiebat) sed domi suæ decumbentes accipere consueverint; ideóque sacrum Oleum per Sacerdotes ad ædes decumbentium sit deferendum, pro reverentia ipsius sacri Olei & Sacramenti, in plerisque Synodis & Ritualibus statutum est, ut Sacerdos ægrotum uncturus, indutus sit superpelliceo & stola, comitante & præcedente Custode, similiter superpelliceo induto.

XVII. Ut tamen populus sciat, Sacro Oleo non deberi eum cultum adorationis, qui exhibetur Eucharistiæ, monent Synodi uti & Ritualia, ut dum Sacrum Oleum solum defertur, Custos Sacerdotem præcedat, sed sine *Nola*, cujus sonitu populus ad adorationem Eucharistiæ excitari & moneri solet.

XVIII. Quin & Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 14. *cap.* 1. vult quidem " Parochum Sacrum Oleum " infirmorum ad ægrotos deferentem Matricularius de- " tecto capite comitetur," sed addit: " Non tamen lu- " men, aut *nolam sonantem* præferat, nisi simul deferatur " Sanctissimum Sacramentum Eucharistiæ.

Quod de vetita *luminis* gestatione ante Sacrum Oleum hic decernitur, hodie non observatur; imò in plerisque Synodis & Ritualibus expressè decernitur, ut Custos lumen præferat. In numero tamen tædarum aliove externo cultu convenit, ut sit differentia in delatione Eucharistiæ & Sacri Olei, ut inde populus intelligat, alium planè cultum & reverentiam Eucharistiæ, quam Sacro Oleo exhibendum esse.

XIX. Adhæc monent Synodi, ut cum Sacrum Oleum ad infirmum deferendum est, " campana aliqua pulse- " tur ex Parochiis, cujus sono omnes intelligant, defe- " rendum Extremæ Unctionis Sacramentum, moneantur- " que Fideles, ut hoc signo dato, se ad Ecclesiam con- " ferant, & Sacerdoti se jungant, pro salute ægri cum " eodem deprecaturi; & ad hoc opus charitatis, etiam " propositis indulgentiis, ubi expedire judicaverit Epi- " scopus, invitentur: cæteri, quibus non vacat, erigant " saltem animum in cœlum, & pro salute decumbentis " aliquam orationculam offerant Deo; extrema enim " hac necessitate, fidelium precibus ægri maximè indi- " gent, & iisdem maximè juvantur.

XX. Ita Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 12. *cap.* 1. quod & in aliis Synodis statuitur; additurque, ut tam eundo quam redeundo à fabulis omnes abstineant, devoti in fundendis precibus pro salute infirmi, uti loquitur Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 17. *cap.* 2. monetque Pastorale Mechliniense ut inter eundum Parochus recitet Psalmum *Miserere*, aut alios ex Pœnitentialibus, vel Psalmum *Beati immaculati in via.*

XXI. Opportunè hic monebit Parochus ipsos Fideles, ut meminerint, effectum hujus Sacramenti singulariter adscribi *orationi fidei*, juxta illud Jacobi Apostoli: *Et oratio fidei salvabit infirmum*; ac propterea sperandum sit, quod quo ferventius orationi instabunt, tanto uberiorem fructum ex hoc Sacramento infirmus sit accepturus.

XXII. Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, post peractam Unctionem, Sacerdos manum suam super caput infirmi ponens, aut, si id horror morbi vetat, versus infirmum elevans, orationem ibidem præscriptam recitare jubetur.

Hic in datione Extremæ Unctionis ritus publicæ Pœnitentiæ apparet. Sicut enim crebras manuum impositiones & orationes, cum in ipsa Pœnitentiæ datione, tum in ejus decursu, atque Pœnitentium reconciliatione intervenisse.

XXIII. Ex præscripto ejusdem Pastoralis Unctione peracta, porrigit Sacerdos infirmo *cereum ardentem*, dicens: " Accipe lampadem ardentem, custodi Unctio- " nem tuam, ut cum Dominus ad judicandum venerit, " possis occurrere ei cum omnibus Sanctis, & vivas in " sæcula sæculorum.

XXIV. Post hæc addit; *Adhiberi debet infirmo imaginem Crucifixi, ut in eam oculos conjiciat, cum salubri confidentia in Passionis merita*; adjiciens orationes binas hic recitandas.

XXV. Hi ultimi ritus, qui mortem admodum vicinam designant, verisimiliter adhiberi cœperunt, postquam Extrema Unctio non nisi morti valde vicinis dari cœpit: neque enim in Rituali Romano aut Manualibus aliarum Diœcesium hi ritus occurrunt.

Interim occasione horum rituum, & aliorum quæ in administratione hujus Sacramenti interveniunt, occasio admodum opportuna datur Parocho, piam ac salutarem exhortationem, præsertim de morte, extremo judicio, & ratione vitæ præteritæ danda, ad circumstantes habendi, quemadmodum supra *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. dictum est.

XXVI. In Codice Sancti Remigii (quem circa annum millesimum scriptum credidit Hugo Menardus, & ex quo ordinem ad visitandum infirmum in suis notis ad Sacramentarium S. Gregorii publicavit) hæc leguntur: " Et *septem* dies vel multò plures, si necessitas fuerit, " tam de communione, quàm de *alio officio* circa infir- " mum fiat.

Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii *pag.* 335. reflectens ad citata verba ait: " Ubi tò *de* " *alio officio* significatur de Unctione, quam Matthæus " Galenus restringit ad partes *laborantes*, quia, ut vult, " Sacramentum non repetebatur. Verum (pergit Me- " nardus) id quod ait *non repeti* olim solitum Extremæ " Unctionis Sacramentum in eodem videlicet morbo, " non videtur probabile, quia verba, *quam de alio officio* " sunt generalia, nec possunt restringi ad Unctionem " membrorum affectorum.

XXVII. Hanc expositionem & sententiam Menardi referens & probans Jacobus Goartius in notis ad Rituale Græcorum *pag.* 440. observat, Græcos non mereri acrem alicujus reprehensionem, quamvis in eodem morbo septem diversi Sacerdotes infirmum sacro Oleo perungant; atque ita Sacramentum iterare videantur: cum aliquando id & apud Latinos servatum fuerit.

XXVIII. Verum sæculo IX. opposita planè opinio aliquorum circa iterationem hujus Sacramenti orta est; nimirum hoc Sacramentum semel susceptum nullatenus iterari posse; eo quod Extrema Unctio species esset *solemnis* Pœnitentiæ; quæ cum juxta Canonum antiquorum rigorem repeti non posset, nec Unctionem repeti posse credebant.

Horum unus fuit S. Ivo Carnotensium Episcopus, qui *epist.* 255. scribit: " Unctionem verò, quam semel " accepisti, *non æstimo repetendam.* Unctio enim infir- " morum *publica* pœnitentiæ Sacramentum est, quam " non esse repetendam, sicut nec Baptismum, testatur " Augustinus, testatur Ambrosius.

Sub idem tempus Goffridus Abbas Vindocensis *lib.* 11. *epist.* 39. ad ipsum Ivonem scribens, conqueritur quod quasdam consuetudines sive institutiones in monasteriis quidam Monachi sibi pro lege vindicent, quas ratio nullatenus dimittit, nec Sanctorum quilibet Patrum invenit, sed insipientium hominum consuetudo instituit. " Et, ut cætera taceamus, ait, in hoc, " ut nobis videtur, *non mediocriter errant*, quod *Un-* " *ctionem infirmorum*, cum à Sancta Catholica & A- " postolica Sede Sacramentum vocetur, & cum nul- " lum Sacramentum iterari debeat, iterandam pu- " tant.

XXIX. Verum cum certum sit, nonnulla Sacramenta

menta iterari; atque ipsam etiam *publicam & solemnem* pœnitentiam iterari posse, si ipsum rigorem disciplinæ seponas, plures fuêre circa idem tempus Doctores, qui Unctionem infirmorum iterari posse, non secus atque Sacramentum Pœnitentiæ, sustinebant; tametsi & ipsi faterentur, aliquos dubitare.

Alanus Porretanus De Maximis Theologiæ *nn.* 113. "Sunt qui dicunt de hoc Sacramento, quod iterari non „possit, sicut nec Baptismus; sed quia Sacramentum „Pœnitentiæ est, & pœnitentia iterari potest, probabile „est hoc Sacramentum iterari posse.

XXX. Magister Sententiarum *libr.* 4. *Distinct.* 23. fatetur, suo tempore quæsitum fuisse ab aliquibus, an hoc Sacramentum *iterari* posset; eo quod Augustinus dicat, Sacramentum non iterandum, & Sacramento non faciendam esse injuriam, "Sed, ait Magister, „hoc dicit, ubi agit de Sacramento Baptismi, Confir„mationis & Ordinationis, quæ nullatenus sunt repe„tenda, quia semel tantum & non sæpius datur Ba„ptismus, Confirmatio & Ordinatio. Sacramentum „vero Altaris & Pœnitentiæ & Conjugii sæpe iterari „videtur, quia sæpe Sacramentum Corporis percipi„tur, frequenter pœnitentia agitur, conjugium sæpè „contrahitur. Quare ergo Unctio similiter iterari non potest: si morbus non revertitur, medicina non itere„tur: si verò morbus non potest cohiberi, quare me„dicina debet prohiberi; sicut oratio iterari potest; ita „& Unctio iterari posse videtur.

Guillielmus Altissiodorensis *lib.* 4. *Summa tract.* 7. *cap.* 11. concedit, quod quandocumque invalescit morbus, iteranda sit medicina; & quia sæpe invalescit morbus, sæpe iterandam esse Extremam Unctionem.

XXXI. S. Thomas in Supplemento *quæst.* 33. *art.* 1. resolvit, *iterari* posse: "quia sanitas corporis & mentis, „quæ est effectus hujus Sacramenti, potest amitti, *post„quam* fuerit per Sacramenta effecta, ideò hoc Sacra„mentum sine sui injuria potest iterari.

Videtur hic indicare S. Thomas, Sacramentum hoc iterari posse, si effectus, id est sanitas corporis, semel obtenta, rursus admittatur, hoc est, non eodem morbo durante, sed alio supervenente.

XXXII. Clarius id dixit Richardus à S. Victore in IV. *Sent. Dist.* 23. *a.* 11. *q.* 6. resolvens, hoc Sacramentum circa eumdem Infirmum, eadem infirmitate, respectu ejusdem infirmitatis status, *iterari* non debere... In eadem infirmitate in numero possunt esse status diversi, in quorum quolibet infirmus est in notabili & probabili periculo mortis. Ideo cum Infirmo nullum imprimat effectum indelebilem potest & debet eidem homini pluries conferri, vel pro diversis infirmitatibus, vel pro ejusdem infirmitatis diversis statibus. Hæc ille.

Idipsum docet Durandus addita hac ratione: "Extre„ma enim Unctio non solùm respicit infirmitatem ab„solutè, sed statum infirmitatis, qui quoties iteratur si„ve in eadem infirmitate, sive in diversis, potest & Un„ctio iterari.

Doctores Scholastici, qui eos sequuti sunt, idem uno quasi consensu tradiderunt.

XXXIII. Synodus Tridentina *Sess.* 14. *c.* 3. *de Extrema Unctione* doctrinam de *iteranda* Unctione amplexa docet, "Quod si infirmi post susceptam hanc Unctio„nem convaluerint, iterum hujus Sacramenti subsidio „juvari poterunt cùm in *aliud* simile vitæ discrimen „inciderint." An eodem morbo, eodemque infirmitatis statu durante iterari possit, Synodus non determinat; cùm id à disciplina pendere sciret.

XXXIV. Interim moderna disciplina in Synodis ac Ritualibus recentioribus præscripta, S. Thomæ, atque Scholasticorum qui ipsum sequuti sunt opinioni penè per omnia conformis est.

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 12. *cap.* 4. ait: "Nec „una ægritudine, etiam ad plures menses durante, ei„dem sæpius conferri debet, quamvis in diversis ægro„tudinibus liceat.

Pastorale Mechliniense ita habet: "Infirmus peri„culosè decumbens, in una infirmitate, semel tan„tum ungendus est, quòd si post susceptam Unctio„nem convaluerit, quoties postea in idem vitæ discri„men inciderit, toties hujus Sacramenti subsidio juvari „poterit.

XXXV. Sed quid si Infirmus non quidem omninò convaluerit; sed morbus ita remiserit, ut mortis discrimen evasisse videatur; at post Unctionem susceptam, adhuc eodem morbo durante, quamvis remisso, rursus in vitæ discrimen relabatur, an Sacra Unctio reiterari poterit? Omninò; quia status morbi mutatus fuit; & aliud mortis discrimen obvenit.

Hunc casum claris terminis resolvit Manuale Cameracense editum anno 1562: "Animadvertat Sacerdos „administraturus infirmis Sacramentum Extremæ Un„ctionis, sæpius iterari posse, etiam *in eadem* infirmi„tate ad diversos periculorum casus, post intervalla a„liquanti temporis incidentes, quoties videlicet nunc „remittente, nunc rursus ingravescente periculum mor„tis imminere creditur.

Et Manuale Ecclesiæ Remensis (cui olim Ecclesiæ Cameracensis erat suffraganea) quod ex Decreto Concilii Remensis anno 1585. prodiit, hæc habet: "Deni„que potest hoc Sacramentum iterari, & quidem *in ea„dem* infirmitate, quando quidem quis est in articulo „mortis, modò sit casus diversus, ut qui in hydropisi, „aut longa febri, postquam evasit periculum, rursus post „aliquot menses de vita periclitatur.

His consonum apparet Concilium Tridentinum, docens hoc Sacramentum iterari posse, *cum in aliud simile* VITÆ DISCRIMEN *inciderint* Infirmi; non requirens, ut id vitæ discrimen ex alio planè morbo provenerit.

Synodus Namurcensis anno 1639. *tit.* 4. *cap.* 8. vult ut in eadem ægritudine, etiam ad plures menses perdurante, nemini hoc Sacramentum sæpius conferatur; addita tamen hac notanda exceptione: *Nisi peritorum judicio, status morbi mutatus fuerit.*

XXXVI. Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 17. *cap.* 3. declarat in quacumque gravi infirmitate posse *iteratò* administrari; ac deinde tamquam consequens subjicit: "Proinde consuetudinem, secundum quam non con„suevit hoc Sacramentum *intra annum secundo* suscipi „(etiamsi altera gravis obveniat infirmitas) tamquam „noxiam abrogamus.

Plura diversarum Ecclesiarum Manualia sæculo præterito evulgata præscribebant, non posse hoc Sacramentum reiterari pro eadem infirmitate, etiamsi *intra annum* status ejusdem ægritudinis varius esse queat; atque sæpius in mortis discrimen reincidere possit Infirmus.

XXXVII. Hinc patet, quòd quæ circa reiterationem hujus Sacramenti variis temporibus & in variis Ecclesiis statuta & servata sunt, magis ad disciplinam; quam ad dogma aut essentiam Sacramenti pertinere.

Hoc imprimis satis innuebant illi, qui sacram Unctionem *reiterari* non posse contendebant eo titulo, quod esset Sacramentum *Pœnitentiæ publicæ*; ac per consequens, sicut rigor Canonicus hanc iterari non permittebat, ita nec illam esse iterandum.

Ad hæc plures Synodi & libri Rituales vetantes reiterationem in eadem infirmitate hanc reddunt rationem ad disciplinam, non dogma spectantem: *Ne Sacramentum illud vilescat.* Ita legitur in Statutis Synodalibus Archiepiscopatus Senonensis anno 1524. evulgatis, & Episcopatûs Carnotensis evulgatis anno 1526. & recitantur à Lanojo *pag.* 360. & 361.

XXXVIII.

XXXVIII. In his itaque unusquisque Ecclesiæ suæ legem & consuetudinem sequi debet; aliàs si disciplina non obstaret, absurdum non esset, *plures* in eadem etiam infirmitate eodemque infirmitatis statu hoc Sacramentum, juxta antiquum Ecclesiæ Latinæ, & hodiernum Græcorum morem conferre; quia (uti notat Hugo Menardus loco citato) "non cessante morbo, „homine adhuc existente in peccatis; ob peccata saltem venialia, quæ nobis quotidie obrepunt, quia „*septies in die cadit justus*, jure posset hoc Sacramentum sæpius in eodem morbo repeti, ipsis causis manentibus ipsum Sacramentum conferri solet.

XXXIX. Ex his discat Parochus, ab iteratione hujus Sacramenti se non debere *scrupulosè* abstinere ob periculum nullitatis Sacramenti; sed dumtaxat, ne in disciplinam jam stabilitam impingat: adeoque si *dubium* sit, num forsan morbi *status* ita fuerit mutatus, ut etiam juxta modernam disciplinam reiterari queat, magis pro *reiteratione* inclinandum, eo quod hæc reiteratio conformior sit veteri Ecclesiæ consuetudini, tum quod per eam novum ipsi infirmo subsidium spirituale sperari possit.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

De Materia & Forma hujus Sacramenti.

1. *Plures in Ecclesia dari Ordines etiam minores definit Synodus Tridentina.*
2. *Ordo verum est Sacramentum.*
3. *Quomodo definitio Synodi Tridentinæ verificetur quo ad Ordines minores?*
4. *Ordines quatuor minores non semper, nec ubique noti fuerunt.*
5. *Non sunt* immediatè *&* propriè *à Christo instituti.*
6. *Non habent rationem Sacramenti; nec id Tridentina Synodus definivit.*
7. *Materia Ordinis ex Decreto Eugenii IV.*
8. *Eugenii mens non fuit essentiales & plane necessarias formas & materias assignare.*
9. *Traditio instrumentorum in Ordinatione Presbyteri apud Græcos incognita.*
10. *Neque semper à Latinis adhibita.*
11. *Idem dicendum de traditione Evangelii in Ordinatione Diaconi.*
12. *Verba quibus fit traditio instrumentorum non potest dici* forma *plane necessaria.*
13. *Traditio instrumentorum primitus post Ordinationem facta fuit; & quare?*
14. *In collatione Ordinum minorum traditio instrumentorum citius facta, quam in collatione majorum.*
15. *Quæ hodie pro forma & materia præscribuntur, exactè observanda.*
16. *Certum non est, an Ecclesia non possit aliquid requirere ut* essentiale, *quod olim essentiale non fuit.*
17. *Unctio in Ordinatione est tantum cæremonialis; nec semper fuit adhibita.*

I. SYnodus Tridentina *Sess.* 23, *Can.* 2. *De Sacramento Ordinis* ait: "Si quis dixerit, præter Sacerdotium non esse in „Ecclesia Catholica alios Ordines & „Majores & Minores, per quos veluti „per gradus quosdam in Sacerdotium tendatur, anathema sit.

II. Deinde *Canone* 3. "Si quis dixerit, Ordinem, sive „Sacram ordinationem, non esse verè & propriè Sacramentum à Christo Domino institutum vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum à viris rerum „Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum „quemdam eligenda ministros Verbi Dei & Sacramentorum, anathema sit.

III. Quod hîc Synodus definit, præter Sacerdotium esse in Ecclesia alios Ordines & *Majores* & *Minores*, quo ad Majores semper verificatum fuit in Ordine Diaconatus, quem Majoribus Ordinibus, tam Latina quàm Orientalis Ecclesia semper annumeravit; at quo ad Ordinem Subdiaconatus, verum quidem erat tempore conditi hujus Canonis, saltem in Ecclesia Latina, eo quod hæc & Subdiaconatum Majoribus & Sacris Ordinibus jam à quatuor ut minus sæculis annumerasset; tametsi & Ecclesia Latina primis circiter decem aut undecim sæculis inter Minores Ordines quemadmodum hodie Ecclesia Græca habuisset Subdiaconatum; uti ostensum est supra *parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

IV. Tempore conditi Canonis præter Sacerdotium & alios Majores Ordines, fuisse in Ecclesia Latina quatuor Minores receptos notorium est; licet in Ecclesia Græca unus solus ex illis quatuor, nimirum *Lectoratus* notus sit; uti annotat Morinus De SS. Ordinat. *parte* 3. *Exercit.* 11. *cap.* 1. & fusius probat *Exercit.* 14. *cap.* 1. numquam tres illos Minores Ordines apud Græcos collatos, aut Ordinibus fuisse annumeratos.

Ostendit præterea Morinus citata *Exercitat.* 11. etiam in quibusdam Ecclesiis Latinis aliquando pauciores, aliquando plures Ordines Minores collatos fuisse; imò olim apud Latinos, saltem in aliquibus Ecclesiis non secus ac hodie apud Græcos, *Cantoratum* seu *Psalmistatum* fuisse *Ordinem* Minorem; uti & Fossariorum (qui mortuorum corpora curabant) Ordinem olim in quibusdam Ecclesiis celebrem fuisse; qui tamen à multis sæculis desiit.

V. Ex his concludit Morinus post antiquos Scholasticos, Subdiaconatum atque Minores Ordines non esse à Christo neque ab Apostolis *immediatè* institutos; sed ab Ecclesia, crescente Fidelium multitudine pro locorum & temporum necessitate & opportunitate esse constitutos: quamvis tamen non diffiteatur, eos eatenus posse dici juris divini, aut institutionis Apostolicæ, in quantum illi Minores Ordines eminenter & formaliter in Diaconatu continebantur; atque Ecclesiam postmodum crescente Fidelium & Ministrorum numero de Diaconatu eduxisse; cumque primitus Diaconi omnia munia illa obirent, postmodum eorum quædam specialibus Ministris delegasse.

Illud paucis verbis expressit Gratianus *Dist.* 21. "Levitas autem ab Apostolis ordinatos legimus, quorum „maximus fuit beatus Stephanus, Subdiaconos & A„colithos procedente tempore Ecclesia sibi consti„tuit.

VI. Minores Ordines cum nec à Christo, nec ab Apostolis primitus fuerint instituti, illos quoque nec Sacramenta esse nec rationem Sacramenti habere posse, concludit Morinus.

Neque

Neque id refragatur allegato *Canoni 3.* Synodi Tridentinæ; quia veritas hujus Canonis subsistit, tametsi, etiam solus *Presbyteratus* esset Sacramentum & rationem Sacramenti haberet; quia tunc etiam verum esset, quod Ordo sive Sacra Ordinatio esset verè & propriè Sacramentum, à Christo Domino institutum; & consequenter, contrarium asserentes meritò damnarentur; uti in dicto Canone damnantur.

VII. Quæ verò sit hujus Sacramenti materia aut forma, Synodus Tridentina non expressit; at Eugenius IV. in Decreto pro Armenis de hodie Sacramento loquens, ait: "Cujus materia est illud per cujus traditionem confertur Ordo: sicut Presbyteratus traditur per calicis cum vino, & patenæ cum pane porrectionem. Diaconatus verò per libri Evangeliorum dationem. Subdiaconatus verò per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem: & similiter de aliis per rerum ad ministeria sua pertinentium assignationem. Forma Sacerdotii talis est: *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro vivis & mortuis in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti*, & sic de aliorum Ordinum formis prout in Pontificali Romano latè continentur.

VIII. Hic rursus in memoriam revocandum, quod suprà *tit. 3. cap. 4. num. 10.* ex Francisco Farvacquio monui, quod Eugenii IV. in hoc Decreto seu Instructione mens non fuerit, *essentiales* & à Christo institutas materias & formas Sacramentorum assignare; sed ad summum, formas & materias ordinarias in Ecclesia Latina tunc usitatas; ut hac instructione Armeni de ritu Ecclesiæ essent instructi.

IX. Sane traditionem illam instrumentorum, cujus meminit Eugenius non posse dici materiam *essentialem* Ordinum; ita ut sine illa nunquam potuissent, aut etiamnum hodie possent validè Ordines conferri, evidenter, ut apparet, evincit Morinus, idque duobus potissimum argumentis.

Primò quidem ex ritu quem Ecclesia Græca semper servavit & hodie servat. Certum est, Ecclesiam Latinam, Presbyteros Græcos, ritu Græcorum ordinatos, semper habuisse, & hodie habere pro legitimè & validè Ordinatis Presbyteris; atque Sacerdotium ab ipsis eo ritu collatum, ut *verè & propriè* dictum Sacramentum.

Certum autem est; apud Græcos in Ordinatione Presbyterorum semper fuisse, & hactenus esse incognitam illam instrumentorum traditionem in Decreto Eugeniano expressam, uti ex eorum Ritualibus antiquioribus & recentioribus; nec non Auctoribus qui de ritu Græcorum scripserunt, manifestum est.

Ex quibus per evidentem consequentiam deducitur, hanc instrumentorum traditionem non posse dici materiam *essentialem* à Christo institutam, ita ut ex Christi institutione validitas Sacramenti ab ea dependeret.

X. Alterum argumentum non minus concludens suppeditat pristinus Ecclesiæ Latinæ sacrarum Ordinationum ritus. Si enim consulantur Rituales libri Ecclesiæ Latinæ; itemque Authores qui ante sæculum decimum scripserunt, atque ritum Ordinationum apud Latinos tunc usitatum exactissimè descripserunt, videbitur, nullam tunc temporis in Ordinatione Presbyterorum traditionem instrumentorum intervenisse; cùm nullum istius traditionis vestigium occurrat. Argumentum ut apparet, evidens, hanc traditionem, materiam *essentialem* hujus Sacramenti tunc reputatam non fuisse; cujus nec in Ritualibus, nec in exactioribus Rituum descriptionibus mentio fit. Alia nonnulla positiva argumenta, quibus ostenditur multis sæculis, etiam apud Latinos in Ordinatione Presbyterorum incognitam fuisse instrumentorum traditionem hodie usitatam, & ab Eugenio tamquam *materiam* hujus Sacramenti expressam, allegat Morinus loco citato.

XI. Quod de traditione instrumentorum in ordinatione Presbyterorum dictum est, idem de traditione libri Evangeliorum in ordinatione Diaconorum (quam similiter pro materia hujus Ordinis assignat Eugenius) dicendum est.

Observat etiam Morinus *Exercit. 9. c. 1. n. 4.* quod antiqui omnes Rituales nongentorum annorum spatio scripti, nec Dalmaticæ, nec *traditionis Evangeliorum* mentionē faciant. "Vix sexcenti sunt anni (inquit) cum in ordinatione Diaconi *Evangelium* tradi cœptum est.

Adhæc, Ecclesia Græca traditione hac in Ordinatione Diaconi nec olim usa fuit, nec hodie utitur; & tamen nemo de validitate Ordinis Diaconatus ritu Græcorum à Græcis collati dubitat; eamque etiam Ecclesia Romana ut validam & legitimam agnoscit.

XII. Eisdem argumentis, quibus ostenditur, traditionem instrumentorum neque Presbyteratus, neque Diaconatus materiam essentialem à Christo institutam constituere posse, evincitur quoque, verba, quibus instrumenta illa hodie traduntur, non posse dici *formam* essentialem horum Ordinum; quandoquidem æquè certum sit, illa verba non fuisse adhibita, nec hodie adhiberi in illis Ecclesiis quæ instrumentorum traditionem vel olim non agnoverunt, vel etiam nec hodie agnoscunt: quia verba illa tantummodo ipsi traditioni instrumentorum, tamquam quædam formulæ, subserviunt.

XIII. Videtur primitus hæc instrumentorum traditio facta fuisse post Ordinationem, ut hac traditione indicaretur, quid vi Ordinationis susceptæ ipsis Ordinatis agendum esset.

Hugo à Sancto Victore, qui à sexcentis circiter annis scripsit, *lib. 2. de Sacram. fidei parte 3. cap. 12.* De Presbyteris ait: scripsit, *l. 2. de Sacram. fidei parte 3. c. 12.* De Presbyteris ait: *Accipiunt & calicem cum vino & patenam cum hostiis de manu Episcopi.* Rationem subjungit: *Quatenus his instrumentis potestatem se* ACCEPISSE *agnoscant, placabiles Deo hostias offerendi.*

Similiter Magister Sententiarum *l. 4. Dist. 24.* cum dixit, quod Presbyteri *accipiant etiam calicem cum hostiis*, eandem rationem reddit: *ut per hoc sciant, se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi.*

XIV. Simili ratione in Ordinatione Subdiaconorum, & collatione Minorum Ordinum *instrumenta* quibus eorum ministerium exprimeretur, porrecta fuisse, admodum verisimile; quamquam ritus tradendi instrumenta in horum Ordinum collatione multis sæculis, saltem apud Latinos fuerit usitatus, antequam in Ordinatione Presbyterorum aut Diaconorum esset notus; uti ostendit Morinus *Exercitat. 11. cap. 5.* ibidem inquirens hujus moris diversitatem; unà monens, nec in Subdiaconatûs, nec Minorum Ordinum collatione in Ecclesia Græca, traditionem instrumentorum umquam factam esse; sed hos Ordines, non secus ac Presbyteratum & Diaconatum, per *impositionem manuum* fuisse collatos.

XV. Quamvis autem hactenus dicta abundè evincant, traditionem Instrumentorum non posse dici *formam essentialem* Ordinum; ita ut illa *semper* fuisset necessaria, aut nunc ubiq; ita requireretur, ut defectu illius Ordo *invalidè* censeretur collatus, tamen in his omnibus cum omni exactitudine servanda sunt singularum Ecclesiarum Ritualia; nec quidquam omittendum, eo prætextu quod illud cæremoniale dumtaxat videatur; præsertim, quod licet satis constet, traditionem *Instrumentorum*, & verba ei respondentia, aliaque recenter in Ordinum collatione adhibita non posse dici *semper* fuisse materias aut formas essentiales à Christo institutas; tamen certum non sit, an postquam ab Ecclesia communiter præscripta sunt, & recepta cum reliquis

liquis quæ antiquitus semper adhibita sunt, non constituant *nunc* materiam & formam essentialem, à qua validitas Ordinis dependeat.

XVI. " Quamobrem enim (ait Morinus *Exercit.* 7. „ *cap.* 6. *num.* 2.) non poterit Ecclesia Sacramento Ordi- „ nis, ut sæpe fecit Sacramento Matrimonii, novas pro ma- „ teria & forma conditiones apponere, quarum prævarica- „ tio Sacramentum reddat irritum & nullum cùm Christus „ nullam materiam aut formam hujus Sacramenti, non se- „ cus ac Matrimonii in specie definiverit.

XVII. De Unctione in Ordinatione Episcoporum & Presbyterorum adhiberi solitâ ait Synodus Tridentina *Can.* 5. " Si quis dixerit Sanctam Unctionem, quâ Ecclesia „ in sancta Ordinatione utitur, non tantùm non requiri, sed „ contemnendam & perniciosam esse, similiter & alias Or- „ dinis cæremonias, anathema sit.

Hic à Synodo, Unctionem inter cæremonias reponi satis evidens est. Et meritò; nam eam nec in Episcoporum nec Presbyterorum Ordinatione unquam adhibuit Ecclesia Græca, & Ecclesia Latina, præsertim in Ordinatione Presbyterorum non semper adhibuit; imò plures Ecclesiæ satis serò eam admiserunt; uti ostendit Morinus *De SS. Ordinat. Exercitat.* 6. *cap.* 1. & 2.

CAPUT II.

A quo Ordines recipiendi.

1. *Semper Ordinum collatio Episcopo delata.*
2. *Jus hoc Episcopis Patres uno consensu tribuerunt.*
3. *Eugenius* IV. *& Synodus Tridentina Episcopum Ordinationis ministrum dixerunt.*
4. *Id de* ordinaria *potestate intelligendum; non de extraordinaria seu delegata.*
5. *Episcopi jus ordinationis ultra suas Diœceses extendere non possunt.*
6. *Episcopus olim alienum Clericum ordinare non poterat titulo* originis *aut* domicilii.
7. *Titulus originis aut domicilii olim vix attendebatur.*
8. *Unicus pene titulus Ordinationis erat alicujus in Clerum adscriptio.*
9. *Hodie Beneficium Clericum Ecclesiæ adstringit, uti olim Ordinatio.*
10. *Ratione Beneficii hodie quis ab Episcopo ordinari potest.*
11. *Clericus Beneficiatus hodie, secus ac olim, triplici titulo,* Beneficii, Originis *&* Domicilii, *ordinari potest.*
12. *Triplex hic titulus probatus per Decretalem Bonifacii* VIII.
13. *Episcopus* originis *idem est qui* nativitatis.
14. *Non attenditur origo seu nativitas paterna; sed* propria *Ordinandi.*
15. *Quis Episcopus* Domicilii; *& olim hic titulus parum notus.*
16. *Quando quis* Domicilium *habere censetur?*
17. *Commoratio longi temporis in aliquo loco non sufficit.*
18. *Exemplum in Academicis.*
19. *Aliquando quis dicitur habere* domicilium *sufficiens ad suscipienda aliqua Sacramenta, & non ad suscipiendos Ordines.*
20. *Ordinariè potior habenda ratio* originis, *quàm* domicilii; *& quare?*
21. *Decretum S. Caroli ad præveniendam fictam domicilii electionem.*
22. *Ratione Beneficii dicitur* proprius *Episcopus in cujus Diœcesi est situm, licet alius sit Collator.*
23. *Indifferens est, quale sit Beneficium; modò veri Beneficii rationem habeat.*
24. *Licet non sufficiat in proventibus pro* titulo *Ordinationis.*
25. *Si plura in diversis Diœcesibus possideat, poterit à diversis ordinari.*
26. *Beneficium impetratum ad subterfugiendum examen* proprii *Episcopi non sufficit.*
27. *Episcopi in Gallia optant solum Episcopum* Originis *pro Ordinatione Ordinarium reputari; & quare?*
28. *An hoc Episcoporum votum laudandum?*
29. *Aliquando convenit, Clericum ab Episcopo Beneficii ordinari.*
30. *Quocumque titulo quis sit* proprius *Episcopus, potest etiam dare Dimissoriales.*
31. *Noluit Synodus Triden. ut Episcopi alienos subditos ordinarent; sed quo titulo constituatur* proprius *non definivit.*
32. *Episcopi Titulares hoc Decretum violabant; & quomodo occursum?*
33. *Ex Decreto Synodi Trid. nullus ordinari potest, nisi* à proprio *Episcopo.*
34. *Id etiam procedit quo ad primam Tonsuram.*
35. *Nullus potest ordinari vigore rescripti Apostolici nisi Ordinarii sui testimonio commendatus.*
36. *Etiam Regulares à proprio Episcopo ordinandi.*
37. *Bulla Pii* V. *contrarium insinuans ad terminos Concilii Tridentini reducta.*
38. *Regularium Superiores debent suos mittere pro Ordinibus suscipiendis ad* proprium *Episcopum; & quis habendus eorum* proprius?
39. *Quomodo nonnunquam hic fraus committatur.*
40. *Possunt ad alium mittere si* proprius *non ordinet; & quæ hic cautio adhibenda?*
41. *Quæ fraudes hic possint intervenire.*
42. *Quæ mala ex hujusmodi fraudibus timenda.*
43. *Decretum Innocentii* XII. *circa Ordinationes.*

I. A Primis Ecclesiæ seculis, tam apud Latinos, quàm Græcos, ut ordinarium hujus Sacramenti ministrum habitum fuisse Episcopum, manifestum est ex Canonibus & Patribus; qui ubi de Ordinatione, præsertim Presbyterorum ac Diaconorum, loquuntur, ejus ministrum non nisi Episcopum agnoscunt.

II. Et quidem S. Epiphanius Aërium Hæreticis annumerans, quòd Episcopos ad eamdem cum Presbyteris sortem redigeret, atque æquè his ac illis ordinandi jus vindicaret; errorem illum *stoliditatis* arguit, eo præcipuè titulo, quòd Episcopalis ordo *Patres* Ecclesiæ generet per Ordinationem; Presbyteralis *Filios* dumtaxat Ecclesiæ per Baptismum; ac deinde hos Ordines ita inter se comparat; " Siqui- „ dem unus Ordo (Episcopalis) ad gignendos *Patres* præ- „ cipuè pertinet: hujus enim est, *Patrum* in Ecclesia *pro-* „ *pagatio*: Alter, cùm Patres non possit, *Filios* Ecclesiæ, lo- „ tionis generatione producit, non tamen Patres aut Magi- „ stros Hæresi 56. alias 77. *num.* 3. & 4.

Has prærogativas unanimi consensu Patres passim Episcopali Ordini tribuunt; & quidem nonnulli ita loquuntur, quasi hoc solo jure Episcopi Presbyteris eminerent: *Sola quippe ordinatione illi* (Episcopi) *sunt, atque hoc tantum plusquam Presbyteri habere videntur*, ait Chrysostomus *Homil.* 11. *in epist.* 1. *ad Timoth.* Et Hieronymus *epist.* 85. ad Evagrium: *Quid facit Episcopus, exceptâ Ordinatione, quod Presbyter non faciat*?

Quanquam sciam etiam alias prærogativas Episcopis supra Presbyteros competere, ac olim competiisse; ac citata Patrum dicta commodâ interpretatione mollienda: nihilominus hæc vincunt, Patribus indubitatum fuisse, *Ordinationem* Episcopis propriam esse.

III. Rectè proinde dixit Eugenius V. in Instructione pro Armenis: *Ordinarius Minister hujus Sacramenti est Episcopus.*

Similiter Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 4. De Ordi-„ne*, docet, Episcopos Presbyteris superiores esse; ac Sacra-„mentum Confirmationis conferre; *ministros Ecclesiæ „ordinare*; atque alia pleraque peragere ipsos posse: qua-„rum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis „nullam habent.

IV. De *ordinaria* potestate hic loqui Synodum, non est dubitandum: cum optimè novissent Patres Tridentini, Abbates jure saltem *privilegiato*, ministros Ecclesiæ inferiores ordinare; Ordines nimirum Minores conferendo: de quo jure *parte 1. tit. 31. cap. 6.* Notum quoque erat Patribus, multos è Theologis & Canonistis sustinere, nec sine fundamento, Presbyterum posse auctoritate *delegata* ordinare Diaconum, quin & Presbyterum, juxta illud Glossæ ad Can. 4. Dist. 5. De Consecrat. *Ordinatus Ordinem quem habet, confert Papa delegante.* Quod ex antiquis Canonistis & Scholasticis latius prosequitur Morinus de SS. Ordinat. *parte 3. exercitat. 4. cap. 3.*

V. Hoc interim habetur, *Ordinarium* Ordinationis Ministrum esse Episcopum. Sed quia singulorum Episcoporum auctoritas & potestas ab ipsis pene Ecclesiæ exordiis, certis terminis circumscripta fuit; atque confusionis evitandæ causâ statutum, ne quis in alienos terminos suam extenderet jurisdictionem, sed suis singuli essent limitibus contenti, uti *parte 1. tit. 16. cap. 3.* dictum est; tamquam consequens jam pridem decretum fuit, ne quis Episcopus alterius Episcopi Ecclesiam turbaret, jura Ordinationis sine ejus licentia in alienos subditos exercendo.

Synodus Nicæna *Canone 16.* postquam vetuit, Presbyteros aut Diaconos à suis Ecclesiis sine Episcopi licentia recedere, subjungit: " Si quis autem ad alium (Episcopum) „pertinentem audaciter invadere, & in sua Ecclesia *ordina-„re* tentaverit, non consentiente Episcopo, à quo discessit „is, qui regulæ mancipatur ordinatio hujusmodi irrita „comprobetur.

Similiter in Synodo Sardicensi suggerente Osio unanimi sententia Patres dixerunt: " Et hoc Universi constitui-„mus, ut quicumque ex alia Parochia voluerit alienum „ministrum sine consensu Episcopi ipsius, & sine volunta-„te ordinare, non sit rata ejus Ordinatio. Quicumque au-„tem hoc usurpaverit, à Fratribus & Co-Episcopis nostris „& admoneri debet & corrigi.

Rationem Decreti præmiserant: " Quia ex his conten-„tionibus solet nasci discordia, & ideo prohibet omnium „sententia, ne quis hoc facere audeat.

De hac disciplina seculo V. ità loquitur Synodus Venetica: " Episcopus quoque ab aliis Episcopis *ordinatos* „Clericos, sine permissu eorum, à quibus fuerint ordinati, „promovere ad superiorem ordinem non præsumat, *ne* „*concordiam fraternam* injuria illatâ *contaminet.*

Infiniti pene sunt Canones antiqui & recentiores hanc disciplinam stabilientes, quos Ordine seculorum servato refert Franciscus Hallier De SS. Electionibus & Ordinationibus *parte 2. Sect. 5. cap. 3. art. 1. §. 1.*

VI. Sed quid si *Clericus* unius Ecclesiæ, ex alia Diœcesi oriundus esset; aut forsan alibi domicilium haberet, nonne ab Episcopo *Originis* aut *domicilii* ad *altiorem* gradum promoveri poterat; etiam *sine licentia* Episcopi, cujus Ecclesiæ per Ordinationem erat adscriptus? nequaquam, id enim pristina Patrum disciplina non admittebat.

Hoc ipso enim, quo quis in Clericum aut Ministrum Ecclesiæ ordinabatur, mox ei Ecclesia vinculo perpetuo, nec sine voluntate Episcopi solubili, alligabatur, & in subditum Episcopi illius Ecclesiæ transibat; ut amplius nec originis nec domicilii ratio haberetur: credebaturque, Clericum nec alibi, quàm in sua Ecclesia, cui servire tenebatur, domicilium habere.

VII. Imò uti advertit & multis exemplis probat Hallierus loco citato §. 4. olim in Ordinatione vix *Domicilii* aut *Originis* ratio habebatur; nec pœnam ullam decretam reperimus in Episcopum, qui alienum *Laicum* in *Clericum* suum ordinasset; adeò ut omnes Canones eo tendere viderentur, ne quis *alienum Clericum* seu Ministrum ab Ecclesia cui addictus erat, abstraheret; atque per Ordinationem suæ Ecclesiæ adscriberet.

VIII. Præcipuus ergo titulus, ratione cujus quis *proprius Episcopus* quo ad Ordinationem, juxta pristinam Patrum disciplinam existimabatur, erat alicujus in Clerum adscriptio: quâ semel factâ, licebat huic Episcopo Clericum hunc ad superiores Ordines promovere: alius verò nullus, sine hujus licentia, illum ordinare poterat.

IX. Porro, quemadmodum olim ipsa Ordinatio Ordinatum certæ Ecclesiæ astringebat: ita hodie Beneficii Ecclesiastici adeptione Clericus Ecclesiæ, in qua est titulus ipsius Beneficii adscriptus censetur; & Clericus seu Minister illius Ecclesiæ reputatur.

X. Itaque sicuti antiquitus Ordinatio subjiciebat Ordinatum Episcopo illius Ecclesiæ ad quam ordinatus erat, ità hodie Beneficium subjicit Clericum Episcopo, sub cujus Diœcesi situm est Beneficium, habeturque eatenus *proprius* ipsius Episcopus ut ab illo tanquam proprio Episcopo ad Ordines superiores promoveri queat: cum notabili tamen differentia inter modernam & pristinam disciplinam.

XI. Pristina enim disciplina, non nisi *unicum* ipsius Clerici alicui Ecclesiæ per Ordinationem adscripti *proprium* Episcopum agnoscebat; ita ut nullus alius Episcopus citra hujus licentiam posset *jure ordinario* Clericum ad superiores Ordines promovere; at moderna disciplina, præter titulum Beneficii agnoscit insuper *duos* alios titulos, scilicet *Originis & Domicilii*; in tantum ut ratione omnium trium titulorum quis dici queat eodem tempore, & respectu ejusdem Clerici *proprius* Episcopus: atque per consequens queat Clericus Beneficiatus tres habere Episcopos *proprios*, ut à quolibet sine alterius licentia ad Ordines promoveri valeat.

XII. Quo præcisè tempore hæc mutatio disciplinæ inceperit, incertum est; hoc constat, nullum reperiri Canonem, nullamque Decretalem qua hic *triplex* titulus probetur, ante Decretalem Bonifacii VIII. relatam in *Cap. 3. De Temporib. Ordinat. in* VI. Sedit autem Bonifacius sub finem seculi 13. & initium seculi 14.

In hac Decretali dicit Bonifacius VIII. " Cum nullus „Clericum Parochiæ alienæ, præter Superioris ipsius licen-„tiam debet ordinare; Superior intelligitur in hoc casu „Episcopus, de cujus Diœcesi est is, qui ad Ordines promo-„veri desiderat, *oriundus*, seu in cujus Diœcesi *Beneficium* „obtinet Ecclesiasticum, seu habet (licet alibi natus fuerit) „*Domicilium* in eadem.

XIII. Episcopus originis, de quo in citata Decretali, dicitur Episcopus loci è quo ipse Ordinandus est *oriundus*; hoc est, *originem* habet, sive *natus* est; quemadmodum sat indicat ipse Pontifex, quando loquens de *Domicilio*, ponit hanc parenthesim, *licet alibi* NATUS *fit*; quibus verbis manifestè idem indicat, quòd ante dixerat de *origine*; ita ut juxta Pontificem eadem sint, *natum* esse, & *oriundum*.

Quapropter, tametsi olim major soleret esse respectus ad locum ubi quis esset *Baptizatus* seu spiritualiter *regeneratus*; quam in quo esset *carnaliter natus* seu *generatus*; tamen hodie, spectata hac Decretali, si contingeret, aliquem uno loco esse *natum*, & alio *Baptizatum*, videretur potior ratio habenda quo ad susceptionem Ordinis, Episcopi *nativitatis*, quàm Baptismi.

XIV. Similiter, tametsi leges habere videantur pro loco *originis* filii illum in quo pater ejus natus est *l. 6. §. 1. Ad Municipalem*, tamen verius est, juxta hanc Decretalem, per Episcopum *Originis* intelligi Episcopum loci in quo ipsemet Ordinandus *originem* habuit; sive *natus* est; non autem loci è quo Pater ejus oriundus est.

est. Unde Nicolaus Garcias De Beneficiis *parte 7. cap. 9. num. 25.* postquam dixit, de stylo Curiæ verbum *Oriundus* accipi pro *orto*: tamquam consequens docet, quod *Oriundus* de aliqua civitate est, qui *natus* est in illa civitate, non in qua Pater ejus *natus* fuit: Neque in Gallia, uti monet Hallierius *parte 2. sect. 5. cap. 3. art. 3. §. 2. paternæ originis* quo ad Ordines recipiendos ulla solet haberi ratio; ideoque monet, tutum non esse, quod quis ad Episcopum loci nativitatis *paternæ* pro suscipiendis Ordinibus accedat; si nullo alio titulo is *proprius* Episcopus sit: quod & in Belgio meritò attenditur; quia nec hic originis paternæ rationem haberi videmus; maximè quia nec cum Decretali Bonifacii VIII. congruere videtur.

XV. Episcopus *Domicilii* censetur Episcopus ejus loci in quo Ordinandus *Domicilium* habet.

Hic titulus olim parum notus erat; uti notat Hallierius loco citato *art. 4. §. 1.* qui deinde §. 2. ostendit, quâ ratione, necessarium fuerit posterioribus sæculis magis, quàm olim remittere Ordinandos ad Episcopum *Domicilii*; atque hinc tandem legem Ecclesiasticam natam, quæ Episcopum *Domicilii* pro *proprio* Episcopo Ordinationis agnoscit.

Ut verò quis hoc titulo Episcopum pro Ordinibus suscipiendis accedat, requiritur, ut revera *Domicilium* in ejus Diœcesi fixum habeat.

XVI. Quando verò quis Domicilium alibi fixisse censeatur, explicant Imperatores in *L.* CIVES *Cod. De Incolis*, dum ajunt: " In eodem loco singulos habere Domicilium „ non ambigi, ubi quis larem, rerumque ac fortunarum „ suarum summam constituit, unde rursus non sit discessu„ rus, si nihil avocet: unde cum profectus est, peregrinari „ videturque si redit, peregrinari destitit.

XVII. Ut verò quis hujusmodi domicilium fixum firmumque elegisse censeatur, potiùs ab animo atque circumstantiis, quàm à temporis spatio desumendum est.

Fieri enim potest, ut quis pluribus annis in loco aliquo moretur, nec tamen eo in loco domicilium fixum firmumque habere credatur, ratione cujus posset ab Episcopo illius loci ad Ordines promoveri.

XVIII. Exemplum est notorium in degentibus studiorum causâ in Academiis; quin & in nonnullis Professoribus inferiorum præsertim scientiarum, qui multis subinde annis continuo in Academia morantur; sed tamen *fixum firmumque* domicilium non videntur habere; eò quòd ea sit professionum illarum conditio, ut aliquot annorum curriculo absoluto, eam deserere & aliò migrare professores soleant; nec eo animo videantur suscipi, ut perpetuò in ea functione persistant.

Unde nec Professores Humaniorum, nec Philosophiæ; neque Pædagogiorum Regentes vel Vice-Regentes solent pro Ordinibus recipiendis ad Archiepiscopum Mechliniensem, in cujus Diœcesi Universitas Lovaniensis est constituta, pro Ordinibus accipiendis recurrere; neque credo, eos facilè hoc solo titulo recipiendos.

XIX. Quin nec commoratio in aliquo loco sufficiens, ut quis dicatur ibidem habere *domicilium* ad suscipienda alia Sacramenta, v. gr. Communionem Paschalem, quin & Matrimonium contrahendum, semper sufficit pro constituendo *domicilio* sufficiente ad recipiendos Ordines. Firmius enim magisque fixum domicilium videtur pro recipiendis Ordinibus requiri, uti loco citato notat Hallierius, & quotidiana praxis in juventute Academica evincit.

XX. Cæterum quia *domicilii* probatio difficilis est; nec facilè vera *domicilii* electio à ficta ac simulata discerni potest, meritò laudat Hallierius loco suprà indicato §. 9. Episcopos Galliæ, quod " ab Ordinatione Clericorum qui alibi „ nati sunt, sibi temperare soleant, non quod ut opinor (ait) „ id sibi interdictum putent, sed quod originis probatio fa„ cilior sit & expeditior, ad cujus proinde Episcopum re„ mittunt, nisi in extranea quis patria, vel extra paternum „ domicilium fortuitò natus sit, quo casu *domicilii*, quod „ *originis* locum quodammodo obtinet, rationem habent, „ & Ordines eis conferunt, qui apud eos *domicilium* ha„ buerint.

Hæc Hallierius, qui ibidem notat, jus originis multum præponderare juri domicilii: Quod jus originis naturale sit, jus domicilii tantum civile; jus originis necessarium, jus domicilii voluntarium; hoc variabile & temporarium, illud immutabile.

XXI. Sicuti commoratio plurium etiam annorum non sufficit, ut quis habere censeatur fixum firmumque domicilium; ut ratione illius possit ab Episcopo aliquo ordinari; ita nec ea semper requiritur, ut verum domicilium in aliquo loco figatur. Potest enim aliquis sine mora temporis ad aliquem locum verè migrare; ibique animo semper manendi larem, rerumque ac fortunarum summam constituere; atque ita firmum fixumque domicilium eligere; sed quia similis subitanea domicilii electio, fraudibus & fictionibus obnoxia est, nisi temporis mora juvetur, meritò S. Carolus in Concilio IV. Mediolanensi *parte 2. tit. 8.* decrevit ne quis ratione *domicilii* ab Episcopo ordinetur, nisi ut minus decem annis in eodem loco commoratus esset; volens, „ ut suscepturus Tonsuram vel Ordines probet, se vel ori„ gine, vel Beneficio Ecclesiastico, quod in Diœcesi obtinet „ vel DECENNALI *domicilio*, vel alia quavis legitima ratione „ Diœcesanum esse.

XXII. Titulo Beneficii, *proprium* Episcopum constitui illum in cujus Diœcesi Beneficium situm est, manifestum est ex citata Decretali Bonifacii VIII. eumque titulum ex veteri disciplina originem traxisse supra notavimus.

Nec refert si Beneficii hujus provisio seu collatio spectet ad alium Episcopum; modò revera titulus Beneficii sita in Ecclesia huic Episcopo subjecta; sive quod Beneficium quoad Episcopalia jurisdictioni Episcopi subjiciatur; ita Garcias *De Beneficiis parte 2. cap. 4. num. 15.*

XXIII. Adhæc, attentis verbis ipsius Decretalis, indifferens est, quale sit Beneficium; an simplex; an cum Cura animarum; an requirens residentiam, an eam non requirens; an multos, an paucos proventus annexos habeat; modò tamen sit verum Beneficium; & in titulum Beneficii possideatur.

XXIV. Imò licet Beneficium adeò esset tenue in proventibus, ut non esset sufficiens pro *titulo* ordinationis, nihilominus, si sit verum Beneficium, valebit ut ratione illius efficiatur subditus Episcopi, cui Beneficium illud subjicitur, atque possit ab illo tamquam *proprio* Episcopo ordinari, etiam ad titulum alterius Beneficii aut patrimonii.

XXV. Quin si plura Beneficia in diversis Diœcesibus possideat, habebit & ratione Beneficii tot *proprios* à quibus ordinari possit, etiam sine dimissorialibus, quod possidet Beneficia.

XXVI. Si tamen ex circumstantiis appareat, Beneficium esse tantum impetratum, ut subterfugiat proprii Episcopi examen, & alieno se subjiciat, Beneficium ita impetratum eum non subjicere Episcopo illius Beneficii, non semel declaravit S. Congregatio: uti refert Fagnanus his verbis: " Clericus primæ Tonsuræ, qui Beneficium obtinet in alia „ Diœcesi, etsi promoveri possit ad minores Ordines ab E„ piscopo Beneficii *quantumvis tenuis* ad perscriptum ca„ pitis *Cum nullus, Tit. De Temporibus Ordinationum in* „ *sexto*, tamen si illud beneficium sibi *in fraudem* confer„ ri curavit, *ut eludat examen ac judicium sui Ordinarii* „ censetur *malè* promotus, & remanet suspensus ab execu„ tione Ordinum tamquam ordinatus à non suo Episcopo „ juxta *caput* 8. *Session.* 23. ut Sacra Congregatio declara„ vit.

XXVII. Episcopi Gallicani animadvertentes, ex multiplici titulo quo quis *proprius* Episcopus efficitur, occasionem suppeditari Clericis ineptis in Sacros Ordines involandi; & Episcoporum, quibus vita illorum nota est, & quorum exa-

examen subire metuunt, subterfugiendi, in generali Conventu Cleri Gallicani anno 1657. declaravit: " Vix dignosci „ posse, quantum annorum ad domicilium figendum re„ quiratur, & vix posse rationem haberi Episcopi beneficii; „ cùm non ità jam (ut olim) quique Clerici Ecclesiæ suæ „ affigantur: cùm beneficio nuntiare, cùm plura possidere „ possint in variis Diœcesibus, quo Clericis evagandi & e„ levandæ obedientiæ ansa præbetur, Decretum Bonifacii „ VIII. de *tribus* Episcopis *propriis* vix in Gallia receptum „ umquam fuisse; porrò expeditissimum jam esse, ut E„ piscopus proprius non esset nisi unus à quo posset ordina„ ri. Denique decretum est, monendos hortandosque E„ piscopos, ne quos ordinarent nisi ex suis Diœcesibus ori„ undos.

Hæc declaratio ostendit, Episcopos Gallicanos præcipuam rationem haberi voluisse Episcopi *originis*; eò quòd hic titulus non sit ità mutabilis; neque tot fraudibus subjectus, sicut titulus *Domicilii* aut *Beneficii*.

XXVIII. Hanc Episcoporum Galliæ declarationem & consuetudinem, quæ licentiam ordinandi passim ad unum Episcopum *Originis* restringit, nec licentiam à variis Episcopis recipiendi Ordines passim indulget, non improbat Hallierius, " tamen exoptat quam maximè, neminem qui „ beneficium residentiam requirens, præsertim verè cura„ tum habet, absque ejus in cujus Diœcesi tale beneficium „ obtinet, licentia à quopiam ordinari: posset enim ille, „ quem fortè ad beneficium non admisit, ab ordinatione, si „ indignus esset, rejicere; posset & eundem si post obtentum „ beneficium aliquid rejectione dignum fecisset vel olim fe„ cisse de novo deprehenderetur, ab Ordinatione repellere, „ qui sine ejus licentia ordinatus Ecclesiæ scandalo & infa„ miæ futurus est.

XXIX. Et sanè, si quis in aliqua Ecclesia beneficium possideat, eique jam notabili tempore deservierit; atque ex conditione beneficii aut aliunde sufficienter pateat, eum perpetuò eidem deservitūrum, omnino rationi ac pristinæ disciplinæ consentaneum est, ut is non nisi ab Episcopo beneficii ordinetur. Similis enim Clericus, cum titulo beneficii perpetuo vinculo quasi Ecclesiæ illi censeatur alligatus, rationem Canonum, qui adeò enixè vetârunt, alienum Clericum à quovis Episcopo ordinari, hic locum habere non obscurum erit, si quæ suprà de his Canonibus dicta sunt expendantur.

XXX. Quocumque autem titulo sive *Beneficii*, sive *Domicilii*, sive *Originis* constituatur *proprius* Episcopus, habebit licentiam non tantùm conferendi Ordines; sed etiam dandi *Dimissoriales*, dispensandi super *interstitiis*, aliaque faciendi quæ passim ab Episcopis circa Sacras Ordinationes respectu suorum subditorum licent, uti post alios docet Barbosa De Potestate Episcopi *parte 2. allegat.* 4. & quotidiana praxis probat.

XXXI. Synodus Tridentina nihil circa titulum, quo quis *proprius* Episcopus efficitur mutavit aut definit; sed id non uno Decreto stabilire studuit, ut nullus ab alieno Episcopo, nisi de proprii licentia, ordinetur.

Imprimis *Sess.* 6. *cap.* 5. *De Reformat.* statuit: " Nulli „ Episcopo liceat, cujusvis privilegii prætextu, Pontificalia „ in alterius Diœcesi exercere, nisi de Ordinarii loci expres„ sa licentia, & *in personas eidem Ordinario sub„ jectas.*

XXXII. Huic Decreto nonnulli Episcopi merè Titulares fraudem facientes, " Cathedram collocabant in aliquo „ loco *nullius* Diœcesis; atque ibi quoscumque ad se veni„ entes, etiamsi suorum Episcoporum seu Prælatorum Lit„ teras commendatitias non haberent, Clericali charactere „ insignire, & ad Sacros etiam Presbyteratus Ordines pro„ movere præsumebant; quo plerumque fiebat (ait Syno„ dus Trident. *Sess.* 14. *cap.* 2. *de Reformat.*) ut minus „ idonei, & rudes ac ignari, & qui à suo Episcopo tamquam „ inhabiles & indigni rejecti fuerunt ordinari, nec divina „ Officia peragere, nec Ecclesiastica Sacramenta rectè va„ leant ministrare.

Incommoda quæ hic notat Synodus, hodie etiam difficulter evitantur ob libertatem adeundi plures Episcopos pro Ordinibus recipiendis, quemadmodum ante indicavimus.

Interim Synodus ut iis occurrat decernit: " Nemo Epi„ scoporum, qui Titulares vocantur, etiam si in loco *nullius* „ Diœcesis, etiam exempto, aut aliquo Monasterio cujusvis „ Ordinis resederint, aut moram traxerint, vigore cujusvis „ privilegii sibi de promovendo quoscumque ad se veni„ entes pro tempore concessi, alterius subditum, etiam præ„ textu familiaritatis continuæ commensalitatis suæ, absque „ sui proprii Prælati expresso consensu, aut litteris dimis„ soriis ad aliquos sacros aut minores Ordines, vel „ primam Tonsuram promovere seu ordinare valeat.

XXXIII. Cùm autem incommoda suprà recitata non minus metuenda sint, si unicuique liceat à quocumque *vero* & non Titulari Episcopo ordinari, quàm si à Titulari, Synodus suum Decretum extendens statuit generaliter *Sess.* 23. *cap.* 8. *De Reformat.* ut " Unusquisque à *proprio* Episcopo „ ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullate„ nus id ei, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti vel „ privilegii prætextu, etiam statutis temporibus permitta„ tur; nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio „ commendentur; si secus fiat, ordinans à collatione Ordi„ num per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum „ executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expe„ dire, sit suspensus.

XXXIV. Tametsi Synodus hoc Decreto specificè non exprimat *Tonsuram* Clericalem, tamen quia generaliter vult, unumquemque à *proprio* Episcopo ordinari, etiam sub illa generalitate comprehendisse videtur ipsam *Tonsuram*: cùm eam suscipiens, etiam, in latiore saltem significatione, dicatur *ordinari*. Et ratio quæ vetat quempiam in alienum subditum Pontificalia exercere, etiam in collatione Tonsuræ Clericalis militat: quod scilicet, exercitium Pontificalium sit species jurisdictionis, saltem voluntariæ, quæ in non subditum exerceri nequit.

XXXV. Adhæc quia Synodus Tridentina etiam suo Decreto excludit *cujusvis generalis vel specialis rescripti* prætextum, " consulta S. Congregatio Concilii Interpres, „ an qui facultatem à Sede Apostolica obtinuit ut possit or„ dinari ab alio, quàm à suo Ordinario, debeat nihilominus „ probitatem suam, & mores Ordinarii sui testimonio com„ probare: Respondit ità debere, prout Signatura Gratiæ „ jam dudum solita est in hujusmodi facultatibus ponere „ clausuram, *De Licentia Ordinarii*, cujus testimonio „ mores & probitas commendentur. " Ità Fagnanus ad *Cap.* „ CUM SECUNDUM ꝉ *De Præbendis num.* 54.

XXXVI. Decreti prædicti generalitas; nec non expressa clausula, *etiam cujusvis generalis vel specialis privilegii prætextu*, sat ostendunt, Synodum voluisse non tantùm sæculares, sed etiam *Regulares* quocumque privilegio munitos suo Decreto comprehendi.

Deinde *cap.* 10. ejusdem Sessionis, nec Abbati permittit, *Regulari* cuicumque Tonsuram aut Minores conferre, qui, *non sit ejus subditus*; sed horum omnium ordinationem ad Episcopos, intra quorum Diœcesis fines existunt, pertinere vult. Quo satis ostendit, *Regularium*, qui Abbatibus illis non subsunt, ordinationem ad Episcopos *intra quorum Diœcesis terminos existant*, pertinere; idque, ut subdit Synodus, *non obstantibus quibusvis privilegiis, præscriptionibus aut consuetudinibus etiam immemorabilibus*.

XXXVII. Indulsit quidem Pius V. Constitutione sua quæ incipit, *Etsi Mendicantium* 41. in Bulla Romana Fratribus Mendicantibus, quod Sacros Ordines à quolibet Antistite gratiam & communionem Apostolicæ Sedis habente, Ordinarii loci licentia minimè requisita, in locis seu domibus

bus Fratrum hujusmodi, sive alibi recipere possent, sed Pii V. immediatus successor Gregorius XIII. hanc Constitutionem Pii V. reduxit ad terminos Juris communis & Concilii Tridentini, per Bullam quæ incipit *In tanta* 9. in Bull. Rom. atque omnia ità esse voluit, quo futura essent, si litteræ illæ Pii V. non emanâssent, ***ad quam dispositionem & decisionem, suumque integrum statum, ac terminum illa omnia*** (ait) ***reducimus.***

Itaque attenta hac reductione ad terminos Juris Communis & Concilii Tridentini, hodie, Regulares non possunt ab Episcopis ordinari, etiam in suis domibus sine licentia Diœcesanorum, uti rectè advertit Barbosa de Officio Episcopi *parte 2. Allegat. 4. num. 61.*

XXXVIII. Postmodum emanavit declaratio quædam S. Congregationis Concilii Tridentini Interpretis probata à Clemente VIII. quâ declaratum est, " Superiores Regulares posse suo subdito itidem Regulari, qui prædictus „ qualitatibus requisitis Ordines suscipere voluerit, litte- „ ras dimissorias concedere, ad Episcopum tamen Diœcesa- „ num, nempe illius Monasterii, in cujus familia ab iis ad „ quos pertinet, is Regularis positus fuerit.

Hic duo declarantur: primum, Regularem pro Ordinibus suscipiendis non posse à Superioribus suis mitti nisi ad Diœcesanum suum.

Secundum, Diœcesanum Regularium censeri, Episcopum illius Monasterii, in cujus Diœcesi situm est Monasterium in quo Regularis Ordinandus collocatus fuit ab iis ad quos pertinet; ità scilicet ut de familia illius Monasterii censeatur; sive incorporatus sit illi Conventui, adeóque verè dicatur jam esse de illo Conventu seu familia, ac ibi secundùm disciplinam Regularium, qui Conventum de voluntate Superiorum mutare subinde solent, verè dicatur ibi habitare & domicilium habere.

XXXIX. Unde Superiores Regulares qui subditos suos mittunt ad certos Conventus eâ duntaxat intentione, ut ab Episcopis illorum Conventuum ordinari queant; mox eosdem Ordinatos ad priores Conventus revocaturi, indubiè Concilio Tridentino, & Constitutionibus Pontificiis fraudem faciunt; ac revera subditos à non Diœcesano ordines suscipere permittunt; quandoquidem evidens sit, Regulares sic ad alios Conventus euntes, priorem Conventum revera non deserere, neque *familiam* mutare; sed de familia seu Conventu priori manere; ac per consequens, Episcopo hujus Conventus subjectos.

Itaque Regulares censentur esse de Diœcesi Episcopi in qua situm est Monasterium in quo *verè* habitant, sive cujus familiæ sunt incorporati; etiamsi aliunde sint oriundi, juxta *Cap. 3. §.* RELIGIOSI *De Temporib. Ordinat. in* VI. Neque alium Diœcesanum sive Ordinarium habere censentur: eò quòd per professionem Religiosam, *origini* quodammodo renuntiaverint.

Si tamen de Regularibus agatur, qui beneficiorum sunt capaces, non apparet, quare non possit quoque titulo Beneficii Regularis promoveri ab Episcopo in cujus Diœcesi situm est Beneficium.

XL. Additur deinde in citata Declaratione Congregationis: " Et si Diœcesanus abfuerit, vel non esset habiturus „ ordinationes, ad quemcumque alium Episcopum, dum „ tamen ab eo Episcopo, qui ordines contulerit, examine- „ tur quoad doctrinam; & dum ipsi Regulares, non distule- „ rint de industria concessionem dimissoriarum in id tem- „ pus quo Diœcesanus, vel absfuturus, vel nullas habiturus „ ordinationes esset. Verum cum à Superioribus Regula- „ ribus Episcopo Diœcesano absente, vel ordinationes non „ habente, litteræ dimissoriæ dabuntur, in eis utique hu- „ jusmodi causam absentiæ Diœcesani Episcopi, vel ordina- „ tionum ab eo non habendarum, exprimendam esse; quod „ qui non fecerint, officii, & dignitatis seu administratio- „ nis, ac vocis activæ, & passivæ privationis, ac alias arbi- „ trio ejusdem S. D. N. Papæ reservatas pœnas, incur- „ rent.

Declaratione illa relata subdit Hallierius loco citato. „ Hanc, ni fallor, moderationem & interpretationem Tri- „ dentinæ Synodi Regularium importunæ flagitiones ex- „ torserunt, cui tamen ne sic quidem parere aliqui ipsorum „ volunt.

XLI. Quidquid sit de hoc Hallierii asserto, fraudem apertam illi declarationi faciunt, & menti Pontificis contraveniunt, qui credunt & asserunt, superiores posse *ex industria* differre dationem dimissorialium suis subditis usque ad id tempus quo Episcopus sit absens, vel nullas habiturus sit ordinationes. " In quocumque casu, in quo Regulari „ Prælato constat, subditos duos esse, & quantum ad mores, „ & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos, & tamen „ habeat unde probabiliter timeat fore, ut ab Episcopo re- „ jiciantur: quia tunc rationabiliter movetur, & verè utitur „ jure suo, non faciet contra Decretum Clementis VIII. si „ exspectet tempus, in quo non sunt habendæ Ordinatio- „ nes in Diœcesi, ut subditos suos extra Diœcesin dimittat „ Ordinandos.

Ità nuperus Auctor Consultationum Canonicarum *Consult. 3. resolut. 6. n. 809.*

XLII. Quo posito quid sequitur, nisi quod quandocumque Superior probabiliter timet fore, ut ab Episcopo non sint admittendi ad Ordines, quos ipse præsentandos duxerit (hos enim & *quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos* judicat) tunc non faciet contra Decretum Clementis VIII. si exspectet tempus in quo non sunt habendæ Ordinationes in Diœcesi, ut subditos suos extra Diœcesim dimittat Ordinandos: sive quod secundùm modernam praxim loquendo idem est, si probabiliter timeatur fore, ut ab Episcopo non *omnes indifferenter* Regulares, præsertim Mendicantes, ætatem & certum in Religione tempus habentes, admittentur.

Quid enim notius, quàm omnes planè Regulares, si illos, quos Laicos vocant, excipias, mox ut ætatem attigerint, certóque tempore in Religione vixerint, Ordinibus Sacris, *& quantum ad mores & quantum ad doctrinam sufficienter idoneos* à Superioribus judicari?

Si hoc non sit *fraudem* facere Declarationi & Ordinationi Pontificis, nescio quid tandem erit *fraudem* facere; sed de hac aliisque similibus fraudibus, quibus nonnulli se conantur subducere examini suorum Episcoporum, qui secundum suum genium rigidiores videntur, fusius egi in libello cui titulus, *Repagulum Canonicum adversus nimium Exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem.*

XLIII. His aliisque incommodis, quæ ex recursu ad varios Episcopos pro Ordinibus suscipiendis oriuntur, medendis, modernus Pontifex Innocentius XII. Constitutionem edidit quæ incipit, *Speculatores*; quâ pene omnia quæ tum ex declaratione S. Congregationis; tum Decretis Episcoporum circa *proprium* Episcopum relata sunt, confirmantur; unde textum Constitutionis quo hæc exprimuntur, hic apponendum credidi.

" Decernimus, ac declaramus, nulli Episcopo seu cu- „ jusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore ful- „ geat, licere externum quempiam, ac sibi ratione Origi- „ nis, seu Domicilii, juxta modum inferius declarandum, „ legitimè contracti non Subditum ad Clericalem Tonsu- „ ram promovere, cujusvis Beneficii Ecclesiastici ei sta- „ tim ac Tonsurâ hujusmodi insignitus fuerit, seu ad quod „ is à Patronis jam præsentatus, seu nominatus fuerit, præ- „ textu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expressè „ adjecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem characterem susceptum ad illud in- „ stituatur; præterea Clericum, qui legitimè jam à pro- „ prio Episcopo ad eamdem Clericalem Tonsuram, seu et- „ iam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab „ alio Episcopo ratione, ac titulo cujuscumque Beneficii „ in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores Ordines promo- „ veri, nisi ante eorumdem susceptionem testimoniales „ litte-

„litteras proprii Episcopi tam Originis, quàm Domicilii super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. Licèt verò Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè possideatur, sublatâ quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret, ac Episcopus sic Ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quàm de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. Cæterùm Subditus ratione Originis is tantùm sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accedenti, occasione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda, Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accedenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras Testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi verè Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur qui, licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis Ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quâ potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra afferre debebit, ac de illis expressa similiter mentio in susceptorum Ordinum Litteris facienda erit.

CAPUT III.

De Litteris Dimissorialibus.

1. *Quæ essent apud Veteres Litteræ Dimissoriales?*
2. *Harum Litterarum mentio occurrit in antiquis Canonibus; sed alio sensu, quàm hodie accipiuntur.*
3. *Litteræ Dimissoriales hodie dantur, ut quis ab* alieno *Episcopo ordinetur.*
4. *Dare Litteras Dimissoriales propriè ad Episcopos pertinet.*
5. *Olim quibusdam inferioribus Prælatis facultas dandi Dimissoriales competiit.*
6. *Synodus Tridentina hanc facultatem sustulit.*
7. *Decretum S. Congregationis conforme.*
8. *Auctoritas dandi Dimissoriales competens Capitulo Sede vacante per Synodum Trid. restricta.*
9. *Pœna in contravenientes decreta.*
10. *Episcopus* confirmatus *non consecratus potest dare Dimissoriales; & Archiepiscopus ante receptionem* Pallii.
11. *Facultas hæc ab Episcopis delegari potest.*
12. *Synodus Trid. desiderat, ut Episcopi* per se *ordines conferant.*
13. *Jure communi in litteris dimissorialibus exprimenda causa ob quam Episcopus non ordinet; sed hodie non observatur.*
14. *Non est conveniens ut Episcopus passim suos aliò mittat.*
15. *Synodus Tridentina non vult dari Dimissoriales nisi* jam probatis.
16. *Synodi posteriores idem inculcant.*
17. *Justitia horum Decretorum.*
18. *Interdum examen aliis delegandum; & quæ cautio à S. Carolo hic adhibita.*
19. *Studentium in Academia examen sæpe aliis committitur; & quid hic præcipuè attendendum.*
20. *Synodus Trid. videtur ultra examen Ordinarii etiam requirere examen* alicui *ordinantis vigore Dimissorialium.*
21. *Idque in aliquibus Diœcesibus observatur.*
22. *Sacra Congregatio declaravit, id esse arbitrarium.*
23. *In Belgio non solet secundum examen institui.*
24. *Meritò attendunt Episcopi à quo Dimissoriales concessæ sint.*
25. *Sanctus Carolus noluit sine necessitate dimissoriales dari.*
26. *Noluit eas dari nisi pro Ordinibus unâ ordinatione recipiendis.*
27. *Voluit in iisdem præscribi tempus intra quod Ordines sint suscipiendi.*
28. *Dimissoriales ad tempus vel certos Ordines restrictæ quando exspirent?*
29. *Litteræ Dimissoriales per mortem Episcopi non exspirant.*
30. *Concessæ à Capitulo Sede Vacante aut Vicario durant etiam extinctâ horum potestate.*
31. *Poterit novus Episcopus Litteras Dimissoriales à Capitulo datas revocare.*

I. Litterarum *Dimissorialium* sive *Dimissoriarum* frequens est etiam apud Veteres mentio; sed alio nonnihil sensu, quàm hodie accipiuntur.

Antiquitùs enim ferè ejusmodi litteræ non dabantur, nisi Clericis qui ad aliam Ecclesiam mittebantur non reversuri.

Cùm enim secundùm disciplinam illius temporis, Clerici omnes vi suæ ordinationis adstringerentur certæ Ecclesiæ, à qua sinè consensu Episcopi recedere non poterant; si Clericus ad aliam Ecclesiam transire vellet; petebat ab Episcopo *dimissionem*; si Episcopus consentiebat, expediebantur litteræ, quibus significabatur, quòd Episcopus hunc Clericum à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebatur, absolveret, atque à se *dimitteret*; alterique Episcopo eum cederet; jusque omne quod in eum habebat in alterum transferret: atque hæ propriè dicebantur Litteræ *Dimissoriæ*, à verbo latino *dimittere*.

II. Hoc sensu Litteræ *Dimissoriæ* accipiuntur à Concilio Carthaginensi I. *Can.* 5. litteras has ideo solùm requirens, ne alienus Episcopus alterius Clericum usurpet; id est, suæ Ecclesiæ adscribat, & alteri eripiat. Et in Synodo Trullana *Can.* 17. decernitur ut "nullus omnino Clericus in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta *dimissoria* in alienæ Ecclesiæ *catalogum* referri.

Hic

Hic *dimissoria* requiritur, non ut Clericus ab alio Episcopo simpliciter ordinetur; sed ut in alienæ Ecclesiæ catalogum referatur; quod fieri mores illorum temporum non permittebant, nisi ab Ecclesia cui prius fuerat adscriptus *dimitteretur*; quod fiebat mediante *dimissoria*.

III. Hodie verò vulgari nomine litteræ *dimissoria* sive *dimissoriales* vocantur, quibus Clerici non absolutè suis Ecclesiis dimittuntur; sed quibus ad alienum Episcopum, Ordinum suscipiendorum causâ duntaxat *dimittuntur*; seu quibus facultas fit alicui à *non suo* Episcopo Ordines suscipiendi; ità ut Episcopus in eum Clericum pristinum jus & auctoritatem sibi retineat; nec à se *dimittat* nisi ad hunc solum effectum, ut ab *alieno* Episcopo, Ordinem in litteris expressum suscipiat.

IV. Sicuti autem Episcopi sunt Ordinarii Ordinum Ministri, atque ad ipsos *propriè* spectat Ministrorum Ordinatio & electio, ità quoque semper ad Episcopos primariò spectavit, & hodie spectat dimissoriales litteras dare.

"Inferiores Prælati, Religiosi vel alii, nisi eis quod suos „Clericos, aut subditos, possint à quo voluerint, Episcopo „facere ordinari, à Sede Apostolica *specialiter* sit indultum, „vel Officiales Episcopi (cum ad hoc se ipsius officium non „extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri." *Cap. 3. de Temporib. Ordinat. in* VI.

Hic supponit Pontifex, Episcopis jure ordinario competere facultatem dandi litteras *dimissoriales*; inferioribus verò nonnisi ex speciali Sedis Apostolicæ indulto; quemadmodum etiam indicitur in *Cap.* 8. *De Officio Archid.* ubi mandatur Episcopo, ut "interdicat Archidiacono suo, ne „sine conscientia sua & auctoritate litteras suas promoven„dis concedat Clericis.

Ad quæ reflectens Glossographus ait: "Et ità patet, quod „Archidiaconus non potest dare commendatitias ad Ordines suscipiendos, sed solus Episcopus.

V. Subjicit tamen Glossographus hanc exceptionem, "Si Episcopus absens esset extra Parochiam suam & neces„sitas vel utilitas Ordinandorum immineret, tunc posset „illos præsentare aliis Episcopis per quos ordinentur: quia „absente Episcopo supplet vices; sic & Archipresbyteri; & „hoc intelligo (ait) si Archidiaconus habet hoc *De Consue„tudine* aliàs non, nisi haberet *speciale* mandatum.

Ex his quoque non obscurum est, olim nonnullis inferioribus Prælatis, ut Archidiaconis, Archipresbyteris, vel Abbatibus, sive per Indultum, sive per consuetudinem facultatem hanc fuisse communicatam.

VI. Verùm Concilium Tridentinum *Seff.* 23. *cap.* 10. *De Reformat.* postquam interdixit Abbatibus, ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis, cuiquam qui *Regularis subditus* sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre, subdit: "Nec ipsi Abbates & alii exempti & Collegia „vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedra„lium Litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut „ab aliis ordinentur concedant, sed horum omnium ordi„natio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ Synodi De„cretis continentur, ad Episcopos intra quorum Diœcesis „fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privi„legiis, perscriptionibus aut consuetudinibus, etiam imme„morabilibus.

Hoc Decreto auctoritatem dandi dimissoriales competentem Prælatis inferioribus, vel ex privilegio vel consuetudine vel præscriptione esse revocatam, nequaquam obscurum est.

VII. Unde cùm Capitulum Antverpiense obtinuisset privilegium à Leone X. quo dabatur facultas dandi *dimissoriales* de promovendo etiam extra tempora; eaque auctoritate, non obstante Decreto Concilii Tridentini uti vellet Capitulum, quæstione per Episcopum Romam delatâ, & S. Congregationi proposita, rescriptum est ad Episcopum, Sacram Congregationem censuisse, "Facultatem conce„dendi *Dimissorias* litteras Capitulo ademptam esse De„creto *cap.* 10. *Seff.* 23. "Litteræ extant apud Zypæum in Jure novo *tit. De Officio Ordinarii, num.* 20.

VIII. Quia Sede vacante Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopalem, jam olim obtinuit, ut Capitulo Sede vacante Dimissorias ad suscipiendos Sacros Ordines statim à morte Episcopi dare posset; at Synodus Tridentina per Decretum sub Paulo III. editum *Seff.* 7. *cap.* 10. *De Reformat.* hanc capituli auctoritatem aliquatenus restrinxit, uti supra *parte* 1. *tit.* 9. *cap.* 2. nota vi.

IX. Ulterius pœnam interdicti Capitulo, si Decreto contravenerit, comminatur: & insuper ut "ordinati, si in Mi„noribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio „Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant; in majori„bus verò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futu„ri Prælati, sint ipso jure suspensi.

Hanc pœnam Synodus *Seff.* 23. *cap.* 10. *De Reformat.* „Ad illos qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis „quibusvis, in jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede „vacante, succedentibus, obtinerent contra Decretum sub „Paulo III. mandat extendi. Concedentes autem Dimisso„rias contra formam Decreti, ab officio & beneficio per „annum sint ipso jure suspensi.

X. Cæterum, quia concessio Dimissorialium ad Ordines suscipiendos non ad ea quæ Ordinis Episcopalis sunt, sed ad ea quæ jurisdictionis sunt, pertinet; nemo ambigit, quin Episcopus electus & confirmatus, licet nondum consecratus Dimissorias dare queat; eo quod post confirmationem, etiam ante consecrationem Episcopus exerceat omnia quæ sunt jurisdictionis, quemadmodum *parte* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. ostensum est. Idem esto judicium de Archiepiscopo ante acceptum *Pallium* Archiepiscopale, sine quo Ordines conferre nequit, licet quæ jurisdictionis sunt exercere valeat; uti similiter *parte* 1. *tit.* 19. *cap.* 5. probatum est.

XI. Eadem ratione facultas dandi *Dimissorias* Vicariis seu Officialibus Episcoporum competere potest, modo Episcopi eam specialiter ipsis delegaverint. Hanc auctoritatem in Provincia Coloniensi seculo præterito competiisse Officialibus supposuit Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 1. *cap.* 19. prohibens. "Ne Officiales Litteras *Dimisso„rias*, quæ vulgò *Licentiatoria* Ordinandi vocantur, alicui „temerè concedant: illarum enim prætextu, qui suæ ru„ditatis & inscitiæ sibi conscii sunt, nostrorum Vicario„rum in Pontificalibus disquisitionem subterfugiunt, ac „alio migrant, ubi nullus canonicæ traditionis respectus habetur.

Idipsum supposuit Synodus Moguntina anno 1579. *cap.* 14. dicens: "Commissariis nostris seriò inhibemus, ne im„posterum alicui Litteras Dimissorias sine magna & neces„saria causa, quam bene exploratam habere debent, conce„dant.

Profectò cùm à certa ac Canonica Ministrorum electione & sublimatione præcipuè rectum Ecclesiæ regimen & populi salus dependeat, Episcopi summa circumspectione in ea procedere debent, neque temerè aut facilè aliis Ordinationem suorum ministrorum credere.

XII. Et quidem Synodus Tridentina *Seff.* 23. *cap.* 3. *De Reformat.* vult, ut "Episcopi per *semetipsos* Ordines con„ferant: quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos „non aliter, quam jam probatos, ad alium Episcopum or„dinandos dimittant.

Quamvis Synodus non exprimat nisi causam *ægritudinis* ob quam suo ad alium Episcopum mittere queat, nequaquam tamen aliæ graves & necessariæ causæ exclusæ censentur, quibus legitimè præpeditus Episcopus, ad alium Episcopum Ordinandos dimittat; quemadmodum expressit Concilium Mediolanense III. sub S. Carolo tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis.*

XIII. Et quidem Clemens IV. in *Cap.* 3. *De temporibus Ordinat. in* 6. non vult aliquem Ultra-Montanum ab Episcopo Italo ordinari nisi in Litteris Dimissoriis *causa legitima* contineatur, quare illum Episcopus *originis* nolit aut nequeat ordinare.

Unde jampridem creditum fuit, & S. Carolus observavit, quod in Litteris *Dimissoriis* deberet exprimi causa ob quam Episcopus *proprius* ordinare nequeat aut nolit; quod tamen nec in Gallia nec in Belgio observatur, uti advertit Rebuffus in *Praxi Benef.* titulo De *formula Dimissoriarum num.* 28.

XIV. Interim ex Decreto Synodi Tridentinæ fat intelligitur, mentem Ecclesiæ nequaquam esse, ut Episcopi passim suorum subditorum ordinationes aliis committant, quasi rem ipsis nimis molestam, aut nimis vilem; quod planè à pristinis ac Sanctis Episcopis remotissimum fuisse, multis exemplis probat Hallierius *parte 2. sectione 3. capit. 3. articul. 11. §. 5.*

XV. Si verò justa fuerit causa mittendi subditum ad alienum Episcopum pro Ordinibus suscipiendis, meritò addit Synodus Trid. *non aliter quàm probatos* mittendos esse, id est, Dimissoriales dandas non esse, nisi *jam probatis*, quod & alio loco sufficienter expressit; vetans aliquem ab alieno Episcopo ordinari, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii prætextu, *nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Session. 23. cap. 8. De Reformat.*

XVI. Has Concilii Tridentini Sanctiones explicans S. Carolus in Synodo sua Mediolanensi III. titulo. *Quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum* ait: "Infirma valetudine, „ aliaque justa causa impeditus Episcopus, si statos Sacros „ Ordines habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, à quo alicui „ Ecclesiastico Ordini adscribatur; testimonialibus litteris „ ei datis, hoc adscribat, & testata faciat, vitæ imprimis & „ morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine „ habito judicatus est, Ecclesiasticum Ordinem, quo est „ proximè initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si verò majori Ordini „ adscribendus est, ætatem item, & titulum sufficientem„ que censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii quod „ ille habet.

Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 9. cap. 5.* "Episcopi „ subditos suos non nisi *jam probatos* & examinatos ad alium Episcopum dimittant, juxta Decretum Concilii Tri„ dentini.

XVII. Justissima sanè constitutio. Cùm enim nemini magis nota esse debeat, quàm proprio Pastori & Episcopo sufficientia ac capacitas sui subditi; atque ipsius maximè intersit, ne quis indoneus è suis subditis, & in suæ Diœceseos Clerum ordinetur; nihil sanè justius, quàm ut ejus testimonium requiratur, ut appareat, an ipse qui ad Ordines suscipiendos subditum suum mittit, de ipsius capacitate, antequam mittat, ritè sit instructus; atque de ea testetur.

XVIII. Quia tamen interdum contingere potest, ut Ordinandus à Diœcesi, aut civitate Episcopali sit absens, nec sine magno incommodo ad Episcopum personaliter pro examine accedere possit, hanc cautionem addidit S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte 3. de Initiandis Ordinis Sacramento*, ut "hoc casu liceat examen illud speciatim Episcopo delegare, in cujus Diœcesi „ illi morantur: at vero tunc Litteras dimissorias ne det, „ antequam examinis facti litteras ab eo acceperit, cui il„ lud delegavit.

XIX. Ità hodie, non rarò solent concedi Litteræ *Dimissoria* Studentibus in Academia, præsertim remotis à suis Diœcesibus, hac inserta clausula, si prævio examine à suo Præside Collegii, aut aliis in litteris designatis idonei judicentur; in quo hæc cautio præcipuè necessaria est, ut Episcopi examen illud non committant, nisi iis, quorum sufficientia & integritas probè ipsis fuerit nota; & de quibus securi sint, quod non nisi benè idoneis testimonium capacitatis sint daturi.

XX. Videtur insuper Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 11. De Reformat.* præter examen proprii Episcopi ad alienum mittentis; nec non illius de sufficientia ordinandi testimonium, insuper requirere examen ipsius Episcopi Ordinantis; cùm expresse statuat, "Facultates de promovendo à „ quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam „ causam, ob quam à propriis Episcopis ordinari non pos„ sint, in litteris exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi „ *ab Episcopo* in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontifi„ calia exercente, & *diligenti prævio examine.*

XXI. Et conformiter ad hoc Decretum, etiam à propriis Episcopis examinatos, iterum examinari ab Episcopo ordinaturo, Mediolani & Neapoli, ex Bonacina & Quaranta refert Hallierius loco citato §. 6. dicitque & in Gallia se id ab aliquibus vidisse observari.

XXII. De hac quæstione consulta S. Congregatio, "An „ scilicet, Episcopus Ordinans alienos subditos seculares „ cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse, & idoneos repertos, hujusmodi attestationi de„ ferre teneatur, vel etiam possit eosdem Ordinandos exa„ minare; Sacra Congregatio censuit, esse arbitrarium, & „ ideo posse, sed non teneri." Apud Fagnanum ad *Cap.* CUM SECUNDUM 16 *De Præbendis num. 56.*

XXIII. Conformiter ad hanc resolutionem, solent hic Episcopi dimissorialibus & attestationi proprii Episcopi deferre, atque sine novo examine ordinare; prædictum Decretum Concilii Tridentini intelligentes de his qui *facultates de promovendo* non à *proprio* Episcopo, sed à Sede Apostolica obtinuerunt.

XXIV. Addit tamen meritò Fagnanus ibidem *num. 57.* quod si Episcopus alienus sciret, eum qui habet Dimissoriales esse criminosum, peccaret ordinando: quia revera *manus imponendo* indigno, etiam Sacramentum indignè administraret. Quare laudandi Episcopi, qui non adeo faciles sunt, ut admittant dimissoriales dum sciunt, Episcopum in concedendis Dimissorialibus & Ordinandis admodum facilem esse, ac quosvis passim se præsentantes ad Sacros Ordines admittere.

XXV. Ne occasione concessarum litterarum Dimissorialium fallantur Episcopi; eo quod interdum contingat, ut vel hominis mores immutentur, vel quod de illius vita antea minus notum erat atque exploratum, id postea pateat, quo fiat, ut quem Episcopus aliquando sacro Ordine dignum judicavit, illum ipsum postmodum inveniat indignũ ut ulteriore Ordine insigniatur, meritò voluit Sanctus Carolus in Synodo sua Mediolanensi IV. titulo *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*: imprimis, ut "Episcopus cuiquam antequam sacræ Ordinationis tem„ pus *proximè* instet, litteras hujusmodi testimoniales *Di„ missoriasve* pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, „ sine *necessaria* causa umquam concedat.

XXVI. Secundò, "Neque item iisdem litteris faculta„ tem det plures ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tan„ tum, quos uno eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, „ ac per sacros Canones Conciliaque licuerit.

XXVII. Tertiò, "Præfiniat præterea in illis ipsis certum „ suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribendus est tem„ pus, menstruum scilicet vel bimestre vel longius, ut pro „ loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse vi„ derit.

Hæc ostendunt quanta cautione in dandis litteris Dimissorialibus procedendum judicaverit S. Carolus; ne occasione hujusmodi litterarum indignus quispiam ad Ordines promoveretur. Episcopi has cautiones pro locorum personarumque conditione adhibere poterunt; ubi eas vel necessarias vel convenientes in eumdem finem judicabunt.

XXVIII. Subjicit deinde S. Carolus: "Quo præstituto „ tempore transacto eas litteras eo nomine à se concessas, ei „ imposterum nihil suffragari nihilque roboris habere iis„ dem litteris declaret; Quas etiam Cancellario Episcopali „ ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernat.

Verum licet hæc declaratio in litteris esset omissa, nihilominus, si *Dimissoriales* restrictæ sint ad certum tempus intra quod ad Ordinem promoveri teneatur, tempore præstituto

stituto elapso litteræ illæ suum amittunt valorem & effectum; quia cum facultas seu mandatum non sit nisi ad tempus, etiam ultra tempus extendi nequit.

XXIX. Si autem litteræ Dimissoriæ sint sine præfinitione temporis, tunc eatenus perpetuæ sunt; ut nec per mortem Episcopi revocatæ censeantur; uti tradit Rebuffus in Praxi Benef. titulo De *Formula Dimissoriarum num.39.* & communiter Canonistæ, atque praxis moderna probat.

XXX. Addit præterea Rebuffus *num.43.* Nec etiamsi gratia ista suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo concessa sit à Capitulo expirabit, finita Capituli potestate; quia gesta à Capitulo valida sunt, & durant si rectè facta sunt. Idipsum plurimis citatis docet Barbosa de officio Episcopi *parte 2. Allegat.7.n.24.*

Quod de Dimissoriis datis à Capitulo Sede Vacante concessis dicitur; idem dicendum de concessis à Vicario Episcopi, eas nimirum durare etiam extincta potestate Vicarii; uti expressè notat Hallierius loco citato §.8.

XXXI. Hæc de validitate Dimissoriarum sive ab Episcopo, sive à Capitulo vel Vicario concessarum non procedunt, si Episcopus eas re integra, id est, ante Ordinem susceptum revocaverit. Unde Rebuffus postquam dixerat, litteras Dimissorias nec per mortem Episcopi, nec per extinctam potestatem Capituli esse effectu suo evacuatas, immediatè subjungit *num.44.* Poterit tamen Episcopus revocare ea quæ nondum sunt sortita effectum: quam opinionem Rebuffi probans Barbosa dicto loco *num.25.* ait: "A novo e-
„ nim antistite revocari possunt per edictum omnes & quæ-
„ cumque à prædecessoribus Præsulibus, vel Capitulo Sede
„ vacante concessæ.

CAPUT IV.

De Examine Ordinandorum.

1. *Episcopo citò* manus imponere *vetitum.*
2. *Quid sit* citò manus imponere?
3. *Ordinandi primùm probandi.*
4. *Synodus vult Ordinandos examini Episcoporum subjacere.*
5. *Decretum hoc etiam Regulares comprehendit.*
6. *In omni Congregatione solent esse boni & mali.*
7. *Major perfectio requiritur in Presbyteris, quàm in Monachis.*
8. *Non omnes qui Professionem Religiosam emiserunt ad Ordines Sacros admittendi.*
9. *Examen Ordinandorum primariò ipsi Episcopo competit.*
10. *Si jus examinandi Ordinandos alicui competat, non censetur exclusus Episcopus.*
11. *Officiales aliique inferiores Prælati examen aliquando sibi vendicarunt, & quid hic decreverit Synodus Coloniensis.*
12. *Convenit Episcopum in examine esse præsentem.*
13. *Episcopus examen aliis delegare potest.*
14. *Episcopus ultra Examinatores ordinarios potest alios assumere: & præcipuè è Canonicis Cathedralibus.*
15. *Non astringitur Episcopus Canonicos Cathedrales assumere.*
16. *Examinatores quales esse debeant?*
17. *Monita S. Caroli ad Examinatores.*
18. *Examen imprimis instituendum circa vitam Ordinandorum.*
19. *Ordinandi mense ante Ordinationem se sistere debent Episcopo: & quare?*
20. *Nomina Ordinandorum publicè populo proponenda; idque conforme veteri disciplinæ.*
21. *Pristinam disciplinam exprimit Pontificale.*
22. *Huic pristinæ publicationi successit hodierna per Parochum fieri solita.*
23. *Hæc publicatio potissimùm fit, ut de vita Ordinandorum exactior notitia habeatur.*
24. *Proclamationes fieri mandant Synodi Belgicæ.*
25. *Volunt ista fieri instar Bannorum Matrimonialium.*
26. *Decretum Synodi Leodiensis praxi hodie conforme.*
27. *Non solent hodie Ordinandi mense ante Ordinationem Episcopum adire; quod tamen esset conveniens.*
28. *Populus à Parocho monendus de harum proclamationum scopo.*
29. *Excitandus ut pro Ordinandis oret; & quàm hic sollicitus fuerit S. Carolus.*
30. *Populus monendus ad quid jejunia* Quatuor Temporum *instituta.*
31. *Ordinandi aliquo die ab Episcopo designando examini se sistere debent.*
32. *Examen circa mores ipsorum quomodo instituendum; & quid de Seminaristis?*
33. *Quam difficulter habeatur exacta notitia eorum qui extra Seminarium morantur.*
34. *Non semper deferendum testimonialibus Directorũ.*
35. *Regularium testimoniis non fidendum.*
36. *Quanto se periculo exponunt, qui passim quorumcumque testimoniis credunt.*
37. *Qualiter sit per scientia examen instituendum?*
38. *Quæ singillatim inquiri voluerit S. Carolus?*
39. *Voluit ut Examinatores sibi certam formulam examinandi proponerent.*
40. *Examen unius horæ an sufficere queat?*
41. *Exercitia spiritualia Ordinationi præmittenda; & quis horum scopus.*

I. Dictum est ab Apostolo omnibus Episcopis in persona Timothei, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. ad Timoth. 5. ℣. 12.

II. "Quid est autem *citò manus im-
„ ponere* (ait S. Leo *Epistol.87. capit.21.*) nisi ante æta-
„ tem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum la-
„ boris" ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem hono-
„ rem tribuere non probatis.

Et ante Leonem Sanctus Chrysostomus prædicta verba Apostoli exponens *Homil.15. in Epist. ad Timoth.* ait: "Quid est illud, *citò*? Non ex prima probatione, nec secun-
„ da, nec tertia, sed ubi consideratio *diuturna* præcessit,
„ *exactissimaque* discussio, tunc imponito manus.

III. Jubet rursus in eadem Epistola *cap.3.* Apostolus, ut Ordinandi *probentur primùm & sic ministrent.*

Hinc toties in pristinis Canonibus præceptum, ne Episcopi citò manus imponant; sed priùs exactè probent & examinent vitam, mores, aliasque Ordinandorum qualitates.

IV. His insistens Synodus Tridentina, neminem, nisi præviâ exactâ de vita ac moribus inquisitione, & præmisso super ejus doctrina examine, ordinari voluit; uti pluribus capitibus *Sess.23. De Reformatione* expressum est; ac signanter *cap.12.* ubi postquam ætatem singulis Sacris Ordinibus præscriptam exposuit, subjicit: "Sciant tamen Episcopi, non
„ singulos, in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines
„ assumi: sed dignos dumtaxat, & quorum *probata* vita se-
„ nectus sit. *Regulares* quoque nec in minore ætate, nec sine
„ diligenti Episcopi Examine ordinentur: *privilegiis* qui-
„ buscumque quoad hoc penitus exclusis.

V. Voluit igitur Synodus generaliter omnes, non tantùm Seculares, sed & *Regulares* ante ordinationem examini Episcopi esse subjectos; ut nimirum Episcopus examinare queat, num digni sint ad Ordines promoveri; ne aliàs contra præceptum Apostoli alicui *citò manus imponendo,* pecca-

peccatis alienis communicet: "Neque enim, ut præcitatis „verbis subjungit Chrysostomus, ea res periculo caret: „eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui „initium dedisti etiam præcedentium delictorum.

VI. Vita quidem Religiosa ex suo instituto, atque regulariter acta plurimum valet, ut quis ad Sacros Ordines disponatur; at notum est illud Augustini *epist.* 132. "Omnem „conditionem includere bonos & malos, esseque Clericos „proinde falsos ac Monachos. Sunt & Monachi falsi, & nos „novimus tales: sed non periit fraternitas pia per eos qui „profitentur quod non sunt; tam enim sunt Monachi „falsi quam Clerici falsi, & fideles falsi.

VII. Notum quoque est, non omnem, quæ Monachis sufficeret perfectio, ad Sacros Ordines, præsertim Presbyteratus sufficere. *Multò major*, inquit S. Chrysostomus, *vita integritas huic* (Presbytero) *quàm illis* (Monachis) *necessaria*. Hinc illud Augustini, *aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum. Lib.* 2. *De Sacerdot. c.* 2.

Quibus consonat illud Doctoris Angelici: "Ordines Sa„cri præexigunt sanctitatem: sed status Religionis est exer„citium quoddam ad sanctitatem consequendam: unde „pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per „sanctitatem desiccatis, sed pondus Religionis desiccat pa„rietes, id est, homines ab humore vitiorum. " 2. 2. *q.* 189. *a.* 1. *ad* 3.

VIII. Quaprópter SS. Patres, etiam in primo Religionis Monasticæ fervore, non omnes passim ad Ordines Sacros promovendos judicabant, sed *quos morum gravitas, & vita ac fidei institutio sancta commendat*, ut loquitur Siricius Papa Ep. 1. c. 13. Unde ad Aurelium scribit Augustinus: *Cum ex his qui in Monasteriis permanent, non tamen nisi* PROBATIORES *atque* MELIORES *ad Clerum assumere solamus.* Et sanctus Gregorius Candido Episcopo scribens ut de Monasteriis in sua Diœcesi positis cum consensu Abbatis aliquos accipiat in Presbyteros ordinandos, hoc monitum subjungit: "Sed illius præ omnibus estote solliciti, ut „vitam actusque eorum qui in hoc sunt officio constituen„di, *subtiliter debeatis inquirere*, & tunc eos, si digni fue„rint, ordinare. *Lib.* 5. *Epist.* 27.

IX. Cum ad Episcopum spectet Ordinandis manus imponere; atque juxta Apostolum si *manus* citò *imponat* ipse communicet peccatis alienis, quid mirum si ubique in Sacris Canonibus & Patribus prima examinis cura ipsi Episcopo imponatur & deferatur; utpote cujus præcipuè interest, ne indigni promoveantur. Hinc illud Innocentii III. in *Cap.* VENERABILEM ;; *De Electione*: "Est enim regulari„ter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio per„sonæ pertineat ad quem impositio manus spectat.

Ad hæc cum Episcopo totius populi cura & Diœcesis regimen primario incumbat, quid æquius aut justius, quàm ut Episcopus examinet ac inquirat in illos qui per sacram Ordinationem in Ministros & cooperatores Episcoporum assumendi sunt?

X. Unde si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, quod Archidiaconus Ordinandos examinet, nequaquam tamen excluditur Episcopus, ut etiam ab Archidiacono examinatos rursus de novo examinet, uti docet Glossographus ad *Cap.* ACCEPIMUS ;; *De Ætate & qualitate Ord.* verbo *Examinari.*

XI. Seculo præterito invaluerat in quibusdam Diœcesibus Provinciæ Coloniensis, ut in Scholasticos Cathedralium Ecclesiarum in aliis verò in Prælatos alios cura examinationis Ordinandorum relegata esset; iisque examinandi jus esset quæsitum, & majora quàm cæteris Canonicis stipendia ab Ecclesia decreta.

Verum plerique Scholastici, & illi penes quos erat examinandi potestas jura quidem sua tuebantur, nec tamen docebant juventutem nec examinabant: Officiumque & curas alias aliis, non multò melioribus examinatoribus interdum delegabant: quo fiebat, ut alio in alium hanc curam transferente aut nullæ aut perfunctoriæ & admodum frigidæ fierent examinationes Ordinandorum; uti deplorat Synodus Coloniensis anno 1549. titulo *De altero medio ad reformationem necessario cap.* 2. cui malo ut mederetur subjungit: "Quem defectum supplere cupientes & examen „ad sua principia, hoc est, ad Episcopos revocare, quibus ex „lege divina incumbit, nemini citò manus imponere, ma„tura deliberatione præhabita, declaramus, Episcopos „non debere ejuscemodi examinationibus (quando non „ignorant eas perfunctoriè factas) statim acquiescere, & „inquisitionis specie, quam ex reliquiis antiqui moris reti„nent, in altari cum rogant utrum sint digni, justi & sancti „putare se satisfecisse, atque ita inutiles & indignos homi„nes, nonnunquam etiam sceleratos, ab aliis fortè (quos „ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, Sacris „illis Ordinibus contra conscientiam propriam insignire. „Eaque de causa requirimus Provinciæ nostræ Episcopos „in Domino, ut vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, „vel curam illam imponant viris piis doctis, & de Ecclesiæ „profectu sollicitis, quorum diligentia sit eis explorata, nisi „certissimo experimento cognoverint Scholasticum, vel „eum ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui meritò „fidant, adhibuisse.

XII. Hic supponit Concilium, examen Ordinandorum propriè ac primariò ad Episcopum spectare; unde S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte* 3. *titulo De Examinandi ratione*, examinis initium fieri vetat, nisi præsentes adsint Episcopus vel Vicarius ipsius. Et in Synodo Mediolanensi IV. *parte* 2. *titulo Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis* "præscribit, ut id Episcopus, quantum sibi per oc„cupationes licet, maximè curet, ut cum experimentum „examenve de iis instituitur, qui *Ordinibus* præsertim ma„joribus initiandi, quique Ecclesiis Parochialibus præfi„ciendi sunt, ipse præsens in eo examine adsit.

XIII. Supponit insuper Concilium posse subinde aliquibus esse jus aliquod examinandi Ordinandos; quod & juri conforme est, nam de jure Archidiaconorum est, examini Ordinandorum interesse, uti supra *parte* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. *nu.* 14. & 15. ostensum est.

Bulla quoque erectionis novorum Episcopatuum in Belgio, vult, ex senioribus Graduatis Canonicis duo in Theologia, & unus in jure Canonico Graduati una cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines.

XIV. Ulterius Concilium Coloniense supponit, quod licet quibusdam specialiter imposita sit cura examinis, nihilominus penes Episcopum maneat auctoritas aliquos sibi coëxaminatores adsumere.

Hos verò examinatores præcipuè de gremio Cathedralis Ecclesiæ assumendos esse sat insinuavit jam pridem Concilium Nannatense *cap.* 11. apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* QUANDO, dum dixit, Examinatores à *Latere* suo eligere debere Episcopum. Qui enim *à Latere* Episcopi dicuntur nisi Canonici Ecclesiæ Cathedralis? Hi quoque Clerum & Senatum Ecclesiæ repræsentant; quare sicuti olim cautum fuit, ne Episcopus sine Clericorum suorum Concilio Clericos ordinet *Can.* EPISCOPUS *Dist.* 24. ità consentaneum apparet, ut potius Canonici Cathedrales, quam alii in Examinatores (cæteris paribus) assumantur.

XV. Non apparet nihilominus Episcopo adempta libertas assumendi Examinatores Ordinandorum, etiam non Canonicos Cathedrales. Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *De Reformat.* simpliciter dixit: "Episcopus autem sacer„dotibus & aliis prudentibus, peritis, divinæ legis, ac in Ec„clesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis Ordi„nandorum genus personam, ætatem, institutionem, mo„res, doctrinam, & fidem diligenter investiget & exami„net. "Nulla hic Canonicorum Cathedralium aut aliorum Clericorum aut sacerdotum specialis prærogativa quoad hoc examen insinuatur; sed arbitrio Episcoporum Examinatorum electio apparet esse concredita; & ità probat praxis hodierna Belgii.

XVI. De-

XVI. Dotes examinatorum à Synodo Tridentina expressæ etiam in Concilio Namnatensi loco citato occurrunt, volente ut Episcopus in Examinatores eligat Sacerdotes ex alio prudentes viros *guares divinæ legis & exercitatos in Ecclesiasticis functionibus.*

Et ante nos S. Gregorius scribit Adeodato Episcopo *lib.* 2. *Epist.* 48. "Si quando de his recipiendis (nempe ad SS. Ordines) tractari necesse est, *graves expertosque* viros consiliis vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate.

XVII. Monet autem universos Examinatores S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte* 3. *tit.* 2. "ut quicumque sint, noverint; sibi munus adeò grave committi, ut si negligenter, aut malè se ullo modo gesserint, Deo in primis culpæ in eo munere admissæ exactum rationem reddituri sint.

"Quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris sibi commissi curam gerant.

"Proposito sibi in primis timore Dei, ne quemquam, quem indignum nôrint, probent: rursus, quem experimento, periculove facto, idoneum dignumque comperiunt, ne rejiciant, itaque graviter, maturè, prudenter, rectèque tum de probando, tum de rejiciendo deliberent.

"Cum in locum convenerint, ubi moris est, clericorum experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à stata prece, orationeque congregationum usui præscripta, quam de libro pronuntiet, qui examini præsidet, initium faciant, hoc piè intimèque precantes, ut Dei ope in primis illud rectè, prudenter, divinæque voluntati congruenter conficiant.

XVIII. Examen hoc imprimis institui debet super vita & moribus ipsorum Ordinandorum, quemadmodum statuit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *De Reformat.* ut nimirum expendant, an tales sint Ordinandorum mores ut eorum *probata vita senectus sit*, uti loquitur Synodus Tridentina dicta sess. *cap.* 12. vel uti de Ordinandis in Presbyteros ait Synodus eadem sessione *cap.* 14. *Ità pietate ac castis moribus conspicui ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis possint exspectari*: vel uti loquitur Pontificale in Ordinatione Presbyterorum; *quod odor vitæ eorum sit delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est familiam Dei.*

An promovendorum in Diaconos ea sit vitæ integritas, ut spes sit, illos futuros tales, qui tanquam veri successores Ordinis Levitici, *Ecclesiam Dei velut Tabernaculum portare, & munire debeant ornatu sancto, prædicatu divino & exemplo perfecto*; uti ad Ordinandos Diaconos loquitur Pontifex ordinans.

Si promovendorum ad Subdiaconatum talis sit vita, ut de iis sperari queat, ut *si humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda sit ab iis aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati ad ornamentum altaris, & cultum divini Sacrificii redeant.*

XIX. Ut verò Episcopus de vita ac moribus ipsius Ordinandi facilius instruatur, vult Synodus Tridentina citata sessione *cap.* 5. ut "hi qui ad singulos majores Ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimùm transmittat.

Si juxta tenorem hujus Decreti, ordinandi mense uno ante Ordinationem se Episcopo sisterent, indubiè id plurimum conduceret, ut Episcopi se previè ante Ordinationem de moribus, atque capacitate, cæterisque Ordinandorum qualitatibus informare possent.

XX. Quod verò Synodus velit, nomina ac desideria eorum qui Ordinandi sunt per Parochum, aut alium cui Episcopus commiserit, publicè in Ecclesia proponi, id pristinæ disciplinæ conforme est. Jam pridem enim Patribus usitatum fuit, nomina promovendorum ad Ecclesiasticum Ministerium publicè populo proponere; eorumque testimonium de Ordinandorum vita ac conversatione exquirere, teste Cypriano epist. ad Clerum & plebes in Hispania; ubi docet, *Ordinationes non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. *Can.* 22. apud Gratianum *Dist.* 24. *Can.* 6. "Episcopus sine Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ità ut civium conniventiam, & *testimonium* quærat.

XXI. Patrum disciplinam hodiernum Pontificale in Presbyterorum Ordinatione exprimit his verbis: "Quoniam, fratres charissimi, rectori navis & navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra à Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita, & conversatione præsentandi, quod nonnunquam ignoratur à pluribus scitur à paucis, & necesse est, ut facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum si quidem Diaconorum, in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata & Deo placita existit, & digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de meritò sentiatis, libera voce pandatis; & his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

XXII. Verum cùm adverterent Patres Tridentini, hanc populi consultationem inter ipsa Ordinationis solemnia ex præscripto Pontificalis fieri solitam, tandem factam esse merè cæremonialem, aliam prævie ante Ordinationem fieri voluit publicè in Ecclesia. Unde Synodus Iprensis sub Rithovio *tit.* 18. *cap.* 6. postquam egit de inquisitionibus per hujusmodi publicam nominum in Ecclesia denuntiationem addit: "Quæ inquisitiones eo pertinere creduntur ut aptius juxta *Pontificalia* cohæreant, quæ de *testimonio populi*, in ordinibus, ex veteri consuetudine requiruntur.

XXIII. Hæc sat ostendunt, mentem Ecclesiæ in hac nominum proclamatione esse, ut omnes admoneantur, si quid contra Ordinandos notabile opponendum sciant, illud manifestent, atque ità de vita & conversatione, nec non reliquis ad Ordines requisitis necessaria & justa informatio haberi queat.

Neque illum Ecclesiæ scopum obscurè expressit Synodus Tridentina, dum satis insinuat, hanc nominum publicam in Ecclesia propositionem fieri, ut ipse de Ordinandorum natalibus, ætate, moribus ac vita diligenter à fide dignis inquirere valeat.

De hoc Ecclesiæ scopo non dubius S. Carolus, voluit, ut hæc nominum publicatio fieret à Parocho, ab eove cui Episcopus id negotii dederit, publicè die festo inter solemnia, in Ecclesia Cathedrali & Parochiali propria, & in illa quoque in cujus finibus postremo domicilium habuerit, & præterea ubi Episcopus censuerit.

XXIV. Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 3. vult, ut "fiant proclamationes promovendorum ad *singulos* Ordines majores juxta Decretum Concilii Tridentini, & qui de iis non docuerint, rejiciantur.

Syno-

Synodus P.I. Cameracensis *tit. De Ministeriis Eccles. cap.3.* similiter requirit, ut "Dominica die ante, sive per mensem ante Ordines futuros, aut prius Pastores Ecclesiarum „ *nominatim* denuntient populo eos, qui promoveri velint „ ad Sacros Ordines , ut liceat opponere, si quid vitii deprehendi possit, & hujus proclamationis factæ adferant „ testimonium ordinandi.

XXV. Fusius ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis *tit.9.cap.6.* "Curent autem, & ipsi, à Parocho loci domicilii sui, nomina sua ac desiderium, tribus diversis dominicis aut festis diebus, publicè in Ecclesia proponi , ubi, ad formam bannorum Matrimonialium, „ omnibus & singulis sub excommunicationis pœna mandetur, ut si quod noverint canonicum impedimentum, „ ob quod illi, à suscipiendis Ordinibus repelli, aut non „ admitti debeant, statim denuncient, sive illud malam & „ Ecclesiæ ministris indignam conversationem concernat, „ sive aliud quidlibet. Quibus legitimè peractis, curent „ etiam litteras testimoniales Parochi, hujusmodi inquisitionem & bannorum proclamationem factam continentes, quamprimum ad nos transmitti, cum declaratione, an „ aliquod impedimentum , ob quod ad sacros Ordines admitti non debeant, denunciatum sit, necne.

Similiter Rithovius Episcopus Iprensis in sua Synodo *tit.18.cap.5.* mandat, "nomina ac desideria Ordinandorum, „ *tribus distinctis* Dominicis, aut Festivis diebus publicè in „ Ecclesia proponi; " utque Parochus aut alius cui Episcopus commiserit, "omnibus & singulis (ad formam bannorum matrimonialium) sub pœna excommunicationis „ mandet ; ut si quod noverint Canonicum impedimentum, ob quod Ordinandi, à suscipiendis Ordinibus repelli debeant, statim denuntient.

XXVI. Et Synodus Leodiensis anno 1618. *tit.* 8. *cap.4.* præcipit, ut "Ordinandi teneantur Parochum suum ante „ adire, curentque, ut populo suo ad Missarum solemnia „ quodam die Dominico , vel festivo congregato, idipsum „ denuntiet, ut si quis sit, qui contra natalia, ætatem, vel *mores* ipsorum quid habeat, Pastori suo quam primum indicet: litterasque testimoniales ejusmodi publicationis factæ, & nullius impedimenti reperti secum deferat.

Post hæc exprimit illos qui Ordinari prohibentur, atque inter alios, "qui rudes & ignari sunt. " Qui lapsi sunt post „ Ordinem susceptum. Ebrietati, gulæ aut impudicitiæ de„ diti. Qui in adolescentia mæchati fuerint.

Hæc Synodus volens, ut ordinandi Parochum proprium adeant, curentque ipsi ut nomina sua per Parochum proponantur, hodiernam ferè praxim expressit. Neque enim solent hodie nomina Ordinandorum ab Episcopo ad Parochum mitti; imò frequenter ipsi Ordinandi usque ad extremos dies Ordinationem præcedentes planè ignoti sunt Episcopis, sed ipsimet Ordinandi nomina sua in scedula descripta publicè proponenda Parocho exhibere. Neque etiam Parochi testimoniales de inquisitione aut publicatione facta ad Episcopum mittere , sed Ordinandis simplex publicationis factæ testimonium dare solent; quod ipsi postmodum Episcopo exhibent, uti etiam dicta Synodus fieri vult.

XXVII. Dubium tamen non est, quin convenientius, & Decreto Concilii Tridentini conformius esset, ut Ordinandi uno ante Ordinationem mense Episcopum adirent , & nomina sua darent, ac tum Episcopus nomina ipsorum ad Parochum aliumve quem huic rei aptiorem novisset, publicanda mitteret, cum obligatione de vita ac moribus Ordinandorum diligenter inquirendi.

XXVIII. Hoc interim ex Synodis allegatis constat, scopum harum denuntiationum seu proclamationum esse, ut etiam populus de vita ac moribus Ordinandorum testimonium dare queat. Quare populus subinde monendus , ut liberè Parocho aliisve, quibus magis opportunum videbitur, pandat, si quæ vitia Ordinandorum noverit; ostendendo quantum malum populo & Ecclesiæ ex indignorum Ordinatione immineat; quodque forsan ipsis imputabitur, si vitia ex humana aliqua consideratione vel timore celantes, indonei aut vitiosi Ordinentur.

XXIX. Insuper occasione hujus publicationis nominum Ordinandorum, convenit, Parochus excitet populum, ut specialiter oret, quatenus Deus dignos mittat operarios in messem suam; & Ordinandis ministerium suum adimplendi gratiam infundere dignetur.

Hac de causa S. Carolus in suo Concilio Provinciali II. *tit.1. Decreto* 21. jussit, "ut Dominico die qui stata quatuor „ temporum jejunia, quibus Ordinis Sacramentum admi„ nistratur, antecedit, Parochi in sua unusquisque eorum „ Parochiali Ecclesia , supplicationes, litaniasque piè ac re„ ligiosè vel intus habeat , vel prosequente fidelium multi„ tudine foris Ecclesiam, sicut moris, obeat ; ut Dei, Sancto„ rumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, „ quibus Ordines conferet , Spiritus Sancti lumine illu„ stretur : tum illi quibus conferuntur , in vitæ sancti„ tate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant.

Et rursus ejusdem supplicationis indicandæ meminit in Concilio Mediolanensi IV. titulo *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis* , monetque iterum , populum ad orandum esse excitandum , atque preces publicas instituendas , "quibus unusquisque secum mente reputans, „ *quam pauci operarii in messe multa* sint , hoc Deum to„ to corde exoret , ut qui *Dominus est messis, ipse mittat* „ *operarios in messem suam*.... Quod ut eo nomine Deum „ populus supplex sæpius oret ; id illum singulis Domini„ cis diebus per mensem ante sacræ ordinationis tempus, „ crebra cohortatione Parochi intra Missarum solemnia „ præmoneant.

XXX. Adhæc meritò monebunt Parochi in promulgatione Jejuniorum *quatuor temporum* , ea potissimum instituta esse ab Ecclesia, ut hac pia corporis castigatione, & pœnitentiæ operibus, à Deo digni Ecclesiæ Ministri impetrentur; ideoque jam pridem in Ecclesia institutum , extra hæc jejuniorum tempora Ordinationes fieri non posse ; adeo ut contrariam consuetudinem tamquam abusum & corruptelam jam pridem reprobaverit Alexander III. scribens ad Episcopum Herfordiensem in *Cap.* SANE *ii De temporibus Ordinat.*

XXXI. Post hæc Synodus Tridentina *Sess.23. cap.7 De Reformat.* "Antiquorum Canonum vestigiis inhærendo, „ decernit , ut , quando Episcopus ordinationem facere „ disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere „ voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem , vel „ quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. E„ piscopus autem sacerdotibus & aliis prudentibus viris, „ peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exer„ citatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter „ investiget & examinet.

Hoc Decretum desumptum est ex Concilio Nannatensi in *Can.* QUANDO *Dist.24.* atque conformiter ad hoc Decretum, solent Ordinandi in feriam 4. aut 5. ante diem Ordinationis evocari ad civitatem Episcopalem , ut ibidem examen subeant ad præscriptum Concilii Tridentini. Quoad ætatem difficultas esse non solet ; hæc enim extracto ex Registro Baptismali facile probari potest.

XXXII. Circa institutionem, mores, cæterasque personales qualitates Ordinandorum major difficultas est ; hicque diligentior atque exactior requiritur investigatio atque circumspectio.

Imprimis eorum qui in Seminariis Episcopalibus educantur , si Episcopus eam quæ necessaria est, in visitando ac curando suo Seminario curam impendat (de qua infra titulo 11.) poterit aliqualem notitiam habere: multumque indubiè hic adjutorii habebit Episcopus, si eruditum, pium atque in disciplina Ecclesiastica exercitatum Seminarii sui Rectorem adeptus sit; qui convenientem de sanctitate atque morum integritate in Ordinandis requisitâ ideam habeat;

cujus

cujus testimonialibus litteris de moribus Ordinandi securè fidem adhibere queat.

XXXIII. At illorum qui vel in Academiis, aut parentum domibus hactenus habitarunt; atque ante hac Episcopo parum noti fuerunt, maxima sæpius oritur difficultas; ut de moribus vitæque integritate Episcopi sufficienter instruantur, ut securè ipsis manus imponere possint.

Neque enim similes alia solent adferre morum vitæque rectè actæ argumenta nisi vel Præsidum seu Rectorum suorum respectivè collegiorum, aut Parochorū testimonia; quibus hi testantur, Ordinandos esse tales quoad mores & vitam, ut eos ad Ordinem suscipiendum capaces judicent.

XXXIV. Verum quid ex his testimoniis securitatis ordinariè habere poterunt Episcopi, nisi apprimè noverint, Præsides aut Parochos esse tales, qui ejus sint eruditionis, prudentiæ & pietatis, ut meritò confidant, quod nulli hujusmodi testimoniales sint daturi, nisi iis quos sciunt, qualitates Ordinibus sacris necessarias habere?

Aliàs quis nescis, quàm fragile sæpe sit argumentum, quod hujusmodi litteris testimonialibus innititur?

Quis enim ausit negare, plures hodie juventuti formandæ in Collegiis Academicis præesse; itemque Parochos quamplurimos, qui aliam, eamque multo inferiorem ac viliorem, imò planè diversam de morum integritate vitæque sanctitate in Ordinatis requisitâ ideam habent ab illa, quam in Sacris Canonibus & Pontificali Ecclesia expressit?

Nonne plures videmus hujusmodi Juventutis magistros, omnibus passim ad Sacros Ordines litteras testimoniales annuere, modo annorum trium aut quatuor studium perfecerint; & saltem ab exterioribus gravioribusque criminibus se continuerint; parum attendentes, num ea sint vitæ morumque integritate, quæ Ministrum Ecclesiæ decent?

XXXV. Frequenter nec certius de Ordinandorum Regularium meritis & idoneitate ad Sacros Ordines requisitis, argumentum habebunt Episcopi ex testimonio Superiorum.

Quam multos enim videmus Monasteriorum, præsertim eorum, quæ ex Missarum honorariis victitare solent, Superiores, qui omnes passim, mox ut debitam ætatem attigerint, ad sacrum etiam Presbyteratus Ordinem mittunt, atque testimoniales litteras concedunt? cum tamen certum sit, nec ipsi dubitare possint, quin in omni communitate sint, qui non ità pietate ac castis moribus sunt conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis possint exspectari; quemadmodum in promovendis ad Presbyteratum requirit Synodus Trid. *Sess. 23. cap. 14. De Reformat.*

Certitudinem de idoneitate Ordinandorum ex testimonio hujusmodi nullam sibi formare potest Episcopus, nî credat, omnes in Monasteriis illis professos, ubi ætatem legitimam attigerunt, ea pietate & castis moribus esse conspicuos, ut Sacris initiari queant.

Hoc expendens Hallierius dicere non dubitavit: "Non „adeò superiorum Regularium fidei credendum est, ut „quos illi tanquam dignos obtulerint, absque ullo alio ex„amine, atque discussione ad Sacros Ordines Episcopi re„cipiant...... maximè cum notum sit, inquit, totius Mona„sterii interesse, ut quam plurimos Ordinibus Sacris initia„tos habeat; & facilè probi etiam & boni insita hominibus „omnibus cupiditate Ordinis sui gloriam promovendi, „qua Regulares præ cæteris maximè flagrant, quod Ordi„nis sui amplificationem & ornamentum ad Dei gloriam „& Ecclesiæ utilitatem spectare præsertim arbitrentur) „facilè inquam, hac cupiditate ducti abripiantur, ut levius „de suis censeant, quam par sit, & in pondere, & pondere „judicent suorum industriam, ac dotes magnificè; Sacerdo„tii, & reliquorum Ordinum Ecclesiasticorum dignitatem „tenuiter æstiment." De SS. Ordinat. *in append. ad* *art.* 1. §. 3.

XXXVI. Hæc satis probant, quam leviter procedant Episcopi; quantoque periculo quasi ultro se exponant, manus citò aliquibus imponendi, & communicandi peccatis alienis, qui nulla prævia de Ordinandis, eorumque Superioribus & Præfectis inquisitione, omnes, quantum ad mores vitæque integritatem & castitatem, tanquam sat probatos admittunt, qui qualecumque suorum Superiorum & Præfectorum testimonium adtuerunt; tametsi sciant, aut facilè scire possint, quam hi faciles sint in dandis hujusmodi testimoniis.

XXXVII. Examen verò Ordinandorum coram Episcopo circa scientiam ferè unicè institui solet: idque non rarò sat perfunctoriè, propositis per Examinatores quæstionibus nonnullis sterilibus ac speculativis, v. g. quot sint filiæ superbiæ; quot partes potentiales temperantiæ, aliisque similibus; quem examinandi modum pro merito exagitat eruditus auctor notarum in *Epistolam 25. lib. 13.* S. Gregorii *Nota 4.* additque, "Censerem primò quidem inquiren„dum esse de moribus, tum de prudentia, de sensu com„muni, an sciendi modum habeant, an lectioni Scriptura„rum Sacrarum vacent, quodnam sit eorum Canonum „studium, an sint & doceri & docere habiles.

Hic examinandi modus si conferatur cum his quæ in Concil. Mediol. V *parte 2. titulo de examinandi ratione* à S. Carolo traduntur, apparebit, examinandi rationem ibidem præscriptam, non esse à modo examinandi jam descripto multùm diversam; atque inter alia vult de omni Ordinando inquiri; an in orationis sanctæ studio sit usque versatus. Quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret. Qui orationis modus. Qui illius fructus, quæve utilitates. Quot quibusve partibus illa constet. Quæ regulæ præparationis ad orationem.

XXXVIII. Deinde in examine Ordinandorum in Presbyteros inter cætera hæc sigillatim studiosè perquiri voluit; An piè & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint. An spectata pietate, atque castis moribus. An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eo expectari possint.

Post hæc nonnullis inquirendis circa Sacrificium Missæ propositis subjungit. "Cùm verò à cæteris omnibus ut præ„scriptum paulò ante est, qui Clericali militiæ adscriban„tur, de vitæ spiritualis sanctioritque institutis, atque ex„ercitationibus perquiratur, tum maximè ab iis, qui vel „Sacerdotio initiantur..... A quibus omnibus & singulis, „cùm ad examen veniunt, præter cætera quæ ad sanctæ spi„ritualis vitæ usum pertinent, ea maximè explorentur, quæ „de orandi modo, deque omni sanctarum meditationum „cœlestiumque contemplationum exercitatione ab aliis, „qui in eo genere religiosè se exercuerunt, tradita „sunt.

"XXXIX. Ut autem Examinatores certam sibi formu„lam proponant (inquit) qua illorum qui examinantur & „litterarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei „Ecclesiasticæ peritiam experiantur, in omni experimenti, „examinisve ratione, sacris Bibliis, Catechismo Romano „in primis, Concilio Tridentino, sacrorum Canonum De„cretis, & aliis Pontificiis Constitutionibus, Synodisque „tum Provincialibus, tum Diœcesanis utantur, unde suas „interrogationes hauriant, quibus, prout est illorum inge„nii captus, explorent eorumdem & scientiam & Ecclesia„sticarum rerum notitiam atque usum.

Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 7. De Refor.* requirens ab Episcopo, assumendos in Examinatores, Viros *prudentes, peritos divinæ legis; ac in Ecclesiasticis functionibus exercitatos*, nonne sat insinuat, in hisce præcipuè examen Ordinandorum instituendum?

XL. Interim ex hactenus dictis non difficulter intelligitur, quàm parum juvare possit examen unius mediæ aut etiam integræ horæ, ut plena ac conveniens de Ordinandorum capacitate & idoneitate hauriatur notitia; quamque temerè ad Ordinationem vi hujusmodi examinis procedant,

cedatur, nisi Episcopus jam prævie circa Ordinandos se informaverit; aut saltem eam habeat securitatem de Præfectis ac directoribus Ordinandorum, ut merito horum testimoniis deferre queat.

XLI. Ut autem se ad Sacros Ordines melius præparent, magnaque discretione se astringant, voluit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *parte 2. tit.* 8. "Subdiaconatum „ suscepturus, quo diligentius vitæ perpendat rationem, „ cui se, illum suscipiendo, sanctè obstringit; ac proinde „ de re tota accuratius deliberata, puriori mente ardentio„ rique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, „ priusquam eo Sacro Ordine initietur, ad aliquem semo„ tum locum adeat, ubi ab omnibus curis & occupationi„ bus liber, cum omnis ante actæ vitæ suæ diligenti con„ scientiæ discussione peccata ritè confiteatur: tum in salu„ taribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercita„ tionibus totus versetur, duce & moderatore sibi adhibi„ to, religioso viro, earum usu perito, quem Episcopus in „ primis probarit.

"In illis autem, vel mense, vel longiori, breviorive tem„ pore persistat, prout de moderatoris consilio Episcopus „ expedire censuerit. Quas item exercitationes, eodem præ„ scripto, & modo, eo tempore Diaconi, cum ad Sacerdotii „ gradum accessuri sunt, piè ineant ac præstent.

Hæc spiritualia exercitia plures Synodi Belgicæ etiam præscribunt; & signanter Synodus Namurcensis anno 1659. *tit.* 8. *cap.* 5. decernit: "Ante quemlibet Ordinem majorem „ quilibet Ordinandus in loco aliquo à secularibus remoto „ per novem dies continuos exercitiis spiritualibus se fide„ liter probet, ibique ante actæ vitæ exomologesim faciat, „ & per sacras meditationes, & pias orationes Dei volunta„ tem exquirat, & ad Sacrum Ordinem suscipiendum se „ præparet.

Sed quia illa pietatis exercitia multum dependent à pietate & prudentia Directoris, hinc merito addidit S. Carolus, ut agantur sub Directore, *quem Episcopus in primis probarit.*

CAPUT V.
De Ordinum Interstitiis.

1. *Ordinum interstitia olim nota.*
2. *Adhibita ut Ordinandi probarentur.*
3. *Varia circa moram temporis, quæ intercedere debebat, Ecclesiarum disciplina.*
4. *Antiquitus etiam necessaria erant inter Minores Ordines.*
5. *Ordines etiam Minores non conferebantur, nisi illi qui* Actualiter *functiones erat peracturus; nec duo eidem simul conferri poterant.*
6. *Interdum quis omisso Ordine Minore suscipiebat Majorem; nec tamen* per saltum *promotus censebatur.*
7. *Hodie Ordines Minores requiruntur ante Majores, non tantum ad probationem; sed quasi integritatem Ordinis.*
8. *Ordines Minores hodie conferuntur, licet Ordinatus numquam functionibus illorum sit applicandus.*
9. *Si quis Ordine Minore omisso ad Majorem sit promotus dicitur promotus* per saltum; *& debet omissus suppleri.*
10. *Optat quoque hodie Ecclesia ut Ordinati incumbant aliquo tempore Minoribus Ordinibus, priusquam ad Majores promoveantur.*
11. *Inter Sacros Ordines requiritur interstitium unius anni.*
12. *Annus non intelligitur Civilis, sed Ecclesiasticus.*
13. *Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt dispensare.*
14. *Episcopus Ordinandus vigore Dimissorialium non potest dispensare.*
15. *In hac dispensatione præcipuè attendendum, num Ordinandi sint sufficienter probati.*
16. *Quomodo in pluribus hodie dispensationi ratio obtineat.*
17. *Duo Sacri Ordines nec ex dispensatione Episcopi uni eodem die conferri possunt.*
18. *Ordines Sacri extra statuta tempora, nec dispensante Episcopo, conferendi.*
19. *Corollarium ex præcedentibus.*

I. ANtiqua Ecclesiæ lex est, ut uno inferiore Ordine suscepto aliqua temporis mora interponatur, priusquam ad ulteriorem ascendatur; neque è laico mox ad supremum Sacerdotii gradum quis sublimetur sed gradatim à minore ad majorem ascendat.

II. Unde in Concilio Sardicensi *Can.* 10. Hosius quo"que Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, „ ut cum omni cura & omni diligentia examinetur; ut si „ quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri „ dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris „ & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit: ut in „ unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episco„ patus fastigium per progessionem possit ascendere. Ha„ bebit autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi „ scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & mo„ rum probitas, & constantia & moderatio possit cognosci: „ & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum „ honorem assequetur.

Hæc temporum intervalla quibus in inferioribus Officiis est sistendum, antequam ad superiores ascendatur, posterior ætas Ordinum *interstitia* nuncupavit.

III. Circa moram temporis quæ inter hæc temporum intervalla intercedere debet, licet non eadem semper & una fuerit omnium Ecclesiarum disciplina, illam nihilominus quæ ab Ecclesia præscripta erat, religiosè servandam esse, tam Pontifices, quam Concilia frequenter sanxerunt quorum plura Decreta referuntur apud Gratianum *Distinct.* 77.

IV. Nec tantùm inter Sacros sive Majores, sed & minores Ordines, hæc temporum intervalla religiosè servabantur; uti ex relatis Decretis apud Gratianum videri potest; imò ipsa quodammodo temporis illius disciplina aliud fieri vix permittere poterat.

V. Pristinis enim illis seculis, nemo etiam minore Ordine initiabatur, nisi ut illius functiones *actualiter* exercet, & tamquam Ostiarius v. g. aut Acolytus Ecclesiæ ministraret. Et cùm singulorum Ordinum essent diversæ functiones, nemo eodem tempore duobus initiabatur; quia inconveniens visum fuisset, duobus ordinibus aliquem insignire, qui non nisi unius Ordinibus functionibus esset applicandus.

VI. Quare ea erat uniformis omnium Ecclesiarum praxis, eaque multis seculis invariata, quod Ordinum etiam Minorum collatio eum dumtaxat in finem fieret ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur; si verò judicaretur aliquem altiorem Ordinem mereri, nec in Minore esse probandum, Minor Ordo omittebatur; eodem omisso ad majorem promovebatur; neque taliter promotus dicebatur *per saltum* promotus; aut Ordo omissus priusquam in superiore Ordine suscepto ministrare posset, suppleri debebat; quemadmodum latè & solidè probat Morinus *De SS. Ordinationibus parte* 3. *Exercit* 11. *cap.* 2.

VII. At recentior ac moderna disciplina, Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur & insistat; sed insuper ut necessario prærequisitos ad majorem; ità ut Ordini superiori aliquid quasi deesse videretur nisi omisso inferiore esset collatus.

VIII. Hinc si etiam Ecclesiæ necessitas aut utilitas postulet, ut quis simplex Clericus repentè ad Sacerdotium promoveatur;

moveatur; sciaturque, illum numquam inferiorum Ordinum functionibus applicandum, nihilominus omnibus inferioribus Ordinibus erit initiandus, quantumvis eodem die, antequam Sacerdotio initiari queat.

IX. Et quidem si vel uno omisso promoveretur, *per saltum* promotus censeretur; atque de hujusmodi promotis agitur suo titulo Decretalium *De Clerico per saltum promoto*, & in Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 14. De Reformat.* ubi dicitur: "Cum promotus *per saltum* si non ministraverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare": nimirùm ut in Ordine suscepto ministret, postquam Ordinem omissum susceperit; uti colligitur ex *Cap. Unico* ;; *De Clerico per saltum promoto*.

X. Verum tametsi hodierna disciplina collationem inferiorum Ordinum prærequirat tamquam partes quodammodo integrales Ordinis superioris, nihilominus etiamnum hodie optat Ecclesia, ut ordinibus illis insigniantur qui functionibus Ordinum illorum incumbant; atque certo tempore in illis probentur, priusquam ad altiores assumantur.

Quid Synodus Tridentina, ac Synodi Belgicæ de *interstitiis* inter Minores Ordines servandis dixerint, sufficienter expositum est suprà *parte 1. tit. 1. cap. 2.* quare hic duntaxat de *interstitiis* servandis inter Sacros Ordines dicendum.

XI. Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 13. De Reformat.* ait: "Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si *per annum* saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permittantur.

Et *cap. 14.* agens de assumendis ad Ordinem Presbyteratus ait: "Et hi sunt qui non modò in Diaconatu ad minus per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac necessitatem aliud Episcopo videatur, ministraverint &c.

Itaque ex dispositione Concilii Tridentini, cui praxis hodierna Ecclesiæ est conformis, inter Sacros Ordines requiritur ut minus unius integri anni interstitium.

XII. Annus hic non intelligitur civilis constans integris duodecim mensibus; sed Ecclesiasticus, verb. gr. à vigilia Paschæ hujus anni usque ad vigiliam Paschæ anni sequentis; tametsi contingeret, ob mobilitatem festi Paschalis, nondum duodecim integros menses à susceptione ultimi Ordinis Sacri effluxisse: quemadmodum communiter tenent Canonistæ, uti videre est apud Barbosam De Potestate Episcopi *parte 2. Allegat. 14. num. 2.* & notoria praxis comprobat.

XIII. Tribuit autem Synodus Episcopis potestatem dispensandi super his interstitiis, modo id utilitas Ecclesiæ suæ dispensationem postulent.

Hanc eamdem potestatem esse penes Capitulum Sede Vacante; eo quod in jurisdictionem Episcopi succedat; & hæc dispensandi auctoritas jurisdictionis Episcopalis esse censeatur; uti & in Vicarium Capituli, observat Barbosa loco citato *num. 6.* & quotidiana praxis ostendit.

XIV. Episcopus autem cui vigore litterarum dimissorialium facta est potestas aliquem sibi non subditum ordinandi, illum ordinare nequit non observatis interstitiis, nisi proprius Episcopus dispensaverit, & in litteris dimissorialibus id expresserit. Hic enim Episcopus cum tantum possit in hunc non suum subditum potestatem exercere vigore litterarum Dimissorialium, tenetur ejus tenorem observare, nec quidquam sibi arrogare potestatis ultra illam quæ litteris expressa est.

XV. Porro quia hæc *interstitia* jam pridem, uti & hodie præscripta sunt, ut Ordinandi in functionibus inferiorum Ordinum probentur, atque ex eorum rectà administratione pateat, num ad altiorem gradum promoveri mereantur, juxta illud Apostoli de Diaconis: *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, præcipuè hic attendendum erit Episcopis, num promovendi ad Sacros Ordines sint sufficienter probati.

XVI. Quid enim si per plures annos in Seminariis aut Collegiis Academicis fuerint versati; seseque idoneos ad Sacros Ordines etiam Presbyteratus multis argumentis probaverint, tametsi vel ob defectum tituli, vel aliam rationabilem causam, suscipere Ordines sacros distulerint, cum his indubie facilius Episcopi dispensare poterunt: eò quod finis interstitiorum jam haberi supponatur. Accedit, quod cum hodie Subdiaconatus functiones ad solam publicam in Missa solemni Epistolæ decantationem, & Diaconatus ad Evangelii decantationem penè sint redactæ, nulla aut admodum exigua hodie haberi potest probatio capacitatis seu idoneitatis pro Ordinibus Superioribus ex functionibus Subdiaconatus vel Diaconatus, quæ non eadem à Clericis aut Theologis in Seminariis Episcopalibus vel Collegiis Academicis studentibus, & nondum hisce Ordinibus insignitis, haberi queat.

Igitur præcipua cura Episcoporum in conferendis Ordinibus, & in dispensando super interstitiis esse debet, ut intelligant, an Ordinandi satis sint ipsis quocumque modo Probati, ut securè eis manus imponere possint.

XVII. Dispensatio Episcopalis super interstitiis non eo usque tamen se extendere potest, ut nullum inter Ordinem sacrum jam susceptum & suscipiendum temporis intervallum intercedat, eodemque die plures conferantur: quia Synodus Tridentina citato *cap. 13* expresse decernit: "Duo Sacri Ordines *non eodem die*, etiam Regularibus conferantur: privilegiis ac indultis quibusvis concessis, non obstantibus quibuscumque.

XVIII. Adhæc "ad Subdiaconatum, nisi in quatuor temporibus, aut Sabbato sancto, vel Sabbato ante Dominicam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano, licet aliquem ordinare, "*cap. 3.* ;; *De Temporibus Ordinat.* Quod de Subdiaconatu dicitur in hac Decretali, id generaliter de sacris Ordinibus asseritur in *Cap. 3.* ;; *eod.*

XIX. Itaque cum Episcopus extra statuta hæc tempora Ordines sacros conferre nequeat, ac insuper vetitum sit, eodem die duos Sacros Ordines dare, consequens est, quod non obstante Episcopi dispensatione, debeat is qui uno die horum temporum Ordinatus est, exspectare alterum proximum tempus Ordinationum, ut ulteriorem suscipere possit.

Hinc moris est, ut recurrant ad Sedem Apostolicam pro speciali dispensatione, qui vel extra statuta tempora Ordinationum ordinari volunt, vel uno eodemque die plures Sacros Ordines suscipere intendunt.

CAPUT VI.

De Titulo Ordinationis.

1. *Ecclesia, cui in ordinatione Clericus adscribebatur olim dicebatur ejus* Titulus.
2. *Titulum mutare non poterant.*
3. *Ordinari sine* Titulo, *erat ordinari sine adscriptione alicui Ecclesiæ.*
4. *Ordinari ad* Titulum, *& ad certam Ecclesiam olim coincidebant.*
5. *Titulus ordinationis olim publicè coram populo denuntiabatur.*
6. *Disciplina hæc nullum alium* Titulum *agnoscens duravit usque ad seculum 12.*
7. *Concilium Lateranense loquens de* Titulo, *aliquam patrimonii mentionem primum fecit.*
8. *Concilium Lateranense pristinam disciplinam labefactare non intendit.*
9. *Occasio recedendi à pristina disciplina ex Decreto Concilii Lateranensis sumpta.*
10. *Verisimile dictum Decretum Titulo patrimoniali initium dedisse.*

„litteras proprii Episcopi tam Originis, quàm Domicilii super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easque Episcopo ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. Licèt verò Clericus ratione cujusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subjici dicatur jurisdictioni illius Episcopi, in cujus Diœcesi Beneficium hujusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo ejusmodi subjectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum ejus sit reditus, ut ad congruam vitæ sustentationem sive juxta Taxam Synodalem, sive, ea deficiente, juxta morem Regionis pro promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè possideatur, sublatâ quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus ejusdem Beneficii cum adjectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seu alia quavis Diœcesi obtineret, ac Episcopus sic Ordinans tam de prædictis testimonialibus litteris, quàm de reditu beneficii hujusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. Cæterùm Subditus ratione Originis is tantùm sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodo tamen ibi natus non fuerit ex accedenti, occasione nimirum itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cujusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ ejus Patris in illo loco, quo casu nullatenus ejusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accedenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem Canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario ejus loci litteras Testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi ejus filius natus est, tamdiu, ac eo animo permanserit, ut inibi verè Domicilium de Jure contraxerit, tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione ejusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is duntaxat censeatur qui, licèt alibi natus fuerit, illud tamen adeò stabiliter constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltem in eo habitando, vel majorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis Ædibus in locum hujusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulteriùs utroque casu se verè & realiter animum hujusmodi habere jurejurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, quâ potuerit alicui Canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra afferre debebit, ac de illis expressâ similiter mentio in susceptorum Ordinum Litteris facienda erit.

CAPUT III.

De Litteris Dimissorialibus.

1. *Quæ essent apud Veteres Litteræ Dimissoriales?*
2. *Harum Litterarum mentio occurrit in antiquis Canonibus; sed alio sensu, quàm hodie accipiuntur.*
3. *Litteræ Dimissoriales hodie dantur, ut quis ab* alieno *Episcopo ordinetur.*
4. *Dare Litteras Dimissoriales propriè ad Episcopos pertinet.*
5. *Olim quibusdam inferioribus Prælatis facultas dandi Dimissoriales competiit.*
6. *Synodus Tridentina hanc facultatem sustulit.*
7. *Decretum S. Congregationis conforme.*
8. *Auctoritas dandi Dimissoriales competens Capitulo Sede vacante per Synodum Trid. restricta.*
9. *Pœna in contravenientes decreta.*
10. *Episcopus* confirmatus *non consecratus potest dare Dimissoriales; & Archiepiscopus ante receptionem* Pallii.
11. *Facultas hæc ab Episcopis delegari potest.*
12. *Synodus Trid. desiderat, ut Episcopi* per se *ordines conferant.*
13. *Jure communi in littéris dimissorialibus exprimenda causa ob quam Episcopus non ordinet; sed hodie non observatur.*
14. *Non est conveniens ut Episcopus passim suos aliò mittat.*
15. *Synodus Tridentina non vult dari Dimissoriales nisi* jam probatis.
16. *Synodi posteriores idem inculcant.*
17. *Justitia horum Decretorum.*
18. *Interdum examen aliis delegandum; & quæ cautio à S. Carolo hic adhibita.*
19. *Studentium in Academia examen sæpe aliis committitur; & quid hic præcipuè attendendum.*
20. *Synodus Trid. videtur ultra examen Ordinarii etiam requirere examen* alieni *ordinantis vigore Dimissorialium.*
21. *Idque in aliquibus Diœcesibus observatur.*
22. *Sacra Congregatio declaravit, id esse arbitrarium.*
23. *In Belgio non solet secundum examen institui.*
24. *Meritò attendunt Episcopi à quo Dimissoriales concessæ sint.*
25. *Sanctus Carolus noluit sine necessitate dimissoriales dari.*
26. *Noluit eas dari nisi pro Ordinibus unâ ordinatione recipiendis.*
27. *Voluit in iisdem præscribi tempus intra quod Ordines sint suscipiendi.*
28. *Dimissoriales ad tempus vel certos Ordines restrictæ quando exspirent?*
29. *Litteræ Dimissoriales per mortem Episcopi non exspirant.*
30. *Concessæ à Capitulo Sede Vacante aut Vicario durant etiam extinctâ horum potestate.*
31. *Poterit novus Episcopus Litteras Dimissoriales à Capitulo datas revocare.*

I. Litterarum *Dimissorialium* sive *Dimissoriarum* frequens est etiam apud Veteres mentio; sed alio nonnihil sensu, quàm hodie accipiuntur.

Antiquitùs enim ferè ejusmodi litteræ non dabantur, nisi Clericis qui ad aliam Ecclesiam mittebantur non reversuri.

Cùm enim secundùm disciplinam illius temporis, Clerici omnes vi suæ ordinationis adstringerentur certæ Ecclesiæ, à qua sinè consensu Episcopi recedere non poterant; si Clericus ad aliam Ecclesiam transire vellet; petebat ab Episcopo *dimissionem*; si Episcopus consentiebat, expediebantur litteræ, quibus significabatur, quòd Episcopus hunc Clericum à vinculo, quo Ecclesiæ suæ tenebatur, absolveret, atque à se *dimitteret*; alterique Episcopo eum cederet; jusque omne quod in eum habebat in alterum transferret: atque hæ propriè dicebantur Litteræ *Dimissoria*, à verbo latino *dimittere*.

II. Hoc sensu Litteræ *Dimissoria* accipiuntur à Concilio Carthaginensi I. *Can.* 5. litteras has ideo solùm requirens, ne alienus Episcopus alterius Clericum usurpet; id est, suæ Ecclesiæ adscribat, & alteri eripiat. Et in Synodo Trullana *Can.* 17. decernitur ut " nullus omnino Clericus in quocumque sit gradu, potestatem habeat sine proprii Episcopi scripta *dimissoria* in alienæ Ecclesiæ *catalogum* referri.

His

Digitized by Google

Hic *dimissoria* requiritur, non ut Clericus ab alio Episcopo simpliciter ordinetur; sed ut in alienæ Ecclesiæ catalogum referatur; quod fieri mores illorum temporum non permittebant, nisi ab Ecclesia cui prius fuerat adscriptus *dimitteretur*; quod fiebat mediante *dimissoria*.

III. Hodie verò vulgari nomine litteræ *dimissoria* sive *dimissoriales* vocantur, quibus Clerici non absolutè suis Ecclesiis dimittuntur; sed quibus ad alienum Episcopum, Ordinum suscipiendorum causâ duntaxat *dimittuntur*; seu quibus facultas fit alicui à *non suo* Episcopo Ordines suscipiendi; ità ut Episcopus in eum Clericum pristinum jus & auctoritatem sibi retineat; nec à se *dimittat* nisi ad hunc solum effectum, ut ab *alieno* Episcopo, Ordinem in litteris expressum suscipiat.

IV. Sicuti autem Episcopi sunt Ordinarii Ordinum Ministri, atque ad ipsos *propriè* spectat Ministrorum Ordinatio & electio, ità quoque semper ad Episcopos primariò spectavit, & hodie spectat dimissoriales litteras dare.

"Inferiores Prælati, Religiosi vel alii, nisi eis quod suos „Clericos, aut subditos, possint à quo voluerint, Episcopo „facere ordinari, à Sede Apostolica *specialiter* sit indultum, „vel Officiales Episcopi (cum ad hoc se ipsius officium non „extendat) hujusmodi nequeunt licentiam impartiri." *Cap.3. de Temporib. Ordinat. in VI.*

Hic supponit Pontifex, Episcopis jure ordinario competere facultatem dandi litteras *dimissoriales*; inferioribus verò non nisi ex speciali Sedis Apostolicæ indulto; quemadmodum etiam indicitur in *Cap.8.* ꝟ. *De Officio Archid.* ubi mandatur Episcopo, ut "interdicat Archidiacono suo, ne „sine conscientia sua & auctoritate litteras suas promovendis concedat Clericis.

Ad quæ reflectens Glossographus ait: "Et ità patet, quod „Archidiaconus non potest dare commendatitias ad Ordines suscipiendos, sed solus Episcopus.

V. Subjicit tamen Glossographus hanc exceptionem, "Si Episcopus absens esset extra Parochiam suam & neces„sitas vel utilitas Ordinandorum immineret, tunc posset „illos præsentare aliis Episcopis per quos ordinentur: quia „absente Episcopo supplet vices; sic & Archipresbyteri; & „hoc intelligo (ait) si Archidiaconus habet hoc *De Consue„tudine* aliàs non, nisi haberet *speciale* mandatum.

Ex his quoque non obscurum est, olim nonnullis inferioribus Prælatis, ut Archidiaconis, Archipresbyteris, vel Abbatibus, sive per Indultum, sive per consuetudinem facultatem hanc fuisse communicatam.

VI. Verùm Concilium Tridentinum *Sess.23. cap.10. De Reformat.* postquam interdixit Abbatibus, ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis, cuiquam qui *Regularis subditus* sibi non sit, Tonsuram vel Minores Ordines conferre, subdit: "Nec ipsi Abbates & alii exempti & Collegia „vel Capitula quæcumque etiam Ecclesiarum Cathedra„lium Litteras dimissorias aliquibus Clericis secularibus, ut „ab aliis ordinentur concedant, sed horum omnium ordi„natio, servatis omnibus quæ in hujus sanctæ Synodi De„cretis continentur, ad Episcopos intra quorum Diœcesis „fines existant, pertineat: non obstantibus quibusvis privi„legiis, perscriptionibus aut consuetudinibus, etiam imme„morabilibus.

Hoc Decreto auctoritatem dandi dimissoriales competentem Prælatis inferioribus, vel ex privilegio vel consuetudine vel præscriptione esse revocatam, nequaquam obscurum est.

VII. Unde cùm Capitulum Antverpiense obtinuisset privilegium à Leone X. quo dabatur facultas dandi *dimissoriales* de promovendo etiam extra tempora; eaque auctoritate, non obstante Decreto Concilii Tridentini uti vellet Capitulum, quæstione per Episcopum Romam delatâ, & S. Congregationi proposita, rescriptum est ad Episcopum, Sacram Congregationem censuisse, "Facultatem conce„dendi *Dimissorias* litteras Capitulo ademptam esse De„creto *cap.10. Sess.23.* "Litteræ extant apud Zypæum in Jure novo *tit. De Officio Ordinarii num.20.*

VIII. Quia Sede vacante Capitulum succedit in jurisdictionem Episcopalem, jam olim obtinuit, ut Capitulo Sede vacante Dimissorias ad suscipiendos Sacros Ordines statim à morte Episcopi dare posset; at Synodus Tridentina per Decretum sub Paulo III. editum *Sess. 7. cap. 10. De Reformat.* hanc capituli auctoritatem aliquatenus restrinxit, uti supra *parte 1. tit.9. cap.2.* notavi.

IX. Ulterius pœnam interdicti Capitulo, si Decreto contraveniat, comminatur: & insuper ut "ordinati, si in Mi„noribus Ordinibus constituti fuerint, nullo privilegio „Clericali, præsertim in criminalibus, gaudeant; in majori„bus verò, ab executione Ordinum, ad beneplacitum futu„ri Prælati, sint ipso jure suspensi.

Hanc pœnam Synodus *Sess.23. cap.10. De Reformat.* „Ad illos qui easdem litteras non à Capitulo, sed ab aliis „quibusvis, in jurisdictione Episcopi loco Capituli, Sede „vacante, succedentibus, obtinerent contra Decretum sub „Paulo III. mandat extendi. Concedentes autem Dimisso„rias contra formam Decreti, ab officio & beneficio per „annum sint ipso jure suspensi.

X. Cæterum, quia concessio Dimissorialium ad Ordines suscipiendos non ad ea quæ Ordinis Episcopalis sunt, sed ad ea quæ jurisdictionis sunt, pertinet; nemo ambigit, quin Episcopus electus & confirmatus, licet nondum consecratus Dimissorias dare queat; eo quod post confirmationem, etiam ante consecrationem Episcopus exerceat omnia quæ sunt jurisdictionis, quemadmodum *part 1. tit.14. cap.5.* ostensum est. Idem esto judicium de Archiepiscopo ante acceptum *Pallium* Archiepiscopale, sine quo Ordines conferre nequit, licet quæ jurisdictionis sunt exercere valeat; uti similiter *parte 1. tit. 19. cap.5.* probatum est.

XI. Eadem ratione facultas dandi *Dimissorias* Vicariis seu Officialibus Episcoporum competere potest, modo Episcopi eam specialiter ipsis delegaverint. Hanc auctoritatem in Provincia Coloniensi seculo præterito competiisse Officialibus supposuit Synodus Coloniensis anno 1536. *parte 1. cap.29.* prohibens. "Ne Officiales Litteras *Dimisso„rias*, quæ vulgò *Licentiatoria* Ordinandi vocantur, alicui „temerè concedant: illarum enim prætextu, qui suæ ru„ditatis & inscitiæ sibi conscii sunt, nostrorum Vicario„rum in Pontificialibus disquisitionem subterfugiunt, ac „alio migrant, ubi nullus canonicæ traditionis respectus habetur.

Idipsum supposuit Synodus Moguntina anno 1579. *cap. 14.* dicens: "Commissariis nostris seriò inhibemus, ne im„posterum alicui Litteras Dimissorias sine magna & neces„saria causa, quam bene exploratam habere debent, conce„dant.

Profectò cùm à certa ac Canonica Ministrorum electione & sublimatione præcipuè rectum Ecclesiæ regimen & populi salus dependeat, Episcopi summa circumspectione in ea procedere debent, neque temerè aut facilè aliis Ordinationem suorum ministrorum credere.

XII. Et quidem Synodus Tridentina *Sess.23. cap.3. De Reformat.* vult, ut "Episcopi per *semetipsos* Ordines con„ferant: quod si ægritudine fuerint impediti, subditos suos „non aliter, quam jam probatos, ad alium Episcopum or„dinandos dimittant.

Quamvis Synodus non exprimat nisi causam *ægritudinis* ob quam suo ad alium Episcopum mittere queat, nequaquam tamen aliæ graves & necessariæ causæ exclusæ censentur, quibus legitimè præpeditus Episcopus, ad alium Episcopum Ordinandos dimittat; quemadmodum expressit Concilium Mediolanense III. sub S. Carolo tit. *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis.*

XIII. Et quidem Clemens IV. in *Cap.3. De temporibus Ordinat. in 6.* non vult aliquem Ultra-Montanum ab Episcopo Italo ordinari nisi in Litteris Dimissoriis *causa legitima* contineatur, quare illum Episcopus *originis* nolit aut nequeat ordinare.

Unde jam pridem creditum fuit, & S. Carolus observavit, quod in Litteris *Dimissoriis* deberet exprimi causa ob quam Episcopus *proprius* ordinare nequeat aut nolit; quod tamen nec in Gallia nec in Belgio observatur, uti advertit Rebuffus in *Praxi Benef.* titulo *De formula Dimissoriarum num.* 28.

XIV. Interim ex Decreto Synodi Tridentinæ sat intelligitur, mentem Ecclesiæ nequaquam esse, ut Episcopi passim suorum subditorum ordinationes aliis committant, quasi rem ipsis nimis molestam, aut nimis vilem; quod planè à pristinis ac Sanctis Episcopis remotissimum fuisse, multis exemplis probat Hallierus *parte 2. sectione 3. capit. 3. art.* 11. §. 5.

XV. Si verò justa fuerit causa mittendi subditum ad alienum Episcopum pro Ordinibus suscipiendis, meritò addit Synodus Trid. *non aliter quàm probatos* mittendos esse, id est, Dimissoriales dandas non esse, nisi *jam probatis*, quod & alio loco sufficienter expressit; vetans aliquem ab alieno Episcopo ordinari, etiam cujusvis generalis aut specialis rescripti aut privilegii prætextu, *nisi ejus probitas ac mores Ordinarii sui testimonio commendentur. Session.* 23. *cap.* 8. *De Reformat.*

XVI. Has Concilii Tridentini Sanctiones explicans S. Carolus in Synodo sua Mediolanensi III. titulo. *Quæ pertinent ad Ordinis Sacramentum* ait: "Infirma valetudine, „aliaque justa causâ impeditus Episcopus, si statos Sacros „Ordines habere non potest, & aliquem propterea Clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, à quo alicui „Ecclesiastico Ordini adscribatur; testimonialibus litteris „ei datis, hoc adscribat, & testata faciat, vitæ imprimis & „morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine „habito judicatus est, Ecclesiasticum Ordinem, quo est „proximè initiatus, tum prætereà natales, aut dispensationem, si quam super illis obtinuerit: si verò majori Ordini „adscribendus est, ætatem item, & titulum sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, vel patrimonii quod „ille habet.

Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 5. "Episcopi „subditos suos non nisi *jam probatos* & examinatos ad alium Episcopum dimittant, juxta Decretum Concilii Tridentini.

XVII. Justissima sanè constitutio. Cùm enim nemini magis nota esse debeat, quàm proprio Pastori & Episcopo sufficientia ac capacitas sui subditi; atque ipsius maximè intersit, ne quis indoneus è suis subditis, & in suæ Diœceseos Clerum ordinetur; nihil sanè justius, quàm ut ejus testimonium requiratur, ut appareat, an ipse qui ad Ordines suscipiendos subditum suum mittit, de ipsius capacitate, antequam mittat, ritè sit instructus; atque de ea testetur.

XVIII. Quia tamen interdum contingere potest, ut Ordinandus à Diœcesi, aut civitate Episcopali sit absens, nec sine magno incommodo ad Episcopum personaliter pro examine accedere possit, hanc cautionem addidit S Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte 3. de Initiandis Ordinis Sacramento*, ut "hoc casu liceat examen illud speciatim Episcopo delegare, in cujus Diœcesi „illi morantur: at verò tunc Litteras dimissorias ne det, „antequam examinis facti litteras ab eo acceperit, cui illud delegavit.

XIX. Ità hodie, non rarò solent concedi Litteræ *Dimissoriæ* Studentibus in Academia, præsertim remotis à suis Diœcesibus, hac inserta clausula, si prævio examine à suo Præside Collegii, aut aliis in litteris designatis idonei judicentur; in quo hæc cautio præcipuè necessaria est, ut Episcopi examen illud non committant, nisi iis, quorum sufficientia & integritas probè ipsis fuerit nota; & de quibus securi sint, quod non nisi benè idoneis testimonium capacitatis sint daturi.

XX. Videtur insuper Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 11. *De Reformat.* præter examen proprii Episcopi ad alienum mittentis; nec non illius de sufficientia ordinandi testimonium, insuper requirere examen ipsius Episcopi Ordinantis; cùm expressè statuat, "Facultates de promovendo à „quocumque non suffragentur, nisi habentibus legitimam „causam, ob quàm à propriis Episcopis ordinari non possint, in litteris exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi „*ab Episcopo* in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, & *diligenti prævio examine*.

XXI. Et conformiter ad hoc Decretum, etiam à propriis Episcopis examinatos, iterum examinari ab Episcopo ordinaturo, Mediolani & Neapoli, ex Bonacina & Quaranta refert Hallierus loco citato §. 6. dicitque & in Gallia se id ab aliquibus vidisse observari.

XXII. De hac quæstione consulta S. Congregatio, "An „scilicet, Episcopus Ordinans alienos subditos seculares „cum dimissoriis proprii Episcopi asserentis, eos examinatos fuisse, & idoneos repertos, hujusmodi attestationi deferre teneatur, vel etiam possit eosdem Ordinandos examinare; Sacra Congregatio censuit, esse arbitrarium, & „ideo posse, sed non teneri." Apud Fagnanum ad *Cap.* CUM SECUNDUM ꝟ *De Præbendis nu.* 56.

XXIII. Conformiter ad hanc resolutionem, solent hic Episcopi dimissorialibus & attestationi proprii Episcopi deferre, atque sine novo examine ordinare; prædictum Decretum Concilii Tridentini intelligentes de his qui *facultates de promovendo* non à *proprio* Episcopo, sed à Sede Apostolica obtinuerunt.

XXIV. Addit tamen meritò Fagnanus ibidem *num.* 57. quod si Episcopus alienus sciret, eum qui habet Dimissoriales esse criminosum, peccaret ordinando: quia revera *manus imponendo* indigno, etiam Sacramentum indignè administraret. Quare laudandi Episcopi, qui non adeo faciles sunt, ut admittant dimissoriales dum sciunt, Episcopum in concedendis Dimissorialibus & Ordinandis admodum facilem esse, ac quosvis passim se præsentantes ad Sacros Ordines admittere.

XXV. Ne occasione concessarum litterarum Dimissorialium fallantur Episcopi; eo quod interdum contingat, ut vel hominis mores immutentur, vel quod de illius vita antea minus notum erat atque exploratum, id postea pateat, quo fiat, ut quem Episcopus aliquando sacro Ordine dignum judicavit, illum ipsum postmodum inveniat indignũ ut ulteriore Ordine insigniatur, meritò voluit Sanctus Carolus in Synodo sua Mediolanensi IV. titulo *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*: imprimis, ne "Episcopus cuiquam antequam sacræ Ordinationis tem„pus *proximè* instet, litteras hujusmodi testimoniales *Di*„*missorias ve* pro Ordinibus ab alio Episcopo suscipiendis, „sine *necessaria* causâ umquam concedat.

XXVI. Secundò, "Neque item iisdem litteris facultatem det plures ordines suscipiendi, quàm illos ipsos tan„tum, quos uno eodemque tempore ab eo suscipi voluerit, „ac per sacros Canones Conciliaque licuerit.

XXVII. Tertiò, "Præfiniat præterea in illis ipsis certum „suscipiendi Ordinis, cui quisquam adscribendus est tem„pus, menstruum scilicet vel bimestre vel longius, ut pro „loci distantia, pro aliave ejusmodi causa opus esse vi„derit.

Hæc ostendunt quanta cautione in dandis litteris Dimissorialibus procedendum judicaverit S. Carolus; ne occasione hujusmodi litterarum indignus quispiam ad Ordines promoveretur. Episcopi has cautiones pro locorum personarumque conditione adhibere poterunt; ubi eas vel necessarias vel convenientes in eumdem finem judicabunt.

XXVIII. Subjicit deinde S. Carolus: "Quo præstituto „tempore transacto eas litteras eo nomine à se concessas, ei „impostèrum nihil suffragari nihilque roboris habere iis„dem litteris declaret; Quas etiam Cancellario Episcopali „ab illo, cui concessæ sunt, reddi decernat.

Verum licet hæc declaratio in litteris esset omissa, nihilominus, si *Dimissoriales* restrictæ sint ad certum tempus intra quod ad Ordinem promoveri teneatur, tempore præstituto

by Google

stituto elapso litteræ illæ suum amittunt valorem & effectum; quia cum facultas seu mandatum non sit nisi ad tempus, etiam ultra tempus extendi nequit.

XXIX. Si autem litteræ Dimissoriæ sint sine præfinitione temporis, tunc eatenus perpetuæ sunt; ut nec per mortem Episcopi revocatæ censeantur; uti tradit Rebuffus in Praxi Benef. titulo De *Formula Dimissoriarum num.* 39. & communiter Canonistæ, atque praxis moderna probat.

XXX. Addit præterea Rebuffus *num.* 43. Nec etiamsi gratia ista suscipiendi Ordines ab alieno Episcopo concessa sit à Capitulo expirabit, finita Capituli potestate; quia gesta à Capitulo valida sunt, & durant si rectè facta sunt. Idipsum plurimis citatis docet Barbosa de officio Episcopi *parte* 2. *Allegat.* 7. *n.* 24.

Quod de Dimissoriis datis à Capitulo Sede Vacante concessis dicitur; idem dicendum de concessis à Vicario Episcopi, eas nimirum durare etiam extincta potestate Vicarii; uti expressè notat Hallierius loco citato §. 8.

XXXI. Hæc de validitate Dimissoriarum sive ab Episcopo, sive à Capitulo vel Vicario concessarum non procedunt, si Episcopus eas re integra, id est, ante Ordinem susceptum revocaverit. Unde Rebuffus postquam dixerat, litteras Dimissorias nec per mortem Episcopi, nec per extinctam potestatem Capituli esse effectu suo evacuatas, immediatè subjungit *num.* 44. Poterit tamen Episcopus revocare ea quæ nondum sunt sortita effectum: quam opinionem Rebuffi probans Barbosa dicto loco *num.* 25. ait: "A novo enim antistite revocari possunt per edictum omnes & quæcumque à prædecessoribus Præsulibus, vel Capitulo Sede vacante concessæ.

CAPUT IV.

De Examine Ordinandorum.

1. *Episcopo citò* manus imponere *vetitum.*
2. *Quid sit* citò manus imponere?
3. *Ordinandi primùm probandi.*
4. *Synodus vult Ordinandos examini Episcoporum subjacere.*
5. *Decretum hoc etiam Regulares comprehendit.*
6. *In omni Congregatione solent esse boni & mali.*
7. *Major perfectio requiritur in Presbyteris, quàm in Monachis.*
8. *Non omnes qui Professionem Religiosam emiserunt ad Ordines Sacros admittendi.*
9. *Examen Ordinandorum primariò ipsi Episcopo competit.*
10. *Si jus examinandi Ordinandos alicui competat, non censetur exclusus Episcopus.*
11. *Officiales aliique inferiores Prælati examen aliquando sibi vendicarunt, & quid hic decreverit Synodus Coloniensis.*
12. *Convenit Episcopum in examine esse præsentem.*
13. *Episcopus examen aliis delegare potest.*
14. *Episcopus ultra Examinatores ordinarios potest alios assumere; & præcipuè è Canonicis Cathedralibus.*
15. *Non astringitur Episcopus Canonicos Cathedrales assumere.*
16. *Examinatores quales esse debeant?*
17. *Monita S. Caroli ad Examinatores.*
18. *Examen imprimis instituendum circa vitam Ordinandorum.*
19. *Ordinandi mense ante Ordinationem se sistere debent Episcopo: & quare?*
20. *Nomina Ordinandorum publicè populo proponenda; idque conforme veteri disciplinæ.*
21. *Pristinam disciplinam exprimit Pontificale.*
22. *Huic pristinæ publicationi successit hodierna per Parochum fieri solita.*
23. *Hæc publicatio potissimùm fit, ut de vita Ordinandorum exactior notitia habeatur.*
24. *Proclamationes fieri mandant Synodi Belgicæ.*
25. *Volunt ista fieri instar Bannorum Matrimonialium.*
26. *Decretum Synodi Leodiensis praxi hodie conforme.*
27. *Non solent hodie Ordinandi mense ante Ordinationem Episcopum adire; quod tamen esset conveniens.*
28. *Populus à Parocho monendus de harum proclamationum scopo.*
29. *Excitandus ut pro Ordinandis oret; & quàm hic sollicitus fuerit S. Carolus.*
30. *Populus monendus ad quid jejunia* Quatuor Temporum *instituta.*
31. *Ordinandi aliquo die ab Episcopo designando examini se sistere debent.*
32. *Examen circa mores ipsorum quomodo instituendum; & quid de Seminaristis?*
33. *Quam difficulter habeatur exacta notitia eorum qui extra Seminarium morantur.*
34. *Non semper deferendum testimonialibus Directorũ.*
35. *Regularium testimoniis non fidendum.*
36. *Quanto se periculo exponunt, qui passim quorumcumque testimoniis credunt.*
37. *Qualiter super scientia examen instituendum?*
38. *Quæ singillatim inquiri voluerit S. Carolus?*
39. *Voluit ut Examinatores sibi certam formulam examinandi proponerent.*
40. *Examen unius horæ an sufficere queat?*
41. *Exercitia spiritualia Ordinationi præmittenda; & quis horum scopus.*

I. Dictum est ab Apostolo omnibus Episcopis in persona Timothei, *Manus citò nemini imposueris, neque communicaveris peccatis alienis.* 1. ad Timoth. 5. ✝ 22.

II. "Quid est autem *citò manus imponere* (ait S. Leo *Epistol.* 87. *capit.* 21.) nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris" ante experientiam disciplinæ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis.

Et ante Leonem Sanctus Chrysostomus prædicta verba Apostoli exponens *Homil.* 15. *in Epist. ad Timoth.* ait: "Quid est illud, *citò*? Non ex prima probatione, nec secunda, nec tertia, sed ubi consideratio *diuturna* præcessit, *exactissimaque* discussio, tunc imponito manus.

III. Jubet rursus in eadem Epistola *cap.* 3. Apostolus, ut Ordinandi *probentur primùm & sic ministrent.*

Hinc toties in pristinis Canonibus præceptum, ne Episcopi citò manus imponant; sed priùs exactè probent & examinent vitam, mores, aliasque Ordinandorum qualitates.

IV. His insistens Synodus Tridentina, neminem, nisi præviâ exactâ de vita ac moribus inquisitione, & præmisso super ejus doctrina examine, ordinari voluit; uti pluribus capitibus *Sess.* 23. *De Reformatione* expressum est; ac signanter *cap.* 12. ubi postquam ætatem singulis Sacris Ordinibus præscriptam exposuit, subjicit: "Sciant tamen Episcopi, non singulos, in ea ætate constitutos debere ad hos Ordines assumi: sed dignos duntaxat, & quorum *probata* vita senectus sit. *Regulares* quoque nec in minore ætate, nec sine diligenti Episcopi Examine ordinentur: *privilegiis* quibuscumque quoad hoc penitus exclusis.

V. Voluit igitur Synodus generaliter omnes, non tantùm Seculares, sed & *Regulares* ante ordinationem examini Episcopi esse subjectos; ut nimirum Episcopus examinare queat, num digni sint ad Ordines promoveri; ne aliàs contra præceptum Apostoli alicui *citò manus imponendo,* pecca-

Digitized by Google

peccatis alienis communicet: "Neque enim, ut præcitatis „verbis subjungit Chrysostomus, ea res periculo caret: „eorum, quæ ille peccaverit, tu quoque pœnam dabis, qui „initium dedisti etiam præcedentium delictorum.

VI. Vita quidem Religiosa ex suo instituto, atque regulariter acta plurimum valet, ut quis ad Sacros Ordines disponatur; at notum est illud Augustini *epist.* 132. "Omnem „conditionem includere bonos & malos, estque Clericos „proinde falsos ac Monachos. Sunt & Monachi falsi, & nos „novimus tales: sed non perit fraternitas pia per eos qui „profitentur quod non sunt; tam enim sunt Monachi „falsi quam Clerici falsi, & fideles falsi.

VII. Notum quoque est, non omnem, quæ Monachis sufficeret perfectio, ad Sacros Ordines, præsertim Presbyteratus sufficere. *Multò major*, inquit S. Chrysostomus, *vitæ integritas huic* (Presbytero) *quàm illis* (Monachis) *necessaria*. Hinc illud Augustini, *aliquando bonus Monachus vix bonum facit Clericum. Lib.* 2. *De Sacerdot. c.* 2.

Quibus consonat illud Doctoris Angelici: "Ordines Sa„cri præexigunt sanctitatem: sed status Religionis est exer„citium quoddam ad sanctitatem consequendam: unde „pondus Ordinum imponendum est parietibus jam per „sanctitatem desiccatis, sed pondus Religionis desiccat pa„rietes, id est, homines ab humore vitiorum. "2. 2. *q.* 189. *a.* 1. *ad* 3.

VIII. Quapropter SS. Patres, etiam in primo Religionis Monasticæ fervore, non omnes passim ad Ordines Sacros promovendos judicabant, sed *quos morum gravitas, & vitæ ac fidei institutio sancta commendat*, ut loquitur Siricius Papa. Ep. 1. c. 13. Unde ad Aurelium scribit Augustinus: *Cum ex his qui in Monasteriis permanent, non tamen nisi* PROBATIORES *atque* MELIORES *ad Clerum assumere soleamus*. Et sanctus Gregorius Candido Episcopo scribens ut de Monasteriis in sua Diœcesi positis cum consensu Abbatis aliquos accipiat in Presbyteros ordinandos, hoc monitum subjungit: "Sed illius præ omnibus estote solliciti, ut „vitam actusque eorum qui in hoc sunt officio constituen„di, *subtiliter debeatis inquirere*, & tunc eos, si digni fue„rint, ordinare. *Lib.* 5. *Epist.* 27.

IX. Cum ad Episcopum spectet Ordinandis manus imponere; atque juxta Apostolum si *manus* citò *imponat* ipse communicet peccatis alienis, quid mirum si ubique in Sacris Canonibus & Patribus prima examinis cura ipsi Episcopo imponatur & deferatur; utpote cujus præcipuè interest, ne indigni promoveantur. Hinc illud Innocentii III. in *Cap.* VENERABILEM 34 *De Electione*: "Est enim regulari„ter & generaliter observatum, ut ad eum examinatio per„sonæ pertineat ad quem impositio manus spectat.

Ad hæc cum Episcopo totius populi cura & Diœcesis regimen primario incumbat, quid æquius aut justius, quàm ut Episcopus examinet ac inquirat in illos qui per sacram Ordinationem in Ministros & cooperatores Episcoporum assumendi sunt?

X. Unde si in aliqua Ecclesia sit consuetudo, quod Archidiaconus Ordinandos examinet, nequaquam tamen excluditur Episcopus, ut etiam ab Archidiacono examinatos rursus de novo examinet, uti docet Glossographus ad *Cap.* ACCEPIMUS 14 *De Ætate & qualitate Ord.* verbo *Examinari*.

XI. Seculo præterito invaluerat in quibusdam Diœcesibus Provinciæ Coloniensis, ut in Scholasticos Cathedralium Ecclesiarum in aliis verò in Prælatos alios cura examinationis Ordinandorum relegata esset; iisque examinandi jus esset quæsitum, & majora quàm cæteris Canonicis stipendia ab Ecclesia decreta.

Verum plerique Scholastici, & illi penes quos erat examinandi potestas jura quidem sua tuebantur, nec tamen docebant juventutem nec examinabant: Officiumque & curas alias alis, non multò melioribus examinatoribus interdum delegabant: quo fiebat, ut alio in alium hanc curam transferente aut nullæ aut perfunctoriæ & admodum frigidæ fierent examinationes Ordinandorum; uti deplorat Synodus Coloniensis anno 1549. titulo *De altero medio ad reformationem necessario cap.* 2. cui malo ut mederetur subjungit: "Quem defectum supplere cupientes & examen „ad sua principia, hoc est, ad Episcopos revocare, quibus ex „lege divina incumbit, nemini citò manus imponere, ma„tura deliberatione præhabita, declaramus, Episcopos „non debere ejuscemodi examinationibus (quando non „ignorant eas perfunctoriè factas) statim acquiescere, & „inquisitionis specie, quam ex reliquiis antiqui moris reti„nent, in altari cum rogant utrum sint digni, justi & sancti „putare se satisfecisse, atque ita inutiles & indignos homi„nes, nonnunquam etiam sceleratos, ab aliis fortè (quos „ea cura non admodum tangit) dignos judicatos, Sacris „illis Ordinibus contra conscientiam propriam insignire. „Eaque de causa requirimus Provinciæ nostræ Episcopos „in Domino, ut vel ipsimet huic suo muneri satisfaciant, „vel curam illam imponant viris piis doctis, & de Ecclesiæ „profectu sollicitis, quorum diligentia sit eis explorata, nisi „certissimo experimento cognoverint Scholasticum, vel „eum ad quem hoc pertinet, diligentiam talem, cui meritò „fidant, adhibuisse.

XII. Hic supponit Concilium, examen Ordinandorum propriè ac primario ad Episcopum spectare; unde S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte* 3. *titulo De Examinandi ratione*, examinis initium fieri vetat, nisi præsentes adsint Episcopus vel Vicarius ipsius. Et in Synodo Mediolanensi IV. *parte* 2 *titulo Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis* "præscribit, ut id Episcopus, quantum sibi per oc„cupationes licet, maximè curet, ut cum experimentum „examenve de iis instituitur, qui *Ordinibus* præsertim ma„joribus initiandi, quique Ecclesiis Parochialibus præfi„ciendi sunt, ipse præsens in eo examine adsit.

XIII. Supponit insuper Concilium posse subinde aliquibus esse jus aliquod examinandi Ordinandos; quod & juri conforme est, nam de jure Archidiaconorum est, examini Ordinandorum interesse, uti supra *parte* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. *nu.* 14. & 15. ostensum est.

Bulla quoque erectionis novorum Episcopatuum in Belgio, vult, ex senioribus Graduatis Canonicis duo in Theologia, & unus in jure Canonico Graduati una cum Archidiacono curam habeant examinandi promovendos ad Sacros Ordines.

XIV. Ulterius Concilium Coloniense supponit, quod licet quibusdam specialiter imposita sit cura examinis, nihilominus penes Episcopum maneat auctoritas aliquos sibi coëxaminatores assumere.

Hos verò examinatores præcipuè de gremio Cathedralis Ecclesiæ assumendos esse sat insinuavit jam pridem Concilium Nannatense *cap.* 11. apud Gratianum *Dist.* 24. *Cant.* QUANDO, dum dixit, Examinatores à *Latere* suo eligere debere Episcopum. Qui enim *à Latere* Episcopi dicuntur nisi Canonici Ecclesiæ Cathedralis? Hi quoque Clerum & Senatum Ecclesiæ repræsentant; quare sicuti olim cautum fuit, ne Episcopus sine Clericorum suorum Concilio Clericos ordinet *Can.* EPISCOPUS *Dist.* 24. ità consentaneum apparet, ut potius Canonici Cathedrales, quam alii in Examinatores (cæteris paribus) assumantur.

XV. Non apparet nihilominus Episcopo adempta libertas assumendi Examinatores Ordinandorum, etiam non Canonicos Cathedrales. Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 7. *De Reformat.* simpliciter dixit: "Episcopus autem sacer„dotibus & aliis prudentibus, peritis, divinæ legis, ac in Ec„clesiasticis functionibus exercitatis sibi adscitis Ordi„nandorum genus personam, ætatem, institutionem, mo„res, doctrinam, & fidem diligenter investiget & exami„net. "Nulla hic Canonicorum Cathedralium aut aliorum Clericorum aut sacerdotum specialis prærogativa quoad hoc examen insinuatur; sed arbitrio Episcoporum Examinatorum electio apparet esse concredita; & ità probat praxis hodierna Belgii.

XVI. De-

XVI. Dotes examinatorum à Synodo Tridentina expressæ etiam in Concilio Namnatensi loco citato occurrunt, volente ut Episcopus in Examinatores eligat Sacerdotes & alios prudentes viros *gnaros divinæ legis & exercitatos in Ecclesiasticis functionibus*.

Et ante nos S. Gregorius scribit Adeodato Episcopo *lib. 2. Epist. 48.* "Si quando de his recipiendis (nempe ad SS. Ordines) tractari necesse est, *graves expertosque* viros consiliis vestris adhibete participes, & cum eis communi de hoc deliberatione pensate.

XVII. Monet autem universos Examinatores S. Carolus in sua Synodo Mediolanensi V. *parte 3. tit. 2.* "ut quicumque sint, noverint; sibi munus adeò grave committi, ut si negligenter, aut malè se ullo modo gesserint, Deo in primis culpæ in eo munere admissæ exactum rationem reddituri sint.

"Quare non spe, non metu, non præmio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti, muneris sibi commissi curam gerant.

"Proposito sibi in primis timore Dei, ne quemquam, quem indignum nôrint, probent: rursus, quem experimento, periculove facto, idoneum dignumque comperiunt, ne rejiciant, itaque graviter, maturè, prudenter, rectèque tum de probando, tum de rejiciendo deliberent.

"Cum in locum convenerint, ubi moris est, clericorum experimentum fieri, priusquam aggrediantur, à stata prece, orationeque congregationum usui præscripta, quam de libro pronuntiet, qui examini præsidet, initium faciant, hoc piè intimèque precantes, ut Dei ope in primis illud rectè, prudenter, divinæque voluntati congruenter conficiant.

XVIII. Examen hoc imprimis institui debet super vita & moribus ipsorum Ordinandorum, quemadmodum statuit Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 7. De Reformat.* ut nimirum expendant, an tales sint Ordinandorum mores ut eorum *probata vita senectus sit*, uti loquitur Synodus Tridentina dicta sess. *cap. 12.* vel uti de Ordinandis in Presbyteros ait Synodus eadem sessione *cap. 14.* *Ità pietate ac castis moribus conspicui ut præclarum bonorum operum exemplum, & vita monita ab iis possint exspectari*: vel uti loquitur Pontificale in Ordinatione Presbyterorum; *quod odor vitæ eorum sit delectamentum Ecclesiæ Christi; ut prædicatione atque exemplo ædificent domum, id est, familiam Dei.*

An promovendorum in Diaconos ea sit vitæ integritas, ut spes sit, illos futuros tales, qui tanquam veri successores Ordinis Levitici, *Ecclesiam Dei velut Tabernaculum portare, & munire debeant ornatu sancto, prædicatu divino & exemplo perfecto*; uti ad Ordinandos Diaconos loquitur Pontifex ordinans.

Si promovendorum ad Subdiaconatum talis sit vita, ut de iis sperari queat, ut *si humana fragilitate contingat in aliquo fideles maculari, præbenda sit ab iis aqua cœlestis doctrinæ, qua purificati ad ornamentum altaris, & cultum divini Sacrificii redeant.*

XIX. Ut verò Episcopus de vita ac moribus ipsius Ordinandi facilius instruatur, vult Synodus Tridentina citata sessione *cap. 5.* ut "hi qui ad singulos majores Ordines erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus, ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat; & litteras testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopum quamprimùm transmittat.

Si juxta tenorem hujus Decreti, ordinandi mense uno ante Ordinationem se Episcopo sisterent, indubiè id plurimum conduceret, ut Episcopi se previè ante Ordinationem de moribus, atque capacitate, cæterisque Ordinandorum qualitatibus informare possent.

XX. Quod verò Synodus velit, nomina ac desideria eorum qui Ordinandi sunt per Parochum, aut alium cui Episcopus commiserit, publicè in Ecclesia proponi, id pristinæ disciplinæ conforme est. Jam pridem enim Patribus usitatum fuit, nomina promovendorum ad Ecclesiasticum Ministerium publicè populo proponere; eorumque testimonium de Ordinandorum vita ac conversatione exquirere, teste Cypriano epist. ad Clerum & plebes in Hispania; ubi docet, *Ordinationes non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente, vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur.*

Hinc illud Concilii Carthaginensis IV. *Can. 22.* apud Gratianum *Dist. 24. Can. 6.* "Episcopus sine Concilio Clericorum suorum Clericos non ordinet, ità ut civium conniventiam, & *testimonium* quærat.

XXI. Patrum disciplinam hodiernum Pontificale in Presbyterorum Ordinatione exprimit his verbis: "Quoniam, fratres charissimi, rectori navis & navigio deferendis eadem est, vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra à Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus: quia de vita, & conversatione præsentandi, quod nonnumquam ignoratur à pluribus scitur à paucis, & necesse est, ut facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum præbuerit ordinando. Horum si quidem Diaconorum, in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conversatio (quantum mihi videtur) probata & Deo placita existit, & digna (ut arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne unum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque quid de eorum actibus aut moribus noveritis, quid de meritò sentiatis, libera voce pandatis; & his testimonium Sacerdotii magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, & propter Deum, cum fiducia exeat, & dicat; verumtamen memor sit conditionis suæ.

XXII. Verum cùm adverterent Patres Tridentini, hanc populi consultationem inter ipsa Ordinationis solemnia ex præscripto Pontificalis fieri solitam, tandem factam esse merè cæremonialem, aliam præviè ante Ordinationem fieri voluit publicè in Ecclesia. Unde Synodus Iprensis sub Rithovio *tit. 18. cap. 6.* postquam egit de inquisitionibus per hujusmodi publicam nominum in Ecclesia denuntiationem addit: "Quæ inquisitiones eo pertinere creduntur ut aptius juxta *Pontificalia* cohæreant, quæ de *testimonio populi*, in ordinibus, ex veteri consuetudine requiruntur.

XXIII. Hæc sat ostendunt, mentem Ecclesiæ in hac nominum proclamatione esse, ut omnes admoneantur, si quid contra Ordinandos notabile opponendum sciant, illud manifestent, atque ità de vita & conversatione, nec non reliquis ad Ordines requisitis necessaria & justa informatio haberi queat.

Neque illum Ecclesiæ scopum obscurè expressit Synodus Tridentina, dum satis insinuat, hanc nominum publicam in Ecclesia propositionem fieri, ut ipse de Ordinandorum natalibus, ætate, moribus ac vita diligenter à fide dignis inquirere valeat.

De hoc Ecclesiæ scopo non dubius S. Carolus, voluit, ut hæc nominum publicatio fieret à Parocho, ab eove cui Episcopus id negotii dederit, publicè die festo inter solemnia, in Ecclesia Cathedrali & Parochiali propria, & in illa quoque in cujus finibus postremo domicilium habuerit, & præterea ubi Episcopus censuerit.

XXIV. Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 9. cap. 3.* vult, ut "fiant proclamationes promovendorum ad *singulos* Ordines majores juxta Decretum Concilii Tridentini, & qui de iis non docuerint, rejiciantur.

Syno-

Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Ministeriis Eccles. cap.3.* similiter requirit, ut "Dominica die ante, sive per mensem ante Ordines futuros, aut prius Pastores Ecclesiarum „ *nominatim* denuntient populo eos, qui promoveri velint „ ad Sacros Ordines, ut liceat opponere, si quid vitii deprehendi possit, & hujus proclamationis factæ afferant „ testimonium ordinandi.

XXV. Fusius ejusdem Provinciæ Synodus Diœcesana Audomarensis *tit.9. cap.6.* "Curent autem, & ipsi, à Parocho loci domicilii sui, nomina sua ac desiderium, tribus diversis dominicis aut festis diebus, publicè in Ecclesia proponi, ubi, ad formam bannorum Matrimonialium, „ omnibus & singulis sub excommunicationis pœna mandetur, ut si quod noverint canonicum impedimentum, „ ob quod illi, à suscipiendis Ordinibus repelli, aut non admitti debeant, statim denuncient, sive illud malam & „ Ecclesiæ ministris indignam conversationem concernat, „ sive aliud quidlibet. Quibus legitimè peractis, curent „ etiam litteras testimoniales Parochi, hujusmodi inquisitionem & bannorum proclamationem factam continentes, quamprimum ad nos transmitti, cum declaratione, an „ aliquod impedimentum, ob quod ad sacros Ordines admitti non debeant, denunciatum sit, necne.

Similiter Rithovius Episcopus Iprensis in sua Synodo *tit.18. cap.5.* mandat, "nomina ac desideria Ordinandorum, „ *tribus distinctis* Dominicis, aut Festivis diebus publicè in „ Ecclesia proponi; " utque Parochus aut alius cui Episcopus commiserit, "omnibus & singulis (ad formam bannorum matrimonialium) sub pœna excommunicationis „ mandet; ut si quod noverint Canonicum impedimentum, ob quod Ordinandi, à suscipiendis Ordinibus repelli debeant, statim denuntient.

XXVI. Et Synodus Leodiensis anno 1618. *tit.* 8. *cap.4.* præcipit, ut "Ordinandi teneantur Parochum suum ante „ adire, curareque, ut populo suo ad Missarum solemnia „ quodam die Dominico, vel festivo congregato, idipsum „ denuntiet, ut si quis sit, qui contra natalia, ætatem, vel *mores* ipsorum quid habeat, Pastori suo quam primum indicet: litterasque testimoniales ejusmodi publicationis facta, & nullius impedimenti reperti secum deferat.

Post hæc exprimit illos qui Ordinari prohibentur, atque inter alios, "qui rudes & ignari sunt. " Qui lapsi sunt post „ Ordinem susceptum, Ebrietati, gulæ aut impudicitiæ dediti. Qui in adolescentia mœchati fuerint.

Hæc Synodus volens, ut ordinandi Parochum proprium adeant, curentque ipsi ut nomina sua per Parochum proponantur, hodiernam ferè praxim expressit. Neque enim solent hodie nomina Ordinandorum ab Episcopo ad Parochum mitti; imò frequenter ipsi Ordinandi usque ad extremos dies Ordinationem præcedentes planè ignoti sunt Episcopis, sed ipsimet Ordinandi nomina sua in scedula descripta publicè proponenda Parocho exhibere. Neque etiam Parochi testimoniales de inquisitione aut publicatione facta ad Episcopum mittere, sed Ordinandis simplex publicationis factæ testimonium dare solent; quod ipsi postmodum Episcopo exhibent, uti etiam dicta Synodus fieri vult.

XXVII. Dubium tamen non est, quin convenientius, & Decreto Concilii Tridentini conformius esset, ut Ordinandi uno ante Ordinationem mense Episcopum adirent, & nomina sua darent, ac tum Episcopus nomina ipsorum ad Parochum aliumve quem huic rei aptiorem novisset, publicanda mitteret, cum obligatione de vita ac moribus Ordinandorum diligenter inquirendi.

XXVIII. Hoc interim ex Synodis allegatis constat, scopum harum denuntiationum seu proclamationum esse, ut etiam populus de vita ac moribus Ordinandorum testimonium dare queat. Quare populus subinde monendus, ut liberè Parocho aliisve, quibus magis opportunum videbitur, pandat, si quæ vitia Ordinandorum noverit; ostendendo quantum malum populo & Ecclesiæ ex indignorum Ordinatione immineat; quodque forsan ipsis imputabitur, si vitia ex humana aliqua consideratione vel timore celantes, indonei aut vitiosi Ordinentur.

XXIX. Insuper occasione hujus publicationis nominum Ordinandorum, convenit, Parochus excitet populum, ut specialiter oret, quatenus Deus dignos mittat operarios in messem suam; & Ordinandis ministerium suum adimplendi gratiam infundere dignetur.

Hac de causa S. Carolus in suo Concilio Provinciali II. *tit.1. Decreto 21.* jussit, "ut Dominico die qui stata quatuor „ temporum jejunia, quibus Ordinis Sacramentum administratur, antecedit, Parochi in sita unusquisque eorum „ Parochiali Ecclesia, supplicationes, litaniasque piè ac religiosè vel intus habeat, vel prosequente fidelium multitudine foris Ecclesiam, sicut moris, obeat; ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, „ quibus Ordines conferet, Spiritus Sancti lumine illustretur: tum illi quibus conferuntur, in vitæ sanctitate, doctrina, religiosisque virtutibus proficiant.

Et rursus ejusdem supplicationis indicandæ meminit in Concilio Mediolanensi IV. titulo *Quæ pertinent ad Sacramentum Ordinis*, monetque iterum, populum ad orandum esse excitandum, atque preces publicas instituendas, "quibus unusquisque secum mente reputans, „ *quam pauci operarii in messe multa* sint, hoc Deum toto corde exoret, ut qui *Dominus est messis, ipse mittat* „ *operarios in messem suam*.... Quod ut eo nomine Deum „ populus supplex sæpius oret; id illum singulis Dominicis diebus per mensem ante sacræ ordinationis tempus, „ crebra cohortatione Parochi intra Missarum solemnia „ præmoneant.

XXX. Adhæc meritò monebunt Parochi in promulgatione Jejuniorum *quatuor temporum*, ea potissimum instituta esse ab Ecclesia, ut hac pia corporis castigatione, & pœnitentiæ operibus, à Deo digni Ecclesiæ Ministri impetrentur; ideoque jam pridem in Ecclesia institutum, extra hæc jejuniorum tempora Ordinationes fieri non posse; adeo ut contrariam consuetudinem tamquam abusum & corruptelam jam pridem reprobaverit Alexander III. scribens ad Episcopum Herfordiensem in *Cap.* SANE *ii De temporibus Ordinat.*

XXXI. Post hæc Synodus Tridentina *Sess.23. cap.7. De Reformat.* "Antiquorum Canonum vestigiis inhærendo, „ decernit, ut, quando Episcopus ordinationem facere „ disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere „ voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel „ quando Episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem sacerdotibus & aliis prudentibus viris, „ peritis divinæ legis, ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, ætatem, institutionem, mores, doctrinam, & fidem diligenter „ investiget & examinet.

Hoc Decretum desumptum est ex Concilio Nannatensi in *Can.* QUANDO *Dist.24.* atque conformiter ad hoc Decretum, solent Ordinandi in feriam 4. aut 5. ante diem Ordinationis evocari ad civitatem Episcopalem, ut ibidem examen subeant ad præscriptum Concilii Tridentini. Quoad ætatem difficultas esse non solet; hæc enim extracto ex Registro Baptismali facile probari potest.

XXXII. Circa institutionem, mores, cæterasque personales qualitates Ordinandorum major difficultas est; hicque diligentior atque exactior requiritur investigatio atque circumspectio.

Imprimis eorum qui in Seminariis Episcopalibus educantur, si Episcopus eam quæ necessaria est, in visitando ac curando suo Seminario curam impendat (de qua infra titulo 11.) poterit aliqualem notitiam habere: multumque indubiè hic adjutorii habebit Episcopus, si eruditum, pium atque in disciplina Ecclesiastica exercitatum Seminarii sui Rectorem adeptus sit; qui convenientem de sanctitate atque morum integritate in Ordinandis requisitâ ideam habeat;

cujus

cujus testimonialibus litteris de moribus Ordinandi securè fidem adhibere queat.

XXXIII. At illorum qui vel in Academiis, aut parentum domibus hactenus habitarunt; atque ante hac Episcopo parum noti fuerunt, maxima sæpius oritur difficultas; ut de moribus vitæque integritate Episcopi sufficienter instruantur, ut securè ipsis manus imponere possint.

Neque enim similes alia solent adferre morum vitæque rectè actæ argumenta nisi vel Præsidum seu Rectorum suorum respectivè collegiorum, aut Parochorū testimonia; quibus hi testantur, Ordinandos esse tales quoad mores & vitam, ut eos ad Ordinem suscipiendum capaces judicent.

XXXIV. Verum quid ex his testimoniis securitatis ordinariè habere poterunt Episcopi, nisi apprimè noverint, Præsides aut Parochos esse tales, qui ejus sint eruditionis, prudentiæ & pietatis, ut meritò confidant, quod nulli hujusmodi testimoniales sint daturi, nisi iis quos sciunt, qualitates Ordinibus sacris necessarias habere?

Aliàs quis nescis, quàm fragile sæpe sit argumentum, quod hujusmodi litteris testimonialibus innititur!

Quis enim ausit negare, plures hodie juventuti formandæ in Collegiis Academicis præesse; itemque Parochos quamplurimos, qui aliam, eamque multo inferiorem ac viliorem, imò planè diversam de morum integritate vitæque sanctitate in Ordinatis requisitā ideam habent ab illa, quam in Sacris Canonibus & Pontificali Ecclesia expressit?

Nonne plures videmus hujusmodi Juventutis magistros, omnibus passim ad Sacros Ordines litteras testimoniales annuere, modo annorum trium aut quatuor studium perfecerint; & saltem ab exterioribus gravioribusque criminibus se continuerint; parum attendentes, num ea sint vitæ morumque integritate, quæ Ministrum Ecclesiæ decent?

XXXV. Frequenter nec certius de Ordinandorum Regularium meritis & idoneitate ad Sacros Ordines requisitis, argumentum habebunt Episcopi ex testimonio Superiorum.

Quam multos enim videmus Monasteriorum, præsertim eorum, quæ ex Missarum honorariis victitare solent, Superiores, qui omnes passim, mox ut debitam ætatem attigerint, ad sacrum etiam Presbyteratus Ordinem mittunt; atque testimoniales litteras concedunt? cum tamen certum sit, nec ipsi dubitare possint, quin in omni communitate sint, qui non ità pietate ac castis moribus sunt conspicui, ut præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab iis possint exspectari; quemadmodum in promovendis ad Presbyteratum requirit Synodus Trid. *Sess. 23. cap. 14. De Reformat.*

Certitudinem de idoneitate Ordinandorum ex testimonio hujusmodi nullam tibi formare potest Episcopus, ni credat, omnes in Monasteriis illis professos, ubi ætatem legitimam attigerunt, ea pietate & castis moribus esse conspicuos, ut Sacris initiari queant.

Hoc expendens Hallierius dicere non dubitavit: "Non „adeò superiorum Regularium fidei credendum est, ut „quos illi tanquam dignos obtulerint, absque ullo alio ex„amine, atque discussione ad Sacros Ordines Episcopi re„cipiant..... maximè cum notum sit, inquit, totius Mona„sterii interesse, ut quam plurimos Ordinibus Sacris initia„tos habeat; & facilè probi etiam & boni insita hominibus „omnibus cupiditate Ordinis sui gloriam promovendi, „qua Regulares præ cæteris maximè flagrant, quod Ordi„nis sui amplificationem & ornamentum ad Dei gloriam „& Ecclesiæ utilitatem spectare præsertim arbitrentur) „facilè inquam, hac cupiditate ducti abripiantur, ut levius „de suis censeant, quam par sit, & in pondere, & pondere „judicent suorum industriam, ac dotes magnificè; Sacerdo„tii, & reliquorum Ordinum Ecclesiasticorum dignitatem „tenuiter æstiment. " De SS. Ordinat. *in append. ad* *st.* 1. §. 3.

XXXVI. Hæc satis probant, quam leviter procedant Episcopi; quantoque periculo quasi ultro se exponant, manus citò aliquibus imponendi, & communicandi peccatis alienis, qui nulla prævia de Ordinandis, eorumque Superioribus & Præfectis inquisitione, omnes, quantum ad mores vitæque integritatem & castitatem, tanquam sat probatos admittunt, qui qualecumque suorum Superiorum & Præfectorum testimonium adtulerunt; tametsi sciant, aut facilè scire possint, quam hi faciles sint in dandis hujusmodi testimoniis.

XXXVII. Examen verò Ordinandorum coram Episcopo circa scientiam ferè unicè institui solet: idque non raro sat perfunctoriè, propositis per Examinatores quæstionibus nonnullis sterilibus ac speculativis, v. g. quot sint filiæ superbiæ; quot partes potentiales temperantiæ, aliisque similibus; quem examinandi modum pro merito exagitat eruditus auctor notarum in *Epistolam 25. lib. 13.* S. Gregorii *Nota 4.* additque, "Censerem primò quidem inquiren„dum esse de moribus, tum de prudentia, de sensu com„muni, an sciendi modum habeant, an lectioni Scriptura„rum Sacrarum vacent, quodnam sit eorum Canonum „studium, an sint & doceri & docere habiles.

Hic examinandi modus si conferatur cum his quæ in Concil. Mediol. V. *parte 2. titulo de examinandi ratione* à S. Carolo traduntur, apparebit, examinandi rationem ibidem præscriptam, non esse à modo examinandi jam descripto multùm diversam; atque inter alia vult de omni Ordinando inquiri; an in orationis sanctæ studio sit usque versatus. Quibus meditationibus instructus Deum tacitus oret. Qui orationis modus. Qui illius fructus, quæve utilitates. Quot quibusve partibus illa constet. Quæ regulæ præparationis ad orationem.

XXXVIII. Deinde in examine Ordinandorum in Presbyteros inter cætera hæc sigillatim studiosè perquiri voluit; An piè & fideliter in ministeriis ante actis se gesserint. An spectata pietate, atque castis moribus. An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ monita ab eo exspectari possint.

Post hæc nonnullis inquirendis circa Sacrificium Missæ propositis subjungit. "Cùm verò à cæteris omnibus ut præ„scriptum paulò ante est, qui Clericali militiæ adscriban„tur, de vitæ spiritualis sanctioris que institutis, atque ex„ercitationibus perquiratur, tum maximè ab iis, qui vel „Sacerdotio initiantur..... A quibus omnibus & singulis, „cùm ad examen veniunt, præter cætera quæ ad sanctæ spi„ritualis vitæ usum pertinent, ea maximè explorentur, quæ „de orandi modo, deque omni sanctarum meditationum „cœlestiumque contemplationum exercitatione ab aliis, „qui in eo genere religiosè se exercuerunt, tradita „sunt.

" XXXIX. Ut autem Examinatores certam sibi formu„lam proponant (inquit) qua illorum qui examinantur & „litterarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei „Ecclesiasticæ peritiam experiantur, in omni experimenti, „examinisve ratione, sacris Bibliis, Catechismo Romano „in primis, Concilio Tridentino, sacrorum Canonum De„cretis, & aliis Pontificiis Constitutionibus, Synodisque „tum Provincialibus, tum Diœcesanis utantur, unde suas „interrogationes hauriant, quibus, prout est illorum inge„nii captus, explorent eorumdem & scientiam & Ecclesia„sticarum rerum notitiam atque usum.

Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 7. De Refor.* requirens ab Episcopo, assumendos in Examinatores, Viros *prudentes, peritos divinæ legis; ac in Ecclesiasticis sanctionibus exercitatos*, nonne sat insinuat, in hisce præcipuè examen Ordinandorum instituendum?

XL. Interim ex hactenus dictis non difficulter intelligitur, quàm parum juvare possit examen unius mediæ aut etiam integræ horæ, ut plena ac conveniens de Ordinandorum capacitate & idoneitate hauriatur notitia; quamque temerè ad Ordinationem vi hujusmodi examinis procedatur,

cedatur, nisi Episcopus jam prævie circa Ordinandos se informaverit; aut saltem eam habeat securitatem de Præfectis ac directoribus Ordinandorum, ut meritò horum testimoniis deferre queat.

XLI. Ut autem se ad Sacros Ordines melius præparent, magnâque discretione se astringant, voluit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *parte* 2. *tit.* 8. "Subdiaconatum „ suscepturus, quo diligentius vitæ perpendat rationem, „ cui se, illum suscipiendo, sanctè obstringit; ac proinde „ de re tota accuratius deliberata, puriori mente ardentio- „ rique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, „ priusquam eo Sacro Ordine initietur, ad aliquem semo- „ tum locum adeat, ubi ab omnibus curis & occupationi- „ bus liber, cum omnis ante actæ vitæ suæ diligenti con- „ scientiæ discussione peccata ritè confiteatur: tùm in salu- „ taribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercita- „ tionibus totus versetur, duce & moderatore sibi adhibi- „ to, religioso viro, earum usu perito, quem Episcopus in „ primis probarit.

"In illis autem, vel mense, vel longiori, breviorive tem- „ pore persistat, prout de moderatoris consilio Episcopus „ expedire censuerit. Quas item exercitationes, eodem præ- „ scripto, & modo, eo tempore Diaconi, cum ad Sacerdotii „ gradum accessuri sunt, piè ineant ac præstent.

Hæc spiritualia exercitia plures Synodi Belgicæ etiam præscribunt; & signanter Synodus Namurcensis anno 1659. *tit.* 8. *cap.* 5. decernit: "Ante quemlibet Ordinem majorem „ quilibet Ordinandus in loco aliquo à secularibus remoto „ per novem dies continuos exercitiis spiritualibus se fide- „ liter probet, ibique ante actæ vitæ exomologesim faciat, „ & per sacras meditationes, & pias orationes Dei volunta- „ tem exquirat, & ad Sacrum Ordinem suscipiendum se „ præparet.

Sed quia illa pietatis exercitia multum dependent à pietate & prudentia Directoris, hinc meritò addidit S. Carolus, ut agantur sub Directore, *quem Episcopus in primis probarit.*

CAPUT V.

De Ordinum Interstitiis.

1. *Ordinum interstitia olim nota.*
2. *Adhibita ut Ordinandi probarentur.*
3. *Varia circa moram temporis, quæ intercedere debebat, Ecclesiarum disciplina.*
4. *Antiquitus etiam necessaria erant inter Minores Ordines.*
5. *Ordines etiam Minores non conferebantur, nisi illi qui* Actualiter *functiones erat peracturus; nec duo eidem simul conferri poterant.*
6. *Interdum quis omisso Ordine Minore suscipiebat Majorem; nec tamen* per saltum *promotus censebatur.*
7. *Hodie Ordines Minores requiruntur ante Majores, non tantum ad probationem; sed quasi integritatem Ordinis.*
8. *Ordines Minores hodie conferuntur licet Ordinatus numquam functionibus illorum sit applicandus.*
9. *Si quis Ordine Minore omisso ad Majorem sit promotus dicitur promotus* per saltum; *& debet omissus suppleri.*
10. *Optat quoque hodie Ecclesia ut Ordinati incumbant aliquo tempore Minoribus Ordinibus, priusquam ad Majores promoveantur.*
11. *Inter Sacros Ordines requiritur interstitium unius anni.*
12. *Annus non intelligitur Civilis sed Ecclesiasticus.*
13. *Episcopus, & Capitulum Sede vacante possunt dispensare.*
14. *Episcopus Ordinandus vigore Dimissorialium non potest dispensare.*
15. *In hac dispensatione præcipuè attendendum, num Ordinandi sint sufficienter probati.*
16. *Quomodo in pluribus hodie dispensatione ratio obtineat.*
17. *Duo Sacri Ordines nec ex dispensatione Episcopi uni eodem die conferri possunt.*
18. *Ordines Sacri extra statuta tempora, nec dispensante Episcopo, conferendi.*
19. *Corollarium ex præcedentibus.*

I. ANtiqua Ecclesiæ lex est, ut uno inferiore Ordine suscepto aliqua temporis mora interponatur, priusquam ad ulteriorem ascendatur; neque è laico mox ad supremum Sacerdotii gradum quis sublimetur sed gradatim à minore ad majorem ascendat.

II. Unde in Concilio Sardicensi *Can.* 10. Hosius quoque Episcopus dixit: Hoc quoque necessarium existimo, „ ut cum omni cura & omni diligentia examinetur; ut si „ quis dives, vel ex foro Scholasticus, Episcopus fieri „ dignus habeatur, non prius constituatur, quam Lectoris „ & Diaconi & Presbyteri ministerium peregerit: ut in „ unoquoque gradu, si dignus existimatus fuerit, ad Episco- „ patus fastigium per progessionem possit ascendere. Ha- „ bebit autem uniuscujusque ordinis gradus non minimi „ scilicet temporis longitudinem, per quod & fides, & mo- „ rum probitas, & constantia & moderatio possit cognosci: „ & ipse divino Sacerdotio dignus existimatus maximum „ honorem assequetur.

Hæc temporum intervalla quibus in inferioribus Officiis est sistendum, antequam ad superiores ascendatur, posterior ætas Ordinum *interstitia* nuncupavit.

III. Circa moram temporis quæ inter hæc temporum intervalla intercedere debet, licet non eadem semper & una fuerit omnium Ecclesiarum disciplina, illam nihilominus quæ ab Ecclesia præscripta erat, religiosè servandam esse, tam Pontifices, quam Concilia frequenter sanxerunt: quorum plura Decreta referuntur apud Gratianum *Distinct.* 77.

IV. Nec tantùm inter Sacros sive Majores; sed & minores Ordines, hæc temporum intervalla religiosè servabantur; uti ex relatis Decretis apud Gratianum videri potest; imò ipsa quodammodo temporis illius disciplina aliud fieri vix permittere poterat.

V. Pristinis enim illis seculis, nemo etiam minore Ordine initiabatur, nisi ut illius functiones *actualiter* exerceret, & tamquam Ostiarius v. g. aut Acolytus Ecclesiæ ministraret. Et cùm singulorum Ordinum essent diversæ functiones, nemo eodem tempore duobus initiabatur; quia inconveniens visum fuisset, duobus ordinibus aliquem insignire, qui non nisi unius Ordinibus functionibus esset applicandus.

VI. Quare ea erat uniformis omnium Ecclesiarum praxis, eaque multis seculis invariata, quod Ordinum etiam Minorum collatio eum dumtaxat in finem fieret ut quis functionibus Ordini annexis applicaretur; si verò judicaretur aliquem altiorem Ordinem mereri, nec in Minore esse probandum, Minor Ordo omittebatur; eodem omisso ad majorem promovebatur; neque taliter promotus dicebatur *per saltum* promotus; aut Ordo omissus priusquam in superiore Ordine suscepto ministrare posset, suppleri debebat; quemadmodum latè & solidè probat Morinus *De SS. Ordinationibus parte* 3. *Exercit* 11. *cap.* 2.

VII. At recentior ac moderna disciplina, Ordines inferiores non tantum requirit, ut quis eorum functionibus applicetur & insistat; sed insuper ut necessario prærequisitos ad majorem; ità ut Ordini superiori aliquid quasi deesse videretur nisi omisso inferiore esset collatus.

VIII. Hinc si etiam Ecclesiæ necessitas aut utilitas postulet, ut quis simplex Clericus repentè ad Sacerdotium promoveatur;

moveatur; sciaturque, illum numquam inferiorem Ordinum functionibus applicandum, nihilominus omnibus inferioribus Ordinibus erit mittandus, quantumvis eodem die, antequam Sacerdotio initiari queat.

IX. Et quidem si vel uno omisso promoveretur, *per saltum* promotus censeretur; atque de hujusmodi promotis agitur suo titulo Decretalium *De Clerico per saltum promoto*, & in Concilio Tridentino *Sess. 23. cap. 14. De Reformat.* ubi dicitur: "Cum promotis *per saltum* si non mini„straverint, Episcopus ex legitima causa possit dispensare": nimirùm ut in Ordine suscepto ministret, postquam Ordinem omissum susceperit; uti colligitur ex *Cap. Unico* ;; *De Clerico per saltum promoto*.

X. Verum tametsi hodierna disciplina collationem inferiorum Ordinum præquirat tamquam partes quodammodo integrales Ordinis superioris, nihilominus etiamnum hodie optat Ecclesia, ut ordinibus illis insigniantur qui functionibus Ordinum illorum incumbant; atque certo tempore in illis probentur, priusquam ad altiores assumantur.

Quid Synodus Tridentina, ac Synodi Belgicæ de *interstitiis* inter Minores Ordines servandis dixerint, sufficienter expositum est suprà *parte 1. tit. 1. cap. 2.* quare hic dumtaxat de *interstitiis* servandis inter Sacros Ordines dicendum.

XI. Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 13. De Reformat.* ait: "Promoti ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem, si *per* „*annum* saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, „nisi aliud Episcopo videatur, ascendere non permit„tantur.

Et *cap. 14.* agens de assumendis ad Ordinem Presbyteratus ait: "Et hi sunt qui non modò in Diaconatu ad minus „per annum integrum, nisi ob Ecclesiæ utilitatem ac neces„sitatem aliud Episcopo videatur, ministraverint &c.

Itaque ex dispositione Concilii Tridentini, cui praxis hodierna Ecclesiæ est conformis, inter Sacros Ordines requiritur ut minus unius integri anni interstitium.

XII. Annus hic non intelligitur civilis constans integris duodecim mensibus; sed Ecclesiasticus, verb. gr. à vigilia Paschæ hujus anni usque ad vigiliam Paschæ anni sequentis; tametsi contingeret, ob mobilitatem festi Paschalis, nondum duodecim integros menses à susceptione ultimi Ordinis Sacri effluxisse: quemadmodum communiter tenent Canonistæ, uti videre est apud Barbosam De Potestate Episcopi *parte 2. Allegat. 14. num. 2.* & notoria praxis comprobat.

XIII. Tribuit autem Synodus Episcopis potestatem dispensandi super his interstitiis, modo id utilitas Ecclesiæ suæ dispensationem postulent.

Hanc eamdem potestatem esse penes Capitulum Sede Vacante; eo quod in jurisdictionem Episcopi succedat; & hæc dispensandi auctoritas jurisdictionis Episcopalis esse censeatur; uti & in Vicarium Capituli, observat Barbosa loco citato *num. 6.* & quotidiana praxis ostendit.

XIV. Episcopus autem cui vigore litterarum dimissorialium facta est potestas aliquem sibi non subditum ordinandi, illum ordinare nequit non observatis interstitiis, nisi proprius Episcopus dispensaverit, & in litteris dimissorialibus id expresserit. Hic enim Episcopus cum tantum possit in hunc non suum subditum potestatem exercere vigore litterarum Dimissorialium, tenetur ejus tenorem observare, nec quidquam sibi arrogare potestatis ultra illam quæ litteris expressa est.

XV. Porro quia hæc *interstitia* jam pridem, uti & hodie præscripta sunt, ut Ordinandi in functionibus inferiorum Ordinum probentur, atque ex eorum recta administratione pateat, num ad altiorem gradum promoveri mereantur, juxta illud Apostoli de Diaconis: *Qui enim bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent*, præcipuè hic attendendum erit Episcopis, num promovendi ad Sacros Ordines sint sufficienter probati.

XVI. Quid enim si per plures annos in Seminariis aut Collegiis Academicis fuerint versati; seseque idoneos ad Sacros Ordines etiam Presbyteratus multis argumentis probaverint, tametsi vel ob defectum tituli, vel aliam rationabilem causam, suscipere Ordines sacros distulerint, cum his indubie facilius Episcopi dispensare poterunt: eò quod finis interstitiorum jam haberi supponatur. Accedit, quod cum hodie Subdiaconatus functiones ad solam publicam in Missa solemni Epistolæ decantationem, & Diaconatus ad Evangelii decantationem penè sint redactæ, nulla aut admodum exigua hodie haberi potest probatio capacitatis seu idoneitatis pro Ordinibus Superioribus ex functionibus Subdiaconatus vel Diaconatus, quæ non eadem à Clericis aut Theologis in Seminariis Episcopalibus vel Collegiis Academicis studentibus, & nondum hisce Ordinibus insignitis, haberi queat.

Igitur præcipua cura Episcoporum in conferendis Ordinibus, & in dispensando super interstitiis esse debet, ut intelligant, an Ordinandi satis sint ipsis quocumque modo Probati, ut securè eis manus imponere possint.

XVII. Dispensatio Episcopalis super interstitiis non eo usque tamen se extendere potest, ut nullum inter Ordinem sacrum jam susceptum & suscipiendum temporis intervallum intercedat, eodemque die plures conferantur: quia Synodus Tridentina citato *cap. 13* expressè decernit: "Duo „Sacri Ordines *non eodem die*, etiam Regularibus confe„rantur: privilegiis ac indultis quibusvis concessis, non ob„stantibus quibuscumque.

XVIII. Adhæc "ad Subdiaconatum, nisi in quatuor tem„poribus, aut Sabbato sancto, vel Sabbato ante Domini„cam de Passione, nulli Episcoporum, præterquam Roma„no, licet aliquem ordinare, " *cap. 3.* ;; *De Temporibus Ordinat.* Quod de Subdiaconatu dicitur in hac Decretali, id generaliter de sacris Ordinibus asseritur in *Cap. 3.* ;; *eod.*

XIX. Itaque cum Episcopus extra statuta hæc tempora Ordines sacros conferre nequeat, ac insuper vetitum sit, eodem die duos Sacros Ordines dare, consequens est, quod non obstante Episcopi dispensatione, debeat is qui uno die horum temporum Ordinatus est, exspectare alterum proximum tempus Ordinationum, ut ulteriorem suscipere possit.

Hinc moris est, ut recurrant ad Sedem Apostolicam pro speciali dispensatione, qui vel extra statuta tempora Ordinationum ordinari volunt, vel uno eodemque die plures Sacros Ordines suscipere intendunt.

CAPUT VI.

De Titulo Ordinationis.

1. *Ecclesia, cui in ordinatione Clericus adscribebatur olim dicebatur ejus* Titulus.
2. *Titulum mutare non poterant.*
3. *Ordinari sine* Titulo, *erat ordinari sine adscriptione alicui Ecclesiæ.*
4. *Ordinari ad* Titulum, *& ad certam Ecclesiam olim coincidebant.*
5. *Titulus ordinationis olim publicè coram populo denuntiabatur.*
6. *Disciplina hæc nullum alium* Titulum *agnoscens duravit usque ad seculum 12.*
7. *Concilium Lateranense loquens de* Titulo, *aliquam patrimonii mentionem primum fecit.*
8. *Concilium Lateranense pristinam disciplinam labefactare non intendit.*
9. *Occasio recedendi à pristina disciplina ex Decreto Concilii Lateranensis sumpta.*
10. *Verisimile dictum Decretum Titulo patrimoniali initium dedisse.*

11. *Seculo 13. plane diversa de Titulo ordinationis idea à pristina invaluit; quæ & hodie obtinet.*
12. *Decretum Synodi Tridentinæ circa Titulum ordinationis.*
13. *Synodus Tridentina Titulum patrimonialem duntaxat ut* extraordinarium *agnovit.*
14. *Synodus Trid. non vult in* Titulo *solum attendi, an sufficiat ad honestam sustentationem.*
15. *Requirendo Titulum beneficialem unà voluit pristinam disciplinam reducere.*
16. *Quomodo intentioni Ecclesiæ non semper satisfaciant Episcopi, ad Titulum* beneficialem *ordinantes.*
17. *Qua ratione aliquando magis satisfaciant, ordinantes ad Titulum* patrimonii.
18. *Quid nomine* Beneficii *hic intelligatur?*
19. *Fundatio alicujus Missæ quando pro* Titulo *servire possit?*
20. *Quid veniat nomine* patrimonii?
21. *Quomodo Beneficium censeatur verè &* pacificè *possideri, ut pro Titulo admittatur?*
22. *Quandonam patrimonium* fictè *possideatur?*
23. *Qui* fictè *patrimonium pro Titulo supponit habetur pro Ordinato sine Titulo.*
24. *Juramentum Ordinandorum de* vera *Tituli possessione.*
25. *Quibus speciale perjurii periculum immineat.*
26. *Ad occurrendum fraudibus circa Titulos patrimoniales quid statuerit S. Carolus.*
27. *Ut quis ordinetur ad Titulum patrimonii non sufficit habere patrem divitem.*
28. *Pater cogi potest ad assignandum filio Titulum.*
29. *Patrimonium assignandum super re* certa.
30. *Requiritur Titulus sufficiens ad sustentationem* Ordinandi.
31. *Quid sufficiat aut requiratur relinquitur determinationi Episcopi.*
32. *Magna requiritur in hac determinatione circumspectio.*
33. *Periculosum aliquid generaliter pro Tituli sufficientia determinare.*
34. *Nonnulli Episcopi justo rigidiores.*
35. *Quid in Tituli determinatione præcipuè attendendum?*
36. *In Titulum Honoraria Missarum non imputanda.*
37. *Titulus alienari vetitus.*
38. *Juramentum Ordinandorum de non alienatione Tituli.*
39. *Edicta Principum de non alienandis Titulis.*
40. *Prohibitio alienationis intelligitur*, salvo jure tertii.
41. *Reditus redimibilis in Titulum assignatus potest redimi; sed reapplicandus.*
42. *Titulus* patrimonialis *an alienari queat mox adepto Beneficio?*
43. *Filius mortuo patre, an bona in Titulum data retinere queat?*
44. *Quæ sit pœna sine Titulo Ordinatorum?*
45. *An Ordinati sine Titulo irregularitatem incurrant, si ministrent in Ordine suscepto?*
46. *De obligatione Episcopi providendi Ordinato de necessariis.*

I. Titulus Ecclesiasticus olim dicebatur Ecclesia ad quam deserviendam ordinabantur Diaconi aut Presbyteri; ità ut in ea *stabilitatis* promissionem facere tenerentur, & ab ea recedere non possent.

II. Hinc Capitulare datum in Synodo cui interfuit Bonifacius Apostolicæ Sedis Legatus circa annum 144. *cap.* 5. "De Sacerdotibus qui suos titulos absque licentia Episcopi „dimittunt aut dimiserunt, statutũ est, ut tamdiu à commu„nione habeantur alieni, quousq; ad suos titulos revertãtur.

In Canonibus Isaaci Episcopi Lingonensis seculo IX. legitur *tit.* 10. *cap.* 2. "Ut Presbyteri qui in *titulis* consecran„tur secundum Canones, antequam ordinentur, promis„sionem *stabilitatis* loci illius faciant.

Synodus Remensis anno 813. *Can.* 20. "Ut Pres„bytero de minore titulo ad majorem non liceat transmi„grare.

Addit sub idem tempus Synodus Turonensis III. cap. 14. *Sed in eo permaneat ad quem ordinatus est.*

Neque alio sensu accipiebatur in Synodo Londinensi anno 1125. ubi statuebatur: "Nullus in Presbyterum, nullus „in Diaconum nisi ad *certum titulum* ordinetur: qui verò „absolute fuerit ordinatus, sumpta careat dignitate.

III. Jam enim pridem *Canone* 6. Concilii Calchedonensis vetitum erat, aliquem *absolute* sive *simpliciter* ordinare; Canonis verba sunt: "Placuit nullum *absolutè* ordinari, nec „Presbyterum, nec Diaconum, nec omnino aliquem eo„rum qui sunt in Ordine Ecclesiastico, nisi specialiter in „Ecclesia civitatis, vel pagi, vel martyrio, vel monasterio, is „qui ordinatur, destinetur. Eos autem qui absolutè ordi„nantur, decrevit S. Synodus irritam ac invalidam habere „ejusmodi manuum impositionem, & nusquam exercere „ac operari posse ad ejus qui ordinavit injuriam.

Hic ordinari *absolute* opponi ordinationi ad certam Ecclesiam, sive Oratorium vel Monasterium cui ipsâ ordinatione alligetur, ut ibidem functiones Ordinis sui obeat, ipse Canonis contextus sufficienter probat.

IV. Unde ad *titulum* promoveri olim idem sonabat, quod alicui Ecclesiæ in ipsa ordinatione adscribi, aut eidem intitulari.

Antiqua admonitio Synodalis: "Res & facultates quas „post diem ordinationis vestræ acquiritis, ad Ecclesiam „ad quam *titulati* estis, pertinere sciatis. "Et Ratherii Veronensis Episcopi Epistola Synodica ad Presbyteros: "Nullus Ecclesiam ad quam *titulatus* est, relinquat, & ad „aliam quæstûs causâ migret. "Ità quoque habetur in Capitularibus Caroli M. *lib.* 3. *cap.* 5. Adde Concilium Placentinum anno 1095. *cap.* 15.

Itaque antiquitus ordinari *ad titulum* nihil aliud erat, quàm ordinari ad certam Ecclesiam, sive alicui Ecclesiæ *intitulari* seu adscribi ad hoc, ut Ordinis suscepti functionibus incumberet.

V. Hi autem tituli sive Ecclesiæ cui quisque Ordinandorum adscribebatur, in ipsa Ordinatione *publicè* denuntiabantur: cujus denuntiationis formula in antiquo Ordine Romano exprimitur his verbis: "Ascendit lector ambo„nem & elevatâ voce legit *Brevem* in aures populi conti„nentem: Agnoscat caritas vestra, quia ille & ille advo„cantur in tali officio vel in tali gradu: si quis habet con„tra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter pro„ter Deum & secundum Deum, & dicat.

Quod si nullus aliquid opponeret, tunc vel ab Episcopo, vel ab Archi-diacono pronuntiatio hæc coram populo fiebat: De domo sanctæ Mariæ elegimus Petrum in *Presbyterum ad eumdem* TITULUM, *vel in Diaconum aut Subdiaconum in tali Ecclesia.* Istiusmodi publicationis & intitulationis meminit Glossa ad *Cap.* 54. ꝟ. *De Elect.* Verbo, *Intitulatum.*

VI. Hæc disciplina quæ alium titulum non agnoscebat, nisi Ecclesiam cui Clericus per Ordinationem adscribebatur, in ea perpetuò ministraturus, duravit usque ad seculum 12. ità ut toto illo tempore, cum de *titulo* Ordinationis agebatur, numquam mentio patrimonii aut proventuum, unde Ordinandus sustentationem accipere posset, ullibi fieret.

VII. Primò Concilium Lateranense sub Alexandro III. sub finem seculi 12. de *titulo* Ordinationis aliquam mentionem *Patrimonii* fecit. Refertur Decretum in *Cap.* EPISCOPUS ꝟ. *De Præbendis*, his verbis; "Episcopus si aliquem „sine certo titulo, de quo necessaria vitæ percipiat, in Dia„conum vel Presbyterum ordinaverit: tamdiu ei necessa-

„ria

Digitized by Google

„ria subministret, donec in aliqua Ecclesia ei convenien„tia stipendia militiæ Clericalis assignet. Nisi talis ordinatus de sua vel paterna hæreditate, subsidium vitæ possit habere.

VIII. Sat manifestum est, Concilium Lateranense hoc suo Decreto nequaquam voluisse, pristinam & tot Canonibus stabilitam disciplinam de non ordinandis Presbyteris aut Diaconis *sine titulo*, id est, sine *adscriptione certa Ecclesiæ* revocare aut immutare; sed dumtaxat pœnam decernere in Episcopos sine titulo ordinantes; nimirum, quod ipsi tenerentur hujusmodi Clerico tamdiu necessaria subministrare, donec in aliqua ei Ecclesia convenientia stipendia militiæ Clericalis assignet. Sed quia æquum non videbatur obligare Episcopum, ad subministrandum necessaria Clerico sine titulo ordinato, qui sufficientia habebat ex patrimonio, addidit Concilium hanc exceptionem: *Nisi fortè talis, qui ordinatur, extiterit, qui de sua, vel paterna hæreditate subsidium vitæ possit habere.*

IX. Interim quia Concilium nullam aliam pœnam contra Ordinantes *sine titulo* decrevit, nisi quod Ordinantes Clericis sic ordinatis *necessaria* subministrare tenerentur; atque ab hac pœna etiam ex Decreto Concilii eximerentur, si Clericus sic ordinatus aliunde haberet vitæ sufficiens subsidium, paulatim creditum fuit, Ordinationes *sine titulo* licitas esse, modo Ordinandis de sufficienti vitæ subsidio foret provisum.

X. Quare non sine fundamento creditur, hoc Decretum Concilii occasionem & originem dedisse titulo *Patrimoniali* nec non mutationi disciplinæ per undecim sæcula circa titulum Ordinationis religiosè observatæ; tametsi id præter intentionem Concilii accidisse videatur. Vide Ludovicum Thomasinum De Disciplina Ecclesiæ *parte 4. lib. 2. cap. 2.*

XI. Quidquid sit, hoc negari nequit, titulum patrimonii à sæculo 13. passim invaluisse, atque *titulum* Ordinationis non amplius acceptum fuisse pro *Ecclesia* cui Ordinandus adscriberetur, eum in finem, ut ibidem stabiliter functiones Ordini proprias obiret; sed pro proventibus è quibus ipse Ordinandus honestè vivere possit: adeo ut dum hodie de titulo tractabatur, hoc unum bene examinetur, an Ordinando sat provisum sit, ut honestè vivere queat; ne alias incidat in incommoda quæ ex penuria & necessariorum defectu oriri contingit.

XII. De titulo Ordinationis sic sumpto agit Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 2. De Reformat.* decernitque: "Cum „non deceat eos, qui Divino ministerio adscripti sunt, „cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem „quæstum exercere: compertumque sit, complures plerisque in locis ad sacros Ordines nullo ferè delectu admitti; „qui variis artibus ac fallaciis confingunt, sed beneficium „Ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere statuit sancta Synodus, ne quis deinceps Clericus sæcularis, „quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia & ætate, ad „sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, „eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò beneficium re„signare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constet, quod aliunde vivere commodè possit: & „aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel „pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi „illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque „prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè „ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint.

Ex hoc Decreto patet, Synodum quidem agnovisse duos titulos Ordinationis, *Beneficialem* scilicet & *Patrimonialem*; non eodem tamen modo.

XIII. Nam decernendo, ne quis deinceps Clericus sæcularis ad sacros Ordines promovendos, nisi prius legitimè constet, eum *Beneficium Ecclesiasticum* pacificè possidere, satis indicat, titulum Beneficii esse titulum *Ordinarium*; eumque solum ut talem agnosci à Synodo: Patrimonialem verò, tamquam *extraordinarium*; ad quem nullum ordinari permittit, nisi quem Episcopus admittendum judicaverit pro *necessitate* vel *commoditate* Ecclesiæ suæ.

Hinc colligit Fagnanus ad *Cap.* EPISCOPUS 4. *De Præbendis num. 24.* Synodum Tridentinam sustulisse dispositionem *Cap. Tuis* 4. *eod.* in quantum ibi concedebatur, *indifferenter* ordinari ad titulum *Patrimonii* vel Beneficii: "Nam, ait, hodie solum Beneficium est titulus *legitimus* ad „Sacros Ordines, patrimonium verò non nisi *dispensativè*, „quemadmodum alias etiam declaravit S. Congregatio „Concilii Interpres.

XIV. Inde ulterius concludendum, Synodum Tridentinam non voluisse, in titulo ordinationis solum attendi, utrum Ordinandus habeat sufficiens vitæ subsidium. Id enim æque ex patrimonio, quam ex Beneficio haberi potest: sed insuper, ut Clericus alicui Ecclesiæ vi sui tituli adscriptus esset, ubi *stabiliter* functionibus sui Ordinis incumberet; quemadmodum Patrum disciplina religiosè servavit; quæ Clericos otiosos & vagantes nulli speciali Ecclesiæ adscriptos exclusos volebat.

XV. Per Beneficium autem ex moderna disciplina Clericus constituitur minister specialis illius Ecclesiæ in qua ipsum Beneficium est fundatum; atque ità Synodus decernendo nullum Ordinandum, nisi qui Beneficium Ecclesiasticum possidet, unà censetur decrevisse, nullum esse Ordinandum, nisi certæ Ecclesiæ tamquam illius Minister foret inscriptus: quod postmodum *Sess. 23. cap. 16. De Reformat.* apertius declaravit, ubi "inhærendo vestigiis sexti Canonis „Concilii Calchedonensis statuit, ut nullus imposterum „ordinetur, qui illi Ecclesiæ, aut pio loco, pro cujus necessitate aut utilitate assumitur, non adscribatur, ubi suis fungatur muneribus, nec incertis vagetur sedibus.

XVI. Porrò cum hodie plura sint Beneficia, quæ vel non requirunt residentiam, aut personale servitium, aut adeo exiguum, ut Clerici ea obtinentes, penè tota die otiosi esse, aut incertis sedibus vagari queant, nullatenus Episcopi mentem Decreti assequuntur, qui quoslibet, etiam Beneficium Ecclesiasticum habentes ordinant; si ulterius non examinent, num Ordinatus vi sui Beneficii ità censebitur Ecclesiæ adscriptus, quod ibi convenienter ad suam vocationem muneribus Ecclesiasticis fungetur, nec incertis sedibus vagabitur.

XVII. Econtrario, si Episcopus Clericum, nullum quidem Beneficium habentem; sed doctum, pium, & non obscura vocationis ad statum Ecclesiasticum signa præferentem; quemque paratum videt ad obeundas functiones Pastorales aut Ecclesiasticas, quas ipsi imponere Superiores judicaverint, ad Sacros Ordines solo titulo *patrimonii* admittat vel assumat haud dubium, quin hic ipsam Decreti mentem, & Ecclesiæ intentionem assequetur.

Et sanè, plurimos hodie videmus Seminariorum & collegiorum Academicorum alumnos ad titulum *Patrimonii* ordinatos, qui strenuè & in magnam Ecclesiarum utilitatem functionibus Ecclesiasticis, vel tamquam Vice-Pastores, vel Confessarii aliove titulo incumbunt: ità ut nullatenus titulus *Patrimonii* sit reprobandus, modo hoc unum caveatur, ne passim eo titulo otiosi ac vagabundi in sacros Ordines involent; quod jam pridem Ecclesia præcavere voluit, dum neminem *absolutè* ordinari voluit; uti supra notatum est.

XVIII. Cæterum in Decreto Concilii Tridentini nomine Beneficii venit *verum* Beneficium, quod nimirum in *titulum perpetuum* per Canonicam institutionem obtinetur.

Unde ad titulum Vicariæ *temporalis*, aut alicujus fundationis Missarum, vel alterius officii ad *nutum amovibilis*, neque in titulum dari soliti, nemo potest promoveri tamquam ad titulum *Beneficii*; imò nequidem pro titulo Ordinationis

Digitized by Google

nationis servire potest, quamdiu manet in terminis *amovibilitatis ad nutum*: quia per hujusmodi officium, tametsi optimos proventus haberet annexos; non satis consultum esset Ordinato de sufficienti vitæ subsidio: cum illi *ad nutum* alterius posset auferri. Neque ipse Episcopus aliquem ordinando ad hujusmodi Vicariam, fundationem, aut officium potest illud ex temporali seu amovibili facere *perpetuum* sive *inamovibile*, ut rectè advertit Barbosa *De Potestate Episcopi parte 2. Allegat.* 19. *num.* 25.

XIX. Si tamen fundatio missarum alteriusve officii Ecclesiastici ad aliquem pleno jure spectaret, ut si v.g. ipsemet fundasset eâ conditione, ut pro suo arbitrio Sacerdotem ei præficeret, non apparet, cur de consensu hujusmodi Fundatoris non posset hujusmodi fundatio in titulum Ordinationis admitti. Hoc ipso quippe, quo eam in titulum assignat, censetur eam non ad tempus dumtaxat, sed *in perpetuum* ipsi ordinando assignare. Et licet per hoc in Beneficium non transiret, nec consequenter in titulum *Beneficialem* assumi possit, saltem ut *titulus Patrimonialis* admitti poterit.

XX. In hac quippe materia, *Patrimonii* vocabulo intelligitur, non solum quidquid ex bonis patris filio obvenit, verùm etiam omne quod aliunde, & quavis ex causâ illi delatum est, quia satisfit intentioni Decreti Concilii Tridentini, undecumque habeat victum, ne mendicet, Barbosa loco allegato *n.* 52.

XXI. Ut quis ad titulum Beneficii ordinetur, requiritur, ut illud *verè* & non *fictè* possideat, idque *pacificè*, id est, sine ulla lite, sive quod nullam patiatur controversiam sive juris, sive facti super ipso titulo Beneficii, in judicio vel extra judicium; Barbosa loco citato *num.* 16. tametsi esset aliqua difficultas aut controversia super aliqua parte proventuum etiam majore; quia equidem verum manet, ipsum Beneficium *pacificè* possideri. Posset tamen fieri, quod tanta pars proventuum esset controversa, ut Beneficium in titulum admitti non deberet; non quia *pacificè* non possideatur; sed quia dubium & controversum est, num *sufficiens* sit ad honestam ordinandi sustentationem.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* ait: "Nemo ad Ordines ad titulum Beneficii quantumvis optimi promoveatur, nisi Canonicam institutionem, & *pacificam* possessionem antea obtinuerit.

XXII. Similiter ut titulo *patrimonii* quis ordinetur, requiritur, ut patrimonium *verè* & non *fictè* possideat; sive quòd reverà tamquam *proprium* illud habeat; ut proventus illos liberè sibi suisque usibus applicare queat. *Fictè* autem possidere censetur, qui illud accepit ea conditione tacitè vel expressè adjecta, quod illud quidem in titulum Ordinationis supponere & affectare queat, sed quod numquam proventus illius accipiet, at illos integros aut majorem illorum partem danti relinquet.

XXIII. Ordinatus autem ad titulum *patrimonii* ex simili *ficta* donatione procedentis, "non manet securus in conscientia, imò revera esset tamquam ordinatus sine *titulo*, „ & incurreret pœnam suspensionis positam contra ordinatum sine titulo; per Constitutionem Sixti V. contra Clericos malè promotos; " ita post alios citatos Barbosa citata *allegatione* 19. *num.* 57. qui *num.* 57. addit ex Garcia de Beneficiis *parte* 2. *cap.* 5. *num.* 169. "Si tamen pactum & „ conditio in patrimonio adsit de illo reddendo cum Ordinatus habuerit Beneficium sufficiens, vel aliàs, unde vivere „ possit, nulla tunc incurritur suspensio, cum non sit contra „ mentem & dispositionem Concilii Tridentini.

XXIV. Ut prædictis fraudibus obviarent Episcopi nostri in suis respectivè Synodis statuerunt, ut "juret quilibet „ Ordinandus ad titulum patrimonialem, aut beneficialem „ quod titulum, quem pro futura sua promotione exhibet, „ *verè* & sine ulla *fraude* possideat. " Ità Synodus II. Mechliniensis *tit.* 9. *cap.* 8.

Synodus II. P. Cameracensis *tit.* 10. *cap.* 4. proponit formulam juramenti præstandi ab iis; qui *patrimoniali* titulo ad Ordines sunt promovendi, juxta quam Ordinandus inter alia jurat, "Quod in acquisitione bonorum meorum „ patrimonialium, ad quorum titulum sum promovendus „ ad Sacros Ordines, nulla fraus aut dolus intercessit, quod„ que illa verè possideo.

XXV. Singulare hic imminet periculum Clericis tenuioris fortunæ, qui à consanguineis suis interdum emendicant aut ex quadam compassione aut respectu aliquo humano accipiunt bona aliqua in titulum, vel à parentibus bona omnia aut majorem partem eorum, etiam consentientibus aliis prolibus sat indigentibus, in titulum assumunt; facilè enim hic si non expressa, saltem tacita promissio intervenit, de non convertendis proventibus illorum bonorum in proprios usus, ità ut dumtaxat fictè & specie tenus bona illa in ordinandum transferantur.

XXVI. Sanctus Carolus in suo Concilio Mediolanensi IV. *parte* 2. *cap.* 8. voluit, ut Beneficium vel census in titulum assignatus, etiam à Parocho publicè in Ecclesia proponeretur ante ordinationem; idque potissimum in ea Parochiali Ecclesia; intra cujus limites major ejus census sive Ecclesiastici, sive alterius generis pars posita est.

XXVII. Ulteriùs quia requiritur ut *patrimonium* in titulum assignandum *verè* possideatur ab ordinando, non sufficit, quod ordinandus habeat patrem divitem, amplamque ex successione paterna hereditatem exspectet; sed requiritur ut aliquam bonorum partem à Patre sibi in titulum assignatam habeat, & *verè* possideat; uti post alios notat Barbosa loco citato *numero* 60. & latè Fagnanus ad *Cap.* EPISCOPUS *ii De Præbendis numero* 26. 27. & 28.

XXVIII. Si autem filius Ordines assumere intendat; atque ad eos vocatus videatur pater autem titulum dare recuset, poterit ad eum assignandum cogi, non secùs atque ad dandam dotem filiæ nubere volenti; quemadmodum aliis citatis monet Barbosa ibidem *num.* 63.

XXIX. Patrimonium verò in titulum assignandum constitui debet super re certa: si enim esset res incerta, sciri non posset, num annui proventus essent sufficientes honestæ sustentationi Ordinandi: unde nullus potest promoveri titulo lucri quod ex industria acquirere posset; putà quòd sit Musicus, Magister Grammatices, &c. & ità sæpius decisum ait Barbosa ibidem. *nu.* 57.

XXX. Adhæc non quodcumque beneficium aut qualecumque patrimonium pro titulo ordinationis sufficit; sed requirit Synodus Tridentina, ut tam illud, quam hoc sit sufficiens in proventibus & valore, quod Ordinando ad victum honestè sufficiat, ità ut periculum non sit, quod defectu necessarii vitæ subsidii cum Ordinis dedecore sit mendicaturus, aut sordidum aliquem quæstum exerciturus.

XXXI. Quantum autem requiratur ad honestam illam sustentationem, non expressit Synodus; neque generaliter determinari poterat: quandoquidem uno loco, unove tempore aliqua sufficere queant, quæ alio loco aliove tempore non sufficerent. Meritò ergo hanc determinationem Synodus permittit Episcopis; illud generaliter injungendo, ut nullum admittant, nisi beneficium, aut patrimonium, pensionemve habeat quæ *ad victum* HONESTE *sufficiant*, aut talia quæ eis *ad vitam sustentandam satis sint*; atque hoc pacto provideant, ne Ordinati cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum, urgente vivendi necessitate, exercere cogantur.

XXXII. Unde ipsi Episcopi hic magna circumspectione procedere debent, ut ritè & diligenter expendant beneficii proventus, ac præcipuè ipsius patrimonii conditionem; attendentes conditionem temporis, loci, nec non circumstantias omnes, ob quas ipse valor beneficii, ipsiusque patrimonii decrescere, aut proventuum solutio deficere possit;

possit; atque ita ipsos Ordinandos ad egestatem redigendos, cum sequela eorum incommodorum, quæ per tituli sufficientiam averti desideravit Synodus Tridentina.

Et sanè quod non videmus hodie Sacerdotes seu titulo beneficii seu patrimonii ordinatos, cum ordinis dedecore quasi mendicè vivere, & sordidum quæstum exercere; idque non in rebus profanis, sed maximè sacris, v.g. Missarum celebratione.

XXXIII. Requirant Episcopi Beneficium aut patrimonium quod annuè etiam ad trecentos florenos æstimatur & taxetur, si communi æstimatione sint contenti, nonne frequenter continget, quod vel proventus injuria temporum, vel aliunde decrescent, vel solutio deficiet; atque ità Clerici eo titulo ordinati necessariis vitæ subsidiis destituentur?

Quid ergo remedii, cùm vix amplior titulus requiri posse videatur? Sanè si Episcopi nullum ordinarent, præsertim ad titulum *patrimonii*, nisi quem judicarent pro necessitate aut commoditate Ecclesiarum suarum assumendum; id est, quem scirent, quod tamquam Minister Ecclesiæ posset & vellet militare & operari, non tam solliciti esse deberent de valore tituli; hujusmodi enim facilè per Episcopos servitio Ecclesiæ, unde honestè vivere possent, applicarentur.

XXXIV. Hinc Episcopi nonnulli in admittendis & exigendis titulis interdum justò rigidiores apparent, præsertim respectu Clericorum quos vident eruditione, pietate, aliisque dotibus Clericalibus adeò insignes; ut nullus fundatus videatur subesse metus, quod hi defectu necessariorum cum Ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere cogentur; ubi econtrario, per nimis rigorosam in his titulis exactionem, sæpius defraudant Ecclesiam optimis & strenuissimis operariis.

XXXV. Itaque in titulorum præfixione & exactione primum & ante omnia ad hoc allaborare debent Episcopi, ut præcaveatur omnis vilis & sordida mendicitas, & qualiscumque sordidus quæstus in Ecclesiæ Ministris, quapropter sollicitè cavere debent, ne quocumque titulo admittant ad Sacros Ordines, quos admodum verisimile est, non alium in finem Ordines expetere, nisi ut de celebratione Missarum faciant artem de pane lucrando: qui est quæstus longè sordidissimus.

XXXVI. Quare procul à mente Synodi Tridentinæ aberrant Episcopi, qui in supplementum tituli computant honoraria, quæ ordinatus in Presbyterum ex celebratione Missarum lucrari poterit; cum hac computatione ipse Ordinandus quodammodo adigatur ad sordidum quæstum exercendum: dum scilicet cogitur ex celebratione Missarum ceu quodam opificio vitæ necessaria quærere, sive de *celebratione Missarum facere artem de pane lucrando.*

XXXVII. Ut autem titulus ordinationis sit firmus & perpetuus; nec unquam contingat, Ordinandum in eam penuriam incidere, ut ea quasi cogente cum Ordinis dedecore ad mendicitatem redigatur, aut sordidum aliquem quæstum exercendum, statuit Synodus Tridentina, quod beneficium in titulum ordinationis assignatum & admissum resignari non possit, nisi factâ mentione, quod ad illius beneficii titulum resignans sit promotus: neque ea resignatio admittatur, nisi constiterit, quod aliunde vivere commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit.

De patrimonio similiter & pensione in titulum datis eodem capite decrevit Synodus: " Atque illa deinceps sine li„centia Episcopi alienari aut extingui, vel remitti nullate„nus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens „sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint.

XXXVIII. Synodi Belgicæ pro efficaciore executione hujus Decreti decreverunt, " ut juret Ordinandus, quod ti„tulum non resignabit, vel alienabit, nisi ei de alio titulo „sufficienti sit provisum; neque tunc quidem aliter, quàm „cum scitu & consensu sui Episcopi, in litteris ipsius resi„gnationis exprimendo: item quod titulum illum, qui in „locum prioris tituli successerit, absque simili consensu „non resignabit vel alienabit." Ita Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 9. cap. 8.* Similis formula juramenti præstandi ab iis, qui ad titulum patrimonii ordinantur, extat in Synodo P. II. Cameracensi *tit. 10. cap. 4.*

Et *capite 5.* desiderat Synodus Cameracensis, ut impetretur à Regia Majestate seu Concilio Regio Edictum, quo fraudibus eorum, qui titulos patrimoniales, contra juramentum à se præstitum sæpe alienant, occurratur.

XXXIX. Huic Synodi desiderio satisfacere volens Philippus II. in Edicto ad Synodum *art. 10.* voluit, " omnes „alienationes, obligationes, oppignorationes, donationes „aut dispositiones hujusmodi bonorum in titulum assigna„torum esse *nullas, nulliusque valoris*, nisi reservato usu„fructu, & libero usu horum bonorum durante vitâ natu„rali eorum qui ad ordines sacros titulo patrimonii pro„moti fuerunt.

Id ipsum statuerunt Principes nostri in Edicto ad Synodum Mechliniensem *artic. 11. & 12.* utque fraudibus obvietur volunt insuper, ut in instrumento tituli, vel Ordinum, bona patrimonialia in titulum assignata specificentur.

XL. Porro hæc alienationis prohibitio ita intelligenda est, ut tamen tertiò præjudicium non generetur; neque bona in titulum assignata naturam vel conditionem suam non mutent in præjudicium tertii.

Unde si bona in titulum assignata subjaceant retractui gentilitio; aut certè ante assignationem pignori seu hypothecæ fuerint subjecta, etiam postquam in titulum fuerint assignata, eisdem conditionibus manent subjecta: poteruntque à proximioribus consanguineis retrahi; aut à creditoribus evinci, non secus ac si non fuissent in titulum data.

XLI. Similiter reditus redimibilis in titulum assignatus, non fit irredimibilis; sed liberum semper manet debitori, eum redimere, sive capitale refundere; quod & Zypæus advertisse videtur, monens: " Cum reditus in titulum assumi„tur, caveri debet, si fiat redemptio, ex Episcopi judicio „disponatur.

XLII. Si pater bona filio in titulum assignaverit, poterit filius patre mortuo ea retinere; neque ea in divisionem hæreditatis veniunt; imò si filius se à paterna hæreditate abstineat, poterit ea sibi retinere; tametsi multùm portionem hæreditariam fratrum vel sororum excedant: at si ad hæreditatem concurrere velit, illa aut saltem eorum æstimationem conferre debere verisimilius est, exemplo dotis, & donationis propter nuptias, quas conferendas esse nemo dubitat.

XLIII. Formula juramenti à Synodo Mechliniensi præscripta sat innuit, patrimonium in titulum ordinationis assignatum, non esse liberum, aut liberè alienari posse hoc ipso quo Ordinatus beneficium Ecclesiasticum fuerit assecutus; sed insuper requiri, ut de consensu Episcopi titulus patrimonii sit exoneratus, & titulus beneficii surrogatus; idque esse conforme Decreto Concilii Tridentini, multis probat Fagnanus ad *Cap.* EPISCOPUS ✠ *De Præbendis n. 46.* & addit: " Hanc interpretationem sæpius videri se„quutam fuisse S. Congregationem; quia aliquando cen„suit Decretum Concilii Tridentini, dum prohibet resigna„tionem beneficii, ad cujus titulum quis fuit ordinatus, non „comprehendere resignationem illius beneficii, quod po„stea consequutus est Clericus jam promotus ad titulum „patrimonii, sed patrimonium ipsum manere *inalienabile.*

XLIV. Synodus Tridentina in fine sui Decreti addidit hanc clausulam: *Antiquorum Canonum pœnas super his innovando.*

Antiqui Canones relati apud Gratianum *Dist. 70.* ordinationes Clericorum *sine titulo* irritas, ac vacuas esse ad injuriam ipsius ordinantis decernebant; quemadmodum ipse quoque Innocentius III. in *Cap. 16.* ✠ *De Præbendis* notavit his verbis: " Licet autem Prædecessores nostri ordina„tiones eorum, qui sine certo titulo promoventur, in inju„riam ordinantium *irritas* esse voluerint & *inanes* " &c

Hinc nonnulli crediderunt, ex Decreto Concilii Tridentini antiquorum Canonum pœnas innovante, ordinatos sine certo titulo esse à Sacris Ordinibus suspensos, & si ministraverint, futuros irregulares.

Verum quia per citatum **Capitulum 16.** ꝟ **De Præbendis** pœna suspensionis per antiquos Canones inflicta abrogata erat; communi pene Canonistarum consensu receptum fuit, Synodum Trid. per *antiquos* Canones duntaxat intellexisse eas Decretales, quæ Episcopum obligant ad subministrandum vitæ necessaria Ordinato sine titulo; de qua obligatione agitur in *Cap. 2. 4. & 16.* ꝟ *De Præbendis*, & *in Cap. 36. eod. in* VI. Hancque sententiam, proposito dubio S. Congregationem Concilii interpretem amplexam esse testatur Fagnanus ad *Cap.* Cùm SECUNDUM APOSTOLUM ꝟ *De Præbendis num. 63.*

XLV. Unde cum quidam sine titulo ad Ordines promoti ministrâssent; quæsitumque fuisset, an irregularitatem propterea incurrissent, respondit S. Congregatio, Oratores quidem minimè debuisse ad Sacros Ordines absque titulo sufficienti beneficii vel patrimonii promoveri, debuisseque observare, quod providè statuitur Decreto *Cap. 2. Sess. 21.* Cæterùm ordinatos ante felic. record. Sixti V. Constitutionem hac de re editam nequaquam propterea esse suspensos neque irregulares, tametsi in susceptis Ordinibus ministraverint; uti refert Fagnanus ibid. *num. 64.*

Constitutio Sixti V. cujus meminit S. Congregatio, incipit *Sanctum & salutare* 40. in Bulla. R. atque in ea Clerici sine titulo sufficientis beneficii aut patrimonii ad Sacros Ordines promoti declarantur perpetuò suspensi ab executione dictorum Ordinum, & si in eis ministraverint, irregulares. Sed quoad hunc articulum postmodum Clemens VIII. hanc Constitutionem Sixti V. reduxit ad terminos Concilii Tridentini per Constitutionem quæ incipit, *Romanum Pontificem* 30. in Bull. R.

Si tamen Clericus fictis instrumentis aliisve fraudibus decepisset Episcopum ordinantem, falsum titulum supponendo & fingendo, eo casu juxta antiquos Canones Clericum suspensum fore ab executione susceptorum Ordinum; eamque pœnam quoad hunc casum à Synodo Tridentina innovatam esse, multis probat Fagnanus loco citato; atque ita aliquando respondisse S. Congregationem refert *num. 68.*

XLVI. De obligatione Episcopi subministrandi Clerico sine sufficienti titulo Ordinato & egenti vitæ necessaria; & quando ejus hæredes, aut successores etiam teneantur; & quibus titulis ab hac obligatione eximi interdum possit, satis latè tractat Fagnanus ad dictum *Cap.* Cùm SECUNDUM APOSTOLUM, qui, casu incidente, consuli poterit.

TITULUS X.

De Irregularitate ejusque Speciebus.

CAPUT I.

De Irregularitate in genere.

1. *Quomodo apud Veteres nota Irregularitas?*
2. *In quo præcipuè antiquitus fundata Irregularitas?*
3. *Multis seculis solum crimen causa fuit Irregularitatis.*
4. *Quâ ratione collapsa disciplina modernis Irregularitatibus occasionem dederit.*
5. *Descriptio Irregularitatis.*
6. *Quare dicatur impedimentum* Canonicum.
7. *Hodie non contrahitur Irregularitas nisi in casibus in jure expressis.*
8. *Nonnisi certa & determinata sunt crimina quibus Irregularitas est annexa.*
9. *Irregularitas crimini annexa, non censetur contracta nisi crimine consummato.*
10. *Irregularitas directè tantùm concernit susceptionem Ordinum eorumque usum.*
11. *Antiqui Canones huic disciplinæ occasionem dedisse videntur.*
12. *Irregularitas in quo distinguatur à Censura?*
13. *Proprium est Irregularitati, quod per pœnitentiam non tollatur.*
14. *Id consonum est pristinæ disciplinæ.*
15. *Irregularitas non semper supponit culpam.*
16. *Irregularitas ferè per solam dispensationem tollitur.*
17. *Duplex species Irregularitatis.*

I. Verbum illud *Irregularitas* in antiquis Canonibus non occurrit, ait Franciscus le Roy Antecessor Andevagensis in Institutionibus Juris Canonici *lib. 3. cap. 16.* sed cùm regulas præscripserint, ex quibus innotescat, quinam ordinari possint, vel non, hi qui ab iis regulis alieni sunt, sive qualitates in regulis præscriptas non habent, dicebantur à regula *alieni*; uti legitur in *Canone 17. Nicæno*, ubi decernitur, quòd si quis Clericus inventus fuerit usuras ex mutuo sumere, vel turpe lucrum sectari, *à Clero deponatur, & sit* ALIENUS à CANONE; uti vertit Hervetus; vel ut legit Dionysius Exiguus: *Dejiciatur à Clero, &* ALIENUS *existat à* REGULA.

Quid verò est aliud, *alienus à Canone* vel *Regula*, nisi *irregularis*, sive secundùm Regulam non probatus; sed à Regula devius.

Adhæc eadem Synodus *Can. 9.* loquens de quibusdam Presbyteris sine examine ordinatis, & peccata ante ordinationem commissa confitentibus ait: *Tales Regula non admittit.* Quid his verbis aliud indicat, quàm Presbyteros illos esse *irregulares*; sive quod Regula eos ad Ordines non admittat; sive ex regula seu Canone excludantur.

II. Specialiter autem notandum, quod post relata verba immediatè subjicit dictus *Canon. 9. Quia quod* IRREPREHENSIBILE *est, Catholica defendit Ecclesia*: quasi diceret, quod *irreprehensibile* est recipit ac tuetur Ecclesia.

Hinc non obscurum est, Synodum irregularitatem præcipuè fundâsse in præcepto Apostoli volentis ordinandum in Episcopum esse *irreprehensibilem & sine crimine.*

III. Et revera multis seculis irregularitas sive exclusio à Sacris Ordinibus, eorumve functionibus, unicè verè in crimine ejusque suspicione constitit; omnisque ille censebatur *irregularis*, qui non erat *irreprehensibilis & sine crimine*; ipsumque crimen commissum irregularem constituebat committentem; hoc est, eum à Sacris Ordinibus in perpetuum arcebat, si nondum iis esset initiatus; aut si jam initiatus esset, à functionibus illorum suspendebat: adeò ut nec acta pœnitentia restitueretur: atque ita revera irregularis censebatur; uti infra *capite 6.* ostendetur.

IV. At cum sensim labentibus seculis disciplina circa admittendos reos alicujus criminis, præsertim occulti, nonnihil fuit relaxata; persuasumque tandem fuit, crimine per pœnitentiam & Sacramentalem absolutionem remisso, sublatum esse impedimentum; atque ipsum reum posse libere

ad Sacros Ordines promoveri, aut ad ſuſceptorum functiones reſtitui, coacta fuit tandem Eccleſia, hanc libertatem ex diſciplinæ prolaptione progenitam reſtringere : nonnullaque crimina defectuſque nonnullos notare, quæ per pœnitentiam quidem eatenus aboleri poſſint, ut quis ad juſtitiam, & cum communibus Fidelibus uſui Sacramentorum reſtituatur, ita tamen ut qui illis ſemel fuerint inquinati à Sacris Ordinibus eorumque functionibus perpetuo maneant excluſi.

Qui itaque ob hujuſmodi crimen aut defectum à Sacris Ordinibus aut eorum functionibus excluduntur, hodie dicuntur *irregulares*; & ſimile impedimentum vocatur *irregularitas*.

V. Unde irregularitas communiter definitur, ***Impedimentum canonicum acceptionem Ordinum Eccleſiaſticorum, aut aliquem eorum uſum directè impediens, etiam poſt pœnitentiam.***

VI. Dicitur impedimentum ***canonicum***, id eſt, jure Canonico ſeu Eccleſiaſtico inductum. Cùm enim jam per diſciplinæ collapſionem eò deventum eſſet, ut etiam graviſſimorum criminum rei poſt actam dignam de crimine pœnitentiam, & abſolutionem à Sacerdote obtentam, ad Sacros Ordines promoveri, aut eorum functionibus reſtitui poſſent nullum amplius ratione criminum aut defectuum videbatur poſt peractam pœnitentiam ſupereſſe impedimentum; viſum itaque fuit, omne hujuſmodi impedimentum adſcribendum eſſe poſitivo Eccleſiæ Decreto; quo ipſa declarat, huic illive crimini aut defectui obnoxios ***in perpetuum*** à Sacris Ordinibus eorumve functionibus eſſe excluſos.

VII. Hinc ulterius pro regula invaluit, irregularitatem ſive hujuſmodi impedimentum non cenſeri contractum, niſi in caſibus à jure expreſſis; quæ regula ſat apertè probatur à Pontifice in Cap. 18. ***de Sent. excommunicat. in*** VI. ubi reſpondet Pontifex, quod " is qui in Eccleſia ſanguinis „ aut ſeminis effuſione pollutâ, vel qui præſentibus majori „ excommunicatione nodatis ſcienter celebrare præſumpſit, „ licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen laqueum „ non incurrit: " adducta hac expreſsâ ratione: ***Cùm id non ſit expreſſum in jure.***

VIII. Quapropter hodie non niſi certa ac determinata ſunt crimina, quæ irregularitatem pariunt; quibus nimirum jus ipſum eam expreſsè annectit: neque ab uno ad alterum ob ejus forſan majorem vel æqualem gravitatem argumentum duci poteſt: quandoquidem juxta modernam diſciplinam, crimen non pareat irregularitatem, niſi id in jure ſit expreſſum.

IX. Hinc ulterius infertur, quod ſi alicui crimini v.g. homicidio aut mutilationi annexa ſit ***irregularitas***, hæc contracta non cenſeatur, niſi ***re ipsâ*** homicidium vel mutilatio ſit ſequuta, tametſi adfuiſſet plena voluntas & exterior conatus; cujus executio etiam caſu quaſi fortuito fuiſſet expedita.

X. Dictum fuit in deſcriptione, receptionem Ordinum, aut aliquem eorum uſum ***directè*** impediens; eò quòd irregularitas ***primariò*** ac ***directè*** tendat ad impediendam Ordinum receptionem, vel eorum uſum impediendum.

Unde cum hodie Beneficia & Ordines, eorumque functiones ſint planè diſparata; neque Ordo ſupponat Beneficium; ipſumque Beneficium ſine ordinum uſu haberi & retineri poſſit; etiam receptum eſt, irregularitatem, quamvis privet uſu & exercitio Ordinum, non tamen privare Beneficio, niſi ſpecialiter in jure fuerit expreſſum quemadmodum de homicidio per Aſſaſſinos perpetrato decernitur in ***Cap. 1. De Homicidio in VI.***

XI. In antiquis quidem Canonibus, ubi de hoc impedimento agitur, tantùm Ordinum & eorum uſus fit mentio; at notandum quod Beneficia non cenſerentur excluſa juxta diſciplinam illius temporis: Nam rectè advertit Franciſcus Le Roy loco citato, " cum olim Ordines & Beneficia ſimul „ omnino conferrentur, eadem irregularitas ad utrumque „ ſimul etiam præcludebat aditum.

Poſtquam ergo Beneficia ab ipſis Ordinibus ſeparari, atque eorum proviſio ab ipſâ Ordinatione ſejungi cœpit; ipſaque diſciplina quæ utramque confundebat jam eſſet obliterata, cœpit quoque ipſa irregularitas ad ſolos Ordines reſtringi; eò quod Canones de ſolis Ordinibus loquerentur: atque ita tandem receptum eſt contra priſtinam diſciplinam, quod irregulares ſuis Beneficiis non cenſeantur privati; nec ab eorum functionibus ſuſpenſi, modò ab Ordinum functionibus abſtineant.

XII. Deinde quia irregularitas ***directè*** ac primariò tendit ad impediendum Ordinum ſuſceptionem, aut eorum uſum ideo ſpecies ***cenſuræ*** non reputatur. Quia licet Cenſura etiam impediat Ordinum ſuſceptionem & uſum; non tamen ***directè*** ac ***primariò*** ad hoc indigitur; nec directus ac primarius eſt hic cenſurarum effectus ſed dumtaxat indirectus & per conſequentiam. v. g. Cenſura impedit Ordinum functiones quatenus ſunt communicatio quædam fidelium, ut ***excommunicatio***: aut quatenus ſunt officia quædam Eccleſiaſtica; hoc eſt à perſonis Eccleſiaſticis exercenda, ut ***ſuſpenſio***: aut quatenus ſunt uſus Sacramentorum, ut ***interdictum***: at ſola irregularitas ***directè*** eas impedit quatenus ſpecialiter ſpectant ad exercitium Ordinum.

XIII. Denique dicitur in deſcriptione irregularitatis, ***etiam poſt pœnitentiam***; quia proprium eſt irregularitati, etiam ex crimine contracta, quod crimine per pœnitentiam remiſſo, nihilominus maneat irregularitas, impediens Ordinum ſuſceptionem aut eorum uſum.

XIV. Id conforme eſt priſtinæ diſciplinæ. Licèt enim crederent Patres, graviora quoque crimina per pœnitentiam deleri; atque poſt remiſſionem peccatores ad juſtitiam redire, & ſine crimine eſſe; nequaquam tamen credebant, eos qui hujuſmodi crimina commiſerant, mox à peracta pœnitentia & obtenta reconciliatione, dici poſſe ***irreprehenſibiles & ſine crimine*** ad ſenſum Apoſtoli requirentis ut Ordinandus in Epiſcopum ſit ***irreprehenſibilis & ſine crimine.***

Quod ergo irregularitas maneat, etiam poſtquam crimina ex quibus hæc orta eſt, per pœnitentiam ſunt deleta; atque ipſe reus ratione commiſſorum criminum impediatur ad ſacros Ordines aſcendere, aut in illis miniſtrare, priſtinæ diſciplinæ reliquiæ ſunt, uti infra ***cap. 6.*** latius oſtendetur.

XV. Neque tantùm ob crimina incurritur irregularitas; ſed & ob defectus quoſdam tum corporis tum mentis ea contrahitur; licèt hi defectus ex nulla culpa contracti ſint, neque ullam in ſubjecto culpam arguant: eò quòd defectus illi vel naturale impedimentum Ordinum executioni ponant, vel aliquam indecentiam annexam habeant, ob quam Eccleſia non judicat paſſim hujuſmodi defectuoſos ad Eccleſiaſtica Miniſteria admittendos.

XVI. Sive autem ex defectu, ſive ex crimine oriatur irregularitas, ſemper parit impedimentum ad Ordines ſuſcipiendos, aut in ſuſceptis miniſtrandum; neque illud impedimentum per pœnitentiam, ſed non niſi per diſpenſationem ordinariè & propriè tollitur.

XVII. Duplex igitur eſt irregularitas, altera ex defectu, altera ex crimine orta; & utraque varias ſub ſe ſpecies complectens: præcipuas magiſque hodie uſitatas dumtaxat proponam, ac primum quæ ex defectu, dein quæ ex crimine oriuntur.

CAPUT II.

De Irregularitate ex Bigamia.

1. *Apoſtolus vult Epiſcopum & Diaconum eſſe* unius uxoris virum.
2. *Quis ſit ſenſus Apoſtoli?*

3. *Quare*

3. *Quare Apostolus voluerit Episcopum esse* unius *uxoris virum.*
4. *Secundæ nuptiæ nunquam reprobatæ; licèt eas contrahentibus subinde pœnitentia fuerit imposita.*
5. *Patres Græci Bigamum non putârunt qui ante Baptismum plures habuit uxores: & quare?*
6. *Irregularitatem ex nuptiis cum Vidua unde desumerent Patres Græci?*
7. *Sanctus Hieronymus Græcis consentiens.*
8. *Innocentius* I. *aliam rationem hujus irregularitatis esse credidit.*
9. *Augustinus Innocentio consentit; & uterque credidit Bigamiam ex nuptiis ante Baptismum contractis oriri; & quare?*
10. *Sanctus Augustinus non in ratione morali, sed mystica hanc irregularitatem fundavit; & quæ hæc ratio.*
11. *Eamdem probavit S. Leo.*
12. *Exponitur quomodo in defectu Sacramenti hæc Bigamia ex sententia S. Augustini consistat.*
13. *Fundamentum irregularitatis ab Augustino assignatum sensim ubique receptum.*
14. *Sententiam Augustini fusius expressit & probavit Innocentius* III.
15. *Bigamus hodie habetur qui duas successivè cognovit uxores, quamvis* ante *Baptismum.*
16. *An extra hunc casum* vera *detur Bigamia, incertum est.*
17. *Datur Bigamia* interpretativa *æquivalens* veræ *Bigamiæ.*
18. *Talis est Bigamia orta ex* iteratis *nuptiis* nulliter *contractis à constitutis in Ordine Sacro.*
19. *Similis est Bigamia ex nuptiis invalidis cum* vidua.
20. *Similis Bigamia oritur ex matrimonio cum unica, sed ab alio prius corrupta; at hodie in usu non est.*
21. *Contrahens* validè *cum vidua quo ad effectus Juris est*, verus *Bigamus.*
22. *Olim Bigami tantùm à Sacris Ordinibus excludebantur.*
23. *Hodie ab omni Ordine, etiam prima Tonsura excluduntur.*
24. *Id quoque obtinet in Bigamo ex nuptiis cum vidua; nec ad ullum Ministerium Ecclesiasticum admittuntur Bigami.*
25. *Bigami etiam à Ministerio quorumcumque Ordinum ante susceptorum suspenduntur.*
26. *Episcopus hodie nec cum Bigamo* interpretativo *dispensare potest.*
27. *Nequidem ad minores Ordines, aut Beneficia simplicia.*
28. *Quare potiùs cum criminosis, quàm Bigamis liceat Episcopis dispensare?*
29. *Disciplina hodierna circa Bigamos est rigidior quàm pristina erat.*
30. *Olim faciliùs cum Bigamis, quàm cum criminosis dispensatum fuisse, præsertim ex sententia Græcorum.*
31. *Quod Bigamia similitudinaria olim incognita.*

I. Apostolus in prima sua epistola ad Timotheum *cap.* 3. describens qualitates in Episcopis ac Diaconis necessarias inter alia dicit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem* esse UNIUS UXORIS *virum.* Deinde Diaconis loquens: *Diaconi sint* UNIUS *uxoris viri.* Et rursus in Epistola ad Titum *cap.* 1. præcipiens Tito ut constituat per civitates Presbyteros, ait: *Si quis sine crimine est,* UNIUS *uxoris vir.*

II. Verus ac genuinus sensus hujus Apostolici præcepti verbis allegatis expressus est, *Oportere Episcopum esse unius uxoris virum,* id est, oportere, ut si uxorem habeat aut habuerit, non tamen secundam acceperit, sed *unam* tantùm, sive eam habuerit, sive adhuc habeat. Sic enim & paulò post vult, *eum filios habere subditos cum omni castitate*, id est, si filios habeat ut subditi sint: ita Estius in Commentario ad citata verba epistolæ ad Timotheum; eumque sensum à plerisque Patribus traditum esse ibidem notat; multisque ostendit, hunc sensum esse menti & textui Apostoli conformem; unà advertens, quod propter hanc Apostolicam hoc sensu intellectam sententiam, Ecclesia *Bigamos* à sacris Ordinibus semper excluserit; Bigamos utique intelligens eos, qui priore uxore mortuâ duxissent secundam.

III. Si ipsum Apostoli contextum, sive in epistola ad Timotheum, sive in ea ad Titum propius expendamus, apparebit, Apostolum hic præcipuè præ oculis habuisse incontinentiam seu ejus suspicionem; hancque tamquam fundamentum hujus irregularitatis considerâsse. Dum enim scribens ad Timotheum dicit: *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse*, UNIUS UXORIS VIRUM, *sobrium, prudentem, ornatum, pudicum,* &c. quid aliud intendit, nisi exprimere vitia, à quibus immunem volebat Episcopum; & virtutes quibus eum instructum oporteret? Idem vult cum de Diaconis loquitur. Describens enim virtutes Diaconis necessarias, & vitia à quibus eos immunes esse oporteat, inter alia addit: DIACONI UNIUS SINT UXORIS VIRI: *qui filiis suis bene præsint, & suis domibus.*

Nec id obscurius expressit in Epistola ad Titum, ubi exponens quis in Episcopum ordinandus sit, ait: *Si quis sine crimine est,* UNIUS UXORIS VIR, *filios habens fideles, non in accusatione luxuriæ, aut non subditos.*

Nonne hic liquet, scopum Apostoli fuisse, omne crimen, & criminis præsertim incontinentiæ seu luxuriæ suspicionem ab ordinando Episcopo removere? adeò ut & à filiis remotam voluerit luxuriæ accusationem, ne filiorum luxuria patrem in suspicionem adducat.

Et quia non tantùm ab Episcopis aut Diaconis incontinentiæ omnis vel levis suspicio abesse debebat; sed & à fœminis, quæ in ministerium Ecclesiæ eligebantur, ideo & hanc conditionem in Vidua eligenda requirit. *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit* UNIUS VIRI UXOR, *in operibus bonis testimonium habens* &c. 1. ad Tim. 5.

Unde ad verba Apostoli reflectens S. Chrysostomus *homilia* 2. *in epistolam ad Titum* ait: " Castigat hoc ipso „ etiam *impudicos*, dum non eos permittit post *secundas* „ nuptias ad Ecclesiæ regimen, dignitatemque Pastoris as- „ sumi.

Eadem ferè fuit omnium Græcorum Patrum sententia; quibus & nonnulli è Latinis consensêre, ut mox ex verbis eorum citandis apparebit.

IV. Quamvis enim tam Græci, quàm Latini Patres secundas nuptias nunquam crediderint illicitas, persuasum nihilominus iis erat, quod tam viri quàm mulieres nuptias iterantes, insolitâ ac immoderatâ in luxuriam libidine ferrentur, aut ut minus illius suspicionem non levem ingererent.

Hinc Digamis sive nuptias iterantibus jam pridem pœnitentiam Canonicam impositam, præsertim apud Græcos legimus.

Synodus Neocæsariensis *Can.* 3. " De his qui in plures „ nuptias inciderunt tempus quidem præstitutum manife- „ stum est, sed conversatio eorum, & fides tempus abbre- „ viat.

Priorem Canonis partem exhibet Gratianus *causa* 31. *q.* 1. *Can.* 8. his verbis: qui frequenter uxores ducunt, & „ de his quæ sæpius nubunt, tempus quidem *pœnitentiæ* his „ manifestum constitutum est: sed conversatio, & fides „ eorum tempus abbreviat.

Hæc lectio sat innuit, hic de veris Bigamis, id est, qui suc-

Digitized by Google

successivè plures duxerunt legitimas uxores, agi, quemadmodum & de his agit *Canon.* 7. ejusdem Synodi statuens, " „ Ne Presbyter in nuptiis ejus, qui Digamus efficitur, con„ vivetur. Cùm enim requirat *pœnitentiam* Digamus, qui „ erit Presbyter, qui eò, quòd sit convivio acceptus, nuptiis „ assentiatur? " Hoc est (ait Zonaras ad hunc Canonem) „ qui fieri potest ut *pœnam* à Digamo exigere non pudor „ sit ei, qui Digami factum à se non improbari, cum nuptiis „ secundis ipse interfuerit, satis ostendit.

His Canonibus de veris Bigamis seu Digamis agi, uno consensu docent Græci Canonum Commentatores; ipseque Baronius fatetur ad *annum* 513. *num.* 91. agnoscens Bigamis *pœnitentiam* aliquam impositam fuisse: " Non „ quod (ait) secundum matrimonium contrahendo pec„ cent, sed quod suam ipsius *incontinentiam* manifestent; „ & Bigamiam, quæ in humanæ infirmitatis remedium in„ stituta est, *licentiùs* usurpent.

V. Græci itaque hanc rationem moralem, nimirum incontinentiam ejusve suspicionem, tamquam fundamentum hujus irregularitatis statuebant; atque inde tamquam consequens ulterius inferebant, Matrimonium in ipsa gentilitate, sive ante susceptum Baptismum contractum non ponere hanc irregularitatem; eumque ad sensum Apostoli habendum *unius uxoris* virum, qui post Baptismum *unam dumtaxat* habuit, licet alteram ante Baptismum habuisset: eò quòd per Baptismum omnis macula contracta deleatur; atque è veteri in novum hominem regeneretur.

Canon. 16. Apostolorum ita habet: " Qui *post Sanctum* „ *Baptismum duobus* conjugiis fuerit implicitus, vel ha„ buerit concubinam, non potest esse Episcopus, vel Pres„ byter vel Diaconus vel omnino ex numero Sacerdotali.

Duo ex hoc Canone habemus. Primum, quod irregularitatis fundamentum non obscurè in ipsam incontinentiam seu ejus suspicionem reponat; cum eum qui duobus conjugiis implicitus fuit, confert cum habente concubinam.

Ulteriùs cùm tantùm eum irregularem pronuntiet, qui POST *Sanctum Baptismum* duobus conjugiis implicitus fuit, sat innuit, conjugii *ante* Baptismum contracti rationem habendam non esse: quod & Balsamon annotavit dicens: " Eum qui *post Sanctum Baptismum* Digamus fue„ rit vel fornicatus sit, prohibet Canon fieri Episcopum, „ vel Sacerdotale quidpiam exercere. Quæ enim *ante Bap*„ *tismum* admissa sunt omnis generis peccata prætermittit, „ cum factus sit *novum opus* sola gratia Sancti Spiritûs.

Idem notat Zonaras scribens: " Divinum Lavacrum „ Sancti Baptismatis *omnes* credimus abluere *sordes* ipsis „ Baptizatis illitas ante Baptismum, nullumque peccatum „ quod ante Baptismum ab aliquo fuerit patratum, prohi„ bet ad Sacerdotium promoveri Baptizatum. Quod si „ post Baptismum scortatus fuerit, aut nuptiis duplicibus „ adhæserit, indignus qualicumque Sacerdotio judica„ tur.

VI. Græci itaque hujus irregularitatis rationem desumentes ex incontinentia, ejúsque suspicione; irregularitatem quoque provenientem ex conjugio *cum vidua* desumendam crediderunt ex incontinentia ejúsve suspicione, nimirum ipsius mulieris nuptias iterantis, quam per mulierem in maritum aliquo modo redundare supponebant.

Unde hanc irregularitatem non fundebant in his Apostoli verbis, *unius uxoris vir*; sed potiùs in his quæ idem Apostolus subjungit: *Filios habens fideles non in accusatione luxuriæ.*

Licèt enim peccata filiorum non imputentur parentibus in culpam, si ipsi in iis dissimulandis aut fovendis nullam culpam habuerint, tamen (ut notat S. Hieronymus in citata verba Apostoli) tam sanctum nomen Sacerdotii est, ut „ nobis etiam ea, quæ extra nos sunt posita, reputentur, non „ quod propter vitia nostra Episcopi non simus, sed quod „ propter filiorum incontinentiam ab hoc gradu arcendi „ simus. Quâ enim libertate possumus alienos filios corri„ pere, & docere, quæ recta sunt, cum nobis statim possit „ qui fuerit correptus ingerere, ante doce filios tuos.... Non „ itaque justus polluitur ex filiorum vitiis, sed libertas ab „ Apostolo Ecclesiæ Principi reservatur, quod talis fiat, „ qui non timeat propter vitia liberorum extraneos repre„ hendere.

Itaque sicuti Apostolus incontinentiam liberorum credidit redundare in Patrem; atque libertatem adimere reprehendendi incontinentes, & docendi quæ recta sunt, eâdem ratione uxoris maculam, suspicionemve incontinentiæ cum eodem effectu redundare in maritum; atque maritum ad Sacerdotium irregularem reddere existimârunt.

Hanc creditam fuisse fundamentalem hujus irregularitatis rationem sat apertè indicat *Canon.* 18. Apostolorum: „ qui *viduam* accepit, vel ejectam vel meretricem, vel ser„ vam vel mimam seu scenicam, non potest esse Episcopus, „ vel Presbyter, vel Diaconus, vel omnino ex numero Sa„ cerdotali.

Hunc Canonem commentatus Balsamon ait: " Nota „ præsentem Canonem: vult enim non solùm eum qui est „ sacratus esse modestum & continentem, sed etiam ejus „ conjugem: & ideo mulieres quæ hic comprehenduntur, „ prohibuit cum sacratis hominibus matrimonio jungi, ut„ pote quod eas continenter vivere non credatur, propter „ earum sordes & improbitatem.

VII. Sanctus Hieronymus multo tempore apud Græcos versatus, & eorum principiis instructus, in hoc quoque articulo Græcis adhæsit; atque irregularitatem Bigamiæ in hac morali ratione fundatam credidit. Unde in Epistolam ad Titum scribit: " Quod autem ait, *unius uxoris vir*, sic „ intelligere debemus, ut non omnem monogamum Diga„ mo putemus esse meliorem, sed quo is possit ad monoga„ miam & continentiam cohortari, qui sui exemplum præ„ ferat in docendo. " Quasi diceret, ideo vult Apostolus ut Episcopus sit *unius uxoris vir*, ne aliàs non possit ad continentiam cohortari, qui iteratione nuptiarum, ipse non sat præferat continentiæ exemplum.

Hinc mox conformiter ad Græcorum sententiam dicit; „ multi superstitiosius magis quàm veriùs, etiam eos qui „ cum *Gentiles* fuerint, & unam uxorem habuerint, quâ a„ missâ, *post* Baptismum Christi alteram duxerint, putat in „ Sacerdotio non legendos, cum utique si hoc observan„ dum sit, illi magis ab Episcopatu arceri debeant, qui va„ gam per meretrices ante exercentes libidinem, unam re„ generati uxorem acceperint, & multò detestabilius sit „ fornicatum esse cum pluribus, quàm Digamum reperiri, „ quia in alio infelicitas matrimonii est, in alio ad peccan„ dum prona lascivia.

Idem fusius astruit, & contrarium sustinentes acerrimè perstringit in *Epistol.* 83. ad Oceanum, atque inter alia hanc format conclusionem: " Si Baptismus novum hominem „ facit, & ex toto novum creat, nihilque in eo veteris homi„ nis reservatur, non potest novo imputari, quod in veteri „ quondam fuit. " Sententia Hieronymi refertur apud Gratianum *Distinct.* 26. *Canon.* 1. & *Cans.* 23. *quæst.* 3. *Can.* 1.

VIII. Patres Latini plerique attendentes licitum secundarum nuptiarum usum, nec ita ad incontinentiæ suspicionem eisdem annexam reflectentes, crediderunt ab Apostolo in hoc præcepto non incontinentiam, sed ipsam nuptiarum iterationem simpliciter fuisse consideratam.

Innocentius I. in Epistola ad Victricium Episcopum Rothomagensem *cap.* 6. postquam dixit Clericum non esse ordinandum qui secundam duxit uxorem, subjicit: " Ac ne „ ab aliquibus existimetur, ante Baptismum si fortè quis „ accepit uxorem, & eâ de seculo recedente alteram duxe„ rit,

rit, in Baptismo esse dimissum, satis errat à regula: quia in Baptismo peccata remittuntur, non acceptarum uxorum numerus aboletur.

Hæc satis ostendunt, Innocentio visum fuisse, irregularitatem simpliciter ex plurali uxorum numero esse desumendam; atque ei sufecisse ut quis revera habeatur Bigamus, si probetur, ductam ante Baptismum fuisse veram uxorem.

IX. Eamdem sententiam amplexus est S. Augustinus *libro De bono conjugali cap.* 18. "Propterea Sacramentum nuptiarum temporis nostri, sic ad unum maritum (ait) & unam uxorem redactum est, ut Dispensatorem Ecclesiæ non liceat ordinari nisi *unius uxoris virum*. Quod acutius intellexerunt, qui nec eum qui Catechumenus, vel Paganus habuerit alteram, ordinandum esse censuerunt." Rationem addit: "*De Sacramento enim agitur, non de peccato: nam in Baptismo peccata omnia dimittuntur.* Sed qui dixit: si acceperis uxorem non peccasti, & si nupserit non peccavit, & quod vult faciat, non peccat si nubat, satis declaravit, nuptias nullum esse peccatum: Propter Sacramenti sanctitatem sicuti fœmina etiamsi catechumena fuerit vitiata, non potest post Baptismum inter Dei virgines consecrari; ita non absurdè visum est eum qui excessit uxorum numerum singularem, non peccatum aliquod commisisse; sed *normam* quamdam *Sacramenti* amisisse; non ad vitæ bonæ meritum, sed ad ordinationis Ecclesiasticæ signaculum necessariam.

X. Hic videmus, Augustinum hanc irregularitatem non in aliquam incontinentiæ labem refudisse, sed in quemdam Sacramenti defectum; eò quòd contrahens secundas nuptias *quamdam Sacramenti normam amisisse* visus sit.

Quæ sit hæc *Sacramenti norma*, dein subjicit: "Ac per hoc sicut plures uxores antiquorum Patrum significaverunt futuras nostras ex omnibus gentibus Ecclesias *uni* viro subditas Christo, ita noster Antistes unius uxoris vir significabat ex omnibus gentibus *unitatem* uni viro subditam Christo: quæ tunc perficietur cùm revelaverit occulta tenebrarum, & manifestaverit cogitationes cordis, ut tunc laus sit unicuiq; à Deo. Nunc sunt manifestæ, sunt latentes dissensiones, etiam salvâ caritate inter eos qui unum & in uno futuri sunt: quæ tunc utique nullæ erunt. Sicut ergo Sacramentum pluralium nuptiarum illius temporis significavit multitudinem futuram Deo subjectam in terrenis omnibus gentibus: sic Sacramentum nuptiarum singularum nostri temporis significat unitatem omnium nostrùm subjectam Deo futuram in una cœlesti civitate.

XI. Mysticam hanc Augustini rationem non obscurè probavit S. Leo *Epistola* 1. *cap.* 3. editionis Quenellianæ; inter rationes præcepti Apostolici, de non ordinando Episcopo nisi fuerit *unius uxoris vir*, adducens hanc: quod si in Sacerdotibus etiam in veteri Testamento figurabatur *Christi & Ecclesiæ* spirituale conjugium, illud vel magis servandum in novo.

XII. Cùm enim secundæ nuptiæ hanc perfectam unitatem Christi cum Ecclesia, tamquam unici cum unica immaculata sponsa repræsentare nequeant; utpote, non *unius* cum *unica* immaculata sponsa, videtur Sacramentum secundarum nuptiarum aliquem defectum pati, seu quamdam *Sacramenti normam amisisse*; nimirum vim repræsentativam istius conjunctionis seu conjugii spiritualis Christi cum Ecclesia.

In hoc ergo defectu hanc irregularitatem positam esse credidit Augustinus; indecens existimans, ut is esset Sacramentorum dispensator, qui ipse in suscepto Sacramento defectum patiebatur.

XIII. Hæc irregularitatis fundamentalis ratio à tanto Doctore præposita, sensim ita invaluit, tantoque, præsertim in Ecclesia Latina, applausu recepta est, ut nequaquam dubitatum sit; quin hinc omnis Bigamiæ irregularitas esset desumenda; atque ratio illa moralis ab incontinentia ejusve suspicione, quasi ad hanc irregularitatem impertinens, neglecta quodammodo fuerit; nullaque tandem reputata vera & propriè dicta Bigamia, nisi quando verè defectus hic Sacramenti occurrit.

XIV. Hanc sententiam expressit Celestinus III. in *Cap.* 5. *De Bigamis non ordinandis*. Consultus enim à Metensi Episcopo, an is qui mulierem ab alio ductam, sed non cognitam matrimonialiter sibi copulavit, valeat ad Sacerdotium promoveri? ita respondit: "Quòd cùm duo sint in conjugio, videlicet consensus animorum, & commixtio corporum, quorum alterum significat charitatem, quæ consistit in spiritu inter Deum & justam animam, ad quod pertinet illud quod dicit Apostolus. *Qui adhæret Deo, unus spiritus est cum eo*: reliquum verò designat conformitatem, quæ consistit in carne inter Christum & Ecclesiam, ad quod pertinet illud quod Evangelista testatur: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*, profectò conjugium illud, quod non est commixtione corpore consummatum, non pertinet ad illud conjugium designandum, quod inter Christum & Ecclesiam per Incarnationis mysterium est contractum, juxta quod Paulus exponens illud quod dixerat Protoplastus: *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea*: *& propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*: statum subjungit, *hoc autem dico magnum Sacramentum in Christo & Ecclesia*. Cùm ergo propter Sacramenti defectum inhibitum sit ne Digamus, aut maritus viduæ præsumat ad Sacros Ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius: profectò ubi deficit inter hujusmodi conjuges commixtio corporum, non deest hujusmodi signaculum Sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam duxit uxorem: quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures: propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri.

XV. In hoc itaque hodie Canonistæ conveniunt, veram ac propriè dictam Bigamiam esse, cùm quis diversis temporibus successivè habuit & cognovit duas legitimas uxores, etiam priùs non corruptas, quamvis utramque vel alteram habuerit ante Baptismum; ità Fagnanus ad *Cap.* NUPER A NOBIS *De Bigamis non ordinandis numer.* 3.

XVI. An extra hunc casum contrahatur *verè* ac *propriè* dicta Bigamia, inter Canonistas non convenit: eò quòd hoc solo casu verè ac propriè Sacramentum cum prædicto defectu contractum videatur, & sic contrahens *Bigamus*, id est, duarum uxorum vir propriè dici queat.

XVII. Quidquid sit, hoc constat, aliquos tamquam Bigamos repelli; & pro Bigamis reputari, qui tamen *verè* Bigami non sunt; sed dumtaxat juris interpretatione pro talibus habentur; diciturque hæc Bigamia communiter *interpretativa*.

XVIII. Hujusmodi Bigami *interpretativi* omnium consensu reputantur Clerici, qui in Sacris Ordinibus constituti, more nuptiali secundas in contubernium sibi mulierculas adjunxerunt; cum quibus an dispensare posset, consulit Innocentium III. Episcopus Ratisbonensis, cui respondet Pontifex, articulum illum difficultate non carere, ac propositis in utramque partem argumentis, tandem resolvit: "Nos autem in hac quæstione tibi respondemus, quòd cum hujuscemodi Clericis, qui quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter conjunxerunt, tamquam cum Bigamis non liceat dispensari, licèt in veritate Bigami non existant, non propter Sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto." Responsum Pontificis habetur in *Cap.* 4. *De Bigamis* non

non ordinandis; ad cujus elucidationem meritò legitur integra Epistola quæ est *66. lib. 2.* editionis Baluzii; ibi ipse casus, prout supra est expressus, refertur; qui in ipsa Decretali est omissus: & pro Ratisbonensi legitur *Uratizlaviensi.*

XIX. Similiter convenit inter omnes, Bigamiam *interpretativam* dumtaxat incurri, si quis *invalidè* cum *vidua* contraxerit, juxta responsum ejusdem Pontificis in *Cap. 6.* X *eod.* ubi decidit, quod Subdiaconus qui de facto duxit *viduam* in uxorem, "profectò Bigamus non existit; sed nec viduæ potest *in veritate* dici maritus, cum inter ipsum & illam non fuerit vinculum maritale contractum: cum eo tamen (ait) contra doctrinam Apostoli, tanquam cum marito *viduæ* dispensare non licet, non propter Sacramenti defectum, sed affectum intentionis cum opere subsecuto.

Hæc ratio cùm etiam obtineat in nuptiis quibuscumque cum impedimento *dirimente* initis, decisio quoque eadem obtinere debet; unde & in his Bigamiam *interpretativam* intervenire communiter tradunt Canonistæ; & probat Fagnanus loco citato *n. 43.*

XX. Similis Bigamia contrahitur, si quis contrahat & consummet matrimonium cum *unica*, sed priùs ab alio licet extra matrimonium, *cognita Can. 2. Dist. 33.* At monet Vir eruditus Janus à Costa Antecessor Aurelianensis in Summario ad titulum *De Bigamis*, "Quod, quamvis meretricem quis duxerit, vix ex novo jure definire possimus, maritum contrahere irregularitatem.

XXI. Illud à Canonistis controvertitur, num contrahens *validè* matrimonium cum *vidua*, censendus sit *verus* Bigamus, an vero dumtaxat *interpretativus*, eo quòd revera non videatur *plurium uxorum* maritus, neque in plures carnem divisisse; nihilominus *verum* esse Bigamum post alios citatos pluribus probat Fagnanus loco allegato *num 12.* & sequentibus.

Sed an *verus*, an *interpretativus* Bigamus sit dicendus, parum videtur referre: cum satis constet, illum qui matrimonium contraxit cum vidua, hodie æque, quoad omnes juris effectus haberi pro Bigamo; ac illum, qui successivè duas habuit uxores.

XXII. Olim Bigami etiam *veri*, tantum à *Sacris* Ordinibus exclusi videntur; eò quòd Apostolus non nisi de Episcopis (sub quibus & Presbyteri comprehenduntur) & Diaconis loqueretur.

Et quidem in *Can 3.* Concilii Toletani I. relato apud Gratianum *Dist. 34. Can. 18.* legitur: "Lector si *viduam* alterius uxorem acceperit, in lectoratu permaneat, aut si fortè necessitas fuerit, Subdiaconus fiat, nihil autem suprà. Similiter & si Bigamus fuerit." Tunc enim temporis Subdiaconatus necdum inter Ordines Sacros numerabatur, uti *parte 1. tit. 1. cap. 3.* notandum est.

XXIII. Concilium Lugdunense sub Gregorio X. edidit Decretum relatum in *cap. Unico De Bigamis in VI.* quo declarat, "Bigamos omni privilegio Clericali esse nudatos, & coërcitioni fori sæcularis addictos: consuetudine contraria non obstante." Additque: "Ipsis quoque sub anathemate prohibemus deferre Tonsuram vel habitum Clericalem.

XXIV. Dicit autem Concilium: *Altercationis antiquæ dubium præsentis declarationis oraculo decidentes.*

Notat verò Glossographus *altercationem* Doctorum fuisse super *Canone* QUISQUIS *Dist. 48.* ubi ex Epistola Siricii Papæ refertur: "Quisquis Clericus aut viduam, aut certè secundam uxorem duxerit, omni Ecclesiasticæ dignitatis privilegio mox *nudetur*, Laica sibi tantum communione concessa. Et per illud *nudetur* videbatur non esse privatus, sed *privandus*: præsens ergo Constitutio declarat hoc; Ita ille.

Quia ergo Canon *Quisquis* loquitur tam de eo qui *viduam*, quam qui binas successivè uxores duxit, etiam Constitutio pro illius declaratione edita de utrisque intelligi debet; & ita hodie obtinet. Tam enim maritus viduæ, quam duarum successivè uxorum, omni privilegio Clericali censetur nudatus.

Neque hodierna disciplina Bigamum etiam ob contractum Matrimonium cum *vidua*, ad ullum Ordinem vel minorem, ejúsve functiones; ullumve Beneficium Ecclesiasticum admittit; imò nec ad ulla quantumvis infima Ecclesiæ ministeria eos admittendos satis insinuat Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 17. De Reformat.* Permittens enim quod si ministeriis quatuor Ordinum Minorum exercendis Clerici cælibes præsto non erunt; sufficì possint etiam conjugati vitæ probatæ addit hanc cautionem, *dummodo* NON BIGAMI: quo ostendit, etiam nec ad horum Ordinum exercitia Bigamos esse admittendos; quemadmodum & Synodi Belgicæ, tametsi conjugatos in Custodes Ecclesiarum Parochialium admittant, *Bigamos* tamen excludunt; uti suprà *parte 1. tit. 4. cap. 2.* notatum est.

XXV. Imo non tantùm juxta modernam disciplinam Bigami ab Ordinibus excluduntur, sed & "Ordinatores eorum, potestate & officio ordinandi; & ordinati si ad sacros Ordines fuerint promoti, eis ideo sunt privandi, quia in Bigamis contra Apostolum dispensare non licet, ut debeant ad sacros ordines promoveri, vel in eis si promoti fuerint, remanere:" ita respondit Pontifex in *Cap. 2.* X *De Bigamis non ordinandis.*

Hinc habemus; Bigamum non tantùm ab Ordinibus suscipiendis repelli; sed etiam prohiberi in susceptis ministrare.

XXVI. Ulterius uno consensu hinc concludunt Canonistæ, Episcopum non posse dispensare cum Bigamo, nequidem ut in Ordine sacro jam suscepto ministret; quod & in Bigamia *interpretativa* (ut si Subdiaconus nulliter contrahat Matrimonium cum vidua) obtinere deciditur in *Cap finali* X *eod.*

XXVII. Quin communis est Canonistarum opinio, quam sequitur, & pluribus astruere conatur Fagnanus ad *Cap.* SUPER EO X *De Bigamis non ordinandis*, Episcopum cum Bigamo nequidem ad minores Ordines, aut simplicia Beneficia dispensare posse; atque ita declarasse Sixtum V. refert ibid. *num. 46.* idque præcipuè eo fundamento, quod Episcopis contra Apostolum dispensare liceat.

XXVIII. Verùm idem Apostolus etiam prohibet *criminosos* in Episcopos & Diaconos assumi; & tamen Episcopis licet cum *criminosis* dispensare, quemadmodum expressè respondit Innocentius III. in *Cap. 6.* X *De Bigamis non ordinandis* circa Sacerdotem in fornicationē prolapsum; ideóq; pari & fortiori ratione, videtur Episcopis concedenda dispensandi facultas cum Bigamo: quia minus inordinatum apparet, Bigamum, qui contrahendo secundas nuptias non peccavit, quam prolapsum in fornicationem ad Ordines promoveri.

XXIX. Huic argumento cum Glossa respondet Fagnanus loco citato *num. 9. & 10.* "Criminosus post peractam pœnitentiam restitutus videtur in pristinum statum, & incipit esse quod non fuit, cap. *Ferrem*, cap. *Penderet* & cap *Domino sancto*, *50. distin.* & ideò cùm talibus dispensatur. Sed Bigamus non prohibetur promoveri propter crimen, sed propter Sacramenti defectum ut in Cap. DEBITUM; *infra eod.* C. ACUTIUS. *26. distin.* quia carnem suam divisit in plures ab unitate recedendo, & hoc Sacramentum amplius restitui non potest per aliquam satisfactionem, cum non sit crimen; & ita aliud consideravit Apostolus cùm dixit non Bigamum, & aliud consideravit dum dixit, non criminosum.

XXX. Unde prædictum Canonem commentans Theodorus Balsamon ait: "Eos, qui suam Deo professionem votumq; de virginitate servanda irritum reddunt,

„dunt, Patres Digamorum definitioni, hoc est pœnæ, „subjiciunt." Balsamoni consentiunt Zonaras & Aristenus; nec alium esse Canonis sensum, textus ipse sat ostendit.

XXXI. Non mirum proinde apud antiquos hanc speciem Bigamiæ fuisse ignotam; monetque Fagnanus ad cap. NUPER ※ *De Bigamis* nec hodie inter Doctores convenire, num hic dici queat *Bigamia*; atque nonnullos credere hujusmodi votifragos nuptias contrahentes esse quidem irregulares, non ex ulla specie Bigamiæ, sed propter præsumptionem incontinentiæ & ad majorem sacri Ordinis reverentiam: alios verò affirmare, tales nulla ratione esse irregulares, sed solùm suspensos tamquam notoriè criminosos; ac tandem concludit, sibi videri hanc quæstionem ferè esse inutilem; cum parum intersit an ministrare aut promoveri non possint tamquam similitudinarii Bigami, an verò ut irregulares & suspensi; quandoquidem etiam inter omnes conveniant, Episcopum super hujusmodi Bigamia dispensare.

CAPUT III.
De Irregularitate ex defectu Natalium.

1. *Hac irregularitas multis incognita.*
2. *Tempore Gratiani nondum nota fuisse videtur.*
3. *Non ubique eodem tempore excepta.*
4. *Innocentius originem retulit ad sæculum* XI.
5. *Circa sæculum* XI. *plures Canones & statuta edita ad exclusionem illegitimorum.*
6. *Ob Cleri incontinentiam his Canonibus opus fuit; & quare?*
7. *Jure Decretalium stabilita irregularitas.*
8. *Primum actum fuit de excludendis filiis Presbyterorum.*
9. *Tandem generaliter irregularitas extensa ad omnes illegitimos.*
10. *Hac irregularitas etiam hodie excludit à Minoribus Ordinibus & Beneficiis simplicibus.*
11. *Prima inducta irregularitatis ratio petita ex dignitate Sacerdotum.*
12. *Secunda ratio ad reprimendam quorundam incontinentiam.*
13. *Tertia ob periculum incontinentia in filiis, & successionis hereditaria.*
14. *Irregularitas hac tollitur per dispensationem; & qualiter Episcopus dispenset.*
15. *In quibus solus Pontifex cum illegitimis dispenset?*
16. *Non omnis species illegitimitatis est aque turpis; & pro obtinenda dispensatione species exprimenda.*
17. *Dispensatus ad obtinendum Beneficium, unicum tantum potest obtinere.*
18. *Qui semel obtinuit dispensationem debet hujus in secunda facere mentionem.*
19. *Dispensatio restringenda; nec comprehendit nisi expressa.*
20. *Specialiter inordinatum est, ut Filius illegitimus habeat Beneficium in Ecclesia in qua Pater habuit.*
21. *Decretum Concilii Tridentini circa eundem Articulum.*
22. *Synodus Trid. excludit filium etiam à simplici Beneficio quod Pater habuit.*
23. *Etiamsi persona* media *fuerit inter patrem & filium.*
24. *Non potest quocumq; modo filius illegitimus ministrare in Ecclesia in qua Pater nunquam Beneficium habuit.*
25. *Nec ad hoc dispensatio quantumvis generaliter concepta se extendit.*
26. *Dispensatio contra hoc Decretum haud facile annuenda.*
27. *Modus tollendi hanc irregularitatem est Religiosa Professio.*
28. *Ratio cur tollatur hoc modo irregularitas.*
29. *Illegitimi in Religione Professi non egent dispensatione pro sacris Ordinibus; secus si tantum sint Novitii.*
30. *Illegitimus per Religiosam Professionem non fit capax Prælaturæ.*
31. *Solus Pontifex hic dispensat? & quis sit stylus Pœnitentiariæ.*
32. *Per subsequens Matrimonium tollitur defectus natalium.*
33. *Fallit si inter Parentes tempore conceptionis fuerit impedimentum dirimens.*

I. IN pristinis Conciliorum Canonibus aut Pontificum Decretis non legitur illegitimos ab Ordinibus aut Ecclesiasticis functionibus seu ministeriis ob solum defectum natalium fuisse exclusos; modo cæteræ dotes in Sacerdote requisitæ non deessent. Nec enim parentum vitia aut merita, sed propria merita aut demerita in assumendis ad Ecclesiæ munia attendenda esse credebant; quemadmodum multis Veterum Patrum testimoniis astruit Gratianus *Dist.* 56. ubi postquam Canoni primo præmiserat hoc quasi summarium: *Presbyterorum etiam filii ad sacra officia non sunt admittendi*, immediatè post recitatum hunc Canonem Concilii Claromontani sub Urbano II *Presbyterorum filios à sacris Altaris ministeriis removemus*, subjungit: "Sed hoc intelligendum est de illis, qui pa„ternæ *incontinentiæ imitatores* fuerint. Verum si mo„rum honestas eos commendabiles fecerit, exemplis & „auctoritatibus non solum Sacerdotes, sed summi Sa„cerdotes fieri possunt.

II. Videtur ergo Gratianus supponere, quod filii illegitimi à sacris Altaris ministeriis non essent excludendi, si Paternæ incontinentiæ imitatores non fuerint: & consequenter, quod solus *natalium defectus* neminem sacris Altaris ministeriis excluderet, aut irregularem faceret.

III. Quidquid sit de mente Gratiani & disciplina eo tempore vigente, hoc sat constat, quod irregularitatem ex solo defectu natalium Ecclesia *dudum* ignoraverit, uti rectè etiam notavit Christianus Lupus tomo 3. Schol. *pag.* 79. "Etenim, ait, inter Nicephori Confes„soris Canones habemus & hunc." *Qui ex concubina, scorto, Digamis aut Trigamis nati sunt, si virtutibus præditi appareant, & sint Sacerdotio digni ordinentur.* Extant Canones tomo 9. Bibliothecæ sanctæ.

Quando hæc irregularitas primum inducta sit, haud constat; videtur non ubique eodem tempore, sed in aliis Ecclesiis citius, in aliis serius introducta & recepta.

IV. Innocentius III. primos hujus irregularitatis auctores videtur supposuisse Urbanum II. & Synodum Pictaviensem: Andreæ enim Londensi Episcopo ac Danorum Metropolitæ, & suo per Septemtrionem Legato, interroganti: "Si Presbyterorum filii sint indiffe„renter ad sacros Ordines promovendi," respondit: "De Presbyterorum filiis, tam ex Decreto *Urbani se„cundi*, quàm ex Concilio colligitur *Pictaviensi*, quod „ad sacros non sunt Ordines promovendi, nisi aut in „cœnobiis, aut in Canonica Regulari religione fue„rint conversati." *lib.* 4. *epist.* 118.

Tam Canon Urbani II. (relatus à Gratiano *Dist.* 57. *Can.* 1.) quàm Canon Concilii Pictaviensis (relatus in *Cap.* 3. ※ *De Filiis Presbyterorum*) editi sunt circa finem sæculi undecimi; atque ita ad illud tempus hujus irregularitatis initia retulisse videtur Innocentius III.

V. Hoc

Digitized by Google

V. Hoc equidem non ambiguum est imprimis circa hæc tempora plures Canones, nec non plurimarum Ecclesiarum statuta ad exclusionē illegitimorum edita esse. "Eo namque tempore, (ait Christianus Lupus *pag.* 79.) „Duces & Comites suos passim ex ancillis bastardos violenter intrudebant in Sacras dignitates atque ita servili simul & adulterino sanguine fœdabant Ecclesias. Adversum illos solemni juramento se astrinxerunt plura Capitula de nullis deinceps in suum Collegium admittendis *Bastardis*, nullisque servis, nisi ex Ecclesiæ suæ familiæ legitimè natis.

VI. Ad hæc constat eo tempore vitio incontinentiæ supra modum Clerum fuisse infectum; ac præsertim Anglicanum, uti patet ex *Epist.* 99. & 101. Paschalis II. sub idem tempus scriptis, ut & notat Vir Eruditus Franciscus Florens in commentario ad *Cap.* 6. *De Jure Patronatus*, unà observans pleraque Decretales, quæ tum sub titulo *De Clericis conjugatis*, tum sub titulo *De filiis Presbyterorum* extant, pertinere ad Angliam: "Ex „quibus colligimus (ait) quamvis sæpius in Anglia, „Conciliis & Apostolicis Constitutionibus prohibita „fuerint Matrimonia, vel potius contubernia eorum, „qui in sacris erant constituti; prævalente tamen corruptelâ non obtemperatum.

Hi verò nefandi ac impudici Sacerdotes, omnibus artibus filios suos in Ecclesias, quasi jure hæreditario intrudebant; fiebatque tandem ipsum Dei Sanctuarium quasi hæreditarium.

VII. Si quis attenderit varia Ecclesiarum statuta, quæ ad exclusionem illegitimorum sæculo XII. & sub initiū sæculi XIII. condita sunt; nec non dubia occasione hujus irregularitatis Pontificibus proposita; atq; ipsorum Pontificum super illis responsa, ac signanter Innocentii III. *in Cap.* 5. *de Electione* in tertia collectione apud Antonium Augustinum, facilè videbit, quod non videatur hæc irregularitas firmiter & generaliter stabilita ante ultimam Decretalium collectionem factam & evulgatam auctoritate Gregorii IX. quæ pro Jure communi Ecclesiastico uno consensu recepta fuit.

In hac Collectione *Titulus* 17. *libri* ita inscribitur: *De Filiis Presbyterorum Ordinandis vel non*: At in prima Decretalium apud Antonium Augustinum, additur: *Nec in paternis Ecclesiis tolerandis.* In quodam manuscripto legitur, uti notatur in margine Corporis Canonici editionis Antverpiensis apud Meursium: *De Filiis Presbyterorum & ALIIS ILLEGITIME NATIS ordinandis vel non.*

VIII. Quidquid sit de hac tituli varia inscriptione; hoc satis constat, primò ac præcipuè in conciliis actum fuisse de excludendis filiis Presbyterorum; ideoque mirum non est, si horum tituli inscriptio præcipuè meminerit. Ad hæc expeditum est, maximè curæ fuisse, ne filii Presbyterorum simul cum parentibus in eadem Ecclesia tolerarentur; ad quod ipsa tituli inscriptio in antiqua Decretalium collectione respexit.

IX. Denique ex Decretis & responsis Pontificum; nec non Canonibus Conciliorum in Decretales Gregorii IX. relatis, patescit, non solum filios Presbyterorum & spurios; sed quoscumque illegitimos tandem irregulares fuisse declaratos. "Ut filii Presbyterorum „& *cæteri ex fornicatione* nati, ad Sacros Ordines non „promoveantur," ait *Cap.* 1. ∺ *De Filiis Presbyterorum ordinandis vel non.*

Et in *Cap. fin.* ∺ *eod.* Archiepiscopo Turonensi scribit Gregorius IX. "Nimis in tua Provincia Ecclesiæ deformatur honestas, ex eo quod filii Sacerdotum & *alii non* „*legitimè nati* ad Dignitates & Personatus, & alia Beneficia curam animarum habentia sine dispensatione „Sedis Apostolicæ promoventur.

Imo etsi procreati essent ex legitimo Matrimonio; sed tempore illo, quo conjuges se mutuo consensu voto solemni castitatis obstrinxerant, irregulares censentur. *Cap.* 14. ∺ *eod.*

X. Nec tantum ad sacros Ordines, & majora Beneficia; sed & ad primam Tonsuram, Minores Ordines & simplicia quæcumque Beneficia, hæc irregularitas paulatim extensa est; uti expressè habetur in *Cap.* 1. *De Filiis Presbyt. in* 6.

XI. Triplex hujus inductæ irregularitatis causa communiter à Canonistis post Glossam in *Cap. fin. De Filiis Presbyt. in* 6. assignari solet. Prima petitur ex sacri Ordinis prærogativa seu dignitate: quam etiam tangit S. Thom. in IV. *Sentent. Dist.* 25. *art.* 11. *quæst.* 3. "Ordi„nati (ait) in quadam dignitate præ aliis constituun„tur . . . Et quia obscuratur hominis claritas ex *vitiosa* „*origine*, ideo etiam de *illegitimo* thoro nati à suscepto„ne Ordinum repelluntur.

XII. Secundam rationem jam pridem expressit in sua doctissima præfatione S. Ivo Carnotensis dicens: "Qui„dam Romani Pontifices decreverunt, ne *filii Presbyte*„*rorum* assumerentur ad Presbyteratum, non quod per„sonarum acceptio apud Deum alicujus sit momenti: „vel natura, quæ omnium par est genitrix, ab aliquo „possit reprehendi, vel filius pro iniquitate patris con„demnari..... Sed ad reprimendam quorundam Pres„byterorum incontinentiam, vel tutiùs muniendam „aliorum continentiam.

XIII. Tertia ratio petitur ex incontinentia, quæ in filio timetur juxta illud vulgare: *Sæpè solet similis filius esse patri.* Qua ratione utitur Sixtus V. in Constit. contra illegitimos edita (de qua infra) §. 1. in verbis: *Illegitimè genitos, qui ut plurimùm parentum vitia & incontinentiam imitari solent.* &c.

Unde in formula dispensationis super hac irregularitate, juxta stylum Curiæ Romanæ inseritur hæc clausula: *Si ipse paternæ incontinentiæ imitator non sit, sed bonæ conversationis & vitæ.*

Addi meritò posset periculum successionis quasi hæreditariæ in Ministeria Ecclesiastica; quam ad excludendos filios Presbyterorum ab omni Ecclesiastico Ministerio non parum consideratam fuisse; imò & primam huic irregularitati originem dedisse, fit verisimile est.

XIV. Irregularitas hæc tolli potest, primò per dispensationem. Unde S. Thomas verbis supra allegatis hanc exceptionem immediatè subjicit: *Nisi cum eis dispensetur; & tantò est difficilior dispensatio, quantò origo est turpior.*

Juxta hodiernam disciplinā quoad Minores Ordines ac simplicia Beneficia Episcopus dispensare potest, *Cap.* 1. *de filiis Presbyt. in* VI. ubi dicitur: "Is qui defectum „patitur natalium, ex *dispensatione Episcopi* licitè potest (si „ei aliud Canonicū non obsistat) ad Ordines promove„ri Minores, & obtinere Beneficium cui animarum cu„ra non imminet, dummodo sit tale, super quo per „ipsum Episcopum valeat dispensari.

Per finalem clausulam intendit excipere Beneficia, quibus non imminet quidem *cura animarum*; sed tamen aliunde excepta sunt; ut sunt *Personatus*, aliaque Beneficia *majora*, tametsi curam Animarum *propriè* dictam annexam non habeant; ad quæ Episcopi dispensatio se non extendit *Cap. fin.* ∺ *De Filiis Presb.*

Imò teste Rebuffo in Praxi Benef. *parte* 1. *titulo De Dispensatione super defectu natalium numer.* 12. "servat stylus Curiæ Romanæ, ut Episcopus nullo mo„do in præbendis Ecclesiæ Cathedralis dispenset cum „illegitimo, propter honorem & præeminentiam illius „Ecclesiæ.

XV. Itaque quoad sacros Ordines & majora Beneficia nec non curam animarum habentia solus Pontifex hodie dispensat *Cap. fin.* ∺ *De Filiis Presbyt.* & *Cap.* 1. *eod. in* 6. Ubi verbis mox citatis subjicitur: "Ad „Ordines quoque *majores* vel beneficia *curam ani*„*marum*

„*marum* habentia, super quibus *nequit Episcopus* dispensare, sine dispensatione Sedis Apostolicæ promoveri non potest.“ In margine autē notatur: In aliquot „antiquis codicibus ita: *Vel Beneficia super quibus nequit*, absque illis verbis: *Curam animarum habentia.*“ Quæ lectio verior apparet; cum multa sint Beneficia, quæ curam animarum annexam non habent, super quibus Episcopus dispensare nequit, & consequenter in illis Pontificis dispensatio requiritur.

XVI. Supra ex sancto Thoma intelleximus, dispensatione quidem hanc irregularitatem tolli, addita hac cautione: *Et tanto est difficilior dispensatio, quantò origo est turpior.* Puta, si adulterini fuerint, vel ex stupro, incestu, aut sacrilego actu nati, difficilior erit dispensatio, quam si ex simplici fornicatione.

Id ipsum expressit non obscurè Innocentius III. in *Cap.* 10. ⁑ *De Renuntiatione*, ubi adducto loco Scripturæ *Exodi cap.* 20. *Ego sum Deus Zelotes, vindicans peccata Patrum in filios, usque in tertiam & quartam generationem, in his qui oderunt me,* “id est (ait) qui „contra paternum odium imitantur.“ Subjicit dein hanc conclusionem cum subjecta moderatione: “Unde „patet quod illis qui paterna vitia non sequuntur, pro„priè possint in talibus suffragari virtutes, illo discre„tionis adhibito moderamine, ut inter *Nothos & Mamzeres, Naturales & Spurios* distinguatur.

Unde de Stylo Curiæ “qualitates spurietatis veniunt „in dispensatione exprimendæ, alioqui legitimatio „vel dispensatio nulla est,“ ait Rebuffus loco citato *num.* 61.

XVII. Adhæc, quia hæc dispensatio tamquam à jure exorbitans restringenda est, uti loquitur Pontifex in *Cap.* 1. *De Filiis Presbyt.* in 6. infertur ibidem, quod “ille „cum quo per Sedem Apostolicam dispensatur, ut non „obstante natalium defectu valeat ad Beneficium, et„iamsi curam animarum habeat, promoveri: nequeat „prætextu hujusmodi dispensationis, nisi *unicum* Be„neficium obtinere.

XVIII. Rursus in *Cap.* 2. *eod. in* 6. ex eodem fundamento declaratur, quod si cum aliquo à Sede Apostolica fuerit dispensatum, ut non obstante hac irregularitate possit ad *omnes* Ordines promoveri & Beneficium etiam cum cura animarum obtinere; si postmodum obtineat aliam dispensationem ut *duo* vel *plura* Beneficia similem curam habentia possit recipere, & ea simul retinere, nisi rursus hic defectus fuerit expressus, & super eo dispensatum, hæc secunda dispensatio nulla est & nullius momenti, velut per subreptionem obtenta; “cum non sit verisimile Sedem Apostolicam cum illo „prædictum patiente defectum voluisse, si hoc fuisset „expressum, eidem in *pluralitate* Beneficiorum hujus„modi dispensare.

XIX. Ex eodem principio rectè infert Rebuffus loco supra allegato *num.* 47. “quod si Papa *simpliciter* di„spenset, ut Ordines sumere possit, intelligatur *mino„ribus*, non de majoribus.

Ulterius *num.* 48. quod “dispensatus ad Ordines „etiam *Sacros*, non censeatur dispensatus, ut benefi„cium habeat. Dispensatus illegitimus simpliciter, ut „possit habere Beneficium, non poterit habere Cura„tum (ait Rebuffus ibidem *num.* 51.) quia major ido„neitas in illis requiritur: ideo oportet exprimere in „dispensatione & præbendas & Canonicatus in Eccle„sia Cathedrali.

Insuper “est exprimendum, quod etiam Dignitates „habere possit, aliàs dispensatio non extenditur ad eas: „imò etiamsi expressum fuerit, quod Dignitates obti„nere possit, adhuc non poterit obtinere Dignitates „curatas: ideo hoc quoque exprimendum erit in di„spensatione.“ Rebuffus ibidem *n.* 52.

XX. Si Beneficium sit situm in eadem Ecclesia in qua Pater ministrat, vel ministravit, id necessariò exprimendum; eo quòd difficiliùs dispensetur, ut illegitimus Beneficium habeat in eadem Ecclesia, in qua Pater ministrat, vel aliquando ministravit. Quare & id ob specialem inordinationem in variis Canonibus & Pontificum Decretis vetitum fuit. In *Cap.* 15. ⁑ *De Filiis Presbyt.* scribit eidem Innocentius III. “Filius Canonicorum „præbendas in eisdem Ecclesiis conferri non sinatis, „quarum sunt Canonici Patres eorum.„ Rationem notandam subjicit: “Cum indecorum sit, ut in Altaris „officio illegitimus filius impudico patri ministret, in „quo *Unigenitus Dei filius* æterno Patri pro salute hu„mani generis *victimatur.*

Et ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. refertur in *Cap.* 16. ⁑ *eod.* “Ad abolendam pessimam (quæ „in pluribus inolevit Ecclesiis) corruptelam firmiter „inhibemus, ne Canonicorum filii, maximè spurii, Ca„nonici fiant in sæcularibus Ecclesiis, in quibus instituti „sunt Patres eorum.

XXI. Plura sunt in hanc rem Pontificum & Conciliorum Decreta, quæ innovans & in aliquibus amplians Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 15. *De Reformat.* edicit: “Ut paternæ incontinentiæ memoria locis Deo conse„cratis, quos maximè puritas sanctitasque decet, lon„gissimè arceatur; non liceat filiis Clericorum, qui non „ex legitimo nati sunt matrimonio, in Ecclesiis, ubi eo„rum Patres Beneficium aliquod Ecclesiasticum ha„bent, aut habuerunt, quodcumque etiam dissimile, be„neficium obtinere, nec in dictis Ecclesiis quoquo mo„do ministrare, nec pensiones super fructibus benefi„ciorum, quæ parentes eorum obtinent, vel aliàs ob„tinuerunt, habere.

XXII. Hoc Decretum non tantum filios illegitimos Presbyterorum, sed generaliter Clericorum excludit à Beneficiis quibuscumque, etiam *simplicibus*, quæ Patres eorum habuerunt; quod & ante editum hoc Decretum edixerat Clemens VII. in Constitutione quæ incipit: *Ad Canonum Conditorem* 30. in Bulla R.

XXIII. Ad hæc, sat manifestum est, vi hujus Decreti, Filium illegitimum non posse admitti ad Beneficium in Ecclesia, in qua Pater habuit aliquod quodcumque, tametsi etiam *media persona* intercesserit; id est, post Patrem tertius aliquis illud Beneficium possederit; & ita declarasse Sacram Congregationem Concilii Interpretem testatur Fagnanus ad *Cap.* AD EXTIRPANDAS ⁑ *De Filiis Presbyt. num.* 11. idque expressè decreverat Clemens VII. in citata Constitutione cum derogatione Decretalis Alexandri III. in *Cap.* 7. ⁑ *eod.* ubi filium illegitimum ad Beneficium Patris admittebat, modò Patri defuncto *media intercessserit persona*, cui illud Beneficium fuisset collatum.

XXIV. Quin ex Decreto Concilii Tridentini non potest filius illegitimus quodcumque beneficium, etiam dissimile, obtinere in Ecclesia, in qua pater non tantùm de præsenti habet, sed vel *unquam* habuit qualecumque beneficium: quin nec Vicariam aut aliquod officium etiam *manuale* obtinere; eò quòd vetet non solùm, ne filius ullum quodcumque etiam dissimile beneficium obtinere queat; sed addit: *Nec in dictis Ecclesiis quoquo modo ministrare.*

XXV. Itaque illegitimus, quantumvis *generaliter* ad quæcumque beneficia etiam curata & majora dispensatus, nullum equidem beneficium, quod pater quocumq; modo possidet, imò nec aliud, licet dissimile, & simplex in eâdem Ecclesia habere vi istius dispensationis potest; sed specialis hic dispensatio exigitur.

XXVI. Dispensationem, ut filius illegitimus & pater in eadem Ecclesia simul beneficia possideant, non esse annuendam, sat insinuat Synodus dum verbis ante citatis subjicit: “Quod si in præsenti pater & filius in ea„dem Ecclesia beneficia obtinere reperiantur; *cogatur*

filius

„ filius suum beneficium resignare, aut cum alio permutare extra Ecclesiam intra trium mensium spatium; aliàs ipso jure eo privatus existat, super iis *quacumque dispensatio* subreptitia censeatur.

XXVII. Alium modum purgandi seu tollendi hunc defectum natalium, saltem quoad Ordines recipiendos, expressit jam pridem Canon Synodi Pictaviensis relatus in *cap.* I. ♓ *De Filiis Presbyt.* qui postquam declaravit, filios Presbyterorum cæterosque ex fornicatione natos ad sacros Ordines non promovendos, subnectit hanc exceptionem: *Nisi aut Monachi fiant, aut in Congregatione Canonica regulariter viventes*; vel ut alia lectio habet, *vivant*.

Eandem exceptionem fecit in suo Decreto Urbanus II. relato apud Gratian. *Dist.* 56. *Can.* I. illiusque meminit S. Ivo in præfatione ad suum Decretum, rationem illius indicans, verbis suprà relatis hæc subjiciens: "Sed „ quia ex iis quasdam personas, non tantùm religiosas, „ sed Etiam Ecclesiæ Dei necessarias esse cognoverunt, „ Decretum suum temperaverunt: & ita genitos quorum *conversatio* in Monasteriis vel religiosis Ecclesiis „ *probata* fuerit; non solùm ad Presbyteratum, sed etiã „ ad summum Sacerdotium promoveri permiserunt.

XXVIII. Ratio ergo hujus exceptionis ex mente Ivonis erat, quod suspicio *incontinentia* ex paterna continentia profluens, per professionem & conversationem religiosam ablata videatur.

Adhæc quia professio Religiosa reddit professum incapacem Beneficii sæcularis, periculum non erat, ne per admissionem filiorum illegitimorum Beneficia fierent hæreditaria; quod præcipuè huic irregularitati inducendæ occasionem dedit.

XXIX. Quidquid sit, certum est juxta modernam disciplinam, per professionem Religiosam tolli hanc irregularitatem saltem quo ad sacros Ordines; neque illegitimos sic professos indigere ulla dispensatione, ut possint sacros ordines, etiam Presbyteratum suscipere; non tamen sufficere Novitiatum, sed requiri emissam professionem; eo quod hæc tantum constituat *Regularem* sive Religiosum, ut notat Fagnanus ad *Cap.* UT FILII ♓ *De Filiis Presbyt. n.* 13.

XXX. Tametsi ipsa Religiosa professio illegitimos reddat capaces ad suscipiendos sacros Ordines, nequaquam tamen ipsam tollit irregularitatem; quasi ipsum Professum totaliter & per omnia legitimaret; sed tantum effectum ipsius irregularitatis quoad exclusionem à Sacris Ordinibus suspendit; manente alio irregularitatis effectu in suo vigore, in quantum ipsos Professos adhuc excludit à *Prælaturis*, ut dicitur in citato Canone Synodi Pictaviensis relato in *Cap.* I. ♓ *eodem* in verbis: *Prælationes verò nullatenus habeant*.

Ex quo eliciunt Canonistæ, Professionem non habilitare illegitimum ad *Prælationes* obtinendas: idque indistinctè sive in eisdem, sive in aliis Monasteriis, sive in Ecclesia sæculari sive regulari, uti post alios notat Fagnanus loco citato *n.* 19.

XXXI. Monet quoque ibidem Fagnanus *num.* 22. quòd cum illegitimis Regularibus & Prælaturas & Dignitates solus Papa dispenset: "& ita sacra Pœnitentia„ ria (ait) dispensat in utroque foro cum Regulari ad „ quascumque Dignitates & officia suæ Religionis, „ quamvis consueverunt apponere clausulam, *non tamen ad generalatum*.

XXXII. Efficacissimus tandem modus purgandi defectum natalium est subsequens parentum matrimoniũ. De quo in *Cap.* TANTA ♓ *Qui filii sint legitimi*, ubi Exonienti Episcopo rescribit Alexander III. "Tanta est vis „ Matrimonii, ut qui antea sunt geniti, post contractum „ Matrimonium legitimi habeantur.

Neque refert, an medium Matrimonium intercesserit; hoc est si parens post susceptum filium illegitimum inierit matrimonium cum tertia, qua mortua demum contrahit cum illa è qua suscepit filium illegitimum, hic filius legitimus efficitur: & quidem ita legitimatur, ut ab initio nativitatis legitimus fuisse fingatur; sive juris fictione habeatur, uti uno consensu tradunt Canonistæ.

Per hanc legitimationem ipse natalium defectus quasi in radice tollitur, ideoque legitimatus pro legitimè nato reputatur ob subsecutum Matrimonium; habeturque capax non tantùm ad Ordines & beneficia minora, sed etiam ad majora & Prælaturas.

XXXIII. Non tamen hæc legitimatio procedit quoad natos ex adulterio aut incestu; & generaliter quoad natos ex parentibus inter quos tempore copulæ erat impedimentum dirimens; uti communiter docent Canonistæ moti verbis citati Capituli *Tanta*: "Si autem „ vir vivente uxore suâ aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris eandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.

CAPUT IV.

De Irregularitate ex defectu lenitatis.

1. *Ecclesia vult suos Ministros à sanguinis effusione esse alienos: & quare?*
2. *Olim Episcopi pro damnatis ad mortem intercedebant, & ad quid ea intercessio tenderet.*
3. *Mansuetudinem Sacerdotibus convenire etiam Gentiles viderunt.*
4. *Judicium sanguinis exercere indignum est Sacerdotibus.*
5. *Variis Canonibus vetitum Clericis sententiam sanguinis proferre, aut ad eam concurrere.*
6. *Neque id possunt ut Delegati Principis.*
7. *Clerici Officium cui judicium sanguinis annexum est, habere non possunt.*
8. *An Prælati jurisdictionem temporalem habentes possint per suos Officiarios judicium sanguinis exercere.*
9. *An Episcopus Clericum degradatum tradens Brachio sæculari efficiatur irregularis.*
10. *Olim efficaciter intercedere debebat, ne morte afficeretur; & quomodo hæc efficacia intelligeretur.*
11. *Quid hodie obtineat?*
12. *Vetitum Clericis adesse ubi vindicta sanguinis exercetur.*
13. *Clericus si præsens aliquo modo in sanguinis judicium influat irregularis efficitur.*
14. *An Notarii, Graphiarii & similes in causa sanguinis fiant irregulares?*
15. *Quid de Advocatis & Assessoribus?*
16. *An testes fiant irregulares?*
17. *Quomodo indirectè & remotè ad judicium sanguinis concurrentes non fiant irregulares.*
18. *An accusantes de crimine capitali fiant irregulares si mors sequatur?*
19. *Quæ requirantur ut Clericus hic evadat irregularitatem; & an semper necessaria aliqua protestatio.*
20. *An exterior protestatio semper sufficiat?*
21. *Hodie protestatio Episcopi est tantùm ceremonialis.*
22. *Qua ratione prosequens injuriam propriam in causa criminali evadat irregularitatem.*
23. *An accusans evadat irregularitatem si persequatur injuriam alteri illatam.*
24. *Etiam Laici hanc irregularitatem incurrunt.*
25. *Irregularitas non incurritur nisi mors aut mutilatio re ipsa sequuta sit.*

26. *Testes à judice compulsi hodie in Gallia irregulares non fiunt.*
27. *Neque etiam Graphiarii.*
28. *Super hac irregularitate solus Pontifex dispensat; & qua dispensationis formula?*

I. SEmper Ecclesia suis ministris commendavit animi mansuetudinem ad exemplum Christi, qui hanc præ cæteris, ut à se discerent, Discipulis dicens. *Discite à me, quia* MITIS *sum & humilis corde*; Unde inter qualitates quas in Episcopis & Diaconis requirit Apostolus hæc una est, *Non percussorem*.

Cùm autem mansuetudini specialiter ac directè contrarietur sanguinis humani effusio; ideo ab hac Sacerdotes omnino alienos esse desideravit Ecclesia, imitans in hoc Magistrum suum Christum, qui non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat.

II. Hinc olim Episcopi unicè solliciti erant, ut quos ob sua scelera reos mortis scirent, à morte vindicarent, eosque per pœnitentiæ labores ad Christum reducerent, vitamque non tantùm temporalem, sed & æternam procurarent, quod evincunt crebræ illæ Episcoporum apud sæculi Judices pro reis intercessiones; de quibus variis locis agit S. Augustinus, ac signanter *Epistola* 153. ad Macedonium, ibidem unà ostendens, Ecclesiam non quærere impunitatem criminis, sed correctionem criminosi, "desiderans hanc vitam temporalem, „non ut temporaliter vivat, sed ut spiritualiter per pœnitentiam resurgat. Morum porrò corrigendorum, „ait, nullus alius quam in hac vita locus est: Nam post „hanc vitam quisque id habebit quod in hac conquisierit. Ideò compellimur humani generis charitate intervenire pro reis, ne istam vitam sic finiant per supplicium, ut ea finita non possint finire supplicium.

III. Quin & ipsi Gentiles subinde viderunt, quàm hæc mansuetudo Sacerdotibus conveniret, quæ eos non ad occidendum peccatores, sed ad convertendum incitaret.

Suetonius refert, Titum Imperatorem acceptasse summum Sacerdotium, ut hoc pacto *nullius morti* subscribere cogeretur, fideliter illum hoc propositum servasse, & malle se mori professum fuisse, quàm ab eo recedere. "Pontificatum maximum ideo se professus accipere, ut „*puras* servaret *manus*, præstitit fidem; nec author post „hæc cujusquam necis, nec conscius, quamvis interdum „ulciscendi causa non deesset: sed periturum se potius, „quàm perditurum adjudicans.

IV. Itaque judicium sanguinis exercere, sententiamq; mortis in aliquem proferre, indignum Sacerdotio judicavit Ecclesia: "Quomodo enim Ecclesia judicare debet „fundendum sanguinem alienum, quæ à primo ortu „suo jussa est fundere sanguinem proprium?" ait Ivo Carnotensis *Epist*. 246.

V. In Concilio Toletano VI. *Can*. 31. legitur: "Sæpe „Principes contra quoslibet majestatis obnoxios Sacerdotibus negotia sua committunt. Quia verò à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant „Regibus fieri judices, ubi jurejurando supplicii indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia „præparatur. Si quis ergo Sacerdotum contra hoc „commune consultum discussor in alienis periculis extiterit, reus effusi Sanguinis apud Christum, & apud „Ecclesiam, perdat proprium gradum. Apud Gratianum *caus*. 23. *quæst*. 8. *Can*. 29. & deinde ex Concilio Tolet. XI. refertur Canone sequenti: "His à quibus Domini Sacramenta tractanda sunt, judicium sanguinis „agitare non licet. Et ideò magnopere talibus excessibus prohibendum est: ne indiscretæ præsumptionis „motibus agitati, aut quod morte plectendum est, sententia propria judicare præsumant aut truncationes „quibuslibet personis inferant per se, aut inferendas „præcipiat. Quod si quisquam immemor horum præceptorum aut in Ecclesiæ suæ familiis, aut in quibuslibet personis tale aliquid fecerit, concessi ordinis honore privetur, & loco: sub perpetuo quoque damnationis teneatur ergastulo religatus. Cui tamen communio ex hac vita exeunti non est neganda propter „Domini misericordiam; qui non vult peccatoris mortem, sed ut convertatur, & vivat.

Hujus Canonis meminit Alexander III. in *Cap*. 5. ⁂ *Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant*, scribens Archiepiscopo Cantuariensi. "Clericis in sacris Ordinibus constitutis, ex Concilio Toletano judicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, „ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut judicent inferendas. Quod si quis tale quid fecerit, honore privetur & loco.

Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap*. 9. ⁂ *eod*. ait: "Sententiam sanguinis nullus Clericus dictet aut proferat; sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exercetur intersit.

Hinc primò statue, quod Clericis vetitum sit, judices esse in causa sanguinis, aut sanguinis vindictam exercere, quodque ex eo judicio irregulares fiant.

VI. Neque ab irregularitate exemptus erit, si judicium hujusmodi exercuerit in qualitate Delegati Principis, uti colligitur ex *Cap*. 4. ⁂ *De Raptoribus*; ubi Archiepiscopo Panormitano respondit Alexander III. quod si Rex Siciliæ quosdam Saracenos malefactores ipsi aliisque Episcopis puniendos commiserit, "possit eos pecuniaria pœna mulctare & etiam flagellis afficere, ea, ait, „moderatione adhibita quod flagella in *vindictam* sanguinis transire minimè videantur. Si vero ita gravis „fuerit excessus, quod mortem vel detruncationem „membrorum debeant sustinere, vindictam reserves Regiæ potestati.

VII. Quapropter in citato *Cap*. 5. vetatur "sub interminatione anathematis ne quis Sacerdos habeat officium Vicecomitis aut præpositi sæcularis.

Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can*. 7. renovans Decretum Concilii Lateranensis addit: "Clerici Beneficiati aut in Sacris Ordinibus constituti non sunt senescalli, aut Ballivi talium administrationum, nec jurisdictiones exerceant sæculares, præsertim illas quibus „*judicium sanguinis* est annexum.

Ex quo nunc obscurum est, hujusmodi officia præcipuè Clericis vetita fuisse ob *judicium sanguinis* annexum.

VIII. Hinc aliquando dubitatum fuit, num Episcopi & Abbates, quibus fas non est, ne quidem ut Delegatis aut Commissariis Principis judicium sanguinis exercere, quin nec administrationes, aut officia, quibus tale judicium annexum est, habere aut exercere possunt, si tamen ipsi jurisdictionem temporalem habeant, possint suis Ballivis causas *criminales* committere. Dubium tandem resolvit Bonifacius VIII. in *Cap. fin. Ne Clerici vel Monachi sæcularibus negotiis se immisceant in* 6. "Episcopus seu quicumque alius Prælatus, vel Clericus, „jurisdictionem obtinens temporalem: si homicidio „aut alio maleficio ab aliquibus in jurisdictione sua „commisso, *Ballivo* suo, aut alii cuicumque injungat, „ut super hoc veritatem inquirens, justitiæ debitum „exequatur, *irregularis* censeri *non debet*: quamvis „ille Ballivus vel alius contra malefactores ad pœnam „sanguinis processerit justitia mediante." Rationem subdit: "Nam licet Clericis causas *sanguinis* agitare „non liceat, eas tamen (cùm jurisdictionem obtinent „temporalem) debent & possunt, metu irregularitatis „cessante aliis delegare.

Hodie Episcopi aliiq; Prælati non solent aliquam in particulari

particulari causam suis Ballivis aut Officiatis delegare, sed simpliciter constituunt Ballivos, eosque perpetuos, qui jure sui officii jurisdictionem præsertim *criminalem*, sine ulla ipsius constituentis interventione, exercent: unde hic minor est metus incurrendæ irregularitatis.

IX. Major difficultas apparet, quando Episcopus Clericum degradatum tradit Curiæ seu Brachio seculari, quem scit sic traditum morte afficiendum. Videtur enim Episcopus hoc in casu propinquius ac magis directè in sanguinis effusionem influere; & ad sanguinis judicium concurrere.

Innocentius III. in *Cap. 27.* ꝟ. *De V. S.* scribens Episcopo Parisiensi, resolvit, Clericum convictum de crimine falsi per Episcopum posse Curiæ seculari tradi puniendum, addita hac cautione: " Pro quo tamen debet Ecclesia *efficaciter* intercedere, ut citra mortis periculum circa eum sententia moderetur.

X. Hæc intercessio *efficax* nequaquam erit, nisi reipsa sic degradatus Clericus, & curiæ seculari traditus, mortis periculum evadat.

Sed quia frequenter similis intercessio, eam efficaciam non habet, similis traditio ab Episcopo facienda difficultate carere non videbatur; unde & ipse Innocentius fatetur, quòd ejus prædecessores super hoc consulti non idem omnes se senserint: *Cùm quidem Antecessorum nostrorum super hoc consulti diversa responderint.*

Sanè jam pridem Episcopi ipsos criminosos quadam Christiana violentia è manibus judicum & executorum rapiebant, ut eis vitam corporalem, & pœnitendi tempus procurarent; nec umquam eos qui ad Ecclesiam confugerant, aut ejus auctoritati suberant, laicæ potestati tradebant, nisi facta cautione, quòd eos mortis supplicio non afficerent.

Quare & ipse Innocentius in citata Decretali, post relata verba subjungit: " Pro illo *falsario* scelerato, „ quem ad mandatum nostrum capi fecisti, hoc tibi „ duximus consulendum, ut in perpetuum carcerem ad „ agendam pœnitentiam ipsum includas.

XI. Hodie Episcopi Clericos degradatos pro enormi crimine tradunt Curiæ seculari, tametsi mortis sententiam in eos esse prolatam, & mox à facta degradatione eos morte plectendos certò sciant; idque citra metum irregularitatis, modò exteriùs *intercedant*, quamvis noverint, intercessionem planè inefficacem futuram; idque auctoritate Decretalis Bonifacii VIII. in *Cap. 2. De Homicidio in 6.* (de qua infra) receptum videtur.

XII. Concilium Lateranense non tantùm declarat, vetitum esse Clerico, sententiam sanguinis proferre, dictare, aut sanguinis vindictam exercere, sed insuper, *ubi exerceatur*, interesse.

Verùm ut notant post Glossam Canonistæ, si Clericus in loco, ubi vindicta sanguinis exercetur, tamquam *merus* spectator ex curiositate forsan intersit, nullatenus ad vindictam sanguinis concurrens, propterea irregularis non efficitur. Verba Glossæ sunt: " Sed „ si *intersit* tantùm numquid propter hoc efficitur irre„ gularis, ut propter hoc deponatur; Non videtur quòd „ debeat deponi; sed aliàs debet puniri, quia interfuit „ contra præceptum.

Hæc opinio communi hodie disciplinæ consona est. Meliores enim magisque regulares Clerici existimant quidem, si non omnino illicitum, saltem minùs statui suo esse conveniens, hujusmodi spectaculis interesse; ac interessentes sola hac præsentia fieri irregulares nemo credit.

XIII. At si interessendo Clericus in ipsam sanguinis vindictam sive sententiam aliquo modo influat, aut ad eam concurrat, facilè hinc irregularitatem contrahet; atque ità respondet Innocentius III. Episcopum Albiganensem irregularitatem incurrisse, quia in judicio sanguinis non tantum præsentiam corporalem, sed & auctoritatem præstiterat. *Cap. 10.* ꝟ. *De Excessibus Prælat.*

Idcirco moderna praxis habet, ut si in Parlamentis Regiis causa criminalis agitetur, ipsi Consiliarii Ecclesiastici se subtrahant; ne forsan sua præsentia in ipsam sanguinis sententiam influere videantur.

XIV. Ulterius Concilium Lateranense addit: " Nec „ quisquam Clericus litteras scribat aut dictet, pro vin„ dicta sanguinis destinandas. Unde in Curiis Princi„ pum hæc sollicitudo non Clericis, sed Laicis com„ mittatur.

Ex his verbis Concilii concludunt Canonistæ, Notarios, Graphiarios, Actuarios aliosque similes in causa sanguinis fieri irregulares; eò quod ad ipsam sanguinis sententiam ejusve executionem concurrant.

XV. Advocatos quoque & Assessores in causa sanguinis, si contra reum postulent, vel consulant, simili ratione incurrere irregularitatem communi calculo docent; atque jam pridem declaravit Concilium Londinense celebratum à Cardinale Otho Bono Sedis Apostolicæ Legato anno 1268. *Can. 6.* declaratque, officium *Advocationis* aut *Assessoris* in causa sanguinis exercentes, ipso facto ab officio suspensos, aliisque pœnis castigandos.

XVI. Porrò quia testes ad condemnationem criminosi proximè videntur concurrere, in causa criminali contra reum testimonium ferre citra irregularitatis periculum non posse expeditum est; imò plures credunt, Clericum non evadere irregularitatem, si testimonium tulerit in causa *directè* tendente ad mortem sive membrorum mutilationem; tametsi illud non dixerit nisi reluctans & à Judice compulsus; præceptum enim judicis, & metus etiam cadens in constantem virum, sunt actus [inquiunt] accidentales & extrinseci, qui non considerantur, sed ipse concursus tantùm, qui hic *directè* & *per se* tendit ad deformationem.

XVII. At si non directè in causa sanguinis testatus, sed tantùm remotè exinde per occasionem ad sententiam sanguinis deventum sit; aut aliqua criminis indicia, sed remota, & non directè ad accusationem tendentia dederit, non propterea censebitur irregularis; tametsi ex illis indiciis crimen detectum fuerit, & sententia sanguinis sequuta; quemadmodum in simili casu resolvitur in *Cap.* TUA NOS §. AD ULTIMUM ꝟ. *De Homicidio*

Eodem fundamento respondit Innocentius III. cuidam Episcopo, quòd contra quosdam laicos contumaciter recusantes solvere decimas, implorare possit Regiam potestatem, " tametsi ad solutionem ipsarum vix „ absque *sanguinis effusione* valeant coarctari. Quia (in„ quit) si te hujusmodi querimoniam simpliciter de„ ponente, Rex in eosdem rebelles traditam sibi exer„ cuerit potestatem, eorum erit duritiæ aut mali iæ im„ putandum." *Cap. 21.* ꝟ. *De Homicidio.*

Similiter qui hortatur & monet Magistratus, ut in malefactores pro officii sui debito invigilent, atque pro merito in illos advertant, non propterea irregularis fit, licet occasione istius exhortationis seu monitionis aliqui essent morte affecti, aliàs non afficiendi, quia hic concursus nimium *remotus* est, quàm ut ratione illius auctor in mortem hanc concurrere censeretur.

XVIII. Major sanè difficultas est, si quis aliquem coram Magistratu de gravi injuria & delicto accuset, atque reparationem injuriæ postulet, hacque occasione accusatus morte afficiatur; cum propinquius multò, quàm in priore casu ad hanc sanguinis sententiam concurrat, ipsumque judicem excitet & promoveat.

De hoc casu agit Pontifex in *Cap. 2. De Homicidio in VI.* dicens: " Prælatis vel Clericis quibuscumque, qui de

„ de Laicis suis malefactoribus querelam penes secula„ rem judicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, „ & provideri, ne contra eos talia de cætero præsuman„ tur, protestando expresse quòd ad vindictam seu pœ„ nam sanguinis non intendunt, imputari non debet: „ quamvis aliàs in tali casu de jure debeat pœna sangui„ nis irrogari, si judex mortem illis inferat justitia exi„ gente.

Rationem subjicit: " Alioquin si Prælati aut Clerici „ propter metum hujusmodi (quia judex ad pœnam „ sanguinis posset procedere de suis malefactoribus) tali„ ter conqueri non auderent, daretur plerisque materia „ trucidandi eosdem ipsorum bona libere deprædandi.

XIX. Ut ergo decisio hujus Decretalis obtineat, atque Clericus qui hujusmodi querimoniam deposuit, irregularitatem evadat, requiritur,

Primò, ut ipse Clericus accusans *protestetur expressè, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis non intendat.*

Credunt communiter Canonistæ, hoc in casu pro evitanda irregularitate adeò esse necessariam hanc expressam protestationem, ut licet revera accusans habeat animum planè alienum & aversum à morte aut mutilatione accusati, equidem irregularis, etiam coram Deo constituatur, si hanc protestationem omiserit, quemadmodum notat Covaruvias ad *Clement.* SI FURIOSUS, *parte* 2. §. 5. *n.* 2.

Sed quid si omnes circumstantiæ clament, accusationem unicè ad reparationem damni illati à Clerico institui, an ipsa *protestatio* necessaria dicetur? Non apparet. Ad quid enim ipsa protestatio; nisi ut Clericus ostendat, se à sanguinis effusione & vindicta alienum? quod dum ipsæ circumstantiæ patenter ostendunt, protestatio superflua videtur.

Neque enim fas est credere, Pontificem aut Ecclesiam hanc exteriorem & verbalem protestationem proposuisse, tamquam formulam quamdam, qua posita abstergeretur irregularitas; & *qua omissa* incurreretur irregularitas; uti nonnullis persuasum fuit.

XX. Ulterius eidem illi concluserunt, mediante exteriore illa verbali protestatione, Clericum evadere irregularitatem, tametsi animum habeat protestationi contrarium.

Verum quidem est, Clericum exterius ità protestantem, in foro exteriori non posse pro irregulari haberi ob animum protestationi contrarium; eo quod de occultis & in solo animo latentibus Ecclesia non judicet: dubitari tamen non posse videtur, quin Pontifex *sinceram* protestationem, non autem aliquam dumtaxat fucatam verborum formulam requisierit.

Quare non malè notavit Cardinalis Hostiensis in Summa ad titulum de Homicidio §. 5. " Quod si inten„ tio nostra erat, ut ad mortem damnaretur, irregula„ res essemus, qui quibuscumque verbis fuerit intentio „ velata: licet per Ecclesiam non prohibeamur nisi con„ stet per confessionem vel probationem, vel quia nihil „ volebamus, sed apertè hoc dicebamus.

XXI. Interim ex ea plurium opinione, quod hæc *protestatio*, etiam ut mera formula exterius prolata sufficiat, ut evitetur hoc in casu irregularitas, tandem & hoc invaluit, *intercessionem* Episcopi pro Clerico degradato & curiæ seculari tradendo sufficere, etiamsi sciatur, eam omni effectu frustrandam, ipsumque degradatum certò morte afficiendum.

Equidem cum hæc irregularitas ex jure positivo humano dependeat, prout Ecclesia irregularitatem tollere tametsi ea *protestatio* aut *intercessio*, quæ ex mente primitùs instituentium debuit esse *sincera* & *efficax*, tandem desierit in quandam externam dumtaxat *formulam*; quam equidem retineri desiderat, ut pristinæ disciplinæ, & spiritus hujus irregularitatis memoria saltem maneat, & Ecclesiæ Ministris refricetur.

XXII. Notant ulterius Canonistæ, quod hæc protestatio non eximat Clericum accusantem ab irregularitate ad mentem Decretalis Bonifacius VIII. ubi ipse reum accusavit pro furto vel injuria non *sibi*, sed *alteri* illata: quasi Constitutio prædicti *Cap.* 2. tunc locum habeat, accusatio proponitur pro injuria ipsi accusanti illata, aut saltem suis & propinquis; ità Felinus ad *Cap.* POSTULASTI 11. *De Homicidio*; quem refert & sequitur Covarruvias loco citato; addens tamen hanc opinionem ità posse intelligi, quod " nihilominus Clericus prote„ testatione facta possit absque metu irregularitatis de„ lictum aliquod præcogitatum & denique tractatum „ in grave reipublicæ dispendium, aut proximi „ damnum, cautè deferre ac denuntiare in medelam „ potius, quàm ad punitionem.

XXIV. Nec tantùm Clericos hæc irregularitas spectat, sed etiam Laicos; eatenus saltem quod si in causa sanguinis sententiam tulerint; aut ad eam concurrerint eo modo quo nunc expositum fuit, fiant irregulares ad Ordines, quin & Tonsuram Clericalem suscipiendam citra dispensationem.

XXV. Hoc tamen notandum, neque Clericos, neque Laicos irregularitatem incurrere ob concurrentiam in causa sanguinis, nisi reipsa sententia sanguinis executioni mandata fuerit, id est, mors aut mutilatio ipsius criminosi fuerit sequuta: neque refert, quo eventu, aut etiam fraude vel maleficio executio sententiæ fuerit impedita: uti ex dictis capite primo facilè potest intelligi.

XXVI. Ulterius quia hæc irregularitas à jure positivo humano dependet, quid mirum si non ubique eodem cum rigore observetur. Et quidem testes à judice compulsi ferre testimonium in causa criminali, non censentur irregulares secundùm Jurisprudentiam Gallicanam, moresque & usum hujus Regni Gallicani: quia causa proxima mortis reorum non habentur, sed remota dumtaxat, ait R. P. Natalis Alexander in Theologia dogmatica & morali tractatu de Sacramento Ordinis *cap.* 4. *art.* 9. *n.* 1. additque: " Idem esto de Notariis „ judicium; sed aliarum Ecclesiarum disciplinæ ac mo„ ribus (ait) Gallicani mores non præjudicant.

XXVII. Refert quoque Julianus Brodeau in notis ad Loventium *litt. B. n.* 1. judicatum in Senatu Regio *consultis classibus* anno 1623. Scribam seu Graphiarium criminalem, qui per plures annos signaverat, & pronuntiaverat plurimas sententias sanguinis; earumque executioni interfuerat, non incurrisse irregularitatem; ac potuisse sine ulla dispensatione beneficium Ecclesiasticum obtinere. Rationem subdit Brodæus: " Graphi„ arius non fundit sanguinem neque effusionis causa „ est; nihil confert de suo, non est nisi simplex judicis „ minister.

XXVIII. Solus Pontifex in hac irregularitate dispensat; uti notat Pyrrus Corradus in Praxi dispensationum *lib.* 5. *cap.* 2. ubi & formulam dispensationis refert, in qua nihil speciale occurrit; sed committitur simpliciter Ordinario, ut cum Oratore dispenset, si preces veritate niti compererit, " & dummodo Orator reperiatur „ idoneus, vitæque ac morum probitas aliaque merita „ sibi suffragentur, nec aliud obstet Canonicum im„ pedimentum; & quod de cætero à similibus absti„ neat.

CAPUT V.

De irregularitate ex defectu corporis.

1. *Hæc irregularitas nota in veteri Testamento.*
2. *Lex vetus quoad hunc articulum abolita.*
3. *Primis Ecclesiæ seculis ignota.*

4. *Partes*

4. *Patres Ordinandis Sacerdotibus parum attendebant vitium corporis.*
5. *Etiam seculo 4. irregularitas ex solo vitio corporis non desumpta.*
6. *Pontificum Decreta quæ soli corporis defectui irregularitatem adscribere videntur.*
7. *Aliquando dubitatum, an* macula *in oculo non causaret irregularitatem.*
8. *Non videntur Pontifices* soli *defectui corporis adscribere irregularitatem.*
9. *Patiens defectum corporis potest in Altari ministrare si* scandalum *non timeatur.*
10. *Defectuosus ad functiones Altaris admittitur, si sine irreverentia possit.*
11. *In scandalum & irreverentiam hæc irregularitas refunditur; præcipue jure Decretalium.*
12. *Quis defectus superveniens impediat executionem Ordinum.*
13. *Quis defectus inducat irregularitatem, Episcopi est judicare.*
14. *Auctoritas Episcopalis in hoc puncto fundatur in antiquo Canone.*
15. *Quæ hic ab Episcopo attendenda?*
16. *Eminentia in doctrina & moribus aliquando supplere potest.*
17. *Rescriptum de dispensatione super hoc defectu semper ad Episcopum dirigitur à Curia Romana.*
18. *Tantum per* seipsum *de defectu judicare potest Episcopus.*
19. *Specialis clausula in dispensatione super defectu oculi* Canonis.

1\. HÆc irregularitas notissima fuit in veteri testamento, eò quòd Levitici *cap.* 21. *v.* 18. & 19. dictum esset à Domino ad Moysen: "Loquere ad Aaron: Homo „de semine tuo per familias qui habue„rit maculam, non offeret panes Deo suo, nec accedet „ad ministerium ejus: si cæcus fuerit, si claudus, si par„vo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, „si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si „jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel her„niosus.

II. Verùm hæc aliaque plura populo Judaico præscripta, unà cum veteri lege desierunt; atque in Sacerdotibus novæ legis, non tam corporis, quàm mentis & animæ vitia expendenda lex nova præscripsit; voluitque Christus non ex una Tribu, sed ex omni Gente optimos quosque eligi in Sacerdotes; uti jam pridem rectè notavit Auctor Constitutionum vulgò Apostolicarum: "Pro „una Tribu Sacerdotali (ait) jussit ex unaquaque Gente „optimos quosque ad Sacerdotium eligere, neque *corporum* vitia contemplari, sed religionem & vitam.

III. Narrat Sozomenus *lib. 6. hist. cap.* 30. de quodam sancto Anachoreta Ammonio, quod cùm capiendus esset, ut Episcopus ordinaretur, nec rogando persuadere potuisset iis qui ad ipsum capiendum venerant, ut abirent abscissa sibi *auricula*: "Abite, inquit, post„hac enim, ne quidem si vellem, Sacerdotalis lex me „ordinari sinit. *Integri* enim corporis Sacerdotem con„stitui oportet.

Post hæc subjicit Sozomenus: "Illi digressi, post„quam intellexerunt, Judæis quidem hæc observanda „esse; Ecclesiam verò de *corpore* non curare, dummo„dò Sacerdos *integer* sit *moribus*, denuò redierunt, eum „comprehensuri, tum ille juravit, se linguam quoque „sibi præcisurum, si vim facere tentassent.

Eandem historiam narrat Palladius in historia Lausiaca *cap.* 12. additque, "fuisse Episcopum, qui viris „illis dixerat, Ecclesiam lege veteri in hoc puncto non esse subjectam; seque paratum ordinare virum bonæ vitæ etiam naso amputato." (Hæc lex inquiebat) in usu „sit apud Judæos; mihi autem si vel truncatis naribus „adduxeritis, qui sit bonis moribus, ego eum ordi„nabo.

IV. Et si consulamus antiquos Canones, facilè videbitur, patribus persuasum fuisse, parum de corporis defectibus curandum in electione Sacerdotum, ubi de eorum bonis moribus, ac necessariis qualitatibus ad Sacerdotii functiones ritè obeundas constat.

Canon 76. vulgò Apostolorum ait: "Si quis vel o„culo orbatus, vel femore oblæsus, Episcopatu autem „dignus sit, fiat. Non enim corporis damnum eum pol„luit, sed animæ inquinatio." Et rursus *Canon.* 77. "Qui „autem est surdus & cæcus, ne sit Episcopus; non ut „pollutus, sed ne Ecclesiastica impediantur.

Hinc manifestum est, juxta disciplinam his Canonibus expressam, defectum corporis non ponere impedimentum Ordinis, etiam Episcopatus, sive irregularitatem; nisi talis sit defectus, qui defectuosum incapacem reddit functionibus Ordini annexis obeundis: quod & Balsamon & Zanaras in Commentariis ad hos Canones observârunt; unà notantes differentiam inter veterem & novam legem; quòd "illa exigeret conse„cratos ipsarum ministros, *integros* esse *corpore*, no„tamque nullam habentes: ac nemo parte corporis ali„qua deformatus, aut mutilatus admitteretur ad Sacer„dotium. Sed etiam post Sacerdotium, si cui Sacerdo„tum membri vel particulæ cujusquam mutilatio con„tigerit, Sacerdotio mulctabatur. At iis, qui consecran„di sunt apud nos [ait Zonaras] mutilatio corporis im„pedimento non annumeratur. Animam nempe requi„ritur habere puram, sine vitio & sorde." Vel ut loquitur Balsamon: "Animam puram & integram volunt „omnes habere, non autem corpus.

V. Innocentius I. ad Felicem Nucerianum scribens ait: "Qui partem cujuslibet digiti sibi ipsi volens absci„dit, hunc ad Clerum Canones non admittunt. Cui ve„rò casu aliquo contigit, dum aut operi rustico curam „impendit, aut aliquid faciens se non sponte percussit, „hos Canones præcipiunt & Clericos fieri, si in Clero „fuerint reperti, non abjici. In illis enim voluntas est „judicata quæ sibi ausa fuit ferrum injicere: in istis verò „casus veniam meruit.

Patet Innocentium seculo IV. irregularitatem non desumpsisse ex mero & simplici corporis defectu, sed ex ausu *temerario*, quo sibi ferrum inferre, & seipsum mutilare ausus fuit.

Itaque nec Ecclesia Latina eo tempore defectum corporis pro irregularitate habebat.

Verùm nonnulla posteriora Decreta defectuosos corpore irregularibus annumerasse videntur.

VI. Apud Gratianum *Dist.* 55. *Can.* 3. refertur ex Concilio Romano sub Hilaro Papa seculo V. "Pœni„tentes, vel inscii litterarum, aut aliqua membrorum „damna perpessi ad sacros Ordines aspirare non aude„ant. Quisquis autem talium Consecrator extiterit, fa„ctum suum ipse dissolvet.

Et *Canone* 13. ibidem refertur ex Epistola Gelasii I. „Illi cui erutus est oculus, non possunt secundum Ca„nones Sacerdotii jura concedi. Neque enim aliquid „ei prodest, quod oculum invitus amisit, cùm nec vo„lens quisquam oculum amisisse credendus est nec sa„cratissimos Canones aliquem casum in amissione „oculi, qui ad Sacerdotium adipiscendum non impe„diret, suis excepisse regulis invenimus: sed hoc tan„tummodò ad prohibitionem sufficisse videmus Patri„bus, ut qui careret oculo, Sacerdotii officium adi„pisci non possit.

Si hæc Decreta simpliciter ac generaliter, prout sonant, accipiantur, videntur hanc irregularitatem ad defectum corporis, tametsi usum Ordinis non impedientem

entem extendere. Quis enim nescit, uno tantummodo oculo orbatum, aut cæcum, posse interdum Ordinis etiam Sacerdotalis functiones aliquas ritè obire? Unde ob hosce forsan similesque Canones, nonnulli circa hanc irregularitatem justò rigidiores atque scrupulosiores fuisse videntur.

VII. Et quidem aliquando dubitatum fuisse, an irregularis non esset, qui *maculam* in *oculo* haberet; atque super eo dubio consultum Alexandrum III. intelligitur ex ejusdem responso quod refertur in *Cap.* 2. ℣. *De Corpore vitiatis.* Simile dubium propositum fuisse Honorio III. colligitur ex *Cap.* 1. *De Corpore vitiatis* in quinta compilatione Decretalium per Innocentium Cironium.

VIII. Attentis verò responsis Pontificum ad proposita dubia, facilè intelligi poterit, Pontifices non existimasse defectum corporis constituere aliquem irregularem, nisi vel culpa defectum patientis intervenerit; vel defectus hujusmodi sit, ut vel absolutè ipsum defectuosum ad obeundas functiones Ordinis reddat incapacem; aut saltem ratione illius periculum notabile irreverentiæ aut scandali subsit.

IX. In *Cap.* 1. ℣. *De Corpore vitiatis* de Presbytero qui cum notabili sua culpa partem digiti amiserat, respondet Alexander III. "Quòd cum ipse non perdiderit tantum de digito, quin *sine scandalo* possit solemniter celebrare, satis potes post peractam pœnitentiam cum eo misericorditer agere, & permittere ipsum in suo Ordine ministrare, licet ejus excessus gravis admodum extiterit.

Manifestum est, Pontificem pro excessu commisso convenientem quidem ante Ordinis executionem à Presbytero peractam voluisse pœnitentiam; sed ea peracta, nullam judicasse habendam rationem defectus digiti; eò quod non perdidisset tantum de digito, quin *sine scandalo* posset *solemniter* celebrare.

X. Et Honorius III. de quodam Monacho, super cujus dexteræ pollicem barra quædam fortuitò ceciderat, atque ungulam avulserat ab eo, respondet Episcopo Engolismensi, "quatenus si ad frangendam Eucharistiam sit in pollice ipso potens, & aliud canonicum non obsistat, propter deformitatem hujusmodi non dimittat quin eum ad Ordinem promoveat Sacerdotis." *Cap. fin.* ℣. *De Corpore vitiatis.*

Hinc rursus patet: Pontificem supposuisse omnem irregularitatis rationem esse petendam ex deformitate, quæ Ordinis executionem impediret.

XI. Extat sub nomine Eugenii Papæ Decretalis in *Cap.* 2. ℣. *De Clerico ægrotante*, & habetur in appendice ad concilium Lateranense III. sub Alexandro III. *parte* 26. *cap.* 15. sub hoc titulo. *Eugenius Papa primus Sarensi Episcopo.* Quidquid sit de veritate tituli, ac Auctore Decretalis, in ea interim refertur: "Presbyterum, cujus duos digitos cum medietate palmæ à prædone abscissos significasti, Missam non permittimus celebrare." Rationem subjungit: "Quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri fieri posse confidimus?

Non igitur in ipsum simpliciter corporis defectum irregularitatem, sive suspensionem à celebratione Missæ refundit; sed in *deformitatem* qua *sine scandalo*, & *debilitatem* quæ *sine periculo* celebrationem permittere non videntur; unde & addit: "Ipsum autem cæteris officiis Sacerdotibus fungi minimè prohibemus." Cur ità? quia hæc officia securè sine periculo non obstante debilitate manus, & *sine scandalo* non refragante deformitate, obire poterat.

Quisquis igitur sensus sit Canonum qui sub nomine Hilarii & Gelasii à Gratiano referuntur, interim ex his aliisque Decretalibus concludunt Canonistæ, juxta modernam disciplinam, vitium sive defectum corporis, qui sine culpa patientis accidit, non inducere irregularitatem quoad Ordines suscipiendos; nisi talis fuerit defectus, ut vel simpliciter impediat executionem Ordinis; aut eam corporis deformitatem annexam habeat, ut functiones Ordinis securè & sine periculo, aut offensione populi peragere non sineret.

XII. Defectus autem corporis post Ordines susceptos superveniens, ex communi Canonistarum sententia, conformiter ad relatas Decretales, non inducit irregularitatem nisi quoad illos Ordines & eas functiones, quæ ob defectum illum securè & sine periculo, & sine scandalo peragi nequeunt.

XIII. Quis verò defectus hujusmodi deformitatem inducat ut sine periculo aut scandalo Ordinis executio permitti nequeat; ut ea ratione aliqua irregularitas vel quoad Ordinem suscipiendum aut susceptum subesse censenda sit, hoc potest ipso facto melius perpendi, quam aliquo statuto exprimi, ait Glossa ad *Cap.* 2. ℣. *De Clerico ægrotante*, verbo *Deformitatem.*

Judicare autem & determinare in particulari casu, quæ sit notabilis aut levis deformitas, & an hic & nunc ob talem deformitatem periculum aut scandalum per Ordinis executionem sit timendum, judicio Episcopi determinandum esse, uno consensu concludunt Canonistæ sequuti Glossam in *Cap.* 2. ℣. *De Corpore vitiatis*: ità ut non sufficiat arbitrium Confessarii vel alterius prælati inferioris; uti post alios citatos docet Barbosa De potestate Episcopi *parte* 2. *Allegat.* 42. *n.* 60. qui & ibidem addit: "Respectu Regularium ad eundem Episcopum id declarare competit, non autem ad Superiores regulares, nisi eisdem expressè à Sede Apostolica delegaretur.

XIV. Auctoritatis Episcopalis quoad hanc determinationem argumentum suppeditat *Can.* 5. *Dist.* 33. ubi decernitur, quod hi qui aliquando corporis incommoditatibus in terram elisi fuerunt, "tamdiu erunt ab officii sui Ordine & loco suspensi, quousque unius anni spatio per *discretionem Episcopi* inveniantur ab incursu dæmonum liberati." Vel ut verior lectio habere videtur, *alieni.*

Non absimile hujus auctoritatis argumentum occurrit in *can.* 2. *caus.* 7. *q.* 2.

XV. In hac determinatione tempus, locum & personam ejusque dotes merito Episcopus attendit.

Neque enim dubium est, quin uno loco defectus aliquis possit esse offensioni, & non alio, ubi hujusmodi defectus vel est frequentior, aut minus attenditur. Idem dicendum de tempore.

Persona quoque plurimum attendenda. Potest enim contingere, ut defectus corporis in uno impediret debitam executionem Ordinis, & non alio: eo quod is sit aliorum membrorum vigor, ut debilitatem aut defectum alterius supplere queat.

Exempli gratia carens oculo sinistro, sive *Canonis*, ut vocant, communiter habetur irregularis quoad Ordinem Sacerdotii suscipiendum aut Missæ celebrationem post Ordinem susceptum; "si quis tamen carens visiva virtute in oculo sinistro sive *Canonis*, & tanta polleat virtute in dextro, ut sine deformi faciei conversione possit legere *Canonem*, non est irregularis," ait post alios Barbos. loco citato *n.* 31.

XVI. Similiter indubitatum est, quod adeo possint eminentes esse in aliquo qualitates seu quoad mores, seu quoad doctrinam & zelum, ut defectus corporis, qui aliàs offensionem populi pareret, ob hasce eminentes qualitates non causaret; aut si quæ forsan offensio timeretur, ea merito ob bona, quæ ex Ordinatione & promotione hujusmodi defectuosi sperantur, negligi deberet.

XVII. Aliquando super aliquibus defectibus corporis peti hodie dispensationes in Curia Romana praxis quotidiana docet, monetque Pyrrus Corradus in praxi dispensa-

Digitized b

spensationum *Lib. 3. cap. 6. n. 19.* quod dum conceditur dispensatio super irregularitate in Dataria Romana, hæc numquam inscribatur seu committatur Vicario seu Officiali Episcopi, sed semper ipsi Episcopo; idque ob textum *Cap. 2.* ✠. *De Corpore vitiatis.* qui Episcopo auctoritatem cognoscendi & judicandi de defectu corporis tribuit. "Quod quidem ait Corradus) adeo ri-
„ gorosè observatur, ut cum sacra Pœnitentiaria Aposto-
„ lica, ex facultate sibi tradita, dispensat cum Religiosis
„ professis, corpore vitiatis, nunquam alteri quam Or-
„ dinario illius loci, ubi orator professus est, rescri-
„ bat: dando illi facultatem cum illo dispensandi
„ super corporis vitio seu defectu, cum illis limitationi-
„ bus, & clausulis, quibus utitur Cancellaria Apostolica,
„ sed gratis quoad omnia.

XVIII. Clausula verò præcipua qua utitur Cancellaria Romana in hac dispensatione hæc est: "Commit-
„ tatur Ordinario qui inspecto per *seipsum* & considera-
„ to diligenter dicto defectu si talis non sit nec ex eo
„ proveniat tanta deformitas, quæ scandalum generet
„ in populo aut divinis impedimentum præstet, super
„ quo ejusdem Ordinarii conscientia oneretur, cum
„ eodem oratore, dummodo ad id reperiatur idoneus,
„ vitæque ac morum probitas, & virtutum merita sibi
„ suffragentur; nec aliunde ei obstet impedimentum,
„ dispenset.

XIX. Cum autem hujusmodi dispensatio petitur super defectu *oculi Canonis*, ne ipse patiens legendo Canonem vertat se ad populum, volens oculum dextrum ad Canonem dirigere, additur in formula dispensationis hæc clausula *Et quoties Missam celebrabit, tabellam Canonis in medio altaris tenere debeat.*

CAPUT VI.

De irregularitate ex crimine.

1. *Ordinandi ex sententia Apostoli debent esse* sine crimine.
2. *A quo tempore debuerint esse* sine crimine.
3. *Post actam pœnitentiam non admittebantur olim ad Ordines.*
4. *Non pœnitentia, sed crimen excludebat Pœnitentes ab Ordinibus.*
5. *Crimen olim etiam ab exercitio Ordinis suscepti excludebat.*
6. *Crimen* occultum *etiam olim irregularitatem inducebat.*
7. *Hac disciplina necdum seculo XI. totaliter erat obrogata.*
8. *Pontifices seculo XI. eam disciplinam adhuc probarunt.*
9. *Episcopi erat potestas dispensandi si crimen esset oc*cultum.
10. *Seculo IX. cœpit invalescere distinctio inter crimen* publicum *&* occultum; *& quæ ejus occasio.*
11. *Hæc distinctio à Gratiano proposita & probata.*
12. *Gratianum sequuti Canonistæ eam distinctionem probarunt.*
13. *Publica crimina ob infamiam hodie inducunt speciem irregularitatis.*
14. *Id intelligitur tam de infamia facti, quàm juris.*
15. *Moderna disciplina prolapsos in crimen* occultum *non admittit ad Ordines, nisi post actam pœnitentiam.*
16. *Graviora nonnulla crimina etiam* occulta *irregularitatem inducunt.*
17. *Super irregularitate ex crimine occulto Episcopus dispensare potest.*
18. *Quod hic dicatur* occultum.
19. *An sufficiat quod factum sit materialiter notum.*
20. *An deductum ad forum contentiosum semper habendum sit pro publico.*
21. *Ecclesiæ mens non est, quod criminosi etiam* occulti *à sacris Ordinibus repelli non possint.*
22. *Synodus Tridentina permisit Episcopis, ut* occultè *criminosos ab Ordinibus repellant.*
23. *Synodus Tridentina correxit Decretales.*
24. *Potest Episcopus etiam criminosum occultum suspendere.*
25. *Interdum ab Episcopo recusante ad Ordinem admittere datur recursus ad Pontificem.*
26. *Hujusmodi recursus non facilè admittendus.*

1. Apostolus Tito discipulo suo præscribens, quod per civitates Presbyteros constitueret deberet, inter cæteras qualitates in his requisitas reponit: *Si quis* SINE CRIMINE est. Et deinde paucis interpositis: *Oportet Episcopum* SINE CRIMINE *esse sicut Dei dispensatorem.*

Rursus ad Timotheum scribens: *Oportet Episcopum* IRREPREHENSIBILEM *esse.* Et infra de Diaconis loquens ait: *Et hi probentur primum: & sic ministrent,* NULLUM CRIMEN *habentes.*

II. Hunc Apostolicum Canonem in Ministrorum electione & Ordinatione pressius sequuti SS. Patres, irregulares, sive à sacris Ordinibus eorumque usu exclusos censebant, qui non essent *sine crimine*; sive requirebant *nullum crimen habentes*; id est, qui nullo crimine innocentiam Baptismalem maculassent; quamvis jam per pœnitentiam crimen eluissent.

"Non eo tantum [inquit S. Hieronymus] quo or-
„ dinandus est tempore, sine ullo crimine sit, & præte-
„ ritas maculas nova conversatione diluerit, sed ex eo
„ tempore, quo in Christo renatus est, nulla peccati
„ conscientia mordeatur.

III. Ante Hieronymum disciplinæ hujus testis est Origenes adversus Celsum tamquam indubitatum & notorium asserens, quod Christiani, lapsos in crimen carnis rursus resipiscentes, haud secus quam redivivos recipiant tandem post *longiorem* melioris meriti approbationem, quàm cùm primùm ad religionem discendam admitterentur. Attendamus nunc cautionem qua similes admitterentur. "Ea tamen conditione (ait) ut
„ *quoniam lapsi* sunt, excludantur *imposterum* ab omni-
„ bus Dignitatibus & Magistratibus Ecclesiasticis.

Hinc illud Carthaginensis IV. *Can. 64.* "Ex Pœni-
„ tentibus quantumvis sit *bonus*, Clericus non ordinetur.

IV. Circa idem tempus scripsit Siricius Papa *ep. 1. cap. 14.* "Illud quoque nos par fuit providere, ut sicut
„ pœnitentiam agere cuiquam non conceditur Clerico-
„ rum, ità & post pœnitudinem ac reconciliationem,
„ nulli unquam Laico liceat honorem Clericatus ad-
„ ipisci: *qui quamvis sint omnium peccatorum conta-*
„ *gione mundati, nulla tamen debent gerendorum Sacra-*
„ *mentorum instrumenta suscipere, qui dudum fuerint*
„ *vasa vitiorum.*

Hæc non tantum ostendunt, Pœnitentes ab Ordinibus fuisse exclusos, sed insuper, quod non ipsa pœnitentia, at ipsum *crimen* ob quod pœnitentia agebatur, ipsis ad Ordines aditum præcluserit: quod etiam advertens Morinus dicere non dubitavit: "Criminum
„ reos, vel pœnitentiam agentes ab Ordinibus Eccles-
„ iasticis prohiberi, apud veteres æquipollebant.

V. Nec tantum quoad Ordinum susceptionem gravium criminum rei olim habebantur irregulares, ità ut nec per pœnitentiam & reconciliationem irregularitas tolleretur; sed etiam irregulares erant quoad Ordinum jam susceptorum usum; in tantum, ut qui Ordine suscepto in crimen esset prolapsus, in perpetuum ab Ordinis suscepti usu exclusus haberetur.

Hanc

Hanc disciplinam multis adstruxi & latè exposui in Dissertatione De Canonicorum instituto *parte* 2. *cap.* 2. atque imprimis §. 2. eam pluribus pristinis Canonibus, & Patrum testimoniis præsertim S. Cypriani & Basilii adstruxi. Deinde §. 3. eam à S. Gregorio multis locis expressam & inculcatam fuisse; ac signanter *lib.* 3. *Epist.* 26. scribente Januario Episcopo Calaritano; ubi una testatur; hanc irregularitatem sacris Canonibus jam pridem fuisse firmatam: "Pervenit etiam ad nos (ait) „quosdam de sacris Ordinibus lapsos *vel post pœnitentiam*, vel ante ad Officii sui ministerium revocari, „quod omnino prohibemus, *& in hac re sacratissimi* „*Canones contradicunt*. Qui igitur post acceptum sacrum Ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sa„cro Ordine ità careat *ut ad ministerium* ULTERIUS *non accedat*.

Verba Gregorii retulit Gratianus *dist.* 50. *Can.* 9. ibid. *Can.* 10. *&* 11. alia ejusdem Pontificis verba in eam rem subjiciens.

Eodem loco eandem disciplinam à S. Martino Papa in epistola ad S. Amandum Episcopum Trajectensem fortiter inculcatam demonstravi: in qua præ cæteris hæc notanda: "Nam qui semel post suam Ordinatio„nem in lapsum ceciderit, *deinceps jam depositus erit*, „*nullumque gradum Sacerdotis poterit adipisci*: sed suf„ficiat lamentationibus, & fletibus assiduis *quousque* „*advixerit in eadem pœnitentia perdurare*, ut commis„sum delictum divina gratia extinguere valeat.

VI. Hanc porro irregularitatem non tantùm *publicè*; sed & *occultè* in crimen præsertim carnis prolapsos incurrisse; neque distinctionem inter *publica* & *occulta* crimina pristinis Patrū seculis notam fuisse, notatu fuit.

Imò nec seculo XI. eam ubique adhuc receptam fuisse probavimus §. 7. ex B. Petro Damiani in opusculo quod *Gomorrhianum* intitulavit, ubi multis agit adversus illos Ecclesiarum Rectores, qui prolapsos in *occultissimum* pollutionis crimen *post actam pœnitentiam* ad Ordines promoveri; aut in susceptis ministrare posse asserebant. "Ut nobis videtur (ait *Cap.* 3.) valde præ„posterum est, ut consuetudinaliter hac peculenta con„tagione fœdati, vel ad Ordinem provehi, vel in gradu „persistere audeant jam promoti. Quia & rationi con„trarium & Canonicis Patrum Sanctionibus probatur „adversum. Deinde adductis nonnullis Veterum ac „signanter S. Gregorii testimoniis concludit:" Patet „profectò, quia quem dignum morte crimen abjece„rat, qualibet religiosa vita subsequens ad suscipien„dum Ecclesiasticum gradus Ordinem non reformat; „nec valeat ad obtinendum honoris culmen assurgere, „qui in mortalis culpæ barathrum non ambigitur ceci„disse.

Post hæc *cap.* 4. conclusionem suam multis astruit argumentis, ac dein *cap.* 5. probat, quod *in reprobum sensum lapsi sint, qui post hoc vitium* [pollutionis] *habere sacrum Ordinem concupiscunt.*

VIII. Opusculum suum obtulit Petrus Damiani Leoni IX. Papæ; eumque enixè rogavit, ut adscitis spiritualibus ac prudentibus viris opusculum dignetur examinare, ipsique super his Capitulis ita respondere, ut omnē de nostro pectore (ait) dubietatis scrupulum tollat.

Pontifex verò ità respondit, ut satis appareat, nondum eo tempore distinctionem inter peccata publica & occulta fuisse generaliter receptam, aut à Pontifice probatam; uti ex ipso contextu responsi videri potest, quem in citato §. retuli unà cum responso Urbani II. in quo hæc scribit: "De Presbyteris, Diaconis & Sub„diaconis, qui post acceptum Ordinem in aliquod cri„men lapsi fuerunt, *sive palam sive clam*, constat qui„dem Canonum censum ab Ecclesiasticis eos officiis in„hiberi; Tuæ tamen prudentiæ discretionique com„mittimus, utrum eorum aliqui, qui tamen infamia „nota non fuerint asperti, necessitate Ecclesiæ urgente, „& ipsorum sancta conversatione promerente, in suis „gradibus recuperari debeant. Hoc autem secundum „indulgentiam dico, non secundùm imperium.

Hic manifestè supponit Pontifex, juxta Canonum censum, lapsos in crimen ab omni Ordinum usu in perpetuum, etiam post actam pœnitentiam esse exclusos, sive *palam* sive *clam* crimen commissum foret; eamque disciplinam necdum tunc fuisse abrogatam.

IX. Ex hoc interim responso videmus, quod dispensandi facultas Episcopis attribueretur, ut necessitate Ecclesiæ urgente, & sancta quorundam conversatione promerente, lapsi in crimen functionibus Ordinis restituerentur; modò nullâ infamiâ essent asperti; id est, si crimen esset *occultum*.

X. Et sanè à seculo nono circiter quædam inter crimina *occulta* & *publica* distinctio adhiberi cepit; idque occasione trium epistolarum, quas Pseudo-Isidorus Calixto I. Sancto Gregorio ad Secundinum, & S. Isidoro ad ... suppossuit; quemadmodum latè ostendi in citata Dissertatione §. 4. *&* 6.

Cum enim in antiquis Canonibus & Patribus legeretur, prolapsos in crimen ab Ordinum usu in perpetuum esse seclusos; in his verò epistolis (quarum fictio seu suppositio nondum detecta erat) diceretur, lapsos *post actam pœnitentiam* restitui suis functionibus posse, ut hæc conciliarentur, adhibita fuit hæc distinctio, ut lapsi quidem publicè seu *palam* in crimen perpetuo exclusi censerentur; at lapsi *occultè* sive *clam* post peractam condignam pœnitentiam, & obtentam à Sacerdote criminis remissionem, ad Ordinum suorum functiones redire possent.

XI. Gratianus alios Canonum Collectores sequutus varios Canones & Patrum sententias, quæ lapsos indistinctè à functionibus Ordinum excludebant, retulit; unà referens quoque fictitias illas epistolas, quas more suo ad concordiam revocare volens hanc distinctionem assumpsit, eamque his verbis expressit: "Possunt sic di„stingui præmissæ auctoritatis. Quoniam enim crimi„na *manifesta* sunt, ante vel post Ordinationem, à SS. „Ordinibus dejiciendi sunt: quorum autem peccata „*occulta* sunt, & satisfactione secreta secundùm Sacer„dotis edictum purgata, in propriis Ordinibus rema„nere possunt." *Dist.* 50. *post. Can.* 23.

XII. Præeunte autem Gratiano hæc distinctio passim à Canonistis recepta & tradita fuit; atque ità sensim in Ecclesiæ quodammodo disciplinam transiit.

Itaque juxta modernam disciplinam, crimina *publica* sive manifesta pristinæ irregularitati obnoxia manent; ut qui ante vel post Ordinationem ea commiserint, à SS. Ordinibus dejiciendi sint; hoc est, à functionibus Ordinum suspendendi neque ad Ordines suscipiendos admittendi. Rationem seculo undecimo dedit S. Ivo, qui etiam probans dictam distinctionem, atque consuetum et ad illam censens, Clericum lapsum posse restitui addit hanc cautionem: "Si tamen *publicam* non egerit pœ„nitentiam. Talibus enim ideo Clericatus denegatur, „quia ab insidiatoribus divinis Sacramentis pro hujus„modi derogatur, & simplicium animus aut scandaliza„tur, aut infirmatur.

XIII. Ipsa ergo publica & manifesta crimina ipsum criminosum irregularem faciunt, eo quod sine scandalo, multorumque offensione, ob *infamiam* ex crimine contractam sacris ministrare nequeat.

Unde tametsi juxta modernam disciplinam, nonnulla quædam speciatim in jure expressa crimina propriè irregularitatem inducant; tamen *publica* ac *manifesta* crimina ratione infamiæ, qua ipsum reum aspergunt, speciem irregularitatis causant: juxta *Cap.* 87. *De Regul. Juris in* 6. "Infamibus portæ non pateant Dignitatum.

XIV. Hanc regulam non tantum de infamia juris sed, etiam

etiam *facti* intelligendam esse notant Canonistæ, sequuti Glossam ad dictam Regulam, Verbo *Dignitatum*, ubi eam de utraque infamia interpretatur: "Cum dignitatibus participare non debeant infames *quacumque* infamia:" citansque antiquiorem Glossam marginalem addit: "Et ut dicit, non solum impedit præfici: sed etiam facit removeri à Dignitatibus habitis.

Et in *Cap. fin.* ⁑ *De Testibus* dicitur, quod "accusati de crimine, nisi prius se probaverint innocentes, à susceptione Ordinum repellantur." Quod non est, nisi quia pendente accusatione sunt infames infamia facti, inquit Avila de Censuris *parte 7. Disp. 4. dub. 5.*

XV. Ulterius quoad prolapsos in crimen *occultum*, tametsi ex moderna disciplina, propriè non sint irregulares, tamen nec hodierna disciplina eos ad Ordines admitti aut Ordinibus restitui permittit, nisi *post actam* tanto crimine *dignam pœnitentiam*; sive postquam per pœnitentiam crimen eluerint; quemadmodum pluribus ostendi in allegata Dissertatione §. 8. ubi dein §. 9. probavi, non uno titulo crimina à Sacerdotibus commissa esse graviora & acerbiore pœnitentia eluenda, quàm eadem à laicis perpetrata: ac deinde subsequenti §. 10. prolapsorum Sacerdotum quantumvis *occultè*, restitutionem, etiam juxta hodiernam disciplinam, debere esse *tardam*; eò quòd ipsorum conversio soleat esse tarda.

XVI. In præcitato responso Urbani II. verbis allegatis subnectitur: "Si quem verò, quod absit, aut post acceptum officium contigerit, peremptorio quolibet eorum, quæ in lege morte mulctantur, sive palam, sive *clam*, occupatum crimine inveniri, eos maximè qui adhuc mundo vivunt, ab omni eos Altaris ministerio sequestramus.

Licèt ergo Urbanus permitteret *secundùm indulgentiam* nonnullos in crimen *clam* prolapsos, necessitate Ecclesiæ urgente, & ipsorum sancta conversatione promerente, sacris Ordinibus restitui; id tamen in gravioribus quibusdam criminibus non admittendum declarat; quod modernæ disciplinæ non parum conforme est.

Tametsi enim moderna disciplina permittat nonnullos in crimen *occultum* prolapsos post actam pœnitentiam & absolutionem obtentam ad Ordines ascendere, aut Ordinum functionibus restitui; nonnulla tamen crimina sunt, quæ quantumvis *clam & occultè* sint commissa, irregularitatem nihilominus inducunt; ipsosque criminum reos constituunt irregulares etiam post peractam pœnitentiam, & obtentam à Sacerdote absolutionem.

XVII. Hoc evidenter supponit Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 6.* ubi declarat, quod "liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex *delicto occulto* provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

XVIII. Quod dicatur delictum *occultum*, ut super irregularitate ex illo proveniente Episcopus dispensare queat, aliquando dubitatum fuit; nec eadem est Doctorum opinio; uti videre est apud Barbosam *De Officio Episcopi parte 2. Allegat. 39. num. 21.* Verius apparet, quod *occultum* hic dicatur, quod *probari* non potest, sive quod planè latet, nec periculum est, ne id facilè in publicum prodeat: atque ita post alios resolvit Garcias *De Beneficiis parte 7. cap. 11. num. 46.* asseritque *num. 47.* id sæpius à S. Congregatione resolutum, atque signanter responsum esse: "Absolutus vel dispensatus à proprio Episcopo in materia delicti perpetrati coram duobus vel tribus testibus, quod tamen *non fuit notorium*, non est tutus in conscientia; quia Concilium termino *occulti*, quod propriè loquendo dicitur, quod probari non potest *Cap.* VESTRA ⁑ *De Cohabitat. Clericor. & Mulierum*; at per duos testes probari potest, & verba Concilii intelligi debent secundùm proprietatem.

XIX. Si factum ex quo orta est irregularitas *materialiter* quidem notum sit; sed *occultum formaliter*, sive in quantum est delictum, tunc Episcopum vi hujus Decreti posse dispensare communi consensu tradunt Doctores apud Barbosam in Collectaneis ad citatum *cap. 6.* Concilii Tridentini *num. 30.* Et *num. 33.* exemplificat "in irregularitate proveniente ab excommunicato celebrante quando excommunicatio est occulta, licèt celebratio sit *manifesta*." Plura exempla refert *De Officio Episcopi parte 2. Alleg. 39. num. 37.* & sequentib.

XX. Si delictum fuerit deductum ad forum contentiosum, sed hactenus probari non potuit, atque eatenus adhuc maneat *occultum*; si tamen judicium nondum sit absolutum, neque sententia absolutoria pronunciata, non poterit Episcopus in vim hujus Decreti super irregularitate ex simili delicto proveniente dispensare, ob clausulam in Decreto additam; *exceptis aliis deductis ad forum contentiosum*; & ita à Sacra Congregatione responsum esse testatur Garzias loco citato *num. 47.*

At verò si judicium sit finitum, & sententia absolutoria defectu probationis sequuta, Episcopum posse dispensare ibidem tradit Garcias *n. 48.* quia manet occultum; & quia non fuit deductum ad forum contentiosum *cum effectu*, ex quo non fuit probatum. Quare aliud esset, si judicium quidem sit absolutum, sed reus per sententiam punitus; quia revera & cum effectu fuit *deductum* ad forum contentiosum: ut rectè notat Garzias *num. 49.* Excepit Synodus irregularitatem provenientem ex *homicidio voluntario*: de qua exceptione tractabimus capite sequenti.

Præcipua hodie ac frequentius occurrentia delicta, quibus irregularitas annexa est, sunt Simonia, homicidium & hæresis. De irregularitate ex priore resultante agetur sub titulo De Simonia circa beneficia; de secunda parte III. aliquid dicetur, de tertia verò specie capite sequenti.

XXI. Interim observandum, quod licet Ecclesia juxta modernam disciplinam, non omnibus criminibus, præsertim *occultis* irregularitatem annectat, nequaquam tamen Ecclesiæ mentem esse Episcopos debere criminosos, licèt *occultos*, hoc est, quos ut tales probare judicialiter non possunt, ad Sacros Ordines admittere; quod ipsa Synodus Tridentina sat clarè expressit.

XXII. *Sessione 14. De Reformatione* in prooemio docet: "Cùm propriè Episcoporum munus sit, subditorum omnium vitia redarguere: hoc illis præcipuè cavendum erit, ne Clerici præsertim ad animarum curam constituti, criminosi sint, neve inhonestam vitam, ipsis conniventibus, ducant. Nam si eos pravis & corruptis moribus esse permittant, inquit Synodus, quo pacto laicos de ipsorum vitiis redarguent, qui uno ab eis sermone convinci possent quod Clericos ipsis patiantur esse deteriores: Quâ etiam libertate laicos corripere poterunt Sacerdotes; cùm tacitè sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse quæ corripiunt.

Ut autem Episcopi id facilius exequantur, declarat Synodus cap. 1. "Cum honestius ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obedientiam impendendo, in inferiori ministerio deservire, quàm cum Propositorum scandalo, graduum altiorum appetere dignitatem; ei, cui ascensus ad sacros Ordines à suo Prælato, ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extrajudicialiter, fuerit interdictus: aut qui à suis Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus Ecclesiasticis fuerit suspensus, nulla contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus, & dignitates, sive honores, restitutio suffragetur.

XXIII. Vigore hujus Decreti, est Episcopo attributa auctoritas prohibendi suis subditis ascensum ad SS. Ordines quomodolibet, etiam extrajudicialiter ex quacumq; causa, etiam ob *occultum* crimen. "Unde ex sententia sacræ Congregationis corrigitur dispositio *Cap.* EX TENORE ⁑ *De*

„*Temporib. Ordinat.* in ea parte, in qua decernitur, criminosum *occultum* tantummodo commonendum, sed non „prohibendum ascendere ad superiorem Ordinem." Ita Fagnanus ad citatum Capitulum *num.* 12. qui deinde *num.* 16. refert, *Cap.* AD AURES *ꝟ eod.* " Quod permittit „Superioribus Regularibus prohibere subditos *jam promotos*, ne ascendant altiores gradus, ex sententia S. Con„gregationis fuisse ampliatum à Concilio ad Clericos secu„lares.

XXIV. Notat quoque Fagnanus ad dictum *Cap.* AD AURES *numer.* 7. " In dicto *Cap.* 1. *Sess.* 14. fuisse concessam „Episcopis authoritatem etiam suspendendi criminosos „occultos ab Ordinibus, seu gradibus, vel dignitatibus: nam „etsi verba illa, (ex quacumque causa, etiam ob occultum „crimen, &c.) non sint apposita, nisi in priore parte dicti „*cap.* 1. ubi agitur de interdictione; tamen censeri debent „repetita etiam in sequenti, ubi agitur de suspensio„ne.

XXV. Ne autem Episcopi aliique Prælati hac auctoritate abutantur, atque sine justa causa pro suo arbitrio, prætextu *occulti* criminis à Sacris Ordinibus impediant aut suspendant, " Sacra Congregatio re ad Gregorium XIII. delatá e„didit decisionem, quæ postea perpetuò obtinuit in Data„ria, videlicet: Quotiescumque Ordinarius recusaverit „quemquam ordinare, committendum esse Metropolita„no, vel viciniori Episcopo, ut ab eodem Ordinario priùs „exquirat, cur recusaverit; quo causam legitimam non al„legante, liceat illi eumdem recusatum ordinare." Hæc Fagnanus ibid. *num.* 22.

XXVI. Verùm Synodus Tridentina sufficienter insinuat, hujusmodi recursum non facilè esse admittendum, nec Ordinarium facilè in similibus turbandum; quandoquidem ad faciliorem sui Decreti executionem expresè addat: Nul„la contra ipsius Prælati voluntatem concessa licentia de se „promoveri faciendo, aut ad priores Ordines, gradus & „dignitates, sive honores restitutio suffragetur.

Accedit ipsius Decreti ratio in principio expressa: "Cùm „honestius ac tutius sit subjecto, debitam Præpositis obe„dientiam impendendo in inferiori ministerio deservire, „quam cum Præpositorum scandalo graduum altiorum „appetere dignitatem.

CAPUT VII.

De Irregularitate ex homicidio.

1. *Homicidium reputatur enormissimum crimen.*
2. *Homicidium semper induxit irregularitatem.*
3. *Notissima fuit hæc irregularitas.*
4. *Etiam ex homicidio ex quadam quasi necessitate commisso.*
5. *Ob defensionem vitæ etiam perpetrato.*
6. *Ex Pœnitentiali Romano Presbyter occidens in defensionem vitæ irregularis efficitur.*
7. *Cœpit disciplina circa hanc irregularitatem paulatim relaxari; sed quando incertum.*
8. *Clemens V. excepit homicidium ob necessariam vitæ defensionem.*
9. *Ex decisione illa Clementis non conficitur, tale homicidium esse omnino licitum.*
10. *Decisio Clementis non comprehendit homicidium ob defensionem honoris, aut bonorum temporalium.*
11. *Neque commissum in defensionem liberorum aut parentum.*
12. *Quid de homicidio in defensionem patriæ?*
13. *Omne homicidium causat irregularitatem nisi expresè excipiatur.*
14. *Homicidium inducit irregularitatem modò sit voluntarium saltem* indirectè; *& quandonam sit tale.*
15. *Ut de hac voluntarietate statuatur, expendendum, num actio ob homicidium fuisset omittenda.*
16. *Ostenditur exemplo Clerici Venatoris & Chirurgi.*
17. *Hæc regula stabilitur auctoritate Bonifacii VIII.*
18. *Ex hoc principio plures casus resolvi possunt.*
19. *Quomodo homicidium actioni connexum esse debeat, ut actio ideo esset omittenda, generaliter determinari nequit.*
20. *Non requiritur, ut homicidium sit natum sæpius sequi, quàm non sequi.*
21. *Non sufficit etiam quòd natum sit frequentiùs sequi.*
22. *In dubio an homicidium fuerit voluntarium, debet se gerere pro irregulari.*
23. *Fundamentum hujus regulæ, & quomodo hoc fundamentum plures non sat attendant.*
24. *Decreta Synodi Trident. de hac irregularitate.*
25. *Quod dicatur homicidium* voluntarium *ad mentem Synodi.*
26. *Synodus optat, ut cum homicida voluntario non dispensetur; nec Episcopus dispensare potest.*
27. *Pontifex in homicidio voluntario ad obtinenda beneficia aut Ordines difficulter dispensat.*
28. *Quomodo expediatur dispensatio quoad beneficia jam obtenta aut Ordines susceptos.*
29. *Moderna dispensationis Stylus videtur primitus respexisse homicidium* involuntarium.
30. *Quomodo hodie expediatur dispensatio super homicidio casuali, & perpetrato in defensionem vitæ.*
31. *Episcopus potest dispensare in homicidio* non voluntario *& occulto; & quod sit* non voluntarium.

I. INter gravissima crimina reputatum fuisse homicidium sat constat; & quidem è tribus illis fuisse, ob quæ in aliquibus Ecclesiis, etiam in fine vitæ, absolutio negata fuerit, scitur. Juxta S. Basilium *Can.* 56. "Qui sua sponte inter„fecit, & postea pœnitentia ductus est, 20. annis Sacramen„to non communicabit. Viginti autem anni (ait) sic in eo „dispensabuntur. Debet quatuor annis deflere stans extra „fores Oratorii, & fideles ingredientes rogans ut pro eo „precentur, suam iniquitatem pronuntians. Post quatuor „autem annos inter auditores recipietur: septem autem „annis cum iis qui in substratione orant, egredietur. In qua„tuor annis solùm stabit cum fidelibus, sed non erit obla„tionis particeps. Iis autem expletis, erit Sacramentorum „particeps.

Ex *Can.* 57. " Qui non voluntariè interfecit, undecim an„nis Sacramentis non communicabit. Undecim autem an„ni sic in eo dispensabuntur. Duos quidem annos deflebit, „tres autem annos inter auditores perseverabit, in quatuor „substratus, & anno solùm consistet, & deinceps ad Sacra„menta admittetur.

II. Cùm itaque homicidii crimen adeò enorme, tantique temporis pœnitentia eluendum jampridem visum fuerit, etiam in laicis, quis miretur, si ob hoc crimen laici à sacris Ordinibus exclusi, & Clerici ab eorum executione suspensi, imò & depositi fuerint? Idque ad normam præcepti divini olim populo Judaico insinuati Exodi *cap.* 21. *Si quis per industriam occiderit proximum suum, & per insidias: ab altari meo evelles eum*; quæ referuntur & quasi canonizantur in *Cap.* 1. *ꝟ De Homicidio.*

Quin & *Canone* 55. Sancti Basilii decernitur: "Qui se latro„nibus adversos objiciunt, si sint quidem extra Ecclesiam, „ab omni communione arceantur: Si sint autem Clerici, à „gradu deponuntur.

III. Adeò nota atque vulgata fuit irregularitas ex hoc crimine resultans, ut cuidam Episcopo scribere non dubitet Joannes VIII. apud Gratianum *Distinct.* 50. *Can.* 4. " Mirac

„ Miror minùs doctam scientiam tuam Sacerdotem putare „ post perpetratum homicidium posse in Sacerdotio ministrare; immo (quod est ineptius) nobis suadere velle, ut „ ipsi tali præsumptioni præberemus assensum. Quis enim „ tam demens, tamque perversi sensûs, tale quid æstimaret, „ vel post quantamcumque pœnitentiam concedendum, „ cùm omnino sit canonicæ disciplinæ contrarium? Debet „ ergo Sacerdotio privatus lachrymarum fonte flagitium „ tam immane diluere, ut talibus saltem remediis curatus, „ salutis possit invenire suffragium.

IV. Nec tantùm homicidium per insidias & industriam seu animo planè deliberato ac voluntario, doloque malo perpetratum hanc irregularitatem jam pridem induxit; sed & illud quod ex quadam quasi necessitate & involuntarietate perpetratum erat.

Jam enim vidimus, quod juxta Canones à S. Basilio editos Clericus, qui se latroni objiciens, sive se defendendo occidit, à gradu deponatur.

V. Et ex Nicolao I. apud Gratianum *Dist.* 50. *Can.* 6." „ De his Clericis pro quibus consuluisti, scilicet qui se defendendo, paganum occiderunt, si postea per pœnitentiam emendati possint ad gradum pristinum redire, aut ad „ altiorem conscendere; scito nos nullam occasionem dare, „ nec ullam tribuere eis licentiam quemlibet hominem „ quolibet modo occidendi. Verum si contigerit, ut clericus sacerdotalis ordinis saltem paganum occiderit, multum sibi consulit, si ab officio Sacerdotali recesserit: satiusque est illi in hac vita Domino sub inferiori habitu irreprehensibiliter famulari, quam alta indebitè appetendo, „ damnabiliter in profundum demergi.

Ad hunc Canonem reflectens Joannes Dartis SS. Canonum in Academia Parisiensi Professor in commentario ad distinctionem quinquagesimam Decreti Gratiani ait." Clericus homicida non restituebatur, ne quidem si se defendendo, Paganum occidisset.

Consultus quoque seculo undecimo Hilbertus Episcopus Metensis à Sancto Ivone Carnotensi de Sacerdote, qui aliquem pro vitæ suæ defensione occiderat; an Sacerdotio imposterum fungi permittendus esset, respondit Hilbertus *epist.* 60." Non videtur Sacerdotem reum sanguinis oporte„ re deinceps ministrare, quamvis *tuendæ salutis necessita*„ *te* homicidium incurrerit." Concluditque, quod si similis casus in sua Diœcesi contigisset, ipse *reum ad Apostolicam misisset audientiam*.

VI. Ex Pœnitentiali Romano legitur in *Cap.* 2. ※ *De Homicidio*:" Si sine odii meditatione, *te* tuaque liberando, „ hujusmodi diaboli membra furem aut latronem (inter„ fecisti secundùm indulgentiam dico, propter imaginem „ Dei) si aliquid jejunare volueris, bonum est tibi: & eleë„ mosynam fac largiter. Si Presbyter eadem fecerit, non de„ ponatur: tamen quamdiu vivit, pœnitentiam agat.

VII. Quantumvis hic non deponatur Presbyter, qui ob vitæ suæ defensionem alium occidit; quia tamen vitâ suâ durante pœnitentiam agere tenetur, apparet quod ab executione Ordinis Sacerdotalis tota sua vita, tamquam pœnitens abstinere debuerit; atque ita juxta pristinam disciplinam ex tali homicidio irregularitatem incurrerit; quamvis satis quoque constet, aliquid *secundùm indulgentiam* jam cœpisse circa hanc disciplinam relaxari.

Quando autem hæc relaxatio cœperit certò statui nequit: quia ut rectè monet Ludovicus Thomasinus *De Disciplina Ecclesiæ parte* 4. *lib.* 2. *cap.* 25. *num.* 10. hujusmodi libri pœnitentiales quotidie novas recipiunt pro temporum varietate, & disciplinæ mutatione additiones; adeoque certò sciri nequit, quo tempore hic articulus Pœnitentiali Romano fuerit insertus.

VIII. Deinde subjungit Thomassinus: Itaque dici potest, Papam Clementem V. fuisse primum, qui claris terminis decidit, hujusmodi occisorem non esse irregularem, in *Clem. Unica De Homicidio*: "Nullam (ait) ex hoc irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, suum „ occidit vel mutilat invasorem.

IX. Quidquid sit, hoc sat constat, ex hac declaratione seu constitutione Clementis V. nullum præjudicium generari opinioni Theologorum, contendentium, licitum non esse privatâ auctoritate occidere vitæ invasorem juxta illud Augustini *lib.* 1. *De Civitate Dei cap.* 21. " his exceptis, „ quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus „ specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel „ quemlibet occiderit homicidii crimine innectitur." Et „ *epist.* 47. De occidendis hominibus ne ab eis quisque occi„ datur, non mihi placet consilium; nisi fortè sit miles, aut „ publicâ functione teneatur, ut non pro se hoc faciat, sed „ pro aliis, vel pro civitate ubi etiam ipse est accepta legiti„ ma potestate, si ejus congruit personæ.

X. Id quoque expeditum est, hanc Clementis decisionem ultra casum expressum minimè extendendum; ideoque homicidium non pro defensione *vitæ*, sed famæ, honoris, aut rerum temporalium hac Constitutione non comprehendi; neque homicidam vi hujus Decretalis immunem esse ab irregularitate, uti satis bene probat Fagnanus: notatque omnes passim consentire, occidentem pro defensione rerum temporalium non evadere irregularitatem. Ad *Cap.* INTERFECISTI ※ *De Homicidio*.

XI. Glossographus ad citatam Clementinam ad verbum *suum* ait:" Hæc littera innuit, secus in illo, qui occiderit „ volentem occidere patrem, filium, conjugem, vel perso„ nam conjunctam, quam aliter juvare non poterat. Quod „ verum puto: quasi casus ille non includatur sub necessita„ te inevitabili, sed evitabili." Hæc ille. Quæ quidem Glossa ferè ab omnibus recipitur, uti ex Navarro refert Fagnanus ad *Cap.* 24. ※ *De Homicidio num.* 3.

XII. Quin etsi ipsa patriæ, imò & fidei defensio concurreret, nequaquam tamen Clericorum arma sumentem & aliquem interficientem, ab irregularitate similis defensio eximeret, quemadmodum sat apertè deciditur in *Cap.* 24. ※ *De Homicidio*, ubi Honorius III. rescribit Pelagio Presbytero his verbis: "Petitio tua nobis exhibita continebat, „ quòd cùm inimici dominicæ Crucis, ac blasphemi no„ minis Christiani, castrum quoddam in quo morabaris „ graviter invasissent: exeuntibus inde habitatoribus, tam „ clericis, quàm laicis contra eos, ac vicem confligentibus, „ hinc inde occisi quam plurimi extiterunt. Unde cum pro „ eo quod aliquos percussisti, irregularitatem metuas in„ currisse: mandamus, quatenus si de *interfectione* cujus„ quam in illo conflictu tua conscientia te remordet, à mi„ nisterio altaris abstineas reverenter: cùm sit consultius in „ hujusmodi dubio abstinere, quàm temerè celebrare.

Hic enim agebatur de necessaria *patriæ* defensione, cùm hostes castrum graviter invasissent; & tamen deciditur, Pelagium Presbyterum esse irregularem, si eum conscientia remordeat, quod in conflictu aliquem occiderit. Ita Fagnanus ad citatum Capitulum *num.* 1. ubi latè ostendit, irregularitatem contrahi ex occisione in bello etiam justo, & defensivo; modò tamen non tanta concurrat inevitabilis necessitas, ut concurrat necessaria defensio *propriæ vitæ* atque sit casus expressus in citata Clementina.

XIII. " Cùm enim regula sit (ait) quod irregularis effi„ ciatur, qui aliquem interficit, aut mutilat, nec ab hac regu„ la reperiantur excepti, nisi casus furiosi, infantis seu dor„ mientis, & illius qui mortem aliter vitare non valens *suum* „ occidit, vel mutilat invasorem, ut in dicta *Clementina* sta„ bimus regulæ, quamdiu non probatur exceptio.

Hac de causa Synodus Budensis celebrata per Philippum Episcopum Firmanum Sedis Apostolicæ legatum de assensu plurimorum Archiepiscoporum, Episcoporum aliorumque Prælatorum anno 1279. decrevit *Can.* 7. " ne Clerici bellicis „ actibus se involvant vel implicent, nisi fortè pro Ecclesia„ rum suarum, & patriæ defensione, non ad impugnandum „ vel propulsandum, sed ad *defensionem tantùm*, si necessi-

„ tas eos compellat : & tunc in propriis personis non pu- „ gnent.

XIV. Nec tantùm homicidium voluntarium *directè*, id est animo deliberato, & animo directo commissum inducit irregularitatem; sed etiam voluntarium indirectè sive in *causa*, ut ajunt, sive quod non est quidem *directè* & ex proposito intentum seu volitum, sed indirectè seu *in causa*, ut ajunt quia posuit ejus causam, quam oportuisset omittere, ne homicidium illud sequeretur.

Ut enim homicidium sit voluntarium *in causa* requiritur, ut causam illam hic & nunc concurrentibus præsentibus circumstantiis debuisset omittere, ne homicidium sequeretur.

XV. Hinc ulteriùs concluditur, homicidium non semper esse voluntarium *in causa*, quandocumque sequitur ex causa sive actione *illicita* : neque semper esse *merè casuale* aut planè involuntarium, etsi præter intentionem *directam* sequatur ex actione ex se licita.

Potest enim contingere, actionem quidem aliquam esse de se illicitam, adeoque absolutè fuisse omittendam; sed tamen *non ideo* omitti debuisse, ne ex ea sequeretur homicidium; ipsumque homicidium huic actioni adeò remotè aut infrequenter esse connexum, ut nullatenus ob ejus periculum omitti debuerit; homicidiumque ex ea sequutum *merè* casuale respectu ipsius agentis sit reputandum.

XVI. Exemplum obvium est in Clerico venatore. Si enim inter venandum cogitans occidere feram, occidat hominem; idque omnino præter intentionem, ac nihil simile prævidens, aut prævidere valens, homicidium non censetur ei voluntarium *in causa*; nec consequenter incurrit irregularitatem. Licèt enim venatio Clerico sit illicita, eamque omittere debuisset; nequaquam tamen ei interdicta est ob *periculum homicidii*; nec ob periculum homicidii eam omittere debuit potiùs Clericus, quàm laicus.

Clericus verò chirurgiam contra Canonum interdicta exercens, si inde mors alicujus sequatur, tametsi præter intentionem, irregularis judicatur, atque homicidium ipsi voluntarium *in causa* esse; eò quòd chirurgia Clericis ob *periculum mutilationis & occisionis* specialiter sit interdicta, atque consequenter ob id omitti debuisset.

XVII. Huic fundamento innititur resolutio Pontificis in *Cap. 3. De Homicidio in* VI. " Quod is, qui mandat ali- „ quem verberari, licèt expressè inhibeat, ne occidatur ulla- „ tenus vel membro aliquo mutiletur, irregularis efficiatur, „ si mandatarius fines mandati excedens mutilet vel occi- „ dat : quia mandatum hoc omittere debuisset, ne hoc sequeretur: *cum hoc evenire posse debuerit cogitare*, ait Pontifex.

Si tamen in primo casu tales essent circumstantiæ, ut salus proximi, ipsaq; Christiana charitas requirerent hic & nunc Clerici operam, indubiè fieri posset, quod Clericus ob periculum illud, operam suam nequaquam deberet omittere; ipsaque proinde mors inde præter intentionem sequuta ipsi nequidem esset voluntaria *in causa*, nec per consequens irregularis esset censendus.

XVIII. Ex eodem principio judicandum erit de variis casibus, de quibus à Canonistis ac Theologis quæritur, an homicidium ex actione aliqua sequutum sit voluntarium *in causa*, inducatque irregularitatem. Expendendum enim erit, an actio, sive ex se fuerit licita sive illicita, in hisce circumstantiis fuerit omittenda ob periculum homicidii; adeò ut qui in talibus circumstantiis actionem illam ob hoc periculum non omittit, censeatur indirectè velle ipsum homicidium, quod ex sua actione sequuturum prævidebat, aut prævidere debebat.

XIX. Quomodo autem homicidium præcisè debeat esse conjunctum alicui actioni; aut quoties ex aliqua actione natum sequi, ut propterea actio illa debeat omitti; aut si ponatur & homicidium sequatur, hoc censeatur esse voluntarium *in causa*, generaliter & pro omnibus casibus determinari nequit.

XX. Hoc imprimis certum est, nullatenus requiri, ut homicidium sit voluntarium *in causa*, quòd illum natum sit frequentius sequi ex illa actione, quam non sequi. Fieri enim potest, quòd actio aliqua deberet omitti ob periculum homicidii, tametsi ex centum & amplius vicibus homicidium illud non semel ex illa actione natum esset sequi : eò quòd actio nullam aut exiguam habens utilitatem, atque sine difficultate omissibilis, etiam ob minimum homicidii periculum esset omittenda.

Exemplum sit. Ponatur conclave capax continere ducentos homines; sciaturque autem de facto unicum duntaxat ibidem esse; sed quo loco consistat, nescitur; si quis sciens hic unum esse, sed nescius quo loco; atque eo non obstante sine causa, sed petulanter projiciat grandem lapidem ex fornice, nesciens quo loco sit casurus, si incidat in hominem ibi consistentem eumque occidat, erit ipsi hæc occisio voluntaria *in causa*; eò quòd ille jactus lapidis in his circumstantiis fuisset omittendus ob periculum occisionis.

XXI. Econtrariò fieri potest, ut actio aliqua in certis circumstantiis adeò necessaria sit, tantique momenti, ut licet homicidium frequentius ex ea sequi soleat, quam non sequi, nihilominus ob periculum illud omitti *non debeat*, imò nec possit; ac per consequens nec homicidium sequutum censeri debeat voluntarium *in causa*; quemadmodum rectè observat Eximius D. Huygens in suis Observationibus brevibus *De Actibus humanis cap. 4.* ubi doctè ac solidè observat ea, quæ notari debeant, ut aliquid dicatur voluntarium *in causa*; & unde illa voluntarietas potissimum desumenda sit; quæ si rite expendantur, facilem ostendent methodum resolvendi difficultates, quæ in hac materia à Canonistis moventur.

XXII. Hoc hic interim notandum, quod licet juxta dicta *capite 1.* irregularitas non incurratur, nisi in casibus à jure expressis, nihilominus tamen, si dubium sit, num quis reus fuerit homicidii aut mutilationis, debeat se pro irregulari gerere, & ut talis ab executione SS. Ordinum abstinere; quemadmodum decidit Pontifex in *Cap. 12.* ꝟ. *De Homicidio*, huic innixus principio, *quod in dubiis semitam debeamus eligere tutiorem*; & in *Cap. 5.* ꝟ. *De Clerico excomm. minist.* eodem adducto principio : *Quia in dubiis via est eligenda tutior.*

XXIII. Ratio hujus decisionis esse videtur, quod regula *capite 1.* assignata procedat in foro externo; hoc est, quod in foro illo nullus debeat censeri irregularis, nisi ob factum cui de jure annexa est irregularitas : neque ut talis haberi, nisi factum illud intervenisse probetur : at ipse cui sua nota esse debet conscientia; atque se ipsum juxta eam judicare tenetur in dubio semitam tutiorem eligere; id est, eam dubii partem, quæ periculo peccandi minus est obnoxia; quemadmodum exponit Fagnanus ad citatum Capitulum 12. ibid. *numer. 7.* deplorans, quod insignem " hanc sacrorum Ca- „ num regulam de electione *tutioris* partis complures ex „ recentioribus Theologis ita extenuent, ut ferè ad nihilum „ redigere videantur. Quidam enim affirmant electionem „ tutioris partis non esse in præcepto, sed in consilio tantùm: „ quidam dicunt eam habere locum, tantummodo in dubio „ facti, vel personæ, non autem in dubio juris : quidam in „ dubio juris practico non autem speculativo : alii verò o- „ pinantur eam regulam esse restringendam ad limites hu- „ jus Decretalis, ità ut non procedat nisi in materia irregula- „ ritatis : alii demum putant eam non habere locum in opi- „ nionibus, nam cum utrimque sunt opiniones æquè proba- „ biles, aut una probabilis, & alia probabilior, contendunt „ licere unicuique eligere quamcumque opinionem etiam „ omissa probabiliori, & tutiori. Sed has omnes opiniones „ uti improbabiles, & minimè consonas dispositioni sacro- „ rum Canonum, latissimè confutavimus in tractatu nostro „ de opinione probabili quem posuimus in *cap. Ne innita- „ ris, supra de Constitut. præsertim à num. 44.* " Hæc ille.

Meri-

Meritò contra perniciosam hanc Probabilistarum doctrinam citatus Fagnani Commentarius consulitur.

Synodus Tridentina duobus locis hujus irregularitatis meminit atque enormitatem criminis & dispensationis super irregularitate ex crimine hoc proveniente difficultatem proponit.

XXIV. Primò *Sess. 14. Cap. 7. De Reformat.* ait : " „ etiam qui per industriam occiderit proximum suum, & „ per insidias, ab altari avelli debeat; qui suâ voluntate ho„ micidium perpetraverit, etiam si crimen id nec ordine ju„ diciario probatum, nec aliâ ratione publicum, sed occul„ tum fuerit, nullo tempore ad sacros ordines promoveri „ possit; nec illi aliqua ecclesiastica beneficia, etiam si curam „ non habeant animarum, conferri liceat : sed omni ordine, „ ac beneficio & officio ecclesiastico perpetuo careat.

Deinde *Sess. 24. Cap. 6. De formar.* declarans, licere Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus & suspensionibus ex delicto occulto provenientibus, addit hanc clausulam: *Excepta ea quæ oritur ex homicidio voluntario.*

XXV. Juxta prius decretum, qui *suâ voluntate* homicidium perpetravit, tametsi illud *occultum* fuerit, inhabilis declaratur ad Ordines sacros suscipiendos, aut Beneficia quæcumque obtinenda; utque omni ordine, ac Beneficio & officio Ecclesiastico careat, decernitur.

Homicidium *voluntarium*, de quo hic loquitur Synodus, plerique intelligunt homicidium per *industriam, insidias & ex proposito* perpetratum, atque ita decisum referunt Garcias De Beneficiis *parte 7. cap. 11. numer. 44.* & Barbosa De Officio Episcopi *parte 2. Allegat. 39. numer. 49.* qui & dicunt, resolutum à sacra Congregatione, quod si quis mandaverit aliquem verberari cum expresso mandato de non occidendo, aut mutilando, si mandatarius fines mandati excedens occiderit, aut mutilaverit, mandantem quidem incidisse in irregularitatem, sed tamen non censeri *voluntarium* ad sensum Concilii Tridentini. Imò si quis volens occidere Joannem, occiderit Petrum, esse quidem irregularem, non tamen homicidam *voluntarium* de quo Concilium : quia scilicet hunc non per industriam & per insidias occidit: quod tamen requiri volunt, ut habeatur homicida *voluntarius*, de quo in Decreto Concilii Tridentini, & in facti specie resolvit Zypæus *Consult. Unicâ de Homicidio.*

XXVI. Quidquid sit, hoc satis constat, Synodum Tridentinam optâsse, ut cum homicida *voluntario* nec ad sacros Ordines nec Beneficia dispensetur; sed *ut omni Ordine, ac Beneficio & officio Ecclesiastico* PERPETUO *careat.*

Hic imprimis excludi omnem Episcopalem dispensationem, etiam ad Ordines Minores, ac Beneficia etiam simplicia compertum est.

XXVII. Et quamvis Pontificia dispensatio non censeatur omnino exclusa, ob enixam tamen Synodi voluntatem, ut hujus criminis reus omni Ordine & Beneficio perpetuò careat, Pontifex " in dispensationibus hujusmodi conce„ dendis, non parum difficilem se reddit : nimisque ab eis „ abhorret; cum abominabile sit, quod effundens sangui„ nem humanum, offerat Sanguinem Christi & Hostiam „ immaculatam, vel officium Deo ad Altaris ministerium „ præstet" ait Pyrrus Corradus in Praxi dispensat. *lib. 5. c. 1. n. 3.* Et Fagnanus ad *Cap.* HENRICUS ✠ *De Clericis pugnantibus in duello numer. 41.* dicit, se non meminisse eum promovendis, in homicidio voluntario unquam fuisse dispensatum.

XXVIII. Si petatur dispensatio super homicidio quoad Ordines susceptos, aut Beneficia de facto obtenta, solet supplicia juxta stylum Curiæ remitti ad Congregationem super Interpretatione Concilii Tridentini; uti notat Pyrrus Corradus loco citato *numer. 13.* " ubi ipsæ supplicationes „ proponuntur, discutiuntur & plenè examinantur, ut inde „ discernatur, an gratia sit concedenda, vel deneganda: quod „ si videatur concedenda remittitur supplicatio ad *Data„ riam* cum his verbis in illius calce appositis, scilicet, *Vide„ tur concedenda si Sanctissimo videbitur.*

Hæc Pyrrus Corradus, & qui ibidem monet, postmodum Papa annuente expediri commissionem Ordinario, qua ei potestas fit cum Oratore dispensandi; eumque ad Ordines promovendi, vel in susceptis rehabilitandi, juxta tenorem commissionis.

In hac delegationis formula solet apponi hæc clausula : Si narrata vera deprehenderit, *Oratorem, imposita ei aliqua pœnitentia salutari & attenta pace, ut præfertur habita absolvat, secumque, dummodo ad id reperiatur idoneus, vitaque ac morum probitas, ac alia virtutum merita, sibi aliàs suffragentur, nec aliud Canonicum sibi obsistat, ad beneficia & ordines* (vel simplicia duntaxat, vel etiam majora; item minores vel majores Ordines prout exprimitur) *dispenset pro suo arbitrio.*

Pax cujus hic fit mentio intelligitur illa quæ facta est inter homicidam & hæredes defuncti; qua demum facta solet Pontifex dispensare.

XXIX. Porro hic dispensationis stylus primùm inductus apparet ad expediendam dispensationem, seu potiùs commissionem dispensandi super homicidio *quasi casuali* & involuntario conformiter ad Decretum Concilii Tridentini in allegato *cap. 7.* ubi de dispensatione in hujusmodi homicidio hæc habet: " Si verò homicidium non ex proposito, sed „ casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, „ fuisse commissum narretur; quam ob causam etiam ad sa„ crorum Ordinum & altaris ministerium, & Beneficia „ quæcumque ac dignitates *jure* quodammodo *dispensatio* „ debeatur, committatur loci Ordinario, aut ex causâ Me„ tropolitano, seu viciniori Episcopo, qui nonnisi causâ co„ gnita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter, dispen„ sare possit.

XXX. Quamvis de jure non videatur ulla irregularitas incurri, si revera homicidium sit *omnino* casuale, aut contigerit *vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet,* juxta *Clementinam unicam de homicidio*; adeoque nulla dispensatio requiri videatur: tamen quia de enormi ac scandaloso admodum crimine agitur; & facilè aliqua in his culpa aut excessus intercurrit, voluit Synodus, ut etiam hic interveniret species aliqua dispensationis, cujus executio Ordinario delegaretur; qua vel irregularitas, si quæ forsan intervenisset, tolleretur; vel saltem omnibus rite examinatis, declararetur, nullam irregularitatem fuisse contractam : quam tamen declarationem ab Episcopo fieri non vult Synodus, nisi ex commissione Pontificis; atque hoc sensu verum est, quod nec qui casu, vel vim vi repellendo homicidium commiserit, sine licentia Pontificis ad Ordines promoveri queat; quemadmodum notat Pyrrus Corradus *num. 13.* additque: " Quamvis aliquibus Nuntiis, præcipuè „ Hispaniarum consuevit per Summum Pontificem tribui „ facultas dispensandi super irregularitate contracta ex ho„ micidio casuali, etiam publico.

XXXI. Et id quidem si homicidium publicum fuerit, aut ad forum contentiosum deductum : quia si homicidium omnino occultum sit, tunc Episcopus sine ulla delegatione aut commissione speciali Pontificis poterit dispensare, modò homicidium non sit *voluntarium*, juxta Decretum Synodi Tridentinæ *sess. 24. cap. 6. De Reformat.* permittens Episcopis dispensare in irregularitatibus omnibus ex delicto *occulto* provenientibus, sola illa excepta, quæ oritur ex homicidio *voluntario*. Voluntarium autem non esse, quod fit casu aut vim vi repellendo ob necessariam vitæ propriæ defensionem, expeditum est: quin *voluntarium* hic accipi eodem sensu quo accipitur *capite 7. sessionis 14.* resolvit post plures alios Zypæus *Consult. unicâ de Homicidio* : ideoque si *voluntarium* non fuerit ad sensum dicti *cap. 7.* & *occultum* sit, posse Episcopum dispensare.

TITULUS XI.

De Seminariis Clericorum.

CAPUT I.

Origo & scopus Seminariorum.

1. *Antiqua sunt Clericorum collegia sub directione Episcopi.*
2. *Decretum Synodi Toletanæ IV. de institutione horum collegiorum.*
3. *His collegiis respondent Scholæ à Carolo M. institutæ.*
4. *Ludovicus Pius ad instructionem similium Scholarum urget Episcopos.*
5. *Similiter Concilium Parisiense.*
6. *Seculo 11. hæ Scholæ ubique flaccescere, & totaliter interire cœperunt.*
7. *Instaurationem earum petierunt Episcopi in Synodo Tridentina.*
8. *Synodi Trident. Decretum de erigendis Clericorum Seminariis.*
9. *Scopus Seminariorum ex mente Synodi.*
10. *Alumnis Seminariorum frequenter eorum finis exponendus.*
11. *Ratio institutorum Seminariorum à S. Carolo exposita.*
12. *Doctrinæ, ac præcipuè pietati acquirendæ incumbendum.*
13. *Nulli in Seminario educandi, nisi ad operandum in Ecclesiasticis functionibus.*
14. *Sanctus Carolus volebat educari* simplices *Sacerdotes.*
15. *Ad Seminarium admissi interdum ad expensarum restitutionem astringuntur, si in statu Ecclesiastico non perseverent*
16. *Seminariorum alumni ab omni Beneficiorum ambitione debent esse alieni; idque ipsis maximè inculcandum.*
17. *Quæ à Confessario Seminarii præcipuè inculcanda.*
18. *Qualis esse debeat Seminarii Confessarius.*

I. OLim fuisse collegia sive Monasteria in quibus sub Episcoporum directione Juniores Clerici instituebantur, & è quibus tamquam Seminariis Ministros Ecclesiæ Episcopi assumebant, manifestum est ex Possidio in vita S. Augustini *cap.* 11. ubi scribit, Augustinum factum Episcopum, Monasterium Clericorum extruxisse, è quo ceu quodam Seminario ad varias Ecclesias viros doctos & exercitatos mittebat; quodque plures Episcopi, excitati exemplo Augustini, similia extruxerint.

De hoc suo Clericorum Monasterio pluribus egit S. Augustinus ad populum Hypponensem *sermone* 49. & 50. *De Diversis*; modum & institutum vivendi, quod tenere proposuerat, exponens; una declarans, quod statuisset, nullum ordinare Clericum, qui non secum in hoc Monasterio sive collegio vivere voluisset.

II. De similibus Clericorum collegiis sive Monasteriis agit Synodus Toletana IV. *Can.* 23. apud Gratianum *caus.* 12. *qu.* 1. *Can.* 1. " *Prona est omnis ætas ab adolescentia*
„ *in malum*: Nihil enim incertius quam vita adolescentium:
„ ob hoc constituendum oportuit, ut si qui in clero pube-
„ res, aut adolescentes existunt, omnes in uno conclavi atrii
„ commorentur: ut lubricæ ætatis annos non in luxuria,
„ sed in disciplinis Ecclesiasticis agant, deputati probatissi-
„ mo seniori, quem magistrum doctrinæ, & testem vitæ
„ habeant. Quod si aliqui ex his pupilli existunt, à sacerdo-
„ tali tutela foveantur, ut vita eorum à criminibus intacta
„ sit, & res ab injuria improborum.

III. Hisce Clericorum collegiis respondent Scholæ, quas institui voluêre Carolus M. ejusque Successores, reformandæ Ecclesiasticæ & Clericalis disciplinæ intenti. In his adolescentes ad Clerum aliquando promovendos sacris Litteris, & Canonicis institutis sub Episcoporum regimine imbui, & rite institui volebant.

De Carolo M. ita loquitur Concilium Cabilonense II. anno 813. *Can.* 3. " Oportet etiam ut sicut Dominus Impe-
„ rator Carolus, vir singularis mansuetudinis, fortitudinis,
„ prudentiæ, justitiæ & temperantiæ præcepit, scholas con-
„ stituant, in quibus & literas solertia disciplinæ & sacræ
„ Scripturæ documenta discantur, & tales ibi erudiantur,
„ quibus meritò dicatur à Domino vos estis sal terræ: & qui
„ condimentum plebibus esse valeant, & quorum doctrina
„ non solùm diversis hæresibus, verùm etiam antichristi
„ monitis, & ipsi antichristo resistatur, & meritò de illis in
„ laude Ecclesiæ dicatur: mille clipei pendent ex ea, omnis
„ armatura fortium.

IV. Et Capitulare Ludovici Pii anno 823. admonitionem generalem continens ad utriusque ordinis homines, cum instructione Missorum Dominicorum quos Imperator in diversas provincias destinabat, de his scholis ad Episcopos ita loquitur: " Scholæ sanè ad filios & ministros Ecclesiæ
„ instruendos, edocendos, sicut nobis præterito tempore
„ ad Attineacum promisistis, & vobis injunximus, incon-
„ gruis locis, ubi necdum perfectum est, ad multorum uti-
„ litatem & profectum à vobis ordinari non negligantur.

V. Ex Concilio Parisiensi III. *lib.* 1. *cap.* 30. refertur in Additione II. ad Capitularia Regum Francorum *cap* 5."
„ Inter nos pari consensu decrevimus, ut unusquisq; Episco-
„ porum in scholis habendis & ad utilitatem Ecclesiæ mi-
„ litibus Christi præparandis & educandis abhinc majus
„ studium adhiberet. Et in hoc uniuscujusque studium vo-
„ lumus probare, & quando ad Provinciale Episcoporum
„ concilium ventum fuerit, unusquisque Rectorum scho-
„ lasticos suos eidem concilio adesse faciat, quatenus & cæ-
„ teris Ecclesiis noti sint, & ejus solers studium circa divi-
„ num cultum omnibus manifestum fiat.

Hæc omnia scholas Episcopales, id est, ab Episcopis institutas, atque ab eorum regimine ac directione dependentes spectant; de quibus latius Joannes Filesacus de sacra Episcoporum auctoritate *cap.* 15. §. 2.

VI. Scholæ sive Collegia Episcopalia, in quibus juventus ad statum Ecclesiasticum sub cura atque regimine Episcoporum formabatur, circa seculum 11. multum cœperunt flaccessere; tum ob varias Academias seu scholas publicas tunc erigi cœptas, tum injuriam temporum & desidiam Prælatorum: ita ut difficile esset ab anno millesimo usque ad Concilium Tridentinum proximè elapso sæculo celebratum, præter scholas publicas, aut quasdam privatas in Monachorum vel Canonicorum Regularium Monasteriis, alias scholas Episcopales invenire, in quibus juventus ad munia Ecclesiastica obeunda disponeretur, uti notat Ludovicus Thomasinus de Disciplina Ecclesiæ *parte* 4. *lib.* 2. *cap.* 35. *num.* 1.

VII. Hinc

VII. Hunc defectum Scholarum advertentes zelosiores Episcopi, huicque magna ex parte defectum bonorum Pastorum imputandum existimantes, in Synodo Tridentina instaurationem hujusmodi Scholarum postularunt; eorumque votum, ut medium reformationi Cleri opportunum comprobatum est; "adeò ut complures affirmarent, ubi nullus alius fructus ex eo Concilio decerptus fuisset, solum hunc labores omnes & incommoda compensaturum; quippe unicum adjumentum, quod efficax ad reparandam collapsam disciplinam agnoscebatur: cum certa sit regula, in omni Republica tales haberi cives, quales educantur." Ità refert Pallavicinus in hist. Concilii Trid. *lib. 22. cap. 8. num. 3.*

VIII. Hunc in finem Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 18.* statuit, ut singulæ Cathedrales, Metropolitanæ, atque his majores Ecclesiæ, pro modo facultatum & Diœcesis amplitudine certum puerorum ipsius civitatis, & Diœcesis, vel ejus provinciæ, si ibi non reperiantur, numerum in Collegio ad hoc prope ipsas Ecclesias, vel alio in loco convenienti ab Episcopo eligendo alere ac religiosè educare, & Ecclesiasticis disciplinis instituere teneantur.

IX. Vult autem Synodus ut Episcopus ex pueris hic educatis & formatis "partim cum ei opportunum videbitur, Ecclesiarum ministerio addicat, partim in collegio erudiendos retineat, aliosque in locum eductorum sufficiat, ità ut hoc Collegium Dei Ministerium perpetuum *Seminarium* sit.

His verbis horum Collegiorum scopum expressit Synodus; ut nimirum idà in illis pueri nutriantur, & instituantur, ut tandem in Ecclesiæ Ministros & operarios evadant; & Collegia sint revera Ministrorum Ecclesiæ *Seminaria*; quod nomen ipsis à Synodo Tridentina inditum hactenus retinent.

X. Sanctus Carolus præcipuus Seminariorum instaurator, cujus normam & exemplum Episcopi, qui Seminaria instituerunt pene in omnibus secuti sunt, in suis Institutionibus Seminarii *parte 3. cap. 1.* de hoc Seminariorum scopo agens, ante omnia præmittit: "Adolescentes, qui singulari Dei beneficio sunt delecti, ut in Seminario instituantur, id potissimum intelligere debent, cujus gratiâ Concilii Tridentini Decreto Seminaria instituta sint; & intelligentes, sæpius animo repetere, omnesque nervos intendere; ut illud divina ope suffragante; ad animarum salutem, ad Ecclesiæ utilitatem; & Pastorum solatium consequantur.

XI. Deinde rationem institutionis Seminariorum subjungit: "Sunt igitur ea potissimum de causâ Seminaria erecta ut in iis boni strenuique operarii ad curationem animarum, quas suo sanguine pretiosissimo Christus redemit, instituantur; & ii quidem adolescentes (qui ob ætatem, cum tenera sit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impressiones admittendas in operibus virtutum erudiri debent) ut eam vitæ perfectionem adipiscantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri sunt, elucere debet, & severioribus disciplinæ legibus coërcendi.

XII. Post hæc infert, quod cum duo præcipuè in Sacerdote & Pastore requirantur, probitas videlicet ac doctrina earum utraque in Seminariis sit comparanda.

"At sicut probitatis major est necessitas (ait) quam doctrinæ; sic illis in ejus studio magis est elaborandum: cum præsertim acquisitio virtutum, in uniuscujusque assiduitate & industria, potius quam in Rectorum, aut præceptorum diligentia sit posita; ità ut nisi quis laborem adhibeat, non multum aut nihil illi aliorum vigilantia sit profutura.

"Quamobrem unusquisque sit ea mente ac voluntate, idque sibi quotidie proponat, ut omnino velit in bonum Ministrum pro hujus Ecclesiæ Mediolanensis adjumento evadere; seque Deo juvante, purum ab omni peccati labe conservare; sic enim affectus, multò facilius Doctrinæ cognitionem accipiet, majore tum suo, tum cæterorum emolumento; Beneficiique magnitudinem agnoscens, quod illi tam præclara sit oblata facultas, toto animo singulis diebus Deo se offerat; rogetque ut se ad prædictum finem idoneum efficiat operarium.

Martinus Rithovius Episcopus Iprensis in sua Synodo anno 1577. *tit. 23. cap. 5.* postquam normam docendi & instituendi juventutem in Seminario proposuit, subjicit: "Omnis autem institutio in hac Schola, eo principaliter dirigatur, ut qui instituendi suscipiuntur, in timore Dei foveantur, & in bona voluntate ministeriis Ecclesiasticis sese mancipandi confirmentur: ut cum ætate ac literarum scientia ad virtutum & gratiarum proficiant incrementa, jactaque in eis semina, tandem in agro Domini, fructus referant copiosos.

XIII. Imò unicum esse Seminariorum scopum, ut in eo Operarii in messem Dominicam mittendi formentur, ità Carolo persuasum erat, ut declaret, "quod si quis decursu temporis de statu mutando consilium caperet, etiamsi de Religione ingredienda cogitaret, de eo Reverendissimum Archiepiscopum, vel Rectorem certiorem faciat. Peccaret enim (ait) si in Seminario hoc animo viveret, in alium finem consumens, quod ad operarios *solùm* pro hujus Ecclesiæ auxilio sustentandos est constitutum.

XIV. Eundem in finem monet *parte 1. cap. 2.* quod si sint qui aliqua ratione non ostendunt, se idoneos Sacerdotes ad animarum curam evadere posse, è Seminario dimittantur: "Cùm (ait) non ea de causa sit institutum, ut in eo simplices Sacerdotes sibi tantùm utiles futuri educentur.

XV. In nonnullis quoque Diœcesibus, ingrediens Seminarium juramento promittere debet, "se numquam ad aliam vitæ rationem discessurum, sed perpetuo Ecclesiæ Christi fideliter inserviturum in eo gradu & ordine, qui à Reverendissimo Domino Episcopo ipsi assignabitur;" ità Synodus Burdigalensis anno 1583. De institutione & legibus Seminariorum, quæ extant ad calcem Synodi *tom. 15. Concil. generalium pag. 992.* additque: "quod in ipso ingressu tenebitur duos ex propinquis suis Episcopo sistere qui pro eo caveant ac fidejubeant, se pensionem illius persoluturos pro tempore, quo in Seminario vixerit, si in ordine & statu Ecclesiastico perseverare noluerit nisi aliud justa de causa Episcopo visum fuerit.

XVI. Quamvis autem Seminariorum alumni ad statum Ecclesiasticum & curam animarum destinentur, ipsi tamen ab omni ambitione & aviditate Beneficiorum & rerum temporalium alieni esse debent, sæpe animo repetentes, quod in ipsa Tonsuræ Clericalis susceptione verbis fuere professi: *Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, tu es qui restitues hæreditatem meam mihi*: quasi dicerent, se in militia Christi non aliam hæreditatem seu partem vel mercedem, quàm Dominum expetere aut exspectare.

Unde monet S. Carolus *parte 1. cap. 1.* "ut detur opera præcipuè in sermonibus & confessionibus, ut omnis ex Clericorum mentibus sitis & aviditas Beneficiorum tollatur; ac proinde videatur, ut ea de re ne ipsi quidem inter se colloquantur; ac iis sæpius inculcetur, quàm aversi ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici ordinis homines in via Domini ambulare debeant.

XVII. Monet quoque Seminarii Confessarium: "Studeat in omnium mentibus maximum animarum zelum, propriæ voluntatis abnegationem, veram obedientiam, paternam charitatem inserere; internascentia opimorum beneficiorum, vel divitiarum desideria, salutaribus monitionibus extinguat, quoslibet etiam iis de rebus sermones prohibeat; solam denique illis Dei gloriam, & animarum salutem procurandam esse doceat, & expetendam.

Hæc *parte 2. cap. 4.* quod de officio Confessarii inscribitur, atque ante omnia præmittit, "Confessarius Semi-

Digitized by Google

,, Seminarii illud secum reputet, ex se rectaque sui muneris ,, administratione pendere eorum, qui in Seminario vivunt, ,, in omni virtute progressum.

" Quare turpe sibi fore, nisi ità vivat, & in omni vitæ ,, parte ità se gerat, ut ex ipsius vita moribusque, omnis virtutis atque officii exempla peti possint.

,, Pietate, mansuetudine, humilitate, prudentia, charitate, officii sui dignitatem sustineat, auctoritatem ,, tueatur.

,, Familiæ totius pax & concordia ejus curæ sit: quare ,, animorum offensiones, si quæ suboriantur sedare confestim omni ratione studeat.

,, Vitam, & mores uniuscujusque quantum fieri possit, ,, exploratos habeat; ut vel ad officium revocare errantes, ,, vel in via Domini incitare ingressos possit.

Meritò hæc attendunt Seminariorum & Collegiorum Intendentes, ut solicitè pios, zelosos atque eruditos suis alumnis Confessarios procurent; cùm inde magna ex parte Seminariorum & Collegiorum fructus dependeat.

CAPUT II.

Qui ad Seminaria admittendi.

1. *Quales ad Seminarium admittendi ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
2. *In admittendis magis morum probitatem quam ingenium attendi voluit S. Carolus; rigidumque examen institui.*
3. *Decretum Synodi Cameracensis circa admittendos.*
4. *Pauperes sumptibus Seminarii admittendi, divites propriis sumptibus.*
5. *Qui se pauperes esse mentiti sunt, è Seminario expellendi.*
6. *Ad quæ ex Decretis Synodalibus Belgicis Seminaristæ se obstringere debeant.*
7. *Cura spiritualis Seminariorum primariò Episcopis est commissa.*
8. *Episcopus in directione Seminarii duos Canonicos in consilium adhibere debet.*
9. *Scopus visitationis Seminariorum per Episcopum instituendæ.*
10. *Forma visitationis quam tenuit S. Carolus.*
11. *Quid Seminariis à S. Carolo institutis fuerit propositum.*
12. *Singulis Seminariis præficiendus Rector sive Præses.*
13. *Hujus officium describitur.*
14. *Synodus Tridentina supponit in Seminariis esse plures diversarum scientiarum magistros.*
15. *In Seminariis S. Caroli quales essent, & in Belgicis esse soleant.*
16. *Synodi Belgicæ Theologiæ studiosos ad Seminarium admitti dumtaxat desiderant.*
17. *Fructus Seminariorum præcipuè dependet à Professoribus.*

I. SYnodus Tridentina in suo de erectione Seminariorum Decreto vult, ut " in hoc ,, Collegio recipiantur, qui ad minimum ,, duodecim annos, & ex legitimo matrimonio nati sint, ac legere & scribere ,, competenter noverint, & quorum indoles & voluntas spem afferat, eos Ecclesiasticis ministeriis perpetuò in- ,, servituros.

II. Sanctus Carolus volens è Seminariis fructum amplum colligere; sciensque quam facilè à malis & discolis corrumpantur etiam boni, inter alia monuit *parte 1. cap. 9. Institutionem Seminarii*, quod "maxima cautio adhibenda sit in eo præcipuè, ut idonei Clerici in seminarium ,, recipiantur; neque solum ingenium, & habilitas ad studia ,, literarum, functionesque Ecclesiasticas exercendas; sed ,, *multò* magis *morum* ac *disciplinæ* in singulis ratio habeatur. Quales enim (ait) ii fuerint qui admittentur, tales ,, prorsus è Seminario fructus existent.

Normam examinis quam in admittendis ad Seminarium teneri voluit, subjicit; quam meritò Episcopi aliique quibus admittendorum ad Seminaria cura incumbit, expendent & inibunt.

III. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 10.* de receptione studiosorum hæc habet: "Studiosi sint omnes viginti annorum pietate & eruditione commendabiles, & ,, habito delectu ingeniorum & doctrinæ ad Seminarium ,, per concursum à singulis Episcopis in suis diœcesibus ,, cum dictis Capituli & Clerici deputatis, aut eorundem ,, subituris celebrandum assumantur, & pauperum filii ac ,, commendati à contribuentibus dicto Seminario cæteris ,, paribus aliis præferantur, sintque ex legitimo matrimonio ,, nati, non claudi, non in manibus aut alia corporis parte ,, notabilem defectum habentes. Quod si aliqui sint qui integram bursam contribuant, habebunt jus præsentandi ,, idoneum sine concursu.

IV. Pergit deinde Synodus Trident. "Pauperum autem ,, filios præcipuè eligi vult, nec tamen divitum excludit, ,, modo suo sumptu alantur, & studium præ se ferant, Deo ,, & Ecclesiæ inserviendi.

V. Synodus Remensis anno 1583. *titulo de Seminariis num. 12.* voluit: "Si fraude aliqui divites fuerint in Seminarium introducti, & post professionem egestatis tales fuerint reperti, expellantur, tamquam mentiti Spiritui Sancto, & egenorum hæreditatem invadere non veriti, sumptus jam factos pro ratione temporis Seminario refundere cogantur.

VI. Similia occurrunt in Synodis Belgicis. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 17.* ait: "Singuli autem studiosorum in sua ad dictum Seminarium assumptione jurent se, ,, cum idonei invenientur, id muneris in Ecclesia Dei subituros; quod suus Episcopus illis injungendum existimaverit; alioquin refundent sumptus quos fecerint in Seminario, pro quo dabunt fidejussores, promittentque cum ad ,, pinguiorem fortunam devenerint, se memores futuros ,, accepti beneficii, & in communem ejusdem Seminarii utilitatem aliquid liberaliter elargituros.

Diœcesana Mechliniensis anno 1690. *tit. 20. cap. 4.* "vult ,, quoque, quod singuli in sua ad Seminarium assumptione ,, declarabunt, se habere animum ad statum Ecclesiasticum, ,, & insuper promittent se, cum idonei invenientur, id muneris in Ecclesia Dei subituros, quod nos ipsis injungemus, aut refusuros expensas, quibus Seminarium affecerint. Et *cap. 5.* Promittent etiam, si ad pinguiorem fortunam devenerint, se in memoriam accepti beneficii Seminarium de bonis suis temporalibus adjuturos.

Denique *cap. 6.* declarat: "quod simulatque per ætatem, scientiam, & aliis idonei fuerint, ut fiant Subdiaconi, Diaconi, & Sacerdotes, ad eosdem Ordines se component & *jussi* suscipient, & in susceptis diligenter ministrabunt.

Similia in aliis Synodis passim statuuntur, & injunguntur.

VII. Curam Seminarii, atque auctoritatem præscribendi leges & vivendi modum Synodus Tridentina Episcopis committit; utpotè quorum præcipuè interest, ut strenui operarii in Seminariis formentur.

Postquam enim nonnulla, quæ tum ad instructionem juventutis, tum ad morum disciplinam ac pietatem formandam conducere possunt, præmiserat, subjungit: "Quæ ,, omnia, atque alia, ad hanc rem opportuna, & necessaria, ,, Episcopi singuli cum consilio duorum Canonicorum seniorum & graviorum, quos ipsi elegerint, prout Spiritus ,, Sanctus suggesserit, constituent: eaque ut semper observentur, sæpius visitando operam dabunt. Dyscolos, & ,, incorrigibiles, ac malorum morum seminatores acriter ,, punient: eos etiam, si opus fuerit, expellendo: omniaque ,, impe-

Digitized by Google

„ impedimenta auferentes, quæcunque ad conversandum „ & regendum tam pium & sanctum institutum videbun- „ tur pertinere, diligenter curabunt.

Hinc manifestum est, Episcopi directioni ipsum spirituale Seminarii regimen, atque puerorum educationem & formationem esse præcipuè concredita.

VIII. Vult quidem Synodus ab Episcopo eligi duos Canonicos seniores & graviores, de quorum consilio in hoc spirituali Seminarii regimine procedat; & eorum consilium petere & audire tenetur; sed sequi non jubetur: potestque Episcopus eorum consilio adhibito statuere, & declarare, quæ providentia sua magis expedire judicaverit; quemadmodum declarasse S. Congregationem refertur ad calcem Decreti Concilii Tridentini *De Seminariis*; extat quoque apud Zerolam in praxi Episcopali *parte 1.* Verbo *Seminarium*.

IX. Scopus visitationis Episcopalis esse debet, assequi ipsius Seminarii, tam quoad temporalia, quàm spiritualia perfectam notitiam; ac præcipuè ipsorum puerorum sive alumnorum mores, profectum in studiis & pietate; quemadmodum in instructionibus Seminarii à S. Carolo præscriptis deducitur *parte 1. cap 8.* quod *De Visitatione* inscribitur; ubi inter cætera statuitur, ut "hebdomada Resurre- „ ctionis, ac circiter festivitatem Nativitatis B. V. Reveren- „ dissimus Archiepiscopus adhibitis in consilium Deputa- „ tis, generalem visitationem habeat; in qua deliberet, quæ „ ad Clericorum ejusdem Seminarii institutionem, discipli- „ nam; mores, studiorum progressionem, rerumque tempo- „ ralium administrationem attinent.

Deinde ut Archiepiscopus "certior fiat à Rectore de dis- „ ciplina & moribus cujusque, ac singulos separatim allo- „ quatur: quæ sit eorum mens, quis sensus, quàm in voca- „ tione stabilis, inquirat, ac si quid aliud præterea scire vo- „ luerit.

X. De ipso S. Carolo in ejus vita legitur, quod bis per annum institueret generalem Seminarii sui visitationem; eamque adeo exactam, ut ipsemet annotaret singulorum studentium ætatem, parentes, patriam, patrimonium, qualitates tam corporis, quam spiritus, atque eorum in scientiis progressum; ut ipsos pro ratione scientiæ faceret de una ad alteram classem ascendere; eosque pro cujusque capacitate ministeriis suæ Diœcesis applicaret. Præ cæteris autem se informabat, quis esset studiosorum progressus in pietate, in Oratione mentali, exercitio virtutum Clericalium; item de ipsorum tentationibus, & anxietatibus & pœnis interioribus; ut tepidiores ad fervorem excitaret: retineret verò qui zelo præcipiti & indiscreto ultra suas vires progredi volebant; si quos videbat tentationibus quibusdam agitatos, & quasi ad lapsum propensos, eos fortificare & animare satagebat. Verbo omnibus omnia factus, omnes lucrari satagebat; & quos suavitate ac benignitate, crebraque monitione lucrari non poterat, pœnitentiarum impositione tandem probabat; aut ad aliud Seminarium mittebat, vel alicui bono Sacerdoti confidebat, qui eum in domum suam reciperet, & specialem curam ageret.

XI. Hæc Goudæus Episcopus Vencensis in vita S. Caroli Gallicè conscripta *lib. 1. cap. 12.* qui fusius zelum hujus Archi-præsulis in directione Seminariorum ibidem enarrat; atque unà notat, quod ut primum hoc pium opus aggressus fuisset Carolus, diabolus prævidens fructum ex hac recta Seminariorum institutione proventurum, rumorem spargere cœperit hæc Seminaria esse carceres, quibus Carolus teneret juvenes inclusos; quodque fierent hectici ex nimiis vigiliis, jejuniis, & occupationibus seu exercitationibus spiritûs: atque hic rumor multos adolescentes ab ingressu primum retraxisse: At illius falsitate sensim detecta, non tantum pauperum, sed & magnatum & divitum proles admitti postulasse; atque admissionem ipsam beneficii loco reputasse.

Hinc discant Episcopi aliique Seminariorum & Collegiorum directores, à recta & pia juventutis institutione disciplinaque ob hujusmodi malevolorum rumores, non esse deflectendum, aut remittendum.

XII. Verum quia Episcopi variis Ecclesiæ negotiis distracti, nequaquam possint per se semper Seminaristis intendere, ac Seminariorum curam habere, singulis Seminariis necessarius visus est Præfectus aliquis, quem S. Carolus in suis Institutionibus vocat *Rectorem*, nos verò plerumque *Præsidem* Seminarii vocare solemus.

Huic primaria post Episcopum & sub Episcopo cura & directio Seminarii incumbit, atque ab illo dependere solet ipsius Seminarii bona vel mala disciplina & institutio.

XIII. In sæpe citatis Institutionibus Sancti Caroli *parte 2. cap. 2.* de Rectore scribitur: "Illud sæpius Rector animo „ repetat, quam grave suis humeris onus incumbat; cum ab „ eorum qui in Seminario vivunt recta institutione, totius „ Diœcesis reformatio pendeat.

"Quapropter, ut qui illius fidei commissi sunt, eos è Se- „ minario fructus percipiant, quos Ecclesia sancta, ac Tri- „ dentinum præcipuè Concilium sibi proposuit; quam di- „ ligentissimè curet, ut in seipso eas ad vivum virtutes ex- „ primat, quas in clericis requiret; ità ut qui illi subjecti „ sunt, in eo tamquam in speculo expressam videant ejus „ vitæ imaginem, quæ illis omni studio sit effingenda: me- „ minerintque, exemplum vivam esse doctrinam; nec ipsi „ minus cum taceat, quam cum loquatur, esse alios ad pie- „ tatem incitandos.

„ Divinæ in primis gloriæ amplificationem, clericorum „ in omni virtute perfectionem semper ante oculos ha- „ beat, & ad eum finem omnes cogitationes referat, & „ curas.

„ Studeat, ut quæ ad spiritualem progressum spectant, „ rectè atque ordine administrentur; ut quotidianæ, aut „ alias statæ exercitationes, nisi necessaria de causa non in- „ termittantur.

„ Curam omnium collegiorum ejusdem Seminarii pri- „ mam & præcipuam habeat, " Hæc S. Carolus latius ibidem officium Rectoris sive Præsidis Seminarii describens.

Synodus P. II. Cameracensis *tit. 21. cap. 9.* vult, ut "Se- „ minarium ipsum uni Rectori seu Præsidenti commit- „ tatur.... qui sit Sacerdos sacræ Theologiæ aut Decreto- „ rum Doctor aut Licentiatus.

XIV. Præter Rectorem sive Præsidem, cui primaria sub Episcopo Seminarii cura & directio incumbit, debent insuper esse plures inferiores Officiales & magistri, qui juventuti tum erudiendæ, tum instituendæ intendant.

Et quidem Synodus Tridentina volens, ut admissi ad Seminarium grammatices, cantus, computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discant: Sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maximè quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cæremoniarum formas ediscant, sat patenter declarat, se desiderare, ac quasi supponere, in Seminario futuros Professores, non tantum qui Sacram Scripturam, & Theologiam prælegant: sed & qui Grammatices aliarumque bonarum artium fundamenta tradant: uti rectè notavit Zypæus *Consult. 3. De Magistris num. 8.*

XV. In Seminario Sancti Caroli non tantum Theologiæ, sed & humaniorum ac Philosophiæ Professores fuisse, ex Institutionibus Seminarii patet, atque idcirco & *Præfectus studiorum* erat, qui rei litterariæ præesset, & curaret, ut juvenes leges Seminarii ad studia spectantes inviolatè servarent de quo *parte 2. cap. 5.* dictarum Institutionum.

Hic in Belgio licet in quibusdam Seminariis etiam habitent pueri studiis humanioribus incumbentes, nequaquam tamen hæ scientiæ in Seminariis tradi solent, sed passim ad lectiones quæ aliis in Scholis habentur exeunt, & humanioribus absolutis pro ediscenda Philosophia ad Academias mittuntur.

XVI. Quia

XVI. Quin ad Belgica Seminaria ferè soli illi admittuntur, qui humanioribus & Philosophia absoluti, idonei sunt, ut studio Theologico se addicant; quod & ex mente Synodorum esse, haud obscurum est.

Præterquam enim quod de sola Theologia tradenda in Seminariis ferè mentio fiat, eam in admittendis ad Seminaria ætatem requirunt, ut satis appareat desiderari adolescentes qui studia humaniora absolverint.

Synodus P. II. Cameracensis requirit, ut Seminarii studiosi sint omnes *viginti* annorum. Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 3. vult, ut in Seminarium sumptu illius assumendi, sint omnes *octodecim* annorum.

XVII. Hoc notorium & quotidianâ experientiâ comprobatum est, à pietate, eruditione ac zelo Professorum maxima ex parte dependere Seminariorum fructum; ac è Seminariis plerumque haberi Sacerdotes ac Pastores Professoribus tum in pietate, doctrina & zelo animarum similes: ut propterea curandum sit Episcopis aliisque qui Seminariis intendunt, ut Professores pietate eruditione ac zelo animarum præstantes præficiant, si Pastores iis qualitatibus instructos desiderent.

CAPUT III.

Media temporalia Seminariis fundandis impendenda.

1. *Primum medium à Synodo Tridentina suggestum.*
2. *Secundum medium ab eadem Synodo probatum.*
3. *Idem in Synodis Belgicis comprobatum.*
4. *Hæc media non videntur habuisse successum in Belgio.*
5. *Tertium medium in Synodo Tridentina probatum; illudque convenientius, nimirum Beneficiorum simplicium incorporatio.*
6. *Quare conveniat Beneficia simplicia Seminario uniri.*
7. *Quid de unione Beneficiorum ad collationem Episcoporum pleno jure spectantium.*
8. *Quid de Beneficiis Patronatus Laici; præsertim in Belgio.*
9. *Synodus Trid. vult difficultatem super unione Beneficiorum judicio Episcopi terminari.*
10. *An à judicio Episcopi aliquando appellari queat?*
11. *In Seminariorum fundatione hodie intervenire solet auctoritas Regia; & quare.*
12. *Quatuor Deputati quorum consilio in administratione temporali Seminarii Episcopus uti debet.*
13. *Hi à Deputatis pro administratione spirituali distincti; & quomodo in Synodis Belgicis fuerint sex deputati nominati.*
14. *Habent dumtaxat votum* consultivum.

I. Synodus Tridentina enixè desiderans Seminariorum erectionem, & juventutis in eisdem efformationem; unà tamen considerans magnitudinem sumptuum, qui ad collegii fabricam instituendam, ad mercedem præceptoribus & ministris solvendam, & ad alendam juventutem necessarii sunt, tria media, è quibus hi sumptus haberi possent, proposuit.

Primum, ea quæ ad instituendos vel alendos pueros in aliquibus Ecclesiis & locis destinata sunt, eo ipso Seminario applicata censeantur.

Hoc medium ante omnia impendi oportere, mandat Synodus P.I. Mechliniensis; nec alterius medii meminit; sed erigendi Seminarii certam rationem à Synodo Diœcesana constituendam decernit.

II. Secundum medium à Synodo Tridentina suggestum consistit in applicatione alicujus portionis ex fructibus integris mensæ Episcopalis, & Capituli; & in pensione super fructibus seu proventibus Dignitatum, Personatuum, officiorum, Præbendarum, Abbatiarum, Prioratuum, etiam Hospitalium in titulum conferre solitorum; item generaliter super proventibus omnium congregationum & communitatum Ecclesiasticarum, solis Ordinibus Mendicantibus, & Fratribus S. Joannis Hierosolymitani exceptis.

III. Synodus P.I. Cameracensis conformiter ad hoc medium à Concilio Tridentino propositum, præcipit, "ut „ quamprimum fieri possit, modus constituatur, facta omnium Beneficiorum, atque eorum omnium, quorum Decretum Concilii Tridentini *sess.* 23. *cap.* 18. mentionem „ facit æstimatione quo ad hæc Seminaria ponenda & constituenda, sufficiens contributio fiat.

Et deinde Synodus P. II. Cameracensis rursus mandat: „ Ut provideatur de sumptibus ad supradicta, nec non ad „ studiosorum alimoniam necessariis, singuli Episcopi cum „ dictis suis Deputatis quamprimum fieri poterit, portio„ nem aliquam ex omnibus Beneficiis (ubi hactenus detra„ cta non est) detrahant; quæ in solos usus Seminarii con„ vertatur." *Tit.* 21. *cap.* 18.

Hujus medii meminit quoque Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 21. *cap.* 1. præcipitque, ut sexagesimus denarius, aut plus minusve, prout videbitur Episcopo, eum consilio „ eorum, qui ex Decreto dicti Concilii Trident. eidem sunt „ adjungendi, è bonis Ecclesiasticis in qualibet Diœcesi in „ hunc usum applicetur.

Et in sua Synodo Diœcesana anno 1609. Archiepiscopus Mechliniensis, "ex omnibus & singulis, bonis Ecclesiasti„ cis quæ secundum sacrum Concilium Tridentinum ad „ contributionem pro Seminario tenentur, circiter sexage„ simum nummum annuatim contribuendum censuit, & „ contribui mandavit; donec alia ratione ita Seminario „ provisum esse constiterit, ut prætactam portionem in to„ tum, vel ex parte remittendam esse judicaverit.

IV. Num hæc Synodorum & Episcoporum Decreta quoad applicationem hujus medii aliquem habuerint effectum dubito. Hoc sat constat, generalem executionem istius medii, prout à Synodo Tridentina fuit propositum, non exiguis difficultatibus esse obnoxium. Quis enim nescit, quam difficulter, præsertim hisce in Provinciis, Capitula, Abbatiæ, Monasteria, Hospitalia aliaque similia corpora permittent, ut sola Episcopali auctoritate, aut etiam Ecclesiastica quacumque auctoritate pars proventuum annuatim ipsis auferatur, & Seminario Episcopali attribuatur: testaturque Zypæus *Consult.* 3. *De Magistris num.* 5. "hic „ detractionem per injuriam temporum ex proventibus „ Ecclesiasticis usquequaque fieri non potuisse.

V. Tertium medium à Synodo Tridentina propositum consistit in unione simplicium Beneficiorum: illudque tamquam convenientissimum variis modis extendit.

Imprimis concedit aliquot Beneficia simplicia, cujuscumque qualitatis & dignitatis fuerint, vel etiam præstimonia vel præstimoniales portiones Seminario applicari & incorporari.

Permittit autem hanc incorporationem fieri *etiam ante vacationem*; sine tamen cultûs divini, & illa obtinentium præjudicio.

Ulterius vult, ut incorporatio locum habeat, etiamsi Beneficia sint *reservata*, vel *affecta*.

Declarat præterea, nec hanc incorporationem per resignationem ipsorum Beneficiorum, uniones & applicationes suspendi, vel ullo modo impediri posse; sed omninò, quacumque vacatione, etiamsi in *Curia* effectum suum sortiantur & quacumque constitutione non obstante posse uniri.

Hæc sat evincunt, enixam fuisse Synodi mentem, ut hoc medio, Episcopi uti possent.

VI. Et sane cum hæc Beneficia nec residentiam, nec aliquod personale Officium requirere soleant, exigua ex his utilitas aut fructus in Ecclesiam redundare contingit: ut propte-

propterea inter articulos nomine Caroli noni Galliarum Regis in Concilio Tridentino oblatos hic esset vigesimus quartus: "Cumque plura sint Beneficia, in quibus contra „beneficiorum institutionem invaluerit depravata con„suetudo, ut qui ea possident nullo teneantur concionandi „Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, „Episcopus cum consilio Capituli his Beneficiis curam a„liquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea „beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat: be„neficium enim sine officio esse neque debet, neque po„test.

VII. Hæc Beneficiorum unio & incorporatio facile & sine oppositione fieri poterit, si Beneficiorum collatio *pleno* jure ad Episcopum pertineat: at si ad alium collatio, vel præsentatio spectet, difficulter hic admittetur unio, nisi ipse Collator aut Patronus, aliique interesse habentes legitimè fuerint interpellati & auditi; quemadmodum in unionibus observandum esse Canones præscribunt.

VIII. Quin si ipsa Beneficia fuerint Patronatus laici, nequaquam admittetur unio; nisi ipsius Patroni consensus accedat.

In ipsa Concilii Trident. in Belgio promulgatione apposita fuit ad dictum *cap.* 18. hæc nota: "Committitur Epis„copis cura erigendi Seminarii pro institutione adolescen„tum in disciplinis Ecclesiasticis, etiam cum incorporatio„ne & applicatione fructuum beneficiorum juris patro„natus laici, & hospitalium, & decimarum secularibus „competentium, & deinde quædam præscribuntur obser„vanda in collationibus beneficiorum quæ scholasticæ „dicuntur. Monent hic rursum, tangi jus patronatus, deci„mas laicorum, & fundationes Regias.

Quâ notâ satis indicant, *consensum laicorum* esse necessarium; quemadmodum notârant ad *cap.* 5. *Sessionis* 21. ubi de unionibus agitur; & hæc nota apposita fuit: "Potestas „fit Episcopis ex justis causis, uniones faciendi Eccle„siarum & Beneficiorum. Sed monent Concilia Regia „opus esse placito Regio, & consensu Patronorum Lai„corum.

IX. Ut verò facilior esset Decreti executio, voluit Synodus: "ut si vel pro unionibus, seu proportionum taxa„tione, vel assignatione, & incorporatione, aut qualibet „alia ratione aliquam difficultatem oriri contigerit, ob „quam hujus Seminarii institutio vel conservatio impe„diretur, aut perturbaretur: Episcopus cum supra deputa„tis, vel Synodus provincialis, pro regionis more, pro Ec„clesiarum & Beneficiorum qualitate, etiam supra scripta, „si opus fuerit moderando, aut regendo, augendo, omnia „& singula, quæ ad felicem hujus Seminarii profectum „necessaria & opportuna videbuntur, decernere ac provi„dere valeat.

X. Hic apparet, Episcopum circa uniones, assignationes, & taxationes cum plenaria & amplissima potestate judicem constitui; nihilominus si Episcopus, vel uniendo, vel taxando, aliove modo decernendo, videatur aliquid contra juris Ordinem, & perperam decrevisse, hæc quæstio non coram ipso Episcopo ejusve tribunali erit agitanda; sed coram legitimo judice superiore; quemadmodum in casu occurrente respondit, & solidè ostendit Zypæus *Resp.* 1. *De Magistris.*

XI. Porrò ad evitandas difficultates; nec non faciliorem operis executionem, Episcopi Seminaria extruere intendentes solent implorare auctoritatem Regiam; atque Litteras Regias impetrare, quibus & ipsa Seminarii constructio probetur; nec non insuper auctoritas uniendi Beneficia; aut certas pensiones super quibusdam Beneficiis imponendi conceditur; quarum litterarum plura exemplaria extant in actis Cleri Gallicani *tom.* 1. *tit.* 1. *cap.* 5.

XII. Ut tamen Episcopi in hac Seminariorum extructione, & mediorum applicatione securius, ac majore cum circumspectione procedant, Synodus Tridentina præcipit, ut Episcopi hæc omnia agant cum consilio duorum de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo eligatur. Itemque duorum de Clero civitatis, quorum quidem alterius electio similiter ad Episcopum, alterius verò ad Clerum pertineat.

XIII. Hi quatuor distincti sunt ab illis duobus Canonicis senioribus & gravioribus à solo Episcopo eligendis, quorum consilio quæ ad disciplinam Seminarii spectant, ab Episcopo ordinanda sunt.

Sex illos Deputatos in Synodo Diœcesana, partim à se, partim à Capitulo & Clero electos pronuntiavit Archiepiscopus Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 1. & 2. Duos quidem „quorum consilio in constituendis regulis, electione pue„rorum singulorum introducendorum, discipulorum ex„pulsione, Magistris constituendis, visitatione ac similibus „semper utatur.

Quatuor verò aliorum Deputatorum "Consilio in tota „temporali administratione, Beneficiorum unionibus, cæ„terisque hujusmodi utatur.

Similiter Episcopus Namurcensis anno 1659. in sua Synodo *tit.* 21. *cap.* 8. 9. & 10. sex Deputatos eundem in finem electos declaravit.

XIV. Hi omnes Seminarii Deputati habent votum dumtaxat *consultivum*, non *decisivum*; & quamvis eorum consilium Episcopus requirere teneatur, non tamen sequi jubetur; uti decisum refert Barbosa in Collectaneis ad *cap.* 18. *sess.* 23. Concilii Tridentini.

CAPUT IV.

De Collegiis Academicis.

1. *Olim etiam fuerunt Scholæ publicæ.*
2. *Erigere Scholas publicas pertinet ad supremam potestatem.*
3. *Synodus Parisiensis seculo 9. erectionem hujusmodi Scholarum postulavit.*
4. *Cur hæ Scholæ dictæ* Universitates *?*
5. *Varia privilegia & prærogativa his Scholis concessa.*
6. *Ad has Scholas plures viri Eruditi, & major copia studiosorum solent confluere.*
7. *In Universitatibus & signanter in hac Lovaniensi varia erecta Collegia; & quare?*
8. *Collegia hæc suos speciales habent proventus, diversimode impendendos.*
9. *Ad Collegia sumptibus collegii alendi ordinariè non nisi pauperes admittendi.*
10. *Præter Præsidem Collegii sunt & Collegiorum Provisores; & quod horum officium.*
11. *Disciplina Collegiorum præcipuè dependet à Præside.*
12. *Norma vivendi præscripta Collegiorum non absimilis disciplinæ Seminariorum.*
13. *Ostenditur exemplo Collegii Adriani VI. sive Pontificii.*
14. *A quo, & quando hoc Collegium fundatum?*
15. *Quis huic præsit? & qui admittendi?*
16. *Examen quod circa admittendos instituitur.*
17. *Non convenit, ut Fundatores passim consanguineis suis dent prærogativam ad Bursas.*
18. *Judicium Tilmanni Clerici de fundatoribus Bursarum cum consanguineorum prærogativa.*
19. *Admissi ad Collegium per exercitia spiritualia se recolligunt; quæ in decursu Theologico sæpius reiterant.*
20. *Quæ hujus Collegii exercitia quotidiana ante meridiem.*
21. *Quæ pomeridiana?*
22. *Plures habentur hebdomadatim lectiones collegisticæ.*
23. *Quæ sint specialia exercitia diebus Dominicis & Festivis?*

24. Com-

24. *Commessationes & potationes non frequentantur.*
25. *Quomodo ad Orasnes accedant?*
26. *Episcopi capaciores ad collegia Academica mittere solent; & quare?*
27. *Quid in hac missione Episcopi attendere debeant?*

PRæter Scholas Episcopales sive Seminaria, in quibus Clerici aut ad Clerum assumendi instituebantur & erudiebantur, jam pridem etiam institutæ fuere Scholæ publicæ; non quidem in singulis civitatibus sed quibusdam dumtaxat celebrioribus; idque supremâ auctoritate.

II. "Regium plane munus est (ait Choppinus *lib. 3. De Domanio Gallico tit. 27. num. 1.*) Scholasticas Universitates instituere, non Procerum Galliæ inferiorum. Et sane in partibus Regaliorum recensendis, hanc non transmiserunt Raphael *Consil.* 162. Barbatias, Baldus. Unde si vel Regius frater, cui fiduciæ lege data sit amplissima civitas, publici in ea Musæi restitutionem, reformationemque mandarit nonnullis, puto Regiæ auctoritatis jus immutum.

III. Unde anno 829. Patres Concilii Parisiensis ad Ludovicum Pium Imperatorem sermonem convertunt, eum exhortantes, ut tres Scholas publicas, quas Carolus pater ejus inchoaverat, perficere dignaretur. "Similiter etiam (inquiunt) obnixè ac suppliciter Vestræ Celsitudini suggerimus, ut morem paternum sequentes, saltem in tribus congruentissimis imperii Vestri locis Scholæ publicæ ex Vestra authoritate fiant, ut labor patris Vestri ac Vester per injuriam (forte *incuriam*) quod absit labefactando non pereat: quoniam ex hoc facto & magna utilitas, & honor S. Dei Ecclesiæ, & Vobis magnum mercedis emolumentum & memoria sempiterna accrescet.

Hic agi de scholis *publicis*, quas hodie *Academias* seu *Universitates* dicimus, ex ipso contextu sat manifestum est, & multis ostendit Cæsar Bulæus in historia Universitatis Parisiensis ad annum 829.

IV. Hæ Scholæ dictæ fuerunt publicæ, quod passim omnes artes & scientiæ in illis traderentur; nec tantum Clericis aut ad Clerum assumendis, prout scholæ *Episcopales*, sed omnibus indifferenter adolescentibus paterent; atque inde paulatim *Universitates*, id est, Scholæ *Universales* dici cœperunt.

His scholis earumque Professoribus & Scholaribus varia tum à principibus, tum à Romanis Pontificibus privilegia data fuerunt; nec non mercedes sive honoraria etiam è publico Principis ærario, aut civitatum attributa fuerunt; æqualia huic nostræ Universitati tum Pontificum, tum Principum liberalitate plurima, eaque valde ampla privilegia indulta fuerunt: quæ in Fastis Academicis ipsius Universitatis Lovaniensis refert Andreas Valerius. Hujusmodi privilegiis & juribus Scholæ Episcopales gaudere non solent.

VI. Privilegiis hisce, nec non constitutis honorariis, hæ Scholæ sive Academiæ instructæ, facilè doctiores atque capaciores, tam Professores quàm Scholares ad se alliciunt; quin & Principibus curæ esse solet, ut hæ Scholæ in omni scientiarum genere floreant, & emineant; ideoque Scholæ *publicæ* in scientiis doctrinaque tradendis privatas quasque Scholas multò antecellere consueverunt.

Unde de Academiis loquens Morinus *De SS. Ordinat. parte 3. Exercit. 13. cap. unico num. 14.* ait: "Institutæ Academiæ sunt, ad quas velut ad studiorum & scientiarum emporia undique concursum est, in quibus doctrina Christiana perfectius, diligentius & splendidius, quam in collegiis & Seminariis Clericorum tradita est.

VII. Ut autem non tantum scientiâ, sed & optimis moribus & disciplinis juventus Academica instrueretur, erecta fuere in ipsis Academiis specialia Collegia, ad quæ cum quodam delectu juvenes admitterentur, & sub speciali Magistrorum cura in morum disciplina imbuendi traderentur.

Hujusmodi Collegiis præ reliquis Academiis abundat hæc nostra Lovaniensis.

Præter Collegia docendæ Philosophiæ atque juventuti Philosophicæ, nec non linguis ac litteris historiæque ac politicæ scientiæ tradendis deputata, plura sunt superiorum Facultatum alumnis destinata; quæ Seminariis Episcopalibus præcipuè ea quæ Theologicæ Facultatis alumnis destinata sunt, admodum similia sunt; adeo ut nonnulla quoque illorum *Seminaria* dici consueverint.

VIII. Imprimis Collegia hæc non secus atque Episcoporum Seminaria, suos habent speciales proventus, quibus & Collegii Rector seu Præses & alumni, quos *Bursarios* vocant, aluntur; estque horum conditio, pro Collegiorum conditione & fundatione alia atque alia. "Sunt Collegia, in quibus certa pecuniaria summa annua ex Fundatorum dispositione alimentariis præbetur, quæ si alimentis non sufficit, de suo addant necesse est quod victui deest. Sunt alia in quibus ex institutione alimenta, focus, lumina, aliave quædam similia accedunt. "Ità Andreas Valerius in Fastis Academicis studii generalis Lovaniensis *pag.* 286. edit. 1650.

IX. Porrò quemadmodum ad Seminaria Episcopalia sumptibus Seminarii alendi, soli pauperum filii admittendi sunt, ità omnibus ferè Collegiis ex fundationis, vel dotationis lege commune est, ut solos *pauperes* ad Bursas admittant ipsique Collegiorum proventus in pauperum usus impendi debeant; nec id dumtaxat in Collegiis Theologiæ Studiosis destinatis, sed & pro Jurisperitis aliarumque scientiarum studiosis fundatis verum est.

De Joanne De Winckele Fundatore Collegii Winckaliani Juris alumnis destinati, refertur in citatis Fastis Academicis *pag.* 300. " Studentes seu Bursarios Winckelius pater assumi voluit *pauperes*, quibus in studio juris alendis scholisque continuandis, parentes commodè dare aut suppeditare annuè non possint.

Similiter de Eustachio Chapuys Collegii Saubaudici, studiosis tam Juris, quàm Theologiæ communis, fundatore, in eisdem Fastis *pag.* 310. legitur: "Heredes instituit *pauperes* bursarios per eum in oppido Lovaniensi erecto & fundato pro tempore futuros, ipsumque Collegium pro perpetua ejus fundatione, dotatione, & intertentione, sive prædicti Collegii Provisores, nomine & ad opus eorumdem *pauperum*, &c.

Si Collegiorum pervolvantur & examinentur fundationes & dotationes, apparebit, passim omnium fuisse mentem, bursas non nisi pro *pauperibus*; hoc est, qui attentis omnibus commodè à parentibus in studiis ali non possent, fundatas esse; atque ità Fundatores voluisse, bona sua Christi pauperibus in bonum Ecclesiæ & Reipublicæ impendi; ac propterea proventus illos posse dici *Patrimonium Christi.*

Ut proinde non immeritò Franciscus Hovius, qui anno 33. præsentis seculi 17. fundans Collegium, voluerit "illud intitui cum hac inscriptione: *Patrimonium Christi*, atque intrinsecus ad ingressum Collegii scribi aut insculpi hæc verba: *De stercore erigens pauperem.* "Fasti Academici *pag.* 328.

X. Præter Præsidem sive Regentem penes quem studiorum & morum directio & correctio, totiusque familiæ cura immediatè residet, habent singula Collegia suos particulares Provisores, vel ab ipsis Fundatoribus designatos, vel ab Universitate, aut certis Facultatibus pro tempore eligendos.

Horum munus est, statis anni temporibus collegia visitare, in mores ac studia bursariorum inquirere, imò & horum adversus Præsidem querelas audire, examinare casus difficiliores, majorisque momenti negotia una cum Præside resolvere, rationes administrati collegii quotannis exigere & audire. Quin & Præsidem constituendi auctoritas

penes

rdies Provisores esse consuevit, nisi in ipsa fundatione aliter cautum sit; ex hac enim dependet plurimùm ipsa Provisorum auctoritas, præsertim circa Præsidis electionem bursariorumque admissionem.

Disciplina in Collegiis servanda dependet partim ex generalibus legibus Universitatis; partim ex singulorum Collegiorum statutis ac ordinationibus, tum à Fundatoribus, tum Provisoribus aliisque Superioribus pro varia Collegiorum & temporum conditione præscriptis.

XI. Cæterum sicuti Seminariorum bona malave disciplina præcipuè non dependet à legibus, sed ab exacta rectaque harum executione; ità circa disciplinam Collegiorum contingit.

Hinc ulteriùs fit, ut quemadmodùm Seminariorum recta institutio maximè habetur à provida Rectoris aliorumque, quibus eorum regimen commissum est, vigilantia; ità quoque Collegiorum recta institutio unicè ferè à Præsidum vigilantia dependet: ut propterea qui Collegia bene regi ac instituti desiderant, ante omnia solliciti esse debeant, ut providus, prudens, doctus, piusque Præses præficiatur; qui legum ac statutorum executionem verbo & exemplo urgeat & persuadeat.

XII. Statuta legesque Collegiorum, præsertim Theologiæ studiosis destinatorum, si attendantur, apparebit, disciplinam normamque regiminis, saltem quoad præcipua puncta, esse non absimilem disciplinæ, quam Seminariis Episcopalibus jam pridem Canones præscripsère, & S. Carolus in suis servatam voluit; neque horum Collegiorum disciplinam minùs aptam & convenientem esse formandis Ecclesiæ ministris & Pastoribus, quàm Seminariorum: si modò ritè servetur.

XIII. Et ne fusior sim, quàm præsens hoc meum institutum permittit in recensendis omnium Collegiorum statutis & legibus, aut eorum vivendi disciplinâ, unius duntaxat Collegii Pontificii (quod per viginti tres circiter annos continuos pro domicilio habui & habere pergo, cujusque propterea disciplina regimenque, atque instituendæ juventutis norma perfectius mihi perspecta est) disciplinam referam.

XIV. Collegium vulgò *Pontificium* dicitur à primo suo Fundatore Adriano VI. Pontifice Maximo, qui illud anno vigesimo tertio proximè elapsi sæculi erigi jussit, relictâ eum in finem domo aliisque nonnullis quæ ante Pontificatum sibi comparaverat; quemadmodum suo testamento declaraverat; uti videri potest in Fastis Academicis *pag.* 304. ubi plura ad hanc fundationem spectantia, necnon dotationes sive Bursarum fundationes quæ primæ fundationi accessêrunt, referuntur.

XV. Collegio huic modò præest ab anno circiter 1677. Eximius Vir Gummarus Huygens Doctor Theologus, à doctrina, eruditione morum integritate, & in agendis prudentiâ & regendo suavitate & moderatione singulari atque conversandi affabilitate omnibus notus.

Ad hoc Collegium soli admittuntur, qui studio Theologico incumbere, idque animo statum Ecclesiasticum assumendi intendunt.

XVI. In assumptione serium circa capacitatem, indolem, moresque admitti postulantium examen à Præsidente instituitur; præsertim cum de assumendis ad Bursas, sive sumptibus Collegii alendis tractatur.

Hic vel maximè sollicitus est Præses, ut sine ulla personarum acceptione, magis merentibus, & de quibus major spes affulget ut in strenuos Ecclesiæ operarios evadant, distribuantur; hoc unum frequenter ingemiscens, quod nonnulli Bursarum Fundatores nimium carni & sanguini indulgentes, consanguineis suis, tametsi sæpe exiguæ capacitatis & expectationis prærogativas dederint, atque hinc impediatur, capacissimos quosque promovere & assumere.

XVII. Fundatores Bursarum, qui consanguineis suis, etiam cum extensione ad multos gradus, & nullis penè terminis circumscriptam prærogativam tribuunt, meritò attendant, quod si eas ex bonis Ecclesiasticis fundent, reipsâ suos consanguineos quodammodo hæredes faciant.

Ulterius ex illa, præsertim illimitata consanguineorum prærogativa ad Bursas Theologis destinatas, contingit, quod frequenter inepti planè, nec ullatenus à Deo vocati studio Theologico & statui Ecclesiastico à parentibus, commodo harum Bursarum allectis, applicentur, imò quasi intrudantur; atque ita Fundatores plus subinde Ecclesiæ per similes fundationes obsint, quàm prosint.

XVIII. D. Tilmannus Clerici secundus Præses Collegii Adriani sexti qui obiit 1550. 3. Oct. inter alia sic habet: "Si „ Præsidens & Provisores velint Collegio prospectum esse „ de concordi & perseverante disciplina, caveant suscipere „ fundationes Bursarum ad ullos de sanguine aut patria „ adstrictas, nisi forte cæteris paribus aut parùm discrepan„ tibus, ità quod Præsidens habeat illarum sicut aliarum, „ collationem & dispositionem.

XIX. Admissi ad collegium sive expensis collegii, sive sumptibus parentum alendi, per dies aliquot ad locum exercitiis spiritualibus destinatum se retrahunt; ut de vitæ Clericalis ratione, studioque Theologico rite instruendis seriò deliberent; & per sanctas meditationes se præparent, & specialiter instruantur.

Quod ipsum ab admittendis ad Seminarium observari voluit S. Carolus; eodem modo, ait, quo ex constitutione nostra consueverunt, qui ad majores Ordines sunt promovendi.

Quin S. Carolus vult ut "transacto vocationum tem„ pore, reversi in Seminarium exercitationes spirituales, „ unius saltem hebdomadæ spatio illi ineant Clerici, qui„ bus à Rectore jussum fuerit.

Licet circa exercitationes spirituales in decursu Theologico instituendas nulla sit in hoc collegio specialis lex; nec soleant à Præside ad eas urgeri priusquam sacris Ordinibus sint initiandi, nihilominus is fere mos invaluit, ut plerique annis singulis aut circiter, has spirituales exercitationes repetant.

XX. Quotidiana tum studiorum, tum pietatis, aliaque communia exercitia hac ferè ratione & ordine instituuntur.

Mane ad medium quintæ excitantur, & ad horam quintam omnes in Sacellum Collegii conveniunt; ibique per semi-horam meditationi seu orationi mentali vacant: hanc immediatè subsequitur Sacrum, cui omnes assistunt. Hoc finito, retrahunt se singuli ad sua cubicula, ibique studiis incumbunt quousque tempus lectionum publicarum, aliave exercitia scholastica aliò vocent.

Diebus tamen Sabbathinis solet finito Sacro per Præsidem haberi aliqua brevis exhortatio de iis, quæ præcipuè Theologis & Clericis conveniunt; ac præsertim ut ipsis necessitatem, utilitatemque orationis inculcet; nec non ut omnis ex ipsorum animis sitis & aviditas Beneficiorum tollatur, & ostendatur quàm inordinatum ac turpe sit, ut in militia Christi lucra sæculi quærantur.

Ad medium duodecimæ rursus ad Sacellum conveniunt, ibique per quadrantem meditationi sive orationi mentali vacatur; qua finita ad mensam acceditur, & sub initium prandii aliquid è Sacra Scriptura prælegitur.

XXI. A sumpto prandio recreationis tempus datur usque ad horam secundam, quando ad publicas rursus lectiones aut studia se retrahere debent. Medio septimæ iterum ad Sacellum conveniunt usque ad horam septimam, meditationi & recollectioni vacantes.

Diebus Sabbathinis cantantur Laudes; atque initium semper fit à Litaniis Lauretanis D. Virginis.

Hora septima ad mensam cænaturi accedunt, atque iterum initium fit à lectione S. Scripturæ; & sub finem aliquid ex alio pio libro à Præside designando legitur.

Post cœnam vacatur usque ad medium nonæ, hora verò nona liberum est se quieti dare.

XXII. Præter lectiones & exercitationes publicas, haben-

tur in hoc collegio hebdomadatim tres lectiones domesticæ, nimirum feria secunda, quarta, & sexta, præter disputationes quas antiquo vocabulo *Sabbathinales* dicimus, quæ feria quinta instituuntur.

XXIII. Diebus Dominicis & Festivis præter jam dicta exercitia pietatis, habetur horâ octavâ matutinâ concio per unum Baccalaureum, cui Præses semper assistit, sedulo in defectus advertens, quos mox finita concione concionanti corrigendos exponit. Concionem sequitur solenne Sacrum.

Post meridiem horâ secundâ decantantur Vesperæ, & circa sextam Completorium: quo finito fit concio per unum è junioribus, sive non Baccalaureis: ei quoque Præses interest, ut defectus observet & corrigat.

Diebus solenniotibus, totum officium etiam matutinale solenniter decantatur, ipso Præside officiante; omnesque non Sacerdotes sacra Synaxi sub Sacro reficiuntur.

Quin & diebus Dominicis festisque semper plures sub Sacro communicare consueverunt; adeò ut singulis saltem duabus tribusve hebdomadis plerique ad Sacram Communionem accedant, plures etiam singulis octiduis.

Insuper diebus quibus Venerabile asservatur, totâ nocte duo solent per horas successivas coram eodem orare; atque per totam octavam Venerabilis diu noctuque duo ut minus semper sunt coram Venerabili superpelliceo induti orantes.

XXIV. Commessationes, potationesque pomeridianæ hic non permittuntur, nec dissimulantur; at si quis amico honoris aut benevolentiæ causâ haustum cerevisiæ subinde propinare velit, hoc ei à Præside benignè & cum discretione indulgetur.

XXV. Plerique ita sunt instituti, ut nec ad Sacros Ordines, nec Ecclesiasticas functiones, nisi Præside præmonente & movente accedant: scientes ex crebris monitionibus, quàm periculosum sit, sine legitima vocatione in ministeria Ecclesiæ se intrudere.

Hanc Collegiorum Academicorum disciplinam si quis attenderit; atque unà expendat, quantò felicius & doctiùs doctrina Theologica in publica Universitate, quàm particularibus Episcoporum Seminariis tradi soleat, non mirabitur, si doctiores, aptioresque operarii & Pastores è Collegiis Academicis, quàm è privatis Seminariis prodire soleant.

XXVI. Quare etiam ipsi Episcopi majoris capacitatis & spei adolescentes ad Universitates potiùs mittere consueverunt, quàm in suis Seminariis retinere.

Synodus Namurcensis anno 1604. *tit.* 3. *cap.* 5. ait: "In
„ dicto autem Seminario remanebunt donec studia bonarum litterarum absolverint, postea ad *Universitatem* studii generalis sumptibus ejusdem Seminarii mittentur illi, de quibus *spes* sit quod in Philosophiæ & sacræ Theologiæ studiis *insignem* fructum facient, quò Ecclesiæ Dei *utiliores* esse possint.

Similiter Ernestus Episcopus & Princeps Leodiensis anno 1603. erigens Seminarium seu Collegium in hac Academia, vulgò dictum *Leodiense*, in ipsa Statutorum præfatione narrat, "necessarium esse, propter vicinorum ac passim gliscentium hæreticorum vafras subtilesque Religionis Catholicæ depravationes; tum propter diversarum parochialium Ecclesiarum in oppidis præsertim ac famosioribus Diœcesis suæ locis amplitudinem, præter *Seminarium* in civitate Leodiensi erectum, aliud etiam in vicina Lovaniensi Academia instituere. In quo qui *majoris exspectationis* fuerint, diligentiùs in studio Theologico instituerentur, & hujus suæ institutionis, graduum Scholasticorum susceptione, publicum testimonium consequerentur." Fasti Academici *pag.* 220.

XXVII. Sed ut Episcopi hac in missione prudenter procedant, primum inquirant necesse est, quæ sit Collegiorum, ad quæ suos mittere cogitant, disciplina; quis Præses, qui Directores. Notum quippe est, non esse omnium Collegiorum eandem disciplinam; hancque unicè penè à Præsidum minore vel majore vigilantia & capacitate, morumq; probitate dependere.

CAPUT V.

De Scholis puerorum.

1. *Olim frequentes fuêre puerorum Scholæ.*
2. *Synodi Belgicæ earum instaurationem urserunt.*
3. *Volunt impendi auxilium Magistratuum, & provideri, ut* gratis *doceatur.*
4. *Propter pauperum pueros institutæ Scholæ* Dominicales.
5. *Omnes Clerici in Parochia degentes ad juvandum Parochum invitandi.*
6. *Scholæ Dominicales ad quid præcipuè institutæ?*
7. *Etiam in his Scholis rudimenta litterarum tradenda.*
8. *Principum Edicta super institutione harum Scholarum.*
9. *Optandum ut diebus Dominicis & festis pauperes docerentur legere & scribere.*
10. *Cura habenda de Magistris Scholarum.*
11. *Debent hi emittere professionem fidei; & coram quo?*
12. *Non assumendi nisi probatæ vitæ.*
13. *Magistri non assumendi nisi cum approbatione* Scholastici.
14. *Quis habeat jus admittendi aut approbandi Magistros in locis ubi deest Scholasticus.*
15. *Quæ attendenda circa jus assumendi Magistros.*
16. *Primaria cura Scholarum Scholasticis incumbit; easque visitare sæpius debent.*
17. *Quis esse debeat hujus visitationis scopus?*
18. *Quomodo Magistri se circa pueros habere debeant.*
19. *Scholastici specialiter invigilare debent, ne pueri à Magistris aut Consodalibus corrumpantur; & masculi à puellis separentur.*
20. *Cura Scholastici circa Scholas, Parochi curam non tollit.*

I. IAm Ecclesiastico, quàm politico Magistratui jam pridem curæ fuit, Scholas erigere in quibus à tenera ætate pueri elementa litterarum & religionis docerentur.

In Decretalibus Gregorii IX. *Cap.* 3. *de Vita & honestate Clericorum* refertur sub nomine Concilii Nannatensis: "Ut quisque Presbyter, qui plebem regit, Clericum habeat, qui secum cantet epistolam & lectionem legat, & qui *Scholas* possit tenere, & monere suos Parochianos, ut *filios* suos ad fidem discendam mittant ad Ecclesiam, quos ipse cum omni castitate erudiat.

Sub idem ferè tempus ad suos Parochos scribit S. Theodulphus Episcopus Aurelianensis: "Presbyteri per villas & vicos Scholas habeant; & si quilibet fidelium suos *parvulos* ad discendas litteras eis commendare vult, eos suscipere, & docere non renuant, sed cum summa charitate eos doceant.

II. Cum his postremis temporibus ex neglectu harum Scholarum crassa in populo ignorantia, & morum corruptela ex neglecta teneræ juventutis educatione deprehenderetur, curæ fuit Episcopis, & Magistratibus etiam Civilibus, ut ubique per civitates & pagos *Scholæ* instituerentur ad instructionem & efformationem puerorum.

Synodus P.I. Cameracensis *titul. De Scholis capit.* 1. ait: "Cùm non minore curâ parentes proles suas instituere, quàm nutrire, ac fovere debeant; æquum est Ecclesiam liberos, quos Christo per lavacrum regenerationis peperit, omni disciplina, ac salutaribus Præceptis erudire. Docet enim Scriptura: Filii tibi sunt, illos erudi, neque enim justa incrementa juventus ad capessendam virtutem suscipere facile potest, nisi à pueritia iis doctrinis imbuatur, quibus

Digitized by Google

„bus robur capere ad pietatem, & religionem colendam „possit. Quod quia plerisque locis partim parentum incu„ria, partim pastorum negligentiâ contemptum est, excus„so timore divino multorum temeritas, audacia, & pec„candi licentia crevit. Quare, ut huic malo semel occur„ratur, statuit Sancta Synodus: Id curent Episcopi, ut „quamprimum scholæ in urbibus, oppidis, & pagis diœ„cesium suarum, si collapsæ fuerint, restituantur: si conser„vatæ, colantur, & augeantur.

Similiter Synodus P. I. Mechliniensis *tit. De Scholis cap.* 2. decrevit, "ut curent Episcopi, ut quamprimum in op„pidis & pagis suarum Diœcesium Parochiales Scholæ, si „collapsæ sint, restituantur; si conservatæ colantur & „augeantur: sed præter Parochiales non admittantur „multæ.

III. Rursus Synodus P. II. Mechliniensis eamdem erectionem & instaurationem urget; vultque, ut ubicumque Scholæ adhuc requiruntur, "agant Archi-presbyteri cum „Magistratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox erigan„tur, simulque rationem ineant, ipsis Ludimagistris de an„nuis stipendiis providendi." *Tit. 20. cap. 1.*

Idipsum omnes Synodi uno consensu desiderant, & vehementer urgent: optatque Synodus Namurcensis anno 1604. *tit. 2. cap. 1.* hujusmodi stipendium Ludimagistro assignari, "quo mediante si fieri potest, doceantur *gratis*; sic „enim fiet ut à parentibus pueri lubentius ad scholas mit„tantur.

IV. Quia autem "multos inopia prohibet, ne filios in „scholis litterariis enutriant, quorum tamen salutis haben„da est ratio, cùm sint & ipsi in Christi corpore & familia," ait Synodus P. I. Cameracensis *cap. 2.* hæc subjiciens, "Quamobrem diebus festis, & maximè Dominicis, expleto „Vespertino Officio, jubet Sancta Synodus Ludimagistros „docere eadem rudimenta fidei & catechismi pro captu, & „ingenio juventutis, quæ litteras non didicit. Nec non „subinde per vices interrogare, ut sciatur, an proficiat, at„que huic negotio tam in pagis, quam oppidis Pastores in„cumbant, aut Sacellani, aut Clerici, seu matricularii. Pa„rentes, si suos mittere negligant, moneantur; moniti, nisi „pareant, Magistratui deferantur. Pastores verò, aut Ludi„magistri, si id contempserint, ab Episcopo corrigantur: &, „quantum fieri possit, in scholis puerilibus puellæ separen„tur à pueris.

Similium scholarum necessitatem, earumque institutionem passim urgent & præscribunt Synodi Belgicæ; addit que Synodus P. II. Cameracensis *cap. 4.* "ut in his locis ubi „dictæ scholæ commodè institui non poterunt, Parochus „ipse à prandio commodiore ante vel post Vesperas hora, „pueros campanæ pulsu convocatos, ex parvo Catechis„mo, qui ad hoc pro tota provincia imprimetur, prima fi„dei rudimenta doceat, eumque memoriter ab iis recitari „faciat.

V. Desiderans autem Synodus hoc adeò pium ac necessarium instructionis exercitium non intermittit, addit *cap. 6.* "Ut autem ipsi etiam Parocho succurratur, omnibus Sa„cerdotibus, & Clericis, qui intra fines Parochiæ degunt, „præcipit hæc Sancta Synodus, ut eum in hoc sancto mu„nere pro sua quisque virili adjuvent.

VI. Hæ Scholæ *Dominicales*, quarum frequens occurrit mentio in Synodis nostris, respondere ferè videntur catechizationi puerorum, quæ diebus Festis & Dominicis in Parochiis rectè institutis, per Parochos eorumve Vice-Pastores fieri solet, de qua latè actum est supra *parte 1. tit. 3. c. 4.*

Etsi hæ Scholæ ait Synodus P. I. Mechlin. *cap. 2.*) "non „propriè instituantur ad litteras discendas, aut artem scri„bendi atque legendi, poterit nihilominus juventus in his „doceri postquam in prædictis utcumque instituta fuerit.

VII. Synodus P. II. Mechlin. *cap. 5.* præcipit ut scholas Dominicales frequentantes, non tantùm doceantur legere & scribere, verùm etiam & quidem *præcipuè*, instituantur in rudimentis fidei.

Hoc Decreto sat ostenditur, quod tempore hujus Synodi, id est, sub initium hujus sæculi, in his Scholis pueri præcipuè docerentur legere & scribere; neglecta instructione in rudimentis fidei: quod Synodus reprobat; nequaquam tamen vetat, in utrisque pueros instrui: licet posterius meritò tamquam *præcipuum* majorisque momenti priori præferat.

VIII. Principes nostri in Edicto ad hanc Synodum *art.* 19. injungunt omnibus suis Officialibus, Magistratibus & vasallis, ut in erigendis Scholis *Dominicalibus* assistant Episcopis eorumve Deputatis; tum etiam in conquirendis pecuniis necessariis ad dictam erectionem, ac insuper pro annuo stipendio Magistrorum & Magistrarum.

Hic rursus non obscurè innuitur, in his scholis non tantum fidei rudimenta, sed & litterarum tradenda esse per Magistros & Magistras.

IX. Quapropter licet præcipuo scopo harum scholarum satisfieri videatur per Pastorum pomeridianas puerorum catechizationes, in Parochiis benè institutis fieri solitas diebus festis & dominicis; nihilominus fatendum est, admodum laudabile esse, & harum Scholarum instituto conforme, si pauperes etiam legere doceantur: cùm indubitatum sit, quod magno subsidio esse possit ipsis pauperibus piorum librorum lectio, ut circa Religionis nostræ mysteria ritè instruantur, & in pietate foveantur.

X. Ut verò optatus fructus Scholarum seu quotidianarum, seu Dominicalium habeatur, prima cura habenda circa Magistros & Magistras; à quorum pietate & capacitate præcipuè dependet bona juventutis institutio & instructio.

XI. Imprimis jubentur Magistri & Magistræ in sua admissione emittere professionem fidei Catholicæ juxta formam in Synodis expressam: idque iis in locis ubi est Scholasticus in manibus *Scholastici*; alibi verò in manibus Decani Ruralis, uti statuit Philippus II. in edicto ad Synodum Cameracensem *art. 4.*

Idipsum expressit Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 1. cap.* 3. At edictum Principum nostrorum ad hanc Synodum *art.* 1. jungit Archi presbytero primarium loci officialem Regium, ut & hic in receptione Professionis fidei interveniens auctoritatem habere videatur. Interim in similibus locorum consuetudines præcipuè attendendæ sunt: quemadmodum de juramento Æedituorum Ecclesiarum, & Magistrorum Mensæ pauperum monuimus supra *parte 1. tit. 5.*

XII. Quantum autem ex assumptione Magistrorum dependeat, non ignorantes Patres Synodi Cameracensis anni 1550. "in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione „divini judicii districtè præcipiunt, & inhibent omnibus & „singulis Prælatis & Capitulis ac aliis, qui in Diœcesi Ca„meracensi Magistros & Rectores scholarum recipiunt „seu assumunt, ne quemquam in Magistrum recipiant seu „assumant, nisi de cujus vita, integritate, scientia, moribus, „ac conversatione plenam habeant notitiam, & qui perver„sorum dogmatum fermento minimè fuerit conspersus.

Consentiunt & reliquæ Synodi, præcipientes, ut non alii in Præceptores assumantur, quàm qui probatæ sunt fidei, vitæ & doctrinæ. Edictum Principum nostrorum ad Synodum Mechliniensem *art. 1.* nulli concedendam licentiam docendi juventutem decernit, nisi de cujus bona vita, religione, sufficientia & doctrina omnimoda satisfactio habetur.

XIII. Ut autem in Magistrorum admissione securius procedatur, decretum est tum Synodorum, tum Principum Edictis, ut nullus ad docendum pueros sive in Scholis quotidianis, sive Dominicalibus admittatur iis locis ubi est *Scholasticus*, nisi prævia ejus approbatione. Ità habet Edictum Caroli V. datum Bruxellis die 29. Aprilis anno 1550. & habetur in primo volumine Edictorum Flandriæ *lib. 1. Rubricâ 7.*

Et in citato Edicto Principum ad Synodum Mechliniensem *art. 1.* dicitur, nemini licitum esse Scholas tenere ad in-

struendum pueros, sive masculos, sive puellas, nisi prævia licentia Scholastici, si ibidem aliquis sit.

Hoc jus Scholastici, non tantum quoad Scholas ordinarias & Parochiales; sed & *Charitatis*, id est, in quibus pauperes *gratis* docentur, non semel in judicio contradictorio firmatum est, ac notanter in Parlamento Parisiensi 23. Jan. 1680. pro Scholastico Ambianensi contra ejusdem civitatis Parochos; uti refertur in compilatione quadam Arrestorum cui titulus *Journal des audiences tome* 4. *lib*. 3. *c*. 4.

XIV. Ubi verò Scholasticus deest, juxta citatum Caroli V. Edictum, nullus ad instructionem puerorum admitti potest, nisi prævia admissione & approbatione primarii Officialis loci, & Parochi Ecclesiæ Parochialis infra cujus fines residere intendit. Edictum verò Principum ad Synodum Mechliniensem *art*. 1. requirit licentiam Archipresbyteri seu Decani Ruralis & primarii Officialis.

Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit*. 9. *cap*. 2. cum præcepisset in pagis institui Scholas, subjungit: "Ludimagister „constituatur à *Pastore Magistratu & Primariis* Paro„chiæ Incolis (qui curabunt de necessario stipendio ei pro„videri) cum consensu Decani Ruralis.

XV. Cæterum circa jus assumendi, aut præsentandi Magistros aut Magistras Scholarum, Lex fundationis, & consuetudo loci plurimum attendenda sunt; quemadmodum de nominatione vel electione Æditorum & Magistrorum Mensæ pauperum alibi notatum est.

XVI. Certum nihilominus est, Scholastico tamquam Scholarum Magistro generali curam & superintendentiam Scholarum civitatis & sibi subjectarum primariò incumbere.

Hinc passim Synodi præcipiunt, ut Scholæ sæpe visitentur à *Scholasticis* Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum; ità Synodus P. II. Cameracensis *tit*. 2. *cap*. 2. Synodus P. II. Mechliniensis *tit*. 20. *cap*. 4. vult ut "Scholæ Scholasti„cis Capitulorum subjectæ, ab iisdem Scholasticis, cæte„ræ omnes ab Archipresbyteris, vel aliis ab Ordinario De„putatis, singulis saltem *semestribus seriò* visitentur.

XVII. Scopus hujus visitationis esse debet, ut sciatur an juventus ritè instituatur, quis sit puerorum in litteraria scientia & scriptionis peritia profectus; an Magistri Magistrævæ instruendæ, erudiendæque juventuti sedulò se impendant; modum convenientem, prudentiamque in regenda juventute teneant; quos libros pueris prælegant, aut legendos tradant, aut legere permittant; an nulli prælegantur, qui turpe aut obscœnum quid contineant, aut bonis moribus, vel fidei Catholicæ adversum; curentque ut libri legantur, qui pueris pietatem & morum honestatem instillent: qua de re frequentes sunt Synodorum monitiones.

XVIII. Ulterius monet citata Synodus Antverpiensis *cap*. 5. "Habeant autem rationem Ludimagistri, ut tenera „ætas in pietate & morum modestia instituatur; ideoque „ad catechizationem discipulos suos deducant, eosque ibi „existentes in disciplina contineant; & ipsimet præcepto„res pro captu discipulorum suorum diebus Sabbathi post „meridiem fidei nostræ rudimenta explicent. Diebus Do„minicis & Festis ad Missam parochialem, atque ut mini„mùm quater in anno simul ad confessionem Sacramenta„lem deducant; ipsique magistri bono vitæ suæ exemplo „discipulos ad virtutem provocent, & ab omni taberna„rum frequentatione aliisque levitatibus abstineant. Ubi „autem consuetudo Laudes B. Mariæ quotidie, vel saltem „Sabbato decantandi à Scholaribus intermissa est, quam„primùm restituatur.

XIX. Et quidem prima Scholastici, aliorumque Scholis superintendentium ac visitantium solicitudo & studium esse debet, ne tenera ætas in Scholis vel ab ipsis Magistris, vel sociis corrumpatur; sed in Baptismali innocentia, quantum fieri potest, conservetur.

Hunc quoque in finem optant Synodi nostræ, ut "tam „in Dominicalibus, quàm in aliis quibuscumque Scholis, „masculi à viris, & puellæ à mulieribus tantum instruan„tur: ubicumque tamen id obtineri non poterit, saltem „locis & interstitiis masculi à puellis separentur. "Ità Synodus P. II. Mechliniensis *tit*. 20. *cap* 3. Similiter Synodus Cameracensis anno 1604. *tit*. 2. *cap*. 2. ait. "Easdem Scho„las in oppidis præsertim & aliis locis celebrioribus simul „non frequentent pueri & puellæ; sed viri masculis, „fœminæ puellis, quantum fieri potest instruendis præsint.

Cumque Scholasticus Ambianensis visitando scholas, deprehendisset, nonnullos Ludimagistros ad suas scholas admittere puellas; & Ludimagistras admittere masculos, querela delatâ ad Parlamentum Parisiense declaratum fuit 5. Jan. 1677. vetitum esse Viris admittere puellas, & fœminis admittere masculos; idque antea non semel judicatum fuerat; uti refertur ad calcem citati capitis libri cui titulus *Journal des Audiences*.

XX. Quamvis Scholarum visitatio præcipuè ruralium, & quæ Capitulorum Scholasticis non subsunt, Decano Rurali in Synodis sit commendata, nequaquam Parochis earum cura adempta est, quæ ipsis jure quasi naturali incumbit.

Quin citata Synodus Antverpiensis *cap*. 1. vult ut Scholæ in pagis sint in loco aliquo juxta templum: rationem subjiciens: "Ut tam Præceptores quàm discipuli fre„quentissimè à Pastoribus aliisque visitari, observari, „& in religionis nostræ initiis commodius exerceri pos„sint.

Synodus P. I. Cameracensis *tit*. *De Scholis cap*. 5. "In „omnibus Parochiis sint qui doceant primam juventutem, „maximè in his, quæ numerosam plebem habent: Pastor„que singulis mensibus diligenter inquirat, quantum pro„ficiat pueritia: idque maximè provideat, ut à teneris an„nis imbuatur timore, & amore Domini, ne corrumpatur „ulla licentiâ, aut doctrinâ, quæ nec religioni, nec bonis „moribus respondeat.

TITULUS XII.

De Sponsalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

Quomodo Sponsalia contrahenda; & quod circa illa Parochorum Officium?

1. *Sponsalia propriè significant sponsalia* de futuro.
2. *Horum Definitio.*
3. *Olim Matrimonio præmitti solita; & meritò hodie præmittuntur.*
4. *Sponsalia publicè coram Parocho contrahenda.*
5. *Potius coram Parocho sponsa, quàm sponsi & quare?*
6. *Quo loco Sponsalia contrahenda; & qualiter despensandi debeant esse dispositi.*
7. *De testium & consanguineorum præsentia in celebratione Sponsalium requisita.*
8. *Quæ per Parochum à Despensandis inquirenda?*
9. *Formula contrahendorum Sponsalium.*
10. *Consuetudo contrahendi publicè coram Parocho Sponsalia non videtur universalis.*
11. *Consuetudo hæc laudabilis, & meritò conservanda.*

12. Spon

Digitized by

12. *Sponsalia clandestina licet illicita, sunt tamen valida.*
13. *Sponsalia impuberum de Jure valida sunt.*
14. *A Parochis hic non admittenda.*
15. *Desponsati intra breve tempus debent ad Matrimonium procedere; & quare?*
16. *Monendi Desponsi ne simul habitent; aut familiariùs simul conversentur.*

I. SPonsaliorum sive Sponsalium nomen, tametsi diversimodè præsertim apud Jurisconsultos sumatur; atque subinde Sponsalia de *præsenti*, etiam veniant nomine Sponsalium; & ante consummationem Matrimonii, vir & uxor dicantur *Sponsus* & *Sponsa*, nihilominus magis propriè ac frequentiùs in Legibus ac Canonibus accipitur pro Sponsalibus *de futuro*, neque hodie alia est Sponsalium significatio. Sponsalia enim de præsenti sunt ipsum Matrimonium ratum non consummatum; nec hodie nomine Sponsalium significari solet; nisi expressè addatur, *De præsenti*; censeturque quasi particula *alienans*, quasi nomen *Sponsalium*, ad alienam significationem transferens.

II. Sponsalia propriè dicta, sive *de futuro* dicuntur in *Canone 3. caus. 30. q. 5. Futurarum nuptiarum promissio.* Et in *L. 1. ff. De Sponsalibus*: *Mentio & repromissio nuptiarum futurarum*; quæ quidem definitio ostendit, tanto Sponsalia differre à nuptiis, quantò spes distat à re ipsa, ut notat Cujacius in recitationibus ad titulum Codicis *De Sponsalibus*.

III. Olim apud Romanos ferè semper Sponsalia nuptias præcedebant, uti testatur Jurisconsultus in *L. 2 ff. De Sponsalibus*: "Sponsalia (ait) dicti sunt à spondendo: Nam moris fuit Veteribus stipulari & spondere sibi uxores futuras.

Nec tantùm apud Romanos Gentiles, sed & Christianos & Catholicos hæc fuit olim consuetudo, ut nuptiis Sponsalia præmitterentur; quare in Libris Juris Canonici Sponsalia Matrimonio præmitti ubique videmus; ac si supponeretur, hæc tanquam præambula ipsum Matrimonium præcedere debere.

Unde & ipsum Pastorale Mechliniense, ubi de Sacramento Matrimonii Parochos instruere intendit, antea de Sponsalibus agere voluit; monetque: "Matrimonii Sacramentum, justas ob causas ex *Ecclesiæ consuetudine*, præcedere debent Sponsalia.

IV. Sponsalia hæc tamquam præambula, ac quasi initialia Matrimonii, juxta mentem Ecclesiæ etiam publicè, non clandestinè coram Sacerdote ineunda sunt.

Et quidem juxta Manuale Cameracense "Sponsalia à nemine, præterquam à *Parocho* alterutrius Desponsandorum, vel ejus Vicario seu alio de ipsis vel Ordinarii *licentia*, sunt celebranda.

Idipsum passim omnia Ritualia insinuant; Parochum ubique Legitimum ac Ordinarium Sponsalium Ministrum coram quo Sponsalia ineunda sint, supponentia.

V. Notat insuper Rituale Mechliniense, quòd dum Desponsandi sunt diversarum Parochiarum, coram Pastore Sponsæ Sponsalia iniri consuevisse. Meritò: tum ob honestatem quamdam; honestius siquidem est, ut Sponsus videatur Sponsam in sua Parochia quærere, quàm econtra: tum ad vitandas æmulationes inter Parochos. Quapropter sive in Sponsalibus sive Matrimonio hæc consuetudo mutari non debet: neque tamen Parochus Sponsæ nimis esse difficilis ad aliud ob rationes permittendum.

VI. Synodus P. I. Cameracensis *titulo De Matrimonio cap. 6.* vult, ut "Sponsalia loco ac tempore fiant commodo: id est, non in œnopolis, aut tabernis potatoriis: sed in loco sacro: non post dissolutas compotationes: curenturque, ut & Sponsus & Sponsa sobrii, non ebrii, neque aliàs mente capti sponsalia ineant.

Illius Ecclesiæ Manuale magis specificè locum Sponsalium designans, ait: "Non aliter quàm publicè, aut alibi quàm in Ecclesia, vel sacra Capella, vel cœmeterio fiant." Addit Mechliniense: *Aut alio loco publico seu honesto loco, minimè verò in cauponis.*

Deinde monet Parochum, *Videat, num desponsandi sobrii sint, ac animo benè deliberato.* Nequaquam igitur recentes à potatione, & nugis procatoriis ad sponsalia admittendi.

VII. Requirunt insuper Ritualia, ut adsint ad minus duo testes; imò vult Mechliniense, "videat Sacerdos, an adsint utriusque partis parentes, aut alii eorum nomine, sine quibus temerè procedere non debet.

VIII. Inquirat præterea, an contracturi Catholici sint, scientes nostræ fidei rudimenta, & an Confirmati sint, an sciant interesse aliquod impedimentum Canonicum.

Quia Sponsalia ob connexionem cum Matrimonio res quasi Sacra censetur, & ad Sacramentum proximè disponens, ac quodammodo ipsius Sacramenti inchoativa ab Ecclesia reputantur, volunt Ritualia, ut Sacerdos illa celebraturus, stola seu ornamento Officii sit indutus, uti loquitur Rituale Mechliniense.

Addit deinde idem Rituale, ut ubi de omnibus jam dictis certior factus est, futurum Sponsum interroget: *Venisti hue tua libera voluntate, à nullo coactus nec ulli alii alligatus, ut promittas te ducturum in legitimam uxorem N. quam hic manu tenes?* Sub eadem verborum formula dein Sponsam interrogare debet.

Hoc meritò notandum, ut hæ aliæve interrogationes non instituantur, aut proponantur modo planè perfunctorio; & tamquam cæremoniales quædam formulæ, ad quas vix attendi solet: sed ità, ut desponsandi ad omnia attenti reddantur, jubeanturque seriò singula expendere; præsertim si parocho suspicio aliqua non infundata sit, quod aliqua subsint, quæ ipsa Sponsalia, aut futurum Matrimonium impedire, aut etiam invalidum reddere possent.

IX. Ad interrogata affirmativè respondentibus desponsandis, fidem sibi mutuò faciunt hac formula idiomate vulgari expressa. *Ego in præsentia astantium promitto me daturum fidem meam tibi N. quam hic manu teneo & te ducturum in legitimam uxorem meam, si non obstiterit aliquod Canonicum impedimentum.*

Simili promissione à Sponsa facta subjungit Sacerdos: *Et ego tamquam Minister Ecclesiæ Dei ejus nomine hanc vestram mutuam promissionem accepto & approbo.*

X. Hæc sunt publica ac legitima sponsalia, quæ Matrimonio ob justas causas ex consuetudine Ecclesiæ præmitti debere censet Rituale Mechliniense; de quibus tamen nihil Rituale Romanum; ut sat verisimile sit, consuetudinem præmittendi Sponsalia cum his ceremoniis, non esse universalem.

XI. Interim *justæ causæ* istius consuetudinis esse possunt hæ & similes. Ut conjugandi tempore aliquo antequam sint Matrimonium contracturi, nomen suum dent Ecclesiæ seu ejus Ministris; quò interea de eorum qualitatibus, atque de his quæ in contractu Matrimoniali requiruntur inquiri possit: uti olim pro Baptismo nomen suum dabant Catechumeni; pro absolutione obtinenda pœnitentes; & pro Ordinibus adhuc hodie vult Ecclesia ut antea nomen suum dent Candidati. Deinde ut de eorum consensu constet, antequam procedatur ad proclamationes. Denique ut obvietur sponsalibus seu promissionibus clandestinis, unde plurima oriuntur incommoda; quæque propterea multùm dissuaderi debent utriusque sexus juventuti.

XII. Porrò quamvis Ritualia, Sponsalia publicè celebrari exoptent, atque clandestina improbent, nequaquam tamen ea invalida aut non obligatoria existimant. Imò manuale Cameracense postquam dixit Sponsalia à nemine præterquam à Parocho alterutrius Desponsandorum vel ejus Vicario, seu alio de ipsius vel Ordinarii licentia esse celebranda, immediatè subjicit: *Etsi aliter facta irrita non sunt.*

Cumque nonnulli crederent ex sponsalibus clandestinis nul-

nullam oriri obligationem: sed ea ex Decreto Concilii Tridentini esse irrita nullamque obligationem inducere, Synodus Diœcesana Mechliniensis huic errori occurrere volens Decretum seu declarationem edidit his verbis: "Cum „Sponsalia de futuro à sacro Concilio sint relicta intacta, „atque ità relicta in terminis & dispositione Juris commu„nis, præterquam quod per copulam carnalem non tran„seant in Matrimonium, certum est, ea esse valida & serva„ri debere, etiamsi coram Parocho & testibus contracta „non fuerint.

Ut ergo de *validitate* & obligatione sponsalium statuatur, inspiciendum est etiam hodie jus commune.

Hoc jure autem sponsalia contractibus, qui solo consensu ineuntur, annumeranda sunt: utpote quæ ad actus *validitatem* solum consensum externè sufficienter expressum requirunt. Unde juxta jus commune sponsalia nihil aliud sunt, quàm futurarum nuptiarum promissio.

Sicuti autem in contractibus civilibus *solo consensu* constantibus requiritur ut de consensu illo externè sufficienter constet, ipsorumque validitas ab illo unicè dependet, neque attenditur consensus *merè* internus nullo signo exteriore expressus; ità quoque circa sponsalium validitatem unicè attendi debet consensus externè manifestatus, insuper habito consensu *merè* interno soli Deo cognito; quippe hominibus innotescere nequit: ac per consequens non permittit humana societas, ut ab illo dependeant contractus, qui inter homines ineuntur.

XIII. Si jus commune spectemus, impuberum sponsalia valida sunt, toto titulo Decretalium *De Desponsatione impuberum*; atque ad eorum validitatem sufficit ætas septem annorum; imò & minor, si malitia suppleat ætatem; id est, si usus rationis ætatem illam præveniat, ut multis probat Thomas Sanchez loco citato *Disp.*16.

XIV. Verùm hodie sponsalia saltem publica, quæ coram Parocho ritu præscripto contrahuntur inter impuberes sine Superiorum auctoritate, non sunt admittenda, atque ætatem in Desponsandis quæ proximè ad Matrimonium sufficit, sat apertè requirunt Ritualia & Synodi.

XV. Manuale enim Cameracense expressè vult moneri Desponsatos, ut infra *quadraginta* dies ad Matrimonium promissum procedant, alioquin deferendi ad Officialem, nempe postquam adhuc moniti fuerint.

Similiter Synodus Audumarensis *tit.*10. *cap.*4. "Præci„piant Parochi eis, quos ad sponsalia contrahenda admit„tunt, ut infra *quadraginta* dies proximos (nisi canonicum „impedimentum obveniat) Matrimonium ipsum contra„hant, nec diutius illius solemnizationem differant, absque „nostra aut Curiæ nostræ licentia.

Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.*9 *cap* 5. præcipit, ut "Parochi sponsalia coram se contrahentes admoneant, „ut ad periculum incontinentiæ, aliaque inconvenientia e„vitanda, intra *sex septimanas* post factas proclamationes, „si canonicum impedimentum denuntiatum non fuerit, ad „Matrimonii solemnizationem procedant." Idem habet „Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.*10. *cap.*6. insuper addens: "Et si præscripto tempore non processerint, eos Curiæ nostræ insinuet.

Hæc manifestè indicant, supponi desponsandos in ea esse ætate; ut infra tempus illud ad Matrimonium procedere possint: quamvis sponsalia ab impuberibus irrita non irritent, aut absolutè reprobent; quare nec ea quæ de jure communi circa desponsationem impuberum decreta sunt, hodie abrogata sunt; sed quia hujusmodi sponsalium usus rarior est, sufficiet, casu aliquo occurrente, consulere Commentatores Decretalium ad titulum *De Desponsatione impuberum*.

XVI. Monendos insuper volunt desponsos conformiter ad Synodum Tridentinam *Sess.*24. *cap.*1. *De Reformat. Matrimonii*, "ne ante contractum Matrimonium sub eo„dem tecto simul habitent, aut carnale commercium mu„tuò habeant;" uti loquitur Rituale Mechliniense: vel ut distinctius Manuale Cameracense: "Honestè se gerant, nec in eadem domo cohabitent: aut simul maneant:" vel quemadmodum ait Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 4. "Ne „ità cum altera alter versetur, ut fornicationis periculum „aut suspicio esse possit.

Meritò sanè inhibentur Desponsis ea, quæ alii vetita non sunt: eò quòd hæc jam tantò ipsis periculosiora sint, quò magis crescit affectus & spes propediem Matrimonio potiendi, & securitas à dedecore, quod nondum desponsati timent.

Itaque seriò à Parochis dehortandi sunt Desponsi ab omni eo quod ipsis hactenus non licuit, nec proinde adhuc licet. Nec tantùm timor inferni, amorque puritatis ipsis inculcandus; sed etiam infamiæ metus, necnon periculum infausti Matrimonii, quod sæpe accidit ob impuritates istas præcedentes. Cæterùm notum est, has etiam in Belgio, præsertim inter homines tenuiores, esse non parum frequentes; quapropter seriam admodum oportet esse hanc monitionem.

CAPUT II.

De Vinculo Sponsalium, eorumque Dissolutione.

1. *Sponsalia solo consensu contracta pariunt obligationem ad contrahendum Matrimonium.*
2. *An Desponsi* absolutè *sint cogendi ad contrahendum Matrimonium?*
3. *An per censuram cogi debeant.*
4. *Aliquando ob scandala aliaque incommoda desistendum a coactione.*
5. *Quomodo de his Judici constare debeat?*
6. *Judex in his prudenter procedere debet.*
7. *In Gallia judex Ecclesiasticus cogere non potest per censuras vel condemnare ad* dotandum.
8. *Nequidem incidenter de dote aut alimentatione cognoscere potest.*
9. *Officialis Episcopi non potest condemnare alternativè* Duc *vel* dota.
10. *Quid circa hæc in Belgio obtineat.*
11. *Sponsalia solo consensu inita, mutuo consensu dissolvuntur.*
12. *Fallit regula in Sponsalibus impuberum, & quare.*
13. *Sponsalia sæpius etiam sine mutuo consensu dissolvuntur.*
14. *Ad dissolvendum Sponsalia non sufficit superveniens causa, quæ retraxisset à Sponsalibus contrahendis.*
15. *Quid præcipuè attendendum ut sciatur, an ob supervenientem aut detectam circumstantiam dissoluta sint sponsalia.*
16. *Nonnulla sunt quæ impedivissent contrahi Sponsalia, & non dissolvunt contracta.*
17. *Attendenda conditio personarum.*
18. *Attendendus modus initorum Sponsalium.*
19. *Sponsalia subinde dissolvuntur dumtaxat ex parte unius.*
20. *Interdum tantùm effectus ad tempus suspenditur.*
21. *Per absentiam unius dissolvuntur subinde.*
22. *Quid circa dissolutionem Sponsalium hodie in Belgio requiratur?*

I. Sicuti ea est omnium contractuum, qui solo consensu perficiuntur natura & conditio, ut mox à præstito consensu obligationem pariant ipsosque contrahentes ad contractuum adimpletionem adstringant, ità quoque Sponsalia mox ut vel solo consensu, sive verbis sive nutibus sive signis externis

externis sufficienter exterius expresso, contracta sunt, obligationem pariunt, ipsosque contrahentes obligant, ut tempore debito, quod promissum est, impleant, id est, nuptias promissas contrahant.

Unde in *Cap.* 2. ꝟ *De Sponsalibus* scribit Pontifex: " Præterea hi, qui de Matrimonio contrahendo *purè*, & sine omni conditione fidem dederunt, commonendi sunt, & omnibus modis inducendi, ut fidem præstitam observent.

II. Post hæc tamen subjungit Pontifex: " Si autem se ad invicem admittere noluerint: ne fortè deterius inde contingat, ut talem scilicet ducat, quam odio habet, videtur, quod ad instar eorum, qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.

Ex hoc textu nonnulli credunt, vi promissionum matrimonialium seu Sponsalium obligari quidem promittentem etiam *ex justitia* ad contrahendum Matrimonium, & promissionem adimplendam; sed tamen *absolutè* renitentem per censuras non esse cogendum, ne invitus ad Matrimonium cogatur. Quid clariùs indicare videtur Pontifex in *Cap.* 17. ꝟ *eod.* Interrogatus enim, " quâ censurâ mulier compelli debeat, quæ jurisjurandi religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito juramento firmavit;" respondit: " Quod cùm libera debeant esse Matrimonia, *monenda* est potiùs, quàm *cogenda*, cùm coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.

III. Verùm quidem est, Pontificem in *Cap.* 10. ꝟ *eod.* respondisse, quod si is, qui jurejurando aliquam in uxorem ducere promisit, *monitus* Episcopi non acquieverit, *Ecclesiastica censura* eum compellat, ut ipsam in uxorem recipiat, & maritali affectione pertractet; sed tamen addit hanc parenthesim: *Nisi rationabilis causa obstiterit.*

Ad hanc parenthesim reflectens Cujacius in expositione hujus Decretalis, ait: " Exempli gratia rationabilis causa est, si illo coacto ad peragendas nuptias prospiciatur periculum aliquod grande discordiæ & odii acerbioris.

Itaque aliud non videtur hic velle Pontifex, quàm judicem omni modo anniti debere, ut promissionem suam, præsertim juramento firmatam, partes adimpleant; idque etiam per censuram; nisi perspiciat, quòd hæc coactio difficiles exitus sit habitura; ut propterea meritò ab illa *absoluta* coactione abstineatur, & contraveniens suæ promissioni in *patientia toleretur*; uti loquitur Pontifex in *Cap.* 2. ꝟ *eod.*

IV. Hanc interpretationem & conciliationem textuum probat quoque Thomas Sanchez *De Matrimonio lib* 1. *disputat.* 29. rationem ulteriorem assignans cur eo casu meritò à coactione judex abstineat; " quia judicis est (ait) compellere ubi fini Matrimonii expediret ex fine enim desumenda est necessitas mediorum sed in eo casu non expedit fini Matrimonii cogere, sed potius mutuum obsequium, quod ipsius finis est, impeditur... Item quia tunc judex coactionem denegans, actori favet; vitat enim ipsius grave damnum, ut si petenti proprium gladium ad se necandum judex denegaret. Tandem, quia expedit, Ecclesiam minus malum permittere, ut majus vitet; majus autem malum est scandala & perpetuas inimicitias oriri, quàm fidem Sponsalium frangere: justè igitur Ecclesia hoc permittet, gratia illud vitandi.

V. Hæc ille, qui deinde *num.* 6. notat, necesse non esse, ut judici constet juridicè de scandalo ob quod à coactione desistat; sed sufficere ut judex ex circumstantiis, quas præ oculis habet, prudenter arbitretur ea scandala secutura esse: totum enim id negotium arbitrio & prudentiæ judicis videtur esse commissum.

VI. Insuper *num.* 7. monet, id esse concedendum primæ sententiæ (id est illi, quæ ait non esse cogendum, sed si monitis non acquieverit, relinquendum, cujus Auctores citat *num.* 2.) " Judicem prudenter debere procedere absque strictissima coactione, ne consensus requisitus ad Matrimonium deficiat: quare si sponsum ita obstinatum esse videat, ut libere Matrimonio consentire repugnet, monitione potius, quàm coactione utatur.

VII. Cum autem vix sperari queat prosper successus Matrimonii, dum alterutra pars per censuras similesque pœnas ad contrahendum planè invita coacta accedit, hodie receptum esse in Gallia testatur Claudius De Blondeau in Bibliotheca Canonica verbo *Mariages* pag. 87. edition. 1689. " Quod si de initis Sponsalibus sive facta promissione constet, judicem Ecclesiasticum pronuntiare posse, fidem esse exsolvendam, & Matrimonium contrahendum, quod si Sponsus recuset, ipsi esse imponendam pœnitentiam, aut erogationem eleëmosynæ ob fidem violatam: sed ad ducendam vel intertinendam sponsam cogere sponsum non posse, etiamsi id olim fieret per excommunicationem. Dissolvit autem Desponsos (ait) & permittit, ut ad damnum & interesse agant coram judice seculari.

VIII. Observat quoque Choppinus De Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 15. " usu receptum non esse in Gallicis Tribunalibus Rescriptum Clementis III. in *Cap.* De PRUDENTIA ꝟ *De Donat. inter virum & uxorem.* Pontificiæ notionis esse jura dotium, perinde ac nuptialis sponsionis, judicioque terminata Matrimonii controversia, *dotis* cognitionem in Prætorio Episcopi superfore. Ast moribus nostris (ait) vinculo tenus connubiali Præsulum est profanis jus reddere, tamquam de Ecclesiastico Sacramento. Eo autem functis nullum superest de dote judicium, nec de nuptialis quidem muneris restitutione, tametsi conjugalium pactionum arrhabonis & appendicis cujusdam.

IX. Unde si Officialis Sponsum condemnaret non simpliciter ad contrahendum Matrimonium; sed alternativè *duc* vel *dota*, censeretur abuti sua jurisdictione, atque per appellationem tamquam ab abusu sententia cassaretur, uti tradit Carolus Fevretius tractatu *De Abusu, lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 16. quia in Gallia nullo modo potest judex Ecclesiasticus, ne quidem *accessoriè*, de *dote* cognoscere; refertque anno 1604. solemni Arresto Parlamenti Dinensis cassatam sententiam Officialis Cabilonensis, qua condemnatus fuerat sponsus ad ducendam sponsam, aut assignandam competentem dotem, prout intra octiduum elegisset; dictumque fuit per Curiam, Officialem tantùm posse cognoscere de validitate & observantia promissionis nuptialis; non autem de dote: unde & citationes in causa *dotis*, deflorationis, susceptionis partus, alimentorum, & similes declarantur abusivæ; uti ibidem notat Fevretius.

X. Juxta concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem potest judex Ecclesiasticus *incidenter* de dote, vel donatione propter nuptias cognoscere; cùm aditus super divortio, actor in libello *principaliter* concluserit ad divortium propter adulterium, & consecutivè ad lucrandam vel perdendam dotem vel donationem propter nuptias. Similiter & de alimentis, quæ per virum aut mulierem peti contigerit; pendente divortii causa, vel de tractamento alterius eorumdem cognoscere poterit judex Ecclesiasticus, si hæc coram eo incidant, vel judicialiter petantur. Ita prædicta Concordata *tit.* 2. §. 3. & 5. Habentur parte I. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8.

Notat præterea Zypæus in Jure Novo titulo *De Foro competenti num.* 8. quod licet juxta citata Concordata, cùm sine prævio contractu agitur de dote constituenda inter laïcos, solus judex secularis cognoscat, separatim tamen super *emenda* tantùm deflorationis in Brabantia coram Ecclesiastico actio institui possit; atque ita non semel à Senatu Brabantiæ fuisse judicatum testatur, etsi secus in Gallia juxta Paponium *lib.* 1. *tit.* 5. *art. fin.* Quod ad Sacramentum Matrimonii eatenus spectat (ait Zypæus) quatenus alternativè deflorans ducere aut dotare cogitur, & semper fere quæritur quod ex his debeat.

Notat quoque Thomas Sanchez loco suprà citato *n.* 10. quod si non disputetur de validitate Sponsalium, sed Sponsalia certa sint, atque de iis constet, potest judex secularis ad ea compellere, quamvis juramento confirmata sint: sicut cogit ad aliorum contractuum fidem non violandam.

XI. Sponsalia quæ solo consensu inita sunt, & hactenus solo partium consensu subsistunt, etiam solo utriusque consensu solvi possunt, juxta illud vulgatum: nihil tam naturale, quàm unumquodque dissolvi eo modo, quo colligatum est *L.* 35. *ff De Regulis Juris*; quod & procedit, tametsi juramento firmata sint; quia juramentum ipsam naturam contractus non immutat *Cap.* 2. *x De Sponsalibus*; ubi id exemplo societatis juramento firmatæ decidit Pontifex.

XII. Fallit nihilominus hæc regula in Sponsalibus Impuberum, quæ ex positiva Juris dispositione dissolvi, etiam mutuo consensu, non possunt, nisi postquam ad annos pubertatis pervenerint *Cap.* 8. *x De Dispensat. Impuberum*, idque statutum est, ob inconstantiam & levitatem puerorum, ne quotidie nova contrahant sponsalia, & rursus ab iis resiliant.

XIII. Ulterius sponsalia puberum licet ab initio valida, frequenter ex causa superveniente, etiam præveniendo mutuum consensum, solvuntur; tametsi juramento fuerint firmatæ quemadmodum Januensi Archiepiscopo respondit Innocentius III. in *Cap.* 25. *de Jurejurando*, solvi hujusmodi Sponsalia, si Sponsa fuerit fornicata " quoniam (ait) „ in illo juramento talis debet conditio subintelligi, si vide„ licet illa contra regulam desponsationis non venerit." Idem esse si mulier post contracta Sponsalia fieret non tantùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos aut nasum amitteret, seu quidquam ei turpius eveniret, manifestè supponit ibidem Pontifex.

XIV. Pro quo tamen notandum, non sufficere ad dissolutionem Sponsalium, quod superveniat aut detegatur talis circumstantia, quæ si præscita fuisset, Sponsalia inita non fuissent: quia certum est, multa posse sufficere, ut contractus nondum initus iniri non deberet, nec iniri conveniret; quæ nullatenus tamen sufficiunt, ut contractum dissolvant: eò quod contractu nondum inito plena sit libertas non contrahendi; quæ libertas non subest, postquam contractus fuit perfectus.

XV. Itaque ut judicetur, an ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam, Sponsalia censeantur esse soluta; ipsique Desponsi aut alteruter eorum ab obligatione soluti, expendendum, an tales personæ secundùm prudens judicium talibus verbis, & in talibus circumstantiis consensum ante datum censeantur extendisse ad casum quo talia superveniunt. Si censeantur extendisse ad casum quo talia superveniunt, Sponsalia non solvuntur. Si non censeantur extendisse ad istum casum, dicendum est, quod solvantur.

XVI. Hinc non difficile est colligere, multa posse etiam sine ulla culpa alterutrius supervenire, quæ Sponsalia dissolvant, sive ex parte sponsæ sive sponsi: item quædam etiam esse, quæ quidem præscita impedivissent Sponsalia contrahi, quæ tamen supervenientia jam inita Sponsalia non dissolvant.

XVII. Adhæc, non difficulter intelligitur, quod dum de dissolutione Sponsalium agitur ob supervenientem aut detectam aliquam circumstantiam expendendas esse conditiones & qualitates personarum: quandoquidem dubitari nequeat, quin ex diversitate personarum natum sit contingere, ut consensus in Sponsalia censeatur, vel non censeatur extensus ad casum, quo similia supervenissent, aut detecta fuissent.

XVIII. Illud quoque expendendum, quibus verbis, & quomodo Sponsalia inita sint. Quo enim verba fortius exprimunt voluntatis firmitatem atque constantiam; ut si juramentum quoque accedat; quo insuper magis præmeditatè majorique cum solemnitate, eò difficilius ordinariè dissolvuntur; & contentius ad plura postea supervenientia fuisse extensus meritò præsumitur.

Hæc omnia secum expendere, & prudenti judicio expendenda committere debet, ut quis à Sponsalium obligatione se in conscientia coram Deo solutum existimet. Si autem coram judice in foro exteriore agatur, hæc judici expendenda & ponderanda erunt, uti latè deducit Zypæus *Consult.* 1. *de Sponsalibus*, ubi ostendit, admodum difficulter ex parte sponsi dissolvi Sponsalia, si ultra promissionem defloratio sponsæ secuta sit.

XIX. Verum & hoc notandum, quod etsi ratione alicujus supervenientis circumstantiæ solvantur Sponsalia ex parte unius, non propterea semper solvi ex parte alterius. Ita fornicatio sponsi tollit obligationem ex parte sponsæ, non tamen eam tollit ex parte sponsi: sed hic sponsalia adimplere tenetur, si ipsa velit. Idem in paupertate, lepra, infamia, & similibus supervenientibus locum habere potest.

XX. Sponsalia de futuro solvi, licet illicitè, per Matrimonium cum secunda, tamquam per fortius vinculum, deciditur in *Cap.* 32. *x De Sponsalibus*; eatenus nimirum, quod Matrimonium, non obstantibus Sponsalibus prius initis, subsistat; & secundam hanc uxorem habere debeat.

Sed licet ipsa sponsa mox à contracto Matrimonio per sponsum à Sponsalibus liberetur, possitque libere cum alio contrahere; nequaquam tamen ex parte sponsi Sponsalia planè soluta sunt; sed dumtaxat pro tempore durantis hujus matrimonii effectus ipsorum suspenditur: atque ideo Matrimonio per mortem uxoris soluto, rursus reviviscunt; & si sponsa velit, sponsus in vim Sponsalium eam ducere tenetur: uti post Basilium Pontium advertit Zypæus in Jure Novo titulo *De Sponsalibus num.* 8.

Similiter, si alteruter Desponsatorum ingrediatur Religionem, mox ab ingressu, etiam ante professionem, solvuntur Sponsalia ex parte non ingredientis; ut nimirum liberum ei sit cum alio contrahere; sed ex parte ingredientis tantummodo suspenduntur, quamdiu in Religione permanserit; sed si eam deseruerit, reviviscit ex parte ipsius obligatio: ut rectè notavit Andræas Vallensis ad hunc titulum §. 4. *num.* 2.

XXI. Sponsalia quoque ex parte solius sponsæ solvuntur, si sponsus patriam deserat, & se ad alias partes transferat, uti respondit Pontifex in *Cap.* 5. *x De Sponsalibus*. Quanti temporis autem absentia requiratur, ut hoc titulo sponsa libera censeatur à promissione sua, nullibi determinatur; sed arbitrio judicis relinquitur; nisi certum tempus, intra quod Matrimonium contrahi debeat, Sponsalibus adjectum sit: eo enim elapso, certum est, Sponsalia ulterius non obligare. *Cap.* 22. *x De Sponsalibus*.

XXII. Inspecto jure communi, ad solutionem Sponsalium non requiritur sententia judicis, aut solemnitas aliqua, præter utriusque Desponsatorum consensum. Ritualia Belgica autem nolunt Sponsalia propria Desponsatorum auctoritate solvi.

„ Non consentiant Parochi (ait Rituale Mechliniense) ut „ illi qui in ætate legitima constituti Sponsalia contraxerunt, „ se mutuò ab ejusmodi promissione futurarum nuptiarum „ propriâ auctoritate absolvant; sed illos spiritualis Curiæ „ Promotori denuntient: ut causa per Episcopum ejusve „ Officialem discussâ, si ea secundùm juris dispositionem „ legitima sit, ab ejusmodi promissione absolvantur.

Idem habet Manuale Cameracense. Et Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 11. *cap.* 9. ait, " Sponsalia contracta „ non dirimant Parochi, sed rei cognitionem ad Officialem „ nostrum remittant. " Id ipsum habent Synodi Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 8. & Buscoducensis sub Masio *tit.* 10. *cap.* 18.

Hæc verò intelligi oportet de Sponsalibus publicis & coram Ecclesiæ ministro ritu solemni contractis: quibus dum Ecclesia semel manum apposuit, nihil se inconsultâ

fieri

fieri permittit. Impeditur etiam hoc pacto levitas, quæ aliter in re tam gravi, & frequenter non sine scandalo aliisque incommodis interveniret.

CAPUT III.

De Proclamationibus, seu Bannis Matrimonialibus.

1. *Quid significet vox* Bannum.
2. *Bannum jam pridem in Ecclesia Gallicana sumptum fuit pro Proclamatione Matrimoniali.*
3. *Proclamationes illæ in aliquibus Ecclesiis receptæ, extensæ sunt ad omnes per Concilium Lateranense.*
4. *Earum usum probavit Synodus Tridentina.*
5. *Proclamationes faciendæ post contracta Sponsalia ante contractum Matrimonium.*
6. *Scopus Proclamationum requirit; ut fiant in Parochiis utriusque contrahentis.*
7. *Quid ex præscripto Synodorum & Ritualium observandum dum Desponsi sunt diversarum Parochiarum, Decanatuum, aut Episcopatuum.*
8. *Quid servandum quando Desponsi domicilium mutarunt, aut plura habent domicilia.*
9. *Quibus diebus fieri debeant?*
10. *Debent fieri quando populus est maximè attentus, & voce intelligibili.*
11. *Populus monendus ut impedimenta etiam* occulta *revelet.*
12. *Idque etiamsi* judicialiter *probari nequeant; interdum tamen revelatio omittenda.*
13. *Desponsi in confessione de impedimentis interrogandi; cavenda tamen revelatio confessionis.*
14. *Synodus Tridentina non irritavit Matrimonium omissis Proclamationibus contractum.*
15. *Neque in Gallia hujusmodi Matrimonium est* invalidum.
16. *Synodus Tridentina permittit Episcopis dispensare super Proclamationibus.*
17. *Unicam causam dispensandi expressit Synodus Trid.*
18. *Duplicem cautionem addit Synodus; quarum una hic in Belgio non observatur.*
19. *Synodus Trid desiderat, ut Episcopi in concedenda dispositione sint admodum moderati.*
20. *Quæ fuerit in his concedendis moderatio S. Caroli.*
21. *An ad evitanda maleficia concedenda dispensatio?*
22. *Quid in Gallia circa hanc dispensationem habeant Edicta Regia, & quæ sit praxis?*
23. *Optandum ut rarò dispensaretur; idque innuunt Synodi Belgicæ.*
24. *Quâ cautione Parochi testimonium dare debeant pro obtinenda dispensatione.*
25. *Perniciosus est abusus, dispensare indifferenter sine gravi causa super omissione Proclamationum.*
26. *Hunc abusum aboleri posse ostendit praxis plurium Diœcesium; nec non praxis Hæreticorum in Provinciis Unitis.*
27. *Quid circa hæc Parochi facere debeant?*

I. HUjus vocabuli *Bannum*, non una, sed multiplex apud Scriptores, & in antiquis tabulis est notio, ait D. Du Cange in Glossario verbo *Bannum*; sed potissimum *Bannum* trino significatu ut plurimum accipitur. Ac primò quidem pro edicto publico; rursum pro mulcta judiciaria; tertiò pro districtu ac jurisdictione. Quas notiones ibidem latiùs expendit, & ex veteribus Scriptoribus & monumentis deducit citatus Auctor.

II. Itaque *Bannum* jam pridem, præsertim in Ecclesia Gallicana, acceptum fuit pro Proclamatione seu *Edicto*, quo Matrimonium proclamatur, sive edicitur, ut si quis futuro Matrimonio, quod *publicè* proclamatur; aliquid opponendum sciat, edicat, sive opponat; quemadmodum manifestè insinuat Innocentius III. in *Cap. 27. ꝟ. De Sponsalibus*, rescribens Episcopo Balaucensi, præsertim si legatur Decretalis ut extat in veteri collectione apud Antonium Augustinum, ubi hæc leguntur: " Sanè quia contingit „ interdum quòd aliquibus volentibus contrahere Matri- „ monium, *Bannis*, ut tuis verbis utamur, in Ecclesiis, *secundùm consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ* editis" &c. Quæ postrema verba omisit Raymundus, è quibus interim post Cujacium elicit Filesacus libro *De Origine Parochiarum cap. fin.* Proclamationum seu *Bannorum* matrimonialium institutum ab Ecclesia Gallicana ad cæteras manasse.

III. Quidquid sit, illud constat, quod tempore Concilii Lateranensis sub Innocentio III. celebrati, usus Proclamationum seu *Bannorum* matrimonialium tantùm in quibusdam Ecclesiis esset notus: ac demum ad omnes Ecclesias per Decretum hujus Concilii in *Cap. 3. ꝟ. De Clandestina Desponsatione* sit extensus.

Intelligens enim Concilium, frequenter contingere, ut contrahendo *clandestinè*, ob occultum dirimens impedimentum, Matrimonia nulliter contraherentur, " *specialem* quorumdam locorum consuetudinem (ait) ad alia „ *generaliter* prorogando statuimus, ut cùm Matrimonia „ fuerint contrahenda, in Ecclesia per Presbyteros pro- „ ponantur competenti termino præfinito, ut intra illum „ qui voluerit, & valuerit, legitimum impedimentum „ opponat.

IV. Synodus Tridentina similiter desiderans occurrere multiplicibus incommodis, quæ ex Matrimoniis clandestinis quotidie oriebantur, dicti sacri Concilii Lateranensis vestigiis inhærendo præcipit, " ut imposterum antequam „ Matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium „ Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter „ Missarum solemnia publicè denuntietur, inter quos Ma- „ trimonium sit contrahendum.

V. Vult Synodus, Proclamationes fieri *antequam* Matrimonium contrahatur, id est, postquam Sponsalia jam publicè & coram Parocho contracta sunt; aut si clandestinè inita sint, saltem Parocho de consensu in Matrimonium sufficienter constet.

„ Quando aliter quàm coram proprio Parocho Spon- „ salia contracta sunt, Matrimonii denuntiationes non ante „ ab eo fiant, quam ipsimet sponsus & sponsa id exigant, aut „ coram assensum præbeant. Qui quidem assensus, si non „ ejusdem Parochiæ sint à proprio cujusque Parocho co- „ gnosci, atque alteri ab altero testimonii litteris significari „ debet: " Hæc Synodus Diœcesana Mechliniensis *titul. 9. cap. 9.*

VI. Cùm scopus harum Proclamationum seu Bannorum sit, detegere impedimenta Matrimonii contrahendi, meritò requirit Synodus, ut non tantùm illæ fiant ab alterutrius contrahentis Parocho, sed à *Contrahentium*, id est, *utriusque* proprio Parocho, si Desponsi diversæ Parochiæ fuerint; quod expressè notavit Rituale Romanum, & nostra Ritualia Belgica, nec non Synodi fieri præcipiunt.

VII. Vult Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 10. cap. 3.* „ Quandocumque Matrimonium contrahere volentes sunt „ diversarum Diœcesium, Decanatuum, vel Parochiarum, „ Parochus unius ad Matrimonii solemnizationem non „ procedat, nisi & omnes proclamationes in Ecclesia sua fe- „ cerit, nullumque intellexerit Canonicum impedimen- „ tum; & similiter Parochum alterius desponsorum omnes

„ tres

„ tres proclamationes fecisse, & nullum Canonicum impe-„ dimentum denuntiatum esse, ex testimonio ejusdem Pa-„ storis certo cognoverit, vel de dispensatione Ordinarii „ ipsi constiterit. Et si fortè signaturam illius Pastoris non „ noverit, & testimoniales sibi exhibitas de falso sus-„ pectas habeat, exigat testimonium saltem unius personæ „ fide dignæ, quod testimoniales illæ sint scriptæ vel subsig-„ natæ manu ejus, à quo scriptæ, vel subsignatæ esse di-„ cuntur; vel si hujusmodi testimonium haberi non pos-„ sit, exigat juramentum ab altero desponsorum, quem „ testimoniales illæ concernunt, quod eas à Parocho suo „ acceperit, vel ab eo scriptas esse sciat. Et si quem hic „ perjurum esse, aut crimen falsi committere contigerit, is „ gravissimè puniatur.

Similia habet Rituale; addit tamen: "Si verò Desponsi „ sint diversorum Episcopatuum aut Decanatuum, corro-„ borandæ erunt litteræ Parochi illius, qui Matrimo-„ nium non solemnizabit, Episcopi aut Decani Christiani-„ tatis testimonio.

VIII. Ut verò finis proclamationum obtineatur, meritò monet Synodus Diœcesana Mechliniensis *tit.9. cap.8.* "Si „ Matrimonium contractum in Parochia, in qua est moder-„ na eorum habitatio, *brevem* moram traxerint, ità ut ibi „ non sint satis noti; etsi ibidem Matrimonio jungi possint, „ nihilominus in Parochia, in qua priùs habitarunt, ubi „ verisimilius est fore ut impedimenta sciantur, denuntia-„ tiones omnes fieri volumus.

Hæc Synodus, ubi & in margine notatur, Congregationem Concilii Tridentini ità respondisse. Sanè menti Concilii Tridentini conforme esse, ut si quis plura habeat domicilia in diversis Parochiis, fiant denuntiationes in ea, in qua diutius habitat, & principaliorem habet larem, vel potius in ea, in qua verisimilius est sciri impedimenta, pluribus citatis auctoribus resolvit Barbosa *De Officio & potestate Episcopi parte 2. Allegat.2.num.11.*

IX. Denuntiationes seu proclamationem Synodus Tridentina fieri vult diebus festivis; idque in Ecclesia inter Missarum solemnia; quando nimirum solet esse major populi concursus; ut ità Matrimonium contrahendum magis innotescat; & impedimenta facilius detegantur; qui est hujus Decreti scopus.

Unde eas fieri posse alio die, quàm festo, si ob aliquam *solemnitatem* in Ecclesia celebrandam, quamvis sine festo in populo, *magnus* ad Ecclesiam fiat populi concursus, resolvit Barbosa aliique ab eo citati dicta *Allegat.32. num.15.* & sat patenter supponit Synodus P.II. Mechliniensis *tit.10. cap.2.* præcipiens, proclamationes fieri Dominicis, vel Festivis diebus sub summo Sacro, vel concione, aut *sub frequenti populi conventu.*

X. Debent ergo ad mentem Synodi fieri sub concione aut in Missa, quando ipse populus solet esse frequentior & attentior; idque voce & idiomate ab omnibus intelligibili: qua de re anno 1663. in Congregatione Archipresbyterorum Diœcesis Mechliniensis Præsidente Archiepiscopo hæc resoluta sunt *art.20.* "Proclamationes publicæ, quæ „ ad Matrimonium contrahendum prærequiruntur, fiant „ *in initio* concionis aut post lectum in ea Evangelium, aut „ alio non minus *commodo* tempore, *alta* tamen semper & „ *intelligibili* voce, expresso nomine usitato Desponsando-„ rum, & caveatur ne illa alterentur, aut in aliud idioma in-„ flectantur sub pœna arbitraria.

XI. Cùm hæ proclamationes unicè tendant ad impedimentorum detectionem, Parochi est, frequenter monere populum, ut si quæ impedimenta, etiam *occulta* sciat, ipsi Parocho saltem revelet; ne alioquin ex silentio & occultatione reus reddatur omnium malorum, quæ ex Matrimonio cum impedimento præsertim, dirimente contracto, nata sunt oriri.

XII. Neque excusatur quis à revelatione eo solo titulo, quod illud subesse in judicio probare non possit: quia equidem hujusmodi manifestatio impedimenti Parocho occasionem dare potest ulterius inquirendi; qua inquisitione forsan ità deteget impedimentum, ut etiam in judicio probari poterit.

Adhæc, licet forsan impedimentum numquam sic esset detegendum, ut *judicialiter* probari posset; nihilominùs conducet ejus manifestatio, ut Parochus accipiat inde occasionem sedulò monendi Desponsatos de longa illa peccatorum aliorumque incommodorum catena, cui se innectunt, qui cum impedimento dirimente contrahunt: qua monitione forsan fiet, ut ipsi contrahentes, aut alter eorum impedimenti conscius illud fateatur; atque ita Matrimonium impediatur.

Accedit, quod vel unius etiam testimonium de impedimento sufficere soleat ad impediendum Matrimonium juxta dispositionem juris in *Cap.22.* ☩ *De testibus*, & *Cap.12.* ☩ *De Sponsalibus*, idque ob periculum peccati quod ex Matrimonio sic contrahendo timetur: de quo latè Sanchez de Matrimonio *lib.1. disp.71.*

Posset nihilominus contingere, ut occulti impedimenti manifestatio fieri non deberet; si scilicet ex ipsa manifestatione gravissima mala meritò timeantur; nullum verò aut valdè exiguum bonum ex revelatione speretur: quod ex circumstantiis prudenti judicio metiendum est.

XIII. Monet quoq; Synodus Audomarensis *tit.10. cap.10.* ut sub finem confessionis, quæ solemnizationi Matrimonii præmitti solet, "Parochus ultrò pœnitentem roget, an nul-„ la sciat impedimenta. Non tamen (ait) quod à Parocho „ revelanda aut aperienda aliquando sint peccata pœniten-„ tis, aut ea per quæ in peccatorum illius notitiam venia-„ tur: sed quod adduci eò & persuaderi pœnitens possit, ut „ aut aperiat ipse, aut aperiri permittat, proposito ipsi, æter-„ næ salutis suæ hinc pendentis discrimine. Nam si huc ad-„ duci non potest, neganda quidem ipsi est absolutio à pec-„ catis, sed à Matrimonio, etiamsi fortè illud verè non ineat, „ invitus repellendus non est, quando res nonnisi ex confes-„ sione nota est.

XIV. Quantumvis autem Synodus Tridentina enixè desideret, ne Matrimonia sine prævиis hisce Proclamationibus contrahantur; noluit tamen ab iis validitatem Matrimonii dependere; neque earum omissionem impedimentum dirimens esse, uti declaravit S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres: & unanimi consensu fatentur Doctores, estque conformis ipsa quotidiana praxis; uti novissimè ostendit Gerbesius Doctor Sorbonicus in suo Tractatu Gallico De Potestate Ecclesiæ & Principum circa impedimenta Matrimonii.

XV. Ostendit quoque in Gallia Matrimonia contracta sine præviis proclamationibus aut legitima dispensatione haberi pro *validis*, non obstante *articulo 40.* Edicti Blesensis, quo ità decernitur: "Ad occurrendum abusibus & dam-„ nis, quæ ex Matrimoniis clandestinis oriuntur, decrevimus „ & decernimus, quod subditi nostri, cujuscumque status, „ qualitatis & conditionis existant, contrahere *validè* non „ poterunt, sine publicis *Bannorum* proclamationibus cum „ competenti temporis intervallo: "id enim intelligendum esse, *valida* non esse quoad effectus *civiles*, ex variis auctoribus Gallicis nec non Parlamentorum Arrestis ostendit *pag.*500. & sequentibus, edit. 1696.

XVI. Post hæc subjungit Synodus Tridentina: "Quod „ si aliquando probabilis fuerit suspicio, matrimonium „ malitiosè impediri posse, si tot præcesserint denuntiatio-„ nes, tunc vel una tantum fiat, vel saltem Parocho, & duo-„ bus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium cele-„ bretur. Deinde ante illius consummationem denuntia-„ tiones in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsint impedimenta, „ facilius detegantur: nisi Ordinarius ipse expedire judica-„ verit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quòd illius „ prudentiæ & judicio sancta Synodus relinquit.

Hoc Decreto permittit Synodus, dispensationem super denun-

denuntiationibus, ſi Ordinario, id eſt, Epiſcopo Diœceſano; quem hoc loco per Ordinarium intelligi, non autem alios inferiores Prælatos, juriſdictionem quaſi Epiſcopalem habentes, oſtendit Fagnanus ad *Cap.* 3. ꝟ. *De Clandeſtina Deſponſat.* atque ita à ſacra Congregatione, probante Gregorio XIII. reſponſum fuiſſe teſtatur.

XVII. Unam duntaxat cauſam diſpenſationis expreſſit Synodus, nimirum cum advertitur periculum, Matrimonium *malitioſè* impediendum, ſi tanto tempore differendum ſit, quouſque tres denuntiationes præceſſerint.

XVIII. Addit nihilominus duplicem limitationem Synodus. Una, ut tunc ſaltem una denuntiatio præcedat; Altera, ut ſi periculum tale ſit, ut nec tantillo tempore differri queat, permittatur ſine prævia denuntiatione Matrimonium ſolennizari; ſed ante illius conſummationem denuntiationes in Eccleſia fiant. At poſterior cautio hic in Belgio non ſolet adhiberi teſte Zypæo titulo *De Sponſalibus num.* 10. dicitque quod non audiverit umquam, poſt contractum jam Matrimonium proclamationes fuiſſe factas.

XIX. Ad hæc, tametſi dubitari nequeat, quin præter cauſam expreſſam, crediderit Synodus poſſe alias cauſas occurrere, quæ diſpenſationem in una aut pluribus, aut etiam omnibus proclamationibus requirant, cùm id relinquat judicio ipſius Ordinarii; nihilominus ſat oſtendit, Ordinarium debere eſſe admodum moderatum in relaxandis hiſce proclamationibus. Et profectò qui attenderit incommoda, quæ clandeſtina Matrimonia frequenter adferunt, haud difficulter agnoſcet, quod ſicuti juſtiſſimâ ratione has proclamationes præmitti voluit Eccleſia, ita quoque meritò velit, ſummam in diſpenſando ſervari moderationem.

XX. Sanctus Carolus in Concilio V. Mediolanenſi *parte* 3. *cap.* 17. ſolam cauſam in Synodo Tridentina expreſſam pro legitima agnoſcit, ac deinde ſubjicit, "At verò „ſi hæc cauſa non ſubeſt, quamobrem illas remittat, ea cer„tè ſola quod inſtat ſacri Adventus Quadrageſimæve „tempus, neque neceſſaria eſt, nec verò cum ratione con„ſentiens. "Rationem notandam ſubjiciens: "Cum præ„ſertim eo ſacro tempore, qui jam Matrimonio juncti „ſunt, ab illius uſu abſtinere potius conveniens ſit, nedum „Sponſus unà conjungi.

XXI. Synodus Rothomagenſis anno 1581. titulo *De Matrimonio* advertens diſpenſationes ſuper Proclamationibus frequentius peti ad cavenda maleficia, quæ in celebratione nuptiarum nonnumquam dicuntur intervenire, eam cauſam ut inſufficientem rejiciens, medium aptius con„tra maleficia ſuggerit, & ut dignè hoc Sacramentum re„cipiant, hortatur conjuges, ut antequam contrahant, vel „ſaltem triduo ante conſummationem Matrimonii ſua „peccata diligenter confiteantur, & ad ſanctiſſimum Eu„chariſtiæ Sacramentum accedant. Sacerdos verò ne „ullum det maleficiis locum cautius & circumſpectius ſe „gerat.

XXII. In Gallia Edicto Bleſenſi *art.* 40. cautum eſt, quod „Bannorum non poterit obtineri diſpenſatio, niſi poſt „primam promulgationem factam; idque ſolùm propter „aliquam urgentem & legitimam cauſam, & ad requiſiti„onem præcipuorum & proximorum parentum ipſorum „contrahentium.

Quamvis hic rigor hodie nonnihil ſit mitigatus; atque ob neceſſariam cauſam nonnumquam in omnibus tribus denuntiationibus Epiſcopi diſpenſent: nihilominus ſi parentes aliique intereſſe habentes prætendant, non fuiſſe legitimam cauſam remittendi omnes Proclamationes, admittitur appellatio *tamquam ab abuſu*, ob controventionem Edicto Regio; uti poſt Carolum Fevretium *lib.* 5. *cap.* 2. *numer.* 31. notat Gerbeſius in citato tractatu *pag.* 68. unà obſervans, rarò admodum ſuper tribus denuntiationibus diſpenſari; tuncque etiam cautè, ut ſi forſan ſuper datâ diſpenſatione lis intentata fuerit, rationes proferre Ordinarii queant, quibus juſtam fuiſſe diſpenſationem doceant.

XXIII. Optandum eſſet (ait Gerbeſius) ut conformiter ad Edictum Bleſenſe, publicatio Bannorum fieret, & diſpenſatio non concederetur, niſi ad requiſitionem primariorum & proximorum parentum: id eſſet medium aptiſſimum, ad præveniendum Matrimonia clandeſtina filiorum-familias, quæ frequenter adeò turbant familias, atque rixis & litibus intricant.

Synodi Belgicæ tam enixè præcipiunt Parochis has denuntiationes præmitti, ut non ſit obſcurum, quod earum publicationem ſummi momenti eſſe exiſtimârint; & per conſequens, non niſi *gravi* de cauſa in illis eſſe diſpenſandum ſuppoſuerint.

XXIV. Ad calcem Manualis Paſtorum compendiosè complectentis Canones & ritus Eccleſiaſticos pro adminiſtrandis Sacramentis juxta uſum Paſtoralis Mechlinienſis, extat formula ad ſcribendum teſtimonium pro iis qui egent diſpenſatione ſuper proclamationibus antenuptialibus; unà cum quibuſdam reflexionibus ad inſtructionem Paſtorum, quas cum ipſa formula hic apponendas cenſui, ut ex his appareat, quanta cum cautione ad diſpenſationem ſecundum regulas hic præſcriptas ſit procedendum.

Formula teſtimonii hæc eſt: "Facta per me infra„ſcriptum Rectorem Parochialis Eccleſiæ loci de... Di„ſtrictûs.. Diœceſis N. diligenti inquiſitione apud per„ſonas fide dignas ſuper libertate N. N. & N. N. ſub„ditorum prætactæ Parochialis, cupientium inter ſe „ritè contrahere Matrimonium, ſcio & teſtificor eos „ad id eſſe liberos & ab eo non prohiberi per aliquod „canonicum impedimentum. Inſuper ipſos eſſe boni „nominis & famæ, & in Catholica fide quam pro„fitentur, eſſe ſufficienter inſtructos, uti per exa„men deprehendi: denique eorumdem Parentes con„ſentire in prædictum prætenſum Matrimonium, pro„ut ex ore eorumdem Parentum corâm didici. Et „quia prædicti nupturientes excurrunt ut gratiam diſ„penſationis obtineant & allegant pro cauſa quod „&c. Fidem facio cauſam illam revera ſubeſſe. Da„tum &c.

„*Dicitur ſupra* apud perſonas fide dignas, *quia non* „*oportet ſtare dicto ipſorum nupturientium qui ſoli in* „*propria cauſa non ſunt idonei teſtes, ſed neceſſum eſt* „*audire & examinare eorum parentes, propinquos, con*„*domeſticos, vicinos, dominos, ac alios ſimiles.*

"*Dicitur præterea* eorumdem parentes conſentire: *de*„*bet de hoc conſenſu conſtare parentes perſonaliter au*„*diendo, quando id fieri poteſt, vel eos qui parentum loco* „*ſunt. Aut ſi nupturientes ſint ſui juris, exprimatur.*

"*Dicitur denique*, & allegant pro cauſa: *Cauſa hæc non* „*debet eſſe futilis, ſed concludens. & debet D. Paſtor de* „*ejus veritate teſtari, & nupturientes examinare num* „*ſint Catholici, Confirmati, & num ea ſciant quæ ſcitu* „*ſunt neceſſaria ad ſalutem. Si neſciant, debet eos deſu*„*per inſtruere, & non dimittere pro petenda diſpenſa*„*tione prædicta, niſi ea calleant.*

"*Quod ſi nupturientes diverſarum ſint Parochiarum,* „*eorumdem reſpectivi Paſtores debent ſe conformare* „*ſupradictis.*

XXV. Si hæc toties iterata Eccleſiæ mandata, nec non mala quæ ex omiſſione proclamationum oriuntur, ſeriò attendantur, apparebit facilem illum, qui in quibuſdam Diœceſibus inolevit, diſpenſationum uſum eſſe ſummum ac perniciosum abuſum, nullâ conſuetudine, quæ potius corruptela dicenda eſt, juſtificandum; ipſiſque Epiſcopis omnino allaborandum eſſe, ut tam nocivus abuſus tollatur, atque Regulæ Eccleſiæ toties iteratæ & inculcatæ ſerventur.

XXVI. Neque id adeò difficile esse, ostendit non tantùm multarum Diœcesium praxis, nunquam, aut rarò admodum super denuntiationibus, saltem omnibus, dispensandi; sed & exemplum vicinorum Hæreticorum, qui quamvis se nec Synodi Tridentinæ, nec aliarum Catholicarum Synodorum Decretis subjectos agnoscunt, nihilominus ad præcavenda incommoda ex Matrimoniis *clandestinis* nota oriri, politicâ ordinatione anno 1580. *art.* 3. caverunt, ne aliter consistant nuptiæ, quàm si tribus publicis proclamationibus, à Magistratu Loci, singulis diebus Dominicis intercedentibus, post causæ cognitionem concessis, in Ecclesiis è suggestu in facie Ecclesiæ, aut si Reformati non sint, è Curiæ loco publicationi destinato, coram Magistratu pactum connubiale certis solemniis consummetur. Ita Simon Van Leeuvven J.C. Batavus in sua Censura forensi *lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 1. qui dein *n.* 2. addit: „Quarum proclamationum præcipuus effectus est, ut interea quicumque voluerit, & valuerit legitimum impedimentum exponere, se Matrimonio contrahendo opponat. „Quod ut magis innotescat, non solùm eo in loco, in quo „sponsus aut sponsa degunt: sed etiam in quo uterque vel „alteruter natus aut educatus est, vel ubi per annum & „diem proximum fixum habuerint domicilium, publicatio illa fieri debet, ne si sponsus vel sponsa peregre advenerint, fraus aut fallacia committatur.

Si hi prætensi Reformati, solis incommodis ex nuptiis clandestinis orituris permoti, adeò sollicitè has proclamationes præmitti velint; nec cum aliquo cujuscumque conditionis dispensare soleant, uti notorium est: indignum sanè & scandalosum, Episcopos nonnullos, tot etiam Ecclesiæ sanctionibus constrictos, adeò faciles esse in remittendis proclamationibus, ut leges Ecclesiæ tantùm pauperibus, & infimæ quasi plebi præscriptæ videantur; imo, quod pudet dicere, sola nummi carentia ad observantiam legis constringere videatur.

XXVII. Interim cum frequenter Parochi non possint huic abusui totaliter occurrere; sed id præcipuè ab Ordinariis eorumque Officialibus dependeat, ipsi interim saltem solliciti sint, ut juxta Synodorum & Ritualium suorum præscriptum, non nisi causâ cognitâ, & cum magna cautione testimonia pro obtinenda dispensatione expediant; ut si quis in dispensatione committatur abusus, is ipsis equidem imputari nequeat.

Deinde Parochus ut sollicitus pro legum Ecclesiasticarum Zelator, subditos suos sæpius ad hujus legis observantiam adhortetur; exponendo rationes ob quas Ecclesia tam seriò has denuntiationes præmitti voluerit: quàm periculosum & Deo ingratum sit in ipsa Sacramenti susceptione Leges Ecclesiasticas infringere: neque ipsam dispensationem si causâ legitimâ destituta sit, ipsos in totum semper excusare. Denique persuadendo honestioribus, ut se huic legi subjiciant; ut ita suo exemplo alios ad ejus observantiam alliciendo, & ostendendo Legem Ecclesiæ non tantùm pauperibus & infimæ plebi esse præscriptam, benedictionem ampliorem à Deo accipere mereantur.

CAPUT IV.

De Matrimonio & Consensu Matrimoniali.

1. *Matrimonii definitio.*
2. *Matrimonium* legitimum.
3. *Matrimonium* ratum *tantùm.*
4. *Matrimonium* consummatum.
5. *Matrimonium ratum inter Fideles verum Sacramentum.*
6. *Definitio Matrimonii in Decreto pro Armenis quomodo accipienda.*
7. *Quæ sit causa efficiens Matrimonii?*
8. *Consensus matrimonialis per* signa *exprimi potest.*
9. *Non facilè admittenda hujusmodi expressio; & quare.*
10. *Etiam inter absentes potest celebrari.*
11. *Requiritur mandatum speciale.*
12. *Mandatarius ad contractum matrimonialem alium substituere non potest.*
13. *Censetur revocatus, etiamsi revocatio non sit intimata.*
14. *Dissuadenda Matrimonia per Procuratores.*
15. *Matrimonio conditio adjici potest, & quid conditio de præsenti, aut de præterito operetur.*
16. *An contractus matrimonialis sub conditione de futuro contingenti ante eventum conditionis sit Matrimonium?*
17. *An eveniente conditione consensus sit renovandus?*
18. *Quem effectum habeant conditiones turpes aut impossibiles contractui matrimoniali adjectæ?*
19. *Ad validitatem Matrimonii non requiritur consensus Parentum.*
20. *In Belgio Matrimonium invitis parentibus contractum est validum; & quid in Gallia?*
21. *Hujusmodi Matrimonia Ecclesia detestatur.*
22. *Pœna in filios-familias sine consensu parentum decreta in Gallia.*
23. *Qui Edictis pœnalibus non comprehendantur.*
24. *Quomodo puniendi Sacerdotes hujusmodi matrimonio assistentes.*
25. *Edicta Principum nostrorum contra similia Matrimonia.*
26. *Consensum parentum judex supplere potest; & quis sit is judex?*
27. *Quod sit Parochorum officium in dissuadendis Matrimoniis ineundis sine consensu parentum.*
28. *Non semper illicitum contrahere* invitis *parentibus, dum* irrationabiliter *sunt inviti.*
29. *Monendi parentes ne sine justa causa denegent consensum.*
30. *Quid Parocho agendum post contractum Matrimonium invitis parentibus.*

I. Matrimonium generaliter sumptum definitur in *Cap.* 11. X *De Præsumpt.* Maris & fœminæ conjunctio individuam vitæ consuetudinem retinens: eaque jam ante tradita erat à Justiniano in *Institutis De Patria Potestate* §. 1.

II. Matrimonium generaliter sic sumptum tripliciter distinguitur. Aliud dicitur legitimum, id est, secundùm leges Gentium legitimè contractum, non autem in fide Christi, quale est Judæorum & Infidelium.

III. Aliud Matrimonium *ratum*, id est in Ecclesia approbatum, quod inter Christi Fideles legitimè contrahitur: quam distinctionem apertè ponit Pontifex in *Cap.* 7. X *De Divortiis* dicens: Nam etsi Matrimonium *verum* inter „Infideles existat, non tamen est *ratum*: Inter Fideles autem verum & *ratum* existit: quia Sacramentum fidei „quod semel est admissum numquam amittitur, sed *ratum* „efficit conjugii Sacramentum, ut ipsum in conjugibus illo „durante perduret.

IV. Si postquam Matrimonium legitimè contractum est, conjunctio carnalis intercesserit, jam Matrimonium à consummatione operis matrimonialis dicitur *consummatum*.

Quamvis Matrimonium *ratum* etiam ante consummationem sit verum Matrimonium, nihilque ipsi desit ad rationem Matrimonii; nihilominus per consummationem accipit quamdam perfectionem, quantum ad significationem; redditurque vinculum Matrimonii magis indissolubile, ut infrà titulo De Divortiis ostenditur.

V. Ma-

Digitized by Google

V. Matrimonium *ratum* inter Fideles esse verum Sacramentum nemo Catholicorum dubitat, idque tamquam indubitatum exposuit Eugenius IV. in Decreto pro Armenis dicens: " Septimum est Sacramentum „ Matrimonii, quod est signum conjunctionis Christi „ & Ecclesiæ secundum Apostolum dicentem: *Sacra- „ mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo & „ Ecclesia.*

Et Synodus Tridentina *Sess. 24. Can. 1. De Sacram. Matrimonii* ait: "Si quis dixerit Matrimonium non es- „ se verè & propriè unum ex septem legis Evangelicæ „ Sacramentis à Christo Domino institutum, sed ab „ hominibus in Ecclesia inventum; neque gratiam con- „ ferre, anathema sit.

Hæc dogmata contra nostri temporis Hæreticos, qui negant Matrimonium esse verum Sacramentum, aut gratiam conferre, adstructa & ex Patribus & Scriptura deducta videri possunt apud Theologos, præsertim illos qui ex professo contra Hæreticos puncta Fidei Catholicæ adstruxerunt.

VI. Porro definitio jam data, uti passim notant Theologi & Canonistæ, non exprimit aut declarat causam efficientem Matrimonii, nec ejus substantiam; sed tantùm effectum qui sequitur, & promanat à præcedenti causa; societatem nimirum perpetuam omnis vitæ, quam Tertullianus *libro ad uxorem*, conjunctum appellat, & individuum usum, corporum & animorum conjunctionem individuam.

VII. Causa igitur efficiens & perficiens Matrimonium est mutuus contrahentium consensus, ut sicuti Sponsalia de futuro contrahuntur solo consensu in nuptias futuras, ità matrimonium per consensum de præsenti in nuptias perficiantur, juxta Regulam Juris; *Nuptias non concubitus, sed consensus facit L.* NUPTIAS *ff. De Regulis Juris.* Unde Pontifex in *Cap. 23.* ✠. *De Sponsalibus*, tamquam indubitatum suæ resolutionis fundamentum assumit, quod *sufficiat ad Matrimonium solus consensus illorum de quorum quacumque conjunctionibus agitur.*

Quod autem dicit Eugenius IV. in citato Decreto pro Armenis: " Causa efficiens Matrimonii, *regulari- „ ter* est mutuus consensus per verba de præsenti expres- „ sus;" nullatenus sic intelligendum, quasi aliquando alia esset causa efficiens Matrimonii quàm *mutuus consensus*; sed quod is consensus non semper sit exprimendus per *verba*; ideoque vocula *regulariter* non refertur ad *mutuum consensum*, sed refertur ad consensum *per verba* de præsenti expressum.

VIII. Sicuti enim in aliis contractibus consensus non *verbis* dumtaxat, sed etiam *signis* & *nutibus* exprimi & manifestari potest; similiter & in contractu matrimoniali; quemadmodum dicitur *Cap. 23.* ✠. *De Sponsalibus*, ibi respondet Pontifex, surdum & mutum posse Matrimonium contrahere: *Cum quod verbis non potest,* SIGNIS *valeat declarare.*

IX. Verùm quia *signa* frequenter dubia & æquivoca sunt, nec tam clarè consensus per illa, quàm per verba exprimi potest; hinc non nisi necessitate quodammodo cogente, signa admittenda adhibenda sunt. Imò ut certius de consensu constet, claram & nullis ambiguitatibus aut æquivocationibus obnoxiam verborum formulam in contractu matrimoniali adhibendam passim Ritualia præscribunt; à qua nec Parochi recedere, nec ut alia forma contrahatur, permittere possunt: quantumvis alio modo etiam per *sola* signa expressus consensus Matrimonium *validum* constituat; si aliud Canonicum non obstat impedimentum.

X. Cum Christus elevando contractum matrimonialem ad rationem Sacramenti, nihil immutaverit de natura contractus, consequens est, quod adinstar aliorum contractuum, qui consensu ineuntur, possit & hic inter absentes per litteras, aut per Mandatarios sive Procuratores perfici; quod ultimum inter Principes non rarò contingit.

XI. Sed quia hic de re summi momenti tractatur, Procurator non aliter censetur idoneus ad matrimonium contrahendum, quàm si ad hoc mandatum habet *speciale*, uti declaratur in *Cap. fin. De Procuratoribus in* VI.

XII. " Et quamvis aliàs is, qui constituitur ad nego- „ tia Procurator alium dare possit: in hoc tamen casu „ (propter magnum quod ex facto tam arduo posset pe- „ riculum imminere) non poterit deputare alium, nisi „ hoc eidem *specialiter* sit commissum." Ità Pontifex in citato Capitulo finali.

XIII. Quin & ibidem tamquam in hoc contractu omninò singulare additur: " Sanè si Procurator ante- „ quam contraxerit, à Domino fuerit revocatus: con- „ tractum postmodum Matrimonium ab eodem (licet „ tam ipse, quam ea cum qua contraxit, *revocationem* hu- „ jusmodi penitus *ignoraverint*) *nullius* momenti existit, „ cùm illius consensus defecerit, sine quo firmitatem „ habere nequivit.

XIV. Ex his sat apparet, qua ratione Matrimonia per Procuratores, & inter absentes multis difficultatibus possint esse obnoxia; ut proinde consulendum sit, ut inter præsentes fiant; nec Parochi propria auctoritate hujusmodi Matrimonia admittere debeant; attento quòd nec inter Theologos omnino conveniat, num hæc Matrimonia veram Sacramenti rationem habeant.

XV. Si solam rationem contractus in Matrimonio spectemus, etiam conditiones & modos ad instar aliorum contractuum adjici patitur.

Conditiones quidem de *præterito* vel *præsenti* si adjiciantur, ipsum consensum non suspendunt; sed si verum sit quod exprimitur, consensus adest; si falsum sit: consensus deest; & consequenter Matrimonium non est: exempli gratia, si sponsus dicat, accipio te in uxorem si nobilis sis, vel si hoc illudve *fecisti* aut *non fecisti.*

XVI. Quoad conditionem de futuro contingenti, exempli gratia, *si pater consenserit*, certum est, quòd si hæc per modum veræ & propriè dictæ conditionis sit adjecta, consensus matrimonialis suspendatur; & per consequens, Matrimonium non censeatur contractum ante conditionis eventum.

Quia autem repugnare videtur, ut quis contrahat Matrimonium requirens consensum *de præsenti*, atque translationem mutuorum corporum; & tamen in futurum à conditionis incerto eventu suspendatur consensus; credunt nonnulli, hoc casu Sponsalia *de futuro* contracta esse potiùs quàm Matrimonium; atque ità Emanuel Gonzales Sacrorum Canonum in Universitate Salmanticensi professor in Commentario ad *Cap. 3.* ✠. *De Conditionibus appositis*; siquidem [ait] non adest consensus *De Præsenti*, sed *de futuro* pendens à conditionis eventu. Idipsum non obscurè tradit S. Thomas in tertia parte *quæst. 47. art. 5.* ubi loquens de Matrimonio contracto per verba de præsenti, sed sub conditione de *futuro* quæ sit *contingens*, ut datio pecuniæ vel acceptatio parentum, ait: „ Et tunc idem est judicium de tali consensu sicut de „ consensu qui fit per verba de futuro, unde non facit „ matrimonium.

XVII. Cùm certum sit, contractum per conditionem appositam suspendi, & eatenus sapere naturam Sponsalium *de futuro*; credunt aliqui quod eveniente conditione requiratur novus consensus; præsertim hodie post Concilium Tridentinum, coram Parocho & testibus renovandus; quod affirmat post plures citatos Gonzales loco citato; quod licet in rigore verum non videatur, tamen non dubium, quin in praxi hoc tutius sit; præcipuè

præcipuè si conditio longo temporis intervallo post contractum eveniat; ut meritò dubitari queat, num primus consensus adhuc virtualiter perseveret.

XVIII. Conditiones turpes & impossibiles, propter favorem Matrimonii, pro non adjectis habendas esse constituit Pontifex in *Cap. fin.* ℞. *De Conditionibus appositis.*

Porrò hæc Decretalis intelligenda videtur, de conditionibus appositis, non propriè conditionaliter, sed ut modus quidam. Si enim contrahentes absolutè voluissent suum consensum ab eventu conditionis turpis suspendi, non apparet, qua ratione posset ante eventum hujus conditionis dici verum Matrimonium: cum hoc sine consensu contrahentium haberi nequeat; quemadmodum constat ex *Cap.* 26. ℞. *De Sponsalibus.*

Similiter quod in eadem Decretali dicitur de conditionibus *substantiæ* Matrimonii repugnantibus; has scilicet Matrimonium invalidum reddere, etiam de conditionibus modaliter potius, quam conditionaliter expressis intelligendum; & juri merè positivo, saltem quoad aliquas conditiones adscribendum videtur.

Cæterum plura de consensu conditionato addere non est visum: tum quod rarò Matrimonia sub conditione ineantur; & meritò ob difficultates & quæstiones inde orituras dissuadeantur; neque à Parocho, ut coram se ineantur, admittenda.

XIX. Præter consensum ipsorum contrahentium aliorum consensum, nequidem parentum, etiam respectu filiorum familias, quantumvis *minorennium* requiri ad validitatem Matrimonii declarat Synodus Tridentina anathemate damnans eos, "qui falsò affirmant, Matrimonia à Filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse." *Sess.* 24. *cap.* 1. *De Reformat. Matrim.*

XX. Quapropter hic in Belgio Matrimonia filiorum familias *invitis* aut *non consultis* parentibus pro *validis* habentur; quamvis in Gallia si Regia Edicta in rigore verborum accipiantur, hujusmodi Matrimonia *invalida* videantur; saltem si probari queat, quod *seductio*, quæ speciem *raptus* præfert intercesserit; quemadmodum deducit Claudius De Blondeau in Bibliotheca Canonica, verbo *Mariages*, *pag.* 84. ut ità in validitatem Matrimonii non refundant in defectum consensus parentum; sed in crimen *raptus*; quod esse impedimentum dirimens ipsa Synodus Tridentina agnoscit.

XXI. Illud equidem constat, quod similia Matrimonia filiorum sine consensu parentum contracta sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper detestata sit atque prohibuerit, uti loquitur Synodus Tridentina dicto *Cap.* 1.

Nequaquam proinde menti Ecclesiæ contrariantur Principum leges, dum hujusmodi Matrimonia etiam suis legibus prohibent; atque contrahentes, aut ad ea quomodolibet concurrentes puniunt; quin & effectibus civilibus similia Matrimonia evacuant; sed potius Ecclesiæ obsecundant & ejus sanctiones suis legibus adjuvant.

XXII. Henricus II. Rex Galliæ Edicto suo anno 1556. *art.* 1. statuit, quod filiifamilias qui contraxerint, aut contrahent imposterum Matrimonia clandestina invitis, aut insciis patre & matre, poterunt propter commissam hanc ingratitudinem, vituperium & contemptum suorum dictorum parentum, transgressionem legis divinæ, & læsam honestatem publicam à suis respectivè parentibus exhæredari, & excludi ab eorum successione, absque spe alicujus quærelæ adversùs hujusmodi exhæredationem recipiendæ. Quin & liberum sit parentibus revocare omnes & singulas donationes liberis suis factas. Insuper liberi sic juncti Matrimonio, in casum hujusmodi exhæredationis declarantur incapaces omnium jurium & emolumentorum, vi matrimonialium contractuum, & testamentorum, legumve aut consuetudinum municipalium beneficio illis aliàs quærendorum.

Insuper decernit, ut liberi insciis aut invitis parentibus juncti, & quicumque operam aut consilium hujusmodi Matrimoniis perficiendis præstiterint, subjiciantur pœnis arbitrariis statuendis pro casûs exigentia per Judices Regios; ad quos horum cognitionem pertinere vult; & quorum conscientiam onerat.

XXIII. Declarat tamen, quod non intendat hoc suo Edicto comprehendi Matrimonia contracta à filiisfamilias excedentibus annos triginta; aut filiabus excedentibus annos viginti quinque, modo saltem requisiverint consilium parentum. Similiter si eorum mater transierit ad secundas nuptias, sufficiet ejus consilium expetere.

XXIV. Per Edictum Henrici III. an. 1579. Blesis editum *art.* 40. inhibetur Parochis, Vicariis aliisque qui solemnizationi Matrimoniali assistunt, ut si conjungendi sint filiifamilias, aut aliorum potestati subjecti, ad solemnizationem procedere, nisi ipsis constet de consensu parentum, tutorum, aut curatorum; aliàs puniendi, ut fautores criminis raptûs.

XXV. Eadem penè Edictis Caroli V. 4. Octobris 1540. & Philippi IV. 29. Novembris 1623. pro Belgicis hisce Provinciis decreta sunt; ac præsertim Edicto posteriore; quo decernitur "ut filiifamilias minores 25. „ annis, qui insciis aut invitis parentibus, & omnes mi„ nores qui sine consilio & consensu proximorum con„ sanguineorum, paterni & materni lateris, & tuto„ rum seu curatorum cujuscumque sint qualitatis, con„ traxerint, incapaces sint omnium lucrorum quæ dire„ ctè vel indirectè alter ab altero petere posset, per „ conventiones, donationes inter vivos aut causâ mor„ tis; testamenta, successiones, consuetudinem, seu „ alium quemcumq; modum; declarando irritas quas„ cumque conventiones & donationes in alterutrius u„ tilitatem pactas; eaque dispositio vigeat, quamvis „ posteà parentum consensus superveniat.

"Possint hujusmodi etiam filiifamilias à patre & matre „ exhæredari, nec recipiatur quærela sub prætextu legi„ timæ dotis, alimentationis, aut consuetudinariæ de„ volutionis quoad bona profecta à latere superstitis, „ qui ex eis filio inobedienti jus adimere potest; non „ aliis tamen, quibus ex eadem devolutione jus ali„ quod debitum sit.

Habetur prius Edictum parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1. Posterius verò *parte* 2. *libro.* 3. *Rubrica* 1.

Non comprehenduntur hoc Edicto filiifamilias majores 25. annis, dummodo *consilium* parentum requisierint; quod etiam à matre quæ ad secundas nuptias transivit requiri sufficit.

Itaque juxta Edicta hæc, licet Matrimonia filiorum familias etiam minorennium sine consensu parentum non sint irrita seu invalida in ratione Sacramenti, verumque vinculum Matrimonii inter taliter conjugatos consistat, sunt tamen quodammodo nulla quoad effectus civiles, quibus vi horum Edictorum destituuntur.

XXVI. Neque effectus hos hujusmodi Matrimonia obtinebunt, tametsi prætendatur, contractus jam nuptiis, parentes *irrationabiliter* contradixisse, nisi judex ipse jam prius de hac irrationabilitate cognoverit & pronuntiaverit; atque ità *auctore* judice Matrimonium celebratum fuerit.

Edictum enim Caroli V. ad quod & Edictum Philippi IV. se refert, dissensum ad censuram judicis remittit: qui rationes exiget: quæ si legitimæ non fuerint, Magistratus Parentum officium supplebit, & aucto-

auctoritate sua contrahendi facultatem faciet; & tunc pœnæ eximitur quod auctore judice sit.

Sub Magistratu seu judice, tam Ecclesiasticum, quàm civilem intelligi vult Zypæus in Notitia juris Belgici *titulo De Sponsalibus nu.* 8. quod eò magis (ait) apud nos rationabile est, si apud Batavos Ministri Hæretici hac in parte vicem Magistratus obeant, quemadmodum testatur Grotius in Isagoge ad Jus Hollandicum *lib.* 1. *parte* 5.

Quidquid sit, cùm hic præcipuè agatur de validatione Matrimonii quoad effectus *merè civiles*, & de observantia aut contraventione Regiorum Edictorum, consultius est, & Judicis Regii auctoritatem interponere; quod & Zypæus agnoscit, verbis suprà relatis subjungens: ad vitandas tamen "calumnias suasero, ut ci„vilis etiam Magistratus judicium interveniat.

XXVII. Ut autem infaustis his filiorum familias Matrimoniis occurratur, Parochi sæpius ostendere debent, quam grave sit, atque ipsi Divino præcepto de honorandis parentibus directissimè oppositum, in re tanti momenti negligere parentes, nec eorumque desiderio obsequi.

Adhæc, ut parentes consulantur, non tantùm debitam erga parentes reverentiam exigere, sed etiam bonum ipsorum filiorum, quos in delectu uxoris non rarò excæcat libido, præcipitantia, & juvenilis incircumspectio; ac insuper utriusque familiæ pax, aliaque innumera, quæ ex Matrimoniis hujusmodi oriri solent mala; & quod, sicuti Matrimoniorum, sic contractorum pessimum est initium, ità quoque infaustus esse soleat progressus & finis.

XXVIII. Ostendendum quoque filiis non esse licitum semper invitis parentibus contrahere Matrimonium, quantumvis etiam *irrationabiliter* essent inviti: eò quod non rarò mala sequutura ex hujusmodi Matrimoniis invitis parentibus contractis, sint majora, quam bonum ex Matrimoniis illis sperandum.

XXIX. At dum de his monentur filii, unà quoque parentes instruendi sunt de culpa, quam incurrunt, si consensum suum negando, aut protelando prolium suarum Matrimonia ex motivis humanis sæpius insufficientibus, ac parum Christianis, causa sint, quod proles in pessima quæque ruant.

XXX. Contracto autem matrimonio, Parochi erit, pacem inter filium & parentes conciliare; atque filium ad satisfactionem, & veniæ postulationem, & patrem ad benignitatem & indulgentiam inflectere, atque S. Ambrosii modum agendi cum Sisinnio, quo invito filius uxorem duxerat, imitari. Patrem filio jure iratum agnovit Ambrosius, filium ad officium revocavit, & ad veniam rogandum adduxit, patrem filio reconciliavit, ejusque ac nurus benevolam susceptionem Sisinnio gratulatus *epistola* 64. quæ à Parochis merito in simili occasione legetur.

Prædicta ferè brevi Decreto comprehendit Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 7. *capite* 43. Postquam dixit, "optandum esse, ut Canon Evaristi Pontificis „(apud Gratianum *caus.* 30. *quæst.* 5. *Can.* 1.) Con„cilio generali renovetur, tollanturque illa clandestina „Matrimonia, quæ invitis parentibus, ac propinquis „Veneris potius, quàm Dei causa contrahuntur: nam quanta ex his clandestinis Matrimoniis mala suboriantur in aperto est. Dein addit." Quantum fieri potest, „cavebit Parochus, ne liberos citra parentum auctori„tatem conjungat. Quod si parentes negligentes fuerint, „aut in admittendo matrimonio jam contracto rigidi„ores negatores, admonebit eos, ut liberos maturæ ætatis „elocent, neve vinculo jam per Ecclesiam indissolubili „pertinacius obluctentur.

CAPUT V.

Coram quo Matrimonium contrahendum.

1. *Olim coram Sacerdote nuptiæ contrahebantur.*
2. *Cur Ecclesia voluerit publicè coram Sacerdote Matrimonium contrahi?*
3. *Decretum Concilii Tridentini contra Matrimonia clandestina.*
4. *Vi illius Decreti præsentia Parochi aut alterius Sacerdotis de ejus licentia requiritur ad* validitatem *Matrimonii.*
5. *Sufficit Parochus alterutrius contrahentium.*
6. *Parochus alterutrius intelligitur Parochus* domicilii
7. *Unde æstimandum sit, an quis certo loco domicilium habeat?*
8. *Potest quis duplicem Parochum proprium habere.*
9. *Qui censeantur nullum domicilium, neque* proprium *Parochum habere?*
10. *An carentes proprio domicilio debeant contrahere coram Parocho loci, in quo tempore contrahendi Matrimonii consistunt.*
11. *Quid si alteruter Desponsorum* proprium *Parochum habitationis habeat, an coram eo contrahendum?*
12. *Decretum Synodi Tridentinæ circa Matrimonia Vagabundorum.*
13. *Quid circa hæc ab Ordinariis & Parochis observata velint Synodi Belgicæ.*
14. *Si ex consuetudine aut statuto sit aliquis* proprius *Vagabundorum Parochus, corā eo erit contrahendū.*
15. *Milites ubi domicilium habere censeantur?*
16. *Quid de Militum Matrimonio hic in Belgio; & quis pro milite habendus?*
17. *Assistentia Parochi non est actus jurisdictionis propriè dictus; & quæ inde consectaria.*
18. *Potest auctoritatem assistendi alteri Sacerdoti delegare.*
19. *Quomodo & quando hæc auctoritas dari debeat.*
20. *An Vice-Pastores, Deservitores, aut Vicarii amovibiles possint alteri licentiam assistendi dare.*
21. *Ordinarius per totam Diœcesim assistere, & alteri licentiam assistendi dare potest: & quis habeatur* Ordinarius.
22. *An invito Parocho dare queat alteri licentiam.*
23. *Requiritur præsentia testium; eaque simultanea cum Parocho.*
24. *Non requiruntur testes* omni exceptione *majores; & quare.*
25. *Præsentia Parochi debet esse moralis.*
26. *Matrimonium initum coram Parocho reluctante & invito potest esse validum.*
27. *Nec ignorantia, nec impossibilitas præsentiam Parochi supplent.*
28. *Matrimonium contractum in articulo mortis coram* Parocho *& testibus subinde est invalidum in Gallia quoad effectus civiles.*
29. *Matrimonia clandestina non sunt* invalida *in locis, in quibus Decretum Concilii Tridentini non est promulgatum.*
30. *In his vicinisque* Provinciis *sufficienter est publicatum.*
31. *Defectum* Parochi *generalis quædam necessitas supplere potest etiam in locis, ubi Decretum est publicatum.*
32. *Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu aut Ministro Acatholico in* Provinciis *Confœderatis reputantur* valida.
33. *Prima ratio ab incommodis.*
34. *Secunda ex morali impossibilitate.*
35. *Tertia ratio ex fine ipsius Decreti.*
36. *Quod obtinet in Matrimonio utriusq; partis Acatholicæ, etiam obtinet, si altera duntaxat sit Acatholica.*

37. *Sententia Doctorum Parisiensium de validitate similium Matrimoniorum.*

38. *Fortiter resistendum Matrimoniis partis Catholicæ cum Acatholica.*

39. *Sine licentia Vicarii Apostolici non licet Missionariis hujusmodi Matrimonio assistere.*

I. JAm pridem moris fuisse, ut Christianorum nuptiæ non nisi cum benedictione Sacerdotali, ac ipso Sacerdote Ecclesiæ nomine eas probante contraherentur, disertis verbis expressit Tertullianus libro *De Pudicitia.* " Ideo penes nos (ait) *occultæ* „ quoque conjunctiones, id est, non prius apud *Eccle-* „ *siam* professæ, juxta mœchiam & fornicationem judi- „ cari periclitantur.

Et ante Tertullianum Martyr Ignatius Epistola ad Polycarpum. " Decet verò ut ducentes uxores & nu- „ bentes, cum *Episcopi* arbitrio conjungantur, ut nu- „ ptiæ juxta Domini præceptum sint, non autem ad „ concupiscentiam.

Legitur quoque in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 179. " Prius conveniendus est Sacerdos in „ cujus Parochia nuptiæ fieri debent in Ecclesia coram „ populo. Et ibi inquirere una cum populo ipse sacer- „ dos debet, si ejus propinqua sit an non, aut alterius „ uxor, vel sponsa vel adultera. Et si licita & honesta „ omnia pariter invenerit, tunc per consilium & be- „ nedictionem sacerdotis & consultu aliorum bo- „ norum hominum eam sponsare & legitimè dotare „ debet.

Idipsum legitur in Canonibus Isaaci Episcopi Lingonensis *tit.* 5. *Canon.* 6. & anno 909. in Synodo Troslea-na sub Herveo Archiepiscopo Remensi *capite* 8. renovatum fuit.

II. Rationem verò cur occultas conjunctiones vetarent easque publicè coram Sacerdote fieri vellent, præmittunt: " Quia sæpe in nuptiis *clam* factis gravia pec- „ cata tam in sponsis aliorum, quam & in propinquis „ sive adulterinis conjugiis, & quod pejus est dicere, „ consanguineis adcrescunt & adcumulantur.

Ob hæc aliave gravissima incommoda ex clandestinis Matrimoniis oriri solita, semper Ecclesia ea detestata est; iteratisque Decretis, etiam sub gravissimis pœnis prohibuit.

III. At Synodus Tridentina animadvertens, prohibitiones illas, propter hominum inobedientiam jam non prodesse; ac insuper perpendens gravia peccata & incommoda, quæ ex hujusmodi clandestinis conjugiis quotidiè oriuntur; præsertim verò eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua *clam* contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt; cui malo cùm ab Ecclesia, quæ de *occultis* non judicat, succurri non possit, efficacius aliquod remedium adhibendum censuit: atque præter publicas denuntiationes, quas juxta modum suprà *cap.* 3. descriptum, præmitti voluit, insuper declaravit & statuit: " Qui aliter quam „ præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Paro- „ chi seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testi- „ bus Matrimonium contrahere attentabunt, eos sancta „ Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles red- „ dit: & hujusmodi contractus irritos & nullos esse de- „ cernit, prout eos præsenti Decreto irritos facit & an- „ nullat.

IV. Quamvis etiam non obstante Decreto Concilii Tridentini disputetur inter Theologos, an Parochus sit verus Minister Sacramenti Matrimonii, an verò ipsi Contrahentes; atque verisimilior videatur sententia affirmantium hos esse Ministros: nihilominus illud certum est, Parochi alteriusve Sacerdotis de Parochi seu Ordinarii licentia adeo necessariam assistentiam, ut ni assistat, ex Decreto Concilii Tridentini non illicitum dumtaxat, sed & *invalidum* sit Matrimonium.

V. Cùm Synodus simpliciter requirat præsentiam Parochi, non *Parochorum*; neque exprimat: an viri, an mulieris, receptum est, quod si Desponsi sint diversarum Parochiarum, alterutrius Contrahentium Parochi præsentiam sufficere; & ità S. Congregationem declarasse refert Fagnanus ad Cap. QUOD NOBIS 11. *De Clandest. Desponsat.* eique moderna & notoria praxis suffragatur.

Consuetudo in multis locis habet, ut potius coram Parocho mulieris, quam viri Matrimonium contrahatur: quæ consuetudo in honestate fundamentum habet, adeòque est meritò servanda, uti supra *cap.* 1. circa Sponsalia notatum est.

VI. Est autem proprius Parochus, qui vi Decreti Concilii Tridentini Matrimonio assistere debet, is, in cujus Parochia alter domicilium habet, ait Rituale Mechliniense; & communis praxis suffragatur.

Non sufficit ergo Parochus *originis*, sed requiritur Parochus *domicilii*, sive illius Parochiæ in qua tempore contractùs Matrimonii alter saltem contrahentium morabatur, ut juxta vulgarem & communem modum loquendi, ibi domicilium habere, sive habitare censeretur; quamvis non ità fixum, nec eo animo, ut eo loco perpetuo manere intenderet.

VII. Imò quis domicilium sufficienter ad hunc effectum habere censendus est, tametsi eo animo ibidem moretur, ut post certi temporis lapsum inde sit recursurus; quin & ipsa negotia ob quæ ibidem moratur id apertè significent: uti in Scholaribus Academicis manifestum est. Licet enim hi dumtaxat pro tempore studiorum Academicum Domicilium eligant; quia tamen pro eo tempore, juxta communem & vulgarem loquendi modum, in Academia habitare dicuntur, Parochus Parochiæ in qua pro eo tempore morantur, *proprius* ipsorum Parochus in ordine ad contrahendum Matrimonium habetur.

E contrario si quis tantum recreationis, aut litis alteriusve negotii prosequendi causa in aliquo loco, tametsi notabili etiam tempore, subsistat, non propterea ibi domicilium elegisse censebitur: eo quod juxta moralem modum loquendi ibidem habitare non judicentur. Ex vulgari itaque æstimatione, & loquendi modo multum dependet, ut definiatur, ubinam quis Domicilium dicendus sit habere, ut coram Parocho loci Matrimonium validè contrahere queat. Et quidem in particularibus casibus ex circumstantiis concurrentibus faciliùs & securius id determinari potest, quam per generalem aliquam regulam definiri aut describi.

VIII. Hoc constat, quod subinde quis possit in duabus Parochiis eodem tempore habere Domicilium; si nimirum juxta moralem loquendi modum in utraque sic familiam instituat, ut utrobique juxta moralem & vulgarem loquendi modum habitare censeatur; licet in uno forsan loco frequentius personaliter resideat, quam in altero.

IX. Cum proprius Parochus dicatur à Domicilio habitationis, consequens est, quod hi qui tale domicilium non habent, nec *proprium* quoque Parochum habere censendi sint.

Porrò qui hujusmodi domicilio carent, dicuntur *Vagi* seu Vagantes & incertas sedes habentes. Unde tales etiam habendi sunt, qui Domicilium deserentes, navigant, vel iter faciunt, quærentes ubi se collocent: Hi enim domicilio carentes eatenus Vagantes dicuntur, & incertas sedes habentes: uti notat Sanchez *lib.* 3. *De Matrimonio Disp.* 25. *num.* 2. qui dein *nu.* 5. notat, etiam & illum meritò posse *vagum* appellari, qui relicto

relicto suo Domicilio iter facit ad locum in quo domicilium constituere destinavit: eò quod hactenus pro eo tempore quo est in itinere, nullum domicilium habeat; utpote priore deserto, & secundo nondum occupato.

X. Cum igitur Tridentina Synodus exigat ad validitatem Matrimonii præsentiam *proprii* Parochi habitationis sive domicilii, non apparet, qua ratione in Vagis sive Vagabundis illis hoc Decretum in omni suo rigore servari queat quandoquidem hi, ex supposito, *proprio* Parocho habitationis seu domicilii careant.

Concludendum ergo apparet, quod dum hoc Decretum respectu vagantium non potest quoad omnia exactè servari, eò quod *proprii* Parochi, præsentia haberi nequeat; saltem servetur quantum potest: uti notat Zypæus *Resp.* 7. *De Sponsalibus.*

Hinc consequens est, quòd dum vagabundi non possunt coram suo *proprio* Parocho contrahere, saltem contrahere debeant in præsentia *Parochi* loci in quo tempore contrahendi Matrimonii consistunt; neque possint eo loco coram alio Parocho, aut Sacerdote sine licentia Parochi loci Matrimonium inire. Quin & ipsa Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 27. *De Reformat Matrim.* sat ostendit, vagabundos coram Parocho debere contrahere, ubi *Parochus præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint*, nisi servatis iis quæ ibidem præscribuntur; cui & communis praxis consonat.

XI. Ulterius, si supponatur sponsus esse vagabundus sive omni domicilio destitutus, sponsa autem domicilium fixum habeat, & consequenter *proprium* Parochum habitationis, videtur coram hoc Parocho contrahendum: eò quòd sic Concilio Tridentino satisfieri queat, quod requirit præsentiam *proprii* Parochi.

Dum enim vagabundi coram Parocho, in quo tempore contrahendi Matrimonii reperiuntur, contrahunt, nequaquam in rigore coram *proprio* Parocho habitationis contrahunt; & eatenus ob necessitatem à Decreto Concilii receditur: qui recessus admittendus non apparet, dum alteruter contrahentium *proprium* habitationis Parochum habet: eò quod hoc casu Decreto Concilii Tridentini satisfieri queat, contrahendo coram *proprio* Parocho sponsæ non vagabundæ.

XII. Synodus Tridentina advertens, quòd multi qui „vagantur & incertas habent sedes, prima uxore relicta, aliam & plerumque *plures* illa vivente, diversis „in locis ducant, omnes ad quos spectat, paternè monet, ne hoc genus hominum vagantium ad Matrimonium facilè recipiant, Magistratus etiam seculares „hortatur, ut eos severè coerceant. Parochis autem præcipit, ne illorum Matrimoniis intersint, nisi prius „diligentem inquisitionem fecerint, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi obtinuerint, „Citato *Cap.* 7.

XIII. Decreti hujus executionem Synodi Belgicæ uno consensu urgent, vultque Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 6. ut licentia ab Ordinario obtineatur *in scriptis*: *neque ea licentia sine causa cognitione & matura deliberatione detur.*

Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 11. *cap.* 5. vult, ut „ignoti, & qui certas sedes non habent, non admittantur ad contrahendum Matrimonium, nisi præviis attestationibus Pastoris, ubi novissimam fecerint residentiam, aut aliorum fide dignorum quorum sigilla „vel signaturæ sint Pastori, coram quo contrahere volent, bene notæ, aut sufficienti aliorum depositione „apud eundem comprobatæ.

Non dubium ergo, summâ circumspectione, & non nisi auctoritate Superiorum à Parochis hujusmodi Matrimonia esse solemnizanda, sed tamen quia in hoc Decreto nulla clausula irritans apposita est, si Parochus neglectis iis quæ à Synodis sunt præscripta, Matrimonio astiterit, *validum* erit Matrimonium; quamvis Parochus graviter deliquerit, & à Superiore promerito castigandus sit; uti post Sanchez notat Zypæus in jure Novo *tit. De Sponsalibus num.* 13.

XIV. Advertit quoque Zypæus *Resp.* 7. *De Sponsalibus*, quod omnia Concilii in citato *capite* 7. verba sint prohibitiva, non permissiva libertatis alicujus quoad vagos; aut concessima jurisdictionis quo ad Parochos.

Hinc ulterius concludit: "Si qua in civitate peculia„ris ac proprius constituatur vagorum hujusmodi Pa„rochus, coram aliis ibi contractum Matrimonium e„rit irritum, tamquam non coram proprio contractum, „cum is ibi exstet.

XV. Milites nomine vagorum non veniunt, eò quòd ordinariè domicilium propriumque Parochum habere censeantur. Et quidem miles domicilium habere dicitur *ubi meret si nihil in patria possideat. L.* 23. §. 1. *ff. Ad Municipalem.*

Multi autem ex hodiernis militibus in patria nihil possident, adeoque ii ubi *merent* domicilium habere videntur; & sic facilè ibi Parochum ut proprium sortiri, ubi in præsidiis, aut aliter morantur, non tantum per modum transitûs L. HÆRES ABSENS §. PROINDE. *ff. de Judiciis.* Ità Zypæus *Consult.* 1. *num.* 7. *De Off. Ordinarii.*

XVI. Milites in exercitu Regis Catholici hic in Belgio militantes habent suos respectivè cohortium aut legionum Capellanos Castrenses, qui ipsis Sacramenta administrant juxta datam ipsis facultatem à Vicario Apostolico ad Exercitus Regios per Breve Apostolicum constituto.

Quare nec dubium, quin milites in exercitu actu existentes coram suis respectivè Capellanis tamquam propriis Parochis Matrimonium contrahere possint.

Inter Concordata Ordinariorum 23. Jan. 1595. inita, & denuo in Septembri anno 1628. inter Archiepiscopum Mechliniensem ut Delegatum exercitûs, & Episcopos Comprovinciales renovata "relatum est, ut Pa„rochis liberum sit administrare Sacramenta omnibus „divertentibus ad suas Parochias, & sepulturas in iis „morientibus, salvis juribus: Non licebit tamen Paro„chis assistere militibus seu personis de exercitu Ma„trimonium contrahere volentibus; nisi tamquam „Præsidiarii in eorundem Parochorum Parochi„is, resideant." Ità Zypæus *Consult.* 2. *De Officio Ordinarii*; qui ibidem Breve Apostolicum Delegationis ad Exercitus Regios discutit; & sub eodem titulo in *Jure novo* plures dictorum Concordatorum articulos refert; nec non de Militum Matrimoniis in Belgio latè tractat *Consult.* 14. *De Sponsalibus*, ibi specialiter examinat, quandonam hodie aliquis pro milite habendus sit, ut jure militari gaudeat: atque rectè monet *nu.* 16. „Si quis non animo militandi per collusionem nomen „dederit, ut Contra interdictum forsan Ordinarii, à „Castrensi Sacellano conjungatur Matrimonio & mox „quasi à militia mittatur, dicendum erit revera quod „simulata militia verum effectum veri & proprii Paro„chi ei non potuerit producere; adeóque nec Sacel„lanus Castrensis Matrimonio ritè & ratè præesse; nec „ille validè conjungi.

XVII. Parochi assistentia ad validitatem Matrimonii à Synodo Tridentina requisita, non est propriè actus jurisdictionis, sed simpliciter actus Pastoralis, quemadmodum administratio aliorum Sacramentorum; unde & *validum* erit Matrimonium, si Parochus assistat Matrimonio sui Parochiani in aliena Parochia, etiam renitente ac reclamante Parocho istius Parochiæ; quin & in alieno Episcopatu invito Episcopo; uti post alios notat Barbosa De officio Episcopi *parte* 2. *Alleg.* 32. *numer.* 95. ibidem quoque notans, Parochum quan-

quantumvis excommunicatum, suspensum, aut interdictum posse *validè* Matrimonio assistere; eo quod maneat verus Parochus; nec assistendo actum jurisdictionis exerceat.

XVIII. Sicuti Parochus alteri Sacerdoti administrationem Sacramentorum, tamquam eorum *Ordinarius* Minister, delegare potest; ità quoque alteri Sacerdoti facultatem assistendi Matrimonio suorum delegare; uti evidenter supponit Synodus Tridentina in verbis, *vel alio Sacerdote de ipsius Parochi licentia.*

Ex contextu Synodi manifestum est, facultatem hanc non posse à Parocho concedi nisi *Sacerdoti*; unde post Navarrum aliosque resolvit Barbosa loco citato *nu.* 13. Matrimonium de licentia Parochi tempore pestis coram Acolyto contractum esse nullum.

XIX. Sufficit autem quocumque modo, sive voce, sive scripto data fuerit hæc licentia; modo revera data sit tempore illo, quo Matrimonio assistitur; nam si eo tempore defuisse, licet Parochus postmodum licentiam daret, aut assistentiam ratam haberet, nihilominus invalidum est Matrimonium: "Nam etsi (ait Barbosa „ibidem *n.* 129.) regulariter ratihabitio retrotrahatur „& mandato comparetur *Reg.* RATIHABITIONEM *cum* „*vulgaribus De Regulis Juris in* VI. tamen ubi lex vel „statutum præsentiam requirit corpoream, ratihabitio sequens non sufficit ad actum validandum.

XX. Hanc licentiam an etiam dare queant Vice-Pastores, dependet ab auctoritate, quam à Parocho acceperunt; ni enim hæc subdelegandi potestas specialiter ipsis sit data, ea etiam uti non debent: quia cum ipsorum licentia administrandi Sacramenta tantum sit *delegata* & *vicaria*, ea propriè non delegat: cum Delegatus de jure communi subdelegare ordinariè non possit. Deservitor tamen aut Vicarius etiam amovibilis *alteri Sacerdoti* licentiam dare potest; quia, ut inquiunt Canonistæ, Delegatus est ad *universitatem causarum*; cui subdelegandi auctoritas competit: atque ità in praxi servatur.

XXI. Quia Episcopus per totam suam Diœcesim manet una cum Parochis tamquam subsidiariis ordinarius Sacramentorum minister, etiam ipse non tantùm Matrimonio assistere, sed & alteri Sacerdoti licentiam assistendi dare potest; quemadmodum & Synodus Tridentina declarat in verbis: *Vel alio Sacerdote de ipsius Parochi aut* ORDINARII *licentia.*

Nomine *Ordinarii* hic intelligitur Episcopus Diœcesis in qua contrahentes domicilium habent, tùque omnes qui in auctoritatem & jurisdictionem succedunt; ut Capitulum Sede vacante. Vicarius generalis Episcopi, & etiam Capituli Sede vacante: nisi horum auctoritas specialiter in hoc puncto restricta sit.

XXII. Potest quidem Ordinarius hanc licentiam alteri Sacerdoti etiam *invito* Parocho delegare; at id rarò, & non nisi urgente de causa faciendum: eò quòd per hanc delegationem Parocho assistentia matrimonialis jure *ordinario* competens adimatur; ideoque jure suo quasi spolietur, dum hæc licentia alteri datur.

XXIII. Præter præsentiam Parochi alteriusve Sacerdotis de Parochi seu Ordinarii licentia, necessaria est ad validitatem Matrimonii ex præscripto Synodi Tridentinæ, duorum aut trium testium præsentia; quæ *simultanea* debet esse, nec sufficit *successiva*, quia Tridentinum copulativè exigit præsentiam Parochi & testium, per dictionem, & quæ copulat; uti post plures citatos advertit Barbosa *num.* 137.

Juxta Edictum Blesense *art.* 40. requiruntur in Gallia *quatuor* testes; sed quoad hunc numerum testium, articulum illum in nulla Regni Provincia receptum fuisse, testatur Jeunin *pag.* 989. unde passim & ibidem receptum est, duos ad validitatem Matrimonii sufficere.

XXIV. Qualitatem testium nullam expressit Synodus Tridentina; neque posteriores Synodi aut Ritualia aliquam requirunt. Unde admittuntur in testes quicumque mentis compotes, atque intelligere apti quid agatur; viri & mulieres, etiam proximi consanguinei contrahentium, sine exceptione, quæ hic non habet locum; secus in aliis negotiis ubi requiruntur testes *omni exceptione majores.*

Ratio autem cur Synodus constitutionem non restrinxerit ad testes omni exceptione majores fuisse potest, ne obtentu *exceptionum* multoties Matrimonia irritarentur; aut saltem in dubium vocarentur.

XXV. Præsentia Parochi & testium requiritur non corporalis dumtaxat, sed moralis; ità ut sciant & intelligant quid agatur, ipsiusque Parochi atque testium testimonio Matrimonium probari possit, eoque pacto occurri incommodis ex Matrimoniis clandestinis metuendis.

Quare licet Parochus corporaliter esset præsens; sed non intelligeret aut adverteret quid ageretur, invalidum esset matrimonium defectu præsentiæ Parochi; tametsi malitiosè intelligere aut advertere detrectasset. Quia equidem eo casu verum est, non eam fuisse præsentiam Parochi, ut de Matrimonio coram se contracto testari posset; quacumque demum ratione id factum sit; uti probat *Zypæus Consult.* 3. *De Sponsal.*

Similiter insufficiens erit Parochi præsentia, si contrahentes Matrimonium essent retro aliquem parietem, vel Parochus cæcus esset; quia licet verba audiret & intelligeret, non posset securè & certò testari, hos in individuo contraxisse; cum ipsos non vidisset, vox autem facilè fallere possit, & ità post alios docet Barbosa.

XXVI. Præsentia autem moralis sufficit, tametsi Parochus invitus ac planè reluctans præsens fuerit, modò omnia eo modo coram ipso gesta sint, ut certum de iis testimonium dare queat. Idem erit, si alium in finem & per dolum eò vocatus fuerit; aut casualiter ibidem præsens sit, aut etiam quasi transeat: Barbosa ibidem *num.* 85. & 88. Quæ enim ultra moralem præsentiam Parochi & testium requiruntur, tametsi ordinariè citra grave peccatum non omittantur, omissa nihilominus Matrimonium non irritant: ut in his obtineat illud vulgatum. *Multa fieri prohibentur, quæ tamen facta teneat.*

XXVII. Hæc Parochi testiumque præsentiâ adeò necessaria est pro validitate Matrimonii, ut nec *ignorantia* etiam *invincibilis* ejus defectum supplere queat; uti nec *privata* alicujus necessitas: ideoque Matrimonium sine Parochi testiumque præsentia contractum in articulo mortis, aut tempore belli, aut pestis, licet Parochi præsentia haberi nequeat, invalidum esse post alios resolvit Barbosa *n.* 147.

XXVIII. Quin & Matrimonia contracta in articulo mortis etiam in præsentia Parochi & testium ab his qui hucusque in concubinatu vixerunt, & proles illegitimas procrearunt, habentur in Gallia pro *invalidis* ad effectus civiles, per Edictum Ludovici XIII. anni 1639. de quo videri potest Carolus Fevretus in Tractatu De Abusu *lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 43.

XXIX. Quæ hactenus dicta sunt de necessitate præsentiæ Parochi & testium; & *invaliditate* Matrimonii ex ejus defectu resultante, obtinent in locis, in quibus ipsum Tridentinum Concilium quoad hoc punctum publicatum fuit.

Decernit quippe Concilium in fine sui Decreti, "ut „hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum „robur post *triginta* dies habere incipiat, à die *primæ* „*publicationis* in eadem Parochia factæ, numerandos.

Hic sat ostendit Synodus, se noluisse Decretum vim suam habere ad *irritandum* Matrimonium iis in Parochiis

Parochiis, in quibus publicatum numquam fuit, quacumque tandem ratione publicatio impedita fuerit.

XXX. In hisce viciniisque Provinciis & Regnis, si Angliam & Poloniam exceperis, Concilium Tridentinum sufficienter quoad hoc Decretum promulgatum esse, ostendit Eximius D. Huygens in suis Observationibus De Sacramento Matrimonii *cap.* 36. neque de Gallia quoad nullitatem Matrimonii clandestini ex defectu præsentiæ Parochi & testimonium ulla hodie videtur vel minima dubitandi ratio amplius subesse.

Cum ergo in omnibus penè locis hic circumjacentibus publicatio Concilii Tridentini sufficienter facta sit; atque ita nullitas Matrimonii clandestini habeatur, admodum rari incidunt casus contracti Matrimonii in loco, ubi Concilium non est publicatum, ab incolis loco in quo illud publicatum fuit, aut econtra: qui ubi occurrerint, consuli poterit citatus Eximius Auctor, qui casus illos solidè ibidem resolvit; atque inter alia rectè advertit *num.* 13. quod hoc Concilii Decretum non afficiat personas ratione loci ad quem divertunt, vel per quem transeunt; sed ratione loci in quo habitant: ac propterea incolas loci, in quo Decretum est publicatum, non posse validè contrahere clandestinè in loco diversorii, vel transitus ubi non est publicatum.

XXXI. Porrò quod suprà dictum est, nec *necessitatem* supplere defectum Parochi, id expressè restrinxi ad necessitatem *particularem*; nam si generalis aliqua & inevitabilis necessitas fuerit, etiam Concilii Decretum cessabit; uti notatum fuit ob similem inevitabilem necessitatem, Vagantes posse contrahere coram Parocho loci, in quo consistunt dumtaxat & non habitant; eo quod Parochum domicilii non habeant.

Hac ratione fertur Congregatio Cardinalium declarasse, " Quòd ubi etiam constat Decretum Concilii esse „ publicatum, vel aliquo tempore in Parochia tamquam „ Decretum Concilii observatum, sed Parochialis Ec„ clesia utpote vacans proprio Parocho careat, & Ca„ thedralis itidem Episcopo atque Capitulo habentibus „ à Concilio facultatem alium Sacerdotem ad id dele„ gandi; nullusque alius ibi sit, qui vices Parochi aut „ Episcopi suppleat, Matrimonium valere absque præ„ sentia Parochi; " servata tamen in eo, in quo potest, forma Concilii, nempe adhibitis saltem duobus testibus. Apud Zypæum titulo de Sponsalibus *n.* 16.

XXXII. Matrimonia Acatholicorum corā Magistratu politico, aut ministro Acatholico contracta etiam in illis locis, ubi Decretum Concilii Trid. aliquando fuit publicatum, esse valida, etsi nec desit copia Parochi Catholici; neque sic conjunctos ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, esse urgendos coram Parocho consensum matrimonialem renovare, non tantùm in Gallia & Germania, sed in Provinciis Confœderatis, ubi Calvinistæ dominantur, jam à 70. & amplius annis communiter receptum fuit; atque toto quasi orbe spectante pro validis reputata fuêre, quemadmodum nuper in quadam Dissertatione sub titulo Theseos *De Sponsa Duorum* ostendit Eximius D. Martinus de Swaen in hac Academia Sacræ Theologiæ Doctor; eorumque validitatem solidè adstruit; profertque varias easque urgentissimas rationes, ob quas meritò Pontificibus & Episcopis visum sit, Decretum Concilii Tridentini non comprehendere Matrimonia Acatholicorum in Provinciis confœderatis sub temporali dominio Hæreticorum constitutis.

XXXIII. Prima ratio petitur ab utilitate Ecclesiæ & salute animarum. Si enim Matrimonia Acatholicorum coram Magistratu Politico, vel Ministro Acatholico contracta sint invalida, sequetur, " nullum conjuga„ tum Calvinistam posse ad fidem Catholicam converti „ & Ecclesiæ Catholicæ reconciliari, nisi aut deserat „ uxorem hæreticam converti nolentem, nisi agnoscat „ se hucusque in materiali saltem fornicatione cum pu„ tatitia sua uxore vixisse; vel nisi illa consentiat (quod „ rarò hodie contingere videmus) de novo inire con„ tractum conjugalem coram Presbytero. " Hæc ille §. 5.

" Quantum conversioni Acatholicorum hæc senten„ tia ponat impedimentum; & quantum contra Catho„ licos persecutionem excitare nata sit, (pergit Svva„ nius) nemo est qui non percipiat. Econtra autem si „ valida censeantur Matrimonia coram Acatholico Ma„ gistratu vel Ministro Calvinistico in fœderato Belgio „ inita, cessant incommoda enarrata, & conversioni A„ catholicorum ostium aperitur.

Refert deinde Eximius Auctor, hanc rationem purpuratis Patribus exposuisse magnum illum ac nominatissimum Præsulem Episcopum Castoriensem per Provincias confœderatas Vicarium Apostolicum, cum anno 1671. Romæ negotia suæ missionis ageret; eosque respondisse, *non convenire ut quæstio illa à S. Officio definiatur, verum statueret ipse, quod crederet animarum sibi creditarum saluti maximè expedire.* Et eodem anno respondit eidem Antistiti Pœnitentiaria Romana, se sentire, quod Matrimonia Acatholicorum in Belgio fœderato inita coram Magistratu vel Ministro Calvinista, deberent haberi *valida.*

Quanto autem studio & zelo præfatus Præsul post suum ex Urbe reditum Pastoribus sibi subditis inculcare conatus sit, hujusmodi Matrimonia habenda esse pro validis, multis ostendit Svvanius.

XXXIV. Secundum rationem pro validitate hujusmodi Matrimoniorum petit citatus Auctor ex eo, quod moraliter sit impossibilis observatio Decreti Concilii Tridentini de contrahendo Matrimonio coram *Parocho Catholico* inter Acatholicos, quamdiu in his Provinciis Religio Acatholica dominatum tenet: quam moralem impossibilitatem multis iisque solidissimis rationibus evincit.

XXXV. Tertia ratio pro validitate horum Matrimoniorum desumitur ex scopo ipsius Decreti Concilii Tridentini, qui est, ut incommoda ex Matrimoniis clandestinis quæ in foro externo probari non poterant, provenientia evitarentur. Scopus autem hic in Provinciis hisce obtinetur, dum Matrimonia publicè coram Magistratu vel Ministro Acatholico & testibus contrahuntur, idque non aliter quam prævijs tribus distinctis publicis proclamationibus: adeo ut non minus apud ipsos Acatholicos quàm apud Catholicos exulent Matrimonia clandestina, ideoque fine Decreti cessante, non apparet ratio, cur ejus observantia urgeri debeat, præsertim cum maximis illis incommodis quæ ex urgenda hac observantia sequerentur; uti latius videre licet apud Svvanium; nec non Eximius D. Huygens qui in suis Observationibus de Sacramento Matrimonii horum Matrimoniorum validitatem similiter adstruit; & argumentis in contrarium adduci solitis respondet; atque signanter notat ex Svvanio, resolutionem Cardinalium datam Sasboldo Vicario Apostolico, relatam à Zypæo titulo *De Sponsalibus num.* 16. quâ dicta Matrimonia declarantur *invalida* emanasse id temporis, quo Rex Catholicus nullum adhuc jus liberæ Reipublicæ Provinciis illis cesserat; atque nullius adhuc Religionis pacificum, nisi solius Catholicæ, indulgeret exercitium, exturbans ubicumque poterat Ministros Acatholicos. Quid nî pro hoc tempore declarare potuit S. Congregatio Decretum Concilii Tridentini, etiam Acatholicos obligare; cum nec tunc subessent, nec timerentur incommoda illa, & observantiæ impossibilitas, quæ hodie mutato politico regimine, & publico religionis exercitio ex necessitate observantiæ istius Decreti orirentur; uti fusius exponit Svvanius §. 6.

XXXVI. Quod de validitate Matrimonii Acatholicorum

rum coram Magistratu vel Ministro Heretico dictum est; id quoque obtinere tametsi altera pars contrahentium sit Catholica multis solidisque argumentis evincit Suvanius §. 7.

Si enim Matrimonia sint *valida* contracta coram Magistratu vel Ministro Hæretico, dum utraque pars est Acatholica; etiam *valida* dicenda videntur, tametsi una pars duntaxat sit Acatholica; eodem argumento, quo Matrimonium contractum in loco ubi Decretum Concilii Tridentini non est publicatum, esset *validum* clandestinè initum, licet una tantum pars in loco isto domicilium haberet, altera verò in loco in quo Decretum est publicatum, & ita decisum fuisse à S. Congregatione refert Wamesius *Consilio Can.* 530.

Plura argumenta pro validitate hujusmodi Matrimonii adducit ibidem Suvanius, dicitque se non ita pridem ex Amplissimo D. Van Heussen Provicario Ultrajectino Viro rerum Provinciarum istarum apprimè gnaro didicisse sequentia. " Primò quod Presbyteri de Clero „ eos, qui coram Ministro, vel Magistratu Acatholico „ conjuncti sunt, & quorum pars altera est Acatholi-„ ca, passim non soleant de novo conjungere.

„ 2. Quod constet plures ex Religiosis & inter illos „ etiam PP. Societatis eidem sententiæ, praxique se „ conformare.

„ 3. Quod constet, similia conjugia ante tempora „ Illust. Castoriensis (quamvis non ita universaliter) „ uti valida fuisse habita.

„ 4. Quod præfatus Præsul post suum ex Urbe re-„ ditum (accidit is an. 1671.) expositis S. Congrega-„ tioni sententiæ suæ in hoc motivis, acceptoque ab „ eodem responso, faceret ipse, *quod magis in his re-„ gionibus congrueret*, praxim jam dictam efficacius „ frequentiùsque promoverit.

„ 5. Quod matrimonia memorata ab Acatholicis, „ dum juxta Patriæ leges & consuetudines sunt contra-„ cta, similiter tamquam valida reputentur.

XXXVII. Quin & §. 8. testatur quatuor Doctores & Pastores Parisienses consulto ab Episcopo Castoriensi respondisse, quod Hæretici iis in locis Franciæ, ubi libere habitare permittuntur, & ubi sui exercitii liberam habent Ecclesiam, Matrimonio jungantur coram Pseudo-Ministris suis, non coram Parochis, quos Pseudo-Ministros patitur Ecclesia vicem Parochorum illis gerere hac in parte. Si verò hi ad fidem Catholicam convertantur ad S. Communionem vel Sacramentalem admittantur, etiamsi non celebraverint de novo Matrimonium coram proprio Parocho. Ulterius si alter convertatur, altera in hæresi manente, non negetur converso S. Communio vel absolutio in Francia, donec ambo compareant coram Parocho; neque liceat converso ad fidem deserere partem hæreticam, & alteri nubere; etsi hæc nolit coram Parocho consensum renovare. Denique non sit *invalidum* Matrimonium contractum non coram Parocho, sed tantum coram Pseudo-Ministro, tametsi altera pars esset *Catholica*.

XXXVIII. Resolutioni tamen casus finalis meritò addunt hanc salutarem clausulā: *Cæterum non licet, & gravissimè Catholicus peccat.* Neque enim ullus negat, quin Catholici gravissimè peccare soleant, cum hæreticis Matrimonia ineundo; hæcq; Matrimonia ob multiplicia incommoda, ac præsertim præsentaneum periculum perversionis ad hæresim & parti Catholicæ, nec non prolibus imminens, esse planè detestanda; atque Parochos debere merito sollicitos esse, ut tum in concionibus, & Confessionibus, tum privatis colloquiis exponant gravitatem peccati, quod in contrahendis hujusmodi Matrimoniis incurritur; & ut quibuscumq; motivis similia Matrimonia dissuadere conentur; quemadmodum, motiva plura allegando, ostendit Suvanius §. 10. qui dein §. 11. exponit, quàm graviter Sacerdotes delinquant; & qua pœna puniantur, qui partem Catholicam cum Acatholica conjunxerunt, vel ut in Ecclesia Acatholicorum à Ministro conjungerentur suaserunt, vel permiserunt, dum potuerunt impedire.

XXXIX. Testatur insuper §. 10. fuisse aliquando ex mandato Congregationis Cardinalium prohibitum omnibus Pastoribus ac Missionariis, ne ullo modo Matrimonio conjungerent personas, quarum altera esset hæretica: at tam urgentes ex parte Missionis allegatas fuisse rationes, ut in benigniorē sententiam haud multò post inflecti sese passi fuerint Cardinales; concedentes ut obtenta licentia Vicarii Apostolici, Pastores aliique Missionarii personas disparis religionis coram Ministro, aut Magistratu Acatholico juxta patriæ mores & statuta conjunctas, in præsentia sua demum conjungant. Hinc vetitum Missionariis, ne id sine licentia Vicarii attentent. " Prohibemus (inquiunt Constitutiones) sub „ pœna suspensionis ab officio Missionis omnibus Mis-„ sionariis, ne quis personas, quarum altera est Acatho-„ lica, nobis inconsultis, & sine *speciali* nostro consensu, „ præsumat conjungere." Deinde addunt: " Sæpe de-„ terreant Pastores, aliique Missionarii plebem Catholi-„ cam, ne conjugii jugum ducant cum infidelibus, ne „ cum illis velint unum corpus fieri, cum quibus non „ possunt fieri unus spiritus.

Addit. ad num. 16. Decretum Archiepiscopi &c.

Decretum Archi-Episcopi Mechliniensis in qualitate delegati Apostolici ad exercitus Regios de Administrandis sacramentis militibus, & eorum sepulturis.

Jacobus, Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archi-Episcopus Mechliniensis, nec non pro Exercitibus Catholicæ suæ Majestatis per Belgium & partes inferioris Germaniæ, ejusdem Sedis delegatus.

Omnibus & singulis in præfatis Exercitibus, seu quarumcunque personarum militarium curam animarum habentibus quocumque nomine nuncupatis, salutem in Domino. Ut ea, quæ à Sancta Sede concessa sunt, à Reverendissimis Ordinariis concordata, & alias ordinata pro salute militarium personarum, fiant in vinculo charitatis, inviolabiliter vobis, sub pœnis gravibus arbitrio nostro statuendis, observanda mandamus sequentia.

Primò, Ut nulli matrimonio quarumcumque personarum militarium assistatis, nisi exactè servatis iis quæ Concilia Generalia Lateranense & Tridentinum statuerunt sub pœnis ibidem ordinatis. Quod si una pars Matrimonium contrahere volentium militaris est, altera pagana, ab utriusque partis Pastoribus fiant debito modo proclamationes ac insuper persona militaris Pastorem seu Capellanum, qui matrimonio contrahendo legitimè assistet, per fide digna testimonia scripta tam Sacellanorum aut pastorum, quam Capitaneorum quibus ista persona militaris proximo anno cum dimidio supposita fuit, certiorem reddet se liberam esse ad contrahendum, qua certioratione non erit opus si super proclamationibus obtenta fuerit dispensatio ab utriusque contrahentium Prælato seu Prælatis.

Secundò, Non licebit Capellanis cujuscumque Præsidii uti Sacramentalibus Ecclesiarum Parochialium, nisi de licentia & assensu cujusque Ecclesiæ Pastoris. Quod si alicubi determinatus locus ad hoc assignatus sit, in eum sua Sacramentalia deferant Capellani, & in eo fungantur muniis Pastoralibus erga sibi subditos, ac etiam militaris alios

ejusdem

ejuſdem Præſidii, ſi fortè aliqua cohortes, vel turma proprium Capellanum non habeant: & ſi interdum contingat (quod tamen rarum eſſe debet) Capellanum alicujus cohortis pro tempore, negotiorum cauſâ, à Præſidio abeſſe, tunc militares iſtius cohortis uſque ad reditum Capellani ſui, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, ſuberunt Paſtori Parochiæ, in qua hoſpitantur.

Tertiò, Tenebuntur omni caſu Capellanis ſuis aſſiſtere quoad Sacramentorum quorumcumque adminiſtrationem niſi miles, ſeu valens, ſeu infirmus, proprium Parochiæ, in qua hoſpitatur, Sacerdotem Paſtorem ad hoc elegerit.

Quartò, Capellani ſuos ſepelient in Cœmiteriis Parochialibus cum licentia Parochi cujuſque Eccleſiæ, & deſignato ab eo loco. Quòd ſi in Eccleſia Parochiali, aut Regulari cujuſcumque Ordinis privilegio gaudentis ſepultura, electa eſt ſepultura, Capellanus militis tradet ad ingreſſum Eccleſiæ Rectori ejuſdem cadaver, niſi pro bona correſpondentia Capellano ſepelitionem & officium permittat.

Quintò, Capellanus militaris, vel electus ut ſupra, loci Paſtor, qui ægroto militi viaticum porrexerit, & extremam Unctionem impenderit, Ille, ſi velit, funeri aſſiſtet, ſepulturæque ſolemnia peraget.

Sextò, Perſonæ quæcumque militares, quæ (etiamſi ad tempus tantum) negotiorum cauſa ſe ad urbes receperint aut alia loca extra Præſidium ſuum, ſuberunt pro illo tempore, quoad Sacramentorum adminiſtrationem, Paſtoribus cujuſque Parochiæ in qua diverſantur, qui ſimilibus perſonis petentibus Sacramenta adminiſtrabunt, nullatenus autem Capellani militares iſtius Præſidii, ſi fortè aliquod contingat ibi eſſe.

Septimò, Et ſi futuris temporibus alibi difficultas oriatur ſuper interpretatione hujus noſtri mandati, eam nobis ipſis, aut ſucceſſoribus noſtris in hujuſmodi Delegatione Apoſtolica, omnimodè reſervamus. Datum Bruxellæ ſub ſigillo noſtro & Secretarii noſtri ſignatura die 8. Martii anno Domini 1644.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illuſtriſſ. Domini Archi-Epiſcopi Mechlinienſis Præfati.

J. HERREGOUTS Secret.

CAPUT VI.

De Ritibus contrahendi Matrimonii.

1. *Matrimonium certis ritibus celebrari vetus eſt inſtitutum.*
2. *Ritus hi ad eſſentiam Matrimonii non ſpectant; non tamen temerè negligendi.*
3. *Monendus Populus, ne Matrimonium iis neglectis contrahat: atque eum in finem ritus populo exponendi.*
4. *Laudabilis eſt ritus celebrandi Matrimonium in Eccleſia.*
5. *Hic ritus licet non univerſalis, à Synodo Tridentina non improbatus.*
6. *Ritus vinculum Matrimoniale deſignans deſcribitur.*
7. *Formula à Contrahentibus & Parocho pronuntianda, qua contractus Matrimonialis exprimitur.*
8. *Benedictio & traditio* Annuli *nuptialis.*
9. *Vetus Annuli uſus; & ad quid primùm introductus?*
10. *Myſtica Annuli ſignificatio.*
11. *Benedictio Sacerdotalis ſuper novos Deſponſos.*
12. *Miſſa celebratio in aliquibus locis eſt vice Benedictionis; & olim non niſi intra Miſſarum ſolemnia fiebat benedictio.*
13. *Oſculum pacis Deſponſis dandum.*
14. *Olim Fideles inter Miſſarum ſolemnia ſe mutuò oſculabantur; & quomodo hic ritus mutatus.*
15. *Benedictio Deſponſorum poſt Miſſam; & recitatio Evangelii ſuper eoſdem.*
16. *Plerique ritus deſiderantur in Rituali Romano; eos tamen non improbat.*
17. *Parochi ſequi debent ritus in ſuis reſpectivè Ritualibus præſcriptos.*
18. *Monendi novi Conjuges ut exemplo Tobiæ ab uſu Matrimonii ſe aliquo tempore temperent.*
19. *Monendi quoque de licito Matrimonii uſu; ſed parcè & honeſtè.*
20. *Annotatio Matrimonii à Parocho facienda.*
21. *Quid circa conſervationem Regiſtrorum Edicto Principum noſtrorum cautum.*
22. *In celebratione nuptiarum indecora ſalutationes & exceſſiva convivia vitanda.*
23. *Quid pro moderandis conviviis Nuptialibus per Principes Belgii ſtatutum.*

I. MAtrimonium apud Chriſtianos etiam primis ſæculis quibuſdam ſacris ritibus precibuſque coram Sacerdote celebratum fuiſſe expeditũ eſt; ſed hi ritus preceſque varii fuêre pro locorum & temporum varietate; uti & hodie non omnium eſt in his Eccleſiarum uniformitas; quam varietatem agnoſcens Synodus Tridentina vult, ut Sacerdos in conjungendis Sponſis utatur verbis juxta receptum uniuſcujuſque Provinciæ ritum. *Seſſ. 24. cap. 1. De Reformat. Matrimonii.*

II. Hi quidem ritus ac preces ad eſſentiam non ſpectant Matrimonii; nec eorum omiſſio validitatem ejus impendit: eas tamen omittere citra neceſſitatem aut legitimam diſpenſationem omninò illicitum eſt.

Ulterius, quia ab Eccleſia inſtituti ſunt, Matrimonio benedictionem accerſere ſolent; & eorum temeraria omiſſio & profanus contemptus maledictionem in ipſos contrahentes; ipſumque Matrimonium non rarò accerſere.

III. Monendi proinde Fideles, ne clandeſtinè & prætermiſſis præſcriptis ab Eccleſia ritibus Matrimonia inire præſumant.

Hoc ut perſuadeatur, multùm conducit, oſtendere, pleroſque ritus hodie adhiberi ſolitos, non eſſe recenter inventos & inſtitutos; ſed ex Antiquorum traditione ad nos perveniſſe.

IV. Primò in Belgio hodierna conſuetudo habet, ut Matrimonium, quemadmodum alia Sacramenta, in Eccleſia celebrari debeant.

An olim quoque ipſum Matrimonium in Eccleſia celebratum fuerit non perinde conſtat.

Legitur quidem antiquitus Matrimonia in *facie Eccleſiæ* aut *coram Eccleſia* fuiſſe contracta; ſed ſciendum, *Eccleſiam* ibi ſumi pro congregatione ſeu cœtu Fidelium; ideóque Matrimonia in *facie Eccleſiæ* celebrari; idem valet, ac *publicè* coram cœtu Fidelium celebrari; hujuſmodique Matrimonia *clandeſtinis* conjunctionibus opponebant.

Quidquid ſit, non dubium, quin laudabilis ſit Eccleſiarum

clesiarum Belgicarum hæc consuetudo; eamq; retinendam præcipit Synodus D. Mechliniensis an. 1609. *tit.* 9. *c.* 6. "Laudabilis est hujus nostræ Diœcesis consuetudo „(ait) quòd Matrimonia & in Ecclesia, quæ Sacramen„torum proprius locus est, & inter Missarum solemnia „contrahantur. Quare cùm sacrum Concilium Triden„tinum ejusmodi consuetudinem retineri vehementer „optet, præcipimus, ne quis absque speciali nostra li„centia ei contravenire audeat.

Idipsum decernit Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit.* 10. *cap.* 9. additque, *potissimum diebus Dominicis & Festis.* Ac deinde: "Nullus autem Pastor sub gravi „pœna *post meridiem* Matrimonium solemnizare præ„sumat." Et *cap.* 9. proscribit juvenum quorumdam insolentias, quæ etiam in ipso templo circa novos Desponsos contingere solebant.

Synodus Audomarensis *tit.* 10. *cap.* 12. ait: "Sancta „igitur cum si res (Matrimonium) non contrahatur „nisi in Ecclesia, nequaquam in privatis ædibus quan„tumvis honestis.

V. Advertit Zypæus titulo de Sponsalibus *num.* 19. quod "Concilium Tridentinum, benedictionem qui„dem in templo suscipi mandet, non æquè Matrimo„nium ibi contrahi; adeò ut sacra Congregatio cen„suerit, Ordinarium non posse prohibere, quin Matri„monia domi celebrentur servata Concilii forma, refe„rente Sanchez *lib.* 3. *disp.* 15. *num.* 20. *aliisque*, sed id „quidem pro iis regionibus non improbo (ait Zypæus) „ubi virgines rarò in publicum prodeunt, sed in libe„rioribus gentibus, ut sunt nostræ Belgicæ, probare non „possum; ubi quidem usus hactenus obtinuit; ut non „extra templi parietes Matrimonia solemnizentur." Hæc ille; qui ibidem ostendit, hunc usum in his regionibus esse laudabilem; atque referendum inter laudabiles consuetudines, quas Synodus Tridentina retineri voluit.

VI. Sponsis Ecclesiam ingressis, atque utroque per Parochum specialiter & singillatim interrogato, utrum venerint huc libera sua voluntate, & à nullo coacti ad contrahendum inter se Matrimonium, & utroque respondente *affirmativè*, tunc Sacerdos juxta Rituale Mechliniense, conjunctis dextris amborum, & stola involutis, cum signo crucis, invocata SS. Trinitate dicat: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti; inchoetur mysterium.*

Ex Isidoro refert Gratianus *caus.* 30. *q.* 5. *Can.* 7. "quod „nubentes post benedictionem via invicem quasi *uno* „vinculo copulantur, videlicet ideò fit, ne *compagem* „conjugalis *unitatis* disrumpant.

Vittam hanc fuisse candido purpureoque colore variatam testatur ibidem Isidorus; mysticam horum colorum rationem subjiciens: "Candor (ait) ad mundi„tiam vitæ, purpura ad posteritatem sanguinis desi„gnandam adhibetur: ut hoc signo & continentiæ lex „tenenda ab utrisque ad tempus admoneatur; & post „hæc reddendum debitum non negetur.

VII. Posthæc præmissa monitione de indissolubili Matrimonii vinculo, monet primò Sponsum, ut secum & intelligibiliter pronuntiet formam contractus matrimonialis; sive verba distinctè consensum Matrimonialem exprimentia: quibus pronunciatis, eadem proponit Sponsæ pronuntianda; ac dein data sic utrimque fide, dicit Sacerdos: *Et ego tamquam Dei Minister, vos in matrimonium conjungo: In nomine Patris &c.*

Ita Rituale Mechliniense; quibus ferè consonat Rituale Romanum, & quamvis nec verba à Contrahentibus, nec formula à Sacerdote pronuntianda sint de substantia Matrimonii; sufficiatque & hodie consensum Matrimonialem, etiam sine verbis coram Parocho nulla verba proferente, neque Matrimonium confirmante, imò positivè improbante, præstari, ut validum sit Matrimonium: tamen nec Parocho licet his omissis aut alia forma Matrimonium solemnizare, aut ei consensum præbere, aliàs graviter puniendus; uti & Contrahentes præscriptos ritus contemnentes.

VIII. Sequitur ex præscripto Ritualium, benedictio *annuli* secundum formam in Rituali cujusque Diœcesis præscriptam. Rituale Romanum præscribit, ut Sponsus *annulum* benedictum de manu Sacerdotis acceptum imponat digito *annulari* sinistræ manus Sponsæ, Sacerdote dicente: *In nomine Patris, & filii, & Spiritus Sancti.*

Ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, Sacerdos postquam annulum aspersit aqua benedicta, infert illum digito annulari dextræ manus Sponsæ, aut alteri secundum morem loci dicendo: *Accipe annulum fidei Matrimonialis in nomine Sanctissimæ Trinitatis, ut illam portans, sis armata virtute cœlestis benedictionis, & proficiat tibi ad salutem æternam.*

IX. Antiquissimus est *annuli* usus apud Veteres. Et quidem tam apud Romanos, quam Hebræos moris fuisse, ut in omni pactione loco arrhæ annulus daretur, ex Plinio & Historia Sacra *Genesis* 38. observat Baronius ad *annum* 57. atque ex hujusmodi usu fluxisse videtur (pergit Baronius) ut cum spondentur nuptiæ, sponsus loco arrhæ, sponsæ det annulum.

Annuli Sponsalitii meminit quoque Tertullianus in Apologetico *cap.* 6. ubi exponens pristinam mulierum Christianarum modestiam; ait: "Cum aurum nulla no„rat præter unico digito, quem sponsus oppignorasset „*pronubo annulo.*

Meminit quoq; hujus annuli Clemens Alexandrinus in Pædagogo suo Christiano *lib.* 3. *cap* 11. asseritque, quod *daretur uxori non ornatus gratiâ, sed ut obsignaret quæ domi erant.* In signum nimirum curæ rei domesticæ: in quem quoque finem claves novæ nuptæ tradi solitas testatur Festus. Obsignari enim solitas penuarias arcas ne surriperentur à servis, ex Plinio notat Baronius loco citato: observans insuper, annulos sponsalitios olim apud Romanos fuisse plerumque ex *ferro*; unde & Tertullianus de Habitu mulierum *cap.* 15. generatim dicit: *Nam & annuli ferro fiunt.*

X. Apud antiquos Christianos annulis sponsalitiis insculptum fuisse signum fidei, quod est Hieroglyphicum amoris & concordiæ, monet ibidem Baronius.

Hanc annuli significationem non obscurè insinuat Nicolaus I. in responsis ad Bulgaros apud Gratianum *Caus.* 30. *q.* 5. *Can.* 3. "Postquā arrhis sponsam sibi spon„sus per digitum fidei annulo insignitum desponderit.

Et apertius Isidorus, apud Gratianum ibidem *Can.* 7. "Quod in primis nuptiis annulus à sponso sponsæ da„tur, fit hoc nimirum vel propter *mutuæ fidei* signum, „vel propter id magis, ut eodem pignore eorum corda „jungantur. Unde & quarto digito annulus idem inse„ritur, quod in eo vena quædam (ut fertur) sanguinis „ad cor usque perveniat.

Eamdem mysticam annuli significationem indicat formula traditionis annuli ex Pastorali Mechliniensi suprà relata. Et in ejus benedictione dicitur juxta Rituale Romanum: "Benedic Domine annulum hunc, quem „nos in tuo nomine benedicimus, ut quæ eum gesta„verit, *fidelitatem integram* suo sponso tenens, in pa„ce & voluntate tua permaneat; atque in *mutua chari„tate* semper vivat.

XI. Post annuli benedictionem & traditionem, sequitur Sacerdotalis Benedictio; quam flexis genibus ante Altare à Sacerdote noviter conjuncti suscipere debent.

Quamvis formulæ Benedictionis nuptualis, quæ hodie extant in Ritualibus sint recentioris ævi; atque in variis Ecclesiis diversæ, ipsa tamen Sacerdotalis Benedictio antiqua est, & apud Christianos jam pridem usitata.

Hujus

Hujus Benedictionis meminit Clemens Alexandrinus loco citato. Loquens de comis fictitiis mulierum quasi benedictionem impedientibus ait, " Cui autem manum „ imponit Presbyter, cui autem *benedicit*? Non mulieri, „ quæ est ornata, sed *alienis* capillis, & per hoc alii capiti.

Synodus Carthaginensis IV. *Can.* 13. apud Gratianum *Cauf.* 30. *q.* 5. ait: " Sponsus & Sponsa cùm *benedicen-* „ *di* sunt à Sacerdote, à parentibus suis & paranymphis „ offerantur.

Plures ibidem Canones, qui hujus benedictionis meminerunt, recitat Gratianus; licet forsan non tam antiqui sint, quàm sunt auctores quorum nomina referunt.

XII. Benedictione absoluta ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, " novi conjuges honestiori loco collo- „ cati, audiunt Missam, orantes Deum pro Matrimonii „ jam initi prospero successu.

Rituale Romanum indicat, Missam dumtaxat, celebrandam, si nuptiæ sint benedicendæ; atque ita ipsam Missæ celebrationem esse vice benedictionis. Post benedictionem enim *annuli* immediatè subjicit. " His ex- „ pletis, *si benedicendæ sint nuptiæ*, Parochus Missam „ pro Sponso & Sponsa, ut in Missali Romano, celebret, „ servatis omnibus quæ ibi præscribuntur. " Neque al- „ terius benedictionis meminit.

Et sanè pridem benedictio nuptiarum intra Missarum solemnia " fiebat post *Orationem Dominicam* & omnia „ alia quæ intra Missarum solemnia olim benediceban- „ tur, uti clarum est ex nostris Sacramentariis, " inquit „ Hugo Menardus in notis ad Sacram. *pag.* 414. qui pri- „ mus edidit ex Codice Remensi exarato circa annum „ millesimum *Actionem* seu Missam propriam *nuptia-* „ *lem*, in qua inter alia dicitur: & dicis Orationem Do- „ minicam, & sic eam (Sponsam) *benedicis*, his ver- „ bis: Deus qui mundi crescentis exordium &c.

Hujus veteris ritus vestigium est, quod in Pastorali Mechliniensi præscribitur: " Dicto *Pater noster* Sacer- „ dos antequam dicat; *Libera nos quæsumus Domine*, „ stans in cornu Epistolæ versus Sponsum & Sponsam „ ante altare genu flexos, dicit super eos sequentes ora- „ tiones: " Hæ enim orationes locum pristinæ benedi- „ ctionis supplent.

Ad benedictionem Sacerdotalem seu potius benedictionem Ecclesiæ ministerio Sacerdotis impertiendam, nec non ipsum Missæ Sacrificium in nuptiarum benedictione celebrari consuetum non obscurè alludit Tertullianus lib. 2. *ad Uxorem cap.* 8. dicens. " Unde sufficia- „ mus ad enarrandam felicitatem ejus Matrimonii, quod „ Ecclesia conciliat; & confirmat *oblatio*, & obsignat „ benedictio.

Ad hæc verba, *confirmat oblatio*, reflectens Vir eruditus Nicolaus Rigaltius ait: " Cum ab Ecclesiæ Præpo- „ sitis conjugium, ut Septimius dixit, conciliatum sole- „ mni die Ecclesiæ sistitur, communibus fidelium votis „ inter Sacrificiorum orationes benedicendum.

XIII. Addit præterea Pastorale Mechliniense: " Mi- „ nister celebrantis, *osculum* pacis à Sacrificante acce- „ ptum defert primum Sponso, ac deinde Sponsæ (qui „ cum gratiarum actione, ac mutuæ charitatis desiderio „ illud accipient in signum charitatis ac perpetuæ pacis „ Christi cum Sponsa sua Ecclesia) & postea ordinatè „ cæteris in honorem nuptiarum præsentibus.

Osculi nuptialis meminit Tertullianus libro De Velandis Virginibus *c.* 11. Nec dubium quin sibi mutuò olim Sponsi osculum darent.

XIV. Fideles enim in ipsa sacra Synaxi se mutuò salutasse, seu pacem dedisse, multis ostendit Cardinalis Bona *lib.* 2. *Rerum Liturg. cap.* 16. & concludit: " Signum „ igitur, mutuæ dilectionis & pacis erat osculum inter „ Christianos, à quo procul aberat omnis suspicio im- „ puri affectus.

Deinde paucis interpositis subjungit: " Veteri tandē „ simplicitate in malitiam degenerante, subtractum „ paulatim est osculum, & ejus vice mos introductus „ porrigendi tabellam cum Crucis vel Christi imagine, „ quam superioris sæculi Scriptores *oscularium* vocant, „ de quo vocabulo agit Spelmannus in Glossario.

XV. Absoluta Missâ postquam novis Conjugibus ac toti populo communis fuerit impensa Missæ benedictio, priusquam Sacerdos incipiat Evangelium S. Joannis, adducendi sunt novi Conjuges ad altare ex præscripto Pastoralis Mechliniensis, ad quos conversus Sacerdos dicit: " Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob „ sit vobiscum: & ipse impleat benedictionem suam in „ vobis, ut videatis filios filiorum vestrorum usque ad „ tertiam & quartam generationem; & postea vitam „ æternam habeatis sine fine &c.

Ex ejusdem Pastoralis præscripto Sacerdos legere debet Evangelium S. Joannis *In Principio erat Verbum* super novos conjuges; atq; lectum Evangelium Crucis impressione signatum exhibere utrique osculandum.

XVI. Pleræque hæ sacræ cæremoniæ, & iteratæ Benedictiones desiderantur in Rituali Romano; ubi brevis admodum formula solemnizandi Matrimonium habetur, subjiciens propterea hanc cautionem Synodi Tridentinæ: " Cæterum si quæ provinciæ aliis, ultra præ- „ dictas, laudabilibus consuetudinibus & cæremoniis in „ celebrando Matrimonio utuntur, eas Sancta Triden- „ tina Synodus optat retineri.

XVII. Parochi igitur in hisce præscripta Ritualiū suorum sequi debent; ac frequenter ostendere populo salutarē usum harum cæremoniarū; ac signanter efficaciam precum & Benedictionum, quæ nomine Ecclesiæ super novos Conjuges funduntur; quodque meritò timeant, qui iis contemptis contra Ecclesiæ præscriptum Matrimonia ineunt, ne maledictionem pro benedictione in se & proles suas accersant.

Deinde hic notandum Benedictiones in Ritualibus præscriptas dumtaxat primas nuptias concernere, uti infra ubi de secundis nuptiis agetur latius dicetur; ratioque illius diversitatis assignabitur.

XVIII. Matrimonii solemnizatione absoluta monet Pastorale Mechliniense Parochum, ut novos conjuges " egregiè etiam coram populo hortetur, ut ad exem- „ plum Tobiæ, & sacrorum Canonum *consilium*, pro- „ pter reverentiam Sacramenti & Benedictionis biduo „ vel triduo orationibus vacent, & castitatem servent, ut „ sic tamquam filii sanctorum conjugium Christianum „ cum Dei timore consummantes, sciant uterque vas „ suum possidere in sanctificatione & honore, non au- „ tem in passione desiderii, sicut gentes quæ ignorant „ Deum.

Ex Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 13. refert Gratianus *cauf.* 30. *q.* 5. *Can.* 5. " Qui (sponsus & sponsa) „ cum acceperint Benedictionem, eadem nocte pro re- „ verentia ipsius benedictionis in virginitate perma- „ neant.

Glossographus reflectens ad hæc verba: PRO REVERENTIA, ait, *Ergo non erit peccatum si aliter fiat*: quod coincidit cum eo quod Pastorale dixit, *ad sanctorum Canonum* CONCILIUM.

XIX. Rectè quoque monet Synodus Audomarensis *tit.* 10. *c.* 17. Parochos ut novos conjuges " instruant, „ ubi res postulat, verecundè & modestè, ut non existi- „ ment, sibi quidvis inter se licere, nec se habere mu- „ tuam corporum potestatem ita ut quidvis alteri liceat „ cum alterius corpore; nec enim aliud corporis nomi- „ ne Apostolum intelligere, ubi ait: *Mulier sui corpo-* „ *ris potestatem non habet sed vir: similiter autem & vir* „ *sui corporis potestatem non habet, sed mulier*, quam „ membra ad generationem à natura deputata, quibus „ utantur eo modo, quo ex naturæ institutione genera- „ tioni serviunt, non alio: nam si alio, non conjuges, „ sed

„ sed virum quidem uxoris adulterum, mulierem autem „ mariti meretricem esse, quod quodam loco ait D. Augustinus.

Poterit hic servire Parocho quod habet S. Franciscus Salesius in Introductione ad vitam devotam *parte 3. cap.* 39. ubi piè & castè exponit, quomodo conjuges se circa actum conjugalem gerere debeant.

XX. Ut contracti Matrimonii certa semper fides haberi queat, mandat Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 1. *De Reformat.* ut “ habeat Parochus librum, in quo „ conjugum & testium nomina, diémque & locum con„ tracti Matrimonii describat; quem apud se diligenter „ custodiat.

Hoc Decretum renovans Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *c.* 7. addit: “ Et quotannis in visitatione Archi„ presbytero exhibeant. Qui quidem liber ubi jam „ completus fuerit, servabitur in archivis Ecclesiæ.

XXI. Edicto perpetuo Principum nostrorum anni 1611. *art.* 20. mandatur Magistratibus quorumcumq; locorum ut quotannis accipiant exemplum sive copiam (ut vocant) authentizatam cum registro parochiali in quo notantur Baptismata, Matrimonia, & Sepulturæ omnium eorum quæ hoc toto anno occurrunt; quod exemplum Pastor ipsi Magistratui dare tenebitur, ut in sua quisque Magistratus respectivè archiva referat, diligenterque custodiat. Insuper ut Magistratus pagorum confici jubeant duo exempla, quorum alterum mittant ad superiorem sui territorii judicem, ut ibidem reservetur; idque sub pœna arbitraria in negligentes. Volentes dictis registris eorumque exemplis plenam fidem adhiberi absque ulteriore probatione: cum nimirum de ætate, conjugio, morte, promotione ad Ordines, provisione beneficiaria, seu sæcularis officii collatione, & restitutione agetur; de quibus in ipso articulo mentio fit.

Ad hoc Edictum reflectens Zypæus titulo *De Parochiis num.* 6. ait “ quod valde expediret, omnes Epi„ scopi suâ saltem auctoritate Pastoribus mandarent, & „ exequerentur ut in archivis Episcopalibus hujusmodi „ exemplaria reservarentur.

XXII. Mandat deniq; Synodus Tridentina *Sess.* 24. *c.* 10. *De Reformat. Matrimonii*, curent Episcopi, “ ut „ nuptiæ eâ, qua decet, modestia & honestate fiant: san„ cta enim res est Matrimonium & sanctè tractandum.

„ Nuptias solemnibus conviviis, saltibus, scœnis „ fœdare potius quam ornare, est abusus antiquus à „ Gentilibus devolutus in Ecclesiam, “ ait Christianus Lupus in Scholiis ad *Can.* 24. *Trullanum*; quo Canone cavetur, “ si quis Clericus ad nuptias vocetur, quan„ do ad deceptionem comparata ludicra ingressa fue„ rint, surgat & discedat, Patrum nostrorum sic juben„ te doctrinâ.

Et antiquior Synodus Laodicæna *Can.* 53. statuit, quòd non oportet Christianos ad nuptias venientes se turpiter & indecorè gerere, vel saltare, sed modestè cœnare & prandere, ut decet Christianos.

Rursus Synodus Agathensis an. 506. *Can.* 39. injunxit sacratis hominibus “ ut nuptiarum evitent convivia, „ nec his cœtibus admisceantur, ubi amatoria cantan„ tur & turpia, aut obscœni motus corporum choreis & „ saltationibus efferuntur, ne auditus aut obtutus sacris „ mysteriis deputati turpium spectaculorum atque ver„ borum contagione polluantur. “ Apud Gratianum *Dist.* 34. *Can.* 19.

Synodus Coyacensis in Diœcesi Ovetensi anno 1050. celebrata sub Ferdinando Rege primo Castellæ qui cognominatus est Pius, præsentibus omnibus Episcopis & Optimatibus ejusdem Regni *Can.* 5. ait: “ Presbyteri „ ad nuptias causâ edendi non eant, nisi ad benedi„ cendum.

Cum nec in hodiernis conviviis nuptialibus leges sobrietatis & honestatis Christianæ per omnia servari soleant etiamnum Canonum ratio manet; atque singulariter hæc convivia à Parochis & Sacerdotibus evitanda sunt; ut nec rogati accedant.

XXIII. Quia in hisce conviviis instruendis magnus excessus, præsertim in pagis, committi solet, per nimiam ad ea convivia solitam personarum invitationem. Carolus V. Edicto 7. Octob. 1531. *art.* 28. cavit, ut si qui convivium nuptiale instruere velint, non poterunt ad illud vocare nisi proximiores consanguineos utriusq; conjugatorum; neque numerus personarum excedere queat numerum viginti; nec convivium illud protrahi possit ultra ipsum diem nuptiarum & sequentem usque ad tempus pomeridianum. Habetur *parte* 1. *Edictorum Flandriæ lib.* 3. *Rubrica* 1.

Hoc Edictum renovatum est 10. Decemb. 1611. sed extensum ad quadraginta paria, sub pœna, quod tam sponsi, quam convivæ mulctam 20. florenorũ incurrant: cum declaratione, quod Magistratibus, aut Officiariis facultas desuper dispensandi tributa non sit, & dispensantes ipsi ad 25. florenos mulctentur. Iterum Edicto ult. Decemb. 1613. Principes idem vetuerunt restricto numero ad 32. paria, cum prorogatione ad secundum diem, sub pœna 20. florenorum, quam sponsi incurrent pro numero, aut tempore excedente.

TITULUS XIII.

De Impedimentis Matrimonii.

CAPUT I.

Penes quem sit authoritas inducendi Impedimenta Matrimonii.

1. *Quid nomine impedimenti hic intelligatur; & quotuplicis generis sit.*
2. *Impedimenta Matrimonii etiam apud Gentiles nota fuêre.*
3. *Magistratuum civilium est leges Matrimoniis ineundis præscribere.*
4. *Qua ratione hodie competat Ecclesiæ Matrimonia ordinare.*
5. *Hac compendiosè expressit S. Thomas.*
6. *Ex sententia S. Thomæ juxta diversos fines, diversorum jurisdictioni subjacet Matrimonium.*
7. *Sequitur, quædam esse quæ jure naturæ impediant & dirimant Matrimonium.*
8. *Consectarium est, Magistratum Politicum posse statuere impedimenta Matrimonii.*
9. *Certum est, Principes Gentiles quoad suos subditos Gentiles posse inducere impedimenta etiam dirimentia.*
10. *Principibus etiam Catholicis competit auctoritas statuendi impedimenta impedientia.*
11. *An etiam* dirimentia *quoad subditos Catholicos? Opinio Sanchez.*
12. *Quid sentiat Petrus Soto.*
13. *Principum auctoritatem in statuendis impedimentis Matrimonii astruit Ferbesius Doctor Sorbonicus.*

14. Hæ

14. *Hac auctoritate à multis seculis usi non sunt Principes Catholici.*
15. *Non tamen potestas ipsis Principibus absolutè adempta videtur.*
16. *A multis seculis invaluit, ut sola Ecclesia inter Catholicos statuerit impedimenta dirimentia.*
17. *Hac potestate à primis seculis usa fuit Ecclesia.*
18. *Hanc potestatem habuit Ecclesia independenter à concessione Principum secularium.*
20. *Definitio Synodi Tridentina circa auctoritatem Ecclesiæ statuendi impedimenta.*
21. *Consuetudine induci possunt impedimenta Matrimonii.*

I. IMpedimentorum nomine hîc intelligitur, quidquid Matrimonium jure reddit nullum aut illicitum.

Nonnulla enim sunt, quæ ipsum contractum matrimonialem non tantùm reddunt *illicitum*, sed & *invalidum* ac *nullum*; vocanturque impedimenta *dirimentia*, eò quod *dirimant* seu *irritent* Matrimonia cum similibus impedimentis contracta.

Alia sunt, quæ Matrimonia quidem contrahi prohibent; sed contracta non *dirimunt*, vel *irritant*; dicunturque impedimenta *impedientia*.

II. Similia impedimenta non tantùm apud Christianos; sed etiam apud Infideles & gentiles nota semper fuerunt.

Ut enim contractus Matrimonialis finem ad quem à natura ordinatus est, obtineret, sollicitæ fuere Gentes etiam lumine fidei destitutæ, suis legibus contractum hunc sic circumscribere, ne extra finem à natura præscriptum exorbitaret. Hinc tot Romanorum Principum circa ætatem, qualitatem ceteraque ad Matrimonium spectantia leges; quæ etiam hodie in Corpore Juris adhuc leguntur.

III. Ulteriùs quia Matrimonium ad bonum politicum quoque ordinatur: atque ex Matrimoniis convenienter aut inconvenienter initis multùm dependet bonum politicum, seu Reipublicæ tranquillitas aut turbatio, indubie Magistratus Civiles prospicere debent ut Matrimonia sic ineantur, ut bonum politicum & Regimen Reipublicæ inde non patiatur, nec tranquillitas familiarum turbetur.

IV. Denique, quia Matrimonium Christianorum per Christum ad Sacramenti dignitatem & efficaciam fuit elevatum; ac jam etiam ordinatur ad sanctificationem Fidelium, quidni ad Ecclesiam spectet providere, ut per Matrimonium hunc finem Fideles assequantur?

V. Hæc omnia brevi compendio comprehendens Sanctus Thomas ait: "In quantum igitur ordinatur ad „bonum naturæ, quod est perpetuitas speciei, dirigitur „in finem à natura inclinante in hunc finem, & sic dici„tur esse naturæ officium: in quantum verò ordinatur „ad bonum politicum, subjacet ordinationi legis civilis; „in quantum igitur ad bonum Ecclesiæ ordinatur, o„portet, quod subjaceat regimini Ecclesiastico." *lib. 4. contra Gentes cap. 78.*

VI. Et rursus ibidem: "Considerandum est, quod „quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget ha„bere diversa dirigentia in finem, quia finis est propor„tionatus agenti: generatio autem humana ad multa „ordinatur, etiam ad perpetuitatem Ecclesiæ quæ in fi„delium collectione consistit; unde oportet quod hu„jusmodi generatio à diversis dirigatur, in quantum i„gitur ordinatur ad bonum naturæ quod est perpetuitas „speciei, dirigitur in finem à natura inclinante in hunc „finem, & sic dicitur esse naturæ officium: in quantum „verò ordinatur ad bonum politicum, subjacet ordina„tioni legis civilis: in quantum igitur ordinatur ad bo„num Ecclesiæ, oportet quod subjaceat regimini Eccle„siastico.

VII. Hoc principio præsupposito, evidenter sequitur, jure naturæ quædam posse requiri, sine quibus Matrimonium vel *illicitè* vel *invalidè* ineatur; eo quod sine his finis à natura intentus haberi nequeat: quapropter nemo dubitat quin quædam sint, quæ jure naturæ matrimonia impediant & annullent.

VIII. Similiter si juxta S. Thomam, Matrimonium in quantum ordinatur ad bonum politicum, subjaceat ordinationi legis civilis; consequens est, posse per civilem legem seu Magistratum statui quædam impedimenta, quæ sunt necessaria aut convenientia, ut matrimonium hunc finem assequatur; unde etiam verbis suprà relatis subjicit hanc conclusionem: "Ideo ex qualibet dicta„tum legum naturæ, humanæ & divinæ potest persona „effici ad Matrimonium illegitima.

IX. Atque inprimis Principes *infideles* potuisse & hodie adhuc posse statuere impedimenta non tantùm impedientia; sed etiam *dirimentia* inter subditos suos *infideles*, omnes agnoscunt: eo quod hujusmodi Matrimonia maneant etiam hodie contractus *merè* civiles.

X. Adhæc, Principes sæculares Catholicos & quoad subditos suos Catholicos posse statuere impedimenta *impedientia*; ita ut ob has Principum Ordinationes *illicitè* cum hisce impedimentis Matrimonia contrahantur; quin & contrahentes puniri, atque effectibus civilibus, Matrimonio alioquin annexis privari queant, indubitatum est; & praxis hodierna circa nuptias filiorumfamilias sine consensu parentum initas evincit.

XI. Quinimò (ut rectè notat Sanchez De Matrimonio *lib. 7. Disputat. 3. nu. 2.* "absque dubio dicendum „est, posse Principem sæcularem ex *genere & natura* suæ „potestatis, Matrimonii impedimenta *dirimentia* fide„libus sibi subditis ex justa causa suis legibus indicere..... „Ratioque potissima est, cùm potestas Regia ad tran„quillitatem & bonum Reipublicæ tuenda potissimùm „sit instituta: ejus est, id quod ad hunc finem obtinen„dum desideratur, providere: quale est circa Matrimo„nia ineunda sancire, illa impediendo vel irritando: in„de enim maximè pendent tranquillitas & recta Rei„publicæ gubernatio.

"Nec obstat (ait Sanchez) Principis sæcularis potesta„ti, Matrimonium esse Sacramentum: quia ejus mate„ria est contractus *civilis*, qua ratione perinde potest ex „causa justa illud irritare, ac si Sacramentum non esset: „reddendo personas inhabiles ad contrahendum, & sic „illegitimum & invalidum contractum.

XII. Petrus Soto *lect. 4. de Matrimonio* eodem fundamento ex S. Thoma assumpto, hanc auctoritatē Principibus sæcularibus asserit: "Nec debent (ait) Prælati „Ecclesiæ gravatè suscipere, si quod temporali paci vi„derint necessarium, sæculares Principes statuant. Nec „est cur se illis opponant: sed permittant potius Matri„monium legibus humanis ordinandum, cum officium „humanum sit: & addant postea ipsi, si videbitur, quod „ad bonum Religionis pertinet.

Deinde subjicit hanc clausulam: "Quamquam civi„les leges in his omnibus ex pietate certè & voluntate „Principum facilè cesserint Ecclesiæ, ut jam nullum „censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia „tale non judicat.

XIII. Hanc positionem Petri Soto nuperrimè latiùs exposuit atque adstruere studuit Gerbelius Doctor Sorbonicus in Tractatu De Potestate Ecclesiæ & Principum super impedimentis Matrimonii; in cujus secunda parte duo præcipuè evincere conatur.

Primò, Principibus etiam Catholicis inter subditos suos Catholicos competere potestatem statuendi impedi-

pedimenta dirimentia; & Principes eâ potestate per aliquot secula usos fuisse. Secundò neque hanc potestatem ullatenus repugnare potestati, quam Ecclesia semper habuit similia impedimenta statuendi.

XIV. In tertia parte sui tractatûs adstruit secundam partem assertionis Petri Soto; nimirum, quod ex pietate & voluntate Principum, *exercitium* ponendi impedimenta *dirimentia* jam sit penes solam Ecclesiam; sive quòd jam nullum censeatur Matrimonium illegitimum, quod Ecclesia tale non judicat: creditque circa sæculum sextum cœpisse causas matrimoniales, præsertim quæ *vinculum* matrimoniale ex ratione Sacramenti resultans concernebant, ad tribunal Ecclesiæ cœpisse remitti; quod tempore Caroli M. & sequentium Imperatorum frequentiùs factum est; donec tandem ad modernam disciplinam, quæ circa sæculum XII. stabilita fuisse videtur, deventum fuit; ut ipsi Principes nihil ampliùs circa *vinculum* Matrimonii suâ auctoritate statuerent; sed integrum illius usum Ecclesiæ permitterent; ipsique pro impedimento dirimente susciperent, quod ipsa ut tale declarâsset.

XV. Hanc esse modernam à sæculis aliquot stabilitam disciplinam, non uno argumento evincit; ac dein *cap.* 4. docet, eam disciplinam ex pietate & voluntate Principum descendentem, nullum inferre præjudicium Principum auctoritati inducendi impedimenta Matrimonii: quantumvis à potestatis hujus exercitio quoad subditos suos Catholicos abstineant; idque rursus conformiter ad doctrinam Petri Soto, qui verbis mox relatis immediatè subjicit: "Non tamen propterea „vel legi vel consuetudini Reipublicæ hoc asserendum est, ut illegitimos aliquos reddere, si velint, possint: sed potius, si opus foret, confirmandum „esset ab Ecclesia.

XVI. Quidquid sit, hoc constat, jam à pluribus sæculis Ecclesiam, & quidem privativè & cum exclusione Principum secularium, impedimenta *dirimentia* inter Catholicos ordinâsse; eaque pro temporum & locorum circumstantiis, nonnunquam extendisse, vel limitâsse, aut etiam relaxâsse; ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate à primis sæculis pacificè usa fuerit.

XVII. Quod jam pridem hac potestate Ecclesia usa fuerit, sat apertè innuit *Can.* 26. vulgò Apostolorum: "Ex iis (ait) qui non ductâ uxore ad Clerum promoti „sunt, jubemus, si velint, uxorem ducere, Lectores & „Cantores solos: " sive ut legit Dionysius Exiguus: *Sed Lectores Cantoresque tantummodo.*

Et licet Canones hi tribui nequeant Apostolis tamquam eorum auctoribus, eos tamen admodum antiquos, & primis seculis collectos fuisse, negari non posse videtur; uti pluribus ostendi in tractatu Historico Canonico in Canones *parte* 3, *cap.* 3. §. 3. hunceque Canonem tamquam Apostolorum non tantùm citant, sed & tamquam fundamentum sui Decreti assumpserunt seculo VII. Patres Concilii Trullani; signum, quod tunc temporis indubitata Canonis hujus auctoritas haberetur: "Quoniam in *Apostolicis Canonibus* dictum est inquiunt *Can.* 6. eorum, qui non ductâ uxore in Cle„rum promoventur, solos Cantores & Lectores posse „uxorem ducere; & nos hoc servantes decernimus, &c.

Siricius Papa Epistolâ ad Himerium Tarraconensem *cap.* 6. scribens de nonnullis Monachis, qui abjecto sanctitatis proposito nuptias ambibant, ait: *Quod & publicæ leges* ECCLESIASTICA JURA *condemnant.* Ergo supponit Siricius jam tum seculo IV. dum hæc scribebat, *Ecclesiastica jura* hujusmodi sacrilegas nuptias condemnantia fuisse stabilita.

Similiter eodem seculo scribens ad Diodorum S. Basilius de viduo, qui sororem mortuæ suæ uxoris duxerat, atque hujusmodi Matrimonium reprobans ait: "Prin„cipio igitur, quod in ejusmodi rebus maximi momenti „est, morem qui apud nos est, objicere possumus, quod „is legis vim habeat; propterea quòd sanctiones istæ à „sanctis viris nobis sunt traditæ.

XVIII. Plura alia antiquitatis testimonia & exempla, quæ Ecclesiæ potestatem ponendi impedimenta Matrimonii evincunt, per omnia secula deducit Gerbelius in citato tractatu *parte* 1. *cap.* 4. ostenditque hanc auctoritatem non accepisse Ecclesiam à Principibus secularibus; sed à Christo; eamque jure proprio à primis seculis usque ad hæc tempora semper hac auctoritate usam fuisse; eamq; quodammodo necessariam esse, ut Ecclesiæ Pastores providere queant, quò Fideles Matrimonium ita ineant, ut Sacramenti effectum, & finem ejus spiritualem assequantur; quod argumentum doctè & solidè proponit & explicat *cap.* 2. una tamen ostendens, quod hæc Ecclesiæ auctoritas, nec non auctoritatis exercitium nullatenus elidant aut diminuant auctoritatem Principum in decernendis circa Matrimonia suorum subditorum iis, quæ ad bonum politicum & tranquillitatem Reipublicæ convenire judicaverint; sed has duas potestates optimè convenire, modò utraque ad finem suum unicè collimet, & intra ea quæ ad finem illum conducunt, se contineat.

XIX. Illud tamen fatetur, pluribusque exemplis demonstrat, penes Ecclesiam esse auctoritatem, leges civiles corrigendi, si forsan quidquam contra jus divinum aut naturale in illas irrepserit; quemadmodum circa leges permittentes divortium quoad vinculum ob conjugis diuturniorem absentiam contigisse infrà ostendemus.

XX. Igitur filum traditionis insecuta Synodus Tridentina rectè anathema dixit in eum qui dixerit, "Eccle„siam non potuisse constituere impedimenta *dirimen„tia*, vel in iis constituendis errâsse.

XXI. Porrò si jure Ecclesiastico positivo impedimenta dirimentia constitui queant, nihil etiam obstat, quò minus longâ consuetudine, quæ vim legis habet, similia induci possint; illudque non obscurè innuit Pontifex in *Cap.* 1. *de Cognatione spirituali*, respondens, filios & filias ante vel post compaternitatem genitos simul posse conjungi; *nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur.*

Ex quo ulteriùs consequitur, quòd secundùm diversas Ecclesiarum consuetudines, possint quoque esse varia impedimenta Matrimonii. Sed tamen, quia non facilè inducuntur impedimenta dirimentia ob multa incommoda quæ ex dissolutione contracti Matrimonii vel ejus nullitate nata sunt oriri, etiam impedimenta per consuetudinem inducta potiùs *impedientia* quàm *dirimentia* judicanda sunt: ni manifestè appareat, ea pro *dirimentibus* esse recepta, & ut talia vulgò haberi.

CAPUT II.

De Impedimentis impedientibus; ac signanter de *tempore clauso & Ecclesiæ interdicto.*

1. *Olim frequens erat graviorum criminum pœnitentia, perpetua Matrimonii interdictio.*
2. *Quædam species incestûs inter ea crimina computata.*
3. *Item mulieris adulterium; & uxoricidium.*
4. *Crimina pœnitentiæ* publicæ *subjecta saltem temporale impedimentum inducebant.*
5. *Aliquod hujus disciplinæ vestigium superest in Hispania.*
6. *In plerisque orbis partibus impedimenta* impedientia *ex crimine abolita sunt.*

7. He-

7. *Hodierna impedimenta* impedientia.
8. *Impedimentum temporis* clausi *provenit ex positivo Ecclesiæ interdicto.*
9. *Interdum aliud est à judice, aliud à lege; hujus speciei est tempus* clausum.
10. *Celebratio nuptiarum diebus* pœnitentiæ *conveniens non videtur.*
11. *Varietas Ecclesiarum circa hoc impedimentum proveniebat ex varietate circa tempora jejuniorum.*
12. *Decretum Concilii Tridentini de hoc impedimento.*
13. *Synodus Trid. novas nuptiarum prohibitiones non induxit.*
14. *Tempore* clauso *vetita* solemnes *nuptiarum benedictiones; item nuptialia convivia.*
15. *An traductio uxoris ad domum viri tempore* clauso *sit vetita?*
16. *Quid de actu conjugali, & qualiter de hoc coram populo differendum.*
17. *An contractus Matrimonialis sit simpliciter vetitus tempore* clauso.
18. *In hoc impedimento Ordinarius dispensare potest.*
19. *Hoc impedimentum aliquando fuit* dirimens; *at hodie tantùm* impediens.
20. *Interdictum judicis ponit impedimentum impediens.*
21. *Interdictum Episcopi, aut etiam Synodi Provincialis, non irritat Matrimonium.*
22. *Judex ob suspicionem impedimenti dirimentis inter Desponsos interdicens non ponit impedimentum* dirimens.
23. *Parochus contra interdictum assistit* validè, *licet etiam specialiter ei esset interdictum.*
24. *Quid de Vicario aut Deservitore?*

I. Impedimenta *impedientia*, quæ nimirum Matrimonium contrahi impediunt; sed contractum non *irritant*, plura leguntur in antiquis Canonibus.

Erat enim hæc pœna olim in Ecclesia frequentissima, ut qui atrox aliquod crimen admisissent nuptiis impedirentur; ne vel ipsi delicatiùs viverent, vel ex illorum stirpe infecta filii ejusdem criminis suspicione notati nascerentur, ait Ferdinandus Mendoza De Confirm. Concilio Eliberitano *lib. 1. cap. 21.*

II. Hujusmodi crimen erat incestus cum sua privigna, sive filia uxoris in alio Matrimonio procreata; uti habetur in *Cap. 3.* ⁑ *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*; & in *Can. 20. caus. 33. q. 1.* additurque: " Seu „ cum duabus sororibus, aut si qua cum duobus fratribus, " seu cum patre & filio, si quis relictam fratris, si quis „ neptem, aut novercam, aut nurum, aut consobrinam, „ aut filiam avunculi, aut ejus relictam, aut privignam „ polluerit, eos disjungi, & ulterius *numquam* conjugio „ copulari præcipimus.

III. Rursus *Canone 22.* dicitur, quòd *adultera* nubat *numquam, etiamsi mortuus fuerit vir ejus: omnibus tamen diebus vitæ suæ acerrimâ pœnitentiâ lamenta persolvat.*

Videmus quoq; occisori uxoris suæ inter cætera pœnitentiæ exercitia injungi, *uxorem* NUMQUAM *ducere* Can. 8. caus. 33. q. 2.

IV. Uno verbo, crimina publicæ pœnitentiæ subjecta, Matrimonii impedimentum, saltem pro tempore peragendæ pœnitentiæ secum trahebant, *Can. 12. caus. 33. q. 2. & Can. 5.* eodem, in quo Nicolaus I. ita argumentatur: " Interfectores suarum conjugum sine judicio . . . . „ quid aliud habendi sunt, quam homicidæ; ac per hoc „ ad pœnitentiam redigendi? Quibus penitus conju„ gium denegatur.

V. Ad hanc disciplinam reflectens Mendosa loco citato, eamque confirmans auctoritate Leonis M. & Concilii Toletani VI. *Can. 8.* subjicit: " Quod & hodie „ observatur in his, qui ob crimen violatæ Religionis, „ ab Inquisitoribus hæreticæ pravitatis *perpetuâ pœni„ tentiâ* puniuntur.

VI. In Gallia verò, uti & in plerisque orbis Christianæ Provinciis, impedimenta *impedientia ex crimine* provenientia, penè nota non sunt, quemadmodum notat ex Caballutio Caspar Jeunin De Sacramento Matrimonii *quæst. 7. cap. 13. art. 3.* neque in Belgio ullus eorum usus noscitur.

Hinc hodierna impedimenta *impedientia* hoc solent versiculo exprimi:

Ecclesiæ vetitum, nec non tempus feriatum:
Atque catechismus, sponsalia, jungito votum,
Impediunt fieri, permittunt juncta teneri.

De Sponsalibus titulo præcedenti *cap. 1.* actum est: de Catechismo autem agetur unà cum cognatione spirituali: de *Voto* verò prout impedimentum *impediens* constituit, tractabitur ubi de *voto solemni* sive *dirimente* Matrimonium agetur.

VII. Tempus feriatum ex sola prohibitione Ecclesiæ impedimentum Matrimonii constituit; neque enim jus naturale aut divinum contractum matrimonialem ad ullos dies adstringit; aut dies ullos, quibus nuptiæ celebrari non possunt, definivit; sed circa hæc omnis disciplina à positivo Ecclesiæ Decreto dimanat: ideoque quod sit tempus hoc impedimentum constituens, ex positivo Ecclesiæ interdicto desumendum est.

VIII. Quare cùm aliqua interdici queant, vel per legem generalem, vel per particulare judicis vel Superioris præceptum aut sententiam: inde passim Canonistæ concludunt, Interdictum Ecclesiæ circa Matrimonia intercedere posse vel per legem seu Canonem, vel per judicem seu Superiorem Matrimonium contrahere prohibentem.

Per legem seu Canonem, quando generaliter omnibus certo tempore Matrimonium seu nuptiæ celebrari vetantur; vocarique hodie solet *tempus clausum.*

X. Quemadmodum Patribus jam pridem visum fuit, quod pœnitentibus nec actus conjugalis, nec nuptiarum celebratio conveniret, ita nec hæc diebus pœnitentiæ & luctus convenientia judicârunt.

Synodus Laodicæna *Can. 52.* ait: " Non oportet in „ *Quadragesima* aut *nuptias* vel quælibet natalitia cele„ brare. " Apud Gratianum *caus. 33. q. 4. Can. 8.* qui „ ibidem alios nonnullos in eandem rem refert.

XI. Quin & ibidem refert *Can. 10.* ex Concilio Ilerdensi: " Non oportet à Septuagesima usque in Octavas „ Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festivitatem san„ cti Joannis Baptistæ & ab Adventu Domini usque ad „ Epiphaniam *nuptias* celebrare. Quod si factum fuerit, „ separentur.

Ad hunc Canonem reflectitur in *Cap. 4.* ⁑ *De Feriis*, ubi quæstio proponitur, quomodo tres hebdomadæ ante festum S. Joannis, de quibus in citato Canone, essent computandæ; respondit que Pontifex, consuetudinem singularum Ecclesiarum in hac computatione esse sequendam.

Pro intellectu hujus Decretalis & responsi Pontificis notandum, olim ante festum S. Joannis Baptistæ fuisse speciem quamdam quadragesimæ; at variam pro diversitate Ecclesiarum, de qua tractat Filesacus in suo opusculo *De Quadragesima Christiana cap. 3.*

Quia verò varia erat in variis Ecclesiis circa tempora *jejuniorum* disciplina; erat quoque circa *tempus clausum*, sive *Feriatum*, quo nuptiarum celebratio interdicebatur, varia disciplina: nam hæc illi quasi correspondebat.

XII. Synodus Tridentina *Sess. 24. de Reformat. Matrim. cap. 10.* eam Ecclesiarum varietatem ad uniformita-

mitatem reduxit; ac una Canonum rigorem quoad prolixitatem *temporis clausi* nonnihil mitigavit. "Ab adventu Domini nostri JEsu Christi (ait) usque in diem Ephiphaniæ, & à feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusivè antiquas solemnium nuptiarum prohibitiones diligenter ab omnibus observari sancta Synodus præcipit: in aliis verò temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

Cumque hanc Ecclesiæ prohibitionem Hæretici nostri temporis tamquam superstitiosam rejicerent, Synodus Tridentina *Can.* 11. eâdem Sessione eum Hæreticorum errorem proscripsit his verbis: "Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam, ab Ethnicorum superstitione profectam... anathema sit.

XIII. Notandum, quod Synodus Tridentina nullam hoc suo decreto novam prohibitionem induxerit; sed tantum *antiquas solemnium* nuptiarum prohibitiones, certis temporibus suo Decreto expressis, diligenter ab omnibus observari præceperit. Unde pro intellectu hujus Decreti ad *antiquas* prohibitiones potissimum recurrendum est.

Igitur ex ipsis antiquis Canonibus eruendum est, quid nomine *solemnium* nuptiarum intelligat Synodus Tridentina.

XIV. Hanc difficultatem discutiens post alios Theologos & Canonistas Prosper Fagnanus ad *Cap.* CAPELLANUS ☩ *De Feriis* ait *num.* 6. Conveniunt omnes his temporibus prohibitas esse nuptiarum benedictiones de quibus habetur *Can.* LICET *Caus.* 30 *q.* 5. ibi: *Sacerdotaliter, ut mos est, cum precibus & oblationibus à Sacerdote benedicetur.* Et in Concilio Trid. *cap.* 1. ibi: *Benedictionem in templo suscipiendam.*

Deinde *num.* 7. ait: Similiter nuptialia convivia his temporibus Feriarum prohiberi, satis constat ex *Can.* NEC UXOREM. *caus.* 33. *q.* 4. ibi: *nec convivia facere.* Hæc ille.

XV. Et ulterius *num.* 7. "Sed & traductionem uxoris ad domum viri his temporibus esse interdictam, satis liquet ex dicto *Canone* NEC UXOREM, nam verba illa, *nec uxorem ducere* communiter exponuntur, id est *Traducere*... Rationem reddit D. Thomas *in* IV. *Sent. Dist.* 32. *q.* 1. *art.* 5. *quæst.* 4. Quia quando novæ sponsæ traducuntur, animus conjugum magis ex ipsa novitate ad curam carnalium occupatur, & ideo in nuptiis consueverunt signa multa lætitiæ dissolutæ ostendi, & propter hoc illis temporibus, in quibus homines præcipuè debent se ad spiritualia elevare, prohibitum est nuptias celebrari.

XVI. Nec tantum traductionem quæ fit cum *solemnitate*; sed *quamcumque* traductionem uxoris ad domum viri temporibus hisce vetitam esse, sustinet; idque potissimum eo fundamento, quod temporibus illis vetita sit *Matrimonii consummatio*; uti ibidem fusè adstruere conatur; atque pluribus pro hac opinione adductis auctoribus concludit: "ex quibus patet hanc esse unanimem Canonistarum sententiam, quam etiam tenuerunt ex Theologis Petrus de Palude, Cardinalis Cajetanus, S. Antoninus & alii relati à Sanchez; eamque probavit S. Congregatio Concilii: nam proposito dubio, an Matrimonium coram Parocho quocumq; tempora contrahi possit? Sacra congregatio censuit, posse contrahi Matrimonium *quocumque* tempore; sed temporibus comprehensis in *Cap.* 10. *Sess.* 24. *De Reform. Matrim.* nuptiarum solemnitates, traductiones ad domum, & *carnalem* copulam prohiberi. Hæc Fagnanus.

Quidquid sit de hac sententia, attentâ Canonum antiquorum rigorosâ expressione, hoc certum est, hodie dictis temporibus nequaquam vetitum esse actum matrimonialem; sed ad summum *consilii* esse ex temporibus abstinere; ut mente elatiore & à carnalibus voluptatibus magis liberâ vacent orationi & pietatis exercitiis; qua de re interdum suos subditos Parochus monere potest; at magnâ cautelâ hic opus est, præsertim coram multitudine, cui homines carnales solent esse immixti, qui spiritualia hæc minimè intelligentes, sed carnalia sapientes, facilè monitionem hanc in risum converterent; & occasionem libidinosa quæque effutiendi inde arriperent.

XVII. Ad hæc, quamvis inspectis nudis verbis Canonum & Concilii Tridentini non appareat, temporibus designatis absolutè esse vetitus contractus matrimonialis coram Parocho & testibus sine solemni benedictione aliisque pompis aut solemnitatibus; quemadmodum multis probat Sanchez De Matrimonio *lib.* 7. *disp.* 71. nihilominus de consuetudine Belgii non solemnes nuptiæ dumtaxat, sed etiam simplex contractus matrimonialis vetitus censetur. Hanc consuetudinem clarè supponit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 8. ubi statuit: "Tempus clausum diligenter observetur: & si quando ex *legitima causa* aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per *Ordinarium* ad mittantur, abstinendum tamen erit à solemnibus nuptialium conviviorum, choreis, sponsarum publicis traductionibus, & similibus, quæ temporis sanctitati repugnant à quibus similiter abstinendum erit, etsi Matrimonium antea contractum fuerit sub pœna arbitraria.

Ratio hujus inductæ consuetudinis ea fuisse videtur, quòd Belgica consuetudo in Synodis sæpius probata habeat, nuptias semper eodem tempore esse in Ecclesia publicè benedicendas quo contrahantur; uti titulo præcedenti *cap.* 4. dictum est; ideoque cùm Canones & Synodus Tridentina *tempore clauso* fieri *benedictionem* nuptiarum prohibeant, consequens visum fuit, etiam prohibitum esse contractum matrimonialem iis in regionibus, ubi contractus ille sine hujusmodi benedictione iniri vetatur.

XVIII. Supponit insuper citata Synodus, contra hanc temporum prohibitionem per *Ordinarium* dispensari posse; quod quotidiana etiam praxis probat; quamvis de jure communi Ordinarium dispensare non posse, nonnulli sustineant; uti advertit Zypæus post Sanchez in Jure novo titulo *De Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ n.* 6.

XIX. Ulterius consuetudo non tantùm Belgica, sed & universalis Ecclesiæ, ità hanc prohibitionem interpretatur, ut Matrimonium quidem *illicitè* contra eam ineatur; sed non *invalidè*; id est, ut constituat quidem impedimentum *impediens*, sed non *dirimens*; quamvis ex Antiquis nonnulli aliter censuerint, uti monet Glossa ad *Canonem* 7. *caus.* 33. *qu.* 4. quin & Christianus Lupus tomo 4. Scholiorum in Canones *pag.* 43. ait: "Quod contractum extra tempora conjugium fuerit olim *substantialiter nullum*, fateor cum S. Petro Damiani." Hic rursum apparet, quid etiam consuetudo circa impedimenta Matrimonii valeat; possitque de dirimente facere impediens.

XX. Quemadmodùm Canones nuptias celebrari certis temporibus jam pridem vetuerunt; ità ob causas varias intercurrentes, potest judex Ecclesiasticus Matrimonium inter certas personas ad tempus saltem interdicere: de quo interdicto agitur sub titulo Decretalium *De Matrimonio contracto contra interdictum Ecclesiæ.*

Hæc judicis prohibitio si justa fuerit, indubiè servanda est; & ei contraveniens puniendus; sed tamẽ ipsum Matrimonium non irritat, quemadmodum deciditur in *c.* 1. 2. & 3. dicto titulo: "Licet enim (ait *capite* 2.) contra interdictum Ecclesiæ ad secunda vota transire non debuerint, non est tamen conveniens, ut ob id solum Sacramentum conjugii *dissolvatur*: alia tamen pœnitentia eis debebit imponi, quia contra prohibitionẽ Ecclesiæ id fecerunt

XXI. S.

XXI. Si Episcopus aut etiam Synodus Episcopalis, vel Provincialis Matrimonium quacumque formula verborum interdixerit, *interdictum* quidem *illicitum* reddere Matrimonium, non tamen *invalidum*, apud omnes in confesso est: eò quod juxta modernam Ecclesiæ disciplinam, nemo Pontifice inferior impedimentum *dirimens* inducere queat.

XXII. Si judex ob fundatam suspicionem consanguinitatis alteriusve impedimenti dirimentis inter conjungendos intercedentis, conjungi vetuerit, donec cognitum fuerit an impedimentum subsit, si contra interdictum conjuncti sint, poterunt indubiè per pœnas, imò interdictum & censuras adigi, ut à se mutuo separentur, quousque legitimè cognoscatur, utrum eorum Matrimonium possit & debeat jure stare, ut respondit Pontifex in citato *Cap.* 3.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *cap.* 4. vult, ut "impedimento aliquo denuntiato, vel Matrimonio Desponsorum oppositione aliqua facta, non prius ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii solemnizationem Parochus procedat, quam re ad Ordinarium, vel Vicarium ejus aut Officialem delata, ab eodem intellexerit quid facere debeat.

XXIII. Ulterius contra hoc interdictum illicitè Matrimonio assistet Parochus; si tamen adstiterit, Matrimonium coram eo & testibus contractum, non obstante hoc *interdicto* validum erit; nisi aliud impedimentum dirimens inter contrahentes subesse inveniatur.

Imò tametsi Episcopus *specialiter* inhibuisset, ne huic Matrimonio individuo Parochus assisteret; nec ulli alteri Sacerdoti licentiam assistendi daret; nihilominus validum erit Matrimonium coram Parocho, aut Sacerdote ab eo delegato contra Episcopi interdictum contractum; uti post Sanchez De Matrimonio *Lib.* 3. *disp.* 32. advertit Zypæus loco citato *n.* 7.

XXIV. Idem erit tametsi tantum esset Vicarius ad nutum amovibilis, modo tamen esset loco Parochi ad integram curam animarum; quemadmodum declarasse S. Congregationem refert Sanchez ibidem; idque ideò, quia non obstante hac simplici probatione manet delegatus ad curam animarum & loco Parochi; cui consequenter competit jus assistendi Matrimonio; aliud esset, si Episcopus non tantùm simpliciter interdiceret assistere huic Matrimonio; sed eum utpote ad nutum amovibilem, à cura animarum amoveret, uti rectè monet Zypæus loco allegato.

CAPUT III.

De Impedimento erroris & conditionis.

1. *Error alius antecedens, alius concomitans.*
2. *Aliquando error est circa personam, aliquando circa qualitatem.*
3. *Error circa personam semper dirimit Matrimonium.*
4. *Error qualitatis non solet Matrimonium dirimere.*
5. *Error qualitatis quando censeatur redundare in* personam.
6. *Error qualitatis facilius in Sponsalibus, quam Matrimonio censetur* redundare in personam; *& quare.*
7. *Ob errorem qualitatis hodie non solent Matrimonia dirimi.*
8. *Conditio* servilis *apud Romanos dirimebat Matrimonium, si voluntas Dominorum non adesset.*
9. *Multis sæculis idem impedimentum agnovit Ecclesia.*
10. *Impedimentū hoc usq; ad sæculū XII. videtur durasse.*
11. *Hodie conditio servilis non dirimit, nisi* error *interveniat.*
12. *Error conditionis* servilis *dirimit Matrimonium, etiam non redundans in personam.*
13. *Belgium* servos *non agnoscit.*

I. Duo hæc impedimenta simul jungi & explicari solent, eò quod alterum sub altero quodammodo contineatur; error namq; generatim hic sumptus etiam errorē *conditionis* comprehendit.

Pro intellectu impedimenti *Erroris* notandum, Errorem esse duplicem: nimirum *antecedentem*, & *concomitantem*; uti Theologi loquuntur; vel ut Jurisperiti loqui amant, dantem causam contractui, & in eum incidentem.

Antecedens enim vocatur, qui est causa actus; ita ut si erratum non esset, reverà actus positus non fuisset; unde eleganter Juris-Consulti hunc errorem, si cum dolo conjunctus fuerit, vocant dolum *dantem causam* contractui.

Error concomitans dicitur, qui non inducit ad agendum, sed ita concomitatur actum, ut eo non existente, propterea non fuisset omissus, atque ita rectè appellatur à Juris-Consultis error *incidens*; & dolus conjunctus, dolus *incidens*.

II. Porrò error in Matrimonio contingere potest, vel circa personam, vel circa qualitatem personæ, vel ejus conditionem.

Error circa personam est, quando unus Contrahentium errat in persona cum qua contrahere intendit; credens nimirum per errorem aliam esse personam cum qua contrahit, quam reverà est.

III. Error hic circa personam omnium consensu dirimit Matrimonium *jure naturæ*; etiamsi error non sit conjunctus cum ullo dolo partis alterius; idque sive sit *antecedens*, seu dans causam contractui; sive solùm *concomitans* sive *incidens* in contractum.

Licet enim error *incidens* non causet absolutè & positivè *involuntarium*; impedit tamen fuisse tempore contractus positivè voluntarium consensum in personam, quia non potuit actu fuisse volitum, quod ignoratum & incognitum fuit.

Ut autem Matrimonium sit jure naturæ validum, non sufficit, quod in personam consentisset, si novisset eam fuisse præsentem; sed requiritur, ut *positivè* consenserit, & cum ea contraxerit.

IV. Error qualitatis est, quando in certa qualitate personæ erratur. V.G. creditur esse nobilis, qui est ignobilis, aut dives qui est pauper &c.

Hic error ordinariè sive sit antecedens, sive incidens, non dirimit Matrimonium, nisi annexum habeat errorem personæ; sive ut vulgò loquuntur, *redundet in personam*.

Dum enim error dumtaxat versatur circa aliquam qualitatem personæ, nullatenus tollit consensum matrimonialem; sive consensum circa substantialia contractûs matrimonialis. Cum enim talis qualitas non sit necessaria ad contractum matrimonialem, nec essentiam ejus intret, error hoc relinquit sufficiens voluntarium circa *essentialia* ipsius contractûs; adeoque ipsum contractum defectu necessarii consensûs involuntarium reddere nequit.

V. Si autem *error* ille impediret unà consensum in personam, tunc indubiè ipsum Matrimonium dirimeret, non tamquam error *qualitatis*; sed tamquam error *personæ*; diciturque hic error qualitatis redundare *in personam*.

Tunc autem error circa qualitatem dicitur redundare *in personam*, quando animus contrahentis sic fertur in certam qualitatem ut implicitè nolit personam, si ipsi desit qualitas in qua errat. Exemplum assignat S. Thomas *in* IV. *Sent. Dist.* 30. *q.* 1. *a.* 2. *ad* 5. si Principi offeratur filia tamquam primogenita & hæres Regni. Solet enim illius animus ita ferri in hanc qualitatem, ut, si circa illam sit error, nolit istam personam: vel potius quia juxta prudens judicium judicari debet, quod censeatur

censeatur noluisse illam filiam hac qualitate destitutam nam in hujusmodi, dum exterius nihil exprimitur, potius examinandum est, quid juxta prudens judicium quispiam censeatur nolle, aut velle, quàm quid re ipsa nolit aut velit.

VI. Quandonam autem juxta prudens judicium quis censeatur non velle personam, si huic desit qualitas circa quam errat, frequenter est incertum.

Hoc Porrò certum est, censendum esse juxta prudens judicium, multò facilius contrahentes sponsalia aliosve civiles contractus suspendere suum consensum ab aliqua qualitate personæ aut rei, quam contrahentes Matrimonium.

Ratio hujus differentiæ est: quod cum Matrimonium sit contractus completus, qui consensum de præsenti & absolutum præfert, difficillimè admittat conditiones hujusmodi implicitas: secus quoad sponsalia de futuro; quæ cum exprimant tantum consensum in actum *futurum* facilius conditiones tales admittunt.

Ad hæc cum Matrimonium sit contractus ex natura sua indissolubilis, & maximi momenti haud facilè præsumendum, quod contrahentes voluerint ab aliqua qualitate *accidentali* consensum suum dependere.

VII. Neque hodie ob errorem qualitatis Matrimonia dissolvi videmus; quin autem consuetudo Regionis hic quoque attendenda sit, non dubium; cum contrahentes præsumantur se consuetudini loci conformare; & contractus ex ipsa consuetudine receptâ interpretationem accipere soleant.

VIII. Conditio quæ inter impedimenta Matrimonii refertur, intelligitur conditio *Servilis*.

Apud Romanos hæc conditio matrimonium eo sensu dirimebat; ut *Servitus* sive conditio servilis contractum Matrimonium dirimeret; atque inter personas conditionis servilis non Matrimonium, sed contubernium esse censebatur. *L. 14. ff. de ritu Nuptiarum*; maxime vero si *ignorantibus* aut *invitis Dominis* Matrimonium contraheretur.

IX. Cum autem Ecclesia nata & adulta sit in Imperio & Republica, non Respublica in Ecclesia, ut loquitur Optatus Milevitanus; ipsa quantum fieri poterat, se Legibus Reipublicæ conformabat: ne ipsa lex Evangelica Rempublicam turbare videretur.

Hinc primitùs Ecclesia conjugia inter personas conditionis servilis pro nullis habuit; atque dirimi permisit si consensus Dominorum non intervenisset; ut est apud Gratianum *Caus. 29. q. 2. Can. 8.* ubi ex Concilio Cabilonensi II. refertur: "Nobis visum est, ut conjugia Servorum non dirimantur, etiamsi diversos Dominos habeant, sed in uno conjugio permanentes, Dominis serviant suis & hoc in illis observandum est, ubi legalis conjunctio fuit, & per *voluntatem Dominorum.*" Et apertius S. Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium *Can. 42.* "Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt Matrimonia, sunt fornicationes. Vivente ergo patre vel *Domino*, ii qui conveniunt, non sunt ab accusatione liberi, donec conjugio *Domini annuerint*: tunc enim firmitatem accipit conjugium.

Hic videmus quo modo Ecclesia impedimentum dirimens per leges inductum, etiam probaverit, quemadmodum supra notavimus.

X. Videtur impedimentum illud durasse usque ad seculum XII. aut circiter: Nam in *Cap. 1.* ꝟ *De Conjugio Servorum* refertur consultatio Archiepiscopi Salisburgensis super Matrimoniis Servorum quæ invitis & contradicentibus Dominis contrahuntur; responsumque Adriani Papæ in hæc verba: "Sanè juxta verbum Apostoli, sicut in Christo JEsu, neque liber, neque Servus est à Sacramentis Ecclesiæ removendus, ità nec inter Servos Matrimonia debent ullatenus prohiberi: & si contradicentibus Dominis & invitis contracta fuerint, nulla ratione sunt propter hoc dissolvenda. Debita tamen & consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhiberi.

Quamvis in nostra hodierna Decretalium collectione non notetur quis fuerit hic Archiepiscopus Salisburgensis, qui Papam consuluit, in appendice tamen ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *parte 45. cap. 7.* exprimitur *Eberardus*, qui rexit dictam Ecclesiam ab anno 1145. usque ad annum 1164. uti notavit Gonzales in notis ad hoc Capitulum.

XI. Hinc patet eo tempore nondum ubique indubitatum fuisse, num inter personas servilis conditionis consisteret Matrimonium *invitis* Dominis: unà tamen constat illud impedimentum jam tum cœpisse abrogari, & hodie certum est, conjugia hujusmodi valere; eâ tamen moderatione, quæ in hac Decretali adjicitur: "Debita tamen & consueta servitia non minus debent propriis Dominis exhiberi.

XII. Et hoc quidem si personæ conditionis servilis inter se contrahant; aut etiam una libera & altera serva; modò illa non fuerit *ignara* conditionis servilis.

Si enim error sit circa *conditionem*; hoc est, si homo liber contrahat cum homine *Servo*, quem credebat esse *liberum*, hujusmodi error, licet non redundet in *errorem personæ* dirimit Matrimonium; liberumque est decepto post, quam error detectus est, aliud Matrimonium contrahere, quemadmodum respondit Innocentius III. in *Cap. fin. eod.*

Hanc dirimendi vim huic *errori* jure merè positivo competere, una est Canonistarum & Theologorum opinio: & verisimiliter Legum Romanarum & antiquorum Canonum, quæ servorum conjugia ægrè admiserunt, reliquiæ sunt.

XIII. Quidquid sit, hodie hoc impedimentum in hisce ac vicinis Provinciis parum usui venit; eò quod servos hic non agnoscamus; imò servos in Gallia & Belgio beneficio regionis liberos fieri notat Zypæus in Notitia Juris Belgici *titulo de servis n. 4.*

CAPUT IV.

De Impedimento voti & Ordinis.

1. *Canones semper improbarunt Matrimonium contra votum castitatis initum.*
2. *Idipsum per leges improbatum.*
3. *Virginum aut Monachorum Matrimonia non videntur olim fuisse invalida.*
4. *Sanctus Augustinus ea esse valida sustinuit.*
5. *Quid hic senserit S. Bernardus?*
6. *Ex hodiernis moribus non rectè judicatur de Monachis primæ ætatis.*
7. *Quando cœperit distinctio inter votum* simplex & solemne *ad dirimendum Matrimonium?*
8. *Seculo 12. ea distinctio recepta fuisse videtur.*
9. *Nondum definitum erat, in quo consisteret* solemnitas *voti ad dirimendum Matrimonium.*
10. *Id definivit Bonifacius VIII.*
11. *Hodie externa* solemnitas *non sufficit ad dirimendum Matrimonium.*
12. *Qua ratione* solemnitas *voti sit ex sola Constitutione Ecclesiæ.*
13. *Rectè definivit Synodus Tridentina vota solemnia dirimere Matrimonia.*
14. *Rationes morales ob quas Matrimonium Clericis sit interdictum?*

I. Tam

1. TAm mulieribus, quàm viris voto castitatis obstrictis, semper interdictum fuisse Matrimonium, in quantum ipse usus Matrimonialis contrarius est voto castitatis, extra dubium est.

"Si nupserit virgo non peccat, non illa virgo quæ „ semet Dei cultui dedicavit. Harum enim si qua nupse- „ rit, habebit damnationem, quia primam fidem irri- „ tam fecit," ait S. Hieronymus apud Gratianum *Dist.* 27. *Can.* 5.

Et Synodus Calchedonensis Can. 16. " Si qua virgo „ se dedicavit Deo, similiter Monachus non licet eis „ nuptiis jungi, si verò inventi fuerint hoc facientes, „ maneant excommunicati. Statuimus verò eis posse fi- „ eri humanitatem, si ità probaverit Episcopus loci." Ità apud Gratianũ *Cans.* 27. *q.* 1. *Can.* 22. ex versione Isidori.

II. Ipsi quoque Principes Christiani nuptias Virginum Deo sacratarum exhorruerunt, variasque pœnas adversus sollicitantes nuptias hujusmodi virginum decrevere, quæ leguntur in Codice Theodosiano *lib.* 9. *tit.* 25. Imperatoris Joviniani lata de hac re Constitutio refertur his verbis in Codice Justinianæo *lege* 5. *De Episcopis & Clericis*: " Si quis non dicam rapere, sed ad „ tentare tantum jungendi Matrimonii sacratissimas „ virgines ausus fuerit, capitali pœna feriatur.

Relata est hæc lex à Gratiano *de Pœnitent. Dist.* 1. *Can.* 6.

Num verò Matrimonia cum hujusmodi virginibus voto castitatis obstrictis, fuerint non tantum illicita; sed semper *invalida*, non æquè certum est.

III. Primis seculis ea nequaquam irrita fuisse sat dilucidè indicare videtur Innocentius I. Epistola ad Victricium Rothomagensem, scribens, non esse admittendam ad pœnitentiam mulierem religiosam, quæ post fidem Deo promissam ad nuptias convolaverat, nisi *post viri obitum*; idque indubiè, ne pœnitentia cedat in Matrimonii initi injuriam: tunc enim publicè pœnitentibus actum conjugalem exercere non licebat. Verba Innocentii sunt: " Quæ Christo spiritualiter nupserunt, ve- „ lari à Sacerdote meruerunt, si postea vel *publicè* „ nupserint, vel se clanculo corruperint, non eas admit- „ tendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is cui se „ junxerant de sæculo recesserit.

Et citatus Canon Calchedonensis, virginibus illis & Monachis nequaquam injungit separationem à conjugibus; sed hoc unum præcipit, ut pœnitentiæ addicantur, de qua loci Episcopus, prout prudentia suggesserit, aliquid possit remittere.

Similiter Sanctus Leo qui Synodo Calchedonensi per suos legatos præfuit, interrogatus à Rustico Episcopo Narbonensi de Monachis qui uxores acceperunt, non respondit, eos ab uxoribus separandos; sed publicæ pœnitentiæ satisfactione purgandos. Verba Leonis ex *epist.* 2. referuntur à Gratiano *caus.* 20. *q.* 3. *Can.* 1.

IV. In Africa fuisse videntur tempore S. Augustini nonnulli, qui hujusmodi virginum Matrimonia non nuptias, sed adulteria esse assererent; at his se opposuit Augustinus *libro De bono viduitatis cap.* 10. scribens: „ Proinde qui dicunt talium nuptias non esse nuptias, „ sed potius *adulteria*, *non mihi* videntur diligenter ac „ acutè considerare quid dicant....... Fit autem per hanc „ minus consideratam opinionem, qua putant lapsa- „ rum à sancto proposito fœminarum, si nupserint, „ *non esse conjugia*, non parvum malum, ut à maritis „ separentur uxores & cum volunt eas separatas redde- „ re continentiæ, faciunt maritos earum adulteros, ve- „ ros, cum suis uxoribus vivis alteras duxerint. Qua- „ propter non possum quidem dicere à proposito melio- „ ri lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non „ conjugii; sed planè non dubitaverim dicere, lapsus „ & ruinas à castitate sanctiore, quæ vovetur Deo, adul- „ teriis esse pejores.

Evidentius videtur, quàm ut probari debeat, Augustinum hic agere de fœminis quæ castitatem Deo voverint: Undè Gratianus compendium verborum S. Augustini hoc modo expressit: "Quidam nubentes *post* „ *votum* asserunt adulteros esse: ego autem dico, quod „ graviter peccent qui tales dividunt:" *Distinct.* 27. *Can.* 2. Ad hunc Gratiani Canonem notant Correctores Romani: " Verba propria hujus capitis non sunt in- „ venta apud B. Augustinum; *sententia* tamen habetur „ in libello de bono viduitatis." Integrum locum Augustini retulit ipse Gratianus *Caus.* 27. *quest.* 1. *Can.* 41.

V. Hanc fuisse Augustini sententiam etiam ipse S. Bernardus agnovit; eaque occasione dignam tanto Doctore protulit resolutionem libro *De Præcepto & dispensat. cap.* 17. Monachi nonnulli postulaverant à S. Bernardo instrui, cur vel B. Gregorius nescio, "quem „ Venantium, habitum Monachalem, quem piè susce- „ perat, impiè rejecerat; non solum resumere non coe- „ git, sed etiam omnem legitur indulsisse communio- „ nem Apostatæ perduranti: vel S. Augustinus conjugii „ legi votum quodammodo subjiciat continentiæ: ità „ ut in libro de Virginitate asserere videatur, nec celi- „ bis quidem vitæ propositum copulæ posse præscribere „ conjugali, quominus *indissolubile* maneat, etiam quod „ à continentibus fallente diabolo, fracto sanctitatis „ voto initum fuerit matrimonium.

Huic dubio reponit Bernardus: " Et ad hæc nihil „ ad præsens certius breviusque respondendum occurrit, „ nisi quod ità sancti Antistites sapuerunt: rectène? „ ipsi viderint. Nam ego in sensibus actibusque illustri- „ um Patrum cautus profectò sum omninò non aliud „ æstimare, quam quod Beato Apostolo teste quæri- „ tur jam inter dispensatores, ut videlicet fidelis quis „ inveniatur. Certus sum enim sive in suo abundave- „ rint sensu, sive in Dei spiritu: sicut & in cæteris, ità „ & in his ambos extitisse fideles, illum in dispensando „ quod præ manibus erat, istum in scribendo quod sen- „ serat.

Quæstionem hanc ævo S. Bernardi agitatam multis præterea argumentis probat Joannes Mabilonius in notis ad hunc Bernardi textum in editione operum novissima anni 1690.

VI. Locus S. Gregorii de Venantio, cujus hic mentio fit, habetur in *Epistola* 33. *Lib.* 1. observatque ibidem Eruditus Notator, quod S. Gregorius tam fuerit indulgens Venantio, ut S. Bernardus existo exemplo, quasi ex cautibus scrupulosi vix enavigaverit; ac tum subjicit hoc notandum monitum: " Certè qui Mona- „ chos & Virgines primæ ætatis ex hodiernis moribus „ æstimant, tota errant via.

VII. Ex pœnitentiali Theodori Cantuariensis refert Gratianus citata *Dist.* 27. *Can.* 3. "Si Vir *simplex* votum „ Virginitatis habens adjungitur uxori, postea non di- „ mittat uxorem, sed tribus annis pœniteat.

Notant Correctores Romani, hanc vocem *simplex* abesse ab omnibus manuscriptis. Eam additam esse juxta disciplinam illius ætatis, quando jam distinctio inter votum *simplex & solemne* invaluerat, admodum verisimile est; idque conformiter ad notam quam ipsemet Gratianus ad calcem hujus distinctionis adjecit. "Hic „ distinguendum est (ait) quod voventium alii sunt *simpliciter* voventes, de quibus Augustinus & Theodo- „ rus locuti sunt: alii sunt, quibus post votum, bene- „ dictio accedit consecrationis, vel propositum religio- „ nis, de quibus Hieronymus, Nicolaus & Calixtus scrip- „ serunt.

Hujus distinctionis sub nominis voti *solemnis & simplicis* nulla apud Veteres mentio habetur; quo verò tempore vota castitatis Matrimonia dirimere, atque vota alia *solemnia*, alia *simplicia* dici cœperint; illisque vis matri-

matrimonia dirimendi; his tantùm impediendi data sit, admodum incertum atque obscurum est.

Verisimile est, hæc sensim invaluisse; neque ubique eodem tempore; sed alibi citiùs, alibi seriùs.

VIII. Ex relata resolutione Gratiani haud obscurum est, seculo XII. quo floruit Gratianus, sat communiter eam distinctionem votorum fuisse receptam. Unde & eodem & sub initium sequentis seculi de validitate Matrimonii contra votum castitatis initi, interrogati Romani Pontifices, juxta hanc votorum distinctionem, tamquam indubitantur tunc receptam responderunt; uti videre est in *Cap.* 4. 5. & 6. *ii. Qui Clerici vel voventes, &c.*

IX. Verum cum nondum sat apertè definitum esset, in quo ipsa solemnitas voti, qua votum illud à voto simplici quoad effectum dirimendi Matrimonum distingueretur, frequentes fuère quæstiones super validitate aut invaliditate Matrimonii contra votum castitatis contracti; uti videre est in responsis Pontificum, quæ sub titulo *De Regularibus*; tum sub titulo, *Qui Clerici vel Voventes Matrimonium contrahere possint* refetur.

X. Has difficultates & quæstiones tandem diremit Bonifacius VIII. in *Cap. unico De Voto & voti redemtione in 6.* declarans, "Illud solum debere dici solemne, „quantum ad post contractum Matrimonium dirimen„dum, quod solemnizatum est per susceptionem sacri „Ordinis, aut per professionem.

Hoc Bonifacii responsum relatum in Corpus Canonicum, hodie pro jure communi receptum est; constituitque modernam Ecclesiæ disciplinam.

XI. Hinc deducitur, votum virginitatis etiam emissum sub certa verborum formula, atque exhibitis externis ceremoniis, etiam *publicè* in Ecclesia in manibus alicujus Prælati, non dirimere Matrimonium; neque ad hunc effectum dici solemnizatum, nisi emissum sit in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata; tametsi aliàs ratione istarum externarum ceremoniarum, præsertim si & *perpetuum* esset, rectè dicatur *solemne*; atque indubiè ante hanc Decretalem Bonifacii votum *solemne* dictum fuisset.

Ulteriùs inde consectarium est, quod, tametsi forsan ante editam Bonifacii Decretalem, saltem aliquot seculis omne votum *solemne* diremerit Matrimonium, hodie nullum dirimat vi hujus solemnitatis, nisi ad hunc effectum solemnizatum fuerit per susceptionem Sacri Ordinis, aut per professionem expressam vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis.

XII. Quod ergo in principio suæ Decretalis asserit Bonifacius, solemnitatem voti ex sola Constitutione Ecclesiæ esse inventam, præcipuè procedit ad hunc effectum dirimendi Matrimonium; uti suprà *parte* 1. *tit.* 30. *cap.* 1. ibi quoque notavi, votum *simplex* Scholarium S. J. quoad hunc effectum esse solemnizatum à Gregorio XIII. per Bullam quæ incipit, *Ascendente Domino.*

XIII. Ex his facilè intelligitur, quòd licet primis seculis nec votum Monachorum, nec votum annexum Ordini sacro diremisset Matrimonium, nihilominus postquam per Ecclesiam efficaciam dirimendi votis illis facta fuit, negari eis non possit ea efficacia: nî una velimus Ecclesiæ negare potestatem inducendi impedimenta; ideoque meritò Synodum Tridentinam *Sess.* 24. *Can.* 9. *De Reformat. Matrimonii* pronuntiasse: "Si „quis dixerit Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, „vel Regulares, castitatem solemniter professos, posse „Matrimonium contrahere, contractumque *validum* „esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto; & op„positum nil aliud esse, quàm damnare Matrimonium, „posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non „sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, non habe„re donum, anathema sit: cum Deus id rectè petenti„bus non deneget, nec patiatur nos supra id quod pos„sumùs tentari.

XIV. Expressè in suo Canone Synodus Tridentina usa hac alternativa: *lege Ecclesiastica vel voto*; eo quod inter Doctores Catholicos quæstio esset, num Ordo Sacer dirimeret Matrimonium, *ex voto*, an *ex lege Ecclesiastica*; nec hanc quæstionem, quæ parum utilitatis habet, decidere voluerit; hoc unum sufficere arbitrata definire, Ordinibus Sacris initiatos teneri adservandam castitatem; atque Matrimonium ab iis initum esse invalidum.

XVI. Hoc magis refert scire, quòd Ecclesia jam à primis Ecclesiæ seculis Clericis præsertim in Sacris Ordinibus constitutis nuptias interdixerit: ne rerum temporalium sollicitudine, ac carnalibus desideriis voluptatibusque implicati, à Divinis officiis & Ecclesiasticis ministeriis [quibus vi suæ vocationis mancipati sunt] impediantur & retrahantur; quasi ad Clericos verbis Apostolicis diceret Ecclesia: *Volo vos autem sine sollicitudine esse. Qui sine uxore est, sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum uxore, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* 1. Corinth. 7.

Hanc Ecclesiæ mentem non obscurè expressit Alexander III. in *cap.* 2. *De Clericis conjugatis*, in prima compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum, ubi rationem Matrimonii Clericis interdicti reddit his verbis: "Quoniam uxorati cùm divisi sint, & eos „cogitare oporteat, quomodo uxoribus placere vale„ant & servire, obsequiis non solummodò possunt in„tendere divinis." Vel ut paucioribus expressit *Cap.* 3. *ii. eodem*: "Quòd simul voluptatibus & carnalibus „desideriis, ac Divinis & Ecclesiasticis obsequiis vacare „non valeant.

Hinc facilè intelliget Canonum diligens scrutator, Clericos illos, qui à nuptiis abstinent, sed secularibus negotiis, ac sensualibus desideriis sese immergunt, licet verba Canonum externamque disciplinam tenere videantur, ipsam tamen sententiam & rationem Canonum negligentes; reverà in ipsos Canones dici posse impingere.

Hanc aliasque rationes congruentiæ fusiùs deducit D. Huygens in suis Observationibus titulo *De Matrimonio cap.* 22.

CAPUT V.

De Impedimento Consanguinitatis & Affinitatis.

1. *Quo sensu* consanguinitas *hic sumatur*?
2. *Quid* linea, *quid* gradus?
3. *Quid linea recta; & quotuplex?*
4. *Quid linea collateralis?*
5. *Ostenditur quæ sit æqualis, quæ inæqualis.*
6. *Regula pro dignoscenda distantia in linea recta.*
7. *Regula pro linea collaterali.*
8. *Regulæ hæ non procedunt secundùm computationem Civilem; & quæ hic servanda.*
9. *Verisimile est, Ecclesiam primitus usam fuisse computatione Civili.*
10. *Seculo XI. diversitas computationis nota fuit; sed necdum ubique recepta; neque extra quæstionem.*
11. *Primitus non videtur Ecclesia extendisse hoc impedimentum ultra gradus à legibus præscriptos.*
12. *Quando impedimentū ultra hos gradus extensum sit.*
13. *Videtur circa seculum VIII. aut IX. cæpisse extendi ad septimum gradum.*

14. *Sed*

14. *Sed gradus computabantur juxta computationem Civilem.*
15. *Postmodum computari cœperunt juxta computationem Canonicam; & ità impedimentum extensum fuit.*
16. *Extensionem hanc restrinxit Concilium Lateranense ad quartum gradum.*
17. *Quartus gradus hic intelligitur juxta computationem Canonicam.*
18. *Primus gradus hic consanguinitatis in linea laterali ponit impedimentum jure naturæ.*
19. *In ulteriore gradu tantùm jure positivo.*
20. *Ratio inducti hujus impedimenti petita à propagatione concordiæ, & charitatis.*
21. *Altera ratio petita ab honestate & reverentia præcipuè militat in linea recta.*
22. *Matrimonium inter consanguineos in linea recta est jure naturæ vetitum.*
23. *Quid affinitas; & unde dicta; & quâ ratione contrahatur.*
24. *Triplex genus affinitatis describitur.*
25. *Olim omnia tria genera affinitatis Matrimonium dirimebant; hodie primum dumtaxat.*
26. *Affinitatis nulli proprii sunt gradus; & unde desumi debeat conjunctio Affinium inter se?*
27. *Circa impedimentum consanguinitatis & affinitatis ex conjunctione licita & matrimoniali nihil innovavit Synodus Tridentina.*
28. *Canon Synodi Tridentinæ de hoc impedimento.*
29. *Decretum Synodi Tridentinæ restringens impedimentum affinitatis ortæ ex fornicatione ad secundum gradum.*
30. *Decretum intelligitur etiam de impedimento* impediente; & *Sponsalibus* de futuro.

1. Consanguinitas sumitur hic pro vinculo personarum ab eodem stipite propinquo descendentium; vel quarum una descendit ab altera carnali conjunctione contracto.

Ut intelligantur quæ de impedimento consanguinitatis Canones vel leges decernunt, attendi debent lineæ & gradus consanguinitatis.

II. Per lineam intelligitur series personarum quæ sunt ejusdem sanguinis participes Gradus verò generationis progressus, sive distantia consanguineorum inter se per unum generationis progressum: sive potius est habitudo distantium personarum, qua propinquitatis distantia inter personas duas vel plures discernitur. Linea duplex est, recta & collateralis, sive transversalis.

III. Recta dicitur illa, juxta quam plures personæ ità ab uno stipite mediatè vel immediatè carnali generatione descendunt, ut una sit ab altera genita; veluti filius à patre; nepos à filio, &c.

Dividitur hæc linea in Descendentium & Ascendentium; nam licet reipsa sit una eademque linea, ea tamen ratione distinguitur, quod linea Ascendentium dicatur, quâ à genitis ad Progenitores progredimur, illorum stipitem quærendo; numerando patrem, avum, proavum & alios.

Linea verò Descendentium dicitur illa, quâ descendimus à progenitoribus ad progenitos; scilicet à patre ad filium, nepotem, pronepotem & cæteros.

IV. Linea collateralis sive transversalis est illa, secundum quam variæ personæ ab uno stipite mediatè vel immediatè proveniunt, ipsæ tamen personæ à se invicem non descendunt. Quare filii Joannis, qui sunt fratres, inter se lineam collateralem constituunt, quia unius frater non descendit ab alio, sed ambo immediatè ab ipso patre procedunt.

V. Hæc linea collateralis duplex est: una nimirum *æqualis* quæ est inter personas *æqualiter* distantes à communi stipite. Alia *inæqualis*, inter personas *inæqualiter* à communi stipite distantes.

Inter duos fratres est linea *æqualis*; quia ambo æqualiter à communi *stipite*, scilicet patre distant. Patruus autem & consobrinus sunt in linea *inæquali*; quia distant à communi stipite inæqualiter: consobrinus scilicet secundo gradu à suo avo; patruus utpotè filius hujus avi tantum primo gradu.

VI. Ut sciatur, quoto gradu consanguinei se contingant vel quo gradu inter se distent, triplex regula assignari solet. Una pro linea *recta*, & duæ pro linea *collaterali*.

Regula pro linea *recta* seu Ascendentium & Descendentium est: quot sunt personæ de quibus quæritur, computatis intermediis, unâ demptâ tot sunt gradus inter eos.

Si ergo quæras, quo gradu distet proavus à pronepote, numerandæ imprimis sunt persona proavi & persona pronepotis; ac deinde avi & patris per quos descendit pronepos, quæ cum faciant quatuor personas, unâ dempta nimirum personâ proavi communi stipite, remanent, *tres*, ac ità conficitur, proavum & pronepotem esse in tertio gradu lineæ rectæ.

VII. Circa lineam collateralem *æqualem*, hæc regula servanda est: quoto gradu distant à communi stipite; tanto distant inter se; vel mutuo contingunt.

In linea autem *inæquali* hoc est: Collateralium in linea *inæquali* quoto gradu *remotior* distat à communi stipite, tanto distant inter se.

Hæc ex declaratione Arboris consanguinitatis, quæ habetur in Decreto Gratiani ad calcem *quæst.* 5. *caus.* 35. ubi & hæ regulæ fusius exponuntur.

VIII. Id quoque in hac declaratione notatur, regulas assignatas pro computandis gradibus in linea collaterali, tantùm procedere secundum Canones, non autem secundùm leges Civiles.

Juxta leges Civiles enim, eadem regula servatur in linea collaterali sive *æquali* sive *inæquali*, quæ juxta Canones assignatur pro linea *recta*; ut scilicet tot sunt gradus, quot sunt personæ, quousque perveniatur ad communem stipitem, qui communis stipes subducitur: adeoque juxta hanc computationem civilem, etiam in linea *collaterali* unaquæque persona facit unum gradum; cùm tamen secundum Canones duæ personæ tantum faciant unum gradum. Unde duo fratres secundùm computationem civilem sunt in secundo gradu; quia computato communi stipite scilicet patre sunt *tres* personæ; & consequenter una dempta, scilicet persona patris tamquam communi stipite, manent equidem *duæ* personæ. Juxta computationem Canonicam verò contingunt se in *primo* gradu; quia uterque uno dumtaxat gradu distat à communi stipite, scilicet *patre*: adeoque inter se non nisi uno gradu distare possunt juxta computationem Canonicam.

IX. Admodum autem verisimile est, quod Veteres computaverint gradus non juxta dictam computationem Canonicam, sed juxta computationem civilem. Ecclesia enim in similibus solita fuit regulas suas legibus Imperii conformare, ne videretur jura Imperii subvertere velle: & ità observat Cujacius ad *Cap. penult.* 13 *De Consang.*

X. Quandonam hæc computatio à civili distincta invaluerit, incertum est: eam seculo XI. notam fuisse colligitur ex Epistola Alexandri II. apud Gratianum *caus.* 35. *q.* 5. *Can.* 2. in qua redarguit quosdam, qui contendebant etiam juxta Canones computationem graduum instituendam modo à legibus præscripto; asseritque, discussam "quæstionem in Lateranensi Consistorio, convocatis ad hoc opus Episcopis & Clericis, „atque judicibus diversarum Provinciarum; denique „diu ventilatis legibus & sacris Canonibus distinctè in

„invenisse ob aliam causam alteram *legum* fieri, alteram „Canonum computationem.... Hac igitur de causa quia „hæreditates nequeunt deferri nisi de una ad alteram „personam, idcirco curavit secularis Imperator in singu„lis personis singulos præfigere gradus. Quia verò nup„tiæ sine duabus non valent fieri personis, ideo sacri Ca„nones duas in uno gradu constituère personas.

Potest in eamdem rem videri ejusdem epistola ad Clericos Neapolitanos, quæ extat *tomo 9. Concil. gener. col.* 1134. Hinc habemus eo seculo computationem harum diversitatem nondum ubique receptam, nec extra quæstionem fuisse; una tamen satis colligitur, eam eo tempore invaluisse ac communiter probatam fuisse. Idipsum indicat opusculum octavum B. Petri Damiani, quod inscribitur, *De Parentela gradibus*; in quo fusè contra quosdam Jurisperitos contendit gradus consanguinitatis in linea collaterali computationem Canonicam.

XI. Porrò sicuti in computandis consanguinitatis gradibus, Ecclesia se videtur primis seculis conformasse legibus Imperialibus; ità nec consanguinitatis impedimentum ultra gradus à legibus præfixos extendisse apparet.

Id non obscurè innuit S. Augustinus *lib. 15. De Civitate. Dei c. 16.* scribens: " Experti etiam sumus in connu„biis *consobrinarum* etiam nostris temporibus propter „gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, „quàm rarò per mores fiebat; quod fieri per *leges* lice„bat, quia id nec divina lex prohibuit, & *nondum* prohi„buerat *lex humana*.

Hic Augustinus supponit, nuptias consobrinarum, quantumvis minùs honestas, aliquando licitas fuisse; *quia id nec divina lex prohibuit, & nondum prohibuerat* LEX HUMANA.

Quod autem dicat Augustinus: NONDUM *prohibuerat lex humana*, reflexisse videtur ad legem à Theodosio seniore latam, ne inter consobrinos inirentur Matrimonia; cujus legis meminit S. Ambrosius *lib. 8. epist. 66.*" „Nam Theodosius Imperator etiam patrueles fratres & „CONSOBRINOS vetuit inter se conjugii convenire „nomine, & severissimam pœnam statuit, & si quis te„merare ausus esset fratrum pignora.

Honorius Theodosii filius eam quoque legem memorat in *lege Unica Cod. Theod. Si nuptiæ ex rescripto petantur*; uti rectè ibidem notat Jacobus Gothofredus; unà observans legem 19. *Cod. De Nuptiis*, quæ nuptias consobrinorum permittit, non esse Honorii; sed solius Arcadii qui Theodosio patri in Orientis Imperium successerat, Honorio Occidentis imperium moderante, quamvis dicta lex 5. tam Honorii quàm Arcadii nomen præferat.

Itaque NONDUM *lex humana* prohibuerat conjugia consobrinarum; quia lex Theodosii *nondum* edita fuerat; at cum libros de Civitate Dei Augustinus scribebat, jam lex hæc evulgata erat; ideoque verbis suprà relatis subjungit: " Verum quis dubitat, honestiùs hoc tempore *consobrinarum prohibita* esse conjugia?

Itaque videtur Augustinus à legum prohibitione desumpsisse prohibitionem conjugiorum inter consanguineos; nec eam ultra legis prohibitionem extendisse.

Hinc quisque facilè intelliget, quid censendum de Decretis quæ sub nomine primorum Pontificum Fabiani, Calixti, & Julii referuntur apud Gratianum *caus. 35. q. 2.* ubi impedimentum hoc, etiam ultra consobrinos extenditur.

XII. Quo verò tempore impedimentum consanguinitatis ultra præfixum à legibus Imperatorum gradum extendi cœperit, incertum est; illud sat certum, sensim ea impedimenta invaluisse; nec ubique eodem tempore recepta fuisse.

Responsio sancti Gregorii ad sextam interrogationem Augustini Anglorum Apostoli non obscurè supponit, ætate Gregorii impedimentum hoc ad septimum gradum fuisse extensum: quod & apertius indicat *Epist. 31. lib. 12.* ejusdem Pontificis.

Verum " prædictam responsionem si quis ex varieta„te lectionem, ex contextus inæqualitate, ex doctrinæ „meritò prudenter attenderit de Auctore forsan dubita„bit," ait eruditus Operum S. Gregorii Revisor in notis ad hanc responsionem; qui & de citata *Epist. 31.* hoc judicium subjicit: " Verùm quam sit corrupta & deforma„ta, clarum est ex multis interpolationibus & repetitio„nibus inutilibus, quas Lector studiosus & prudens in„ter legendum observabit. Ideò à quibusdam reproba„ta est, tamquam Gregorio magno indigna.

XIII. Quidquid sit, hoc interim vel ex suppositiitiis Epistolis primorum Pontificum à Pseudo-Isidoro circa seculum 8. aut 9. confictis, & in Decretum Gratiani postmodum relatis, intelligitur, circa tempus Pseudo-Isidori impedimenta consanguinitatis ad septimum gradum cœpisse extendi: sed an etiam eodem tempore graduum computatio fieret juxta computationem Canonicam suprà descriptam; an verò juxta computationem Civilem non sat expeditum est.

XIV. Verisimile est, primitus computatos fuisse secundum leges; & consequenter Matrimonium tantùm fuisse vetitum usque ad quartum gradum inter inæquales; uti notat Cujacius ad *Cap. penultimum* ⁘ *De Consanguinitate*, quod & indicat supposititia Epistola Calixti I. apud Gratianum *Caus. 35. q. 2. Can. 1.* quæ postquam dixit Consanguineorum conjunctiones vetitas, tandem subjungit: " Eos autem consanguineos dicimus, quos „Divinæ, & Imperatorum Romanorum atque Græco„rum leges consanguineos appellant, & in hæreditatem „suscipiunt, nec repellere possunt.

Et ibidem *Can. 1.* ex Concilio Meldensi dicitur: " De af„finitate *consanguinitatis* per gradus cognationis pla„cuit usque ad septimam generationem observare. „Nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum „diffinitiones sancita usque ad septimum gradum pro„tendit hæredum successionem. Non enim succede„rent, nisi eis de propagine cognationis deberetur.

Hæc probatio ex successione legali in hæreditatem desumpta inefficax planè & à scopo aliena fuisset, nisi gradus conformiter ad legum præscriptum computati fuissent.

XV. Interim seculo undecimo invaluit computatio Canonica; & septimus gradus de quo in præcitatis epistolis juxta eam computationem accipi cœpit; idque præcipuè authoritate præallegatæ responsionis & epistolæ S. Gregorii; uti videre licet apud Petrum Damiani in citato opusculo; atque ita impedimentum consanguinitatis in linea collaterali tandem ad *septimum* gradum juxta computationem Canonicam, & decimum quartum juxta computationem Civilem extensum fuit; idque tempore Alexandri III. pro jure receptum fuisse, non tantùm quoad consanguineos, sed etiam affines constat ex Decretali hujus Pontificis in *Cap. 1.* ⁘ *De Consanguinitate*.

XVI. Porrò Concilium Lateranense sub Innocentio III. perpendens hanc impedimenti extensionem absque gravi incommodo non posse observari, voluit, ut " pro„hibitio copulæ conjugalis *quartum* consanguinitatis „gradum de cætero non excedat: quoniam in ulteriori„bus gradibus jam non potest absque gravi dispendio „hujusmodi prohibitio generaliter observari. " Hac Constitutione relatâ in *Cap. 8.* ⁘ *De Consanguinitate* hodie utimur.

XVII. Indubitatum est, quartum gradum hic sumendum esse juxta computationem Canonicam; unde resolvit Gregorius IX. in *Cap. fin.* ⁘ *De Consanguinitate*, „Vir qui à stipite quarto gradu, & mulier, quæ ex alio „latere distat quinto, secundum regulam approbatam quâ

„ qua dicitur; Quoto gradu remotior differt à stipite, „ & à quolibet per aliam lineam descendentium ab eo„ dem, hic è possunt matrimonialiter copulari.

XVIII. In primo gradu consanguinitatis lineæ collateralis Matrimonium illicitum esse, non tantùm jure humano positivo, sed *naturali* non pauci contendunt; ipseque Augustinus *lib.* 15. *De Civitate Dei cap.* 16. fatetur, etiam Gentiles lumine naturali hujusmodi conjugia exhorruisse: " Quod humano genere crescente, & „ multiplicato (ait) etiam inter impios Deorum multo„ rum falsorumque cultores sic observari cernimus, ut „ etiamsi perversis legibus permittantur fraterna conju„ gia, melior tamen consuetudo ipsam malit exhorrere „ licentiam; & cùm sorores accipere in Matrimonium „ primis humani generis temporibus omninò licuerit, „ sic aversetur, quasi nunquam licere potuerit.

XIX. In ulteriori gradu lineæ collateralis, Matrimonium hodie *solo jure Ecclesiastico* vetitum esse, & contractum dirimi expeditum est, supponitque evidenter Innocentius III. in *Cap.* 8. ;; *De Divortiis* respondens, infideles qui in secundo aut tertio consanguinitatis gradu contraxerunt, si ad fidem convertantur, non esse separandos, eò quod " in præmissis gradibus à Paganis quoad eos „ Matrimonium licitè sit contractum, qui Constitutioni„ bus Canonicis non arctantur.

XX. Cur verò jam pridem, tum per Leges, tum Canones inter consanguineos conjugia vetita fuerint, tradit Augustinus loco citato. " Habita est enim (ait) ratio re„ ctissima charitatis, ut homines, quibus esset utilis atque „ honesta concordia, diversarum necessitudinum vincu„ lis necterentur: nec unus in una multas haberet, sed sin„ gulæ spargerentur in singulos; ac sic ad socialem vi„ tam diligentiùs colligandam plurimæ plurimos obti„ nerent. Pater quippe, & socer duarum sunt necessi„ tudinum nomina. Ut ergo alium quisque habeat „ patrem, alium socerum, numerosius se caritas por„ rigit.

XXI. Hæc Augustinus cujus fragmentum est apud Gratianum *Caus.* 35. *q.* 1. *Can.* 1. qui ibidem hanc rationem conciliandæ concordiæ per familias pluribus exponit, ac dein aliam adjungit his verbis: " Non solùm secundùm „ ea quæ disputavimus, propter multiplicandas affinita„ tes, ne habeat duas necessitudines una persona; cùm „ duæ possint eas habere, & numerus propinquitatis au„ geri; sed etiam quia nescio quomodo inest humanæ ve„ recundiæ quiddam naturale atque laudabile, ut cui „ debet causa propinquitatis reverendum honorem, ab „ ea contineat, quamvis generatricem, tamen libidinem, „ de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam conju„ galem.

XXII. Hæc posterior ratio potissimùm obtinet in linea recta seu Ascendentium & Descendentium; inter quos etiam in omni gradu Matrimonia illicita & invalida esse, atque semper fuisse jure naturali, expeditum est, juxta illud Nicolai I. in *Responsis ad Consultationes Bulgarorum c.* 39. " Inter eas personas quæ parentum libe„ rorumque locum inter se obtinent, nuptiæ contrahi „ non possunt, veluti inter patrem & filiam, vel avum & „ neptem, matrem & filium, aviam & nepotem, & usque „ *ad infinitum*.

XXIII. Uti varia fuit circa consanguinitatis impedimentum disciplina; ità & circa affinitatis.

Affinitas secundùm Canones & personarum proximitas ex copula carnali proveniens & omni carens parentela. Et dicitur *Affinitas*, quasi duorum ad unum finem unitas, eò quod duæ cognationes diversæ per copulam copulantur, & alter ad alterius cognationis finem accedit.

Juxta Canones affinitas contrahitur non tantùm per actum matrimonialem licitum, sed etiam per fornicarium aut alias illicitum. *Cap.* 8. & 9. ;; *De eo qui cognovit consanguineam uxoris suæ*.

XXIV. Olim triplex erat affinitatis genus, quod copiosè & sat clarè exponit Glossa ad *Cap.* 8. ;; *De Consanguinitate*; sufficietque exemplo sequenti paucis exponere: Uxor fratris mei est mihi consanguineisque meis affinis in primo genere affinitatis: mortuo verò fratre meo, si illa alteri nubat, hic secundus ejus maritus erit mihi meisque consanguineis affinis in secundo genere affinitatis: & rursus, mortua uxore fratris mei, si hic secundus ejus maritus aliam uxorem duxerit, illa me cæterosque consanguineos meos continget in tertio affinitatis genere nam copula addita copulæ efficit hæc diversa genera affinitatis.

XXV. Hæc tria genera affinitatis olim Matrimoniis impedimento fuisse docent Canonistæ, atque secundo & tertio generi occasionem dedisse videntur Decreta quæ sub nomine Fabiani Papæ & Paschalis II. referuntur à Gratiano *caus.* 35. *quæst.* 3. *Can.* 3. & 22. quæ sola à Canonistis in hanc rem allegari solent. Quidquid sit, tria illa genera aliquando impedimentum dirimens Matrimonium fecisse, evidenter supponit Concilium Lateranense in citato *Cap.* 8. declarans, quod prohibitiones de conjugio in secundo & tertio affinitatis genere minimè contrahendo, difficultatem frequenter inducant & aliquando periculum pariant animarum; ac dein subjungit: " Constitutiones super hoc editas, sacri approba„ tione Concilii renovantes, præsenti constitutione de„ cernimus, ut sic contrahentes de cætero liberè copu„ lentur.

Unde juxta hoc Decretum impedimentum affinitatis ad primum genus affinitatis restrictum est; neque ulla hodie habetur ratio secundi aut tertii generis affinitatis.

XXVI. Porrò affinitatis propriè nulli sunt gradus, ut ait Jurisconsultus in *L.* 4. §. *Gradus ff. De Gradibus*; quia cum nullæ sint affinium generationes, etiam nulli gradus propriè haberi possunt; nam juxta generationes gradus institui solent, uti observat Cujacius ad titulum *De consanguinitate*: sed gradus affinitatis, si qui sunt, ex ipsa cognatione sive consanguinitate desumuntur.

Eo enim gradu affinitatis quis alteri partium jungitur quo alteri per consanguinitatem junctus est; & mulier eo gradu est affinis consanguineis viri, quo vir illis est junctus gradu consanguinitatis.

Hinc qui marito est consanguineus in linea recta Descendentium aut Ascendentium, in eadem linea censetur affinis ejus uxori, idque eodem gradu affinitatis, quo attingit maritum per consanguinitatem. Idem est quoad lineam collateralem.

XXVII. Circa impedimentum consanguinitatis, aut affinitatis quæ oritur ex conjunctione licita & matrimoniali, nihil innovavit Synodus Tridentina; adeoque secundùm juris communis dispositionem, manet impedimentum consanguinitatis in linea recta in infinitum; quoad lineam verò collateralem usque ad quartum gradum juxta computationem Canonicam similiter & quoad affinitatem ex conjunctione legitima matrimoniali.

XXVIII. Pronuntiavit autem Synodus anathema in eum qui dixerit, " eos tantùm consanguinitatis & affi„ nitatis gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedi„ re Matrimonium contrahendum, & dirimere contra„ ctum; nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispen„ sare aut constituere, ut plures impediant & diri„ mant.

XXIX. Impedimentum quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducebatur, & Matrimonium contractum dirimebat, Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 4. *De*

„4. *De Reformat. Matrimonii,*" ad eos tantùm, qui in „ primo & secundo gradu conjunguntur, restringit: in „ ulterioribus verò gradibus statuit, hujusmodi affinitatem Matrimonium postea contractum non dirimere.

XXX. Quamvis Synodus tantum loquatur verbis expressis de hoc impedimento quatenus *dirimit* Matrimonium, tamen Pius V. in suo Motu proprio incipiente *Ad Romanum* edito anno 1566. die 20. Augusti declaravit, prædictam affinitatem ultra secundum gradum nec dirimere, nec *impedire*; uti refert Fagnanus ad *Cap* NON DEBET ;; *De Consanguinitate*, *num.* 19.

Refert quoque ibidem *nu.* 18. Sacram Congregationem censuisse" hujusmodi restrictionem ad primum & „ secundum gradum extendi etiam ad sponsalia per verba de futuro contracta; adeo ut nisi, in primo & secun„ do gradu hujusmodi affinitatis non dirimantur.

CAPUT VI.

De Impedimento Cognationis Legalis & Spiritualis, nec non publicæ honestatis.

1. *Cognatio* legalis *unde orta; & cur ità dicta?*
2. *Rationes quæ suadent conjunctos hac cognatione Matrimonio non jungendos.*
3. *Apud Romanos quousque impedimentum hoc extensum.*
4. *Quando solutâ adoptione maneat impedimentum.*
5. *Impedimentum hoc legibus inductum recipit Ecclesia.*
6. *Synodus Tridentina nihil circa hoc impedimentum immutavit.*
7. *Impedimentum cognationis* spiritualis *ad exemplum hujus inductum.*
8. *Probatur auctoritate Nicolai I.*
9. *Hujus impedimenti meminit Justinianus; rationemque illius assignat.*
10. *Synodus Trullana hoc impedimentum probavit.*
11. *Qua ratione hoc impedimentum paulatim fuerit extensum.*
12. *Hoc non ex lege Divina, sed merè positiva oritur.*
13. *Cur Synodus Tridentina hoc impedimentum judicaverit restringendum.*
14. *Ad summum duas personas ad suscipiendum infantem adhiberi voluit.*
15. *Inter quas personas ex Decreto Synodi Tridentinæ spiritualis cognatio contrahatur.*
16. *Quid de conjugibus prolem alienam, vel propriam suscipientibus?*
17. *Parochus baptizaturus inquirere debet, qui in Patrimos designati sint; & hos solos admittere.*
18. *Quid si hæc à Parocho sint omissa, item quid si plures quam* duo *admissi sint.*
19. *Quid de designato & admisso à solo Parocho?*
20. *Suscipiens per procuratorem contrahit cognationem spiritualem.*
21. *Videtur sublatum impedimentum quod olim ex* Catechismo *oriebatur.*
22. *Quæ de cognatione* spirituali *orta ex Baptismo decreta, eadem obtinent in illa quæ ex Confirmatione.*
23. *Ecclesia hanc cognationem inducens, ostendit à Suscipiente curam Suscepti habendam.*
24. *Ratio impedimenti* publicæ honestatis.
25. *Impedimentum hoc oritur ex Matrimonio* rato *&* *Sponsalibus* de futuro.
26. *Ortum ex Matrimonio olim ad 7. hodie ad 4. gradum extenditur.*
27. *Quousque olim extensum, si ex Sponsalibus* de futuro *oriebatur.*
28. *Restrictio hujus impedimenti per Synodum Tridentinam.*
29. *Synodus tantùm loquitur de Sponsalibus* de futuro.
30. *Nihil immutavit quoad impedimentum ex Matrimonio rato.*
31. *Etiam ex Matrimonio* nullo *oritur hoc impedimentum.*
32. *Ex Sponsalibus* quavis *ratione* nullis *non oritur hoc impedimentum; secus si ab initio fuerint valida.*
33. *Ex Sponsalibus validis non conditionatis oritur tantùm impedimentum usque ad* primum *gradum.*

COgnatio Legalis oritur ex adoptione, quâ quis liberos naturales non habens, alienum sibi in filium adoptat.

Adoptionis istius usus jam pridem apud Romanos usitatissimus fuit; variæque de ea in Jure Romano extant Imperatorum Leges & Juris Consultorum Responsa.

Cognatio autem quam adoptio parit, *civilis legitima*, seu *legalis*, ad differentiam cognationis *naturalis*, appellatur *L.*4 §.1. *ff. De gradibus*; quia sola lege adoptio nititur & actus est merè civilis.

II. Cum autem per legem ideo inducta esset adoptio, ut is qui *natura* filius non erat, filius per *legem* efficeretur adoptanti, seu potiùs potestate Legum naturam quodammodo supplente, filius fingeretur Adoptatus, consequens visum fuit, ut nec inter hos per matrimonii vinculum alia connexio seu necessitudo intercedere deberet.

Hic quoque militare credebatur illud Augustini capite præcedenti relatum:" Nescio quomodo inest huma„ næ verecundiæ quidquam naturale atque laudabile, ut „ cui debet causâ *propinquitatis reverendum honorem*, „ ab ea contineat quamvis generatricem, tamen libidi„ nem, de qua erubescere videmus & ipsam pudicitiam „ conjugalem.

III. Itaque jam pridem & apud Romanos, hæc civilis cognatio impedimentum Matrimonii contrahendi inter adoptantem & adoptatam, & generaliter inter omnes personas, quæ per adoptionem liberorum & parentum loco sunt, induxit, idque etiam solutâ adoptione per emancipationem. *L.* 17. & 15 *ff. De Ritu nuptiarum.*

Ulteriùs etiam impedimentum hoc Leges extendunt ad Adoptatum & filias naturales adoptantis; quasi jure *fraternitatis*, quod inter adoptatum tamquam filium Legalem adoptantis & hujus proles *naturales* intercedit hac tamen differentiâ, quod hoc *fraternitatis* impedimentum solvatur, solutâ per emancipationem *adoptione* dictâ *L.*55. §.1, quia post emancipationem (ait) *extraneus* intelligitur.

IV. Soluta adoptione nuptiæ non permittuntur, ut dictum est, inter eos, qui parentum liberorumque loco aliquando fuerunt, quia hâc solutâ, manet pudoris & honestatis ratio quæ impedit similes nuptias §.1. *Instit. de Nuptiis*; quæ pudoris ratio non æquè militat inter collaterales, postquam per adoptionem quæsita *fraternitas* aliáve ex transverso cognatio, eadem solutâ adoptione evanuit: nec tantâ religione colenda memoria fratris alteriusve cognati olim adoptivi, quàm eorum qui loco parentum aliquando fuère.

V. Hoc impedimentum à legum auctoritate primum inductum, Ecclesia quoque recepit; ejusque mentio fit apud Gratianum in *Can.*6. *caus.* 30. *q.* 3. & in *Cap unico* ;; *De Cognatione Legali*, ubi ex responsis Nicolai I. ad Consulta Bulgarorum refertur:" Si qua per adoptionem mihi „ soror esse cœperit, quamdiu durat adoptio inter me & „ ipsam nuptiæ consistere non possunt.

VI. Quod responsum ex Legibus Civilibus sumptum esse evidens est; neque legitur, Ecclesiam circa hoc

Digitized by Google

hoc impedimentum aliquid mutâsse; sed illud prout legibus decretum erat, recepisse apparet: nec Synodus Tridentina quidquam hîc innovavit, uti monet Cujacius ad titulum Decretalium *De Cognitione Legali*; creditque etiam hodie, Fraternitatem legalem constituere impedimentū dirimens; nimirum durante adoptione; quemadmodum Legibus constitutum erat, & ipse Nicolaus I. respondit.

VII. Ad hujus cognationis legalis imitationem & exemplum comparata est cognatio spiritualis, atque impedimentum Matrimonii ex ipsa profluens.

Sicuti enim Adoptans Adoptatum sibi in locum filii assumit & habet; ita quoque Susceptor, si Patrinus recipit Baptizatum in filium suum spiritualem; id est, ut illi Patris spiritualis loco sit, sive ejus curam spiritualem tamquam alter Pater gerat, quemadmodum supra *tit.* 2. *c.* 4. ostensum est.

VIII. Unde de hac cognatione, & ex ea resultante impedimento ita loquitur Nicolaus I. in citatis Responsis ad Consulta Bulgarorum *cap.* 2. "Ita diligere debet homo eum, qui se suscipit ex sacro fonte, sicut *patrem*, „Quinimo quantò præstantior est spiritus carne quod „illud spirituale est patrocinium, & secundum Deum „*adoptio*, tantò magis spiritualis pater in omnibus est à „spirituali *filio* diligendus...Nulla verò inter eos & filios „eorum consanguinitas est, quoniam spiritus ea quæ „sanguinis sunt nescit: caro enim secundum Apostolum concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem: hæc enim invicem adversantur. Est tamen „alia inter eos gratuita & sancta communio, quæ non „est dicenda consanguinitas, sed potiùs habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos non arbitramur esse „quodlibet posse conjugale connubium; quandoquidem nec inter eos qui naturâ & eos qui *adoptione* filii „sunt, venerandæ Romanæ leges Matrimonium contrahi permittunt.

Deinde tamquam consequens infert: "Si ergo inter „eos non contrahitur Matrimonium, quos *adoptio* jungit; quantò potius à carnali oportet inter se contubernio cessare, quos per cœleste Sacramentum regeneratio Sancti Spiritûs vincit? Longè igitur congruentius „filius patris mei vel frater meus appellatur is, quem „gratia Divina, quàm quem humana voluntas, ut filius „ejus vel frater meus esset, elegit; prudentiusque ab alterna corporis commixtione secernimur, quoniam „Spiritus Sanctus suâ nos charitate coadunavit, quam si „vel carnalis necessitudo, vel invicem nos mutabile „cujusdam corruptibilis hominis arbitrium copulâsset.

Hoc Responsum Nicolai I. extat apud Gratianum *cauſ.* 30. *q.* 3. *Can.* 1. atque hinc intelligitur, Pontificem cognationem legalem & exinde ortum impedimentum in confirmationem hujus impedimenti assumpsisse.

IX. Hujus impedimenti seculo sexto meminit Justinianus in *l.* 26. *Cod. de Nuptiis*. ubi "ea persona omnimodo ad nuptias venire prohibenda declaratur, quam „aliquis, sive alumna sit, sive non, à *sacro* suscepit Baptismate." Ratio subjungitur: "Cùm nihil aliud sic inducere potest paternam affectionem, & justam nuptiarum prohibitionem, quàm hujusmodi nexus, per quem „Deo mediante animæ eorum copulatæ sunt.

X. In Ecclesia Græca hanc cognationem spiritualem, & ex hac resultans impedimentum Matrimonii, notam fuisse seculo 7. manifestum est ex *Canone* 53. Synodi VI. in Trullo, ubi Patres dicunt: "In nonnullis autem locis „cognovimus quosdam, qui ex sancto & salutari *Baptismate* infantes suscipiunt, postea quoque cum *matribus* eorum viduis Matrimonium contrahere: statuimus, ut inposterum *nihil* fiat hujusmodi. Si qui autem „post præsentem Canonem hoc facere deprehensi fuerint, ii quidem ab *illicito* Matrimonio desistant: „deinde & fornicatorum pœnis subjiciantur.

Rationem sui Decreti præmiserunt *Quoniam spiritualis affinitas corporum conjunctione major est*.

XI. Ubi autem persuasum fuit, hanc spiritualem affinitatem esse majorem corporum conjunctione; ipsumque suscipientem & susceptum esse adinstar patris & filii adoptivorum, difficile haud fuit, hoc impedimentum paulatim adinstar impedimenti ex cognatione carnali & legali profluentis extendere; quemadmodum sensim extensum fuisse tum ex Canonibus relatis apud Gratianum *Causa* 30. *q.* 3. tum ex Decretalibus sub titulo *De Cognatione spirituali* videre est.

XII. Et quidem sub nomine Zachariæ & Deusdedit Pontificum extat Decretum apud Gratianum loco citato *Can.* 5. "Quòd non oporteat filiam, quam de sacro „fonte susceperit aliquando, filio suo in Matrimonium „tradere:" hac subjectâ ratione: *Quia in* DIVINA *sententia* GERMANI *esse inveniuntur*.

Hujus Canonis auctoritate aliquando usus Celestinus III. respondit, hujusmodi Matrimonium esse dirimendum licet ambo 30. annis pariter sine quæstione mansissent; quia diuturnitas temporis non minuit, sed auget peccata *Cap.* 3. *De Cognatione spirituali*, in secunda compilatione Decretalium apud Antonium Augustinum.

Verùm, ut rectè advertit Cujacius ad titulum De spirituali cognatione, nusquam id reperies in *Lege Divina*. Reperies quidem in vetere lege Longobardorum *lib.* 2. *tit.* 8. ne susceptus audeat filiam susceptoris uxorem ducere, *quia spirituales germani esse noscuntur*; sed in Lege Divina nusquam.

Et revera hanc omnem cognationem, atque exinde resultans impedimentum esse ex jure merè positivo, sat ostendit varia, quæ diverso tempore, & in diversis Ecclesiis circa hæc fuit disciplina.

XIII. Synodus quoque Tridentina nullam hîc divinam legem, quæ impedimentum hoc induxisset, aut ad certas personas extendisset, agnoscens, illud contra jam pridem stabilitam disciplinam in multis restrinxit; eò quod "doceret experientia, propter multitudinem pro„hibitionum multoties in casibus prohibitis ignoran„ter contrahi Matrimonium: in quibus vel non sine „magno peccato perseveratur, vel ea non sine magno „scandalo dirimuntur," ut loquitur *cap.* 2. *Seſſ.* 24. *De Reformat. Matrimonii*.

XIV. His incommodis occurrere volens Synodus statuit, "ut unus tantùm, sive vir sive mulier, juxta sacro„rum Canonum instituta, vel ad summum *unus & una* „Baptizatum de Baptismo suscipiant.

Pluribus seculis usitatum fuisse, ut non nisi viri viros, & mulieres mulieres de fonte Baptismatis susciperent, notatum est *tit.* 2. *cap.* 4. *num.* 4. ut proinde meritò hoc salubre Synodi Tridentinæ Decretum exactè servetur.

XV. Post hæc subjicit Synodus: "Inter quos ac Bap„tizatum ipsum, & illius Patrem & Matrem, nec „non inter Baptizantem & Baptizatum, Baptizatique „Patrem ac Matrem *tantùm* spiritualis cognatio con„trahatur.

Hoc Decretum hodie ubique receptum est; ipsamque modernam Ecclesiæ disciplinam circa cognationem spiritualem ex hoc Decreto metiri debemus.

Hinc contra dispositionem veterum Canonum, & *Cap.* 1. & 3. *De Cognat. spirituali*, hodie valet Matrimoniū contractum inter filiam suscipientis & Baptizatum, uti censuit sacra Congregatio apud Fagnanum ad dictum *Cap.* 1. *num.* 4. neque ultra personas in Decreto expressas impedimentum extenditur: vultque Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 10. *c.* 5. subinde moneri populum, nullam omnino cognationem spiritualem contrahi inter susceptorem & susceptricem; nec etiam inter Baptizatum

tum vel susceptum & suscipientis conjugem. Quòd & expressè declaravit Pius V. in Constitutione quæ incipit *Ad Romanum* 14. in Bull.R.

XVI. Inde consequens, nihil obstare, quò minùs duo conjuges levent eumdem de fonte: sed si alter conjugū propriam utriusque prolem levaret, vel etiam baptizaret cognationem hanc contraheret cum altero, quæ conjugii *usum* impediret, saltem donec Ordinarius dispensasset: excipitur autem casus necessitatis juxta responsum Joannis VIII. in *Can.7. caus.30. q.1.* quod tamen in *fornicario* qui *propriam* prolem in necessitate baptizaret, non procedere probat Fagnanus ad *Cap.1. De Cognat. spirit. n.8. & sequentibus*; huncque consequenter cum fornicaria matre prolis baptizatæ *validè* contrahere non posse.

XVII. Ulteriùs statuit Synodus Tridentina: "Parochus, „antequam ad Baptismum conferendū accedat, diligen„ter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos „elegerint, ut Baptizatum de sacro fonte suscipiant; & „eum vel eos ad suscipiendum tantùm admittat; & in „libro eorum nomina describat: doceatque eos quam „cognationem contraxerint; ne ignorantiâ ullâ excu„sari valeant. Quod si alii ultra designatos Baptizatum „tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto con„trahant; constitutionibus in contrarium facientibus, „non obstantibus.

XVIII. Hæc quidem à Parochis diligenter servanda sunt; attamen si neglecta fuerint nullusque in particulari designatus fuerit, & nihilominus infantem de sacro fonte susceperint & Baptizatum tetigerint, cognationē esse contractam verisimilius est. Quin si plures, quàm duo contra Synodi præscriptum tenent aut suscipiunt Baptizatum, omnes contrahere cognationem, resolvit post alios Barbosa in Collectaneis Doctorum ad citatum *c.2.* Concilii Tridentini *nu.38.* & ita S. Congregationem respondisse testatur Fagnanus ad *Cap.1. De Cognat. spirituali num.5.*

XIX. Si parentes nullum designaverint, nec etiam præsentes sint, atque Parochus aliquem, forsan fortuitò præsentem, in patrinum assumpserit, eum, si Baptizatum susceperit, contrahere cognationem spiritualem expeditum est: imò si designatum à parentibus parochus non admittat, & alium casu ingredientem in Ecclesiam vocaverit, ut Baptizandum puerum susciperet ac tangeret cum eo spiritualem cognationem contrahi resolvit Ludovicus Beia apud Barbosam loco citato *num.41.*

XX Nonnumquam contingit, ut quis per procuratorem seu mandatarium infantem de fonte suscipiat; quo casu aliquando inter Doctores disputatum fuit, à quo cognatio spiritualis contraheretur, an à mandante, an à mandatario & immediatè tangente: sed de consuetudine universali receptum est, cognationem contrahi à mittente, non verò à procuratore: quia quæ agit procurator, non agit proprio nomine, sed nomine mittentis: tum quia mittens fuit designatus, non verò procurator. Ita post alios refert Barbosa De Officio Episcopi *parte 2. Allegat. 30. num. 50.*

XXI. Cum Synodus Tridentina tantùm velit contrahi cognationem inter eos qui infantem de fonte levârunt, apparet etiam sublatum esse impedimentum impediens, quod per assistentiam in *Catechismo* seu instructione ante Baptismum olim contrahebatur juxta *Cap.2. De Cognatione spirituali in VI.* maximè ob generalia verba in fine Decreti à Synodo Tridentina adjecta: *Omnibus inter alias personas hujus Cognationis spiritualis impedimentis* OMNINO *sublatis.*

Unde rectè monet Zypæus in Jure Novo ad titulum *De Cognat. spirituali*, cùm pueri domi baptizati sunt, & postea supplentur preces & solennia in Ecclesia Patrinos hic *tantùm* adhibitos, in libro Baptizatorum non esse simpliciter ut Patrinos describendos, sed ut *Patrinos Catechismi.*

XXII. Quæ de cognatione contrahenda in Baptismo decrevit Synodus Tridentina, eadem servari voluit in ea cognatione, quæ ex Confirmatione contrahitur; ut scilicet hæc confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem ac tenentem non egrediatur.

Præterea quæ ad restringendum hoc impedimentum ex susceptione in Confirmatione proveniens decreverint Synodi nostræ Belgicæ, quousque in Patrinos eligi desiderent, retulimus suprà *titulo 3. cap.4.*

XXIII. Cæterum quia jam pridem Ecclesia hoc impedimentum & hanc spiritualem cognationem, præsertim in Baptismo ideò induxit, quod Patrinus credatur fieri quasi pater spiritualis suscepti; satis insinuat, curam spiritualem à suscipiente tamquam patre ipsi suscepto tamquam filio esse impendendam; de qua latiùs actum suprà *titulo 2. cap.4.* & *titulo 3. c.4.*

XXIV. Non tantùm ob conjunctionem carnalem & exinde ortam consanguinitatem impediri Matrimonium; sed etiam ob quamdam honestatem & reverentiā quæ ab una persona alteri debetur, suprà ostensum est ex Augustino; ac insuper notatum, ob eam rationem manere impedimentum inter filium adoptatum & uxorem adoptantis post solutam adoptionem: quia inhonestum videtur, nuptias intercedere inter personas quæ aliquando inter se parentum & filiorum loco fuerunt.

Hac ratione inductum quoque fuit impedimentum quod vulgo dicitur *publica honestatis.*

XXV. Oritur hoc impedimentum ex duobus; nimirum Matrimonio *rato non consummato*, & *Sponsalibus de futuro.* Licet enim nulla intervenerit conjunctio carnalis, atque ita propriè consanguinitas orta dici nequeat; tamen quia per Matrimonium mulier facta est vera uxor mariti; & per Sponsalia Desponti saltem imperfectè jam conjuncti censeantur, & quasi inchoârint contractum matrimonialem; minùs honestum visum fuit, ut maritus cum consanguineis suæ uxoris quamvis nondum cognitæ, aut sponsus cum consanguineis sponsæ suæ nuptias contraheret.

XXVI. De hoc impedimento agit Gratianus *caus.27. qu.2.* atque inter alia Decreta profert unum sub nomine Julii Papæ, quo dicitur: "Si quis desponsaverit uxo„rem, vel subarrhaverit, & sive prævenіente die mortis, „sive irruentibus quibusdam aliis causis minimè eam „cognoverit, neque ejus superstes frater, neque ullus de „consanguinitate ejus eamdem sibi tollat in uxorem ul„lo umquam tempore.

Si authenticum esset hoc Decretum, de antiquitate hujus impedimenti ambigi non posset; sed cùm Eruditis sit hodie sat persuasum, esse suppositium, nihil inde certi haberi potest; uti nec ex aliis quæ eam in rem allegat Gratianus, eò quòd nihilo magis authentica sint. Illud sat certum, impedimentum hoc, in quantùm ex Matrimonio rato oritur, se extendisse olim ad septimum gradum, exemplo impedimenti affinitatis; atque unà cum hoc per Concilium Lateranense censeri restrictum ad quartum gradum.

XXVII. Ortum verò ex Sponsalibus de futuro similiter olim se extendebat ad eumdem gradum, modo essent *pura & certa*; id est cum *certa & determinata* persona, licet quavis ratione *invalida*: & dummodò non essent nulla ex *defectu consensûs*, oriebatur impedimentum efficax ad impediendum & dirimendum sequentia Sponsalia vel Matrimonia, *Cap Unico De Sponsalibus in VI.*

XXVIII. At Synodus Tridentina edocta per experientiam de incommodis ex multitudine impedimentorū provenientibus hoc quoque impedimentum limitavit; decrevitque citatâ *Sessione 24. cap.3.* "Justitiæ pu„blicæ honestatis impedimentum ubi Sponsalia *qua-*

„ eamque ratione *validæ non erunt*, sancta Synodus prorsus tollit, ubi autem valida fuerint, *primum* gradum „ non excedant: quoniam in ulterioribus gradibus „ jam non potest hujusmodi prohibitio absque dispen„dio observari.

XXIX. Synodum hîc agere de Sponsalibus propriè dictis sive *de futuro*, editâ speciali Constitutione quæ incipit *Ad Romanum* 62. in Bull. R. declaravit Pius V. " Attendentes (ait) quòd Sponsaliorum appellatione, „ quâ dictum Concilium utitur, non nisi *impropriè* Ma„trimonium verbis de *præsenti* conceptis contractum „ continetur; quodque agitur de correctione juris vete„ris, quo casu secundùm proprietatem verborum dum„taxat procedendum est, præsertim cùm longè majo„rem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba „ de præsenti contracto, quàm in Sponsalibus *de futuro* „ vigere à nemine dubitetur.

XXX. Nihil ergo circa impedimentum *publicæ honestatis* proveniens ex Matrimonio *rato non consummato* innovavit Synodus Tridentina; ideoque ex pristino jure illud etiam hodie extenditur ad quartum gradum: ita ut, qui Matrimonium contraxerit cum Catharina, eâ mortuâ ante consummationem, non possit validè contrahere citra dispensationem cum illa quæ Catharinam in quarto consanguinitatis gradu attingebat.

XXXI. Quin & hinc ulterius deducitur, hodie ex Matrimonio *quavis* ratione *nullo*, præterquam *defectu consensûs*, oriri hoc impedimentum: quandoquidem jure veteri oriretur, & Synodus Tridentina nihil circa hoc impedimentum, quatenus ex contracto Matrimonio oritur, mutaverit: & hanc sententiam multis adstruit Fagnanus ad *Cap.* AD AUDIENTIAM ꝟ *De Sponsalibus*.

Quo ad impedimentum hoc ut proveniens ex *Sponsalibus de futuro* in duobus jus commune correxit Synodus Tridentina.

XXXII. Primò quidem contra Decretalem Bonifacii VIII. in *Cap. unico De Sponsalibus* in VI. sublatum prorsus est hoc impedimentum ex Sponsalibus *nullis*, non tantùm *defectu consensûs*, sed *quavis* etiam alia ratione.

Sed quid si valida quidem ab initio fuerint, sed mutuo consensu postmodum dissoluta? Cùm revera fuerint Sponsalia validè contracta, adeoque verum fuerit, ipsos fuisse Desponsos, non apparet ex mente Synodi, ea posse comprehendi sub Sponsalibus *invalidis* nec consequenter impedimentum *publicæ honestatis* ex hujusmodi Sponsalibus ortum à Synodo esse omnino sublatum: atque ita non semel resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus loco citato *num.* 29. ac signanter 6. Julii anno 1658. Quâ resolutione ad Sanctissimum cum rationibus hinc inde deductis & recentioribus ejusdem Congregationis in hac materia responsis, ipse Sanctissimus die 10. ejusdem mensis prædictam Congregationis resolutionem probavit, eamdemque jussit in dubium deinceps non revocari.

XXXIII. Secundò quo ad Sponsalia *valida* restrinxit Synodus hoc impedimentum ad *primum* gradum; cum jure communi extenderetur ad quartum: ideoque Sponsus hodie potest contrahere cum consanguinea sponsæ in secundo gradu.

Et quidem ut oriatur hoc impedimentum etiam usque ad *primum* gradum, requiritur, ut sint sponsalia absoluta & valida; id est, non conditionata, quorum effectus suspenditur à conditionis eventu; cùm revera non int absolutè sponsalia ante conditionis eventum. Barbosa in Collectaneis Doctorum ad citatum *cap.* 3. Synodi Tridentinæ *num.* 10.

CAPUT VII.

De Impedimento Criminis.

1. *Adulterium apud Romanos impedimentum fuit.*
2. *Augustinus videtur* adulterium *pro impedimento agnovisse.*
3. *Etiam seculo IX. idem obtinuisse verisimile est.*
4. *Gratianus non videtur intellexisse Canonem Concilii Triburiensis.*
5. *Gratianus Canones generaliter de* adulterio *loquentes restrinxit.*
6. *Gratiani auctoritas fecit ut hæc restrictio pro jure sit recepta.*
7. *Eam insinuat Alexander* III.
8. *Innocentius* III. *eam pro jure habuit.*
9. *Adulterium dirimit, si sibi mutuò fidem dederint.*
10. *Ignorantia potest eatenus excusare ut non oriatur impedimentum dirimens.*
11. *Alter casus quo adulterium hodie dirimit Matrimonium.*
12. *Homicidium quandonam dirimat Matrimonium.*
13. *Hæc impedimenta sunt juris positivi.*
14. *Quomodo de his populus monendus.*

I. Multa olim crimina impedivisse Matrimonium, suprà notatum fuit. Inter hæc autem fuisse *adulterium*, dubium non est; neque illud solùm impedivisse, sed & dirimisse Matrimonium inter adulterum & adulteram, non obscurè indicat Novella Justiniani 134. *cap.* 12. quod & apud Romanos canonum fuisse, colligitur non obscurè ex *l.* 11. §. 11. & *l.* 40. *ff. Ad L. Juliam de adulteriis.* Unde ad dictam *l.* 40. notat Gothofredus: *Mulier nubere potest ei cum quo adulterii tantùm insimulata est, non convicta.*

II. Idipsum probare videtur Augustinus *lib.* 1. *De Nuptiis & concupiscentia cap.* 10. ubi ita legitur: " Marito mortuo cum quo verum connubium fuit, fieri verù connubium *non potest* cum quo prius *adulterium* fuit.

Refert quidem Gratianus *Cauf.* 31. *q.* 1. *Can.* 2. hunc textum Augustini sine negatione, sed perperam, uti post Correctores Romanos notavit Cujacius ad *Cap.* 1. ꝟ *De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium*; ubi quoque observat, juxta antiquos Canones, mulierem quæ sciens se præbuit alieno marito, nunquam potuisse cum eo Matrimonium inire.

III. Et quidem multis seculis eam disciplinam viguisse verisimile est ex *Canone* 40. Concilii Triburiensis anno 895. in quo generaliter definitur: "Non licet ergo, nec „ Christianæ religioni oportet, ut ullus eâ utatur in Ma„trimonio, cum qua prius pollutus est adulterio.

IV. In illo quidem Canone specialis casus proponitur & deciditur, nimirum quo adulteri sibi *mutuo fidem* dederant interposito juramento de ineundo Matrimonio post mortem alterius legitimæ partis; sed post decisionem casûs, prædictam generalem conclusionem Patres subjiciunt: quod non advertens Gratianus, fragmentum Canonis tantum referens, hanc ei epigraphen præfixit: *Post mortem viri non potest adulteram in conjugium ducere, qui viro vivente* JURAMENTUM *sibi futurarum nuptiarum præbuit.*

V. Quin & Canonibus generaliter loquentibus ipse Gratianus hanc restrictionem adhibendam censuit: "Si „ nihil in mortem viri machinatus fuerit: vel si vivente „ viro fidem adulteræ non dedit, se sumpturum eam sibi „ in conjugem si viro ejus supervixerit. " Habetur post *Canonem* 3. *Cauf.* 31. *q.* 1.

VI. Cum autem circa seculum 12. & 13. authoritas Decreti Gratiani ita invaluisset, ut vix aliunde quam ex illo desumerentur quæ quæstionibus disciplinæ deci-

decidendis servire possent, tandem hæc restrictio Gratiani pro jure invaluit; uti observat Cujacius loco citato.

VII. Hinc Alexander III. seculo XII. hanc restrictionem non obscurè admittit in *Cap.* 1. tit. *De Eo qui duxit in matrimonium quam polluit per adulterium*, dicens: "Licet in Canonibus habeatur, ut nullus copulet Ma„trimonio quam prius polluerat adulterio, & illam *ma„ximè* cui fidem dederat uxore suâ vivente, vel quæ ma„chinata est in mortem uxoris &c.

VIII. Sed apertius subsequentes Pontifices eam admisêre: quin & definierunt, legitimum esse Matrimonium *adulteri* cum *adultera* post mortem legitimæ uxoris, "nisi alter eorum in mortem uxoris defunctæ fuerit „machinatus, vel eâ vivente sibi fidem dederint de Ma„trimonio contrahendo." Uti respondit & definiit Innocentius III. in *Cap.*6. tit. *eod.* quæ definitio & responsum pro jure hodie recepta sunt.

IX. Itaque juxta modernam disciplinam, adulterium generaliter non dirimit matrimonium cum adultera initum; sed his dumtaxat casibus.

Primò si *sibi fidem* dederint de contrahendo Matrimonio; vel si de facto Matrimonium initum sit, licet sciretur alter conjugum adhuc vivere; sive id contigerit ante vel post commissum adulterium; uti deciditur in *Cap. fin.* tit. eod.

X. Si autem mulier ignoraverit, adulterum junctum esse matrimonio, non prohibetur eo casu matrimonium mortuâ uxore cum eo contrahere *Cap.* 7. tit. *eod.* quia non intervenit *formale* adulterium. Imo si *de facto* contractum sit matrimonium, licet *nulliter* ob prius Matrimonium mariti adhuc subsistens; si tamen mulier quæ hoc Matrimonium ignorabat, in secundo manere velit, vir ab ea recedere non potest, *Cap.* 1. tit. *eod.* quia *dignum non est, ut vir qui scienter contra Canones venerat, lucrum de suo dolo reportet.*

XI. Alter casus quo non subsistit Matrimonium inter adulterum & adulteram, est, si vel maritus adulter aliquid machinatus fuerit in mortem conjugis suæ, vel mariti adulteræ, ut cum ea contrahere posset; vel adultera in mortem sui mariti, vel uxoris adulteri, *Cap.* 3. tit. *eod.*

XII. Homicidium quoque dirimit Matrimonium sine adulterio, dum scilicet vir aut uxor cum tertio conspiravit in mortē suæ compartis; quo casu si fuerit mors sequuta non poterit superstes cum tertio illo Matrimonium inire, *Cap.* 1. tit. *De Conversione infidelium*; licet alter esset infidelis, & ad ejus conversionem patrata esset talis occisio, & initum Matrimonium: *Cum tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit.*

XIII. Impedimentum adulterii etiam junctâ machinatione in mortem mariti adulteræ esse tantùm juris positivi, colligitur ex Matrimonio Davidis cum Bethsabee; illud tamen rectè inductum est, ut hoc saltem pacto hujusmodi scelera cohiberentur, dum scirent, his criminibus ad Matrimonia perveniri non posse.

XIV. Meritò subinde, sed tamen castè & prudenter, populus de hoc monendus; præcipuè de *adulterio cum promissione*; quia natum est ut frequentius usu veniat. Et generatim subinde saltem moneantur, ut si adulterium aut homicidium intervenerit, tunc inquirant an impedimentum non sit.

CAPUT VIII.

De Impedimento ex Cultûs disparitate.

1. *Quinam dicantur dispares cultu?*
2. *Rarus hodie hic impedimenti hujus usus.*
3. *Impedimentum hoc olim incognitum.*
4. *Hoc impedimentum consuetudine videtur introductum.*
5. *Justa de causa Ecclesia hoc impedimentum probavit.*
6. *Matrimonia Catholici cum Heretica apud Græcos fuerunt jam pridem invalida.*
7. *Ecclesia Latina ejusmodi Matrimonia non habet pro irritis.*
8. *Parochi à similibus Matrimoniis deterrere debent ob periculum perversionis.*
9. *Secundo ostendere debent Parochi periculum ex istis Matrimoniis prolibus imminens.*
10. *Insuper quàm facilè pars Catholica ab Acatholica perverti possit.*
11. *Cur Ecclesia potiùs matrimonium cum non baptizato quàm cum Heretico irritum fecerit.*
12. *Quomodo Matrimonium Catholici cum Heretica aliquando permitti possit.*

I. CUltûs disparitas hîc non accipitur pro quavis in religione disparitate; quasi *dispares in cultu* censerentur, qui diversam profitentur religionem, v. g. Catholicam & Calvinisticam seu Lutheranam; sed soli & omnes illi dicuntur hîc *dispares cultu*, quorum unus est validè Baptizatus; & alter non est validè Baptizatus; tametsi etiam ambo profiterentur eandem Religionem Catholicam; modò unus eorum esset tantùm Baptizatus, alter verò adhuc esset Catechumenus: si autem uterque sit Baptizatus, quantumvis disparem religionem profiteantur, nequaquam inter ipsos, juxta vulgarem & jam receptum modum loquendi est *disparitas cultûs*.

II. Cum hodie, præsertim hisce in Regionibus pauci sint non Baptizati, & pauciores qui cum Baptizatis conjugia inire prætendunt, rarus admodum est in hisce Regionibus hujus impedimenti usus.

III. De hoc inter omnes passim convenit, hoc impedimentum multis seculis fuisse incognitum; atque olim inter dispares cultu eo modo sumptos, constitisse verum Matrimonium; taleque fuisse Matrimonium S. Monicæ matris S. Augustini cum Patricio viro ethnico non baptizato; quod narrat ipse Augustinus *lib.* 9. *Confess. cap.* 9. nec quidquam scribit, unde colligatur, Matrimonium improbâsse.

IV. Hoc insuper fat communiter receptum, hoc impedimentum non aliquo positivo Ecclesiæ Decreto, sed jure quodam consuetudinario esse introductum; atque hinc deducitur, consuetudine impedimenta dirimentia induci posse: quod & exprimitur in *Cap.* 1. tit. *De cognatione spirituali*, ubi respondet Alexander III. inter certas personas ibidem expressas conjugium iniri posse, *nisi consuetudo Ecclesiæ quæ generet aliter se habeat.*

V. Illud negari nequit, quin justissimis de causis Ecclesia hoc impedimentum receperit; semperque visum esse, hujusmodi conjugia multis incommodis solere esse obnoxia; quæ fusè & eleganter jam pridem descripsit Tertullianus *lib.* 2. *Ad Uxorem cap.* 2.

VI. Quo ad Matrimonia Baptizatorum una partium est Catholica altera verò hæretica, apud Græcos jam pridem invalida fuisse videntur juxta Canonem 72. Trullanum, quo decernitur: "Non licere virum orthodoxum „cum muliere hæretica conjungi, neque verò orthodo„xam cum viro hæretico copulari: sed & si quid ejus„modi à quopiam factum apparuerit, *irritas* nuptias „existimare, & nefarium conjugium dissolvi. Neque e„nim ea quæ non sunt miscenda misceri, nec ovem cum „lupo, nec peccatorum sortem cum Christi parte con„jungi oportet.

Hæc conjugia *invalida* hîc declarari notant Balsamon & Zonaras in notis ad hunc Canonem: "Nam „qui simul ita vivunt (ait Zonaras) ut eorum animi „in

Digitized by Google

„ in iis quæ ad fidem pertinent, contrario modo affecti „ sint, quo pacto eos in aliis rebus convenire posse, quispiam arbitretur? Quorumque sensus, in iis quæ sunt „ fidei, quorum prima est atque præcipua ratio, minimè „ congruunt, quo pacto inter se æquis animis in reliqua vitæ societate communicabunt.

VII. Quamvis Ecclesia Latina nullum impedimentum saltem dirimens hactenus statuerit, quod Matrimonium Catholici cum hæretica irritetur, nihilominus jam pridem ob plura ex similibus Matrimoniis sequi nata incommoda ea improbavit, & hodie improbat; ac novissimè conformiter ad mentem Ecclesiæ Episcopus Castoriensis per Provincias confœderatas Vicarius Apostolicus hoc edidit Decretum: " Prohibemus sub pœna „ suspensionis ab officio Missionis omnibus Missionariis, ne quis personas quarum altera est Acatholica, „ nobis inconsultis & sine speciali nostro consensu præ„ sumat conjungere.

VIII. Deinde in eodem Decreto sive Constitutionibus additur: " Sæpe deterreant Pastores aliique Missionarii „ plebem Catholicam ne conjugii jugum ducant cum „ infidelibus, ne cum illis velint unum corpus fieri cum „ quibus non possunt fieri unus spiritus.

Motiva quibus Parochi fideles à similibus Matrimoniis deducant, desumi imprimis possunt ex periculo perversionis, non tantùm prolibus; sed & nepotibus & pronepotibus subinde in multas generationes imminente ex hujusmodi Matrimonio cum persona Acatholica.

IX. Et quidem advertendum, periculum prolibus imminens non satis præcaveri per juramentum & promissiones conjugis hæretici siquidem Ministri Acatholici facilè dicturi sunt istiusmodi juramenta non esse tantùm non servanda; sed & servari illicitè. Accedit non leve periculum hæreticæ educationis prolibus imminens, etiam vivente parente Catholico, seu à blanditiis matris hæreticæ, seu à minis Patris hæretici, potissimum iis in locis, ubi penes Acatholicos est suprema potestas. Et quod semper adest, exemplum parentis hæretici, nec non quotidiana de hæresi colloquia, & de fide quæstiones & contentiones, quæ nata sunt, si non extinguere, saltem iminuere fidem Catholicam, ipsasque proles in fide Catholica vacillantes & flaccidas reddere.

X. Ostendi insuper potest, non infrequenter etiã parti Catholicæ perversionis periculum imminere; eò quod tam arcta conjunctio, qualis est Matrimonialis, soleat mores partis hæreticæ facile derivare in partem Catholicam; atque sensim parte Catholica ex naturali erga compartem affectu, & morum imitatione nonnihil excæcata, incipiat hæresis ipsi minùs horrida apparere: sicque minùs ab hæresi abhorrere; & tandem ut comparti placeat, eam amplecti: præsertim quod qui hujusmodi matrimonia ineunt non soleant ab hæresi esse tantopere alieni: quia si multum eam exhorruissent, noluissent tam arcto vinculo personæ hæreticæ jungi.

XI. Plura alia motiva ex incommodis & infaustis similium matrimoniorum effectibus desumenda facilè Parochis, præcipuè in Provinciis ubi frequentiora esse consueverunt talia matrimonia, per quotidianam experientiam occurrent; nec dubium quin reperient, non raro ex matrimoniis personæ Catholicæ cum Acatholica eadem incommoda oriri, quæ suo tempore matrimonia Fidelis cum Infideli secum trahere dixit Tertullianus loco suprà allegato: potiùs tamen Ecclesia induxit, aut induci passa est impedimentum dirimens matrimoniũ Fidelis cum Infideli, seu baptizati cum non baptizata, quàm Catholici cum Hæretica: eò quòd facilius sciri queat quis non sit baptizatus; quàm quis dicendus ac reputandus sit Hæreticus.

XII. Adhæc, licet incommoda, quæ Matrimonium Catholici cum Hæretica comitari solent, non evincant simile Matrimonium, semper jure naturæ esse illicitum; eò quod queant esse circumstantiæ, quæ sperari faciant tanta bona ex simili Matrimonio; aut hujusmodi necessitas concurrat, ut prævaleant incomodis quæ timentur, nihilominus hoc concludunt, similia Matrimonia ut plurimùm etiam jure naturali esse illicita; prudenterque positivo Decreto inferioribus Parochis seu Missionariis esse interdictum, ne istiusmodi Matrimoniis assistant; nisi priùs Episcopus consenserit.

CAPUT IX.

De Metu.

1. *Quid Metus; & an causet involuntarium.*
2. *Quâ ratione in actione ex metu interveniat involuntarium?*
3. *Quis sit metus cadens in virum* constantem?
4. *Quis dicendus metus* levis?
5. *Metus* levis *non est facilè attendendus.*
6. *Quid considerandum in metu?*
7. *Quis censendus sit hic & nunc metus* gravis *à judice determinandum: & unde?*
8. *Qualiter judex hic procedere debeat?*
9. *Metus gravis reddit Matrimonium* nullum.
10. *Impedimentum hoc potiùs juri naturali, quam positivo adscribendum.*
11. *An metus* de se levis *aliquando irritet Matrimonium?*
12. *In his Provinciis non facilè ob prætensum metum Matrimonia* invalida *declaranda: & quare?*
13. *Quid Parocho agendum si metum subesse suspicetur.*
14. *Metus* gravis *voluntarius in causa non dirimit Matrimonium.*
15. *Debet esse incussus ad Matrimonium contrahendum.*
16. *Non refert à quo fuerit incussus.*

I. Metus est, inquit Juris-Consultus in *l. 1. ff. Quod metûs causâ gestum est*, instantis, vel futuri periculi causâ mentis trepidatio.

Metus con causat absolutè involuntarium; quia qui ex metu aliquid agit, voluntariè id agit, ut illud quod metuit evadat. Exempli gratiâ qui ex navi ejicit merces ob periculum naufragii, voluntariè eligit ejectionem mercium, ut evitet iminens naufragium, ipsamque ejectionem mercium præeligit potius, quàm sustinere periculum naufragii; eamque electionem voluntariè facit; id est, cum plena advertentia rationis, ac deliberatione voluntatis.

II. Advertendum tamen, quod is qui metu adactus aliquid agit, licet id voluntariè agat; ideoque coacta voluntas sit, uti loquuntur jurisconsulti, nihilominus & illud certum est, in actione metu elicita intervenire quoddam involuntarium contrarium libertati.

Qui enim ob instans aut prævisum aliquod malum sibi imminens quidquam agit, non facturus nisi illud malum immineret, non omninò liberè, sed ab imminenti illo malo quasi adactus hoc præ alio eligit.

III. Et quidem si malum iminens sit hujusmodi ut hominem alioquin prudentem & in rebus agendis non levem moveret, ut faceret istud quod aliàs non fecisset si periculum illius mali non adfuisset, dicitur is egisse ex metu gravi seu prudenti: dicitur is metus vulgò metus *cadens in virum constantem in Cap. 4. ✠ De his quæ vi metusve causâ*, & *Cap. 15. & 28. ✠ De Sponsalibus.*

IV. Si verò malum iminens sit adeò leve aut periculũ illius ita remotum, aut tam parùm verisimile: ut nullum virum prudentem & constantem moveret ad faciendũ, quod factum est, dicitur id factum ex metu levi & vano; neque jura illius rationem haberi voluerunt.

V. Unde scribit Juris-Consultus in *L. 6. ff. Quod vi metusque causâ gestum erit*: "Metum autem non *vani* „ hominis, sed qui meritò & in hominem *constantissimum* cadat, ad hoc Edictum pertinere dicemus." Edictum nimirum Prætoris de quo in *lib. 1. ff. eod. Quod metus causâ gestum erit, ratum non habebo.* Deinde eodem fundamento dicitur in *l. 7. ff. eod.* "Proinde si quis „ meticulosus rem nullam frustra timuerit, per hoc edi- „ ctum non restituitur: quoniam neque vi, neque me- „ tûs causâ gestum *est*.

Similiter in citato *Cap. 28.* respondet Pontifex: "De „ illato metu est cum diligentia inquirendum, & si talis „ metus inveniatur illatus, qui potuit cadere in constan- „ tem virum, erunt non immeritò audiendæ." Sat innuens, ob metum levem & vanum neminem audiendum.

VI. Itaque rectè ait Covarruvias de Matrimonio *parte 2. §. 4. n. 5.* "Virum interpretor prudentem, qui sciat „ eligere minus malum ob majoris mali periculum evi- „ tandum.

Hinc infert *n. 6.* "Non esse metum cadentem in vi- „ rum constantem, nec excusare, si quis etiam ad evitan- „ dam mortem eligeret peccare mortaliter: imprudens „ enim esset omninò, qui mallet mortaliter peccare, „ quàm mortem ipsam corporis subire.

Inde ulteriùs patet, metum aliquem posse de se ac simpliciter consideratum esse *metum gravem* & qui moveret virum prudentem si comparetur ad unam actionem, & tamen non esse talem comparatum ad aliam actionẽ.

Quis enim ambigat, quin metus imminentis mortis sit metus qui meritò moveret virum prudentem ad eligendam amissionem notabilis summæ pecuniæ; qui tamen non sit sufficiens, ut eumdem moveat ad peccandum mortaliter.

VII. Similiter & personarum sexum, conditionem, aliasque circumstantias expendendas esse, ut judicetur an hic & nunc fuerit metus gravis, an levis dubium non est: atque communiter tradunt Canonistæ post Glossam in *Cap.* CUM DILECTUS ⁒ *De iis quæ vi metusve causâ*, arbitrio judicis relinquendum esse, quinam metus dicatur cadere in constantem virum. "Judex enim (ait „ Covarruvias *num. 15.*) ut ipse intelligo, arbitrabitur, „ an vir prudens & constans eligeret potiùs id agere, „ quod timoris causâ fit, quàm periculum quod immi- „ net subire.

VIII. Ex quo dein *num. 16.* infert: "Judex arbitrio „ proprio decernere debet, non ita anxiè, atque strictè „ hanc eligendi prudentiam exigendam esse in fœmi- „ nis, quibus à natura inest minor animi vigor, corpo- „ risque fortitudo: sed considerandum esse, quid fœmi- „ na *constans* eligeret pensatâ naturali fœminarum „ prudentiâ. Aliquid enim cogeret fœminam, etiam „ constantem, ad eligendum id, quod vir constans mi- „ nimè eligeret.

IX. His præmissis, indubitatum est, metum gravem seu cadentem in *virum constantem* non tantùm contractum Matrimonialem subjicere legi rescissionis, sive metu adactum contractum Matrimonialem officio judicis rescindi petere posse; quemadmodum in aliis contractibus metu initis jura statuunt; sed ipsum Matrimonium dirimere, sive Matrimonium ex simili metu initum esse *nullum*: uti apertè supponitur in *Cap. 15 & 28.* ⁒ *De Sponsalibus*, & *Cap. 2.* ⁒ *De eo qui duxit in Matrimonium quam polluit per adulterium.* Ratio indicatur in *Cap. 17.* ⁒ *De Sponsalibus*, cum libera debeant esse Matrimonia, & coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere.

X. Illud hîc notandum, Pontifices in citatis Decretalibus non inducere impedimentum *dirimens*; sed resolvere simpliciter, Matrimonia per metum inita esse *invalida*; adeoque impedimentum illud supponere. Et revera cum contractus Matrimonialis sit præ cæteris contractibus mutui amoris & dilectionis conjunctio, etiam præ cæteris exigit quamdam libertatem, atque omnem coactionem abhorret: præsertim quia semel validus & perfectus quamdam habet indissolubilitatem; neque adinstar aliorum contractuum rescindi facilè potest: ut proinde meritò hoc impedimentum non soli juri positivo; sed naturali adscribendum sit.

XI. Porrò quamvis metus de se *levis*, neque aptus ut virum aut etiam mulierem prudentem ad eligendum matrimonium moveret, queat subinde in aliqua persona meticulosa causare involuntarium, seu libertatem adimere, hujus tamen rationem Ecclesia habere non solet; ne aliàs passim *invalida* prætendi possent Matrimonia; & quia "non facilè Ecclesia, quæ non judicat de „ occultis, præsumit, aut probatum habet spontaneum „ consensum defuisse ex leviusculo metu, quamvis à „ parte rei aliud sit; "ait Zypæus Consult. 1. *De iis quæ* „ *vi vel metu*: qui addit: "quando tamen revera ex „ judicio viri prudentis constaret, levem licet causam, „ verè tamen gravem metum incussisse, tantumque ut „ spontaneum consensum defuisse commonstretur; non „ dubitem matrimonium pro irrito haberi: quia certè „ nihil interest quo metu quis compulsus sit, dum con- „ stat compulsum esse.

XII. Non facilè tamen judicandum est, ob levem metum consensum spontaneum & sufficientem defuisse; neque, præsertim hisce in Regionibus, facilè Matrimonium ob metum prætensum *nullum* declarandum; cum juxta Ritualia non antea conjungendi sint, quàm interrogati à Parocho, an venerint ad contrahendum suâ voluntate, & à nullo coacti, responderint affirmativè.

XIII. Si tamen Parocho suspicio suboriatur quod metus ab alterutra parte subesset, poterit non tantùm in ipso actu conjunctionis, modo prædicto interrogandos sed vel maximè præviè id examinare; puta dum uterque examinatur seorsum, an sciat scitu necessaria; aut aliâ occasione, quæ Parocho convenientior videbitur.

Hanc inquisitionem commendat Synodus P. I. Mechliniensis titulo De Sponsalibus *cap. 2.* his verbis: "Quia „ coactæ nuptiæ tristem plerumque & luctuosum ha- „ bent exitum, diligenter inquirant Pastores, an Ma- „ trimonium contracturi sponte & animo deliberato, „ non vi aut metu parentum, amicorum aut aliorum co- „ acti ad Matrimonium procedant. Quòd si invenerint „ aliquem vel aliquam ex contrahentibus coactũ ad „ contrahendum, nullo modo ad conjunctionem eorũ „ procedere audeant; neque alteri vices suas commit- „ tant, sub pœna suspensionis ab officio & beneficio.

XIV. Metum gravem dirimere Matrimoniũ, quia impedit spontaneum ac liberũ consensum supra notavimus; unde si ipse causam metûs voluntariè posuerint; ita ut metus proveniat ex *causa* ab ipso metũ patiente voluntariè *positâ*, metus *justè* ob illam causam incussus Matrimoniũ non irritabit. Exempli gratia, si judex carcerem aliamve pœnam minetur juveni ut contrahat cum puella quam sub promissione Matrimonii stupravit; & ipse juvenis ex metu comminatæ pœnæ Matrimoniũ contrahat cum illa, aliàs non contracturus, Matrimoniũ erit validum; quia voluntariũ, quod fuit in ponendo actu, qui comminatæ pœnæ & metui causam dedit, supplet si quid forsan modò circa voluntariũ in contractu Matrimoniali deesset.

XV. Adhæc requiritur ut metus sit incussus in finem Matrimonii seu consensûs extorquendi: aliter enim vis directa non fit huic contractui: v. g. si quis metu inferni, vel mortis aliunde imminentis aliquam ducit; (vel ut sæpe fit) metu incontinentiæ, paupertatis &c. validum est Matrimonium.

XVI. Illud

XVI. Illud autem non refert à quo inferatur, an ab altero contrahentium; an à tertio v.g. à parentibus, modò injustè & directè ad extorquendum Matrimonium, eò quod & per metum taliter incussum revera spontaneus consensus impediatur; quod apertè supponit prædictum Decretum Synodi Mechliniensis.

CAPUT X.

De Impedimento Raptûs.

1. *Plures pœnæ per leges Romanas contra Raptorem.*
2. *Etiam in Belgio.*
3. *Ex lege Justiniani Raptus videtur fuisse impedimentum perpetuum.*
4. *Idipsum indicant Capitularia Regum Francorum.*
5. *Videtur quod olim nunquam licitum aut validum fuerit inter Raptorem & Raptam.*
6. *Aliquando relaxatum fuit hoc impedimentum.*
7. *Quid statuerit circa hoc impedimentum Synodus Tridentina.*
8. *Quâ ratione dicatur per Synodum Trid. inductum novum impedimentum.*
9. *In quibus Decretum Tridentinum discordet à pristina disciplina.*
10. *Quæ sint pœnæ contra Raptum ex Decreto Concilii Tridentini.*
11. *In quibus hæ pœnæ locum habeant.*
12. *Synodus Trid. videtur loqui de Raptu qui violentiam adjunctam habet.*
13. *In Gallia etiam attenditur raptus* seductionis *sine violentia.*
14. *Hic Raptus frequentior, & quando Matrimonium dirimat?*

QUàm graves acerbæque pœnæ olim per leges Imperiales contra raptum decretæ fuerint, videri potest in legibus Constantini M. ejusque filii Constantii, nec non Gratiani, quæ referuntur in Codice Theodosiano *lib. 9. tit. 24. De Raptu Virginum vel Viduarum*; nec non in *L. Unica Cod. Justin. eod. tit.* quas passim interpretes ac signanter Gothofredus, ad citatum titulum Codicis Theodosiani latè explicant; notatque speciatim Gothofredus, quod Constantinus M. ut omnis via obstrueretur ad hoc crimen committendum, neque Raptæ consensu, neque parentum ratihabitione, patientiâ, silentio hoc crimen elui voluerit; aut raptum hoc patrocinio sustineri, Raptoremque denique ea spe sibi blandiri.

II. Hic in Belgio olim gravissimis pœnis quoque raptus puniebatur; uti ex antiquis Principum nostrorum tabulis cognosci potest, quas recitat Zypæus ad titulum De Sponsalibus *num. 15.*

III. Sed quod ad præsentem materiam, nimirum impedimenti Matrimonii, propiùs accedit, Justinianus in citata Lege unica decrevit: " Nec sit facultas raptæ virgini vel viduæ vel cuilibet mulieri *raptorem* in suum sibi maritum exposcere, sed cui parentes voluerint (excepto *raptore*) eam legitimo copulent matrimonio: quoniam *nullo* modo, nulloque tempore datur à nostra Serenitate licentia eis consentire, qui hostili more in nostra republica matrimonia student sibi conjungere. Oportet etenim ut quicumque uxorem ducere voluerit, sive ingenuam sive libertinam, secundùm nostras leges, & antiquam consuetudinem; parentes, vel alios quos decet petat, ut cum eorum voluntate fiat legitimum conjugium.

Quin ibidem Justinianus voluerit esse impedimentum *perpetuum*, nullo quantumvis *spontaneo* consensu ipsius raptæ abolendum, inter raptorem & raptam, evidens est.

IV. Ipsa quoque Regum Francorum Capitularia idipsum indicant. Legitur enim *lib. 6. c. 69.* " Si quis alterius sponsam virginem aut viduam necdum desponsatam *rapuerit* vel furatus fuerit, placuit ut sive eam postea sponsaverit, sive dotaverit, seu non, sive cum parentum ejus voluntate quocumque commento ipsam accipere vel tenere potuerit, *nunquam* illam uxorem habeat; sed raptori aut furi auferatur, & proximis suis alio viro tempore congruo, si ipsa hoc malum non consenserit, nuptura legibusque accepturа reddatur.

Et *Lib. 7. c. 395.* " Placuit ut hi qui *rapiunt* fœminas vel furantur, aut seducunt, ut eas *nullatenus* habeant uxores, quamvis eis postmodum conveniat, aut eas dotaverint, vel nuptialiter cum consensu parentum suorum acceperint. " Extat apud Gratianum *Caus. 36. q. 2. Can. 11.* sed sub nomine Concilii Aquisgranensis; notantque Correctores Romani idipsum Decretum inveniri in Concilio Remensi Trosleiano *cap. 8.*

In Synodo Regiaticina sive Ticinensi anno 850. *c. 10.* decernitur, quod puellæ " ipsis à quibus raptæ sunt, legitimæ demum uxores *nullatenus* esse possunt.

V. Ex his aliisque nonnullis Canonibus seculis septimo & sequentibus editis, credunt nonnulli, raptum fuisse saltem in quibusdam Ecclesiis impedimentum dirimens perpetuum inter raptorem & raptam; adeò ut nec per spontaneum consensum raptæ, tametsi à rapta in loco tuto & extra potestatem raptoris constituta præstitus fuisset.

VI. Quidquid sit, illud constat, seculo undecimo & sequentibus impedimentum hoc relaxatum fuisse; atque Matrimonium inter raptorem & raptam validum reputatum, modò consensus raptæ intervenisset; respondetq; conformiter ad hanc disciplinam Innocentius III. in *Cap. 7. ibid. De Raptoribus*: " Rapta puella legitimè contrahet cum raptore, si prior dissensio transeat postmodum in consensum, & quod ante displicuit, tandem incipiat complacere.

VII. Synodus Tridentina expendens quàm parùm fidendum sit consensui quem puella quamdiu est in potestate raptoris præfert, decernit *Sess. 24. c. 6. De Reformat. Matrimonii*, Inter raptorem & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere Matrimonium.

VIII. Itaque juxta hoc Decretum subsistit impedimentum dirimens inter raptorem & raptam, quamdiu hæc manet in potestate raptoris, ut quamvis eo tempore puella reverà consentiret in Matrimonium cum raptore, nihilominus Matrimonium sic contractum esset *nullum*; licet Jure Decretalium fuisset validum: atque hoc ex capite dicitur à Synodo Tridentina novum impedimentum dirimens hic inductum.

IX. Quod verò permittit Synodus Tridentina, si rapta à raptore separata, & in loco tuto & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat: eatenus à Lege Justinianæa & Canonibus suprà relatis recedit; à quibus jam tempore Synodi recessum erat.

X. Addit quoque Synodus pœnas; ut nimirum " raptor ipse, ac omnes illi consilium, auxilium & favorem præbentes, sint ipso jure excommunicati, ac perpetuò infames, omniumque dignitatum incapaces; & si Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierem raptam, sive eam uxorem duxerit, sive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare.

XI. Tridentina Synodus hic dumtaxat loqui videtur de raptu in ordine ad Matrimonium contrahendum, ut fusiùs probat Sanchez *lib. 7. De Matrimonio Disp. 13. n. 4.* hoc unà monens *n. 10.* " His pœnis locum esse, quamvis rapta causâ Matrimonii non sit perducta ad locum destinatum, sed in ipso itinere resipiscat. Quod delictum

„ctum hoc raptoris in ipsa abductione consummetur, „ & tunc perfectè irrogetur Matrimonii libertati injuria: „ nec consilium spectet, ut raptor in aliquo loco jam „ raptam constituerit, vel eam duxerit, sed tantùm ut „ rapuerit causâ Matrimonii, illamque sub suam potesta„ tem reposuerit.

XII. Quia Synodus permittit Matrimonium raptæ cum raptore, si illa in loco tuto ac libero extra potestatem raptoris consentiat, creditur à plerisque, Synodum tantùm hoc Decreto comprehendisse raptum, qui ipsi raptæ violentiam infert, & quo ipsa cum renisu & violentia corporali rapitur causâ contrahendi Matrimonium; neq; esse raptum ad mentem Synodi, si quis aliquam vel aliquem minorennem blanditiis, & amatoriis incitamentis ac lenociniis seducat, ut consentiat, & insciis aut etiam invitis parentibus Matrimonii contrahendi causâ recedat; eò quod ipsi seductæ nulla violentia illata videatur; ipsaque licet mediis inhonestis ac fallacibus inducta, revera consenserit: hæcque interpretatio hisce in regionibus recepta videtur; neque hujusmodi Matrimonia *invalida* habentur.

XIII. In Gallia verò duplicem raptum distinguunt; alterum per scilicet per violentiam sive per vim apertam, rapiendo violentè personam causâ Matrimonii contrahendi; alterum verò vocant per *subornationem* sive *seductionem*; huncque frequentiorem & periculosiorem dicunt: committiturque quando raptor corrumpit & seducit mentem & spiritum personæ raptæ, & per lenocinia & incitamenta libidinis, aliáve allicientia inhonesta motiva, & occultas ac artificiosas solicitationes & praxes inducit ad consensum matrimonialem.

XIV. Raptus hic *subornationis* sive *seductionis* locum non habet in omni genere personarum, sed tantùm in filiisfamilias minoribus, qui magis sunt subjecti seductioni, & ob authoritatem parentum quibus subsunt, non creduntur potuisse seduci nisi eos circumveniendo & corrumpendo eorum mentem, quemadmodum latiùs deducit Claudius Blondeau in sua Bibliotheca Canonica *pag.* 82. editionis anni 1689. ibidem adstruens, Raptum hunc esse ex usu Ecclesiæ Gallicanæ impedimentum, ipsisque parentibus jus esse agendi ad nullitatem hujusmodi Matrimonium.

TITULUS XIV.

De Dispensationibus Matrimonialibus.

CAPUT I.

De Usu Dispensationum Matrimonialium; & cui auctoritas dispensandi competat.

1. *Impedimenta jure humano inducta possunt auctoritate humanâ tolli.*
2. *Imperatores impedimentis à se inductis dispensarunt.*
3. *Canon Synodi Tridentinæ auctoritatem dispensando astruens.*
4. *Ecclesia primitus parcè admodum dispensabat.*
5. *Primus fere dispensavit Innocentius III.*
6. *Facilior semper fuit dispensatio super Matrimonio jam contracto quam contrahendo.*
7. *Decretum Synodi Tridentinæ circa dispensationes super impedimentis Matrimonii.*
8. *Ex mente Synodi raro dispensandum præsertim super Matrimoniis contrahendis.*
9. *Dispensatio non nisi ex justa ratione, & causa cognita concedenda.*
10. *Auctoritas dispensandi super impedimentis dirimentibus ferè soli Sedi Apostolicæ competit.*
11. *Auctoritas dispensandi competens Episcopo Leodiensi.*
12. *An eadem competat Episcopis Belgii?*
13. *Quando Episcopi possint dispensare in Matrimonio cum impedimento dirimente nulliter contracto.*
14. *Episcopus dispensat super impedimento superveniente jam matrimonio contracto.*
15. *Quid de impedimentis impedientibus tantùm?*

I. IN his quæ juris humani sunt, nonnunquam auctoritate eorum qui legē tulerunt, dispensari posse, nemo unquam dubitavit; atque de hac dispensatione rectè scripsit ad S. Anselmum Cantuariensem Paschalis II. *Epist.* 42. "Dispensationis „ modus, sicut B. Cyrillus in Epistola Ephesinæ Synodi lo„ quitur, nulli unquam Sapientum displicuit. Novimus „ sanctos Patres nostros, & ipsos Apostolos, pro tempo„ rum articulis, & qualitatibus personarum dispensatio„ nibus usos." Plura in hanc rem videri possunt apud „ Gratianum *Causâ* 1. *q.* 7.

Porrò inter impedimenta Matrimonii plura hodie esse & jam pridem fuisse, solo jure humano inducta superiori titulo ostensum fuit. Hæc itaque eâdem auctoritate, quâ constituta sunt, vel generaliter tolli, vel in particularibus circumstantiis suspendi posse, ut Matrimonium non obstante hoc impedimento, licitè & validè contrahi queat, nemo dubitaverit, nisi qui inficiari audeat, eum qui legem tulit, posse legem tollere, aut justâ causâ interveniente dispensare.

II. Quapropter Imperatores dum nuptias inter certas personas lege generali vetuerunt, eas ex justa causa inter hujusmodi personas permittere posse non dubitârunt.

Inter tutorem & pupillam Jure Romano vetitæ erant nuptiæ, toto titulo Codicis. *De Interdicto Matrimonio inter pupillam & tutorē*, interveniēte Principis authoritate seu dispensatione nuptiæ inter pupillam & tutorem iniri poterant ut manifestum est ex *l. penult. Cod. dicto titulo.*

Similiter, ut præcedenti titulo *c.* 5. notatum est, lege Theodosianâ vetitæ erant nuptiæ consobrinorum, eas tamen impetrari potuisse rescripto Principis ostendit *Lex unica Cod. Theod. Si nuptiæ ex rescripto petantur*; notatque Gothofredus in Commentario ejusdem legis; unà observans, S. Ambrosium *Epist.* 66. satis apertè testari, hujusmodi nuptias à Principe impetrari potuisse.

III. Nemo ergo auctoritatem dispensandi Ecclesiæ negabit, qui auctoritatem statuendi impedimenta ei competere agnoscit; ut proinde meritò Synodus Tridentina eodem Canone anathemate feriat eos, qui negant Ecclesiam in nonnullis impedimentis *dispensare* posse, quo damnat negantes Ecclesiam posse constituere ut plures gradus consanguinitatis & affinitatis impediant & dirimant Matrimonium, quàm qui Levitico exprimuntur.

IV. Fatendum quidem est, Ecclesiam olim in hoc, quemadmodum in aliis disciplinæ articulis, rarò admodum dispensare solitam fuisse. Ægre enim Patres à fixis semel Regulis sive Canonibus recedi permittebant.

Et quidem si Christiano Lupo credimus, etiam seculo " 10. nulla tunc etiam Regia vel Augusta, licet in sexto „ duntaxat aut septimo sanguinis vel affinitatis gradu, „ vel ignoranter contracta, longè minùs contrahenda

Matrimo-

Matrimonia dispensabantur, sed cuncta dirimebantur juxta rigorem Sacrorum Canonum. Ejusmodi dispensationes adeò tunc ignorabat Ecclesia [pergit Lupus] ut Francus quidam Romà redux, similem sibi datam asseverans à Gregorio III. Pontifice, ac ejus vigore prætendens inire Matrimonium, gravissimè scandalizârit omnem Galliam, & à nostro Apostolo Bonifacio, credere id recusante, consultus Zacharias responderit: *Absit ut Prædecessor noster hoc ita credatur præcepisse. Nec enim ab hac Apostolica Sede illa diriguntur, quæ contraria esse Patrum sive Canonum institutis reperiuntur.*

V. Post hæc adjungit citatus Auctor: "Eorum impedimenta ferè primus dispensavit Innocentius tertius, Othonis quarti & Philippi pro Germanico Imperio horrenda bella quis ignoret? Post Philippi cædem lucidum erat Othonis jus, verùm Philippi filia obviabat. Hinc omnibus pacificandis Othonis cum ista filia conjugium convenire censuerunt Imperii Proceres ac Episcopi, quin & ipsi Apostolicæ Sedis Cardinales Legati, sed obstabat quartus consanguinitatis gradus. Hinc tandem ad totius Imperialis Cleri & populi preces dispensavit laudatus Pontifex, eâ tamen lege, ut duo amplissima Monasteria Otto fundaret, omneque Imperium largis eleemosynis & ferventibus orationibus istud Ecclesiasticæ disciplinæ vulnus compensaret. Ita habes apud Arnoldum Abbatem Lubecensem in Chronico Sclavorum. Otto de sancto Blasio addit, quòd Cluniacensis & Cisterciensis Ordinis Abbates eandem compensationem per varia suorum Monachorum pia opera complere promiserint, istudque Canonis vulnus acceperint in suas conscientias, & quod spondere Otto debuerit singularum omnium Ecclesiarum defensionem, ac resumptionem sacri belli. Rima facta facilè dilatatur, tandemque crescit in grande foramen, imò & in apertam portam.

VI. Hæc tamen, uti monet idem auctor, intelligenda præcipuè de dispensatione impedimentorum ad *contrahendum* Matrimonium; nam ante Innocentium III. multas dispensationes concessas fuisse fatetur; at " hæ omnes fuerunt (ait) non *præviæ* ad contrahendum, *sed duntaxat posteriores* malè contracti Matrimonii toleratrices dispensationes, adeóque dispensationes prævias initiavis Alexander III. Innocentius III. ac ejus successores viam ampliârunt.

Et revera Ecclesiam semper fuisse faciliorem in dissimulanda infractione Canonum, ubi jam infractio contigerat, nec sine magnis incommodis in totum reparari poterat, aut pœna infracti Canonis urgeri, quàm in concedenda Canonis nondum infracti contraventione, ex historiis, & Pontificum ac Conciliorum Decretis est manifestum.

VII. Synodus Tridentina perpendens, quod frequentiùs legem solvere, exemploque potiùs, quàm certo personarum rerumq; delectu, petentibus indulgere, nihil aliud sit, quam unicuiq; ad leges transgrediendas aditum aperire, ut loquitur *sess. 25. c. 18. De Reformat.* reformationi Matrimonii intenta, avitam Patrum disciplinam in concedenda dispensatione super impedimentis reducere, quantum temporum conditio patiebatur, voluit, statuens *Sess. 24. c. 5. Reformat. Matrimonii.* " Si quis intra gradus prohibitos scienter matrimonium contrahere præsumpserit, separetur, & spe dispensationis consequendæ careat; idq; in eo multo magis locum habeat, qui non tantùm Matrimonium contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit. Quod si ignoranter id fecerit si quidem solemnitates requisitas in contrahendo Matrimonio neglexerit, eisdem subjiciatur pœnis: non enim dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit. Si verò solemnitatibus adhibitis impedimentum aliquod postea subesse cognoscatur, cujus ille probabilem ignorantiam habuit; tunc faciliùs cum eo, & gratis dispensari poterit. In contrahendis Matrimoniis vel nulla omninò detur dispensatio, vel raròque idq; ex causa, & gratis concedatur. In secundo gradu nunquam dispensetur, nisi inter magnos Principes, & ob publicam causâ.

VIII. Hoc decreto sat ostendit Synodus, se voluisse inhærere Patrum regulis; ut nunquam aut rarò infringendi Canonis licentia daretur, adeóq; numquam aut raro, idque ex causa & gratis dispensatio, præcipuè in secundo gradu, super contrahendis concederetur: faciliùs autem super *contractis invalidè* cum aliquo impedimento, si nimirum cum ignorantia non affectata aut non culpabili istius impedimenti contracta fuerint.

IX. Hinc ulteriùs patet; ex mente Synodi etiam hîc servandam esse regulam, quam eadem Synodus postmodum *sess. 25. c. 18.* expressit, atque omnibus intimatam voluit his verbis: Sciant universi sacratissimos canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. Quod si urgens justaq; ratio, & major quandoque utilitas postulaverit, ut cum aliquibus dispensandum esset, id causâ cognitâ, ac summâ maturitate atque gratis, à quibuscumq; ad quos dispensatio pertinebit, erit præstandum, aliterque facta dispensatio subreptitia censeatur.

X. Quibus verò dispensandi auctoritas super impedimentis Matrimonii competat, nec in Canonibus, imò nec in decretalibus Gregorii IX. determinatur; neq; legitur aliquo decreto generali auctoritas hæc Episcopis adempta & Pontifici reservata.

At consuetudine tandem invaluit, & moderna habet disciplina, ut si agatur de impedimentis dirimentibus, & de Matrimonio cum tali impedimento contrahendo, soli Pontifici dispensatio competat; nisi Episcopi ostendant, speciali consuetudine, aut privilegio dispensandi auctoritatem sibi competere.

XI. Ecclesia Leodiensis prætendit sibi competere authoritatem dispensandi in quarto & in tertio hinc inde gradu consanguinitatis, quemadmodum colligitur ex instrumento appellationis interjectæ per Syndicum Episcopi & Vicarii Leodiensis à decretis Nuntii Apostolici 7. aprilis 1606. ubi *art.* 10. his verbis utitur: " Quod ad hæc Episcopi Leodienses habeant antiquissimam & immemorialem consuetudinem dispensandi ex causis legitimis in quarto matrimonii gradu: & in tertio, hinc inde, si imminens appareat periculum defectionis partium ad vicinos fidei hostes, mutuæ internecionis parentum & amicorum inter se, ob corruptam puellam, & partes non habeant media recurrendi ad Urbem. Quod hujusmodi dispensandi consuetudo in publicatione Concil. Trident. fuit Illustriss. & Reverendiss. Episcopo Vercellenti piæ memoriæ in his partibus Nuntio Apostolico per Livinum Torrentium tunc Vicarium Leodiensem, postea Episcopum Antuerpiensem factum, exposita, & per eundem Illustrissimum & Reverendiss. Nuntium laudata, & approbata. Quod hujusmodi consuetudo habeat vim privilegii, & indulti Apostolici, atque à privilegio & indulto Apostolico initium sumpsisse censenda sit. Quod Episcopatus, & Ecclesia Leodiensis ob sui splendorem, & antiquitatem, perpetuamque in fide Catholica constantiam, Ecclesiæ Romanæ filia dicta aliàs multis à S. Sede adornata sit privilegiis, & prærogativis supra alios communes Episcopatus.

XII. Hæc ex Zypæo in jure novo titulo *De eo qui cognovit consanguineam uxoris num.* 3. additque: " At verò non audio vicinos aliquos Episcopos eodem jure, privilegio, aut consuetudine uti, non eos quidem, qui noviter in Belgio instituti sunt, intra eos limites, qui à finibus diœcesis Leodiensis, per Paulum IV. abscissi sunt, 4. Idus Maji 1559. cum toto eo jure, auctoritate & prærogativis, quibus anteriores Episcopi, in locis dimembratis usi fuerant, quod fortè tamen possent, & an aliquando

„ do expediret, perpendi potest, imo hodie Archiepiscopus Mechliniensis in locis primo Leodiensi Episcopo „ subjectis dispensat.

XIII. Quoad Matrimonia cum impedimento dirimente præcedentibus proclamationibus bonâ fide contracta; cùm super iis Synodus Tridentina declaret, faciliùs & gratis dispensari posse; nec exprimat per *quem*, videbatur Episcopis competere hæc auctoritas: eò quod juxta regulam à Canonistis communiter probatam, quando dispensandi auctoritas à canone conceditur; neque exprimitur à quo dispensandum sit, censeatur Episcopo data dispensandi facultas. Nihilominus, quia totus contextus Decreti Synodalis ad Pontificem refertur, communiter creditur, & hîc Synodum Pontifici soli dispensationem differre; sicq; consuetudine Decretum hoc explicatum esse notat Sanchez De Matrimonio *Lib.* 8. *Disput.* 6. *n.* 19. Si tamen Matrimonium sit publicum, impedimentum autem occultum, & sit scandalum in separatione, nec ad Pontificem pateat aditus, inopiâ aut aliâ justâ causâ impediente, Episcopum dispensare posse docet post alios Sanchez *lib.* 2. *Disput.* 40. *n.* 3. & ità consuetudine invaluisse monet Gerbesius in tractatu de auctoritate Ecclesiæ & Principum in constituendis impedimentis *pag.* 533.

XIV. Hic insuper notat, quod si impedimentum jam Matrimonio contracto superveniat, nec dissolvat quidem matrimonium; sed ejus usum impediat; ut v.g. cognatio spiritualis ex Baptismo vel Confirmatione; vel affinitas ex incestu, Episcopos esse in possessione super his dispensandi; eamq; auctoritatem in Episcopis Canonistas agnoscere.

XV. Super impedimentis *impedientibus tantùm*, Episcopos generaliter dispensare posse, si duo exceperis, scilicet sponsalia cum tertia persona contracta, & votum perpetuæ castitatis, notat Gerbesius loco citato *pag.* 543. eosq; esse in pacifica possessione; neque Canonem aut usum contrarium esse, qui dispensationem Papæ reservet.

CAPUT II.

Sub qua forma hodie Dispensationes Matrimoniales in Curia Romana expediri, & cui committi soleant.

1. *Olim in forma* gratiosa, *hodie in* commissoria *dispensationes Matrimoniales expediri solent.*
2. *Hodierna praxis conformis Concilii Tridentini.*
3. *Commissarii Apostolici debent narrata in litteris earumque contenta maturè expendere.*
4. *Dataria committere solet litteras dispensationum Ordinario: Nomine Ordinarii venit etiam Officialis Episcopi.*
5. *Delegatio non solet fieri Episcopo & Officiali, sed alteri dumtaxat.*
6. *Non exprimitur nomen propriũ Ordinarii; & quare.*
7. *Litteræ directæ Officiali, non possunt expediri per Episcopum.*
8. *Commissio facta Ordinario non transit ad Capitulum Sede vacante aut eius Officialem.*
9. *Sede vacante non diriguntur ad Officialem Capituli.*
10. *Si contrahere volentes sint diversæ Diœcesis, utriusque Diœcesis in supplica exprimenda; & litteræ diriguntur ad Ordinarium mulieris.*
11. *Cui inscribantur litteræ dispensationum expeditæ in Pœnitentiaria.*

I. OLim dispensationes Matrimoniales in „ Romana Curia, causæ cognitione, narratorumq; verificatione præcedente, „ in forma *gratiosæ* ut plurimùm con„cedebantur: & quidem, *ut rarior*, ita „ & *tutior* erat illarum usus " ait Pyrrus Corradus à Paulo V. in Collegium Officialium earumdem dispensationum in ipsa Cancellaria Apostolica aliàs cooptatus, Rescriptorumque S. Pœnitentiariæ muneri deputatus *lib* 7. *Praxi. dispensat. c* 1. *n.* 1. qui deinde subjicit." At quoniam difficile, valdeque incommodum id comperiebatur, optimâ profectò ratione ita sacri Canones sancivere, ut omnes dispensationes extra ipsam Curiam committantur *Ordinariis* locorum in forma communi sive *commissoria* dirigerentur, qui non nisi causis in partibus verificatis, tum demum Apostolica auctoritate dispensarent.

II. Dum Corradus dicit, sacros Canones id sancivisse indicat Decretum Concilii Tridentini *sess.* 22. *c.* 5. *De Reformat.* quo sancitum est ut " dispensationes quacumq; „ auctoritate concedendæ, si extra Romanam Curiam „ committendæ erunt, committantur *Ordinariis* illorum „ qui eas impetraverint, eæ verò, quæ gratiosè conce„dentur, suum non sortiantur effectum nisi priùs ab eis„dem, tamquam Delegatis Apostolicis, summariè tan„tùm & extrajudicialiter cognoscatur, expressas prece„s subreptionis vel obreptionis vitio non subjacere.

III. Itaque conformiter ad hoc Decretum ex moderno stylo Curiæ Romanæ dispensationes Matrimoniales sive in Dataria, sive Pœnitentiaria petantur, non solent concedi nisi in forma *Commissoria* sic nuncupata, eò quod dispensandi auctoritas alteri committatur auctoritate Apostolicâ; idq; sub certis conditionibus. Ideoque, uti rectè monet Corradus loco citato, falluntur Commissarii sive Ordinarii quibus Bullæ seu litteræ dispensationum mittuntur, " dum tantæ rei pondus non æstimantes, expositi „ (per Oratores) quâ par est diligentiâ, veritate nisi ne„gligunt edoceri, Pontificem dispensâsse contenti: cum „ revera non dispensaverit, sed ipsis dispensandi Aucto„ritatem certis sub conditionibus demandaverit; quæ „ nisi, ut jubetur, impletæ fuerint, quidquid superstruxe„rint corruet.

IV. Si litteræ dispensationum expediantur in Dataria tunc conformiter ad allegatum Decretum Concilii Tridentini Dispensandi auctoritas committitur Ordinario.

Sub nomine *Ordinarii* juxta hodiernum stylum Curiæ Romanæ venit non tantùm Episcopus; sed etiam Vicarius Generalis Episcopi; qui est idem, quem in Belgio vicinisq; Provinciis Officialem Episcopi dicimus, uti supra *titul.* 12. *c* 4. notavimus; & monet Corradus *lib.* 2. *cap.* 4. *num* 25.

V. Notat Corradus *lib.* 7. *c* 4. *n.* 37. quod " Cancellaria „ Romana numquam soleat committere has litteras E„piscopo & ejus Vicario *insimul* Quinimò (ait) hujusmo„di dispensationes numquam committuntur alternati„vè, scilicet Episcopo seu ejus Vicario, sed uni tantùm eo„rum sicut docet notorius stylus.

VI. Ad hæc numquam in delegatione consuevit exprimi nomen proprium Episcopi aut Vicarii sive Officialis ut non tam personæ, quam dignitati vel tribunali facta appareat. Unde mortuo Officiali ante expeditionem litterarum, poterit ejus successor sine nova delegatione eas exequi; idq; per totum orbem servari & practicari testatur Corradus loco citato *num.* 36.

VII. Quia tamen hæc delegatio tota dependet ex ipso tenore rescripti Apostolici, nemo in vim illius procedere potest, nisi cui expressè dirigitur. Unde si Vicario seu Officiali inscripta sit, non poterit expediri per Episcopum etiam ipso Vicario ab officio remoto, ait Corradus *n.* 40 quin & addit *n.* 44. " hæc etiam locum sibi vindicare, e„tiamsi contingat ipsum Vicarium creari in Episcopum „ ejusdem Diœcesis, vel quocumque alio modo desina„t esse Vicarius, quia adhuc cessat commissio respectu sua„ personæ, & sic transit in suum successorem in Vica„riatu.

VIII. In

VIII. Insuper monet n. 10. & sequentibus, commissionem factam Episcopo aut Officiali ejus, non transire Sede vacante in Capitulum aut Vicarium sive Officialem Capituli; idque ex notoria praxi Curiæ Romanæ. Unde si litteræ dispensationis directæ Vicario seu Officiali Episcopi exequerentur per Vicarium Capitularem, Sede Episcopali vacante deputatum, exequutio esset nulla, nullumque Matrimonium vigore talis dispensationis contractum, ait Corradus num. 13.

IX. Attento stylo Curiæ & Cancellariæ Sede Episcopali vacante non diriguntur hæ dispensationes Vicario Capituli, quia de illo Papa non confidit, sed Episcopo viciniori, sive ejus Vicario in spiritualibus generali.

X. Præterea monet Corradus *lib. 7. c. 5. n. 15.* quod notorius stylus Curiæ Romanæ requirat, ut si Oratores seu supplicantes pro dispensatione sint diversæ Diœcesis, utraq; Diœcesis necessariò exprimatur in supplica; litteræ autem dirigantur ad Ordinarium *Oratricis* ut illas exequatur, cumq; ipsius Papæ ejusq; Cancellariæ sit, semper committere earumdem executionem Ordinario *Oratricis*, nisi utriusq; Diœcesis fieret expressio, ubi Oratores ex duabus Diœcesibus orti essent, posset contingere, litteras ipsas dirigi non *Oratricis*, sed Oratoris Ordinario contra mentem ipsius Papæ ac propterea earum executor, si hujusmodi stylum ignoret, perperam litteras ipsas exequeretur; ita Corradus ibid.

XI. Hæc quidem quoad commissiones dispensationum, quæ pro utroq; foro expediuntur in Dataria aut Cancellaria; at quæ pro foro conscientiæ tantùm expediuntur in Pœnitentiaria, committuntur & diriguntur Confessario Magistro in Theologia vel Decretorum Doctori ex approbatis ab Ordinario ab Oratore eligendo; quemadmodum notavi supra *parte 1. tit. 23. c. 3.* ubi & clausulam hanc latiùs exposui.

CAPUT III.

De formula Litterarum dispensationum; & quomodo se Delegatus informare debeat de impedimento allegato.

1. *Tres partes litterarum dispensationum; & quid singula contineant.*
2. *Proponitur formula delegationis.*
3. *Delegatus inquirere debet de veritate narratorum.*
4. *Hæc informatio ex mente Pontificis non perfunctoriè facienda.*
5. *Instrumenta pro examine testium evincunt quam seria esse debeat informatio.*
6. *Delegatus occasione dispensationis nihil etiam* ultro *oblatum potest accipere.*
7. *Nihil quoque pro* mercede *laboris, aut* sigillo *accipi potest.*
8. *Non potest Delegatus deferre nudæ assertioni Oratorum.*
9. *Delegatus examen testium alteri committere potest.*
10. *Tenetur Delegatus inquirere utrum impedimentum verè fuerit expressum.*
11. *Si expressus sit gradus remotior pro proximiore litteræ sunt invalidæ; licet per ignorantiam sit factum.*
12. *Subinde litteræ erunt invalidæ etiamsi impedimentum majus pro minore fuerit expressum.*
13. *Juxta stylum Curiæ, expressio consanguinitatis pro affinitate reddit dispensationem invalidam.*
14. *Si consanguinitas procedat ex duplici stipite id exprimendum est.*
15. *Quid si* secundus *gradus consanguinitatis pro* tertio *sit expressus?*
16. *Si duo subsint impedimenta quomodo exprimenda?*
17. *An sufficiat exprimere gradum remotiorem, quando est inæqualitas gradus?*
18. *Quid potissimum inquirendum circa expressionem cognationis spiritualis?*
19. *Inquisitio fieri debet super quocumque impedimento allegato.*
20. *Si inter consanguineos ante executionem litterarum copula intercesserit ab executione supersedendum est.*

I. Litteræ dispensationum Matrimonialium primò continent ipsam commissionem dispensandi authoritate Apostolicâ super impedimento. Postmodum sequitur altera pars, quæ vocatur *Narrativa*; in qua exprimuntur quæ ab Oratoribus seu supplicantibus Pontifici exposita fuerunt; ac dein sequitur tertia pars litterarum, quæ *Dispositiva* dicitur; continetque gratiam quam Pontifex Oratoribus facere intendit; ac unà conditiones in executione hujus gratiæ à Commissario servandæ.

II. Primò ergo dicit, quod certam de narratis notitiam habentes ipsi Commissario [de quo *in his specialem in Domino fiduciam obtinemus*, ait] per Apostolica scripta mandet, " quatenus depositâ per te (ait) *omni* spe *cujuscumque* muneris aut præmii, etiam *sponte* oblati, à quo " te omnino abstinere debere monemus, te de præmissis " diligenter informes; & si per informationem eandem " preces veritate niti repereris, super quo tuam conscien" tiam oneramus, tunc cum eisdem (Oratoribus N. & N.) " auctoritate nostrâ dispenses .... Volumus autem, quod " si spretâ monitione nostrâ hujusmodi, aliquid muneris, " aut præmii occasione dictæ dispensationis exigere, aut " oblatum recipere temerè præsumpseris, excommuni" cationis latæ sententiæ pœnam incurras.

III. Ex hac dispositiva intelligimus, auctoritatem dispensandi committi imprimis sub conditione sive obligatione inquirēdi, seu accipiendi informationem de veritate eorum quæ Pontifici in supplicia per Oratores exposita fuerunt; quæ his verbis exprimitur: Mandamus quatenus depositâ &c. *Te de præmissis diligenter informes.*

Hæc autem informatio per Commissarium fieri debet tam super omnibus in narrativa contentis; id est, an vera sint, quæ tum circa impedimenta, vel circa causam & motiva dispensandi ab Oratoribus proposita fuerunt; sive quod idem est, *an preces veritate nitantur*, dein si quæ Pontifex addat, & velit verificari; etiam super his informatio sumi debet.

IV. Quod hæc informatio non perfunctoriè, sed summa cum circumspectione & studio fieri debeat, inprimis indicat Pontifex, dum expresè mandat, ut se *diligenter* informet,

Deinde addendo, *super quo conscientiam tuam oneramus*, sat indicat, seriò hoc negotium peragendum esse.

V. Adhæc instructiones pro examine testium qui producuntur pro contrahendis Matrimoniis, sive verificatione eorum quæ in litteris dispensationum verificanda sunt, sufficienter evincunt, quam serium examen Sedes Apostolica in hisce requirat.

Primus articulus habet: " Testis moneatur de gravi" tate juramenti, in hoc præsertim negotio *pertimescendo*, in quo Divina simul ac humana Majestas læditur ob rei, de qua tractatur, importantiam & gravi" tatem.

Hic articulus, qui supponit, testes, priusquam testimonium dent, debere præstare juramentum de dicenda veritate; nec non rei gravitatem testibus exponi jubet, manifestum facit, quam anxiè de veritate inquirendum sit; quod & alii articuli non minus ostendunt, quos refert Pyrrus Corradus *libr. 7. capit. 6. numer. 12. &c.*

VI. Et ne commissarius forsan spe lucri lactatus, aut muneribus excæcatus, non eâ quâ par est maturitate ad infor-

informationem procedat, aut captâ informatione in formando judicio super precum veritate aberret, speciali clausulâ suprà expressâ, vult eum ab omni munere aut præmio etiam *sponte* oblato abstinere sub pœna excommunicationis latæ sententiæ; imò si dispensatio fuerit data in *forma pauperum*, apponitur, quoq; pœna *nullitatis* absolutionis & dispensationis per hæc verba: *Et nihilominus absolutio & dispensatio hujusmodi à Te facienda prædicta nullius sint roboris vel momenti.*

Speciale autem est in dispensationibus Matrimonialibus, quod apponatur hæc clausula; nam istæ reputantur cæteris dispensationibus graviores; & in eisdem magis imminet periculum ne corrumpatur judex exequutor, ait Corradus *lib.7.c.6.n.*11.

VII. Refert ibidem *n.*14. respondisse S. Congregationem, quod "pro dispensationibus matrimonialibus non „licebat Episcopo sive ejus Vicario quidquam recipere, „nec ratione sigilli, vel alicujus alterius rei; quapropter „Decretum illud, quod solet poni in litteris dispensatio„num Matrimonialium, ut nihil muneris, aut præmii „*sponte* oblati accipi possit pro illarum executione, ita „intelligendum esse, ut neq; Ordinarius ipse, nec Vicari„us ejus quidquam pro *mercede* laboris, quem in ea re „susciperent, capere possent.

VIII. Itaque per hanc clausulam, *Te de præmissis diligenter informes*" prohibet omninò summus Pontifex „(inquit Corradus *n.* 29. Exequutori, ne super narratis „velit stare assertioni ipsorum Oratorum contrahenti„um" Debet insuper ipse Delegatus perpendere quali„tatem ipsorum testium:" nam (uti advertit Corradus *n.* „3, ut plurimùm deponunt per unum eumdemque præ„meditatum sermonem, cum præcisa verba per ipsos „sponsos testibus suggeruntur, qui à veritatis tramite „sæpè solent deviare.... Quia clausula prædicta non ad „ornatum litterarum apponitur, ut dicebat quidam Ju„risconsultus; sed ut per eam intelligat Delegatus, se de„bere procedere super hoc cum *pede plumbeo*: quia tum „negotium committitur conscientiæ suæ.

IX. Tametsi in hac commissione electa sit industria personæ; neque possit Officialis alteri auctoritatem dispensandi delegare, ut ostendit clausula, *tuam conscientiam oneramus*, examen tamen testium alteri delegari potest, quemadmodum observat Corradus *n.* 41. sed quia admodum periculosum est hoc examen, hujusmodi examen committi debet alicui viro integerrimæ fidei & bonitatis, ait idem *n.*45. monet quoque idem auctor *lib.* 8. *c.* 1. *n.* 19. quia complures sunt Diœceses talis amplitudinis ut non sit facilis accessus ad Officialem Episcopi, consuetudine introductum esse in Curiis Ecclesiasticis, ut committatur etiam Parocho Oratorum, ut exequatur dictas litteras, ac etiam juramentum, si opus sit, ab Oratoribus recipiat: uti contingit, dum dispensatio petita est ob copulam præcedentem.

X. Debet ergo Commissarius inquirere, num preces sive allegata Oratorum in supplica Pontifici pro obtinenda dispensatione oblata veritate nitantur; id est, an expressio impedimentorum super quibus dispensatio petitur, & causa ob quam petitur sint secundum veritatem expressa. Neq; enim Commissarius, juxta tenorem Rescripti Apostolici ad dispensationem procedere potest nisi prævia informatione diligenti repererit, *preces veritate niti.*

Itaque si super impedimento consanguinitatis aut affinitatis postulata sit dispensatio; inquirendum erit, num gradus consanguinitatis aut affinitatis quo sponsi se invicem attingunt, sincerè & veraciter sit expressus; ut hinc appareat, num quoad hanc expressionem *preces veritate nitantur*; neque ipsum Rescriptum ratione hujus expressionis *sub* vel *obreptionis* argui queat.

XI. Si ergo Oratores dixerint, quod se contingant in tertio consanguinitatis aut affinitatis gradu; deprehendatur autem per informationem ipsos esse in secundo gradu consanguineos aut affines, non poterit Commissarius vi hujus Rescripti procedere ad dispensationem; eò quod reperiat preces veritate non niti.

Neque referret, tametsi ipsi Oratores inculpabiliter ignoraverint se in secundo gradu esse consanguineos: quia similis ignorantia sufficere posset, ut Oratores non arguantur de malitiosa expressione & deceptione; sed efficere nequit, ut verum sit, *preces veritate niti*; aut censeri debeat dispensatum in impedimento *secundi* gradûs consanguinitatis aut affinitatis: cum super hoc dispensatio nequidem fuerit postulata: sed tantùm super impedimento *tertii* gradûs, quod diversum est à priore, præsertim quod quò gradus conjunctior est, eò difficilior sit dispensatio, urgentioresque causæ requirantur.

XII. Quinimo quamvis impedimentum expressum sit gravius, atq; super eò rariùs & difficiliùs soleat dispensari, quàm super eo, quod revera subesset sed expressum non fuit, Rescriptũ carebit suo effectu, nec poterit commissarius procedere, si impedimentum omissum sit diversæ speciei ab expresso, nec sub hoc includatur; tametsi etiam sciretur, quod Pontifex fuisset dispensaturus si impedimentum omissum fuisset expressum: quia non sufficit, quod Pontifex fuisset dispensaturus aut dedisset auctoritatem dispensandi, si hoc illúdve factum esset; sed requiritur, ut reipsâ dispensandi super hoc impedimento authoritatem dederit.

XIII. Unde licet faciliùs soleat dispensari in affinitate quàm consanguinitate in paritate gradûs; nihilominus si expressus sit tertius gradus consanguinitatis, pro tertio gradu affinitatis, subreptitia censebitur dispensatio; neq; poterit Commissarius dispensare; dicitque Corradus *Lib.* 7. *c.*5 *n.*72. quod similes litteras dispensationum perperam exequantur; *cum totum id sit etiam contra mentem Papæ ac notorium Curiæ ipsius stylum.*

XIV. Si Oratores expressissent simpliciter secundum aut tertium consanguinitatis gradum *subreptitia* censebitur dispensatio, si deprehendatur, impedimentum illud provenire ex *duobus* stipitibus; sive quod se contingant in gradu expresso ratione duplicis conjunctionis; quo casu in effectu est *duplex* impedimentum; cùm tamen fuerit expressum tamquam *simplex* sive *unum*; uti latiùs exponit Corradus loco citato *n.*70.

XV. Docet quoque ibidem *num.* 94. & sequentibus, quod si per errorem expressus sit *secundus* gradus consanguinitatis pro *tertio*, non esse procedendum; idq; potissimum ob consuetum modum & stylum Summi Pontificis, "nempe quia diversimodè eas [dispensationes] „concedit, ut videlicet, si in remotioribus puta in quarto „seu tertio & quarto gradibus, eas mandat expediri per „officium minoris gratiæ; si in non tam remotioribus, „puta in tertio, per Cancellariam; si in secundo, seu pri„mo & secundo, per præfecturam Brevium, & sub annu„lo Piscatoris, sicut alias diximus, ac propterea juxta qua„litatem graduum præfatorum, diversa officia cum di„versis officialibus sunt constituta. Unde cùm mens „Pontificis ea sit, & litteræ dispensationis non aliàs, quã „per suos Officiales distinctos, distinctaq; collegia con„stituentes expediantur, profectò cum sic inveteratus „stylus obtinuerit, si litteræ ipsæ præter dictum stylum „ac morem, & observantiam Romanæ Curiæ expedian„tur, tamquam suspectæ de falso erunt rejiciendæ.

XVI. Insuper si duo intercedant impedimenta, atque super utroque quidem postulata sit dispensatio; sed *separatim* ac diverso tempore; utraque dispensatio erit subreptitia eò quod utraque dispensatio ità fuerit impetrata ac si unum dumtaxat impedimentum subesset; cùm tamen duplex subesset. Duo autem impedimẽta *simul* concurrentia fortiùs ligant, & difficilioris sunt dissolutionis.

XVII. Si

XVII. Si dictum sit, Oratores se contingere tertio gradu; postmodum autem deprehendatur, quod se contingant secundo & tertio, non poterunt litteræ dispensationis propter proximioris gradus hujusmodi non expressionem de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis defectu notari; sed in omnibus & per omnia suffragari; uti declaravit Pius V. in constitutione quæ incipit *Sanctissimus* 13. in Bull. R. revocatâ contrariâ declaratione Pii IV. Si tamen expressus esset simpliciter *secundus* gradus, dum se contingunt in *primo* & secundo, litteræ haberentur subreptitiæ ex dicta Constitutione Pii V. eum casum expressè excipientis, addita hac ratione: *Cum in eo Sanctitas sua numquam dispensare intendat.* Vide latiùs Sanchez *lib. 8. Disp. 24. num. 25.* ubi etiam ostendit, Matrimonium contractum in vim dispensationis in qua proximior gradus non est expressus (modo non sit primus) esse validum; tametsi *Litteræ declarativæ*, quarum meminit Pius V. non sint obtentæ.

XVIII. Eodem fundamento si dispensatio postulata sit super cognatione spirituali, inquirendum erit, num rectè expressum sit, unde hæc cognatio orta sit, sive proveniat. Si enim subesset *Filiatio* seu quod Oratorum unus alterum de Fonte levasset & tantum esset expressa *Compaternitas*, *subreptitia* esset dispensatio; eò quod impedimentum ex filiatione proveniens, sit aliud quam proveniens ex compaternitate: multòque difficiliùs in illo, quàm in hoc dispensetur; testaturque Corradus *Lib. 8. cap. 8. num. 15.* Paulum V. semper recusasse dispensare super impedimento *Filiationis* spiritualis. Refert quoque Fagnanus ad *Cap. fin. ✠ De Cognat. spirit.* cum in casu occurrente Congregatio existimasset dispensationem annuendam super *Filiatione* spirituali, relatâ ad Gregorium XIII. sententiâ, Sanctitas sua noluit dispensare: subditque Fagnanus: "Et „quamvis nonnunquam post tempora Gregorii XIII. dis„pensatum fuerit ob dotis incompetentiam cum illius suf„ficienti augmento; non tamen est judicandum *exemplis*, „nec quod aliquando factum est, sed quod fieri debet, est „spectandum.

XIX. Hactenus dicta de informatione circa expressionem impedimenti consanguinitatis & affinitatis, observanda quoque circa alia seu dirimentia seu impedientia impedimenta; ut nimirum diligenter se informet Commissarius, num circa expressionem impedimenti *preces veritate nitantur*; nihilque veri omissum, aut falsi expressum sit, quod dispensationem *sub* vel *obreptitiam* reddere posset.

XX. Si inter consanguineos, aut affines, vel etiam conjunctos spirituali cognatione copula intercesserit, ea necessariò erit exprimenda; aliàs ea omissâ dispensatio censebitur subreptitiè impetrata, uti non semel S. Congregatio declaravit apud Pyrrum Corradum *lib. 8. cap. 1. num. 57.* qui & addit, id etiam sibi locum vindicare quamvis copula prædicta habita fuerit post litteras dispensationis seu mandati de dispensando obtentas, nondum à Delegato exequutioni demandatas; asseritque eo casu opus esse litteris in forma *perinde valere*, priusquam ad executionem priorum litterarum Delegatus procedere possit.

CAPUT IV.

De Causis Dispensationis, & Informatione super veritate earum.

1. *Informatio à Delegato instituenda etiam est circa causam dispensationis.*
2. *Plures causæ cum suis formulis in Curia Romana admissa.*
3. *Causa* ob angustiam *loci qua formula exprimatur.*
4. *Formula causæ* ob incompetentiam dotis.
5. *Eadem causa cum clausula* cum augmento.
6. *Item cum clausula* pro indotata.
7. *De causa vulgo dicta*, Pro Oratrice excedente 24. annum.
8. *Causa communiter nuncupata* Pro Belgis.
9. *Pro verificatione causarum attendenda* formularum *expressiones*; *harum vero sensus ex stylo Curiæ Romanæ.*
10. *Veritas causæ requiritur tempore executionis litterarum.*
11. *Tenor litterarum dispensationis super impedimento cum adjuncta copula, aut familiariore conversatione.*
12. *De causa dispensationis super voto castitatis.*
13. *Quid Delegatus Dispensato imponere debeat?*
14. *Qui vigore hujus dispensationis uxorem duxit, eâ mortuâ aliam ducere nequit.*

I. NOn tantùm circa allegatum impedimentum versari debet Commissarii informatio; sed etiam circa causam pro obtinenda dispensatione allegatam, utrum scilicet, & quoad illam *preces veritate nitantur.*

Ut autem exactior notitia omnium eorum quæ hic verificari debent, & narratorum veritas habeatur, causas famosiores, & magis ordinarias, unà cum suis formulis, quibus juxta stylum Curiæ Romanæ proponi consueverunt, proferam, breviterque exponam.

II. Hoc unum prænotandum, plures variasque causas ob quas dispensationes Matrimoniales judicantur indulgendæ, jam pridem in variis Congregationibus hunc in finem habitis, esse admissas, ac suis specialibus formulis expressas; neque alias præter probatas, nec sub alia expressione seu formula à Curia Romana admitti solere.

III. Prima eaque una ex frequentioribus causis cum quibus conceduntur dispensationes Matrimoniales, præsertim in gradibus consanguinitatis seu affinitatis remotioribus, est *ob Angustiam loci* ait Pyrrus Corradus *lib. 7. c. 5. n. 34.*

Exprimitur hæc causa sub hac formula. *Quod cum dicta Oratrix in dicto loco, propter illius* ANGUSTIAM, *virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeant*, cupiunt &c.

Si sint consanguinei in gradibus proximioribus v. g. secundo aut tertio, superior formula non sufficit, sed tunc post verba *nubere nequeat* addenda sequens clausula: *Et si extra dictum locum nubere cogeretur, dos, quam ipsa habet, non esset competens, neque sufficiens, ut cum ea virum, cui juxta status sui conditionem nubere possit, invenire valeret.*

IV. Secunda causa, eaque hodie sat usitata, dicitur *ob incompetentiam dotis* sequenti formula exprimi solita: *Quod cum dicta Oratrix dotem habeat minus competentem, juxta status sui conditionem, cum qua virum sibi non consanguineum vel affinem paris conditionis, cui nubere possit, invenire nequeat, & dictus Orator illam cum dicta minus competente dote, uxorem ducere intendat*, cupiunt &c.

V. Interdum post verba *uxorē ducere* additur hæc clausula: *Illisque dotem usque ad quantitatem, secundum dictæ Oratricis qualitatem, competenter augere intendat.* Diciturque hæc causa sic expressa: *propter dotem cum augmento*; & requiritur hoc augmentum, ut obtineatur dispensatio in quibusdam gradibus proximioribus, puta in secundo & tertio tantum; etiamsi hujusmodi gradus duplicentur seu multiplicentur ex diversis stipitibus, quemadmodum monet Pyrrus Corradus *lib. 7. cap. 2. num. 37.*

VI. Subinde intitulatur hæc causa: *Pro indotata*, quando Oratrix dicitur *indotata*; & dicitur quod Orator *eam sic* INDOTATAM *ducere*; *ac usque ad quantitatem, secundum dictæ Oratricis qualitatem* EX INTEGRO *dotare intendat.*

Non poterit Commissarius dispensare vigore litterarum cum causa sic expressa, nisi prius reipsa Oratrix ex integro do-

dotetur, si sit pro *indotata*; vel augeatur, si fuerit, *Propter dotem* cum *Augmento*. Solet enim in litteris adjici: *Et postquam dictæ* Oratricis dos competenter aucta fuerit: vel in causa *pro indotata*: *Postquam dicta Oratrix ex integro dotata fuerit, ut præfertur.*

VII. Tertia causa hodie usitata vocatur, *Pro Oratrice excedente 24. annum*, exprimiturque hac formula: *Quod dicta Oratrix vigesimum quartum annum & ultra suæ ætatis agens hactenus virum paris conditionis, cui nubere possit, non invenit*, cupiunt &c.

„Hæc causa (ait Corradus loco citato *n.28.* passim admittitur pro obtinenda dispensatione in quibuscumque „gradibus; nec tamen sufficit super aliquo ex proximioribus puta secundo, seu primo & secundo; & eo magis admittitur, cum magis tempus effluxerit ab ætate Oratricis „ad contrahendum Matrimonium.

Monet tamen Corradus ibidem *n.87.* hanc causam non admitti in muliere vidua, quæ velit ad secundas nuptias convolare; sicut docet notoria praxis Curiæ Romanæ.

VIII. Quarta causa vulgò dicta, *Pro Belgis*, exprimitur his verbis: *Quod cum dicti Oratores Orthodoxæ fidei cultores existant, ac Deo dante; sub obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ vivere & mori intendant, & in illis partibus, in quibus multi sunt Hæretici, non possunt animos singulorum explorare & qui Catholicam Religionem verè profitentur, internoscere. ac propterea, ne contingat eos cum Hæreticis Matrimonium contrahere*, cupiunt &c.

IX. Quæ pro veritate causarum prædictis formulis propositarum verificanda sint, ex attenta formularum lectione & consideratione faciliè potest intelligi. Nequaquam tamen dubitandum, quin multum attendi debeat, quomodo prædictas formulas intelligat Curia Romana; quidque pro verificatione earum requirere soleat. Quamdiu autem de praxi Curiæ Romanæ certò non constat, tenenda erit proprietas verborum, quibus formulæ sunt conceptæ. Unde meritò monet Corradus, non esse eligendum in Vicarium seu Officialem Episcopi, cui rescripta dispensationum dirigi solent, qui saltem non mediocrem Rescriptorum illorum notitiam habeat, vimque ac efficaciam clausularum noverit.

Indubiè convenit pro executione hujusmodi litterarum consulere qui specialiter praxim Curiæ Romanæ referunt; ac notanter sæpe citatum Pyrrum Corradum, qui praxim & stylum illius Curiæ non mediocriter calluit, ac sat fideliter retulisse videtur; licet in doctrinalibus parum solidus sit, & ad laxitatem propendeat.

X. Hoc commune est omnibus prædictis causis, quod pro verificatione causæ requiratur, ut vera sit tempore executionis, sive tempore quo Vicarius seu Officialis auctoritate Apostolica ad dispensationem vigore Rescripti Apostolici procedit; & nisi eo tempore subsit veritas causæ, licet subfuerit tempore supplicationis, aut confecti Rescripti, Commissarius dispensare non poterit, uti latè probat Garcias De Beneficiis *parte 6. cap. 2. num. 284.*

XI. Interdum autem contingit, dispensationem peti, ubi copula carnalis, aut familiarior conversatio inter consanguineos intercessit.

Supplica pro simili dispensatione obtinenda concipi solet hoc tenore: *Exponunt N & N... Quod ipsis alias scientibus se tertio consanguinitatis gradu invicem esse conjunctos, Orator prædictus, non quidem peccandi data opera, ut crimine admisso hac causa foret S. V & Sedem Apostolicam ad misericordiam & gratiam erga ipsos faciliores reddendi, sed solùm vesana libidine victus, Oratricem cognovit. Cùm autem Pater Sancte nisi Matrimonium inter dictos Oratores contrahatur dicta mulier diffamata & innupta remaneret, graviaque exinde scandala possent verosimiliter exoriri*, cupiunt &c.

Tum subjicitur dispositiva suprà relata, ac inter alia, *diligenter se informet an preces veritate nitantur* antequam dispenset; insuper addita hac speciali cautione ex usitato stylo Curiæ Romanæ: *Et recepto ab iis* (Oratoribus) *juramento, quod sub spe faciliùs habendæ dispensationis incestum hunc* (idem est de familiariore & suspecta conversatione) *non commiserint.*

XII. Quando petitur dispensatio super voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, causa frequentiùs exprimi solet hac formula: *Quod Orator ita stimulis carnis agitetur ut continentiam servare posse non speret; ac propterea Matrimonium contrahere desideret.*

Indubiè hæc allegata impossibilitas moralis servandi castitatem intelligitur ex mente Pontificis, si ea revera perduret, postquam occasiones peccandi vitavit; jejunia aliaque corporis afflictiva opera ex præscripto docti ac pii Confessarii, aliaque pro servanda castitate convenientia remedia adhibuit; cum aliàs justa dispensationis causa non esset.

XIII. In dispositiva injungit Pontifex Commissario, ut si ei de præmissis constiterit, votum prædictum dicto Oratori, ad hoc "ut Matrimonium SEMEL dumtaxat legitimè „contrahere possit, in frequentiam Confessionis Sacramentalis peccatorum suorum, singulis scilicet mensibus, semel, vel quoties tibi videbitur, ac in alia pœnitentiæ opera per te injungenda, inter quæ sint etiam aliqua, quæ „quotidie facere teneatur, ad eum finem ut ea adimplens, „meminisse semper possit obligationis, qua hujusmodi voto adstringebatur, prout secundum Deum ipsius animæ „saluti expedire judicaveris, secumque desuper dictum votum, dispensando, dicta authoritate commutes.

XIV. Denique additur hæc clausula finalis: *Quod si dictus Orator mulieri cum qua contrahet supervixerit, maneat postea cælebs, & eodem voto ut prius obligatus.*

Per hæc quidem verba clariùs declaratur, Oratorem ipsum ex vi hujus dispensationis, non posse nisi semel uxorem ducere; unde si supervixerit, non potest aliam uxorem ducere sine nova dispensatione, uti notat Pyrrus Corradus *lib 8. cap. 10.* qui tamen observat, quod si Matrimonium tantùm fuerit contractum & non consummatum, dispensatio non videatur habuisse effectum; adeoque possit vigore ejusdem dispensationis aliam uxorem ducere: quia non tam Matrimonialis contractus, quàm ipsa consummatio hic attenditur.

CAPUT V.

De Dispensatione super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto.

1. *Matrimonio cum impedimento dirimente contracto necessaria dispensatio.*
2. *Si scienter ita contractum fuerit, id in supplica exprimi debet.*
3. *Exprimendum quoque si* consummatum *fuerit.*
4. *Omissio solemnitatum exprimenda est.*
5. *Etiamsi de licentia Ordinarii omissa essent.*
6. *Consummatio Matrimonii ante detectum impedimentum an exprimenda?*
7. *Perseverantia in usu Matrimonii detecto impedimento specificè exponenda.*
8. *Causa ordinaria hujus dispensationis cum sua formula; quæ tamen semper admittitur.*
9. *Matrimonium nulliter contractum obtenta dispensatione de novo contrahi debet.*
10. *Non sufficit si ad interrogationem alicujus se mutuo agnoscant pro conjugibus.*
11. *Ut de novo contrahatur an utrique parti innotescere debeat Matrimonii invaliditas?*
12. *Si dispensatio obtenta sit in Dataria Matrimonium de novo contrahendum est coram Parocho & testibus.*
13. *An idem faciendum si pro foro conscientiæ dumtaxat obtenta sit in Pœnitentiaria?*

I. Inter-

I. Interdum Matrimonium cum impedimento dirimente de facto quidem, sed *nulliter* contrahitur; quo casu necessaria est dispensatio, ut Matrimonium sic contractum validetur; & conjuges Matrimonio uti queant.

II. Pro cujus dispensationis praxi sciendum, quod si *scienter* contraxerint cum impedimento dirimente, illud necessariò sit in supplica exprimendum: eo quod hæc *scientia* difficiliorem reddat dispensationem: imò Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 5. De Reformat. Matrimonii*, vult quod " si quis intra gradus prohibitos *scienter* Matrimonium contrahere præsumpserit, separetur & spe dispensationis consequendæ careat.

III. Si insuper Matrimonium consummatum fuerit id quoque exprimendum erit; quia consummatio Matrimonii dispensationem difficiliorem facit juxta clausulam in Decreto Concilii Tridentini verbis jam citatis subjectam: " Idque in eo *multo magis* locum habeat, qui non tantum " contrahere, sed etiam consummare ausus fuerit.

IV. Quod si *ignoranter* cum impedimento dirimente contractum sit Matrimonium, si quidem solennitates requisitas in contrahendo Matrimonio, v. g. proclamationes prævias, neglexerit, id omnino erit exprimendum: eo quod ratione hujus neglectûs, contrahentes spe consequendæ dispensationis carere velit Synodus Tridentina; volens eos iisdem pœnis subjici, quibus subjectos declaraverat contrahentes *scienter* cum impedimento dirimente: "Non enim dignus est qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria præcepta temerè contempsit "ait Synodus Tridentina.

V. Quinimo si de licentia Ordinarii sint omissæ proclamationes præviæ, nihilominus id exprimendum; & si non esset expressum, Rescriptum esset subreptitium, idque juxta receptum stylum Curiæ Romanæ, ut monet Pyrrus Corradus *lib. 8. c. 4. num. 8.*

VI. Quando etiam ignoranter Matrimonium cum impedimento dirimente contractum est, si consummatum fuerit etiam ante detectum impedimentum, nihilominus consummatio erit exprimenda; ita de stylo & praxi receptum ait Corradus *Lib. 8. c. 4. num. 29.*

VII. Detecto impedimento si perstiterint in usu Matrimonii, hoc specificè erit exprimendum: quia difficiliorem reddit dispensationem; ista perstistentiâ in actu Matrimoniali post detectum impedimentum insinuante, quod nequaquam alieni fuerint à contrahendo *scienter* cum impedimento dirimente.

VIII. Causa ordinaria dispensationis super Matrimonio contracto cum impedimento dirimente solet exprimi per hanc formulam: *Cum autem si divortium inter eos fuerit gravia exinde scandala possint verisimiliter oriri.*

Hanc causam minimè sufficientem ad dispensandum cum eis qui *scienter* contraxerunt & consummarunt Matrimonium cum impedimento in *secundo* consanguinitatis aut affinitatis gradu declaravit Paulus IV. dicens: "Absolutiones & dispensationes hujusmodi ex prætextu prædicto " (nimirum quod ex divortio gravia scandala inter eos & eorum consanguineos & affines possent verisimiliter oriri "etiamsi proles ex Matrimonio sic contracto subsecuta fuerit, nullatenus, sed solum ex causa urgentissima pro bono publico & à jure considerata, per Nos tantùm & non alium approbanda concedemus, & quod dispensationes ex alia causa nostris temporibus exulabunt: & quod nobis licere non patimur nostris successoribus indicantes. "Extat integra Bulla apud Corradum *Lib. 8. c. 3. num. 5.*

IX. Potestatem autem dispensandi tribuit Pontifex eâ cautione, *ut Matrimonium inter se de novo publicè, servatâ formâ Concilii Tridentini contrahere, illudque in facie Ecclesiæ solemnizare, & in eo postmodum remanere liberè & licitè valeant.*

Cum enim Matrimonium contractum ratione impedimenti dirimentis fuerit *nullum* ac *invalidum*, necessariò debet de novo de utriusque consensu renovari, seu de novo contrahi: eo quod prior contractus nullus fuerit.

X. Hinc consequens est, dispensatione obtentâ, non sufficere, quod Parocho interrogante mulierem, num hic sit suus maritus, & virum, num hæc sit sua uxor, uterque affirmativè respondeat: quia hæc dicendo, non contrahitur de novo Matrimonium; sed potius declaratur, quod sit inter ipsos Matrimonium, atque in eo persistere intendant: præsertim si impedimentum fuerit utrique parti ignotum.

XI. Et quia de novo contrahere debent Matrimonium, necessario utrique parti invaliditas prioris Matrimonii nota sit oportet: alias enim consensus in novum Matrimonium, saltem non eâ quæ requiritur, libertate habebitur. Facilè enim continget, in Matrimonium consentire aliquos, si prius Matrimonium nesciant invalidum; aut etiam tantum de eo dubium esse sciant, qui haud consentirent, si certò scirent Matrimonium esse invalidum. Quapropter si certa sit Matrimonii invaliditas, etiam ut *talis* utrique conjugi proponenda est, priusquam de novo Matrimonium contrahant.

Vult insuper Pontifex, ut Matrimonium publicè & servatâ forma Concilii Tridentini contrahatur; nimirum coram Parocho & testibus. Et rectè. Cum enim hic agatur de dispensatione pro *utroque* foro super impedimento *non occulto*, nisi secundum Matrimonium publicè, dictâ formâ servatâ iniretur, sed clam inter solos conjuges renovaretur consensus Matrimonialis, incommoda, quibus Synodus Tridentina annullando Matrimonia clandestina occurrere voluit, ex simili Matrimonio clandestinè contracto oriri facilè possent.

Primum enim Matrimonium *publicè* contractum probari posset *nullum* ob impedimentum dirimens; secundum verò probari non posset; utpote, uti supponitur, inter solos contrahentes *privatim* & *occultè* contractum: atque ita liberum esset alteri partium convolare ad alias nuptias, non obstante hoc Matrimonio, validè, sed clandestinè contracto; neque etiam per Ecclesiam seu Judicem separari posset, defectu probationis hujus secundi Matrimonii.

Num idem statuendum sit, si impedimentum fuerit tale ut solis contrahentibus innotescat; nec aliis facilè innotescere potest, neque in foro exteriori probari; super quo dispensatio petitur in Pœnitentiaria pro foro conscientiæ tantum, capite septimo dicetur.

CAPUT VI.

De Dispensatione in *forma pauperum.*

1. *Dispensationes in* forma pauperum *sic dictæ à paupertate Oratorum.*
2. *Quomodo hæc qualitas in litteris exprimatur?*
3. *Debet esse ex parte utriusque; & testimonio fide digno probari.*
4. *Formula attestationis super paupertate à Parocho expedienda.*
5. *Quid circa* paupertatem *observare debeat Parochus.*
6. *Quid circa impedimentum quod allegatur?*
7. *Valde circumspectè esse debent Parochi in danda hac attestatione.*
8. *Quo tempore paupertas Oratorum verificanda?*
9. *Hæ dispensationes concedi solent ob incestum prævium, aut ejus suspicionem.*
10. *Si post indictam separationem aut obtentum Decretum* copula *intervenerit, novis litteris opus est.*
11. *Oratoribus ob incestum prævium imponenda pœnitentia publica.*
12. *Qualis debeat esse pœnitentia publica?*
13. *Oratori injungendum ut operam suam in aliquod pium opus conferat.*

igitized by Google

14. *Hæc pecunia redimi nequit.*
15. *Ad dispensationem non procedendum nisi peractâ Oratori impositâ pœnitentiâ.*
16. *Delegatus non potest dispensare, si prævideat ex dispensatione oritura scandala.*

I. Nterdum expediuntur in Curia Romana dispensationes in *forma pauperum*, ità dictâ, quod non nisi pro pauperibus hujusmodi dispensationes expediantur.

II. Unde in ipsis litteris dispensationis expressè supponitur & exprimitur hæc Oratorum qualitas his verbis: *Qui pauperes, & miserabiles existunt, & ex labore & industria sua tantùm vivunt.*

III. Et quidem ad implendam hanc dispensationem requiritur *paupertas* & *miserabilitas* utriusque scilicet tam Oratoris quam Oratricis, ait Pyrrus Corradus *lib.8.c.5.n.3.*

Debet autem hæc qualitas, quæ extrinseca est, probari; neque admittitur sola Oratorum assertio in Curia Romana; sed solet in his proferri testimonium Parochi alteriusve fide digni.

IV. In libello nuper Leodii impresso sub hoc titulo: *Manuale Pastorum compendiosè complectens Canones & Ritus Ecclesiasticos pro administrandis Sacramentis juxta usum Pastoralis Mechliniensis* pag. 192. extat formula ad scribendum testimonium pro iis qui egent dispensatione Sedis Apostolicæ titulo paupertatis, tenoris sequentis: "Ego „ infrascriptus Rector Parochialis Ecclesiæ loci de N. sub „ districtu Diœcesis N. scio & testificor NN. & NN. sub„ditos præfatæ Parochialis Ecclesiæ esse orthodoxæ Ro„manæ fidei cultores, verum adeò pauperes, ut de suis la„bore & industria tantùm vivant. In cujus fidem subscripsi „ hâc.... Mensis.... Anni....

V. Post hæc subjicitur duplex monitum. Primum super veritate ipsius paupertatis: "Attestatio hæc non est in ista „ forma expedienda, nisi ejus contenta nitantur veritate, & „ hæc habeatur, vel ex particulari notitia ipsiusmet Pasto„ris attestantis, vel ex testimoniis fide dignorum testium. „ Si omissa fuerit particula *tantùm*, non utilis est attestatio „ ad finem qui intenditur.

VI. Alterum monitum concernit gradus affinitatis aut consanguinitatis qui inter Oratores intercedere dicuntur. „ Necessum etiam est (ait) ut Pastor antequam relaxet te„stimonium, quod Oratores sunt consanguinei vel affines „ in tali vel tali gradu, exactè sit informatus de hujusmodi „ gradu, & quamdam ejus habeat certitudinem. Aliàs pau„peres Oratores, expeditis Bullis juxta vitiosam gradûs ex„pressionem incidunt in varia incommoda.

VII. Admodum circumspecti esse debent Parochi in hujusmodi testimoniis expediendis, singulasque particulas seriò & attentè expendere, atque maturè examinare, num prædicta formula per omnia, uti sonat, verificari queat.

Cum enim hæc formula semper inseratur, & coram Commissario, priusquam ad dispensationem procedere queat, verificari debeat, si tunc quo ad omnes suas partes verificari nequeat, dispensatio in simili forma obtenta suo effectu carebit, frequenter non sine multis impetrantium incommodis.

VIII. Notandum, quod juxta hodiernum stylum non sufficiat paupertas & miserabilitas Oratorum tempore supplicationis; sed ea adesse & probari debet, dum litteræ dispensationis à Commissario Apostolico eximuntur & executioni mandantur, uti observat Corradus loco citato *n.*30.

IX. Hæ dispensationes solent expediri ob incestum prævium aut ejus vehementem suspicionem, ne ob copulam jam inter eos quovis modo subsequutam, aut illius suspicionem ortam, contingat eos cum animarum jactura, & cum gravi scandalo in simili copula, aut ejus suspicione perseverare; ipsaq; Oratrix infamata & innupta remanere cogatur.

Quapropter in litteris in hac forma expeditis injungitur Exequutori seu Commissario ut Oratores *ab invicem separet* id, que sive agatur de contracto, sive contrahendo Matrimonio.

X. Quin in hac specie dispensationis singulare est ex declaratione Pauli V. ut si durante hâc indictâ separatione, aut ante obtentum Decretum dispensationis Oratores se rursus carnaliter cognoverint, de novo recurrendum sit ad Sedem Apostolicam pro litteris *perinde valere*; uti monet Pyrrus Corradus *lib.8.cap.5.num.*38. ubi & latè de hujusmodi litteris discurrit; variasque earum, pro varietate casuum, formulas proponit.

XI. Ulteriùs in hac dispensatione speciale est, quòd Oratoribus ob incestum prævium per Exequutorem sive Commissarium debeat imponi *pœnitentia publica*, quòd ità in litteris exprimi consuevit: *Eam illis pœnitentiam publicam imponas, quæ alios deterreat à similibus committendis.*

Non exprimitur quidem species pœnitentiæ publicæ; sed ea pro personarum, locorum ac criminis circumstantiis determinanda relinquitur Commissario; ita tamen publica esse debet, ait Corradus *lib.8.cap.6.n.7.* "Ut omnibus ferè „ loci seu oppidi, aut civitatis, ubi ipsos Oratores hujusmodi „ pœnitentiam peragere contingit, innotescat.

Testatur quoque ibidem *num.9.* consuetudine introductum, ut pro hujusmodi incestu & excessibus, in pluribus mundi partibus, tale scelus perpetrantibus, vigore dictarum litterarum injungatur, ut dum Missa solennis decantatur in Ecclesia Parochiali Oratorum, in suis manibus teneat unusquisque ipsorum candelam accensam.

XII. Hinc apparet, Ecclesiam Romanam in ea esse opinione, quod delicta publica etiam pœnitentiâ publicâ sint expianda; eatenus saltem, ut scandala reparentur; & alii à similibus committendis deterreantur, conformiter ad Decretum Concilii Tridentini *Sess.24.cap.8. De Reform.* de quo latiùs suprà *tit.6.cap.2.*

XIII. Occurrit deinde in hac specie dispensationis hoc singulare, quod Oratori injungi debeat à Commissario, *ut operam suam fabricæ, vel in aliud servitium alicujus Ecclesiæ vel pii loci, tribus saltem mensibus conferat.*

Hæc pœna imponitur in casu hujusmodi dispensationis, tam civilibus, quàm vilibus personis, ut docet quotidiana praxis, ait Corradus loco citato *num.*15.

XIV. Monet quoque ibidem *num.*16. pœnam illam pecuniâ redimi non posse, nec per alium persolvi; etiamsi vellet solvere pecuniam alicui volenti dictam pœnitentiam pro ipso peragere: "Quod quidem (ait) optimâ ratione serva„tur; quia juxta dictum Isidori nullam reus pertimescit „ pœnam, quam scit pecuniâ posse redimere, per textum in „ *Canone* PAUPER *caus.*11.*q.*3. Debent enim, qui tale sce„lus perpetrârunt castigari pœnitentiis salutaribus & affli„ctivis, quæ non debent in aliud gravamen commutari, cum „ non sint res quæ delinquunt, sed ipsæ personæ; & sic non „ debent puniri bursæ, ubi sunt homines puniendi: quia „ crimina non sic debent transire impunita.

XV. Non poterit autem Commissarius ad dispensationem procedere, nisi publicâ pœnitentiâ, juxta præscriptam formam *integrè* peractâ; "etiamsi Orator, quo ad operam „ suam conferendam, voluit præstare quantumcumque „ idoneam cautionem de ea conferenda post contractum „ Matrimonium (inquit Corradus ibi *num.*35.) quia sicut „ Ordinis susceptio non debet concedi Clerico in publica „ pœnitentia existenti; ità ad Matrimonium transire non „ permittitur, ipsâ pœnitentiâ durante, ut habetur in Conci„ lio Arelatensi 2. *Can.*21.

XVI. Denique in litteris hujusmodi dispensationis speciali modo committitur dispensatio arbitrio Exequutoris: post enim peractam pœnitentiam publicam, operamque præstitam, *demum* (ait Pontifex) *si tibi expediens videbitur, quod dispensatio hujusmodi sit eis concedenda; nec scandalum sit ex eo oriturum.*

Itaque post omnia injuncta juxta tenorem litterarum peracta,

peracta, committitur arbitrio Exequutoris, an dispensari conveniat; ac præcipuè an sine scandalo dispensatio concedi queat.

Et quamvis dispensatio quæcumque suspendi, imò Matrimonium impediri debeat, si sine scandalo fieri nequeat; ideoque etiam prædicta clausula non esset in litteris apposita, nihilominus subintelligeretur; voluit hic tamen Papa exprimi, ut magis dignoscatur sua enixa voluntas, ait Pyrrus Corradus *lib. 8. cap. 6. n. 64.*

CAPUT VII.

De Dispensatione pro foro conscientiæ expedienda per Pœnitentiariam.

1. *Delegatus debet se super veritate contentorum in Bulla informare.*
2. *Quomodo hæc informatio fieri debeat.*
3. *Quid si ex informatione non innotescat falsitas narratorum, sed aliunde Delegato nota sit?*
4. *Dispensatio in solo foro interno suffragatur.*
5. *Commissarius dispensare nequit, nisi prius auditâ Oratoris Sacramentali Confessione.*
6. *Impedimentum debet esse* occultum: *& quando dicatur occultum?*
7. *Debet inquiri quod incommodum sit secuturum, si non dispensetur.*
8. *Matrimonium de novo contrahi debet, sed priùs de nullitate Matrimonii utrique parti constare debet.*
9. *Hic magnâ circumspectione Commissarius uti debet.*
10. *Consensus Matrimonialis non est renovandus coram Parocho & testibus.*
11. *Dispensatio hæc in solo foro conscientiæ prodesse potest.*
12. *Quàm secretò hic omnia peragenda sint.*
13. *Quâ ratione invalida censeatur dispensatio, si litteræ dispensationis Oratori restituantur?*

I. De forma & inscriptione dispensationum, quæ in Pœnitentiaria Romana expediuntur, aliqua diximus *parte prima tit. 23. cap. 3.* ubi de Pœnitentiario & Pœnitentiaria Romana egimus; hic pauca duntaxat specialia in hac dispensatione occurrentia notabimus.

Clausula specialis occurrit, modum inquirendi super veritate narratorum continens, his verbis exprimi solita: *Si ita esse per diligentem Oratoris examinationem, ac post monita & consilia opportuna illi præstita, inveneris.*

II. Non debet ergo Delegatus se super veritate allegatorum informare auditis testibus; quemadmodum contingit in dispensatione obtenta in Dataria, quæ etiam pro foro externo valet, sed sufficit, ut Delegatus diligenter examinet Oratores pro veritate expositorum, idque prævìis monitis & consiliis opportunis; è quibus scilicet ipsi Oratores percipiant momentum hujus examinis, quod à sincera vel non sincera expositione narratorum dependeat validitas vel invaliditas dispensationis, & inde consequens etiam validitas Matrimonii; atque hinc ulteriùs dependeat, num forsan tota vita durante non sint victuri in perpetuo incestu cum evidenti periculo æternæ damnationis.

III. Sed quid si ex Oratoris examine ac interrogatione falsitas precum non deprehendatur; aliunde tamen illa Delegato innotuerit? Nullatenus dispensare poterit: dispensando enim contingeret, quòd fortè conjuges, aut alter eorum in perpetuo viverent incestu.

Accedit, quòd cùm hic petatur dispensatio occultè, nullum sit inconveniens si privatâ & occultâ scientiâ Delegatus utatur; præsertim cùm præsumendum sit, Pontificem nolle dispensationem indulgere, quando revera causa dispensationis allegata non subsistit.

IV. Tertia clausula exprimitur hac formulâ: *Ità quod hujusmodi dispensatio & absolutio in foro judiciario nullatenus suffragetur.*

Quapropter, si vel per Superiorem ex officio, vel à quocumque privato Matrimonii validitas in quæstionem ducatur, nullatenus dispensatio in Pœnitentiaria obtenta suffragabitur; sed quæstio discutienda & terminanda erit, ac si nulla dispensatio intervenisset.

V. Ex stylo hodierno additur: *Auditâ prius Oratoris Sacramentali Confessione, eumdem hac vice in forma Ecclesiæ consueta & injunctâ ei pœnitentiâ absolvas.*

Per hanc clausulam jam sublatum est dubium olim à Doctoribus motum, num dispensationem præcedere deberet Confessio Sacramentalis: hanc enim præmittendam esse expressio hodierna istius clausulæ apertè supponit.

VI. Altera clausula in omnibus dispensationibus à Pœnitentiaria emanantibus est, *dummodo impedimentum ex præmissis proveniens sit occultum.*

Pro intellectu hujus clausulæ observandum quod dicit Pyrrus Corradus *lib. 7. cap. 7. num. 12.* "Non sufficit illud „esse occultum, tantummodo tempore impetrationis dis„pensationis super eo; sed opus est, quod nullus adsit timor, „quod aliquo modo possit fieri publicum in futurum; a„liàs enim major Pœnitentiarius remitteret supplicatio„nem ad Datariam, ut Oratores petant secum dispensari in „utroque foro; quia non occultum, sed manifestum dici„tur, quod potest probari, per gloss. in *cap.* VESTRA, in ver„bo, NOTORIUM *De Cohab. Cler. & mul.* Impedimen„tum autem occultum dicitur, quando non publicè con„stat nec facilè constare potest, ac periculum non est, ut in „foro externo detegatur.

VII. Post hæc eodem contextu in formula subditur: *Et separatio inter latorem & dictam mulierem fieri non possit absq; scandalo; ex cohabitatione verò de incontinentia probabiliter timendum esse tibi visum fuerit, aliudque Canonicum non obstet impedimentum.*

Dictio *dummodo* præcedens, cum qua hæc clausula connectitur, sat ostendit, mentem Committentis esse, ut non dispensetur, nisi præmissa verificentur.

VIII. Sequitur deinde in formula: *Cum eodem latore, ut dicta muliere de nullitate prædicti consensûs certiorata, sed ita cautè, ut latoris delictum nusquam detegatur, Matrimonium cum eadem, & uterque inter se de novo, secretè ad evitanda scandala, præmissis non obstantibus, contrahere, & in eo postmodum remanere licitè valeant, misericorditer dispenses.*

Ex hac clausula patet primò, quod si impedimentum uni duntaxat partium notum sit, nequeat Matrimoniũ *de novo* contrahi, nisi prius altera pars de nullitate prioris consensûs sit certiorata. Ratio illius facilè colligi poterit ex dictis cap. 7.

IX. Magna hic prudentiâ ac circumspectione opus est: unde merito Exequutor hic non tantùm humana, sed vel maximè Divina consilia & auxilia adhibebit; recurrendo ad Patrem Luminum, ut eum lumine suo illuminet, quid in casu adeò perplexo agere debeat.

X. Patet quoque ex eadem clausula, consensum hic non esse publicè renovandum coram Parocho & testibus, quemadmodum in casu dispensationis in Dataria expeditæ super impedimento non occulto; sed *secretè* inter partes renovari sufficiat; eo quòd impedimentum sit *occultum*, & dispensatio pro solo foro interno. Imò hæc dispensatio non admittit, Matrimonium publicè coram Parocho & testibus renovari vigore ipsius dispensationis; quia omnia vult *secretissimè* peragi, neque incommoda, quæ ex clandestinis Matrimoniis timebantur, hic timeri possunt; uti bene notat Corradus *lib. 8. cap. 5. num. 43.*

XI. Essentialis differentia hujus dispensationis in Pœnitentiaria obtentæ, & dispensationis in Dataria expeditæ in hoc consistit, quod hæc valeat pro utroque foro; illa vero *pro solo foro interno*, ut his verbis exprimitur: *In foro conscientiæ, & in ipso actu confessionis* TANTUM,

Digitized by Google

& non aliter, neq; ullo modo; ita quod hujusmodi absolutio & dispensatio in foro judiciario nullatenus suffragatur.

XII. Ut omnis occasio utendi hac dispensatione in foro judiciario amputetur, addit: *Nullis super his adhibitis testibus, aut litteris datis, seu processibus confectis; præsentibus laniatis, quas sub pœna excommunicationis latæ sententiæ laniare tenearis, ità ut nullum illarum exemplum extet, neque eas latori restituas; quod si restitueris nihil ipsi præsentes litteræ suffragentur.*

Nulli ergo omnino testes in actu dispensationis intervenire possunt; nec ullæ omninò litteræ etiam privatæ qualescumque dari de dispensatione factâ; & multò minus processus judicialis confici, quibus quovis modo in foro externo hæc dispensatio probari possit. Et ne aliquod vestigium seu indicium externum dispensationis superesset, litteras ita laniari mandat, ut nullum exemplum extet.

XIII. Quod addit in fine, quod si latori restituantur litteræ dispensationis, ipsi eædem litteræ nihil suffragentur, subintelligitur in *foro externo*, uti post Sanchez De Matrimonio *lib.* 8. *D. sp* 34. *n.* 42. notat Marcus Paulus Leonis in Praxi Pœnitentiariæ *part.* 1. *c.* 2. *n.* 88. id ut si dictæ litteræ in prædicto foro exhibeantur, careant omni fide & probatione: quia illa est mens Magni Pœnitentiarii concedentis; nequaquam verò ut dispensatio facta frustretur suo effectu in foro consciétiæ.

CAPUT VIII.

Quæ circa dispensationes à Parocho populo exponenda.

1. *Parochus meritò monet ut expendant, an subsit justa causa petendi dispensationem.*
2. *Ostendet quàm periculosum sit mediante dispensatione Matrimonium contrahere.*
3. *Dispensatio non semper reddit aliquem coram Deo securum.*
4. *An satisfaciant dicendo, Pontifex judicet utrum sit justa causa.*
5. *Instruendi quod non omnes causæ in Curia R. admittantur.*
6. *Exponenda clausula litteris inseri solita,* Si preces veritate nitantur.
7. *Monendi de clausulis hujusmodi litterarum; necnon de juramento præstando.*
8. *Litteræ in* forma pauperum *singulariter exponendæ.*
9. *Notitia formularum & clausularum, quibus dispensationes concipiuntur. Parochis admodùm conveniens.*
10. *Episcopi mandant à Parochis eas subinde populo exponi.*

I. IN primis Parochus intelligens, aliquos è suis Parochianis meditari dispensationem super impedimento Matrimonii à Sede Apostolica petere, utiliter eos monebit, ut seriò expendant, an re verâ coram Deo sit justa causa recedendi à Decretis & legibus Ecclesiæ.

II. Ut autem efficacius ad id expendendum moveat, ostendet, quam periculosum sit statum aliquem assumere recedendo à regulis Ecclesiæ. Nisi enim causa talis sit quæ Deo probetur, verendum, ne ob hunc à regulis Ecclesiæ recessum, ipsum Matrimonium etiam Divinâ benedictione frustretur: visumque non rarò quàm infelix fuerit exitus eorũ, qui neglectis sacris Ecclesiæ ordinationibus vitæ conditionem elegerunt. Et quidem primum in Ecclesia Romana excitatum schisma, in ordinationem auctoris ipsius schismatis dispensativè factam refundere non dubitavit Cardinalis Baronius, qui & illius occasione hoc notandum & huic materiæ appositum monitum subjungit: "At planè ex facto No„vatiani apparet, quanto periculo quæratur per *dispensa„tionem*, quod est aliàs Ecclesiasticis legibus interdictum.

Quàm infaustus sæpe sit exitus Matrimoniorum mediante dispensatione, præsertim in gradu admodum propinquo, contractorum, quotidiana experientia sat notum est.

III. Adhæc proponet Parochus, quod non semper coram Deo aliquis sit securus, licet dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit, si legitima dispensandi causa desit. Neque hanc esse justam excusationem, quâ plerique se securos existimant dicentes: Papa dispensavit, ipse viderit, ego sum immunis.

Quia uti rectè monet Bellarminus epistolâ ad Nepotem suum *Controv.* 5. "Hic cavillus securos multos reddit, tu„tum verò neminem: quoniam Papa non est Dominus, „sed dispensator; ideoque qui iniquam dispensationem pe„tit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem semper irretitur iniquitate.

IV. Si forsan dicant, num causa sufficiens subsit, Pontifici expendendum relinquimus, ejusque consilium expetimus; regeri poterit, quod similibus olim dixit Bernardus *Epist.* 1. *Utinam non licentiam quæsiissetis, id est, non ut liceret, sed an liceret.*

Verendum sanè, ne pluribus à Sede Apostolica dispensationem efflagitantibus improperari queat illud quod verbis citatis subjungit Bernardus: "Malum in corde conce„perant, opere tamen autî non sunt adimplere nisi cum li„centia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt ini„quitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assen„sum.... Quod tamen summum fecisse Pontificem nequa„quam crediderim nisi aut circumventum mendacio; aut „importunitate victum.

V. Exponere quoque convenit dispensationem petere meditantibus, quomodo non sit satis, quod causa aliqua forsan de se sufficiens subsit, hæcque verificari possit; sed quòd verificanda erit una ex causis in Romana Curia admissis; idque cum formula, quâ in litteris dispensationis exprimi consuevit.

VI. Ostendendum insuper, quomodo potestas dispensandi ipsi Officiali delegari soleat sub hac conditione, *si preces veritate nitantur*: cujus conditionis effectus exponendus erit; atque demonstrandum, quomodo ipsa dispensatio sæpe periclitetur, quia hæc conditio impleri nequit; eò quod preces, prout in litteris juxta stylum Curiæ expressæ sunt, verificari nequeant.

VII. Adhæc monendi sunt de aliis clausulis hujusmodi dispensationem litteris inseri solitis: necnon instruendi super præstando juramento, præsertim si dispensatio petatur ob incestum aut familiariorem conversationem præcedentem.

VIII. Denique cùm frequenter contingat in Parochiis ruralibus dispensationem postulari in *forma pauperum*, convenit ut Parochus exponat clausulas speciales, quæ in Rescripto dispensationis in tali forma expedito inseri consueverunt ex solito stylo Curiæ Romanæ.

IX. Ex his facilè intelligitur, formularum & clausularum, quæ hoc titulo propositæ & expositæ sunt, notitiam non tantùm Officialibus, quibus executio litterarum dispensationum committi consuevit, sed & Parochis multùm utilem, & quodammodò necessariam esse; ut nimirum ipsi subditis suis, quos mediante dispensatione contrahere velle sciunt, proponant ea omnia, quæ obtentâ dispensatione verificare ac facere tenebuntur; eosque moneant, ut seriò attendant, priusquam supplicam suam Romam mittant expensasque faciant vel rumor de ineundo Matrimonio spargatur, num reverà credant se ea omnia verificaturos, & quidem illâ certitudine, ut Matrimonium de nullitate non periclitetur; nec non juramenta præstanda cum veritate præstituros.

X. Unde, teste Pyrrho Corrado, nonnulli Episcopi in Synodo Diœcesana ad hos errores vitandos mandare solent, ut cum Parochi de prohibitis Matrimoniis verba faciunt, diligenter doceant & cautè demonstrent, nullo modo censeri dispensatum, nisi verificatis narratis, ac præcipuè, ut in supplicationibus curent verum exprimi.

TITU-

TITULUS XV.

De Divortiis & secundis Nuptiis.

CAPUT I.

De Divortio quoad vinculum; & Conversione conjugatorum.

1. *Divortium dupliciter sumitur.*
2. *Matrimonium legitimum non ratum faciliùs dissolvitur quàm Matrimonium ratum.*
3. *Matrimonium legitimum Infidelium non semper dissolvitur altero conjugum ad fidem converso.*
4. *Licet etiam impedimento dirimente fuerit contractum.*
5. *Potest conjux conversus ad alias nuptias transire, si alter renuat sine contumelia Creatoris converso cohabitare.*
6. *Hic tamen recipiendus, si convertatur ante transitum prioris ad alias nuptias.*
7. *Matrimonium ratum non consummatum interdum quoad vinculum dissolvitur.*
8. *Jam pridem per professionem Religiosam Matrimonia credebantur dissolvi.*
9. *Id Alexander III. intellexit de Matrimonio rato non consummato.*
10. *In probationem hujus dissolutionis adducuntur exempla Sanctorum.*
11. *Dissolutionem hanc probavit Synodus Tridentina.*
12. *Efficacia dissolvendi Matrimonium ratum, non voto solenni, sed professioni solenni tribuitur.*
13. *Matrimonium consummatum juxta sacros Canones per professionem Religiosam non dissolvitur quoad vinculum.*
14. *Post consummationem Matrimonii non licet conjugi altero invito professionem Religiosam emittere aut continentiam vovere.*
15. *Qui sine consensu conjugis intravit Monasterium, ad eum redire compellitur.*
16. *De consensu mutuo licitum est conjugibus continentiam vovere & Religionem ingredi.*
17. *Uno conjugum Religionem ingrediente ordinariè alter etiam ingredi debet; & quare?*
18. *Sacri Canones non permittunt uxoratum in Episcopum ordinari, nisi ejus uxor continentiam voveat, & vestem religiosam assumat.*
19. *Ratio hujus disciplinæ.*
20. *Providendum ne uno conjugum Monasterium ingresso alter de incontinentia fiat suspecta, aut ejus periculum incurrat.*
21. *In hac conjugum separatione convenit ut interponatur auctoritas Episcopi.*
22. *Ob adulterium non dissolvitur Matrimonium quoad vinculum.*

I. DIvortium sumitur dupliciter. Primò quidem, idque frequentiùs, pro dissolutione Matrimonii quoad vinculum dicitur que hæc dissolutio propriè Divortium. Secundò accipitur pro separatione conjugum quoad thorum & cohabitationem, durante interim adhuc Matrimonii *vinculo*; hæcque separatio conjugum impropriè Divortium appellatur.

II. Quoad Divortium primo modo sumptum, indubitatum est, illud faciliùs admitti circa Matrimonium legitimum non ratum, quàm circa Matrimonium *ratum*, licet non consummatum; quamvis & quoad Matrimonium ratum tantùm aliquando admittatur.

Matrimonium legitimum non dicitur Matrimonium inter Infideles sive non baptizatos secundum eorum leges & instituta contractum.

III. Hoc Matrimonium rationem contractûs civilis dumtaxat habens, neque ad rationem Sacramenti hactenus elevatum, indissolubilitatem ex Christi institutione non habet; altero tamen ad fidem converso, altero in Paganismo seu infidelitate remanente, separationem vetuit Ecclesia; ut per conversionem unius conjugis & alter salvari possit; cum juxta Apostolorum 1. *ad Corinth.* 7. contingat *sanctificari virum infidelem per mulierem fidelem* & è contra.

IV. Imò etsi inter ipsos Infideles tempore contractûs matrimonialis intercesserit impedimentum dirimens, non tamen propterea conjux ad fidem conversus ab alio separari debet; modo impedimentum illud non à jure naturæ; sed à jure merè positivo inductum sit; super quo Ecclesia dispensat, " in favorem præsertim Christianæ Religionis & „ fidei à cujus perceptione, per uxores se deseri timentes vi„ri, possunt facile revocari, " ait Pontifex in *Cap.* 8. ⁏ *De Divortiis.*

V. Addit tamen Pontifex hanc exceptionem, " Nisi post „ conversionem illa renuat cohabitare cum ipso, aut eti„ amsi consentiat, non tamen absque contumelia Creato„ ris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum: in quo ca„ su restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatione „ constaret, restitutio negaretur: quia secundum Aposto„ lum: *Frater aut soror non est hujusmodi subjectus servi„ tuti*: hoc est, poterit conjux fidelis tali casu transire ad no„ vas nuptias.

VI. Deinde subjungit Pontifex: "Quod si conversum ad „ fidem & illa conversa sequatur antè, quàm propter præ„ dictas causas legitimam ille ducat uxorem, eam recipere „ compelletur.

Porrò cùm rarus circa hujusmodi Matrimonium dissolutionem casus incidat, plura dicere necesse non est; si quando casus occurret, facilè consuli poterunt Commentatores ad citatum *Cap.* 8. & 7. *eodem tituli.*

VII. Matrimonium *ratum* non consummatum, quamvis sit perfectum in ratione Matrimonii ante Consummationem; faciliùs solvi nihilominus quoad vinculum, quàm Matrimonium ratum & *consummatum*, nemo Catholicorum dubitat.

VIII. Et quidem illud dissolvi per professionem Religiosam non obscurè expressum est apud Gratianum *Caus.* 27. *q.* 2. *can.* 26. ibi ex epistola Nicolai I. refertur hoc fragmentum Nam licet scriptum sit, *quod Deus conjunxit homo non separet*, Deus tamen, & non homo separat, „ quando divini amoris intuitu ex consensu utriusque con„ jugis matrimonia dissolvuntur.

Hic quidem non sat clarè exprimitur, num per Matrimonia de quibus hic agitur, intelligantur *rata* tantùm, an generaliter rata & consummata; sed Ecclesia hos aliosque Canones de hac dissolutione loquentes, de Matrimonio *rato tantùm* intellexit, hocque per professionem dissolvi posse, nequaquam autem Matrimonium *consummatum*, declaravit.

IX. Alexander III. rescribens Salernitano Archiepiscopo in *Cap.* 2. ⁏ *De Conversione conjugatorum* ait: " Verùm „ post consensum legitimum de præsenti, licitum est alteri „ altero etiam repugnante eligere Monasterium, dummodo

by Google

„carnalis commixtio non intervenit inter eos: & alteri „remanenti (si commonitus continentiam servare voluerit) licitum est ad secunda vota transire. " Rationem subjungit: " Quia cum non fuissent una caro simul effecti, „satis potest unus ad Deum transire, & alter in seculo remanere.

Idipsum rescripsit Brixiensi Episcopo in *Cap.* 7. ꝟ. *eod.* dicens: " quod Dominus in Evangelio dicit, non licet viro „nisi ob causam fornicationis uxorem suam dimittere, „intelligendum est secundum interpretationem Sacri Eloquii, de his quorum Matrimonium *carnali* copulâ est „consummatum.

X. Alexander III. *Capitulo* 2. in suæ resolutionis probationem adducit exempla Sanctorum dicens: *Sicut quidam Sancti de nuptiis vocati fuerunt*; ex quo non obscurè colligitur, Pontificem hic reflexisse ad ea quæ habet Gratianus ad calcem allegati *Canonis* 26. ubi probans sponsos posse sine mutuo consensu continentiam vovere, subjungit: " Ut enim refert Beatus Hieronymus, Macarius „præcipuus inter Christi Eremitas, celebrato nuptiarum „convivio cum vespere thalamum esset ingressurus, ex urbe egrediens transmarina petiit, & Eremi solitudinem sibi „elegit. Item Beatus Alexius Euphemiani clarissimi filius, „similiter ex nuptiis divinâ gratiâ vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. Horum exemplo „patet, quod sponsi, sponsarum suarum non exquisito „consensu, continentiam valent profiteri.

XI. His aliisque moti Patres Tridentini, dixerunt *sess.* 24. *Can.* 6. *De Reformat. Matrimonii*: " Si quis dixerit, Matrimonium ratum non consummatum, per solemnem „Religionis professionem alterius conjugum non dirimi, „anathema sit.

XII. Hanc efficaciam dirimendi Matrimonium ritè contractum Synodus non tribuit voto solemni; *sed solenni professioni Religionis*: nec enim omne votum solenne h[illegible] habet, quemadmodum quoad votum solenne Ordini sacro annexum declaraverat jam pridem Joannes XXII. in sua *Extravagante unica de Voto*. Similiter licet vota emissa à Patribus Societatis post probationem biennalem sint efficacia ad dirimendum Matrimonium contrahendum, non tamen dirimunt jam ante contractum, uti post alios notat Gonsales in Commentario ad *Cap.* 2. ꝟ. *De Convers. Conjugat. num.* 6.

XIII. Si leges Civiles attendamus, non tantum Matrimonium ratum dissolvitur per professionem religiosam, sed etiam *consummatum Novella* 23. *c.* 40. quam legem non obscurè indicat S. Gregorius *Lib.* 9. *Epist.* 39. eamque tamquam Legi Divinæ haud consonam rejicit: " Si enim dicunt (ait) Religionis causâ conjugia debere dissolvi, „sciendum est, quia etsi hoc Lex humana concessit, Lex „Divina tamen prohibuit. Per se enim Veritas dicit: *Quod „Deus conjunxit, homo non separet.* Quæ etiam ait: *Non „licet dimittere uxorem exceptâ fornicationis causâ.* „Quis ergo huic cœlesti Legislatori contradicat? scimus „quia scriptum est: *Erunt duo in carne una.* Si ergo vir & „uxor una caro sint, & Religionis causâ vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel „etiam fortassè ad illicita vota migrantem; quæ est ista migratio vel conversio, in qua una eademque caro & ex parte transit ad continentiam, & ex parte remanet in pollutione?

Idipsum repetit eodem libro *Ep.* 44. dicens: " Quia etsi „mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito posse solvi conjugium: Divina hoc tamen Lex fieri „non permittit. " Extant hæc S. Gregorii scripta apud Gratianum *Caus.* 27. *q.* 2. *Can.* 19. & 21.

Hanc S. Gregorii aliorumq; Patrum sententiam amplexa Ecclesia, docet Matrimonium ratum & consummatum per professionem religiosam non dissolvi; quin & vinculum Matrimonii inter Conjuges manere, tametsi de mutuo consensu uterq; solennem professionem Religiosam emisisset.

XIV. Ulteriùs hinc consequens est, conjugem alterum non posse altero *invito* Religionem ingredi, aut etiam continentiam vovere, ita scilicet ut alter debito conjugali ob illud votum fraudari deberet invitus. Unde scribit S. Augustinus *Epist.* 127. ult. edit. " Una sola causa esse posset, „qua te id quod vovisti, non solùm non hortaremur, verum etiam prohiberemus implere, si fortè tua conjux hoc „tecum suscipere animi, seu carnis infirmitate recusaret. „Nam & vovenda talia non sunt à conjugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: & si præproperè factum „fuerit, magis est corrigenda temeritas, quàm persolvenda promissio. Gratianus *Caus.* 33. *q.* 5. *Can.* 6.

Et in *Cap.* 5. ꝟ. *De Convers. Conjug.* rescribit Alexander III. Strigoniensi Archiepiscopo: " Nullus conjugatorum „est ad sacros Ordines promovendus, nisi ab uxore continentiam profitente fuerit absolutus.

XV. Quin & idem Pontifex Pisano Episcopo respondit in *Cap.* 3. ꝟ. *eodem*, quod qui invitè uxore intravit Monasterium ad eam redire compellatur; asseritque, votum sic emissum non tenuisse: " Unde ratione voti (ait) ad Mona„sterium non tenetur redire, ulteriùs verò non poterit „uxorem accipere: promisit enim se non exigere debitum, „quod in ejus potestate erat: & ideò quoad hoc tenuit votum, non reddere autem, non erat in ejus, sed mulieris „potestate. " Idem respondit Cælestinus III. in *Cap.* 12. ꝟ. *eod.*

XVI. De consensu conjugis, alterum conjugem posse ad religionem transire, aut continentiam vovere, indubitatum est: quod & in citata epistola expressit S. Gregorius dicens: " Si verò utrisque conveniat continentem vitam „ducere, hoc quis audeat accusare, quando certum est, „quod omnipotens Deus, qui minora concessit, majora „non prohibuit.

XVII. Verum cum sat periculosum sit, uxorem in seculo remanere, viro Religionem ingresso, Exoniensi Episcopo scribit Alexander IV. in *Cap.* 4. ꝟ. *De Conversione Conjugat.* " Cum sis præditus scientiâ litterarum ignorare „non debes Sanctorum Patrum constitutioni esse contra„rium, ut vir uxore suâ aut uxor viro ejus non assumente „religionis habitum, debeat ad religionem transire. (Quia „cùm vir & uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, non „potest unus ad Deum converti, & alter in seculo remanere) Inde est quod auctoritate Apostolicâ prohibemus, „ne in Episcopatu tuo virum vel uxorem (nisi uterque ad „religionem migraverit) transire permittas. " Ita legitur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; Raymundus autem verba ansulis inclusa omisit.

XVIII. Rursus idem Pontifex Strigoniensi & Coloniensi Archiepiscopis scribit in *Cap.* 5. ꝟ. *eod.* " Fraternitati ve„stræ auctoritate Apostolicâ prohibemus, ne uxoratum „præsumatis in Episcopum ordinare, nisi uxor priùs pro„fessa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, & re„ligiosam vestem assumat.

XIX. Ratio hujus additur in integra Decretali in prima Decretalium collectione: " Quod si in quibuslibet Ecclesia„sticis gradibus providenter solerterque curandum est, ut „in domo Dei nil sit inordinatum, nihilque præposterum: „multò magis laborandum est, ut in ejus promotione, qui „super omnes gradus continetur, non erretur. " Inde est quod Fraternitati vestræ &c.

Ne uxoris incontinentia in Episcopi contumeliam vergat, eam ab omni periculo & suspicione incontinentiæ exemptam oportet; quare & jam pridem in Synodo VI. *Can.* 48. decretum fuit, ut " uxor ejus qui ad Episcopalem digni„tatem promovetur, communi sui viri consensu priùs se„parata, postquam in Episcopum ordinatus est ac conse„cratus, *Monasterium ingrediatur* procul ab Episcopi „habitatione.

Uxor ergo illius qui in Episcopum consecratus est, juxta sacros Canones Monasterium ingredi debere verisimilius est.

XX. De

XX. De cætero, semper sollicitè providendum, ut uno conjugatorum Monasterium ingrediente aut continentiam vovente, alter cum periculo aut suspicione incontinentiæ in seculo non maneat: quod præcipuè Pontifices in suis responsis præ oculis habuêre.

Unde Priori & Fratribus S. Joannis scribit Alexander III. *Cap.* 8. ⁒ *De Convers. Conjugat.* " Uxoratus sine licentia uxoris inter vos nullatenus recipiatur, quæ *integræ opinionis* existat, ita quod *nulla* marito suspicio habeatur, eam ad secunda vota, velle migrare, vel quod minùs continenter debeat vivere: quæ si talis exstiterit, marito ejus in consortio vestro recepto, ipsa publicè in conspectu Ecclesiæ continentiam professa, in domo propria cum filiis suis & familia poterit permanere. Si autem talis fuerit, quæ suspicione non careat: voto continentiæ celebrato, à secularium hominum se conversatione removeat: & in loco religioso, ubi Deo serviat, perpetuò commoretur.

Præcipuè ergo providendum, ut incontinentiæ periculum & suspicio amoveantur; quod clariùs innuitur in citato *cap.* 4. ubi verbis suprà relatis immediatè subditur hæc cautio: " Verùm si ita uxor senex est & sterilis, quod sine suspicione possit esse in seculo, dissimulare poteris, ut eâ in seculo remanente, in castitatem promittente, ad religionem transeat vir ejusdem.

Eadem cautio occurrit in Responso Innocentii III. in *Cap.* 18. ⁒ *eod.*

XXI. Ut autem circa hæc prudenter procedatur, convenit, ut in hujusmodi conjugatorum separatione sententia sive judicium Episcopi interveniat, de quo ita legitur apud Gratianum *Caus.* 27. *q.* 2. *Can.* 23. " Si vir & uxor divertere pro sola religiosa inter se consenserint vita, *nullatenus sine Episcopi conscientia* fiat, ut ab eo singulariter proviso constituantur loco.

XXII. Olim quidem à nonnullis etiam Catholicis dubitatum fuisse, num ob adulterium alterius conjugis Matrimonii vinculum non dissolveretur, certum est; quam in rem videri possunt quæ habet Gratianus *Caus.* 32. *q.* 7. & hodie ipsi Græci tenent Matrimonium per adulterium quoad vinculum dissolvi; quod & Oratores Venetos in Synodo Tridentina exposuisse scribit Cardinalis Pallavicinus *lib.* 22. *Historia Concilii Trid. cap.* 4. qui & postulârunt aliquam Canonis concepti moderationem, ne nimium offenderentur & perpetuam ab Ecclesia Romana secessionem facerent Græci in Insulis Reipublicæ Venetorum subjectis commorantes; quod & obtinuerunt, quemadmodum ibidem fusiùs narrat Pallavicinus.

Canon Concilii Tridentini tandem reformatus ita sonat: " Si quis dixerit, Ecclesiam errare cùm docuit, & docet juxta Evangelicam & Apostolicam Doctrinam, propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi; & utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; mœcharique eum, qui dimissâ adulterâ aliam duxerit, & eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit; anathema sit.

Conformiter ad hanc Synodi œcumenicæ definitionem profitemur, matrimonium ob adulterium non dissolvi; nec posse innocentem vivente adultero ad alias nuptias transire; quamvis separationem fieri posse quoad thorum & cohabitationem fateamur, de qua capite sequenti.

CAPUT II.

De separatione Matrimonii quoad thorum & cohabitationem.

1. *Matrimonium Fidelium etiam consummatum variis de causis dissolvi potest quoad thorum.*
2. *Adulterium uxoris justa est causa separationis.*
3. *Ratio hujus separationis.*
4. *Ecclesia in hac causa non agnoscit differentiam inter virum & uxorem.*
5. *Secundùm Canones vir mulierem adulteram ante actam pœnitentiam recipere non potest.*
6. *Acta pœnitentia potest vir recipere uxorem adulteram.*
7. *Nequaquam invitus ad eam recipiendam adigi potest.*
8. *Interdum lex charitatis ad recipiendum obligat.*
9. *An maritus propria auctoritate uxorem adulteram recipere queat, si separatio judicis auctoritate facta fuerit?*
10. *Maritus adulterii conscius injuriam remisisse censetur, si eam cognoverit.*
11. *Maritus adulter non potest dimittere uxorem adulteram.*
12. *Separatio quoad thorum fit quoque ob hæresim alterius conjugis.*
13. *Aliquando dubitatum, num ob hæresim Matrimonium non dissolveretur* quoad vinculum: *at hodie certum est, non dissolvi.*
14. *Ob vitia corporis an indicenda separatio?*
15. *Ob furtum aliudve simile crimen conjugis an separatio facienda?*
16. *Ob sævitiam viri potest mulier separationem petere.*
17. *Separatio ex causa adulterii ex se perpetua, aliæ verò temporales esse solent.*
18. *Separatio quoad thorum & cohabitationem à conjuge innocente non facilè petenda.*
19. *Separatio quoad habitationem sine auctoritate judicis fieri nequit.*
20. *Causa separationis judici probari debet.*
21. *Quid si conjux qui certo novit nullitatem Matrimonii à judice cogatur ad reddendum debitum sub pœna excommunicationis?*
22. *Summa prudentia opus est in decernenda separatione.*
23. *Sententia separationis numquam transit in rem judicatam.*
24. *Facta separatione, adimenda conjugibus incontinentiæ occasio.*
25. *Ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem quæstio Divortii ad solum judicem Ecclesiasticum spectat.*
26. *Quid de alimentis conjugi decernendis?*
27. *Quis de dote & donatione propter nuptias lucranda aut petenda, item de divisione bonorum judicare debeat?*

I. QUamvis Ecclesia teneat Matrimonium Fidelium ratum & *consummatum* esse indissolubile *quoad vinculum*; neque posse quacumque ex causa, etiam *adulterii* dissolvi quoad vinculum, fatetur tamen, Matrimonium etiam consummatum, non una ex causa dissolvi posse quoad *thorum*; ipsosque Conjuges separari quoad thorum & cohabitationem, salvo interim vinculo Matrimoniali inter ipsos Conjuges ita separatos, quod Synodus Tridentina *sess.* 24. *Can.* 8. *De Reformat. Matrim.* definivit his verbis: " Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cùm ob multas causas separationem inter conjuges quoad thorum, seu quoad habitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit; anathema sit.

II. Adulterium uxoris esse causam legitimam separationis, posseque virum uxorem adulteram dimittere, nemo unquam dubitavit, ob claram sententiam Christi dicentis: *Omnis qui dimiserit uxorem suam excepta fornicationis causa facit eam mœchari.*

De

De hac dimissione loquens S. Augustinus *lib.* 2. *De Adulterinis conjugiis cap.* 5. ait: “ licitè itaque dimittitur conjux ob causam fornicationis ; sed manet *vinculum prioris*, propter quod fit reus adulterii, qui dimissam duxerit etiam ob causam fornicationis.

III. Causam dimissionis assignat S. Thomas in *IV. Sentent. Dist.* 35. *q.* 1. *art.* 1. “ Dominus dimittere uxorem concessit propter fornicationem, in pœnam illius qui fidem fregit, & in favorem illius qui servavit;ut non sit adstrictus ad reddendum debitum ei qui non servavit fidem.

IV. Porrò utriusque conjugis hic par conditio est;neque majus in uxore, quam marito crimen adulterii esse credit Ecclesia; quantumvis leges civiles plus viris, quam mulieribus indulsisse videantur; de quibus loquens S. Ambrosius *lib.* 1. *De Abraham* ait: “ Neque tibi blandiatur de legibus hominum, omne stuprum adulterium est , nec viro licet, quod mulieri non licet. ” Et S. Hieronymus Epist. ad Oceanum acrius in has Romanorum leges insurgens, apertè dicit, aliæ sunt leges Cæsarum: aliud Papinianus, aliud Paulus noster præcipit ; ac tandem concludit: *Apud nos quod non licet fœminis, æquè nec licet viris.*

V. Quin & sacris Canonibus & Patrum Decretis jam pridem proditum est, virum conjugem adulteram,nisi pœnitentiam egerit, dimittere debere; uti pluribus adductis ostendit Gratianus *Caus* 33. *quæst.* 1. in cujus quæstionis titulo seu summario dicitur: “Illa enim quæ adulterii rea convincitur,nisi post peractam pœnitentiam in conjugii consortio retineri non debet. “Et quidem in pœnitentiali S. Theodori Cantuariensis legitur: “ Si quis uxorem suam scit adulteram & non vult dimittere eam, sed in Matrimonio habere, tribus annis pœniteat,& quamdiu illa pœnitet, abstineat se ab illa. “ Vide *Canonem* 6. apud Gratianum loco citato, & notas Romanas. Ratio hujus disciplinæ insinuatur ibidem *Canone* 1. *Nam patronus turpitudinis ejus est, qui crimen celat uxoris.*

Unde S. Augustinus *lib.* 1. *Retract. cap.* 16. quasi alibi dicta retractans, ait: “ Ubi dixi hoc permissum esse, non attendi aliam scripturam dicentem: *Qui tenet adulteram stultus & impius est.*

VI. Actâ pœnitentiâ conjux conjugem adulteram potest recipere, & maritali affectu retinere, uti dicitur in *Cap.* 3. ẍ *De Adulteriis*: “ Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam & voluerit ad virum suum reverti,debet, sed non sæpe recipere peccatricem.

VII. Hic tamen rectè notat Glossographus: “ *Debet*, debito honestatis, non necessitatis, quia etiam post pœnitentiam posset eam accusare de adulterio.

Admisso enim ab uno Conjugum adulterio, facta est innocenti potestas in perpetuum ab ea quoad thorum divertendi; atque in perpetuum liber manet à debito conjugali reddendo; potestque sine ejus consensu vitam Religiosam amplecti, vel ad sacros Ordines ascendere, uti deciditur in *Cap* 15. & 16. ẍ *De Convers. Conjugat.*

VIII. Quin tamen lex charitatis nonnunquam exigat,ut vir conjugem adulteram pœnitentem ac resipiscentem recipiat & sibi reconciliet, dubium non est; multisque probat S. Augustinus *lib.* 2. *De Adulterinis Conjugiis cap.* 6. & adductis verbis Christi ad mulierem in adulterio deprehensam; *Nec ego te damnabo, vade , deinceps noli peccare,* subjungit: “Quis non intelligat, debere ignoscere maritum, quod videt ignovisse Dominum amborum , nec se jam adulteram dicere, cujus pœnitentis crimen Divina credit miseratione deletum. Idem prosequitur *cap.* 9. Apud Gratianum loco citato *Can.* 7. & 8.

IX. Hujusmodi autem reconciliatio cum adultera conjuge proprio judicio & auctoritate fieri potest, quamvis divortii sententia à judice lata sit; eò quod ad renuntiandum juri suo liberam quilibet habeat facultatem. *Cap. fin.* ẍ *De Crimine falsi.* Si tamen adulterium notorium fuerit , cavendum, ne, si pœnitentia & resipiscentia etiam notoria non fuerint, scandalum detur; videaturque vir adulterium fovere, eique aliquo modo consentire:

X. Maritus uxori injuriam remisisse videtur, si post adulterium commissum, & à se cognitum eam cognoverit, uti post S. Thomam & Theologos ac Canonistas probat Sanch. *lib.* 10. *De Matrim. Disputat.* 14.

XI. Similiter maritus adulter nequit ob adulterium uxoris eam dimittere; quod jam pridem docuit S. Augustinus *lib.* 1. *De Sermone Domini in Monte cap.* 28. è quo sumptus est *Canon.* 1. *caus.* 32. *q.* 6. “ Nihil iniquius (ait) quàm fornicationis causâ dimittere uxorem, & si ipse convincitur fornicari. Occurrit etiam illud: *In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas ; eadem enim agis quæ judicas.* Quapropter quisquis fornicationis causâ vult abjicere uxorem, prior debet esse à fornicatione purgatus. Quod similiter & de fœmina dixerim.

Hunc sequutus est Alexander III. in *Cap.* 4. ẍ *De Divortiis*, & Innocentius III. in *Cap. fin.* ẍ *De Adulteriis*, dicens: “ Cum paria crimina compensatione mutua deleantur, vir hujusmodi fornicationis obtentu suæ uxoris nequit consortium declinare.

XII. Separatio sive divortium quoad thorum & cohabitationem fieri posse non tantùm ob corporalem fornicationem, sed ob spiritualem ; si scilicet alter conjugum in hæresim aut Paganismum labatur, dicitur in *Cap.* 6. ẍ *De Divortiis*, & *Cap. fin.* ẍ *De Convers. Conjugat.* atque communiter docent Canonistæ.

XIII. Imò etiam *quo ad vinculum* Matrimonium dissolvi ob hæresim alterius conjugis olim nonnullos asseruisse constat; & ita aliquem suorum Prædecessorum sensisse videri asserit Innocentius III. in *Cap.* 7. ẍ *De Divortiis* dogma tamen catholicum scilicet ob hæresim Matrimonium quo ad vinculum non dissolvi, astruit Innocentius; & contra nostri temporis Hæreticos declaravit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Can.* 5. *De Reformat. Matrim.* “ Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam à conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum; anathema sit.

XIV. Ob alia seu corporis seu animi vitia non facilè admittenda conjugum separatio. “ Si uxorem quis habeat (ait S. Augustinus) sterilem vel difformem corpore, sive debilem membris, vel cœcam, vel surdam, vel claudam, vel si quid aliud, sive morbis, & doloribus languoribusque confectam, & quidquid (exceptâ fornicatione, cogitari potest vehementer horribile, pro fide & societate sustineat.

Apud Gratianum *Caus.* 32. *quæst.* 5. *Can.* 18. Et *Cap.* 2. ẍ *De Conjug. Leprosorum*, dicitur, nec ob supervenientem lepram liberum esse dimittere conjugem.

XV. Et interrogatus Alexander III. “ Utrum mulier pro latrocinio aut quolibet alio crimine à viro suo debeat separari, & alii nubere;& de viro simili modo,utrum pro quolibet flagitio possit à conjuge dividi, & aliam sibi legitimè Matrimonio copulare. “ Respondit, Quod mulier pro furto vel alio crimine ab eo separari non debeat.

Addit tamen hanc exceptionem: “ Verùm si conjugem suam ob maleficium traxerit, mulier à viro recedere poterit & separari; ita quod alii nubere non licebit ; quia licet separentur, tamen semper conjuges erunt. In viris quoque præsentis sententiæ forma servetur, ” Hæc in *Cap.* 2. ẍ *De Divortiis*, præsertim si integra Decretalis prout habetur in prima collectione Decretalium legatur.

XVI. Similiter ob sævitiam conjugis alterius divortium sive separationem alter conjux petere potest, ut constat ex *Cap.* 13. ẍ *De Restitutione Spoliatorum* , ubi dicitur: “ Si verò tanta sit viri sævitia , ut mulieri trepidanti non possit sufficiens securitas provideri, non solum non debet restitui ; sed ab eo potius removeri. ” Idem dicitur in *Cap.* 8. ẍ *eod.* additurque: “ Si autem capitali odio ita mulierem vir persequitur, quod meritò de ipso diffidat, ali-

„alicui probæ & honestæ mulieri usque ad causæ decisio„nem custodienda studiosiùs committatur, in loco ubi vir, „vel parentes ejus mulieri nullam possint violentiam infer„re." In antiqua Collectione Decret.

XVII. Inter has separationes, & eam quæ ratione fornicationis contingit, ea est differentia; quod hæc sola tanquam immediatè perfluens ex violatione fidei conjugalis soleat esse perpetua; aliæ vero dumtaxat ad tempus, quousque malum vel incommodum, quod ex mutua cohabitatione, aut consortio maritali timetur, cesset.

Hinc in citato *Capitulo* 13. verbis supra relatis immediatè subjungit hanc cautionem: "Alioquin sufficienti (si „fieri potest) securitate provisâ, profectò videtur conjux „ante causæ cognitionem restituenda marito:" quia securitate hâc præstitâ, cessat causa separationis.

XVIII. Porrò cùm ex separatione Matrimonii sive quo ad thorum, sive cohabitationem sæpe oriri soleant maxima incommoda, tam quo ad ipsos conjuges quàm liberos, totamque familiam, frequenter si non stricta justitia, charitas ipsa exigit, ut conjux innocens, & justam alioquin causam separationis habens, dissimulet, atque à separatione petenda abstineat.

XIX. Ad hæc, ne conjuges sæpius ob causas frivolas, & cum publico scandalo fœdus matrimoniale solvant, nequaquàm propriâ auctoritate unus conjugum ab altero divertere, præcipuè quo ad habitationem, potest; sed à judice similis separatio probanda & decernenda est. *Cap.* 3. ꝟ *De Divortiis*; & in *Can.* 1. *caus.* 33. *quæst.* 2. damnantur qui uxores suas dimittunt, antequam apud Episcopos comprovinciales dissidii causas dixerint, & priusquam in judicio damnentur.

XX. Judici proinde causa separationis seu divortii legitimè probanda est; neque sufficit, eam alteri conjugi esse certam, nisi ipsi judici talis probetur. Hinc contingit, ut maritus ad recipiendam conjugem à judice justè subinde cogi possit etiam sub pœna excommunicationis; eique obedire quo ad forum externum teneatur, quamvis adulteram esse certò sciat.

XXI. Quin fieri potest ut conjux ad reddendum debitum conjugi à judice adigatur, quamvis illud præstare in conscientia non possit; imò & sententiam excommunicationis patienter sustinere debeat. Fieri quippe potest, ut alteri conjugi certò constet, Matrimonium publicè in facie Ecclesiæ contractum, esse nullum ob impedimentum dirimens; sed occultum, quodque judici probari nequit: qui casus deciditur in *Cap.* 44. ꝟ *De Sententia Excommunicat.*

XXII. Magnâ prudentiâ & moderatione in decernenda separatione conjugum, præsertim si ex Matrimonio etiam proles suscitatæ sint, judex procedere debet; solerterque & causas separationis, & incommoda, tum conjugibus, tum prolibus, totique familiæ ex simili separatione timenda, attendere, & æquâ lance inter se librare. Vide Zypæum *Consult.* 3. *De Sententia & Re judicata.*

XXIII. Hic & ostendit, sententiam divortii etiam quoad thorum & cohabitationem numquam transire in rem judicatum; debereque judicem ex officio sæpius monere conjuges, ut sibi concilientur; neque unquam hic officium judicis cessare, ut nocentem ad meliorem frugem, & reconciliationem cum conjuge sua inducat.

XXIV. Providere quoque debet judex, ut quantum possibile est, factâ separatione, ipsis incontinentiæ periculum adimatur; neque publico cum scandalo vivant; quemadmodum deciditur in *Can.* 5. *caus.* 32. *quæst.* 2. & in *Cap.* 19. ꝟ *De Convers. Conjugat.* ubi eam regulam tradit Gregorius IX. his verbis. "Mulieres verò quæ relicto „maritali thoro, lapsu carnis ceciderint, si mariti earum à „te diligenter commoniti, eas ad frugem melioris vitæ con„versas noluerint recipere propter Deum, in claustris cum „religiosis mulieribus studeas collocare, ut perpetuam pœ„nitentiam ibi agant.

XXV. De divortio inter conjuges celebrando ex Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *art.* 2. §. 2. "Solius judicis Ecclesiastici est cognitio: etiam si quæ„stio fœderis matrimonialis inciderit coram judice secu„lari: quo casu judex secularis supersedere tenebitur, & „hunc articulum (tanquam spiritualem) ad judicem Ec„clesiasticum, per eum intra anni spatium terminandum, „remittere.

XXVI. Juxta idem concordatum §. 3. "De alimentis „fortè, quæ per virum, aut mulierem peti contigerit; pen„dente divortii causâ, vel de tractamento alterius eorum„dem, cognoscere poterit judex Ecclesiasticus, si hæc co„ram eo incidant, vel incidenter petantur. Per hoc tamen „non impedietur alter conjugum quid horum coram ju„dice seculari petere; etiam judicio divortii coram Eccle„siastico judice pendente.

XXVII. De dote autem vel donatione propter nuptias lucranda vel perdenda, judex Ecclesiasticus non cognoscit, nisi incidenter dumtaxat; ubi scilicet ob adulterium concluditur ad divortium, & consecutivè ad lucrandam dotem. "Tametsi quæstio possessorii, pendens in Concil. Brab. „non suspendatur per quæstionem motam coram Eccle„siastico super viribus vel non viribus contractuum ante„nuptialium.

De divisione bonorum judex Ecclesiasticus qui cognovit de divortio, cognoscere non poterit, nisi ex prorogatione expressa partium, non procuratorum.

Quid circa hæc obtineat in Gallia latè deducit Carolus Fevretius tractatu de Abusu *lib.* 5. *cap.* 4. *numero.* 16. & 17.

CAPUT III.

De Secundis Nuptiis.

1. *Apostolus probat secundas Nuptias.*
2. *Patres pro Hæreticis habuerunt, qui secundas nuptias reprobabant.*
3. *Quæ nuptiæ veniant nomine secundarum?*
4. *Secundæ nuptiæ demum licitæ sunt priori Matrimonio per mortem alterius soluto.*
5. *Mulier ob diuturnam mariti absentiam ad secundas nuptias transire non potest.*
6. *Nec sufficit si nesciat eum vivere.*
7. *Quomodo mulier de morte certa esse possit?*
8. *Legibus Romanorum vetitum erat mulieri intra annum luctus ad alias nuptias transire.*
9. *Rationes quibus leges hæ innitebantur.*
10. *Ecclesia credit mox à morte mariti mulieri licitum esse transire ad alias nuptias.*
11. *Juxta sacros Canones mulier intra annum luctus nubens* infamia *non notatur.*
12. *Cessant quoque aliæ pœnæ legales decretæ in mulieres intra annum luctus nubentes.*
13. *Quid si intra annum luctus non nubat, sed ex stupro pariat?*
14. *Qualiter pœnæ secundarum nuptiarum abrogatæ.*
15. *Quo sensu iterantes nuptias à Patribus reprehensi?*
16. *Quare olim Bigamis pœnitentia imposita?*
17. *Presbyter olim prohibitus secundis nuptiis interesse: & quare?*
18. *Hodie Presbyter secundis nuptiis, præsertim si sint tales ex parte mulieris, benedictionem non impertit.*
18. *Commendanda Viduitas, non tamen improbanda iterata nuptia.*

I. Apostolo

I. APostolus 1. *ad Corinth.* 7. de Viduis ait: *Dico autem non nuptis & viduis, bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego. Quod si non se continent, nubant.* Et in prima ad Timotheum *cap.* 5. De Viduis junioribus dicit: *Volo ergo juniores nubere, filios procreare, matres familias esse, nullam occasionem dare adversario maledicti gratia.*

Denique generaliter in citato *cap.* 7. Epistolæ ad Corinthios: *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat: tantum in Domino.*

II. Ex his Apostoli clarissimis verbis uno consensu tradidere Patres, conjuges, vinculo Matrimonii per mortem soluto, posse liberè ad alias nuptias transire; utaque Hæreticis annumeraverunt, qui secundas nuptias tamquam malas & vetitas reprobabant.

Unde Patres Synodi Nicænæ *Can.* 8. statuerunt, ut Hæretici qui se *Catharos* sive *Puros* appellabant, ad Ecclesiam redeuntes, ante omnia in scriptis profiteri deberent, quòd adhærebunt & sequentur Catholicæ Ecclesiæ Decreta, id est, *& cum Bigamis se communicare.*

Bigami autem sunt, qui secundas nuptias inierunt; cum iis ergo communicare, erat secundas nuptias ipso facto probare.

III. Nomine secundarum nuptiarum intelliguntur non tantum illæ, quæ primas immediatè sequuntur, sed & tertiæ, quartæ, & aliæ quæ sequuntur: neque ullas reprobat Ecclesia: Apostolus enim dicens: "Quòd si dormierit vir „ ejus, non dicit, primus vel secundus, vel quotus, nec nobis „ definiendum est, quod non definit Apostolus. Unde nec „ ullas debeo damnare nuptias, nec eis verecundiam numerositatis inferre, " ait S. Augustinus libro de Bono viduitatis *cap.* 11. apud Gratianum *Caus.* 31. *q.* 1. *Can.* 13. Idem astruitur ibidem *Canone* 11.

IV. Has secundas nuptias demum ut licitas agnoscit Ecclesia, si mulier sit soluta à lege viri, vel econtra: id est, si *dormiverit* vir ejus; scilicet dormitione mortis: neque aliter quàm per mortem corporalem vinculum Matrimonii rati dissolvi posse credit Ecclesia.

V. Unde quantumvis leges Civiles ob captivitatem aut diuturnam absentiam mariti permiserint aliquando mulieri transire ad secundas nuptias, Ecclesia tamen ob nullam quantumvis diuturnam conjugis absentiam conjugi transitum ad secundas nuptias permittit; sed eam expectare jubet, quousque de morte conjugis certiorata fuerit.

Sanctus Basilius in Epistola Canonica ad Amphilochium *Can.* 31. ait: "Quæ cum vir secessit, & non apparet, antequam de ejus morte *certior* facta sit, cum alio cohabitavit, mœchatur. " Et *Can.* 36. " Militum uxores, quæ „ cùm mariti ipsarum non appareant, nupserunt, eidem ra„ tioni subjiciuntur, cui eæ quæ propter maritorum pere„ grinationem ac absentiam reditu non expectato nupse„ rint. Sed res nonnullam hic veniam admittit, quòd ma„ jor sit mortis suspicio.

Plures eamdem in rem Canones reperiuntur apud Gratianum. *caus.* 34. *q.* 2.

VI. Hinc interrogatus Clemens III. "de mulieribus quæ „ viros suos captivitatis vel peregrinationis causâ absentes „ ultra septennium fuerint præstolatæ; nec certificari pos„ sunt de vita aut morte ipsorum, licet super hoc sollicitu„ dinem adhibuerint diligentem; & pro juvenili ætate seu „ fragilitate carnis humanæ nequeunt continere, petentes „ aliis copulari, "quòd respondit, quantocumque annorum „ spatio ita remaneant viventibus viris suis, non possunt ad „ aliorum consortium Canonicè convolare; nec (ait) au„ ctoritate Ecclesiæ permittas contrahere, donec *certum* „ nuntium recipiant de morte virorum. " *Cap.* 19. ⁝⁝ *De Sponsalibus.*

Et universis Christianis in captivitate Saracenorum positis scribit Lucius III. in *Cap.* 2. ⁝⁝ *De Secundis nuptiis,* „ ut nullus ex vobis amodò ad secundas nuptias migrare „ præsumat, donec ei *firma certitudine* constet, quòd ab „ hac vita migraverit conjux ejus.

His insistens Synodus Diœcesana Mechliniensis anno 1609. *tit.* 9. *c.* 10. decernit: "Cùm ex longa conjugis ab„ sentia non resultet certitudo de ejus obitu, & mors non „ præsumatur, sed probanda sit, (quilibet enim vivere præ„ sumitur) ad secundas nuptias convolare desiderans Matri„ monio non jungatur, nisi habita priùs legitima certitudi„ ne de morte prioris conjugis, etiamsi non septem tantùm multis perituale... est, sed etiam viginti, triginta & plures annos continuos eum abfuisse constiterit.

VII. Certitudinem ergo de morte conjugis requirunt Canones priusquam ad secundas nuptias transire conjux possit, aut judex transitum permittere queat; ad certum probationis genus non exprimunt; sed judicio & examini judicis permittitur, ut hic ex allatis testimoniis aliisque concurrentibus circumstantiis judicet, num certitudo sufficiens habeatur de morte conjugis, ut secundæ nuptiæ permitti queant; uti resolvit Zypæus *Consult.* 1. *De Secundis Nuptiis.*

VIII. Matrimonio per mortem naturalem mariti soluto, adhuc integrum non erat juxta leges Civiles uxori superstiti mox ad secundas nuptias transire; sed jubebatur per annum defunctum maritum lugere, & à nuptiis abstinere; alias tam ipsa, quàm maritus qui eam ducebat, nec non pater qui eam nuptui collocabat, & pater mariti, cum posset filium prohibere, infamia notabantur: *L.* 1. *&* 11. § 1. *ff. De His qui notantur infamia.* Item *L.* 1. *&* 2. *Cod. De Secundis Nuptiis.* In quarum prima plures pœnæ in mulierem intra annum luctus nubentem decernuntur; & in secunda annus qui juxta anteriores leges concludebatur intra decem mensium spatium qui erat annus lunaris, extenditur ad annum solarem duodecim mensium.

IX. Plures sanæ nec contemnendæ fuère harum legum rationes. Prima quidem eaque præcipua, ut evitaretur sanguinis turbatio, & ne frequenter incertum fieret, quis natæ prolis pater esset, an primus, an secundus maritus; quæ ratio occurrit in citata *lege* 11. §. 1.

Adhæc vetitum fuit mulieri mox à morte mariti alteri nubere, ne alias suspicionem ingereret perpetrati, viro adhuc vivente, adulterii, vel saltem de secundis nuptiis cogitâsse cum eo, cui nubere adeò festinat.

Accedit reverentia illa, quam uxor debet memoriæ sui mariti: Nam ut Pompeius ad uxorem Corneliam ait apud Lucanum, *Ultima debet esse fides lugere virum*: præsertim quia commune est conjugium morientium votum, ne conjux superstes ad secundas nuptias transeat.

X. His tamen rationibus non obstantibus, Ecclesia credidit, conjugi superstiti mox à morte mariti liberum esse ad secundas nuptias transire, eò quod Apostolus simpliciter pronuntiet, mulierem, ut dormierit vir ejus, esse liberatam à lege qua viro tenebatur, ut cui velit, nubat.

XI. Hinc ulterius credidit, mulierem secundùm indulgentiam sibi ab Apostolo datam ad secundas nuptias inter annum à morte viri transeuntem infamiæ notam non mereri, atque in terminis responderunt Urbanus III. & Innocentius III. in *Cap.* 4. *&* 5. ⁝⁝ *De secundis Nuptiis.* "Cùm „ Apostolus dicat (ait Urbanus) *Mulier viro suo mortuo soluta à lege viri sui, in Domino nubat, cui voluerit*: per„ licentiam & auctoritatem Apostoli ejus *infamia* aboletur. " Et Innocentius eadem Apostoli auctoritate adducta ait: „ Non debet *legalis infamia* sustinere jacturam, quæ licet „ post viri obitum intra tempus luctus (scilicet unius anni „ spatium) nubat, concessa sibi ab Apostolo utitur potesta„ te, cum in his præsertim seculares leges non dedignentur „ sacros Canones imitari.

XII. Nec tantùm pœna infamiæ; sed eadem ratione omnes aliæ pœnæ contra viduas intra annum luctus nubentes Legibus Civilibus decretæ hodie omnino sunt sublatæ; & ita judicatum refert Antonius Faber ad Codicem *Lib.* 5. *t.* 5. *De-*

5. *Definit.* 1. & ibidē *nota* 5. infertur: "Itaq; non est deterior „ conditio viduæ intra annum, quam post annum nubentis.

XIII. Idipsum notavit Gudelinus *Lib.* 1. *De Jure novissimo cap.* 12. ubi etiam ex Julio Claro monet, quod si mulier non quidem intra annum luctus nubat, sed luxuriose vivat, & ex stupro pariat, eam hanc infamiam & alias pœnas à Legibus decretas non evadere.

XIV. Insuper si quæ pœnæ in odium secundarum nuptiarum per Leges decretæ fuerunt, hodie sublatæ sunt: at ea quæ non tam in pœnam iterantium nuptias, quàm in favorem liberorum primi Matrimonii, aliave consideratione statuta sunt, etiamnum hodie in usu sunt; uti observat Gudelinus *loco citato*, & Zypæus in notitia Juris Belgici titulo *De secundis nuptiis* "non enim (ait) mens D. Pauli fuit ali„ quid corrumpere ex publicis legibus, jura parentum & li„ berorum juste moderantibus.

XV. Porrò quamvis Ecclesia secundas & ulteriores nuptias numquam improbaverit, semper tamen agnovit, iteratas nuptias aliquam incontinentiæ suspicionem ingerere, ipsosque iterantes de ea nonnihil reddi suspectos. Hæc verò præsumptio fortior esse solet in iis qui tertiò, quàm in iis qui secundò; ac rursus servata proportione vehementior in iis qui quartò, quam qui tertiò nuptias iterant. Hinc pridem Patres mitiùs cum Bigamis, quàm cum Trigamis egerunt; hancque intemperantiæ speciem increpantes asperioribus verbis usi fuerunt; trigamiam ipsam subinde *honestam fornicationem* vocantes; non secundas, tertias, quartas aut ulteriores absolutè improbantes; sed incontinentiam toties nuptias iterantium redarguentes.

XVI. Eodem sensu accipiendi sunt Canones pœnitentiā Bigamis sive nuptias iterantibus imponentes; atque inter alios Synodi Neocesariensis *Can.* 3. qui ex versione Isidori refertur apud Gratianum *Caus.* 31. *q.* 1. *Can.* 8. his verbis: "De „ his, qui frequenter uxores ducunt, & de his, quæ sæpius nu„ bunt, tempus quidem pœnitentiæ his manifestum consti„ tutum est, sed conversatio & fides eorū tempus abbreviat.

Hoc Canone pœnitentiam veris Bigamis imponi etiam Baronius agnoscit ad *annum* 314. *num.* 91. "Non quod „ secundum Matrimonium contrahendo peccent (inquit) „ sed quod suam ipsius incontinentiam manifestent, & bi„ gamiam, quæ in humanæ imbecellitatis remedium insti„ tuta est, licentiùs usurpent.

XVII. Prædicto Canoni Gratianus conjungit Canonem 7. ejusdem Synodi, quem his verbis expressit: "Presbyte„ rum verò convivio *secundarum* nuptiarum interesse non „ debere: Maximè cum præcipiatur secundis nuptiis *pœnitentiam* tribuere: quis erit Presbyter, qui propter convi„ vium illis consentiat nuptiis?

Hoc est ait Zonaras ad hunc Canonem: "Qui fieri po„ test, ut pœnam à Digamo exigere non pudor sit ei, qui Di„ gami factum à se non improbari, cum nuptiis secundis ip„ se interfuerit, satis ostendit.

XVIII. Quamvis hodie nulla pœnitentia iterantibus nuptias imponatur; atque nuptiæ secundæ etiam à Presbytero assistente probentur, nihilominus ostendit Ecclesia, non æquè secundas ac primas nuptias sibi probari; dum has & non illas à Sacerdote specialiter benedici jubet. *Cap.* 3. *ii De secundis nuptiis*, & in *Cap.* 1. *ii eodem* vult Alexander III. Capellanum qui benedictionem secundis nuptiis impendit, ab officio Beneficioque suspensum, cum litterarum Episcopalium testimonio ad Sedem Apostolicam destinari.

Licet hæc pœna ac remissio ad Sedem Apostolicam hodie non sit in usu, passim tamen moderna Ritualia præscribunt, secundas nuptias non esse benedicendas; præsertim si sint secundæ ex parte uxoris; hæcq; semel benedicta fuerit.

XIX. Viduitatem secundis nuptiis præferendam esse, nec has tamen improbandas latè probat Augustinus libro de *Bono Viduitatis* seu epistola ad Julianam Viduam, atque inter alia ibidem *cap.* 4. scribit: "Quapropter hoc primum „ oportet ut noveris, bono quod elegisti non damnari se„ cundas nuptias, sed inferiùs honorari. Nam sicut bonum „ sanctæ Virginitatis, quod elegit filia tua, non damnat unas „ nuptias tuas; sic nec viduitas tua cujusdam secundas.... „ Nec ita extollas tuum, ut quod malum non est tamquam „ malum crimineris alienum: sed tanto magis gaude de bo„ no tuo, quanto magis vides, non tantum illo devitari mala, „ sed quædam bona etiam superari.

TITULUS XVI.

De Ædificandis, Consecrandis & reparandis Ecclesiis.

CAPUT I.

De Scopo Templorum & eorum Ornatu.

1. *Loca cultui Divino destinata jam pridem dicta fuere Ecclesia.*
2. *Christiani primitus loca hæc nolebāt vocare* Templa.
3. *Primis Ecclesia sæculis hujusmodi loca habuere Christiani.*
4. *Prima ratio exstruendi hujusmodi loca.*
5. *Secunda ratio.*
6. *Tertia ratio.*
7. *Sancti Patres credebant convenientius orationis causa convenire ad Ecclesiam, quam domi orare.*
8. *Ut scopus Ecclesiarum obtineatur, omnia disponenda ut ad pietatem excitent.*
9. *Actiones profanæ ab Ecclesiis arcendæ.*
10. *Quid de arcendis profanis actionibus decreverint Synodi Belgicæ?*
11. *Neque in Cœmeteriis permittendæ.*
12. *Nec mercatus rerum ad usum Ecclesiæ spectantium in Templis permittendus.*
13. *Non sunt permittendi pauperes eleemosynarum causa discurrere per Ecclesias.*
14. *Interior Templorum ornatus debet esse compositus ad excitandam populi devotionem.*
15. *Hinc receptus usus SS. Imaginum; & quomodo eum probaverit Synodus Tridentina.*
16. *Populus docendus, cultum imaginibus non deberi ob earum materiam aut elegantiam.*
17. *Ne populus in hunc errorem & abusum incidat, aliquando certæ imagines tollendæ.*
18. *In hac amotione cum magna cautione & prudentia procedendum.*
19. *Imagines in Templis proponuntur ceu quidam idiotarum libri:*
20. *Quare historia Redemptionis, & Sanctorum in picturis proponantur.*
21. *Sollicitè cavendum, ne falsi dogmatis imagines in Ecclesiis exponantur.*
22. *Non semper tollendæ imagines aliquid falsi exprimentes.*
23. *An conveniat proponi imagines Sanctissimæ Trinitatis?*
24. *Superstitio in imaginibus vitanda.*

25. *Omnis lascivia & inhonestas in picturis & imaginibus sedulò cavenda.*
26. *Imagines Ethnicorum fabulas exprimentes è Templis tollendæ.*
27. *Nec in domibus aut hortis imagines lascivæ tolerandæ.*
28. *Imagines Divorum ita pingendæ ut homines ad pietatem excitent.*
29. *Abusus est statuis D.Virginis aliorumque SS. profanum & levem ornatum adjicere.*
30. *Imaginibus & statuis Salvatoris historias Scripturæ exprimentibus subinde aliquid minus honestum immiscetur.*
31. *Nemo insolitam imaginem publicè colendam exponere potest sine approbatione Episcopi.*
32. *Quæ attendere debeant Episcopi priusquam imagines probent.*
33. *Omnia in Templis ordinatè agenda sunt; hæc ut fieret, olim invigilabant Diaconi.*
34. *Hunc in finem olim Clericorum & Laicorum loca erant distincta.*
35. *Locus Clericorum hodie dicitur* Chorus.
36. *Solebat velo à reliqua parte Templi separari: & ejus hodie superstes vestigium.*
37. *Quomodo Laicis chorus patere debeat juxta SS. Canones.*
38. *Patronis hodie in choro locus competere solet.*
39. *Similiter & Magistratibus.*
40. *Mulieres ad chorum non admittendæ.*
41. *Convenit ut mulieres à viris in Ecclesia separatæ sint.*

I. ECclesia vox Græca propriè significans *concionem* sive *Fidelium Congregationem*, à temporibus Apostolorum frequenter etiam sumpta fuit pro Æde sacra, publico pietatis exercitio, & cultui Divino destinata, uti patet ex Apostolo 1. *ad Corinthios cap.* 11. ubi ait: *Convenientibus vobis in* ECCLESIAM *audio scissuras esse inter vos.* Et paucis interjectis; *Numquid domos non habetis ad manducandum aut bibendum, aut* ECCLESIAM *Dei contemnitis*; Hic Apostolum loqui de loco ad quem Fideles conveniunt evidens est; & ita locum post S.Basilium *in Regulis brevioribus interrogat.* 310. exponit S.Augustinus *quæst.* 57. in Leviticum dicens: " Ecclesia dicitur locus, quo Ecclesia congregatur. Nam Ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, ut exhiberet sibi gloriosam Ecclesiam. Hoc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait: Numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, an Ecclesiam Dei contemnitis? Et hoc quotidianus loquendi usus obtinuit, ut in Ecclesiam confugere non dicatur, nisi qui ad locum ipsum parietesque prodierit, quibus Ecclesiæ congregatio continetur.

II. Quin & Christiani multo tempore loca ad quæ orationis & cultus divini peragendi causa conveniebant, *Ecclesias* potius, quam *templa* dixere; imò à *templi* vocabulo sollicitè abstinuere; ut non solùm à ritibus Ethnicorum, verùm etiam à vocabulis se abhorrere indicarent. Usus enim eo tempore obtinebat, ut *templi* nomine intelligeretur locus ad sacrificia & cultum falsis gentium Diis exhibenda destinatus; atque hoc sensu Octavius apud Minutium Felicem, Optatus Milevitanus, & Hieronymus negant, Christianos habere templa; uti monet Bellarminus *lib.3. De Cultu Sanctorum cap.* 4.

III. Porrò loca jam pridem specialiter fuisse destinata, ad quæ Fideles convenirent orationis, Sacrificii incruenti offerendi, aliaque Religionis & pietatis opera peragendi causa, non tantum ipse Apostoli locus suprà relatus; sed omnes pristini Scriptores manifestè evincunt; & pluribus probat Bellarminus loco citato; ibique notat, quatuor præcipuè de causis Ecclesias à Christianis fuisse exstructas.

IV. Licet enim scirent, divinitatem loco non concludi, jamque horam venisse de qua ad mulierem Samaritanam dixerat Salvator, quando *veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate, nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum, in spiritu & veritate oportet adorare. Joannis* 4. Nec non Apostolus: *Volo viros orare in omni loco levantes manus puras, ad Timoth.* 2. sciebant tamen summam esse utilitatem imò & necessitatem, ut loca quædam essent specialiter deputata, ad quæ divina audituri unà & oraturi Fideles convenirent; eo quod hujusmodi loca ad cultum Divinum, orationemque specialiter dedicata, etiam speciali titulo præsentes ad pietatem excitent: præsertim dum omnia quæ in locis illis aguntur, nec non totus eorum ornatus composita sunt ad imprimendam majorem de Dei majestate ideam, & erga res sacras & Religionis nostræ mysteria reverentiam provocandam; omniaque decentius in locis sic ad usum sacrorum dedicatis & adornatis nata sunt peragi, quam si quibusvis locis usibus profanis indifferenter subservientibus agerentur.

V. Deinde omninò conveniens est, populum orationis & instructionis causa in unum convenire: eo quod piorum hominum frequenti consensu excitetur animus, & objecto aliorum exemplo ad Dei cultum magis erigantur. Ut enim propius admoti titiones facibus ardent, iidem sepositi languescunt: sic in Christianorum ampliori conventu studium pietatis accenditur; in solitudine verò aliorum Fidelium exemplo destitutum sæpe remittitur.

VI. Denique Patribus indubitatum fuit, quod in locis Deo ejusque cultui peculiariter consecratis; quæ propterea jam pridem *Domus Dei*, vel etiam *Dominica* aut *Oratoria* sive *domus orationis* dicta sunt, Deus speciali modo preces & vota Fidelium benignus suscipiat & exaudiat; quemadmodum Salomoni in dedicatione templi Hierosolymitani promissum legitur.

VII. Unde S.Chrysostomus *Homilia* 30. contra Anomæos Ecclesias contemnentes, dicentesque *orare domi possumus*; ita respondet: "Te homo decipis, & magno in errore versaris; nam etsi domi quoque detur orandi facultas, tamen fieri non potest, ut domi tam bene ores, quàm in Ecclesia. "Et alibi: "Et domi quidem orari potest: sic autem ut in Ecclesia, non potest. " *Homil.6. ad Populum Antioch.*

Sanctus Basilius libro de Baptismo *cap.*8. de necessitate peragendi divina Mysteria in locis sacris & divino cultui speciali titulo consecratis hæc habet: "Nobis periculum est malè obiti mandati; si loci rationem neglexerimus, maximè si Sacerdotii mysteria in locis profanis celebraverimus: propterea, quod ea res indicium haberet contemptus in celebrante offendiculum quoque generaret.

VIII. Ut scopum seu finem Ecclesiarum, sive locorum ad divinum cultum dedicatorum populus assequeretur, admodum solliciti fuere Patres, ut omnia quæ populum ab oratione pietateque aut reverentia avocare possent, à locis illis arcerentur; omniaque ita disponerentur; ut nihil in iis occurreret, quod non pietati ac reverentiæ erga res sacras fovendæ conduceret, eamque in populo excitaret.

IX. Hinc imprimis ut Ecclesia verè dicatur *Oratorium*, sive domus *Orationis*, & domus Dei, omnem ab ea abesse profanam actionem, tametsi aliàs de se non illicitam, voluerunt.

Synodus VI. vulgo Trullana *Can.*76. "Quod non oportet intra sanctos ambitus cauponariam officinam, vel ciborum species proponere, vel alias venditiones facere, suam venerationem Ecclesiis servantes. Salvator enim noster & Deus, per suam in carne vivendi rationem nos insti-

Digitized by Google

„instituens, non facere domum patris sui domum negotiationis jussit, qui etiam nummulariorum mensas effudit, & „eos qui sacrum commune faciunt, ejecit.

Huic Canoni conformis est Canon 15. Synodi Exoniensis anno 1287. his verbis expressus: "Pius & misericors Dominus, qui dum pro peccatis nostris irascitur, misericordiæ recordatur, templa dominica construi & divinis precibus consecrari voluit & præcipit: in quibus plebs Fidelis „ab omnibus forinsecis & secularibus operibus abstinens, „per oblationes & pacificas hostias, devotæ præcipuè orationis iram judicis mitigaret, ipsius clementiam humiliter „postulando. Quod idem omnium Dominus tam verbis, „quam operibus, specialiter volens designare, flagello facto „de funiculis ementes & vendentes ejecit de templo: asseverans domum suam domum fore orationis, & per tale „commercium factam fuisse speluncam latronum. Ne igitur ubi delictorum est venia impetranda, delicta delictis gravius accumulentur: districtè prohibendo statuimus, ne in quibusdam Ecclesiis nostræ diœcesis, atriis earum vel cœmiteriis, mercata seu placita secularia de cætero teneantur: ne ullas negotiationes quisquam exercere „præsumat.

Post hæc Concilium Lugdunense sub Gregorio X. *in Cap.* 2. *De Immunitate Eccles. in* VI. perpendens quod "deceat domum Dei sanctitudo; deceat ut cujus in pace factus est locus, ejus cultus sit cum debita veneratione pacificus" edixit sequentia: "Cessent in locis illis Universitatum & societatum quarumlibet concilia, conciones & „publica parlamenta. Cessent vana & multò fortius fœda „& profana colloquia. Cessent confabulationes quælibet. „Sint postremò quæcumque alia, quæ Divinum possunt „turbare officium, aut oculos divinæ majestatis offendere, „ab ipsis prorsus extranea: ne ubi peccatorum est venia postulanda, ibi peccandi detur occasio, aut deprehendantur „peccata committi. Cessent in Ecclesiis earumque cœmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cujuscumque tumultus, omnis in eis secularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis maximè agitetur, sint loca eadem à laicorum cognitionibus aliena.

X. Synodi Belgicæ similiter omnem profanam actionem à locis sacris remotam volentes, imprimis statuerunt, ut Episcopi "deambulationes ac profana colloquia impediant; „convivia quoque & negotiationes in loco sacro nullo „modo admittantur. Proclamationes verò forenses non „nisi extra templum, & post Divinum officium planè absolutum fiant; atque ut laici ab his efficacius comprimantur, Magistratuum locorum assistentiam implorent Episcopi, ut etiam ipsorum auctoritate ordinatio ad impediendum hujusmodi insolentias fiat & publicetur.

Hæc Synodus P.I. Mechliniensis titulo *De Divino Officio*; *cap.* 10. & 11. Et Synodus P.II. *titulo* 11. *cap.* 9. addens: "Nemo in loco sacro... etiam post officium Divinum „deambulet, sub pœna arbitraria.

XI. Similia in omnibus passim Synodis occurrunt: nec ab ipsis templis, sed & eorum cœmiteriis tamquam locis sacris, profanas omnes actiones abesse volunt.

"Nec sine gravi injuria loci sacri tolerari potest, ut in „cœmiteriis tripudietur, ideòque id districtè prohibemus, "ait Synodus Mechliniensis *tit.* 11. *cap.* 17. Deinde *cap.* 18. addit: "Liba quoque, placentiæ, & similia in cœmiteriis non „vendantur: neque strues lignorum in iis fiant: & generaliter nihil in iis permittatur, quod loci religioni ac sanctitati repugnet.

XII. Notandum, quòd citatus Canon Synodi VI. Trullanæ, uti & relatus Canon Synodi Exoniensis expressè adducant factum Christi ejicientis ementes & vendentes è templo; quo non obscurè innuunt, etiam Canonum horum prohibitionem spectare mercatum eorum, quæ in Sacrificium aut usum Ecclesiasticum cedere possent. Oves enim & boves aliaque quæ in templo Hierosolomytano vendebantur, ad Sacrificia illius temporis pertinebant, uti monet Venerabilis Beda.

Hunc Canonum sensum expressit S. Carolus in Synodo sua P.I. *parte* 2. *cap.* 57. statuens: "Ne Clericus, aut alius „quivis in Ecclesiis earumque cœmiterio, atrio, vestibulo, „aut porticu, foribusve, quidquam venale exponat, nec si ad „*usum* quidem *Sacrificii* vel *Ecclesiæ* futurum sit. "Idipsum iisdem verbis decrevit Synodus Aquensis Anno 1585. „pluresque aliæ Synodi.

XIII. Multùm ad devotionem populi conciliandam conduceret executio Decreti Synodi P.II. Mech. *tit.* 11. *cap.* 17. "Pauperes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum „aliorumve Divinorum officiorum, mendicare seu eleemosynas petere non permittantur, sed ad valvas Ecclesiæ „stare jubeantur: deputenturque ubique à Superioribus vel „Administratoribus Ecclesiarum, qui pauperes mendicantes ab Ecclesiis arceant & expellant; & quidem, si necesse fuerit, sub certo honorario ex bonis mensarum pauperum persolvendo. "Adde quæ habet S. Carolus in Actis Eccl. Mediol. *part.* 355.

XIV. Ipse insuper interior templorum ornatus talis sit oportet, ut ipsum populum ad solidam veramque pietatem ac sincerum Dei cultum excitare queat; atque ita hoc titulo templa dici queant, domus *Dei* & domus *Orationis*.

XV. Hunc in finem jam pridem usus sacrarum imaginum in templis seu Ecclesiis probatus fuit; atque novissimè contra nostri temporis Hæreticos retinendum esse declaravit Synodus Tridentina *Sess.* 25. in Decreto *De Invocatione, Veneratione, & Reliquiis Sanctorum, & Sacris Imaginibus*; "non quod credatur inesse aliqua in iis Divinitas, vel „virtus, propter quam sint colendæ; vel quod ab iis sit aliquid petendum; vel quòd fiducia in imaginibus sit figenda; veluti olim fiebat in gentibus, quæ in idolis spem suam „collocabant; sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræsentant: ita ut per imagines, quas osculamur & coram quibus caput aperimus & „procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum „illæ similitudinem gerunt, veneremur.

XVI. Idipsum populo sedulò inculcari Synodi nostræ Belgicæ Parochis præcipiunt; vultque Synodus P.I. Cameracensis titulo *De Imaginibus cap.* 3. "Doceatur præterea „populus imagini cultum nullum deberi aut propter materiam, aut propter elegantiam, aut propter pretium operis, aut propter quidvis aliud, quod sit in artificio, aut „imaginis substantia; sed propter rem significatam, ad quam „hic cultus & honos præcipuè refertur. Et sic admonendus „est, animum orantis, aut venerantis in rem significatam „referri, & non in signum: quod nec audit, nec videt, nec „sentit.

XVII. Quare in Concilio Coloniensi anno 1452. celebrato per Dominum Nicolaum de Cusa Cardinalem & Legatum de latere per Alemaniam, comprobante Domino Archi-Episcopo Coloniensi Theodorico statutum fuit, ut "si Ordinarii in visitationibus suarum Diœcesium vel aliàs „reperiant concursum populi ad aliquas imagines, cognoverintque informatione summariâ receptâ, populum amplius ad dispositionem figuræ talis imaginis, quàm salva „fide expediat, inclinari, quod tunc imaginem tollant, & „alias omninò provideant, ne idololatriam committant." Habetur tomo 13. Concil. general. *col.* 1382.

Similiter Synodus Moguntina anno 1549. *Can.* 42. "pravæ superstitioni viam præcludere volens, omnibus locorū „Ordinariis injungit ut si fortè in territoriis suis ad imaginem aliquam concursus fieri, & homines ad ipsius imaginis figuram respectum habere, & quasi quamdam Divinitatis opinionem illi tribuere animadverterint, ipsam „imaginem pro causæ qualitate aut tollant aut mittent, & „aliam à prima notabili quantitate differentem reponant, „ne rudis populus, in intellectu suo depressus, & ideò per „media corporalia ad divina erigendus, spem suam contra

Digitized by Google

„Ecclesiæ inventionem, in corporali & quidem certa imagine, privata phantasia atque inhæsione collocet: quasi „in illa sit quædam necessitas, ut per eam, & non aliter, "inducatur Deus & Sancti id facere quod petuntur.

XVIII. Monet tamen Synodus, & quidem iterato in eodem illo Canone, ut in hac re procedant, "adhibitis prius „in consilium Theologis, & Christianarum antiquitatum „scientissimis juxta ac pientissimis viris; ut sic salubri Ordinariorum providentia à pernicioso idololatriæ scelere „populi præservetur simplicitas, "ait Synodus.

XIX. Scopum seu finem imaginum jam pridem brevi verborum compendio expressit S. Gregorius *lib. 7. epist.* 11 . Sereno Episcopo Massiliensi inscripta: "Idcirco enim „pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, „saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo Fraternitas (ait) & illas servare, „& ab earum adoratu populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiæ „colligerent: & populus in picturæ adoratione minimè „peccaret. "Idem Latiùs exponit *lib. 9. epist. 9.* ad eundem Serenum.

Quin & usum imaginum supra usum librorum extollere videtur Synodus VII. *actione 6.* dicens: "Lectio enim „minus nonnunquam recitatur in venerabilibus templis, „imaginalis vero formatio vespere, mane & meridie „tamquam in eis stabilita, narrat nobis & annuntiat veritatem gestorum. "Habetur tomo 7. Concilii General. *col.* 539.

XX. Patrum ac Synodorum doctrinæ insistens Synodus Trid. Monet in citato decreto, "illud diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, „erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assiduè recolendis: tum verò ex omnibus „sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum „quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, „quæ à Christo sibi collata sunt; sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur: ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque „imitationem vitam, moresque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.

Hæc verba expressit Synodus P. I. Cameracensis titulo *De Imaginibus cap. 4.* dicens: "Præterea admoneatur populus, imperitæ plebis causa maximè positas esse imagines: ut illarum aspectu docti, & moniti patrocinium Divorum & pietatem in Christo conservemus, & eorum vitam imitemur.

XXI. Sicuti ergo Ecclesia semper admodum solicita fuit, ne quid falsi in divino officio aut publicè in Ecclesiis prælegeretur; ne ipsa lectio populo erroris occasionem præberet, ut supra *parte 1. titulo 16. cap. 9.* ostensum est, ita quoque cavendum est, ne in ipsis picturis & imaginibus quidquam falsi exprimatur; ne alias ex ipsis imaginibus seu idiotarum libris in falsitatem & errorem populus incidat; quemadmodum monet Synodus Tridentina vehementer cupiens, "ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus „periculosi erroris occasionem præbentes statuantur.

Hac de causa puerperium B. Virginis decumbentis & ægrotantis, non esse pingendum ostendit Joannes Molanus in Historiâ SS. Imaginum *lib. 2. cap. 27.* eo quod ex hujusmodi imagine facile inducerentur rudiores in eum perniciosum errorem, quod Beata Virgo adinstar aliarum mulierum dolores partus fuisset experta, & puerperium subiisset.

Et S. Carolus in Synodo Mediolanensi I. *tit. 1. cap. 7.* ait: „Illud imprimis caveant Episcopi, ne quid pingatur, aut „sculpatur, quod veritati Scripturarum, Traditionum, aut „Ecclesiasticarum historiarum adversetur: ne cujus lectio „prohibetur, ejus imago populo proponatur.

XXII. Verum licet Episcopi & Parochi aliique quibus cura incumbit, satagere debeant, ne quid falsi per imagines repræsentetur, vel ne alicujus erroris occasio populo detur; nihilominus subinde ob majora mala evitanda, & ne ex earum amotione quorumdam infirmitas nimium turbaretur, expedit aliquas imagines jam positas tolerare, licet quæ in iis repræsentantur non sint adeo certa; imò sciantur etiam falsa; modò non talis sit falsitas, quæ nata sit in perniciosum errorem aut circa dogmata, aut mores populum inducere, quemadmodum ostendit Molanus loco citato *cap. 28.* monens, ut interim doceantur simpliciores, quid ex hujusmodi imaginibus sit discendum, quid non discendum.

Similiter ne ex inspectione imaginum in periculosum errorem rudiores incidant, vult Synodus Tridentina: "Quod si aliquando historias & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi, & figurari „contigerit: doceatur populus, non propterea Divinitatem „figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut „figuris exprimi possit.

XXIII. Hic sat indicat Synodus, magnâ cautione imagines Divinitatem sive Sanctissimam Trinitatem sub corporali specie exprimentes esse populo proponendas.

Et quidem multis seculis imagines SS. Trinitatis in Ecclesia Romana ignotas fuisse constat. Eas tempore Nicolai I. adhuc Ecclesiam Romanam ignorasse notat ex ejus epistola ad Michaëlem Augustum Christianus Lupus *tom. 2.* Scholiorum in Canones *pag.* 1175. "adducit tamen (inquit) „licet alio fine, rationem, ex qua postmodum Dei Patris „imagines Romana Ecclesia admisit: *Deus, qui est invisibilis & corporeus, non per propriam substantiam „Deitatis, sed per subjectam creaturam apparuit mortalium oculis*, in forma antiqui dierum. Hinc in eadem „ipsum Ecclesia pingit. Quod quando cœperit, fateor me „ignorare.

Similiter Vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad partem I. seculi 4. Benedictinorum §. 3 *num.* 19. reflectens ad definitionem Synodi VII. super cultu SS. imaginum, inter alia notat, in illa definitione, nihil decerni de SS. Trinitatis, Dei Patris, aut Spiritûs S. picturis, *quas* (ait) *necdum etiam admittebat ætas illa.*

Usum tamen earum nemo hodie improbat, modo ea adhibeatur moderatio, quam Synodus Tridentina requirit: ut nimirum primum expendatur, *an id indoctæ plebi expediat*: & insuper populus ritè doceatur, *non propterea Divinitatem figurari; quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Videri potest Molanus *lib. 2. Historiæ SS. imaginum cap. 3. & 4.*

XXIV. Post hæc monet Synodus, ut *omnis superstitio in imaginum sacro usu tollatur.*

De hoc abusu tollendo scribit Molanus *lib. 2. cap.* 33. & 35. notatque quod "sicut Synodus Cameracensis sub Maximiliano Archiepiscopo primò celebrata, abominandam „dicit esse vanitatem & superstitionem eorum qui certo „pollicerentur non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & Sacramentis, qui hunc illumve ex Divis coluerint: sic etiam vanissimæ superstitionis arguendum est, „si quid tale sacris imaginibus alicubi subscriptum habeatur.

Sed quid si tale quidem imaginibus non sit subscriptum: sed historiæ aut miracula ita repræsententur, ut ex ea repræsentatione populus in hanc abominandam vanitatem & superstitionem facile sit inducendus: quemadmodum non rarò contingere posse, haud difficulter judicabit, qui attenderit imagines in sacellis quibusdam depingi solitas.

XXV. Addit demum Synodus Tridentina: "Omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines „non pingantur nec ornentur.... Postremò, tanta circa „hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil „inordinatum, aut præposterè, & tumultuariè accommodatum,

Digitized by Google

„ datum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat; „ cùm domum Dei deceat sanctitudo.

Hoc Decretum renovans Synodus P. II. Mechliniensis *titulo* 14. *cap.* 1. præcipit ut "curent diligenter Episcopi, ut „ in imaginibus tam sculptis, quam pictis loco sacro jam „ illatis, vel deinceps inferendis, nihil inordinatum, nihil „ profanum, nihil inhonestum appareat: neque in intima al- „ tarium tabula, vivorum effigies depingantur.

XXVI. Et Synodus P. I. *titulo De Imaginibus* vult, " ut „ è templis & locis sacris tollantur imagines, sculpturæ, au- „ læa quæ Gentilitatem, aut mendaces Ethnicorum fabulas, „ Satyrorum, Faunorum, Sirenarum, Terminorum & „ Nympharum, ac id genus alia repræsentant. Similiter „ quæcumque figuræ lascivæ, procaces, & ob pudendam „ nuditatem, vel aliàs obscœnæ & superstitiosæ, quæ Fide- „ lium mentes à religione & devotione distrahunt, & sæpius „ graviter offendunt.

Deinde *cap.* 2. subjungit. "Provideant præterea Episco- „ pi, ne ad ornatum supplicationum Venerabilis Sacramen- „ ti, aut Reliquiarum quarumcumque, exponat quisquam „ ullas similes imagines, sculpturas aut aulæa, idque sub pœ- „ na arbitrio eorum infligenda; implorato etiam ad hoc, si „ opus sit, contra seculares auxilio brachii secularis.

XXVII. Nec tantùm indecens esse ut hujusmodi picturæ aut imagines lascivæ habeantur in Ecclesiis, sed etiam in hortis aut domibus Ecclesiasticorum meritò eadem Synodus *cap.* 3. judicat, easque è domibus & hortis tolli jubet, & nisi Clerici obedierint, vult ut curent Episcopi contra illos ad condignam punitionem procedi.

XXVIII. De lascivia vitanda in picturis ac statuis agit pluribus in locis Molanus in citata historia, ac signanter *lib.* 2. *cap.* 57. ubi adductis relatis verbis Concilii Tridentini infert: "Ut ergo sacris Divorum imaginibus honor & ve- „ neratio major impendatur, oportet eas sic depingi, sculpi „ & effigurari, ut quosdam velut igniculos in hominum „ pectoribus succendant: omni levitatis atque lasciviæ, „ quod continentium oculos offendere queat, offendiculo „ sublato.

XXIX. Tum contra pictores & ornatores imaginum & statuarum, qui etiam ipsis imaginibus & statuis D. Virginis & aliorum Sanctorum ornatum levem & lascivum appingere aut adjicere non verentur, suâ expositâ querelâ, concludit: "Quid commune Virgini sanctissimæ, pudicitiæ „ numeris omnibus perfectæ atque expletæ, cum ornatu il- „ lo penè dixerim meretricio? Quid sanctis Martyribus, „ Christique Confessoribus cum plusquam profano ap- „ paratu?

XXX. Rursus *cap.* 42. meritò invehitur in pictores, qui Infantem Jesum *nudum* sculpunt aut pingunt. "Quid enim „ (ait) in hac nuditate esse potest ædificationis? Atque uti- „ nam nulla hinc oriretur in parvulis destructio, nullum in „ pusillis scandalum?.... Certè si antiquas picturas consu- „ lere velint, facilè advertent in eis Puerum Jesum decenter „ & honestè depictum esse, ac sese multum à Majorum sim- „ plicitate degenerâsse.

Deinde nonnullis interpositis contra illos qui in hortis domibusque suis retinent picturas lascivas subjicit: "Quid „ est necesse in templo depingere David contemplantem è „ fenestra Bethsabeam, & ad stuprum evocantem; aut am- „ plectentem ad se delatam Sunamitim? Herodiadis filiam „ saltantem? Argumenta sumpta sunt è Divinis libris, sed „ in exprimendis fœminis quantum admiscent artifices ne- „ quitiæ?

Refert quoque eodem capite ex Guilielmo Durando in Rationali Divinorum Officiorum *lib.* 1. *cap.* 3. " Græci u- „ tuntur imaginibus, pingentes illas ut dicitur, solùm ab „ umbilico supra & non inferiùs, ut omnis stultæ cogitatio- „ nis occasio tollatur.

XXXI. Ut autem hæc in imaginum usu vitentur, & earum usus ad ædificationem populi reducatur, statuit Synodus Tridentina: "nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, „ etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere „ vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo proba- „ ta fuerit.

Insecuta hoc Decretum Synodus P. II. Mechliniensis *titulo* 14. *cap.* 1. decrevit: "Ne per falsi dogmatis imagines „ rudibus periculosi erroris occasio præbeatur, nulla unquã „ in Ecclesiis etiam exemptis insolita imago ponatur, nisi ab „ Ordinario priùs approbata fuerit.

XXXII. Sanctus Carolus in Synodo Mediolanensi I. *cap.* 7. *titulo* 7. vult, ut "uniuscujusque imaginis os, corporis „ habitum & statum, ornatum, & locum inspiciendum cu- „ rent Episcopi; ut hæc omnia ad prototypi dignitatem & „ sanctitatem apta sint & decora; atque ex imaginis inspe- „ ctione pietas excitetur, nulla verò turpis cogitationis de- „ tur occasio.

Si Episcoporum Pastorumque curâ & auctoritate procuraretur, ut nullæ imagines aut statuæ in Ecclesia ponerentur, nisi quarum inspectio ad pietatem virtutesque incitaret intuentes; ipsarumque imaginum proprius ac legitimus usus populo frequentiùs exponeretur, spes esset, fore ut optatus & intentus ab Ecclesia ex imaginum usu fructus haberetur, & hæreticis earum legitimum usum culpandi prætextus ex quorumdam abusu & indiscreto imaginum cultu accepto subtraheretur.

XXXIII. Plurimum quoque ad decorem Divini officii, nec non pietatem reverentiamque erga Divina mysteria excitandam & fovendam conducit, ut omnia ordinatè peragantur in Ecclesiis.

Hunc in finem jam pridem erant Diaconi aliique ministri, qui continuò invigilarent, monerentque ut omnia suo tempore & loco debita cum reverentia & ordine fierent; quemadmodum de Diaconis *parte* 1 *titulo* 1. *cap.* 3. notatum fuit.

Eumdem in finem distincta erant Laicorum & Clericorum, & mulierum ac virorum loca; nec hi illorum loca occupare, sed omnes suis locis consistere debebant.

XXXIV. Clericorum locum à laicorum separatum olim fuisse notissimum est, neque laicis eum patuisse. "Ut laici „ secus altare in quo sacra mysteria celebrantur inter Cle- „ ricos tam ad vigilias, quàm ad missas penitus stare non „ præsumant: sed pars illa quæ cancellis versus altare di- „ viditur; tantum choris psallentium pateat Clericorum." ait Synodus Turonensis II. *Can.* 4. Rectè addit Synodus, *tam ad Vigilias, quam ad Missam*; ut significent quid per *sacra Mysteria* Patres intellexerint. Idipsum habemus in *Canone* 69. Synodi VI. ubi dicitur: "Nulli omnium liceat, „ qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri alta- „ ris ingredi.

XXXV. Locus Clericorum, quem subinde *Sacrarium*, subinde *Sancta Sanctorum*, & hodie communiùs, *Chorum* à psallentium *choris* dicimus, à laicorum loco cancellis quibusdam separatus erat, ut ex citato Canone Turonensi patet & latiùs ostendit Leo Allatius in epistola de *templis Græcorum*; & hodierna antiquarum Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum structura ostendit.

XXXVI. Quin & velum quoddam ipsis cancellis obductum erat, quod non nisi certis temporibus pandebatur: uti in quibusdam Monialium Monasteriis adhuc observatur. Videmus olim velum, quod earum locum ab Altari separat, pandi cum ad canonem in Missâ perventum fuerit.

Hujus veli meminit S. Chrysostomus *Homil.* 6. *ad populum Antiochenum*: "Cum vela videris retrahi, tunc su- „ pernè cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere." Et meminit S. Gregorius *lib.* 3. *epist.* 30. nec non seculo 12. Petrus Blesensis *Sermone* 11. *in Quadrag.* "Interponitur „ velum inter psallentes & populum, alterius quidem & „ gratiâ significationis, sed ad hoc tamen, ut lasciviam tollat „ oculorum.

Hæc omnia renovantur in *Cap.* 1. *De vita & honest. Cler.* ubi sub nomine Concilii Moguntini refertur: "Ut „ laici secus altare, quando sacra Mysteria celebrantur, „ stare

„ stare vel sedere inter Clericos non præsumant ; sed pars „ illa quæ cancellis ab altari dividitur tantùm Psallentibus „ pateat Clericis.

XXXVII. Addit deinde hanc clausulam: "Ad orandum „ verò & communicandum laicis & fœminis (sicut mos „ est) pateant sancta sanctorum. "Ita legitur in editis & vulgatis Decretalibus Gregorii IX. uti & in prima Decretalium collectione Antonii Augustini ; notat tamen ibidem Antonius Augustinus aptiùs in veteri esse, *ad adorandum*; uti etiam legitur apud Ivonem *parte* 2. *Decreti cap.* 137. eamque esse genuinam Canonis lectionem , multis astruit Emanuel Gonzales in notis ad citatum Capitulum primum; docteque advertit, errorem natum " ex more antiquariorum notissimo, non geminandi eandem litteram seu dictionem. Veteres enim (ait) non geminabant litteram, sed „ *filicios* suprà ponebant , ut eâ notâ lector admoneretur, „ duplicandam esse litteram : " cujus rei ignoratione vitia quamplurima in Pandectis resederunt ; quod pluribus ibidem adductis exemplis ostendit. Itaque cum hic esset geminanda dictio *ad*, eam geminandam esse notulâ quâdam indicârunt , quod Recentiores non advertentes geminationē omiserunt : & pro *ad adorandum* posuerunt *ad orandum*.

Itaque Patres prohibent, ne laici secus altare , dum sacra mysteria celebrantur, intra cancellos cum Clericis psallentibus stare aut sedere audeant , ad adorandum verò Corpus Domini, & communicandum sinunt , ut reserato *velo pateant* Sancta Sanctorum ; non ut ad communicandum accedant: sed extra chorum existentes communicent: quemadmodum hodie in nonnullis Monialium Monasteriis videmus observari, mox ad ipsum Canonem Missæ reserari velum quo Monialium locus ab altare separetur ; tametsi nec ad communicandum ad altare accedant.

XXXVIII. Hanc disciplinam etiam posteriores plures Synodi renovârunt ; additâ tamen aliqua moderatione quoad Ecclesiarum Patronos & alias Illustriores personas. Synodus Wigorniensis anno 1240. *Can.* 3. " Ne laici stent in „ cancellis, dum celebrantur Divina , salvâ tamen reverentiâ *Patronorum* & Sublimium personarum. "Plures citat Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis *libro* 2. *De Juribus honorificis in Ecclesia cap.* 3. qui postquam dixit, " Sed fortè vel sordidæ Clericorum adulationi , vel Patro„ norum insolentiæ tribuendum est , quòd etiam in choro „ possint habere fixa sedilia , quæ S. Ambrosius Theodosio „ Imp. denegavit, & postea sacri Canones soli concesserunt „ Imperatori : non etiam aliis quibuslibet laicis, "deinde subjungit: "Eo jure utimur, ut qui Clericis Ecclesiam dede„ runt, & Canonista stipendia, honorabiliorem locum in ea „ teneant, ait Chassanæus in Catalogo Gloriæ Mundi *parte* „ 4. *consil.* 18. " Hæc ille.

XXXIX. Synodus Aquensis anno 1585. titulo *De Choro* „ priscum Ordinis decorem ad Divinæ Majestatis obsequi„ um revocare cupiens decrevit, laicos homines (& multò „ minùs mulieres) dum Divina celebrantur , intra cancel„ los chori nequaquam esse admittendos.... Laici verò no„ biliores (ait) & qui vel Christianissimi Regis Conciliarii „ & Officiales, aut ex Militaribus Ordinibus, aut Commu„ nitatum Magistratibus fuerint , poterunt intra chorum „ admitti, si eo in loco Divinis officiis interesse velint: ita ta„ men (ait) ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos ipsis „ sedere liceat.

Quin tamen tamquam Patroni , aut etiam in qualitate Magistratûs Regii habere queant subinde, vel ex consuetudine, concordato, aliove jure locum ante ipsos Clericos, dubium non est; & quotidiana praxis evincit.

XL. Fœminæ verò (ait citata Synodus) cujuscumque „ conditionis, & statûs sint, nullo unquam tempore, nulla„ ve ex causa, dum divina officia celebrantur, aut verbum „ Dei prædicatur : denique in horis, quibus clerici tam se„ culares quam regulares in choro præsentes esse debent, „ intra eundem chorum , aliquemve ejus locum secretum „ etiam superiorem admittantur.

Plures tum veteres, tum recentiores , etiam ex Synodis Belgicis Canones vetantes accessum mulierum ad altaria tempore Divini officii , relati sunt hac parte *tit.* 5. *cap.* 3. *num.* 29.

XLI. Ad decorem quoque Ecclesiarum ; omnemque confusionem, & mali occasionem tollendam jam pridem receptum fuit, ut alio viri, alio loco mulieres in Ecclesia consistant.

Sanctus Augustinus *lib.* 2. *De Civitate Dei cap.* 28. scribit: " Populi confluunt ad Ecclesias casta celebritate, ho„ nestâ utriusque sexûs *discretione*. "Plura in eam rem citat „ Christianus Lupus tomo 2. Schol. in Canones *pag.* 991. hancque discretionem virorum à mulieribus tanquam constantem expresserunt, qui seculo decimo & undecimo de ritibus Ecclesiasticis scripserunt. " Diaconus (ait Microlo„ gus) cum legit Evangelium, juxta Romanum ordinem in „ ambone vertitur ad meridiem , ubi & masculi conveni„ unt; non ad aquilonem, ubi fœminæ consistunt.

Hæc disciplina in plerisque Parochialibus præsertim Ruralibus Ecclesiis hodie religiosè servatur ; at in Ecclesiis civitatum nullus penè ordo retinetur; sed maxima ac deploranda confusio in plerisque Ecclesiis tempore Divinorum Officiorum videtur. Episcoporum aliorumque Prælatorum officium est, juxta sacros Canones atque iterata Synodorum Decreta providere, ut omnia in templis ita sint ordinata, ut veraciter dici queant *Domus orationis & domus Dei*.

CAPUT II.

De Ædificandis Ecclesiis, & quæ intervenire debeant.

1. *Etiam sub Imperatoribus Gentilibus Ecclesiæ ædificatæ fuerunt.*
2. *Datâ pace Ecclesiæ, modus ædificandis Ecclesiis præfixus est.*
3. *Vetitum fuit ædificare sine auctoritate Episcopi.*
4. *Oratoria privata quomodo sine auctoritate Episcopi licuerit ædificare?*
5. *Quid Episcopus attendere debeat in admissione novæ Ecclesiæ?*
6. *Quid propriè nomine Oratorii significetur?*
7. *Quid nomine Capellæ?*
8. *Quo loco olim Oratoria Martyrum extruerentur.*
9. *In admissione novæ Capellæ attendi debet, ne populus à Parochiali Ecclesia abstrahatur.*
10. *Sacella non ædificanda quæstûs causa.*
11. *Nova Ecclesia Parochialis ob præjudicium veteris sine rationabili causa construi nequit.*
12. *Causa legitima est, si populus sine* magno *incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeat.*
13. *Non requiritur longinquitas aut discrimen viarum.*
14. *Quod censeatur* magnum *incommodum, relinquitur arbitrio judicis.*
15. *Probari non debet, Parochianos aliquando decessisse sine Sacramentis ob Ecclesiæ distantiam.*
16. *In erectione novæ Ecclesiæ Parochialis Rector veteris Ecclesiæ audiri debet.*
17. *Si sine justa causa consentire nolit , potest Episcopus consensum supplere.*
18. *Unde desumenda sustentatio Rectoris novæ Parochiæ ex Decreto Synodi Tridentinæ.*
19. *Quid circa hoc Decretum observatum in Belgio?*
20. *In Belgio sine auctoritate Regis difficulter perficitur nova Parochiæ erectio.*
21. *Episcopus aliquando instare omnibus modis debet, ut nova Parochia erigatur.*

22. *Si*

Digitized by Google

22. *Si nova Parochia erigi nequeat, per plurium Sacerdotum adjunctionem Parochianis subinde succurrendum.*
23. *Interdum etiam per Capella exstructionem.*
24. *In casu* magni *incommodi non facilè omittenda nova Parochia erectio.*

I. Etiam ante Imperatores Christianos fuisse Ecclesias ædificatas multis ostendit Cardinalis Baronius ad *annum 57.* atque idipsum evincunt edicta Imperatorum Ethnicorum de Ecclesiis Christianorum demoliendis promulgata, quorum meminit Eusebius *lib. 8. cap. 1.* additque Eusebius, jam à Christianis, prout indies numerus augeretur Credentium, ampliores augustioresque antiquis illis esse excitatas Ecclesias. Verba ejus sunt: " Quo factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti, in " singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis exstruerent Ecclesias.

II. Datâ verò pace Ecclesiæ, ipsis quoque Imperatoribus ad Christum conversis, tot passim ædificari cœperunt Ecclesiæ, ut ipsi primi Imperatores Christiani modum earum exstructioni ponere sint coacti; quemadmodum ex variis eorum Legibus & Edictis in Codice Theodosiano & Justinianæo etiamnum hodie extantibus patescit.

III. Et quidem ea ædificationi Ecclesiarum lex posita est, ne quis eas absque consensu Diœcesani Episcopi ædificet; quemadmodum *Can. 4.* Concilii Calchedonensis cautum est, & à Gratiano *caus. 18. q. 2. Can. 10.* his verbis refertur: " Placuit igitur neminem aut ædificare, aut con" struere Monasteria, aut Oratorii domum sine conscientia " ipsius civitatis Episcopi.

Idipsum pluribus confirmavit Justinianus Imperator signanter *Novella 67.* cujus Rubrica habet: *Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi.*

Deinde *cap. 1.* ait: " Sancimus igitur præ omnibus qui" dem illud fieri, & nulli licentiam esse, neque Monasterium " neque Ecclesiam, neque Orationis domum incipere ædi" ficare, antequam civitatis Deo amabilis Episcopus ora" tionem in loco faciat, & crucem figat, publicum proces" sum illuc faciens, & causam manifestam omnibus statu" ens. Multi etiam simulantes fabricare quasi Orationis " domos, suis medentur languoribus, non orthodoxarum " Ecclesiarum ædificatores facti, sed speluncarum illicita" rum....

Hoc Justiniani Decretum, tam Imperatorum, quàm Synodorum sanctionibus sæpius renovatum fuit; uti videre est *lib. 5. Capitularium Regum Francorum cap. 382.* nec non apud Gratianum *Dist. 1. De Consecrat.* ubi plures eam in rem Canones refert.

IV. Notandum est tamen, quod eodem libro Capitularium *c. 383.* dicitur: " Qui in domo sua Oratorium habue" rit, orare ibi potest; tamen non audeat in eo sacras facere " missas sine permissu Episcopi loci illius.

Illud quoque ex Synodo Aurelianensi recitat Gratianus *Can. 33. Dist. 1. De Consecrat.* " Unicuique Fidelium in " domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare: Missas au" tem ibi celebrare non licet: " scilicet sine licentia Episcopi.

Sub Missarum celebratione comprehendi aliorum quoque Sacramentorum administrationem, elucet ex multis aliis Canonibus, ac signanter *Canone 31. Synodi* VI. qui ha" bet: Clericos, qui in Oratoriis, quæ sunt intra domos, *Sa" cra* faciunt, vel *baptizant*, hoc illius loci Episcopi licen" tiâ facere debere decernimus. Quare si quis Clericus hoc " non sic servaverit, deponatur.

Neque etiamnum hodie vetitum est, in domibus quantumvis privatis construere Oratoria orationis causâ; modò nec Missæ, aut alia officia publica peragantur.

V. Porrò Episcopus in admittendis novis Ecclesiis primò examinare debet, num justa causa sit ædificandi Ecclesiam; in quo examine alia attendenda sunt circa ædificationem Ecclesiarum Parochialium; alia circa novam extructionem Oratoriorum seu Sacellorum vel Capellarum.

VI. Oratorium propriè dicitur ædes, ubi oratur, sive locus orationi dicatus. Hinc illud Augustini *Ep. 109.* " In " Oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum, " unde & nomen accepit. Vide latiùs Du Cange in Glossa" rio verbo, *Oratorium*, qui notat: " *Oratoria* deinde dicta esse, Sacella Monasteriis adjuncta, quæ non erant omnibus pervia uti Ecclesiæ, & in quibus collectas celebrare non licebat, sed erant tantùm ad Monachorum preces & assiduos cantus accommodata; " quod multis Veterum testimoniis confirmat; ac post hæc monet, *Oratoria* " tandem " dicta Sacella quædam domestica, aut privatæ ædes sacræ " in agris & villis extructæ; quæ Parochiarum jus non ha" bebant, & à Magnatibus in fundis suis dotabantur, & ab " Episcopis consecrabantur. " Pluribus dein citatis Conciliis quæ de hisce Oratoriis agunt, concludit: " Ex quibus " docemur, in iis Missas teneri propter fatigationem fami" liæ permitti, præterquam in maximis festivitatibus, quas " & Presbyteri qui ea deserviunt, & laici, in civitatibus " cum Episcopo tenere jubentur.

VII. De *Capellis* varia tradit citatus auctor in eodem Glossario, verbo *Capella*; eamque vocem diversimode sumptam fuisse annotat, atque postmodum Capellas dictas esse, quasvis ædiculas sacras, Oratoria, quæ proprios Sacerdotes non habebant: seu ædes sacras, quæ non erant *baptismales*. Hinc & titulus in Decretalibus *De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum*: eò quòd Monachorum Ecclesiæ sint duntaxat quasi Oratoria; primariò non ad conventum populi, sed Monachorum duntaxat destinata.

Aliqua Oratoria sive Capellæ jam pridem extructa fuêre ob honorem alicujus Sancti præsertim Martyris, illaque & hodie frequentissima sunt, tum ipsis Ecclesiis majoribus juncta, tum extra illas, & loco ab iis remoto extructa.

VIII. Olim hujusmodi Oratoria in honorem Martyrum plerumque extruebantur eo loco, quo sacra ipsorum ossa reservabantur, aut ipsi pro Christo passi fuerant: quæ propterea antiquitus *Martyria* dicta fuêre. Martyrium (ait Isidorus) locus Martyrium, græcâ derivatione, eò quod memoriam Martyris sit constructum, vel quod sepulchra sanctorum ibi sint Martyrum. Plura habes apud Du Cange in Glossario verbo, *Martyrium*.

IX. Circa hæc Oratoria, Capellas & Sacella, ut hodie vocant, admittenda imprimis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus à Parochiali Ecclesia nimium abstrahatur; atque hinc ulteriùs ex illo Ecclesiæ Parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda, quàm agenda; prospiciatque, ut observetur clausula de stylo solita inseri litteris, quibus usus oratorii seu Capellæ conceditur, *Sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio*; de qua aliquid dictum fuit suprà *tit. 5. cap. 9.* ubi latiùs de *Oratoriis* domesticis actum fuit; & *parte 1. titulo 24. c. 3.* ubi de simili cautione adjici solita admissioni novi Monasterii agitur.

X. Apud Gratianum *Can. 10. Dist. 1. De Consecrat.* refertur ex Concilio Bracharensi II. " Si quis Basilicam " non pro devotione fidei, sed pro quæstu cupiditatis ædifi" cat, ut quidquid ibidem de oblatione colligitur, medium " cum clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua quæ" stûs causâ condiderit (quod in aliquibus locis usque modo " dicitur fieri:) hoc de cætero observari debet, ut nullus " Episcoporum tam abominabili voto consentiat; nec Ba" silicam, quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis " sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

Profectò si in extructione Oratoriorum seu Sacellorum causam extructionis, Episcopi penitius examinarent, verisimile est, quod non rarò deprehenderetur, ea potiùs quæstûs, quam solidæ devotionis causâ extrui; interdumque miracula ficta supponi; falsasque aut non sat probatas reliquias ostentari, ut oblationes populi sibi, suisque Sacellis appropriare queant. Hæc prævidens Synodus Tridentina de-

declaravit, "nulla etiam admittenda nova miracula, nec „novas reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente „& approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid „compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis & „aliis piis viris ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea „judicaverit." In decreto *De Invocatione, veneratione & reliquiis Sanctorum.*

XI. Nova Ecclesia Parochialis erigi nequit, nisi unà erigatur nova Parochia. Nec enim esse potest Ecclesia Parochialis sine populo, qui communitatem seu Parochiam constituat.

Cum autem nova Parochia ordinariè constitui nequeat, nisi de veteri Parochia, in cujus limitibus nova construitur, aliquid decedat, jure cautum esse, Episcopum in novam Ecclesiæ Parochialis erectionem sine rationabili aliqua causa consentire non posse, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.* 3. ✠ *De Ecclesiis ædific.*

XII. Inter causas legitimas ædificandi novam Ecclesiam Parochialem in primis est illa, quam assignat Pontifex in citato *Cap.* 3. & probat Synodus Tridentina *seff.* 21. *Cap.* 4. *De Reformat.* nimirum si in aliquibus Ecclesiis Parochialibus, vel Baptismalibus " ob locorum distantiam, sive „difficultatem Parochiani sine magno incommodo ad „percipienda Sacramenta, & Divina Officia audienda accedere non possunt;" uti loquitur Synodus.

Hinc habemus, legitimam causam construendi novam Ecclesiam Parochialem esse, si sine *magno incommodo* Parochiani ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant.

XIII. Itaque non exigitur, quod revera sit magna longinquitas, aut viarum discrimen; sed solum requiritur talis, ut propterea Parochianis sine *magno incommodo* non pateat accessus ad majorem Ecclesiam; uti notat Fagnanus ad *Cap.* 3. ✠ *De Ecclesiis ædificandis num.* 18. & ita tenere Dominos de Rota testatur.

XIV. " Quanta autem debeat esse hujusmodi distantia, „seu Parochiæ amplitudo, ad hoc ut Parochiani dicantur „non posse *sine magno incommodo* ad Ecclesiam accede„re, cum jure definitum non sit, judicis arbitrio relinqui„tur." Fagnanus ibidem.

Ulteriùs inde refertur, quod similiter justa sit erectionis causa si inter populum alicujus villæ & Parochialem torrens, vel flumen aliquod intercedant, quæ nec pontem "ha„beant, & nec vado transiri possint, præsertim hyemali „tempore cum pluviæ inundant, juxta textum hic. Quæ „causa sufficiens est etiam sine distantia loci. Undecumque „enim proveniat magna difficultas percipiendi Sacramenta, „dicitur subesse justa causa erigendi novam parochiam ut „ex dictis patet. Ideoque Concilium Tridentinum cap. 4. „sess. 21. alternativè loquitur ibi, locorum distantiam sive difficultatem, ita ut propterea alterutrum sufficiat.

XV. Hactenus Fagnanus *numero* 19. qui bene advertit *numero* 17. non requiri ad probandum, sine *magno incommodo* Parochianos non posse ad Ecclesiam Parochialem accedere, " ut Parochiani aliquando decesserint sine „Sacramentis, sed satis esse ad validitatem erectionis; ut „immineat periculum, ne sic decedant; neque (ait) hujus„modi eventus est exspectandus, quin potius præveniendum ne contingat, cum satius sit occurrere in tempore, „quam post exitum vindicare, seu post vulneratam causam „remedium quærere. Et ita censuit S. Congregatio.

XVI. Cùm autem per novæ Ecclesiæ Parochialis constructionem facilè jura Rectoris, aliorumque ministrorum aut Patronorum veteris Ecclesiæ Parochialis lædi possent; ad constructionem Episcopus procedere non potest, nisi Rectore Ecclesiæ, nec non aliis interesse habentibus citatis & auditis; uti monet Fagnanus loco citato *num.* 30. asseritque, resolvisse S. Congregationem, erectionem Ecclesiæ Parochialis factam *non* citato Rectore veteris Ecclesiæ *nullam momenti* existere.

XVII. Si Rector citatus & auditus in novæ Parochiæ erectionē consentire renuat, & tamen erectio illa necessaria judicetur, poterit tunc etiam illo *invito* procedi, ut uno consensu resolvunt Canonistæ ob verba finalia dicti *Cap.* 3. " Si verò *Persona* Matricis Ecclesiæ virum idoneum præ„sentare distulerit, vel opus illud voluerit impedire, tu ni„hilominus facias idem opus ad perfectionem deduci, & „virum honestum, appellationis cessante diffugio, institue„re non omittas.

Quidam ex antiquis Canonistis post Glossam ad dictum *Cap.* 3. crediderunt, Papam quidem ex plenitudine potestatis id facere posse invito Rectore Matricis Ecclesiæ, non autem Episcopum: at Synodus Tridentina declaravit, quod Episcopi novas Parochias etiam *invitis* Rectoribus, juxta formam Constitutionis Alexandri III. quæ incipit, *Ad audientiam* (in citato *Cap.* 3.) constituere possint.

XVIII. Addit deinde Synodus: " Illis autem Sacerdoti„bus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficien„di, competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fru„ctibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque perti„nentibus: &, si necesse fuerit, compellere possit populum „ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum sacer„dotum sustentandam: quâcumque reservatione generali, „vel speciali, vel affectione, super dictis Ecclesiis, non ob„stantibus.

XIX. Cum hîc in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini tractaretur, ipsaque Decreta Reformationis ad Concilia Regia missa essent, hæc observatio facta legitur ad hoc præsens Decretum: " Datur Episcopis facultas novas Pa„rochias erigendi, & si necesse fuerit, compellendi popu„lum ea subministrare quæ sufficiant ad vitam Sacerdotum „sustentandam. Communis nota est, compulsionem il„lam populi & exactionem fieri non posse, sine authorita„te Regia; neque hanc Jurisdictionem Ecclesiasticis judici„bus unquam competiisse.

XX. Sanè in erectione novæ Parochiæ difficulter hîc perfringent Episcopi, ni auctoritas Regia accedat; idque non tantùm ob difficultatem, quæ circa dotem Ecclesiæ noviter construendæ, oriri nata est; sed vel maximè propter oppositiones Rectoris, Ministrorum, Æditurorum, Patronorum, aliorumque, quorum jura facilè quoad aliqua saltem per novæ Parochiæ erectionem læduntur: aut tales ut minùs difficultates & quæstiones movebuntur, quibus terminandis sola auctoritas Ecclesiastica non sufficeret. Unde nec in Belgio videmus ullas Parochias erigi, nisi auctoritas Regia interveniat.

XXI. Interim Episcopi, quibus primariò cura animarum suarum respectivè Diœcesium incumbit, si videant, eam esse Parochiarum latitudinem, eamque distantiam, ut salus animarum novam Parochiam exigat, omnibus modis allaborare tenentur, ut ea erigatur; ut ita necessitati populi satisfiat.

Unde cuidam Episcopo dubitanti, num propter *juramentum* de non alienandis rebus suæ Ecclesiæ, posset novas Ecclesias erigere, eò quòd hæc erectio videretur fieri cum aliquo præjudicio suæ Ecclesiæ, respondit Cælestinus III. in *Cap. fin.* ✠ *De Ecclesiis ædificandis*: " Fraternitati „tuæ mandamus, quatenus illius *juramenti* occasione nul„latenus prætermittas, quin populo indigenti super Basi„licarum institutione studeas salubriter providere.

XXII. Si Episcopus videat, hic & nunc novam Parochiam erigi non posse, saltem eo casu ad aliud remedium à Tridentino suggestum recurrendum erit: ut nimirum cogat Rectores vel alios ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum Divinum celebrandum.

XXIII. Quòd si casus occurrat, ut ea sit quorumdam Parochianorum habitatio, ut sine magno incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeant; atque periculum sit ob nimiam à Parochiali Ecclesia distantiam, aut viarum aliorumque difficultatem, ne sine Sacramentis moriantur, erigenda ut minùs erit Capella; atque in ea constituendus Sacerdos, qui illis Parochianis possit Sacramenta, alia-

aliasque ad animarum salutem necessaria impendere; uti in eo casu occurrente probavit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato *num.* 20. & hodie non raro practicatur.

XXIV. Sed tamen si causa legitima erigendi novam Parochiam occurrat, non tam facilè ob aliquorum interesse ad jam suggestum remedium confugiendum; tam quòd non omnia in Capellis fiant, " ad quæ Parochiani tenentur " ex jure communi & Tridentino; quam quòd magna sit " distantia inter Pastorem, cujus sunt oves propriæ, ut in- " stituitur in novis Parochiis; & Sacerdotes, qui in Capellis " nec omnia præstant, nec tamquam suis. Pleniùs ergo sa- " tisfit magno incommodo per erectionem novæ Paro- " chiæ, quàm per Capellam: eaque in casu magni incom- " modi mens esse videtur Concilii Tridentini. " *Resp.* 1. *De Ædificand. Eccles.*

CAPUT III.
De Consecratione Ecclesiarum, ejusque Ritibus.

1. *Dedicatio Templorum antiquitus nota.*
2. *Materialis Templi dedicatio spiritualem Fidelium dedicationem designat.*
3. *Ad dedicationem Templi conveniebant vicini Episcopi.*
4. *Occasione dedicationis subinde congregatæ Synodi.*
5. *Magna in veneratione habita olim Ecclesiarum dedicatio.*
6. *Populus & Clerus ad dedicationem conveniens orationi aliisque pietatis officiis intendebat.*
7. *Quæ essent Episcoporum & Sacerdotum functiones.*
8. *Preces adhiberi in dedicatione Ecclesiæ convenit.*
9. *Preces qualiter recitandæ, & quomodo ad eas populus excitandus.*
10. *Dedicatio seu consecratio Ecclesiæ est Ordinis Episcopalis.*
11. *Non omnium Ecclesiarum idem dedicationis ritus.*
12. *Jampridem in dedicatione Ecclesiæ requisitæ fuerunt Sanctorum Reliquiæ.*
13. *Unde originem habuerit ritus adhibendi Reliquias?*
14. *Ritus parandi Reliquias ex præscripto Ritualis Romani.*
15. *Quomodo hic ritus inceperit; & in quo primitus ab hodierno diversus.*
16. *De aspersione aquæ lustralis; de trino circuitu Templi consecrandi.*
17. *Origo hujus ceremoniæ.*
18. *Ritus hodierni non omnes eodem tempore adhibiti.*
19. *Ceremonia consecrationis Templi materialis adhibita ad similitudinem ceremoniarum consecrationis Templi spiritualis per Baptismum.*
20. *Hinc parietum unctio, usus salis, & alphabeti descriptio.*
21. *In dedicatione novæ Basilicæ jam pridem convivia instituta; quæ hodie in die anniversaria institui solent.*
22. *An olim dies anniversaria dedicationis celebrata fuerit.*
23. *Ante annum millesimum celebrata videtur in Gallia, & hodie ubique solemniter celebratur.*
24. *Conviviorum & commessationum excessus hac die committi solitus.*
25. *Synodi voluerunt ut in omnibus Ecclesiis ejusdem Diœcesis anniversaria dedicationis dies eodem die celebraretur.*
26. *Idipsum Principes decreverunt.*
27. *An conveniat, ut Pastores vicini intersint solemnitati dedicationis, & an idcirco omittendum solenne officium in Parochia.*

I. Ecclesiâ ædificatâ ejus celebranda est dedicatio; idque jam pridem receptum fuisse clara probant apud antiquiores Scriptores testimonia. Ut enim ea quæ de Ecclesiarum consecratione & dedicatione referuntur ex epistola Felicis IV. nec non aliis Primorum Pontificum Decretalibus apud Gratianum *Dist.* 1. *De Consecrat.* tamquam parum authentica omittamus, celebratæ dedicationis Ecclesiæ testimonium luculentum exhibet Eusebius *lib.* 10. *hist. cap.* 3. " Post hæc votivum " nobis ac desideratum spectaculum præbeatur *dedicatio-* " *num*, scilicet festivitas per singulas urbes, & oratoriorum " recens structorum *consecrationes*.

Meminit quoque hujus festivitatis sub idem tempus Sanctus Athanasius in *Apologia* 2. ad Constantium.

II. Subsequentes Patres variis locis dedicationis Ecclesiarum meminere, extantque eorum sermones, quos in ipsa templorum dedicatione habuere; atque inter alios, plures sermones ea de re S. Augustini, qui sunt 336. 337. 338. in nova editione. In horum primo sic incipit " Celebritas hujus " Congregationis *dedicatio* est domus orationis. Domus " ergo nostrarum orationum ista est, domus Dei nos ipsi. Si " domus Dei nos ipsi, nos in hoc seculo ædificamur, ut in " fine seculi dedicemur. " Deinde ostendit, quomodo ea, quæ in ædificatione templi materialis fieri quotidie videmus, spiritualiter in ædificatione templi, quod est Ecclesia Christi, fiant. " Credendo enim (ait) quasi de silvis & mon- " tibus ligna & lapides præciduntur: cum verò catechizan- " tur, baptizantur, formantur, tamquam inter manus fa- " brorum & opificum dolantur, collineantur, complanan- " tur; verumtamen Domum Dei non faciunt, nisi quando " caritate compaginantur: " Quod postremum latè ibidem prosequitur. Totus hic sermo in partes divisus legitur in Breviario Romano tertiâ, quartâ & sextâ die infra octavam dedicationis Ecclesiæ. Sermo autem, qui legitur sub nomine S. Augustini in ipsa die Dedicationis, est S. Cæsarii Arelatensis non Augustini, uti notarunt eruditi Operum Augustini Revisores, qui illum in appendicem rejecerunt, conficitque ibidem *Sermonem* 229.

III. Ad majorem dedicationis solemnitatem vicinos quoque Episcopos evocari solitos, testis est Augustinus *Epist.* 269. ad Nobilium Episcopum, qua se excusat, quod ad dedicationem novæ fabricæ venire non possit. " Tanta est " (ait) solemnitas, ad quam me affectus tuæ Fraternitatis in- " vitat, ut corpusculum meum ad vos traheret voluntas, " nisi teneret infirmitas. " Deinde quibusdam de hiemis rigore, suaque senectute interpositis concludit: " Salutatio- " nem debitam reddo meritis tuis: Salutem verò meam " *commendo* precibus tuis, poscens & ipse à Domino, ut de- " dicationem tantæ fabricæ pacis prosperitas prosequatur. Et Gaudentius Brixiensis Augustino coætaneus, in tractatu in dedicatione Basilicæ SS. 40. Martyrum scribit: " Conve- " nerunt igitur sanctissimi Antistites & Apostolici Viri ad " persolvendum beatissimis Patribus & Præceptoribus su- " is debitæ devotionis obsequium, ut ubertate plenissima " benedictionum spiritualium ditaremur.

IV. Quin & occasione dedicationis Ecclesiæ convenientes Episcopi Synodos frequenter celebrasse notum est: atque ea occasione famosa Antiochena Synodus anno 341. celebrata fuit.

Cum enim templum Antiochenum, quod præ magnificentia *Dominicum Aureum* appellari meruit, sub Constantino M. inchoatum, tandem sub ejus filio Constantio esset absolutum, hujus celebritatis prætensa occasione litteris Imperatoris evocati fuere Episcopi totius Orientis, etiam ex Tracia & Palæstina; conveneruntque ad diem designatum 90. Episcopi, ut auctor est Athanasius, qui eâ occasione Synodum celebrarunt, eodem Athanasio teste dicente: *Antiochiæ novam Synodum per causam* ENCÆNIORUM *cogerunt* Propterea hæc Synodus communiter etiam apud Veteres dicta fuit, Synodus *in Encæniis*.

Encæ-

Encænia quippe pro nova Ecclesiæ dedicatione sumi, jam pridem usitatum fuit; uti multis ostendit Du Cange in Glossario, verbo; *Encænia*.

V. Hæc ostendunt, quanta in veneratione apud Pristinos Patres fuerit Ecclesiarum dedicatio; quantâque festivitate ac solemnitate eam celebrandam crediderint; ut ad eam ritè celebrandam absonum haud putaverint, ut Episcopi etiam relictis suis Ecclesiis ad hanc solemnitatem recurrerent.

VI. In hac solemnitate Episcopi, Clerus ac populus concurrentes, hymnis, precationibus, orationibus, aliisque pietatis & religionis officiis pro suo quisque munere instabant; quemadmodum latè describit testis oculatus Eusebius loco citato; qui ibidem *cap.* 4. refert orationem panegyricam in dedicatione pronuntiatam.

VII. Deinde *lib.* 4. *De Vita Constantini*, describens dedicationem Ecclesiæ Hierosolymorum, ad quam evocaverat Constantinus Episcopos in Synodo Tyri congregatos, *cap.* 45. Sacerdotum aliorumque in hac solemnitate functiones describit: "At Sacerdotes Dei partim precationibus, „ partim sermonibus festivitatem ornabant. Alii siquidem „ comitatem religiosi Imperatoris erga omnium Servato- „ rem laudibus celebrabant, & Martyrii magnificentiam „ oratione persequebantur. Alii sacris Theologiæ dogma- „ tibus ad præsentem celebritatem accommodatis, spirita- „ le quoddam epulum audientibus præbebant, Quidam sa- „ crorum Voluminum lectiones interpretabantur; arcanos „ & mysticos sensus in lucem proferentes. Qui verò ad hæc „ aspirare non poterant, incruentis sacrificiis & mysticis „ immolationibus Deum placabant; pro pace communi; „ pro Ecclesia Dei; pro Imperatore tot bonorum auctore, „ ejusque piissimis liberis, preces Deo suppliciter offerentes, „ ibi nos quoque, quibus majora quam pro meritis nostris „ bona contigerant, variis sermonibus publicè habitis so- „ lemnitatem decoravimus, nunc regalis fabricæ decorem „ ac magnificentiam scriptis enarrantes; nunc Prophetico- „ rum oraculorum sensus aptè & accommodatè ad præsen- „ tes figuras atque imagines interpretantes. Hoc modo *de-* „ *dicationis*. solemnitas, ipsis Imperatoris tricennalibus summa cum hilaritate celebrata est.

VIII. Non igitur recens est, in ipsa Ecclesiæ dedicatione seu consecratione varias preces fundi, quibus divina benedictio super domum istam impetretur, fiatque id quod Ecclesia quotannis orat, ut *quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrâsse lætetur*. Vel uti inter ipsa consecrationis solemnia. *Nulla hic nequitia contraria potestatis obsistat, sed virtute Spiritus Sancti operante, fiat hic tibi semper purum servitium & devota libertas.*

IX. Preces recitandæ exprimuntur in Pontificali Romano sub titulo *De Dedicatione Ecclesiæ*; sed illud dolendum, preces illas frequenter ceu quasdam formulas duntaxat recitari; nec populum ac Clerum excitari, ut una ad dedicationem Ecclesiæ concurrens, preces suas precibus Episcopi jungat; quo fiat, ut tota Ecclesia quasi unita, preces suas jungens, faciliùs & efficaciùs benedictionem divinam impetraret.

X. Quamvis hodie usus non habeat, ut plures Episcopi ad Ecclesiæ dedicationem convocentur, nullus tamen nisi Episcopus eam consecrare potest; neque Episcopus Diœcesanus delegare alteri, quam Episcopo potest, eo quod consecratio Ecclesiæ inter ea quæ *Ordinis*, non autem Jurisdictionis Episcopalis sunt, recenseatur; uti multis relatis docet Barbosa *De Officio Episcopi Allegat.* 27.

XI. Circa ritus dedicationis seu consecrationis, non fuit in omnibus Ecclesiis; nec omni tempore idem usus.

Et quidem dedicationis ritum fuisse olim in Ecclesia Romana diversum ab eo, quem Mediolani servari mos erat, ex S. Ambrosii *Epistola* 54. intelligimus: "Cum ego (ait) „ Basilicam dedicare vellem, multi tamquam uno ore inter- „ pellare cœperunt, dicentes: *Sicut in Romana*, sic Basili- „ cam dedices." Respondi; faciam, si Martyrum Reliquias invenero.

XII. Ex his verbis S. Ambrosii, hoc quoque intelligimus, eo tempore in dedicatione Ecclesiæ *ritu Romano* requisitas fuisse Sanctorum reliquias; cujus ritûs meminit quoque sub idem tempus S. Paulinus *ep.* 12. ubi de Basilica suis expensis exstructa verba faciens ait: "Verùm hanc „ quoque Basilicam de benedictis Apostolorum & Marty- „ rum *Reliquiis* sacri cineris, in nomine Christi Sanctorum „ Sancti, & Martyrum Martyris, & Dominorum Domini „ consecrabunt.

Eundem fuisse jam pridem Græcorum ritum manifestum est ex *Canone* 7. Synodi VII. quo decernitur, ut Episcopus post hac templum consecrans sine sanctis *Reliquiis* deponatur; *ut qui* (ait) *Ecclesiasticas traditiones transgressus est*.

XIII. De hoc ritu latius agit Cardinalis Bona *lib.* 1. *Rerum Liturg. cap.* 19. §. 5. ibidem notans, quod mos olim Christianorum fuerit, ut durante Ethnicorum persecutione, in areis & cœmeteriis in quibus *Martyrum corpora* quiescebant, ad Synaxim peragendam convenirent. Postquam verò cessante persecutione licuit publicè templa erigere, ea cœperunt potissimum excitari iis in locis in quibus paulo ante congregari, & clam mysteria celebrare consueverant; nimirum in locis, in quibus Martyrum corpora erant recondita, "Atque hinc (ait) originem traxisse mihi videtur celeberri- „ mus & inviolabilis Ecclesiæ ritus, ut sine Martyrum re- „ liquiis nullum templum, nullumve altare ædificetur:" quo nimirum adhuc quodammodo ad ipsa Martyrum sepulchra ædificari templa viderentur.

XIV. Juxta modernum ritum Pontificalis Romani," „ Serò ante diem dedicationis, Pontifex parat reliquias, po- „ nens eas in decenti & mundo vasculo, cum tribus granis „ thuris; sigillans ipsum vasculum diligenter; & illud ante „ fores Ecclesiæ consecrandæ ponens cum duobus cande- „ labris & luminaribus ardentibus; celebrandæque sunt vi- „ giliæ ante Reliquias ipsas, & canendi Nocturni, & Matu- „ tinæ laudes in honorem Sanctorum, quorum reliquiæ sunt „ recondendæ.

XV. Quando hic ritus inceperit, incertum est. In Sacramentario S. Gregorii vulgò S. Eligii apud Menardum, nulla ejus mentio occurrit; uti nec in codice quem seculo 9. scripsit Rodradus Presbyter; at in Codice Ratoldi, utpote recentiore, plures adduntur cæremoniæ, uti advertit Menardus in notis ad Sacramentarium; atque inter alias hæc de recondendis reliquiis, & exercendis vigiliis per totam noctem: ita tamen hic ritus describitur, ut satis intelligatur, tunc temporis, Episcopum primò cum Clericis egisse vigilias in Ecclesia aliqua veteri coram reliquiis in Basilica nova recondendis, quâ consecratâ, revertebatur ad veterem Basilicam, & inde reliquias sublatas solenni processione in novam transferebat. Hunc codicem sub finem seculi 9. scriptum credit Menardus. Et Rabanus Maurus sub medium ejusdem seculi scribens, de vigiliis coram Reliquiis in nocte præcedente agendis agit *lib.* 2. *De Institut. Clericorum cap.* 45. eumque ritum demonstrare ait, "quod ar- „ ca Testamenti cum Sanctis quæ in ea erant, in Taberna- „ culo Mosaico ante ædificationem templi per excubias Le- „ vitarum servabantur.

XVI. Episcopus ad consecrationem Ecclesiæ accedens, tertio ipsam Ecclesiam exterius circuit, & aquâ benedictâ parietes ejus aspergit; ac tertio perveniens ad portam Ecclesiæ eam Baculo Pastorali percutit dicens: *Attollite portas Principes vestras, & elevamini portæ æternales & introibit Rex gloriæ*; ac tertia vice Pontifex facit crucem super liminare in ostio cum inferiore parte Baculi dicens: *Ecce crucis signum, fugiant phantasmata cuncta.*

XVII. In antiquo Codice Sacramentarii apud Menardum hæc leguntur: "Et cum venerint ad ostium Ecclesiæ, „ percutiat Pontifex ter super liminare de cambutta sua, di- „ cens ante portam Antiphonam, *Tollite portas Principes* „ *vestras*.

vestras. Et canant intrantes ipsum psalmum totum ante ostium, & aperto ostio intrantes dicant: *Pax huic domui.*

Cambutta seu cambuta est virga Pastoralis Episcoporum, ait Menardus ibidem in notis *pag.* 189.

Trini circuitus hic Codex non meminit; at meminit illius recentior Codex Ratoldi, uti & Rabanus Maurus loco citato dicens: "Pontifex simul cum Sacerdotibus feretrum portantibus & omni Clero ac cætero populo Laudem & Litanias canendo antequam ingrediatur in templum *ter foris* illud *circuit.*

XVIII. Aspersionis aquæ benedictæ in hac circuitione non meminit præcitatus Codex, neque Rabanus; at Ivo Carnotensis seculo 11. in sermone de Sacramentis dedicationis postquam de benedictione aquæ cum admixtione *salis* fuit loquutus, subjicit: "Istâ *aquâ* ad quamdam Baptismi imaginem *gyrando* Ecclesiam tunc exterius aspergimus: quia ubi more baptizatorum, non potest fieri trina mersio, necesse est, ut qua possumus Sacramenti similitudine trina fiat aspersio. Unam enim habet significationem trina mersio, & trina aspersio.

Ex his non obscurum est, ritus hodiernos in Pontificali descriptos non eodem tempore fuisse adhibitos; sed alios esse recentiores; alios antiquiores.

XIX. Hoc quoque allegata verba Ivonis indicant, aliquas cæremonias in consecratione templi materialis esse adhibitas ad similitudinem eorum, quæ in spiritualis templi, scilicet animæ dedicatione per Baptismum adhibentur: eò quod à Patribus dedicatio templi materialis repræsentaretur ut figura dedicationis templi spiritualis.

XX. Huic verisimiliter originem debent ritus signandi ipsos Ecclesiæ parietes duodecim crucibus; eosque oleo sancto liniendi: ut sicuti in spirituali dedicatione baptizandus crucis signaculo & oleo signatur; ita hîc spiritualis dedicationis figura repræsentetur.

Similiter ut Neophytis sal datur; sic & hic *sal* adhibetur.

Quin & ipsa duplicis *Alphabeti* in ipso templi pavimento delineatio, ex ritu Baptismi derivata videtur. "Quid enim (ait Ivo) per *Alphabetum*, nisi initia & rudimenta Doctrinæ sacræ intelligi convenit? ..... Scribit etiam Pontifex quasi Alphabeti ordinem, cum docet fidei simplicitatem." Ut consequenter in dedicatione templi materialis fiat per Alphabeti descriptionem, quod in dedicatione seu consecratione spirituali agitur per instructionem seu catechizationem Neophytorum in primis fidei & religionis elementis.

XXI. Cùm in hac dedicationis solemnitate magnus esset populi concursus; & gaudium magnum ob exstructam novam Basilicam excitari soleret; etiam convivia instituta fuisse, testatur S. Gregorius *lib.* 9. *epist.* 71. & pluribus probat Du Cange in Glossario verbo, *dedicatio*; ubi advertit convivia illa in luxum & epulas adeò deflexisse, ut" inde postmodum *dedicationis* vocabulum in malam partem tractum sit, ac pro commessatione publica sumptum, quod qui ad ejusmodi festa in vicos ire solent, & non tam pietatis quàm commessationibus & ludricis indulgendi causa eò confluant: hinc etiamnum apud inferiores Gallos, *faire la ducace*, est genio & ebrietati indulgere." Hæc ille.

Quod de inferioribus Gallis dicit citatus auctor, hoc de Belgis vicinisque populis similiter asseri potest; idem namque fit non quidem in ipsa Ecclesiarum prima dedicatione seu consecratione, sed anniversaria ejusdem festivitate; quando primæ dedicationis memoria recolitur; vocarique hodie solet, *Festum dedicationis.*

XXII. An primis seculis annua hæc dedicationis festivitas fieret, incertum est. Eruditi Operum S. Augustini Revisores ad citatum *sermonem* 337. addunt hanc notam *litt. A.* "Possidius in indiculo *c.* 10. notat *de dedicatione Ecclesiæ tractatus duos*: ipsa, putamus, habitos die, qua primum dedicatio fiebat, populi conventu celeberrimo, non verò qua post annum deinceps recolebatur facta jam ante dedicatio. Hujusmodi quippe anniversariæ solemnitatis in vetere Carthaginensis Ecclesiæ Kalendario nullum vestigium.

XXIII. In Sacramentario Gallicano evulgato per Mabillonium *tom.* 1. Musæi Italici *par.* 2, ex antiquo codice reperto in Biblioth. Monasterii Bobiensis, scripto, ut ipse credit, ante annos mille, habetur *pag.* 354. *Missa in dedicatione*, in qua collecta *ad pacem* eadem est, quæ hodie recitatur in anniversaria die dedicationis: *Deus qui nobis per singulos annos* &c. ut vel hinc manifestum sit, etiam eo tempore, in Gallia diem *anniversariam* dedicationis Ecclesiæ fuisse celebratam: & hodie ipsa dies dedicationis anniversaria tamquam una è præcipuis festivitatibus cum octava celebratur in omnibus Ecclesiis.

XXIV. Verùm unà ferè cum festivitate, conviviorum & commessationum abusus passim ubique invaluit. Cum verò Ecclesiarum dedicationis dies non ubique in eumdem diem incidat, solet per æstatem omnibus penè diebus Dominicis nunc in hac, nunc in illa Eclesia dedicatio celebrari: quo ulterius contingit, ut in vicis ac pagis vicinis ad mutuam dedicationem populus concurrat, idque commessationibus & ebrietatibus aliisque inde provenientibus insolentiis & voluptatibus indulgendi causa; verbo, ut gallicè exprimitur, *faire la ducace*; aut flandricè dicitur, *kermus houden.*

XXV. Huic abusui volens occurrere Synodus Cameracensis anno 1550. *tit.* 8. decrevit, ut anniversaria dies dedicationis celebraretur in omnibus Ecclesiis eodem die, quo hæc in Ecclesia Cathedrali celebratur. Idem fieri debet, si sit dubium.

Similiter Synodus Coloniensis anno 1536. *parte.* 9. *cap.* 11. ait: "Cum in diebus festis qui dedicationi Ecclesiarum peculiariter dedicati sunt, plerumque indigna committantur, adeò ut videatur populus tum potissimum commessationis causa convenire: visum nobis est, ut per Diœceses nostras, uno certo die anni, quo hujusmodi festum dedicationis in Metropolitana nostra colitur, in reliquis quoque Ecclesiis omnibus, extra civitatem nostram Coloniam Agrippinam constitutis, observetur.

Synodus Tornacensis anno 1589. advertens similem abusum" præcipit Pastoribus, ut dedicationes omnium hujus Diœcesis Ecclesiarum quæ sunt in pagis, vel etiam in suburbiis oppidorum, celebrent uno eodemque die, idq; quartâ Dominicâ post Pascha." *Tit.* 4. *cap.* 12.

XXVI. Idipsum statuerunt Principes nostri, ac signanter Carolus V. & Philippus II. & hic quidem anno 1598. 22. Junii edito edicto renovando præcedens Caroli V. *art.* 9. statuit: Ad amputandas occasiones ebrietatum, rixarum, contentionum & homicidiorum ex his provenientium, quæ frequenter oriuntur ex conventibus, qui de pago in pagum fieri solent ratione dedicationum quæ ibi celebrantur, conformiter ad id quod ante decretum fuit per suam Cæsaream Majestatem, ut omnes dedicationes Pagorum & Parochiarum ruralium in unaquaque Provincia uno eodemque die, per Concilium Regium Provinciale, audito Episcopo loci, statuendo celebrentur: quodque hæ dedicationes non ultra unum diem protrahentur, sub pœna 50. Carolinorum incurrenda per singulos qui alio tempore aut diutius prædicta dedicationis festa celebrabunt, aut eis assistent; idque in singulas vices. Habetur Edictum *parte* 2. *Edictorum Flandriæ lib.* 1. *Rubrica* 4.

Novissimè quoque Episcopus Leodiensis 5. Aprilis 1692. per speciale decretum voluit, ut per totum Decanatum Bastoniensem & Stabulensem dies anniversaria dedicationis cujuslibet Ecclesiæ insimul, ac unâ eâdemque die, scilicet Dominicâ infra Octavam Sancti Lamberti celebretur, nec ultra dictam diem Dominicam quocumque sub prætextu, causâ vel colore protrahatur.

Cum verò Districtus Bastoniensis Decanatûs se extra dominium temporale Principis Leodiensis extenderet: essetque

que sub potestate Regis Galliæ; ac propterea sine auctoritate Regia in iis partibus publicari non posset, Decanus Bastoniensis Decreti placetum petiit in Senatu Regio Luxemburgi, qui audito Procuratore Regio, annuit, ut Decretum quo ad hoc punctum publicaretur, conformiter ad Edicta Caroli V. & Philippi II. antecitata, die 30. Julii 1692.

Optandum esset, ut hæc Decreta ubique vigerent; atque ipsa templi Dedicatio juxta Ecclesiæ intentionem ubique celebraretur, abrogatis commessationibus & compotationibus, quæ tunc fieri consueverunt (non mediocri timoratorum scandalo) à quibus juramenta, blasphemiæ, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant & provocant; ut in suo Decreto loquitur Episcopus Leodiensis.

XXVII. In pluribus locis mos invaluit, ut dum alicujus Parochialis Ecclesiæ anniversaria dedicationis dies celebratur, Pastores vicini officia solemnia in sua Ecclesia omittant illo die, ut possint tempestivè ad Ecclesiam, cujus dedicationis annua dies agitur, accedere; ac ibidem officio assistere: qui mos forsan ex veteri eaque non contemnenda disciplina, quâ solebant vicini Episcopi ad Dedicationem novæ Basilicæ invitari & accedere, originem habet; atque ad mutuam inter Parochos vicinos concordiam & unitatē fovendam, & celebritatem augendā conducere videtur.

Attamen ex altera parte meritò attenditur, quod dum ob dedicationem vicinæ Ecclesiæ solita officia in Ecclesia propria omittuntur, ut Parochus dedicationi Ecclesiæ vicinæ intersit, populus quodammodo invitetur & incitetur ut unà cum suo Pastore ad eum quoque accedat; eaque occasione non raro in commessationes, potationes, & exinde promanantia vitia incidat.

Monumentum ad Cap. 3. num. 26.

Decretum Episcopi Leodiensis de celebrandis Dedicationibus Ecclesiarum uno eodemque die Dominico.

Joannes Ludovicus, Dei Gratiâ Episcopus & Princeps Leodiensis, Dux Bullonienſis, Marchio Franchimontensis, Comes Lossensis, Hornensis, &c.

Magno animi nostri mœrore intelleximus in Decanatu Bastoniensi Archidiaconatus Arduennæ Diœcesis nostræ Leodiensis gravia, occasione Dedicationum Ecclesiarum peccata committi per Commessationes & compotationes, quæ tunc fieri consueverunt, non mediocri timoratorum scandalo, à quibus juramenta, blasphemiæ, rixæ, & alia ejusmodi sequuntur, quæ Dei iram concitant & provocant; cui malo, quantum possumus, remedium adferre volentes, auctoritate nostrâ ordinariâ præsentium tenore Mandamus, & ordinamus, ut imposterum futuris temporibus per dictum Decanatum, prout & per Stabulensem ejusdem Archidiaconatus, Dies Anniversaria Dedicationis cujuslibet Ecclesiæ, in simul, ac una eademque die, scilicet Dominicâ infra octavam Sancti Lamberti Patroni nostri celebretur, nec ultra dictam diem Dominicam quocumque sub prætextu causa vel colore protrahatur sub pœna arbitrio utriusque respectivè Officialis, Venerabilis Nobilis sincerè nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surlet Arduennæ Archidiaconi, Domini Temporalis d'Odeur, Velroux, Lexby, &c. infligenda, & in pios usus convertenda, seriò injungentes utrique Decano Bastoniensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu, has nostras præsentes Ordinationis & Mandati litteras, debitè & ubique promulgari faciant, Pastoribus verò & eorum subditis, ut eisdem sese omnino conforment. Denique Fiscis, ut in omnes & singulos contravenientes diligenter inquirant, & contra eosdem cum omni rigore procedant. Quoniam talis est nostra seria voluntas. Datum in civitate nostra Leodiensi sub Signatura & Sigillo nostris, anno Domini 1692. mensis Aprilis, die quinta.

JOANNES LUDOVICUS.

Locus † Sigilli.

HEN. MARTINI.

Decretum Senatûs Regii Luxemburgensis quo supradicti Decreti Leodiensis executio permittitur cum quadam moderatione.

Les Gouverneur Président & Gens du Conseil du Roy nostre Sire ordonné ex pays Duché de Luxemburg & Comté de Chiny à tous ceux qui ces presentes lettres verront salut. Sçavoir faisons que veue la Requeste presentée par M. Jean. de Herstenval Prestre Curé d'Ortho Doyen & Official de la Chrestienneté de Bastogne contenante, que desirant faire publier & observer le mandement du 5. Avril dernier du Reverendissime Evésque & Prince de Liege joint à ladite Requete, il plaise au Conseil luy accorder le placet en tel cas requis & accoutumé, ledit mandement portant que les Dedicasses de toutes les Eglises dans l'estendue de ladite Chrestienneté de Bastogne se celebreront à un mesme jour sçavoir le jour de Dimanche pendant l'Octave de S. Lambert sans estre differé sous quel pretexte que ce soit à telle peine que sera arbitré par l'Archidiacre d'Ardenne, ordonnant audit Doyen & Official de Bastogne de faire publier par son District ledit mandement, & aux Curez & leurs Paroissiens de s'y conformer & aux Fiscaux de Liege de proceder contre les contrevenans avec toute les rigueurs. Ladite Requete & mandement communiqué au Procureur General du Roy par Decret du 18. May dernier ensemble ses Conclusions sur ce données. Veu en outre les Ordonnances de l'Empereur Charles Quint du 7. Octobre 1535. & de Philippe II. Roy d'Espagne du 22. Juin 1589. reproduites d'office. La Cour disposant sur les conclusions du Procureur General du Roy ordonne conformement auxdites Ordonnances que toutes les Festes, Dedicasses ou Kirmes des Villages ou Paroisses Champestres par tous les Doyaux de Bastogne se tiendront le Dimanche pendant l'Octave de S. Lambert & qu'elles ne dureront qu'un seul jour à peine de vingt livres d'amende à four faire par ceux & un chacun qui en autre temps au plus que ledit jour celebreront ladite Feste ou s'y trouveront pour tant de fois qu'il adviendra, Et permet que la declaration de l'Evesque de Liege du 5. Avril dernier sera publiée & affichée pour estre executée seulement à l'egard des translations des Dedicasses des Eglises dudit Doyanne bien entendu que les clauses inserées (sub pœna arbitrio utriusque respectivè Officialis Venerabilis Nobilis sincerè nobis dilecti Joannis Ernesti Baronis de Surlet, Arduennæ Archidiaconi, Domini Temporalis d'Odeur, Velroux, Lexhy, &c. infligenda, & in pios usus convertenda: seriò injungentes utrique Decano Bastoniensi, & Stabulensi, ut in suo quilibet districtu, has nostras præsentes Ordinationis & Mandati litteras, debitè & ubique

que promulgari faciant. Pastoribus verò, & eorum subditis, ut eisdem sese omnino conforment. Demum Fiscis ut in omnes & singulos contravenientes diligenter inquirant, & contra eosdem cum omni rigore procedant, Quoniam talis est seria nostra voluntas *N'auront aucun effect en ce Pays : mais que les contrevenant seront poursuivis pardevant les Juges de ce pays comme il convient. Mandant au premier Huissier sur ce requis de signifier & mettre ses presentes en deve execution prononcé à Luxembourg le 30. Juillet 1692. signé Iste Maitre & y étoit imprimé le Contreseel dudit Conseil.*

CAPUT IV.

De Reconsecratione & Reconciliatione Ecclesiarum.

1. *Templum semel consecratum iterum consecrari nequit.*
2. *Hæc disciplina ex similitudine cũ Baptismo inducta.*
3. *Hanc inductæ hujus disciplinæ rationem insinuant Canones.*
4. *Ecclesia in aliquibus partibus destructa,* parietibus *illæsis reconsecranda non est.*
5. *Ratio hujus disciplinæ.*
6. *Numquam Ecclesia reconsecranda, dum manet eadem moraliter.*
7. *Si dubia sit consecratio poterit denuò consecrari.*
8. *Seculo 11. persuasum fuit, principali Altari everso totam Ecclesiam esse consecrandam.*
9. *Hæc persuasio fundata fuit in Canone falsò Higino Papæ adscripto.*
10. *Contraria disciplina à seculo 12. invaluit, & hodie recepta est.*
11. *Ratio mutatæ disciplinæ.*
12. *Ecclesia violata reconciliari potest, non reconsecrari.*
13. *Sanguinis effusione polluitur Ecclesia.*
14. *Copiosa sanguinis effusio non semper inducit profanationem.*
15. *Sola percussio etiam gravis & enormis sine sanguinis effusione non profanat Ecclesiam.*
16. *Homicidium sine sanguinis effusione profanationem causat.*
17. *Mors secuta in Ecclesia ex vulnere inflicto extra Ecclesiam violationem non inducit.*
18. *An pollutâ Ecclesiâ censeatur pollutum Cœmeterium, aut econtra?*
19. *Effectus pollutionis templi materialis.*
20. *Aquâ per ipsum Episcopum benedictâ reconciliatio fieri debet.*
21. *Jure Decretalium reconciliatio facienda per Episcopum? nec eam simplici Presbytero delegare potest.*
22. *Dicitur à Pontifice variis Episcopis privilegium delegandi esse concessum; ac simili gaudere videntur Episcopi Belgii.*
23. *Quare hæc reconciliatio olim soli Episcopo reservata?*
24. *Cur* Cineres & Hyssopus *adhibeantur?*
25. *Jam pridem à Theologis notatum, hac reconciliatione figurari reconciliationem Pœnitentum.*
26. *Reconciliatio solemnis non facienda, nisi violatio fuerit* publica; *& quando Ecclesia fuit solemniter consecrata.*

Ecclesiam semel solemni ritu consecratam denuò reconsecrari non posse, quocumque etiam enormi crimine pollutam seu profanatam, expeditum est, multisque Canonibus apud Gratianum relatis expressum.

II. Cùm enim receptum esset, consecrationem templi materialis repræsentare consecrationem templi spiritualis per Baptismum; atque hâc ratione, ritus istius consecrationis ad similitudinem rituum hujus spiritualis consecrationis essent plures inducti, etiam visum fuit, quòd sicuti templum spirituale semel per Baptismum consecratum, licet postmodum per peccatum fuerit violatum, non potest iteratò per Baptismum reconsecrari; ita nec templi materialis solemnis consecratio, huic spiritualis templi consecrationi respondens iteranda sit.

III. Hanc rationem apertè indicat Decretum, quod sub nomine Concilii Nicæni refert Gratianus *Dist.* 68. *Can.* 3. & rursus *Dist.* 1. *De Consecrat. Can.* 20. Postquam enim dictum esset; *Ecclesiis semel Deo dedicatis non debet iterum consecratio adhiberi*, ratio subjungitur: "Quia sicut *infans* à qualicumque Sacerdote in „nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti *semel* bapti„zatus, non debet *iterum* baptizari, ita nec locus Deo „dicatus iterum consecrandus est.

Quamvis hoc Decretum inter Canones Nicænos non reperiatur; nec ullus veterum Scriptorum illius meminerit; nec consequenter ex illo ætam hujus disciplinæ statuere possimus, nihilominus fundamentum illius inductæ disciplinæ non obscurè ex illo colligimus.

IV. Hàc disciplinâ stabilitâ, quæsitum fuit ab Innocentio III. num "Ligneis ædificiis Ecclesiæ casu „consumptis, parietibus tamen illæsis, ac mensâ „principalis Altaris in sua extremitate modicam pas„sâ fracturam, si propter hoc ipsius Altaris, vel etiam „totius Ecclesiæ debet consecratio innovari? "Respondit Pontifex in *Cap.* 6. *ii De Consecrat. Eccl.* "Quòd cùm *parietes* in sua integritate permanserint, & „tabula Altaris mota & enormiter læsa non fuerit, ob „causam prædictam, nec Ecclesia, nec Altare debet de„nuò consecrari.

V. Ratio hujus responsi fuit, quòd *parietes* præcipuam Ecclesiæ materialis partem, & ipsius quasi exteriorem formam constituant. Hinc ipsi parietes, præ reliquis fabricæ partibus, crucibus signantur & inunguntur, atque asperguntur. Itaque his manentibus illæsis, licet aliæ nonnullæ partes destructæ aut absumptæ sint, censetur manere moraliter eadem Ecclesia.

VI. Quandocumque ergo manet moraliter eadem Ecclesia, etiamsi per partes subinde fuerit reparata; idque tam frequenter, & in tam multis partibus, ut reverà totum tandem ædificium constet per partes renovatum, tamen si semper manserit idem ædificium, non erit denuò consecranda; uti post alios latè deducit Barbosa De Officio Episcopi *Alleg.* 37.

VII. Verùm sicuti Baptismus denuò reiterari potest, si dubitetur, an validè collatus fuerit, ita quoque Consecratio Ecclesiæ reiteranda est, si de ea dubitetur. *Can.* 18. *Dist.* 1. *De Consecrat.* ubi sub nomine Concilii Meldensis refertur: "Ecclesia vel Altaria quæ *ambigua* „sunt de consecratione, consecrentur, & superflua Al„taria destruantur.

Hic Canon extat *lib.* 1. *Capitularium c.* 145. demptis ultimis verbis, *de destruendis altaribus superfluis*; atque hinc primitus Canonem desumptum esse, non autem ex Concilio Meldensi, in quo non reperitur, notat Stephanus Baluzius in notis ad Gratianum, unà erroris fontem indicans.

Hinc equidem apparet, tempore Capitularium, id est, seculo 9. hanc disciplinam de reiteratione consecrationis in casu dubio, notam fuisse.

VIII. Seculo undecimo dubitatum fuisse, an quando Altare motum est, aut destructum, debeat ipsa Ecclesia de novo consecrari; illudque tamquam dubium

sibi à quodam Abbate propositum fuisse, significat S. Anselmus *lib.3. epist.* 159. "De quo quidem neque in Decretis, neque in Canonibus (ait) memini me aliquid legisse: sed à quodam Episcopo audivi quod in decretis Eugenii Papæ legitur, Altare motum iterum consecrandum. De his enim Domino Papæ Urbano locutus sum, assistentibus quibusdam Episcopis. Sed Papa dicebat, mensam Altaris motam, nec reconciliandam, nec iterum consecrandam, nec amplius in Altare reputandam. Alii verò dicebant, tantùm reconciliandam, nullam tamen authoritatem ostendentes. In hoc tamen omnes concordant, quod violato principali, tota Ecclesia cum altari iterum consecranda est: nec Ecclesia consecranda est sine consecratione altaris, aut principalis aut alicujus alterius in eadem Ecclesia. In his autem omnes concordant cum quibus loquutus sum, exceptâ altaris mensâ. Item si aliqua pars Ecclesiæ destructa reficitur, aut ita fit altari immoto, aquâ tantùm ab Episcopo benedictâ, aspergendam dicunt.

Post hæc subjicit: "Ratio autem quam à me quæsivisti, hæc mihi videtur super his: altare non propter Ecclesiam, sed Ecclesia propter altare, & ideo violato principali altari, jam non videtur esse Ecclesia: quia non est illud propter quod Ecclesia constituitur & consecratur. Quapropter cum illud sit novum rectè videtur cum eo consecrari, per quod recipit ut sit Ecclesia.

IX. Quod hic Anselmus dicit de Decretis *Urbani*, intelligi debet de Decreto quod sub nomine Higini Papæ extat apud Gratianum *Dist.* 1. *De Consecrat. Can.* 19. quod ita habet: "Si motum fuerit altare, denuò consecretur Ecclesia: si parietes mutantur, & non altare, salibus tantùm exorcizetur. "Simile quid refertur sub nomine Vigilii Papæ in *Can.* 24. *eadem Dist.*

Præcitatum Decretum Higino Papæ, qui seculo 2. sedit, adscribi non posse Eruditis hodie sat persuasum est. Quin & observat Joannes Baptista Thiers in sua Dissertatione de principalioribus Ecclesiarum altaribus *cap.* 2. sat verisimile esse, nullam specialem consecrationem altaribus ante seculum quintum fuisse impensam; sed quod solo attactu Corporis & Sanguinis Domini consecrata reputarentur, juxta illud Chrysostomi Homilia 20, in epistolam 2. ad Corinth. *Hoc altare natura quidem lapis est sanctum autem efficitur postquam Corpus Christi excepit.*

Quidquid sit hoc constat, seculo undecimo sententiam ab Anselmo relatam communiter fuisse receptam, idque auctoritate dicti Canonis Higino adscribi. Unde eodem tempore S. Ivo Carnotensis consultus super eodem dubio, rescribit in eandem sententiam, idque eodem adducto Canone; quem etiam ipse tamquam ex Decretis Higini Papæ desumptum retulit *parte* 3. *sui Decreti cap.* 13.

X. At circa finem seculi 12. hæc disciplina mutari cœpit; uti constat ex Decretali Alexandri III. in *Cap.* 1. ꝥ *De Consecrat. Ecclesia*, ubi scribit: "Si altare motum fuerit, Ecclesia propter hoc nequaquam suam *consuevit* consecrationem iterare.

Quæ verba ostendunt Pontificem hîc nullum novum jus induxisse; sed respondisse juxta id quod suo tempore *consueverat* observari.

Addens autem Pontifex: *licet id quidam Canones innuere videantur*, scilicet altari moto Ecclesiam esse reconsecrandam, indubiè respexit ad relatos Canones apud Gratianum; qui sat apertè significant *reconsecrationem* esse faciendam: sed cum hæc sint tantum disciplinæ & ceremonialia, facilè mutari potuerunt; quare juxta Decretalem Alexandri III. hodie receptum est, ob motionem Altaris, Ecclesiam non esse denuò consecrandam.

XI. Consideratunt enim recentiores, consecrationem altaris planè separatam esse à consecratione Ecclesiæ; neque hanc ab ulla ullatenus dependere: ut proinde nec Sancti Anselmi, nec Ivonis ratiocinatio fundata sit; utpote pro fundamento supponens, hanc à priori dependere.

Altarium enim consecratio plane diversa est, etiam quoad ritus à consecratione Ecclesiæ, extatque distincta in Pontificali Romano; ubi quoque præscribitur ritus consecrationis altaris *portatilis*, cujus circa seculum 8. invaluit; & quo hodie passim utuntur pro Missarum celebratione in locis etiam non consecratis, aut benedictis; uti supra notatum est *titulo* 5. *cap.* 8. *num.* 10.

XII. Quemadmodum templum spirituale per crimen profanatum non potest quidem per Baptismum reconsecrari, sed tantum reconciliari debet per aquas pœnitentiæ; ita & templum materiale profanatum seu violatum, non quidem solemni ritu consecrandum est, sed tamen reconciliandum, idque reconciliatione quæ reconciliationi templi spiritualis per pœnitentiam respondeat.

XIII. Contingit Ecclesiam pollui variis modis; ac imprimis per sanguinis humani effusionem in eo factam; de qua in *Cap.* 4. & *Cap. fin.* ꝥ *De Consecrat. Eccl.* item in *Cap. Unico eodem in* VI. in quibus simpliciter dicitur *sanguinis effusione Ecclesiam violari*: sed id indubiè de injuriosa & voluntaria effusione intelligi debet; quemadmodum Doctores uno consensu docent; & communis praxis observat. Unde Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 9. *cap.* 7. ait: "Reconciliatur Ecclesia aut cœmeterium ob *enormem* sanguinis effusionem, *dedita* opera *violenter* & *injuriose* commissam.

XIV. Cum ergo non ipsa materialis sanguinis effusio ipsam Ecclesiæ pollutionem seu profanationem præcipuè inducat; sed ipsum crimen quod in sanguinis effusione perpetratur; consequens est, ipsam Ecclesiam ex mente Canonum non pollui, tametsi etiam copiosus sanguis effluat, si tamen percussio levis fuerit; ut si v. gr. pueri in rixa alter alterum percutiat, & ex naribus copiosus sanguis effluat; uti post alios citatos notat Barbosa de Officio Episcopi *Allegat.* 28. *nu.* 36. Si tamen (ait) sanguis exiret de naso ex percussione violenta inter majores 14. annorum; Ecclesiam pollui, resolvit judicatumque refert Marianus Anton. *lib.* 1. *Variarum Resol.* 112. *casu* 6. Ita Barbosa; quod indubiè intelligi debet, si ex modo percussionis aliisque circumstantiis sat appareat, percussionem hanc gravem fuisse & enormem.

XV. Quia tamen ipsæ Decretales loquentes de pollutione ob vulnus inflictum, specialiter meminerunt effusionis sanguinis, videntur ipsam pollutionem in *effusionem* sanguinis refundere: unde & communiter receptum est, ex percussione quantumvis gravi & enormi facta in Ecclesia, eam non pollui, si nulla sequuta sit sanguinis *effusio*, uti post alios resolvit Barbosa loco citato *num.* 35. quin etsi modicum sanguinis effundatur nequaquam censebitur polluta. Ipsum enim verbum, *effusio*, videtur sanguinis abundantiam & copiosum fluxum denotare, Barbosa ibid. *num.* 31.

XVI. Si tamen citra sanguinis effusionem ex vulnere in Ecclesia inflicto sequatur mors vulnerati, indubiè ipsa Ecclesia censebitur polluta *Cap.* 4. ꝥ *De Consecrat. Ecclesia*; ubi simpliciter propter homicidia in Ecclesia contingentia Ecclesiam reconciliandam esse respondit Pontifex.

XVII. Ubi autem vulnus inflictum esset extra Ecclesiam

clesiam; & vulneratus moreretur intra Ecclesiam, non pollui ob eam mortem ipsam Ecclesiam resolvit Barbosa ibidem *num.* 23. quia ipsum homicidium, cui ipsa pollutio adscribitur, non contigit in Ecclesia. Unde è contrario si vulnus lethale inflictum sit in Ecclesia, & mors sequatur extra Ecclesiam, polluta censebitur Ecclesia.

XVIII. Polluta autem Ecclesia cœmeterium si ei fuerit contiguum, censebitur quoque pollutum; secus si remotum fuerit ab eadem.

At è converso polluto cœmeterio non censetur propterea polluta Ecclesia, tametsi contigua, *Cap. Unico De Consecratione Ecclesiæ in* VI. ubi unà declaratur; quod si duo sint cœmeteria quæ pariete medio sibi junguntur, quod uno polluto, aliud pollutum censeri non debeat.

XIX. Effectus pollutionis est, quod in Ecclesia polluta ante reconciliationem divina officia, præsertim Missarum solemnia, celebrari nequeant *Cap. fin.* ;; *De Consecrat. Ecclesiæ. Cap.* 11. ;; *De Privilegiis*, & *Cap.* 18. *De Sent. Excommunic. in* VI, ubi Bonifacius VIII. respondet, quod is qui in Ecclesia polluta scienter celebrare præsumit, *temerariè* agat; sed tamen irregularis non efficiatur: *cum id* [ait] *non sit expressum in jure.*

XX. Reconciliatio Ecclesiæ, uti & cœmeterii fit mediante aqua cum vino & cinere per Episcopum benedicta. Quamvis enim aqua tam pro administratione Baptismi, quam piacularis pro benedictione populi à Presbyteris benedicatur; tamen hæc aqua, quæ cum cinere miscetur pro reconciliatione Ecclesiæ, tantùm per Episcopum benedicitur; unde & ad distinctionem alterius aquæ vocatur hæc, *aqua consecrata.*

XXI. Porrò sicuti aqua hæc à solo Episcopo benedicenda est; ita & Ecclesiæ reconciliatio, juxta responsum Gregorii IX. in *Cap.* 9. ;; *De Consecr. Ecclesiæ*, non nisi per Episcopum fieri potest; eamque per simplices Sacerdotes fieri, etiam ex delegatione Episcopi prohibet Gregorius, non obstante consuetudine Ecclesiæ Bracharensis, *quæ* (ait) *dicenda est potius corruptela.*

Rationem allegat Pontifex: "Quia licet Episcopus
„ committere valeat quæ jurisdictionis existunt: quæ
„ ordinis tamen Episcopalis sunt, non potest inferioris
„ gradus clericis demandare. Quod autem mandantibus
„ Episcopis super reconciliatione factum est hactenus
„ per eosdem, misericorditer toleramus.

Ex hoc textu uno consensu concludunt Canonistæ Episcopum non posse simplici Sacerdoti, sive *non Episcopo* committere reconciliationem Ecclesiæ antea consecratæ; tametsi aqua ab ipso esset benedicta.

XXII. Dicit tamen Innocentius in commentario ad hunc textum, "se ante audivisse Papam pluribus Episco-
„ pis indulsisse ut per simplices Sacerdotes possent re-
„ conciliare Ecclesias aquâ tamen priùs per Episco-
„ pum benedictâ." Ita ex Innocentio refert Fagna-
„ nus ad *Cap.* AQUA *De Consecr. Ecclesiæ numer.* 6.

An Episcopis Belgii simile à Pontifice privilegium datum sit, nescio: hoc equidem scio, ipsos reconciliationem Ecclesiæ etiam consecratæ, Presbytero subinde delegare, aquâ ab Episcopo priùs benedictâ. Inter facultates à Sede Apostolica datas Vicario Apostolico Silvæducensi legitur *n.* 13. facultas "reconciliandi Ecclesias
„ pollutas aquâ ab Episcopo benedictâ, & in casu neces-
„ sitatis, etiam aquâ non benedictâ ab Episcopo." Habentur hæ facultates ad calcem Synodorum Silvæducensium *edit.* an. 1692.

XXIII. Quod de jure hæc reconciliatio privativè Episcopo tribuatur, inde factum videtur quod hæc publica & solemnis templi materialis reconciliatio figura videatur solemnis ac publicæ reconciliationis animæ per peccatum pollutæ; consequenter etiam ad exemplum solemnis conciliationis Pœnitentium, hanc reconciliationem Episcopo reservandam fore visum fuit. Quod autem in casu delegationis aqua debeat esse ab Episcopo benedicta, ostendit auctoritatem Episcopalem etiam hìc aliquo modo debere intervenire.

XXIV. Ad idem referendum, quod sicut in publica ac solemni Pœnitentia & Pœnitentium reconciliatione *cinerum* usus fuit; ita & hìc cineres cum aqua miscentur.

Similiter aspersorium de herba *hyssopi* factum, quo aqua benedicta aspergenda est, quid aliud, quam Pœnitentum reconciliationem exprimit; juxta illud Psalmistæ: *Asperges me hyssopo & mundabor?*

XXV. Et sane per reconciliationem hanc, figurari reconciliationem peccatoris jam pridem adverterunt Theologi, uti notat antiquus Glossographus ad *Cap. Unicum De Consecrat. Ecclesiæ in* VI. verbo *Pollui:* "Dicunt enim
(ait) Theologi quod ideo reconciliatur Ecclesia, ut vi-
„ dentes Laici Ecclesiam sic lavari quæ non peccavit, co-
„ gitent intra se quantum pro lavatione peccatorum la-
„ borandum sit.

Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 9. agens de consecratione & reconciliatione Ecclesiarum ostendit *c.*
„ 17. Locum sacrum reconciliari ad exemplum & ter-
„ rorem, ut videntes locum sacrum seu inanimatum tem-
„ plum nullo peccato obnoxium, lavari & purificari, de-
„ licti horrore concutiantur, & recogitent, quantum pro
„ expiatione delictorum, & vivo Dei templo sit elabo-
„ randum.

XXVI. Sicuti solemnis pœnitentiæ & reconciliationis usus est dumtaxat in peccatore publico; & quidem qui antea per Baptismum Deo fuerat consecratus; ita solemnis recõciliatio hæc non impenditur nisi pollutio sit *publica*, uti rectè monet Synodus Coloniensis parte citata *c.* 18. uti nec illa requiritur, si Ecclesia antea non fuerit solemniter consecrata. Si enim dumtaxat fuerit *benedicta*, tantum aquâ *exorcizatâ* seu benedictâ lavanda erit *Cap. fin.* ;; *De Consecrat. Eccles.* idque etiam per simplicem Presbyterum, uti post Glossam ad hoc Capitulum communiter docent Doctores: & communis praxis suffragatur.

CAPUT V.

De reparandis Ecclesiis.

1. *Jam pridem proventus Ecclesiastici in reparationem Ecclesiarum impensi.*
2. *Reditibus Ecclesiasticis in quatuor portiones divisis, una cedebat in reparationem fabricæ.*
3. *In Hispania tertia pars cedebat.*
4. *Quomodo bona fabricæ hodie in reparationem Ecclesiarum cedere debeant.*
5. *Decimis onus reparandi Ecclesias qua ratione incumbat?*
6. *Beneficiati ad reparationem jam pridem fuere adstricti.*
7. *Hæc Beneficiatorum obligatio auctoritate Canonum adstruitur.*
8. *Eam declarat Synodus Tridentina; item Edictum Principum Belgii.*
9. *Quomodo jura Beneficiatos ad reparationem constringant.*
10. *Parochus habens simplicem competentiam ad reparationem non tenetur.*
11. *Decimatores licet non sint Beneficiati ad reparationem tenentur.*

12. *Quid de hac Decimatorum obligatione statuant Synodi Belgicæ.*
13. *Edictum Principum ad reparationem vocat ipsos Decimatores.*
14. *Pro qua parte Decimatores ad reparationem teneantur ex Edicto Principum.*
15. *Quæ decimarum portio in Gallia pro reparatione adjudicari soleat?*
16. *Portio decimarum in reparationem impendenda intelligitur deducto omni alio onere.*
17. *Onus reparationis Decimatoribus aut Incolis incumbens solet tantùm concernere Ecclesiam Parochialem.*
18. *Onus reparandi Capellam ordinariè Parochianis aut Decimatoribus non incumbit.*
19. *Interdum tamen obligantur.*
20. *Onus reparandi Ecclesiam* necessarias *reparationes spectat.*
21. *Forma reparationis arbitrio judicis determinanda; & quæ à judice attendenda?*
22. *Reparatio institui non potest nisi vocatis* quorum interest; *coram quibus & Æditui computum reddere debent.*
23. *Interdum Incolæ prò reparatione contribuere debent, sed sine auctoritate judicis secularis hic cogi non possunt.*
24. *Populo ad reparationem adstricto, qui teneantur, & quomodo onus imponendum?*
25. *Particularis loci consuetudo, & concordatum juri communi & generalibus Patriæ regulis in hac materia præfertur.*
26. *Reparatio* Navis *Incolis, & reparatio* Chori *Decimatoribus multis in locis incumbit.*
27. *Quid* Navis *nomine veniat?*
28. *An Decimatores ad reparationem* turris *teneantur?*
29. *Cui Campanarum restauratio incumbat?*
30. *Decimatores solent teneri ad Ornamentorum subministrationem.*
31. *Qualia subministranda Ornamenta?*
32. *Ornamenta pretiosa cur magis Parochialibus, quàm Monachalibus Ecclesiis conveniant?*
33. *Quis sit judex competens in materia reparationis Ecclesiarum?*

I. NOn tantùm jam pridem solliciti fuêre Patres, ut templa ædificarentur; sed etiam ut ædificata sarta tecta conservarentur.

Hunc in finem certam partem proventuum Ecclesiasticorum in reparationem fabricæ reservabant.

"De oblationibus vel agris, quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc non habentibus Deo sibi inspirante contulerit, ipsorum agrorum vel Clericorum immunitate concessa, id esse justissimum definimus, ut in *reparationibus* Ecclesiarum, alimoniis Sacerdotum, & pauperum refectione, vel redemptionibus captivorum, quidquid Deus in fructibus dare dignatus fuerit expendatur, & Clerici in adjutorium Ecclesiastici operis constringantur." Ita Synodus Aurelianensis I. Anno 1011. *Can.* 5.

II. Divisio redituum Ecclesiasticorum in quatuor portiones, quarum una *Fabricæ* Ecclesiæ impendenda erat, adeò stabilita erat seculo sexto, ut ad Augustinum Anglorum Episcopum scribat S. Gregorius; "Mos est Apostolicæ Sedis, Ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, *quatuor* fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis *reparandis*." Apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 30. ubi & plures Canones hanc divisionem stabilientes occurrunt.

Hoc autem notandum, quod illa portio, quæ in citato Canone dicitur impendenda Ecclesiis *reparandis*, eadem sit, quæ in aliis Canonibus dicitur cedere *Fabricis*: eò quòd Fabricæ impendi, nihil aliud sit, quàm Fabricæ intertentioni & reparationi impendi.

III. In Hispania olim moris fuisse apparet, ut tertia pars proventuum Fabricis cederet; eaque à restaurandis seu reparandis Ecclesiis ex Episcopi ordinatione impendi debebat ex Canonum præscripto.

Et quidem Concilium Tarraconense anno 516. *Can.* 8. ait; "Decernimus, ut *antiquæ* consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus ab Episcopo Diœceses visitentur, &, si qua fortè Basilica fuerit reperta destituta, *ordinatione* ejus *reparari* præcipiatur: quia *tertia* pars ex omnibus per *antiquam* traditionem, ut accipiatur ab Episcopis, novimus esse statutum." Gratianus *Caus.* 10 *q.* 1. *Can.* 10.

Fixum igitur & indubitatum est, aliquam partem proventuum Ecclesiasticorum jam pridem Fabricis Ecclesiarum fuisse destinatam; atque eamdem reparandis Ecclesiis ex Episcoporum ordinatione impendendam fuisse.

IV. Quamvis hodie non fiat ea redituum Ecclesiasticorum divisio in partes, quarum tertia aut quarta cedat Fabricæ; tamen si quæ pro Fabrica specialiter sint deputata, ex antiqua disciplina & hodie in reparationem Ecclesiarum impendenda sunt. Hinc ait Peckius in tractatu suo *De Reparandis Ecclesiis cap.* 14. "Omnes in eo conveniunt Interpretes ad *Cap.* 1. ※ *De ædificandis Eccles.* quod cessante consuetudine, statuto, seu dispositione speciali, reparatio Ecclesiæ ex ea portione, quæ à jure ad Fabricam deputata est, fieri debeat.

Unde & Edicto Principum nostrorum super reparatione Ecclesiarum evulgato 2. Octobris 1613. cavetur, quod inprimis cessantibus *specialibus* tractatibus aut conventionibus super reparatione facienda inter aliquos initis, proventus *Fabricæ* impendentur, tam in novam ædificiorum constructionem, quàm antiquorum reparationem. Habetur Edictum *lib.* 1. Edictorum Flandriæ *pag.* 37.

V. Quod autem quarta aut tertia pars etiam decimarum olim fabricæ deputaretur, æquum erat; quia, uti rectè post Rebuffum in tractatu *De decimis quæst.* 2. *nu.* 4. monet Peckius ibid. *num.* 2. decimæ non tantùm sunt institutæ pro victu Ministrorum Ecclesiæ, aut propter pauperum & hospitum receptionem, aut Sacrificiorum oblationem; sed etiam propter *Fabricæ* Ecclesiæ constructionem & tuitionem.

Deinde subjicit Peckius; "Et quamvis hodie distributio illa antiqui juris, in omnibus non servetur; illud tamen & jure & consuetudine receptum est, ut hoc onus prædictis reditibus, proventibus & decimis annexum, eum sequatur, qui eorum usum, fruitionem, perceptionem, & commoditatem habet.... Utique proventus, reditus & decimæ ejusmodi, cum onere reparationis, ad eum qui percipit & fruitur, transire debent. Quod ex *Can.* PRISCIS, & *Can.* UNIO *Caus.* 10. *q.* 3. satis confirmatur, ubi si Episcopus portiones Parochiarum percipiat, ad Ecclesiæ reparationem obligatur.

VI. Unde & jam pridem cautum fuit, ut quicumque Ecclesiasticum Beneficium habent, omnino adjuvent ad tecta Ecclesiæ restauranda, vel ipsas Ecclesias emendandas." Ita ex Concilio Moguntino anni 813. Refertur in *Cap.* 1. ※ *de Ecclesiis ædificandis*; & eodem tempore in quodam Capitulari Caroli

M. cap.

Digitized by Google

M. *cap.* 24. confirmatum legitur. Habetur *tomo* 7. Concil. generalium *col.* 1289.

Concilium quidem Moguntinum, uti & hoc Capitulare de Clericis aut Beneficiis Ecclesiasticis hic non loquuntur; sed de Laicis qui decimas aliave bona Ecclesiæ jure *feudi* seu *Beneficii* tenebant; uti rectè notavit & ostendit Gonzales in notis ad dictum *Cap.* 1. & non obscurè innuit totus contextus Canonis Concilii Moguntini, uti refertur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum, ubi adduntur hæc verba (à Raymundo Decretalium Gregorii IX. collectore omissa) *& nonam & decimam reddant*, quæ nonnisi ad Laicos decimas & bona ab Ecclesia jure feudi tenentes referri possunt.

VII. Interim ex hac Decretali concludunt omnes passim Interpretes, habentes Beneficium in Ecclesia, teneri ad ejus reparationem: quæ conclusio, quamvis ex citato Canone Moguntino, prout primitus editus fuit, deduci non posset, nihilominus aliis Canonibus, & naturali rationi consonat.

Canones enim passim ipsos Ecclesiæ Beneficiarios ad restaurationem ipsius Ecclesiæ obstrictos declarant; rationi justitiæque consonum judicantes, eos qui reditus ac proventus Ecclesiæ percipiunt, ad earum quoque restaurationem teneri.

" De destructis Ecclesiis, ut ab eis, qui eas possi„ dent, reædificentur, & si non sufficiant; à populo „ adjuventur " ait Synodus Romana sub Eugenio II. *Can.* 25.

Et generaliter Synodus Turonensis *parte* 2. *cap.* 11. „ Ut Ecclesiæ sarciantur, vel restaurentur ab iis, qui re„ bus earum utuntur, aut ab unoquoque tale ex earum „ familia præbeatur adjutorium, per quod si fieri potest, „ reædificentur.

VIII. His conformis est dispositio Concilii Tridentini *sess.* 21. *cap.* 7. *De Reformat.* qua decernitur, Episcopi „ Ecclesias Parochiales collapsas restaurari procurent „ ex fructibus & proventibus quibuscumque ad easdem „ Ecclesias quomodocumque pertinentibus: Qui si non „ fuerint sufficientes (ait) omnes Patronos, & alios, qui „ fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes perci„ piunt.... ad prædicta cogant.

Edictum quoque Principum nostrorum ante citatum expresse vult, ut contribuant ad reparationem Ecclesiarum, qui Beneficia in iis Ecclesiis possident; idque, ait, *juxta juris communis dispositionem*.

IX. Jus commune Beneficiatos ad Ecclesiarum restaurationem astringit, inspecta ipsa fructuum portione, quam ab Ecclesia percipiunt: " Æquum enim est „ (ait Peckius *cap.* 20.) eum qui lucrum sentit, onus „ quoque sentire.

Adhæc jus commune ea conditione Beneficiatos ad restaurationem Ecclesiæ obligat, *si eis supersit*; quemadmodum respondit Alexander III. in *cap.* 4. *De Ecclesiis ædificandis*; " De his qui Parochiales „ Ecclesias habent, duximus respondendum, quod ad „ reparationem & institutionem Ecclesiarum cogi de„ bent, cum opus fuerit, de bonis, quæ sunt ipsius Eccle„ siæ, *si eis supersint*, conferre, ut eorum exemplo cæteri „ invitentur.

X. Hinc communiter concluditur, & in praxi servatur, quod Parochi qui nullas decimas habent, sed sola pastorali competentiâ contenti sunt, ad Ecclesiarum reparationem non teneantur; eo quod nihil eis ex bonis Ecclesiæ superesse credatur: quandoquidem *competentia* honestæ Parochi sustentationi commensurata supponatur.

XI. Sed quia Beneficiati ad reparationem Ecclesiarum vocantur ratione proventuum quos ab Ecclesia recipiunt, hinc Monasteria, Capitula, & alii ad quos decimæ & proventus Ecclesiarum sunt devoluta, quamvis Beneficia Ecclesiastica verè non habeant in iis Ecclesiis, ad earum tamen restaurationem ratione perceptionis dictorum proventuum, vocantur.

Synodus habita circa annum 1179. ab Archiepiscopo Rothomagensi ejusque Suffraganeis apud Pontem Audomari, *cap.* 8. ait: " Statuimus etiam „ ut Abbates, Priores, & aliæ Ecclesiasticæ personæ, „ quæ percipiunt *majores decimas* in Parochialibus „ Ecclesiis compellantur ad *restaurandam* Fabricam „ libros & ornamenta, pro *rata* quam percipiant in „ eisdem.

XII. Synodus P. I. Cameracensis titulo De Decimis *cap.* 8. vult, ut " in Ecclesiis, quarum instaurari ac refici „ Chorus eorum sumptu debet, qui decimas capiunt „ omnes Ecclesiastici qui easdem decimas obtinent, eti„ amsi patroni non sint, ex proportione decimarum „ quas recipiunt, pro sua quisque proportione conferat; „ sive instaurari tantum iidem chori debeant, sive de in„ tegro ædificari.

Hoc decretum quoad concurrentiam in reparatione Ecclesiarum omnium generatim decimatorum servatâ proportione perceptionis renovatum rursus fuit in Synodo P. II. *titulo* 24. *cap.* 11. additque ut prædictum Decretum ad omnes infra limites Parochiæ decimas possidentes prout juris est & rationis, extendatur; ubi nimirum integri chori reparatio ad eos qui decimas possident pertinet.

XIII. Similiter Edictum Principum nostrorum vult, ut proventibus Fabricæ; & iis quæ in eum finem per Æditos in Ecclesiis Rusticanis sub Officio Divino colliguntur, aut in gazophilacium ad id in templo positum à Fidelibus conjecta sunt, haud sufficientibus, subsidium sumatur ab *omnibus* decimis in manu mortua existentibus, sive liberis ad naturam primigeniam reversis sive adhuc feudali vel alio nexu astrictis, sive in manu Laicali adhuc existentibus, quæ tamen doceri possint ab Ecclesia esse profectæ post Concilium magnum Lateranense sub Alexandro III. anno 1179. celebratum.

In Gallia quoque Decimatores ad reparationem & instaurationem Ecclesiarum condemnantur, quemadmodum videri potest apud Brodæum in notis ad Levetium *Litt. R. numer* 50. & novissimè ostendit Michael Du Perray Advocatus in Parlamento Parisiensi in tractatu de *Portionibus congruis* &c. *parte* 2. *cap.* 28.

XIV. Verum sicuti olim non nisi tertia aut quarta proventuum Ecclesiasticorum pars solebat cedere Fabricæ; ita & hodie solet ea moderatio circa decimatores servari, ut nonnisi certam portionem decimarum contribuere teneantur; ne aliàs, contingat ob Ecclesiarum ruinas, ipsos decimarum possessores subitò & inopinatò ad egestatem deduci.

Et quidem sæpius citatum Edictum nostrum, decimas in subsidium accipi vult eâ moderatione, ut per annos sex triens illarum contributioni subjiciatur sive integræ decimæ duorum annorum in restaurationem Ecclesiæ cedant spatio sex annorum, id est, singulis annis *triens* omnium decimarum: verba Edicti Gallicè ita habent: *Requerant y estre par eux employe le revenue entier de deux annees, à payer en six années esgalement, sçavoir à chacune de six annees un tierce du revenu annuel.* id est Requirentes ut ad eum finem quolibet sexennio per eos æqualiter impendantur reditus duorum annorum, videlicet tertia annui reditus pars, in singulos sexennii annos adæquata.

Nequaquam obscurum est, quod *æqualitas*, quam servatam vult Edictum, non sit referenda ad æqualitatem portionum annuarum, quas ex decimis varii Decimatores habent inter se; sed ad æqualitatem

Digitized by Google

tatem *trientis* in singulos annos ex decimus in reparationem Ecclesiarum impendendi; hoc est, ut singulis annis habeatur triens omnium decimarum quæ iis annis colliguntur, uti rectè notavit Zypæus in Jure novo *tit. De Ecclesiis ædificandis num.* 9.

XV. In Gallia quoque in hac contributione circa decimas solet plerumque ea servari moderatio, ut nonnisi tertia pars adjudicetur; quemadmodum in summis Galliarum Prætoriis sedulò observari ex Joanne Papone & Guilielmo Benedicto refert Peckius *cap.* 14. & affirmat Joannes Tournetius in sua Arrestorum collectione *lit. R. cap.* 14. ita sæpius judicatum; ac signanter 18. Decembris 1616. infirmatâ sententiâ, quâ Incolis adjudicata fuerat *medietas* decimarum impendenda in reparationem Ecclesiæ.

XVI. Hæc autem decimarum portio intelligi debet deducto omni alio onere uti ibidem Tournetius. Et Zypæus loco citato agens de triente decimarum per Edictum contributioni subjecto, ait *num.* 6. "Defalcanda autem est canonica portio quæ Pastori ex decimis solvitur, similiaque onera atque ex residuo tantùm *triens* in Ecclesiæ reparationem exigi potest: Proventus enim, bona, & fructus censentur ii, qui deductis oneribus supersunt.

Testatur idem Zypæus Consult. 2. De Ecclesiis ædificandis *num.* 27. declarâsse aliquando S. Congregationem sub his fructibus reparandæ Ecclesiæ ibi affectis, non comprehendi, quæ Parocho pro victu sunt necessaria.

XVII. Sicuti competentia Pastoralis ex decimis assignanda propriè & primariò tantùm concernit Parochum & Parochiam; atque ita in ejus determinatione hoc providendum, ut illud assignetur, quod *Rectoris ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat*, ut loquitur Synodus Trid. *sess.* 24. *cap.* 13. *De Reformat.* ita quoque onus reparationis Decimatoribus injectum, tantùm concernit Ecclesiam ipsam *Parochialem*, sive eam in qua *de jure* Parochiani Divinum Officium audire, & Sacramenta suscipere tenentur; quia, ait Wamesius Concilio Canonico 511. *numer.* 8. ut decima jure communi pertinet ad Parochum, *Cap.* CUM CONTINGAT ✠ *De decimis*: ita soli Parochiali Ecclesiæ deservire debet, non capellis, veluti inde deductis coloniis.

XVIII. Similiter Peckius in citato tractatu *cap.* 14. inquirens, qui teneantur ad reparationem Capellæ, rectè advertit quod Rustici ad quorum commoditatem Capella fundata est, se queant ab onere eam reparandi eximere, si velint usu illius carere, & ad Ecclesiam Parochialem potiùs accedere, quàm Capellæ reparandæ impensas ferre. "Licet enim Parochiani, ut Ecclesiæ Parochialis refectionem evitent, illi renuntiare, & in Parochia nihilominus manere non possunt, in Capella tamen alio jure utendum videtur: quia Parochiani ab ea recedentes, ad matrem suam redeunt, primævum suum statum, vel veterem conditionem reassumunt, nullique planè in suo jure præjudicant, aut detrimentum afferunt.

Posthæc subjungit, "Quòd si nec Parochiani, nec Patroni Capellam reparare velint, aut ob paupertatem nequeant, eam juxta Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 21. *cap. De Reformat.* transferendam esse:" evidenter declarans Decimatores nullatenus ad earum reparationem teneri.

XIX. Addit deinde hanc cautionem: "Ac si ejusmodi Capella ex justa causa Superiorem movente erecta & constructa sit, fortè ut periculum animarum quod evenire posset, Ecclesia Parochiali nimiùm distante, evitetur, eo casu non puto renuntiationem Parochianorum quidquam operari, sed è contra non obstante illâ, ipsos pro præterito tempore antequam inde recedere velint, si facultates ipsis sufficiant, contribuere debere.

Imò non dubium, quod nonnumquam ipsi Decimatores ad reparationem hujusmodi Capellæ essent pro parte saltem aliqua vocandi. Si enim Decimatores non tantùm ad sustentationem Parochi; sed & aliorum Sacerdotum, qui pro administrandis Sacramentis & instructione populi sunt necessarii, debeant ex decimis contribuere: (ut infrà titulo De portione congrua ostendetur) quidni urgeri possint ad instaurationem non tantùm Ecclesiæ Parochialis, sed etiam Capellæ, ob distantiam à Parochiali Ecclesia, populo necessariæ? Præsertim cùm decimæ totius Parochiæ jure communi censeantur ad Ecclesiam Parochialem pertinere; ideòque juxta *Cap.* 3. ✠ *De Ecclesiis ædificandis*, nova Ecclesia seu Capella ex his decimis eo titulo videatur ædificanda & restauranda.

XX. Ulterius restauratio à Decimatoribus aliisque quibus incumbit ita exigenda, ut necessitati, & honestæ populi commoditati Ecclesia sufficere possit: at ea quæ ornatum potiùs quam necessitatem & honestam commoditatem spectat, requiri non potest. Unde Zypæus in Jure Novo titulo *De Ecclesiis ædificandis* monet, Edictum Principum nostrorum, ad *necessarias* templi, id est substantialium partium, tecti, parietum, chori, vel navis, ut loquitur, &c. reparationes restringendum esse, non verò ad ornatum interiorem extendendum: ut aliquid materiæ relinquatur devotioni aliorum.

XXI. Verùm uti in determinanda Parochorum competentia non avara manu procedendum; atque ipsius Parochiæ amplitudo, nec non decimarum quantitas aliaque consideranda; ita quoque in reparandis Ecclesiis justum ac æquum esse censet Peckius *cap.* 1. "si expensis ac ponderatis Ecclesiarum qualitatibus, fructibus, emolumentis & conditionibus, ad boni æquique judicis arbitrium hoc totum referatur.. Et cùm (ait) aliquando in supremis Galliarum Prætoriis, quæ vulgus Parlamenta appellat, similis quæstio de reparatione Ecclesiarum incidisset, præcedente cognitione, missisque, qui Ecclesias visitarent, Commissariis, ita res temperata & tractata fuit, ut pro ratione proventuum & circumstantiarum, ea refectio publico Senatûs Decreto decerneretur, teste Joanne Papone in Libro De Arrestis Gallicis *lib.* 1. *tit.* 1." Hæc Peckius.

XXII. Ut in hac reparatione non nimiùm graventur Decimatores, aliique quibus onus reparandi incumbit; & omnia minore, quo potest, sumptu fiant, statuit Principum nostrorum sæpius citatum Edictum, "quod nihil poterunt statuere Ædiles sine iis quorum interest: quodque sine eorum consensu vetus forma non mutabitur; sed inibitur ratio magis conveniens, vocatis in concilium peritis, & minùs sumptuosa. Edent etiam Ædiles computus suos iis, qui percipient decimas, ut videant an bene administrentur, & quantum desideretur.

XXIII. Ubi autem hactenus assignata ad reparationem Ecclesiæ non sufficiunt, vult Synodus Tridentina citato *cap.* 7. "ut in illorum defectum Parochianos omnibus remediis opportunis ad prædicta Episcopi cogant, quacumque appellatione, exemptione, & contradictione remotâ.

Verùm dum de promulgatione Concilii Tridentini hîc in Belgio tractaretur, ad hunc articulum notatum fuit à Conciliis Regiis, "populum ad contributiones pro ædificandis Ecclesiis, sine auctoritate Judicis secularis constringi non posse.

Hinc in edicto Principum nostrorum dicitur: "ubi hæc non sufficiunt, ex indulto Principali tribuatur

Digitized by Google

„tur ad collectam & capitationem eorum, qui in ea Ec-
„clesia alimenta spiritualia recipiunt.

XXIV. Porro edictum satis insinuat, eo casu collectam illam instituendam inter eos, qui revera sunt Parochiani istius Ecclesiæ, sive qui in ea Ecclesia alimenta spiritualia percipiunt; quod & juri Communi & justitiæ consonum esse ostendit Peckius *cap.* 10. una ostendens: quod hæc collecta personis ibidem habitantibus, Ecclesia utentibus, & Sacramenta sua ibidem accipientibus, pro modo & ratione rerum suarum imponenda sit. Dein *cap.* 11. ex hoc fundamento infert, quod Forensibus ratione bonorum quæ in locis possident, collecta pro reparatione Ecclesiæ imponi nequeat; " quia (ait) hoc „onus non est onus merè reale, sed mixtum; & imponi„tur personis principaliter, licet fiat taxatio respectu re„rum.

Eodem fundamento passim ubique receptum est, ut ubi alii sunt termini Parochiarum quoad jurisdictionem Ecclesiasticam, & alii quoad jurisdictionem civilem, pro reparatione Ecclesiarum collectentur omnes qui sunt intra terminos Parochiarum quoad jurisdictionem Ecclesiasticam; id est, qui subsunt quoad spiritualia istis Ecclesiis Parochialibus, licet in civilibus jurisdictioni alterius Parochiæ sint subjecti; uti refert Zypæus *Consult.* 1. *De Magistris.*

XXV. Hactenus dicta ferè procedunt, ubi consuetudo, aut particularis contractus, vel concordatum aliam in facienda reparatione legem non dedit; hæc enim si probari queat, servanda erit; eâ verò cessante, demum ad Jus commune, vel generales Patriæ leges recurrendum.

XXVI. Et quidem teste Zypæo, in reparandis Ecclesiis ferè passim consuetudo ad populum *navis* reparationem transtulit; testaturque, ita judicasse Concilium Brabantiæ pro Capitulo Antverpiensi contra Incolas De Conteca anno 1602. additque: " Et ita habet generalis „consuetudo locorum quæ nunc & olim sub Diœcesi „Cameracensi fuerunt.

Similiter in Gallia usu receptum, & arrestorum auctoritate sæpius confirmatum est, Parochianos teneri ad reparationem *navis*, Decimatores verò ad reparationem Chori. Uti videri potest apud Julianum Broudæum in notis ad Louetum *Litt. R. num.* 50. qui & rationem subjicit, quia *Chorus* Ecclesiæ est propriè locus Cleri; *navis* verò laicorum; quibus multis seculis ingredi Chorum illicitum fuit. Recentiora Parlamentorum arresta eandem distinctionem inter onus reparandi navim Ecclesiæ, & ejusdem Chorum confirmantia recitat Michaël Du Perray in citato tractatu *De portione congrua cap.* 28.

XXVII. Navim Ecclesiæ esse, ait Peckius *c.* 13. *n.* 3. eam corporis Ecclesiæ partem, quæ extra cancellum est, & in qua Parochiani sedent.

Monet tamen ibidem: " Non totam quidem illam „partem, *navem* Ecclesiæ appellamus, quæ extra can„cellos est, sed eam tantùm, quæ in medio templi, co„lumnis, parietibus, fenestris & tecto constat ac sustine„tur: sic ut appellatione *navis*, appendices & capellæ „Ecclesiarum, in quibus malo & improbato exemplo „plerique ambulare solent, non contineantur, etiamsi „uno eodemque tempore ac opere *navi* Ecclesiæ adjun„gantur, ipsaque navis sine his non aliter, quàm avis si„ne alis constare queat. Id quod nuper, ex informatio„ne, quam in causa super ea re controversa accepi, & in „qua deinde sententiam dictavi, consuetudine & anti„quâ interpretatione receptum esse plenissimè cog„novi.

Hæc ille occasione recordiarum sive Concordatorum Leodiensium, quorum ibi memini; asseritque vi illorum subinde ipsius *navis* reparationem rejici ad illum, qui decimas percipit. Unde etiam Zypæus postquam dixit, Parochianos in Diœcesi Cameracensi ex consuetudine recepta teneri ad reparationem *navis* Ecclesiæ, addit: *Quamvis recordia Leodiensis rigorosiùs cum decimis agat.*

Hoc casu *navis* secundum descriptionem Peckii merito accipienda est. Cum enim laterales Capellæ & appendices magis ad ornatum, quàm necessitatem spectare soleant, æquum non est, earum ædificatione aut reparatione Decimatores gravare; sed si eas ad suam commoditatem, aut majorem suæ Ecclesiæ ornatum desiderent Parochiani, eorum pietati hoc relinquendum.

XXVIII. Eâdem forsan ratione hic receptum est, Decimatores non teneri ad extructionem aut restaurationem *turris* & ad ejus reparationem (ait Zypæus) neque ante neque post Edictum scio aliquem Decimatorem condemnatum. Turris enim, præcipuè elatior, magis ad ornatum, quàm ad necessitatem est.

XXIX. Sed quid de *campanis*? Ecclesiam Parochialem posse plures habere campanas, optâsseque S. Carolum, ut in in omnibus Ecclesiis Parochialibus haberentur ad minus duæ, notavimus suprà *tit.* 5. *cap.* 2. *num.* 13. tamen quia usus præcipuus campanæ is est, ut per ejus pulsum ad divina officia populus vocetur, consuetudine passim receptum est, quod Decimatores ad unius tantùm campanæ restaurationem teneantur, & ad eam necessariarum trabium. Testatur quoque Peckius *c.* 13. quod concordata seu recordiæ Leodienses, Prælatum „cui onus reparationis incumbit, ad *unius* tantùm cam„panæ, quam *Bannalem* vulgò appellant, inter„tentionem adstringant: eamque (ait) ejusmodi es„se volunt Interpretes, ut facilè in eo loco exaudiri „queat.

XXX. Ratio, quæ multis locis Decimatores obligat ad restaurationem Chori, eadem quoque induxisse videtur, ut passim constringantur Decimatores suppeditare necessaria ornamenta pro celebratione Divini Officii, quemadmodum advertit Broudeau loco citato, ibidem plurima in hanc rem Arresta Parlamentorum proferens.

Et sanè jam pridem in Synodo Metensi anno 888. *Can.* 2. statutum fuit, ut " qui decimas percipit, eas accipiat „in sui sustentationem, & ad luminaria concinnanda, „& Basilicæ ædificia, vestimenta quoque Sacerdotalia, „& cætera utensilia suo ministerio congrua obti„nenda.

XXXI. Advertit Peckius *cap.* 13. quod in recordiis Leodiensibus ornamentorum intertentio & subministratio Decimatoribus quoque injungatur: & tametsi *casula*, *calicis*, & *vestimenti*, in numero *singulari* fiat mentio, plerique nihilominus arbitrati sunt, quod locutio illa *singularis* etiam pluralitatem in eodem genere in se contineat, si pluribus Ecclesia indigeat.

Deinde *numer.* 6. ait: Quod si inter eos qui Ecclesiæ præsunt, & eum ad quem onus reparationis pertinet, de modo & qualitate istiusmodi vestium & ornamentorum quæstio exurgat, utique ratio habenda est qualitatum Ecclesiæ, & ipsius facultatum, ut secundum quod abundat facultatibus, sic meliora & pretiosiora habeat ornamenta.

Cùm ergo ex varietate Ecclesiarum sint determinanda, meritò ibidem probat sententiam cujusdam Guillelmi, qui hoc totum arbitrio judicis relinquit, & voluptuarias impensas excludit.

XXXII. Cæterum optandum esset, ut Abbates & Monasteria decimas possidentia; eoque titulo ad reparationem Ecclesiarum & suppeditationem ornamentorum obligata, & quorum Ecclesiæ claustrales sæpe argento & auro fulgent & interim Ecclesiis Parochialibus vix de ornamentis ad peragendum honestè Divinum Officium provident, attenderent illud S. Bernardi in Apologia ad Guillelmum Abbatem *capit.* 12. " Dicite pau-

„ peres, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? Et quidem alia causa est Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque, quod illi sapientibus & insipientibus debitores cùm sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Nos vero qui jam de populo exivimus, qui mundi quæque pretiosa ac speciosa pro Christo reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, canore mulcentia, suaveolentia dulce sapientia, tactu placentia; cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus ut stercora, ut Christum lucrifaciamus: quorum, quæso, in his devotionem excitare extendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblectationem? An quoniam commixti sumus inter Gentes, fortè didicimus opera eorum, & servimus adhuc sculptilibus eorum?

XXXIII. Edictum Principum nostrorum clausulam hanc finalem subjicit: " Et si casus occurrat hic non decisus, recurretur ad Principem, aut ejus Concilium, ut amicabiliter, aut alioquin summariè & sine strepitu transigatur.

Quamvis Canones passim Episcopis injungant curam reparandarum Ecclesiarum, illisque specialiter mandent ut Parochiales Ecclesias, etiamsi Juris Patronatus sint, collapsas instaurari procurent, nihilominus " ex consuetudine generali passim ferè obtinente etiam coram laico judice; hoc est in his Belgii regionibus in auditorio Principis, seu Provincialibus ejus Conciliis agi potest," ait Wamesius *Consilio Canonico* 512. *num.* 2.

Et in Gallia frequenter judicatum refert ex Aufrerio Peckius c. 28. per plura Arresta, quod Parlamentum Regium de Ecclesiarum reparationibus cognoscere possit; pronuntiaruntque contra Episcopos jurisdictionem Parlamentorum in hac materia declinare volentes. Et plurimæ extant in Concilio Brabantiæ (ait) adversus diversos „ Prælatos super eadem reparatione, ad instantiam incolarum loci, in quo ea Ecclesia sita est, pronuntiatæ, quod notorium est, solerque ea coactio de reparandis Ecclesiis per Commissarios Regios fieri, sola expensâ sine alio salario contentos.

Quinimo cum hic de publicatione Concilii Tridentini ageretur, nonnulli è Ministris Regiis monuerunt ad citatum caput 7. " totam hanc auctoritatem de Ecclesiis restaurandis ab antiquo ad Curiam Provincialem pertinuisse.

Et notoria ac quotidiana praxis habet, quod passim in hisce ac vicinis provinciis quæstiones refectionum Ecclesiarum spectantes in Conciliis Regiis Provincialibus tractentur.

Cùm enim ejusmodi cognitio tantùm respiciat proventus, & fructus bonorum Ecclesiæ, qui proveniunt ex temporalibus, super quibus Rex potest facere ordinationes, quæ in suo foro serventur, caret fundamento, eam Regi negare velle, ut ex Chassanæo notat Peckius *cap.* 28. *num.* 4.

TITULUS XVII

De Celebratione Festorum.

CAPUT I.

De Institutione, & varia Specie Festorum.

1. *Celebratio Festorum ex traditione Apostolica.*
2. *Tempore Augustini Festum Natalis Domini celebratum, non tamen numeratum inter Festa ex traditione Apostolica descendentia.*
3. *Festa Martyrum primis seculis quomodo celebrata?*
4. *Prius celebratum Festum S. Ioannis Baptistæ quam singulorum Apostolorum? & quare?*
5. *Festum Annuntiationis Divæ Virginis seculo 7. erat receptum.*
6. *Hoc Festum non semper eodem die celebratur; quod corrigit Synodus Toletana X.*
7. *Unde mobilitas illius Festi provenerit.*
8. *Festum hoc æquali cum Festo Nativitatis Dominicæ veneratione celebratum.*
9. *Festum hoc propriè erat Festum* Incarnationis *Verbi; & tamen dicebatur Festum Matris Dei.*
10. *Potest & Festum Natalis Domini dici Festum Divæ Virginis.*
11. *Seculo 7. non videtur, saltem in Hispania, aliud Festum Divæ Virginis notum fuisse.*
12. *De Festo* Assumptionis *hæsitavit Carolus Magnus.*
13. *Sub initium seculi 9. resolutum Festum hoc esse celebrandum; & quid de eo scripserit Usuardus?*
14. *Festum Annuntiationis in Gallia seculo 9. nondum videtur fuisse notum.*
15. *Festum Nativitatis, non autem Conceptionis tempore S. Bernardi erat receptum.*
16. *Quomodo plura Festa sensim invaluerint.*
17. *Præcipua auctoritas instituendi dies festos & penes Episcopos.*
18. *Meritò in hac institutione audiendus est populus & quare?*
19. *Interdum Senatus Regius se opponit introductioni aut abrogationi Festorum.*
20. *Nimia Festorum multiplicatio habet sua incommoda.*
21. *Querela Synodi Trevirensis de hac nimia multiplicatione.*
22. *De eadem conquestus Urbanus* VIII. *& quæ rationes querelarum?*
23. *Synodus Trevirensis voluit aliqua Festa esse dimidiata.*
24. *Similia Festa jam pridem nota fuerunt apud Græcos.*
25. *Hæc Festa in plerisque Diœcesibus transierunt in Festa* devotionis.
26. *In Festis minoribus quædam permittuntur, quæ non in majoribus.*
27. *Episcoporum est ordinare quæ ratione sint instituenda.*
28. *Nonnulla Festa à solo Clero celebranda.*

I. INter ea quæ ex Apostolica traditione creduntur in Ecclesia observari, certorum dierum festorum celebrationem refert S. Augustinus *epist.* 54. „ ad Januarium, dicens: Illa autem quæ „ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem „ toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in „ Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque „ statuta retineri, sicuti quod Domini Passio & Resurrectio & ascensio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiritus

„ tûs Sancti, anniversaria solennitate celebrantur, etsi „ quid aliud tale occurrerit, quod servetur ab universa, „ quacumque se diffundit, Ecclesia." Apud Gratianum *Dist.* 12. *Can.* 11.

II. Nec tantùm hæc festa tempore Sancti Augustini celebrata fuisse ex ipso Augustino constat: nam epistolâ sequenti eidem Januario quærenti, " cur anniversarius „ dies celebrandæ Dominicæ passionis, non ad eundem „ redeat anni diem, sicut die quâ creditur *natus*," res- „ pondit: " Hic primum oportet noveris diem Natalem „ Domini non in sacramento celebrari, sed tantùm in „ memoriam revocari quod natus sit, ac per hoc nihil „ opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta „ est, festâ devotione signari. Sacramentum est autem in „ aliqua celebratione, cum rei gestæ commemoratio ita „ fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod san- „ ctè accipiendum est.

Hic clarè supponit Augustinus, diem *Natalis* Domini celebratum fuisse: quod & aliis pluribus locis significat. Sed ideò forsan inter festa ex traditione Apostolica descendentia non retulit, quia non proinde ut de aliis constabat, hujus festi institutionem ab Apostolis descendere; neque tam universaliter per totam Ecclesiam hoc festum celebrabatur: cùm constet in aliquibus, saltem Orientis Ecclesiis Festum Nativitatis Dominicæ distinctum non fuisse à festo Epiphaniæ, uti testatur S. Chrysostomus Homilia 56, dicens: " Prima festivitas apud „ nos sunt Epiphania. Quæ porrò festi est occasio? Quo- „ niam Deus in terris visus est, & cum hominibus con- „ versatus est.

III. Dies quoque Martyrum etiam ante tempora S. Augustini celebratos fuisse testis est Eusebius de Vita Constantini *lib.* 4. *cap.* 23. " Missa quoque lex est [ait] „ ad Præsides Provinciarum, ut diem Dominicum etiam „ ipsi venerarentur. Iidem festos Martyrum dies jussu „ Principis observabant, & Ecclesiarum festivitatum „ tempora debito honore prosequebantur.

Non meminit autem Festorum Martyrum S. Augustinus enumerans Festa ex traditione Apostolica dimanantia: quia Festa Martyrum non nisi in locis Martyrii eorum celebrari consueverant, vel in Ecclesiis eorum nomini specialiter dedicatis, quemadmodum monet Ludovicus Thomasinus tractatu De Celebratione Festorum *lib.* 1. *cap.* 4. ibidem examinans, quæ Festa seculo quinto tum in Occidentalibus, tum Orientalibus Ecclesiis celebrarentur.

IV. Deinde *cap.* 5. examinat quæ Festa celebrata fuerint ab anno 500. usque ad annum 800. notatque, sub initium seculi sexti in Concilio Agathensi inter Festa solenniora referri Festum S. Joannis Baptistæ: illudque esse è vetustissimis observat *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 6. quasi fundatum super ipso textu Evangelico, quemadmodum reflectit S. Bernardus *epist.* 174." Merito Ecclesia, quæ „ cæterorum non nativitatem, sed mortem Sanctorum „ judicat & prædicat pretiosam, singulari quadam ex- „ ceptione, festis præfert gaudiis, veneraturq; ipsius Na- „ talem, de quo nunciante Angelo singulariter legit', & „ multi in nativitate ejus gaudebunt.

Seriùs instituta fuisse Festa singulorum Apostolorum; sed primitùs uno commum Festo, omnium memoriam celebratam fuisse ostendit citato *cap.* 5.

V. Quando celebrari cœperint specialia Festa sub nomine Dei Genetricis sat obscurum est. Hoc sat constat, seculo septimo usitatum & in multis Ecclesiis stabilitum fuisse Festum *Annuntiationis*, quemadmodum fidem faciunt Synodus Trullana *Can.* 52. & Concilium Toletanum X. *Can.* 1. qui posterior Canon plura notanda docet.

VI. Primò docemur, quod hoc Festum jam tum in pluribus Ecclesiis celebraretur; & incongruum visum fuerit Patribus, quod hoc Festum non semper eodem tempore celebrari posset; sed uno anno citiùs, altero seriùs; quam variationem tollendam præcipiunt; ac unà originem illius variationis indicant: verba Canonis sunt: " Invenietur enim in multis Hispaniæ partibus hujus „ Sanctæ Virginis Festum non uno die per omnes anno- „ rum circulos agi. Quoniam transducti homines diver- „ sitate temporum dum varietatem sequuntur, unita- „ tem celebritatis non habere probantur. Qua de re, „ quoniam die qua inventur Angelus Virgini Verbi „ Conceptum & nuntiâsse verbis, & indidisse miraculis, „ eadem Festivitas non potest celebrari condignè, cum „ interdum quadragesimæ dies, vel Paschale Festum vi- „ detur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum so- „ lemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, „ convenit celebrari; cùm etiam & ipsam incarnatio- „ nem verbi non conveniat tunc celebritatibus prædica- „ ri, quando constat idipsum Verbum post mortem car- „ nis gloriâ resurrectionis attolli, ideò speciali constitu- „ tione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Do- „ minus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeber- „ rimus & præclarus.

VII. Mobilitas igitur *hujus* festi, quemadmodum & hodie adhuc contingit, proveniebat ex eo, quod dies 25. Martii, cui hoc festum erat affixum, sæpius in Quadragesimæ, aut Paschales dies incideret; " in quibus (in- „ quit Concilium) nihil de sanctorum solemnitatibus, „ sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit ce- „ lebrari.

VIII. Docemur insuper ex hoc Canone, Patres existimâsse, festum Annuntiationis non minore festivitate, quàm festum Nativitatis Dominicæ esse celebrandum: " Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii „ sequentium dierum insequitur dignitas, ita Festivita- „ tem Matris tot dierum sequatur sacra solennitas.

Rationem subjungunt: " Nam quod festum est Matris, „ nisi *incarnatio Verbi*? Cujus utique ita debet esse solen- „ ne, sicut est & ejusdem nativitas Verbi.

IX. Hic docemur, quod hoc festum propriè esset festum *Incarnationis* Dominicæ; atq; propterea meritò crediderint Patres, eâdem solennitate celebrandum, quâ ipsius Verbi Nativitas.

Ad hæc docemur, quod festum *Incarnationis* Dominicæ sive Filii habuerint & reputaverint festum *Matris*; quia revera dum filii *Incarnatio* recolitur, etiam ipsius Matris dignitas, in cujus utero Verbum incarnari dignatum est, recolitur.

X. Si ergo multis seculis festum Incarnationis Verbi reputatum fit pro festo Matris; quidni & Nativitatis solennitas, pro solennitate Matris reputari potuit? Uti rectè reflectit Thomasinus *libr.* 1. *capit.* 5. *numer.* 7. monetque, eam forsan fuisse rationem cur antiquitus festa Divæ Virginis non reperiantur instituta, quod crederent Patres, solennitates Filii esse quodammodo solennitates Matris: cum vix Homo-Deus honorari queat, nisi unà per correlationem colatur Hominis-Dei Mater.

XI. Hoc insuper notat Thomasinus, quod hoc festum hic simpliciter dicatur, *Sanctæ Virginis Festum, Festivitas gloriosæ Matris*, atque hinc verisimile fiat, quod saltem in Hispania aliud Festum Divæ Virginis nondum celebraretur. Si enim inter festa tunc numeratum fuisset festum Assumptionis aut Nativitatis ejus, verisimile non est, quod festum Annuntiationis, seu Incarnationis Dominicæ simpliciter, & sine aliquo addito vocatum fuisset *sanctæ Virginis festum*.

XII. Quo ad alia specialia Divæ Virginis festa, constat, ea non eodem tempore, nec ubique simul instituta esse; sed alia seriùs, alia citiùs; alia in una, alia in alia Ecclesia primitus fuisse celebrata; & sensim ad alias Ecclesias propagata.

De festo Assumptionis omnium festorum Divæ Virgi- nis

nis hodie solemnissimo, quodque præ omnibus aliis habet præcedentem Vigiliam cum obligatione jejunandi, legitur in Capitulari Caroli M. *lib.* 1. *Capitularium c.* 158. *De Assumptione Sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.*

Hic videmus nondum in Regno Galliæ generaliter hoc festum esse stabilitum tempore Caroli M. ipsumque de eo *interrogandum* decrevisse; indubiè interrogandos sui Regni Episcopos.

XIII. Hi cum anno 813. in Synodo Moguntiaca respondissent, eam festivitatem reponendam esse in catalogo festorum Ludovicus pius Caroli filius eam celebrari jussit; eamque inter alias festivitates enumerat, *lib.* 2. *Capitular. c.* 35.

Usuardus Monachus Benedictinus, qui jussu Caroli Magni Martyrologium conscripsit, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur, propter eam Caroli forsan hæsitationem, hoc festum non assumptionis, sed *dormitionis* Dei Genetricis dixit, ad diem 15. Augusti hæc notans: " *Dormitio* Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. „ Cujus sacratissimum corpus, etsi non invenitur super „ terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem „ memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis „ eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud „ Spiritus Sancti templum nutu & consilio divino oc„ cultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate „ nescire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde „ tenendo docere.

XIV. Nec in hoc Capitulari, uti nec in Concilio Moguntiaco, neque in Regula Crodogangi, ubi omnia festa recitantur, ulla fit mentio *Annuntiationis* Divæ Virginis; ut vel inde appareat, quod licet à seculo septimo in Hispania multisque aliis Ecclesiis illud festum esset receptum, nec tamen sub initium seculi noni in Gallia celebratum fuisse.

XV. Festum Nativitatis Divæ Virginis in citatis locis non occurrit: quando institutum fuerit, haud certo constat. Tempore S. Bernardi receptum fuisse testis est S. Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, in qua ipsos redarguit, quod festum Conceptionis B. Mariæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate receperint; " at, ait, ortum Virginis didici nihilominus ab Ecclesia „ indubitanter haberi festivum atque sanctum firmissi„ mè cum Ecclesia sentiens eam accepisse in utero, ut „ sancta prodiret... Nec fallitur omnino sancta Ecclesia „ sanctum reputans ipsum nativitatis ejus diem, & omni „ anno cum exultatione universæ terræ votiva celebri„ tate suscipiens.

Ex eadem Bernardi epistola intelligimus, festum Conceptionis Divæ Virginis in aliquibus minoribus Ecclesiis per Galliam celebrari cœpisse; sed nequaquam generaliter receptum fuisse; ipsumque Bernardum reprobasse admissionem illius Festivitatis in Ecclesia Lugdunensi.

XVI. Interim festum illud, uti & plura alia tractu temporis primùm in una Ecclesia instituta, ad alias Ecclesias propagata fuerunt: quin & nonnulla primum ex devotione citra obligationem celebrata, sensim in festa de præcepto transierunt, quemadmodum advertit Thomassinus *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 19.

XVII. Gregorius IX. in *Cap.* 5. ⁊ *De Feriis* enumeratis quibusdam diebus festivis, in quibus judicialis strepitus debet conquiescere, subjicit generalem clausulam; " ac diebus Dominicis, certisq; solemnitatibus, quas sin„ guli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo „ duxerint solemniter venerandas.

Hic intelligitur, præcipuam auctoritatem novas festivas solemnitates instituendi delatam Episcopis; quod & ex Decreto, quod sub nomine Concilii Lugdunensis retulit Gratianus *Dist.* 3. *Can.* 1. *De Consecrat.* habetur. Ibi enim relatis quibusdam solemnitatibus quibus feriandum est, additur: " Et illæ festivitates, quas singuli „ Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collauda„ verint.

Hanc quoque Episcoporum auctoritatem apertè supposuit Synodus Trid. *Sess.* 25. *c.* 12. *De Regularibus* decernens: " Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos „ idem Episcopus præceperit ab Exemptis omnibus, eti„ am Regularibus, serventur.

XVIII. Verùm quia observantia festorum laicos in multis concernit; eosque ab opere manuum, quo victum suum lucrari non pauci jubentur, cessare oportet; atque ab omni strepitu judiciali Magistratus abstinere; meritò præcitatæ Decretales speciatim dixerunt, solemnitates illas celebrandas, quas Episcopi *cum populo* collaudaverint, aut instituerint ut nimirum populus, aut saltem Magistratus vice populi in hac institutione audiatur.

Et si advertatur, quàm difficilè sit, imò quodammodo impossibile, sine Principum & Magistratuum civilium adjumento, laicos ad debitam festorum observantiam adducere, apparebit, rectè notasse Eruditum Notarum in *Epistolam* 3. *lib.* 11. S. Gregorii auctorem: " Ut feriæ aut „ imperentur aut cessent, non soli Pontifices, non soli „ Principes efficiunt; sed æquum est, ut conspirent po„ puli, jusque Divinum tam naturale quàm positivum „ consulatur.

XIX. Cum anno 1642. Episcopi Ducatûs Luxemburgensis publicari jussissent Bullam Urbani VIII. super abrogatione quorumdam festorum, & nonnullorum nova institutione interposuit se Senatus Luxemburgensis sustinens talem abrogationem & institutionem fieri non posse sine consensu Regis; uti & ipsum Concilium privatum declaravit, & consultâ suâ Excellentiâ per Concilium resolutum fuit nihil innovandum, quousque advisamentum Episcoporum & Conciliorum Regiorum haberetur tuncque ulterius deliberandum 7. Julii 1643.

XX. Interdum nimium multiplicatas fuisse solemnitates festorum, atque inde magna in populo murmura, quasi hinc ereptâ ipsi victitandi ex opere manuum occasione, exorta; quin & ob earum multitudinem ac frequentiam in neglectum universa penè festa adducta fuisse, plures Synodi deplorârunt; numerumque propterea eorum minuendum decreverunt.

XXI. Synodus Trevirensis anno 1549. *Can.* 10. nar„ rat, numerum festorum admodum crevisse, sed calen„ tem Fidelium devotionem friguisse; eoque ventum es„ se, ait, ut bona pars hominum *omnia* festa negligat, „ idque impunè, nec sine Ecclesiæ dedecore. Pauperes „ qui non habent unde alant uxorem & familiam, cla„ mant omnem ferè cessationem sibi damnosam. Operæ „ pretium proinde nobis visum est, festorum numerum „ contrahere, quo & esurientes coërceantur, & aliquid de„ tur necessitati pauperum.

XXII. Similiter Urbanus VIII. in Bulla pro observatione Festorum anno 1642. emissâ quæ incipit *Universa per orbem* 164. in Bull. R. præfatur ad se delatum tantam multitudinem Festorum per diversas Diœceses invaluisse, " ut multi jam dubitare videantur (inquit) quæ„ nam ex præcepto quæve ex libera cujusque volunta„ te, sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorum„ dem numerositatem tepescente; quinimo & clamor „ pauperum frequens ostendit ad nos eamdem multitu„ dinem ob quotidiani victus laboribus suis comparan„ di necessitatem sibi valdè damnosam conquerentium, „ & quod summopere dolendum est magno cum animi „ nostri mœrore didicimus tanta sæpè sæpius maligna„ tum inimicum in Sancto, ut ipsa multitudine non ad „ ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum „ populi utantur sed ad otia, vanitates, & vitia frequen„ ter abuti non formident, ita ut quæ ad glorificandum

Divi-

„Divinum Nomen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius offensionem, gravemque jacturam converterit animarum.

Similiter Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis in Decreto anni 1652. quo populo permittit *operari* festis S. Nicolai, Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, SS. Marci, Lucæ, Martini & Catharinæ inter alias causas nominatim expressit: " quia ob multitudinem festorum dierum, plurimi, maximè pauperes, non pro obligatione illos sanctificant.

XXIII. Citata Synodus Trevirensis enumeratis festis, quæ imposterum celebranda declarat & præcipit, subjungit: " Cæterum dies Innocentium, Cinerum, Parasceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbathi Magni, Marci, Tres Rogationum, Commemorationis Animarum, & omnes reliquos dies stationum, quos Ecclesia nostra Trevirensis in diebus aliorum Patronorum, vel pro specialibus rogationibus ab antiquo introductis, in civitate nostra Trevirensi vel ejus suburbio observatis, usque in meridiem feriari volumus, ita ut facto Sacro, cuique ad *labores* aut *negotia* sua redire liceat.

His dimidiatis festis annumerari possunt ea festa minora in quibus Synodus Cameracensis anno 1604. *tit. 4. capit. 6.* declarat, *Christi Fideles Missam audire teneri.*

XXIV. Similia festa *dimidiata*, quæ nimirum quasi pro dimidia diei parte celebranda sunt, jam pridem nota apud Græcos fuisse indicat Constitutio Imperatoris Græci Manuëlis Commeni *De Feriis*. Post expressos enim dies quibus integrè feriandum est, dicit: " Alii verò ex parte à judiciis cessent, à manè videlicet usque ad ipsum Divini Ministerii tempus: ut judicibus, precationibus, atque glorificando Deo vacare liceat, ac deinde post Divinum Sacrificium justitiæ operam navent, secundumque legum vim injuriam passis auxilium ferant.

XXV. In aliquibus Diœcesibus minora alià festà transierunt in festa devotionis.

Synodus Audomarensis recensitis diebus quibus nulla servilia aut secularia opera fieri, nullum forum aut mercatum rerum venalium haberi, nulla judicialia exerceri vult, enumerat plures alios, " qui (ait) & ipsi aliquando indicti fuère vel *integrè* vel usq; ad finitum Divinū Officium observandi: sed quum flaccescens populi devotio, dies festos non rarò, ob illorum multitudinem, quæ videbatur, violaret, quin etiam illis abuteretur, sublata est hos observandi obligatio, quò tantò integriùs & exactiùs reliqui observarentur. Cæterum cum videamus, à magna populi parte etiamnum observari, volumus illos publicari ut pro *devotione* observandos: & quò foveatur populi devotio, officium in Ecclesiis ita fieri, ut quum fuerunt dies isti ex præcepto festi observandi: nec quemquam Sacerdotum liberum esse ab illarum onere Missarum, quas diebus festis debet. Denique moneri omnes ut audiant, ut minimùm his diebus Missam.

Similiter Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis in citato Decreto, " hortari vult populum ut diebus istis (citra tamen obligationem) audiant Sacrum. Fiant autem officia in Ecclesiis æquè solemniter ac si celebrarentur in populo.

XXVI. Synodus Iprensis sub Martino Rithovio *tit. 21. cap. 4.* " permittit in festis Cathedræ Sancti Petri, Sancti Marci Evangelistæ: Inventionis Sanctæ Crucis: Beatæ Mariæ Magdalenæ; Laurentii: Michaëlis: Lucæ: Catharinæ: Nicolai: & Sanctorum Innocentium, hebdomadale, aut aliud quodcumque forum, hactenus observatum, celebrari; & in eo mercatum exerceri. Ita tamen, ut ab omni opere manuali, ad illius diei mercatum non necessario abstineatur; Divinumque officium, ante tempus fore designatum, ab omnibus frequentetur.

Ita quoque Alexander III. dispensans cum Incolis cujusdam regionis, quòd possint diebus festis piscari, addit: *Præterquam in majoribus anni solemnitatibus.*

XXVII. Ex his intelligimus, variam fuisse Diœcesium Belgicarum circa Festorum celebrationem disciplinam, in aliis plùs, in aliis minùs festa fuisse restricta; in nonnullis plùs, in aliquibus minùs indultum: quid porrò debita festorum celebratio, tum populi necessitas hic & nunc requirat, quidve expediat Episcoporum est expendere, iique ritè expensis festorum celebrationem ordinare.

XXVIII. Allegata Synodus Trevirensis post memorata festa tum integra, tum dimidiata, addit: " Cætera verò festa, quacumque ratione instituta sunt vel recepta, in foro libera facimus. In choro verò & Ecclesia eadem festa, prout ab antiquo observata sunt, devotè celebrentur, ita tamen, ut historiæ & lectiones parùm probatæ omittantur.

Hujusmodi festa in choro à Clero celebranda, hodie plurima sunt; atque quotidiè Breviario Romano adjunguntur, ut vix dies ferialis supersit: at de his hoc titulo tractare non est animus; sed tantùm de Festis quæ à populo celebrari præcepta sunt, quæque propterea festa *in populo* communiter vocantur.

CAPUT II.

Quis sit finis institutionis Festorum; quomodo observanda?

1. *Vita Christiana continuum Festum.*
2. *Qua ratione vita Christiana possit esse continuum Sacrificium?*
3. *Quinam spirituale Sabbathum observent?*
4. *Erronea de Sabbatho idea.*
5. *Qua ratione omnes dies hebdomadæ dicta fuerint* Feriæ?
6. *Ob imperfectiores potissimùm dies Festi instituti.*
7. *Finis Festorum dierum.*
8. *Ut finis hic obtineatur Officium Divinum in plures horas divisum fuit.*
9. *Officium Divinum seu Canonicum primitus ad ædificationem populi institutum.*
10. *Etiam desiderat hodie Ecclesia ut idem habeatur finis Officii Divini.*
11. *Jam pridem statutum, ut populus Officio Canonico, saltem diebus Festivis interesset.*
12. *Quid de hac obligatione habeant Capitularia Regum Francorum.*
13. *De Observantia hujus præcepti inquirebant Visitatores.*
14. *Etiam seculo 12. vigebat hæc disciplina.*
15. *Officium Canonicum quod in Ecclesiis quibusdam Parochialibus diebus Festis persolvitur, sapit hanc disciplinam.*
16. *Idem insinuat Missa solemnis & Vesperæ pomeridianæ.*
17. *Edicta Principum indicant, Officia Divina à populo esse frequentanda.*
18. *Edicta hæc etiam complectuntur* Laudes *vespertinas.*
19. *Quare potiùs fiat mentio Missæ solemnis, quam Concionis, quando de Celebratione Festorum tractatur?*
20. *Error est satisfieri sanctificationi diei Festi per auditionem Missæ* privatæ.
21. *Satisfit tamen præcepto de audienda Missa.*

22. Tamen

22. *Totum diem debere sanctificari probatur.*

23. *Quomodo S. Carolus totum diem sanctificari voluerit; & quæ pietatis exercitia præscripserit.*

24. *Officiorum Divinorum sedula & conveniens persolutio multùm conducit ut populus diem Festum sanctificet.*

I. Continuum festum esse vitam hominis *Christianè* viventis jam pridem notarunt Patres. Dum enim Christianè homo vivit, tunc ex monito Apostoli, jugiter *exhibet membra sua Hostiam viventem*, utendo nimirum illis, ut obtemperet Deo. "Corpus etiam nostrum (ait Augustinus) cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, *Sacrificium* est." *Lib.* 10. *De Civit. Dei c.* 6.

II. Deinde subjicit Augustinus: "Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus ac rectus usus ad Deum refertur, Sacrificium est; quantò magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium?

Imò ea est populi Christiani dignitas, ut "verum sacrificium esse, dicat Augustinus, omne opus quod agitur, ut sancta societate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.

Itaque Christianè per omnia viventes, universæ vitæ suæ tempus & singula ejus momenta *sanctificant*, quando totum vitæ suæ tempus non impendunt, nisi ut sancta societate inhæreant Deo; quemadmodum impendere debent, si utiliter & Christianè impendere velint: nam ut idem sanctus Pater *Epist.* 130. *c.* 7. "Neq; enim utiliter in tempore vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.

III. Quare eodem Patre teste, "Spirituale Sabbathum observant illi, qui se ita temperatè operibus terrenis accommodant, ut tam lectioni, quàm orationi, etsi non semper rectè frequenter insistant, secundum illud Apostoli: *Attende lectioni & doctrinæ*: & iterum; *Sine intermissione orate*: qui enim tales sunt, quotidie spirituale Sabbathum colunt.

IV. Parum ergo sanctè præceptum de *sanctificando Sabbatho* proponitur in hæc verba: Deus præcepit, ut postquam homo totâ hebdomadâ laboravit pro corpore, tot dies impendit temporalibus, tanto tempore pro se solicitus fuit, septimam tandem diem animæ suæ & Deo impendat. Sic enim vivendum est, ut sive laboret, Deo laboret; sive otietur, Deo sanctè otietur, quatenus Psalmistæ concinere possit, *Tuus est dies, tua est nox; tu fabricatus es auroram & solem*. Hæ sunt continuæ Christianorum feriæ: hoc Sabbathum continuum, quod jam tum pridem Decalogi præcepto mandavit Deus; dum nullam hominis actionem, nullum vitæ tempus voluit esse vacuum dilectione.

V. Reflectens autem Cardinalis Baronius ad loca Patrum, quibus dicitur, Christianos non hanc vel illam ad Divinum cultum præscriptam habere diem; sed cunctis propensius Divinum numen venerari, ait: "Ex his ... inferri posse videtur, ea potissimum ratione in Ecclesia antiquitus institutum, ut dies hebdomadæ omnes *feriæ* nomine dicerentur.

VI. Verùm cum non omnium, imò paucorum Christianorum ea sit perfectio, ut *continuum* illud Sabbathum spirituale teneant & agant, visum est Patribus, propter infirmiores certos dies designare, quibus à negotiis terrenis cessantes, spiritualiter Deo, mysteriisque Divinis contemplandis se consecrarent, illosque specialiter his, quæ ad salutem animæ spectant, impenderent.

Origenes *libro* 8. contra Celsum, postquam ostendit, "quod qui perfectus est, ratione, operibus, cogitationibus, *perpetuò* hæret Deo Verbo naturali nostro Domino, semper agit diem Domini, & numquam non habet diem Dominicam," tandem subjicit: "Vulgus autem eorum qui credentes magis videntur, quam sunt: qui vel non vult quotidiè festum agere, opus habet ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino delabatur ab officio. Hæc, ut opinor, cogitans Paulus, partem diei festi nominavit festum statis diebus recurrens, collatum ad festum illud aliud. Subindicat autem his verbis, integrum & perpetuum festum esse in vita æterna, sicut Sacra Scriptura docet.

Similiter Chrysostomus probat omnes quidem dies Christianis spiritualem posse esse festivitatem; at non immerito certos dies festivos, idque ob aliquorum imbecillitatem esse designatos: "Neque enim temerè [ait] & sine causa nobis hæc tempora Patres observarunt: sed prudenti aliqua ratione ducti id egerunt, non ut libertatem nostram temporum necessitati subjicerent, sed ut dum se imbecilliorem subjicerent egestati, ad cognitionis opes illos proveherent." *Homil.* 63.

Pluribus hæc prosequutur Thomasinus tractatu De Festis *lib.* 1. *cap.* 1. 2. & 3.

VII. Hunc ergo in finem Ecclesia quosdam præter diem Dominicum, qui in locum Sabbathi Judaici surrogatus est alios nonnullos dies designavit, qui specialiter Deo, ejusque cultui impenderentur, & considerandis ejus mirabilibus operibus, etiam in Sanctis suis consecrarentur; & in iis quæ ad animarum suarum salutem conducere possent, sedulo se occuparent.

Porro sicut nemo dicet, quod famulus aut operarius diem aliquem impenderit suo domino aut hero, qui aliquam dumtaxat diei partem domino aut hero suo impendit; ita nec dici potest diem aliquem Deo impendere, qui partem solum ejus diei consecrat; & piis operibus incumbendo sanctificat: sed requiritur, ut diem totum saltem moraliter sanctificet, Deoque impendat.

VIII. Hinc à primis penè Ecclesiæ nascentis exordiis statutum, observatumque fuit, ut divinum officium per certas Horas distributum, in Ecclesia publicè ageretur; eique diebus saltem Dominicis festisque populus assisteret ut hoc pacto diem integrum sanctificaret, & Dei cultui se impenderet.

IX. Si enim officii hujus primam institutionem attendamus, illud non tam in Cleri quàm Laicorum ædificationem, & gratiam institutum intelligetur.

Unde S. Thomas quærens utrum oratio debeat esse vocalis, respondet, quod duplex sit oratio, communis & singularis: "Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet, quod talis oratio innotescat *toti populo* pro quo profertur, quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est ut ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire." 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12.

Et post Doctorem Angelicum notavit pius Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius in *Alphabeto lit. N.* quod inter cæteras "causas multiplicationis psalmodiarum *vocalium* in Ecclesiis, una sit vitæ *laicorum* laudabilis occupatio.

A Sancto Ambrosio institutum fuisse, ut in Ecclesia Mediolanensi juxta morem Orientalium psalmi *alternatim*

natim decantarentur *ne* POPULUS *mœroris tædio contabesceret*, testis est Augustinus *lib* 9. *Confess. c.* 7.

X. Eadem quoque hodie est Ecclesiæ intentio, optatq; æquè ut olim Divinum Officium ita peragi, ut populi devotionem excitet. Unde præterito seculo Concilium Senonense anno 1528. *c.* 17. hæc statuit: "Cum in Ecclesiis „Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut *Fidelium* de„votio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque offici„um, & Missarum celebritates, assiduè Clero ac populo „sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, „ut eadem distinctione collibeant & maturitate dele„ctent.

XI. Optat quidem Ecclesia, ut non tantum Clerus; sed etiam populus diurno nocturnoque officio, quantum per occupationes licet, *quotidie* assisteret; præcipuè tamen ipsi curæ fuit, ut diebus Dominicis Festisque iis interesset, atque ita dies illos cultui Divino *totos* consecraret.

Theodulphus Episcopus Aurelianensis in suo Capitulari *c.* 24. ait: " Dies Dominici tanta debet esse observan„tia, ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea „quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat... Conve„niendum & Sabbatho die cum luminaribus cuilibet „Christiano ad Ecclesiam: conveniendum & ad *Vigilias* „sive ad *Matutinum Officium*: concurrendum est etiam „cum oblationibus ad *Missarum* solemnia. Habetur tomo 7. Concil. general. *col.* 1137.

Synodus Turonensis anno 813. *Can.* 40." Die Do„minica oportet omnes Christianos in Laude Dei & „gratiarum actione usque ad vesperam perseve„rare.

XII. In Capitularibus Regum Francorum legitur *lib.* 6. *c.* 205." Ne illo sancto die (Dominico) vanis fabulis, „aut locutionibus, sive cantationibus, sive saltationibus „stando in biviis & plateis, ut solet, inserviant. Sed ad „Sacerdotem aut aliquem sapientem & bonum veniant „& eorum prædicationibus & bonis locutionibus, quæ „ad animam pertinent, utantur. Et illo die seu Sabba„tho ad *Vesperas* & ad *Matutinas* sive ad Missam cum „eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo „*Kyrie eleyson* veniant, & eundo & redeundo *Kyrie„eleyson* decantent. Similiter & pastores pecorum eun„do & redeundo in camptum & ad domum faciant, ut „omnes eos veraciter Christianos & devotos esse cog„noscant.

XIII. Imò adeò constans erat hæc disciplina, atque ad eam conservandam ita sollicita Ecclesia, ut inter articulos de quibus per Episcopum, Archidiaconum, vel Archipresbyterum in visitatione erat inquirendum, hic esset ordine decimus septimus: "Est aliquis qui in Die Do„minico, vel in præcipuis festivitatibus quidquam ope„ris faciat; & si ad *Matutinas*, & ad *Missam* & ad *Vespe„ras* his diebus imprætermissè omnes accurrant." Apud Reginonem *De Eccles. Discipl. lib.* 2. *in Inquisit. numer.* 57.

XIV. Quin & seculo 11. inter Decreta Ferdinandi Regis & Sanctiæ Reginæ & omnium Episcoporum in diebus eorum in Hispania degentium, & omnium ejusdem Regni Optimatum anno 1050. in Concilio Coyacensi promulgata legitur *c.* 6." Sexto vero titulo admonemus, ut „omnes Christiani die Sabbathi *advesperascente* ad Ec„clesiam concurrant, & Dominica *matutina*, *Missas* & „*omnes Horas* audiant.

XV. Ex hac disciplina in pluribus Ecclesiis Parochialibus, præsertim in civitatibus remansit usus Horarum Canonicarum saltem pro majore parte diebus Dominicis & festis decantandarum; ut nimirum populus iis diebus ad Ecclesiam istis horis conveniret. Verum hæc officia non rarò adeò perfunctoriè decantantur, ut mirum non sit, si à populo neglectui habeantur; neque de his frequentandis vel cogitetur.

XVI. Frequentia quoque Synodorum nostrarum Decreta, quibus præcipitur, ut diebus Dominicis præter Missam solemnem & concionem, etiam Vesperæ post meridiem, idque horâ statutâ, in omnibus Parochiis decantentur, pristinæ disciplinæ luculenta vestigia sunt.

XVII. Eodem tendunt Principum nostrorum Edicta quibus cavetur, ne quis diebus Dominicis & Festis tempore Concionis, Summi Sacri & Vesperarum audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut prope Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocumque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari, aut scholas gladiatorias, vel hortos sagittariorum frequentare sub pœna arbitraria; de quibus *parte* 1. *tit.* 3. *c.* 11.

Ita Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 5. quod datum fuit ad instantiam Episcoporum istius Provinciæ, qui *tit.* 4. *c.* 1. expressè decreverant hujusmodi Edictum publicum à Regia Majestate aut Magistratibus impetrandum; ut hoc pacto efficaciùs populus ad frequentationem Divinorum Officiorum adigeretur; & profanatio dierum festorum impediretur.

XVIII. Hic notandum, quod cum Edictorum illorum finis sit, ut publica officia Divina diebus Dominicis & festis non impediantur & negligantur, nullatenus dubitandum appareat, quin Edicta comprehendant quoque publicas ac solemnes *Laudes*, quæ in Ecclesiis Parochialibus ex præscripto Synodorum, aut Episcoporum, vel sane ex laudabili consuetudine & Parochorum probanda curâ sub tempus vespertinum decantari consueverunt; utpote quæ & partem divini officii hodie constituere videntur.

XIX. Sed mirabitur forsan quispiam, quod nec in hactenus citatis Canonibus, neq; in Decretalibus Gregorii IX. ubi de celebratione festorum aut feriarum agitur Concionis seu instructionis vix mentio fiat: at id mirum videri haud debet. Notorium enim est, moris fuisse in Ecclesia ut post lectionem Evangelii sequeretur ipsa Evangelii explanatio, quam hodie *Concionem* dicimus; hancque, non secus ac ipsam Evangelii lectionem, partem *Missæ* constituisse; uti latius ostensum est suprà *titulo* 5. *c.* 2. adeoque dum in Canonibus præcipiebatur populo interesse *Missæ*, unà præceptum fuit *Concioni* assistere.

XX. Ex his facilè apparet, omnino à mente Canonum & Ecclesiæ esse alienam quorumdam opinationem, qui arbitrantur, præcepto de sanctificando Die Dominico aut festivo satisfieri per unius *Missæ privatæ*, quæ semihoræ spatio absolvitur, auditionem tametsi reliquam diei partem actionibus profanis & inutilibus impendant: quem abusum expressit Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 4. *c.* 1. eumque ut Parochi extirpare studeant, præcipit. " Ut abusus ille (ait) Divino & Ecclesiastico „præcepto contrarius semel tandem penitus aboleatur, „quo se plerique existimant probè suo functos officio, si „Missâ, etiam *privatâ* tantummodo diebus Dominicis „& festis auditâ, reliquum diem profectioni, negotia„tioni, lusibus, choreis, potitationibus & aliis secula„ribus vel etiam illicitis actionibus impendant; Parochi „suis subditis frequenter inculcent ea quæ in Catechis„mo Romano ad tertium præceptum Decalogi, & aliis „authoribus de recta dierum festorum observatione traduntur.

Et omnia illa Synodorum atque Episcoporum Decreta, quibus interdicitur diebus Dominicis & festis Missarum *privatarum* celebratio, quâ populus à Missa Parochiali & solemni abstrahi posset, ad quid tendunt, nisi ut huic abusui occurrant; occasionemque populo adimant, auditâ Missâ privatâ negligendi Missam Parochialem, ac unà instructionem quæ sub Missa Parochiali fieri consuevit?

XXI. Quapropter licet ex Ecclesiæ conniventia, &

dam corporis, posseque imponi per modum pœnitentiæ à Confessario. "Nullus (ai.) negaverit laboriosum esse „scribentis exercitium. Accepiet ergo istud in pœniten„tiam seu satisfactionem, pro suis alienisque delictis, „&c. Junge quòd in foro pœnitentiæ potest iste labor „ad satisfactionem imponi. Quem laborem si nullus „hominum imponit, imposuit sanè Deus ab initio, cùm „dixit Adæ & posteris ejus: In sudore vultus tui vesce„ris pane tuo.

XVII. Cæteræ considerationes Gersonianæ ostendunt fructum multiplicem ex scriptione accurata piorum librorum in Ecclesiam & populum dimanantem: qui eo tempore, quo scribebat Gersonius, nimirum anno 1418. major erat; quòd necdum ars typographica esset reperta; unde nec mirum, si Gersonius & ipsam transcribendi libros necessitatem & utilitatem tantoperè extollat.

XVIII. Interim ex omnibus concludit Gersonius: „Nihil impedit libros seu tractatulos vel codicillos de„votionis scribere festivis diebus: habito moderamine, „quale sapiens judicabit in hoc opere; quod utique non „servile censendum est; sed in honorem Ecclesiæ ali„quando plus vergens, quam multiplicatio vocalis ora„tionis, imò quàm insolens in aliquibus Missarum mul„tiplicatio.

XIX. Quæ hic circa transcriptionem piorum librorum dixit Gersonius, eadem quoad alia multa exercitia non servilia dici possunt; quòd nimirum ea sanctificationem diei Festi non violent, modo cum ea moderatione, intentione, aliisque circumstantiis à Gersonio descriptis, fiant.

E contrario, si ea moderatio, eæque conditiones non serventur, facilè fiet; ut similia exercitia sanctificationem diei Festi impediant.

Quid enim, si quis diem Festum pro majore parte impendat scribendo acta aut instrumenta lucrum sub debito salario: quemadmodum Procuratorum, Advocatorum, Notariorum, aliorumque Officiatorum ministri sive Scribæ facere consueverunt? Quis dicet hujusmodi Scriptores diem Festum sanctificare? Et de tali scriptione indubiè intelligendus S. Bonaventura in *Speculo Discipl. ad Novit. parte 1. cap. 21.* ubi inter ea, quæ in diem non festivum differenda censet, numerat *scribere in quaterno*.

XX. Eadem ratione post alios Theologos docet Merbesius *prima parte quæst. 195. concius. 12.* "Peccare „Advocatos, qui cupiditatis & avaritiæ studio succensi „solitos labores Dominicis diebus & Festis obeunt, „& ita sese in secularia negotia immergunt, ut nihil „sibi temporis relinquant, quo Deum singulari cul„tu, iis præsertim diebus prosequantur, & suæ saluti „consulant." Idem erit de Procuratoribus aliisque qui negotiis tametsi liberalibus simili modo se immergunt.

XXI. Quin & circa ipsa *itinera*, quæ Synodus Aurelianensis Anno 538. *Can.* 28. diebus Dominicis vetita non esse declarat, quædam moderatio tenenda est.

Sanctus Theodulphus Aurelianensis Episcopus in citato Decreto, postquam dixit, tantam debere esse observantiam, ut præter orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat, immediatè subjicit: "Nam & si *necessitas* fuerit na„vigandi, sive *itinerandi*, licentia datur; ita dumta„xat, ut hac occasione Missæ & orationes non prætermittantur.

Quamvis ergo conformiter ad Synodum Aurelianensem declaret hic Aurelianensium Antistes, diebus Dominicis esse licentiam itinerandi, eam tamen non nisi *necessitas* concurrat concedere videtur; idque ulterius ea moderatione, ut *Missæ & Orationes* non prætermittantur.

Et fortius citata Synodus Coyacensis sub S. Ferdinando Rege Castillæ de celebratione diei Dominicæ agens dicit: "Servile opus non exerceant, nec sectentur *itine„ra*, nisi orationis causâ, aut sepeliendi mortuos, aut vi„sitandi infirmos, aut pro Regis secreto, pro Sarraceno„rum impetu.

XXII. Sanè timoratorum plurium praxis etiam hodierna docet, itinera præcipuè longa, quæ notabilem diei partem occupant, diebus festis non esse facilè suscipienda; eaque, si sine notabili incommodo fieri queat, in alium diem esse differenda; exemplo Comitis S. Geraldi, de quo in ejus vita narrat S. Odo *lib. 2. cap. 24.* "Item dum ab Urbe rediret, venit Sabbatho ad quan„dam Ecclesiam, juxta locum scilicet, ubi sulphu„rei videntur acervi. Cùm autem vellet populus in cra„stinum proficisci, retinuit eos, dicens; quòd ob reve„rentiam Dominici diei, saltem usque ad *nonam* demo„rarentur. Nec illa demoratio fuit etiam sine beneficio „temporali.

Notandum per horam *nonam* hic intelligi horam, quæ nostræ horæ *tertiæ* pomeridianæ respondet.

XXIII. Quod olim deploravit Concilium Parisiense anno 829. *lib.* 1. *cap.* 50. quod utcumque dies Dominica à quibusdam Dominis venerando custodiri videretur, sed à *conservis servitio eorum pressis* perraro debito honore coli inveniretur, hodie meritò deploratur; dum videmus plures famulos famulasque diebus festis in tantum à suis Dominis impendi & ad operas adigi; ut iis vix tempus Missam audiendi indulgeatur; indeque non rarò contingat, ut circa fidei mysteria, ac vitæ Christianæ normam planè rudes sint.

Inter leges Ecclesiasticas sancti Canuti Regis Danorum *cap.* 14. legitur: "Herus si servo invito opus ad„dixerit die quocumque festo, servo mulctator suo, ser„vus deinceps liber esto.

XXIV. Apud Reginonem *De Eccl. Discipl. lib. 1. cap.* 416. refertur sub nomine Concilii Rothomagensis: „Admonere debent Sacerdotes proles sibi subditas ut „bubulcos atque porcarios vel alios pastores vel arato„res, qui in agris assiduè commorantur vel in silvis, & „ideo more pecudum vivunt, in Dominicis & in aliis fe„stis diebus saltem ad Missam faciant vel permittant ve„nire. Nam & hos Christus pretioso Sanguine suo re„demit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum abs„que dubio rationem se reddituros sciant.

Hic notandum, quod juxta illius temporis disciplinam, nomine *Missæ* hic intelligatur *Missa solemnis* sive Parochialis, sub qua & ipsa concio comprehenditur, juxta dicta capite præcedenti.

XXV. Et in Capitularibus Regum Francorum legitur *lib. 6. cap.* 205. "Et illo die seu Sabbato ad Vesperas „& ad Matutinas sive ad Missam cum eorum oblatio„nibus, si fieri potest, omnes canendo, *Kyrie eleyson* ve„niant, & eundo & redeundo *Kyrie eleyson* decantent. „Similiter & *pastores pecorum* eundo & redeundo in „campum & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter „Christianos & devotos esse cognoscant." Idem eisdem pene verbis expressit Herardus Archiepiscopus Turonensis in suis Constitutionibus *cap.* 114. Habentur ad calcem tomi primi Capitularium Regum Francorum editionis Baluzianæ. Notandum autem per *Kyrie eleyson* hic intelligi *Litanias publicas* quæ per *Kyrie eleyson* incipere solent. Consule Glossarium Du Cange verbo *Kyrieles*.

Quàm crassa soleat in hoc hominum genere esse ignorantia, & sæpius vita omninò gentilis, quin & impia, nimis notum est; ut meritò hic rursus repetam, quod ex Synodo Namurcensi relatum est supra *parte 1. titul. 3. cap. 5.* ut "Pastores tempore messis, & etiam illis „diebus, quibus *opiliones, bubulci*, vel subulci in agris „sunt, illos visitent ibidem & doceant, imitatum

ea in

„ ea in parte vestigia Salvatoris nostri JEsu Christi, qui „ per vicos & plateas transibant evangelizare Reg„ num Dei.

CAPUT IV.

Strepitus forenses & mercatus diebus Festis vetiti.

1. *Ex præcepto sanctificandi dies festos profluit, à strepitu forensi abstinendum esse.*
2. *Quid de hoc edixerit Constantinus Magnus?*
3. *Lex Theodosii Imperatoris.*
4. *Amplior de hac re Constitutio Leonis & Anthemii Imperatorum.*
5. *Canones legibus consentiunt.*
6. *Sententiæ pronunciatio, etiam ante concepta, die festo fieri nequit.*
7. *Similiter nec sententiæ executio.*
8. *Examen testium, licet jam ante juraverint, die festo non instituendum.*
9. *Actus judiciales die festo exerciti sunt invalidi; licet partes consenserint.*
10. *Ob necessitatem aut pietatem interdum liciti.*
11. *Mercatus cur diebus festis prohibitus.*
12. *Distinctio inter actus judiciales & mercatum diebus illis exercitos.*
13. *De vetitis mercatu & nundinis die festo Decretum Synodi Cameracensis.*
14. *Conforme Edictum Philippi II.*
15. *Simile Decretum Synodorum Mechliniensium, & Edictum Principum.*
16. *Vetitum vendere carnes in macello; vel merces in domibus privatis? etiam foribus* clausis.
17. *Regulamentum Magistratus Bruxellensis circa venditionem edulium diebus festis.*
18. *Decretum S. Caroli diebus festis mercatum interdicens.*
19. *Etiam ementes violationis festorum complices declarat; minutiora tamen vendi permittit.*
20. *Quibus potissimùm incumbat hisce invigilare?*

I. Opera servilia inhibita esse diebus Dominicis & Festivis, ea potissimùm ex causa, quia hominem abstrahunt ab iis quæ diebus illis tractare & agere oportet, redduntque eum minus implicatum, quo ut divinis pro exigentia & sanctificatione ejusmodi dierum vacare possit, notatum fuit capite superiori.

Ex ipsa igitur ratione præcepti consequens est meritò per Canones jam pridem vetita esse diebus illis Deo sacris omnia ea exercitia, quæ hominem rebus terrenis implicare, & à cultu Divino nata sunt avocare: inter quæ eminent strepitus judiciales, qui, ut capite præcedenti notatum est, magis hominem rebus terrenis implicare solent, quam opera servilia.

II. Constitutio Constantini Magni de observantia diei Dominici seu *Solis* superiore capite relata, qua dicitur: "omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum „ artium officia die *Solis* quiescant: "satis apertè strepitus „ judiciales die illo debere quiescere indicat.

Quinimò eidem Imperatori consideranti, ipsos Gentiles à suis Feriis sive Deorum Festis jurgia litigiorum amovisse: "indignissimum videbatur diem *Solis* venera„ tione sui celebrem, altercantibus *jurgiis & noxiis* par„ tium *contentionibus* occupari: "ut loquitur in *L.* 1. *Cod. Theod. De Feriis.*

III. Theodosius Imperator in *l.* 2. *Cod. eod.* ait: "Ut „ die Dominico emancipare ac manumittere liceat, re„ liquæ *causæ*, vel *lites* quiescant. "Dein paucis interpo„ sitis adjungit: "Sanctum quoque diem Paschæ, & „ diem Natalis Domini, & Ephiphaniæ, septem qui „ præcedunt, & septem qui sequuntur, *sine strepitu* vo„ lumus observari. Et quod contra hoc factum fuerit, „ omnibus modis irritatur.

IV. Verùm omnibus generalior ipsosque actus judiciarios propriùs exprimens est Constitutio Leonis & Anthemii in *l. fin. Cod. eod.* "Dies festos Majestati Al„ tissimæ dedicatos, nullis volumus (inquiunt) volupta„ tibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus „ profanari. Dominicum itaque diem ita semper hono„ rabilem decernimus & venerandum, ut à civitatis exe„ cutionibus excusetur; nulla quemquem urgeat admo„ nitio: nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat ap„ paritio: advocatio delitescat. Sit ille dies à cognitioni„ bus alienus: præconis horrida vox silescat: respirent „ à controversiis litigantes, & habeant fœderis inter„ vallum: ad sese simul veniant adversarii non timentes, „ subeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant „ transactiones loquantur.

V. Canones ipsam dierum festorum sanctificationem unicè desiderantes, eas Imperatorum leges laudarunt, atque frequenter adoptarunt, renovaruntque.

Sub nomine Concilii apud Compendium in *Cap.* 1. ;; *De Feriis* præcipitur, ut omnes dies Dominici observentur, & " in eis mercatum minimè fiat, neque *placi„ tum*: neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judice„ tur, nec Sacramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) „ præstentur.

VI. Ex his juris textibus uno consensu tradunt Juris-Consulti, per Ferias omnem judiciorum actum quiescere debere; & si fieret, non valere. V.G. si sententia feratur; etiamsi tùm solum pronuntiaretur, jam ante juridico die composita & concepta; uti post Antonium Fabrum docet Tuldenus ad Codicem titulo *De Feriis nu.* 2.

VII. Rectè quoque ibidem Tuldenus reprobat quorumdam opinionem arbitrantium, *executionem* sententiæ die Feriato licitam esse, eò quod in ea non versetur causæ cognitio: " quia (ait Tuldenus) Feriæ non „ magis disceptatione secura judicis, quàm vexatione „ damnati violantur; & *anxia* perscrutatione victo„ ris apparitorisque. Hoc enim potissimum spectant „ leges.

VIII. Notat quoque ibidem *num.* 5. non rectè quosdam Interpretes: "admittere diebus festis examen te„ stium, "quamvis in Profesto *juraverint*; neque eorum „ citationem ob supra citatam legem finalem: nam ejus „ decretum utique judiciale est, & executio inquietat.... „ Sanè cum constet, in festo testes adigi jurejurando non „ posse *Cap.* 1. ;; *De Feriis* (qui tamen actus religionis „ est) nescio, qua ratione velint eos examine distringi „ posse cum suæ potius conscientiæ vel legis divinæ „ normam examinandæ vacare oporteat.

IX. Et quidem usque adeò solemnibus Feriis quæ ob reverentiam Dei noscuntur institutæ, à strepitu judiciali "convenit abstinere (ait Pontifex in *Cap. fin.* ;; *De Fe„ riis*) ut *consentientibus* etiam partibus, nec processus „ habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus „ hujusmodi promulgari.

Ratio decisionis est, quia, ut rectè monet Tuldenus *num.* 4. Feriæ religiosæ non ad litigatorum favorem sed ad honorem Dei pertinent. Unde ibidem subjicit Pontifex: " Licet diebus feriatis, qui gratia vinde„ miarum vel messium ob necessitates hominum in„ dulgentur, procedi valeat, si de partium processerit „ voluntate.

X. Addit nihilominus Pontifex hanc parenthesim, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, communi praxi comprobante, urgente necessitate, vel pietate suadente, posse subinde actus judiciales diebus festis exer-

„ peres, si tamen pauperes, in sancto quid facit aurum? „ Et quidem alia causa est Episcoporum, alia Monachorum. Scimus namque, quod illi sapientibus & insipientibus debitores cùm sint, carnalis populi devotionem, quia spiritualibus non possunt, corporalibus „ excitant ornamentis. Nos verò qui jam de populo „ exivimus, qui mundi quæque pretiosa ac speciosa pro „ Christo reliquimus, qui omnia pulchrè lucentia, canore mulcentia, suaveolentia dulce sapientia, tactu „ placentia; cuncta denique oblectamenta corporea arbitrati sumus ut stercora, ut Christum lucrifaciamus: „ quorum, quæso, in his devotionem excitare extendimus? Quem, inquam, ex his fructum requirimus? stultorum admirationem, an simplicium oblectationem? An „ quoniam commixti sumus inter Gentes, fortè didicimus opera eorum, & servimus adhuc sculptilibus eorum?

XXXIII. Edictum Principum nostrorum clausulam hanc finalem subjicit: "Et si casus occurrat hic non decisus, recurretur ad Principem, aut ejus Concilium, ut „ amicabiliter, aut alioquin summariè & sinè strepitu „ transigatur.

Quamvis Canones passim Episcopis injungant curam reparandarum Ecclesiarum, illisque specialiter mandent ut Parochiales Ecclesias, etiamsi Juris Patronatus sint, collapsas instaurari procurent, nihilominus "ex consuetudine generali passim ferè obtinente etiam coram laico „ judice; hoc est in his Belgii regionibus in auditorio Principis, seu Provincialibus ejus Concilüs agi potest," ait Wamesius *Consilio Canonico* 312. *num.* 2.

Et in Gallia frequenter judicatum refert ex Aufrerio Peckius c. 28. per plura Arresta, quod Parlamentum Regium de Ecclesiarum reparationibus cognoscere possit; pronuntiaruntque contra Episcopos jurisdictionem Parlamentorum in hac materia declinare volentes. Et plurimæ extant in Concilio Brabantiæ (ait) adversus diversos „ Prælatos super eadem reparatione, ad instantiam incolarum loci, in quo ea Ecclesia sita est, pronuntiatæ, quod „ notorium est, solerque ea coactio de reparandis Ecclesiis per Commissarios Regios fieri, sola expensâ sine alio salario contentos.

Quinimo cum hic de publicatione Concilii Tridentini ageretur, nonnulli è Ministris Regiis monuerunt ad citatum caput 7. "totam hanc auctoritatem de Ecclesiis restaurandis ab antiquo ad Curiam Provincialem pertinuisse.

Et notoria ac quotidiana praxis habet, quod passim in hisce ac vicinis provinciis quæstiones refectionum Ecclesiarum spectantes in Conciliis Regiis Provincialibus tractentur.

Cùm enim ejusmodi cognitio tantùm respiciat proventus, & fructus bonorum Ecclesiæ, qui proveniunt ex temporalibus, super quibus Rex potest facere ordinationes, quæ in suo foro serventur, caret fundamento, eam Regi negare velle, ut ex Chassanæo notat Peckius *cap.* 28. *num.* 4.

TITULUS XVII

De Celebratione Festorum.

CAPUT I.

De Institutione, & varia Specie Festorum.

1. *Celebratio Festorum ex traditione Apostolica.*
2. *Tempore Augustini Festum Natalis Domini celebratum; non tamen numeratum inter Festa ex traditione Apostolica descendentia.*
3. *Festa Martyrum primis seculis quomodo celebrata?*
4. *Prius celebratum Festum S. Ioannis Baptistæ quam singulorum Apostolorum? & quare?*
5. *Festum Annuntiationis Divæ Virginis seculo 7. erat receptum.*
6. *Hoc Festum non semper eodem die celebratur; quod corrigit Synodus Toletana X.*
7. *Unde mobilitas illius Festi provenerit.*
8. *Festum hoc æquali cum Festo Nativitatis Dominicæ veneratione celebratum.*
9. *Festum hoc propriè erat Festum* Incarnationis *Verbi; & tamen dicebatur Festum Matris Dei.*
10. *Potest & Festum Natalis Domini dici Festum Divæ Virginis.*
11. *Seculo 7. non videtur, saltem in Hispania, aliud Festum Divæ Virginis notum fuisse.*
12. *De Festo Assumptionis hæsitavit Carolus Magnus.*
13. *Sub initium seculi 9 resolutum Festum hoc esse celebrandum; & quid de eo scripserit Usuardus?*
14. *Festum Annuntiationis in Gallia seculo 9. nondum videtur fuisse notum.*
15. *Festum Nativitatis, non autem Conceptionis tempore S. Bernardi erat receptum.*
16. *Quomodo plura Festa sensim invaluerint.*
17. *Præcipua auctoritas instituendi dies festos & penes Episcopos.*
18. *Meritò in hac institutione audiendus est populus & quare?*
19. *Interdum Senatus Regius se opponit introductioni aut abrogationi Festorum.*
20. *Nimia Festorum multiplicatio habet sua incommoda.*
21. *Querela Synodi Trevirensis de hac nimia multiplicatione.*
22. *De eadem conquestus Urbanus* VIII. *& qua ratione querelarum?*
23. *Synodus Trevirensis voluit aliqua Festa esse dimidiata.*
24. *Similia Festa jam pridem nota fuerunt apud Græcos.*
25. *Hæc Festa in plerisque Diœcesibus transferunt in Festa* devotionis.
26. *In Festis minoribus quædam permittuntur, quæ non in majoribus.*
27. *Episcoporum est ordinare qua ratione sint instituenda.*
28. *Nonnulla Festa à solo Clero celebranda.*

I. INter ea quæ ex Apostolica traditione creduntur in Ecclesia observari, certorum dierum festorum celebrationem refert S. Augustinus *epist.* 54. „ ad Januarium, dicens: Illa autem quæ „ non scripta, sed tradita custodiemus, quæ quidem „ toto terrarum orbe servantur, datur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenariis Conciliis, quorum est in „ Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque „ statuta retineri, sicuti quod Domini Passio & Resurrectio & ascensio in cœlum, & Adventus de cœlo Spiri-

Digitized by Google

„ tûs Sancti, anniversaria solennitate celebrantur, etsi „ quid aliud tale occurrerit, quod servetur ab universa, „ quacumque se diffundit, Ecclesia." Apud Gratianum *Dist.* 12. *Can.* 11.

II. Nec tantùm hæc festa tempore Sancti Augustini celebrata fuisse ex ipso Augustino constat: nam epistolâ sequenti eidem Januario quærenti, " cur anniversarius „ dies celebrandæ Dominicæ passionis, non ad eundem „ redeat anni diem, sicut dies quâ creditur *natus*," res„pondit: " Hic primum oportet noveris diem Natalem „ Domini non in sacramento celebrari, sed tantùm in „ memoriam revocari quod natus sit, ac per hoc nihil „ opus erat, nisi revolutum anni diem, quo ipsa res acta „ est, festâ devotione signari. Sacramentum est autem in „ aliqua celebratione, cum rei gestæ commemoratio ita „ fit, ut aliquid etiam significari intelligatur, quod san„ctè accipiendum est.

Hic clarè supponit Augustinus, diem *Natalis* Domini celebratum fuisse: quod & aliis pluribus locis significat. Sed ideò forsan inter festa ex traditione Apostolica descendentia non retulit, quia non proinde ut de aliis constabat, hujus festi institutionem ab Apostolis descendere; neque tam universaliter per totam Ecclesiam hoc festum celebrabatur: cùm constet in aliquibus, saltem Orientis Ecclesiis Festum Nativitatis Dominicæ distinctum non fuisse à festo Epiphaniæ, uti testatur S. Chrysostomus Homilia 56. dicens: " Prima festivitas apud „ nos sunt Epiphania. Quæ porrò festi est occasio? Quo„ niam Deus in terris visus est, & cum hominibus con„ versatus est.

III. Dies quoque Martyrum etiam ante tempora S. Augustini celebratos fuisse testis est Eusebius de Vita Constantini *lib.* 4. *cap.* 23. " Missa quoque lex est [ait] „ ad Præsides Provinciarum, ut diem Dominicum etiam „ ipsi venerarentur. Iidem festos Martyrum dies jussu „ Principis observabant, & Ecclesiarum festivitatum „ tempora debito honore prosequebantur.

Non meminit autem Festorum Martyrum S. Augustinus enumerans Festa ex traditione Apostolica dimanantia: quia Festa Martyrum non nisi in locis Martyrii eorum celebrari consueverant, vel in Ecclesiis eorum nomini specialiter dedicatis, quemadmodum monet Ludovicus Thomasinus tractatu De Celebratione Festorum *lib.* 1. *cap.* 4. ibidem examinans, quæ Festa seculo quinto tum in Occidentalibus, tum Orientalibus Ecclesiis celebrarentur.

IV. Deinde *cap.* 5. examinat quæ Festa celebrata fuerint ab anno 500. usque ad annum 800. notatque, sub initium seculi sexti in Concilio Agathensi inter Festa solenniora referri Festum S. Joannis Baptistæ: illudque esse è vetustissimis observat *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 6. quasi fundatum super ipso textu Evangelico, quemadmodum reflectit S. Bernardus *epist.* 174. " Merito Ecclesia, quæ „ cæterorum non nativitatem, sed mortem Sanctorum „ judicat & prædicat pretiosam; singulari quadam ex„ceptione, festis præfert gaudiis, veneraturq; ipsius Na„talem, de quo nuntiante Angelo singulariter legit', & „ multi in nativitate ejus gaudebunt.

Seriùs instituta fuisse Festa singulorum Apostolorum; sed primitùs uno communi Festo, omnium memoriam celebratam fuisse ostendit citato *cap.* 5.

V. Quando celebrari cœperint specialia Festa sub nomine Dei Genetricis sat obscurum est. Hoc sat constat, seculo septimo usitatum & in multis Ecclesiis stabilitum fuisse Festum *Annuntiationis*, quemadmodum fidem faciunt Synodus Trullana *Can.* 52. & Concilium Toletanum X. *Can.* 1. qui posterior Canon plura notanda docet.

VI. Primò docemur, quod hoc Festum jam tum in luribus Ecclesiis celebraretur; & incongruum visum ierit Patribus, quod hoc Festum non semper eodem tempore celebrari posset; sed uno anno citiùs, altero seriùs; quam variationem tollendam præcipiunt; ac unà originem illius variationis indicant: verba Canonis sunt: " Invenietur enim in multis Hispaniæ partibus hujus „ Sanctæ Virginis Festum non uno die per omnes anno„ rum circulos agi. Quoniam transducti homines diver„ sitate temporum dum varietatem sequuntur, unita„ tem celebritatis non habere probantur. Qua de re, „ quoniam die qua invenitur Angelus Virgini Verbi „ Conceptum & nuntiâsse verbis, & indidisse miraculis, „ eadem Festivitas non potest celebrari condignè, cum „ interdum quadragesimæ dies, vel Paschale Festum vi„ detur incumbere, in quibus nihil de Sanctorum so„ lemnitatibus, sicut ex antiquitate regulari cautum est, „ convenit celebrari; cùm etiam & ipsam incarnatio„ nem verbi non conveniat tunc celebritatibus prædica„ ri, quando constat idipsum Verbum post mortem car„ nis gloriâ resurrectionis attolli, ideò speciali constitu„ tione sancitur, ut ante octavum diem, quo natus est Do„ minus, Genitricis quoque ejus dies habeatur celeber„ rimus & præclarus.

VII. Mobilitas igitur hujus festi, quemadmodum & hodie adhuc contingit, proveniebat ex eo, quod dies 25. Martii. cui hoc festum erat affixum, sæpius in Quadragesimæ, aut Paschales dies incideret; " in quibus (in„ quit Concilium) nihil de sanctorum solemnitatibus, „ sicut ex antiquitate regulari cautum est, convenit ce„ lebrari.

VIII. Docemur insuper ex hoc Canone, Patres existimâsse, festum Annuntiationis non minore festivitate quàm festum Nativitatis Dominicæ esse celebrandum: " Ex pari enim honore constat, ut sicut nativitatem Filii „ sequentium dierum insequitur dignitas, ita Festivita„ tem Matris tot dierum sequatur sacra solennitas.

Rationem subjungunt: " Nam quod festum est Matris „ nisi *incarnatio Verbi*? Cujus utique ita debet esse solen„ ne, sicut est & ejusdem nativitas Verbi.

IX. Hic docemur, quod hoc festum propriè esset festum *Incarnationis* Dominicæ; atq; propterea meritò crediderint Patres, eâdem solennitate celebrandum, quâ ipsius Verbi Nativitas.

Ad hæc docemur, quod festum *Incarnationis* Dominicæ sive Filii habuerint & reputaverint festum *Matris*; quia revera dum filii *Incarnatio* recolitur, etiam ipsius Matris dignitas, in cujus utero Verbum incarnari dignatum est, recolitur.

X. Si ergo multis seculis festum Incarnationis Verbi reputatum sit pro festo Matris; quidni & Nativitatis solennitas, pro solennitate Matris reputari potuit? Uti rectè reflectit Thomasinus *libr.* 1. *capit.* 5. *numer.* 7. monetque, eam forsan fuisse rationem cur antiquitus festa Divæ Virginis non reperiantur instituta, quod crederent Patres, solennitates Filii esse quodammodo solennitates Matris: cum vix Homo-Deus honorari queat, nisi unà per correlationem colatur Hominis-Dei Mater.

XI. Hoc insuper notat Thomasinus, quod hoc festum hîc simpliciter dicatur, *Sanctæ Virginis Festum, Festivitas gloriosa Matris*, atque hinc verisimile fiat, quod saltem in Hispania aliud Festum Divæ Virginis nondum celebraretur. Si enim inter festa tunc numeratum fuisset festum Assumptionis aut Nativitatis ejus, verisimile non est, quod festum Annuntiationis, seu Incarnationis Dominicæ simpliciter, & sine aliquo addito vocatum fuisset *sanctæ Virginis festum*.

XII. Quo ad alia specialia Divæ Virginis festa, constat, ea non eodem tempore, nec ubique simul instituta esse; sed alia seriùs, alia citiùs; alia in una, alia in alia Ecclesia primitus fuisse celebrata; & sensim ad alias Ecclesias propagata.

De festo Assumptionis omnium festorum Divæ Virginis

nis hodie solemnissimo, quodque præ omnibus aliis habet præcedentem Vigiliam cum obligatione jejunandi, legitur in Capitulari Caroli M. *lib.* 1. *Capitularium c.* 158. *De Assumptione Sanctæ Mariæ interrogandum relinquimus.*

Hic videmus nondum in Regno Galliæ generaliter hoc festum esse stabilitum tempore Caroli M. ipsumque de eo *interrogandum* decrevisse; indubiè interrogandos sui Regni Episcopos.

XIII. Hi cum anno 813. in Synodo Moguntiaca respondissent, eam festivitatem reponendam esse in catalogo festorum Ludovicus pius Caroli filius eam celebrari jussit; eamque inter alias festivitates enumerat, *lib.* 2. *Capitular. c.* 35.

Usuardus Monachus Benedictinus, qui jussu Caroli Magni Martyrologium conscripsit, quo Romana Ecclesia, ac permultæ aliæ utuntur, propter eam Caroli forsan hæsitationem, hoc festum non assumptionis, sed *dormitionis* Dei Genetricis dixit, ad diem 15. Augusti hæc notans: " *Dormitio* Sanctæ Dei Genitricis Mariæ. „ Cujus sacratissimum corpus, etsi non invenitur super „ terram, tamen pia mater Ecclesia ejus venerabilem „ memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis „ eam migrasse non dubitet. Quo autem venerabile illud „ Spiritus Sancti templum nutu & consilio divino oc- „ cultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate „ nescire, quàm aliquid frivolum & apocryphum inde „ tenendo docere.

XIV. Nec in hoc Capitulari, uti nec in Concilio Moguntiaco, neque in Regula Crodogangi, ubi omnia festa recitantur, ulla fit mentio *Annuntiationis* Divæ Virginis; ut vel inde appareat, quod licet à seculo septimo in Hispania multisque aliis Ecclesiis illud festum esset receptum, nec tamen sub initium seculi noni in Gallia celebratum fuisse.

XV. Festum Nativitatis Divæ Virginis in citatis locis non occurrit: quando institutum fuerit, haud certo constat. Tempore S. Bernardi receptum fuisse testis est S. Bernardus epistola 174. ad Canonicos Lugdunenses, in qua ipsos redarguit, quod festum Conceptionis B. Mariæ absque Sedis Apostolicæ auctoritate receperint; "at, ait, ortum Virginis didici nihilominus ab Ecclesia „ indubitanter haberi festivum atque sanctum firmissi- „ mè cum Ecclesia sentiens eam accepisse in utero, ut „ sancta prodiret... Nec fallitur omnino sancta Ecclesia „ sanctum reputans ipsum nativitatis ejus diem, & omni „ anno cum exultatione universæ terræ votiva celebri- „ tate suscipiens.

Ex eadem Bernardi epistola intelligimus, festum Conceptionis Divæ Virginis in aliquibus minoribus Ecclesiis per Galliam celebrari cœpisse; sed nequaquam generaliter receptum fuisse; ipsumque Bernardum reprobasse admissionem illius Festivitatis in Ecclesia Lugdunensi.

XVI. Interim festum illud, uti & plura alia tractu temporis primùm in una Ecclesia instituta, ad alias Ecclesias propagata fuerunt: quin & nonnulla primum ex devotione citra obligationem celebrata, sensim in festa de præcepto transierunt, quemadmodum advertit Thomasinus *lib.* 1. *c.* 6. *n.* 19.

XVII. Gregorius IX. in *Cap.* 5. *X. De Feriis* enumeratis quibusdam diebus festivis, in quibus judicialis strepitus debet conquiescere, subjicit generalem clausulam; "ac diebus Dominicis, certisq; solemnitatibus, quas sin- „ guli Episcopi in suis Diœcesibus cum Clero & populo „ duxerint solemniter venerandas.

Hic intelligitur, præcipuam auctoritatem novas festivas solemnitates instituendi delatam Episcopis; quod & ex Decreto, quod sub nomine Concilii Lugdunensis retulit Gratianus *Dist.* 3. *Can.* 1. *De Consecrat.* habetur. Ibi enim relatis quibusdam solemnitatibus quibus feriandum est, additur: " Et illæ festivitates, quas singuli „ Episcopi in suis Episcopatibus cum populo collauda- „ verint.

Hanc quoque Episcoporum auctoritatem apertè supposuit Synodus Trid. *Sess.* 25. *c.* 12. *De Regularibus* decernens: "Dies etiam festi, quos in Diœcesi sua servandos „ idem Episcopus præceperit ab Exemptis omnibus, eti- „ am Regularibus, serventur.

XVIII. Verùm quia observantia festorum laicos in multis concernit; eosque ab opere manuum, quo victum suum lucrari non pauci jubentur, cessare oportet; atque ab omni strepitu judiciali Magistratus abstinere; meritò præcitatæ Decretales speciatim dixerunt, solemnitates illas celebrandas, quas Episcopi *cum populo* collaudaverint, aut instituerint ut nimirum populus, aut saltem Magistratus vice populi in hac institutione audiatur.

Et si advertatur, quàm difficilè sit, imò quodammodo impossibile, sine Principum & Magistratuum civilium adjumento, laicos ad debitam festorum observantiam adducere, apparebit, rectè notasse Eruditum Notarum in *Epistolam* 3. *lib.* 11. S. Gregorii auctorem: "Ut feriæ aut „ imperentur aut cessent, non soli Pontifices, non soli „ Principes efficiunt; sed æquum est, ut conspirent po- „ puli, jusque Divinum tam naturale quàm positivum „ consulatur.

XIX. Cum anno 1642. Episcopi Ducatûs Luxemburgensis publicari jussissent Bullam Urbani VIII. super abrogatione quorumdam festorum, & nonnullorum nova institutione interposuit se Senatus Luxemburgensis sustinens talem abrogationem & institutionem fieri non posse sine consensu Regis; uti & ipsum Concilium privatum declaravit, & consultâ suâ Excellentiâ per Concilium resolutum fuit nihil innovandum, quousque advisamentum Episcoporum & Conciliorum Regiorum haberetur tuncque ulterius deliberandum 7. Julii 1643.

XX. Interdum nimium multiplicatas fuisse solemnitates festorum, atque inde magna in populo murmura, quasi hinc ereptâ ipsi victitandi ex opere manuum occasione, ex orta; quin & ob earum multitudinem ac frequentiam in neglectum universa penè festa adducta fuisse, plures Synodi deplorârunt; numerumque propterea eorum minuendum decreverunt.

XXI. Synodus Trevirensis anno 1549. *Can.* 10. narrat, numerum festorum admodum crevisse, sed calen- „ tem Fidelium devotionem friguisse; eoque ventum es- „ se, ait, ut bona pars hominum *omnia* festa negligat, „ idque impunè, nec sine Ecclesiæ dedecore. Pauperes „ qui non habent unde alant uxorem & familiam, cla- „ mant omnem ferè cessationem sibi damnosam. Operæ „ pretium proinde nobis visum est, festorum numerum „ contrahere, quo & effrenes coërceantur, & aliquid de- „ tur necessitati pauperum.

XXII. Similiter Urbanus VIII. in Bulla pro observatione Festorum anno 1642. emissâ quæ incipit *Universa per orbem* 164. in Bull. R. præfatur ad se delatum tantam multitudinem Festorum per diversas Diœceses invaluisse, " ut multi jam dubitare videantur (inquit) quæ- „ nam ex præcepto quæve ex libera cujusque volunta- „ te, sint servanda, pietatis fervore ob nimiam eorum- „ dem numerositatem tepescente; quinimo & clamor „ pauperum frequens ostendit ad nos eamdem multitu- „ dinem ob quotidiani victus laboribus suis comparan- „ di necessitatem sibi valdè damnosam conquerentium, „ & quod summopere dolendum est magno cum animi „ nostri mœrore didicimus tanta sæpè sæpius maligna- „ tum inimicum in Sancto, ut ipsa multitudine non ad „ ædificationem, & ad laudandum in Ecclesiis Deum „ populi utantur sed ad otia, vanitates, & vitia frequen- „ ter abuti non formident, ita ut quæ ad glorificandum

Divi-

„ Divinum Nomen sunt primitus instituta, temporis decursu inimicus homo corruperit, & in magnam illius „ offensionem, gravemque jacturam converterit animarum.

Similiter Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis in Decreto anni 1652. quo populo permittit *operari* festis S. Nicolai, Conversionis S. Pauli, Cathedræ S. Petri, SS. Marci, Lucæ, Martini & Catharinæ inter alias causas nominatim expressit: " quia ob multitudinem festorum dierum, plurimi, maximè pauperes, non pro „ obligatione illos sanctificant.

XXIII. Citata Synodus Trevirensis enumeratis festis, quæ imposterum celebranda declarat & præcipit, subjungit: " Cæterum dies Innocentium, Cinerum, Parasceves, Cœnæ Dominicæ, Sabbathi Magni, Marci, „ Tres Rogationum, Commemorationis Animarum, „ & omnes reliquos dies stationum, quos Ecclesia nostra Trevirensis in diebus aliorum Patronorum, vel „ pro specialibus rogationibus ab antiquo introductis, „ in civitate nostra Trevirensi vel ejus suburbio observatis, usque in meridiem feriari volumus, ita „ ut facto Sacro, cuique ad *labores* aut *negotia* sua redire liceat.

His dimidiatis festis annumerari possunt ea festa minora in quibus Synodus Cameracensis anno 1604. *tit. 4. capit. 6.* declarat, *Christi Fideles Missam audire teneri.*

XXIV. Similia festa *dimidiata*, quæ nimirum quasi pro dimidia diei parte celebranda sunt, jam pridem nota apud Græcos fuisse indicat Constitutio Imperatoris Græci Manuëlis Commeni *De Feriis*. Post expressos enim dies quibus integrè feriandum est, dicit: " Alii verò ex parte à judiciis cessent, à manè videlicet usque „ ad ipsum Divini Ministerii tempus: ut judicibus, precationibus, atque glorificando Deo vacare liceat, ac deinde post Divinum Sacrificium justitiæ operam navent, „ secundumque legum vim injuriam passis auxilium ferant.

XXV. In aliquibus Diœcesibus minora aliâ festâ transierunt in festa devotionis.

Synodus Audomarensis recensitis diebus quibus nulla servilia aut secularia opera fieri, nullum forum aut mercatum rerum venalium haberi, nulla judicialia exerceri vult, enumerat plures alios, " qui (ait) & ipsi aliquando „ indicti fuere vel *integrè* vel utiq; ad finitum Divinũ Officium observandi; sed quum flaccescens populi devotio, dies festos non rarò, ob illorum multitudinem, quæ „ videbatur, violaret, quin etiam illis abuteretur, sublata „ est hos observandi obligatio, quò tantò integriùs & exactiùs reliqui observarentur. Cæterum cum videamus, „ à magna populi parte etiamnum observari, volumus „ illos publicari ut pro *devotione* observandos: & quò foveatur populi devotio, officium in Ecclesiis ita fieri, ut „ quum fuerunt dies isti ex præcepto festi observandi: „ nec quemquam Sacerdotum liberum esse ab illarum „ onere Missarum, quas diebus festis debet. Denique „ moneri omnes ut audiant, ut minimùm his diebus „ Missam.

Similiter Jacobus Boonen Archiepiscopus Mechliniensis in citato Decreto, hortari vult populum ut diebus „ istis (citra tamen obligationem) audiant Sacrum. Fiant „ autem officia in Ecclesiis æquè solemniter ac si celebrarentur in populo.

XXVI. Synodus Iprensis sub Martino Rithovio *tit. 21. cap. 4.* " permittit in festis Cathedræ Sancti Petri, „ Sancti Marci Evangelistæ: Inventionis Sanctæ Crucis: „ Beatæ Mariæ Magdalenæ; Laurentii: Michaëlis: Lucæ: Catharinæ: Nicolai: & Sanctorum Innocentium, „ hebdomadale, aut aliud quodcumque forum, hactenus observatum, celebrari; & in eo mercatum exercere. Ita tamen, ut ab omni opere manuali, ad illius diei „ mercatum non necessario abstineatur; Divinumque „ officium, ante tempus foro designatum, ab omnibus „ frequentetur.

Ita quoque Alexander III. dispensans cum Incolis cujusdam regionis, quòd possint diebus festis piscari, addit: *Præterquam in majoribus anni solemnitatibus.*

XXVII. Ex his intelligimus, variam fuisse Diœcesium Belgicarum circa Festorum celebrationem disciplinam, in aliis plùs, in aliis minùs festa fuisse restricta; in nonnullis plùs, in aliquibus minùs indultum: quid porrò debita festorum celebratio, tum populi necessitas hic & nunc requirat, quidve expediat Episcoporum est expendere, iique ritè expensis festorum celebrationem ordinare.

XXVIII. Allegata Synodus Trevirensis post memorata festa tum integra, tum dimidiata, addit: " Cætera verò festa, quacumque ratione instituta sunt vel recepta, „ in foro libera facimus. In choro verò & Ecclesia eadem „ festa, prout ab antiquo observata sunt, devotè celebrentur, ita tamen, ut historiæ & lectiones parùm probatæ omittantur.

Hujusmodi festa in choro à Clero celebranda, hodie plurima sunt; atque quotidiè Breviario Romano adjunguntur, ut vix dies ferialis supersit: at de his hoc titulo tractare non est animus; sed tantùm de Festis quæ à populo celebrari præcepta sunt, quæque propterea festa *in populo* communiter vocantur.

CAPUT II.

Quis sit finis institutionis Festorum; quomodo observanda?

1. *Vita Christiana continuum Festum.*
2. *Qua ratione vita Christiana possit esse continuum Sacrificium?*
3. *Quinam spirituale Sabbathum observent?*
4. *Erronea de Sabbatho idea.*
5. *Qua ratione omnes dies hebdomadæ dicta fuerint* Feriæ?
6. *Ob imperfectiores potissimùm dies Festi instituti.*
7. *Finis Festorum æternus.*
8. *Ut finis hic obtineatur Officium Divinum in plures horas divisum fuit.*
9. *Officium Divinum seu Canonicum primitus ad ædificationem populi institutum.*
10. *Etiam desiderat hodie Ecclesia ut idem habeatur finis Officii Divini.*
11. *Jam pridem statutum, ut populus Officio Canonico, saltem diebus Festivis interesset.*
12. *Quid de hac obligatione habeant Capitularia Regum Francorum.*
13. *De Observantia hujus præcepti inquirebant Visitatores.*
14. *Etiam seculo 12. vigebat hæc disciplina.*
15. *Officium Canonicum quod in Ecclesiis quibusdam Parochialibus diebus Festis persolvitur, sapit hanc disciplinam.*
16. *Idem insinuat Missa solemnis & Vesperæ pomeridianæ.*
17. *Edicta Principum indicant, Officia Divina à populo esse frequentanda.*
18. *Edicta hæc etiam complectuntur* Laudes *vespertinas.*
19. *Quare potiùs fiat mentio Missæ solemnis, quam Concionis, quando de Celebratione Festorum tractatur?*
20. *Error est satisfieri sanctificationi diei Festi per auditionem Missæ* privatæ.
21. *Satisfit tamen præcepto de audienda Missa.*

22. Tenuri

22. *Totum diem debere sanctificari probatur.*
23. *Quomodo S. Carolus totum diem sanctificari voluerit; & qua pietatis exercitia praescripserit*
24. *Officiorum Divinorum sedula & conveniens persolutio multum conducit ut populus diem Festum sanctificet.*

I. Continuum festum esse vitam hominis *Christianè* viventis jam pridem notarunt Patres. Dum enim Christianè homo vivit, tunc ex monito Apostoli, jugiter *exhibet membra sua Hostiam viventem*, utendo nimirum illis, ut obtemperet Deo. "Corpus etiam nostrum (ait Augustinus) cum per temperantiam castigamus, si hoc, quemadmodum debemus, propter Deum facimus, ut non exhibeamus membra nostra arma iniquitatis peccato, sed arma justitiæ Deo, *Sacrificium* est." *Lib.* 10. *De Civit. Dei c.* 6.

II. Deinde subjicit Augustinus: "Si ergo corpus, quo inferiore tamquam famulo, vel tamquam instrumento utitur anima, cum ejus bonus ac rectus usus ad Deum refertur, Sacrificium est; quantò magis anima ipsa cum se refert ad Deum, ut igne amoris ejus accensa, formam concupiscentiæ secularis amittat, eique tamquam incommutabili formæ subdita reformetur, hinc ei placens, quod ex ejus pulchritudine acceperit, fit sacrificium?

Imò ea est populi Christiani dignitas, ut "verum sacrificium esse, dicat Augustinus, omne opus quod agitur, ut sanctâ societate inhæreamus Deo, relatum ad illum finem boni, quo veraciter beati esse possumus.

Itaque Christianè per omnia viventes, universæ vitæ suæ tempus & singula ejus momenta *sanctificant*, quando totum vitæ suæ tempus non impendunt, nisi ut sanctâ societate inhæreant Deo; quemadmodum impendere debent, si utiliter & Christianè impendere velint: nam ut idem sanctus Pater *Epist.* 130. *c.* 7. "Neq; enim utiliter in tempore vivitur, nisi ad comparandum meritum, quo in æternitate vivatur.

III. Quare eodem Patre teste, "Spirituale Sabbathum observant illi, qui se ita temperatè operibus terrenis accommodant, ut tam lectioni, quàm orationi, etsi non semper rectè frequenter insistant, secundum illud Apostoli: *Attende lectioni & doctrinæ*: & iterum; *Sine intermissione orate*: qui enim tales sunt, quotidie spirituale Sabbathum colunt.

IV. Parum ergo sanctè præceptum de *sanctificando Sabbatho* proponitur in hæc verba: Deus præcepit, ut postquam homo totâ hebdomadâ laboravit pro corpore, tot dies impendit temporalibus, tanto tempore pro se solicitus fuit, septimam tandem diem animæ suæ & Deo impendat. Sic enim vivendum est, ut sive laboret, Deo laboret; sive otietur, Deo sanctè otietur, quatenus Psalmistæ concinere possit, *Tuus est dies, tua est nox; tu fabricatus es auroram & solem.* Hæ sunt continuæ Christianorum feriæ: hoc Sabbathum continuum, quod jam tum pridem Decalogi præcepto mandavit Deus; dum nullam hominis actionem, nullum vitæ tempus voluit esse vacuum dilectione.

V. Reflectens autem Cardinalis Baronius ad loca Patrum, quibus dicitur, Christianos non hanc vel illam ad Divinum cultum præscriptam habere diem; sed cunctis propensius Divinum numen venerari, ait: "Ex his ... inferri posse videtur, ea potissimum ratione in Ecclesia antiquitus institutum, ut dies hebdomadæ omnes *feriæ* nomine dicerentur.

VI. Verùm cum non omnium, imò paucorum Christianorum ea sit perfectio, ut *continuum* illud Sabbathum spirituale teneant & agant, visum est Patribus, propter infirmiores certos dies designare, quibus à negotiis terrenis cessantes, spiritualiter Deo, mysteriisque Divinis contemplandis se consecrarent, illosque specialiter his, quæ ad salutem animæ spectant, impenderent.

Origenes *libro* 8. contra Celsum, postquam ostendit, "quod qui perfectus est, ratione, operibus, cogitationibus, *perpetuè* hæret Deo Verbo naturali nostro Domino, semper agit diem Domini, & numquam non habet diem Dominicam," tandem subjicit: "Vulgus autem eorum qui credentes magis videntur, quam sunt: qui vel non vult quotidiè festum agere, opus habet ut contineatur talibus sensibilibus admonitionibus, ne omnino delabatur ab officio. Hæc, ut opinor, cogitans Paulus, partem diei festi nominavit festum statis diebus recurrens, collatum ad festum illud aliud. Subindicat autem his verbis, integrum & perpetuum festum esse in vita æterna, sicut Sacra Scriptura docet.

Similiter Chrysostomus probat omnes quidem dies Christianis spiritualem posse esse festivitatem; at non immeritò certos dies festivos, idque ob aliquorum imbecillitatem esse designatos: "Neque enim temerè [ait] & sine causa nobis hæc tempora Patres observarunt: sed prudenti aliqua ratione ducti id egerunt, non ut libertatem nostram temporum necessitati subjicerent, sed ut dum se imbecilliorem subjicerent egestati, ad cognitionis opes illos proveherent." *Homil.* 63.

Pluribus hæc prosequitur Thomassinus tractatu De Festis *lib.* 1. *cap.* 1. 2. & 3.

VII. Hunc ergo in finem Ecclesia quosdam præter diem Dominicum, qui in locum Sabbathi Judaici surrogatus est alios nonnullos dies designavit, qui specialiter Deo, ejusque cultui impenderentur, & considerandis ejus mirabilibus operibus, etiam in Sanctis suis consecrarentur; & in iis quæ ad animarum suarum salutem conducere possent, sedulo se occuparent.

Porro sicut nemo dicet, quod famulus aut operarius diem aliquem impenderit suo domino aut hero, qui aliquam duntaxat diei partem domino aut hero suo impendit; ita nec dici potest diem aliquem Deo impendere, qui partem solum ejus diei consecrat; & piis operibus incumbendo sanctificat: sed requiritur, ut diem totum saltem moraliter sanctificet, Deoque impendat.

VIII. Hinc à primis penè Ecclesiæ nascentis exordiis statutum, observatumque fuit, ut divinum officium per certas Horas distributum, in Ecclesia publicè ageretur; eique diebus saltem Dominicis festisque populus assisteret ut hoc pacto diem integrum sanctificaret, & Dei cultui se impenderet.

IX. Si enim officii hujus primam institutionem attendamus, illud non tam in Cleri quàm Laicorum ædificationem, & gratiam institutum intelligetur.

Unde S. Thomas quærens utrum oratio debeat esse vocalis, respondet, quod duplex sit oratio, communis & singularis: "Communis quidem oratio est, quæ per ministros Ecclesiæ in persona totius fidelis populi Deo offertur. Et ideo oportet, quod talis oratio innotescat *toti populo* pro quo profertur, quod non posset fieri nisi esset vocalis. Et ideo rationabiliter institutum est ut ministri Ecclesiæ hujusmodi orationes etiam altâ voce pronuntient, ut ad notitiam omnium possint pervenire." 2. 2. *quæst.* 83. *art.* 12.

Et post Doctorem Angelicum notavit pius Parisiensis Cancellarius Joannes Gersonius in *Alphabeto litt. N.* quod inter cæteras "causas multiplicationis psalmodiarum *vocalium* in Ecclesiis, una sit vitæ *laicorum* laudabilis occupatio.

A Sancto Ambrosio institutum fuisse, ut in Ecclesia Mediolanensi juxta morem Orientalium psalmi *alternatim*

natim decantarentur *ne* POPULUS *mœroris tædio contabesceret*, testis est Augustinus *lib.* 9. *Confess. c.* 7.

X. Eadem quoque hodie est Ecclesiæ intentio; optatq; æquè ut olim Divinum Officium ita peragi, ut populi devotionem excitet. Unde præterito sæculo Concilium Senonense anno 1528. *c.* 17. hæc statuit: " Cum in Ecclesiis „ Dei psalmodia cantanda præcipiatur, ut *Fidelium* de„ votio excitetur, in hoc nocturnum diurnumque offici„ um, & Missarum celebritates, assiduè Clero ac populo „ sub maturo tenore distinctaque gradatione cantentur, „ ut eadem distinctione collibeant & maturitate dele„ ctent.

XI. Optat quidem Ecclesia, ut non tantum Clerus; sed etiam populus diurno nocturnoque officio, quantum per occupationes licet, *quotidie* assisteret; præcipuè tamen ipsi curæ fuit, ut diebus Dominicis Festisque iis interesset; atque ita dies illos cultui Divino *totos* consecraret.

Theodulphus Episcopus Aurelianensis in suo Capitulari *c.* 24. ait: " Dies Dominici tanta debet esse observan„ tia, ut præter orationes & Missarum solemnia, & ea „ quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat... Conve„ niendum & Sabbatho die cum luminaribus cuilibet „ Christiano ad Ecclesiam: conveniendum & ad *Vigilias* „ sive ad *Matutinum Officium*: concurrendum est etiam „ cum oblationibus ad *Missarum* solemnia. Habetur tomo 7. Concil. general. *col.* 1137.

Synodus Turonensis anno 813. *Can.* 40." Die Do„ minica oportet omnes Christianos in Laude Dei & „ gratiarum actione usque ad vesperam perseve„ rare.

XII. In Capitularibus Regum Francorum legitur *lib.* 6. *c.* 205." Ne illo sancto die (Dominico) vanis fabulis, „ aut locutionibus, sive cantationibus, sive saltationibus „ stando in biviis & plateis, ut solet, inserviant. Sed ad „ Sacerdotem aut aliquem sapientem & bonum veniant „ & eorum prædicationibus & bonis locutionibus, quæ „ ad animam pertinent, utantur. Et illo die seu Sabba„ tho ad *Vesperas* & ad *Matutinas* sive ad Missam cum „ eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo „ *Kyrie eleyson* veniant, & eundo & redeundo *Kyrie„ eleyson* decantent. Similiter & pastores pecorum eun„ do & redeundo in camptum & ad domum faciant, ut „ omnes eos veraciter Christianos & devotos esse cog„ noscant.

XIII. Imò adeò constans erat hæc disciplina, atque ad eam conservandam ita sollicita Ecclesia, ut inter articulos de quibus per Episcopum, Archidiaconum, vel Archipresbyterum in visitatione erat inquirendum, hic esset ordine decimus septimus: "Est aliquis qui in Die Do„ minico, vel in præcipuis festivitatibus quidquam ope„ ris faciat; & si ad *Matutinas*, & ad *Missam* & ad *Vespe„ ras* his diebus imprætermissè omnes accurrant." Apud Reginonem *De Eccles. Discipl. lib.* 2. *in Inquisit. numer.* 57.

XIV. Quin & sæculo 11. inter Decreta Ferdinandi Regis & Sanciæ Reginæ & omnium Episcoporum in diebus eorum in Hispania degentium, & omnium ejusdem Regni Optimatum anno 1050. in Concilio Coyacensi promulgata legitur *c.* 6." Sexto vero titulo admonemus, ut „ omnes Christiani die Sabbathi *advesperascente* ad Ec„ clesiam concurrant, & Dominica *matutina*, *Missas* & „ *omnes Horas* audiant.

XV. Ex hac disciplina in pluribus Ecclesiis Parochialibus, præsertim in civitatibus remansit usus Horarum Canonicarum saltem pro majore parte diebus Dominicis & festis decantandarum; ut nimirum populus iis diebus ad Ecclesiam istis horis conveniret. Verum hæc officia non rarò adeò perfunctoriè decantantur, ut mirum non sit, si à populo neglectui habeantur; neque de his frequentandis vel cogitetur.

XVI. Frequentia quoque Synodorum nostrarum Decreta, quibus præcipitur, ut diebus Dominicis præter Missam solemnem & concionem, etiam Vesperæ post meridiem, idque horâ statutâ, in omnibus Parochiis decantentur, pristinæ disciplinæ luculenta vestigia sunt.

XVII. Eodem tendunt Principum nostrorum Edicta quibus cavetur, ne quis diebus Dominicis & Festis tempore Concionis, Summi Sacri & Vesperarum audeat ambulare in foro, aut locis publicis, aut prope Ecclesiam, neque intrare popinas, aut publicè quocumque ludo se occupare, vel choreas ducere, vel piscari, aut scholas gladiatorias, vel hortos sagittariorum frequentare sub pœna arbitraria; de quibus *parte* 1. *tit.* 3. *c.* 11.

Ita Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 5. quod datum fuit ad instantiam Episcoporum istius Provinciæ, qui *tit.* 4. *c.* 1. expressè decreverant hujusmodi Edictum publicum à Regia Majestate aut Magistratibus impetrandum; ut hoc pacto efficaciùs populus ad frequentationem Divinorum Officiorum adigeretur; & profanatio dierum festorum impediretur.

XVIII. Hic notandum, quod cum Edictorum illorum finis sit, ut publica officia Divina diebus Dominicis & festis non impediantur & negligantur, nullatenus dubitandum appareat, quin Edicta comprehendant quoque publicas ac solemnes *Laudes*, quæ in Ecclesiis Parochialibus ex præscripto Synodorum, aut Episcoporum, vel sane ex laudabili consuetudine & Parochorum probanda curâ sub tempus vespertinum decantari consueverunt; utpote quæ & partem divini officii hodie constituere videntur.

XIX. Sed mirabitur forsan quispiam, quod nec in hactenus citatis Canonibus, neq; in Decretalibus Gregorii IX. ubi de celebratione festorum aut feriarum agitur Concionis seu instructionis vix mentio fiat: at id mirum videri haud debet. Notorium enim est, moris fuisse in Ecclesia ut post lectionem Evangelii sequeretur ipsa Evangelii explanatio, quam hodie *Concionem* dicimus; hancque, non secus ac ipsam Evangelii lectionem, partem *Missæ* constituisse; uti latius ostensum est suprà *titulo* 5. *c.* 2. adeoque dum in Canonibus præcipiebatur populo interesse *Missæ*, unà præceptum fuit *Concioni* assistere.

XX. Ex his facilè apparet, omnino à mente Canonum & Ecclesiæ esse alienam quorumdam opinationem, qui arbitrantur, præcepto de sanctificando Die Dominico aut festivo satisfieri per unius *Missæ privatæ*, quæ semihoræ spatio absolvitur, auditionem tametsi reliquam diei partem actionibus profanis & inutilibus impendant: quem abusum expressit Synodus Cameracensis anno 1604. *tit.* 4. *c.* 1. eumque ut Parochi extirpare studeant, præcepit. " Ut abusus ille (ait) Divino & Ecclesiastico „ præcepto contrarius semel tandem penitus aboleatur, „ quo se pleriq; existimant probè suo functos officio, si „ Missâ, etiam *privatâ* tantummodo diebus Dominicis „ & festis auditâ, reliquum diem profectioni, negotia„ tioni, lusibus, choreis, potitationibus & aliis sæcula„ ribus vel etiam illicitis actionibus impendant; Parochi „ suis subditis frequenter inculcent ea quæ in Catechis„ mo Romano ad tertium præceptum Decalogi, & aliis „ authoribus de recta dierum festorum observatione traduntur.

Et omnia illa Synodorum atque Episcoporum Decreta, quibus interdicitur diebus Dominicis & festis Missarum *privatarum* celebratio, quâ populus à Missa Parochiali & solemni abstrahi posset, ad quid tendunt, nisi ut huic abusui occurrant; occasionemque populo adimant, auditâ Missâ privatâ negligendi Missam Parochialem, ac unà instructionem quæ sub Missa Parochiali fieri consuevit?

XXI. Quapropter licet ex Ecclesiæ conniventia, & longa

longâ consuetudine præcepto Ecclesiæ de audienda Missa die Dominico aut festo satisfiat per auditionem Missæ *privatæ*, nequaquam tamen ex mente Ecclesiæ, eâ solâ auditione impletur præceptum de sanctificando die Dominico aut festivo.

An dicemus diem aliquem *sanctificari*, id est, in Dei cultum pietatisque opera impendi, dum vix vigesima illius diei pars Dei Cultui aut pietatis operibus impenditur?

XXII. Ut quid enim etiam hodie jubetur *toto* die festo ab opere servili, mercatu, strepitu forensi aliisque secularibus actionibus abstinere, nisi ut totus dies cultui Divino impendatur, & sanctificetur? "idcirco in diebus festis ab opere mundano cessandum est, ut *liberius* ad Ecclesiam ire, psalmis & hymnis & canticis spiritualibus insistere, orationi vacare, oblationes offerre, memoriis Sanctorum communicare, ad invitationem eorum assurgere, eloquiis divinis intendere, eleemosinas indigentibus ministrare valeat Christianus: " Ita seculo nono ad Consulta Bulgarorum respondit Nicolaus I. *cap.* 11.

XXIII. Hæc apprimè pernoscens S. Carolus valde sollicitus fuit, ut diebus Dominicis ac festis populus pietatis exercitiis totaliter se impenderet, veraciterque dies illos sanctificaret; ac signanter in Concilio Mediolanensi III. *titulo* 1. decrevit, ut imprimis "Festis diebus sacrosancto Missæ Sacrificio Fideles omnes intersint. Neque verò excusentur puellæ nobiles, neque deinceps viduæ, ne permissu quidem primi nostri Concilii, ob recentem mariti mortem, aliove cujusvis consuetudinis prætextu.

Post hæc subjungit; "Ut verò ii dies omni pietate, & religiosiùs colantur; hæc crebrò populum Parochi, & Concionatores admoneant atque hortentur.

" Ut illorum dierum tempus, quod Deo ejusque cultui debetur, in iis actionibus *totum* consumant, in quibus sanctè consumendum est.

" Ut concionem mane, & sacram lectionem à prandio ubi explicari solet, audiant.

" Ut divinis, vesperarum præsertim, officiis præsentes piè religioseque adsint.

"Ut in Christianæ doctrinæ rudimentis ac præceptis, vel percipiendis vel recolendis versentur.

" Ut in operibus etiam officiisque pietatis sese exerceant, ægros homines visitando, morientes piè consolando, & alia ejusmodi præstando.

Eandem in rem videri potest ejusdem sancti Præsulis Monitorum libellus pro instituenda Christiana vivendi ratione à cujuscumque conditionis & statûs fidelibus, qui habetur in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 1002. & inter alia describitur *pag.* 1011. exercitium speciale pro Festis, sacris temporibus & vigiliis.

XXIV. Sanè si ea esset Episcoporum & Parochorum cura, ut diebus Dominicis Officia Divina, aliaque pietatis exercitia tum ante, tum post meridiem congruis horis, eâ quâ decet reverentiâ, & exactitudine haberentur, non dubium, quin plurimum conducerent, ut populus ad ritè sanctificandum dies Festos incitaretur; & à profanis, quin & illicitis ac inhonestis actionibus, ad quas otium allicit, abstraheretur: ut notoriâ experientiâ in Parochiis bene institutis compertum est.

CAPUT III.

De Operibus servilibus die festo prohibitis.

1. *Sabbathum* cessatio; *& sabbathizare* cessare *&* requiescere *dicitur.*
2. *Olim Judæis præceptum erat Sabbatho requiescere ab opere servili.*
3. *Quomodò Ecclesia adoptaverit præcepta data Judæis pro sanctificatione Sabbathi.*
4. *Lex Constantini M. de cessatione ab operibus die Dominicâ: & an hic primus, qui de feriatione ab opere edixit?*
5. *Strepitus forenses magis repugnare videntur cum celebratione Festorum, quàm opus servile.*
6. *Quid sit opus* servile?
7. *Recensentur nominatim opera servilia.*
8. *Ratio prohibendi opera servilia festis diebus.*
9. *Mareschalli & Barbitonsores à suis opificiis abstinere debent.*
10. *Quid de Tonsoribus, Pistoribus aliisque statuerit S. Carolus?*
11. *Decreta Synodorum Belgii circa Laniones, Molitores, Braxatores & similes opifices.*
12. *His consonat Edictum Principum.*
13. *Transcribere libros pietatis* gratis *non esse illicitum diebus festis respondit Gersonius.*
14. *Exscriptor talium librorum quomodo dicendus sit* prædicare.
15. *Potest continuò orare; & quomodo?*
16. *Est conveniens opus pœnitentiæ.*
17. *Opus hoc utilius & magis necessarium tempore Gersonis quam hodie, & quare?*
18. *Concludit Gersonius non esse servile.*
19. *Quomodo opera aliqua cum moderatione licita sint diebus festis, aliàs illicita.*
20. *Quomodo hic subinde excedant Advocati.*
21. *Circa itinerationem diebus festis moderatio servanda.*
22. *Itinera non necessaria in diem non festum convenit differri.*
23. *Famulis dandum spatium sanctificandi Festa; nec ad opera servilia cogendi.*
24. *Monendi patres familias ut suis famulis & operariis indulgeant tempus veniendi ad officia Divina.*
25. *Quid de hac obligatione statuant Capitularia Regum Francorum.*
26. *Qualis debeat esse Parochorum cura circa opiliones, Bubulcos & similes.*

I. Sabbathum, hebraicum nomen, si latinè interpretaris, *cessatio* dicitur (ait Catechismus Romanus *parte* 3. in expositione tertii præcepti Decalogi *num.* 15. qui & addit) "Sabbathizare propterea *cessare & quiescere* latino vocabulo appellatur, quâ significatione factum est, ut Sabbathi nomine dies septimus diceretur, quoniam absolutâ perfectâque mundi universitate, Deus ab omni *opere*, quod fecerat, requievit.

II. Ut ergo esset cessatio seu Sabbathum post verba illa: *Memento ut diem Sabbathi sanctifices*, addidit Deus: *Non facies* OMNE OPUS *in eo tu, & filius tuus, & filia tua: servus tuus & ancilla tua, jumentum tuum & advena, qui est intra portas tuas.*

" Quibus verbis (ait Catechismus Romanus *nu.* 31.) ad id primum instituimur, ut quæcumque Divinum cultum impedire possunt omnino vitemus. facilè enim perspici potest, omne *servilis operis* genus prohiberi, non quidem eâ re, quod sua naturâ aut turpe aut malum sit, sed quoniam mentem nostram à Divino cultu, qui finis præcepti est, abstrahit.

III. Quemadmodum igitur Ecclesia præceptum illud populo Judaico datum adoptavit, in quantum in illo naturale præceptum colendi Deum; certosque dies ejus cultui specialiter impendendi continetur; ita &

ea,

by Google

ea, quæ pro observantia ejus præcepti vetita erant Judæis, Christianis quoque interdixit; in quantum Christianam & religiosam sanctificationem Sabbathi impedire possent, mentemque ipsorum à Divino cultu abstrahere.

IV. Legitur Constantini Magni lex in Codice Justinianæo sub titulo *De Feriis*, cujus hæc sunt initialia verba: "Omnes judices, urbanæque plebes, & „cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant.

De feriatione ab operibus eâ die primùm edixisse Constantinum credit eruditus Auctor Notarum in *Epistolam 3. lib. 11.* S. Gregorii; addens: "Alii Imperatores non tam de opere, quàm de judiciis statuerunt: sic Theodosius, *ut in die Dominico emancipare ac manumittere liceat, reliqua* CAUSÆ *vel* LITES *quiescant*. Prohibent tamen spectacula & voluptates obscœnas." Hæc ille.

V. Quidquid sit de hac reflexione, certum est, quòd arctiùs frequentiusque vetitum fuerit, diebus Dominicis & Festivis strepitus forenses exercere, quàm opere servili aut manuali occupari; tum quòd illi faciliùs differri possint, tum quod magis mentem distrahere & à rebus Divinis avocare soleant, quàm opera servilia.

Ad hæc constat; subsequentibus seculis, tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus legibus opera servilia festis diebus vetita esse; in quantum scilicet & hæc religiosam Festorum celebrationem, & Christianam quietem impedire possunt.

VI. Opera servilia propriè hic dicuntur opera illa corporalia, in quibus unus servit alteri, atque communiter per *servos* olim, hodie per famulos seu mercenarios exerceri solent; ac inde *servilia* à *servis* jam pridem nuncupata fuêre.

VII. Quæ inter opera servilia etiamnum hodie computantur, ea ferè expressa habentur in Capitulari Aquisgranensi Caroli Regis an. 789. *cap. 79.* & refertur *lib. 1. Capitular. cap. 75.* "Statuimus quoque, secundum quod „in lege Dominus præcepit, ut opera servilia diebus „Dominicis non agantur, sicut & bonæ memoriæ genitor meus in suis Synodalibus edictis mandavit quod „nec viri ruralia exerceant opera, id est, nec vineam „colendo, nec in campis arando, nec in metendo, vel „fœnum secando, vel sepem ponendo, nec in silvis stirpando, vel arbores cædere, vel in petris laborare, nec „domos struere, nec in horto laborare, nec ad placita „conveniant, nec venationes exerceant. Sed tria carraria „opera licet fieri in die Dominico, id est, hostilia carra, „vel victualia, & si fortè necesse fuerit corpus cujuslibet duci ad sepulchrum. Item fœminæ opera textilia „non faciant, nec capulent vestitus, nec consuant, vel acu pictile faciant, nec lanam carpere, nec linum battere, nec in publico vestimenta lavare, nec verveces tondere habeant licitum.

VIII. Rationem addit: "Ut omnimodis honor & „*requies* die Dominico persolvatur. Sed & ad Missarum solemnia ad Ecclesiam undique conveniant, & „laudent Deum pro omnibus bonis quæ nobis in illa die fecit.

IX. Concilium Parisiense seu Senonense Anno 1429. *cap. 25.* decernens dies Dominicos & festivos "cum omnimoda reverentia observari; abstinendo „scilicet ab omni opere servili & manuali, ac divinorum auditioni cum matura devotione vacando;" mox tamquam consequens subjungit: "Illum abusum „penitus reprobantes, quo *Mareschalli & Barbitonsores* supradictis Dominicis, & aliis B. Mariæ & Apostolorum, & supradictis Festivitatibus, credunt ubi „licitum fore sua ministeria, etiam præter necessitatem, „exercere, circa quem volumus per Ordinarios de opportuno remedio provideri, ipsos monitione prævià, „corrigendo.

Et quis dubitet, quin Mareschallorum ac Tonsorum ministeria inter opera servilia ac manualia numerari, adeoque unà cum his vetita censeri debeant diebus Dominicis & Festivis.

X. Quare S. Carolus in Concilio III. Mediolanensi reliquis opificibus tonsores annumerare non dubitavit dicens "*Tonsoribus* præterea, pistoribus, sutoribus, calceariis aliisque ejusmodi, & reliquis opificibus, qui„bus præscribi oportet, Episcopus certas regulas præscribat, ne deinceps dierum festorum cultum violent, „in quo maximè peccare solent.

Quam hodie abusus ille in multis Belgii locis communis sit, quamque parum religiosè à tonsoribus dies festi colantur, ususque obtineat, ut penè magis diebus Dominicis & Festis, quam aliis diebus opificia sua exerceant, nimis notum est. Episcoporum & Magistratuum est his abusibus occurrere, legesque præscribere, quibus & ipsi Tonsores, & populus se conformare teneantur.

XI. Circa Laniones in multis locis non absimilis invaluit abusus; ut nimirum diebus festis circa opificii sui exercitia occupentur: cui occurrere volens Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 12. cap. 2.* præcipit "ne sub„diti ulli operi servili, quod sine evidenti periculo differri potest manum admoveant, uti panno laneo vel „lineo lavando aut dealbando, aut tingendo, oves, „boves mactando aut saliendo.

Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit. 4. cap. 2.* de dierum festorum cultu agens, ait: "Neque etiam per„mittantur.... molitorum, coctorum, cerevisiæ, laniorum, pistorumque operæ, nisi ob notabilem necessitatem. "Idipsum iisdem penè verbis expressum est in Synodo Tornacensi anno 1589. *tit. 4. cap. 1.*

XII. His consonat edictum Philippi II. ad citatam Synodum Cameracensem *art. 7.* "declarans licitum non „esse molitoribus, braxatoribus, laniomibus, & pistori„bus sua opificia diebus festis exercere, nisi ob notabi„lem necessitatem determinatam per Officialem & „Magistratum loci, de consilio Decani Christianitatis „aut in ejus absentia, Pastoris loci.

XIII. Olim proposita fuit Joanni Gersoni à quodam Monacho domus Carthusiæ hæc quæstio: *Si liceat diebus festivis scribere devotionis libros gratis.*

Huic quæstioni ut respondeat Gersonius, specialem tractatum composuit, quem inscripsit *De laude Scriptorum*, primumque inter ejus opera locum occupat; in quo ostendit per duodecim considerationes, transcribere *libros devotionis gratis* nullàtenus esse opus *servile*; eique laudabiliter diebus festivis incumbi posse.

XIV. Inter has considerationes una est, quod hujusmodi librorum exscriptor prædicet non lingua, sed *manu*; eoque fructuosiùs, quo hæc prædicatio est magis permanens, plures instruere potest. "Certè (ait) si lin„gua silet, manus prædicat, & fructuosiùs aliquantò, „quantò scriptura venit ad plures uberior, quàm tran„siens sermo.

XV. Deinde consideratione quarta exponit, quomodo Scriptor talium librorum continuò orare mentemque in Deum elevatam habere queat. "Credide„rit (ait) Scriptor noster & pietate Jugi recogitave„rit, toties Deum Sanctosque Angelos secum esse, to„ties Scriptores sacros ipsùm alloqui, toties Christum „sibi blanda quædam oscula consolationis dare, quo„ties dicta eorum salubria conscribit. Contemplatio„nem itaque lectio, quæ scribenda sit, non impedit, „sed pascit.

XIV. Quinta consideratio asserit, scriptionem librorum esse laboriosum exercitium, macerationem quam-

dam corporis, posseque imponi per modum pœnitentiæ à Confessario. "Nullus (21.) negaverit laboriosum esse „scribentis exercitium. Acceptet ergo istud in pœnitentiam seu satisfactionem , pro suis alienisque delictis, „&c. Junge quòd in foro pœnitentiæ potest iste labor „ad satisfactionem imponi. Quem laborem si nullus „hominum imponit, imposuit sanè Deus ab initio, cùm „dixit Adæ & posteris ejus: In sudore vultus tui vesceris pane tuo.

XVII. Cæteræ considerationes Gersonianæ ostendunt fructum multiplicem ex scriptione accurata piorum librorum in Ecclesiam & populum dimanantem: qui eo tempore , quo scribebat Gersonius , nimirum anno 1418. major erat; quòd necdum ars typographica esset reperta; unde nec mirum , si Gersonius & ipsam transcribendi libros necessitatem & utilitatem tantoperè extollat.

XVIII. Interim ex omnibus concludit Gersonius: „Nihil impedit libros seu tractatulos vel codicillos devotionis scribere festivis diebus: habito moderamine, „quale sapiens judicabit in hoc opere; quod utique non „servile censendum est ; sed in honorem Ecclesiæ aliquando plus vergens, quam multiplicatio vocalis orationis, imò quàm insolens in aliquibus Missarum multiplicatio.

XIX. Quæ hic circa transcriptionem piorum librorum dixit Gersonius, eadem quoad alia multa exercitia servilia dici possunt; quòd nimirum ea sanctificationem diei Festi non violent , modo cum ea moderatione, intentione, aliisque circumstantiis à Gersonio descriptis, fiant.

È contrario, si ea moderatio, eæque conditiones non serventur, facilè fiet; ut similia exercitia sanctificationem diei Festi impediant.

Quid enim, si quis diem Festum pro majore parte impendat scribendo acta aut instrumenta litium sub debito salario: quemadmodum Procuratorum, Advocatorum , Notariorum , aliorumque Officiatorum ministri sive Scribæ facere consueverunt? Quis dicet hujusmodi Scriptores diem Festum sanctificare? Et de tali scriptione indubiè intelligendus S. Bonaventura in *Speculo Discipl. ad Novit. parte 1. cap. 21.* ubi inter ea, quæ in diem non festivum differenda censet, numerat *scribere in quaterno.*

XX. Eadem ratione post alios Theologos docet Merbesius *prima parte quæst. 195. conclus. 12.* "Peccare „Advocatos, qui cupiditatis & avaritiæ studio succensi „solitos labores Dominicis diebus & Festis obeunt , „& ita sese in secularia negotia immergunt , ut nihil „sibi temporis relinquant , quo Deum singulari cultu, iis præsertim diebus prosequantur , & suæ saluti „consulant. " Idem erit de Procuratoribus aliisque qui negotiis tametsi liberalibus simili modo se immergunt.

XXI. Quin & circa ipsa *itinera* , quæ Synodus Aurelianensis Anno 538. *Can.* 28. diebus Dominicis vetita non esse declarat, quædam moderatio tenenda est.

Sanctus Theodulphus Aurelianensis Episcopus in citato Decreto , postquam dixit, tantam debere esse observantiam , ut præter orationes & Missarum solemnia & ea quæ ad vescendum pertinent, nihil aliud fiat, immediatè subjicit: "Nam & si *necessitas* fuerit navigandi, sive *itinerandi*, licentia datur; ita duntaxat, ut hac occasione Missæ & orationes non prætermittantur.

Quamvis ergo conformiter ad Synodum Aurelianensem declaret hic Aurelianensium Antistes, diebus Dominicis esse licentiam itinerandi, eam tamen non nisi *necessitas* concurrat concedere videtur; idque ulterius ea moderatione, ut *Missæ & Orationes* non prætermittantur.

Et fortius citata Synodus Coyacensis sub S. Ferdinando Rege Castillæ de celebratione diei Dominicæ agens dicit: "Servile opus non exerceant, nec sectentur *itinera*, nisi orationis causa, aut sepeliendi mortuos, aut visitandi infirmos, aut pro Regis secreto, pro Sarracenorum impetu.

XXII. Sanè timoratorum plurium praxis etiam hodierna docet, itinera præcipuè longa , quæ notabilem diei partem occupant, diebus festis non esse facilè suscipienda; eaque, si sine notabili incommodo fieri queat, in alium diem esse differenda; exemplo Comitis S. Geraldi, de quo in ejus vita narrat S. Odo *lib. 2. cap. 24.* "Item dum ab Urbe rediret , venit Sabbatho ad quandam Ecclesiam , juxta locum scilicet , ubi sulphurei videntur acervi. Cùm autem vellet populus in crastinum proficisci, retinuit eos, dicens; quòd ob reverentiam Dominici diei, saltem usque ad *nonam* demorarentur. Nec illa demoratio fuit etiam sine beneficio „temporali.

Notandum per horam *nonam* hic intelligi horam , quæ nostræ horæ *tertiæ* pomeridianæ respondet.

XXIII. Quod olim deploravit Concilium Parisiense anno 829. *lib.* 1. *cap.* 50. quod utcumque dies Dominica à quibusdam Dominis venerando custodiri videretur, sed à *conservis servitio eorum pressis* perrarò debito honore coli inveniretur, hodie meritò deploratur ; dum videmus plures famulos famulasque diebus festis in tantum à suis Dominis impendi & ad operas adigi; ut iis vix tempus Missam audiendi indulgeatur ; indequè non rarò contingat, ut circa fidei mysteria, ac vitæ Christianæ normam planè rudes sint.

Inter leges Ecclesiasticas sancti Canuti Regis Danorum *cap.* 14. legitur: " Herus si servo invito opus adixerit die quocumque festo, servo mulctator suo, servus deinceps liber esto.

XXIV. Apud Reginonem *De Eccl. Discipl. lib. 1. cap.* 416. refertur sub nomine Concilii Rothomagensis: „Admonere debent Sacerdotes proles sibi subditas ut „bubulcos atque porcarios vel alios pastores vel aratores, qui in agris assiduè commorantur vel in silvis , & „ideo more pecudum vivunt, in Dominicis & in aliis festis diebus saltem ad Missam faciant vel permittant venire. Nam & hos Christus pretioso Sanguine suo redemit. Quod si neglexerint, pro animabus eorum absque dubio rationem se reddituros sciant.

Hic notandum, quod juxta illius temporis disciplinam, nomine *Missæ* hic intelligatur *Missa solemnis* sive Parochialis , sub qua & ipsa concio comprehenditur, juxta dicta capite præcedenti.

XXV. Et in Capitularibus Regum Francorum legitur *lib.6. cap.* 205. "Et illo die seu Sabbato ad Vesperas „& ad Matutinas sive ad Missam cum eorum oblationibus, si fieri potest, omnes canendo, *Kyrie eleyson* veniant, & eundo & redeundo *Kyrie eleyson* decantent. „Similiter & *pastores pecorum* eundo & redeundo in „campum & ad domum faciant, ut omnes eos veraciter „Christianos & devotos esse cognoscant. "Idem eisdem pene verbis expressit Herardus Archiepiscopus Turonensis in suis Constitutionibus *cap.* 114. Habentur ad calcem tomi primi Capitularium Regum Francorum editionis Baluzianæ. Notandum autem per *Kyrie eleyson* hic intelligi *Litanias publicas* quæ per *Kyrie eleyson* incipere solent. Consule Glossarium Du Cange verbo *Kyrieles.*

Quàm crassa soleat in hoc hominum genere esse ignorantia, & sæpius vita omninò gentilis, quin & impia, nimis notum est ; ut meritò hic rursus repetam, quod ex Synodo Namurcensi relatum est supra *parte 1. titul. 3. cap. 5.* ut "Pastores tempore messis, & etiam illis „diebus, quibus *opiliones, bubulci*, vel subulci in agris „sunt , illos visitent ibidem & doceant , imitaturi

ea in parte vestigia Salvatoris nostri JEsu Christi, qui per vicos & plateas transibant evangelizare Regnum Dei.

CAPUT IV.

Strepitus forenses & mercatus diebus Festis vetiti.

1. *Ex præcepto sanctificandi dies festos profluit, à strepitu forensi abstinendum esse.*
2. *Quid de hoc edixerit Constantinus Magnus?*
3. *Lex Theodosii Imperatoris.*
4. *Amplior de hac re Constitutio Leonis & Anthemii Imperatorum.*
5. *Canones legibus consentiunt.*
6. *Sententiæ pronuntiatio, etiam ante concepta, die festo fieri nequit.*
7. *Similiter nec sententiæ executio.*
8. *Examen testium, licet jam ante juraverint, die festo non instituendum.*
9. *Actus judiciales die festo exerciti sunt invalidi; licet partes consenserint.*
10. *Ob necessitatem aut pietatem interdum liciti.*
11. *Mercatus cur diebus festis prohibit...*
12. *Distinctio inter actus judiciales & mercatum diebus illis exercitos.*
13. *De vetitis mercatu & nundinis die festo Decretum Synodi Cameracensis.*
14. *Conforme Edictum Philippi II.*
15. *Simile Decretum Synodorum Mechliniensium, & Edictum Principum.*
16. *Vetitum vendere carnes in macello; vel merces in domibus privatis? etiam foribus* clausis.
17. *Regulamentum Magistratus Bruxellensis circa venditionem edulium diebus festis.*
18. *Decretum S. Caroli diebus festis mercatum interdicens.*
19. *Etiam ementes violationis festorum complices declarat; minutiora tamen vendi permittit.*
20. *Quibus potissimùm incumbat hisce invigilare?*

I. Opera servilia inhibita esse diebus Dominicis & Festivis, ea potissimùm ex causa, quia hominem abstrahunt ab iis quæ diebus illis tractare & agere oportet, redduntque eum nimis implicatum, quàm ut divinis pro exigentia & sanctificatione ejusmodi dierum vacare possit, notatum fuit capite superiori.

Ex ipsa igitur ratione præcepti consequens est meritò per Canones jam pridem vetita esse diebus illis Deo sacris omnia ea exercitia, quæ hominem rebus terrenis implicare, & à cultu Divino nata sunt avocare: inter quæ eminent strepitus judiciales, qui, ut capite præcedenti notatum est, magis hominem rebus terrenis implicare solent, quam opera servilia.

II. Constitutio Constantini Magni de observantia diei Dominici seu *Solis* superiore capite relata, qua dicitur: "omnes judices, urbanæque plebes, & cunctarum artium officia die *Solis* quiescant:" sat apertè strepitus judiciales die illo debere quiescere indicat.

Quinimò eidem Imperatori consideranti, ipsos Gentiles à suis Feriis sive Deorum Festis jurgia litigiorum amovisse: "indignissimum videbatur diem *Solis* veneratione sui celebrem, altercantibus *jurgiis & noxiis* partium *contentionibus* occupari:" ut loquitur in *L.* 1. *Cod. Theod. De Feriis.*

III. Theodosius Imperator in *l.* 2. *Cod. eod.* ait: "Ut die Dominico emancipare ac manumittere liceat, reliquæ *causæ*, vel *lites* quiescant." Dein paucis interpositis adjungit: "Sanctum quoque diem Paschæ, & diem Natalis Domini, & Ephiphaniæ, septem qui præcedunt, & septem qui sequuntur, *sine strepitu* volumus observari. Et quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.

IV. Verùm omnibus generalior ipsosque actus judiciarios propriùs exprimens est Constitutio Leonis & Anthemii in *l. fin. Cod. eod.*. "Dies festos Majestati Altissimæ dedicatos, nullis volumus (inquiunt) voluptatibus occupari, nec ullis exactionum vexationibus profanari. Dominicum itaque diem ita semper honorabilem decernimus & venerandum, ut à civitatis executionibus excusetur; nulla quemquem urgeat admonitio: nulla fidejussionis flagitetur exactio, taceat apparitio: advocatio delitescat. Sit ille dies à cognitionibus alienus: præconis horrida vox silescat: respirent à controversiis litigantes, & habeant fœderis intervallum: ad sese simul veniant adversarii non timentes, subeat animos vicaria pœnitudo: pacta conferant transactiones loquantur.

V. Canones ipsam dierum festorum sanctificationem unicè desiderantes, eas Imperatorum leges laudarunt, atque frequenter adoptarunt, renovaruntque.

Sub nomine Concilii apud Compendium in *Cap.* 1. ✠ *De Feriis* præcipitur, ut omnes dies Dominici observentur, & "in eis mercatum minimè fiat, neque *placitum*: neque aliquis ad mortem, vel ad pœnam judicetur, nec Sacramenta (nisi pro pace vel alia necessitate) præstentur.

VI. Ex his juris textibus uno consensu tradunt Juris-Consulti, per Ferias omnem judiciorum actum quiescere debere; & si fieret, non valere. V.G. si sententia feratur; etiamsi tùm solum pronuntiaretur, jam ante juridico die composita & concepta; uti post Antonium Fabrum docet Tuldenus ad Codicem titulo *De Feriis nu.* 2.

VII. Rectè quoque ibidem Tuldenus reprobat quorumdam opinionem arbitrantium, *executionem* sententiæ die Feriato licitam esse, eò quod in ea non versetur causæ cognitio: "quia (ait Tuldenus) Feriæ non magis disceptatione secura judicis, quàm vexatione damnati violantur; & *anxia* perscrutatione victoris apparitorisque. Hoc enim potissimum spectant leges.

VIII. Notat quoque ibidem *num.* 5. non rectè quosdam Interpretes: "admittere diebus festis examen testium, "quamvis in Profesto *juraverint*; neque eorum citationem ob supra citatam legem finalem: nam ejus decretum utique judiciale est, & executio inquietat.... Sanè cum constet, in festo testes adigi jurejurando non posse *Cap.* 1. ✠ *De Feriis* (qui tamen actus religionis est) nescio, qua ratione velint eos examine distringi posse cum suæ potius conscientiæ vel legis divinæ normam examinandæ vacare oporteat.

IX. Et quidem usque adeò solemnibus Feriis quæ ob reverentiam Dei noscuntur institutæ, à strepitu judiciali "convenit abstinere (ait Pontifex in *Cap. fin.* ✠ *De Feriis*) ut *consentientibus* etiam partibus, nec processus habitus teneat, nec sententia, quam contingit diebus hujusmodi promulgari.

Ratio decisionis est, quia, ut rectè monet Tuldenus *num.* 4. Feriæ religiosæ non ad litigatorum favorem sed ad honorem Dei pertinent. Unde ibidem subjicit Pontifex: "Licet diebus feriatis, qui gratia vindemiarum vel messium ob necessitates hominum indulgentur, procedi valeat, si de partium processerit voluntate.

X. Addit nihilominus Pontifex hanc parenthesim, *nisi necessitas urgeat, vel pietas suadeat.* Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, communi praxi comprobante, urgente necessitate, vel pietate suadente, posse subinde actus judiciales diebus festis exerceri,

Digitized by Google

ceri. Casus plures passim referunt Interpretes & Doctores ad titulum Codicis & Digestorum *De Feriis*, qui casu occurrente facilè consuli poterunt.

XI. Sicuti ob nimiam à rebus divinis distractionem diebus festis debet quiescere strepitus judicialis; ita eadem ratione cessare debet iis diebus mercatus sive mercatura seu negotiatio. Licèt enim propriè non possit operibus servilibus annumerari mercatura, tamen ex illis est, quæ hominem secularibus implicat, & à divinis avocat: ut de jam pridem à Canonibus, uti actum judicialem, ita & *mercatum* diebus Dominicis vetitum esse ex verbis *Cap. 1.* & *De Feriis* vidimus.

XII. Hanc tamen quoad eam prohibitionem inter actum judicialem & *mercatum* communiter notant distinctionem Doctores, quod contractus in mercatu aut nundinis die Dominico celebrati, seclusa consuetudine, sint *validi*; actus verò judiciales *invalidi*: licet enim omnes æqualiter vetentur in citato *Cap. 1.* non tamen mercatus irritatur, neque contractus aliique actus mercaturam spectantes; sicuti irritantur actus judiciales in dicto *Cap. fin.*

XIII. Synodi nostræ Belgicæ observationem dierum festorum urgentes, mercatum nundinasque diebus illis proscribunt, vetitaque declarant; eaque ut etiam Regia auctoritate interdicerentur, postularunt.

Synodus P. II. Cameracensis *titulo 4. cap. 2.* ait: "Similiter eidem Regiæ Majestati supplicetur pro Edicto „contra aurigas, nautas & similes, ne Dominicis & „aliis festis diebus merces vehere possint; utque etiam „subhastationes, quas vulgo *recours*, aut *passemens* ap„pellant, & multò magis *mercatus*, *actiones publicæ* „tempore Missæ & Vesperarum sub gravi pœna prohi„beantur: *nundinæ* etiam annuæ, & *forum* rerum *vena*„*lium* hebdomadarium, cùm in diem festum incidunt, „in alium transferantur ab Episcopis cum consilio „Magistratuum.

XIV. Synodi postulationi annuens Philippus II. Edicto ad hanc Synodum mandavit *art. 8.* ut dictæ subhastationes & auctiones publicæ in alium diem non festum differantur: ita tamen ut denuntiationes & proclamationes iis diebus, ob concursum populi, fieri possint extra Ecclesiam finita Missa, aut Vesperis. Nundinæ annuæ, & forum publicum hebdomadarium, si in diem festum incidant, vult ad diem non festum anticipari, vel differri per Magistratum cum communicatione & consilio Episcoporum.

XV. Huic consonat quod jam ante statuerat Synodus P. I. Mechliniensis titulo De *Festis cap. 3.* "Si forum aut „nundinæ incidant in aliquo ex celebrioribus festis, fer„ventur illæ, vel ante, vel post festum, prout Magistratus „cujusque loci judicaverint expedire. " Et in Synodo P. II. Mechliniensi *titulo 13 cap. 4.* renovatum, & Edicto principum *art. 9.* roboratum fuit.

XVI Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 12 cap. 2.* ait: "Merces etiam suas dictis festis *ante fores*, vel in *fe*„*nestris* domorum vel alibi venales non exponant.

Rursus Synodus Tornacensis anno 1643. *tit. 3. cap. 7.* ait: "Promotor districtè invigilet contra eos qui diebus „festis & Dominicis, etiam foribus *clausis* merces eme„re vel vendere præsumunt in civitatibus. "Et ejusdem Diœcesis Synodus anno 1589 *tit. 4. cap. 2.* "prohibuit, „ne die Dominico aut festo vendantur carnes in ma„cello, vel etiam in domibus *privatis*, nisi superveniente necessitate.

Inter excessus committi solitos diebus festis, & in quos Magistratus cæterosque Officiarios invigilare hortatur Synodus Iprensis Anno 1609. titulo 6. *cap. 1.* recensentur *venditiones carnium in macellis*.

Similia in omnibus passim Synodis decernuntur, mandaturque Pastoribus, Archipresbyteris & Officiaris, ut sedulo in contravenientes invigilent.

XVII. Circa venditionem edulium, quæque ad victum quotidianum penè necessaria sunt, nec diu conservari possunt; solentque hodie in omnibus passim civitatibus publicè exponi, extat longum ac moderatum regulamentum Magistratus Bruxellensis, confectum de consensu & cum interventione Jacobi Boonen Archiepiscopi Mechliniensis, libro primo Edictorum Brabantiæ *pag. 58.* quod licet in multis ob consuetudinem inolitam condescendat, ac nonnulla permittat, quæ melioribus temporibus permissa non fuissent, optandum nihilominus esset, ut quæ ibidem decernuntur, ubique exactè hodie observarentur, atque ad ejus normam dies Festi colerentur. Hoc inter alia præcipuè præ oculis habuisse videntur hujus Regulamenti auctores, ne per hujusmodi mercatus, publica & Parochialia officia impedirentur; & consequenter nec ipsi vendentes aut ementes à frequentatione illorum Officiorum retraherentur; ita enim pleraque ordinantur, ut vel ante tempus inchoandi Divini Officii debeant sistere, vel nonnisi post absolutum Divinum Officium inchoare queant.

XVIII. Decreto huic Magistratus Bruxellensis in multis consonat monitum S. Caroli anno 1581. ad Parochos missum cujus inscriptio est: *Ne quidpiam ematur, vendaturve diebus festis*; extatque in Actis Ecclesiæ Mediolanensis *pag. 351.* Hic imprimis memorat, jam pridem specialibus à se editis Decretis super observatione Festorum, prohibitas esse emptiones ac venditiones quarumcumque rerum, iis duntaxat exceptis quæ ad humanum *illius* tantùm diei victum necessariæ sunt, quæ tamen *publicè* non exponerentur, & non nisi *determinatis* horis venundari possent, *clausis* omninò *officinis*, ostiolo solum patente.

XIX. Post hæc deplorat, "hæc tamen admodum ne„gligi, plurimus *apertas* exhibentibus *officinas*, aliis etiam „pullos, fructus aliave id genus vendentibus per vicos „& plateas sicut cæteris diebus citra discrimen, publico „scandalo pravoque exemplo.... Monere verò, non „vendentes modò, verum etiam *ementes* censeri festo„rum violatores, quippe qui peccato cooperantur, at„que adeo participes ejus fiunt: quare quisquis ea, quæ „sunt usui suo necessaria pridie festi sibi comparet, ex„ceptis quibusdam *minutioribus* rebus, quarum vendi„tionem certis locis primo mane permittimus edicto „nostro.

Citatum quoque Regulamentum Magistratus Bruxellensis, permittit diebus festivis vendi *minutiora* aliquos fructus facilè corruptibiles, idque post absolutam Missam solemnem à Parochia usque ad horam primam pomeridianam; item omnis generis acetarii post completorium.

XX. Quantus circa publicas mercium venditiones in multis civitatibus hodie sit excessus, nemini incolarum ignotum esse potest; ipsorum Archipresbyterorum, Officialium, Promotorum, & etiam civilium Magistratuum officio incumbit illis excessibus invigilare; atque delinquentes juxta Synodorum Decreta, & Edicta Principum coercere & punire; ne aliàs festorum profanationis ipsi participes efficiantur.

CAPUT V.

De Spectaculis, Choreis, & popinarum Frequentatione vetitis.

1. *Ab operibus illicitis, aut ad illicita trahentibus diebus Festis maximè abstinendum.*
2. *Distinctio inter observationem Sabbathi Judaicam & Christianam.*

3. Pro-

Vetita à Theodosio spectacula die Dominico.
4. *Hæc Constitutio extensa ad omnes dies Festivos.*
5. *Etiam Judæis & Gentilibus exhibitio spectaculorum vetita diebus Festivis.*
6. *Neque ob Natalem Imperatoris in diem festum incidentem exhibitio licita.*
7. *Meritò spectacula vetita fuisse extenditur ex Tertulliano.*
8. *Spectaculorum fœditatem delineat Cyprianus.*
9. *Abominationes in iis committi solitas expressit Lactantius.*
10. *Quid de his senserint SS. Augustinus & Chrysostomus?*
11. *Spectacula sui temporis describit S. Carolus.*
12. *Belgica nequaquam ab his planè dissimilia.*
13. *Synodi & Principum Edicta quomodo ea prohibeant diebus festis.*
14. *Choreæ & tripudia inter personas utriusque sexus antiquis spectaculis admodum similia.*
15. *His meritò applicantur quæ de choreis sui temporis dixit Chrysostomus.*
16. *Judicium Card. Bellarmini de choreis nostratibus.*
17. *Choreæ cum sanctificatione Festorum nullatenus conveniunt.*
18. *Abominandæ choreæ quæ in popinis inter utriusque sexûs personas hodie frequentantur.*
19. *Decretum Synodi Tornacensis contra hæc conventicula.*
20. *Simile Decretum Episcopi Gandensis.*
21. *Frequentantes hujusmodi conventicula Pastores Matrimonio jungere non possunt sine licentia Episcopi.*
22. *Quam abominanda in his conventiculis committantur?*
23. *Parochi contra hos abusus agere debent.*
24. *Potestatum Secularium est contra eosdem abusus agere.*
25. *Edicta Regia contra hæc conventicula.*
26. *Frequentantes hæc conventicula tamquam peccatores publici à Sacramentis arcendi.*
27. *Qui potissimum impedire tenentur frequentationem horum conventiculorum.*
28. *Multiplex Festorum profanatio per frequentationem popinarum.*
29. *Specialiter vetita popinarum frequentatio diebus Festis per Synodorum & Principum Decreta.*
30. *Synodi procedi volunt judicialiter contra frequentantes popinas.*
31. *Exercitia etiam alias non illicita diebus Festis saltem tempore Divini Officii vetita & quare?*
32. *Profanatio Festorum præcipuè imputanda neglectæ executioni Decretorum Synodalium & Edictorum Principum.*

I. SI diebus Dominicis festisque ab operibus servilibus aliisque haud aliàs de se illicitis abstinendum sit, ut facilius liberiusque dies illos Deo pietatisque operibus consecrare possimus; quanto magis igitur abstinendum ab operibus malis, aut ad malum de se incitantibus, ipsumque animum suo quasi pondere ad peccata deprimentibus.

II. Augustinus hanc inter Judaicam & Christianam Sabbati observantiam assignat distinctionem, quod vacatio Christiana à malis operibus sit, vacatio Judaica à bonis operibus." Ecce & hodiernus dies Sabbati est (ait) hunc „ in præsenti tempore otio quodam corporaliter langui„do & fluxo & luxurioso celebrant Judæi; vacant enim „ad nugas, & cum Deus præceperit sabbathum, illi in his „ quæ Deus prohibet exercent sabbathum. Vacatio no„stra à malis operibus, vacatio illorum à bonis operi„bus est. Melius enim est arare quam saltare. Illi ab ope„re bono vacant, ab opere nugatorio non vacant. " *In Psal.* 91.

Et rursus *Enarratione in psalm.* 32. *n.* 6." observa diem „ Sabbati, non carnaliter, non judaicis deliciis, qui otio „ abutuntur ad nequitiam. *Melius* enim tota die *fode„rent*, quam tota die *saltarent*. Sed tu cogitans requiem „ in Deo tuo & propter ipsam requiem omnia faciens, „ abstine ab opere servili.

Similia habet libro *De decem chordis c.* 3. asseritque de judæorum fœminis, " quod melius die Sabbati lanam „ facerent, quam tota die in Neomeniis suis impudicè „ saltarent.

III. Ne ergo Christiani vacando ab opere servili aliisque functionibus civilibus, otio Judaico defluerent, deliciisque sensualibus, & operibus malis diem festum insumerent admodum jam pridem sollicitè cautum, ut ea omnia diebus Dominicis festisque vetarentur, quæ populum sensuali aliquâ voluptate aut curiositate allicere, & ad vitia quodammodo impellere solent.

Sic legimus à Theodosio anno 386. constitutum: " Nullus *Solis* (id est *Dominico*) die populo spectacu„la præbeat, nec divinam venerationem confectâ so„lemnitate confundat, " *L.* 2. *Cod. Theod. De Spectac. lis.*

Id ipsum in Occidente, nominatim in Africa ab Honorio Imperatore sanciri anno 401. petiisse Patres Africanos docet *Canon.* 61. in Codice Africano.

IV. Cumque in citata Theodosii lege diei *Solis* sive Dominicæ duntaxat mentio fieret, adeoque spectaculorum exhibitio diebus festivis permissa videretur; ac dein dubitaretur, an & Judæis Gentilibusque exhibitio hæc vetita esset; aut saltem si dies *Natalis* Imperatoris in diem Dominicum aut Festivum incideret, in honorem saltem Imperatoris eo die spectacula exhiberi possent: hisce decidendis alteram eamque generaliorem edidit Constitutionem tanto Principe dignam, quæ refertur in *L. ult. Cod. Theod. De Spectaculis.*

Primò ergo hanc prohibitionem ad universos dies Festivos extendit dicens: " Dominico, qui septimanæ „ totius primus est dies, & Natale atque Epiphaniorum „ Christi, Paschæ etiam & Quinquagesimæ diebus, „ quamdiu cœlestis lumen lavacri, imitantia novam „ sancti Baptismatis lucem vestimenta testantur, quo „ tempore & commemoratio Apostolicæ passionis toti„us Christianitatis Magistræ à cunctis jure celebratur, „ omni Theatrorum atque Circensium voluptate per u„niversas urbes earumdem populis denegata, totæ Chri„stianorum ac Fidelium mentes Dei cultibus occupen„tur.

V. Post hæc dubium secundum resolvit subjiciens." Si „ qui etiam nunc vel judæi impietatis atque infamiâ de„tinentur, aliud esse supplicationum noverint tempus, „ aliud voluptatum.

VI. Expendebat nimirum ipse religiosissimus Imperator diebus illis spectaculorum voluptates haud convenire, nec minus periculi imminere Christi fidelibus à spectaculis per Judæos & Gentiles, quàm per Christianos exhibitis.

Denique tertium scrupulum eximens; sententia Christiano Principe digna, suam legem concludit;" Ac „ ne quis existimet in honorem Numinis nostri veluti „ majori quadam Imperialis officii necessitate compelli „ & nisi divina religione contempta spectaculis operam „ præstat, subeundam fortitan sibi nostræ serenitatis of„fensam, si minus circa nos devotionis ostenderit, quam „ solebat, nemo ambigat, quod tunc maximè Mansue„tudini nostræ ab humano genere defertur, cum virtu„tibus Dei omnipotentis ac meritis universi obsequium „ orbis impenditur.

VII. Quam merito scenica hæc spectacula ludosque thea-

theatrales diebus festis proscripserint Imperatores, patebit, si advertatur, quid de his spectaculis ludisque jam pridem dixerunt Patres; & quomodo illa ut irritamenta vitiorum & ad corrumpendos animos potentissimè valentia, cautè ac studiosè à Fidelibus fugienda monuerint quamque ea veri Christiani exhorruerint.

Tertullianus in libro Apologetico *capit.* 38. nomine Christianorum loquens, ait: "Æquè spectaculis vestris „ in tantum renuntiamus, in quantum originibus eo„rum, quas scimus de superstitione conceptas. Quin & „ ipsis rebus, de quibus transiguntur præterfumus. Ni„hil est nobis cum infamia circi, cum impudicitia thea„tri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate.

Notat hîc Rigaltius ad verbum *Præterfumus*:" Præ„teresse dicit, ut Superesse. *Præterfumus* igitur iis rebus „ quas præterimus ac prætermittimus, & à quibus valde „ alieni sumus, videlicet ab infamia circi, impudicitia „ theatri, &c.

VIII. Spectaculorum fœditatem, ac spurcitiam, nec non nocendi & animos corrumpendi efficaciam graphicè describit S. Cyprianus seu alius auctor tractatus De Spectaculis inter opera Cypriani, atque inter alia scribit:" Et cum nulli hominum aut generi, aut professio„ni, ab improbis rito sermone parcatur; ab omnibus „ tamen ad speculum convenitur: commune dedecus „ delectat, videlicet, vel recognoscere otia vel discere: „ concurritur ad illud pudoris publici lupanarium, ad „ obscœnitatis magisterium, ne quid secreto minus a„gatur quam quod in publico discitur; & inter ipsas le„ges docetur quidquid legibus interdicetur. Quid inter „ hæc Christianus fidelis facit? cui vitia non licet nec re„cogitare, quid oblectatur simulacris libidinis, & in ipsis „ deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit „ facere, dum consuevit videre.

IX. Lactantius *lib.* 6. *Divin. Instit. cap.* 20. solitâ suâ eloquentiâ theatralia hæc spectacula insectatur, eorumque abominandam & perniciosam fœditatem vivacissimè proponit:" in scenis (ait) quoque nescio an sit „ corruptela vitiosior. Nam & Comicæ fabulæ de stu„pris virginum loquuntur, & amoribus meretricum; „ & quo magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxe„runt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, „ facilius inhærent audientium memoriæ versus nume„rosi & ornati... Histrionum quoque impudicissimi „ motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant „ ..... quid juvenes aut virgines facient, cum & fieri „ sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? „ Admonentur utique quid facere possint & inflamman„tur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac se „ quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat: pro„bantque illa dum rident, & adhærentibus vitiis; cor„ruptiores ad cubicula revertuntur.

Post hæc concludit:" Vitanda ergo spectacula omnia, „ non solum ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ „ sedata & pacifica esse debent, sed ne cujus nos volup„tatis consuetudo delineat, & à Deo, atque à bonis ope„ribus avertat.

X. Et S. Augustinus *lib.* 1 *De consensu Evang. c.* 33 vocat ea, *caveas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum*. Unde vitæ suæ juvenilis errata describens, ait: "Rapiebant me spectacula theatrica, *plena miseria„rum* mearum, & *fomitibus* ignis mei." *Lib.* 3. *Confess. cap.* 2.

Sed non est quisquam qui acrius acerbiusque theatra insectatus sit, & fideles ab iis avertere studuit, quam S. Chrysostomus; cujus vix ulla Homilia spectaculorum reprehensione vacat. Homilia 29. in caput 6. Matthæi: scenicos ludos civitatis *pestem* vocat. Homilia 69. in Caput. 2. Matthæi: *Theatralem chorum malorum omnium fontem, scaturiginem ac fomitem.*

XI. Si hodiernæ comediæ, & theatrales ludi, ut communiter publicè exhibentur, propriùs attendantur, facilè apparebit, rationes ob quas Christianis, & præcipuè diebus festis haud convenire olim Patres judicarint, etiam in hodiernis militare.

Hinc S. Carolus inter" publicorum peccatorum illece„ bras, quas homines depravatæ consuetudinis errore „ decepti pro nihilo putant, poni sui temporis spectacu„ la, ludos, ludicrasque res id generis, quæ (ait) ab ethni„ corum moribus originem ducunt, disciplinæque Chri„ stianæ adversantur.

Vult autem ut Concionator hæc" perpetuò detesta„ bitur, execrabitur; demonstrabit incommoda, publi„ casque ærumnas inde in Christianum populum dima„ nare.

Utque ostendat quàm hæc cum pristinis spectaculis, in quæ Patres calamum strinxere, conveniant, addit: "In quam sententiam valde populum confirmabit argu„ mentis, quæ gravissimi viri. Tertullianus, Cyprianus „ Martyr Salvianus & Chrysostomus afferunt." In Actis Eccles. Mediolanensis *pag.* 400.

XII. Si spectacula, quæ *comedia* vel etiam *opera* dici solent, expendantur, quæ hodie in civitatibus Belgicis exhiberi solent, apparebit sanè, quod non parum jam descriptis spectaculis sint conformia; sanctificationi dierum Festorum minimè conveniant; & nata sint populum facilè à Divinis Officiis abstrahere; imò vix contingat, ut non tantùm ad vanitatem & curiositatem, sed ad libidinem provocent. Perfecta enim vix creduntur, nisi obscœna aliqua, ut minus saltem tectè, & sub terminis quibusdam æquivocis, quæ frequenter magis inhærent auditoribus, admisceantur.

XIII. Quapropter Synodus P. II. Cameracensis inter abusus, quibus per Synodorum Decreta hactenus mederi non potuit, numerat *spectacula lubrica*; eaque diebus Dominicis aliis Festis diebus tempore Divini Officii maximè Vesperarum & Concionis præcipit non haberi; desideratque idipsum Regio Edicto confirmari.

XIV. Si choreas, saltationes & tripudia, quæ hodie, præcipuè ruri inter personas utriusque sexûs instituuntur, consideremus, apparebit his apprimè quadrare, quæ in spectacula, choreasque suo tempore dixere Patres; atque ad ea" numquam ferè conveniri sine multis „ & iis quidem gravissimis Dei offensionibus (verba „ sunt S. Caroli in Synodo Mediol. III. *titulo* 1.) idque „ ob turpes cogitationes, obscœna dicta, inhonestas a„ ctiones, morum corruptelas & perniciosas ad omnia „ opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas, tum „ propter cædes, rixas, dissidia, stupra adulteria ali„ aque mala plurima inde consequentia quam sæpis„ sime.

XV. Verissimeque de his dici plerumque poterit, quod de iis olim pronuntiavit Chrysostomus *Homil.* 48. *in Matth.*" Multa [ait] nostra hac ætate celebrantur „ convivia multæ *choreæ* & *saltationes* homicidæ perа„ guntur; in quibus non jam Sanctissimis præcursor in„ terficitur, sed ipsa Christi Jesu membra immaniori „ quodam modo, sævitiaque jugulantur. Non asporta„ tur in disco caput in saltationis pretium, sed adstanti„ um plerique omnes fœdis belluinisque voluptatibus „ turpissimè mancipantur: dum scilicet irretiuntur cri„ minosis cupiditatibus, non abscisso cervicibus capite „ sed anima à Christo Domino revulsa crudelius eneca„ tur.

XVI. De nostratibus audi Cardinalem Bellarminum in Concione 19. *Dominica Quadrag.*" De Choreis tan„ tum dicam unum verbum, atque ideo potissimum „ quod intelligam nonnullis non videri hoc verum ma„ lum, & sciam *Lovanii* esse publicas scholas ubi doce„ tur ars tripudiorum Sed ego profectò si adulterium & „ fornicatio est malum, videre non possum, quomodo viros

Digitized by Google

„ viros cum fœminis tripudiare non sit malum, cum ad „ hoc illud maximè provocet, . . . Tu ad calorem ado„ lescentiæ addes calorem potationis deinde ibis & ridebis, cantabis, saltabis cum puellis & ego nihil mali „ suspicabor.

XVII. Hæc si ritè expendantur fatendum erit jure meritò dixisse S. Carolum loco supra citato, postquam de choreis locutus fuerit: " His tot offensionum & peccato„ rum seminariis locum dari, iis præsertim diebus, qui „ dies propitiationis sunt; & iis ipsis diebus fideles ple„ rosque nefariis istis Satanæ blanditiis illectos, à divinis „ officiis, religiosis supplicationibus, lectionibus sacris „ abduci, avertique rudes à percipiendis fidei rudimen„ tis; aliosque ab aliis Christianæ pietatis officiis, in quæ „ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi & a„ moveri; hoc certè gravissimum est in conspectu Dei „ & Ecclesiæ.

XVIII. Saltationes & choreæ hodiernæ nullibi turpius majorique cum periculo & scandalo aguntur, quam in conventiculis juvenum ac puellarum, quæ diebus Dominicis & Festis in popinis, præsertim in pagis haberi solent; quos Synodus Tornensis 1589. *titulo* 4. *capit.* 11. describit dicens. " Et cum intelligamus in quibus„ dam Parochiis præsertim diebus Dominicis & Festis „ puellas & viduas, vel etiam conjugatas sine suis mari„ tis deduci ad tabernas vel popinas vel publica diverso„ ria, & illic cum juvenibus aut viris potitare magno „ cum pudicitiæ suæ periculo: præcipimus Pastoribus & „ Concionatoribus illorum locorum, ut acriter hor„ tentur Parochianos suos & Parochianas, ne de„ inceps tale quid faciant aut fieri permittant, ostenden„ tes quàm hoc sit turpe & periculosum pudicitiæ puel„ larum & mulierum & tristissimos eventus inde prove„ nire, adhortantes omnes & singulos ne tale quid fiat. „ Itemque ne tabernarii vel caupones illud domi suæ „ fieri patiantur.

XIX. Cum verò hoc malum hoc nostro seculo non imminutum, sed potius auctum videretur; ipsosque dies Dominicos & Festos turpissimè per hæc abominanda conventicula profanari viderent Episcopi, omnibus modis, etiam invocato brachio seculari exterminandum censuerunt.

Synodus Tornacensis anno 77. currentis seculi *art.* 6. statuit: " Pluribus conquerentibus de puellarum & a„ dolescentum virorum protervia, qui simul popinas a„ deunt . . . tum etiam de publicis choreis, tripudiis, ali„ isque ejusmodi quibus cum magno Ecclesiæ ludibrio „ & pietatis detrimento operam dant populi diebus Do„ minicis & Festivis, & maximè diebus dedicationis & „ Patronorum . . . adeantur seculares etiam Magistratus, „ ipsaque supremi hujus civitatis Concilii Curia, . . . ut „ tantum scandalum tandem compescatur.

XX. Nominatissimus Gandensium Antistes Antonius Triest execrabiles has choreas execratus Decretum edidit sub annum 1629. in hæc verba: " Abusus, qui com„ mittitur, præsertim ruri à filiabus, quæ immemores „ pudicitiæ ipsis propriæ & imprimis necessariæ, eo au„ daciæ veniunt, ut invitatæ à juvenibus tabernas fre„ quentent Dominicis præsertim & Festis diebus, præbet „ & indies magis præbebit occasionem plurimis dissolu„ tionibus & flagitiis: ea propter Pastoribus injungimus, „ ut in sermonibus suis ea qua poterunt diligentia in ab„ usum illum invehantur, & parentes sedulo corripiant „ de abominabili sua incuria & indulgentia, quod filias „ suas tanto cum periculo pudicitiæ & famæ suæ ejus„ modi consortiis sinant interesse.

XXI. Episcopi Antverpienses eumdem abusum in sua Diœcesi invaluisse intelligentes, plura adversus illum edidere severissima Decreta: quibus non obstantibus intelligens modernus Antistes Joannes Ferdinandus hoc malum ubi radices egit indies grassari & diffundi, Prædecessorum suorum Decreta die 24. Feb. 1685. editâ Constitutione renovavit; injungens Archipresbyteris & Pastoribus cum Vicariis suis, ut hujusmodi conventus ab impari sexu agitari solitos pro virili sua extirpare studeant. " Si verò accideret [ait] ut quipiam à Pastore „ correpti non resipiscerent, Pastor nobis deferet, ut si „ Matrimonio postmodum jungi vellent, despiciamus, „ num satius non fuerit eos à Matrimonio vel Sponsali„ bus contrahendis arcere: neque adducere nos pote„ runt ut consensum præbeamus, donec & resipuerint, „ & datum scandalum reparaverint, &c.

Deplorat autem hic Antistes profanationem dierum festorum quam hi conventus per ebrietates, perjuria, impudicitias & intolerabiles abusus in hisce committi solita, inducunt.

XXII. Alphonsus de Berges Archiepiscopus Mechliniensis editâ de hoc abusu Epistolâ Pastorali anno 1675. significat, " quod maxima & deflenda pernicies „ irrepserit juvenes inter & puellas, qui Dominicis, Fe„ stivis, alisque (quos vocant *Vrolyke Avonden*) tem„ pore etiam Divini Officii ad tabernas identidem con„ veniunt, ubi potitant & tripudia agitant in multam „ noctem: & interea ejusmodi miscentur colloquia, „ tam obscœnæ canuntur cantilenæ, & ab ipsis quidem „ conjugatis qui dictis juniorum conventibus intersunt, „ tam impudici attactus tentantur & exercentur, tamq; „ frequentes scurrilitates & sordes cum magno anima„ rum interitu contingunt, ut vel ex auditu eorumdem „ horreant pii & timorati obstupescant.

XXIII. Mandat dein Pastoribus ut pro virili incumbant, & allaborent, quo *intolerabile* hoc malum & *abominandum* abusum *maximèque* flagitia impediant: ut è suggestu & confessionali, & quavis ferente occasione ob oculos *efficaciter* proponant pericula & *innumera* mala quæ præfatos Conventus comitari solent.

XXIV. Post hæc dicit: quod cum id muneris quoque sit Potestatum secularium, ut cum Pastoribus invigilare, & ejusmodi mala, ubi grassantur, à juventute arcere obstringantur, Pastoribus incumbat, illas accedere, ut pro officio adlaborent ad tantum malum extirpandum, *brachiúmq;* ut vocant, *seculare*, ubi opus, non denegent: quò fiat, ut strenuè ad executionem deducantur Edicta, quæ à Majestate Regia pro sanctificatione Dominicorum Festorúmque dierum non semel emanarunt.

XXV. Plura sunt Regia Edicta hoc & præterito seculo edita pro observatione dierum festorum: quæ si juxta mentem Regis ab Officiariis & Magistratibus civilibus executioni mandarentur, indubiè magna ex parte abusus diebus illis committi soliti impedirentur: eáque omnia rursus innovata sunt per Decretum Regium 21. Martii 1682. quod ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis emanavit, specialitérque injungitur Officiariis Regiis sub Diœcesi Mechliniensi, ut operam suam conferant pro impediendis insolentiis expressis in hac Epistola Pastorali; utque illa secundùm suum tenorem executioni mandetur & observetur.

XXVI. Cùm autem dictus Archiepiscopus adverteret quòd nec Epistola Pastoralis, nec Edictum Regium ad extirpandum hunc abusum sufficerent, fortiora remedia adhibenda judicavit.

Hunc in finem per litteras circulares significare jussit Archipresbyteris, quòd cùm intellexerit, multos adolescentes aliosque ad tabernas exire contra suum Decretum de anno 1675. etsi eidem accesserit Regium Edictum; idcirco mandet omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut " dictos publicos inobedientes habeant tamquam „ peccatores publicos, de quibus in Pastorali, & ad Sacra„ menta non admittant assistentiámque suam iis dene„ gent tum in sponsalibus, tum in Matrimoniis, donec „ publicum scandalum repararint.

Tandem

Tandem Epistola concluditur his verbis:"qua in re il„lustrissimus Dominus cupit,ut R. V. (Archipresbyte„rum alloquitur) in suis visitationibus circa excessus i„stos & Vesperarum ac Catechismi omissiones diligen„ter inquirat.

Sane si sincerè & accuratè expendantur nefanda quæ in his adolescentum & puellarum conventibus & choreis perpetrari consueverant;apparebit,jure meritissimo hodiernis illis choreis & conventibus applicari quæ de sui temporis choreis Patres dixere;imò hisce choreis aptissimè convenire definitionem S.Carolo aliquando probatam:*Est circulus cujus centrum est Diabolus & cujus circumferentia sunt Angeli ejus circumstantes.*

XXVII.Plura de his conventiculis,nec non choreis & tripudiis, eorumque pessimis effectibus videri poterunt in quodam tractatu de *Choreis & tripudiis prout agitari passim solent,præsertim diebus Dominicis & Festis*,quem sub titulo Thesium evulgavit Bartholomæus Pasmans in hac Academia Doctor Theologus;ubi unà ostendit,quàm arcta graviq; sit Episcoporum,Pastorum,nec non Magistratuum obligatio indesinenter omnibus mediis allaborandi,ut hoc malum extirpetur ; quomodo item sub gravi peccato constringantur parentes proles suas,&Patres familias suos domesticos ab hujusmodi conventiculis retrahere.

XXVIII.Multipliciter per frequentationem popinarum & tabernarum dies Dominicos & festivos violari , ob multiplicia peccata quæ in illis committi solent,jam pridem notatum fuit;atque ob hanc popinarum frequentationem potissimum verificari illud S.Antonini *parte* 2. *tit.*9.*c.*7.§.1."Omnium lachrymis deflenda est Christia„norum cæcitas,quod Gravius Deum offendant diebus „festis ejusdem Divino cultui dedicatis,quàm totâ heb„domadâ ad vitam parandam institutâ.

XXIX.Præter Principum Edicta quæ generaliter usum tabernarum,ob multiplices excessus qui in iis committuntur,moderantur,relata *parte* 1, *titulo* 2. *c.*4. sunt insuper plura Principum Edicta quibus cavetur, ut nullus incolarum ad tabernas recipiatur;nec taberna ulli incolæ pateat diebus Dominicis aut festis tempore Missæ, Sacri & Vesperarum. Ita Edictum Philippi II.ad Synodum P.II.Cameracensem *art.* 5.Item Edictum Alberti & Isabellæ anno 1607.quod habetur parte 2.Edictorum Flandriæ *pag.* 53.

XXX.Quæ & Synodalibus Decretis sæpius injuncta fuerunt.Et quidem Synodus Antverpiensis sub Miræo anno 1610. *tit.* 13. *c.* 2.advertens non omnes ad sanctificationem Festorum monitionibus flecti," Volumus(ait) „contra illos transgressores sine dissimulatione procedi „juxta Ecclesiæ Præcepta , Serenissimorum Principum „nostrorum Edicta,Prædecessorumque nostrorum Or„dinationes..... Potissimum diligenter observetur,ne „Dominicis & Festis diebus, eo tempore quo Divinum „Officium fit aut verbum Dei prædicatur , tabernæ vel „hospitia ulla aliis quàm viatoribus pateant,Si verò ipsi „Officiarii caupones sint,& hac occasione lucri cupidi„tate hanc justissimam legem ipsi violent, aut aliàs fue„rint negligentes,mandamus Pastoribus & aliis in Paro„chia Sacerdotibus,nec non & Custodibus,ut tales ad Of„ficialem nostrum deferant;eidem Officiali nihilomi„nus injungentes,ut in tales inquirat etiam non moni„tus à Pastore.

Similiter Synodus Mechliniensis anno 1609.*tit.*12.*c.* 1.ait:"Diebus Dominicis aut Festivis tempore concionis, „summi Sacri, vel Vesperarum in tabernis potitantes,aut „publicis lusibus vel tripudiis vacantes, denuntientur , „pro qualitate personarum & modo scandali puniendi. In margine indicatur Edictum Principum pro observantia Festorum.

Eadem passim in omnibus Synodis Belgicis inculcantur,& sub gravibus etiam pœnis injunguntur; nominatimq; in ultima Synodo Namurcensi anno 1659. iisdem verbis adoptatur relatum Decretum Synodi Mechliniensis;additurque:" In quo casu & omnibus aliis servabitur „Edictum Alberti & Isabellæ de anno 1607.publicatum „Namurci anno 1608.

XXXI. Sunt & alia exercitia, quæ licet ex se non sint illicita, & eam malorum & insolentiarum non soleant habere sequelam, quam secum quasi infallibiliter trahunt choreæ , juvenum puellarumque conventicula, ac tabernarum frequentatio ; tamen nata sunt avertere à Divinis Officiis, & debitum Festorum dierum cultum impedire; quales sunt plerique lusus publici à corporum agitatione & industria dependentes; qui licet cum moderatione ad aliquam corporis exercitationem etiam diebus Dominicis & Festivis tolerari possint, tamen & Synodalibus Decretis,& Principum Edictis vetitum est, publica hæc exercitia facere tempore Divini Officii: ita Synodus P.II.Cameracensis & Edictum Philippi II.ejusdem confirmatorium *art.*5.& citatum Edictum Alberti & Isabellæ.

XXXII.Ex omnibus hactenus relatis tum Synodorum & Episcoporum tum Principum Decretis & Edictis videre est , sat multa esse providè statuta pro Festorum debito cultu ; eorùmque neglectam executionem esse causam illius dierum Festorum profanationis , quæ multis in locis tam horrenda est , ut timendum sit à minis quas olim Deus per prophetam Malachiam *cap.* 2. populo Judaico denuntiavit his verbis:*Ecce ego projiciam vobis brachium,& dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.*Et illud Isaiæ.c.1.*Neomeniam & Sabbathum & solemnitates alias non feram,iniqui sunt cœtus vestri.Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea;facta sunt mihi molesta,laboravi sustinens.*

Monumentum ad Cap. V, num. 22.

Epistola Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis contra conventicula juvenum & puellarum.

PERCHARI ET DILECTI.

Frequenter nobis exponitur , ex parte omnium propemodum Decanatuum Ruralium nostri Archiepiscopatûs, Juventutis gravem admodum & deplorabilem animarum esse jacturam , videlicet adolescentum & puellarum qui Dominicis , Festis alisque diebus (quos Hilares nuncupant) stabiliter etiam tempore Officii Divini conveniunt in popinis ut potent & tripudient , ibidemque in seram vesperam hæreant , dum & talia inter ipsos colloquia, pariterque inter personas conjugio junctas quandoque se junioribus aggregantes,miscentur, tam indecentes cantilenæ decantantur tales attactus quæruntur & committuntur tot insolentiæ & absurditates fiunt,cum gravi conscientiæ labe ut vel sola horum narratio personis timoratis horrorem incutiat.

Idcirco nos injungimus ut omnem adhibeatis diligentiam , quo tantum incommodum , abusus , cæteràque hujusmodi gravia peccata impediantur ,proponentes efficaciter in concionibus , sedibus Confessionum , alisque casibus & opportunitatibus discrimina, & mala similibus Conventiculis annexa , Parentibùsque insuper proponentes onus

quod

Digitized by Google

quod ipsis incumbit, ut liberos suos inde contineant, tantoque magis quod probè sciant peccata & insolentias, quæ vel ipsi forsitan juvenili tum ætate commiserunt, aut tolerarunt, aut in similibus casibus & conventiculis viderunt, & consequenter etiam iisdem Parentibus ob oculos ponatis, se coram Deo eorumdem peccatorum comparticipes & reos fore, quæ in liberis aut famulantibus non impedierint, aut saltem omni modo conati fuerint impedire.

Quando quidem verò obligatio, ut prædicta in juventute impediantur, præter Pastores, etiam spectet ad Magistratus locorum in quibus tales indecentiæ committuntur, Vestri muneris erit, eos rogare, ut ad prædicta gravia mala impedienda cooperentur, & brachii sæcularis præstent auxilium, fideliterque procedant ad executionem Edictorum sæpius promulgatorum suæ Regiæ Majestatis, quoad factum celebrationis Dominicarum Festorumque dierum.

Si verò nulla sequatur emendatio, continuetque etiamnum aut pergat juventus taliter popinas frequentare, & in iis convenire, ut dictum est, postquam præfata media adhibita fuerint, declaramus nos compulsum iri ut adversus talia provideamus suspensione officii divini & administrationis Sacramentorum respectu eorum qui se emendare noluerint, aliisve pœnis Canonicis, ne Nobis extremi judicii die, animarum Nobis commissarum, quasque tanto pretio Dei filius redemit, perditio imputetur.

Denique Vobis injungimus, ut identidem per Reverendos Dominos Decanos Rurales respectivè, certiores Nos faciatis eorumque circa prædicta apud vos contigerint, qualisque emendatio [prout speramus optamusque] super his omnibus secuta fuerit. Datum Bruxellis in Palatio nostro Archiepiscopali, die 52. Novembris Anno Domini 1675.

Locus † Sigilli.

ALPHONSUS Archiepiscopus Mechliniensis.

Decretum Regium super executione prædictæ Epistolæ Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis.

C*Arolus Dei gratia Rex Castiliæ, &c. Cum simus informati quod non obstantibus Edictis nostris de 7. Octob. 1531. 12. August. 1560. 1. Jun. 1587. 22. Junii 1589. 20. Septembris 1607. ultima Augusti 1608. 1. Julii 1616. & 11. Julii 1628. circa celebrationem diei Dominicæ & Festorum frequentationem & multiplicationem tabernarum, & publicos ludos durantibus Divinis officiis, & aliis horis incongruis, varii abusus & irreverentia irrepserint per negligentiam & incuriam nostrorum Officialium: Hinc est, quod ad iis occurrendum, Nos, ex deliberatione chari & nobis admodum dilecti consobrini Alexandri Farnezii Principis Parmensis &c. præcipiendum duximus, prout præcipimus per præsentes omnibus judicibus, Magistratibus & Officiariis, soleerter attendere, ut prædicta Edicta rite observentur procedendo contra infractores per pœnas & mulctas in iisdem expressas sub pœna correctionis: Et præterea speciatim prædictis nostris Officiariis Diœcesis Mechliniensis, in his ditionibus nostris & Ducatu Brabantiæ, porrigant manum auxiliatricem, ut occurratur insolentiis expressis in Epistola Pastorali Archiepiscopi Mechliniensis de 25. Novembris 1675. & hæc secundum formam & tenorem suum observetur: quoniam ita nobis placet. Datum Bruxellis 21. Martii 1682. Regni nostri decimo septimo. Signatum erat* Ryc. Ut. *Super plicam erat scriptum:* Per Regem in suo Concilio. *Et signatum* Goubau.

Litteræ circulares Archiepiscopi Mechliniensis de 10. Maji 1685. pro ulteriore executione allegatæ epistolæ Pastoralis.

C*Um magno animi dolore audivit Illustrissimus Dominus quod multi Adolescentes, aliiq; ad tabernas vadant contra illius Decretum de anno 1675. etsi eidem nuper accesserit Regium Edictum: idcirco mandat omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut dictos publicos inobedientes habeant tamquam publicos peccatores, de quibus in Pastorali, & ad Sacramenta non admittant, assistentiamque suam iis denegent, tum in sponsalibus, tum in matrimoniis donec publicum scandalum reparârint, quâ in re Illustrissimus Dominus cupit, ut R. V. in suis visitationibus circa istos excessus & vesperarum ac Catechismi omissiones diligenter inquirat.*

Erat signatum *A. A. M. ut*

Alterum Decretum Regium quo prius renovatur & latiùs explanatur.

C*Arolus Dei gratia Rex Castiliæ &c. Omnibus has visuris salutem. Notum facimus, quod Archipresbyteri Provinciæ Brabantiæ, & districtus Alostani Nobis exposuerunt, quod quantumvis renovassemus die 21. Maji 1682. præcedentia nostra Diplomata & mandata, de observandis Dominicis Festisque diebus, injunxissemusque quibusvis Officialibus nostris, ut conformiter ad Epistolam Pastoralem Archiepiscopi Mechliniensis die 25. Novemb. 1675. impedirent peccata & scandalosas indecentias quæ in popinis in conventiculis puellarum & adolescentium committuntur, tum etiam cum ipsæ domum vesperi deducuntur, interea aliqui Pagorum Toparchæ, eorum Prætores, Præfecti, aliique officiales denegassent Ecclesiasticis auxilium præstare, quo impedirentur puellæ easdem popinas frequentare ad evitandas proximas peccandi occasiones quæ ordinariè post potationem in similibus conventiculis occurrunt, eo titulo, quod mens nostra solùm fuisset ut talia conventicula non haberentur in popinis tempore Divini Officii. Idcirco ad præveniendum abusus & indecentias quæ passim in talibus conventiculis occurrunt, Nos ex deliberatione chari & Nobis admodum dilecti Consobrini, Francisci Antonii de Agurto Marchionis de Gastanaga, Equitis Ordinis Alcantara, Gubernatoris & Archistrategi Generalis Belgii nostri, &c. judicavimus expedire, ut declararemus prout per præsentes declaramus, mentem nostram fuisse ut per Edictum nostrum die 2. Martii 1681. inhiberemus puellis innuptis, ne conventiculis adolescentum in popinis, aut circa eas interessent ad ibidem potitandum aut tripudiandum, seu Dominicis, seu Festis seu diebus feriatis, qualicumque hora diei seu tempore Officii divini seu alio; indictâ mulctâ sex florenorum ad onus cauponis seu cauponæ, & trium florenorum mulctâ ad onus cujusque adolescentis & puellæ, qui*

contra

contra hæc deliquerint, exigenda eorum sumptibus à parentibus & tutoribus ipsorum pro prima vice, & arbitrariâ mulctâ pro secunda indictâ Mandamus, quibuscumque Prætoribus, Præfectis justitiæ, aliisque Officiatibus, ad quos poterit spectare ut desuper invigilent, jurisdictiones suæ pöpinas præsertim Dominicis Festisq; diebus visitent & prævaricatorum correctioni prædictæ mulctæ & pœnæ executione intendant, iisdem etiam mandantes ut omnem opem (quam afferre rogabuntur) Judicibus Ecclesiasticis eorumq; Officialibus præstent, quoad violationes quæ Dominicis aut Festis diebus in casibus in quibus juxta præcedentia nostra Edicta & mandata ipsis permissum fuit agere per præventionem. Injungimusq; dilectis admodum & fidelibus Nostris Præsidi Supremo & Consiliariis Sanctioris nostri & magni Consilii Cancellariæ & Consiliariis Consilii nostri Brabantiæ, Præsidi & Consiliariis Provincialis nostri Consilii Flandriæ, & Scultero Mechliniensi, ut hoc nostrum præsens mandatum locis consuetis & ubi opus fuerit, promulgari curent & faciant observari juxta ejus formam & tenorem. Quia sic nobis placet. *Datum in urbe nostra Bruxellensi die 6. Martii anno 1687. Regnorum nostrorum 22. erat signatum* Blon. ut *in plica scriptum erat:* per Regem in suo Consilio, *subsignatum* L. A. de Claris *et atque obsignatum magno suæ Majestatis sigillo in cera rubra dependente ex pergamena duplicata lacinia.*

CAPUT II.

De Licentia laborandi diebus Festivis.

1. *Ecclesia in observatione diei Festi vult servari illud Christi.* Sabbatum propter hominem *factum est* & non homo propter Sabbathum.
2. *Lex charitatis cedit legi positivæ de observatione Sabbathi.*
3. *Lex generalis cedit legi particulari.*
4. *Christus docuit præferendam misericordiam & charitatem* externo *cultui diei festi.*
5. *Christus ostendit, quod conditor legis, in lege dispensare possit.*
6. *Jam pridem ostendit Ecclesia, externum cultum diei festi cedere debere necessitati.*
7. *Ob necessitatem indulsit generaliter Constantinus A*gricolis *laborare.*
8. *Legem hanc correxit Leo Sapiens, quâ correctione hodie utimur.*
9. *Necessitas determinanda à legitimis superioribus.*
10. *Notabilis species dispensationis ex Decretali Alexandri III.*
11. *Synodi Belgicæ pro dispensatione obtinenda remittunt ad superiorem Ecclesiasticum.*
12. *Judicium de* necessitate *Synodus Cameracensis delegat Archipresbytero, vel Pastori.*
13. *Edictum Principum videtur remittere ad Magistratum civilem.*
14. *Conciliatio Edicti cum Synodo.*
15. *Quid agendum Archipresbyteris & Parochis si Officiales civiles eam auctoritatem sibi liberalius, quam oportet, usurpent.*
16. *Circa colligendas fruges dispensatio haud facilè neganda; præsertim si Magistratus judicet necessitatem esse.*
17. *Aliqua indulgeri possunt festis minùs solemnibus, non indulgenda solemnioribus.*
18. *Dispensatio danda ob necessitatem* non affectatam.
19. *Quomodo adversus violatores festorum ex Decretis Synodorum procedendum?*
20. *Ex Edicto Principum locus est præventioni inter judicem Ecclesiasticum, & Civilem; & quæ ab illo observanda?*

I. SIc Ecclesia ab operibus servilibus aliisq; per se minime illicitis, sed mentem tamen à rebus Divinis avocare solitis abstinendum censuit diebus Dominicis & Festivis, ut tamen semper meminerit moniti Magistri sui: *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum* Marci cap. 2. v. 27.

Quo suo monito indicatum voluit Christus, Sabbathum omniaque ad ejus sanctificationem instituta, referenda esse ad sanctificationem & utilitatem hominis: adeoq; si huic fini hîc & nunc non conveniant; sed è contrario in hominis detrimentum vergerent, tunc Sabbathum ejusque leges cedere debere, utpote quod propter hominem factum est.

II. Hoc ipsum sæpius Christus tum verbo, tum facto ostendit, ut Pharisaicum & superstitiosum Sabbathi cultum destrueret.

Et quidem cum quodam tempore abiens Jesus per sata Sabbatho, Discipuli ejus esurientes cœpissent vellere spicas & manducare; & Pharisæi id videntes, dixerunt ei: *Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet Sabbathis,* Christus à Pharisaica hac reprehensione vindicans Discipulos suos, dixit eis: *Non legistis quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit quos non licebat ei edere, neque his qui cum ipso erant, nisi solis Sacerdotibus.*

Hic ostendit Divinus Magister, legem merè positivam etiam de concernentibus cultum Dei, postponendam legi naturali necessitatis; nullamque consecrationem rei aut diei eam legem abrogare posse, quæ proximo in necessitate charitatem exhiberi jubet.

III. Alterum argumentum in defensionem Discipulorum subjungit, dicens: *Aut non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis quia Templo major est hic.*

Quibus verbis docet, legem positivam generalem colendi Sabbathum nonnunquam cessare cum alia particularis lex ad eamdem sanctificationem pertinens concurrit.

IV. Dein subjicit Christus hanc regulam: *Si autem sciretis, quid est. Misericordiam volo, & non sacrificium, nunquam condemnassetis innocentes.*

Quasi diceret; quia lex charitatis præferenda est omni *externo* cultui *externisque* sacrificiis, si eam sat expendissetis, numquam condemnassetis discipulos in necessitate positos die Sabbathi *spicas vellentes*, easque ad esuriem suam explendam manducantes: quia externum quidem Sabbathi cultum volo; sed magis misericordiam, & charitatem, quâ proximo in necessitate constituto succurritur.

V. Denique concludens ait: *Dominus est enim Filius Hominis etiam Sabbathi:* id est, Filius hominis qui Sabbathum instituit, eique Leges præscripsit, eatenus est etiam Dominus Sabbathi, ut lege charitatis vel necessitatis occurrente, possit in Legibus illis dispensare.

His Divinis regulis insistens Ecclesia, Leges suas pro dierum festivorum cultu & sanctificatione institutas, ita semper intellexit, ut Legi necessitatis & charitatis, aut Legi alteri speciali eas cedere debere profiteretur; seq; dierum festorum Legumq; ad illorum cultum spectantium ita Dominam esse, ut quando Lex charitatis aut necessitatis postulaverit, à legibus illis recedendi potestatem facere queat; quo ostendat, quod ad exemplum Sabbathi, dies festus factus sit, propter hominem, non homo propter diem festum.

VI. A Patribus Synodi Laodicenæ jam pridem decretum

cretum legimus *Canone* 29. " Quod non oportet Christia-
„ nos judaizare, & in Sabbatho otiari; sed eo die operari:
„ Diem autem Dominicum præferentes otiari, *si modo pos-*
„ *sint*, ut Christianos.

Ad additam clausulam, *si modò possint*, reflectens Theodorus Balsamon in Commentario in hunc Canonem ait: " Sed & hoc scilicet die Dominico non operari, non necessariò mandarunt; sed adjecerunt, *si possint Fideles*. Si enim „ propter inopiam vel aliam aliquam necessitatem, etiam „ die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non „ affertur.

Eandem clausulam observat Zonaras, additque: " Lex „ verò civilis à muneribus die Dominico vacationem esse, „ si agricolarum opera excipias, omninò jubet. Illis nam- „ que, quia fortè, operibus primo quoque tempore obeun- „ dis alium diem pariter accommodatum nancisci non ita „ facilè fuerit, Dominico quoque die operam navandi fa- „ cultas concessa est.

VII. Lex civilis, cujus hic meminit Zonaras, videtur Constitutio Constantini M. relata in *L.* 2. *Cod. De Feriis*, quia permittebatur agricolis die Dominico operas suas exercere, addita hâc ratione: " Quoniam frequenter evenit, „ ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus „ mandentur; ne occasione *momenti pereat commoditas* „ cœlesti provisione concessa.

VIII. Ad necessitatem Imperatorem reflexisse sat apertum est: sed quia necessitas hæc non semper occurrit, ac ideo videretur nimia à veneratione diei Dominicæ exemptio agricolis indulta, Leo Sapiens seculo 9. eam legem correxit *Constitut.* 54. statuitque ut omnes in die sacro à labore vacent, " neque *Agricolæ*, neque quipiam alii in illo illicitum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quamdam „ atque figuram observabant, tantopere Sabbathi diem venerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent, quo- „ modo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos „ enim diem qui à Domino honore ditatus est, nósque ab „ exitii dedecore liberavit, non venerari par est?

Agricolas igitur non secus atque alios opifices per cessationem operarum suarum colere dies Festos voluit Leo; quod & posteriores tam Principum, quàm Episcoporum leges decreverunt; eâ tamen cautione, ut necessitati Lex hæc positiva cedat; quæ semper intacta mansit.

IX. Sed ne prætextu *necessitatis* Leges Ecclesiasticæ passim violentur, atque unicuique liberum sit legem transgredi, dum pro arbitrio suo & affectu necessitatem fingit, meritò hujus necessitatis determinatio non cujuslibet privati; sed Superiorum arbitrio & judicio commissa est: ut hi necessitate aut utilitate perpensâ, judicent, an & quomodo in lege dispensandum sit.

X. Notabilis species dispensationis, quæ & regulas aliquas suppeditat occurrit in *Cap.* 3. ✠ *De Feriis* ubi rescribit Alexander III. Archiepiscopo Triburiensi ejusque Suffraganeis: " Quod cum regio vestra non multùm frugi- „ bus abundet, mare, in quo populus majorem consuevit „ habere sustentationem sterilius solito effectum fuisse „ multorum relationibus cognoscentes, B. Petri auctorita- „ te & Pauli & nostrâ indulgemus, ut liceat parochianis „ vestris diebus Dominicis, & aliis festis (præterquam in „ majoribus anni solemnitatibus) si alecia terræ se inclina- „ verint, eorum captioni ingruente necessitate intendere: „ ita quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis „ & Christi pauperibus congruam faciant portionem.

XI. Synodi nostræ Belgicæ pro dispensatione passim ad Episcopum, Archipresbyterum aut Pastorem remittunt.

Synodus P. I. Mechliniensis titulo De Festis *cap.* 3. Ve- „ tat omnibus Magistratibus & secularibus Judicibus, ne „ cuiquam ex omnibus prædictis Festis violandi seu profa- „ nandi licentiam concedant, sed eos qui ab ipsis licentiam „ hujusmodi requirunt, ad Episcopum ejusve Vicarium „ vel Pastorem remittant: alioqui contra eos tamquam Sy- „ nodalium statutorum transgressores, & aliàs prout de „ jure, procedant.

XII. Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 4. *c.* 2. postquam dixit diebus Festis, nec permitti agrorum cultum aut messem, molitorum, coctorum cerevisiæ, lanionum, pistorumque operas, additâ hac exceptione, *nisi ob notabilem necessitatem*, dicit: " Cujus cognitio ad Decanum Chri- „ stianitatis, vel eo absente, aut nimis procul degente, ad „ Pastorem loci spectabit.

XIII. Edictum Philippi II. ad hanc Synodum *art.* 7. pariter vult diebus Festis à prædictis exerciciis abstineri, " nisi „ ob necessitatem declarandam (ait) per Officiarium & „ Magistratum loci, de advisamento Decani Christianita- „ tis aut in ejus absentia Pastoris loci. " Idipsum habet Edictum Alberti & Isabellæ quod emanavit anno 1607. super observatione dierum Festorum.

XIV. Super his Edictis reflectens Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo *De Feriis num.* 4. ait: " Judicio quidem „ Magistratûs quatenus de *puro facto* necessitatis quæritur: „ Archipresbyteri ruralis, aut ubi is non est, Pastoris, qua- „ tenus de obligatione *præcepti* Decalogi seu Ecclesiæ agi- „ tur: quæ non habet alium interpretem, quàm Ecclesiasti- „ cum Magistratum..... ut & dispensatio super obligatione „ non alteri competere possit; sed tantùm super declaratio- „ ne facti; & sic impropriâ locutione.

XV. Inter acta & resoluta in Congregatione Archipresbyterorum præsidente Archiepiscopo Mechliniensi habita die 25. & 26. Septembris anno 1663. *art.* 41. & 42. habetur: " Ad evitandum abusum quo in aliquibus locis Ballivi „ & Officiarii laici pro certo pretio permittunt inconsulto „ Ordinario, Archipresbytero, vel alio ad id deputato, quod „ diebus Festivis & prohibitis rustici arare possint & carru- „ care, Archipresbyteri agent istic loci cum prædictis Bal- „ livis, curabuntque significari dictis rusticis, eos per simi- „ lem licentiam non evasuros correctionem judicis Eccle- „ siastici; & si idipsum non sufficiat, aut tales Ballivi non de- „ sistant, transcribent Ordinario, aut Vicariatui, aut Offi- „ ciali, ut desuper provideatur; interim non impeditur rusti- „ cus, qui ab Archipresbytero, vel Pastore dispensationem „ obtinuerit, istum Ballivum vel Officiarium dictæ dispen- „ sationis certiorem reddere.

XVI. Dispensandi occasio, præsertim in pagis, præcipuè occurrit tempore messis ad colligendos fructus; quando vel ob irruentem militem, vel ob periculum intemperiei aëris collectio hæc moram non patitur; quando non morosè dispensari convenit; *ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa*; uti loquitur citata lex Constantini: ideoque si judicio Magistratûs, *necessitas notabilis* videatur, haud convenit, ut Archipresbyter aut Pastor licentiam hoc casu facilè neget.

XVII. Porrò in hac dispensatione circa quodcumque opus servile versetur, distinguendi dies Festivi solemniores à minùs solemnibus; quemadmodum distinguit Pontifex in citato *Cap.* 3. ✠ *De Feriis*, concedens facultatem incolis certarum regionum piscandi diebus Dominicis & Festis, *præterquam in majoribus anni festivitatibus*.

Eam regulam secuta Synodus P. I. Mechliniensis titulo *De Festis cap.* 2. postquam " interdixit omnibus suæ „ Provinciæ Christi Fidelibus opera manualia & secularia „ quæcumque, mercatum item & forum rerum venalium „ atque judicialia exercere, " subjungit per modum moderationis; " Ita tamen ut Episcopis in illis festis quæ *minùs* „ celebria sunt, ad populi commoditatem liceat aliquid pro „ sua discretione relaxare.

Non dubium ergo quin aliqua permitti queant diebus Dominicis & festis minoribus, quæ permittenda non sunt in solemnitatibus majoribus; majorque necessitas requiratur, ut licentia laborandi in his solemnitatibus annuatur, quàm in aliis Festis aut Dominicis diebus.

XVIII. Nicolaus V. à Transylvanis consultus, " an pau- „ peribus

„ peribus villanis ac oppidanis licitum sit vendere die Do-„ minico vel festo alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, „ Poma, & alia legumina; vel sit licitum eis finitâ Missâ, post „ prandium de campo tempore messis, cùm timetur de plu-„ via, portare cum pecoribus vel equis, vel curribus, linum, „ fœnum, & alia blada humano usui convenientia?" Respondit Pontifex: "Dicendum est, quod cessante necessi-„ tate ab omni opere servili abstinendum est diebus Domi-„ nicis & Festivis: sed necessitate cogente, non tamen *affe-„ ctata* seu *procurata*, licitum est præmissa exercere." Habetur apud Odoricum Raynaldum ad annum 1447. *n.* 28.

Rectè dixit Nicolaus, necessitate *non affectata* seu *procurata*: nonnulli enim ea quæ diebus feriatis agere, aut procurare deberent, in diem Dominicum aut Festum ex proposito differunt, atque ita necessitatem affectant seu procurant; contra quos tamquam dierum Festorum violatores agit Catechismus Romanus in expositione tertii præcepti Decalogi *n.* 29.

XIX. Si citra licentiam opera vetita diebus Dominicis & festis exerceantur, ex Decretis Synodorum etiam pœnis pecuniariis adversus violatores agendum; quibus "per Offi-„ cialem Mechliniensem inflictis, requisitus Amannus Bru-„ xellensis noluit sententias executioni mandare, quasi ea „ auctoritas Ecclesiæ non competeret, & juri Principum „ derogaret: sed instante Illustriss. Archiepiscopo Mechlin. „ à Cancellaria Brab. factâ relatione Principi, condemna-„ tus fuit eas sententias executioni mandare. 28. Maji 1605." Ita Zypæus in Jure novo tit. *De Feriis n.* 2.

XX. Edictum Principum nostrorum de anno 1607. ut efficacior & promptior sit executio eorum quæ ibidem pro cultu dierum festorum statuta sunt, vult contra violatores procedi tam per judices Ecclesiasticos, quàm Civiles jure præventionis: ita tamen ut si per judicem Ecclesiasticum procedatur ad mulctam pecuniariam, ea fiat cum decenti moderatione, applicanda ad usum pauperum aut Hospitalium speciatim in sententia exprimendorum.

Insuper si citatus coram Judice Ecclesiastico alleget, probetque secum dispensatum ratione alicujus necessitatis per Officiarium vel magistratum loci cum advisamento Pastoris, ut eodem Edicto ordinatum est, ipse Judex Ecclesiasticus tenebitur supersedere, neque ulteriùs inquirere poterit, an dispensatio bene vel malè data sit.

T I T U L U S XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT I.

Origo & Definitio Beneficiorum.

1. *Beneficium olim vocatum prædium Fiscale.*
2. *Beneficium & feudum olim coincidebant.*
3. *Prædia Clericis in alimentationem assignata* Beneficia *vocari cœperunt; & quare?*
4. *Multis seculis dispensatio proventuum Ecclesiasticorum mansit penes Episcopos.*
5. *Subinde prædia Clericis utenda concedebantur.*
6. *Ex his concessionibus habetur Beneficiorum origo.*
7. *Hæ concessiones primitus tantùm erant* personales *intuitu meritorum.*
8. *Rerum Ecclesiasticorum dispensatio quâ ratione Clericis committi cœperit?*
9. *Primùm concredita vita eorum durante.*
10. *Tantùm illis qui operam Ecclesiæ impenderent.*
11. *Quomodo titulis portio annexa fuerit.*
12. *Unde* titulus Beneficii *nomen obtinuerit?*
13. *Definitio Beneficii juxta Canonistas.*
14. *Alia Theologorum; sed utraque coincidit.*
15. *Officium Ecclesiasticum est fundamentum Beneficii, etiam secundùm Canonistas.*
16. *Non alium in finem hodie proventus Ecclesiastici dantur Clericis, quàm olim.*
17. *Nullum Beneficium sine officio.*
18. *Beneficium debet esse* perpetuum; *& quare?*
19. *Beneficia* manualia *non sunt propriè Beneficia.*
20. *Beneficium debet erigi auctoritate Episcopi.*
21. *Id pristinæ disciplinæ consentaneum est.*
22. *Quamcumque conditionem adjecerit fundator, fundatio* Beneficium *non est sine Episcopo.*
23. *Non sufficit data facultas celebrandi Missas.*
24. *Etiamsi essent perpetuæ ad vitam possidentium.*
25. *Vicario perpetuo deputando erecto* titulo.
26. *Beneficium non præsumitur, si administratio proventuum ad tertium pertineat? & quare?*
27. *Spiritus Ecclesiæ circa Beneficia semper idem.*
28. *Cur conveniat scire pristinam Ecclesiæ circa Beneficia disciplinam?*

I. Beneficium, ait D. Du Cange in suo Glossario verbo, *Beneficium*, "Scriptoribus „ mediæ ætatis, dicitur prædium fiscale, „ quod à Rege vel Principe, vel ab alio „ quolibet, ad vitam viro nobili utendum conceditur. Ita autem appellatum est, quod ex mero dantis *Beneficio* ac liberalitate illud possideatur." Hæc ille, qui & ibidem notat, quòd & eodem penè sensu Latini hanc vocem usurpàrunt, & prædia quæ Principes militibus aliisque largiebantur, *Beneficia* appellàrunt.

II. Posthæc exponit, quæ esset horum Beneficiorum conditio, & scopus; ostenditque ea naturam hodiernam *feudorum* habuisse; unde & factum est, ut illud quod *Beneficium* primitus fuit appellatum, postmodum *feudi* nomen acceperit; ita ut *Beneficium & feudum* promiscuè usurpentur in libris feudorum.

III. Cùm autem successu temporis prædia Ecclesiæ Clericis bene meritis, tamquam Ecclesiæ *militibus* ad usum dari cœperunt, etiam eadem ratione *Beneficia* appellata sunt. Quando autem prædia & fundi aliæque res immobiles Clericis concedi cœperint, incertum est.

IV. Hoc certum est, multis seculis, dispensationem proventuum Ecclesiasticorum mansisse penes Episcopos eorumve œconomos & Archidiaconos; ut secundùm proportionem in Clericos, fabricam Ecclesiæ, pauperes, & usum Episcopi distribuerentur.

V. Adhæc constat, quod & subsistente hac dispensandi œconomiâ; subinde terræ ac prædia nonnulla Clericis utenda concederentur.

Sic legitur in *Canone* 23. Concilii Aurelianensis I. Anno 511. "Si Episcopus *humanitatis* intuitu, vineolas, vel „ terrulas, Clericis & Monachis præstiterit excolendas, vel „ pro tempore tenendas, etiam longa transire annorum spa-„ tia comprobentur, nullum Ecclesia præjudicium patia-„ tur nec seculari lege præscriptio quæ Ecclesiæ aliquid „ impediat apponatur.

Et magis ad propositum ex Epistola Symmachi Papæ, qui sedit sub finem seculi quinti legitur apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 61. "Possessiones quas unusquisque Ecclesiæ pro-

Digitized by Google

„ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet „ titulis, atque distractionibus, vel sub quocunque argu„ mento non patimur: nisi fortè aut Clericis bonorum me„ ritorum, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certè pe„ regrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamen ut hæc ipsa „ non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.

VI. Hic habemus, Clericis bene meritis ab Episcopis possessiones Ecclesiarum datas fuisse, quæ tamquam ex Episcoporum beneficientia profecta, *Beneficia* cœperunt dici: non secus ac prædia à Principibus concessa viris nobilibus, aut militaribus ob eorum merita.

Unde ad hanc Symmachi Epistolam reflectens Cardinalis Baronius monet, hinc, quæ beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum esse. "Cum enim solerent „ (ait) Clerici ab ea Ecclesia per Episcopum singulis mensi„ bus victûs causâ meritam stipem accipere, postea factum „ ut aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viverent, „ ab ipso Episcopo concederentur, quæ *Beneficia* dici cœ„ perunt, eo quod (ut Symmachus in ea Epistolâ) bene me„ ritis tantummodò concedere liceret." *Ad annum* 502.

VII. Interim ex citatis verbis tum Concilii Agathensis, tum Symmachi, ad oculum patet, admodùm raras fuisse has concessiones; neque legem ordinaria, sed tantum ex singulari aliqua necessitate, aut ob singularia personæ alicujus merita factas.

VIII. At labentibus seculis disciplina Ecclesiæ labescente, nec non Episcoporum, Oeconomorum vel Archidiaconorum in rebus Ecclesiæ dispensandis fidelitate & integritate à pristino suo gradu declinante, frequentissimæ fuère dissensiones & querelæ inter Clericos quibus proventus Ecclesiæ distribui debebant, & eos, quibus dispensationis cura incumbebat.

Hinc Clerici, ut se à prætensis vexationibus, & injusta dispensatione eximerent, primò cœperunt singuli Presbyteri sibi arrogare oblationes in Ecclesia propria factas; quæ antea ad Episcopum dividendæ ferri consueverant.

Cùm jam jus recipiendi oblationes easque suis usibus applicandi ad singulos Presbyteros esset devolutum, tandem etiam cœperunt res Ecclesiasticæ passim dividi; atque singulis sua portio fundorum, unde proventus ipsimet reciperent, assignari: quod quidem non eodem tempore, nec ubique aut aliquo Decreto Conciliari introductum; sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transiit.

IX. At illud notandum, quod sicuti prædia quæ *Beneficiario* jure à Principe possidebantur, mortuâ personâ extinguebantur, & ad Principem revertebantur; ita quoque primitus comparatum fuisse videtur, ut res Ecclesiæ jure *Beneficiario* Clericis concessæ, tantùm ad eorum vitam censerentur datæ; ipsasque possiderent non *jure tituli*, sed tantùm jure *personali*; ut ita post mortem totaliter ad Episcopi dispositionem reverterentur.

X. Ulterius quemadmodum Principes sua bona jure *Beneficiario* dabant iis qui servitium militare aliave obsequia præstarent, similiter Episcopi bona Ecclesiæ possidenda vel utenda, seu potiùs jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiæ *militarent* seu officium exhiberent, quisque juxta vocationem suam. Hinc illud vulgatum approbatum per Bonifacium VIII. *in Cap. fin. De Rescriptis in 6. Beneficium datur propter officium*; ubi Beneficium accipi pro jure percipiendi proventus, nemini dubium est.

XI. Cum verò incommodum videretur, quod moriente Presbytero successor ejus jus percipiendi proventus ab Episcopo, ejusque quasi liberalitate recipere denuo deberet, cœperunt singulæ Ecclesiæ jus percipiendi proventus intra limites suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, independenter ab Episcopis, vindicare; invaluitque tandem juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, aliosque proventus intra fines suarum respectivè Parochiarum provenientes.

Jus itaque fructus percipiendi jam non personis, sed Ecclesiis, seu titulis annecti cœpit: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur: quæ disciplina tandem universaliter obtinuit & recepta fuit.

XII. Hinc ulterius factum, ut ipse titulus tandem nomen *Beneficii* ferè obtinuerit; tum quod illo obtento ipsum jus percipiendi proventus tamquam annexum obtineatur; tum quod Ecclesiasticum officium, sive ministerium tamquam *principale*, jus verò percipiendi proventus, ut *minùs principale & accessorium* considerari & reputari debeat.

XIII. Canonistæ retinentes primam *Beneficii* nomenclaturam, quâ significatur, jus percipiendi certos proventus Clericis tamquam *militibus* Ecclesiæ concessum, illud solent definire: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter officium spirituale authoritate Ecclesiæ constitutum.

XIV. Theologi verò Beneficium magis considerantes penes titulum & officium Ecclesiasticum, definierunt illud, exprimendo ipsum officium, seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, hoc modo: Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.

Verùm sive Canonistarum sive Theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cum & prior definitio satis exprimat, ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum esse principale, atque jus percipiendi fructus esse accessorium.

XV. Et licet Canonistæ dicant, officium Ecclesiasticum non esse propriè Beneficium, fatentur tamen, esse *fundamentum* & *causam* Beneficii; quemadmodum loquitur Andreas Vallensis ad titulum De Præbendis §. 1. *num.* 4.

Hoc sensu ait Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 5. *De Reform. Beneficia ad Divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda esse constituta.* Et Innocentius III. *lib.* 1. *Epist.* 22. ad Auxitanum Archiepiscopum scribit: "Dignitates & cætera Beneficia Ecclesiastica pia Fidelium „ devotione constituta fuerunt, certis assignanda personis, „ ut per ipsas personas in Ecclesiis *devotum servitium* ju„ giter impendatur.

XVI. Hinc patet, quod licet sensim circa proventuum Ecclesiasticorum dispensationem disciplina invaluerit diversa à pristina; tamen Ecclesia eodem semper spiritu procedens, Beneficia Ecclesiastica, seu jus percipiendi proventus ex bonis Ecclesiæ non alium in finem Clericis assignata voluerit, quàm quo ab initio eis per Episcopos stipendia vel sportulas, aut annonas sive alimenta suppeditari voluit; nempe ut qui Altari servit, de altari vivat; utque *possent vacare legi Domini*, quemadmodum dicebat piissimus Rex Ezechias præcipiens *populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis lib.* 2. *Paralipom. cap.* 31. *ỳ.* 4.

XVI. Unde nec ullum Beneficium sine officio esse potest, quia uti "Divini juris est, ut qui servit Altari, de Alta„ ri vivat, ita nec bono jure is, qui non servit Altari de Al„ tari vivit: sicut stipendium non debetur nisi militanti." ait Synodus Coloniensis anno 1549. *tit.* 9. *Can.* 3. Neque esse ex intentione Ecclesiæ ut ullum Beneficium quantumvis *simplex*; uti vocant, sit sine *officio*, infrà ostendemus.

XVIII. Dicitur in definitione, jus *perpetuum*; hoc est *ad vitam* Beneficiati: quæ perpetuitas ex ipsâ Apostolica Doctrina, & pristina Patrum disciplina originem ducit.

Docet enim Apostolus, ut *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* 1. *Ad Corinth. cap.* 7. Hinc fixa perpetuaque fuit Ecclesiæ disciplina innovata per Synodum Tridentinam, ut dum quis alicui Ecclesiæ legitima auctoritate & vocatione adscriptus est, in ea permaneat, ubique suis fungatur muneribus, *session.* 23. *cap.* 16. *De Reformat.*

Cum autem per quodcumque Beneficium Clericus adscribatur certæ Ecclesiæ, voceturque ad certum *Officium* seu *Ministerium* Beneficio correspondens, ratio ipsa vocationis, ipsaque Patrum disciplina suadent, ut in eo *perpetuò* maneat; neque ab eo removeatur aut discedat, nisi justa aliqua ratio aliud persuadeat.

XIX. Hinc communiter concludunt Canonistæ, quod si aliquod officium cum annexo jure percipiendi fructus erigatur temporale & ad nutum revocabile; non esse *propriè* Beneficium Ecclesiasticum; & si de perpetuo fiat amovibile *ad nutum* seu *manuale*, amittere naturam veri Beneficii.

XX. Ulteriùs ut sit Beneficium, atque pro Beneficio Ecclesiastico reputetur, requiritur, ut sit jus perpetuum *auctoritate* Ecclesiæ, seu Episcopi aut Pontificis constitutum; quod etiam ex ipsâ Patrum disciplina originem habere, non obscurum est.

XXI. Antiquitus enim nemo Ministeriis Ecclesiasticis applicabatur, nisi ex Episcoporum auctoritate. Ipsa quippe ordinatio Clericum Ecclesiæ cui in Ordinatione adscribebatur, tamquam illius ministrum alligabat, ut ibidem sui Ordinis muneribus fungeretur; atque hoc pacto illius Ecclesiæ Clericus vel minister, seu ut hodie loqui amant, *Beneficiatus* constituebatur.

Ad hæc ministeriorum seu officiorum ordo, per Clericos observandus, ab Episcoporum auctoritate pendebat, nullumque officium seu ministerium sine eorum consensu quisquam suscipere poterat.

Dispensatio quoque proventuum Ecclesiasticorum primitus ipsorum arbitrio credita erat.

Hæc Episcoporum auctoritas, ut aliquo usque salva persistat, & munia Ecclesiastica eorum interventu suscipi, & Ecclesiasticæ possessiones ab ipsis ad Clericos derivari videantur, visum est, nullum reputari verum Beneficium Ecclesiasticum, vi cujus Clerici Ecclesiasticis muniis alligantur, & jus percipiendorum Ecclesiasticorum proventuum adipiscuntur; nisi auctoritate Episcopi jus tale probatum, atque pro vero titulo Ecclesiastico agnitum fuerit: quò fiat ut dum Clericus vi hujus Beneficii seu tituli functionibus Ecclesiasticis applicatur, & jus ad fructus annexos acquirit, ea auctoritate Episcopi quodammodo fiant.

XXII. Hinc concludunt Canonistæ, quod etiamsi testator in simplici legato cum onere Missarum voluerit, quod ad illud debeat præsentari Clericus, sive Sacerdos ab *Ordinario* instituendus; si tamen non intervenerit auctoritas Episcopi, atque hac auctoritate erectum sit in Beneficium, tale legatum non erit Beneficium; uti post alios notat Pyrrus Corradus *lib.* 1. *Praxis Benef. cap.* 2. additque, quod nec per quamcumque conditionem Beneficio Ecclesiastico congruentem à testatore adjectam, legatum reputari poterit Beneficium, nisi auctoritas Episcopi intervenerit.

Post hæc concludit: "Nec proinde similis dispositio ob- „noxia est cæteris solemnitatibus, ac requisitis Beneficio- „rum Ecclesiasticorum, quæ ipsis tantum Beneficiis con- „veniunt, si non adsit prædictus Ordinarii consensus.

XXIII. Quinimo etsi Episcopus concesserit facultatem celebrandi Missas fundatas ad certum altare, aut Capellam, non propterea hæc fundatio censebitur Beneficium: "quia „neque per hujusmodi facultatem censetur illam in Bene- „ficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse: cùm hujus- „modi actus celebrandi cadat etiam in privatis oratoriis, in „quibus non potest celebrari nisi de ipsius Episcopi licen- „tia." Pyrrus Corradus ibid. *num.* 23.

XXIV. Et licet etiam hujusmodi fundationes aut Capellaniæ essent *perpetuæ* ad vitam ipsius Capellani, qui possit vitâ durante proventibus fundationis uti; tamen Beneficia non erunt, neque legibus beneficiorum regentur, nisi auctoritate Episcopi in titulum Beneficii fuerint erectæ. Et si ad talem fundationem quis ad Ordines promoveretur, non diceretur promotus titulo *Beneficii*, sed titulo *Patrimonii*, Pyrrus ibid. *num.* 43.

XXV. Cum Vicarii perpetui juxta hodiernam disciplinam sint veri Beneficiati, conformiter ad hactenus dicta respondit sacra Congregatio, quod Vicarii perpetui constitui non possint in vim Concilii Tridentini *sess.* 7. *cap.* 9. *De Reformat.* nisi prius erecta sit Vicaria perpetua auctoritate Episcopi in titulum; apud Fagnanum ad *Cap.* AD AUDIENTIAM *De Rescriptis num.* 100.

XXVI. Quia ex moderna disciplina (uti suprà notavimus) reditus ipsi titulo Beneficii sunt annexi; atque ipse beneficiatus vigore ejusdem tituli accipit jus percipiendi proventus illos vitâ suâ durante, judicatum aliquando fuit, testatorem noluisse Beneficium erigi ex eo quod voluisset, ut custodia & sollicitudo capellæ cum libera administratione hæreditatis illi relictæ, esse deberet penes quemdam Abbatem; ita Pyrrus ibid. *num.* 20.

XXVII. Ex his quæ de perpetuitate, nec non erectione tituli auctoritate Episcopi dicta sunt, non difficulter colligi potest, quod si omnia quæ, juxta modernam Ecclesiæ disciplinam ipsa Beneficiorum conditio, erectio, collatio, & Beneficiatorum obligatio requirunt, ritè & ex mente Ecclesiæ expenderentur, appareret, etiam Spiritum Ecclesiæ in his mansisse invariatum; tametsi exterior disciplina in multis sit mutata.

XXVIII. Hinc ulteriùs intelligeretur, quàm utile, imò pene necessarium sit, non tantùm de moderna, sed etiam pristina circa Beneficia disciplina esse instructum: ut ex hac notitia faciliùs ipse Ecclesiæ spiritus, qui semper præcipuè attendendus est, percipi; ipsaque exterior disciplina, quantum possibile, secundùm illum spiritum dirigi possit.

CAPUT II.

De Dignitatibus, & Personatibus.

1. *Definitio Dignitatis.*
2. *Primis seculis ignotum nomen* Dignitatis *prout hodie accipitur.*
3. *Quæ hodie* Dignitates *dicuntur, durante vita communi Canonicorum erant plerumque simplicia officia.*
4. *Deserta vita communi sensim in dignitates degenerarunt.*
5. *Quid personatus?*
6. *Personatus multis seculis ignoti, unde originem sumpserint?*
7. *Textus juris qui personatus & dignitates pro Synonimis habere videntur.*
8. *Nonnumquam in jure distinguuntur.*
9. *Conciliatio textuum.*
10. *In Belgio Personatus rariores, & inter* simplicia *Beneficia reputantur.*
11. *Vera dignitas debet esse cum administratione, licet hodie etiam sit ea destituta.*
12. *Officium cum præminentia non dicitur* dignitas, *nisi in* titulum *perpetuum sit erectum.*
13. *Vicarius generalis Episcopi non censetur in* dignitate *constitutus.*
14. *Unde dignoscatur an Beneficium sit* dignitas: *& de præeminentia inter Dignitates?*
15. *Jura honorifica quæ in dignitate constitutis competere solent.*
16. *Super his juribus contentiones vitandæ.*
17. *Quare hæc jura honorifica deferantur?*
18. *Ad quid Dignitates Ecclesiasticæ institutæ?*
19. *Unde contingat, dignitates Ecclesiasticas à multis ambiri?*
20. *In inferioribus Beneficiis aliqua tolerantur, non toleranda in Dignitatibus.*
21. *In materia dispensationis nomine* Beneficii *non veniunt Dignitates.*

22. *Dispen-*

22. *Dispensatio ad Beneficia* curata *& alia* quæcunque *non comprehendit Dignitates curatas.*
23. *Dispensatio super Dignitatibus non complectitur Dignitates* majores.
24. *Quæ sint Dignitates* majores *in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis?*

Dignitas dicitur (ait Rebuffus) quædam „ præeminentia cum jurisdictione, quæ „ cognoscitur ex præeminentia, jurisdi- „ ctione, quando ad hoc est instituta, ut „ sit dignitas; & ex consuetudine, quan- „ do consuetudo facit, ut sit dignitas." In praxi Benef. *part.* 1. *tit. Seculare Beneficium quotuplex num.* 7. Beneficia igitur, quibus hujusmodi præeminentia vel ex institutione aut consuetudine annexa est, vocantur Dignitates.

II. Primitus dignitatum nomen hoc modo sumptum incognitum erat. Cum enim primis Ecclesiæ seculis, nondum exortis Beneficiorum titulis, per solam ordinationem Clerici Ministeriis Ecclesiasticis applicarentur; ipsaque Ecclesiastica munia essent ipsis Ordinibus annexa; atque per ipsam ordinationem jus percipiendi proventus Ecclesiasticos consequerentur, omnis quoque prærogativa ex præeminentia à dignitate Ordinum petebatur; isque major in ministerio Ecclesiastico reputabatur, qui major erat in Ordine.

III. Adhæc, quamdiu Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum in commune quasi Regulares vixerunt, nomen dignitatis vix notum fuit: imò pleraque quæ hodie in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis pro Dignitatibus reputantur, olim vita communi durante non Dignitates, quin nec Beneficia fuerunt, sed simplicia officia, quæ à Superioribus pro arbitrio committebantur & adimebantur; quemadmodum ostensum est *parte* 1. *titulo* 11. ubi De Dignitatibus Capitulorum singulatim actum fuit.

IV. At Canonicis desertâ vitâ communi ad singularitatem, ac unâ ad secularitatem magis delapsis, cœperunt ea, quæ primitus duntaxat fuerant simplicia officia, erigi in titulos Beneficiales, & sensim etiam in Dignitates degenerare.

Utrumque notavit Molanus *lib.* 2. *De Canonicis cap.* 13. ubi advertens, quod Thesauraria apud quosdam sit officium, à quo si indoneus judicetur, repellitur: apud plures verò sit aut Beneficium, aut Dignitas, vel Præeminentia, subjungit: "Prius simplicitati vetustatis magis competit: „ tunc enim omnia officia in Clero erant *obedientiæ*, ut ali- „ cubi Clerus Coloniensis loquitur. Posterius verò ex di- „ vitiis enatum est, quæ in Cathedralibus, aliisque Capitu- „ laribus Ecclesiis, varia officia non modo in Beneficia, sed „ etiam in Dignitates evexerunt.

V. Personatus communiter à Canonistis dicitur, quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum habet stallum in choro honorificum præ aliis; ita post alios tradit Rebuffus ad Concordata titulo *De Collationibus*, verbo, *Personatus*: personatumque habere dicuntur, qui hujusmodi prærogativam obtinent.

VI. Quin hujusmodi *Personatus* labentis disciplinæ, & recentioris ætatis fœtus sint, dubium non est. Neque enim ante seculum undecimum ulla hujusmodi Personatûs mentio occurrit.

At sub id tempus Clerici nonnulli Ecclesiarum *Personæ* dici cœperunt; illi nimirum qui Ecclesias etiam Parochiales obtinebant, sed curam animarum totumque spirituale officium alicui Presbytero, quem Vicarium suum dicebant, committebant: quemadmodum infrà titulo *De Competentia Pastoralis* latius exponetur occasione Pastorum primitivorum, quibus Personati Clerici multùm similes erant; eandemque penè originem habuêre.

Hi enim Ecclesias obtinentes & titulum sine officio retinentes, proventus Ecclesiarum percipiebant; atque certam quoque prærogativam, quemadmodum etiam nonnunquam Capitula & Monasteria sub qualitate Pastorum primitivorum, retinuerunt, & *Personæ* Ecclesiarum dicti sunt; nihil præter proventus aliquos, & certa honoris insignia retinentes.

VII. Personatum & dignitatem in jure nonnumquam pro synonimis accipi, noscitur ex variis textibus Decretalium. Et quidem in *Cap.* 8. ⁑ *De Constitut.* Primiceriatus Tullensis Ecclesiæ, nunc *personatus*, nunc *Dignitas*, nunc *officium* appellatur. Rursus in *Cap.* 8. ⁑ *De Rescriptis*, Decani, Archidiaconi & alii dicuntur supprimere nomen *dignitatis* suæ, tamquam si non habeant aliquem *personatum*. Hic per *personatum* idem significari, quod antea expressum erat nomine *Dignitatis*, ex contextu evidens est.

Hujusmodi plures textus occurrunt, qui supponunt, *Personatum* & *Dignitatem* synonima esse. Unde jam pridem notavit Cardinalis Hostiensis in *Summa* titulo *De Prabendis*: quod Dignitas sit quædam præeminentia in gradu, quæ aliquando vocatur *Personatus*.

VIII. Non desunt tamen etiam textus Juris, qui dignitatem à personatu distinguere, eaque tamquam inter se diversa statuere videntur.

In *Cap.* DE MULTA ⁑ *De Præbendis* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio II. Personatus à Dignitatibus distinguuntur. Cum enim dixisset Concilium, quod jam pridem prohibitum fuerit, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales reciperet contra Sacrorum Canonum statuta, postmodum subjicit: "Hoc „ idem & in *Personatibus* esse decernimus observan- „ dum.

Eadem distinctio non minus apertè occurrit in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in* 6. ubi decernitur, causas à Sede Apostolica non delegandas nisi *Dignitate* præditis aut *Personatum* obtinentibus, vel Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.

IX. His aliisque textibus allegatis concludit Fagnanus ad *Cap.* ADHÆC ⁑ *De Præbendis*, negari non posse, quin revera in jure sint diversa; "necesseque esse fateri, prædi- „ cta differre non *solùm nomine*, sed etiam *re & substan-* „ *tiâ*, & verum esse, quod dicunt Archidiaconus, Joannes „ Andreas & Oldradus: Si horum duorum vocabulorum „ (Dignitatis & Personatûs) virtus propriè sumatur, neu- „ trum est alterum, licet si largè sumantur & impropriè, „ vel sint synonima vel sint convertibilia unum in altero. *Num.* 11.

Fatetur quoque ibidem Fagnanus, quod secundùm locorum consuetudinem hæc nonnumquam accipiantur tamquam synonima.

X. Si Belgii nostri consuetudinem inspiciamus, passim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Beneficia præeminentiam sive locum honorificum in choro annexum, habentia, sine ulla jurisdictione aut administratione non *Personatus*, sed Dignitatis nomen obtinent, atque pro Dignitatibus reputantur; uti in Præposituris multarum Ecclesiarum videri potest. Neque ullus in Ecclesiis Belgicis visitur Personatus cum aliqua præeminentia in choro; sed qui in aliquibus particularibus Ecclesiis Personatus supersunt, ii plerique inter *simplicia Beneficia* recensentur; adeò ut etiam minoribus ætate conferantur, uti ex Zypæo Andreas Vallensis titulo *De Præbendis* §. 2. *num.* 7.

XI. Itaque ex vulgari & communi modo loquendi, hodie in multis Ecclesiis reputantur & dicuntur etiam Dignitates quæ nullam administrationem in Ecclesia habent; sed tantùm præeminentiam in choro & aliis publicis actibus: tametsi uti observat Fagnanus loco citato *n.* 22. propriè dicta Dignitas sit cum administratione, aliàs dicenda Dignitas *ventosa*; "quæ est (ait) *abusivè* Dignitas, & cujus effe- „ ctus alius non est, quam ut invidiam generet, & scanda- „ lum seminet inter fratres." Quid de Præpositis hodiernis qui nullam administrationem annexam habent, nec aliquod

theatrales diebus festis proscripserint Imperatores, patebit, si advertatur, quid de his spectaculis ludisque jam pridem dixerunt Patres; & quomodo illa ut irritamenta vitiorum & ad corrumpendos animos potentissimè valentia, cautè ac studiosè à Fidelibus fugienda monuerint quamque ea veri Christiani exhorruerint.

Tertullianus in libro Apologetico *capit.* 38. nomine Christianorum loquens, ait: "Æquè spectaculis vestris „ in tantum renuntiamus, in quantum originibus eo„ rum, quas scimus de superstitione conceptas. Quin & „ ipsis rebus, de quibus transiguntur prætersumus. Ni„ hil est nobis cum infamia circi, cum impudicitia thea„ tri, cum atrocitate arenæ, cum xysti vanitate.

Notat hîc Rigaltius ad verbum *Prætersumus*: "Præ„ teresse dicit, ut Superesse. *Prætersumus* igitur iis rebus „ quas præterimus ac prætermittimus, & à quibus valde „ alieni sumus, videlicet ab infamia circi, impudicitia „ theatri, &c.

VIII. Spectaculorum fœditatem, ac spurcitiam, nec non nocendi & animos corrumpendi efficaciam graphicè describit S. Cyprianus seu alius auctor tractatus De Spectaculis inter opera Cypriani, atque inter alia scribit: "Et cum nulli hominum aut generi, aut professio„ ni, ab improbis rito sermone parcatur; ab omnibus „ tamen ad speculum convenitur: commune dedecus „ delectat, videlicet, vel recognoscere otia vel discere: „ concurritur ad illud pudoris publici lupanarium, ad „ obscœnitatis magisterium, ne quid secreto minus a„ gatur quam quod in publico discitur; & inter ipsas le„ ges docetur quidquid legibus interdicetur. Quid inter „ hæc Christianus fidelis facit? cui vitia non licet nec re„ cogitare, quid oblectatur simulacris libidinis, & in ipsis „ deposita verecundia audacior fiat ad crimina? Discit „ tacere, dum consuevit videre.

IX. Lactantius *lib.* 6. *Divin. Instit. cap.* 20. solitâ suâ eloquentiâ theatralia hæc spectacula insectatur, eorumque abominandam & perniciosam fœditatem vivacissimè proponit: "in scenis (ait) quoque nescio an sit „ corruptela vitiosior, Nam & Comicæ fabulæ de stu„ pris virginum loquuntur, & amoribus meretricum; „ & quo magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxe„ runt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, „ faciliùs inhærent audientium memoriæ versus nume„ rosi & ornati... Histrionum quoque impudicissimi „ motus, quid aliud nisi libidines docent, & instigant „ ..... quid juvenes aut virgines facient, cum & fieri „ sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? „ Admonentur utique quid facere possint & inflamman„ tur libidine, quæ aspectu maximè concitatur, ac se „ quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat: pro„ bantque illa dum rident, & adhærentibus vitiis; cor„ ruptiores ad cubicula revertuntur.

Post hæc concludit: "Vitanda ergo spectacula omnia, „ non solùm ne quid vitiorum pectoribus insideat, quæ „ sedata & pacifica esse debent, sed ne cujus nos volup„ tatis consuetudo delineat, & à Deo, atque à bonis ope„ ribus avertat.

X. Et S. Augustinus *lib.* 1 *De consensu Evang. c.* 33. vocat ea, *caveas turpitudinum, & publicas professiones flagitiorum.* Unde vitæ suæ juvenilis errata describens, ait: "Rapiebant me spectacula theatrica, *plena miseriarum* mearum, & *fomitibus* ignis mei." *Lib.* 3. *Confess. cap.* 2.

Sed non est quisquam qui acrius acerbiusque theatra insectatus sit, & fideles ab iis avertere studuit, quam S. Chrysostomus; cujus vix ulla Homilia spectaculorum reprehensione vacat. Homilia 29. in caput 6. Matthæi: scenicos ludos civitatis *pestem* vocat. Homilia 69. in Caput. 2. Matthæi: *Theatralem chorum malorum omnium fontem, scaturiginem ac fomitem.*

XI. Si hodiernæ comediæ, & theatrales ludi, ut communiter publicè exhibentur, propriùs attendantur, facilè apparebit, rationes ob quas Christianis, & præcipuè diebus festis haud convenire olim Patres judicarint, etiam in hodiernis militare.

Hinc S. Carolus inter" publicorum peccatorum illece„ bras, quas homines depravatæ consuetudinis errore „ decepti pro nihilo putant, poni sui temporis spectacu„ la, ludos, ludicrasque res id generis, quæ (ait) ab ethni„ corum moribus originem ducunt, disciplinæque Chri„ stianæ adversantur.

Vult autem ut Concionator hæc" perpetuò detesta„ bitur, execrabitur; demonstrabit incommoda, publi„ casque ærumnas inde in Christianum populum dima„ nare.

Utque ostendat quàm hæc cum pristinis spectaculis, in quæ Patres calamum strinxere, conveniant, addit: "In quam sententiam valde populum confirmabit argu„ mentis, quæ gravissimi viri. Tertullianus, Cyprianus „ Martyr Salvianus & Chrysostomus afferunt." In Actis Eccles. Mediolanensis *pag.* 400.

XII. Si spectacula, quæ *comedia* vel etiam *opera* dici solent, expendantur, quæ hodie in civitatibus Belgicis exhiberi solent, apparebit sanè, quod non parum jam descriptis spectaculis sint conformia; sanctificationi dierum Festorum minimè conveniant; & nata sint populum facilè à Divinis Officiis abstrahere; imò vix contingat, ut non tantùm ad vanitatem & curiositatem, sed ad libidinem provocent. Perfecta enim vix creduntur, nisi obscæna aliqua, ut minus saltem tectè, & sub terminis quibusdam æquivocis, quæ frequenter magis inhærent auditoribus, admisceantur.

XIII. Quapropter Synodus P. II. Cameracensis inter abusus, quibus per Synodorum Decreta hactenus mederi non potuit, numerat: *spectacula lubrica*; eaque diebus Dominicis aliis Festis diebus tempore Divini Officii maximè Vesperarum & Concionis præcipit non haberi; desideratque idipsum Regio Edicto confirmari.

XIV. Si choreas, saltationes & tripudia, quæ hodie, præcipuè ruri inter personas utriusque sexûs instituuntur, consideremus, apparebit his apprimè quadrare, quæ in spectacula, choreasque suo tempore dixere Patres; atque ad ea" numquam ferè conveniri sine multis „ & iis quidem gravissimis Dei offensionibus (verba „ sunt S. Caroli in Synodo Mediol. III. *titulo* 1.) idque „ ob turpes cogitationes, obscæna dicta, inhonestas a„ ctiones, morum corruptelas & perniciosas ad omnia „ opera carnis illecebras illis perpetuo conjunctas, tum „ propter cædes, rixas, dissidia, stupra adulteria ali„ aque mala plurima inde consequentia quam sæpis„ sime.

XV. Verissimeque de his dici plerumque poterit, quod de iis olim pronuntiavit Chrysostomus *Homil.* 48. *in Matth.*" Multa [ait] nostra hac ætate celebrantur „ convivia multæ *choreæ & saltationes* homicidæ pera„ guntur; in quibus non jam Sanctissimis præcursor in„ terficitur, sed ipsa Christi Jesu membra immaniori „ quodam modo, sævitiaque jugulantur. Non asporta„ tur in disco caput in saltationis pretium, sed adstanti„ um plerique omnes fœdis belluinisque voluptatibus „ turpissimè mancipantur: dum scilicet irretiuntur cri„ minosis cupiditatibus, non abscisso cervicibus capite „ sed anima à Christo Domino revulsa crudelius eneca„ tur.

XVI. De nostratibus audi Cardinalem Bellarminum in Concione 19. *Dominica Quadrag.*" De Choreis tan„ tum dicam unum verbum, atque ideo potissimum „ quod intelligam nonnullis non videri hoc verum ma„ lum, & sciam *Lovanii* esse publicas scholas ubi doce„ tur ars tripudiorum Sed ego profectò si adulterium & „ fornicatio est malum, videre non possum, quomodo

viros

Digitized by Google

„ viros cum fœminis tripudiare non sit malum, cum ad „ hoc illud maximè provocet..., Tu ad calorem ado-„ lescentiæ addes calorem potationis deinde ibis & ride-„ bis, cantabis, saltabis cum puellis & ego nihil mali „ suspicabor.

XVII. Hæc si ritè expendantur fatendum erit jure meritò dixisse S. Carolum loco supra citato, postquam de choreis locutus fuerit: " His tot offensionum & peccato-„ rum seminariis locum dari, iis præsertim diebus, qui „ dies propitiationis sunt; & iis ipsis diebus fideles ple-„ rosque nefariis istis Satanæ blanditiis illectos, à divinis „ officiis, religiosis supplicationibus, lectionibus sacris „ abduci, avertique rudes à percipiendis fidei rudimen-„ tis; aliosque ab aliis Christianæ pietatis officiis, in quæ „ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi & a-„ moveri; hoc certè gravissimum est in conspectu Dei „ & Ecclesiæ.

XVIII. Saltationes & choreæ hodiernæ nullibi turpius majorique cum periculo & scandalo aguntur, quam in conventiculis juvenum ac puellarum, quæ diebus Dominicis & Festis in popinis, præsertim in pagis haberi solent; quos Synodus Tornensis 1589, *titulo* 4. *capit.* 11. describit dicens. " Et cum intelligamus in quibus-„ dam Parochiis præsertim diebus Dominicis & Festis „ puellas & viduas, vel etiam conjugatas sine suis mari-„ tis deduci ad tabernas vel popinas vel publica diverso-„ ria, & illic cum juvenibus aut viris potitare magno „ cum pudicitiæ suæ periculo: præcipimus Pastoribus & „ Concionatoribus illorum locorum, ut acriter hor-„ tentur Parochianos suos & Parochianas, ne de-„ inceps tale quid faciant aut fieri permittant, ostenden-„ tes quàm hoc sit turpe & periculosum pudicitiæ puel-„ larum & mulierum & tristissimos eventus inde prove-„ nire, adhortantes omnes & singulos ne tale quid fiat. „ Itemque ne tabernarii vel caupones illud domi suæ „ fieri patiantur.

XIX. Cum verò hoc malum hoc nostro seculo non imminutum, sed potius auctum videretur; ipsosque dies Dominicos & Festos turpissimè per hæc abominanda conventicula profanari viderent Episcopi, omnibus modis, etiam invocato brachio seculari exterminandum censuerunt.

Synodus Tornacensis anno 77. currentis seculi *art.* 6. statuit: " Pluribus conquerentibus de puellarum & a-„ dolescentum virorum protervia, qui simul popinas a-„ deunt... tum etiam de publicis choreis, tripudiis, ali-„ isque ejusmodi quibus cum magno Ecclesiæ ludibrio „ & pietatis detrimento operam dant populi diebus Do-„ minicis & Festivis, & maximè diebus dedicationis & „ Patronorum... adeantur seculares etiam Magistratus, „ ipsaque supremi hujus civitatis Concilii Curia... ut „ tantum scandalum tandem compescatur.

XX. Nominatissimus Gandensium Antistes Antonius Triest execrabiles has choreas execratus Decretum edidit sub annum 1629. in hæc verba: " Abusus, qui com-„ mittitur, præsertim ruri à filiabus, quæ immemores „ pudicitiæ ipsis propriæ & imprimis necessariæ, eo au-„ daciæ veniunt, ut invitatæ à juvenibus tabernas fre-„ quentent Dominicis præsertim & Festis diebus, præbet „ & indies magis præbebit occasionem plurimis dissolu-„ tionibus & flagitiis: ea propter Pastoribus injungimus, „ ut in sermonibus suis ea qua poterunt diligentia in ab-„ usum illum invehantur, & parentes sedulo corripiant „ de abominabili sua incuria & indulgentia, quod filias „ suas tanto cum periculo pudicitiæ & famæ suæ ejus-„ modi consortiis sinant interesse.

XXI. Episcopi Antverpienses eumdem abusum in sua Diœcesi invaluisse intelligentes, plura adversus illum edidere severissima Decreta: quibus non obstantibus intelligens modernus Antistes Joannes Ferdinandus hoc malum ubi radices egit indies grassari & diffundi, Prædecessorum suorum Decreta die 24. Feb. 1685. editâ Constitutione renovavit; injungens Archipresbyteris & Pastoribus cum Vicariis suis, ut hujusmodi conventus ab impari sexu agitari solitos pro virili sua extirpare studeant. " Si verò accideret [ait] ut quipiam à Pastore „ correpti non resipiscerent, Pastor nobis deferet, ut si „ Matrimonio postmodum jungi vellent, despiciamus, „ num satius non fuerit eos à Matrimonio vel Sponsali-„ bus contrahendis arcere: neque adducere nos pote-„ runt ut consensum præbeamus, donec & resipuerint, „ & datum scandalum reparaverint, &c.

Deplorat autem hic Antistes profanationem dierum festorum quam hi conventus per ebrietates, perjuria, impudicitias & intolerabiles abusus in hisce committi solita, inducunt.

XXII. Alphonsus de Berges Archiepiscopus Mechliniensis editâ de hoc abusu Epistola Pastorali anno 1675. significat, " quod maxima & deflenda pernicies „ irrepserit juvenes inter & puellas, qui Dominicis, Fe-„ stivis, aliisque (quos vocant *Vrolyke Avonden*) tem-„ pore etiam Divini Officii ad tabernas identidem con-„ veniunt, ubi potitant & tripudia agitant in multam „ noctem: & interea ejusmodi miscentur colloquia, „ tam obscœnæ canuntur cantilenæ, & ab ipsis quidem „ conjugatis qui dictis juniorum conventibus intersunt, „ tam impudici attactus tentantur & exercentur, tamq; „ frequentes scurrilitates & sordes cum magno anima-„ rum interitu contingunt, ut vel ex auditu eorumdem „ horreant pii & timorati obstupescant.

XXIII. Mandat dein Pastoribus ut pro virili incumbant, & allaborent, quo *intolerabile* hoc malum & *abominandum* abusum *maximáque* flagitia impediant: ut è suggestu & confessionali, & quavis ferente occasione ob oculos *efficaciter* proponant pericula & *innumera* mala quæ præfatos Conventus comitari solent.

XXIV. Post hæc dicit: quod cum id muneris quoque sit Potestatum secularium, ut cum Pastoribus invigilare, & ejusmodi mala, ubi grassantur, à juventute arcere obstringantur, Pastoribus incumbat, illas accedere, ut pro officio adlaborent ad tantum malum extirpandum, *brachiúmq*; ut vocant, *seculare*, ubi opus, non denegent: quo fiat, ut strenuè ad executionem deducantur Edicta, quæ à Majestate Regia pro sanctificatione Dominicorum Festorúmque dierum non semel emanarunt.

XXV. Plura sunt Regia Edicta hoc & præterito seculo edita pro observatione dierum festorum: quæ si juxta mentem Regis ab Officiariis & Magistratibus civilibus executioni mandarentur, indubiè magna ex parte abusus diebus illis committi soliti impedirentur; eáque omnia rursus innovata sunt per Decretum Regium 21. Martii 1682. quod ad instantiam Archiepiscopi Mechliniensis emanavit, specialitérque injungitur Officiariis Regiis sub Diœcesi Mechliniensi, ut operam suam conferant pro impediendis insolentiis expressis in hac Epistola Pastorali; utque illa secundùm suum tenorem executioni mandetur & observetur.

XXVI. Cùm autem dictus Archiepiscopus adverteret quòd nec Epistola Pastoralis, nec Edictum Regium ad extirpandum hunc abusum sufficerent, fortiora remedia adhibenda judicavit.

Hunc in finem per litteras circulares significare jussit Archipresbyteris, quòd cùm intellexerit, multos adolescentes aliosque ad tabernas exire contra suum Decretum de anno 1675. etsi eidem accesserit Regium Edictum; idcirco mandet omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut " dictos publicos inobedientes habeant tamquam „ peccatores publicos, de quibus in Pastorali, & ad Sacra-„ menta non admittant assistentiámque suam iis dene-„ gent tum in sponsalibus, tum in Matrimoniis, donec „ publicum scandalum repararint.

Tandem

Tandem Epistola concluditur his verbis:" quæ in re illustrissimus Dominus cupit, ut R. V. (Archipresbyterum alloquitur) in suis visitationibus circa excessus istos & Vesperarum ac Catechismi omissiones diligenter inquirat.

Sane si sincerè & accuratè expendantur nefanda quæ in his adolescentum & puellarum conventibus & choreis perpetrari consueverant; apparebit, jure meritissimo hodiernis illis choreis & conventibus applicari quæ de sui temporis choreis Patres dixere; imò hisce choreis aptissimè convenire definitionem S. Carolo aliquando probatam: *Est circulus cujus centrum est Diabolus & cujus circumferentia sunt Angeli ejus circumstantes.*

XXVII. Plura de his conventiculis, nec non choreis & tripudiis, eorumque pessimis effectibus videri poterunt in quodam tractatu de *Choreis & tripudiis prout agitari passim solent, præsertim diebus Dominicis & Festis*, quem sub titulo Thesium evulgavit Bartholomæus Pasmans in hac Academia Doctor Theologus; ubi unà ostendit, quàm arcta graviq; sit Episcoporum, Pastorum, nec non Magistratuum obligatio indesinenter omnibus mediis allaborandi, ut hoc malum extirpetur; quomodo item sub gravi peccato constringantur parentes proles suas, & Patres familias suos domesticos ab hujusmodi conventiculis retrahere.

XXVIII. Multipliciter per frequentationem popinarum & tabernarum dies Dominicos & festivos violari, ob multiplicia peccata quæ in illis committi solent, jam pridem notatum fuit; atque ob hanc popinarum frequentationem potissimum verificari illud S. Antonini *parte* 2. *tit.* 9. *c.* 7. §. 1." Omnium lachrymis deflenda est Christianorum cœcitas, quod Gravius Deum offendant diebus festis ejusdem Divino cultui dedicatis, quàm totâ hebdomadâ ad vitam parandam institutâ.

XXIX. Præter Principum Edicta quæ generaliter usum tabernarum, ob multiplices excessus qui in iis committuntur, moderantur, relata *parte* 1, *titulo* 2. *c.* 4. sunt insuper plura Principum Edicta quibus cavetur, ut nullus incolarum ad tabernas recipiatur; nec taberna ulli incolæ pateat diebus Dominicis aut festis tempore Missæ, Sacri & Vesperarum. Ita Edictum Philippi II. ad Synodum P. II. Cameracensem *art.* 5. Item Edictum Alberti & Isabellæ anno 1607. quod habetur parte 2. Edictorum Flandriæ *pag.* 13.

XXX. Quæ & Synodalibus Decretis sæpius injuncta fuerunt. Et quidem Synodus Antverpiensis sub Miræo anno 1610. *tit.* 13. *c.* 2. advertens non omnes ad sanctificationem Festorum monitionibus flecti," Volumus (ait) contra illos transgressores sine dissimulatione procedi juxta Ecclesiæ Præcepta, Serenissimorum Principum nostrorum Edicta, Prædecessorumque nostrorum Ordinationes..... Potissimum diligenter observetur, ne Dominicis & Festis diebus, eo tempore quo Divinum Officium fit aut verbum Dei prædicatur, tabernæ vel hospitia ulla aliis quàm viatoribus pateant. Si verò ipsi Officiarii caupones sint, & hac occasione lucri cupiditate hanc justissimam legem ipsi violent, aut aliàs fuerint negligentes, mandamus Pastoribus & aliis in Parochia Sacerdotibus, nec non & Custodibus, ut tales ad Officialem nostrum deferant; eidem Officiali nihilominus injungentes, ut in tales inquirat etiam non monitus à Pastore.

Similiter Synodus Mechliniensis anno 1609. *tit.* 12. *c.* 1. ait:" Diebus Dominicis aut Festivis tempore concionis, summi Sacri, vel Vesperarum in tabernis potitantes, aut publicis lusibus vel tripudiis vacantes, denuntientur, pro qualitate personarum & modo scandali puniendi. In margine indicatur Edictum Principum pro observantia Festorum.

Eadem passim in omnibus Synodis Belgicis inculcantur, & sub gravibus etiam pœnis injunguntur; nominatimq; in ultima Synodo Namurcensi anno 1659. iisdem verbis adoptatur relatum Decretum Synodi Mechliniensis; additurque:" In quo casu & omnibus aliis servabitur Edictum Alberti & Isabellæ de anno 1607. publicatum Namurci anno 1608.

XXXI. Sunt & alia exercitia, quæ licet ex se non sint illicita, & eam malorum & insolentiarum non soleant habere sequelam, quam secum quasi infallibiliter trahunt choreæ, juvenum puellarumque conventicula, ac tabernarum frequentatio; tamen nata sunt avertere à Divinis Officiis, & debitum Festorum dierum cultum impedire; quales sunt plerique lusus publici à corporum agitatione & industria dependentes; qui licet cum moderatione ad aliquam corporis exercitationem etiam diebus Dominicis & Festivis tolerari possint, tamen & Synodalibus Decretis, & Principum Edictis vetitum est, publica hæc exercitia facere tempore Divini Officii: ita Synodus P. II. Cameracensis & Edictum Philippi II. ejusdem confirmatorium *art.* 5. & citatum Edictum Alberti & Isabellæ.

XXXII. Ex omnibus hactenus relatis tum Synodorum & Episcoporum tum Principum Decretis & Edictis videre est, sat multa esse providè statuta pro Festorum debito cultu; eorùmque neglectam executionem esse causam illius dierum Festorum profanationis, quæ multis in locis tam horrenda est, ut timendum sit à minis quas olim Deus per prophetam Malachiam *cap.* 2. populo Judaico denuntiavit his verbis: *Ecce ego projiciam vobis brachium, & dispergam super vultum vestrum stercus solemnitatum vestrarum.* Et illud Isaiæ. c. 1. *Neomeniam & Sabbathum & solemnitates alias non feram, iniqui sunt cœtus vestri. Calendas vestras & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta, laboravi sustinens.*

Monumentum ad Cap. V, num. 22.

Epistola Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis contra conventicula juvenum & puellarum.

PERCHARI ET DILECTI.

Frequenter nobis exponitur, ex parte omnium propemodum Decanatuum Ruralium nostri Archiepiscopatus, Juventutis gravem admodum & deplorabilem animarum esse jacturam, videlicet adolescentum & puellarum qui Dominicis, Festis aliisque diebus (quos Hilares nuncupant) stabiliter etiam tempore Officii Divini conveniunt in popinis ut potitent & tripudient, ibidemque in seram vesperam hæreant, dum & talia inter ipsos colloquia, pariterque inter personas conjugio junctas quandoque se junioribus aggregantes, miscentur, tam indecentes cantilenæ decantantur tales attactus quæruntur & committuntur, tot insolentiæ & absurditates fiunt, cum gravi conscientiæ labe, ut vel sola horum narratio personis timoratis horrorem incutiat.

Idcirco nos injungimus ut omnem adhibeatis diligentiam, quo tantum incommodum, abusus, cæteráque hujusmodi gravia peccata impediantur, proponentes efficaciter in concionibus, sedibus Confessionum, aliisque casibus & opportunitatibus discrimina, & mala similibus Conventiculis annexa, Parentibúsque insuper proponentes quod

quod ipsis incumbit, ut liberos suos inde contineant, tantoque magis quod probè sciant peccata & insolentias, quæ vel ipsi forsitan juvenili cum ætate commiserunt, aut tolerarunt, aut in similibus casibus & conventiculis viderunt, & consequenter etiam iisdem Parentibus ob oculos ponatis, se coram Deo eorumdem peccatorum compartiscipes & reos fore, quæ in liberis aut famulantibus non impedierint, aut saltem omni modo conati fuerint impedire.

Quando quidem verò obligatio, ut prædicta in juventute impediantur, præter Pastores, etiam spectet ad Magistratus locorum in quibus tales indecentiæ committuntur, Vestri muneris erit, eos rogare, ut ad prædicta gravia mala impedienda cooperentur, & brachii sæcularis præstent auxilium, fideliterque procedant ad executionem Edictorum sæpius promulgatorum sua Regia Majestatis, quoad factum celebrationis Dominicorum Festorumque dierum.

Si verò nulla sequatur emendatio, continuetque etiamnum aut pergat juventus taliter popinas frequentare, & in iis convenire ut dictum est, postquam præfata media adhibita fuerint, declaramus nos compulsum iri ut adversus talia provideamus suspensione officii divini & administrationis Sacramentorum respectu eorum qui se emendare noluerint, aliisve pœnis Canonicis, ne Nobis extremi judicii die, animarum Nobis commissarum, quasque tanto pretio Dei filius redemit, perditio imputetur.

Denique Vobis injungimus, ut identidem per Reverendos Dominos Decanos Rurales respectivè, certiores Nos faciatis eorumque circa prædicta apud vos contigerint, qualisque emendatio [prout speramus optamusque] super his omnibus secuta fuerit. Datum Bruxellis in Palatio nostro Archiepiscopali, die 52. Novembris Anno Domini 1675.

Locus † Sigilli.

ALPHONSUS Archiepiscopus Mechliniensis.

Decretum Regium super executione prædictæ Epistolæ Pastoralis Archiepiscopi Mechliniensis.

CArolus Dei gratia Rex Castiliæ, &c. Cum simus informati, quod non obstantibus Edictis nostris de 7. Octob. 1531. 12. August. 1560. 1. Jun. 1587. 22. Junii 1589. 10. Septembris 1607. ultima Augusti 1608. 1. Julii 1616. & 10. Julii 1628. circa celebrationem dies Dominicæ & Festorum frequentationem & multiplicationem tabernarum, & publicos ludos durantibus Divinis officiis, & aliis horis incongruis, varii abusus & irreverentiæ irrepserint per negligentiam & incuriam nostrorum Officialium: Hinc est, quod ad iis occurrendum, Nos, ex deliberatione chari & nobis admodum dilecti consobrini Alexandri Farnezii Principis Parmensis &c. præcipiendum duximus, prout præcipimus per præsentes omnibus judicibus, Magistratibus & Officiariis, soleriter attendere, ut præcitata Edicta rite observentur procedendo contra infractores per pœnas & mulctas in iisdem expressas sub pœna correctionis: Et præterea speciatim prædictis nostris Officiariis Diœcesis Mechliniensis, in his ditionibus nostris & Ducatu Brabantiæ, porrigant manum auxiliatricem, ut occurratur insolentiis expressis in Epistola Pastorali Archiepiscopi Mechliniensis de 25. Novembris 1675. & hæc secundum formam & tenorem suum observetur: quoniam ita nobis placet. Datum Bruxellis 21. Martii 1682. Regni nostri decimo septimo. Signatum erat Ryc. Ut. *Super plicam erat scriptum:* Per Regem in suo Concilio. *Et signatum* Goubau.

Litteræ circulares Archiepiscopi Mechliniensis de 10. Maji 1685. pro ulteriore executione allegatæ epistolæ Pastoralis.

CUm magno animi dolore audivit Illustrissimus Dominus quod multi Adolescentes, aliiq; ad tabernas vadant contra illius Decretum de anno 1675. etsi eidem nuper accesserit Regium Edictum: ideirco mandat omnibus & singulis Dominis Pastoribus, ut dictos publicos inobedientes habeant tamquam publicos peccatores, de quibus in Pastorali, & ad Sacramenta non admittant, assistentiamque suam iis denegent, tum in sponsalibus, tum in matrimoniis donec publicum scandalum reparârint, quâ in re Illustrissimus Dominus cupit, ut R. V. in suis visitationibus circa istos excessus & vesperarum ac Catechismi omissiones diligenter inquirat.

Erat signatum *A. A. M. ut*

Alterum Decretum Regium quo prius renovatur & latiùs explanatur.

CArolus Dei gratia Rex Castiliæ &c. Omnibus has visuris salutem. Notum facimus, quod Archipresbyteri Provinciæ Brabantiæ, & districtus Alostani Nobis exposuerint, quod quantumvis renovassemus die 21. Maji 1682. præcedentia nostra Diplomata & mandata, de observandis Dominicis Festisque diebus, injunxissemusque quibusvis Officialibus nostris, ut conformiter ad Epistolam Pastoralem Archiepiscopi Mechliniensis die 25. Novemb. 1675. impedirent peccata & scandalosas indecentias quæ in popinis in conventiculis puellarum & adolescentium committuntur, tum etiam cum ipsæ domum vesperi deducuntur, interea aliqui Pagorum Toparchæ, eorum Prætores, Præfecti, aliique officiales denegassent Ecclesiasticis auxilium præstare, quo impedirentur puellæ easdem popinas frequentare ad evitandum proximas peccandi occasiones quæ ordinariè post potationem in similibus conventiculis occurrunt, eo titulo, quod mens nostra solùm fuisset ut talia conventicula inhiberentur in popinis tempore Divini Officii. Idcirco *ad præveniendum abusus & indecentias quæ passim in talibus conventiculis occurrunt, Nos ex deliberatione chari & Nobis admodum dilecti Consobrini, Francisci Antonii de Agurto Marchionis de Gastanaga, Equitis Ordinis Alcantaræ, Gubernatoris & Archistrategi Generalis Belgii nostri, &c judicavimus expedire ut declararemus, prout per præsentes declaramus, mentem nostram fuisse ut per Edictum nostrum die 2. Martii 1682. inhiberemus puellis innuptis, ne conventiculis adolescentium in popinis, aut circa eas interessent ad ibidem potitandum aut tripudiandum, seu Dominicis, seu Festis seu diebus feriatis, qualicumque hora diei seu tempore Officii divini seu alio, indictâ mulctâ sex florenorum ad onus cauponis seu cauponæ, & trium florenorum mulctâ, ad onus cujusque adolescentis & puellæ, qui*

contra

contra hæc deliquerint, exigenda eorum sumptibus à parentibus & tutoribus ipsorum pro prima vice, & arbitrariâ mulctâ pro secunda indictâ. Mandamus, quibuscumque Prætoribus, Præfectis justitiæ, aliisque Officiantibus, ad quos poterit spectare ut desuper invigilent, jurisdictionis suæ popinas præsertim Dominicis Festisq; diebus visitent & prævaricatorum correctioni prædictæ mulctæ & pœnæ executione intendant, iisdem etiam mandantes ut omnem opem (quam afferre rogabuntur) Judicibus Ecclesiasticis eorumq; Officialibus præstent, quoad violationes quæ Dominicis aut Festis diebus in casibus in quibus juxta præcedentia nostra Edicta & mandata ipsis permissum fuit agere per præventionem. Injungimusq; dilectis admodum & fidelibus Nostris Præsidi Supremo & Consiliariis Sanctioris nostri & magni Consilii Cancellariæ & Consiliariis Consilii nostri Brabantiæ, Præsidi & Consiliariis Provincialis nostri Consilii Flandriæ, & Scultero Mechliniensi, ut hoc nostrum præsens mandatum locis consuetis & ubi opus fuerit, promulgari curent & faciant observari juxta ejus formam & tenorem. Quia sic nobis placet. *Datum in urbe nostra Bruxellensi die 6. Martii anno 1687. Regnorum nostrorum 22. erat signatum* Blon. *ut in placa scriptum erat:* per Regem in suo Consilio, *subsignatum* L. A. de Clans *erat que obsignatum magno suæ Majestatis sigillo in cera rubra dependente ex pergamena duplicata lacinia.*

CAPUT II.

De Licentia laborandi diebus Festivis.

1. *Ecclesia in observatione diei Festi vult servare illud Christi:* Sabbathum propter hominem *factum est &* non homo propter Sabbathum.
2. *Lex charitatis cedit legi positivæ de observatione Sabbathi.*
3. *Lex generalis cedit legi particulari.*
4. *Christus docuit præferendam misericordiam & charitatem* externo *cultui diei festi.*
5. *Christus ostendit, quod conditor legis, in lege dispensare possit.*
6. *Jam pridem ostendit Ecclesia, externum cultum diei festi cedere debere necessitati.*
7. *Ob necessitatem indulsit generaliter Constantinus A-* gricolis *laborare.*
8. *Legem hanc correxit Leo Sapiens, quâ correctione hodie utimur.*
9. *Necessitas determinanda à legitimis superioribus.*
10. *Notabilis species dispensationis ex Decretali Alexandri III.*
11. *Synodi Belgicæ pro dispensatione obtinenda remittunt ad superiorem Ecclesiasticum.*
12. *Judicium de* necessitate *Synodus Cameracensis delegat Archipresbytero vel Pastori.*
13. *Edictum Principum videtur remittere ad Magistratum civilem.*
14. *Conciliatio Edicti cum Synodo.*
15. *Quid agendum Archipresbyteris & Parochis si Officiales civiles eam auctoritatem sibi liberaliùs, quàm oporteat, usurpent.*
16. *Circa colligendas fruges dispensatio haud facilè neganda; præsertim si Magistratus judicet necessitatem esse.*
17. *Aliqua indulgeri possunt festis minùs solemnibus, non indulgenda solemnioribus.*
18. *Dispensatio danda ob necessitatem* non affectatam.
19. *Quomodo adversus violatores festorum ex Decretis Synodorum procedendum?*
20. *Ex Edicto Principum locus est præventioni inter judicem Ecclesiasticum, & Civilem; & quæ ab illo observanda?*

I. Sic Ecclesia ab operibus servilibus aliisq; per se minimè illicitis, sed mentem tamen à rebus Divinis avocare solitis abstinendum censuit diebus Dominicis & Festivis, ut tamen semper meminerit monitum Magistri sui: *Sabbathum propter hominem factum est, & non homo propter Sabbathum* Marci *cap.* 2. *v.* 27.

Quo suo monito indicatum voluit Christus, Sabbathum omniaque ad ejus sanctificationem instituta, referenda esse ad sanctificationem & utilitatem hominis: adeoq; si huic fini hic & nunc non conveniant; sed è contrario in hominis detrimentum vergerent, tunc Sabbathum ejusque leges cedere debere, utpote quod propter hominem factum est.

II. Hoc ipsum sæpius Christus tum verbo, tum facto ostendit, ut Pharisaicum & superstitiosum Sabbathi cultum destrueret.

Et quidem cum quodam tempore abiens Jesus per sata Sabbatho, Discipuli ejus esurientes cœpissent vellere spicas & manducare; & Pharisæi id videntes, dicerent ei: *Ecce Discipuli tui faciunt quod non licet Sabbathis,* Christus à Pharisaica hac reprehensione vindicans Discipulos suos, dixit eis: *Non legistis quid fecerit David, quando esurut, & qui cum eo erant, quomodo intravit in Domum Dei, & panes propositionis comedit quos non licebat ei edere, neque his qui cum ipso erant, nisi solis Sacerdotibus.*

Hic ostendit Divinus Magister, legem merè positivam etiam de concernentibus cultum Dei, postponendam legi naturali necessitatis; nullamque consecrationem rei aut diei eam legem abrogare posse, quæ proximo in necessitate charitatem exhiberi jubet.

III. Alterum argumentum in defensionem Discipulorum subjungit, dicens: *Aut non legistis in lege, quia Sabbathis Sacerdotes in Templo Sabbathum violant, & sine crimine sunt? Dico autem vobis quia Templo major est hic.*

Quibus verbis docet, legem positivam generalem colendi Sabbathum nonnunquam cessare cum alia particularis lex ad eamdem sanctificationem pertinens concurrit.

IV. Dein subjicit Christus hanc regulam: *Si autem sciretis, quid est. Misericordiam volo, & non sacrificium, numquam condemnassetis innocentes.*

Quasi diceret; quia lex charitatis præferenda est omni *externo* cultui *externisque* sacrificiis, si eam sat expendissetis, numquam condemnassetis discipulos in necessitate positos die Sabbathi *spicas vellentes*, easque ad esuriem suam explendam manducantes: quia externum quidem Sabbathi cultum volo; sed magis misericordiam, & charitatem, quâ proximo in necessitate constituto succurritur.

V. Denique concludens ait: *Dominus est enim Filius Hominis etiam Sabbathi:* id est, Filius hominis qui Sabbathum instituit, eique Leges præscripsit, eatenus est etiam Dominus Sabbathi, ut lege charitatis vel necessitatis occurrente, possit in Legibus illis dispensare.

His Divinis regulis insistens Ecclesia, Leges suas pro dierum festivorum cultu & sanctificatione institutas, ita semper intellexit, ut Legi necessitatis & charitatis, aut Legi alteri speciali eas cedere debere profiteretur; seq; dierum festorum Legumq; ad illorum cultum spectantium ita Dominam esse, ut quando Lex charitatis aut necessitatis postulaverit, à legibus illis recedendi potestatem facere queat; quo ostendat, quod ad exemplum Sabbathi, dies festus factus sit, propter hominem, non homo propter diem festum.

VI. A Patribus Synodi Laodicenæ jam pridem decretum

cretum legimus *Canone* 29. " Quod non oportet Christia-
„nos judaizare, & in Sabbatho otiari; sed eo die operari:
„Diem autem Dominicum præferentes otiari, *si modo pos-
„sint*, ut Christianos.

Ad additam clausulam, *si modò possint*, reflectens Theodorus Balsamon in Commentario in hunc Canonem ait: " Sed & hoc scilicet die Dominico non operari, non necessariò mandarunt; sed adjecerunt, *si possint Fideles*. Si enim „propter inopiam vel aliam aliquam necessitatem, etiam „die Dominico fuerit aliquis operatus, præjudicium ei non „affertur.

Eandem clausulam observat Zonaras, additque: " Lex „verò civilis à muneribus die Dominico vacationem esse, „si agricolarum opera excipias, omninò jubet. Illis nam„que, quia fortè, operibus primo quoque tempore obeun„dis alium diem pariter accommodatum nancisci non ita „facilè fuerit, Dominico quoque die operam navandi fa„cultas concessa est.

VII. Lex civilis, cujus hic meminit Zonaras, videtur Constitutio Constantini M. relata in *L. 2. Cod. De Feriis*, quia permittebatur agricolis die Dominico operas suas exercere, addita hâc ratione: " Quoniam frequenter evenit, „ut non aptius alio die frumenta sulcis aut vineæ scrobibus „mandentur; ne occasione *momenti pereat commoditas* „cœlesti provisione concessa.

VIII. Ad necessitatem Imperatorem reflexisse sat apertum est: sed quia necessitas hæc non semper occurrit, ac ideo videretur nimia à veneratione diei Dominicæ exemptio agricolis indulta, Leo Sapiens seculo 9. eam legem correxit *Constitut.* 54. statuitque ut omnes in die sacro à labore vacent, " neque *Agricolæ*, neque quipiam alii in illo illici„tum opus aggrediantur. Si enim, qui umbram quamdam „atque figuram observabant, tantopere Sabbathi diem ve„nerabantur, ut ab omni prorsus opere abstinerent, quo„modo qui gratiæ lucem, ipsamque veritatem colunt, hos „enim diem qui à Domino honore ditatus est, nósque ab „exitii dedecore liberavit, non venerari par est?

Agricolas igitur non secus atque alios opifices per cessationem operarum suarum colere dies Festos voluit Leo; quod & posteriores tam Principum, quàm Episcoporum leges decreverunt; eâ tamen cautione, ut necessitati Lex hæc positiva cedat; quæ semper intacta mansit.

IX. Sed ne prætextu *necessitatis* Leges Ecclesiasticæ passim violentur, atque unicuique liberum sit legem transgredi, dum pro arbitrio suo & affectu necessitatem fingit, meritò hujus necessitatis determinatio non cujuslibet privati; sed Superiorum arbitrio & judicio commissa est: ut hi necessitate aut utilitate perpensâ, judicent, an & quomodo in lege dispensandum sit.

X. Notabilis species dispensationis, quæ & regulas aliquas suppeditat occurrit in *Cap.* 3. ✠ *De Feriis* ubi rescribit Alexander III. Archiepiscopo Triburiensi ejusque Suffraganeis: " Quod cum regio vestra non multùm frugi„bus abundet, mare, in quo populus majorem consuevit „habere sustentationem sterilius solito effectum fuisse „multorum relationibus cognoscentes, B. Petri auctorita„te & Pauli & nostrâ indulgemus, ut liceat parochianis „vestris diebus Dominicis, & aliis festis (præterquam in „majoribus anni solemnitatibus) si alecia terræ se inclina„verint, eorum captioni ingruente necessitate intendere: „ita quod post factam capturam Ecclesiis circumpositis „& Christi pauperibus congruam faciant portionem.

XI. Synodi nostræ Belgicæ pro dispensatione passim ad Episcopum, Archipresbyterum aut Pastorem remittunt.

Synodus P. I. Mechliniensis titulo De Festis *cap.* 5. Ve„tat omnibus Magistratibus & secularibus Judicibus, ne „cuiquam ex omnibus prædictis Festis violandi seu profa„nandi licentiam concedant, sed eos qui ab ipsis licentiam „hujusmodi requirunt, ad Episcopum ejusve Vicarium „vel Pastorem remittant: alioqui contra eos tamquam Sy„nodalium statutorum transgressores, & aliàs prout de „jure, procedant.

XII. Similiter Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 4. *c.* 2. postquam dixit diebus Festis, nec permitti agrorum cultum aut messem, molitorum, coctorum cerevisiæ, laniorum, pistorumque operas, additâ hac exceptione, *nisi ob notabilem necessitatem*, dicit: " Cujus cognitio ad Decanum Chri„stianitatis, vel eo absente, aut nimis procul degente, ad „Pastorem loci spectabit.

XIII. Edictum Philippi II. ad hanc Synodum *art.* 7. pariter vult diebus Festis à prædictis exercitiis abstineri, " nisi „ob necessitatem declarandam (ait) per Officiarium & „Magistratum loci, de advisamento Decani Christianita„tis aut in ejus absentia Pastoris loci. " Idipsum habet Edictum Alberti & Isabellæ quod emanavit anno 1607. super observatione dierum Festorum.

XIV. Super his Edictis reflectens Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo *De Feriis num.* 4. ait: " Judicio quidem „Magistratûs quatenus de *puro facto* necessitatis quæritur: „Archipresbyteri ruralis, aut ubi is non est, Pastoris, qua„tenus de obligatione *præcepti* Decalogi seu Ecclesiæ agi„tur: quæ non habet alium interpretem, quàm Ecclesiasti„cum Magistratum..... ut & dispensatio super obligatione „non alteri competere possit; sed tantùm super declaratio„ne facti; & sic impropriâ locutione.

XV. Inter acta & resoluta in Congregatione Archipresbyterorum præsidente Archiepiscopo Mechliniensi habita die 25. & 26. Septembris anno 1665. *art.* 41. & 42. habetur: " Ad evitandum abusum quo in aliquibus locis Ballivi „& Officiarii laici pro certo pretio permittunt inconsulto „Ordinario, Archipresbytero, vel alio ad id deputato, quod „diebus Festivis & prohibitis rustici arare possint & carru„care, Archipresbyteri agent istic loci cum prædictis Bal„livis, curabuntque significari dictis rusticis, eos per simi„lem licentiam non evasuros correctionem judicis Eccle„siastici; & si idipsum non sufficiat, aut tales Ballivi non de„sistant, transcribent Ordinario, aut Vicariatui, aut Offi„ciali, ut desuper provideatur; interim non impeditur rusti„cus, qui ab Archipresbytero, vel Pastore dispensationem „obtinuerit, istum Ballivum vel Officiarium dictæ dispen„sationis certiorem reddere.

XVI. Dispensandi occasio, præsertim in pagis, præcipuè occurrit tempore messis ad colligendos fructus; quando vel ob irruentem militem, vel ob periculum intemperiei aëris collectio hæc moram non patitur; quando non morosè dispensari convenit; *ne occasione momenti pereat commoditas cœlesti provisione concessa*; uti loquitur citata lex Constantini: ideoque si judicio Magistratûs, *necessitas notabilis* videatur, haud convenit, ut Archipresbyter aut Pastor licentiam hoc casu facilè neget.

XVII. Porrò in hac dispensatione circa quodcumque opus servile versetur, distinguendi dies Festivi solemniores à minùs solemnibus; quemadmodum distinguit Pontifex in citato *Cap.* 3. ✠ *De Feriis*, concedens facultatem incolis certarum regionum piscandi diebus Dominicis & Festis, *præterquam in majoribus anni festivitatibus*.

Eam regulam sequuta Synodus P. I. Mechliniensis titulo *De Festis cap.* 2. postquam " interdixit omnibus suæ „Provinciæ Christi Fidelibus opera manualia & secularia „quæcumque, mercatum item & forum rerum venalium „atque judicialia exercere, " subjungit per modum moderationis; " Ita tamen ut Episcopis in illis festis quæ *minùs* „celebria sunt, ad populi commoditatem liceat aliquid pro „sua discretione relaxare.

Non dubium ergo quin aliqua permitti queant diebus Dominicis & festis minoribus, quæ permittenda non sunt in solemnitatibus majoribus; majorque necessitas requiratur, ut licentia laborandi in his solemnitatibus annuatur, quàm in aliis Festis aut Dominicis diebus.

XVIII. Nicolaus V. à Transylvanis consultus, " an pau„peribus

„ peribus villanis ac oppidanis licitum sit vendere die Dominico vel festo alicujus Sancti, panes, legumina, pyra, „ Poma, & alia legumina; vel sit licitum eis finita Missâ, post „ prandium de campo tempore messis, cùm timetur de pluvia, portare cum pecoribus vel equis, vel curribus, linum, „ fœnum, & alia blada humano usui convenientia?" Respondit Pontifex: "Dicendum est, quod cessante necessitate ab omni opere servili abstinendum est diebus Dominicis & Festivis: sed necessitate cogente, non tamen *affectata* seu *procurata*, licitum est præmissa exercere." Habetur apud Odoricum Raynaldum ad annum 1447. *n.* 28.

Rectè dixit Nicolaus, necessitate *non affectata* seu *procurata*: nonnulli enim ea quæ diebus feriatis agere, aut procurare deberent, in diem Dominicum aut Festum ex proposito differunt, atque ita necessitatem affectant seu procurant; contra quos tamquam dierum Festorum violatores agit Catechismus Romanus in expositione tertii præcepti Decalogi *n.* 29.

XIX. Si citra licentiam opera vetita diebus Dominicis & festis exerceantur, ex Decretis Synodorum etiam pœnis pecuniariis adversus violatores agendum; quibus "per Officialem Mechliniensem inflictis, requisitus Amannus Bruxellensis noluit sententias executioni mandare, quasi ea „ auctoritas Ecclesiæ non competeret, & juri Principum „ derogaret: sed instante Illustriss. Archiepiscopo Mechlin. „ à Cancellaria Brab. factâ relatione Principi, condemnatus fuit eas sententias executioni mandare. 28. Maji 1605." Ita Zypæus in Jure novo tit. *De Feriis n.* 2.

XX. Edictum Principum nostrorum de anno 1607. ut efficacior & promptior sit executio eorum quæ ibidem pro cultu dierum festorum statuta sunt, vult contra violatores procedi tam per judices Ecclesiasticos, quàm Civiles jure præventionis: ita tamen ut si per judicem Ecclesiasticum procedatur ad mulctam pecuniariam, ea fiat cum decenti moderatione, applicanda ad usum pauperum aut Hospitalium speciatim in sententia exprimendorum.

Insuper si citatus coram Judice Ecclesiastico alleget, probetque secum dispensatum ratione alicujus necessitatis per Officiarium vel magistratum loci cum advisamento Pastoris, ut eodem Edicto ordinatum est, ipse Judex Ecclesiasticus tenebitur supersedere, neque ulteriùs inquirere poterit, an dispensatio bene vel malè data sit.

TITULUS XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT I.

Origo & Definitio Beneficiorum.

1. *Beneficium olim vocatum prædium Fiscale.*
2. *Beneficium & feudum olim coincidebant.*
3. *Prædia Clericis in alimentationem assignata* Beneficia *vocari cœperunt; & quare?*
4. *Multis seculis dispensatio proventuum Ecclesiasticorum mansit penes Episcopos.*
5. *Subinde prædia Clericis utenda concedebantur.*
6. *Ex his concessionibus habetur Beneficiorum origo.*
7. *Hæ concessiones primitus tantùm erant* personales *intuitu meritorum.*
8. *Rerum Ecclesiasticorum dispensatio quâ ratione Clericis committi cœperit?*
9. *Primùm concredita vita eorum durante.*
10. *Tantùm illis qui operam Ecclesiæ impenderent.*
11. *Quomodo titulis portio annexa fuerit.*
12. *Unde* titulus Beneficii *nomen obtinuerit?*
13. *Definitio Beneficii juxta Canonistas.*
14. *Alia Theologorum; sed utraque coincidit.*
15. *Officium Ecclesiasticum est fundamentum Beneficii, etiam secundùm Canonistas.*
16. *Non alium in finem hodie proventus Ecclesiastici dantur Clericis, quàm olim.*
17. *Nullum Beneficium sine officio.*
18. *Beneficium debet esse* perpetuum; *& quare?*
19. *Beneficia* manualia *non sunt propriè Beneficia.*
20. *Beneficium debet erigi auctoritate Episcopi.*
21. *Id pristinæ disciplinæ consentaneum est.*
22. *Quamcumque conditionem adjecerit fundator, fundatio* Beneficium *non est sine Episcopo.*
23. *Non sufficit data facultas celebrandi Missas.*
24. *Etiamsi essent perpetuæ ad vitam possidentium.*
25. *Vicariis perpetuis deputandis erecto* titulo.
26. *Beneficium non præsumitur, si administratio proventuum ad tertium pertineat? & quare?*
27. *Spiritus Ecclesiæ circa Beneficia semper idem.*
28. *Cur conveniat scire pristinam Ecclesiæ circa Beneficia disciplinam?*

I. Beneficium, ait D. Du Cange in suo Glossario verbo, *Beneficium*, "Scriptoribus „ mediæ ætatis, dicitur prædium fiscale, „ quod à Rege vel Principe, vel ab alio „ quolibet, ad vitam viro nobili utendum conceditur. Ita autem appellatum est, quod ex mero dantis *Beneficio* ac liberalitate illud possideatur." Hæc ille, qui & ibidem notat, quòd & eodem penè sensu Latini hanc vocem usurpârunt, & prædia quæ Principes militibus aliisque largiebantur, *Beneficia* appellârunt.

II. Posthæc exponit, quæ esset horum Beneficiorum conditio, & scopus; ostenditque ea naturam hodiernam *feudorum* habuisse; unde & factum est, ut illud quod *Beneficium* primitus fuit appellatum, postmodum *feudi* nomen acceperit; ita ut *Beneficium & feudum* promiscuè usurpentur in libris feudorum.

III. Cùm autem successu temporis prædia Ecclesiæ Clericis bene meritis, tamquam Ecclesiæ *militibus* ad usum dari cœperunt, etiam eadem ratione *Beneficia* appellata sunt. Quando autem prædia & fundi aliæque res immobiles Clericis concedi cœperint, incertum est.

IV. Hoc certum est, multis seculis, dispensationem proventuum Ecclesiasticorum mansisse penes Episcopos eorumve œconomos & Archidiaconos; ut secundùm proportionem in Clericos, fabricam Ecclesiæ, pauperes, & usum Episcopi distribuerentur.

V. Adhæc constat, quod & subsistente hac dispensandi œconomiâ; subinde terræ ac prædia nonnulla Clericis utenda concederentur.

Sic legitur in *Canone* 23. Concilii Aurelianensis I. Anno 511. "Si Episcopus *humanitatis* intuitu, vineolas, vel „ terrulas, Clericis & Monachis præstiterit excolendas, vel „ pro tempore tenendas, etiam longa transire annorum spatia comprobentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur nec seculari lege præscriptio quæ Ecclesiæ aliquid „ impediat apponatur.

Et magis ad propositum ex Epistola Symmachi Papæ, qui sedit sub finem seculi quinti legitur apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 61. "Possessiones quas unusquisque Ecclesiæ pro-

Digitized by Google

„ proprio dedit aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet „ titulis, atque distractionibus, vel sub quocumque argu„ mento non patimur: nisi fortè aut Clericis bonorum me„ ritorum, aut Monasteriis religionis intuitu, aut certè pe„ regrinis, si necessitas largiri suaserit: sic tamen ut hæc ipsa „ non perpetuò, sed temporaliter perfruantur.

VI. Hic habemus, Clericis bene meritis ab Episcopis possessiones Ecclesiarum datas fuisse, quæ tamquam ex Episcoporum beneficientia profecta, *Beneficia* cœperunt dici: non secus ac prædia à Principibus concessa viris nobilibus, aut militaribus ob eorum merita.

Unde ad hanc Symmachi Epistolam reflectens Cardinalis Baronius monet, hinc, quæ beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum esse. " Cùm enim solerent „ (ait) Clerici ab ea Ecclesia per Episcopum singulis mensi„ bus victûs causâ meritam stipem accipere, postea factum „ ut aliquibus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viverent, „ ab ipso Episcopo concederentur, quæ *Beneficia* dici cœ„ perunt, eo quod (ut Symmachus in ea Epistola) bene me„ ritis tantummodò concedere liceret." *Ad annum* 502.

VII. Interim ex citatis verbis tum Concilii Aurelianensis, tum Symmachi, ad oculum patet, à longè citra rarus fuisse has concessiones, neque legem ordinariam, sed tantum ex singulari aliqua necessitate, aut ob singularia personæ alicujus merita factas.

VIII. At labentibus seculis disciplina Ecclesiæ labescente, nec non Episcoporum, Oeconomorum vel Archidiaconorum in rebus Ecclesiæ dispensandis fidelitate & integritate à pristino suo gradu declinante, frequentissimæ fuere dissensiones & querelæ inter Clericos quibus, proventus Ecclesiæ distribui debebant, & eos, quibus dispensationis cura incumbebat.

Hinc Clerici, ut se à prætensis vexationibus, & injusta dispensatione eximerent, primò cœperunt singuli Presbyteri sibi arrogare oblationes in Ecclesia propria factas; quæ antea ad Episcopum dividendæ ferri consueverant.

Cùm jam jus recipiendi oblationes easque suis usibus applicandi ad singulos Presbyteros esset devolutum, tandem etiam cœperunt res Ecclesiasticæ passim dividi; atque singulis sua portio fundorum, unde proventus ipsimet reciperent, assignari: quod quidem non eodem tempore, nec ubique aut aliquo Decreto Conciliari introductum; sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transiit.

IX. At illud notandum, quod sicuti prædia quæ *Beneficiario* jure à Principe possidebantur, mortuâ personâ extinguebantur, & ad Principem revertebantur; ita quoque primitus comparatum fuisse videtur, ut res Ecclesiæ jure *Beneficiario* Clericis concessæ, tantùm ad eorum vitam censerentur datæ; ipsasque possiderent non *jure tituli*, sed tantùm jure *personali*; ut ita post mortem totaliter ad Episcopi dispositionem reverterentur.

X. Ulterius quemadmodum Principes sua bona jure *Beneficiario* dabant iis qui servitium militare aliave obsequia præstarent, similiter Episcopi bona Ecclesiæ possidenda vel utenda, seu potiùs jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiæ *militarent* seu officium exhiberent, quisque juxta vocationem suam. Hinc illud vulgatum approbatum per Bonifacium VIII. *in Cap. fin. De Rescriptis in 6. Beneficium datur propter officium*; ubi Beneficium accipi pro jure percipiendi proventus, nemini dubium est.

XI. Cum verò incommodum videretur, quod moriente Presbytero successor ejus jus percipiendi proventus ab Episcopo, ejusque quasi liberalitate recipere denuo deberet, cœperunt singulæ Ecclesiæ jus percipiendi proventus intra limites suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, independenter ab Episcopis, vindicare; invaluitque tandem juris axioma, quod Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, aliosque proventus intra fines suarum respectivè Parochiarum provenientes.

Jus itaque fructus percipiendi jam non personis, sed Ecclesiis, seu titulis annecti cœpit: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur: quæ disciplina tandem universaliter obtinuit & recepta fuit.

XII. Hinc ulterius factum, ut ipse titulus tandem nomen *Beneficii* ferè obtinuerit; tum quod illo obtento ipsum jus percipiendi proventus tamquam annexum obtineatur; tum quod Ecclesiasticum officium, sive ministerium tamquam *principale*, jus verò percipiendi proventus, ut *minùs principale & accessorium* considerari & reputari debeat.

XIII. Canonistæ retinentes primam *Beneficii* nomenclaturam, quâ significatur, jus percipiendi certos proventus Clericis tamquam *militibus* Ecclesiæ concessum, illud solent definire: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcumque ex bonis Ecclesiasticis seu Deo dicatis, propter officium spirituale authoritate Ecclesiæ constitutum.

XIV. Theologi verò Beneficium magis considerantes penes titulum & officium Ecclesiasticum, definierunt illud, exprimendo ipsum officium, seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, hoc modo: Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.

Verùm sive Canonistarum sive Theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cum & prior definitio sat exprimat, ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum esse principale, atque jus percipiendi fructus esse accessorium.

XV. Et licet Canonistæ dicant, officium Ecclesiasticum non esse propriè Beneficium, fatentur tamen, esse *fundamentum & causam* Beneficii; quemadmodum loquitur Andreas Vallensis ad titulum De Præbendis §. 1. *num.* 4.

Hoc sensu ait Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 5. De Reform. Beneficia ad Divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda esse constituta.* Et Innocentius III. *lib. 1. Epist.* 22. ad Auxitanum Archiepiscopum scribit: " Dignitates & cætera Beneficia Ecclesiastica pia Fidelium „ devotione constituta fuerunt, certis assignanda personis, „ ut per ipsas personas in Ecclesiis *devotum servitium* ju„ giter impendatur.

XVI. Hinc patet, quod licet sensim circa proventuum Ecclesiasticorum dispensationem disciplina invaluerit diversa à pristina; tamen Ecclesia eodem semper spiritu procedens, Beneficia Ecclesiastica, seu jus percipiendi proventus ex bonis Ecclesiæ non alium in finem Clericis assignata voluerit, quàm quo ab initio eis per Episcopos stipendia vel sportulas, aut annonas sive alimenta suppeditari voluit; nempe ut qui Altari servit, de altari vivat; utque *possent vacare legi Domini*, quemadmodum dicebat piissimus Rex Ezechias præcipiens *populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis lib. 2. Paralipom. cap. 31. v. 4.*

XVI. Unde nec ullum Beneficium sine officio esse potest, quia uti " Divini juris est, ut qui servit Altari, de Alta„ ri vivat, ita nec bono jure is, qui non servit Altari de Al„ tari vivit: sicut stipendium non debetur nisi militanti." ait Synodus Coloniensis anno 1549. *tit. 9. Can. 3* Neque esse ex intentione Ecclesiæ ut ullum Beneficium quantumvis *simplex*; uti vocant, sit sine *officio*, infrà ostendemus.

XVIII. Dicitur in definitione, jus *perpetuum*; hoc est *ad vitam* Beneficiati: quæ perpetuitas ex ipsa Apostolica Doctrina, & pristina Patrum disciplina originem ducit.

Docet enim Apostolus, ut *unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* 1. *Ad Corinth. cap. 7.* Hinc fixa perpetuaque fuit Ecclesiæ disciplina innovata per Synodum Tridentinam, ut dum quis alicui Ecclesiæ legitima auctoritate & vocatione adscriptus est, in ea permaneat, ubique suis fungatur muneribus, *session. 23. cap. 16. De Reformat.*

Cum autem per quodcumque Beneficium Clericus adscribatur certæ Ecclesiæ, voceturque ad certum *Officium* seu *Ministerium* Beneficio correspondens, ratio ipsa vocationis, ipsaque Patrum disciplina suadent, ut in eo *perpetuò* maneat; neque ab eo removeatur aut discedat, nisi justa aliqua ratio aliud persuadeat.

XIX. Hinc communiter concludunt Canonistæ, quod si aliquod officium cum annexo jure percipiendi fructus erigatur temporale & ad nutum revocabile; non esse *propriè* Beneficium Ecclesiasticum; & si de perpetuo fiat amovibile *ad nutum* seu *manuale*, amittere naturam veri Beneficii.

XX. Ulterius ut sit Beneficium, atque pro Beneficio Ecclesiastico reputetur, requiritur, ut sit jus perpetuum *auctoritate* Ecclesiæ, seu Episcopi aut Pontificis constitutum; quod etiam ex ipsa Patrum disciplina originem habere, non obscurum est.

XXI. Antiquitus enim nemo Ministeriis Ecclesiasticis applicabatur, nisi ex Episcoporum auctoritate. Ipsa quippe ordinatio Clericum Ecclesiæ cui in Ordinatione adscribebatur, tamquam illius ministrum alligabat, "ut ibidem sui Ordinis muneribus fungeretur; atque hoc pacto illius Ecclesiæ Clericus vel minister, seu ut hodie loqui amant, *Beneficiatus* constituebatur.

Ad hæc ministeriorum seu officiorum ordo, per Clericos observandus, ab Episcoporum auctoritate pendebat, nullumque officium seu ministerium sine eorum consensu quisquam suscipere poterat.

Dispensatio quoque proventuum Ecclesiasticorum primitus ipsorum arbitrio credita erat.

Hæc Episcoporum auctoritas, ut aliquo usque salva persistat, & munia Ecclesiastica eorum interventu suscipi, & Ecclesiasticæ possessiones ab ipsis ad Clericos derivari videantur, visum est, nullum reputari verum Beneficium Ecclesiasticum, vi cujus Clerici Ecclesiasticis muniis alligantur, & jus percipiendorum Ecclesiasticorum proventuum adipiscuntur; nisi auctoritate Episcopi jus tale probatum, atque pro vero titulo Ecclesiastico agnitum fuerit: quò fiat ut dum Clericus vi hujus Beneficii seu tituli functionibus Ecclesiasticis applicatur, & jus ad fructus annexos acquirit, ea auctoritate Episcopi quodammodo fiant.

XXII. Hinc concludunt Canonistæ, quod etiamsi testator in simplici legato cum onere Missarum voluerit, quod ad illud debeat præsentari Clericus, sive Sacerdos ab *Ordinario* instituendus; si tamen non intervenerit auctoritas Episcopi, atque hac auctoritate erectum sit in Beneficium, tale legatum non erit Beneficium; uti post alios notat Pyrrus Corradus *lib.* 1. *Praxis Benef. cap.* 2. additque, quod nec per quamcumque conditionem Beneficio Ecclesiastico congruentem à testatore adjectam, legatum reputari poterit Beneficium, nisi auctoritas Episcopi intervenerit.

Post hæc concludit: " Nec proinde similis dispositio obnoxia est cæteris solemnitatibus, ac requisitis Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipsis tantum Beneficiis conveniunt, si non adsit prædictus Ordinarii consensus.

XXIII. Quinimo etsi Episcopus concesserit facultatem celebrandi Missas fundatas ad certum altare, aut Capellam, non propterea hæc fundatio censebitur Beneficium: " quia neque per hujusmodi facultatem censetur illam in Beneficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse: cùm hujusmodi actus celebrandi cadat etiam in privatis oratoriis, in quibus non potest celebrari nisi de ipsius Episcopi licentia." Pyrrus Corradus ibid. *num.* 23.

XXIV. Et licet etiam hujusmodi fundationes aut Capellaniæ essent *perpetuæ* ad vitam ipsius Capellani, qui possit vitâ durante proventibus fundationis uti; tamen Beneficia non erunt, neque legibus beneficiorum regentur, nisi auctoritate Episcopi in titulum Beneficii fuerint erectæ. Et si ad talem fundationem quis ad Ordines promoveretur, non diceretur promotus titulo *Beneficii*, sed titulo *Patrimonii*, Pyrrus ibid. *num.* 43.

XXV. Cum Vicarii perpetui juxta hodiernam disciplinam sint veri Beneficiati, conformiter ad hactenus dicta respondit sacra Congregatio, quod Vicarii perpetui constitui non possint in vim Concilii Tridentini *sess.* 7. *cap.* 9. *De Reformat.* nisi prius erecta sit Vicaria perpetua auctoritate Episcopi in titulum; apud Fagnanum ad *Cap.* AD AUDIENTIAM *De Rescriptis num.* 100.

XXVI. Quia ex moderna disciplina (uti suprà notavimus) reditus ipsi titulo Beneficii sunt annexi; atque ipse beneficiatus vigore ejusdem tituli accipit jus percipiendi proventus illos vitâ sua durante, judicatum aliquando fuit, testatorem noluisse Beneficium erigi ex eo quod voluiset, ut custodia & sollicitudo capellæ cum libera administratione hæreditatis illi relictæ, esse deberet penes quemdam Abbatem; ita Pyrrus ibid. *num.* 20.

XXVII. Ex his quæ de perpetuitate, nec non erectione tituli auctoritate Episcopi dicta sunt, non difficulter colligi potest, quod si omnia quæ, juxta modernam Ecclesiæ disciplinam ipsa Beneficiorum conditio, erectio, collatio, & Beneficiatorum obligatio requirunt, ritè & ex mente Ecclesiæ expenderentur, appareret, etiam Spiritum Ecclesiæ in his mansisse invariatum; tametsi exterior disciplina in multis sit mutata.

XXVIII. Hinc ulteriùs intelligeretur, quàm utile, imò pene necessarium sit, non tantùm de moderna, sed etiam pristina circa Beneficia disciplina esse instructum: ut ex hac notitia faciliùs ipse Ecclesiæ spiritus, qui semper præcipuè attendendus est, percipi, ipsaque exterior disciplina, quantum possibile, secundum illum spiritum dirigi possit.

CAPUT II.

De Dignitatibus, & Personatibus.

1. *Definitio Dignitatis.*
2. *Primis seculis ignotum nomen* Dignitatis *prout hodie accipitur.*
3. *Quæ hodie* Dignitates *dicuntur, durante vita communi Canonicorum erant plerumque simplicia officia.*
4. *Deserta vita communi sensim in dignitates degeneraruni.*
5. *Quid personatus?*
6. *Personatus multis seculis ignoti, unde originem sumpserint?*
7. *Textus juris qui personatus & dignitates pro Synonimis habere videntur.*
8. *Nonnumquam in jure distinguuntur.*
9. *Conciliatio textuum.*
10. *In Belgio Personatus rariores, & inter* simplicia *Beneficia reputantur.*
11. *Vera dignitas debet esse cum administratione, licet hodie etiam sit ea destituta.*
12. *Officium cum præeminentia non dicitur* dignitas, *nisi in* titulum *perpetuum sit erectum.*
13. *Vicarius generalis Episcopi non censetur in* dignitate *constitutus.*
14. *Unde dignoscatur an Beneficium sit* dignitas: *& de præeminentia inter Dignitates?*
15. *Jura honorifica quæ in dignitate constitutis competere solent.*
16. *Super his juribus contentiones vitandæ.*
17. *Quare hæc jura honorifica deferantur?*
18. *Ad quid Dignitates Ecclesiasticæ institutæ?*
19. *Unde contingat, dignitates Ecclesiasticas a multis ambiri?*
20. *In inferioribus Beneficiis aliqua tolerantur, non toleranda in Dignitatibus.*
21. *In materia dispensationis nomine* Beneficii *non veniunt Dignitates.*

22. *Dispen-*

22. *Dispensatio ad Beneficia* curata & *alia* quæcumque *non comprehendit Dignitates curatas.*
23. *Dispensatio super Dignitatibus non complectitur Dignitates* majores.
24. *Quæ sint Dignitates* majores *in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis?*

Dignitas dicitur (ait Rebuffus) quædam „ præeminentia cum jurisdictione, quæ „ cognoscitur ex præeminentia, jurisdi„ctione, quando ad hoc est instituta, ut „ sit dignitas; & ex consuetudine, quan„ do consuetudo facit, ut sit dignitas." In praxi Benef. *part.* 1. *tit. Seculare Beneficium quotuplex num.* 7. Beneficia igitur, quibus hujusmodi præeminentia vel ex institutione aut consuetudine annexa est, vocantur Dignitates.

II. Primitus dignitatum nomen hoc modo sumptum incognitum erat. Cum enim primis Ecclesiæ seculis, nondum exortis Beneficiorum titulis, per solam ordinationem Clerici Ministeriis Ecclesiasticis applicarentur; ipsaque Ecclesiastica munia essent ipsis Ordinibus annexa; atque per ipsam ordinationem jus percipiendi proventus Ecclesiasticos consequerentur, omnis quoque prærogativa ex præeminentia à dignitate Ordinum petebatur; isque major in ministerio Ecclesiastico reputabatur, qui major erat in Ordine.

III. Adhæc, quamdiu Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum in communi quasi Regulares vixerunt, nomen dignitatis vix notum fuit: imò pleraque quæ hodie in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis pro Dignitatibus reputantur, olim vita communi durante non Dignitates, quin nec Beneficia fuerunt, sed simplicia officia, quæ à Superioribus pro arbitrio committebantur & adimebantur; quemadmodum ostensum est *parte* 1. *titulo* 11. ubi De Dignitatibus Capitulorum singulatim actum fuit.

IV. At Canonicis desertá vitá communi ad singularitatem, ac unà ad secularitatem magis delapsis, cœperunt ea, quæ primitus dumtaxat fuerant simplicia officia, erigi in titulos Beneficiales, & sensim etiam in Dignitates degenerare.

Utrumque notavit Molanus *lib.* 2. *De Canonicis cap.* 13. ubi advertens, quod Thesauraria apud quosdam sit officium, à quo si indoneus judicetur, repellitur: apud plures verò sit aut Beneficium, aut Dignitas, vel Præeminentia, subjungit: "Prius simplicitati vetustatis magis competit: „ tunc enim omnia officia in Clero erant *obedientia*, ut ali„ cubi Clerus Coloniensis loquitur. Posterius verò ex di„ vitiis enatum est, quæ in Cathedralibus, alisque Capitu„ laribus Ecclesiis, varia officia non modò in Beneficia, sed „ etiam in Dignitates evexerunt.

V. Personatus communiter à Canonistis dicitur, quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum habet stallum in choro honorificum præ aliis; ita post alios tradit Rebuffus ad Concordata titulo *De Collationibus*, verbo, *Personatus*: personatumque habere dicuntur, qui hujusmodi prærogativam obtinent.

VI. Quin hujusmodi *Personatus* labentis disciplinæ, & recentioris ætatis fœtus sint, dubium non est. Neque enim ante seculum undecimum ulla hujusmodi Personatûs mentio occurrit.

At sub id tempus Clerici nonnulli Ecclesiarum *Personæ* dici cœperunt; illi nimirum qui Ecclesias etiam Parochiales obtinebant, sed curam animarum totumque spirituale officium alicui Presbytero, quem Vicarium suum dicebant, committebant: quemadmodum infrà titulo *De Competentia Pastorali* latius exponetur occasione Pastorum primitivorum, quibus Personati Clerici multùm similes erant; eamdemque penè originem habuêre.

Hi enim Ecclesias obtinentes & titulum sine officio retinentes, proventus Ecclesiarum percipiebant; atque certam quoque prærogativam, quemadmodum etiam nonnunquam Capitula & Monasteria sub qualitate Pastorum primitivorum, retinuerunt, & *Personæ* Ecclesiarum dicti sunt; nihil præter proventus aliquos, & certa honoris insignia retinentes.

VII. Personatum & dignitatem in jure nonnumquam pro synonimis accipi, noscitur ex variis textibus Decretalium. Et quidem in *Cap.* 8. ⁒ *De Constitut.* Primiceriatus Tullensis Ecclesiæ, nunc *personatus*, nunc *Dignitas*, nunc *officium* appellatur. Rursus in *Cap.* 8. ⁒ *De Rescriptis*, Decani, Archidiaconi & alii dicuntur supprimere nomen *dignitatis* suæ, tamquam si non habeant aliquem *personatum*. Hic per *personatus* idem significari, quod antea expressum erat nomine *Dignitatis*, ex contextu evidens est.

Hujusmodi plures textus occurrunt, qui supponunt, *Personatum* & *Dignitatem* synonima esse. Unde jam pridem notavit Cardinalis Hostiensis in *Summa* titulo *De Prabendis*: quod Dignitas sit quædam præeminentia in gradu, quæ aliquando vocatur *Personatus.*

VIII. Non desunt tamen etiam textus Juris, qui dignitatem à personatu distinguere, eaque tamquam inter se diversa statuere videntur.

In *Cap.* DE MULTA ⁒ *De Prabendis* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio II. Personatus à Dignitatibus distinguuntur. Cum enim dixisset Concilium, quod jam pridem prohibitum fuerit, ut nullus diversas dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales reciperet contra Sacrorum Canonum statuta, postmodum subjicit: "Hoc „ idem & in *Personatibus* esse decernimus observan„ dum.

Eadem distinctio non minus apertè occurrit in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in* 6. ubi decernitur, causas à Sede Apostolica non delegandas nisi *Dignitate* præditis aut *Personatum* obtinentibus, vel Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.

IX. His aliisque textibus allegatis concludit Fagnanus ad *Cap* ADHÆC ⁒ *De Prabendis*, negari non posse, quin revera in jure sint diversa; "necesseque esse fateri, prædi„ cta differre non *solùm nomine*, sed etiam *re* & *substan„ tiâ*, & verum esse, quod dicunt Archidiaconus, Joannes „ Andreas & Oldradus: Si horum duorum vocabulorum „ (Dignitatis & Personatûs) virtus propriè sumatur, neu„ trum est alterum, licet si largè sumantur & impropriè, „ vel sint synonima vel sint convertibilia unum in altero. *Num.* 11.

Fatetur quoque ibidem Fagnanus, quod secundùm locorum consuetudinem hæc nonnumquam accipiantur tamquam synonima.

X. Si Belgii nostri consuetudinem inspiciamus, passim in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Beneficia præeminentiam sive locum honorificum in choro annexum, habentia, sine ulla jurisdictione aut administratione non *Personatus*, sed Dignitatis nomen obtinent, atque pro Dignitatibus reputantur; uti in Præposituris multarum Ecclesiarum videri potest. Neque ullus in Ecclesiis Belgicis visitur Personatus cum aliqua præeminentia in choro; sed qui in aliquibus particularibus Ecclesiis Personatus supersunt, ii plerique inter *simplicia Beneficia* recensentur; adeò ut etiam minoribus ætate conferantur, uti ex Zypæo Andreas Vallensis titulo *De Prabendis* §. 2. *num.* 7.

XI. Itaque ex vulgari & communi modo loquendi, hodie in multis Ecclesiis reputantur & dicuntur etiam Dignitates quæ nullam administrationem in Ecclesia habent; sed tantùm præeminentiam in choro & aliis publicis actibus: tametsi uti observat Fagnanus loco citato *n.* 22. propriè dicta Dignitas sit cum administratione; aliàs dicenda Dignitas *ventosa*; "quæ est (ait) *abusivè* Dignitas, & cujus effe„ ctus alius non est, quam ut invidiam generet, & scanda„ lum seminet inter fratres." Quid de Præpositis hodiernis qui nullam administrationem annexam habent, nec aliquid

liquod in Ecclesia officium praestant, imò nec resident, dicendum sit, dixi *parte* 1. *titulo* 12. *cap.* 1.

XII. Sicuti ad rationem Beneficii Ecclesiastici hodie spectat, quod sit *perpetuum*, ita quoque praeminentia cum jurisdictione propriè pro Dignitate non reputatur; neque eam obtinens in Dignitate constitutus dicitur, ni *perpetua* fuerit; titulumque perpetuum vigore Canonicae institutionis assequatur.

XIII. Ita Vicarius generalis Episcopi non tantum jurisdictionem, sed & praeminentiam quamdam habet, praecedendo alios Canonicos, quin & Archidiaconum, praesertim dum nomine Episcopi intervenit in actibus suae jurisdictionis seu administrationis; verbi gratia in examine Ordinandorum, vel pro concursu ad Ecclesias Parochiales. Hic tamen Vicarius non censetur propriè habere Dignitatem, neque in Dignitate constitutus; eò quod omnis ejus jurisdictio, & ex hac profluens praeminentia sit duntaxat *vicaria* ad nutum revocabilis: unde nec similis Vicariatus cum alia Dignitate est incompatibilis.

XIV. Ut autem sciatur quae pro dignitate haberi debeant, inspicienda est institutio ac potissimum Ecclesiarum consuetudo. Quaedam enim in una Ecclesia pro simplici officio aut Beneficio, & in aliis pro dignitate reputantur. Similiter quo ad ordinem & praeminentias inter dignitates, singularum Ecclesiarum consuetudo, quae in singulis penè Ecclesiis diversa est, attendenda est, uti rectè advertit Pinsonius *De Beneficiis cap.* 4. §. 20. *num.* 7. additque, consuetudinem cujusque Ecclesiae ita spectandam, ut eatenus quisque dicatur habere *dignitatem* vel officium, quatenus reputatur esse in officio vel *dignitate*, ut in hoc verè dici possit, plus esse in opinione, quam in rei veritate, quod omnes Interpretes (ait) uno simul ore pronuntiant auctoritate *Cap.* CUM OLIM *De Consuet.*

XV. Jura honorifica, quae hodie solent competere iis qui in dignitate sunt constituti: quaeque hodie quodammodo indicia sunt dignitatum; & utinam à plerisque praecipuè non appetantur! consistunt plerumque in loco honorabiliori sive digniori in choro, in congregationibus, & processionibus aliisque publicis conventibus; item aliquando in vestium distinctione; quod v. g. praeter Superpelliceum, Rochetum ferre possint: insuper, quod saepius quàm reliqui Canonici aliive de Clero incensentur, aliisque similibus; circa quae singularum Ecclesiarum consuetudo principaliter attendenda est.

XVI. Hoc unum summoperè dolendum, quod ferè penes haec sola jura honorifica dignitates Ecclesiasticae aestimentur, haecque sint pro quibus in dignitate constituti maximè saepe sunt solliciti: pro quibus conservandis, aut nonnumquam etiam augendis, contentiones & lites, cum magno laicorum scandalo excitantur, summoque fervore aguntur.

XVII. Sanè haec honoris & praeminentiae signa unicè ex mente Ecclesiae exhibentur, ut impleatur illud Apostoli: *Cui honorem, honorem*; id est, honor & reverentia exhibeatur iis, quibus honor ob gradum quem in Ecclesia obtinent, debetur; non ut ipsi inde extollantur, sed potius ut memores officii sibi ratione eminentioris gradus incumbentis humilientur, & de ratione reddenda contremiscant.

XVIII. Meminisse debent, quod "dignitates in Ecclesiis praesertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, uti loquitur Synodus Trid. *Sess.* 24. *cap.* 12. *De Reformat.* ut qui eas obtinerent, pietate praecellerent aliisque exemplo essent, atque Episcopos operâ & officio juvarent." Ex quo tamquam consequens infert Synodus: "Meritò qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere possint.

Itaque quod ad Episcopos & Praelatos dixit S. Bernardus, ad omnes in dignitate constitutos meritò dici potest: "Honorificabitis autem (ministerium) non cultu vestium, non equorum fastu, non amplis aedificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis.

XIX. At externa illa honoris ac praeminentiae signa, nec non opimi proventus Dignitatibus plerumque annexi, ita oculos hominum obfuscant, ut in iis onera annexa non videant, aut sane non attendant.

"Multi enim non tantâ fiduciâ & alacritate currerent ad honores, si esse sentirent & onera;" uti loco citato *cap.* 7. loquitur Bernardus, qui & subdit: "Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria & non poena, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles aestimant & ingloriosos, qui quocumque in eminentiori loco non fuerint sublimati.

Itaque verissimum est, quod ait idem Doctor ibidem: "Meditantibus (dignitates) honores blandiuntur, sed onera pensantibus taedio sunt atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum.

XX. At Ecclesia ipsas dignitates secundum officia ac onera iis annexa attendens: considerantque quod quo majori in gradu & officio Ministri sunt constituti, eo magis conveniat, ut prae caeteris sint ab omni vel specie mali immunes, nonnumquam in inferioribus Ministris aliqua tolleranda aut permittenda judicat, quae nequaquam in Praelatis atque in dignitate constitutis toleranda aut permittenda censet.

XXI. Quapropter etiamsi dignitates revera sint beneficia, tamen si super aliquo defectu cum Clerico fuerit dispensatum, ut non obstante illo defectu, Beneficium habere queat, non intelligitur sub nomine *Beneficii* comprehensa *dignitas*: ideoque nec vigore hujusmodi dispensationis, *dignitatem* obtinere poterit; ita post Garciam aliosque Canonistas Pyrrus Corradus in Praxi dispensationum *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1.

XXII. Eadem ratione (pergit Corradus) si mandatum sit ad Beneficia *curata* & *quaecumque alia*, profectò non includetur dignitas *curata*; quae quidem dignitas non excluditur, ex eo quod non sit Beneficium Ecclesiasticum, sed quia est *qualificatum*.

XXIII. Ad haec, quia inter dignitates aliae sunt aliis majores, etiamsi dispensatum sit simpliciter pro dignitatibus, nequaquam tamen censetur dispensatum pro *majoribus* & *principalibus*, nisi id sit expressum.

Quare juxta stylum Curiae, quando dispensatio conceditur pro quacumque dignitate, solet dici, quod non obstante hoc defectu promoveri queat Orator ad dignitates, etiam *majores & principales*.

XXIV. Majores autem dicuntur respectu Ecclesiarum Cathedralium & Metropoliticarum illae, quae in his Ecclesiis post Episcopalem aut Archiepiscopalem sunt *majores*: pro qua majoritate dignoscenda, recurrendum esse ad consuetudinem Provinciarum & Ecclesiarum post Mendosam tradit Pyrrus Corradus loco citato *num.* 14. "Et sic (ait) aliquando prima dignitas est Archidiaconatus, aliquando verò Archipresbyteratus secundum locorum consuetudines; licet hac consuetudine circumspectâ, de jure communi Archidiaconatus sit major dignitas.

Principales dicuntur in Ecclesiis Collegiatis quae sunt primae in illis Ecclesiis: idque rursus spectatâ consuetudine Provinciarum & Ecclesiarum: habeturque principalis, si major dignitas non sit in ea Ecclesia; etiamsi forsan aliae nec minores ibidem sint; uti probat ibidem Pyrrus Corradus.

Videri in hanc rem poterunt, quae supra *titulo* 10. *cap.* 1. dicta fuerunt occasione dispensationis super irregularitate ex defectu natalium.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

De Beneficiis Regularibus & Secularibus.

1. *Distinctio inter Beneficia Secularia & Regularia olim ignota.*
2. *Quæ Regularia dicantur; & quæ talia ex ipsa Beneficiorum conditione?*
3. *Beneficium Regulare ex fundatione.*
4. *Potest esse tale titulo præscriptionis.*
5. *Quid ad hanc præscriptionem requiratur?*
6. *Quando requiratur possessio 40. annorum?*
7. *Quid Beneficium Seculare?*
8. *Omnia Beneficia præsumuntur* Secularia.
9. *Exceptiones ab hac regula.*
10. *De quibus Beneficiis regula intelligenda: & ratio regulæ.*
11. *Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus conferenda.*
12. *Prior pars regulæ probata à Synodo Tridentina,*
13. *An nondum professus sed profiteri intendens possit habere Beneficium Regulare?*
14. *Beneficia Regularia ex sua natura non conferenda nisi Professis vi Concilii Trid.*
15. *Id conforme praxi hodiernæ.*
16. *Quædam Beneficia Regularia conferri possunt nondum professis.*
17. *Beneficia non curata Secularia Regularibus conferri nequeunt.*
18. *An Monachi de jure possint ad Ecclesias Parochiales* Seculares *ab Episcopis assumi?*
19. *Utrum Monachi olim assumpti ad regimen Ecclesiarum Parochialium manserint Monachi?*
20. *Decretum Synodi Lateranensis de Monachis Ecclesiis Parochialibus præficiendis.*
21. *Hoc Decretum de Canonicis Regularibus non loquitur.*
22. *Canonici Regulares* de jure *ad Ecclesias Parochiales per Episcopum assumi possunt.*
23. *Contraria resolutio S. Congregationis probata à Gregorio* XIII.
24. *Ea resolutio magis militat in aliis Regularibus.*
25. *Sustinent Canonici Regulares hanc resolutionem non esse receptam: quod & praxi videtur conforme.*
26. *Canonici Præmonstratenses dicuntur habere privilegium obtinendi Ecclesias Parochiales seculares.*
27. *An Canonici Præmonstratenses Beneficiis Parochialibus præfecti possint ad nutum solius Abbatis revocari?*
28. *Mendicantes ad Beneficia admitti non possunt.*

I. Famosa & communis est divisio Beneficiorum in *Regularia & Secularia*; quæ divisio præcipuè seculis posterioribus invaluit; postquam & ipsa officia claustralia, quæ primitus erant *merè officia* vel *obedientiæ*, cœperunt lentim in Beneficia & Dignitates degenerare, cœperuntque Monachi etiam manentes Monachi ad functiones *hierarchicas* assumi.

II. Regularia Beneficia communiter hodie vocantur, quæ Religiosis addicta sunt, aut per Regulares regi debent.

Contingit autem pluribus titulis, ut Beneficia Regularibus habeantur addicta. Primò quidem ex vi institutionis seu quasi natura & conditione Beneficiorum: eò quod officium hujusmodi Beneficiis annexum, ipsam Regularium disciplinam & regimen, vel quo ad spiritualia, vel temporalia immediatè concernat: ideoque conveniens plane sit, ut Regularibus potius, quàm Secularibus officium illud committatur.

Hujusmodi Beneficia sunt Abbatiæ, Prioratus, tam Conventuales, quàm Claustrales, aliaque Regulare regimen concernentia.

III. Secundò Beneficium aliquod potest esse Regulare in speciali fundatione: quia Fundator Beneficii ordinavit, ut Beneficium Regularibus esset addictum, sive per Regularem regeretur, ipsumque Beneficium ea conditione ab Ordinario admissum & erectum fuit.

IV. Tertiò titulo præscriptionis Beneficium aliquod antea seculare fieri potuit regulare; ita ut vi hujus præscriptionis jam Regularibus censeatur addictum, & per Regulares regi debeat.

De hoc titulo agitur in *Cap. 5. De Præbendis in* VI. ubi declarat Bonifacius VIII. "Quando scribitur, ut provi„deatur de aliquo Prioratu alicui Clerico *seculari*, provi„deri non potest de Prioratu, qui per Religiosos (juxta mo„dum præmissum) est solitus gubernari.

Modus autem præscriptus, & in eodem Capitulo expressus est, "si tanto tempore ab uno vel pluribus Religio„sis extitit continuè ac pacificè gubernatus, ut præscriptio „legitima sit completa.

V. Ad hanc præscriptionem communiter post Glossam ad dictum *Cap. 5.* requirunt Doctores possessionem *quadraginta* annorum; sive ut Beneficium illud fuerit continuè ac pacificè per 40. annos per unum pluresve Regulares possessum & *tamquam* Beneficium *regulare* ipsis Regularibus in *titulum* Beneficii collatum.

Si ipsis Regularibus esset collatum ex dispensatione tamquam seculare, aut forsan ob defectum Secularium commendatum, hæc quantumvis *longissimi* temporis possessio non sufficeret ad immutandam naturam Beneficii, uti rectè advertit Rebuffus ad concordata titulo *De Collationibus* §. *Volumus*, verbo, *Regularia.*

VI. Monet quoque ibidem Rebuffus, requiri possessionem 40. annorum, ut Beneficium seculare reddatur regulare, aut e contra; sed id intelligendum esse, "quando pro„baretur Beneficium esse regulare, vel e contrario, vel vera „qualitas, secus si vera qualitas non probaretur; quia tunc „sufficit quod fuerit *ultimò* possessum per Secularem, licet „non intervenerit præscriptio ad hoc, ut Seculari debeatur „si probaretur possessio hinc inde, eo casu attenderetur *ul„timus* status." Vide latius Pyrrum Corradum *lib. 1. Praxis Beneficiariæ cap. 6.*

VII. Beneficium seculare dicitur, quod Clericis secularibus est addictum, Seculares autem Clerici dicuntur, qui nullam professi sunt Regulam, sed in seculo Deo serviunt, ait Rebuffus in Praxi Benef. *parte 1. titulo Quotuplex sit Beneficium num. 1.* Inde & Canonici seculares eo titulo distinguuntur à Canonicis regularibus: quod hi, & non illi Professionem Religiosam juxta certam Regulam emittant; uti latius notatum est *parte 1. tit. 7. cap. 1.*

VIII. Tradit ibidem Rebuffus *n. 3.* regulam à Canonistis communiter receptam: "Regulariter omne Beneficium „præsumitur seculare ex primæva institutione, nisi probe„tur regulare. Ideo (*ait n. 4.*) secularis non tenetur proba„re esse seculare, sed is, qui illud regulare dicit: quia habet „præsumptionem pro se qui est secularis.

IX. Exceptionem à Regula subjungit Rebuffus *num. 6*, quoad Capellas fundatas in Monasterio: "Quia illæ (ait) „præsumuntur Regulares, nisi per Seculares teneri sint so„litæ.

Quod de his Capellis asserit Rebuffus, potiori jure dicendum est de Abbatia, Prioratu, aliisque similibus Beneficiis, quæ non tantùm in Monasterio sunt fundatæ, sed ipsum regimen Monasticum propriè respiciunt: proinde Clericis secularibus minùs conveniunt: utpotè qui nec vitam regu-

larem

larem professi, nec in hac vivendi ratione instituti, minùs Idonei ad regimen Monasticum creduntur: unde hic rectè applicatur illud Pontificis in *Cap.* 49. ⁒ *De Electione*, quod "in Magistratum assumi non debeat, qui formam „ discipuli non assumpsit, nec sit præficiendus, qui subesse „ non novit.

X. Regula ergo suprà expressa, & omnium Canonistarum calculo probata, intelligenda est de Beneficiis extra Monasterium in Ecclesiis secularibus fundatis; aut quæ ad populi aut Cleri directionem spectant; atque eatenus Monachis & Regularibus vitam contemplativam, & solitariam procul à conversatione secularium remotam profitentibus, minùs congruis.

Hinc Rebuffus *num.* 7. asserens "quod Parochiales Ec- „ clesiæ præsumantur seculares, quia regulares sunt cum eis „ inhabiles *Cap.* MONACHI ⁒ *De statu Monach.* "Rationem inhabilitatis subjungit: "Nam Monachi plangen- „ tis, & non docentis habent officium, *Can* MONACHUS & „ *Can.* PLACUIT *caus.* 16. *q.* 1.

XI. Insuper in hoc Beneficiorum genere recepta est hæc regula: *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus*, conferenda.

Hæc regula ab omnibus Canonistis probata, fundatur in variis textibus Juris, ac signanter in *Cap.* CUM DE BENEFICIO, & *Cap.* CUM SINGULA *De Præbendis in* VI. item *Clem. unica De Supplenda neglig. Prælat.* in qua expresè dicitur, quod Diœcesani negligentiam Prælatorum in conferendis Beneficiis vacantibus supplere debeant: "Prioratus, „ Ecclesias, administrationes & Beneficia hujusmodi, illa „ videlicet quæ consueverunt per *seculares* Clericos gu- „ bernari, *secularibus* Clericis, alia verò quæ *Religiosis* „ dumtaxat committi sunt solita, vel conferri *Religiosis* „ Monasteriorum, quorum Prælati hujusmodi negligentes „ fuerint, conferendo.

XII. Prior Pars regulæ, quæ vult, Regularia Regularibus conferri, probatur à Synodo Trid. *Sess.* 14 *cap.* 10. *De Reformat.* ubi statuit. "Regularia Beneficia, in titulum Re- „ gularibus professis provideri consueta, cum per obitum, „ aut resignationem, vel aliàs illa in titulum obtinentis va- „ care contigerit, religiosis tantùm illius ordinis, vel iis qui „ habitum omninò suscipere & professionem emittere te- „ neantur, & non aliis, ne vestem lino lanâque contextam „ induant, & conferantur.

XIII. Hoc Decretum Synodi videtur admittere, ut beneficia Regularia conferantur iis Clericis secularibus qui habitum omnino suscipere & professionem emittere teneantur; at Fagnanus pluresque Canonistæ putant, distinguendum esse inter Beneficia Regularia, ut nimirum illa quæ administrationem seu Regimen Monasticum sive regulare annexum habent, ut sunt Abbatiæ Prioratus similiaque beneficia regularia non comprehendantur sub his verbis Concilii Tridentini; sed dumtaxat Beneficia Regularibus conferri consueta, atque eo titulo *Regularia*; sed nullam administrationem aut regimen Monasticum seu Regulare habentia: eamque distinctionem etiam probâsse Sacram Congregationem refert Fagnanus ad *Cap.* CUM CAUSAM ⁒ De Electione *num.* 58. "Nam proposito dubio: "an præter „ Papam ordinarii Collatores possint Regularia beneficia „ in titulum Regularibus professis provideri consueta con- „ ferre etiam secularibus, qui illius Ordinis habitum om- „ ninò suscipere, & professionem emittere teneantur. Die „ 12. Decembris 1585. Sacra Congregatio censuit, posse „ etiam ordinarios Collatores portiones Monachales, & „ canonicales, & similia simplicia beneficia Regularibus „ provideri consueta conferre, nedum ejus Ordinis profes- „ sis, sed & secularibus, qui habitum suscipere, & profes- „ sionem emittere omnino teneantur. Abbatias tamen, „ & beneficia administrationem habentia non nisi pro- „ fessis juxta Canones per Ordinarios inferiores confer- „ ri posse.

XIV. Probat igitur ibidem Fagnanus quoad beneficia Regularia administrationem Regularem habentia, in nullo derogatum esse per superius Decretum Concilii Tridentini Juri communi: ideoque & hodie juxta citatum *Cap.* Nullus, similia beneficia regularia non posse conferri, nisi *expressè Professis.* Quod & ipsum Concilium Tridentinum satis innuit *sess.* 25. *cap.* 21. *De Regularibus* dicens quod "confidat Pontificem pro sua pietate & prudentia curatu- „ rum, ut quæ in posterum vacabunt (id est Abbatiæ „ Prioratus, Præpositura quæ suos conventus habent) „ *non nisi Regularibus* spectatæ vitæ & sanctitatis confe- „ rantur.

XV. Testatur quoque Rebuffus in Praxi benef. tit. De *Dispensatione cum Regularibus num.* 24. "Hodie non „ admitti quem in Francia ad beneficia regularia, Priora- „ tum aut aliam administrationem, nisi is sit *expresse* pro- „ fessus, nisi à Papa cum derogatione, & certa scien- „ tia &c.

XVI. Quoad Beneficia autem Regularia simplicia, cujusmodi sunt præbendæ, portiones Monachales & alia id genus ad ea obtinenda. "non requiritur actualis professio, „ imò nec habitus regularis; sed satis est, ut hujusmodi be- „ neficia conferantur Clericis secularibus, qui habitum il- „ lius ordinis suscipere, & professionem emittere teneantur" ait Fagnanus *num.* 34.

XVII. Secunda pars supradictæ regulæ, volens beneficia secularia secularibus conferri excludit à similibus beneficiis ipsos Regulares.

Conformiter ad hanc regulam, ex omnium Canonistarum sententia, Beneficia *secularia* non curata, ut sunt Canonicatus, Capellaniæ aliaque similia sine dispensatione Papæ Regularibus conferri nequeunt. *Cap.* 9. ⁒ *De Regularibus*; & latè Fagnanus ad *Cap.* QUOD DEI TIMOREM ⁒ *De Statu Monach. num.* 18.

XVIII. Verum de beneficiis Parochialibus & Curatis non adeo expeditum est, dubitaturque, num Regulares de licentia suorum Prælatorum ad hujusmodi beneficia secularia promoveri nequeant; estque in hoc maxima inter Doctores varietas opinionum, ait Fagnanus ad *Cap.* QUOD DEI TIMOREM ⁒ *De statu Monach.* asseritque "com- „ muniter teneri, Monachum de jure ex causa *utilitatis* de „ Abbatis consensu ab Episcopo promoveri posse ad Pa- „ rochialem Ecclesiam sine dispensatione, dummodò cum „ eo habitet alius saltem Monachus.

Fundatur hæc Doctorum assertio præcipuè in citato *Cap. Quod Dei timorem* ⁒ *De Statu Monach.* ubi interrogatus Innocentius III. an Canonicus Regularis S. Victoris posset retinere officium Plebani, cui ante professionem præfuerat, respondet: "Licet autem in Lateranensi „ Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas & „ oppida per quascunque parœciales ponantur Ecclesias, „ &c. quia tamen istud de Canonicis Regularibus specia- „ liter non cavetur, qui etsi à Sanctorum Monachorum „ consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen inserviunt „ laxiori, & per antiquos canones etiam Monachi possunt „ ad Ecclesiarum parochialium regimen in presbyteros or- „ dinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privi- „ legiatum est) exercere: sic annuendum duximus postu- „ latis, ut exercens plebani officium, si commodè fieri pote- „ rit, unum Canonicum Regularem tecum habeas ad cau- „ telam: cujus in his, quæ Dei sunt & Regularis observan- „ tiæ, tam consortio, quam solatio perfruaris.

Ex hac Decretali concludunt Doctores, Monachos secundum antiquos Canones potuisse ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.

XIX. Verùm, an dum olim Monachi ad Parochiales Ecclesias & regimen populi assumebantur, adhuc Monachi manerent, non ita constat; negativam multis novissimè adstruxit Nicolaus Desnos Prior & Administrator generalis majoris Domûs Dei Pruvinensis Ordinis Canonicorum Regularium Divi Augustini in suo *Canonico Seculari & Regulari lib.* 3. *cap.* 15. & 16. contendirque Monachatum

"com-

„ consistere specificè & essentialiter in renuntiando curis „ secularibus, & sollicitudinibus ac muniis Ecclesiasticis: „ quorum primo (ait) Monachus differt à vulgaribus laicis, „ & secundo distinguitur à Clericis.

Deinde citato Canone 4. Calchedonensis Concilii, quo Monachis injungitur conformiter ad eorum professionem *quietem amplecti, jejunio & orationi tantummodo vacare, nec Ecclesiasticis nec secularibus negotiis se ingerere aut communicare*, tandem concludit: "Ex quo colligitur „ vera & germana imo & unica characteristica Monachatûs, *abdicatio scilicet secularium negotiorum & curarum ac sollicitudinum hierarchicarum ac Ecclesiasticarum*.

XX. Quidquid sit, certum est, labentibus seculis, Monachos etiam ad curam animarum & functiones Hierarchicas salvo Monachatu fuisse applicatos; quamquam & illud verum sit, quod per Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap. 2.* & *De statu Monach.* cautum sit, "ne Monachi singuli per villas & oppida per qualecumque Parochiales ponantur Ecclesias, sed in majori conventu, aut „ cum aliquibus fratribus maneant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent.

XXI. Hujus Decreti in citato Capitulo *Quod Dei timorem* meminit Innocentius III. asseritque illud de Canonicis Regularibus specialiter non caveri; *qui etsi à Sanctiorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regula tamen reservetur* LAXIORI: quod ultimum intelligendum credo, quod non tam arctam quàm reliqui Monachi solitudinem, & à secularibus, & Ecclesiasticis functionibus separationem profiteantur: sed magis, quàm Monachi ad Clerum accedant. Quem sensum non obscurè indicat, dum ex hac sua sententia infert, officium Plebani Canonico Regulari S. Victoris committi posse.

XXII. Hinc communiter tradunt Doctores, Canonicum Regularem sine dispensatione Pontificia de solius sui Prælati licentia posse per Episcopum ad Beneficium Parochiale, etiam *seculare* assumi; quod & Synodus Tridentina supponere videtur *sess. 14. cap. 11. De Reformat.* specialiter ibidem decernens: "quod Regularis de uno ad alium ordinem *translatus*, etiamsi Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia *secularia*, etiam curata, omnino incapax „ existat.

XXIII. Nihilominus cum anno 1581. sub Gregorio XIII. quæsitum esset, an Canonici regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam tam ad tempus, quàm perpetuo Pontifex "noluit licere illis Regularibus, etiam de „ licentia sui Generalis absque permissu summi Pontificis „ assumere curam etiam ad tempus, multoque minùs Beneficium curatum in titulum. "Ita se reperisse annotatum in libris publicis sacræ Congregationis asserit Fagnanus loco citato *num. 16.* additque: "Et subinde cum Canonici Regulares Lateranenses peterent, ut sibi liceret cum licentia „ sui Generalis obtinere Beneficia curata in titulum vel ad „ tempus, & res à Congregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuit.

"Ex his patet (ait Fagnanus) Canonicos Regulares hac "Decretali (quæ incipit *Quod Dei timorem*) non obstante, hodie assumi non posse ad regimen parochialium Ecclesiarum absque dispensatione Romani Pontificis.

XXIV. Ulterius hinc infert Fagnanus, quod si Canonici Regulares assumi nequeant absque dispensatione summi Pontificis, multò minùs assumi possint aliorum Ordinum Regulares: responditque Congregatio, Regularem ab Episcopo non posse præfici curæ animarum sine dispensatione Apostolica, quæ non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate aut utilitate Ecclesiæ.

XXV. Verùm Gabriel Pennottus *Lib. 2. Histor. trip. Canon. Regular. cap. 72.* multis probat, etiam jure novo, Canonicos Regulares sine dispensatione Apostolica de licentia suorum Superiorum ad Beneficia secularia curata posse assumi, modò *translati* non sint de quibus in *cap. 11. sess. 14.* Concilii Tridentini neque obstare citatam declarationem S. Congregationis seu Decretum sub Gregorio XIII. quia (ait) eam declarationem quoad Canonicos Regulares numquam fuisse practicatam; asseritque S. Carolum Borromæum anno 1584. adeoque triennio post editam allegatam declarationem, quemdam Canonicum Regularem ad concursum admisisse, eique Parochialem Ecclesiam contulisse; atque ita post dictum Decretum resolvisse *Rotam* Romanam ibidem asserit Pennottus; quin & *num. 7.* refert anno 1602. Sacram Congregationem censuisse "Decretis Concilii Tridentini Canonicum Regula„ rem non prohiberi obtinere Beneficia curata secularia, „ nisi fuerint ex iis translatis, de quibus habetur *cap. 11.* „ *sess. 14.*

XXVI. Sententiam Pennotti amplectitur Ascanius Tamburinus *tomo 3. De Jure Abb. Disp. 9. quæst 8.* subjungens ibidem Consilium Vincentii Parenti J. U. Doctoris idipsum fusè astruentis. Conformiter ad hanc opinionem, videmus subinde Canonicos Regulares ad Beneficia curata etiam *secularia* assumi, asseruntque Canonici Præmonstratenses, se ex speciali quoque privilegio obtinere posse Ecclesiam Parochialem secularem, uti testatur Zypæus *Consult. 1. De Institutionibus num. 3.* ibidem notans, quod si Ecclesia sit secularis nec unita Monasterio, sed simpliciter jus patronatus pertineat ad Prælatum, & ad eam præsentet Regularem, isque ab Episcopo admittatur, ratio major videatur, quod is ex nutu Prælati non possit amoveri, quàm si esset Beneficium Regulare; eo quod Beneficia secularia sint ex natura perpetua: adeoque Regularis ad simile Beneficium à Prælato præsentatus, & ab Episcopo admissus & institutus, videatur institutus juxta naturam ipsius Beneficii.

XXVII. Cæterum de amovibilitate sive revocatione Præmonstratensium, qui Parochialibus Ecclesiis etiam unitis & Regularibus sunt præfecti; tractat Zypæus in Jure Novo titulo *De Regularibus n. 46.* ibidem citans duo Diplomata Pontificia, "alterum Joannis specialiter Evorbo„ diensi Abbatiæ concessum, alterum Julii anno 1512. Abba„ tiæ Præmonstratensi, reliquisque generatim ejusdem Or„ dinis: per quæ datur facultas Prælatis suos Religiosos a„ movendi, quoties eis videbitur, sive ad nutum.

Dein subdit: "Quem tamen non pro libidine, sed arbi„ trio boni viri interponi oportet, atque ex causis justis, „ quia honor delatus finem certi temporis ac loci non ha„ bet. Non tamen levi vel nulla ex causa amotis adversus „ superiores querelam concedo, ut facit Chenu *recueil de* „ *reglements tit. 33. cap. 204.* ex doctrina Panormitani „ & Joannis De Selva, quam per dispositionem Tri„ dentini *cap. 2. De Regularibus* cessare existimo. "Hæc Zypæus.

Verùm cùm non ita pridem fusè disputatum fuisset in Gallia coram Commissariis per Regem deputatis, num Præmonstratenses essent amovibiles & revocabiles à suis Pastoratibus ad nutum suorum Prælatorum sine consensu Ordinarii, facta relatione, judicatum fuit per Parlamentum Regium 12. Sept. 1678. fas non esse Abbatibus, neque Generali Ordinis eos sine consensu Ordinarii revocare. Totus status causæ ejusque occasio, nec non rationes utrimque productæ latè deducuntur in opere quod intitulatur, Journal Du Palais, *tom. 7. pag. 17.* & sequentibus.

XXVIII. In Gallia ex edicto Caroli VII. nullus professus in aliquo Ordine Mendicantium potest promoveri ad quodcumque Beneficium cujuscumque tandem qualitatis, exceptis Episcopatibus; sunt & provisi jam pridem repulsi & ad sua Monasteria remissi. Hodie tamen subinde mediante dispensatione Pontificis ab Episcopis admittuntur ad Beneficia Curata in defectum Sacerdotum secularium. Decretum refert Tournetius in collectione Arrestorum *Litt. B. cap. 42.*

CA-

CAPUT IV.

De Beneficiis Curatis & simplicibus; ac præcipuè de Capellaniis.

1. *Cura animarum alia quoad forum interius, alia quoad forum exterius.*
2. *A priori Beneficia propriè* curata *dicuntur.*
3. *Beneficium cum onere juvandi Parochum in Confessionibus audiendis, aut concionando non est Beneficium* Curatum.
4. *De Cura animarum quoad forum interius, quid dicant Concilium Lateranense IV. & Tridentinum.*
5. *Hæc etiam intelligenda de cura animarum Dignitatibus* curatis *annexa.*
6. *Obtinens Beneficium* curatum *vi sui tituli exercet omnia quæ Cura animarum requirit.*
7. *Neque ea sine causa, vel sine ordine juris adimi possunt.*
8. *Quæ dicantur Beneficia* simplicia?
9. *An Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum veniat nomine* simplicium *Beneficiorũ.*
10. *Quid de Capellanis: & quæ distinctio inter* Capellam & Capellaniam?
11. *Unde Capellarum origo? & quid primitus* Capella S. Martini?
12. *Capella postmodum dicta ædes sacra.*
13. *Quare dictæ fuerint* palatinæ? *Et de Capella Aquisgranensi.*
14. *Reges multa habentes palatia in singulis habebant Capellas, hisque Presbyteri erant præpositi.*
15. *Exemplo Principum alii quoque laici cœperunt extruere* capellas.
16. *Quomodo in Ecclesiis Parochialibus & Canonicalibus extrui cœperint.*
17. *Capellæ sine auctoritate Episcopi erigi non poterant; & inde in Beneficia transierunt.*
18. *Numerus Capellarum in Ecclesiis Canonicorum valde auctus; & quare?*
19. *Vigente vita communi Canonicorum, Capellani à Canonicis non distinguebantur.*
20. *Capellani æquè ac Canonici ad persolvendum solemne divinum Officium obstricti.*
21. *Canonicatus & Capellaniæ reputantur Beneficia* Uniformia.
22. *Quomodo Canonici se habere, debeant erga Capellanos.*
23. *Unde nomen Capellanorum hodie viluerit?*
24. *Pro reformatione Capellanorum conveniens esset, eorum numerum minuere.*
25. *Capellaniæ in Ecclesiis Canonicalibus quâ ratione* simplicia *Beneficia?*
26. *Capellaniæ in Ecclesiis Parochialibus aut separatis Sacellis quem in finem primitus instituta.*
27. *Ex prima institutione residentiæ* personali *videntur fuisse obstrictæ.*
28. *Sensim persuasum fuit, oneri celebrandi* Missam *satisfieri per Missam* privatam;*eamque alteri committi posse.*
29. *Hinc tandem consuetudine obtentum, hujusmodi Capellanias residentiam non requirere.*
30. *Hæc Beneficia antonomasticè dicta sunt simplicia.*
31. *Beneficia hæc videntur quasi sine officio; quid de his statuendum in Synodo Tridentina postulatum nomine Regis Galliæ.*
32. *Quid statuerit Synodus Tridentina?*
33. *Quibus hæc Beneficia conferenda.*
34. *Fundationes Missarum antequam in titulum Beneficii sint erectæ, manent laicales.*

I. Beneficium curata dicuntur, quæ animarum curam annexam habent.

Hæc cura si ad forum interius sive conscientiæ spectet, tunc Beneficium, cui similis cura est annexa, *propriè* vocatur Beneficium curatum; utpote cui propriè cura spiritualis animarum incumbit.

Si autem cura hæc dumtaxat pertineat ad forum externum & contentiosum, vi cujus exerceat ea quæ sunt jurisdictionis spiritualis, qualia sunt inquirere, suspendere, excommunicare, à censuris absolvere aliaque similia, tunc Beneficia quibus hujusmodi cura annexa est, impropriè dicuntur Beneficia *curata*; neque nomine Beneficiorum *curatorum* intelligi solent.

II. Beneficia itaque curata propriè dicta sunt, illa quibus cura animarum quoad forum interius, sive directionem conscientiæ annexa est; ita ut possessor hujusmodi Beneficii vi sui tituli habeat curam animarum in foro interno, respectu certarum personarum.

Hinc notat Rebuffus, quod de jure communi nullum Beneficium habeat curam, nisi habeat populum vel Clerum; cujus scilicet cura Beneficio annexa est, & Beneficiato incumbit.

III. Primò itaque Beneficium aliquod non dicitur *curatum*, tametsi ex lege fundationis debeat Parocho v.g. in officio concionandi, aut confessiones excipiendi assistere, eò quod hujusmodi functiones possint esse sine propriè dicta cura animarum: quæ non tantùm requirit exercitium concionandi aut confessiones audiendi; sed ea omnia quæ saluti animarum populi aut Cleri, cujus cura Beneficio annexa est, necessaria & utilia sunt: ut sunt administratio Sacramentorum, non tantum Pœnitentiæ, sed & Eucharistiæ, Extremæ Unctionis & Matrimonii aliaque plura.

IV. De hac cura loquitur Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap. 14.* ☩ *De Ætate & qualit. Ordinand.* dicens: "Cum sit *ars artium* regimen animarum, districtè præcipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligenter instruant & informent, vel per seipsos vel per alios idoneos viros super divinis Officiis, Ecclesiasticis Sacramentis, qualiter ea ritè valeant celebrare.

Similiter de hac cura loquitur Synodus Tridentina *sess. 23. cap. 1. De Reformat.* ubi supponit: "præcepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum omnium operum exemplo pascere, pauperum aliarumque miserabilium personarum curam gerere, & in cætera munia pastoralia incumbere.

V. Cum ergo non tantùm Pastoribus; sed & Decanis, Præpositis & Archipresbyteris Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum cura seu regimen animarum, pro varia Ecclesiarum consuetudine & fundatione, incumbat, hi quoque recogitare debent, ea quæ ibidem Synodus Tridentina expressit, præcepto Divino sibi incumbere respectu Cleri & populi, quorum Cura ipsis ratione Beneficiorum vel Dignitatum commissa est, quodque regimen animarum ipsis incumbens, etiam dicendum sit, *ars artium*. Videri possunt quæ dicta sunt *part. 1. tit. 11. cap. 2. nu. 3.*

VI. Ulteriùs quia Beneficium curatum necessariò requirit annexam curam animarum; consequens est, quod etiam exigat facultatem faciendi ea omnia, sine quibus hæc cura plenè exerceri nequit: ideoque habens beneficium curatum, vi sui tituli seu beneficii exercet ea omnia, quæ cura animarum requirit; nisi quædam specialiter ex generali ordinatione sint excepta & Episcopis reservata.

VII. Inde præterea concluditur, quod sicuti beneficium de sua natura est perpetuum, id est, ad vitam beneficiati, neque sine causa Canonica & non servato juris ordine eo privari invitus potest; ita nec cura animarum, omniaque ei [illegible] annexa-

annexa ipsi auferri sine causa & forma judicii servata adimi, neque in iis impediri, aut ab iis suspendi. Si enim hæc adimerentur, jam ipsum Beneficium quodammodo, saltem pro parte adimi censeretur, ademptis iis, quæ Beneficio ratione causæ animarum annexa sunt.

VIII. Beneficia quæ non habent ullam curam animarum, nec in foro interiori, nec exteriori utpote quæ nec populum nec Clerum, in quem hujusmodi curam exerceant, habent, nec ullam administrationem, vocantur Beneficia *simplicia*, uti communiter notant Canonistæ; qualis *simplicis* Beneficii meminit Gregorius IX. in *Cap. fin. ... De Præbendis*.

IX. Canonicatus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum nomine *simplicium* Beneficiorum venire, communiter docent Canonistæ: quamquam in materia odiosa nomine Beneficiorum *simplicium* non venire Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium propter eorum eminentiam, & quia quasi ipsis Dignitatibus comparantur in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in* VI. doceant plerique Doctores; & ita videtur habere stylus Curiæ Romanæ, ut in materia restringibili, v. g. dispensationis, non veniant Canonicatus Cathedrales, nisi exprimantur, uti observat Garcias De beneficiis *parte* 1. *cap.* 6. *nu.* 56.

X. Beneficiis simplicibus etiam annumerari solent Capellaniæ sive Capellæ, tum in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, tum in particularibus sacellis vel oratoriis fundatæ.

"Practici Romani (ait Rebuffus in *Praxi Benef.* tit. „*Seculare Beneficium quotuplex num.* 14.) faciunt dif„ferentiam inter *Capellam* & *Capellaniam*. Nam *Capel„lam* vocant, quando est corpus per se & Ecclesia per se: „& tunc litteræ Apostolicæ diriguntur Rectori talis Ca„pellæ. Si verò altare sit in aliqua Ecclesia, tunc dicitur *Ca„pellania*, & vocari solet perpetua, & dirigitur rescriptum „tali N. perpetuo Capellano.

XI. De varia Capellarum atque Capellanorum significatione, eorumque origine latè tractat Du Cange in Glossario mediæ & infimæ Latinitatis verbo *Capella*, & verbo *Capellanus*.

In formulis Marculfi Monachi *Lib.* 1. *cap.* 38. fit mentio *Capellæ S. Martini*: præcipiturque juramenta præstari super hanc Capellam. Credit Hieronymus Bignonius in notis ad has formulas, hoc loco *Capellam* pro capsa dici, in qua Martyrum ossa conderentur.... Reliquias igitur Sancti Martini (ait) asservatas in Palatio innuit hæc formula.

At Du Cange loco citato credit hic capellam non accipi pro *capsella* in qua Sanctorum Reliquiæ conduntur; sed pro brevi *capa* sive veste S. Martini.

XII. Quidquid sit, hoc notat ibidem Cangius, quod *Capella* postmodum appellata sit ædes ipsa in qua asservata est *Capa* seu *Capella* S. Martini intra Palatii ambitum inædificata: in quam etiam præcipuæ Sanctorum aliorum reliquiæ illatæ: unde ob hujusmodi reliquiarum reverentiam ædiculæ illæ *Sanctæ Capellæ* vulgo appellatæ. Ita ille; qui pluribus argumentis id confirmat.

XIII. Monet deinde quomodo Capellæ illæ dictæ fuerint *Palatinæ*: eo quod in Palatio aut circa Palatium Regum & Imperatorum constructæ essent: atque inter præcipuas Francorum Regum Capellas Palatinas extitisse insignem illam Aquisgranensem *ex toto Romanorum orbe famosissimam* ut ait Gaufredus de vita S. Bernardi *lib.* 2. *cap.* 6. Sermonem Caroli M. Imperatoris de fundatione hujus Capellæ refert Miræus in codice piarum donat. *cap.* 11. asseritque ibi Carolus, se "*pignora* Apostolorum, Martyrum, Confes" sorum, Virginum, à diversis regnis & præcipuè Græco„rum collegisse, quæ (ait) huic sancto intuli loco, ut eorum „suffragiis regnum firmetur; & peccatorum indulgentia „condonetur.

XIV. Cum verò Reges complura haberent Palatia, idque fere in qualibet Provincia, erant quoque in iisdem Palatiis ædes sacræ, quæ propria appellatione *Capellæ* dicebantur; in quibus sacra Divorum Lipsana, quæ secum deferri à Capellanis faciebant, reconderent & asservarent.

His Capellis præpositi erant Presbyteri & Clerici, qui ibidem Divinum officium peragerent, atque inde *Capellani* Palatini vel Regii dicti: creditque Ludovicus Thomasinus de Discipl. Eccles. *parte* 4. *lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 3. præcipuum scopum Sacellorum Regiorum fuisse, ut ibi Presbyteri Divinum officium persolverent, cui Principes cum sua familia possent assistere.

XV. Lapsu temporis exemplo Regum & Principum, alii etiam fideles laici cœperunt ad honorem alicujus Sancti extruere ædiculas sive oratoria: idque subinde separatum ab Ecclesia Parochiali, aut alia Collegiata vel Cathedrali; etiam constitutâ dote pro Sacerdote, & fabrica aliisque ad Missarum aliaque Divina officia peragendum necessariis. Hæc Oratoria capellæ, & postmodum Sacella quoque dicta fuerunt, & Presbyteri iis præpositi capellani vel Sacellani.

XVI. Dein Laici non sufficientes extruere hujusmodi separatum Sacellum cum conveniente dote, cœperunt in ipsis Ecclesiis majoribus tam Parochialibus, quam collegiatis & cathedralibus, laterales aliquas ædiculas, vel etiam altaria in honorem hujus illiusve Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii vel miraculi extruere; eisque annectere annuos aliquos proventus pro Presbyteris qui his ædiculis vel altaribus præessent.

XVII. Jam pridem de capellis statutum legitur *lib.* 5. *Capitul. Reg. Franc. cap.* 182. "Ne capellæ in nostro Pala„tio vel alicubi, sine permissu Episcopi, in cujus est Paro„chia, fiant.

Hinc omnia illa Sacella, nec non altaria ubique Episcopi consensu constructa reperiuntur, & eadem auctoritate in titulum beneficii erecta: ideoque à nomine ipsius capellæ sive Altaris vel Sancti, sub cujus invocatione fundata sunt, ipsum beneficium seu *Capellania* vocari consuevit.

XVIII. Similium Capellaniarum numerus sensim mirum in modum in plerisque Ecclesiis tum cathedralibus, tum collegiatis auctus est; crediderunt que earum fundatores augmentum hoc non parùm ad decorem domûs Dei, & Divinorum Officiorum profectum pertinere; dum hi Capellani non tantùm Altaribus seu Sacellis præessent; sed unà cum Canonicis diurnum pariter ac nocturnum officium Canonicum solemniter peragerent. Hanc enim fuisse fundatorum mentem, facilè ex fundationum instrumentis intelligitur.

XIX. Scribit Molanus *lib.* 2. *De Canonicis cap.* 34. "Hi „(scilicet Sacellani) quando adhuc vigebat Canonicorum „vetus disciplina, quæ exigebat ut omnis Clerus canonicè „viveret, non discernebantur à canonicis, neque nomine „*neque functione*. Nulla tunc erat distinctio Canonicorum „à Sacellanis, imo nec nomen Sacellanorum usquam audie„batur, quod posteritas à sacellis derivavit, quasi innuere „volens hos esse minores Sacerdotes.

XX. Quidquid sit de hac Molani reflexione, hoc certum est, Canonicos & Capellanos quoad præcipuam & primariam functionem & officium, quod est ipsa Divini Officii solemnis persolutio, convenire: nec minùs hos quàm illos persolvendo huic Officio ex sua institutione obstrictos esse solere.

Unde rectè monet Molanus "eos meminisse oportere, ut „in officio Ecclesiastico piè & devotè peragendo Majo„rum suorum seu Antecessorum exempla sedulò insectentur: meminerint se ad altario & Ecclesia vivere, ut altario „& Ecclesiæ irreprehensibiliter coram Deo & hominibus „serviant.

XXI. Hinc ulteriùs hujusmodi capellaniæ reputantur incompatibiles cum Canonicatu in eadem Ecclesia; & quidem incompatibilitate *primi generis*, ut ajunt, qualis intercedit inter Beneficia *uniformia* sub eodem tecto; uti latiùs dicetur infrà *tit.* 20. *cap.* 4.

Ob

Ob eam officiorum uniformitatem, etiam Canonicorum & Capellanorum solet ferè esse vestium uniformitas; nisi quod sensim Canonici materiâ, & pellibus magis pretiosis uti cœperint; aliaque nonnulla præeminentiæ signa sibi privativè tum in choro, tum aliis Ecclesiasticis officiis attribuerint.

XXII. Solent Canonici in proventibus Capellanos multum excedere; atque ex hac temporalium abundantia factum, ut Canonici quasi Capellanis dominari cœperint, ipsosque famulorum quodammodo loco habere; de quo Canonicos monet Molanus dicens: "Canonici meminerint eos Sacerdotes esse, ideoque ob Sacerdotii dignitatem numquam eis ut famulis abutantur. Meminerint eos „ex prima institutione Canonicæ vitæ, non minus quàm „ipsi sint, Canonicos esse, ideoque semper ut *confratres* „honorandos esse, & quàm maximè laborandum, ut cum „iis pax foveatur & conservetur.

XXIII. Imò quia proventibus & dignitate Canonicis solent esse hodie multò inferiores, nomen capellanorum hujusmodi hodie quoque quodammodo viluit; ut nec ferè nisi tenuioris & vilioris conditionis Clerici ad eas soleant assumi: qui quod dolendum! sæpe etiam sordido ac mercenario plane modo Divina officia frequentant; Sacra quasi pro stipendio celebranda, unde vivant, conquirunt, seu veriùs emendicant: & extra tempus Divini officii cum maximo populi scandalo ac cleri vilipendio & opprobrio otiantur, & reliqua quæ otium consequuntur sectantur.

XXIV. Quibus Cleri reformatio incumbit, meritò expendent, num convenientiùs ad Dei honorem & decorem Ecclesiæ non foret, si Capellanorum illorum numerus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ad minorem numerum reduceretur; ut ita singuli honestam sustentationem habentes, non cogerentur ex emendicatis stipendiis & oblatis vivere; atque hinc ulterius contingeret ad Capellanias assumi Sacerdotes eâ pietate ac doctrinâ & morum honestate, qui præter Officium Chori, Missarum celebrationem, alias etiam hierarchicas functiones obirent: sicque tandem vilium illorum ac otiosorum Sacerdotum numerus qui adeò Ecclesiam scandalizat, & Sacerdotium in vilipendium adducit, saltem minueretur.

XXV. Ex hactenus dictis perquam manifestum est, quod attentis similium Capellaniarum institutione, & moderno officio eis annexo, hujusmodi Capellaniæ inter Beneficia *simplicia* sint reputandæ, eo modo quo Canonicatus præsertim Collegiatarum Ecclesiarum Beneficia *simplicia* dicuntur: quia *curam animarum* vel dignitatem annexam non habent.

XXVI. Capellaniæ in Ecclesiis Parochialibus, aut in quibusdam Sacellis fundatæ, plerumque onus persolvendi Missarum solemnia annexum habent.

Notandum autem *Missæ* nomine pridem comprehensum fuisse Divinum Officium, ac præsertim ipsius Evangelii explanationem, quæ Missæ celebrationi connexa erat: ideoque admodum verisimile, has Capellanias primitus non esse fundatas eâ intentione; ut earum possessores satisfacerent *simpliciter* Missam celebrando; sed ut se tamquam Ecclesiarum illarum ministros exhiberent Parochorum; aut sane ut in Sacellis divina officia convenienter fierent.

XXVII. Ulteriùs observandum, admodum verisimile esse, Capellanias has primitus fundatas, & in titulos Beneficiorum erectas, ut earum Possessores tamquam veri titulares hujus illiusve Ecclesiæ *perpetuò* ibidem *residerent*; atque ibidem officia Beneficio annexa *per se* explerent.

Sicuti enim primis seculis ordinatio ordinatum Ecclesiæ alicui particulari astringebat, ita juxta recentiorem disciplinam Beneficium astringit & incorporat possessorem Ecclesiæ in qua Beneficium illud est fundatum; eâ nimirum ratione, ut huic Ecclesiæ tamquam ejus minister, juxta officium beneficio annexum, deserviat. Unde etiam ex omnium Canonistarum sententia, omne beneficium quantumvis tenue obligat ad personalem residentiam; & specialiter notat Fagnanus ad *Cap. Conquerente* ※ *De Clericis non resid.* dicens: "Beneficium quantumcumque minimum puta „viginti sex solidorum, ex quo habetur pro titulo, de jure „communi personalem residentiam requirit, adeò ut non „residens beneficio privari debeat.

XXVIII. Verùm postquam invaluit, ut nomine Missæ intelligeretur Missa *privata*; persuasumque fuit, quod hi quibus onus Missas celebrandi incumbit, defungerentur Missæ *privatæ* celebratione sine alia cujuscumque Officii Ecclesiastici persolutione, sensim quoque creditum est, quod in hac Missarum celebratione non videretur consideranda capacitas, aliave personalis qualitas hujus illiusve Sacerdotis; sed perinde esse, quis Missam celebraret: si modo expressè & nominatim in fundatione expressum non esset, quod capellaniam possidens *per se* celebrare deberet.

Hinc ulteriùs invaluit, Missarum celebrationem hujusmodi posse alteri Sacerdoti committi; idque sub Honorario celebrantibus dari consueto; fructibus Capellaniæ excrescentibus ipsi Beneficiato cedentibus.

XXIX. Hinc ulterius facilè conclusum est: cum onus Capellaniæ per alium persolvi possit, beneficiatum quoque ad *personalem* residentiam non obligari: quod dum usu multorum obtinuit, neque efficaciter per Superiores reprobatum, tandem consuetudine, quasi pro lege, obtinuit, hujusmodi Capellanias à residentia *personali* esse absolutas.

XXX. Dum ergo hæc Beneficia etiã à *personali* residentia, adeoq; ab omni quasi officio exempta fierent, meritò antonomasticè dici cœperunt beneficia *simplicia*; eâque ratione rectè notavit Fagnanus loco allegato, quod quidem *de jure communi* omne beneficium requirat *personalem* residentiam, sed ex *generali consuetudine* beneficia *simplicia* residentiam non requirant; nisi aliud sit inductum de jure speciali supponens, propriè ea beneficia dici *simplicia*, quæ ex consuetudine residentiam personalem non requirunt.

Hæc sunt illa beneficia, quorum meminit Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 17. De Reformat.* permittens possidenti unum beneficium quod ad vitam ejus honestè sustentandam non sufficit, aliud *simplex*, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, conferri.

XXXI. Verùm quia beneficia dantur propter officium; injustumque apparet, ut proventus Ecclesiasticos percipiat, qui officium non præstat: neque Fundatorum animus fuisse apparet, in Clericos otiosos suos reditus profundere; viderenturque hujusmodi beneficia otiosis Clericis & Sacerdotibus alendis ac multiplicandis unicè penè servire; idcirco inter articulos pro reformatione Ecclesiæ nomine Caroli noni Galliarum Regis Patribus Tridentinis oblatos, erat hic vigesimus quartus: "Cumque plura sint beneficia, in „quibus contra beneficiorum omnium institutionem in„valuit *depravata* consuetudo, ut qui ea possident nullo te„neantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio „onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio capituli his „beneficiis curam aliquam spiritualem imponat, aut si un„lius videatur ea beneficia vicinioribus parochialibus Ec„clesiis uniat; beneficium enim sine officio esse neque debet „neque potest.

XXXII. Synodus Tridentina hisce æquissimis postulatis aliquatenus satisfecit, dum unionem hujusmodi Beneficiorum tamquam primum medium, quo Ecclesiis Parochialibus tenuioribus provideri posset, assignavit *Sess. 14. cap. 13 De Reformat.* & *sess. 24 cap. 18. De Reformat.* Item beneficia simplicia Seminariis applicari & incorporari voluit; atq; *sess. 24. c. 15. De Reform.* ad augendas tenues præbẽdas in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, declaravit quod "liceat Episcopis cum consensu Capituli ali„quot *simplicia* beneficia, non tamen Regularia, illis unire.

XXXIII. Cum dubitari nequeat, quin Ecclesiæ atque Fundatorum intentio sit, ut hujusmodi beneficia conferantur iis, qui se tamquam Ministros Ecclesiæ exhibeant; nec proventus Ecclesiasticos otiando consumant, indubiè Parro-

Patroni & Collatores similium Beneficiorum allaborare debent, ut hujusmodi Clericis conferantur, de quibus verisimilis saltem spes apparet, quod operam suam utiliter Ecclesiæ impendent, & digni erunt qui de proventibus Ecclesiæ vivant.

XXXIV. Si Laici Missas aliquas fundaverint, etiam cum onere functiones hierarchicas obeundi; si hujusmodi fundationes auctoritate Episcopi in *titulum* Beneficii erectæ non fuerint, nequaquam reputabuntur Beneficia; sed remanebunt in terminis laicalis fundationis; poteruntque sine Episcopi institutione Presbytero alicui fundationes hæ ad tempus aut in perpetuum secundum tenorem fundationis conferri: Bona quoque similis fundationis non Ecclesiastica, sed laicalia censebuntur, & juxta conditionem talium bonorum ad hæredes devolventur cum onere à Fundatoribus imposito; publicis quoque oneribus, non secus ac laicalia bona erunt subjecta; uti latius post alios citatos deducit Barbosa *lib. 3. Juris Eccles. cap. 5.* Plura de hujusmodi fundationibus dicta sunt suprà capite primo.

TITULUS XIX.
De Ætate & Qualitate Beneficiandorum.

CAPUT I.

De Ætate ad Beneficia requisita.

1. *Nihil primis seculis de ætate Beneficiorum statutum; & quare?*
2. *Seculo 11. cœperunt Beneficia conferri non insignitis Ordine necessario.*
3. *Decreta Synodalia contra hunc abusum.*
4. *Vigentibus his Decretis non erat præfigenda ætas Beneficiis.*
5. *Seculo 12. mutatâ disciplinâ necesse fuit ætatem præfigere.*
6. *Concilium Lateranense III. præfixit ætatem Beneficiis curatis & dignitatibus.*
7. *Eam præfixit independenter ab Ordinibus.*
8. *Decretum Concilii Lateranensis innovavit Synodus Tridentina.*
9. *Synodus Trid. requirit ad Dignitates non curatas annum 22. completum.*
10. *An hoc Decreto comprehendantur dignitates in Ecclesiis* Collegiatis?
11. *Veterum contentiones de ætate ad simplicia Beneficia requisita diremit Synodus Trid. requirens 14. annum inchoatum.*
12. *Hæc ætas in Belgio etiam requiritur, licet sint Beneficia juris patronatûs* laici.
13. *Quæ ætas ex præscripto Synodi requiratur ad Canonicatus Collegiatæ Ecclesiæ?*
14. *An major ætas requiratur ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium?*
15. *Antiqua regula Cancellariæ requirit 14. annos pro Canonicatibus Cathedralium, & 10. pro Canonicatibus Collegiatarum Ecclesiarum.*
16. *Hæc regula licet inter regulas Cancellariæ hodie non referatur, tamen servatur in Gallia.*
17. *Ætas præcipuè exigitur ut Provisus sit capax oneribus Beneficii satisfaciendi.*
18. *Minores ætate, solo jure naturali inspecto, ad Beneficia aliqua promoveri possent.*
19. *Quomodo primitus pueri ad Beneficia fuerint promoti.*
20. *Vestigium istius est in* pueris chori.
21. *Conferre Beneficia Majora pueris functionibus obeundis inidoneis magnus abusus.*
22. *Potest esse interdum licita dispensatio super ætate.*
23. *Periculosum mediante hac dispensatione promoveri.*
24. *Dispensatio obtinenda à Pontifice & quomodo impetranda?*

I. PRimis decem Ecclesiæ seculis nulli editi leguntur Canones qui ætatem certam Beneficiis præscriberent; sed quidquid de ætate statutum legitur, id unicè Ordines & Ordinandos spectat.

Quamdiu enim Beneficia ab ordinatione non fuêre sejuncta; sed ordinibus ipsis mansêre annexa: ita ut qui Ordine aliquo insigniretur, hoc ipso Beneficiatus illius Ecclesiæ, pro cujus necessitate aut utilitate ordinabatur, censeretur, necesse non erat ætatem aliam requirere pro Beneficiis acquirendis, præter illam, quæ Ordinibus ipsis præfixa erat: cum ipse ordo loco Beneficii, & ipsa ordinatio collationis loco esset.

II. At dum circa seculum nonum & decimum Beneficia ab Ordinibus separari, & separatim ab ipsa ordinatione conferri cœperunt; tandem abusus invaluit beneficia conferendi iis, qui nec ætatem functionibus Beneficiorum obeundis; nec ordinibus suscipiendis, qui ad eas functiones requirebantur, necessariam attigerant. Huic abusui ut occurretur, statutum fuit, ut nullus de cætero similia Beneficia accipere posset, nisi *Ordine* requisito *actu* esset insignitus.

III. Ita in Concilio Claramontano sub Urbano II. anno 1095. legitur: "Nullus Episcopus in Ecclesia sua, „ nisi *Diaconus sit*, Archidiaconum instituere, nec Ar„ chipresbyterum aut Decanum nisi *Presbyteri* sint, „ ordinare præsumat. Quod, ut districtiùs teneatur, A„ postolicâ auctoritate prohibemus & interdicimus." Apud Gratianum *Dist. 60. Can. 1.* Et Canone sequenti sub nomine Calixti Papæ legitur: "Nullus in Præpo„ situm, nullus in Archipresbyterum, nullus in Deca„ num, *nisi Presbyter*: nullus in Archidiaconum, nisi „ *Diaconus* ordinetur.

Prædicta Decreta renovata sunt in Concilio Romano sub Innocentio II. additurque: "Prohibemus au„ tem ne adolescentibus, vel infra sacros Ordines con„ stitutis, sed qui prudentiâ & merito vitæ clarescunt, „ prædicti honores concedantur." Apud Gratianum ibidem *Can. 3.*

Plura fuêre sub idem tempus similia Synodorum Decreta, quibus statuebatur, nullum ad Beneficium esse promovendum, nisi *actu* insignitum Ordine requisito.

IV. Hac vigente disciplinâ necesse non erat ipsis Beneficiis specialem ætatem præfigere; sed hactenus sufficiebat, eam Ordinibus suscipiendis esse præscriptam: cum non possent ad Beneficia promoveri, nisi *actualiter* Ordinibus essent insigniti: & consequenter ad ætatem Ordinibus præfixam pervenissent.

V. At cum jam Beneficia ab Ordinibus essent separata, eaque non ampliùs cum ipsa ordinatione conferrentur, difficile admodum fuit impedire, ne darentur Ordinibus

dinibus *non insignitis*, & etiam in minore ætate constitutis. Imò contraria multorum praxis adeò invaluit, ut tandem seculo 12. quasi pro lege invaluerit, Beneficia tametsi majora concedi posse Ordinibus necessariis *actu* non insignitis; modò tamen infra tempus *legitimum* eos Ordines susciperent. Ne verò hac occasione Beneficia conferrentur pueris, aut iis qui ob defectum ætatis intra longum tempus Ordinibus illis initiari non possent, certa *ætas* pro obtinendis Beneficiis præfigi cœpit.

VI. In Concilio Lateranensi sub Alexandro III. anno 1177. decretum fuit, ut "nullus in Episcopum eligatur, „nisi qui jam trigesimum ætatis annum exegerit..... Inferiora etiam ministeria, ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis „Ecclesiæ regimen, nisi qui jam vigesimum quintum annum ætatis attigerit, & scientia & moribus commendandus existat. Cum autem assumptus fuerit, si Archidiaconus in Diaconum, & Decanus, & reliqui, admoniti non fuerint, præfixo à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati: & ab isto removeantur officio, & aliis conferatur, qui & velint & possint illud convenienter implere.

Duo hic statuta videmus: primò, quòd nullus ad Beneficia curam animarum annexam habentia promoveri queat, nisi qui vigesimum quintum annum ætatis attigerit. Secundo, quòd ad Beneficia promovendi tempore suæ promotionis non debeant *actu* esse ad Ordines requisitos promoti: sed sufficiat si tempore à Canonibus præfixo promoveantur.

VII. Hinc sat manifestum est, ætatem illam hic requiri independenter ab Ordinibus; quod hactenus nullo Canone decretum fuerat: ideoque qui mediante dispensatione ante annum 25. inchoatum ad Presbyteratum esset promotus, non posse equidem ad hujusmodi Beneficium ante 25. annum inceptum promoveri, communiter tradunt Canonistæ.

VIII Decretum hoc Concilii Lateranensis innovavit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *c.* 12. *De Reform.* volens ut „nemo deinceps ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. „*suæ ætatis annum* attigerit.

IX. Circa ætatem requisitam ad obtinendum Dignitates vel Personatus, quibus nulla cura animarum incumbit, Synodus Tridentina decidere volens contentionem quæ super ea erat inter Juris Interpretes, aliis requirentibus 25. annum inchoatum; aliis verò asserentibus sufficere annum 14. (uti videri potest apud Fagnanum ad citatum *Cap.* INTER CÆTERA *n.* 34.) statuit: "Ad „cæteras autem Dignitates, vel Personatus, quibus animarum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, & „22. annis non minores adscribantur.

Annum 22. requiri *completum* satis insinuat Synodus dum dicit, 22. *annis non minores*: & ita resolvisse S. Congregationem testis est Fagnanus loco allegato *n.* 37. & anno 1593. respondisse Episcopo Abulensi refert Garcias *De Benef. parte* 7. *c.* 4. *n.* 70. ibidem ipsas Litteras S. Congregationis referens.

X. Quia Synodus Tridentina in dicto *c.* 12. primum loquitur de Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, dubitarunt nonnulli, num postea loquens de Dignitatibus, quibus nulla cura animarum incumbit, etiam comprehenderet Dignitates in Ecclesiis *Collegiatis*: ut nimirum & ad has requiratur *annus* 22. *ætatis completus*. Dubio discusso, S. Congregatio resolvit affirmativè, uti post Garciam *n.* 58. tradit Fagnanus *n.* 48. Ratio decisionis fuit, quod Synodus Tridentina loquatur quidem in citato *c.* 12. de Dignitatibus Cathedralium Ecclesiarum; sed cum particula *præsertim*, quæ cum sit *implicativa*, utique implicat idem in Collegiatis, easque includit, ait Fagnanus. Deinde attendit particulas has generales, *quascumque*, & *ad cæteras*, quæ sufficienter indicant, Synodum generatim omnes Dignitates voluisse comprehendere.

Monet ibidem Fagnanus, cavendum esse ab Emanuele Rodrigues contrariam S. Congregationis resolutionem referente, quam in hoc articulo apocrypham esse testatur; atq; hinc elucet, quàm parum fidendum sit Resolutionibus seu Declarationibus Cardinalium, quæ passim apud Auctores referuntur; sed de hoc latius *parte*. 1. *tit.* 22. *c.* 5.

XI. Cum in antiquis Canonibus potissimum de præfigenda ætate Ordinibus suscipiendis actum esset, nihil penè certi quoad ætatem pro obtinendis Beneficiis, præsertim curam animarum aut Dignitatem annexam habentibus ex illis Canonibus haberi potest; sed id potissimum ex recentioribus Decretalibus, & Conciliorum Decretis, præcipuè Concilii Tridentini petendum est.

Hinc anceps Veterum altercatio fuit, quæ ætas requireretur ad obtinendas Capellanias & alia simplicia Beneficia, uti ostendit Fagnanus loco citato *n.* 87. quam altercationem sustulit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *c.* 6. *De Reformat.* decernens, quod "nullus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus, ante „*decimum quartum* annum Beneficium obtinere possit.

Conformiter ad hoc Decretum, nullum Beneficium quocumque nomine appelletur, obtineri potest ante annum *decimum quartum*, non quidem completum, sed *inchoatum*; quemadmodum declarâsse Sacram Congregationem testatur Fagnanus.

XII. Licet in promulgatione Concilii Tridentini in Belgio dictum fuerit, nihil esse immutandum circa Jus patronatûs laicorum; ideoque *caput nonum Sess.* 25. non esse recipiendum in quantum jus illud restringit, uti monet Zypæus in Jure Novo titulo *De Jure Patronatûs* *n.* 3. nihilominus præsentandum, etiam à patrono laico, debere esse 14. annorum docet ibidem Zypæus; "quia [ait] id ad mutationem aut diminutionem Juris Patronatus non spectat, sed qualitatem præsentandi tantum.

Ex Concilium secretum anno 1569. ad rescriptionem Concilii Frisiæ super admissione Concilii Tridentini, non obstante allegatione consuetudinis contrariæ huic Decreto, censuit hoc modo; *Deinceps debebit hic articulus* (de ætate 14. annorum) *observari*. Ita Zypæus *tit. De Elect. n.* 11.

XIII. Quia Synodus Tridentina nullibi exigit quoad Canonicatus in Ecclesiis Collegiatis specialem ætatem, communiter receptum est, non requiri nisi 14. *annorum* nisi tamen hujusmodi Canonicatibus vel ex fundatione aliove titulo incumbat onus, Missas, Evangelium, aut Epistolas dicendi aut cantandi: quo casu ex Decreto ejusdem Synodi *Sess.* 22. *capit.* 4. *De Reform.* "quocunque „ii privilegio, exemptione, prærogativâ, generis nobilitate sint insigniti, tenentur, justo impedimento „cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: adeoque debent tunc esse in ea ætate, ut *infra annum* ad Ordinem Presbyteratûs, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs, prout onus annexum requirit, promoveri queant: alias si simile onus aut Ordo annexus non sit, tantum requiritur ætas 14. annorum; quam requisivit antiqua Regula 17. Cancellariæ in Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.

XIV. Synodus Tridentina *sess.* 24. *capit.* 12. *De Reformat.* vult ut "in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyteri, Diaconatus, vel subdiaconatus. "Hinc nonnulli concludunt, vi hujus decreti requiri ad „Canonicatum Cathedralem, ut minus eam ætatem, ut infra annum possit promoveri ad Ordinem Subdiaconatus.

Verum

Verùm Synodus verbis allegatis subjungit. "Episcopus autem cum concilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris inposterum annexus esse debeat." Hic sat indicat Synodus, nullum Ordinem Canonicatibus annexum censeri, priusquam Episcopus distributionem & annexionem fecerit: & consequenter antequam hæc facta sit, ætas nulla specialis à Synodo requisita videatur; quod & probat Fagnanus ad *Cap.* CUM IN CUNCTIS ꝟ. *De Elect. num.* 70.

XV. Citata Regula 17. Cancellariæ declarat, "quod provisiones, aut concessiones vel mandata de providendo de Cathedralium Ecclesiarum Canonicatibus & Præbendis quæ pro cujusvis personis si 14. suæ ætatis annum non compleverint quomodolibet emanaverint, nisi eis, quod illos in minore ætate recipere possint, per Sedem Apostolicam specialiter concessum fuerit, & quæcumque impetrationes de Canonicatibus & Præbendis in *Collegiatis* Ecclesiis, si impetrantes minores 10. *annis* fuerint & de hoc in impetratione hujusmodi expressa mentio non fiat, nullius roboris vel momenti & haberi prorsus pro infectis.

XVI. Hæc regula hodie teste Choquier inter regulas Cancellariæ non refertur, tamen quoad ætatem Canonicorum in Gallia receptam esse; eamque hodie pro lege servari tradunt Practici; & in judicio contradictorio non semel firmatam; ac signanter anno 1616. judicatum, Clericum 14. duntaxat annorum posse obtinere Canonicatum in Ecclesia cathedrali, non obstante statuto Synodi Turonensis 1583, quo decernebatur, Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, annis viginti duobus minores non debere institui, utpote nunquam observato tamquam disciplinæ hactenus in Regno receptæ, & aliarum Ecclesiarum usui contrario. Brodeau ad Louetium *Litt. E. Num.* 1. Illius regulæ receptionem per Regnum Galliæ testantur quoque Acta Cleri Gallicani *parte* 1. *tit.* 1. *cap* 2. *art.* 6.

XVII. Quidquid sit de varia disciplina circa ætatem pro Beneficiis obtinendis necessariam, illud equidem certum, ætatem ideo requiri, ut Beneficium obtinens, functiones eidem annexas ritè obire queat; & consequenter ætatem functionibus esse commensurandam.

Quare Gregorius IX. in *Cap.* 35. ꝟ. *De Præbendis*, respondens Argentinensi Episcopo, quod pueri non debeant reputari idonei, rationem hanc præmisit: "Cum illi sint in Ecclesia idonei reputandi, qui servire possunt & volunt in Ecclesiis.

Similiter Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *De Reformat.* cùm dixisset Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque disciplinam Ecclesiasticam fuisse institutas; meritoque qui ad eas vocantur, tales esse debere, qui suo muneri respondere possint, tamquam consequens infert. "Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascumque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum attigerit.

XVIII. Si igitur Beneficia aliqua requirerent eas in Ecclesia functiones, quæ per juniores Clericos rite peragi possent; imò quodammodo junioribus Clericis propriè convenirent: uti sunt minorum Ordinum functiones, quidni etiam ex mente Ecclesiæ illa Clericis in minore ætate conferri possint; modò tamen hac in parte Regulæ generales, quæ ætatem Beneficiis obtinendis præscripserunt, pro cujusque loci consuetudine observentur.

XIX. Observat Thomasinus De Disciplina Eccles. *parte* 1. *lib.* 1. *cap* 45. quod primis Ecclesiæ seculis pueri ad Beneficia promoverentur. Dum enim Episcopus pueros illos Tonsurâ aut aliquo Minore Ordine insigniebat, unà eos functionibus Ordinis Minoris suscepti obeundis certæ Ecclesiæ adscribebat, qua adscriptione mediante etiam jus vivendi ex bonis illius Ecclesiæ acquirebant; quod hodiernis Beneficiis respondebat.

XX. Sic & hodie videmus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis assumi pueros Chori, quos *Chaurales* dicimus, qui plerasque Ordinum Minorum functiones peragunt, atque cum aliis Clericis de bonis Ecclesiasticis sustentantur.

Quod autem hi pueri Beneficia habere hodie non dicantur, inde contingit, quod secundùm modernam disciplinam, Beneficia debeant esse *perpetua* & in titulum *perpetuum* erecta, quod circa munia puerorum officia nondum contigit: tamen si erigerentur, nihil vetaret (sepositâ lège positivâ) morigeros & bonæ indolis & exspectationis pueros tametsi 14. annis minores, ad ea assumi.

XXI. At conferri Beneficia etiam majora ex humana quadam consideratione, & carnali affectu pueris ad munia Beneficiis annexa implenda omnino inidoneis ac insufficientibus, abusus est legi naturali & divinæ contrarius; neque ullâ consuetudine, aut observatâ praxi purgandus: quem suo tempore vigentem merito exagitat & deplorat S. Bernardus *epist.* 42. "Scholares pueri & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem promoventur ad Ecclesiasticas dignitates, & de sub ferula transferuntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quod virgas evaserint, quàm quod meruerant principatum; nec tam illis blanditur adeptum quàm ademptum magisterium.

Hinc & interpellatus à Theobaldo Campaniæ Comite ut suâ vellet intercessione filio suo *parvulo* acquirere Ecclesiasticam Dignitatem, se excusavit hac ratione: "Nam honores & dignitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his qui eas dignè secundùm Deum administrare velint & possint." *Epist.* 271.

XXII. Cum tamen non sit ætas quæ aliquem Beneficio dignum reddit, possintque subinde in minore ætate constituti tam eminentes habere qualitates, eæque circumstantiæ concurrere, ut dubitari nequeat, Ecclesiam noluisse ad hujusmodi casum præscriptas de ætate regulas extendere; dubitari etiam nequit, quin hujusmodi casu Superiorum dispensatio licita esse possit.

Exemplum indultæ dispensationis occurrit apud S. Bernardum in vita S. Malachiæ, ubi narrat sanctum illum virum ante completam ætatem eo tempore requisitam ordinatum fuisse in Diaconum & Presbyterum; "in qua ejus utraque ordinatione (ait) si quid præter Canonum formam processisse videtur, ut verè videtur, donandum tum zelo ordinantis, tum *meritis* ordinati.

XXIII. Deinde hoc insigni monito concludit: "Ego verò istud nec in Sancto redarguendum; nec usurpandum consulto ei, qui sanctus non fuerit.

Sanè qui proprio motu ante ætatem à Canonibus præscriptam ad Ministeria Ecclesiastica festinat, verendum, ne non satis onera Ministeriis hisce annexa apprehendat, nec sufficienter advertat, quàm periculosum sit citra legitimam vocationem in munia Ecclesiæ intrare; aut certè tempus vocationis prævenire; uti timendum est, dum contra Ecclesiæ præscriptum ante ætatem legitimam ad Ordines vel Ministeria Ecclesiastica prorumpunt; verendumque ne similes festini Ministri, non tam à Christo, quàm à propria ambitione, aut interesse aliâve humana consideratione trahantur.

XXIV. Interim dispensatio super ætate sive ad Ordines, sive Beneficia, etiam simplicia à solo Pontifice hodie conceditur; dispensatioque Episcopi esset nulla; uti post Barbosam aliosque testatur Pyrrus Corradus in Praxi dispensat. *lib.* 4. *cap.* 1.

Monet præterea Corradus ibidem *cap.* 2. quod hæc dispen-

dispensatio numquam aut rarò concedatur alicui in minori ætate constituto; ita ut non obstante defectu ætatis possit Beneficium vacaturum obtinere ab Ordinario; sed cùm vacat Beneficium, debet à Papa Beneficii provisio peti cum dispensatione super ætate: "ratione „cujus provisionis solvuntur jura Cameræ Apostolicæ „consueta: unde si Beneficii hujusmodi fructus exce„dant valorem 24 ducatorum auri de Camera, solven„da erit etiam *annata* Annatistis, perinde ac si Beneficii „hujusmodi collatio spectaret simpliciter ad Papam. „Non enim poterit hoc casu Beneficium conferri per „Ordinarium, & dispensatio peti ad partem à Papa; sed „utrumque scilicet, & provisionem, & dispensationem „unico contextu, unicâ supplicatione, & unicâ bullâ „conceditur ab ipso Papa.

CAPUT II.

De Ordine Beneficiis annexo.

1. *Primis seculis nihil de Ordine Beneficiis annexo statutum; & quare?*
2. *Quando, & quare id statutum?*
3. *Ordo aliquando* actu, *aliquando* aptitudine *annexus.*
4. *Ex fundatione dignoscendum utro modo sit annexus.*
5. *Si verba fundationis quæ Ordinem requirunt respiciant actum* provisionis, *censetur* actu *annexus.*
6. *Idque sive affirmativè sive negativè sint expressa.*
7. *Dum verba fundationis tantùm respiciunt* functiones *obeundas censetur annexus* potentiâ.
8. *Si fundatio velit, ut Capellanus* per se *Missam celebret est Sacerdotalis sed* aptitudine.
9. *Jure communi inspecto Capellania cui annexum est onus celebrandi Missas est* Sacerdotalis.
10. *Quando & quare hujusmodi Capellania à residentia absoluta.*
11. *Non videtur indifferens per quos Missæ celebrentur.*
12. *Generali consuetudine similes Capellaniæ à residentia, & obligatione suscipiendi sacros Ordines exemptæ.*
13. *Hodie Capellania cum onere Missarum non est Sacerdotalis.*
14. *Nisi secus in fundatione sit expressum.*
15. *Decretum Synodi Tridentinæ obligans Capellanos ad* personalem *officii persolutionem.*
16. *An vi hujus Decreti Capellania cum onere Missarum sit Sacerdotalis, & residentiæ obnoxia?*
17. *Capellania cum onere interessendi divinis est obnoxia residentiæ.*
18. *Missarum privatarum celebratio per substitutum cur fieri possit.*
19. *Ordo Dignitatibus & Beneficiis Parochialibus quomodo annexus?*
20. *Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium qualiter annexus?*

I. UTi super ætate ad Beneficia requisita primis Ecclesiæ seculis nihil statutum reperitur, eò quod Beneficiorum collatione ipsi Ordinationi conjuncta ætas Ordinibus præfixa, Beneficiis quoque eadem præfixa censeretur; eadem ratione de certo Ordine ad Beneficia requisito, aut iis annectendo mentio non occurrit; nisi postquam Beneficiorum provisio ab Ordinum collatione separata fuit.

II. Dum enim hæc separatio invaluit, cœperunt Beneficia conferri Ordinibus ad functiones Beneficiorum obeundas necessariis nondum initiatis; qui proventibus & honoribus prærogativisque temporalibus contenti, Ordines suscipere negligebant; functiones quæ Ordinem requirebant, aliis committentes.

Hinc tandem prodière tot Conciliorum Decreta, Beneficiis Ordinem majorem aut minorem, pro cujusque Beneficii conditione, annectentia; nec non ipsos Beneficiatos urgentia ad *personalem* functionem, quæ ipsis Beneficiis sunt propriæ, persolutionem: eoque pacto indirectè urgebantur hujusmodi Beneficiati ad Ordinum susceptionem, sine quibus functiones illas *personaliter* sive *per se* persolvere non poterant.

III. Porrò spectata modernâ disciplinâ, ordo interdum dicitur Beneficio annexus *actu*, aliquando *habitu* vel *potentiâ*.

Priori modo censetur annexus, quando Ordo requiritur tempore collationis seu provisionis Beneficii: ita ut non possit quis de simili Beneficio provideri, nisi *actualiter* Ordine illo sit insignitus.

Posteriori modo dicitur Ordo Beneficio annexus, quando non requiritur quidem, ut quis habeat Ordinem Beneficio annexum tempore collationis; sed in ea sit ætate constitutus, ut infra tempus à jure præscriptum, Ordinem suscipere valeat.

IV. Ut autem sciatur, num Ordo sit *actu*, an verò dumtaxat *aptitudine* Beneficio annexus, præcipuè attendenda sunt verba fundationis: ex verbis enim fundationis maximè annexionis diversitas dignoscenda est.

V. Si enim verba fundationis dicant, præsentandum, aut instituendum esse qui *actualiter* sit hoc illove Ordine insignitus, indubitatum est, Ordinem illum *actu* Beneficio esse annexum; nec posse ad illud præsentari, aut in eo institui, nisi *actu* eo Ordine insignitum.

Ubi autem verba fundationis non quidem addunt particulam *actualiter*; sed tamen verba fundationis, quibus Ordo exprimitur, respiciunt ex necessitate ipsum *actum præsentationis*, institutionis, aut collationis, communis opinio censet, Ordinem *actu* esse annexum: eoque casu requiri ut præsentandus, aut instituendus, tempore præsentationis, institutionis, aut collationis sit *actu* ordinatus; nec sufficere, ut in ea sit ætate, ut infra tempus à jure præscriptum ordinari queat.

Unde si in fundatione cautum sit, ut *instituatur Sacerdos*, qui Missam per hebdomadam celebret, tunc nisi sit Sacerdos tempore collationis & institutionis, non valebit collatio vel institutio, ait Rebuffus in *Praxi Benef. parte 1. tit. Requisita ad collationem num. 35.* nam qualitas adjuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, id est in ipso actus initio.

VI. Neque refert, utrum verba fundationis concepta fuerint affirmativè, puta, *præsentetur* vel *instituatur* Sacerdos; an verò negativè, puta, *non præsentetur* vel *non instituatur nisi* Sacerdos; cùm æquè per priorem, quàm posteriorem formulam requisierit Fundator præsentari aut institui Sacerdotem: qui autem *actu* Ordinem non suscipit; sed tantùm *aptus* ut infra tempus aliquod eum suscipiat, revera non est Sacerdos; & per consequens, verum non est, quòd juxta verba fundationis præsentetur aut instituatur Sacerdos, aut *non nisi* Sacerdos.

VII. Si verò verba fundationis Beneficii non respiciant ipsum actum præsentationis, collationis vel institutionis, sed illius prosecutionem, sive functiones, quas Beneficiatus post obtentum Beneficium obire jubetur, *annexio* Ordinis censetur facta respectu aptitudinis: nec requiritur Ordo *actu* tempore præsentationis, collationis, vel institutionis, sed satis est ut is, cui de Beneficio providetur, sit in ea ætate, ut infra tempus à jure constitutum eum ordinem suscipiat. Has regulas probat Garcias

Garcias *De Benef. parte 7. cap. 1. num. 57.* quas novissimè tuetur Fagnanus ad *Cap.* UT ABBATES *De Ætate & qual. ordinand. n. 54.* eamque esse communem Rotæ theoricam ac sæpius à S. Congregatione probatam asserit.

VIII. Itaque si fundatio Capellaniæ habeat, ut Capellanus *per se* Missam celebret, censebitur quidem Capellania *Sacerdotalis*, non *actu*, sed *aptitudine*: eo quod verba non respiciant actum provisionis, sed functionem præstandam à Capellano obtentâ Capellaniâ. Idem erit, si dictum sit, Capellanum teneri ad continuam & personalem residentiam in Ecclesia, atque ibidem Missam dicere: erit Sacerdotalis ob adjectam obligationem *personaliter residendi*; aut obligationem *per se* celebrandi, sed tantùm *aptitudine*; quia verba Ordinem requirentia tantùm respiciunt functiones & onera capellaniæ. Ita resolvisse S. Congregationem ibidem refert Fagnanus *n. 52.*

IX. In fundatione capellaniarum frequenter cautum reperitur, capellanum teneri ad celebrationem unius vel plurium Missarum per hebdomadam pro anima Fundatoris, nullâ de *residentia* aut persolutione *personali* factâ speciali mentione; quo casu dubitatur, num hujusmodi capellania ob onus celebrandi Missas annexum reputanda sit *Sacerdotalis* saltem *aptitudine*; id est, an providendus de simili capellania debeat tempore *provisionis* esse in ea saltem ætate, ut infra tempus à lege præscriptum ad Sacerdotium possit promoveri.

Inspectâ naturâ & conditione Beneficiorum, ex dispositione Canonum & Juris communis, dicendum esset, hujusmodi capellanias esse Sacerdotales, saltem *aptitudine*.

Cum enim ex præscripto Canonum & Juris communis Beneficium detur propter officium; & qui Beneficium obtinet, debeat officium annexum persolvere: ideoque omne Beneficium eodem jure residentiam requirat, consequens apparet, quod obtinens hujusmodi Beneficium teneatur ad Sacerdotium promoveri; eo quod sine Sacerdotio non queat *officio*, scilicet *celebrandi Missas*, Beneficio annexo, satisfacere.

X. Verum cum hæ capellaniæ videantur onus celebrandi Missas dumtaxat annexum habere, sensim consuetudine inductum fuit ut hæ capellaniæ à residentia absolverentur, quemadmodum titulo præcedenti *cap. 4.* notatum fuit.

Hoc verò demum invaluisse verisimile est, postquam creditum fuit, nihil aut parum interesse quis Missam celebret; sed totum fructum Sacrificii à Christo tamquam primario offerente & Hostia oblata provenire.

Hac enim persuasione semel receptâ; sine difficultate indultum fuit, ut Sacerdotes hujusmodi Missarum onere gravati, aliis Missas celebrandas committerent: creditumque, intentioni Fundatorum abundè satisfieri, modo Missarum præscriptus numerus exactè persolveretur.

XI. Verùm cùm indubitatum sit, pietatem ac devotionem Sacerdotis non parum conferre ut fructus *abundantior* Sacrificii obtineatur; plurimumque interesse, an malus, an bonus Sacerdos Missam celebret; meritò sanè dubitari posset, an ea fuerit Fundatorum intentio, ut hæc Missarum celebratio per quemcumque indifferenter Sacerdotem, quantumvis mercenarium, perficiatur; imò non rarò viliores, proh dolor! quærantur, ut minori honorario defungi queant.

XII. Quidquid sit, generali quasi consuetudine introductum est, ut Missarum celebratio capellaniæ annexa, aliis delegari queat. Hinc ulteriùs invaluit, has capellanias ratione hujusmodi oneris Missarum non esse Sacerdotales; sed simplicibus Beneficiis solam Tonsuram Clericalem requirentibus, annumerari; nisi specialiter & expressè fundatio, vel statutum, aut specialis consuetudo contrarium exprimant & requirant: quemadmodum latè deducit Garcias De Benef. *parte 7. cap. 1. num. 75.*

XIII. Et *n. 88.* refert resolutum per Rotam, quod capellania non requirat residentiam nisi Fundator jusserit, "quod capellanus per seipsum inservire teneatur: quia „ex generali consuetudine beneficia simplicia personalem residentiam non requirunt: & licet id non procedat, ubi liquidò constat de particulari consuetudine in „contrarium, tamen ad eam probandam non sufficit „probare prædecessores resedisse, & per se ipsos inservivisse, cum simus in materia facultativa; sed quod id fecerint coactè, & nō voluntariè. Quod satis difficile erit.

Eandem sententiam probat quoque Fagnanus loco citato; atque frequenter à S. Congregatione responsum fuisse, capellanias fundatas sub onere Missarum, vel ut capellanus Missas celebret, fundatas non esse Sacerdotales; ipsumque capellanum defungi si per alium Missæ celebrentur.

XIV. Prædicta autem procedunt, nisi in fundatione secùs caveatur ac sufficienter exprimatur. Unde petenti Episcopo Aquilano, an capellania de jure patronatûs laicorum posset conferri ei, qui non est ejus ætatis, ut intra annum ad Ordines "promoveri possit, onera subiturus, „quæ dictæ capellaniæ sunt annexa *cap. 4. versu* 11. „VERO *Sess. 22.* S. Congregatio censuit, non posse conferri si ei injunctum sit onus dicendi Missas personaliter, vel Evangelium, vel Epistolam cantandi, vel in fundatione dictum fuerit, ut obtinens esset Sacerdos, vel „Diaconus, vel Subdiaconus.

Non requiritur autem, ut hoc in fundatione *expressè* exprimatur; sed satis est, ut id verbis æquipollentibus statutum fuerit; quemadmodum post Garciam monet Fagnanus *n. 76.* idque pluribus exemplis, & S. Congregationis resolutionibus confirmans.

XV. Hactenus dictis de capellaniis celebratione Missarum gravatis, & tamen Ordinem Sacerdotalem nec *actu*, nec *aptitudine* requirentibus, repugnare videtur Synodus Tridentina *sess. 22. cap. 4. De Reform.* decernens, ut "ii qui dignitates, personatus, officia, præbendas, por„tiones, ac qualibet alia beneficia in dictis Ecclesiis ob„tinent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera „varia sunt annexa, videlicet, ut alii Missas, alii E„vangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent: quo„cumque ii privilegio, exemptione, prærogativâ, ge„neris nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedi„mento cessante, infra annum Ordines suscipere requi„sitos; alioquin pœnas incurrant, juxta constitutionem „Concilii Viennensis, quæ incipit, *Ut ii qui*, quam præ„senti decreto innovat. Cogantque Episcopi eos diebus „statutis dictos Ordines per se ipsos exercere ac cætera „omnia officia quæ debent in cultu divino præstare, sub „iisdem & aliis, etiam gravioribus, pœnis, arbitrio eo„rum imponendis.

Si ergo capellaniæ in hisce Ecclesiis fundatæ sint cum onere *Missarum*, videntur vi hujus Decreti teneri earum possessores ea *per se* præstare; & consequenter cogi posse ad Ordinem suscipiendum, sine quo ea præstare nequeunt.

XVI. Imprimis admittit Fagnanus *n. 80.* quod qui obtinet capellaniam *Sacerdotalem* in Ecclesia cathedrali aut collegiata, teneatur *per se* officium præstare conformiter ad hoc Decretum.

At si capellania sit simpliciter fundata in tali Ecclesia sub onere celebrandi per hebdomadam aliquas Missas pro anima Fundatoris, negat Fagnanus, eam propterea esse *Sacerdotalem*, aut capellanum vi prædicti Decreti teneri celebrare *per se*, creditque hoc Decretum esse intelligendum de publicis officiis Divinis, id est, Officiis Chori; atque per *Missas* ibidem intelligi *Missas Conventuales*

votivales; quæ partem Divini officii Choralis constituunt? non autem Missas *privatas* quarum celebratione hujusmodi capellaniæ gravatæ censentur.

XVII. Hinc concludit, capellanias in cathedrali aut collegiata Ecclesia fundatas cum onere interessendi divinis officiis requirere *personalem* residentiam: eo quod conformiter ad hoc Decretum, ac insuper Decretum ejusdem Synodi *Sess. 24. cap. 12. De Reformat.* omnes divina *per se*, & non substitutos compellantur obire.

Probat ulterius ibidem Fagnanus, quod capellania fundata in Ecclesia cathedrali aut Collegiata cum onere *deserviendi in divinis* requirat *personalem* residentiam; eo quod verba *deservire in Divinis* hîc posita videantur significare *servitium* Chori, quod in hujusmodi Ecclesiis venit nomine *Divini Officii* sive *Divinorum*: qui autem tenetur ad *officium chori* tenetur illud *per se* non per substitutum persolvere.

Notat quoque Garcias De Benef. *parte 7. cap. 1. n. 89.* quod "capellaniæ habeant residentiam *personalem*, „quando ultra Missarum celebrationem habent onus „adjuvandi Curatum in cantando & aliis similibus.

XVIII. Igitur videtur, quòd sola celebratio Missarum, præsertim *privatarum* aut *votivarum*, quæ ad publicum & solemne officium Ecclesiæ non pertinent, id speciale habeat, quod per *Substitutum* persolvi queat; nisi in fundatione aliter ordinatum fuerit: quod indubiè non Canonum aut Patrum auctoritate, sed forsan ex viliori de harum Missarum celebratione idea, sensim consuetudine introductum est: circa quam consuetudinem quid fieri expediat, pro temporum & locorum variis circumstantiis Superiores, ac præcipuè Episcopi expendere debent. Illud saltem imprimis curandum, ut hæc Missarum officia ea qua par est reverentia & devotione peragantur; nec mercenariis & vilibus Sacerdotibus, per quos ipsum sacrificium profanetur & in vilipendium adducatur, committantur.

XIX. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* Cum in cunctis §. Inferiora *X De Elect.* statuit ut "si assumptus in Archidiaconum, in Diaconum, „& Decanus, & reliqui admoniti non fuerint, præfixo à „Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, ab isto „removeantur officio, & aliis conferatur.

Ex hoc Decreto unanimi consensu concludunt Doctores, Archidiaconatui, & Decanatui aliisque Beneficiis ibidem nominatis Ordinem esse annexum; sed *aptitudine* duntaxat: ut scilicet assumptus ad tale Beneficium eum assumere intra tempus à Canonibus præfixum teneatur. Quod verò sit illud tempus, dicetur capite sequenti.

XX. Synodus Tridentina *sess. 24. cap. 12. De Reformat.* vult ut "in omnibus Ecclesiis Cathedralibus om„nes canonicatus ac portiones habeant annexum Or„dinem Presbyterii, Diaconatus vel Subdiaconatus, „Episcopus autem cum consilio Capituli designet ac „distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Or„do ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita ta„men, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri „verò Diaconi aut Subdiaconi; ubi verò consuetudo „laudabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyte„ri, omninò observetur.

Quamvis Synodus velit, omnibus Canonicatibus Cathedralibus annecti Ordinem sacrum, ut minimum Subdiaconatus; tamen quamdiu Episcopus annexionem non fecerit, non videtur quod Canonicatus hi aliquem Ordinem annexum habeant ex sola Synodi dispositione; quemadmodum supra de annexione præbendæ Lectori Theologiæ notavimus parte 2. tit. 10.

Si autem Episcopus vi hujus decreti Ordines annexuerit, tantùm videbuntur annexi *aptitudine*, id est, quod assumendi ad Canonicatus debeant esse in ea ætate, ut infra tempus præscriptum ad Ordinem annexum promoveri queant; uti satis apertè indicat Synodus *Sess. 21. cap. 4. De Reformat.*

CAPUT III.

Intra quod tempus Ordo Beneficio annexus suscipiendus, & quæ pœna non suscepti?

1. *Ordo* actu *annexus requiritur tempore provisionis.*
2. *Ordo annexus* aptitudine *debet suscipi tempore à Jure definito; ni aliud habeat fundatio, aut consuetudo, vel statutum.*
3. *Concilium Lateranense dixit suscipiendum intra tempus à* Canonibus *præfixum.*
4. *Tempus illud est unius anni.*
5. *Synodus Trid. Canonicos & Capellanos in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis obligat ad suscipiendos Ordines annexos* intra annum.
6. *Annus ille currit à tempore* pacificæ *possessionis.*
7. *Quando possessio est litigiosa non currit.*
8. *Non promotus intra annum debet probare Beneficium fuisse litigiosum.*
9. *Annus currit etiamsi fructibus Beneficii non gaudeat.*
10. *Hodie in Gallia datur Proviso* Biennium *ad Ordinem suscipiendum; & quare?*
11. *Promovendus ad Beneficium Parochiale hodie non debet* actu *ullo Ordine esse insignitus.*
12. *Ratio hujus disciplinæ.*
13. *Non promotus intra tempus* ipso jure *privatur Beneficio Parochiali nec illud ei iteratò conferri potest.*
14. *Non obtinet hæc pœna in obtinente Collegiatam quæ simul est Parochialis Ecclesia.*
15. *Obtinens Dignitatem etiam curatam non privatur* ipso jure *ob non promotionem ad Ordinem.*
16. *Beneficium Parochiale ob non promotionem vacat & alteri potest conferri.*
17. *Ut non promotus dejiciatur ex possessione debet priùs citari & audiri; & quare?*
18. *Quæ sit praxis in Gallia?*
19. *Non promotus ad Ordinem tenetur ad restitutionem fructuum si animo non recipiendi Ordinem, Beneficium Parochiale acceperit.*
20. *Id quoque in aliis Beneficiis locum habet.*
21. *Qui sciens sic contulit etiam restitutioni obnoxius est.*
22. *Ordinem intra tempus suscipiendo à restitutione liberatur, licet animo non suscipiendi, Beneficium acceptaverit.*
23. *Quomodo obtinentes Beneficia non Parochialia ad suscipiendum Ordinem annexum cogendi.*
24. *Qualiter Episcopus dispensare possit in susceptione Sacerdotii cum obtinente Beneficium Parochiale?*
25. *Quæ circa non promotionem ad Ordines habeant privilegia & usus Universitatis Lovaniensis.*

I. ORdo vel annexus est Beneficio *actu*, vel duntaxat *aptitudine* juxta distinctionem traditam capite præcedenti.

Si priori modo annexus sit, requiritur indubiè ut tempore *provisionis* seu institutionis habeat Ordinem annexum, aliàs provisio erit nulla ob defectum qualitatis in proviso requisitæ.

II. Major est difficultas, quando Ordo annexus est Beneficio *aptitudine*; sive quando providendus de Beneficio non debet *actu* esse Ordine annexo insignitus; sed suffi-

Digitized by Google

sufficit intra certum tempus ad Ordinem promoveri. Si ex fundatione aut statuto aut consuetudine speciali ipsius Ecclesiæ tempus illud determinatum non sit, indubiè ad tempus jure communi determinatum recurrendum est.

III. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap. 7.* ⁏ *De Elect.* postquam statuit, ut Decanatum, Archidiaconatum, & alia quæ curam animarum habent annexam nullus omnino suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit, subjungit: " Cum autem assumptus fuerit, si Archi- „ diaconus, in Decanum, & Decanus & reliqui admo- „ niti non fuerint, præfixo à Canonibus tempore in Pres- „ byteros ordinati: & ab illo removeantur officio, & alii „ conferatur, qui velint & possint illud convenienter ad- „ implere.

IV. Quod sit tempus à Canonibus præfixum Concilium non expressit; ac posteriores Constitutiones id de annali intellexisse videntur; ut scilicet ad Ordinem annexum infra annum promoveri debeant.

Concilium Lugdunense sub Gregorio X. Intelligens Canonem ab Alexandro III. editum circa susceptionem Sacerdotii per eum qui ad regimen Parochialis Ecclesiæ est promotus, negligi, eumdem renovans, una declarat quod sit tempus à Canonibus præfixum, dicens: " Et *in- „ tra annum* à sibi commissi regiminis tempore nume- „ randum se faciat ad Sacerdotium promoveri." *Cap. 14. De Elect. in 6.*

Huic Decreto conforme est quod sub nomine Concilii Viennensis decernitur in *Clement. 2. De Ætate & Qualit. Ordinand.* ut ii qui Dignitates, Personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi Ordines sunt annexi, pacificè nunc obtinent in Cathedralibus vel Collegiatis secularibus vel Regularibus Ecclesiis, vel obtinuerunt in futurum, ad ejusmodi Ordines se promoveri faciant *intra annum* sub pœnis ibidem expressis.

V. Synodus Tridentina *Sess. 22. c. 4. De Reform.* vult ut " Ii qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas, Por- „ tiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obti- „ nent, aut in posterum obtinebunt, quibus onera varia „ sunt annexa, videlicet, ut alii Missas, ... dicant, seu can- „ tent, quocumque ii privilegio, exemptione, prærogati- „ va, generis nobilitate sint insigniti, teneantur, justo im- „ pedimento cessante, infra annum Ordines suscipere re- „ quisitos: alioquin pœnas incurrant, juxta constitutio- „ nem Concilii Viennensis, quæ incipit: *ut ii qui*; quam „ præsenti Decreto innovat.

Hoc Decretum absolutè decernere, ut similia Beneficia obtinentes teneantur *infra annum* Ordines requisitos suscipere notat Fagnanus *ad Cap.* CUM IN CUNCTIS ⁏ *De Elect. n. 63.* atq; eatenus Concilium Tridentinum dictam Clementinam declarasse; quæ non ita clarè & præcisè adstringebat obtinentes hujusmodi Beneficia ad Ordines suscipiendos; sed tantummodo quamdiu non promovebantur, privabat voce *activa* in Capitulo, & dimidia parte distributionum.

Bonifacius VIII. cuidam super interpretatione citati Decreti Concilii Lugdunensis respondens ait: " Annus „ autem hujusmodi qui à tempore illo incepit, quo ipsi- „ us Ecclesiæ regimen commissum tibi extitit, & profes- „ sionem ejus pacificam habuisti; vel per te stetit quo mi- „ nus haberes eamdem: tibi non currit, si promoveri ju- „ sto impedimento detentus intra tempus hujusmodi ne- „ quivisti." *Cap. 35. De Elect. in 6.*

VI. Ex hac Decretali habetur, quod annus ille non currat simpliciter à tempore commissi regiminis, sed à tempore quo illius possessionem *pacificam* habuit, aut per eum stetit quo minus haberet.

VII Unde si litigiosa esset possessio Beneficii, pendente lite, & quamdiu per ipsum promotum non stat quo minus pacificus illius sit possessor, annus non currit.

VIII. Beneficium autem fuisse litigiosum probare debet *non promotus*; uti notat Rebuffus in Praxi Benef. parte 2. *tit. De non promotis intra annum &c. numer. 41.* qui dein *num. 42.* addit: " Cujus prætextu vidi multas impe- „ trari Parochiales, quia possidens lites sibi fingebat, sed „ ante Deum cui omnia sunt aperta, iste qui fingit litem, „ satis est privatus, nec aliquem habet titulum; ideoque „ recipiendo fructus est prædo, & fur, & falsarius, quod „ falso nomen Curati sibi vindicat, & adscribit, cum non „ sit; quamobrem tenebitur ad restitutionem fructuum, „ ut quos ex re non sua, cum sit privatus, accipit, & mala „ fide: alioqui non dimittitur peccatum nisi restituatur ablatum.

IX. Sed quid si obtinens Parochiale Beneficium non reciperet fructus primi anni propter jus deportus, ut vocant Galli? Nihilominus tenebitur promoveri, ait Rebuffus ibidem *num. 11.* alioquin erit privatus anno elapso; tum quia grex est eidem commissus, & habet pacificam possessionem Curæ, ac liberum exercitium animarum.

X. Notat quoque Rebuffus *n. 45.* " quod postquam „ annus iste computatur à die *pacifica* possessionis *adep- „ tæ*: & in hoc regno Galliæ, *pacificam* possessionem quis „ non dicitur habere ante annum, ob id post annum pa- „ cificæ possessionis *alterum* habet annum ad promo- „ vendum; & ita declaravit Senatus Parisiensis anno 1547 „ in mense Februario." Deinde monet istam declaratio- „ nem apprimè utilem, & hodie communem in dicta „ Curia.

XI. Porrò cum promotus ad Parochiale Beneficium teneatur intra annum à die pacificæ possessionis ad Sacerdotium promoveri, videbatur nullus posse ad simile Beneficium Parochiale assumi, nisi saltem in ordine subdiaconatûs esset constitutus: cùm aliàs juxta sacros Canones ob interstitia inter Ordines servanda nequidem intra biennium Sacerdotio insigniri posset, quod & non obscure supponit *Cap. 5.* ⁏ *De Ætate & Qualitate Ordinand.* Nihilominus tradit Rebuffus in Praxi Benef. *parte 1. tit. Requisita ad collationem numer. 33.* quod Beneficia etiam Curata quis possit habere etiamsi primam tantùm habeat Tonsuram. Et licet Fagnanus dicat opinionem Rebuffi non esse conformem citato *Capitulo 5.* nihilominus fatetur, quod secundum opinionem Rebuffi in *practica* servetur: " Nam [ait] Parochiales „ etiam conferuntur Clericis primæ Tonsuræ. Et S. Con- „ gregatio Concilii aliàs consulta, an matrimonium con- „ tractum coram Parocho adhuc intra annum ad sacros „ Ordines non promoto, sed prima tantum Tonsura i- „ nitiato sit validum. Quam sententiam Clemens VIII. „ ad se relatam approbavit: " Hæc Fagnanus ad *Cap.* PRÆTEREA ⁏ *De Ætate & Qualit. Ordinand. numer. 8.*

XII. Cum enim Ecclesia optet, ut promotio ad Sacros Ordines potius fiat titulo Beneficii, quam titulo Patrimonii, haud difficulter permittit, ut Beneficium etiam ante Ordinem sacrum susceptum Clerico conferatur, & super interstitiis dispensetur, si Ordinum accelerationem ipsum Beneficium requirat; ita quidem, ut ea de causa permittat quoq; Capitulo Sede vacante intra annum à die vacationis Litteras dimissoriales concedere: uti supra *parte 1. tit. 9. c. 2.*

XIII. Si obtinens Beneficium Parochiale intra annum à die pacificæ possessionis adeptæ ad Sacerdotium promotus non fuerit, auctoritate Constitutionis Concilii Lugdunensis in allegato *Cap.* LICET CANON, " Ec- „ clesiâ sibi commissâ est privatus, nullâ etiam præmis- „ sâ monitione. " Additque Bonifacius VIII. in *Cap.* COMMISSA *De Elect. in VI.* quod nec ipsi non promoto ullatenus eâ vice iteratò poterit conferri.

XIV. Item tamen Bonifacius in *Cap.* STATUTUM *eod. tit. in* VI. declaravit Constitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunensi editam de *privatione* Ecclesiæ Parochialis commissæ ob non promotionem ad Sacerdotium," ad Collegiatas Ecclesias, etiamsi alias Parochiales „ extiterint, & assumptos ad earum regimen non extendi: sed antiqua jura servari potiùs debere in iisdem.

Antiqua jura, quorum hic meminit Bonifacius, sunt ea quæ habentur in *Cap* 7. ⁏ *De Elect.* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quibus quidem præcipitur, ut Beneficia aut Dignitates cum cura animarum obtinentes tempore à Canonibus præfixo promoveantur & in Presbyteros ordinentur; sed pœna *privationis ipso jure* in non obedientes non adjicitur; quæ demum decreta fuit per Concilium Lugdunense sub Gregorio X. contra obtinentes *Parochiale* Beneficium: quæ Constitutio cum *pœnalis* sit, restringenda apparuit Bonifacio VIII. ad Beneficia quæ propriè & *simpliciter* sunt *Parochialia.*

XV. Hinc ulteriùs concludit Rebuffus titulo *De non promotis*, quod illa privationis pœna ob non promotionem non habeat locum in Decanatibus, Præposituris & Archidiaconatibus: " ideò qui possidet præposituram in Ecclesia Collegiata (ait) sine promotione per annum „ non tamen est privatus, nisi fuerit monitus: quia non „ est Parochialis *simpliciter* de qua *Cap.* LICET CANON: licet æquum bonum esset, ut per Concilium vel per Papam hoc statueretur: & hoc ad servitium tenderet." Hæc ille *numer.* 50. qui & *numer.* 60. monet, non procedere etiam in Ecclesia Curata non Parochiali.

XVI. Itaque obtinens Beneficium Parochiale, & intra annum à die adeptæ pacificæ possessionis, non promotus ad Sacerdotium cessante legitimo impedimento, ipso jure Beneficio est privatus; neque amplius titulum possidendi habet; potestq; per non promotionem tamquam vacans impetrari & conferri, ait Rebuffus loco citato *num.* 1.

XVII. Rectè tamen monet ibidem Rebuffus, quod priusquam provisus de Parochiali Beneficio amoveatur de possessione, debeat citari & audiri; non quidem, ut *privetur*, sed ut sciatur, an sit *privatus*: quia potuit subesse legitimum impedimentum non promotionis; quod consequenter eum à pœna privationis eximere potuit; conformiter ad *Cap.* LICET EPISCOPUS *De Præbendis in* VI.

XVIII. In Gallia, teste Rebuffo ibidem *n.* 50. " hodie „ post annum conferunt Ordinarii, & facta ab illis collatione, vel provisione à Papa impetrantur litteræ in causa novitatis directæ Judici Regio, coram quo impetrans „ dicit se canonicè Beneficium assecutum, & esse in possessione Beneficii, quod vacat per non promotionem „ talis, &c. nisi impedimentum probet adversarius vel „ promotionem aut dispensationem, adjudicabitur impetranti possessio saltem per recredentiam: & sic servatur in forensi judicio: sed ante adjudicationem uno „ finito termino dari poterit alius ad probandum dictum impedimentum, quia de gravi agitur præjudicio.

De eadem praxi testatur quoque Tournetius in sua collectione arrestorum *Litt.* V. *numer.* 1. eamque in judicio contradictorio aliquando confirmatam fuisse refert.

XIX. Cum ob non promotionem ad Sacerdotium intra annum ipso jure Beneficio Parochiali possessor sit privatus, quæritur quid de fructibus perceptis sit statuendum?

Bonifacius VIII. in citato *Cap.* COMMISSA cuidam dubitanti super hac quæstione ita rescribit: " Si promoveri „ ad Sacerdotium non intendens parochialem receperis „ Ecclesiam, ut fructus per annum ex ea percipias, ipsam „ postmodum dimissurus, teneberis ad restitutionem, „ cum eos receperis fraudulenter.

XX. Hanc Bonifacii decisionem in jure potiùs naturali quam positivo fundatam esse, plures, quos citat & sequitur Garcias De Beneficiis *parte* 3 *c.* 4. *n.* 37. opinantur; ideoq; non tantùm in Beneficio Parochiali, sed & in aliis quibuscumq; ordinem sacrum requirentibus obtinere autumant; eosque qui eo animo Beneficia hæc accipiunt restituere debere fructus perceptos; utpote qui eos receperint fraudulenter: asseritq; Flaminius De Resignatione *Lib.* 9. *q.* 10. *n.* 4. quod hodie inoleverit stylus in Curia Romana, exigendi juramentum à petente Beneficium, quod illud non accipiat animo dimittendi.

XXI. Addit insuper Bonifacius," illum autem qui eam „ tibi contulit, cum te non crederet ad hujusmodi Ordinem promovendum (præter Divinam, quam exinde „ incurrit offensam) ad servandam indemnem eandem „ Ecclesiam decernimus obligari.

Utinam hæc satis attenderent Beneficiorum Collatores, qui non rarò affectu carnali excæcati parùm attendunt, num is cui Beneficium conferunt, animum habeat beneficio deserviendi, ita ut ignorantia si quæ sit, adeò crassa sæpè sit, ut meritò sit timendum, ne coram Deo intimorum scrutatore pro scientia reputetur; & fructuum restitutioni ob hujusmodi promotionem obnoxii teneantur.

XXII. Circa restitutionem fructuum faciendam ab illo qui accepit Beneficium Parochiale animo non assumendi Sacerdotium, hanc exceptionem addidit Bonifacius VIII. *nisi mutatâ voluntate promotus fuerit*; innuens eo casu restitutionem non esse faciendam; quia suscipiendo Ordinem & voluntatem mutando, culpam, si quæ fuit in acceptando, eluisse & emendasse videtur; ipsamq; privationem tituli, quæ ipsum restitutioni fructuum redderet obnoxium, susceptione Ordinis prævenisse.

XXIII. Quamvis pœna privationis *ipso jure* ob non promotionem ad Sacerdotium tantùm obtineat quoad Ecclesias Parochiales juxta citatum *Cap.* LICET; & Prioratus Conventuales juxta *Clement.* 1. §. CÆTERUM *De Statu Monach.* tamen si Beneficia Ordinem annexum habeant, poterunt eorum Possessores ad Ordinum susceptionem urgeri: & si cessante justo impedimento, monitis non obtemperaverint, etiam tandem ad sententiam privationis procedi poterit; quemadmodum latiùs ostendit Fagnanus ad *Cap.* QUÆRIS ⁏ *De Ætate & Qualit. Ordinand.* ubi modum procedendi ad hanc privationem observandum proponit.

XXIV. Ex Decreto Bonifacii VIII. in *Cap.* 34. *De Elect. in* 6. potest Episcopus cum obtinente Parochialem Ecclesiam dispensare, ut usque septennium litterarum studiis insistens, promoveri minimè teneatur, nisi ad Ordinem Subdiaconatûs dumtaxat.

Synodus Tridentina *Sess.* 7. *c.* 12. *De Refor.* statuit," ut facultates de non promovendo, præterquam in casibus à „ jure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragentur.

Hoc Decreto sublatam esse facultatem concedendi ratione studii dispensationem ad septennium, de qua in citato *c.* 34. resolvisse sacram Congregationem refert post alios Barbosa de Officio Parochi *parte.* 1. *c.* 5. *n.* 22. & 23.

Conformiter ad dictam Constitutionem Bonificii VIII. concessit Universitati Lovaniensi Martinus V. quòd obtinentes Beneficia quæcumque etiam *cum cura* " ratione ipsorum usque ad *septennium*, à tempore illorum pacificæ possessionis computandum, dummodò „ post habitam pacificam possessionem eamdem (nisi aliud eis super hoc Canonicum suffragetur) infra annum „ in Subdiaconos ritè sint ordinati, ad aliquem ex præfatis Ordinibus se promoveri facere minimè teneantur, „ nec à quoquam compelli possint inviti.

Simili-

Simile privilegium concessit Eugenius IV. immediatus Martini V. successor, declaratque ratione Beneficiorum obtentorum, etiam *cum cura*, " usque *ad septennium* ,, à tempore quo hujusmodi (id est *in quacumq; Facultate*) studio insistere inceperint, computandum, dummodo infra illius annum primum, si & prout jus exegerit, ,, in Subdiaconos ritè ordinati sint, ad aliquem ex Diaconatus & Presbyteratus Ordinibus se promoveri facere ,, minimè teneantur, nec ad id à quoquam inviti compelli possint.

Hæc quidem ante Synodum Tridentinam; at post hanc Synodum Gregorius XIII. speciali Bullâ jus Nominationium tam à Sixto IV. Universitati, quàm à Leone X. aliisque Pontificibus Facultati Artium concessum innovans, & confirmans, expresse voluit & & mandavit, " quòd hi, qui ad Beneficia *curam animarum* habentia nominati fuerint, non admittantur, ,, nisi priùs ab Ordinario locorum prævio examine, absque concursu faciendo, fuerint approbati: quodque ,, in eis *personaliter* residere teneantur, nec se eo nomine excusare possint, quod in dictis Universitate & ,, Facultate Artium scholares sint, seu docentes aut Magistri.

Et in *Placeto* Philippi II. super usu hujus Bullæ præcipitur, ut in nominatione ad Beneficia *curata* vigore Bullarum Papalium facienda, exprimantur clausulæ & obligationes de obeundo examine, & *residentia* de quibus in hac Bulla.

Ut huic Bullæ ac Placeto satisfiat, non tantùm jubetur nominatus acceptans Beneficium Parochiale subire examen Ordinarii; sed eorum qui à Rectore, aut Facultate Artium ad examinandum fuerint deputati; atque nominandus à Facultate Artium inter alia jurat," quod si vigore suæ nominationis curam aliquam Pastoralem acceptare possit, non priùs tamen eam acceptabit, quàm ,, prævio examine idoneus judicatus fuerit per eos quos ,, Facultas deputaverit..... Quodq; infra *annum* unum ab ,, obtenta pacifica possessione *personaliter* in ea residebit. Nec eam resignabit, nisi integro anno resederit, aut ,, alium obtinuerit.

Cum ergo acceptans Beneficium Parochiale debeat esse *idoneus* tempore acceptationis; ac insuper infra annum à pacifica possessione adepta *personaliter* residere, evidens est, quoad similia Beneficia usum privilegii de non promovendo *ad septennium* esse sublatum. *Personalis* enim residentia, etiam *personalem* officii Pastoralis persolutionem infert; quæ sine Ordine suscepto fieri nequit.

CAPUT IV.

De Scientia aliisque Qualitatibus ad Beneficia requisitis.

1. *Scientia major vel minor pro diversitate Beneficiorum necessaria.*
2. *Unde mensuranda scientia necessitas.*
3. *Non exigua scientia necessaria in promovendis ad Dignitates curatas.*
4. *In Canonicis Ecclesiarum Cathedralium quæ scientia requiratur.*
5. *Canonici Cathedrales tales eligendi, qui* consilio *Episcopis assistere queant.*
6. *Synodus Tridentina optat, ut saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis detur Graduatis.*
7. *Gradum Academicum Synodus reputavit pro publico eruditionis testimonio.*
8. *Visitatio Academiæ Lovaniensis requirit strictum examen circa promovendos instrue, ut Ecclesiis meliùs consulatur.*
9. *Multum nocent Ecclesiæ & Republicæ qui gradus Academicos indignis annuunt.*
10. *Enormis peccati arguuntur indignis gradum conferentes.*
11. *Sententia Joannis Gersonis de indebita graduum Academicorum collatione.*
12. *Quæ Beneficia in Belgio requirant gradum Academicum?*
13. *In regno Galliæ requiritur ut promovendus sit Regnicola.*
14. *Quid de hoc obtineat in Hispania & Belgio?*
15. *Non solet huic juri Papa derogare.*
16. *Qualitates in fundatione expressæ sunt servandæ.*
17. *Beneficia Patrimonialia quæ? & facta collatio* non consanguineo *est valida non concurrente consanguineo.*
18. *Secus in Beneficiis debitis Graduatis.*
19. *Quomodo graduum computatio ineunda dum agitur de Beneficiis Patrimonialibus.*
20. *Beneficia Patrimonialia non facilè admittenda: & quare?*
21. *Conditio prælationis consanguineorum est odiosa, ideoque restringenda.*
22. *Quædam Dignitates debent conferri Canonicis.*
23. *An sufficiat fuisse Canonicum tempore adeptæ Dignitatis?*
24. *Erectio Canonicatûs ad retinendam dignitatem.*

I. INter qualitates in providendo de Beneficio imprimis recensenda est scientia, talis, quæ officio, ob quod Beneficium datur, sive beneficio incumbendi, obeundo est necessaria.

Porro cum officia Beneficiis annexa varia sint, eorumque functiones majorem vel minorem scientiam requirant, non una quoque, nec æqualis ad omnia Beneficia scientia requiritur.

II. Porro talis generaliter requiritur, quæ functionibus Beneficio annexis adimplendis necessaria & conveniens est.

Hinc Synodus Tridentina *Sess. 24. c. 12. De Reformat.* postquam dixit, Dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam augendamq; Ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, ac proinde meritò, qui ad eas vocantur, tales esse debere; qui suo muneri respondere possint, tamquam consequens subinfert: " Nemo igitur ad dignitates quascumque quibus animarum cura ,, subest promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis an- ,, num attigerit, & in Clericali ordine versatus, *doctrinâ* ,, ad suum munus *necessariâ* ac morum integritate commendetur.

III. Cùm his dignitatibus *cura animarum* incumbat, ea cumprimis doctrina necessaria est, quæ regimini animarum quod à Patribus *ars artium* vocari consuevit, ritè obeundo requiritur: & quidem eò eminentior doctrina, & eruditio major, quò cura Dignitatibus his incumbens, non tantùm aliquos simplices laicos, sed plerumq; Clerum numerosum concernit; qui quò ad vitam perfectiorem vocantur, eò eruditione majore opus in Directore. Hoc utinam attenderent, qui hasce Dignitates sine ullo penè onere existimant; minoremque ad eas doctrinam necessariam, quam ad quodcumque Beneficium Parochiale.

IV. Ulteriùs omnes Dignitates, quin & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus instituti sunt, ut in regimine Ecclesiæ Episcopo operâ & consilo assistant, atque propterea Capitulum Cathedrale, Ecclesiæ *Senatus* appellari meruit.

Unde

Digitized by Google

Unde singulariter de Canonicis Cathedralibus verificatur quod præterito seculo de universis Canonicis dixit Cardinalis Polus: " Canonicatus & præbendas instituendi ratio & causa hæc fuit, ut qui ad eas assumuntur Episcopo assistant, eumque in muneris sui functione *consilio* & *opera* adjuvent, & in Divinis celebrandis Ecclesiæ inserviant." In Decreto Reform. Cleri Anglicani *n.* 3. Habetur tom. 14. Concil. general. *col.* 1743.

Quare Molanus expendens Canonicorum institutum & vocationem, ait: "Beati sunt illi Canonici & verè omni laude dignissimi, qui non contenti bonâ vitâ, & Canonico Ecclesiæ officio, secundum mensuram donationis opitulatores esse cupiunt in Ecclesia Dei, scientes hanc esse vocationem suam." *Lib.* 1. *De Canon. capit.* 17.

V. Inter articulos nomine Caroli IX. Regis Galliæ Patribus Tridentinis pro reformatione Ecclesiæ oblatos legitur hic ordine 27. " Cum Episcopus ea jurisdictione uti non debeat; secundùm antiqua Decreta, nisi consulto Capitulo, quemadmodum nec alia suæ Diœcesis gravia negotia tractare: danda est diligens opera ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Ecclesia Cathedrali, bonis moribus & scientia præditi, quique saltem 25. annum attingant: nam ante illam ætatem cùm non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo Episcopo consulere poterunt?

Quamvis non decreverit omnia quæ hoc articulo continentur, sat tamen ostendit, non mediocrem scientiam in Canonicis, præsertim Cathedralibus requiri.

VI. Hac de causa desideravit, ut non tantùm præcipuæ Dignitates Doctoribus aut Licentiatis in Theologia aut jure Canonico conferentur, sed insuper " hortatur, ut in provinciis, ubi id commodè fieri potest, dignitates omnes & saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus Ecclesiis, vel Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris vel Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia vel Jure Canonico.

VII. Ut quid enim hosce gradus Academicos exigi putabimus, an forsan tamquam quosdam varios honoris titulos? nequaquam sanè: sed ut publica eruditionis testimonia, quibus omnibus constaret, eos scientiâ vel Theologicâ, vel Juris Canonici ita instructos, ut meritò publicum testimonium mererentur.

Hoc in jam citato Decreto luculenter expressit Synodus Tridentina. Postquam enim declarasset, Dignitates præsertim in Ecclesiis Cathedralibus ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam institutas, ac propterea neminem ad eas promovendum, nisi *doctrinâ* ad suum munus exequendum necessariâ commendetur, mox ea, quæ de gradibus Academicis ex ipso Decreto jam relata sunt, subjecit tamquam medium quo finis ille obtineretur; id est, nemo ad eas promoveretur, nisi doctrinâ ad suum munus exequendum necessariâ commendetur; de qua ex gradu Academico tamquam publico doctrinæ testimonio constaret.

Luculentiùs id declaravit *Sess.* 22. *c.* 2. *De Reform.* requirens, ut quicumq; post hac ad" Ecclesias Cathedrales erit assumendus, *scientia* ejusmodi polleat, ut muneris sibi injungendi necessitati possit satisfacere;" deinde subjungens: " Ideoque anteà in Universitate studiorum Magister, sive Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel jure Canonico meritò sit promotus, aut publico Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

Cùm hoc loco exigat Synodus, ut promovendus ad Ecclesiam cathedralem *publico* Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur, nisi Gradu Academico fuerit insignitus, manifestè evincitur, Gradum Academicum ex mente Synodi esse vice publici testimonii quo promovendus ad Ecclesiam Cathedralem idoneus ad alios docendos ostendatur.

VIII. De hac veritate persuasi Principes Belgii, nihil adeò in hujus Universitatis visitatione anno 1617. inculcârunt, atque enixè præceperunt, quam ut nemini, signanter in Theologia aut Jure Gradus Licentiæ aut Doctoratus annueretur, nisi prævio de capacitate & eruditione *stricto* examine; *solique idonei admittantur, indonei autem omni privato affectu seposito* (ait visitatio circa Facultatem Theologicam) *repellantur*.

In eadem præscribitur Doctoribus Juris examini Graduandorum præpositis, ut passim ubicumq; libuerit per totum jus Civile, vel Canonicum respectivè Licentiandos examinent.

Et *ne illis dedecori sit* (ait Visitatio) *repulsam pati, statuimus, ut notabili tempore ante repetitionem dictum examen* RIGOROSUM fiat.

Rationem verò instituendi hujus *rigorosi* examinis ex ipsa visitatione attendamus: " Ne *paucarum* legum (ait) aut *Canonum* Licentiati fiant, sed in theoria juris perfectè versati in palestram praxeos ut docti & spectabiles Viri prodeant, qui clientibus prudenter & candidè patrocinentur *atque cathedralibus, aut collegiatis Ecclesiis probè consulant*, statuimus.

IX. Non dubium proinde, verissimè notatum esse à viro erudito Petro Tholosano *lib.* 18 *De Republ. c.* 9. *n.* 6. " Quod multum nocet reipublicæ, quod professores aliqui reperiuntur, parum timoratæ conscientiæ, & non considerant quale pecus arcadicum introducant Ecclesiis & Subsellis, ad gratiam sæpe gradus profanis concedentes: nec considerant, se reddituros rationem coram Deo & hominibus de tanta in probandis studiis negligentia.

Hujus sui dicti rationem præmiserat: "Siquidem indigni potiti gradibus, vel mercati eosdem, eorum favore Beneficia Ecclesiastica & seculares dignitates sub *persona peritorum* invadunt, præripiunt pauperibus *doctis* & benemeritis.

X. Qui hæc aliaq; incommoda in Rempublicam seu Civilem seu Ecclesiasticam ex indebita & nimium facili graduum Academicorum collatione redundantia seriò attenderit, nescio an nimii rigoris damnabit dictum cujusdam Auctoris relatum ab Andrea Bouvvens J. C. Mosæ-Trajectino *lib.* 2. *De Juris Justitiaq; Usu & Abusu c.* 3." eos Academicos *mortaliter* peccare, qui gradibus titulis insigniunt indignos; adeoque velut *publico* testimonio Tribunalibus, & Dei Ecclesiis imponunt.

XI. Refert Joannes Sinnichius in Saule Exrege *lib.* 1. *c.* 122. §. 465. de Joanne Gersone, quod inter alias causas ob quas Cancellariatui Academiæ Parisiensis renuntiare meditaretur hanc allegaret: " Cogor ad deliberationem aliorum vel pro consuetudine temporis ignaros scientiâ, & perniciosis moribus promovere." Ad quæ verba reflectens Sinnichius ait: " Censuit nimirum indignorum ad gradus Academicos promotionem, *gravem* esse *iniquitatem*, ideo utique, quia *immanem* Reipublicæ tam Ecclesiasticæ, quàm Politicæ infert perniciem.

XII. Ad quas Dignitates tum ex Decreto Concilii Tridentini, tum ex Bulla erectionis novorum Episcopatuum requiratur gradus Academicos, notavimus supra *parte* 1. *tit.* 11. & *tit.* 10. ubi actum fuit de Canonicatibus graduatis.

De scientia necessaria pro obtinendis Beneficiis Parochialibus specialiter tractabitur infra titulo De Concursu ad Beneficia Parochialia; ubi unà de examine promovendorum ad hæc Beneficia agetur.

Sunt & aliæ nonnullæ qualitates, vel ex privilegio aut con-

consuetudine Regni vel Ecclesiæ; aut ex speciali Beneficii fundatione requisitæ.

XIII. Ita in Regno Franciæ sive ex privilegio, sive consuetudine pluribus Regum Edictis firmata, requiritur, ut promovendus ad quodcumque Beneficium sit Regnicola; nisi à Rege litteras naturalitatis obtinuerit. Unde Rebuffus in additione ad Regulam cancellariæ *De Idiomate* ait: "Nota tamen quod in Francia nec Ordinarius, nec „ Legatus posset alienigenæ conferre, qui si conferant il- „ lud Beneficium, à regnicola impetrari poterit, quod est „ notandum, & hoc privilegium regni non solùm pro- „ hibet extero habere Ecclesiam Parochialem, de qua „ hæc regula loquitur, sed etiam alia quæcumque Benefi- „ cia ac alia bona, etiamsi illi fuissent Cardinales, sine Re- „ gis beneplacito, obtinere non possent. Quamvis D. „ Gomes. hic q. 2. volens Cardinalibus favere, multa „ pro ipsis addixerit: tamen in Francia servatur quod „ dixi.

De eodem jure testatur quoque Choppinus De Domanio Franciæ *lib.* 1. *tit.* 11. & latius probatur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gall. *c.* 50.

XIV. Simile esse privilegium & consuetudinem in Regno Hispaniæ testis est Didacus Covarruvias *Pract. qq. capit.* 17. *numer.* 5. plures ibidem de hoc jure tractantes & illud ut rationabile adstruentes citans.

In Placeto Caroli V. super usu Nominationum Facultatis Artium in hac Universitate cavetur *art.* 1. quod nullus poterit nominari vigore indultorum dictæ Facultati Artium concessorum ad aliquod Beneficium hujus Patriæ, nisi sit ex eadem patria oriundus; vel si extraneus, resederit in dicta patria & studuerit decem annis, aut obtinuerit à Principe litteras consensûs in forma. Latiùs Zypæus *tit. De Elect. n.* 13.

XV. De iisdem Regum indultis agit Pyrrus Corradus *lib.* 2. *Praxis Beneficiariæ cap.* 9. notatque, quod quia hæc indulta concessa sunt ad instantiam Imperatoris, Regum & aliorum maximorum Principum, numquam Papa derogare consueverit in læsionem Imperatoris & Regum.

XVI. Subinde ex lege fundationis Beneficia debentur certo generi personarum; v.g. Clericis ejusdem Ecclesiæ, cantoribus, musicis, aliisve certis qualitatibus vestitis: tuncque hisce & non aliis hujusmodi Beneficia conferenda sunt.

XVII. Quin & subinde ad Capellanias similiave Beneficia simplicia vocantur *consanguinei* Fundatoris; solentque vocari Beneficia *patrimonialia*; de quibus agit Garcias De Beneficiis *parte* 7. *c.* 15. *n.* 6. notatq; quòd facta collatio alteri quàm consanguineo sit invalida: " quod ta- „ men (ait *n.* 7.) procedit & accipiendum est, contradi- „ cente & opponente se aliquo consanguineo, & sibi fie- „ ri provisionem petente; aliàs enim præsentatio seu pro- „ visio alteri facta sustineretur.

XVIII. Rectè tamen monet *num.* 10. advertendum id quod dicitur, collationem sustineri ob non concursum alicujus qualitatem illam habentis, " non esse verum in „ Beneficiis quæ sunt conferenda *qualificatis*, non ob fa- „ vorem & respectum personarum; sed Ecclesiæ & Bene- „ ficii, ut meliùs & magis idoneis personis provideatur, „ ut graduatis: tunc enim non valeret collatio aliter facta „ etiamsi nullus qualificatus peteret sibi fieri, quilibetq; „ etiam non qualificatus posset petere, declarari collati- „ onem nullam.

XIX. Plura dubia circa hæc Beneficia ibidem proponit & resolvit Garcias; atque inter cætera resolvit *nu.* 23. in Capellaniis ad quas vocantur consanguinei proximiores faciendam computationem secundùm leges: " quia „ quamvis in Beneficiis & Capellaniis non succedatur ju- „ re *hereditario* & *successionis mera*, tamen negari non „ potest, quin ubi consanguinei vocantur, sit materia suc- „ cessionis, saltem aliquo modo & ad instar.

XX. Cùm verò in Beneficiis Ecclesiasticis omnis species successionis hæreditariæ sit meritò vitanda; neq; ministeria secundùm sanguinem, sed secundùm merita sint distribuenda, hujusmodi conditio Beneficii fundationi non facilè adjicienda; neque à Prælatis facilè admittenda; quemadmodum de Bursis seu portionibus pauperum studiosorum notavi *tit.* 11. *capit.* 4. *numer.* 17.

XXI. Hinc ulterius concluditur, hujusmodi conditiones tamquam naturæ Beneficiorum, ac Sacris canonibus quodammodo contrarias, ut odiosas esse restringendas; ideoq; intra verborum tenorem & rigorem esse concludendas: quapropter si in similium Beneficiorum fundatione dictum non sit, adveniente vocatione, eam publicandam esse, necessaria publicatio non erit; neq; consanguinei collationem impugnare poterunt, titulo non factæ publicationis; modo non appareat fraus aut præcipitantia aliqua ex parte collatorum intervenisse ad excludendos consanguineos, & ita in casu occurrente cum aliis Doctoribus aliquando respondi, & conformiter judicatum fuit.

XXII. In multis Ecclesiis aut ex statuto, aut ex fundatione, vel consuetudine inductum est, ut Dignitates non nisi Canonicis conferri queant; aut ex Canonicis eligi debeant. Sic in Ecclesiis Belgicis vi erectionis ad tres dignitates Archidiaconatus, Archipresbyteratus & Pœnitentiariatus Canonici Graduati assumi debent.

Meminit quoq; Pyrrus Corradus *lib.* 2. *Praxis Benef. c.* 9. Indulti Sixti V. quo cautum est ne " ad principales „ dignitates existentes in quibusdam locis Diœcesis Leo- „ diensis aliæ personæ, præterquam Canonici majoris „ Ecclesiæ dictæ civitatis Leodiensis, actu præbendati, & „ personaliter in ea residentes eligi possint.

XXIII. Occasione hujus indulti Sixtini, " cum dubita- „ retur; ait Pyrrus Corradus an qualitas Canonicatûs re- „ quireretur, momento temporis, vel successivè, fuit di- „ ctum, hoc negotium versari in actu potius momenta- „ neo; quia indultum dicit, quod nullæ personæ, præter- „ quam canonici eligantur, & sic qualitas Canonicatus „ prærequiritur tempore electionis, unde sufficit, adesse „ de eo tempore.

Ratio potissima fuit (ait) " quod cum indultum verisi- „ militer requirat dictam qualitatem, ad hoc ut dignitas „ personis magis dignis conferatur, parum interest quod „ postea deficiat illa qualitas Canonicalis, ex qua ori- „ tur præsumptio meritorum, cum ea deficiente ad- „ huc tamen remaneat præsumptio honestatis, boni- „ tatis, & meritorum, propter illam qualitatem præce- „ dentem.

Deinde subjungit: " Unde passim videmus, quod, stan- „ tibus supradictis licet quis, ut dictum est, non „ possit assequi Dignitatem, nisi fuerit in Ecclesia Ca- „ nonicus, nihilominus non prohibetur postmodum „ suum Canonicatum resignare, retentâ suprà dictâ di- „ gnitate.

Si tamen statutum aut privilegium vel fundatio vellet ut nullus esset Decanus, V.G. nisi simul esset Canonicus, apparet, quod eo casu non posset manere in ea dignitate dimisso Canonicatu: quia tunc esset Decanus & non Canonicus; quod tenori fundationis videtur contrarium: & „ sic aliquando cancellaria Romana expedivit creatio- „ nem in Canonicum cum clausula, *ex nunc*, *prout ex* „ *tunc, & econtra* ad effectum retinendi dignitatem; puta „ quod Orator litigabat super Canonicatu, & præben- „ da, & nolebat in eventum evictionis Canonicatûs, & „ præbendæ prædictorum, amittere dignitatem, quam „ obtinebat, quæque simul cum Canonicatu, & præben- „ da oportebat vigore prædictorum statutorum retinere: „ Unde ex nunc, prout ex tunc, in eventum evictionis, „ creatur Canonicus, ad effectum retinendi prædictam „ Dignitatem.

XXIV.

XXIV. Ita Corradus loquens ibidem de quibusdam Ecclesiis Gallicanis Cathedralibus, Metropolitanis & collegiatis," in quarum statutis cavetur expresse, quod „ nullus ibidem dignitatem administrationem, personatum, vel officium obtinere possit, nisi in illis Canonicus existat, " uti loquitur Leo X. in concordatis inter ipsum & Franciscum I. reservans sibi potestatem „ creandi Canonicos ad effectum dumtaxat inibi obtinendi Dignitatem, personatum, administrationem vel „ officium hujusmodi, & non consequendi primam præbendam vacaturam.

Vide Rebuffum ad hunc textum concordatorum, ibi latè tractat de hujusmodi Canonicis honorariis & titularis.

TITULUS XX.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT I.

Semper vetita Beneficiorum pluralitas, & rationes prohibitionis.

1. *De pluralitate Beneficiorum nihil expressè in antiquis Canonibus.*
2. *Dum Canones vetant aliquem ad plures Ecclesias ordinari, pluralitatem Beneficiorum damnant.*
3. *Quid hac de re decreverit Synodus Calchedonensis?*
4. *Decretum Synodi* VII. *& ratio prohibitionis.*
5. *Ostenditur hoc Decreto* pluralitatem *Beneficiorum fuisse damnatam.*
6. *Pluralitas Beneficiorum quantumvis* simplicium *&* tenuium *jure Communi vetita.*
7. *A nonnullis in Synodo Tridentina distinctio Beneficiorum compatibilium & incompatibilium reprobata, & quare?*
8. *Singula officia singulis Beneficiis annexa vetant uni plura conferri.*
9. *Injusta Beneficiorum pluralitas, quia unus accipit stipendia plurium.*
10. *Fundatorum intentio per Beneficiorum pluralitatem defraudatur: & vagandi occasio datur.*
11. *Pluralitas Beneficiorum sæpius juri naturali repugnat.*
12. *Beneficiorum pluralitas in certis circumstantiis licita esse potest.*
13. *Quæ circumstantiæ concurrere debeant, ut pluralitas non sit juri naturali contraria.*
14. *Qui titulo consuetudinis aut dispensationis plura beneficia securè retinere vult, quid attendere debeat?*

I. IN Pristinis Ecclesiæ canonibus nihil quidem contra pluralitatem Beneficiorum decretum legitur: eo quod Beneficiorum ab ipsis Ordinibus distinctio nondum invaluisset; neque Beneficiorum collatio ab ipsa Ordinatione separata esset.

II. Verum cum ordinari ad aliquam Ecclesiam, eique in ipsa ordinatione adscribi esset juxta illius temporis disciplinam illius Ecclesiæ Beneficiatum constitui; etiam pluribus Ecclesiis adscribi sive intitulari idem erat, quod plura Beneficia in diversis Ecclesiis obtinere.

Hinc quoque intelligitur, quod ubi Canones vetant quemquam duabus Ecclesiis adscribi vel intitulari, reipsâ prohibuerint plura Beneficia in diversis Ecclesiis ab eodem possideri: atque hoc sensu, verissimum est, jam pridem sacris Canonibus pluralitatem Beneficiorum damnatam esse.

III. Concilium Calchedonense *Can.* 10. ait:"Non licere Clericos in duarum civitatum Ecclesiis eodem tem„ pore in catalogum referri, & in ea in qua in principio „ ordinatus est; & in ea ad quam tamquam ad majorem „ confugit, propter magnæ gloriæ cupiditatem; eos au„ tem qui hoc faciunt, propriæ Ecclesiæ restitui, in qua ab „ initio ordinati sunt, ut illic *solum* ministrent... Eos au„ tem qui ausi fuerint post magnæ hujus & universalis „ Synodi definitionem aliquid eorum, quæ sunt prohi„ bita, facere, statuit sancta Synodus eos proprio gradu „ excidere." Fragmentum seu summarium hujus Cano„ nis refert Gratianus *caus.* 21, *qu.* 1, *Can.* 2. his verbis: " Clericum in duarum Ecclesiis civitatum eodem tem„ pore conscribi non oportet.

IV. Idipsum generalioribus terminis decreverunt Patres Synodi septimæ *Can.* 15. fundamenta hujus prohibitionis exprimentes:" Clericus ab hoc deinceps tempore „ in duabus Ecclesiis non collocetur: negotiationis enim „ & turpis lucri proprium est, & ab Ecclesiastica consue„ tudine alienum. Ab ipsa enim Domini voce audivimus „ non posse quempiam duobus dominis servire: vel enim „ unum odio habebit, & alterum diliget; vel unum am„ plectetur, & alterum negliget: unusquisq; ergo secun„ dum dictum Apostolicum, in eo, in quo vocatus est, de„ bet manere, & in una Ecclesia assidere. Quæ enim prop„ ter turpe lucrum fiunt in Ecclesiasticis negotiis, ea à „ Deo sunt aliena.

Hic sat apertè declarat Synodus, nullam velle permittere in duabus Ecclesiis ejusdem Clerici eodem tempore intitulationem sive adscriptionem; eo quod nemo possit duobus Dominis, id est, duabus Ecclesiis servire; neque in duabus *assidere*, seu *residere*.

Si ergo Synodus improbet adscriptionem Clerici in duabus Ecclesiis, eo quod nemo possit eodem tempore *duobus Dominis*, id est, duabus Ecclesiis deservire; atq; unusquisq; debeat in una Ecclesia *assidere*, seu *residere* in qua vocatus est, consequitur, quod eodem fundamento pluralitas Beneficiorum in diversis Ecclesiis generaliter damnata censeri debeat.

V. Certum quippe est, inspectis sacris Canonibus, quin & jure Decretalium, atq; ipsâ Beneficiorum institutione omne Beneficium requirere personalem residentiam, ac *personale* Officium in illa Ecclesia, in qua ipsum Beneficium fundatum vel erectum est: quam personalem residentiam, & personale officium, quia eodem tempore idem in diversis & dissitis Ecclesiis præstare nequit, consequens est, eodem jure, & attentâ ipsâ Beneficiorum institutione, pluralitatem Beneficiorum non secus quam intitulationem Clerici in diversis Ecclesiis esse generaliter interdictam.

Unde Alexander III. in *Cap.* 13. *De Præbendis* scribens," istud esse omni rationi contrarium, ut unus Cleri„ cus in una vel diversis Ecclesiis plures dignitates vel „ personatus obtineat " hanc assignat rationem " Quum „ singula officia in Ecclesiis *assiduitatem* exigant perso„ narum.

VI. Hinc communiter concludunt Canonistæ, quod sicuti nullum Beneficium, quantumvis tenue in proventibus, jure communi eximitur à personali residentia; ita nec ulla de jure dentur Beneficia *compatibilia* ob proventuum tenuitatem, saltem in diversis Ecclesiis.

Hanc in rem admodum notanda sunt verba citati Canonis 15. Synodi VII. quæ allegatis verbis immediatè subnectuntur: "Ad hujus autem vitæ usum sunt diversa studia; „ex iis ergo si quis velit, ea quæ sunt corpori ad usum ne„cessaria comparet. Dixit enim Apostolus, *Usui meo & „iis qui mecum sunt subministraverunt manus meæ.*

His declarat sat dilucidè Synodus, neque ad comparandum vitæ necessaria, Clericum in diversis Ecclesiis adscribendum; sed aliunde, etiam laborando manibus suis, potiùs debere sibi de necessariis providere.

VII. Quapropter inter articulos nomine Caroli IX. Galliarum Regis Concilio Tridentino exhibitos decimus quartus differentiam compatibilium & incompatibilium Beneficiorum, quoad pluralitatem ut novam, & antiquis Decretis incognitam exhibet, & aboleri postulat "Unum „tantùm Beneficium uni conferatur sublatâ (quod attinet „ad pluralitatem) compatibilium & incompatibilium Be„neficiorum differentiâ, quæ distinctio ut est nova & anti„quis Decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam „calamitatem attulit.

VIII. Ulteriùs quia singula Beneficia sua habent annexa officia, convenit, ut singula singulis committantur personis "Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, „omnia autem membra non eundem actum habent; ita in „Ecclesiæ corpore secundum veridicam Pauli sententiam, „in uno eodémque spiritu alii conferendum est hoc offici„um, alii committendum est illud: neque uni quantumli„bet exercitatæ personæ uno tempore duarum rerum offi„cia committenda sunt: quia si totum corpus est oculus, „ubi auditus? sicut enim varietas membrorum per diversa „officia, & robur corporis servat, & pulchritudinem re„præsentat; ita varietas personarum per diversa nihilomi„nus officia distributa & fortitudinem & venustatem san„ctæ Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, ut „in corpore humano alterum membrum alterius fungatur „officio, ita nimirum noxium, simulque turpissimum, si „singula rerum ministeria personis totidem non fuerint „distributa.

Hæc ex *Can.* 1. *Dist.* 89. ubi notant Correctores Romani illa quidem non haberi in Apostolis S. Gregorii ut à Collectoribus citantur, sed referri à Joanne Diacono lib. 2. vitæ ejusdem sancti Pontificis *n.* 54. tamquam dicere soleret "Singula Ecclesiastici juris officia singulis quibusque „personis singulatim committi debere, asserens, quia sicut „in uno corpore &c.

Hinc Gratianus huic Canoni præmittit hoc monitum: "In dispensatione verò Ecclesiæ hanc regulam observandā „noverit (Episcopus) ut nulli quantumvis exercitatæ per„sonæ duo simul committat officia.

Similiter Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. *De Consuet.* in VI. improbans consuetudinem retinendi plures dignitates, rationem improbandi ex ipsa pluralitate officiorum petit dicens: *Cum unum officium vix dignè valeat aliquis adimplere*; quasi diceret, cum unum officium vix dignè valeat adimplere, indignum est, plures habere dignitates, quæ eum pluribus officiis obeundis astringunt.

IX. Insuper singula Beneficia, juxta hodiernam disciplinam, suos habent annexos proventus, quibus Beneficiati tanquam Ecclesiæ Ministri alantur. Injustum autem apparet, ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ Ministris destinata accipiat; atque hinc rursus injusta apparet pluralitas Beneficiorum "Nonnulli (ait Concilium Lateranense in *Cap.* „3. in *De Clericis non resid.*) modum avaritiæ non po„nentes, dignitates diversas Ecclesiasticas & plures Eccle„sias parochiales, contra sacrorum Canonum instituta „nituntur accipere, ut cum unum officium vix implere „sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum.

Joannes XXII. in *Extravagante* EXECRABILIS *De Preb. in comm.* recensens incommoda ex pluralitate Beneficiorum promanantia primo loco recenset, quod "in„terdum unus qui unum quamvis modicum vix officium „implere sufficeret, *plurimorum* sibi vindicat *stipendia*, „quæ multis litteratis viris vitæ puritate ac testimonio bo„næ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè suf„ficere, æqua distributione collata.

X. Ipsa quoque Beneficiorum institutio & fundatio eò tendit, ut plures Ministri constituantur Ecclesiæ; dum igitur unus occupat plura beneficia, contra ipsam Beneficiorum primam institutionem ipsámque Fundatorum intentionem numerus ministrorum diminuitur; ipsique cultui divini officii detrahitur; quod etiam inter incommoda ex pluralitate Beneficiorum provenientia reponit Joannes XXII. in citata Extravagante: additque: "Habentibus ipsa „(plura Beneficia) paratur vagandi materia. Divini cultus „minuuntur, hospitalitas in ipsis Beneficiis debita non ser„vatur.

XI. Hæc aliáque ex pluralitate Beneficiorum sequi solita incommoda, reddunt plerumque pluralitatem illam illicitam, præveniendo etiam omnem juris positivi constitutionem sive prohibitionem: efficiúntque ut consuetudinem retinendi plura Beneficia tanquam corruptelam & abusum reprobet Pontifex in *Cap.* 1. *De Consuet.* in VI.

XII. Et Sanctus Thomas *Quodlib.* 9. *quæst.* 7 *art.* 11. enumerans prædictas inordinationes, quas pluralitas Beneficiorum in se continet, dixit pluralitatem Beneficiorum non esse annumerandam actionibus de se indifferentibus ad bonum & malum; sed annumerandam actionibus, "quæ „absolutè consideratæ deformitatem vel inordinationem „quamdam important, quæ tamen aliquibus circumstan„tiis advenientibus, bonæ efficiuntur: Sicut occidere ho„minem vel percutere, in se deformitatem quamdam im„portat: sed si addatur, occidere malefactorem propter ju„stitiam, vel percutere delinquentem causâ disciplinæ, non „erit peccatum, sed virtuosum." Hæc S. Thomas additque *in numero harum actionum videtur esse, habere plures præbendas.*

XIII. Deinde docet, quod nì concurrant circumstantiæ quæ omnes illas inordinationes, quas pluralitas illa in se continet, abstergant, ipsa pluralitas Beneficiorum maneat prohibita jure naturali; nullâque consuetudine aut dispensatione justificari queat.

XIV. Quapropter qui vigore consuetudinis aut dispensationis in pluralitate Beneficiorum securus esse desiderat, necessariò expendere debet, an revera hujusmodi concurrant circumstantiæ, quæ omnem illam inordinationem tollant; nihilque adeo supersit, quod ipsam pluralitatem jure naturali illicitam reddat; sed solum jus positivum, consuetudine aut dispensatione solubile obstet, quo minus pluralitas in talibus circumstantiis esset illicita: uti latiùs infrà capite 5. ostenditur.

CAPUT II.

Quomodo pluralitas Beneficiorum sensim invaluerit; & quibus potissimum prætextibus.

1. *Beneficiorum pluralitas certis in casibus licita; & is nimium extensi.*
2. *Synodus VII. unum duabus Ecclesiis præfici permisit.*
3. *Verus sensus Synodi.*
4. *Idipsum permisit Synodus Emeritensis.*
5. *Exponitur sententia hujus Synodi.*
6. *Quomodo Decreta Synodorum contra earum mentem extensa sint.*

7. *Ipsa pluralitas ex hac mala interpretatione multùm invaluit.*
8. *Quantus fuerit abusus hujus pluralitatis in Gallia seculo 12.*
9. *Praxis multorum non censetur probata, quia dissimulatur.*
10. *Abusus hic etiam erat circa Beneficia curata.*
11. *Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. contra Beneficiorum pluralitatem.*
12. *Decretum hoc extirpando huic abusui minimè suffecit.*
13. *Dispensationem expressè probans eas frequentiores reddidit.*
14. *Querela Joannis XXII. de excessu dispensationum.*
15. *Decretum hujus Pontificis contra hunc abusum.*
16. *Etiam post hoc Decretum abusus perduravit.*
17. *Commendarum usus circa Ecclesias Parochiales primitus utilis.*
18. *Quomodo hæ progressu temporis palliandæ pluralitati Beneficiorum subservierint.*
19. *Abusus tegebatur regulâ ab Innocentio III. traditâ.*
20. *Synodi Londinensis Decretum contra hoc palliamentum.*
21. *Idem prætextus acriùs rejectus.*
22. *Ostenditur, quomodo commendarum usu quidam fœde abuterentur.*
23. *Permittit Innocentius unum duas Ecclesias habere* si una ex altera pendeat.
24. *Quomodo hæc regula palliandæ pluralitati Beneficiorum subservierit.*

I. OMnem Beneficiorum pluralitatem pristinis Canonibus vetitam fuisse capite præcedenti ostensum est; unàque notatum, Beneficiorum pluralitatem plures inordinationes continere, ob quas etiam præveniendo omnem legem positivam, jure naturali plerumque vetita sit.

Attamen & illud animadversum ex sancto Thoma, posse nonnunquam circumstantias concurrere, quæ omnes inordinationes pluralitati plerumque conjunctas, abstergant; eámque inspecto solo jure naturali licitam reddant.

Cum verò casus nonnulli hujusmodi circumstantiis circumscripti in Canonibus essent expressi, mirum quomodo Clericorum multorum ambitio & avaritia, è quibus Beneficiorum pluralitas oriri solet, eos casus contra Canonum sententiam, & Patrum mentem extenderint; atque Beneficiorum pluralitati incrementum dederint.

II. Synodus œcumenica septima *Can.* 15. adeò districtè interdicit Clericum in duabus Ecclesiis collocari; id est juxta modernam disciplinam, in duabus Ecclesiis Beneficiatum esse, ut nequidem ad inopiam sublevandam id permittat; sed velit ut potius manibus laborando victui necessaria sibi comparare studeat, uti capite præcedenti retulimus; subjungit tamen hanc cautionem: " Et hoc quidem in hac à „ Deo custodita civitate, In iis autem quæ extrà sunt locis, „ propter hominum inopiam permittatur.

III. Verus hujus Canonis sensus est, quod unus idémque Sacerdos possit duabus Ecclesiis extra civitatem constitutis deservire, dum ea est hominum in iis Ecclesiis inopia, ut singulæ singulos Sacerdotes habere nequeant: quo casu ut hominum illorum necessitati, quantum possibile est, succurratur, permittit Canon, ut idem Sacerdos duabus Ecclesiis sibi vicinis deserviat.

IV. Legitur quoque in Synodo Emeretensi anno 666. *Can.* 19. In Parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, „ quæ à fidelibus factæ, aut parùm, aut nihil de rebus vi„ dentur habere. Sacerdotali ergo Decreto Presbytero „ *uni plures* extant commissæ; unde cavendum est, ne occur„ rente paupertate, ordo ibidem non impleatur Missæ.

Hic rursus permitti videtur Beneficiorum pluralitas, dum *uni* Presbytero plures Ecclesiæ extant commissæ; idque *Sacerdotali Decreto*.

V. Verùm si rursus ex mente Concilii sensus Canonis teneatur, nihil cum vetita Beneficiorum pluralitate commune eum habere apparebit. Agitur in hoc Canone de Ecclesiis haud parum fundatis in eadem Parochia existentibus, in quibus Missæ per certos dies celebrari debebant; quæ facilè per unum Sacerdotem celebrari poterant; idcóque incongruum non habebatur *uni* Sacerdoti earum Missarum, accedente præsertim Ecclesiarum paupertate, celebrationem committere: hocque sollicitè eodem Canone cavetur, ut Presbyter ille, juxta Episcopi jussionem in iis Ecclesiis Missarum solemnia congruo tempore persolvat.

His igitur Canonibus permittitur uni Sacerdoti duabus Ecclesiis deservire; sed eo duntaxat casu, quo utrique simul per se satisfacere potest; & Ecclesiarum vel populi necessitas & servitium id postulant.

VI. At unà cum seculis labente Ecclesiasticâ disciplinâ, quod hisce ac similibus Canonibus canonicè decretum fuit, hominum avaritia & ambitio in proprium commodum detorserunt; atque in pallium pluralitatis Beneficiorum quorumcunque, etiam curatorum, & dignitatum, idque in Ecclesiis quantumvis à se procul dissitis, assumpserunt; præsertim invalescente seculo nono & sequentibus pernicioso illo, & melioribus temporibus inaudito principio, quod quis officio & oneribus Beneficiis etiam *Curatis* annexis *per alium* satisfacere posset; ac per consequens, nec personaliter in loco Beneficii residere teneatur: quæ tamen personalis residentiæ obligatio præcipuum erat incompatibilitatis fundamentum.

Quanto impetu, hoc principio semel admisso, Beneficiorum quorumcunque pluralitas propagata fuerit, ex Decretis conciliorum quæ ei opposita fuerunt innotescit.

VII. Synodus Parisiensis anno 829. *Can.* 49. hujus excessus locupletissimum testimonium reddit. Primò itaque ponit hanc generalem regulam: " Sicuti unicuique civitati „ convenit proprium habere Episcopum, ita & unam„ quamque Basilicam Deo dicatam decet & oportet propri„ um habere Presbyterum.

Posita hac regulâ subdit: " Avaritia sanè, quæ est idolo„ rum servitus, quod non sine magno pudore prosequimur „ quosdam invasit presbyteros, suisque retinaculis adeò „ vinxit, captivósque effecit, ut instar cœcorum effecti, ne„ sciant quo eant, nesciántque quid esse, vel quid agere de„ beant. Hi námque ignibus avaritiæ æstuantes, sacerdota„ lisque dignitatis immemores, curam Basilicarum in qui„ bus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam xeniis, „ aut pollicitis non solum à Clericis, verùm etiam à laicis, „ alias basilicas contra fas ad Christi famulatum peragen„ dum suscipiunt.

Deplorat post hæc quod hinc " religio Christiana fusca„ tur, & sacerdotalis ordo confunditur, imò avaritia Sacer„ dotum à subditis denotatur, locáque Deo dicata cultu si„ bi debito privantur, & animarum pericula generan„ tur.

VIII. Cùm autem abusus hic admodum faveret avaritiæ & ambitioni hominum, neque prætextus eum palliandi deessent, continuò collabentibus seculis magis invaluit, uti ex multiplicibus Conciliorum Decretis intelligi potest: in tantum ut & in ipsa Gallia consuetudo perversa retinendi plura Beneficia ita invaluisset seculo 12. ut teste Alexandro III. in *Cap.* 15. ✠ *De Præbendis*, præ multitudine delinquentum emendari non posset: ita enim scribit ad Genuensem Archiepiscopum: " Cùm non ignores, quod una „ Ecclesia unius debeat esse Sacerdotis, mirabile gerimus & „ indignum quod uni personæ locum in pluribus Ecclesiis „ velis concedere, vel in Episcopatu tuo inducere consuetu„ dinem Ecclesiæ Gallicanæ: quæ cum unum ad plura re„ cipiat Beneficia, contra sanctorũ Canonum instituta, non „ appro-

Digitized by Google

„ approbatur à nobis licèt non possit præ multitudine de„ linquentium emendari." Ita legitur in integra Decretali.

IX. Occasione hujus Decretalis observandum, nullatenus inferri posse, consuetudinem aliquam approbatam, tametsi multitudinem habeat sequentem, & pro tempore ab Ecclesia toleretur. Id ipsum in hac eadem materia probat Innocentius III. in *Cap.* 18. ✠ *eod.* subjiciens hanc regulam: "Cum multa per patientiam tolerantur, quæ si dedu„ cta fuerint in judicium, exigente justitiâ non debeant to„ lerari.

X. Nec tantum hic abusus circa Beneficia simplicia; sed etiam circa Parochiales Ecclesias, cum summo animarum periculo eò excreverat, ut non duas, vel tres, sed sex aut plures Ecclesias plurimi haberent, quemadmodum testatur Concilium Lateranense sub Alexandro III. *Cap.* 14. quod & huic abusui occurrere volens, sequens edidit Decretum relatum *in Cap.* 3. ✠ *De Clericis non resid.* "Quia non„ nulli modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas „ Ecclesiasticas & plures Ecclesias Parochiales, contra sa„ crorum Canonum instituta nituntur accipere, ut cum u„ num officium vix implere sufficiant, stipendia sibi vindi„ cent plurimorum: ne id de cætero fiat, districtius inhibe„ mus. Cum igitur Ecclesia vel Ecclesiasticum Ministerium „ committi debuerit, talis ad hoc persona quæratur, quæ „ residere in loco, & curam ejus, per seipsam valeat exer„ cere. Quod si aliter actum fuerit: & qui receperit, quod „ contra sacros Canones accepit amittat: & qui dederit, lar„ giendi potestate privetur.

XI. Abusui tam abominando, sed multorum avaritiæ & ambitioni admodum opportuno, extirpando, haud sufficiebat hoc Synodale Decretum; imo teste Concilio Lateranensi sub Innocentio III. "propter præsumptiones & „ quorumdam cupiditates, *nullus* hactenus aut rarus de „ prædicto statuto fructus provenerat.

Itaque hoc Concilium efficacius remedium adhibere desiderans, statuit, "ut quicumque receperit aliquod Be„ neficium habens curam animarum annexam, si prius tale „ Beneficium obtinebat, eo sit *jure ipso* privatus: & si forte „ illud retinere contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque „ ad quem prioris spectat donatio, illud post receptionem „ alterius liberè conferat cui merito viderit conferendum: „ & si ultra tres menses conferre distulerit, non solùm ad „ alium, secundum statutum Lateranensis Concilii, ejus „ collatio devolvatur: verùm etiam tantùm de suis cogatur „ proventibus in utilitatem Ecclesiæ, cujus illud est benefi„ cium, assignare, quantùm à tempore vacationis ipsius „ constiterit ex eo esse perceptum. Hoc idem in personati„ bus decernimus observandum: addentes ut in eadem Ec„ clesia nullus plures dignitates, aut personatus habere præ„ sumat, etiamsi curam non habeant animarum.

XII. Hoc rursus Decretum, licet in pluribus pro temporum duritia condescendens, sive dissimulans; utpote nihil de pluralitate præbendarum, neque Beneficii curati cum Canonicatu aut alio simplici beneficio disponens, neque suum habuit effectum.

Et quidem anno 1257. id est viginti annis ab edito hoc Decreto, cum in Synodo Londinensi per Legatum Sedis Apostolicæ convocata statutum hoc pronuntiaretur, tanta multitudo obtinentium plura beneficia reperta est, tantusque tumultus excitatus, ut ab executione Decreti supersedere coactus fuerit Legatus. Habetur tom. 11. Concil. *col.* 525. & sequentibus.

XIII. Præterquam quod prædictum Decretum tantum loqueretur de pluralitate beneficiorum curatorum, Dignitatum & Personatuum, pluralitatem aliorum beneficiorum dissimulando, addidit insuper hanc clausulam: "Circa sub„ limes tamen & litteratas personas, quæ majoribus bene„ ficiis sunt honorandæ, cum ratio postulaverit, per Sedem „ Apostolicam poterit dispensari.

Quia hac expressione Decreti quo pluralitas damnabatur via quodammodo justificandi ostendebatur, & dispensatio contra legem probabatur, & quasi offerebatur, ipsæ dispensationes adeo fuère frequentes, ut tandem tamquam jus ordinarium invaluisse videantur; uti non obscurè significat Decretum Concilii Lugdunensis in *Cap.* 3. *De Officio Ordinarii in* VI. id unum permittens Ordinariis locorum, ut „ Subditos suos plures dignitates vel Ecclesias, quibus ani„ marum cura imminet obtinentes: seu Personatum aut „ Dignitatem cum alio Beneficio, cui cura similis est anne„ xa: districtè compellant, *dispensationes* quarum auctori„ tate eas Canonicè tenere se asserunt, intra tempus pro fa„ cti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbi„ trio, exhibere," Et si non exhibuerint, tunc Ecclesiæ, „ quas sine dispensatione illicitè detineri constiterit, liberè possint conferri aliis per eos, ad quos collatio earum pertinet.

"Cæterùm (ait Concilium) si dispensatio exhibita, suffici„ ens evidenter appareat, exhibens nequaquam in Beneficiis „ hujusmodi, quæ canonicè obtinet, molestetur. Provideat „ tamen Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem „ Ecclesiis, personatibus, seu dignitatibus negligatur: nec „ Beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur. Si verò de „ dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc „ erit ad Sedem Apostolicam recurrendum: cujus est æsti„ mare, quem modum sui Beneficii esse velit.

Hic patenter indicatur, quàm frequens esset dispensationum usus, & quàm difficulter Ordinarii Clericos ad dimissionem Beneficiorum cogere possent; modo saltem dispensationem in consueta forma expeditam proferre possent, imò quodammodo ipsis Ordinariis præciperetur, ne Clericos simili dispensatione munitos turbarent.

XIV. De multiplici hac dispensatione à Pontificibus obtenta seu potius exorta conqueritur Joannes XXII. in *Extravagante* 2. *De Præbendis in Communib.* dicens: "Exe„ crabilis quorundam tam Religiosorum, quàm Seculari„ um ambitio, quæ semper plus ambiens, eo magis insatia„ bilis creditur, quo sibi amplius indulgetur, & improbi„ tas importuna petentium à nobis & prædecessoribus no„ stris Romanis Pontificibus non tam obtinuisse, quàm ex„ torsisse plerumque noscuntur, ut unus interdum etiam ad „ unum Beneficium Ecclesiasticum minùs idoneus, in di„ versis Ecclesiis nedum vicinis, sed ab invicem longè di„ stantibus, imò nonnunquam in diversorum regnorum „ partibus situatis, plures quàm duas vel tres, aut plures e„ tiam dignitates, vel personatus, officia seu Prioratus, aut „ diversa Ecclesiastica Beneficia curam animarum habentia „ possit dispensativè, cùm aliàs non liceret de jure commu„ ni, recipere, & simul licitè retinere.

XV. Post hæc enumeratis incommodis quæ ex hac pluralitate in Ecclesiam redundant, subdit: "Nos itaque tot „ malis tantisque discriminibus occurrere cupientes; omnes „ & singulas dispensationis super receptione ac retentione „ plurium dignitatum, personatuum, officiorum, Priora„ tuum, aut Beneficiorum, quibus cura sit animarum anne„ xa, sub quacumque forma vel expressione verborum à „ nobis, vel dictis prædecessoribus nostris cuicumque per„ sonæ concessas. (Cardinalibus tamen sanctæ Romanæ „ Ecclesiæ qui circa nos universali Ecclesiæ serviendo sin„ gularum Ecclesiarum commoditatibus se impendunt: ac „ Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum ac generis „ claritatem sunt potioris prærogativâ gratiæ attollendi, „ duntaxat exceptis) deliberatione super hoc cum fratribus „ nostris habitâ diligenti: de ipsorum consilio & ex certa „ nostra scientia in forma subscripta duximus taliter mode„ randas, quòd per moderamen nostrum effrenatam circa „ easdem personas talium Beneficiorum multitudinem re„ frenemus, ipsique impetrantes fructu dispensationum „ hujusmodi totaliter non frustrentur.

XVI. Verùm experientiâ nimis quàm compertum est, quàm velociter reviviscant abusus, ubi radicitus extirpati non sunt; quamque ipsa Decreta soleant esse inefficacia, dum

in iis ipsis rima, per quam rursus abusus sibi introitum pararet, relinquitur & probatur.

Unde & Beneficiorum pluralitatem etiam post hanc Joannis XXII. Constitutionem sub pallio dispensationis Apostolicæ non parum frequentem fuisse, posteriorum Synodorum Decreta sat demonstrant; atque inter alia Synodi Coloniensis anno 1536. *parte 1. cap. 32.* quo suum contra pluralitatem Beneficiorum zelum ostendens, eam admittere cogitur quæ dispensatione Sedis Apostolicæ nitebatur: monens, ut qui adversùs Decreta eam pluralitatem proscribentia tueri se volent dispensatione Sedis Apostolicæ, *viderint, ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent.*

XVII. Denique ad palliandam Beneficiorum pluralitatem tandem posterioribus seculis plurimùm juvit *commendarum* & *unionum* usus, qui pristinis Ecclesiæ temporibus rite institutus, in maximum tandem degeneravit abusum, & colorem multiplicandis in eandem personis Beneficiis subministravit.

Olim vacante aliquâ Ecclesiâ, cui ob bellorum tempestatem aliâve de causâ non statim de pastore provideri poterat, is cui providendi cura commissa erat, alicui etiam interdum vicino Pastori curam ejus *commendabat*; modo non absimili, quo hodie *deservitura* committeretur. Sicuti ergo *deservitura* hodierna, ita & *commenda* non nisi ad utilitatem Ecclesiæ vacantis, idque necessitate cogente & durante vocatione committebatur: atque de simili commenda intelligendum est, quod dicitur in *Can. 3. caus. 21. q. 1.* “Qui plures Ecclesias retinet, unam quidem *titulatam*, alteram verò sub *commendatione* retinere debet.

XVIII. Progressu temporis *Commendatarii*, varios sive necessitatis, sive honestatis titulos obtendentes fructus ipsarum Ecclesiarum occuparunt: atque ut diutius iis fruerentur, quominus iis provideretur de proprio Pastore, varia impedimenta objectare solebant.

Huic fraudi ut occurreretur, præscriptum legitur in *Cap. 15. De Elect. in VI.* ne *commenda* duraret ultra sex menses.

At Commendatarii, qui fructus Ecclesiarum ambiebant, super hoc Decreto dispensationem à Sede Apostolica variis artibus extorquebant; quâ mediante non tantùm ad vitam, sed etiam cum pleno jure percipiendi proventus Ecclesiarum, detractis dumtaxat impensis necessariis pro vicario, commendas plurium Ecclesiarum retinebant.

XIX. Insuper in pluralitatis justificationem abutebantur regulâ probatâ ab Innocentio III. in *Cap. 54.* ✠ *De Elect.* quòd nullus possit plures Parochiales Ecclesias obtinere, *nisi unam intitulatam, alteram commendatam haberet*: quæ de vera commenda ad tempus, non verò de fictitia hac intelligenda erat.

Dum enim ita ad vitam in *commendam* plura Beneficia retinentur, verba quidem Canonum servari videntur; at mens & verus sensus Canonum negligitur: quandoquidem evidens fit, ejusmodi Commendatarios non nisi *voce* distingui ab iis, qui *titulo* Beneficii possiderent; eaque incommoda oriebantur, sive per modum hujusmodi commendæ, sive per modum *tituli* plura Beneficia ab eadem persona possiderentur.

XX. Unde Synodus Londinensis anno 1237. *Can.* 10. decernit, ut Vicaria Parochialis Beneficii nulli concedatur, *nisi juret residentiam ibi facere, ac eam faciat continuè corporalem.* Rationem subjungit: “Sic eluditur illi dolo, quo sæpè assignato alicui nomine personatus modico, simulatè dabatur illi Ecclesia sub ficto nomine Vicariæ; qui timens alia Beneficia perdere, metuebat eam recipere ut persona.

Hic nomine Vicariæ significari *commendam*, & nomine *personæ*, ipsum Beneficiatum *intitulatum* dubitari nequit.

XXI. Multò expressiùs hunc abusum proponit & condemnat Concilium apud Salmurum anno 1235. ab Archiepiscopo Turonensi ejúsque Suffraganeis celebratum *Can.* 28. “Item nonnulli Episcopi, & alii Prælati, propriis lucris & commodis suorum inhiantes, Ecclesias Parochiales, quæ proprios possunt habere Sacerdotes, Clericis & aliis personis Ecclesiasticis, habentibus alias Ecclesias Parochiales, vel competenter beneficiatis, ut possint eos pluribus onerare Beneficiis, commendant unam, vel duas Ecclesias Parochiales, in animarum suarum periculum & scandalum plurimorum: ut sic habeant *commendatas*, quas secundùm Canones habere non possunt *intitulatas*; quod fieri de cætero prohibemus: statuentes, ut qui taliter Ecclesias commendatas recepit, vel de cætero receperit, careat Ecclesiâ sic commendatâ; & conferens potestate conferendi illam Ecclesiam illâ vice sit privatus.

XXII. Graphicè quoque eum describit Synodus Londinensis anno 1268. *Can.* 31. atque in eum vehementissimè invehitur; & inter alia rectè notat, originem commendationis bonam, regulámque antè traditam ex *Cap. 54.* ✠ *De Elect.* esse Canonicam, sed ad palliandam avaritiam eâ multos abuti, & in alienum sensum detorquere: “Quidam (ait) rationis expertes, vel Juris regulas contemnentes, dum ad plurium Ecclesiarum occupationem, velamen aliud non habentes quomodo ditari festinant, vacantes Ecclesias sibi commendari procurant, amplectentes juris verba, non sensum, quod aliquando permittit unam haberi Ecclesiam intitulatam, & aliam commendatam. Et cum juxta sanum intellectum, propter necessitatem vel utilitatem vacantis Ecclesiæ, jus commendationis, non tam præceptoriè quàm permissivè fuerit introductum: ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia convertentes, in ipsarum Ecclesiarum dissipationem, non solum unam, sed plures recipiunt commendatas.

XVIII. Innocentius III. in citato *Cap. 54.* ✠ *De Elect.* dicens, quod nullus possit plures Ecclesias Parochiales obtinere, addit, *nisi una penderet ab altera*; id est, una alteri esset unita.

Hæc quoque regula ex vero Canonum sensu accepta nihil irregulare habet. Quidni enim duæ Ecclesiæ vicinæ, quæ ob devastationem, aut alia occasione Presbyteros alere nequeunt, neque duos ob incolarum paucitatem requirunt, uniri possint? atque ita unitæ per modum unius uni conferri: de quo casu loquitur *Can. 2. Dist. 70.*

XXIV. Verùm progressu temporis hæc regula in apertissimum abusum, & abominandum prætextum pluralitatis Beneficiorum degeneravit.

Cœperunt enim dicis causâ, neglectâ necessitate aut utilitate Ecclesiarum, plures Ecclesiæ etiam à se invicem remotissimæ & admodum opulentæ uniri in favorem alicujus personæ; idque vitâ ejus durante: quâ unione factâ, unum specie tenus Beneficium conferebatur, sed quod reipsâ plura secum trahebat: nec non nisi voce tenus è pluralitate Beneficiorum differebat.

Unde Prælati præformandis articulis reformationis faciendæ in Concilio Tridentino à Paulo III. deputati dicere non dubitarunt: “Quid de unionibus Beneficiorum ad *vitam unius*, ne scilicet obstet illa Beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nomine est *mera fraus* legis?

Tot palliis & involucris tecta Beneficiorum pluralitas, mirum quantùm instante Concilio Tridentino invaluisset! ut propterea non exigua Patribus Tridentinis cura fuerit, abusum illum extirpandi, variaque Decreta condendi, uti capite sequenti ostendetur.

CAPUT III.

Quid contra pluralitatem Beneficiorum actum & statutum in Concilio Tridentino.

1. *Circa tempus Concilii Trid. summopere invaluerat Beneficiorum etiam Curatorum pluralitas; & ex hac Pastorum non residentia.*

2. *Abu-*

Digitized by Google

2. *Abusuum scaturigo est Pastorum absentia.*
3. *De restituenda Pastorum residentia ante omnia solliciti fuère Patres Tridentini.*
4. *Ut hac haberetur judicarunt Beneficiorum pluralitatem funditus esse tollendam.*
5. *Postulatio Episcoporum Hispaniæ contra Beneficiorum pluralitatem.*
6. *Postulata hæc primùm nonnihil temperanda credidit Synodus.*
7. *Referuntur Decreta Synodi Sessione septima edita.*
8. *Quorum Beneficiorum pluralitas hisce decretis improbata.*
9. *Non satis constat, an per hæc Decreta etiam Beneficiorum simplicium non curatorum pluralitas esset improbata.*
10. *Decretum Synodi magis extensum & dubitationem eximens.*
11. *Beneficia requirentia* residentiam *vi hujus Decreti sunt incompatibilia, sive residentia requiratur ratione* curæ animarum, *sive ratione* servitii.
12. *An Rectoratus cum Parochiali sit incompatibis ex primo capite,*
13. *Quæ sint incompatibilia ob residentiam ratione* servitii.
14. *Incompatibilitas exsurgit ex residentia* præcisa, *non* causativa: *& utriusque definitio.*
15. *Exemplum Beneficiorum requirentium residentiam, sed tantùm* causativam.
16. *Synodus Trid. agnovit aliqua Beneficia non requirere residentiam; & eatenus à Jure communi recessit.*
17. *Habens Beneficium ad vitam honestè sustentandam non sufficiens potest alterum conferre, modo utrumque residentiam non requirat.*
18. *Quod sit* sufficiens *reputandum cujusque conscientiæ relinquitur; & hic frequens excessus.*
19. *Hodie consuetudine inductum, ut sine dispensatione retineatur simplex Beneficium cum alio etiam sufficiente; & unde hæc consuetudo orta sit.*
20. *Synodus Trid. videtur tantùm permittere* unicum *Beneficium simplex primo adjungi,*
21. *Synodus Trid. in vetanda pluralitate Beneficiorum præcipuè attendit impossibilitatem satisfaciendi utriusque oneribus.*
22. *Ex Decreto Synodi Trid. non videntur incompatibilia Beneficia* difformia *in eadem Ecclesia.*
23. *Consonat generalis Ecclesiarum consuetudo.*
24. *An cum Dignitate cui annexus est Canonicatus possit haberi alia dignitas, aut Canonicatus in eadem Ecclesia?*

CIrca tempus Concilii Tridentini adeo Beneficiorum pluralitas, non tantum Beneficiorum simplicium, sed & Curatorum, imò & Episcopatuum invaluerat, ut omnes passim Parochiæ & Diœceses suis destituerentur Pastoribus; ac ubique pene non nisi mercenarii aliqui Sacerdotes gregibus intenderent.

II. Cum autem compertum esset, abusibus qui Ecclesiam eo tempore quodammodo inundaverunt, remedium efficax nequaquam afferri, quamdiu absentibus Pastoribus dabatur lupis in greges grassandi libertas, Patribus visum fuit, mox de hoc abusu non residentiæ tractare; ipsosque Pastores ad residentiam adigere. Sed cum Pastorum residentia sperari non posset, quamquam pluralitas Beneficiorum, præsertim Curatorum permitteretur, mox in ipso Synodi initio contra hunc pluralitatis abusum à Patribus agi cœptum fuit.

III. Unde in Congregatione celebrata immediatè post habitam Sessionem secundam, nimirum 9. Januarii 1546. Gulielmus De Prato Episcopus Claromontensis sententiam suam de residentia Episcoporum proferens, urgebat Patres, ne in materia de residentia aliquid *frigidè & superficialiter* statuerent, " siquidem (ait) per tantum non residendi licentiam orbis gravissimum malum indies latius serpit. Quis enim ignorat, hac captata occasione magna ex parte hæreses esse natas, & auctas mirum in modum, indiesque magis ac magis augeri? Nec videntur facturæ finem, donec hanc occasionem quærentibus, occasionem amputaverimus.

IV. Inter media verò hanc occasionem amputandi tamquam præcipuum suggerit: " Primò Beneficiorum, & maximè Episcopatuum *pluralitas* ab omnibus tollatur funditus. Quod ita necessarium censeo (inquiebat) ut optem memoriam illius pluralitas oblivione sempiternâ deleri: tamquam avaritiæ clericalis (ob quam tam malè audit ordo Sacerdotum) primogenitam & omnium malorum *lernam*." Habetur tom. 14. Concil. General. *col.* 1653. & sequentibus.

V. Plures in ipso Concilio in eumdem abusum exarserunt; & quidem cum prævie ante Sessionem de hac materia agi cœptum esset Episcopi Hispani aliis nonnullis adjunctis petierunt " declarandum, pluralitatem Cathedralium Ecclesiarum esse maximum abusum, monendosque singulos, ac nominatim Cardinales, ut unâ solâ sint contenti, atque alias intra breve tempus relinquant, certè ante exitum Concilii. Tollendam quoque minorum Ecclesiarum pluralitatem, eâ non in posterum modo sed in præteritum etiam prohibitâ, revocatisque omnibus dispensationibus antea concessis; Cardinalibus aliisve minimè exceptis nisi justas ac legitimas afferant causas, quas coram Ordinario curent approbandas.

VI. Hæc Præsulum illorum postulatio rigidior apparebat multis, quàm præsens rerum status pateretur, unde nonnihil temperandam crediderunt; atque primum majoribus & magis noxiis abusibus occurrendum; ac sensim, temporum duritie nonnihil emollitâ ulterius progredi posse: hocque concilium Synodo placuisse patebit, si Decreta edita Sessione septima conferantur cum Decreto in eadem materia Sessione 24. evulgato.

VII. Primò itaque *Sess.* 7. *cap.* 2. *De Reformat.* decernit ut " nemo, quacumque etiam dignitate, gradu, aut præeminentiâ præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedrales Ecclesias in titulum, sive commendam aut alio quovis nomine, contra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat: cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit.

Deinde *cap.* 4. " quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocumque nomine, & titulo; contra formam sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii III. quæ incipit, *De multa*, recipere, ac simul retinere præsumpserit; beneficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispositionem ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat.

VIII. Hic in primis improbat Synodus pluralitatem non tantùm Cathedralium Ecclesiarum, sive Episcopatuum, sed etiam Curatorum, aut aliàs incompatibilium beneficiorum reprobatis illis fictitiis titulis, & involucris, *unionis ad vitam & commenda perpetua.*

Quia autem Synodus non explicat, quæ beneficia habeat tanquam *incompatibilia*, itaque remittit ad Constitutionem Innocentii III. in *Cap.* DE MULTA ;; *De Præbendis*, dubium erat, num Synodus terminos dictæ Constitutionis excedere voluisset; aut reprobare pluralitatem beneficiorum, in dicta Constitutione nominatim non reprobatam.

IX. Hinc ulteriùs dubium erat, an hactenus indamnata esset pluralitas beneficiorum, quæ nec dignitates, nec Per-

sonatus, nec Parochiales Ecclesiæ essent: utpote sola quæ in ea Constitutione Innocentii III. exprimuntur.

X. Postmodum vero Synodus volens efficacius remedium huic abusui afferre, eumque quasi radicitus evellere *Sess. 24. cap. 17 De Reformat.* Decretum edidit " quod „ in quibuscumque personis, quocumque titulo, etiam „ Cardinalatus honore fulgeant, mandat observari, ut in „ posterum unum tantum Beneficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad vitam ejus, cui „ confertur, honestè sustentandam non sufficiat, liceat nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo utrumque „ personalem residentiam non requirat, eidem conferri. „ Hæcque non modo ad cathedrales Ecclesias, sed etiam ad „ alia omnia beneficia, tam secularia quàm regularia, quæcumque etiam commendata, pertineant, cujuscumque „ tituli ac qualitatis existant.

XI. Itaque ex Decretis Concilii Tridentini concludendum, Beneficia esse incompatibilia si *residentiam personalem* requirant; idque sive residentia ratione curæ animarum, sive ratione servitii requiratur; uti notat Fagnanus ad *Cap.* CUM JAM DUDUM ꝯ *De Prabendis numero 39.*

Ex primo capite incompatibiles sunt duæ Parochiales, item Parochialis cum Baptismali: & similiter Beneficium cui injunctum est onus adjuvandi in cura animarum.

XII. Item is qui habet Rectoratum, seu curam exerceat per Vicarium *amovibilem* non potest obtinere Parochialem; quia amovibilitas indicat curam residere apud Rectorem. Si tamen aliunde probaretur, curam nullam esse penes Rectorem, tunc hoc ex capite, nec residentiæ necessitas, nec exinde resultans incompatibilitas concludi posset.

Hinc consulta S. Congregatio, an casu quo cura unita sit alicui Ecclesiæ ex altera dependenti, ita ut ei per Vicarium *perpetuum* deserviatur juxta *Cap.* EXTIRPANDÆ §. QUI VERO ꝯ *De Prab.* resultet ratione *curæ animarum* incompatibilitas talis Ecclesiæ cum alia Parochiali; respondit negativè; apud Fagnanum loco citato *num.* 41. Nec aliud indubiè resolutioni fundamentum fuit, quàm quod curâ animarum in Vicarium *perpetuum* translatâ, Rector Ecclesiæ, cui Ecclesia Parochialis est unita, nomine tenus dumtaxat Pastor aut Curatus dicatur.

XIII. Ob residentiam ratione *servitii* " ex Decreto Con„ cilii Tridentini exsurgit incompatibilitas non solum in „ Parochialibus & Curatis, sed etiam in Beneficio Curato, „ & Canonicatu, & in pluribus Canonicatibus, tam Ca„ thedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum, cum per„ sonalem residentiam requirant, propter servitium, ut in „ *cap. 12. Sess. 24.* licet de jure communi hoc esset contro„ versum ut patet ex opinionibus suprà relatis. Item ex „ Congregatione incompatibilis est præbenda Theologalis „ erecta per unionem aliquot simplicium beneficiorum „ cum Parochiali, vel Canonicatu. Idemque dicendum „ de pluribus Monasteriis, seu Capellaniis servitium perso„ nale, seu residentiam requirentibus propter divini Officii „ celebrationem. Ita Fagnanus.

XIV. Hæc tamen dicta de incompatibilitate Beneficiorum simplicium residentiam requirentium intelliguntur communiter, quando requiritur residentia *præcisa* & *simplex*, non autem de casu quo residentia non est præcisa & simpliciter obligatoria, sed *causativa*; ita post alios Canonistas Gonzales *ad Regulam* 8. *Cancel. Glossa* 15. *num.* 20. vocatque residentiam *præcisam* & simplicem, quando requiritur sub pœna *privationis tituli*. Non simpliciter autem, sed *causativè* requiri dicit, quando solùm requiritur respectu privationis fructuum; nimirum ut non residendo privetur quidem fructibus, sed nequaquam privetur titulo.

Deinde *num.* 23. testatur, sæpius judicatum fuisse, quoad incompatibilitatem Beneficiorum simplicium, inspiciendam esse residentiam *præcisam*, & non sufficere causativam, quod & praxis communis declarat.

XV. Exemplum occurrit in Capellaniis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri hic Lovanii, quæ residentiam ratione servitii in choro requirunt; sed tantùm *causativam*, id est, *privationis fructuum*, non autem *tituli*: quare & Theologi plures hujusmodi Capellanias obtinentes, & earum titulo ad Ordines promoti, postmodum ad Ecclesias Parochiales assumpti, eas unà cum Parochiali, tamquam simplex beneficium residentiam non requirens retinent; licet nullos non residentes fructus percipiant.

XVI. Beneficia omnia etiam simplicia de jure communi requirere personalem residentiam suprà notatum fuit: unaque observatum, posterioribus seculis sensim quædam simplicia beneficia à residentia fuisse absoluta; atque ita tandem invaluisse distinctionem inter beneficia residentiam requirentia, & non requirentia.

Hanc distinctionem quamvis nonnulli è Patribus Concilii Tridentini, tamquam antiquis Ecclesiæ Decretis incognitam, abolitam vellent, tamen eam penitus abolere Concilium conveniens, pro temporum conditione, non judicavit; sed eam apertè in suo Decreto supposuit; atque in declaranda beneficiorum incompatibilitate, & pluralitatis proscriptione usa est: atque eatenus, ob stabilitam per consuetudinem disciplinam, à jure communi nonnihil recessit.

XVII. Itaque quoad beneficia personalem residentiam non requirentia distinguit Concilium; utrum ad vitam ejus cui conferuntur honestè sustentandam sufficiant, an non.

Si beneficium quod quis obtinet sit sufficiens, non poterit obtinere secundum, quantumvis simplex & residentiæ non obnoxium, & ad vitam ejus cui confertur non sufficiens. Quia Concilium permittit, ut possit alterum beneficium conferri ei qui jam unum obtinet hac conditione, si primum quod obtinet, *ad vitam ejus honestè sustentandam non sufficiat.*

Quando autem quis habet beneficium Ecclesiasticum *non sufficiens*, permittit Concilium, ut " liceat nihilominus „ aliud simplex sufficiens, dummodò utrumque persona„ lem residentiam non requirat, eidem conferri.

XVIII. Quæ esse debeat proventuum quantitas, ut beneficium aliquod dicatur *sufficiens*, Concilium non determinavit. Cùm enim hæc sufficientia ex multis factis determinanda sit, judicatum est, ut determinatio hæc cujusque potius conscientiæ judicio, quàm forensi disceptatione decidenda remitteretur.

Dolendum porrò nihil esse frequentius, & jam pridem fuisse, quàm ut " huc cœca & indomita impingat cupiditas: „ quando quisque pro suo, non pro Episcopi arbitrio hoc „ timitur definire. (uti ad Clerum suum scribebat jam pri„ dem Ruremundensium Antistes Henricus Cuykius) Su„ stentationem sui, quam in Clericis omnibus ipsisque eti„ am Episcopis ex Tridentini Concilii sententia, oportet „ esse frugalem, hospitalitatis & beneficientiæ velamine, illi „ volunt esse magnificam; vitæ hujus impendia non pro „ necessitate, aut eo quod naturæ satis esse queat (quæ par„ vo est contenta) sed pro affectu privato & habendi libi„ dine metientes; & ex cujusque beneficii accessione pro„ ventu aucto, aliquid etiam ad familiæ splendorem, ad ve„ stium luxum, ad prædiorum aliarumque sive fixarum sive „ mobilium rerum proventum accedere volunt, & ut in „ plures benefici esse possint, aut ad sui nominis memori„ am celebrandam, opulentas erigere fundationes, domum „ domo & agro agrum è beneficiorum proventibus sem„ per conjungunt: & hoc satis esse arbitrantur ad pellian„ dam aut excusandam inexplebilem avaritiam suam, si „ hunc sibi scopum propositum habeant.

XIX. Interim ex libera taxatione sufficientiæ relicta judicio cujusque privati, tandem consuetudo invaluit, ut super retentione simplicis beneficii residentiam non requirentis

Digitized by Google

rentis nulli moveatur quæstio; tametsi beneficium aliud seu simplex seu non simplex opulentum, & evidenter sufficiens habeat: atque ita videtur consuetudine eatenus derogatum Concilio Tridentino, in quantum prohibuit, unum *sufficiens* habenti alterum etiam simplex residentiam non requirens conferri.

Unde si solùm jus positivum attendamus, id hodie consuetudine sublatum videtur: & per consequens, concurrentibus iis quæ inordinationes pluralitati beneficiorum connexas planè abstergunt; ipsaque Ecclesiæ utilitas exigit, ut quis similia duo beneficia simul retineat, non apparet necessaria dispensatio, quâ juri positivo derogetur; utpote jam per contrariam consuetudinem sublato.

XX. Ulteriùs Concilium Tridentinum permittens, ut habenti beneficium quod ad vitam ipsius honestè sustentandam non sufficit, aliud simplex sufficiens conferatur, de *unico* simplici adjungendo loqui videtur; quemadmodum Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo intellexisse non obscurum est.

Cum enim in Concilio IV. Mediolanensi declaratum esset, licere habenti unum beneficium non sufficiens conferri alterum simplex conformiter ad Synodum Tridentinam, in Concilio V. declarat: "Id ita locum habeat, ut ne tamen „eo prætextu causâve vitæ honestè sustentandæ plura quam „duo beneficia simplicia uni eidemque conferri liceat sine „concessu permissuve Sedis Apostolicæ." *Parte 3. tit. Quæ ad beneficiorum collationem attinent.*

XXI. Dum Synodus Tridentina declaravit incompatibilia plura beneficia cujuscumque conditionis aut qualitatis quorum utrumque *residentiam* requirit, præcipuè reflexisse videtur, ad impossibilitatem satisfaciendi oneribus beneficiis hujusmodi incumbentibus: quæ impossibilitas resultat ex requisita *personali* residentia.

XXII. Cum igitur illa impossibilitas satisfaciendi oneribus utriusque beneficii sæpe cesset, si beneficia sint in eadem Ecclesia; habeantque officia diversi ordinis & generis annexa, quæ *Difformia* dicuntur, etiam tunc incompatibilitas illa cessare videtur ex mente ipsius Synodi: declaravitque conformiter S. Congregatio "consuetudini permittendi, „quod in eadem Ecclesia dignitates cum Canonicatibus te„neantur, non esse derogatum à Concilio Tridentino *Sess.* „*24. cap. 17. De Reformat.*" Ita Garcias *De Benef. parte 2. cap. 2. num. 246.*

XXIII. Et quidem generalis hodie consuetudo permittit beneficium curatum, aut etiam dignitatem cum Canonicatu in eadem Ecclesia retinere; imò in aliquibus Ecclesiis Dignitates conferri, nisi Canonicis non possunt: quemadmodum in Ecclesiis Cathedralibus Belgicis ad instantiam Philippi II. per Paulum IV. Pontificem erectis, Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius ex Canonicis Graduatis assumi debent uti *parte 1. tit. 10. cap. 1.* notatum fuit.

Itaque ex generali consuetudine ad obtinendum in eadem Ecclesia Canonicatum aut Capellaniam etiam requirentem residentiam, unà cum beneficio Curato aut Dignitate dispensatio non requiritur: eo quod jus positivum per dispensationem tollendum contrariâ consuetudine sublatum sit.

XXIV. Quid si Canonicatus sit ipsi dignitati annexus, ipsaque dignitas nullos habeat proventus præter præbendam; an cum hoc Canonicatu & Dignitate annexa, possit in eadem Ecclesia haberi alia Dignitas difformis? Si Canonicatus sit Dignitati annexus per suppressionem, ut ipse titulus Canonicatus sit suppressus, tunc revera non erit nisi simplex Dignitas; & consequenter alius Canonicatus cum hac dignitate in eadem Ecclesia sine dispensatione haberi posset: non autem Dignitas: quia pluralitas Dignitatum in eadem Ecclesia specialiter vetita est in *Cap.* DE MULTA :: *De Præbendis*, neque hactenus consuetudo ei in hoc derogasse scitur.

Si autem Canonicatus æquè principaliter annexus sit, & consequenter eum obtinens sit revera Canonicus & simul in Dignitate constitutus, non poterit in eadem Ecclesia aliam Dignitatem sine dispensatione retinere: nam nemo in eadem Ecclesia potest esse *triplex* absque dispensatione Summi Pontificis; uti post alios docet Garcias loco citato *n. 238.* additque: "Nec valet consuetudo vel statutum in contra„rium ex *Cap. 1. de Consuet. in* VI.

CAPUT IV.

De varia Beneficiorum incompatibilium specie.

1. *Incompatibilitas beneficiorum præcipuè fundatur in impossibilitate residendi in diversis Ecclesiis.*
2. *Arctior residendi obligatio in beneficiis curatis etiam majorem causat incompatibilitatem.*
3. *Distinctio beneficiorum incompatibilium* primi & secundi *generis, & illorum definitio.*
4. *Plura beneficia conformia sub eodem tecto incompatibilia* primi *generis; etiamsi non requirant residentiam.*
5. *An Concilium Trid. circa hoc aliquid innovaverit.*
6. *Quæ dicantur Beneficia* uniformia.
7. *Quæ sint incompatibilia* secundi *generis.*
8. *An per Synodum Trid. hæc distinctio beneficiorum incompatibilium sit sublata?*
9. *Ut beneficium vacet per assecutionem secundi requiritur possessio hujus* pacifica.
10. *Idque non tantùm de facto, sed &* de jure.
11. *In Gallia non inducitur privatio primi per assecutionem secundi; sed datur* optio *eligendi alterutrum.*
12. *Necessitas* optandi *tantùm est post possessionem pacificam.*
13. *Ex praxi Galliæ habetur annus & dies ad* optandum.
14. *Quomodo aliqui hac optandi libertate abuterentur; & quomodo ei per Edictum Regium fuerit occursum.*
15. *Optandi libertas pluribus Parlamentorum arrestis confirmata.*
16. *Declaratum duos Canonicatus esse incompatibiles; nec dimissum posse gravari pensione.*

I. INcompatibilitas beneficiorum præcipuè fundatur in impossibilitate eodem tempore residendi in diversis Ecclesiis; & ex illa impossibilitate, resultante alia impossibilitate satisfaciendi officiis & oneribus utrique beneficio annexis.

II. Cùm autem indubitatum sit, residentiam arctiorem requiri in beneficiis curatis aliisque majora officia annexa habentibus, quàm in beneficiis simplicibus: pluraque incommoda per non residentiam Pastorum plerumque sequi quam ex non residentia Canonicorum aut Capellanorum, consequens est, quod etiam major inter priora, quam posteriora intercedat incompatibilitas; eò quod *pluralitas* secum trahat non residentiam, quæ minus in illis, quam in his toleranda est.

III. Hinc communiter recepta est distinctio beneficiorum incompatibilium, in beneficia incompatibilia primi & secundi generis.

Incompatibilia primi generis dicuntur, inter quæ tanta intercedit incompatibilitas, ut per assecutionem pacificam secundi *ipso facto* vacet primum: quemadmodum de beneficiis curatis Dignitatibus & Personatibus statuit Concilium Lateranense in *Cap.* DE MULTA :: *De Præb.* & expressiùs Joannes XXII. in *Extrav.* EXECRABILIS *De Præbendis*

in Commun. addens, "quod qui deinceps receperint Di-
„gnitatem vel Personatum, seu officium aut aliud benefi-
„cium curam animarum habens annexam, si antea simile
„beneficium obtinebant, illud quo *ipso jure* privati nos-
„cuntur absque moræ dispendio in ordinariorum manibus
„dimittere debeant pari modo: alioquin extunc sint ipso
„jure secundo privati, & nedum ad sacros suscipiendos or-
„dines, quin etiam ad habendum quodcumque aliud Eccle-
„siasticum beneficium inhabiles reputentur.

Itaque attentis hisce Decretalibus incompatibilia sunt primi generis, duo beneficia curata, duæ dignitates, aut personatus; item unum curatum cum dignitate, idque sive in una, sive diversis Ecclesiis.

IV. His addunt communiter Canonistæ duo beneficia *uniformia*, etiamsi sint simplicia, sub *eodem tecto*, id est in eadem Ecclesia; idque auctoritate *Cap.* 9. ✠ *De Concess. Praebendæ non vacantis*, ubi respondetur, vacare *ipso jure* præbendam obtentam per assecutionem secundæ præbendæ in eadem Ecclesia. Idipsum non obscurè decernitur in *Clem. fin. De Præbendis* dum dicitur, primam præbendam *hoc ipso* vacaturam, cum secundam Archidiaconatui annexam fuerit pacifice assecutus. Unde Glossa ibidem verbo *hoc ipso* ait: "Patet quod in præbendis ejusdem Ecclesiæ
„*ipso jure* per assecutionem secundæ vacat prima.

Quin credit post alios Garcias *parte* 11. *cap.* 5. *nn.* 182. id quoque "procedere etiamsi beneficia sint talia, quæ non
„requirunt residentiam in conformibus titulis.

V. Deinde *num.* 186. monet "cavendum à Zerola qui
„ait quod hodie per Decretum Concilii Trid. *Sess.* 24. *cap.*
„17. *De Reformat.* possit quis habere duo beneficia con-
„formia sub eodem tecto, modo sint simplicia & non re-
„quirant residentiam, & non sufficientia: quæ doctrina est
„falsa (ait) & absque fundamento: nam Concilium ibi ni-
„hil innovat seu disponit circa hoc.

VI. Dicuntur autem *uniformia*, quando sunt ad eundem finem & munus instituta; qualia solent esse Canonicatus & Capellaniæ; aliàs siquidem in nomine conveniant; sed munia annexa sint planè disparata, non censebuntur *uniformia*; neque sub hac incompatibilitate comprehensi; quemadmodum notat Gonzales ad Reg. 8. Cancell. *Glossa* 10. 6.

VII. Incompatibilia *secundi* generis vocantur, quæ quidem simul retineri non possunt; sed quorum primum tamen non vacat *ipso jure* per assecutionem pacificam secundi: dicunturque propterea incompatibilia *quoad retentionem*. Hujusmodi beneficia incompatibilia inspecto jure communi sunt duo Canonicatus, aut duæ Capellaniæ residentiam requirentes; item Canonicatus & dignitas aut etiam beneficium curatum, nimirum in diversis Ecclesiis.

VIII. Verùm dubitatur, num hæc incompatibilium distinctio per Synodum Tridentinam *Sess.* 7. *c.* 4. *De Reformat.* sit sublata quia decernit, quod "quicumque de cætero
„plura curata aut aliàs incompatibilia beneficia Ecclesia-
„stica contra formam sacrorum Canonum & præsertim
„Constitutionis Innocentii III. quæ incipit *De multa*, reci-
„pere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis juxta
„ipsius constitutionis dispositionem, *ipso jure*, etiam præ-
„sentis Canonis vigore, privatus existat. "videtur ergo pœnam privationis *ipso jure* per constitutionem *De multa* decretam contra obtinentes plura beneficia curata extendisse ad omnia beneficia *aliàs incompatibilia*.

Attamen communior opinio praxi conformis credit, per hoc Decretum pœnam privationis *ipso jure* ad omnia generaliter beneficia aliàs incompatibilia non esse extensam; sed Synodum exprimendo beneficia *curata*, ac dein subjiciendo clausulam generalem, & *aliàs incompatibilia*, voluisse dumtaxat comprehendere alia incompatibilia de quibus loquitur constitutio *De multa*, ut Dignitates & Personatus. Vide Zypæum in Jure Novo *tit. De Clericis non resid. n.* 11.

IX. Porrò ad vacationem beneficii per assecutionem alterius incompatibilis primi generis, non sufficit ejus collatio etiam acceptata; sed requiritur ejus *pacifica* possessio; aut saltem ut per eum steterit quò minus eam acceperit, juxta clausulam expressam in citata Extravagante Joannis XXII. "Postquam secundi possessionem habuerint, vel per
„eos omni dolo & fraude cessantibus, quò minus habeant,
„steterit. "Et in *Clementina fin. De Præbendis*, PACIFICE *fuerit assecutus*.

X. Hinc concluditur, quod demum indicatur vacatio primi per assecutionem secundi, si assecutio & possessio secundi sit *pacifica*; non solùm de facto, sed etiam *de jure*, id est, non litigiosa, sed absque controversia juris & facti judiciali & extrajudiciali; ita aliis citatis latè exponit Garcias De Benef. *parte* 11. *cap.* 5. §. 1. *n.* 105. ubi *n.* 108. ait, quod primum litigiosum vacet per assecutionem & possessionem *pacificam* secundi.

XI. Hæc quidem ex dispositione Constitutionis *de Multa* innovata per Synodum Tridentinam; at eam in Gallia, saltem quoad pœnam privationis *ipso jure* primi Beneficii per assecutionem secundi, non esse receptam testatur Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis *lib.* 2. *Instit. Juris Canonici cap.* 16. assseritque, in Gallia retentam esse *optionem*; sive jus optandi, de quo Alexander III. in *Cap.* 4. ✠ *De Ætate & qualit. Præficien.* scribens quod Episcopo liceat "habentes plures Ecclesias, quæ ex uno non pendeant,
„appellatione postposita cogere *ad unam* ipsarum, *quam*
„*maluerint* dimittendam.

XII. Verùm sicuti privatio primi beneficii per assecutionem secundi juxta Decretalem *De Multa*, & extravagantem Joannis XXII. non inducitur, nisi post adeptam *pacificam* possessionem secundi beneficii; ita nec *optionis* necessitas inducta censetur, nisi post assecutionem *pacificam* secundi.

XIII. Cum autem in Gallia nemo *pacificus* propriè reputetur, nisi post pacificam *annalem* possessionem, ut supnotatum est, etiam ante annum pacificæ possessionis ad optandum cogi non potest: quod novissime annotavit Claudius Horrii in libro cui titulus: *Nouveau traité des matieres Beneficiales & Ecclesiastiques accommodé à l'usage present*, ubi *pag.* 99. ait: "In Francia provisus de duobus be-
„neficiis incompatibilibus habet annum & diem ad facien-
„dam suam *optionem* si sit possessor *pacificus*, potest unum
„è duobus dimittere ad manus collatoris ordinarii.

XIV. Hac libertate retinendi per annum integrum duo beneficia incompatibilia nonnulli Ecclesiastici abutebantur, nimirum per annum proventus beneficiorum percipiendo; ac dein anno elapso per quamdam collusionem suscitando sibi simulatum adversarium, quo interim proventibus utriusque gaudere pergerent. Cui abusui ut occurreretur anno 1681. Regio Edicto cautum est, ut "cum uni ei-
„demque personæ collata sint duo beneficia curata, aut Ca-
„nonicatus aut dignitas & beneficium curatum, aut duo
„alia beneficia incompatibilia, sive sit *lis*, sive sit pacificus
„possessor, provisus non gaudebit fructibus, nisi illius bene-
„ficii in quo *actualiter* residebit, & servitium *per se* exsol-
„vet: quodque fructus alterius beneficii, aut etiam utrius-
„que, si in neutro resederit & præstiterit servitium *per se*,
„impendentur in solutionem Vicarii aut Vicariorum qui
„servitium præstiterint, vel in reparationes, ornamenta a-
„liumque usum Ecclesiæ ipsius beneficii; idque juxta ordi-
„nationem Episcopi Diœcesani. "Refertur integrum Edictum in opere quod intitulatur Journal des Audiences *tomo* 4. *lib.* 4. *cap.* 6.

XV. In Actis Cleri Gallicani *tomo* 2 *parte* 2. *tit.* 15. referuntur Parlamentorum arresta quæ hanc optionem supponunt, eamque in omni genere beneficiorum incompatibilium locum habere sat patenter declarant; ac per consequens, distinctionem inter beneficia incompatibilia primi & secundi generis, quoad vacationem *ipso jure* hodie in Gallia esse sublatam.

XVI. In-

XVI. Inter cætera *num.* 14. refertur judicatum per arrestum 10. Februarii 1667. duos Canonicatus esse incompatibiles in eadem persona; injunctú ... que plures possidentibus *unum optare*, additâ hac notabili clausulâ: Sic ut non possint pensione illos quos elege int dimittendos gravare: quod conforme esse Canoni Concilii Calchedonensis, infrà ostendemus titulo *De Pensionibus*.

CAPUT V.

De Dispensatione super pluralitate Beneficiorum.

1. *Nulla dispensatio licitam reddit pluralitatem beneficiorum, nisi absint circumstantia qua inordinationes abstergant.*
2. *Interdum graviores, interdum leviores causa ad has inordinationes abstergendas sufficiunt.*
3. *Vix occurrunt sufficientes quoad pluralitatem beneficiorum curatorum; & in Regno Gallia nulla dispensatio super hac admittitur.*
4. *Quid in Belgio obtineat?*
5. *Nulla dispensatio super pluralitate beneficiorum sine causa tuta est in foro Poli.*
6. *Hac est sententia* unanimis *Canonistarum.*
7. *An quis satisfaciat rejiciendo onus in Papam dispensantem.*
8. *Petens dispensationem debet graviè examinare an sit justa causa, & quod motivum petendi.*
9. *Aliquando licita dispensatio.*
10. *Debet semper esse recta intentio; debentque utentes dispensatione eam sæpe discutere.*
11. *Hodie super pluralitate beneficiorum solus Papa dispensat.*
12. *An hodie dua Parochiales Ecclesia sibi vicina uni ad tempus concedi queant sine dispensatione Pontificis?*
13. *Dispensatio qua ratione odiosa & restringenda?*
14. *Hanc regulam probat Bonifacius VIII.*
15. *Possidentes plura beneficia ex dispensatione, tenentur Ordinariis petentibus dispensationes exhibere.*
16. *Possunt Ordinarii dispensationes examinare, & minus legitimè obtentas rejicere.*
17. *Debent intra statutum tempus exhiberi; & qua pœna non exhibentium.*
18. *Etiam possessores* triennales *exhibere dispensationes tenentur.*
19. *Imo titulis possessionis exhibendi.*
20. *Quando super dispensatione consulenda ab Ordinario Sedes Apostolica.*

I. Ostendimus supra capite primo hujus tituli, habere plura beneficia esse referendum inter actiones, quæ ob inordinationes iis annexas jure naturali ita sunt vetitæ, ut nonnisi concurrentibus circumstantiis eas inordinationes abstergentibus licitæ reddi possint; eam omnem juris humani prohibitionem præveniendo; uti docet S. Thomas.

Hinc infert idem Doctor, pluralitatem beneficiorum repugnare juri *naturali*, quamdiu non adsunt circumstantiæ eas inordinationes abstergentes; ac per consequens nullâ consuetudine, nullâve humanâ dispensatione justificari posse pluralitatem quamdiu hæ circumstantiæ reipsa desunt: "eò quòd dispensatio humana (ait) non auferat ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per hominem dispensari potest.

II. Porrò non omnium beneficiorum pluralitatem easdem inordinationes, nec eadem incommoda habere annexa, constat; ideoque & indubitatum est, subinde graviores causas requiri, subinde leviores sufficere ad purgandam ab hisce inordinationibus beneficiorum pluralitatem; eamque attento jure naturali justificandam.

III. Quia verò vix sufficientes rationes occurrunt, quæ compensent incommoda *ex non residentia* beneficiorum Curatorum sive Parochialium nata oriri; adeoque etiam ex pluralitate hujusmodi beneficiorum, præsertim longè inter se dissitorum; ideò in regno Galliæ ex Edicto Blesensi *art.* 11. nulla habetur ratio dispensationis, ut quis plures Episcopatus, vel plures parochiales Ecclesias simul habere possit, "& qui hujusmodi dispensationes impetraverunt „ cadunt à beneficiis, quæ ante obtinebant, itemque revo„ catur hujusmodi dispensatio auxilio provocationis tam„ quam ab abusu interpositæ." Ita Pinsonius in tractatu De beneficiis verbo, *Militia cap.* 3. *num.* 56.

IV. Eandem mentem fuisse Principum Belgii insinuat Edictum Caroli V. 28. Novemb. 1541. *art.* 32. & 33. quo cautum est quod in omnibus litteris Placeti concedendis super provisionibus Apostolicis Parochialium beneficiorum, exprimetur, provisum teneri *personaliter* residere in loco Parochiæ, nec per alium posse deservire: quo sat insinuatur, intentionem Principis esse, ut nec pluralitas beneficiorum Parochialium, quæ residentiam & servitium *personale* in utroque beneficio non compatitur, admittitur.

In *placeto* Caroli V. 25. octob. 1548. super bullis Petri Episcopi de Fano nuntii Apostolici ad has Belgicas Provincias fuit inserta clausula: Quod conferet beneficia curata Clericis *residentibus* & nativis ex his partibus, qui sciant idioma, absque dispensatione in contrarium.

V. Interim in quorumcumque beneficiorum pluralitate requiritur causa legitima, eaque talis quæ sufficiens sit, inordinationes pluralitati annexas abstergere, ut per dispensationem quantumvis Pontificiam, beneficiorum pluralitas coram Deo justa & licita reddatur.

Unde de pluralitate beneficiorum loquens Abbas Panormitanus ad *Cap.* DUDUM ⁝⁝ *De Elect.* ait "Dispensatus „ etiam *per Papam* circa pluralitatem beneficiorum *sine* „ *causa*, licet sit tutus quoad Ecclesiam militantem, non ta„ men quoad triumphantem: & sic non valet dispensatio „ quoad Deum." Et rursus ad *Cap.* CUM ADEO ⁝⁝ *De Rescriptis* de eadem pluralitate loquens ait: "Ubi non subest „ causa rationabilis, non excusatur quis quoad Deum, etiam „ ex dispensatione Papæ.

VI. Eandem sententiam unanimi suffragio amplectuntur Canonistæ, quemadmodum videri potest apud Fagnanum ad *Cap.* EX PARTE ⁝⁝ *De Clericis non resid. num.* 65. ubi agens de dispensatione Papæ super pluralitate beneficiorum, probat sententiam Joannis de Lignano docentis, quòd si Papa dispensaret pro nuda sua voluntate non habita relatione ad bonum publicum, *non foret dispensator, sed dissipator.* Ac dein cum eodem De Lignano concludit: "Ex quo „ sequitur, ut quoad Deum non sit tutus is, cum quo sic „ dispensatur, imò veriùs dissipatur.

Et generalius de dispensatione loquitur, & de omnium Interpretum consonantia testatur ipse Fagnanus ad Cap. NIMIS ⁝⁝ *De Filiis Presbyt. num.* 8. dicens: "est *unani*„ *mis* consonantia Canonum, Conciliorum, & Interpre„ tum, ut necessitatis, vel utilitatis causa in dispensatione „ debeat esse magna; seu quod idem est major, maxima, „ justa, evidens, urgens, & his consimiles, quibus „ sacri Canones promiscuè utuntur tamquam synonimis. „ Alioquin si ejusmodi causa desit, non est dispensatio, sed dissipatio.

VII. Quod ergo nonnulli dicunt, *Papa dispensavit ipse sibi viderit, ego immunis sum*, tamquam merum *cavillum* explodit Cardinalis Bellarminus in Epistola ad suum nepotem; fatetur tamen, quod hic cavillus securos multos reddat; at, ut ipse ait: *tutum neminem.* Rationem subdit: „ Quoniam Papa non est Dominus, sed dispensator; ideo-

„ ideoque qui iniquam dispensationem petit, iniquitatis „ causa est, & qui ea utitur, eadē semper irretitur iniquitate.

VIII. Igitur dispensationem super pluralitate beneficiorum postulare meditanti meritò inculcatur illud S.Bernardi ad Robertum nepotem suum *Epist.1 num.9.* ***Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem.***

Instabunt forsan alii: Num causa sufficiens subsit, expendendum Pontifici relinquimus: ***Utinam*** (dicebat similibus Bernardus *Epist.7. num.9.*) ***non licentiam quæsissetis, sed consilium: id est, non ut liceret, sed an liceret.*** Sed verendum, ne pluribus eorum dici possit, quod subdit Bernardus: ***Malum in corde conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum.... Quod tamen,*** cum eodem Doctore asserere autim, ***summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.***

Profectò si quis serio attendat, quomodo, & à quibus hodie dispensationes solicitari ac postulari soleant; facilè comperiet, quod pluribus sine injuria regeri posset, quod hujusmodi olim regerebat S.Bernardus: Non satis "de propria „ causa confidentes, remorsas ac remordentes conscientias „ Apostolica conati estis delinire licentia. Frivolum satis „ remedium, quod non est aliud, nisi more Protoplasto„ rum, cauteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet „ ad velamentum, non ad medicamentum." *Ep.7.*

IX. Si omnibus attentè ac maturè expensis, intelligantur tales esse circumstantiæ, ut omnis inordinatio pluralitati beneficiorum connexa videatur sublata; " ut puta ait S. „ Thomas, si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obse„ quio, & possit plus servire Ecclesiæ vel tantumdem, quam „ alius præsens " ita ut, solum jus *positivum* pluralitati obstet, tunc, si subsit insuper causa sufficiens recedendi à jure positivo, adsitque recta intentio in bonum Ecclesiæ unicè directa, licita erit dispensatio; quemadmodum docet S.Th. *Quodlib.9.art.15.*

X. Dum autem "aliquis hac intentione plura beneficia „ habere vellet, ut sit ditior, ut lautius vivat, & ut facilius „ ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum ubi est „ Præbendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, "ait S.Thomas loco citato; unde per dispensationem pluralitas beneficiorum cum tali intentione apud Deum justificari nequit. Et uti jam pridem dixit Guilelmus Parisiensis *tit. De Collatione benef. cap.6.* "Indubitanter sciendum est, quod „ Romanus Pontifex quantumcunq; largam dispensationis „ gratiam videatur facere in beneficiis cum aliquibus per„ sonis: tamen non dispensat cum avaritia, cupiditate, vel „ ambitione earum, nec indulget eis indulgentiis suis, & his „ vel aliis vitiis.

Rectè ergo monuit Synodus Coloniensis anno 1536. *parte 1. cap.32.* "Qui dispensatione Apostolicâ adversus hæc „ (pluralitatem beneficiorum) se tueri velint, hi viderint, ut „ causam dispensationis obtentæ *Deo* comprobent.

XI. Hodie super retentione plurium beneficiorum solus Pontifex dispensat; quod paulatim ex consuetudine & stylo Curiæ Romanæ introductum esse notat Rebuffus in Praxi benef. *part.2.tit. De Dispensat. ad plura beneficia nu.2.* Huic consuetudini introducendæ non parum indubiè favit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* DE MULTA ;; *De Præbendis*, dum vetita Parochialium Ecclesiarum, Dignitatum & Personatuum pluralitate, hanc clausulam subjecit, "Circa sublimes tamen & litteratas personas, „ quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cum ratio po„ stulaverit, per *Sedem Apostolicam* poterit dispensari.

Hac expressione creditum fuit, Concilium nulli nisi Pontifici dispensandi licentiam competere voluisse, quemadmodum innuit Matthæus Parisiensis ad annum 1235. loquens de statuto Innocentii III. super dispensatione plurium beneficiorum obtinendorum; quod aliud esse non potest, quam Decretum relatum in citato *Cap.* DE MULTA.

XII. Hinc nonnulli crediderunt, si in gratiam Ecclesiæ Parochialis unio ad tempus fiat, aut etiam in commendam seu deservituram detur Rectori Parochialis Ecclesiæ vicinæ, v.g. ob Ecclesiæ tenuitatem, id sine dispensatione Pontificis non licere ob Concilium Tridentinum *Sess.7. cap.4. De reformat.* Verum id ex mente Concilii nequaquam Episcopis prohibitum esse, probat Zypæus in jure novo *tit. De Clericis non resid. num.6.* quod & supposuit Synodus P.II. Mechliniensis *tit.17 c.3.* ubi modum suggerens providendi tenuioribus Ecclesiis Parochialibus, ait: "Licebit „ Episcopis per unionem vicinarum & minorum Ecclesia„ rum, aut simplicium beneficiorum, vel per concessionem „ deservituarum: " (quæ cum ***commendis*** coincidunt) „ vel alias per modum provisionis providere. " Mens enim Synodi Tridentinæ fuit, præcavere, ne fierent uniones aut commendæ in favorem personarum, non autem in bonum Ecclesiarum. Quod & praxi notoriè est conforme.

XIII. Circa dispensationem plurium Beneficiorum à Pontifice impetratam notandum, eam, utpote indulgentem pluralitatem beneficiorum, sacris Canonibus eatenus vulnus aliquod infligere; eoque titulo reputandam esse odiosam, nec consequenter ultra expressum verborum tenorem posse extendi; quemadmodum notat Rebuffus in *praxi benef. parte 2. tit. De Dispensat. ad plura beneficia num.64.* ibidem inferens: " Quamobrem non extenditur etiam ad „ casum habentem majorem rationem, arguendo à majori „ ad minus; ut nec dispensatus ad curatum censeatur dispen„ satus ad simplex.

Hinc ulterius infert ***num.67.*** "Ideoque debet esse cautus „ impetrans, ut exprimat & simplicia & curata aut alias „ qualificata, alias neutiquam in dispensatione comprehen„ derentur.

XIV. Hisce conforme est, quod respondit Bonifacius VIII. in *Cap.21. De Præbendis in 6.* "Non potest dispensa„ tio super pluralitate beneficiorum concessa, impetranti „ prodesse, qui aliquod ***quantumcumque modicum*** benefi„ cium subticuit in eadem.

Eidem fundamento innititur quod subjungit: "Illud au„ tem Apostolicæ Sedis indultum, ut quis duo beneficia cu„ ram animarum habentia, si aliàs canonicè conferantur ei„ dem, possit recipere ac simul licitè retinere: intelligitur „ de duobus *primis* beneficiis quæ cum cura post dictum „ indultum obtinere contingit eundem.

XV. Cum autem non rarò impetrentur dispensationes ex falsa narratione, vel ex causa minus legitima, aut per importunam inhiantium solicitationem, qua mediante non rarò non concedenda conceduntur; aut etiam interdum ipsæ dispensationes contra mentem concedentis extenduntur, voluit Synodus Tridentina *Sess.7. cap.5. De Reformat.* ut " Ordinarii locorum, quoscumque plura curata, aut alias „ incompatibilia beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispen„ sationes suas exhibere districtè compellant, & alias pro„ cedant juxta constitutionem Gregorii X. in generali Lug„ dunensi Concilio editam, quæ incipit, *Ordinarii*: quam „ eadem sancta Synodus innovandam censet & innovat.

Constitutio Gregorii X. quam hic innovat Synodus Tridentina refertur in *Cap.9. De Officio Ordinarii in 6.*

XVI. Concilium autem Lugdunense, & Tridentinum illius constitutionem probans & innovans, non tantùm permiserunt Ordinariis simpliciter revideri dispensationes, sed etiam rejici ac reprobari, si absque vera & legitima causa fuerint impetratæ; uti monet Weymsius in Analysi ad hanc Constitutionem ***num.7.*** "Etsi enim (ait) illa rejiciendi „ potestas non reperiatur expressè data Episcopis, quia ta„ men Concilium Lugdunense voluit non molestari am„ plius eos, quorum dispensatio exhibita evidenter apparet „ sufficiens, satis intelligitur à contrario sensu, Ordinariis „ attribuisse potestatem molestandi eos quorum dispensatio „ evidenter sufficiens non est: cùm alioqui frustra videre„ tur data examinandi potestas, si reprobandi non compe„ teret.

XVII. De-

Digitized

XVII. Debent autem secundùm constitutionem Concilii Lugdunensis, dispensationes suas "exhibere intra tem-
„ pus pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderan-
„ dum arbitrio.

Si verò intrà tempus, justo cessante impedimento, nullam dispensationem exhibuerint, tunc vigore dictæ constitutionis *eo ipso* Beneficia illa illicitè detineri constabit; poterúntque illa tamquam verè vacantia per eos, ad quos collatio spectat, liberè aliis personis idoneis conferri. "Ita e-
„ nim receptum est (ait Weymsius *num.* 8.) ut ubi lex Ca-
„ non sic ipso facto imponit pœnam incurrendam ex eo,
„ quod Judex statuerit terminum defensionis, cum eo ipso
„ pœnam incurrat Reus, quod se non defenderit, etiamsi
„ nulla intercesserit Judicis condemnatio vel declaratoria
„ sententia.

XVIII. Notat quoque ibidem Weymsius *num.* 10. possidentes plura beneficia, se non posse tueri contra hoc Decretum de exhibenda dispensatione per Regulam Cancellariæ de *triennali possessore*: propterea quod ipsis advertetur juris communis prohibitio, quæ non patitur eos juris beneficio adjuvari: & ita S. Congregationem declarâsse testatur.

XIX. Deinde *numer* 11. quod non tantùm dispensationes suas, sed etiam possessionum *titulos* ipsis Ordinariis exhibere teneantur: "cum Ordinarii rectè judicare
„ vix possint de dispensationibus, nisi simul etiam vi-
„ deant & cognoscant *titulos* quorum vigore beneficia
„ *plura incompatibilia* possidentur, receptum est, teneri
„ Beneficiatos etiam titulos Ordinariis exhibere, adeo ut
„ titulorum exhibitio censeatur de substantia actus & abs-
„ que illa non intelligantur beneficiati satisfecisse suis Or-
„ dinariis, etiamsi maximè affirment se justè & canonicè
„ possidere; quia tituli necessariò exhiberi debent & in
„ scriptis probari, nec sufficiunt testium dicta quod scri-
„ pturam titulorum ipsi viderint: neque etiam de eo solo
„ dispiciendum est, an titulus aliquis subsit, sed etiam an bo-
„ nus sit & validus, quod non nisi ex ejus inspectione co-
„ gnosci potest.

XX. "Si de dispensationis exhibitæ sufficientia dubite-
„ tur, super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum: cu-
„ jus est æstimare, quem modum sui beneficii esse velit,"
ait Concilium Lugdunense in hac Constitutione.

Quid si quidem de dispensatione constet; sed Ordinarius intelligat, non sine scandalo tolerari posse? Indubiè Sedes Apostolica, & super hoc informanda & consulenda erit conformiter ad responsum Alexandri III. in *Cap.* 6. *X De Præbendis*, quo respondit, quod æquanimiter sustineat, si mandatum pro alicujus provisione à Sede Apostolica directum Ordinarius non exequatur, *si non potest et sine scandalo provideri.*

TITULUS XXI.
De Ordinaria Beneficiorum Provisione.

CAPUT I.

Qui Beneficiorum Collatores *Ordinarii*, ac præcipuè de jure Episcopi.

1. *Qui dicantur Collatores* ordinarii.
2. *Episcopus ex jure communi habet fundatam intentionem in collatione beneficiorum suæ Diœcesis.*
3. *Collatio soli Episcopo competiit, quando collatio beneficiorum erat conjuncta Ordinationi.*
4. *Ratio suadens Episcopo deferendam esse beneficiorum collationem.*
5. *Jus Episcoporum circa beneficiorum collationem reputatur* favorabile.
6. *Si non ostendatur beneficii collator, tunc ad ipsum Episcopum collatio spectare censetur.*
7. *Olim Episcopus in electione Ministrorum Clerum suum consulere debebat.*
8. *Capitulum Cathedrale jus illud Cleri prætendit in collatione beneficiorum.*
9. *Episcopus prohibetur personas instituere aut destituere sine consilio Capituli.*
10. *Id præcipuè obtinet quoad Canonicos Cathedrales; & quare?*
11. *Hinc in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus electio Canonicorum est communis; sed non ubique eodem modo ad electionem concurrunt.*
12. *Aliquando Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli.*
13. *Ad vitandam discordiam inducta alternativa inter Canonicos & Episcopum.*
14. *Dum Episcopus confert Capitulariter cum Canonicis quod suffragium habeat?*
15. *Aliquando concurrit ut* Canonicus, *& suffragio Canonici gaudet.*
16. *Quomodo jus eligendi Canonicos Cathedrales in aliquibus Ecclesiis ad solum Capitulum devolutum sit?*
17. *Episcopus hodie in collatione Præbendarum ad suam collationem spectantium non petit consilium Capituli.*
18. *Jure communi collatio Præbendarum in Ecclesia Collegiata spectat ad Capitulum.*
19. *Unde fiat, quod collatio similium Præbendarum in multis Ecclesiis spectet ad solum Præpositum.*
20. *Ad quos soleat spectare Dignitatum collatio in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.*
21. *Jus collationis beneficiorum unde hodie præcipuè colligendum.*
22. *In omni beneficiorum provisione convenit ut interveniat auctoritas Episcopi.*
23. *Ostenditur, quomodo hodie in omni collatione aliquatenus Episcopi auctoritas interveniat.*
24. *Collatio beneficiorum olim Ordinis Episcopalis meritò dicta, hodie est jurisdictionis.*
25. *Non tamen transit in Capitulum Sede vacante.*
26. *Ratio Canonistarum petita ex natura* fructuum *seu proventuum Episcopalium; quibus jus collationis annumerant.*
27. *Quàm mala idea de beneficiorum collatione hinc concipiatur.*
28. *Hæc ratio à Spiritu Ecclesiæ aliena.*
29. *Ratio Canonistarum nullibi in jure probata; & quæ sit ratio quod jus conferendi non transeat ad Capitulum Sede vacante.*
30. *Collatio beneficiorum Curatorum in multis Ecclesiis Gallicanis devolvitur ad Capitulum & in Belgio à Capitulo concursus instituitur.*

I. IN materia collationis beneficiorum, nomine *Ordinarii* non tantùm venit Episcopus; sed etiam quivis alii, quibus quocumque titulo competit jus collationis nomine *proprio*, quo dici queant collatores jure *suo* seu *ordinario*, & non ex alicujus speciali delegatione pro hac illave vice. Vide Garciam De Benef. *part.* 5. *cap* 4. *n.* 1. *&* 2.

II. At

I!. At si ipsum primævum jus collationis Beneficiorum spectetur, id primariò, & quasi naturali jure compent Episcopis: adeo ut omnium Canonistarum calculo, probata sit hæc regula, quod "juris communis dispositione, primævoque Ecclesiæ usu attentis, omnia beneficia quandocumque & quomodocumque vacantia, ad Episcopi seu Ordinarii loci collationem spectent. "Ita post alios Cardinalis de Luca tomo 1. in Summa Beneficiorum §. 2. *n.* 6. qui dein notatis nonnullis singularibus casibus, quibus jus collationis ad inferiores collatores devolutum est, subjungit *n.* 16. "His autem casibus particularibus cessantibus, generaliter fundata est Ordinarii intentio in provisione Beneficiorum in ejus Diœcesi vel territorio existentium, nisi ex Apostolica concessione, seu immemoriali consuetudine, vel præscriptione, alteri inferiori Prælato istud jus in aliquibus Beneficiis quæsitum sit.

III. Imprimis quamdiu ipsa beneficia à sacra Ordinatione sejuncta non fuerunt; & ipsorum Ordinum collatio vice collationis Beneficiorum fuit, omnis quoque Beneficiorum collatio penes solum Episcopum remansit. Certum enim est, Episcopum semper fuisse solum *Ordinarium* Ordinationis ministrum; uti latiùs supra *tit.* 9. *cap.* 2. ostensum est.

IV. Erectis verò Beneficiorum titulis; nec non horum collatione sensim ab ipsa Ordinatione sejuncta, ratio quæ Episcopum constituit ordinarium Ordinationis ministrum, eique Ordinandorum detulit electionem, etiam suadet, Beneficiandorum electionem Episcopo primariò deferendam esse, & quasi jure deberi.

Ut quid enim Clericorum Ordinatio Episcopis concredita, nisi quia per Ordinationem eliguntur, & constituuntur Ecclesiæ ministri, qui unà cum, & sub Episcopo laborent, & ministrent: naturale autem sit, ministros eligi & ordinari ab eo, cui principale & præcipuum regimen incumbit?

Quia ergo collatione beneficiorum, non secus atque sacra Ordinatione, Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur; quid naturalius, quam ut hi tituli per Episcopum, tamquam suæ Ecclesiæ Caput & primum ministrum distribuantur, & ministri inferiores eligantur.

V. Hinc concludunt Canonistæ, quod jus Episcoporum in beneficiorum collatione sit favorabile; utpote in sacris Canonibus fundatum, ipsique quodammodo ministerio Episcopali connaturale, & congenitum. Quare, qui Episcopum à beneficiorum collatione excludere, ejusque collationem restringere prætendit, titulum probare debet; aliàs in dubio pro Episcopo judicandum.

VI. Si ergo nova Dignitas, aut beneficium erigatur; neque ex ipsa erectione, aut aliunde probetur, illius collationem aut præsentationem alicui esse specialiter delatam, ipsa collatio ad ipsum Episcopum spectabit; hoc solo titulo, quod omnium Beneficiorum suæ Diœcesis sit Ordinarius collator, quousque probetur, collationem ad alium spectare.

VII. Episcopi ut in Ministrorum electione securiùs procederent, consilium Cleri sui adhibere, quin & populi testimonium de Ordinandorum moribus & conversatione audire jam pridem solebant. "Ut Episcopus sine consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet; ita ut civium conniventiam & testimonium quærat, "ait Concilium Carthaginense IV. *Can.* 22.

De hac disciplina videri potest Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte* 1. *lib.* 2. *cap.* 5.

VIII. Cùm autem successu temporis, Capitulum Cathedrale quasi ipsum Clerum repræsentare cœperit, ipsumque Ecclesiæ *Senatum* constituere, prætendit etiam juxta Canonum præscripta in ministrorum electione, & in beneficiorum collatione, quâ Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur, tamquam in re summi momenti Capituli consilium esse expetendum.

IX. Huic conforme apparet, quod scribit ad Patriarcham Hierosolymitanum Alexander III. in *Cap.* 4. ¥ *De His quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: "Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis, ita quod tu caput, & fratres tui membra esse comprobentur. Unde non decet omissis membris te aliorum consilio in Ecclesiæ tuæ negotiis uti, &c. Inde est, quod Apostolicâ authoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatissas, vel alias personas Ecclesiasticas, sine *assensu*, vel *consilio* Canonicorum tuorum instituere, vel destituere, aliqua de cætero ratione præsumas.

X. Porrò quod de *institutione* personarum hîc generaliter dicitur; id singulari ratione militare videtur in institutione aut electione ad præbendas Cathedrales. Cùm enim Canonici & Episcopus unum quasi corpus sint, æquum apparet, ut ad electionem membrorum, totum corpus concurrat: quod & Zypæus notat in jure novo *tit. de Præbendis n.* 4.

XI. Hinc indubiè factum, ut in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus etiamnum hodie, Canonicorum electio spectet ad Episcopum & Canonicos. At illud notandum, quod in illis Ecclesiis in quibus hæc collatio ad Episcopum & Capitulum spectat, non ubique eodem modo ad electionem Capitulum & Episcopus concurrant.

XII. In aliquibus enim Ecclesiis, Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli; ita ut non simul Capitulariter eligant Canonici & Episcopus; sed Episcopus separatim eligat, & Capitulum suum suffragium Episcopi suffragio æquivalens depromat; ideoque hoc casu, & Episcopus, & Capitulum suum jus sive suffragium diverso loco, diversoque tempore vel modo dare possint; uti notat De Luca loco citato *num.* 10. Episcopus nempe singulariter, Capitulum verò collegialiter.

XIII. Quia verò ob concurrentiam in diversas personas non raro difficultates oriebantur: "laudabilis inolevit usus (ait De Luca) hujusmodi juris exercitium dividendi per alternativam, seu per menses & tempora, ut quilibet nomine consortis totum jus absque hac discrepantia exerceat.

XIV. Plerumque autem electio hæc simultanea fit per Episcopum & Canonicos Capitulariter congregatos: soletque Episcopus tamquam caput capituli proponere & concludere; eoque titulo suffragium decisivum in paritate habere; præter quod subinde habet suffragium absolutum; quemadmodum in electione Canonicorum Graduatorum in Ecclesiis Belgicis recenter erectis per Bullam erectionis statutum esse, notavimus *parte* 1. *tit.* 10. *cap.* 1. *n.* 6.

XV. Quod autem nonnunquam Episcopus interveniat ut Canonicus, nec alio consequenter gaudeat suffragio quàm Canonici, patet ex *Cap.* 15. ¥ *De Concess. Præbenda* in verbis: "Nisi fortè Archiepiscopus non ut Prælatus, sed ut *Canonicus* vobiscum jus habeat conferendi." Quando censeatur interesse Capitulo, ut *Prælatus*; vel ut *Canonicus*; notatum est supra *parte* 1. *tit.* 2. *c.* 3. *n.* 5.

XVI. Ulteriùs labentibus seculis cœperunt Capitula Cathedralia se ab Episcoporum jurisdictione eximere; atque bona capituli separare à proventibus Episcopi; & corpus suum ita distinguere; ut etiam à negotiis suis omnino Episcopum excludere cœperint, ut nec ipsum capitulo interesse sinerent; quemadmodum ex dictis citato *capite* 3. colligi potest. Non mirum proinde, quod ipsum Episcopum ab electione Canonicorum etiam excluserint atque jus electionis tandem conniventibus Episcopis ad solos Canonicos devolutum sit: quod consuetudine introduci posse, probat Innocentius III. in *Cap.* 31. ¥ *De Elect.* ubi mandat Episcopo Florentino ut à petitione Episcopi Vulterani prætendentis jus electionis cum ipsis Canonicis, absolvere studeat Canonicos, "maximè (ait) si sit notorium, quod in Thuscia generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus Ecclesiis *solum* Capitulum *irrequisito* Episcopo, eligendi Canonicos habeat facultatem.

XVII. In pluribus Belgicis viciniisque Ecclesiis, *soli* Episcopo jus conferendi præbendas Cathedrales, exclusio capi-

capitulo, competit; neque in hac collatione consensum aut consilium capituli expectunt; uti monet Zypæus loco citato.

XVIII. Sicuti naturale est ut Canonici Cathedrales unà cum Episcopo tamquam sub capite eligant corporis sui membra; ita quoque jure communi electio Canonicorum Ecclesiarum Collegiatarum spectare videtur ad Canonicos unà cum suo Decano, aut illo qui cum Canonicis unum corpus sive capitulum constituit: de quo jure vide Garciam & ab eo citatos de beneficiis *parte* 5. *cap.* 4.

XIX. Verum quia multæ Ecclesiæ Collegiatæ aliquando fuere Regulares, electio Canonicorum etiam in pluribus illarum mansit apud solum Præpositum, tamquam qui tempore Regularitatis erat caput congregationis: idque ad normam Regulæ Monachalis S. Benedicti, & Canonicalis S. Grodogangi; quæ Abbati sive Præposito liberam dant facultatem recipiendi Monachos & Canonicos; uti observat Thomasinus de Discipl. Eccl. *parte* 4. *lib.* 2. *cap.* 9.

XX. Dignitates tam in Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis, quæ ipsum capituli regimen ac disciplinam Canonicalem præcipuè concernunt, ad electionem capituli ordinariè spectant; nisi quod hodie ferè primæ Dignitates in Collegiatis, & majores post Pontificalem in Cathedralibus nominationi Regiæ, ex indulto Pontificio sint subjectæ. Dignitates verò in Cathedralibus, quæ propriè ipsum regimen Hierarchicum concernunt, uti sunt Archidiaconatus, Pœnitentiariatus, Archipresbyteratus ad solius Episcopi collationem plerumque pertinent.

XXI. In his autem omnibus, quemadmodum & in aliorum Beneficiorum provisione, attendendus est usus singularum Ecclesiarum qui, sive ex jure communi, sive speciali fundatione, sive legitima præscriptione, aut privilegio originem habeat, servandus est: cum hîc non nisi de puncto disciplinæ agatur, quæ pro temporum & locorum varietate varia esse potest.

XXII. Interim cuicumque beneficiorum collatio sive provisio competat, illud invariatum remanet, beneficium dari propter officium; atque per beneficium constitui ipsum Beneficiatum ministrum Ecclesiæ illius in qua beneficium est fundatum.

Cum ergo à Patrum institutis alienum videatur, ut quisquam in Ecclesiæ ministeria se sine Episcopi, cui principalis totius Diœcesis cura incumbit, consensu intrudat, etiam visum fuit, Episcopo aliquam circa Beneficia auctoritatem conservare; tametsi libera eorum collatio ad alios esset devoluta, aut saltem per jus Patronatûs aliumve titulum restricta. Unde seculo XII. Cantuariensi Archiepiscopo & ejus Suffraganeis scribens Alexander III. vocat consuetudinē *pravam*, " quod Clerici Ecclesiastica beneficia sine consensu Episcopi Diœcesani, vel Officialium suorum recipiunt, minùs quàm deceat (ait) cogitantes, quomodo id à Patrum sanctorum est institutionibus alienum & Ecclesiasticæ contrarium honestati." *Cap.* 3. ;; *De instiut.*

XXIII. Hoc jus Episcoporum consistit partim in jure ipsos Beneficiatos examinandi; curam animarum ipsis committendi; aut etiam eos instituendi, sive titulum conferendi, quæ plerumque Episcopis eorumve Archidiaconis salva manent: tametsi jus præsentationis, collationis aut electionis ad inferiores translatum sit, uti in sequentibus, ubi de Institutione, item de Jure Patronatûs agetur, ostendetur.

XXIV. Collatio beneficiorum quamdiu Ordinationi annexa fuit; seu potiùs quamdiu per ipsam Ordinationem beneficiorum facta fuit, etiam collatio beneficiorum Ordinis Episcopalis meritò dicebatur: at hodie non Ordinis, sed *jurisdictionis* esse reputatur: eoque titulo etiam competere Episcopo ante consecrationem, modò confirmatus sit, & possessionem acceperit apud omnes in confesso est, & quotidiana praxis evincit.

XXV. Cum ergo beneficiorum collatio jurisdictionis, non quidem contentiosæ, sed voluntariæ sit, videtur in Capitulum Sede vacante jus illud collationis debere transire; utpote succedens Episcopo in ea quæ sunt jurisdictionis. Nihilominus, si ad solum Episcopum spectet *libera* collatio, capitulum Sede vacante eam futuro Episcopo reservare debet, quemadmodum decidit Bonifacius VIII. *Cap. unico Ne Sede vacante in* 6. & notavimus *parte* 1. *tit.* 9. *cap.* 2.

XXVI. Rationem communiter post Glossam ad *Cap.* CUM OLIM ;; *De Majorit. & Obed.* assignant Canonistæ, " quia omnes fructus & jura Episcopalia debent fideliter custodiri & reservari successori. Sed collatio beneficiorum (ait) inter bona Episcopalia & *fructus* computatur, & magnum fieret præjudicium Episcopo successori per talem collationem, & ideò non potest conferre, nec distrahere tales fructus sicut nec alios.

XXVII. Quàm hæc Doctorum opinio nata sit, crassam & carnalem de collatione beneficiorum imprimere ideam, nemo non videt. Hinc enim facilè persuadetur, collationem beneficiorum non secus ac alia quæcumque temporalia jura & emolumenta requirendam ac solicitè conservandam esse; tamquam quæ Collatoribus, nescio quid commodi aut emolumenti adferat; aut saltem jus aliquibus personis sibi bene affectus gratificandi. Unde passim *liberam* beneficiorum collationem reputant esse *gratiam.*

At cum in collatione beneficiorū unicè attendi queat Bonum Ecclesiæ, ut nimirum de optimis Ministris ipsi provideatur; omnisque carnalis affectus hic planè exulare debeat (uti supra parte 1. *tit.* 13. *c.* 5. notatum est, & infra titulo *De cavenda personarum acceptione in provisione Benef.* latius ostendetur) facilè intelligitur quàm hæc de collatione beneficiorum idea sit à veritate & spiritu Ecclesiæ aliena: recteque propterea observatum à D. Fleurii in Instit. Juris canonici *parte* 2. *c.* 15. à Recentioribus collationem beneficiorum referri inter *fructus* & emolumenta Episcopatus aut Dignitatis, quam olim ut *onus* potiùs non parùm conscientiam onerans considerâssent Patres. Addere potuisset: & semper ut tale considerarunt, & considerant, qui sciunt & attendunt, quantum onus simili juri collationis sit annexum; quantaque ratio reddenda sit, si de indigno aut minus digno Ministro ex aliquo humano aut carnali affectu Ecclesiæ providerint.

XXVIII. Neque ullibi in Canonibus aut Decretalibus ratio ob quam libera beneficiorum collatio Sede vacante ad Capitulum non devolvatur, refunditur in ipsam naturam collationis, quasi hæc instar *fructuum* Episcopatûs esset futuro Episcopo reservanda; sed Honorius III. in *Cap.* 2. ;; *Ne Sede vacante* declarans collationem præbendæ à Capitulo Sede vacante factam non tenere, hanc dat rationem: " Cum nusquam inveniatur cautum in jure, quod Capitulum vacante Sede, fungatur vice Episcopi in collationibus præbendarum.

XXIX. Ratio verisimilis illius disciplinæ ex consuetudine profluxit, quæ à generali devolutione jurisdictionis in Capitulum exemit hanc beneficiorum collationem; utpote ex jure quasi primogenio, & naturali Episcopo competentem; quemadmodum suprà diximus: maximè cum hîc ageretur de electione *libera* Ministrorum Ecclesiæ, quam tenacius conservat Episcopo, de quo plus, quam de Capitulo confidit, quemadmodum notat Lotterius De Re beneficiaria *l.* 2. *q.* 2. *nu.* 21.

XXX. Verum refert Cabbasutius in sua juris Canonici theoria & praxi *lib.* 2. *c.* 3. *n.* 12. quoad *curata* beneficia, posse Capitulum, dum vacat Sedes Episcopalis saltem in Franciæ Regno providere Parochiis, conferendo eas in titulum potius, quam commendam; hancque

qu Capitulorum possessionem iteratis Parlamentorum arrestis firmatam testatur Pinsonius de Beneficiis tit. *De modis acquirendi Benef.* §. 16. *n.* 18. 19. & 20.

Hic in Belgio passim, etiam Sede vacante instituunt Capitula Cathedralia concursum ad vacantes Ecclesias Parochiales, sive ad Episcopi, sive aliorum Ecclesiasticorum Collatorum vel Patronorum collationem aut præsentationem spectantes; de quo latius titulo sequenti.

CAPUT II.

De Collatione; & qua formâ expedienda?

1. *Quid propriè dicta collatio; ejusque divisio.*
2. *Quæ dicatur collatio* libera.
3. *Describitur collatio* non libera.
4. *Quomodo collatio differat ab Electione & præsentatione?*
5. *Per collationem confertur titulus beneficii.*
6. *An laici conferre possint?*
7. *Jus acquisitum ex collatione cum alio beneficio permutari potest secus jus ortum ex sola præsentatione.*
8. *Collatio de jure solo verbo expediri poterat; hodie* litteras *requirit.*
9. *Formula collationis remissivè.*
10. *Collatio ab Ordinario solet concipi tamquam facta* motu proprio.
11. *Omittitur mentio supplicationis facta ut suspicio ambitus evitetur: quod Collatores meritò attenderent.*
12. *In litteris collationis modus vacationis exprimendus.*
13. *Exprimenda Ecclesia in qua beneficium est situm; item nomen ultimi possessoris.*
14. *Debent adscribi duo ut minimum testes qui collationi inter fuerint.*
15. *An testes debeant esse omni exceptione majores.*
16. *Litteræ expediri debent per notarium.*
17. *Apponenda* data.
18. *Ex data cognoscitur de jure devolutionis aut de præventione.*
19. *Concurrentibus duabus collationibus, ex* data *de validitate cognosci subinde debet.*
20. *Si ab eodem duæ collationes factæ? nec de prioritate constet, neutra valet.*
21. *A duobus factis collationibus duobus, is prior est qui* prior *est* in possessione.
22. *Si neuter est in possessione, collatio Pontificia præfertur collationi Ordinarii: & collatio Ordinarii collationi Vicarii.*
23. *Quid requiratur, ut una collatio* prior *alterâ censeri debeat.*

I. Collatio propriè dicta, definitur communiter, assignatio seu concessio beneficii vacantis facta ab habente potestatem.

Dividitur autem in collationem liberam & non liberam.

II. Prior dicitur quæ fit solo jure Collatoris, ita ut non restringatur ad aliquam personam, ratione juris alteri competentis; hæcque nomine collationis propriè intelligitur.

III. Posterior autem est, quæ fit alicui personæ quasi ex necessitate: dum ratione alicujus juris huic personæ competentis, aliove titulo alicui determinatæ personæ collatio facienda est; atque eatenus collator libertatem conferendi non habet; ideoque collatio *non libera* dicitur. v. g. si restringatur ad præsentatum à patrono, aut nominatum ab universitate; vel ad permutatarium ratione permutationis; soletque hæc collatio vocari *institutio*, de qua infrà agetur.

IV. Collatio *libera* & propriè dicta differt ab electione & præsentatione, quod per collationem acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acquiratur *jus in re*, *Cap.* 17. *De Præbendis in* 6. Per electionem verò, & præsentationem etiam acceptatam, tantum *jus ad rem*; hoc est, jus aliquod quo mediante Episcopus aliusve ad quem collatio sive institutio spectat, constringi queat ad collationem ei faciendam, si aliud Canonicum impedimentum non obstet.

V. Itaque per collationem, quæ aliàs dum libera non est, *institutio* appellari solet, beneficium verè acquiritur, & *titulus* confertur; atque de hac collatione intelligitur *Cap.* 1. *De Regulis Juris in* 6. dicens, "Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine *institutione* canonica obtineri.

VI. Hinc ulterius concludunt communiter Canonistæ, laicis jus collationis competere non posse; utpote qui beneficia, sive titulos beneficiorum dare nequeant: quamvis Reges & alii nonnulli Principes jus collationis sibi competere credant; verboque *collationis & conferendi* in suis litteris utantur; de quo latiùs ubi de nominatione Regia de jure Regaliæ agemus.

VII. Adhæc cum per collationē acquiratur *jus in re*, sive ipse titulus beneficii, concludunt Doctores, jus illud, etiam ante adeptam possessionem, permutari tamquam beneficium cum alio beneficio posse; secus verò *jus ad rem* ex sola electione aut præsentatione ante collationē sive institutionem competens; & ita judicatum refert Ant. Faber in Codice *lib.* 2. *tit.* 1. *Definit.* 58. Vide Rebuffum *in praxi parte* 3. *tit. de Permutatione n.* 23.

Circa formam collationis per Ordinarios collatores sive Episcopum sive alium inferiorem expediendæ nihil in jure cautum; videturque inspecto jure communi *verbo* expediri posse; neque ullam scripturam requiri.

VIII. Verùm hodie collationes fieri aut saltem probari nequeunt sine *litteris*; uti testatur Rebuffus in praxi parte 1. *tit. Requisita ad collationem bonam num.* 15. ubi quærit, an Episcopus & alii inferiores possint *solo verbo* conferre, & sine litteris collationem probare; & respondet, non posse propter eorum fraudes, nec crederetur illis sine litteris. Huic conformis est moderna praxis, quæ non solet quemquam ad possessionem beneficii in vim factæ collationis admittere, nisi litteras collationis quas *Patentes* vocare solent in forma expeditas, adferat, & exhibeat.

IX. Formulam collationis exhibet Rebuffus; extatque apud Barbosam in appendice ad tractatum de Officio Episcopi, *formula* 67. in qua formula præcipuè hæc notanda sunt.

X. Primò quod collatio per Ordinarios semper ita exprimatur, ut videatur facta *motu proprio*; neque ullius supplicationis aut petitionis pro beneficio obtinendo per aliquem factæ mentio fit: sed simpliciter Collator dicit, se permotum ad hanc collationem ei faciendam, ex notitia meritorum ejus, quæ hisce ferè verbis exprimi solent: "Quia de litterarum scientia, vitæ ac morum honestate, aliisque virtutum meritis, quibus illarum largitor personam tuam insignivit, fuimus famâ ac fide dignis testibus certiorati, quæ nos ad gratiam tibi faciendam excitant" &c. Ita formula apud Rebuffum.

XI. Rectè autem monet D. Fleury in *Instit. Juris Canonici parte* 2. *cap.* 21. omitti mentionem supplicationis aut petitionis, quia esset disciplinæ Ecclesiasticæ contraria; utpote quæ omnem ambitum ad beneficia reprobat.

Utinam in conferendis beneficiis hæc formulæ clausula

Digitized by Google

sola seriò attenderetur; sed proh dolor! ita hodie ferè proceditur, ac si soli supplicantes, ne dicam ambientes idonei essent: creduntque multi Collatores, se probè suo functos officio, si ex supplicantibus magis idoneo conferant; quasi non supplicantium ratio nulla habenda esset: tametsi sciant, aut facilè scire possint, hos multò capaciores esse.

XII. Adhæc in ipsa formula collationis exprimitur modus vocationis ipsius beneficii. "Nec potest Episco-„pus vel Archiepiscopus habere modum vacandi pro „expresso; quia hoc ad Papam solùm pertinet," ait Rebuffus in Praxi *parte 2. tit. Requisita in litteris collat. num. 15.*

XIII. Exprimitur etiam Diœcesis ubi beneficium situm est; & si sit Ecclesia per se exprimitur nomen *sancti*; aliàs esset collatio incerta, quæ non valet; uti monet Rebuffus ibidem *num. 17.*

Debet insuper exprimi nomen illius per cujus mortem aut resignationem aliove modo beneficium vacat; aliàs ob incertitudinem litteris collationis non crederetur. Rebuffus *num. 18.*

XIV. Adscribi quoque debent duo ut minimum testes in litteris collationis, qui in ipsa collatione præsentes fuerint: nec admittuntur collationes Episcoporum, nec aliorum Collatorum sine testibus conscriptæ; uti testatur Rebuffus ad Concordata in *Rubrica de collationibus*; & ita per Senatum Parisiensem declaratum fuisse 7. Junii 1527. refert, ac dein subjungit: aliàs non creditur collationi Ordinarii in præjudicium alterius, sive jure ordinario sive jure devoluto conferant. "Quinimò etiamsi Episcopus postea daret litteras suas te-„stimoniales, quibus diceret se contulisse; illæ lit-„teræ non probarent, ad vitandas fraudes," ut ex Bertrando docet idem Rebuffus tit. *Requisita in litteris collat. num. 31.*

XV. Requiritur insuper quod testes descripti in his collationibus sint omni exceptione majores; ideo familiares & domestici, quibus imperari potest, non probarent; ita Rebuffus ad Concordata loco citato; & ita statutum per Senatum fuisse anno 1550. scribit; quod & testatur Pinsonius *De benef. tit. de variis institutionum conditionibus num. 21.* Quod tamen postremum non ita scrupulosè hic servatur; nec testium qualitas aut fides examinari solet.

XVI. Præter duos testes exigitur fides Secretarii aut notarii, qui litteris subscribat, eisque fidem publicam det; imò in nonnullis locis vice Secretarii requiruntur *duo* notarii: refertque Rebuffus loco jam allegato, præceptum fuisse arresto Senatûs Parisiensis anno 1527. omnibus collatoribus Ordinariis, ne distribuant collationes sine testibus & *Secretario* vel *duobus* notariis: quod in iis locis observandum credo, ubi in omni publico instrumento requiritur *duorum* notariorum testimonium. Notat etiam Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ *§. 3. proœmiali num. 153.* quod Secretarius Episcopi debeat esse *notarius*, ut queat litteras collationis conficere.

XVII. Denique in litteris collationis exprimenda *Data*, videlicet non tantum quo anno & mense, sed etiam quo *die* facta sit: quæ pluribus difficultatibus & dubiis enodandis sæpè necessaria est.

XVIII. Imprimis ex *Data* frequenter dignosci debet, an collatio intra tempus à Canonibus præstitutum facta sit; an non fuerit jus devolutionis ad Superiorem; de quo infra *cap. 4.*

Deinde non rarò ex *Data* dependet, num Papa Ordinarii collationē non prævenerit; quâ præventione utitur etiamnum in Gallia; de quo jure agetur *titulo 23.*

XIX. Ulterius si duæ collationes ejusdē beneficii factæ diversis personis concurrant, ex *data*, de prioritate earū inter se, nec non validitate, & prærogativa judicari debet

XX. Et quidem si ab uno eodemque facta sint duæ collationes; neque ex *data* neque aliunde appareat, quæ sit anterior neutram valere judicatum refert Choppinus *lib. 1. De sacra polit. tit. 6. num. 7.* & notat Rebuffus De Pacificis possess. *num. 367.* ubi unà monet, quod de prioritate;" possit constare ex ordine scriptu-„ræ, quando in libro Curiæ Romanæ vel Episcopi „sunt collationes ambæ descriptæ, tunc prior scripta „censetur prior, *Cap.* MANDATO *De Prabendis in 6.* sic „fuit (ait) judicatum per Senatum Tholosanum.

XXI. Si à duobus facta fuerit collatio duobus; neque appareat de prioritate, si unus priùs acceperit possessionem, is alteri præfertur; tametsi unus à Papa, alter ab Ordinario collationem acceperit, uti deciditur in *Cap. 31. de Prebendis in 6.* quia *potior est conditio possidentis.* Et licet hæc Decretalis tantum loquatur de collatione Papæ aut ejus legati, & collatione Ordinarii simul concurrentibus; nihilominus decisionem obtinere etiam in quacumque alia collatione concurrente cum collatione Papæ, monet Rebuffus loco citato *nu. 171*, imò tametsi una esset facta ab Episcopo, & altera ab ejus Vicario: quia est ubique eadem ratio.

XXII. Ubi verò neuter est in possessione, & de prioritate collationis non constat, tunc is, cui Sedes Apost. contulit vel legatus, erit alteri præferendus dicto *Cap. 31. propter conferentis ampliorem prærogativam*: quæ ratio etiam obtinet in Episcopo & ejus Vicario: ut proinde & hic obtinere debeat decisio, & ita aliquando judicasse Senatum Parisiensem testatur Rebuffus ibidem *num. 373.*

XXIII. Plura de hac prælatione concurrentium collationum habet Rebuffus, & latè agit Gonzales ad Regulam 8. Cancell. *§. 3. proœmiali* ubi sequutus Glossam docet, quod prioritas unius horæ vel etiam unius puncti, si de ea constet, faciat præventionem: sed an satis de prioritate constet, si in litteris collationis unius, *hora* sit expressa; & in litteris alterius tantum expressus fuerit *dies*, latè examinat Rebuffus loco allegato; & Brodeau ad Lovetium *Lit. M. num. 10.* qui casu incidente consuli poterunt.

CAPUT III.

De Electione ejúsque forma.

1. *Electio generaliter sumpta quid significet.*
2. *Electio subinde sumitur pro omni provisione beneficii.*
3. *Aliquando pro particulari modo providendi.*
4. *Propriè dicitur electio quando requiritur confirmatio*
5. *Beneficia electiva* confirmativa *propriè dicuntur* electiva.
6. *In his locum non habet præventio Papa in Gallia.*
7. *Non censentur comprehensa nisi specialis eorum mentio fiat.*
8. *In quorum beneficiorum electione servanda forma* Cap. QUIA PROPTER *De Elect.*
9. *Si electio ad Capitulum spectet soli Canonici de* jure *vocandi sunt.*
10. *Ex speciali titulo etiam non Capitulares jus eligendi habere possunt.*
11. *Canonici suffragium non habent nisi sint ut minimum Subdiaconi.*
12. *Omnes suffragio gaudentes ad electionem vocandi; & quomodo.*
13. *Quomodo citandi absentes, & de fide Nuntii asserentis esse citatos.*
14. *Qui absentes sint vocandi?*
15. *Quamdiu absentes exspectandi?*

16. *Interdum etiam unus solus non exspectatis absentibus eligere potest.*
17. *Quandonam absens possit de jure per procuratorem eligere.*
18. *Possunt constitui* plures *procuratores.*
19. *Si duo constituti ambo ad eligendum concurrant, quis praeferendus?*
20. *Dum ex duobus neuter in solidum est constitutus, nullus admittendus.*
21. *Extraneus in procuratorem non admittendus nisi consentiente Capitulo.*
22. *An aliquando in electione votum dari possit per litteras?*
23. *An procurator unum* suo, *& alium nomine constituentis possit eligere?*
24. *Consuetudine induci potest, ut ad electionem non vocentur absentes.*
25. *De simili consuetudine in Gallia? neque à jure improbatur.*
26. *Non vocatus ad electionem opponendo se, electionem irritare potest.*
27. *Si non opponat electio, firma manet.*
28. *Non vocatus tacitè consentiendo electioni, eam censetur approbare.*
29. *An suffragium latum non capitulariter possit electionem validam facere?*
30. *Suffragia debent* capitulariter *dari.*
31. *In electione à majore parte concludi solet.*
32. *Major pars non semper eodem modo computatur.*
33. *An de jure requiratur etiam* sanior *pars.*
34. *Hodie non ponderantur, sed numerantur suffragia.*
35. *Interdum beneficia ad electionem Capituli spectantia conferuntur per* turnum.
36. *An Capitulum propriâ auctoritate electionis formam in collationem* turnariam *possit mutare, si in fundatione fuerit electio praescripta?*

I. ELectionis nomen ex suo instituto denotat generaliter delectum rei alicujus vel personae è duabus vel pluribus; atque hoc sensu dicitur in *Cap. 7. De Regulis juris in 6.* " In alternativis debitoris est *electio*.

In hac autem materia restringitur ad personam; quatenus aliqua persona ad certam Ecclesiae functionem aut dignitatem è pluribus eligitur.

II. Hoc autem modo sumptum nomen electionis, dupliciter accipi potest. Primò generaliter, ut non solùm electionem propriè & specificè sumptam, sed & postulationem, praesentationem, nominationem ac collationem comprehendat: nam & in his omnibus eligitur à praesentantibus, nominantibus, & conferentibus persona idonea ad beneficium vacans.

III. Secundò accipi potest pro electione, prout à dictis modis providendi distinguitur: sumiturque pro designatione seu electione personae ad certum beneficium *plurium* suffragiis *collegialiter* sive capitulariter faciendâ; & de hac tractatur sub titulo Decretalium Gregorii IX. & Bonifacii VIII. *de Electione.*

IV. Observat autem Rebuffus in praxi *parte 1. tit. De Elect.* quod ista dicatur *propriè* electio, quae indiget confirmatione. Altera autem quae non exigit confirmationem, sed Canonici vel alii eligendo *conferunt*, non sit propriè electio, & vim potius habeat collationis, quam electionis.

V. Hinc quaedam beneficia electiva *confirmativa*; quaedam electiva *collativa* vocantur.

Et quidem priora solum dicuntur propriè *electiva*, praesertim quando in electione servatur forma à Concilio Lateranensi praescripta in *Cap.* QUIA PROPTER ✠ *De Electione.*

VI. Observat autem Petrus de Tonduti *l. 1. q. benef. c. 40. n. 8.* " hujus distinctionis esse maximum effectum: „ nam beneficia *propriè electiva* in quorum electione „ servatur forma dicti *Capituli* QUIA PROPTER, in Gal„ lia regias nominationes admittunt, alia non item: in „ electivis *collativis* admittunt Galli Pontificiam prae„ ventionem, non autem in *confirmativis.*

VII. Notat quoque Garcias de Beneficiis *parte 1. c. 7. n. 27.* quod " beneficia *electiva* adeo sunt speciali notâ „ digna, ut non veniant in mandatis de providendo, nisi „ de electione facta fuerit *specialis* mentio, etiamsi nul„ lus modus exprimatur, sed simpliciter mandetur pro„ videri de beneficio vacaturo: " Quin nec sub generali reservatione comprehendi beneficia electiva verius existimat Gonzales ad Reg. 8. Cancell. *Gloss.* 19. vide latius Fagnanum ad *Cap.* NULLUS ✠ *De Elect.* item Antonium Fabrum *lib. 1. tit. 3. Definit.* 45. & 47.

VIII. Electiones autem in quibus servanda est forma citati *Cap.* QUIA PROPTER " sunt illorum Praelatorum „ per quorum mortem Ecclesia remanet *viduata* & sine „ Pastore, nempe Episcoporum, Abbatum, & Praelato„ rum Ecclesiarum Collegiatarum qui habent in iis ge„ neralem jurisdictionem, ratione cujus possunt appel„ lari *sponsi.*" Ita Garcias loco citato *n. 19.* Idipsum tradit Fagnanus ad dictum *Cap.* QUIA PROPTER, latius ibidem ostendens, quinam dicantur Praelati per quorum mortem Ecclesia dici queat *viduata* ad sensum illius Capituli; & aliqua retulimus supra *parte 1. tit. 31. cap. 8.*

Multa quidem specialia sunt observanda in electione facienda secundum formā dicti Capituli; de qua agetur capite sequenti, plura nihilominus sunt omni electioni communia, quae hoc capite sunt exponenda.

IX. Imprimis si electio ad Capitulum spectet, soli ii suffragium habere possunt, iique soli vocandi, qui Capitulum constituunt seu verè sunt de Capitulo. Quapropter si in eadem Ecclesia sunt diversi generis beneficiati; puta aliqui sint Canonici, alii Capellani, aut Portionarii vel similes, soli Canonici sunt vocandi, utpote soli constituentes propriè Capitulum; uti notat Fagnanus ad *Cap.* NULLUS ✠ *De Elect.* asseritque ex Compostellano, Curiam Romanam tenere, quod soli Canonici sint vocandi, & soli Canonici faciant Capitulum, qui unum corpus constituunt. Videri possunt quae dicta sunt *parte 1. tit. 7. cap. 5.* ubi unà notatum, neque obtinentes Dignitates, nisi sint simul Canonici, esse de capitulo; neque suffragio gaudere in electionibus.

X. Et haec quidem jure communi; at ex speciali consuetudine, fundatione aut privilegio, etiam extranei sive non capitulares subinde ad electionem admittendi, & vocandi sunt, uti colligitur ex *Cap. 3.* ✠ *De causa possessionis & propriet.* ubi respondit Innocentius III. electionem Episcopi factam à capitulo cathedrali fuisse *nullam*, quia vocati non fuerant *Clerici Conventualium* Ecclesiarū, qui Electioni Episcopi *consueverant* interesse.

Similiter respondit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato *num. 39.* Portionarios non ideò censendos esse capitulares, licet vel semper, vel plurimùm habeant vocem in capitulo: consequenter supponens, interdum alios praeter capitulares posse gaudere suffragio in actibus capitularibus.

XI. Ulteriùs commune est omnibus electionibus capitularibus, quod Canonici suffragio non gaudeant, etiamsi id iis ab aliis esset concessum, nisi ut minùs in Ordine Subdiaconatûs sint constituti; quemadmodum statutum est in *Clementina* UT II. *de aetate & qualit. Ordinand.* innovata per Synodum Trid. *Sess.* 22. *cap. 4. de Reformat.* de quo latius *parte 1. tit. 7. cap. 5.*

XII. Omni electioni illud quoque commune est, quod omnes suffragio, seu jure communi seu speciali titulo

titulo gaudentes, vocari & admitti ad electionem debeant.

Vocandi autem sunt per signa solita, sive campanæ, sive vivæ vocis, si præsentes sint; absentes verò per litteras vel nuntium secundùm locorum consuetudinem; quæ in hac vocationis forma observanda est; quemadmodum monet post alios Barbosa *lib. 1. Juris. Eccles. cap. 12. num.* 88.

XIII. Citatio absentium facienda est *singulariter* & *personaliter*, si sciatur ubi degant; & commodè & sine periculo fieri possit per litteras, vel nuntium, nisi de consuetudine aliter servetur. "Quod si nesciatur ubi „commorentur, citatio facienda erit per publicum edi„ctum in Ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel „legi debent litteræ citatoriæ capituli præsente capi„tulo & clero; vel si citandus inveniri non potest, ci„tatio facienda est in ejus domo; & si domicilium non „habeat, tunc facienda erit in loco, ubi habitare con„sueverit; vel in ejus Ecclesia seu Beneficio; quia ibi „residentiam facere præsumitur.

Hæc Barbosa post Glossam aliosque ibi citatos; ac dein *num. 95.* subjungit: "Et nuntio præsertim jurato „creditur, an aliquis ex *vocalibus* absens sit vocatus.

XIV. Absentes autem vocandi, qui intra eandem Provinciam sunt; uti ex *Cap. 35.* ⁝⁝ *De Elect.* communiter docent Doctores, in verbis: "vos fratribus omnibus, „qui fuerint *in Provincia*, convocatis &c.

Meritò tamen notandum dictam Glossæ verbo *In Provincia*: "Hic videtur expressum, quod omnes illi & „soli, qui sunt in Provincia, vocandi sunt ad electionē: „& per hoc videtur sic intelligendum si sunt *in Provin„cia Cap.* QUIA PROPTER *eod.* Et quod dicit in provin„cia, sic est intelligendum si sunt in provincia ita pro„pinqui, quod commode sint vocandi: quia si provin„cia esset multum lata & longa, non debet vocari: quia „periculum est in mora. Et eodem modo si esset extra „provinciam & propinquus tunc vocandus esset.

In *Cap.* IN GENESI ⁝⁝ *De Elect.* cujus meminit Glossa, dicitur, quod de *toto Regno Franciæ* vocentur absentes de consuetudine Ecclesiæ; quæ tamen hodie exolevit, ut mox dicemus.

XV. Si vocati intra terminum assignatum, modo tamen competens sit, non venerint, non sunt de cætero exspectandi; poteritque iis absentibus ad electionem procedi *Cap. 18. & 19.* ⁝⁝ *De Elect.*

Essent tamen exspectandi, etiam elapso termino (ait Barbosa *n. 97.*) ubi absque periculo & incommodo exspectari possent, & aliquâ causâ necessariâ vel utili detinerentur, & Superior pro certo haberet, non longè abesse, præsertim cum nullum esset periculum in mora modici temporis: nam si dolo potius ipsos excludendi, quam aliâ legitimâ causâ acceleretur electio in ipsorum præjudicium, reclamationi locum esse, resolvunt ibidem citati.

XVI. Quod si finis termini ad electionem faciendam immineret, possent pauciores, etiam unus solus non exspectatis convocatis, eligere; quia tempus interpellat pro homine. Barbosa ibidem *n.* 98.

XVII. Quia ordinariè ab electione, præsertim ad Dignitates & Prælaturas notabile Ecclesiæ bonum dependet, Concilium Lateranense sub Innocentio III. "pe„nitus interdixit, ne quis in electionis negotio procu„ratorem constituat, nisi sit absens in loco de quo de„beat evocari, justoque impedimento detentus venire „non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat ju„ramento, & tunc si voluerit, uni committat de ipso „collegio vicem suam." *Cap 42. §. 1.* ⁝⁝ *De Elect.*

Ex hoc textu habetur, quod solus absens & legitimo impedimento detentus, possit per *Procuratorem* eligere; notatque Barbosa loco citato *numer.* 108. "quod „non dicatur absens ad hunc effectū is, qui est in aliqua „parte civitatis, etiā remota, vel propè *in hortis.* Si verò „quis sit præsens in loco vel in cœnobio ubi fit electio, „sed tantā ægritudine detentus, ut non possit ad talem „locū accedere, poterit ille unum vel plures de collegio „sibi substituere ad eligendum, vel Electores debent a„liquos ad eum mittere, ut ejus suffragium petant.

XVIII. Juxta hoc Decretum Concilii Lateranensis videtur *unus* dumtaxat constitui potuisse procurator ad eligendum; quod & indicat Bonifacius VIII. in *Cap 46. De Elect. in 6.* une permittens, quod "si quis justo im„pedimento detentus in electionis negotio nequeat „commodè interesse, possit *nedum uni* (*prout* dicitur „in *Concilio generali*) sed etiam *pluribus* vices suas „committere.

Ubi ergo Concilium *unum* solùm constitui permisit, Bonifacius plures constitui permittit; ita tamen, ut dum *plures* constituuntur, cuilibet *in solidum* facultas eligendi detur: tuncque melior sit conditio præoccupantis.

XIX. "Verùm si ambo concurrant insimul & postu„lent se admitti, audiri eos non expedit: quia possent „vota sua dirigere in diversos, sicque res non haberet „exitum, & quod ab eis hoc casu fieret, non valeret: sed „is admittatur dumtaxat, quem Capitulum vel pars ma„jor elegerit: vel si concordare nequeant, is, qui pri„mò in instrumento vel litteris procurationis exstiterit „nominatus.

Antequam ergò procedatur ad ordinem scripturæ, recurrendum est ad electionem Capituli. "Tabellio„nes enim præponunt, quos volunt in instrumentis: & „ideò fuit æquius primò recurri ad electionem Capitu„li, per quam magis idoneus eligeretur: secundò ad „scripturæ ordinem in subsidium." Ita Glossa hic ver„bo, *nequeant.*

XX. "Si autem nullus ipsorum *in solidum* fuerit de„putatus, tum propter rationem eandem (ait Bonifa„cius) ipsorum aliquis non debebit admitti: sibique im„putet, qui sic eos constituit indiscretè.

XXI. Constituendus autem procurator ad eligendum est aliquis de Capitulo; neque invito Capitulo *extraneus* admitti debet, uti declarat Bonifacius VIII. At si Capitulum consentiat, poterit *extraneus* constitui, uti notat Glossa, verbo *nolente Capitulo.*

XXII. Addit insuper Bonifacius, quod licet nullus de Capitulo velit esse procurator, nec Capitulum *extraneum* admittere, non possit equidem Canonicus absens "per litteras exprimere votum suum, quod non est an„te scrutinium; sed in ipso scrutinio *secretè* & *singula„tim* tantummodò exprimendum.

Evidens est, Pontificem hîc loqui de electione per *scrutinium*, in qua non tantum nominis publicatio; sed etiam expressio secretò in *scrutinio* fieri debet, uti notat Glossa hîc verbo, *votum suum.* Quare in electione ubi per vota publica proceditur, nihil obstat quominus per scripturam absens votum suum dare queat; præsertim si consuetudo Ecclesiæ hujusmodi voti dationi non adversetur.

XXIII. Denique declarat Bonifacius VIII. "cum u„nus est procurator simpliciter constitutus, si is unum „suo & alium Domini sui nomine in scrutinio nomi„nandum duxerit, nihil agit, nisi de certa eligenda per„sona sibi Dominus dederit speciale mandatum, tunc „enim in illam ejus, & in aliam suo nomine licitè po„terit consentire.

Rationem cur priori casu *nihil agat*, allegat Glossa hîc verbo, *nihil agit,* "quia quâ conscientia tenetur melio„rem eligere suo nomine, eadem ratione tenetur ad i„dem nomine Domini sui.

XXIV. Hæc quidem ex jure communi; at non omniū Ecclesiarum est hodie eadem consuetudo, idemque usus circa necessitatem vocandi absentes in negotio electio-

electionis; præsertim ubi de electione agitur, quæ vicem *collationis* subit; quæque in minoribus beneficiis & Dignitatibus inferioribus locum habere solet: uti nec eadem est consuetudo, circa constitutionem procuratoris, & voti dationem justo occurrente impedimento.

XXV. Unde licet fuerit olim Galliæ consuetudo, ut absentes vocandi essent ad electionem de toto Regno Galliæ, uti supra notavimus, illa tamen consuetudo prorsus "antiquata est, nec ullibi servatur, adeo ut „non vocentur nisi soli qui sunt in civitate vel oppido „in quo Capitulum convocatur: & si secus agendum „esset, excideret sæpe Capitulum juribus suis, & per „ejus moram aperiretur locus aut præventioni Papæ „vel Legati.

Ita Gabbasutius in *Juris Canonici theoria & praxi lib.2. cap.24. num.2.* Et consuetudo non vocandi absentes probatur in *Cap.33. De Præbendis in 6.* ubi dicitur quod "cum in Ecclesiis Canonicorum præbendarum vel beneficiorum collatio est facienda, absentes „Canonici sint vocandi; nisi (ait) *consuetudo* habeat eos „ad talia *non vocari.*

XXVI. Si unus ex Electoribus sive præsentibus; sive absentibus, canonicè & juxta Ecclesiæ consuetudinem vocatus non sit, ejus contemptus non quidem irritam facit electionem, sed contemptus opponendo se electioni eam irritare potest. *Cap.28. ;; De Elect.*

XXVII. Si autem se non opponat, aut electioni factæ accedat, rata manebit electio: quemadmodum in citato Capitulo deciditur. Cum enim esset quæstio, an duo Electores essent contempti, dicit Pontifex: "Quod „si eos vocatos non fuisse constiterit, sed *contemptos*, infirmanda erit electio penitus taliter celebrata: nisi po„stea propter pacis bonum curaverint contentare.

XXVIII. Imò ut electio firma maneat, satis est, quod contemptus etiam tacitè electioni consentiat: videturque electionem approbare, & ab oppositione sive impugnatione desistere per votum datum *extra* Capitulum, electione jam factâ. Ubi autem semel consentit, non posse amplius electionem impugnare post alios tradit Ascanius Tamburinus de Jure Abbatum *tomo 1. Disp.5. Quæst.3.*

XXIX. Rectè tamen advertit ibidem *nu.13.* quod hujusmodi vota data per contemptos extra Capitulum tantùm prosint, ne electio, aliàs valida irritetur; tamen non augeant numerum eligentium: adeoque si cui in Electione unum votum defuisset ad Canonicam electionem, votum contempti ita *extra* Capitulum post factam electionem datum prodesse non posset.

Rationem subdit Tamburinus *nu.14.* "Quod gene„raliter in omnibus explicandis per Capitulum, & Uni„versitatem *collegialiter*, & simul in unum consensus „vel dissensus præstari debet, & actus expediri.

XXX. Quin & *quæsito 6. num.4.* ait, quod sit" *de* „*substantia* ipsius canonicæ electionis, ut fiat in *com*„*muni* Congregatione, ubi præsentes adsint omnes e„lectores; quia non valet, nisi sit communiter celebra„ta, ut habetur in Cap. IN GENESI, *eodem tit.* tunc au„tem dicitur communiter celebrari; cum in uno loco „omnes electores ad suffragia ferenda congregantur: „singulariter autem fieri intelligeretur, quando sin„guli in suis Monasteriis manentes suffragia mitterent. „Ratio hujus est, nam ea, quæ fiunt ab aliqua Univer„sitate nomine universitatis, debent fieri per congrega„tos in unum; ad hoc enim ut actus dicatur gestus ab „Universitate, oportet, quod more solito congrege„tur Collegium, & ibi fiat conclusio de actûs explica„tione.

XXXI. Quamvis autem unus solus non vocatus sive contemptus possit electionem, etiam *unanimi* omnium aliorum consensu factam, irritare; unus tamen imo nec plurium præsentium contradictio ordinatè impedire nequit electionem à majori parte eligentium factam; atque ita verificatur illud Pontificis *in Cap. 56. ;; De Elect.* quod "*plus* in talibus consueverit con„temptus *unius* obesse, quàm multorum contradictio in „præsenti.

Sicuti enim in aliis actibus Capitularibus, ita & in electione solet à pluralitate suffragiorum concludi: ita ut is electus censeatur in quem major pars Eligentium consenserit.

XXXII. Hoc autem intelligendum, nisi aliter in fundatione vel speciali statuto cautum sit; quæ aliquando duas tertias partes totius Capituli, aut majorem partem omnium de Capitulo existentium requirunt; ita ut non sit censendus electus qui *plura* suffragia habet respectu aliorum in quos vota conspirârunt, sed requiratur, ut habeatur major pars *totius* Capituli. Si ergo sint duodecim Canonici, & quatuor eligant Petrum, tres Joannem, & quinque Paulum; licet Paulus in hac electione habeat plura suffragia, non tamen haberetur pro electo; si requiratur major pars *totius* Capituli: cùm revera majorem partem non habeat. Si autem tantùm exigeretur *pluralitas* suffragiorum, tunc censeretur electus.

XXXIII. Concilium Lateranense in *Cap. 42. ;; De Elect.* vult ut in scrutinio publicato censeatur electus, "in quem omnes vel major & *sanior* pars Capituli con„senserit." Hinc communiter concludunt Canonistæ, quod de jure communi non tantum major pars Capituli, sed & *sanior* requiratur; adeoque non tantùm numerari, sed & *ponderari* vota debeant; interdumque minor pars ob merita & zelum eligentium præponderare majori parti debeat.

Verùm apparet ex intentione Concilii, partem majorem semper præsumi debere etiam saniorem; nisi ostendatur quod contra sacrorum Canonum præscripta elegerit. Exempli gratiâ, si major pars esset interdicta vel suspensa; aut elegisset personam secundum jura incapacem; & ita intellexisse videtur Glossographus ad *Cap. 6. ;; De His quæ fiunt à Prælato &c.* verbo *sanioris* ubi interrogans: "Sed nonne eo ipso major est quod est sanior? Respondet: Dic quod ubi aliqua pars non est *sana*, puta „quia *indignum* eligit, vel quia in damnum Ecclesiæ ali„quid facit, ibi dico majorem partem illam quæ sanior „est, & præferenda est; alias nisi utraque pars in electio„nibus esset *sana*, non statim dicerem majorem *sanio*„*rem*, imò quandoque minorem esse præferendam.

XXXIV. "Et utique si aliter res esset, injiceretur in„ter vocales pomum discordiæ amaricantis zeli, mu„tuarum accusationum & contumeliarum, & implaca„bilis odii fomenta, si merita vel demerita essent explo„randa & invicem computanda vocalium, "uti rectè advertit Gabbasutius in juris Canonici theoria & praxi *lib.2. cap.24. num.14.*

Quare hodie in omni electione obtinet, quod jam pridem in electione Monialium præcipit observari Pontifex *in cap.34. De Elect. in 6.* "ut non zeli ad zelum, „nec meriti ad meritum, sed solum numeri ad nume„rum fiat collatio.

XXXV. Quin interdum, ad evitandas contentiones & dissensiones in electionibus Capitularibus occurrentes, consuetudine, vel ex speciali statuto receptum est, ut Præbendæ aliave inferiora Beneficia ad electionem, vel collationem Capituli spectantia, per *Hebdomadarium* sive *Turnarium*, ut vocant, conferantur; seu quod is in cujus hebdomada beneficium vacare contingit, unum præsentet Capitulo cui tamquam à toto Capitulo electo Beneficium conferatur: cujus statuti meminit Pontifex in *cap. fin. De Præbendis in 6.* notatque Glossa ibidem verbo *statuto*, quod "tales consuetudines & statuta „sint in multis Ecclesiis Gallicanis.

Hunc

Digitized by

Hunc quoque modum eligendi Canonicos in Ecclesia Cathedrali Antverpiensi, cujus statuta à Sede Apostolica probata sunt, à 300. annis servari testatur Zypæus *tit. De Elect. num.* 14. eumque modum in erectione Ecclesiæ Daventriensis à Sede eadem procurante Rege probatum esse.

XXXVI. Si tamen in ipsa fundatione cautum esset, ut ad Dignitates & Præbendas electio fieret *capitulariter*, formam electionis privatâ suâ auctoritate ut Canonici immutarent; atq; desertâ electione Capitulari ad Hebdomadarium vel Turnarium transferrent, haud facilè permitteretur; refertq; Renatus Choppinus, Statutum Capituli Claromontani, quo electionem Canonicorum solitam fieri per communem Capituli electionem transtulerant ad Turnarios, appellante *tamquam ab abusu* Procuratore Regio à Senatu Parisiensi fuisse cassatum. *lib.* 1. *De sacra Polit. tit.* 1. *n.* 3. 4. 5. *&* 6.

CAPUT IV.

De Triplici Forma Electionis à Concilio Lateranensi descripta.

1. *Triplex forma à Concilio Lateranensi præscripta; & quare.*
2. *In quibus electionibus servanda?*
3. *Forma electionis per* compromissum.
4. *Compromissarii servare debent formam compromissi.*
5. *Quot & quales esse debeant Compromissarii jure non est definitum; & unus etiam* extraneus *sufficit.*
6. *In Compromissum consentire debent* omnes *jus eligendi habentes.*
7. *Electio per* inspirationem quasi divinam: *ejusque forma.*
8. *Electiones olim hac formâ factæ; hodie pene ignota.*
9. *Electiones quæ hodie tales vulgo dicuntur, non sunt illæ de quibus loquitur Concilium.*
10. *Electio per* scrutinium.
11. *Assumendi* scrutatores. *& unde sic dicti?*
12. *Assumi debent tres scrutatores.*
13. *Eligendi sunt ex ipsis Electoribus.*
14. *Debent vota secretè exquirere.*
15. *Duplex modus dandi suffragia in electione per scrutinium.*
16. *Vota* singillatim *exquirenda.*
17. Omnium *Eligentium vota exquiri debent.*
18. *Suffragia dari debent* absolutè.
19. *Vota non data* absolutè *rejicienda uti charta* alba.
20. *Suffragia in scriptis redigenda.*
21. *Suffragiorum publicatio quomodo facienda.*
22. *Collatio suffragiorum antè facienda.*
23. *An in computandis suffragiis attendenda pars* sanior *& major zelus.*
24. *Publicato scrutinio facienda electio illius in quem major pars consensit.*
25. *Rarior hisce in partibus hujus electionis usus; frequentior in Germania, & quare.*

I. TRiplex forma electionis proponitur à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in *Cap.* QUIA PROPTER ꝧ *De Electione*, nimirum per *compromissum*, per *inspirationem quasi divinam*, & per *scrutinium*, additq; electionem, aliter factam non valere; & qui contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice potestate priventur.

Has formas in electionibus servandas præscripsit concilium, " propter diversas (ait) electionum formas, quas „ quidam invenire conantur, & multa impedimenta „ proveniunt, & magna pericula imminent Ecclesiis vi„ duatis.

II. Hic singulariter notant Doctores præeunte Glossographo: hæc verba, *Ecclesiis* VIDUATIS, cum sint posita in proœmio consti utionis, designant (inquiunt) causam finalem, & regulant totam dispositionem; ita post alios Fagnanus ad hoc *Cap. n.* 5. atq; inde infert *n* 6. quod dispositio hujus Capituli locum non habeat, nisi in electione illorum Prælatorum per quorum obitum Ecclesiæ manent *viduata* & sine Pastore; prout latiùs capite præcedenti expositum fuit.

III. Per *compromissum* dicitur fieri electio, quando " eligendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, „ qui vice *omnium* provideant Ecclesiæ viduatæ de Pasto„ re." Uti loquitur Concilium Lateranense.

IV. Hi commissarii, cum sint quasi mandatarii sive procuratores ipsius capituli seu congregationis in negotio electionis, limites commissionis seu mandati excedere non possunt: tenenturque formam compromissi exactè servare, *Cap.* 32. ꝧ *De Elect.*

Unde sicuti omni electioni hoc *à jure* inest, ut eligatur *dignus*, ita quoque omni compromisso hæc conditio tacitè inesse censetur, ut compromissarii teneantur dignum eligere; & si secùs elegerint, mandati fines censentur excessisse; neque eatenus mandantes seu committentes factum eorum probare debent, neque ipsis imputandum venit; quemadmodum deciditur in *Cap.* 37. *De Elect. in* 6.

V. Quot debeant esse compromissarii, aut quas habere debeant qualitates, in Jure determinatum non est; imo & in unum compromitti posse, ostendit casus relatus in *Cap* 8. ꝧ *De Elect.* Nec tantùm in unum aut plures de capitulo; sed & in extraneos compromitti posse constat. *Cap.* 8. *&* 21. ꝧ *De Elect.*

VI. Tametsi in negotiis & actibus capitularibus sufficere soleat consensus majoris partis; tamen in compromittendo *omnium* consensus exigitur, adeò ut vel *unius* dissensus compromissum impediat: nam per compromissum ipsi eligentes quodammodo jure eligendi, saltem pro hac vice, privantur; quod sine singulorum consensu fieri nequit: præsertim quia hæc eligendi forma tantùm est subsidiaria & pendens ab eligentium voluntate. Vide Glossam ad *Cap.* 42. ꝧ *De Elect.* verbo *vice omnium.*

Cum autem rarò contingat, quod omnes velint suo suffragio privari, & & unanimiter in compromissarios consentiant, rarissima quoque est hæc electionis forma; atque hic in Belgio vix nota.

VII. Altera forma electionis exprimitur in Decreto Concilii Lateranensis his verbis: *Nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem* (additur in quodam codice *Spiritûs Sancti*) *absque vitio celebrata.*

Quamvis enim moris sit & in Jure expressum, ut in omni electione nimirum propriè dictâ, & ibi de Beneficiis *verè electivis*, quibus Ecclesiæ *viduata* de Pastore providetur, Spiritûs Sancti gratia invocetur *Cap.* 14 *&* 18. ꝧ *De Elect.* nominatimque cautum sit in Concilio Basiliensi *Sess.* 12. præmittendam esse Missam de Spiritu Sancto, specialiter tamen dicitur illa electio fieri per *inspirationem Spiritûs Sancti*, quâ *communi* suffragio, & ab omnibus *concorditer* quasi divino Spiritu afflatis, nullo discrepante, aliquis eligitur; idque nullo prævio tractatu, ex quo præsumi possit aliqua persuasio, vel suggestio in gratiam eligendi intercessisse; ipsosque eligentes permotos fuisse potiùs humanis aliquibus persuasionibus aut considerationibus, quàm Spiritûs Sancti inspiratione.

VIII. Hujusmodi electiones fuisse referuntur, S. Ambrosii, S. Nicolai & S. Severi Episcopi Coloniensis, uti hic

hic notavit Hostiensis, notatque Concilium Lateranense pauca de hac electione dixisse, quod peccatis nostris impedientibus raò aut numquam occurrat.

IX. Dicitur quidem vulgò electio unanimi suffragio facta, quasi per *inspirationem Spiritûs Sancti*: sed tamen quia in omni electione tractatus præcedere, & vota colligi aliáque solemnia servari consueverunt, dici nequit electio per *inspirationem Spiritûs Sancti* qualis hìc intelligitur; quæ scilicet sine ullo tractatu ulláque formâ servatâ, quasi impulsu solius Spiritûs Sancti peragitur. Hæc enim hodie revera rara est, & ferè nostris temporibus inaudita; multúmque dubito, an facilè esset admittenda & probanda, ne sub prætextu hujusmodi divini impulsûs, regulæ electionum ab Ecclesia præscriptæ negligantur, & tumultuariis ac præcipitatis electionibus porta aperiatur.

X. Tertia species seu forma electionis, eáque principaliter intenta à Concilio; & quæ latiùs describitur, est electio per *scrutinium*: & in citato *Cap.* QUIA PROPTER his verbis exprimitur: Præsentibus omnibus qui debent, & volunt, & possunt commodè interesse, "assumantur tres de collegio fide digni, qui secretè & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis "redacta mox publicent in communi: nullo prorsus "appellationis obstaculo interjecto: ut is collatione habitâ "eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars capi"tuli consentit.

XI. Juxta formam hìc expressam hæc notantur præcipuè ad hujus specialis electionis formam pertinentia.

Primò ut assumantur *scrutatores*, qui à *scrutatione* nomen acceperunt; eò quòd eis incumbat secretè vota & suffragia eligentiũ diligenter *scrutari* sive inquirere, & in scriptum redigere. Hinc & forma electionis nomen mutuavit per *scrutinium*.

XII. Vult autem Concilium, ut *tres* Scrutatores assumantur. Hinc communiter concludunt Doctores, non minùs quam *tres* assumi posse; imò multi credunt nec plures assumendos; neque ab hac opinione tamquam communiore & magis consonante *Littera* hujus Decreti, esse recedendum, consulit Fagnanus ad hoc *Cap.* QUIA PROPTER *n.* 44.

XIII. *Assumantur* (ait Concilium) *tres de* COLLEGIO *fide digni.* Hinc concludunt Doctores, ad essentiam hujus electionis spectare, quod Scrutatores assumpti sint de *Capitulo*; sive ex iis qui jus eligendi habent. Si enim vel ex consuetudine, privilegio, aliove titulo nonnulli *extranei* jus eligendi haberent, possent & ex his in Scrutatores assumi. Licet enim non sint *absolutè* & *simpliciter* de Capitulo seu Collegio; sunt tamen quoad hunc actum electionis. Vide Barbosam *Lib.* 1. *Juris Ecclesiast. c.* 19. *n.* 191.

XIV. Requiritur præterea, ut Scrutatores vota exquirant *secretè*: id est, secundùm communem Interpretum opinionem & praxim, seorsim ab aliis de capitulo; ut sic quisque liberius votum suum exprimere valeat, exemplo testium, qui propterea secreto, & seorsim ab aliis examinandi sunt, *Cap.* VENERABILIS ;; *De Testibus.*

XV. Potest autem hæc votorum *secreta* scrutatio duplici modo fieri. Primò si singuli electores vivâ voce proferant coram Scrutatoribus quem eligant; & aliquis Scrutatorum scripto votum excipiat: quem modum tenendum esse sentiunt nonnulli citati à Barbosa ibidem *n.* 201.

Alio modo, ut quisque eligentium in schedula votum suum scriptum deferat; ita ut nec ipsis Scrutatoribus notum fiat; huncque modum convenientiorem credit ipse Barbosa, consulitque ut semper sic fiat, *n.* 204. Credo optimum, in hisce inhærere receptæ consuetudini, donec ob comperta inconvenientia, aliter forsan à Superioribus ordinatum fuerit.

XVI. Nec tantùm *secretè*, sed & *singillatim* vota sunt exquirenda; & ita Electores non vocentur *bini* aut *terni*, sed *singuli*; quemadmodum indicat concilium in verbis *secrete* & SINGILLATIM; idque ut & evitetur confusio, & insuper liberius vota sua sine metu & periculo revelationis exprimere possint.

XVII Dicit Concilium, *vota* CUNCTORUM *diligenter exquirant*; quibus significatur, *omnium* omninò Electorum vota esse exquirenda: & si *unus* dumtaxat omittatur sive contemnatur, electio erit nulla.

XVIII. Debent autem vota exprimi *absolutè & determinatè.* Unde jam pridem Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in *Cap.* 2. *De Elect. in* 6. "in electionibus "& postulationibus ac *scrutiniis*, ex quibus jus oritur e"ligendi, vota conditionalia, alternativa vel incerta pe"nitus reprobavit.

XIX. Declarat deinde Concilium Lugdunense, hujusmodi vota habenda esse *pro non adjectis*, quod & procederet, licet etiam alio ex capite vota essent *nulla*; uti rectè notat Barbosa loco citato *n.* 200. qui & ait: "Si in scru"tinio per *schedulas* celebrato reperiatur aliqua schedula "*alba*, tunc eâ rejectâ, ac si non esset, cætera vota nume"rantur.

XX. Supponit Concilium, post votorum factam scrutationem in scriptas eas redigi, in verbis: ET IN SCRIPTIS REDACTA *mox publicent.* Hanc redactionem in scriptis esse de substantia hujus electionis dubitat nemo. Redigi autem debent per Scrutatores, vel per *Notarium*, uti notat Glossa verbo *redacta*; additque: "Et "quod dicit *secretè*, Capitulum tantùm excluditur, & non personæ necessariæ. Glossam probans Fagnanus, monet quod ex praxi ubique recepta, Notarius seu Tabellio interveniens, & vota in scriptum redigens, possit esse laicus. Vota autem in scriptum redigi convenit, ne aliàs forsan posteà quæstio incidat, dicatúrque, Scrutatores memoria lapsos.

XXI. Votis in scriptum redactis, vult Concilium *mox publicentur in communi*; id est, fiat publicatio scrutinii, quæ & *publicatio consensuum* vocatur, *c.* 48. ;; *De Elect.* Per hanc enim publicationem aperiuntur vota eligentium, sive qui elegerint, idque *in communi*, " non "exprimendo in quorum favorem data fuerint, vel "quot ex electoribus in hanc vel illam personam des"cenderint, sed tantùm explicando numerum persona"rum quæ suffragium tulerunt" Ita Barbosa ibidem *n.* 216. post Ascanium Tamburinum de Jure Abbatum *tomo* 1. *Disp.* 5. *quæst.* 6. *n.* 15. qui & addit, hanc publicationem or"dinari ad majorem certitudinem collationis posteà fa"ciendæ.

XXII. Subdit enim Concilium *ut is* COLLATIONE *habitâ eligatur in quem omnes, vel major & sanior pars Capituli consentit.* Hinc patet, à Scrutatoribus esse faciendam suffragiorum collationem, ut ex ea appareat, in quem *major* & *sanior* pars capituli consenserit.

XXIII. Quod ut sciatur, requiri videtur, ut collatio fiat non tantùm numeri ad numerum, sed zeli ad zelum, & meriti ad meritum, ut post alios citatos docet Barbosa *n.* 219. Nam " particula illa *major* intelligitur respectu *nu*"*meri*: & alia *sanior* denotat auctoritatem, zelum & me"ritum Electorum." Quando autem fiat collatio *meriti ad meritum* ibidem subjungit, Quidquid sit de necessitate hujusmodi collationis inspecto jure communi, certum est, hodie eam collationem esse obsoletam, solamq; collationem *numeri ad numerum* esse notam; uti capite præcedente notavimus.

XXIV. Ex allegatis verbis Concilii statuunt Doctores, substantialiter requiri, ut factâ votorum collatione & publicato scrutinio fiat communis electio, quæ est unus actus totius capituli, qui non dicitur consummari, donec aliquis nomine totius Capituli electũ pronuntiaverit;

Digitized by

verit: quod aliquando fit per unum de Electoribus à capitulo ad hoc designatum, Si verò nulli sit commissum, fit ab eo, qui capitulo præest, vel qui primam vocem obtinet; qui petit ab Electoribus: *Placetne vobis electionem publicari*? Respondentibus illis, *Placet*; nomine omnium dicit, talem *eligo, electumque pronuntio, & in communi coram vobis pronuntio*: uti videri potest in formula apud Barbosam *n.* 225.

XXV. Cæterum quia hæc electionis formula principaliter à Concilio Lateranensi præscripta est, pro eligendis Episcopis, Abbatibus, similibusque majoribus Prælatis, rarior est ejus in Belgio, uti & in Gallia usus: eò quod non tantùm Episcoporum, sed & aliorum majorum Prælatorũ nominatio, electionibus penè abrogatis, ad Regē ex specialibus indultis & concordatis devoluta sit; quemadmodum de Episcopis & Abbatibus parte primâ ostensum est; & de primariis dignitatibus in Ecclesiis Collegiatis ostendetur infrà.

In Ecclesiis verò quæ Concordatis Germaniæ comprehenduntur, frequentior est hujus electionis usus, ob reservatas Capitulis Episcoporum, & Monasteriis Abbatum suorum electionibus: sed sicuti de collatione *zeli ad zelum* notatum fuit, consuetudinem juri communi derogâsse; ita quoad alia minutiora potest Ecclesiarum consuetudini, citra nullitatem electionis, meritò aliquid deferri.

CAPUT V.

Intra quod tempus Beneficia conferenda? Et de Jure Devolutionis.

1. *Beneficia conferenda intra* sex *menses.*
2. *Excipiuntur Episcopatus, Prælaturæ Regulares; & quare.*
3. *Semestre computandum à die* notitiæ.
4. *Quando censeatur habita* notitia *vacationis.*
5. *Tempus hoc currit de momento ad momentum.*
6. *Lapsum temporis etiam impedit justum impedimentum.*
7. *Lapso tempore ad conferendum Collatores excidunt jure conferendi; & an mora hic purgari queat?*
8. *Post lapsum sex mensium jus conferendi devolvitur ad Superiorem.*
9. *Devolvitur ad Episcopum non Collatoris, sed Beneficii.*
10. *Episcopo negligente ad quem de jure & consuetudine fiat devolutio.*
11. *An collatione spectante ad Episcopum & Capitulum, devolutio fieri possit ad Capitulum?*
12. *An collatio per* turnum *inter Capitulum & Episcopum mutet naturam devolutionis.*
13. *Utrum negligentia* Turnarii *noceat Capitulo?*
14. *In exemptis quomodo fiat devolutio.*
15. *Beneficia Regularia Regularibus, & secularia secularibus etiam jure devolutionis conferenda sunt.*
16. *Devolutio Beneficiorum fit cum qualitatibus & conditionibus primæ collationis.*

I. IN Concilio Lateranensi sub Alexandro III. statutum legitur *capit.* 2. ⁑ *De Concess. Prabenda*: "Cum prabendas „Ecclesiasticas, seu quælibet officia in „aliqua Ecclesia vacare contigerit, non „diu maneant in suspenso, sed intra *sex menses* perso„nis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. Si „autem Episcopus ubi ad eum spectat, conferre distulerit, per Capitulum ordinetur. Quòd si ad Capitulum per„tinuerit, & intra præscriptum terminum hoc non fe„cerit, Episcopus secundùm Deum hoc cum religioso„rum virorum consilio exequatur. Vel si omnes fortè „neglexerint Metropolitanus de ipsis secundum Deum „absque illorum contradictione disponat.

Juxta hoc Decretum Beneficiis vacantibus provideri debet intra *sex* menses, idque sive per collationem sive electionem providendum sit.

II. Declarat tamen Innocentius III. in *c.* 12. ⁑ *De Concess. Prabenda*, Decretum hoc "ad Archiepiscopatum vel „Episcopatum non solere extendi, sed ad Personatus a„lios & minora Ecclesiastica Beneficia coarctari." Episcopatibus enim & majoribus Dignitatibus regularibus provideri debere intra *tres* menses statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *c.* 41. ⁑ *De Elect.* "Ne pro defectu Pastoris gregem Dominicum lupus rapax in„vadat, aut in facultatibus suis Ecclesia viduata grave „dispendium patiatur: volentes in hoc etiam occurrere „periculis animarum, & Ecclesiarum indemnitatibus „providere.

III. Semestre hoc, intra quod provisio Beneficiorum ex Decreto Concilii Lateranensis fieri debet, computandum est, non simpliciter à die vacationis ipsorum Beneficiorum; sed à die *notitiæ*; quemadmodum declarat Innocentius III. in *c.* 3. ⁑ *De Supplenda Neglig. Prælat.* Et in *c.* 5. *De Concess. Prabenda* expressè ait: "Semestre autem tem„pus non à tempore vacationis, sed *notitiæ* ipsius potiùs „volumus computari.

IV. Si vacatio Beneficii contigerit, eaque in loco Beneficii publicè innotuit, facilè præsumetur in collatore notitia; nisi aliunde ignorantia probetur juxta *Clementinam de Concess. Prabenda*; recteque monet Garcias de Beneficiis *parte* 10. *capit.* 2. *numer.* 32. post alios ibidem citatos, *notitiam* hic intelligi *veram* vel *præsumptam* vacationis, " quæ [ait] determinari debet per judicem „consideratâ qualitate Beneficii, modo vacationis, & „longitudine temporis illius, distantiâ locorum, & „famâ.

V. Deinde notat *n.* 43. tempus sex mensium currere *de momento ad momentum*; ita quod si Beneficium vaca„vit, & fuit nota vacatio 1. Martii horâ 11. usque ad 1. „Septembris horâ 10. per totam, & non post, providere „possunt.

VI. Sicuti justa ignorantia impedit jus devolutionis, eò quòd justè ignorans *negligens* dici nequeat; ita quoque aliud quodcumque impedimentum jus collationis reservat; idque sive fuerit *juris* impedimentum, sive *facti*; uti monet Rebuffus in Praxi Benef. *parte* 1. *tit. De Devolut. numer.* 13. & apertè fundatur in *Cap.* 5. ⁑ *De Concess. Prabenda*; ubi respondet Innocentius III. tempus suspensionis Archiepiscopi in *sex* mensibus nullatenus computari. Rationem addit. " Cùm illa Latera„nensis Concilii constitutio contra *negligentes tantùm* „fuerit promulgata: & tunc si voluerit, non tamen va„luerit Archiepiscopus in conferendis Præbendis uti „propriâ potestate.

Denique subdit: " Tempus etiam quo ad Sedem A„postolicam accessit, & apud illam permansit, vel re„cessit ab illa: intra *sex* menses nullatenus computetur.

VII. Sex mensibus à notitia vacationis elapsis, nî justum impedimentum probetur, Collatores & Electores jure providendi Beneficio exciderunt; adeò quidem ut inspectâ juris dispositione, ipsa collatio aut electio post lapsum sex mensium sit *nulla*, *Capit.* 3. & 5. *De Suppl. Negl.* atque ad *Capit.* 3. verbo *imponatis*, ait Glossa. " Hic evacuatur opinio illorum, qui dicunt, „quod mora in electionibus possit purgari." Hanc opinionem Glossæ quamvis plures Doctores de *jure* veram esse non sine fundamento sustineant, nihilominus uti

uti notat Zypæus in Jure Novo *tit. Ne Sede vacante numer.* 1." In his Partibus, quamdiu Superior nihil præstitit, inferiores judices conferunt." Hoc & menti Concilii Lateranensis conformius esse credit ibidem Zypæus.

VIII. Post lapsum sex mensium jus conferendi ab inferiore collatore devolvitur ad ejus immediatum Superiorem *Capit.* 3. ꝟ *de Supplenda neglig. Prælat.*

Itaque si capitulum negligens fuerit, devolvitur ad Episcopum; etiamsi ipse Episcopus unà cum Capitulo habeat jus conferendi; sed non ut Episcopus; sed ut *Canonicus, capit.* 15. ꝟ *De Concess. Prabenda.*

IX. Et quidem devolutio fit ad Episcopum non collatoris negligentis; sed ad illum in cujus Diœcesi situm est Beneficium in cujus collatione negligentia est commissa. Rebuffus loco citato *n.* 39.

X. Si autem ipse Episcopus negligens fuerit, devolvitur provisio ad Archiepiscopum, & ab hoc ad Primatem, & hinc ad summum Pontificem *Cap. fin.* ꝟ *De Suppl. negl Prælat.* Hisce in Provinciis Primates non sunt: unde ab Archiepiscopis immediatè devolutio fit ad summum Pontificem: & in Regno Galliæ unicus est Primas Lugdunensis, ad quem jus conferendi à quibusdam Archiepiscopis devolvitur. Rebuffus loco citato *n.* 23. & 24.

XI. Juxta citatum Decretum Concilii Lateranensis in *Cap.* 2. ꝟ *De concess. Præb.* subinde etiam ab Episcopo jus devolvitur ad Capitulum; at hoc hodiè non servatur, uti ibidem *nu* 23. monet Rebuffus, & Choppinus *Lib.* 1. *de Sacra Polit. tit.* 3. *n.* 13. Si tamen collatio spectaret conjunctim ad Capitulum & Episcopum; ita ut Episcopus Capitulum indicere, atque Capitulo præsidere deberet; & in collatione suffragium cum reliquis Canonicis haberet, si Episcopus conferre negligeret, posset indubiè capitulum intra tempus præscriptum ad collationem procedere; & Decanus aut Senior Capituli convocare capitulum; ne aliàs in potestate Episcopi esset, Capitulum jure conferendi privare, & juri devolutionis locum facere.

XII. Si collatione spectante ad capitulum & Episcopum, conventum sit, ut *per turnum* conferatur, nunc per capitulum, nunc per Episcopum solum; si Capitulum negligat, devolutio fiet non ad Episcopum, qui est par collator cum Capitulo, sed ad Archiepiscopum, ait Garcias *De Benef. parte* 10. *c.* 3. *num.* 35." quia divisio non tollit „aut mutat jus devolutionis, quæ est ad proximum Superiorem, & non ad eumdem Inferiorem, qualis est in „hoc casu Episcopus.

XIII. Similiter si *Turnarius* negligat præsentare intra tempus præscriptum, Capitulum aliud tempus non habet; ut ibidem *n.* 36. monet Garcias: Nam committens & commissarius non debent habere nisi unum terminum seu semestre, ait *n.* 38.

XIV. Hæc quidem si agatur de non exemptis. Ab exemptis enim & Romano Pontifici immediatè subjectis non fit devolutio ad Episcopum; sed immediatè ad Pontificem tamquam exemptorum immediatum superiorem. *Capit.* 2. & 3. ꝟ *De Supplenda neglig. Prælat.*

Si Regulares Prælati Prioratus, Ecclesias, administrationes aut quævis alia Beneficia ad eorum collationem spectantia, intra tempus à Concilio Lateranensi præscriptum conferre negligant, Diœcesani locorum in non „exemptis sua, in exemptis verò Apostolicâ auctoritate „negligentiam super hoc suppleant eorumdem," ait *Clem. Unica de Suppl. negl. Prælat.*

XV. In eadem Clementina præcipitur Diœcesanis, ut supplendo negligentiam Prælatorum conferant Beneficia servata Beneficiorum conditione & qualitate;" illa „videlicet quæ consueverunt per seculares Clericos gu„bernari, secularibus Clericis: alia verò quæ Religiosis „dumtaxat committi sunt solita vel conferri, Religiosis „Monasteriorum, quorum Prælati negligentes fuerint „conferendo.

XVI. Hinc statuitur hæc regula à Canonistis: *Devolutio fit cum qualitatibus & personis, quæ in prima erant collatione.* Ita Rebuffus loco citato *n.* 43. qui inde *n.* 41. infert," si Episcopus conferre debeat Nominato, ita tene„bitur Archiepiscopus ad quem devolutum erit. Item „quis debebat conferre alicui de genere (ait *n.* 42.) fun„datoris, ut is ad quem devolutio facta est teneatur sic conferre.

Idipsum in aliis quoque Beneficii qualitatibus dicendum: quia ipse Superior dumtaxat intrat in jus ipsius collatoris ordinarii; & consequenter eodem jure iisdemque legibus uti debet: quamvis Rex succedens jure Regaliæ in collationes Episcoporum Sede vacante in aliquibus utatur jure nonnihil liberiore, quàm ipse Episcopus uti posset, uti infra notabitur; sed id ob eminentiam Regis specialiter receptum est.

TITULUS XXII.

De Concursu ad Parochiales.

CAPUT I.

Proponitur & justificatur Forma Concursûs à Synodo Trid. proposita; & quomodo proponendum edictum Concursûs.

1. *Synodus Tridentina novam formam providendi Ecclesiis Parochialibus induxit: & quis scopus Decreti.*
2. *Scopus Decreti magis attendendus, quàm cortex verborum.*
3. *Quomodo in Belgio receptum.*
4. *Duplex forma indicendi Concursum proponitur.*
5. *Arguitur hæc forma tamquam Clericorum ambitioni & præsumptioni serviens.*
6. *Hæc oppositio priori formæ opponi non potest.*
7. *Posterior formâ tantùm quasi* subsidiariè *à Synodo proposita fuit.*
8. *Synodus noluit per hanc formulam infringere regulas legitimæ vocationis; neque Clericorum ambitionem fovere.*
9. *Probatur auctoritate S. Caroli.*
10. *Rationes ob quas formula hæc videatur Clericorum ambitioni subservire.*
11. *Mens Synodi non fuit, ut quis se concursui sistat, qui non sit de sua vocatione sat securus.*
12. *Optandum esset ut omnes* nominatim *ab Episcopo vocari possent: sæpè tamen securiùs ab alio vocationem suam intelligunt Clerici.*

13. Per

13. *Per Edictum ad concursum soli vocantur, qui satis de sua vocatione sunt securi.*
14. *Quare potius posterior, quam prior forma hic recepta?*
15. *Necessitas legitimæ vocationis ad Beneficia præsertim Curata.*
16. *Edictum indicti concursus ita proponi debet, ut in omnium passim notitiam venire possit.*
17. *Quod tempus præfigendum in Edicto intra quod vocati se examini sistere teneantur?*
18. *Tempus intra quod Edictum sit proponendum Synodus Trid. non determinat; S. Carolus intra triduum proponi voluit.*
19. *Synodi Belgicæ tempus non definiunt; volunt tamen citissimè Ecclesiis Parochialibus provideri.*

I. SYnodus Tridentina expendens, quantopere interesset salutis animarum ut singulis Parochiis boni idoneique Pastores qui verbo & exemplo populum pascerent, præficerentur, novam providendi Ecclesiis Parochialibus formam, temporum conditioni accommodatam, introduxit & observari præcepit *Sess. 24. c. 18. De Reformat.*

Hunc fuisse scopum Decreti significat ipsa Synodus, præfationis loco hæc præmittens: "Expedit maximè animarum saluti, à dignis atque idoneis Parochis gubernari: id ut diligentius ac rectiùs perficiatur, statuit &c.

II. Hinc rectè deducit Zypæus *Consult. 1. De Elect.* in hac provisionis forma præcipuè esse attendendam salutem animarum, cui ipsa Synodus per suum Decretum optimè provisum voluit; hancque apicibus juris prævalere," ut potiùs ea attendatur, quàm unius totæ defectus in „ concursu obrepens. Deinde subjungit *n.* 7. Ut si umquam verum sit, eum peccare in legem, qui verba legis „ amplexus, contra legis nititur voluntatem id maximè „ hîc obtineat.

Relatis posthæc nullitatibus concursus, quas Barbosa aliique passim, attentus verborum apicibus, inducunt, ostendit, hisce in regionibus magis ex mente & scopo ipsius Concilii, quàm juxta verborum apices formam concursus esse receptam. Hanc libertatem & ipsa Synodus Tridentina indulsisse videtur, dum in fine sui Decreti declarat, "licere etiam Synodo Provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda, remittendave esse censuerit, providere.

III. Itaque in Belgio forma provisionis prout à Concilio præscripta est, ferè ubique recepta est, neglectis tamen, pro temporum & locorum conditione, nonnullis verborum apicibus; nimirum magis ipsius Synodi mente & scopo, quàm externo verborum cortice attentis, uti in sequentibus notabitur.

IV. Primò itaq; statuit Synodus, ut cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio quomodocumque contigerit, "Episcopus, & qui jus patronatus habet, intra decem dies, vel „ aliud tempus ab Episcopo præscribendum idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nominet. Liberum sit tamen aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina „ deferre, ut possit postea de cujuslibet ætate, moribus „ & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si Episcopo „ aut Synodo Provinciali pro regionis more videbitur „ magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur „ qui volent examinari.

V. Scribitur, à nonnullis è Patribus Tridentinis huic formæ indicendi concursum fuisse oppositum, " illum „ concursum petitorum locum dare nimis apertum & „ publicum ambitioni. Prisci temporis Patres professos, „ Ecclesias à se dari *recusantibus* eas, nova autem ista ratione introduci, ut non modò illas apertè pro„ curare, sed etiam dignum se profiteri, & captare fas „ esset.

VI. Quidquid sit de veritate hujus relationis, hoc certum est, Synodum hic proposuisse duplicem formam evocandi Clericos ad concursum.

Priori formæ allegata in contrarium ratio convenire non potest. Eâ enim formâ servatâ, non ipsi ad concursum venientes *propriâ* voluntate se ad Ecclesias præsentant; sed ab Episcopo, aliove auctoritatem habente *specialiter* ac nominatim vocantur, & examinatoribus tamquam idonei præsentantur.

VII. Quoad posteriorem formam, notandum imprimis, quòd hæc forma tantùm à Patribus quasi subsidiariè proponatur; ut si prior servari non queat, assumi possit: si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro *regionis more* magis videbitur expedire: ita ut eam magis permittere pro temporum circumstantiis, quàm *absolutè probare* videatur.

VIII. Adhæc indubitatum est, Synodum Tridentinam per hanc posteriorem formam evocandi per *Edictum publicum*, noluisse infringere, vel in minimo labefactare regulas *legitimæ vocationis* à Patribus jam pridem præscritas; sed voluisse firmam manere regulam ab Apostolo expressam: *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*: imò nec intendisse probare, Clericorum ad Beneficia præsertim *curata* cursitationes, & solicitationes. Noverat enim jam pridem ex mente Patrum dictum à S. Thoma: "Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum ex ipsa præsumptione redditur „ indignus." 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *ad* 3.

IX. Noverat id S. Carolus, qui promovendis rebus Concilii hoc ipso tempore quo Decretum editum fuit, intendebat; qui idcirco hâc formâ uti haud formidabat, edictumque publicum proponendum statuit in Concilio Provinciali I. *quo omnes invitentur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare*: hancque formam à Synodo, *re diligenter considerata* electam esse ibidem asseritur.

Quis verò suspicetur, quod umquam induci potuisset hic sanctissimus Præsul, ut hæc forma evocandi Synodali Decreto pro tota sua Provincia probata fuisset, nisi scivisset, etiam cum hac forma regulas legitimæ vocationis ad Beneficia, præcipuè curata posse consistere, neque per eam Clericorum ad Beneficia curata capessenda ambitionem, vel aviditatem foveri aut excitari. Scitur enim quàm sollicitus fuerit, ut "daretur opera à Confessario Seminarii præcipuè in sermonibus & confessionibus, ut omnis „ ex Clericorum mentibus litis & aviditas Beneficiorum „ tollatur; proinde videatur, ut ea de re ne ipsi quidem „ inter se colloquantur; ac iis sæpius inculcetur, quàm „ averti ab omni rerum humanarum cogitatione, Ecclesiastici Ordinis homines in via Domini ambulare debeant.

X. At dicet quispiam, dum ejusmodi edictum publicum appenditur, nonne omnes passim Clerici excitantur & monentur, ut qui Beneficium Parochiale vacans desiderat examini se sistat; atque ad illud quasi ad præmium studiis & eruditioni propositum concurrat? Nonne qui se ad simplicem hujusmodi edicti publicationem examini præsentat, & ad Beneficium Parochiale concurrit, ostendit, se Beneficium illud desiderare; quando specialiter ab Episcopo non vocatus *proprio* motu accurrit.

XI. Certum est, mentem Ecclesiæ non esse, ut ad publicationem edicti quispiam se sistat, qui non priùs seriò examinaverit, num ad curam animarum à Deo sit vocatus signaque tam internæ, quàm externæ vocationis pro rei magnitudine discusserit: quin & intima conscientiæ scrutatus sit, an ad curam animarum non *propris* commodi, aut vanæ gloriæ intuitu, sed ad promovendam Dei gloriā & salutem animarum procurandam unicè moveatur.

XII. Ve-

XII. Verum quoque est quòd conveniens esset, ut nemo ad curam animarum, nisi Episcopo specialiter vocante & movente applicaretur; atque ita vocationem suam ab ipso intelligeret. Dubitari tamen nequit, quin frequenter possit contingere, ut quis per alium, qui vitam totumque ejus statum intimè novit, meliùs ac securiùs vocationem suam, quàm per solum Episcopum, cui sæpe parum notus est, intelligat.

Sic Theologi in Collegiis Academicis studentes sæpe multò securiùs à pio, docto & zeloso Prætide vocationem suam accipient, quàm ab Episcopo, cui eorum vita & conversatio, aliáque in dijudicanda vocatione attendenda, minùs perspecta esse solent.

XIII. Itaque dum per edictum vocantur omnes qui volent examinari, soli ii vocari censentur, qui in se tam internæ, quàm externæ vocationis sufficientia indicia habent: & licet non ab Episcopo, ab alio tamen, qui locum Episcopi supplet, ad curam ita se mitti intelligunt, ut meritò confidant, quod à Deo vocentur, & à Christo in vineam suam mittantur seu potiùs extrudantur.

XIV. Quia autem hodie tum propter latitudinem Diœcesium, tum erectas publicas Academias, ad quas ex omnibus Diœcesibus indiffererenter Clerici studiorum causâ concurrunt, vix fieri potest, ut Episcopi omnium Clericorum exactam notitiam accipere queant; ideo hæc posterior forma à Synodo Tridentina proposita ubique passim recepta fuit; ut hoc pacto, etiam ii qui Episcopo minùs noti sunt, se examini sistere queant; modò tamen aliunde sat securi de sua vocatione reddantur.

XV. Quàm autem necessaria sit legitima vocatio ad Beneficia Ecclesiastica, præcipuè Curata; quámque periculosum, etiam optimâ intentione suscipere regimen animarum à Deo non vocatum, eruditè ac solidè ostendit Antonius Godeau Venciensis Episcopus in Discursu de Vocatione ad Statum Ecclesiasticum; unà notas legitimæ vocationis è Patribus assignans; meritò legendus ac serio examinandus & ruminandus à junioribus Clericis, qui se ad Statum Ecclesiasticum vocatos nonnumquam nimis facilè credunt.

XVI. Edictum hoc ita affigendum est, ut finis illius obtineatur; id est, ut per illud vocentur *omnes*, qui examini se sistere volent. Unde nec locus ubi affigi debeat; nec tempus quo affixum remanere, à Synodo determinata sunt; sed ea arbitrio Episcoporum relicta; ut hi despiciant quid pro more & circumstantiis locorum fieri expediat, ut effectus edicti habeatur, id est, in *omnium* notitiam indictio concursûs perveniat, quatenus plures examini se sistentes, possint capaciores Ecclesiis Parochialibus præfici. Quare non tantùm Archiepiscopus Mechliniensis, in cujus Diœcesi est Universitas Lovaniensis, sed alii Episcopi edictum indictionis concursûs ad scholas publicas dictæ Universitatis affigi jubent, ut hoc pacto ad notitiam Clericorum ibidem studentium venire possit.

XVII. Debet Edictum continere tempus, intra quod qui examinari volent, se Episcopo & Examinatoribus sistere debeant. Cùm verò edictum hoc in locum nominationis ab Episcopo aut Patrono faciendæ ex præscripto Synodi Tridentinæ surrogetur, videtur juxta mentem Synodi tempus illud esse *decem* dierum; nisi tamen Episcopus ex causa rationabili prorogandum duxerit: quam prorogationem ultra alios decem dies extendi vetuit Pius V. in Bulla super forma concursûs quæ incipit, *In conferendis* 33, in Bull. Rom. At hic in Belgio hæc Bulla Pii V. saltem quoad hoc punctum recepta non videtur; sed juxta verba Concilii Tridentini, tempus hoc arbitrio Episcopi relictum apparet. Dicit enim Concilium nominandos esse ab Episcopo aut Patrono Clericos aliquot idoneos intra decem dies vel aliud tempus *ab Episcopo præscribendum*; unde Zypæus monens, nullatenus attendendum ad apices quos nonnulli in forma concursûs sub pœna nullitatis requirunt, iis annumerat & hunc, quòd *Edictum propositum fuerit cum majori termino quàm viginti dierum*.

XVIII. Quando autem edictum sit affigendum, Synodus Tridentina non determinavit. Sanctus Carolus in Concilio I. Mediolanensi statuit, "Ut cùm primùm Episcopus Parochialem Ecclesiam vacare cognoverit, intra „ *triduum* ad Cathedralis & vacantis Ecclesiæ januam „ publicum edictum per totos decem dies, vel aliud longius tempus, ejusdem Episcopi arbitrio propositum esse jubeat.

XIX. Synodi Belgicæ nullum tempus proponendo edicto, sive concursui indicendo determinant; hoc unum monet Synodus P. II. Mechliniensis *tit*, 17. *c*. 6. "Ecclesiis „ Parochialibus vacantibus curabunt Episcopi & Archidiaconi, ut quàm fieri poterit *citissimè*, iisdem de idoneis Pastoribus provideatur.

CAPUT II.

Quæ Ecclesiæ Parochiales Concursui sint subjectæ?

1. *Forma concursûs potissimùm ex Decreto Concilii Tridentini petenda.*
2. *Refertur Decretum Concilii exprimens Ecclesias Concursui subjectas.*
3. *Decretum suà generalitate quascumque Ecclesias Parochiales complecti videtur.*
4. *In multis usu & interpretatione restrictum, & quare?*
5. *Prima restrictio quoad Ecclesias curatas in Ecclesiis Collegiatis.*
6. *Secunda restrictio in Ecclesiis Parochialibus, quibus deservitur per Vicarium* amovibilem.
7. *Parochiales, quibus præest Vicarius* perpetuus, *subjacent concursui.*
8. *Declarationes Cardinalium contrariæ innituntur Bulla Pii* V. *hic non promulgata.*
9. *Tertia restrictio quoad Parochiales annexas Dignitati.*
10. *Restrictio hæc fallit, si dignitas sit annexa Parochiali.*
11. *Decretum Concilii comprehendit Ecclesias* Patrimoniales.
12. *Quomodo* Patrimoniales, *uti nominati Academici in concursu aliis sint præferendi?*
13. *Synodus omnem vacationis modum suo Decreto comprehendisse videtur.*
14. *Exceptus modus vacationis per resignationem in* favorem; *& quo fundamento?*
15. *Idque sive provisio fiat in curia R. sive in partibus.*
16. *Idem est de* permutatione.
17. *Hæ exceptiones* usu *receptæ sunt.*
18. *Reservatio non impedit concursum.*
19. *Cur Concilium expresserit nominatim reservationem in favorem* Cardinalium.
20. *Concilium complectitur etiam Ecclesias juris patronatûs.*
21. *Excipit tamen Ecclesias Patronatûs* laici.
22. *Ecclesias Jurispatronatûs* mixti *nonnulli volunt concursui esse subjectas.*
23. *His consonat constitutio Pii* V.
24. *Aliud habet praxis harum Provinciarum, si laicus cum Ecclesiastico in præsentatione concurrat.*
25. *Quid si per* Turnum *præsentent?*

I. Quandoquidem forma provisionis per concursum primùm introducta & præscripta sit per Synodum Tridentinam, ex hujus potissimùm Synodi decreto desumenda

da sunt, quæ ad formam hujus provisionis pertinent; atque in terminis hujus Decreti hærendum, præsertim in his ditionibus, "Ubi Concilium receptum, prout sonat, non ut „ quotidianæ interpretationes, Decreta aut constitutiones „ Româ adferri possint, quæ præter mentem Concilii, De„ cretum alterent, amplient, aut restringant; "ait Zypæus *Consult. 1. De Elect. num. 6.* Quare nec Bulla Pii V. formam concursus, describens hisce in ditionibus usu recepta est, uti supra notavimus; & infra adhuc notabitur.

II. Itaque ut sciatur in quorum Beneficiorum provisione servanda sit forma concursus, ipse textus Concilii Tridentini potissimùm expendendus est.

Verba ergo Synodi sunt; "Cum Parochialis Ecclesiæ „ vacatio, etiamsi cura Ecclesiæ, vel Episcopo incumbere „ dicatur, & per unum vel plures administretur, etiam in „ Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis nuncupatis, in „ quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus curam ani„ marum dare, quos omnes ad infrascriptum examen tene„ ri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Curia, „ seu aliter quomodocumque contigerit, etiam si ipsa Paro„ chialis Ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel „ specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem „ S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, seu Abbatum, vel Ca„ pitulorum: debeat Episcopus &c.

III. Hac generali expressione cum omnibus clausulis ampliantibus, sat insinuat Synodus, se velle, ut forma concursus præscriptâ, in cujuscumque Ecclesiæ Parochialis provisione, quantum conditio temporum ferebat, servaretur: eò quòd expediat maximè animarum saluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari; id quod per provisiones in forma hic præscripta rectiùs obtineri posse confidebat.

IV. Verùm quia hic providendi modus observari non potest, nisi inferiorum Collatorum, & Patronorum jus sæpius diminuatur, uti infra videbitur; mirum quomodo paulatim subtili interpretatione, usque contrario Decretum tam generaliter conceptum in multis restrictum sit.

V. Imprimis licet Concilium velit concursum fieri, tametsi cura *Ecclesiæ* vel *Episcopo* incumbere dicatur, & per *unum* vel *plures* administretur, nihilominus receptum est, sæpiusque declaratum, non esse locum concursui, quando cura animarum spectat ad Ecclesiam Collegiatam, & cura exercetur per Canonicos vel Hebdomadarios, vel alios Clericos; ita Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ *Gloss. 6. num. 158.*

Idipsum refert Garcias De Beneficiis *parte 9. cap. 2. num. 180.* qui tamen ibidem *num. 176.* fatetur quod similia Beneficia sint *curata* ex hoc Decreto Concilii; atque attentis verbis Concilii, censuisse aliquando Rotam in hujusmodi beneficiis esse locum concursui, ob expressa verba Concilii jam citata.

Deinde recitatis contrariis declarationibus S. Congregationis concludit *num. 181.* "Unde dictum Decretum Con„ cilii de concursu faciendo, non videtur receptum, seu intel„ lectum ex auctoritate Papæ, & S. Congregationis Con„ cilii quoad beneficia, quorum cura per plures administra„ tur, maximè in Ecclesia cathedrali vel collegiata.

VI. Quin & usu receptum est, concursum non habere locum, si cura sit penes Capitulum, aut Monasterium, vel aliquam Dignitatem, & exerceatur per *unum*, sed Vicarium *amovibilem*; eo quod per mortem talis *Vicarii* non videatur vacare Ecclesia Parochialis; quia penes similem Vicarium non fuit titulus Parochialis; neque *verum* Beneficium Parochiale habere censendus est.

VII. Sed quid si Ecclesia Parochialis quidem sit unita & incorporata alicui Monasterio aut Capitulo, vel Dignitati, sed cura actualis sit penes Vicarium *perpetuum*; qui instar veri beneficiati instituatur? Contrariæ hic in speciem referuntur S. Congregationis declarationes; quemadmodum videre est apud Pyrrum Corradum in praxi Beneficiorum *lib. 3. cap. 3.* & Massobrium in praxi habendi concursum ad vacantes Parochiales *Præludio 14.* ubi notat ex Rebuffo aliisque: "quod disposita in Beneficiis curatis locum „ habere videantur in Vicariis *perpetuis*; & Vicaria *perpe-* „ *tua* dicatur beneficium Ecclesiasticum; & hujusmodi Vi„ carii habeant verum titulum; ideoque non possint remo„ veri etiamsi Rector principalis moriatur.

Si itaque erecta sit Vicaria in titulum, omnisque cura animarum in Vicarium translata, solo nomine Pastoris primitivi sine ulla cura animarum aut jure ad functiones Pastorales penes Capitulum, Monasterium aut Dignitatem remanente, tali casu concursui locum esse, asserit post Garciam aliosque Massobrius loco citato *dubio 2.*

Et sanè cùm reipsâ penes hujusmodi Vicarium sit titulus Beneficii Parochialis, eique non secus atque vero Parocho cura incumbat; & per ejus mortem Ecclesia Parochialis verè vacare dicatur, vis inferretur Decreto Concilii tam generalibus & enixis terminis concepto; si similes Vicarias concursui non subjectas esse diceremus.

VIII. Referuntur quidem nonnullæ declarationes Cardinalium, quæ Vicarias *perpetuas* concursui non esse subjectas declararunt, uti post Garciam refert Massobrius loco citato. Sed notat Gonzales, hasce declarationes potissimùm inniti constitutioni Pii V. de Vicariis perpetuis quæ incipit *Ad exequendum 46.* in Bull. Rom. quæ Vicarias perpetuas à concursu eximit; eamque eatenus ipsi Concilio derogasse; dicitque consequenter, non esse servandam formam Concilii, sed formam dictæ constitutionis; "quate„ nus (ait) sit *contraria* Concilio, quia est posterior per „ quatuor annos à publicatione dicti Concilii. "Hæc ad *Reg. S. Cancell. Gloss. 5. §. 3. num. 53.* Hoc autem intelligi debet de locis in quibus hæc Constitutio Pii V. recepta probatur: quod hisce in partibus hactenus contigisse non videtur; adeoque & Ecclesias Parochiales, licet Monasteriis & Capitulis unitas, & per Vicarios perpetuos deserviri solitas concursui exponi, & juxta formam à Concilio præscriptam conferri videmus; & pro concursu judicasse Senatum Brabantiæ contra Capitulum Nivellense testatur Zypæus *Consult. 2. De Elect.*

IX. Si Ecclesia Parochialis sit annexa Dignitati; ipseque obtinens Dignitatem *per se* exerceat curam animarum, verusque Pastor sit, atque Parochialem Ecclesiam obtineat, eam nec hoc casu concursui subjacere, communis est Doctorum interpretatio; quam & usus recepit; si nimirum ipsa parochialis *accessoria* unita sit: quo casu fieri collationem Dignitatis, potiùs quàm Ecclesiæ Parochialis crediderunt; ideoque hìc propriè non esse casum Concilii Tridentini loquentis de collatione seu provisione Ecclesiæ Parochialis. Atque hinc rursus apparet, quod decretum Concilii Tridentini strictè & ad verborum rigorem interpretandum crediderint: quod an conforme sit menti ipsius Concilii, hanc formam concursus præscribentis, ut diligentius ac securius saluti animarum provideretur, alii viderint.

X. Interim si Canonicatus aliudve beneficium sit unitum Ecclesiæ Parochiali viâ *suppressionis* vel *accessionis*, concursui eam subjectam esse dubitari nequit. Parochialis enim eo casu manet in suo *integro* ac *naturali* statu; atque per mortem possessoris verè contingit vacatio Ecclesiæ Parochialis; & propriè provisio fieri debet de Ecclesia Parochiali.

XI. Vult Concilium formam concursus observari etiam in Ecclesiis *patrimonialibus*, quorum beneficiorum nulla sit expressa mentio in jure nostro, neque in jure tangitur materia istorum beneficiorum; uti post alios observat Gonzales ad Regulam 6. Cancell. *Gloss. 9. §. 1.* ubi latè de his beneficiis tractat; & aliqua jam supra *tit. 19. cap. 1.* notata sunt.

Illud hic notandum, quod Concilium hujusmodi Beneficia concursui subjiciens, ostendat, voluisse suum Decretum ad omnes passim Ecclesias Parochiales extendere: quia hæc Beneficia ejus sunt conditionis, ut sub simplici Benefi-

eorum appellatione non veniant; ipsaque impetratio Beneficii sit *nulla*, si ipsa *Patrimonialitas* non sit expressa; uti notat Gonzales dicto loco.

XII. Adhæc observandum, ita institui concursum in hisce Ecclesiis Patrimonialibus, ut tamen qualitati beneficiorum non derogetur. Unde si plures quidem se examini sistant, at unus duntaxat *Patrimonialis*, sive qualitatem illam habens quam beneficia *Patrimonialia* requirunt, hic aliis præferendus erit: si modo & moribus & doctrinâ aliisque qualitatibus ad regimen Parochialis Ecclesiæ vacantis idoneus sit.

Idipsum locum habet in Ecclesiis Parochialibus quæ Graduatis aut Nominatis Academicis debentur. Hi enim si idonei per examen reperiantur, cæteris concurrentibus præferendi sunt; tamquam qui qualitatem requisitam aut jus aliquod ad Beneficium vacans præ aliis concurrentibus habent: & ita quoad Nominatos Lovanienses quotidie practicatur.

XIII. Subjungit deinde Concilium hanc formam præscriptam esse servandam, "Cùm Ecclesiæ Parochialis vaca„tio per obitum, vel resignationem, etiam in Curia seu ali„ter quomodocumque contigerit.

Si hæc verba Concilii in sua generali expressione attendantur, non obscurum erit, Synodum omnem vacationis modum voluisse comprehendere.

XIV. Hic nihilominus visum fuit, subtili satis interpretatione, non comprehendi Parochialem Ecclesiam, quando resignatur coram Pontifice non simpliciter; sed *in favorem* certæ personæ; atque ita quotidie practicari testatur Pyrrus Corradus in *Praxi Benef. lib. 3. cap. 3. num. 5.* eamque interpretationem fundarunt in hoc, quod resignatio *in favorem* non inducat vacationem propriè; uti ibi loquitur Corradus; vel ut dicit Garcias *De Beneficiis parte 9. cap. 2. nu. 158.* "Beneficia resignata *in favorem* non di„cuntur vacare ad effectum ut alteri conferri possint.

XV. Addit Corradus, hoc casu cessare concursum "sive „resignatarius sit provisus in Curia, sive in partibus. Quan„do enim resignatarius neque est in Romana curia præ„sens, neque ad eandem transmittit testimonium suæ ido„neitatis, tunc expediuntur litteræ suæ provisionis in for„ma *Dignum*, quas postea, suo Ordinario præsentabit, ut „examinetur non per concursum, sed tantùm ab Exami„natoribus Synodalibus simul cum Ordinario, & si repe„riatur idoneus, consequitur possessionem Parochialis Ec„clesiæ.

XVI. Cùm in permutatione Beneficiorum, non alia intervenire censeatur vacatio, quàm in resignatione *in favorem*: imo ipsa permutatio tacitè contineat resignationem in favorem, eadem ratione, nec hic formam concursûs requiri tradunt communiter Canonistæ, quos loco citato citat Corradus.

XVII. Licèt forsan non sine fundamento dubitari posset, num hujusmodi interpretatio tam generali expressioni Concilii consonet, præsertim ubi tam disertè & sine ulla distinctione provideri vult per concursum, quando Ecclesiæ Parochialis vacatio per *resignationem etiam in Curia* contigerit, etiamsi Parochialis Ecclesia reservata vel affectata fuerit generaliter vel specialiter, nihilominus indubitata hodie praxis est, in hujusmodi resignatione & permutatione cessare concursum; uti testatur Corradus; qui huic praxi objiciens verba Concilii Tridentini ob quæ non videtur sufficere examen sine concursu, respondet: *Quia nihilominus suffi. ere diu observavimus.*

XVIII. Ne autem per reservationes aut affectiones forma concursus à Concilio præscripta impediatur aut restringatur, addit Concilium: "Etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia „reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam „vigore indulti seu privilegii in favorem Romanæ Eccle„siæ Cardinalium seu Abbatum, vel Capitulorum.

XIX. Concilium ut omnem reservationem comprehenderet, exprimere voluit reservationem in favorem *Cardinalium*; eò quòd dubitarent Canonistæ, utrum in generali constitutione, Cardinales, ob eorum eminentem dignitatem & singulares prærogativas, intelligerentur comprehensi, si nulla ipsorum specialis mentio fiat. Gonzales ad *Reg. 8.* Cancell. *Gloss 24. num. 11.*

XX. Sub Decreto Concilii etiam comprehendi Ecclesias juris Patronatûs, sive quæ ad alicujus Patroni præsentationem aliàs essent conferendæ, ex ipso Decreto manifestum est. Vult enim "ut Episcopus, & qui *jus Patronatus* habet „intra decem dies, vel aliud tempus ab Episcopo præscri„bendum, idoneos aliquot Clericos ad regendam Ecclesiam „coram deputandis Examinatoribus nominet. "Hic clarè supponit Concilium, aliquem habere jus patronatûs Ecclesiæ vacantis, in cujus provisione formam concursûs servari vult; illudque quotidianæ praxi est conforme.

XXI. Verùm tantum de jure Patronatûs Ecclesiastico hic Concilium loqui, verba sequentia Concilii apertè declarant; quibus aliam formam providendi Ecclesiis Parochialibus ad jus Patronatûs laicorum spectantibus præscribit, quod nimirum, "qui à Patrono præsentatus erit, ab eis„dem deputatis (ad examen) examinari, & non, nisi ido„neus, repertus fuerit, admitti.

XXII. Si jus Patronatus sit *merè laicale*, formam concursûs servari non debere, apud omnes in confesso est: sed si sit Juspatronatus *mixtum* dubitari posset; eò quod ex quorumdam Canonistarum sententia, qualitas Ecclesiastici tamquam dignior trahere debeat ad se qualitatem laicalem tamquam minus dignam; atque hoc titulo jus patronatus censeri debeat potius Ecclesiasticum, quàm laicale; præsertim in hoc casu; ubi esse Ecclesiasticum magis favet Ecclesiæ; cui melius per concursum provisum iri præsumitur.

XXIII. Hac indubiè ratione motus Pius V. in citata Bulla quæ incipit, *in conferendis*, inter Parochiales Ecclesias concursui subjectas enumerat illas, quæ Jurispatronatus Ecclesiastici, *vel aliorum seu Clericorum & LAICORUM SIMUL* fuerint.

Cui Constitutioni verisimiliter innituntur Declarationes Cardinalium, quibus non semel declaratum est, Ecclesias Parochiales Jurispatronatus *mixti* subjacere concursui; etiam quando jus patronatus pertinet pro duabus partibus ad laicum, & pro una tantùm ad Ecclesiasticum. Vide Pyrrum Corradum citato *cap. 3.* & Garciam dicto *cap. 2. num. 70.* Eamque sententiam amplexus est S. Carolus in Concilio V. Mediolanensi *parte 3. tit. Quæ ad Beneficiorum collationem attinent.*

XXIV. Verùm si revera sint patronatus *mixti*, id est, Laicus & Ecclesiasticus simul ad præsentationem concurrant, ipse Laicus hic in Belgio concursum excludet: neque per concursum patientur Laici quidquam imminui aut detrahi de jure suo: ipsumque Concilium in Belgio receptum esse cum expressa clausula, salvo jure patronatus Regis ejusque vasallorum notat Zypæus *tit. de Constitut. num. 6.* & notoria praxis ostendit; quæ Ecclesias Parochiales hujusmodi Jurispatronatus mixti à concursu eximit; quemadmodum & ob mixturam Laici, hæc aliáque Beneficia eximuntur à Reservationibus Pontificiis, & Nominationibus Academicis: unde quoad hunc articulum, nec dicta Constitutio Pii V. nec Declarationes Cardinalium eidem innixæ in Belgio receptæ sunt.

XXV. Si autem jus patronatus ita *mixtum sit*, ut præsentatio *alternatim* sive per *turnum* spectet nunc ad Laicum, nunc ad Ecclesiasticum; ita ut ad eamdem præsentationem numquam concurrant, tunc in *turno* Ecclesiastici censetur totum Ecclesiasticum; & consequenter eâ vice Ecclesia Parochialis vacans, tamquam ad præsentationem Patroni Ecclesiastici spectans, concursui subjecta est, juxta expressa verba Concilii Tridentini. Neque hoc casu aliquod præjudicium generatur Patrono Laico; quia etiam per collationem in forma concursus factam *turnus* Ecclesiastici consumitur; uti infra titulo De Jure patronatus ostendetur.

CA-

CAPUT III.

De Examinatoribus, & examine.

1. *Synodus Tridentina desideravit, ut Episcopus* per se *examini intersit.*
2. *Licet Episcopus, etiam sine justa causa absit, non propterea concursus est invalidus.*
3. *Debent ut minus cum Episcopo adesse* tres *Examinatores.*
4. *Hi in Synodo Diœcesana quotannis eligendi.*
5. *Ob intermissionem Synodorum non intermittendus concursus.*
6. *Nimis inhærent cortici verborum, qui concursum volunt esse* nullum *ob defectum Examinatorum* Synodalium.
7. *Examinatores hodie eliguntur ab Episcopis extra Synodum.*
8. *Quales eligendi Examinatores?*
9. *An Synodus in eligendis Examinatoribus aliquem ordinem præscripserit.*
10. *An ob non servatum ordinem concursus sit nullus?*
11. *Quid in Examinatoribus præcipuè desideraverit Synodus.*
12. *Ex Decreto Synodi evincitur, gradus Academicos non nimium facile esse annuendos.*
13. *Juramentum ab Examinatoribus præstandum.*
14. *Juramentum illud tantùm semel præstatur.*
15. *Examinatores nihil occasione examinis accipere possunt.*
16. *Examinatores sine omni spe retributionis examen facere debent; nec potest Ordinarius stipendium ipsis assignare.*
17. *Super quibus examen instituendum.*
18. *Non tantùm circa doctrinam, sed etiam alias qualitates.*
19. *Debet attendi capacitas ad* hanc vacantem *Ecclesiam.*
20. *Examinandi circa exercitium orationis.*
21. *Super formandis concionibus.*
22. *An umquam aliàs* curam *animarum egerint?*
23. *Examinatores totam vitæ seriem examinare debēt.*
24. *Quàm difficile sit per examen, prout hodie instituitur, exactam notitiam Examinandorum accipere.*

I. CONcilium Tridentinum vult, ut "transa„ctio constituto tempore, omnes qui de„scripti fuerint, examinentur ab Epis„copo, sive, eo impedito, ab ejus Vicario „generali, atque ab aliis examinatoribus „non paucioribus, quàm tribus.

Ex his satis intelligitur, desiderasse Synodum, ut ipse Episcopus huic examini intersit, eique præsideat, quo præsens possit de capacitate Examinandorum ipse exactius securiùsque judicare. Cùmque hic agatur de re summi momenti, & unde præcipuè rectum regimen Diœcesis dependet, non facile alia negotia ab hoc examine Episcopos, quibus salus animarum & spirituale Diœcesium regimen cordi sunt, avocabunt: verendumque ne Episcopis circa hoc examen negligentibus, & passim aliis id credentibus, frequenter regeri possit illud S Bernardi. "Optimi videlicet æstimato„res rerum, qui magnam de minimis, parvam aut nullam „de maximis curam gerunt. Sed, ut liquidò datur intelligi, „patientiùs ferimus Christi jacturam, quàm nostram." *Lib. 4. De consid. cap. 6.*

II. Interim quia nonnumquam contingere potest, ut & zelosissimi quique Episcopi nonnullis aliis negotiis gravissimis detineantur, permittit Synodus, ut hujusmodi impedimento occurrente, possit coram Vicario ejus generali examen peragi. Imò tametsi minimè conveniat, cessante justo impedimento, examen Vicario committi, si nihilominus committatur, non propterea inducetur nullitas examinis; aut concursus ob id de nullitate argui poterit; quemadmodum notat Garcias *De Beneficiis parte 9. num.* 119. monens illa verba, *eo impedito*, posita esse ad demonstrandum, convenire, quòd ab Episcopo, cessante impedimento, fiat examen. Huic opinioni conformis est omnium Diœcesium praxis.

III. Vult autem Synodus, ut cum Episcopo ejusve Vicario generali adsint alii examinatores non pauciores, quàm *tres*; non quòd præcisè requiratur numerus *trium*; sed quòd non possint esse pauciores quàm *tres*.

IV. Ut autem capaciores magisque integri sint hi examinatores, statuit concilium: "Examinatores autem singulis „annis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario „ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, & ab „ea probentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Eccle„siæ *tres* ex illis eligat Episcopus, qui cum eo examen per„ficiant, indeque succedente aliâ vacatione, aut eosdem, aut „alios *tres*, quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat.

Ab hac Synodi deputatione seu probatione, hi dicuntur examinatores *Synodales*.

V. Concilium Tridentinum eâdem hâc Sessione, quâ promulgavit Decretum de forma concursûs ad Ecclesias Parochiales, etiam decreverat *cap.* 2. ut *Synodi Diœcesanæ* QUOTANNIS *celebrentur*. Hac ergo Decreti executione supposita, & ei conformi annuâ celebratione Synodi Diœcesanæ, optima ratione decrevit Concilium, ut *quotannis* in Synodo examinatores ad examen concursûs deputarentur. At supponere Concilium voluisse, ob intermissionem Synodorum, etiam concursum esse necessariò omittendum; eò quod examinatores in *Synodo* propositi & probati non haberentur, a ratione alienum, & nimis litterale est.

VI. Cum enim Concilium hanc formam concursûs & examinis proposuerit tamquam medium aptissimum, quo diligentius ac rectiùs Ecclesiis Parochialibus provideatur, crediderítque maximè expedire animarum saluti à dignis atque idoneis Parochis eas gubernari, nullatenus verisimile est, Concilium ab hac formalitate voluisse validitatem concursûs dependere; aut eam examinandi rationem cessare propterea, quòd examinatores in Synodo Diœcesana deputati non habeantur.

Unde Zypæus *Consult.* 1. *De Elect.* inter nullitates concursûs à Barbosâ aliisque cortici verborum nimium inhærentibus contra mentem Synodi allegatas, reponit sequentes; quod "examinatores in Synodo non sint approbati, & „quidem *tres* in Synodo approbati non sint adhibiti, vel „singulis annis in Synodo sex examinatores non sint pro„positi, nominatim quidem, & non in genere, vel sub no„mine dignitatis, vel in locum denominatorum eo anno „mortuorum alii surrogati non sint ab Episcopo cum con„silio Capituli, & dummodò mox intra annum Synodus „celebrentur: nam elapso anno Synodi, omnium officium „exspirare volunt, adeò ut nisi sex in Synodo nominati su„persint, cæterorum officium nullius sit momenti, nec „Episcopo liceat alios sumere; adeò quidem ut quamvis in „prioribus Synodis probati sint examinatores, nullius „flocci sint, nisi in ultimis Synodis sint expressè confirma„ti, & quidem tam scrupulosè, ut quamvis competen„ti numero examinatores fuerint Synodales, si quis „tamen accesserit non Synodalis, actum aliorum irri„tet.

Has aliasque nullitates ex ipso verborum rigore petitas, & quæ hodie ubique concursum cessare facerent, videre est apud Barbosam *De Officio Episcopi parte* 3. *Allegat.* 60. & Massobrium in praxi habendi concursum *Requisito* 11. & 12. quas & communis praxis omnium passim Diœcesium, in quibus concursus viget, tamquam menti Concilii Tridentini contrarias rejecit.

VII. Examinatores necessarios credunt Episcopi; at ii, dum Synodus Diœcesana ob temporum & rerum circumstantias haberi nequit, ab ipsis Episcopis tamquam Synodi Diœcesanæ Præsidibus & præcipuis directoribus eligi possunt; uti & ab ipsis etiam sine consilio sui Cleri aut Capituli eligi, longo usu invaluit: dicunturque nihilominus examinatores *Synodales*; eo quod fungantur vice illorum, qui à Synodo essent probandi.

VIII. Quales autem Concilium desideraverit in examinatores assumi, declarat verbis sequentibus: "Sint verò „ examinatores Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in „ Theologia, aut Jure Canonico vel alii Clerici, seu Regula„ res, etiam ex ordine Mendicantium, aut etiam seculares, „ qui ad id videbuntur magis idonei.

IX. Credit multisque astruere conatur Fagnanus ad *Cap.* INTER CÆTERA 11 *De Rescriptis*, à Concilio inter diversa personarum genera hic expressa, non esse datam opinionem Episcopo deputandi in examinatores quos vellet; sed potius ordinem esse præscriptum, "adeò ut Cleri„ cos gradu Magisterii aut Doctoratûs, aut Licentiaturæ „ carentes eligere non debeat, ubi aliorum his qualitatibus „ præditorum copia suppetat." Et consequenter Episcopum ad secundam partem alternativæ, quæ incipit à particula disjunctiva *Vel*, pervenire non debere, quamdiu primæ possit esse locus.

X. Monet tamen Fagnanus ibidem *nu.* 54. "etsi Episco„ pus eligere debeat examinatores prædictis qualitatibus „ insignitos, si eorum copia suppetat, non tamen sequitur, ut „ si alios Clericos eligat, concursus propterea sit nullus. „ Deinde subjungit: "Sacra Congregatio Concilii aliàs „ consulta in casu Montis Regalis, an concursus habitus co„ ram examinatoribus Synodalibus *non Doctoribus*, *vel* „ *Magistris*, aut saltem Licentiatis in Theologia, vel Jure „ Canonico sit *nullus*, cum præsertim alii exstant his quali„ tatibus prædití: Die 2. Augusti 1601. respondit, debuisse „ quidem eligi examinatores, qui sint Magistri, sive Docto„ res, aut Licentiati in Theologia, aut Jure Canonico. Cæ„ terum etiamsi his qualitatibus careant, concursum *non* „ esse propterea *nullum*.

XI. Etiam hîc nullam de validitate concursûs quæstionem moveri intelligimus, tametsi omissis Graduatis in examinatores assumantur Clerici non Graduati. Equidem Decretum Concilii sat evincit, voluisse Concilium indicare, in examinatores esse assumendos, qui eruditione aliisque dotibus magis idonei sunt: qui huic examini, à quo Ecclesiarum Parochialium provisio dependet, non tantum corporaliter præsentes sint, & aliquas quæstiones præformatas proponere queant; sed justum rectumque judicium de concurrentium capacitate ad regimen animarum ferre possint.

XII. Hic rursus nota, Concilium sollicitum, ut idonei examinatores eligerentur, Graduatos specialiter designaverit; tamquam qui publicum capacitatis & eruditionis testimonium acceperint: quo rursus elucet, quomodo Ecclesiæ impontant, qui hujusmodi publica testimonia nimiâ facilitate annuunt; de quo supra *tit.* 19. *cap.* 4.

XIII. Hi examinatores ex præscripto Concilii Tridentini jurare debent "omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quâ„ cumque humanâ affectione postpositâ, fideliter munus „ executuros.

XIV. Juramentum non in quolibet actu examinis præstari debet, nec præstari solet; sed tantum semel in initio assumptionis: quamvis optandum esset, ut examinatores ad examinandum properantes, semper præstiti à se juramenti meminissent; omnemque humanum affectum deponerent; ac signanter placendi Episcopo, à quo dependent, & non raro promotionem ulteriorem exspectant, quo facilè contingit, affectu excæcante, ut favorabiliùs judicent de iis, quos noverunt Episcopo gratiores: licet etiam sciant, aut facilè scire possint, Episcopum humano affectu erga nonnullos præoccupatum: de quo affectu nimirum placendi, hodie major suspicio esse potest, dum à solo Episcopo constituuntur.

XV. Ut magis integri & indifferentes sint examinatores vult Concilium, ut "caveant, ne quidquam prorsus occa„ sione hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin „ simoniæ vitium, tam ipsi, quam alii dantes incurrant, à „ qua absolvi nequeant, nisi dimissis beneficiis, quæ quo„ modocumque etiam obtinebant, & ad alia in posterum „ inhabiles reddantur.

XVI. Hic rigor satis insinuat, Concilium omninò voluisse, ut hoc examen sine omni spe remunerationis perageretur: ne vel spe munerum Examinatores in judicando excæcari contingeret. Imò teste Garcia *De Benef. parte* 9. *c.* 2. *nu.* 374. declaravit S. Congregatio: "Non potest Ordina„ rius statuere aliquod stipendium, etiam minimum Exa„ minatoribus deputatis in Synodo pro concursu Paro„ chialium, & si Synodus Diœcesana secùs statuerit, Decre„ tum esse irritum & nullum.

XVII. Statuto tempore per Edictum transacto, omnes qui descripti fuerint, ab Episcopo ejusve Vicario & examinatoribus Synodalibus examinari debent juxta Decretum Concilii Tridentini.

Circa quæ examen versari & institui debeat indicat Synodus ubi postquam dixit, liberum esse etiam aliis, quam Episcopo & Patrono, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, subjicit: "Ut possit posteà de cujuslibet „ ætate, moribus & sufficientia fieri diligens inquisitio." Idipsum clariùs expressit his verbis: Peracto deinde examine „ renuntientur, quotquot ab his idonei judicati fuerint æ„ tate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacan„ tem Ecclesiam gubernandam opportunis.

XVIII. Hic patenter supponit Synodus, examen non tantùm circa doctrinam; sed etiam cæteras qualitates ac dotes ad regendam Parochialem Ecclesiam necessarias esse institutum: aliàs enim quomodò per acto examine renuntiare possent, qui non doctrinâ duntaxat, sed & moribus, prudentiâ & cæteris rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis essent idonei?

XIX. Notatu dignum, quod Concilium velit, ut non tantùm examinetur, an quis sit idoneus ad Parochiam regendam; sed utrum sit idoneus ad hanc VACANTEM *Ecclesiam administrandam*. Quis enim nescit, quempiam posse sufficere Parochiæ rurali & paucorum incolarum regendæ, qui non sufficiat Parochiæ urbanæ & numerosæ administrandæ? Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi *parte* 3. *tit. De examinandi ratione* vult: "cum initur exa„ men illius, cui in curam certa Ecclesia Parochialis traden„ da est, videant ante examinatores, qui, qualis, & quam nu„ merosus populus sit, cujus Parochialem curationem is „ suscipiet. Qui sanè re diligenter explorata, in examine „ quod inibunt, sibi proponant accuratè perspicere, an ad „ eam curam suscipiendam gerendamve idoneus omninò „ ille sit.

XX. Eodem loco describit, S. Carolus super quibus potissimum examen institui debeat; atque ut primò de toto vitæ statu, & genere ejus quæratur, qui examen subit.

Deinde inter alia quæri vult, "An in orationis sanctæ „ studio usuque versatur. Quibus meditationibus instru„ ctus, Deum tacitus oret. Qui orationis modus. Qui illius „ fructus, quæve utilitates. Quæ regulæ præparationis ad „ orationem, & cætera multa ejusdem generis, prout pru„ dens piusque examinator, pro ratione aut personæ de qua „ quæritur, aut causæ ob quam fit examen, opus esse viderit.

Hæc tametsi ab omnibus, qui clericali militiæ adscribuntur perquiri velit, monet tamen: "tum *maximè* ab iis qui „ vel Sacerdotio initiantur, vel Parochialem curam suspi„ ciunt, vel sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, „ vel in tractatione Verbi Dei, sacrisque concionibus versa„ ri volunt.

XXI. Post hæc adjungit nonnulla specialiter quærenda ab iis qui Ecclesiis Parochialibus præficiendi sunt; nec solum quæratur, sed & *experiundo cognoscatur*, inquit, " An „ sermones contexere, habereve sciant.

"An

“ An si quos habuerint, unde sumpserint, aut quam illis contexendis conscribendisve rationem adhibuerint; & verò si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant atque tradant.

“ An in eo genere aliquid ex tempore possint, tunc extemporaneo, brevique sermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

XXII. Præterea illud quæri statuit. “ An aliàs umquam curam animarum gesserint: quod si affirment; tum interrogentur etiam, & ubi gesserint, & cur inde decesserint.

“ An intelligant quanti illud sit, animarum curam suscipere, rursusque gerere, quæque partes ac virtutes illæ sint, quibus bonum ac vigilantem animarum curatorem præditum esse oportet.

XXIII. Hæc pauca ex pluribus ibidem propositis, sat ostendunt, S. Caroli mentem fuisse, ut examinatores circa totam vitæ rationem, & omnes conditiones in Parocho requisitas sedulò inquirerent, & examen instituerent.

Ex hac quoque examinandi ratione apparebit, quàm procul à spiritu S. Caroli absint examinatores illi, qui hærentes circa steriles nonnullas, & abstrusas quæstiones, quæ ad directionem populi nihil aut parum conferunt; & de qualitatibus ac scientia Pastoris boni nullam aut exiguam curam habent.

XXIV. Porrò quæ tum de examinatoribus, tum examine Ordinandorum dicta sunt *tit. 9. cap. 4.* hîc quoque applicari possunt; atque imprimis hîc maximè locum habet, quod ibidem observatum est quàm difficilè sit ex testimoniis adferri solitis, de vita & moribus examinandorum judicare, ni aliunde noti sint auctores testimoniorum; quamque temerè hisce testimoniis sæpius fides habeatur. Deinde quam parùm sufficere queat examen unius alteriusve horæ, ut sufficiens notitia habeatur capacitatis ad regimen animarum, quæ est *ars artium*.

CAPUT IV.

De Renuntiatione Idoneorum, de Electione magis idonei; & de collatione huic facienda.

1. *Peracto examine, renuntiandi qui sint idonei.*
2. *Inter examinatores concluditur à pluralitate suffragiorum: & in paritate decidit Episcopus.*
3. *Decisio hæc facienda in ipso examine.*
4. *Examinatores judicium suum dare debent* collegialiter.
5. *Debent dare judicium de idoneitate quoad* omnes *qualitates.*
6. *Non omnia requiruntur ad essentiam concursus.*
7. *Ex approbatis Episcopus debet eligere digniorem.*
8. *Episcopi est judicare quis sit dignior.*
9. *Vigore Concilii Trident. à judicio Episcopi in electione dignioris non appellatur.*
10. *Appellationem permittit Constitutio Pii V.*
11. *Ad hanc appellationem non requiritur* prævia *probatio* irrationabilis *judicii Episcopi.*
12. *Non passim tamen nec facile hic admittenda appellatio.*
13. *In Belgio Constitutio Pii V. recepta non est.*
14. *In hac electione Episcopus non astringitur judicio Examinatorum.*
15. *Non potest tamen eligere illum quem Examinatores judicârunt inidoneum.*
16. *Electo tamquam magis idoneo facienda collatio ab eo ad quem de jure pertinet.*
17. *In reservatis videtur collatio petenda à Pontifice.*
18. *Id in Belgio non servatur. & quare?*
19. *Hæc obtinent in Parochialibus* liberæ *collationis.*
20. *Decretum Concilii Trid. quoad Ecclesias Jurispatronatus Ecclesiastici.*
21. *Concilium loquitur de* institutione authorizabili.
22. *Attento jure commun. videtur electio dignioris potius Patrono, quam Episcopo delata.*
23. *Aliquando judicatum electionem Patrono competere.*
24. *Institutio etiam authorizabilis potest competere Archidiacono.*
25. *Malè confunditur institutio cum datione curæ animarum.*
26. *Archidiacono competit interdum institutio jure tantùm delegato.*
27. *Potest etiam jure* proprio *&* ordinario *eam habere.*
28. *Potest electio dignioris competere Episcopo, tametsi institutio pertineat ad Archidiaconum.*
29. *Capitulum sede vacante confert Parochiales; & instituit concursum.*

I. PEracto examine (ait Concilium Tridentinum) “*renuntientur, quotcumque* ab his (examinatoribus) *idonei* judicati fuerint ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam administrandam opportunis.

II. Si inter examinatores non conveniat super idoneitate, aut inidoneitate aliquorum qui examinati sunt, tunc à pluralitate suffragiorum concluditur; aut si vota sint paria vel singularia, accedere poterit Episcopus, ejusve Vicarius qui in examine præsens fuerit, quibus magis videbitur, uti loquitur Synodus Tridentina.

III. Hæc autem accessio fieri omninò debet in *ipsomet* examine, & coram iisdem examinatoribus simul congregatis, non autem separatim, ait Masobrius in Praxi habendi concursum *requis. 3.* sequutus Garciam de Benef. *parte 9. cap. 2. n. 58.* Rationem subjicit: “Nam approbatio vel reprobatio eorum qui examinantur, non potest fieri separatim, sed ab examinatoribus simul cum Ordinario.” Notat quoque ibidem *num. 56.* à S. Congregatione resolutum fuisse: “examen esse faciendum coram Episcopo, vel ejus Vicario absque eorum voto *decisivo*, & tantum eos posse accedere, ubi vota sunt paria, vel singularia.”

IV. Idipsum tradit Cardinalis de Luca in annotatione ad hoc *cap.* 18. Concilii Tridentini *num.* 9. dicens quod examinatores “*collegiativo* jure, votum, sive secretum, sive publicum, aut in scriptis vel oretenus, pro diversis locorum stylis, in *ipso actu*, proferre debeant, quos scilicet approbent, & quos reprobent.

V. Cum capacitas ad regendam Ecclesiam Parochialem non consistat in sola doctrina, etiam non sufficit, ut examinatores proferant judicium super sola concurrentium doctrina; sed requiritur, ut renuntient, ac judicent qui inter examinatos sint *absolutè* idonei ad vacantem Ecclesiam administrandam; uti ex supra relatis concilii verbis est manifestum. Unde teste Garcia *De Benef. parte 6. cap. 2. n. 235.* censuit congregatio, “ quod huic Decreto non est satisfactum per relationes examinatorum, quorum aliqui simpliciter renuntiaverunt examinatum idoneum quoad litteraturam, aliique approbaverunt eum ad litteraturam, quoad *reliqua* dicentes esse *onus* Episcopi.

VI. Verum si quid ex his omissum esset, v. g. ipsi examinatores *absente* Episcopo, sua vota in communi collegissent, judiciumque deprompsissent, & Episcopo *absenti* illud per litteras significassent, uti hîc fieri solet, nequaquam propterea de nullitate concursus erit arguendus.

VII. “Ex his (ab examinatoribus tamquam idoneis renuntiatis) Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit,” ait Concilium Tridentinum.

Debet ergò vi Decreti Concilii Episcopus ex renuntiatis tamquam idoneis ad vacantem Ecclesiam administrandam

strandam eligere *digniorem*. Neque hic aliquid positivi concilium statuit, aut Episcopo injungit; sed obligationem ex jure etiam naturali profluentem proponit; & servare mandat.

VIII. Dicendo autem, *quem magis idoneum* JUDICAVERIT, significat, judicium de majore idoneitate inter approbatos ab examinatoribus, relinqui Episcopo: ita nimirum, ut Episcopus præeligendo ex humano affectu minus dignum postposito *digniore* graviter quidem peccet; sed tamen ipsa electio in foro externo impugnari nequeat; quemadmodum generaliter de electione *minus digni* omisso digniore docent post S. Thomam communiter Theologi & Canonistæ; de quo latiùs infrà, ubi de vitanda acceptione personarum in Beneficiorum collatione agetur.

IX. Unde notat Fagnanus ad *Cap.* EAM TE *De ætate & qualit. Ordinand. num.* 26. quod licet aliquando in Rota resolutum fuerit, quod à reprobatione examinatorum detur appellatio devolutiva, “tamen non potest Postpositus ab *irrationabili* judicio Episcopi *appellare* in *vim Concilii*.

X. Addit expressè hæc verba, *in vim Concilii*, nam post concilium supervenit constitutio Pii V. quæ incipit *In conferendis* in qua §. 7. decernitur: “Ut autem non solum dignis, sed *magis idoneis* repertis, juxta ejusdem Concilii Decretum Parochiales Ecclesiæ conferantur; Volumus, & decernimus quod si Episcopus minus habilem posthabitis magis idoneis elegerit, possint ii, qui rejecti fuerint, à mala electione hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metropolitanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium uti Nostrum, & Sedis hujusmodi delegatum, aut aliàs ad ipsam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum examen coram ipso appellationis Judice, & ejus examinatoribus provocare. Et constito de prioris eligentis irrationabili judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eumdem Judicem appellationis authoritate nostrâ (quatenus collatio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret) conferantur, aliàs eidem magis idoneo per judicem appellationis approbato conferenda, remittatur ad eum ad quem collatio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appellatio interposita interim non impediat, aut suspendat quominus electio per Ordinarium primo loco facta interim debitæ demandetur executioni; & provisus ab eadem Ecclesia causâ appellationis hujusmodi pendente non amoveatur. Et si quis à sententia per Judicem appellationis lata duxerit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam appellabit.

XI. In vim hujus constitutionis posse rejectum ab irrationabili Episcopi judicio appellare, saltem quoad effectum devolutivum, satis apparet manifestum; & notant passim recentiores Canonistæ, qui hujus constitutionis meminère, dicúntque, neque postpositum debere ante introductam appellationem per aliqua *nova* documenta probare, Episcopi judicium fuisse irrationabile; si id probetur per *novum* examen, aut aliunde coram *judice appellationis*, uti latè probat Fagnanus loco jam citato, asseritque sæpius à Sacra congregatione, & *Rota* Romana ita decisum fuisse.

XII. Monet tamen Fagnanus ibidem *num.* 39. quòd etsi ad obtinendum *novum* examen in judicio appellationis, non sit necesse, ut *prius* constet de *irrationabili* judicio, nihilominus S. Congregatio non consueverit novum examen decernere, nisi dato aliquo *fumo irrationabilitatis* & malæ præelectionis Episcopi. Deinde nonnullis interpositis refert, “die 21. Febr. 1612. censuisse S. Congregationem, concursum novum in Urbe instituendum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, id est postquam per attestationes extrajudiciales, vel alia uniformia documenta de hujusmodi suspicione, & gravamine aliqualem fecerit fidem, ut sic probabilis, & sufficiens causa eum excuset à calumnia.

Sanè nisi hæc cautio adhibeatur; sed indifferenter appellatio ab electione Episcopi, tamquam irrationabiliter factâ admittatur, rarissimus, aut penè nullus instituetur concursus, qui non litibus & quæstionibus, non sine gravi animarum dispendio, subjacebit.

XIII. Cùm verò hisce inditionibus concursus instituatur ex præscripto Concilii Tridentini, neque constet, constitutionem Pii V. hactenus hic receptam, & juxta modum in Belgio usitatum legitimè publicatam; non solent quoque ab electione Episcopi appellationes interponi; neque facilè eas Episcopi admitterent; inhærentes Concilio Tridentino danti auctoritatem Episcopo eligendi ex approbatis ab examinatoribus, *quem cæteris magis idoneum judicaverit*, scilicet ipse Episcopus.

XIV. Quinimo cùm Concilium judicium de *magis idoneo* detulerit Episcopo, non apparet, quòd in hac electione, sive judicio ipse dependeat à judicio & suffragio examinatorum: ut si ipsi examinatores inter examinatos *ordinem* servassent, exprimendo quos præ aliis judicaverint tamquam magis idoneos esse præferendos, Episcopus deberet hunc ordinem servare: sed posset, hoc ordine neglecto, eligere quem ipse cæteris magis idoneum judicat; idque etiam justè ac licitè, si ex particularibus informationibus noverit, illum revera præ hoc ad vacantem Ecclesiam esse magis idoneum. Si autem ex humano aliquo affectu minùs idoneum magis idoneo præeligat, electio quidem illicita erit in foro poli, graviterq; coram Deo culpabilis erit Episcopus: sed in foro fori valida erit: & ita habet praxis quotidiana.

XV. Hæc tamen eligendi libertas à Concilio Episcopis data restringitur ad eos, qui examine peracto ab examinatoribus *idonei* judicati fuerunt ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam administrandam opportunis. Nam postquam dixit, quotquot ita *idonei* sunt, peracto examine esse renuntiandos, immediatè subjungit: EX HISQUE Episcopus *eligat* &c. manifestè significans, *ex his* qui tamquam idonei renuntiati sunt, ab Episcopo eligendum illum, quem *ex his* magis idoneum judicaverit. Unde ex omnium Canonistarum sententia, non licet Episcopo eligere illum, quem examinatores, aut eorum major pars *in idoneum* judicarunt; tametsi ipse judicaret ex particularibus informationibus, hunc esse idoneum; imò cæteris magis idoneum. Nam, ut ante notatum fuit, judicium de idoneitate ipsis examinatoribus Synodalibus & juratis à Concilio Tridentino delatum est: ipsi vero Episcopo tantum suffragio decisivo in paritate concesso.

XVI. Postquam ex renuntiatis ab examinatoribus tamquam idoneis ad vacantem Ecclesiam administrandam, Episcopus elegerit quem cæteris magis idoneum judicaverit, tum vult Concilium: “ut illi & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre.

XVII. Hinc statuunt Canonistæ, quòd si Ecclesia vacans sit ex *reservatis* Sedi Apostolicæ, aut vacet in mense *reservato*, Episcopus quidem possit instituere concursum; & ex renuntiatis idoneis eligere quem cæteris magis idoneum judicaverit; sed quòd debeat ipse electus à Pontifice collationem accipere; atque ita vi Concilii Trid. eatenus quidem esse reservationem sublatam, quòd ea non obstante concursus institui queat; sed tamen collatio examinato, & ab Episcopo tamquam magis idoneo electo facienda sit ab ipso Pontifice, ad quem titulo reservationis collatio spectat. Et ita declaravit Pius V. in sæpe citata Constitutione in verbis: *Electus nobis aut Successoribus nostris pro* COLLATIONE *obtinenda*, &c.

XVIII. Verùm quia pro obtinenda collatione à Romano Pontifice tempus subinde non modicum requireretur, incommodúmque foret, tanto tempore Ecclesiam Parochialem vacare usus in hisce Provinciis invaluit, ut collatio etiam in reservatis fiat ab Episcopo; ipsaque reservatio, quoad Parochiales saltem, per concursum conferri solitas penitus censeatur sublata, ac provideatur indifferenter, & eodem modo Ecclesiis Parochialibus reservatis & non reservatis: de quo usu testatur Zypæus in Jure novo *tit. De Elect.*

Elect. num. 15. & latius deducit, & à verbis Concilii dissonum non esse hunc usum contendit *Consult.* 1. *De Elect.*

XIX. Et hæc quidem tam circa electionem dignioris ex approbatis faciendam ab Episcipo, quàm obtinendam collationem, procedunt quoad Ecclesias Parochiales *liberæ* collationis; at si sint *jurispatronatus Ecclesiastici*, tunc Concilium electionem subinde ad Patronum, interdum ad Episcopum spectare declarat.

XX. Si enim “institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda; tum Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat.” *Syn. Trid. Sess.* 24. *cap.* 18. *De Reformat.*

XXI. Institutio hic accipitur non pro institutione corporali seu missione in possessionem; sed pro institutione authorizabili sive tituli collatione, & titulum Canonicum tribuit; de qua institutione loquitur regula juris dicens: “Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine *institutione* Canonica obtineri.” *Cap.* 1. *De Regula Juris in* 6.

XXII. Unde si jus commune spectemus, Patroni Ecclesiastici potiùs, quàm Episcopi esset, ex approbatis ab Examinatoribus eligere, quem cæteris magis idoneum ad vacantem Ecclesiam administrandam, judicaverit: quia de jure *institutio* Canonica seu *authorizabilis* ad Episcopum pertinet; præsertim in Beneficiis curatis: adeo ut nec de consuetudine ea Archidiacono competere posse videatur, *Cap.* 4. ẍ *De Officio Archid.* cujus hæc est rubrica: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum; id est, non habet institutionem* AUTHORIZABILEM Et in *Cap.* 7. ẍ *eod.* tribuitur Archidiacono institutio non *authorizabilis* seu tituli collativa; sed *corporalis.*

XXIII. Quapropter orta difficultate super jure eligendi magis idoneum ex approbatis in concursu inter Abbatem S. Vedasti & Episcopum Atrebatensem, judicatum fuit per Concilium Privatum, Abbati in vim hujus Decreti Concilii Tridentini competere electionem, non obstante quod Episcopus assereret, institutionem esse penes Archidiaconum. Hujus sententiæ meminit Zypæus in *Jure novo tit. De instit. num.* 5. & integram refert Antonius Anselmo inter varia documenta concernentia bona & jurisdictionem Ecclesiasticam *pag.* 23. Notat autem Zypæus, Concilium Privatum per hanc sententiam, “tacitè decidisse, institutionem vel administrationem vacantis Parochialis, quam Episcopus Archidiacono competere asserebat, non esse *tituli* collativam.

XXIV. Quin tamen institutio tituli collativa, seu *authorizabilis* aliis quàm Episcopis competere possit, evidenter supponit Concilium Tridentinum in verbis suprà expressis: *Cùm institutio* AB ALIO, *quàm Episcopo erit facienda.* Quidni ergo & Archidiacono ex consuetudine alióve titulo competere poterit? Quemadmodum ad aliquos Archidiaconos Belgicos, ac signanter Mechliniensem transtulit.

XXV. Neque citatum Capitulum quartum loquitur de hac institutione tituli collativa; sed de *cura animarum*: hancque Archidiaconum dare non posse sine licentiâ & mandato Episcopi prætextu consuetudinis, rescribitur ab Alexandro III.

Glossographus seu Rubricæ auctor, *cura animarum* & institutionem *authorizabilem* pro synonimis accepit; cùm tamen hæc sine illa dari queat: & Archidiaconi Belgici dantes institutionem authorizabilem, institutum pro *cura animarum* ad Episcopum remittunt. Similiter Nominatis Facultatis Artium in hac Lovaniensi Universitate vi Privilegii Apostolici, & vigore clausulæ *Cæterum* in processu fulminato super executione Bullæ Gregorii XIII. contentæ, datur collatio sive institutio tituli collativa à quocumque Clerico tamquam Sedis Apostolicæ Subdelegato; & tamen pro cura animarum adiri debet Episcopus. Quare Rubrica dicti Capituli quarti confundens *curam animarum* cum institutione *authorizabili*, non consonat suo *nigro* de sola cura animarum loquenti.

XXVI. Competente autem per consuetudinem alióve titulo institutione authorizabili ipsi Archidiacono, quæri posset, an eo casu institutio *ad alium* quam Episcopum, ad mentem Concilii Tridentini, dicenda sit pertinere. Si Archidiacono competat ex sola delegatione Episcopi; ità ut instituendi auctoritas sit tantum *vicaria* ad nutum Episcopi revocabilis; videbitur institutio esse penes Episcopum, qui per Archidiaconum eam concedat; non secus atque curam animarum per suum Vicarium generalem.

XXVII. At si institutio authorizabilis pertineat ad Archidiaconum *jure proprio* & independenter à delegatione Episcopi jure sui Archidiaconatûs, tunc auctoritas instituendi censebitur Archidiacono *propria*; & consequenter ad alium, quam Episcopum spectare videbitur institutio. Quod enim Archidiaconus competit jure proprio sive jure dignitatis, non competit jure vicario, sed *ordinario*; æquè ac ea quæ aliis inferioribus Prælatis aut Pastoribus jure suæ dignitatis, aut Beneficii competunt; quemadmodum suprà *parte* 2. *tit.* 12. *cap.* 1. ostendimus: & consequenter nec hic eamdem cum Episcopo personam constituere dicendi sunt. Quod & non obscurè declaratur in *Cap.* 3. *De Appellat. in* 6. dum ibidem deciditur, ab Archidiaconis Suffraganeorum Archiepiscopi Remensis esse appellandum ad ipsos Suffraganeos, non ad Archiepiscopum: idque indubiè, quia Archidiaconi jurisdictionem jure proprio exercentes, censebantur habere tribunal distinctum à tribunali Episcopi: atque ita ab eodem ad eumdem non appellabatur.

XXVIII. Non ergo sine fundamento, ubi institutio authorizabilis competit Archidiacono prætendunt Episcopi, competere sibi electionem magis idonei ex approbatis, quem Patronus ei præsentet ad quem institutio spectat; nimirum Archidiacono: hocque jure hodie utitur Archiepiscopus Mechliniensis.

XXIX. Cùm verò Episcopus teneatur unum eligere ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus, atque huic & non alteri collatio facienda sit; videtur hæc collatio potiùs *necessaria*, quàm libera; eóque titulo Capitulum Sede vacante concursum ad Parochiales, etiam aliàs ad liberam collationem Episcopi spectantes, instituit & absolvit: quod & suadet salus animarum, quæ ex diuturniore Ecclesiarum Parochialium vacatione non leve multoties detrimentum subit: & ita non semel à S. Congregatione declaratum esse testatur Garcias De Beneficiis *parte* 9. *cap.* 2. *num.* 8. & praxis quotidiana confirmat.

CAPUT V.

De Vicario seu Deservitore, Ecclesiâ Parochiali vacante, constituendo.

1. *Synodus Trid. vult vacante Ecclesiâ Parochiali constitui Vicarium seu Deservitorem.*
2. *Hoc Decretum locum habet in Ecclesia Parochiali etiam concursui non subjectâ.*
3. *An Episcopus semper debeat constituere Vicarium?*
4. *Semper Ecclesiæ vacanti providendum de Presbytero, qui curam ejus habeat.*
5. *Vicarius constituendus ab Examinatoribus Synodalibus probari non debet.*
6. *Etiam deputandus ab Episcopo in Ecclesiis ad aliorum collationem spectantibus.*

7. *Etiam Dignitatibus annexis.*
8. *Licet sint juris patronatus laici.*
9. *Episcopi est Vicario assignare portionem congruam ex proventibus Ecclesiæ vacantis.*
10. *Idque Etiamsi jus percipiendi proventus ad alium pertineat.*
11. *Hi, qui hoc jus habent, subinde plus sint solliciti de fructibus lucrandis, quam de idoneo Vicario constituendo.*
12. *Vicarius succedit in functiones Pastorales.*
13. *Probatur ex formula deputationis.*
14. *Non succedit in ea quæ Pastoralia non sunt.*

I. Cum sæpè contingat, non posse statim Ecclesiæ Parochiali vacante de idoneo Rectore provideri, præsertim si per formam concursus providendum sit, ne per eam moram populus Sacramentorum ac divini verbi necessario pabulo careat, atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursus in Ecclesiarum Parochialium provisione servandam, statuit, quod "debeat Episcopus statim habita notitia vacationis Ecclesiæ, si opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus arbitrio, fructuum portionis assignatione, constituere, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de Rectori provideatur." *Sess.* 24. *cap.* 18. *De Reformat.*

II. Quamvis non omnes Ecclesiæ Parochiales subjaceant concursui, uti suprà vidimus, nulla tamen est Ecclesia verè Parochialis, cujus adveniente vacatione non sit constituendus aut designandus quispiam, qui tempore vacationis, & donec de Rectore ei provideatur, curam Parochiæ habeat, & populo spiritualia administret; ne alias defectu Sacerdotis, & Deservitoris sive Vicarii populus Sacramentorum usu, aliisque ad salutem necessariis destituatur.

III. Quare clausula à Concilio addita, *si opus fuerit*, significat quidem relinqui arbitrio Episcopi, num idoneus aliquis *Vicarius* juxta *formam* ibidem expressam sit constituendus; sed nequaquam permittit Episcopo, relinquere Ecclesiam vacantem sine Presbytero, qui curam ejus agat, populoque Sacramenta aliáque ad salutem necessaria tribuat. Quid enim, si in eadem Parochia sint Vice-Pastores, qui Ecclesia vacante curam ejus habere possint; aut vicinus Parochus, qui ob exiguam quam regendam habet communitatem, sine magno incommodo possit vacantis Ecclesiæ curam habere, & populo necessaria administrare? Quidnî tunc Episcopus subinde judicare poterit, novi Vicarii ad vacantem Ecclesiam regendam deputatione opus non esse: sed Vice-Pastoribus, aut vicino Parocho curam committi posse; atque ad hunc casum eam clausulam referendam esse monet Garcias De Benef. *parte* 9. *cap.* 2. *num.* 13. quamvis in rigore dici queat, hósce Vice-Pastores, aut Parochum vicinum per demandatam sibi curam Parochiæ vacantis constitui *Vicarios* seu *Deservitores*.

IV. Equidem illud certum est, Ecclesiæ vacanti statim à vacatione providendum esse de Presbytero, qui curam ejus suscipiat; adeò quidem, ut in casibus repentinis, & ubi Episcopus abest, possit ob periculum imminens, Capitulum aut Ecclesiæ vacantis Patronus Vicarium constituere, qui interim curam ejus agat; uti S. Congregationem declarâsse testatur Garcias De Benef. *parte* 9. *Cap.* 2. *num.* 11. subjiciens *num.* 12. hoc monitum: "Non tamen intelligas quòd Collegium isto casu possit dare jurisdictionem aliàs non habenti, & approbationem ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum &c. sed solùm potest illum ponere ad custodiam.

V. Deputationem & electionem Vicarii ad vacantem Ecclesiam Concilium defert Episcopo; neque in ejus assumptione examinatores Synodales audire debet; nec ab his Vicarius examinari aut probari; sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

VI. Hæcque deputatio Vicarii competit Episcopo non tantùm quoad Ecclesias suæ collationis; sed etiam ad aliorum collationem, electionem vel provisionem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes. Imo licet Ecclesiæ vacantes non subjaceant concursui, nihilominus Episcopo earum vacatione occurrente constituendi Vicarium auctoritas competit.

VII. Quare vacante Dignitate in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat ac deputat Vicarium, seu Deservitorem; quamvis ipsa Parochialis sic unita concursui non exponatur; uti notat Massobrius in Praxi habendi concursum *Requis. I. Dubio* 16. qui & ibidem *Dubio* 19. resolvit, etiam in Ecclesiis unitis Capitulis deputandum esse per Episcopum idoneum Vicarium; tametsi etiam Ecclesiis illis deservitur per Vicarios dumtaxat amovibiles: tamen quoadusque de hujusmodi Vicario debitè per Capitulum esset Ecclesiis vacantibus provisum, Episcopus nominare poterit Vicarium sive Deservitorem.

VIII. Similiter Ecclesiæ Patronatus laici, quin & Regii, quàmvis à forma concursus exemptæ, ab Episcopis sine prævia Patroni aut Regis nominatione vel præsentatione, Vicarium seu Deservitorem accipiunt; qui curam Ecclesiæ vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

IX. Episcopi quoque arbitrio permittit Concilium, determinare portionem *congruam* Vicarii sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius Ecclesiæ Parochialis vacantis. Dicit enim: "Cum congrua, ejus (Episcopi) arbitrio, *fructuum* portionis assignatione." Quibus fat indicat, ex fructibus Ecclesiæ vacantis, eam portionem esse assignandam.

X. Tametsi enim fructus Ecclesiarum vacantium subinde ad domum mortuariam defuncti Pastoris, saltem pro certo tempore pertineant; vel alii Archidiaconi jus percipiendi fructus vacantium Ecclesiarum (quod jus *deportus* vocant) habeant; imò aliquando Episcopi jure illo gaudeant, tamen semper jus illud intelligitur ad illos spectare, *deductis oneribus*, inter quæ est hæc congrua portio Vicario seu Deservitori debita.

Unde cùm in Diœcesi Antverpiensi fructus vacantium Ecclesiarum spectent ad Episcopum; eósque nomine Episcopi administret Sigillifer, mandat Synodus sub Miræo *tit.* 12. *cap.* 12. ut idem Sigillifer debitis oneribus curet satisfieri.

XI. Ut autem hi ad quos jus percipiendi proventus Ecclesiarum vacantium devolvitur, majorem eorum partem suis usibus applicare queant, subinde, ubi possint, vacationem Ecclesiarum protrahunt; vel Sacerdotes parum idoneos & mercenarios exigua portione contentos, vel Parochos vicinos, plus quam sufficienter oneratos, in Deservitores non sine notabili populi detrimento, nominant: suo proprio commodo magis, quàm animarum saluti, & Ecclesiæ vacantis bono intenti: cùm tamen proventus Ecclesiarum vacantium ipsis attribui hoc solo titulo soleant, quod vacantium Ecclesiarum curam habere debeant; quemadmodum videri potest apud auctores de jure *deportus* tractantes, qui omnes unanimiter ex cura seu custodia Ecclesiarum vacantium Archidiaconis incumbente, jus *deportus* Archidiaconis competere asserunt.

XII. Vicarius autem constitutus debet *onera ipsius Ecclesiæ* vacantis *sustinere*, uti loquitur Concilium Tridentinum; hoc est, subire onera Pastoralia; ipsique Ecclesiæ & populo in Pastoralibus deservire: unde Vicarius *Deservitor*, & Vicaria, dici solet *deservitura*: tamquam qui omnia præstet, quæ ipse Parochus præstare deberet.

XIII. Hæc in litteris deputationis Vicarii sive Deservitoris, quarum forma extat apud Barbosam in appendice ad tractatum De Officio Episcopi *formula* 56. ita exprimuntur: "Te Vicarium ipsius Ecclesiæ S. N. constituimus, & deputamus, cum auctoritate Missas, & alia Divina officia cele-

„ celebrandi, Sacramenta administrandi, & alias functiones „ ecclesiasticas obeundi, ad quæ tenetur, & quæ animarum quilibet Rector, & administrator præstare & obire „ solet.

XIV. At si Pastoratui sive Beneficio Parochiali aliqua sint annexa, quæ nec curam animarum concernunt neque inter Pastorales functiones recenseri solent, hæc ad Deservitorem seu Vicarium haud transeunt. Exempli gratiâ, si Parochus vel Plebanus in Ecclesia Collegiata vel Cathedrali obtineat locum inter Canonicos vestemque Canonicalem & intret Capitulum, hæc Deservitori dari non solent: quia jure speciali Pastori deferuntur; neque Pastoralia sunt.

TITULUS XXIII.

De Mandatis & Reservationibus Apostolicis

CAPUT I.

Origo & progressus Mandatorum *de providendo* & Reservationum.

1. *De quibus Mandatis hic agatur.*
2. *Mandata quare dicantur* Expectativæ?
3. *Quid Reservatio Apostolica?*
4. *Reservatio alia specialis, alia generalis.*
5. *Mandatorum usus non fuit ante seculum* 12.
6. *Mandatis his usus fuit Alexander III.*
7. *Preces Pontificum tunc temporis simul erant* mandata.
8. *Olim interdum dabantur* Monitoriæ, Præceptoriæ, *& Executoriæ; secus hodie.*
9. *Dictarum litterarum mentio in Decretalibus.*
10. *Pontifices Mandata dare volebant iis qui aliud Beneficium non habebant.*
11. *Dabantur Clericis* sine titulo *ordinatis.*
12. *Dicebantur in forma* pauperum, *vel in forma*, Cùm secundùm Apostolum.
13. *Vocata etiam in forma* communi; *& quare?*
14. *Hujusmodi rescripta in Decretalibus occurrunt.*
15. *Ordinarii nonnunquam hisce Mandatis obsequi detrectabant; & quare?*
16. *Sub initium seculi* 13. *frequentiora fuêre hæc Mandata.*
17. *Non solebant Pontifices singulas Ecclesias plusquàm* uno *mandato gravare.*
18. *Honorius III. per Nuntios suos petivit duas præbendas in Cathedralibus, & duas portiones in Cœnobiis per Angliam & Galliam.*
19. *Prætendebant Mandatarii etiam Beneficia Patronatus* laici; *sed hæc Mandatis non comprehendi declaravit Gregorius IX.*
20. *Hæc interpretatio ubique obtinet.*
21. *De Mandatis & Reservationibus conquesti sunt Angli apud Innocentium IV.*
22. *Excusat Pontifex factas Reservationes; & pro parte tollit futuras.*
23. *Seculo* 13. *Ecclesia Canonicorum etiam Belgica Mandatis & Expectativis multum gravata fuerunt.*
24. *Generalem Reservationem Beneficiorum apud S. Sedem vacantium primus fecit Clemens IV.*
25. *Hæc Reservatio dicitur* clausa in Corpore Juris.
26. *Baronum Galliæ querela contra Bonifacium VIII de excessu Expectativarum; & ejus defensio.*
27. *Clemens V. Joannes XXII. & Benedictus XII. Reservationes ampliaverunt.*
28. *Quare in Gallia faciliùs tunc recepta.*
29. *Querela Regis Angliæ contra nimias Reservationes ad Clementem VI.*
30. *Pontifex Respondet non esse in potestate Regis Reservationes restringere.*
31. *Qua ratione hæc auctoritas specialiter competat Ecclesiæ Romanæ.*
32. *Schisma Avenionense incrementum dedit Expectativis & Reservationibus.*
33. *De iis abrogandis actum in Concilio Constantiensi.*
34. *Quid decreverit Martinus V. & Eugenius IV.*
35. *Quid contra eas decretum in Concilio Basiliensi.*
36. *Decretum hoc receptum in Galliâ; at postmodum pro parte abrogatum.*
37. *In Germania Reservationes manserunt.*
38. *Quid in Belgio?*
39. *Post Concilium Basiliense* Expectativarum *usus in Italia; & de earum abolitione inter Cardinales deliberatum.*

I. Mandata Apostolica, de quibus hic agere instituimus, sunt mandata, quibus Papa de Beneficiis provideri mandat: Unde vulgò dicuntur, Mandata *de Providendo.*

II. Hæc mandata si sint ad *vacatura*, dicuntur etiam *Expectativa*; & qui hujusmodi mandatum in sui favorem obtinuit, dicitur habere *Expectativam*. Hinc dicit Rebuffus in praxi *parte* 1. *tit. De Expectativis num.* 1. "Papa solet scribere ad Beneficia *va-* „ *catura* per Expectativas." Deinde *num.* 3. Expectativæ gratiæ sunt, ex quibus Beneficium impetrans expectat.

III. Aliquando Papa mandat provideri per reservationes ait Rebuffus ibidem titulo de Reservationibus; quando nimirum suæ dispositioni aliqua Beneficia vacatura reservat; cum inhibitione electoribus aut Collatoribus factâ, ad eorum electionem vel collationem, vacatione adveniente procedendi sub pœna nullitatis.

IV. Hæ reservationes aliæ sunt speciales, aliæ generales. Speciales sunt, quando certum aliquod Beneficium in individuo, vacaturum dispositioni Sedis Apostolicæ reservatur.

Generalis verò erit, si omnium regni, vel certi loci Beneficiorum, vel personarum, seu dignitatum fieret amplissima reservatio; qualis est omnis illa reservatio quæ dicitur *clausa* in Corpore Juris; item contenta in Regulis Cancellariæ, de quibus infrà agetur.

V. Quo tempore Pontifices hisce mandatis & reservationibus uti cœperint, incertum est; illud equidem sat constat, mandatorum & expectativarum usum antiquiorem esse, quàm reservationum saltem generalium.

Mandatorum autem Apostolicorum *de providendo & Expectativarum* initia referunt communiter Canonistæ ad seculum 12. scribitque Vir eruditus, & in Canonibus ac historiis admodum versatus Franciscus Florens, hanc mandatorum speciem non videri antiquiorem Alexandro III. quod & Rebuffus aliique passim tum veteres, tum recentiores Canonistæ annotârunt; unà monentes, nullam horum

rum mandatorum in Decreto Gratiani, utpote Alexandro III. antiquiore, mentionem fieri; uti aliis citatis habet Gonzales ad Regul. 8. Cancel. *Glossa* 1. *Proœm. num.* 25.

VI. De Alexandro III. legitur quod præbendam petierit ab Abbate S. Remigii pro certo Clerico; " Devotionem „ vestram (ait) per Apostolica scripta rogantes attentius, „ monentes atque *mandantes*, quatenus eidem Clerico „ Divini amoris intuitu, & pro reverentia B. Petri & nostra, „ in aliquo Beneficio Ecclesiastico sibi competenti, unde „ vitæ necessaria in vestra semper devotione possit honestè „ percipere, liberaliter provideatis. " *Epist.* 43. in prima appendice ad litteras Alexandri III. Pro altero quoque Clerico eidem Abbati scripserat eâdem penè servatâ formâ *Ep.* 7. è qua constat, mandata hujusmodi fuisse tam adBeneficia *vacatura*, quam vacantia; ait enim: " Præbendam si qua „ nunc vacat, vel quæ primò *vacaverit*, ei concedas libe- „ raliter.

VII. Ex his litteris intelligitur, quod tempore Alexandri III. preces Pontificum pro obtinendo Beneficio alicui Clerico adjunctas haberent *mandatum; monentes atque mandantes* ait.

VIII. Cumque nec his obsequerentur Collatores Ordinarii, junctæ postmodum fuêre litteræ *executoriales*; vel etiam *Executores* nominabantur; qui ipsos Collatores auctoritate Apostolicâ ad obsequendum mandatis, interdum quoque per censuras, urgerent.

Verùm, uti observat citatus Franciscus Florens, " ab „ initio, ne Collatores Ordinarii graviùs conquererentur, „ imminui jura sua Pontifices non statim, & primis litteris, „ vel mandato, compellebant eos ad conferendum vacans, „ vel proximè vacaturum beneficium. Primò *Monitorias* „ scribebant: quibus si non obtemperabatur: Secundò, *Præ-* „ *ceptorias*: Tertiò, si perstarent in contumacia, dabant „ *Executorias*, quibus contumaciam cessantium Collatorũ „ puniebant: ideo *Executoriales appellatas*, quia iisdem lit- „ teris, Executorem delegabant, & concedebant, qui recipi „ faceret impetrantem, & provideret de beneficio, quod „ tunc vacabat, vel erat proximè vacaturum. Procedente „ vero tempore, ubi cœpit hujusmodi mandatorum autho- „ ritas invalescere, non amplius tres litteras, diversis tem- „ poribus; sed unas tantùm dederunt; etiam addito statim „ executore, qui cessante Ordinario Collatore conferret; „ exemplo Juris Civilis, quo aliquando Prætor, pro con- „ ditione causæ, vel personæ, vel temporis, adversus contu- „ maces, ordinem & compendium trium edictorum ita „ moderabat, ut statim *Peremptorium* daret; quod appel- „ latur, *Unum pro omnibus.*

IX. Harum litterarum *monitoriarum, præceptoriarum, & executoriarum* frequens mentio occurrit in Decretalibus præsertim Innocentii III, & Honorii III. ac signanter in *Cap.* 30. 37. 38. & 40. ⁙ *De Rescriptis*; è quibus tribus postremis conflata est formula mandatorum Apostolicorum Concordatis Galliæ subjecta; & cujus clausulas exponit Rebuffus in Praxi *tit. De Clausulis mandatorum.*

X. Insuper ex citatis litteris Alexandri III. noscitur, quòd Pontifices profiterentur hujusmodi Mandatis velle providere viris litteratis, præsertim aliud Beneficium, aut unde viverent non habentibus *In epistola* 43. prologi loco scribit: " Pastoralis sollicitudo non admonet, pro viris Ecclesiasti- „ cis, & præsertim pro his, qui *nullum* habent Ecclesiasti- „ cum Beneficium, & sunt bonæ opinionis & famæ, sollici- „ tos existere.

Idipsum & subsequentes Pontifices professi sunt. Unde in *Cap.* 6. ⁙ *De Præbendis* respondet Lucius III. quòd si ille, pro quo scriptum est, Beneficium Ecclesiasticum, unde honestè valeat sustentari, habeat, cujus in Mandato mentio non habetur. Ordinarius illi de Beneficio providere non teneatur.

XI. Imò ut major horum mandatorum justitia appareret, solebant hujusmodi mandata dari pro Clericis pauperibus sine sufficienti Beneficio à suis Episcopis ordinatis; mandabaturque Episcopis, ut hisce Clericis de Beneficio vacante aut primo vacaturo providerent.

XII. Hæc mandata dicebantur in *forma pauperum*; vel in forma, *Cùm secundùm Apostolum*; id est, in forma præscripta ab Innocentio III. in *Cap.* 16. ⁙ *De Præbendis*, cujus initialia verba sunt, *Cùm secundùm Apostolum.*

XIII. Dicebantur quoque in forma *communi*; tum quod esset ordinaria & *communis* mandatorum formula; tum etiam, quod hujusmodi mandata viderentur unicè tendere ad juris communis executionem: urgendo scilicet Episcopos, ut Clericis quos pro servitio suarum Ecclesiarum ordinaverant, de Beneficio, unde honestè sustentari possent, providerent: " Cùm secundùm Apostolum qui al- „ tario servit, vivere debet de altari (ait Innocentius III.) & „ qui ad onus eligitur, repelli non debet à mercede: patet à „ simili, ut Clerici vivere debeant de patrimonio Jesu Chri- „ sti, cujus obsequio deputantur.

XIV. Similis rescripti non semel in Decretalibus Gregorii IX. mentio fit; ac nominatim in *Cap.* 13. ⁙ *De Ætat. & qualitat. Ordinand.* ubi appellatur mandatum in *forma communi* Et in *Cap.* 27. ⁙ *De Rescriptis* ubi Episcopo Uratisnensi postulanti " per Sedem Apostolicam „ edoceri, utrum alicujus Ecclesiæ perpetuo Vicario de „ proventibus Vicariæ, bonisque paternis, habenti unde „ commodè valeat sustentari, teneatur per illam formam „ *communem* CUM SECUNDUM APOSTOLUM, „ in Ecclesiastico Beneficio providere: " Respondet Inno- „ centius III. " non esse providendum; cùm per prædictam „ formam necessitatibus *pauperum* Clericorum (qui *nul-* „ *lum* sunt Ecclesiasticum Beneficium assecuti) Sedes Apo- „ stolica duxerit esse providendum.

XV. Verùm tametsi formula litterarum præferret, eas nonnisi pro litteratis, & in utilitatem Ecclesiarum concedi, tamen non rarò contingebat, ut per sub & obreptionem, aut importunas sollicitationes à Pontificibus hujusmodi mandata in gravamen Ecclesiarum, & Ordinariorum extorquerentur.

Hinc mandatis hisce sæpius Ordinarii obsequi retractabant; quod indicant frequentes litteræ *executoriæ*, & executores, quibus ad Ordinarios compellendum uti oportuit.

XVI. Ex Decretalibus quoque Honorii III. immediati successoris Innocentii III. quæ habentur inter Decretales Gregorii IX. manifestum est, hæc mandata tempore ipsius Honorii III. fuisse non parum frequentia; pluresque eorum occasione exortas quæstiones & difficultates quibus in suis Decretalibus respondet Honorius.

XVII. Hoc quoque ex ejusdem Pontificis responsis intelligitur, eo tempore solitam fuisse inseri hanc clausulam mandatis *de providendo* sive expectativis: *nisi de mandato nostro eadem Ecclesia foret in alterius receptione gravata.* Vide *Cap.* 30. ⁙ *De Rescriptis* notanter in parte *decisa*; item *Cap.* 38. ⁙ *eod.* & *Cap.* 2. *eod.* in quinta Compilatione Decretalium Honorii III. per Cironium: è quibus hoc insuper non obscurum est, Pontifices tunc temporis solitos non fuisse, plus quàm *uno* mandato vitâ suâ durante eandem Ecclesiam gravare.

XVIII. Nullam hactenus generalem beneficiorum reservationem à Sede Apostolica factam reperimus; hoc unum legimus, quod Honorii III. Legatus sive Nuntius in Anglia anno 1226. in Concilio apud Westmonasterium nomine Pontificis ad sublevandam Romanorum inopiam, petierit " ab omnibus Ecclesiis Cathedralibus, duas Ponti- „ fici præbendas exhiberi, unam de portione Episcopi, alte- „ ram de Capitulo. Et similiter de Cœnobiis, ubi diversæ „ sunt portiones Abbatis & Conventus: à conventibus, „ quantum pertinet ad unum monachum, æquali factâ di- „ stributione bonorum suorum; & ab Abbate tantumdem. " Hæc pleniùs referuntur ex Matthæo Parisiensi tomo

mo XI. Concil. General. *col.* 303. ubi unà narratur, quomodo postulata hæc effectum non habuerint, eo quod "venissent Nuntii Regis, ad omnes Prælatos qui de Rege „Baronias tenebant in capite destinati districtè inhibentes, „ne laicum feudum suum, Romanæ Ecclesiæ obligarent; „unde servitio sibi debito privaretur.

Similia sub idem tempus nomine ejusdem Pontificis postulata fuisse à Prælatis Galliæ per Romanum S. Angeli Cardinalem narratur in dicto tomo Conciliorum Generalium *col.* 239. unà relatis rationibus Prælatorum ob quas postulatis annui non posse ostendebant; quibus Cardinalis acquievit.

XIX. Interim mandatis seu expectativis utebantur Pontifices; & quidem Mandatarii sive expectantes etiam Beneficia jurispatronatus *laicalis* sibi deberi vigore Mandatorum contendebant; uti ex querelis Baronum Regni Angliæ ad Gregorium IX. Honorii III. proximum successorem constat. At ipse Pontifex Gregorius IX. datis litteris ad Nobiles Angliæ, declaravit quod "intentionis suæ non fue- „rit, nec existat, ut beneficia in Regno Angliæ constituta, „quæ ad præsentationem pertinent *secularium* Patrono- „rum auctoritate suâ cuiquam conferantur." *Epist.* 13. quod ipsum *epist.* 14. significavit Othoni Cardinali Legato suo in Anglia.

XX. Hæc mandatorum & Expectativarum restrictio & interpretatio dein *generaliter* invaluit, & hodie retinetur; effecitque ut Principes & Nobiles beneficiorum Patroni minus ægrè hujusmodi mandata tulerint; imò nonnumquã promoverint; eaque in favorem suorum familiarium à Pontificibus postulaverint; quin & importunis precibus quodammodo extorserint.

XXI. At cùm per hujusmodi Mandata nonnumquam etiam Beneficia majora, & curam animarum habentia Italis, qui nec residebant, nec curam ullam Ecclesiarum gerebant, conferrentur; imò & ipsi Legati Pontificis similibus mandatis Ordinarios gravandi auctoritatem assumerent; indéque fieret; ut pecuniæ extra regnum exportarentur; ipsumque regnum multùm gravaretur, Ecclesiæ depauperarentur, & Ministris destituerentur, magnæ subinde etiam Regum & Magnatum querelæ excitatæ fuerunt; quales *anno* 1245. apud Innocentium IV. deposuerunt Magnates & Universitas Regni Angliæ, quorum epistola publicè in Concilio Lugdunensi coram Pontifice lecta fuit. Habetur tomo 11. Concil. General. *col.* 663.

XXII. Distulit responsum Pontifex, quia ut asseruit, tam arduum negotium morosa indiguit deliberatione: indistanter tamen se responsa daturum pollicendo. An & quid responderit, non constat; sed illud scribitur, quod anno 1252. idem Pontifex ante factas beneficiorum reservationes revocaverit, rescideritque addens: "Et qualitas temporis, quod „diebus istis potissimùm fuit ob eorum *malitiam* redi- „mendum, & nonnullorum instantia *importuna* extorsit, „quod de Archiepiscopatibus, vel Episcopatibus, seu Ab- „batiis & Prioratibus mandavimus per nostras litteras in „diversis partibus provideri.

Dein reservationibus revocatis, declarat, hujusmodi beneficiis per Ordinarios Collatores esse *Canonicè* providendum.

Citata verba sat indicant, certissimum esse, hujusmodi mandata nonnumquam instantia importuna à Pontificibus extorqueri.

Cum autem Innocentius tantùm de Episcopatibus, Abbatiis & Prioratibus loquatur, reservationes & expectativas minorum Beneficiorum in suo reliquisse vigore videtur.

XXIII. Et sanè circa hoc tempus adeo excreverant mandata *de providendo*, ut etiam pro moderatione acciperetur Alexandri IV. qui immediatè Innocentio IV. successit, Constitutio, quæ non permittebat Ecclesias Canonicorum gravari plus quàm *quatuor* mandatis; uti fidem facit Synodus Coloniensis anno 1260. *Can.* 13. eamdem Constitutionem observari præcipiens; "Per quod (ait) maximè Eccle- „siarum Collegiatarum quieti prospicitur, illarum præser- „tim quæ *plurium* Clericorum receptionibus ad *vacatu-* „*ra* Beneficia sunt gravatæ.

Altera ejusdem Provinciæ Synodus anno 1266. celebrata exponit, quantæ difficultates orirentur occasione hujusmodi Mandatorum, dum vacante *unâ* præbendâ, *duo* vel *plures* auctoritate Apostolicâ, vel Legatorum ejus, aut quavis aliâ auctoritate jus se habere assererent; atque ipsa Capitula per suos respectivè executores ad receptionem æqualiter urgerent: ubi & remedia hisce adhibenda præscribit *Can.* 34.

XXIV. Quamvis hæc sufficienter evincant, Expectativas & speciales hujusmodi reservationes magnum sumpsisse incrementum, tamen hactenus non legitur ullum Decretum editum fuisse, quo *generaliter* alicujus generis Beneficia Sedi Apostolicæ reservarentur.

Primus Clemens IV. Sedi Apostolicæ reservavit generaliter Beneficia quæ apud *eamdem Sedem* vacare contigerit. Constitutio hæc refertur in *Cap.* 2. *De Prabendis in* 6. asseritque in proœmio constitutionis, quod collationem Beneficiorum *apud Sedem Apostolicam* vacantium specialius cæteris, *antiqua* consuetudo Romanis Pontificibus reservavit.

XXV. Reservatio hæc quantumvis non extet in Decretalibus Gregorii IX. dicitur tamen *clausa in Corpore Juris*; habeturque præ cæteris reservationibus minus odiosa; & cæteris sublatis nonnumquam conservata; uti infra notabitur *cap.* 3. ubi unà notabitur ratio ob quam hæc reservatio inducta dicitur.

XXVI. Eamdem reservationem renovavit Bonifacius VIII. in *Extrav.* PIÆ *De Prabendis* inter communes.

Hinc Pontificem plures reservationes & Beneficiorum provisiones fecisse in Regno Galliæ patet ex epistola Baronum illius Regni ad Cardinales; quibus acriore stylo provisiones illas depingunt. Huic epistolæ respondentes Cardinales, non inficiantur, Pontificem plures reservationes & provisiones fecisse, at ostendere student, eas à Pontifice in Ecclesiæ regnique utilitatem factas. Extant hæ litteræ uti & Baronum *tomo* 4. *Hist. Universitatis Paris. pag.* 22. & seqq. ac dein *pag.* 31. refertur epistola ipsius Bonifacii responsoria ad epistolam Baronum; atque inter alia vult, ut conferantur inter se provisiones præbendarum factæ à Rege & Episcopis; & provisiones factæ à Pontifice, expendaturque quæ magis in utilitatem Ecclesiarum & regni cedant.

XXVII. Clemens V. immediatus Bonifacii VIII. Successor rursus reservationem Beneficiorum *apud Sedem Apostolicam* vacantium renovavit; & pro efficaciore executione addidit hanc clausulam: *Hac reservatione nostra & Decreto ligari volumus* IGNORANTES. Refertur in *Extravagante* 3. *De Prabendis* inter communes.

Successor Clementis Joannes XXII. non tantùm eamdem reservationem renovavit & ampliavit in *Extrav.* 4. *eod.* sed insuper aliam addidit in *Extrav. Execrabilis eodem*: cui dein generaliorem adjecit Benedictus XII. qui Joanni successerat, refertúrque in *Extrav. Ad regimen eodem titulo*: quæ postmodum in Regulas Cancellariæ transierunt; & à nonnullis pro reservationibus in *Corpore Juris clausis* reputatæ fuerunt; de quibus latiùs *cap.* 3. agetur.

XXVIII. Porrò cùm hi ac nonnulli sequentes usque ad Gregorium XI. Sedem Apostolicam tenerent Avenione in Gallia; inde dicti Papæ Avenionenses, reservationes hæ, & expectativæ facilius à Gallis exceptæ fuere; at non æquè in aliis regnis.

XXIX. Recitat Odoricus Raynaldus ad annum 1343. litteras Eduardi Regis Angliæ ad Clementem VI. proximum successorem Benedicti XII. in quibus altè de hisce reservationibus, & gravaminibus inde Ecclesiis & regno suis ob-

obvenientibus; scribitque, se instanter per Communitatem Regni sui rogatum, ut prædictis dispendiis occurreret.

XXX. Anno sequenti respondens Pontifex, inter alia dicit, quod litteratæ Regiæ innuere videantur, " quod super reservationibus & provisionibus Ecclesiarum (ait) in tuis tibi parlamentis liceat aliquid ordinare, quodque reservationes & provisiones Apostolicæ à tua dependeant voluntate. Profectò dilectissimè fili, illa concordia, quam in tuo Parlamento habitam tuæ prædictæ describunt litteræ, nimis existeret temeraria, & divinis constitutionibus inimica, per quam Apostolicæ Sedis reservationes & provisiones dependerent ex tuo voluntatis arbitrio, tuque per ipsas potestatem ejusdem Sedis Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares: quamquam Nos, qui Ecclesiarum omnium, tamquam Pastor universalis earum invigilamus commodis, uti non intenderimus nec intendamus reservationibus & provisionibus hujusmodi, nisi quantum utilitatibus & necessitatibus Ecclesiarum ipsarum crediderimus expedire.

XXXI. Deinde hanc auctoritatem speciali jure Ecclesiæ Rom. asserens, dicit, eam non ab Apostolis, sed à Christo esse fundatam; " Non enim quævis terrena sententia (ait) sed illud *Verbum*, per quod constitutum est cœlum & terra, elementa, eandem Romanam fundavit Ecclesiam: quæ quidem omnes Patriarchales, Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujuslibet Ordinis dignitatem instituit; ad cujus Pastorem & Rectorem Ecclesiæ, videlicet Romanum Pontificem, omnium Ecclesiarum, & beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio noscitur pertinere.

XXXII. Demum circa seculum 14. exorto luctuoso illo scismate in Ecclesia Romana, quod per quadraginta & amplius annos Ecclesiam in duas aut subinde tres partes divisit, mirum! quantopere Pontifices, quorum alter Romæ, alter verò Avenione sedebat, hasce reservationes, & expectativas extenderint; ipsasque Beneficiorum provisiones, quò suis Familiaribus & adhærentibus providerent, sibi attraxerint; quemadmodum apud Nicolaum Clamengis Theodoricum Niem aliosque Scriptores coævos, qui scismatis hujus historiam, nec non Pontificum unius & alterius obedientiæ vitas scripserunt, videre est.

XXXIII. Cùm autem circa initium seculi 15. esset Congregatum Concilium Constantiense, tam pro extinctione scismatis, quàm pro reformatione abusuum, qui occasione scismatis supra modum irrepserant, & altas radices egerant, etiam de reservationibus restringendis, & restituendis collationibus Collatoribus ordinariis actum est; atque inter articulos reformationis faciendæ per Papam unà cum Concilio, antequam dissolvatur, ordine secundus fuit: *Item De Reservationibus Sedis Apostolica*. Sess. 40.

XXXIV. Super hoc articulo aliquid in Concilio Constantiensi statutum fuisse non legitur; at scribitur, quòd Martinus V. in Concilio Constantiensi electus *quatuor* menses voluerit esse liberos ab expectativis seu Mandatis; quod & Eugenium IV. Martini successorem confirmasse scribitur; atque ab eo tempore regulam *De Octo* publicatam fuisse credunt; de quo latiùs infra *cap.* 4.

XXXV. Interim hisce non contenti Collatores ordinarii rursus in Concilio Basiliensi abrogationem reservationum, & liberam Beneficiorum collationem urgere cœperunt; ac tandem materiâ discussâ, primò *Sess.* 12. statutum; " De cætero generalem reservationem omnium Ecclesiarum Metropolitanarum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monasteriorum ac Dignitatum *electivarum* per Romanum Pontificem de cætero fieri, aut facta uti non debere, reservationibus *in Corpore Juris clausis*; & his quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi vel utilis dominii, mediatè seu immediatè subjectis fieri contigerit.

Addebat autem Concilium, ut nihil contra " hoc Decretum Papa attentaret:" additâ hac exceptione: " Nisi ex magna, rationabili, & evidenti causa in litteris Apostolicis nominatim exprimenda.

At hanc clausulam *Sess.* 23. *cap.* 5. revocavit, eò quòd nonnulli contra mentem Synodi ea abuterentur, uti ex integro contextu Decreti (quod suprà *parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. relatum est) cognosci potest.

Deinde *eadem Sess. c.* 6. " ipsas omnes (reservationes) tam generales, quàm speciales sive particulares, de quibuscumque Ecclesiis & Beneficiis, quibus tam per electionem, quàm collationem, aut aliam dispositionem provideri solet sive per Extravagantes, *Ad regimen*, & *Execrabilis*, sive per regulas Cancellariæ, aut alias Apostolicas Constitutiones introductas, hæc sancta Synodus abolet, statuens ut de cætero nequaquam fiant, reservationibus *in Corpore Juris expressè clausis*, & his quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu utilis dominii mediatè vel immediatè subjectis fieri contigerit duntaxat exceptis.

XXXVI. Decretum hoc ambabus ulnis Clerus Gallicanus amplexus est; atque auctoritate Caroli VII. in conventu Bituricensi Sanctioni Pragmaticæ insertum fuit: & pro lege observari voluit.

At postmodum Sanctione Pragmaticâ sub Leone X. in Concilio Lateranensi abrogata, & in ejus locum surrogato Concordato inter ipsum Leonem & Franciscum I. Mandatorum Apostolicorum usus aliquantulum restitutus fuit uti videri potest in dicto Concordato titulo *De Mandatis Apostolicis*, & capite sequenti latius dicetur.

XXXVII. Non ubique eâdem veneratione Decreta Concilii Basiliensis recepta fuisse notorium est. Unde & usus reservationum in multis locis, non obstante dicto Decreto, remansit, quemadmodum de Germania sufficienter probat Concordatum initum inter Fredericum Imperatorem & Principes Nationis Germanicæ, & Nicolaum V. ubi reservationum usus in multis ipsi Sedi Apostolicæ conservatur, uti ex textu Concordatorum cuique obvium est videre.

XXXVIII. In hisce quoque Belgicis Provinciis post Concilium Basiliense reservationes ac provisiones Sedis Apostolicæ admissas fuisse satis constat: probatque Edictum Philippi Pulchri Patris Caroli V. evulgatum Brugis 20. Maji 1497. in quo quidem referuntur querelæ Procuratoris Fiscalis seu Regii, quod per provisiones has nonnunquam illiterati, idioma patrium ignorantes, quin & subinde ipsi Principi suspecti in Beneficia etiam majora intruduntur, attamen earum usus nec aboletur, nec restringitur: at id unum " mandat princeps omnibus suis subditis tam Ecclesiasticis, quam secularibus cujusvis conditionis; ne exequantur, aut exequi patiantur ullas litteras expectativas aut reservativas, processus, sententias executoriales aut ullas Bullas aut provisiones Apostolicas super beneficiis sitis in hisce Provinciis sub pœna privationis fructuum & effectuum eorumdem, exilii extra has Provincias, punitionis exemplaris, & inhabilitatis gaudendi fructibus ullius Beneficii siti in iisdem Provinciis priusquam dictæ Bullæ & Provisiones Apostolicæ visæ sint in supremo Senatu Regio, atque litteræ patentes consensus Regii pro earum executione expeditæ fuerint." Habetur integrum Edictum in prima parte Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 8. ubi *num.* 1. refertur & aliud Edictum Maximiliani & Philippi Archiducum Austriæ de anno 1484. & renovatum anno sequenti super eadem materia diciturque, in hisce Provinciis plures quàm in aliis Regnis admissas fuisse expectativas aliasque similes provisiones Apostolicas.

Cæterum de dicta clausula Edicti inhibente exequutionem

nem Bullarum Apostolicarum sine litteris Regiis, quas hodie *Placet* dicimus, agetur titulo sequenti, ubi ostendetur quis sit scopus & effectus hujus clausulæ & edicti.

XXXIX. Refert ex Cardinali Papiensi Odoricus Raynaldus ad annum 1464. *num.* 67. "agitatum fuisse in „Consistorio Cardinalium de concedendis, vel non „concedendis gratiis, quas *Expectativas* appellant, ac „varias discrepantésque fuisse Patrum sententias, non- „nullos non concedendas opinatos tamquam Præsuli- „bus Ecclesiarum admodum exosas; Joannem verò „Carvialem Episcopum Portuensem contrà sensisse: is „(inquit) *Diu laboráße dixit Sedem Romanam ante- „quam posset assequi, ut paterentur ordinarii gratias in „suis diœcesibus dari & negligendam ideo prærogativam „non esse tam multis acquisitam molestiis, ubi enim per u- „num tantum Pontificem desita essent dari futurum ut „dari ampliùs non possent sine scandalo, differendam ta- „men mensis aliquot, donec novi Pontificatus Nuntii „ad nationes & Principes pervenissent.* Addit Papiensis; „Pontificem ac majorem patrum partem in Portuensis „judicium consensisse." Hæc Raynaldus.

Ex his sat constat, abolitionem reservationum & expectativarum factam in Concilio Basiliensi non ubique receptam; quod & evincunt ea quæ de hac materia in Concilio Trident. proposita & decreta sunt, de quibus capite sequenti.

CAPUT II.

Quid circa expectativas & reservationes actum in Concilio Tridentino?

1. *Conventus delectorum Cardinalium sub Paulo III. censet expectativas abolendas.*
2. *Idem petitum nomine Regis Galliæ in Concilio Tridentino.*
3. *Sententia Bartholomæi de Martyribus dicta in Concilio Tridentino super mandatis* De providendo.
4. *Cardinalis Lotharingiæ ea abolenda judicavit.*
5. *Quid de his censuerit Didacus Covarruvias?*
6. *Decretum Concilii Tridentini circa expectativas & reservationes.*
7. *Expectativæ aliæque gratiæ ad vacatura per Concilium Tridentinum omnino sublata.*
8. *Erectio Canonicatûs supernumerarii cum jure ad futuram præbendam vetita.*
9. *Sublatæ reservationes* mentales; *& quales hæ fuerint?*
10. *Prædictæ gratiæ nec Cardinalibus concedi possunt in derogationem juris Ordinariorum.*
11. *Concordata Galliæ Mandata* De providendo *reservant.*
12. *His per Concilium Tridentinum derogatum credunt Galli.*
13. *Concilium Tridentinum Provisiones Apostolicas conservavit.*
14. *Etiam hodie reservationibus defertur.*

I. INter abusus, quos in Synodo Tridentina reformandos notavit Conventus delectorum Prælatorum sub Paulo III. notatur: "Alius abusus est in *expectati- „vis & reservationibus* Beneficiorum, „quibus & datur occasio, ut aliena mors desideretur, „& libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum supre- „mum dignioribus cùm vacant, dant litibus causam. „Omnes has putamus tollendas esse.

II. Similiter inter articulos nomine Caroli IX. Regis Galliæ Patribus Trid. oblatos, vigesimus primus erat his verbis expressus: „Mandata *de providendo*, ex- „pectativæ, regressus, fiduciariæ resignationes, & „commendæ revocentur, & omnino arceantur ab Ec- „clesia, veluti Decretis contraria.

III. Cardinalis Pallavicinus *lib.* 23. *hist. Concil. Trid. cap.* 7. *num.* 7. refert, quod nominatissimus ille Bracarensium Archipræsul Bartholomæus De Martyribus recenter Româ redux, multa de propensione Pontificis ad reformationem dixerit; atque illustri præconio in cœlum extulerit integritatem probitatemque Caroli Cardinalis Borromæi, adeò ut dixerit, *Obstacula salutaris emendationis non à Pontifice, nec ab ejus sororis filio* (Carolo Borromæo) *sed à nobis injici*: & adjecisse: hinc sibi animum accessisse, quò majori studio ac fervore suam impenderet operam ad ea cogitanda, & in Concilio exponenda, quæ tantum opus promoverent. Deinde notat Pallavicinus: "Id quod in dicenda sen- „tentia maximè notabile auditum est, acris reprehensio „fuit, quâ invectus est in *mandata providendi in forma „pauperum*, sicuti dicebantur. In proventibus Eccle- „siasticis distribuendis spectandam esse doctrinam & „virtutem, non paupertatem, cum oporteat consule- „re muneribus, non hominibus: egentibus subvenien- „dum esse per eleemosynas, non per Sacerdotia.

IV. Similiter Cardinalis Lotharingiæ Româ quoque cum Bartholomæo redux, in eadem Congregatione sententiam suam circa capita reformationis exponens, "improbavit etiam *mandata providendi*; narravitque, „mentem esse Pontificis ut ea tollerentur." Pallavicinus loco citato *num.* 11.

V. Deinde *num.* 12. ait: "In hanc sententiam ivit „Didacus Covarruvias Episcopus Civitatensis; mo- „nuit, hujusmodi mandatorum usum fuisse inductum, „cùm Episcopi cuncta Sacerdotia distribuebant, nec „tam multa reservabantur, ex quibus tunc Romanus „Pontifex abundè habet ut per se ipsum ea conferat.

VI. Hisce aliisque rationibus permoti Patres Decretum hoc evulgarunt *Sess.* 24. *cap.* 19. *De Reformat.* "Decernit sancta Synodus, Mandata *de providendo*, & „gratias, quæ *Exspectativæ* dicuntur, nemini ampliùs, „etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis „singularibus personis, etiam sub nomine indulti, aut „ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, „nec hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec „reservationes mentales, nec aliæ quæcumque gratiæ „ad *vacatura*, nec indulta ad alienas Ecclesias, vel mo- „nasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car- „dinalibus, concedantur, & hactenus concessa, abro- „gata esse censeantur.

VII. Hoc Decreto omnia tolli Mandata *de providendo*, expectativas & gratias quascumque *ad vacatura*, quæ olim à Pontifice impetrari solebant de beneficiis ad collationem vel provisionem Episcoporum, Capitulorum aut singularium personarum spectantibus, evidens est; & notat Gonzales ad regulam 8. Cancellariæ §. 2. *proœmiali num.* 57. qui deinde subjungit: "Ideoque cùm jam redierint illa fœlicia tempora De- „cretorum, quando nullæ erant expectativæ, multò „minus moderni Episcopi querelam formare valebunt, „de expectativarum obstaculis. Et plura, ac plura ju- „ra, quæ sunt sub titulis de rescriptis, de præbendis, & „de concessione præbendæ, tam in Decretalibus quàm „in Sexto, & Clementinis, ac Extravagantibus, unà „cum eorum glossis, & tractatibus de expectativis per „Doctores compositis, jam hodie evanuerunt, & ab „aula recesserunt.

Monet quoque *nu.* 63. Expectativas per Concilium Tridentinum esse omnino sublatas, etsi illæ factæ sint de consensu Ordinariorum; & ita declarâsse S. Congregationem.

VIII. Declaratum quoque fuisse, hodie non posse erigi *Canonicatum supernumerarium ad futuram prabendam*: quia hæc erectio species esset *Expectativa*. Neque id ipsis etiam Capitulis licere, eadem Congregatio declaravit. Gonzales ibidem *num.* 67.

IX. Sustulit insuper Concilium reservationes *mentales*. "Erat autem reservatio *mentalis* (ait Gonzales *num.* „67.) quando Papa reservabat beneficium vel in specie, vel in genere per Bullam, vel per Breve, ut personæ gratæ provideret, quam non exprimebat, sed *in mente* retinebat; & sic in nullius personæ expressæ favorem facta fuerat reservatio. Tunc enim dicebatur mentalis, quasi in mente retenta, quoad provisionem personæ. Deinde quando vacabat beneficium, mandabat fieri provisionem alicui sub data reservationis, vel antea, vel post, ut sibi placebat.

X. Adhæc ut libera ac intacta maneret Episcopis, aliisque inferioribus Collatoribus Beneficiorum ad eorum respectivè provisionem spectantium collatio, constitutum etiam fuit per Concilium, ne hujusmodi gratiæ, aut reservationes mentales, aut indulta ad alienas Ecclesias, vel monasteria alicui etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedantur, & hactenus concessa abrogata censeantur. Quod & ad amussim observari videmus, ait Gonzales *num.* 76. observatque, quod si quæ indulta à Pontificibus concedantur Cardinalibus, ea concedi quoad Beneficia aliàs ad provisionem Sedis Apostolicæ spectantia; adeoque sine Ordinariorum læsione.

XI. In Concordatis Galliæ inter Leonem X. & Franciscum I. extat titulus De Mandatis Apostolicis, quo statuitur & ordinatur, quod quilibet Romanus Pontifex litteras in forma *Mandati* dare possit: nimirum, unum Collatorem habentem collationem *decem* Beneficiorū *in uno*; habentem autem collationem *quinquaginta* Beneficiorum & ultra, in *duobus* beneficiis dumtaxat gravare possit: ita tamen quod in eadem Ecclesia Cathedrali vel Collegiata unum Collatorem pro tempore in duabus præbendis non gravet.

Ut autem litibus obvietur, quæ occasione litterarum mandatorum hujusmodi oriri possent, præscriptum est, hæc mandata dari sub *forma* ad calcem concordatorum subjecta.

XII. Quamvis in Gallia Concilium Tridentinum non fuerit quoad omnes Reformationis articulos receptum, hoc tamen Decretum abolitionis expectativarum ambabus ulnis amplexi sunt; crediderunt que post hoc Decretum, hunc titulum Concordatorum *De mandatis Apostolicis* cessare; uti monet Pinsonius De Beneficiis ad *verbum* INSTITUTIONE §. 6. *n.* 12. & 13. qui dein *n.* 14. infert: "Nunc itaque, & ex præmissis concludendum est, in *folio* Academiarum Graduatis, Curiæ Parisiensis in vim Indultorum Nominatis, & Candidatis, mandatorum, sive litterarum *Expectativarum* usum ad vacatura beneficia nobis superesse.

De non usu Concordatorum quoad articulum de *Mandatis Apostolicis* testatur quoque Claudius Fleurii in *Instit. Juris Canonici lib.* 2. *cap.* 15.

XIII. Porrò sicuti mens Concilii Tridentini fuit, integrum illibatumque servare Ordinariorum jus in conferendis Beneficiis, ita nec Pontificis jus de certis beneficiis providendi jam jure Decretalium, vel Extravagantium vel Regularum Cancellariæ stabilitum & receptū, tollere aut infringere voluit. Unde licet mandata de providendo atque hujusmodi gratiæ, quibus juri Ordinariorum hactenus stabilito, obstaculum fiebat, sint sublata, salvæ nihilominus manserunt reservationes illæ, quibus certorum beneficiorum provisio ad Sedem Apostolicam jam tum devoluta & ei addicta erat: eæque etiamnum hodie in plerisque Ecclesiis sunt in usu, sub certis tamen limitationibus & conditionibus, juxta particulares Ecclesiarum leges & consuetudines, vel concordata quemadmodum de singulis agendo notabitur.

XIV. Cum enim spectet dumtaxat ad disciplinam, ad quem beneficiorum provisio pertineat, nihil justius, nihil ad pacem Ecclesiæ conservandam opportunius, quā ut consuetudines & leges jam stabilitæ serventur; modò id præcipuè curetur, ut beneficiorum provisio ad ædificationem Ecclesiæ, & sine personarum acceptione fiat.

CAPUT III.

De Reservatione Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam.

1. *Reservatio alia* clausa *in Corpore Juris*; *alia* extra *Corpus Juris*.
2. *Famosior illius species.*
3. *Refertur Decretum hujus Reservationis.*
4. *Cur hæc Reservatio indulta.*
5. *Declaratio Bonifacii VIII. quoad hanc Reservationē.*
6. *Hodie restringitur ad vacationem per obitum.*
7. *De Beneficiis vacantibus apud* S. Sedem *debet Papa intra* mensem *providere.*
8. *Mense elapso providet Ordinarius.*
9. *Currit hic mensis à die vacationis, etiam ignorata.*
10. *In aliis Provisionibus* tempus *Pontifici non est præfixum.*
11. *Vacante Sede Apostolica possunt Ordinarii Ecclesias Parochiales in Curia R. vacantes conferre.*
12. *Pontifices salutem animarum Reservationibus anteponendam judicant.*
13. *An collatio Ordinarii* valida *sit facta nondum mense elapso?*
14. *Hac Reservatio minùs cateris odiosa; & quare?*
15. *Huic Reservationi non censetur per generalem clausulam derogatum.*
16. *Interdum huic Reservationi in favorem Regis Galliæ renuntiat Pontifex.*
17. *Non comprehendit Beneficia Juris Patronatûs* laici.

I. FAmosa est reservationis divisio in eam quæ dicitur *clausa in Corpore Juris*, & in eam quæ dicitur EXTRA *Corpus Juris*.

II. Prima, & famosior reservatio *clausa in Corpore Juris* omnium consensu habetur illa, de qua *in Cap.* 2. *De Prabendis in* 6. imò credunt nonnulli hanc solam dici posse reservationem *clausam in Corpore Juris*: quemadmodum post alios citatos notat Chokier *in Comment. ad Reg.* 1. *Cancell. n.* 23. atque teste Gomesio ad Regulam *de Triennali q.* 31. dicit antiquus Glossator Regularum Cancellariæ. "Quòd licet per 23. annos legendo & practicando revolverit Jus Canonicum, nihilominus non repererit nisi unicam reservationem *in Corpore Juris clausam*, quæ est illa, de qua in docto *Cap.* 2.

III. In citato *Cap.* 2. Clemens IV. secutus, ut ait, *antiquam consuetudinem*, "auctoritate Apostolicā statuit, ut Ecclesias, dignitates, personatus & beneficia quæ apud Sedem ipsam Apostolicam deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacunque super hoc sit auctoritate munitus, sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio, provisio, seu collatio ad eum pertineat, sive litteras super aliquorum provisione generales vel etiam speciales sub quacumque forma verborum receperit, nisi ei sit super conferendis eisdem in Curia Romana vacantibus specialis & expressa ab ipso Pontifice summo auctoritas attributa) conferre alicui seu aliquibus non præsumat.

IV. Rationem factæ reservationis credit fuisse Glossogra-

sographus ad *Cap.* STATUTUM *De Præbendis in 6.* ne Papa per Ordinarios præveniretur. " Habebant (ait) Episcopi ante constitutionem Clementis procuratores in " Curia qui statim cum vacabant beneficia, conferebant " illa: & sic præveniebant Papam: unde motus Clemens " promulgavit constitutionem.

V. Declaravit autem Bonifacius VIII. in *Cap. 34. De Præbendis in 6.* Decretum Clementis IV. " locum habere in Beneficiis, qui Legati aut Nuntii Sedis Apostolicæ vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, " vel etiam recedentes ab illa habere noscuntur, si eos " in locis vicinis ipsi Curiæ *mori* contingat: quemadmodum si in loco ubi eadem Curia residet, morerentur.

" Item si aliquis Curialis, peregrinationis, aut infirmitatis, aut recreationis seu quavis aliâ causâ ad locum " Curiæ *vicinum* in hujusmodi loco *vicino* decedat: dummodo ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus) " domicilium seu domus propria non existat.

Deinde subjungit: " Loca verò intelligantur *vicina* " eidem Curiæ in præmissis, quæ remota ultra duas dietas " legales (quas hoc casu sic specialiter volumus computari) à loco ubi moratur ipsa curia non existunt.

VI. Quamvis variis modis contingere possit, ut Beneficia vacent in *Curia*; puta renuntiatione, privatione, aliisque similibus titulis, quos latiùs refert Garcias *de Benef. parte 5. cap. 1. §. 2.* nihilominus, quia Bonifacius VIII. in citato *Capit. 34.* exponens Decretum Clementis IV. tantum loquitur de vacatione per *obitum*, receptum est, signanter in Gallia, quod sola vacatio contingens in Curia per *obitum*, censeatur vacatio ad mentem Clementis IV. & consequenter sola Beneficia vacantia per *obitum* in Curia, seu loco vicino Curiæ habeantur pro reservatis reservatione *clausa in Corpore Juris*; uti post Pinsonium de Beneficiis ad verbum *Canonica §. 9. num. 5.* monet Perardus Gastellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag. 186.* edit. 1693.

VII. De his autem Beneficiis *apud Sedem Apostolicam* vel in *Curia* vacantibus, debet Pontifex intra *mensem* à die vacationis providere, alioquin dicto tempore elapso, collatio ad Ordinarium revertitur; ut nimirum per *seipsos* aut ipsis in remotis agentibus, per suos Vicarios generales, quibus id canonicè fuerit commissum conferre valeant, *Cap. 3. De Præbendis in 6.*

VIII. Si enim intra mensem Sedes Apostolica non contulerit, cessat reservatio; adeoque obstaculum collationi Ordinarii injectum censetur sublatum. Hoc igitur casu propriè non fit devolutio à Pontifice ad ordinarium, quæ à Superiore ad inferiorem fieri nequit; sed jus Ordinarii tantummodo relaxatur, seu impedimentum injectum tollitur.

IX. Vult autem Glossa ad dictum *Cap. 3.* verbo *Numerandum*, mensem hunc currere à die *vacationis*, non à die *scientiæ*; quam sententiam sequitur Antonius Faber ad Codicem *lib. 1. tit. 2. Def. 35.* & probat Chokier loco citato *num. 3.*

Ratio assignatur à Glossographo, quia " istud non statuitur in odium negligentiæ Papæ, quia tunc non curreret mensis iste nisi à die notitiæ, sed statuitur istud tempus in favorem Ecclesiarum, ne diu maneant sine prælato: ideo currit iste mensis à die vacationis ut dictum " est: secus in aliis temporibus relictis cæteris prælatis " in odium negligentiæ eorum.

X. Termini hujus præfixo locum non habet in aliis reservationibus, aut in Beneficiis jure devoluto ad Pontificem spectantibus. In horum enim provisione nullum reperitur tempus Pontifici præfixum, intra quod conferre debeat; aut quo elapso reservatio, multò minus devolutio cesset; uti notat Garcias.

XI. Ulteriùs declaratur in *Cap. 4. De Præbendis in 6.* quod si Sede Apostolicâ vacante, Ecclesias Parochiales vacare contingeret, Ordinarii possint liberè ad earum collationem procedere; similiter si vivente Pontifice vacaverint, sed ante obitum de iis non providerit. Ratio assignatur: *Ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre.*

XII. Hinc ostenditur, Pontifices ita Beneficia reservasse, ut nequaquam per eam saluti animarum aliquod dispendium, aut dispendii periculum generari velint: ipsamque animarum salutem omni reservationi anteponendam judicaverint.

XIII. Quamvis mense non elapso collationi ipsius Ordinarii vinculū aliquod, vigore hujus reservationis, sit injectum, credunt tamen non pauci, collationem Ordinarii factam ante mensem elapsum eatenus validam, ut si Pontifex intra mensem non contulerit, confirmetur, sed potius non irritetur; exemplo collationis factæ ab Ordinario spreto Patrono; quæ Patrono non opponente, & intra tempus non præsentante, valida manet; uti infra titulo De Jure Patronatûs dicetur. Vide Pinsonium loco citato *num. 17. & 18.*

XIV. Adhæc, omnes quidem reservationes passim à Canonistis dicuntur *odiosæ*, & eatenus juxta Regulā Juris, *Odia restringenda, favores ampliandi*, etiam in dubio restringendæ, ob præjudiciū quod inferunt collationibus Ordinarioru, hoc tamen notant unanimi consensu, hanc *reservationem* esse fortiorem, vehementiorem, & amplioris prærogativæ, omnibus aliis reservationibus; uti post alios loquitur Gonzales ad regulā 8. Cancell. *Glossa 13. n. 35.* idq; *in reverentiam loci ubi Sedes Apostolica residet*, ut Gastellus in citata Praxi Curiæ Romanæ *p. 186.*

Unde & in Concilio Basiliensi, quin & in Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ, sublatis aliis reservationibus, hæc una salva mansit.

XV. Inde etiam concludit ibidē Gonzales, quod nisi de illa fiat *specialis & individua* mentio, non censetur comprehensa in quacumq; dispositione Papæ vel narrativa. Quod adeo procedit (ait *num. 36.*) ut neque per clausulam *motus proprii*, in facultate conferendi quæcumque Beneficia reservata contentam, veniant Beneficia vacantia *apud Sedem*. Imò nec Cardinales vigore suorum Indultorum conferre possunt beneficia vacantia in Curia; Gonzales ibidem *num. 37.*

XVI. Monet Gastellus in citata Praxi Curiæ Romanæ *pag. 190.* quod si quis oriundus è Gallia resideat in Curia Romana pro servitio Regis, Papa soleat ei dare speciale *Breve*, quod dicitur, *De non vacando in Curia*: quod ita vocatur, quia vigore hujus *Brevis* fit, ut per obitum illius, *Beneficia* non censeantur *vacare in Curia*; scilicet cum effectu reservationis; cui per *Breve* ipse Papa pro hac vice renuntiat; permittitque Regi nominationem eo modo ac si nulla reservatio intervenisset: soletque hujusmodi Breve per Oratorem Regium nomine Regis à Pontifice peti; uti patet ex formula ipsius Brevis, quæ ibidem *pag. 191.* à Gastello integra refertur.

XVII. Reservatio hæc quantumvis aliis reservationibus fortior sit & amplioris prærogativæ, habet tamen cum aliis reservationibus id commune, quod ad beneficia juris patronatus *laici* non extendatur: quod non tantùm in Gallia, sed & apud Hispanos servari, notat Pinsonius loco suprà indicato *num. 8.* & latiùs deducit Carolus Fevretius tractatu *De Abusu l. 2. c. 6. n. 13.*

CAPUT IV.

De Reservationibus contentis in Extravagantibus *Execrabilis* & *Ad regimen*, & duabus primis Regulis Cancellariæ.

1. *Reservationum contentā in Extravagantibus à nonnullis creduntur* clausæ in Corpore Juris.

2. *Contraria opinio verior, & hodie recepta.*
3. *Hæ reservationes tantùm fuêre* temporales.
4. *Quandonam transierint in Regulas Cancellariæ, incertum.*
5. *Reservationes hæ saltem sub finem seculi XV. erant in Regulis Cancellariæ.* (*fuêre.*
6. *Reservationes hæ successu temporis multùm auctæ*
7. *Refertur prima Regula Cancellariæ uti hodie exprimitur.*
8. *Referuntur Reservationes Extravagantis* Ad regimen.
9. *Additio prima ad hanc regulam facta à Xysto V.*
10. *Additio secunda Clementis VIII. & quare.*
11. *Hæc additio hic non est in usu.*
12. *Reservatio Extravagantis* Execrabilis *ab usu recessit*
13. *Proponitur textus secundæ Regulæ Cancellariæ.*
14. *In quibus aucta vel mutata.*
15. *Hæc Regula hodie in multis Regnis non obtinet.*
16. *Notabilis Reservatio huic Regulæ adjecta solita primum inducta per Pium V.*
17. *In Gallia Germania & Belgio locum non habet.*
18. *Probatur quibusdam exemplis quoad Belgium.*
19. *In Patria Obedientiæ usus Reservationum quomodo retineatur.*
20. *Reservationes in Patria Obedientiæ Regno Galliæ incorporata restricta ad Reservationem* Mensium & Alternativæ.
21. *Eaqué restrictio per* usum *in Belgio invaluisse videtur.*

I. PRæter generalem reservationem Beneficiorum vacantium *apud Sedem Apostolicã* quæ vulgò dicitur reservatio *clausa in Corpore Juris*, de qua actum est capite præcedenti, sunt insuper reservationes Joannis XXII & Benedicti XII. quæ à nonnullis quoq; reservationibus *clausis in Corpore Juris* annumeratæ fuere, eò quòd extent in *Extravagantibus* EXECRABILIS & AD REGIMEN *de Præbendis* inter comunes, quæ Corpori Juris Canonici solent annecti, & partem constituere.

II. Attamen eas *extra* Corpus esse, communis est opinio, & hodie recepta. Nam licet *Extravagantes* tam Joannis XXII. quàm Communes soleant Corpori Juris adjungi, atque cum Decreto Gratiani & Decretalibus Gregorii IX. & Bonifacii VIII. unum volumen seu Corpus hodie conficere; tamen clausæ in Corpore Juris non reputantur, sed extra Decretum & Decretales *vagari*; propterea *Extravagantes* appellatæ.

III. Adhæc, ut communiter observant Canonistæ, non possunt hæ reservationes haberi pro *clausis in Corpore Juris*; quia tantùm ex mente Auctorum temporales fuere. Dicit enim Benedictus XII. Ordinationi, dispositioni, & provisioni nostræ reservamus, *donec miserationis Divinæ clementia nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere contigerit.* Ex quibus manifestum est, reservationem non nisi vitâ suâ durante Pontificem durare voluisse.

IV. Quando verò hæ reservationes quasi perpetuæ factæ sint per relationẽ in Regulas Cancellariæ, quæ per omnes Pontifices altero assumptionis die de novo publicari & renovari solent, incertum est.

Dicit quidem Gomesius in proœmio ad Regulas Cancellariæ *q.* 1. Regulas Cancellariæ à Joanne XXII. initium & originem habuisse; at ibid notat *qu.* 2. "quod „ hæ Regulæ ab initio introductæ fuerint, ut Officiales „ Cancellariæ per eas in litteris expediendis instruerentur, ut patet (ait) ex Regulis Joannis XXII. & Benedicti & aliorum. Et licet à tempore Nicolai V. aliquid plus ad eas circa *judicia* additum fuit, illud tamen respicit *actum* in Curia gerendum.

Apparet ergo primitus, etiam usque ad tempora Nicolai V. qui sedit sub mediũ seculi XV, regulas Cancellariæ unicè penè respexisse formam expediendi litteras, & judicia in Cancellaria reddenda; non autem reservationes Beneficiorum similesque materias extra Cancellariam se extendentes.

V. Quidquid sit, constat, reservationes contentas in citatis constitutionibus seu extravagantibus, Regulis Cancellariæ tempore Innocentii VIII. (qui sedit circa finem seculi XV.) fuisse insertas; uti evidens est ex hujus Pontificis Regulis, ad quas antiquus Glossator Alpholsus Sotto Hispanus sua Glossemata scripsit, quæque ulterioribus annotationibus illustravit Joannes à Chokier Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonicus.

VI. Ulterius & hoc constat, reservationes has per subsequentes Pontifices in promulgatione Regularum Cancellariæ, quam altero suæ assumptionis die facere consueverunt, in multis auctas fuisse.

VII. Regula prima hodie hoc tenore exprimi solet: "Imprimis fecit easdem Reservationes quæ in Constitutione fel. record. Benedicti PP. XII. quæ incipit, *Ad regimen*, continentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi Officiales in eadem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis officiales ante obitum eorũ esse desierint, quoad Beneficia, quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans nihilominus beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, etiam dimissis ipsis officiis, & quandocumq; assecuti fuerint sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit Beneficia, quæ per Constitutionem piæ mem. Joannis PP. XXII. quæ incipit, *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint. Quam Constitutionem, & reservationem S.S. tam ad beneficia obtenta, quàm alia quæcumque, de quibus Ordinarii, & alii Collatores Concilii Tridentini decreta disposuerunt, *& disponent* in futurum extendit, & ampliavit, & ea etiam beneficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilii decretorum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, &c.

VIII. Primò itaque per hanc regulam renovantur reservationes contentæ in Extravagante Benedicti XII. quæ incipit *Ad Regimen*, qua reservantur imprimis Beneficia vacantia per assecutionem quorumcumque beneficiorum à Sede Apostolica obtentam. Item beneficia omnia quæ promoti ad Episcopatus auctoritate Apostolica tempore suæ promotionis obtinebant. Item beneficia Officialium Curiæ Romanæ, qui in ipsa Extravagante exprimuntur. Hæc ultima reservatio à tempore Innocentii VIII. fuit per hanc regulam extensa ab beneficia, quæ dicti Officiales obtinebant tempore quo erant Officiales, tametsi tẽpore mortis Officiales esse desiissent

IX. Reliqua verò quæ sequuntur post Innocentii VIII. tempora addita esse notat Chokier ad hanc regulam *num.* 8.

Et quidem hæc appendix: *Declarans nihilominus*, usque ad verba, *Constitutionibus comprehendi*, apposita fuit à Xysto V. qui demum anno 1585. ad Pontificatũ fuit assumptus: idque occasione difficultatis, quæ circa Extravagantem *Ad regimen*, & hanc regulam in Rota Romana exorta fuerat; uti ex Garcia refert Chokier.

X. Altera appendix quæ incipit à verbis, *quam constitutionem & reservationem*, & finit in verbis, *dispositum fuit*, apposita fuit per Clementem VIII. anno 1592. aliique sequentes Pontifices retinuerunt.

Observat autem Chokier hanc posteriorem appendicem eo fuisse adjectam, ut præter dictas reservationes, etiam hæc induceretur ob non observatam Constitutionem Pii V. de datâ 16. Maii 1566.

Hæc Constitutio est illa, quâ dictus Pontifex formam Concursus à Synodo Tridentina præscriptam explicat, & in nonnullis extendit; uti titulo præcedenti anno.

innotavimus: eam que in Belgio receptam non esse observavimus; & hic de Brabantis testatur Chokier dicens: *Juxta quam* (Constitutionem Pii V. *Cancellaria & Rota passim judicat, licet* BRABANTI *eam non admiserint.*

XI. Porrò ut ipsa Constitutio hactenus usu recepta non est, ita nec appendix Regulæ, & in ea contenta reservatio usu recepta est. Neq; enim ulla hactenus Beneficia Sedi Apostolicæ reservata; aut Sedis Apostolicæ provisionem admissam scimus de Beneficiis ob non servatam in eorum collatione Concilii Tridentini Decretum; præcipuè quoad Ecclesias Parochiales, quas in Belgio tamquam ab omni Pontificia reservatione exemptas Ordinarii conferunt.

XII. Similiter reservatio Extravagantis *Execrabilis* hic innovata, quâ reservatur Beneficium vacans ob retentionem alterius Beneficii incompatibilis, ab usu recessit; quemadmodum notavit Rebuffus in Praxi *parte 1. tit. De Forma signatura*, & Garcias De Beneficiis *parte 1. cap. 5. n. 47.*

XIII. Secunda Regula olim hac formula expressa fuit: " Item reservavit specialiter omnes Ecclesias etiam Pa„triarchales, Archiepiscopales, Episcopales, nec non „Monasteria virorum valorem 200. florenorum auri „communi existimatione excedentia, quotiescumque „illis uti voluerit.

XIV. Hæc regula congruit cum Regulis posteriorum Pontificum; nisi quòd causâ majoris lucis addita sit vox *Primatialis* post dictionem *Patriarchalis*: & loco clausulæ finalis, *quotiescumque* &c. reposita sit ista, *Et voluit quòd excessus ejusmodi in litteris exprimatur.*

XV. Regulam hanc reservativam Ecclesiarum Metropolitanarum & Cathedralium, neque in Belgio, neq; in Gallia, nec Hispania locum habere notorium est; utpote Regibus nominationem Episcoporum, sive jure Indulti, sive Concordati habentibus, quemadmodum *parte 1. tit. 13. cap. 8.* ostensum est.

Similiter, nec quoad Monasteria virorum ullus est hisce in Provinciis Regulæ usus. Ad Abbatias enim Reges personas nominare solent: Prioratus verò Conventuales & perpetui eligibiles esse solent; neque ulla Monasteria in Belgio vigore Regulæ Cancellariæ, aut alio jure reservata novimus.

XVI. Huic Regulæ Pius V. anno 3. sui Pontificatûs aliam reservationem adjecit, quæ hodie partem hujus Regulæ facit; atque his verbis exprimitur: " Ac etiam „reservavit Dignitates, & beneficia omnia ad collatio„nem, præsentationem, electionem, & quamcumque „aliam dispositionem Patriarcharum, Primatum, Archi„episcoporum, & Episcoporum, nec non Abbatum, ac „aliorum quorumcunque Collatorum, & Collatricum, „secularium, & regularium quomodolibet (non tamen „ad collationem cum alio, vel aliis, aut etiam ad alte„rius præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ „post illorum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monaste„riorum, vel aliarum dignitatum suarum dimissionem, „seu amissionem, vel privationem, seu translationem, „vel aliàs quomodocumque vacaverint, usque ad pro„visionem successorum ad easdem Ecclesias, aut Mona„steria, vel Dignitates Apostolicâ auctoritate facien„dam, & adeptam ab eisdem successoribus pacificam il„lorum possessionem, quomodocumque vacaverint, & „vacabunt in futurum.

XVII. In Gallia hanc quoque reservationem cessare propter Concordata & jus Regaliæ, notat Chokier ad hanc Regulam: uti nec in Germania ubi Concordatis locus est.

Hæ quoque Belgicæ Provinciæ hanc Pianam reservationem agnoscere non videntur: sed Beneficia ad liberum Episcoporum collationem spectantia, si Sede vacante contingat vacare, futuro Episcopo reservantur.

XVIII. Unde cùm quidam Dinoix impetrasset à Pontifice vigore hujus Regulæ duas Capellanias, unam in Ecclesia B. Mariæ, & alteram in Ecclesia S. Walburgis in civitate Brugensi spectantes ad *liberam* collationem Episcopi Brugensis, quæ vacaverant *Sede vacante*; isque peteret *Placetum* à Concilio privato, fundando se in Regula Cancellariæ hâc Pianâ appendice aucta: Concilium privatum petiit advisamentum à Vicariatu Brugensi, qui respondit, in novis Episcopatibus Belgicis fructus perceptos tempore vacationis reservari futuro Episcopo; cumque collatio Beneficiorum computetur inter fructus, eam quoque reservandam esse; & ita observari Atrebati, ubi jus Regaliæ locum non habet. Tornaci autem ob jus Regaliæ Regem ibidem conferre, nec Pontificem ullatenus se immiscere. Regulam autem Cancellariæ cum hoc additamento hic numquam fuisse receptam, aut placetatam. Conformiter ad hoc advisamentum, *Placetum* negatum fuit per apostillam 10. Novemb. 1641. uti & in simili casu negatum fuit in eodem Concilio 1. Martii 1642. Carolo Mesuruir, qui impetraverat à Pontifice Præbendam Furnensem, quæ vacaverat Sede Episcopali Iprensi vacante.

XIX. Licet enim hisce in Regionibus Regulas Cancellariæ, nec non reservationes Apostolicas agnoscamus; atque ob id dicantur *Patria Obedientia*, quemadmodum in Regno Galliæ dicuntur Ducatus *Britanniæ* & Comitatus *Provinciæ* vulgò *Provence*, ad distinctionem aliarum ejusdem Regni Provinciarum, quæ concordatis utuntur; cum ea tamen moderatione recipiuntur, ut privilegiis, juribus ac moribus inveteratis Provinciarum accommodentur; nec aliam esse Pontificum mentem arbitrantur. Et si quid in litteris aut provisionibus Romanis hisce contrarium contineatur, credunt vel per *sub* aut *obreptionem* à Pontifice emanasse; aut certè, eos suas Regulas, aut Decreta *generaliter* expressa, ad Provincias aliis legibus & usu inveterato utentes nolle extendi: ideoq; dum earum executionem suspendunt, nihil contrarium auctoritati, aut præeminentiæ Sedis Apostolicæ facere arbitrantur Judices Regii; uti titulo sequenti latiùs ostendetur.

XX. Refert Peraldus Gastellus in sua Praxi Curiæ Romanæ *pag. 332.* Nuntium Apostolicum anno 1544. obtinuisse ab Henrico II. Rege Galliarum declarationem, quâ decretum fuit, quod Concordatum non obtineret in Britannia, & quod Regulæ Cancellariæ, quin & illa *De Mensibus & Alternativa*, & generaliter omnia alia jura Papæ quibus gaudet in *Patriis Obedientiæ* locum haberent in hac Provincia, usque ad ipsam etiam expeditionem Bullarum *sub plumbo*: " quod tamen (ait „Gastellus) restrictum fuit anno 1553. per actam de„clarationis, ad *solam* Regulam *De Mensibus & alter„nativa.*

XXI. Restrictio, quæ per actam declaratoriam facta scribitur quoad Britanniam, eadem, si non expressâ declaratione, usu saltem quoad hasce Belgicas Provincias esse facta videtur. Nam præter reservationem *Mensium & Alternativæ*, non apparet alia hic reservatio Regularum Cancellariæ nota aut usitata: unde cæteris omissis hanc solam in sequentibus elucidabimus.

CAPUT V.

De Reservatione *octo* mensium.

1. *Tempore Concilii Basiliensis Pontifex dabat Expectativas in* octo *mensibus.*
2. *Quatuor menses erant liberi.*
3. *Nulla tunc erat mensium reservatio.*
4. *Inducta est* octo *mensium per Regulam Cancellariæ.*
5. *Hac Regula quando* octavo *loco posita sit.* (*dein*
6. *Hæc Regula quâ ratione dicatur* odiosa, *& restringen-*

7. *Menses computandi ut jacent.*
8. *Episcopus quando censetur conferre in mense reservato.*
9. *Si dubitetur, quo mense vacaverit, præsumitur pro possessore.*
10. *Si nullus sit possessor, præsumitur pro Ordinario.*
11. *Beneficium vacans in mense Ordinarii semper manet ad dispositionem Ordinarii; & vacans in mense reservato manet reservatum.*
12. *Debet reservationis* plena *esse probatio.*
13. *Cessat reservatio hac mortuo Papâ.*
14. *Similiter alia reservationes indulta per Regulas Cancellariæ*
15. *Sede Apostolicâ vacante Ordinarii liberè conferunt.*
16. *Regula etiam comprehendere videtur Ecclesias Parochiales.*
17. *Usus in Belgio has à reservatione exemisse videtur.*
18. *Dignitates* electivæ *non cõprehenduntur sub Regula.*
19. *Dignitatum collatio & electio in multis Ecclesiis libera est a reservatione.*
20. *Leodiensibus Decanatuum electio in omnibus mensibus concessa.*
21. *Canonicatus graduati à reservatione exempti.*
22. *Reservatio hac se non extendit ad Beneficia Patronatus laici.*
23. *Idque quocumque titulo laicis competat, saltem in Belgio.*
24. *Etiamsi* mixtum *sit.*
25. *Imo licet plures sint Ecclesiastici Patroni, quàm laici.*
26. *In Hispania Beneficia jurispatronatus* Ecclesiastici *etiam exempta sunt; quod & in Belgio videtur usu receptum.*
27. *An Beneficia* certo generi personarum *conferenda comprehendantur sub generali reservatione.*
28. *Notandum monitum Covarruviæ in hac materia.*
29. *Beneficia* simplicia *in multis Ecclesiis exempta à reservatione; quare.*
30. *Regula includit omnem vacationis modum; excepta vacatione per resignationem.*
31. *Sub resignatione hic comprehenditur* permutatio; *quam in* omni *mense Ordinarii admittere possunt.*

I. Quod Papa circa tempus Concilii Basiliensis soleret dare expectativas ac mãdata de providendo in *octo mensibus* per Regnũ Galliæ, indicat ipsa *Pragmatica Sanctio tit. De Collationibus* §. *Frustra enim*, ubi abolitis omnibus *Expectativis*, hæc moderatio subjicitur: " Exceptis illis *gratiis* & nomina„tionibus super quibus *processus* sunt *expediti*, quas ex „certis rationalibus causis in *octo mensibus*, quibus *ha„ctenus cursum habere consueverunt*, tolerandas duxi„mus, donec aliter ordinatum fuerit.

II. Et in eadem *Sanctione* eodem titulo §. *Quod si quis*, fit mentio *quatuor mensium*, quibus gratiæ *expectativæ* vel nominationes cursum non habent.

Ad quæ verba reflectens Cosmas Guimier Sanctionis hujus Glossographus ait: " Olim habebant Ordinarii „*quatuor* menses liberos, in quibus non sortiebantur „effectum gratiæ *expectativæ*, sed per concordata inter „Sixtum IV. & Ludovicum XI. Regem Franciæ, quæ „incipiunt *Ad universalis*, habuerunt sex menses Fe„bruarium, Aprilem, Junium, Augustum, Octobrem, & „Decembrem. Hujusmodi tamen concordata non sor„tita fuerunt effectum, tamquam juri communi, & de„cretis Constantien. & Basilien. contraria." Habetur citata Constitutio Sixti IV. in *Extrav. 1. De Treuga & Pace* inter communes.

III. Porrò tam ex citatis verbis Sanctionis, tum Extravagantis Sixti IV. apparet, quod nulla eo tempore facta fuerit *mensium reservatio*; sed Pontifices dumtaxat declaraverint, *quatuor* menses esse exemptos à gratiis *expectativis*; quæ tum temporis admodum erant frequentes: ità ut propriè tunc non esset *octo* mensium *reservatio* in favorem Sedis Apostolicæ; sed potiùs reservatio *quatuor* mensium in gratiam Ordinariorum contra Expectantes & Mandatarios Apostolicos; uti etiam advertit Gastellus loco citato *pag.* 329.

IV. At successu temporis per Regulam Cancellariæ introducta est *octo* Mensium *reservatio*; vocaturque vulgò Regula *De Mensibus*; quæ his verbis exprimi consuevit: " Item cupiens idem D. N. Papa pauperibus cle„ricis, & aliis benemeritis personis providere, omnia „beneficia Ecclesiastica cum cura & sine cura, secularia, „& quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque „qualificata, & ubicumque existentia, in singulis Janua„rii, Februarii, Aprilis, Maji, Julii, Augusti, Octobris, & „Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis bene„placitum, extra Romanam Curiam aliàs quam per „resignationem, quocumque modo vacatura, ad „collationem, provisionem, præsentationem, ele„ctionem, & quamvis aliam dispositionem quorum„cumque collatorum, & collatricum, secularium & „quorumvis Ordinum regularium (non tamen S. R. E. „Cardinalium, aut aliorum, sub Concordatis inter Se„dem Apostolicam, & quoscumque alios initis, & per „eos, qui illa acceptare, & observare debuerant, acce„ptatis, & observatis, quæ lædere non intendit, compre„hensorum) quomodolibet pertinentia, dispositioni „suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationi„bus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis bene„ficiis tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient, de „mense in quo vacaverint dispositivè mentionem fieri, „alioquin gratias nullas esse. Ac consuetudines, etiam „immemorabiles, optandi majores, & pinguiores præ„bendas, nec non privilegia etiam in limine erectionis „concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam dispo„nendi de hujusmodi beneficiis, aut quod illa sub hujus„modi reservationibus numquam comprehendantur, „etiam cum quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & „fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, nec „non irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores, pro „expressis haberi, & latissimè extendi voluit, quibusvis „personis, & collegiis cujuscumque dignitatis, statûs, „gradûs, ordinis, & conditionis existentibus quomo„dolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi „minimè suffragari.

V. Notat Gonzales ad hanc regulam *Glossa* 1. *nu.* 5. quod meritò in *novis* regulis fuerit hæc regula apposita in *octavo* loco, continuata cum cæteris regulis de *reservationibus* loquentibus, & sublata de loco in quo erat tempore Pii V. & Gregorii XIII. Nam tunc erat (ait) sita prope finem omnium regularum Cancellariæ, & in ordine 69.

VI. Hæc regula, in quantum reservat Beneficia ad collationem seu dispositionem inferiorum Collatorum spectantia, " est Episcopis & Ordinariis præjudi„cialis, & detrahit potestati ordinariæ, & corrigit jus „commune, & eatenus regula hæc odiosa est, ait Cho„kier in proœmio Regulæ *num.* 20. & consequenter „*restringenda*;" uti multis docet Gonzales ad hanc regulam §. 6. *Proœmiali*.

VII. Menses, de quibus loquitur regula, computandos esse prout ipsi collocantur, & jacent per totum circulum anni, sive quilibet mensis habeat 30. dies sive plus sive minùs, monet post alios Gonzales *Glossa* 11. *n.* 1. " Quo fit (ait *nu.* 9.) ut mensis Apostolicus ter„minetur in dimidia nocte ultimi diei, & ex illa dimidia „nocte in posterum incipiat mensis ordinarius, & durat „usque ad dimidiam noctem ultimi diei illius mensis, „*Leg.* More Romano, ff. *De feriis*.

VIII. Hinc ulterius *nu.* 11. " Proinde, quando Epi„scopus confert aliquod beneficium vacans ad finem „sui mensis, vel in principio illius, in illa ultima no„cte,

„ste, quæ dat finem mensi ordinario, & principium mensi Apostolico, vel è converso, consultè faciet si ante collationem faciat examinari testes de hora, & puncto obitûs ultimi possessoris, & in ipso collationis instrumento annotaverit, ut sic evitetur controversia, quantùm possibile sit, super tempore vacationis, an contigerit in mense ordinario, vel potiùs in Apostolico.

IX. Post hæc inquirit, si dubium sit, quo mense vacatio contigerit, cui onus probandi incumbat. Responderque pro possessore esse præsumendum; & si quis contra Possessorem prætendat, is probare debeat, vacationem in hoc illóve mense contigisse.

X. Quod si neuter sit in possessione, tunc præsumptio erit pro illo, qui ab *Ordinario* collationem obtinuit: „quoniam non solùm non præsumitur reservatio ratione mensis, sed etiam debet concludenter probari vacatio de mense Apostolico, ut Provisus à Papa obtinere possit.

" Ratio est, quia cum ordinarius, & provisus ab eo fundet intentionem suam de jure communi, Cap. *ex frequentibus* de Institutionibus. Felinus in cap. *cum venerabilis*, n. 32, de exceptionibus. Rota decis. 78. n. 1. & per totam, parte prima diversorum, & diximus in §. 1. procemiali, in princip. Et sublatâ reservatione nostræ regulæ Episcopus possit providere liberè in omnibus mensibus Caputaq. decis. 214. n. 5. part. 2. Cassad. decis. 3. n. 4. & decis. 4. n. 1. & 2. de Privilegiis. Puteus decis. 492. n. 3. lib. 2. Crescentius decis. 3. n. 4. de privilegiis: „sequitur, quod provisus ab ordinario nihil aliud probare tenetur, nisi anterioritatē suæ collationis in jure communi fundatam, & quod onus probandi reservationē, ratione mensis spectat ad provisum Apostolicum se fundantem in vacatione in mense Apostolico, cum hoc sit suæ intentionis fundamentum.

XI. Hæc Gonzales, qui ibidem *nu.* 48. & sequentibus probat, Beneficium vacans per mortem Beneficiati in mense Ordinarii manere ad provisionem Ordinarii, etiamsi vacatio duraverit usque ad mensem Apostolicum; quemadmodum Beneficium cujus vacatio contigit in mense Apostolico, manet reservatum, licet vacatio protrahatur ad mensem ordinarium.

XII. Deniq; notat *n.* 98. quod quando agitur de probanda vacatione in certo mense ad effectum reservationis, tunc, sepositis particularibus circumstantiis, probatio debeat esse plena & concludens: atq; in Rota decisum quod semper impetrans teneatur *plenè* & concludenter probare narrativam vacationis; in qua *principaliter* se fundat ad inducendam *reservationem*.

XIII. Dicit Pontifex in hac Regula, se in dictis mensibus reservare Beneficia *usq; ad sua voluntatis Beneplacitum*: cujus clausulæ vigore cessat *reservatio* mortuo Papa, quemadmodum deciditur in *Cap. 1. De Rescriptis in 6.*

XIV. Imò etsi hæc clausula adjecta non esset, tamen ex natura Regularum Cancellariæ, per mortem Papæ *reservatio* extingueretur. Regulæ enim Cancellariæ morte Pontificis extinguntur; ut monet Gomesius *q. 2. proœm. ad Reg. Cancel.* quod & significatur per verba proœmialia Regularum, *Ex tunc* SUO TEMPORE DURATURAS: unde & per novum Pontificem altero assumptionis suæ die de novo publicantur." Quæ publicatio non ad illum „effectum fit, ut innotescant, cum ferè eædem Regulæ „sunt, quæ approbantur, sed ut per hujusmodi publicationem dignoscatur voluntas approbatoria ipsius novi „Pontificis." Hæc Gomesius.

XV. Hinc deducitur, quòd " vacante Sede Apostolicâ „Ordinarii liberè conferant Beneficia in omnibus mensibus sine ulla distinctione; quia tunc sunt obstacula „sublata, & omnes menses dicuntur Ordinariorum, idq; „donec & quousq; novus Papa fuerit assumptus ad apicem Pontificatûs, ac potiùs, donec is Regulas Cancellariæ publicaverit, quod solet postridiè suæ assumptionis.

XVI. Regula hæc in mensibus designatis reservat generaliter" omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine „cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque qualificata, & ubicumque existentia.

His ergo verbis Regulæ attentis, & in sua generalitate, prout sonant, intellectis; dubium non apparet, quin hâc imprimis reservatione comprehendantur Ecclesiæ Parochiales, utpote Beneficia *curata* sive cum *cura*.

XVII. Verùm reservationem Ecclesiarum Parochialium per Concilium Tridentinum *Sess. 24. c. 18. De Reform.* sublatam esse credunt nonnulli cum Navarro;" idq; „usu in multis Diœcesibus fuit receptum, ut nuper plurimi Episcopi harum regionum testati sunt in gravi „quadam causa," ait Zypæus *Consult. 1. De Elect.* Deinde notat, quod Concilium Tridentinum hic sit receptum, " prout sonat, non ut quotidianæ interpretationes, Decreta, Constitutiones Roma adferri possint, quæ Decretum alterent, amplient, aut restringant, vel *Regulam octavam* De Reservationibus, quoad Beneficia curata Parochialia *abrogatam* restituant.

XVIII. Sub generalitate illa verborum licet videantur comprehendi etiam Beneficia majora, tamen, quia Dignitates nominatim non exprimuntur, etiam non censentur comprehensæ; præsertim si sint *electiva confirmativa*; quas sub generali reservatione non comprehendi suprà notavimus.

XIX. Hinc usu harum regionum, Dignitates hujusmodi *electiva* à reservatione sunt exemptæ; eliguntque passim Capitula suos Decanos in omnibus mensibus sine ulla distinctione: neque ulla quoad hasce Dignitates reservatio hic nota est.

Quin & passim Dignitates electivæ *collativa* ab hac reservatione sunt solutæ, ipsaque Capitula liberè eas in omnibus mensibus eligendo conferunt.

XX. Testatur quoque Chokier ad hanc Regulam *Glossa* 12. *n.* 24. Adrianum VI. reliquisse electiones liberas *Decanatuum* in civitate & Diœcesi Leodiensi consistentium, nec illos sub speciali vel generali reservatione comprehendi.

XXI. Ex speciali declaratione Pauli IV. in Bulla erectionis novorum Episcopatuum, novem Præbendæ affectæ *Graduatis* ab omni quacumq; reservatione eximuntur; uti ostensum est suprà *parte 1. tit. 10. c. 2. n. 7.* Unde & illæ sine ulla mensium distinctione à Canonicis Graduatis unà cum Episcopo juxta tenorem Bullæ eliguntur; uti & Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius è Canonicis Graduatis assumendi, ab Episcopo liberè in omnibus mensibus constituuntur.

XXII. Sicuti sub generali *Beneficiorum* expressione non veniunt Dignitates; ita nec sub generali reservatione comprehendi Beneficia Jurispatronatus *laicalis*, apud omnes expeditum est: soletque hujus conclusionis ratio hæc assignari, ne laici retrahantur à fundatione, constructione vel dotatione Ecclesiarum seu Beneficiorum; ita post alios Gonzales *Gloss.* 18. *n.* 3.

XXIII. Hinc concludunt, quòd reservatio includat Beneficia Jurispatronatus laicalis; quando hoc competit, non ex fundatione, constructione aut dotatione, sed ex præscriptione, consuetudine vel privilegio. Ita Gonzales dicto loco *n.* 18. Hinc refert *n.* 22. quod ad excludendam reservationem nostræ Regulæ, ratione Jurispatronatus *laicalis* oporteat docere de Jurepatronatus ex *fundatione* vel *constructione*, aut *dotatione*.

Verùm hæc non consonant praxi hodiernæ præsertim Belgicæ, quæ ab omnibus reservationibus, expectativis, nominationibus, quin & concursu eximit generaliter Beneficia Jurispatronatus laicalis; quocumque titulo jus illud laicis acquisitum sit.

XXIV. Sed quid si Juspatronatûs non sit *merè* laicale; sed mixtum? Nec tunc sub reservatione generali aut hujus Regulæ contineri communiter resolvunt Canonistæ; præsertim quando Patroni *laici* habent *majorem* aut æqualem partem vocum in dicto Jurepatronatûs mixto, uti loquitur Gonzales *n.* 15. Rationem dat *n.* 12. " Nam „ favorabilibus potiùs est attendenda qualitas laicalis: ne „ laicus propter Clericum perdat suum privilegium. Hoc „ enim æquum est, quòd in re individua non patiatur „ quis præjudicium ratione societatis, quæ illi cum altero communis est.

XXV. Quidni & hâc ratione meritò à reservatione eximatur Juspatronatûs laicale *mixtum*; licet pars vocum Patronorum Ecclesiasticorum esset *major*; veluti si ad unum laicum & duos Clericos pertineat: quod & notoria praxis Belgii confirmat, quamvis de Jure contrarium credat Gonzales *n.* 16.

XXVI. Teste Garcia De Benef. *parte* 5. *c.* 1. *n.* 557. Beneficia Juris patronatûs *Ecclesiasticis* ab hac aliisq; reservationibus eximuntur" in Hispania, præsertim (ait) in his „ regnis Castellæ; atque indifferenter Beneficia Juspatronatûs, etiam Ecclesiastici ad præsentationem Patronatorum providentur *in partibus*, in quocumque mense vacaverint, ut videmus quotidiè.

Hæc consuetudo Hispaniæ à Belgica non omnino discrepat. Videmus enim & hisce in partibus ad Patronorum etiam Ecclesiasticorum *particularium* præsentationem, Beneficia in omnibus mensibus conferri.

XXVII. De Beneficiis certo generi personarum conferendis, an contineatur sub generali reservatione, dubitatur: asseritq; Covarr. *Pract. qu. Cap.* 36. *n.* 4. quod" si Beneficia patrimonialia, vel Canonicatus Cathedralium „ Ecclesiarum, qui Theologis Magistris vel Juris Pontificii „ Doctoribus ex electione sunt conferendi, apud *Sedem* „ *Apostolicam* vacaverint, non facilè admittitur derogatio hujus privilegii, vel consuetudinis, nec recipitur „ summi Pontificis collatio in præjudicium Ecclesiarum, „ quibus maxima utilitas comparatur, si ad unguem & exactè jura ista serventur." Hæc ille, qui adductâ auctoritate Glossæ aliorumq; Doctorum pro hac interpretatione, nihilominus diffiteri non audet," opinionem istam „ dubiam esse, quoad hæc *patrimonialia* beneficia & Canonicatus, propter verba illius reservationis, cujus „ mentio fit in *Cap.* 2. *De Præbendis in* 6. quæ adeò generalia sunt, ut & hæc Beneficia comprehendere videantur.

XXVIII. Tum pro resolutione dubii subjungit hoc notandum monitum:" Propterea lectorem admoneo hac in „ controversia, quod diligenter observet, quid praxi receptum fuerit, & quid in Christianæ reipublicæ, ac ministerio divino conducibilius, siquidem admodum conducat, hæc beneficia non comprehendi ullis reservationibus.

XXIX. Antonius Faber ad *Definitionem* 11 *lib.* 1. *titulo* 2. apponit hanc notam *n.* 3." Observa eo jure nos uti, ut „ simplicia beneficia possint in *quolibet* mense conferri „ ab Ordinario, licet verba regulæ De reservatione mensium sint generalia, & loquantur de beneficiis omnibus „ sive cum cura sint, sive etiam sine cura: ideo fortasse „ quod facilè capienda sit interpretatio per quam unaquæq; res redeat ad suam naturam. Prima autem beneficiorum natura illa fuit ut omnia & quocumq; mense „ conferri possent per Ordinarium. At potiùs quod æquum non sit, pauperem Ecclesiasticum pro simplici „ beneficio obtinendo tantis sumptibus onerari, ut cogatur ire aut mittere Romam, in eamq; rem plus fortassis „ impendere quàm multorum annorum reditus ferre „ possit.

Per simplicia Beneficia indubiè hîc intelligit Faber Beneficia, quæ antonomasticè vocantur *simplicia*, ut sunt Capellaniæ de quibus supra *tit.* 20. *c.* 2. quæ & in Belgio in multis Ecclesiis in *omni* mense, tamquam à reservatione liberæ, conferuntur.

XXX. Regula comprehendit Beneficia non tantùm vacantia per mortem; sed quocumq; modo. Unde omnis modus vacationis includitur; modò revera tamen Beneficium vacet. Excipit tamen modum per resignationem.

XXXI. Cùm autem in omni beneficiorum permutatione includatur aliqua resignatio *in favorem* permutantium; ita ut permutatio nihil aliud sit, nisi quædam reciproca resignatio quæ fit inter utrumq; permutantem, ideo & vacationem hanc excipi credunt Interpretes; uti notat Chokier *Glossa* 7. *n.* 6. qui *n.* 7. addit & hanc rationem:" Quia reservatio est juris communis correctoria; „ eoq; restringenda est, & propterea quoad effectum reservationis, beneficia renuntiata ex causa permutationis, non dicuntur *verè* vacare.

CAPUT VI.

De Alternativa.

1. *Regula de reservatione mensium secunda sua parte continet relaxationem quæ vulgo dicitur* Alternativa.
2. *Refertur textus regulæ.*
3. *Regula quoad hanc partem quâ ratione favorabilis.*
4. *Alternativa solis Episcopis hodie competit.*
5. *Nec Abbatibus Episcopalem authoritatem habentibus.*
6. *Neq; Capitulo Sede vacante conferenti Beneficia ad liberam Episcopi collationem spectantia.*
7. *Alternativa tantùm datur Episcopis residentibus.*
8. *Verba regulæ prout hodie exprimuntur, requirunt veram &* personalem *residentiam.*
9. *Absens à Diœcesi etiam ex* justa *causa & ad* modicū *tempus non gaudet* alternativa *juxta rigorem regulæ.*
10. *Judicatum quod Episcopus absens ex urgenti causa ad* duos *dies non gaudeat alternativâ.*
11. *Non sufficit quod habeatur de jure pro residente.*
12. *Rigor ille non ubique receptus.*
13. *Episcopi ut alternativâ gaudeant, eam acceptare debent.*
14. *Gratia alternativa est personalis respectu Episcopi acceptantis.*
15. *Episcopus acceptatâ alternativâ non potest sine licentia Sedis Apostolicæ renuntiare, & ad quatuor menses redire.*
16. *Episcopus non residens acceptatâ alternativâ non gaudet jure 4. mensium.*
17. *Episcopus demum uti potest Alternativâ, quando litteræ acceptationis à Datario sunt receptæ.*
18. *Formula litterarum acceptationis.*
19. *Formula testimonii naturalis.*
20. *Testimonium Datarii de facta acceptatione.*
21. *Quoad Beneficia quæ vigore Alternativæ Episcopus liberè conferre potest, regula restricta est.*
22. *Regula hodierna non permittit vi alternativæ conferri, nisi Beneficia ad* solius *Episcopi liberam collationem spectantia.*
23. *Ex restrictione Regulæ videtur factum, quod Episcopi in collatione Beneficiorum non debeant petere* consilium *Capituli.*

I. REgula quæ hodie vulgò dicitur Regula octava *De reservatione mensium* duas partes continet, quæ olim separatas regulas conficiebant; quemadmodum monet Chokier in proœmio Regulæ *n.* 20. quarum primâ reservantur provisioni Pontificiæ beneficia vacantia in *octo* mensibus; posteriore verò parte, quæ incipit

cipit à verbis: *Insuper Sanctitas sua*, relaxatur hæc reservatio in favorem Episcoporum in suis Diœcesibus residentium, quoad *duos* menses; ita ut sex menses liberi maneant; atq; Episcopi alternativè menses habeant cum ipso Papa: quæ gratia propterea vocatur *Alternativa*.

II. Exprimitur autem in modernis Regulis hac formula: " Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, „ Archiepiscopis, & Episcopis intenta, & ipsis quamdiu „ apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè ac personaliter „ resederint dumtaxat, de omnibus, & quibuscumque „ beneficiis Ecclesiasticis cum cura & sine cura, secularibus, „ bus, & Regularibus ad liberam ipsorum, dumtaxat, non „ autem aliorum cum eis dispositionem, seu præsentati- „ onem, vel electionem, nec etiam cum consilio, vel con- „ sensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, [aut a- „ liàs pertinentibus] quæ antea in mensibus Februarii, „ Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris extra „ Curiam ipsam vacare contigerit [dummodo alias dis- „ positioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint] „ liberè disponendi facultatem concessit. Ac etiam vo- „ luit ut si ipsi in collatione, aut alia dispositione benefi- „ ciorum, in aliis sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, „ Maji, Julii, Septembris, & Novembris vacaturorum „ (quæ etiam dispositioni suæ, ut præfertur, reservavit) „ seu etiam aliorum dispositioni suæ, & dictæ Sedis aliàs „ quomodolibet reservatorum, vel affectorum se intro- „ miserint, aut quominus provisiones, & gratiæ Sanctita- „ tis suæ de illis debitum effectû consequantur, impedi- „ mentum quoquo modo præstiterint, usu, & beneficio „ prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac collatio- „ nes, & aliæ dispositiones de beneficiis illius prætextu „ deinceps faciendæ nullius sint roboris, vel momenti. „ Illi verò qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare „ voluerint, acceptationem hujusmodi per patentes lit- „ teras manu propriâ subscriptas, suoq; sigillo munitas, „ & in sua quisq; Civitate, vel Diœcesi datas, declarare, „ & litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ trans- „ mittere teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, „ ac in libro ad id deputato registratis, tunc demum, & „ non antea, uti incipiant gratiâ supradictâ. Declarans „ præterea exceptionem positam in Regula favore S.R. „ E. Cardinalium, & Indultum conferendi beneficia re- „ servata concessum Cardinali Episcopo, non suffragari „ Capitulo ratione communionis, & consortii juxta de- „ clarationem felicis recordationis Urbani Papæ VIII. „ Prædecessoris sui editam die 10. Septembris anno mil- „ lesimo sexcentesimo vigesimo sexto, quam Sanctitas „ sua in omnibus, & per omnia approbat. Decernens sic „ in præmissis omnibus per quoscumque, &c. judicari „ debere, ac irritum, &c.

III. Notat autem Chokier loco citato, hoc inter utramque partem esse discrimen; quod "prima contineat reservationem & manibus Ordinariorum ligamen imponat; „ atq; ideo Episcopis & Ordinariis præjudicialis, & detra- „ hens potestati ordinariæ, & corrigens jus commune; & „ eatenus regula hæc odiosa sit. Secunda verò pars, di- „ ctam reservationem & vinculum moderetur, & partim „ relaxet, ac impedimentum removeat: itq; Patriarchis, „ Archiepiscopis, Episcopis, ac aliis Ecclesiis favorabilis; „ ac proinde etiam *amplianda*; cum innitatur jure com- „ muni.

IV. Gratia hæc sive relaxatio reservationis quoad *duos* menses conceditur dumtaxat *Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis*; idque hodie adeo clarè expressum est in regula, ut nulla dubitandi ratio suppetat; quamvis olim dubitatum fuerit, quemadmodum notavit Gonzales ad Regulam 8. Cancell. *Gloss.* 42. *num.* 2. ac dein *num.* 3. infert:" hodie cessant Decisiones dicentes, quod Capitu- „ la Cathedralium gaudere poterant *alternativa* men- „ sium; & quod Episcopus tamquam dignior & caput „ poterit illam acceptare, etiam invito Capitulo. Ratio „ est [ait] quia alternativa *antiqua* non erat restricta ad „ solos Patriarchas, Archiepiscopos & Episcopos, sicut re- „ stringit regula nostra, sed omnibus Collatoribus con- „ cedebatur.

V. Imò cum abbates etiam *nullius* Diœcesis, ac Episcopalem jurisdictionem in suis districtibus exercentes, revera non sint Episcopi, juxta restrictionem modernam ipsius regulæ *alternativa* mensium gaudere non possunt.

VI. Similiter si ex statuto, privilegio vel consuetudine Capitulum Sede vacante conferret beneficia ad collationem Episcopi spectantia, tamen non gaudet *alternativa*; quia tametsi succedat in jurisdictionem Episcopalem non tamen in hanc gratiam, quæ speciatim Episcopis datur, & cum Episcopo extinguitur, ut infrà videbitur.

VII. Verùm nec omnibus Episcopis hæc *alternativa* conceditur, sed *tantùm residentibus*: quæ conditio in hodierna regula hâc formula exprimitur: *Ipsis quamdiu apud Ecclesias aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint dumtaxat.*

VIII. Hæc verba si propriè & in rigore accipiantur, non obscurè requirunt *veram* ac *personalem* residentiam apud Ecclesias aut Diœceses: omnemq; *fictam* residentiam excludunt; quemadmodum observat Gonzales *Glossa* 43. *n.* 15. monetq; dictionem *verè*, omnem dubitationem removere: "nam requirit (ait) *veram realem* & *actualem* „ residentiam, & *omnem* fictionem excludit.

Ponderat insuper quod in regula occurrat dictio *personaliter*; quæ est (ait *n.* 23.) *præcisa* & exigit *realem* & *veram* ac personalem residentiam.

Expendit denìq; particulam *dumtaxat* in regula expressam, " quæ est (inquit) limitativa ad solam residenti- „ am *veram* & *personalem* & *præcisam*, ac exclusiva fictæ „ ac impropriæ residenciæ.

IX. Ex his infert *n.* 26. " quod ad gaudendum *alternativa ficta* residentia non prosit: & quod absens ex justa „ causa & ad modicum tempus, quod quamdiu abest, „ non possit frui alternativa in beneficiis tempore talis „ absentiæ vacantibus: & consequenter dispositioni A- „ postolicæ sint reservata.

"Aliud namq; est *verè* & *personaliter* residere, & adesse, „ se, & aliud *verè* abesse, & pro residente haberi, " ait *n.* 28. quod & in sequentibus confirmat multis exemplis ex jure petitis.

Conformiter ad hanc Regulæ expressionem decisum fuisse dicit, quod Episcopus absens tribus mensibus sibi permissis, recreationis causâ, animo redeundi, non gaudeat *alternativâ*.

X. Dehinc *n.* 41. dicit anno 1603. contigisse, quod Episcopus Segobiensis, habens *alternativam*, & continuò in sua Diœcesi residens, ob adventum Regis Catholici ad locum quatuor dumtaxat milliaribus à sua Diœcesi distantem à sua Diœcesi ad *duos* dies dumtaxat abfuerit, ut Regem in eo loco salutaret, eiq; gratias ageret de nominatione, quam Rex Catholicus de ejus persona fecerat ad Archiepiscopatum Compostellanum; cumq; spatio istorum duorum dierum vacasset Canonicatus in mense *Aprili*, qui est mensis Ordinarii respectu Episcopi gaudentis *alternativâ*, aliàs reservatus; quæsitum fuit, an Episcopus Segobiensis ex tam justa causa, & ad tam modicum tempus absens, censendus esset *residens* ad mentem regulæ ut *alternativâ* etiam eo tempore gauderet.

XI. Et quamvis dubitari nequeat, quin hujusmodi absentia de jure habeatur pro residentia; & Episcopus ita absens habendus sit residens; nihilominus propter dictionem *verè* in regula positam, quæ omnem planè fictionē excludere videtur resolvit Gonzales *n.* 83. Episcopum Segobiensem non potuisse uti *alternativâ*. " Et quamvis „ (ait maxima æquitatis ratio ad favorem ordinariæ pro- „ visionis concurrat, non tamen est recedendum à verbis „ regulæ, quæ licet sit dura, ita tamen est scripta.

XII.

XII. Ad hanc aliásq; rigorosas & litterales interpretationes reflectens Pecardus Gastellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 334. dicit, hos rigores residentiæ indubiè in Britannia esse temperatos; adeo ut si Episcopus ex præcepto Regis aut ob bonum commune suæ Ecclesiæ in causis urgentibus & necessariis esset absens à Diœcesi, equidem reputaretur residens in ordine ad alternativam.

Neq; in Belgio hujusmodi rigorem ac duritiam regulæ admittendum credo; sed Episcopum in simili casu pro residente reputatum iri; præsertim quia, uti testatur post Gonzalem Chokier *Glossa* 15. particula illa *verè* recenter, nimirum post tempora Sixti V. huic regulæ addita fuit: nam tempore Pii V. Sixti V. & Gregorii XIII. in *alternativa* non aderat verbum *verè*, neq; *personaliter* Garcias *p.* 5. *c.* 2. §. 10. *n.* 460. qui est videndus.

XIII. Ut autem Episcopi etiam residentes *alternativa* fruantur, "eam acceptare debent; acceptationemq; hu„jusmodi per patentes litteras manu propriâ scriptas „suoq; sigillo munitas, & in sua quisq; civitate vel Diœ„cesi datas, declarare, & litteras ipsas huc ad Datarium „Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab eo „receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato regi„stratis, tunc demum, & non anteà uti incipiant gratia „supradicta.

Hinc concluditur, gratiam alternativæ esse *voluntariam*, atq; pendere à mero beneplacito Episcopi eam acceptare volentis; quam in favorem residentiæ Pontifex Episcopis offert.

XIV. Ulteriùs inde sequitur, gratiam illam ejusq; acceptationem esse *personalem* respectu Episcopi acceptantis; eámq; morte ipsius Episcopi exspirare; ejúsque successorem debere denuò acceptare si uti voluerit. Imò si Episcopus post acceptationem alternativæ translatus sit ad alium Episcopatum, si *alternativâ* hic uti desideret tenetur eam de novo acceptare. Gonzales *Glossa* 58. *n.* 18. quia illam priùs ut Episcopus talis Diœcesis acceptâsse censetur.

XV. Ubi autem Episcopus semel *alternativam* acceptavit non potest pro libitu suo ab ea recedere, uti ibidem monet Gonzales *n.* 14. quia acceptatio est mensium commutatio: id est, Episcopus, qui ut cæteri ordinarii Collatores, habebat *quatuor* menses *liberos*, nimirum, *Martium*, *Junium*, *Septembrem* & *Decembrem*, acceptando alternativam permutat hos quatuor menses cum sex aliis, scilicet *Februario*, *Aprili*, *Junio*, *Augusto*, *Octobri* & *Decembri*; quæ permutatio cùm sit ad instar contractus cum Pontifice, non potest ab eo sine consensu Pontificis resiliri. Quod in ipsa Regula hodie expressum est, dum dicitur:" Et post factam acceptationem & admissionem, in „Dataria *neutri* parti liceat, nisi concordi consensu, ab ea „recedere.

XVI. Inde ulterius infertur, quòd si Episcopus *acceptata alternativa*, *non resideat*, non possit nequidem conferre Beneficia vacantia in Martio aut Septembri; quæ indubiè côferre potuisset, si *alternativam* non acceptâsset.

Cum enim menses illi, qui aliàs erant è quatuor Ordinariis juxta priorem partem hujus Regulæ, per acceptationem *alternativæ*, sint facti *Apostolici*, non potest Episcopus per *non residentiam* eos facere ordinarios; uti probat Gonzales *Gloss.* 43. *n.* 122. qui & *Glossa* 38. *n.* 22. dicit, non rarò plures Episcopus, postquam acceptârunt *alternativam*, supplicare Papæ, ut ligamem alternativæ dissolvere dignetur, ipseque Papa ad suos *octo*, Episcopus verò ad suos *quatuor* (prout erat ante acceptationem alternativæ) restituatur; quod ut ipse Papa, vel Datarius ejus nomine nonnumquam ex causa concedunt.

XVII. Quâ formulâ acceptatio *alternativa* fieri & insinuari debeat suprà relata Regulæ verba satis significant atq; unà indicant, quòd *tum demum*, & *non anteà* Episcopi uti incipiant gratiâ alternativæ, dum litteræ acceptationis à Datario *recepta* & *recognita* fuerint.

Ut autem facilior sit *recognitio* per Datarium facienda solent litteræ hâc formulâ expediri & ad Datarium transmitti.

XVIII. Formula litterarum acceptationis alternativæ prout refertur à Gonzales *Glossa* 62. *n.* 33. hæc est " Nos „N. Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. volentes „observare Regulam reservatoriam mensium Apostoli„corum Sanctissimi Domini Innocentii XII. nec non frui „gratiâ & beneficio alternativæ Episcopis apud Ecclesi„as, aut Diœceses suas verè & personaliter residentibus „per eandem Regulam concessæ. Propterea humiliter, & „debita cum reverentia, ac omni meliori modo, quo „possumus, & debemus, libenter præfatam alternativæ „gratiam acceptamus, ac eâ uti velle declaramus; in cu„jus voluntatis, acceptionis & declarationis fidem, præ„sentes patentes litteras per nostrum Secretarium, & A„postolicum Notarium scriptas, nostrâ manu propriâ „subsignamus, sigilliq; nostri soliti impressione muniri „facimus, & eas ad Illust. & Reverend. Dominum ejus„dem D. N. Papæ Innocentii XII. Datarium transmittere „curabimus, juxta formam & ad effectum, de quibus in „prædicta Regula. Dat. in ædibus nostris, vel in tali loco „hujus nostræ Civitatis, vel Diœcesis, sub tali anno, die, „& mense, testibus ad præmissa vocatis.

XIX. Postmodum dictus Secretarius & Notarius hanc fidem facit, "Et quia ego N. auctoritate Apostolica Nota„rius, & Secretarius præd. Reverendiss. Domini mei Ar„chiep. dictas patentes litteras manu propriâ scripsi, & „omnibus supradictis, unà cum dictis testibus interfui. „Ideo hoc præsens publicum fidei, ac testimonii instru„mentum signavi, & subscripsi meis solitis & consuetis „signo & subscriptione in promissorum fidem.

XX. Dein postquam litteræ à Datario fuerint recognitæ & probatæ, solet ab eodem Datario dari testimonium recognitionis tenoris sequentis: "Nos N. Sanctissimi Do„mini Innocentii XII. Datarius. Notum facimus, omni„bus & singulis, ad quos spectat, qualiter pro parte Re„verendissimi in Christo Patris D. N. Episcopi N. præsen„tatæ, & recognitæ fuerunt litteræ acceptationis gratiæ „alternativæ mensium, Præsulibus apud Ecclesias, aut „Diœceses suas verè & personaliter residentibus ab eo„dem Sanctiss. D. N. Papa concessæ. In quorum fidem „præsentes litteras manu propriâ subscripsimus, & sigil„lo nostro muniri fecimus, ac in eodem libro registrari „fecimus &c.

XXI. Quemadmodum *alternativa* quoad residentiam per posteriores Pontifices, appositione dictionis *verè* restricta fuit, uti suprà notatum est, ita quoad beneficia quæ alternativæ essent subjecta non parum limitata fuit.

Alternativæ enim antiquæ extendebantur etiam ad beneficia *simultanea* & *non libera* collationis, uti ex Puteo refert Gonzales *Glossa*. 45. *n.* 24. qui *n.* 25. monet quod & in modernis *alternativis*. & Regulis deficiebant verba illa: *Nec etiam cum consilio, vel consensu seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut alias pertinentibus*, donec Sixtus V. in sua Regula addidit præfata verba, prout hodie jacent in Regula." Et sic (ait Gonzales) ante Regulam „Sixti V. forsan dicebantur beneficia liberæ collationis „ad effectum, ut intraret alternativâ, quæ providebantur ab Episcopis cum consensu, consilio, vel interventu „alterius, modo non essent simultaneæ collationis, vel „ad electionem seu præsentationem aliorum. Hodie ve„rò contrarium est dicendum.

XXII. Regula enim, uti hodie exprimi solet, dat Episcopis *alternativam* in quibuscumq; beneficiis, *ad liberam ipsorum* DUMTAXAT, *non autem aliorum cum eis dispensationem seu præsentationem, vel electionem; nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum vel aliorum seu aliàs pertinentibus.*

XXIII. Ex his patet, juxta modernâ Regulæ expressionê, *alternativâ* non extendi ad beneficia, quæ quocumq; modo

modo ad alterius, quàm Episcopi liberam ac plenam dispositionem spectant; & quorum provisioni intervenire alii, quàm Episcopus, quovis modo debent. Ex quo patet per posteriores Pontifices additas esse clausulas reservationis amplificativas, & auctoritatis ordinariæ restrictivas.

Cum verò non tantùm excipiantur beneficia, quæ consensu Capitulorum conferenda sunt; sed & illa in quorum provisione Episcopus *consilium* Capitulorum petere debet; hinc forsan contigit, ut in Beneficiorum provisione Episcopi *consilium* Capituli sui petere desierint, ut *alternativâ* gaudere possent, cùm aliàs *de jure* in similibus *consilium* Capituli expetendum esset; uti suprà notatum est.

CAPUT VII.

De Jure Præventionis & Regula Cancellariæ. *De Verisimili Notitia.*

1. *Præventio Pontificia in quo ab expectativis & reservationibus differat.*
2. *Jus præventionis eodem, cui reservationes fundamento innititur; est tamen usus istius recentior.*
3. *Tempore Bonifacii* VIII. *usus præventionum erat stabilitus.*
4. *Ad præcavendas fraudes in præventione occurrentes condita regula Cancellariæ* De Verisimili notitia.
5. *Scopus regulæ intelligitur ex proœmio olim illi præfixo.*
6. *Hoc proœmium à posterioribus Pontificibus sublatum.*
7. *Regula semper mansit invariata.*
8. *Refertur textus regulæ.*
9. *Regula in Gallia pro lege Regni adoptata.*
10. *Regula hæc juri conformis.*
11. *Notitia debet esse* verisimilis; *nec extraordinaria admittitur.*
12. *Quod tempus requiratur, ut notitia sit* verisimilis.
13. *Regula locum habet in provisione facta* motu proprio.
14. *Item si sufficiens quidem tempus intercesserit, sed tamen* cursor *missus sit* ante obitum.
15. *Habet locum in omnibus Beneficiis, etiam Dignitatibus.*
16. *Etiam in collationibus Ordinariorum.*
17. *An huic Regulæ per Papam derogari queat in Gallia?*
18. *Regula hæc jus præventionis non impedit.*
19. *Præventiones minùs odiosæ quàm Expectativæ.*
20. *Synodus Basiliensis abrogatis expectativis salvum voluit jus præventionis.*
21. *Clerus Gallicanus resolvit rogandam Synodum Basiliensem pro abrogando jure præventionis.*
22. *Idipsum factum in Germania.*
23. *Synodus Basiliensis à suo Decreto non recessit.*
24. *Pontifices jam pridem moderatè usi sunt hoc jure; & quare?*
25. *In locis ubi est reservatio mensium, non est locus præventioni.*
26. *In Gallia per Concordata jus præventionis est stabilitum.*
27. *Hic articulus multis displicuit.*
28. *Anno* 1547. *mandatum fuit Oratoribus Regiis pro abrogatione hujus articuli in Synodo Trid.*
29. *Idem mandatum fuit anno* 1561. *Oratori Regio ad ad Pontificem; & quid hic exposuerit.*
30. *Aliquando interdictum fuit Judicibus Regiis rationem præventionis habere.*
31. *Id postea revocatum, manetq; hodie jus præventionis.*
32. *Si dubium sit quis priùs contulerit, præsumitur pro Ordinario.* (laici.
33. *Præventioni non subjacent Beneficia Juris Patronatûs*
34. *Provisio tantùm obtinet rebus integris.*
35. *Per actum etiam præparativum fit res* non integra.
36. *Debet hic actus concernere ipsam collationem.*
37. *Aliquando collatio invalida impedit præventionem.*
38. *Præsentatio Patroni, & Indultarii reddunt rem* non integram, *etiam ante secutam collationem.*

I. Præventio Pontificia in hoc à mandatis & reservationibus differt, quod per mandata Pontifex non conferret ipsa beneficia; sed mandaret de iis per Ordinarios certis personis provideri; inde dicta mandata *de providendo*; quæ & frequenter non ad beneficia de facto vacantia, sed *vacatura* dabantur. Per reservationem quoque non fit beneficiorum collatio seu provisio, sed per eam dumtaxat Pontifex beneficia suæ dispositioni reservat; id est, reservat sibi conferenda, vacatione illorum occurrente.

Per præventionem verò Pontifex prævenit Ordinarium Collatorem, *conferendo* scilicet beneficium ad Ordinarii collationem spectans; ita ut in *præventione* reverà Pontifex conferat; quæ propterea tantùm locum habet in Beneficiis *verè* vacantibus.

II. Quandonam hoc jure præventionis uti cœperint Pontifices, incertum est. Credit Ludovicus Thomassinus *De Discip. Eccles. parte 4. lib 2. c. 14.* quod hoc jus præventionis innitatur quidem eodem fundamento, cui innituntur mandata *de providendo*, & *reservationes*, atq; ex eodem principio suam habeant originem; tamen usum præventionis, Mandatis *De providendo* & reservationibus esse multò recentiorem, ibidem observat neq; in Decretalibus Gregorii IX. ullã fieri præventionis mentionẽ quamvis *Mandatorũ de providendo* sæpius meminerint.

Imò credit, ab introducto usu horum *mandatorum* fluxisse duo circiter secula, antequam palàm stabilitus fuerit præventionis usus: eum enim sensim & gradatim quasi invaluisse, & introductum fuisse credit.

III. Quidquid sit, hoc satis constat, tempore Bonifacii VIII. hoc jus præventionis in usu fuisse. Nam consultus hic Pontifex super beneficio collato diversis personis à Sede Apostolica ejusve Legato, & Ordinario *eodem die*; nec constabat, quæ collatio fuerit prior facta, respondit Bonifacius, quod si nullus sit in possessione, is cui Sedes ipsa, vel Legatus contulit, erit alteri præferendus. Rationem addit; *Propter conferentis ampliorem prærogativam.*

Hîc apertè supponitur, Pontificem ejusve Legatum posse in beneficiorum collatione cum Ordinario concurrere; imò ipsum non solùm posse *prævenire*; sed si dubium sit, cujus collatio *prior* fuerit; Pontificis collatio præsumatur præcessisse: propter *ampliorem ejus prærogativam* in conferendis Beneficiis.

IV. Hæ præventiones tempore Joannis XXII. qui viginti circiter annis post Bonifacium VIII. ad Pontificatum fuit assumptus, adeò invaluerant; atq; ad eas occupandas, & Ordinariorum collationes præveniendas, tot fraudes & malæ artes adhibebãtur, ut ipse Joannes XXII. Regulam Cancellariæ ediderit, quæ vocatur *De Verisimili Notitia*, quæ hodie est trigesima, ut hujusmodi fraudibus occurreretur.

V. Hunc enim regulæ scopum indicavit ipse Joannes XXII. in proœmio regulæ præfixo: "Item, ut in habendis „Beneficiis Ecclesiasticis *fraudes* evitentur, servetur con- „scientiæ puritas, & *ambitionis* via præcludatur ambiti- „osis &c.

VI. Ita refertur à Ludovico Gomesio in commentario ad hanc regulam, unà notante, regulam illam à Martino V. cum eodem proœmio fuisse promulgatam; at Nicolaum V. in promulgatione ejusdem regulæ sustulisse dictum proœmium; "quod brevitatis causâ factum opi- „nor [ait] cùm aliàs indignum videretur tam salutare „proœmium, ex quo *mens* & *intentio* colligitur Con-

dictoris

„ditoris, sustulisse." Nicolaum sequuti sunt ejus successores, ipsam regulam sine prooemio promulgantes, qualiter & hodie inter regulas Cancellariæ exstat.

Interim sat convenit, eam editam esse ad obviandum fraudibus & cupidæ ambitioni eorum, qui Ordinarios prævenire satagentes, beneficiorum collationem, etiam necdum mortuis eorum possessoribus, impetrare quavis arte moliebantur: unde teste Gomesio loco citato *Quæst.* 1. convenit inter Doctores, Regulam factam fuisse *ad obviandum fraudibus, quæ fiebant in Curia ad præveniendum Ordinarios.*

VII. Quamvis Regulæ huic detractum fuerit prooemium, nihil tamen circa ipsum corpus regulæ mutatum umquam fuisse monet idem Gomesius," nullusq; Pontificum (ait) verbum aliquod addidit vel mutavit ad regulam Nicolai, sed *integra* mansit usq; in hodiernum diem, cum tamen aliæ regulæ aliquam receperint mutationem." Neq; à tempore Gomesii usq; ad hæc nostra ullam mutationem accepisse scimus.

VIII. Regula exprimitur his verbis:" Item voluit & ordinavit, quod omnes gratiæ, quas de quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, cum cura, vel sine cura, secularibus vel regularibus, per obitum quarumcumque personarum vacantibus, in antea fecerit, nullius roboris, vel momenti sint, nisi post obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi, tantum tempus effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in quibus personæ prædictæ decesserint ad notitiam ejusdem D. N. verisimiliter potuerint pervenisse.

IX. Hæc regula teste Rebuffo in Praxi Benef. *parte* 1. *tit. De Reform. Bulla Glossa* 1." fuit recepta & registrata in Parlamento Parisiensi anno 1493. 10. Novembris. & ubiq; in regno Franciæ recepta, & in forensi judicio ad unguem servatur, estq; lex regni effecta, adeò quod sicut Imperator legem (ut dicunt) canonisatam & à Canonibus approbatam non potest revocare: licet eam legem ex libro tollat: Sic nec Papa regulam incorporatam & descriptam in registris Curiæ, etiam si tollat illam, nam eo casu servabitur tamquam lex regni, non tamquam Papæ regula.

X Deinde notat, quod " ex visceribus juris sit extracta maximè ex *Cap.* 2. *De concess. Præb. non vacantis* ubi beneficia antequam vacent non debent impetrari, & nisi vacatio pervenerit ad notitiam conferentis, vel pervenire potuerit: nam collatio quæ non est verisimilis, non est credibilis, nec facta creditur.

XI. Imò etiamsi aliquis probare vellet, se per modum aliquem extraordinarium, & plusquam humanum aut verisimilem iter in Urbem absolvisse, probatio ejus non admitteretur, ait Rebuffus *n.* 15." quia tantummodò *verisimile* admittetur, videlicet quod eques cursor Romam potuit ire sex diebus ex Lutetia, vel ex Lugduno quinq; hoc recipietur. Ex Tholosa autem octo, vel septem: distinguenda autem sunt tempora, æstatis videlicet & hiemis: in Legato tamen inspicitur, an equi celeres essent designati ad illum locum, in quo ipse degebat, & ex loco in quo obiit Beneficiarius: & tunc cursus velox recipietur, alioqui non, unde in praxi vulgo solet dici, *s'il y a postes assignees* ut quantùm possunt celeriter currere: alioqui per dietas computabitur.

XII. Et Chokier ait," tempus *verisimilis* notitiæ Leodio Romam esse *novem* dierum, Rota tum sæpiùs, tum novissimè in una Bullarum resignationis Canonicatûs S. Pauli de anno 1619. decidit.

Antiquus autem Glossographus quem sequitur Chokier, rectè monet, *verisimile* illud relinqui arbitrio Judicis; qui ex locorum distantia, die obitûs aliisque circumstantiis determinet, an tantum tempus effluxerit ab obitu Beneficiati usq; ad datam provisionem, quod interim vacationes ipsæ de loco in quo beneficiatus decessit, ad *notitiam* Pontificis *verisimiliter* potuerint pervenisse.

XIII. Regula etiam procedit, tametsi *motu proprio* gratia facta esset, ait Rebuffus *Glossa* 2." *n.* 2. tum ut evitetur fraus, quæ fieret apponendo hanc clausulã; tum etiam quia hæc clausula non tollit ambitionem impetrantis, nec votum captandæ mortis.

Et ita jam pridem judicatum fuisse in Rota Romana testatur Gomesius ad hanc Regulam *quæst.* 2.

XIV. Quinimò licet tempus sufficiens effluxisset inter datam provisionis & obitum Beneficiati, ut notitia verisimilis vacationis haberi potuisset, nulla tamen erit provisio, si probetur cursorem ante *obitum* Beneficiati discessisse; quod dici solet *cursus ambitiosus*; uti monet Claudius Fleurii in Instit. Juris Canonici *libr.* 2. *capit.* 21.

XV. Quamvis hæc regula nominatim non loquatur de *Dignitatibus*, & sub nomine Beneficii etiam generaliter expressi Dignitates comprehendi non soleant, tamen & in his regulam locum habere rectè notat Rebuffus *Glossa* 3. tum quod ratio decisionis in his locum habeat; tum præcipuè, quia regula hæc naturali æquitati & honestati innixa & ad vitandas fraudes inducta, *favorabilis* est reputanda. In *favorabilibus* autem nomine Beneficii generaliter expressi, prout in hac regula per particulam *quibusvis*, veniunt dignitates.

XVI. Adhæc licet Regula hæc tantùm loquatur nominatum de provisione *Papæ*; ob naturalem tamen æquitatem & honestatem, extensa est non tantùm ad *Legatum* Papæ; sed etiam ad *Ordinarios* Collatores; prout in Gallia observari post Rebuffum aliosque testatur Carolus Fevretius in tract. *De Abusu libr.* 2. *capit.* 7. *numer.* 5.

XVII. Favor ejusdem regulæ, ipsaque naturalis ratio cui innititur, efficiunt, ut in Gallia hujus regulæ derogationem non admittant, atque ab ea derogatione appellationem *tamquam ab abusu* recipiant; ut post Rebuffum ibidem refert Fevretius. Si tamen provisio facta sit in vim procuratorii ad resignandum; & Resignans mortuus fuerit antequam provisio esset expedita; si adjecta fuerit clausula, *etiamsi* PER OBITUM *vacet*; & Papa huic regulæ derogaverit, admittitur derogatio; valebitque provisio licet ipso die expeditæ provisionis Resignans fuisset mortuus; & consequenter *verisimilis* notitia de morte Resignantis in Curia non haberetur: " quia (ait Rebuffus *Glossa* 4.) justa fuit arreptio itineris ante mortem, cum haberet procuratorium ad resignandum & ita (ait) servamus in Regno, dummodo à tempore mandati seu procuratorii *verisimiliter* potuerit Cursor accedere ad Curiam." Id tamen limitandum, nisi fraus aliqua subesse probetur; uti observat Rebuffus ad Concordata *De Mandatis Apostolicis* §. *Declarantes* verbo *Jure præventionis.*

XVIII. Quamvis Regula hæc fraudibus & ambitioni de captandis & sollicitandis beneficiis vivorum occurrere voluerit, nequaquam tamen auctoritatem Pontificis in præveniendo seu concurrendo cum Ordinariis in provisione beneficiorum imminuere ullatenus intendit: mansitque jus hoc semper Sedi Apostolicæ salvum.

XIX. Illud quoque notandum, quòd licet per has præventiones videatur aliquo modo imminui jus collationis Ordinariorum, tamen has præventiones minùs odiosas esse, quàm expectativas, quibus non de vacantibus beneficiis providebatur, sed *vacatura* promittebantur: cùm Pontifex utendo præventione, beneficia *vacantia* dumtaxat conferat: atque ipsis Ordinariis ut minùs æquale secum jus conferendi relinquat.

XX. Quare Synodus Basiliensis sollicita restituere jura Ordinariorum, præsertim circa collationem beneficiorum atque eum in finem omnes *expectativas* ad Beneficia *vacatura* abrogans, nihilominus hoc jus præventionis Pontifici nominatim reservavit *Sess.* 31. *art.* 2. ubi

ubi post abrogationem expectativarum subjicit: *Neque etiam collationes per* PRÆVENTIONEM *fiendas intendit impedire.*

XXI. Clerus tamen Gallicanus in Conventu Bituricensi eam clausulam Concilii Basiliensis non approbavit, resolvitq; Patribus Concilii proponendum, ut eam revocarent; aut saltem declararent; Ordinariis Collatoribus manere salvum tempus *sex* mensium, iis à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. concessum; intra quod si non contulerint, meritò ob eorum negligentiam Superior vel jure præventionis, vel devolutionis supplere poterit.

XXII. Idipsum à Germanis, saltem nonnullis optatū fuisse, evincit quod legitur in Synodo Frisingensi anno 1440. *Can.* 25. "Supplicetur sacro Concilio (Basiliensi) „ ut declarare dignetur, quòd vigore horum Decreto„rum non intenderit tollere inferioribus Collatoribus „ Ordinariis *tempus* Lateranensis Concilii, quódque an„te ipsius lapsum non habeat locum præventio.

XXIII. Non legitur, Concilium Basiliense occasione harum supplicationum Decretum suum renovasse, aut limitasse, vel exposuisse; sed jus integrum præventionis Sedi Apostolicæ reliquit; adeoque, uti passim notant Canonistæ, potest Pontifex, etiam in mensibus ordinanariis ipsos Collatores prævenire.

XXIV. Nihilominus, uti notat Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ §. 4. *Proœm.* non passim hujusmodi provisiones facere vult, nec intendit, ut minus de illo Episcopi conqueri valeant. Quod profectò valde laudabile (ait) ac suâ urbanitate & liberalitate dignum. Quia ut dixit textus in *Can.* PERVENIT *caus.* 11. *qu.* 1. *Si sua unicuique Episcopo juris, lectio non servatur, quod aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri ille ordo debuit, confundatur.* Hæc ille; qui pluribus ibidem ostendit, quòd quamvis de jure Pontifex prævenire Ordinarios possit, non tamen sit honestum quod aliis auferat potestatem: quódque ex hoc non usu evitentur non modica inconvenientia.

XXV. Imò teste Joanne Chokier in proœmio Regulæ octavæ *n.* 17. "hodie *numquam* confert Papa per „ præventionem, debétque Datarius respondere: *Adeat „ Ordinarium.*" Quod ut observetur iis in partibus, ubi inter Sedem Apostolicam & Ordinarios menses divisi sunt; atque ipsa Sedes Apostolica reservando sibi sex vel octo menses, reliquos Ordinariis liberos dimisit, valde justum est. Per illam quippe mensium divisionem tacitè quodammodò Pontifex Ordinariis addixisse videtur, quod jus conferendi iis in mensibus liberum ipsis maneret.

Hinc in Belgio, ubi hæc mensium divisio stabilita est, præventionum usus exolevit; neque ulla in mensibus Ordinariorum provisio Apostolica jure præventionis umquam expeditur: quare nec Regula *De Verisimili notitia* hic penè nota est.

XXVI. At in Gallia per Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. jus præventionis Pontifici expressè reservatur titulo *De Mandatis Apostolicis* his verbis: "De„clarantes... nos & successores nostros jure *præventio„nis* Dignitates, Personatus, Administrationes, & Offi„cia, cæteráq; Beneficia Ecclesiastica, secularia, & quo„rumvis Ordinum Regularia, quæcumque & quomo„dócumque qualificata, tam in mensibus graduatis, „ simplicibus & nominatis, quam ordinariis Collato„tibus præfatis assignatis vacantia, ac etiam sub dictis „ mandatis comprehensa, liberè conferre.

XXVII. Hic unus fuit ex articulis, qui receptionem Concordatorum præcipuè retardavit, ipsasque oppositiones, tum ex parte Parlamenti Parisiensis, tum Cleri & Universitatis formarunt; quæ latius referuntur in historia Concordatorum, quin & frequentium querelarum occasionem hic articulus subministravit.

XXVIII. Legitur datum fuisse in mandatis Legatis Regis Galliæ anno 1547. ut Patribus Tridentinis inter alia exponerent, quod *præventiones*, quas Papa vi Concordati in Regno Galliæ facit, sint contrariæ Concilio Lateranensi; quódque dictæ præventiones pariant magnam confusionem in regno; quod Collatores Ordinarii per eas frustrentur suo jure.

XXIX. Idipsum injunctum fuit Ferrerio Regis Christianissimi Oratori & Legato ad Papam Pium IV. anno 1561. idque ad querelas quas Regi fecerant Ordines generales Regni super hoc articulo *præventionum*; quemadmodum videre est in probationibus libertatum Ecclesiæ Gall. *c.* 22. *n.* 34. ubi *n.* 35. subnectitur discursus quem super hoc articulo coram Pontifice habuit ipse Ferretius, in quo potissimum urget Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quo Collatoribus datur facultas conferendi Beneficia, idq; intra *sex menses,* " quo illis (ait) liceret de vita & moribus ordinandi „ diutius deliberare. Quam collationem nisi intra id „ tempus fecissent, conferendi potestatem proximo su„ periori deferri, & gradatim Romano Pontifici: hujus „ constitutionis fuisse favorem, ut quamquam diurna „ beneficiorum vacatio esset Canonibus exosa, illud ta„ men semestre non currere nisi Prælato scienti benefi„ cii vacationem. Quod si præventionibus locus est, „ vix esse ut supervacanea non sit non solum hæc Con„ cilii Lateranensis temporis definitio & gradatio, sed „ etiam & Antiochenum Aurelianense Concilium qui„ bus definitum est, Episcopo, cui totius Diœcesis animæ „ committuntur, relinquendas esse beneficiorum colla„ tiones.

Hæc aliaque ibidem à Ferrerio nomine Regis & Ordinum Regni Gallicani Pontifici exposita, sat evincunt, quàm ægrè has præventiones tulerint Galliæ Proceres; quod & manifestum fit ex Edicto Aurelianensi *art.* 12. quo interdicitur omnibus judicibus Regni Galliæ, ullam in judicando possessorio beneficiorum rationem habere provisionum, quæ obtentæ essent per *præventionem*, idque sub pœna privationis suorum officiorum; nec possint impetrantes hujusmodi provisionibus uti sine licentia Regis.

XXX. Meminit hujus edicti etiam Carolus Fevretius Tractatu de Abusu *lib.* 2. *cap.* 7. *n.* 3. unà monens, Carolum IX. Regem Galliæ ad requisitionem Cardinalis Ferrariensis Legati Apostolici in Gallia dedisse declarationem 10. Jan. 1562. quâ hic articulus, quantum ad *præventiones* Pontificias, fuit revocatus.

Itaque post hanc declarationem usque in hodiernum diem salvum manet jus *præventionis* in Provinciis Regni Galliæ Concordatis utentibus; quantumvis illud odiosum esse, & in favorem Ordinariorum restringendum credant.

XXXI. Hinc imprimis statuunt, quod si dubium sit, quis priùs contulerit, an Papa, an Ordinarius, præferendam esse collationem Ordinarii, contra decisionem *Cap.* SI A SEDE *De Præb. in* 6. quam in hoc casu dicunt non observari: quia Ordinarius confert *jure ordinario & primitivo*: & quia Papa tantùm habet jus præventionis, debet ostendi, Papam *prævenisse* Ordinarium; quod ubi non ostenditur, manet collatio Ordinarii facta *jure proprio & ordinario.* Vide Gastellum in sæpius citata Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 274. & notam Gulielmi Noyer ibi subjectam.

XXXII. Deinde nullam præventionem admittunt in beneficiis Juris Patronatus *laici*: Patroni enim laici in Francia numquam subjecerunt colla præventionibus, ait Fevretius *numer.* 7. & quantum ad rescripta Pontificia, etiam in causa permutationis, si quando derogatum voluerint Juri Patronatus laicalis sive per præventionem, totum fuit cassatum, & revocatum tamquam abusivum; ita Fevretius *numer.* 7. Quod & in Hispania reli-

religiosissimè servari testatur Covarruvias *Pract. Quæst. cap.* 36. " ubi Patrono laico licet conqueri, de tacita „ vel expressa derogatione, sicut apud Gallos.

Tametsi textus Concordatorum quæcumque Beneficia, etiam Dignitates generatim exprimat, nihilominus non credunt, comprehendi Dignitates electivas titulo *fundationis* præsertim *laicalis*, uti observat Fevretius loco citato *numer.* 6. ibidem unà asserens, hodie passim judicari, Dignitates omnes, etiam *electivas confirmativas*, sed alio titulo quam fundationis, subjectas esse juri *præventionis*; quamvis aliquando de eo dubitatum fuisset.

XXXIII. Præventio demum locum habet, si provisio Pontificia facta fuerit *rebus integris*; hoc est necdum à Collatore Ordinario incepto negotio collationis. Si enim Canonicæ institutionis fines vel levissimè attigerit, quamvis ad exitũ non perduxerit, tamen *rebus integris* non amplius extantibus, collationi Pontificiæ nullus locus dabitur. Ita Pinsonius De Benef. tit. De Canonicis Institutionum conditionibus §. 10. *num.* 2.

XXXIV. Res autem non censetur integra quando quoquo modo negotium inchoatum est, non tantùm per actum aliquem essentialem, sed etiam solùm præparatorium; v. g. per *pulsum campanæ* ad congregandum Capitulum pro electione; aut etiam ad deliberandum de forma, aut die electionis faciendæ; aliumve actum, quo, electores, Collatores aut Patroni ostenderunt, se non fuisse in defectu utendi suo jure; ait Brodæus ad Lovetium *Litt. P. n.* 25. atque ita judicatum fuisse testatur, *præventioni* locum non fuisse, eo quod præviè ad provisionem Apostolicam actum fuisset in Capitulo de electione facienda.

XXXV. Aliud esset (ait ibidem Brodæus) si Capitulum Sede vacante dedisset tantummodò deservituram alicujus Ecclesiæ Parochialis vacantis *donec provideatur per futurum Episcopum.*

XXXVI. Cum enim hic actus non fuerit expeditus per collatorem; neque concernat ipsum *titulum*, impedire nequit præventionem Papæ: cum respectu tituli res manserit integra.

XXXVII. Quinimò collatio aut actus provisionis etiam *nulliter & invalidè* factus per Ordinariũ aliquando constituit rem non integram; ipsámque præventionem impedit; ut si Ordinarius contulerit non Graduato in mense Graduatis affecto.

XXXVIII. Collatio quidem nulla est in favorem Graduati se opponentis; sed tamen præventionem impedit; uti docet post alios citatos Fevretius loco citato.

TITULUS XXIV.

De Provisione Apostolica.

CAPUT I.

De Provisione in forma *dignum*, & in forma *gratiosa*.

1. *Provisio in forma* dignum *unde sic dicta.*
2. *Per hanc provisio propriè non fit per Papam; sed per Ordinarium.*
3. *Ante obtentam collationem ab Ordinario Provisus nullum habet titulum.*
4. *Non potest Beneficium resignare ante habitam ab Ordinario provisionem.*
5. *Neque capere possessionem.*
6. *Ordinario recusante litteras provisionis, ad quem recurrendum?*
7. *Forma* dignum *alia* antiqua, *alia* novissima.
8. *Quid circa has formulas habeat hodierna praxis, præcipuè in Gallia.*
9. *Formula litterarum provisionis seu* visa *per Ordinarium.*
10. *Examine peracto quomodo Ordinarius conferat.*
11. *Ordinarius hic censetur Episcopus Beneficii.*
12. *Provisio in forma* dignum *alteri directa in Gallia non recipitur; nisi ob causam.*
13. *Examen alteri per Ordinarium delegari potest.*
14. *Episcopi meritò personaliter examini intersunt.*
15. *Ratio inducta hujus formulæ.*
16. *Quando Papa sufficienter est instructus de capacitate Supplicantis fit provisio in forma* gratiosa.
17. *Provisio in hac forma est propriè provisio Apostolica.*
18. *Forma Signaturæ in hac formula.*
19. *Hac provisio dirigitur ad ipsum Supplicantem; cui & inscribitur tamquam Beneficiato.*
20. *Formula inscriptionis.*
21. *Tenor provisionis.*
22. *De executore hujus provisionis.*
23. *Hodie quoad Beneficia præsertim curata non solet dari provisio in forma* gratiosa; *& quare.*
24. *Quoad Beneficia simplicia frequenter est provisio in forma* gratiosa.

I. Rescripta sive provisiones Apostolicæ aliquando expediuntur juxta hodiernũ stylum Curiæ Romanæ in forma *gratiosa*; aliquando autem & quidem frequentius, saltem quoad provisiones de Beneficiis Curatis in forma *dignum*.

Vocatur autem provisio hæc in forma *dignum* à primis verbis Bullæ, *quia* DIGNUM *arbitramur.*

II. Verum, uti rectè notant Canonistæ, quando provisio expeditur in forma dignum, tunc propriè de beneficio non providet Papa; sed potius ipsi Ordinario vel Executori providere mandat; quare non immeritò hujusmodi provisio dici posset, mandatum *de providendo.*

In hac enim provisione, remittit supplicantem ad Ordinarium, ut supplicanti de beneficio provideat, si modò *prævio* examine eum idoneum repererit, sub hac clausula: " Mandamus quatenus si post diligentem examina„ tionem dictum N. ad obtinendum beneficium N. ido„ neum esse repereris, super quo conscientiam tuam o„ neramus, eidem N. dictum beneficium auctoritate A„ postolicâ conferas.

III. Evidens hinc est, provisionem seu collationem beneficii non haberi immediatè à Pontifice; sed eam obtineri debere ab Ordinario: ipsumque supplicantem ante obtentam ab Ordinario collationem, nullum adhuc titulum beneficii habere.

IV. Unde si Resignatarius obtinuerit provisionem in forma *dignum*, non poterit ante obtentam collationem ab Ordinario, suum beneficium alicui resignare, uti post Flaminium Parisium De Resignat. Beneficiorum *lib.* 3. *q.* 1. *n.* 149. monet Carolus Fevretius tract. *De Abusu lib.* 3. *cap.* 4. *num.* 12.

V. Refert quoque ibidem Fevretius, jam pridem Regiis Edictis cautum esse, quod non possit capi possessio beneficii vigore provisionis in forma *dignum* ante obtentas litteras Ordinarii, quas vulgò *Visa* appellant, quæ ipsam collationem continent.

VI. Si Ordinarius simpliciter recuset litteras provisionis sive *Visa*, jam pridem dubitatum fuit, ad quem

quem haberi deberet recurs*us*. Et quandoquidem Ordinarius hic videatur procedere auctoritate *Apostolica*, visum fuit nonnullis, ad Sedem Apostolicam pro novo Executore recurrendum esse. Verùm cum hic de functione Hierarchica, nimirum examine super capacitate ad beneficium agatur, aliis visum fuit, rationi, & conservationi Hierarchicæ subordinationis congruentius esse, ut gradatim ad immediatos Superiores appellari deberet; & ita in Gallia obtinere, & variis Regiis Edictis cautum esse, testatur post alios Fevretius loco citato; & latius videri potest in actis Cleri Gallicani: quod tamen in Patria juris *scripti*, sive *obedientiæ* aliter observari notat Petardus Gastellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag*. 252. asseritque ibidem semper recurri ad Episcopum *viciniorem*, uti ex stylo Curiæ Romanæ præscribitur in forma *dignum novissima*.

VII. Forma hactenus descripta hodie ex stylo Curiæ Romanæ vocari solet, *Forma dignum antiqua* ad distinctionem alterius formæ recenter introductæ vocatur *Forma dignum* NOVISSIMA; quâ expediuntur provisiones de Beneficiis *reservatis* Sedi Apostolicæ; præstituuntur Executori 30. dies intra quos provisionem facere tenetur; alias ad *viciniorem* Suffraganeum recurrendi facultas conceditur.

VIII. Observat quoque ibidem Gastellus, nullam esse differentiam apud Gallos, inter provisionem in forma *dignum* ANTIQUA & formam *dignum* NOVISSIMA; quamvis juxta stylum Curiæ Romanæ non una inter utramque formulam differentia intercedat; quam paucis hic exhibet Gastellus; & latius formulis formæ *dignum novissima* prolatis & constit. 52. *Cogit nos* Pii V. Flaminius Parisius De resignat. benef. *lib*. 8 *q*. 7. *num*. 197. Quamvis omnis provisio Beneficiorum reservatorum, item quæ fit vigore resignationis in Curia R. soleat expediri in forma *dignum novissima*, nihilominus in patria *consuetudinaria* semper proceditur ac si expedita esset in *forma dignum* ANTIQUA, & in terris juris scripti seu *obedientiæ* ac si esset expedita in forma *dignum novissima*; etiamsi esset revera in forma *dignum antiqua*.

IX. Formulam litterarum provisionis seu *Visa* expeditam per Episcopū vigore Signaturæ in forma *dignum* sibi oblatæ, exhibet Claudius Horrii in novo tractatu de materiis Ecclesiasticis *pag*. 437. edit. 1695. & alteram expeditam per Vicarium Episcopi *pag*. 439.

X. Postquam enim examine facto, Ordinarius Supplicantem reperit idoneum, tunc quasi conditione impletâ ad provisionem auctoritate Apostolicâ procedit, ipsamq; beneficium ei confert hac formulâ: *Auctoritate Apostolicâ conferimus, & de illo etiam providemus*.

XI. Ordinarius hic reputandus est Episcopus ejusve Vicarius generalis loci in quo beneficium situm est, tametsi etiam ipsum beneficium esset unitum Monasterio aut Capitulo exempto; quemadmodum post Rebuffum, & Philippum Probum notat Fevretius De Abusu *lib*. 3. *cap*. 4. *num*. 14. Quia maximè interest Ordinarii seu Episcopi, ut ad beneficia, præsertim Curata in sua Diœcesi nemo admittatur, nisi quem ipse *prævio* examine idoneum judicaverit.

XII. Imò si provisio in forma *dignum* alteri quam Ordinario committeretur, tamquam abusiva rejiceretur, ait Fevretius ibidem *num*. 15. nisi tamen Ordinarius esset suspectus, aliave justa causa subesset, cur Ordinario committenda non videretur: quo casu posset Ordinario neglecto, ejus Metropolitano committi; uti eodem loco monet Fevretius, & in contradictorio judicio decisum fuisse refert.

XIII. Quamvis ipsa provisio ab Ordinario, ejusve Vicario generali juxta tenorem litterarum Apostolicarum expedienda sit, examen tamen alteri committi posse communis est opinio, quæ & hodie invaluit, juxta *Clementinam unicam De Officio Judicis Deleg*. ubi dicitur, examen testium per Judicē Delegatum alteri posse committi: quamvis fatendum sit quòd verba provisionis Apostolicæ, *Si post examinationem idoneum reperis, super quo conscientiam tuam oneramus*, meritò dubium ingerant, an intentio Pontificis sit, ut *alteri* examen committatur: quia tamen praxis eam interpretationē admisit, ea reservari potest: modò tamen talibus examē committat Ordinarius, ut eorum judicio de idoneitate Supplicantis acquiescere possit; atque meritò confidat, quod ad ipsorum relationem moralem de idoneitate certitudinem habeat. Pontifex enim supponit, quod ad provisionem non procedet, nisi post examinationē, eum *idoneum repererit*; ejus *conscientiam super hoc onerando*.

XIV. Optandum sanè esset, ne levius nonnumquam quibusvis Examinatoribus crederent; majoremq; hujus examinis, præsertim ubi de Curatis Beneficiis agitur, curam haberent; ac frequentius ipsi per se assisterent.

XV. Forma *dignum* inducta fuit, ut indoneis ad beneficia aditus occluderetur: unde Papa numquam dat provisionem Beneficii nisi sub conditione, *Si Orator idoneus repertus fuerit*; & ideò si ei ignotus fuerit, committit examen & provisionem Ordinario loci ubi Beneficium est situm; quæ provisio hac formâ expeditâ ab illa commissione, etiam solet vocari in forma *commissoria*.

XVI. Si verò ipse Papa prævìè per testimonium Ordinarii sit sat instructus de capacitate Oratoris, tunc litteræ solent expediri in forma *gratiosa*; id est, sine ulla commissione super examine per Ordinarium faciendo, priusquam provisio obtineatur: sed absolutè per Papam fit provisio, & vigore hujus provisionis potest Orator capere possessionem Beneficii sine examine prævio, vel litteris provisionis, sive *visa* ab Ordinario obtentis.

XVII. Quare provisio in hac forma *gratiosa* expedita, est vera & propriè dicta provisio Apostolica; ubi econtra provisio in forma *dignum* potiùs est mandatum *de providendo* directum ad ipsum Ordinarium sive ejus Vicarium generalem; uti suprà notavimus.

XVIII. Forma hæc in Signatura Papæ ita solet concipi: *Cum expressione quòd dictus Orator testimonio Ordinarii sui de vita, moribus & idoneitate commendetur*. Quâ expressione significat Papa, litteras esse expediendas in forma *gratiosa*; nec consequenter dirigendas aut inscribendas Ordinario aut ejus Vicario.

XIX. Litteræ autem provisionis in forma *gratiosa* diriguntur ad ipsum Supplicantem, cui semper hujusmodi litteræ inscribuntur; quia & titulus Beneficii ipsi tribuitur: utpote qui jam per Apostolicam provisionem ipsum Beneficium habere supponitur. Quapropter si de Canonicatu agatur, scribitur N. *Canonico*, etiamsi ante Canonicus non esset.

XX. Juxta Signaturam Papæ Bulla extenditur hoc tenore: "Vitæ & morum honestas aliaque laudabilia pro„bitatis & virtutum merita nos inducunt, ut specialibus „favoribus prosequamur: cum itaq; Beneficium" &c. Si Orator sit Doctor aut Licentiatus in altiori scientia, tunc incipit, LITTERARUM SCIENTIA, *vitæ & morum honestas* &c. Si nobilis, *Nobilitas generis*: Si Regularis, RELIGIONIS ZELUS, *vitæ merita* &c.

XXI. Post hæc narratur qualitas Beneficii, modus vacationis, aliæque adduntur clausulæ; ac dein fit provisio hâc formâ: *Apostolica tibi auctoritate conferimus & providemus*.

XXII. Dein juxta stylum Curiæ nominatur Executor, vel etiam plures, quatenus ipse, vel duo aut unus eorum per se, vel alium vel alios, ipsum Oratorem per se, vel suum Procuratorem in corporalem possessionem auctoritate Apostolicâ inducant, & defendant inductum.

Hi Executores hodie de stylo Curiæ debent esse in dignitate constituti, solentque esse Officiales Episcopi, modo sint principales, non *foranei*; eo quòd hi digni-

dignitatem habere non censeantur; uti notavi *parte 1. tit. 12. cap. 4.*

XXIII. Verùm cùm, nonnulli ad evitandum examen Ordinarii solicitarent provisionē in *forma gratiosa*; idq; nonnumquam exhibitis falsis testimoniis, aut certè talibus, quæ intuitu aliorum Beneficiorū, vel tempore quo ejusmodi testimonium Orator merebatur, data fuerant; aut etiam interdum aliorum Ordinariorum, quàm locorum in quibus Beneficia sita erant, utebantur; idcirco ad querelas Episcoporum cautum fuit in Gallia Edicto Regio anno 1647. nullum vigore provisionis in forma *gratiosa* admitti posse ad possessionem Beneficii cui *cura animarum* incumbit, nisi prævìè examen Ordinarii subierit, sub pœna nullitatis.

Neque hìc in Belgio facilè quisquam ad possessionem Beneficii curati sine examine Ordinarii admitteretur vigore provisionis in forma *gratiosa* in Curia R. obtentæ. Scitur enim, quàm multis modis Pontifici, in remotis agenti, imponi possit; & unà scitur, quàm periculosum sit, ad curam animarum admittere, de quorum capacitate & moribus certitudo non habetur; ut proinde jure omnibus modis soliciti sint Episcopi, ut se de qualitatibus eorum informare queant.

XXIV. At in cæteris Beneficiis, quæ nullam curam animarum annexam habent, non difficulter recipitur provisio in forma *gratiosa*; imò examen circa providendos de Beneficiis simplicibus penè exulavit; creduntur que ad simplicia Beneficia capaces, qui saltem Ordine Sacro sunt initiati.

CAPUT II.

Forma *novæ Provisionis*; item *Perinde valere*; nec non *Perinde* ETIAM *valere*; & *Rationi congruit*.

1. *Ad quid inducta forma* Novæ provisionis.
2. *Differentia inter* Novam provisionem *quando prior fuit à Papa, vel quando ab Ordinario.*
3. *Provisio hæc non retrotrahitur ad datam primæ provisionis: & quis hujus effectus.*
4. *Hæc provisio non præjudicat juri quæsito per primam provisionem.*
5. *Huic provisioni simile est Rescriptum* Perinde valere
6. *Quomodo hoc Rescriptum detur.*
7. *Per hoc Rescriptum non intendit Papa derogare juri tertii.*
8. *In Supplica pro hoc Rescripto exprimendi nominatim omnes defectus primæ provisionis.*
9. *Quid Rescriptum* Perinde ETIAM valere.
10. *Hujus Rescripti nullus hodie est usus in Gallia.*
11. *Rescriptum* Rationi congruit *cur ita dicatur.*
12. *Regula Cancellariæ de hoc Rescripto.*
13. *Finis hujus Rescripti.*
14. *Per hoc Rescriptum gratia ante concessa nihil ad validitatem accedit.*
15. *Hujus Rescripti varior usus in Gallia, & quare.*

I. SPecialis quoque forma provisionis est, quæ vocatur forma *nova provisionis*; & integra refertur à Rebuffo in Praxi *parte 1.* qui & clausulas in ea contentas explicat.

Hæc forma inducta est ut suppleantur defectus qui anteriori provisione forsan intervenerunt; utque priorem provisionem confirmet, & in quantum opus, denuò revalidet & reformet.

II. Hic notandum, quòd si petatur *nova provisio* ad confirmandam provisionem ab *ipsomet* Papa signatam, tunc *nominatim* exprimendos esse defectus ob quos *nova* provisio petitur; aliàs non conceditur: quia nisi *nominatim* exprimatur, supponitur provisio Papæ esse valida.

Si autem prior provisio fuerit per Ordinarium facta, tunc sufficit ut in supplica ponatur generalis hæc & vulgaris clausula, *Cùm ex certis causis de prima provisionis viribus hæsitetur* &c. Papa enim tamquam Ordinariorum Superior defectus ipsorum supplere potest; nihilque nocere credit, si saltem ad cautelam provisiones Ordinariorum confirmet, & si opus est, etiam validet.

III. Hæc provisio non retrotrahitur ad datam primæ provisionis; sed tantùm operatur à die ipsius expeditionis: ideòque si alicui tertio jus quæsitum sit inter utramque datam, inutilis erit hæc *nova* provisio. Habet enim Papæ provisio semper hanc implicitam clausulam, quæ in Bulla exprimitur: *Dummodò tempore datæ præsentium non sit in eo* (Beneficio) *alicui specialiter jus quæsitum.*

IV. Per hanc provisionem juri vigore primæ provisionis quæsito nullatenus præjudicatur; sed jus juri accumulatur, uti ex verbis supplicæ innotescit: *Eidem Oratori sine præjudicio, vel ad illud jam aliunde, ut præfertur, quæsiti, sed jus juri addendo, & antiquum conservando, & de illo etiam providere dignemini* &c.

V. Huic formæ provisionis admodùm simile est Rescriptum, quod vulgò dicitur *Perinde valere*, suppletq; locum *novæ* provisionis in Beneficiorum provisionibus expeditis per litteras seu Bullas Apostolicas.

VI. Rescriptum itaque datur *Perinde valere*, quando Papa gratiam suam ex parte invalidam confirmat: *nova* verò provisio datur, quando collatio facta fuit ab alio, quàm à Papa; ita Rebuffus in Praxi *parte 2. tit.* De Rescripto *Perinde valere*, *num.* 1. & suprà notavimus, *novam* provisionem non dari, quando provisio facta fuit à Papa.

Itaque petitur hoc Rescriptum, quando quis dubitat, primam Papæ provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut *perinde valeat*, ac si valida fuisset tempore impetrationis.

VII. Plura de hoc Rescripto tradit Rebuffus loco citato, enumerans defectus quibus per hoc Rescriptum mederi potest; notátque *n.* 17. quod sicuti per *novam* provisionem, ità per hoc Rescriptum non intendat Papa derogare *juri tertii*: atque eatenus effectus hujus Rescripti non retrotrahitur ad datam primæ provisionis.

VIII. Deinde *n.* 37. monet, quòd supplica oporteat exprimere omnes defectus; nec expressio unius suppleat non expressionem alterius. Unde habetur (ait) in Practica Romana, quod in gratia *perinde valere*, non debet suppleri præter illud quod est in supplica.

IX. Est insuper ex stylo Curiæ Romanæ rescriptum in forma *perinde & etiam valere*: quod impetratur, quando *gratia* à Papa primò facta posteà fuit revocata. Per hoc quippe Rescriptum gratia revocata ad pristinum vigorem revocatur, & reducitur.

X. Hujus Rescripti nullus hodie usus est in Gallia: eò quòd ibi pro regula receptum sit, Papam non posse gratiam semel à se concessam revocare. Vide Gastellum *pag.* 314.

XI. Datur quoque subinde Rescriptum quod vocatur *Rationi congruit*: quia in prooemio Papa ponit hæc verba, *Rationi congruit & honestati* &c.

XII. Hujus Rescripti mentio fit in hodierna Regula 11. Cancellariæ quæ ita sonat: "Item voluit D.N. Papa, „ quòd concessa per felicis recordationis Alexandrum „ Octavum Prædecessorem suum; & de ejus mandato „ expediantur in forma *Rationi congruit &c.* sub die Co„ronationis suæ, ut moris est, & idem quoad concessa „ per piæ mem. Innocentium Undecimum etiam Præ„ decessorem suum ad sex menses duntaxat, ab ipso die „ Coronationis incipiendos observari voluit.

XIII. Ex

XIII. Ex his intelligitur finis hujus Rescripti: nimirum, ut litteræ provisionis expediantur super gratiis à Prædecessore non tantùm immediato (uti erat in antiquis Regulis) *sed* etiam mediato factis, super quibus litteræ expediri non potuerunt, quia Papa qui concesserat morte præventus fuit.

Hunc quoque scopum Rescripti in suo proœmio significat Pontifex dicens: "Rationi congruit & honestati, ut ea, quæ de Romani Pontificis gratia, seu „benignitate in prosequendo justa desideria petentium „processerunt, licet ejus *superveniente obitu*, *Apostolicæ* super illis *litteræ non fuerint confectæ*, suum plenum consequantur effectum.

XIV. Notandum autem, per has litteras non revalidari, aut confirmari priorem gratiam, vel aliquem ejus defectum suppleri; sed tantum valent ad hoc, ut gratia Prædecessore facta, & quæ defectu litterarum probari non potest, per has litteras probari, & plenum effectum sortiri possit, eodem modo ac si per Prædecessorem litteræ expeditæ essent.

Id non obscurè significant verba Rescripto inseri consueta: "Ne autem pro eo quod super collatione & „provisione Beneficii superveniente obitu, Apostolicæ „litteræ confectæ non fuerint, collationis & provisionis hujusmodi *frustretur effectus*, volumus & auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd collatio & provisio „prædictæ perinde à dicta die valeant" &c.

XV. Plura de hoc Rescripto videri possunt apud Rebuffum in Praxi *parte 2. tit. De Gratia* RATIONI CONGRUIT: Hujus tamen usus in Gallia rarior est, eò quòd Beneficiorum saltem minorum possessio accipi soleat vigore solius Signaturæ sine litteris sive Bullis in forma expeditis, uti capite sequenti latius dicetur.

CAPUT III.

Provisio Apostolica expedita ad *petitionem Partis*, & de *Signatura*, & ejus Effectu.

1. *Provisiones Ordinariorum solent expediri in formula* motus proprii, *secus Apostolicæ.*
2. *Pontifex numquam censetur providere* motu proprio, *nisi expressè declaret.*
3. *Provisio Apostolica* motu proprio *non admittitur in Gallia.*
4. *Provisio facta ad petitionem Oratoris est relativa ad supplicam.*
5. *Pontifex præsumitur permoveri ad concedendum per expressa in supplica.*
6. *Provisio sæpe invalida est ob non rectam supplicæ expressionem.*
7. *Ut de validitate & effectu provisionis Apostolicæ judicetur, notitia exprimendorum, & clausularum adjici solitarum necessaria est.*
8. *Prius de* Signatura *agendum; & hujus definitio.*
9. *Partes Signaturæ describuntur: & unde dicta sit* Signatura.
10. *Signatura continet* summatim *quæ in litteris seu Bullis provisionum latiùs extenduntur.*
11. *Absolutâ Signaturâ censetur gratia perfecta.*
12. *Ad essentiam provisionis non exigitur Bulla; sed requiritur ad ejus executionem.*
13. *Regula Cancellariæ requirens expeditionem Bullæ ante executionem.*
14. *Regula à posterioribus Pontificibus in nonnullis aucta & quare?*
15. *Hodie ex stylo Curiæ Romanæ necessaria est expeditio Bullarum ut habeatur effectus provisionis; qui stylus in Signaturis supponitur.*
16. *Signaturæ creditur, si à Bulla discrepet; item quoad certas circumstantias.*
17. *Aliquando Signatura sine Bulla* plenam *fidem facit.*
18. *Quid agendum cùm expeditio Bullæ haberi nequit.*
19. *In Gallia sola Signatura sine Bullis in plerisque Beneficiis sufficiat.*
20. *Signatura hodie in Gallia verificari debet à duobus Bancquariis.*
21. *Formula verificationis Signaturæ.*
22. *In Belgio possessio Beneficii non accipitur sine litteris.*
23. *Signatura in effectu easdem clausulas continet, quæ in Bullis occurrunt.*

I. PRovisiones sive collationes Ordinariorum eo tenore expediri solere, tamquam *motu proprio* factæ essent, nullâ alicujus supplicationis aut petitionis pro obtinendo Beneficio factâ mentione, notavimus suprà *tit. 21. cap. 2. num. 10.* secùs quoad provisiones Apostolicas stylus hodiernus habet. Hæ enim plerumque expediuntur ad supplicationem partis; ita ut in ipsis litteris nominatim exprimatur, Provisum pro tali Beneficio *supplicasse*; ipsumque Pontificem ad ejus supplicationem seu petitionem gratiam fecisse.

II. De hac provisione loquitur Bonifacius VIII. in *Cap. 23. De Præbendis in 6.* ubi unà declarat, omnem *gratiam* sive provisionem censeri datam ad *petitionem* partis, nisi *expressè* secùs cautum sit. "*Motu* quoque „*proprio* (ait) tunc solum gratia fieri censeatur, cum „hoc *expressè* cautum fuerit in eadem.

III. Et sanè hodie in his viciniisque Provinciis rarissimus est usus provisionum *motu proprio*; imò si Claudio Fleurii in Institut. Juris Canonici *l. 2. c. 21.* credimus, provisiones *motu proprio* expeditæ in Gallia non ampliùs admittantur, postquam compertum fuit, clausulam *motu proprio* esse formulam styli.

IV. Provisio autem quæ datur ad supplicationem seu petitionem alicujus, censetur semper esse relativa ad supplicam, sive ad illa quæ ipsi Pontifici exposita sunt. Nec enim præsumitur Pontifex aliud velle dare, quàm petitur; quod & satis innuit signando ad calcem supplicæ: *Fiat ut petitur.*

V. Ulterius, quia gratia sive provisio respondet supplicæ, creditur ipse Pontifex permotus ad gratiam hanc annuendam per ea, quæ in supplica sunt expressa; unà supponens, nihil falsi in supplica esse expressum, aut veri, quod exprimi oportuisset, omissum.

VI. Unde si quid falsi sit expressum, aut veri omissum, ratione cujus ipse Pontifex per *errorem* concessit, aliàs non concessurus, ipsa provisio tamquam *sub* & *obreptitia* erit invalida; eò quod data censeatur provisio sub hac tacita conditione: modo omnia *sincerè* ac *verè*, prout oportet, in supplica sint expressa; idque est expressione seu formâ, quæ juxta stylum in Curia Romana requiritur.

VII. Ut ergo de validitate aut invaliditate provisionis Pontificiæ judicari queat, conveniens imò necessarium est, ut intelligatur, quæ & qualiter in supplica sint exponenda juxta receptum stylum Curiæ Romanæ.

Insuper ex stylo Curiæ Romanæ adjici solent in ipsis litteris provisionis variæ clausulæ, tum ad ipsam gratiam, tum ad ejus effectum & executionem pertinentes; à quibus ipsa gratia, ejus effectus, & executio sæpe dependent: quarum proinde notitia, tum pro intellectu litterarum provisionis, tum recto earum usu & executione non conveniens modò, sed penè necessaria est.

VIII. Priusquam tamen de exprimendis in ipsa supplica, & clausulis, quæ litteris provisionis inseri solent, agatur, prænotantum, ante confectionem litterarum seu Bul-

Bullarum priùs confici quamdam minutam seu protocollum ipsarum litterarum, quæ ex stylo Curiæ vocatur *Signatura*.

Definitur autem à Rebuffo in Praxi *parte 1. tit. de Signatura gratiæ*: "Scriptura in papyro conscripta, à „Papa vel ejus Delegato, absque sigillo, in medio scri„pta, partis supplicationem, Papæque concessionem „breviter continens.

IX Itaque Scriptura hæc continet primò ipsam partis supplicationem, quâ Pontifici exponit, tale Beneficium vacare, illudque sibi à Sede Apostolica conferri petit.

Deinde post supplicationem sequitur consensus ipsius Papæ, qui exprimitur vel per ipsum Papam signando: *Fiat ut petitur*; vel per ejus Delegatum signando: *Concessum ut petitur in præsentia D. N. Papæ*: atque ab hac signatione hæc scriptura vocatur *Signatura*; quasi scriptura *signata*, id est, subscripta.

Post hæc ponitur concessionis Papæ declaratio, quæ incipit ab his verbis Signaturæ: " *Et cum absolutione à* „*censuris* &c. Nam quod Papa simpliciter concedit, di„cendo: *Fiat ut petitur* vel: *Concessum ut petitur*, post„eà exprimit, quæ concedere velit: & hanc partem vo„cant Pragmatici *dispositionem* seu *clausulam*, ubi Papa „conscribit illas clausulas, quas concedere cupit. " Ita Rebuffus ibidem *num. 23*.

X. Ex his patet, ipsam Signaturam omnia in effectu & compendiosè continere, quæ in ipsis litteris seu Bullis postmodum latiùs extendenda & exprimenda sunt; ut propterea dici queat *minuta* ipsarum litterarum sive Bullarum: nam ut dicit Rebuffus *n. 15.* solent describi *summatim* omnes clausulæ in Bulla ponendæ.

Quomodo & per quos Signatura expediatur juxta stylum Curiæ, diximus suprà *parte 1. tit. 23. cap. 2.*

XI. Cùm ipsa Signatura contineat summatim non tantùm ipsam supplicam, sed & ipsum consensum Papæ cum omnibus clausulis, indubitatum est, ipsam *gratiam*, sive *provisionem* per ipsam Signaturam accepisse suam perfectionem; neque ulteriores litteras sive Bullas ad *essentiam* gratiæ perficiendam requiri. Sicuti contractus censetur perfectus, quando contrahentes hinc inde coram Notario signârunt, & minuta seu protocollum per Notarium est absolutum.

XII. Hinc notat Chokier ad Regulam Cancellariæ *De non judicando juxta formam supplicationis nu. 24.* quod "quoad essentiam & effectum gratiæ non re„quiratur Bullarum expeditio; verumtamen de stylo „Curiæ & quoad exercitium gratiæ, sive illius proba„tionem & canonizationem, aliud dicendum est: quia „executor non aliter gratiam exequitur, nisi Bullis ex„peditis: cùm demùm ab illis potestas ipsorum & *pro*„*batio* gratiæ pendeat.

XIII. Hic stylus Curiæ, qui effectum & exercitium gratiæ seu provisionis suspendit à litteris seu Bullis expeditis, expressus est in citata Regula Cancellariæ, quæ tempore Innocentii VIII. erat 25. hodie autem est 27. soletque his verbis proponi: "Item cùm ante confe„ctionem litterarum gratia Apostolica sit informis, vo„luit, statuit, & ordinavit idem Dominus Noster, „quòd Judices in Romana Curia & extra eam pro tem„pore existentes, etiamsi sint S. R. E. Cardinales, cau„sarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicumque „alii non juxta supplicationum signaturam super qui„busvis interpretationibus (nisi in dicta Curia dum„taxat sint commissiones justitiam concernentes per „Placet, S. R. E. Vicecancellarium juxta facultatem „super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta litterarum „super eisdem impetrationibus, & concessionibus con„fectarum tenores, & formas judicare debeant. Decer„nens irritum &c.

XIV. Regula hæc per posteriores Pontifices nonnihil extensa & ampliata fuit: ac signanter Adrianus VI. addidit initialia hæc verba: *Cùm ante confectionem litterarum gratia Apostolica sit informis*: per quæ noluit significare, gratiam esse *informem* quoad essentiam, sed dumtaxat quoad probationem, & quia executor nisi Bullis expeditis gratiam exequi vetatur.

Juxta antiquam expressionem Regulæ dubitatur, num Regula tantùm loqueretur de Judicibus in Curia existentibus; cujus dubii tollendi causâ Julius III. addit hæc verba: *Et extra Curiam*, quæ omne dubium tollunt.

XV. Itaque inspectis verbis Regulæ prout hodie est concepta, necessariò requiruntur litteræ seu Bullæ in forma expeditæ, priusquam gratiæ seu provisionis plenus effectus vel executio haberi queat. Unde hodiernæ omnes Signaturæ supponunt conficiendas & expediendas Bullas conformiter ad Signaturam; ipsæque Signaturæ semper ita formantur ac si litteræ necessariò expediri deberent. Exempli gratiâ, dum in Signatura omissum est nomen per cujus obitum Beneficium vacat, ponitur in Signatura: *Cujus nomen proprium, si videbitur, in* LITTERIS *exprimetur*. Dein in tertia parte Signaturæ: *Ac* LITTER*æ in forma simplicis provisionis*; aliæque plures similes clausulæ mentionem *litterarum* facientes, probant, quòd Signatura supponat expeditionem *litterarum*; uti & omnes illæ abbreviationes in Signatura positæ, quæ nisi in litteris extenderentur, intelligi non possent.

XVI. Porrò, quia ipsa Signatura est *minuta* ipsarum litterarum, si hæ à Signatura tamquã à sua *minuta* discrepent, credit Chokier ad hanc Regulam *num. 33.* quòd crederetur Signaturæ. Et ita à Senatu Parisiensi judicatũ refert Rebuffus in Praxi parte 1. tit. *Tertia pars Signaturæ*, verbo, *Datum*, *num. 10*. Addit insuper, quod credetur Signaturæ quoad circumstantias gratiæ, puta temporis vel qualitatis.

XVII. Vult quoque Rebuffus in Praxi parte 1. tit. *Tertia pars Signaturæ* verbo, *Datum. num. 5.* quod "fal„lat hæc Regula quando approbata (Signatura) per „librum registri Signaturarum fuerit: quia tunc facit „plenam fidem, sicut protocollum Notarii: & eo casu „habebo sumptum, & valebit quoad probationem: nam „ex stylo Curiæ Romanæ *gratiæ* Papæ possunt ex regi„stro sumi, & aliter probari, quàm per litteras Bulla„tas. " Hæc Rebuffus.

Prosequitur dein *n. 7.* " Secundò restringe (hanc re„gulam) quando alio modo fuerit (Signatura) appro„bata, & aliis adminiculis fulcita, utpote per mensula„rios expertos, qui deposuerunt eam bonam & secun„dùm stylum Curiæ Romanæ conceptam.

XVIII. Hinc infert *n. 8.* " Practica ergo est in Fran„cia, ut si non possim obtinere Bullam obstante legitimo „belli, vel alio impedimento, ut impetrem litteras Re„gias, per has impedimentum narrem, & petam mihi „concedi, ut liceat approbare per experientes, dictam „Signaturam: & verificari & concedi solet obstante & „constante impedimento, & hoc vidi sæpiùs fieri, & „hoc quandoq; etiam sine litteris per supplicationem, „quando est notorium impedimentum, sed aliàs con„cedi non debet.

XIX. Quin teste Claudio Fleurii citato *c. 21.* "Post„quam provisiones Pontificiæ factæ sunt frequentiores „ob resignationes in *favorem* pensiones, nec non præ„ventiones in omni genere vacationis, visæ sunt Bullæ „expeditæ in parchameno, & plumbo sigillatæ nimis „dispendiosè respectu minorum Beneficiorum, ideo„que inducta est praxis accipiendi possessionem vigore „simplicium Signaturarum, quæ sunt ipsarum Bulla„rum minutæ. Necessitas autem Bullarum remansit in „provisione Episcopatuum, Abbatiarum, & aliorum „Beneficiorum quæ Provisum constituunt Caput ali„cujus Corporis Ecclesiastici.

De eodem usu Regni Galliæ testatur Perardus Castellus

stellus in sæpius citata Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 162. dicitq; hoc privilegium, uti & plura alia, solis Gallis esse concessum.

XX. Ad evitandas autem fraudes, novissimè cautum est Edicto Regio anno 1667. quòd nulla fides habebitur *Signaturis*, Bullis aliisque Curiæ Romanæ expeditionibus, nisi duorum Expeditionariorum seu Bancquariorum certificatione ad calcem originalis adscriptâ munitæ fuerint: quod rursus renovatum fuit altero Edicto Regio 7. Septembris anno 1691. in quo prætereà plura de Bancquariorum officio & numero ac juribus constituuntur: extatque integrum apud Claudium Hortii in suo *Tractatu novo de Materiis Ecclesiasticis pag.* 52. edit. 1695.

XXI. Exhibet idem *pag.* 530. integram Signaturam *per obitum* signatam à duobus Bancquariis hâc formulâ gallicè expressâ:" Nos infrascripti Conciliarii Regis, Banc„quarii expeditionarii Curiæ Romanæ, commorantes „in hac civitate Parisiensi, notum facimus omnibus quo„rum interest hanc præsentem *Signaturam* esse legiti„mam, veram & originalem, & *Datam* illius esse de 7. „Novembris ultimi; in quorum fidem has signavimus „Parisiis hâc 28. Januarii 1688 " Et erat signatum *Baudet De Beaumont & Le Maire.*

XXII. Hisce in Provinciis sequimur citatam Regulam Cancellariæ; neq; sine litteris seu Bullis in forma expeditis possessio Beneficii, vigore provisionis Romanæ accipitur.

XXIII. Verùm sive vi simplicis Signaturæ, sive litterarum provisio recipiatur, eædem tamen clausulæ verificari debent: quia, uti diximus, Signatura tamquam minuta conficiendis latiùs dumtaxat extenduntur.

Rebuffus in Praxi Beneficiorum exponens Signaturam ejusq; clausulas, eam in tres partes dividit. Prima pars, quæ continet ipsam supplicam, dicitur *Corpus* Signaturæ. Secunda pars dicitur, in qua Papa vel ab eo commissus subscribit Oratoris supplicationi. Tertia autem pars est dispositio & Papæ concessio; & quod ipse simpliciter concessit, dicendo, *Fiat ut petitur*, hic singillatim exprimitur.

Præcipuas clausulas in tribus hisce partibus Signaturæ summatim quidem: in Bullis verò extensè exprimi solitas breviter in sequentibus exponemus, ut & Signaturarum, & Bullarum aliqualis notitia haberi queat.

CAPUT IV.

De exprimendis in prima & secunda parte Signaturæ.

1. *Debet exprimi nomen Supplicantis; & cujus sit Diœcesis.*
2. *Papa non facilè providet exteris ob ignorantiam* idiomatis *juxta Regulam Cancellariæ, quæ refertur.*
3. *Aliqua ex hac Regula sublata, & quare?*
4. *Aliqua addita; & ratio additionis.*
5. *An Regula de omnibus Beneficiis Curatis intelligatur?*
6. *Hæc Regula in jure Divino fundatur.*
7. *Non admittitur ejus derogatio in Gallia; nec in Belgio.*
8. *Exprimendum Beneficium vacans ejusque qualitates.*
9. *Regula Cancellariæ de qualitatibus exprimendis.*
10. *Verus valor exprimendus juxta Regulam Cancellariæ, quæ exhibetur.*
11. *Olim non debebat valor exprimi.*
12. *Expressio valoris præcipuè fit ob taxationem* annatarum.
13. *Annata in plures species dividitur; & unde sic dicta.*
14. *Prima species annatæ; & pro quibus Beneficiis solvenda.*
15. *Secunda species; & quare dicta* commune servitium.
16. *Tertia species quæ dicitur* minuta servitia.
17. *Quarta species dicta* quindennium; *quando solvatur.*
18. *Nonnulli credunt Ioannem* XXII. annatarum *auctorem.*
19. *Alii Bonifacium* IX.
20. *Certum est hodiernam annatarum formam primùm à Bonifacio* IX. *inductam & quæ hæc forma.*
21. *Annata hodie non comprehendit fructus* unius *anni.*
22. *Ad annatam constituendam* verus *valor exprimendus.*
23. *Beneficia non consistorialia solent exprimi sub valore* 24. ducatorum *auri de camera.*
24. *Nunquam inquiritur* verus *valor horum Beneficiorum.*
25. *Ratio inducta consuetudinis.*
26. *Ubinam hæc consuetudo locum habeat.*
27. *Clausula expressionis veri valoris hodie in hujusmodi Beneficiis est meri styli.*
28. *Beneficia consistorialia non taxantur juxta* verùm *valorem.*
29. *Exiguus est in Belgio usus Regulæ de* exprimendo vero *valore.*
30. *Exprimendum est Beneficium* ante *obtentum.*
31. *Ratio hujus expressionis.*
32. *De Papæ Signatura, ejusque diversa forma.*
33. *Effectus diversi singularum formarum remissivè.*

I. PRima pars Signaturæ uti & litterarum sive Bullæ continet ipsam supplicam partis.

Hic debet non tantùm nomen ipsius Supplicantis exprimi, sed etiam cujus sit Diœcesis, item Diœcesis in qua situm est Beneficium quod petitur; ratio est, quia Papa faciliùs providet *indigenis*, quàm exteris, ait Rebuffus in expositione *primæ partis Signaturæ.*

II. Adhæc quia exteri frequenter non callent, saltem perfectè idioma loci, etiam hac ratione non facilè Papa exteris providere intendit, saltem de beneficiis curatis; idq; juxta Regulam 20. Cancellariæ *De Idiomate*, quæ hodie hoc tenore exprimitur:" Item voluit, quòd si con„tingat ipsum alicui personæ de Parochiali Ecclesia, vel „quovis alio beneficio exercitium curæ animarum Pa„rochianorum quomodolibet habente, providere, nisi „ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat i„dioma loci, ubi Ecclesia, vel beneficium hujusmodi „consistit, provisio seu mandatum, & gratia desuper „quoad Parochialem Ecclesiam, vel beneficium hujus„modi nullius sint roboris vel momenti.

III. Hæc Regula nonnihil diversa est ab antiquis. Imprimis enim in antiquis habebantur hæc: *Vel mandare providere, vel gratiam expectativam concedere*: quæ è Regula sublata sunt indubiè ob Decretum Concilii Tridentini, quod mandata de providendo & expectativas *ad vacatura* abolevit.

IV. Addita autem sunt à Gregorio XIII. & Successoribus: *Vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum quomodolibet habente*;" ut nimirum includantur omnia „beneficia curam animarum habentia, qualia sunt *suc„cursus*; qui licet non sint *curata Beneficia*, sed simplicia „sub dispositione tamen hujus additionis comprehen„dentur," ait Chokier ad hanc Regulam *n.* 7.

V. Interim quod hìc de beneficiis curam animarum habentibus generaliter dicitur, indubiè intelligi oportet de

de cura respectu populi, qui patrio idiomate dirigendus est: alioquin si cura dumtaxat concernat Clerum, sub hac Regula hujusmodi beneficium non comprehendetur. Quia licèt Provisus non intelligat idioma *loci* in quo beneficium est situm novit tamen idioma quo indigent hi quorum cura sibi incumbit: atq; ita cessat ratio ipsius Regulæ.

Ut quid enim Regula peritiam idiomatis *loci* in quo beneficium situm est requirit nisi quòd ignorans hoc idioma nesciat eos, quorum curam habet, instruere, ad bonum incitare, confessiones eorum audire, aliaq; eis subsidia spiritualia subministrare, quæ cura animarũ requirit?

VI. Unde quemadmodum jure Divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas verbi Divini prædicatione, & Sacramentorum administratione pascere, uti loquitur Synodus Tridentina *sess.* 23 *c.* 1. *De Reform.* similiter jure divino tenentur idioma populi, cujus curam habent, callere: quia sine hujus peritia ea præstare nequeunt.

VII. Quare notat Rebuffus in additione ad hanc regulam, in Francia non admitti dispensationem contra illam regulam, *quæ est* (ait) *juris Divini*. Neq; in Belgio admitti posse similem dispensationē, sat insinuant Edicta Regia, quæ nullam de *non residendo* clausulam in provisione beneficiorum Curatorum admitti volunt, non alium in finem, quam ut similia beneficia obtinentes *per se* curam animarum subire cogantur, quod sine notitia idiomatis fieri nequit: Quare in Edicto Caroli V. de 20. Octob. 1541. expressè cautum est, non concedendas litteras *Placeti* super dispensatione *imperitiæ idiomatis* quoad beneficia Curata. Habetur parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1.

VIII. In supplica non tantùm exprimendum beneficium vacans; sed & beneficii qualitates, quæ possent Pontificem forsan ad annuendum postulationi reddere difficiliorem; v.g. an beneficium sit curatum vel non, si Dignitas, si personatus, item si beneficium sit electivum.

IX. De hac qualitatum expressione est Regula Cancellariæ, quæ hoc tenore exprimitur: "Item voluit quod super beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet, an dignitates, personatus vel officia sint, eisque immineat cura animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, mentio fiat; aliàs gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qualitates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non exprimantur, negativa expressè desuper fiat in beneficiis, quæ tales qualitates vel ex eis aliquas consueverint habere.

De qualitatibus conformiter ad hanc regulam, & stylum Curiæ Romanæ exprimendis, videri possunt Chokier in commentario ad eandem regulam, & ab eo citati.

X. Insuper *verus* valor beneficii de stylo Curiæ Romanæ exprimendus est juxta regulam Cancellariæ *De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus*, quâ decernitur, " quod in gratiis, quibusvis personis de beneficiis vacantibus, seu certo modo vacaturis, fieri contigerit illorum, & aliorum quorumcumq; beneficiorum, quæ dictæ personæ, tunc obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum; vel concessum, aut mandatum provideri, *verus annuus valor*, per marchas argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonens. parvorum, seu florenos auri, aut ducatos, vel unicas auri, seu aliam monetam secundùm communem æstimationem exprimatur, nisi personæ prædictæ, beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in quibus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, aut aliàs dimittere teneantur. Alioquin gratiæ prædictæ sint nullæ. Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate sua motu proprio emanare contigerit, quoad beneficia tamen, de quibus per Sanctitatem suam pro tempore providetur, seu provideri mandatur, aut aliàs disponitur, ac litteris, per quas pro tempore ad Ecclesiarum Parochialium, & Cathedralium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut Monasteria, & alia beneficia Ecclesiastica secularia, & regularia per ea obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis competit, retinere possint.

XI. Ad hanc valoris expressionem reflectens Panormitanus ad *Cap.* AD AURES ⁏ *De Rescriptis nu.* 4. ait: "Puto quod circumscripto stylo Curiæ non sit de jure veteri necessarium facere mentionem de quantitate valoris: quia beneficium debet principaliter conferri propter spiritualia: temporalia autem veniunt accessoriè ad spiritualia. Sed quia hodie ut plurimum conferuntur beneficia propter temporalia, ideo fuit ordinatum & est de stylo Curiæ, ut fiat mentio de valore: tamen bene considerando, non est provisio inutilis: quia dispensatio temporalium non debet cuiq; committi; sed secundùm qualitatem personæ debet committi dispensatio.

XII. Varias editæ hujus Regulæ rationes à variis adduci notat Gomesius in proœmio ad hanc regulam: " Nam quidam (ait) existimarunt eam editam causâ tollendæ avaritiæ, ne scilicet per taciturnitatem valoris, aliquis ultra merita, & plusquam oportet, de beneficiis Ecclesiasticis caperet, & ita per falsam valoris expressionem debitus dispensationis modus Papæ [cui est hæc cura à Deo demandata) tolleretur. Quidam verò propter annatas, ne defraudarentur, regulam factam fuisse existimant. Et istorum opinio magis recepta videtur ex eo quia regula ista de valore, adhæret taxis annatarum. Nam videmus quod in beneficiis, in quibus non solvitur annata, non exprimitur valor, ut patet in monasteriis Monialium & hospitalibus datis ad administrationem.

XIII. Nomen *Annatæ* esse nomen generis quod in varias species dividitur, monet Fagnanus ad *Cap.* PRÆTEREA ⁏ *Ne Prælati vices suas* &c. Annatas autem sic nuncupari (ait) quia omnes debentur ex fructibus primi anni beneficiorum vacantium.

Prima species est annata propriè dicta; & hoc modo assumit nomen speciei, ait Fagnanus.

XIV. "Annata sic sumpta solvitur (ait Fagnanus) pro omnibus beneficiis inferioribus præter Episcopatus & Abbatias Consistoriales & est dimidia pars veri valoris annui fructuum beneficii vacantis, & hæc integrè Summo ipsi Pontifici relinquitur.

XV. Secunda species est *commune servitium*, quæ est certa quantitas pro quolibet Episcopatu vel Abbatia Consistoriali secundùm antiquam taxam solvenda.

Dicitur *servitium*, quia juxta vulgare Italicum quælibet datio nuncupatur *servitium*, sive debita sit, sive non inquit, Fagnanus. Dicitur autem *commune*, quia ejus dimidium tribuitur Papæ, reliquum S. Collegio Cardinalium inter ipsos Cardinales præsentes dividendum.

XVI. Tertia species Annatæ "sunt *minuta* servitia; quæ sunt quinque portiunculæ, quæ secundum proportionem taxæ fructuum Episcopatus vel Abbatiæ inter certos Papæ ministros & Officiales dividuntur." Fagnanus ibid. *n.* 12.

XVII. Quarta species annatæ vocatur *Quindennium* quæ, à prædictis differt nomine tantùm & accidentali temporis præfinitione, quia de quindecim in quindecim annos, juxta Constitutionem Pauli II. abolitis aliis solutionum annatarum terminis usq; ad sua tempora observatis, pro beneficiis perpetuò *unitis*, solvitur ab illis, in quorum favorem talia beneficia sunt unita, ut in Extrav. *Decet Romanum.*" Fagnanus *nummer.* 13.

XVIII. Annatarum originem plures referunt ad Joannem XXII. in *Extravagante* 11. *De Præbendis* inter communes ubi reservat Sedi Apostolicæ fructus & proventus primi

primi anni beneficiorum vacantium inferiorum Episcopatibus & Abbatiis, in verbis, "Præsertim cum Archiepiscopales & Episcopales Ecclesiæ, ac regulares Abbatiæ ab hujusmodi solutione fructuum, ut dicunt) in dictis litteris eximantur.

XIX. Ob hanc exceptionem & quia suam reservationem ad triennium restrinxit, credunt alii, huic Pontifici originem annatarum adscribi non posse; sed earum auctorem esse Bonifacium IX. qui anno 1392. durante scismate, "ingravescentibus rei pecuniariæ difficultatibus, ob continuos armorum fragores sanxit, ut redigendorum ex omnibus sacerdotiis, quæ à Sede Apostolica conferentur, vectigalium, quæ primo labente anno obvenirent, dimidia pars in fiscum Pontificium inferretur.

Hæc Odorycus Raynaldus ad annum 1392. *num.* 5. qui & ad annum 1399. *numer.* 12. refert verba Theodorici Niem, quibus testatur, hanc Pontificem primus fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservasse.

Idipsum de eodem Pontifice scribit Platina in ejus vita; qui addit, quod annata ab ipso imposita tantùm conficeret *dimidiam* partem proventuum primi anni: "Annatarum usum beneficiis Ecclesiasticis primus imposuit sat hac conditione, ut qui Beneficium consequeretur *dimidium* annui proventus Fisco Apostolico persolveret.

XX. Quidquid sit de primo auctore, ac primigenia annatarum origine, certum est, quòd forma quæ hodie in solutione & exactione annatarum tenetur primùm inducta sit à Bonifacio IX. quemadmodum notat Fagnanus loco citato *n.* 10. dicens: "Antea enim per Pontifices exigebantur mediantibus eorum Commissariis, fructus integri unius anni per triennium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus proviso relictis. Sed Bonifacius ut consuleret ipsis provisis, & obviam iret extorsionibus, quæ per Commissarios committebantur, reduxit Annatæ solutionem ad medietatem valoris annui fructûs, cum onere tamen, ut provisus anticipatè de propriis pecuniis in relaxatione suarum litterarum eam solveret. Et propterea in relaxatione supplicationis fiebat obligatio in Camera de illam solvendo; & sic litteræ in totum expediebantur quæ retentæ in Camera Apostolica relaxabantur, mediante quietantiâ Thesaurarii.

XXI. Deinde monet, hinc patere non ideo *annatam* vocari, quòd complectatur fructus omnes unius anni; sed "quia solvitur ratione fructuum *primi anni*; vel quia dicta annata, per Bonifacium IX. introducta, successit in locum reservationis, quàm anteà Pontifices facere consueverant pro suis, & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus de omnibus fructibus, & proventibus unius anni beneficiorum ad tempus vacantium; quæ exinde usque ad triennium, aut quinquennium, vel aliud tempus, in certis designatis provinciis vacarent: quos quidem fructus pro se, & Camera Apostolica Romani Pontifices per suos Collectores percipiebant.

XXII. Ut ergo Annata justè taxari posset pro ratione fructuum beneficiorum, exprimendus est juxta hanc Regulam & stylum Curiæ Romanæ *vetus* valor beneficiorum vacantium secundùm communem æstimationem.

XXIII. Verùm hodie consuetudo tam in Gallia, quàm Belgio invaluit ut valor omnium beneficiorum, exceptis Episcopatibus, Abbatiis, aliisque *consistorialiter* conferendis exprimatur sub taxa 24. *ducatorum auri de Camera*; tametsi *verus* eorum valor secundùm communem æstimationem ascendat etiam ad triplum & amplius illius taxæ.

Unde formula consueta in omni supplicatione & provisione hujusmodi Beneficiorum est: *Quòd illorum proventus valorem annuum 24. ducatorum auri de Camera non excedat.*

XXIV. Unde quoad hujusmodi Beneficia numquam fit examen aut inquisitio circa proventus Beneficiorum, in ordine ad veritatem hujus expressionis, sed sive exigui sive magni & notabiles sint Beneficiorum proventus, semper hæc formula servatur; neq; umquam ob falsam valoris expressionem provisio, ut sub- vel obreptitia impugnatur.

XXV. Quæ sit hujus consuetudinis seu styli origo, incertum est. Hoc constat, vi Concordatorum Germaniæ Beneficia, quorum proventus non excedunt valorem 24. florenorum de camera à solutione annatarum esse immunia, in verbis: *Sed de Beneficiis, quæ valorem 24 florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvetur.*

Cùm ergo Principes sæpiùs institissent apud Romanos Pontifices pro moderatione Annatarum, verisimile est, tandem obtentum esse, ut Beneficia & Dignitates non consistorialia exprimerentur sub expressione istius taxæ Cameralis 24. ducatorum auri de Camera: ut sub umbra talis taxæ Cameralis, immunitas Annatarum sine aliorum consequentia tribueretur, uti loquitur Zypæus Consult. 6. De Rescriptis *n.* 2.

XXVI. Ut sit de occasione inductæ consuetudinis, certum est, eam non tantùm in Belgio & Gallia, sed & in Hispania & Germania invaluisse, uti ex Chokier ibi notat Zypæus; addit q; idipsum amplè etiam expressum fuisse in quadam decisione Rotæ Romanæ data 20. Novemb. 1624. verba eò spectantia ex originali ibidem exhibens; ubi notandum, quòd expressè dicatur, hoc introductum fuisse per Concordata, *ut evitetur solutio Annatæ in Curia.*

XXVII. Hinc patet, clausulam expressionis valoris in hujusmodi Beneficiis hodiè tantùm esse meram formulam styli; nec significare verum valorem Beneficiorum non excedere 24. ducatos auri de Camera, sed vi consuetudinis sat notæ nihil aliud significare, quàm hæc Beneficia solutioni Annatarum non esse subjecta.

XXVIII. Similiter licèt Episcopatus & Abbatiæ Consistoriales etiàmnum hodie Annatas seu *servitia communia* solvere debeant, nihilominus verus eorum valor, qui *nunc* est secundum eorum communem æstimationem, non exprimitur: sed secundùm antiquam taxam Cancellariæ Romanæ, quæ semper retinetur: quemadmodùm notat Fagnanus ad dictum *Cap.* PRÆTEREA.

XXIX. Hinc facilè intelligitur, non esse hodie hisce in partibus magnum usum hujus Regulæ; atq; cessare quæstiones circa illam moveri solitas, quas apud Chokier aliósque ejus Commentatores videre licet.

XXX. Non tantùm Beneficium pro quo supplicatur exprimendum est cum omnibus suis qualitatibus; sed etiam quantumvis exiguum ante obtentum *Cap.* 23. *De Præbendis in* 6. ubi dicitur, quod si ad petitionem alicujus Beneficium conferatur à Sede Apost. provisio sit nulla, si *quantumcumque modicum* Beneficium ante obtentum taceatur; neque defectus hic suppleretur, etsi Provisus vellet Beneficium illud statim dimittere; uti notat Rebuffus in Praxi *parte* 1. *tit. De Forma nova provisionis.*

XXXI. Cùm enim pluralitas Beneficiorum sit contraria sacris Canonibus, numquam Papa censetur velle eam probare, nisi saltem de ea priùs certior factus sit, ut habitâ notitiâ dispiciat, num justa sit causa dispensandi.

XXXII. Post supplicam sequitur Signatura; quæ subinde ponitur ab ipso Pontifice sub hac formula *Fiat ut petitur*, cum appositione primæ litteræ sui nominis Baptismalis v. g. *Fiat ut petitur A* in Signatura moderni Pontificis Innocentii XII. qui ante Pontificatū vocabatur

Antonius

Antonius. Aliquando Signatura ponitur per Commissarium Pontificis sub hac forma: *Concessum ut petitur in præsentia S. D. N. P.* cum expressione sui nominis.

XXXIII. De hac duplici Signatura, ejúsque diverso effectu videri possunt, quæ dicta sunt *parte 1. tit. 23. capit. 2.* ubi etiam monuimus aliquando recurrendum esse ad Signaturam, ut sciatur quâ formâ ipsa Signatura fuerit expressa; cùm id ex tenore Bullæ dignosci nequeat: eò quòd Bullæ eodem modo conficiantur, sive sub una sive sub altera forma fuerit Signatura posita.

CAPUT V.

De Clausulis tertiæ partis Signaturæ.

1. *Tertia pars Signaturæ incipit ab absolutione à censuris; cujus formulare refertur.*
2. *Hæc absolutio tantùm prodest ad unum effectum.*
3. *Non operatur quoad omnes excommunicationes.*
4. *Clausula surrogationis, quando Beneficium est* litigiosum.
5. *Hæc clausula respicit dispositionem* Cap. 2. Ut lite pendente in 6.
6. *Huic dispositioni per eam clausulam derogatur.*
7. *Hodie hisce in provinciis hæc clausula reputatur esse tantùm* styli.
8. *Additur clausula surrogationis quoad* possessorium.
9. *Hic fit surrogatio apud Judicem coram quo lis pendet.*
10. *Clausula quâ permittitur, ut in una è variis formis litteræ expediantur.*
11. *Formula,* Si neutri, *item* Si nulli, *&* Si alteri, *quomodo differant, & quando adhibeantur.*
12. *Clausula,* Cum gratificatione opportuna, *quando apponatur; & quis ejus finis.*
13. *Non admittitur in Gallia, & quare.*
14. *Clausula* Anteferri *præcedenti admodùm similis in Gallia quoque non admittitur.*
15. *Clausula derogatoria jurispatronatus.*
16. *Hæc clausula necessaria si Beneficium sit jurispatronatus* laici.
17. *Papa non intendit præjudicare juri* laicorum.
18. *Papa solet concedere derogationem pro* medietate; *& quis hujus effectus.*
19. *Quid intendatur per clausulam ad priorem relativam:* Citra tamen illius approbationem.
20. *Hæc clausula hic & in Gallia est sine effectu.*
21. *Uti & hæc:* Ex fundatione, aut dotatione.
22. *Verba clausulæ:* Etiam Nobilium & Illustrium, *quare apponantur.*
23. *Supponit Curia Romana Papam posse derogare juripatronatus* mixto; *sed aliud hic servatur.*
24. *Clausula* Litigiosum *supponit derogationem jurispatronatus laici* litigiosi; *quod hic non recipitur.*
25. *Quid indicet clausula* Devolutum.
26. *Generalis clausula derogatoria Statutorum; & quis ejus effectus.*
27. *Quid significetur per clausulam Signaturæ*, Committatur.
28. *Clausula Bullæ de non tollendo jure tertii.*
29. *Regula Cancellariæ huic clausulæ correspondens.*
30. *Hæc per sequentes Pontifices ad* quamcumq; *provisionem Papæ extensa.*
31. *Regula intelligitur de quocumque jure.*
32. *Mandat Papa, ut executor cognoscat de jure alteri quæsito.*
33. *Hæc auctoritas hodie Executori hic non competit.*
34. *Ordinario cui provisio in forma* Dignum *committitur, tantùm competit examen super capacitate providendi.*
35. *Clausulæ omnes quæ sunt styli habentur pro expressis.*
36. *De appositione* Datæ *remissivè.*

I. TErtia pars Signaturæ incipere solet ab hac clausula: *Et cum absolutione à censuris ad effectum* &c. quæ in litteris seu Bulla hoc modo extenditur: *Te à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisq; Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis harum seriè absolventes, & absolutum fore censentes ad effectum præsentium dumtaxat consequendum.*

Hæc clausula unicè respicit impetrantem, qui aliquâ censurâ esset innodatus, quæ ipsum ad beneficium obtinendum redderet incapacem.

II. Notandum autem, hanc generalem clausulã hodie esse exigui affectûs. Imprimis enim certum est, eam non absolvere impetrantem à censuris, nisi dumtaxat ad *hunc effectum consequendum*; id est, ut fit capax hujus provisionis. Unde nec impetrans vigore hujus absolutionis poterit celebrare, nec Horis interesse, nec alia facere: quia *ad effectum* tantùm est absolutus, inquit Rebuffus *tit. De Forma nova provisionis* verbo TEQUE ABSOLVENTES *n.15.* nec *aliud* posset beneficium post istam absolutionem obtinere ab Ordinario vel alio, nisi absolveretur de novo. Imò nec fructibus beneficii gaudere potest: omnesque aliæ pœnæ excommunicatorum contra eum obtinebunt.

III. Deinde nec in omnibus excommunicatis hæc clausula vel hunc unum effectum operatur, uti dicto loco monet Rebuffus, plures ibidem casus referens, ad quos clausula hæc non extenditur: qui hodie nominatim exprimuntur in Regula Cancellariæ 66. *De insordescentibus*: unde hæc clausula hodie *meri* styli sine aliquo effectu esse solet.

IV. Frequenter quoq; inseritur Signaturæ hæc clausula: *Et quatenus litigiosum existat, litis status & nomina judicum, & collitigantium juraq; & tituli eorum exprimi, vel pro expressis haberi possint.*

V. Hæc clausula, uti & aliæ adjungi consuetæ [de quibus infrà dicetur] relationem suam habet ad *Cap.* Si 11. *Ut lite pendente*, ubi statuitur, Beneficia litigiosa non posse conferri per Ordinarios Collatores, *lite* adhuc indecisâ uno collitigantium decidente, *ne propter novos adversarios litigia in Ecclesia dispendium prorogari contingat.*

VI. Per dictam ergò clausulam vult Papa, statû litigiosû haberi posse pro expresso; & eo non obstante, provisionem suum sortiri effectum; & provisum surrogari in locum defuncti collitigantis, non obstante dispositione dicti Capituli.

VII. At nec in Gallia, nec in Belgio dispositio dicti Capituli *Si si* observatur: possuntque Ordinarii Collatores conferre beneficia vacantia tametsi *litigiosa*. Itaque hæc clausula in hisce provinciis reputatur esse dumtaxat *de stylo*: monetque propterea Rebuffus Regulam Cancellariæ 29. *De Surrogandis Collitigantibus*, se in Regno Franciæ non vidisse servari; uti nec in Belgio servatur.

VIII Sequitur dein clausula in Signatura: *Et litteræ in forma simplicis provisionis gratiosa surrogationis, etiam quoad* POSSESSIONEM. Hæc clausula ut sensum perfectum habeat, debet connecti cum verbis in fine aliarum clausularum positis, *expediri possint*; id est, *litteræ in forma* &c. *expediri possint*. Per hæc ergo permittit Papa, ut litteræ *surrogationis* in locum Collitigantis expediantur, sive lis sit super petitorio sive possessorio.

IX At

IX. At apud nos, ut & in Gallia, surrogatio fit apud judicem coram quo litigatur, notaturq; in additione ad Castellum in Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 207. non requiri in Gallia litteras in forma pro surrogatione; sed eam fieri judicialiter per simplicem libellum supplicem vigore Edicti Regii anni 1667. *tit.* 15. *art.* 16.

X. Dein sequuntur hæ clausulæ: *Et gratia* SI NEUTRI, SI NULLI, PERINDE VALERE, ETIAM VALERE, cum gratificatione opportuna, *simul vel separatim expediri possint.*

Hæ clausulæ dependent quodammodò à clausula superiùs expressa *De Litigio.* Cùm enim provisiones de Beneficio *litigioso* sint multiplicis formæ, intendit Papa per has clausulas provisionem expediri sub una è formis hic expressis, quæ Supplicanti utilior & opportunior esse possit.

XI. In priori forma *Si neutri*, Papa supponit, esse *duos* dumtaxat Collitigantes, & neutri illorum jus aliquod competere; ac per consequens, quòd Supplicans possit habere litteras, *Si neutri*, quibus mandetur Supplicanti provideri, si constiterit *neutri* Collitigantium ullum jus competere. Si autem sint *plures* Collitigantes quàm *duo*, tunc expediuntur litteræ, *Si nulli*; eâdem in reliquis cum præcedentibus formâ. Interdum autem ipse supplicans est unus è litigantibus, petitq; surrogari in locum Collitigantis, *Si alteri jus non competat.* De clausulis *Perinde valere*, item, *Etiam valere* suprà egimus.

XII. Clausula verò, *Cum gratificatione opportuna*, supponit esse plures Concurrentes in *Data*; vultque hoc casu Papa provisio *gratificatum*; ut nimirum præferatur provisis.

XIII. Verùm cùm in omnibus provisionibus hæc clausula *gratificationis*, quasi de stylo inseratur, hodie in Gallia non admittitur; obtinetq; hoc principium, quòd plures provisiones in Data concurrentes *mutuo concursu sese impediant*: uti observat Castellus in citata Praxi *pag.* 210.

XIV. Similiter clausula, *Anteferri*, præcedenti admodùm similis, per quam consequitur impetrans prærogativam ante eos qui *priores* in *Data* fuerint, improbatur in Gallia, teste Joanne D'artis Antecessore Parisiensi in Tractatu De beneficiis *Sect.* 7. *c.* 2.

De omnibus hisce clausulis, quæ ferè sunt, saltem hisce in regionibus, dumtaxat de stylo, consuli poterit Rebuffus in Praxi *parte* 1. *tit. De Rescripto* SI NEUTRI &c.

XV. Post hasce clausulas sequuntur subinde derogationes Regulares Cancellariæ *De infirmis resignantibus*, de qua infrà *titulo De Resignatione Beneficiorum* & *De Verisimili Notitia* de qua suprà actum est; ac tum subditur clausula derogatoria Juris Patronatûs: 'Ac cum derogatione *Juris Patronatûs* si quod sit, citra tamen illius „approbationem, videlicet si laicorum tantùm, etiam „Nobilium & Illustrium, eisq; ex dotatione vel fundatione competat, pro medietate, aliàs seu si litigiosum „vel devolutum sit in totum.

XVI. Hæc clausula necessariò exprimenda, si Beneficium sit Jurispatronatûs *laici*; si enim non exprimeretur, provisio censeretur subreptitia: eò quòd Papa numquam censeatur velle derogare Juripatronatûs laicorum.

XVII. Imò ut Papa ostendat, se nolle Patronis *laicis* præjudicare, aut eorum juri derogare, additur in Bulla seu litteris, quæ ex Signatura tamquam *minuta* seu *protocollo* conficiuntur, in fine ipsius clausulæ: *Et de consensu Patroni seu Patronorum.*

XVIII. Verba in supplica posita, *pro medietate*, referuntur ad casum quo plures sunt Patroni; petiturque pro eo casu derogari saltem *pro medietate*; hoc est, si *medietas* Patronorum consentiat, tunc *gratia* habeat suum effectum. Hoc autem solet Papa concedere; eò quòd tunc non videatur Patronis præjudicium fieri: quia dissentientibus Patronis, neq; in unam personam, saltem pro *majore* parte consentientibus, juxta jus commune Ordinario competit decisio, uti infrà *titulo de Jurepatronatûs* ostendetur. Quod autem Ordinario competit, id & sibi licere Papa non ambigit.

XIX. Verba, *citra tamen illius approbationem*, significant, quòd Papa per hanc provisionem nullatenus intendat approbare Juspatronatûs *laicale* Unde in litteris hæc clausula exprimitur hoc tenore: *Verificato priùs coram Ordinario* (si sit in forma *Dignum*) *dicto Jure Patronatus.*

XX. Notat autem Fevretius *De Abusu lib.* 4. *cap.* 9. eam clausulam esse in Gallia sine effectu, eò quòd Ordinarius nec in possessorio, nec petitorio de hujusmodi jure cognoscere queat; sed hæc cognitio ad Magistratum pertineat: cui & notoria praxis Belgii est conformis.

XXI. Per verba, *ex fundatione* aut *dotatione*, sed ex privilegio aliove simili titulo, Pontifex etiam in totum derogare possit. Sed hæc distinctio hîc non admittitur: quia quocumq; titulo Juspatronatûs laicis competat; modo sit *laicale*, nulla ejus derogatio admittitur.

XXII. In eadem clausula sequitur: *Etiam Nobilium & Illustrium*: sub quibus comprehenduntur Reges, Duces, & Marchiones; quæ sub generali nomine Patronorum non censerentur comprehensi; ideoq; ipsorum juri non censeretur derogatum per generalem dumtaxat Jurispatronatus laicalis derogationem: ipsaque provisio haberetur subreptitia.

XXIII. Finalia clausulæ ipsius verba: *Aliàs seu si litigiosum vel devolutum sit in* TOTUM, referuntur etiam ad superiora hæc verba: *Videlicet si laicorum* TANTUM: cum quibus faciunt hanc constructionem: Si laicorum *tantùm* derogatio fiat pro medietate; sed si non sit *laicorum tantùm*, sed partim laicorum, partim Clericorum, tunc fiat derogatio *in totum*; quod significat particula *aliàs.*

Supponit enim Curia Romana, quòd Juspatronatus *mixtum* reputandum sit pro mero Ecclesiastico; quasi dignus trahere debeat ad se minùs dignum, At hisce in partibus quoad derogationem, potiùs reputatur *laicum*; saltem eatenus numquam cum præjudicio laici ei derogari queat, ut suprà notavimus.

XXIV. Verba sequentia, *seu litigiosum*, indicant, quòd Papa possit & intendat derogare Juripatronatus, si sit *litigiosum* etiam *in totum*: sed nec hoc in Gallia aut in Belgio receptum est: sed Patroni etiam lite pendente præsentant.

XXV. Verbum *devolutum* indicat, quòd si per negligentiam Patroni, juxta juris dispositiones, jus conferendi esset devolutum ad Papam, intendat Papa Juripatronatus derogare, etiamsi *devolutio* non sit expressa.

XXVI. Post has clausulas sequitur in signatura: *Ac statutorum primò dictorum cæterorumque omnium quomodolibet contrariorum latissimè* (supple) *in litteris extendendorum.*

Hæc generalis clausula continet derogationem statutorum quæ possent provisionis effectum impedire. Sed cum tantùm sit generalis, nihilque nominatum exprimat nullum præjudicium facit juri tertii, quod ex statutis posset prætendi; uti rectè notat Castellus *pag.* 234.

XXVII. Si provisio sit expedienda in *forma dignum*, ponitur post clausulas prædictas, *Committatur*; quo significatur Officialibus Curiæ, ut expediant Litteras vel in forma *dignum antiqua* vel *novissima*; prout materia exigit; ejusque executio committatur Ordinario aut alteri juxta stylum, pro materiæ exigentia committatur.

XXVIII.

XXVIII. Hæc forma continet clausulam, de qua quidem nihil est in Signatura expressum; sed in litteris exprimi debet: *Dummodo tempore data præsentium non sit specialiter alteri jus quæsitum.*

XXIX. Huic clausulæ respondet Regula 18. Cancellariæ *De non tollendo jus quæsitum*, quæ hodie exprimitur his verbis." Item ne per varias, quæ pro commissionibus seu mandatis & declarationibus habendis in causis plerumq; fiunt suggestiones, justitia postponatur, idem D.N. decrevit & declaravit suæ intentionis fore, quod deinceps per quamcumq; signaturam seu concessioné, aut gratiam, Litteras Apostolicas pro commissionibus, seu mandatis, aut declarationibus hujusmodi, etiamsi motu proprio ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua emanaverint, vel de ejus mandato faciendas, nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.

XXX. Monet Chokier ad hanc Regulam *n.* 5. eam pleniorem factam per Paulum III. qui statuit illius effectum producendum *ad quamcumq; commissionem, sive mandata, aut declarationes, etiamsi motu proprio, & ex certa scientia, ac etiam ante motam litem à Sanctitate sua vel ejus mandato emanaverint.*

Quæ verba ideo inserta sunt regulæ, ut latissimè fieret ejus interpretatio, ne jus alteri quæsitum per quamcumque Papæ concessionem tolleretur, inquit Chokier *numero 6.*

XXXI. Dein *n.* 7. refert, Auditores Rotæ aliquando resolvisse; verbum *quomodolibet*, positum in fine regulæ, referendum non ad verbum *tollatur*, sed ad verba *jus quæsitum*; sicq; comprehendit jus qualecumq; & cujuscumque generis directi vel indirecti, & etiam impropriè sumptum, etiam minimum.

XXXII. Cum igitur Papa non velit per suam provisionem tollere jus alteri quæsitum, sequitur altera clausula, *vacatio qui fuerint vacandi*; ut nimirum cognoscat, an jus alteri alicui sit quæsitum antequam provisionem faciat, aut Provisum in possessionem inducat.

XXXIII. Verùm hæc clausula, uti & aliæ connexæ V. G. *amoto quolibet illicito detentore*, quæ ipsi Commissario vel executori tribuunt cognitionem ipsius causæ sive in petitorio sive possessorio, hic, uti & in Gallia sine effectu est: eo quod controversia super possessorio in materia Beneficiali decidenda sit coram Senatu Regio, idq; semper in Litteris *Placeti* exprimatur, in petitorio autem coram judice ordinario Beneficii, vel judicibus Synodalibus delegatis in partibus: idque postquam possessorium plenè fuerit evacuatum, uti notat Fevretius De Abusu *lib.* 3. *c.* 4. *n.* 18.

XXXIV. Deinde monet, quod Ordinarius teneatur dare litteras vulgo *Visa*, si ipsum provisum prævio examine deprehendat capacem, absq; ulla discussione causæ præter examen super capacitate providendi: quia Ordinarius in hoc casu tantùm censetur Executor quoad solum examen super capacitate Provisi ad beneficium, de quo agitur.

XXXV. Hæ sunt præcipuæ clausulæ quæ provisionibus Romanis inseri consueverunt; notatque Chokier ad Regulam De non tollendo jus quæsitum *numer.* 15. quod " omnes clausulæ de stylo & consuetudine apponi solitæ, habeantur pro appositis, etiamsi non exprimantur.

XXXVI. Signatura, uti & litteræ concluduntur per appositionem *Data*, quæ per *Datarium*, seu ejus substitutum apponi consuevit; de qua actum est *parte* 1. *tit.* 22. *c.* 1. ubi unà notatum fuit, primò solere apponi *parvam datam*, ac dein extensam, & circa parvam datam esse Gallorum speciale privilegium.

CAPUT VI.

De Placeto Regio super Provisionibus Apostolicis.

1. *Ecclesia in promulgandis legibus & mandatis suave Divinum regimen imitatur.*
2. *Non semper in hisce Divinum lumen S. Pontifici adest.*
3. *Patiuntur Pontifices ut leges ipsorum antequam recipiantur, revideantur.*
4. *Id potiore jure in Provisionibus Beneficialibus quàm legibus obtinet.*
5. *Antiqua Belgii consuetudo requirit* Placetum *Regium pro executione Provisionis Pontificia.*
6. *Hanc consuetudinem inter Jura Belgarum retulit Guicciardinus.*
7. *Eadem est in Gallia & Hispania consuetudo.*
8. *Consuetudo hac quoad Provisiones Beneficiales per Principum Edicta firmata.*
9. *Gubernatrix Belgii scripsit, Litteras Provisionis Nuntii Apostolici deberi placetari.*
10. *Idipsum edixit Philippus* II.
11. *Idipsum Litteris Nuntiorum insertum.*
12. *An hac Edicta quoad Nuntios hodie observentur?*
13. *Scopus* Placeti.
14. *Supplica pro* Placeto *communicatur Procuratori Regio; & quare?*
15. *Quid fiat illo audito.*
16. *Concessio* Placeti *non derogat juri privatorum.*
17. *Clausula conservatoria juris tertii* Placeto *inseri solita.*
18. *Clausula à Senatu Brabantia adjici consueta.*
19. *Clausula hac ostendit, quòd Principes neminem citra juris ordinem jure suo privari velint.*
20. *Id conforme juramento à Principibus Belgii præstari solito.*
21. *Clausula* Placeti *evincit, Executores Bullarum non posse de Beneficiis judicare.*
22. Placetum *subinde annuitur cum limitatione, vel modificatione.*
23. *Modificationes adjicienda* Provisionibus *Beneficiorum* Parochialium.
24. *Frequentia similium modificationum exempla.*
25. *Notabilis clausula addita à Concilio Sanctiore.*

I. REctè nuper notavit Auctor Tractatûs De Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ *lib.* 2. *c.* 3. Solemne esse Ecclesiæ, ut in gubernandis Fidelibus, Divinum regimen imitetur, nec solùm attingat à fine usq; ad finem fortiter, sed etiam disponat omnia suaviter. Itaq; honoris Principibus debiti meminit, illorum jura servat illæsa, ordinem & dignitatem Episcoporum veneratur, populorum studia, & usus attendit, omniáque ita ponderat ut consensum, & obedientiam potiùs obtineat, quàm extorqueat; amore alliciat, quàm timore impellat; nec infirmitati solùm parcit, sed interdum etiam malitiæ cedit in iis, quæ cum Religionis periculo non sunt conjuncta.

II. Deinde subjungit: " Verùm lumen illud S. Spiritûs quod summo Pontifici adest, cum explicanda sunt fidei mysteria, & tradenda morum præcepta, non perpetuò illi hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes, improborum mendacia detegit, non adversus ambitiosorum importunitatem, Magnatum preces, suspecta Officialium consilia, immotos servat. Quid si, quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas est, summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregan-

„ gregandarum divitiarum, augendæ familiæ, aliove pravo affectu impelleretur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcendens, aut justitiæ repugnans? nec enim altitudo, & sanctitas solii sanctum facit, & à peccato securum. Num, si quid hujusmodi contingeret, ab exequendo mandato non liceret abstinere? Quod autem in mandatis singularibus, etiam in communibus legibus liceret, quamvis longè difficiliùs legibus desit justitia, quàm præceptis particularibus.

III. Ex his tamquam consequens infert: "Possunt igitur dissimulantibus etiam summis Pontificibus, expendi novæ leges, antequam recipiantur, ut si quæ prodierint, quibus non sit necesse, vel etiam expediens parere, suspendatur executio, ac suspensionis causæ significentur, dummodo id cum bona fide, reverentia debita, & intentione sincera fiat.

IV. Quòd si hujusmodi per sub vel obreptionem, aut particularium consuetudinum, privilegiorum aut jurium ignorantiam, aut aliquorum malitiam in generalibus legibus, quæ maturiùs expendi solent, contingere queant, quantò ampliùs in Provisionibus Beneficialibus, quæ ambitiosorum & avarorum fraudibus & importunitatibus, quin & imposturis, non rarò obtinentur.

V. Hinc antiqua ac notissima est Belgii nostri consuetudo & praxis, ut Bullæ ac Diplomata Pontificia, præsertim in materia Beneficiali, executionem habere nequeant, neque in judicio proferri, nisi priùs super earum executione habeatur consensus Regius per litteras, quas vulgò hic dicimus, Litteras *placet*, vel *placeti*; Gallis autem dicuntur *pareatis*.

VI. Hinc jura Belgarum describens Ludovicus Guicciardinus ait: "Quod res Ecclesiasticas attinet, easdem ferè habet cum Pontifice Maximo Princeps in hac Ditione sua conventiones, quas in Regno suo Rex Galliarum..... nec beneficium ullum aut gratiam potest conferre, nec expedire in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effectum sortiatur, absque Principis quidem, vel Conciliorum ejus *placeto* atque consensu.

VII. Eam esse usitatam & notoriam praxim Regni Galliæ, ut provisiones beneficiales executioni non mandentur litteris *Pareatis*, notius est, quàm ut probari debeat.

In Hispania quoque litterarum Apostolicarum executionem differri, ac *suspendi Regii prætoris decreto & auctoritate*, testis est Covarruvias *pract. qq. cap. 35. num. 6.* rationem subjiciens: "Ut Maximus Christi Vicarius (ait) interim certior fiat, quot & quantis afficiatur incommodis, & gravaminibus Respublica ista propter multa, quæ ab ipso falsis precibus & suggestionibus impetrantur, quæ minimè Sanctissimus Pontifex foret concessurus, si per sinceram justámque narrationem certò sciret, quid spirituali, Ecclesiastico, & temporali hujus regni, & Principatûs recto regimini sit conducibilius.

VIII. Plura sunt Principum Edicta, quibus hic usus, nominatim quoad Provisiones Beneficiales stabilitur, & inviolabiliter observari præcipitur. Nam uti notat Zypæus in Jure Novo *tit. De Constitutionibus num. 3.* Beneficialia Diplomata, subreptione, gratiâ, & sordibus sæpe obtinentur.

Supra *tit. 23. cap. 1. num. 38.* meminimus Edicti Philippi Pulchri de 10. Maji 1497. quo admitti vetuit Beneficialia rescripta Curiæ Romanæ, nisi examinata, recognita, & probata fuerint à supremo Regio Senatu litteris *Placeti* Regii impetratis & expeditis.

IX. Maria Regens & Belgii Gubernatrix 9. Martii anno 1553. per litteras significavit Parlamento Mechliniensi, etiam litteras *Legatorum* sive *Nuntiorum* Sedis Apostolicæ continentes provisionem beneficiorum debere *placetari*, tametsi Facultates Nuntiorum fuerint placetatæ. Habentur hæ litteræ tomo 1. Edictorum Brabantiæ *lib. 2. tit. 1. cap. 9.* promittiturque in iisdem litteris Edictum extensius super eadem materia.

X. Hoc edictum evulgatum est anno 1574. per Philippum II. Regem Hispaniarum, quo cavit, ne quis ullius argumenti Bullas, gratias, provisiones, indulta, aliave mandata ex Urbe, aut à *Legatis* Pontificiis profecta, per Belgium executioni mandare ausus sit, nisi prius comprobata fuerint, vel in sanctiore Consistorio, vel in Concilio Brabantiæ, sub pœna proscriptionis & publicationis bonorum in contumaces. Ita refert Hubertus Loyens Tractatu De Curia Brabantiæ *cap. 29. tit. De Litteris Placeti.*

XI. Et in verificatione Litterarum seu Facultatum Cardinalis Caraffæ Legati *à latere* ad has Provincias cautum est, quod qui obtinuerint à Legato quamcumque provisionem, gratias aut Bullas, non poterunt iis uti, sine prævio obtento speciali *placeto* Regio, uti consuetum est fieri in omnibus Provisionibus & Bullis Apostolicis. Habentur litteræ verificatoriæ in libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium, & diversa alia indulta nominandi ad Beneficia &c. impresso Leodii anno 1665. *pag. 137.*

XII. Zypæus loco supra citato, citatis prædictis litteris Mariæ Regentis dicit, quod illas quoad Nuntios Apostolicos *praxis non observet*: "præsertim (ait) cum Nuntii nunc apud Principes Belgicæ resident, & ante exercitium legationis litteras suarum facultatum eis exhibent." Et revera Nuntii passim solent dare rescripta delegationis Judicum in causis appellationum, quæ citra ullum Principis Placitum suam sortiuntur hisce in provinciis executionem; uti & litteras dispensationum super aliquibus impedimentis Matrimonii aliisque, ad quæ ipsorum auctoritas se extendit: at si beneficia conferendi auctoritate uterentur, haud credo, quod provisiones ipsorum sine *placeto* admitterentur.

XIII. Porrò scopus seu finis hujus *placeti* non est, legitimas Pontificum provisiones infringere, aut earum executioni obicem objicere; sed præcavere, ut per sub vel obreptitiè, vel etiam fraudulenter impetratas vel potiùs extortas provisiones, jura Regia, ac vasallorum violentur, aut Provinciarum receptis ac stabilitis juribus, privilegiis & consuetudinibus, cum magna Reipublicæ seu politicæ seu Ecclesiasticæ perturbatione contraveniatur. Verba Bullæ ac Diplomata Pontificia revideri debent ab iis qui supremæ jurisdictioni vice regiâ præsunt, ut cognoscant, an nihil contineant, aut admixtum habeant quod rempublicam lædere possit, *in quo omnis placeti usus consistit*, inquit Hubertus Loyens loco citato; & supra ex Covarruvia quoque vidimus.

XIV. Hinc moris est, ut libelli supplices pro impetrandis litteris *placeti* super Bullis Romanis communicentur *Procuratori Regio* seu Officio Fiscali; utpote cujus partes sunt nomine Regis invigilare, ne quid admittatur quod rempublicam turbare vel lædere posset.

XV. Audito autem Officio Fiscali, tum Senatus examinat an *placetum* sit annuendum vel denegandum. Si enim nihil deprehendat, quod juribus Regiis deroget aut reipublicæ temporali, vel spirituali noceat, aut inveteratas Patriæ consuetudines, & jura infringat, executionem permittit: Sin autem aliquid prædictorum meritò vereatur, *placetum* denegat, aut saltem differt, quoadusque propius de sensu Bullæ, rerum circumstantiis, aut mente Pontificis constiterit & instructus fuerit ipse regius Senatus.

XVI. Porrò sicuti scopus impetrationis *placeti* regii prævie ad executionem Bullarum Pontificiarum, est præcavere, ne quid sub obtentu similium Bullarum irrepat, quod publicum regimen, seu politicum seu Ecclesiasticum turbet, aut jura regia, vel provinciarum inveteratas consuetudines convellat, ita obtentum *placetum* hoc unum operatur & declarat quod in Bulla nihil illorum occurrat: ideoque Rex, cujus partes sunt jura publicâ suâ auctoritate tueri, executioni illius obsistere nolit.

Si verò privatus quispiam per executionem Bullæ jus suum

suum lædi existimet, huic *Placetum* Regium non officit: utpote sola jura publica attingens; privatis verò quibusque jus suum conservans, eisque integrum permittens, jus suum coram legitimo judice prosequi.

XVII. Ut id certiùs constet, nullusque dubitandi locus relinquatur, solet ipsis litteris *Placeti* adjici hæc clausula finalis: *Salvo jure partis quæ* opponere poterit *quidquid opponendum judicaverit.*

XVIII. Senatus Brabantiæ nomine Regis litteras *Placeti* annuens, hanc cautionem addit, quod " si occasione hujus " provisionis quæstio incidat, ea instituenda & agitanda sit, " in possessorio quidem coram ipso Senatu Brabantiæ; in " petitorio autem coram Judice Ecclesiastico competente " in Brabantia residente. Et si quæstio per appellationem " ad Curiam Romanam foret devoluta, tunc ea coram Ju- " dicibus Delegatis & competentibus atque itidem in Bra- " bantia residentibus prosequenda erit.

XIX. Hic luculenter ostenditur, Regis voluntatem haud esse, ut subditi sub prætextu Bullarum, aut Placeti super earum executione concessi, perviam *facti*, sive extra Juris ordinem, per Provinciarum inveteratos mores & privilegia stabilitum, suis juribus priventur, aut lædantur.

XX. Id conforme est juramento quo Principes Belgii in sua inauguratione se astringunt, quòd neminem subditorum tractabunt, aut tractatum iri sinent, præter ordinem Juris singularum civitatum & tribunalium, ubi materia incidens agitari debebit.

XXI. Hæc cautio insuper ostendit, clausulam Signaturæ, sive Bullæ, qua designantur Executores, qui de causa sive in *possessorio*, sive *petitorio* cognoscant, hucce in partibus nullius aut exigui esse effectus; quemadmodum hoc titulo *cap.* 4. notavi.

XXII. Subinde inspectis Bullis sive litteris provisionis judicatur, earum quidem executionem non omnino impediendam, aut *Placetum* negandum; sed concedi posse cum quibusdam limitationibus vel modificationibus, non ut authoritati Apostolicæ aut ejus Provisionibus aliquid de trahatur, sed ut earum executio cujusque Provinciæ juribus, consuetudinibus, & publico regimini accommodetur.

XXIII. Edicto Caroli V. 20. Octobris 1541. cavetur, ut in omnibus litteris *placiti*, concedendis super executione Bullarum sive Provisionum Apostolicarum de Beneficiis Curatis & Ecclesiis Parochialibus inseretur, quod impetrans tenebitur residere in loco suæ Curæ, nec possit per alium jubere eam exerceri.

Eodem Edicto mandatur, Litteras Placiti non concedi super privilegio non residendi in Beneficiis curatis, nec super dispensatione in ætate, aut inscitia idiomatis; vel concessione coadjutoriæ præbendarum aliorúmque simplicium Beneficiorum. Habetur Edictum volum. 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1.

XXIV. Placeto ejusdem Caroli V. super usu privilegiorum nominandi, quæ à Sede Apostolica Facultate Artium in hac Universitate Lovaniensi concessa erant, plures articuli inserti sunt, quibus usus illorum Privilegiorum certis legibus & limitibus circumscribitur.

Si Conciliorum Registra revolvantur, infinita propemodum reperientur *Placita* quibus executio Bullarum sub nonnullis limitationibus aut modificationibus, Provinciarum & Ecclesiarum juribus & privilegiis accommodatis conceditur.

XXV. Notandum, quod refertur in Registro Ms. Archiepiscopatus Mechliniensis *Cent.* 3. *art.* 1. Cùm quidam anno 1624. postulasset in Concilio Sanctiori Litteras *Placeti* super Bulla provisionis Beneficii vigore factæ resignationis, quæ unà continebat derogationem *Regulæ de* 20. datum fuit *Placetum* adjectâ hac clausulâ: Sine præjudicio juris Contendentium, qui rationes suas hactenus deductas poterunt allegare coram Judice competente sive in possessorio, sive in petitorio: ita tamen, ut si decisio causæ dependeat à puncto derogationis Regulæ *De* 20. *Diebus* in Bulla contentæ, Judices nihil resolvere poterunt, nisi prius Regem consuluerint adjecto proprio judicio. Idipsum in eodem Concilio Privato resolutum fuit 19. Junii 1646.

TITULUS XXV.

De Jure Patronatûs.

CAPUT I.

De Origine Juris Patronatus, & de Advocatiis Ecclesiarum.

1. *Nomen* Patroni, *uti hodie sumitur, multis seculis ignotum.*
2. *Res tamen significata non ignota fuit.*
3. *Fundatoribus olim tributa, quæ hodie Patronis competunt.*
4. *Jura quædam honorifica olim Fundatoribus data.*
5. *Nomina Fundatorum Ecclesiis inscripta; quin eorum nomine appellatæ.*
6. *Ante seculum 6. Jus Præsentationis competiisse Fundatori nonnullis visum.*
7. *Jus illud seculo 5. competiisse Episcopo Fundatori, certum est.*
8. *An etiam laicis Fundatoribus?*
9. *Tempore Justiniani Imp. præsentatio Fundatoribus laicis competebat.*
10. *Competebat etiam eorum hæredibus.*
11. *Seculo 7. illud jus erat receptum in Hispania.*
12. *Fundatoribus erat jus petendi alimenta.*
13. *Erat ipsis & eorum hæredibus jus defensionis.*
14. *Ob hoc jus defensionis Fundatores appellati sunt Advocati, Patroni, & Defensores.*
15. *Præter Fundatores fuerunt jam pridem speciales Defensores.*
16. *Seculo 5. hujusmodi Defensores petiti à Concilio Carthaginensi.*
17. *His Defensoribus semper licebat ingredi locum judicis.*
18. *Assumebantur ex numero Scholasticorum seu Causidicorum.*
19. *Hi postmodum dici cœperunt Advocati.*
20. *Defensores primitus in causis Civilibus Ecclesiis patrocinabantur.*
21. *Sequentibus seculis assumpti viri potentiores qui Ecclesias contra oppressiones defenderent.*
22. *Horum Advocatorum fit mentio in antiquis legibus Longobardorum.*
23. *Ratio constitutorum Advocatorum.*
24. *Otho I. Imp. ad instantiam Fundatoris Abbatiæ Glemblacensis dat ei in* Advocatum *Comitem Lovaniensem: & ubi & scopus Advocatiæ exprimuntur.*
25. *Advocati etiam jus dicebant.*
26. *Advocatis sua jura assignabantur.*
27. *Advocati variis prætextibus plura extorquebant.*

Digitized by Google

28. *Advocati suas Advocatias aliis in feudum dabant; & Subadvocatum constituebant.*
29. *Plures subinde Subadvocati constituti: sed ne numerus excresceret, cavebant Fundatores.*
30. *Jura Subadvocatorum limitabantur.*
31. *Propter Advocatorum excessus libertatem non habendi, vel eligendi* Advocatum *Monasteria desiderarunt.*
32. *Id exemplis ostenditur.*
33. *Interdum ipsi Principes sibi Advocatiam reservabant.*
34. *Advocatia omnium Ecclesiarum ab Imp. delata Duci Brabantiæ.*
35. *Concordatum inter Prælatos & Ducem Brabantiæ super juribus Advocatiæ.*
36. *Hujus Advocatiæ reliquiæ.*
37. *Quod remedium, ne Advocati Ecclesias in rebus temporalibus gravent.*

I. NOmen ipsum Juris Patronatus eo sensu, quo accipitur sub titulo Decretalium *De Jure Patronatus*, & hodie passim à Canonistis & Theologis intelligitur, non reperitur apud antiquos Auctores Canonum & Legum, ait Eruditus Franciscus Florens de Tractatu antiquo Jure Patronatus: monetque nomen *Patroni*, quod in *Cap. 1. & 2.* ii *De Jure Patronatus* apud Gregorium extat, deesse in *Collectione prima* & in *integris Canonibus*, qui extant in Concilio Cabilonensi 2. sub Carolo Magno, & Triburiensi sub Arnulpho. Fuit autem hæc dictio *Patroni* addita à Raymundo Decretalium Collectore, facilioris intellectus causa: quia ætate Raymundi nomen *Patroni* in ea significatione, quam hodie habet, invaluerat.

II. Verùm licet nomen *Patroni* in hodierna significatione ignotum esset, res ipsa tamen non erat omninò incognita; adeò ut hic applicari queat illud S. Augustini Tractatu in Joannem: "Quamvis Parochia & Monasteria novis nominibus appellata sint; res tamen ipsæ ante nomina sua erant.

III. Fundatoris enim & fundationis nomine Veteres quidem utebantur, at ea ferè iis tribuebant jura, quæ ipsis hodie Patronis tribuuntur. Non quidem quod hodierna Patronorum jura pristinis Ecclesiæ seculis nota, & secundùm modernam disciplinam ordinata fuerint, quod nonnulli sensim accidit, sed quòd in antiquis Canonibus ac monumentis occurrant multa, quæ ipsum Jus Patronatus, licet non nomine, reipsa tamen in hodierna etiam acceptione notum fuisse ostendunt; ipsiusque initia & progressum satis probant.

IV. Imprimis legimus primis seculis, jura quædam honorifica ipsis Ecclesiarum Fundatoribus fuisse concessa ex virtute *gratitudinis*, uti loquitur Gulielmus Parisiensis *lib. De Moribus cap. 9.* Et Alexander III. in *Cap. 24. De Jure Patronatus* in prima Collectione apud Antonium Augustinum ait, Sanctos Patres aliqua Patronis reservâsse, *quæ planè observentur.*

V. Sic legimus, nomina & elogia Fundatorum in eorum Ecclesiis solemniter sub initium seculi 5. fuisse inscripta; uti testis est, qui sub id tempus floruit, S. Paulinus *epist. 10. & 12.* quin & à Fundatoribus cœperunt, etiam antiquissimis temporibus, ipsæ Ecclesiæ nomen suum mutuare; atque titulus Ecclesiæ nomen Fundatoris præferre. Unde inter titulos, sive Basilicas Romanæ Ecclesiæ numerantur Basilica Constantiniana, titulus Damasi, titulus Equitii, titulus Pastoris, titulus Vestinæ, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ & Fasciolæ; nomine petito à Fundatoribus, sive masculis sive fœminis.

Hæc Florens loco citato, qui pluribus exemplis aliarum Ecclesiarum, quæ à nomine Fundatorum jam pridem appellatæ sunt, idipsum confirmat: notatque, quod is solus honor Patrono, ut de nomine ejus Basilicæ, id est, Ecclesiæ, Oratoria, Monasteria denominarentur, ab initio videatur attributus. Huic tamen mox quædam alia jura honorifica accessisse patebit ex dicendis *cap. 6.* ubi de hisce juribus tractabitur.

VI. Quin & jus nominationis seu (uti hodie vocatur) *præsentationis* à seculo 4. aut saltem initio 5. Fundatoribus delatum fuisse, credit Franciscus Le Roy Antecessor Aurelianensis in Prologomenis ad titulum *De Jure Patronatus cap. 2.*

VII. Probare id videtur *Canone 10.* Concilii Arausicani I. anno 441. in quo decernitur, Episcopum non esse prohibendum in alieno territorio Ecclesiam ædificare, "servata (ait) *ædificatori* Episcopo hâc gratiâ, ut quos desiderat „ Clericos in re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est; vel si ordinati jam sint, habere acquiescat.

Quin hic Episcopo ædificatori jus planè simile juri hodierno præsentationis reservetur, negari nequit: adeoque jus illud jam seculo 5. Fundatoribus deferri cœpisse constat.

VIII. Sed id specialiter Episcopo ædificatori indultum fuisse credit Franciscus Florens, eò quòd idem Canon loquens de Secularibus Ecclesias ædificantibus, nihil illis simile annuat. Imò quòd *Can. 36.* Concilii Arelatensis II. ann. 452. eumdem Canonem confirmans additâ hac clausulâ: "Et si quid Ecclesiæ fuerit ab Episcopo *conditore* collatum, „ is in cujus territorio est, auferendi non habeat exinde potestatem. *Hoc solum ædificatori Episcopo credimus reservandum:*" quasi ex professo ædificatorem alium præter Episcopum ab hac gratia excludat. Ita Florens.

Verùm si rectè verba expendantur, nescio, an ipse laicus ædificator eo Canone submoveatur. Quidquid sit, id inficias ibit nemo, quin hisce Canonibus ut minùs fundamentum juris *præsentationis*, quod potiorem ipsius juris Patronatus portionem constituit, fundamentum positum sit.

IX. Cùm enim Episcopo gratia hæc ratione ædificatæ Ecclesiæ in aliena Diœcesi data esset, vix fieri potuit, quin hoc exemplo idem jus ad alios Fundatores, eâdem suadente ratione, extenderetur.

Et sanè seculo 6. sub Justiniano Imperatore, Monasteriorum, Xenodochiorum, & Ecclesiarum Fundatoribus competiisse jus designandi Administratores, Præfectos, & Presbyteros, manifestum est ex *L. 46. Cod. De Sacros. Eccles.* & variis Justiniani Novellis, ac notanter *Novella 57. cap. 2.* ubi jubet à Fundatoribus *idoneos* in Ecclesiis, quas fundaverint, nominari & eligi non quidem quoslibet indifferenter, sed dignos ex Episcopi Diœcesani judicio & examine probandos: *Ut non (ait) profanentur sancta Dei, sed intacta hæc & ineffabilia tremendaque constituta, sanctè, & Deo amabiliter & venerandè tractari.*

X. Idipsum inculcat *Novella 123. c. 18.* quæ non tantùm Fundatoribus, sed etiam eorum heredibus permisit, ut Clericos denominent & eligant: idoneos verò nominatos ab Episcopis ordinari & consecrari vult.

XI. Jus illud in Hispania quoque seculo septimo stabilitum fuisse, evincit Decretum Concilii Toletani IX. quo decernitur *Can. 2.* "ut quamdiu earumdem Fundatores „ Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro eisdem „ locis curam permittantur habere solicitam, & sollicitudinem ferre præcipuam; atque *Rectores* idoneos in iisdem „ Basilicis iidem ipsi *offerant* Episcopis ordinandos. Quòd „ si tales forsan non inveniantur ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos sacris cultibus instituat, „ cum eorum conniventia servituros. Quod si spretis eisdem Fundatoribus Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irritam noverit „ esse, & ad verecundiam sui alios in eorum loco, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint ordinari." Refertur à Gratiano *Can. 32. caus. 16. q. 7.*

XII. Qui & ibidem *Can.* 30. ex Concilio Toletano IV. *Can.* 37. refert statutum, ut Fundator ad egestatem redactus ab Ecclesia alatur, de quo jure infrà *cap.* 6.

XIII. Ex citato Concilio Toletano *Can.* 1. & 2. videmus, eo tempore Fundatoribus eorúmque hæredibus jus fuisse animadvertendi in conservationem locorum à se vel parentibus in Ecclesiam collatorum: "Filiis vel nepotibus „ac honestioribus propinquis ejus qui construxit, vel dita„vit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere „solertiam, ut si Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex col„latis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis „honestæ conventione compescant, aut Episcopo vel judi„ci corrigenda denuntient. Quod si talia Episcopus agere „tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si „autem Metropolitanus talia agat, Regis hæc auribus inti„mare non differant." De hoc Jure Fundatorum latiùs agemus infrà *cap.* 6.

XIV. Illud interim hic notandum, ex hac tuitione & patrocinio Ecclesiarum sive rerum ad eas spectantium, nomen *Patroni*, Defensoris, Advocati & Custodis Fundatoribus datum fuisse; hodieque passim *jura*, quæ olim Fundatoribus data fuerunt, Patronis tanquam Fundatoribus tributa esse: adeoque sensim nomine Fundatoris quasi obliterato, nomen Patroni solùm retentum esse.

XV. Id nihilominus negari non potest, primis & mediis seculis datos fuisse Ecclesiis speciales Defensores, qui & dein Advocati dicti sunt, sed à Fundatoribus, & modernis Patronis planè diversos.

XVI. Sub initium seculi 5. Patres Africani in Synodo Carthaginensi resolverunt, ut eorum Legati "peterent ex „nomine omnium Provinciarum à gloriosissimis Impera„toribus, ut dent facultatem *Defensores* constituendi „*Scholasticos*, qui in actu sunt, vel in munere defensionis „causarum, ut more Sacerdotum Provinciæ, iidem ipsi qui „*defensionem* Ecclesiarum susceperint habeant facultatem „pro negotiis Ecclesiarum, quoties necessitas flagitaverit, „vel ad obsistendum obrepentibus, vel ad necessaria sugge„renda, ingredi judicium secretaria." Finalia verba Codex Græcorum ità expressit: *Secreta judiciorum ingredi*. Ut autem notat Zonaras ad hunc Canonem, *Secretum* apud Latinos est *judicis locus*.

XVII. Postulant ergo Patres Africani, ut eorum Defensores semper possint ingredi *locum judicii*, sive ut possint habere accessum ad judicem, & causarum expeditionem.

XVIII. Prætereà petunt, ut Defensores constituere queant ex Ordine *Scholasticorum*, id est, Causidicorum, more *Sacerdotum Provinciæ*. Erant enim inter ipsos Gentiles, Sacerdotes *Provinciales* sive *Provinciæ*, quorum curæ suberant templa, atque sacra in Deorum templis peragenda. Hi autem in Africa eligebantur ex ordine Causidicorum ex Constitutione Constantii in *L.* 46. *Cod. Theod. De Decurionibus*. Patrum postulatis annuit Imperator, permittens, ut more Sacerdotum Provinciæ, *Defensores* Ecclesiarum ex numero Scholasticorum eligerentur, Constitutione relatâ in *L.* 38. *Cod. Theod. De Episcopis*.

XIX. Hi Defensores postmodum dici cœperunt *Advocati*, uti legitur in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 397. "Pro Ecclesiarum causis ac necessitatibus „eorum, atque servorum Dei, Executores, vel *Advocati* „seu *Defensores*, quoties necessitas ingruerit, à Principe „postulentur.

Et hinc fortè invaluit, eos omnes appellari *Advocatos*, qui alium quoquomodo defendunt, uti monet Franciscus Le Roy in dictis Prologomenis *cap.* 10.

XX. Interim ex citato Canone Africano patet, Defensores præcipuè assumptos, ut in causis *Civilibus* defensionem & patrocinium Ecclesiarum susciperent, essentq; uti hodie loquimur, Ecclesiarum speciales *Causidici* seu *Advocati*: & ipsi pro Episcopis & Clericis in judicium comparerent, & causas prosequerentur; quod minus conveniens Episcopis & Clericis credebatur: de quo plura habentur apud Du Cange in Glossario, verbo, *Advocati*.

XXI. Porrò cum successu temporis compertum esset, Ecclesias frequenter ampliùs potentiâ, quàm facundiâ pro rerum suarum conservatione adversùs potentum ac divitum oppressionem indigere, cœperunt non amplius è Scholasticis, sed è Proceribus & Optimatibus Defensores Ecclesiarum eligi: qui ob defensionem & patrocinium Ecclesiis impendendum, exemplo pristinorum Defensorum, dicti quoque fuêre *Advocati*: atque hi sunt, qui à recentioribus Scriptoribus vocantur *Ecclesiarum Advocati*, *Vicedomini*, *Custodes*, & *Guardias* habentes, qui omnes junguntur in *Cap.* 23. *X. De Jure Patronatus*.

XXII. De his Advocatis extat specialis titulus 47. *lib.* 2. *Legum Longobardorum*, qui inscribitur, *De Advocatis & Vicedominis*: atque *cap.* 5. "Omnibus Episcopis, Abba„tibus, cunctóque Clero, omnino præcipitur, Vicedomi„nos, Præpositos, *Advocatos* sive Defensores bonos habe„re, non crudeles, nec cupidos, non perjuros, non falsitatem „amantes, sed Deum timentes, & in omnibus justitiam fa„cientes vel diligentes.

XXIII. Dein *cap.* 9. ratio redditur cur expediat Clero hujusmodi Advocatos habere: "Quia Episcopi & universi „Sacerdotes ad *solam* laudem Dei, & bonorum operum a„ctionem constituuntur.

XXIV. Ipsi Fundatores, ut magis cautum esset rebus Monasteriorum aut Ecclesiarum, interdum Advocatum designabant, eúmque auctoritate Principis confirmari petebant. Exemplum illius occurrit apud Miræum in Codice *piarum donationum cap.* 31. ubi refertur diploma quoad instantiam S. Wiberti Fundatoris Monasterii Gemblacensis, Otho I. Imperator & Rex Lothariensis & Francigenum dedit Advocatiam "ipsius Abbatiæ de Gembloues Lam„berto Comiti Lovaniensi, viro forti & bellicoso, (ait) vice „nostrâ, contra omnium inquietationem, adjutor eorum „sit ac defensor.

In ipsâ præfatione idem Advocatiæ scopus exprimitur his verbis: "Ne aliquando secularis potentiæ homines ali„quâ persuasione, vel injustâ dominatione perturbent qui„etem Fratrum.

XXV. Advocati autem non tantùm Monachos & Ecclesias ab infestationibus & irreptionibus defendere debent, sed insuper ipsis, nec non eorum colonis & aliis eorum subditis justitiam administrare; uti multis ostendit Du Cange in Glossario, verbo, *Advocati*; & passim in omnibus fundationum antiquarum diplomatibus indicatur.

XXVI. Ne porrò *gratis* judicia seu placeta tenere viderentur, certa jura ipsis constituta fuere; ac ordinariè tertia pars *bannorum* sive mulctarum, quæ in reos sive injustè litigantes decernebantur, ipsis concessa fuit.

Reperitur apud Miræum in codice piarum donationum *cap.* 95. charta Conradi Imp. quâ anno 1145. confirmat Marsinam & alia prædia Monasterio S. Remigii Remensis donata. In hac charta dicit Imperator: "Nostræ discretio„nis est, legaliter providere tam legitimum Monachis Ad„vocatum, qui potiùs prodesse noverit, quàm obesse, potiùs „alodium tueri, quàm vastare.

Tum deinde describit quid *Advocatia* debeatur: atque inter alia ait: "In talibus scilicet *Placitis* generalibus, quan„tumvis servitium determinatum, *tertiam* pecuniæ par„tem, in talibus *placitis* generalibus acquisitæ, recipiet Ad„vocatus... Si effusio sanguinis, seu banni infractio, seu la„trocinium infra alodium emerserint, placitare non poterit „Præpositus sine Advocato; & exinde tertiam partem reci„piet Advocatus. "Pluribus hæc ostendit Du Cange loco citato, ac dein notat, quod Ecclesiarum Prælati, dum hæc tenebantur *Placita* sive judicia, Advocatis & eorum famulis certa ac definita cibaria exhibere tenerentur.

XXVII. At Advocati hisce non contenti, variis prætextibus jura augebant, variásque taxas exigebant; ipsáque Mo-

nasteriis

nasteria & Ecclesias mirum in modum sæpe gravabant; & qui facultates eorum tueri debuissent, eas potiùs rapiebant: & ex Defensoribus direptores facti videbantur.

Hinc in citata charta Conradi Imperatoris: "Exactio„nes, tallias, quas quidam precarias, vel petitiones nomi„nant, vel accubitus vastatorios, Regia censura contradi„cit penitus Advocato." De hoc excessu Advocatorum sub idem tempus scilicet seculo 12. querelæ passim in Pontificum, Conciliorum ac Regum, quin & Fundatorum diplomatibus occurrunt; ut videre est apud Du Cange loco indicato, quibus jungi potest Decretalis Lucii III. in *Cap.23. De Jure Patronatus.*

XXVIII. Quin & Advocati, præcipuè personæ illustres, advocationes suas aliis in Beneficium seu in feudum dabant. Hujus exemplum occurrit in charta Adelberonis III. Metensis, Episcopi, in qua explicat jura ad Monasterii Trudonensis Advocatum, & Subadvocatum pertinentia, anno 1065. ubi meminit cujusdam Odonis *eamdem Advocatiam in Beneficio* habentis: apud Miræum in *Notitia Ecclesiarum Belgicarum cap. 90.* Et apud eumdem in Diplomatibus Belgicis *lib. 1. cap. 33.* notum facit Balduinus Pius Comes Flandriæ quòd Advocatiam Monasterii Eihamensis sibi retineat, sed tamen Subadvocatum statuat Arnulphum de Aldenarda; cui *injungimus* (ait) *supplere vicem nostri, in parvis tantùm negotiis, nobis majora reservantes.*

Rationem præmiserat: "Sed quia vicini ejusdem Eccle„siæ non nullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos sæ„pe recurrere vos oportet, nos verò circa curam nostri „principatus occupati de singulis minutis rebus non vale„mus ad adjutorium vestrum venire, aliâ viâ aggressi sumus „vobis consultum facere.

XXIX. Cùm autem ejusdem Monasterii aut Ecclesiæ plura essent nonnumquam prædia à se invicem, & à Monasterio dissita, contingebat, prætextu facilioris tuitionis, ab eodem Advocato plures dari Subadvocatos; quorum numero non rarò Monasteria & Ecclesiæ haud modicè gravabantur: ideoque nonnumquam in ipsa fundatione numerus determinabatur.

Hujus rei testimonium suppeditat diploma Othonis I. Imp. quo constituit vice sua Advocatum Monasterii Gemblacensis Lambertum Comitem Lovaniensem, eâ adjectâ conditione, "ut Comes Lovaniensis numquam in Advo„catiam Gemblacensem, præter *unum Subadvocatum* „habeat: id est, ut donum hujus Advocatiæ à Rege (qui „major Advocatus est) plusquam ad *tertiam* manum num„quam deveniat.

XXX. Dein adjicit, quod "Subadvocatus in villis ad Ab„batiam pertinentibus nihil aliud juris habeat, nisi per sin„gulos annos de unaquaque domo denarium unum, galli„nam unam, avenæ sextarium unum.

XXXI. Verùm cum experientia quotidiana doceret, quòd neque Canones, neque Principum Edicta, neque Fundatorum leges sufficerent Advocatorum excessus comprimere; tandem Monasteria & Ecclesiæ vice privilegii habuerunt, à similibus Advocatis liberari; aut saltem posse pro suo arbitrio, quem vellent, Advocatum eligere; neque posse eum *Placitum* nisi invitatum tenere.

XXXII. Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgicarum *cap. 87.* exhibetur diploma Henrici III. in quo deplorat, Nivellensem Abbatiam multis calamitatibus fuisse attritam, prædia multa à Comitibus fuisse occupata, quæ restitui mandat; ac dein subjungit: "Non sit ibi Advocatus „quisquam vel Comes, nisi quem Abbatissa elegerit; nec „requirat ipse Advocatus vel Comes aliquod judicium vel „placitum, nisi invitetur ab Abbatissa vel Præposito. Sit ab „omni potestate Comitis vel Advocati ulterius libera; nisi „invitentur justitiæ causa.

Et quidem *cap. 101.* extat instrumentum dotationis Collegii Canonicorum Lensensis in Arthesia per Comitem Boloniæ, quo "liberam potestatem concedit Canonicis as„sumendi quemcumque voluerint Advocatum, qui tam„diu & non ulteriùs, eorum rebus vel eorum causis præsit, „*quamdiu* eis placuerit.

XXXIII. Videri etiam potest diploma Godefredi Barbati Lotharingiæ & Brabantiæ Ducis, quo Montem S. Guiberti immunitate ac privilegiis anno 1123. honorat; atque inter alia decrevit, ut "Uno me excepto, nullus ibi quid„quam juris haberet; *Advocatum nullum*, nisi me suscipe„ret. Per Abbatem & per me, si necessitas exigeret com„ponenda componerentur, corrigenda corrigerentur." Apud Miræum in Codice *Piarum Donatione cap. 76.*

Hic obiter notandum, quòd ad Monasteria quæ ipsos Principes Supremos pro Advocatis seu Protectoribus habuêre alludat Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 8. De Reformat.* à visitatione Episcoporum eximens *pia loca quæ sub Regum* IMMEDIATA *protectione sunt, sine eorum licentia.*

XXXIV. Refert Zypæus *Responso 1. De Jure Patronatus n. 15.* quòd "Conradus II. Imp. Ducibus Brabantiæ „jus Advocatiæ concedat in omnes Ecclesias, & Ecclesiasti„cas personas: earumque bona in suo principatu existen„tium; sed in gratiam ipsorum. Quia nimis grave eis esset „propter distantiam & paupertatem Regem ipsum adire. „Ubi & hoc ait, nulli licitum esse alicujus Ecclesiæ Advo„catiam usurpare, nisi banno Regio ad hoc esset institutus. „Et infrà; mandat ut nomine Imperii ita tueantur, & de„fendant; ita *quod*, inquit, *ab ipsis nil per potestatem reci„piant, aut exigant præter jus Advocatiæ: quia Advo„cati non debent esse depradatores, sed Defensores Eccle„siarum.*

XXXV. Deinde *n. 16.* subjungit: "Cùm Duces Bra„bantiæ progressu temporis plura exegissent sub Joan. III. „anno 1336. est transactum, ut per omnes simul Brabantiæ „Prælatos præstitis 1600. corevveis, quas angarias vocat, „& canum certorum dierum nutrimentis, ab omni ulte„riori onere essent liberi: *salvis corevveis recipi consuetis „in expeditionibus; & cavalcaturis publicis, cùm eos „guerram apertam habere contigerit.*

XXXVI. Hujus Advocatiæ reliquiæ indubiè sunt, quod Prælati in Brabantia specialiter ipsum Ducem sive ejus supremum Senatum pro judice recognoscant. Et in Tabulis Legum Brabantiæ Joannis Ducis anni 1312. decernitur: "In„super volumus, ut Monachi, Moniales, Presbyteri, & „qualescumque Religiosi, si quando offendatur, ad arbi„trium nostrum spectent.

"Hinc Carolus V. in instructione Præfecti saltuum, ve„natoris Brabant. seu *Warant-meester* anno 1545. ultim. „Febr. art. 1. asserit, quod ab omni ævo Dux Brabantiæ „fuit tutor & protector omnium Monasteriorum, & lo„corum piorum, & bonorum eorum in Brabantia, & per „dictum Venatorem ea defendit & protexit, & ideo idem „Venator omnes injuriantes ejus punire potest, & de o„mnibus delictis in Monasteriis ab aliquibus eo venientibus „commissis cognoscere, & punire, excluso loci ordinario „Officiario, qui nequidem per præventionem punire po„test. Ut Conc. Braban. 1545. irritam declaravit composi„tionem à Majore de Merchten factam, cum quodam qui „silvis Monasterii de Diligem inciderat seu truncarat; cu„jus correctio non erat sub ordinaria jurisdictione, sed „Principi *ut Advocato* Monasteriorum competit, qui eam „exercet per d. Venatorem.

Hactenus Zypæus in Jure Novo tit. *De Foro competenti n. 3.* qui & ibidem subjicit, cur hæc tutio nominatim Præfecto saltuum à Duce demandata sit: "Quæ res (ait) o„riginem eam habuit, quòd primi Monachi & Regulares „solerent in saltibus, & rure habitare, ut semoti à strepitu „seculari divinis contemplationibus liberiùs vacarent.

XXXVII. Porrò sicuti contra Abbates seculares, & Commendatarios efficacissimum medium esse diximus *parte 1. tit. 22. c. 6.* si proventus Monasteriorum distribuantur secundùm intentionem Fundatorum; similiter nul-

lum potentius remedium erit adversus excessus Advocatorum; quàm si proventus Ecclesiarum & Monasteriorum in usus pios & pauperum alimoniam impendantur. Dum enim Principes vident, bona à suis Majoribus donata juxta leges fundationis, & piam parentum voluntatem distribui, incitantur ut piæ Majorum suorum intentioni faveant, eamque adjuvent: at quando è converso vident, bona illa contra Fundatorum mentem in luxum & profanos usus insumi, incitantur ut ea retrahant, aut saltem minus defendant; atque frequenter verificatur illud vulgatum, *Quod non capit Christus, rapit Fiscus.*

CAPUT II.
De Varia Specie Juris Patronatus.

1. *Primis seculis omne Jus Patronatus erat ejusdem natura.*
2. *In Synodo VIII. videtur aliquod vestigium distinctionis.*
3. *Hodie aliud est laicum, aliud Ecclesiasticum; & notabiles utriusque differentia.*
4. *Non omne quod competit persona Ecclesiastica est Ecclesiasticum.*
5. *Etiam competens Ecclesiastico ob donatos proventus Ecclesiasticos non est semper Ecclesiasticum.*
6. *Quid sit propriè jus patronatus Ecclesiasticum?*
7. *Potest esse Ecclesiasticum, licet ex fundatione laici habeat originem.*
8. *Descriptio Juris Patronatus laicalis.*
9. *Laicale etiam est, licet patrimonium acquisitum sit ex rebus Ecclesia.*
10. *In dubio potiùs censetur laicum, quàm Ecclesiasticum.*
11. *Jus Patronatus laicale quando dicatur reale.*
12. *Hujus juris in Decretalibus frequens mentio occurrit.*
13. *Hoc jus originem habuit ex Oratoriis in Nobilium castris & villis constructis.*
14. *Nominatio Presbyterorum ad similia Oratoria primitus non erat propriè* Præsentatio
15. *Quomodo in veram præsentationem transierit.*
16. *Jus Patronatus Ecclesiarum ruralium, & minorum Capitulorum hinc originem sumpsisse videtur.*
17. *Quandonam Jus Patronatus laicum dicatur* personale?
18. *Idem Beneficium subinde est Juris Patronatus laici & Ecclesiastici.*
19. *Aliquando laicus & Ecclesiasticus tantum concurrunt divisim vel alternativè.*
20. *Simili casu utrumque Jus Patronatus manet separatum.*
21. *Ecclesiasticus in suo turno non gaudet prærogativis laici.*
22. *Si laicus & Ecclesiasticus verè concurrant, erit Jus Patronatus* mixtum.
23. *In mixto attenditur qualitas conservationi Juris Patronatus magis favens.*
24. *Si agatur de præscriptione, attenditur jus Ecclesiasticum.*
25. *Sæpius attenditur laicum ob hujus prærogativas.*
26. *Id procedit licet plures sint Ecclesiastici, & unus tantùm laicus.*
27. *Jus Patronatus ad Beguinas Confraternitatem laicam, aut Ecclesiarum Æditvos spectans, quale sit*
28. *Jus Patronatus ad Universitatem Parisiensem pertinens declaratum fuit* laicale.
29. *Prædicta jura licet possint dici mixta, prævalet tamen qualitas laicalis.*

I. NOtant communiter Interpretes, multis seculis unius dumtaxat generis Jus Patronatus fuisse, neque differerentiam ullam inter Ecclesiasticum & laicum in antiquis Canonibus, vel Novellis Justiniani notam esse: sed divisionem Juris Patronatus in Ecclesiasticum & laicum, & differentias inter utrumque sensim labentibus seculis, non tam Canone, quàm consuetudine invaluisse; uti infrà *cap.* 5. ostendetur.

II. Aliquod vestigium distinctionis videtur occurrere in Canone 15. Concilii Oecumenici VIII. circa finem seculi 9. Dicitur enim, " Si Episcopus convictus fuerit construxisse Monasterium in reditibus Ecclesiasticis, tradit ipsum " eidem Ecclesiæ Monasterium; si verò de *propriis* rebus " aut aliis quibusdam conventionibus, habeat id secundùm " propriam potestatem & voluntatem, omni vita sua; & " post finem vitæ dimittat & conferat hoc quibuscumque " voluerit, non tamen sæculare diversorium fiat.

III. Hic de Jure Patronatus ipsius Monasterii agi, ex contextu Canonis sat verisimile apparet: quidquid interim sit, hoc indubitatum est, hodie receptam esse divisionem Juris Patronatus in *laicum & Ecclesiasticum*; atque inter utrumque varias ac notabiles intercedere differentias; ut proinde necesse sit scire, ad quam speciem hoc illudve Jus Patronatus referendum sit.

IV. Jus Patronatus non semper Ecclesiasticum est, quia competit personæ Ecclesiasticæ; nisi illi ratione tituli Ecclesiastici, sive Ecclesiæ competat. Quod enim ratione sanguinis aut patrimonii competit, semper censetur laicum, sive obtinens sit laica sive Ecclesiastica persona. Clericus enim quoad patrimonialia reputatur laicus.

V. Imò cùm Clerici hodie proventus Ecclesiasticos adinstar patrimonii *suos* faciant; & in foro externo ut patrimonialia passim reputentur quoad liberam dispositionem tam inter vivos, quàm mortis causâ, Jus Patronatus ex propriis ejusmodi bonis Clerico obveniens, *laicum* & patrimoniale reputabitur, ait Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum *De Jure Patronatus cap.* 6. " nisi Clericus palam & conceptissimis verbis testetur & scribat, se " Ecclesiam illam fundare ex bonis alterius Ecclesiæ quam " tenet, eique Jus Patronatus addicat.

VI. Jus Patronatus Ecclesiasticum itaque propriè dicitur, quod competit Ecclesiæ, seu ratione Ecclesiæ, sive Clerico, sive etiam laicæ personæ, v. g. Abbatissæ.

VII. Neque refert, quòd primitus ex patrimonio & fundatione laici originem habuerit: nam sufficit postea quovis modo, sive testamento, aut donatione, translatum esse in Ecclesiam, Capitulum seu Collegium Ecclesiasticum Canonicorum regularium, aut seculum, aut alicui dignitati, aut beneficio Ecclesiastico esse annexum.

Ita communiter docent Canonistæ; & non obscurè probatur in *Cap. unico de Jure Patronatus in* 6. ubi dicitur, quod Ecclesia vel Monasterium, cui à laico Juris Patronatus collatio facta est, habeat *semestre* ad præsentandum: quod evidens est Juris Patronatus Ecclesiastici indicium; uti infrà *cap.* 5. videbimus.

Huic Canonistarum resolutioni etiam consonat moderna praxis. Hoc ipso enim quo Jus Patronatus probatur alicui competere ratione dignitatis aut tituli Ecclesiastici, reputatur Ecclesiasticum; neque de origine ipsius ulterius inquiritur.

VIII. Laicale verò appellatur, quod alicui sive laico sive Clerico competit ratione proprii patrimonii, non beneficii vel Ecclesiæ.

IX. " Nec interest quòd patrimonium illud acquisitum " sit intuitu Ecclesiæ. Quia cum ex generali consuetudine " Clerici de talibus bonis testari possint, & in illis eis ab intestato succedatur sicuti in patrimonialibus, videtur Clericus dotans, vel exstruens Ecclesiam sibi suisque hæredibus, vel consanguineis Jus Patronatus ratione patrimo-" nii

Digitized by Google

„nii reservasse, & ita laicale judicatur. "Ita Emanuel Gonzales ad *Cap.5.* ⁖ *De Jure Patronatus num.* 3. consentitque Franciscus Le Roy in Prologeminis ad titulum *De Jure Patronatus cap.6.*

X. Quin & ibidem tradit, verius esse, quòd si dubium sit, quale sit jus Clerico competens, an laicum, an Ecclesiasticum, in dubio judicandum sit *laicale*; quia Clerici nihil habere præsumuntur in bonis, ut de S. Augustino Possidius & quia omnes ferè antiqui Canones, ubi de jure Fundatorum, agunt tantùm de laicis & eorum heredibus. Hæc Le Roy, addens ita in Gallia obtinere, ob privilegia huic specialiter competentia, idque confirmari credens verbis Gullelmi Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, verbo. *Et uxorem* NOMINE ADELASIAM *Decis.* 1. *n.*24. "Omnia beneficia præsupponuntur habere Patronos, Fundatores, aut Dotantes, cùm „naturaliter beneficia non nascantur, sed producantur in „esse artificialiter per laicos, qui ut plurimùm sunt Ecclesiarum Fundatores.

XI. Jus Patronatus ulteriùs dividitur in reale & personale. Reale dicitur, quod glebæ seu fundo, vel castro alicui adhæret, & à Fundatore adscriptum est.

XII. Hujus Juris Patronatus mentio occurrit in *Cap.* 18. ⁖ *De Sententia & Re judic.* ubi quæstio incidit occasione fundi, vel curiæ in pignus dati, cui Jus Patronatus adhærebat: An præsentatio vigore hujus Juris Patronatus competeret Creditori cui fundus datus erat *in pignus*; an verò ipsi debitori, qui manet dominus fundi. De qua quæstione agetur *cap.4.*

Et in *Cap.* 7. ⁖ *De Jure Patronatus* supponitur Jus Patronatus annexum certæ *villæ*, quæriturque cui competat, an domino villæ, an ei cui villa data erat *ad firmam*; de qua quæstione similiter *cap.4.* discurretur.

XIII. Jus Patronatus hoc originem habuisse apparet ex Oratoriis & Sacellis, quæ jam pridem viri nobiles circa suos fundos, aut in suis domibus exstruebant. Cùm enim domus seu castra ipsorum, vel etiam villæ fundis ipsorum adjacentes procul ab Ecclesia Parochiali distarent, pro commoditate familiæ hæc Oratoria vel Sacella exstruebant; iisque Presbyteros qui Sacra peragerent præficiebant cum consensu Episcopi: uti colligi potest ex Can.21. Synodi Agathensis, nec non multis Canonibus Conciliorum seculo 7. & 8. celebratorum; in quibus sæpius hujusmodi Oratorium & Presbyterorum mentio fit: porrò quia hæc Oratoria & Sacella pro commoditate castrorum vel villarum, seu ea inhabitantium erant instructa, visum fuit, quòd ex mente Fundatorum sequi deberent dominos castrorum & villarum: ac per consequens, & ipsis deferendam assumptionem seu nominationem Presbyterorum, qui hisce Oratoriis vel Sacellis deservirent.

XIV. Hæc quidem nominatio Presbyterorum ad similia domestica Oratoria primitus non erat propriè dicta *præsentatio*, qualis hodie Patronis competit, quia cùm Oratoria hæc non essent erecta in beneficia, dici nequibat *præsentatio* strictè dicta; præsentatio enim tantùm fit ad beneficia, sive consistit in nominatione Clerici ad beneficia.

XV. Verùm succesu temporis, Oratoria seu Sacella pro commoditate Nobilium eorumq; familiis extructa & fundata, non tantùm in beneficia simplicia, sed etiam in Parochiales Ecclesias mutata fuere; uti ostendit Ludovicus Thomasinus *De Discip. Eccles. parte* 2. *lib.*1. *c.*33.

XVI. Imò cum Principes subinde plures Presbyteros in suis castris aut villis adscripserint, qui ibidem integrum Officium Canonicum peragerent, contigit, ut Oratoria similia in Canonicorum Capitula degenerarint. Exemplum hujus habemus in Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, de quibus in *Cap.*16. ⁖ *De Privilegiis.*

Dum ergo prædicta Oratoria seu Sacella transierunt in similia beneficia, mansit Jus Patronatus seu Jus præsentationis apud illos, quibus fuerat jus nominandi presbyteros, priusquam essent in beneficia erecta.

Hinc non malè advertit, qui hanc esse causam autumat, cur plures Ecclesiæ Parochiales & minora Capitula ruri existentia sint Juris Patronatus laici.

XVII. Jus Patronatus laicum dici potest *personale*, quando ex fundatione, dotatione, aliove titulo competit independenter ab aliqua certa re, cui esset annexum.

Nec enim *personale* dicitur, quasi certæ alicui personæ adstrictum sit; sed ut ab eo distinguatur, quòd *rei* inhæret: sicuti hodie personalia nomina seu credita non eo tantùm titulo dicuntur, quòd certam aliquam personam non egrediantur; nec ad heredes transeant; sed quod prædiis aliisque rebus non inhæreant: neque realizatæ, ut loquuntur, sint; at in mera personalitate subsistant.

XVIII. Interdum contingit, ut idem beneficium sit Juris Patronatus laici & Ecclesiastici, sintque revera ejusdem beneficii duo Patroni, alter laicus, alter Ecclesiasticus.

XIX. Contingere verò potest, ut hi Patroni in præsentatione non simultaneè, sed divisim vel alternativè concurrant: ita ut per vices seu per turnum Jure Patronatus utantur: atque in turno unius interquiescat & quasi cesset Jus Patronatus alterius; ipsæque litteræ præsentationis unius tantùm Patroni, scilicet Turnarii mentionem faciant.

XX. Hoc casu, cùm propriè hi duo Patroni non concurrant in præsentatione, sed singuli separatim suo jure utantur, etiam ipsa Jura Patronatus non censentur sibi juncta; nec unum alteri commixtum; nec dici potest conflatum è bino ullo Jure Patronatus *unicum*, quod *mixtum* dicetur: at in turno laici manet merè laicale; in turno autem Ecclesiastici merè Ecclesiasticum.

XXI. Quare in turno Ecclesiastici sortitur conditionem & qualitatem Juris Patronatus Ecclesiastici.

Unde, licet præventio Papæ locum non habeat in Gallia quoad beneficia Juris Patronatus laici aut mixti, eam tamen locum habere in turno Ecclesiastici, quando prædicto modo turnatim conferunt laicus & Ecclesiasticus, non semel judicatum fuisse refert Charondas in Observat. ad Jus Francorum. Item subjacere nominationi Graduatorum judicatum refertur in libro cui titulus, *Journales des Audiances parte* 2. *lib.*2. *cap.*43.

XXII. Si autem Patroni hi, scilicet laicus & Ecclesiasticus, verè concurrant in usu Juris Patronatus; atque simul præsentent; litteræque præsentationis utriusque nomine expediantur, tum jura illa sibi invicem quasi miscentur, atque unum quodammodo Jus patronatus constituunt, quod *mixtum*, tamquam ex duobus compositum dici solet.

XXIII. Cum igitur hoc jus habeat mixturam utriusque juris Ecclesiastici & laici, etiam naturam & conditionem utriusque induit: ita quidem ut in casu particulari attendatur conditio unius aut alterius quæ conservationi ipsius juris videtur favere. Et ratio est, quam tradit Glossa & quam omnes passim sequuntur, in *Cap. unico De Jure patronatus in* 6. quod propter communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegiati.

XXIV. Hinc infert Fagnanus ad Cap. CUM PROPTER ⁖ De Jure Patronatus *num.* 28. & 29. quod "si „agatur de præscriptione Patronatus mixti, in qua Ecclesia est magis privilegiata, quam laicus, censetur patronatus totus Ecclesiasticus, ut requiratur ad ejus præscriptionem idem tempus, quod requiritur contra Ecclesiam. Similiter cum patronus laicus habeat ad præsentandum quadrimestre, Ecclesiasticus semestre, si mixtus fit „patronatus, uterque Patronus habebit semestre, quia „hoc casu melior est conditio Patronatûs Ecclesiastici, „quam Laicalis.

XXV. Deinde de prærogativis Juris Patronatus laicalis subjicit "E converso si versemur in materia in qua Jus patronatus laicorum sit firmius & magis privilegiatum, „quàm Ecclesiasticum, patronatus mixtus ex utroque totus censetur laicalis. Et ideo cum in materia derogatio „potentior sit patronatus laicalis quàm Ecclesiasticus, „quam

„ quamvis Legatus *de latere* possit conferre beneficia Ju-
„ ris patronatus Ecclesiastici, non tamen poterit conferre
„ quæ sunt Patronatus *mixti*: quia in hoc reputantur, ac si
„ essent Patronatus *ex toto* laicalis.

XXVI. Probat quoque ibidem Fagnanus, quod & supra *tit.* 23. *cap.* 4. diximus Jus Patronatus mixtum censeri laicale, quoad prærogativas Juris laicalis, tametsi multo plures essent Ecclesiastici Patroni, quam Laici: imò tametsi multi essent Ecclesiastici, & unus dumtaxat laicus; atque tandem *num.* 59. ex dictis concludit, "in mixtis prævalere
„ qualitatem magis faventem, & per eam jus alterius non
„ læditur ex communione, etiamsi qualitates contrariæ sint
„ numero plures.

XXVII. De aliquibus Juribus Patronatus jam pridem dubitatum fuit, cui speciei accensenda essent & consequenter quibus regulis & conditionibus subjacerent.

Atque ita dubitatur de Jure Patronatus ad Confraternitatem laicorum, aut Ecclesiarum æditucs spectante, cujus generis censendum sit. Credit Philippus Probus in additionibus ad Glossam Pragmaticam *De Collat.* §. *statuit.* verbo *Præsentatio*, Jus Patronatus competens Beguinis, prout & illud quod habent procuratores fabricæ, esse Ecclesiasticum. Idipsum notat *tit de Elect.* §. *quod si quis*, verbo, Fabricæ.

Covarruvias verò *Practic.* qq. *cap.* 36. *num.* 9. loquens de Beneficiis spectantibus ad Jus Patronatus seu præsentationem alicujus Fraternitatis laicorum, qui solent causâ pietatis collegia aliqua constituere, censet hoc Jus Patronatus & ei simile, non esse Ecclesiasticum, sed *laicorum*.

" Nam etiamsi hoc Collegium (ait) causa pietatis con-
„ stitutum adhæreat, & sit affixum alicui Ecclesiæ, ipsi ta-
„ men, ex quibus Collegium & universitas constat, & ad
„ quorum voces, ac suffragia præsentatio fit, laici sunt om-
„ ninò & ad hanc Universitatem laicorum præsentatio per-
„ tinet, non ad Ecclesiam, nec ad aliquam Ecclesiasticam
„ dignitatem: Sic sanè aliquot aliis adductis hanc opinio-
„ nem veram esse censet Felinus. Unde omnia, quæ conve-
„ niunt Juri Patronatus laicorum, erunt plane applicanda,
„ & aptanda huic Juri Patronatus competenti fraternitati-
„ bus laicorum, etiamsi hæc collegia adhæreant alicui spe-
„ ciali Ecclesiæ. Atque ideo apud Hispanos non admittun-
„ tur derogationes, quæ fiunt in præjudicium præsentatio-
„ nis, quæ ad hæc Collegia pertinent.

XXVIII. Similiter refert Renatus Choppinus *lib.* 3. *De Domanio Regis tit.* 27. *num.* 12. post longas utrimque disceptationes judicatum fuisse à supremo Regis Senatu, Jus Patronatus spectans ad Universitatem Parisiensem, censeri eatenus saltem esse *laicum*, ut ei per reservationem, præventionem, aliisque modis derogari nequeat sed placere ab Academia sola, quasi à profano Patrono, ad vacua inposterum "Sacella candidatos suos
„ offerri nominarique ordinario Collatori, "uti loquitur Choppinus.

XXIX. Licet enim negari nequeat quin similia corpora aliquam rei spiritualis mixturam habeant, eoque titulo Jus Patronatus illis annexum merito dici queat *mixtum*, uti ad citatum locum Glossographi Sanctionis Pragmaticæ, verbo *Fabrica*, in margine notavit Franciscus Pinsonius, nihilominus, quoad prærogativas Juri Patronatus laico competentes, dici debebit, & rectè vocabitur *laicum*, juxta ea quæ de Jure Patronatus mixto supra notata sunt.

Huic conforme est, quod Magistri Fabricæ Ecclesiarum, aut Mensæ pauperum, si laici sint & à laicis instituantur, ratione administrationis, non coram judice Ecclesiastico, sed laico hodie conveniantur, uti *parte* 1. *titul.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. notatum est. Indicium haud obscurum, hujusmodi Corpora magis ut *laica*, quam ut Ecclesiastica reputari.

CAPUT III.

De Modo acquirendi & probandi Jus Patronatus.

1. *Præcipuus titulus acquirendi Jus Patronatus est Ecclesiæ fundatio.*
2. *Ex fundatione acquiritur sine speciali reservatione.*
3. *Non usus inducit præsumptionem non reservationis.*
4. *Ubi constat de fundatione, pro Jure Patronatus præsumitur.*
5. *Modo sit vera fundatio.*
6. *Solius fundi donatio non sufficit.*
7. *Fundatio ex Canonum præscripto requirit dotationem sufficientem.*
8. *Requiritur constructio & dotatio.*
9. *Idipsum probat Synodus Tridentina.*
10. *Fundi Dator potest Benefactor: sed non Patronus haberi.*
11. *Synodus Tridentina non vult ob quamcumque dotationem Jus Patronatus admitti.*
12. *Ob dotationem aut dotis augmentum Jus Patronatus sine consensu prioris Patroni non attribuendum.*
13. *Fallit si Patronus dotare nolit; nec aliter dos haberi queat.*
14. *Quomodo per fundidationem, dotationem, & constructionem tres Patroni constitui queant.*
15. *Primitus jus hoc solo fundationis titulo delatum.*
16. *Capit postmodum etiam titulo præscriptionis; & quare.*
17. *Requiritur tempus memoriam hominum excedens.*
18. *Id probatur Decreto Synodi Tridentinæ.*
19. *Quot præsentationes requirantur ad præscriptionem?*
20. *In quibus personis Synodus Trid. requirat ampliores probationes Juris Patronatus.*
21. *Nonnulla Jura Patronatus rejicit.*
22. *Qui tantùm est in quasi possessione Juris Patronatus, an ex Decreto Concilii Trident. præsentare queat?*
23. *Probatio per Concilium requisita etiam obtinet in possessorio.*
24. *Fallit, si tantùm sit quæstio cui competat.*
25. *Jus Patronatus ortum alio quàm fundationis titulo per Synodum Trid. abrogatum.*
26. *Concilium Trid. hic promulgatum salvo Jure Patronatus Regis & Vasallorum.*
27. *Decreta Concilii Trid. in quantum restringunt Jus Patronatus laicorum hic non sunt recepta.*
28. *Probatio Juris Patronatus hic admittitur adinstar aliorum jurium.*
29. *Præsentatus à possessore præfertur præsentato à proprietario.*
30. *Ipsa immemorialis possessio habetur pro vero titulo, & quod in Gallia obtinet.*
31. *Olim laici Ecclesias occuparunt; & quomodo inde ortum Jus Patronatus.*
32. *Quomodo ulterius ad Monasteria & Capitulum devolutum.*
33. *An privilegio Pontificis acquiri possit?*

I. JUs Patronatus acquiri, ac jam pridem concessum fuisse Ecclesiarum Fundatoribus, ostendimus capite primo; huncque esse legitimum, magisque probatum titulum Juris Patronatus nemo dubitat.

II. Et quidem vi fundationis acquiri Jus Patronatus sine

sine speciali reservatione fundatoris, aut concessione Episcopi non obscurè insinuat Clemens III. in *Cap.* 25. ☩ *De Jure Patronatus*; præsertim si addantur quæ leguntur in integra Decreta apud Antonium Augustinum in secunda Decretalium collectione. Constat enim ex integra Decretali, quæsitum fuisse à Clemente III. *Si aliquis efficiatur* SOLA *Ecclesiæ constitutione Patronus.* Cui quæsito ita respondit Pontifex: *Quòd si aliquis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo Jus Patronatus acquirit:* quasi diceret solam fundationem sufficere, nec requiri specialem juris illius reservationem.

Hinc Glossa ad *Can.* 6. *De Consecrat. Dist.* 1. ait: "Fundatori Jus Patronatus *ipso jure* debetur, etiamsi non petat, vel in pactum deducat.

Hanc opinionem multis astruit Franciscus Le Roy in Prologeminis ad Commentarium de Jure Patronatus *cap.* 15. & ita in Rota Romana resolutum fuisse refert. Unà tamen monet, quòd licèt specialis reservatio non sit necessaria, præsertim per scripturam, tutius tamen sit, tabulas conscribi, & in iis Jus Patronatus nominatim reservetur, ut si dubitetur, facilius probari possit.

III. Attamen si ab antiquo fundata fuerit Ecclesia; & Fundator ejusve heredes Jure Patronatus usi non sint, præsumendum est, eos in ipsa fundatione jus hoc remisisse ac voluisse fundare Ecclesiam liberam; aut certè successu temporis, saltem tacitè, eo non utendo, renuntiasse; uti monet ibidem Le Roy.

IV. Interim si de Jure Patronatus dubitetur, & probetur aliquem esse Fundatorem, aut saltem Fundatoris hæredem, ipsi Jus Patronatus adjudicabitur: eò quòd fundatio secum soleat trahere Jus Patronatus; ideoque præsumatur Fundatori reservatum, nisi contrarium quodammodo ostendatur: quod & innuitur in *Cap.* 41. ☩ *De Testibus*, ubi ad probandum Jus Patronatus, sola *Fundationis* probatio requiritur.

V. Hæc autem intelligi oportet de veris Ecclesiæ Fundatoribus, id est, qui & fundum ac dotem convenientem pro fabrica, nec non ministris aliisque necessariis ad Dei cultum ritè peragendum conferunt, quique ideo veri Ecclesiarum Fundatores dici merentur.

VI. Quòd enim nonnulli per *fundationem* intelligi voluerint *fundi dationem*, quasi solius fundi, in quo Ecclesia materialis ædificari posset, datione; sive alicujus *dotis* assignatione Jus Patronatus censeretur acquiri, à jure hodierno, & pristinis Canonibus alienum est.

Tam enim in Decretalibus, quàm sacris Canonibus, fundatio accipitur pro constructione & dotatione; quemadmodum pluribus citatis ostendit Le Roy in dictis Prologomenis *cap.* 13.

VII. Deinde Canones loquentes de *fundatione* indubiè loquuntur de *fundatione* sive exstructione ritè, & secundùm Regulas Canonicas peragenda. Canones autem prohibent ædificari Ecclesiam, nisi priùs assignentur quæ necessaria sunt pro luminaribus, pro custodia & ministrorum stipendiis; quinimò ante ipsam fundationem dos assignari debet, uti post alios rectè advertit Fagnanus ad *Cap.* QUONIAM ☩ *De Jure Patronatus n.* 34.

VIII. Hinc ulterius ibidem latè probat, Jus Patronatus solà *fundi* datione non acquiri, neque solà constructione; sed constructione & dotatione: quod & astruit Zypæus *Resp.* 3. *De Jure Patronatus*; illúdque conforme est Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 12. & *Sess.* 25. *cap.* 9. *De Reform.*

IX. Nam dicto *cap.* 12. expressè dicitur: Nemo etiam „cujusvis dignitatis Ecclesiasticæ vel secularis, quacumque „ratione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de no„vo fundaverit, & construxerit; seu jam erectam, quæ ta„men sine sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patri„monialibus bonis competenter dotaverit, Jus Patro„natus impetrare aut obtinere possit, aut debeat. In casu „autem fundationis aut dotationis hujusmodi institu„tio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

X. "Qui ergo vilem tantùm aream dederit (ait Zypæus „ibidem *num.* 9.) nihil de suo aliud in dotem, vel structu„ram contulerit, patronatum acquirere non potest, nec hu„jusmodi nomen, magna nimis secum juta trahens expli„cita in nobis, ei Episcopus reservare: benefactor qui„dem dici potest, & honor aliquis sessionis, processio„nis, sepulturæ &c. ex arbitrio Episcopi ei deferendus de„cerni.

XI. Quin nec ob qualemcumque dotationem Jus Patronatus ab Episcopis admitti debere, satis indicavit Synodus Tridentina citato *cap.* 9. ubi dicit: "Patronatus qui„cumque in Ecclesiis, quibuscumque aliis beneficiis, etiam „dignitatibus anteà liberis, acquisiti à quadraginta annis „citra, & in futurum, acquirendi, sed ex augmento dotis, „seu ex nova constructione, vel alia simili causa, etiam au„ctoritate Sedis Apostolicæ, ab iisdem Ordinariis, utì dele„gatis, ut suprà, qui nullius in his facultatibus, aut privile„giis impediantur, diligenter cognoscantur: & quos non „repererint ob *maximè evidentem* Ecclesiæ, vel beneficii, „seu dignitatis necessitatem legitimè constitutos esse, *in to„tum revocent*; atque beneficia hujusmodi sine damno il„la possidentium, & restituto patronis eo, quod ab eis id„circo datum est, in pristinum libertatis statum red[u]cant; „non obstantibus privilegiis, constitutionibus, & consue„tudinibus, etiam immemorabilibus.

Nullatenus ergo Synodus credidit, omnem Ecclesiæ dotationem, aut constructionem esse legitimam causam concedendi Juris Patronatus. Consonat id & praxi, utpote quæ non omnes, qui Ecclesiæ non satis dotatæ augmentum dotis conferunt, aut successu temporis ad inopiam redactæ succurrunt, pro Patronis recipit; licèt illos Benefactoribus annumeret.

XII. Quinimo si vi primævæ fundationis alióve titulo aliquis esset Ecclesiæ Patronus, non posset Episcopus alteri, etiam notabilem dotem de novo offerenti Jus Patronatus cum præjudicio prioris Patroni concedere, nisi hujus consensus accederet.

XIII. Si tamen de dotanda Ecclesia interpellatus, eam dotare recuset, si necessitas aut evidens Ecclesiæ utilitas dotem, aut certè ejus augmentum requirat, eáque haberi nequeat, nisi eam offerenti Jus Patronatus annuatur; non apparet, cur Episcopus Jus Patronatus huic dotanti annuere non posset, saltem ut unà cum Fundatore concurrat.

Cum enim fundatio requirat *dotem*; censetur dotans quodammodo partem in fundatione habere; imò ipsi fundationi effectum tribuere. Constructio quippe Ecclesiæ sine dote ad exhibendum cultum divinum, parum utilis, & exigui effectûs est.

XIV. Unde etiam post alios Canonistas docet Fagnanus loco citato, quod si ad ipsam fundationem tres concurrant; unus assignando aream seu fundum; alius expensas constructionis conferendo; & tertius eam dotando, omnes censeantur assequi Jus Patronatus, ac omnes *in solidum* effici Patronos: atque ita intelligendam esse Glossam dicentem, Jus Patronatus acquiri tribus ex causis quas hoc vulgari versu expressit: *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

XV. Quamvis primitus Jus Patronatus, præcipuè *laicum*, non alio, quàm *fundationis* titulo delatum fuisse legamus, lapsu tamen temporis receptum fuit, & titulo præscriptionis acquiri posse.

XVI. Cum enim jus illud, non ut merè spirituale, sed potiùs ut temporale reputaretur, quod & ad hæredes transmissibile esset, ejúsque juris laicos capaces esse jam nemo dubitaret, consequenter visum est, nihil obstare, quo minùs præscriptione, adinstar aliorum jurium, acquiri posset: idque non tantùm contra Patronum, sed & contra Ecclesiam *liberam* etiam à laico; quemadmodum satis apertè deciditur in *Cap.* 24. ☩ *De Elect.* ubi populo asseritur jus præsentandi Clericum, eo solo titulo, quòd in *antiqua* quasi *possessione* eligendi seu præsentandi esse ostenderetur.

XVII. Si

XVII. Si tamen agatur de præscriptione Juris Patronatus, præsertim laicalis contra Ecclesiam liberam, non sufficit tempus 40. annorum; sed exigitur tanti temporis quasi possessio, cujus contraria memoria non existat, juxta *Cap. 1. De Præscriptione in 6.* eò quòd præsumptio sit contra præscribentem; ipsumque jus commune ei contrarietur. Juxta Canones enim, omnes Ecclesiæ sunt in ordinatione Episcopi, & à Jure Patronatus liberæ existunt: ipsumque Jus Patronatus ut quædam servitus Ecclesiæ imposita consideratur.

XVIII. Consonat Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 9. De Reformat.* decernens, ut "titulus Juris Patronatus sit „ex *fundatione*, vel *dotatione*, qui ex authentico documen„to, aut aliis jure requisitis ostendatur: sive etiam ex mul„tiplicatis præsentationibus per antiquissimum temporis „cursum, qui hominum *memoriam excedat*, aliásve secun„dùm juris dispositionem.

XIX. Synodus numerum præsentationum non exprimit; sed simpliciter vult ex *multiplicatis* præsentationibus per cursum temporis, qui hominum memoriam excedat, factis, titulum Juris Patronatus probari: unde nec inter Doctores de numero convenit: asseritque Franciscus Le Roy in citatis Prolegomenis *cap. 16. in Foro* sibi per manus traditum esse, ad præscribendum Juris Patronatus proprietatem contra verum patronum, vel etiam titulo munitum tres præsentationes requiri & sufficere. Et hoc (ait forte probant ex *Cap. 3.* ꝟ *De Causa possess. & propriet.* ubi summus Pontifex docet, jus eligendi per *tres* electiones non aliter acquiri, quam si completa sit legitima præscriptio.

XX. Ulteriùs Synodus Tridentina eodem *cap. 9.* vult, ut „in iis personis, seu communitatibus, vel Universitatibus „in quibus ad iis plerumque ex usurpatione potius quæsi„tum præsumi solet, plenior, & exactior probatio ad do„cendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis „temporis probatio aliter eis suffragetur, quàm si præter „reliqua ad eam necessaria, præsentationes, etiam continua„tæ non minori saltem, quàm quinquaginta annorum spa„tio, quæ omnes effectum sortitæ sint, autenticis scripturis „probentur.

XXI. Deinde ulterius addit: "Reliqui Patronatus o„mnes in beneficiis, tam sæcularibus, quàm regularibus, seu „parochialibus, vel dignitatibus, aut quibuscumque aliis „beneficiis, in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia: seu facul„tates, & privilegia concessa tam in vim Patronatus, quàm „alio quocumque jure nominandi, eligendi, præsentandi „ad ea, cùm vacant (exceptis patronatibus; super Cathe„dralibus Ecclesiis, competentibus, & exceptis aliis, quæ ad „Imperatorem & Reges, seu regna possidentes, aliósque „sublimes, ac supremos Principes, jura Imperii in dominiis „suis habentes, pertinent, & quæ in favorem studiorum „generalium concessa sunt) in totum prorsus abrogata, & „irrita, cum quasi possessione inde secuta, intelligantur, Be„neficiáque hujusmodi, tamquam libera, à suis collatori„bus conferantur; ac provisiones hujusmodi plenum effe„ctum consequantur.

XXII. Ex his finalibus verbis deducit Fagnanus ad *Cap.* CONSULTATIONIBUS ꝟ *De Jure Patronatus num. 9.* „ad validitatem præsentationis vel institutionis non suffi„cere, ut præsentans communiter reputetur patronus, & sit „in *quasi possessione* juris præsentandi, nisi doceat de „*titulo & proprietate* Juris Patronatus ad præscriptum „Concilii.

XXIII. Et dein *num. 7.* refert, declarasse S. Congregationem, Decretum Concilii Tridentini habere locum etiam *in petitorio & possessorio*: "ideoque admittendam non esse „præsentationem, nec præsentati institutionem faciendam „esse, nisi PROBATO priùs *jure* patronatus ad præscriptio„nem ejusdem Concilii. Imò etiam si post Concilium Or„dinarius admisisset præsentationem simpliciter, & absque „causæ cognitione, posse prætensum Patronum à sua „quasi possessione repelli, nisi patronatum *legitimè* pro„baverit juxta formam dicti Concilii." Quin & addit *num. 11.* resolvisse S. Congregationem, admittendum non esse ad præsentandum, tametsi probaverit, se per quadraginta annos præsentasse & in possessione, vel quasi possessione fuisse.

XXIV. Deinde monet tandem *num. 16.* si constet quidem de Jure patronatus, sed quæstio sit inter duos, cui competat; eo casu non requiri formam probationis per Concilium Tridentinum præscriptam; atque inter præsentatos præferendum esse præsentatum ab illo, qui tempore præsentationis erat in quasi possessione præsentandi sive Juris patronatus.

Idipsum notat Zypæus in Jure Novo tit. *De Jure Patronatus num. 6.* Rationem addens: "Quippe cùm „hic cesset ratio Decreti, ne scilicet Ecclesiæ liberæ in „servitutem & clientelam, præsertim sæcularium, redi„gantur.

XXV. Similiter Zypæus reflectens ad citata Decreta Concilii, asserere non dubitat, quòd cujusdam Baronis Jus Patronatus magis ex proventibus jam antè Ecclesiasticis, & privilegio, quàm ex fundatione ortum, multùm periclitaretur, *nisi* (ait) *hic Concilium Trident. sine mutatione Juris Patronatus esset receptum. Consult. 4. De præbendis num. 2.*

XXVI. Indubiè per finalia hæc verba indicare voluit Zypæus limitationem, quæ in promulgatione Concilii Tridentini in Belgio addita fuit; & cujus ipse meminit in Jure Novo *tit. De Constit. num. 6.* ubi refert, quod in litteris Gubernatricis Belgii, quibus nomine Regis publicatio Concilii mandabatur, expressè dictum fuerit, mentem Regis esse, nihil mutari circa Regalia jura, privilegia Suæ Majestatis, aut suorum vasallorum, Statuum aut subjectorum, & speciatim circa *Jus Patronatus*, Indultum, seu Jus Nominationum.

XXVII. Quæ clausula quoad conservationem Juris patronatus consonat iis quæ Concilia regia, à Gubernatrice super executione Decretorum reformationis Concilii Tridentini consulta, notaverant.

Nam ad *Cap. 12. & 13. Sess. 24.* hæc nota erat: "Quæ „ad coarctandum Jus Patronatus sancita sunt, consentiunt „omnes, ad Patronos *laicos* extendi non debere.

Ad *Cap. 9. Sess. 25.* hæc: "Versiculo, *Reliqui Patro„natus*, abrogatur jus patronatus omne, quod ex funda„tione vel dotatione, quæ authentico documento ostenda„tur, natum non est, & præscriptio immemorialis (nisi 50. „annorum continuatæ præsentationes authenticis scriptis „probentur) rejicitur, paucis quibusdam Patronatibus ex„ceptis. Id existimant pleraque Concilia admitti non de„bere in Patronatibus *laicis* ne jus cuiquam quæsitum au„feratur, & subditi in *antiqua* quam habent possessione, „turbentur. Nimiùm etiam coarctari probationes, ita re„strictas, uti Synodus decrevit, præsertim quoad eos, qui „circa limites Provinciarum incolunt, & hostilibus excur„sibus expositi, documentis antiquis forte spoliati sunt. „Probationis modum proinde arbitrio judicantium, re„ctiùs relinqui.

Ita refert Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis in suo Triboniano Belgico *cap. 33. §. 52.*

XXVIII. Conformiter ad has notas, & clausulam litteris Gubernatricis appositam, praxis Belgii habet, ut probatio Juris Patronatus, præsertim laicalis, fiat & admittatur eâdem formâ quâ aliorum jurium probatio; atque possessorium adjudicetur possidenti, sive ei, qui in quasi possessione præsentandi esse probatur.

XXIX. Consequenter præsentatus à possessore præfertur ei, qui est præsentatus à proprietario, juxta *Cap.* CONSULTATIONIBUS ꝟ *De Jure Patronatus, & Cap.* EX LITTERIS ꝟ *eod.* quæ hic, non obstante Decreto Concilii Tridentini, suum vigorem retinuerunt. Ipsa deinde possessio memoriam hominis excedens etiam hic pro titulo habe-

habetur: neque ad fundationis aut dotationis specialem titulum probandum ulterius urgentur, qui hujusmodi possessionem probant.

XXX. Advertens quoque Franciscus Florens, quòd Trid. Patres cum tempore memoriam hominum excedente vellent adhuc justum & authenticum titulum, qui exhibeatur, ait: "Ultimum illud non sat probatur in Gallia, ubi „ vetustas illa pro titulo, & vicem legis tenet.

Quare & hodie verum est in Belgio & in Gallia, nullam fieri differentiam, saltem quoad jus præsentandi, inter Jus Patronatus laicis competens titulo fundationis, & competens titulo præscriptionis, uti jam pridem notavit Rebuffus in Praxi Benef. in *tertia parte Signaturæ num.* 71.

XXXI. Præter fundationem & dotationem, nec non præscriptionem, est & alius titulus seu modus, quo primùm ad laicos, & dein ad Monasteria & Capitula jus patronatûs satis frequenter transivit.

Circa sæculum 8. & 9. contigit, ut Principes non tantùm bona Ecclesiastica usurparent, sed ipsa etiam Monasteria, quin & Parochiales Ecclesias; easque suis militibus darent in feudum, vel alodem: eóque titulo omnes earum obventiones haberent, uti pluribus ostendit Filesacus in *Querela Ecclesiæ Gallicanæ*; & aliqua diximus suprà *parte* 1. *tit.* 31. *cap.* 7. & plura dicentur infrà *De Congrua Parochorum portione*: ubi de primitivis Pastoribus agetur; qui occasionem portioni congruæ dederunt.

Hi Laici primùm quidem in his Ecclesiis, quas tamquam proprias possidebant, earum se dominos appellantes, Presbyteros assignatis modicis emolumentis propriâ auctoritate, & inconsulto Episcopo instituebant, & destituebant. At cùm id tamquam Ecclesiis admodum præjudiciosum in Synodis vetitum fuit, cautumque, ut nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero det vel auferat Ecclesiam, *Can.* NEMINEM 16. *q.* 7. ex Concilio Cabilonensi, cœperunt Presbyteros iis Ecclesiis præficiendos Episcopis præsentare; & ita Jus Patronatûs habere in Ecclesiis, quas in beneficium sive alodem acceperant, uti latiùs deducit Franciscus Le Roy in citatis Prologomenis *cap.* 17.

XXXII. Adhæc, cùm plures laici Ecclesias, quas in feudum acceperant, in Monasteria & Capitula transtulerint, uti infrà titulo *De Congrua Portione* ostendetur, etiam ipsi Monachi & Canonici Presbyteros iis Ecclesiis præficiendos præsentare cœperunt; atque hinc jus præsentandi seu Jus Patronatûs Monasteriorum & Capitulorum pro majore parte originem sumpsit: quod licet origine laicale fuerit, postquam tamen in Monasteria & Capitula transivit, pro Ecclesiastico reputatur, uti capite præcedenti ostendimus.

XXXIII. Sicuti præsumptione, ita & ex privilegio summi Pontificis acquiri posse Jus patronatûs, de jure indubitatum est; & notat Pinsonius in Tractatu *De Beneficiis titulo De Oneribus & Immunitatibus Ecclesiarum* §. 6. *num.* 8. unà tamen addens: "Licet illud apud nos non „ usquequaque servetur, tamquam Ordinariorum libe„ ræ dispositioni, & collationi contrarium, cui nulli obices „ adjici possunt, nisi in ipso fundationis actu & instrumento „ dati sint.

CAPUT IV.

Quomodo Jus Patronatus transferatur?

1. *Jus Patronatus transit cum dignitate.*
2. *Hoc jus separatim quomodo transire possit?*
3. *Jus Patronatus laicum* reale *transit cum re cui adhæret.*
4. *Transit, licet nominatim expressum non fuerit.*
5. *In hac alienatione non requiritur licentia Episcopi.*
6. *Translato* utili *dominio transit quoque jus patronatus.*
7. *Transit in conductorem* ad firmam.
8. *Elocatio* ad firmam *naturam sapit contractus censualis.*
9. *Quæ de causa Monasteria prædia darent* ad firmam?
10. *Conditiones hujus contractus.*
11. *An transeat in maritum ratione dotis?*
12. *An in viduam ratione dotarii?*
13. *Utrum competat usufructuario?*
14. *Præsentatio facta à bona fidei possessore est valida; nec invalidatur re evictâ.*
15. *Non transit in creditorem ratione pignoris.*
16. *Jus patronatus præsertim* laicale *consideratur hodie ut* temporale; *& de eo solus judex laicus cognoscit.*
17. *Jus hoc est transmissibile ad hæredes.*
18. *Transit ad hæredes ab intestato; si nihil in contrarium sit statutum.*
19. *Transit ad singulos hæredes in solidum.*
20. *Hæredes* unius *Patroni tantùm habent unum suffragium.*
21. *Succeditur in stirpes.*
22. *Potest jus præsentandi dividi* per turnum.
23. *Per turnum præsentant interdum* divisim; *& tunc non est* mixtum.
24. *Interdum jus patronatus est mixtum, dum nominatio fit per* turnum.
25. *Potest in fundatione caveri, ut non deferatur jure hæreditario: & quid tunc juris?*
26. *Unde invaluerit abusus vendendi Jus Patronatus.*
27. *Abusus per Pontifices reprobatus.*
28. *Habita venditio hujusmodi ut Simoniaca.*
29. *Ostenditur Jus Patronatus esse* spirituali *annexum.*
30. *Venditio Juris Patronatus hodie habetur irrita & Simoniaca.*
31. *An rectè dicatur vendi cum ipso fundo.*
32. *Pretium fundi augendum non est intuitu Juris patronatus annexi.*
33. *Unde proveniat, laicos jus Patronatus tanti facere.*

I. JUspatronatûs Ecclesiasticum competens ratione officii, dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici transire unà cum officio, Dignitate aut Beneficio ad quemcumque tituli illius possessorem, adinstar omnium aliorum jurium hujusmodi titulo annexorum, indubitatum est.

II. At separatim ab ipso Officio, Dignitate aut Beneficio, in alterum transferri non posse citra solemnitatem in alienatione rerum & jurium Ecclesiæ requisitam, probant Zypæus *Responso* 4. *De Jurepatronatus*, & Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jurepatronatûs *cap.* 18. ubi monet, in permutatione Jurispatronatûs Ecclesiastici requiri consensum Episcopi: "tunc enim (ait) alienatur res ad ipsam Ecclesiam per„ tinens, ideoque non nisi servatis solemnitatibus aliena„ ri potest.

III. Si Jurispatronatûs laicum fuerit reale, id est, fundo aut castro vel Toparchiæ, alterive jure aut rei annexum, transit instar alterius juris realis in ipsum possessorem & Dominum rei, quemadmodum notant omnes Interpretes ad *Cap.* 13. *h.* *De Jurepatronatus*, ubi Hospitalarii empto feudo, juspatronatûs acquirere dicuntur, quod huic feudo adhæret.

IV. Imò cùm hìc agatur de jure inhærente ipsi rei, ut jus hoc translatum censeatur, necesse non est, ut in ipsius rei translatione, Jurispatronatûs mentio facta sit: quemadmodum loco citato rectè observat Franciscus Le Roy: semper enim

enim (ait) alienatio facta præsumitur cum sua causa; exemplo aliorum jurium realium, servitutis, hypothecæ & similium, quæ semper rem ipsam sequuntur, tametsi in ipsa alienatione nominatim non sint expressa.

V. Ulterius quia hic agitur principaliter de alienatione rei merè profanæ & Laicalis; de alienatione verò Jurispatronatûs dumtaxat *accessoriè*, sive in consequentiam, nullam requiri in hac alienatione Episcopi licentiam, aliámve solemnitatem in alienandis rebus Ecclesiæ observandam, tradunt passim Canonistæ; quibus & praxis consonat.

VI. Ampliatur hæc conclusio ex communi Canonistarum doctrina, ut locum habeat, etiamsi villa aut fundus, cui juspatronatûs inhæret, solummodo quoad *utile* dominium transierit: ita nimirum, ut saltem jus præsentationis sit apud Dominum *utilem*; tametsi forsan ipsum juspatronatûs maneat apud Dominum directum.

Quamdiu enim aliquis pro Domino habetur, seu quamdiu habet *utile* Dominium, omnis usus ipsius rei & jurium ei annexorum est penes utilem Dominum; solo titulo dominii remanente apud Dominum directum.

VII. Hoc fundamento rescripsit Alexander III. in *Cap. 7. h. t. De Jure Patronatus*, præsentationem Clerici vigore Jurispatronatûs annexi cuidam villæ competiisse militi, si constiterit, villam illam fuisse à Monasterio, cui dominium illius competebat, militi illi datam *ad firmam*; id est, ad longum tempus elocatam.

VIII. Quæ elocatio naturam sapiebat cujusdam contractus emphyteuticarii, vel potius censualis, quo *utile* dominium transfertur; uti probat Le Roy ad dictum *cap. 7.* & etiam Fagnanus ad idem Capitulum *num. 12.* una observans, dationem ad *firmam* hic necessario sumendam pro elocatione ad longum tempus, quæ habeat naturam hujusmodi contractus.

IX. Notat ibidem ulterius Franciscus Le Roy, quod "ut plurimum monasteria vel etiam laici prædia sua dabant ad *firmam*, vel ut edulia, aliave necessaria pro pensionibus acciperent ad victum & vestitum... Vel etiam Abbates laicis prædia sua dabant ad *firmam*, ad longum tempus, ad vitam, ad centum annos, ut ita eorum favorem, gratiam, & patrocinium emendicarent.

Deinde subjungit: "Ejus rei luculentum exemplum extat apud Ingulphum in Historia Croylandensis Monasterii. Ubi cum ejus Monasterii Abbas alicujus potentioris defensionem sibi suisque Monachis demereri vellet, placuit tenementum aliquod ad *firmam* alicui dare ad terminum vitæ: Sed tandem cuidam Comiti nomine Normanno manerium aliquod datum est ad terminum centum annorum, ut illud teneat ab eo Monasterio, & per *firmam* singulis annis certa quædam grana ei solvat. Ejus Normanni frater successit in eam *firmam*, eamque alteri Monasterio donavit. In Regia descriptione bonorum istius Monasterii relatum est illud prædium, quia post elapsum *firmæ* terminum ad illud redire debet, sed eo pendente est possessio firmariorum, inquit Ingulphus.

X. Plura videri possunt apud Du Cange in Glossario verbo *Firma*. Interim ex allegato exemplo patet, dationem ad *firmam* esse elocationem ad *longissimum* tempus. Ulterius, pendente Firma, *firmarium* de ea disponere posse, eamque inter ejus possessiones numerari; ac tandem eam ad hæredes ejus transire pro residuo tempore: Finito autem tempore ad Dominum redire. Quæ omnia satis probant, per dationem ad *firmam* transiisse *utile dominium* in Firmarium, directo dominio remanente penes concedentem.

Ex quo autem receptum fuit, auctoritate hujus Decretalis Alexandri III. præsentationem competere *Firmario* titulo *utilis* dominii *Villæ* cui Jus Patronatus est annexum, concluserunt ulterius Canonistæ, maritum posse præsentare ratione Juris Patronatus fundo *dotali* annexi; uti tradit Le Roy in citatis Prologomenis *cap. 12.* Quia (ait) jure civili maritus dicitur *Dominus* fundi dotalis; & naturale dominium uxoris durante matrimonio interquiescit.

XI. Deinde postquam creditum fuit, idque auctoritate Glossæ, (uti notatum est supra *tit. 21. cap. 11.*) collationem & præsentationem Beneficiorum fructibus annumerari, conclusum fuit præsentationem ad maritum hac ratione spectare; quod ipse omnes planè fructus fundi dotalis percipiat. "Sicut enim (ait Le Roy) homagia & servitia uxori debita maritus recipit & præstat pro rebus dotalibus, quod est ex generali consuetudine Franciæ, ita & Jus Patronatus exercet.

Idipsum jam pridem tradidit Rochus De Curte De Jure Patronatus verbo *Ille vel is, n. 62.* illudque sat probari credit ex citato *Cap. 7.* Nam cum ibi etiam præferatur conductor locatori in præsentatione, debet (ait) etiam maritus præferri uxori à fortiori. Rationem præmiserat: Quia minus jus habet conductor ad longum tempus in rebus conductis, quàm maritus in dote. Maritus enim censetur habere dominium dotis.

Verum quidem est, quod præsentatio non sit fructus habilis ad sustentationem onerum Matrimonii: quia (ait De Curte) sufficit quod ipsa universitas, in qua est Jus Patronatus, ad id sit habilis; & ubi universitas transfertur non consideratur ipsum Jus Patronatus, sed transit *accessoriè*.

Similiter non obstat quod maritus non possit percipere fructus qui in *brevi* non renascuntur; quia, uti advertit De Curte *num. 46.* "maritus non percipiet istum fructum, præsentationis tamquam maritus, & tamquam Jus patronatus sit de rebus dotalibus; sed percipiet tamquam universitatis, & per quamdam consequentiam.

XII. Eadem ratione, si maritus uxori post mortem suam fundum cui est Jus patronatus annexum assignaverit in dotarium: "ea sola (ait Le Roy) jus illud post mortem mariti exercere potest: quia est fructuaria, sicque fructus omnes percipit & lucratur, ita ut interquiescat adhuc hæredum nuda proprietas.

XIII. Similiter post Lambertinum aliosque tradit Fagnanus loco citato *num. 57.* jus præsentandi magis pertinere ad uxorem relictam usufructuariam omnium bonorum, quàm ad hæredem.

Nihilominus Renatus Choppinus De Domanio Gallico *lib. 3. tit. 19.* Sequutus Joannem De Imola, jus præsentationis usufructuario negat, rationem hanc subnectens: "Quæcunque enim non renascuntur singulis annis, minimè habentur in fructu, nec quasi fructus fundum augent." Ipse quoque Rochus De Curte loco citato, monet, casu occurrente de hac quæstione esse meritò cogitandum ob varias Doctorum opiniones.

XIV. Hoc certius est & communi calculo receptum, præsentationem factam à bonæ fidei possessore esse validam; imò nec præsentatum à Beneficio vi hujusmodi præsentationis obtento removendum; tametsi ex post facto constiterit, Jus Patronatus revera ad præsentantem tempore præsentationis non pertinuisse, *Cap. 19. h. t. De Jure Patronatus*; eo quod bonæ fidei possessor fructus consumptos faciat suos *irrevocabiliter*: præsertim si ex iis non sit factus locupletior: uti per præsentationem factus non creditur.

XV. In creditorem cui fundus pignori datus, sive hypothecatus est, jus præsentandi non transire, si nulla juris illius specialis mentio facta sit, rectè post alios Canonistas tradit Fagnanus loco citato *num. 16.* Nam in creditorem nec directum, nec utile dominium transfertur: neque etiam fructus suos facit; sed eos omnes debitori pignus luenti restituere tenetur.

Idipsum legitur in Synodo Saltzburgensi an. 1420. *Can. 22.* "Ad omnium quoque dubitationem, sive quæstionis materiam amputandam, statuimus, ut, si quis prædium suum, cui jus attinet Patronatus cuiquam obligaverit indistinctè jus præsentandi apud ipsum obligantem resideat.

"Cum

„ Cum tale jus æstimari non possit &c.... in sortem nequeat „ computari. Cum semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant computari, juxta Canonicas & legitimas „ sanctiones.

XVI. Jus patronatus præsertim *laicale* hodie adeò habetur & consideratur, tamquam temporale & patrimonii laicalis; ut receptum sit, quod sicut de temporalibus laici coram judice Ecclesiastico non sunt conveniendi, ita nec de Jure Patronatus *laico* judex Ecclesiasticus cognoscere possit; nec in possessorio, nec in petitorio, idque contra Decretalem Alexandri III. in *Cap.* 3. ;; *De Judiciis*, ubi dicitur, " Causa Juris patronatus ita conjuncta est & connexa spiritualibus causis, quòd non nisi *Ecclesiastico* judicio valeat „ definiri. " Vide latè Franciscum Le Roy in allegatis prologomenis *cap.* 29. ubi notat, ubique penè, ac signanter in Gallia, quæstionem de Jure patronatus laico non tantùm in possessorio, sed etiam in petitorio coram judice Regio tractari: quod & in Belgio observatur.

XVII. Adhæc jus illud tamquam portionem patrimonii, aut saltem titulo patrimonii acquisitum, & quasi temporale, ut partem hæreditatis ad hæredes unà cum reliqua hæreditate transmitti receptum est; notátque Glossa ad *Canonem* FILIIS *causs.* 16. *quæst.* 7. idque indistinctè, sive sint de sanguine, sive extranei uti ex Canone CONSIDERANDUM, & *Canone* PLURES eadem quæst. probat Glossa, quam uno consensu sequuntur Canonistæ, & praxis recepit.

XVIII. Si enim nihil in tabulis fundationis occurrat, quod transmissionem ipsius Juris patronatus ad certas personas ordinat, nec jus hoc alicui particulari rei adhæreat, illud jure hæreditario, adinstar aliorum jurium temporalium ad hæredes sive ex testamento, sive ab intestato transmittetur; uti notat Le Roy in sæpè citatis Prologomenis *cap.* 19.

Cúmque jus illud natura sua sit individuum, pro conditione individuorum transit in omnes hæredes *in solidum*; idque sive pro æquali, sive inæquali parte sint hæredes, quemadmodum Jure Civili omnes filii Patroni æqualiter succedunt liberto, tametsi inæqualiter à patre instituti sint hæredes. *L.* 7. §. 6. *ff. De Operis Libertorum.*

XIX. Itaque hæredes omnes in *solidum* ad præsentationem concurrunt, ita tamen, ut ipsa præsentatio non dividatur; sed ut unica nomine omnium fiat: quare rectè notavit Innocentius ad *Cap.* 1. ;; *De jure Patronatus*, jus hoc quidem esse *in solidum* apud singulos hæredes, quoad honorem sive jura honorifica, sed non quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit.

XX. Cúmque hæredes in hac præsentatione repræsentent personam Patroni defuncti, non plus juris habere possunt, quàm habuit defunctus; quapropter, si plures fuerint Patroni, omnes hi hæredes unum tantùm suffragium, quale habuisset defunctus, in ipso actu præsentationis habebunt, *Clement.* 2. *De Jure Patronatus.*

XXI. Ulterius cum hìc non secus, ac in aliis juribus succedatur jure repræsentationis, sive ex persona defuncti, & meritò prævaluit sententia Innocentii IV. & Cardinalis Hostiensis successionem fieri non in *capita*, sed in *stirpes*; uti de hæredibus plurium patronorum declaravit Pontifex in citata Clementina 2. dicens " plures ab uno Patrono Ecclesiæ relicti hæredes, vocem dumtaxat unius habebunt „ in præsentatione Rectoris. " Quod clariùs postmodum expressit Synodus Salisburgensis titulo *De Jure Patronatus* his verbis: "Item si Patronus plures filios aut hæredes „ reliquerit, omnes illi succedant in *stirpes*.

XXII. Porrò facilè contingit, quod existentibus pluribus Patronis, aut Patroni unius hæredibus, diutius differatur præsentatio ob difficultatem consensus patronorum aut hæredum in eandem personam. "Ut ergo faciliùs „ provideatur Ecclesiis, non inconveniens (ait Pontifex in „ citata Clementina) reputamus, Patronos ipsos inter se „ liberè posse convenire, de Rectore ab eis *alternis* vicibus præsentando. "Qui præsentandi modus hodie vocari „ solet *per turnum*.

XXIII. Hic notandum, hanc præsentandi rationem non semper eodem modo institui. Interdum enim ea lege præsentatio *alternis* vicibus, sive *per turnum* fieri debet, ut singuli in suo *turno* seorsim, nullâ compatroni factâ mentione, præsentent: ita ut in tali actu præsentationis alter Patronus nullas partes habeat; ipsúmque Jus patronatus pro ea vice videatur apud solum *Turnarium* esse. Hoc casu, etiamsi alius jure dignitatis Ecclesiasticæ, alius jure fundationis laicalis Jus patronatus habeat; tamen non erit Jus patronatus *mixtum*; sed in *turno* Ecclesiastici erit merè Ecclesiasticum; in *turno* vero laici, merè laicum.

XXIV. Si verò ita per *vices*, vel *turnum* dividatur, ut quidem *Turnarius* in suo turno personam nominet; sed tamen utriusque nomine præsentatio fiat, tunc propriè nec præsentatio, nec Jus patronatus per *turnum* vel *vices* dividitur; sed tantùm conventum videtur inter Patronos, quod simul consentient in eam personam, quam alter ipsorum alternis vicibus nominabit: hicq; communi nomine præsentabitur.

Exemplum hujus refert Le Roy citato *cap.* 9. ex Guillelmo Thorneo Anglo in Chronico ad an. 1229. concordiæ cujusdam inter Abbatem S. Augustini Cantuariensis, & certos Barones super Jure patronatus cujusdam Ecclesiæ, ita ut quotiescumque Ecclesia vacaverit, Abbas & Conventus S. Augustini, & Barones semper *simul* præsentabant ita scilicet, quod " Abbas & Conventus S. Augustini Cantuar. unâ „ vice liberè pro voluntate sua conferent Ecclesiam præ„ nominatam, cui voluerint, & Barones aliâ vice pro volun„ tate sua. Præsentabunt autem Abbas & Conventus per „ litteras facientes mentionem de jure Baronum de S. & Ba„ rones similiter de S. præsentabunt per litteras facientes „ mentionem de jure Abbatis.

Quando hoc modo præsentant, quamvis singuli in suo *turno* dicantur habere præsentationem, revera tamen indivisum manet Jus Patronatus, & communi nomine exercetur: ideoque in exemplo allegato, & huic similibus, revera erit Jus patronatus mixtum; & judicari debebit prout de jure mixto judicandum esse diximus *cap.* 3.

XXV. Et hæc quidem nisi per tabulas fundationis, aut locorum consuetudines circa successionem Juris patronatus aliud cautum fuerit.

Potest enim Fundator alicui de sua familia, aut etiam extraneis Jus patronatus assignare, si nolit illud jure hæreditario, vel successionis deferri. Et quod uni è liberis suis Patronatus assignetur, ad evitanda dissidia non rarò convenit. Et ita S. Everardus Comes, Ludovicii Pii gener in testamento suo cavit, ut ex liberis suis *tertius* Adalardus habeat suum Jus patronatus in quadam Ecclesia. Apud Miræum in Codice piarum Donat. *cap.* 12.

Frequenter & tabulis fundationum, & locorum consuetudinibus obtinuit, ut Jus patronatus primogenito de familia deferatur; præcipuè si feudo illustri jus hoc fuerit annexum: quo casu eædem penè leges, ac interpretationes sequendæ & accipiendæ in delatione hujusmodi Juris patronatus, quæ in feudis aut fideicommissis gentilitiis aut familiaribus traduntur, & à Doctoribus in materia feudorum & fideicommissorum examinantur; & huic materiæ nominatim applicatas regulas in materia feudorum & fideicommissorum tradi solitas, vide apud Franciscum Le Roy in citatis Prologoménis *cap.* 8. 9. & 19.

XXVI. Cum laici Jus patronatus adinstar patrimonii, rerúmque temporalium per successionem, venditiones, aliósque contractus, unà cum patrimonio ac rebus temporalibus transferri videbant, quin & iisdem fere legibus subjacere, illud ut rem merè temporalem habendum, atque ut talem etiam separatim vendi posse facilè sibi persuadebant: eámque persuasionem seculo 12. invaluisse fat insinuat querela Joannis Sarisberiensis *lib.* 7. *cap.* 17. *De Nugis Curialium*, dum ait: quod Jus advocationis aut Patronatus Ecclesiæ

Ecclesiæ emeretur, *ut ejus occasione facilior esset aditus in Ecclesias.*

XXVII. Eamdem consuetudinem in Anglia viguisse colligitur ex *Cap. 19. De Jure Patronatus* in prima Collectione apud Ant. Augustinum; & habetur in appendice ad Concilium Lateranense *parte 13. tit. De Jure Patronatus cap. 16.* ubi Alexander III. scribit Wintoniensi Episcopo: „ Ad aures nostras pervenit, quod R. & W. de Hortum *jus* „ *Patronatus* ejusdem loci ab eo, ad quem spectabat præ„ sentatio, *emerunt*. Quibus decedentibus R. filius W. jam „ dicti patris exemplo Jus patronatus Ecclesiæ *emere* non „ dubitavit, & Canonicis de Stodleia tantas molestias intu„ lit, persecutiones & gravamina, quòd metu & dolo illius „ seducti, juri suo penitus renuntiaverunt.

Ad hunc casum referendum esse responsum quod in dicta appendice *capite* sequenti immediatè sequitur, sat apparet manifestum; & post Antonium Augustinum notat Franciscus Le Roy ad *Cap. 16.* ¡¡ *De Jure patronatus.* Responsum autem ita sonat: " De Jure verò Patronatus in „ præscripta Ecclesia hoc tuæ discretioni mandamus, qua„ tenus si prædictus R. Jus Patronatus comparavit, cùm „ hoc inconveniens sit & penitus inhonestum, *vendi* Jus „ patronatus: contractum illum, sublato appellationis reme„ dio, Apostolicâ fretus auctoritate, non differas revocare.

XXVIII. Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator hoc Responsum retulit in *Cap. 16.* ¡¡ *De Jure Patronatus*, nonnullis detractis, & additis, ut ex utriusque collatione constare potest.

Notanda autem præcipuè hæc addita: *Quod est spirituali annexum*: quibus innuere voluit, Jus Patronatus vel eo titulo vendi non posse, ac irritum esse contractum, quia *spirituali est annexum.* Hoc clarius exprimitur in citato *cap. 19.* in prima Collectione ad eumdem casum spectante; ubi expressè dicitur: *Cum Jus Patronatus sit connexum spirituali, nemini licitum est vendere illud*: atqueadmodum verisimile est, Raymundum prædicta verba ex hoc *Cap. 19.* primæ Collectionis desumpsisse, & suæ Decretali adjecisse.

Interim eodem fundamento postmodum usus quoque fuit Innocentius IV. in Rescripto quodam apud Matthæum Parisiensem in additamentis *pag. 104.* dicens: Irritas esse „ decernimus alienationes, emptiones & venditiones de Pa„ tronatibus & Advocatus Ecclesiarum, quæ cum sint *spi*„ *ritualibus annexa*, emi & vendi nequeunt.

XXIX. Et sanè, cùm jam pridem Jus Præsentationis Clerici ad Beneficium, tamquam præcipuum in Jure patronatus habitum fuerit; imo ipsum Jus patronatus nonnumquam simpliciter *Jus Præsentationis* appelletur, negari nequit, quin spirituali aliquo modo sit connexum; tametsi eatenus dicatur profanum, in quantum ex patrimonio laicorum titulo fundationis aut dotationis solet habere originem; eique adhærere.

XXX. Hinc uno consensu concludunt Interpretes, Jus patronatus per se ac simpliciter vendi, aut cum alio temporali jure commutari non posse; ipsamque alienationem tamquam Simoniacam esse irritam: refertque Joannes Maréchal in suo Tractatu De Juribus honorificis *cap. 1.* duo Arresta, quibus judicatum fuit, Jus Patronatus separatim vendi non posse; venditionémque irritam esse. Aliud simile Arrestum refertur à Renato Choppino De Domanio Regis *lib. 3. tit. 19. n. 4.*

XXXII. Quod verò plerique addunt, cum ipso fundo seu gleba, cui adhæret, vendi posse; id non ita accipiendum, quasi ipsum Jus patronatus fundo adhærens vendi posse existiment, sed duntaxat, quòd per venditionem fundi tamquam ejus accessorium in venditorem transferatur: ita ut revera dici queat, Jus patronatus transferri mediante venditione; at venditione non afficiente Jus Patronatus; sed ipsum duntaxat fundum. Quemadmodum in venditione fundi hypothecati non venditur hypotheca, licèt illa fundo inhærens fundum sequatur.

XXXII. Unde in hujusmodi venditione fundi, cui Jus Patronatus adhæret, pretium valori ipsius fundi, sine respectu ad ipsum Jus Patronatus, respondere debet; ut ita appareat, Jus Patronatus non vendi, nec pretio æstimari; sed simpliciter tamquam fundi venditi accessorium transferri.

Si enim pretium fundi ex consideratione Juris Patronatus adhærentis augeatur, evidens erit, ipsum Jus Patronatus pretio temporali æstimari; & reipsa, non secus ac ipsum fundum, partem seu mercem ipsius venditionis constituere, & venditioni subjici.

XXXIII. Adhæc qui fundum pluris emunt, quia Jus patronatus annectitur; idque eo ampliùs quo plura & opulentiora Beneficia juri illi sunt subjecta, sat ostendunt, se profanam planè de jure præsentationis, quod potissimum attenditur, habere ideam, non dubitantes, sibi jus illud præsentationis facilè valere eo pretio, quod ejus intuitu amplius pro fundo empto dederunt.

Hæc autem ut consequantur, quid sperandum, nisi quod suo jure præsentationis eo modo utantur, ut queant etiam temporalia, aut iis æquivalentia consequi; idque vel Simonia, vel sanè personarum acceptione interveniente: & inde ulterius ea omnia incommoda; quæ provisiones Simoniacas, & interveniente personarum acceptione factas consequi solent: quæque fusiùs titulis De Simonia, & De cavenda acceptione personarum exponemus; atque una ostendemus, quàm falsa soleat de Jure Patronatus idea haberi; quàmque aberrent laici, hujusmodi jus affectantes.

CAPUT V.

De Præsentatione, & differentiis inter Patronum Ecclesiasticum & Laicum.

1. *Præcipua pars Juris patronatus est* Præsentatio.
2. *Revera distinguitur jus præsentationis à jure patronatus.*
3. *Potest esse patronus sine jure præsentationis: qui tamen hodie non patronus; sed Fundator vocari solet.*
4. *Olim patronus offerebat Clericum Ordinandum.*
5. *Hodie offert instituendum; quæ mutationis ratio?*
6. *Oblatio Clerici à patrono facta dicitur* præsentatio; *profluitque ex cura, quam patronus Ecclesiæ impendit.*
7. *An rectè inde deducatur, jus patronatus non esse servitutem.*
8. *Hodie Episcopus obligatur instituere præsentatum à Patrono.*
9. *Monebantur olim Patroni, ut præsentationem non nimium differrent.*
10. *An certum tempus Patronis olim fuerit præfixum?*
11. *Permisit Concilium Lateranense ut Episcopus Ecclesiæ provideat, si quæstio super jure patronatus intra certum tempus non sit terminata.*
12. *Creditum à Canonistis, hic tempus certum præsentandi laicis præscriptum; idque* quatuor *mensium.*
13. *Alexander III. scripsit, Patronis competere sex menses.*
14. *Hinc à Doctoribus facta distinctio inter jus patronatus laicum & Ecclesiasticum circa tempus præsentandi, & à Bonifacio VIII. probata.*
15. *Tempus Patronis tantùm currit à tempore notæ vacationis, & quæ notitia haberi debeat.*
16. *Patronus laicus in præsentatione variare potest; non autem Ecclesiasticus.*
17. *Hæc distinctio ex interpretatione Doctorum originem sumpsit.*
18. *Cur variatio patroni laici dicatur accumulativa.*
19. *Quod primarium hujus distinctionis fundamentum?*

20. Pa-

20. *Patronus laicus variare tantùm potest* rebus integris.
21. *Quare Patrono Ecclesiastico negata variatio.*
22. *An patronus laicus sæpius variare possit?*
23. *Patronus Ecclesiasticus præsentans indignum excedit pro ea vice jure præsentandi.*
24. *Laicus alium præsentare potest; secus olim obtinuit.*
25. *Episcopus negligente patrono confert jure* ordinario, *non autem jure devoluto; & quare.*
26. *Collatio Episcopi spreto patrono est valida: & quis ejus effectus?*
27. *Non idem de præventione aut provisione Papæ; & quæ ratio differentiæ.*
28. *Quomodo collatio Ordinarii non noceat juri patroni.*
29. *Quando patronus dicatur Clericum præsentare?*
30. *Non tenetur patronus* personaliter *accedere Ordinarium.*
31. *Hodie præsentatio fit per litteras.*
32. *Præsentatio non est perfecta priusquam intimata sit Ordinario.*
33. *Sufficit intra tempus præfinitum litteras præsentationis à præsentato exhiberi Ordinario.*
34. *Litteris Ordinario non exhibitis potest patronus* Ecclesiasticus *adhuc variare.*
35. *Ecclesiasticus à Papa præveniri potest, litteris Ordinario non intimatis.*
36. *Si litteræ intra tempus præscriptum non sint Ordinario exhibitæ, poterit liberè conferre.*
37. *Si Jus patronatus competat pluribus in Corpore, debet præsentatio* collegialiter *fieri.*
38. *Quomodo nominatio personæ præsentandæ hoc casu facienda?*
39. *Aliquando præsentatio à pluribus* separatim *fit.*
40. *Si à duobus patronis duo præsententur, electio erit Ordinarii.*
41. *Si suffragia dividantur inter plures, præfertur à pluribus præsentatus.*
42. *Quid si is institui nequeat?*
43. *Quid si controversia sit, cui Jus patronatus competat?*
44. *Quid si sit inter Ordinarium & prætensum patronum?*
45. *Possessor pendente lite præsentare potest.*
46. *Quid si neuter sit in possessione, sed constet Ecclesiam esse patronatam?*

I. JUs Patronorum potissimùm consistere, præsertim hodie, in præsentatione, sive jure præsentationis Clerici ad Ecclesiam vacantem expeditum est. Et quidem in *Cap. 1. De præbendis in 6.* Jus Patronatus & jus præsentandi Rectorem Ecclesiæ tamquam synonima accipiuntur à Pontifice.

II. Quin tamen reverà Jus patronatus & jus præsentandi distinguantur, dubitari nequit. Certum quippe est, patrono vi Juris patronatus plura jura præter jus præsentationis competere; uti *capite* sequenti ostendetur. Hinc apertè Jus patronatus & jus præsentandi distinguuntur in *Cap. 1. De Jure patronatus* in secunda Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum.

III. Imò potest Patronus habere jura honorifica aliaque Patronis competentia, tametsi jus præsentationis non habeat; ut puta si juri præsentationis renuntiaverit, aut alteri cesserit, retento nihilominus Jure patronatus. Unde cum vidua Comitis Flandriæ exposuisset Innocentio III. quòd intenderet ad honorem Dei Ecclesiam fundare, peteretque in ea *jus patronatus & Collationem præbendarum* sibi & successoribus suis reservari; respondit Innocentius *lib. 5. Regest. Epist. 192.* "*primum* admittimus: *secundum* vero non duximus concedendum; cum tuæ non expediat saluti concedi." Hic collationem accipi pro *præsentatione* rectè notat ac probat Bosquetus ad dictam Epistolam Innocentii; una ostendens, Patronis priùs jura honorifica, quàm præsentationis fuisse indulta; adeoque jus præsentandi semper fuisse è Jure patronatus separatum: quamvis ambigi nequeat, quin hodie à jure præsentationis tamquam à principaliore sua parte nomen suum mutuare soleat; isque patronus dicatur, qui jus præsentationis habet: imo qui jus præsentationis non habet, patronus dici non solet, sed Fundator.

IV. Monuimus non semel, olim Beneficiorum collationem seu institutionem ab ipsa Ordinatione sejunctam non fuisse: sed in ipsa Ordinatione Clericos Ecclesiis adscribi solitos; atque per eam adscriptionem idem jus accepisse, quod hodie per Beneficiorum collationem seu institutionem acquiritur.

V. Hac disciplina vigente, Fundatores sive patroni Clericos offerebant Episcopo in Ordinatione; ut eos in Presbyteros Oratoriorum seu Ecclesiarum, quarum patroni erant, ordinarent; eosque per Ordinationem his Ecclesiis adscriberent.

Conformiter ad hanc disciplinam legitur apud Gratianum *Caus. 16. quæst. 7. Can. 32.* ex Concilio Toletano IX. "Decernimus, ut quamdiu Fundatores Ecclesiarum in hac vita superstites extiterint, pro iisdem locis curam permittantur habere solicitam; atque Rectores idoneos in iisdem Basilicis, iidem ipsi Episcopo offerant *ordinandos*.

Postquam autem ipsa Beneficiorum collatio sejungi cœpit ab Ordinatione, nec ampliùs per Ordinationem; sed tituli Beneficialis collationem seu institutionem canonicam ipsi Clerici cœperunt Ecclesiis adscribi: tum patroni sive Fundatores non Ordinandos, sed in Beneficiis vacantibus instituendos Episcopo obtulerunt.

VI. Hæc oblatio vocari solet *præsentatio*, quasi ipsi patroni seu Fundatores curam solicitam Ecclesiarum à se vel Majoribus fundatarum habentes Episcopo offerant, sive præsentent, qui in harum Ecclesiarum ministros assumi possint.

Unde Gratianus inquirens, quid juris habeant Fundatores, ait: *Habent jus providendi & consulendi, & Sacerdotes inveniendi*; post *Canonem 30. caus. 16. q. 7.* Hæc non obscurè innuunt, Gratianum supposuisse, jus præsentandi oriri ex cura, quam Fundatores eorumve successores Ecclesiis fundatis impendere debent.

VII. Hinc infert Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum *De Jure Patronatus cap. 5.* Jus patronatus non esse servitutem, neque Ecclesiæ libertatem imminuere; quia (ait) "patroni nullum jus in Ecclesiarum collatione habent; sed eam *juvant*, eique *favent*, dum idoneos Clericos inveniunt, quos Episcopus in iis instituat." Tum relatis verbis Gratiani, concludit: "Numquam verò dixeris, auxiliatrices manus infringere libertatem.

Verum diceret Auctor hic, si patroni id unum vellent, agerentque, ut Episcopo *adjutores* accederent pro inveniendis idoneis Sacerdotibus. At plus juris jam pridem prætenderunt, & hodie prætendunt Patroni. Credunt quippe sibi non tantùm esse jus inveniendi idoneos Sacerdotes, eosque simpliciter Episcopo Ordinandos vel instituendos offerendi, ut de cætero liberum sit Episcopis eos recipere vel repellere, sed ita sibi nominationem seu præsentationem competere, ut à se nominatos ordinare aut instituere Episcopus teneatur; nisi eos absolutè inidoneos ostendere queat. Et quidem jam pridem in citato *Can. 32.* ex Concilio Toletano IX. hujusmodi Fundatorum jus supponi videtur. Dicitur enim: "Quod si spretis ejusdem (Ecclesiæ) Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & Ordinationem suam irritam noverit esse, & ad verecundiam suam alios in eorum loco (quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint) ordinari.

VIII. Hodie Episcopos astringi instituere præsentatos à patro-

Patrono nisi eos probaverint inidoneos, expeditum est. Licet ergo verum sit, Patronos non habere Ecclesiarum collationem; negari nihilominus nequit, quin per suam præsentationem in Beneficiorum collatione præcipuas partes habeant: quandoquidem ipsa institutio præsentationem sequi debeat, nî probari queat, præsentatum esse non tantùm minus idoneum, quàm alii qui haberi possent; sed *absolutè* inidoneum. Quod quàm difficilè, & quàm rarò probari queat, notum est. Hinc institutio Episcopi, quæ Patroni præsentationem sequitur, vulgò & rectè appellatur collatio *necessaria*; quasi necessitate cogente huic Præsentato facienda; uti latiùs titulo sequenti *cap.* 1. exponetur; atque unà notabitur, quod Patroni admodùm solliciti meritò sint, ut prævie ad præsentationem de capacitate Præsentandi sint ritè instructi: eò quòd ex ipsorum præsentatione pendeat ipsa Ecclesiæ provisio.

IX. Cum ergo ex Fundatorum seu Patronorum præsentatione præcipuè Ecclesiarum provisio pendeat, jam pridem legimus admonitos fuisse Patronos, ut tempestive idoneos Clericos præsentarent; ne ex diuturniore Ecclesiarum vacatione, Ecclesiis dispendium inferatur.

Et quidem in Synodo Romana sub Eugenio II. *Can.* 24. qui repetitus fuit in Synodo Romana sub Leone IV. circa medium sæculi 9. *Can.* 24. statuitur: "Et si sæcularium hominum sub jure sint constitutæ ab Episcopo illius Dioecesis admoneantur. Et si admoniti Presbyteros intra *trium* mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus, absque neglectu Principi suggerat, quatenus ejus emendetur sententia.

X. His Canonibus statutum fuisse, ut intra *tres menses* fiat præsentatio, & quidem præcedente monitione Ordinarii, credit Le Roy in citatis Prologomenis *cap.* 28. atque hinc concludit, malè notasse Joannem Andræam ad *Cap.* 1. *De Jure Patronatus in* 6. "nec *antiquos* Canones, nec Pontificum "Rescripta *certum* aliquod tempus definisse pro Patronis.

Joanni Andreæ nihilominus consentit Vir eruditus Franciscus Florens ad *Cap.* 1. ʒ *De Jure Patronatus* antiquioribus temporibus nullum nominatim tempus Patronis præfinitum fuisse: creditque primùm in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. tempus definitum fuisse.

Sanè inspectis verbis citati Canonis Synodi Romanæ, dubitari meritò posset, an Patronis *trium* mensium spatium ad præsentandum fuerit absolutè præfinitum; ita nimirum, ut si intra tempus illud non præsentassent, Episcopus *liberè* posset Ecclesiæ providere: cùm tantùm dicatur, Episcopum curam habentem, posse de neglectu Patroni principem monere.

XI. Quidquid sit, ad hunc interim Canonem reflexisse videtur Concilium Lateranense sub Alexandro III. *Can.* 17. ubi decernit, ut ordinet Antistes Ecclesiam, sicut viderit meliùs secundùm Deum ordinandam, "si de Jure patronatus quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, intra *tres* menses non fuerit definitum.

Hic de Patronis laicis agi, integer Canonis contextus, ipsumque nomen *Fundatorem & hæredum* sat evincunt; atque inde confirmamur, ad citatum Canonem Synodi Romanæ, qui de Patronis *laicis* loquitur, hic factam esse reflectionem.

XII. Interim hinc unanimi calculo conclusêre Canonum antiqui interpretes, præsentationi *laicali* tempus à Concilio Lateranensi hoc Canone præfinitum esse.

At cùm in nonnullis hujus Canonis editionibus pro *tres menses*, legeretur, *quatuor*, uti in nota marginali ad hunc Canonem in collectione Conciliorum generalium indicatur, etiam à nonnullis dari cœpit spatium *quatuor* mensium, præsertim postquam hæc lectio intravit Decretales Gregorii IX. nimirum in *Cap.* 3. ʒ *De Jure Patronatus.*

III. Cùm autem idem Concilium definiisset, tempus *sex* mensium pro collatione Beneficiorum, uti refertur in *Cap.* 2. ʒ *De Concess. Præbendæ non vacantis*; cœptum fuit id tempus ad præsentationem personarum ad Ecclesias vacantes extendi; uti nominatim ab ipso Alexandro in *Cap.* 22. ʒ *De Jure Patronatus* scribente: "Illas autem Ecclesias, de quarum patronatu controversia fuerit, si intra *sex* menses, postquam vacaverint, non fuerit controversia terminata, licitum tibi sit de persona idonea ordinare.

XIV. Quamvis ex textu non appareat, de quo patronatu, laico, an Ecclesiastico agatur nihilominus Decretalium Commentatores, ut hanc Decretalium conciliarent cum citato Capitulo tertio, quo dumtaxat *quatuor* menses in simili casu ex Decreto Concilii Lateranensis conceduntur, cœperunt hanc Decretalem interpretari de Patronatu *Ecclesiastico*; alterum verò Decretum de patronatu *laico*: atque ita à Doctoribus recipi cœpta est distinctio hactenus ignota inter Patronum laicum & Ecclesiasticum; ut illi ad præsentandum dumtaxat *quatuor* menses competerent: quæ distinctio tandem à Bonifacio VIII. probata fuit in *cap. Unico De jure Patronatus in* 6. unà declarante quòd *semestre* competat etiam Ecclesiæ vel Monasterio, cui à *laico* Juris patronatus collatio facta est.

XV. Sicut autem tempus à Concilio Lateranensi Collatoribus præstitutum non currit nisi à die *notitiæ*, ut suprà *tit.* 21. *cap.* 5. notavimus; ita & quatuor vel sex menses Patronis ad præsentandum concessi currere tantum incipiunt ab eo tempore, quo probabiliter cognoscere potuerunt, vacasse Beneficium. Puta si mors Beneficiati publicè nota sit in loco vel Ecclesia vacantis Beneficii, cùm palam sepultus fuerit. Unde non omninò certa & vera scientia Patroni desideratur; sed tantùm interpretativa; id est, ut morali quodammodo loquendi, scire potuerit & debuerit vacasse Beneficium; uti & ipse Molinæus ad *Consuet. Paris. tit. De Feudis* §. 55. *gloss.* 10. *n.* 24. fusiùs probat, atque expressè supponunt Consuetudines Normannicæ *art.* 169. volentes tempus Patronis datum *computari à die quo mors ultimi possessoris* COMMUNITER *nota est.*

XVI. Non tantùm quoad terminum temporis ad præsentandum inducta est differentia inter Patronum laicum & Ecclesiasticum, sed insuper ex communi Doctorum interpretatione invaluit, quod laicus intra tempus à Jure definitum possit successivè plures præsentare, eo saltem effectu, ut Episcopus queat etiam posteriùs præsentatum præferre priùs præsentato: Ecclesiasticus verò patronus unum tantùm possit præsentare; & si de facto plures successivè præsentaverit, prior sit omninò præferendus.

XVII. Unde recepta est hæc vulgaris distinctio: patronus laicus intra tempus præfixum potest *variare*; secus Ecclesiasticus.

Hæc conclusio hodie unanimi Doctorum consensu probata, licet expresso textu Juris inducta non sit, originem suam tamen habuit ex Decretali Lucii III. in *Cap.* 24. ʒ *De Jure Patronatus*, ubi proposita quæstione, si patronus "Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, & postulaverit *postmodum*, eo non refutato, alium æquè idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur?" Respondit Pontifex: "Judicio Episcopi credimus relinquendum, si *laicus* fuerit, cui jus competit præsentandi. Verùm si Collegium, vel *Ecclesiastica* persona præsentationē haberet; qui prior est tempore, jure potior esse videtur.

Cùm hic judicio Episcopi committatur, è duobus à patrono *laico* ipsi præsentatis unum quem maluerit eligere, & instituere, non obscurè significatur, Patronum laicum posse variare; ut nimirum secundum præsentando det facultatem Episcopo, neglecto priùs præsentato, hunc postmodum præsentatum instituendi.

XVIII. Hanc variationem Doctores vocare solent *accumulativam*: eò quòd Patronus secundum præsentando, præsentationem præsentationi accumulet; non autem à priori recedat; hancque solam variationem permitti etiam Patrono *laico* communis est Canonistarum sententia, quam probat Fagnanus ad citatum *Cap.* 24. eumque textui conformem ostendit.

XIX. Pot-

XIX. Porrò hæc inter Patronum laicum & Ecclesiasticum differentia contra veterem disciplinam, quæ eam non agnovit, inde inducta videtur, quod pro firmissimo principio apud Canonistas receptum esset, laicos nullum prorsus jus dare posse in Beneficiis; & consequenter quod ipsorum præsentatio nullum jus ipsi Præsentato daret; sed per præsentationem quodammodò tantùm Episcopo indicaretur, quòd hunc Præsentatum Patronus desideraret institui: atque ita nullatenus inconveniens judicabatur, si plures Episcopo successivè offerre posset, ut ex iis digniorem institueret: cùm nullum jus priùs præsentato per præsentationem videretur acquisitum; sed id demum ab Episcopo accipere debeat.

XX. Unde si Episcopus Præsentato institutionem dedisset, Patronus ampliùs alium præsentare non poterit. Variatio enim Patrono competit *rebus integris*, id est, ante institutionem, uti vulgò tradunt Doctores, sive antequam ipsi Præsentato jus aliquod firmum quæsitum sit.

Quod enim dicitur, præsentationem dare *jus ad rem*, id procedit respectu Patroni: quia Episcopus tenetur admittere præsentationem Patroni; ipsumque Præsentatum instituere, nisi Patronus variando alium præsentaverit. Unde rectè notat Le Roy ad *Cap. 24. ⁒ De Jure patronatus.* "Quamvis prima præsentatio pulsaverit *aures Episcopi*, „attamen non tribuit jus ad rem, sed est quodammodo in „pendenti, an videlicet Patronus in ea perseveret.

XXI. Porrò sicuti Canonistæ crediderunt, præsentationem laici non dare jus aliquod firmum ipsi præsentato; quia laici nihil juris ad Beneficium dare possunt; ita econtra præsentationem Patroni Ecclesiastici habuere pro quasi collatione seu electione: eamque proinde jus aliquod ipsi Præsentato tribuere crediderunt; quod ei per secundam præsentationem auferri nequeat. Hanc rationem indicasse videtur Glossa ad dictum *Cap. 24.* dicens, Patronum Ecclesiasticum variare non posse: "quia Clerici Patroni *pen-„guius jus* habent, quàm laici; " id est, ex præsentatione Clerici plus juris tribuitur Præsentato, quàm ex præsentatione laici, uti exponit Zarabella ibidem *nu. 4.* Vel ut clarius Innocentius IV. ad dictum *Capitulum 24.* "Idcirco Cleri-„calis variatio est interdicta, quia illorum præsentatio vi-„cem habet *electionis.*

Hinc quoque factum, quòd Canones circa sæculum *11.* & 12. urgentes, ut Præsentati non auderent se Beneficiis ingerere, nisi priùs ab Episcopo institutionem acceperint, penè tantùm loquantur de præsentatis à Patronis *laicis*; uti titulo sequenti *cap. 1.* videbitur.

XXII. Credunt plures Canonum interpretes, Patronum laicum non nisi semel intra quadrimestre variare posse, quos sequitur Fagnanus loco citato *numer. 8.* Verùm cum hic tantùm agatur de variatione *accumulativa* per quam nullum præjudicium infertur Episcopo Beneficiorum Ordinario Collatori; imò econtra quo plures præsentantur, tantò amplior detur Episcopo eligendi libertas, veriùs apparet, Patronum laicum non semel duntaxat; sed pluries variare posse; & ita post Glossam ad *Clementinam* PLURES *De Jure Patronatus* novissimè notavit Claudius *Blondeau* in Bibliotheca Canonica verbo *Patronage num. 159.*

XXIII. Ex hac differentia alia invaluit: quòd si Patronus Ecclesiasticus Clericum inidoneum præsentaverit, pro hac vice amittat jus suum præsentandi, & Ordinarius *pleno* Jure vacantem Ecclesiam conferre possit.

In quam rem expressa sunt verba Innocentii III. *lib. 3.* Regesti *Epistol. 226.* "Præfata Abbatissa (sanctæ cru-„cis) præsentando *indignum*, illâ vice *amisit* jus præsen-„tandi.

Quod tamen intelligi debet, nisi incapacitatem Præsentati probabiliter ignorasset.

XXIV. Si verò laicus *indignum* præsentaverit, nequidem pro ea vice jure præsentandi privatur, sed alium adhuc præsentare potest; uti communiter tradunt Doctores ad *Cap. 4. ⁒ D. Jure Patronatus* & ibidem pluribus probat Fagnanus, etiamsi *scienter* indignum præsentaverit.

Et quidem hodie utimur eo jure, ait De Roye ad *Cap. 14. ⁒ De Jure Patronatus*, & addit: Quod tamen interpretes ex novis recentiorum Pontificum Decretalibus introduxerunt contra jus vetus. Probat dein ex *Novella 123. cap. 18.* Justiniani Imp. & versione Juliani Antecessoris, quòd laicus præsentando *indignum* etiam pro ea vice privaretur jure præsentandi. E quibus concludit: "Adeo verum est, omnes olim Patronos *eodem* jure ha-„bitos fuisse.

XXV. Si Patronus laicus intra quadrimestre, vel Ecclesiasticus intra semestre non præsentaverit Episcopo ad quem institutio pertinet, poterit Episcopus *pleno jure*, tamquam Ordinarius Beneficiorum Collator conferre: idque non jure *devoluto* sed *ordinario*: quia Ordinarius non confert vigore juris ex negligentia Patroni ad se *de novo* devoluti: sed vigore juris primitivi Collatoris, quod semper penes Episcopum vel alium jus instituendi habentem remansit, ita ut per Jus patronatus seu quamdam servitutem liberum usum illius juris habere tantùm impediatur: unde Jure patronatus sive servitute illa non operante, jus primitivum usum pristinum & liberum suum exercitium recuperat. Quare in litteris præsentationis necesse non est exprimere, collationem fieri *jure devoluto*: secus autem dum Metropolitanus ob negligentiam collatoris confert Beneficium spectans ad collationem sui Suffraganei: quia collatio hujus Beneficii non alio titulo quàm jure *devolutionis*; ob negligentiam inferioris ad Metropolitanum spectat. Vide de Roye in Prolegomenis, *cap. 28.*

XXVI. Eodem ex fundamento receptum est, collationem Episcopi, aut alterius Ordinarii Collatoris esse validam, etiam factam adhuc currente tempore legitimo præsentandi: eamque firmam manere, & valere prout *ex tunc*, id est, à tempore collationis; si Patronus vel expressè, vel tacitè nullum præsentando, aut invalidè præsentando, consentiat, aut se non opponat.

XXVII. Ita communiter tradunt Canonistæ, præsertim recentiores Pragmatici Galliæ; qui & addunt, non esse simile de præventione Papæ vel Legati, pendente dicto tempore facta, quæ prorsus nulla est & numquam reconvalescit: inquiunt, quia odiosa est & subreptitia, & sic funditus nulla: contra (ajunt) collatio Ordinarii favorabilis est, in jure communi actu & habitu fundata, nisi quatenus illius juris utilitatem servitus Patroni remoratur vel impedit: quâ cessante, collatio Episcopi manet in naturali vigore suo. Videri potest Carolus Fevretius De Abusu *Lib. 2. cap. 6. §. 13.* item Franciscus De Roye ad *cap. 8. ⁒ De Jure Patronatus*; qui unà observant, collationem Ordinarii factam tempore nondum elapso, ita esse validam, ut etiam impediat præventionem Papæ respectu Patroni Ecclesiastici; tametsi ipse Patronus intra semestre præsentans, ipsam collationem Ordinarii antea factam irritet.

XXVIII. Hoc insuper rectè monet De Roye, quod licèt collatio Ordinarii spreto Patrono sit valida ipso jure, nihilominus maneat liberum jus Patrono intra tempus jure definitum præsentandi: eâque præsentatione ipso jure sine ulla prævia juridica cassatione, in irritum cedat prior collatio Ordinarii.

XXIX. Præsentare dicitur Patronus, quando Clericum Episcopo seu alteri jus instituendi habenti, instituendum sive ordinandum exhibet, vel dum eum deducit ad Diœcesanum Episcopum, uti dicitur in *Novella 57.* aut uti vertit Julianus Antecessor, quando eum *offert* Episcopo.

XXX. Non tamen necesse est, ut ipse Patronus *personaliter* accedat Ordinarium, eique Clericum *per se* præsentet, seu offerat; sed potest ipsi Clerico præsentationis litteras tradere deferendas ad Ordinarium *Cap. 6. ⁒ De His quæ fiunt à Prælato* &c. ubi refertur, quod in certa "Provincia sæpè contingeret, quod ad Ecclesias, in quibus

„ Collegia jus præsentationis habere noscuntur, eorum „ Abbates, aut per se, aut per *litteras* personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentent. "Quæ consuetudo non „ improbatur.

XXXI. Imo consuetudo præsentandi per litteras adeo hodie comprobata & recepta est, ut nonnulla nisi per litteras hodie admitti soleat: debentque Litteræ præsentationis in forma authentica, non secus ac litteræ Collationis expediri; monetque Claudius Horrii in suo novo tractatu de materiis Beneficialibus *pag.* 149. *edit.* 1695. litteras etiam præsentationis expediendas esse per Notarios Regios-Apostolicos constitutos Edicto Regis Galliæ in Decembri 1691. cujus supra meminimus.

XXXII. Verùm ut præsentatio sit perfecta, suumque effectum habeat, non sufficit, litteras præsentationis esse legitimè expeditas, & acceptatas; sed requiritur, ut præsentatio facta sit à præsentante, & realiter exhibita Ordinario vel ut loqui solent Pragmatici, *ut pulsaverit aures Ordinarii.* Præsentationis enim verbum refertur ad alium, sive sonat aliquem alteri præsentari. Unde Ordinarius meritò dicitur terminus ad quem ipsius præsentationis. Neque dicenda est præsentatio antequam sit facta Superiori, sed simplex tantum *præparatio.* Quare præsentationem definit Rochus De Curte in præfatione ad titulum *De Jure Patronatus num.* 4. post Panormitanum, quòd "sit exhibitio quædam facta de Clerico præsente sensibus corporis „ illius cui fit præsentatio.

XXXIII. Observat tamen ibidem Rochus verbo, *Honorificum num.* 32. quòd "valeat præsentatio facta per „ instrumentum in absentia Superioris, si præsentatus infra „ 4. menses deferat illud instrumentum ad Superiorem, & „ ipsum coram eo præsentet; quod (ait) quotidiè con„ tingit.

XXXIV. Quamdiu ergo præsentationis litteræ Ordinario, sive illi cui jus instituendi competit, exhibitæ non sunt, adhuc informis est præsentatio; potestque non tantùm laicus, sed & Ecclesiasticus Patronatus variare; idque non solùm accumulando secundam præsentationem priori, sed etiam à prima in toto recedendo; quemadmodum uno consensu notant Canonistæ ad *Cap.* 15. ꝟ *De Jure Patronatus*, ubi sat innuitur, tum demum variationem interdictam Patrono Ecclesiastico, postquam idoneum Clericum Episcopo præsentaverit, Concluduntque ulteriùs, ante præsentationem Ordinario exhibitam, nullum jus esse Præsentato quæsitum; demumque litteris præsentationis Ordinario exhibitis, *jus ad rem* Præsentato quæsitum esset.

XXXV. Quinimo Patronum Ecclesiasticum posse à Papa præveniri, quamdiu præsentatio *aures Episcopi non pulsaverit*, tametsi litteræ præsentationis fuerint expeditæ; quin & Præsentato traditæ cum expresso mandato, ut eas mox Ordinario exhiberet, isque eas tradere neglexerit, frequenter judicatum refert Broudæus in notis ad Lovetium *litt. P. num.* 25. hancque sententiam hodie esse in foro receptam testatur.

XXXVI. Denique ex hisce conficitur, quòd non sufficiat, ut Patronatus infra tempus datum ad præsentandum expedierit litteras præsentationis; sed requiratur, ut infra illud tempus realiter ipsa præsentatio fiat Ordinario; aliàs si litteræ præsentationis non fuerint exhibitæ, poterit Ordinarius elapso termino dato ad præsentandum, *liberè* conferre.

XXXVII. Si plures sint Patroni, ipsique Collegium aut corpus aliquod constituant, ipsumque Jus Patronatûs Corpori, sive ipsis tamquam Corpus constituentibus competat, tunc præsentatio fieri debet *collegialiter.* Neque valeret præsentatio extra Collegium facta, tametsi eam singuli de Collegio probassent. Quia quod singuli extra congregationem faciunt, dici nequit à Collegio seu Corpore factum.

XXXVIII. Et reverà dum præsentatio ad plures ut Collegium seu corpus spectat, præcedit præsentationem faciendam Ordinario quædam species electionis personæ præsentandæ: in qua electione, ea, quæ in electione *collativa* Canones observari præcipiunt, quoque ferè observanda sunt: v. g. quod omnes convocandi sint; quod unus neglectus possit præsentationem irritam reddere, eo quòd neglectus sit &c. conformiter ad ea quæ supra *tit.* 21. *cap.* 3. dicta fuerunt.

XXXIX. Sin autem Jus Patronatûs competat pluribus *divisim* sive *ut singulis*, tunc etiam separatim præsentare possunt; nec requiritur, ut consensus ipsorum eodem tempore præstetur; imò nonnumquam per diversa instrumenta separatim præsentationem facere possunt, aut per idem instrumentum, sed diverso tempore à singulis signatum.

XL. Contingere potest, ut de persona præsentanda inter Patronos non conveniat. Ad evitanda autem incommoda ex hac dissensione nata oriri, permittitur in *Clem.* 2. *De Jure Patronatus*, ut "plures ad vacantem Ecclesiam „ possint eo modo præsentare personas, quòd unà ex eis eli„ gi per Episcopum valeat & admitti.

XLI. Et id quidem, si à singulis Patronis unus præsentetur; at si ad plures quàm duos præsentatio spectet, tunc qui à pluribus præsentatur cæteris præferendus erit, juxta Decretum Concilii Lateranensis in *Cap.* 3. ꝟ *De Jure Patronatus*; debetque, quemadmodum in electione, etiam & hic ex majori suffragantium parte concludi.

XLII. Quòd si Patroni jure suo singuli uti volentes, sive ut loquitur Concilium Lateranense, pro *sua defensione* plurimos præsentent; nec ille qui majoribus meritis, & pluribus suffragiis juvatur, sine scandalo ab Episcopo institui queat, tunc vult Concilium Lateranense, ut *ordinet Antistes Ecclesiam, sicut meliùs secundùm Deum viderit ordinandam.*

Modos, quibus secundùm Canones Antistes providere posset, notat Franciscus Le Roy in Commentario ad *Caput* 3. unà addens quid moderna praxis in simili casu observet. "Hodie (ait) plures Præsentati apud Regios Judices „ agunt invicem, vel interdicto uti possideris, vel unde vi, & „ celeriter aut alteri ex iis adjudicantur *recredentia*, ut lo„ quuntur, vel Judices illi eum in pleno possessorio tuen„ tur: vel sequestrant controversam Ecclesiam, ut *in Cap.* „ 15. ꝟ *De Judic.* seu ejus curam committunt alteri cui„ dam extraneo Clerico.

XLIII. Ubi autem contingit inter plures controversiam moveri, cui Jus Patronatûs competat; atque ob eam controversiam diutius differtur provisio Ecclesiæ, rescribit Lingonensi Episcopo Alexander III. in *Cap.* 12. ꝟ *De Jure Patronatus, fas ei sit, appellatione remota in eadem* (Ecclesia) *personam idoneam instituere.*

Cùm hic Alexander III. nullum tempus certum definiat, intra quod terminandæ sint hujusmodi lites, & quamdiu expectandum sit, antequam Episcopus suo jure personam idoneam instituere queat, meritò suspicatur Le Roy ad hoc Capit. illud Alexandri Responsum præcessisse Concilium Lateranense sub eodem Pontifice celebratum; quandoquidem in hoc Concilio præscripti sint *quatuor* menses intra quos lis sit terminanda; intra quos si terminata non fuerit, tunc demum Episcopus Ecclesiam ordinare poterit, sicut meliùs secundùm Deum viderit ordinandam; uti refertur in citato *Capitulo* 3.

Conformiter ad hoc Decretum Concilii Lateranensis respondit Innocentius III. Episcopo Conventiensi; "si de „ Jure Patronatûs quæstio emerserit inter aliquos: & ab „ eo cui competit; intra *quatuor* menses non fuerit de„ finitum, ex tunc Ecclesiam non differas de persona idonea „ ordinare.

Hinc imprimis concludunt Canonistæ, tempus præscriptum ad præsentandum etiam currere *lite pendente*: cum tamen juxta communes Juris Regulas, contra *non valentem agere*, non currat præscriptio; hic autem Patronus præ-

præsentare non potuerit: quare id favore Ecclesiarum, ne ob dissidia Patronorum diutius vacarent, specialiter introductum esse notat Joannes Andræas & sat innuit Innocentius III. in integra Decretali è qua desumptum est citatum Capitulum 27. in verbis: *Cùm propter discordias laicorum non debeat Ecclesiis præjudicium generari* &c.

XLIV. Verùm Decretum Concilii Lateranensis locum non obtinebit, si controversia sit inter ipsum Episcopum & Patronum: ut si Episcopus prætendat, Clericum sibi præsentatum ex causa non esse admittendum; aut certè Ecclesiam Patronatui non esse subjectam; sed ad se *pleno* jure spectare. Si enim hisce in casibus ob pendentem litem Patronus privaretur jure præsentandi; esset quodammodo in potestate Ordinariorum semper jus præsentationis, hujusmodi litem suscitando & protelando, excludere, uti rectè advertit Le Roy ad *Cap.* 3. ⁖ *De Jure Patronatus.*

XLV. Præterea si lis quidem sit inter duos super jure præsentationis; sed alter sit in quasi possessione præsentandi, hic indubiè præsentare poterit; unde & tunc quæstio cessat; quemadmodum monet Hostiensis ad citatum *Cap.* 3. Adeoque ut Decreto Concilii Lateranensis locus sit, debet supponi, neutrum ex contendentibus esse in possessione, quod difficilè videtur, inquit ibidem Hostiensis: maximè hodie, quando controversia super Jure Patronatûs præsertim laico, instituitur coram Judice Regio; qui facilè alteri, si non *plenum* possessorium; saltem *momentaneum*; sive *recredentiam* adjudicabit.

XLVI. Denique si sufficienter constet, Ecclesiam esse Patronatam; sed quæstio dumtaxat sit, utri è duobus jus præsentandi competat; si uterque salvo suo jure in eamdem personam consentiat, institutio neganda non erit; quod jam pridem supposuisse videtur Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can.* 5. statuens quod si ob pendentem litem post *quatuor* menses nullus fuerit præsentatus, "Episcopus nulli Ecclesi„am illam conferat pro hac vice, nisi de *utriusque* Patroni „consensu, ne saltem aliquale præjudicium alteri Patrono„rum videatur generari, si postmodum evicerit Jus Patro„natus.

Quinimò hodie passim obtinuit, ut Patronis dissentientibus, si à singulis diversi præsententur, omnibus institutio detur, sine alterutrius præjudicio; qui habita institutione, solent sibi in possessorio apud Judices Regios providere: uti supra notatum est.

CAPUT VI.

De Jure alimentationis, & superintendentia Patronis competentibus.

1. *Justum est ut qui temporalia sua Ecclesiæ obtulerunt, etiam ab ipsa adjuventur.*
2. *Id probavit Concilium Toletanum; voluitque Fundatoribus in necessitate succurri.*
3. *Jure Decretalium Fundatori debetur alimentatio.*
4. *Idipsum probat Pontificale Romanum.*
5. *Alimentatio hæc non debetur merè* intuitu *paupertatis; & debet esse largior, quàm in alios pauperes.*
6. *Amplius debetur ei qui amplius contulit.*
7. *Quid in determinanda subventione Patrono debita sit attendendum.*
8. *Jus ad alimentationem non debetur titulo juris præsentationis, sed fundationis.*
9. *Alimentatio debetur in casu inopiæ, licet in fundatione non sit reservata.*
10. *Potest Fundator sibi vel successoribus pensionem reservare.*
11. *Quin & extraneo pensionem solvendam reservare potest.*
12. *Posset & cavere ut fructus vacante Ecclesia sibi cederent.*
13. *Fundator potest leges apponere; & executioni earum, & conservationi bonorum invigilare.*
14. *Si Episcopus ultra portionem competentem è rebus Ecclesiæ accipiat, potest Fundator contra ipsum agere.*
15. *Sacerdotes non administrantes bona juxta intentionem Fundatoris, à Patronis monendi, & Episcopo vel judici deferendi.*
16. *Episcopus Metropolitano, Metropolitanus Regi.*
17. *An sine consensu Patroni bona Ecclesiæ alienari, aut gravari queant?*
18. *Quando de conservandis fundationibus agitur, hodie ad Regios judices recurri solet.*
19. *Etiam circa celebrationem Divini Officii Patroni invigilare possunt.*
20. *Decretum Concilii Tridentini his in speciem contrarium.*
21. *Quomodo Tridentinum hic receptum?*
22. *Concilium Tridentinum curam Patronorum circa observantiam fundationis non excludit.*
23. *Patroni prætextu tuitionis nihil in Ecclesia usurpare possunt.*

I. DIgnum planè justumque jam pridem judicavit Ecclesia, ut iis qui sua temporalia liberaliter sibi obtulerunt, ipsis quoque specialiter in temporalibus succurrat ubi eorum requirit necessitas, quemadmodum rectè exposuerunt Patres Concilii Toletani IV. *Can.* 38. cujus fragmentum recitat Gratianus *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 30.

II. "Præbendum est (ait Canon) à Sacerdotibus vitæ „solatium indigentibus; & maximè his quibus restituenda „*vicissitudo* est.

Hinc deinde tamquam consequens infert: "Quicumque „ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devo„tione propriâ contulerunt, si fortè ipsi aut filii eorum re„dacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium „vitæ pro temporis usu percipiant.

Decreti sui æquitatem probantes subjungunt: "Si enim „Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet „necessitatem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in „usum res Ecclesiasticæ largiuntur, quanto magis his „consulendum est, quibus retributione justâ debetur.

III. Ad hunc Canonem respexit Pontifex in *Cap.* 23. ⁖ *De Jure Patronatus* scribens: "Pro fundatione quo„que Ecclesiæ honor processionis fundatori servatur, & „si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè (vel ut alia „lectio habet, moderatè) succurritur, sicut in sacris est „*Canonibus* institutum.

Ex citato Canone, & hac Decretali receptum est, Fundatoribus sive Patronis ad inopiam redactis ab Ecclesia Patronata ratione factæ fundationis alimenta deberi.

IV. Unde & ex præscripto Pontificalis Romani, Episcopus, factâ Ecclesiæ consecratione, dicit ad Fundatorem, quod si Fundator aut ejus hæredes "casu ad egestatem per„venerint, gratâ recordatione, Ecclesia Fundatoris piam „liberalitatem recognoscit.

V. Porrò tum ex Canone Toletano, tum Decretali Pontificia manifestum est, Fundatoribus sive Patronis subventionem illam non tantùm deberi intuitu *paupertatis* sed præcipuè intuitu *beneficentiæ* in Ecclesiam collatæ; ut proinde rectè moneat Rochus de Curte De Jure Patronatûs verbo *Et utile*, sequutus Glossam, "Quod teneatur Eccle-

 sia

„ sia Patronata ex redditibus tam necessaria remanentibus „ alere Patronum *pinguius*, quàm alios pauperes." Et ibidem *numero* 2.

VI. Eodem fundamento deducit post alios citatos Canonistas, si plures sint Patroni, omnibus quidem esse subveniendum, "deberi tamen magis subveniri ei qui *plus* „ contulit in fundando vel dotando Ecclesiam, licèt Jus Pa„tronatus ad singulos pertineat in solidum.

VII. Debebunt autem præstari alimenta secundùm qualitatem Patroni, tam in vestibus, quàm in cibo, uti *n.* 4. aliis relatis docet de Curte. Addendum tamen *spectatis Ecclesiæ Facultatibus.*

Nam in determinanda subventione Patrono debitâ ipsas Ecclesiæ facultates attendi debere unanimiter docent Canonistæ sequuti Glossam ad *Cap.* 25. *ˣ De Jure Patronatus*, ubi ad verbum *modestè* ait: "Habito respectu ad „ *facultates* Ecclesiæ, & ad *qualitatem* personæ." Quare Cardinalis Florentinus, quem sequitur De Curte *num.* 2. hanc quæstionem, "An teneatur Ecclesia in casu indigentiæ „ alere Patronum in domo *propria* ipsius Patroni, an possit „ Rector Ecclesiæ dicere Patrono, venias ad manducan„dum *mecum*, resolvit dicens : Considerabitur persona „ Patroni, & ejus indigentia, & *conditio Ecclesiæ*, quibus „ attentis aletur in Ecclesia, vel extra.

VIII. Cæterùm, quia hoc jus Patroni fundatur in munificentia, quam ab ipso ejusve parentibus aut Majoribus Ecclesia accepit, & quam recognoscere justum & æquum judicat; sat patet, Patronis jus hoc non competere ratione juris *præsentationis*, sed titulo *fundationis* vel *dotationis*: ideoque hoc jus Fundatori competet, tametsi jus præsentationis transtulerit in Ecclesiam vel aliam personam, vel eidem renuntiaverit. Et è converso, si Ecclesia alicui simpliciter jus præsentandi, citra fundationem aut dotationem dederit, simili Patrono jus hoc alimentationis non competere, uti nec alia jura honorifica, judicatum refert Joannes Tornerius in sua Collectione Arrestorum *litt. P.*

IX. Porrò hæc subventio sive alimentatio in casum inopiæ debetur Patrono sive fundatori independenter ab ulla reservatione facta in ipsa fundatione, id est, tametsi in ipsa fundatione Fundator nihil sibi circa temporalia reservaverit; sed debetur ipso jure.

X. Posse enim Fundatorem vel sibi vel successoribus pensionem aliquam annuatim etiam extra necessitatis casum solvendam reservare; eámque ab Episcopo in fundatione vel dotatione probatam sive admissam exigi posse, tamquam indubitatum habent Canonistæ auctoritate *Capituli* 23. *ˣ De Jure Patronatus*, ubi statuitur, quòd Advocati sive *Patroni* nihil ab Ecclesia exigere queant, *præter antiquos & moderatos reditus à locorum Episcopis institutos.* Ad quæ verba notat Glossa: "Statui ergò possunt „ reditus Patrono vice tributi vel *pensionis.*

XI. Quinimo non tantùm reservare potest pensio aliudve jus ipsi Patrono ejusve successoribus; sed etiam alicui tertio, si ita Fundatori visum fuerit : cujus exemplum occurrit in *Cap.* 16. *ˣ De Censibus* ; & ibi notat Panormitanus.

XII. Posset quoque in fundatione apponi, quod fructus Ecclesiæ, quando eam vacare contigerit, cederent Patrono, uti post Glossam ad *Cap* 15. verbo FUNDATIONE *De Elect. in* 6. observat De Curte loco citato *num.* 7.

Hic tamen rectè monet, Presbyterum suâ privatâ auctoritate non posse Patrono pensionem annuam de novo addicere, aut jam constitutam augere. Imò si intuitu obtinendæ facilius præsentationis ampliorem pensionem addiceret, aut jura Patrono directè aut indirectè augere promitteret, difficulter à vitio Simoniæ se eximeret, De quo latius infrà titulo *de Simonia circa Beneficia.*

XIII. Nec tantum pensionem aliquam sibi & successoribus reservare potest Fundator, sed & leges quasdam fundationi apponere earúmque observantiæ atque rerum à se collatarum conservationi invigilare totiúsque fundationis curam agere: quemadmodum jam pridem Patres & signanter Concilii Toletani IV. & IX. agnovere.

XIV. In Concilio Toletano IV. *Can.* 33. statuitur : "Episcopos ita Diœceses suas regere, ut nihil jure præsu„ mant auferre, sed juxta priorum auctoritatem Conci„liorum , tam de oblationibus , quam de tributis (vel „ ut alia lectio habet , *de decimis tributis*) tertiam con„sequantur. "*Tertia* enim pars ex consuetudine Hispa„niæ Episcopo debebatur, cum alibi tantùm quarta debebatur; sed de hoc infra titulo De jure Beneficiatorum ad bona Ecclesiæ.

Deinde prosequitur Concilium: " Quod si amplius „ quippiam ab eis præsumptum extiterit, per Concilium „ restauretur; appellantibus aut ipsis conditoribus, aut cer„ tè propinquis eorum, si jam illi à sæculo discesserint.

Agnoscit igitur Concilium, quod Patrono cura incumbat, ut illibata & integra Ecclesiæ suæ bona conserventur, id quod rursus renovavit Concilium Toletanum nonum, formamque qua suas querelas formare possint Patroni describit *Can.* 1.

XV. Et primò quidem declarat, bona dispensanda esse juxta piam offerentium voluntatem; ac tum subjungit: " Verùm ut rei hujus potior soliditas habeatur, condignis „ filiis vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, „ qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bo„næ intentionis habere solertiam, ut si Sacerdotalem, seu „ ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defrau„ dare, aut commonitionis honestæ conventione compes„ cant vel Episcopo vel judici corrigenda denuntient: " id est, eum honestè admoneant, ut à dissipandis Ecclesiæ suæ bonis abstineat.

Quod si honestam hanc admonitionem aspernetur; permittit Concilium, ut vel *Episcopo, vel Judici corrigenda denuntient.*

XVI. Ulterius pergit Concilium: " Quod si talia Epis„copus agere tentet , Metropolitano ejus hæc insinuare „ procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis „ auditibus (alia lectio , *auribus*), intimare non diffe„ rant.

Supponunt Concilia tuitionem & curam bonorum Ecclesiæ incumbere Fundatoribus sive Patronis eorúmque hæredibus; ipsósque etiam auctoritatem Regiam posse implorare contra dispensatores.

XVII. Huc referri potest ratio Rectorum Angliæ, ut asserant, ne quidem à Summo Pontifice imminui & quomodò usurpari posse patronatarum Ecclesiarum reditus , nec ullam exactionem iis imperari. "Item cùm Rex Angliæ, „ & Magnates tam jure hæreditario, quàm bonâ & appro„ priatâ consuetudine habent Jus Patronatûs Angliæ , & „ Rectores ad eorum præsentationem instituti nolunt , „ sicut nec debent, nec possunt, in aliquam contributionem „ consentire inconsultis Patronis , quia sic posset suis „ Ecclesiis præjudicium generari." Apud M. Paris *ad ann.* 1240.

Neque hodie facilè admitteretur notabilis bonorum alienatio, aut Ecclesiis gravamen imponi sine consensu Fundatorum: atque hinc potissimum originem ducit , quod in rerum Ecclesiæ alienatione, earum unione , similibusque materiis consensus Regius petatur; utpote qui ut plurimum Ecclesiarum Fundator est, aut creditur.

XVIII. Imò cùm de conservandis fundationibus agitur hodie fere ad solos Judices Regios, pro iis tuendis recurritur. Nam uti monet Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jure Patronatus *Cap.* 27. " Hodie fundatio„ nes Ecclesiarum dicuntur juris *publici*, cujus executio & „ conservatio ad Reges pertinet.

XIX. Nec tantùm circa bona temporalia, hæc Fundatorum sive Patronorum cura versari debet; sed & circa officium Divinum aliáque ex præscripto fundationis peragenda. " Si Clericus *Divinum Officium* in ea non celebret (ait Le

„ Le Roy) juxta ejus fundationem, Patronus eum vocare „ debet in jus, ut fundationi satisfaciat, eóque casu verius „ existimarem ipsius Patroni electionem esse, an apud Judi- „ cem Ecclesiasticum agat, quia cum Clerico agit, & de ce- „ lebratione divini officii, an verò apud secularem, qua de „ tuenda & observanda fundatione agit, quod est secularis „ jurisdictionis.

Et in hisce Provinciis, uti in Gallia nihil frequentius, quàm quod querelæ de non observatis fundationum legibus ad Regios Magistratus deferantur, ipsúmque officium Fiscale, tamquam juris publici protector, sese immisceat.

XX. At hisce repugnare videtur Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Cap.* 3. *De Reformat.* decernens: " Patroni verò „ in iis quæ Sacramentorum administrationem spectant, „ nullatenus se præsumant ingerere, neque visitationi orna- „ mentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu fabrica- „ rum proventibus immisceant; nisi quatenus id eis ex insti- „ tutione ac fundatione competat: sed Episcopi ipsi hæc fa- „ ciant, & fabricarum reditus in usus Ecclesiæ necessarios „ & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expen- „ di curent.

XXI. Imprimis Concilia Regia, prævie ad publicationem Concilii Tridentini per has Belgicas Provincias, jussa suum de Decretis *reformationis* depromere judicium, huic Decreto hanc notam appenderunt: " Excluditur Patrono- „ rum officium in visitationibus Ecclesiarum , ornamen- „ torum, bonorum & proventuum, nisi ex ipsa fundatione „ id iis competat, & res tota committitur arbitrio Episcopi. „ Iterum hic mentio fit de præjudicio Juris Patronatus lai- „ ci avertendo, & sufficere Patronos in pacifica possessione „ esse hujus juris, licèt ipsas litteras fundationis non profe- rant, fortè deperditas injuriâ temporis.

XXII. Cùm autem Concilium promulgatum in his Provinciis fuerit , conformiter ad hasce observationes, uti sat patet ex clausulâ litteris Gubernatricis ad Archiepiscopum Cameracensem insertâ; & nominatim notavit Berthrandus Loth in suis Resolutionibus , sequitur, Patronos laicos in possessione sua conservatos esse : quemadmodum usque in hodiernum diem perseverant.

XXIII. Adhæc nullatènus verisimile est, quòd Synodus Tridentina solicita semper inhærere, quantùm temporum conditio patiebatur, sacris Canonibus, voluerit curam & vigilantiam Patronorum pro tuendis legibus fundationis, Canonum auctoritate stabilitam evertere; sed cavere duntaxat, ne Patroni prætextu defensionis Episcopos in officiorum divinorum celebratione, aut Sacramentorum administratione turbarent, aut jura Ecclesiarum sibi appropriarent, conformiter ad Concilia Toletana.

Postquam enim Fundatorum curam & studium in tuendis rebus Ecclesiæ excitârunt, subjiciunt hoc monitum: " Noverint autem conditores Basilicarum in rebus , quas „ eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere ; „ sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & do- „ tem ad ordinationem Episcopi pertinere." Hæc Toletanum IV. quæ eodem sensu, sed fortius expressit Concilium Toletanum IX. Canones utriusque Concilii jam citati referuntur apud Gratianum *Caus.* 10. *q.* 1. *Can.* 6. *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 60. item *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 31.

CAPUT VII.

De Juribus honorificis præcipuè Patrono debitis.

1. *Quid honor à quo jura honorifica dicuntur?*
2. *Jura honorifica consistunt in externis honoris symbolis: & quæ ad hoc Ecclesia elegerit.*
3. *Olim jura hæc non erant determinata.*
4. *Enumerantur jura honorifica hodie magis usitata.*
5. *Credunt plerique Canonistarum Gelasium I. meminisse honoris* Processionis.
6. *Non videntur Canonistæ intellexisse sensum Gelasii.*
7. *Auctoritate Gelasii nihilominus invaluit honor processionis.*
8. *Honor hic defertur subinde recipiendo* processionaliter *venientem ad Ecclesiam.*
9. *Quibus honor processionis hoc modo exhibendus?*
10. *Subinde defertur, locum honoratiorem in processione assignando.*
11. *Honor* thuris *in quo consistat.*
12. *Jam pridem etiam laicis delatus.*
13. *Usus incensi primitus non institutus ad honoris exhibitionem; & quomodo paulatim ad hoc deductus.*
14. *Aqua benedicta ad honorem exhibendum non instituta; & in quo consistat honor aquæ benedictæ.*
15. *Nonnulli volunt sibi porrigi aspergillum.*
16. *Hæc Patronorum postulatio contraria ritibus Ecclesiasticis.*
17. *Episcopi se hic Patronis opposuerunt.*
18. *Conforme Arrestum Parlamenti Parisiensis.*
19. *Ratio ob quam non conveniat laicis tradi aspergillum.*
20. *Cur conveniat dari Episcopo.*
21. *In quo consistat honor* precum.
22. *Patronorum etiam Ecclesiasticorum nomina in precibus publicis recitanda.*
23. *Fidelium nomina in die anniversaria recurrente recitanda.*
24. *Toparchæ & Patroni prætextu hujus honoris non possunt cogere Parochum ad differendum Divinum Officium.*
25. *Neque Parochi ad placendum Toparchis aut Nobilibus illud differre possunt.*
26. *Honor* Sedis *in quo consistat; & unde proveniat?*
27. *Honor Sedis* in choro *solis Patronis de jure competit.*
28. *Potest Sedes specialis minoribus Magistratibus & nobilibus concedi in navi Ecclesiæ ; & à quibus.*
29. *Honor sepulturæ in quo consistat.?*
30. *Jura honorifica non tantùm Patronis laicis Ecclesiasticis competunt.*
31. *Patronus Ecclesiasticus non propria, sed Ecclesiæ suæ insignia apponere potest; & quare?*
32. *Fundatori jura honorifica debentur, licet non habeat jus præsentationis.*
33. *Qui jus præsentationis in Ecclesiam transtulit retinet jura honorifica.*
34. *Patronus omnibus aliis, etiam Toparchis quoad jura honorifica præfertur; & quare.*
35. *Nullus potest habere Sedem aut sepulturam in choro in præjudicium Patroni.*
36. *Uxor & filii Patroni quali honore gaudeant.*
37. *Patroni aliique laici juribus his gaudentes debent cedere Clero.*
38. *Circa usum horum jurium multum valet consuetudo.*
39. *Aliquando tamen tamquam abusus corrigenda.*
40. *Coram quo quæstiones de his Juribus agitanda.*
41. *Quid Patronis, Toparchis aliisque in usu horum observandum.*
42. *Quæ à Parochis observanda.*

d by Google

I. HOnor, à quo dicuntur jura honorifica, hic sumitur pro cultu quodam sive reverentia, quæ ob beneficentiam vel auctoritatem singularem quibusdam ab Ecclesia exhibetur.

II. Cum verò honor sit aliquid externum, externa quoque tantùm sunt ejus symbola, externæ honoris notæ; atque externis tantùm exhibetur actibus.

Ecclesia spretis secularibus aut mundanis honoribus eas honoris species elegit & consecravit, quæ cum ipsa honoris exhibitione, etiam pietatem & charitatem commendant, & continent; quibus suos benemerentes in suis ædibus & publicis conventibus honorat, protectionis suæ gratiam refert, & reipsâ implet illud Apostoli: *Cui honorem, honorem.*

III. Olim quidem Episcoporum & Presbyterorum arbitrio reliquerunt Canones, quem honorem suis senioribus tribuerent; sed sensim quotidiano usu definitæ sunt quædam honoris species, quibus Ecclesia fideles quosdam coloret, quæ paulatim conversæ sunt in assiduam jurisdictionem; uti rectè advertit Franciscus De Roye Antecessor Andegavensis *Lib. 1. De Juribus honorificis cap. 1.* ac propterea tandem dicta sunt *jura* honorifica, seu honoris; utpote *jure* jam debita.

IV. Hæc jura magis usitata hodie, præsertim in Belgio, Gallia, vicinisque Provinciis ferè sunt, honor processionis, thuris, precum, sedis, sepulturæ, aquæ benedictæ, panis benedicti.

V. Plerique Canonistarum credunt honoris *processionis* jam pridem meminisse Gelasium I. eumque Patronis exhibitum fuisse; idque auctoritate *Canonum 26. & 27. Caus. 16. q. 7.* in quorum priore sub nomine Gelasii Papæ dicitur: *Sciturus* (Fundator Ecclesiæ) *sine dubio præter* PROCESSIONIS *aditum qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum.* Et in Canone sequenti. *Nihil se tandem sibi fundator ex hac Basilica noverit vindicandum, nisi* PROCESSIONIS *aditum, qui Christianis omnibus debetur.*

VI. Verùm hoc unum voluisse videtur Gelasius, quod postquam Basilica fuerit ædificata & sufficienter fundata, tum primum ab Episcopo sit dedicanda; quâ dedicatione facta, Fundatori concedendus sit *aditus processionis* id est, liceat Fundatori in ea Basilica ad Missarum solemnia procedere, sicuti omnibus Fidelibus conceditur aditus ad Ecclesias publicas ab Episcopis dedicatas, quemadmodum latiùs notant & probant Franciscus Florens titulo de *Antiquo Jure Patronatus pag. 84. edit. 1679.* & Franciscus De Roye loco citato cap. 7.

VII. Quidquid sit, hoc constat, quod auctoritate dictorum Canonum jus *processionis* inter jura honorifica fuerit relatum. Scribens enim Clemens III. vel ut alii volunt, Alexander III. in *Cap. 25. De Jure Patronatus: Pro Fundatione quoque Ecclesiæ honor* PROCESSIONIS *Fundatori servatur*, mox subjungit: *Sicut in sacris est Canonibus institutum:* quibus verbis indicari citatos Canones Gelasii manifestum est: atque ita post hanc Decretalem unanimi Canonistarum calculo probatum est, inter jura honorifica Fundatori debita, esse honorem *processionis*; licet inter ipsos Canonistas non conveniat, quid in allegatis Canonibus per *aditum processionis* intelligatur.

VIII. Hic *processionis* honor duobus potissimùm modis Patrono deferri potest, uti tradunt Canonistæ ad dictum *cap. 5.* atque nominatim expressit Cardinalis Hostiensis.

Primò honor debetur Patrono ait Hostiensis, ut *ei processionaliter* occurratur: id est, Patrono ad Ecclesiam venienti, Clerus Ecclesiæ *processionaliter* occurrat, eumque recipiat & ad Ecclesiam deducat; quemadmodum recipi Episcopum præcipit hodiernum Pontificale Romanum.

IX. Rectè autem Cardinalis Hostiensis exprimendo hunc modum exhibendi honorem *processionis*, addidit hanc clausulam: *Si talis & tantus sit*; hoc est, qui mereatur tantum honorem, puta si Rex sit, aut Princeps *magnæ potentiæ* juxta expressionem Pontificalis Romani hunc titulum affigens Ordini recipiendi Principes: *Ordo ad recipiendum* PROCESSIONALITER *Principem* MAGNÆ POTENTIÆ.

Imò in Regno Galliæ solus Rex *processionaliter* recipi potest; quemadmodum refert Carolus Fevretius *De Abusu lib. 3. cap. 2. num. 13.* siquidem (ait) suscipere cum processione & elatâ cruce, subjectionis ac honoris eximii signum est.

X. Secundò defertur honor *processionis* dando vel cedendo alicui honoratiorem locum in ipsa solemni ac publica processione.

De hoc honore Fundatori ejusque hæredibus deferendo loquitur Pontificale Romanum titulo *De Consecratione Ecclesiæ*; ubi præscribit, ut Pontifex absolutâ consecratione dicat ad Fundatorem: " Quod à Sanctis Patribus statutum est, in diei dedicationis anniversario solemni, Fundatores & eorum heredes in *processionibus primos* esse debere.

XI. Honor *thuris* sive suffitûs consistit in speciali ac honorifica thurificatione alicui in signum eminentiæ aut benevolentiæ exhibenda.

Jam pridem Episcopos & Sacerdotes singulatim & separatim à reliquo Clero & populo suffitum accepisse satis indicat vetus Ordo Romanus; & hodie ex præscripto Ritualium perseverat.

XII. Cùm ergò singularis hæc thurificatio facta Episcopis reputaretur Symbolum honoris, sensim cum aliis honoris symbolis ad laicos transire cœpit. Scribit Codinus: " Circa vesperam abit Imperator ad Sanctam Sophiam audiensque vespertinos hymnos incensatur, seu thuris suffitu honoratur à Patriarcha, omnesque simul aulici Proceres etiam ad ultimum usque " *lib. 3. capite 14. num. 17.*

Et numero 21. " Incensat, seu thuris suffitu honorat Patriarcha Imperatorem.

Honoris *incensi* exhibendi Patriarchæ Gradensi à Monasterio S. Georgii meminit Honorius III. in *Cap. 8. De Causa possess. & propriet.* Juncta antiquâ apud Cironium in quinta Collectione Decretalium.

XIII. Quod autem contendit Cironius ad hanc Decretalem & *lib. 3. Observ. cap. 6.* latiùs probare vult, suffitum non esse propriè honoris argumentum; sed ad excitandum populum ad elevandam mentem in Deum, juxta illud Psalmistæ: *Dirigatur Domine oratio mea sicut* INCENSUM *in conspectu tuo*; vel ad repræsentandum effectum gratiæ per quem purificamur, & abluimur, & abstergimur ab omni sorde peccati, uti loquitur S. Severus Alexandrinus in *Descriptione & Ordine oblationis*, hoc quidem verum est, si primarium finem, quem sibi Ecclesia in usu *incensi* præfigit, attendamus: quemadmodum vel ex sola solemnis benedictionis *incensi* formula in Missali præscripta manifestum est. Sed cùm ipse usus *incensi* receptus fuit, Ecclesia voluit, ut etiam per ea quæ ad pietatem & cultum religionis adhibentur, honorificentur illi, quibus honor debetur; uti suprà monuimus, & in honore aquæ benedictæ, panis benedicti, & osculi pacis compertum est.

XIV. Aquæ enim benedictionem, aut ejus aspersionem in Ecclesia hodie receptam, non esse primitus institutam, ut per eam honor alicui deferatur, ex precibus in ipsa benedictione recitandis patescit, sed dum aliquibus cum quadam prærogativa datur, honoris nota est; & eatenus juribus honorificis aspersio aquæ benedictæ annumeratur; quemadmodum & de prærogativa in distributione panis benedicti notavimus *parte 2. tit. 5. cap. 4.*

XV. Nonnulli juribus honorificis gaudentes non contenti, si aquâ lustrali seu benedictâ separatim & ante alios laicos cum quadam honoris nota aspergantur, renuunt ab ipso Sacerdote aspergi; voluntque sibi aspergillum porrigi, ut

ut ipsimet aquam ex aspergillo accipientes seipsos aspergant.

XVI. Verùm quia ex antiquo usu aqua benedicta juxta Ecclesiæ præscriptum per aspersionem dari consuevit, isque ritus in omnibus etiam antiquis libris Ritualibus sit probatus juxta illud Psalmi 50. *Asperges me hyssopo & mundabor*, quem etiam inter aspergendum decantari jubet Ecclesia, non immeritò Episcopi se hisce Patronis & Toparchis opposuerunt, contendentes, Ecclesiam quidem debita jura honorifica non improbare, sed esse cum ea moderatione exhibenda, ut ritus & cæremoniæ ab Ecclesia piè instituti non evertantur.

XVII. Hanc in deferendis juribus honorificis Ecclesiæ mentem pernoscens Eminentissimus D. Camusius Episcopus Gratianopolitanus, in Ordinationibus Synodalibus *tit. 5. art. 6.* " Interdixit omnibus Parochis eorúmque Vica„ riis dare aquam benedictam *ad manus* laicis cujuscum„ que conditionis fuerint, ne quidem Ecclesiasticis nisi E„ piscopis: iisque injungit illam dare dumtaxat per *asper„ sionem*, etiam Toparchis locorum, quibus eam dabunt „ separatim & eorum familiæ cum fuerint in suis sedibus „ aut scamnis, nec ante, nec post aspersionem ullam faciant „ ipsis Toparchis inclinationem.

Cúmque in hac Diœcesi Mechliniensi idipsum quidam Toparchæ prætenderent, Alphonsus De Berges Archiepiscopus Mechliniensis edito Decreto idem Parochis aliisque Sacerdotibus injunxit, voluitque juxta præceptum Pontificalis omnibus, excepto solo Episcopo, per aspersionem dari.

XVIII. Imò dum quidam Toparcha non contentus prærogativâ aspersionis, contendebat sibi porrigi aspergillum, ipsúmque Parochum dare recusantem ad Parlamentum Parisiense evocabat, intervenit Cleri Gallicani Syndicus, prætendens hìc de rituum ac ceremoniarum observantia esse quæstionem; ideoque Actorem ad Episcopum Tolosanum tamquam suum Ordinarium remittendum esse; prout & à Parlamento remissus fuit: quâ remissione sat ostendit Senatus Regius, se nolle Actorem in jure honorifico tueri cum immutatione rituum Ecclesiasticorum. Vide latiùs Carolum Fevretium *lib. 4. cap. 9. num. 5.*

XIX. Et sanè cùm hæc aquæ lustralis aspersio sit quædam species benedictionis, superbiam sapit, eam nolle accipere à Sacerdote, qui ad benedicendum ab Ecclesia specialiter ordinatus & constitutus est, juxta illud Pontificalis Romani: *Sacerdotem oportet offerre*, BENEDICERE &c.

XX. Sed quia Episcopus in Ordine Hierarchico est Presbytero superior, ipsamque plenitudinem Sacerdotii possidet, conveniens haud est, ut ipse à Presbytero benedicatur; quia juxta Apostolum, *Sine ulla contradictione quod minus est à majore benedicitur*.

XXI. Honor precum consistit in speciali recitatione & commendatione alicujus in precibus. Jam pridem usitatum fuit, ut aliquorum nomina, qui vel auctoratu vel beneficentiâ in Ecclesiam eminebant, inter Missarum solemnia recitarentur; cujus rei testimonium luculentum suppeditat Synodus Emeritensis *Can. 19.* " Salubri deliberatione cen„ semus, & pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus „ Presbyter jussus fuerit per sui Episcopi ordinationem præ„ esse, pro singulis diebus Dominicis sacrificium Deo pro„ curet offerre, & eorum *nomina*, à quibus eas Ecclesias „ constat esse constructas, vel qui aliquid his sanctis Eccle„ siis videntur, aut visi sunt *contulisse*, si viventes in corpo„ re sunt, ante altare recitentur tempore Missæ: quod si ab „ hac decesserint luce, nomina eorum cum fidelibus de„ functis recitentur in suo ordine.

Quin hæc recitatio nominum sit quædam nota honoris & præeminentiæ negari nequit: ut proinde mirum non sit, si inter jura honorifica numeretur.

XXII. Refert Matthias Mareschal in tractatu De Juribus honorificis *pag. 102.* edit. 1616. quod licet omnes Benefactores hoc habeant commune cum Patronis & Toparchis, quod publicè in concione sive *Prona*, ut vocant, precibus fidelium commendentur, ipsi tamen Patroni & Toparchæ debeant *nominatim*, id est, expressis nominibus & qualitatibus commendari, si id petant; atque ita judicatum refert anno 1603. & rursus anno 1614. declaratum, jus hoc tam Patronis Ecclesiasticis, quàm laicis competere.

XXIII. Hoc tamen ibidem pag. 205. monet, quod licet ad solos Patronos & Toparchas pertineat, ut nomina eorum diebus Dominicis in precibus publicis recitentur, nihilominus Benefactores & Fundatores alicujus anniversarii, possint & debeant nominari & commendari Fidelium precibus die anniversarii recurrente: quod & praxi ubique receptum est.

XXIV. Rectè quoque ibidem *pag. 197.* & sequentibus reprehendit Toparchas aliósque viros nobiles qui prætextu *honoris precum*, invertunt ordinem & tempus Divini Officii, præcipientes illud vel accelerari, aut differri ad seram horam & incommodam, in contemptum Sacerdotum, & non exiguum Parochianorum incommodum; qui nonnunquam ab Ecclesia Parochiali remoti Officio Divino idcirco assistere nequeunt.

Quæ incommoda occasionem dederunt, teste Mareschallo art. 3. Edicti Caroli IX. Regis Galliæ anni 1571. quo „ inhibetur Dominis temporalibus, & aliis quibuscumque „ personis, constringere Parochos eorúmve Vicarios mu„ tare aut differre horas ordinarias Officii Divini.

XXV. Notat dein Mareschallus *pag. 201.* esse abusum reprehensione dignum, quando ipsi Parochi eorúmve Vicarii sua sponte in favorem parentum, amicorum aliorúmve invertunt Officium Divinum.

Notat ibidem Mareschallus quod huic abusui Archidiaconi visitando occurrere debeant; his deficientibus ad Episcopum recurrendum; imò ad Judices Regios, qui injungent Parocho celebrare Divinum Officium horis ordinariis per manus injectionem in temporalia. Adde quæ de celebratione Officii Divini, ac præsertim Missæ Parochialis dicta sunt *parte 2. tit. 5. n. 11. & 12.*

XXVI. Inter jura honorifica frequens & eminens est honor *Sedis*, qui defertur assignando Sedem perpetuam & specialem alicui in Ecclesia: quæ eò honorabilior est, quo locus sessionis est honorabilior.

Censetur autem locus in Ecclesia honorabilior qui magis ipsi Sacrario & altari appropinquat. Unde Sedem in *Choro* honorabiliorem esse, quàm Sedem in navi Ecclesiæ nemini dubium est.

Et quidem Chorum ex præscripto Canonum populo non patere, sed solis Clericis divinum Officium peragentibus, sat constat; atque honoris causâ dumtaxat nonnullis laicis sensim apertum esse; quod latiùs deducit Franciscus De Roye De Juribus honorificis *lib. 1. cap. 10.*

Quin & anno 1240. Synodus Wigoriensis *Can. 3.* " Ne „ laici stent in cancellis, dum celebrantur Divina, salvâ ta„ men reverentiâ Patronorum.

XXVII. Testatur Matthias Mareschal in citato tractatu *pag. 85.* non semel judicatum fuisse, solis veris Patronis seu Fundatoribus competere jus *Sedis* in choro, quod si aliis competat, id magis ex connivenția sive tolerantia, quàm jure procedat. Et *pag. 97.* dicit judicatum, soli Patrono dari actionem ad vindicandum Sedile in *choro*; alios verò quibus titulo diuturnæ possessionis competit, tantùm posse implorare officium Judicis.

XXVIII. Nobiles autem & Officiarios inferiores prætendentes locum distinctum à reliquo populo, dicit remissos fuisse ad Æedituos, vel Parochos aliósve, quibus jus competit loca in Ecclesia designandi, ut ab his in navi Ecclesiæ extra chorum locum honorabiliorem, spectata ipsorum conditione & dignitate acciperent. Ubi unà notat, quomodo in variis Ecclesiis jus assignandi loca in navi Ecclesiæ aliis competat.

XXIX. Honor *sepulturæ* versatur quoque circa locum ho-

norabiliorem inhumationis in Ecclesia: isque hic similiter judicatur honorabilior, qui Sacrario est propinquior. Unde sepulturam habere in *Choro* maximè honorificum reputatur; nec olim laicis concedebatur; nunc verò Patronis specialiter annuatur. Sed de hoc jure latiùs agemus infrà titulo de Sepulturis.

XXX. Hæc jura honorifica non tantùm Patronis laicis, sed & Ecclesiasticis competunt, *Cap.* 3. ;; *De Ædificandis Eccles.* ubi Alexander III. scribit, quod si nova Ecclesia ex proventibus veteris Ecclesiæ construatur & dotetur, provideri debeat, " ut *competens* in ea *honor* pro facultate „ loci Ecclesiæ Matrici servetur.

XXXI. Verùm cum Patronus Ecclesiasticus Jus Patronatûs non habeat proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ sive Prælaturæ, vel tamquam Prælatus, qui jura ipsius tueatur & exerceat, rationi planè consentaneum est, ut insignia Ecclesiæ, cui Jus Patronatûs proprium est, affigat; atque ita palam contestetur, ad Ecclesiam jus illud pertinere; uti rectè observat De Roye *lib.* 2. *cap.* 5. monétque rectissimè observatum, Patronum Ecclesiasticum non posse in *lystra* depingere insignia seu *arma* seu gentilitia; sed tantùm Ecclesiæ cujus Jure Patronatûs utitur.

XXXII. Porrò quia jura honorifica potissimum debentur ratione beneficii à Fundatoribus in Ecclesiam collati, ideò, uti communiter notant Doctores, ea jura honorifica debentur, tametsi jus præsentationis in ipsâ fundatione remiserit Fundator, aut Ecclesiæ cesserit; idque disertè asserunt consuetudines Normannicæ *art.* 142. uti loco citato refert De Roye: probátque non obscurè Pontifex in *Cap* 25. ;; *De Jure Patronatus*, ubi licet neget Fundatori præsentationem, tamen concedit honorem *processionis* & *alimentorum*.

XXXIII. Hinc ulteriùs veriùs existimat De Roye, " Quod si Fundator loco Religioso suam præsentationem „ donaverit, attamen ei soli omnes alios honores deberi: „ quia semper verum est eum esse Fundatorem, & semper „ retinere nomen, qualitatem, & dignitatem Fundatoris, „ quam solam inspiciunt sacri Canones, ut ex ea causâ pie„ tatis & munificentiæ honorem deferant & exhibeant.

XXXIV. quinimò Patronus in juribus honorificis præfertur omnibus aliis laicis. etiam Senioribus sive Toparchis quantumvis omnimodam jurisdictionem habentibus. Ecclesia enim est quasi in dominio Patroni seu Fundatoris; & ita jam pridem dixit Rochus De Curte De Jure Patronatus verbo *Honorificum num.* 1. & ex professo tradit Matthias Mareschal in tractatu gallico De Juribus honorificis *pag.* 17. edit. 1616. atque enumeratis singillatim omnibus juribus honorificis concludit, omnem honorem, & præeminentiam debita esse Patronis præ Toparchis aliisque jurisdictionem aliquam in Parochia habentibus.

Deinde *pag.* 202. dicit judicatum fuisse, nomina Patronorum tam Ecclesiasticorum, quàm laicorum esse diebus Dominicis recitanda in precibus publicis; atque post horum recitationem, demum Toparcharum aliorúmque jure illo gaudentium. Et *pag.* 7. ait, quod quoties casus accidit, semper judicatum fuerit Jura honorifica Ecclesiæ competere Patronis privativè & cum prælatione ad omnes alios Dominos, Id ipsum tradit De Roye *lib.* 2. *cap* 3.

XXXV. Neque in præjudicium Patroni ullus in Ecclesia à Patrono fundata potest Jure honorifico uti: asséritque Mareschal. *pag.* 88. " quod tametsi Patronus Sedem aut „ sepulturam seu monumentum sepulchrale in choro non „ haberet, nullus tamen posset in ejus præjudicium sedem „ aut sepulturam in choro accipere. Et longa possessio con„ traria (ait) non præjudicat Patrono; uti Senatus Rotho„ magensis 22. Decembris 1570. Judicavit. Secus videtur „ (inquit) inter alios Toparchas qui non sunt Patroni. Nam „ possessio, sive potiùs quasi possessio immemorialis non „ debet interverti per alium, quàm per verum Patronum.

XXXVI. Nec tantùm Patrono prærogativa conceditur; sed & liberis ejus & uxori; judicatúmque, in publica processione liberos Patroni sequi immediatè patrem; uxorem quoque prærogativâ loci gaudere: ita tamen ut in publico congressu ipsa in ordine mulierum incedere debeat: quemadmodum latius deducit, & variis Parlamentorum arrestis confirmat Mareschal *pag.* 47. & sequentibus.

XXXVII. Notandum autem monet Mareschal *pag.* 20. & 21. quod ubi dicitur, Jura honorifica competere Patrono cum prælatione ad omnes alios, id intelligatur de prælatione ad laicos & seculares, nequaquam cum prælatione respectu Episcopi, Curati, aut aliorum Prælatorum, & Ecclesiasticorum peragentium Divinum Officium cum pluvialibus vel superpelliciis in Ecclesia Parochiali. Refertque ex Joanne De Torres Philippum II. Regem Hispaniarum voluisse, ut in Ecclesia valentina osculum pacis prius Archiepiscopo Valentino, quàm sibi daretur. Hinc in plerisque Ecclesiis Toparchæ tametsi Patroni habent sua sedilia ad latus sinistrum, dimittentes latus dextrum ipsi Parocho aliisque Clericis Divinum Officium peragentibus, teste Mareschallo *pag.* 107.

Quapropter Eminentissimus Camusius in citatis Ordinationibus Synodalibus, conformiter ad Ritualia præcipit, prius Clerum aquâ lustrali, quàm Toparchas aut horum familiam esse aspergendum.

XXXVIII. Cæterùm in deferendis his Juribus honorificis plurimùm valet locorum consuetudo; tam quoad personas quibus exhibenda, quàm modum exhibitionis. Unde Franciscus De Roye *Lib.* 2. *cap* 5. ostendens, quod habentibus *mediam* dumtaxat Jurisdictionem *de jure* non competant Jura honorifica, licet in multis Ecclesiis contrarium invaluerit; habeántque Jura honorifica post patronos & Toparchas *alta* Justitia; non quidem jure, sed veluti per patientiam, sive tolerantiam, subjungit: " Præcipuè il„ lud ita obtinet, cum diuturno usu & longâ quasi posses„ sione fulciuntur. Nam in officiis & *honoribus* exhiben„ dis, non modò videndum est, quid lege sancitum, sed quid „ *consuetudine* valeat." Deinde aliquibus interpositis concludit: " Ex quibus constat, in exhibendis honoribus non „ minoris habendam esse receptam consuetudinem. Et e„ jus beneficio nostris illis Senioribus competere *lystras*, „ *sepulturā, & statam sedem in Choro, & alios honores*; si „ non jure, saltem per tolerantiā; & cum eo temperamento, „ ut nec patrono nec Seniori altā justitiam habenti noceant.

XXXIX. Si tamen sensim Jura aliqua honorifica invaluissent quæ vel decori templorum officerent, aut Divinorum Officiorum rectam celebrationem impedirent, non dubium, quin usus hic licet longâ consuetudine firmatus posset authoritate publicâ nonnunquam corrigi aut impediri.

Quapropter De Roye *L.* 2. *Cap.* 6. inquirens quæ Jura honorifica competant iis qui *inferiorem* dumtaxat justitiam habent, notat vel eo titulo usum lystræ (qui in quibusdam Galliæ Ecclesiis usitatus est) iis esse negandum, quod nimia lystrarum seu insignium appensio decori templorum noceat; & tandem concludit. " Ideóque si quis ex iis do„ minulis usurpatam *lystram* ex longa consuetudine tueri „ velit, ad curam prætoris pertinere putarem, ne ita defor„ metur aspectus Ecclesiæ, nec illud producatur ad conse„ quentias: quia quod non ratione introductum, sed erro„ re primùm, deinde consuetudine obtentum est, in aliis „ similibus obtinere non debet, *arg. Celsus in lib.* 32. *d. de* „ *legib.*

XL. Quæstiones si indicant super his juribus honorificis deferuntur terminandæ ad Judices Regios, non secus atque controversiæ super Jure Patronatûs laico, cujus quædam plerúm[illegible] accessiones sunt; præsertim quia similes quæstiones super possessione aut quasi possessione institui solēt. Constat autem & in Belgio & in Gallia possessorium, etiam in rebus Ecclesiasticis coram Judicibus Regiis agitari. Vide De Roye *L.* 2. *C.*15. item Mareschallum *p.* 182. & sequen-

quentibus; hic unà ostendit, quâ forma in hac materia causa sit instituenda: neque sufficienter probari jus patronatûs, vel jurisdictio & his annexum jus ad honores, sive jura honorifica, ex eo quod in vitro, aut aliqua parte ædificii, aut ornamento, vel altari insignia alicujus posita sint; id enim passim Benefactoribus conceditur; solentque in memoriam beneficentiæ insignia donatorum apponi rebus donatis.

XLI. Ecclesia itaque Fundatoribus suis aliisque in sublimitate constitutis in ipsis etiam templis, quæ domus orationis sunt, honorem defert; sed quia verendum est, *ne propter eum honorem iis veniat per superbia*, ut alibi loquitur S. Bernardus, convenit ut præ oculis habeant illud S. Augustini Epist. 22. " Magnum est de honoribus & laudibus hominum non lætari, sed & omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium salutémque conferre.

Optimè hic congruit quod ad versum 6. capitis 23. Matthæi notavit pius ac eruditus Author Compendii Moralis Evangelicæ: " Character pharisaicus est, semper velle aut in ministerio sacro, aut in commercio vitæ civilis aliquo discrimine ab aliis secerni. Licet primum locum occupare cum dignitati vel ordini debitus est: quandoque occupandus est, ne aliàs jus cujus Domini non sumus, concedamus: sinere possumus nos eo deduci cum id defert urbanitas; numquam illum appetere aut eo delectari ex amore præferentiæ oportet.

XLII. Parochi & Sacerdotes laicis exhibentes jura honorifica meminerint illius sententiæ Apostoli, *rationabile* sit *obsequium* vestrum: & hujus, *Cui honorem, honorem*, ut non incidant in vitium *acceptionis personarum*, de quo Apostolus Jacobus *cap.* 1.

Eminentissimus Camusius rationem supra allegati sui Decreti circa aspersionem aquæ benedictæ hanc præmittit, quod intellexerit quosdam Parochos eorumve Vicarios immemores dignitatis sui statûs exhibere laicis honores characteri ipsorum haud convenientes.

Caveant quoq; ne turpis quæstus in deferendis aut annuendis honoribus vel prærogativis se immisceat; cujus non rarò periculum & occasio in designatione vel concessione loci sepulturæ occurrit; præcipuè iis in locis ubi jura Parochi & Clericorum augentur pro qualitate loci sepulchralis.

Seriò attendendum & laicis & Clericis, templum esse *domum orationis*, ad quam in spiritu humiliato, tanquam filii unius ejusdemque Matris Ecclesiæ eumdem Patrem, qui est in cælis, supplices oraturi accedunt; in ea omnia oportere spirare potiùs humilitatem, ac mundi pomparúmque ejus contemptum; quàm illa externa honoris symbola, quæ superbiam ambitionemque excitare consueverunt, ac difficulter ipsam veram in corde humilitatem compatiuntur.

Et quidem cum hæc honorum exhibitio passionem superbiæ multùm nonnunquam excitet, contingit, non rarò hos honores arroganter exigi, studiosè conservari; & fervidè defendi; cunctáque subinde pro eorum conservatione moveri, nihilque non tentari. Quapropter rarò convenit Parochis, ut ipsi cum Toparchis aliisque illustribus personis super his juribus sua privatâ auctoritate se committant; sed potiùs quæstionem Episcopo aut aliis Superioribus exponant, & eorum judicio subjiciant.

ꟾ o ꟾ

Monumentum ad Num. 17. *Cap. VII. Decret. Archiepisc. Mechlin. &c.*

Decretum Archiepiscopi Mechliniensis quo præscribitur ritus porrigendi aquam Benedictam.

Alphonsus de Berghes, Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii, ad Exercitus Regios Delegatus Apostolicus, suæ Majestati à Concilio Status &c. Omnibus has visuris Salutem in Domino.

Tenore præsentium mandamus omnibus & singulis Diœcesis nostræ Pastoribus, Vicariis, aliisque Presbyteris, tam sæcularibus, quam Regularibus cujuscumque Ordinis, ut, dum populum aquâ benedictâ aspergunt, modum ab Ecclesia in Pontificali Romano præscriptum exactè observent, in ejusdem conformitatem ipsis districtè inhibendo sub pœna arbitraria, ne ulli personæ, utriusvis sexus, cujuscumque præeminentiæ, Dignitatis, officii, status, aut conditionis, etiam in Dignitate Ecclesiastica constitutæ (iis tamen exceptis, quibus in Pontificali Romano idipsum conceditur) aspersorium extendant ad aquam benedictam manu inde sumendam, aut porrigant ad se aspergendum, aut eandem inde sumi permittant; consuetudine contrariâ quacúmque (quæ abusus est) non obstante. Ut autem præsentes litteræ omnibus innotescant, illas ad valvas ordinarias per Diœcesim nostram affigi mandamus. Datum Bruxellis Diœcesis nostræ die 10. Junii anno 1681.

A. A. M. V.

Locus † Sigilli.

De Mandato Illustrissimi & Reverendissimi Domini Archiepiscopi Præfati.

J. DE MAEYERE Secret.

CAPUT VIII.

De Regalia.

Regaliæ descriptio.

Pragmatici Galli ejus originem obscuram asserunt.

Primordia Regaliæ non adeò videntur obscura.

Regalia complectitur usumfructum bonorum temporalium, & collationem beneficiorum.

Quoad primam partem originem traxit à fundis.

6. *Feuda mortuo vasallo revertebantur ad dominatum directum quousque esset solutum* relivium.
7. *An feuda Ecclesiastica huic legi primitus subjecta?*
8. *Verisimile est Reges Galliæ seculo XII. feuda Ecclesiæ illi legi subjecisse.*
9. *Credit P. De Marca Constitutionem Callisti II. occasionem huic introductioni dedisse.*
10. *Id factum credit propter abolitas investituras.*
11. *Regaliam fuisse jus merè feudale tempore Philippi ostenditur.*
12. *Idipsum evincit instructio Philippi Pulchri data quibusdam Episcopis.*
13. *Conditiones hodiernæ necessariæ pro clausura Regaliæ idipsum probant.*

14. *Regalia juxta naturam feudorum primitus tantùm complectebatur* feudalia; *hodie verò etiam decimas & reliquos proventus Episcopatuum.*
15. *Collatio Prabendarum feudis annexa etiam ad Regem Sede vacante reversa.*
16. *Primitus sola collatio feudis inhærens ad Regem spectasse videtur.*
17. *Hinc verisimiliter factum, ut quadam Ecclesia fuerint subjectæ Regaliæ quoad temporalia, & non quoad collationes Prabendarum.*
18. *Quo titulo extensa ad omnes collationes Prabendarum?*
19. *Feuda reguntur jure consuetudinario; neque ubiq; subjacent juri* relivii.
20. *Ex hac diversitate contigit Ecclesias alias subjectas esse juri Regalia, alias exemptas.*
21. *Non omnes Ecclesias in Regno Galliæ subjacere juri Regalia agnovit Concilium Lugdunense.*
22. *Concilium loqui de hodierno jure Regaliæ probatur.*
23. *Canon Concilii editus ad postulationem Prælatorum Galliæ & Angliæ.*
24. *Concilium Regaliam extendi vetat.*
25. *Regaliam consuetudine inductam sustinet; desiderat tamen moderatum juris usum.*
26. *Jam pridem agnoverunt Pragmatici Galli; & ipsa Regia Parlamenta, quasdam Ecclesias ab hoc jure esse exemptas.*
27. *Quidam præterito seculo, prætenderunt esse jus Coronæ ad omnes Ecclesias extensibile, sed eorum opinio rejecta.*
28. *Quo tandem colore anno* 1608. *tentata Regaliæ extensio ad omnes Ecclesias.*
29. *Nova Regia declaratio jus Regaliæ esse jus Coronæ, & omnes Regni Ecclesias ei esse subjectas.*
30. *Contentiones & motus in Regno Galliæ occasione hujus declarationis excitati.*
31. *Ad eos compensandos convocatus Clerus Gallicanus.*
32. *Quid nomine Cleri Regi expositum?*
33. *Ad hanc Cleri Supplicam sequuta Regis declaratio quoad usum Regaliæ.*
34. *Clerus qua ratione mediante hac declaratione extensioni Regaliæ consenserit?*
35. *Clerus Gallicanus resolvit litteras dandas ad Innocentium XI. Papam.*
36. *Exponunt quòd ob mala aliàs Regno & Ecclesiis imminentia debuerint Regi cedere.*
37. *Ostendunt Regaliæ usum esse dumtaxat disciplinæ.*
38. *Dicunt Regaliam esse ex iis, quæ pro temporum & locorum conditione mutantur.*
39. *Totum statum causa exponunt, & rationes quæ ad condescendendum moverunt.*
40. *Quomodo in hac materia nonnunquam ipsi Romani Pontifices condescenderint.*
41. *His litteris respondit Innocentius XI. ostenditque sibi non satisfactum.*
42. *Scribit sibi sat constare in eo Conventu omnia* metu *acta fuisse.*
43. *Arguit eorum timiditatem & ignaviam in monendo Regem.*
44. *Dicit ipsos jura Ecclesiarum non potuisse alienare.*
45. *Rescindit & cassat eam extensionem & cessionem.*
46. *Non obstante Pontificia cassatione usus Regaliæ de facto in omnibus Ecclesiis obtinet.*
47. *Prima circa usum Regaliæ Regia modificatio circa Beneficia* litigiosa; *& quæ hujus modificationis occasio.*
48. *Beneficia* litigiosa *sex mensibus ante obitum Episcopi Regaliæ subjecta; & quod hujus juris fundamentum?*
49. *Beneficia de jure vel de facto tantùm vacantia subjacent Regaliæ.*
50. *Quando de* facto *vacare censeantur ad hunc effectum.*
51. *Vacant* de facto *si possessio accepta sit per* procuratorem.
52. *Secunda Regis modificatio circa quadam Beneficia quibus cura animarum, aut jurisdictio vel functio aliqua Ecclesiastica specialiter est annexa.*
53. *Quare hæc modificatio fuerit necessaria?*
54. *Tertia limitatio usus Regaliæ circa Beneficia spectantia* conjunctim *ad Capitulum & Episcopum.*
55. *Ratio hujus limitationis.*
56. *Consentit Rex in has modificationes salvo jure Regaliæ quoad cæteras prærogativas.*
57. *Juxta Pragmaticos Gallos in Regalia omnia sunt* extraordinaria.
58. *Ex sententia Pragmaticorum Rex jure Regaliæ succedit in primitivum jus Episcoporum, & confert* pleno jure *Beneficia Patronatus Ecclesiastici.*
59. *Papa nullas partes habet circa Beneficia vacantia in Regalia: & quare?*
60. *Non potest à Papa præveniri: neque tempore Canonibus definito arctatur.*
61. *Semper Beneficium revertitur ad Regem quamdiu collatio Regis non habuit* plenum *&* integrum *effectum.*
62. *Rex in Regalia non ligatur Regulis Cancellariæ.*
63. *Admittit etiam permutationes & resignationes in* favorem.
64. *Obscura ratio & origo privilegiorum Regaliæ.*
65. *Plura intercurrunt quæ sunt mera disciplina.*
66. *Quid hic Ministris Regiis incumbat.*

I. VOx *Regalia* sumpta in plurali, frequenter sumitur pro juribus Fiscalibus, seu supremis juribus regiis; interdum autem pro feudis immediatè à Rege relevantibus, de quibus aliisque nomenclaturis latè agit Du cange in Glossario, verbo, *Regalia.* At hodie vulgatissima est vocis hujus acceptio in singulari pro jure regio fruendi omnibus proventibus Episcopatuum vacantium, & conferendi pleno jure omnia Beneficia non curata, quousque novus Episcopus præstiterit juramentum fidelitatis, acceperit possessionem, aliaque absolverit, quæ ad clausuram regaliæ requiruntur; de quibus suprà *parte* 1. *tit.* 14. *cap.* 5.

II. Regaliæ ita sumptæ, & de qua hìc unicè agitur, originem admodùm obscuram esse fatentur passim Pragmatici; ipseque Pasquierius antiquitatum Gallicanarum diligentissimus famosúsque scrutator fatetur, se neminem hactenus reperisse, qui originem indicaverit: *Si quid enim* (inquit) *in historia obscurum est, id imprimis de hac materia prædicandum. Lib.* 3. *Disquisit. cap.* 15.

Et Doctissimus Choppinus *l.* 1. *De S. Pol. tit.* 7. *c.* 9. asserere non veretur, nihil certi de origine regaliæ ex antiquioribus monumentis erui posse; sed ex regiis tabulis dumtaxat patriisque Senatus consultis petita esse, quæ de hoc argumento scripsêre primi Juris consulti: *Sicut Regaliarum cognitio vix patuerit* (ait) *antiquarum dumtaxat rerum studiosis.*

III. Si his itàque aliisque Gallicanis Scriptoribus fides sit, hæc materia non ex antiquis legibus, Canonibus, aut monumentis, sed ex consuetudine seu praxi, patriis Senatusconsultis inductâ & firmatâ examinanda venit: quod & verissimum est, si consideretur cum omnibus iis solemnitatibus, effectibus & accessionibus, quibus successu temporis tandem adornata & aucta fuit. At si attendatur prout in sua prima origine fuit, non adeò obscura apparebunt ejus exordia; neque accessionum epochæ.

IV. Imprimis ex descriptione Regaliæ patet, Regalium

Digitized by Google

liam duo complecti: nimirum jus percipiendi proventus temporales; & jus conferendi pleno jure Beneficia non curata: ideóque Ægidius Magister vulgò *Le Maitre* in suo Tractatu *De Regalia c. 1.* distinguit duplicem Regaliam; aliam *temporalem*, quæ complectitur proventus temporales; & aliam *spiritualem* complectentem collationem beneficiorum.

V. Regaliam quantum ad primam suam partem, sive jus percipiendi proventus temporales Episcopatuum vacantium, ex feudis originem suam habuisse rectè advertit Petrus de Marca; qui ubi ostendit, antiquitus constitutos fuisse œconomos, qui Sede vacante proventus Episcopales reciperent, & administrarent, eósque futuro Episcopo servarent; dein seculis labentibus usumfructum ad Reges Sede vacante esse devolutum, ait: " Si quis verò inquirat in causas tam magnæ immutationis, is reperiet eam esse profectam ex immutatione quæ facta est in conditione & qualitate bonorum ab Ecclesia possessorum. Quemadmodum enim in Republica quoddam bonorum genus extat quod vulgò *feudum* vocant, incognitum Romano Juri, ideoque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni contrariis inductum, sic cum Ecclesiæ Regum beneficio donatæ fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit ut illæ possiderent feuda iis conditionibus quas in prima feudorum origine invexit publica utilitas.

Eandem regaliæ originem agnoscit Zypæus in Jure novo *tit. De Elect. num. 3.*

VI. Porrò ea fuit primitùs feudorum conditio ut non nisi ad vitam, & jure usufructuario à Domino utenda concederentur; mortuo autem vasallo rursum ad dominum directum pleno jure redirent. At sensim tacito usu introductum & receptum fuit, ut illa ad hæredes transirent, domino directo ita consentiente & caducum feudum in eos transferente; idque soluto certo pretio, quo mediante hæredes feudum à domino relevabant; quodque propereà *relevium* dicebatur; de quo, & variis ejus speciebus latè agit Du Cange in Glossario, verbo, *relevium*.

Quamdiu autem feudum à novo hærede non erat *relevatum*, manebat apud dominum directum, qui & interim fructus feudi vacantis percipiebat.

VII. An feuda primitùs ea conditione ad Ecclesias transierint, non constat; verisimiliúsque apparet, eam fuisse Regum & Principum mentem, ut sine hac restrictione in perpetuum transirent; præsertim cùm ea non personis singularibus, quarum morte fieri possent caduca, sed Ecclesiis, quæ non moriuntur, datentur: magisque id liberalitati Regum & Principum conforme apparebat.

VIII. Quidquid sit, illud admodum verisimile est, quod seculo XII. cœperint Reges Galliæ feudorum ad Ecclesias ex liberalitate Majorum suorum devolutorum usumfructum Sede vacante ad se recipere, donec novus Episcopus eorumdem investituram à Rege accepisset, juramentúmque fidelitatis præstitisset: quasi Episcopo moriente ipse feudi vasallus moreretur; atque ita ipsum feudum caducū fieret; & consequenter juxta leges feudorum ad Dominum directum donec à novo vasallo, id est, novo Episcopo relevaretur, redire deberet.

IX. Ita ferè Petrus De Marca *l. 8. c. 22. n. 5.* qui in ea est sententia, ut existimet, usumfructū redituum Ecclesiasticorū introductum esse post constitutionem Callisti Papæ II. editam anno 1122. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi à Prælatis universa officia & obsequia, quæ ratione *Feudorum* exhibere tenentur. *Quæ ex Regalibus debet, faciat*, ait constitutio.

X. Hæc constitutio extat in Chronico Abbatis Urspergensis ad an. 1122. missa ad Henricum V. Imperatorem, pro sopiendis controversiis super *investituris*, quæ Imperium cum Sede Apostolica multo tempore commiserant: arbitratúrq; De Marca loco citato *n. 6.* " Reges resarciendis damnis suis intentos, quæ toleraverant dimittendo jura investiendi Episcopos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis obtemperant ita cupientibus, jure suo usos esse quoad feuda, ut Papa Callistus approbaverat.

XI. Legitur apud Rigordum de Gestis Philippi Augusti ad an. 1209. quod recusantibus pertinaciter Episcopis Aurelianensi & Antissiodorensi, ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex *personaliter* proficiscitur, " Rex eorum *Regalia* confiscaverit, scilicet ea *tantum* temporalia, quæ ab eo *feudaliter* tenebant: decimas & alia spiritualia eis in pace dimittens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offendere Ecclesiam Dei & ejus Ministros." Hæc ille.

Hinc non obscurè elicitur, regaliam suâ origine fuisse jus merè *feudale*, quo Reges æquè circa Prælatos Ecclesiæ, quàm Laicos utebantur: idque non tantùm mortuis Prælatis, sed & viventibus, in casum confiscationis, juxta conditionem feudorum.

XII. Evidentius adhuc hanc regaliæ primigeniam naturam evincit instructio à Philippo Pulchro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi ad componendam coram Pontifice controversiam exortam in Ecclesia Carnotensi, repræsentando Pontifici quæ hîc essent jura Regni: " Sicut *feudum* vasallo vacans interim cum suis reditibus à Domino licitè occupatur, & propter defectum *hominis*, ut vulgari patriæ nostræ verbo utamur, de jure & generali consuetudine regni nostri per Dominum, quoúsque superveniat persona quæ illi serviat, licitè detinetur: sic nos & nostri Antecessores, vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem Jurisdictionem & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fructus qui proveniunt ex eisdem.

XIII. Si his addamus solemnitates, quæ etiamnum hodie requiruntur & observantur in clausura regaliæ, dubitari non posse videtur, regaliam esse origine suâ jus feudale; atque juxta leges feudorum fuisse inductam.

XIV. Ex citatis verbis Rigordi constat insuper, regaliam primitùs comprehendisse *sola* feudalia; decimas autem aliósque Ecclesiasticos proventus ab ea fuisse exemptos, quod & De Marca *l. 8. c. 22. n. 7.* observavit; ibique ostendit, quomodo sensim ad decimas omnésq; proventus extensum fuerit; quod & latiùs ostendit Auctor Tractatus Gallici an. 1681. occasione controversiæ super extensione juris regaliæ editi *parte 1. c. 9.* ibidem ostendens, prætextu juris custodiæ & juris spolii hanc extensionem contigisse.

XV. Cùm verò ipsis feudis frequenter jus præsentationis sive collationis sit annexum, uti suprà *c. 2.* ostendimus, consequens visum fuit, ut revertente feudo ad Dominum directum, etiam jus præsentationis vel collationis ei annexum debere ad dominum directum reverti: atque hâc ratione collationem Præbendarum ad Regem jure regaliæ primitus pervenisse admodùm verisimile est.

XVI. Porrò sicuti sola feudalia primùm juri regaliæ, juxta naturam feudorum, subjecta fuêre; ita & sola collatio Præbendarum feudis illis annexa ad Regem pertinuisse videtur; admodúmque verisimile, Regem nihil sibi attribuisse, nisi feuda cum omnibus quæ iis videbantur annexa.

XVII. Et quidni hinc contigisse dicamus, quòd in quibusdam Ecclesiis regalia obtineret quoad temporalia, non autem quoad spiritualia; quemadmodùm jam pridem obtinuisse in nonnullis, tamquam indubitatum & notorium tradit Le Maitre in Tractatu *De Regalia*

lia c. 4. Et variis Parlamentorum Arrestis confirmatum testatur De Marca *l.* 8. *De Concordia Sacerdotii & Imp. cap.* 24. *num.* 2.

XVIII. Postquam autem regalia extensa fuit ad omnes fructus Ecclesiæ vacantis, atque unà à Canonistis præeunte Glossographo, dictum & receptum fuit, collationem Beneficiorum esse *in fructu*, fructibúsque annumerari, sensim quóque inductum est, ut ubi Rex jure regaliæ reciperet indistinctè omnes fructus Episcopatûs vacantis, etiam ipsam Præbendarum collationem, tamquam partem fructuum, haberet. Hoc & Petrus De Marca notavit *l.* 8. *De Concordia Sacerdotii & Imperii c.* 22. *n.* 7. "Quoniam collatio Beneficiorum censetur „pertinere ad *fructus*, secundùm quod in libris Decre„talium continetur, eo jure prorsus opportunè usi sunt „Reges, ut usum inveherent conferendi Præbendas, „quarum provisio ad Episcopum pertinebat.

XIX. Notandum insuper, Jura feudorum non ex jure scripto, sed potiùs consuetudinario constare; ideóque non easdem fuisse in omnibus Provinciis feudorum conditiones & jura, uti rectè observat Du Cange in Glossario verbo *Relevium* & verbo *Feudum*; atque inter cæteras consuetudinum dissonantias, hæc erat; quod in aliquibus Provinciis Domino directo competeret mortuo Vasallo jus *relevii*; ipsiq; cederent fructus, quoad usque novus Vasallus jus hoc relevii solvisset, & investituram à Domino directo accepisset: in aliis verò Provinciis feuda *liberè* absque onere relevii ad hæredes vasalli transirent: neque Domino directo ususfructus acquireretur.

XX. Ex qua consuetudinum varietate facilè intelligi potest, cur non in omnibus Ecclesiis eodem tempore recepta fuerit Regalia; etiam quoad usumfructum feudorum ad Ecclesiam spectantium.

Cum enim nec laicalia feuda illi juri essent in iis Provinciis subjecta; rationi dissonum visum fuisset, feuda Ecclesiastica illi oneri subjicere.

Unde Petrus De Marca *lib* 8. *De Concordia Sacerdotii & Imp. cap.* 22. *num.* 5. rectè observavit, Jus Regaliæ imprimis introductum fuisse in Provincias in quibus mutatio Domini necessitatem imponit solvendi *relevium*: "Cùm econtra in illis, quæ huic juri *relevii* ob„noxiæ non sunt, nihil à Regibus tentatum fuerit, quo„ad usumfructum Regaliæ.

XXI. Ipsum quoque Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. hanc Ecclesiarum varietatem circa usum Regaliæ sat apertè agnovit in *Cap.* 13. *De Elect. in* 6. ipsa Regalia restringens ad eas Ecclesias in quibus ab ipsa fundatione, vel ex antiqua fundatione invaluerunt. Verba Canonis sunt: "Qui autem ab ipsarum Ecclesia„rum cæterorúmque locorum *fundatione*, vel ex *anti„qua consuetudine* jura sibi hujusmodi vindicant ab il„lorum usu sic prudenter abstineant, & suos Ministros „in eis solicitè faciant abstinere, quod ea, quæ non „pertinent ad fructus sive reditus provenientes vaca„tionis tempore non usurpent: nec bona cætera, quo„rum se asserunt habere custodiam, dilabi permittant, „sed in bono statu conservent.

XXII. Hunc Canonem de hoc jure regaliæ, de quo agimus, loqui, testis est Durandus Episcopus Mimatensis vulgò dictus *Speculator*, qui ipsi Concilio interfuit. Verba ejus sunt: "Regalia hic vocantur jura Re„gi in quibusdam Ecclesiis & Monasteriis competen„tia: quia videlicet illis vacantibus Rex sub prætextu „custodiæ facit fructus suos, & etiam in quibusdam „Præbendas confert, sicut patet in quibusdam Ecclesiis Franciæ.

XXIII. Testatur insuper Durandus ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ hunc Canonem editum esse. "Præsens constitutio fuit (inquit) ad clamo„rem Prælatorum Franciæ & Angliæ promulgata.

XXIV. Non tantùm evincit hic Canonem, eo tempore Jus regaliæ in *quibusdam dumtaxat* Ecclesiis receptum; sed insuper, "qui regalia de *novo* usurpare „conantes, bona Ecclesiarum, Monasteriorum aut lo„corum ipsorū *vacantium* occupare præsumunt, quan„tæcumque dignitatis honore præfulgeant; Clericos „etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & per„sonas certas locorum eorumdem, qui hæc fieri pro„curant, eo ipso excommunicationis sententiæ subja„cere decernit.

XXV. Regaliæ autem usum in Ecclesiis, in quibus vel ex *fundatione*, vel ex *antiqua consuetudine* erat receptus, tolerare Concilium, modò tamen eo moderatè utantur, allegata Canonis verba sat evincunt.

Ad hunc Canonem reflexisse Ludovicum XII. Regem Galliæ an. 1499. verisimile est. "Prohibet enim „universis Officiariis suis, ne in Archiepiscopatus, Ab„batias, & alia Beneficia Regni nostri, in quibus Jus Re„gale aut Custodiæ non habemus, se intromittant; alio„quin ut sacrilegi plectantur." Apud Magistrum vulgò Le Maître in Tractatu De regalia *c.* 4.

XXVI Itaque Canone Concilii Lugdunensis, "Con„firmatum est (ait De Marca *Cap.* 24. *n.* 4.) Jus reci„piendi regalia in Ecclesiis ubi recepta erat illa consue„tudo: cujus introductio vetita est quoad Ecclesias, „quæ ei non erant obnoxiæ.

Et *n.* 2. dixerat, "in quamplurimis veteribus arre„stis Parlamenti Parisiensis edici, probandam esse pos„sessionem Regis in Ecclesiis, juxta quam deinde Cu„ria decernebat de jure regaliæ.

Post hæc relatis nonnullis Regum ordinationibus, nec non quodam vetere regesto in quo enumerantur Ecclesiæ Juri regaliæ non subjectæ tandem *n.* 9. subjungit: "qui materiam hanc cum aliqua cura tractarunt, „veluti Ruzæus & Probus, ex his constitutionibus con„sequi ajunt Jus Regaliæ non esse ubique simile, nec „in universo Regno vigere, Regem verò eo uti non pos„se nisi in Ecclesiis ubi possessionem habet omni me„moriâ antiquiorem.

XXVII. "Attamen dissimulandum non est tentasse „jamdiu quosdam persuasum omnibus facere Jus Re„galium esse jus merè Regium & ad Coronam pertine„re ut ipsi loquuntur, atque adeò ad universas Regni „Ecclesias porrigendum esse absque discrimine. Ita „enim ante hos trecentos fermè annos sensit Joannes „Butillerius in sua Summa Rurali. At Pasquerius, „tametsi Regius in Camera Computorum Advocatus „esset, opinionem illam erroneam esse contendit & „dignam potiùs adulatore aulæ, quàm Jurisconsulto „Gallo. Addit verò Guidonem Fabrum Pibracum ge„neralem Regis in Parlamento Parisiensi Advocatum, „qui jus Regaliæ generale ubique esse urgebat edicto „statui, id obtinere non potuisse, ac de sententia fuisse „dejectum.

XXVIII. "Nihilominus hinc factum est ut vetus „loquendi modus in antiquis Regum constitutionibus „usurpatus, mutatus dein fuerit. Edictum quippe an„ni millesimi sexcentesimi sexti verbis ambiguis & ob„lique inflexis conceptum est, quæ duplici interpre„tationi obnoxia sunt, cùm in eo contineatur Regem „nolle uti jure Regaliæ in detrimentum Ecclesiarum „exemptarum. Verba enim hæc occasionem submi„nistrarunt investigandi an exemptio illa intelligenda „esset de exemptione juris & de præscriptione, aut de „exemptione à Principe concessa, sive titulo oneroso. „Viam autem controversia hæc aperuit arresto Parla„menti Parisiensis lato anno MDCVIII. quo edici„tur ne Advocati in dubium revocent an Rex jure re„galiæ uti possit in universis Regni Ecclesiis; quod „jam

„ jam præjudicatum fuisset edictum esse intelligendum „ de exemptione concessa ob titulum onerosum. Querelam adversùs hoc arrestum movit clerus Gallicanus apud Regiam Majestatem.

XXIX. Hâc Cleri intercessione obtentum fuit, ut hoc Arrestum Parlamenti Parisiensis sine executione suspensum remanserit usque ad ann. 1673. quo Rex publico Edicto declaravit jus regaliæ sibi competere in omnibus Ecclesiis sui Regni, exceptis iis, quæ titulo sunt exemptæ. Quæ declaratio edita 10. Februarii, fuit probata & registrata in Parlamento Parisiensi 18. Aprilis ejusdem anni. Refertur integra à Claudio Blondeau in sua Bibliotheca Canonica verbo *Regale*: cui subjicitur aliud Edictum Regium de 2. Aprilis an. 1675. prioris edicti declaratorium.

XXX. Quantos motus hæc declaratio extensiva regaliæ in Regno Galliæ excitaverit notum est; scitúrque nonnullos Prælatos summo vigore & zelo se huic extensioni tamquam Ecclesiarum suarum libertatem in servitutem redigenti, & Canoni Concilii Lugdunensis apertè contrarianti opposuisse; hísque favisse summum Pontificem Innocentium XI. pluribus emissis Brevibus, quibus declarabat, quantopere sibi hæc extensio displiceret.

Contentiones quæ hâc occasione inter Ministros Regios extensioni faventes, & Prælatos Ecclesiæ eidem repugnantes, eámque improbantes, & subjicere recusantes facilè dignosci possunt ex lucubrationibus quæ utrimque evulgatæ fuerunt.

XXXI. Occasione horum motuum & scissuræ inter Ministros Regios, & Prælatos Ecclesiæ, an. 1681. Jussu Regis celebratus fuit in Urbe Parisiensi generalis Cleri Gallicani conventus, in quo hæc regaliæ extensio, seu regia declaratio proposita fuit.

XXXII. Post habitam deliberationem, expositum fuit Regi ex parte hujus conventus, imprimis quod auctoritas Episcopalis quoad prædicationem verbi Dei, reconciliationem pœnitentium, & exercitium Jurisdictionis spiritualis non parum læderetur per usum Regaliæ. Secundò quod ipse usus Regaliæ per nupera Parlamenti parisiensis arresta esset non parum extensus: quapropter supplicavit, ut Rex integram vellet conservare Jurisdictionem Episcopalem, nec non declarare, quomodo hoc jure Regaliæ uti posthac intenderet.

XXXIII. Ad hanc Cleri expositionem & postulationem sequuta est declaratio regia in Januario an. 1682. quâ quidem prior declaratio ann. 1673. confirmatur quoad extensionem regaliæ ad omnes Ecclesias, sed usus regaliæ circa duo præcipuè puncta mitigatur, quam mitigationem infra referemus.

XXXIV. Hac declaratione Conventui Cleri Gallicani propositâ, & auditâ relatione Commissariorum suorum, ut pacem Regno & Ecclesiis conciliaret, perveniretque incommoda, quæ divisio Sacerdotii & Imperii secum trahere solet, nec non attentâ mitigatione super usu regaliæ per Regem factâ, resolvit de unanimi judicio omnium Provinciarum, jus Regaliæ *universale* indubitatum & extra contestationem; eum in finem consentiens, in quantum opus esset, ut idem jus regaliæ, quo Rex fruebatur in majore parte Ecclesiarum sui Regni ante Arrestum Parlamenti de 24. Aprilis 1608. maneat extensum ad omnes Ecclesias Regni juxta terminos declarationis regiæ de 10. Februarii 1673. Habetur hæc Cleri declaratio, uti & præcedens regia, apud Claudium Blondeau loco citato.

XXXV. Cùm verò non sine fundamento vereretur Clerus Gallicanus, ne hâc declaratione & consensu in extensionem regaliæ exacerbaretur & offenderetur ipse Pontifex Innocentius XI. resolvit, scriptis ad eum litteris rationem sui facti exponere, eúmque hac ratione placare.

XXXVI. Litteræ hæ missæ fuêre 3. Februarii ejusdem anni. In his imprimis exponunt, Regni & Sacerdotii tutâ piâque concordiâ res humanas niti, "dum unum „ ab altero impugnatur, periclitari utrúmque, eâ occa„ sione & de regno tolli justitiam & de Ecclesia pacem, „ scismata & scandala suscitari & fieri animarum perdi„ tionem simul & corporum; sine horum concordia res „ humanas nec incolumes esse posse, nec tutas; uti jam „ pridem dixerunt Goffridus Vindociensis & Ivo Car„ notensis.

XXXVII. Dein ostendunt, regaliæ usum non esse ex iis, quæ ad fidem spectant, vel quæ æternâ lege sancita, inconcussa & invariata manere debent; sed ex iis quæ Ecclesiasticâ prohibitione constant, in quibus ipsi Ecclesiarum Principes multa pro tenore Canonum judicarunt, multa pro temporum necessitate tolerarunt, & quædam temperarunt, non cœcâ tamen & indiscretâ relatione disciplinæ, sed si necessitas adsit, ex qua leges quoque mutari contingat.

Eam verò necessitatem tunc subesse, si graves dissensiones, si turbulenti motus, tumultúsq; immminerent, quam *populorum stragem*, sancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quæ summa Ecclesiæ lex sit, alias emollire ac temperare leges, ac *detrahendum aliquid Canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat*; uti loquitur S. August. *Epist.* 50.

XXXVIII. Post hæc non obscurè concedunt, Concilium Lugdunense vetuisse jus regaliæ extendi ad eas Ecclesias, quæ primævâ & immutatâ libertate gauderent: At inquiunt, "id sanè liquendò constat, nullum esse „ periculum, ut extensum Fidei, moribúsque noceat, „ quod illæsâ fide, salvâque morum regulâ, longè latè„ que propagatum, plurimas jam Regni Ecclesias oc„ cupârit, ex quo illud efficitur, regaliæ causam, non „ ad *Fidei*, morú nque *regulam*, quæ *immobilis & irre„ formabilis* sit, sed ad disciplinam, quæ pro locis ac „ temporibus subinde mutetur, quæque temperamen„ ta ac salubrem illam moderationem admittat, omni„ nò pertinere.

XXXIX. Tum totum causæ statum, nec non rationes ac necessitates explicant, quæ ipsos ad condescendendum huic extensioni, & nonnihil à Canonum tenore deflectendum moverunt quódque "post Ecclesiarum „ quarumdam libertatem totis sexaginta annis strenuè „ propugnatam victi in eo Tribunali, quod ipsi anti„ quo more Regni appellavimus (inquiunt acquiesce„ re potiùs, quàm omnia movere, regiam potestatem „ cum Pontificali committere, nova deinceps bella ciêre „ vellemus. Nos pacem anteponimus, nec in simili cau„ sa piget imitari Vindocinensem Abbatem, non mi„ nus fortitudine, quàm prudentiâ clarum, cujus ver„ bis dicimus; *Habeat Ecclesia suam libertatem*; *sed „ summopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eliciat „ sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur erade„ re, vas ipsum frangatur.*

XL. Exponunt, qualiter & ipsi Pontifices in hac ipsa materia aliquando rescripserint, cum rege moderatè agendum; ac notanter Innocentius III. ad Galliæ Episcopos scribat *lib.* 3. *Epist.* 107. "Fraternitati vestræ „ consulimus bonâ fide, quatenus cum charissimo Filio „ nostro Rege, quantò meliùs poteritis, componere „ studeatis; quoniam arcus qui semper est tensus, vires „ amittit, & nonnumquam Reges vincuntur mansue„ tudine magis, quàm rigore.

XLI. Hisce litteris quàm parum pacatus fuerit Pontifex, patescit ex litteris in forma Brevis responsoriis, datis 11. Aprilis ejusdem anni 1682. in quibus statim in exordio scribit, sibi permolestum accidisse, ac planè acerbum, cognoscere ex litteris ipsorum, Episcopos Clerúmque Gallicanum, qui corona olim & gaudium erat Apostolicæ Sedis, ita se erga illam in præsens gerere,

gerere, ut cogamur (ait) multis cum lacrymis usurpare illud Propheticum, *Filii matris meæ pugnaverunt adversùs me.*

Et quidem "in ea causa resistitis (ait) in qua vestrarum Ecclesiarum salus ac libertas agitur, & in qua nos pro juribus & dignitate Episcopali in isto Regno tuenda, ab aliquibus ordinis vestri piis & fortibus viris appellati absque mora insurreximus, & jam pridem in gradu stamus nullas privatas nostras rationes secuti, sed debitæ Ecclesiis omnibus sollicitudini & intimo amori erga vos nostro satisfacturi.

XLII. Scribit deinde, quod ex eorum litteris intelligat, omnia in eorum Conventu *metu* gesta esse; redarguitq; eos, quod timuerint, ubi non erat timor. "Id unum (ait) vobis timendum erat, ne apud Deum hominésque redargui jure possetis, loco atque honori vestro & Pastoralis officii debito defuisse.

XLIII. Officii eorum fuisse dicit; "Sedis Apostolicæ authoritate studia sua adjungere; & Pastorali pectore, humilitate, sacerdotali causam Ecclesiarum vestrarum apud Regem agere, ejus conscientiam de tota re instruendo etiam cum periculo Regium in vos animum irritandi.

Eam in condescendendo facilitatem, seu veriùs ignaviam increpat; *Quis* (inquit) *ausus est invidiæ se offerre, quis vel vocem unam emisit memorem pristinæ libertatis.*

XLIV. Illam litterarum partem non sine *animi horrore* se legere potuisse scribit, in qua dicunt: *Jure suo decedentes, illud in Regem contulisse*: "Quasi (ait) Ecclesiarum, quæ curæ vestræ creditæ fuêre, essetis Arbitri non Custodes, & quasi Ecclesiæ ipsæ & spiritualia earum jura possent sub secularis potestatis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum libertate in servitutem dare deberent.

XLV. Et ne nimium dissimulando videretur officio suo deesse, aut factum tacitè approbare, ait: "Quamobrem per præsentes litteras traditâ nobis ab omnipotente Deo authoritate improbamus, rescindimus & cassamus quæ in vestris comitiis acta sunt in negotio Regaliæ cum omnibus exinde secutus & quæ imposterum attentari contingat, eáque perpetuò irrita & inania declaramus, quamvis, cum sint ipsa per se manifestò nulla, cassatione aut declaratione hujusmodi non egeant.

XLVI. Quid receptis his litteris egerit Clerus Gallicanus, aut quid reposuerit, nescio; hoc scio, usum Regaliæ tam quoad spiritualia, id est, collationem Beneficiorum, quàm temporalia in omnes Ecclesias auctoritate regiâ, non obstantibus his Sedis Apostolicæ litteris, juxta declarationem regiam de ann. 1673. ejúsque modificationem de anno 1682. inductum esse; & Regem de facto uti jure Regaliæ in omnibus Regni sui Ecclesiis Sede Episcopali vacante.

Tria præcipuè sunt circa quæ usus Regaliæ nonnihil limitatus apparet.

XLVII. Primum circa legitimum. Jam vice privilegii Regaliæ receptum erat, quod omnia beneficia tempore aperturæ Regaliæ *litigiosa* caderent in Regaliam. Hinc contingebat, quod imminente morte alicujus Episcopi possessoribus Beneficiorum moverentur lites; ut morte adveniente, Beneficia ipsorum jure Regaliæ impetrari possent: hoc quia multis fraudibus, & injustis vexationibus portam aperiret, declaratum est per Edictum de 10. Februarii 1673 *litigium* non facere locum Regaliæ, nisi contestatio fuerit inter Partes *sex mensibus* ante obitum Episcopi aut Archiepiscopi.

XLVIII. Manet interim hoc Regaliæ privilegium, ut si beneficia litigiosa, modò lis *sex mensibus* ante obitũ Episcopi instituta & formata fuerit, cadant sub regalia, ipse Rex ea tamquam verè vacantia jure regaliæ conferat.

Hoc privilegium alio non videtur niti posse fundamento, nisi quod credatur, regaliam habere locum, dum non constat, Ordinarium reverà ritè contulisse; ipsúmque locum vacantem esse de jure & facto repletum.

XLIX. Pridem enim Constitutione regiâ quæ vulgò dicitur *Philippina*, editâ in Octobri anno 1334. & renovata 5. Maji 1346. quam refert *Le Maitre* in tractatu de regalia *c.* 2. declaratum fuit, Reges Galliæ esse & fuisse in possessione conferendi jure regaliæ præbendas, dignitates & Beneficia vacantia de jure & de facto vel *de jure tantùm* vel *de facto tantùm.*

L. Vacat autem *de jure* tantùm, quando quis incumbit possessioni coloratæ ex prætenso justo titulo præcedenti.

De facto tantùm vacat, si collatio Beneficii facta sit, sed possessio corporalis nondum fuerit capta: quia revera titulum & jus habet Collatarius; sed tantùm deest possessio, quæ est *facti*: uti latiùs exponit citatus Auctor; unà monens, conformiter ad hanc regiam declarationem, infinita propemodum esse Parlamentorum arresta; quin & judicatum dicit Beneficium tamquam vacans in regalia impetrari posse tametsi ipse Collatarius petierit à Capitulo ad possessionem admitti; sed tamen recusante Capitulo, admissus non fuerit.

LI. Quin nec capta possessio per procuratorem impedit vocationem in regalia. Licet enim de jure possessio Beneficii capi queat per procuratorem; censeatúrque fictione juris *per se* accepisse, qui accepit per *procuratorem*; id tamen in Regalia non procedere sustinent Regii Ministri, dicentes, Regaliam non admittere ullam *fictionem*. Le Maitre loco citato.

LII. Secunda limitatio usûs regaliæ facta ad postulitionem Cleri Gallicani occurrit in declaratione de anno 1682. qua Rex declarat, quod nulli imposterum conferri poterit in nulla Ecclesia Cathedrali vel Collegiata per ipsum aut Successores suos, Decanatus aut Beneficium aliud habens annexam curam animarum vacans in regalia, aut Archidiaconatus, Præbendæ Theologales Pœnitentiariatus, aut alia Beneficia quorum Titulares speciale jus habent, nomine proprio exercendi aliquam jurisdictionem aut functionem spiritualem & Ecclesiasticam, nisi habeant ætatem, gradum, aliásque conditiones per sacros Canones & ordinationes regias requisitas.

Volens ulterius, ut Provisi de similibus Beneficiis jure regaliæ, se sistant Vicariis Capitulorum, si Sedes adhuc vacent; aut ipsis Prælatis, si novi successerint, ad obtinendam approbationem & missionem Canonicam, priusquam ullam functionem exerceant.

Ut intelligatur in quo consistat hæc moderatio regaliæ, notandum, quod Rex utendo jure regaliæ Sede vacante, non tamquam Patronus præsentet ad beneficia vacantia; sed intrando in jus Episcoporum, *pleno jure* conferat; titulúmque Canonicum beneficiorum se dare sustineat: ideóq; nec ullâ Ordinarii institutione authorizabili opus esse; sed provisum vigore regiæ collationis posse possessionem beneficii accipere, ac si ab ipso Episcopo collationem & institutionem accepisset: de quo jure capite plura sequenti.

LIII. Cum autem jam receptum esset, quæcumque beneficia, exceptis solis Parochialibus, ad provisionem Episcoporum quocumque titulo spectantia, esse subjecta regaliæ, atque jure regaliæ à Rege posse *pleno jure* conferri; etiam Decanatus aliáque supra expressa beneficia *pleno* jure in regalia vacantia conferebantur; ita ut functiones suas vi hujus collationis absque Ordinarii approbatione vel missione Canonica obire possent: ideóque videtur Rex usum regaliæ nonnihil temperasse dum provisos de Decanatu, Archidiaconatu aliis-

aliisque beneficiis curam animarum, aut jurisdictionem vel functionem Ecclesiasticam specialem annexam habentibus ad Ordinarios, pro obtinenda *approbatione* & missione canonica, remittit.

LIV. Tertiò videtur temperatus usus regaliæ, eò quòd in Edicto de anno 1682. declaret Rex, sola illa beneficia vacatura in regalia, quæ *revera* spectant ad provisionem Episcopi defuncti; ita quidem, ut si Episcopus & Capitulum conferant per *turnum*, aut per *vices*; aut præbendas diviserint; ut collatio unius lateris spectet ad Episcopum, alteriùs vero ad Capitulum. Rex jure regaliæ non succedat, nisi in jus Episcopi; Capitulum verò jure suo utatur, ac si Sedes non vacaret.

Si autem collatio spectet conjunctim ad Episcopum & Capitulum; tunc aperta regalia mittet Rex Commissarium, qui unà cum Canonicis eligat, supplens locum Episcopi.

Sin verò Episcopus intret Capitulum ut in qualitate Canonici cum aliis Canonicis aliquem præsentet; cui dein in qualitate Episcopi ad præsentationem Capituli confert & instituit, eo casu rursus Commissarius Regis in præsentatione habebit suffragium Episcopi; ipsaq; præsentatio Capituli fieri debebit ipsi Regi; ipsâque provisio nomine Regis expediri; quemadmodum debuisset exhiberi Episcopo; & ejus nomine collatio sive institutio fieri ita ut Rex jure regaliæ succedat in totum jus Episcopi, permittendo illæsum jus Capitulorum.

LV. Jam enim auctoritate arrestorum invaluerat, ut liberè & solus Rex conferret Præbendas vacantes in regalia, tametsi collatio spectaret ad Capitulum, & Episcopus duntaxat haberet suffragium *ut Canonicus*: quia, inquiebant, *Rex non patitur comparem*; & ita judicatum contra provisum per Capitulum Martinense 31. Augusti 1681. refertur in libro cui titulus *Journal du Palais* tom. I. pag 13.

LVI. Deinde in eodem Edicto anni 1682. declarat se in hasce modificationes consentire sine præjudicio sui juris regaliæ; " quo uti intendimus (ait) eodem modo quo „ Prædecessores nostri Reges, & nos hactenus usi sumus.

LVII. Cùm autem jus regaliæ, & quæstiones ejus occasione incidentes coram solis judicibus regiis, imò solo Parlamento Parisiensi agitentur & decidantur; mirum quàm jus illud regaliæ extensum, quoq; privilegiis tandem cumulatum sit; adeò ut Pragmatici Gallici dicere non dubitarent: *In Regalia omnia sunt extraordinaria*. Fevret. *De Abusu lib.2.c.6.n.14.*

LVIII. Imprimis sustinent, Regem jure regaliæ succedere in plenum & primitivum jus Episcoporum: ideoq; Regem Beneficia ad provisionem Episcopi spectantia posse conferre eo jure, quo primis seculis ipsi Episcopi de omnibus Beneficiis suæ Diœcesis disponebant; quando necdum præsentatione Patronorum ligabantur. Hinc consequenter deducunt, Regem liberè conferre Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici; tametsi præsentatio ad Monasterium aut Capitulum spectet; modo collatio seu *institutio* ad Episcopum pertineat: quia Rex utitur jure *primitivo* Episcopi, quod per præsentationem Patroni non restringebatur: & ita definitivè judicatum anno 1683. refertur q; ipsum Arrestum cum fundamentis tum ab Advocato Regalistæ, tum Advocato Regio adductis inter probationes libertatum Ecclesiæ Gall. *c.16.n.60.*

LIX. Ulterius Ministri Regii reputantes regaliam, etiam quoad collationem Beneficiorum pro jure Regio, & Coronæ, censent, huic juri Papam nullatenus derogare posse, neque ullas in eo partes habere.

Quare nec vacantia in Curia, si regalia tempore vacationis fuerit aperta, Papa conferre potest; sed à Rege conferuntur, uti notavit Le Maitre in tractatu De regalia *c.11.*" Quia (ait) vacatio in regalia est extraordinaria „ & anomala, in qua Papa solam habens inspectionem „ non potest se dicere Ordinarium Ordinariorum; neq; „ sibi ullum jus sive titulo devoluti, aut alio quocumq; „ vindicare: Nam regaliâ in aliqua Ecclesia apertâ, Beneficium illius vacare non potest ad alterius dispositionem, quam Regis.

LX. Imò ex sententia Pragmaticorum Galliæ Rex in hoc jure nullum agnoscens Superiorem, à nullo, etiam Papa, præveniri potest; neq; negligentia ejus suppleri: tametsi intra tempus à Canonibus Patronis & collatoribus præfixum, non contulerit. Quin juxta declarationem Ludovici XII. anni 1499. Regalia durat 30. annis; ita ut sufficiat intra illud tempus Beneficium, quod apertâ regaliâ vacavit, conferri. Le Maitre *c.5.* Quod hodie nonnihil temperatum; de quo infra.

LXI. Deinde addit; quod" si inter regalistam & Provi„ sum ab Ordinario fuerit lis; ipsiq; regalistæ adjudica„ tum possessorium *momentaneum* seu *recredentia*, ut „ vocant, manseritq; hoc modo in possessione & lite per „ 20. annos postmodum moriatur, licet tunc regalia non „ esset aperta, nihilominus vacaret Beneficium in regalia, „ ait Le Maître: Nam (ait) est principium notorium in ma„ teria regaliæ, quod collatio semper revertatur ad Re„ gem, quousq; collatio Regis habuerit suum *plenum* & „ *integrum* effectum; ipse regalista manserit in pacifica „ possessione, vel per judicium contradictorium & defi„ nitivum fuerit exclusus. Hæc ille, qui candidè dein fa„ tetur," id esse in favorem regaliæ contra collationem Ordinarii, & ejus Provisum.

Deinde monet, quod regalista nequeat à lite in favorem Provisi ab Ordinario desistere; aut cum eo transigere sine consensu Regis: aliàs Rex posset rursus Beneficium jure regaliæ conferre.

LXII. Ulterius progressi Pragmatici, privilegiis regaliæ „ annumerant," quod constitutiones Apostolicæ, vel sta„ tuta, & consuetudines Ecclesiarum, non astringunt Re„ gem, quin possit uti & frui pro libito voluntatis jure „ suo regaliæ." Ita Ruzæus in Tractatu Juris regaliorum *Privil.31.n.1.* Idipsum asserit Broudæus in notis ad Lovetium *Litt.V.n.2.*

Hinc concludunt, Regem in usu regaliæ non esse subjectum regulis Cancellariæ; quod adeò certum indubitatúmq; erat Philippo Probo in suprema Curia Bituricensi Advocato, ut cùm probare vellet, quod licet in Ecclesia Gallicana esset generalis consuetudo, ut nullus in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata obtineat Dignitatem, nisi sit Canonicus, hac tamen consuetudine Regem Jure regaliæ Dignitatem conferentem non astringatur, in probationem adducat hoc argumentum: " Si enim non obstent „ collationibus jure regaliæ factis regulæ Cancellariæ, „ prout nec etiam jus commune, ut amplè probatur in „ pluribus locis præsentis operis, ergò multò minùs ob„ stabit hæc consuetudo generalis, aut particularis, cum „ non sit majoris & efficacioris virtutis, sed minoris, ut „ patet intuenti." *Quæst.31. De Regalia.*

Idem asseruerunt post Probum communiter Pragmatici Galli; atq; in specie, Regulam *De verisimili Notitia* non constringere Regem; sæpius judicatum fuisse refert Broudæus loco citato; asseritq; anno 1572. judicatum pro regalista, non obstante, quod provisio ei fuisset facta à Rege in civitate Parisiensi, *eadem die & hora obitus* ultimi possessoris defuncti in civitate Meldensi, decem milliaribus Gallicanis distante Parisiis. Sufficit enim (ait Broudæus) quod is per cujus obitum impetratum est Beneficium, obierit, & Beneficium ejus verè vacet: & hoc casu vulgò jactatur, *opinionem veritate præveniri.*

Similiter Regulam de 20. *diebus* sive *de infirmis resignantibus* non ligare Regem. Parlamentorum arrestis, & Pragmaticorum auctoritate receptum est: quemadmodum notat Broudæus ad Lovetium *Litt.R n.47.* & jam pridem notavit cæterorum Pragmaticorum in propugnandis regaliæ prærogativis facilè primus Carolus Molinæus ad Regulam *De infirmis resignantibus n.181.* ubi

quærit:"Quid si Rex ex causa resignationis nominaverit:
„sed Resignans infirmus erat, & ex infirmitate eadem infra 20. dies à die præstiti consensûs vitâ functus est, an „Rex iterum per obitum nominare possit? Postquam „nonnulla adduxit," quæ suadere videntur, Regem iterum nominare non posse, contrarium tamen de facto notoriè servari, deinde subjungit: " Breviter ego dico „quod ipsa regula 18. (*De infirmis resignantibus*) non „potest habere locum in Rege...Quod autem simile servatur in Rege, non est in vim dictæ Regulæ; sed quia „Rex Princeps supremus est, qui nominationem suam „ita tacitè vel expressè limitare solet. Et consequenter „deficiente conditione tacitâ vel expressâ, videlicet quia „infirmus non supervixit dictos 20. dies, deficit consensus, & sic nominatio Regis: & consequenter resignatio „tamquam sine ejus consensu facta: & sic de integro per „obitum potest Rex alium nominare.

Regulæ quoq; *De publicandis Resignationibus* non esse locum in Regalia, testatur Broudæus loco citato; quamvis hæc uti & duæ præcedentes in Regno Galliæ receptas esse nullus ambigat.

Quin & Veteribus omnibus jam pridem persuasum fuit, Decretum de *Pacificis Possessoribus* insertum Pragmaticæ Sanctioni, & cui consonat Regula Cancellariæ *De Triennali Possessore*, non posse tueri pacificum Possessorē contra Regalistam nisi triginta annorum continuâ & pacificâ possessione fuisset munitus, uti videri potest apud Ruzæum *Privilegio* 23. ubi *n.* 2. ait: "Hodie in Regalia etiamsi quis possederit Beneficium 10. vel viginti annis „pacificè, si aperiatur Regalia, & vacet Beneficium vel de „jure vel de facto, semper Rex illud jure Regaliæ conferre poterit. Et ratio est, quia contra jura quæ sunt reservata Principi in signum superioritatis non præscribitur.

Plures idem asserentes citat Broudæus *Litt. V. n.* 2. qui unà observat, Decretum hoc hodie etiam in Regalia obtinere; nec per Regalistam possessorem Canonicè provisum turbari posse post trium annorum pacificam possessionem juxta articulum 27. Edicti anni 1606. evulgati ad postulationem Cleri Gallicani.

LXIII. Philippus Probus *quæst.* 34. quærit: " Regaliâ apertâ, an Rex beneficiorum & dignitatum ad plenam dispositionem Episcopi," Episcopatûs regaliæ affecti pertinentium, resignationes admittere possit? respondeo „(ait) Regalistas tenere quod sic, sive illæ sint purè simpliciter factæ, aut causâ *permutationis*, etiam & *in favorem*: quod ultimum videtur durum, cum in talibus „dicatur, Simoniæ labem intervenire.

Ipse quoq; Ruzæus *privilegio* 32. resignationes *in favorem* à Rege admitti non posse dicit; atq; ita per Arrestum supremæ Curiæ decisum fuisse testatur.

Verum & ad hanc resignationem jus Regaliæ posteriora Parlamentorum Arresta extendisse monet Broudæus allegato *n.* 47. & ex illo Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 2. *c.* 6. idq; etiam *retenta pensione*: quia, inquiunt, Rex Franciæ in materia Regaliæ *non tantum fungitur vice Ordinarii, sed etiam summi Pontificis*. Addunt autem," mirum „non esse, si Ruzæus aliter senserit; quia eo tempore resignationes *in favorem* parum erant in usu: successu „verò temporis factæ sunt quasi *ordinaria* in Curia Romana; nec conceduntur *dispensativè*, sed quasi res jure „communi permissæ; Rex igitur hujus juris communis „particeps esse voluit.

Ita Fevretius qui & addit, Regem dispensare super ætate; item posse conferre sub conditione *si vacet*.

LXIV. Hæc aliaq; Regaliæ privilegia & prærogativæ, quæ passim à Pragmaticis Gallis annotantur, si ritè expendantur, eorumq; prima origo inquiratur non dubitum, quin potiore jure de iis quàm de ipsa Regalia dici poterit cum Renato Choppino *lib.* 1. *De Sacra Polit. tit.* 7. *n.* 9. non ex vetustis monumentis, sed ex Regiis Tabulis solum, Patrii[s]q; Senatus consultis petendum esse privilegiorum tractationem. Quin si ratio horum privilegiorũ omni secluso humano affectu singillatim æquâ lance libretur, verendum, ne multorum una ratio fuisse reperiatur illa, quam in sua declaratione anni 1682. agnovit Rex ipse Christianissimus, nimirum, *Parlamenti Regii Parisiensis Zelus & ordinarius affectus pro augmentatione jurium Regiæ Coronæ qui* (ut ait Rex) *ab aliquot annis dedit nonnulla Arresta quæ non parum usum Regaliæ extenderunt*.

LXV. Interim & illud fatendum est, multa tum in Regulis Cancellariæ, tum Pontificiis & Canonicis Constitutionibus quibus privilegia Regaliæ contrariari videntur, meræ disciplinæ, & juris positivi occurrere: & quibus per contrarium usum derogari potest; unde his contrarius usus tolerari, modò ea quæ jus naturæ, ipsaq; recta ratio in provisione Beneficiorum requirit, de reliquo observentur potest: præsertim cum & Pontifices & Concilia non semel declararint, Constitutiones tametsi generaliter expressas, personas Regum ob eorum excellentiam, & specialem prærogativam non comprehendere; uti in ipsa quoq; ultima generali Synodo Tridentina expressum est: atq; signanter *sess.* 25. *c.* 9. *De Reform.* ubi postquam specialem modum probandi Jus Patronatûs proposuit mox subjicit: " Exceptis illis, quæ ad Imperatorem, & Reges, „seu Regna possidentes, aliosq; sublimes ac supremos „Principes, jura Imperii in Dominiis suis habentes, pertinent. Imo etsi hæc exceptio nominatim non esset expressa, nihilominus Reges non comprehendi, ni *nominatim* sint expressi, non semel & ipsi Romani Pontifices declararunt; uti circa Expectativas sublatas *sess.* 24. *c.* 9. *De Reform.* ostendetur capite sequenti.

LXVI. Hoc igitur regii Ministri, qui juribus Coronæ & regaliæ amplificandis studere videntur, præcipuè curandum, ut Rex regaliâ ejúsq; privilegiis in provisione beneficiorum ita utatur, ut si regulis & Constitutionibus humanis eximatur, ipsas tamen regulas, quas ratio naturalis & Divina, nullo privilegio aut longævo usu, vel Arrestorum auctoritate flexibilis aut mutabilis servari præcipit: atq; ita ipsa beneficia sine Simonia, sine acceptione personarum, non ad favorem privatorum, sed in utilitatem & ædificationem Ecclesiarum conferantur; eiq; auctores sint ut sequatur exemplum S. Ludovici in conferendis beneficiis; ut si eum in usu regaliæ Patronum sequi non pigeat, etiam in modo ea conferendi imitetur: de quo infra titulo *De cavenda acceptione personarum in collatione Beneficiorum*.

Illud quoq; meritò inculcant Ministri Regii, verum haud esse assertum Molinæi ad regulam Cancellariæ *De infirmis resignantibus n.* 185. "Canonicatus, Sacella & similia Beneficia, ad meram & perpetuam Regis collationem spectantia, magis *secularia* & *prophana* Beneficia „sunt, quàm Ecclesiastica." Ut enim non inquiramus, qualia in sua origine quædam ex illis fuerint, hoc compertum est, Canonicatus, præsertim Cathedralium Ecclesiarum, non posse inter *prophana Beneficia* computari utpote qui non exiguam jurisdictionis & regiminis Ecclesiastici portionem annexam habent. Scitur enim Capitulum Cathedrale ex Canonicis constans *Senatum* Ecclesiæ hodie constituere, atq; unà cum Episcopo præcipua Ecclesiæ negotia absolvere; quin & Sede vacante in regimen & jurisdictionem Episcopi succedere; quemadmodum parte I. tit. 8. c. 1. ostendimus. Ut propterea admodum perniciosum sit Ecclesiis, dum Canonicatus tamquam *prophana* quædam *Beneficia* distribuuntur; non ut Ecclesiis ipsis, sed potius personis provideatur: & non raro ipse Ecclesiæ *Senatus* ex pueris Senatorum Regiorum componatur.

CA-

CAPUT IX.

De Nominatione regia extra regaliam & de oblatis ad Monasteria.

1. *Rex plurium Ecc[illegible]rum Patronus.*
2. *Reges prætendunt Beneficiorum plenam collationem.*
3. *Comitissa Flandriæ jus conferendi* pleno *jure habuisse olim videtur.*
4. *Similiter Reges Angliæ.*
5. *Reges Galliæ jure Regaliæ* pleno *jure conferunt.*
6. *Super hoc jure contentio inter Bonifacium* VIII. *& Philippum Pulchrum Regem Galliæ.*
7. *Jus hoc Regi competere posse ex tacito vel expresso consensu Sedis Apostolicæ fatetur Bonifacius.*
8. *Rex huic Pontificis declarationi acquievit.*
9. *Reges & Principes etiam nostri* pleno *jure collationis utuntur.*
10. *Carolus Molinæus credit Beneficia ad* plenam *collationem Principum spectantia esse potius* secularia *&* prophana, *quam Ecclesiastica.*
11. *Animadversio in dictum Molinæi.*
12. *Habentes collationem a Principe, curam animarum debent habere ab Ordinario.*
13. *Principes etiam aliis titulis, quàm Juris Patronatus Beneficia conferunt.*
14. *Concessit Leo X. Carolo V. ut nullus ad Principales Dignitates seculares nominetur nisi ipsi* gratus.
15. *Vigore hujus Indulti Principes nostri nominant ad primarias Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.*
16. *Indulta conferendi Prebendas Regibus concessa interdum tantum personalia.*
17. *Indultum Regibus Galliæ datum in favorem Parlamenti Parisiensis.*
18. *Hoc Indultum quomodo extensum.*
19. *Jampridem Imperatori competiit jus* Primariarum Precum; *refertürque antiqua earum formula.*
20. *Videtur primitus Imperatori competiisse ex antiqua consuetudine.*
21. *Quomodo hodie his utatur Imperator?*
22. *Hæ preces per Synodum Tridentinam non censentur sublatæ, licet sint species gratiæ exspectativæ.*
23. *An Regi Galliæ competat jus collationis unius prebendæ titulo* felicis *ad Regnum* adventûs?
24. *Rex Galliæ in adventu suo ad Regnum habet jus offerendi unum Monasteriis.*
25. *Hoc jus videtur provenire ex Jure Patronatus.*
26. *Qui hoc jure frui possint?*
27. *Divites eo jure non gaudent.*
28. *Restringitur hoc jus ad Monasteria fundationis Regiæ.*
29. *Monasteria Ordinis S. Augustini non subjecta.*
30. *Quid si dubitetur, num sit fundatione Regia.*
31. *Monasteria non nisi uno oblato gravari possunt.*
32. *Debet oblatus nutriri in Monasterio ut alter Religiosus.*
33. *Cogi potest, ut habitet in Monasterio; non tamen tenetur suscipere vestem Religiosam.*
34. *Rex Galliæ quædam Monasteria ob paupertatem ab hoc onere exemit.*
35. *Etiam Monasteria mulierum huic juri subjecta.*
36. *Principes nostri eo quoq; utuntur in Monasteriis tam virorum, quam mulierum.*

I. CUm Reges ac supremi Principes Ecclesiarum, quas Majores ipsorum vel fundarunt, vel dotarunt, Patroni sint; & titulo Juris Patronatus etiam jure præsentandi gaudeant, nemo negaverit; usúsque juris illius notissimus est.

II. At prætendunt Reges & Principes sibi ut Patronis, non tantùm competere simplicem præsentationem, qualis omnibus Patronis de jure competit; sed *plenam* ac liberam Beneficiorum *collationem*: ita ut præter Regiam hanc collationem, vel donationem, non requiratur alia institutio *authorizabilis* sive *tituli* collativa; sed tantùm institutio corporalis, sive immissio in possessionem.

III. Et quidem Comitissam Flandriæ jam pridem usam fuisse constare videtur ex *Capit. fin.* ;; *De Concess. Prebende.* Hic scribit Honorius III. Episcopo & Præposito Capituli Cameracensis: "Cum dilecta in Christo filia „ Comitissa Flandrensis fecerit Promissiones de non va„ cantibus beneficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet „ patronatus, & *donationes* eorum in manibus posuerit „ alienis.

Quamvis enim Pontifex concessiones ab ea Comitissa factas non vacantibus beneficiis, vel donationes alteri cuidam commissas, improbet" nihil tamen improbat, i„ mò nec attingit eorum quæ pertinent ad beneficiorum „ jam vacantium collationem seu concessionem seu *do*„ *nationem* Comitissæ huic ratione juris Patronatus com„ petentem," ait Boëtius Epo in Tractatu *De Regalia* vel Jure Principum in beneficiis Ecclesiasticis *n.4.* "Quinimo „ (pergit Auctor) contra satis hinc apparet, Comitissam „ vel Comitem Flandriæ semper solere singularia Benefi„ cia Ecclesiarum, in quibus jus obtinebat Patronatus „ *absolutè conferre.*" Qui & ibidem ostendit, *donationis* verbum, quo hic utitur Pontifex, de simplici præsentatione accipi non posse; sed pro *absoluta* donatione seu collatione accipiendum esse: rectéq; notat, similis *donationis* sex præbendarum Sacerdotalium eidem Comitissæ competentis mentionem occurrere in *Cap.* 40. ;; *De Testibus.*

IV. Reges Angliæ hoc quoq; jure jam pridem usos fuisse evincit Decretalis Innocentii III. cujus fragmentum extat in *Cap.6.* ;; *De Consuetudine*, & integra apud Antonium Augustinum in *Cap. 4. eodem titulo* in tertia Decretalium collectione.

In hac igitur integra Decretali de Rege Angliæ scribit Innocentius III. "Decanatum & Præbendas ipsius Eccle„ siæ (S. Petri de Curia Cenomanensis) idem Rex & Proge„ nitores *conferebant*, Diœcesano Episcopo etiam incon„ sulto.

V. Reges Galliæ Beneficia jure Regaliæ pleno jure conferre, & jam pridem contulisse ambigi nequit.

Extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ c. 16. n. 46. instrumentum collationis Canonicatus vacantis in Regalia de anno 1422. in quo dicitur: "Benefi„ ciorum Ecclesiæ vacantium dicta Regalia vigente, col„ latio atque omnimoda dispositio jure Regaliæ & Re„ giæ dignitatis ratione, *pleno* jure noscatur pertinere ad „ nos.

VI. Quin & tempore Philippi Pulchri hoc jure usos fuisse Reges Galliæ, constat ex contentione sat acri super eo jure inter ipsum Philippum & Bonifacium VIII. cujus contentionis nec non litterarum hinc inde scriptarum meminit Aufrerius Præses Tolosanus in sua Repetitione ad *Clem.* 1. *De Officio Ordinarii*; & antiquus Glossographus *ad Cap.13. De Elect. in 6.* quæ è recentiore Corpore Juris per Correctores Romanos sublatæ sunt.

VII. Etsi autem Pontifex verbis sat acerbis hoc prætensum jus collationis improbaverit, nihilominus in quadam Bulla contentione hac durante emissâ, fatetur, jus illud Regibus posse competere, saltem accedente con-

d by Google

consensu Sedis Apostolicæ tacito vel expresso. Verba Bullæ sunt:" Ad te hujusmodi Ecclesiastica dignitatum, personatuum, Canonicatuum, Beneficiorum & Præbendarum collatio non potest quomodolibet pertinere nec pertinet, nec per tuam collationem potest alicui jus acquiri, sine authoritate, vel consensu Sedis Apostolicæ, tacitis, vel expressis; quos qui acceperit & se denegat accepisse, eis propter ingratitudinem est privandus.

VIII. Rex huic conditioni acquiescens respondit: Quod collatione Beneficiorum usus est, utitur sicut ad eum pertinet de jure & bona consuetudine, sicut S. Ludovicus, & alii prædecessores sui usi fuerunt, à tempore cujus memoria non existit, nec circa hoc fecit, nec intendit facere aliquam novitatem, nec credit quod Papa sibi facere velit, qui longum usum suum & prædecessorum suorum in collatione hujusmodi novit plenissimè ab experto.

IX. Hoc itaq; jure & Reges Galliæ & Principes nostri uti peragunt, semper nomine *collationis*, vel *donationis* utentes. Et quamvis non exprimant, se eo jure ex indulgentia, vel consensu Sedis Apostolicæ uti; ipse nihilominus continuus & notorius usus à Sede Apostolica non improbatus, de Sedis Apostolicæ consensu saltem tacito dubitari non sinit.

X. Carolus Molinæus ad Regulam Cancellariæ de Infirmis resignantibus, postquam ostendit, Regem, & nonnullos inferiores locorum Dominos habere *collationem* Canonicatuum aliorúmq; Beneficiorum simplicium, addit *n*. 186." Sed hujusmodi Canonicatus, Sacella & similia Beneficia ad meram & perpetuam Regis collationem spectantia, magis secularia, & *profana* beneficia sunt, quàm Ecclesiastica: quamvis non nisi Clericis (quos tonsuratos vocant) conferantur. Quia talibus ex voluntate Regis fundatoris destinata sunt. Unde non habent de se ullam administrationem Clavium vel Sacramentorum.

XI. Verum, uti rectè notat Ludovicus Thomasinus De Disciplina Eccles. *parte* 4. *lib*. 2. *c*. 21, *n*. 12." Majore cum verisimilitudine dixisset Molinæus, aliqua ex hisce beneficiis hujusmodi fuisse in sua origine. Videmus enim & hodie plura Oratoria in Principum & Magnatum domibus, ad quæ ipsi Principes nominant Ecclesiasticos ad recitandum Officium Canonicum cum annexis certis proventibus; ita tamen ut totum dependeat à pietate & voluntate illorum Magnatum, qui assumunt & dimittunt hos Ecclesiasticos, cùm ipsis libuerit, absque ulla ab Episcopo dependentia in hac eorum arbitraria pia liberalitate. Labente tempore similia arbitraria & temporalia officia mutantur in beneficia perpetua; & quandoq; aliqua cura animarum eis annectitur; interim Patroni jus suum non amittunt; semperq; permanent eorum Collatores. Admodum probabile est, nonnulla beneficia, quorum ipsi Principes hodie habent *plenam* collationem, fuisse primitus Officia dumtaxat ejus conditionis; ac sensim & imperceptibiliter transiisse in beneficia perpetua.

Probabile quoque est, quod sicuti de similibus Officiis priusquam in beneficia erigerentur, Principes pro libitu suo disponebant, nullo habito respectu ad Regulas collationi beneficiorum præscriptas; ita existimarint, erectionem illorum in beneficia huic eorum juri non potuisse præjudicare: ideóq; ea adhuc eodem *pleno* jure conferri posse. Hinc ea privilegia Regaliæ, quæ capite præcedenti notata sunt, verosimiliter pro magna parte emanarunt: quod tamen non nisi de his Beneficiis, quæ ejus conditionis fuerunt, aliqua veri specie dici posse videtur. Dein notandum, officia illa quæ tantùm persolvendo officio Canonico primùm erant destinata, naturam non parum suam mutasse, dum in Canonicatus, præsertim Cathedrales transierunt; ut ex iis *Senatus* Ecclesiæ constituatur, ut capite præcedente observavimus, ubi una ostendimus, quod Regalia quæ primitus aliqua dumtaxat beneficia & bona comprehendebat, sensim ad omnia extensa fuerit; ut mirum videri non debeat, si jus conferendi *pleno* jure paulatim quoque ad omnia beneficia ad Regiam provisionem spectantia extensum sit.

XII. Porrò licet liberum esset Principibus, aliisq; Fundatoribus ad hujusmodi administrationes sive fundationes assumere; & etiamnum hodie id ipsis liberum sit, quamdiu in beneficia auctoritate Ordinarii erecta non sunt; numquam tamen licuit admittere Clericos, qui Missarum solemnia celebrarent, aut Sacramenta administrarent, nisi priùs per sacram Ordinationem ab Episcopis eam potestatem accepissent. Quapropter tametsi hodie quorumdam beneficiorum collatio *pleno* jure ad Principes pertineat, si quæ Sacramentorum administratio, aut cura iis animarum annexa sit, ea ab Episcopo accipi debet; nec eam laici quantumvis supremâ ac Regia auctoritate muniti dare queunt: quemadmodum jam pridem Imperatori declaravit Gregorius IX. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1236. *n*. 21." Esto (ait) quod aliqua beneficia vacantia *conferas*, ut *curam* tamen *animarum* illis annexam committere valeas, jus spirituale, quod non cadit in laicum, non permittit.

Hac de causa Principes nostri, uti & Reges Galliæ quamvis beneficia plura *pleno jure* conferant, curam tamen animarum annexam nequaquam committere vel dare intendunt; sed volunt, ut Provisi eam ab Ordinariis suis accipiant: quod & in ipsis provisionis litteris apponi solet.

XIII. Non tantùm titulo juris patronatus Principes beneficiorum provisionem habere; sed & aliis titulis, nimirum Indulti Apostolici, vel Regaliæ, aut inveteratæ consuetudinis, ut in litteris provisionis exprimi solet, notorium est in illis Ecclesiis, quarum Principes Fundatores non fuisse scitur; & nihilominus beneficiorum & dignitatum collationem obtinent.

XIV. Anno 1514. Julii Leo X. per Bullam indulsit Carolo V. quod nullus in Provinciis ei subjectis per ipsũ (Leonem) aut Sedem Apostolicam, seu ejus Legatos seu Nuntios ad Dignitates Abbatiales aut quorumcumque Monasteriorum, etiam per Priores aut Præpositos regi ac gubernari solitorum regimina præfici, nec illis de quorumcumque personis quovis modo provideri possit, nisi habitis priùs per Nos (ait) aut Sedem eandem intentione & consensu tuis de personis idoneis ad hujusmodi dignitates & regimina providendum.

Deinde ulterius subjungit:" De aliis verò dignitatibus videlicet secularibus, principalibus, & Regularibus conventualibus, intra prædictos districtus, nisi de locis tuæ ditionis subjectis existant, aut tibi *gratis & acceptis* de aliis locis oriundis provideri, nec non gratiæ expectativæ, & specialiter reservationes cum quibusvis ex illis descendentibus provisionibus, & provideri mandatis intra eosdem districtus personis dumtaxat, qui locorum eorumdem districtuum alienigenæ vel extranei non fuerint, nisi forsitan tuus consensus aliis personis super hujusmodi gratiis suffragaretur concedi. &c.

XV. Carolum in vim hujus Indulti prætendisse sibi esse jus nominandi personas ad Dignitates Abbatiales, nec non Dignitates principales in Ecclesiis secularibus, manifestum est ex iis quæ narrantur in Compromissio inito inter Carolum & Abbates & Abbatissas Brabantiæ 21. Februarii 1521. quod refertur *Parte* 4. *Edictorum Brabantiæ lib*. 4. *tit*. 1. *c*. 6. ejusq; meminimus supra *parte* 2. *tit*. 3. *c*. 8. uti & concordiæ super hac quæstione initæ inter Philippum II. & dictos Abbates.

Sicuti ergo Principes nostri vigore hujus Bullæ Leoninæ nominant ad Abbatias juxta formam in dicta Con-

Concordiâ expectam; ita nominant quoq; ad *principales* sive primarias Dignitates in Ecclesiis Collegiatis, & principales post Episcopalem in Cathedralibus.

Ad hoc indubiè *Indultum* respiciunt, Principes dum in litteris nominationis ad primas Dignitates dicunt se nominare vigore *Indulti*, tametsi & addant, se id facere vigore *Regalis Juris Patronatus*, seu quo alio jure sibi competente ut hoc pacto jus suum quocumque titulo competens conservent.

XVI. Regibus Galliæ plura jam pridem Pontificia Indulta concessa fuisse leguntur.

In Historia Universitatis Parisiensis *tomo* 4. *pag.* 28. & 32. refertur à Bonifacio VIII. indultum fuisse Philippo Pulchro, *quod ad suum beneplacitum in qualibet Ecclesia Cathedrali & Collegiata Regni sui una idonea persona poneretur.* Et Clemens VII. Papa Avenionensis indulsit Carolo VI. anno 1389. nominare ad duas præbendas in omnibus Ecclesiis Cathedralibus. Et Innocentius VI. referente Guimerio dedit Joanni Regi nominationem 30. Præbendarum: quorum omnium Indultorum meminit Ludovicus Thomassinus De disciplina Eccles. *parte* 4. *lib.* 2. *c.* 21. *n.* 12. adduq; visibile esse Indulta hæc fuisse personalia.

XVII. Gaudent hodie Reges Galliæ jure Indulti sive gratiæ expectativæ in favorem supremi Regni Cancellarii, Præsidum & Consiliariorum Parlamenti Parisiensis, quibus mandat Rex in vim Papalis Indulti provideri.

Gratiam hanc primùm factam Regibus Galliæ ab Eugenio IV. per specialem Bullam anno 1538. confirmavit Paulus III. ad postulationem Francisci I. indulgens, ut Prælati Collatores singuli semel in vita sua dumtaxat & non ultra, provideant nominato Indultario de proximè vacaturo Beneficio, cujus annui proventus deductis omnibus expensis & oneribus, pertingunt ad taxam constitutam; id est, *ducentarum librarum* Parisiensium.

XVIII. Verùm hanc gratiam postmodum ad postulationem moderni Regis Ludovici XIV. auxit Clemens IX. edita Bulla anno 1667. quam integram, uti & præcedentem Pauli III. Refert Claudius Horrii in novo Tractatu De Materiis Beneficialibus; notatq; quòd Cancellarius aliiq; Regii ministri hujusmodi indulto gaudentes, possint hanc gratiam alteri cedere, sive in alium transferre, exprimitq; formam quæ in hac cessione est observanda; quidq; Cessionarius observare debeat, ut effectum Indulti obtinere queat. Vide quoq; Cabbasutium in Juris Canonici Theoria & Praxi *lib.* 2. *c.* 4.

XIX. Refert Continuator Abbatis Urspergensis Litteras Rudolphi Hasburgii ad quemdam Abbatem directas, quibus in vim *Primariarum Precum* Clericum nominat ad Beneficia ad collationem hujus Abbatis spectantia; quæ meritò pro antiqua *Primariarum Precum* formula refertur à Chokier in Proœmio Scholiorum primariarum Precum. Verba formulæ sunt: "Cùm ex antiqua & approba„ta, ac à divis Imperatoribus, & Regibus inclytæ recorda„tionis nostris antecessoribus usq; ad nos producta con„suetudine quælibet Ecclesia in nostro Romanorum Im„perio constituta, ad quem beneficiorum Ecclesiastico„rum pertinet collatio, super unius collatione beneficii „precum nostrarum *primarias* admittere teneatur, de„votionem tuam rogamus, quatenus huic Clerico de „Ecclesiastico beneficio, quod ad tuam collationem spe„ctat, ob Reverentiam Sacri Imperii, & nostram si quod „vacat ad præsens, vel quamprimùm vacaverit studeas „liberaliter providere, taliter faciens, quod devotionem „tuam nostra serenitas debeat meritò commendare, & „ad tua justa desideria facilis inveniri.

XX. Cùm hic nullius Indulti Apostolici alteriusve tituli, quo hoc jus nitatur, mentio occurrat; sed totum ex antiqua consuetudine desumatur, admodùm verisimile est, hoc jus *primariarum Precum* consuetudine primitus inductum esse, imò à solis *precibus* apud Collatores interpositis originem habuisse; atq; sensim preces in jura & mandata transiisse; ipsosq; Reges & Imperatores exemplo Pontificum Romanorum primo precibus, ac dein mandatis usos fuisse, quemadmodum notavit Ludovicus Thomassinus citato *c.* 21.

XXI. Quidquid sit, indubitatum est, Imperatores jam pridem usos fuisse, & etiamnum hodie uti *primariis Precibus*; quarum vigore Imperator coronatus nominat personas idoneas ad Beneficium vacaturum, quod ipse nominatus infra mensem à die notæ vacationis duxerit acceptandum, facitq; nominatum per Executores in litteris nominationis designatos recipi. Formulam hodiernam primariarum Precum refert Chokier in citato proœmio, qui & Bullam Pauli V. confirmativam harum precum Scholiis illustravit, variásq; quæstiones ad hanc materiam spectantes discussit; notatq; *pag.* 18. ex Boetio Epone, quòd *primariæ Preces*" idcirco dicantur, quòd semel dumtaxat, „seu pro *prima* saltem vice, non autem vel bis, aut sæpi„us uni & eidem Imperatori, in una eademque conce„dantur Ecclesia.

XXII. Nominationem vigore harum *precum* ad Beneficia *vacatura* esse speciem gratiæ *expectativæ* ad vacatura dubitari nequit: refertq; Fagnanus ad *Cap.* NULLA 2. *De Concess. Præb. n.* 9. dubitatum aliquando, an eo titulo non censerentur hæ *preces* sublatæ per Concilium Trid. *Sess.* 24. *c.* 19. *De Reform.* ubi tollit omnes concessiones ad *vacatura*: attamen quæstione per Archiepiscopum Cameracensem hujusmodi nominatione gravatum delata ad S. Congregationem Concilii Tridentini Interpretem, censuit S. Congregatio, hasce primarias preces non comprehendi dicto *c.* 19. quia non nominatur Imperator qui est *speciali* notâ dignus. Et relatione factâ ad Papam Gregorium XIII. ipse sententiam Congregationis probavit.

XXIII. Volunt nonnulli, etiam Regi Galliæ esse jus nominandi ad præbendam titulo *Felicis* ad Regnum *adventus.* Verùm alii; quos sequitur Cabbasutius in Theoria & Praxi Juris Canonici *lib.* 2. *c.* 4. *n.* 11. dicunt, quod ambitio & adulatio Aulicorum jus illud introduxerit: " cui novæ introductioni (ait Cabbasutius) Senatus Parisi„ensis plerumq; fortiter intercessit, existimans satis detra„ctum Ecclesiæ fuisse per Regaliam & Indulta in favo„rem suorum Officialium constituta, nec patiens alios „concurrentes ac rivales, per quos beneficia, ad quæ as„pirant, sibi detrahi possint; ideoq; novum istud indulta„riorum genus frequentibus Senatusconsultis submovit „ac repulit, ut testatur Broudæus in Louetium *lit. P. tit.* „*Præbenda felicis ad Coronam adventus.* Et ita non se„mel judicatum fuisse refertur.

Diffiteri interim nequit Cabbasutius interdum quoque pro Indultariis fuisse judicatum, uti testatur citatus Broudæus ad Louetium *Litt. P. n.* 6. ubi & meminit declarationis Ludovici XIV. moderni Regis Galliæ qua edicitur: Hoc jus pro felici Regis ad Regnum adventu tantum obtinebit in Ecclesiis Collegiatis, quarum Dignitates & Præbendæ non spectant ad collationem Ordinariorũ Diœcesis in qua sitæ sunt, & in quibus sunt plures quàm sex præbendæ ultra Dignitates.

XXIV. Illud magis expeditum, atq; longo usu receptum & probatum," quod Rex in principio sui Regni post „suam coronationem in Abbatia Regni sui de gardia sua „existente ponere possit in Monasteriis Monachorum, „unum Monachum, & in Monasteriis Monialium quan„dam Monialem:" uti loquitur Rebuffus in Praxi Benef. „*parte* 3. *titulo De Oblatis & quando Regio nomine in Monasteriis recipiendi sint n.* 24.

Et eruditus Bosquetus in notis ad Epist. 138. Innocentii III. lib. 1. Regesti 13. ait:" Ab antiquo ex Christianissi„morum Regum rescriptis, laicis locus fuit in Monaste„riis, quibus alimenta, non sub Fratrum, sed Præbenda„riorum nomine à Monachis exhibebantur.

Simi-

Similiter Renatus Choppinus *lib. 3. De Domanio Franciæ c. 28. n. 1.* ait: "Regis item jura sunt hæc: Cœnobiis alendum offerre militem, qui acceptis in Bello vulneribus, postmodum nequeat corporis artificio vitæ necessaria quæritare. De quo argumento cum olim tractatū esset in Senatu, id ipsum Principi Francisco Diademate licere in auspicatu Regni, Ordo Supremus judicavit, Arresto Parlam. anno 1273.

XXV. Jus hoc offerendi Cœnobio militem, esse effectum augustioris in sanctas Ecclesias Patronatus, asserit Choppinus ibidem *n. 3.* "Rex enim [ait] beneficus est sacrarum Ædium Patronus: qua in specie Legibus cautum est, exhausto & egenti Patroni filio alimenta esse ex templi ipsius reditibus suggerenda.

Hanc juris illius originem & titulum notavit quoq; Rebuffus loco citato *num. 21.* additq; "Quia licet Rex aut Fiscus sit semper dives, & idoneus solvendo, tamen jure *patronatus* considerato, & Monasterio à se fundato, vel à Prædecessoribus Regibus, æquum fuit hujusmodi Præsentatis subvenire.

Cum enim milites juramento Regi ad serviendum, & eum defendendum sint obstricti, quodammodo loco filiorum à Rege habendi sunt, saltem ut iis ad inopiam redactis succurratur; iisq; impensum, censeri debeat Regi ipsi impensum.

XXVI. Unde pluribus Regiis Edictis cautum fuit, nullum posse hujusmodi Oblatorum loca in Monasteriis occupare, nisi sint milites *veterani vulneribus* pro servitio Regis sauciati; inhibitione facta Monasteriorum Superioribus alios admittendi vel recipiendi, aut quamcumque pensionem assignandi, quibuscúmq; litteris Regiis essent muniti uti latiùs deducit Carolus Fevretius De Abusu *lib. 2. c. 5. n. 4.*

XXVII. Addit præterea, quod si Præsentatus à Rege esset sufficiens ut sibi de necessariis honestè provideret, is possit repelli: eo quod similia loca non nisi pauperibus sint destinata: quod & in ipsis litteris oblationis Rex significat per hæc verba litteris apponi solita: *Par pitié & aumosne, & en faveur des services, que nous à fait.* Rebuffus *n. 28.* Addit tamen *n. 29.* Non debet inquiri de *servitus*, aut apponi quod non servierit: quia duæ rationes sunt: & una cessante, non cessat concessio." Et videmus hodie hujusmodi loca concedi etiam illis, qui nunquam Regi specialiter servierunt.

XXVIII. Ulterius cum jus hoc innitatur titulo fundationis seu Patronatus, ideo & restringitur ad Monasteria fundationis Regiæ; quemadmodum notavit Choppinus loco supra indicato *num. 4.* & ex professo Rebuffus *n. 27.*

XXIX. Quæstionem aliquando motam fuisse, num huic oneri subjecta essent Cœnobia virorum Ordinis S. Augustini; uti refert Renatus Choppinus de Sacra Politia *lib. 3. tit. 2. n. 12.* atq; ipso in causa perorante & postulante placuit Senatui, Clientem suum rectè appellasse, & Curiales Primates seu *Prioratus Augustinianos* Ordinis, educatione Oblati militis victuq; neutiquam onerari, Arresto in publicis causarum actionibus lato pridie nonas Iunias an. 1565.

Fundamentum suæ causæ proponens Choppinus ajebat, "Prioratum quem Cliens suus obtinebat, Augustinianæ Regulæ subjici, & ita verè *Curionatum* censeri, animorúmq; curationi conjunctum Sacerdotium. Proin suggerendis veterano cibariis alligandum non esse; instat Parœcianæ Ecclesiæ cujusvis. Multum enim interesse, an regularis Primatus Benedictino Ordini subjaceat, an Augustiniano. Ille quidem nullum parœciarum habet actu ipso regimen animorum annexum. Nam cucullati Sacerdotes Benedictini cesserunt jam dudum parœciarum administratione: intra claustri septa rediri jussi Chalcedonensi Concilio. Can. *Juxta qua 16. Quæst. 1.* At monasticæ præfecturæ ordinis Augustiniani, retinuerunt hactenus sacram spiritualemq; parœciaci populi curationem: Quum & Ilerdensis Synodi permissu monachi ordinari cœpissent, & ad sacros Clericorum gradus promoveri. Unde Augustiniani Ordinis cœnobitæ curialia etiam dum munera obeunt in sacris suis beneficiis, quasi Parochialis Ecclesiæ Pastores soli.

XXX. Verum si dubitetur, an Abbatiæ sint ex fundatione Regali, nec ne, præsumuntur esse ex fundatione ait Rebuffus *nu. 23.* concluditque ulterius: Ideo mandante Rege, *si appareat vobis quod sit de fundatione*, interim dum litigatur super hoc, providebitur isti pauperi, & aletur, ut censuit Senatus anno 1550. die 17. februarii: & latius probat Fevretius.

XXXI. Hoc jure oblationis Rex non intendit unum idemque Monasterium, nisi semel, suo durante regimine, gravare, ac propterea expressè in litteris ponitur hæc clausula: *Pourveu toute fois, qu' autre n' ait esté receu.*

Ita refert Rebuffus *n. 26.* qui & *n. 25.* notat: "Quod si ille cui est provisum adhuc viveret, debet Rex novus expectare mortem illius antequam provideat, ne sit molestus Monasterio, & ne uno & eodem tempore sit gravamen duorum.

XXXII. Debet autem ali in Monasterio tamquam alter Religiosus, uti & verba litterarum indicant: *Avons donné & octroyé donnons & octroyons ledit lieu, & vivre d' un Religeux en vostre dite Abbaye.* Et infrà: *Dilivrez par chacun jour, pitance vivres & autres ses necessitez, telles que de raison, comme à un de vos dits Religieux avec vestiment suffisant.*

XXXIII. Hinc concluditur, cogi posse oblatum ut habitet in Monasterio; ibiq; præstet servitia ab *Oblatis* præstari solita; & portionem Monachalem accipiat, nisi ipse Conventus malit ei extra Monasterium pensionem solvere; uti Fevretius *n. 46.* judicatum refert an 1471.

Et quia sæpe non convenit miles Veteranus cum Monachis, dicit Rebuffus *n. 36.* quod oblatus soleat regulariter extra Monasterium ali.

XXXIV. Refert dein *n. 47.* per litteras patentes de 5. maji 1636, Regem Galliæ exemisse ab hoc onere Abbatias & Prioratus, qui in proventibus annuis non habent mille ducentas libras, omnibus oneribus deductis.

XXXV. Non tantum Monasteria virorum, sed & mulierum seu Monialium huic juri jam pridem subjecta fuisse notat Bosquetus ad citatam epistolam Innocentii III. testaturq; Choppinus *n. 13.* vetus Arrestum insertum in stylo Parlamenti habere: " Rex potest suo jure ponere in Monasteriis Monachorum unum monachum, & in monasteriis monialium unam monialem.

Ita nimirum, ut monialium monasteriis milites sive viri offerri non possint; uti rectè notat Fevretius *n. 43.* asseritq; non semel repulsam passos viros, qui litteras Regias ad monasteria monialium impetrarant.

XXXVI. Eodem jure utuntur Principes nostri, non tantum in monasteriis & Abbatiis virorum, sed & mulierum idq; jure *Regaliæ*, uti in litteris provisionis exprimitur: assignantq; oblatis panem & præbendam Abbatialem *le pain & prebende.* Per *prabendam* intelligentes *portionem* Monasticam seu Abbatialem. Dein addunt, *avec les habillements & autres droits & emoluments quelconque y appertenant*; id est, cum vestitu, juribus & emolumentis annexis. Et anno 1668. per litteras missas ad Gubernatorem Belgii, & per ipsum omnibus Conciliis Regis intimandas declaravit Rex Catholicus, redemptionem Panis Abbatialis ad summam centum quinquaginta florenorum annuè, vita Oblatorum durante. Et 26. Augusti anno 1677. scripsit Conciliū privatum ad Abbatissam & conventum Monasterii B. Mariæ *sub vinea* in civitate Lovaniensi, oblatæ dandas esse vestes & reliqua corpori necessaria, sicuti uni Religiosæ, nihilq; oneris extraordinarii imponendum.

Mon-

Monumentum ad Cap. IX. Num. XXXI.

Formula quâ à Rege nominatur Oblatus ipsis Monasteriis.

CHarles par la grace de Dieu Roy de Castille de Leon d' Arragon, &c. A religieuses personnes, nos Cheres & bien aimées les Prieure & Religeuses du Prieuré de l' Ordre de S. Bernard, en nostre pays & Duché de Brabant, salut & dilection, Comme a Cause de nostre Reception & advenement aux estat des pays bas & de Bourgoigne nous Compette & avons droit d'en Chascune Abaye, Monastere, Prieuré, & Hospital dudit pais, donner un pain & prebende avec les habillements & autres droits & emolument acoustumé, & y appertenants, mesme en vostre dit Prieuré, ou tel pain est vocant pour ce est il que nous vouiont en ce user de nostre dit droit, & pour l'erapport que fait nous a esté de N. N. jeune fille, natife de la Ville de Bastoigne en nostre pays & Duché de Luxenbourg & que ses plus Proches parent souffrient grande parte en leurs biens, tant audit Bastoigne, qu' auxvirron de la ville maintenant possedée par la France, a la quelle Cause la dicte N. N. se trouveroit sans aucune Commodité, avons en Consideration de ce que dessus & des services de ses ayeuls & devanciers, donné & Conferé, donnont & Conferont a la dicte N. N. pour Dieu & en aulmonne par ces presentes le pain & prebende qu' avons droit de donner en vostre dit Prieuré & Monastere à Cause de ce que dit est avec les habillement, & autres droits & emoluments quelconque y apertenans, si vous mandons & commandons qu'ayez à recevoir & admettre laditte N. N. en vostre dit Prieuré & que dudit pain *& Prebende, habillemens, droits & emoluments accoustumez, & y appartenans, la faites plainement & paisiblement jouir & user, Cessans tout contradits & empechements au contraire car ainsi nous plait il.*

T I T U L U S XXVI.

De Institutione & Possessione Benef.

C A P U T I.

De Institutione.

1. *Tres species institutionis.*
2. *Institutio authorizabilis à concessione curæ animarum distincta.*
3. *Quid institutio authorizabilis; & cur dicta collatio necessaria? (& quare?*
4. *Institutio hæc de jure communi competit Episcopis;*
5. *Jus instituendi Beneficiatos Episcopis vindicavit Synodus Tridentina.*
6. *Posse etiam ad inferiores Prælatos pertinere agnovit Synodus Trid.*
7. *Idque non tantum ex privilegio.*
8. *In Belgio Archidiaconi instituunt.*
9. *Qui institutio ad Archidiaconos devoluta?*
10. *Plures alii inferiores Prælati hodie jus instituendi in Belgio habent.*
11. *Jure institutionis ad inferiores devoluto, ad Beneficia sine examine etiam inidonei admittebantur.*
12. *Huic abusui qui occurrit Synodus Trid.*
13. *Synodus requirit examen Episcopi etiam quoad Beneficia simplicia.*
14. *Sed praxis est contraria.*
15. *Cura animarum à solo Episcopo, ejusque prævio examine haberi hodie potest.*
16. *Titulus tamen Beneficii Curati etiam datur ab Archidiaconis aliisque Prælatis inferioribus.*
17. *An institutio facienda intra semestre?*
18. *Institutio quare non differenda?*
19. *Si Ordinarius Præsentatum instituere differat, potest recurri ad Superiorem.*
20. *Potest à recusata institutione appellari.*
21. *Quomodo procedatur in Gallia si Pontifex Bullas non expediat.*
22. *Jam pridem judicarunt Prælati Angliæ à recusata institutione posse appellari; sed examen debere esse penes judicem Ecclesiasticum.*
23. *Alexander III. scripsit, si Ordinarius institutionem recusat, causas recusationis coram Superiore allegari debere.*
24. *Superior institutionem dare non potest, nisi causa recusationis plenè discussa.*
25. *Idipsum cautum Edicto Regis Galliæ; unà reservans examen & judicium de capacite præsentati judici Ecclesiastico.*
26. *Consona sunt praxi Belgii.*
27. *Ostenditur meritò hanc institutionem dici necessariam.*
28. *Præcipuas partes in provisione Beneficii Patronati habent Patroni.*

I. TRes species institutionis assignat Prosper Fagnanus ad *Cap.* CUM ECCLESIA ˝ *De Causa possess. & propriet.* " Prima „species est institutionis corporalis, „hoc est immissionis in possessioné:" de qua capite sequenti. "Secunda species (ait Fagna„nus) institutionis authorizabilis, id est, approbationis „ad curam animarum." Tertia species media inter corporalem & authorizabilem institutionem est, quam vocant collativam.

II. Hæc tertia propriè est illa, quam hodie vocamus institutionem authorizabilem, sive tituli collativam; & à concessione curæ animarum planè distinguitur; uti supra monuimus, ubi notavimus, eam à Glossographo, quem hic sequutus videtur Fagnanus, malè confundi cum datione curæ animarum.

III. Institutio itaque propriè dicta seu authorizabilis, est ipsa Beneficii collatio, sive tituli Canonica datio, sine qua ipsum Beneficium haberi non posse pronuntiat prima Regula Juris in sexto Decretalium: ideoque & *collatio* dicitur; sed *necessaria*: eo quod instituens soleat constringi, eam certæ personæ sibi præsentatæ facere, ut ex dicendis patebit.

IV. Igitur cùm per institutionem fiat Beneficiorum collatio; ipseque titulus Canonicus conferatur; & Clericus eâ mediante Ecclesiæ adscribatur, eam Canones Episcopis, tamquam Ordinariis Beneficiorum Collatoribus, & muniorum Ecclesiasticorum primariis distributoribus detulerunt. Quare & jure communi cautum est, institutionem authorizabilem ipsis Episcopis competere. *Cap. 4.* ˝ *De Jure Archid.*

V. Illud jus Episcopis quoq; asseruit Synodus Tridentina *Sess. 14. c. 13. de Refor.* decernens, ut si ex causa fundationis aut dotationis jus patronatus impeteretur aut obtineatur, *institutio Episcopo & non alteri inferiori reservetur.*

Digitized by Google

Deinde *c.* 13. generaliter edixit: "Non liceat prætereà „patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad be- „neficia sui juris patronatus, nisi Episcopo loci ordina- „rio, ad quem provisio seu institutio ipsius beneficii, „cessante privilegio, jure pertineret, quoquo modo præ- „sentare; aliàs præsentatio, ac institutio, forsan secu- „tæ, nullæ sint, & esse intelligantur.

VI. Hic textus evincit, Patres Synodi Tridentinæ supposuisse, de jure institutionem Beneficiorum spectare ad Episcopum; unà tamen sat insinuantes posse eam *ex privilegio* ad alium etiam inferiorem pertinere: quod rursus *Sess.* 24. *cap.* 18. *De Reformat.* apertius agnovit in verbis: Cum *verò institutio ab* ALIO, *quam ab Episcopo erit facienda* &c.

Hîc Synodum loqui de institutione *authorizabili* sive tituli collativa supra *tit.* 22. *c.* 4. probatum est.

VII. Nec tantum ex privilegio; sed & consuetudine sive præscriptione jus institutionis, non secus ac liberæ collationis, acquiri posse, colligitur ex *Cap.* 6. ꝟ *De Institutionibus*, cujus Rubrica habet: "Institutiones pos- „sunt de jure *speciali* ad *non Episcopos* pertinere; & pen- „dente lite cum Diœcesano defenditur in possessione." Unde monet ibidem Fagnanus *n.* 16. *certum* esse, jus instituendi posse acquiri præscriptione.

Et quidem in citato Capitulo sexto respondit Innocentius III. Archidiaconum Richemundiæ esse in jure instituendi tuendum; eo quod Archidiaconus hic probasset, se & prædecessores suos in *continua possessione* instituendi fuisse; quamvis de jure communi Archidiacono *sola* institutio *corporalis* competat. *Cap.* 7. ꝟ *De Officio Archidiaconi.*

VIII. Similiter in Belgio, Archidiaconis institutio etiam *autqorizabilis* sive *tituli collativa* competit; quemadmodum notat Zypæus titulo *De Institut. num.* 4. An autem Archidiaconi *jure proprio*, sive jure suæ dignitatis, an verò jure dumtaxat *delegato*, & nomine Episcopi instituant, vide supra *tit.* 22. *cap.* 4.

IX. Admodum verisimile apparet, quod Episcopi primò soliti fuerint institutiones Præsentatorum à Patronis committere suis Archidiaconis; atque sensim hæc frequens delatio in jus ordinarium transierit; quemadmodum plura alia jura Archidiaconis quæsita esse notavimus *parte* 1. *tit.* 12. *cap.* 1.

X. Nec tantum Archidiaconis, sed & aliis inferioribus Prælatis & Capitulis jus instituendi eâdem ratione acquisitum fuit, cùm enim institutio sit quidē species collationis, sed *necessaria*; id est, quæ fit ad præsentationem vel nominationem alterius, neque instituenti liberum sit, personam instituendam pro arbitrio eligere, haud difficiles fuêre Episcopi, hanc collationem seu institutionem aliis committere; & Prælatis inferioribus relinquere. Hinc passim Capitula aut eorum Prælati gaudent jure instituendi Canonicos, aliosque suarum Ecclesiarum Beneficiatos.

XI. Jure hoc institutionis ad inferiores devoluto, contingebat, passim in beneficia, etiam ad præsentationem laicorum spectantia quosvis Clericos sine delectu & examine aut scitu Episcoporum institui; nec tantùm ad beneficia, sed etiam Curata; atque hinc ulterius inidoneorum intrusio vel admissio sequebatur.

XII. Huic abusui occurrere volens Synodus Tridentina statuit imprimis *Sess.* 7. *c.* 13. *De Reform.* "Præsen- „tati, seu electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis „personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis „Ecclesiastica beneficia non instituantur, nec confir- „mentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis „privilegii, seu consuetudinis, etiam ab immemora- „bili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius à locorum „Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus ap- „pellationis remedio se tueri possit, quò minùs examen „subire teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nomi- „natis ab Universitatibus, seu collegiis generalium stu- „diorum exceptis.

Deinde *Sess.* 24. *cap.* 18. *De Reformat.* "Quod si Ec- „clesia Parochialis juris patronatus laicorum fuerit; „debeat, qui à Patrono præsentatus erit ab iisdem depu- „tatis Examinatoribus Synodalibus examinari, & non „nisi idoneus repertus fuerit, admitti.

Denique generalius *Sess.* 25. *cap.* 9. *De Reformat.* loquens de jure patronatus laicorum ait: "Adhæc liceat „Episcopo præsentatos à patronis, si idonei non fue- „rint repellere. Quod si ad inferiores institutio perti- „neat; ab Episcopo tamen juxta aliàs statuta ab hac san- „cta Synodo, examinentur: alioquin institutio ab in- „ferioribus facta, irrita sit & inanis.

XIII. Itaque si verba Concilii Tridentini attendamus, omnes instinctè præsentati & nominati ad quæcumque beneficia, à quibuscumque Patronis, exceptis solis præsentatis, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, debent, antequam instituantur, ab Ordinariis examinari & idonei judicari: ut ita nullus in Ecclesiæ ministerium, per beneficii collativam institutionem, sine Episcopi admissione & approbatione assumatur.

XIV. Verùm praxis seu consuetudo, hæc Decreta, quantumvis suâ expressione generalia, ad sola ferè beneficia, quibus Cura animarum annexa est, restrinxit; atque beneficia simplicia, sive sine cura animarum ab hoc examine exemit, uti notat Bouchel in *Summa Beneficiali*; vel Claudius Blondeau qui eam *Summam* sub titulo Bibliothecæ Canonicæ edidit & auxit, verbo *Patronage n.* 173. dicens, consuetum non esse pro beneficiis simplicibus examen institui. Et quotidie videmus, ab Archidiaconis, & Capitulis aliisque jus institutionis habentibus, institui Beneficiatos sine Ordinariorum prævio examine; quando ipsis Beneficiis nulla animarum cura incumbit; nihilque præter testimonium morum, litteras Tonsuræ, aut alterius Ordinis, vel ætatis, vel gradûs, alteriusve qualitatis quæ ex fundatione aut aliundè requiritur, exigi; nullo super doctrina præmisso examine.

XV. Circa beneficia verò quibus cura animarum est annexa, ipsa Decreta Concilii Tridentini, examen & approbationem Ordinandorum requirentia, ubique suum eatenus vigorem habent, ut nemo absque prævio Ordinariorum examine & approbatione *curam* animarum beneficiis illis annexam habere aut exercere queat: neque illam ab alio quàm Ordinario accipere: vigetque Decretalis Alexandri III. in *Cap.* 4. ꝟ *De Officio Archidiaconi* Eliensi Archidiacono scribentis: "Cum satis „absurdum & à Sanctorum Patrum institutionibus a- „lienum, ut Archidiaconus auctoritate propriâ debeat „cuilibet Ecclesiarum curam committere, ægrè ni- „mis ferimus, quod tu sine mandato Episcopi tui cu- „ram animarum committis. Quoniam igitur obtentu „alicujus consuetudinis, non debes contra sanctorum „Patrum constitutiones venire, & quod ad tuum non „spectat officium vindicare. Mandamus ut nemini sine „licentia & mandato Episcopi curam præsumas com- „mittere animarum.

XVI. Unde præter institutionem Archidiaconi debet insuper accedere approbatio Ordinarii, qua non quidem ipse *titulus* Beneficii datur; sed cura animarum. Hæc datio curæ animarum à Canonistis sequutis Glossam & auctorem Rubricæ citati Capituli quarti nonnumquam cum institutione confunditur: cum tamen vera institutio, sive collatio tituli non sit, quæ Archidiaconis, aliisque inferioribus Prælatis, qui tamen curam animarum dare nequeunt, etiam quoad Beneficia curata competit.

Quapropter Capitula aliave Corpora nihil de suo jure institutionis decedere autumant; uti nec ipsi Principes de

de auctoritate conferendi *pleno jure* Beneficia & dignitates, quamvis ipsos Beneficiatos pro animarum cura ad Ordinarium remittant.

Quinimò etsi Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 13. ab examine Ordinariorum excipiat Præsentatos, electos seu nominatos ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, nihilominus, nominati ab hac Universitate ad Beneficia Curata debere subire examen Ordinarii supra *tit.* 19. *c.* 3. *n.* 24. ostendimus.

XVII. Porrò quia in omni institutione authorizabili intervenit collatio beneficii, crediderunt nonnulli, eam intra semestre juxta Decretum Concilii Lateranensis in *Cap.* 2. ¨ *De Concess. Præbendæ* esse faciendam. Verùm cum collatio hæc non sit propriè dicta collatio, id est, voluntaria; sed necessaria, facienda ad præsentationem alterius, communior Doctorum opinio est, institutionē Decreto Concilii Lateranensis non comprehendi; neque Superiori ad instituendum de jure ullum tempus esse præfixum; uti pluribus citatis notat Garcias De Beneficiis *parte* 10. *c.* 4. monetque *n.* 2. idem esse in Beneficiis resignatis ex causa permutationis, ad quorum collationem (ait) tempus præfinitum non est.

XVIII. Illud insuper observant, quod factâ præsentatione, institutio in longum tempus differri nequeat. Cum enim Patronis tempus ad præsentandum sit præfixum, ne aliàs Ecclesia diutius viduata, aut ministro destituta maneat, hic finis non obtinebitur, si institutio post præsentationem diutiùs protrahatur, uti rectè advertit Pyrrus Corradus in Praxi Benef. *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 12.

XIX. Ulterius præsentatus vi præsentationis jus ad ipsam institutionem habet: quare si Episcopus, Archidiaconus aliusve jus instituendi habens, instituere negligat aut recuset, recurri poterit ad Superiorem, qui tempus præfigat, intra quod id faciat: quo elapso ipse Superior supplebit, vel compellendo vel instituendo. Ita Garcias loco citato *n.* 5.

XX. Quin & à recusata institutione Præsentatum appellare posse, tamquam à gravamine illato, probat Panormitanus aliique relati ibidem à Garcia *n.* 9. quod & quotidiana praxis comprobat.

XXI. Imò refert Pinsonius in tractatu De Beneficiis ad verbum *Canonica n.* 71. " Casu quo summus Ponti-
" fex confirmationis, sive institutionis Canonicæ gratiā
" denegaverit, & nominationis Regiæ Pontificias Bul-
" las addere recusaverit, magni Concilii Patres, vel alii
" quorum ea de re notio est, partes suas interponere so-
" lent, & candidatis & nominatis Regiis, licentiam
" concedere adeundæ possessionis, sive temporalis, sive
" spiritualis administrationis subeundæ, iis solis exce-
" ptis, quæ Ordinis esse dicuntur.

XXII. Inter articulos anno 1316. à Prælatis Angliæ oblatos Regi Eduardo II. erat hic decimus tertius: " I-
" tem petitur, quod personæ Ecclesiasticæ quas Domi-
" nus Rex ad beneficia præsentat Ecclesiastica, si Epi-
" scopus eos non admittat, ut puta, propter defectum
" scientiæ, vel aliam causam rationabilem, non subeant
" examinationem laicarum personarum, in casibus an-
" te dictis, pro ut his temporibus attentatur de facto,
" contra Canonicas sanctiones: sed adeant judicem Ec-
" clesiasticum, ad quem de jure pertinet, pro remedio,
" prout justum fuerit, consequendo.

Huic postulationi respondit Rex: " De idoneitate
" personæ præsentatæ ad beneficium Ecclesiasticum
" pertinet examinatio ad judicem Ecclesiasticum. Et ita
" est hactenus usitatum, & fiat in futurum. " Tomo 11. Conciliorum generalium *col.* 1466.

Hinc duo colligimus. Primum quod ipsi Prælati Angliæ agnoscant, Præsentatis seu nominatis esse jus appellandi ad novum examen. Secundò à Prælatis ad judicem Ecclesiasticum pro remedio hoc casu esse recurrendum; ipsumque Regem judicasse, de idoneitate personæ præsentatæ ad Beneficium Ecclesiasticum examen pertinere ad judicem Ecclesiasticum; & ita hactenus fuisse usitatum, & fieri debere in futurum.

XXIII. Cum quidam Subdiaconus exposuisset Alexandro III. se fuisse præsentatum per Abbatem S. Petri Catalaunensis ad quamdam Ecclesiam Episcopo Suessionensi, ut eum de prædicta Ecclesia investiret, & animarum ipsi curam committeret; quodq; memoratus Episcopus Suessionensis eam dare recusaret, scripsit Alexander III. Abbati S. Remigii & Archidiacono Remensi:
" Quia indecens est & penitus obvium rationi, ut præ-
" nominato Subdiacono, nisi pro manifesta & rationa-
" bili causa, plebis cura denegetur: discretioni vestræ
" per Apostolica scripta præcipiendo mandamus, quate-
" nus infra 40. dies post harum susceptionem prædictū
" Episcopum monere, ac propensius inducere studea-
" tis, ut prædictum Subdiaconum de præscripta Ecclesia
" investiat & animarum sibi curam committat; aut
" quare id facere non debeat, coram vobis rationabilem
" causam ostendat. Quod si monitis vestris obtempera-
" re contempserit, vos nostrâ freti auctoritate sæpe di-
" ctum Subdiaconum, omni dilatione & appellatione
" cessante, de prædicta Ecclesia investiatis, & animarum
" sibi curam committatis: ita quidem quod memorato
" Episcopo de plebis cura, prædicto verò Abbati de
" temporalibus debeat respondere. " Tomo 10. Concil. general. *col.* 1174.

XXIV. Idipsum & recentiores Synodi voluerunt; id unum tamen cautum volentes, ne Superior ad quem appellatur collationem ab Ordinario negatam concedat, nisi causis recusationis integrè discussis.

" Si præsentato & petenti collationem sibi dari de
" quocumque Beneficio, renuerit Episcopus dare, co-
" gatur causas recusationis suæ in scriptis exprimere: nec
" liceat superiori collationem decernere, nisi prius di-
" scussis causis & judicatis, propter quas Episcopus re-
" cusaverit collationem dare, alioquin superioris col-
" latio nulla erit.

Ita Synodus Rothomagensis anno 1581. tit. *De Episcoporum officiis n.* 10. Idem quoque statuit Synodus Remensis titulo *De Episcopis n.* 18.

XXV. Edicto Blesensi *art.* 13. decretum quoq; fuit in Gallia, " quod si obtinentes collationem aut præsen-
" tationem reperti sint inidonei & insufficientes, Supe-
" rior ad quem recurrent, non poterit eis dare provisio-
" nem, nisi informatus de causis recusationis, quas eum
" in finem Ordinarii tenebuntur exprimere & inserere
" instrumento recusationis.

Illud tamen eodem Edicto *art.* 12. additum erat, quod si Ordinarius approbationem seu *Visa*, ut vocant, dare recuset, quod supremi Regii Senatus coactione adversùs Ordinarium non utentur; sed partes remittent ad Superiorem Ecclesiasticum, ut ab eo provisionem obtineant.

Plura tum posteriora Regum Edicta, tum Parlamentorum arresta prædictis articulis conformia, videri possunt in Actis Cleri Gallicani *tomo* 2. *parte* 2. *tit* 4.

XXVI. Hæc & praxi Belgii consona sunt. Si enim Præsentato, aut nominato Ordinarius collationem aut curam animarum dare renuat, nihil usitatius, quàm ad Superiorem recursus, coram quo ordinarius causam recusationis allegare tenetur: & si defectus sufficientis scientiæ allegetur, novum examen instituitur.

XXVII. Hinc non difficile est intelligere, qua ratione ipsa institutio, quæ præter præsentationem Patroni requiritur; ipsâque datio curæ animarum ab Ordinario danda, meritò dicatur collatio & provisio *necessaria*: cum vix negare eam cum effectu possit Ordinarius Præsentato; nisi impedimentum Canonicum ipsi Præsentato obstare, probare queat.

XXVII. Ulterius inde deduci potest, quam verum sit, præcipuas in provisione Beneficii Patronati esse partes Patroni præsentantes: utpote, qui totius provisionis ponit fundamentum; ipsúmque Ordinarium quoddamodo constringit, ut huic personæ præsentatæ collationem Beneficii faciat; tametsi eam minus aut vix idoneam sciat: ut proindè jure meritò Patroni solliciti sint, quas personas ad Beneficia præsentent: ipsisque frequenter magis, quam ipsis Ordinariis imputabitur, si minus idonei ad similia Beneficia promoveantur.

CAPUT II.

De Possessione; & forma eam accipiendi.

1. *Olim immissi in possessionem nota non fuit.*
2. *Postmodum exemplo feudorum invaluit.*
3. *Immissio in possessionem competit Beneficiorum Collatoribus; & quare?*
4. *Episcopo de jure communi ea competit.*
5. *Quomodo jus mittendi in possessionem ad Archidiaconos transierit.*
6. *Archidiaconi hodie eam Archipresbyteris committunt.*
7. *Prælati inferiores eam quoque dare consueverunt; idque etiam jure* Archidiaconali.
8. *Collatores Ordinarii immissionem in possessionem possunt aliis committere, & quibus hodie committere soleant.*
9. *Per quemlibet Clericum aut Notarium Apostolicum possessio dari potest juxta ordinariam clausulam litteris collationis insertam.*
10. *An Notarius Regius sufficiat?*
11. *Quâ formâ uti debeat Clericus mittens in possessionem?*
12. *De externis & corporalibus symbolis per quæ possessio realis traditur.*
13. *Quid si Ecclesiam ingredi impediatur ad capiendam possessionem?*
14. *Clericus inducens in possessionem non cognoscit de justitia tituli*
15. *Possessio accipi potest per procuratorem habentem* speciale *mandatum.*
16. *Exemplo Vasalli decretum jam pridem fuit, ut Beneficiati promittant Episcopis obedientiam.*
17. *Quod juramentum hodie præstent Provisi de Beneficiis Parochialibus.*
18. *Formula juramenti præstandi à provisis de Beneficiis* simplicibus.
19. *Provisi de Dignitatibus & Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus professionem fidei facere debent ex præscripto Synodi Trid.*
20. *An Decretum hoc etiam obstringat Canonicos* Collegiatarum *Ecclesiarum.*
21. *Canonici solent ante admissionem ad possessionem jurare observantiam Statutorum.*
22. *In his statutis nonnunquam aliqua illicita occurrunt.*
23. *Meritò à Canonicis ante juramentum Statuta expenduntur.*
24. *Prælati curam Capitulorum habentes ea meritò examinant; & Decretum Synodi Antverpiensis id præcipiens.*
25. *Idipsum meritò fieret circa juramenta opificiorum & Academiarum.*
26. *Nonnulli à Beneficiatis exegerunt* Homagium *simile illi quod Vasallus promittit Domino directo.*
27. *Hæc* Homagii *exactio tamquam sapiens Simoniam vetita fuit.*
28. *Multum differt à promissione canonicæ obedientiæ.*
29. *In admissione ad possessionem solent certa jura exigi*
30. *Quid de hac exactione habeant Decretales Gregorii IX.*
31. *Quid Synodus Tridentina, & posteriores Synodi.*
32. *Meritò ea Decreta expenduntur, qui jura illa exigunt.*

I. VIgente pristina disciplina, quæ Beneficia ab Ordinatione non sejungebat; sed Clericis in ipsa Ordinatione, non secus atque hodie per Beneficiorum collationem & institutionem, certis Ecclesiis alligabat; iisque una jus vivendi ex proventibus Ecclesiæ cui alligati erant tribuebat, incognita fuit, quæ hodie vocatur institutio authorizabilis, item quæ hanc subsequitur, missio in possessionem sive institutio corporalis.

II. At postquam erecta fuère Beneficia Ecclesiastica; eáque separatim ab ipsa Ordinatione conferri cœperunt, unà invaluere institutio & missio in possessionem; idque exemplo feudorum, à quibus (uti notavimus titulo 18. cap. 1. Beneficia suam originem habent.

Quapropter, sicuti post fictam, ut vocant, feudi investituram quæ Beneficiorum institutioni *authorizabili* respondet nec non præstitutum fidelitatis juramentũ, aliásque cæremonias prærequisitas, Dominus directus tenetur Vasallum verè & *corporaliter* investire, seu veram & realem investituram dare, ita quoque receptum, quod post datam institutionem collativam sequi debeat institutio corporalis sive missio in possessionem.

Unde Petrus Gudelinus in tractatu De Jure feudorum *parte 2. c. 9.* postquam dixit, investituræ fictæ sive civilis eam quidem vim esse, ut Vasallum ita investitum Dominum utilem faciat, tribuátque ei possessionis ingrediendæ facultatem; sed tamen eum possessorem non constituat, priusquam is corpore rem apprehenderit; neque investituræ feudali vim hanc tributam esse, subjungit: "in quo similis illa institutioni, seu investituræ, quæ fit de Beneficiis Ecclesiasticis: quippe per hanc Clericus quidem jus in Beneficio acquirit, sed nondum possessionem, donec in eam separato actu fuerit inductus. *Cap per tuas ꝗ. De Donationibus.*

III. Sicuti autem ad Dominum spectat investire Vasallum seu in possessionem mittere; ita quoque ad Beneficiorum Collatorem spectat Beneficiatum in possessionem mittere. Qui enim Beneficii collator est, is ipsum Beneficium dare censetur: dationis autem complementum est traditio possessionis rei donatæ. Unde ait Rebuffus in Praxi Benef. *parte 1. tit. De Missione in possessionem num. 12.* "Ordinarius qui confert, Archiepiscopus, Episcopus, vel alius potest mittere in possessionem.

IV. Unde sicuti collatio Beneficiorum de jure communi spectat ad Episcopum, ita & missio in possessionem.

Hinc interrogatus Innocentius III. an Viri Religiosi vigore indulti Apostolici convertendi Ecclesias suas decedentibus personis in proprios usus, possint licitè propria auctoritate possessionem earumdem intrare, vel per Diœcesanum Episcopum in ipsa potius sint inducendi: Respondit Pontifex, "suo Episcopo inconsulto, in possessionem earum eis non est licitum introire: quia per indulgentiam hujusmodi *Episcopali juri* non credimus derogari." *Cap. 19. ꝗ. De Privilegiis.*

V. Porrò sicuti ipse Dominus feudi potest missionem in possessionem alteri delegare; ita quoque Collatores ordinarii inductionem Beneficiati in possessionem aliis committere possunt.

Et quidem cum ipsa inductio in possessionem seu institutio corporalis tantùm sit quædam sequela quasi necessaria ad ipsam collationem seu institutionem authu-

thorizabilem, solita jam pridem fuere Episcopi eam Archidiaconus, tamquam Vicariis suis delegare: eaque delegatio tensim in jus quoddam Archidiaconale transivit; ut propterea Innocentius III. in *Cap.7.* " *De Officio Archidiaconi* enumerans munia Archidiaconorum inter alia dicat, " quod institutio *corporalis*, tam super Beneficiis, quàm Dignitatibus ad (Archidiaconum) debeat pertinere." Ex hoc Innocentii dicto concludunt uno consensu Canonistæ: de jure communi hodie institutionem competere Archidiacono.

VI. Postquam moribus tandem invaluit, Archidiaconis etiam institutionem authorizabilem seu tituli collativam competere, difficileque visum fuit, Archidiaconum accedere ad locum Beneficii, ut Beneficiatum in possessionem inducat; plerisque in locis ea Archipresbyteris ruralibus committitur, ut etiam notat Zypæus *titulo De Institutionibus num.* 4.

VII. Hoc insuper notat: " Collegia porrò & Capitula passim collegas in possessionem mittunt, ac titulum admittunt à patronis fortè datum, quod est vice canonicæ institutionis: nisi sicubi fortè in erectionibus Collegiorum Archidiaconi curarunt sua jura institutionis præservari, ut Hoochstratæ.

Notandum autem, quod Decani Collegiorum vel Capitulorum inducentes Collegas vel Beneficiatos suarum Ecclesiarum in possessionem dicant, se id facere jure suo *Archidiaconali*: quasi ea in parte jus Archidiaconale exercentes.

VIII. Cæterùm sicut ordinariis Collatoribus liberum est, ut *per se* in possessionem mittere queant; ita & id alteri cuicumque delegare possunt.

Et quidem juxta stylum hodiernum " in collationibus Episcoporum vel aliorum solet mandari quibuslibet Ecclesiasticis personis, ac Tabellionibus vel Notariis, ut inducant in possessionem talem Provisum," uti notat Rebuffus loco citato *n.*15. & patet ex formula collationis & provisionis Ordinariorum quam refert Rebuffus in Praxi Beneficiorum *p.* 20. edit. 1564.

IX. Unde ibidem monet Rebuffus: " Hodie per quemlibet Sacerdotem, vel Clericum, vel per Notarium Apostolicum, vel ab Episcopo creatum potest quis in possessionem mitti.

Interdum autem (ait Rebuffus *num.* 14.) Presbyter ponit in possessionem, & Notarius hoc attestatur; cujus attestationis formam ibi ad longum inserit Rebuffus. Observandum tamen præter Notarium debere adesse ut minùs duos testes, qui unà cum Notario de capta possessione testentur: super quibus Notarius instrumentum conficit.

X. Notarium debere esse *Apostolicum* ut mittat in possessionem, monet ibidem Rebuffus *n.*20. " Quia *Regius* non est ad hoc Notarius (ait) sed tamquam privatus; & per Regem creatus est non ad hoc.

" Posset tamen Notarius Regius (ait *n.* 21.) si Presbyter induceret in possessionem Curatum, vel aliquem Provisum, attestari de hac missione in possessionem, & probaret hæc missio: quia de his quæ fiunt ante eum attestari potest.

Clericus verò mittere volens aliquem in possessionem, debet inspicere litteras collationis, suamque in iis expressam commissionem, eamque sequendo dicere: " Ergo auctoritate Reverendi D. Episcopi N. & in vim litterarum collationis ab eo factæ induco te in possessionem talis Beneficit N. (quod nominare debet) & universorum jurium & pertinentium dicti beneficii &c." Ita Rebuffus *num.* 24.

XI. Adhæc immissio in possessionem requirit, ut cum ipsa pronuntiatione formæ quædam externa symbola realiter adhibeantur, per quæ appareat, quod provisus possessionem accipiat; quæ symbola pro conditione beneficiorum, & locorum consuetudine varia sunt.

XII. In Beneficiis Curatis seu Parochialibus solet dari possessio per ingressum Ecclesiæ: " nam qui fundi possessionem adipisci vult, introire fundum debet, non quamlibet ejus partem circuire, " ait Rebuffus *n.* 26.

Secundò, per aspersionem aquæ benedictæ. " Ad Presbyterum enim & ad Curatum spectat aquam benedicere, & benedictâ aspergere, ut populus eâ aspersione sanctificetur & mundetur, & sic mundus ad altare veniat." Rebuffus ibidem *n.* 27.

Solet quoque addi osculum majoris altaris; quia in majori altari debet celebrare Curatus, & pacem facere cum Deo, & orare pro populo ut Deo uniatur.

Tactus insuper libri Missalis, vel Antiphonarii seu alterius libri Sacramentorum: qui in beneficiis simplicibus esse solet symbolum possessionis. Canonici autem induci consueverunt per assignationem loci in Capitulo, & Stalli in choro.

XIII. Hoc insuper notandum, quod si ingredi Ecclesiam nequeat, possit tunc etiam capi possessio per tactũ pessuli vel ostii; imo aliquando accipitur possessio per aspectum pinnaculi Ecclesiæ, uti tradit Rebuffus loco citato *num.* 34. & latiùs in præfatione ad tractatum de *materia possessoria tomo* 3. *ad Constit. Regias* potestque sic adeptus possessionem agere possessorio.

Formulam adipiscendi hoc modo possessionem exhibet Claudius Hortii in tractatu de materiis Beneficialibus *pag.* 594. è qua videri poterit, quid hic observari debeat.

XIV. Clericus autem vel Notarius inducens in possessionem tantùm est nudus minister; ideoque non recipit cognitionem de justitia tituli vel collationis, nec differt mittere in possessionem: " sed postea Judex coram quo causa agetur cognoscet, & pars quæ est in possessionem missa impetrat litteras à Rege, vel à quibusdam Seneschallis, qui ad hoc potestatem habent: in quibus convenitur pars ad videndum provisum manu teneri in possessione & saisina, in qua est. Et pars se opponet, & jus eidem dicetur coram Seneschallo, vel Baillivo: & baptizantur (ut Dconici dicunt) contrariæ possessiones: & allegantur: postea producuntur tituli, & sequestratur beneficium, vel credentia conceditur." Hæc Rebuffus *n.* 43. & 44. latiùs verò de hac agendi forma infra parte 3. agemus.

XV. Denique possessio potest capi etiam per procuratorem speciale mandatum habentem. Idem speciale mandatum signanter requiritur, quia præviè præstari solet juramentum: quod præstandum est *in animam* constituentis; quod sine *speciali* mandato fieri nequit.

XVI. Quemadmodum Vatallus ante investituram tenetur ipsi Domino directo juramentum fidelitatis præstare; ita jam pridem cautum fuit, ut Beneficiati, præsertim de beneficiis Curatis provisi, obedientiam suo respective Episcopo promittere, vel jurare teneantur.

" Quando Presbyteri aut Diaconi per Parochias constituuntur oportet eos professionem Episcopo suo facere." *lib.* 7. *Capitul. cap.* 466.

Hodie in ordinatione promittunt Presbyteri Episcopo suo *obedientiam & reverentiam.*

XVII. Provisi de Ecclesiis Parochialibus hodie juxta Decretum Synodi P. II. Mechliniensis ante admissionem ad possessionem hac formulâ jurare debent: " Ego N. juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem summo Pontifici Romano, ac R. Domino Episcopo N. eorumdémque successoribus. Item juro & promitto Ecclesiæ meæ Parochiali de N. fideliter deservire secundùm oneris illi annexi exigentiam, & in eo personaliter residere. Bona Pastoratûs vel Ecclesiæ meæ non alienabo; & indebitè alienata, quantùm in me erit, fideliter recuperare studebo. Specificationem omnium fructuum Pastoratûs mei, cum debita designatione hypothecarum, limitum & terminorum,

„ rum, intra annum à festo Nativitatis & Joannis Baptistæ proximè venturo, Archipresbytero tradam; fructus „ anni, in quo me mori aut meam Ecclesiam dimittere „ continget, subjicio & obligo ad laudabilem deservituram usque ad festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, mortem vel dimissionem meam proximè subsecuturum. Sic me Deus, &c.

Hujus juramenti præstandi obligationem renovavit D. Synodus D. Mechliniensis anno 1609. *tit.* 16. *c.* 1. vultque illud præstari coram Archipresbytero & duobus testibus; ac insuper professionem fidei juxta formam à Pio IV. præscriptam; & utrumque ab eo præstitum esse Archipresbyter in registro suo annotabit, cum expressione diei & testium.

XVIII. Ex præscripto hujus Diœcesanæ Synodi eodem titulo *c.* 2. "Adeptus deinceps quodcúmque Beneficium non Curatum præstare debet juramentum „ coram Archipresbytero & duobus testibus, antequam „ possessio ei detur, quod specificationem omnium fructuum ejusdem sui beneficii cum debita designatione „ hypothecarum, limitum, & terminorum, intra sex „ menses Archipresbytero tradet, & dies præstiti juramenti, & nomina testium, registro Archipresbyteri exactè inscribentur.

Similis juramenti formula à Provisis de Ecclesiis Parochialibus, vel simplicibus beneficii præstandi in omnibus passim Belgii Diœcesibus extat, & ante immissionem in possessionem exigitur.

XIX. Synodus Tridentina *Seß.* 24. *c.* 12. *De Reformat.* vult ut "provisi de Canonicatibus & Dignitatibus „ in Ecclesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo seu ejus Officiali, sed etiam in Capitulo idem (scilicet Orthodoxæ fidei, publicam professionem facere „ teneantur; alioquin prædicti omnes, fructus non faciant suos: nec illis possessio suffragetur.

XX. De Canonicis *Collegiatarum* Ecclesiarum non loqui Synodum Tridentinam in hoc Decreto agnoscit Synodus D. Mechliniensis *tit.* 1. *c.* 4. Quia tamen (ait) „ temporum calamitas, & invalescentium hæreticorum „ malitia cogit, ut nihil prætermittatur, quod ad populorum ædificationem, & Catholicæ fidei præsidium, „ videatur posse pertinere; mandamus ut omnes ac singuli canonicatus aut dignitates in Ecclesiis *Collegiatis* „ deinceps obtenturi faciant fidei professionem, singuli „ in Capitulo suo, antequam residere incipiant.

Verum nec in hac Diœcesi Mechliniensi in omnibus Ecclesiis Collegiatis hujus Decreti usus viget; neque Canonici ante admissionem ad residentiam, publicam hanc fidei possessionem emittunt. Qui non usus eo tolerabilior est, quod hodie plerique ante adeptionem hujusmodi Canonicatuum, eam professionem in susceptione Ordinis sacri vel Gradus Academici præstiterint.

XXI. At Canonici tam Collegiatarum, quam Cathedralium Ecclesiarū communiter jubentur ante adeptionem possessionis jurare, quod Canonicum habeant ingressum, quodque statuta Capituli observabunt; bona quoque ac jura & privilegia pro posse tuebuntur, & conservabunt, neque secreta Capituli revelabunt.

XXII. De hoc Canonicorum juramento loquens seculo præterito Synodus Coloniensis *parte* 3. *cap.* 19. deplorat, quod "ferè quotquot sunt Cathedrales & „ Collegiatæ Ecclesiæ suum habeant volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro affectu privato „ cujuslibet augentur ac crescunt. Inter hæc reperias „ (ait) quàm plura, quæ *quæstum* magis, quàm *pietatem* „ resipiant.

Deinde ulterius dicit: "Et quantumvis pleraque inter hæc *iniqua* reperias, adiguntur tamen omnes qui „ recens admittuntur, ut ad hujusmodi statutorum observationem (etiam penitus ignari quid contineant „ illa) citra ullum delectum jurejurando se alligent: cum „ tamen juramentum non debeat esse iniquitatis vinculum, nec ad ignorata extendi.

Similiter Synodus Tridentina *Seß.* 24. *cap.* 14. *De Reformat.* evidenter supponit, nonnunquam inter constitutiones seu statuta Capituli etiam à Sede Apostolica confirmata, reperiri nonnulla quæ *simoniacæ labis*, aut *sordidæ avaritiæ* suspicionem habent.

XXIII. Quapropter meritò Provisi de Canonicatibus priusquam hujusmodi juramenta faciant, seriò & singillatim statuta, quorum observantiam jurare debent, expendent: ne aliàs vel temerariè & sine judicio jurent; vel iniqua juramento confirment.

XXIV. Prælati quoque aliique quibus Capitulorum directio incumbit, non immeritò hujusmodi juramenta examinant, expendúntque, num ea quæ jurantur non tantum per se sint licita & honesta; sed insuper, an pro temporum & locorum conditione observari queant.

Quare rectè statuit Synodus Antverpiensis an. 1610. *tit.* 17. *c.* 10. "Ut statuta singulorum Capitulorum & „ juramenta ab admittendis ad beneficia præstari solita, „ decretis Concilii Trident. consentiant; exhibebuntur nobis omnia antiqua statuta & juramenta examinanda, ut si quæ iis fortè reperiantur supradicti Concilii Tridentini decretis repugnantia emendetur.

XXV. Et dein *cap.* 11. addit, "Hortamur autem „ in Domino omnes quos ea res concernit, ut revideant atque perpendant juramenta antiqua quæ ab „ admittendis ad officia, opificia, aliáque muniá præstari solent; eo fine, ut quæ in usum deduci non possunt, „ omittantur.

Optandum planè, ut juramenta, quæ ubique, etiam in Academiis, admodum frequentia sunt, & passim sine ulla penè advertentia aut discussione, tamquā quædam formulæ nihil significantes, à promovendis ad Officia & Gradus leguntur & emittuntur, reviderentur, atque superflua, & quæ in usum nunquam deducuntur, neque deduci possunt; imò nec à jurantibus, nec exigentibus frequenter satis intelliguntur, omitterentur: eáque solâ conservarentur, quæ publica necessitas aut utilitas exigit: utque in veritate, judicio & justitia juraretur tum sedulò attenderetur.

XXVI. Nonnulli Prælati non contenti promissione Canonicæ obedientiæ, etiam *homagium* à Clericis ad Beneficia aut Ordines promovendis exigebant; idq; non absimile ei quod Vasallus ratione feudi, & tamquam *homo* ipsius Domini directi, debet exhibere Domino directo; de quo, variisque ejus speciebus & formulis, quibus à Vasallo exhibetur Domino latè agit Du Cange in Glossario verbo *Hominium* seu *Homagium*.

XXVII. Hoc ex omnibus formulis præstandi *homagii* evincitur, professionem homagii tendere ad exhibitionem servitiorum temporalium; atque fidelitatem servandam in tuendis juribus, aut etiam vita temporali ipsius Domini. Proinde meritò jam pridem judicatum fuit, hujusmodi Homagium à Clericis exigi non posse: imò pro spiritualibus hujusmodi professionem exigere, Simoniacum esse, creditum est.

"Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum, ut pro spiritualibus facere quis *Homagium* compellatur," ait Pontifex in *Cap. fin.* ✠ *De Regulis Juris*.

In vita S. Guilielmi Abbatis Divionis apud Bollandū ad 1. Januarii *c.* 3. legitur, eum maluisse S. Ordinis susceptionem differre, quàm assertione *jurisjurandi fidelitatem* Episcopo promittere: "Quia salubriter non poterat perpendere, ut pro his, quæ solius Dei Imperio „ *gratis* præstari debent, horum ministro alicujus firmandæ fidei assertionem ullo modo exhiberet.

XXVIII. Hac de re ad quemdam Episcopum scribens S. Fulbertus Episcopus Carnotensis *Epistola* 42. ostendit,

dit, plurimum interesse inter promissionem canonicæ obedientiæ, & fidelitatis professionem." Si Abbas S. Benedicti (ait) de vestro contemptu culpam suam recognoverit & illam deinceps subjectionem promiserit, quæ vobis Canonicè debetur, hortor & suadeo ut recipiatis: Sacramenta verò, & cætera quæ ad *mundanam* legem pertinent, propter amorem Regis missa faciatis; ut Religionem magis, quàm secularem ambitionem vos sectari cognoscat. At si Abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam quoque subjectionem *canonicam* vobis derogare contendat, superbiæ, cui non parcit Deus, Dei servus quomodo, parcat, nescio.

Prælati, & Canonici qui nonnunquam à Beneficiatis suisq; Vicariis exigunt servitia & obsequia temporalia, meritò perpendant, an reipsa sibi *Homagium* pro spiritualibus exhiberi non petant.

XXIX. Denique, sicuti Dominus directus à novo Vasallo juxta consuetudines feudorum exigere solet certa jura, quæ *Relevia* dici solent, ita jam pridem Prælati nonnulli, item Archidiaconi & Canonici in admissione Beneficiatorum ad possessionem seu installationem jura aliqua sibi solvi voluerunt: quam consuetudinem tum à Pontificibus, tum Conciliis sæpius reprobatam legimus.

XXX. In *Cap.* 9. ꝰ *De Simonia* refertur ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III." Cum in Ecclesiæ corpore omnia debeant ex charitate tractari, & quod *gratis* receptum est, *gratis* impendi: *horribile* nimis est, quòd in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut *pro Episcopis vel Abbatibus, seu quibuscumque personis Ecclesiasticis ponendis in sede, seu introducendis presbyteris in Ecclesiam* aliquid exigatur. Putant plures ex hoc sibi licere, quia legem mortis de *longa* invaluisse *consuetudine* arbitrantur: non satis, quia cupiditate cœcati sunt, attendentes, quod tanto graviora sint crimina, quantò diutiùs animam infelicem tenuerint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, & *vel pro personis Ecclesiasticis deducendis ad sedem, vel Sacerdotibus instituendis* aliquid exigatur, districtiùs inhibemus. Si quis autem contra hoc venire præsumpserit; *portionem cum Giezi* se noverit habiturum: *cujus factum turpis muneris exactione imitatur*.

Et Innocentius III. in *Cap.* 36. ꝰ *De Simonia* rescripsit Archiepiscopo Cantuariensi, ut "*pravam* consuetudinem de sua Provincia studeat abolere, per quam pro investitura, Archidiaconi *mancham* argenti, minores verò Decani *vaccam albam* sibi dari postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem.

XXXI. Plura in hanc rem Pontificum & Conciliorum Decreta retuli in Tractatu De Simonia circa Beneficia *parte* 1. *c.* 2. §. 3. ac una Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *c.* 14. *De Reform.* detestantis & reprobantis omnia quæ à Canonicis exiguntur à novis Canonicis convertenda in suum proprium commodum in admissione ad possessionem; quibus addi potest Decretum Synodi Audomarensis anno 1585. *tit.* 12. *c.* 10. "In admissione novi Canonici ad possessionem nihil exigatur quod in pios usus non convertatur & à nobis probatum sit; non pecunia, non prandium, non aliud quidvis quod in cœterorum Canonicorum commodum cedat, quacumq; consuetudine etiam immemorabili non obstante.

Dein §. 4. retuli ex Spicilegio Dacherii Epistolam Honorii II. ad Episcopum & Clerum Leodiensem, qua reprobat, & *detestabilem* vocat consuetudinem Patriæ Leodiensis exigendi per Decanos & Archidiaconos *determinatam pecuniam de investituris* Ecclesiarum & Altarium.

XXXII. Hæc meritò perpendent, qui sine ullo scrupulo, solâ consuetudine se securos existimantes, jura etiam notabilia in admissione ad possessionem exigunt & extorquent: nisi iis præviè solutis, possessionem dare renuunt atq; denegatione possessionis Provisos ad dandum cogunt: qui indubiè nonnunquam ad redimendam vexam licitè solvunt, tametsi exigentes forsan illicitè accipiant: ut hìc applicari subinde queat illud Christi dictum *Beatius magis est dare, quàm accipere*.

CAPUT III.

De Regula Cancellariæ, De *Annali Possessore*.

1. *Quis primus Regulæ auctor; & quæ ejus origo.*
2. *Textus Regulæ exhibetur.*
3. *In Gallia recepta.*
4. *Quis præcipuus ejus scopus?*
5. *Habet locum in provisione Papæ etiam motu* propriò *expedita.*
6. *Hæc regula locum habet tametsi possessor sit omni titulo destitutus.*
7. *An procedat in spoliatore: item in non habente titulum* coloratum.
8. *Non propterea intrusi foveantur.*
9. *Quomodo contra intrusos procedi possit, non obstante hac Regula.*
10. *Regula non habet locum in provisionibus Ordinariorum.*
11. *Regula requirit* annalem *possessionem tempore impetrationis.*
12. *Debet esse* pacifica *possessio: & quæ talis habeatur.*
13. *Non desinit esse* pacifica, *quia possessor nullos fructus percipit, etiamsi iis per sententiam esset privatus.*
14. *Impetrans Beneficium annalis pacifici possessoris debet qualitatem & gradum possessoris, & tempus continuatæ possessionis exprimere: sed quoad hoc Regula derogari solet.*
15. *Quoad tempus instituendæ & prosequendæ litis, Regula hic non obtinet.*
16. *Neque quoad solutionem expensarum, interesse & mulctæ.*
17. *Quomodo intelligenda clausula regulæ de nullitate provisionis.*

I. PRimus hujus Regulæ auctor est Eugenius IV. uti notavit Gomesius in præfatione hujus regulæ; eamq; ad imitationem Feudorum conditam credit." Jura enim Feudorum quæ disponunt, Vasallum *per annum* possidentem, sciente & non contradicente Domino, investitum præsumi debere, adeo quod ex tali possessione, sine titulo contra Dominum se defendere poterit, certè potuerunt dare causam, ut ad similitudinem illorum jurium de *annali* possessione in materia feudali loquentium, ista Regula constitueretur: Nam dispositio loquens de feudis, in Beneficiis Ecclesiasticis trahitur & procedit, ut latè probat Decius in consilio 76." Hæc Gomesius loco citato.

II. Regulam, prout ab Eugenio IV. primum edita fuit, refert Gomesius; cui à Julio III. nonnulla addita fuerunt; quam additionem subsequentes Pontifices retinuerunt, eaq; formula hodie exprimitur, estque 35 inter Regulas Cancellariæ.

"Item S.D.N. ut improbi lites exquirentium motus reprimantur, voluit, statuit & ordinavit, quòd quicumque Beneficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præcedentem pacificè possessum, & quod certo modo vacare prætenditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilitatem possessoris ejusdem, & quot annis ipse illud possederit, ac specificam & deter-

gator. Secus tamen erit dicendum in impetrante à Papa, qui præsumetur injustus impetrans & molestator si non servat istam regulam, ex eo, quia Papa in dubio non intendit concedere gratiam contra annalem possessorem, non factâ mentione istius regulæ: quia non habet, nec præsumitur habere, sicut Ordinarii notitiam possessorum orbis terrarum, ob varias occupationes rerum, propter quas multoties non concedenda concedit.

XI. Ut regula obtineat: requiritur, ut beneficium fuit possessum per *annum*, scilicet *integrum & continuum*; idque *tunc immediatè præcedentem*, ut ait Regula: hoc est, tempore *impetrationis*, quemadmodum rectè notat Rebuffus *Glossa* 4. & 5." Unde si nunc possederit per *sex* menses [ait Rebuffus] & postea alius, demum primus per alios sex menses, non habebit locum hæc regula, per hoc verbum, *immediatè præcedentem*,

XII. Non sufficit per annum immediatè præcedentem possedisse; sed requiritur possedisse *pacificè*, id est sine lite & controversia, ait Rebuffus *Glossa* 6. additq; : " Ideoque citatus etiam nulliter, dummodo processus sit introductus, non dicitur pacificè possidere, quia non sine lite & controversia possedit." Idq; sive lis fuerit in petitorio sive possessorio; dummodo non sit super juribus aut appendicibus beneficii, quæ magis redderent illud pacificum; sed super *titulo* beneficii; uti loquitur Molinæus *n*. 100.

XIII. Quapropter possessor non desinit esse *pacificus*, licet nullos fructus percipiat; imò tametsi forte ob crimen aut suspicionem criminis ipsius possessoris fructus sequestrentur, aut etiam per sententiam privetur modò tamen nulla ei super *titulo* lis aut controversia moveatur aut mota sit.

XIV. Quando ergo quis in Romana Curia impetrare vult beneficium annalis pacifici possessoris tamquam de jure *vacans*, debet imprimis juxta tenorem Regulæ exprimere *nomen gradum & nobilitatem* possessoris. Item *quot annis* possederit." Verùm, hodie in quacumq; impetratione, sive per obitum, sive per resignationem, sive certo modo, sive sint provisiones *perinde valere*, *Si neutri* & similes, huic primæ parti regulæ derogari solet, quoad scilicet expressionem gradus, nobilitatis & temporis, quo possedit is, cujus Beneficium impetratur." Ita Chokier ad hanc regulam *n*. 43. Et Pater Hunnoldus Plettenbergius in *Notitia Congregationum* in notis ad hanc regulam *n*. 4. idipsum notat, additq; *Ideoq; quoad hoc derogatum est huic regula.*

XV. Vult insuper regula, quod impetrans " infra *sex menses* ipsum possessorem ad judicium evocari faciat, cautamq; ex *tunc* desuper infra *annum* usq; ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat & teneatur." At quoad evocationem possessoris ad judicium infra *sex menses*, regula in Francia non servatur, teste Rebuffus *Glossa* 14." Et in hoc Regno Franciæ sufficit (ait) intra annum agere possessorio coram judicibus Regiis.

Quoad alteram partem, scilicet persecutionem causæ infra annum usque ad diffinitivam, notat Rebuffus *Glossa* 15. quod regula dicat, PROSEQUI *debeat*, non dicat *finire*: quia hoc non est in partis potestate semper, sed interdum judicis, & sufficit quod non stet per partem. Deinde subjungit: " Non vidi tamen ob hoc beneficium amitti in Francia, ubi processus sunt longissimi. Solent tamen impetrantes quandoque à Papa prorogationem impetrare: quod rarum est in hac patria, cum in hoc non servetur." Quod de Regno Franciæ hic monet Rebuffus, id & in Belgio servatur; neque in Belgio est ullus hujus Regulæ usus, quatenus processum judicialem concernit, vel formam futuræ instantiæ præfigit.

XVI. Similiter quod Regula statuit, " idem impetrans de damnis & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfaciat, & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, " nec in Gallia, nec in Belgio per omnia servatur. Nam Judices Regii cognoscentes de possessorio non solent victum condemnare ad *mulctam*; uti etiam observat Rebuffus *Glossa* 18. ad expensas verò & interesse etiam in Beneficialibus, si à parte petantur, condemnare solent; etiam extra casum hujus Regulæ.

XVII. Quod autem dicit Regula, quod si non sint expressa exprimenda, *Impetratio & quæcumque inde secuta nullius existant firmitatis*, sic intelligi oportet, quod annalis pacificus possessor possit excludere impetrantem ob non expressionem requisitorum, *non ratione suæ possessionis annalis, sed subreptionis* ait Rebuffus *Glossa* 16. Et uti rectè etiam notat Molinæus *n*. 103." Hæc Regula nullo modo fovet Possessorem: quia non impedit illum deturbari per impetrantem à Papa vel Legato servata forma: nec aliter jus impetrantis corroborat: meritò non requirit titulum coloratum, nec aliam qualitatem possessoris.

CAPUT IV.

De Regula Cancellariæ de *Triennali Possessore.*

1. *Regula hæc desumpta est ex Decreto Concilii Basiliensis & posteriores Pontifices eam vix mutârunt.*
2. *Cur in Regula mentio non fiat Concilii Basiliensis: & quomodo in Gallia recepta.*
3. *Decretum Concilii prodest ad elucidationem regulæ.*
4. *Refertur textus Regulæ*
5. *Decretum Concilii Basiliensis prout Sanctioni Pragmaticæ est insertum.*
6. *Requirit Regula, uti & Decretum possessionem* triennalem.
7. *Triennium debet esse* completum.
8. *Insuper requiritur* continuum.
9. *Tempus prædecessoris an prosit successori?*
10. *An in eodem tempora possessionis conjungi queant.*
11. *Quomodo probetur triennium fuisse* continuum.
12. *Possessio triennalis debet esse* pacifica.
13. *Quid juxta Decretum Basiliense exigatur ut possessio fiat non* pacifica.
14. *Turbatus ab uno, videtur inspecto tenore Regulæ turbatus quoad omnes.*
15. *Secus inspectis verbis Decreti Basiliensis; hócque in Gallia servatur.*
16. *Videtur sensus Regulæ hæc in parte trahendus ad sensum Decreti.*
17. *Qui obtenta recredentia per triennium sine molestatione possedit, censetur triennalis pacificus.*
18. *Requiritur cum pacifica triennali possessione titulus saltem* coloratus.
19. *Quis dicendus titulus* coloratus; *clarius in Regula, quam in Decreto exprimitur.*
20. *Titulus* coloratus *dupliciter considerari potest.*
21. *Qui sint tituli* non colorati; *& cui incumbat probatio circa titulum.*
22. *Debet uno* triennio *ad fuisse titulus* coloratus.
23. *Quare potius hæc regula requirit titulum* coloratum *quam regula* De Annali.
24. *Post pacificam* triennalem *possessionem Possessor molestandus non est.*
25. *Fallit si agere impeditus fuerit: & quomodo de hoc impedimento protestandum.*

16. *An*

26. *An inter legitima impedimẽta referenda minor ætas.*
27. *An Resignatarius Possessoris triennalis pacifici possit molestari?*
28. *Si post triennium molestetur pacificus Possessor quomodo agendum.*
29. *Hoc intelligendum de molestatione privatorum.*
30. *Nec Regula, nec Decretum Basiliense vult, Beneficia sine titulo, etiam post triennalem possessionem, retineri.*
31. *Triennalis possessio non impedit, aliquem posse Beneficio sic possesso privari.*

I. REgulam hanc habuisse originem à Decreto quodam Concilii Basiliensis notant omnes passim Commentatores; monetq; Gomesius in præfatione ad hanc Regulam, ex hoc Concilii Basiliensis Decreto, eam ferè *ad verbum* transcriptam, paucis omissis, additis vel immutatis.

Insuper observat Gomesius ibidem, eam à posterioribus Pontificibus vix fuisse mutatam; nisi quod Adrianus VI. pauca quædam, ad extinguendas motas quæstiones, addiderit, quæ ibi designat Gomesius.

II. Quamvis autem ex Dicto Decreto Regula sit desumpta, nulla tamen illius in regula mentio occurrit: " quia Summi Pontifices auctoritate illius uti noluerunt, „ ne sic tacitè (Concilium Basiliense) approbare viderentur, " ait Gomesius.

Econtra in Gallia, hæc regula non est recepta tamquam Regula Cancellariæ Romanæ, sed tamquam Decretum Concilii Basiliensis, insertum Sanctioni Pragmaticæ, & confirmatum per Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. uti monet Guilielmus Noyerius in notis ad praxim Curiæ Romanæ Perardi Gastelli *pag.* 38. edit. 1693.

III. Interim cum Decretum Basiliense originem huic regulæ dederit, non dubium quin ad elucidationem regulæ non parum Decretum illud conferre queat, atq; supplere ea quæ forsan in regula desiderari, vel dubia esse possent.

IV. Regula hodie 36. exprimitur his verbis: "Item statuit, & ordinavit idem D N. quòd si quis quæcumq; Be„ neficia Ecclesiastica, qualiacumq; sint, absq; simoniaco „ ingressu ex quovis titulo, Apostolicâ vel ordinariâ col„ latione aut electione, & electionis hujusmodi confir„ matione, seu præsentatione & institutione illorum, ad „ quos beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, ele„ ctio & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, „ per triennium pacificè possederit [dummodo in Bene„ ficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reserva„ tione generali in corpore Juris clausa, reservata fuerint, „ se non intruserint) super eisdem Beneficiis taliter pos„ sessis molestari nequeat, nec non impetrationes quas„ libet, de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & ina„ nes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis „ motas penitus extinguendo.

V. Decretum Concilii Basiliensis prout insertum est Pragmaticæ Sanctioni, diciturq; Decretum De *Pacificis Possessoribus* & è quo regula desumpta est, hoc tenore expressum est: "Quicumq; non violentus, sed habens colo„ ratum titulum, pacificè & sine lite prælaturam, digni„ tatem beneficium, vel officium triennio proximo ha„ ctenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit „ postea in petitorio vel possessorio à quoquam etiam „ ratione juris noviter impetrati, molestari, excepto ho„ stilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo „ protestari, & juxta Concilium Viennense illud intima„ re teneatur. Lis autem hoc casu quoad futuras contro„ versias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisq; „ sui in judicio exhibitionem, ac terminorum omnium „ observationem, processum fuerit. Ordinarii autem di„ ligenter inquirant, ne quis sine titulo beneficium possi„ deat. Quod si talem quandocumq; repererint, decla„ rent jus illi non competere, vel huic (si sibi videatur) „ nisi sit intrusus, seu violentus, aut aliàs indignus, vel al„ teri idoneo provideant.

VI. Sive verba regulæ, sive Decreti attendantur, manifestum est, intentionẽ auctorum sive conditorum fuisse, ut *pacifici* triennales Beneficiorum possessores haud facilè vexentur aut molestentur; sed pro veris & Canonicis Beneficiorum Possessoribus reputentur, nisi se in Beneficia vel intruserint, vel per Simoniam intraverint: ipseq; titulus saltem *coloratus* cum pacifica triennali possessione concurrens pro vero titulo habeatur.

VII. Imprimis ergo requiritur, tam ex regula, quàm Decreto, ut quis possederit Beneficiũ *triennio proximo*, ut habet Decretum; vel ut exprimitur in Regula, *per triennium possederit*, id est, *completum & consummatum*, ut loquitur Glossa Pragmatica *pag.* 422. editionis Parisiensis an. 1666. ubi & notat ex Joanne Andræa, aliisque, "quod „ ubicumque lex tempus certum requirit, quod intelli„ gatur *completum & de momento ad momentum*, nisi a„ liud lex declaret, vel simus in favorabilibus.

VIII. Nec tantum completum, sed & *continuum* triennium possessionis exigitur, nam præpositio *per* denotat omnimodam continuationem. Et *continuum* triennium requiri asserit Rebuffus in Tractatu *De Pacificis possessoribus num.* 320.

IX. Hinc infert *n.* 321. quod tempus prædecessoris non possit hic juvare successorem; eò quod tempora possessionis conjungi nequeant; nec *annus continuum* efficere: quia sicut in bonis Ecclesiæ non succeditur jure hæreditario; ita nec in titulo Beneficii, qui debet haberi à Superiore, succedetur, ait Rebuffus. Aliud est in profanis, in quibus jus seu titulus potest in successorem transferri & ita tempora possessionis conjungi & continuari & ita decisum fuisse in Rota Romana testatur Gomesius ad hanc Regulam *quæstion.* 20. Quin & credit Rebuffus *numer.* 324. quod tempora non conjungerentur, licet successor esset *surrogatus* in jus possessionem alterius.

X. Imò si quis post *biennalem* possessionem resignasset Beneficium, postmodum autem cognita invaliditate resignationis reversus ad Beneficium, possedisset per *annum*, inspecta stricta juris ratione, ob interruptam possessionem, hâc regulâ juvari non poterit, ait ibidem Rebuffus; licet contraria opinio æqua ei videatur. Et quia uti notat *n.* 328. non est prohibita accessio "temporis in u„ no & eodem, etiam in Beneficialibus, licet in diversis „ secus.

XI. Ad probandum tamen triennalem possessionem fuisse *continuam* " sufficit probare extrema, id est, princi„ pium primi anni & finem tertii; quia possessio præsu„ mitur continuata; " ait Probus in additione 18. ad Glossam Pragmaticam *pag.* 419. nisi probet actor possessionem fuisse interruptam.

XII. Non sufficit per triennium *completum & continuum* possedisse, sed insuper requiritur, ut *pacificè* possederit; id est, sine lite & controversia, sive in possessorio, sive petitorio; quemadmodum capite præcedenti expositum fuit.

XIII. "Lis autem hoc casu quoad futuras controversi„ as intelligatur [ait Decretum Basiliense] si ad executio„ nem citationis jurisque sui in judicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem processum fuerit.

Ad hæc verba notat Glossa Pragmatica *pag.* 434. Ut dicatur Beneficium litigiosum tria requiruntur. " Primò „ quod emanaverit citatio executata. Secundò quod titu„ lus agentis fuerit in judicio competenti parti adversæ „ exhibitus, Tertiò quod omnes dilationes ordinariæ ju„ ris vel styli, quæ dantur ad litem contestandam, sint e„ lapsæ ante triennium. Notat

Notat tamen ibidem Probus *n. 5*. Si non sint lapsæ di-„ lationes, quia per partem adversam stetit, ut quia suo „ dolo, aut malitia, vel cavillationibus, aut subterfugiis, „ fecit quod non sunt lapsæ, quod regulis vulgatis est tri-„ tum: aliàs esset in potestate adversarii, quod præ-„ scriptio triennalis non interrumperetur.

Vide etiam Zypæū *de Resp 3. Prabendis n. 4.* ubi scribit, per illa allegata verba aliud non velle Concilium, quàm contestationem, aut aliam diligentiam, quæ fieri potuerit ex circumstantiis & judicis arbitrio.

XIV. Quærit Gomesius *qu. 22.* utrum interruptio pacificæ triennalis possessionis, facta ad citationem unius prosit aliis; resolvitq; affirmativè; & ita tenere Rotam Romanam asserit.

Sed quid si quis ante completum *triennium* litigaverit contra unum, an post *triennalem* possessionem possit etiam molestari ab alio, qui intra triennium non molestavit, adeoq; respectu unius fuit in pacifica possessione? Inspecto tenore regulæ, apparet, quod nequidem adversus hunc tertium poterit hujusmodi *triennalis* possessor se tueri: quia regula requirit, ut per *triennium pacificè* possederit: dicitque Gomesius *quæst. 21.* quod invaluerit ista opinio in Rota, quod beneficium semel litigiosum *cum uno*, efficiatur litigiosum, seu verius; *non pacificum* quoad omnes alios. Rationem allegat Gomesius: "Quia „ sicuti in præscriptione civili requiritur bona fides tam-„ quam unum substantiale, ita in hac triennali requirit „ Regula pacificam possessionem pro forma substantiali „ Quo stante, ubi aliquis citat pacificum possessorem, „ clarum est, quod per illam citationem desinit esse paci-„ ficus: & per illam citationem extinguitur unum ex sub-„ stantialibus requisitis in ista regula, videlicet pacifica „ possessio.

XV. At Rebuffus magis attendens praxim Galliæ, & Decretum Pragmaticæ Sanctionis sive Concilii Basiliensis, dicit, "quod licet quis litigaret adversus unum per tri-„ ennium, & adversus alios non, quod post triennium „ non poterit ab aliis molestari: quia fuit pacificus quoad „ alios. Et quia textus Decreti dicit quem non posse ve-„ nire post triennium nisi alleget impedimentum, & „ protestetur intra triennium: ergo vult (ait Rebuffus) ut „ pacificè possideat adversus illum qui non est protesta-„ tus; qui non fuit impeditus agere, si non moveat litem, „ non poterit postea agere, & ista est *Praxis indubitata* „ *Regni*, juri & rationi conformis." Ita Rebuffus *n. 200.* & „ rursus *n. 363*, ita sæpius judicatum.

XVI. Cum Regula ex Decreto fuerit desumpta, atque tam Decretum, quàm Regula ad lites super beneficiis, per quas cultus divinus, & Ecclesiarum cura negligitur, aliáque innumera incommoda oriri solent, minuendas & amputandas sint composita, non apparet, cur non eumdem sensum ipsi Regulæ dare liceat; eumq; *pacificè* possidere non censeamus respectu illius, qui per triennium tacuit: cum Regula contrarium expresse non dicat. Vide Zypæum *Resp. 3. De Prabendis n. 7.*

XVII. Insuper refert Rebuffus, non semel per arrestum Parlamenti judicatum, quod si adjudicata recredentia „ adversarius taceat per *triennium*, & permittat posside-„ re partem adversam, non poterit Possessor post trien-„ nium, etiam à parte adversa molestari super possesso-„ rio.

XVIII. Præter triennalem pacificam possessionem requirit Decretum Concilii Basiliensis, ut possessor sit *non violentus*, sed habens *coloratum titulum*; vel ut exprimit Regula, beneficium " sine Simoniaco ingressu, ex quo-„ vis titulo Apostolico vel ordinaria collatione, & ele-„ ctionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione & „ institutione illorum ad quos beneficiorum hujusmodi „ collatio, & provisio, electio & præsentatio seu quævis „ alia dispositio pertinet, per triennium pacificè posse-„ derit.

Notat Gomesius *qu. 16.* quòd licèt Regula non exprimat an *verum*, an *coloratum* dumtaxat titulum requirat, " satis tamen appareat requirere solum *coloratum*, ex „ Decreto Concilii Basiliensis à quo secundùm commu-„ nem opinionem habuit originem ista Regula; in quo „ Concilio expressè dicitur, quod sufficit quòd Possessor „ *triennalis* habeat titulum *coloratum*. Imò Regula ista „ indistinctè loquens debet capere interpretationem à „ matrice & à fonte.

XIX. Sicuti ipsa Regula interpretationem aliquam accipere potest à Decreto tamquam matrice & fonte; ita in nonnullis Decretum à Regula explanationem accipit: ac signanter, ut intelligatur, quis *coloratum* titulum habere dicendus sit: quod clarioribus terminis Regula expressit; quemadmodum notavit Rebuffus: qui inquirens quis dicendus titulus *coloratus* ait *n. 43.* "Et brevi dicen-„ dum est coloratum dici titulum, dum tamen quis ex A-„ postolica vel ordinaria collatione, aut electione, aut e-„ lectionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione „ & institutione illorum ad quos beneficiorum hujus-„ modi collatio, & provisio, electio & præsentatio, seu „ quævis alia dispositio pertinet, obtineat, ut declara-„ tur in regula 33. Cancell. licet ob aliquod vitium titu-„ lus non dicatur justus.

XX. Ulterius pro intellectu regulæ quoad titulum *coloratum* monet Gomesius *qu. 17.* advertendum diligenter dupliciter posse considerari titulum *coloratum*." Primo „ modo, quoad effectum istius regulæ. Secundo modo, „ quoad effectus juris communis. Quoad effectum istius „ regulæ, pone istam conclusionē pro firma: quòd omnis „ ille dicitur habere titulum coloratum, qui non exclu-„ ditur in regula.

XXI. Idem tradit Chokier ad hanc Regulam *n. 85.* ex quo dein infert: "Ideoque illi soli *discoloratum* titulum „ ad effectum hujus Regulæ habere dicuntur, qui habent „ titulum per Simoniam, vel de beneficio reservato re-„ servatione in Corpore Juris clausâ: quia isti duo casus „ excepti Regula firmant regulam in contrarium in ca-„ sibus non exceptis." Et conformiter judicatum refert Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Definit. 5.* Et plura de titulo colorato vide apud Glossographum Sanctionis Pragmaticæ pag. 415. ubi & pag. 417. ostendit „ quod qui dicit, aliquem possedisse sine titulo colo-„ rato, debeat illud probare; "cum nemo teneatur proba-„ re titulum suæ possessionis: & ideo pars agens non au-„ dietur, nisi contra Possessorem aliquid probet, per quod „ priùs appareat, ipsum non habere titulum coloratum. „ Sed ad instantiam judicis bene teneretur Possessor co-„ lorem tituli probare: quia in his exuberat officium ju-„ dicis.

XXII. Ostendit præterea ibidem, non sufficere, quod titulus coloratus superveniat post unius alteriusve anni possessionem; sed requiri ab initio titulum *coloratum*; sive quod *integro triennio* pacificè possederit beneficium cum titulo *colorato*." Unde (ait) præscriptio triennalis in-„ cipiet currere ab eo tempore, quo habuit titulum *colo-*„ *ratum*.

XXIII. Quare hæc regula *De Triennali* potius requirat titulum saltem *coloratum*, quam regula *De Annali* (de qua capite præcedenti actum fuit) rationem allegat Antonius Faber in Codice *Lib. 1. tit. 2. Definit. 15.* "Quo-„ niam illa *triennalis*) tribuit jus in beneficio, hæc (*De An-*„ *nali*) non item; sed excludit dumtaxat impetrantem ob „ non expressas qualitates, neque tam in favorem Posses-„ soris inducta est, quam in odium malè impetrantis.

XXIV. Effectus ergo pacificæ possessionis triennalis cū titulo colorato est, quod super eodē beneficio taliter possesso molestari nequeat, uti loquitur Regula. Decretū verò ait: " Non possit postea in petitorio vel possessorio à „ quoquā, etiā ratione juris noviter impetrati, molestari.

Ultima hæc verba, *ratione juris noviter impetrati*, videntur

dentur incidere cum his verbis Regulæ: *Nec non impetrationes quaslibet de beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit.*

XXV. Subdit tamen Concilium Basiliense: "Excepto „hostilitatis casu vel alterius legitimi impedimenti, de „quo protestari juxta Concilium Viennense intra triennium „tenetur.

Decretum Concilii Viennensis, ad quod hic fit remissio, habetur in *Clem.* CAUSAM *De Electione*, ubi decernitur, quod si propter appellati aut suorum metum vel „potentiam intimatio appellationis fieri nequeat in domo „quam ipse appellatus habitare communiter con- „suevit, vel si domus ista in remotis existat, in Ecclesia „Cathedrali, in cujus civitate vel Diœcesi consistat beneficium, „prout & in loco beneficii ipsa protestatio fiat „quoad propositum nostrum, & aliàs quod ad notitiam „possidentium perveniat, aut verisimiliter valeat." Ita „probat ad Gloss. Prag. pag. 432.

Poterit ergo ille, qui legitimo impedimento fuit impeditus, actionem suam instituere, & etiam post *lapsum triennii* agere; modò de impedimento ante completum triennium *protestatus* fuerit juxta formam hic expressam nisi tale subfuisset impedimentum, ut nec ipsa protestatio fieri potuisset, puta si omni tempore incarceratus fuisset. Rebuffus *De Pacificis possess. n.* 402.

XXVI. Inter legitima impedimenta refert Glossa Pragmatica *minorennem* ætatem; creditq; Minori, cujus beneficium aliquis titulo colorato per triennium pacificè possedit, esse, saltem judicis arbitrio, dandam restitutionem; ad quam opinionem Glossæ reflectens Philippus Probus ait *pag.* 430. *nota* 4." Unum tamen tibi dico, quod nunquam „vidi, nec auribus percepi, quod in hoc casu prout „nec in aliis spiritualibus minor fuerit restitutus, nec „quoad concernit decretum quod versatur, circa petitorium, „nec quoad retinendæ possessionis interdictum, „quod concernit possessorium, coram Judicibus in Gallia „agitari privatè consuetum.

Fallit ubi dolus subest vel circumventio, ut pluribus arrestis est judicatum, Ita in nota marginali ibidem monet Franciscus Pinsonius.

XXVII. Ipsa autem triennalis pacifica possessio cum titulo colorato ita firmat jus possessoris, ut si beneficium sic possessum alteri resignaverit; atq; vigore hujus resignationis in jus ipsius pacifici triennalis possessoris sit surrogatus resignatarius, non possit jus ipsius *triennalis* possessoris de novo discuti; sive Surrogatus molestari nequit ob defectum juris sui prædecessoris pacifici triennalis, sed bene discuti potest novus titulus Surrogati, aut inhabilitas ipsius personæ: ut rectè notavit Rebuffus *n.* 188.

XXVIII. Si quis molestetur *post triennium*, practica est in Francia, ait Rebuffus *n.* 73." ut is impetret Litteras Re„gias *de pacificis possessoribus* vocatas, per quas præcipi„tur parti, ut non habeat illum pacificum Possessorem „amplius molestare, si de narratis apparuerit ut in c. 2. „*de rescript.* & debet impetrans probare & ostendere „suum titulum, sub quo ipse possedit, nec potest cogere „adversarium suum ad ostendendum titulum antequam „ipse suum exhibuerit: & ita censuit Senatus juridicis „conventibus Molinis celebratis anno 1534.

XXIX. Hoc tamen intelligendum de molestatione privatorum molestantium possessores triennales: nam Ordinarii ex officio etiam possunt inquirere de titulis possessorum triennalium: de qua inquisitione Ordinariorum hæc habet Decretum Basileense:" Ordinarii autem „inquirant diligenter, ne quis sine justo titulo Beneficiū „possideat. Quod si talem *quandocumq*, reperterint, de„clarent jus illis non competere & huic si sibi videatur „(nisi sit intrusus vel violentus, aut alias indignus) vel al„teri idoneo provideant.

XXX. Hæc ostendunt, quod licet Decretum Basileense uti & Regula Cancellariæ tueantur triennales possessores contra impetrantes Beneficia viventium, & alios super beneficiis ipsos molestantes, nequaquam tamen velint, ut beneficia sine titulo possideantur: sed ut Ordinarii de titulis possidentium beneficia inquirere queant *quandocumque* id est," non solum post lapsum trien„nii, sed etiam non obstante quocumque cursu tempo„ris, aut tolerantiâ Superioris, quæ non tribuit jus in„justè possidenti absque nova collatione " ait Glossa „Pragmatica *pag.* 447. Additque:" Quod quamvis præ„sumatur pro illo, qui diu Ecclesiam possedit, ita quod „non teneatur ostendere titulum suum, si tamen con„staret de intrusione, vel alio vitioso ingressu, omninò „poterit removeri.

XXXI. Porrò jus triennalis Possessoris titulo *colorato* innixum & præsumptioni juris, non potest esse fortius, majorisve auctoritatis, quàm jus in vero & legitimo titulo fundatum: adeoq; sicuti hoc jus non impedit, quin ex nova causa superveniente possit suo vero titulo privari, & suo jure excidere; ita nec triennalis pacifica possessio cum titulo colorato efficere potest, quin ex nova causa superveniente & titulo colorato, & jure ad beneficium excidere possit: ac per consequens ex causa superveniente beneficium pacificè per triennium cum titulo colorato possessum fiat impetrabile: quemadmodum bene observavit Rebuffus *n.* 189. & exemplificat in eo qui haberet Ecclesiam Parochialem" & intra annum post dispen„sationem ad biennium fructus, non est promotus ad sa„cros ordines *Cap.* LICET CANON *De Elect. in* 6. I„dem esset (ait) si esset adeptus post triennium secun„dum beneficium incompatibile cum primo.

TITULUS XXVII.

De Resignatione & Permutatione Benefic.

CAPUT I.

De Resignatione purâ & simplici, & resignatione *in favorem* & ex *causa permutationis* harumque origine.

1. *Olim Resignatio & renuntiatio habebantur pro synonimis, hodie distinguuntur.*
2. *Omnis resignatio includit quamdam renuntiationem.*
3. *Pluribus seculis omnis resignatio fuit simplex & pura nec alia in Decretalibus nota.*
4. *Resignatio* conditionalis *opposita puræ duplex est.*
5. *Resignatio* in favorem *qua ratione dicatur* conditionalis?
6. *Clausula huic resignationi apposita impedit liberam Beneficii collationem.*
7. *Resignatio* in favorem *juxta hodiernum stylum Curiæ R. dicitur resignatio* simplex.
8. *Hæc resignatio* simplex *eadem est cum resignatione in* favorē, *& quare dicatur resignatio* cum provisione.
9. *Quæ dicatur in Curia R. resignatio* sine provisione.
10. *Stylus Curiæ mutatus circa expressionem verborum, non autem circa substantiam resignationis* in favorem.

11. *Re-*

11. *Resignatio* in favorem *non occurrit in Libris Corporis Canonici.*
12. *Sub initium seculi XVI. quæstio mota fuit an licitæ essent resignationes* in favorem: *& quæ producta argumenta pro earum licito usu.*
13. *Senatus Parisiensis eas illicitas judicavit: & quo fundamento.*
14. *Quomodo, & quando hæ clausulæ,* in favorem, *item* non aliàs, nec aliter *in procuratoria resignationum irrepserint.* (*bant.*
15. *Resignationes hæ olim etiam coram Ordinariis fie-*
16. *Nihil de purgatione Simoniæ pro justificanda hac resignatione allegatum*
17. *Sensim usus harum resignationum, etiam in Parlamentis Gallicanis receptus.*
18. *Hæ resignationes frequenter de Simonia suspectæ, aliisque incommodis subjectæ*
19. *An non satius fuisset earum usum numquam admisisse?* (ditionalis *est.*
20. *Resignatio ex causa permutationis etiam con-*
21. *Permutationes Beneficiorum jam pridem vetita.*
22. *Non propterea prohibita Beneficiatorum translatio auctoritate Episcopi.*
23. *Ob datam transferendi auctoritatem cœpit Beneficiorum resignatio ad effectum translationis.*
24. *Declaratū vi hujus resignationis Beneficia sic resignata aliis, quam compermutantibus conferri non posse.*
25. *Ex hac declaratione quomodo permutationes hodiernæ Beneficiorum invaluerint?*
26. *Qua ratione transitiones Beneficiatorum de una ad aliam Ecclesiam potius dicantur* permutationes, *quàm* translationes.
27. *Permutationes, ut hodie fieri solent, olim incognitæ fuerunt.*
28. *Quomodo Ecclesia hodiernas Beneficiorum permutationes admittat.*
29. *Quam hodiernæ permutationes sint periculosæ.*

I. Renuntiatio & resignatio Beneficiorum primitus pro synonimis sumptæ sunt, ut constat ex *Cap.* 8. *&* *De Renuntiat.* ubi resignatio accipitur pro renuntiatione; & apertiùs in *Cap.* 1. *De Renuntiatione in* 6. At stylus Curiæ Romanæ, & hodiernus modus loquendi, resignationem à renuntiatione distinguit: ut nimirum per resignationem ferè intelligatur resignatio *in favorem*; per renuntiationem verò illa, quam dicimus, *demissionem* puram & sinè ulla conditione fieri solitam.

II. Omnis tamen resignatio quamdam renuntiationem sive dimissionem Beneficii includit. Neque enim resignari potest Beneficium, nisi unà renuntietur Beneficio; ipseque Beneficiatus se exuat suo Beneficio.

Unde renuntiatio, prout complectitur & renuntiationem *strictè* dictam, & resignationem, dici potest cessio seu dimissio Beneficii Ecclesiastici quæ sponte & liberè fit cum auctoritate Superioris.

III. Olim omnis renuntiatio erat resignatio simplex & pura absque ulla conditione: unde de hac sola specie renuntiationis, seu resignationis agitur sub titulo Decretalium *De Renuntiatione*, uti rectè advertit Franciscus De Roye Antecessor Andegavensis *l.* 2. *Instit. Juris Canonici c.* 18. unà advertens, quod & harum renuntiationum sive resignationum usus frequentior esse cœperit sub Alexandro III. neque ullus antiquior Pontifex Alexandro de his agat in libris Decretalium.

IV. Resignatio conditionalis opposita renuntiationi seu resignationi *puræ & simplici* ad manus Ordinarii, alia dicitur *in favorem*, alia *causâ permutationis*: id est quæ fit postquam inter partes de permutandis Beneficiis convenit: & Beneficia resignantur, ut juxta permutationem conceptam alter alterius Beneficium consequatur.

V. Prior quidem vocatur conditionalis duplici respectu. Primò quia recipit conditionem, si Resignatarius acceptet Beneficium resignatum. Quæ conditio quem effectum habeat, patebit ex dicendis cap. 3.

Secundò dicitur conditionalis, quia ex parte resignantis solet in ipsa resignatione apponi clausula: *Et non aliàs, nec aliter aut alio modo*: quæ clausula inducit conditionē, & est limitativa potestatis ac præservativa; uti tradit post alios Flaminius Parisius loco citato *n.* 16. 17. 18. 19.

VI. Addit dein *n.* 21. " Et est tantæ potentiæ hujusmodi clausula, ut Papa ex potestate ordinaria non videatur posse alteri conferre Beneficium resignatum, quam nominato." Imò hodie usus invaluit, quod si Papa alteri conferret, aut alio modo, quàm in ipso resignationis instrumento esset expressum, ipsa provisio censeretur nulla; uti latè deducit Fevretius De Abusu *l.* 2. *c.* 6. *n.* 12. modò tamen conditio adjecta non sit juri publico contraria.

VII. Invaluerat jam pridem stylus Curiæ Romanæ, ut in frontispicio ipsius supplicationis pro resignatione ad favorē certæ personæ ponerentur ad latus dextrum hæc verba *Resignatio in favorem*, quibus indicabatur, esse supplicationem pro hujusmodi resignatione; at tempore Gregorii XIII. mandatum est, ut non apponerentur illa verba, *in favorem* tamquam *non necessaria & suspecta, neque in capite, neq; in corpore*, ait Flaminius Parisius *l.* 8. *q.* 7. *n.* 36. notatque quod loco illorum verborum posita sit vocula, *simplex*; ita ut hodie ordinariè notari soleat supplica resignationis *in favorem* his verbis *Resignatio simplex*, quæ tamen idem valent, quod *resignatio in favorem*: " Namque ille resignans (ait Flaminius) renuntiat *simpliciter* in manibus Papæ, qui (Papa) postea ad preces Resignatarii, ei dictum Beneficium resignatum confert: Nam Papa non habet respectum ad mentem Resignantis, sed ad supplicationem humiliter sibi factam à Resignatario.

VIII. Hæc ille, qui & monet *l.* 1. *qu.* 2. quod ex Stylo Curiæ, in eadem supplica in qua quis renuntiat corā Papa, alter supplicet pro collatione; quemadmodum ex formulis resignationis ab eodem Flaminio *l.* 8. *q.* 7. relatis videri potest; qui & *n.* 39. bene monet, " quod licet Copistæ compositores supplicationum apponant hujusmodi verbum *simplex* non tamen erit simplex resignatio eo modo, quo fit coram Ordinario vel coram Papa *absque provisione*, sed potius *in favorem*. Et hoc est (ait) de mente Rotæ; ac dicitur *conditionalis* resignatio; attento quod unus renuntiat alter supplicat pro collatione; quamvis in capite vel in corpore non dicatur *in favorem, nec aliàs nec alio modo &c.*

IX. Resignatio *simplex* coram Papa *absque provisione*, cujus ibi meminit Flaminius, dicitur, quando aliquis renuntiat liberè & simpliciter beneficium ad manus Papæ; ita ut liberum sit Papæ alicui pro libitu providere, quod contingit in promotis ad *incompatibilia*; qui in litteris habuerant Decretum, ut debeant renuntiare *liberè & simpliciter* in manibus Papæ infra duos menses. Et nunc in capite supplicæ ponitur, *Resignatio simplex sine provisione.* Dicitur autem *sine provisione*, quia in eadem supplica renuntiationis, nullus pro collatione seu *provisione supplicat*; quemadmodùm in resignatione *in favorem* fieri notavimus: & constat ex formula supplicæ quam *lib.* 8. *quæst.* 7. refert Flaminius.

X. Itaque quamvis quoad expressionem verborum, circa resignationes *in favorem*, nonnihil mutatus sit stylus Curiæ Romanæ, res tamen eadem perseverat; manetque reverà resignatio *conditionalis*, & in favorem certæ ac determinatæ personæ; ipsaque clausula *nec aliàs, nec aliter* semper subintelligitur.

XI. Itaque de hodierna resignatione *in favorem*, licet

licèt ex stylo Curiæ dicatur *simplex*, verissimè dixit Flaminius Parisius De Resignatione Beneficiorum *lib. 1. q. 1. n. 3.* „ Resignationes *in favorem* non erant in usu tempore „ Alexandri III. Innocentii III. & Clementis V. Et ideò „ non nisi de resignatione *simplici* fit mentio in Decreta„ libus, *lib. 6* & Clementinis.

XII. Imò seculo 14. eas nec dum notas fuisse apparet, testaturq; Arnulphus Ruzæus supremæ Curiæ Parisiensis Consiliarius in suo tractatu juris Regaliorum *Privilegio 32. n. 2.* tempore Georgii de Amsia in Regno Franciæ Legati *à latere* (sub initium seculi XVI.) in Palatiis ortam fuisse & ventilatam hanc quæstionem; *utrum resignatio* IN FAVOREM *certæ personæ valeret, vel censeretur Simoniaca.* Nonnulli eas esse licitas, atque à Simonia omninò exemptas asserebant: quia illicitum non apparet desiderare aliquem, de cujus capacitate quis sufficienter est persuasus, habere in Beneficio successorem; cumque Papæ proponere; posseque Papam propositioni consentire sine ullius *pactionis* interventu. Quia non potest dici esse peccatum, quando quis vult renuntiare Beneficio suo, & consentit ut alteri conferatur: " quia „ Superior videtur solùm resignationem acceptare: non „ autem verba apposita (*non aliàs, nec aliter*) in procu„ ratorio, quæ habentur *pro non adjecto*.... Quod in istis „ resignationibus quæ fiunt in Curia Romana, vel coram „ legato, *vel Ordinario* solent Procuratores præstare ju„ ramentum, quod non intervenerit fraus, dolus, neque „ alia Simoniæ labes... Quod clausula apposita per No„ tarios non debet nocere partibus, præsertim quòd *ex* „ *stylo ipsorum* apponitur, quæ nihil operatur... Præser„ tim quòd in quibusdam procuratoriis apponitur illa „ clausula, *sub beneplacito* summi Pontificis, vel ejus „ Legati, aut alterius ad id canonicam potestatem ha„ bentis, quæ clausula multùm juvat... Quod antequam „ conferatur beneficium parti, supplicatur benignè sum„ mo Pontifici, Legato, vel Ordinario, aut alteri ad id „ potestatem habenti, sibi conferri beneficium in ejus „ manibus resignatum, & resignationem admittit Supe„ rior solùm habito respectu ad supplicationem, & quod „ intentio supplicantis est talis. Non autem habetur ra„ tio ad clausulas positas in procuratorio; quæ tamquam „ superfluæ rejiciuntur.

XIII. Hæc ibidem Ruzæus, qui & testatur, quòd his rationibus non obstantibus, per Arrestum supremæ Curiæ declaratæ fuerint similes resignationes *illicitæ* & *Simoniacæ*, tamquam continentes mentalem ut minùs pactionem ex parte resignantis, & conventionalem juxta expressa verba Procuratorii ad resignandum. " Et „ quia procurator, qui debet diligenter servare fines „ mandati, non potest aliter facere, quia si resignat pu„ rè & simpliciter, illud est contra tenorem manda„ ti. Si verò resignet in favorem talis, & non aliàs, a„ liter, nec alio modo, est contra naturam resignationis; „ & adstringit collatorem ad conferendum tali, cùm de„ pendeat à sua mera libertate collatio beneficii. Et sic „ in omnem casum vitiatur talis actus; & quod dicitur „ simoniacè renuntiare hoc expresso quod alteri con„ feratur.

XIV. Interim ex hoc decursu Ruzæi apparet, quòd circa annum 1500. inceperint hæ clausulæ, *in favorem, non aliàs, nec aliter* &c. irrepere in Procuratoria resignationum, idque forsan potiùs ex ignorantia & stylo Notariorū, quàm intentione resignantium. Apparet quoque, quòd Pontifices, neglectis his clausulis, resignationes illas passim admitterent tamquam *simplices*: quódque interdum etiam exprimeretur, quod Resignantes se subjicerent *beneplacito Papæ*

XV. Apparet insuper, quod non tantùm coram Papa, aut ejus Legato, sed & *Ordinario* ejusmodi resignationes fierent: ac per consequens nondum invaluisset reservatio harum resignationum Sedi Apostolicæ quæ postmodum facta est; uti capite sequenti notabimus.

XVI. Hoc notatu dignum, inter omnes probationes pro justificatione harum resignationum à Ruzæo adductas, nullam peti ab auctoritate Pontificis *purgandi Simoniam*. Argumentum admodum probabile, nondum tunc opinionem de auctoritate Pontificis purgandi Simoniam in resignatione notam fuisse, aut saltem adhuc parum receptam, ut in argumentum pro justificatione resignationis adducenda non videretur, uti rectè advertit Ludovicus Thomasinus de Disciplina Ecclesi. *parte 4 lib. 2. c. 17. n. 15.*

XVII. Interim hoc scimus, usum earum resignationum, non obstante illo Parlamenti arresto sensim invaluisse, nec tantùm in Curia Romana, sed & in Senatibus Regiis admissum fuisse; quin (ut supra notavimus) Senatus Regios judicasse, Papam non posse Beneficia in favoré certæ personæ resignata cum clausula, *non aliàs, nec aliter* alteri conferre, & per consequens Senatus Regios opinionem suam de usu harum resignationum mutasse, contrariamque praxim admisisse.

Ad hæc mutatio adscribenda sit opinioni de purgatione Simoniæ hic interveniente, quæ Canonistis & Theologis multùm familiaris esse cœpit, incertum est; quin contribuerit, vix dubitari potest: quamvis hic nulla purgatio Simoniæ necessaria videatur: neque in hanc purgationem refundi debere, quòd hujusmodi resignationes hodie non ab Ordinariis, sed à summo Pontifice probari debeant; quemadmodum ostendetur capite sequenti.

XVIII. Illud tamen inficiari nequit, in hisce resignationibus non rarò Simoniam, ut minus mentalem, intervenire; easque ut plurimum esse suspectas, quod potiùs in favorem carnis & sanguinis fiant, quàm in utilitatem Ecclesiæ. Certum quoque est, per has resignationes beneficia quasi jure hereditario in nepotes & cognatos transmitti; aditumque & dignioribus ad beneficia sæpe occludi; ipsosque Ordinarios jure collationis fraudari.

XIX. Hæc aliaque, quæ has resignationes comitari solent, meritò dubitari faciunt, an non satius fuisset, juxta superius allegatū supremæ Curiæ Arrestum, numquam hujusmodi resignationes admitti. An non & meritò nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Concilii Tridentini postulatum fuerit, ut *Resignationes* IN FAVOREM *ejiciantur omninò à Curia Romana*? quamvis iis admissis & receptis, interdum in certis circumstantiis aliquis iis licitè in utilitatem Ecclesiæ uti posse videatur, quemadmodum capite sequenti latiùs dicetur.

XX. Altera species resignationis *conditionalis* hodie non minus, quàm præcedens communis, dicitur *Resignatio causa permutationis*. In permutatione enim uterque permutantium suum beneficium resignat eâ conditione, ut alter alterius beneficium assequatur: atque ita, tacita saltem & hîc utrimque resignatio *in favorem* intervenit: atque hâc ratione resignatio quæ intervenit revera est *conditionalis*.

XXI. Etiam seculo XII. hasce resignationes seu permutationes ab aliquibus iniri cœpisse constat ex Concilio Turonensi sub Alexandro III. in *Cap. 8. De Prabendis*, quod *permutationem Dignitatum* fieri prohibet.

Verùm cùm Concilium Turonense de sola permutatione *Dignitatum* loqueretur, quæsitum fuit, num permutatio *Prabendarum* licita censeretur: respondit Urbanus III. in *Cap. 5. X. De Rerum permut.* " Generaliter „ teneas, quod commutationes præbendarum de jure „ fieri non possunt, præsertim cum pactione præmissa, „ quæ circa spiritualia vel connexa spiritualibus labem „ continet semper Simoniæ.

Ex his aliisque Pontificum responsis, nec non Conciliorum Decretis circa idem tempus editis, manifestum

festum est, permutationes Beneficiorum, præsertim pactione præcedente, fuisse reprobatas, tamquam de Simonia ut minus admodum suspectas.

XXII. Nequaquam tamen translationes beneficiatorum auctoritate Superioris planè reprobatæ fuerunt; quas & in Episcopis jam pridem Canones admiserunt; dummodò utilitas aut necessitas Ecclesiarum has translationes postularet.

Hinc Urbanus III. in citato responso, quo permutationes præbendarum per Concilium Turonense vetitas respondit, adjungit: "Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni minus sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.

Evidens est per hanc clausulam, Pontificem non aliud velle, quàm Episcopos posse beneficiatos, sua auctoritate transferre de una Ecclesia ad aliam, si inspexerit causam necessariam hujus translationis. Permutationes ergo beneficiorum hîc probatas esse, ex prædicta clausula erui nequaquam potest.

XXIII. Attamen cum ex responso Pontificis ad Decretales relato haberetur, Episcopis licitum esse, Beneficiatos de uno loco ad alium transferre, cœperunt Beneficiati sua beneficia ad manus Episcoporum resignare eâ conditione tacitâ vel expressâ, ut eorum auctoritate ad mutuas Ecclesias transferri possent; sive alter alterius beneficium consequi.

XXIV. Et primitus quidem credebatur hæc beneficiorum resignatio esse libera; quasi beneficia ita resignata *verè* vacarent; possentque Episcopi ea *liberè* conferre; quin & Expectantes, seu mandatarii Apostolici illa tamquam vacantia acceptare.

Verum cum alia sciretur esse mens Resignantiũ; sciretùrque, beneficia hæc non resignari, nisi sub ea conditione, ut alter in alterius beneficiũ surrogaretur, respondit Bonifacius VIII. Biterensi Episcopo in *Cap. unico De Rerum permutat. in 6.* quod exspectantes seu Mandatarii Apostolici hujusmodi resignata beneficia, tamquam vacantia acceptare nequeant: *Æquitatem* (ait) *præferentes hac in parte rigori.* Quasi diceret, licet *de rigore* talia Beneficia *verè* vacent: tamen æquum non est, alius ea conferri: quia Resignantes, nisi credidissent vi hujus resignationis se ad mutua Beneficia transferendos, ea non resignassent.

Eadem æquitatis specie motus Pontifex in *Clementina unica de rerum permutatione* declarat." Ne concessione Juris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur, si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis, quàm ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse volumus firmitatis.

XXV. Cùm ergo auctoritate Juris jam stabilitu esset, beneficia ex causa permutationis resignata non posse aliis quàm ipsis permutantibus conferri, cæperunt beneficiati passim sine metu amittendi sua beneficia permutationes beneficiorum concipere, & ex causa permutationis ad manus Episcoporum resignare; certi quod si Episcopi permutationes non admitterent, transferendo Resignantes de uno ad aliud beneficium, ipsi permanerent in suis beneficiis, nihilque de suo amitterent.

Episcopi verò scientes ex similium permutationum rejectione nihil sibi commodi obvenire; neque se posse de beneficiis sic resignatis alicui alteri providere, admodum faciles fuere, ut permutationes sive resignationes ex causa permutationis admitterent ad beneplacitum Resignantium.

XXVI. Et quidem ipsi permutare volentes tractatum permutationis concipientes permutationem conceptam ab Episcopis probandam nude proponere cæperunt: ideò ut initium ipsum & fundamentum ab ipsis permutantibus poneretur; ipsi verò Episcopi consensum suum darent atque permutantes, vi resignationis ex causa permutationis jam prius inter ipsos conceptæ, de uno loco ad alium transferrent: aut transferendi auctoritatem impartirent. Quapropter hujusmodi mutationes beneficiorum potiùs hodie vocantur *permutationes* beneficiorum, quàm *translationes*: eò quod permutatio per ipsos beneficiatos priùs concepta præcipuas in hac mutatione & translatione de una ad aliam Ecclesiam partes obtineat.

XXVII. De hisce permutationibus à compermutantibus concipi solitis verè dixit Boetius Epo apud Duacenos olim SS. Canonum Antecessor primarius in tractatu *de Saturnino permutationis Beneficialis jure n.32.* "Permutationis beneficialis exempla nullis in antiquis aut Canonibus aut historiis Ecclesiasticis reperiuntur: adeò ut nec apud Isidorum, nec apud Burchardum, nec apud Ivonem, nec apud ipsum quidem novissimum decretorum collectorem Gratianum ulla prorsus extet permutationis beneficialis mentio.

XXVIII. Illud quoque certum est, quod licet Ecclesia Resignationes Beneficiorum hujusmodi ignotas toleret & admittat, nihilominus, non minus hodie, quam olim, Ecclesia execretur turpes ac illicitas in beneficiorum resignationibus pactiones; nec non omnes eas de una ad aliam Ecclesiam translationes, quas non utilitas aut necessitas Ecclesiarum; sed ambitio, aut turpis quæstus, vel carnis & sanguinis carnalis affectus extorquent: quas licet auctoritas humana subinde probet, aut non improbet, semper eas auctoritas divina & lex æterna damnabit: & Ecclesia à Spiritu Sancto directa execrabitur.

XXIX. Undè quia non rarò permutationes beneficiorum non ad mentem Ecclesiæ instituuntur, sed vel pravis pactionibus infectæ sunt, vel à carnali affectu prodeunt, non immerito hanc permutationis materiam *Saturninam* se vocasse credit citatus Boetius. "Equidem (ait *num. 1.*) nominavi *Saturninam* permutationis hanc materiam non alia de causa, quam quod suos fœtus in summũ sæpenumero soleat adducere discrimen; non secus ac Saturnus crudeliter fœtum devorat proprium, sicut est in fabulis: licet id ad naturam temporis, quod edax est rerum, plerique referant. Certè permutationes istæ beneficiales frequenter scrupulos gignunt in animis permutantium adeò duros, adeo præterea vehementes ac urentes, eosdemque justos, ut Saturni voracitas nullos unquam consimiles genuerit cruciatus illis ipsis qui devorabantur: cum graviter læsa conscientia non temporarios at perpetuos experiatur cruciatus, qui ne morte quidem corporis finiuntur; sed magis ac magis crescunt & graviores acrioresque redduntur, nisi salutaribus ante mortem fuerit expiata pœnitentiæ Christianæ Catholicæque remediis. Quorum quidem remediorum præstat non indigere prudenter abstinendo talibus commerciis, quàm temerarias & quasi nundinatorias faciendo permutationes tantùm subire periculum, cujus amator dignus est qui pereat in illo.

CAPUT II.

De quorum consensu Resignationes admittendæ: & quæ causa requiratur.

1. *Adscriptus certa Ecclesia eam inconsulto Episcopo deserere nequit.*
2. *Per Beneficium Clericus Ecclesiæ adscribitur.*
3. *Jure Decretalium inconsulto Episcopo nemo Beneficio renuntiare potest.*
4. *Quomodo contraria Praxis quoad renuntiationes simplices invaluerit?*
5. *Resignatio in favorem hodie à solo Papa admittitur.*

6. *Ordinarius non potest hujusmodi resignationem probare rejecta conditione.*
7. *Hæc reservatio solet refundi in purgationem Simoniæ à Papa faciendam.*
8. *Non intervenit hic Simonia juris* positivi.
9. *Purgatio Simoniæ non videtur hic magis necessaria, quàm in permutatione Beneficiorum.*
10. *Sicut permutatio Beneficiorum potest à Simonia esse immunis, ita & Resignatio in* favorem.
11. *Dispensatio, non purgatio Simoniæ in Resignatione* in favorem *requiritur.*
12. *Vera ratio quare potius permutatio quàm Resignatio* in favorem *coram Ordinario fieri possit.*
13. *Permutationes præmissa pactione improbavit Urbanus III.*
14. *Declaravit tamen posse Episcopum Clericum de uno ad alium locum transferre.*
15. *Hic non probantur hodiernæ Beneficiorum permutationes.*
16. *Hæ mutationes frequenter illicitæ: possunt tamen subinde esse licitæ.*
17. *Id confirmat S. Thomas.*
18. *Jure communi approbatio permutationis spectat ad Episcopum licet non sit collator Beneficiorum.*
19. *In Gallia inferiores Collatores etiam permutationes admittunt.*
20. *Exhibetur acta resignationis ex causa permutationis facta coram Capitulo.*
21. *A recusata hujusmodi resignatione admittitur in Gallia recursus ad Superiorem.*
22. *In Belgio permutationum approbatio ferè ad solos Episcopos spectat.*
23. *Ad nonnullos tamen inferiores etiam in Belgio translata hæc auctoritas.*
24. *Collatores Ordinarii super permutatione Beneficiorum saltem audiendi sunt.*
25. *Patroni quoque interpellandi sunt, ut consensum præstent.*
26. *Superior consensum Patroni Ecclesiastici supplere potest.*
27. *Consensus Patroni laici absolutè necessarius: neque suppleri potest.*
28. *In permutatione præter auctoritatem Superioris requiritur justa causa & recta intentio ex parte Permutantium.*
29. *Causa permutationum ab Episcopis expendenda.*
30. *Pius V. vetuit resignationes ex levibus causis admitti.*
31. *Vetuit idem ne Ordinarii suis aut Resignantium consanguineis affinibus vel familiaribus conferant.*
32. *Quæ ratio edita hujus Constitutionis.*
33. *Hæc non ubique recepta; nec in Belgio observatur.*
34. *Quod præcipuè in hac Constitutione intenditur ubique servandum.*
35. *Hodiernæ permutationes præsertim notabilis Beneficii cum Beneficio nullius aut exigui proventus rarò omni ex parte licitæ.*
36. *Possunt tamen aliquando esse licitæ.*

I. Pristinis Ecclesiæ seculis, nullum ordinari potuisse nisi unâ certæ Ecclesiæ, in qua functiones Ordinis suscepti obiret, adscriberetur, sæpiùs notatũ fuit; eamque disciplinam per Synodum Tridentinam *Sess.* 23. *c.* 16. *de Reform.* renovatam fuisse notavimus supra *parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. additque Synodus: *Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur.*

Quo Decreto manifestè prohibentur Clerici, etiam nullum beneficium habentes, sed in ipsa ordinatione alicui Ecclesiæ tantummodò adscripti, ab ea *inconsulto Episcopo* recedere, ait Fagnanus ad *Cap.* 4. *De Renunt.* ubi *num.* 15. subjungit: "unde cavendum est à modernis Collectoribus dum aliis relatis dixerunt, Presbyteris, & Clericis non habentibus beneficium in titulum personalem residentiã requirens, licitum esse ire quò velint, & Ordinarios teneri eis litteras commendatorias concedere. Hoc enim est contra præcitatum Concilii Decretum.

II. Cum autem per beneficiorum collationem hodiè contingat, Clericos certis Ecclesiis, in quibus ipsa beneficia fundata sunt, adscribi, consequens apparet, Clericos non magis in his Ecclesiis, quibus per Beneficiorum acceptationem & Canonicam in iis institutionem alligati sunt, posse *inconsulto Episcopo* renuntiare, quàm si in ipsa ordinatione illis Ecclesiis essent adscripti.

III. Quapropter Tornacensi Episcopo etiam seculo XII. rescripsit Alexander III. "Universis personis tui Episcopatûs sub districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ Diœcesis ad ordinationem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, aut detinere, aut *te dimittere inconsulto.*

Hoc responsum pristinis Ecclesiæ Canonibus conforme, in Decretales Gregorii relatum, nimirum in *Cap.* 4. *De Renunt.* partem juris communis constituit. Ex quo communiter concludunt Canonistæ, resignationes beneficiorum, etiam simplices & absolutas fieri debere de consensu Superioris Ecclesiastici, qui vinculum illud quo per institutionem Canonicam fuit Ecclesiæ adscriptus, solvere potest.

IV. Sensim renuntiationes, sive resignationes *simplices & absolutæ* beneficiorum rariores esse cœperunt; ipsique Superiores absque difficultate easdem admittere; nam, uti post Zarabellam notat Fagnanus loco citato *n.* 12. "Superiores non curant, ut beneficiati recedant de beneficiis, quin potiùs contenti sunt, ut possint aliis conferre.

Ex hac superiorũ facultate in admittendis beneficiorum resignationibus invaluit tandem libera facultas renuntiandi beneficiis ad manus Collatorum; eaque sine consensu Episcopi sive Ordinarii deserendi, & se à vinculo, quo Ecclesiæ erat adstrictus, liberandi, nisi titulo beneficii ad Sacros Ordines fuerit promotus: quo casu ex præscripto Concilii Tridentini *Sess.* 21. *c.* 2. *De Reform.* & Synodorum Belgicarum, resignari non potest, nisi factâ mentione quòd ad illius beneficii titulum sit promotus; neque ea resignatio admittenda, nisi constet, quod aliàs commodè vivere possit; & aliter facta resignatio nulla est; de quo actum suprà *tit.* 9. *c.* 5.

Non eadem etiam hodie est libertas Resignationis conditionalis, sive *in favorem*, sive *causa permutationis.*

V. Et quidem resignatio in favorẽ certæ personæ cum clausula *non aliàs, nec aliter*, licet primitùs etiam coram Ordinario facta videatur, hodiè tamen solus Papa eam admittere potest; adeò ut nec Legatus ejus eam probare possit; nisi *speciali* facultate sit instructus; uti notat Rebuffus in Praxi *parte* 3. *tit. De Resignatione conditionali:* eaq; opinio hodie communiter tum à Canonistis tum Theologis recepta est; ut pluribus citatis tradit Garcias de beneficiis *parte* 11. *c.* 3. eamque probavit Pius V. per Constitutionẽ quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ* 58. in Bull. R. ubi absolutè prohibetur resignatio *in favorem* coram Ordinario, etiam in casibus, in quibus permittitur fieri resignatio simplex coram Ordinario.

VI. Quin & ibidem dicit Garcias *num.* 155. quod nec poterit inferior à Papa conditionem rejicere, sive habere pro non adjecta & resignationem simpliciter admittere: quod & multis probat Rebuffus loco suprà allegato.

VII. Rationem hujus reservationis communiter refundunt Interpretes in Simoniam, quam in hisce resigna-

signationibus intervenire credunt propter clausulam *nec aliàs nec aliter*, quæ pactionem quamdam continere videtur. Omnem autem pactionem in spiritualibus Simoniam continere ex *Cap. fin. De Pactis* junctâ Glossâ. Dicit enim Pontifex: "Pactiones factæ à vobis „(ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinendis: cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio debeat omninò cessare, nullius penitus sunt „momenti.

Cur autem pactiones nullius sint momenti docet ibidem Glossa: *Quia hujusmodi pactiones inducunt* SIMONIAM.

Ut ergò hæc resignatio à Simonia eximatur, eam à Papa confirmandam putarunt: utpote cui soli ex eorum opinione auctoritas purgandi Simoniam competit.

Hinc Andræas Vallensis in Tractatu De Beneficiis *Lib. 3. tit. 28. n. 2.* postquam dixit, quod resignatio in favorem debeat fieri coram Pontifice juxta stylum Curiæ & Constitutionem Pii V. rationem subjungens ait, "Quia conditio inducit *Simoniam*, secundum Glossam & plerosque „Doctores, quam *solus* Pontifex, non etiam Ordinarius, „vel Legatus *purgare* potest, tamquam quæ sit juris positivi, non divini, vel naturalis.

VIII. Verùm si sit Simonia dumtaxat juris *positivi*, eam per Canonem aut aliquod Decretum *positivum* inductam esse oportet. At Canones & Decretales pactiones in spiritualibus Simoniacas & illicitas dicentes, nihil de *novo* constituunt; sed tantùm quid sit declarant; uti ex ipsorum tenore manifestum est; ac notanter ex verbis citati *Capituli finalis* ꝟ. *De Pactis* patescit, Pontificem pactiones illas non facere, sed declarare, seu potiùs supponere illicitas esse. Dicit enim idem de his pactionibus esse dicendum, quod de aliis, *quæ observata vergunt in animæ detrimentum*: quæ indubiè non jure positivo duntaxat, sed & divino ac naturali illicitæ sunt.

IX. Ulterius si resignatio *in favorem* contineat Simoniam à solo Pontifice purgandam, propter pactionem in ea intervenientem; cur non similis Simonia dicitur intervenire in resignatione Beneficiorum ex *causa permutationis*: quandoquidem & hæc resignatio sit *conditionalis*: contineatque pactionem & conditionem, quòd *non aliàs nec aliter* resignentur Beneficia quam sub ea conditione, ut alter alterius beneficium consequatur?

X. Sed dicent forsan, Compermutantes tantùm simpliciter intentionem suam Ordinario exponunt, qui si eam probet; suâ auctoritate permutationem conceptam probat; atque compermutantes à vinculo, quo ratione Beneficii Ecclesiis suis respectivè alligabantur, absolvit; & de una Ecclesia ad aliam Ecclesiam transfert: in quibus nulla vel species Simoniæ esse videtur.

Nequaquam negavero, quin si permutatio Beneficiorum fiat prout eam Canones fieri volunt, ea possit ab omni Simonia esse planè exempta. Sed quidnî resignationem *in favorem* similiter immunem à Simonia esse posse dicamus?

Sicuti enim secundùm formam juris, permutantes totum auctoritati Superiorum subjiciunt, id unum postulantes, ut si Superiori videatur, ipsos à vinculo quo suis Ecclesiis alligantur, absolvat, atque suâ auctoritate ad mutuas Ecclesias transferat: similiter resignans in favorem certæ personæ, exponit Pontifici, se desiderare à vinculo quo huic Ecclesiæ per Beneficium obstringitur absolvi, modò tamen hunc, quem huic Ecclesiæ maximè convenire judicat, successorem habere, aut nominare queat: totum interim, quemadmodum Permutantes, Pontificis arbitrio subjiciens: qui hoc unum expendere debet, num conveniat, ratioque sufficiens sit, ut in Canonibus qui prohibent, quod quis sibi successorem nominet, dispensandum sit.

XI. Itaque nulla hic, non magis quàm in permutatione Beneficiorum, purgatione *Simoniæ* opus videtur; sed sola dispensatione; quâ permittatur, ut quis sibi Successorem nominet: quæ dispensatio sensim, uti multæ aliæ Pontifici reservari potuit; sicuti eam hodie illi reservatam scimus.

Et licet legamus, Pontifices aliquando cum simoniacis per dispensationem mitius egisse, pœnasque simoniacorum mitigasse; nullibi tamen legimus, Pontifices contractum alioquin simoniacum à Simonia purgasse, aut indulsisse, ut conventiones, quæ aliàs essent simoniacæ, suâ auctoritate absque Simonia inirentur: quemadmodum latius ostendemus *tit. 29.*

Hinc cum nomine Caroli IX. in Concilio Tridentino peteretur, ut resignationes *in favorem* dejicerentur omninò à Curia Romana, ratio non à Simonia petita fuit, sed à transgressione Canonum vetantium designationẽ Successoris: *est enim* (ajunt) *sacris Canonibus constitutũ, ne quisquam sui Officii quærat, aut eligat Successorem.*

XII. Soli ergò positivæ reservationi adscribendum, quod resignatio in favorem, non æquè ac resignatio *ex causa permutationis* fieri queat coram Ordinario. Ulterius hinc discimus, quod Rex Galliæ admittens resignationes *in favorem* beneficiorum vacantium in Regalia, non *purget Simoniam*; sed tantùm permittat Beneficiatus electionem seu nominationem Successoris.

XIII. In resignatione *ex causa permutationis* videtur intervenire conventio sive pactio, quâ Compermutantes inter se conveniunt, ut alter alterius beneficium habeat; sive quâ mediante beneficia inter se permutentur. Hæ pactiones & conventiones super spiritualibus cum illicitæ & simoniacæ viderentur, rescripsit Urbanus III. "Generaliter tenendum, quod commutationes Præbendarum de jure fieri non possunt: præsertim (ait) cum „*pactione* præmissâ, quæ circa spiritualia vel connexa „spiritualibus labem continet *semper Simoniæ*." *Cap. 5.* ꝟ. *De Rerum permutat.*

XIV. Deinde ibidem subjicit Pontifex: "Si autem „Episcopus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ „uni loco minùs sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere.

Ex hoc Pontificis responso aliisq; Canonibus & Decretis habetur, quod omnis conventio super permutatione beneficiorum vetita sit; relictâ tamen Episcopo auctoritate Beneficiatus de uno ad alium locum transferendi, si id in utilitatem cedere posse perspexerit.

XV. De sola ergò Beneficiatorum translatione auctoritate Episcopi ob necessitatem aut utilitatem Ecclesiarum facienda, hîc agit Pontifex, eamque probat; & antiquitùs nonnumquam factam, & à sacris Canonibus probatam scimus.

At hodie non tantùm fiunt auctoritate Episcoporum *translationes*, sed inter ipsos Beneficiatos passim ineuntur permutationes Beneficiorum; atque super iis, non secus atque super contractibus civilibus, publica instrumenta conficiuntur: quarum nec antiquitas meminit, nec Canones ullibi probant.

XVI. Verum est, inspectis Canonibus & Decretis permutationes hujusmodi videri absolutè vetitas; utpote *pactionem* aliquam continentes; quam reprobatam esse in spiritualibus declaratur in citato *Cap. 5.* ꝟ. *De Rerum permutat.*

Nec sanè diffitendũ est, in his permutationibus *crebrò aliquã Simoniæ aut aliam illicitam intervenire corruptelã*, uti loquitur Synodus Coloniensis *parte 1. c. 34.* nihilominus si ob utilitatem aut necessitatem Ecclesiarum duo Beneficiati simpliciter inter se deliberent de permutandis beneficiis; atque conceptum permutationis etiam coram Notario expediant, eâ intentione ut beneficiis ad manus Ordinariorum resignatis auctoritate Superiorum, & viâ Canonicæ institutionis alter

Digitized by Google

alterius beneficium assequatur, sive de una ad aliam Ecclesiam transferatur, hujusmodi permutationem posse esse à Simonia omnique alio vitio immunem credunt Canonistæ: quamvis permutationes periculosas esse non ambigant.

XVII. Itaque cum Doctore Angelico 2. 2. *qu.* 100. *a.* 1. *ad* 5. dicendum: "Nec permutatio præbendarum „ vel Ecclesiasticorum beneficiorum fieri potest propriâ „ auctoritate *partium* absque periculo Simoniæ: potest „ autem Prælatus *ex officio* suo permutationes hujusmo„ di facere pro causa utili vel necessaria.

XVIII. Inspecto jure Decretalium, Superior sive Prælatus cujus auctoritate permutationes fieri possunt, solus Episcopus videtur. Nec enim aliis inferioribus Prælatis hæc auctoritas Jure communi delata scitur. Nec mirum; cum ipsis Episcopis tamquam Ecclesiarum primariis directoribus præcipuè incumbat, judicare & declarare, an expediat; personas de una Ecclesia ad aliam transferri.

Hinc statuunt Canonistæ, approbationem permutationis de quibuscumq; beneficiis Jurisdictioni Episcopi subjectis ab Episcopo esse faciendam; tametsi collatio Beneficiorum aliis competat: notátq; Joannes Chokier in tractatu *De Permutatione Benef. n.* 7. "Quod „ si nec collatio, nec confirmatio pertineat ad Diœce„ sanum, nihilominus illius auctoritas requiratur, etiam„ si illorum ad quos pertinet beneficiorum provisio in„ tervenerit auctoritas.

XIX. Dicit tamen Molinæus ad Regulam *De Infirmis resignantibus num.* 19. quod in Gallia Episcopi perdiderint auctoritatem, quam de jure habent in permutationibus inferiorum Collatorum, addens: "Inferio„ res enim Collatores beneficiorum ad suam collatio„ nem pertinentium, permutationes *inconsultis* Diœ„ cesanis apud nos expediunt, & hoc contra jus Pontifi„ cium in Gallia toleratur." Quod & alii Galliæ Pragmatici notarunt.

XX. Exhibet Claudius Horrii in suo novo tractatu de materia beneficiali *pag.* 505. actam per quam constat, quod quidam Presbyter exhibuerit Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis actam resignationis *ex causa permutationis* in suum favorem factæ de Canonicatu & Præbenda in Ecclesia Collegiata S. Stephani à Græcis in Civitate Parisiensi, petieritque in vim hujus resignationis, eam præbendam sibi à Capitulo conferri: *Et en consequence les auroit treshumblement requis & suppliez de vouloir bien* AGGREER *la dite resignation, & sur icelle lui accorder leurs lettres de collation & provision.*

Cùm verò Capitulum tertiò requisitum (quarum requisitionū formulæ & attestationes ibidem exhibentur) tergiversaretur, litterásque approbationis resignationis & collationis non daret, tandem ipse Resignatarius pro approbatione resignationis, & collatione Canonicatus recurrit ad Archiepiscopum Parisiensem, rogans ut ipse defectum Capituli supplendo, dictam resignationem approbare, & collationem dare dignaretur.

In consequentiam hujus requisitionis, Archiepiscopus Parisiensis litteras provisionis in favorem requirentis expedivit, quæ integræ exhibentur à Claudio Horrii *pag.* 509.

In his litteris præfatur imprimis Archiepiscopus: "Ca„ nonicatum & præbendam secularis & Collegiatæ „ Ecclesiæ S. Stephani à Græcis ad collationem, provi„ sionem & quamvis aliam dispositionem venerabi„ lium virorum Decani, Canonicorum & Capituli „ Ecclesiæ nostræ Parisiensis existentes & pertinentes, „ liberos nunc & vacantes per dimissionem seu resi„ gnationem Magistri Petri De Laistre Presbyteri il„ lorum ultimi legitimi & immediati possessoris in „ manibus dictorum Decani, Canonicorum & Capi„ tuli per Magistrum Carolum de Blois, ejus procu„ ratorem ad id ab eo specialiter constitutum *causa tamen Canonica permutationis* dictorum Canonicatus „ & præbendæ pro Capella sancti Leonardi juxta pon„ tem sancti Mauri nostræ Diœcesis, & *non aliàs aliter* „ *nec alio modo* factam.

Hinc manifestum est, Archiepiscopum Parisiensem agnoscere, resignationes *ex causa permutationis* posse fieri & probari à Capitulo tamquam ordinario Collatore præbendæ resignatæ.

XXI. Post hæc subjungitur in dictis litteris, quæ cum præcedentibus sensum perfectum conficiunt: "Quam „ (resignationem) admittere recusaverunt prout tribus „ actis, scilicet 28. secundò verò 30. tertiò denique 31. „ diebus hujusve mensis Augusti initis Monssinot & Hor„ rii signatis, nobis legitimè compertum est, tibi præseu„ ti sufficienti capaci & idoneo, in *recusationem* dicto„ rum Venerabilium Decani, Canonicorum & Capituli „ Ecclesiæ nostræ ad conservationem tui juris contuli„ mus & donavimus, conferimúsque & donamus, ac de „ illis suis juribus & pertinentiis universis providimus „ & providemus per præsentes.

Hæc ulterius probant, non tantùm resignationes ex causa permutationis coram Ordinariis Collatoribus fieri; sed etiam ab earum rejectione ad Superiorem recursum admitti.

XXII. In Belgio tamen id nequaquam generaliter receptum est, sed Episcopi auctoritate probandi permutationes beneficiorum ad inferiores Collatores spectantium etiamnum hodiè potiuntur; neque apud nos hactenus praxis invaluit, ut Collatores inferiores passim inconsultis permutationes expediant, aut resignationes causâ permutationis admittant.

XXIII. Hoc tamen negare non possumus, approbationem permutationis ad ea quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, non autem quæ Ordinis sunt, pertinere: & consequenter longa consuetudine ad Prælatos inferiores transferri posse, quemadmodum rectè notat Joannes Chokier loco citato *c.* 6. addens: "Quale jus habent „ inferiores ab Episcopo Leodii, qui quotidie permu„ tationibus beneficiorum, quorum ipsi Collatores sunt, „ auctoritatem præstant." Tali jure utuntur & hîc quædam Capitula circa permutationes beneficiorum simplicium ad eorum plenam collationem spectantium: quæ consuetudo juvatur ex *Cap. unico De Rerum permutat. in* 6. ubi videtur Episcopo tantum dari facultas probandi permutationes beneficiorum ad *suam collationem* spectantium.

XXIV. Quamvis de jure communi & hodierna Belgii praxi Collatores inferiores permutationes suâ auctoritate expedire non possint, nisi speciali titulo eam auctoritatem acquisierint; tamen quia de beneficiis ad ipsorum collationem spectantibus transferendis de una in aliam personam agitur, meritò præviè ante permutationem audiri debent, uti tradit Chokier in dicto tractatu *c.* 9.

XXV. Nec tantùm Collatores, sed & Patronos audiendos & interpellandos esse, communis est Canonistarum sententia; quin & inter alia requisita ad validitatem permutationis requirit Rebuffus in Praxi parte 3. titulo *De Permutatione n.* 21. consensum illorum ad quos præsentatio spectat, vel electio.

XXVI. Sed quid si Superior judicet permutationem valde utilem aut etiam necessariā Ecclesiæ, & Patronus consentire nolit? Cogi poterit, vel superior approbare eam poterit, ait Rebuffus *n.* 22. additq;: "Et hodiè usus „ communis obtinuit, quod post requisitionem Patro„ ni, maximè etiam eo non consentiente permutatio „ approbatur ab Episcopo, & valet: & sic judicavit to„ tus Senatus Parisiensis.

Declarationem Cardinalium conformem refert Garcias De Beneficiis *parte* 11. *c.* 3. *n.* 127.

XXVII.

XXVII. Hæc quidem si jus Patronatus fuerit Ecclesiasticum. Si autem laicum fuerit, non tantùm Patronus interpellari debebit, ejusq; consensus postulari; sed & reipsa obtineri debet. Quod autem nec Ordinarius, nec Papa, saltem in Gallia & his Provinciis, consensum resignationi dare queat, sive juri Patronatus derogare sæpius sub titulo de *jure Patronatus* notatum fuit; idq; sive jus Patronatus laicum proveniat ex fundatione, sive ex privilegio. Imò etiamsi jus patronatus sit mixtum, hoc est, partim laicum, partim Ecclesiasticum: idq; etiam ubi plures essent Ecclesiastici, quàm laici, uti ostendimus *tit.* 25. *c.* 2. Et de clausula derogatoria juris patronatûs laicalis Bullis Pontificiis inseri solitâ videri possunt quæ supra *tit.* 24. *c.* 5. notata sunt.

Et quidem Edicto Regio in Februario anno 1678. in Gallia declaratum est, omnes conventiones permutationis beneficiorum juris patronatûs *laicalis*, & resignationes aliaq; acta inde subsequuta, esse nulla & abusiva, si Patroni laici non annuerint præsentationi, aud dederint suum consensum *in scriptis* ante captam possessionem; etiamsi dicti Patroni fuerint interpellati, & requisiti; quæ requisitiones & interpellationes declarabuntur nullæ. In Actis Cleri Gallicani tomo 5. parte 8. tit. 3. *n.* 24.

XXVIII. Ut permutationes Beneficiorum omni ex parte sint licitæ, non tantùm requiritur Superiorum auctoritas, quâ mediante Beneficiati de una Ecclesia ad aliam transferantur; sed insuper requiritur recta intentio, & justa causa.

Certum imprimis est, permutationes illas nullâ, etiam summi Pontificis, auctoritate ex omni parte justificari posse, in quibus non utilitas aut necessitas Ecclesiarum; sed lucrum aliudve temporale à Compermutantibus attenditur.

Unde ex S. Thoma *in* 4. *Dist.* 25. *qu.* 3. *art.* 3, notat Chokier in Tractatu De Permut. Benef. *parte* 2. *cap.* 21. "quod permutatio debet fieri pro causa spirituali, puta ut „ melius Deo serviatur, seu ut tali loco possit quis Deo „ melius servire.

Et Petrus Cantor in Verbo Abbreviato *c.* 40. ait: "Si quis „ legitimè sortitus est Ecclesiam, & quærit occasionem ut „ eam dimittat, *quia alia pinguior est & uberior*, secun„ dùm pœnam constitutam in Canonibus puniri deberet „ & in ea manere omni tempore vitæ suæ.

Si hodiernæ permutationes ritè expendantur, verendum ne & hodiè dicere possimus cum sapientissimo illo delectorum Prælatorum Conventu sub Paulo III." Alius „ item abusus in permutationibus Beneficiorum, quæ fi„ unt cum pactionibus, quæ simoniacæ omnes sunt, „ nullóque respectu habito nisi lucri.

Et quod jam pridem notavit Rebuffus in praxi parte 3. tit. *De Resignatione expressa num* 3. " Hodie causa „ causarum (resignationum) est affectio carnis: quia om„ nes volunt suos consanguineos præficere Ecclesiis, qui„ bus fortè malè præfuerunt, ut pessimè quoq; illi postea „ præsint; & ista est quæ jam dudum labefactavit totam „ Ecclesiam. Altera etiam est causarum regina pecunia.

XXIX. Non tantùm ex parte permutantium exigitur recta intentio, atq; justa causa permutationis, sed & ipsis Superioribus constare debet, permutationes in utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ fieri. Tunc enim licitè posse Episcopum de uno loco ad alium transferre personas, declarat Pontifex in *Cap.* 5. ¿ *De Rerum permutat.* "si cau„ sam inspexerit *necessariam*: ut quæ uno loco minus „ sunt utiles, alibi se valeant utilius exercere." Vel ut loquitur S. Thomas verbis supra citatis: " Potest Prælatus „ ex officio permutationes hujusmodi facere, pro causa „ utili vel necessaria.

Ex quibus facilè est concludere, Prælatis in permutationum approbatione unicè utilitatem aut necessitatem Ecclesiarum præ oculis habendam esse.

Ulterius præviè ad approbationem seriò examinandum, num permutatio hujusmodi motivo necessitatis aut utilitatis nitatur; idq; eò exactiùs examinandum quò majora sunt beneficia, de quorum permutatione tractatur; majusq; posset esse præjudicium, quod similium beneficiorum parum canonica permutatio parere potest.

XXX. Pius V. Papa animadvertens, quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidiè afferat ministrorum in eam vitiosa ingressio; quodq; hoc malum in cæteris frequens, tum maximè in Beneficiorum & officiorum dimissione admittatur; præcavere voluit, ne *resignationes* ipsæ dehinc pro cujusq; arbitrio, nullisq; vel certè levibus de causis passim & temerè admittantur.

Hunc in finem prohibet, resignationes ullas coram Ordinariis admitti nisi ex certis & determinatis causis in constitutione nominatim expressis, quas singillatim examinat Flaminius Parisius *Lib.* 5. *De Resignat. Benef. qu.* 6.

XXXI. Decernit insuper in eadem constitutione quod Ordinarii admittentes resignationes ex causis ibidem expressis, conferre non possint ulla beneficia suis, aut resignantium consanguineis, & affinibus, vel familiaribus. Verba constitutionis sunt: "Cæterùm præcipimus, atque „ interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alii collatores de be„ neficiis, & officiis resignandis prædictis, aut suis, aut di„ mittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus, „ etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in ex„ traneos collationum, audeant providere. Incipit, *Quanta Ecclesiæ.* 58. in Bull. Rom.

XXXII. Hanc constitutionem editam esse, ne illæ renuntiationes fiant ob carnis affectum, & ne consanguinei vel familiares fiant hæredes bonorum Ecclesiæ, rectissimè post Cardinalem Tuscum notavit Flaminius Parisius in citata quæstione *n.* 192. cui & alteram adjicit *n.* 193. " Ut tollantur fraudes & confidentiales renuntiationes. Quæ ratio elicitur ex ipsis verbis constitutionis immediatè præcedentibus: " Caveant autem Episcopi, & Patroni „ tam Ecclesiastici, quàm laici quicumq; sint, ne verbo „ quidem, aut nutu vel signo futuri in hujusmodi bene„ ficiis successores, ab ipsis resignantibus, aut aliis eorum „ significatione, vel hortatu designentur, aut de his assu„ mendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualis„ cumq; intercedat.

XXXIII. Hanc Pianam constitutionem non esse ubiq; receptam; atq; resignationes coram Ordinariis præter formam hic expressam multis in locis admitti, constat.

Et quidem Garcias loquens de hac constitutione *parte* 11. *c.* 3. *n.* 170. testatur, eam non bene servari in Hispania; „ ubi prætenditur (ait) eam non esse receptam, sed esse ab „ ea supplicatum, saltem quoad illud de non conferen„ dis beneficiis resignatis consanguineis, affinibus, aut „ familiaribus collatorum, vel resignantium, & audivi i„ ta fuisse per Concilium Regium scriptum Episcopis.

Similiter Zypæus in Jure novo tit. *De Renuntiat*, postquam summatim retulit hanc constitutionem subjun„ git: Sed ut multæ aliæ, hæc Bulla hic publicata aut usu „ recepta non est, quia restringit Ordinariorum faculta„ tes: etiamsi fortè hic non expressæ causæ, jure tamen „ non improbatæ essent.

Notorium sanè est, hîc in Belgio passim admitti resignationes & permutationes coram Ordinariis ex causis in hac constitutione non expressis, atq; Beneficia resignata conferri consanguineis, affinibus & familiaribus Ordinariorum resignantium, non obstante hâc constitutione; nullamq; propterea quæstionem de similium resignationum validitate moveri.

XXXIV. Cæterum in quantum hæc constitutio vetat, resignationes levibus aut nullis ex causis admitti; aut Beneficiorum resignatorum intuitu carnis & sanguinis provisionem fieri; vel pactiones Simoniacas aut confidentiales interponi; eatenus prædicta constitutio non tantùm omnes omninò Ordinarios, sed & ipsum Pontificem obstringit.

Licet enim resignationes ex levibus aut nullis causis, vel intuitu carnis & sanguinis, aut cum *occulta* pactione Simoniaca, vel confidentiali factæ & admissæ coram Pontifice, vel Ordinariis in locis ubi constitutio recepta non est, *lege positiva* non irritentur, aut in foro fori tamquam invalidæ non semper argui queant; semper tamen coram supremo Judice, & in foro poli ut illicitæ & Legi æternæ contrariæ condemnabuntur; quemadmodum supra circa dispensationem Pontificiam super pluralitate Beneficiorum notavimus; & infra circa collationem Beneficiorum factam minus dignis, omissis dignioribus; notabimus.

XXXV. Sed dicet quis, passim solent fieri permutationes Canonicatuum aliorumq; Beneficiorum notabilium cum Beneficiis simplicibus, frequenter etiam nullius proventûs, quæ *De Pertica* dici consueverunt; & quibus etiam ipsi resignantes numquam intendunt deservire; quinimò eadem mox absolutâ permutatione dimittere intenduntita ut sat appareat, hujusmodi permutationes eo solo fine fieri, ut Ordinariis libera provisio eripiatur, & notabiliora Beneficia cedant Resignatariis. Negari non posse videtur, similes resignationes sæpe de fraude, & de carnali affectu meritò esse suspectas, & rarò totaliter ab iis exemptas.

XXXVI. Fieri tamen potest, ut quis hujusmodi resignationibus vel permutationibus, postquam usus nunc invaluit, rectè utatur.

Quòd si enim videat, quòd canonicatui ulterius deservire nequeat, aut satis appareat, se aliò vocari: & consequenter intelligat, Ecclesiæ melius & utilius esse, ut Canonicatum dimittat; at unà advertat, quòd si liberè eum ad manus Ordinarii dimittat, eum verisimiliter indigno, aut certè parum digno conferendum. Quidni eo casu, ut consulat Ecclesiæ, eum potiùs resignabit ex causa permutationis illi, quem scit admodum Beneficio illi convenire multùmq; fructûs in Ecclesia adferre posse: id unicè in hac permutatione præ oculis habens, ut Ecclesiæ de optimo ministro provideat; mediante quidem medio, quo multi abutuntur; sed quo jam introducto, ipse in utilitatem Ecclesiæ bene utitur; cavendo tamen, ne id in pusillorum scandalum cedat.

CAPUT III.

De Procuratorio ad resignandum.

1. *Resignatio Beneficii fieri potest per procuratorem etiam* laicum.
2. *Procurator ad resignandum hodie constitui solet per instrumentum* publicum.
3. *Debet Procuratorium confici à Notario; & qualis hic esse debeat?*
4. *In Camera Apostolica non admittitur Procuratorium, nisi præter Notarium adsit sigillum communitatis.*
5. *Resignans unà cum Notario instrumento subscribere debet.*
6. *Requiritur procuratorium* speciale.
7. *Quod hic dicatur* speciale.
8. *Procuratorium ad acceptandum simul & resignandum non valet.*
9. *Ratio ob quam* speciale *mandatum requiritur, evincit hanc disciplinam esse recentem.*
10. *Procurator præstare debet juramentum in animam resignantis.*
11. *Querela Synodi Coloniensis de præcipiti & facili hujus juramenti præstatione.*
12. *Quod hic optat Synodus meritò & in aliis juramentis servaretur.*
13. *Procurator ad resignandum constitui solet cum facultate substituendi: & quando substitutus possit uti mandato.*
14. *Refertur Regula Cancellariæ de Consensu præstando in resignationibus.*
15. *Ratio hujus Regulæ.*
16. *An præsens in Curia possit præstare consensum per Procuratorem?*
17. *Quo loco hic consensus præstandus?*
18. *Qualis hic consensus requiratur?*
19. *Hic consensus demùm perficit resignationem.*
20. *Procuratorium ad resignandum datum sine limitatione temporis quamdiu duret?*
21. *Morte mandantis exspirat procuratorium ad resignandum.*
22. *Aliquando mortuo mandante potest Procurator adhuc præstare consensum.*
23. *Procurator revocatus potest præstare consensum quamdiu revocatio non fuit intimata.*
24. *Revocatione Procuratoris non extinguitur mandatum, nisi revocatio sit intimata.*
25. *Quo modo & cui hæc intimatio facienda?*
26. *Quamdiu Resignanti sit liberum revocare mandatum?*
27. *Dato procuratorio ad resignandum coram Papa, non potest fieri resignatio coram Ordinario.*
28. *Quæ in constitutione* Procuratoris *hodie exiguntur, antiquitus incognita fuêre.*

I. RENuntiatio sive resignatio tam simplex, quàm *in favorem vel causa permutationis*; fieri potest non tantùm per ipsummet Resignantem, sed etiam per Procuratorem seu Mandatarium.

Et quidem cùm Procurator resignationem faciat nomine alieno, potest non tantùm Clericus, sed & laicus Procurator constitui, uti post Glossographum ad *Clementinam unicam De Renunc.* notat Rebuffus in Praxi *parte 3. tit. De Procuratoris ad resignandum constitutione n. 17.* quamvis secundùm Glossographum tutius videatur constituere Clericum.

II. Procurator autem constitui potest, vel per litteras privatas ipsius Resignantis, vel per instrumentum publicum: atq; hoc posterius est tutius, & fieri consuetum. Imò monet Rebuffus loco citato *n. 5.* quòd *vix recipientur litteræ privatæ ad resignandum*: asseritq; Flaminius Parisius *lib. 9. De Resignat. Benef. qu. 6.* non semel similiter resolutum in Cancellaria Romana, non posse aliquem vigore Epistolæ missivæ præstare consensum resignationi: "& ideo hodie (ait) communis & recepta ex stylo sententia est, mandatum requiri ad renuntiandum in forma publici instrumenti.

III. Hinc primò requiritur, ut confectum sit à Notario publico eoq; Apostolico, præcipuè si de resignatione facienda in Curia Romana agatur. Imò si juxta consuetudines aut leges patriæ requirantur duo *Notarii* pro forma publici instrumenti, debebunt & in confectione hujus Procuratorii duo intervenire: quia aliàs non esset in forma *publici* instrumenti.

IV. Monet Flaminius Parisius loco allegato *qu. 7. n. 1.* non sufficere instrumentum Procuratorii esse confectum in forma solita, " ut admittatur à Notariis Cameræ & Cancellariæ, sed ulteriùs requiri, quòd fuerit obsignatum sigillo *publico* judicis ordinarii vel communitatis; & melius esset (ait) ut utrumq; sigillum apponatur, & posteà debet fieri recognitio sigilli, ut de stylo observatur.

V. Deinde *numer. 3. & 4.* notat ex Rebuffo. " In Gallia lege Regia cautum est, ut Resignans subscribat instrumentum resignationis: idque optimum

„ mum esset (ait) ut ubique fieret ad tollendam fraudem.

Hic in Belgio hodie receptum est, quod Resignans unà cum Notario ipsi instrumento subscribat; quin & in omnibus *publicis* instrumentis observatur, ut partes subscribant: non autem testes; nisi in testamentis ex-Edicto Perpetuo Principum nostrorum de an. 1613.

VI. Præterea ad resignandum debet esse mandatum *speciale*, uti post alios citatos docet Flaminius dicta *q.7.n.9.* quod & expressè habet Regula Cancellariæ 45. *De Consensu in resignantibus* in verbis: *Per Procuratorem suum ad hoc ab eo* SPECIALITER *constitutum*. Et in Regno Galliæ cautum esse, nullum Procuratorem resignare posse ex procuratorio *generali*, monet Rebuffus loco citato *n.13.*

VII. Speciale mandatum hic dicitur, si nominetur expressè Beneficium, & detur facultas renuntiandi. Debet autem Beneficium resignandum describi, & exprimi *nomen & locus ubi est*, ut de stylo fieri videmus, ait Flaminius *n.10.*

Hinc ulterius refert, non admittendum procuratoriũ generale ad resignandum omnia & quæcumq; Beneficia quæ constituens habet: testaturq; Carolus Fevretius *De Abusu lib 2.c.6.n.6.* hujusmodi mandata *generalia* ad resignandum esse declarata abusiva & nulla per Edictum Henrici II. Regis Galliæ an. 1550. subditq; ex Molinæo in Commentario ad hoc Regium Edictum: "Mandata illa „ generalia, tam de jure Canonico, quàm multis Curiæ „ Senatusconsultis fuisse reprobata, utpote multis frau„ dibus obnoxia, & disciplinam Ecclesiasticam inquinan„ tia, quæ quidem disciplina non admittit in spirituali„ bus generalitatem." Citat quoq; ibidem decisionem Rotæ conformem.

VIII. Multò minùs recipitur procuratorium ad acceptandum & resignandum simul aliquod Beneficium, uti notat Rebuffus *n.16.* quia non potest quis constituere ad renuntiandum Beneficio quod nondum habet. Nec refert, quod procuratorium detur in tempus, quo habiturus est: quia hoc ipsum reddit procuratorium incertum. Deinde, uti rectè advertit Flaminius *lib.9. qu. 10.* ad validitatem mandati inspicitur tempus, quo instrumentum procuratorii fuit confectum; quo tempore Beneficium resignandum non habebatur: unà monens, peccare illum qui acceptat beneficium, ut illud postea renuntiet, additque: "Ob id in Curia de stylo, quando datur examen, ap„ ponitur clausula: *Dato prius juramento, quod illud non recipiat animo renuntiandi.*

IX. Et ita quidem exigitur *speciale* mandatum, ut nec generale etiam *cum libera* sufficiat; idq; ideò quia resignatio seu renuntiatio Beneficiorum habetur pro *donatione*; quæ requirit *speciale* mandatum: eò quòd non censeatur quis constituendo Procuratorem ad administrandum dedisse mandatum ad *donandum*. Quæ ratio à Doctoribus communiter allegari solita, sat insinuat, hanc opinionem praxim exigendi *speciale* mandatum ad resignandum, primùm suam originem habuisse postquam beneficia potissimum penes commoda temporalia considerari cœperint, ipsis oneribus spiritualibus, quæ beneficiis annexa sunt, non attentis. Quo factum est, ut beneficia tamquam multum commoda & utilia ipsis beneficiatis considerari & reputari cœperunt; cum tamen secundum veram ideam, & Ecclesiæ ac Fundatorum intentionem, reputari deberent tamquam onera humeris beneficiatorum imposita propter officia eis annexa. Interim undecumq; praxis hæc originem habuerit, equidem cum inducta sit observanda est.

X. Præterea *speciale* mandatum exigitur ob juramentum à Procuratore in *animam* resignantis præstandum; quod in hac resignatione *non intervenerit fraus, dolus Simoniæ labes, seu quævis alia illicita pactio seu etiam corruptela*; quod juramentum in omni resignatione præstari debet: ut & propterea expressa clausula de hujusmodi juramento præstando Procuratoriis de resignando inseri consueverint.

XI. De hoc juramento exigi solito loquitur Synodus Coloniensis anno 1536 *parte 1.c.34.* asseruntq; ibidem hujus Synodi Prælati, "sibi haud clam esse, in resignationi„ bus & permutationibus multa *ancipitia perjuria* com„ mitti ab his, qui frequenter, subitò ac non præmeditati „ aut ipsi, aut per suos Procuratores (id quod ejusdem rea„ tus & culpæ est) jurejurando ante manus impositionem, „ testantur, in hujusmodi resignationibus seu permutati„ onibus nullam Simoniæ labem, aut aliam illicitam in„ tervenisse corruptelam: cum res [inquiunt] crebrò lon„ gè secus habeat, per quod ipsi gravem in se Dei iram „ procul dubio provocant.

Deinde concludunt: "Majori ergò curâ, diligentiorique „ quam antehac fieri consuevit, pervestigatione prævià, „ hæc juramenta exigi convenit.

XII. Utinam non tantum in hujus juramenti exactione, sed & eorum quæ in assumptione ad officia, opificia, nec non Gradus Academicos exiguntur, hoc Synodale monitum attenderent, quibus juramentorum exactio incumbit? Nimis enim notum est, quàm *subitò, ac non præmeditatè* hæc juramenta soleant præstari.

XIII. In procuratorio ad resignandum solet dari Procuratori constitutio potestas alium *substituendi*, cum eadem auctoritate qua ipse constitutus est. Hoc casu Substitutus non solùm suum mandatum substitutionis debet exhibere. Sed etiam mandatum Procuratoris à quo fuit substitutus. Fevretius *De Abusu lib.2.c.6.n.5.* testaturq; cautum Edicto Henrici II. Regis Galliæ. Procuratorem ad resignandum in Curia Romana se negotio resignationis immiscere non posse, nisi ipsum *procuratorium* ad resignandum reipsâ habeat.

XIV. Per Regulam Cancellariæ, quæ hodie est 45. & inscribitur, *De Consensu in resignationibus, & pensionibus* „ Papa voluit & ordinavit, quod super resignatione cu„ juscumq; beneficii Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, „ quam in manibus suis, vel in Cancellaria Apostolica fie„ ri contigerit, Apostolicæ litteræ nullatenus expedian„ tur, nisi Resignans, vel cedens, si præsens in Romana „ Curia fuerit, *personaliter*, alioquin per Procuratorem „ suum, ad hoc ab eo *specialiter* constitutum, expeditio„ ni ejusmodi in eadem Cancellaria expressè consense„ rit & juraverit, ut moris est. Etsi ipsum Resignan„ tem seu cedentem pluries super uno & eodem be„ neficio, in favorem diversarum personarum suc„ cessivè consentire contigerit, voluit Sanctitas sua, quòd „ primus consensus tenere debeat, & alii posteriores con„ sensus, ac litteræ eorum prætextu etiam sub priori data „ expeditæ pro tempore nullius sint roboris vel momen„ ti.

XV. "Hæc regula fuit edita ad tollendas fraudes, quæ „ possent oriri: quia posset quis nomine alterius porrige„ re supplicationem resignationis, & alium privare bene„ ficiis. Nam consensus per supplicationem sufficiebat „ de jure communi. Igitur ad tollendas fraudes, cautum „ est requiri consensum præstitum per se, vel per Procu„ ratorem specialiter ad hoc constitutum." Ita Chokier ad hanc Regulam *n.9.*

XVI. Ex verbis Regulæ notorium est, quod præsentes in Curia debeant *personaliter* præstare consensum neque posse constituere *Procuratorem* ad resignandum. Absentes autem consensum præstare teneantur per Procuratorem ad hoc *specialiter* constitutum. Monet nihilominus Flaminius Parisius *lib. 9. De Resignat. Benef. qu. 12. n. 8.* quod quando consensus præstatur in *Camera*, Notarii Cameræ admittant Procuratores etiam præsentium.

XVII. Consensus autem hic exprimendus est in Camera vel Cancellaria; id est coram Notariis Cameræ vel Cancella-

cellariæ. Hinc infert Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. lib.* 8. *qu.* 8. *n.* 33. non sufficere consensum etiam *expressum*, si ille consensus fuit præstitus alio in loco, quàm Camerâ vel Cancellariâ.

XVIII. Notat quoq; *n.* 28. "non esse validum consensum, qui colligitur ex supplicationis porrectione ad effe„ctum, ut abdicetur jus à Resignante, & satisfiat huic Re„gulæ." Ulterius *n.* 19. infert, "non esse sufficientem, „quoad hunc effectum, consensum qui appellatur *par„vus*: Nam *parva* data & *parvus* consensus datur à Da„tario & remanet penes partes.

XIX. Deniq; monet *n.* 41. post præstitum dictum consensum abdicari jus à Resignante: non autem ante. De quo latiùs agemus *c.* 5. Et *n.* 43. dicit, juxta omnes, hunc esse *formalem* consensum; à quo computatur tempus, de quo in Regula *De Infirmis Resignantibus*, de qua tractamus c. 5.

XX. Mandatum seu procuratorium semel legitimè, & sine limitatione temporis datum, solo lapsu temporis, etiam plurium annorum, de jure communi non expirat aut revocatum præsumitur. Unde refert Flaminius Parisius *lib.* 9. *qu.* 13. resolutum fuisse in Rota Romana, "consen„sum præstitum post quadriennium a die confecti pro„curatorii esse bonum: quia voluntas semper censetur „durare, donec de mutatione non appareat.

At in Gallia, resignatio vi procuratorii anno elapso facta non valet, ut lege Regiâ cautum esse testatur Rebuffus loco supra citato *n.* 18.

XXI. Licet de jure solo temporis lapsu non exspiret, aut revocatum censeatur procuratorium ad resignandum, nihilominus quia est verum mandatum, etiam communibus regulis mandati subjicitur; & iisdem modis extinguitur.

Unde sicuti de jure mandatum *re integra* solvitur & expirat morte Mandantis; ita & procuratorium ad resignandum extingui per mortem Resignantis communis est omnium opinio; & non obscurè probatur in *Clem. ultima De Procuratoribus*: idque etiam procedit, licet ipse Procurator ignoraverit mortem Resignantis: modò tamen ante exhibitam supplicationem Resignans reverà mortuus fuerit; uti rectè notat Flaminius *lib.* 9. *qu.* 24.

XXII. Si tamen vivente Resignante supplicatio resignationis fuerit per Procuratorem exhibita, & signata vivente Resignante, poterit Procurator vi ejusdem mandati post mortem Resignantis præstare consensum in Cancellaria vel Camera pro expeditione litterarum; ut allegatæ Regulæ Cancellariæ satisfiat.

Hanc esse communem opinionem probatam per Alexandrum VI. & Leonem X. asserit Flaminius Parisius *lib.* 9. *qu.* 24. Procurator enim post mortem Domini tametsi nova negotia inchoare nequeat, potest tamen consummare quæ per ipsum inchoata erant ante mortem mandantis, ut vulgò tradunt Jurisconsulti. Hoc eo magis in præsenti casu procedit: cùm Resignatario per supplicationem *signatam* videatur *jus acquisitum*; uti advertit Flaminius *n.* 18. Ipsi enim consensus postea præstandus in Camera vel Cancellaria, non tam exigitur ad perfectionem ipsius resignationis, quàm ad expeditionem Litterarum, quæ ad probationem tantum requiruntur, ideoque consensus datus etiam ad *diem signata* supplicationis retrotrahitur.

XXIII. Id quoq; procedere, dicit Flaminius *n.* 24. eti„amsi probaretur, constituentem ante ejus mortem mu„tasse voluntatem. Nam si illa voluntas *revocata* non „fuit intimata, juxta *Clementinam Unicam De Renunt.* „potest Procurator eo mortuo præstare consensum for„malem." Rationem subjungit *n.* 26. quia juxta citatam Clementinam non sufficit, revocationem esse factam, sed debet esse, intimata.

XXIV. Cùm enim illusio & variatio in personis Ecclesiasticis maximè sit vitanda, constituitur in citata Clementina, "ut si quis ad cedendum Pontificali, aut alii cuilibet „Dignitati vel Beneficio Procuratorem spontè ac liberè „constituerit & ipsum ignorantem postmodum duxe„rit quomodolibet revocandum, teneat cessio fa„cta per eum, antequam ad ipsius, vel illius (in cujus ma„nibus cessio fuerat facienda) *notitiam revocatio* hujus„modi sit *deducta*.

Itaq; non sufficit revocatum esse procuratorem, nisi ipsa revocatio sit ad notitiam deducta sive intimata, & ita in praxi receptum esse testatur ibidem Flaminius *lib.* 9. *q.* 25. *n.* 25.

XXV. Sufficit autem hanc intimationem factam esse vel procuratori, vel ipsi Superiori, in cujus manibus resignatio facienda erat; uti constat ex verbis Clementinæ supra relatis.

Hinc deducitur, intimationem factam in Camera vel Cancellaria sufficere, quando Procurator constitutus est ad renuntiandum coram Pontifice: quia quæ fiunt in Camera vel Cancellaria, dicuntur fieri in consistorio Papæ: atq; ita sæpiùs resolutum fuisse, sufficere intimare Notariis Cameræ vel Cancellariæ, testatur Flaminius ibidem *q.* 26. qui & ibi exponit, quâ formâ revocatio & intimatio revocationis in Curia Romana fieri debeat & soleat.

XXVI. Cæterùm indubitatum est, Resignantem quovis tempore usque ad consummationem actus posse liberè mandatum revocare, ipsiusque negotii jam inchoati progressum ulteriorem per revocationem mandati sistere.

Hinc concluditur, revocationem Procuratorii, etiam post porrectionem supplicationis, ejusq; signaturam, esse validam eatenus, ut Procurator vi istius mandati non poterit postmodum in Camera vel Cancellaria præstare *formalem* consensum, uti decisum aliquando fuisse refert Flaminius citato *lib.* 9. *qu.* 28.

XXVII. Si quis procuratorium dederit resignandi beneficium ad manus Papæ, non poterit illud resignare coram Ordinario, nisi prius actum revocationis in Curia Romana insinuaverit: atq; renuntiationem in præjudicium hujusmodi procuratorii factam coram Ordinario esse nullam judicavit aliquando Senatus Tholosanus; quemadmodum testatur Joannes De Salva De Beneficiis *parte* 3. *quæst.* 16. *num.* 14. idque conformiter ad *Cap.* 2. *in De Postulat. Prælat.* ubi vetatur, postquam postulatio fuit præsentata Papæ, ab ea recedi, ne videatur Papæ illudi.

XXVIII. Eorum, quæ hodie in constituendo, & revocando procuratore ad resignandum, item de præstando consensu, vel ex usu, aut Pontificum, vel aliorum Superiorum auctoritate inducta sunt, pauca, aut nulla in pristinis Canonibus aut libris reperies: indicium ea nonnisi postremis hisce seculis invaluisse, postquam resignationes & permutationes fraudibus multis & technis permixtæ, invaluerunt; atq; de Beneficiis penè non secus ac de rebus temporalibus disponi & quodammodo mercari ceptum est. His ut obviaretur eas cautiones hic adhiberi visum quas in negotiis civilibus Imperatorum Leges adhiberi volebant.

CAPUT IV.

Quinam Beneficia sua resignare possint.

1. *Hodie omnes possunt resignare Beneficium, nisi expressè prohibeantur.*
2. *Hinc obtinens Parochiale Beneficium resignare de jure communi ultimo die anni dati ad suscipiendam Sacerdotium.*

3. Id

3. *Id tamen non admittitur ex hodierno stylo Curiæ R.*
4. *An promovendi ad dignitates queant sua beneficia resignare, quamdiu reipsa promoti non sunt? & Regula Cancellariæ super hoc edita.*
5. *Ratio hujus regulæ.*
6. *An hæc regula recepta sit in Gallia.*
7. *Pendente judicio criminali potest Beneficium resignari quamdiu reipsa privatus non est.*
8. *An per sententiam privatus possit resignare pendente appellatione.*
9. *Putant plures id non tantum in resignatione simplici, sed & in favorem procedere.*
10. *Non apparet generaliter probanda hæc opinio.*
11. *Interdum confertur Beneficium in casum privationis accusati; itaq; cum clausula irritante provisionem alteri faciendam quæ in Gallia non admittitur.*
12. *Resignatio valet tametsi resignans aliunde nihil habeat.*
13. *Non admittitur ex stylo Curiæ si resignans sit* sacro *Ordine insignitus.*
14. *Unde hic stylus originem habuit.*
15. *Non servatur in Gallia, nec Belgio.*
16. *Minor in spiritualibus quando habeatur pro majore?*
17. *Minor qui habetur pro majore potest Beneficium resignare.*
18. *Resignationes Minorum rescissioni non solent esse obnoxiæ.*
19. *Resignari nequeunt iis sub quorum potestate & cura Minores consistunt.*
20. *Rescinduntur dum eas malis artibus extortas esse apparet.*
21. *Interdum resignationes Minorum sine omni suspicione fraudis fiunt reluctantibus parentibus.*

I. OLim quidem rariùs permittebatur, ut Clerici semel alicui Ecclesiæ adscripti eidem renuntiare possent. At labentibus seculis, labente sensim disciplinâ, tandem quoq; invaluit, ut cuiq; quodammodo liberum esse credatur, non tantùm à vinculo, quo per Beneficii collationem & institutionem Ecclesiæ fuit alligatus, se omni tempore solvere; sed insuper ipsum Beneficium quasi sibi proprium resignare simpliciter, vel *in favorem alterius*, vel *ex causa permutationis*. Ideoq; Flaminius Parisius *lib. 3. De Resignatione Beneficiorum quæstione 1.* quærens qui possint Beneficia resignare respondet:" Regula „est affirmativa omnes posse resignare eorum Beneficia.

II. Hinc infert *q. 2. n. 8.* quod promotus ad Ecclesiam Parochialem possit resignare *in favorem* Beneficium hoc Parochiale *ultima* die anni dati ad se promoveri faciendum ad ordines sacros; tametsi jam certò constet, ipsum intra annum ad Sacerdotium promoveri non posse; adeoque die sequenti *ipso jure* privandum Beneficio juxta Decretum Concilii Lugdunensis in *Cap.* COMMISSA *De Elect. in 6.* quod privat *ipso jure* possessorem Beneficii Parochialis, si *intra annum*, ad Sacerdotium non sit promotus, de quo latiùs supra titulo 19. c. 3. Rationem hujus conclusionis allegat *n. 9.*" Quia antequam annus sit *ex toto* elapsus, jus est penes illum, qui vult renuntiare, ac „perfectè.

III. Monet tamen *n. 21.*" Hodie autem hujusmodi re„signatio non admitteretur: namq; quoties resignatur „Parochialis, stylus obtinuit, ut debeat exprimi, *per quã„tum tempus illam possedit Resignans*, & si tempus est „breve, cessio rejicitur; si autem hoc expresso Papa ad„mittit resignationem, nulli dubium est, valere.

Interim ex sententia Flaminii, quæ & communis est Canonistarum, in prædicto casu resignatio, nisi stylus quoad Parochialem specialiter obstaret, admitteretur hoc solo titulo, quod nondum anno *ex toto* elapso, adhuc beneficiatus retineat *jus* in Beneficio.

IV. Eodem titulo promovendi ad quascumq; Prælaturas aut Dignitates, quamdiu reipsa promoti non sunt beneficia sua resignare possent nisi obstaret Regula Cancellariæ 16. *De Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias & Monasteria*, quæ dicit." Nec non quæcumq; „collationes, provisiones, & dispositiones pro tempore „faciendæ de præmissis & quibusvis aliis beneficiis Ec„clesiasticis secularibus & regularibus, quæ per promo„vendos vel assumendos ad quascumq; Prælaturas, inter „illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, vel as„sumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permuta„tionis ubicumq; resignari, vel aliàs dimitti contigerit, „cum inde secutis pro tempore sint cassæ & irritæ, nulli„usq; roboris vel momenti.

V. Rebuffus in Commentario ad Concordata titulo De *Mandatis Apostolicis* §. finali notat, hanc Regulam editam esse ad obviandum fraudibus." Quia ille qui scie„bat, se promovendum ad Episcopatum, vel Abbatiam, „faciebat resignationes secretas, vel permutabat cum a„lio Beneficio etiam minimo. Ideò factâ posteà promo„tione Papa erat illusus, & nihil poterat conferre.

VI. Hæc Rebuffus, qui in Praxi Beneficiorum *parte 3.* in additione ad hanc Regulam, observat, quod Papa per eam Regulam videatur quodammodò reservare suæ dispositioni Beneficia illorum qui sic promoventur." Unde „putarem, (ait) in Francia, quod si iste promovendus co„ram Ordinario resignaret beneficia ante promotionem „quod illa collatio valeret: cùm omnes regulæ sa„pientes reservationem sint in Regno Franciæ subla„tæ.

VII. Eodem ex fundamento reus criminis, quod privationem Beneficii meretur, sive ratione cujus reus per sententiam Beneficio privari potest, non impeditur resignare quamdiu per sententiam Beneficio privatus non est; quemadmodum post alios citatos ostendit Flaminius Parisius citato *libro 9. q. 16.* idq; etiam lite sive judicio criminali pendente; tametsi probationes essent receptæ, & in causa conclusum. Quia quamdiu Beneficio non est privatus per sententiam, adhuc remanet verus beneficiatus, retinetq; titulum beneficii liberum; ac per consequens, nihil obstat, quo minus illum resignare aut permutare queat.

VIII. Quinimò etsi sententia privationis fuerit pronuntiata, si ab ea appellatum sit, posse pendente appellatione renuntiare, pluribus citatis docet Flaminius *n. 25.* & in facti specie respondit Rebuffus *consil. 82.* Quia per appellationem effectus sententiæ suspenditur, manetque possessor eodem loco, quo fuit ante sententiam.

" Si tamen is, qui nullum jus in Beneficio habuit, con„demnatus appellavit, & pendente appellatione resigna„verit, placet resignationem *nullius* esse momenti, quasi „quæ in fraudem facta sit; præsertim si postea appellatio „injusta pronuntietur." Ita judicatum refert Ant. Faber *lib. 1. tit. 2. Def. 89.*

IX. Credit quoq; Chokier ad Regulam Cancellariæ *De Annali* aliique ab eo citati, accusatum de crimine non tantùm simpliciter & purè inter manus Ordinarii Beneficium resignare, sive Beneficio cedere posse; sed etiam *in favorem* coram Pontifice, vel ex *causa permutationis* coram Ordinario:" Nam qui renuntiat jure suo utitur, „& ideò nullam fraudem committit: quippe qui sibi ipsi „consulturus, vel amico vel consanguineo, eidem Bene„ficio renuntiat, non ut alteri noceat." Hæc Chokier ex Guitierres.

X. Imprimis quàm parùm Ministerio Ecclesiastico dignam ideam hæc ratiocinatio imprimat, probare opus non est: sed & illud falsum est, per hanc renuntiationem, fraudem nullam committi. Licet enim tertio alicui injuria non fiat tamen ipsum judicium inutile redditur, ipsique justitiæ fraus fit: cum sat manifestè jurisdictionis & auctoritatis judicialis effectum impediat, & vigorem

enervet

enervet hujusmodi resignatio:atq; hoc pacto impunitas criminum quodammodo haberi queat:aut saltem pœnis à Canone decretis criminum rei se subtrahere possint. Quapropter hujusmodi resignationes tamquam in fraudem factas, & subreptitiè impetratas, esse nonnumquam rejiciendas & annullandas dubitandum non videtur; quemadmodum latè variis distinctionibus adhibitis ostendit Molinæus ad Regulam *De Infirmis resignantibus n.* 155. & sequentibus.

XI. Hactenus dicta de resignatione facienda pendente judicio criminali non procedunt, si Papa Beneficium illud alteri contulerit in casum privationis sequuturæ. Solet enim nonnumquam beneficium alicujus de crimine accusati impetrari cum clausula, *ut si accusatus beneficio privandus judicetur, illud cedat impetranti*; adjiciturque clausula Decreti irritantis, vi cujus collatio sive provisio istius beneficii alteri facta irritatur: & consequenter impeditur renuntiatio in favorem alterius pendente judicio. De hac impetratione & clausulis adjici solitis consuli poterunt Flaminius citatâ quæstione 165. item Rebuffus in Praxi *parte 3. tit. De modis quibus beneficia vacant n.* 52. ubi unà monet, cùm hæc clausula sapiat reservationem, quæ in Francia sublata est per Concordata, etiam resignationem pendente judicio factam in Gallia sustineri, non obstante illâ clausula.

XII. Sicuti quis jus suum alienare non prohibetur eo solo titulo, quod per hanc alienationem ipsum alienantem ad inopiam redigi contingeret, ita nec idcirco quis beneficium suum resignare prohibetur, tametsi beneficio resignato non habeat unde se alat: modo tamen titulo illius beneficii ad sacros Ordines promotus non fuerit.

XIII. Et ita quidem inspecto jure communi. At hodie notorius stylus Curiæ Romanæ habet, ut si Resignans beneficium *sacro* Ordine sit insignitus, in supplica exprimatur clausula: *Aliunde commodè vivere valens*: quæ clausula in litteris provisionis repetitur; respicitq; *substantiam gratiæ*, ut notat Flaminius *lib. 2. qu. 6.*

XIV. Stylus hîc originem habet ex Constitutione Pii V. quæ incipit, *Quanta* 51. in Bull. R. quæ inter alia habet: " Sed nec horum ullus *sacro Ordine* mancipatus, nisi „ religionem ingressurus, valeat ullo modo beneficium „ vel officium Ecclesiasticum resignare, nisi *aliundè* ei sit, „ quo in vita possit *commodè* sustentari.

Quamvis hæc Constitutio tantùm de Ordinariis loquatur, & non de resignationibus faciendis in Curia Romana tamen quia ratio, ne Clerici in opprobrium Ordinis mendicare cogantur, etiam in his resignationibus militat, recepta quoq; est in Curia, & inde stylus ille inolevit.

XV. Verùm quia hæc prædicta Constitutio Pii V. in Gallia recepta non est, neq; prædicta clausula recipitur; sed habetur tamquam styli, ut notat Perardus Castellus in tractatu de usu & praxi Curiæ Romanæ *pag.* 175. quod eâdem ratione dicendum de Belgio: quandoquidem nec hîc Constitutio Pii V. usu recepta sit; uti supra capite 2. ex Zypæo notavimus.

XVI. Minorem 25. annis, at majorem 14. in spiritualibus haberi pro majore, communis est Interpretum opinio, fundata in *Cap. fin. De Judiciis in 6.* in verbis: " Si annum quartum decimum tuæ peregisti ætatis: in Beneficialibus & aliis causis spiritualibus, nec non & dependentibus ab eisdem, ac si major 25. annis existeres; ad agendum, & defendendum, per te, vel per Procuratorem „ quem ad hoc constituendum decreveris, admitti debebis.

XVII. Hinc ulteriùs concludunt Canonistæ, minorem 25. annis, sed majorem 14. posse resignare beneficium, sive simpliciter, sive in favorem, vel ex causa permutationis; neq; in tali resignatione requiri consensum & auctoritatem Tutorum; uti post alios tradit Flaminius Parisius *Lib. 3. q. 7.*

XVIII. Quod si in tali resignatione non reperiantur inter venisse fraudes, aut malæ artes, quibus ad resignandum minor verisimiliter inductus appareat, resignatio illa in tantùm valida erit, ut nulli rescissioni, aut restitutioni obnoxia sit; quemadmodum ibidem *n.* 21. tradit Flaminius; & non semel etiam per Senatum Regium judicatū fuisse testatur Broudæus in notis ad Lovetium *Litt. B. n. 7.* dicitq; ex Parlamentorum arrestis sat compertum esse, regulariter resignationes factas à minoribus 25. annis validas reputari, præsertim si jam pervenerint ad plenam pubertatem, id est, attigerint 18. aut 20. ætatis annum.

XIX. Monet tamen ibidem Broudæus, extare vetus Arrestum de 18. Junii anno 1554. quo vetatur omnibus Præceptoribus, Pædagogis, aliisq; personis habentibus curam, administrationē aut regimen puerorum & scholarium, extorquere, aut acceptare ab ipsis ullas resignationes in eorum favorem, directè vel indirectè, sub pœna nullitatis hujusmodi resignationum & provisionum inde sequutarum, mulctâ arbitrariâ, aliâq; dignâ punitione. Jussumq; est, ut hoc Arrestum in prima congregatione Universitatis Parisiensis aliisq; locis necessariis solemniter publicaretur, ut nulla ignorantia prætendi posset. Hæc ibidem Broudæus, qui & integra arresti illius verba refert.

XX. Si ergo Minores resignaverunt sua beneficia prædictis personis, vel in favorem ipsarum prolium, consanguineorum, vel aliarum personarum per ipsos suppositarum, resignationes illæ invalidæ erunt: uti factæ & in favorem aliorum quando ex circumstantiis sunt præsumptiones violentæ ac fundatæ resignationes *malis artibus* exortas fuisse; uti pluribus Arrestis declaratum fuisse annotat Broudæus.

Idipsum notavit Antonius Mornacius ad *Legem 7. ff. De Minoribus*, ubi postquam retulit, Molinæum notasse, *Capitulum fin. De Judiciis in 6.* " non servari in Gallia „ quantùm ad ejurationes beneficiorum, seu resignatio„nes ut loquimur, judicatumq; fuisse arrestis Concilii „ Regii plurimis, resignationes Minorum, licèt puberum „ sine auctoritate parentum vel curatorum, nullas esse, " immediatè subjungit: " Quod tamen intellige, si *imperitia & facilitate* juvenili doloque adversarii inductus sit „ Beneficiarius ut beneficio cederet." Deinde refert duo arresta quibus ob fraudem & dolum hujusmodi resignationes declaratæ fuere nullæ.

XXI. Quod autem nonnumquam resignationes à Minoribus citra consensum parentum; quin & positivè iis reluctantibus fieri possint sine omni planè suspicione fraudis, bene ostendit Broudæus citato *n.* 7. atq; unà observans, parentes nequaquam posse cogere filios suos, tametsi adhuc ætatem 25. annorum non attigerint, ut beneficia retineant: dum se nequaquam ad statum Ecclesiasticum vocatos sentiunt.

CAPUT V.

De Regula Cancellariæ De *Infirmis resignantibus.*

1. *Refertur textus regulæ.*
2. *Quis primus auctor.*
3. *Regula hæc ubique recepta.*
4. *Plura successu temporis addita.*
5. *Ceptum dubitari an regula obtineat in resignatione facta à* non infirmo: *& quæ ratio dubitandi.*
6. *Verisimilius est, non esse locum in resignatione facta à* non infirmo.
7. *Exponitur clausula Clementis* VII.
8. *Infirmitas adesse debet, non tempore expediti mandati sed resignationis.*

9. Re-

9. *Regula loquitur de* infirmitate corporis, *non spiritus.*
10. *Non sufficit quem esse in periculo mortis, nisi sit* infirmus.
11. *Procedit in correpto morbo contagioso; aut vulnere sauciato.*
12. *Requiritur ut Resignans de* eadem *infirmitate decesserit.*
13. *In dubio de* eadem *decessisse præsumitur.*
14. *Regula loquitur de 20. diebus naturalibus, & completis.*
15. *Regula obtinet tametsi Papa interea moreretur.*
16. *Dies computandi à die præstandi consensus.*
17. *Id quoque in Gallia receptum.*
18. *Requiruntur 20 dies non computato die præstiti consensus, nec die mortis.*
19. *Resignante infra 20. dies decedente, beneficium vacat* per obitum *ac si nulla resignatio intervenisset.*
20. *Resignatio hujusmodi in Curia facta non inducit reservationem.*
21. *Regula requirit, ut collatio sit facta vigore resignationis.*
22. *Inspectis hodiernis terminis, regula certò obtinet in resignatione coram Ordinario.*
23. *Edicto Philippi II. videtur hic vetitum recipere novas regulas Cancellariæ sine* Placeto *Principis.*
24. *Edictum non loquitur expressè de Regulis Cancellariæ, quamvis eas comprehendere videatur; & unà referuntur verba Edicti.*
25. *Regula hæc tempore hujus Edicti erat recepta cum omnibus clausulis modernis.*
26. *Concluditur ei locum esse in Belgio in resignationibus coram Ordinario.*
27. *In Gallia aliud obtinere jam pridem visum est Molinæo; & quare.*
28. *Zypæus Molinæi auctoritate deceptus.*
29. *Etiam in Gallia hodie regula in resignatione ex causa permutationis coram Ordinario obtinet.*
30. *Regula non obtinet in resignatione* simplici *facta coram Ordinario.*
31. *Hodie communiter huic regulæ derogatur, quando Resignans absens est.*
32. *Derogatio hæc in Gallia admitti consuevit.*
33. *An etiam admittenda in Belgio?*
34. *Ratio cur in Gallia potiùs, quàm in Belgio admittenda.*

I. REgula *de viginti* sive *De Infirmis Resignantibus* quæ est 19. his verbis hodie, exprimitur. "Item voluit quod si quis "in infirmitate constitutus resignaverit „aliquod beneficium, sive simpliciter, „sive ex causa permutationis, vel aliàs dimiserit, aut illius „Commendæ cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dissolutio„ni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sa„nus, signatæ, & postea infra viginti dies à die per ipsum „Resignantem præstandi consensus computandos, de ipsa „infirmitate decesserit, & ipsum Beneficium quàvis aucto„ritate conferatur per resignationem sic factam, collatio „hujusmodi sit nulla, ipsúmque beneficium nihilominus per obitum censeatur vacare.

II. Primus hujus regulæ auctor vulgò creditur Bonifacius VIII. qui sedit sub finem sæculi 13. At difficilè creditu ait Gastellus in tractatu *De usu & praxi Curiæ Romanæ*, eam à Bonifacio VIII. inductam fuisse. Quia cum resignationes *in favorem* non innotuerint, nisi post tempora Bonifacii; imò earũ usus demum frequentari cœperit mortuo Gregorio XI. tempore scismatis Avenionensis, regula hæc nequit ab eo fuisse inducta: utpote quæ resignationes *in favorem* concernit. Hæc ille.

III. Illud equidem certius est, eam in foro & Curia, quotidiano usu receptam esse, ut testatur Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. Lib 12. in præfatione num. 1.* Quin & in Gallia anno 1493. recepta, & Registris Curiæ Parisiensis inserta fuit. Similiter & in Belgio usu receptam esse notat Zypæus in Jure novo tit. *De Renunt. n. 3.* additque Vande Velde insignis Jurisconsultus Lovaniensis in notis manuscriptis ad hanc regulam: "Et constat, secundùm eam sæ„pissimè fuisse judicatum in Artesia, Flandria, Brabantia, „Mechliniæ, & novissimè in Concilio Privato 10. Mar„tii ann. 1639.

IV. Insuper constat, hanc regulam sæpius mutatam fuisse, additionibus & detractionibus clausularum per diversos Pontifices factis; ut in explicatione regulæ observabimus: ideóque mirum non est, si apud Interpretes hujus Regulæ magna reperiatur opinionum diversitas, & confusio: eò quod antiquiores regulam cum antiquis, Recentiores verò cum novis additionibus & restrictionibus interpretati sint.

V. Dicit Regula: *Si quis in infirmitate constitutus.* Ex his verbis tamquam indubitatum conclusêre antiquiores hujus Regulæ Interpretes, primum requisitum hujus Regulæ esse, infirmitatem resignantis: id est, huic Regulæ locum non esse, nisi quis infirmus existens resignaverit.

Verùm Clemens VII. qui anno 1523. ad Pontificatum est assumptus, huic Regulæ inseruit clausulam: *Etiam vigore supplicationis dum esset* SANUS, *signata*; uti notat Gomezius in præfatione ad hanc regulam, qui & addit: "Quod „odio Cardinalis de Vigh, qui in conclavi ei plurimùm „obstiterat; Clementem fecisse, satis compertum est. Ni„hilominus postremò Paulus III. in suis extraordinariis re„gulis Clementem est imitatus." Hæc ille. Quidquid sit de hoc asserto Gomezii, illud constat, eam clausulam huc usque regulæ manere insertam; atque ob eam additionem dubitare cœpisse hujus Regulæ Interpretes, utrum in resignatione factâ *à sano* regula locum non haberet, si modò intra 20. dies juxta terminos regulæ decessisset.

Et quidem Chokier in Commentario ad hanc regulam, putat ob hanc Clementis appendiculam, hodie non requiri ut Resignans aliquo tempore *infirmus* fuerit, ut huic regulæ locus sit. "Modò post consensum per se, vel per Procu„ratorem præstitum moriatur infra 20. dies locus erit huic „regulæ; hoc est, Beneficium vacabit per obitum, & non „per resignationem, quamvis ab initio esset sanus. Ita ille, qui hinc ulterius concludit; "Et proinde pro nihilo sunt di„versæ diversorum Doctorum hujus regulæ limitationes, „videlicet de sene aliàs sano; item amente extra tempus de„lirii; item de constituto in periculo mortis tempore tem„pestatis, prælii, contagionis, istæ, inquam, limitationes „planè jam corruunt propter dictam Clementis VII. ap„pendicularem constitutionem." Ita Chokier.

VI At Rebuffus, quamvis referat regulam cum dicta Clementis appendicula, nihilominus inter requisita regulæ, primo loco requirere non dubitat, ut Resignans sit *in infirmitate* constitutus; atque concludit: "Ergò si esset „*sanus resignationis* tempore, licet postea fato quodam „moriatur intra viginti dies, nec tamen habebit locum „hæc regula: quia resignans non est *in infirmitate consti„tutus.*

Et sanè si infirmitas Resignantis non exigeretur tempore resignationis, dicere non deberent, etiam moderni Pontifices, *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit*; utpotè quæ nimis apertè supponunt, regulam loqui, de resignante *in infirmitate constituto*, uti rectè advertit citatus Vande Velde refutans opinionem Chokier.

VII. Unde notat Vande Velde, quòd Pontifices addendo eam clausulam: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signata*, voluerint duntaxat declarare, regulæ locum esse, si quis in infirmitate constitutus resignaverit, tametsi hæc resignatio facta fuerit vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ.

Pro quo observandum, per supplicationem non fieri propriè resignationem; sed per consensum Resignantis sive per se, sive per Procuratorem specialiter ad hoc constitutum: quia paria sunt resignare, vel præstare consensum, ait Rebuffus ad hanc Regulam *Glossa* 2. *num.* 3.

Imò uti post Flaminium Paritium rectè advertit Chokier *num.* 18. " Potest supplicia porrigi à quocumque, etiam „ sine mandato speciali, & per litteras missivas, licet ad præ„standum consensum Notarii Cameræ vel Cancellariæ „ illum non extenderent, nisi de illo constaret per *publicum* „ instrumentum.

Si itaque supplicatio pro approbatione resignationis exhibita fuerit, tempore quo resignans adhuc *sanus* erat, postmodum verò resignans in infirmitate constitutus per se vel specialem Procuratorem consensum præstet, locus erit Regulæ: quia revera censetur resignare in *infirmitate* constitutus; quia *præstando consensum* propriè resignat: tametsi tempore supplicationis signatæ fuerit sanus. Voluerunt enim Pontifices, ut sicuti consensus præstitus post signatam supplicationem retrotrahitur ad datam supplicationis; ita quoque ipsa infirmitas, quæ est tempore consensus præstiti, retrotrahetur ad eamdem datam: censeaturque in infirmitate constitutus à data supplicationis resignâsse.

VIII. Itaque infirmitas requiritur tempore resignationis; non autem tempore quo expeditur mandatum, vel instrumentum mandati ad resignandum: quia revera per tale mandatum, aut instrumentum mandati nondum sit resignatio. " Quid enim si sanus hoc facit, & instrumentum „ penes se servat, vel non levatur, sed manet in matrice Notarii, donec accedente infirmitate levetur & tradetur cur„sori? Locus erit omninò huic regulæ, quæ loquitur de re„signatione factâ vel executatâ contemplatione infirmita„tis," ait Auctor Analysis ad hanc Regulam *n.* 128.

IX. Infirmitas, quam exigit regula, intelligi debet modò vulgari de vera corporis infirmitate, à qua quis vulgò dicitur *infirmus*, sive in infirmitate constitutus.

Hinc rectè concluditur, regulam intelligi debere de infirmitate corporis, non autem mentis, uti post Rebuffum rectè notat Auctor Analysis *num.* 121. Nisi esset talis & „ tam vehemens mœror, ut ex eo sanitas corporis notabi„liter læderetur: quia tunc concurret etiam infirmitas cor„poris, & periculum vitæ, alioquin in sola ægritudine, de „ qua non speratur mors, non adaptaretur hæc regula. Si „ tamen ægritudo mentis alienationem induceret, non per „ hanc regulam, sed jure communi corrueret resignatio, & „ quidquid inde secutum esset.

X. Eadem ratione nec in *sene* hæc Regula obtinet: quia propriè non dicitur infirmus; uti benè observat Rebuffus *Glossa* 2. *num.* 13. post Gomesium ad hanc Regulam *quastion.* 7.

Similiter Regula non obtinet in adeunte bellum, aut mare: quia licet aliquod periculum mortis immineat, nequaquam tales dicuntur *in infirmitate* constituti; sed sani sunt, & ut tales ab omnibus habentur. Rebuffus *num.* 14.

XI. Imò post Gomesium dicit ibidem Rebuffus, locum non esse huic Regulæ, si quis resignet *peste correptus*: nam Gomesio is dicitur infirmus, qui *jacet in lecto febre correptus*. Ad quam Gomesii opinionem reflectens citatus Auctor Analysis *num.* 126. non immeritò dicit: *Sed prorsus delirat:* " Quia quantò morbus periculosior est, quantò „ major sanitatis & vitæ desperatio, tantò major dicitur in„firmitas, in veris & propriis terminis hujus Regulæ; sive „ verba, sive mentem, sive utrunque inspicias.

Deinde concludit idem Auctor: " Sive igitur Resignans „ detineatur morbo quo decumbit, sive non decumbat, sed „ sedeat, vel etiam ambulet, si tamen ex eodem morbo, pu„ta vulnere ensis, vel collisione, lapsu, vel apoplexiâ, seu „ gravi catharro, vel carbunculo pestifero laboret, & infra „ viginti dies de eodem morbo decedat, locus est huic Re„gulæ.

XII. Non sufficit Resignantem tempore resignationis fuisse in *infirmitate* constitutum; sed insuper requirit Regula, ut de *ipsa infirmitate decesserit*; id est, ex illa infirmitate, in qua tempore resignationis constitutus erat. Unde concludit Rebuffus *Glossa* 11. quòd si *fato* quodam moreretur, non haberet locum hæc Regula: ibidem una notans: " Dicitur tamen mori ex infirmitate, etiamsi febris ratione „ illius supervenerit, vel aliud acciderit ab ipsa infirmitate, „ secùs si extra provenerit. " Deinde nonnullis interpositis tandem concludit: " Ergò relinquitur arbitrio Medi„corum, quando censeatur obiisse mortem ex infirmitate.

XIII. Si tamen dubium sit, præsumitur mortuus ex eodem morbo, vel infirmitate; uti monet Auctor Analysis *n.* 126. & etiam Rebuffus loco citato, qui consequenter concludit: " quòd sufficiat duo probare, primò, Resignan„tem infirmum tempore resignationis, & demum mortu„um intra viginti dies: quia præsumetur mortuus ex ipsa „ infirmitate, non si fuerit contrarium probatum.

XIV. Ut Regula obtineat, exigitur, ut de illa infirmitate decesserit intra *viginti* dies. Accipitur autem hîc dies pro die *naturali* viginti quatuor horarum, uti post Rebuffum *Glossa.* 9. monet Flaminius Parisius *lib.* 12. *q.* 8. unà notans, diem ultimum debere esse *totaliter* completum; ita ut si moriatur ipso die vigesimo, censeatur mori intra 20. dies ad mentem Regulæ: quamvis non attendatur, quâ *hora* diei ipsa resignatio facta sit: quia Notarii Cameræ & Cancellariæ horam præstiti consensûs seu factæ resignationis annotare non consueverunt.

XV. Observat insuper Rebuffus citatâ *Glossa* 9. quod Regula hæc etiam habebit locum, " etiamsi admissâ resi„gnatione moreretur Ordinarius intra viginti dies, vel Pa„pa: quia licet per mortem Papæ extinguantur Regulæ ta„men hæc Lex Regni facta est eo ipso, quod in Parlamen„to fuit recepta & registrata: quæ in tantum fixa manet, ut „ nihil officiat mors Papæ.

XVI. A quo tempore dies illi viginti computandi essent, apud antiquos Regulæ hujus Interpretes non exigua fuit difficultas, quam sustulit Julius II. addendo ipsi Regulæ hæc verba: *A die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos*: quæ verba à posterioribus etiam Pontificibus retenta sunt.

XVII. Et quamvis Regula fuerit à Parlamento Parisiensi 20. Novembris 1493. registrata, & pro Lege Regni recepta absque dicta clausula, quæ demum sub initium sequentis seculi à Julio II. fuit adjecta, nihilominus, uti notat Auctor Analysis meritò in usum recepta est; qui *n.* 10. & 11. de tempore quo dies illi computandi sunt; nec non hujus clausulæ receptione ita loquitur: " Circa tertium „ (hoc est, *ut infra* 20. *dies decesserit*) notandum quod „ ante Julium II. hi viginti dies currere incipiebant statim „ à resignatione admissa, sive collatio statim esset facta, sive „ dilata, & non priùs: unde si constaret de instrumento re„signationis, in Camera, vel Cancellaria Papæ, vel Lega„ti de latere, & constaret suspensam vel dilatam esse ad„missionem (quod minimè solent) si tamen quocumque „ casu contingeret diffisam esse admissionem, non incipe„rent currere XX. dies (etiam cessante regulâ Julii) nisi à „ die admissionis, uti supra probavimus, quicquid scripse„rit Gomes. sed ab adventu Julii, qui die XXVIII. No„vembris 1503. anno 1. hanc Regulam rursus innova„vit & publicavit, eique primus addidit clausulam illam: *à* „ *die per ipsum resignantem præstandi consensus compu*„*tandos*: ex tunc inquam hoc tempus non cœpit, nec dein„ceps currere incipit nisi à die solius resignationis *admissa*, „ veræque vacationis per resignationem admissam, imò „ nec à die collationis: sed tantùm à die quâ ipsemet re„signans, personaliter (si præsens sit in Curia) aliàs, „ per procuratorem ad hoc specialiter constitutum, „ expeditioni Bullarum consenserit, & judicaverit ut „ moris est, secundùm Regulam XLIII. Innocen. VIII. Et

quam-

"quamvis dicta clausula non habeatur in textu hujusmodi Regulæ, diu ante adventum præfati Julii in usum receptæ, & etiam in hoc summo Parisiorum Senatu, & in publica monumenta relatæ, tamen ita procul dubio observandum, & judicandum est: cùm per hanc clausulam justè additam, magis obvietur fraudibus, & pleniùs Ordinariorum libertati consulatur.

XVIII. Ulteriùs cùm dicatur *infra 20.* dies *à die per* ipsum resignantem præstandi consensus, infert Rebuffus *Glos.* 10. *n.* 9. & post eum alii Interpretes, "quòd dies consensus non computetur in termino viginti dierum; & hoc (ait) probatur per dictionem A quæ separationem & exclusionem denotat. Unde si quis resignaret Kalendis Julii, & vixerit usque ad vigesimum diem, adhuc habebit locum hæc regula & censetur per obitum vacare; verùm si lapsus fuerit dies, valebit resignatio: quippe non computabitur hoc tempus de momento ad momentum, sed tota dies computatur, ut si quis resignaverit hora 7. Kalendarum Julii tamen die sequenti, illâ horâ non erunt lapsi dies viginti: sed requiritur tota dies evoluta.

Refertur in libro cui titulus, *Journales du Palais tomo* 10. *pag.* 416. & sequentibus, quod anno 1680. in magno Parlamento Parisiensi multum disputatum fuerit, an Regula hæc requirat 20. dies *liberos & plenos* inter diem admissæ resignationis & diem mortis, ita ut, nec ipse dies præstiti consensûs, nec dies mortis computetur; tandémque decisum fuerit in Martio anno 1682. tales dies requiri; ubi & opinionis hujus fundamenta videri possunt.

XIX. Dicit Regula, quod si resignans ante elapsos illos viginti dies secundum tenorem Regulæ decesserit, ipsa collatio sic facta sit *nulla*, ipsúmque Beneficium *per obitum* censeatur vacare: ita scilicet, ut Ordinarii Collatores de illo Beneficio possint providere; quin & Nominati Academici illa acceptare, ac si nullâ resignatione præcedente, *per obitum* possessoris simpliciter vacarent. Rebuffus *Glossa* 12. ibi quoque dicit, vigore hujus regulæ beneficium non obstante resignatione, ita censeri *per obitum* vacare, ut etiamsi alicui beneficium tantùm deberetur *si per obitum* vacaret, quidem sic vacans deberetur.

XX. Et licet resignatio facta esset in Curia Romana, nequaquam tamen propterea Papæ esset reservatum: sed si resignatio sit nulla vigore hujus Regulæ, poterit liberè tamquam *per obitum* vacans ab Ordinariis conferri; & ita *quotidie videmus Leodii, & in Urbe practicari*, ait Chokier *num.* 23.

XXI. Requiritur tamen ad inducendam nullitatem collationis, ut collatio sit facta vigore *resignationis*. Dicit enim regula: *ac ipsum beneficium conferatur* PER RESIGNATIONEM. Unde si infra viginti dies Resignans per sententiam beneficio privaretur, aut Matrimonium iniret, aliòve modo beneficium vacaret, collatio esset valida non obstante hâc regulâ: quia non est beneficium collatum tamquam vacans per resignationem.

XXII. Olim anxiè disceptatum fuit, an regula hæc concerneret resignationes sive simplices, sive ex causâ permutationis factas coram Ordinario: at postquam Paulus III. addidit ipsi regulæ hæc verba, *quavis auctoritate*, quam subsequentes Pontifices quoque tenuerunt, communi penè calculo receptum fuit, regulam etiam in renuntiatione facta coram Ordinario extra Curiam Romanam locum habere; uti post Flaminium Parisium aliósque citatos tradit Chokier *num.* 20. idque in resignatione causâ permutationis, sive permutentur beneficia æqualia, sive inæqualia; sive reservatis fructibus, vel pensione, sive non reservatis, uti latiùs ostendit Flaminius Parisius *libro* 12. *quæstio* 5.

XXIII. Notat autem Vande Velde in citatis observationibus M. S. "Hic in Belgio videntur omnes Regulæ Cancellariæ præsertim quatuor supra scriptæ (nempe regula *De viginti diebus De publicandis resignationibus; De Verisimili notitia*, & *De Idiomate*) ipso usu esse receptæ.

Deinde subjungit: "extat tamen Edictum Philippi II. Regis de anno 1584. quod etiam vetat mandari executioni regulas Cancellariæ Apostolicæ non obtentis litteris *Placeti* in Concilio Privato, vel Cancellaria Brabantiæ, si quæ forsan de novo condentur, tendentes in præjudicium hujus Reipublicæ, aut alicujus tertii, prout Edictum istud expressè subjungit.

XXIV. Verùm Edictum istud expressè non meminit regularem Cancellariæ, prout hîc auctor innuere videtur: sed generaliter duntaxat de quibuscumque gratiis, indultis privilegiis sive generalibus sive particularibus, sententiis aut executorialibus datis aut emanatis à Papa ejusve Legato loquitur: sub qua generalitate comprehendi Regulas Cancellariæ non dubitavit dictus Auctor; nec ratio dubitandi videtur; tam attentâ Edicti generalitate, quàm ejusdem scopo.

Cum hoc Edictum hactenus libris Edictorum non sciam insertum; missum tamen sciatur ad omnia Belgii Concilia, & in publicis monumentis asservari, & quotidiano usu firmiter ad hunc diem observari, ejus verba hîc inserere operæ pretium judicavi.

Desirans que les affaires Ecclesiastiques soient conduits, main tenus, & reglez selon les anciennes Constitutions, Canons & Concils de la sainte Eglise à l' honneur de Dieu & salut des nos Ames, AVONS *par avis & deliberations de nos principaux Consaux Souverains & Provinciaux de pardeca* ORDONNE' STATUTE' ET DECLARE' *par forme* d' Edit perpetuel, *Comme Ordonnons, Statuons & Declarons que nulles Bulles, Provisions, ny autres Depêches ou Impetrations de Rome ny de Legats ou Nonces Apostoliques, ou revocations d' aucunes Graces. Indules, Privileges tant generaux que particuliers, ny aussi acune Sentence, ou Executorialles rendues & decretees hors nosdits Pays de pardeca, tendant directement ou indirectement au prejudice de cette republique ou d' aucun tiers particulier, je puissent admettre & sortir effet en jugement ou dehors, ny être mis en execution en iceux nos Pays de pardeca, n' est que prealablement lesdites Lettres Bulles, Sentences & autres impetrations ayent esté venes, visitées, & examinées par Nous en notre Conseil prive ou en notre Conseil de Brabant, & que les Impetrans ayent obtenu nos Lettres Patentes de placet à ce pertinente.* Id est: Cupientes ut Ecclesiasticæ causæ curentur, protegantur & dirigantur juxta prisca Statuta & Canones Conciliorum Ecclesiæ, ad Dei honorem, animarúmq; nostrarum salutem. Ex consilio & deliberatione Primarii cujusque & Supremi Senatus nostri, & Provincialium in ditionibus citerioribus, mandavimus, statuimus & declaravimus in forma Edicti perpetui, prout mandamus, statuimus, & declaramus, nullas Bullas, Provisiones, aliásve litteras, aut gratias Romæ impetratas; sive Legatorum, sive Nuntiorum Apostolicorum; aut quarumcumque gratiarum, Indultorum, Privilegiorum, tam generalium quàm particularium suppressiones; nullam insuper sententiam, aut Executoriale mandatum pronuntiata, aut decreta, extra dictas nostras ditiones citeriores, directè aut indirectè tendentia in præjudicium hujus Reipublicæ, aut alicujus tertii, admitti posse, effectúmque suum sortiri in aut extra judicium, nec executioni mandari posse in dictis Regionibus citerioribus, nisi prævie à Nobis in Concilio nostro sanctiori, aut Senatu Brabantiæ, dictæ, Litteræ, Bullæ, Sententiæ, aliæque impetrationes fuerint visæ expensæ, & examinatæ, obtinuerintque Impetrantes Placeti nostri id spectantis litteras patentes.

XXV. Cum igitur regula hæc tempore hujus Edicti extaret cum omnibus modernis clausulis, etiam hac Pauli III. nihilque à tempore promulgati hujus Edicti sciatur huic regulæ additum, non sine fundamento idem auctor in observationibus ad hanc regulam asserit, quod *praxis usque*

que Forensis jam pridem eam receperit cum OMNIBUS *suprascriptis clausulis.*

XXVI. Hinc etiam concludere non dubitat, quod ob dictam clausulam QUAVIS *auctoritate*, " hodie *hic* cesset disputatio, utrum Regula habeat locum in collatione *ordinaria*.

Similiter Wamesius noster *Consilio* 257. *num.* 12. *De Prebendis*, postquam dixit, aliquorum, ac signanter Molinæi opinionem esse, hanc regulam non obtinere in resignationibus ex causa permutationis coram Ordinario, subjungit: "Quorum opinio nunc subsistere vix potest, posteaquam posteriores Pontifices ampliando dictam regulam addere consueverunt hæc verba, *Acceptum Beneficium*, QUAVIS *auctoritate conferatur*. Ut non sit dubium, quin in Ordinariis quoque locum habere censeatur.

XXVII. At in Gallia idem dici non posse apparet: eo quod ibidem hæc regula in Parlamento Parisiensi registrata sit, & pro lege Regni recepta triginta circa annis priusquam hæc verba, *quavis auctoritate* à Paulo III. fuerunt addita. Et quidem Molinæus relato textu hujus regulæ sine his verbis, ea ad marginem annotat tamquam à Paulo III. adjecta, unà monens: *Hæc additio in usum recepta non est Gallis*: qui & in Analysi sua ad hanc regulam contendit, eam in resignationibus coram Ordinario non obtinere; eamque opinionem dicit ab an. 1546. invaluisse, & ab eo anno secundum ea, se passim consuluisse fatetur: " & à cæteris togati nostri Ordinis (ait) eorúmve majori & saniori parte certatim consuli & responderi vidi; sicque deinceps annis sequentibus tandem in hoc Senatu pluribus classibus congregatis emanavit Arrestum hoc anno M. D. L. Illustriss. Domino Ægid. Magistri solenniter pronuntiatum die JOVIS XIV. Augusti, super Parochia de la Boissiere Diœcesis Andegaven. quæ XIV. Junii M. D. XLII. per Episcopum Ordinarium collata fuerat ad resignationem infirmi, qui postea eodem mense, & sic intra XX. dies ex eadem infirmitate decessit: unde Episcopus contulit alii *per obitum*, qui reperiens resignatarium priorem in possessione, contra eum agit possessorio coram Seneschalo Andegavensi, ubi recredentiam obtinet, Resignatarius appellat: & per Arrestum dictum est malè judicatum, bene appellatum: intimatus *per obitum provisus* in expensis causæ appellationis condemnatus: & emendando judicium, Resignatario diffinitivè adjudicatum plenum possessorium, cum expensis damni, & interesse causæ principalis.

Hæc ille, qui dein tum ex tenore, tum scopo ipsius Regulæ æquitatem hujus arresti ostendere conatur.

XXVIII. Zypæus *tit. de Renunt. num.* 3. citato Molinæo, simpliciter de hac Regula asserit: " Locum verò tantùm habet in collatione Papæ, *non Ordinariorum.*" Deinde subjungit: "Sed an locum habeat in resignationibus ex causa permutationis factis? Papon *lib.* 3. *Arrest. art.* 2. censet habere: Molinæus id exactiùs *num.* 29. *& seqq.* examinat, sentitque nec hoc casu Regulam respectu Ordinariorum obtinere, quod & magis probatur." Imprimis, quod de sola Gallia Molinæus, nimis generaliter expressit Zypæus, qui præcipuè pro Belgio Juris Pontificii Analysim scribebat.

XXIX. Adhæc, ipsa opinio Molinæi nec ab ipsis Galliæ Pragmaticis indistinctè recipitur, nec hodie in Parlamentis recepta apparet; uti videre est apud Broudæum in notis ad Leuctium *lit. I. num.* 5. *& lit. P. num.* 42. & Fevretium *De Abusu lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. *&* 9. & alios ibidem citatos; qui varias in hac quæstione Parlamentorum decisiones & Doctorum opiniones referunt.

Quæstio hæc circa annum 1673. incidit & agitata fuit in Senatu Regio Metensi, in qua inter veniens Advocatus Regius multis argumentis ostendit, huic Regulæ in resignatione ex *causa permutationis* coram Ordinario locum esse; atque inter alia asserere non dubitavit, Doctores omnes, qui post Molinæum scripserunt, uno consensu hanc opinionem sustinuisse; unà ostendens, hanc Regulam esse favorabilem: ideoque & meritò hac resignatione servandam; & conformiter ad hanc Advocati Regii conclusionem judicavit Senatus 22. Novembris 1674. Habetur in libro cui titulus *Journal Du Palais* tom. 5. *pag.* 196. & sequentibus.

XXX. Quoad simplicem ac puram resignationem factam coram Ordinario, etiam à constituto *in extremis*, eam ex hac Regula impugnari non posse, tametsi intra paucos dies à facta resignatione Resignans decesserit, sat apud omnes compertum est. Neque contra collationem vigore similis resignationis factam admitti probationem fraudis eo titulo quòd *ab infirmo* facta sit. Aliud esset, si quis alium titulum fraudis probare vellet; puta nundinationem, conventionem, pactionemve secretam inter Resignantem & Ordinarium: cujus probatio recipi deberet: quia, uti post Molinæum ait Broudæus citato *num.* 42. *non licet Episcopo negotiari de Beneficiis.*

XXXI. Hodie communiter & de stylo derogatur huic Regulæ, quando Resignans est *absens* à Curia ait Chokier *num.* 24. ex Gomelio ad hanc Regulam *quæst.* 59. qui tamen dictum suum limitat ad eos qui sunt *extra Italiam.* " In Italia verò (ait) aliquando solet concedi derogatio, quando locus resignationis distat à Curia, & Beneficia quæ resignantur non sunt reservata. Si verò sit locus vicinus Urbi, cum majore difficultate conceditur.

Hæc derogatio olim rarissima, invalescere cœpit à tempore Leonis X. qui sub initium seculi 16. sedit; nam uti notat Gomesius, tempore hujus Pontificis sæpius derogatum fuit huic Regulæ pro pluribus personis, ac sensim in omnibus resighationibus inseri cœpit.

XXXII. Derogationem hanc non tantùm in præjudicium Ordinariorum, sed & Graduatorum in Gallia admitti, & in Parlamentis Regiis non semel decisum, testantur passim Pragmatici Galliæ. Rebuffus ad Concordata *tit. De Collatoribus* §. *Prafatique Ordinarii* verbo, *Vacare*, aliique passim; atque inde infert Gastellus *pag.* 43. per frequentem hanc derogationem, Regulam penè reddi *inutilem*: qui *pag.* 49. allegat verisimilem rationem introductæ hujus derogationis

XXXIII. An hic in Belgio derogatio ex stylo Curiæ litteris inseri solita, vim suam habeat in præjudicium Ordinariorum, & Nominatorum Academicorum, non perinde constat. Sæpius citatus Vande Velde in suis ad hanc Regulam Observationibus quærit: " Sed quid si Pontifex derogaverit huic Regulæ, utrum ista derogatio nocebit Nominato?" Respondet: " Nequaquam, quia licet derogatio ista faciat primò quidem cessare Regulam, quatenus habet initium à Sua Sanctitate, non tamen quatenus hic usu recepta est per modum legis seu consuetudinis perpetuæ.

Cùm anno 1624. petitum esset *Placetum* Regium in Concilio Privato super litteris provisionis Apostolicæ quibus inserta erat clausula derogationis hujus Regulæ, Concilium annuit petitum *Placetum* cum hac expressâ clausula: *Sans prejudice des parties, lesquelles se pourront servir de moyens deduits par leurs moyens en escrits pardevãt les juges ordinaires soit au petitoire, soit au possessoir. Bien entendúque que si la decision du different se trouve dependre* DU POINT DE LA DEROGATION DE LA REGLE DE 20. DIEBUS *contenue's aux Bulles, lesdits juges n'y resoudront rien sans en donner part à Sa Majesté avec leur advis.* Id est. Sine partium præjudicio, quibus liberum erit adhibere media in responsione aut scriptis suis deducta, Judicibus ordinariis, tam in petitorio, quàm possessorio. Cum hac tamen cautela ut si contestationis decisio penderet A PUNCTO DEROGATIONIS REGULÆ DE 20 DIEBUS in Bulla expressa, dicti Judices nihil statuant nisi suam Majestatem certiorem desuper fecerint, judiciúmque suum opinantes adjunxerint.

Eâdem rursus quæstione incidente inter Albertum Du Bois

Bois Supplicantem pro *Placeto*, & Carolum Colins Opponentem occasione, similis provisionis Apostolicæ de Præbenda in Ecclesia Collegiata S. Amati Duaci, multúmque coram Concilio Privato esset disceptatum, tandem 19. Julii 1646. litteræ *Placeti* cum eadem clausula datæ fuere. Utrumque Decretum refertur in Registro MS. Archiepiscopatus Mechl. *Cent.* 3. *art.* 19.

Hinc non obscurum est, Judicibus Regiis expeditum haud fuisse, num derogatio Regulæ de 20. diebus hic admittenda; atque hujus quæstionis decisionem tanti momenti existimâsse, ut eam inferioribus tribunalibus non crediderint committendam.

XXXIV. Et sanè, quandoquidem hic in Belgio passim inter Ordinarios & Sedem Apostolicam sit recepta & stabilita divisio mensium; neque ulla in mensibus Ordinariorum admittatur præventio (uti supra *tit.* 23. *cap.* 7. *num.* 25. notavimus) quæ in Gallia juxta eorum Concordata in usum recepta est, mirum videri non debet, si non æquè facilè hic in Belgio, ac in Gallia derogatio hujus Regulæ in præjudicium Ordinariorum admittatur.

CAPUT VI.

De Regula Cancellariæ, *De publicandis Resignationibus.*

1. *Hæc regula unde originem habuerit.*
2. *Refertur textus regulæ.*
3. *Quæ huic regulæ à Julio III. addita?*
4. *Regula in Gallia recepta sine additione.*
5. *A tempore Gregorii XIII. hæc regula omissa, ob novam hujus Pontificis constitutionem.*
6. *In multis locis dicta Constitutio recepta non est, sed manet Regula.*
7. *Quid in hac regula statuatur.*
8. *Quo in loco publicatio facienda?*
9. *Resignatio censetur* publicata *quando* palam *innotescit.*
10. *Solemnis & publica missio in possessionem æquivalet publicationi.*
11. *Quomodo in Gallia probanda possessio; & quæ possessio requiratur.*
12. *Præter possessionem* civilem *requiritur publicatio; nec publicatio sine possessione sufficit.*
13. *Intra quod tempus facienda publicatio; & quando hoc tempus currere incipiat?*
14. *Regula locum non habet si* vivo *resignante capta sit solemniter possessio.*
15. *Ad quid tempus in Regula præfixum?*
16. *Vivo resignante sufficit, ut saltem intra* triennium *accipiatur possessio.*
17. *Resignante mortuo* in possessione *intra tempus à regula præfixum, potest Resignatarius capere possessionem.*
18. *Quid in Gallia in favorem Graduatorum & Patronorum statutum.*
19. *Qua ratione Beneficium resignatum vigore hujus regulæ vacet* per obitum.
20. *Beneficium vacans vi hujus Regulæ per Nominatum Academicum acceptari potest.*
21. *Provisio facta contra hanc regulam est nulla; nec possessio prodest.*
22. *An huic regulæ derogari queat?*
23. *An tempus præfixum prorogari?*

I. X Regula *De Infirmis Resignantibus* videtur originem accepisse alia Regula Cancellariæ, quæ dicitur *De Publicandis Resignationibus.*

Cum enim fraudatores viderent sibi liberum non esse, fraudem facere tempore infirmitatis propter Regulam *De Infirmis Resignantibus*, cœperunt infirmitatem & periculum mortis prævenire, faciendo in sanitate resignationes *in favorem*, sed easdem occultando, quamdiu Resignantes viverent, ut ad mortem usque Beneficiis fruerentur: & sic major gliscebat & succedebat fraus, quàm ante dictam Regulam *De Infirmis*: quia nec tempore quidem infirmitatis & mortis detegebatur fraus; sed demum post obitum, & quandóque diu post. Hæc Auctor Analysis ad hanc Regulam *De Publicandis Resignationibus*; qui ibidem plures fraudes ex secretis & occultatis hisce resignationibus profluentes notavit.

II. His itaque occurrere volens Innocentius VIII. Regulam hanc edidit, referúntque à Joanne Chokier his verbis, prout ab hoc Pontifice promulgata fuit: " Item idem „ D. N. statuit & ordinavit, quòd quæcumque Ecclesiastica „ Beneficia, sive in Roman. Curia, sive extra, eam resignata, nisi de illis factæ resignationes, si in Romana Curia in- „ fra sex menses; si extra dictam Curiam factæ sint, infra „ mensem) ex tunc, ubi dicta Beneficia consistunt, publica- „ tæ, & possessio illorum ab eis quos id contingit, petita „ fuerit: si resignantes ista postmodum in eorundem resi- „ gnatorum possessione decesserint, non per resignationem, „ sed per obitum hujusmodi vacare censeantur: collationes „ quoque de illis tamquam per resignationem vacantibus „ factæ, & inde secutæ, nullius sint roboris, vel mo- „ menti.

III. Notat autem Chokier in commentario ad hanc Regulam *num.* 12. quod huic Regulæ addiderit Julius 3. post verba *infra sex menses*, sequentia *à die data supplicationis, non à die præstiti consensus.* Et in fine post verba, *collationes quoque*, addiderit & hæc, *& quævis aliæ dispositiones.*

Regulam cum hisce appendiculis refert Rebuffus in Praxi *parte* 3. scripsit enim post tempora Julii III. qui ad Pontificatum anno 1550. fuit assumptus.

IV. At cum hæc Regula fuerit recepta in Gallia, & registrata in Curia Parlamenti 26. Augusti 1493. & effecta lex regni, ut testatur Rebuffus, ideo sine illis appendicibus recepta fuit.

V. Notandum autem, hanc regulam à tempore Innocentii VIII. fuisse inter Regulas Cancellariæ, & ubique in viridi observantia usque ad tempora Gregorii XIII. qui anno 1583. Constitutionem evulgavit, quæ incipit, *Humano vix* 85. in Bull. R. qua novam formam *publicationis* præscripsit; eamque ubique observari voluit: atque ab eo tempore Regula hæc omissa fuit; nec hodie inter regulas Cancellariæ reperitur: aitque Flaminius *lib.* 11. *quæst.* 9. eam Constitutionem ubique esse receptam.

VI. Verùm in Gallia receptam non esse formam publicationis in ea præscriptam, notorium est; notántque omnes passim Pragmatici Galli, Regulam Cancellariæ *De publicandis resignationibus* observari, & in Parlamentis Regiis secundùm eam judicari; idque ad eam normam, quæ pro lege regni recepta jam pridem fuit & in Parlamento registrata.

Similiter hic in Belgio non observatur Constitutio Gregorii XIII. sed hæc regula, uti notat Vande Velde in suis observationibus ad hanc regulam: & usus quotidianus evincit.

Dicit quoque Garcias *De Beneficiis parte* 11. *cap.* 5. *num.* 289. " Quoad resignationes & permutationes Ordi- „ nariis factas, ista Constitutio non videtur usu recepta in „ his partibus (Hispaniæ) saltem in hoc Episcopatu Abu- „ lensi.

VII. Quapropter omissa hac Gregoriana Constitutione (quam post Flaminium Parisium exponit Chokier in commentario ad hanc regulam) ipsam regulam paucis exponere visum est.

Regula itaque requirit, ut resignationes publicentur; atque resignatarii possessionem petant ab iis, quos id contin-

git; idque intra *sex menses*, si resignationes sint factæ in *Curia*, & intra *mensem* si *extra*: alias si intra illud tempus publicatæ non sint, nec petita possessio, & resignans in possessione post dictum tempus decesserit, Beneficium non per resignationem sed per obitum vacare censeatur: atque collationes de beneficiis tamquam per resignationem vacantibus factæ, & omnia inde secuta nullius sint roboris vel momenti.

VIII. Publicatio, de qua loquitur regula, debet fieri in loco Beneficii resignati: quod significant verba Regulæ *ubi dicta Beneficia sita sunt*; ut scilicet hac publicatione innotescat in loco Beneficii, quis sit verus Beneficiatus; sive quis titulum Canonicum beneficii habeat. "Quia (ait Rebuffus „ *Glossa* 1. ad hanc Regulam) "interest populi agnoscere Pa„ storem suum, ut ab eo Sacramenta percipiat, non à merce„ nario, & qui non est Pastor.

IX. Publicatæ autem dicuntur resignationes, quando palam factæ sunt in ipso loco Beneficii, ita ut publicè innotescere queant: quod multis variisque modis etiam pro diversitate Beneficiorum fieri potest; uti notat & exponit Rebuffus *Glossa* 10. monetque Zypæus, formam publicationis in Belgio strictè non servari. "Sufficit enim „ (ait) ut *palam* innotescat, nec celetur resignatio, etsi in „ templo coram populo in celebritate Missæ aut concionis „ die festivo non promulgetur. " In Jure novo *tit. De Renunt. num.* 2.

X. Hinc notat Antonius Faber *lib.* 1. *Codicis tit.* 2. *Definit.* 14. "Satis publicatam (resignationem) videri, si nec vi „ nec clam, nec precariò, sed publicè resignatarius missus sit „ in Beneficii possessionem. Idem enim est (ait) quod vulgò „ dici solet, missionem in possessionem publicationi æqui„ valere.

Et uti ex auctore Analysis refert Claudius Le Prestre *Centuria* 3. *cap.* 17. "Si possessio non fuerit *momentanea*, „ nec per actus *civiles*, sed *reales* & realiter, & *palam* con„ tinuatos, ita ut juris possessio novique non solùm titularis, „ sed effectualis possessoris adventus abierit in *publicam* „ notitiam: quia tunc possessio juris & *publicè* continuata, „ *publicationi* & formæ hujus regulæ æquipollet; imò „ præponderat, uti sæpius judicavit Rota, uti refert Gome„ sius ad hanc regulam *quæst.* 11.

XI. Refert ibidem Le Prestre per Edictum Henrici II. de anno 1550. *art.* 13. & 14. vetitum esse judicibus, habere rationem provisionum de Beneficiis per resignationem, nisi vigore illarum possessio solemniter capta fuerit, de qua, quoad Beneficia in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis, constet per instrumentum signatum à Graffiario sive Notario dictarum Ecclesiarum, in forma & modo quibus instrumenta expedire solent, ipsam Provisi receptionem continens: & in casum recusationis, actam publicam istius recusationis.

XII. Quod si tantùm intervenerit possessio momentanea, sive per actus civiles, quam hodie dicimus possessionem *juris*, hæc non sufficiet; sed necessaria quoque erit *publicatio* in loco Beneficii, quemadmodum notat auctor Analysis: qui insuper observat, non sufficere quoque *publicationem* resignationis in loco Beneficii, sive notorium esse, resignationem esse factam, quin & collationem Beneficii in favorem resignatarii subsecutam; sed insuper requiri possessionem. Idipsum notat Antonius Faber loco citato *Definit.* 59. dicitque quòd regula duo requirat *conjunctim & copulativè*, publicationem & missionem in possessionem. Deinde infert: Ergo alterutrum intervenisse non sufficeret. Nisi tamen ipsa *solemnis* in possessionem immissio talis sit, ut publicationi æquivaleat, uti ibi quoque monet Faber.

XIII. Hæc autem publicatio & petitio possessionis debet fieri intra *sex* menses si resignatio facta sit in Curia, & intra *mensem* si extra Curiam.

Pro computatione autem mensium non inspicitur tempus consensus præstiti, sed tempus *datæ supplicationis* seu Bullæ; & ita observari, & sæpius judicatum fuisse testatur auctor Analysis *num.* 168. "Quia (ait) hoc favorabile est „ Ordinariis, & impetrantibus per obitum possessorum, „ quibus hæc regula subvenire & prodesse voluit.

XIV. Alteram conditionem addit regula: *Si Resignantes ista* (Beneficia) *postmodum in eorumdem resignatorum Beneficiorum possessione decesserint.*

" Per hunc textum patet à contrario sumendo, quod si „ resignans moriatur ante mensem, vel ante sex menses in „ possessione, Beneficium non vacabit per mortem. " Rebuffus ad hanc regulam.

Unde ex verbis regulæ rectè collegit Antonius Faber loco allegato *Definit.* 60. "ut locum habeat hæc regula di„ cendum est, tria conjunctim requiri; ut non sit facta pu„ blicatio intra sex menses, ut non sit petita possessio, & ut „ resignans decesserit post sex menses in possessione: Ex qui„ bus si vel unum desit, non est locus regulæ, & beneficium „ per resignationem, non per obitum vacare intelligitur, „ tametsi mortuus sit qui resignavit. " Et ita Senatum Sabaudiæ judicasse testatur.

Idipsum ante Fabrum notaverat Auctor Analysis: qui & *n.* 17. dicit, regulam locum habere, tametsi resignatio publicata non sit, nec possessio petita intra sex menses, aut mensem, si modò ipse resignans post illud tempus in *possessione* mortuus non sit.

XV. Neque enim tempus sex mensium appositum est pro forma publicationis, nec ad eam per se limitandam: sed primò, ut infra illas velut inducias, resignatarius vacet mora & periculo; etiamsi nulla diligentia per eum facta, resignans moriatur. Secundò ad limitandum pœnam & effectum totius hujus regulæ; ut non habeat locum resignante quandocumque moriente, sed demum si in *possessione* post illud tempus, & ante dictam publicationem decedat.

Hæc auctor ille: qui dein *num.* 18. infert: " Satis est „ igitur publicationem, & possessionis petitionem quando„ cumque, vivo adhuc eodem resignante, & possessioni in„ cumbente, etiam eo infirmo, jamque in extremis labo„ rante, dummodo non occultè sed palam, ita ut publicè „ nota facta sit in loco beneficii, antequam resignans dece„ deret. Et ita practicatur, & observatur.

Itaque Resignatario præfigitur tempus *sex* mensium, vel *unius* mensis, ut si intra illud tempus nō publicaverit resignationem, & petierit possessionem periculum subeat post illud tempus carendi effectu suæ resignationis: si nimirū post elapsum tempus, non facta publicatione & petita possessione, ipse resignans in *possessione* Beneficii resignati decedat.

XVI. Vivo ergo Resignante nullum tempus regula præfigit resignatario ad publicandam resignationem, aut petendam possessionem; atque ita quoque judicatum anno 1656. refert Le Prestre loco citato; ibi tamen in notis recentioribus per Guillelmum Gueret Advocatum Parlamenti notatur, hodie requiri in Gallia, ut sessio saltem capiatur intra *triennium* vivo resignante; aliàs resignans tamquam triennalis pacificus possessor, quasi novo titulo contra Resignatarium prævaleret.

XVII. Similiter si Resignans moriatur in *possessione* ante lapsum tempus sex mensium vel unius mensis, tunc post mortem Resignantis potest Resignatarius capere possessionem: neque Beneficium vacabit *per obitum*: quia Regula tria requirit, nimirum ut intra sex menses, aut unum mensem nec publicatio facta sit, nec petita possessio; ac *postmodum*, id est, post lapsum illud tempus resignans in *possessione* moriatur: quod hic non contigit: eo quod non *postmodum*, sed *ante* mortuus sit.

XVIII. In Gallia per Declarationem Regiam in Octobri an. 1646. *art.* 13. ordinatum fuit in favorem Graduatorū & Patronorum Ecclesiasticorum, ut nulla haberetur ratio provisionum factarum in vim resignationis aut permutationis, quæ Graduatis aut Patronis possent præjudicare, nisi mandata ad resignandum aut permutandum sint admissa *ante decessum* Resignantium vel Permutantium; & insuper ante dictum decessum insinuata in Graffiariatu In-

sinua-

sinuationum. Verba Edicti Regii sunt: *Voulans pareille ment pour voir aux plaintes des Indultaires, Graduez & autres ayans expectatives receues en France, ensemble des Patrons Ecclesiastiques: défendons que l'on aye aucune égard aux provisions des Collateurs ordinaires & de leurs Vicaires sur resignation, demission ou permutation, en cas que par icelles les Indultaires Graduez & autres ayans graces expectatives, soint privez de l'effet d'icelles, ou les Patrons de leur droit de présentation, si ses procurations pour resigner ou permuter ne sont admises avant le decez du Resignant ou Permutant, & ne sont insinuées au Greffe des Insinuations avant ledit decez. Ce que voulons étre gardé & observé par nos juges sans y contrevenir, à peine de nullité de leurs jugemens.* Id est, Volentes pariter ut provideatur querelis eorum quibus de gratia expectativa, prout in Gallia admittitur, provisum est, sive ratione Indulti, sive ratione gradûs, deinde & Patronis Ecclesiarum: inhibemus, ne aliquis ullo modo deferat provisioni datæ titulo resignationis, abdicationis, aut permutationis per Collatores Ordinarios aut eorum Vicarios; si contingat per dictas provisiones frustrari effectu gratias expectativas, quas obtinent Indulto donati, Graduati, aut cæteri, aut Patronorum præsentationem impediri, nisi procurationes ad resignandum ante decessum Resignantis aut permutantis admissæ fuerint, & Graphio Insinuationum ante dictum decessum exhibitæ. Volumusque per Judices nostros id observari, nec secus agi, aliàs in pœnam judicium ipsorum irritum fore.

XIX. Quando autem juxta præscriptum Regulæ, Resignans in Curia Romana intra *sex* menses, vel coram Ordinario intra *mensem* omisit resignationem publicare, vel petere possessionem, & post lapsum illius temporis Resignans moritur in *possessione*, Beneficium *non per resignationem, sed per obitum vacare censetur.* Non quod ipsa resignatio fuerit nulla: aut quod ipse resignans *lapso* tempore sex mensium habuisset jus aliquod, quasi annullato tunc effectu resignationis; sed eo duntaxat effectu annullatur resignatio vigore hujus Regulæ, ut ob omissam publicationem & possessionem intra tempus præfixum, & decessum Resignantis in possessione post illud tempus, "Resignatarius cadat à jure „suo, nec Beneficium censeatur vacare per *resignationem* „quod ad hunc effectum: proinde censeatur Beneficium va„care *per obitum* mortuo postea Resignante, ac si num„quam resignasset." Ut recté notavit Antonius Faber citata *Defin.* 60. qui & ita refert judicasse Senatum Sabaudiæ.

XX. Hinc infert Vande Velde in suis ad hanc regulam observationibus, Beneficium vigore hujus regulæ ob neglectam publicationem resignationis per Nominatos Academicos tamquam *per obitum* Resignantis vacans posse acceptari: neque dici posse reservatum Sedi Apostolicæ tamquam vacans per resignationem *in Curia*: quandoquidem in Regula expressè dicatur, quod non per *resignationem*, sed *per obitum* vacare censeatur.

Vult quidem Flaminius *lib.* 12. *quæst.* 8. *num.* 6. Beneficium esse *reservatum* utpote per resignationem in Curia vacans: sed uti monet Vande Velde: "loquitur Flaminius in „terminis Constitutionis Gregorii XIII. quæ vult collatio„nem fieri *caducam*, si resignatio non fuerit publicata, & „interim Beneficium vacare per *resignationem*, ubi Regu„la nostra non vult vacare nisi *per obitum.* "Hæc ille qui monet hanc Constitutionem Gregorii XIII. hic non esse hactenus receptam.

XXI. Non tantùm eatenus resignatio perdit suum effectum ut Beneficium censeatur vacare *per obitum*, & non per resignationem; sed insuper addit Regula: *Collationes quoque & quævis alia dispositiones de illis tamquam per resignationem vacantibus facta, & inde sequuta nullius sint roboris vel momenti.*

Quare si vi hujusmodi resignationis fuerit capta possessio post mortem Resignantis, non poterit manuteneri in possessione, in qua Resignans mortuus fuerat ante publicatam resignationem: cùm hic annulletur & titulus, *& alia inde sequuta*, ait Rebuffus *Gloss.* 17.

Inde ulterius deducit Rebuffus, quòd "si Resignatarius „iterum alteri resignaverit, & postea primus resignans, „tunc resolvetur jus tam primi resignatarii, quàm se„cundi.

XXII. Notat quoque Rebuffus Gloss. 13. *num.* 18. quod derogatio hujus non admitteretur in Gallia: quandoquidem recepta est & registrata in Parlamento, & sic effecta jus Gallorum. Idem astruit auctor Analysis *nu.* 3. ostenditque, hanc regulam fortiorem & firmiorem meritò reputari, quàm regulam *De Infirmis*; multoque minus conveniens esse, ut huic regulæ derogetur, quàm Regulæ *De Infirmis*. Et ex Ludovico Charonda *lib.* 1. *Resp.* 23. super hac regula dispensare non posse Pontificem, judicatum esse refert Zypæus titulo *De Renuntiat. nu.* 2. qui ibidem subdit: "Sed id hic non admitterem, si de potestate disputetur, „sed bene si de voluntate, ut subreptum esse credatur: adeo„que provisio cum ea clausula *nulla* esse censeatur, nisi eam „circumstantiæ purgent.

XXIII. Quod de non admittenda derogatione regulæ dixit Rebuffus, idipsum de prorogatione temporis ultra sex menses ad faciendam publicationem vel petendam possessionem asserit *Glossa* 4. atque præter generalem rationem, quod Regula sit tamquam Lex Regni recepta addit: "Quia „per istas prorogationes numquam fieret publicatio: & „sic fraudarentur nominati, graduati, & mandatarii, & da„retur materia delinquendi." Quod ultimum præcipuè urget auctor Analysis loco supra citato, ut ostendat, derogationem hujus regulæ non esse admittendam.

CAPUT VII.

Quando Resignans à Resignatione resilire; vel ad Beneficium resignatum regredi possit?

1. *Resignatio ante admissionē Superioris perfecta non est.*
2. *Nullam vacationem inducit.*
3. *Resignatio facta coram Notario non est perfecta resignatio; & quis hic à Notariis error committatur.*
4. *Resignationes* in favorem & ex causa permutationis *suspenduntur à conditione.*
5. *Jus plenum remanet penes Resignantem usque ad impletam conditionem.*
6. *Nec à Resignante abdicatur quousque beneficium sit Resignatario acquisitum.*
7. *Ante acceptationem Resignatarii & captam possessionem manet Resignans in possessione.*
8. *Spoliatus possessione Resignans esset restituendus.*
9. *Non tenetur Permutans possessionem dimittere, antequam Compermutans Beneficium acceptet.*
10. *Manet in pristina possessione & in omnibus juribus.*
11. *Admissa resignatione non potest Resignans à tertio turbari.*
12. *Resignans potest pœnitere ante admissionem Superioris.*
13. *Etiam resignatione à Pontifice admissa, adhuc recedi poterit quamdiu consensus* formalis *nō est præstitus.*
14. *Permutatio non censetur perfecta, nisi alter alterius beneficium sit assecutus.*
15. *Uno permutantium præmoriente, ex neutra parte censetur facta resignatio.*
16. *Etiamsi ab una parte facta sit Beneficii permutat' collatio.*
17. *Aliquando tamen fallit.*
18. *Beneficio permutato evicto resolvitur permutatio.*
19. *An eo casu requiratur nova collatio, ut Resignans ad suum Beneficium redire queat?*

 20. He-

20. *Hodie quatenus evincitur eatenus reditur.*
21. *Conceduntur hoc casu Litera Regia.*
22. *Sine Judicis auctoritate non reditur ad beneficium, cujus possessionem alter est adeptus.*
23. *Regressus ex causa non impleta permutationis nec hodie damnatus.*
24. *Multa irrepserunt circa beneficiorum resignationes, quibus circumspectè utendum.*

I. Beneficiorum resignationes faciendas, & probandas esse coram Superioribus, vel saltem Ordinariis Collatoribus, supra *cap.2.* ostensum est.

Hinc communiter concludunt Canonistæ, renuntiationem vel resignationem non esse perfectam quamdiu à Superiore admissa non est.

Ex quo ulterius inferunt, quod antequam resignatio sit præsentata Superiori, & ab eo admissa, semper possit revocari; neque ipsa Superioris admissio retrotrahi possit, aut valere *ut ex tunc*, sed tantùm *ut ex nunc*: ita ut interim nihil actum censeatur.

II. Imò communis & recepta est Doctorum conclusio, uti notat Auctor Analysis ad regulam *De Infirmis num.7.* "quod resignatio non admissa nullam vacationem inducat, „nec *possessionis* quidem, nisi (quantum ad possessionem) „fiat animo ex nunc (sine alia Superioris admissione, vel „authoritate) possessionem abdicandi, & de facto illam „deserendo.

III. Idem auctor ibidem *num.4.* reflectit: "Ex eo, quod „stylus quorumdam imperitorum Tabellionum sic ha„beat, Titius personaliter comparens *resignavit*, prout de „facto *resignat* in mei præsentia, & tales ad hoc constituit „procuratores &c. putant & argutantur vulgares, statim „resignationem esse factam, quod est falsum (ait) quia ne„mo seipsum destituere potest, nec Tabellio quidem, qui „non habet hanc potestatem, nec hoc intendit. Tum seque„retur quod beneficium non vacaret in Curia, sed in par„tibus ubi confectum est instrumentum, etiam si postea de„ferretur Romam, & ibi rursus resignaretur, quia non im„pediret ibi vacare, & sic non in Curia, cum jam vacasset, „& sic in partibus.

IV. Hactenus dicta indubiè magis militant in resignatione *in favorem* aut ex *causa permutationis* (quales sunt hodie pleræque resignationes) quàm in resignatione pura & absoluta quæ renuntiatio seu dimissio vocari consuevit.

Resignatio enim *in favorem*, vel ex *causa permutationis*, non est propriè dicta Beneficii dimissio; sive ipse resignans non intendit *absolute* & simpliciter se beneficio exuere, vel Beneficium à se dimittere; quemadmodum in renuntiatione simplici; sed tantùm Superiori exponit, se paratum, Beneficium dimittere, si placeat, hanc determinatam personam ei successorem dare; vel de uno ad alium locum, in casu permutationis compermutantes transferre, sive in mutua Beneficia surrogare.

Inde habentur hujusmodi resignationes quasi *conditionales*, sive suspensivæ à conditione hac, si modo beneficium detur juxta terminos resignationis: uti latè ostendit Flaminius *De Resignat. Beneficiorum lib.1. quæst.2.*

V. Cum igitur hujusmodi resignationes dependeant à conditione, consequenter nec resignans à se abdicare censetur jus nisi adimpleta conditione: atque interim jus remanet apud resignantem; quin & possessio; & actio spolii ei competit, uti post alios citatos tradit Flaminius loco citato *quæst.3.n.10.* additque *n.11.* "Est communis omnium Do„ctorum resolutio, ut ante conditionem vel modum im„pletum, beneficium maneat resignanti.

VI. Ulterius cum conditio resignationis *in favorem* sit ut beneficium conferatur certæ personæ per resignantem designatæ, rectè colligitur, "non abdicare jus à resignante, „nisi Beneficiorum resignatum acquiratur Resignatario, „in cujus favorem fuit facta cessio. "Ita Flaminius ibidem *numer.47.*

Rationem subjicit *num.48.* "Namque semper videtur „facta cum hac conditione resignatio, dummodo benefi„cium quæratur resignatario...Et hoc intelligitur, licet non „exprimatur: quia mens resignantis est, ut non alius, quam „resignatarius consequatur Beneficium.

Deinde ex eadem ratione adjungit: "Ita & in renuntia„tione facta causa permutationis jus non abdicatur, si non „sequatur permutatio, & fiat hinc inde collatio.

VII. Ulterius rectè concludit *n.56.* quod licet sit admissa renuntiatio *in favorem* personæ designatæ, si tamen hæc persona fuerit absens, non abdicetur jus à resignante, antequam acceptet ille resignatarius. Consequenter mortuo resignatario ante acceptationem, resignans remanet in possessione, ac si nulla resignatio intervenisset.

Imò concludit idem Flaminius *quæst.7.num.9.* "posse „resignantem incumbere possessioni, & omnia pertinentia „ratione illius beneficii resignati exercere & gerere donec „Resignatarius *capiat possessionem.*

VIII. Idipsum latè probat Joannes Chokier in tractatu de *Permutatione Benef. parte 3.cap.32.* nam ante acquisi„tionem seu apprehensionem resignatarii seu Compermu„tantis resignans seu permutans dicitur adhuc possidere, & „titulum coloratum habere: imò si illa possessione spoliare„tur, veniret restituendus: quia resignans *in favorem* certæ „personæ qualis est is, qui permutat, *conditionaliter* vide„tur resignare, videlicet, dummodo Beneficium illi quæra„tur; & si hæc conditio non impleatur, permutatio non „censetur facta: & proinde jus quod Resignatario seu „Compermutanti non quæritur, non aufertur à Resignan„te: ergo nec *possessione*, nec titulo, nisi sit Resignatario quæ„situs, spoliatur resignans, & per consequens nec fructi„bus, qui sunt sequelæ possessionis.

IX. Hæc ille, qui ibidem *num. 5.* dicit: "Non tene„tur autem Compermutans possessionem Beneficii per„mutati dimittere, donec & quousque Compermutans „acceptet, *Cap.* SI TIBI ABSENTI 33 *De Prebendis.* Nam „possessio demùm transit à resignante ex causâ permu„tationis in Compermutantem, si re ipsa sequatur permu„tatio: quia si non sequatur, nec sortiretur effectum, „videtur resolvi possessio, ipso jure in resignantem ex „causa permutationis, atque ita resolvisse Senatum Pari„siensem refert Joannes Lucius *lib. 2. placitorum Curiæ* „*tit. 4. placito 7.* ubi scribit, resignanti in favorem alte„rius beneficium, si ille repudiaverit, jus pristinum rema„nere; imò in casu illius placiti datum & concessum est ei„dem resignanti interdictum *uti possidetis* contra colle„gas, qui ipsi consueta munia obire volenti aditum ad illa „includere volebant.

X. Testatur quoque Claudius Le Prestre *Centuria 1.c. 87.* judicatum 23. Jan. 1549. quod si Resignatarius non cœperit possessionem beneficii resignati, resignantem non amisisse possessionem; neque ad ulla novæ possessionis jura teneri. Idipsum sæpius judicatum dicit Broudæus ad Louetium *litt.B. n.13.*

XI. Refert quoque Antonius Faber in Codice *lib.1. tit. 2. definit. 55.* quod Resignans *in favorem* etiam post admissam resignationem restitui debeat contra tertium qui eum in possessione turbasset: "quia quod ad eum pertinet, „ad cujus favorem & commodum non resignavit, nec vi„detur resignasse, licet jam resignatio in alterius favorem „admissa sit.

XII. Resignationem aut renuntiationem perfici demum per admissionem sive approbationem Superioris vel Ordinarii supra notavimus; ideoque ante hanc secuitam admissionem, potius propositio resignationis, vel declaratio voluntatis resignandi dicitur, quàm vera resignatio aut renuntiatio, qua hactenus nec Beneficio exuitur resignans, nec ulli resignatario aut alteri jus aliquod quæsitum est.

Unde

Unde concluditur, "quod si quis proponat resignare, etiamsi hoc redigat in scriptis, vel constituat procuratorem ad renuntiandum, potest pœnitere, ex quo non fuit adhuc admissa renuntiatio à Superiore: nam res adhuc dicitur integra." Ita Flaminius *lib. 1. De Resignat. Benef. quæst. 12. num. 6.*

Imò etiamsi renuntiatio vel resignatio fuerit Superiori præsentata, si tamen non admiserit, poterit resignans pœnitere, & in Beneficio remanere, Flaminius ibidem *n. 12.*

XIII. Ulterius si resignatio fiat coram Pontifice, poterit Resignans pœnitere, non tantùm si supplicatio fuerit Papæ præsentata, sed etiam per ipsum admissa, & signata per *Fiat ut petitur*: idque quamdiu consensus præstitus non fuerit in Camera vel Cancellaria juxta Regulam Cancellariæ 44. *De Consensu in Resignationibus*: de qua suprà *cap. 5.* asseritque Joannes Chokier in Commentario ad hanc Regulam *num. 24.* hoc quoque procedere, etiamsi supplicatio signata & *datata* fuerit, etiam post *parvam* datam, & præstitum *parvum* consensum intimando in Curia, vel Cancellaria dictam revocationem, quod latiùs deducit per plures conclusiones Flaminius Parisius citata *quæst. 12.* ubi *num. 39.* monet. "Quamvis consensus præstitus in Camera vel Cancellaria retrotrahatur ad diem *Data*, tamen non posse retrotrahi, quando ante consensum supervenit pœnitentia, & sic extrema non sunt habilia.

Idem, quod in resignationibus *in favorem* obtinet, etiam in permutationibus locum habet, ait Chokier *n. 27.*

Ratio ob quam post resignationem à Pontifice signatam, & à Datario datatam & registratam admittatur pœnitentia & revocatio resignationis usque ad datum consensum formalem in Camera vel Cancellaria, facilè intelligi poterit ex iis quæ *c. 3.* de consensu illo dicta fuêre.

XIV. In permutatione non tantum intervenit tacita resignatio *in favorem* seu conditionalis; sed insuper quædam reciproca beneficiorum hinc inde resignatio; seu potius tacita conditio, quod alter in alterius Beneficium succedet: adeo ut Beneficiorum permutationes nonnihil de contractu innominato, quem Jurisconsulti vocant *Do ut des* participare videantur, & hoc titulo odiosæ sint admodum, & de Simonia admodum suspectæ, & à Canonibus vix toleratæ. Hinc equidem invaluit, permutationem non censeri completam, quoadusque alter alterius Beneficium fuerit assequutus.

XV. Unde ex Molinæo in Analysi ad Regulam *De Publicandis Resignat. nu. 141.* refert Broudæus ad Louetium *litt. B. numer. 13.* Si permutatio non sequitur, quod est, utroque, vel altero præmoriente, apparet neutrobique resignatum esse, & sic jure communi vacare per obitum.

Rationem præmiserat Molinæus: "Quia hujusmodi resignatio *conditionalis* est, prout conditionaliter fit, & admittitur eo ipso, quod ex causa certæ futuræ permutationis, & non aliàs.

XVI. Addit quoque idem Molinæus, quòd quando collatio facta est ab una parte tantùm, tunc altero præmoriente hæc collatio ut minus resolvatur; ipseque Permutans, tamquam permutatione ab utraque parte non perfecta, ad suum beneficium possit redire. "Collatio enim (ait) ex hac causa uni partium facta, conditionalis est, saltem conditione *resolutoria*, etiam jure communi. Resignatio enim seu vacatio à qua incipit, conditionalis est: ergo collatio quæ super ea fundatur, eadem conditione afficitur.

XVII. Id tamen non procedit, si ex circumstantiis sufficienter appareat, quòd alter Compermutantium non curaverit de Beneficio compermutato obtinendo; ut puta si permutatio Beneficii notabilis facta sit cum Beneficio admodùm tenui & nullius penè considerationis: ita ut tota permutatio unicè inita intelligatur, ut beneficium illud notabile in Compermutantem transferretur: adeoque translatione illa facta, ipsa permutatio ex mente & intentione Permutantium perfecta & absoluta censeri debeat.

XVIII. Conditio autem resolutoria quæ inest collationi factæ vi permutationis, non tantùm operatur si ab initio non sequatur effectus permutationis; sed etiam jam factâ utrimque collatione, & adeptâ possessione, perdurat conditio illa: quia implementum permutationis ab utraque parte sequi debet, & manere cum effectu.

Unde si hinc inde factâ collatione, & adeptâ possessione, Beneficium unum evincatur ex defectu juris permutantis, conditio resolutiva eatenus operabitur, ut alter permutantium possit rursus ad suum Beneficium redire, tamquam permutatione ex parte altera non impletâ; & conditione resolutiva eveniente. Nec enim aliter, aut aliàs Beneficium suum dimisisse seu resignâsse censetur, nisi ut cum effectu & permanenter beneficium compermutantis obtineret.

XIX. Altercatio jam pridem fuit inter Doctores, an simili casu resignans seu permutans rediret ad suum beneficium alteri collatum sine *nova* collatione sive provisione: quam quæstionem latè discutit Joannes De Selva *De Beneficiis quæst. 27.* resolvitque *novâ* collatione opus esse; quam opinionem nonnulli Canonistæ inspectâ juris ratione veriorem crediderunt. Contrariam verò multis contra De Selva propugnat Boëtius Epo apud Duacenses quondam SS. Canonum Antecessor Primarius in tractatu de Saturnino permutationis beneficialis jure *nu. 308.* & sequentibus, quam opinionem praxis passim recipit, ut testatur Rebuffus tractatu *De Pacificis possessoribus*: relatâ enim opinione Joannis De Selva requirentis *novam* collationem, quam & de jure veriorem existimat, subdit *nu. 166.* "Quamvis de consuetudine Regni Franciæ non requiratur nova collatio, quæ consuetudo multis fuit probata arrestis, & hoc anno 1525. die 2. Maji & etiam anno 1539. in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ pro magistro Bricon in causa unius præbendæ Ecclesiæ Matisconen. permutatæ cum una Ecclesia Parochiali, quæ præbenda fuit evicta per magistrum Franciscum de Borges per Regem nominatum." Similiter tradit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Definit. 35.* "Resignatione mutuâ Beneficiorum inter duos factâ, si alter ex resignantibus in beneficii novi possessione aut adipiscenda aut retinenda controversiam patiatur, pristinam permutati possessionem, quam per resignationem amiserat, recuperare potest, nec novâ indiget provisione. *Sic à Senatu* aliàs pronuntiatum fuisse relatum est.

XX. Idipsum ex Molinæo ad regulam *De Publicandis Resignat. num. 247.* tradit Louëtius *litt. B. num. 13.* Verba Molinæi sunt: "Passus evictionem redit ad antiquum Beneficium, titulum & possessionem *sine nova collatione*, sed ex veteri jure. Et ita apud nos (ait) etiam solo judice sæculari adito practicamus, ut *quatenus evincitur*, etiam tam in petitorio, quàm in possessorio... Idque non solùm contra ipsum Compermutantem, sed etiam contra quemvis in veteri beneficio successorem. Et ità notoriè practicamus in hoc Regno.

XXI. Quod hic asserit Molinæus etiam solo judice *sæculari* adito posse Permutantem redire ad suum beneficium, testatur quoque Rebuffus *De Pacificis possess. num. 186.* expressè notandum monens, quòd "evicto Beneficio possum impetrare litteras *Regias*, ut liceat mihi redire ad meum beneficium, & hoc (ait) conceditur, ut fuit pronuntiatum anno 1536. in Vigilia Assumptionis. Sed si aliquis impetrat litteras *Regias* ad annullandam permutationem, quas dirigit judicibus *laicis*, repellendum esse censuit idem Senatus anno 1522. die 7. Septembris.

XXII. Tametsi non videatur opus *novâ* collatione evicto beneficio permutato ob conditionem resolutoriam, quæ ipsi permutationi inesse censetur, nihilominus, ut quis beneficii sui realem possessionem recuperare queat, judicis auctoritas necessaria est; præsertim cùm alius jam est in possessione ejusdem beneficii, quem è sua possessione propria auctoritate deturbare non potest: sed judicis auctoritate opus est, quemadmodum notavit Rebuffus loco citato

num.

num. 183. & Chokier ad Regulam Cancellariæ 4. *De Clausula ponenda in litteris permutationum Beneficiorum*, quæ hodie est 40. eaque cavetur: "Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, quòd „ neutri Permutantium jus acquiratur, nisi quilibet ipsorum jus habuerit in Beneficio per ipsum acquisito.

XXIII. Hic regressus ad beneficium resignatum ex causa non *impleta permutationis*, nequaquam comprehenditur sub regressibus quos nemini, etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscumque qualitatis concedi præcipit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *capit.* 7. *De Reformatione.*

Hi enim regressus hæreditariam quamdam in Ecclesiastica beneficia successionem apertè fovebant; dum nimirum Resignantes beneficia sibi expressè reservabant regressum ad beneficia resignata præmoriente ipso resignatario; sæpius etiam, vitâ resignantium durante Reservatis omnibus proventibus beneficiorum resignatorum: quare jam pridem per Parlamenta Regia, tanquam fraudulenti, & speciem hæreditariæ successionis non obscurè præferentes rejecti fuère, uti videre est in probatione libertatum Ecclesiæ Gall. *cap.* 36. *n.* 25. & 26.

At regressus ex capite non impletæ permutationis, aut evicti beneficii, nullam hujusmodi successionis speciem præfert, neque ullam fraudem; sed tantùm contingit, ut resignans beneficium non privetur suo beneficio contra leges permutationis; quæ dictant, beneficium resignatum non dimitti, nisi re ipsâ utrimque permutatio suum plenarium effectum sortiatur; & ipse resignans suo beneficio non exuatur, nisi ea conditione, si alterius consequatur, & re ipsâ obtineat, aut saltem per ipsum stet quo minus obtineat.

XXIV. Quæ tum hoc capite, tum præcedentibus juxta modernam praxim notata sunt, satis probant, quàm plurima hodie invaluisse, quæ pristinam Patrum disciplinam parum redolent; imò potius profanum modum de beneficiis disponendi exprimunt: ut proinde admodum circumspectus esse debeat, qui iis uti intendit: si omnem in sacris Ministeriis profanationem evitare, nihilque contra Ecclesiæ spiritum admittere velit.

TITULUS XXVIII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Quæ natura Pensionum; & quid de iis in Synodo Tridentina actum?

1. *Pensionum naturam rectè expressit Concilium* Delectorum Prælatorum *sub Paulo III. & quod illud Concilium?*
2. *Referuntur verba Concilii.*
3. *Quandonam ex sententia Concilii Papa possit annuere pensionem.*
4. *Abusus in dandis pensionibus.*
5. *Descriptio pensionis hic tradita conformis pensionibus jam pridem ab Ecclesia probatis.*
6. *Primum exemplum pensionis ex Synodo Calchedonensi.*
7. *Secundum exemplum ab eadem Synodo probatum.*
8. *Tertium ex illa Synodo desumptum.*
9. *Nonnulla pensionis exempla ex S. Gregorio.*
10. *Hæ pensiones planè conformes descriptum à Concilio Delectorum Prælatorum traditæ.*
11. *Pristinus pensionum usus nulli displicuit; at in abusum degeneratus pluribus meritò displicuit.*
12. *In Synodo Tridentina à nonnullis dictum usum pensionum esse reformandum.*
13. *Oratoribus Regis Galliæ ad Synodum Tridentinam injunctum, ut postularetur à Synodo statuendum, ne amplius ex causa* resignationis, *vel* litigii *pensio constitueretur.*
14. *Nomine Regis Galliæ petita abolitio pensionum.*
15. *Pontifex non judicavit pensionum usum* totaliter *tenendum; sed eas ceu quasdam* eleëmosynas *subinde annui posse.*
16. *Quare nonnulli Concilii Patres omnem* pensionum *usum tollendum judicarent.*
17. *Oratores Regis Galliæ expostulantes contra usum pensionum ostenderunt, se tantùm earum abusum carpere.*
18. *Expostulatio eorumdem contra Decretum Synodi, quo pensionum usus probari videbatur.*
19. *Primùm ut Decretum fuit propositum, multi reclamarunt.*
20. *Quomodo tandem Decretum reformatum & admissum; & quod de eo Patrum judicium?*
21. *Nota huic Decreto ab Oratoribus Regis Galliæ apposita.*
22. *Protestatio Cardinalis Lotharingiæ super hoc aliisque Decretis in Synodo Tridentina evulgatis.*
23. *Synodus Tridentina usum pensionum nec* positivè *probavit; nec totaliter improbavit.*
24. *Pontifex Synodo per Legatos præsidens pensiones esse quasdam* eleëmosynas *dixit.*
25. *Sanctus Carolus fortiter se introductioni pensionum opposuit, conformiter ad mentem Synodi Tridentinæ.*
26. *Usum tamen totaliter non improbavit; sed eamdem de iis ideam expressit, quam Concilium* Delectorum Prælatorum *expresserat.*

I. Verissimam ac planissimam Pensionum Ecclesiasticarum descriptionem exhibuit sub initium præteriti sæculi Consilium Romanum sub Paulo III. quod communiter vocatur, *Consilium Delectorum Prælatorum sub Paulo III.* extatque in antiqua Collectione Conciliorum Crabbiana; atque deinceps frequenter recusum, & à viris doctissimis summopere laudatum; ejusque meminit Joannes Cochlæus in libro de actis & scriptis Lutheri ad annum 1539. ubi hæc de illo Consilio inter cætera scribit: "Evulgatum fuit, inscio, „ Pontifice, *egregium* quoddam consilium de reformanda „ Ecclesia, & emendandis Romanæ Curiæ abusibus, „ à septem (credo legendum *novem*) doctissimis ac integerrimis viris ipsi Pontifici in secreto datum: nempe „ à Card. Contareno, Card. Theatino, Card. Sadoleto, „ Card. Polo Anglico: Archiepiscopis Salernitano & „ Brundusino, Episcopo Veronensi, Abbate S. Georgii „ Veneto, & à F. Thoma Magistro sacri Palatii." Hæc ille, qui paulò infra vocat, *hoc pium ac salutare optimorum virorum Consilium.*

II. In hoc Concilio Doctissimi illi ac integerrimi viri pensionum naturam ac rectum usum his verbis expresserunt. "Alius abusus, cum beneficia conferuntur, seu cum „ ceduntur aliis, irrepsit, in constituendis super eorum fru-

"ctibus

Digitized by Google

„ ctibus pensionibus; imò quandoque cedens beneficio o-„ mnes sibi fructus reservat. Qua in re illud est animadver-„ tendum, nulla alia de causa, nullóque alio jure Pensiones „ constitui posse, nisi ut quasdam eleemosynas, quæ in pios „ usus & indigentibus concedi debent.

Fundamentum sui asserti dein subjiciunt: "Nam reditus „ sunt annexi beneficio ut corpus animo: ideo sua natura „ pertinent ad eum qui beneficium habet, ut possit ex eis „ vivere honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere „ impensas pro divino cultu, & templi sacrarúmque ædium „ reparatione, & quod reliquum est, impendat in pios usus; „ hæc est enim natura redditu.um.

III. Posthæc exponunt qua ratione, & quo casu Pontifex Pensionem constituere possit. "Verum sicuti in rerum „ naturæ administratione nonnulla fiunt à natura univer-„ sali præter inclinationem universalis naturæ: sic in Pon-„ tifice, qui est universalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si „ viderit eam fructuum portionem quæ in pios usus expen-„ di debet, aut ejus partem in pium quempiam alium usum „ ut expendatur magis expedire, potest procul dubio id fa-„ cere. Ideò jure meritò pensionem ponere potest, ut sub-„ veniat egeno, præsertim Clerico, ut honestè queat vitam „ ducere, pro ejusdem ordine.

IV. Ex his dein concludunt: "Ideò omnes fructus re-„ servari adimíque id omne, quod divino cultui, sustenta-„ tioníque habentis beneficium, tribui debet, magnus est „ abusus. Itémque pensiones dari Clericis divitibus, qui „ commodè & honestè vivere queunt ex reditibus quos ha-„ bent, magnus certè abusus, tollendus uterque.

V. Itaque ex sententia hujus laudatissimi Patrum Concilii, pensiones aliud non sunt, quàm portio aliqua proventuum quæ honestæ sustentationi habentis beneficium superest, per modum cujusdam *eleëmosynæ* in sustentationem alicujus Clerici reservata vel assignata.

Hæc pensionis Ecclesiasticæ descriptio, si conferatur cum pensionibus, quas pristina Ecclesiæ disciplina admisit & probavit, apparebit, eam esse verissimam, ex mente Ecclesiæ, pensionis descriptionem, & naturam; neque aliam unquam ab Ecclesia fuisse approbatam; licet nonnullas pensiones huic descriptioni haud consonas tolerare cogatur.

VI. In Concilio Calchedonensi *Actione* 10. legitur, quòd Maximus ordinatus Episcopus Antiochenus in locum Domni per Synodum depositi, rogaverit Patres Concilii ut *humanitatem* in Domnum exercere vellent, assignando ei aliquam portionem proventuum Ecclesiæ Antiochenæ in sustentationem. Verba Maximi sunt: "Deprecor „ magnificentissimos & gloriosissimos judices, & sanctam „ hanc & universalem Synodum, ut humanitatem exer-„ cere in Domnum, qui fuit Antiochiæ Episcopus, dig-„ nemini, & statuere ei certos sumptus de Ecclesia quæ „ sub me est.

Ad hæc Legati Sedis Apostolicæ responderunt: "Si qui-„ dem Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consul-„ tum, ut sumptus ei de sua Ecclesia, miserationis intuitu, „ prout æstimaverit, largiatur; ut contentus *alimoniis*, quie-„ scat in posterum.

Hoc responsum tota Synodus, unà cum judicibus, qui nomine Imperatoris Marciani aderant, comprobavit.

VII. In eodem Concilio *Actione* 12. discussâ causâ Stephani & Bassiani de Sede Ephesina contendentium, judicatum fuit, in utroque remoto tertius ordinaretur Episcopus Ephesinus, sub hac moderatione: "Removebuntur quidem „ à sancta Ephesiorum Ecclesia Bassianus & Stephanus re-„ verendissimi; habeant autem dignitatem Episcopi, & ex „ reditibus memoratæ sanctissimæ Ecclesiæ, *nutrimenti* „ gratia & consolationis, annis singulis solidos aureos du-„ centos accipiant: alter verò secundùm regulas ejusdem „ sanctissimæ Ecclesiæ, Episcopus ordinabitur.

Tametsi hic pensionis nomen expressum non sit, nemo tamen negaverit, quin revera hisce Episcopis ex reditibus Ecclesiarum quas deserere coacti erant, miserationis intuitu, & nutrimenti causa concessa fuerit, probante Concilio universali, quædam portio, coincidens cum ea, quæ hodie *pensio* dicitur; si modo ea detur juxta descriptionem & usum ex citato Concilio propositum.

VIII. Est aliud in eodem Concilio Calchedonensi Pensionis exemplum non absimile prioribus; in quo tamen & illud notandum occurrit, quod expressè caveatur, ut pensio non tantùm commensuretur necessitatibus ipsius Pensionarii; sed insuper facultatibus Ecclesiæ cui imponitur: idque secundum conditionem proventuum Ecclesiasticorum, quæ exigit, ut ex iis prius provideatur honestæ sustentationi Ministrorum aliisque necessitatibus Ecclesiæ; & tum demum, ex superfluis aliis indigentibus, etiam Clericis succurratur, quemadmodum prædictum Concilium Delectorum Prælatorum notavit.

Voluit ergo Concilium Calchedonense *Actione* 14. ut casu quo Athanasius restitueretur Ecclesiæ Parrhenorum, tunc Sabiniano, qui in locum Athanasii fuerat ordinatus, daretur pensio. Verba Concilii sunt: "Sabinianus verò „ reverendissimus Episcopus, & dignitatem Episcopa-„ tus habeat, & substitutus sit, & pascatur, sicut Reve-„ rendissimus Episcopus Antiochenorum Maximus, *se-„ cundum facultatem* Parrhenorum sanctissimæ Eccle-„ siæ, disposuerit.

IX. Similia pensionis exempla non pauca occurrunt apud S. Gregorium; ac signanter *lib.* 11. *Epistola* 7. ubi Echerio Episcopo scribit de quodam Episcopo, quod si verum sit, eum tantam capitis passionem incurrisse; ut quod mente alienata agere solet, gemitus & fletus audire sit, alius in locum ejus ordinetur: sic tamen, ut quousque eundem in hoc sæculo vita tenuerit, *sumptus* ei debiti, de eadem Ecclesia ministrentur.

Species quoque pensionis dici potest subventio quam idem sanctus Pontifex subministrari vult Episcopis, quos hostilitatis furor ex Ecclesiis suis expulerat, & captivitatis diversarumque necessitatum angustiæ comprimebant: de quibus ad Episcopos per Illyricum constitutos ita scribit *lib.* 1. *epist.* 43. quod hos debeant consolandos convictorosque sibi in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. "Non quidem ut per communionem Episcopalis throni „ dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem „ *sufficientia* debeant *alimenta* percipere.

X. Hæc aliaque probata pensionis exempla si expendantur, & conferantur cum descriptione, quam citatum Concilium Delectorum Prælatorum delineavit, patebit, pensiones jam pridem ab Ecclesia probatas planè coincidere cum ea Prælatorum descriptione; atque pensiones revera ex intentione Ecclesiæ non esse concedendas, nisi ut quasdam *eleëmosynas* Clericis indigentibus.

XI. Quamdiu autem ea Pensionum moderatio servata fuit, nulla quoque legitur contra eas facta Ecclesiæ oppositio. Sciebat enim hæc nihil injustitiæ subesse, si ex proventibus Ecclesiasticis, qui sustentationi Ministrorum Ecclesiæ supersunt, necessitatibus aliorum Clericorum indigentium provideatur.

At tum labentibus sæculis prætextu Pensionum cœperunt proventus Ecclesiastici veris Titularibus & Ministris Ecclesiarum subtrahi, & aliis non indigentibus indiscriminatim & sine ulla moderatione reservari, cum summa proventuum Ecclesiasticorum inversione & dilapidatione, nequaquam defuère, qui hujusmodi abusui reservationum, pallio Pensionum tecto, se opposuerunt dicentes Pensionum hunc non esse legitimum usum, sed maximum abusum.

Plura in decursu hujus materiæ occurrent, quæ hanc oppositionem probant, hic dumtaxat ostendam, quid in Synodo Tridentina de usu Pensionum dictum statutúmque fuerit, & an alium probaverit, quàm eum quem expressit Concilium illud Delectorum Prælatorum, quod ipsi Concilio Tridentino præluserat; & speciatim à Paulo III. indictum

ctum fuerat, ut abusus in futuro Concilio Tridentino reformandos notaret, & sincerè exponeret.

XII. Legitur in historia Concilii Tridentini quod in Congregatione die 5. Martii anno 1546. occasione querelæ Episcopi Bitontini, qui ob non solutas Pensiones suo Episcopatui impositas à Pensionariis suis citabatur Romam coram Auditore Rotæ, nonnulla de Pensionum usu dicta fuerint; atque inter alia à quibusdam Patribus dictum. "Æquum esse, & olim receptum, ut Ecclesiæ opulentæ tenues sublevent; caritate scilicet adducti, non vi adacti: sed non eum in modum ut sibi necessaria adimant. Eam enim D. Pauli esse doctrinam. Verum, ut Antistites inopes de dimenso suo, quod ipsis sustentandis vix sufficiat, cogantur demere, quod in divites conferant, id quidem haud esse tolerabile. Imò caput esse, de cujus reformatione in Concilio sit agendum, rebus ad *veterem & usum verè Christianum* revocatis.

XIII. Inter articulos instructioni datos Oratori Regis Galliæ ad Synodum Tridentinam anno 1562. unus erat quo petebatur, ne posthac pensiones constituerentur super Beneficiis resignatis aut litigii causa. Verba instructionis erant: *Qué doresnavant ne se puisse tenir pensions sur Benefices que l'on resignera, ne pareillement constituer sur Benefices pour droit prétendu.* Habetur in libro cui titulus: *Memoires pour le Concile de Trent. pag.* 174. editionis Parisiensis 1654.

XIV. His instructionibus insistens Orator Regius, anno 1563. Patribus Concilii nomine Caroli IX. Regis Galliæ inter alios articulos reformationis hic vigesimus quintus propositus fuit: "Pensiones super beneficiis non constituantur, & quæ sunt constitutæ tollantur, quo reditus Ecclesiastici in alimenta Pastorum, & pauperum, aliosque usus pios transferantur.

XV. Articuli hi ab Oratoribus Regis Christianissimi Concilio oblati per Legatos Sedis Apostolicæ ad Pontificem missi fuêre, qui plures quidem illorum probavit, sed non omnes; ac notanter hunc se non posse in totum probare, affirmans, pensiones esse *eleëmosynas*, quarum distributio ad suam Sanctitatem spectat. Ita ubi à Cardinale Borromæo, id est, S. Carolo, relatum esse scribit ad Catharinam De Medices matrem Regis tunc regentem insulanus vulgò *De Lisle* Orator Regius apud Pontificem. Verba Epistolæ sunt: "*Madame, le Pape* à receu les articles de reformation presentez au Concile par les Ambassadeurs du Roy. Monsieur le Cardinal Borromæo m'a dit que Sa Sainteté les approuve en grand partie, mais non en tout: parce qu'ils prejudicient aux preventions, & quelque autres droits: mais principalement il trouve mauvais que le pensions sont tolluës par ladite reformation, disant que ce sont des aumosnes que sadite Sainteté à droit de faire par tout.

Ex his patet, quòd tametsi Pontifici non videretur omnis pensionum usus tollendus, nihilominus fallus sit ipse, eas non nisi ut *eleemosynas*, etiam à pontifice, esse dispensandas: ac per consequens ideam Pontificis de natura pensionum coincidisse cum ea quam sæpe dictum Concilium Delectorum Prælatorum expresserat.

XVI. Licet nec ipsi Galli cæterique Concilii Patres diffiteri possent, quin usus pensionum, si ut quædam eleëmosynæ Pastoribus aliisque Clericis indigentibus ex justa causa & moderatione distribuerentur, nequaquam esset improbandus: nihilominus experientia edocti, quàm infami & sacrilego modo proventus beneficiorum obtentu pensionum dilapidarentur, quantaque hæc dissipatio secum traheret mala, usu earum admisso, abusum impedire non destiterunt & contra pensionum usum ulterius Patrum zelum excitare, & earum sublationem, aut saltem restrictionem urgere.

XVII. Et quidem Oratores Regii in sua ad Legatos & Patres Concilii Tridentini expostulatione 22. Septembris 1563. ostendere volentes: "Legibus Regni, aut Ecclesiæ Gallicanæ nihil omnino contineri, quòd repugnet dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, antiquissimisque Pontificum Decretis, & Ecclesiæ universalis Conciliis. Inter alia dicunt: "Non prohiberi Episcopum, qui neque sacras Litteras docere neque prædicare unquam didicerit, se Episcopatu, si velit uti debet, abdicare: Benemeritum autem, qui per ætatem aut morbum amplius Episcopi munere fungi non potest, coadjutorem accipere & in hac tantùm specie pensionem retinere. Nam extra hanc speciem, si quis velit colore pensionis quæsito, ut pluralitatis prohibitionem eludat, super beneficio pensionem constituere aut in favorem renuntiare, aut cum regressu, aut causari, & defendere pluralitatem beneficiorum ex nova & bonis sæculis incognita personarum & sacerdotiorum differentia &c.

XVIII. Cumque hæc expostulatio à nonnullis carperetur, coactus fuit ejusdem Auctor Apologiam edere, in qua inter cætera dicebat: "Nec pœnitet dixisse, multa esse in his articulis, quæ cum Patrum antiquis Decretis pugnant, ut de beneficiorum pluralitate, *pensionibus*, resignationibus in favorem &c.

Articuli, quorum hic mentio fit, erant capita reformationis sessione 24. evulganda, quorum decimo tertio decernebatur, ut "in posterum, omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, quarum reditus summam ducatorum mille, & parochiales, quæ summam ducatorum centum secundùm verum valorem, non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur.

Hoc Decretum, quamvis pensiones positivè non probet, à nonnullis Patribus, non Gallis dumtaxat, sed & aliis, probatum non fuit; eo quod dum earum usum non nisi in tenuioribus Episcopatibus & beneficiis curatis improbat, in reliquis eum probare; aut saltem abusus qui pensionum prætextu invaluerat, à Concilio non sat efficaciter præscindi videretur.

XIX. Refert Cardinalis Palavicinus in Historia Concilii Tridentini *lib.* 18. *cap.* 6 *n.* 1. quod pro formandis articulis reformationis evulgandis *sess.* 22. proposita capita quatuordecim fuerint, non undecim, sicuti Suavis narrat. Deinde subjungit: "Causa cur postea ad undecim fuerint reducta, hæc fuit, quoniam duobus ex illis lex apponebatur, pensiones coarctans, ne scilicet in posterum id oneris imponeretur Episcopis & Parochis, quorum alteri non supra quingentos aureos ex annuo proventu reciperent, alteri non supra quinquaginta. Sed Episcopi vocabulum *pensionis* abominati, quippe ipsorum auribus animisque permolestum, negarunt illud sibi adjecta etiam limitatione probatum iri. Et quamquam opponeretur, à Conciliis Lateranensi & Viennensi, & à Tridentino pariter sub Paulo & Julio pensionum consuetudinem fuisse receptam, non tamen acquievêre. Quapropter conventum est, ut sanctiones ea de re aliàs ex professo statuerentur.

XX. Cum ergo de articulis reformationis sessione 24. edendis ageretur, rursus hæc pensionum materia proposita fuit; atque caput 13. qua parte de pensionibus statuebat verbis utebatur generalibus, nimirum ut nullum beneficium, majoribus pensionibus gravari posset, quàm *tertia* partis fructuum, aut valoris eorumdem, secundùm id quod usu obtinuerat, cum pensiones introductæ sunt: ut narrat historia ejusdem Concilii. "Verùm id Cardinali Lotharingio non expedire videbatur: quod essent beneficia quædam admodum opima quæ tametsi duas solverent, gravari tamen non intelligerentur: alia verò adeo tenuia, ut pensionem perferre non possent; adeoque iniquam esse hanc distributionem. Quare satiùs esse prohibere, ne Episcopatus valoris mille coronatorum, & parochiales Ecclesiæ centum, pensionibus gravarentur; de cæteris nullâ mentione factâ.

Hoc Lotharingii medium à majore parte Patrum laudatum fuit; & Decretum conformiter exaratum, & evulgatum, exactque *sess.* 24. *cap.* 13. non quod illud abusui pensionum

num ; enitus eliminando crederent sufficere ; sed quod temporum conditio & confusio fortius remedium non pateretur, ut ipse Historicus innuit ; cui non contradicit Palavicinus, hoc unum in eo arguens *lib. 23 cap. 11.* quod huic Concilii Decreto opponat : *longè majus expectatum fuisse medium acerrimo pensionum abusui* : ostendere studens remedium integrum expectari non potuisse.

XXI. Oratores Regis Christianissimi exemplar Decretorum ad Regem mittentes, huic de pensionibus Decreto hanc notam apposuere, etsi haud ignorarent, illud suggerente Card. Lotharingio ita fuisse exaratum. "Hic non obscurè significatur pensiones constitui & reservationes fructuum fieri posse tum in Cathedralibus Ecclesiis, tum in parœciis si modò summam centum aureorum annuus reditus earum excedat. Quod tum maximè adversatur iis quæ in mandatis à Rege nostro accepimus. Nullâ enim ratione, nulloque casu, fructus aut eorum partem reservari vult Rex, neque conditionaliter aut dimidiatè, sed simpliciter tantummodo beneficia ejurari, ut integri fructus ad eum qui beneficio incumbit perveniant. Et sanè, si aliter fiat, frustra aliquid statueretur post hoc adversus eos, qui plura possident beneficia. Facilè enim cedent beneficiis, si eorum fructus liceat retinere.

XXII. Non dubium proinde hoc unum fuisse è Decretis Concilii Tridentini, cui congruit declaratio & protestatio Cardinalis Lotharingiæ, tum suo, tum omnium aliorum Galliæ Episcoporum nomine facta coram Patribus Concilii in ultima ipsius Concilii sessione. "Cum nudius tertius (ait) meam de reformationis articulis dicerem sententiam, præfatus sum etiam me valdè cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina ; sed cùm his corruptissimis temporibus & moribus intelligam non posse ea quibus maximè opus est, protinus adhiberi remedia, interim assentiri, & probare ea quæ nunc sunt decreta : non quod ea judicem satis esse ad integram ægrotantis Reipub. Christianæ curationem, sed quod sperem his prius lenioribus fomentis adhibitis cum graviora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices Maximos, & maximè D. N. Pium pro sua insigni pietate & prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt implens, & efficaciora inveniens remedia, in usum veteribus jam diu abolitis revocatis Canonibus, & maximè quatuor veterum illorum Conciliorum, quæ quantùm fieri poterit, observanda esse censeo ; vel si expedire videbitur, frequentiori œcumenicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Ecclesia propulsans eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem, & sententiam tum meo, tum omnium Galliæ Episcoporum nomine acta referri volo, & ut id fiat à Notariis peto & postulo.

XXIII. Itaque ex iis quæ in Synodo Tridentina acta sunt, non obscurum est, Patribus usum pensionum apparuisse odiosum, multisque abusibus obnoxium ; usum à Synodo nonnihil fuisse restrictum circa Episcopatus & beneficia Curata tenuiora ; neque ullibi positivè probatum, quamquam nec omninò improbatum, licet id à multis postulatum esset : obsequens in hoc intentioni Pontificis, qui eas ut quasdam *eleemosynas* per Pontificem distribuendas retineri volebat, uti supra notatum fuit.

Unde nec verisimile est, Synodo aliam fuisse de pensionibus ideam, quàm quæ à Concilio Delectorum Cardinalium expressa est ; & conditioni proventuum Ecclesiasticorum & SS. Canonibus conformis.

XXIV. Ulterius hoc habetur, quod licet Pontifex, qui Synodo per suos legatos præsidebat, eamque moderabatur, responderit, usum pensionum non esse omnino improbandum, aut vetandum, nihilominus fassus sit, eas ceu quasdam *eleemosynas* esse distribuendas. Unde alio sensu eas tolerandas Synodum judicasse verisimile est.

XXV. De qua Synodi mente optimè instructus S. Carolus Borromæus, qui præcipuas in directione Synodi partes habebat, atque supradictum responsum Pontificis recolerat ; & unà sciens, quàm difficulter intra hos limites pensionum usus contineatur, si usus earum semel invalescat, vix earum in suam Diœcesim admisit ; & introducere volentibus strenuè se opposuit, quemadmodum vitæ ejus scriptor testatur *lib. 7. cap. 35.* verbis sequentibus: "Fructus suos unicuique Ecclesiæ, Presbyterisque singulis, integros relinqui curavit vehementer, & effecit. Eo namque primum Ecclesiam capescente ; vel magna ex parte, vel toti, alienis hominibus erant reservati : ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri Sacerdotia recusarent ; quorum facultatibus, pro dignitate, vitæ cultum minimè possent conservare. Qui verò accipiebant, parvi pretii homines, neque doctrina, neque authoritate satis muneri suo facere valebant : ut præter Sacerdotis, ut tempora sunt, ex ea re contemptum ; neque sacra suppellex pro decoro parari ; neque refici, vel ornari Ecclesiæ ; neque sarta tecta haberi possent.

"Igitur, pergit auctor, neque pensionis onus vel minimum cuiquam Ecclesiæ imposuit umquam ; & si quis fortè per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnavit.

"Cum ex Præpositurae facultatibus, ex suis quidam, quo plurimum utebatur, annuam pensionem sibi ferè impetrasset ; ea Carolus ut auferretur, statim effecit. Neque alius postea umquam conari aliquid simile ausus est.

XXVI. Unum tamen pensionis exemplum à Carolo impositæ subjungit dictus auctor : è quo intelligimus, usum pensionum à Carolo non totaliter improbatum, ac unà videmus eandem de pensionibus huic Sancto fuisse ideam, quæ fuit Concilii Romani Delectis Prælatis.

Sacerdoti tantùm pensionem concessam scio. "Is cùm Ecclesiæ diu utilem sanè operam pro doctrina, virtuteque sua navasset, demum multi laboris Parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cùm eam relinquere cogeretur ; neque aliunde haberet vitæ sumptum ; moderatam pensionem ex Ecclesia sua, quæ erat ex locupletioribus, à Carolo accepit.

CAPUT II.

Quæ usum pensionum reddant odiosum?

1. *Reservatio pensionis* odiosa *ex omnium Canonistarum sententia.*
2. *Quia contrariatur Juri communi.*
3. *Per pensiones necessaria substrahuntur Ministris Ecclesiæ.*
4. *Hoc incommodum quomodo senserit S. Carolus.*
5. *Defraudatur Fabrica Ecclesiæ.*
6. *Proventus Ecclesiastici contra eorum naturam cedunt non servientibus.*
7. *Multi occasione pensionum acceptant beneficia sine intentione deserviendi.*
8. *Per pensiones illuditur Canonibus vetantibus pluralitatem Beneficiorum.*
9. *Per pensiones fit ut unus plurium stipendia vindicet.*
10. *Pensionarii nonnumquam similes iis, qui beneficia sub modico stipendio dabant.*
11. *Pensionarii non secus ac Simoniaci spiritualia cum temporalibus commutant.*
12. *Pensiones faciunt ut non habeatur de meritis Promovendorum recta discussio.*
13. *Pensiones occludunt pauperibus aditū ad beneficia.*
14. *Usus pensionis facit, ut nulli* gratis *ad beneficia pateat accessus.*
15. *Concluditur meritò potuisse postulari totalem pensionum abolitionem.*

I. Pensionis reservationem super fructibus Beneficii Ecclesiastici esse odiosam, *omnes scribentes testantur*, ait Pyrrus Corradus in Praxi Beneficiaria *lib. 5. cap. 5. n. 1.*

Et Hieronymus Gigas De Pensionibus post Paulum De Roma dicit, quod Pensio est *plaga fœtida* ex percussione nervi Ecclesiasticæ disciplinæ similitudinariè inflicta.

Odium Pensionis multis ex capitibus desumitur, ac præcipuè ex incommodis, & malis, quæ usus Pensionum secum trahit, & in Ecclesiam invehit.

II. Pensionem contrariam esse Juri communi, & eo titulo *odiosam*, communis Canonistarum sententia est, eò quod per Pensionem proventuum portio Beneficio annexa à Beneficio separetur; atque ita beneficiorum quædam scissio fiat de jure reprobata; sed de hac scissione latiùs infra *cap. 5.*

III Ulterius quia per Pensionem pars fructuum à beneficio subtrahitur, hinc frequenter occasione impositionis & reservationis Pensionum contingit, ut proventus beneficiorum ipsis Ministris Ecclesiæ ita substrahantur, ut vix reliquum sit, unde juxta statum suum moderatè ac frugaliter vivere queant: ex quo ulterius contingit, ut viri eruditione ac moribus sufficientes ægrè reperiantur, qui beneficiis illis præesse velint.

IV. Hoc incommodum ex pensionibus impositis sensit in sua Diœcesi S. Carolus: "Eo namque, ait vitæ ipsius „Scriptor, primùm Ecclesiam capescente; vel magna ex „parte, vel toti (fructus Ecclesiarum) alienis hominibus „erant reservati: ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri, Sacerdotia recusarent; quorum facultatibus, pro dignitate vitæ cultum non possent conservare. „Qui verò accipiebant, parvi pretii homines, neque doctrina, neque authoritate satis muneri suo facere valebant: ut præter Sacerdotis ut tempora sunt, ex ea re contemptum; neque sacra suppellex, pro decoro parari; neque refici, vel ornari Ecclesiæ; neque sarta tecta haberi „possent.

V. His finalibus verbis aliud Pensionum incommodum exprimitur: nimirum, quod per earum reservationem fiat, ut à Beneficiis sive Ecclesiis subtrahatur illud quo sacra suppellex parari, vel refici, aut ornari Ecclesiæ, & sarta tecta conservari possent & deberent.

VI. Ulterius cum proventus beneficiorum dentur in sustentationem laborantium & Ecclesiæ servientium; & ob id beneficium dari dicatur *propter officium* eo rursus odiosus est pensionum usus, quod dentur non servientibus; "Nam Pensionarii (ait Gomesius ad Regulam *De Infir„mis quæst. 16.*) non laborant in Ecclesia, neque seminant, „& tamen metunt, & fructus sine labore manducant, con„tra naturæ ordinem; & contra Apostolum dicentem, *qui „non laborat, non manducet.*

VII. Ex quo præterea fit quod multi ad beneficia Ecclesiastica aspicent, eáque accepterent, qui tamen nec Ecclesiæ servire, imò nec statum Ecclesiasticum assumere intendunt: at dumtaxat aliquam summam pecuniæ ex beneficio accepto accipere cogitant.

Optimè enim intelligunt, sibi notabilem pecuniæ summam non defuturam, mox ubi beneficium dumtaxat habuerint; licet illi deservire; quin nec in statu Ecclesiastico perseverare intendant. Mox enim ut beneficium obtinuerint, via resignationis aut permutationis *sub pensione* patebit, atque hâc mediante, nullo præstito, neque post hac præstando officio, non exigua sæpè summa pecuniæ aut annuè præstanda; aut certè si maluerint, redemptâ pensione simul & semel solvetur. Quam frequens sit hic ex usu pensionum natus abusus, quotidiana & notoria multorum praxi nimium probatur.

VIII. Præterea per pensionum usum fraus fit Canonibus Beneficiorum pluralitatem vetantibus. Cum enim pensiones revera Beneficia non sint, credunt pensionarii, quod pensiones unà cum alio beneficio retineri queant salvis Canonibus pluralitatem beneficiorum improbantibus; atque ita reipsâ id pene assequuntur, quod per plurium beneficiorum retentionem intendant: in eademque etiam ferè incommoda hinc incidit Ecclesia, quæ vetando pluralitatem beneficiorum evitare intendit.

Quid enim aliud, nisi plurium beneficiorum emolumenta quærunt, qui plura beneficia retinere desiderant? Hæc autem reipsâ Pensionarii assequuntur; dum resignantes titulum notabilem portionem proventuum retinent, eamque sibi sine ulla cura aut labore, ab omnique expensâ & onere liberam solvendam.

IX. Ecclesia pluralitatem beneficiorum improbans, id præcipuè improbat, quod "unus, qui unum quantumvis „modicum vix officium implere sufficeret, *plurimorum* „sibi vindicet *stipendia*: quæ multis litteratis viris, vitæ pu„ritate ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendi„cant, possent aliundè sufficere, æqua distributione colla„ta;" uti loquitur Pontifex in *Extravag.* EXECRABILIS *De Præbendis* inter communes.

X. Certè non absimiles videntur hujusmodi Pensionarii illis, qui jam pridem variis artificiis plura beneficia retinere volentes, beneficium alteri quidem modico constituto stipendio resignabant, ejusdem Beneficii vicariâ cum majore parte fructuum sibi retentâ; quod perniciosum artificium dum Ecclesia detexit, condemnare non dubitavit.

XI. Denique qui vel leviter hodiernam Pensionariorum, sive Pensionibus inhiantium agendi modum attenderit, eosdem pene Pensionum & Simoniæ effectus esse intelliget.

Imprimis per Simoniam res Spirituales ad vilitatem quamdam per commutationem cum rebus temporalibus rediguntur; & quodammodo rebus terrenis coæquantur, uti infra *tit. 30. cap. 1.* latiùs exponetur. Porrò quis negabit, idem per usitatam pensionum praxim frequenter contingere? Nónne ad oculum patet, resignantes ac permutantes, æstimare Beneficia sua penes proventus annuos, eosque temporali pensione compensatos aut æquatos velle; non aliter, ac si res merè temporales in foro appretiarentur, atque pretii suppletione ad æqualitatis terminos reducerentur? Num forsan res spirituales minus deprimuntur, aut ad minorem vilitatem rediguntur, si Pensione annua aliquot centenorum florenorum commutentur, quàm si certâ pecuniæ summâ interveniente commutatio fieret?

XII. Ulteriùs per Simoniam fit, ait S. Gregorius *lib. 7. Ep. 111.* "ut nulla de actu probatio, sollicitudo de moribus, „nulla de vita discussio; sed solummodò dignus, qui dare „pretium sufficerit, æstimetur." An non idem est Pensionum effectus? Nónne prima, ne dicam unica, est Pensionariorum in Beneficiorum resignatione aut permutatione cura, quis ampliorem ac pinguiorem pensionem dare velit.

Sit Clericus aliquis moribus ac eruditione quantumvis excellens, qui Beneficium non ambiat; qui proventus ac reditus Ecclesiasticos consideret, ut Ministrorum sustentationi deputatos; & quod reliquum est, pauperum usibus applicandum; si Pensionem proventibus Beneficii proportionatam annuere nolit, à Beneficio excludetur.

XIII. Nónne quoque constat, per Pensionum praxim æquè ac per Simoniam pauperibus plerumque ad beneficia aditum intercludi? Quid enim experientiâ evidentiùs quàm Pensionarios illos passim quærere, qui Pensionem non tantùm annuere volunt; sed de illius annua solutione securitatem dare possunt? Imò frequenter Pensionariis nec hoc sufficit; sed eum invenire student, qui si non expressè, saltem tacitè pensionis redemptionem addicat; aut ut minus ex circumstantiis colligant, eum ad redimendum esse inclinatum; quod cùm à pauperibus non sperent, etiam illis, tametsi optimè merentibus beneficia sua resignare cavent.

XIV. Quid plura? Nonnè ingenuè fatendum est, per Pensionarios hodie eò rem penè redactam ut dicere liceat cum Alexandro II. "Nulli umquam Clerico, quamvis Religio„so,

„ so, quamvis scientia & moribus prædito, Ecclesiasticum „ Beneficium concedatur (ego dico resignetur) nisi ei qui „ *profanæ pecuniæ* (Pensionis) *munere* illud emere studuerit, sitque Ecclesia & res ejus ita venalis, veluti quædam „ terrena, & vilis merx à negotiatoribus ad vendendum exposita." *Caus. 1. qu. 3. Can. 9.*

XV. Hæc aliaque sunt, quæ ipsum pensionum usum tametsi in suis initiis laudabilem, & à Sanctis Patribus jam pridem comprobatum, adeò odiosum hisce posterioribus temporibus reddiderunt, & etiamnum hodie reddunt: ut ideò plurimi optarint, & optent, ut earum usus penitus tolleretur: non quasi eos lateret pensiones subinde licitè, quin & laudabiliter reservari & imponi posse: sed quod sciant, usum earum in tantum abusum degenerasse, ut vix sperari possit, ut usu retento abusus tolli possit.

CAPUT III.

Discutiuntur causæ, ex quibus hodie pensiones imponi solent.

1. *Tribus de causis hodie solent imponi pensiones.*
2. *Non potest imponi nisi in commodum habentis aut prætendentis jus ad beneficium.*
3. *Ratio hujus praxeos.*
4. *Etiam in Belgio hæc Praxis obtinet.*
5. *Pensiones ex his causis imposita tolerantur, non probantur.*
6. *Nulla earum causarum* per se *sufficit, ut pensio licitè exigatur.*
7. *Retensio pensionis ex causa* cessi juris *sapit Simoniacam transactionem.*
8. *An hujusmodi probetur in cap. 21. de De Præbendis.*
9. *Proponitur casus Capituli.*
10. *Prima parte responsi ostenditur, cessionem juris litigiosi non esse sufficientem causam pensionis.*
11. *Altera pars responsi.*
12. *Ex hac non probatur, Pensionem in casu Capituli potuisse* licitè exigi.
13. *Pensio hæc non procedebat ex pactione partium, sed* auctoritate *judicis.*
14. *Hoc titulo pensiones hodiernæ multùm ab illa sunt disparatæ; & magis de Simonia suspectæ.*
15. *Pensio de qua in Capitulo tantùm à Pontifice* toleratur.
16. *Ex hac tolerantia arrepta occasio malè faciendi.*
17. *In* tolerandis *quæ speciem mali habent cautè procedendum.*
18. *Hodiernæ resignationes insufficientes sunt ad justificandas pensiones; & prima ratio insufficientiæ.*
19. *Qui potissimum petere soleant pensiones titulo resignationis.*
20. *Secunda ratio insufficientiæ.*
21. *Ob hanc rationem retentio pensionis titulo resignationis reprobata per Synodum Calchedonensem.*
22. *Similiter per Synodum Oxioniensem.*
23. *Tertia ratio insufficientiæ petita à Simonia.*
24. *Compensare inæqualitatem proventuum in permutatione per pensionem sapit Simoniam.*
25. *Etiam Doctores laxiores reprobant* pensiones *solo titulo resignationis.*
26. *Pensiones ex prædictis causis, licet injustæ respectu exigentium, possunt esse in utilitatem Ecclesiæ.*

1. Pensiones hodie ferè tribus de causis imponi solent; scilicet *pacis* causâ, quando Beneficium est litigiosum. Secundò *causa resignationis*; & tertiò *causa permutationis*, ne Resignantes vel permutantes *nimium dispendium patiantur.* Et quidem in Gallia nulla alia de causa admitti solet pensio, etiam per Pontificem imposita, ut testatur Rebuffus in tractatu *De Pacificis Possess. num. 126.* dicitque "fuisse „ prolatum arrestum anno 1535. mense Junio, quod pensio „ non imponatur, nec imposita in Regno admittatur extra „ *tres* casus;" qui sunt jam enumerati. Idipsum tradunt unanimi consensu omnes Galliæ Pragmatici.

II. Hinc ulterius cum authore Analysis in Regulam Cancellariæ *De Publicandis Resignat. num. 113.* notant, quod "pensio non possit constitui etiam per *Papam* & *consensu* „ *Prælati* ad commodum ejus, qui *nullum* habet, nec prætendit *jus in Beneficio*: nec in hoc Regno toleratur, sed „ appellaretur tamquam *ab abusu*, & abusivum declararetur, non obstante quacumque possessione.

Post hæc infert: "Debet ergò constitui vel causâ *concordiæ* cum causæ cognitione per Ordinarium, ut in *Cap.* „ NISI ESSENT *de De Præb.* vel per Papam ad commodum vel vitam, verum vel probabile *jus* & titulum Resignantis tantum.

Refert quoque Joannes D'Olives *lib. 1. qu. 29.* an. 1537. per arrestum Parlamenti Tholosani declaratum fuisse abusivam pensionem, quia non alia de causa imposita erat, nisi ut Pensionarius commodius vivere posset.

III. Cur autem ad hos tres casus restringatur pensionis impositio, non obscurum est; & ex relatis verbis auctoris Analysis sufficienter elici potest.

Cum enim multis Regiis Edictis cautum esset, & Parlamentorum arrestis probatum, nullos non Regnicolas posse Beneficia habere in Regno Galliæ, cœptum fuit, Beneficia in favorem extraneorum pensionibus passim gravari, atque ita indirectè Beneficia quoad temporalia à non Regnicolis possideri; & Regnum temporalibus exhauriri. Hoc ut præcaveretur, cautum fuit, ne pensio beneficio imponi posset, nisi in commodum illius, qui habuit, vel prætendit jus in beneficio: quod dum competere non potest nisi Regnicolæ, jam una via pensionis extraneis occlusa est.

IV. Neque à praxi Gallicana in hoc puncto dissonat praxis Belgica; quæ alias pensiones vix novit; nec facilè pensiones etiam à Papa impositas ad commodum alicujus, qui nec habuit, nec habere prætendit jus in beneficio, admitteret.

V. Porrò illud hîc omnino observandum, quod tametsi in Gallia, & etiam in Belgio admittantur pensiones ex tribus illis causis (servatis quibusdam tamen moderationibus de quibus in progressu hujus materiæ) nullatenus hinc consequens esse, pensiones undequaque licitas fore & tuta conscientia accipi posse à Pensionariis, modò vel una ex prædictis causis fulciantur. Multa enim pro temporum conditione, & abusu jam inolito tolerantur, quæ tamen non omnino probantur; quemadmodum de consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ, quæ unum ad plura recipiebat beneficia contra sanctorum Canonum instituta ad Genuensem Archiepiscopum scribit Alexander III. in Cap. 15. de *De Præbendis.* Quæ (ait) *non approbatur à nobis, licet non possit præ multitudine delinquentium emendari.*

Scribit quoque Innocentius III. Philippo Dunelmensi Episcopo *lib. 1. Epist. 460.* editionis Balusianæ, quod "Romani Pontifices ut negligentiam quorumdam ad solicitudinem excitarent & obviarent fortius cupiditati multorum, qui vacantes Ecclesias suis usibus applicabant, tam „ antiquis temporibus, quàm modernis *certum* tempus „ Canonicis & Capitulis præfixerint, ultra quod nec Ecclesiæ debeant, nec Ecclesiastica beneficia seu Præbendæ vacare: Non approbantes (ait) quod tam diu vacent, sed præcaventes ne diutius Ecclesia quælibet solito Ministrorum „ obsequio defraudetur.

Quidni ergo pariter dicatur, quod Gallicani Proceres, qui tantopere abolitionem totalem pensionum in Synodo Tridentina ursferunt, dum pensionum usum penitus abolere non potuerunt, eum saltem restringere voluerint: nec

tamen usum earum omnino approbantes; sed præcaventes, ne abusus ulterius serpat.

VI. Et sanè si sigillatim prædictæ tres causæ examinentur, apparebit, nulla veri specie illas pro causis sufficientibus recipiendæ vel exigendæ pensionis haberi posse; id est, nec solam cessionem juris litigiosi, nec beneficiorum permutationem, vel resignationem esse causam sufficientem, ut cedens, Permutans, aut Resignans pensionem annuam sibi tuta conscientia reservari petat.

VII. Aliquando quæsitum fuerat ab Alexandro III. "utrum de Ecclesiastico beneficio *in litigium* deducto „possit fieri transactio. "Respondit Alexander, "quod „transigi super re *sacra & litigiosa* non potest. Etenim „res sacræ ut possideantur aliquo dato vel retento seu „promisso speciem credimus habere Simoniæ. " *Cap.* 7. ✠ *De Transact.*

Si ergo speciem habeat Simoniæ, transigere super re sacra & litigiosa *aliquo dato vel retento*; quomodo speciem Simoniæ evitabit, qui juri prætenso renuntiare non vult, nisi retenta *pensione annua* aliquot centenorum florenorum? Nonne hic manifestè transigit super re sacra & litigiosa *aliquo retento*? Nisi forsan quis sibi imaginetur, nihil retineri, dum summa annua, quæ retinetur, *pensionis* nomine velatur. At verendum est, velum illud posse quidem hominum quorumdam oculos forsan obscurare; sed cum apparuerit ille de quo dicit Apostolus: *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus ad quem nobis sermo*, Ad Hebræos 4. *vers.* 13. tunc & velum illud tolletur, & apparebunt omnia nuda & manifesta.

Quid enim interest, num quis simpliciter cum collitigante transigat data aut promissa certa pecuniæ summa; an verò transigat promissa annua pensione, eidem summæ æquivalente?

VIII. Scio quidem multis esse persuasum, hanc pensionis speciem jam probatam esse ab Innocentio III. in *Cap.* NISI ESSENT ✠ *De Præbendis*; atque ex hac Decretali has Pensiones suum sumpsisse principium; sed & illud scio, hanc Decretalem nec in speciem favere hodiernis pensionibus, quæ prætextu *pacis & sedandæ litis* exiguntur.

IX. Casus istius Decretalis erat. Vacante quodam Prioratu duo fuerant electi, nec sciebatur cujus electio deberet prævalere. Causa duobus Judicibus delegata fuit; in quos & ipsi electi, ut causa facilius terminaretur, compromiserunt. Hi arbitri retenta sibi jurisdictione delegata, causa diu discussa tandem pro bono *pacis & concordiæ* ordinaverunt, quod unus electus Prioratum haberet, alter verò 20. libras perciperet annuatim de reditibus Capituli, & 40. libras de proventibus Prioratus: & hæc ordinatio ab omnibus probata, tandem pro confirmatione missa fuit ad Pontificem. Quid ergo de hac ordinatione dicat Pontifex videamus.

X. Imprimis scribit Pontifex: "Nisi essent viri providi & „honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quàm illi circa „quos facta est ordinatio, illam valde suspectam propter „exempli perniciem haberemus.

Quæ hic timenda fuisset *exempli pernicies*; aut ita urgenda virorum providentia & honestas, si pensiones ob solam juris litigiosi cessionem licitas esse credidisset Pontifex? Nonne hic super Prioratu *vera lis* erat? Nonne unus Prioratui cedebat? Quidni ergo alteri pensio assignari poterat, si hodiernæ Pensiones hujusmodi titulo innixæ licitæ sint?

XI. Adhæc scribit Pontifex, Judices delegatos, qui simul erant arbitri ex partium compromisso, fateri *se pro bono pacis & utilitatis hoc ordinasse*, idque *post concertationem diutinam*.

Considerata ergo virorum qui hanc ordinationem fecerant honestate & providentia; quodque faterentur, se *post concertationem diutinam pro bono pacis & utilitatis* hoc ordinasse; & quia hæc ordinatio *ab omnibus esset recepta*, respondit ulterius Pontifex, quod "licitè Prior & Capi„tulum de proventibus suis propter causas prædictas, non „quidem ex pactione partium, sed ex jussione judicum „provisionem hujusmodi exhibeant.

XII. Notandum imprimis, tantum dicere Pontificem, quod Prior & Capitulum provisionem illam à Judicibus ipsis impositam exhibere queant: sed non dicit, eam à Pensionario *licitè* & tuta conscientia accipi aut exigi posse. Quin enim nonnumquam ex parte imponentis, & solventis pensio possit esse justa & licita; quæ tamen ex parte exigentis sit injusta & illicita nequaquam dubitari potest; & capite sequenti ostendetur.

XIII. Ulterius notandum, hanc provisionem *non ex pactione partium*, sed *ex jussione judicum* exhiberi, ut expressè scribit Pontifex.

Ad quæ verba reflectens Glossographus ait: "Ex *pactione partium* non liceret, nec eam tolerasset Papa, sed „quia *judicis auctoritate* factum fuit, & ad tempus sustinetur.

XIV. Glossographi reflectionem & alii passim Canonistæ amplexi sunt; eamque novissimè amplexus Prosper Fagnanus in Commentario ad hanc Decretalem *num.* 5. ait: "Oportet ut hujusmodi compositiones (qualis occurrit in „hac Decretali) super Beneficiis, ad hoc ut valeant, & excu„sentur à Simonia, capiant principium ab *auctoritate* Su„perioris, & non à *pactione* partium, ut probat, inquit, hæc „littera ibi, *non quidem ex pactione partium, sed ex jus„sione judicum*. Quamobrem, pergit Fagnanus, qui prius „faciunt inter se compositionem & postea adeunt judices „ut interponant authoritatem, non excusantur secundùm „bonam conscientiam quominus incidant in vitium Si„moniæ, ut advertunt Butrius, Imola, Abbas & Decius." Hæc Fagnanus.

Nihil ergo commune habet provisio, de qua in dicta Decretali cum modernis pensionibus. Hæ enim ex *conventione & pactione partium initium sumunt*, illa autem provisio facta erat ex *mero officio* judicum delegatorum in qualitate arbitratorum, qui bonum pacis & utilitatis præ oculis habentes ita statuendum credebant.

XV. Adhæc, licet ordinatio illa à judicibus illis providis & honestis, pro bono pacis & utilitatis facta, nihil mali in se habere videretur, eam tamen Pontifex approbare noluit; sed *adhibito hoc moderamine*, inquit, TOLERAMUS.

Quis verò nescit, multa pro temporum, ac rerum circumstantiis à Pontifice aliisque Ecclesiæ Prælatis *tolerari & dissimulari*, quæ tamen non probantur. Unde etsi hic pensionis aliquod vestigium esset, nihil tamen pensionarii in suam defensionem habere possent.

XVI. Verùm enim verò, tametsi Pontifex hoc suum responsum ita temperaverit, tantâque circumspectione loquutus fuerit, tamen ex *occasione hujusmodi provisionis*, ait Glossa, *assumunt quandoque aliqui causam malefaciendi*. Quinimo ut rectè nonnulli observarunt, ex hac Decretali originem sumpsere pensiones illæ, quæ hodie *pacis causa* colorantur, ut vel inde pateat, quam difficiles se exhibere teneantur Ecclesiæ Prælati, ut permittant aut etiam tolerent ea, quæ de facili in exemplum, cum ingenti malorum sequela, trahi queunt.

XVII. Quamvis igitur Prælati Ecclesiæ juxta ante dicta, interdum ob bonum Ecclesiæ annuere possint pensionem alicui non merenti; ob exempli tamen perniciem rarissimè id faciendum erit; imo interdum expediret extrema quæque tentare, quàm pensionem permittere seu indulgere; præsertim eo loco, ubi pensiones, tot malorum scaturigines, nondum invaluerunt, aut non tales quales petuntur.

XVIII. Si titulum resignationis, vel permutationis attenderimus, eum non minus, quam titulum *pacis* sive *concordiæ* insufficientem pro justificanda retentione pensionis inveniemus.

Imprimis nemo non fatetur, resignationem vel permutatio-

tationem esse titulum omninò insufficientem petendæ pensionis, si non intuitu necessitatis aut utilitatis Ecclesiæ, prout Canones requirunt, fiat; sed intuitu alicujus lucri alteriusve commodi temporalis permutatio ineatur, vel resignatio.

Quis enim sat impudens est, ut ausit dicere, quod resignatio vel permutatio, quam non utilitas aut necessitas Ecclesiæ, sed proprium interesse, vel humanus aliquis & carnalis affectus extorquet, sit justa causa, ut contra SS. Canones, per quamdam dispensationem portio proventuum à Beneficio in favorem hujusmodi Resignantis, & permutantis abstrahatur? Nonne potius similis Resignans vel Permutans eo titulo indignus redditur, ut ab Ecclesia juvetur, qui contra ipsa Ecclesiæ sæpius iterata Decreta, Ecclesiam, quam sibi in sponsam semel desponsaverat, lucri vel propriæ commoditatis intuitu repudiare non veretur?

Si vel obiter quis reflectat, quo fine & animo hodie Resignationes & Permutationes fieri soleant, non difficulter intelliget, Resignantes, vel Permutantes pensione & adjutorio Ecclesiæ eo titulo reddi indignos.

XIX. Qui enim sunt qui hodie in Resignatione vel permutatione *pensionem* exigere consueverunt, nisi qui vel spe lucri aut proprii commodi, aut etiam officii Ecclesiastici persolvendi obligatione se eximendi, cupiditate impulsi, ex uno in aliud Beneficium se protrudunt? Qui enim de Ecclesia, cui semel divinâ ordinatione & electione adscripti sunt, non nisi utilitate aut necessitate Ecclesiæ suadente & trahente, ad aliam transeunt, seu potius jussu Superiorum transferuntur, sciunt quod Ecclesia seu sponsa, quam necessitate cogente deserunt, non ideo gravanda sit quia eam deserunt; & licet laudabiliter pro debito eidem deservierint, servitium non temporali mercede seu pensione in hoc mundo, sed æterna à Domino remunerandum sperant.

XX. Præterea proventus beneficiorum, tum ex mente Ecclesiæ, tum voluntate Fundatorum, iis annexi, integri cedunt ad usum & dispensationem Titularis & possessoris. Cum ergo ipse Resignans, aut permutans per Resignationem exuat se titulo & possessione beneficii, nullum sanè jus ad proventus illius beneficii ulterius prætendere potest: quandoquidem & certum sit, jus percipiendi proventus, unà cum titulo ex intentione Ecclesiæ & Fundatorum transire ad Titularem, non secus ac *officium* ipsi beneficio annexum, propter quod beneficium, seu jus percipiendi fructus datur.

XXI. Hinc jam pridem à Synodo œcumenica Calchedonensi *Can.* 10. statutum legitur: "Si quis translatus est ex „alia in aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyrio„rum, quæ sub ea sunt, aut Parochiorum, aut Xenodo„chiorum *rebus in nullo* communicet.

Qui è beneficio permutato aut resignato annuam pensionem aliquot centenorum florenorum recipiunt dicentne, quod *Ecclesia* à qua translati sunt, *rebus in nullo* communicent? credat hoc is qui verbis, non rebus Canones conditos esse existimat.

Unde Christianus Lupus in hunc Canonem, asserere haud dubitavit: "Hæc nostri Canonis verba, *si quis trans„latus* &c. ostendunt, prioris relicti aut resignati beneficii „*pensiones* tunc necdum fuisse.

XXII. Canoni Calchedonensi insistens anno 1222. Synodorum Oxoniensis *Can.* 11. æquè pensionis, quam nomine *vicariæ* expressit, quàm alterius rei reservationem reprobavit. "Ne lepra Giezitica, quod absit, per avaritiæ „cultum latenter irrumpens, Ministros Ecclesiæ collocet „extra castra regni æterni: districtius inhibemus, ne quis „Ecclesiæ renuntians, *recipiat ab eo qui sibi substituitur* „*vicariam*.

XXIII. Urbanus VIII. in *Cap.* 5. *De Rerum permutat.* scripsit, quod "sint quidam, qui præbendæ suæ „cedunt, & juri renuntiant, ut majorem Præbendam „obtineant, vel ex hoc certam summam pecuniæ conse„quantur: quod quidem (ait) honestati est contrarium, „& *simoniacam* procul dubio continet pravitatem.

An hodierni resignantes & permutantes cum retentione pensionis non similiter cedunt Præbendæ, ut ex hoc summam pecuniæ consequantur; scilicet summam annuam aliquot centenorum; vel unam aliquot millium florenorum, honesto ut vulgo creditur, pensionis currentis vel redemptæ vocabulo contextam.

XXIV. Sed dicet quis, saltem licitum est, aliquam exigere pensionem in permutatione Beneficiorum inæqualium in proventibus annuis, ut ad æqualitatem reducantur; & ne unus Permutantium ex sua permutatione *nimium dispendium patiatur*. Hæc quidem ratiocinatio valere & admitti posset, si de duorum fundorum, aut equorum permutatione tractaretur; ubi valor unius pretio suppleri potest: At illud permutationi Beneficiorum applicare; quid aliud est, quàm apertam & pudendam mercimoniam Beneficiorum inducere, eámque inani *Pensionis* vocabulo velle palliare.

Qui enim pensionem exigit, ut ea mediante inæqualitas fructuum Beneficii suppleatur; nonne pecuniam sive annuè, sive semel præstandam exigit, ut excessus proventuum Beneficii resignati compensetur? Et tamen "certum „est excessum sive inæqualitatem in re spirituali non posse „suppleri vel compensari pecunia aut aliquo dono tempo„rali; cujus in promptu ratio est, quia spirituale vendere„tur pro temporali, quæ res ponit veram materiam Simo„niæ: nihil hic faciente Prælati authoritate, quæ vitium „tollere nequit.

Ita Zoesius noster ad titulum Decretalium *De rerum permutat.* quamvis in hoc Commentario sequutus recentiores nonnullos Scholasticos & Casuistas, ad eorum etiam laxiorem Canonum expositionem, & doctrinam magis declinet.

XXV. Quid plura? Tam evidens est, permutationem & resignationem non esse sufficientes titulos petendæ pensionis, ut vel indulgentiores Theologi id agnoverint; atque contrariam praxim communem tanquam merum abusum reprobaverint.

Et quidem Theophilus Raynaudus è Societate JEsu Theologus in tractatu suo De bonis Ecclesiæ *lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. ait: "Nullo modo justum est, ut quis idcirco „tantùm deposcat sibi pensionem, quia resignat Benefi„cium in favorem tertii, *tametsi hæc est praxis, vel po„tius* ABUSIO QUOTIDIANA. Reprehendunt eam Cor„duba, Valerius & Molanus. Ratio cur non possit eo tan„tùm titulo imponi pensio, inde ducenda, *quod desit ti„tulus accipienda ex ea causa pensionis*... Igitur titulus „ob quem pensio imponitur, est Beneficii renuntiatio quæ „si sola sit, non est causa idonea pensionis imponendæ, „quia Beneficiarius post renuntiationem nihil juris habet „ad minimam partem fructuum Beneficii, quod dimittit: „per ipsam vero renuntiationem, nullum jus ad fructus „acquirit. Tenetur enim vel ritè ministrare, ut fructibus „potiatur; vel si cedere Beneficio vult, tenetur *gratis* „cedere, nisi aliquem titulum alleget, quo possit portionem „fructuum retinere. Quod si omittat & tamen fructuum „*partem sibi securam velit, vel pro pretio Beneficii id* „*deposcit*, EST SIMONIACUS: vel de ea nequitia est suspe„ctus; etiamsi *Pontificiam* concessionem obreptitiè ex„tortam obtendat, ut Corduba admonuit, adductis Pa„normitano, Anania, Felino, Archidiacono, Imola & Fre„derico.

XXVI. Pluribus insufficientiam harum causarum probat Perardus Castellus Advocatus in Parlamento Parisiensi in sua collectione plurium quæstionum in materia Beneficiali Dissertatione de pensionibus ad calcem tomi secundi adjecta, ubi una examinat, pensiones, quæ in Gallia subinde reservantur auctoritate Regia super Beneficiis ad collationem Regis spectantibus; idque prætextu *meritorum* personæ in cujus favorem pensio reservatur; ostenditque & hanc causam non minus quàm præcedentes solere esse insufficientem,

tem, ut ipsam pensionem licitam reddat ex parte ipsius Pensionarii.

Quin tamen pensiones ad sopiendas lites, aut promovendam resignationem aut permutationem possint esse licitæ ex parte Superiorum imponentium; & bonum Ecclesiarum posse subinde postulare hujusmodi pensionum impositionem, tametsi ex parte exigentium & percipientium sint illicitæ & injustæ, dubitari nequit; & capite sequenti demonstrabitur: ac per consequens, & hoc titulo meritò tolerantur & admittuntur.

CAPUT IV.

Quæ ex parte Pensionariorum sint attendenda, ut securi sint in accipiendis pensionibus.

1. *Ab exigente pensionem plura expendenda.*
2. *Imprimis quæ sit natura proventuum Ecclesiasticorum.*
3. *Secundò quòd non possit de proventibus Beneficii participare tamquam illius possessor.*
4. *Tertiò an quæ in pauperum alimoniam sunt impendenda sibi possint applicare?*
5. *Quam injustum sit, dari Clericis divitibus, quæ pauperum usibus sunt destinata.*
6. *Pensiones dare non indigentibus magnus abusus.*
7. *Pensio uti hodie imponitur, est species servitutis imposita beneficio.*
8. *Per pensionem subtrahitur portio proventuum à Beneficio contra Ecclesiæ & Fundatorum ordinationem.*
9. *Unde Pensio non nisi* dispensativè *imponi potest.*
10. *Pensionarius securitatem desiderans attendere debet num justa causa dispensationis subsit; tametsi à Papa pensio imponatur.*
11. *Non minus hic requiritur justa causa quàm in dispensatione super pluralitate beneficiorum.*
12. *Ex sententia Cardinalis Toleti dispensatio Papæ non reddit Pensionarios securos, si desit justa causa.*
13. *Consentiunt Toleto & alii Doctores.*
14. *Debent ipsi pensionarii attendere num sit justa causa.*
15. *Potest pensio justè annui à Superiore, licet injustè exigatur a Pensionario.*
16. *Penes Pontificem & Episcopos est auctoritas dispensandi bona Ecclesiæ in utilitatem Ecclesiarum.*
17. *Subinde utilitas Ecclesiæ requirit, ut pensio etiam non merenti concedatur.*
18. *Exemplum pensionis ad redimendam vexam justè addictæ, licet non justè perceptæ.*
19. *Pensionum hujusmodi justitia probatur;*
20. *Pensiones similes subinde licitè solvuntur, licet illicitè petantur.*

I. SI quis pensionem aliquam super Beneficio retinere intendit, atque in hac retentione & perceptione non tantùm coram hominibus, sed & coram Deo tutus, & ab omni injustitiæ & Simoniæ labe omninò exemptus haberi desiderat, plura seriò examinare & attentè expendere debet.

II. Imprimis certum atque apud omnes indubitatum est, proventuum Ecclesiasticorum conditionem & naturam ex mente Ecclesiæ, & Fidelium offerentium esse, ut Ministri Ecclesiæ ex iis suam accipiant sustentationem; templa sarta & tecta conserventur, sacra suppellex aliáque ad divinum cultum necessaria desumantur, & quod superest in pauperum alimoniam cedat; quemadmodum paucis verbis expresserunt Patres Concilii Aquisgranensis an. 816. *Can.* 116. "Fideles namque fidei ardore, & Christi amore succensi, ob „animarum suarum remedium, & cœlestis patriæ desiderium suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his & *milites Christi alerentur & Ecclesiæ exornarentur, pauperes recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.*

Hæc natura proventuum Ecclesiasticorum adeò indubitata fuit jam pridem Patribus, ut dicere non veruerit anno 844. Synodus Vernensis *Can.* 12. "Certè, quod nullus quamquam *imprudentissimus*, negare audebit, possessio Ecclesiæ votum est fidelium, *patrimonium pauperum*, redemptio animarum. "Quod & latius probabitur & exponetur infra *tit.* 32.

III. Hic expendat Pensionarius, vel Pensionem desiderans, quo titulo de proventibus Ecclesiæ per resignationem sui Beneficii participare possit. Non titulo Ministri sive servitii; quandoquidem Beneficium dimittendo, etiam Ecclesiæ illius Minister esse desinat.

IV. Cum proventus si qui sustentationi Ministrorum supersunt, vel in templorum, vel suppellectilis Ecclesiæ usum, aut alimoniam pauperum sint impendendi, consequens est, ut expendat, num ea sit sua conditio, ut *patrimonium pauperum*, sive quod pauperum alimoniis ex mente Ecclesiæ & Fidelium Offerentium destinatum est, suis usibus applicare queat?

V. Sanè si de Clericis etiam *actualiter* Ecclesiæ inservientibus dictum sit, quod "nec illi qui sua possidentes dari sibi aliquid volunt, sine *grandi peccato suo*, unde *pauper* victurus erat, accipiat: "facilè intelligi potest, quid dici posset de iis qui servitium Ecclesiæ, quam deserunt, impendere ulterius non intendentes, ea quæ *pauperibus* debentur, accipiunt, si ipsi *sua possideant*, id est, aliundè vel ex patrimonio, vel ex proventibus alterius Beneficii habeant, unde honestè, attentâ Clericali modestiâ, vivere queant?

VI. Attendant, quàm injustum, ne dicam sacrilegum sit, *patrimonium* pauperum, sive proventus pauperum usibus applicandos, augendis divitum patrimoniis applicari? Et quàm meritò Concilium illud *Delectorum Prælatorum*, cujus supra *c.* 1. meminimus, dixerit: "Pensiones dare Clericis *divitibus*, qui commodè vivere queunt ex redditibus quos habent, *magnus certè abusus.*

VII. Adhæc attendere debent Pensionarii, quod pensiones hodiernæ non sint nudæ & simplices eleëmosynæ, quales vulgaribus pauperibus dari solent; sed amplius quid præ se ferant.

Pensio quippe ex moderno stylo, est species cujusdam servitutis Beneficio vel Ecclesiæ imposita, persolvendi annuam pecuniæ quantitatem ex proventibus Beneficii Clerico actualiter Beneficio non deservienti, nec illud possidenti.

VIII. Hinc per pensionem in effectu subtrahitur notabilis proventuum portio à Beneficio, cui ex Ecclesiæ ordinatione, & Fundationis lege, in sustentationem Beneficiati, aliósque pios usus est annexa; & alteri quasi in modum Beneficii assignatur.

IX. Quapropter ex omnium Doctorum sententia, quam & moderna Ecclesiæ praxis confirmat, nulla pensio sine interveniente legitima Superioris dispensatione Beneficio imponi potest; de qua dispensatione agetur capite sequenti.

X. Qui igitur pensione securè uti desiderat, discutere debet, num justa sit causa eam servitutem Beneficio seu Ecclesiæ imponendi; sufficiénsque ut *dispensativè* certa portio à Beneficio subtrahatur, & suis usibus applicetur.

Porrò dispensationem, quantumvis etiam auctoritate Apostolica fulcitam, neminem reddere securum in conscientia, nisi justa & sufficiens causa dispensandi adsit, satis ostensum est supra *tit.* 20. *cap.* 5. ubi de dispensatione super pluralitate Beneficiorum actum est.

XI. Rationes autem quæ evincunt, dispensationem etiam Pontificiam super pluralitate Beneficiorum non reddere queun-

quemquam in conscientia securum, si destituatur *justa causa*, etiam evincunt, dispensationem super impositione pensionis sine justa causa esse insufficientem.

Quamvis enim teste Doctore Angelico 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. res Ecclesiæ sint ejus (Papæ) ut principalis dispensatoris; " non tamen sunt ejus ut Domini & possessoris. " Unde si eas contra mentem Ecclesiæ, & fundatorum malè dispensaret, nullatenus ex hac dispensatione tutus redderetur dispensatus.

XII. Quapropter Cardinalis Toletus *l.* 5. *De Instruct. Sacerdotum cap.* 83. dicere non veretur: " Sine justa causa, inquit, non habet in foro interiori & coram Deo locum „ dispensatio, sed tantùm in foro exteriori. Unde qui pen„ siones retinent, etiam cum dispensatione, si *non adest* „ *causa legitima*, *securi* non sunt, nec excusantur, quia „ Papa dedit, & *ipsorum est considerare quomodo dederit*. „ Hoc, inquam, non excusat. Si enim quis accipiat pecuni„ as ab œconomo, quem sit malè dispensare res Domini, & „ contra justitiam non potest eas in conscientia tum retine„ re. Papa autem non est Dominus bonorum & redituum „ Ecclesiæ, sed tantùm universalis dispensator. Unde sicut „ cùm dispensat hominem in voto, non facit hominem se„ curum in conscientia, nisi causa adsit; ita in pensionum & „ beneficiorum distributione. Causa autem hæc debet esse „ in utilitatem Ecclesiæ cujus sunt bona. Si enim nulla via „ vel pacto in Ecclesiæ hujus, vel universalis utilitatem ten„ dat, non est causa legitima.

XIII. Toleto consentit Gambarus De Auctoritate Legum *lib.* 10. *num.* 136. docens, " quod in foro conscien„ tiæ, pensio sine causa constituta pro aliquo, quia substra„ hitur alimonia pauperum, & Ministrorum, non prosit „ obtinenti, maximè quia istæ indiscretæ pensiones sunt cau„ sa mille malorum.

Et ante hos celeberrimus Jurisconsultus Guilielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUNTIUS *De Testamentis de fideicom. substit. parte* 2. *num* 36. & 54. " Causa impo„ nendi pensionem semper injusta censetur, si non pertine„ at ad utilitatem Ecclesiæ, cui pensio imponitur...... sine „ ergo causa legitima utilitatem Ecclesiæ pensionariæ con„ cernente, non valet etiam à Papa imposita pensio.

XIV. Quàm verò sibi ipsis imponant, & blandiantur, qui de justitia causæ parum solliciti, hac una ratiuncula omnem suis conscientiis securitatem conciliant, *Papa dispensavit*, sive Papa dispensationem annuit; *ipse viderit*, suprà *tit.* 20. *cap.* 5. sufficienter ostensum est.

XV. Denique ne Pensionarii ex facto Superiorum nimiam securitatem sibi ipsis assumant, advertant, posse nonnumquam pensiones ex parte Superiorum justè, & in utilitatem Ecclesiarum annui, & à Beneficiatis persolvi; tametsi injustè fuerint exactæ & injustè recipiantur.

XVI. Pontificem & Episcopos mansisse bonorum Ecclesiasticorum superintendentes seu dispensatores in utilitatem Ecclesiæ, etiam post rerum divisionem & beneficiorum erectionem, nemini dubium est. *Ut Episcopi potestatem habeant*, (inquiebat tribus circiter à facta rerum Ecclesiæ divisione seculis Synodus Moguntina *res Ecclesiasticas providere, regere, gubernare, atque dispensare secundùm Canonum auctoritatem.*

XVII. Cum igitur nonnumquam ipsa necessitas aut utilitas Ecclesiæ (cui rerum Ecclesiæ dispensatio subservire debet) exigat aut postulet, ut etiam Clerico *diviti*, nec de Ecclesia merenti pensio assignetur, indubiè Pontifex aut Episcopus, qui unicè utilitatem & necessitatem præ oculis habere tenentur, eam justè ad *redimendam vexam*, seu majus Ecclesiæ malum avertendum, nonnumquam concedent, licet ipse injustè extorqueat ac recipiat.

Quid enim, si indignum quempiam Sacerdotem à sacro Ministerio v. g. Beneficio Curato, amoveri & alium idoneum in locum illius substitui oporteret; & tamen ille sine pensione beneficium abdicare nollet: tunc indubiè salus animarum & utilitas Ecclesiæ permittit, imò exigit, ut velut ad redimendam vexam potiùs ei pensio assignetur, quàm ut cum tanto animarum detrimento in cura permaneat; si nimirum de suo gradu aliter exturbari, aut saltem non sine majori incommodo, & molestia, posset.

XVIII. Non absimile pensionum exemplum occurrit in *Cap.* 31. De Rescript. nimirum, quas nonnullæ Ecclesiæ pendere solebant, ut se à vexationibus eorum qui mandatis à Sede Apostolica pro impetratione præbendæ primò vacaturæ, & sæpius sub vel obreptitiè obtentis vexabant, redimerent. " Solebant enim, ait Janus à Costa celebris Ca„ nonista, mandatarii isti plerumque esse contenti certâ „ præstatione annua sive pensione; cujus constitutione Ec„ clesiæ, contra quas impetraverant litteras, redimebant se „ à *vexationibus* impetrantium. Nam quamvis omnis „ constitutio pensionis hoc jure valde suspecta sit, pergit à „ Costa, videntur tamen hoc casu Pontifices conniventibus „ oculis hoc permisisse Ecclesiis, quas contra veterum Ca„ nonum statuta mandatis istis onerabant.

XIX. Et certè quis hujusmodi pensiones ex parte constituentium non probaret. Si enim nemo infidelitatis aut injustitiæ accuset tutorem, qui ex rebus pupilli aliquid concedat alicui nihil juris ad illud habenti, ut pupillum adversus injustum vitæ aut rerum suarum invasorem defendat, eumque à summo illo discrimine liberet; quis Prælatos illos accusare audeat injustitiæ aut infidæ administrationis, si partem aliquam rerum Ecclesiæ non merentibus tribuant, ut ab Ecclesiis arceant lupos, qui non vitæ corporali, sed spirituali insidiantur?

XX. Adhæc, quis non videat, quod eâdem ratione, qua propter utilitatem Ecclesiæ Prælati similes pensiones permittere coguntur, Clerici ad beneficia illa vocati easdem persolvere possint? Econtra eos, qui suis injustis vexationibus Prælatos ad pensionem constituendam cogunt, non justius eas recipere, quàm is, qui à tutore pupilli in casu proposito, ad redimendum pupillum ab iniqua sua vexatione, pecuniam recipit.

Nullatenus proindè sequitur: Pontifex aut Episcopus pensionem justè permittit, & Beneficiatus justè persolvit, ergò Pensionarius eam justè recipit.

CAPUT V.

Cujus auctoritate hodie imponatur pensio? & quæ differentia inter pensionem impositam à Papa, & creatam ab Episcopo.

1. *Olim pensionis assignatio sine dispensatione fieri poterat.*
2. *Quæ ratio illius disciplinæ.*
3. *Quando dispensatio requiri cœperit?*
4. *Canones sectionem Beneficiorum vetuerunt.*
5. *His contrariari Pensionum creditum est.*
6. *Quæ de causa Canones sectionem Beneficiorum vetantes pensionibus applicati?*
7. *Hinc ulterius creditum, pensiones sine dispensatione Canonum imponi non posse.*
8. *Imò visum fuit requiri Pontificiam dispensationem.*
9. *In Gallia Episcopi pensiones imponere non possunt.*
10. *Quâ ratione Synodi Simoniacas reputent pensiones sine auctoritate Pontificis impositas?*
11. *Synodi declarant de Simonia* suspectas *pensiones sine auctoritate Papæ impositas.*
12. *Non omnes pensiones sunt Simoniacæ, quæ sine auctoritate Pontificis imponuntur.*
13. *De jure communi et à auctoritate Episcopi reservari possunt pensiones? & hoc praxi Belgicæ est conforme.*
14. *Ex Interpretum opinione pensio à Pontifice creata est* realis; *imposita ab Episcopo tantùm* personalis.

15. *Fundamentum hujus distinctionis.*
16. *Licet dubitari possit de soliditate fundamenti, opinio hac nihilominus in praxi recepta est.*
17. *Pensio ab Episcopo creata non obligat successorem; secus à Papa imposita.*
18. *Capitulum percipiens fructus tenetur ad pensionem à Papa impositam; & Pensionarius potest agere* hypothecaria.
19. *An ad pensionem teneatur cui ob incapacitatem Beneficiati fuit beneficium collatum?*
20. *Pensio non creditur realis saltem in Gallia, imposita Beneficiis* Curatis.
21. *Qua ratione sit* merè realis *respectu successoris?*

I. JAm pridem Episcopis & Clericis pensiones alimentarias, ex proventibus Ecclesiarum & Beneficiorum assignatas fuisse vidimus capite primo.

Imò hæc pensionum assignatio primitus videtur etiam sine ulla Canonum relaxatione, sive dispensatione fieri potuisse: neque in ullis pristinis illis pensionum exemplis, ulla dispensationis seu relaxationis Canonum auctoritate Superioris faciendæ mentio habetur.

II. Cum enim necdum invaluisset Beneficiorum erectio, id est, proventuum Ecclesiasticorum singulis titulis annexio; ut nimirum singuli tituli suos particulares haberent proventus annexos; etiam nondum receptum erat, neque Canonibus decretum, Beneficiorum divisionem fieri, dum proventus alicujus Ecclesiæ Clericis extraneis verè indigentibus assignabantur: sed sola auctoritas spiritualis & Sacerdotalis cuique titulo particulari annexa dividi vetabatur: quâ indivulsa manente, nulla credebatur fieri Beneficiorum divisio: uti non obscurè indicavit S. Gregorius verbis ex *Epist. 43. lib.* 2. capite primo relatis, quibus monet Episcopos per Illyricum constitutos, ut Coepiscopos quos à propriis locis furor hostilis expulerat, reciperent: "Non „ quidem (ait) ut per communionem Episcopalis Throni „ *dignitas dividatur*, sed ut ab Ecclesia juxta possibilitatem „ sufficientiæ debeant alimenta percipere.

III. At postquam singulis titulis sui particulares proventus annexi fuère; ipsumque jus percipiendi hos proventus partem quodammodò ipsius Beneficii constituere creditum fuit, unà quoque reputatum fuit divisionem, & sectionem Beneficii fieri, dum hoc jus percipiendi fructus beneficio annexum, vel potiùs ipsum beneficium constituens inter plures dividebatur.

Cùm igitur divisio beneficiorum esset Canonibus contraria, visum fuit, auctoritate Superioris opus esse in pensionis assignatione; utpote quâ jus percipiendi proventus Ecclesiasticos, seu potiùs Beneficium inter *duos* quasi *dividitur*.

IV. Sectionem Episcopatuum & Dignitatum jam pridem Canones vetaverant, quos refert Gratianus *Can. 6. 12. 39. & 41. Caus. 7. quæst.* 1. at cum de Præbendis expressè non loquerentur, nonnulli harum sectionem haud vetitam credebant, quemadmodum testatur Concilium Turonense sub Alexandro III. in *Cap.* 8. ⁖ *De Præbendis*, harum quoque divisionem interdicens. "Majoribus Ec- „ clesiæ beneficiis in sua integritate manentibus, indecorum „ nimis videtur ut *minorum* Clericorum *præbendæ* patian- „ tur sectionem. Idcircò ut sicut in magnis, ita in minimis „ membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem & divi- „ sionem præbendarum, aut dignitatum permutationem „ fieri prohibemus.

Ad hoc Concilii Turonensis statutum reflectens Innocentius III. interroganti Episcopo, cum sæpe contingat quod ad unam Præbendam duo Clerici propter importunitatem petentium eligantur, quid sibi agendum esset, respondit: "Nos attendentes: quod si duo unam præbendam tene- „ rent, illud esset contra Concilium Turonen. quod præ- „ bendarum prohibet sectionem, & si unus illorum ipsam „ obtineret præbendam, sub expectatione alius contra La- „ teranen. Concilii statuta remaneret. Inquisitioni tuæ ta- „ liter respondemus, quod talis electio de rigore juris peni- „ tus est cassanda." *Cap.* 20. ⁖ *De Præbendis.*

Simile responsum ejusdem Pontificis occurrit in *Cap.* 25. ⁖ *eod.* datum Episcopo Trecensi Cum Archiepiscopus Remensis legatus Sedis Apostolicæ duos in *eadem* Præbenda instituisset, & ambobus Capitulum Trecense stallum in choro & locum in Capitulo, & idem Archiepiscopus supradictæ Præbendæ fructus dividendos communiter assignâssent, donec alter integrum præbendale stipendium (vel ut alia lectio habet, *Beneficium*) esset assecutus.

Deinde in eadem Decretali dicitur, "quod licet in Eccle- „ sia in qua *non* est *determinatus* numerus Præbendarum, „ nulla etiam vacante, in Canonicum quis possit assumi, „ cum intelligatur ad quoddam jus eligi, quod ex Electorum „ assensu de novo creatur, & cum electo in Canonicum nas- „ citur, & desinit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ „ determinatum habet numerum Præbendarum, uno *indi-* „ *viduo* jure vacante, duo simul eligi non possunt ad illud, „ eò quod hujusmodi *spirituale* jus dividi seu communicari „ nequeat inter eos.

V. Hæc responsa si cum textu Concilii Turonensis conferantur, admodum verisimile est, sensum Decreti hujus Concilii esse, ne ipsum jus *spirituale* Præbendarum divideretur; id est, ne unâ Præbenda dumtaxat vacante, duo in Canonicos eligantur; eisque jus Canonicale, quod *individuum* est, pro dividuo assignetur: adeóque nec Decretum propriè ad pensiones pertinere: quia per harum assignationem jus illud *spirituale* propriè non dividitur; nec duo ad unum Canonicatum assumuntur, aut Canonicatus inter ipsos dividitur: uti notavit Ludovicus Thomassinus *De Discipl. Eccles. parte 4. libro 4. capite 37. num. 3.*

VI. Quidquid sit, certum est, tandem hoc Decretum Concilii Turonensis à Canonistis passim ad pensiones extensum, tanquam si per eas divisio beneficiorum contra Concilium Turonense contingeret.

Quin & Decretum Concilii Lateranensis sub eodem Alexandro III. in *Cap.* 7. ⁖ *De Censibus*, prohibens, "ne ab „ Abbatibus, Episcopis, aliisque Prælatis novi census im- „ ponantur Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem „ redituum *suis* usibus appropriare præsumant:" pensionibus applicatum fuit; quasi per has *novi census* Ecclesiis imponerentur. Cui applicationi non parum juvit rubrica tituli 12. libri 3. Decretalium: *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*: in cujus nigro mentio quoque fit citati Decreti Concilii Lateranensis.

Dum enim Beneficia Ecclesiastica cum onere pensionis annuæ conferuntur, censentur conferri *cum diminutione*: & cum juxta modernam disciplinam, Resignantes & Permutantes habeant præcipuas partes in collatione hujusmodi beneficiorum (ut titulo præcedenti ostensum est) etiam quodammodo Collatores partem fructuum sibi reservant, dum hi pensionem sibi reservari petunt: ideóque nec sine fundamento Decretum Concilii Lateranensis ad ipsos extensum est.

VII. Hâc itaque tum Concilii Turonensis, tum Lateranensis interpretatione receptâ, creditum quoque fuit, *pensiones*, quæ in Beneficiorum resignatione ad usum Resignantium reservantur, esse Juri communi contrarias: ideòque reservari aut imponi non posse, nisi auctoritate eorum, qui super jure dispensare possunt.

VIII. Et quidem cùm ageretur de Canonibus duorum Conciliorum generalium, visum fuit, solâ auctoritate Romani Pontificis dispensationem hanc posse concedi, ejúsque solius auctoritate Beneficiorum sectionem fieri, vel beneficia cum diminutione conferri.

Hinc ulterius non paucis persuasum fuit, pensiones solâ Romani Pontificis auctoritate beneficiis imponi posse.

IX. Te-

IX. Testatur Rebuffus in Praxi *parte 1. titulo De Reservationibus tam generalibus, quam particularibus num. 29.* Episcopos non constituere pensiones; licet id non ex auctoritate juris, sed ex non usu profluxisse credat; ait enim: "Imò ex non usu amissa in hoc eorum po-„testas, quod non fuisset, si ignari illius non fuissent, „& ea usi.

Refert quoque Choppinus De Sacra Polit. *lib. 3. tit. 2. nu. 17.* jam pridem Senatum Regium decrevisse, "nullam „beneficiariæ pensionis rationem haberi, nec pactitiæ con-„stitutionis ejusdem, nisi *Romanus Antistes* consignatis „ipsam tabulis sanxisset ac stabiliisset.

De eadem Regni Gallicani praxi testis est Broudæus in notis Lovetium *lit. C. num. 40.* & novissimè Joannes Cabbasutius in Juris Canonici theoria & praxi *lib. 2. cap. 16.* asserit, quod "Curiæ Regiæ nullam admittant beneficia-„riam pensionem nisi ex summi Pontificis auctoritate „dimanârit: easque omnes obliterent, & pro Simoniacis „habeant, quas locorum Ordinarii constituunt, solis excep-„tis quas Episcopi Vicariis à se constitutis assignant, ut vi-„cibus fungantur Præbendatorum aut Curatorum, qui „sive ob delictum, sive ob imperitiam, sive ob ingruentem „morbum, vel ob irregularitatem, vel dementiam suspensi „sunt ab exercitio Ecclesiastico.

IX. Huic Gallicanæ disciplinæ inhærens Synodus Remensis an. 1583. *tit. 23.* declarat: "omnes *pensiones* & pactiones „super Beneficiis in quibus non intervenit Sedis Apostoli-„cæ approbatio illicitas & Simoniacas.

Ad hoc aliaque similia Synodorum Decreta reflectens Ludovicus Thomasinus *De Disciplina Eccles. parte 4. lib. 4. cap. 37. n. 12.* rectè monet, quod nequaquam propriè dici queat, quod Papa hîc purget Simoniam, efficiatque pensiones non esse Simoniacas. "Possunt enim (ait) esse Simo-„niacæ, licet eas Papa concedat, si ipsi subreptum fuerit: „possuntque esse exemptæ à Simonia, si juri & Decretali-„bus sint conformes: tametsi etiam tunc, qui eas sine aucto-„ritate Papæ obtinent, sint suspecti de Simonia: eo quod jus „novum velit, eas à Papa examinari & probari. Ratio est, „quia licet frequenter Papæ subripiatur contra Regulas, „id tamen rarius est, quàm si omnes Episcopi adhuc es-„sent in possessione & jure creandi omnis generis pen-„siones.

XI. Hæc ille, qui ibidem laudat Decretum Concilii Toletani anni 1566. *c. 31.* tamquam exactius loquens: Declarat enim: "Si quis post resignationem beneficii cujuslibet par-„tem aliquam ex ejusdem beneficii fructibus quoquo mo-„do acceperit absque sanctæ Sedis Apostolicæ permissione, „etiam ab sponte dantibus, eo ipso tam ipse, quam iis qui „beneficium post renuntiationem consequutus fuerit, *su-„specti* de Simoniaca pactione tacita vel expressa cen-„seantur.

XII. Et revera constat non omnes pensiones etiam in resignatione Beneficiorum appositas Simoniacas judicasse Ecclesiam, tametsi auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenerit; neque hanc auctoritatem necessariam esse, ut à Simonia purgentur, evincit non tantùm multorum sæculorum praxis, quæ passim pensiones auctoritate Episcopali constitutas admisit; sed & moderna multorum Regnorum & Ecclesiarum disciplina, pensiones ab Episcopis probatas admittens, atque in hoc à praxi Ecclesiæ Gallicanæ dissentiens.

XIII. Imò de jure eam adhuc Episcopis integram plures non infimæ notæ Canonistæ cum Nicolao Garcia De Beneficiis *parte 1. c. 5. §. 2.* vindicant, atque in Belgio hoc nostro eâ auctoritate palam utuntur.

XIV. Notant nihilominus plures Canonistæ, atque inter eos Garcias loco citato *n. 334.* quem sequitur Andræas Vallensis in Tractatu De Beneficiis *lib. 4. tit. 2.* magnam esse differentiam inter pensionem quæ à summo Pontifice, & eam quæ ab Episcopo creatur. Illam imponi ipsi beneficio seu proventibus beneficii tamquam onus *reale*; adeòque quamdam sectionem beneficii quoad proventus inducere: hanc vero non ipsi beneficio, sed tantùm *Beneficiato*, seu *persona* Resignantis imponi: ideoque non esse onus reale, sed *personale* duntaxat.

XV. Crediderunt hi Canonistæ, per pensionem beneficio impositam sectionem quamdam beneficiorum à Jure communi vetitam induci; quemadmodum supra notatum est; non autem per pensionem soli beneficiato impositam: ideoque priorem per solum Pontificem imponi posse, non autem per Ordinarium, *qui jus commune relaxare non potest*, ait Andreas Vallensis *num. 8.*

XVI. Quamvis ex supra dictis pateat, meritò dubitari posse, num hæc Canonistarum sententia per omnia consona sit Decretis Conciliorum sectionem beneficiorum vetantibus, nihilominus ubique penè, ubi auctoritas creandi pensiones Episcopis hactenus conservata est, etiam hæc distinctio inter pensionem à Pontifice & pensionem ab Episcopo probatam invaluit: quod & Zypæus notavit. Tit. *Ut Ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur*, *Controversia 3.* dicens: "Probabilior & magis *usitata in hisce „partibus* opinio est, Episcopo non super beneficiis, sed „*Beneficiatis* tantùm pensionis impositionem concedi.

XVII. Atq; inde ulterius concludunt, pensionem per Episc. creatam extingui morte beneficiati cui imposita est; neque transire ad successorem in beneficium. Secùs vero quoad pensionem impositam à Pontifice. Hanc enim tamquam quamdam servitutem *realē* beneficio sive proventibus beneficii inhærentem transire ad quemcumque beneficii, seu proventuum possessorem; tametsi in litteris pensionis mentio successoris facta non esset notant Gigas, de Pensionibus *qu. 44.* & Fagnanus ad *Cap.* NISI ESSENT *De Præben. n. 28.*

XVIII. Eodem fundamento Barbosa in Praxi exigendi pensiones *qu. 15.* docet, Capitulum dum tempore vacationis percipit fructus beneficii pensione gravati, teneri pro rata temporis ad pensionem, tanquam fructibus inhærentem. Vide & Pyrrum Corradum in Praxi Benef. *lib. 5. c. 7. n. 1.*

Quin hinc statuit Gigas *qu. 51.* posse Pensionarium agere actione reali hypothecaria adversus quemcumque, etiam singularem possessorem fructuum ipsius beneficii pensione onerati.

XIX. Refert quoque Broudæus in notis ad Lovetium *Litt. P. n. 30.* judicatum, quod is cui beneficium pensione gravatum erat collatum ob incapacitatem resignatarii, teneatur continuare solutionem pensionis: ita tamen, ut Provisus tantùm teneatur solvere canones lapsos tempore quo ipse beneficium possedit.

XX. Præterea monet Broudæus, decisionem illam tantùm procedere in beneficiis simplicibus, non autem in beneficiis curatis; respectu quorum pensiones sunt magis odiosæ potiùsque *tolerantur*, quàm probantur: testatúrque sæpe judicatum, successorem *per obitum* in beneficium curatum non teneri ad solutionem pensionis, etsi legitimè imposita fuerit, si ipse Provisus nullum huic impositioni consensum præstiterit. Quod & judicatum fuit quoad beneficia curata Provinciæ Normandiæ, licet allegaretur usus contrarius hujus Provinciæ; reputatúsque hic usus pro abusu. Plura vide apud Tornetum in collectione arrestorum *lit. P. num. 75. & 76.*

XXI. Hoc quoque rectè notat Broudæus post Gigantem aliósque Canonistas pensionem ita esse onus merè reale respectu successoris in beneficium, præsertim *per obitum*, quique jus nullatenus à Resignatario, qui pensioni consensit, sed à solo Collatore accepit, ut respectu ipsius nihil *personalitatis* habeat; sed *merè* reale sit: ideòque non teneatur nisi præcisè quatenus ipsos proventus, quibus pensio imposita est, percipit, non autem vi alicujus consensûs personalis: unde & facilius vel annullationem vel reductionem pensionis postulare potest, quàm is qui consentiendo pensionem probavit; quod infra latiùs ostendetur.

CAPUT

CAPUT VI.

Quæ Beneficia Pensione gravari queant? & qualiter.

1. *Nulla antiquitus distinctio quoad hoc punctum inter beneficia facta legitur.*
2. *Cur posterioribus sæculis facta?*
3. *Aliquando in Gallia cautum fuit, beneficia* curata *pensionibus non gravanda; & quomodo sensim recessum?*
4. *De moderatione pensionum super beneficiis Curatis facta à Synodo Tridentina.*
5. *Clausula impositioni pensionis super Ecclesiis Parochialibus occasione Decreti Tridentini inseri solita ex stylo Curiæ Romanæ.*
6. *Decretum Synodi Tridentinæ, uti & dicta clausula, intelliguntur de* Ducatis usualibus.
7. *Ut satisfiat dictæ clausulæ debent manere centum* ducati *ex proventibus* certis.
8. *Neque comprehenditur domus pastoralis.*
9. *Synodus Tridentina intendit per suum Decretum conservare Rectoribus Ecclesiarum Parochialium congruam portionem.*
10. *Hoc sensu Decretum in Gallia quoque receptum.*
11. *Ut hoc servetur, non potest imponi pensio nisi remaneant Rectori 300. libræ Gallicæ soluta pensione.*
12. *Pluribus Parlamentorum arrestis id declaratum.*
13. *Edictum Regium conforme.*
14. *Quæ ad restringendas pensiones beneficiis Parochialibus impositas decreta sunt, meritò & in Belgio servarentur.*
15. *Litteræ Gubernatricis Belgii vetantes dari Placetum super pensione imposita Ecclesiis Parochialibus uno casu excepto.*
16. *Præbendæ Theologales & Preceptoriales in Gallia pensione non gravantur, & quare.*
17. *Idipsum in Hispania servatur.*
18. *Ex stylo Curiæ non solet annui pensio super Canonicatu non excedente valorem annuum 100. ducatorum.*
19. *Quid circa hoc judicatum in Gallia?*
20. *Privilegia indulta Ecclesiis quod pensione gravari nequeant sunt favorabilia.*
21. *Beneficia collationis Regiæ sine consensu Regis Pensione gravari non possunt.*
21. *Beneficiis Jurispatronatus* laici, *pensio sine consensu Patronorum imponi nequit.*
23. *Idem dicendum si sint Jurispatronatus* mixti.
24. *Quid si præsentatio spectet alternativè ad laicum & Ecclesiasticum.*
25. *Beneficium Jurispatronatus* Ecclesiastici *potest sine consensu Patroni pensione gravari.*

I. NEque in pristinis Canonibus, neque in Decretalibus aliisve Juris Canonici libris legitur determinatum, quæ Beneficia pensionibus onerari possint aut non possint. Hoc enim dumtaxat reperitur, quod subinde Episcopis, aut Pastoribus, aliisque Clericis, sive hostium furore à Sedibus suis expulsis, aut alia justa de causa Beneficiis suis servire non valentibus, vel urgenti alia de causa pensio aliqua alimentaria ex proventibus alicujus Ecclesiæ vel Beneficii assignaretur; id tamen sollicitè cavebatur, ne ea pensionis assignatione adeò ipsius Ecclesiæ aut Beneficii proventus exhaurirentur, ut proventus sufficientes alendis necessariis ministris non superessent.

II. At cum labentibus sæculis mirum in modum pensionum impositio crevisset; atque indifferenter omnia passim Beneficia iis gravarentur, in tantum ut in plerisque vix quidquam ipsis possessoribus Beneficiorum superesset, indeque contingeret, ut idonei vix invenirentur, qui Beneficiis deservire vellent, novis hisce malis & abusibus, nova remedia adinvenire & adhibere cœptum est.

III. Imprimis solicitè cautum fuit, ne Beneficia curata pensionibus ita gravarentur, ut Possessoribus sufficiens sustentatio vix superesset; atque hinc contingeret curam animarum negligi. Imprimis referunt Pragmatici Galli antiquis Parlamentorum Arrestis judicatum aliquando fuisse, Beneficia Curata pensionibus gravari non posse, successu tamen temporis eas saltem inter Resignantem & Resignatarium toleratas fuisse: ne aliàs ipse Resignatarius, qui pensioni consensit; & mediante promissione pensionis Beneficium accepit, perfidiæ arguatur, quod contra datam fidem vellet Beneficio & integris fructibus gaudere. Unde pensionem promissam solvere, vel beneficio cedere tenetur; uti non semel judicatum fuisse testatur Tornetius in collectione Arrestorum *litt. P. num.* 56. & Levetius *litt. P. num.* 30. quamvis pensionem Beneficio curato tametsi auctoritate Pontificis impositam continuare non teneatur successor in Beneficio, si ipse à Resignatario titulum non habeat; uti capite præcedenti dictum est.

IV. Synodus Tridentina volens occurrere incommodis quæ sequi contingit dum beneficia curata pensionibus exhauriuntur, ut beneficiato congrua portio non supersit, statuit *sess. 24. cap. 13. De Reformat.* ut "imposterum
„omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ quarum reditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ summam
„ducatorum centum, secundùm verùm annuum valorem,
„non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus
„fructuum graventur.

V. Post hoc Decretum inolevit stylus Curiæ Romanæ ut in Signatura pensionis super beneficiis Parochialibus apponatur clausula, *Dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.*

Hanc clausulam provisionem facere conditionatam; in tantum ut ipse Pensionarius sive Resignans debeat probare, quod deductâ pensione maneant centum ducati pro Rectore sæpius in Rota resolutum fuisse testatur Pyrrus Corradus in Praxi beneficiaria *lib. 5. cap. 1. num.* 30. illudque procedere, etiamsi agatur contra illum, qui consensit reservationi: quia ejus consensus censetur cum eadem conditione præstitus. Vide quoque Chokier ad Regulam Cancellariæ *De Consensu in Resignation. & Pension. præstando num.* 51.

VI. Prædicti autem *Ducati* intelligendi sunt juxta consuetudinem cujúsque Regionis, sive semper clausula illa intelligitur de centum ducatis *usualibus* & monetæ ac valoris Regionis seu Provinciæ, in qua est assignata pensio; sive in qua est situm Beneficium Parochiale pensione gravatum, uti non semel declaratum esse à S. Congregatione refert Pyrrus Corradus loco citato *numero* 34. & sequentibus.

VII. Dicitur in clausula, *dummodò centum ducati* LIBERI *remaneant*: quo significatur, quod debeant esse ex fructibus *certis*, non autem *incertis*, uti notat Corradus ibidem *numero* 35.

Centum *ducati* enim, qui Rectori reservari debent, sapiunt naturam alimentorum, quæ non patiuntur dilationem, cùm nemo vivat ex vento, ait Corradus ibidem: qui dein subjungit: "Et sic, incerta non computantur in con-
„gruam portionem; quod venter non debet pendere ab in-
„certo. Nam ista *congrua* debetur Parochis, ne aliàs in-
„tenti ad quærendum sibi victum, deserant curam anima-
„rum; vel aliàs ipsi ob nimiam egestatem in illa exercenda
„committant, quæ non deberent committere: sive etiam
„ne ob prædictam egestatē sint ludibrio ipsis Parochianis
„quo-

Digitized by Google

„quos debent coercere, & à quibus revereri." Hæc ille; at de imputatione in portionem congruam infra latiùs.

VIII. Notat quoque ibidem *num.* 38. aliquando decisum fuisse, quod ubi adest hæc clausula, *dummodò* &c. ad augendos fructus Parochialis Ecclesiæ, non esse habendam rationem *domus* Ecclesiæ Parochialis pro Parocho, in qua ipse residet: prout in simili fuit in eadem decisione comprobatum, quod "pro congrua Episcopi, cui in hoc æquiparatur Rector, tam S. Congregatio, quàm Rota censuit assignare (Concilium Tridentinum) mille absque computatione *Palatii* Residentiæ.

IX. Ex dictis sat manifestum est, hanc Concilii Tridentini ordinationem de non gravandis Ecclesiis Parochialibus onere pensionis, quæ summam *ducatorum centum*, secundùm verum annuum valorem non excedunt, præcipuè eo fine editam esse, ut Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, detractâ pensione, semper superesset congrua portio, sive competentia Pastoralis: quod & juri communi consonum est. Nam & jure communi inspecto, oportet, ut detractâ pensione supersint reditus sufficientes ad sustentationem Rectoris, uti post Abbatem notat Fagnanus ad *Cap.* NISI ESSENT ;; *De Preb. num.* 26.

X. Licet ergò teste Tornetio in sua Collectione Arrestorum *litt. P. num.* 87. hæc clausula litteris pensionis apponi solita, *Dummodò centum ducati liberi maneant*, non sit recepta in Gallia, nihilominus sollicitè ibidem cautum est, ut pensiones ita sint moderatæ, ut iis solutis, congrua portio Rectoribus supersit.

XI. Cum autem in Gallia soleat portio congrua sive competentia Parochorum & Vicariorum Parochialium Ecclesiarum taxari ad *trecentas libras Gallicas*, quæ conficiunt centum patacones nostrates, idque detractis omnibus accidentibus (quæ sub vocabulo *Casuel*, id est, *Casuali* comprehendunt) & *domo* Pastorali, ideò & ipsas pensiones Beneficiis Parochialibus non aliter imponi sinunt, nisi ipsi Rectori dictæ centum libræ ultra *casuale* remaneant *liberæ*.

XII. Anno 1664. die 16. Junii judicatum in Parlamento Parisiensi, Canonicos non posse resignare Beneficia curata retentâ pensione, nisi prius decem annis deservierint illis beneficiis: quo casu nec pensio tertiam partem fructuum excedere poterit; additâ dein & hac clausulâ: *Et même qu'elle ne pourra monter jusques au tiers à moins qu'il ne reste au Titulaire trois cent livres outre le casuel.* Id est: Quin & pensio adæquari non poterit tertiæ parti fructuum nisi Titulari superessent trecentæ libræ ultra casualia.

Rursus anno 1666. die 20. Julii judicatum fuit in Concilio Status, non aliter admittendas esse pensiones super beneficiis Curatis Diœcesis Alectensis, nisi eâ conditione: *Pourveu toutes fois qu'il reste aux Titulaires la somme de trois cent franche & quitte de toutes charges* Id est: Si modò Titularibus restet summa trecentarum librarum, libera & omni onere Exempta.

XIII. Hæc & plura hisce conformia Parlamentorum arresta referuntur in Actis Cleri Gallicani *tomo* 2. *parte* 2. *tit.* 13. ubi & *art.* 16. refertur Edictum Ludovici XIV. moderni Regis Galliæ, ubi generaliter declaratur, pensiones super beneficiis Curatis non esse admittendas, nisi cum hac conditione: "*Le tout sans diminution ny retranchement de la somme* de trois cent livres qui demeurera aux „Titulaires pour leur subsistance par chacun an franche & „quitte de toutes charges, sans comprendre le casuel & le „creux de l' Eglise, qui appartiendra aux Curez, comme „les distributions manuelles aux Chanoines." Id est: Idque sine imminutione aut restrictione summæ trecentarum librarum, quæ annuatim Titularium sustentationi libera & ab omni onere immunis deputabitur, non comprehensis casualibus, & adventitiis Ecclesiæ oblationibus, quæ Parochis cedent perinde ac manuales distributiones Canonicis.

XIV. Alia plura ad restringendas pensiones super beneficiis Curatis tum per Parlamentorum arresta, tum Regia Edicta in Gallia decreta sunt, uti in sequentibus videbitur: quæ licet hic in Belgio vim juris non habeant, neque hactenus cum illo rigore serventur, nihilominus non minus in Belgio, quàm in Gallia hoc sollicitè providendum, ut quantum fieri potest, proventus Rectoribus Ecclesiarum Parochialium integri serventur; nec facilè transferri permittantur ad illos, qui nullum Parochiis officium impendunt; aut ut minus portio congrua Titularibus relinquatur: ne aliàs defectu congruæ portionis cura animarum negligatur, aliáque incommoda, quæ ex defectu congruæ portionis sequi consueverunt, oriantur.

XV. Quàm odiosæ jam pridem in Belgio reputatæ fuerint pensiones beneficiis Curatis impositæ, probant litteræ Margaritæ Parmensis Belgii Gubernatricis de 27. Augusti 1565. & 2. Septembris ejusdem anni publicatæ in Concilio Brabantiæ, quibus „vetuit dari placetum pro pensionibus „reservatis super beneficiis Curatis; excepto casu quo ob „morbum aut senium possessoris ea reservantur: tametsi „ante in Concilio Brabantiæ 17. Junii 1545. resolutum fuisset, dandum esse placetum super tali pensione, dum non „excederet fructuum medietatem." Ita Zypæus in Jure novo tit. *Ut Beneficia sine diminutione conferantur numero* 4.

XVI. Obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Præbendas vulgò *Theologales* tenentur, præsertim in Gallia, non tantùm instructioni Canonicorum & Clericorum, sed & prædicationi Verbi Dei vacare; uti supra *parte* 1. *tit.* 11. *cap.* 6. ostensum fuit: ideóque & super his ægrè pensio imponi permittitur; quin & penè in omnibus Edictis Regis super hac materia pensionum editis, Præbendæ Theologales cum beneficiis Curatis junguntur: quemadmodum videri potest in Actis Cleri Gallicani loco citato: & apud Broudæum in notis ad Lovetium *Litt P n.* 46. ubi notat, non semel judicatum fuisse, non permitti hujusmodi Præbendas pensionibus gravari.

Idipsum obtinere quoad Præbendas præceptoriales monet ibidem, quia & hæ juxta Regia Edicta requirunt pariter servitium *personale* instruendi pueros. Vide etiam Tornetium *Litt. P. num* 73.

XVII. Nec tantùm in Gallia hujusmodi Beneficia à pensionibus exempta conservantur; sed & in Hispania jam pridem usitatum esse testatur Didacus Covarruvias *Pract. qq. cap.* 36. *n.* 10. ibidem observans, "illud esse satis expeditum, quod nulla pensionis constitutio apud Hispanos admittatur in Canonicatibus qui conferri debent ex veteri „instituto Magistris & Doctoribus. Nec vidi (ait) unquam „à summo Pontifice pensionem ex his beneficiis constitui, „nisi causâ litis dirimendæ, quæ absque ulla fraude inter electos aut institutos tractabatur.

XVIII. Ex eadem ratione qua Synodus Tridentina voluit in Ecclesiæ Parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundùm annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur, jam pridem invaluit, "ut si resignetur Canonicatus aut similis „Dignitas, non concedatur pensio, nisi reditus sint ultra „centum ducatorum, & pro quantitate, qua excedit dictam „summam." Ita Flaminius Paritius *De Resignat Benef. lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 28. addens: "Et ita mihi retulit Illustrissimus Cardinalis Consentius Prodatarius, sibi ordinatum fuisse à Sanctissimo D. N. Sixto V.

XIX. Similiter arresto Concilii Status pronuntiato per formam regulamenti 23. Septemb. 1667. declaratæ fuerunt pensiones *nullæ*, quæ impositæ erant Præbendis Diœcesis Rivensis, *qui ne vaudroient pas au moins deux cent livres de revenu pareillement quitte, suivant l' estimation du revenu desdits Benefices qui aura esté fait par l' Evêque dans ses visites, ou sur son certificat.* Id est: Quæ non penderent ducentas libras annuè, deductis pariter oneribus juxta dictorum, Beneficiorum æstimationem, quæ vel ab Epis-

Episcopo in Visitatione facta fuerit, aut ejus testimonio confirmata. In Actis Cleri Gallicani loco allegato *art.* 11.

XX. Dicuntur nonnullæ Ecclesiæ eo jure vel privilegio gaudere, quod earum Beneficia nullis pensionibus gravari queant; atque inter cætera notatur apud Renatum Choppinum *lib.* 3. *De S. Politia tit.* 2. *num.* 16. in margine: " On tient qu'il y a privilege Apostolique particulier, que „ les benefices des Eglises d' Auxerre, Tonnerre, Tournay, „ & de Joinvile ne sont sujet a constitution de pension be„ neficiale, & ne peuvent en estre payez.

Cum hæc privilegia tendant ad conservationem juris communis dictantis, ut *Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, ipsaque pensionum impositio vel eo titulo odiosa sit, quod proventus annexi titulis Beneficialibus, ut cedant Titularibus, qui ipsis Beneficiis deserviunt, abstrahantur, & cedant nullum officium, quod Beneficium, exigit, præstantibus, meritò hujusmodi privilegia tamquam favorabilia reputanda & conservanda sunt.

XXI. Exteris porrò nostros Reges minimè cedere in „ sacra Republica tuenda, vel illud argumento est (ait „ Choppinus loco citato *numero* 15.) quod electivis Sa„ cerdotiis imponi nequeat annuæ pensitationis onus ali„ quod jure nostro Francico, nisi Rege Patrono adsti„ pulante.

De eodem usu Regni Galliæ testatur Rebuffus tractatu *De Pacificis Possess. num.* 137. aliique Pragmatici Galli. Nec in Gallia tantùm sed & in Hispania idem observatur. Observandum enim monet Covarruvias *Pract. qq. c.* 26. " non admitti apud Hispanos constitutionem pensionis in „ his Beneficiis & Dignitatibus quæ pertinent ad jus patro„ natus Regium, nisi ipsiusmet Regis consensus accesse„ rit summi Pontificis concessioni & pensionis constitu„ tioni.

XXII. Ulterius sicuti nulla resignatio *in favorem* vel permutatio beneficii admittitur sine consensu Patroni *laici*; ita nec pensionem sine ejus consensu ex causa resignationis aut permutationis constitui posse, observat Covarruvias ibidem; & de usu Regni Galliæ testis est Tornetius in sua collectione Arrestorum *Litt. P, num* 79. & 80. ibidem quoque indicans, quibus modis Patronus laicus consensum suum dare queat. De hoc jure Regni Galliæ passim testantur omnes Pragmatici; estque notoriæ Belgii nostri praxi conforme; in nullo permittenti juri Patronatûs laicorum derogari, aut beneficia juri illi subjecta diminui aut gravari sine eorum consensu.

XXIII. Et sicuti observavimus supra *tit.* 15. *c.* 2. jus patronatus *mixtum* quoad non derogationem censeri laicum, ita quoque eodem jure circa impositionem pensionis gaudere dicendum est: ut scilicet beneficia juris patronatûs *mixti* æque ab impositione pensionis citra consensum Patronorum sint exempta, quàm beneficia juris patronatûs laici.

XXIV. Quin & judicatum esse refertur, quod si Beneficium spectet *alternativè* ad Patronum Ecclesiasticum & laicum, si vacans in turno Ecclesiastici fuerit gravatum pensione, pensio illa extinguatur morte Resignatarii, si vacet in turno laici: eo quod sine ejus consensu Beneficium ad suam præsentationem spectans gravari non potuerit. Tomo 2. Journales des Audiances *libro* 1. *cap.* 41.

XXV. Beneficia verò Jurispatronatûs Ecclesiastici, sicuti possunt etiam nonnumquam sine consensu Patroni resignari & permutari; ita & pensione gravari; quemadmodum jam pridem judicatum esse testis est Tornetius loco citato *num.* 81. etiamsi Jus patronatûs suâ origine laicale fuisse, & à laicis in Ecclesiarum translatum esse, ostenderetur.

CAPUT VII.

Quæ portio proventuum in pensionem assignari possit; & quæ in hanc portionem imputentur?

1. *Pensionum quantitas olim limitata non erat, secùs hodie: & quare?*
2. Ad tertiam *partem proventuum restricta, quæ ratio restrictionis.*
3. *Id olim in omnibus Beneficiis obtinebat.*
4. *Hodie ex stylo Curiæ Romanæ admittitur usque ad* medietatem *in Beneficiis* simplicibus.
5. *In Gallia pensio ultra* tertiam *partem vix admittitur.*
6. *Edictum Regium super hac restrictione.*
7. *Pensio* tertiam *partem excedens non est in totum* nulla, *sed reducitur.*
8. *Successor per* obitum *reductionem petere potest.*
9. *Resignatario, qui pensioni consensit, reductio aliquando in Gallia negata fuit; & quare?*
10. *Quomodo hodie etiam ipso Resignatario superstite, auctoritate publica reducatur.*
11. *In Belgio etiam reducitur pensio excessiva.*
12. *Pensio hodie non in portione fructuum; sed in quantitate constituitur; & quæ hujus ratio.*
13. *In* tertiam *partem Beneficii pensioni obnoxiam non computantur distributiones* quotidianæ.
14. *Non solet pensio super* distributionibus *constitui.*
15. *Interdum ex gratia datur in Curia Romana; sed ægrè in Gallia admittitur.*
16. *Edicto Regio pensio super* distributionibus *vetita videtur.*
17. *Pensio nequidem ad* tertiam *partem admittitur, si congrua portio Titulari non remaneat.*
18. *Ex stylo Curiæ pensio simpliciter imposita non comprehendit distributiones.*
19. *Neque oblationes, &* incerta *accidentia.*
20. *Super obventionibus quæ requirunt* certum *servitium pensio non constituitur.*
21. *Pensio etiam pro tertia tantùm parte imposita non semper est licita.*

I. EX pristinis illis pensionum exemplis, quorum capite 1. meminimus, illud duntaxat eruimus, pensiones limitatas fuisse ad sustentationem seu alimentationem Pensionarii, sive id unum factum fuisse, ut subinde Episcopis, vel Pastoribus aliisque Clericis indigentibus ex bonis Ecclesiæ, cui actualiter non deserviebant; nec adscripti erant, *miserationis* intuitu alimenta darentur; eâ tamen moderatione, ut ipsis Ecclesiæ ministris necessaria non deessent.

Verùm cùm labentibus sæculis prætextu illo alimentationis, Prælati Ecclesiæ, ut vel sibi, vel suis consanguineis aut familiaribus faverent, excessivis pensionibus ita beneficia, etiã curata, gravarent, ut vix congrua fructuum portio ipsi Titulari relinqueretur, tandem visum fuit, certos figere limites intra quos ipsa quantitas pensionis restringeretur.

II. Cùm verè æquum justúmque videretur, ut primò ipsi Titulari onera beneficii ferenti provideretur, antequam alteri de proventibus ipsius beneficii provideretur; quin & justum esset, ut amplior portio daretur Titulari, qui etiam onera beneficio incumbentia ferre tenetur, tandem ipsa pensionis quantitas ad *tertiam* partem proventuum annuorum ipsius beneficii restringi cœpit: ut ita *duæ* partes liberæ maneant Titulari, & non nisi tertia pensionis nomine alteri assignari pos[illegible]

Un-

Unde Caccialupus & ex ipso Hieronymus Gigas De Pensionibus *quæst. 9.* postquam notavit, quod ad hoc ut pensio sit *tolerabilis & honesta*, tantùm debeat remanere Ecclesiæ, unde Prælatus seu Rector illius commodè valeat sustentari, subjungit, " quòd hinc putet inolevisse practi„cam, quod ut plurimùm statuitur pensio usque ad *terti*„*am* partem redituum. Et hinc est (ait) quod regulariter „ Legatis Apostolicis datur facultas reservandi pensiones „ super fructibus beneficiorum ex causa resignationis us„ que ad *tertiam* partem fructuum.

III. Et notat Flaminius Parisius *lib. 6. De Resignat. Benef. quæst. 2. num. 24.* quod antiquo tempore imponebatur pensio usque ad *tertiam* partem redituum in *omnibus* beneficiis; & apponebatur clausula: *Dummodò* TERTIAM *partem non excedat.*

IV. Verùm quidem est, passim Canonistas admittere, Papam posse majorem quantitatem imponere; monétque Flaminius Parisius loco citato *n. 26.* hodie in beneficiis *simplicibus* de stylo dari regulariter pensionem usque ad *medietatem*: id est, ut medietas fructuum, sive potiùs quantitas pecuniæ, quæ medietatem proventuum conficit, in pensionem assignetur.

Similiter Rebuffus in Praxi Benef. titulo *De Reservationibus num. 15.* testatur, quod *interdum reservatur* MEDIA *pars fructuum pensionis*: quodque (ait *num. 15.*) *& in patria juris scripti servatur.*

V. Deinde *num. 17.* subdens: " Sed in patria consuetu„ dinaria reformari solet, præcipuè si pensionarius non pos„ set vivere, & usque ad *tertiam* partem reformari solet, „ quam obtinebit pensionarius tantùm: Beneficiarius au„ tem alias duas.

De hoc usu patriæ consuetudinariæ sive Regni Galliæ clarioribus terminis post Rebuffum testatur Auctor Analysis ad Regulam Cancellariæ De publicandis resignationibus *num. 212.* " Non toleratur in hoc Regno (Galliæ) „ fructibus omnes, sed *nec dimidiam* vel auctore Papâ „ reservari: sed *tertiam* duntaxat, ut Regiis Constitutioni„ bus & summorum tribunalium arrestis cautum est, eti„ amsi permutationis causâ ad tenuitatem compermutantis „ supplendam id fiat.

VI. Id omninò conforme recentioribus tum Parlamentorum arrestis, tum Regiis Edictis; ac signanter Edicto Regio de anno 1671. quo expressè cavetur, quod pensiones super beneficiis curatis, vel præbendis per Resignantes reservatæ excedere nequeant *tertiam* partem fructuum. Hoc edictum rursus renovatum fuit anno 1674. declaratúmque, mentem Regis esse, ut id obtineat in omnibus beneficiis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, quæ *residentiam* requirunt, quocumque nomine appellentur.

VII. Verùm si pensio dictam *tertiam* partem excedat, „ non tamen ob id rescinditur permutatio, vel resignatio „ (ait Auctor Analysis loco citato) sed immoderata pensio „ ad congruum modum *trientis* ad minus, vel etiam ad „ minorem, si qualitas beneficii exigat, etiam per potesta„ tem secularem reducitur." Testaturque Broudæus in notis ad Lovetium *Litt. P. num. 38.* esse Regulam & principium certum, quod *pensio, quæ legitimum modum excedit, nulla non est, sed reducibilis.*

VIII. Illud expeditum est, successorem in beneficium posse petere reductionem pensionis, etiam à Papa impositæ ad vitam ipsius Resignantis; si modò successerit in beneficium vacans *per obitum* resignatarii: qui consequenter nihil promisit Resignanti, nec jus habet à defuncto, sed à Collatore, uti loquuntur Pragmatici Galli. Tornetius in sua collectione arrestorum *Litt. P. num. 69.* & Broudæus loco citato.

IX. At verò Resignatario, qui pensioni consenserat, atque mediante promissione hujusmodi pensionis beneficium obtinuit, reductionem pensionis tametsi excedentis *tertiam* partem haud annuendam judicabant; huncque fuisse Curiarum Regiarum usum testantur, *propter fidem datam*; & ne ex proprio dolo, vel perfidia Resignatarius lucrum consequeretur. Receptumque erat hujusmodi Resignatarium de pensionis excessu conquerentem condemnare ad hanc alternativam: *solvat vel cedat.* Vide latiùs Tornetium & Broudæum locis supra indicatis: ubi unà inquirunt, quid sentiendum de Resignatario Resignatarii, an ille à reductione pensionis in quam hic consentit submoveri debeat.

X. Et hæc quidem videtur communis fuisse praxis Galliæ usque ad Edictum Regium anni 1671. quod jubet ob publicum Ecclesiæ bonum, ut cunctæ, etiam quæ præcesserunt de pensionibus beneficiariis conventiones ad *tertiam* fructuum portionem reducantur. Verba Edicti sunt: " Et quant aux pensions qui se trouveront avoir esté cy de„ vant creées sur les cures & sur les Chanonies & præben„ des des Eglises Cathedrales, ou Collegiales en faveur de „ resignations, Nous voulons & ordonnons qu'elle soient „ reduites au tiers sans diminution des dites trois cens li„ vres, ainsi qu'il est exprimé cy dessus: non obstant tout „ Traitez & Concordats pour cause de procez, resignati„ ons, permutations, demandes en regrez, fautes de paye„ ment des dites Pensions, & tous cautionnemens, des „ quelles nous avons dechargé & dechargons les obligez." Id est: Et quoad pensiones gravati fuerint Pastoratus, Canonicatus, Ecclesiarum Cathedralium aut Collegiatarum Præbendæ, in favorem resignationum: volumus & statuimus ut redigantur ad tertiam partem absque imminutione dictarum trecentarum librarum, prout superius est expressum: non obstantibus quibuscumque pactis, aut conventionibus ad pacificandas lites, resignationibus, permutationibus, petitionibus ad regressum, solutarum Pensionum defectibus, omnibusque cautionibus, à quibus exoneravimus & exoneramus obstrictos.

Ad hanc declarationem reflectens Cabbassutius *lib. 2. cap. 16. num. 2.* rationem ejus assignat: " Ut scilicet præ„ valeat sacra & communis disciplina oppositis privato„ rum, noxiisque pactionibus: nisi quis insistat id officium „ à Legislatore injungi *solis Judicibus & publicis* Requisi„ toribus, sed non Resignatariis, illo adhuc superstite, cui „ obstricta *est fides.*

XI. Sanè judices Regii, quibus Litteras sive Bullas provisionum à Curia Romana emanantes *placetandi* auctoritas est, solent ad instantiam Procuratoris Regii sive Fiscalis ipsas pensiones excessivas ad moderatam quantitatem reducere: quod & in Belgio nonnumquam practicatur.

Unde cum quidam resignasset Præbendam Insulensem sub pensione 957. florenorum, *placetum* renuit Concilium Privatum, eò quod pensio, habito respectu ad proventus dictæ præbendæ, quæ tantùm communiter ascendunt ad duo millia florenorum, esset excessiva: qua propter reduci voluit pensionem ad 700. florenos quâ reductione mediante annuit *Placetum 16.* Septembris anno 164..

Hinc quoque colligitur, hîc in Belgio ægrè admitti pensionem *tertiam* partem fructuum excedentem.

XII. Circa hanc portionem in pensionem assignandam, notandum, hodie hanc reservari in quantitate pecuniæ, non in quota fructuum parte: uti notat Garcias De beneficiis *parte 1. cap. 5. num. 362.* sed ratio hujus praxeos quam post alios Canonistas allegat Garcias, scilicet, quòd aliàs beneficium scinderetur, ut frivola meritò ab Auctore Analysis ad Regulam *De Public. resig. n. 214.* rejicitur "quia „ non minùs secantur vel minuuntur Beneficia per quanti„ tatem, quàm quotam, & lex esset imposita vernis, & fraus, „ imò contortio manifesta Canonum.

Cæterum convenientius est, ut in certa quantitate pecuniæ, quàm quota fructuum constituatur, ut tollatur occasio discordiarum, quæ ex communione fructuum inter Rectorê & Pensionarium oriri possent, uti notat Emanuel Gonzales in commentario ad *Cap. 21. De Præbendis n. 7.*

Digitized by Google

XIII. Adhæc observandum, in hanc tertiam partem fructuum non computari *distributiones quotidianas*, uti jam pridem notavit Auctor dictæ Analysis; & latiùs Broudæus ad Lovetium *Litt. P. num 46.* monétque, quod dum successor *per obitum* petit reductionem ad *tertiam*, tunc non habeatur ratio distributionum manualium: quæ in æstimatione valoris fructuum Præbendæ non computantur; quia non sunt de corpore beneficii, sed percipiuntur ratione servitii *personalis*, quemadmodum communiter tradunt Canonistæ: quod qualiter sit intelligendum, dicetur in titulo *De Peculio Clericorum.*

XIV. Notat quoque Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *lib. 6. quæst. 2. num. 29.* quod "regulariter pensio „super distributionibus quotidianis non constituatur." Rationem addit: " Quia distributiones quotidianæ non „sunt fructus.

XV. Interdum tamen ex gratia etiam super distributionibus pensio conceditur; sed tum additur hæc clausula: *distributionibus quotidianis, & non nisi præsentibus & divinis Officiis interessentibus dari, & per eos lucrari solitis & consuetis.*

Interim si beneficium habeat grossos fructus, & distributiones quotidianas, has non computandas in taxatione tertiæ partis judicatum fuisse an. 1614. ibi refert Broudæus; tametsi creatio pensionis contineret clausulam ordinariam: *super fructibus Præbendæ & Canonicatus, proventibus, juribus* &c. licet ex consuetudine Ecclesiæ super cujus Præbenda pensio erat creata, distributiones non darentur *ad manum*, neque *quotidie*, sed singulis mensibus tantùm, & earum loco darentur singulis Canonicis 30. libræ.

XVI. Id conforme est Edicto Regio anni 1671. quo expressè cavetur, quod pensiones *tertiam* partem excedere nequeant. Ait enim: *Sans diminution ni retranchement de la somme de trois cent livres, qui demeurera aux Titulaires desdites Cures & Prebendes pour leur subsistance par chacun an, franche & quitte de toutes charges, sans comprendre en la dite somme le Casuel & le Creux de l'Eglise, qui appartiendra pareillement aux Curez; ensemble les* DISTRIBUTIONS *manuelles qui appartiendront aux Chanoines.* Id est: *Fermè de verbo ad verbum convenit cum tertia citatione pagina 622.*

XVII. Ex hoc Edicto illud quoque manifestum est, pensionem, neque ad *tertiam* partem proventuum admitti, nisi detractâ pensione maneat *congrua* portio pro Titulari.

XVIII. Pensione simpliciter fructibus beneficii impositâ distributiones non debere computari, neque iis pensionem censeri impositam, etiam Doctores Ultramontani agnoscunt, & stylus Curiæ observat; Unde ex eodem stylo dum pensionem impositam volunt distributionibus, tunc imponitur adjectâ clausulâ de qua supra *num. 15. Etiamsi in solis distributionibus & non nisi præsentibus* &c.

XIX. Quod de distributionibus dicitur, idem dicendum de oblationibus sive *incertis* accidentibus, uti monet Broudæus ad Lovetium *Litt. P. num. 46.* sub finem. Quod & sæpe citato Edicto Regio conforme est: dum non vult computari *casuale*, sub quo hujusmodi oblationes, tamquam incertæ & *casuales* comprehenduntur, nec magis nomine *fructuum*, ob suam incertitudinem veniunt, quàm distributiones quotidianæ. Accedit, quod cum pensiones sint multis titulis odiosæ, ut supra ostensum est, meritò veniant restringendæ; & per consequens, nomen *fructuum* strictè interpretandum: ut ita pensionis quantitas minuatur, & proventus beneficii apud Titularem remaneant.

XX. Refert quoque Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *lib. 6. quæst. 2. num 32.* ex Gambaro, decisum fuisse per Rotam, " quod ubicumque requiritur *certum* servitium ad consequendum fructus, super illis non possit „constitui pensio." Monet insuper notandum esse, quod neque possit imponi pensio super reditibus communibus, qui dividuntur inter eos, qui intersint *certis* temporibus, licet de stylo interdum *communibus* de gratia.

XXI. Notandum, quòd licèt usus pensionum ex his appareat multum restrictus, nequaquam tamen hinc concludi possit, pensiones cum hac restrictione concessas esse omninò licitas & undequaque probatas, quamvis tolerentur; atque de his dicendum, quod supra capite 2. dictû fuit.

CAPUT VII.

De Clausulis in litteris pensionis apponi solitis.

1. *Quare conveniat has clausulas noscere?*
2. *Clausula exprimens causam assignatæ pensionis.*
3. *Clausula pensiones prius impositas habens pro expressis.*
4. *Stylus Curiæ habet, quod de pensione ante imposita sit facienda mentio sub pœna nullitatis.*
5. *Nullitas præcavetur per dictam clausulam.*
6. *An hæc clausula semper hic admittatur?*
7. *Pensio solvi debet libera ab omni onere juxta clausulam apponi solitam.*
8. *Quomodo hic subinde aliqua moderatio adhibenda sit.*
9. *Clausula exprimens terminos solutionis.*
10. *Termini aliquando ad Postulationem Supplicantium mutantur.*
11. *Clausula continens censuras in non solventes.*
12. *Censuræ hæ non incurruntur nisi urgente Pensionario.*
13. *In Gallia, & Belgio hæc clausula non habet suum effectum.*
14. *Clausula reservans regressum ob non solutam pensionem.*
15. *Ut huic clausulæ locus sit requiritur sententia.*
16. *In Gallia non admittitur hæc clausula.*
17. *Quomodo succurratur Resignanti, si contra fidem datam pensio non solvatur.*
18. *Quid in Belgio servetur?*
19. *Clausula de non minuenda aut reducenda pensione.*
20. *Non obstante hac clausula interdum* reductio *pensionis admittitur.*
21. *Clausula requirens consensum Pensionarii juxta Regulam Cancellariæ.*
22. *Huic Regulæ subinde derogatur.*
23. *Hæc derogatio in Gallia non admittitur.*
24. *Clausula reservans pensionem, licèt nullum jus cedenti competat.*
25. *An hujus clausulæ hodie aliquis usus?*
26. *Clausula exprimens tempus possessionis.*
27. *Rationes hujus clausulæ.*
28. *Stylus Curiæ Romanæ habet, ut Providendus de Beneficio juret, quod illi intendat deservire.*
29. *Simile observatur in Academia Lovaniensi.*
30. *In Gallia vix admittitur pensio causâ resignationis, nisi Resignans possederit 15. annis Beneficium.*
31. *Optandum ut id ubique observaretur.*
32. *Qui plura habet Beneficia incompatibilia non potest in dimissione unius pensionem reservare.*

I. Cum pleræque pensionum impositiones hodie expediri soleant in Curia Romana ex causa resignationis vel permutationis, utile erit, præcipuas clausulas, tum in formula supplicationis, tum litteris provisionis de stylo Curiæ Romanæ adjici solitas, examinare, atque unà annotare, quem usum & vim hîc in Belgio aliisque vicinis Provinciis habeant.

II. Prima eaque notabilis est clausula exprimens causam reservationis pensionis: *Ne ex sua resignatione ni-*

mium

nimium dispendium patiatur, de alicujus subventionis auxilio providere &c.

Hac clausulâ sufficienter indicatur, causam finalem pensionis esse *alimentationem* Pensionarii; & consequenter, nec mentem Pontificis esse, eam assignare his, qui *alimentis* non indigent, sed ea aliunde sufficienter habent, ut post Lotherium aliosque notat Barbosa in procemio ad praxim exigendi pensiones *num.* 7. Verba ejus sunt: "Finalis causa est „ alimentorum suppeditatio, quocumque enim Jure Papa „ providet alicui sub reservatione pensionis, sive ex causa „ simplicis resignationis, sive ex causa cessionis jurium, aut „ simpliciter pensionem reservet, tam in supplicatione, „ quàm in Procemio litterarum inserit clausulam expres„ sivam causæ hujus alimentorum, nam in causa cessionis „ etiam ex concordia concipitur per hæc verba: *Ne ex ces„ sione tua hujusmodi nimium dispendium patiaris*: & „ cùm ex natura subjectæ materiæ id referatur ad personam „ Clerici dimittentis beneficium, vel jus in eo præ se fert in„ tentionem Papæ eam reservandi in causam alimento„ rum, ut benè advertit *Hier. Gabr. cons.* 187. *nu.* 11. *lib.* 2. „ quem refert *Lotter. d. lib.* 1. *quæst.* 35. *n.* 47. Finis ergò est „ providendi egenis de alimentis, & ita supponendi necessà„ riò sunt termini habiles, videlicet superfluentia reddituum „ in titulari, eo modo, quod eis simul possit de congrua su„ stentatione provideri.

III. Post clausulam exprimentem quantitatem fructuum seu proventuum Beneficii pensione gravandi, de qua capite præcedenti, sequi solet: *Etiamsi super illis* (fructibus) *alia pensiones, quas, illarumque summas &c. habere placeat pro expressis, & qua exprimi possint in litteris, aliis forsan assignata existant.*

Hæc clausula ideò adjicitur, ne si forsan aliqua pensio eidem Beneficio jam esset imposita, hæc posterior esset nulla.

IV. Inolevit jam pridem stylus Curiæ, quod debeat fieri mentio de prima pensione, & de alio onere in reservatione secundæ pensionis, etiam ex causa resignationis: quodque pensio secundo loco reservata sit nulla, si non fiat mentio de prima validè reservata: uti post alios citatos tradit Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 41. Ratio est, quia Papa non intendit, nec velle præsumitur Ecclesiam duplici onere gravare; & quia pensiones cum magno moderamine Beneficiis imponi debent. Unde & hic stylus Curiæ tamquam æquitati conformis ubique meritò observandus. Quare & Joannes Tornetius in Collectione Arrestorum *Litt. P. numer.* 88. asserit, pensionem impositam Beneficio, *etiam motu proprio*, non valere si in signatura non sit facta mentio primæ pensionis impositæ.

V. Porrò ex stylo Curiæ invaluit, hanc nullitatem præcaveri per hanc similemve clausulam generalem, tametsi *in specie* prima & antiqua pensio & beneficio imposita non exprimatur; quemadmodum tradit Flaminius loco citato, & ita decisum fuisse in Rota.

VI. Verum si hæc pensio unà cum antiqua, *tertiam* partem fructuum excederet, haud facilè etiam cum hac clausula hic aut in Gallia admitteretur: eo quod revera hoc casu pensio plusquam tertiam partem proventuum absumat: quod haud facilè hic admittitur.

VII. Vulgaris etiam clausula est, ut pensio *sit libera ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, nec non subsidio, etiam, charitativo, & quovis alio ordinario, & extraordinario onere quomodolibet nuncupato, etiam pro fabrica Basilica Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata sancta & expeditione contra Turcas ac infideles, & hæreticos, ac quoscumque fidei Catholica hostes, ac pro Seminario puerorum Ecclesiastico, & quavis alia, etiam urgenti, urgentissima & necessariò exprimenda causa; etiam ad supplicationem Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum & aliorum Principum instantiam, Canonicè, vel de facto, nunc & pro tempore impositis & quomodolibet imponendis etiamsi in impositionibus hujusmodi caveatur expressè, quod pensionarii quicumque pro rata pensionum suarum quantumvis exemptarum præmissis contribuere teneantur.*

Vigore hujus clausulæ Pensionarios eximi ab oneribus ipsi beneficio aut ejus proventibus quacumque ex causa, & quavis auctoritate imponendis haud obscurum est.

VIII. Si tamen tanta esset onerum impositio, ut si hæc à solo titulari ferri deberent, proventus Beneficii nimium diminuerentur, indubiè, non obstante hâc clausulâ, pensionarius ad partem onerum ferendam meritò vocaretur; vel saltem ob hæc onera, diminutio sive moderatio aliqua pensionis, ut minùs durantibus his oneribus, peti posset: præsertim si pensio sit *realis* solvenda ab eo, qui pensioni non consensit: neque beneficium sub conditione solvendæ pensionis accepit: ipsaque onera sint extraordinaria: ut judicatum refert Tornetius loco citato *n.* 86.

IX. Deinde in litteris pensionis additur, ut solvatur mediatim in Nativitate JEsu Christi, & Nativitate Joannis Baptistæ, secundùm notorium & vulgarem stylum Curiæ, uti notat Gigas De Pensionibus *q.* 93.

X. Sed "quia hæc decisio terminorum fit causâ commo„ dioris solutionis, non prohibentur Resignans & Resigna„ tarius plures terminos, etiam ultra duos constituere ad eo„ rum libitum; prout indies practicari videmus," ait Pyrrus Corradus in Praxi Benef. *lib.* 5. *cap.* 7. *nu.* 18. notatque prædictam clausulam in litteris solere apponi, quando termini solutionis in supplicatione non fuerunt expressi.

XI. Utque promptior & securior sit pensionis impositæ termino constituto solutio, additur ex stylo Curiæ hæc clausula: *Ac volentes & eadem auctoritate statuentes quod ille N. vel quicumque alius successor qui in dictis festivitatibus, vel saltem intra 30. dies illarum singulas immediatè sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non persolverit, cum effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, à qua donec tibi vel eidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integrè satis factum aut aliàs tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus absolutionis beneficium nequeat obtinere.*

XII. Notat autem post alios citatos Garcias *De Beneficiis parte* 1. *cap.* 5. *num.* 581. pœnam excommunicationis non incurri, nisi Pensionario volente & declarante: "Nam „ ut illis locus sit, requiritur voluntas & factum ipsius Pen„ sionarii, in cujus favorem latæ sunt. Quinimò (pergit „ Garcias) ex stylo & benignâ interpretatione non incurri„ tur excommunicatio, donec declaratoria sit data per judi„ cem, & pensionarius ea utatur intimando illam adversario „ seu Parocho, aut ponendo cedulones, ut etiam servatur in „ aliis declaratoriis, tam auditoris cameræ, quàm aliorum „ judicum.

XIII. In Gallia hæc clausula, quoad pœnam *excommunicationis* ob non solutam suo tempore pensionem, habetur pro clausula *meri* styli: quin teste Fevretio *De Abusu lib.* 2. *cap.* 5. *n.* 29. judicatur *abusiva*: ostenditque Broudæus in notis ad Lovetium *Litt. C. num.* 31. aliquando quidem consuetum fuisse, ut Ecclesiastici per *censuras* ad solutionem debiti etiam *civilis* urgerentur; sed eam consuetudinem jam pridem esse abrogatam. Quod & praxi Belgicæ consonum est, uti ostendetur infra *parte* 3. *titulo De Censuris.*

XIV. Post clausulam continentem pœnam excommunicationis sequitur: "*Si verò per sex menses dictos triginta „ dies immediatè sequentes sententiam ipsam animo „ (quod absit) sustinueris induratò, ex tunc effluxis men„ sibus eisdem dicto beneficio perpetuò privatus existat, il„ ludque vacare censeatur eo ipso, tibique liceat ad idem „ beneficium liberum habere regressum, & liceat tibi et„ iam vigore tui prioris tituli possessionem propria autho„ ritate apprehendere, ac si illud minimè resignasses.*

XV. De hac clausula continente *regressum* ad Beneficiū religna-

resignatum ob defectum solutionis pensionis plura habet Flaminius Parisius *De Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 3.* ubi *num. 12.* advertendum dicit: quia non sufficit lapsum esse tempus, sed requiritur sententia declaratoria, quæ id declaret; asseritque hinc aliàs resolutum Rota, " quod clau„sula irritans in regressu ob non solutionem , non inficit „possessionem, nisi post sententiam.

XVI. Observat etiam *num.* 17. in Francia non admitti regressum ob non solutam pensionem: notátque Auctor Analysis in Regulam Cancell. *De public. resig. num.* 212. " quod clausulæ illæ de resolvenda resignatione, & rever„tendo ad beneficium resignatum ob non solutionem pen„sionis, *nulla* sunt & *abusivæ*, quia sunt species reserva„tionis sive recursus, per decreta conciliaria generaliter & „indistinctè damnati.

Idipsum post alios Pragmaticos Gallos asserit Fevretius loco citato *num.* 28. unà, monens, quod ab executione dictarum clausularum daretur appellatio *tamquam ab abusu*.

XVII. Ne tamen detur locus perfidiæ, si Resignatarius non solvat, condemnabitur ad solvendam promissam pensionem; vel in casum non solutionis adjudicabitur Resignanti regressus ad beneficium; sive condemnabitur Resignatarius ad *solvendum* vel *cedendum*; judicatúmque dicit Broudæus in notis ad Lovetium *litt. P. num.* 30. quod resignans possit regredi ad Beneficium etiam post 20. annos à facta resignatione: tametsi nec hæc clausula regressus fuisset in litteris apposita: idque ob datam fidem à Resignatario de solvenda pensione, & factâ beneficii acceptatione sub ea conditione. Vide quoque Tornetium in collectione Arrestorum *Litt. P. num.* 88.

XVIII. Neque Belgica praxis pateretur, quemquam ob retardatam solutionem pensionis ad beneficium resignatum *propria* auctoritate regredi; aut aliquem *ipso jure* beneficio privari: sed coram legitimo judice ad solutionem pensionis agendum esset: qui posset Pensionarium ad promissam pensionem vel ad cedendum Beneficio condemnare.

XIX. Solet quoque apponi clausula, quod pensio *annullari, reduci aut minui non possit*: quæ clausula (ait Flaminius citatâ *quæst.* 2. *n.* 142.) multum prodest: nam eâ non obtentâ, decrescentibus fructibus seu redditibus, & in aliis quibusdam proventibus pensio invalida redderetur, vel saltem ad minorem nummum reduceretur.

XX. Si tamen adeò sint diminuti proventus, ut Titulari non sufficiant ad victum solutâ pensione, reductionem peti posse, *non obstante indulto quod reduci non possit*; sentit Rebuffus *De Pacificis Possess. num.* 141. quod indubiè faciliùs obtinebit in eo, qui constitutioni pensionis non consensit. Unde & Garcias *parte* 1. *De Benef. cap.* 5. *num.* 402. dicit, quod appositâ prædictâ clausulâ reductio quidem fieri nequeat sine *speciali* commissione Papæ, sed addit: *Quæ tamen solet dari præsertim* SUCCESSORI.

XXI. Juxta Regulam Cancellariæ *De Consensu in resignationibus & pensionibus,* " nec litteræ assignationis eti„am motu proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus „beneficii fructibus expediri possunt, nisi de *consensu* illius „qui dictam pensionem persolvere tunc debebit.

Hinc ex hodierno stylo apponitur clausula, pensionem solvendam *per N. cujus ad hoc accedit assensus, & successores suos*.

Ubi notandum quod solus *assensus* requiratur Resignatarii, uti fat constat ex ipsâ Regula, quæ exigit consensum ejus, *qui pensionem persolvere* TUNC *debebit*: nimirum tempore impositionis. Clausula quoque idipsum manifestè insinuat: & praxis consonat, quæ successorum assensum non requirit.

XXII. Juxta modernum stylum Curiæ Romanæ solet huic regulæ derogari quoties beneficium confertur absenti cum reservatione pensionis, præsertim quando ipse Resignans est *pacificus* beneficii possessor: quo casu Signatura pensionis expeditur cum hac clausula: *Et cum derogatione regulæ de præstando consensu in pensionibus attento quod resignatio sit in favorem, & Orator, qui verè, realiter, & pacificè possidet, aliter resignare non intendit.*

XXIII. Quin & Papam posse motu proprio sine consensu Resignatarii alicui beneficio imponere pensionem, communis est Canonistarum sententia, uti post Flaminium Parisium De Resignat. Benef. *Lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 131. observat Chokier ad citatam regulam Cancellariæ. In Gallia tamen nec impositionem hujusmodi pensionis, nec derogationem admitti testatur Fevretius De abusu *Lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 8. citátque ibidem antiquum Commentatorem Capituli *Raynutius* ;; *De Testamentis*, Guilielmum Benedicti, qui ibidem de Fidei commissariis substitutionibus *parte* 2. *n.* 56. ait: "Nullum onus imponi potest etiam „per Papam super beneficiis & Dignitatibus Regni quo„cumque titulo vel nomine onus illud nuncupetur: vel ex „quacumque causâ vel colore & occasione directè vel in„directè: etiam prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii „vel statuti, & si contra fiat, totum irritum erit." Plura ibidem & antiqua Regum Edicta, & Parlamentorum arresta his conformia citat.

XXIV. Notat Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *Lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 141. quod subinde apponatur clausula quod *pensio debeatur, licet nullum jus cedenti competat*; idque ad tollendas lites.

XXV. Hanc clausulam in Gallia non admitti monet Fevretius De Abusu *Lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 11. atque ab ejus executione appellaretur tamquam *ab abusu*. Ubi enim pensio constituitur causâ cessionis, si nullum jus competat cedenti, cessante causâ pensio debet evanescere; uti ex Rebuffo refert Fevretius; qui & ibidem ex Auctore Analysis in Regulam Cancellariæ *De Publicandis resignat. n* 213. addit. " Pensio per Papam, etiam de consensu partis , ad „commodum ejus, qui nullum habet nec prætendit jus in „beneficio, constitui non potest.... Nec in hoc Regno „toleratur, sed appellaretur tamquam *ab abusu*, & abusi„vum declararetur non obstante quâcumque possessione, „ut sæpè judicari vidi in hoc Senatu (Parisiensi) & in Sena„tu Rothomagensi anno sesqui millisimo vigesimo primo.

XXVI. " Quamvis de jure in resignatione beneficii, vel „impetratione pensionis non requiratur expressio tempo„ris per quod Resignans possederit beneficium, servat ta„men quandoque Dataria Apostolica, ut quoties resigna„tur beneficium, quod personalem residentiam requirit, & „super illius fructibus reservatur aliqua pensio, non admit„tatur resignatio, nisi in supplicatione exprimatur per quod „tempus Orator illud possideat, quod si breve est rejicitur „supplicatio, vel in calce ipsius respondetur, *Resignet absque pensione*; sicut etiam vidimus idem practicari in per„mutationibus similium beneficiorum, cum aliis nullam „residentiam requirentibus.

Hæc Pyrrus Corradus in Praxi benef. *Lib.* 5. *c.* 1. *n.* 11. testatúrque ex moderno stylo requiri in resignatione, præsertim cum pensione, beneficii Parochialis aut alterius residentiam requirentis ad minùs *trium* annorum possessionem; quamvis ante requirerentur septem vel sex anni, uti notat Garcias De Beneficiis *parte* 11. *cap.* 3. *num.* 48.

XXVII. Duplici ratione nititur hic stylus uti advertit Pyrrus loco citato *num.* 19. " Quarum altera est, ad coer„cendas frequentes hujusmodi Parochialium Ecclesiarum „resignationes: quandoquidem neminem latet, ex conti„nua mutatione Rectorum, præsertim Parochialium Ec„clesiarum, Ecclesias non modicum pati detrimentum.

Altera ratio est (ait *num.* 20.) ad repellendas illicitas negotiationes quæ possent committi à Resignantibus: qui propterea tales Ecclesias quandoque assequuntur, ut postea aliis illas resignent.

XXVIII. Additque stylum Curiæ habere, ut in quocumque beneficio sive Curato, sive simplici cujus collatio spectat ad Papam, & Orator sit præsens: si velit litteras expediri

ditiam forma *gratiosa*, & consequenter examinari ab examinatoribus Urbis, ab illis, sive Notario recipiatur juramentum, quod ipse Orator tale beneficium non assequitur animo illud resignandi.

XXIX. Simile quod observatur in Facultate Artium in hac Academia. Nominandi enim vigore privilegiorum jurant: " Quod intra annum unum ab obtenta pacifica possessione *personaliter* in ea residebo, nec eam (curam Pastoralem) resignabo, nisi *integro* anno in ea resederim, aut aliam curam Pastoralem sine fraude & dolo obtinuero.

Sane quàm frequentes sint beneficiorum præsertim Canonicatuum impetrationes, maximè quæ fiunt à simplicibus Clericis, non alium in finem, quàm ut ex illorum resignatione pensio aliquot millium florenorum distilletur, nimis notorium est.

XXX. Ad præveniendas hasce fraudulentas & sordidas beneficiorum impetrationes & resignationes, Edicto Regio anno 1671. in Gallia cautem est, quod nullus resignare queat beneficium Curatum aut Præbendam in Cathedrali vel Collegiata Ecclesia, nisi 15. annis actualiter deservierit: nisi ex causa infirmitatis ab Ordinario cognita & probata, ob quàm ulteriùs non possit beneficio deservire. Verba Edicti sunt: *Voulons & Nous plaist, que cy apres les Titulaires dans les Eglises Cathedrales, ou Collegiales, ne pourront les resigner avec reserve de Pensions qu apres les avoir actuellement deservies pendant le temp & espace de quinze années entieres, si ce n'est pour cause de maladie & d'infirmité connue & approuvée de l'Ordinaire, qui les mette hors d'estat le reste de leurs jours de pouvoir continuer de faire les fonctions & deservir leurs benefices.* Id est: Volumus & sic Nobis placet: ut posterum Titularibus in Ecclesiis Cathedralibus aut Collegiatis resignare beneficia non liceat, reservatâ sibi pensione, nisi actualiter quindecim annorum expleto tempore inservierint, nisi ratione morbi aut infirmitatis notæ & ut talis ab Ordinario agnitæ, quæ ad vitæ residuum inhabiles illos reddat, ut functiones suas continuent, aut beneficia sua deserviant.

XXXI. Quamvis hæ ordinationes non ubique vim legis obtineant, nihilominus in quantum tendunt ad impediendas fraudulentas & injustas resignationes, & pensionum impetrationes meritò attenduntur ab iis, penes quos auctoritas admittendi pensiones, aut earum rescripta probandi, residet: ut quantum in ipsis est, similes fraudulentis pensionum distillationibus limites figant & remedium adhibeant.

XXXII. Hodie quoque admodùm frequens, ut quis plura beneficia, etiam *incompatibilia* impetret; quæ dum simul retinere nequit quoad titulum, retinet quoad partem saltem proventuum, nimirum retinendo unum, & resignando alterum sub pensione.

Cui abusui occurrit Parlamentum Parisiense per Arrestum 10. Februarii anno 1667. injungendo iis qui possident plures Canonicatus, ut unum optent, nec alios possint pensione gravare. Cujus Arresti memini supra *tit. 20. cap. 4. num. 16.*

CAPUT IX.

De Extinctione, Translatione, & Redemptione Pensionis.

1. *Pensio extinguitur morte Pensionarii.*
2. *Secundò per matrimonium Pensionarii.*
3. *Tertio per professionem Religiosam.*
4. *Modis prædictis non extinguitur si data sit cum facultate transferendi, & quid sit translatio?*
5. *Hæc facultas tribus modis conceditur.*
6. *Pensionis translatio* odiosissima, *& quare?*
7. *Aliquando facilè dabatur facultas transferendi.*
8. *Hodie clausula* cum facultate transferendi *denegatur* in Italia, *& difficulter conceditur* extra Italiam.
9. *Translationes ignotæ in Belgio, nec admittuntur in Gallia.*
10. *In Gallia non potest permutanti servari pensio super alio Beneficio quam permutato.*
11. *Secùs de stylo Curiæ Romanæ.*
12. *Quid pensio de* consensu?
13. *Hæc pensio in Belgio & Gallia incognita.*
14. *Pensio extinguitur per liberam Pensionarii remissionem.*
15. *Potest fieri sine auctoritate Superioris.*
16. *Frequens hodie pensionis redemptio & extinctio per* anticipatas *Canonum solutiones.*
17. *Sæpe fit auctoritate Pontificis, & quæ sit supplicationis formula?*
18. *Numerus anticipatorum Canonum non est determinatus.*
19. *Cavetur sollicitè ne* pretium *exprimatur, ad vitandam Simoniam.*
20. *Anticipatæ hæ solutiones solent pretio pensionis annua adæquari.*
21. *Etiam hoc modo accipientes summam pecuniæ sæpe sunt Simoniaci.*
22. *Ex profano modo conveniendi super his* anticipatis *solutionibus evincitur subesse Simonia.*
23. *Conventio de redimenda Pensione est Simoniaca.*
24. *Pro extinctione pensionis sola Signatura sufficit.*
25. *Quæ hujus styli Curiæ Romanæ ratio?*
26. *Redemptio pensionis magis de Simonia suspecta, quàm pensio.*
27. *Nullum redemptionis apud Veteres vestigium.*

I. Tametsi pensio non sit propriè Beneficium, tamen pensiones illas hodiernas quæ ex causa permutationis, resignationis, vel cessionis reservari solent, esse loco Beneficii, & quasi in locum Beneficii resignati sive cessi succedere, communiter notant Canonistæ.

Atque imprimis pensio id habet cum Beneficio commune, quòd non nisi *ad vitam Pensionarii*, adinstar beneficii dari soleat. Unde & morte naturali eam extingui nemo dubitat.

II. Ulteriùs hujusmodi pensio juxta hodiernum stylum requirit in pensionario, non secùs atque in beneficiato, Clericatum; nec pensio alteri quàm Clerico dari potest, ex Constitutione Sixti V. quæ incipit, *Cum sacrosanctam 91.* in Bull. R. statuente, ut in futurum non nisi *actu Clericis* in habitu Clericali & Tonsura incedentibus pensiones reserventur.

Hinc ulteriùs concludunt Canonistæ, praxi comprobante, pensionem extingui per contractum Matrimonii, quemadmodùm amittitur beneficium; idque ex usu Curiæ Romanæ servari tradit Gigas De Pensionibus *quæst. 54.*

III. Similiter sicuti beneficia vacant per professionem in Religione, ita quoque pensio vice beneficii resignati reservata extinguitur per professionem, ex recepta Doctorum sententia & notoria praxi.

IV. Hæc autem procedunt, nisi pensio sit data, sive reservata cum potestate *transferendi.*

Translatio autem pensionis communiter definitur, Mutatio obligationis (passive nimirum) pensionem solvendi de una persona ad aliam auctoritate Papæ facta. Ita Flaminius Parisius De Resignat. Benef. *libro 6. quæstio 4. numero 4.*

V. Translatio autem hæc, sive potiùs transferendi potestas dari solet tribus modis, ut monet Flaminius Parisius ibidem.

Primò obtentâ clausulâ transferendi in ipsa pensionis reserva-

Digitized

servatione, cùm Pontifex pensionem reservat, & *simul* facultatem concedit, eam *transferendi* in aliam personam.

Secundò quoties fuit imposita pensio absque illa clausula, sed ipsæ partes posteà supplicant, ut pensio quam Cajus Titio solvit, extinguatur, & Sejo reservetur.

Tertiò in vim privilegiorum certis personis concessorum; quale privilegium nonnullis Ordinibus concessum fuisse dicit Flaminius ibidem.

VI. Hanc pensionis translationem esse *odiosissimam* fatentur omnes, teste Pyrro Corrado loco citato *num.* 2. cùm nec sit de jure, nec de ipsius pensionis natura; quinimò contra naturam: quandoquidem pensio reservetur ad tempus, & sic extinguitur morte Pensionarii. Translatio verò, cùm sit obligatio eamdem solvendi de una ad aliam personam, operatur *perpetuitatem* pensionis post mortem Pensionarii; atque ita servitutem Beneficiis impositam quodammodò perpetuam efficit: præsertim quia qui habent potestatem transferendi, possunt eam transferre non modò in unam personam, sed etiam in plures.

VII. De hac translatione pensionis agens Hieronymus Gigas *q.* 12. postquam dixit, pensionem de una ad aliam personam transferri non posse, nisi Papa Pensionario jus transferendi illam concessisset, subjungit: " Nam solent „ Pontifices sæpe numero concedere hujusmodi facultatem: quod passim Leo X. Piæ memoriæ faciebat utens „ multùm Pontificiâ auctoritate & absolutâ potestate in similibus. Clemens autem VII. difficilius id concedebat, & „ erat bene factum propter oneris continuationem, quæ „ est evitanda: ideò Sanctissimus D. N. Paulus IV. (ut audio) admodum se difficilem reddit in concedendo talem „ facultatem, etiam cum consensu.

VIII. Addit Flaminius Parisius *n.* 24. " Tempore felicis „ recordationis Gregorii XIII. & S. D. N. Sixti V. vidi observari, ut nemini concedatur hujusmodi facultas transferendi pensionem nisi Cardinalibus, aut aliis personis de „ Sede Apostolica bene meritis; neque solet concedi ut *totam* possit transferre, sed tertiam vel medietatem.

Dein nonnullis interpositis, monet, quod hodie summi Pontifices non concedant *in Italia*, & se reddant *difficiles* in concedenda pensione cum *facultate transferendi*, etiam *extra Italiam*;" & id solet peti (ait) ut possint remunerare familiares in articulo mortis.

IX. Translationes pensionis hic in Belgio fieri non videmus; neque eas usitatas credo: notandúmque monet Rebuffus in Praxi *parte* 1. *titulo De Resignationibus num.* 20. " in hoc Regno Franciæ pensionem extingui per mortem „ Pensionarii, & de consuetudine non transfertur in aliam „ personam, etiam à Papa, quamvis in patria obedientiæ à „ Papa transferri possit sicut aliud Beneficium.

De eadem consuetudine Regni Galliæ passim testantur Pragmatici, uti videre est apud Broudæum ad Lovetium *Litt. P. num.* 31.

X. Notat insuper Rebuffus *De Pacificis possess. n.* 127. quod " non valeret reservatio pensionis, si quis permutaret Beneficium mecum, & assignaret mihi pensionem „ super *alio* Beneficio, quàm permutato; & hoc (ait) servatur in forensi judicio in hoc Franciæ Regno, licet de jure „ secus.

XI. Rectè monet Rebuffus, illud specialiter servari in Regno Galliæ (cui praxis Belgii conformis esse videtur) nam de stylo Curiæ Romanæ, si beneficium quod resignatur, incapax sit pensionis, vel non totam capiat, reservari consuevit pensio ipsa, etiam super fructibus alterius beneficii, quod obtinet Resignatarius; vel saltem una pars super beneficio resignato, & altera super alio beneficio, & aliquando super beneficio tertii. Ita Pyrrus Corradus in praxi beneficiaria *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 14. ubi pluribus de hujusmodi pensionis reservatione, ejusque praxi agit.

XII. Tractat quoque ibidem *cap.* 3. de pensionis reservatione, quæ dicitur *de consensu*, seu ex causa *lucrativa*; quæ ita vocatur, dum pensio de *consensu* Titularis reservatur Apostolicâ auctoritate, consanguineo, affini vel amico &c. super fructibus beneficii.

Formulam supplicationis pro reservatione hujusmodi pensionis ibidem integram exhibet, ejusdem clausulis præcipuas exponens; dicitque *n.* 4. " Illud in hac praxi non „ oscitanter advertendum, quòd hujusmodi pensionum „ reservationes semper ferè in *Dataria* Apostolica fuerint „ habitæ pro *fraudulentis*; unde non semel in ea vidimus „ (ait) supplicationes ad id porrectas rejici, sive ad favorem „ consanguineorum Titularis, sive aliorum quorumcúmque." Rationes, ob quas meritò ut suspectæ habeantur hæ reservationes, ibidem subjungit.

XIII. Belgium hujusmodi reservationes pensionum non novit: nec eas in Gallia admitti ex hactenus dictis sat manifestum est; quandoquidem ibi pro regula & quasi lege invaluerit, quod pensio constitui non possit, etiam per Papam & de consensu Titularis, ad commodum ejus, qui *nullum* habet vel prætendit jus in beneficio.

XIV. Quandoquidem pensio sit dumtaxat onus aliquod adinstar cujusdam servituris beneficio impositæ, ratione cujus ipse Titularis tenetur pensionem annuam Pensionario persolvere, ex omnium Canonistarum sententia, & notoria praxi, extinguitur pensio per liberam & absolutam ipsius Pensionarii remissionem sive renuntiationem.

XV. Potest hæc remissio fieri sine auctoritate Papæ aut cujusvis alterius; tametsi pensio per Papam esset reservata; uti monet Pyrrus Corradus loco citato *cap.* 4. & latè Gigas De pensionibus *q.* 45. idque licet expresse reservata esset pro alimentis ad commodiorem sustentationẽ; quemadmodum hodiernæ pensiones de stylo Curiæ reservari solent. Garcias de beneficiis *parte* 1. *cap.* 5. *num.* 40.

XVI. Hodie frequentissima, & ordinaria pensionis redemptio est, quæ fit *anticipatis* aliquot annuis solutionibus ipsius pensionis, uti monet Joannes Tornetius in collectione arrestorum *litt. P. num.* 93.

XVII. Et hæc pensionis extinctio seu remissio fieri consuevit coram Pontifice ejúsque auctoritate, uti notat post Garciam Pyrrus Corradus in Praxi Benefic. *Lib.* 5. *capite* 4. qui & ibidem exhibet formulam supplicationis & Signaturæ super extinctione sive cassatione pensionis.

In supplicatione primò exponit Supplicans seu Orator, quod sibi certa pensio auctoritate Apostolicâ super fructibus beneficii N. reservata fuerit, ac tum subjungit: " Ex „ certis causis animum suum moventibus cassationi, extinctioni & annullationi dictæ pensionis annuæ, illiúsque „ reservationi hujusmodi in S. V. manibus sponte, & liberè; nonnullis tamen anticipatis, seu anticipandis solutionibus & non aliàs nec alio modo consentire proponat, & „ ex nunc etiam consentiat. Supplicat igitur &c.

XVIII. Dicitur indeterminatè, *anticipatis seu anticipandis nonnullorum dictæ pensionis terminorum solutionibus*: nam uti advertit Tornetius in collectione arrestorum *num.* 93. hæc anticipatio diversimodè non determinatur; nam nunc quatuor nunc quinque vel sex, interdum etiam septem terminorum anticipationes fiunt. In his enim certa regula non est. Verba Tornetii sunt: " Pour à la quelle extinction en rachapt parvenir on baille ordinairement par „ forme d'avance, on anticipation quelques années de la „ pension diversement limitées: tantost 4. 5. 6. ou au plus 7. „ années: Mais en cela il n'y a regle certaine, ny asseurée; „ comme dependant de l'age, qualité, disposition, & volonté, tant de celui qui reçoit, qui de l'autre payant de la „ pension. Id est: Ad quam redemptione extinguendam, ante tempus & ad modum anticipationis solent persolvi aliquot anni pensionis diversimodè limitati, modò 4. 5. 6. aut ad ut summum 7. anni. Verùm in similibus nulla certa aut fixa regula est, utpote pendent ab ætate, qualitate, dispositione & voluntate tam ejus qui recipit, quam qui persolvit pensionem.

XIX. De

y Google

XIX. Deinde adjungit: "Toute fois dedans la Signature „ qui s'en delivre, & procure expedice pour cet effect, il n' „ est parlé de la convention de *prix*: car cela impliqueroit Si„monie. "Id est: Tamen in chirographo quod traditur, aut procuratione in eum finem constituta, nulla conventionis de pretio fit mentio; hoc enim Simoniam involveret.

XX. Verùm anticipatæ solutiones Terminorum ita constitui solent, ut justum *pretium* seu *capitale* annuæ pensionis solvatur, ad eum pene modum, quo similis quantitatis annui reditus vitalitii redemptio fieret ut notat Tornetius: atque hoc pacto fit, ut ipse Pensionarius mediante hâc redemptione, æquè ex beneficio resignato notabilem pecuniæ summam consequatur, quàm si de una summa determinata conventum fuisset.

XXI. Hinc qui mediante hac redemptione pro resignato beneficio aliquot centenos, aut etiam millia florenorum accipit, sæpè quidem in oculis hominum subtilius & honestius mercari videtur, quàm qui cum Resignatario de una & certa pecuniæ summa convenit: at verendum est, ne in oculis ejus, cui omnia nuda & aperta sunt, non minus sæpè culpabilis & Simoniacus habeatur. Quin & vulgus, qui sepositâ hâc inter determinatam summam pecuniæ, & *anticipatas* terminorum annuæ pensionis solutiones distinctione, simplici, & vulgari modò de his judicat, solet hujusmodi Pensionarios & Resignantes æquè pro beneficiorum venditoribus habere, quàm si determinatam summam pecuniæ pro beneficio accepissent.

XXII. Adhæc, si attendamus profanum modum, quo hæ *anticipatæ* terminorum solutiones determinantur, non secus atque redituum temporalium redemptiones: & quomodò sæpissimè, si non expressè, saltem *tacitè* super pensionis redemptione convenitur; eumque in finem solicitè quærantur Resignatarii, qui sciuntur sufficientes, ut pensionem multis anticipatis solutionibus redimant, fateri cogemur, rarò has pensionum redemptiones à Simonia esse immunes; tametsi nullius determinati & conventi *pretii* in supplica aut Signatura mentio fiat.

XXIII. Fateturque ipse Gigas De Pensionibus *quæst.* 87. quod "Renuntiantes Beneficia *ea intentione*, ut sibi „ reservetur pensio demum extinguenda pro certis *an*„*ticipatis* solutionibus; & ita paciscentes procul du„bio *Simoniam* committant, cùm dent temporale pro „ spirituali.

XXIV. In Signatura super extinctione aut cassatione pensionis apponi solet hæc clausula: *quod sola præsentis supplicationis Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio & extra regulâ contrariâ non obstante.*

XXV. Ratio hujus styli communiter refunditur in favorem extinctionis pensionum. Indubiè favorabile est, beneficia odiosis illis hodiernis pensionibus non gravari; sed eas extingui seu redimi per similes *anticipatas* solutiones, quæ re ipsâ *pretium* quoddam beneficii conficiunt, ipsâ pensione odiosius est.

XXVI. Et si has pensionum redemptiones, quæ sub specioso titulo *anticipatarum* solutionum fieri consueverunt, sepositis præjudiciis, quæ ex communi praxi ingeruntur, expendamus, reperiemus eas vix aut ne vix quidem à formali venditione & emptione Beneficiorum distingui: & consequenter auctoritate Superiorum à Simonia difficulter purgandas.

Quid enim interest, uti supra monuimus, num certa summa pecuniæ detur per modum *pretii*, an verò eadem detur sub nomine *anticipatarum* solutionum: nisi Simoniam non in re, sed in verbis sitam esse dicamus.

Unde & has pensionis redemptiones magis odiosas, magisque de Simonia suspectas esse, quàm ipsasmet pensiones, dubitari nequit.

Quod enim alicui pauperi Parocho de Ecclesia bene merito, & amplius laborare non valentibus aliqua pensio *alimentaria* assignetur, nullatenus sanè improbari potest; neque speciem mali ingerit: sed quod Resignanti Beneficium aliquot millium florenorum summa numeretur, indubiè venditionem & emptionem Beneficii sapit; quocumque tandem prætextu coleretur.

XXVII. Quare etsi in Canonibus & Patribus aliqua pensionum exempla reperiamus, nullum tamen hujusmodi redemptionis vestigium, nequidem in libris nostri Juris Canonici occurrit; ita ut admodum verisimile sit hanc redimendi praxim labentis disciplinæ fœtum esse, qui nonnisi ad palliandam venditionem & emptionem beneficiorum servire consuevit: idque non sine summo Fidelium scandalo, qui hujusmodi redemptiones, non nisi veras beneficiorum nundinationes reputant.

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

CAPUT I.

De Varia Specie Unionis, & quorum auctoritate facienda?

1. *Quid Unio Beneficiorum.*
2. *Varia species unionum; & quare harum conveniens notitia.*
3. *Unio alia* perpetua, *alia* ad vitam; *& hujus descriptio.*
4. *Unio* ad vitam *non est propriè unio; sed pallium pluralitatis Beneficiorum.*
5. *Non admittitur in Gallia aut Belgio.*
6. *Unio* perpetua *qua?*
7. *Per hanc interdum duo Beneficia in unum conflantur.*
8. *In hac unione jura & privilegia Ecclesiarum unitarum conservantur.*
9. *Unio per* suppressionem *potius est extinctio Beneficii, quàm unio: & qui hujus effectus.*
10. *Quomodò fiat unio accessoria;*
11. *In hac unione Beneficium unitum est* minus *principale; nec in impetratione exprimi debet.*
12. *Unio quando fiat* æquè principaliter?
13. *Beneficia ita unita debent in impetratione exprimi; & in omnibus manent in suo statu.*
14. *Quomodò dignosci possit species unionis.*
15. *Clausula unionis præservans exsolutionem onerum Beneficii uniti.*
16. *Onera censentur præservata quatenus cum unione consistere possunt.*
17. *Unio Beneficiorum auctoritate Superioris facienda.*
18. *Unio Beneficiorum consistorialium hodie Sedi Apostolica reservata.*
19. *De jure Episcopo competit unio Beneficiorum sua Diœcesis.*
20. *Etiamsi essent ad Pontificem ob neglectam collationem devoluta.*

21. *An Episcopus Beneficia* suæ collationis *unire queat?*
22. *Beneficia* exempta *Episcopus unire non potest.*
23. *Poterit unire tametsi Collator sit exemptus; si Beneficia non sint exempta.*
24. *Sede vacante auctoritas uniendi spectat ad Capitulum.*
25. *Metropolitanus se immiscere nequit; nisi in casu appellationis.*
26. *Inferioribus auctoritas uniendi ex privilegio vel consuetudine competere potest.*
27. *Rex Galliæ unit Beneficia* pleno *jure ad suam collationem spectantia.*

I. Beneficiorum unio describitur à Rebuffo in Praxi *parte* 1. *titulo De Unionibus*, quem alii Canonistæ communiter sequuntur, beneficiorum seu Ecclesiarum ab Episcopo vel alio Superiore facta annexio.

II. Variæ unionis species à Canonistis notantur, quarum notitia quodammodo necessaria est pro intellectu Canonum de unione loquentium: eò quod pro diversitate unionum, etiam diversi effectus unionis passim occurrant.

III. Imprimis unio alia est temporalis & personalis, alia perpetua & realis.

Illa dicitur, quæ ad aliquod dumtaxat tempus, v. g. ad vitam alicujus fit; estque eo titulo *personalis*, quod imprimis ad vitam certæ *personæ* restringatur, & quod in commodum & favorem *personæ* dumtaxat facta censeatur: & sic fit, ait Rebuffus *num.* 9. contemplatione personæ; & per ejus mortem expirat.

IV. Hæ uniones temporales in favorem personæ, ante Synodum Tridentinam erant non parum frequentes; atque earum pallio passim tegebatur beneficiorum pluralitas: & uti rectè advertit Fagnanus ad *Cap.* EXPOSUISTI ※ *De Præbendis num.* 7. *Unio ad vitam non est propriè unio, sed magis quædam* PALLIATA *dispensatio.*

Unde Synodus Tridentina pluralitatem beneficiorum incompatibilium interdicens *sess.* 7. *cap.* 4. *De Reformat.* etiam vetat, plura Beneficia similia per *viam unionis ad vitam* recipere aut retinere; uti supra *titulo* 20. *cap.* 3. monui.

V. Scripsit quoque jam pridem Rebuffus secutus Glossam Pragmaticæ Sanctionis, has uniones non recipi in Francia: quia sapiunt reservationes: nam reservatur beneficium illi, in favorem cujus fit unio ad vitam. Deinde infrà *num.* 46. dicit, quòd "si factæ sint, ab iis appellatur tamquam „*ab abusu*: & Senatus eas abusivas & irritas pronuntiat." De qua consuetudine passim testantur Pragmatici Galliæ. Neque hîc in Belgio ullus est harum unionum temporalium & personalium usus.

VI. Unio perpetua sive realis est, quando exprimitur ut perpetuò duret; vel quando dicitur, *ad perpetuam rei memoriam*; vel si fiat contemplatione Ecclesiæ, quæ non moritur. Rebuffus *num.* 7. additque *num.* 10. "Et in dubio „præsumitur facta contemplatione Ecclesiæ: quia Ecclesiæ „magis favendum est, quàm personæ.

De hac sola unione facta contemplatione Ecclesiæ, vel beneficii hîc agetur; eaque propriè unionis nomine venit, dum de beneficiorum unione tractatur.

VII. Hæc unio tribus potissimùm modis fieri potest. Primò ut ex duobus beneficiis unum fiat: ut puta, si sint duæ Parochiales "proximè vicinæ destructæ per bellum, uniri „poterunt; ut una fiat ex duabus." Ita Rebuffus *numer.* 11.

VIII. De hac specie unionis loquens Fagnanus ad *Cap.* NOVIT ※ *De Sede vacante* &c. *num.* 3. ait: quod dum hoc modo Ecclesiæ uniuntur, "consuetudines & privilegia „quæ meliora & humaniora sunt in altera earum, debent „uniri & retineri in unitate. Sive ut loquitur Rebuffus „loco citato: "privilegia data uni competent & alteri, & „quando sunt plura, honestiora & favorabiliora servabuntur.

IX. Interdum beneficium aliquod ita unitur per omnimodam *suppressionem*, quæ non tam unio, quàm extinctio & suppressio beneficii dicenda est. Ut puta, cum Canonicatus supprimitur, & erigitur in dignitatem. Quo casu ipse Canonicatus planè extinguitur, & nova dignitas erigitur, cui proventus seu Præbenda Canonicatûs annectuntur vel incorporantur. Hinc nullum jus Canonicale simili casu competit ipsi Dignitatis possessori; utpote titulo Canonicali per suppressionem penitùs extincto. Et ita in Belgio plures sunt Decanatus & Præposituræ, qui per extinctionem unius alteriusve Canonicatûs fuère erecti; nullum tamen jus Canonicale habent; proventibus Canonicatûs exceptis.

X. Alio modo fit unio, ut dum Ecclesia una alteri subjicitur: eamque Doctores communiter appellant, *accessoriam* seu *subjectivam*, per quam beneficium annexum amittit nomen beneficii: quamvis beneficium non omninò supprimatur; sed maneat in sua integritate, tam quoad onera, quam jura & proventus.

XI. Hoc casu Ecclesia illa cui fit unio, erat superior & principalis, unita verò erit inferior & accessoria; uti notat Rebuffus *num.* 12. qui addit: "Et postea si quis velit impe„trare hæc duo beneficia, oportet quod exprimat principa„le, aliàs si accessorium, non valeret impetratio: quia illud „non vacat, cum sit alteri unitum. Nec in vim illius „clausulæ, *quod major expressio fieri possit*, hoc corrigi po„terit: ideo nova impetratione opus erit. Sic vidi in praxi, „& de stylo Curiæ Romanæ.

Hæc Rebuffus, qui *numer.* 14. tamquam consequens ulterius deducit, nec esse opus in impetratione principalis Ecclesiæ exprimere unitum *accessoriè*; secus si æquè principaliter.

XII. Tunc autem *æquè principaliter* unitæ censentur Ecclesiæ, quando unio Ecclesiarum sic fit, ut utraque in suo statu integro maneat, prout erant ante unionem: nihilque nec quoad unam, nec quoad alteram immutatur: remanentque duo vera distincta beneficia; ita tamen ut post unionem, unus idemque sit futurus utriusque beneficii rector, sive Titularis.

XIII. Unde in impetratione opus erit utriusque expressione: omniaque jura & onera utriusque in Rectorem transeunt.

Hinc infert Fagnanus ad citatum Cap. *Novit.* quod si duo Episcopatus *æquè principaliter* uniti, ante unionem suberant duobus Metropolitanis, propter hanc unionem neuter Metropolitanus perdit jus suum.

XIV. Ut vero sciatur, quâ specie unionis Beneficia sint unita, convenit imprimis inspicere & examinare ipsas litteras unionis; quarum tenor potissimum attendendus est & sequendus: è quo similiter conditiones ipsius unionis petendæ sunt.

XV. Quocumque enim modo unio Ecclesiarum fiat, solent in ipso unionis instrumento exprimi nonnullæ conditiones, & onera ratione uniti Beneficii exsolvenda.

Hinc invaluit communis illa clausula in unione Ecclesiarum Parochialium Monasteriis & Capitulis; quæ olim frequentiùs facta fuit, hodie rariùs conceditur: "*Reservata tamen de fructibus, redditibus, pro„ventibus, juribus, obventionibus hujusmodi pro Vi„cario perpetuo in ea constituendo congruâ portione, ex „qua idem Vicarius commodè sustentari valeat, jura „Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera „supportare.*

Ita refert Rebuffus ad Regulam Cancellariæ *De Unionibus num.* 17. Quæ clausula adjicitur, ut oneribus beneficii Parochialis unio satisfiat; de qua latiùs infrà titulo

De

De Portione congrua Vicariorum; quæ ex hac clausula originem suam traxit.

XVI. Quin in omni passim unione adjicitur clausula, de oneribus beneficio unito incumbentibus *congruè* supportandis. Quæ ipsam *onerum* supportationem ita moderatur, ut cum ipsa unione consistere queant; videturque satisfieri istis oneribus, si supportentur, quatenus cum ipsa unione consistunt; quemadmodum ostendit Zypæus *Consult.* 3. *De Excessibus Prælatorum*; notatque verba hæc, *congruè supportentur*, prædictæ clausulæ de supportandis oneribus inserta, omnes controversias circa exsolutionem onerum ipsi beneficio unito incumbentium ad arbitrium boni viri revocare: ut is expendat, num hæc onerum persolutio cum ipsa unione consistere queat; an non potiùs censeri debeat, per eam unionem exsolutioni quorundam onerum derogatum: quemadmodum illis juribus Episcopalibus per unionem derogatum credit Rebuffus; "quæ salva esse non „possunt, validâ existente unione: quia illis censetur dero„gatum propter repugnantiam. "Ad Regulam Cancellariæ *De Unionibus Glossa* 11. *n.* 13.

XVII. Cùm autem per unionem semper fiat aliqua quasi ipsorum Beneficiorum alteratio, ideo eam sine Superioris auctoritate fieri non posse unanimi Canonistarum sententiâ receptum est.

XVIII. Imprimis verò unionem Beneficiorum fieri posse auctoritate Romani Pontificis, dubitat nemo. Imò sicuti hodierna disciplina majora quædam beneficia, ac præsertim Episcopatus, & quæ *consistorialia* dicuntur, Sedis Apostolicæ provisioni reservavit; ita & auctoritas hujusmodi beneficia uniendi ad Pontificem *privativè*, & cum exclusione inferiorum devoluta est. Notatque Fevretius *lib.* 2. *De Abusu cap.* 4. *num.* 5. quòd si Archiepiscopi, Episcopi aut alii Prælati processissent ad unionem similium beneficiorum *potestate ordinaria*, totum declararetur *nulliter* & *abusivè* factum: quamvis & ipse Fevretius ibidem dicat, se nequaquam velle inficiari, quin secundùm pristinam disciplinam, Primates & Metropolitani subinde auctoritate *propria* univerint hujusmodi majores Prælaturas. Constat enim (ait) S. Remigium erexisse Sedem Episcopalem Laudunensem de consilio suorum Episcoporum Suffraganeorum suæ Provinciæ, *uniendo* eidem partem suæ Diœcesis, nullâ aliâ interpositâ superiore auctoritate.

Interim disciplinam reservantem unionem Episcopatuum Romano Pontifici stabilitam fuisse tempore Celestini III. probat ejus responsum relatum in *Cap.* SICUT UNIRE ☧ *De Excessibus Prælatorum*, ubi evidenter supponit, unire Episcopatus ad Sedem Apostolicam spectare: verba ejus sunt: "Sicut unire Episcopatus, atque potesta„ti subjicere alienæ, ad summum Pontificem pertinere dig„noscitur: ita Episcopi est Ecclesiarum suæ Diœcesis unio „& subjectio earum.

XIX. Sicuti ex hac Decretali concluditur, unionem Episcopatuum ad Romanum Pontificem spectare; ita ex eadem concludunt uno consensu Canonistæ, ad Episcopum spectare unire beneficia suæ Diœcesis: idque conformiter ad eam Regulam, quæ Episcopo totum regimen, omnemque circa beneficia suæ Diœcesis ordinationem & dispositionem defert, nisi ostendatur speciali titulo & jure ad alios esse devolutam.

XX. Unde post alios citatos statuit Barbosa *lib.* 3. *Juris universi cap.* 16. *num.* 31. "Episcopum posse unire benefi„cia suæ Diœcesis, quamvis eorum collatio ob Episcopi ne„gligentiam esset devoluta ad Papam, quod alio jure devol„vatur, alio uniatur. Devolutio enim concernit titulum, im„peditque, ne Episcopus illud in titulum dare valeat: unio „autem respicit proprietatem. "Hæc ille; quibus addi potest, quod Episcopo sua maneat salva auctoritas, quousque probetur adempta. Ob negligentiam autem in conferendo probatur, quidem Episcopum jure collationis excidere; sed non probatur, eum excidere jure uniendi: adeòque hoc salvum manet.

XXI. Dicitur à Congregatione Cardinalium aliquando declaratum, Episcopum non posse unire Seminariis beneficia ad *suam* collationem spectantia; cujus declarationis meminit Zypæus in Jure novo tit. *De Excess. Prælat. n.* 2. dicitque ita resolutum fortè "quod alioqui in hujusmodi alie„natione nullus superior alienantis intervenire videatur, „sicut Episcopus intervenit in iis, quæ sunt alienæ collatio„nis. "Contrarium tamen in praxi servari notat.

XXII. Quòd unio beneficiorum spectet ad ea quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, dubium non est.

Hinc statuunt Canonistæ, praxisque conformis est, quod Episcopus beneficia à sua jurisdictione exempta, auctoritate ordinaria unire nequeat. Unde Rebuffus *De Unionibus num.* 22. postquam dixit, ad Episcopum beneficiorum unionem spectare, subjicit: "Dummodò beneficia non sint „*exempta*, quia tunc ad Papam unio pertinet.

XXIII. Notandum hic, non sufficere, quod beneficia forsan spectent ad collationem aut præsentationem Exemptorum; aut sint fundata in eorum Ecclesiis, aut illis annexa, ut Episcopi uniendi auctoritate priventur; sed requiritur, quod ipsa beneficia sint reverâ *exempta*. Posse autem nonnumquam beneficia quædam esse, præsertim Curata, in Ecclesiis Exemptorum, quæ tamen ipsa non sint exempta, ostendetur infra *parte* 3. *titulo De exemptionibus*.

XXIV. Cum unio beneficiorum fiat auctoritate ordinaria; atque Capitulum Sede vacante succedat in ea quæ sunt auctoritatis & jurisdictionis, rectè inferunt Canonistæ, posse Capitulum Sede vacante, auctoritatem unioni præstare; dummodò per eam juri Episcopali nihil detrahatur. Rebuffus *De Unionibus numer.* 36. & De Devolutionibus *num.* 100.

XXV. Refert Renatus Choppinus in suo Monastico *lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 16. *abusivam* declaratam unionem domus cujusdam Eremiticæ Diœcesis Suessionensis factam ab Archiepiscopo Remensi Sede Suessionensi vacante, auctoritate Metropolitica. "Nec enim Archipræsuli jus esse conten„dunt, Sacerdotia Fanave sibi invicem copulare in alieno, „Suffragantium etiam illi Episcoporum, territorio. Vacuo „item Episcopi Solio, juridica ejus potestas defertur Epis„copali Sodalitio, unionisque Templorum, judicio statuen„dæ ex legitimis causis. Neque hoc cognitionum genus „nominatim, vacante Cathedra inferioris Præsulis, devol„vitur ad Archipræsulem superiorem.

Si autem ipse Episcopus, aut Capitulum Sede vacante unionem petitam facere recusaret; posset ab hac recusatione, si injusta videatur, ad Metropolitanum tamquam Superiorem appellari; & tunc ipse de unione statuere posset.

XXVI. Inferiores verò Prælati, quantumvis exempti, & beneficiorum collatores uniendi auctoritate destituuntur; nisi eam auctoritatem præscripserint, uti notat Rebuffus De Unionibus 32. subdens *num.* 33. "Jura enim Episcopalia „inferiores præscribere non prohibentur *Cap.* AUDITIS ☧ „*De præscrip.* sed titulus requiritur, vel tempus immo„moriale.

Hoc titulo Rex Galliæ sua auctoritate procedit ad unionem beneficiorum, quæ *pleno jure* ad ejus spectant collationem; uti ex Molinæo refert Fevretius *num.* 20. asseritque Henricum IV. attentis modicis proventibus Decanatus S. Quintini, eidem sua auctoritate univisse duas Præbendas.

CAPUT II.

De causis Unionis; & quæ Beneficia uniri possint?

1. *Unio Beneficiorum qua ratione odiosa?*
2. *Fieri nequit sine justa causa.*
3. *Decretum Synodi Tridentinæ contra uniones sine justa causa factas.*

4. Hoc

4. *Hoc Decretum evincit, uniones non faciendas nisi ad utilitatem Ecclesiarum.*
5. *Ordinarii previè de causis unionis inquirere debent.*
6. *Unio facta ab Ordinariis ut se à danda portione congrua liberent, suspecta.*
7. *Unio beneficii facta ab Episcopo* suæ mensæ *irrita est.*
8. *Ordinarius praviè expendere debet conditionem beneficiorum.*
9. *Beneficiis simplicibus ut annecteretur Officium, vel ut unirentur in Synodo Tridentina propositum.*
10. *Unionem similium beneficiorum probavit Synodus Tridentina.*
11. *Eadem Synodus ostendit, aliorum beneficiorum unionem non facilè esse admittendam.*
12. *Specialiter vetuit Ecclesiarum Parochialium incorporationes.*
13. *Unio duarum Ecclesiarum Parochialium ob earum paupertatem admittitur in Gallia.*
14. *Decretum Synodi Mechliniensis de hac unione.*
15. *Hoc Decretum tantùm est* provisionale; *eoque subinde abutuntur Ordinarii.*
16. *Beneficiorum situs in unione attendendus; & eo faciliùs admittenda unio Ecclesiarum, quo sibi viciniores.*
17. *Facilior unio beneficiorum ejusdem Ecclesiæ quàm diversarum.*
18. *Beneficia diversarum Diœcesium uniri vetat Synodus Tridentina.*
19. *Beneficia unius Regni non sunt unienda Beneficiis alterius Regni.*
20. *Beneficia* libera *non unienda beneficiis juris patronatus.*
21. *Nisi salus animarum aliud postulet.*
22. *Synodus Tridentina vult uniones factas ex* non legitimis *causis revocari.*
23. *Auctoritate regia unio subinde declaratur* nulla *post lapsum sæculi.*

I. UNionem Beneficiorum esse *odiosam*, unanimis est Canonistarum sententia, tum quod per eam minuatur numerus Ministrorum; tum quia beneficia instituta sunt, ut singula suum habeant ministrum. Quin & unionem esse quamdam speciem alienationis, notant Canonistæ: eo quod beneficium unitum quodammodò per ipsam unionem supprimatur, aut ut minus ita alteretur, ut primævam suam naturam & conditionem amittat.

II. Hinc ulterius concludunt, quod unio quoniam odiosa est & à communi Ecclesiarum utilitate aliena, numquam nisi ex magna & necessaria causa permitti debeat: ita Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Definit. 48.* Et Rebuffus in Praxi parte 1. *tit. De Unionibus num. 38.* asserere non dubitat, unionem *duabus* duntaxat ex causis fieri posse, videlicet si evidens sit necessitas vel utilitas; idque conformiter ad responsum Honorii III. in *Cap. 33. X. De Præbendis* ubi respondit Episcopo Vesprimensi, quod Præbendis Ecclesiæ suæ Cathedralis unire possit Capellas, *si evidens necessitas vel utilitas exigat.*

III. Synodus Tridentina attendens, passim factas fuisse uniones Ecclesiarum & beneficiorum non tam ob utilitatem aut necessitatem ipsarum Ecclesiarum, quam in personarum favorem & commodum; atque ex indiscretis unionibus multas Ecclesias suis necessariis Ministris destitutas, statuit *sess. 7. cap. 6. De Reformat.* "Uniones perpetuæ, à quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tamquam à Sede Apostolica delegatis, possint: & quæ per surreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò, quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut aliàs rationabilibus causis, coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per surreptionem obtentæ præsumantur: ac propterea nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant.

IV. Ex hoc Decreto habetur primò, nullas uniones perpetuas esse admittendas, nisi ex *causis legitimis*, aut *aliàs rationabilibus*: Legitimæ autem censentur, quæ à Canonibus probantur; quæ scilicet utilitatem aut necessitatem Ecclesiarum, non autem favorem privatorum, aut proprium ipsorum Prælatorum commodum respiciunt.

V. Secundò ex ipso Decreto patet, ipsos Ordinarios priusquam ad unionem procedant, inquirere, & expendere debere, num legitimæ aut aliàs rationabiles causæ unionis faciendæ subsint: adeoque ipsos quodammodò judices constitui, qui judicent de sufficientia causæ.

Hìc autem ita se gerere debet Ordinarius, ne appareat, ipsum *plus favisse personæ, quàm Ecclesiæ*, uti in simili loquitur Pontifex in *Cap. 1. X. De Sede vacante.*

VI. Hanc suspicionem facilè incurrunt Episcopi aliique Prælati, qui facilè uniones beneficiorum admittunt, ut à danda pensione, sed congrua portione se eximant: non tam expendentes, quid Ecclesiarum utilitas, aut populi salus, & cultus Divinus exigant, quàm quid proprium interesse requirat. Monetque Rebuffus *Consilio 193.* quod non "inveniatur à jure causa ea approbata, ut unio fieri possit ad extinguendam pensionem, vel lites sedandas: cum enim sint frequentes controversiæ inter Episcopum & Capitulum, frequenter Episcopi unirent, ut se pensione, vel lite liberarent, quod esset injuriosum & damnosum Ecclesiæ.

VII. Hinc & in *Clementina 2. De Rebus Ecclesiæ non alienandis* declaratur; "quod si Episcopus (sui etiam Capituli accedente consensu) mensæ suæ vel ipsi Capitulo aliquam duxerit Ecclesiam uniendam: hoc irritum esse decernimus & inane, contraria quavis consuetudine non obstante.

Id indubiè hac ratione decretum est quod, hujusmodi unio potiùs ex proprio interesse, quam Ecclesiæ utilitate fieri præsumatur.

VIII. Porrò, ut Ordinarius hic rectè procedat, necesse est, ut beneficiorum, de quorum unione sive conjunctione agitur, conditionem & qualitatem expendat.

Nec enim dubitari potest, quin minor ratio sufficiat, uniendi beneficia simplicia, quæ nullum speciale onus, nisi celebrationis Missarum annexum habent; & frequenter non nisi otiosis sacerdotibus intertinendis serviunt, quàm uniendi beneficia Curata, aliaque quorum possessor ad obeunda Ecclesiæ munia specialiter adstringitur.

IX. Unde & legitur nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Synodi Tridentinæ fuisse propositum, ut beneficiis, quorum "Possessores nullo tenentur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum consilio Capituli curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius videatur, ea beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis uniat. "Habetur in libello cui titulus: *Memoires pour le Concile De Trente pag. 372.*

X. Videmusque, in Synodo Tridentina, cum de augendis proventibus Ecclesiarum Parochialium, aut etiam aliorum majorum beneficiorum, aut etiam fundandis Seminariis ageretur, passim beneficiorum simplicium mentionem fieri, quorum unione beneficiis hujusmodi tenuibus succurratur; uti videre est *sess. 24. cap. 13. De Reformat.* item *cap. 15.* ejusdem sessionis, ubi agens de Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis Insignibus, ubi frequentes & adeo tenues sunt. Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui, pro loci & personarum qualitate non sufficiant, permittit Episcopis cum consensu Capituli aliquot *simplicia* beneficia unire.

Rur-

Digitized by Goo

Rursus *sess. 23. cap. 18. De Reform.* de erectione seminariorum vult, ut pro congrua eorum dotatione, Episcopi beneficia aliquot *simplicia*, seminario seu collegio applicabunt & incorporabunt: de qua unione seu incorporatione actum est titulo 11. cap. 3.

XI. Hinc sat intelligitur, unionem hujusmodi beneficiorum haud difficulter admisisse Synodum Tridentinam; quæ tamen aliorum beneficiorum haud facilè admittendam sat insinuavit; signanter citato *capit.* 13. Cum enim comperisset plerasque Ecclesias Cathedrales tam tenuis reditus esse & angustas, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant, voluit per Concilium Provinciale diligenter expendi, quas propter angustias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmissis instrumenta ad summum Pontificem mitti: quibus instructus Summus Pontifex, ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat.

Post hæc subjungit, quid interim causa pendente faciendum, ut his tenuibus Ecclesiis Cathedralibus succurratur. "Interim verò donec prædicta effectum sortiatur, hujusmodi Episcopis, qui fructuum subventione pro diœcesis suæ tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus, & præbendæ, nec monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quæ Capitulis generalibus & certis visitatoribus subduntur à Summo Romano Pontifice provideri.

Hic sufficienter ostendit Synodus, admodum difficulter, & non nisi gravi de causa, uniones hujusmodi beneficiorum faciendas, ut tenuitati aliorum beneficiorum succurratur; cum nequidem velit per Romanum Pontificem vel ad tempus duntaxat, aliquid ex fructibus illorum beneficiorum detrahi, quo Episcopis, *qui fructuum subventione pro Diœcesis sua tenuitate indigent* provideatur.

XII. Ulterius, quia præ cæteris convenit, ut singulis Parochialibus Ecclesiis suus verus ac perpetuus Pastor seu Parochus præsit; compertumque esset, per uniones & incorporationes beneficiorum Parochialium Monasteriis, Capitulis, aliisque Corporibus vel beneficiis evenisse, ut multæ Ecclesiæ Parochiales destituerentur suis propriis Pastoribus; idque cum notabili animarum detrimento; decrevit speciatim Synodus eodem *capite* 13. ne posthac hujusmodi uniones fierent; & factæ ab Ordinariis revideantur, verba sunt: "In unionibus verò quibuslibet seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ Parochiales monasteriis quibuscumque, aut Abbatiis, seu dignitatibus, sive præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel collegiatæ, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus, militiisve non uniantur; & quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordinariis juxta aliàs decretum in eadem Synodo sub fel. rec. Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempore citra æquè observetur: non obstantibus in iis quibuscumque verborum formis, quæ hic pro sufficienter expressis habeantur.

XIII. Hoc Decreto vetari beneficii Parochialis unionem, rectè advertit Renatus Choppinus De Sacra Polit. *lib.* 2. *numer.* 14. "excepto tamen (ait) si Canonicatus hujusmodi adjungatur alteri Parochialis Ecclesiæ regimini, cujus Pastor alioquin Rectorque Ecclesiæ suis reditibus commodè ali nequiret: art. 22. & 23. Edicti Blesensis anno 1579.

XIV. Simile quid decernit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *capit.* 3. ubi postquam mandavit Episcopus, ut Rectoribus Ecclesiarum Parochialium provideatur de competentia, subjungit: "Ut verò hæc omnia perfici possent licebit Episcopis per unionem vicinarum & minorum Ecclesiarum, aut simplicium beneficiorum, vel per concessionem deservituratum, & aliàs propter idoneorum Sacerdotum raritatem per modum provisionis providere.

Hic permittit unionem Beneficii Curati alteri Curato non dubium; idque interdum fieri posse ob earum paupertatem sat innuit Synodus Tridentina *sess.* 21. *cap.* 5. *De Reform.*

XV. Illud nihilominus notandum, eam unionem à Synodo Mechliniensi duntaxat per *modum provisionis* permitti: cum scilicet alio modo Parochialibus Beneficiis provideri nequit. Quare multum à Synodorum mente recedunt Episcopi, dum ipsas Ecclesias Parochiales uniunt; aut uni plurium deservituram concedunt non sine notabili Incolarum incommodo, ut sese à danda congrua portione eximant, suæque Mensæ majorem partem decimarum applicent.

XVI. Non tantùm beneficiorum qualitas discutienda est, priusquam ad unionem procedatur; sed & situs.

Quin Ecclesiæ Parochiales eo faciliùs uniri queant ob eorum paupertatem, quo sibi viciniores sunt, evidens est: eò quod ob majorem inter se contiguitatem, unus queat utrique minore cum incommodo & difficultate deservire.

XVII. Similiter unio Canonicatus cum Dignitate, aut Parochiali beneficio in eadem Ecclesia ex eadem ratione faciliùs admitti potest, quàm hujusmodi beneficiorum in diversis Ecclesiis existentium: & passim videmus Canonicatus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis unitos Dignitatibus & Beneficiis Parochialibus.

XVIII. Ulterius ut Ecclesiasticus ordo non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesium fiat, non sine gravi eorum incommodo qui illi subditi fuerint, statuit Synodus Trid. "Beneficia unius Diœcesis etiam ratione augendi cultum Divinum, aut numerum Beneficiatorum, aut alia quacumque de causa, alterius Diœcesis Beneficio, Monasterio, seu Collegio vel loco etiam pio perpetuò non uniantur *Sess.* 14. *c.* 9.

XIX. Et quia & non exigua essent timenda incommoda si duobus supremis Principibus eadem Ecclesia esset subjecta, haud quaquam Beneficium unius Regni beneficio alterius Regni uniendum est.

"Si Legatus vellet unire beneficium in Regno situm Abbatiæ vel Episcopatui existenti in alio Regno vel Principatu, facere non posset sine Regis consensu, ait Rebuffus in Praxi titulo *De Unionibus num.* 28. " qui & addit: Et vidi appellari tamquam *ab abusu* in illis unionibus sic factis, etiam post longissimum tempus centum annorum, à Procuratore Regio, qui ita regni commoda prosequitur: & quia hæ uniones semper & quotidie gravant, ideo semper appellatur.

Vide latius Fevretium De Abusu *lib.* 2. *cap.* 4. *numer.* 28. ubi ex Azevedo notat quod etiam in Hispania, *unio facta Ecclesia de Regno alteri Ecclesia extra Regnum, sit nulla.*

XX. Vetat quoque Synodus Tridentina *sess.* 25. *cap.* 9. *De Reform.* fieri accessiones per viam unione de Beneficiis *liberis* ad Ecclesias *juri patronatus, etiam laicorum*, subjectas; ita ut prædicta beneficia *libera* ejusdem naturæ cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub jure Patronatus constituantur.

XXI. Circa hoc Decretum consuli potest Zypæus *Consult.* 5. *De Excessibus Prælatorum*, ubi inter alia notat, quod "si de necessaria dotatione Ecclesiæ Parochialis agatur; neque hæc haberi queat, nisi conjungendo beneficium *liberum* cum beneficio *Juri patronatus* subjecto; ponderandum sit, an libertas illa beneficii, an *Animarum cura*, quæ sine congrua dote sustineri, & illa aliunde haberi non potest, præcellere debeat: Et sine dubio (ait) locus est legi, *salus populi suprema lex esto*, quod eò spectat, prævalet minoribus causis. Unde multis in locis Pastoratibus juris patronatus præsertim Ecclesiastici, non competenter dotatis, beneficia

„ficia *libera*, dum alia non suppetunt, ad dotem congruam „sunt unita.

XXII. Vult ulterius Synodus Tridentina in citato Decreto *sess.7. cap.6.* non tantum, ut posthac nullæ admittantur uniones perpetuæ, nisi *ex legitimis aut aliàs rationabilibus causis*; sed insuper, ut " à 40. annis citra factæ „examinari ab Ordinariis tamquam à Sede Apostolica „Delegatis possint; & quæ per subreptionem vel obreptio„nem obtentæ fuerint, irritæ declarentur.

XXIII. Quin & unionem sine legitima causa factam, etiam post integri sæculi lapsum, aliquando auctoritate Regii Senatus rescissam fuisse, monet Renatus Choppinus *De Sacra Polit. lib. 2. tit. 6. numer. 8.* " Isthic „enim (ait) minus necessariæ rationes primitus impule„rant Ecclesiasticos Præfectos, ut sacra illa beneficia si„mul colligarent. Ideoque in his, aliisve publicam Ec„clesiæ disciplinam spectantibus, non tollitur provocan„di ex abusu facultas *quanticumque* temporis silen„tio." Idipsum dicit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Definit. 49.* addens rationem: *Quia unio semper & perpetuò gravat.*

CAPUT III.

De Solemnitatibus servandis in Unione.

1. *In unione vocandi omnes quorum interest, juxta Regulam Cancellariæ.*
2. *Hac regula ubique recepta.*
3. *Interdum derogatur in Curia Romana huic Regulæ, sed derogatio hæc in Gallia non admittitur.*
4. *Decretum Synodi Tridentinæ in quantum huic derogationi favet non est in Gallia receptum.*
5. *Praxis Belgii in hoc puncto consonat Praxi Gallicanæ.*
6. *Unio etiam auctoritate Pontificia hodie expendenda in forma* commissoria.
7. *Commissio facienda judicibus* in partibus.
8. *Audiendus Episcopus, & alii quoque Collatores.*
9. *Patroni laici non tantùm audiendi; sed & eorum consensus habendus.*
10. *Idipsum in Belgio specialiter à Parlamentis Regiis notatum.*
11. *Procurator Regius in unione beneficiorum audiendus; & quare?*
12. *In Gallia Rex unionem non attendit, si non intervenerit Procurator Regius.*
13. *An in Belgio semper audiendus Procurator Regius?*
14. *An Rector Ecclesiæ necessariò audiendus?*
15. *Utrum Parochiani sint audiendi?*
16. *Licet hi audiendi essent, non tamen exigitur eorum consensus.*
17. *Regula Cancellariæ jubet exprimi in unionibus* verum valorem *beneficiorum.*
18. *Regula quoad hoc recepta in Gallia & Belgio.*
19. *Debet exprimi* verus *valor* utriusque *beneficii; nec derogatio regulæ circa hoc punctum in Gallia recipitur.*
20. *Reservatio non impedit, quominus Episcopus procedat ad unionem.*
21. *Unionis executio non impeditur per* resignationem.
22. *Neque provisio Pontificia cum suspensione unionis hic facile admitteretur.*
23. *Nisi provisio* vacantis *beneficii unionem prævenerit.*
24. *Mandata* de providendo *vel* exspectativæ *unionem non impediunt.*

I. Ne ipsas uniones sine legitimis aut aliis rationabilibus causis fieri contingat, jam pridem cautum fuit per Regulam Cancellariæ *De Unionibus*, *ut semper in unionibus concessio fiat ad partes, vocatis quorum interest*: quod & voluit Synodus Tridentina *sess. 7. cap. 6. De Reformat.* ut ex verbis Decreti capite præcedenti relatis videri potest.

II. Hæc regula velut aptissima ad detegendas fraudes, subreptiones & obreptiones quæ in unionibus contingere possent, ubique recepta est; adeo ut licet ipsa Regula tantum videatur loqui de unionibus quæ fiunt ad petitionem partis, non autem quæ fiunt à Pontifice *motu proprio*, uti notat Rebuffus ad hanc regulam Glossa 1. in Francia tamen *quomodocumque* fiant, requiruntur solemnia quæ in Regula præscribuntur, ait idem Rebuffus.

III. Notat quoque ipse Rebuffus ibidem *Glossa* 10. quod si unio fiat per Papam in forma *gratiosa* non requiratur clausula, *vocatis vocandis*: sed derogatur huic regulæ de unionibus committendis *ad partes*, & ipse Papa facit unionem: *Sed* (ait) *hoc non recipitur in Francia.* Et in Praxi Benef. titulo *De Unionibus num.47.* ait: " Appellatur tam„quam *ab abusu* in hoc Regno ab unionibus factis sine „*causæ cognitione* à quocumque factæ fuerunt: & nullæ „solent pronuntiari, & irritæ per Curias supremas: nec ha„betur ratio temporis, quia abusus non potest præscribi; & „ita est praxis regni.

IV. Idipsum post Renatum Choppinum *De Sacra Polit. lib. 2. tit. 6.* testatur Petrus Pithæus in Commentario super *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ cap. 49.* ubi una monet, in Gallia receptum non esse Decretum Concilii Tridentini *sess.7. cap.6. De Reformat.* in quantum videtur admittere uniones in *forma gratiosa*, si Pontifici visum fuerit, eas concedere: additur enim in Decreto hæc cautio: *Nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit.*

V. Praxis Belgica in hoc puncto non dissonat à Praxi Gallicana. Nec enim uniones Beneficiorum in forma *gratiosa* sine causæ cognitione admittuntur; & taliter factæ non minus hic, quam in Gallia rescinderentur.

VI. Itaque unio etiam auctoritate Pontificia hodie fieri debet in forma *commissoria*; soletque Papa committere *in partibus*, ut inquisitio fiat de causa, & de commodo vel incommodo: & postea istæ inquisitiones ad eum mittuntur, ait Rebuffus *Glossa* 11. *num.* 7.

VII. Cum hæc commissio sive delegatio involvat cognitionem causæ, quæ formam aliquam judicialem sapit, debet hæc dirigi ad eas personas Ecclesiasticas, quæ ut judices à Sede Apostolica *in partibus* delegari possunt; uti post Renatum Choppinum monet Fevretius *De Abusu lib. 2. cap. 4. num. 24.*

VIII. Juxta formam commissionis debent audiri omnes *quorum interest.*

Itaque audiendus est Episcopus, quia sua interest: hâc inter alias ratione quòd collationem amittet ratione unionis uti monet Rebuffus ad regulam De Unionibus *Glossa* 11 quæ & in Collatoribus aliis militat.

IX. Patroni quoque audiendi: imò si Patroni *laici* fuerint, non solùm audiendi sunt, sed eorum *consensus* requiritur; quod & notat Antonius Faber in Codice *Lib. 1. tit. 2. Diff. 48.* dicitque: " etsi Papa derogare etiam potest cum „vult juripatronatus laicorum pro ea vice; fallit tamen hoc „in *unionibus*, quia *perpetuò* durant.

X. Hîc in Belgio quoque requiri consensum Patronorum *laicorum* dubium non est: monueruntque expressè Concilia Belgica ad *sess. 21, cap. 5.* Synodi Tridentinæ, quo potestas fit Episcopis, ex justa causa uniones faciendi Ecclesiarum & Beneficiorum, *opus esse consensu Patronorum laicorum.* Apud Antonium Anselmo in Triboniano Belgico cap.33. §.23.

XI. Unde beneficia Patronatus Regii uniri non posse citra consensum Regium, expeditum est; quin & asserit Antonius

tonius Faber citata *Definitione* 48. "Procuratorem Principis generalem vocari & audiri necesse esse; non solum si juspatronatus ad Principem pertineat... sed *etiamsi ad alium*: Nempe ratione publicæ utilitatis, & ad hoc ipsum despiciendum, an publico utilis futura sit unio, an inutilis. Item pro tuenda Principis auctoritate, ad quam sanè pertinet, ut beneficiorum omnium, quæ in territorio sunt, protector & conservator existimetur.

Ex quibus dein concludit: "Itaque si non vocato procuratore generali unio facta sit, potest & solet ille ab ea tamquam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admittitur, etiam post centum annos, quia unio semper & perpetuò gravat.

XII. In Gallia Procuratorem Regium vocari & audiri debere, dum agitur de unione beneficiorum ad quæ Regalia se extendit, notat Fevretius citato *cap.* 4. *n.* 26, aliàs aperta Regalia Rex conferet, quasi nulla unio intervenisset; & ita anno 1624. judicatum fuisse refertur in opere intitulato. *Journal des Audiences tomo* 1. *lib.* 2. *cap.* 26.

XIII. In Belgio si agatur de unione facta auctoritate Apostolica, certum est, eam executioni mandari non posse, nisi prius audiatur Procurator Regius: quandoquidem requiratur *Placetum Regium*: quod dari non consuevit, nisi prævie Regio Procuratore, seu Officio Fiscali audito, uti dictum est supra tit. 24. cap. 6. Si autem auctoritate ordinaria unio fiat, & agatur de majoribus beneficiis, hæc extra discrimen cassationis non erit, si ipse Procurator Regius interpellatus & auditus non fuerit. Non tamen videtur necessarium ad validitatem unionis, ut fiscalis audiatur.

Ad simplicium beneficiorum uniones, præsertim pro dotatione tenuium Parochiarum, passim ab Episcopis sive interventu Officii Fiscalis fieri, & tolerari solent.

XIV. Rectorem Beneficii uniendi non esse vocandum innuit *Clementina* 2. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi dicitur, unionem Ecclesiæ factam ab Episcopo consentiente Capitulo impugnari non posse, *ex eo quod Rector ipse ad hoc vocatus non extitit*: idque notavit Rebuffus ad Regulam *De Unionibus Glossa* 11 *num.* 8. rationem addens: quia ei ad suam vitam non præjudicatur. Unio enim fieri solet *sine præjudicio Possessoris*. "Nec consideratur (ait Rebuffus quod Rector potuisset illud Beneficium resignare *in favorem* nepotis, quia hoc non est considerabile: cùm beneficia consanguineis non deferantur consanguinitatis jure; & illa resignatio pendeat à Superioris facultate, qui per unionem jam declaravit, nolle illum Rectorem resignare posse.

Hæc Rebuffus sequutus Joannem Galli qui *quæst.* 267. asserit, Rectores Beneficiorum non esse audiendos. Verùm ex Molinæo in notis ad dictam quæstionem Joannis Galli refert Fevretius loco citato, *contrarium servari in Gallia & bene, quia debent vocari Rectores maximè in uniendis Ecclesiis Parochialibus.*

Et sanè licet unio fiat sine præjudicio Rectoris, nihilominus, cum ipse sit quasi tutor Ecclesiæ quam possidet, ipsique soleat melius esse perspectus status & conditio ipsius Ecclesiæ, meritò, cum de causis unionis inquiritur, ipse audiendus erit; quod & hodie receptum esse, atque uniones Ecclesiarum rescissas fuisse, ob non auditum Rectorem testatur Fevretius.

XV. Dicit quoque idipsum servandum circa Parochianos, monetque, adhærendum esse Parlamentorum arrestis, quæ receperunt Parochianos appellantes *tamquam ab abusu* ab unionibus in quibus ipsi auditi non fuerant; easque tamquam *abusivas* infirmarunt. Vide etiam Journal Des Audiences *tomo* 2 *lib.* 3 *cap.* 21. & aliquando decisum in Rota, Parochianos esse audiendos; quia ipsorum interest habere bonum Pastorem, testatur Garcias De Benef. *parte* 12. *cap.* 2. *num.* 220.

XVI. Hoc tamen notandum, quod tametsi Rector & Parochiani aliquè sint audiendi, non propterea eorum consensus requiratur; uti etiam monet Zypæus in Jure novo De *Excessibus Prælat. n.* 1.

XVII. Præter informationem super causis unionis faciendam *in partibus*, requirit insuper Regulæ Cancellariæ *De Unionibus*, "quod petentes beneficia Ecclesiastica alias uniri, teneantur exprimere *verum valorem* secundùm *communem* æstimationem, tam beneficii uniti, quàm illius, cui uniri petitur, alioquin unio non valeat.

XVIII. Regula etiam quoad hanc partem ubique recepta est. Et quamvis consuetudinarius valor 24. ducatorum soleat exprimi in Francia in omnibus beneficiis, tamen in unionibus *verus* valor est exprimendus, ut hic ait Rebuffus *Glossa* 7. quod & in Belgio servatur.

XIX. Debet autem exprimi *verus* valor tam beneficii uniendi, quàm ejus ad quod unio fieri debet. Quia ex hac expressione innotescere sæpius potest, num utilitas aut necessitas eam unionem requirat; utpotè quæ ex Ecclesiarum majore vel minore penuria non rarò metienda est.

Imò monet Rebuffus ibidem *Glossa* 8 quod si in Signatura unionis fuerit conscripta clausula, quod *obstantia Oratoris habeantur pro expressis*, tunc quidem Bulla poterit expediri sine expressione fructuum; *sed in Francia* (ait) *vix reciperentur ratione consuetudinis contraria.*

XX. Si omnibus ritè examinatis, singulisque quorum interest auditis, unio Ecclesiarum utilis aut necessaria appareat, poterit Episcopus ad eam procedere, etiamsi dictæ Ecclesiæ vel Beneficia essent generaliter vel specialiter reservata, aut qualitercumque affecta; uti loquitur Synodus Tridentina *sess.* 21 *cap.* 5. *De Reformat.* & aliis verbis repetitur *sess.* 23. *cap.* 18. & *sess.* 24. *cap.* 15. *De Reformat.* Quare distinctio inter reservationem specialem, & generalem, quam facit Rebuffus De Unionibus *num.* 31. hodie non obtinet, cum expressè Synodus permittat unionem non obstante reservatione *speciali*, ut monet Zypæus *Consult.* 6. *De excessibus Prælat.*

XXI Denique pro majori unionum firmitate addit Synodus Tridentina: "Quæ uniones etiam non possint revocari, nec quoque modo infringi vigore cujuscumque provisionis, etiam ex causa *resignationis*, aut derogationis, aut suspensionis.

XXII. Hic & de resignatione facta coram Pontifice Synodum loqui, dubium non est unde licet Zypæus admittat citata Consultatione *num.* 18. "si visum erit Sedi Apostolicæ non obstante hujusmodi unione resignationem *ex certa scientia* admittere, & alteri secundùm plenitudinem potestatis providere, possit derogare Concilio," mox tamen subjungit: "Quamquam alias difficulter provisio subreptionis vitio carebit & difficultate executio in his locis: ubi Regia auctoritate Concilium receptum, & servari jussum est, constanter & sine hujusmodi immutationibus.

XXIII. Rectè tamen ibidem monet Zypæus "non ante impediri cursum provisionum Romanarum, quàm Episcopi ad uniones & suppressiones hujusmodi se accinxerint: ut si ille prævenerint omnium horum actionem, & jam alieni jus sit quæsitum collatione *vacantis* beneficii, & expeditione Bullarum facta, auferri illud non possit.

XXIV. Et hoc quidem si ipsa *collatio* seu *provisio vacantis* beneficii ipsam Ordinarii actionem *præveneris*: Nam, ut eodem loco notat Zypæus, "mandatis de providendo, nominationibus Universitatum, similibusque reservationibus & affectionibus omnibus satis dicendum est derogatum esse, dummodo etiam acceptatio seu provisio post vacationem factam similiter non prævenerit omnem Episcoporum actionem.

CAPUT IV.

De Dissolutione Unionis.

1. *Unio odiosa, & ejus dissolutio favorabilis judicatur.*
2. *Cessante causa unionis solet de facili concedi ejus dissolutio.*
3. *Videtur hodie causa unionis & incorporationis multarum Ecclesiarum Parochialium cessare.*
4. *Nonnumquam revocatio unionis facienda, licet causa unionis non omnino cesset.*
5. *Quis unionem dissolvere possit?*
6. *Si consensus Regius in unione intervenerit, etiam adhibendus in dissolutione.*
7. *Revocatio unionis exigit causæ cognitionem.*
8. *Minus exacta toleratur in dissolutione, quàm in unione.*
9. *Dissolutio ad vitam non admittitur.*
10. *Dissolutio unionis Beneficium unitum pristino statui restituitur.*
11. *Dissolutio fit sine præjudicio possessoris.*
12. *Beneficium unitum non potest impetrari ante factam dissolutionem.*
13. *Nisi prætenderetur unio non rectè facta.*

I. UNionem Ecclesiarum & Beneficiorum esse odiosam, nec sine legitimis & rationabilibus causis necessitatem aut utilitatem Ecclesiarum spectantibus, esse faciendam, variasque beneficiorum uniones nominatim per Synodum Tridentinam vetitas esse, ex hactenus dictis satis constat.

Hinc rectè concludunt Canonistæ, quod resolutio seu revocatio unionis sit favorabilis; utpotè ipsa beneficia ad primævam suam naturam reducens; eaque eximens à statu quodammodo violento ad quem per unionem redacta fuerant.

II. Et si constet, quia præcisè de causa unio facta fuerit, ea cessante facilè dissolutio unionis admittetur; uti cum Rebuffo rectè advertunt Canonistæ, qui ait: "Quando est facta ob certam causam, belli fortè, destructionis, paupertatis, vel aliam finalem, tunc cessante ista causa, cessabit unio. Vel quando fuit facta ob bellum, & deficiente populo, postea reverso populo cessabit." Ita Rebuffus in Praxi titulo *De Unionis revocatione num. 1. & 2.* & latè Zypæus *Consult. 8. De Excess. Prælat.* ubi latè probare conatur, Pontificia & Regia auctoritate rectè processum ad dissolutionem unionis Monasteriorum factæ quibusdam Episcopatibus Belgicis in eorum erectione, eò quod ex proventibus Monasteriorum *sufficiens dos* Episcopis esset assignata: atque ita cessaret causa unionis, quæ fuerat necessitas dotationis Episcopatuum.

III. Si ritè Ecclesiarum uniones ab ipsis Ordinariis reviderentur, præsertim Ecclesiarum Parochialium, quæ præ cæteris sunt odiosæ, & difficilius admittendæ & tolerandæ, non dubium, quin deprehenderetur, causas unionum in multis cessare, atque nullam unionis ulteriùs tolerandæ causam subesse.

IV. Ulteriùs tametsi non omnino ipsa unionis causa cesset, potest tamen nonnumquam ad revocationem unionis procedi; si alia causa supervenerit, quæ prævaleat causæ unionis, suadeatque revocationem unionis potius esse faciendam, quàm unionem esse tolerandam. Nam sicuti unio ex causa utilitatis aut necessitatis Ecclesiarum fieri potest; ita ex eadem revocari, uti monet Rebuffus *n. 6.* ibidem plures causas revocationis assignans, quæ tamen ad hanc reduci possunt.

V. Qui Ecclesias unire possunt, iidem & uniones dissolvere. Unde Episcopum uniones à se, quin & à suo Prædecessore factas dissolvere posse nemo negat. Imo non tantum à se factam, sed etiam à Papa vel Legato revocare causa subsistente cum Petro De Perusino tradit Rebuffus *num. 16.* Nam Papa uniendo noluit tollere potestatem Ordinarii.

VI. Si tamen unio facta est Regia auctoritate, ipsoque Rege approbante cum causæ cognitione, resolutio vel revocatio hujusmodi unionis sine consensu Regis non facilè hic, aut in Gallia admitteretur; nec difficulter ab hujusmodi dissolutione appellatio tamquam *ab abusu* reciperetur.

VII. Ulterius sicuti unio non tantum requirit causam aliquam justam; sed insuper causæ cognitionem vocatis & auditis quorum interest; ita & revocatio unionis; quia eadem solemnitas requiritur in destruendo, quæ in extruendo ait Rebuffus *nu. 28.* ideoque in Bulla revocationis unionis debet poni illa clausula, *vocatis his qui fuerant evocandi* &c. sicut poni solet in Bulla unionis.

VIII. Quia tamen ipsa unionis dissolutio habetur ut favorabilis tamquam beneficia ad primævum & naturalem statum reducens, etiam minus exacta causæ cognitio faciliùs, quàm in unione toleraretur, ut rectè monuit Fevretius De Abusu *lib. 2. c. 4. n. 37.*

IX. Adhæc quemadmodum *uniones ad vitam* hodie reprobatæ sunt, ita nec dissolutiones *ad vitam* reciperentur. Ut si v.g. Canonicus, cujus Præbendæ annexa est Ecclesia Parochialis, consentiret dissolutioni istius Ecclesiæ ad vitam Titii, ea conditione ut Titio decedente rursus unio reviviscerет, & Præbendæ censeretur unita. Rebuffus ibidem *num. 35. & 36.*

X. Revocata unione, restituitur beneficium in pristino statu, reditque ad collationem sive præsentationem illius, qui ante unionem fuerat Collator aut Patronus. Nec enim consentiendo unioni censetur *absolutè* juri collationis aut Patronatus renuntiasse; nisi id expressè actum sit. Rebuffus *num. 39. & 40.*

XI. Sicuti tamen unio fieri solet sine præjudicio possessoris; ita & dissolutio unionis: quin & gesta tempore *unionis* rata manent: ideoque si quæ alienatio contigerit, servatis debitis solemnitatibus durante unione, hæc nequaquam revocabitur; uti nec alii actus gesti à Prælato tempore unionis. Rebuffus *n. 45.*

XII. Ut beneficium unitum, separatim ab alio beneficio cui fuit unitum, queat impetrari, non sufficit, causam unionis cessare, aut esse causam sufficientem dissolutionis; sed requiritur, ut auctoritate Superioris ipsa dissolutio, servatis servandis, facta sit.

XIII. At si prætendatur *invalidè* facta defectu observatæ solemnitatis, "tunc solemus in praxi impetrare beneficium unitum (ait Rebuffus *num. 30.*) & postea agere super possessorio: & si opponatur esse unitum, replicatur, non valere unionem: & ab illa unione appellatur tamquam *ab abusu*.

Cum unio sit quædam alienationis species, ad intellectum eorum quæ hoc titulo dicta sunt, etiam usui venire poterunt, quæ infra titulo *De rebus Ecclesiæ non alienandis* dicuntur.

TITULUS XXX.

De Simonia circa Beneficia.

CAPUT I.

Unde desumenda enormitas hujus vitii; & quarè olim magis contra Simoniacas *Ordinationes*, quam similes Beneficiorum Provisiones actum; hodie verò secus?

1. *Hoc vitium omnium criminum gravissimum à Patribus reputatum.*
2. *Ratio hujus ex inordinatione quæ rebus spiritualibus refertur petita.*
3. *Gravitas hujus criminis potissimum ex effectibus desumenda.*
4. *Per illud* fures & latrones *intrant in Ovile Christi.*
5. *Per illud contingit, ut de idoneitate cura negligatur; & idoneis ad beneficia porta pateat.*
6. *Fit ut Promovendi ad Sacerdotia magis de habendis divitiis, quàm bonis moribus soliciti sint.*
7. *Pauperes licet magis idonei excluduntur.*
8. *Non bona vita, sed munera quæruntur.*
9. *Eosdem malos effectus Simoniæ Synodi nostræ ætatis etiam expressêre.*
10. *Veteres magis egerunt contra Simoniacas* Ordinationes; *Recentiores verò magis contra Simoniacas Beneficiorum provisiones: idem tamen horum & illorum scopus.*
11. *Hic scopus ut obtineretur primis seculis contra Simoniacas beneficiorum provisiones potissimum agendum fuit.*
12. *Ratio hujus fuit diversitas disciplinæ circa dispensationem redituum Ecclesiasticorum.*
13. *Simoniaci maximè attendunt temporalia, quæ posterioribus seculis magis per beneficiorum provisionem quàm per Ordinationem requiruntur.*
14. *Non minus olim, quàm hodie Ecclesia execrata est Simoniam in provisione beneficiorum.*
15. *Similiter æquè hodie ac olim execratur Simoniacas Ordinationes.*
16. *Quomodo postremis his seculis Simonia in ordinationes irrepserit.*
17. *Decretum Synodi Tridentinæ contra hunc abusum.*
18. *Etiam quæ* gratuitò *dicuntur offerri in Ordinatione respuenda.*
19. *Consuetudo* nihil dandi *etiam ipsis Notariis à Gallis laudata & à Synodo comprobata.*
20. *Meritò Episcopi suis Ministris congruum stipendium assignarent, ut à suspectis exactionibus cohiberentur.*
21. *Monitum S. Ambrosii expendendum à Prælatis, qui suos non cohibent Ministros.*

I. Simoniæ crimen esse unum è gravissimis criminibus unanimis fuit jam pridem Patrum sententia. Quin & sub nomine Paschalis Papæ refert Gratianus: *Omnia crimina ad Simoniacæ hæresis comparationem* QUASI PRO NIHILO *sunt reputanda.*

Et ad Adrianum I. scribit Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus, *Tolerabilior est Macedonii & eorum qui circa ipsum sunt Spiritus Sancti impugnatorum impia hæresis.* Apud Gratianum *Cans.* 1. *qu.* 1. *Can.* 21.

II. Rationem subjicit Tharasius: "Nam cum illi sanctum Spiritum Dei, & Patris creaturam, & servum fingentur, hi suum ipsorum, quantum putant, servum ipsum faciunt. Omnis enim Dominus quidquid habet, cum libuerit, vendit, sive famulum sive aliquid aliud ex his quæ possidet. Similiter & qui emit, volens emptæ rei Dominus fieri, argenti pretio eam acquirit.

Cum enim in omni Simonia interveniat quædam saltem implicita emptio venditio rerum spiritualium cum temporalibus tanquam pretio, verissimum est, ipsa spiritualia per Simoniam ad rationem rerum temporalium deprimi, & iis quodammodo coæquari; atque per hoc ad quamdam vilitatem redigi. *Quis enim non vile esse putat, quod venditur,* ait Hormisdas Papa: *Aut quis denuo veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet quod emitur*: scribit S. Gregorius *Lib.* 7. *epist.* 114.

Hanc inordinationem notasse videtur Apostolus Petrus dum Simoniacorum Patri respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam* DONUM DEI *existimasti* PECUNIA POSSIDERI.

III. Et si ex hac rerum spiritualium depressione, quæ per earum cum temporalibus commutatione contingit, hujus criminis enormitas aliquatenus desumi & ponderari queat, magis tamen elucescit, ubi mala ex hoc vitio in Ecclesiam redundantia attenduntur; intelligiturque, nihil per exaggerationem à Patribus fuisse dictum, dum hoc Simoniæ crimen omnium criminum *gravissimum* dixerunt: nimirum penes suos effectus.

IV. Quid enim perniciosius ac luctuosius esse Ecclesiæ potest, quàm si ad Ovile Christi non per Ostium, id est, Christum, sed *aliunde* puta *per munera* ascendatur? Qui enim *aliunde ascendunt*? nisi *fures & latrones*, qui non veniunt, *nisi ut furentur & mactent & perdant.*

Quæ hinc animarum strages? quæ sacrilegiorum in Pastoribus exundantia? quæ criminum & omnium abominationum in populo colluvies? Dum non Pastores, quos Oves sequuntur & audiunt; sed Mercenarii, fures & latrones, per aurum & argentum intromittuntur.

V. Ad hæc, dum per munera ad Ecclesiastica Ministeria ascenditur; aut in promotione munera attenduntur; jam de vitæ sanctitate, doctrina, aliisque necessariis qualitatibus cura exigua aut nulla; atque hinc inidoneis porta aperitur, & maximè idoneis occluditur; uti rectè advertit Sanctus Tharasius in citata epistola; hinc meritò etiam gravitatem hujus desumens. "Si venditur sacerdotii dignitas supervacua & apud istos venditores honesta vitæ institutio, & puritatis virtutisque cultus: supervacuus apud ipsos & Paulus divinus Apostolus dicens, oportere Episcopum esse sine crimine, temperantem, modestum, aptum, ad docendum, continentem, sobrium, insistentem fideli secundùm doctrinam sermoni, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes refellere. Pereunt igitur hæc omnia, ex eo quod Sacerdotium venditur & emitur.

VI. S. Gregorius scribens Theoderico & Theodeberto Francorum Regibus *Lib.* 7. *Epist.* 117. ait: "Fertur Simoniacam hæresim quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica supplantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in Sacerdotibus fides sit ,,eligen-

Digitized by Google

„ eligenda cum vita. Si enim vita deest, fides meritum non „ habet, beato Jacobo attestante qui ait: *Fides sine operibus „ mortua est.* Quæ enim opera esse valeant Sacerdotis, „ qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per „ præmium.

Hinc tamquam consequens concludit: "Ex qua re agi„ tur, ut ipsi quoque qui sacros Ordines appetunt, non vi„ tam corrigere, non mores componere studeant, sed di„ vitias, quibus honor sacer emitur, satagant congre„ gare.

VII. Pergit dein: "Hinc fit, ut insontes & pauperes à sa„ cris Ordinibus prohibiti, despectique resiliant. Et dum „ innocentia pauperis displicet, dubium non est, quod præ„ mium illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, „ ibi & vitium...... Si enim is dignus Sacerdotio creditur, „ cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffraga„ tur, restat ut nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, „ nil defendat industria, sed totum auri prophanus amor „ obtineat.

VIII. Idem ad Galliarum Episcopos super Simoniaca hæresi scribens *l. 7. Epist. 3.* ipsiusque vitii gravitatem exponens inter alia dicit: "Quid per hoc aliud agatur, nisi ut „ nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nul„ la sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui da„ re pretium suffecerit, æstimetur." Et rationem dat in *Epistola* 114. "Nam ubi dona supernæ gratiæ venalia judi„ cantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis „ contra Deum pecuniæ venerantur.

IX. Nec tantum Veterum, sed Recentiorum Synodorum & Pontificum de his pestiferis Simoniacæ pravitatis effectibus fuit querela; nec minus ab his; quàm illis abominabilis & exitiosa Ecclesiæ lues judicata Simonia.

Paucis, sed energicis & claris id terminis sæculo præterito expressere Patres Synodi Bituricensis: "Ubi hæresis Si„ monis in Ecclesia invaluit, probis atque eruditis viris a„ ditus ad beneficia præclusus est, itaque omnis propè „ Ecclesiastica disciplina collapsa est." Anno 1584. *tituL 41. cap. 1.*

X. Verum quidem est, in pristinis Ecclesiæ Canonibus & monumentis præcipuè redargui & exagitari, reprobarique Simoniam in Sacris Ordinationibus committi solitam: in recentioribus verò raro hujus mentionem fieri, at plerumque omnia dirigi contra Simoniam in collatione & provisione beneficiorum: sed hæc diversitas nullatenus probat, aliam esse Ecclesiæ hodie de Simonia ideam, quàm olim fuerit; aut olim habitum fuisse magis perniciosum vitium Simoniæ, quàm hodie habeatur. Semper enim idem fuit & Veterum & Recentiorum scopus; & illorum in reprobandis Simoniacis Ordinationibus, & horum in damnandis Simoniacis beneficiorum provisionibus: & quod hi magis contra has, illi verò contra illas invecti sint, non ex variato Ecclesiæ spiritu de hoc vitio Simoniæ; at ex varietate disciplinæ produxit.

XI. Semper enim Ecclesiæ scopus in condemnatione hujus criminis fuit, ut omnis in ejectione Ministrorum Ecclesiæ caveretur venalitas, nec in electione illorum munera, sed merita attenderentur. Quod ut obtineretur, prioribus Ecclesiæ sæculis præcipuè invigilandum fuit, ut à sacris Ordinationibus omnis venalitas arceretur: posterioribus verò temporibus, non tam contra Simoniacas Ordinationes, quàm Simoniacas Beneficiorum provisiones agendum fuit: utpotè quòd jam priores raræ, posteriores verò frequentiores, nec minus perniciosæ, evasissent ob mutatam lapsu temporis disciplinam.

XII. Pluribus enim sæculis in more positum fuisse, quod Clerici per ipsam sacram Ordinationem Ecclesiis tamquam earum ministri adscriberentur; eaque adscriptione jus ad proventus Ecclesiasticos acquirerent, non secus atque hodie per beneficiorum institutionem, non semel notavimus. At posterioribus temporibus erigi cœperunt tituli beneficiales, iisque jus percipiendi certos proventus annexi; qui non in ipsa Ordinatione, sed separatim ab ipsa conferri cœperunt.

Hinc ulteriùs factum, ut nec jus ad temporalia, neque Dignitates aut honores per Ordinationem, uti antiquitus, sed per collationem titulorum Beneficialium conferrentur.

XIII. Cum verò Simoniaci non ipsa spiritualia propter spiritualia appetant; sed unicè desiderent temporalia lucra; aut sæculi honores & præeminentias ambiant, parum soliciti fuere de Sacra Ordinatione, dum per eam nihil aut parum de iis quæ desiderant consequi sperarunt; sed totum eorum studium fuit, & hodie est, quomodo opima beneficia, & honorificas Dignitates consequantur.

Non mirum ergò, quod pristini Canones præcipuè in Simoniacas Ordinationes insurgant; cum Simonia tum præcipuè in Ordinationes grassaretur; ubi hodie rarius in Ordinationes, frequentissimè verò circa beneficiorum collationem.

XIV. Idem igitur semper & invariatus mansit in condemnatione Simoniæ spiritus Ecclesiæ, Decreta sua pro varietate morborum diversificantis, & prout scopo suo aptiora credebat adaptantis. Unde nec primis sæculis minus quàm hodie Simoniam in beneficiorum collatione execrata, tametsi de hac expressè tunc in suis Decretis non meminerit: eò quod beneficiorum collatio sub ipsa ordinatione quodammodo esset comprehensa.

XV. Similiter non minus hodie, quàm olim execratur Simoniacas Ordinationes; imo quidquid in sacra ordinatione vel Simoniam sapit: tametsi non tam frequentia sint contra has posteriorum temporum Decreta: eò quod Simoniacorum studium minus circa Ordinationes versaretur.

XVI. Quantoperè etiamnum Ecclesia execretur omne quod vel speciem dumtaxat præfert Simoniæ in sacra Ordinatione evincit Decretum Synodi Tridentinæ *sess. 21. cap. 1. De Reform.*

Tametsi enim Simonia præcipuas suas partes ageret circa collationem beneficiorum, utpotè ex qua temporalia in majore copia profluerent, ipsa tamen sacra ordinatio non omninò fuit immunis.

Episcopi enim, notanter opulentiores, spreta ipsa Clericorum Ordinatione, à qua nullum temporale dependebat, retenta sibi beneficiorum collatione, illam Episcopis titularibus committere cœperunt. Hi quia sibi frequenter sat tenuiter provisum erat, è functionibus Ecclesiasticis victum quærebant; iique vicissim, quos ad Ordines admittebant, his aliquid conferre cogebantur: primùm *eleemosynæ* nomine, sive *oblationis*, dein honoratiore titulo *donationis*; ac denique, ne cum debitum non esset, omitteretur, *mercedis* nomine imposito; non quæ Episcopo Ordinanti, sed famulis ejus, aut aliis inter ordinandum ministrantibus cederet: quemadmodum ex pluribus Synodorum postremis sæculis editis colligimus; atque inter alia est decretum Synodi Toletanæ Anno 1473. *Can. 25.* quo præcipitur Episcopis, "nec janitores, barbi„ tonsores, & alios Officiales, quidquid exigere aut levare „ permittant, etiam pro sigillo & cera, sed gratis & liberali„ ter impendant.

XVII. Huic abusui, qui tempore Concilii Tridentini non parum invaluerat, præsertim in Episcopatibus tenuioribus, ut efficaciter occurreret statuit citato *Capit. 1.* "Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio „ abesse debet; nihil pro collatione quorumcumque Or„ dinum, etiam Clericalis Tonsuræ, nec pro litteris di„ missoriis, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec „ alia quacumque de causa, etiam spontè oblatum, Epis„ copi, & alii Ordinum collatores, aut eorum ministri „ quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantùm „ locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil

„ acci-

by Google

„accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aut testimo-„nialibus, decimam tantùm unius aurei partem accipere „possint; dummodo illis nullum salarium sit constitu-„tum pro officio exercendo: nec Episcopo ex notarii com-„modis aliquod emolumentum ex eisdem Ordinum colla-„tionibus directè vel indirectè provenire possit. Tunc e-„nim gratis operam suam eos præstare omnino teneri de-„cernit: contrarias taxas, ac statuta, & consuetudines, et-„iam immemorabiles, quorumcumque locorum, quæ po-„tius abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati faventes, „nuncupari possunt, penitus cassando, & interdicendo: & „qui secus fecerint, tam dantes quàm accipientes, ultra „divinam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso facto in-„currant.

Circa præsens Decretum duo observanda esse monet Cardinalis Palavicinus in historia Concilii Trid. *Lib.* 17. *cap.* 9. *num.* 9.

XVIII. Primum, quod in articulo Patribus præposito diceretur; "*Transgressores tamquam* SIMONIACOS *esse* „*puniendos*; sed hoc postea esse deratum, cum Simonia non „sit *oblati* ac *gratuiti* doni acceptio. Quamobrem illius „dicti loco positum est quæcumque consuetudo, ne vale-„ret in oppositum, seu veriùs abusus & corruptela, utpotè „Simoniacæ pravitati favens.

Si Prælati Ecclesiarum pro sui officii ratione diligenter excuterent, quæ sub pallio *oblati* ac *gratuiti doni* in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus, tum à Sacerdotibus, tum ab Episcoporum Ministris & Officialibus accipiuntur, non dubium, quin plura reperirent, quæ si non ut simoniaca, saltem tamquam abusus & corruptelæ Simoniacæ pravitati faventes, essent reprobanda, non obstante consuetudine etiam *immemorabili.*

XIX. Secundò notatu dignum dixit Pallavicinus, "eam „permissionem scribis habitam, quæ in prioribus Decretis „erat universalis, fuisse coarctatam, Gallis petentibus, ad eas „Diœceses, ubi laudabilis consuetudo non esset, ne quid „etiam acciperent Scribæ; eam enim consuetudinem dixe-„runt in ipsorum regionibus vigere.

XX. Optandum esset, ut omnes Episcopi, præsertim quibus de proventibus Ecclesiasticis abundè provisum, Galliæ consuetudinem in suas Diœceses introducerent; congruamque suis ministris salarium darent, quo à suspectis hisce exactionibus cohiberentur.

XXI. Meritò Episcopi aliique Prælati qui non satis cohibent suos domesticos à recipiendis muneribus aut donis, vel juribus quibusdam, uti vocare amant, expendent illud S. Ambrosii in *Caput* 4. *Lucæ.* "Non tamen „satis est, si lucrum ipse non quæras: familiæ quoque „tuæ cohibendæ sunt manus: nec hoc solùm exposci-„mus, ut te solùm castum immaculatumque custodias: „Non enim dixit Apostolus, te solum; sed te ipsum ca-„stum custodi.

CAPUT II.

Triplici munere, à *Manu*, à *Lingua*, & ab *Obsequio*,

1. *Triplex munus jam pridem à Patribus notatum.*
2. *Singulorum interventu Simonia contrahitur.*
3. *Quid munus* à manu?
4. *Munus* à manu *etiam exiguum potest causare Simoniam.*
5. *Ut Simonia committatur, non requiritur, ut munus* à manu *realiter tradatur.*
6. *Qua ratione Monasteria & Capitula paciscendo de minore* competentia *cum Parochis Simoniam committant per munus* à manu.
7. *Quid munus* à lingua?
8. *Quando hic commutatur Simonia per hoc munus.*
9. *Si ad* preces *alterius conferatur Beneficium, ne ejus* favor *amittatur, potest esse Simonia.*
10. *Licet etiam* preces *fiant pro digno.*
11. *Quando sine Simonia possit fieri provisio ad* preces *alicujus.*
12. *Potest quis sine Simonia* preces *interponere pro obtinenda provisione in favorem amici.*
13. *Quandonam* Preces *habeant rationem muneris à* lingua.
14. *Quid munus* ab obsequio?
15. *Quare* obsequium *habeat rationem muneris.*
16. *Quomodo exhibentes Patronis* obsequia *Simoniam incurrant?*
17. *Quid Episcopis agendum ne hac Simonia utentur.*
18. *Instructores puerorum nonnumquam huic vitio subjecti.*
19. *Obsequium spirituale etiam materiam Simoniæ constituere potest.*
20. *Exigere* obsequium *etiam spirituale pro collatione Beneficiorum potest esse Simoniacum.*
21. *Unde dignosci possit Simonia quæ interventu horum munerum committitur?*

I. SAnctus Hieronymus in Epistolam *cap.* 1. ad ea verba: *Et constituas per civitates Presbyteros*, ait: "Nunc cernimus „plures hanc rem beneficium facere, ut „non quærant eos in Ecclesia erigere co-„lumnas, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse: sed „quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt *obsequiis* delini-„ti, vel pro quibus majorum quispiam *rogaverit*, & „(ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent, *muneribus* „impetrarunt." Apud Gratianum *Caus.* 8 *quæst.* 1. *Can.* 6.

Hic non obscurè triplex illud famosum muneris genus; nimirum *à manu, ab obsequio, & à lingua* notavit Hieronymus: & clarius post ipsum S. Gregorius *Homilia* 4. *in Lucam*, & extat apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 1. *Can.* 114. ubi reflecti jubet, quod Propheta cum virum justum adscribit, dixerit: *Qui excutit manus suas ab* OMNI *munere.* "Neque dicit enim (ait Gregorius) qui ex-„cutit manus suas à munere, sed adjunxit, *ab omni*: quia a-„liud est munus *ab obsequio*, aliud munus *à manu*, aliud „munus *à lingua.*

II. Post hos sanctos Ecclesiæ Doctores, nemo dubitavit, quin horum trium munerum interventu Simonia in Ordinum aut Beneficiorum collatione committeretur.

Unde sæculo undecimo apud Gratianum *Caus.* 1. *qu.* 3. *Can.* 8. sine ulla dubitatione pronuntiat Urbanus II. "Qui „res Ecclesiasticas non ad hoc ad quod institutæ sunt, sed „ad propria lucra, munere *linguæ*, vel *indebiti obsequii*, vel „*pecuniæ* largitur, vel adipiscitur, *Simoniacus est.*

Et B. Petrus Damiani *lib.* 2. *Epist.* 1. hisce tribus muneribus enumeratis subjungit: "Quisquis in dandis accipien-„disque Dignitatibus Ecclesiasticis *una duntaxat earum*, „quæ prædictæ sunt, peste corrumpitur, Simoniacæ hære-„seos teneri crimine judicatur.

Itaque indubitatum est, atque unà cum S. Thoma tenent omnes Theologi & Canonistæ, quod sicuti contrahitur Simonia accipiendo *pecuniam*, *vel quamlibet aliam rem exteriorem, quod pertinet ad munus à* MANU; *ita etiam contrahitur per munus à* LINGUA, *vel ab* OBSEQUIO: uti loquitur S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in C.*

III. Munus *à manu* teste S. Gregorio, loco supra citato, *pecunia* est.

Nomine *pecuniæ* hic intelligit S. Thomas, non tantum pecuniam strictè dictam; sed *quamlibet aliam rem exteriorem*, quam sub munere *à manu* comprehendi jam dixit.

Digitized by Google

Nam ut ex Augustino refertur apud Grattanum *Caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 6. "Totum, quidquid homines possident, omnia „quorum Domini sunt, *pecunia* vocatur... Ideo autem *pe-* „*cunia* vocata est, quia Antiqui totum quod habebant, in „*pecoribus* habebant.

IV. Hinc collige, *Simoniam* committi munere *à manu*, dum alicujus rei temporalis exterioris interventu beneficium acquiritur vel datur.

Et quidem Simoniacum pronuntiare non dubitavit Alexander III. in *Cap.* 10. ꝫ *De Simonia*, Clericum qui *sex* duntaxat *solidos* Archidiacono solverat, quia ipsum ad Ordinem aliter præsentare noluisset: ut proinde etiam per munus *à manu* licet exiguum Simonia subinde incurri queat: quod & notat hic Glossographus verbo *sex solidos*, additque rationem: quia "quantitas muneris diversitatem juris „non inducit.

V. Ut munus *à manu* intervenire dicatur, non requiritur, ut realiter de manu in manum externum illud temporale tradatur; sed sufficit, quod in effectu detur; etiam fictione *brevis manus*, ut Jurisconsulti loquuntur.

Si quis enim impetret beneficium tacitè vel expresè remittendo debitum; vel Collator dare nolit, nisi addicta remissione debiti; indubiè uterque Simoniacus erit; diceturque revera interventu muneris *à manu* provisio Beneficii infecta: quia per remissionem illam debiti reipsa datum censetur illud quod erat debitum.

VI. Hoc ex capite Patroni, ac signanter Ecclesiastici, Capitula & Monasteria Simoniæ saltem suspicione vehementi asperguntur, dum ad Ecclesias Parochiales præsentant ea lege tacitè vel expressè, ut præsentatus minore competentia sit contentus, aut saltem augmentum illius non prætendat. Similiter Clerici qui tacitè vel expressè remissionem illam addicunt, aut augmento, quod forsitan jure prætendere possent, renuntiant, ut præsentationem obtineant, lepram Simoniæ non evadunt.

Quid enim evidentius, quam quod eo casu vel debiti certi aut saltem probabilis fiat remissio, ut beneficium conferatur vel accipiatur.

Non absimiles sunt hi Sacerdotes Clericis illis, qui, uti loquitur Alexander III. in *Cap.* 6. ꝫ *De Pactis* "decedenti- „bus Ecclesiarum Personis, paciscebantur, ex ipsis *majores* „*solitè* solvere pensiones, ut facilius possint Ecclesias adi- „pisci: "quorum factum ut *detestabile vitium* mandat extirpari; & Clericos illos *taliter adeptis Ecclesiis spoliari*; *alias pro tanta præsumptionis excessu, severitate Ecclesiastica puniendos*.

Clerici enim qui Capitulis aut Monasteriis addicunt, se minore competentia fore contentos, reipsa promittunt quod Capitulis aut Monasteriis major decimarum portio cedet, quàm revera cederet, si competentia, quam jure exigere possent, solvi deberet: & per consequens, mediante simili renuntiatione beneficium impetrantes, illud per munus à *manu* revera impetrant.

VII. Munus *à lingua*, auctore Sancto Gregorio, est *favor*; cujus interventu non secus, atque per munus *à manu* contrahi Simoniam docet S. Thomas citato articulo quinto; rationem adjungens: "Quia quod aliquis satisfaciat „precibus alicujus ad *temporalem gratiam* quærendam, „ordinatur ad aliquam *utilitatem*, quæ potest pecuniæ „pretio æstimari.

VIII. Toties igitur Simonia munere *à lingua* committitur; quoties beneficium ad preces alterius confertur, ut hinc *gratia* seu favor ad utilitatem propriam obtineatur. *Tales enim preces succedunt loco pretii*, uti rectè notavit Glossa.

IX. Similiter Simonia per munus *à lingua* inficitur, qui beneficium ad preces alterius conferendum duxit; ne recusans offensam postulantis incurrendo, *gratiam* seu *favorem* ejus amitteret. Nec enim minus pretio æstimabile censetur *favorem* alicujus obtentum non amittere, quàm non obtentum comparare.

X. Quinimo nec collatio beneficii facta ad preces alicujus desinet esse simoniaca, si per eam *favor humanus* quæratur, tametsi preces pro *digno*, aut etiam *digniore* porrigantur. Quia cum nihilominus beneficium collatum sit, ut *favor* qui ad utilitatem propriam spectat habeatur, non potest collatio vitio Simoniæ carere, non magis quàm collatio facta dignissimo pro præstatione pecuniæ.

Quod ipsum docet S. Thomas, adstruens esse Simoniam saltem in intentione, conferre beneficium ad preces alterius, licet illæ fiant pro *digno*: *Si non attendatur*, inquit, *ad dignitatem personæ, sed ad* FAVOREM HUMANUM.

XI. Rectè hanc clausulam finalem addidit, Doctor Angelicus. Nam si attendatur ad *dignitatem personæ, & non ad favorem humanum*, dum preces porriguntur pro digno, collatio facta ad preces alterius ab omni Simonia, omnique vitio exempta esse potest.

Si enim Collator solùm attendat merita personæ per eum, qui preces pro collatione interponit, proposita; hujusmodi *preces* non loco *pretii* alicujus habendæ erunt; sed simplicis attestationis vel expositionis *meritorum*: & collatio ad *preces* illius subsequuta, non tam in *gratiam* commendantis, vel ut sibi *favorem* postulantis in suam *propriam* utilitatem captaret; sed propter *merita* personæ per supplicantem seu *preces* porrigentem proposita & patefacta, censebitur facta.

XII. Pariformiter si instans apud Collatorem pro provisione beneficii in favorem alicujus sui amici, non alio intuitu preces porrigat, quam ut merita personæ Collatori vel Patrono innotescant, atque per illa solùm, ad conferendum beneficium, Collatorem movere intendat; nulla quoque vel species Simoniæ ex parte supplicantis interveniet.

Rectè proinde dixit Gratianus noster, *Non quorumlibet* PRECIBUS *Ordinationes factæ falsæ dijudicantur, sed hæ demum, quæ precibus Ordinandi vel ejus amici*, NON SPIRITUALI, *sed* CARNALI AFFECTU *porrectis fiunt, cum aliàs futuri non essent*; QUAS NON CHARITAS INTERVENIENS, SED AMICITIA SUPPLICANS EXTORQUET. *Caus.* 1. *qu.* 1. post *Can.* 122.

XIII. Ut igitur verbo dicamus: rogans aut porrigens *preces* pro alio erit Simoniacus saltem in intentione, si *preces* eâ intentione offerat, ut Collatorem non per *merita* personæ, sed per *gratiam* aut *favorem* humanum, quem tacitè ipsi addicit, ad conferendum movere intendat. Similiter nec Collator à Simonia erit immunis, si non ob merita personæ per supplicantem exposita, sed ob addictam sibi *gratiam* aut *favorem* ad conferendum procederit; juxta illud S. Thomæ: *Qui dat spiritale, si principaliter moveatur favore* PRECUM, *vel* TIMORE *rogantis quantùm ad judicium Divinum Simoniam committit & rogatus & rogans si hoc intendat*.

XIV. Munus *ab obsequio*, ait S. Gregorius, *est servitus indebitè impensa*. Hujus muneris interventione cur Simonia committatur dicit S. Thomas: "Quia idem est, „quod aliquis det rem spiritualem pro aliquo *obsequio* „*temporali* exhibito vel exhibendo, ac si daret pro pe- „cunia data vel promissâ, quâ illud obsequium æstimari „posset.

XV. Eamdem rationem attigit B. Petrus Damiani perstringens Clericos aulicos, qui exhibendo *obsequia*, Beneficia venabantur, se tamen à Simonia immunes gloriabantur, quia *nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigêre daturos*. "Sed dic mihi, o Clerice, „inquit Petrus Damiani, quisquis es, si redempto quo- „libet aureo vase vel prædio, distractor exigeret, ut reten- „ti apud *te vice pretii* hujusmodi sibi *sedulitatis im-* „*pendium* exhiberes, nunquid non postmodum constan- „ter assereres, te quod acceptum est, *justo pretio* compa- „ratie? Non videlicet quia pecuniam persolvisti, sed „quia *servitium* præbuisti. Diceres enim, & fortasse non impe-

impudenter astrueres; carius emi, dum tanto me labore „ vexarem, dum toties facultatum mearum sumptus ex„ penderem, quàm si semel præfixæ quantitatis pecuniam „ numerarem. Nequaquam ergo sibi innocentiam præbe„ ant, & à Simoniacæ hæreseos maculis se mundos esse „ confidant, qui licet metalla vibrantia non appendunt, pre„ tium tamen pro suscipiendis honoribus per subjectionis, „ & *obsequii* quædam *quasi talenta* persolvunt." Hæc B. P. Damianus *lib. 2. epist. 1.*

XVI. Manifestum proinde incurrunt Simoniam qui obsequium seu servitium Collatoribus aut Patronis *gratis* exhibent, ea conditione tacitâ vel expressâ, quod ipsis, occasione occurrente, de Beneficio providebunt. Similiter & ipsi Collatores eodem vitio irretiuntur, si ea spe alliciant Clericos, ut sibi obsequium aut servitium *gratis* exhibeant.

XVII. Hoc Simoniæ periculum metuens S. Carolus, ***Monuit atque obtestatus est Episcopos, aliosque quibus jus est conferendi beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi subsidio destituti, beneficia Ecclesiastica, tamquam*** SUÆ OPERÆ & LABORIS PRETIUM ***præcipuè sibi proponant.*** In Syn. Mediolan.

XVIII. Eumdem Simoniæ reatum incurrunt, qui Principum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum Nepotes ***nullo*** aut ***exiguo*** stipendio regendos, erudiendosve suscipiunt, eâ spe, ut Beneficia Ecclesiastica ab ipsis, vel eorum favore adipiscantur.

XIX. Neque labes Simoniæ abstergetur, tametsi obsequium exhibitum & exhibendum spirituale foret; quia & spiritualem operam exhibentes, tamquam operarii, digni sunt mercede sua; unde si hanc intuitu Beneficii accepti aut accipiendi remittant, indubiè Simoniaci sunt. Similiter qui tale obsequium intuitu Beneficii dati aut promissi sibi ***gratis*** exhiberi, tacitè vel expressè postulant, aut oblatum acceptant, Simoniæ labe inficiuntur.

Hinc Simoniaci sunt Canonici, aliique Sacerdotes assumentes Vicarios, qui exiguo sunt contenti stipendio, spe consequendi Beneficium.

XX. Simoniacum quoque est, conferre alicui Beneficium ea lege & conditione tacita vel expressa, ut ipse Beneficiatus teneatur Collatori, vel alteri aliqua obsequia etiam spiritualia, Beneficio non annexa, ***gratis*** præstare. Quis enim dubitat, quin obsequia illa licet spiritualia, ***gratis*** exhibita, ad utilitatem redundent Collatorum; nec enim obsequia illa tametsi spiritualia, sine constituta mercede ab aliis ipsis exhiberentur.

XXI. Non multum difficile erit dijudicare quandonam aliquo munere, sive ***à manu***, sive ***à lingua***, sive ***ab obsequio***, collatio vel provisio beneficii vitio Simoniæ infecta sit, si sincerè expendantur omnia quæ gesta sunt, & conferantur cum sententia Christi, ***Gratis accepistis, gratis date.***

CAPUT III.

Quàm commune aliquando hoc vitium fuerit: & quomodo technis occultatum: & quid ad technas detegendas adhibitum?

1. ***Quando hoc vitium invalescere cœperit?***
2. ***Tempore S. Gregorii per Galliam & Germaniam invaluerat.***
3. ***Similiter in Oriente.***
4. ***Vitium hoc eo tempore erat*** vetustate ***inolitum.***
5. ***Quantopere seculo 11. grassaretur, & acris Henrici Imp. super eo invectiva.***
6. ***Edictum in Italia grassabatur: & Episcopi vitium agnoscebant, & veniâ ab Imperatore postularunt.***
7. ***Edictum Imperatoris contra Simoniacos.***
8. ***Simonia eo tempore, non reputabatur pro peccato.***
9. ***Credebatur consuetudine vitium hoc excusari.***
10. ***Defendebatur consuetudine Ecclesia Romana.***
11. ***Consuetudo est mera Simoniæ larva.***
12. ***Nullum vitium tot palliis & technis tectum fuit, quàm hoc vitium Simoniæ: & quare?***
13. ***De Simoniacorum palliis testatur Synodus Constantinopolitana.***
14. ***De eisdem testatur S. Gregorius.***
15. ***His palliis detegendis aptissima est sententia Christi:*** Gratis accepistis, gratis date.
16. ***Eam adversus Simoniacorum fraudes adhibendam censuit citata Synodus Constantinopolitana.***
17. ***Hac sententia & alii Patres usi, & ad evitandam Simoniæ labem hodie meritò adhibenda.***

I. Postquam Ecclesia reditibus augeri cœpit; atque Ministeriis Ecclesiasticis proventus opimi, & honores sæculi annecti, ambitiosi & avari ea mirum in modum ambiri & quærere cœperunt; ipsique Prælati etiam ea penes proventus temporales, & honores sæculi æstimantes, lucrum ex iis sectari.

Hinc mirum! quantòpere vitium Simoniæ sensim ipsos Prælatos Ecclesiæ infecerit.

II. Et quidem scribit S. Gregorius Virgilio Arelatensi Episcopo *Lib. 4. Epist. 50.* " Quibusdam namque narran„ tibus agnovi, quod in Galliarum vel Germaniæ partibus, „ ***nullus*** ad Sacrum Ordinem sine ***commodi*** ratione perve„ niat.

III. Idipsum malum per Ecclesiam Orientalem propagatum fuisse testatur *lib. 9. epist. 40.* scribens Isicio Hierosolymorum Episcopo. " Quia verò pervenit ad nos, in Ori„ entis Ecclesiis ***nullum*** ad sacrum ordinem nisi ex præmio„ rum datione perveniri; si ita esse vestra fraternitas agnos„ cit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, „ ut à subjectis sibi Ecclesiis errorem Simoniæ hæreseos „ compescat.

IV. Denique eodem libro *epist. 50.* Simoniæ vitium vocat ***malum vetustatis***; utpote consuetudine ***vetusta*** jam inveteratum; laudatque Episcopos, ***malum*** ut decet, ***libera voce damnantes.***

V. Labentibus seculis quantum hoc vitium cœperit incrementum, vix dici potest: narratque Glaber Rodulphus Monachus (qui scripsit historias sui temporis libris quinque *satis accuratè* teste Bellarmino) *lib. 5. cap. 5.* quod dignoscens Henricus Imperator ***per universam Galliam atque Germaniam Simoniaca philargyriæ grassari cupiditatem***, coadunari fecerit ex omni Imperio suo tam Archipræsules, quàm cæteros Pontifices, eisque exposuit, quod Christus eos mittens dixerit, ***gratis accepistis, gratis date.*** Deinde illis de avaritia & cupiditate acriter reprehensis, addebat: " Patet ergo manifestissimè quoniam propter hanc „ offensam venerunt super filios hominum diversæ clades. „ Omnes quippe gradus Ecclesiastici à maximo Pontifice „ usque ad Hostiarium opprimuntur per suæ damnationis „ pretium, ac juxta vocem Dominicam in cunctis grassatur „ spirituale latrocinium.

VI. Post hæc subjungit Rodulphus: " His denique ab „ Imperatore acerrimè perlatis, stupefacti Pontifices, quid „ illi responderent, non habebant. Pertimescebant enim „ ob hanc culpam propriis Episcopatuum carere sedibus. „ Et quoniam non solùm in Gallicanis Episcopis hæc pessi„ ma pullulaverat nequitia, verum etiam multò amplius ***to„ tam*** occupaverat ***Italiam*** (omnia quippe ministeria Ec„ clesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi ***in fo„ ro*** secularia mercimonia) Cernentes quoq; Episcopi gravi „ sese invectione irretitos, misericordiæ operam implora„ bant. At ipse Princeps misericordia motus, tale consola„ tionis protulit verbum: Ite, inquiens, & quod illicitè ac„ cepistis, bene disponere satagite, ac pro anima patris mei, „ qui

„ qui hac noxa reus vobiscum tenetur, attentius intercede-„ re mementote, quatenus ei indulgentiam hujus facinoris à Deo possitis acquirere.

VII. Monet dein Rodulphus, quod Imperator "pro-„ posuit edictum omni imperio suo, ut nullus gradus cleri-„ corum, vel ministerium Ecclesiasticum pretio aliquo „ conquireretur, Ac si quis dare aut accipere præsumeret, „ omni honore destitutus, anathemate mulctaretur; spo-„ pondit insuper promissum hujusmodi, dicens: Sicut enim „ mihi Dominus coronam Imperii sola miseratione sua „ *gratis* dedit; ita & ego, quod ad religionem ipsius perti-„ net, *gratis* impendam. Volo, si placet, ut & vos similiter „ faciatis.

VIII. Hæc seculo undecimo de vitio Simoniæ scribebat Monachus ille, quando & B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi scribere non est veritus *c. 45.* quod hic sanctus invectus in Simoniacos etiam periculum mortis subierit, à Clericis Simoniacis sibi imminentis: rationem addens: „ Quoniam per *totam* illam Monarchiam, usque ad Ro-„ mualdi tempora, vulgata consuetudine, vix quisquam „ noverat Simoniacam hæresim esse peccatum.

Et sanè hoc habet consuetudo, ut vitia quantumvis gravia cum in consuetudinem venerint, *parva* aut *nulla* credantur, teste S. Augustino.

IX. Quin & in hac ipsa materia Simoniæ jam pridem deploravit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap. 9.* ⁑ *De Simonia:* " Putant autem plures (ait Conci-„ lium) ex hoc licere, quia legem mortis de *longa* invaluisse „ *consuetudine* arbitrantur, non attendentes, quod tantò „ graviora sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam „ tenuerunt alligatam.

X. Conquerebatur circa idem tempus S. Ivo Carnotensis, quod Decanus & Cantor aliique ministri Ecclesiæ suæ Carnotensis aliqua exigerent ab his qui Canonici fierent, *me (ait) contradicente & persequente.* At quo se telo contra Episcopum suum defenderent, subjungit: " *Romana* „ *Ecclesiæ consuetudine se defendunt, in qua dicunt Cu-* „ *bicularios & ministros Sacri Palatii multa exigere* „ *à consecratis Episcopis vel Abbatibus, quæ oblationis* „ *vel benedictionis nomine palliantur, cum nec calamus,* „ *nec charta gratis ibi (ut ajunt) habeatur, & hoc quasi* „ *lapide conterunt frontem meam, cum non habeam* „ *quod respondeam nisi Evangelicum illud:* QUOD DI-„ CUNT SERVATE ET FACITE: *sed si id faciunt,* „ SECUNDUM OPERA EORUM NOLITE FA-„ CERE.

XI. Hactenus dicta sufficienter evincunt, vitium Simoniæ jam pridem altas subinde, & longè lateque diffusas egisse radices, multosque communi illa praxi & consuetudine vitium hoc tegere voluisse; & aliud fuisse Conciliorum & Patrum judicium, existimantium consuetudinem esse meram larvam Simoniæ, & excusationem in peccatis.

XII. Porrò quia hoc vitium à Principe Apostolorum in Simone Mago tam terribili voce damnatum fuit, & tot iteratis Ecclesiæ Decretis, sub gravissimis pœnis confixum, cùm adeò hominum ambitioni & avaritiæ faveret, observatum jam pridem fuit, nullum vitium tot palliis, ac technis contectum esse, quam hoc Simoniæ crimen; quemadmodum sapientissimè reflexerunt sæculo præterito Patres Concilii Mexicani anno 1585. *lib. 5. tit. 3.* " Etsi ab ipso „ nascentis Ecclesiæ initio, semper Simoniæ vitium abomi-„ nabile & execrabile fuerit ac sacris Canonibus prohibi-„ tum, gravibusque pœnis punitum; tamen ea fuit homi-„ num malitia, ut diversis *fraudibus & fallaciis* sua Simo-„ niaca pacta *occultare & palliare* procurent.

XIII. Seculo quinto Synodus Constantinopolitana 73. Episcoporum sub S. Gennadio Patriarcha testatur, *multos* SOPHISTICA *calliditate Christi præceptum:* GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE, *illudere.*

XIV. De his quoque technis & fraudibus scribit ad Gallæ Episcopos S. Gregorius *lib. 7. epist. 111.* monet animarum adversarium his technis ceu quibusdam retibus uti: " Nam nec venator (ait) feram, aut avem auceps deciperet, „ vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto „ proponerent, aut ille hamum esca absconditum non ha-„ beret. Omninò ergo metuenda & cavenda est hostis a-„ stutia; ne quos aperta nequit tentatione subvertere, laten-„ te dolo sæviùs valeat trucidare.

XV. His fraudibus & muscipulis detegendis, nihil aptius crediderе Patres, quàm hanc simplicem & apertam Christi sententiam sive præceptum datum Apostolis, & in ipsorum persona omnibus quibus munia Ecclesiastica distribuenda committuntur: *Gratis accepistis, gratis date.*

XVI. Audiamus ipsos Patres citatæ Synodi Constantinopolitanæ sub S. Gennadio: " Qui inter alias deformitates „ cum nactus esset Ecclesiam illam Simoniaca labe deturpa-„ tam, ad eam penitus evellendam, aliosque pravos mores „ Synodum colligi festinavit, " ait Baronius ad *annum* 459. Hi ergo Patres in Epistola Synodali & circulari ita scribunt: " Cum Dominus & Deus Salvator noster J. C. suis disci-„ pulis Evangelii prædicationem credidisset, eosque per u-„ niversum terrarum orbem inter homines ad docendum „ misisset: apertè jussit ut quod *gratis accepissent,* eis quo-„ que *gratis darent,* non aurum vel argentum, aut aliàs o-„ mninò materiales & terrenas facultates pro eis acquiren-„ tes...... Hoc autem præceptum non solùm illis, sed etiam „ nobis per illos dedit, quos in illorum gradum & locum „ substituere dignatus est: & oportet, sicut illi tunc, nos „ quoque nunc *accuratè & diligenter* servare, nec in iis „ quæ *technas sophisticas non admittunt, uti sophisticâ* „ *calliditate,* nec *aleam periculosam* jacere. GRATIS, „ inquit, ACCEPISTIS, GRATIS DATE: non possi-„ dentes æs, neque aurum, neque argentum in zonis vestris. „ *Simplex est & aperta hujus mandati ratio, quæ nihil* „ *habet varium, nihil quod non sit facilè & explicatum,* „ *nihil quod sophisticâ expositione egeat.* A me, inquit, ac-„ cepistis Sacerdotii dignitatem. Si mihi pro ipso parvum „ quid vel magnum solvistis, & hoc à me venditum est; vos „ quoque ipsum aliis vendite: si autem *gratis accepistis,* „ vos quoque *gratis date.* Quid hoc est mandato aper-„ tius?

Extat integra græcè & latinè tomo 4. Conciliorum general. *col.* 1025. eamque suis Annalibus Baronius inseruit, asseritque, unum esse hujus Synodi fragmentum quod superest, *relictum tanquam fortem arietem ad demoliendas Simoniacas molitiones.*

XVII. Si quis S. Gregorii Epistolas, aliorumque Patrum scripta revolvere voluerit, reperiet, hac ferè unicâ sententiâ Christi usos, ut universa Simoniacorum tegumenta & perizomata depellerent.

Qui igitur sincerè desiderat laqueos adversarii evitare, & securam semitam tenere, hanc Christi clarissimam sententiam sincero corde expendat; quemadmodum anno 791. Patres Synodi Foro-Juliensis ad extirpandam Simoniacam pravitatem accincti monuerunt *Canone 1.* ubi omnem *Canonica deditum ditioni* his verbis alloquuntur: *Patenti semper cordis aure pertimescens intellige clarissimam illam Domini vocem* GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.

CAPUT IV.

Palliatur Simonia separando temporale à spirituali; vel dando per modum *Motivi.*

1. *Jam pridem ad palliandam Simoniam fuit temporalium à spirituali in collatione beneficiorum separatio: & quis hujus pallii color?*

2. *Acr*

2. *Acriter in hos pallii patronos invehitur B. Petrus Damiani.*
3. *Urget Pontificem ut eos prosternat.*
4. *Ratio hujus invectivæ à Petro Damiani adducta.*
5. *Ratio Damiani probata à Paschali Papa.*
6. *Eam concludentem esse probatur.*
7. *Propositio huic pallio favens ab Alexandro VII. damnata.*
8. *Fundamentum hujus propositionis planè frivolum.*
9. *Pallium hoc tamquam* impudentissimum *prætextum reprobavit Synodus Remensis.*
10. *Sufficienter detegitur hoc pallium per Christi sententiam,* gratis accepistis, gratis date.
11. *Innocentius III. hoc unum attendi voluit, an per temporalia perveniatur ad spiritualia.*
12. *Idem rebrobavit pallium sub nomine* motivi *contectum.*
13. *Hoc pallio admisso facilè omnis Simonia excusabitur.*
14. *Episcopi Belgii hoc pallium reprobarunt.*
15. *Idipsum in Gallia factum.*
16. *Horum censuram probavit Innocentius XI.*
17. *Non evitatur Simonia tametsi temporale detur ut concilietur* amicitia *Patroni.*
18. *Idem est, si muneribus concilietur favor alicujus, qui apud Patronum intercedat.*
19. *Hac munerum datio ultimatè fit ad obtinendum eà mediante beneficium; & per eam Simoniæ semita sternitur.*
20. *Hoc pallium à Facultate Theologica & Episcopo Gandensi reprobatum.*

I. Usitatum & antiquum Simoniacorum pallium fuit, temporalium à spirituali in Beneficio distinctio sive separatio. Cum enim duo sint in Beneficio Ecclesiastico, nimirum ministerium Ecclesiasticum, & jus percipiendi proventus temporales, creditum fuit, omnem Simoniæ labem evitari, si hæc duo à se mutuo separentur; & prius, scilicet spirituale *gratis* detur, alterum quod temporale est, temporali quoque compensetur. "Quia cum hoc sit non distrahitur Ecclesia (inquiunt) *sed* „*facultas*: nec emitur *Sacerdotium*, sed POSSESSIO *præ*„*diorum*. Sub hac enim præstatione pecuniæ *opes tantum* „non honoris vel Ecclesiæ redimitur Sacramentum. Vena„lia siquidem sunt, unde sint divites: gratis accipiunt, *unde* „*fiant Sacerdotes*.

II. Ita quidem Capellani Gothfredi Ducis apud B. Petrum Damiani *Lib.* 1. *epist.* 13. & *Lib.* 5. *epist.* 13. quos tamquam *Satanæ prædicatores, & Apostolos Anti-christi* exagitat; exclamatque: *ô novum schismaticorum genus, & os sacrilegum æterni silentii censura damnandum!*

III. Dein urget Alexandrum II. Pontificem, cui epistola inscribitur, "ut cælestis eloquii gladio præcinctus occurrat, & tamquam alter Josue, Amalecitas oppugnantes Israël „evaginato canonici vigoris mucrone prosternat.

IV. Censuræ & doctrinæ suæ multas rationes adducit, atque hanc inter cæteras: "Cum aliquid sub venalitate su„scipitur, & illud procul dubio comparatur, quod ex ne„cessitate subsequitur. Ad hoc enim Pastoralis Ecclesia „cuique committitur, ut ad ejus regimen obtinendum con„secratione firmetur. Et ad hoc sine dubio collatæ pecu„niæ commercium spectat, ad quod is qui promovendus „est adspirat.

V. Quæ ratio coincidit cum ea quæ apud Gratianum sub nomine Paschalis Papæ exprimitur *Caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 7. "Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum „provenit, neutrum invenditum derelinquit.

VI. Rationem hanc esse concludentem, intelliget, qui attenderit, jus percipiendi proventus temporales, esse *consequenter*, ut loquuntur, annexum officio sive titulo Ecclesiastico: id est, jus hoc dari *propter officium*, adeò ut necessariò & ex justitia debeatur & competat illi qui titulum habet: ac proinde si titulus *gratis* in aliquem translatus supponatur, jam hoc ipso jus percipiendi proventus illi annexum translatum censeatur; ac per consequens, nihil pro hujus juris translatione exigi queat; cum jus illud jam translatum sit, & acquisitum sit illi cui titulus *gratis* datus supponitur.

VII. Unde meritò Alexander VII. hanc inter alias moralis Christianæ relaxativas propositiones damnavit: "Non „est contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre „gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica „pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione „Beneficii, sed veluti *pro emolumento temporali*, quod ti„bi conferre non tenebatur.

VIII. Fundamentum damnatæ hujus propositionis, quod præfert his verbis, *quod tibi conferre non tenebatur*, planè frivolum est. Nam etsi absolutè non tenebatur illi conferre Beneficium, quia poterat non conferre; tamen si Beneficium conferat, non potest temporale ei annexum subtrahere.

IX. Rectè proinde dixerunt Patres Synodi Remensis anno 1583. titulo *De Simoniacis num.* 6. "Impudentissi„mum proinde prætextum detestamur, qui de solo proven„tu reque temporaria Canonicatus se pacisci dicunt; cum „ea spirituali tam arcto sit annexa vinculo, ut non magis ab „ea divelli queat, quam in homine vivo manente corpus „à sua anima.

X. Sed quid multis opus est argumentis, sola expendatur Christi sententia, *Gratis accepistis, gratis date*; attendantque hujusmodi Collatores aut Patroni, num Canonicatum vel Beneficium *gratis* dederint, dum hoc prætextu, notabilem pecuniæ quantitatem aliudve temporale pro collatione aut præsentatione acceperunt; vel an ipsi qui mediante ea pecuniæ alteriusve muneris datione impetrarunt, *gratis* Beneficium, conformiter ad dictam Christi sententiam, acceperint.

Quis enim dicet, *gratis* Beneficium esse collatum, ubi pro eo assequendo oportuit notabilem summam pecuniæ numerare? Nec sine hac datione ad Beneficium perveniretur!

XI. Quapropter jam pridem Innocentius III. *in Cap.* 34. *De Simonia*, Simoniacum pronuntiare non dubitavit Clericum, qui quibusdam Canonicis donationem fecerat, ea intentione, ut *per temporalia quæ offert, spiritualia valeat adipisci*; unà tamquam Simoniacos condemnans Canonicos, *si non essent eum, nisi temporalia commoda perciperent, admissuri.*

Hoc unum hic attendit Innocentius, num quovis modo per *temporalia* ad Canonicatum perveniatur; id solum sufficere judicans, ut *non gratis*, & per consequens Simoniacè pervenire censeatur.

XII. Eadem hac decisione in antecessum reprobavit prætextum, quem ad excusandam Simoniam, quorumdam Casuistarum impia subtilitas his postremis temporibus publicare non puduerat; nimirum: "Dare temporale pro spi„rituali non est Simonia, quando temporale non datur „tamquam *pretium*; sed dumtaxat tamquam *motivum* „conferendi, vel efficiendi spirituale.

Quis, nisi tenebris densissimis habens cor obscuratum, non intelligat, eum per *temporalia* pervenire ad spiritualia, qui per dationem temporalium inducit & *movet* Collatorem ut sibi conferat spiritualia, & qui aliàs non esset collaturus, nisi temporalia illa darentur aut promitterentur!

XIII. Nonne hoc titulo omnes *gratis* dicendi erunt pervenire ad Beneficia, qui quocumque *munere* ad illa perveniunt; modò eam in mente intentionem formare sciant, quod non per *pretii*, sed per modū *motivi* munera offerant? Quidni & ipse Simoniacorum Antesignanus hoc titulo excusari potuisset? Quid enim offerendo pecuniam Apostolis, aliud intendebat, nisi ut per hanc oblationem tamquam mo-

medium seu *motivum* Apostolos moveret, ut ipsi darent & hanc potestatem, ut cuicumque imposuisset manus, acciperet Spiritum Sanctum?

XIV. Quapropter anno 1655. postulante Gandensium Antistite Antonio Triest Facultas Theologica Lovaniensis prædictum Casuistarum assertum, tamquam merum Simoniacæ pravitatis palliamentum & apertissimum Christi præceptum evertens, ac omnibus Simoniacis latissimam ad Sacerdotia & Beneficia Ecclesiastica portam pandens, reprobavit.

Hujus judicium sequutus Episcopus Namurcensis in Synodo sua anno 1659. inter opiniones, quarum praxim interdicit Confessariis suæ Diœcesis, donec à Sancta Sede aliter ordinatum fuerit, hoc quoque Casuistarum assertum reposuit *n.* 6.

XV. Episcopi quoque Gallicani perniciosissimum hoc Simoniæ pallium detegere non prætermiserunt; atque præ cæteris Archiepiscopus Senonensis in Synodo sua Diœcesana, hâc accerrimâ quidem, sed nequaquam ultra meritum, censurâ assertum illud perstrinxit: "Hæc doctrina quæ „ Simoniæ contra jus divinum crimine eos omnes liberat, „ qui pecuniam propter Sacerdotia vel dederunt, vel acce„ perunt, modò pecunia MOTIVI locum habet non PRE„ TII; tota falsa, nefaria, impia est, hæresim Simoniacam „ toties à sanctis Conciliis & pontificibus damnatam, sub„ dolè renovans, & ad implendam lupis Ecclesiam, & cor„ rumpendam ejus in ipso fonte, hoc est Sacerdotum Or„ dine, sanctitatem inventa.

XVI. Tandem anno 1679. Innocentius XI. omnium illarum censurarum justitiam probans & roborans, inter alias 65. quas omnes, *& unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tamquam scandalosas & in praxi perniciosas*, damnavit & prohibuit, & hoc Casuistarum assertum retulit. *num.* 45.

XVII. Alii nonnihil subtilius se ipsos fallentes, nolunt munera per modum *motivi* Patronis aut Collatoribus dare, ut eos ad beneficium conferendum immediatè moveant, vel inducant, sed muneribus sibi amicitiam vel favorem Patronorum aut Collatorum conciliant; ut ea mediante facilius beneficia obtinere queant: quasi non sat evidens esset, ea munera *ultimate*, dari, ut iis mediantibus ad beneficia perveniatur: quodque ipsa Beneficiorum assecutio, quæ amicitiæ conciliandæ *finis* est, magis sit in intentione, quam amicitiæ & favoris conciliatio, quæ dumtaxat *medium* est. An forsan finis *gratis* obtinetur, dum media pretio mercari oportet?

XVIII. Nonnulli omnia in securo posita autumant, si nihil Patronis aut Collatoribus dent; sed muneribus sibi conciliare non dubitant illos, quos sciunt auctoritate valere apud Patronos & Collatores; quorum favore sibi ad beneficia aditum pandant: non intelligentes, hanc munerum oblationem pro ultimo fine habere beneficiorum impetrationem; nullatenusque dici posse, beneficia hac via impetrata, esse *gratis* impetrata.

Quapropter legitur apud Gratianum. *Caus.* 1. *q.* 5. *Can.* 3. responsum Urbani II. quo rescribit Episcopo Metensi, à Sacerdotio de rigore Canonum esse suspendendum, qui Sacerdotium obtinuerat *per pecuniam non* EPISCOPO, *sed cuidam Principum ejus datam*; non quidem ab ipso Ordinato, at ipso ignorante, à parentibus ejus.

XIX. Et sanè qui conciliando similium Proxenetarum favore munera impendunt; nihil aliud reipsa intendunt, quàm munerum interventu beneficia impetrare. Quis insuper non videt, hinc semitam sterni, ut per munera passim indigni quique in beneficia involent.

XX. Meritò proinde Facultas Theologica rogata ab antedicto Gandensium Antistite judicium suum dare super hac propositione: *Pro intercessione ad beneficium obtinendum potest aliquid dari sine Simoniæ suspicione*, illam hac censura perstrinxit: *Falsa est, perniciosa, hominibus ambitiosis & indignis aditum aperiens ad Beneficia per pecuniam promiscuè procuranda.*

CAPUT V.

De Palliis specie *pietatis*; item *redemptionis vexæ*; & *gratuitæ renumerationis*.

1. *Pallium sub specie pietatis execratur S. Basilius.*
2. *Hanc larvam, tamquam diabolicam fraudem insigniter exagitat S. Gregorius.*
3. *Abominabile judicat exstruere Monasteria ex pecuniis Simoniacè acceptis.*
4. *Mores hodiernos describit Gregorius.*
5. *Cavendum ne sub obtentu eleemosynæ Simonia committatur.*
6. *Pro obtinendo Beneficio nihil Ecclesiæ aut pauperibus tribuendum.*
7. *Quomodo sub hoc pallio Monachi subinde Simoniam committant.*
8. *Item & Ecclesiastici largas eleëmosynas facientes.*
9. *Hoc Simoniacorum pallium satis detegitur per Christi sententiam*, gratis accepistis, gratis date.
10. *Larva Simoniæ sub specie* redimendæ vexæ *jam pridem usitata.*
11. *Per redemptionem vexæ intenditur pacifica Beneficii possessio.*
12. *Super beneficio mediante temporali transigi nequit.*
13. *Transigi sub obligatione refundendi expensas à Pontifice improbatum.*
14. *Sub redemptione vexæ sæpius latere Simoniam probat Lucius III.*
15. *Quid observatum voluerit S. Carolus, ne sub prætextu redimendæ vexæ committeretur Simonia.*
16. *Quo fundamento nitatur larva gratitudinis.*
17. *Si hæc larva admittatur, etiam Simon Magus & Giezi essent à Simonia excusandi.*
18. *Episcopi hanc larvam damnârunt; quorum judicium probavit Innocentius XI.*
19. *Ostenditur, dari tamquam pretium, quod dicitur dari per modum gratitudinis aut remunerationis.*
20. *Unde colligi possit, data titulo remunerationis, reverâ dari pro obtentione Beneficii, iisque Collatorem motum esse ad conferendum?*

I. Seculo quarto de hoc pietatis pallio scribit, illudque execratur S. Basilius in epistola ad Episcopos sibi subjectos, quæ refertur inter Canones ejusdem Sancti *Can.* 91. apud Balsamonem: " Ajunt quidam inquit „ nonnullos vestrum accipere pecunias ab iis qui ordinan„ tur; *pietatis* verò nomine id obumbrare, quod deterius „ est. Si quis enim faciat malum boni prætextu, is est dup„ lici pœna dignus; & eo quod id agit, quod non bonum „ est; & ad peragendum peccatum, eo, quod bonum & „ honestum est, coadjutore, si dici possit, utitur.

II. Tempore Sancti Gregorii passim sub hoc pietatis pallio Simoniam contegi consuevisse testis est ipse Gregorius in pluribus epistolis; ac signanter *lib.* 7. *epist.* 9. in qua insigniter has diaboli technas detegit & exagitat. "Plerum„ que (ait) adversarius animarum, dum non potest in his „ quæ ad faciem sunt prava surripere, callidè specie quasi „ pietatis injecta, nititur supplantare; suadesque forsitan „ debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non ha„ bentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera *e„ leemosyna* celata obumbratione transfundat. Nam nec „ venator feram aut avem auceps deciperet, vel piscem pis„ cator caperet, si aut illi laqueum in aperto proponeret, „ aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino

ergo

Digitized by

„ergo metuenda & cavenda est hostis astutia; ne quos a-„perta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius va-„leat trucidare. Neque enim eleëmosyna reputanda est, si „pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur: „quia qui hac intentione malè accipit, ut quasi bene dis-„penset, gravatur potiùs, quàm juvatur.

III. Ex quibus ulterius infert: "Unde etiam illud certum „est, quia etsi monasteria aut xenodochia vel quid aliud de „pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, „mercedi non proficit: quoniam dum perversus emptor „honoris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam „similitudinem sub commodi datione constituit, plura ma-„lè ordinando destruit, quàm potest ædificare qui ab eo „pecuniam ordinationis accepit.

IV. Adhæc verba Gregorii reflectens eruditus operum S. Gregorii Revisor, & notarum auctor, ait: "Quàm grap-„hicè nostrorum hominum mores depingit, qui furta & „latrocinia publica, piorum locorum ædificatione redime-„re se putant: hostiæ abominabiles quæ offeruntur ex sce-„lere, *Proverb.* 21.

V. Post hæc concludit Gregorius: " Nimis ergo decli-„nandum est, dilectissimi Fratres, sub obtentu *eleemosynæ*, „peccata Simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est, „propter peccata eleëmosynas facere, aliud propter eleë-„mosynas peccata committere." Apud Gratianum *Caus.* 1. *q.* 1. *Can.* 27.

VI. Eodem fundamento insistens Alexander II. apud Gratianum *Caus.* 1. *q.* 3. *Can.* 9. postquam exhibuit sub gravissimis pœnis alicujus muneris interventu beneficia distribui, sub eisdem pœnis constituit, ut " nullus cujuscum-„que gradus Clericus pro Ecclesiæ beneficio aliquid audeat „conferre, aut *fabrica Ecclesiarum* vel *donariis Ecclesia-„rum*, seu etiam quod pauperibus sit tribuendum.

VII. Rectè proinde intulit Christianus Lupus Dissertatione 2. prœmiali ad tomum 3. scholiorum *cap.* 2. "Quo-„circa Clerici & Monachi quotquot hodie apud Laicos „aut Ecclesiasticos Principes agunt *proxenetas* ac *inter-„cessores*, impetrare conantes promotionem aut nomina-„tionem Prælatorum, qui *ipsorum pauperes Ecclesias, „Collegia, Monasteria aut Xenodochia ditare, adjuvare, „vel ornare obligentur*, committunt plenissimam Simo-„niam, & suis personis ac rebus evocant divinam maledi-„ctionem. Etiam Artifices, & quivis hisce intercessionibus „promoti...... Et hinc vides à Magnatibus quoque, per-„git idem Lupus, dum quid à nominatis Episcopis vel Ab-„batibus exigunt quasi ad publicas Regni necessitates, o-„mninò committi Simoniam.

VIII. Similiter qui largas eleëmosynas, aut donaria faciunt in exstructionem Monasteriorum, aut sustentationem familiæ sive Congregationis aut Conventus, ut per eorum intercessionem sibi Patronorum aut Collatorum gratiam conciliare queant; & ea mediante ad Beneficia sibi viam sternere, nequaquam à Simonia exempti sunt: utpote qui per temporalia ad Beneficia hoc modo perveniunt.

IX. Si Christi sententia, *Gratis accepistis, gratis date* hîc rursus expenderetur, haud difficulter diabolica hæc techna detegeretur. Nimis enim apertum est, quod hîc nec *gratis* dentur, nec *gratis* accipiantur; dum tot donaria aliave temporalia, quamvis *eleemosynæ* aut *pietatis* pallio contecta, præstari oportuit.

X. Non minus subtilis est diaboli techna, qua nonnullos in Simoniacam pravitatem inducit, nimirum *redemptio vexæ*, quam sine ulla Simoniacæ labis suspicione licitam esse persuadet: cum tamen non raro hîc non tantum species, sed vera Simonia lateat.

Scribit S. Ivo Carnotensis *epist.* 60. Multi electi qui gra-„tuitam & Canonicam habent electionem, quia hujusmo-„di *dilationibus* vel *fatigationibus* impediuntur; compa-„ratis pecunia mediatoribus & prolocutoribus, *ne tur-„pem patiantur repulsam, in Simoniacam offendunt ali-„quando consecrationem.*

XI. Rationem illius assignat B. P. Damiani *lib.* 2. *Epist.* 3. Non Ecclesiæ consulere quærunt; *sed quietè possidendi sibi culminis aditum pandunt*; hoc est, ne per alium à Sacerdotio sive Beneficio assequendo aut retinendo impediantur, datis *muneribus* sub pallio *redemptionis vexæ* assequuntur.

Quidni mediante temporali *spirituale* assequi dicendus est, qui eo mediante jus, quod alter habet, aut habere prætendit, assequitur; aut ut ei in suum favorem renuntiet, obtinet?

XII. Consultus Alexander III. Utrum de Ecclesiastico Beneficio in *litigium* deducto possit fieri transactio, respondit, *quod transigi super re sacra & litigiosa non potest*. Ratio subjungitur: " Etenim res sacræ ut possideantur aliquo „dato vel retento seu promisso speciem credimus habere „Simoniæ." *Cap.* 7. ⁏ *De Transact.*

Quibus verbis significat Pontifex, revera res sacras aliquo dato vel promisso possideri, dum temporale datur, ut collitigans à lite desistat; & colliigantem à *vexa* liberando, *pacificè* possidere sinat.

XIII. Idem Pontifex in *Cap.* 4. ⁏ *De Pactis* non duxit admittendam pactionem inter quoddam Monasterium, & quemdam P. Clericum in causa quæ super Ecclesia & Capella de L. vertebatur, qua convenerant, " quod eidem P. „pro expensis quas fecerat, tres marchæ argenti solveren-„tur, idem P. liti cederet, & à Monachorum infestatione „cessaret.

Cur hanc pactionem probare recusaverit adjungit: *Pro eo quod videretur pravam illicitæ pactionis speciem continere.*

XIV. Hæc sat ostendunt, sub *redemptione vexæ* non raro posse latere Simoniacam pravitatem; quod apertius indicat resolutio Pontificis in *Cap.* 23. ⁏ *De Simonia.*

Secreta enim insinuatione monstraverat Matthæus Cardinalis Lucio III. quod "cum quidam ad Ecclesiæ regimen „de voluntate majoris partis Fratrum fuisset electus, pau-„cis contradicentibus: quidam amicus de ejus conscientia „& voluntate turbata, ei qui Magister discordiæ videbatur „certæ quantitatis munus exsolvit, & sic contradictio ces-„savit." Postea dubitare incepit Electus, num esset à labe Simoniæ prorsus immunis? Cum enim *Major pars* Fratrum elegisset *paucis* tantùm contradicentibus, non nisi mera *vexæ redemptio* fuisse videri poterat.

Consultus tamen Pontifex respondit: *Multum tibi consulis, si administrationem celeriter ac spontè dimittas, illius verbi memor existens*: NIHIL PRODEST HOMINI, SI UNIVERSUM MUNDUM LUCRETUR: ANIMÆ VERO SUÆ DETRIMENTUM PATIATUR.

Notat hîc Glossa, quod quidem dicat Pontifex, *consulis* " quia peccatum *occultum* erat; unde illum expressè pro-„hibere non poterat, nisi *consulendo*. Et licet dicatur, *con-„sulis*, necessitatem tamen importat, si vult salvari: quia „nisi renunciet, salvari non potest.

XV. Prudentissimè proinde S. Carolus, ne, ut ipse loquitur, *redimendæ vexationis specie* in causis beneficialibus Simoniacæ pactiones fiant, statuit in Concilio Mediolanensi I. titulo De Constit. contra Simoniacos *num.* 11. " Nemini licere ad *redimendam vexationem*, ne in casibus „quidem jure permissis, pecuniam dare, quidquamve pa-„cisci aut transigere, nisi Episcopi consensus accesserit, cu-„jus partes erunt, & perspicere diligenter, an subsit aliqua „fraus: ubi rem fraude carere, & jure permissam cognove-„rit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se à vexatio-„ne liberandi. Qui contra quàm decretum à nobis est, in-„quit, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur; & quod actum „fuerit, irritum sit & nullum.

Quicumque igitur se à vexatione in causa beneficiali redimere meditatur, conformiter ad hoc S. Caroli præceptum, præviè Episcopo aut certè aliis quibusdam Viris doctis ac peritis totam rei seriem meritò exponet; ut ipsi dispiciant

spiciant, num sub *redimendæ vexationis* specie solitæ Simoniacæ pactiones non lateant; vel an periculum non sit, quod illicitis aliorum extorsionibus annuendo, ipse eorum injustitiæ complex fiat; aut saltem scandali causa sit. Quæ omnia indubiè securiùs aliis expendenda committuntur; quia aviditas qua cupimus à vexis liberari, facilè excœcat & proprium judicium corrumpit.

XVI. Nonnulli magis attendentes ad vulgatam Simoniæ definitionem, *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali rem spiritualem vel spirituali annexam*, quàm ad Christi præceptum *gratis accepistis, gratis date*, prædictamque definitionem juxta internum verborum corticem rigorosè interpretantes, à Simonia vendicare præsumpserunt dantes & accipientes temporale pro spirituali, *modò temporale sit solùm* GRATUITA COMPENSATIO *pro spirituali, aut econtra*, quasi hoc modo dare vel accipere temporale pro spirituali, non esset vendere vel emere spirituale pretio temporali.

XVII. Sanè si hi & similes prætextus *gratitudinis* sub vocabulo *gratuitæ compensationis* excusent; requiraturque verbis expressis inita emptio-venditio, jam Simonia adeo exulabit à rebus humanis, ut ne ipse quidem Simoniacorum pater Simon (de quo *Actorum* 8.) Simoniacus fuisse dicendus sit: injustéque in eum Petrus duram illam sententiam pronuntiaverit, *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.* Neque Giezi eorumdem Simoniacorum atavus meruisse dicendus erit lepram qua divinitus percussus fuit 4. *Regum cap.* 5. Neuter enim pro dono spirituali pretium obtulit aut exegit. Simonis verba sunt *Date*, inquit, *& mihi hanc potestatem.* Dari sibi petit non vendi. Pecunias offert, sed tamquam motivum; vel pro gratuita compensatione, ubi Apostoli dedissent quod petebat. Giezi quoque abiit ut pactum iniret: sed cum Naaman sponte ex benevolentia obtulisset munera, quam *Benedictionem* vocat, & Propheta ea recusasset; ipse cucurrit post Naamen, & oblatum acceptavit. *Da*, ait, *talentum argenti & vestes mutatorias duplices.* Hodie id diceretur *Par chirothecarum*.

XVIII. Meritò proinde Facultas Theologica Lovaniensis instante sæpe dicto Gandensium Antistite censuravit hanc propositionem tamquam Simoniacæ pravitati portam latissimè aperientem: " Dare temporale pro spirituali " non est Simonia, quando per temporale fit solùm *com- " pensatio gratuita* pro spirituali, aut econtra.

Praxim ejusdem omnibus quoque interdixit in Synodo sua Diœcesana anno 1659. Episcopus Namurcensis.

Horum judicium tandem probavit Innocentius XI. anno 1679. eandem propositionem inter alias 65. laxioris moralis quadragesimam quintam condemnans.

XIX. Hujusmodi doctrinæ auctores non videntur attendisse, aut noluisse attendere, quod tametsi ille mentis intuitus adhibeatur, ut temporale non consideretur tamquam *pretium*, interim *reipsa* tamquam pretium detur; uti evidenter patet ex eo, quod exactè ratio valoris iniri soleat; & expendi quantum illud spirituale, vel temporale ipsi annexum, utilitatis importet: v. g. quantum annui proventus habeat beneficium, ut sic res rei non secus respondeat, quàm si bos aut equus in foro pretio competenti veniret.

XX. Alexander III. in *Cap.* 18. ꝟ *De Simonia* tria potissimum attendenda esse scribit, *dantis & accipientis qualitas, quantitas muneris & donationis tempus*, ut sciatur, an munerum oblatio animum Collatoris aut Patroni ad conferendum beneficium moverit, tacitaque saltem de dando temporali conventio intervenerit.

Hæc si expendantur in muneribus, quæ sub pallio *gratuitæ compensationis* sive *remunerationis* in quibusdam partibus fieri consueverunt, ad oculum patebit, hæc *munera* reipsa tamquam *pretia* spiritualium aut temporalium iis annexorum dari; nec spiritualia dari aut accipi, nisi tacitâ saltem remunerationis istius promissione factâ; quemadmodum latiùs singulas circumstantias expendendo, ostendi in Tractatu De Simonia circa Beneficia *parte* 1. *cap.* 2. §. 8.

CAPUT VI.

De pœna depositionis Simoniacorum, & nullitate provisionis Simoniacæ.

1. *Primis seculis pœna tantum decreta in Simoniacas Ordinationes: & quare?*
2. *Synodus Calchedonensis Simoniacè ordinatum de suo gradu dejicit.*
3. *Synodus VI.* deponi *mandat.*
4. *Simoniacè Ordinantes & Ordinatos* à Sacerdotio *cadere supposuit S. Tarasius.*
5. *Hæc depositio erat* perpetua.
6. *Probatur Testimonio Leonis IV. Simoniacè Ordinatum nec post* actam pœnitentiam *Sacerdotio restitui.*
7. *Imò Ordinationes Simoniacas quasi* substantialiter *irritas dixere Canones.*
8. *Saltem fuere irrita quoad executionem in* perpetuū.
9. *Hanc perpetuam depositionem multis ursit S. Tarasius.*
10. *Depositionis hujus justitia ostenditur.*
11. *Canones loquentes de Simoniacis Ordinationibus etiam complectuntur Simoniacas Beneficiorum provisiones.*
12. *Probatur auctoritate Alexandri II.*
13. *Calistus II. Ordinationem & provisionem Beneficii Simoniacam quoad pœnam depositionis conjunxit.*
14. *Recentiora Pontificum Synodorum Decreta Simoniacas provisiones Beneficiorū irritas declarârunt.*
15. *Martinus V. in Concilio Constantiensi eas declaravit* nullus ipso jure.
16. *Idipsum declaravit Pius V.*
17. *Ad hanc nullitatem sufficit Simonia conventionalis.*
18. *Qui hanc* nullitatem *restringunt ad Simoniam* realem, *verba Canonum contra eorum naturalem sensum contorquent.*
19. *Restrictio hæc ab Urbano II. jam pridem rejecta.*
20. *Ostenditur quam futili fundamento hæc restrictio nitatur.*
21. *Quis præcipuus Ecclesiæ scopus in decernenda hac pœna nullitatis & depositionis?*
22. *Qui per Simoniam à Parentibus commissam ordinati sunt, etiam deponendi sunt.*
23. *Etiamsi* ignorante *Ordinato Simonia sit commissa.*
24. *Hanc nullitatem clarissimis terminis exprimit Decretalis Calestini III.*
25. *Nisi sit facta in fraudem provisi.*
26. *Provisus per Simoniam, licet ipso* ignorante *commissam, tenetur beneficium dimittere.*
27. *Monuit B. Petrus Damiani Simoniacos, ut Ordines sponte desererent.*
28. *Multi etiam Episcopi convicti rationibus Damiani suas Sedes dimittere promiserunt.*
29. *Sed promissis non steterunt; & quàm difficulter Simoniaci convertantur.*
30. *Simonia etiam* occulta *reddit provisionem* nullam, *& obligat ad dimittendum.*
31. *Simoniacus tamen* occultus *deponi non potest; sed potest indici purgatio Canonica, si* publicè *sit de Simonia suspectus.*
32. *Cum occulto faciliùs quàm cum publico dispensari potest.*
33. *Ut Simoniacus ex suo Beneficio ejiciatur, debet proviè declarari Simonia intrasse.*
34. *Hæc declaratio contra Clericum facienda à Judice Ecclesiastico.*

35. *Cri-*

35. *Crimen hoc est Ecclesiasticum in quantum contra Clericum agitur.*
36. *Aliquando* incidenter *Judex* laicus *cognoscit de hoc crimine contra Clericum.*
37. *Hoc casu judex laicus non pronuntiat super crimine Simoniæ, sed super possessorio beneficii.*
38. *In Regno Galliæ rarò recurritur pro obtinenda hac declaratione ad Judicem Ecclesiasticum: & quare?*
39. *Quomodo judex laicus etiam cognoscat de Simonia; licet super ea non pronuntiet?*
40. *Simoniacus etiam tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum.*
41. *Etiamsi Simonia sit* occulta.

I. QUia primis seculis, nondum erectis beneficiis, Simonia præcipuè circa ipsas Ordinationes versabatur, uti supra *cap.* 2. ostensum est, etiam pœnæ jam pridem in Simoniacos decretæ, ipsas Simoniacas Ordinationes spectabant.

II. Synodus Calchedonensis *Canone* 2. statuit: "Si „quis Episcopus propter pecunias ordinationem fece„rit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non „potest, ordinaveritque per pecuniam Episcopum, „Chorepiscopum, Presbyterum, vel Diaconum, vel „aliquem eorum qui in Clero annumerantur, vel „propter pecunias promoverit œconomum, vel de„fensorem, vel paramonarium, vel omnino aliquem „ex Canone, turpis quæstus gratia: qui hoc tentasse „convictus fuerit, de proprio gradu in periculum ve„niat: & qui est ordinatus, ex ordinatione vel promo„tione quæ instar mercatorum venundatur, nihil juve„tur: sed sit à dignitate vel curatione alienus quam pe„cuniis adeptus est.

Hunc Canonem innovans Synodus II. Aurelianensis *Can.* 4. ait: "Si quis Sacerdotium per pecuniæ nun„dinas execrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut „reprobus.

Idipsum declarant Synodus Aurelianensis V. Turonensis II. Cabilonensis, item Remensis II.

III. Et Synodus VI. vulgò Trullana Can. 22. ait: "Eos, qui per pecunias ordinati, sive Episcopi, sive „quicumque Clerici, & non secundum probationem „& vitæ optionem, *deponi* præcipimus.

IV. Et Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola lecta & probata in Synodo Nicæna II. intrepidè pronuntiat: "Omnis Episcopus vel Presbyter, aut „Diaconus convictus, quod pro muneribus ordinatio„nem dederit, vel acceperit, *à sacerdotio cadit.*

V. Hæc depositio juxta phrasim antiquorum Canonum absolutam & perpetuam, nulla pœnitentia delebilem irregularitatem significabat. *Depositio enim ex natura sua est perpetua ac irreparabilis*, ait Lupus in Dissertatione 3. prœmiali præfixa tomo 3. Scholiorum *pag.* 241.

VI. Unde interrogantibus Britonum Episcopis: "Utrum Simoniacè ordinati possint in Ordine *pœnitentiam* agere, aut tantummodo *extra Ordinem* & Sacerdotalem fieri gradum: " Respondit Leo IV. " Convictis & iis, „qui tam detestabile nefas (quod jam multis damnatū „est Conciliis) peregisse noscuntur, *nullâ pœnitentiâ* „possumus subvenire, & tot spiritualibus Patribus ob„viare, sed illorum Patrum sententiam me convenire „omnibus certum sit." *Caus.* 1. *q.* 7. *Can.* 5.

VII. Hic evidenter supponit Leo IV. Simoniacè ordinatos, nec *post actam pœnitentiam* ad exercitium Sacerdotii restituendos; quod & Christianus Lupus citata Dissertatione 2. prœmiali *cap.* 17. rectè notavit: "Hæce enim Ordinationes adeo detestata est, adeo„que *nullâ* umquam *pœnitentiâ* ad ministerii execu„tionem admittere olim voluit Ecclesia, ut etiam ir„ritas, diceret, & haberet quasi substantialiter nullas.

VIII. Et quamvis credat hic Auctor contra Morinum has Ordinationes non fuisse quoad *substantiam* irritas, tamen non dubitat, irritas saltem fuisse effectu quoad executionem, *atque indispensabili suspensione ac irregularitate firmatas* ut loquitur *pag.* 241.

IX. Hanc perpetuam irregularitatem nulla pœnitentia delendam multis adstruxit, fortiterque ursit S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo VII. *Actione* 8. & extat apud Gratianum *Caus.* 1. *q.* 7. *Can.* 2. sed nonnisi mendosè, uti rectè notant Correctores Romani, quorum notas consulere oportet.

X. Et sanè quæ justior aut convenientior pœna esse potest, quam ut Sacerdotio perpetuò privetur, qui illud per Simoniam turpissimè maculavit, & existimavit Sacerdotii gratiam *pecuniâ possideri.* Quid justius quàm ut ex ovili Christi ejiciatur, qui *non intravit per ostium in ovile ovium; sed ascendit aliunde*, nimirum tamquam *fur & latro?* " Nullus verò in Ecclesia Præ„latus, ait Gregorius VII. per ostium, hoc est per ipsum „Dominum, ad Pastoralem curam intravit, qui per a„varitiam, id est, idolorum servitutem, ad hoc officium „pervenit. Non est ergo indignum hujusmodi merca„torem sive mercenarium sub nomine furis infamari, „cujus furtivam irreptionem non expavit imitari. " In Concil. R. I. *Can.* 10.

XI. Quantumvis Canones citati nominatim agant de his, qui per Simoniam ordinati sunt; eo quod juxta disciplinam illius temporis, per solam ordinationem ad Ecclesiasticos gradus ascenderetur, indubitatum tamen est, eos etiam comprehendisse, qui mutata Ecclesiæ disciplina ad sacra ministeria, & Dignitates Ecclesiasticas non quidem per ordinationem, sed per beneficiorum institutionem Simoniacè acceptam, promoverentur.

XII. Unde Alexander II. qui sub medium seculi undecimi sedit, non dubitavit citatum Canonem Calchedonensem applicare iis qui beneficium Ecclesiæ vendere vel emere præsumpserint, in epistola ad Clerum & populum Lucensem apud Gratianum *caus.* 1. *q* 3. *Can* 9. " Si aliquis divinorum præceptorum & animarum sa„lutis immemor, inquit, *Beneficium Ecclesiæ* iniqua „cupiditate ductus, vendere vel emere temerario ausu „præsumpserit, *sicut in Chalcedonensi Concilio defini„tum est*, gradus sui periculo eum subjacere decerni„mus, nec ministrare possit Ecclesiæ, quam pecunia „venalem fieri concupivit.

XIII. Similiter Calixtus II. qui sedit seculo XII. quando jam disciplina hæc, collationem beneficiorum ab Ordinatione separans, omnino invaluerat, utramque quoad hanc pœnam conjunxit dicens: " Si quis in Ecclesia „ordinationem vel *promotionem* per pecuniam acqui„sierit acquisita prorsus careat dignitate.

XIV. Infinita propemodum sunt posteriorum Pontificum & Synodorum Decreta, quæ ipsas beneficiorum collationes Simoniacas, irritant, & omni planè effectu vacuas declarant; nullumque jus earum vigore provisis quæri asserunt; ac signanter in Extravagante Pauli II. quæ incipit *Cum detestabile*, refertur que sub titulo *De Simonia* inter Extravagantes communes: ubi dicitur: " Per electiones verò, postulationes, confirma„tiones, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, „quas simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus „omnino careant in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitati„bus, Personatibus, officiis Ecclesiasticis, & quibusvis „beneficiis, aut aliquo eorum cuiquam & jus nullate„nus acquiratur.

Cum dicatur per hujusmodi electiones & provisiones *cuiquam jus nullatenus acquiri*, rectè concluditur, has provisiones esse *irritas*, & *nullas*, quod & in Rubrica ejusdem Extravagantis supponitur cum dicitur:

Et electiones aut aliæ provisiones per Simoniam factæ non valent.

XV. Hoc ipsum clarissimis terminis expressit Martinus V. sess. 43. Concilii Constantiensis: "Electiones autem, postulationes, confirmationes, & quævis provisiones Simoniacæ Ecclesiarum, Monasteriorum, dignitatum, personarum, Officiorum & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcumque deinceps factæ, *nullæ* sint *ipso jure nullumque* per illas *jus* cuiquam acquiratur.

XVI. Et Pius V. in Constitutione quæ incipit: *Ut Simoniaca*, qua Constitutiones Antecessorum suorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. (quæ est dicta Extravagans inviolabiliter observari mandat, inter alia declarans: " Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisierit, illis sit *ipso jure* privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascumque alias obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum simoniacè adeptus fuerit, illis similiter *ipso jure* sit privatus.

Ex his aliisque tum Pontificum, tum Synodorum Decretis evidens est, provisiones Beneficiorum Simoniacè factas esse *ipso jure* irritas.

XVII. Illud quoque ex citatis textibus manifestum est, sufficere ad eam nullitatem, quod provisiones sint Simoniacæ; uti rectè notat Garcias de Beneficiis *parte 1. cap. 1.* ubi unà solidè refutat eos, qui hanc nullitatem duntaxat inductã volebant, quando intervenit Simonia *realis*, sive quando *realiter* munera data fuerunt; non autem quando sola Simonia *conventionalis* intercessit; id est, quando quidem de muneribus dandis conventum est; sed nondum conventioni satisfactum fuit per *realem* munerum solutionem.

XVIII. Et sanè cum ipsa *conventionalis* Simonia sit æquè vera & formalis Simonia, quàm *realis*; contra verba & mentem Pontificum & Synodorum torquent eorum Constitutiones, qui eas ad Simoniam *realem* restringere audent.

Adhæc quid interest, si mediante parata pecunia, vel promissa & addicta pecunia ascendat? Nonne utrobique mediante pecunia ad Beneficium aditum sibi pandit?

XIX. Unde jam pridem Urbanus II. apud Gratianum *Caus. 1. q. 3. Can. 5.* hac subtilitate nondum adinventâ, *datam & promissam* pecuniam confundit dicens: "Ea quæ à SS. Patribus de Simoniacis constituta sunt, nos quoque & judicio Sancti Spiritus, & Apostolica auctoritate firmamus. Quidquid ergo vel in Sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel data vel *promissa* pecunia acquisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires habere censemus.

Hic evidenter supponitur, solam *promissam* pecuniam adeoque *conventionem* de danda pecunia sufficere, ut *irritum* sit, quidquid per hanc promissionem obtentum fuerit.

XX. Dicitur quidem in citata Extravagante Pauli II. §. *Statuentes: Qui quomodolibet* DANDO *vel* RECIPIENDO *Simoniam admiserint*: è quibus Navarrus aliique nonnulli concluserunt, *dationem & receptionem* requiri, ut nullitas ipsius provisionis inducatur.

Verum in hoc §. non de nullitate provisionis agitur; sed de excommunicatione Simoniacorum.

Deinde uti bene reflectit Garcias loco citato *num.* 44. " illa verba referuntur solum ad spirituale, nempe Ordines vel Beneficia, de quibus in præcedentibus actum erat. Eorumque planus sensus est, quod qui quomodolibet Simoniam commiserint dando vel recipiendo Ordines, vel Beneficia, sententiam excommunicationis incurrant.

Interim hic videmus, quod & in multis aliis materiis contigit, quàm levi, ne dicam futili fundamento, nonnulli recentiores Theologi in laxiora proni, & hos cæco impetu sequuti nonnulli Canonistæ, à tenore Canonum recesserint, & rigorem Canonicæ disciplinæ, prætextu mansuetudinis inverterint.

XXI. Porrò præcipuus Ecclesiæ scopus in decernenda nullitate collationis alteriusque provisionis Beneficii per Simoniam obtentæ est, ut omninò ab Ecclesiasticis ministeriis arceantur, qui *non per Ostium*, id est Christum, in ovile ovium intrasse, sed *aliunde* ascendisse sciuntur.

XXII. Cùm verò constet, nec illos per *Ostium* intrare, qui Parentum aut amicorum muneribus interventientibus ascendunt; nec *tamquam Aaron* à Christo vocantur, sed parentum cupiditate intruduntur, etiam tales *à Sacris Ordinibus deponendos esse Sancti Canones testantur*, quemadmodum Metensi Episcopo scribit Urbanus II. apud Gratianum *Caus. 1. qu. 5. Can. 3.*

XXIII. Unde cum quidam Clementi III. insinuasset, quod pater ejus, *interveniente pecunia*, olim sibi præbendæ Beneficium acquisivisset, ipse verò ad annos discretionis perveniens, accepisset Dominicæ Crucis signum, & dictam præbendam in manu Præpositi & Fratrum *liberè* resignasset. Sed hi Resignanti compatientes, de *novo* eum in suum Canonicum elegerunt, *ita videlicet quod per electionem istam* POSTREMUM *locum in choro & in aliis obtineret*. Requisivit super his à Pontifice, " utrum juxta *priorem* receptionem suum locum recuperare debeat, vel valeat? Respondit Pontifex: Ut indulgentia quam Fratres tui tibi fecisse noscuntur, contentus existas, ratione *primæ* receptionis *nihil* audeas in ipsa Ecclesia *vindicare*." *Cap. 26.* ☧ *De Simonia.*

Hic à patre commissam fuisse Simoniam filio *ignoto* notat Glossa, quia aliàs Capitulum etiam consentiente Episcopo ad eamdem Ecclesiam reeligere non potuisset; ut hic cum Glossa communiter monent Doctores.

Ulterius observat Glossa, quod postquam cognovit Simoniã fuisse commissam à patre, debuerit ipse dimittere; ideoque supponit evidenter ipsa Glossa, primam electionem, ratione Simoniæ paternæ, fuisse *nullam*; quod & hic notat Cardinalis Hostiensis, probatque hanc pœnam nullitatis esse justam.

XXIV. Itaque electio aliave provisio Beneficialis ipso jure nulla est, nullumque jus tribuit Proviso, si quocumque modo Simoniaca fuerit; tametsi etiam *ipso* Proviso omnino *ignorante* intervenerit: quod clarioribus terminis exprimitur in *Cap. 27.* ☧ *De Simonia.*

Cum enim à quodam Capitulo "quatuor essent constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum: amici ejus, de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus eligentium promiserunt se pecuniam soluturos, *eo tamen ignorante*, qui hujusmodi promissione interveniente postmodum est electus.

Super hac electione consultus Cælestinus III. respondit: " Nisi constaret, illos qui promissum tale fecerunt, per fraudem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè egisse, quamvis *ipse promissionis conscius non sit*, ejus tamen electio tamquam Simoniaca pravitate præsumpta, est *penitùs* reprobanda.

XXV. Ex hac Decretali uno consensu concludunt Canonistæ, quod electio facta per Simoniam penitus sit *nulla*, etiamsi *ignorante* Electo intervenerit: nisi *malitiosè* seu in *fraudem*, non ad promovendam electionem, sed potius ad eam corrumpendam sive vitiandam, quæ futura prævidebatur, commissa fuerit: eò quòd hoc casu ipsa Simonia propriè ipsam electionem non infecerit: cum supponatur, quod etiam ea non interveniente electio facta fuisset.

XXVI. Hìc quoque notant Canonistæ, quod licet Simonia sit commissa *ignorante* proviso, nihilominus teneatur dimittere beneficium, tamquam nulliter & sine

sine canonico titulo acquisitum: cui consonant quæ de Malguino Nivernensi Episcopo in actis diei tertii Concilii Remensis anno 1049. præsente Leone IX. leguntur, "Nivernensis Episcopus surrexit (inquiunt acta) „ pro Episcopo plurimum pecuniæ confessus est à parentibus datum fuisse, *se tamen ignorante*, ... ideoque si „ Domino Papæ & præsenti Conventui dignum videretur, idem officium velle dimittere potiùs, quàm in ejus „ retentione animam suam perlimdare. Quæ ubi dixit, „ pastorale pedum ante pedes ipsius Apostolici posuit. „ Ille verò tanti viri flexus devotione, favente Synodo, „ eumdem, quod *absque suo consensu* eadem pecunia data fuerit, Sacramento comprobare facit: sicque illi „ per *aliud pedum* ministerium Episcopale reddidit.

XXVII. Narrat B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi *c.* 35. quomodo hic vir sanctus "seculares Clericos, „ qui per pecuniam ordinati fuerant, *durissima servitute* corriperet, & eos, nisi ordinem *sponte desererent*, „ omnino damnabiles & hæreticos assereret.

XXVIII. Deinde narrat, quomodo per sacros Canones multos de Simonia convicerit: qui & crimen agnoscebant & errata deplangebant. Post hæc subjungit: "Nonnulli quoque Episcopi, qui per simoniacam hæresim sacras Sedes invaserant, ad eum causa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam venerabili viro se „ committentes, & Episcopatum termino statuto *deserere*, & ad sanctæ conversationis se promittebant ordinem festinare.

XXIX. Hic elucet, nullatenus dubitasse S. Romualdū, quin juxta sacros Canones Simoniaci suas Sedes dimittere deberent: sed hoc meritò notandū quod adjicitur: "Ex quibus (Episcopis) tamen vir sanctus quamdiu „ vixit, nescio, si vel unum convertere potuit. Est e„ nim venenata illa hæresis, præsertim in Episcopali „ ordine, tam dura, & ad convertendum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem producens, at„ que in futurum procrastinans, faciliùs possit Judæus „ ad fidem converti, quam hæreticus latro plenè ad pœnitentiam provocari.

Et sanè tot vinculis retinentur alligati, qui interveniente Simonia ad Dignitates Ecclesiasticas sunt promoti, ut miraculi instar meritò reputetur vinculorum illorū confractio. Qui enim ad Dignitates Ecclesiasticas simoniacè ascendunt, considerare solent mundanum splendorem, & divitias seculi eis annexas; quas cum amant, difficulter illis renuntiant: nec enim sine difficultate admittetur, quod cum amore possidetur.

XXX. Quoad hanc nullitatem, & necessitatem dimissionis, non est differentia inter *notoriam & occultam* Simoniam, sed utraque reddit provisionem *nullam* & obligat Provisum ad dimittendum: uti monet Rebuffus in praxi titulo *De Simonia* in resignatione *n.* 12.

XXXI. Addit tamen *n.* 3. "Licet fiat differentia quoad „ depositionem ab officio, quia occultus non deponitur, „ sed notorius sic, *Cap.* 13. & *De Simonia*." Tametsi enim *occultus* Simoniacus careat revera titulo Canonico ob nullitatem à jure inductam, non potest tamen per Superiorem *deponi* quamdiu Simonia manet *occulta*.

Sed si *publica* laboret infamia, poterit ipsi, adhibitis Compurgatoribus purgatio Canonica indici; & si in hac deficiat, Beneficio privari poterit, quemadmodum in citato Capitulo scribit Pontifex.

XXXII. Insuper inter occultum & notorium Simoniacum ea est differentia, uti etiam notat Rebuffus ibidem, quod absolutio & rehabilitatio facilior sit in *occulto*, quam in *notorio*, uti capite sequenti ostendetur: ubi unà notabitur, quod dispensatio in Simonia occulta pro solo foro conscientiæ detur in pœnitentiaria; in Simonia notoria per Datariam.

XXXIII. Beneficia Simoniacè obtenta, cum vacent *ipso jure*, possunt impetrari, etiam absque alia declaratione, quæ fieri poterit post impetrationem, per *Cap. Cum secundùm de Hæreticis in* 6, ait Rebuffus *n.* 11.

Porrò hæc declaratio non requiritur, ut Simoniacus privetur beneficio; sed ut declaretur *privatus*: quæ declaratio per judicem fieri debet, ut ipse Simoniacus à beneficio, quod de *facto* possidet, realiter deponatur, sive expellatur, & alius in ejusdem possessionem inducatur.

XXXIV. Sed à quo judice hæc declaratio facienda? Indubiè à judice Ecclesiastico; præsertim, dum contra Clericum simili crimine infectum agitur. Hoc enim crimen eatenus Ecclesiasticum esse, nec ipsi Galli diffitentur.

XXXV. Edicto Blesensi *art.* 12. injungitur Archiepiscopis & Episcopis, ut procedant solicitè, rigorosè, & sine dissimulatione aut exceptione, contra personas Ecclesiasticas hoc crimine infectas. Verba Edicti sunt: *Lesdits Archévéques & Evéques procederont soigneusement & severement & sans dissimulation ni exception de personne, contre les personnes Ecclesiastiques, qui auront commis le crime de simonie, par les peines indictes & portees par les saints Decrets & Constitutions Canoniques.* Id est. Dicti Archiepiscopi & Episcopi diligenter severè absque dissimulatione aut exceptione personarum, pœnis irrogatis & statutis per decreta & Canonicas constitutiones animadverterent in Ecclesiasticos, qui Simoniæ crimen commiserint.

In Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 9. *art.* 8. habetur: "De crimine Simoniæ „ cognoscet & puniet uterque judex secundùm quali„ tatem suæ jurisdictionis.

XXXVI. Rursus cum præterito seculo quidam articuli fuissent Romæ exhibiti, iique remissi essent ad Franciscum I. Galliæ Regem; atque per hunc anno 1547. communicati Procuratori Generali, & Advocato Fiscali Parlamenti Parisiensis, ut ad singulos responderent, ad articulum 7. qui erat de crimine Simoniæ, responsum fuit, numquam visum fuisse, quod judices laici in patria Regia de hoc crimine cognoverint; quia est crimen *merè Ecclesiasticum*: nihilominus, quando proponitur per modum *exceptionis*, tunc hi cognoscant, non ut jus dicant *super crimine* Simoniæ, sed ut judicent *principale* coram ipsis pendens, conformiter ad jus commune. Verba responsi sunt: *Quant au 7. qui parle de la cognoissance du crime de simonie, l'on n'a point veu que les juges lais ès pays du Roy en ayent conneu, car c'est un crime pur Ecclesiastique: toutefois quand il est proposé par form d'exception lesdits juges en cognoissent, non pour prononcer sur le crime de simonie, mais pour juger ce qui est principalement pendant par devers eux, conformement à droit commun.* Id est. Quoad septimum ubi agitur de discussione criminis Simoniæ, insuetatū est à Judice laico in ditionibus Regis causam illam discuti cum sit crimen merè Ecclesiasticum, nihilominus cum in forma exceptionis proponitur, desuper etiā dicti judices instruuntur, non ut sententiam de crimine Simoniæ pronuntient; sed ut judicent id quod principaliter coram ipsis controvertitur conformiter ad jus commune.

XXXVII. Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 8. *c.* 2. *n.* 5. relato hoc responso, monet, judicia quæ super hoc crimine proferuntur in tribunali Ecclesiastico, esse omnino disparata à judiciis, quæ super eodem crimine proferuntur incidenter in tribunali *laico*.

Judex enim Ecclesiasticus cognoscens de hoc crimine contra Ecclesiasticum accusatum, declarat, convictum Beneficiis suis privatum; atque directè contra ejus personā pronuntiat, *ut in proprium sua jurisdictionis*. At Judex laicus, qui non cognoscit de Simonia, nisi ratione possessorii, tantum pronuntiat super possessorio, cujus ad ipsum cognitio & decisio pertinet, repellens à possessorio, qui de Simonia convincitur; quin & injungendo Judici Ecclesiastico (si Simonia fuerit notoria)

toria) ut procedat extraordinariè, seu ex officio contra Ecclesiasticum illo crimine infectum.

XXXVIII. Ex his haud difficulter intelligitur, quod Rebuffus, verbis supra citatis subjungit: "Sed in hoc Regno rarò fit declaratio: nam his casibus, quibus est ipso „ jure privatio; post habitam collationem à Papa, seu „ Ordinario, impetrantur litteræ saisinæ & novitatis super possessorio.

Agit enim Rebuffus de *declaratione* faciendâ per Judicem Ecclesiasticum *directè* super crimine *Simoniæ* pronuntiantem: quæ declaratio rarò contingit; quia ordinariè malunt Devolutarii agere in *possessorio* coram Judice Regio; quo unà incidenter de Simonia cognoscitur, & per indirectum, saltem quoad validitatem impetrationis Beneficii tamquam per Simoniam vacantis, judicatur.

XXXIX. Unde legitur in Actis Cleri Gallicani *tomo 2. tit. 17. a. 16.* quod Devolutarius obtentâ in Curia Romanâ provisione alicujus Prioratus ob *Simoniam* per possessorem commissam, fuerit admissus ad probandum Simoniam *per testes*, cum primum incepisset per probationes *in scriptis*; idque instante Advocato generali, qui asseruit, Curiam ita semper judicasse, etiam in Simonia *confidentiali*, quæ regulariter non verificatur, nisi *per scripta*. Ita judicatum in Parlamento Parisiensi 19. Martii 1629. Ex quo evidens est, Judices Regios etiam cognoscere, & probationes recipere super crimine Simoniæ, quemadmodum recipiunt super titulo beneficii, ut de possessorio pronuntiare queant.

XL. Cum Simonia provisionem beneficii Simoniacè obtentam *irritet*, ipsumque titulum annullet, ita ut proviso nihil juris in illo acquiratur, sequitur, quod nec fructus Beneficii eo titulo acquirere, aut *suos* facere potuerit.

Unde Martinus V. in Concilio Constantiensi postquam dixit, quod omnes Dignitatum & Beneficiorum provisiones Simoniacæ nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur, immediatè subjungit: "Nec promoti, confirmati aut provisi faciant fructus „ *suos*, sed ad illorum restitutionem, tamquam iniquè „ ablata percipientes, teneantur.

Eadem expressit Paulus II. in *Extravagante 1. de Simonia* inter communes, declarans, quod ad eam restitutionem *sub animæ suæ periculo sit astrictus*.

XLI. Et quidem quia hæc obligatio restitutionis profluit ex ipsa nullitate tituli, rectè concludunt Canonistæ, nullam esse differentiam, saltem quoad forum conscientiæ, sive Simonia sit occulta, sive notoria; sed æqualiter Simoniacum teneri ad restitutionem. Quæ restitutionis obligatio facit hoc peccatum numerari inter peccata *caudata*; eoque titulo difficilioris remissionis.

CAPUT VII.

De Dispensatione cum Simoniacis.

1. *Aliud est dispensari in Simonia, quàm dispensari in pœnis Simoniæ.*
2. *Quinam doceant, Simoniam circa beneficia à Pontifice purgari posse.*
3. *An Simonia circa beneficia sit juris humani?*
4. *Nonnulli asseruerunt, Pontificem sine Simonia posse vendere beneficia.*
5. *Quin & aliqui dixerunt in Curia Romana Præsente Pontifice non committi Simoniam.*
6. *Primum argumentum probans venditionem beneficiorum esse Simoniam jure* divino.
7. *Secundùm argumentum ex Concilio Constantiensi.*
8. *Tertium desumptum ex Canonibus.*
9. *Quartum ex ipsis textibus Juris Canonici remissivè.*
10. *Refellitur fundamentum eorum qui volunt esse juris* humani.
11. *Venditionem beneficiorum etiam simplicium esse juris divini docent communiter Theologi.*
12. *Concluditur, Pontificem non posse propriè super Simonia dispensare.*
13. *Potest dispensare in pœnis Simoniæ.*
14. *Nescitur an primis undecim seculis cum Simoniaco quoad pœnam depositionis umquam dispensatum sit.*
15. *Nicolaus II. seculo XI. decrevit*, nullam *misericordiam Simoniacis exhibendam.*
16. *Intuitu necessitatis tolerat Ordinatos* non simoniacè *à Simoniacis.*
17. *Vult eam relaxationem cessante necessitate etiam cessare.*
18. *Reflexiones super hoc Decreto.*
19. *Urbanus II. sub finem seculi XI. Canones contra Simoniacos renovat.*
20. *Aliqua ab hoc Pontifice cum* simoniacè *ordinatis facta dispensatio.*
21. *Quam moderata fuerit.*
22. *Declarat hanc relaxationem ex necessitate factam non esse trahendam in consequentiam.*
23. *Hæc moderata dispensatio relaxationi portam aperuit.*
24. *Abusus dispensationis cum Simoniacis tempore Concilii Tridentini erat excessivus.*
25. *Ostenditur non nisi ex gravi causa dispensandum cum Simoniaco ut in beneficio* simoniacè *obtento remaneat.*
26. *Qui eam dispensationem pro* se ipso *petit, vel hac petitione se indignum dispensatione ostendit.*
27. *Ab his dispensationibus esse abstinendum monuit Concilium Delectorum Prælatorum.*
28. *Ostenditur posse occurrere casum justæ dispensationis.*
29. *Hæc dispensatio in Curia R. interdum in Dataria, interdum in Pœnitentiaria expeditur.*
30. *Dum petitur in Dataria, debent exprimi fructus recepti, ut super iis cum Datario componatur.*
31. *Quo fundamento fructus malè percepti dicantur spectare ad Cameram Apostolicam?*
32. *Hæc compositio super fructibus malè perceptis non admittitur in Gallia.*
33. *In verificatione litterarum Legationis Apostolicæ clausula huic praxi Gallicanæ conformis apponitur.*
34. *Quid Pœnitentiaria circa restitutionem fructuum malè perceptorum ordinare soleat?*
35. *Dispensatio solet concedi in forma* commissoria.
36. *Debet simoniacè provisus ante dispensationem beneficium dimittere: & quare?*
37. *Confessarius cui dispensatio committitur debet monere Provisum ut complices inducat ad petendam dispensationem: & quæ origo hujus praxeos.*
38. *Pro causa dispensationis solet exprimi* scandalum *aliàs causandum.*
39. *Ostenditur hanc causam sæpe non subsistere.*
40. *Dispensationes cum Simoniacis in Curia R. non facile concedi, testatur Pyrrus Corradus.*

I. PRo intellectu eorum quæ dispensationem super Simonia concernunt, notandum, aliud esse dispensare cum Simoniacis super ipso vitio Simoniæ, ita ut per dispensationem vitium Simoniæ aliàs incurrendum, vi ipsius dispensationis præcaveretur, aut saltem purgaretur: quo fieret, ut provisio beneficii quæ aliàs foret simoniaca, virtute dispensationis à Simonia purgaretur, aut præservaretur: aliud verò esse, dispensare cum Simoniacis

niacis quoad *pœnas* dumtaxat à jure decretas. Hâc enim dispensatione non purgatur Simonia; neque provisio simoniaca à vitio illo eximitur, vel quæ aliàs foret simoniaca redditur Canonica; sed tantùm ex causa remittitur pœna per Canones inflicta.

II. Pontificem posse priore etiam modo in Simonia circa beneficia ex causa dispensare, sequitur ex sententia illorum, qui volunt vendere aut emere beneficia Ecclesiastica tantùm esse Simoniam *juris humani*; atque Pontificem ex causa beneficia vendentem non committere Simoniam. Si enim venditio hæc dumtaxat sit *juris humani*; & Pontifex sine Simonia vendere queat; quidnî ex urgenti aliqua causa in jure illo humano dispensare, & alteri auctoritatem vendendi dare potest?

III. Christianus Lupus in Dissertatione 2. prooemiali tomo tertio Scholiorum in Canones præfixâ *cap*. 4. movens hanc quæstionem: " An Ecclesiasticorum beneficiorum, ac præsertim simplicium officiorum nundinatio damnetur solo humano jure, an etiam naturali ac divino?" Respondet: " Doctores Scholastici passim Divini ac humani juris Simoniam distinguunt, omniaque ista volunt damnari solo humano jure, ideóque ex causis posse per Romanum Pontificem divendi. Criminis istius suspicione graviter olim laboravit Bonifacius nonus, ideóque Palatini Clerici ipsum purgaturi, apud Theodoricum à Niem ex ista Theologia dixerunt, Pontificem hac in re non posse esse Simoniacum, sed ipsi ex causis similia licere.

IV. Fuisse jam pridem Doctores, qui assererent, Pontificem sine Simonia posse vendere beneficia, testatur Concilium Delectorum Prælatorum sub Paulo III. cujus supra *tit*. 28. *c*. 1. mentio facta est.

Hi enim Prælati à Paulo III. delecti & moniti, ut sincerè exponerent *abusus* in futura Tridentinâ Synodo reformandos, imprimis exponunt Paulo III. quod " nonnulli Pontifices ejus prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio & calliditate inveniretur ratio, qua liceret id quod liberet.

Deinde subjungunt: "Inde effectum est, præterquam quod principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus: difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures Principũ, quod confestim prodirent Doct. qui docerent Pontificem esse Dominum beneficiorum omnium: ac ideò cum Dominus jure vendat id quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere Simoniam.

V. Quin & nonnulli ulterius hinc concludere haud dubitarunt, Simoniam in venditione Beneficiorum non committi, quando hæc fit in Curia vidente & probante Pontifice, uti testatur Fagnanus ad Cap. CUM PRIDEM ✠ *De Pactis num*. 63.

VI. Verum, uti rectè reflectit Christianus Lupus loco citato, quisquis Beneficiorum nundinationem *solo positivo jure* damnari credit, etiam asserere debet, ante Ecclesiæ Canones nullam istic fuisse Simoniam: quod (ait) sanè *horrendum* est atque *profanum*.

VII. Idem auctor postquam retulit, quod nonnulli Clerici Palatini, ut Bonifacium IX. à Simoniæ suspicione liberarent, dixerint, Pontificem hac in re non posse esse Simoniacum, immediatè subjicit: " Aliud sensit ejus (Bonifacii IX.) Anti-Papa Clemens septimus cujus ad urbem Legati Bonifacio multa improperanti reposuerunt: *Saltem Dominus noster non est Simoniacus*. Eamque veritatem secuta est Constantiensis Synodus, damnans ac degradans Joannem vigesimum tertium, *Quod Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Prioratusque conventuales & cætera beneficia Ecclesiastica pretio appretiato notoriè distribuisset*. Etiam quod Ecclesiæ vendidisset officia. Lucet ea variis articulis facti in ipsum processûs. Et ad novi Pontificis electionem processura laudata Synodus, eligendum adstrinxit ad reformandam Ecclesiam in capite & membris, ipsamque etiam Romanam Curiam in variis articulis, quorum fuit quartus decimus: *de exstirpatione Simoniæ*. Et hæc Decreta respicit in opusculo de Simonia Joannes Gerson: *Talis Simonia novissimè per sacrum Constantiense Concilium judiciali severitate damnata est in capite*. Utiq; Joanne vigesimo tertio. Eam damnari dicit à jure Divino, ideóque nec in Domino Papa ex ulla causa posse purgari. Jus percipiendi temporalia, licèt temporale videatur, esse omninò spirituale causâ finis ac radicis, ideóque Ecclesiasticum beneficium non magis posse vendi quàm officium, cui intrinsecè adnexum est, atque ita ejusdem naturæ. Eam, quæ aliam divini, aliam Simoniam adstruit esse solius humani juris, doctrinam affirmat esse commentum Jurisconsultorum, Dei legem ignorantium.

VIII. Hæc ille, qui & ibidem bene notat, quòd Pontifices & Synodi Simoniacas Beneficiorum nundinationes Simoniæ arguentes, solis verbis Scripturæ utantur; atque ex hoc Domini verbo, *Gratis accepistis, gratis date*, ipso divini juris fonte definiant, Beneficia vendi non posse. Et quod B. Petrus Damiani Godefredi Ducis Capellanos, non ut *humani* solummodò sed & ut *Divini* juris eversores tractaverit.

IX. Eamdem sententiam, nimirum nundinationem Beneficiorum, etiam *simplicium* esse juris *divini & naturalis* latè & solidè astruit Fagnanus ad dictum *Cap*. CUM PRIDEM; ostenditque, actus Juris, qui venditionem beneficiorum, tametsi *simplicium* reprobant ut Simoniacam, non in jure humano, sed *Divino* fundari.

Post hæc concludit, Pontificem quoque Simoniam committere in venditione Beneficiorum, neque ipsum posse hanc Simoniam purgare. Quin adductis rationibus, quibus nonnulli voluerunt, Pontificem ab hac Simonia eximere, dicere non veretur *n*. 71. " Hæ sunt rationes, quæ potissimùm afferuntur pro dicta opinione, *si tamen opinio, & non error dicenda sit*.

X. Has rationes seu potiùs argutias ibidem refellit Fagnanus, ac nominatim eam quæ unica pene est, cui jam pridem hæc Adulatorum opinio innixa fuit; quod scilicet Papa vendendo beneficia, non recipiat pecuniam pro beneficiis, sed pro *fructibus*, cum possit separare præbendam à Canonia.

Respondit Fagnan. *n*. 90. cum Cardin. de Turrecremata: "Si verum esset, Papam non conferre nisi fructus; tunc nullus, cui Papa conferret beneficiũ, haberet titulũ beneficii, nec dicendus esset talis Ecclesiæ Episcopus, Decanus, aut Canonicus, nec deberet ea exercere, quæ sunt illius officii. Præterea litteræ Papales super talibus provisionibus confectæ, patentissimè declarant contrarium, dum provisos jubent institui. Instituere autem est jus Canonicum in Ecclesia seu Ecclesiæ beneficio conferre, ut in *cap*. EX FREQUENTIBUS, *de instit*. Cardin. in Clem. 1. *in* 6. *qu. in solut*. *n*. 11. *de supplen. neglig. Prælat*. Ergò fateri oportet, non solum vendi fructus beneficiorum qui sunt accessorii ad titulum, sed etiam illud quod est merè spirituale, & principale, scilicet titulum seu potestatem exercendi hujusmodi ministerium, propter quod iidem fructus sunt deputati.

XI. Tandem *n*. 114 rectè monet, concludendum esse " venditionem beneficiorum Ecclesiasticorum sive habeant annexam potestatem Clavium & executionem Ordinis, sive Officium Clericatus, esse prohibitam *quia Simoniaca*; non autem Simoniacam quia prohibita; & consequenter nec *Summo Pontifici* licitam; cum emptionis materia sit res spiritualis, quæ jure naturali & Divino venalitatem omninò excludit.

Eadem est sententia S. Thomæ 2. 2. q. 100. a. 1. ad 7. quem

quem communiter sequuntur Theologi, ut testatur Cajetanus tractatu 9. *De Simonia*, ubi & oppositam opinionem appellat, *errorem Canonistarum*.

XII. Hinc indubitata & evidenti sequela conficitur, nulla dispensatione posse purgari à Simonia beneficiorum venalitatem seu nundinationem: neque per dispensationem etiam Pontificiam, ejusmodi vitium purgari posse. Sed nec in ullis Ecclesiasticis monumentis legitur, umquam de hujusmodi dispensatione actum fuisse.

XIII. Quoad dispensationem verò super pœnis à Canonibus inductis, non idem dici potest.

Quamvis nec in iis facilè à Canonum statutis, præsertim quoad depositionem Simoniacorum, sit recedendū. Nihilominus, quia pœnæ illæ non à jure naturali aut divino; sed jure dumtaxat positivo determinatæ sunt, dubium non est, quin in aliquibus circumstantiis possit per quamdam dispensationem moderatio vel remissio aliqua earum pœnarum indulgeri.

XIV. An tamen primis undecim seculis, exemplum dispensationis reperiri possit, quo ostendatur, indultum fuisse ut quis Simoniacè Ecclesiam ingressus, permitteretur in ea ulterius ministrare; sive in suo ministerio quod per Simoniam obtinuit, perseverare nescio.

XV. In Synodo Romana anno 1059. legitur editum Decretum contra Simoniacos, in quo hæc habentur: "„Dominus Papa Nicolaus Synodo in Basilica Constantiniana præsidens, dixit: Erga simoniacos *nullam* misericordiam in dignitate *servanda* habendam esse decernimus, sed juxta Canonum sanctiones, & decreta sanctorum Patrum, eos omninò damnamus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus.

XVI. Quin & eos qui *non per pecuniam*, sed *gratis* à Simoniacis ordinati essent, Canonum rigore attento deponendos dicit: "sed quia usque adeò hæc venenata „pernicies hactenus inolevit, ut vix quælibet Ecclesia „valeat reperiri, quæ hoc morbo non sit aliqua ex „parte corrupta, eos qui usque modo *gratis* à simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus; nisi forte alia culpa ex vita eorum contra Canones eis existat. Tanta quippe talium multitudo est, dum rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, necesse sit ut dispensatione ad piæ condescensionis studium animos nostros ad præsens inclinemus.

XVII. Sed ne vel tantilla Canonum relaxatio pro lege assumeretur, hanc notandam subjungit cautelā: "Ita „tamen authoritate Sanctorum Apostolorum Petri & „Pauli omnimodis interdicimus, ne aliquando aliquis „successorum nostrorum ex hac nostra permissione *Regulam sibi vel alicui assumat*, vel præfigat: quia hoc „non authoritas antiquorum Patrum jubendo aut concedendo promulgavit, sed *temporis nimia necessitas* „permittendum à nobis extorsit.

XVIII. Hæc evincunt, avitam illam in relaxandis Canonibus, præsertim in Simoniacos, Patrum moderationem, seu potius justam morositatem.

Insuper satis ostendunt, nullam tum adhuc dispensationem cum Simoniacis factam, ut in functionibus ad quas Simoniacè ascenderant, permanerent.

XIX. Sub finem tamen ejusdem seculi aliquod exemplum hujus dispensationis seu relaxationis apparet in Synodo Romana anno 1099. sub Urbano II. contra Simoniacos convocata, in qua ante omnia præfatur: "In „primis ea quæ à Sanctis Patribus Simoniacis statuta „sunt, nos quoque, inquit, Spiritûs Sancti judicio & A„postolicâ auctoritate firmamus.

Addit dein: "Quidquid igitur vel in sanctis Or„dinibus, vel in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel „promissâ pecuniâ acquisitum est, nos irritum esse, „& nullas umquam vires obtinere censemus.

XX. Post hæc factâ Dispensatione aliquâ cum ordinatis *non simoniacè* à Simoniacis, etiam aliquam moderationem cum iis qui *simoniacè* ordinati erant subjungit: "Quicumque sanè cupiditate parentum, cum adhuc „*essent parvuli*, Ecclesias vel Ecclesiarum beneficia per „pecunias adepti sunt: postquam *omninò eas dimiserunt*, si *canonicè in iis* vivere voluerint, *pro magna* „*misericordia* ibidem eos esse concedimus.

„Illi Verò qui per seipsos, cum jam majoris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, si in *aliis* „Ecclesiis *canonicè* vivere voluerint, servatis propriis „ordinibus *pro magna misericordia* ibi eos ministrare „permittimus. Quod si aliàs fortassè transferri *non poterint*, & in eisdē *canonicè* vivere promiserint; *minoribus* „*Ordinibus contenti* ad sacros Ordines non accedant.

XXI. Quanta cum moderatione hæc dispensatio facta sit, nemo non intelligit, qui eam attentius expenderit; ac unà notaverit, quod *Canonicè* sive *Regulariter* vivere, secundum temporis illius disciplinam & praxim idem esset, quod vivere *in communi* in Claustro: ita ut qui eâ dispensatione uti vellent, deberent vitam ducere *claustralem*; ita ut quodammodò causâ pœnitentiæ ad Monasteria retruderentur.

XXII. Verùm ne vel tantilla Canonum relaxatio, tot conditionibus moderata, & quodammodò extorta, in legem assumeretur, subjungendum credidit Pontifex: "Quamvis autem *misericordia intuitu, magnaque necessitate cogente*, hanc in sacris Ordinibus dispensationem „constituerimus: *nullum tamen præjudicium sacris Canonibus fieri volumus*: sed obtineant proprium robur, „& cessante necessitate illud quoque cesset quod factum est pro necessitate.

Denique concludit hâc à S. Augustino simili casu prolatâ sententiâ: "Ubi enim multorum strages jacet, „subtrahendum est aliquid severitati, ut addatur amplius „caritati.

XXIII. Cæterum hæc est misera rerum humanarum conditio, & corruptæ naturæ miseria, ut facilè ubi semel vel rima relaxationi facta, sensim porta aperiatur; & quæ primùm multis restrictionibus & conditionibus tolerata, vel pro temporum necessitate extorta fuit; tandem neglectis omnibus hisce restrictionibus & conditionibus quasi pro lege invalescat.

Quod in hac specie relaxationis contigisse, nemo diffitebitur, si jam relatam dispensationen cum dispensationum usu quem posteriora secula experta sunt, conferamus.

XXIV. De hoc usu sive abusu testes sunt Delecti illi Prælati sub Paulo III. qui referentes abusus in Synodo Tridentina reformandos, de hoc usu ita loquuntur: "Abusus alius in absolutione Simoniaci: proh dolor! „quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium! „adeò ut quidam non vereantur Simoniam committere: deinde confestim petunt absolutionem à pæna, imò eam emunt, sicque retinent beneficium quod emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse „pœnam illam, quæ de jure positivo constituta est, eis „condonare, quod sed nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.

XXV. Profectò, quàm gravis, urgensque ratio subesse debeat, ut quis Ecclesiam seu beneficium retineat seu potiùs de novo obtineat, in quod per Simoniam, præsertim ipso sciente vel cooperante commissam, intravit, non difficulter intelligit, qui novit, nullum ad Sacrum Ecclesiæ Ministerium, nisi à Deo vocatus sit, esse admittendum. Quis verò non videat, summa multaque vocationis indicia requiri in illo, qui jam Deo non vocante in Sacrum Ecclesiæ Ministerium se intrudere non erubuit; qui juxta Sacros Canones Spiritu

Dei

Dei conditos, & totius Ecclesiæ reverentia roboratos à Sacris functionibus in perpetuum debet esse alienus: quis quæso, non manifesta & extraordinaria vocationis signa requirat, ut contra divinitùs statutas Regulas ad Christi Ministerium admittatur.

Adhæc, cum nullus vel ambitiosus vel avarus, imò de vitiis illis suspectus, Sacerdotio sit aptus; tantus indubiè prævie ad dispensationem meritorum fulgor, & odor bonæ vitæ exigendus, ut is omnem, quam ex Simoniaco ad Beneficium introitu contraxit, ambitionis aut avaritiæ notam abstergat.

XXVI. Ulteriùs attendendum, quod si is qui ipsemet per Simoniam ad beneficium sibi viam pandit, dispensationem suo proprio motu petat, vel hac sua postulatione se revera indignum aut saltem de indignitate multum reddat suspectum

Quis enim illum corde contrito & humiliato de sua pravitate dolere & pœnitere credat, qui audet Sacerdotium quod per superbiam vel avaritiam ambivit, & sacrilegè usurpavit, rursum postulare. Certè non illud humilitatis, sed potiùs magnæ superbiæ & præsumptionis frequenter signum esse potest.

XXVII. Meritò ergò prædicti Prælati dixêre, quod licet non negarent, Pontificem posse pœnam illam, quæ de jure positivo constituta est, Simoniacis condonare, *tamen nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.*

XXVIII. Sed quid si ipse Provisus nullam Simoniam commiserit, sed ipso planè ignorante, nulloq; modo cooperante, à parentibus vel amicis realis intervenerit Simonia, & provisio in favorem Provisi simoniacè obtenta sit? Indubiè juxta rigorem Canonum talis provisio est *nulla*, ut ipse Provisus beneficio obtento renunciare debeat: attamen quin simili casu nonnumquam dispensationis ratio subesse queat, ambigi posse non videtur.

Quid enim si is rectâ intentione, etiam Superioribus, nullatenus de Simonia parentum aut amicorum consciis, instigantibus & moventibus intraverit, & cum fructu & ædificatione eidem beneficio deserviat; ita ut vel ex ipso fructu non obscura appareant Divinæ vocationis indicia? quidni cum hujusmodi dispensari poterit, ut in beneficio remaneat? præsertim si prævideatur, quod ipso Beneficium deserente alius imdoneus aut minus idoneus intrabit: maximè si & ipsa Simonia sit occulta, ut ex hoc capite scandalum non sit timendum; vel ea sint Provisi nota merita, ut omnem mali speciem sufficienter abstergant.

XXIX. Pro hodierna Praxi dispensationis notandum imprimis, quod hæc dispensatio peti soleat vel in Dataria Romana, vel in Pœnitentiaria.

In Dataria petenda est, si Simonia sit notoria, aut saltem in foro externo posset probari; ipseq; provisus non tantum pro foro *interno*, sed etiam pro externo dispensationem suam valere desideret.

In Pœnitentiaria autem petitur, si sit omninò occulta; tantumq; pro foro conscientiæ dispensationem obtinere desideret.

XXX. Imprimis autem observat Pyrrus Corradus in Praxi dispensat. *lib.* 5. *c.* 9. *n.* 14. quod quoties super Simonia dispensatio petitur in Dataria, debent exprimi fructus percepti ex beneficio Simoniacè obtento;" cum illi „ (ait) debeantur Cameræ Apostolicæ: ac propterea con„ signari D. Datario, vel Datariæ Præfecto, licet hodie pro „ *dictis* fructibus fiat *transactio*, & ex illis remittatur O„ ratori tertia, vel major pars prout ipsi D. Datario vide„ bitur.

Unde hæc materia est ex iis, quæ subjacent, *Compenendæ*; ideoq; supplica transire debet per manus Officialis, qui vocatur *Compenenda*, de quo actum supra parte I. *tit.* 23. *c.* 2. *n.* 18.

XXXI. Dicit autem Perardus Castellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 18. quia fructus *malè* percepti frequenter sunt *incertæ restitutionis*, aliis asserentibus eos spectare ad successores, aliis verò ad pauperes, tandem decisionem factam fuisse in favorem Cameræ Apostolicæ quòd administratio generalis bonorum Ecclesiasticorum censeatur spectare ad Papam, dum non scitur alicui particulari competere.

XXXII. Monet autem ibidem in notis Guillelmus Noyer ex Petro Pithæo in commentario ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ *c.* 51. quod hujusmodi compositiones fructuum *malè perceptorum* non admittantur in Gallia. Verba Pithæi sunt: *Le Pape ne peut composer avec ceux qui auroient esté vrais intrus en benefices de ce Royaume, sur les fruits mal prins par eux, ni les leur remettre pour le tout ou en partie au profit de sa chambre, ni au prejudice des Eglises ou personnes, au profit desquelles tels fruits doivent estre convertis.* Id est: Non est Pontificis ut cum iis qui verè in beneficia hujus Regni intrusi sunt, negotium componat quoad fructus malè ab iis perceptos, nec ut in præjudicium Ecclesiarum aut personarum quarum emolumento fructus hoc modo acquisiti cedere debent, illos à restitutione totali aut partiali in utilitatem Cameræ suæ absolvat.

XXXIII. Unde & in verificatione Litterarum Legatorũ Sedis Apostolicæ inseri solet clausula, quòd non componet super fructibus malè perceptis; neq; in totum vel pro parte remittet; uti videre est in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c.* 23. *n.* 49. 51. & 52. ubi hæc restrictio his verbis exprimitur: *Aussi ne pourra* (ledit Legat) *faire aucune composition avec ceux qui auront esté vrais intruses Benefices sur les fruits mal par eux pris & perceus, ne leurs remettre en tout ou partie, attendu qu'ils doivent estre convertis en l'utilité des Eglises.* Id est: Deinde non erit (dicti legati) ut cum iis qui verè in beneficia intrusi sunt, negotium quoquo modo componat, quoad fructus ab iis malè acquisitos & perceptos: nec ut eos à restitutione totali aut partiali absolvat, quandoquidem in Ecclesiarum utilitatem conversos oporteat.

XXXIV. In formula dispensationis super Simonia omninò occulta pro solo foro conscientiæ per Pœnitentiariam quoad fructuũ restitutionem injungitur, ut non antè cum Simoniaco dispenset," nisi postquam fructus ex il„ lo beneficio indebitè perceptos in totum restituerit; vel „ si ob ejus paupertatem in præsentiarum non potest, se „ restituturum promiserit, cùm primùm poterit, etiam „ cum aliquali sui incommodo, & indigentia." Ita Pyrrus Corradus in citata praxi *lib.* 5. *c.* 11. ubi tamen unà notat, aliquando Confessario dari facultatem, ut ob paupertatem Oratoris ipsi perceptos fructus, vel in totum, vel pro parte remittat, quod in formulis dispensationis exprimi solet.

XXXV. Illud commune est utriq; dispensationi, sive pro solo foro conscientiæ, sive pro *utroq;* foro, quod utráq; detur in forma *commissoria:* id est, quod nec ipse Papa nec Pœnitentiarius Papæ dispenset; sed ipsa dispensandi auctoritas committatur vel Ordinario ejus Diœcesis in qua beneficium Simoniacè obtentum est situm, vel pro solo *foro conscientiæ* alicui Confessario, eo modo quo dispensatio matrimonialis, de qua supra tit. 14. c. 2.

XXXVI. Utráq; autem dispensationis formula requirit, ut priusquam ad dispensationem procedatur, ipse Provisus prius ipsum beneficium *dimittere* teneatur; atq; *novam* provisionem ab Ordinario pro utroq; foro, vel à Confessario pro foro conscientiæ obtinere debeat; etiamsi Simonia planè ignorante proviso intervenerit; idq; ut ostendatur, quod revera prima provisio ob commissam Simoniam fuerit irrita; requiraturq; nova provisio auctoritate Papæ facienda, ut provisus in beneficio remanere queat.

XXXVII. In *Extravagante* 2. *De Simonia* inter com„ munes, omnibus & singulis Ecclesiasticis secularibusq; „ personis cujuscumq; dignitatis, status, gradûs, Ordinis vel

„vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ „injungitur, ut eos omnes, quos Simoniam hujusmodi „commisisse vel procurasse, aut in ea mediatores esse sci„verint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit „committendum, vel per alios revelare quantocius non „omittant.

Notat autem Marcus Paulus Leo in Praxi Pœnitentiariæ Romanæ *parte* 3. *c*. 30. hanc obligationem hodie non esse in usu; sed in locum illius revelationis successive hodiernam clausulam litteris Pœnitentiariæ inseri solitam quâ injungitur Confessario, quòd injungat Proviso, ut *alios si qui sunt, in præmissis culpabiles, quantum potest moneat, & inducat ad impetrandam à Sede Apostolica absolutionem*.

XXXVIII. Ordinariè in supplica pro retentione beneficii simoniacè obtenti pro causa dispensationis allegatur, quod beneficium *sine scandalo* dimitti nequeat. Rectè autem observat Pyrrus Corradus loco citato *n*. 7. quod scandalum non præstet justam causam dispensandi in omni casu prohibito.

XXXIX. Et revera in hac materia, ordinariè verum scandalum fidelium non tam ex dimissione beneficii, quàm ejus retentione timendum est; præcipuè si nota sit Simonia.

Imo si ipsum beneficium reipsa dimittatur, sciaturque etiam ob Simoniam forsan à parentibus commissam; Provisum beneficio cedere debuisse, natum est contingere, ut vel hoc exemplo plures à Simonia committenda retraherentur; multisq; alia imprimeretur de Simoniæ vitio idea, quàm hodie plerisq; est impressa: qui fere Simoniam ut *scrupulum non intelligentium*, reputant: eo quod videant, passim per temporalia in beneficia intrari, & nullum tamen ut Simoniacum tractari, & à beneficio removeri.

XL. Monet ibidem Pyrrus Corradus:" Ut quoad fieri „possit, quævis, quantumvis minima Simoniæ labes ex„tra Ecclesiam, à Romana Curia eliminetur, & arceatur, „licet adsint urgentissimæ causæ non ita passim illæ ad„mittuntur neq; in hujusmodi dispensationibus pro u„troq; foro per Datariam Summi Pontificis, neq; per illi„us Pœnitentiariam; ubi à me, tot annis illius Prætorio in„serviente, satis id compertum est; ibi enim nec favores „prævalent, nec Oratorium continua in„stantia prodest.

TITULUS XXXI.

De Acceptione personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

CAPUT I.

Quid acceptio personarum; & quando hæc in collatione Beneficiorum committatur.

1. *Quid acceptio personarum?*
2. *In justitia distributiva debet attendi proportio secundum merita personarum.*
3. *Quandonam in distributione munerum aut officiorum committatur acceptio personarum?*
4. *In acceptione personarum attenduntur conditiones non facientes ad causam.*
5. *Quæ conditiones non faciant ad causam.*
6. *Eadem conditio potest facere vel non facere ad causam pro diversitate materiæ.*
7. *In provisione Beneficiorum committitur acceptio personarum, si attendatur conditio non spectans* ad causam.
8. *Causa distributionis beneficiorum esse debet, de meliori ministro Ecclesiæ providere.*
9. *Hæc unicè in hac distributione attendi debet.*
10. *Conditio non spectans ad hanc causam, tametsi de se bona nequaquam attendenda.*
11. *An attendenda indigentia personæ?*
12. *Quid de mandatis in* forma pauperum *senserit Bartholomæus De Martyribus?*
13. *An attendenda paupertas parentum?*
14. *Quod aliquis sit consanguineus collatoris* ad causam *facere non solet.*
15. *Consanguineus omninò excludendus; quia interdum extraneo præferendus.*
16. *Conferenda merita consanguinei cum meritis extranei.*
17. *In hac collatione alieno potiùs quàm proprio judicio fidere debent Collatores.*
18. *Consanguinitas attendenda cum respectu ad bonum Ecclesiæ.*
19. *In prælatione consanguineorum specialiter cavendum scandalum.*
20. *Ob scandalum subinde consanguineus* dignior *postponendus extraneo min ùs digno.*
21. *Ob merita Providendi aliquando scandalum non cædum.*
22. *Ex persona collatoris potest fieri ut scandalum sit acceptum non datum.*
23. *Quare hodie specialiter cavenda consanguineorum promotio?*

I. PErsonarum acceptio solet definiri, Injustitia, qua præfertur persona personæ propter causam indebitam.

Hæc autem injustitia opponitur justitiæ, quæ à Theologis & Juris-Consultis vocatur justitia *distributiva*; secundum quam bona, aut res sunt distribuenda servatâ proportione meritorum.

II. Unde S. Thomas 2. 2. *q*. 63. *art*. 1. *in C*. probans quod acceptio personarum opponatur justitiæ distributivæ ait „ Consistit enim æqualitas distributivæ justitiæ in hoc, „quod diversis personis diversa tribuuntur secundum „proportionem ad dignitates personarum.

III. Hinc ulteriùs infert:" Si ergò aliquis consideret il„lam proprietatem personæ, propter quam id quod ei „confertur, est ei debitum, non est acceptio personæ, sed „causæ... puta si aliquis promoveat aliquem ad Magi„stratum propter sufficientiam scientiæ; hic attenditur „causa debita, non persona. Si autem aliquis consideret „in eo cui aliquid confert, non id propter quod id quod „ei datur, esset ei proportionatum, vel debitum; sed so„lùm hoc quod est iste homo [puta Petrus vel Martinus] „hic est acceptio personæ: quia non attribuitur ei ali„quid propter aliquam causam quæ faciat eum dignum, „sed simpliciter attribuitur personæ.

IV. Itaq; dicendum:" In justitia distributiva [rursus „verbis S. Thomæ loquor] considerantur conditiones „perso-

„ personarum, quæ faciunt ad dignitatis vel debiti cau„sam. Sed in acceptione personarum considerantur con„ditiones, quæ non faciunt ad causam.

V. Quæ autem conditiones referantur *ad personam*, explicat ipse Doctor Angelicus dicens: "Ad personam au„tem refertur quæcumq; conditio non faciens *ad causã* „propter quam sit dignus hoc dono. Puta si aliquis pro„moveat aliquem ad Prælationem vel Magisterium, quia „est dives vel consanguineus suus: est acceptio persona„rum.

VI. "Contingit tamen (pergit S. Thomas) aliquam con„ditionem personæ facere eam dignam respectu unius „rei, & non respectu alterius: sicut consanguinitas facit „aliquem dignum ad hoc, quod instituatur hæres patri„monii, non autem ad hoc quod conferatur ei præla„tio Ecclesiastica. Et ideò eadem conditio personæ, in u„no negotio considerata facit acceptionem personæ, in „alio autem non facit.

VII. Ex his haud difficulter intelligi poterit, in provisione Beneficiorum toties fieri acceptionem personarum, & violari justitiam distributivam, quoties in hac provisione attenditur conditio non faciens *ad causam* propter quam sit dignus hoc dono, sive hoc Beneficio.

Quare S. Thomas *art.* 2. quærens, utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio, expressè monet in responsione *ad* 3. quod si in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, " non pertineat *ad negoti„um* id, quod consideratur ut causa, erit manifestè accep„tio personæ.

Itaq; ut in provisione Beneficiorum servetur justitia *distributiva*, & evitetur vitium ei oppositum, personarum acceptio; eæ solæ conditiones sunt attendendæ, quæ faciunt *ad causam*.

VIII. Cum igitur causa distributionis sive provisionis Beneficiorum sit dare Ecclesiæ idoneos Ministros, qui conveniant officio propter quod Beneficium datur, consequens est, quod justitia distributiva requirat, ut servetur æqualitas proportionis ad qualitates personarum ad *hanc causam* pertinentes, atq; ita in hac distributione solus respectus habeatur ad conditiones illas, quæ faciunt ut melius Ecclesiæ de ministro provideatur.

IX. Hinc collige primò, quod in distributione Beneficiorum justitia distributiva exigat, ut bonum Ecclesiæ unicè præ oculis habeatur; id est, ut Beneficiorum dispensatores æqualitatem servent proportionis, habito respectu ad qualitates, quæ ad bonum Ecclesiæ faciunt.

X. Collige secundò, in Beneficiorum distributione non esse attendendam qualitatem personæ etiam bonam, si illa *ad causam*, id est, ut provideatur Ecclesiæ de meliori Ministro, non pertineat. Contingit enim *aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu unius rei*, inquit S. Thomas, *& non respectu alterius*.

XI. Hinc collige tertio, quod licet justitia distributiva sæpè requirat, ut paupertas personæ in distributione communium eleëmosynarum attendatur, nullatenus tamen in Beneficiorum, præsertim cum cura animarum, collatione attendenda veniat: quia priori casu qualitas paupertatis facit *ad causam*, non verò posteriori. Causa quippe distributionis communium eleemosynarum, est succurrere indigentiæ personarum, econtra causa distributionis Beneficiorum non est succurrere paupertati seu indigentiæ eorum, qui ad Beneficia promoventur, sed Ecclesiis digniores Ministros præficere; seu Ecclesiis, non personis providere; quare cum paupertas non sit conditio ad hanc causam pertinens, si in distributione Beneficiorum illa attendatur à justitia distributiva receditur.

XII. Hæc optimè intelligens nominatissimus ille Bracarentium Archiepiscopus Bartholomæus De Martyribus non dubitavit coram Patribus Tridentinis acriter reprehendere *mandata providendi* in FORMA PAUPERUM dicens: "In proventibus Ecclesiasticis distribuendis „spectandam esse doctrinam & virtutem, non *pauperta„tem*: cùm oporteat consulere muneribus, non homini„bus: egentibus subveniendum esse per *eleemosynas* non „per *Sacerdotia*.

Hæc Palavicinus in historia Concilii Trident. *libr.* 23. *cap.* 7. *num.* 7. & supra *titulo* 23. *c.* 2. *n.* 3. latiùs retulimus.

XIII. Itaq; erroneam de Beneficiis Ecclesiasticis ideam habent, qui in horum distributione *ad causam* pertinere autumant, quod quis pauperes habeat parentes, quibus possit ex proventibus Beneficii succurrere. Cùm enim, ut dictum est, Beneficia Ecclesiastica non sint ordinata ad succurrendum paupertati & indigentiæ corporali, sed ut habeantur idonei Ministri Ecclesiæ evidens est, parentum indigentiam ad *hanc causã* non spectare. Imò econtra ob parentum egestatem non rarò fit, ut ea de causa minus idoneus Beneficio Ecclesiastico, præsertim curato, censeri debeat; notum quippe est, quàm frequenter parentum indigentia impedimento sit, ut non eâ quâ oportet libertate, zelo & vigore, Ecclesiastici functiones suas obeant.

XIV. Ex dictis quoq; non difficulter intelligi potest, consanguinitatem in Beneficiorum provisione *per se* non esse conditionem seu qualitatem quæ attendi possit; utpote quæ *ad causam* spectare non solet. Nam ut monet S. Thomas, " consanguinitas facit aliquem dignum ad „hoc ut instituatur hæres patrimonii, non autem ad hoc „ut conferatur ei Prælatio Ecclesiastica.

Unde ex sententia ejusdem Doctoris, si aliquis promoveat aliquem ad Prælationem, quia *consanguineus suus*, est acceptio personarum:

XV. Porrò, licet consanguinitas *per se*, non sit conditio pertinens *ad causam*, non tamen absolutè impedit, quò minùs ipsi conferatur, modò non ipsius consanguinitatis, sed meritorum ratio habeatur. Imò si consanguinei Prælati Ecclesiastici sint *æquè digni ut alii*, licitè potest absq; personarum acceptione consanguineos suos præferre, ait S. Thomas citata *qu.* 63. *art.* 2. *ad* 1.

Rationem adjungit: "Quia saltem in hoc præeminent „quod de ipsis *magis* confidere potest, ut unanimiter se„cum negotia Ecclesiæ tractent.

XVI. Duo itaq; exigit S. Doctor, ut Prælatus consanguineo suo beneficium sine acceptione personarum conferre queat.

Primò, ut consanguinei sint *æquè digni ut alii*. Requiritur ergò ut Prælatus sive Collator beneficii conditiones seu merita & qualitates extraneorum conferat cum qualitatibus consanguinei sui: ritèque expendat, num hujus qualitates ad officium obeundum, propter quod beneficium datur, eum *æquè dignum* reddant, quàm extraneum.

XVII. Hic autem primùm attendendum Collatoribus quòd proprium judicium de meritis ac qualitatibus consanguinei sui semper debeant habere suspectum. Cùm enim consistat æqualitas distributivæ justitiæ, ut ait S. Thomas, in hoc, quòd diversis personis diversa tribuantur secundùm proportionem ad dignitates personarum, necessarium est, Collatores conferre inter se qualitates consanguinei & qualitates extranei, ut illis inter se collatis, juxta justitiam distributivam beneficium conferant *secundùm proportionem ad qualitates personarum*. Quis verò negare aut ambigere ausit, quin notum sit contingere, ut affectu naturali erga sibi propinquos præventi, & nonnihil excæcati, abripiantur, ut suorum industriam ac dotes magnificè, extraneorum verò tenuiter æstiment, Quapropter si, teste Doctore Mellifluo, *Plerisq; imò cunctis penè contingere sapientibus soleat, in rebus videlicet dubiis plus alieno se, quàm proprio credere judicio*, indubie sapientes atq; justi beneficiorum Collatores aut Patroni in dijudicandis meritis consanguinei, plus alieno, quàm proprio

Google

proprio credent judicio; semper verentes, ne carnalis in carnem & sanguinem affectus proprium judicium pervertat.

Hinc quoq; planum est, quòd si umquam ad exemplum Apostolorum, Patronis aut Electoribus clamandum sit: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende, quem elegeris*; hoc casu clamandum sit; dum caro & sanguis clamant, imò quodammodò cogunt, favendum esse consanguineis; ipsorumq; causâ à tramite justitiæ distributivæ esse nonnihil deflectendum, aut saltem non scrupolosè illam esse attendendam.

XVIII. Secundò attendi vult S. Thomas in prælatione *consanguinei*, quòd ideò præferantur extraneis, quòd de ipsis *magis confidere* possit Prælatus, quòd unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractabunt. Hoc autem ad bonum Ecclesiæ spectare potest: atq; hinc patet, S. Thomam non velle considerari *consanguinitatem* in provisione beneficii simpliciter secundùm se, sed cum relatione ad bonum Ecclesiæ; & quatenus eo casu pertinet *ad causam*: dum *consanguinitas* facit, ut *utiliùs* Ecclesiæ servire queat.

XIX. Insuper in hac consanguineorum prælatione specialiter cavendum scandalum, quod & S. Thomas notavit: Esset tamen hoc *propter scandalum* dimittendum, „ si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter di- „ gnitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi.

Idipsum ante Doctorem Angelicum monet & latiùs exposuit Piissimus Parisiensium Cantor in *Verbo Abbreviato c.43*. Postquã enim ostendit, quòd ÆDIFICENT SION, *scilicet Ecclesiam*, IN SANGUINIBUS, *in peccatis*, qui beneficia non pro meritis, sed ex affectu carnali conferunt, quærit idem: "Sed quid si æquè honestus est, „ & dignus, ut extraneus? Sed & hoc periculosum est, in- „ quit, nisi probitas ejus extinguat, & excludat omnẽ in- „ famiam, scandalum & malum exemplum, *quod de faci-* „ *li non fit.*" Rationem illius verissimam & notandam allegat: "Non enim exemplum à bene gestis nostris sumi- „ tur, sed à cortice, specie, & superficie illorum, non à ve- „ ritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii „ meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam „ magis, quàm propter gratiam dicentes: Nonne meis, „ sicut & ille suis dabo.

XX. Postponendus igitur quandoq; erit extraneo consanguineus æquè dignus, imò nonnumquam dignior, propter *scandalum & malum exemplum aliorum*: qui merita atq; qualitates ipsius pernoscentes, nec rei veritatem, sed corticem dumtaxat videntes facilè hoc exemplo permovebuntur, ut *carni & sanguini* dent, quod illi *gratiæ* dederunt.

XXI. Non tamen semper ob periculum *scandali* prætereundos esse consanguineos, sat insinuat Petrus Cantor & ratio evincit. Dum enim hic periculosum asserit, consanguineum æquè dignum ad beneficium promovere, subjungit hanc exceptionem: *Nisi probitas extinguat & excludat omnem infamiam, scandalum & malum exemplum.* Si quippe contingat: eam esse vitæ sanctitatem, eruditionem aliasq; Ministro Ecclesiastico necessarias qualitates, ut omnibus vel parum attendere volentibus, patere debeat eum beneficio vacanti admodum convenire, quis ambigat; quin hujusmodi consanguineo provideri possit, non obstante scandalo non pusillorum, sed potiùs Pharisæorum: qui cupiditati suæ velamentum quærentes, ad rei veritatem nec aspicere quidem volunt; quare si hujusmodi scandalizari dicantur, responderi potest cum Christo: *Sinite illos: cæci sunt & duces cæcorum.*

XXII. Potest quoq; nonnumquam contingere persona promoventis consanguineum, ut scandalum si quod sit timendum, non erit datum, sed acceptum ab illo, qui *noluit intelligere ut bene ageret*; qui quærens cupiditatis & malitiæ suæ aliquod operimentum, corticem actionis attendit, non rei veritatem, quam facilè videre posset, si vellet.

Quid enim, si ea sit personæ præsentantis in omnibus suis negotiis & actionibus ab omni carnali affectu integritas, ut omnibus attendere volentibus planum sit, quod non secundùm carnem & sanguinem, sed secundùm Deum in omnibus procedat? certè tali casu non nisi malitiosè ac pharisaicè judicare aut præsumere quis posset personam illam in promotione sui consanguinei, præter morem suum agendi ordinarium, attendisse carnem & sanguinem; nisi manifestè ex circumstantiis pateret, ipsũ à via justitiæ hoc casu deflexisse; ac per consequens ob eminentem virtutem & integritatem personæ promoventis fieri potest, ut scandalum quod aliàs esset datum, futurum sit acceptum & Pharisaicum.

XXIII. His similibusve casibus sepositis, admodum à consanguineorum promotione cavendum; potiusq; extraneus quàm consanguineus Beneficio præficiendus; tum ut hoc exemplo error ille sive abusus (qui hodie pro lege apud multos invaluit) in collatione beneficiorum consanguineos extraneis, licèt dignioribus præferendi, extirpetur; tum ne promovendo consanguineos, abusus ille magis foveatur & stabiliatur.

CAPUT II.

Beneficia conferenda sunt *Dignioribus.*

1. *Justitia distributiva violatur in distributione Beneficiorum, quoties attenditur qualitas ad* causam *non spectans.*
2. *Hinc consequens,* digniori *providendum esse.*
3. *Id unanimi consensu docent Canonistæ.*
4. *Illud & in Patronis laicis procedit.*
5. *Similiter in Permutantibus & Resignantibus* in favorem.
6. *Non excusantur resignantes in electione minus digni ob consensum Superioris*
7. *Interdum Superiores resignationem factam minùs digno impedire nequeunt.*
8. *Jura electionem* minùs digni *reputant validam; licet peccetur contra justitiam distributivam.*
9. *Quare jura similem electionem habeant pro valida.*
10. *Electio minus digni erit valida in foro* judiciali, *tametsi Electores* jurent *se electuros* digniorem.
11. *Præsentatio digni omisso digniore est valida: nec institutio negari eo titulo potest.*
12. *Quid si plures sint Patroni, & dignior & minus dignus à diversis præsententur?*
13. *Instituens minus dignum omisso digniore non semper peccat.*
14. *Quomodò Synodus Tridentina velit institui Præsentatum modò sit idoneus?*
15. *Synodus nullatenus insinuat, Patronum non teneri præsentare digniorem.*

I. EX dictis capite præcedenti constat, toties justitiam distributivam in distributione beneficiorum violari, quoties in hac distributione una persona præfertur alteri ob conditionem seu qualitatem quæ *ad causam* non pertinet; sive quæ personam huic beneficio magis dignam non facit.

II. Hinc evidenter consequitur; distributionem beneficiorum fieri debere *magis digno*. Ut enim rectè advertit S. Thomas 2.2.*q.63.art.2.ad 3.*" Si potest haberi aliquis „ magis idoneus erga aliquam dignitatem & alius præ- „ feratur, oportet quod hoc sit propter aliquam causam: „ quæ

„ quæ quidem si pertineat *ad negotium*, quantum ad hoc „ erit ille qui eligitur magis idoneus: si verò non pertineat *ad negotium*, erit manifestè acceptio personæ.

Unde tamquam indubitatum ibidem præmiserat: „ Quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, vel simpliciter, vel in comparatione ad „ bonum commune.

III Observat Covarruvias in Relectione *Cap. Peccatum De R. I. in VI. §. 7. n. 4. Communi* OMNIUM *consensu* extat annotatum *in Cap.* CONSTITUTIS ꝟ *De Appellat.* quod Prælatus *teneatur* Sacerdotio seu beneficio præficere *digniorem*.

Similiter Prosper Fagnanus ad *Cap.* CUM DILECTUS ꝟ *de Consuetud. n. 19.* asserit:" Omnia Jura clamant „ ut meliores & sanctiores eligantur; & ideo (ait) peccant „ contra justitiam *distributivam*, qui *omisso digniore* eligunt dignum, ut notant OMNES in *Cap.* CONSTITUTIS ꝟ *de Appell.*

IV. Cum verò Patroni etiam laici, vigore Jurispatronatus præcipuas in provisione beneficiorum ad ipsorum præsentationem spectantium, partes obtineant, indubiè & ipsi in hac distributione seu præsentatione justitiæ distributivæ legibus obstringuntur: ac per consequens in sua præsentatione qualitates eas dumtaxat spectare jubentur, quæ *ad negotium* spectant.

Hinc Covarruvias loco citato *n. 5.* relata opinione Cæsaris Lambertini existimantis, Patronum non obligari, nec teneri ad præsentandum *digniorem*, sed satis esse, si præsentet dignum, sine ulla hæsitatione pronuntiat: *Etenim hæc opinio apud me falsa est*, Nam licèt præsentatio „ Patroni quoties dignus ab eo nominatur valeat, sitque „ ab Episcopo admittenda: non ex hoc sequitur, Patro„ num non præsentantem digniorem, immunem esse à „ culpa peccati in animæ judicio contrahenda: siquidem „ tenetur Patronus, cui Pontificiæ constitutiones jus hoc „ dedere, inquirere diligenter, qui sint ad sacerdotia *dig*„ *niores*: & eos Episcopis exhibere, ut ipsis Beneficia juris „ patronatûs conferantur.

V. Quin etiam Permutantes & Resignantes *in favorem* ad beneficiorum distributionem plurimum concurrant, præsertim secundum modernam praxim, notissimum est, & ex dictis titulo De Resignatione beneficiorum intelligi potest; ideoq; & ipsi in hac distributione leges justitiæ distributivæ servare debent; easq, solas qualitates attendere quæ *ad negotium* spectant; id est, quæ personam beneficio magis dignam faciunt.

Hinc Petrus Sotus *lib. 3. De Justitia qu. 6. art. 2.* dicere non dubitat, quod Resignans similiter digniorem & utiliorem Ecclesiæ tenetur eligere, cui resignet beneficium, aliàs similem committit injustitiam Prælatus qui eligit indignum ad beneficium.

VI. Sed dicent fortè Permutantes & Resignantes: Superiorum est, permutationem vel resignationem admittere vel rejicere. Sit ita. Sed quid si Prælatus faciliùs forsan quam oporteret, imò quodammodò indifferenter, ut hodie in aliquibus in more esse videtur, permutationes admittat, num propterea permutantes & resignantes minus dignis erunt extra noxam? Nonne ipsi sunt causa, quod minùs digni beneficium obtineant? Si enim in permutatione & resignatione utilitatem Ecclesiæ dumtaxat, sive eas personarum conditiones quæ faciunt *ad causam* id est, ut melius Ecclesiæ provideatur, attendissent, indubiè dignior promotus fuisset; adeòq; per resignationem minùs digno fit, ut Beneficium non distribuatur secundùm justitiam distributivam.

VII. Deinde hodie in aliquibus Ecclesiis permutationum praxis ita invaluit, ut si Ordinarij Collatores permutationem non probent, detur recursus ad Superiorem uti supra *titulo 27. c. 2. n. 21.* notavimus: ideòq; sæpe non dependet ab Ordinario rejicere permutationem; tametsi sciant eam cum digniore non esse factam sicuti Ordinarius non potest semper recusare institutionem Præsentato à Patrono, tametsi sciat præsentationem non esse factam de *digniore* secundùm leges justitiæ distributivæ.

VIII. Sed dicet quis," sufficit secundùm jura eligere di„ gnum; non autem requiritur, quòd aliquis eligat me„ liorem.

Hanc objectionem sibi format S. Thomas 2. 2. *qu. 63. art. 2.* in argumento; eiq; his verbis respondet:" Ad terti„ um dicendum, quod quantum ad hoc, quòd electio im„ pugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bo„ num, nec oportet eligere meliorem: quia sic omnis ele„ ctio posset habere calumniam. Sed quantum ad consci„ entiam eligentis, necesse est eligere meliorem simplici„ ter, vel in comparatione ad bonum commune.

IX. Hoc responsum communi consensu amplectuntur Theologi & Canonistæ, uti videri potest apud Covarruviam loco citato *num. 3.* ubi notat, quod" jura humana „ majorem ad tranquillitatem Reipublicæ, ne tot lites „ super his prælationibus tractarentur, statuerunt, electi„ onem, collationem, & institutionem Sacerdotiorum „ validas esse, nec debere in discrimen revocationis ad„ duci ob eam causam, quod dignior fuerit prætermis„ sus electo digno. Etenim si locus esset contrariæ opini„ oni, & electiones istæ hâc ratione possent revocari, nul„ la in Ecclesiastica Repub. electio fiet, quæ litibus & con„ troversiis maximè perniciosis non vexetur. Is verò, qui „ dignum elegerit, sive Sacerdotium, aut munus publi„ cum contulerit prætermisso digniori planè peccatum „ committit, & perpensâ qualitate mortale quidem.

X. Imò tametsi Electores præstent juramentum, eum eligere, quem credent Ecclesiæ utiliorem, nihilominus electio digni omisso digniore erit valida in foro judiciali, uti ibidem notat Covarruvias post Glossam Sanctionis Pragmaticæ:" Hoc etenim juramentum (ait) pertinet ad „ perjurii crimen si Electores existimantes, quemdam ex „ candidatis dignitatem postulantibus, aut qui ad eam e„ ligi poterant, digniorem esse, eo prætermisso, alterum „ etiam dignum elegerint; non tamen ob id electio nul„ la est, nec debet revocari,

XI. Sicuti electio digni, omisso digniore ad evitandas lites, & infinitas discordias, in foro judiciali toleratur, & valida reputatur; ita pariter præsentatio Patroni de digno omisso digniore in foro externo irritari nequit: neq; præsentato denegari potest *institutio* eo solo titulo, quòd *dignior* non sit, modò revera dignus sit.

XII. Si igitur à majore parte Patronorum præsentatus sit unus qui sit *dignus* à minore verò parte qui est *dignior instituendus erit* ab Episcopo *dignus*; nec dignior institui potest: cùm hic revera præsentatus non sit; sed solus is, qui majorem Patronorum partem habuit, ut notant Canonistæ ad *Cap. 3.* ꝟ *De Jure Patronatus*; & Covarruvias loco citato *n. 2.*

XII. Neque Episcopo aut Ordinario imputari potest electio minùs digni omisso digniore: quia electio hic non fit ab Episcopo aut Ordinario; sed Patrono, qui elegit è multis Præsentatum. Quem sine respectu ad alios licèt *per se* Ecclesiæ utiliores, instituere tenetur, modò reverà *idoneus* sit. Reliqui enim licèt digniores, quia præsentati non sunt, etiam ab Ordinario institui nequeunt: utpote qui solos præsentatos instituere potest.

XIII. Hoc sensu accipiendum Decretum Synodi Tridentinæ *Sess. 24. c. 18. De Reform.* quo decernitur," Quòd „ si Jus patronatus laicorum fuerit, debeat is qui à Patro„ no præsentatus erit, ab eisdem deputatis (Examinatori„ bus Synodalibus) examinari, & non, nisi *idoneus* reper„ tus fuerit, admitti.

XIV. Nihil quippe hîc aliud intendit Synodus, quàm præsentatum à Patrono instituendum esse, si modò prævio examine *idoneus* repertus sit: tametsi juxta leges justitiæ distributivæ Patrono incumbat *digniorem* præsen-

tare

tare: quemadmodùm Episcopus ex iis, quorum *libera* electio sibi competit, tenetur eligere & Ecclesiæ præficere, *quem cæteris magis idoneum* judicaverit, uti eodem Decreto non semel monet Synodus.

XV. Ut proinde sufficienter indicet, non aliàs permitti Episcopo institutionem idonei, prætermisso *magis idoneo*, nisi quando *magis* idoneum eligere non potest; eò quòd per Jus patronatus & præsentationem in vim illius factam juris manus habeat ligatas.

CAPUT III.

Unde desumenda major capacitas; & quomodò de ea inquirendum?

1. *In determinanda idoneitate debet attendi bonum commune Ecclesiæ.*
2. *Potest minus dignus* simpliciter *esse dignior attenta utilitate communi.*
3. *In collatione Beneficiorum debet attendi quis sit melior in ordine ad utilitatem Ecclesiæ.*
4. *Debet attendi qualitas Beneficii, ut de idoneitate statuatur.*
5. *Etiam locus, tempus, aliaque circumstantiæ expendenda.*
6. *Subinde attendenda utilitas totius Diœcesis.*
7. *Potest eligens aliquando præterire dignissimum, ne minus dignus excludatur.*
8. *Aliquando etiam irrito conatu eligendus dignissimus.*
9. *In provisione Beneficiorum non hominibus, sed Ecclesiis providendum.*
10. *Ante provisionem Beneficiorum inquirendum de qualitatibus eorum qui præfici possent.*
11. *Non sufficit semper inter concurrentes eligere digniorem.*
12. *Sollicitantes Beneficia de incapacitate suspecti.*
13. *Collatores & Patroni debent in provisione Beneficiorum seponere omnem humanum erga consanguineos affectum.*
14. *Debent se munire contra mundanorum hominum sollicitationes, & colloquia.*
15. *Collatoribus Beneficiorum necessarius spiritus fortitudinis.*
16. *Expendendum quomodo ad electionem processerint Apostoli.*

I. CUm distributio Beneficiorum debeat fieri ad utilitatem & bonum ipsius Ecclesiæ etiam major vel minor idoneitas seu capacitas desumenda erit penes utilitatem & bonum commune Ecclesiæ: ut nimirum is dignior reputetur, qui plus ad bonum illius Ecclesiæ, cui per Beneficium præficitur conferre poterit, si hoc beneficium ei conferatur.

II. Quod notans S. Thomas 2.2. *qu.* 63. *art.* 2. *in C.* monet, quod dignitas alicujus personæ potest attendi dupliciter. Uno modo simpliciter & secundum se: & sic majoris dignitatis est, ille qui magis abundat in spiritualibus gratiæ donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune.

"Contingit enim quandoq; (pergit S. Thomas) quod ille qui est minus sanctus, & minus sciens potest magis conferre ad bonum commune, propter potentiam vel industriam secularem; vel aliquid hujusmodi.

Ex his dein concludit: "Et quia dispensationes spiritualium principalius ordinantur ad *utilitatem communem* secundùm illud 1. ad Corinth 12. *Unicuiq; datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*; ideò quandoq; absque acceptione personarum in dispensatione spiritualium illi, qui sunt simpliciter minus boni, præferuntur melioribus.

Et *Quodl.* 6. *q.* 5. *art.* 3. eâdem reflexione factâ infert: "Non ergo Episcopus tenetur semper dare *meliori simpliciter*, sed tenetur dare meliori *quoad hoc*:" id est meliori quoad bonum commune & utilitatem Ecclesiæ.

III. Igitur Episcopus, Patronus, Collator & quivis alius cui provisio beneficii quovis modo competit, debet attendere, quis *dignior* sit, non quidem *secundum se*, sed respectu beneficii conferendi; sive quis officio, propter quod beneficium datur, aptior sit, quique *utilius Ecclesiæ* servire poterit.

IV. Hinc ulteriùs concluditur etiam attendendam esse qualitatem & conditionem beneficii; ut iis attentis, expendatur quis huic beneficio utiliùs deserviturus speretur.

Quis enim ambigat, quin aliquis possit multò esse dignior & melior altero, respectu unius beneficii, qui tamen esset minus dignus si respectus habeatur ad beneficium alteriùs conditionis & naturæ.

V. Nec tantùm ipsum Beneficium *secundum se* considerari debet, ut de idoneitate personæ statuatur; sed & locus, tempus, aliæque circumstantiæ expendendæ sunt.

Potest enim quandoq; contingere, ut attentâ solâ beneficii & officii conditione, simpliciter sit *dignior*; qui tamen loco, tempore aliisq; circumstantiis attentis, minùs utilis futurus prævidetur, quàm alius *secundum se* minus capax, minùsve dignus; & per consequens juxta regulam suprà positam, licet is, attentâ solâ beneficii qualitate sit minùs dignus, erit tamen reputandus dignior, & alteri præferendus: quia omnibus attentis prævidetur plus Ecclesiæ profuturus.

VI. Ulteriùs quia dispensatio sive distributio beneficiorum facienda est ad utilitatem Ecclesiæ, fieri potest, ut etiam omnibus attentis aliquis sit dignior, & utiliùs beneficio vacanti deserviturus sit, & tamen Episcopus sine ulla personarum acceptione hunc digniorem postponeret alteri, qui reverâ, omnibus attentis, minùs dignus est, & minore cum fructu beneficio deserviturus.

Cùm enim Episcopus non tantùm hujus beneficii, aut Ecclesiæ, cui per beneficium hic dignior esset præficiendus; sed totius suæ Diœcesis rationem & curam habere, ejusque utilitatem attendere teneatur; fieri potest, ut hic tamquam dignior esset quidem promovendus ad hoc beneficium inspectâ *sola* utilitate *hujus* Ecclesiæ *particularis* nequaquam tamen attentâ utilitate & bono communi *totius* Diœcesis: quod sæpe exigit, ut alteri officio præficiatur aut reservetur; cui deserviendo non tantùm uni particulari Ecclesiæ, sed toti Diœcesi plurimùm prodesse poterit: neque alius tam idoneus huic officio, verb. grat. Archidiaconi haberi queat.

VII. Ex eodem Principio, nimirum in provisione beneficiorum attendendam esse utilitatem communem ipsius Ecclesiæ, consectarium est, quod eligens non tantùm considerare debeat, quis inter eligibiles sit absolutè dignior; sed quis sit dignior ex iis quos ipse per suum suffragium *cum effectu* Ecclesiæ præficere poterit.

Quid enim, si tres sint eligibiles, at prævideatur, quòd *dignior* inter illos certò non sit eligendus pluralitate suffragiorum; imò prævideatur, si hunc eligam, pluralitate suffragiorum eligendus *minùs* dignus inter *omnes*. Econtra verò si eligam secundùm multò quidem capaciorem tertio, sed inferiorem primo; quod certò excludetur tertius & secundus eligetur. Quis ambigat, quin simili casu, attentâ Ecclesiæ utilitate, & bono communi, non tantùm possim sed & debeam eligere secundum, præterito primo, licet omnium *dignissimo*. Neque enim hoc casu dignior negligitur sive postponitur *ob causam*

sam quæ ad negotium *non pertinet*, in quo consistit acceptio personarum; sed ob causam ad *negotium pertinentem*, nimirum, ut minùs dignus excludatur, & *dignior*, qui haberi potest, Ecclesiæ præficiatur.

VIII. Unde si quis sua electione minùs dignũ cum effectu excludere non posset, omnium dignissimum eligere deberet; etsi sciret hunc cum effectu non esse promovendum. Quin & priori casu, nonnumquam ad evitandum scandalum, palàm edicere tenetur, se primum omnium capacissimum, non nisi cogente necessitate, scilicet excludendi minùs dignum, præterire.

IX. Si ergò juxta certissimas justitiæ distributivæ leges beneficia conferenda sint dignioribus *attenta* Ecclesiæ *utilitate & bono communi*, meritò Patroni & Collatores beneficiorum altissi nè cordibus suis insculpent aureum illud Adriani VI. dictum: *Volo homines dare beneficiis, & non beneficia hominibus*: ut nimirum semper per beneficiorum dationem intendant beneficiis sive Ecclesiis providere de dignioribus ministris, & non hominibus per beneficia.

X. Insuper si Patroni & Collatores beneficiorum teneantur tamquã fideles dispensatores beneficia ad majorem utilitatem Ecclesiæ distribuere, indubiè etiam inquirere debent, quinam inter Ecclesiasticos virtute & scientiâ emineant; qui exemplo suo populum ædificent; quorum probitati & capacitati fama publica testimonium perhibent: quod & Covarruvias *in relectione Capituli* PECCATUM §. 7. *num.* 5. reflectit, ubi docet, tum demum Patronum satisfacere, eligendo dignum, cùm *dignior non reperitur* PRÆMISSA *mediocri ac diligenti* INQUISITIONE *nominandi*: nimirum majore vel minore inquisitione pro conditione beneficii de cujus provisione agitur. "Sicuti enim iis, qui ad id dignitatis (Episcopatûs) electi ab aliis fuerint, non satis est defensionem hanc afferre voluntarius ipse ad hujusmodi munus administrandum non accessi,... neque eos, qui elegerint sublevare quiddam poterit, si dixerint, ignorasse se eum quem elegère." Ita S. Chrysostomus *De Sacerdotio cap.* 2.

XI. Quare Patroni & Collatores, liberam habentes præsentationem vel Collationem, nullatenus satisfaciunt officio fidelis dispensationis, si eorum dumtaxat rationem habere velint, qui apud ipsos pro obtinendo beneficio instant, & rogant, aut ut hodierna phrasi loquamur, *sollicitant*; creduntque se satisfacere, si inter sollicitantes, digniorem eligant: cùm facilè digniorem reperirent, si utilitatem Ecclesiæ & bonum commune seriò intendentes, eam curam inquirendi adhiberent, quam etiam adhibitam vellent à suis œconomis aut famulis, ut meliores & peritiores operarii, pro aliquo notabili ædificio extruendo, aut alio negotio temporali tractando, haberentur. Indicium non obscurum, quòd hujusmodi Patronis & Collatoribus major sit cura de temporalibus, quam de spiritualibus, à quibus tamen non rarò plurium animarum æterna salus dependet. *Optimi videlicet rerum æstimatores, qui magnam de* MINIMIS, *parvam aut nullam de* MAXIMIS *curam gerunt*: ut de similibus per ironiam olim dixit S. Bernardus *lib.* 4. *de Considerat. cap.* 6.

XII. Latiùs de his actum in Tractatu de Simonia circa beneficia *parte* 1. *c.* 9. §. 5. ubi unà ostensum est, quòd hi qui pro beneficio, præsertim curato, rogant & sollicitant, vel hoc titulo meritò à Patronis & Collatoribus habeantur suspecti, tamquam beneficio obeundo minùs idonei, juxta illud S. Bernardi *lib.* 4. *De Considerat. ad Eugenium cap.* 4. *pro quo rogaris, sit suspectus ipse, qui ipse rogat pro se jam judicatus est. nec interest per se, an per alium quis roget.* Et illud S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3. *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus.*

XIII. Hactenus dicta de obligatione eligendi digniorem, & attendenda sola utilitate Ecclesiæ, sufficienter quoque ostendunt, omninò necessarium esse, ut Patroni & Collatores omnem humanum erga consanguineos & familiares affectum deponant, dum de beneficiorum collatione deliberant. Si enim eo affectu ipsos laborare contingat, facilè fiet, ut hoc affectu præventi & excœcati, consanguineos licet minùs dignos præferant dignioribus extraneis.

XIV. Imò necesse erit, ut Patroni & Collatores se contra hominum mundanorum (qui in beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis non nisi lucra & honores seculi respiciunt) preces solicitationes, humanasque eorum ratiocinationes, quin & terrores, specialiter muniant ac præparent: ne alias hisce frangantur, & à tramite justitiæ cum summo suo discrimine avertantur.

XV. Verùm ad hæc omnia quis sat idoneus, nisi ei fuerit datum desuper? Quamobrem nihil magis necessarium his, quibus incumbit Ecclesiæ ministros constituere, & eligere, quam ad Patrem luminum, & Spiritum fortitudinis, instanter recurrere: ut ille & illuminando intellectum ostendat, quis utilior Ecclesiæ minister eligendus; & voluntati robur tribuat, quo adversùs humanas tentationes firma permaneat.

XVI. Legimus in Actibus Apostolorum, quòd præsentatis duobus, *Joseph, qui vocabatur Barsabas, qui cognominatus est Justus, & Mathia*, ut unus eorum ad Apostolatum eligeretur ad hanc electionem properare Apostoli non sumpserint; sed ad Deum confugerint, ut ipse ostenderet, quem ex duobus ad hoc ministerium elegisset: & orantes dixerunt, ait S. Textus: *Tu Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum.* "Si igitur Apostoli ipsi (inquit magnus ille Archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus ad Patres Concilii Trident.) electioni illi faciendæ sese impares judicaverint: & si Clerus universus pro more veteri cum populo congregatus, id demum se ritè peracturum crediderit, si jejuniis, publicisque orationibus cœleste lumen opemque divinam sibi accersissent; non horrebunt Reges (idem dic de cæteris Collatoribus) eum per seipsos delectum habere.

CAPUT IV.

Quàm grave delictum sit accipere personam in collatione Beneficiorum; & unde hæc gravitas desumenda.

1. *Acceptio personarum in spiritualibus juxta Augustinum non est leve peccatum.*
2. *In beneficiis* curatis *dicitur esse peccatum* mortale.
3. *Idipsum à nullis asseritur in omnibus beneficiis.*
4. *Determinatio, an sit peccatum mortale vel veniale, est difficilis & periculosa.*
5. *Gravitas hujus peccati ponderanda ex bonis quæ impediuntur, & malis quæ causantur.*
6. *Hinc elucet; quàm grave sit accipere personam in promotione ad Episcopatum.*
7. *Idem ostenditur in electione ad Beneficium Parochiale.*
8. *Eadem & in Beneficiis inferioribus ponderanda.*
9. *Qui rectè æstimat pretium animarum non facilè in collatione Beneficii, præsertim curati admittet acceptionem personarum.*
10. *Synodus Tridentina arguit peccati mortalis, qui minus dignos ad Episcopatum promovent.*
11. *Promoventes minùs dignos quomodò Ecclesiæ teneantur ad restitutionem?*
12. *Jus patronatus pro onere reputandum.*
13. *Plures illud horruerunt & respuerunt.*
14. *Noluit S. Gregorius se electioni Episcoporum immiscere.*

Digitized by Google

15. *Hincmarus Remensis imputavit Presbyteris, quod laici meliores non præsentarent.*
16. *Quomodo idem hodie multis Ecclesiasticis imputari possit.*
17. *Prælati Ecclesiarum, quomodo suo Exemplo Patronos incitare ad præsentandum meliores debeant.*

I. ACceptionem personarum in distributione beneficiorum seu honorum Ecclesiasticorum non leve esse peccatum, jam pridem credidit S. Augustinus *Epist.* 172. *num.* 18. "Nec sanè, quantum arbitror (ait) „putandum est leve esse peccatum in personarum acce„ptione habere fidem Domini nostri Jesu Christi, si il„lam distantiam sedendi ac standi ad honores Ecclesia„sticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem ad se„dem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructio„re atque sanctiore.

II. Hic Augustinum loqui de dignitatibus & ministeriis Ecclesiasticis; atque acceptionem personarum in horum distributione non esse leve peccatum, post S. Thomam 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. in argumento *Sed contra*, tradunt uno consensu Theologi; asseritque post Sotum Gabriel Vasquez tractatu *De Benef. cap.* 2. §. 3. *dub.* 8. quòd in Episcopatibus & beneficiis curam animarum habentibus annexam, semper sit eligendus dignior sub culpa *mortali*: addit que: "In hoc *nullus dubitat*, quoniam est injustitia in re gravi: ideóque ne„cessariò erit *mortale*.

III. Quin & ipse Vasquez credit, quòd in *omnibus* beneficiis sit *mortale digniorem* prætermittere: quia & hîc est *gravis* materia. "Omnia enim ista beneficia (in„quit) ut bona communia distribuenda pro meritis „sunt in Christiana Republica, præcipuè præstimonia „illa, quæ instituta sunt ad alendos ministros Ecclesiæ, „qui eligendi sunt, ut digniores esse, aut fore speratur „Ecclesiæ.

Citat in eandem sententiam Covarruviam in *relectione Capituli* PECCATUM §. 7. *num.* 5. ubi docet, quod "si Fundator beneficii ad beneficium vocaverit ex certa „familia, & plures sint capaces ex illa familia, tunc Pa„tronus sub *mortalis* culpæ reatu, inspectâ materiâ „subjectâ, tenebitur digniorem Episcopo exhibere.

IV. Verùm quia teste Augustino *lib.* 21. *De Civit. Dei cap.* 27. quæ sunt peccata mortifera, quæ venialia, difficillimum est invenire, periculosissimum definire: &, ut ait in Enchiridio *c.* 77. quæ sint mortifera, quæ venialia peccata, quæ levia, quæ gravia; non humano, sed divino sunt pensanda judicio, ideò nolo hic determinare, quandonam præcisè in acceptione personarum sit peccatum *mortale*, quando *veniale*; id mihi sufficit, numquam sine culpa, eaque *non levi*, in hac materia esse acceptionem personarum.

V. Porrò gravitas acceptionis personarum sive violationis justitiæ distributivæ in hac materia ex duobus potissimùm ponderanda videtur: nimirum ex multis gravibusque Ecclesiæ bonis, quæ per promotionem minus digni contempto digniore impediuntur; deinde ex malis, quæ per digniorem, non verò per minus dignum impediri possent.

Ad bona quod attinet, omnia illa censentur impediri per acceptionem personarum, quæ in functione talis Ministerii Ecclesiastici dignior præ minus digno procurasset.

Mala verò Ecclesiæ, quæ peccatum acceptionis personarum augent, sunt ea omnia, quæ dignior postpositus, præ minus digno impedire potuisset.

Hinc facilè est intelligere, quàm enorme ac perniciosum possit esse hoc acceptionis personarum crimen.

VI. Quid enim, si ad Episcopatum minus dignus præ digniore eligatur? Quàm multa sæpè animarum lucra, quotque Diœcesis, imò interdum totius Ecclesiæ bona spiritualia impedientur, quæ dignior præ minus digno in sua Diœcesi procurasset: imò in reliquas nonnumquam Diœceses & Provincias diffudisset? Quàm multa rursus mala impedire, quot abusus extirpare doctrinâ & pietate eminentior potuisset, quæ alius dotibus illis destitutus, impedire aut extirpare vel non potuit vel non voluit.

VII. Similiter quantum ad reformationem Cleri & populi, ad extirpationem vitiorum, & virtutum omnium augmentum, ipsarumque animarum salutem promovendam nonnumquam valeat Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Plebanus, Pastor aliusque animarum director eruditione morumque integritate excellens, præ alio qui eruditione morumque integritate est inferior, nullus est qui non intelligat, & quotidianâ experientiâ est planissimum. Quis enim non quotidie experitur, quantum, vel unus interdum, in dignitate, aut notabili aliqua Ecclesiastica functione constitutus, per eminentem suam scientiam, fundatissimamque pietatem, fructum in messe Dominica faciat, præ multis aliis scientiâ & eruditione inferioribus?

VIII. Quinimò non rarò fit, ut etiam inferiori Ministerio aut functioni Ecclesiasticæ applicatus, in pietate atque scientia exercitatior tum exemplo, tum oratione tum etiam instructione, plurima bona fideli populo, præ minus exercitato sit procuraturus, aut mala impediturus: ut consequenter nec leve futurum sit peccatum in simili provisione accipere personam, id est, ex privato affectu minus dignum digniori præponere.

IX. Divinitus dictum est olim à Sancto quodam Pontifice: *Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat quod meritum constituendi deceat esse Pastoris* Dico quoque, *æstimet quis pretium Dominici gregis*, id est, salutem animarum, ut sciat quam grave sit peccatum accipere personas in collatione beneficiorum: ex quo contingit impediri quò minus Dominico gregi ea omnia bona, quæ dignior impendere potuisset, frequenter non impendantur; aut mala per digniorem avertenda, sæpius non avertantur.

X. Ex quibus concluditur, admodum esse verendum, ne quod Synodus Tridentina de concurrentibus ad promotionem Episcoporum affirmat, id coram summo animarum Pastore gregis sui pretium in veritate æstimante, in collatoribus quorumcumque beneficiorum, præsertim tamen curatorum, locum habeat: nimirum, *eos alienis peccatis communicantes* MORTALITER *peccare, nisi quos digniores & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.*

XI. Facilè quoque ex hactenus dictis est intelligere, quod promoventes minus dignum neglecto digniore, non tantùm constituantur gravis delicti; sed etiam ipsi Ecclesiæ, cujus in distributione beneficiorum constituti sunt ministri, ob infidelem dispensationem teneantur ad restitutionem bonorum, præcipuè spiritualium, quæ per promotionem dignioris (quam Ecclesiæ ut fideles Ministri debebant) procurata fuissent: adeóque Patronis ac Collatoribus, qui hac in parte infideles fuerunt, incumbat, quantum in ipsis est, bona spiritualia illi Ecclesiæ, cui, minus dignum Ministrum dando, illa quasi abstulerunt, omni meliori modo procurare; atque ita justitiæ violatæ satisfacere.

XII. Ex his facilè intelligent, qui oculos spirituales habent, ut videant, jus patronatus, aut jus collationis aut jus electionis ad Dignitates Ecclesiasticas, non tam esse reputandum tamquam aliquid multum appetibile; sed potius ut onus humeris suis impositum.

XIII. Ne-

Digitiz

XIII. Neque mirabitur, qui obligationem & pericula Patronorum & Collatorum expenderit, si plures hoc onus exhorruerint, & à se adjicere studuerint.

Quomodo Valentianus Imperator; item Ludovicus VI. & Ludovicus IX. Reges Galliarum hanc Provinciam recusaverint, & horruerint ob pericula illi annexa, notavimus supra *parte 1. tit. 13. cap. 5.*

Intelligebat indubiè hoc onus Catharina Regina Portugalliæ de qua in vita Bartholomæi de Martyribus *lib. 2. cap. 12.* refertur dictum: "Quod optaret ut durante suo „regimine Prælati Portugalliæ essent immortales: quo „fieret ut nullum ad Episcopatum promovere teneretur: dicens, sibi plus quam satis esse, si pro se ipsa & „toto suo regno deberet respondere, licet se responsa„lem non constitueret pro salute animarum.

XIV. Sed quid mirum, si Reges aut Principes, aliive fideles laici onus illud reformidarint; cùm & ipse Gregorius M. Summus Pontifex, adeò lumine charitatis, & cœlestis sapientiæ illustratus, interrogatus à Clero Mediolanensi de persona in Episcopum eligenda responderit, se quidem contra personam illam nihil respondendũ habere: "verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis „intentio est, inquit, ad *suscipienda Pastoralis curæ meæ* „*onera, pro nullius umquam misceri persona, orationibus* „*prosequor electionem vestram,* ut omnipotens Deus, qui „futurorum actuum nostrorum semper præscius, talem „vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua & moribus „exhortationis divinæ pascua valeatis invenire: in cu„jus mente & humilitas cum certitudine fulgeat, & se„veritas cum pietate; qui vobis viam vitæ non solùm „legendo vel loquendo, sed etiam vivendo possit o„stendere; quatenus exemplo illius discat vestra dile„ctio ad æternæ patriæ desiderium suspirare.

Utinam hanc Sanctissimi Pontificis humilem deliberationem ritè expenderent plures Ecclesiastici & laici, qui quantumvis longissimè à capacitate S. Gregorii in discernendis conditionibus personarum, quæ ad functiones Ecclesiasticas obeundas exiguntur, distent, avidè tamen promotioni personarum ad Ecclesiasticas dignitates se immisceant.

XV. Olim Presbyteris suis improbrabat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quòd ipsi, solicitando Patronos, quin & xenia eis offerendo, in causa essent, quod meliores & digniores Clerici non præsentarentur: "Quia quique fideles (ait) si vestra culpa non esset, plus „quærerent bonos Clericos, quàm vestros denarios: & „hoc non sufferetis: sed vos & vestros nutritos in male„dictionem mittitis, cùm dato Patronis præmio, vobis „& illis peccatum emitis." Habetur *tom.* 8. Concil. general. *col.* 581.

XVI. Si hodiernas Clericorum pro beneficiis solicitationes & cursitationes attendamus, & quomodò etiam ipsi Ecclesiastici, non pro dignioribus, sed suis consanguineis & familiaribus apud Patronos instent, non sine fundamento judicare poterimus, quòd frequenter ipsis Ecclesiasticis sit imputandum, quòd Patroni digniores non præsentent; nec veras de Beneficiis Ecclesiasticis ideas concipiant: dum ea ab ipsis Ecclesiasticis ita ambiri vident.

XVII. Si ipsi quoque Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati in collatione beneficiorum ostenderent suo exemplo, nihil carni aut sanguini vel favori vel amicitiæ tribuendum, sed sola merita esse attendenda, indubiè multùm moverent Patronos, ut & ipsi in sua præsentatione attenderent sola merita, & digniores præsentarent: ubi è contrario dum vident Prælatos ipsos beneficia pro affectu privato potiùs, quàm pro meritis distribuere, quid mirum, si ipsi eorum exempla imitentur, & de beneficiis non secundùm merita, sed pro affectu disponant?

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

CAPUT I.

Quid Peculium Clericorum; & quid nomine Peculii veniat; & quod jus Clericis competat?

1. *Sub titulo Decretalium* De Peculio Clericorum *nulla fit mentio* Peculii.
2. *Quandonam Proventibus Ecclesiasticis nomen* Peculii *inditum; & quare?*
3. *Peculium Clericorum admodùm simile Peculio servorum, &* profectitio *filiorumfamilias.*
4. *Clericus per Beneficium subjicitur & adstringitur Ecclesiæ exemplo servi ad Dominum; & filii ad patrem.*
5. *Qua de causa servo* Peculium *concessum; & in quo Peculium consistat*
6. *Quid Peculium profectitium filiifamilias?*
7. *Peculium non est nisi* pecunia *Domini vel patris.*
8. *Peculium dicitur* patrimonium *servi; & quare?*
9. *Dominium* Peculii *semper manet apud Dominum; uti &* profectitii *apud patrem: & quidquid ex illo acquiritur, Domino vel patri acquiritur.*
10. *Hæc ostendunt titulum Decretalium non malè inscribi de* Peculio Clericorum.
11. *Refertur sextim prima Decretalis hujus tituli.*
12. *Unde desumpta?*
13. *Auctor hujus Decretalis reflexit ad Canonem 49. Conc. Carthag.* III. *cujus verba referuntur.*
14. *Ex eodem Canone desumpta apparet 3. Decretalis hujus tituli.*
15. *Decretales volunt inquiri, num Clericus ante Ordinationem* nihil *habuerit, & quæ ratio inquisitionis?*
16. *Juxta Canones quidquid acquiritur ex proventibus Ecclesiasticis, cedit Ecclesiæ*
17. *Hinc Peculium Clericorum simile Peculio servi, & profectitio filiifamilias.*
18. *Dominium Peculii Clericorum manet apud Ecclesiam, sicut Peculii servi apud Dominum.*
19. *Id supponunt Canones qui dicunt, res comparatas ex proventibus Ecclesiasticis competere Ecclesiæ.*
20. *Clericos non esse dominos proventuum Ecclesiasticorum in Canonibus clarè expressum.*
21. *Rectè dicuntur esse* Peculium *Clericorum, licet non habeant dominium.*
22. *Tempore Augustini, Episcopi credebantur* Domini *bonorum Ecclesiasticorum, quamvis tantùm essent administratores.*
23. *Quâ ratione dici possint Clerici hodie esse* Domini *proventuum Ecclesiasticorum, & illos suos facere?*
24. *Ad Peculium Clericorum referendum quidquid contemplatione Ecclesiæ ipsis obvenit.*
25. *Non tantùm quæ ex fructibus Beneficiorum.*
26. *Etiam honoraria pro celebrandis Missis, habendis concionibus &c.*
27. *Ostenditur etiam hæc intuitu Ecclesiæ percipi.*
28. *Nequeunt hæc ab aliis Ecclesiasticis proventibus separari.*

Digitized by Google

29. *Quod Clericus parciùs vivendo sibi subtraxit, eamdem cum reliquis proventibus Ecclesiasticis naturam retinet.*
30. *Bona patrimonialia & quasi patrimonialia ad Peculium propriè non spectant.*
31. *Quaratione castrense vel quasi castrense Peculium dici queant.*
32. *Bona patrimonialia Clerici deficiente omni legitimo hærede deferuntur Ecclesiæ excluso Fisco; & quare?*
33. *Clerici in dispositione bonorum patrimonialium debent attendere quod sint Clerici.*

I. TItulus 25. libri 3. Decretalium inscribitur: *De Peculio Clericorum*, quamvis in Decretalibus sive Canonibus, qui sub illo titulo referuntur, nomen peculii non occurrat; sed id unum ferè caveatur, ut si quæ post ordinationem ex rebus Ecclesiæ vel occasione Ecclesiæ Clericis obvenerunt, vel Clerici acquisiverunt, ac Ecclesiam, tamquam res ad Ecclesias pertinentes, revertantur.

II. Admodum verisimile est, rebus Ecclesiæ quæ Clericis ad usum conceduntur, nomen *peculii* inditum fuisse, postquam factâ beneficiorum erectione, ipsa bona Ecclesiæ quasi in quasdam portiones, singulis titulis annexas, dividi, & à communi massâ bonorum Ecclesiæ separari cœperunt: atque tum demum hoc nomen iis inditum fuisse exemplo *peculii*, quo Romani significabant omne id, quod *servus Domini permissu separatum à rationibus dominicis habet. L. 5. ff. De Peculio.*

III. Si enim ea, quæ de peculio servorum & filiorumfamilias jam pridem edixerunt Romani, conferantur cum iis quæ in Canonibus sub hoc titulo relatis dicuntur de rebus Clericorum ab Ecclesia profectis, apparebit, non immeritò *peculii* nomen his inditum fuisse.

IV. Imprimis, quemadmodùm jure Romanorum servus est in potestate Domini, & filiusfamilias in potestate Patris; ita Clericus Ecclesiæ adscriptus in potestatem & servitutem quodammodò Ecclesiæ transit, eique ut Domino & Patri servire & obedire speciali titulo & vinculo adstringitur.

V. Ut verò servus Domino servire posset; imò ad serviendum alacriùs & utiliùs incitaretur, ei nonnumquam Dominus pusillam pecuniam, qua liberè uteretur, concedebat; quod à pecunia *peculium* dicebatur. *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum*, ait Jurisconsultus in *L. 5. §. 3. ff. De Peculio.*

Addidit autem ibidem ex Tuberone, *quod servus DOMINI permissu separatum à rationibus Dominicis habet.*

VI. Simile est peculium filiifamilias, nimirum pusillum patrimonium quod filiusfamil. permissu patris separatum à rationibus patrisfamilias habet: scilicet ex rebus ipsius patris, aut quod saltem patris contemplatione & occasione obvenit: diciturque hodie peculium *profectitium*; & propriè peculii rationem habet.

VII. Dicitur Domini *permissu*: nam ut Pomponius ait in *L. 4. ff. De Peculio*, "Peculii est, non id, cujus servus „seorsum à Domino rationem habuerit, sed quod Domi„nus ipse separaverit, suâ servi rationem discernens:" vel ut alia & melior lectio habet: *Suam à servi ratione discernens.* Idem est de peculio profectitio filiifamilias.

VIII. Peculium autem frequenter in Legibus Romanorum vocatur pusillum *patrimonium* servi, non quod ejus verum dominium aut proprietas esset penes servū; qui jure Romano dominii & proprietatis erat incapax; sed quia peculii usus & libera administratio, permissu Domini est apud servum *L. 48. ff. eod.* atque ob hanc liberam peculii administrationem & usum, dicitur peculium etiam *proprium patrimonium* servi *L. 39. ff. eod* imò quasi LIBERI *hominis patrimonium L. 47. §. 6. ff. eod.*

IX. Nihilominus peculium servi, ita manet apud Dominum, ut non tantum pro voluntate Domini [illegible] servo adimi & minui possit *L. 4. ff. eod.* sed etiam, quidquid ex peculio aut re peculiari acquirit, id totum Domino cedat; ipsumque peculium, & quidquid in peculio reperitur, ad Dominum ipso jure, servo moriente, revertatur, seu potiùs Domini maneat. *§. 3. Instit. Per quas personas cuiq; acquiritur*, & ibi uno consensu notant Interpretes: observantque primitùs apud Romanos idem jus fuisse respectu filiifamilias: ut is omnia similiter Patri, sicut servus Domino acquireret, nullâ factâ peculii distinctione. Et licet postea variis Imperatorum sanctionibus filiifamilias plenius jus quoad peculium castrense, quasi castrense & adventitium concessum sit, nihil tamen quoad *profectitium* mutatum esse monent; sed illud dominiotenus apud Patrem manere; & quidquid filius ex illo acquirit, Patri cedere, & pleno jure ad Patrem reverti *L. 6. Cod. De Bonis quæ liberis* &c.

X. Hæc si conferantur cum his quæ de rebus Ecclesiæ Clericis in usum concessis dicuntur in Canonibus sub hoc titulo Decretalium relatis, apparebit, non immeritò titulum hunc inscribi *De Peculio Clericorum*: hocque peculium apprimè convenire cum peculio *servorum* & *profectitio* filiorumfamilias.

XI. In *Cap. 1. h. t. De Peculio Clericorum* legitur: "Investigandum est, si nihil patrimonii habens Presby„ter, quando promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, „postea (vel ut alia lectio habet, Si *postea*) emerit præ„dia, cujus juris sint: quoniam Ecclesiæ ad quam ni„hil habens promotus est, esse debent juxta *Canonicam* auctoritatem.

XII. Citatus hic Canon in Decretalibus Gregorii IX. ex Concilio *Arelatensi*. In prima verò Decretalium collectione apud Antonium Augustinum ex Concilio *Lateranensi* Burchardus autem & Ivo Carnotensis citant ex Concilio *Remensi*. In Romana editione Corporis Canonici adjicitur hæc notula Antonii Augustini: *In Conciliis editis nondum inveni.* Admodum verisimili est, desumptū esse ex Capitulis Hincmari Remensis, *de quibus Magistri vel Decani per singulas Ecclesias inquirere & Episcopo renuntiare debeant*, ubi *n.* 18. relata verba hujus Decretalis penè ad verbum expressa sunt. Habentur hæc Capitula Hincmari tomo 8. Concil. general. *col.* 573.

XIII. Quisquis hujus Decretalis auctor fuerit, non obscurum est, eum per finalem clausulam *juxta Canonicam auctoritatem* reflexisse ad Canonē 49. Concilii Carthaginensis III. apud Gratian. *Caus.* 12. *q.* 3. *Can.* 1. "Placuit, „ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Cleri„ci, qui *nihil* habentes ordinantur, & tempore Episco„patus, vel Clericatus sui agros, vel quæcumque præ„dia nomine suo comparant; tamquam rerum Domi„nicarum invasionis crimine teneantur, nisi admoniti „Ecclesiæ eadem ipsa contulerint.

XIV. Ex hoc eodem Canone videtur desumptum Capitulum tertium ejusdem tituli *De Peculio Clericorum*, uti indicat nota marginalis Antonii Augustini. In hoc Capitulo statuitur: "ut unusquisque Presbyter res „quas post dies consecrationis acquisierit, propriæ Ec„clesiæ relinquat.

XV. Ut quid autem tam solicitè inquiri jubetur, an promotus ad Ordinem, ante suam promotionem *nihil* habuerit? Ratio indicatur in Rubrica primæ Decretalis: *Quæsitum à Rectore Ecclesiæ tempore promotionis nihil habente, præsumitur de bonis Ecclesiæ acquisitum.*

XVI. Si autem quæsitum sit ex *bonis Ecclesiæ* juxta *Canonicam auctoritatem* debet cedere Ecclesiæ; quod frequenter in Canonibus renovatum fuit: quos Canones citat & refert Emanuel Gonzales ad *Cap. 1. h. t. De Peculio Clericorum.*

XVII.

XVII. Interim hinc duo sunt concludenda. Primum, quod peculium Clericorum in hoc sit simile peculio *servi & profectitio* filii familias quod sicuti acquisita ex peculio servi & profectitio filiifamilias cedunt Domino aut patri, ita quoque acquisita ex peculio Clericorum cedant Ecclesiæ juxta *Canonicam auctoritatem*: quamvis exterior disciplina, postremis his seculis circa acquisita ex peculio Clericorum nonnihil sit immutata, uti infra notabitur.

XVIII. Ex primo sequitur secundum, in quo peculium Clericorum simile apparet peculio servi, & profectitio filiifamilias; nimirum, quod proprietas seu dominium peculii maneat apud Ecclesiam, quemadmodum proprietas peculii servi aut filii familias penes Dominum vel patrem. Nam si penes Clericum esset *dominium*, etiam res comparatæ ex peculio, sive proventibus Ecclesiasticis etiam deberent esse ipsius Clerici; utpote quæ essent acquisitæ, non ex rebus ad Ecclesiam; sed ad ipsum Clericum spectantibus.

XIX. Unde ad *Cap.* 2. ✠ *De Peculio Clericorum* dicere non dubitavit Panormitanus *num.* 4. " Item nota, „ quod Prælatus *non est Dominus* fructuum beneficii: „ Nam si efficeretur Dominus, posset sibi acquirere ex „ redditibus secundùm libitum, cujus contrarium hic „ deciditur & in *Cap.* INQUIRENDUM ✠ *eod.*" Hæc ille, qui & ad Rubricam *num.* 43. monuerat, quod Clericus non faciat fructus *suos*: ideoque peculium Clericorum posse appellari *profectitium, & judicari debere ut* PROFECTITIUM.

XX. Et revera, Clericos non esse veros dominos sui peculii sive proventuum Ecclesiasticorum, adeò evidenter in Sacris Canonibus est expressum, ut nullus antiquorum Canonistarum de hoc dubitasse videatur; imò Archidiaconus famosus admodum Canonum interpres scribere non est veritus in *Cap.* STATUTUM §. ASSESSOREM *De Rescriptis in 6.* esse *heresim* in Jure Canonico, asserere, Clericos Beneficia Ecclesiastica obtinentes, proventuum Ecclesiasticorum esse Dominos: quam sententiam post Martinum Navarrum multis asseruit Paulus Comitolus, qui ait: " Tantummodò à recentis „ memoriæ hominibus addubitari cœptum, quod ab „ antiquis magistris & melioribus auctoribus superio„ ris, atque adeò nostræ ætatis in controversiam num„ quam revocatum est: num ii, quibus Ecclesiastica Sa„ cerdotia Beneficiave mandata sunt, sint bonorum, „ fructuumque omnium, qui ex iis percipiuntur, veri „ Domini." *Resp. moral. lib.* 1. *q.* 70.

XXI. Quamvis verò Clericus proventuum Ecclesiasticorum ad suum *usum* concessorum non sit verus Dominus, nihil tamen obstat quo minus reditus Ecclesiastici, præsertim postquam per erectionem beneficiorum singulis titulis quædam portio bonorum annexa fuit, *peculium* Clericorum vocentur, ad exemplum peculii servorum & filiorumfamilias. Imò nec obstat quo minus illud ipsum peculium Clerici dicatur *proprium patrimonium* Clerici, atque Clericum facere *fructus suos*; tametsi revera eorum *Dominus* non sit; eâdem ratione, qua peculium servi (qui certò illius Dominus non est) dicitur proprium *patrimonium* servi; propter nimirum *liberam* peculii illius administrationem, & *usum*, quam ex voluntate Domini servus habet.

XXII. Unde jam pridem Augustinus fatebatur, quod ipse aliique Episcopi putarentur habere dominium rerum Ecclesiasticarum, tametsi non nisi *procurationem* earum se habere contestaretur. " Ego secundùm mul„ torum sensum (ait *Epist.* 126.) comparantium semet„ ipsis, non divitias dimisse, sed ad divitias videor ve„ nisse. Vix enim vigesima particula res mea paterna „ existimari potest, in comparatione prædiorum Eccle„ siæ, quæ nunc ut *Dominus* existimor possidere .... Nos „ rebus Ecclesiæ *dominari* existimamur, nos opibus „ frui, ... Deus testis est, istam omnem rerum Ecclesia„ sticarum *procurationem*, quarum credimur amare do„ minatum, propter servitutem quam debeo charitati „ fratrum & timori Dei tolerare me, non amare; ita ut „ ea, si salvo officio possim, carere desiderem.

XXIII. Cum autem juxta hodiernam disciplinam, non minus plenam administrationem, nec minus liberum usum habeat quilibet Beneficiatus respectu portionis bonorum suo titulo annexæ, quàm olim habebant Episcopi circa prædia & bona Ecclesiæ suæ, non mirum, si & beneficiatus proventuum Ecclesiasticorum *Dominus* credatur, & vulgari modo loquendi habere *dominium*, vel fructus *suos* facere dicatur, tametsi procurationem dumtaxat revera obtineat: eò quod tam liberam eorum dispensationem, etiam cum facultate *suis* usibus applicandi adipiscatur, ut soli Deo rationem dispensationis reddere obstrictus sit.

XXIV. Sicuti ad peculium *profectitium* filiifamilias non tantùm spectat, quod ex re aut substantia patris, sed & omne quod patris contemplatione & occasione filio obvenit, uti communiter docent Juris-consulti ad §. 1. *Instit. Per quas personas cuique acquiritur,* & ibi novissimè Arnoldus Vinnius *num.* 3. ita quoque ad peculium Clericorum jam descriptum pertinere dicendum est, non tantùm quod ex rebus Ecclesiæ beneficio annexis percipit; sed omne quod contemplatione Ecclesiæ sive ex functione Ecclesiastica & Clericali obvenit: quod & Pontifex non obscurè expressit in *Cap.* 9. ✠ *De Testamentis*, ubi respondit, "quod Clerici de his, quæ „ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut de „ artificio sunt adepti, seu dono consanguineorum, aut „ amicorum, non habito respectu ad Ecclesiam, perve„ nerunt ad ipsos, liberè disponere valeant. De his ta„ men, quæ *consideratione* Ecclesiæ perceperunt, nullum „ de jure possunt facere Testamentum.

Ut ergò inter bona Ecclesiastica, de quibus Clerici de jure testari nequeunt, aliquid referatur, juxta responsum Pontificis sufficit, si *consideratione Ecclesiæ* obvenerit.

XXV. Ad quæ verba reflectens Boetius Epo apud Duacenses olim Canonum Antecessor Primarius infert: " Ergò non tantùm quæ per Ecclesiam (id est ex fructi„ bus beneficiorum Ecclesiasticorum, sic enim locutio „ hæc *per Ecclesiam* à plerisque sumitur) sed & quæcum„ que *Clericatus occasione* Clericus acquisivit, in ea cau„ sa sunt, ut de iis testari nequeat: ut si quid tamquam „ Sacellanus alicujus Nobilis acquisiverit.

XXVI. Idem Auctor jam ante ostenderat ad *Cap.* 1. ✠ *De Testamentis num.* 79. quàm ineptum sit quorumdam recentiorum Canonistarum glossema prætendentium, nequaquam bonis *Ecclesiasticis*, sed *quasi patrimonialibus* annumeranda esse, quæ Clerici accipiunt pro status officiis quoties fiunt pro personali opera, absque ulla perpetua vel annua dote quæ detur in titulum beneficii; sive, ut loquitur Andræas Vallensis in Paratitlis ad Titulum De Peculio Clericorum *numer.* 2. quæ " Clerici acquirunt ratione Clericalis Ordinis vel offi„ cii, sed aliâ ratione quàm beneficii, veluti celebrando, „ concionando, canendo, confessiones audiendo, Vica„ riæ temporali deserviendo, aut alias similes actiones „ spirituales exercendo.

XXVII. Conantur, inquit Boetius Epo *n.* 80. "Mul„ ti eam sententiam defendere per hoc quòd *salaria* „ supra vel extra beneficii titulum percepta, non intuitu „ Ecclesiæ, sed ex industria personæ videantur perci„ pi: quamobrem nihil esse causæ, cur de talibus testari „ quis non possit. Quibus respondemus, omnia talia „ rectè dici acquisita *intuitu* Ecclesiæ, eò quòd pro offi„ ciis ac functionibus acquirantur Ecclesiasticis. Nam „ intuitu Ecclesiæ acquiri dicitur, non solùm quod ex „ Ecclesiæ bonis proficiscitur, verùm etiam quidquid

„ aliunde fortassis etiam, sed tamen pro functione datur „ Ecclesiastica, nimirum ratione & intuitu Ordinis & „ officii Ecclesiastici. Quamobrem quidquid pro Sacris „ faciendis lucratur apud Nobilem quempiam Sacella„nus, quidquid lucratur in Ordinibus conferendis Epi„scopus, quidquid item lucrantur officii sui ratione „ Cardinales, quantumlibet extra beneficiorum suorum „ titulos, intuitu Ecclesiæ lucrari rectissimè verissimé„que dicentur: ideóque nec testamenta de talibus fa„cere poterunt.

XXVIII. Si dicet, Missarum honoraria aliáque jam enumerata *dantur Clericis in mercedem laboris ac servitii & operæ personalis præstitæ*; uti loquitur Andræas Vallensis: hàc ratione prætendens, hæc dici debere *quasi patrimonialia*. Sed nonne omnia quæ Clericis, etiam titulo Beneficii obveniunt, dantur ipsis in mercedem laboris, ac servitii, & operæ personalis præstitæ? Neque alio titulo quam *operum*, sive ut *operariis* mercedem Clericis deberi, infra capite sequenti ostendemus; & supra *tit. 5. cap. 6.* ostensum est, Missarum honoraria esse speciem voluntariæ oblationis, quam populus in sustentationem Sacerdotis, tamquam Ecclesiæ Ministri, facere consuevit.

XXIX. Ineptè quoque, & citra ullam juris authoritatem, quidam Canonistarum contendunt à conditione & natura bonorum Ecclesiasticorum separanda, quæ *beneficiatus sibi substrahit ex debita sustentatione parciùs vivendo*, uti loquitur Andræas Vallensis; tamquam si de his non secus ac de *patrimonialibus*, aut *quasi patrimonialibus* Clerici disponere possent.

Id juris rationibus haud consentaneum esse bene advertit citatus Boetius Epo ad *Cap. 12. X De Testamentis num. 46.* " Hæc enim suadent, ut quæcumque supersunt „ Clerico, quantumlibet parcenti, nihilominus penes „ Ecclesiam remanere debeant: quia verum semper est, „ ea intuitu Ecclesiæ esse quæsita. Confirmatur hæc mea „ sententia (pergit Boetius) pereleganti J. C. nostro„rum decisione in *L.* CONTINUUS §. CUM ITA STIPU„LATUS *ff. De V. O.* de obligato solvere certo loco; ut „ si quis Ephesi solvere promiserit: qualis quidem pro„missor si maturiùs eò pervenerit quàm quisquam ferè „ potuisset, usus forsitan diplomate vel felici naviga„tione, sicuti J. C. loquitur, confestim obligatus est; „ nec illi prodest quòd plus temporis impendere po„tuisset ad perveniendum illuc: quia in eo quod tem„pore atque facto finitum est, nullus est conjecturæ lo„cus. Pari prorsus modò, si beneficiarius parcè vivendo „ minùs impendit quàm judicio bonorum virorum im„pendere potuisset. Ecclesiæ perinde superflua seu reli„qua debentur atque si plus consumpsisset: quia in eo „ quod facto finitum est, non est conjecturæ locus. Quæ „ sententia tutior est procul dubio, & juris utriusque ra„tionibus conformior.

Itaque quæcumque Clericis consideratione Ecclesiæ sive titulo officii aut Ordinis Clericalis obveniunt, peculio Clericorum, quod habito respectu ad Ecclesiam *profectitium* vocari potest, attribuenda sunt.

XXX. Illa verò quæ Clericis ex legitima parentum vel consanguineorum, non secùs ac aliis laicis obveniunt, vel ex donatione, labore, industria, vel alio modo, quo solent laici, lucrantur, indubiè *patrimonialia*, aut *quasi patrimonialia* rectè dicuntur: neque Clericorum conditio naturam horum bonorum immutat: aut Ecclesia circa hæc jus ullum umquam prætendit: sed ea liberæ Clericorum dispositioni permittit; atque post mortem Clericorum intestatorum ad consanguineos eorum devolvi, ut ex Canonibus Apostolorum & Antiochenis, quin & Decretalibus sub hoc titulo De Peculio Clericorum manifestum est.

XXXI. Quare & hæc bona *patrimonialia & quasi patrimonialia* eatenus peculio *castrensi & quasi castrensi* filiorum familias comparari possunt; quod sicuti filiifamilias *pleno* jure peculia hæc possident, atque de illis sine consensu patris liberè disponunt, tam inter vivos, quàm mortis causâ; ita Clerici hæc bona pariter *pleno* jure æquè ac laici possideant, & de illis liberè disponant.

XXXII. Dicitur quidem in *L. 20. Cod. de Episcopis & Clericis*: "Si quis Presbyter aut Diaconus, diaconissa seu „ Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut „ Monachus, aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, „ nullo condito testamento decesserit; nec ei parentes „ utriusque sexus, vel liberi, vel qui agnatione cogna„tioneve junguntur, vel uxor exstiterit, bona, quæ ad „ eum vel ad eam pertinuerunt, Sacrosanctæ Ecclesiæ, „ vel Monasterio, cui forte fuerat destinatus, aut destina„ta omnifariam socientur." Sed id Clericis, cum aliis pluribus Laicis commune est. Laicorum enim hæreditas, deficientibus legitimis hæredibus deferri solet Corporibus illis, quibus adscripti sunt, excluso Fisco; uti patet ex toto titulo Codicis Justinianæi de *hæreditatibus Decurionum, Navicularriorum, Cohortalium, Militum & Fabricensium*. Consule Perezium ad hunc titulum Codicis; & Gudelinum De Jure Novissimo *lib. 2. c. 16. n. 11. & 12.*

XXXIII. Verùm tametsi Clericus maneat absolutus Dominus bonorum patrimonialium, atque de illis possit liberè disponere; nihilominus ipsi specialiter attendendum est, ut & in hac bonorum dispositione, se Clericum & Magistrum laicorum ostendat; suoque exemplo demonstret, quomodò omnia, quæ à Deo accepimus, ad Dei honorem sint expendenda. Et meminerit, quod si omnibus etiam laicis dixerit S. Augustinus in *Psal. 147.* " Quare quantum tibi dederit Deus, & ex eo tolle quod „ sufficit: cætera quæ superflua jacent, aliorum sunt ne„cessaria. Et superflua divitum, necessaria sunt paupe„rum:" quantò magis id Clericis, qui specialiter Deum sibi in hæreditatem eligendum duxerunt, dictum censeatur.

CAPUT II.

De jure, & quo titulo Clericis alimenta & stipendia debeantur, & quo animo ea accipere debeant?

1. *Ministris altaris alimenta deberi ratio naturalis etiam gentilibus persuasit.*
2. *Legem naturalem expressit Lex Mosaica & Evangelica.*
3. *Fusè id adstruxit Apostolus primò à ratione naturali*
4. *Argumentum Apostoli ex Lege Mosaica.*
5. *Confirmat idipsum Apostolus ex Evangelio.*
6. *Quando & quomodo eam legem Christus dederit?*
7. *Ex contextu Apostoli patescit justa condemnatio asserti Joannis Wiclef.*
8. *Alimenta Clericis deberi ut* operariis *probat argumentum Apostoli à ratione naturali.*
9. *Idipsum probat argumentum desumptum ex Lege Mosaica.*
10. *Nec aliud indicat totus Apostoli discursus.*
11. *Similiter & Lex Evangelica.*
12. *Concluditur solis operantibus* alimenta *deberi; quod & Jus Canonicum expressit.*
13. *Invectiva S. Gregorii in Pastores non operantes, & de stipendiis Ecclesiæ viventes.*
14. *Nec Canonici, nec alii Beneficiati justè ab Ecclesia* stipendia *accipiunt nisi sint* operarii.
15. *Confirmatur, auctoritate S. Bernardi.*
16. *Id speciatim de Canonicis adstruxit Dionysius Carthusianus.*

17. *Id*

17. *Id consonat sanctioni Justiniani Imperatoris.*
18. *Regula Canonicorum monet, ne ullus otiosus vota Fidelium comedat.*
19. *Ineptum quorumdam Glossema circa interpretationem* Olhen.
20. *Quare hoc glossema licet ineptissimum vulgo receptum videatur.*
21. *Quomodo Ministri sua alimenta accipere debeant; & an rectè dicantur merces operæ impensæ.*
22. *Ministri Ecclesiæ non possunt laborare ut stipendia accipiant; sed accipere* alimenta, *ut laborare queant.*
23. *Id rectè expressit S. Augustinus.*
24. *Non datur sustentatio a populo ut merces laboris, nec finis laboris potest esse sustentatio.*
25. *Quare id quod datur Clericis rectiùs vocetur* stipendium, *quàm* merces.
26. *Primum indicium quo insinuatur, Clericum Evangelizare* ut manducet.
27. *Secundum indicium.*
28. *Tertium cum pluribus remissivè.*

I. Ministris Ecclesiæ in Sacrario laborantibus divinoq; cultui specialiter in utilitatem populi destinatis, & intendentibus à populo corporalem sustentationem, seu alimenta necessaria deberi, etiã ipsius legis naturalis instinctus Gentilibus persuasit, ut non obscurè innuit Sacer Textus. Memorat enim quod & ipsi Sacerdotibus Idolorum terra à Rege (Pharaone) tradita fuerat: *quibus* (ait) *& statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Genes. 47. v. 22.*

II. Legem hanc naturalem primum Lex Moysaica, ac dein Evangelica proposuit, & exposuit; atq; tandem operosè adstruxit Apostolus 1. *ad Corinth.* 9. ostendens, & ex lege naturali, Moysaica, & Evangelica Ministris Ecclesiæ alimenta deberi.

III. Primum itaq; argumentum sumit ab exemplis humanis, ipsa ratione naturali notis & probatis: scilicet militum, agricolarum & pastorum pecorum.

Quis militat (ait) suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? Quis pascit gregem & de lacte gregis non manducat?

Hæc ex Lege & ratione naturali petita, ostendunt Evangelii ministris, tamquam militantibus pro Christo, ejusq; vineam plantantibus & excolentibus, & gregem ipsius pascentibus alimenta & stipendia deberi.

IV. Progreditur Apostolus: *Numquid secundum hominem hæc dico?* Hoc est, secundum *humanam* rationem: ut sensus sit: An solum ex rebus humanis mihi suppetunt argumenta ad probandum quod dico, scilicet me & Barnabam habere potestatem ex Evangelio vivendi? *An & lex hæc non dicit: Scriptum est enim in Lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti. Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit: Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe qui arat arare & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus magnum est si nos carnalia vestra metamus? .... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt. & qui altari deserviunt cum altari participant?*

Hæc ex lege Moysaica desumpta, probant, Ministros Altaris & Sacrificii potestatem habere ex Sacrario & altari vivendi.

V. Et ne forsan quis crederet, ea tamquam cæremonialia vel judicialia per Christi legem cessare, subjungit Apostolus: *Ita & Dominus ordinavit iis qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere:* quasi diceret: Sic etiam Christus Dominus in sua, id est, novâ lege ordinavit, atq; cõstituit ut qui Evangeliũ añunciant, ex Evangelio vivant.

VI. Hanc legem dedit Christus, quando mittens Apostolos suos ad prædicandum Evangelium dixit eis: *Nolite possidere aurum, neq; argentum, neq; pecuniam in zonis vestris* subjuncta hac ratione *Dignus enim est operarius cibo suo.*

Ac si diceret, nolite soliciti esse de temporalibus neq; eorum onere gravari; sed nudi & expediti ab his omnibus pergite, quia *cibus* à discipulis vestris vobis tamquam *operarus* debetur.

VII. Ex toto ergò hoc Apostoli discursu, manifestum evadit, Ministris Evangelii *sustentationem* seu *cibum* à populo deberi; ut proinde meritò damnatus sit à Concilio Constantiensi hic articulus 18. Joannis Wiclef. *Decima sunt pura eleemosyna & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.*

VIII. Ulteriùs ex Argumento Apostoli à ratione naturali sumpto, intelligitur alimenta Ministris Ecclesiæ deberi tamquam *militantibus, plantantibus, & pascentibus:* id est, titulo *laboris* & *operis* populo impensi.

IX. Idipsum probant argumenta ex Lege Moysaica depromta; nimirum Ministris Evangelii tamquam bobus in area Ecclesiæ *triturantibus*, aut in campo *arantibus* non esse os alligandum sive cibum negandum. Quod & Lex Moysaica alibi clariùs expressit. Postquã enim Deus instituisset tabernaculi sui ministros & Sacerdotes Aaron & filios ejus, adjunctis in ipsorum adjutorium Levitis, dixit universis *Num. c.* 18. *Excubate* in CUSTODIA *Sanctuarii, & in* MINISTERIO *Altaris, ne oriatur indignatio super filios Israël.., Omnia quæ sanctificantur à filiis Israel tradidi tibi* (Aaron) *& filiis tuis pro* OFFICIO *Sacerdotali legitima sempiterna. Filiis autem Levi dedi omnes decimas in possessionem pro* MINISTERIO *quo* SERVIUNT *mihi in tabernaculo fœderis... Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tã vos, quàm familia vestra: quia pretium est pro* MINISTERIO *quo* SERVITIS *in tabernaculo testimonii.*

Quid evidentius, quam temporalia à Deo assignata fuisse Aaron & filiis ejus, & Levitis, pro custodia, & ministerio sive servitio Sanctuarii & Tabernaculi.

X. Sed & totus Apostoli contextus quid aliud intendit nisi hoc unum, laborantibus & operantibus in Ecclesia pro populo alimenta deberi; iisque potestatem esse vivendi ex Evangelio?

XI. Sed & Christus alium nullum dixit *dignum cibo suo* nisi *operarium.* Non dixit dignus est *Clericus*, dignus est *Sacerdos*, dignus est *Pastor, Canonicus, Episcopus* &c. sed *operarius* cibo suo; "ut intelligamus, eos esse indignos stipendiis Ecclesiasticis, qui non *operantur* pro fidelium utilitate," ait Jansenius Gandensis in Concord. Evangel. *c.* 15. Et ad eadem Christi verba reflectens Theophylactus ait: " Hoc est, à Discipulis pascemini: debebunt enim hoc vobis, *ut operariis.*

XII. Ut ergò justè & licitè stipendiis Ecclesiæ sustentetur Clericus, oportet ut *operetur*; ità nimirùm, ut dici queat *operarius dignus cibo suo*: quod & innuitur notissimo illo Juris Canonici principio: *officium* esse *propter quod Beneficium*, prout exprimitur à Pontifice in *Cap. fin. De Rescriptis in* 6.

Neque enim hic aliud indicatum voluit Pontifex, quàm Beneficium sive jus percipiendi proventus Ecclesiasticos dari propter *officium* quod Ecclesiæ præstat beneficiatus; & ratione cujus reverà dici queat *operarius dignus cibo suo.*

XIII. Unde S. Gregorius Homiliâ 17. ad hæc Lucæ verba: *Dignus est operarius mercede sua* ait: " Sed quid nos „ (quod tamen sine dolore dicere non possum) quid nos, „ O Pastores, qui & mercedem consequimur, & tamen „ operarii nequaquam sumus? Fructus quippe sanctæ Ec„ clesiæ in stipendio quotidiano percipimus, sed tamen „ pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus, „ Pensemus cujus damnationis sit, sine labore hic perci-

„ pere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt; nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est, insudamus.

XIV. Ex his concludo, nec Canonicos, nec inferiores Beneficiatos dignos esse, qui de Altari vel Evangelio *vivant*, nisi revera ita Altari & Evangelio serviant & occupentur, ut saltem juxta vocationem & talentum suum verè dici queant OPERARII *digni cibo suo*.

XV. Unde ad Clericum in generali loquitur S. Bernardus in declamationibus in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia* §. 16. "Væ væ tibi Clerice mors in olla, mors in ollis carnium, mors in ejusmodi deliciis, non modò, quia secùs introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia constat populi esse peccata quæ comedis, sumptus Ecclesiasticos *gratis* te habere reputas? Cantando, ut ajunt, bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fodere, aut etiam mendicare.

XVI. Et speciatim ad Canonicos dicebat jam pridem Dionysius Carthusianus *De Vita Canonicorum art.* 2. "Idcircò à laicis & secularibus data sunt temporalia bona Ecclesiæ, ut quia laicis ipsis non vacat jugiter orationibus atq; divinis obsequiis immorari ac inhærere, ministri Ecclesiæ ac Clerici suppleant vices, & imperfectû laicorum, orando, ac ministrando, & satisfaciendo pro ipsis, quorum eleemosynis stipendiisq; foventur.

XVII. Hausisse id videtur Dionysius è Sanctione Justiniani Imp. in *L.* 42. §. 10. *Cod. De Episcopis & Clericis*, ubi vult, ut Clerici compellantur suum implere officium addità hâc ratione: "Nam qui constituerunt, vel fundarunt sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt illis substantias suas, ut per eas debeant Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur.

XVIII. Qua de causa Canonici in sua regula per Synodum Aquisgranensem exaratâ c. 31. admonebantur, ut laudes Deo in commune persolventes, pro suis populorumq; quorum oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent." Et rursus c. 145. "Singuli juxta capacitatem suam diversarum artium erudiantur disciplinis, ut nullus in collegio Canonico inutilis appareat, nec *vota fidelium* OTIOSUS comedat.

Plura de obligatione Canonicorum serviendi Ecclesiæ etiam præterquam in persolvendo Officio Canonico sive Horario, dixi in Dissertatione Canonica De Instituto & Officiis Canonicorum *parte* 1. c. 2. & supra *titulo* 18. c. 4. dictum est, nec Capellanias, quæ hodie antonomasticè dicuntur Beneficia *simplicia*, debere esse *sine officio*.

XIX. Ex dictis patet, quam ineptum sit quorumdam Glossema, quo Officium, propter quod detur Beneficium, interpretantur de Officio Horario: ac si sola Officii Canonicalis recitatione, etiam privata, totum Officium propter quod Beneficium datur, absolveretur? Quasi recitatione Horarum, quæ unius horæ spatio pene integra persolvitur, operarius dignus cibo suo haberi queat. An qui una altera ve hora Ecclesiæ legendo aut cavendo serviunt, & reliquo tempore vel otiantur, aut secularibus negotiis se implicant, ministri atq; operarii Ecclesiæ vocabuntur, ac digni reputabuntur, qui ut *operarii* cibum ab Ecclesia accipiant?

Hoc itaque Glossema ineptissimum est & ab Ecclesiæ mente quam maximè alienum, quæ per *officium* intelligit omnia ea, ad quæ singuli Beneficiati juxta institutionem beneficii, & vocationem suam tenentur: ut ea persolutione verè dici queant *operarii digni cibo suo*, sive proventibus qui propter Officium dantur.

XX. Interim quia hominum cupiditati admodùm favet, mirum quanta aviditate receptum sit; adeò ut non tantùm Canonici & Capellani, sed & Pastores, quin & Episcopi se quodammodò officio suo defunctos credant, modo Horas Canonicas persolverint; tametsi in persolutione officii Pastoralis & Episcopalis de cætero negligentissimi: neq; de ulla fructuum restitutione vel cogitant, imò nec anguntur, si modò Horarum Canonicarum recitationem non omiserint: quasi præcipua, Pastoralis vel Episcopalis officii portio in hac vocali recitatione consisteret: cum fortè vel minimam partem conficiat: quemadmodùm ex iis quæ *parte* 1. *tit.* 3. & *tit.* 16. dicta sunt, intelligi poterit.

Debetur ergo Ministris Ecclesiæ sustentatio à populo, ipsisq; jus est vivendi ex Evangelio, vel ex Altari, eò quod *dignus sit operarius cibo suo*; vel ut expressit S. Lucas, *mercede sua*.

XXI. Nequaquam tamen cogitandum est, mercedem deberi vel prætendi posse à ministris Ecclesiæ, quemadmodùm opifices recipiunt suarum operarum & laboris mercedem: quasi ipsa merces ministeriis & officiis Ecclesiasticis respondeat; quemadmodum labori opificum seu operariorum mercenariorum: aut ipsi Ministri Ecclesiæ intuitu hujusmodi mercedis operari possint; cùm ipsis dictum sit, *Gratis accepistis gratis date*: sed nomine *mercedis* hic solùm intelliguntur *alimenta*, seu *cibus* qui Ministris Ecclesiæ tamquam operariis debetur, non tamquam propriè dicta *merces* laboris aut operarum, sed tamquam *alimenta* necessaria, ut operari queant.

XXII. Neq; Ministri Ecclesiæ operantur UT *mercedem* temporalem seu *cibum* accipiant; sed cibum accipiunt, *ut* operari queant.

Itaq; considerandum est, ut monet S. Gregorius citatâ *Homilia* 17. "quòd uni nostro operi duæ mercedes debentur: una in via, altera in patria: una quæ nos in labore sustentat, alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaq; quæ in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustiùs tendatur. Verus ergo quisq; prædicator non ideò prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideò mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namq; ideò prædicat, ut hic vel laudis vel muneris mercedê recipiat, æternâ procul-dubio mercede se privat. Quisquis verò vel ea quæ dicit, ideò placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta non ipse, sed Dominus ametur: vel idcirco terrena stipendia in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur: huic procul dubio ad recipiendam mercedem nil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via.

XXIII. Similiter Augustinus *De Sermone Domini in monte* c. 16. monet, "neq; ideo debemus evangelizare, ut manducemus, sed ideo manducare ut evangelizemus: nam si propterea evangelizamus ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum. Et paulò inferiùs: Si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico Evangelium; alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui Evangelium ipsum me prædicante diligunt, ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium in illis temporalibus constitutum.

XXIV. Concludendum ergò cum eodem Augustino *libro De Pastoribus & ovibus* c. 2. " Non redditur sustentatio necessitatis à populo, *quasi merces* illis qui sibi in charitate serviunt, sed tamquam *stipendium, quo, ut possint laborare pascantur*." Quare veri Christi ministri *non evangelizant ut manducent*; & propterea secundùm eundem Doctorem, non in victu constituunt finem evangelizandi, sed ipsius victûs sui finem in Evangelio collocant.

XXV. Notandum quod Augustinus, id quod operariis Evangelicis debetur, vocet *stipendium*, non mercedem; idq; familiare esse Augustino observat Jansenius Gandensis

fis in Concord. Evangel. c. 15. creditq; ab ipso Augustino ad posteros potissimum dimanasse: metaphorâ desumptâ à *stipendio* militari ad quod respexit Paulus, dum probat Evangelico operario deberi alimoniam dicens: *Quis militat suis stipendiis unquam.*

" Ratio autem quare *stipendium* propriè vocatur, „ quamvis hodie passim milites stipendium suum recipiant, tamquam *mercedem* propter quam militant, est, „ (ait Jansenius) quia bonorum militum est non militare „ pro stipendio tamquam mercede, sed pro patriæ, & „ Reipublicæ aut imperii bono & salute: stipendium autem accipere, ut in militia illa possint persistere. Sic e- „ nim antiquitus militabant Romani: sic stipendia eis assignabantur annua. Alioqui qui pro stipendio militant, „ expectantes illud tamquam militiæ mercedem, magnam certè rem vili vendunt, vitam suam venalem exponentes pro pecuniola exigua. Nomine ergò *stipendii* „ significatur, Ecclesiasticos operarios non debere operari & militare *pro victu & vestitu*, sed ea quæ ad alimoniam spectant accipienda ab eis, ut in sancto opere „ persistere queant. Hanc rationem sane indicat Divus „ Augustinus libro secundo super sermonem Domini in „ monte, sic scribens: *Sicut autem omnes militantes accipiunt annonam & stipendium, sic omnes evangelizantes „ accipiunt victum & tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipublicæ militant, sed propter illa quæ accipiunt: sic & non omnes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc temporalia, quæ tamquam „ annonam & stipendia consequantur, aut propter hoc & „ propter illud.*

XXVI. Sanè illi Ecclesiastici, quorum prima cura est; dum de Beneficio, ratione cujus Ecclesiæ serviendum erit, de proventibus temporalibus, parum aut nihil solciti quo fructu spiritualia obire, aut Ecclesiæ utiliter servire poterunt, gravi suspicione laborant, quòd non quærant alimenta ut evangelizent sed evangelizare, vel Ecclesiæ per Beneficium adscribi velle, *ut manducent*; sive ut temporalia consequantur: atq; ita *perverso nimis Ordine cælestibus terrena mercentur* uti loquitur S. Bernardus.

XXVII. Præterea qui Beneficia seu Ecclesias, quibus adscripti, mox ubi pinguius Beneficium consequi possunt deserunt, non obscurè indicant, se spiritualia non habere ut *finem*, & temporalia ut *media*: sed inverso ordine, spiritualibus uti tamquam *medio*, ad *temporalia*.

XXVIII. Similiter illi Clerici, qui magis anxiè invigilant, quibus temporalium curam committant, quàm spiritualium; multumq; attenti sunt, ne illis aliquod detrimentum obtingat; parum attendentes, si quæ spiritualibus detrimenta obveniant. De quibus aliisq; indiciis latiùs egi in Dissertatione De Instituto Canonicorum *parte* 2. c. 5. §. 4.

CAPUT III.

Bona Ecclesiæ dicta, *Vota Fidelium, precia peccatorum & Patrimonium Pauperum* & quare?

1. *Nihil hac definitione in Canonibus & Patrum scriptis notius.*
2. *Eam allegavit seculo VI. Julianus Pomerius.*
3. *Ut nota & recepta occurrit in Capitularibus Regum Francorum.*
4. *Concilia bona Ecclesiastica ita definienda adstruunt juxta* Antiquorum Patrum sententiam?
5. *Ostenditur quod ex intentione populi offerentis rectè dicantur* vota fidelium.
6. *Qua ratione vocentur* pretia peccatorum?
7. *Rectissimè vocantur* patrimonium pauperum.
8. *Quare frequentiùs vocentur* patrimonium pauperũ.
9. *Sanctus Gregorius patrimonium Ecclesiæ Romanæ vocavit* res pauperum.
10. *Generaliter res Ecclesiæ* patrimonium pauperum *dixit S. Bernardus.*
11. *Res Ecclesiæ dicuntur patrimonium* Christi & pauperum.
12. *Seculo 14. eadem definitio tradita.*
13. *Qui res Ecclesiæ defraudant*, necatores pauperum *vocantur.*
14. *Episcopus qui res alterius Ecclesiæ usurpare præsumpserit deponitur ut* necator pauperum.
15. *Judicantur* pauperum necatores *qui res Ecclesiæ diripiunt æquè ac si res Xenodochiorum dispergerent.*
16. *Episcopi passim diripientes aut fraudantes bona Ecclesiæ vocant simpliciter* pauperum *necatores.*
17. *Plurimi hanc definitionem accipiunt dum de bonis Ecclesiæ acquirendis aut conservandis agitur, secus ubi dividendis.*
18. *Unanimis & Canonum & Patrum sententia bona Ecclesiæ etiam ad* pauperes *spectare.*
19. *Fideles ea mente offerunt.*
20. *Ecclesia non alia intentione acceptat.*

I. Nihil vel in Canonibus, vel in scriptis Patrum usitatius, quam res Ecclesiæ dici *vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum.*

II. De hoc Patrum & Ecclesiæ sensu testis est S. Prosper seu ut alii volunt, S. Julianus Pomerius *lib. 2. de Vita Contemplativa c. 39.* ubi postquam narravit, quomodo S. Paulinus Episcopus Nolanus, & S. Hilarius Episcopus Arelatensis omnia sua contempsissent, & pauperibus erogassent antequam ad Episcopatum venirent, infert: " Unde datur intelligi, quod tanti ac tales viri, qui „ volentes fieri Christi discipuli renunciaverunt omnibus „ quæ haberent, non ut possessores, sed ut procuratores, „ facultates Ecclesiæ possidebant. Et idcircò scientes, nihil aliud esse res Ecclesiæ, *nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*, non eas vendicarunt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pauperibus diviserunt.

III. Hæc definitio tamquam nota & ex traditione Patrum recepta tempore Caroli M. ejusq; Successorum supponebatur, uti ex eorum Capitularibus notatur, ac signanter *lib. 1. c. 77.* item *lib. 5. c. 108.* & in additione 3. c. 1. editionis Baluzianæ ubi leguntur hæc verba relata à Gratiano *Caus. 16. q. 1. Can. 59.* " Quia juxta Sanctorũ Patrum „ *traditionem* novimus res Ecclesiæ *vota esse fidelium*, „ *pretia peccatorum, & patrimonia pauperum*, cuiq; non „ solùm habita conservare, verùm etiam multa, Deo opitulante, conferre optamus.

IV. Circa idem tempus Concilium Turonense an. 849. in Synodica ad Nomenoium Ducem Britonum eamdem definitionem facultatem Ecclesiæ allegavit; uti & Valentinum an. 855. *idque juxta antiquorum Patrum sententiam.*

Similia & in Synodis & authoribus istius & sequentium seculorum plurima occurrunt.

V. Et sanè non immeritò res Ecclesiæ *vota* dicuntur fidelium: quia primaria intentio fidelium bona offerentium est, illa *Christo* offerre: & quodammodò *Deo* consecrare, & *vovere*. Unde citatum Concilium Valentinum postquam dixit, quod juxta *antiquorum* Patrum sententiam, nihil sint aliud nisi *vota* fidelium, patrimonium pauperũ, redemptio peccatorum, immediatè subjungit: " Si eas fideliter & integrè Ecclesiasticis usibus non defendimus, „ & in eos qui obtulerunt, & *in Deum*, CUI OBLATÆ „ sunt, gravissimo nos reatu implicamus.

Itaque in quantum *Deo offeruntur*, quæ Ecclesiæ dantur,

tur, rectè facultates Ecclesiæ ex oblatione fidelium provenites, *vota* fidelium dicuntur.

VI. Dicuntur insuper *pretia* vel *redemptio peccatorum* quia fideles temporalia Deo offerunt, ut juxta divinum monitum, eleemosynis *peccata sua redimant*; vel ut faciant sibi amicos de mammonia iniquitatis, ut cùm defecerint recipiant ipsos in æterna tabernacula: hæcq; ratio fere in omnibus piarum donationum antiquis instrumentis occurrit.

Hinc & jam pridem dictum, quod Sacerdotes comedant *peccata* populi eò quòd comedant ea quæ populus in expiationem peccatorum offert.

VII. Verùm cum Deus usu rerum temporalium nostrorum non indigeat; sed ea sibi impensa reputet Christus, si ea pauperibus, tamquam fratribus & membris suis impendantur, hinc non dubitavit Ecclesia, quin ex mente fidelium, qui ea Christo dedicant, pauperibus esse impendenda; quin à fidelibus tamquam eleemosynas pauperibus, ut membris Christi esse oblata & donata, ut propterea rectè dicuntur *patrimonium pauperum*.

VIII. Et quidem cùm hæc appareat primaria fidelium offerentium intentio, ut ipsi per sua bona Christum in suis membris pascant, & foveant, etiam frequentiùs & constantiùs facultates Ecclesiæ, *patrimonium* pauperum, & res *pauperum* appellatæ fuere.

IX. Hinc sæpissimè facultates Ecclesiæ simpliciter dicuntur *res & patrimonium pauperum*.

Sanctus Gregorius monet Protasium Aquensem Episcopum, ut Virgilio Episcopo Arelatensi dicat: "Ut pensiones quas prædecessor ejus per annos plurimos de patrimonio nostro percepit, & apud se retinuit, ad nos quia *pauperum res sunt*, studeat destinare." *Lib.* 5. *Epist.* 55. Non dubitavit ergo S. Gregorius, patrimonium Ecclesiæ Romanæ dicere *res pauperum*.

Et in *Epist.* 57. ad Arigium Galliæ Patricium scribit: „Præterea in filium nostrum Candidum Presbyterum, quem ad gubernationem *patrimoniali* Ecclesiæ nostræ, „quod illic est, transmisimus, vobis per omnia commendamus, confidentes à Deo nostro vos mercedis vicem „recipere, si *rebus pauperum* solatia sua gloria vestra devotâ mente præstiterit.

Sive ergo res Ecclesiæ suæ repetat, sive tuitionem earum commendet Gregorius eas non nisi *res pauperum* considerat.

X. Quin & seculo 12. exclamat S. Bernardus: *Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sane* (ait) PATRIMONIA PAUPERUM *facultates Ecclesiarum.*

XI. Circa idem tempus ad Carnotensem Antistitem scribebat nominatissimus ille Bathoniensis in Anglia Archidiaconus Petrus Blesensis *Epist.* 15. "Si te illius discipulum profiteris, qui venit ministrare, non ministrari sic „ministrabis pauperibus, ut non vituperetur ministerium tuum, ut *patrimonium Christi & pauperum* ejus „quod tibi commissum est, in egentium necessitates, non „in usus extraordinarios expendatur.

Hic nota, confundi patrimonium *Christi & pauperum* tamquam unum sit patrimonium *Christi*, & patrimonium *pauperum*.

XII. Rursus seculo 14. Concilium Ravennatense II. *Rubrica* 3, inducere volens Episcopos, Capitula Cathedralia & Abbates, ut juxta possibilitatem suam generales Eleemosynas exhiberent, pro motivo præmiserant: " Cum „juxta Prophetam, Beatus qui intelligit super egenum & „pauperem, & Dominus dicat in Evangelio: Date eleemosynam & omnia munda erunt, & *bona Ecclesiarum sint* PAUPERUM.

XIII. Et quid plura? nonne ab ipsismet Episcopis & Conciliis tamquam *pauperum* necatores habentur, qui bona Ecclesiarum diripiunt, aut defraudant.

Synodus Matisconensis II. an. 582. *Can.* 4. "Ut qui oblationes fidelium defunctorum, quæ Ecclesiæ conferuntur retinent, veluti retentares Ecclesiæ aut *egentium* „*necatores* ab Ecclesiæ liminibus arceantur.

Et apud Nostrates celebratum an. 630. Concilium Remense *Can.* 20. ait: "Clerici etiam vel seculares, qui oblationes aut donatas, aut testamento relictas retinere præsumpserint, aut id quod ipsi donaverint Ecclesiis aut „Monasteriis crediderint auferendum, sicut ante Synodus Sancta constituit, veluti *necatores pauperum*, quosque reddant, ab Ecclesiis excludantur.

Sive ergo oblationes *pauperum*, sive donata Ecclesiis, aut Monasteriis abstulerint, habentur à Concilio veluti *necatores pauperum*; quo apertè significat, se res Ecclesiæ donatas, ut *pauperum* alimoniæ depuatas considerasse.

XIV. Quin & idem Concilium *Can.* 21. vult, ut Episcopus, qui quocumq; ingenio aut callida cupiditate, res „quæ ab alia Ecclesia præsentialiter possidentur, pervaserit, aut sine audientia præsumpserit usurpare, ac suis „vel Ecclesiæ suæ ditionibus revocare, dum communione privari non potest, ut *necator* PAUPERUM ab officio deponatur.

XV. Legitur quoq; in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 6. *c.* 136. & *lib.* 7. *c.* 491. "Ne cui liceat res vel facultates Ecclesiis vel Monasteriis vel Xenodochiis pro „quacumq; eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alienare, atq; subtrahere. Quod si quis fecerit, tamquam *necator pauperum*, antiquorum Canonum sententiis constrictus ab Ecclesiæ liminibus excludatur, „quamdiu ab ipso ea quæ sunt ablata & retenta reddantur.

Notandum, æquè pro *pauperum necatoribus* haberi qui res *Ecclesiis* donatas diripiunt, quam diripientes res Xenodochiis datas, quod supponit, eas omnes ut *res pauperum* fuisse reputatas.

XVI. Plura in hanc rem Synodorum testimonia collegit Joañes Lanonius Theologus Parisiẽsis in libro *De Cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus c.* 4. qui tandem exhibitis his testimoniis, observat, quod Synodi "eos, qui Ecclesiastica bona rapiunt, & in suos alienosve usus convertunt, *pauperes* necare asserant, & *pauperum* necatores appellent, non eversores Basilicarum, non Episcoporum necatores. Et tamen laici non sunt qui sic loquuntur. Ipsi sunt Episcopi, quorum intererat rebus „suis consulere, quâ meliori & certiori ratione consuli „poterat. " Non dubitabant sanè sanctissimi illorum Conventuum Patres, res Ecclesiæ esse *patrimonium pauperum*: adeoque & hoc nomine vindicandas, & tuendas.

XVII. Hodie quoq; facilè bona Ecclesiæ habentur & asseruntur à Clericis *res pauperum*; scilicet si vindicanda & asserenda sint; sed si contemnenda sint, non tunc pauperum; sed *Clericorum* esse clamatur; uti rectè reflectit ingeniosus Revisor operum S. Gregorii ad *Epistolam* 57. *libri* 6. eamdem notam renovans ad *Epistolam* 28. *Libri* 8.

XVIII. Itaq, meritò observatum à Christiano Lupo tomo 2. Scholiorum in Canones *pag.* 1318. " Ecclesiastica „bona non solummodò ad Clericos, sed etiam ad captivos, peregrinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes „stricto & æquo proportionis jure pertinere, est lucidum „dogma Apostolorum, omnium Sanctorum Patrum, cunctarum sub cælo Ecclesiarum.

XIX. Nihil notius est, quàm fideles qui vel inter vivos vel mortis causâ bona sua rectâ intentione Ecclesiæ relinquunt, ea donare & relinquere propter honorem Dei & ad animarum suarum salutem.

Unde citatus Christianus Lupus *tom* 5. Schol. in Canones *pag.* 191. rationem allegans, cur Episcopi & laici seculo octavo & nono decimas potius Canonicis, quam Presbyteris Pagensibus dare voluerint, ait: " Sanctissima „erat istorum Clericorum vita, ideoq; per ipsos, quam „per Pagenses Presbyteros visæ sunt decimæ *fideliùs* in

paupe-

„ *pauperes* & Ecclesiæ fabricam dispensandæ. Eorum „ sanctitati creditum fuit tatum decimarum onus: & „ honesta Presbyteri alimentatio, & Ecclesiasticæ „ fabricæ reparatio, & cura pauperum & peregrino„ rum.

Huic autem fini obesset potiùs, quàm prodesset, voluntas relinquendi sua bona Clericis, ut ipsi *abundarent*, & in *profanos* usus, neglectis pauperibus, insumerent; aut suos consanguineos ditarent; vel ipsi ex iis ultra moderatam, & Clerico convenientem sustentationem acciperent.

XX. Imò etiamsi laici dum bona sua offerunt, ea de re non cogitarent; aut aliam forsan intentionem parum Christianam haberent, Ecclesia tamen non aliter ea acceptaret, nisi ut bona illa, tamquam *patrimonium Christi* & ut *res Dei*, cui offeruntur: non in usus superfluos, nec in divites; sed in necessitates Ministrorum Christi, & pauperum, ejus membrorum, aliosve pios usus ad honorem Dei impendenda.

CAPUT IV.

Quæ moderatio in usu proventuum Ecclesiasticorum à Clericis tenenda?

1. *Ecclesiastici uti debent proventibus Ecclesiasticis ut* rebus Dei.
2. *Vetant eo titulo Canones Apostolorum aliquid ex iis dari consanguineis, nisi ut* pauperibus.
3. *Tantum permittunt Episcopo ut sumat ad suas* necessitates.
4. *Soliciti fuerunt SS. Episcopi ne ex bonis Ecclesiæ ultra necessaria acciperent; exemplum S. Chrysostomi.*
5. *Christus voluit operarium Evangelicum necessariis esse contentum.*
6. *Nec post bonorum Ecclesiæ divisionem aliter iis utendum.*
7. *Sententia S. Bernardi.*
8. *Removet vulgarem Ecclesiasticorum prætextum.*
9. *Invectiva Petri Blesensis in Prælatos qui bona Ecclesiæ in superfluos usus impendunt.*
10. *Episcopus debet esse* Dispensator *&* promus *pauperum.*
11. *Synodus Trid. præcipit Episcopis, ut rebus Ecclesiæ* frugaliter *utantur.*
12. *Idipsum a Cardinalibus & aliis Ecclesiasticis servari voluit.*
13. *Sanctus Carolus voluit Episcopi vestitum esse simplicem.*
14. *Similiter & suppellectilem.*
15. *Parsimoniam desiderat in mensa Episcopali.*
16. *In Familia nihil vult esse superflui, desideratque ut Clerici potius quàm laici sint.*
17. *Eadem omnia magis ab inferioribus Ecclesiæ ministris servari præcipit.*
18. *Hortatio S. Caroli ad Clericos de utendis proventibus Ecclesiasticis tamquam* patrimonio pauperum.
19. *Decretum Synodi Toletanæ contra superfluas epulas in Episcoporum mensis.*
20. *Synodus Mechliniensis declarat in pauperes & usus pios expendenda quæ ex rebus Ecclesiasticis habentur ultra* honestam *sustentationem.*
21. *Deplorabat S. Bernardus, hæc à Prælatis Ecclesiæ non attendi.*
22. *Quæ hujus ratio?*
23. *Putant plures Ecclesiastici sibi venerationem & auctoritatem accersendam per superbam suppellectilem & familiæ magnificum apparatum.*
24. *Hunc prætextum vanum esse jam pridem ostendit Synodus Carthaginensis, cujus Decretum probavit & innovavit Synodus Tridentina.*
25. *Eumdem prætextum aliæ Synodi removerunt.*
26. *Auctoritas Episcopis necessaria ut Fideles ad mundi contemptum excitent.*
27. *Ut id efficacius præstent, monet Synodus Tridentina ut mundi contemptum ipsi in omnibus ostendant.*
28. *Synodus Tridentina vult auctoritatem Episcopalem esse conservandam, sed morum gravitate.*
29. *Prælati Ecclesiæ attendentes, quid populo inculcare debeant sat vident hunc prætextum esse vanissimum.*
30. *Ideo vel maximè modestia & frugalitas ab Episcopis adhibenda, ut Fidelibus præluceant.*
31. *Bartholomæus De Martyribus præcipuus suasor Decreti Synodi Tridentinæ contra luxum Prælatorum, hunc prætextum refutavit.*
32. *Hic tantam in omnibus simplicitatem servavit, ut multi inde caperent obloquendi occasionem.*
33. *Movebatur quoque contra ipsum Ludovicus Granatensis.*
34. *Discursus quem ea occasione habuit Bartholomæus De Martyribus.*
35. *Hæc moderatio à Prælatis Regularibus specialiter tenenda.*

I. RES ED tus Ecclesiæ esse res Deo consecratas; atq; eo titulo, ex intentione offerentium & ipsius Ecclesiæ, ut *res Dei* & patrimonium Crucifixi; imò quasi *patrimonium pauperum* esse habendas & administrandas superiori capite ostendimus.

Ex quò necessariò consequitur, Episcopos & Clericos quibus harum rerum dispensatio concredita est, iis uti debere, tamquam *patrimonio pauperum & rebus Dei.*

II. Unde *Canone* 37. vulgò Apostolorum dicitur: "Omnium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & „ eas administret tamquam *Deo intuente*. Nec liceat au„ tem ex iis aliquid sibi vindicare, vel propriis cognatis, „ quæ *Dei* sunt, largiri. Sin autem sunt *pauperes*, ut *pau„ peribus* suppeditet.

Quare Episcopus rerum Ecclesiasticarum curam gerens prohibetur ex iis aliquid propriis cognatis largiri, nisi *ut pauperibus*? Non alia de causa, quàm quod sint *res Dei*, quas ut res *pauperum* administrare & dispensare oportet.

III. Hinc rursus Canone 41. præcipitur ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat; & in ejus sit potestate omnia administrare, & iis qui *egent* per Presbyteros & Diaconos subministrare cum Dei timore & omni religione, & etiam, si sit opus, in *necessarium* suum usum accipere, & fratrum qui hospitio excipiuntur. Vel ut habet lectio Dionysii Exigui qua usus est Gratianus *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* 22. "Ex his autem, quibus *indiget* Episcopus (si ta„ men indiget) ad suas *necessitates* & peregrinorum fra„ trum usum & ipse percipiat.

Eadem decreta sunt Canone 25. additúrq; quod si his non sit contentus, & res in proprios usus convertat, Synodo Provinciæ pœnas persolvet. Apud Gratianum loco citato *Canone* 23.

IV. Quàm soliciti fuerint Sancti Episcopi, ut nihil præter *necessaria* ex rebus Ecclesiæ sumerent, acta ipsorū luculentissimè exprimunt; indignū reputantes, ut quæ *pauperibus* sunt destinata, in alios superfluos absumerentur.

Arguebatur S. Chrysostomus, quod nec Episcopis, nec nobilibus convivia extrueret: sed reputabat, *iniquum & indignum esse*, INFIRMORUM & PAUPERUM CIBOS, *eorum qui sani essent, libidini exponere*, ait Palladius in ejus vit. c. 13.

Hinc & in *Homilia* 22. *in Epistolam I. ad Corinth.* ait: „ Apu-

Digitized by Google

„ Apostoli erant & milites, & agricolæ & pastores. Non „ dixit Paulus: Quis militat & non est dives? Sed quis militat suis stipendiis unquam? Neq; dixit: Quis plantat „ vineam, & vinum non colligit, aut fructum integrum „ non vindemiat? Sed: Ex fructu ejus *non comedit*: Non „ ex agnis sed ex lacte. Oportet enim habere & fortitudinem militis, & agricolæ diligentiam, & curam pastoris „ & post hæc omnia *nihil* amplius quærere quam *necessaria*.

V. Et quid Christus de operariis Evangelicis? *Dignus est* [ait] *operarius cibo suo*." Quo significatur, præter ea quæ „ sunt *necessaria*, non esse Evangelico operario requirenda, nec studendum ei, ut ex Evangelio ac spirituali opera ditescat, secundùm illud Pauli: *Habentes victum & vestitum his contenti simus*." Ita monet Jansenius Gandensis in Concord. Evang. *c.* 55.

VI. Porro sicuti infra ostendetur, natura rerum Ecclesiæ per earum divisionem in quatuor portiones, aut per erectionem beneficiorum immutata non fuit; ita & immutata mansit obligatio eas dispensandi ut *patrimonium pauperum*: ita nec aliter quam ut *patrimonio* pauperum & *rebus Dei*, proventibus Ecclesiasticis utendum esse Patres & Canones edixere.

VII. Sanctus Bernardus seculo 12. adeoq; post stabilitam bonorum Ecclesiasticorum divisionem scribere non dubitavit ad Fulconem *Epist.* 2." Dignum est ut qui altario deservit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi ut si „ bene deservis, de altario vivas: non autem ut de altario „ luxurieris, ut de altario superbias, ut inde compares tibi „ fræna aurea, sellas depictas, calcaria deargentata, varia „ grisea q; pellicea à collo & manibus ornatu purpureo „ diversificata. Denique quidquid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de altario retines, tuum „ non est, rapina est, sacrilegium est.

VIII. Dein post pauca removet objectionem; quam sibi faciendam prævidebat, & quæ hodie à multis pro tegendo proventuum Ecclesiasticorum superfluo usu assumitur: "Sed hoc faciunt, inquis, cum quibus habito, si non „ facio quod cæteri, de singularitate notabor. Propterea, „ inquam exi de medio eorum, ne aut in urbe notabiliter „ vivas, aut exemplo pereas aliorum.

IX. Post divisionem factam vivebat Petrus Blesensis, dum dixit: "Bona Ecclesiarum in victum & vestitum concessa, bona, inquam, *pauperum* Christi in superfluos usus consumimus. Qui sunt enim qui epulantur quotidie splendide? Clerici. Qui sunt qui exquisitis aëre & „ mari & terra vescuntur cibis? Clerici. Qui sunt qui omni tempore & pacem securitatem habentes, in labore „ hominum non sunt, & cum hominibus non flagellantur? Clerici. Nos itaq; falsi fratres Christi sumus. Patrimonium enim quasi de jure fraternitatis possidemus; „ sed quàm falsi simus, lippis & tonsoribus patet. Patrimonium enim quod tibi tam gloriosè comparavit, nos „ gulosè consumimus... Timeo ne cùm redierit ille frater noster, qui quasi peregrè modò profectus est, rationem ponat nobiscum super patrimonio nobis credito. Quid autem poterimus dicere? *Serm.* 12. *in Quadrag.*

X. Nonne factâ & stabilitâ divisione deplorabat Prælatorum sumptus superfluos ex bonis Ecclesiasticis B. Petrus Damiani; indignumq; reputabat, ut ex iis divites epularentur, & pauperes, quorum est substantia, excluderentur. " Et cum Episcopus *dispensator & promus* esse debeat *pauperum* ad eorum mensam affluentibus deliciis, „ alieni ructant; cùm & illi quorum est *tota substantia*, „ procul exclusi, famis inopiâ contabescant." *Opusc.* 20. *c.* 2.

XI. Quid plura? Ipsa Synodus Tridentina reputans Ecclesiastica esse *res Dei*, atq; patrimonium pauperum, tamquam consequens infert, ut Patrimonio pauperum iis esse utendum, præcipiens Episcopis, ita mores suos „ componant, ut reliqui ab eis *frugalitatis*, modestiæ „ continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo „ sanctæ humilitatis exempla petere possint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Carthaginensi, non solùm jubet, ut Episcopi modestâ supellectile & mensâ ac frugali victu contenti sint; verùm etiam „ in reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne „ quid appareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; „ quodque non simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum „ contemptum præ se ferat.

XII. Post hæc in fine subjungit: "Quæ verò de Episcopis dicta sunt, eadem non solùm in quibuscúmq; beneficia Ecclesiastica, tam secularia quàm regularia, obtinentibus, pro gradus sui conditione observari, sed & „ ad sanctæ Ecclesiæ Cardinales pertinere decernit: quorum consilio apud Sanctissimum Romanum Pontificem „ cùm universalis Ecclesiæ administratio nitatur, nefas „ videri potest, non etiam virtutum insignibus, ac vivendi disciplinâ eos meritò fulgere, quæ omnium in se „ oculos convertant.

XIII. Ut huic Decreto, & sacris Canonibus se hac in parte conformarent Episcopi, in suo Concilio I. Provinciali decernit S. Carolus *c.* 17." Episcopus non profano „ ornatu, aut apparatu, sed fidei & vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debet. Itaq; in vestitu sericum non „ adhibeat. Non pretiosis pellibus utatur. Unguenta ne „ sumat, neve aliàs odorum suavitates consectetur. Stannulo Episcopali contentus. Ne mulæ, aut equo Episcopali stragulum & ornamentum ex villulo, aut serico, „ sed corio factum aut lanâ adhibebit, Ephippys aut calcaribus, aut frænis inauratis non utetur.

XIV. Deinde *c.* 18." In ejus suppellectile nihil aureum & argenteum sit, præter levissima ac tenuissima „ quædam instrumenta ad cibum ori admovendum „ comparata." Deinde omnia quæ fastum aut pompam quocúmq; modo redoleant à supellectile & familia singulatim removeat; ac tandem concludit:" Caveat deniq; „ nequid in ejus domo appareat, quod non simplex, aut „ purum sit, quod non Dei zelum & omnium inanium „ rerum contemptionem testetur.

XV. Subjungit dein *c.* 9. parsimoniam & frugalitatem, quæ in mensâ Episcopali servari debent, describens:" In „ ea (ait) præter primam escam & unum jurulentum cibum, alterum lacticinium & duo fructuum genera, unum aut alterum, vel, ut aliquid consuetudini & hospitum stomacho indulgeamus, tertium ad summum simplicis opsonii ferculum tantùm ei apponi liceat; etiam „ quorumvis hospitum causâ.

"Bellaria, placentæ, omniaq; saccharo artificiosè condita, cæteraq; escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum genera prohibentur.

XVI. Deniq; *c.* 20. familiam Episcopi describens, vult, „ ut familiæ numerus is tantummodò sit, quo simul Ecclesiæ utilitati, & Episcopi necessitati consulatur.

Hunc in finem vehementer hortatur, ut in familia, quam plurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi Clericali vestitu utantur; ac deinde addit qualis esse debeat famulorum domesticorum vestitus:" Sericum, aurum & „ argentum, colorúmq; varietatem omninò excludentes „ nigrum tantummodò vel fuscum colorem in vestibus „ adhibeant. Quibus scissis, aut prætextis ad elegantiam „ non utantur. Calcei inaniter non incidantur. Non sint „ turgidæ caligæ, non virgatæ, non sectæ; aut acupictæ: „ sed simplices unius coloris ac generis. Deniq; talis sit „ domesticorum omnium vestitus, ut ex eo etiam „ appareat, illos esse ministros ministrorum „ Dei.

XVII. Et ne hæc ad solos Episcopos spectare crederentur, exemplo Patrum Tridentinorum subjicit *capit.* 23." Quæcúmque autem de Episcoporum mensa „ ejúsque benedictione & cibis, lectione & gratiarum actione

„ actione, supellectile, auro, argento & serico, cubiculorum apparatu, ædificiorum magnificentia, supervacaneis sumptibus, privatâ moderatione, templorum „ cultu & ornamento, familiæ cura & institutione, ejusque vestibus, eorumve modo, colore & ornamentis, è „ quorum numero, &, si quæ alia decreta sunt, quæ non „ sint Episcoporum tantùm propria, eadem à *Clericis* „ *quibuscumque* cujusvis conditionis, ordinis & dignitatis sint, accuratè servari jubemus: etiamsi in alienis ædibus, aut cum propinquis habitent.

„ Meminerint autem in quibusdam, quæ Episcopis „ permulta, ipsis communia esse possunt, eò majorem sibi „ moderationem adhibendam esse, quò dignitatis gradu „ Episcopis sunt inferiores.

XVIII. Rursus in Concilio IV. Mediolanensi *parte 3. cap. 7.* inter alia monita, hoc dat iis qui uberiores reditus Ecclesiasticos habent: "Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula conjectis, captivis: quibus egentibus, & esurientibus cùm subvenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ „ charitatis rei estis in conspectu Domini.

„ Memores estote ejus, quod à sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua Fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes „ pervenirent.

„ Vos item alii, quicumque estis, quorum fidei Christi „ patrimonium propriè ad divini cultûs, pauperumque „ usum commissum est, cavete ne ambitione, aut cupiditate prolapsi in alium, quàm cui addictum est, convertatis; idque propterea sacrilegii rei, damnationem „ æternam subeatis.

XIX. Descriptam Episcoporum moderationem & frugalitatem in supellectile, mensa & familia sub idem ferè tempus expresserat Conciliū Toletanum an. 1564. *Act. 2. c. 3.* hortaturque: "Sint memores Episcopi Divinam Majestatem non leviter offendi, dum non paucis pauperibus, qui ob egestatem & famem vitæ periculum experiuntur & expectant, ex his subveniri posset, quæ mensis Episcoporum contra indictam à Canonibus frugalitatem maxima cum ignominia veri „ splendoris apponuntur.

XX. " Ut altari servientes de altari vivere debent: ita „ quoq; omnibus & singulis beneficia Ecclesiastica tam „ sæcularia, quàm regularia obtinentibus sæpe recogitandum est (ait Synodus D. Mechliniensis *tit. 17. c. 11.*) „ quòd quæcumque ultra *honestam* sustentationem ipsis „ supersunt, non ad ditandos amicos, vel alios profanos „ usus, expendi possint, sed *pauperibus* distribui, aut in alias pias causas erogari debeant.

XXI. Infinitæ propemodum sunt Patrum & Synodorum exhortationes & præcepta, quibus hæc Episcopis & omnibus generatim Ecclesiasticis bona Ecclesiastica possidentibus inculcantur, & præcipiuntur. Sed cum Bernardo luxum Prælatorum declamante *Serm. 77. in Cant.* dicere forsan possem: "Sine causâ vel his „ vel illis immoramur, qua non audiunt nos. Sed & si „ litteris forsitan mandentur ista quæ dicimus, de dignabuntur legere: aut si fortè legerint; mihi indignabuntur, quamvis rectiùs sibi hoc fecerint.

XXII. Et quare inter Ecclesiæ Prælatos, qui & Ecclesiæ sponsi sunt, pauci hæc audire, & pauciores facere volunt? Audi Bernardum: "Pauci admodum sunt, „ qui non quæ sua sunt quærunt, ex omnibus caris ejus." Adde quòd pauci sint, qui attendunt & ruminant, suisque cordibus insculptum habent, se non ad propria commoda; non ad divitias aut luxum; sed ad labores & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse; quemadmodùm loquitur Synodus Tridentina in principio citati Decreti; optatque, " ut ii qui Episcopale ministerium suscipiunt, quæ suæ sint partes agnoscant.

XXIII. Sed videor audire Prælatos, aliosve optima beneficia possidentes: si in familia nostra, supellectile, mensâ, ac totius vitæ exteriori apparatu, omnia simplicitatem, ac mundi ac pomparum ejus contemptum præferant, ipsa Prælatorum dignitas, & auctoritas in vilipendium adducetur; nullusque apud populum, præsertim divites & nobiles, erit illorum respectus, nulla veneratio.

XXIV. Hunc Prælatorum prætextum, quo plerique luxum & superfluitatem justificatam putant, jam præscidit Concilium Carthaginense IV. *Can. 16.* quem expressè renovat Synodus Trid. in allegato Decreto. Verba Canonis sunt: " Episcopus *vilem* supellectilem, & „ mensam, ac victum *pauperem* habeat, & dignitatis suæ „ *auctoritatem, fide & vita meritis* quærat." Apud Gratianum *Dist. 41. can. 7.*

Non ergo luxu & mundi pompis & vanitatibus, auctoritatem Episcopalem quærendam judicant Patres Carthaginenses, sed *fide & vita meritis*. Similiter & Synodus Tridentina hunc Canonem innovans.

XXV. Synodus quoque Toletana supra citata, postquam præscripsit frugalitatem in mensa Episcopali esse servandam, removet hunc vulgarem prætextum dicens: " Episcoporum siquidem auctoritas non his deliciis, vanisque splendoribus, sed fide ac vitæ meritis quærenda est.

Similiter S. Carolus quasi in ipso limine supra citatorum Decretorum, hunc prætextum prævertens ait: " Episcopus non profano ornatu aut apparatu, sed fidei & „ vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debet.

XXVI. Et sanè quo præcipuè auctoritas Episcoporū & Pastorum & omnium Ministrorum Ecclesiæ tendere debet, nisi ut populus ad mundi contemptum, & Christi pauperis amorem excitari & adduci queat? Dubitandum autem non est, uti monet Synodus Tridentina in eodem Decreto, " & fideles reliquos ad religionem innocentiamque faciliùs inflammandos, si Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed animarum salutem, „ ac cælestem patriam cogitantes.

XXVII. Post hæc admonet Episcopos omnes, "ut secum ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se muneri suo conformes ostendant." His immediatè subjicit quæ supra ex ipso Decreto de modestia, & frugalitate servanda retulimus.

Nequaquam igitur credidêre Patres Tridentini, Episcopos vanitates & pompas; aut fastum mundi sectando, auctoritatem suam conciliare, aut exemplum populo dare debere; sed contra horum omnium contemptu, se muneri conformes ostendere.

XXVIII. Hæc ipsa Synodus Tridentina, quæ tamen eodem tempore & eadem sessione *cap. 17.* quibus hoc Decretum publicavit, unà declaravit, " se non posse „ non graviter dolere, audiens Episcopos aliquos, sui „ status oblitos, Pontificiam dignitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum ministris, Regulis, & Baronibus, in Ecclesia & extra, indecenti quadam dimissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam „ personaliter illis inserviunt. Quare, hæc & similia detestans sancta Synodus, sacros Canones omnes, Conciliaque generalia atque alias Apostolicas sanctiones „ ad dignitatis Episcopalis decorem, & gravitatem pertinentes renovando, præcipit ut ab hujusmodi in posterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, ut „ tam in Ecclesia quàm foris suum gradum & Ordinem „ præ oculis habentes, ubique se Patres & Pastores esse „ meminerint; reliquis verò tam Principibus, quàm „ cæteris omnibus, ut eos paterno honore ac debita reverentia prosequantur.

Conservandam ergo in omnibus dignitatem Episcopalem agnovit Synodus, at non mundi fastu, & sæculi vanitate; sed horum contemptu, & vitæ meritis. Unde non malè expressum est Rubrum citati *cap.* 17. his verbis: *Episcopi dignitatem suam* MORUM GRAVITATE *commendent.*

XXIX. Profectò si Episcoporum & Prælatorum esset, mundum & ea quæ in mundo sunt, verbo & exemplo prædicare, & Fidelibus persuadere, tunc auctoritatem & dignitatem suam etiam quæ mundi sunt sectando, meritò commendarent, & in toto vitæ suæ genere mundum ostentarent: At cum Episcoporum, Pastorum, omniumque Ecclesiasticorum sit, mundum & ea quæ in mundo sunt, verbis & factis debellare; atque horum vanitatem & contemptum fidelibus efficaciter persuadere; necesse est, ut hoc quod verba prædicant, facta & exempla persuadeant: videantque Fideles elucere in Episcopis & Pastoribus, quod imitentur. Verissimum enim est, quod dixit Synodus Tridentina *sess.* 22. *cap.* 1. *De Reformat.* " Nihil est quod „ alios magis ad pietatem & Dei cultum assiduè instruat, „ quam eorum vita & exemplum, qui se divino mini„sterio dedicarunt. Cum enim à rebus sæculi in altio„rem sublati locum conspiciantur; in eos tamquam in „ speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt „ quod imitentur.

XXX. Unde Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 16. *cap.* 1. præcipiens Episcopis conformiter ad Decretum Synodi Tridentinæ, ut eam moderationem & humilitatem in omnibus servent, ut nihil in eorum supellectile, mensâ, victu ac reliquo vitæ genere appareat, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat; ; rationem præmisit: " Quantò sub„ limior est Episcopalis dignitas, tantò etiam purior ac „ sanctior debet esse ipsorum vita.

XXXI. Hæc aliaque, quibus hic vanus Ecclesiasticorum prætextus insumendi proventus Ecclesiæ sive patrimonium pauperum in vanitates, & luxum detegitur, latiùs deduxit ac prætextus hujus absurditatem solidissimè refutavit, nominatissimus ille Bracarensium Archi-Præsul Bartholomæus De Martyribus, qui tanta cum gloria, & omnium admiratione Synodo Tridentinæ institit, & hujus Decreti præcipuus auctor & suasor fuisse scribitur in ejus vita nuper Gallicè edita *lib.* 2. *cap.* 13. ubi & refertur ejusdem discursus, quo Patres Tridentinos ad publicationem Decreti movit.

XXXII. Hic mox ut ad Archi-Episcopatum Bracarensem fuit promotus, cœpit omnia, quæ aliquem fastum mundi præferebant, è sua familia & supellectile ablegare; omniaque ad summam simplicitatem redigere, uti latiùs exponitur *lib.* 1. *cap.* 11. quæ simplicitas tanta erat, ut à nonnullis, præsertim Nobilibus & Aulicis, carperentur, atque ipsum Archi-Episcopum propterea in odium populi malitiosè adducerent.

XXXVIII. Hæc advertens Ludovicus Granatensis Ordinis Prædicatorum tunc Provincialis, Vir à pietate & doctrina notissimus, & cujus consilio & opera Bartholomæus potissimum ad Archiepiscopatum nominatus fuerat, unà cum alio ex eodem Ordine Episcopo, Bartholomæo persuadere voluit, ut aliquid de externa illa in supellectile, mensâ & familia simplicitate dimitteret, atque ad Archiepiscopos conversus Granatensis dixit se optare, ut paulisper consideraret, " se esse Ar„chiepiscopum, & quidem Bracarensem; ideoque ser„ vanda ei esset aliqua honestas ad sustentandam digni„ tatem Archiepiscopalem, esset quidem alienus, ut „ ipsum ad luxum incitaret. Quod unà cum ipso con„ demnaret Prælatos illos, qui apparent potiùs Provin„ ciarum Gubernatores, quàm Apostolorum Successo„ res; & qui per superbum illum apparatum, quo cin„ guntur, videntur fastum & pompam mundi velle in„ troducere usque ad ipsum altare. Sed sibi esse atten„ dendum, nequaquam nos amplius esse temporibus „ illorum Sanctorum, quorum paupertas miraculis ful„ ciebatur. Fideles hodie factos infirmiores. Hos „ posse indigere aliquibus, qui sensus externos perstrin„ gant, ut Episcopis omnem debitam venerationem ex„ hibeant.

XXXIV. Postquam has rationes Granatensis summâ attentione audivisset Archiepiscopus; mox utrumque cum modestia juncta gravitate respiciens, respondit: „ Pro vestro in me affectu me vobis devinctissimū agno„ sco: ipseque Deus novit, me hunc in me vestrum af„ fectum præcipuis gratiis à Deo mihi præstitis annume„ rare. At mihi indulgeri peto, si vobis ingenuè dicam, „ me paulisper hærere attonitum, videre illos, per quos „ sperabam intelligere vocem Dei, mihi tam humano „ modo loquentes: & qui me ad majorem in functioni„ bus ministerii mei exactitudinem incitare deberent, me „ ad remissionem & relaxationem excitent. Quæ à vo„ bis dicta sunt, in Aula Regia dici haud miror. At id „ dumtaxat admiror, aulicos, Religiosos & Episcopos hic „ in eamdem sententiam convenire; virosque tam san„ ctos & venerandos se hujusmodi causæ statuere de„ fensores. Mundus queritur, ædes meas ac familiam „ magnificas non esse; neque Archiepiscopi Bracarensis „ splendorem non exhibere. Hæc dictio digna est pro„ latoribus suis. Sed num ideò Dei minister dignitatem „ suam eorū pervicaciæ debet subjicere, & regulas suas, „ ut se eorum opinioni conformet, derelinquere? An illi „ sancti, de quibus tamquam capitibus & principibus „ gloriatur Ecclesia, S. Nicolaus, S. Basilius, S. Chryso„ stomus ac nominatim Magnus S. Martinus, cujus pau„ pertas & liberalitas veræ Apostolicæ fuerunt, ignora„ bantne, mundum quidquid est splendoris revereri, & „ humanam existimationem magnificentiâ humanâ sibi „ se posse comparare? Hoc procul dubio sciebant, sed „ ajebant sicut S. Paulus: *An quæro hominibus placere? Si „ hominibus placerem, Christi servus non essem.* Arbitra„ bantur se melius, non posse fungi munere evangeli„ zandi humilitatem & paupertatem Christi, quam se „ pauperes faciendo ad prædicandū Deum pauperem. „ Quid ex eo tempore factum, quod eorum agendi ra„ tionem suspectam aut contemptibilem efficere potuit; „ & quis eos imitari nobis inhibet? An hodiernæ homi„ num irrisiones? Eos etiam irriserunt. Sicuti igitur ipsi „ mundi irrisionem contempserunt, ita & nostrum est „ contemnere. Non existimo vos contendere, illam a„ gendi rationem, tamquam in ipsis extraordinariam „ habendam esse, adeoque parum imitandam, quan„ doquidem noveritis, quid Ecclesia nobis præscripse„ rit hoc expresso Decreto quarti Concilii Carthagi„ nensis: *Episcopus vilem supellectilem, & mensam ac „ victum pauperem habeat & dignitatis suæ authorita„ tem fide & vita meritis quærat.* En Spiritum Sanctum „ ore universæ Ecclesiæ Africanæ nobis loquentem. „ Nunc ergo judices & consiliarios meos vos assumo. „ Sanctus Spiritus mihi, quatenus Episcopo decernit „ habere *supellectilem & mensam pauperem*; mundus „ econtra, paupertatem fugere me adhortatur, & in his „ omnibus splendorem quærere: uti deferre suadetis mi„ hi? Mundus contendit justificare, imò & sanctificare „ istam quam nobis inspirat opinionē dicendo, magni„ ficentiam ad fulciendam dignitatem Episcopalem esse „ necessariam: è contrario Spiritus Sanctus nos docet, „ Episcopum per illam *paupertatem* Apostolicam se ma„ gis *commendabilem* redditurū: non enim exterior ille „ fastus, *sed vita sanctitas* hominum cordibus honorem „ & venerationem ipsi debitam imprimere debet. Ec„ ce regula nostra. Si quatenus religiosus statuta or„ dinis nostri servare conatus sim; modò ut Episcopus, „ regulam ab Ecclesia Episcopis præscriptam servare debeo,

zed by Go

„debeo. Ideoque, quæso, vobis persuasum sit, me omnis istius exterioris fastus hostem esse non tantùm „quia religiosus sum. Fui in religione *pauper* qualis fuit „S. Joannes omnium religiosorum exemplar; jam verò in Episcopatu *pauper* esse debeo, veluti Jesus Christus Evangelium annuntians, veluti Apostoli, & magni „Episcopi successores eorum, & veluti Prælatis omnibus mandat Ecclesia. Unde etiamsi Deus ex clero, non „autem ex religioso ordine me elegisset ad eam dignitatem, ad quam ipsi placuit me assumere, non eandem „vestem religiosam tulissem, sed credidissem, eamdem „circa familiam instituendam & proventus dispensandos esse tenendã regulam; & similiter quidquid mundus obloqui potuisset, despexissem. Quis enim in Ecclesia, si non Episcopi, in servandis inviolatè ejus decretis constans erit? Anxii ergo ne sitis, inveniendi medium aliquod, quo hominibus satisfaciatis. Mundus „& Deus consociari non possunt. Deus namque nobis „prohibet, quidquid mundus jubet. Si splendori domus „meæ prospicere velim, necessariò de *alimentis* pauperum aliquid resecandum est. Numquid adeo immisericors esse potero, ut panem ex ore fame confectorum „adimam, quo mensa mea ferculis bene sit instructa? „Numquid tam duro corde ero, ut membra Christi in „maximo frigore denudem, quò vestiam & ornem muros inanimes? Siccine prudentem & indulgenté oportet me esse? Deus à me tam cæcam prudentiam, & tam „credulam indulgentiam avertat. Facultates meæ, *Pauperum* sunt, & non meæ; eos tamquam filios meos diligere teneor, eosque venerari tamquam qui semel futuri sint mei judices. Illos contristari plus vereor, quàm „divitibus comprobari. Deus avertat, ne rem tam vilem, qualis est vana hominum opinio, pretio lachrymarum & sanguinis pauperum emam. Si post hanc „nostram agendi rationem despiciat mundus, ipsius despectus nostrum gaudium, & gloria nostra esse debet, „ac dicere nos oportet cum S. Paulino *Epist.* 29. *O* „*Beata injuria, displicere cum Christo! magis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur.*

Hic Archiepiscopi discursus plenus vigore, & unctione Spiritus Sancti, ita penetravit corda audientium, ut ipsa veritate victi, non quid replicarent; sed quomodo suum nimis humanum loquendi & agendi modum excusarent essent anxii; palam fatentes, se in Bartholomæo & sanctitatem & constantiam mirari; dicebatque Granatensis, se jam amplius & certius intelligere quàm meritò ipse ad Archiepiscopatum promotus fuerit. Utinam omnes Prælati, qui hunc discursum sunt lecturi, habeant similes aures ad audiendum, & corda ad intelligendum.

Hic totus Archiepiscopi discursus, aliaque ex occasione dicta referuntur in ejus vita gallicè scripta *lib.* 2. *cap.* 20.

XXXV. Si Episcopi, Prælati ac reliqui beneficiati è Clero sæculari eam moderationem & frugalitatem in omnibus servare debeant; quantò magis Regulares, qui speciali professione ad paupertatem servandam adstringuntur; & quorum professio specialem mundi ejusque pomparum contemptum exigit; ut *parte* 1. *tit.* 29. *cap.* 8. & *tit.* 31. *cap.* 5. dictum est; his addi potest epistola 102. Petri Blesensis, in qua narrat, quid Sanctus quidã Abbas de excessu in mensis Abbatum dixerit; & postquam sumptus illos graphicè descripsit tandem concludit: "Hæc omnia judicabit, cujus judicia occulta „sunt, & ideo magis timenda. Sumptus tam detestabiles & enormes, non labore aut patrimonio nostro fiunt „sed de eleëmosynis fidelium, de oblationibus atque „decimis, de tributis egentium animarum, de exactionibus & oppressionibus pauperum, de obventionibus „etiam placitorum. Qui in sudore vultus pane nostro „vesci debemus, labores miserorum nobis usurpamus „ad delicias, atque in crapula & ebrietate sudorem bibimus alienum.

Epistolæ hujus magnam partem exscripsit Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones *pag.* 195. addens: "Episcopis, Abbatibus, Canonicis aliisque decimas „possidentibus, legenda est tota Epistola.

CAPUT V.

An Clerici divites Patrimonio, possint reservatis proventibus Patrimonii, ex bonis Ecclesiæ vivere?

1. *Certum quod dives patrimonio, possit habere beneficium, & proventus beneficio annexos recipere.*
2. *Potest etiam proventus beneficio annexos tamquam debitos exigere.*
3. *Indubitatum est quod Ministri non possint suum ministerium impendere* ut sustentationem accipiant.
4. *Non dubium, quin dives patrimonio possit beneficium retinere.*
5. *Proponitur status quæstionis.*
6. *Omnes Beneficiati debent Officium* gratis *impendere ad sensum hujus sententiæ* : gratis accepistis, gratis date.
7. *Quomodo hoc præstent, qui necessaria à populo accipiunt.*
8. *Non videtur ita* gratis *præstare, qui dives Patrimonio, ex proventibus Ecclesiasticis sua* necessaria *prætendit.*
9. *Viduæ quæ divites propinquos habebant, ex sententia Apostoli ab Ecclesia sustentandæ non erant; ne gravaretur Ecclesia.*
10. *Hinc concluditur, nec Clericum* divitem *illicitè sua necessaria ab Ecclesia accipere.*
11. *Clericus dives necessaria ex bonis Ecclesiasticis accipiens* pauperes *defraudare non censetur.*
12. *Censet Augustinus bona Ecclesiastica esse* pauperum, *quando Ministri aliunde sufficienter habent.*
13. *Quod de Episcopis dixit Augustinus, de omnibus beneficiatis dixit Dionysius Carthusianus.*
14. *Beneficiatus Dives patrimonio, debet reditus Ecclesiasticos administrare, ut* pauperum *procurator.*
15. *Canones non permittunt Episcopis necessaria ex proventibus Ecclesiasticis nisi sub conditione,* si indigeant.
16 *Idem magis militat in aliis Ecclesiæ Ministris.*
17. *Conditio* si indiget *non respicit Episcopum, qui ultra necessaria accipit ex proventibus Ecclesiasticis.*
18. *Canones hæc statuunt juxta naturam bonorum Ecclesiasticorum.*
19. *Post divisionem bonorum Ecclesiæ eadem Canonum sententia perseveravit.*
20. *Gratianus ex Canonum sententia ita conclusit.*
21. *Videntur primùm Scholastici contrariam sententiam docere cœpisse.*
22. *Probatur ex Dionysio Carthusiano.*
23. *Securius statur dictis SS. Patrum, quàm Scholasticorum.*
24. *Scholastici nimis carnaliter & litteraliter videntur intellexisse verba Apostoli* : Quis militat suis stipendiis umquam? &c.
25. *Unicè ferè pro sua sententia proferunt hunc textum Apostoli.*
26. *Apostolus non vult Clericis deberi stipendium ut mercedem* operis.
27. *Totus Apostoli discursus tantùm vult,* alimenta *Christi ministris deberi.*
28. *Responsum Adriani VI. ad textum Apostoli.*

29. *Christus dixit Apostolis deberi* cibum *quando eos misit destitutos mediis temporalibus.*

30. *Qua ratione ex sententia Cardinalis Bellarmini utraque opinio conciliari possit.*

31. *Conciliandi ratio non displicet.*

I. PRo clariore hujus quæstionis resolutione & intellectu prænotandum imprimis, hic quæstionem non esse, num possidens sufficiens patrimonium possit habere beneficium Ecclesiasticum; & jus colligendi & exigendi fructus vel proventus beneficio sive titulo Ecclesiastico annexos. Nemo quippe dubitat, aut fundatè dubitare potest, quin Ecclesia admittere velit habentes patrimonium ad munia Ecclesiastica, quibus obeundis nonnumquam magis conveniunt, quàm pauperes; aut jus percipiendi proventus certis titulis ex Ecclesiæ aut Fundatorum ordinatione annexum à titulis separare, eo solo titulo quod titulis illis præficiantur divites patrimonio: præsertim cum Ecclesiæ sæpè sit ignotum, qui patrimonio sint sufficientes; & in singulorum facultates inquirere, & familiarum singularum statum & rationes discutere à se alienum credit.

Cùm enim juxta disciplinam ab octo circiter sæculis exortam, & sensim stabilitam ac receptam singulis titulis certi proventus sint annexi, illos Ecclesia singulorum titulorum possessoribus relinquit, ipsorum fidei & conscientiæ permittens, ut eos dispensent & administrent; iisque etiam utantur juxta naturam & conditionem illorum proventuum, & dispensationis & usus rationem reddere queant ei, cui primariò *res* Ecclesiæ oblatæ sunt; & unde *res Dei* vocantur, uti latiùs exposui in Dissertatione Canonica De Instituto Canonicorum *parte 2. cap. 5. §. 10.*

II. Similiter nemo dubitat, Ministros Ecclesiæ habere potestatem de altari vivendi; dignumque esse *operarium mercede sua vel cibo suo*; eique temporalem sustentationem à populo deberi, neque jura beneficio annexa negari posse, hoc solo titulo quod beneficiatus dives sit ex patrimonio. Hoc ipso enim quo beneficium possidet, etiam jus recipiendi annexos proventus adipiscitur; nec illud ei Ecclesia ob possessas aliunde divitias, adimit; sed dumtaxat præscribit, ut ea juxta offerentium intentionem, & regulas Ecclesiasticas tamquam res Deo oblatas dispenset, iisque ut *patrimonio pauperum* utatur.

III. Illud quoque indubitatum est, quod licet Operarius sive Minister Ecclesiæ jus habeat ad sustentationem accipiendam à populo nequaquam tamen Evangelizare, sive Ecclesiæ ministrare possit, *ut manducet*, vel ut sustentationem accipiat; sed manducare, & sustentationem accipere, ut Evangelizare & Ecclesiæ servire valeat, ita ut absolutè intendat *gratis* evangelizare & servire Ecclesiæ: & non nisi ut id facere possit, sustentationem vel cibum accipere velit, uti latiùs supra *capit. 2.* exposui.

IV. Nec illud in quæstionem trahendum, num quis patrimonium unà cum beneficio retinere queat; liciteq; proventus annuos utriusque recipere; & ex omnibus honestam sustentationem sumere, & superfluum in pauperes aut pios usus impendere.

V. Illud unum quæritur, num dives patrimonio possit ex proventibus Ecclesiæ sua necessaria accipere, parcendo proventibus patrimonii, eosque augendo, parentibus & consanguineis non pauperibus relinquendo, aut in alios profanos usus impendendo.

VI. Imprimis certum est, quod omnes Beneficiati tamquam Ecclesiæ ministri, teneantur ministerium hoc spirituale populo & Ecclesiæ exhibere *gratis*, ad sensum illius præcepti: *gratis accepistis, gratis date.*

VII. Huic præcepto non contraveniunt Ministri & Operarii Ecclesiæ, qui unde vivant non habentes, ex proventibus Ecclesiasticis accipiunt, unde vivant, & ita *gratis* Ecclesiæ servire queant; & consequenter quos ad accipiendum cogit *vivendi necessitas, non habendi cupiditas*; uti post S. Julianum Pomerium loquitur Synodus Aquisgranensis anno 816. *Can.* 107. hi enim *gratis* serviunt, & accipiunt sustentationem " *necessitatis* à populo, non quasi *mercedem operis*, quod populo *ex charitate* impendunt, sed tamquam stipendium, quo, ut „ possint laborare, pascantur," ait August.

VIII. Porro qui patrimonio dives est, nequaquam potest dici sustentationem *necessitatis* accipere à populo; aut tamquam stipendium, quo, ut possit laborare, pascatur; neque hunc ad accipiendum *cogit vivendi necessitas*; quandoquidem ex patrimonio ei aliunde provisum sit; *sed potiùs habendi cupiditas*. Neque talis videtur accipere, ut *gratis* Evangelizare queat, sed potiùs, *ne censum patrimonialem expensis quotidianis minuat*; uti eodem loco monet Synodus Aquisgranensis.

IX. Apostolus monet, 1. *ad Timoth.* 5. ✝. 16. *Si quis fidelis habet viduas, subministret illis*, scilicet necessaria ad vivendum. Rationem subjicit: *& non gravetur Ecclesia*, scilicet earum alimoniis: *Ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat*; nimirum Ecclesia ✝ *Sufficiat*, inquam, providere illis quæ *verè viduæ sunt*: id est, quæ desolatæ & destitutæ sunt humanis subsidiis, quemadmodum eodem loco exposuit Apostolus. Tales autem non sunt ad mentem Apostoli, quamdiu propinquos aut amicos habent, à quibus sustententur.

X. Ita Estius hic; qui & subdit: " Locus hic notari „ potest adversus eos, qui cum de *suo satis* habeant unde „ vivant, Ecclesiasticis beneficiis impinguantur; aut qui „ uno beneficio, quod ad honestam sustentationem va„ leat, non contenti plura accumulant. Nam si fidelis ha„ bens viduas, subministrare illis jubetur, ut iis quæ verè „ viduæ sunt alendis, Ecclesia sufficiat: quanto magis, „ qui vel *patrimonium*, vel unum habent Ecclesiasti„ cum beneficium, ex quo sufficienter ali possint, absti„ nere debent à gravanda Ecclesia, quo plures ministros „ alere queat, per quos divina celebrentur officia, & „ Christiani populi salus procuretur.

XI. Unde & Synodus Aquisgranensis citato *Canone* 107, ait: " Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid „ volunt, sine grandi peccato suo, unde *pauper* victurus „ erat, accipiunt. De Clericis quidem Spiritus Sanct. di„ cit: *Peccata populi mei comedunt.* Sed sicut nihil ha„ bentes proprium, non peccata, sed *alimenta*, quibus „ indigere videntur, accipiunt: ita possessores non ali„ menta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt." " Plura eam in rem habet citatus Canon, quibus verifi„ cetur Rubrica ejusdem Canonis: " Cum quo damno „ animæ suæ ab Ecclesia quæ pauperes pascit, accipiunt „ illi, qui sibi de *suo* sufficiunt.

XII. Quid aliud voluit S. Augustinus, ubi respondens Donatistis calumniantibus Episcopos Catholicos, quasi persecutionem in ipsos moverent, ut bona Ecclesiarum soli haberent, hæc scribit: " Quæ tamen (bona Eccle„ siarum) si pauperum compauperes sumus, & nostra „ sunt, & illorum: si autem *privatim*, quæ nobis *sufficiunt*, „ possidemus, non sunt illa nostra, sed *pauperum*, quo„ rum procurationem quodammodo gerimus, *non pro„ prietatem* nobis usurpatione damnabili vindicamus." *Epist.* 185. ad Bonifacium ultimæ edit. & apud Gratianum *Caus.* 23. *q.* 7. *Can.* 3.

Credidit ergo Augustinus, bona Ecclesiarum esse *pauperum*, & etiam Episcoporum, si & ipsi *compauperes* sint. Sin autem pauperes non sint, sed *privatim*, quæ sufficiant, possident, esse non Episcoporum, sed *pauperum*, quorum procurationem quodammodò gerunt.

XIII. Quod de Episcopis sui temporis dixit Augustinus,

nus, id de omnibus Beneficiatis postmodum pronuntiavit Dionysius Carthusianus in Tractatu contra pluralitatem Benef. *art.* 14. Bona Ecclesiæ, inquit, sunt stipen„dia ministrorum ejus indigentium hujusmodi bonis, „quod si eis non egeant, non sunt capaces talium bono„rum *ad proprium usum. Verumtamen serviendo Eccle„siæ faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea indigentibus „piè dispensent, non ut sibi thesaurizent, possideant, & im„moderatè seu absq; necessitate & indigentia assumant.*

XIV. Et Adrianus VI. probans sententiam Alexandri De Hales, quòd Clericus habens *sufficiens* stipendium vel reditum unde possit aliter, quàm decimis sustentari sufficienter & secundum statum personæ, non possit eas in usus proprios convertere, addit, " quod habenti suf„ficiens patrimonium, si fructus vel proventus patri„monii servat *pio operi* licet de bonis Ecclesiæ vivere, „aliàs non: sed quidquid proventuum Ecclesiæ susci„pitur, tenetur quasi *pauperum & Ecclesiæ procurator* in „eorum utilitatem convertere, aut servare.

XV. His congruit, quod legitur in *Canone* 41. vulgò Apostolorum: " Præcipimus, ut in potestate sua E„piscopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ homi„num pretiosæ illi sunt creditæ, multò magis oportet „eum curam pecuniarum gerere, ita ut potestate ejus „*indigentibus* omnia dispensentur per Presbyteros & „Diaconos, & cum timore omnique solicitudine mi„nistrentur.

Ecce Episcopus bonorum Ecclesiæ moderator constituitur; sed ut per Presbyteros & Diaconos, *ea omnia* auctoritate ejus *indigentibus* (vel ut alia lectio habet, iis *qui egent*) ministrentur. An ergo ipsi Episcopi nihil in suos usus, tamquam Ecclesiæ operarii sumere possunt? Imò verò, si scilicet ipsi *pauperum compauperes*. Addit enim Canon: " Ex iis autem, quibus *indiget, si tamen indiget*, „ad suas *necessitates*, & peregrinorum fratrum usus ipse „percipiat." Sive ut vertit ex græco Gentianus Hervetus: " Et etiam *si sit opus, in necessarium* suum usum ac„cipere, & fratrum qui hospitio excipiuntur.

Eadem leguntur in Canone 25. Antiocheno; referun„turque Canones apud Gratianum *Caus.* 12. *quæst.* 1. *can.* 22. 23. & 24.

XVI. Si Episcopi primarii Ecclesiæ ministri & vineæ Dominicæ excultores, debeant bona Ecclesiæ ut pauperum procuratores *indigentibus* dispensare; neque de iis participare, etiam ad *suas necessitates* sive *necessarium usum*, nisi revera ipsi *indigeant*, quo titulo inferiores ministri, sibi majus jus in bona Ecclesiæ attribuent?

XVII. Ex verbis quoque Canonis manifestum est, hanc conditionem, *si tamen indigent* non adjici propter Episcopos, qui fortè ultra *indigentiam* ex bonis Ecclesiæ sumerent; quandoquidem expressè dicat, quod tum demum in *suas necessitates* sive *necessarium suum usum* capere possit Episcopus, *si indigeat*: ergo *si non indiget*, nequidem in suas *necessitates* seu *necessarium suum usum* capere permittitur.

XVIII. Non obscurum quoque est, id quod circa dispensationem, & usum bonorum Ecclesiæ in favorem pauperum hisce Canonibus dicitur, ex bonorum Ecclesiasticorum natura seu conditione desumi; utpote quæ ut bona pauperum administrari oporteat.

XIX. Non mirum proinde, si & post factam bonorum Ecclesiasticorum aliqualem in quatuor portiones divisionem; quin & post erectionem beneficiorum manserit dispensandi obligatio: quia, ut cap. sequenti ostendemus, divisio bonorum Ecclesiæ non ipsam bonorum conditionem aut naturam, sed exteriorem dumtaxat dispensationis normam aliquatenus immutavit.

XX. Quapropter Gratianus noster, qui Decretum suum compilavit post factam & stabilitam bonorum Ecclesiæ divisionem, relatis dictis SS. Patrum, qui dicunt, quod qui sumptibus propriis sustentari potest, ab Ecclesia stipendia accipere nequeat, subjungit: " Verum „his authoritatibus, inquit, prohibentur ab Ecclesia „suscipi, non illi qui quondam fuerunt divites, postea „verò omnia reliquerunt, ut Petrus & Matthæus & „Paulus; aut pauperibus distribuerunt ut Zachæus; aut „Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi qui prædia sua „vendentes ponebant pretia ante pedes Apostol. ut es„sent omnia communia: *sed illi qui in domibus paren„tum residentes vel sua relinquere nolentes Ecclesiasticis „facultatibus pasci desiderant.*

Sine ulla hæsitatione igitur sæculo XII. credidit Gratianus, auctoritate Canonum & SS. Patrum inhibitum esse, ut illi qui *sua* nolebant dimittere, de facultatibus Ecclesiasticis pascerentur.

XXI. Et revera tanta apparet in Canonibus & dictis SS. Patrum pro hac sententia evidentia, ut credibile non sit, contrariam sententiam ab aliquo assertam fuisse, nisi postquam sæculo duodecimo intrarunt Doctores Scholastici, quorum plures magis proprio judicio & rationi naturali quàm Canonum & Patrum auctoritati innitentes, eam opinionem sustinere cœperunt.

XXII. Hoc non obscurè tradit Dionysius Carthusianus in Tractatu De vita Canonicorum *art.* 24.

Hîc propositâ quæstione, " An Canonici & ministri „Ecclesiæ, qui de suo *Patrimonio* possunt se sustentare, „licitè convertant in usus suos bona Ecclesiæ: " priusquam ad resolutionem quæstionis descendat, præmittit: " Securius ac salubrius creditur, ac paretur dictis Sancto„rum, per quos loquutus est Spiritus Dei, quàm *Schola„sticorum* quorumdam, qui suo magis, quàm expedit, „credunt & nituntur ingenio, auctoritatem Sanctorum „ad suam retorquentes opinionem.

XXIII. " Quamvis ergo, (concludit posthæc) de pro„posita quæstione quidam dicant *Scholastici*, posse id li„citè fieri, consultius tamen credendum & standum est „verbis Hieronymi & Bernardi, imò & summi Pontifi„cis, Beatique Prosperi. Ait enim Damasus Papa: *qui „bonis parentum sustentari possunt, si accipiant quod pau„perum est, Sacrilegium incurrunt.*

Huic Damasi dicto, SS. Hieronymi, Prosperi & Bernardi sententiis subjunctis, concludit; *horum itaque Patrum sententiis statur securiùs, quàm aliorum aliter opinantium.*

XXIV. Hi Doctores Scholastici nimis carnaliter, & mercenariè considerasse videntur, hæc Apostoli verba: *Quis militat suis stipendiis umquam? Quis plantat vineam & de fructu ejus non edit &c.* Quasi his indicatum voluisset Apostolus, non secus deberi Clericis stipendiū, aut mercedem, quàm militibus militiæ sæcularis, aut excultoribus vineæ, aliisque operariis suarum operarum mercedem: non propter eorum *indigentiam*, sed propter operas & labores præstitos.

XXV. Unde unicum penè hoc argumentum in hujus opinionis assertionem adferri videmus.

Et quidem Prosper Fagnanus, novissimè hanc sententiam amplexus, ad *Cap.* SI QUIS SANE 3. *De Peculio Clericorum*, relatis nonnullis recentiorum Canonistarum pro hac sententia auctoritatibus subdit *num.* 7. Idem ratio suadet divinis oraculis innixa; decet enim, ut qui altari servit, de altari vivat, cùm nemo militet stipendiis suis 1. *ad Corinth.* 9. & *dignus est operarius mercede sua*, nec denario fraudari debent, in vinea operantes; additis aliis textibus qui probant, Clericis laborantibus stipendia & mercedem deberi.

XXVI. Verùm uti rectè advertit doctissimus Pauli Interpres Guilielmus Estius 1. *ad Tim.* 5. ꝟ. 18. " neque si„gnificat Apostolus hac parte, subsidium temporale ha„bere rationem *mercedis*, quam Prædicator Evangeli„cus pro labore & opere suo recipiat; id enim esset ven„dere Evangelium, quod *gratis* debet annuntiari: sed

„ sensus Apostoli est, sicut operarius dignus est mercede, „ unde vivat; ita & Evangelii ministrum dignum esse „ honorario subsidio, unde sustentetur. Tantùm enim „ in hac comparatione spectatur sustentatio operanti „ debita. Unde & Christus *Matth.* 10. eamdem senten„ tiam adserens, pro *mercede, cibum* nominavit: *Dignus* „ *est*, inquit, *operarius cibo suo*.

XXVII. Totus ergò discursus Apostoli hoc unum evincit, operariis Evangelicis alimenta deberi, non tamquam *mercedem* operis; sed tamquam media *necessaria*, ut evangelizare possint. " Secularis quippe militia, quia „ cœlestia non habet, terrena strenuè militantibus præ„ stat; qui autem Ecclesiæ serviunt, & *labori* suo velut „ *debita* reddi oportere credentes, ea quibus opus non „ habent, aut accipiunt libenter aut exigunt, nimis *car*„ *naliter* sapiunt, si putant, quod Ecclesiæ servientes, „ stipendia terrena, ac non potius præmia æterna perci„ piunt." Ita citata Synodus Aquisgranensis *Can.* 107.

XXVIII. Deinde, uti bene respondet Adrianus VI loco citato, " non militat *suis* stipendiis, qui concessa tem„ poralia divinæ militiæ impendit: cum omnia tempo„ ralia bona *divina* sint *stipendia*, in stipem & sustenta„ tionem vitæ hominibus concessa, ut ei magno fervo„ re & absque solicitudine distrahente servitia grata de„ pendant.

Addit Adrianus: "Secundò ad mentem Apostoli, quod „ nemo tenetur regulariter stipendiis, quæ sua sunt com„ paratione ad homines, quæ scilicet ab iis non capit, ho„ minibus certis militare. Nihilominus quia stipendia „ Ecclesiastica solùm sunt ad necessitatem ministrorum, „ & non quasi merces laborum instituta, ideo non pos„ sunt hujusmodi pro se suscipere, nisi quantum egent „ sub modificatione prius expressa.

XXIX. Observandum insuper, quod Christus sententiam illam, *dignus enim est Operarius cibo suo* protulerit, postquam Apostolis dixisset: *Gratis accepistis gratis date, nolite possidere aurum, neque argentum, neq; pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*, quibus omnibus voluit, ut quasi omnibus temporalibus destituti, nudi ad prædicandum Evangelium pergerent. Sed ne hisce nimium turbarentur, cogitarentque sibi necessaria alimenta defutura, præcepti sui, apparentem severitatē temperavit, " ostendens (ait Jansenius Gandensis citato *c.* 55.) qua„ re nudos illos mittat, nimirum quod quæ ad victum „ & vestitum ipsis essent necessaria, eis deberentur à di„ scipulis eorum, ut sine omni rubore & verecundia ab „ eis illa possent accipere, nec necesse esset harum rerum „ onere & solicitudine sese gravare.

Ex quibus non obscurè intelligitur, sententiam Christi, ad quam & totus Apostoli contextus refertur, non spectare nisi *alimenta* seu *cibum* Operariorum Evangelicorum, quos *ad ea accipienda cogit vivendi necessitas, non habendi cupiditas*.

XXX. Cardinalis Bellarminus *lib.* 1. *De Clericis c.* 27. quærens, an qui bona Patrimonialia habet, possit simul bona Ecclesiastica habere, & pro utraque sententia allatis nonnullis auctoritatibus, credit, auctores utriusque sententiæ posse forsan conciliari, ut dicamus S. Prosperum (quem citat pro negativa) " loqui de illis, qui planè „ sufficientem habent sustentationem ex patrimonio aut „ Beneficio. Tunc enim alterum est superfluum, & pro„ inde pauperibus debitum. Alios verò authores loqui „ de illis, qui neque ex patrimonio neque ex beneficio „ sufficientem omnino sustentationem habent. Hi enim „ utrumque retinere possunt, modo ex utroque nihil ac„ cipiant ultra sustentationem decentem, juxta condi„ tionem proprii status. Quod enim verè superfluum „ est, dandum esse pauperibus, Theologi communiter „ docent.

XXXI. Si cui hæc reconciliandi ratio placet, me dissentientem non reperiet. Si quis enim proventus Beneficii & patrimonii confundat, atque ex iis *honestam ac moderatam* sustentationem accipiat, & superfluum in pauperes, aliumve pium usum expendat; nullatenus vivendo ex bonis Ecclesiæ censum suum patrimonialem auget; nec pauperes plus gravat, quàm is qui totam sustentationem acciperet ex bonis Ecclesiæ, & patrimonium pauperibus erogaret.

CAPUT VI.

De Divisione bonorum Ecclesiæ; & an per eam natura illorum mutata?

1. *Ecclesia etiam Christo vivente suas habuit facultates; sed in communi.*
2. *Christus oblationes Fidelium uni in suos & discipulorum ac pauperum sumptus distribuendas commisit.*
3. *Christus formam dispensandæ pecuniæ Ecclesiasticæ dedit; & furem passus est, ut & Ecclesia fures pateretur.*
4. *Juxta normam à Christo institutam, omnia oblata erant communia; & uni concredita.*
5. *Eandem normam Apostoli, & eorum successores aliquot seculis retinuerunt.*
6. *Decretum Concilii Romani sub S. Silvestro de divisione rerum Ecclesiæ in 4. portiones.*
7. *Hoc Decretum meritò ut suppositum rejicitur.*
8. *Divisionis illius in 4. portiones ut jam stabilitæ meminit Gelasius I.*
9. *Sanctus Gregorius respondet juxta illam divisionem bona Ecclesiastica dispensanda.*
10. *Quatuor illæ portiones non arithmeticè distribuebantur.*
11. *Probatur de portione Clericorum.*
12. *Distributio fiebat auctoritate & judicio Episcopi.*
13. *Quomodo portio pauperum distribueretur?*
14. *Scopus hujus divisionis quadripartitæ, fuit ut bona Ecclesiastica juxta suam conditionem ritè dispensarentur.*
15. *Hæc divisionis norma, reipsa ab omnibus Ecclesiis probata fuit.*
16. *Natura bonorum Ecclesiæ per hanc divisionem non mutata.*
17. *Post eam divisionem monuerunt Concilia, bona dispensanda juxta normam Apostolorum.*
18. *Alia bonorum Ecclesiæ divisio per erectionem beneficiorum.*
19. *Tertia per divisionem inter Episcopum & Capitulum, item inter ipsos Canonicos.*
20. *Hæc divisio dissimulante potiùs quàm probante Ecclesia facta est.*
21. *Per hanc divisionem non fuit mutata conditio bonorum Ecclesiæ.*
22. *Idem modus loquendi habetur in Canonibus post divisionem, qui erat ante illam.*
23. *Per divisionem factam inter Canonicos portio pauperum & fabricæ periclitari capit.*
24. *Canonicis* singulariter *viventibus una portio vix sufficere potuit.*
25. *Ecclesia vitam singularem Canonicorum permittens, etiam permittit, ut singuli ex bonis Ecclesiasticis* necessaria *accipiant.*
26. *Ex bonis Ecclesiæ primum providendum necessitatibus Ministrorum.*
27. *Non eadem est ratio bonorum quæ nominatim in usus* pauperum *aut* fabricæ *relinquuntur.*
28. *Tenentur Clerici de bonis Ecclesiæ moderatè vivere, & superfluum pauperibus distribuere.*
29. *Quomodo semper idem fuerit Ecclesiæ sensus quoad usum bonorum Ecclesiasticorum.*

I. Ecclesia

I. Ecclesia ferè antequam nata, id est, ante adventum Spiritûs Sancti, imo ipso adhuc Christo Domino conversante in terris, cœpit bona quædam habere; quæ tum in solis Fidelium voluntariis oblationibus consistebant. Una autem erat earum omnium communis massa, seu commune ærarium.

II. Dispensatio autem ærarii illius uni erat commissa; ut vel in Christi & Discipulorum ejus in Evangelii prædicatione operantium necessitates; vel in egenorum sumptus distribueretur; quemadmodum Evangelista Joannes scriptum reliquit.

Dicit enim c. 12. sui Evangelii: *Unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui eum erat traditurus, dixit: Quare hoc unguentum, non vaniit trecentis denariis, & datum est egenis. Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad illum sed quia fur erat & loculos habens, & ea quæ mittebantur portabat.*

Et rursum c. 13. *Hoc enim nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dicit ei Jesus: eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.*

III. "Habebat ergo Dominus *loculos* & à fidelibus oblata conservans, & *suorũ necessitatibus* & aliis *indigentibus* tribuebat," ait Augustinus *Tractatu 62. in Joannem nu. 5.* additq; *Tunc primùm Ecclesiastica pecunia forma est instituta.* Apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* 17. Et *tractatu* 50. *n.* 11. "Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare habuit loculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleret?" Apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* 12.

IV. Porrò ex forma dispensationis oblationum à Christo conversante in terris servata, habetur, quod omnia à fidelibus oblata in unam *bursam* sive eosdem loculos conjicerentur; ejusq; cura uni, scilicet Judæ Iscariotes concredita fuerit.

Secundò quod ea in necessitates Christi & Discipulorum nec non egenorum sumptus ex Christi præscripto esset expendenda.

V. Hæc forma à Christo præsignata, ab Apostolis, eorumq; successoribus servata est quatuor ut minùs seculis eatenus saltem, ut alia non esset nota rerum Ecclesiasticarum divisio, quàm ipsarúmmet Ecclesiarum.

Sicuti enim Universalis Ecclesia Christi in plures particulares Ecclesias seu Diœceses divisa fuit, atq; unicuiq; suus præfixus Episcopus & Clerus; ita quoq; unicuiq; Ecclesiæ erant suæ facultates, è quibus & ministrorum & pauperum necessitatibus provideretur: at earum nulla erat inter Episcopum, Clerum, templorum fabricam, aut pauperes rerum illarum nota partitiò; sed omnium in communi dispensatio Episcopo erat concredita, qui eas pro singulorum necessitate & exigentia distribueret, & etiam sibi, si indigeret, applicaret; quemadmodùm tum ex Canonibus 40 & 41. vulgo Apostolorum, tum Canonibus 24. & 25. Concilii Antiocheni celebrati seculo IV. videre licet; & referuntur à Gratiano *Caus.* 12. *q.* 1. *Can.* 22. 23. & 24.

VI. Crediderunt nonnulli aliquam proventuum Ecclesiasticorum divisionem factam fuisse sub initium seculi IV. sedente Silvestro Papa. Isidorus enim suæ Canonum collectioni inseruit 20. Canones cujusdam Concilii Romani habiti anno 324. præsidente S. Silvestro; in quorum quarto dicitur: "Commoneo autem vobis omnibus mihi consortibus monimentum hoc, ut de reditibus Ecclesiæ quatuor partes fiant, quarum una cedat Pontifici ad sui sustentationem, altera Presbyteris & Diaconis & omni Clero & tertia templorum & Ecclesiarum reparationi, quarta pauperibus & infirmis & peregrinis.

VII. Apposita autem est ibidem hæc nota marginalis: "Supposita videntur Hincmaro, ac plerisq; viris eruditis 20. ista capita (sive Canones) quæ Isidorus suæ collectioni intexuit.

Et sanè tam multa, vel in ipsis hisce Canonibus occurrunt, quæ à temporis illius disciplina, & statu Ecclesiæ, qui tunc erat, discrepant, quæq; à multis jam detecta sunt, ut nemo non videat, hæc Decreta ad Isidorianas merces merito pseudo primorum Pontificum Decretalibus epistolis esse ableganda.

VIII. Recentiùs, ac certiùs divisionis illius testimonium occurrit in epistola 9. Gelasii I. c. 29. relata per Gratianum *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 27. ubi scribit: "Quatuor autem tam de reditu, quam de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ecclesiæ facultas admittit (sic dudum est rationabiliter decretum) convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.

Hic notandum, Gelasium de hac divisione loqui tamquam dudum decreta: *sicut* DUDUM *rationabiliter est decretum.*

IX. Interrogaverat Augustinus Anglorum Apostolus sanctum Gregorium: "De his quæ Fidelium oblationibus accedunt ad altaria, & quantæ debeant fieri portiones, & qualiter Episcopus agere in Ecclesia debeat," Respondit Gregorius: "Mos Apostolicæ Sedis est, ordinatis Episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, quatuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & familiæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Clero, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis." Refertur apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 2 *Can.* 30.

Et scribens idem sanctissimus Pontifex Maximiano Episcopo Syracusano *lib.* 3. *epist.* 11. mandat, "ut sive de præteritis reditibus, sive de iis qui jam obvenerunt & obvenerint, *quarta* secundum distributionem *canonicam*, dispensentur." *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 29.

Porrò circa hanc rerum Ecclesiasticarum divisionem notandum; imprimis eam non arithmetica sive æquali planè proportione institutam aut factam fuisse; sed variam fuisse secundum consuetudinem locorũ, & circumstantias quæ nunc majorem portionem in pauperes, nunc majorem in Clericos pro horum illorúmq; indigentia & numero impendendam suadebant.

XI. Querebatur apud S. Gregorium Clerus Catanensis, quod portio redituum Ecclesiasticorum quæ Clero cedere debebat, non rectè distribueretur: inquirendi curam Gregorius dedit Cypriano Diacono suo: Hic factâ inquisitione, *de quarta portione Cleri* hoc tenendum statuit, ut unam portionem hi qui in sacro loco sunt positi, & reliquas duas Clerus accipiat. At Presbyteri & Diaconi (qui hic dicuntur in *sacro loco*, & *sacrato ordine* constituti) "conquesti sunt, hoc contra *antiquam consuetudinem* in suo gravamine præjudicialiter statutum; quippe quia de eadem *quarta* semper se *duas* partes, & *tertiam* Clerum perhibent consecutum; & petiverunt, ne hæc diffinitio in suo præjudicio permaneat.

Ut huic difficultati & querelæ satisfaciat Episcopus, vult S. Gregorius, ut *quartam* hanc inter Clericos & Ministros Ecclesiæ pro singulorum meritis distribuat." Volumus ergò (ait) ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atq; eam secundum Dei timorem Presbyteris, Diaconis ac clero, ut tibi visum fuerit discretè dividere: ita sanè ut unicuiq; sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia: quatenus & hi qui merentur, etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, & alii adjuvante Domino eorum ad meliùs contendant imitatione proficere." *Lib* 7. *epist.* 8.

XII. Nequaquam igitur *quarta* portio totius patrimonii Ecclesiæ assignabatur Clericis, ut ipsi *æqualibus* portionibus eam inter se dividerent; sed integra adhuc rerum Ecclesiasticarum administratio erat penes Episcopum, qui monebatur, ut *quartam* eorum portionem in Clerum, pro singulorum meritis, prout sibi videretur, dispensaret.

XIII. Similiter portionem pauperum dispensationi Episcopi mansisse subjectam; eamq; pauperum majore vel minore indigentia, & meritis attentis debuisse dispensari, manifestum est ex ejusdem Pontificis *epist.* 19. *lib.* 9. in qua monet Episcopum Neapolitanum, ut portionem Cleri & pauperum, quam ejus Prædecessor dare neglexerat, ulteriùs dispensare non differat; præscripta norma distributionis, in qua inter alia præscribit: ut "dentur hominibus *honestis & egenis*, quos *publicè* petere *non permittit verecundia*, solidi centum quinquaginta; ita ut quidam eorum ad singulos tremisses, quidam ad binos, quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur. Reliquis verò pauperibus, qui eleëmosynã publicè petere consueverunt, solidos triginta sex.

Hic per occasionem notare lubet, S. Gregorium pauperibus honestis & verecundis ampliores quàm publicè mendicantibus partes distribui velle, nempè quadruplo majores. Quod pauci satis attendunt.

XIV. Ex hactenus dictis sat manifestum est, quod unicus Canonum & Decretorum hanc quadripartitam divisionem statuentium scopus, & genuinus intellectus fuerit, ut ex proventibus Ecclesiasticis, merces sive sustentatio Clericorum bona fide ministrantium decerperetur, pauperum alimoniæ subveniretur, ædium sacrarum sarta tecta procurarentur, non arithmeticâ quidem, sed rationabili distributione.

XV. Quapropter licet non videatur in multis, extra Italiam, recepta & stabilita verbis expressis, hæc quadrimembris divisio: nihilominus omnium Ecclesiarum communis consensus fuit, proventus Ecclesiasticos in illos usus esse impendendos: id est, ex iis Episcopos & alios inferiores ministros sustentandos, pauperes alendos, & fabricam intertinendam.

Ut igitur concedamus erudito operum S. Gregorii Revisori in notis ad *epistolam* 31. *Lib.* 12. *aut nullis, aut paucis in locis Galliarum hanc quartarum distributionem viguisse*; negari tamen nequit, Canones Gallicanos voluisse, proventus Ecclesiasticos in Clericos, pauperes, & fabricam esse impendendos: ut ex Concilio Aurelianensi I. celebrato anno 511. *Can.* 5. aliisque plurimis Canonibus manifestum est.

XVI. Nihil proinde per ea Decreta, quæ quadrimembrem divisionem urserunt, circa naturam bonorum Ecclesiasticorum immutatum fuit; imò nec vera eorum divisio facta fuit; sed monebantur Episcopi, ut fideliter proventus Ecclesiasticos juxta eorum naturam & conditionem administrarent; uti rectè notat Thomasinus de Disciplina Ecclesiæ *parte* 4. *lib.* 4. *c.* 32. *n.* 9.

XVII. Idcirco monet etiam sæculo 9. Concilium Parisiense VI. *Lib.* 1. *Can.* 15. non aliter ab Episcopis esse res Ecclesiasticas dispensandas, quàm Apostolorum temporibus. Verba Canonis sunt: "Et licet crescente fidelium devotione copiosissimis, ac munificentissimis eorum liberalitatibus sancta donata sit Ecclesia, *eundem* tamen usum Apostolorum successores in tractandis & dispensandis Ecclesiasticis rebus se servare debere meminerint.

XVIII. Alia bonorum Ecclesiasticorum divisio facta fuit; tum per erectionem beneficiorum: quando certi ac determinati reditus, præsertim decimæ & oblationes, singulis titulis annecti cœperunt, de quorum origine & incremento actum est supra *tit.* 18. *c.* 1.

XIX. Altera quoq; divisio, sed quæ priore posterior & recentior est, facta fuit, dum Episcopi & Capitula bona dividere cœperunt. Huic postmodum successit bonorum Capitularium inter ipsos divisio; quâ singulis Canonicis sua præbenda assignata fuit: quæ divisio invaluit, dum Canonici deserta vita communi ad vitam singularem transierunt: de quo transitu actum est suprà *parte* 1. *tit.* 7. *c.* 1.

XX. Hoc meritò notandum, quod sicuti ipse transitus ad vitam singularem sensim contigit, dissimulante potiùs, quàm probante Ecclesia; ita & hanc divisionem mensæ capitularis inter Canonicos, non aliquo positivo Ecclesiæ præcepto inductam aut probatam fuisse; sed dumtaxat dissimulatione Ecclesiæ sensim invaluisse & stabilitam esse.

XXI. Interim quæcúmq; facta sit, sive per beneficiorum erectionem, sive per partitionem inter Episcopum & Capitulum, vel inter ipsos Canonicos; hoc unum contigit, ut dispensatio bonorum quæ vel integra erat penes Episcopum; vel communis inter Canonicos in commune viventes, tandem ad ipsos particulares beneficiatos, vel Canonicos transierit: manente ipsa bonorum Ecclesiasticorum natura aut conditione invariata, dispensationis norma nonnihil dumtaxat immutata.

XXII. Hinc videmus in Pontificum rescriptis, Episcoporum Decretis, Conciliorum Canonibus, etiam post eam bonorum divisionem, bona Ecclesiæ dici *Patrimonium pauperum, patrimonium Christi, res Dei*, non secus atque ante eam divisionem: uti ex Canonibus aliisq; quæ in præcedentibus capitibus relata sunt, facilè observari poterit.

XXIII. Interim id negari nequit, quin per eam inter Canonicos præbendarum divisionem, periclitari vel maximè cœperint illæ duæ quartæ, pauperum & fabricæ uti monet Boëtius Epo ad *Cap.* 1. De Testamentis *n.* 51.

XXIV. Et revera, uti ibidem *n.* 45. notat idem author: "Vix fieri potuit, ut unica quarta bonorum Ecclesiasticorum pars, quæ ex illa quadripartita eorum divisione cessit reliquis Clericis, omninò sufficeret ad eos extra communionem præsertim alendos, eo quod sumptuosum sit alere familiam singulos: necessariò videtur in consequentiam venisse, ut illa partitio quadrimembris non amplius observaretur, sed omnes omnium bonorum Ecclesiæ communium proventus inter solos Episcopum & Ecclesiam reliquam dividerentur. Quæ quidem res & pauperibus & fabricis & hospitalitatis exercitiis, quæ non ab Episcopo solo, sed à communis vitæ sociis procul dubio frequenter fiebant, incommodiùs accidit.

XXV. Interim dum Ecclesia hanc Præbendarum divisionem tolerat; patiturq; Canonicos *privatim* extra vitam socialem sive communem, familiam instituere, censetur quoq; permittere, ut è rebus Ecclesiasticis sibi moderatam & honestam sustentationem accipiant; superfluis in pauperes & alios pios usus distributis. Nam, uti post Gratianum rectè monet Boëtius Epo loco citato *nu.* 16. "Licet res Ecclesiæ omnibus debeant esse communes, primum tamen sibi Episcopus & suæ Ecclesiæ deservientibus necessaria subministret, & reliqua quæ supersunt, fidelium usibus ministraturus.

Hæc Grattianus post *Canonem* 27. *caus.* 12. *q.* 1. qui & dein infert: "Ita & Præbendæ Ecclesiarum, eâdem charitate manente, piè & religiosè possunt distribui, nec tunc rebus Ecclesiæ, ut propriis, sed ut communibus utilitatibus deservituris: ut ex his quæ sibi assignata sunt primum sibi necessaria percipiat: si quæ verò suis necessitatibus supersunt, in communes usus Ecclesiæ expendat.

XXVI. Dum ergo voluit Ecclesia, ut bona Ecclesiæ in pauperes, & fabricam distribuerentur, hoc ita perpetuò intellexit, ut primum necessitatibus Ministrorum suorum provideretur, quibus Christus à populo alimenta seu cibum subministrari voluit: & cui præ-

cepto per horum bonorum oblationem populus indubiè satisfacere voluit.

XXVII. Hinc & indubitatum est, non eodem jure bona Ecclesiæ esse res pauperum; sicuti si quid nominatim pauperibus per homines pios relinqueretur; id enim nullo jure sibi vindicare vel inter se partiri possent Clerici; quemadmodum benè reflectit Epo *n. 57.*

XXVIII. "Sed neq; quisquam rectè negaverit [ait idem *n. 58.*] quin ita moderatè deceat vivere Clericos „ etiam de portionibus pro stipendio sibi destinatis, ut „ pauperibus & egenis magnum sit ab ipsis auxilium, de „ quo Fundatores optimè speraverunt quoad id quod superfuerit.

XXIX. Itaque quæcumque circa bonorum Ecclesiæ varia dispensandi norma pro temporum & locorum conditione fuerit, aut alia Clericorum vivendi exterior disciplina intervenerit, is perpetuus fuit Ecclesiæ circa sua bona sensus, ut ex iis suorum Ministrorum necessitatibus provideretur, & quod reliquum esset, in pauperum alimoniam aliosve pios usus impenderetur, illaque bona semper ut *res Dei & patrimonium Christi* considerarentur, & ut talia sanctè & fideliter dispensarentur.

CAPUT VII.

De Testamentis Clericorum.

1. *Quare vetitum Clericis jam pridem fuerit de bonis Ecclesiæ testari.*
2. *Canon vulgò Apostolorum idipsum vetans.*
3. *Idem probat Canon Carthaginensis.*
4. *Occasio hujus Canonis.*
5. *Monitum ad Clericos disponentes de patrimonialibus.*
6. *Justinianus inhibuit Episcopis testari de bonis post ordinationem acquisitis.*
7. *Conformiter ad Justiniani Sanctionem respondit S. Gregorius.*
8. *Idem volunt plures Decretales.*
9. *Pluribus sæculis duravit hæc disciplina; & à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. renovata.*
10. *Decretum hujus Concilii etiam de mobilibus intelligendum.*
11. *Generaliter de omnibus intuitu Ecclesiæ acquisitis.*
12. *Nec in pias causas per testamentum de his disponere* de jure *poterat; consuetudine tamen aliquid concedi incipiebat.*
13. *Consuetudo relinquendi aliqua pauperibus à Pontifice dicitur* non improbanda.
14. *Per Rescriptum Pontificis relatum in Decretales hæc consuetudo habita ut à jure probata.*
15. *Hinc invaluit, Clericos* de jure *posse facere* rationabile *testamentum.*
16. *Sæculo 14. Synodus Coloniensis non permisit Clericis condere testamentum nisi juxta consuetudinem jure probatam.*
17. *Quomodo hæc consuetudo sensim extensa sit; & facta Clericis libera testandi auctoritas.*
18. *Huic extensioni occasionem dedit facilitas dispensandi.*
19. *Item difficultas discernendi quæ bona ab Ecclesia, & quæ aliunde sint profecta.*
20. *Consuetudo testandi de bonis Ecclesiasticis non ubiq; eodem tempore invaluit.*
21. *In Hispania recepta consuetudo permittens Clericis liberè testari.*
22. *Idem in Gallia receptum.*
23. *In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt, Clericis ad testandum necessariam esse eorum licentiam; pro qua & certa jura prætendunt.*
24. *Academia Lovaniensis quid circa hoc observet.*
25. *Faciliùs Clericis, quàm Episcopis testandi licentia indulta; consuetudo tamen eam ipsis indulget.*
26. *Non eadem est Episcopis libertas in Italia.*
27. *An Regulares possint ex indulto Pontificis condere testamentum.*
28. *Quid de regularibus assumptis ad Episcopatum?*
29. *Consuetudo aut licentia testandi non permittit Clericis disponere in usus profanos.*
30. *Consuetudo hæc non immutat naturam proventuum Ecclesiasticorum.*
31. *Id ipsum probat Synodus Tridentina.*
32. *Quomodo testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos vi consuetudinis sustineantur?*
33. *Attendendum à Clericis hac in parte Decretum Synodi Osnabrugensis.*
34. *Item Decretum Synodi Antverpiensis.*

I. NOtavimus supra capite 4. Episcopos aliosque beneficiatos semper reputatos fuisse tamquam simplices rerum Ecclesiasticarum dispensatores; ut ex iis sumant quæ ad necessitates proprias sufficiant, reliqua verò in pauperes, aliosve pios usus juxta regulas Ecclesiasticas, & Offerentium voluntatem impendant.

Cùm verò dispensator de rebus dispensationi suæ creditis testari nequeat, etiam Episcopis cæterisq; Clericis jam pridem vetitum de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere.

II. In Canone 40. vulgò Apostolorum dicitur: "Sint „ manifestæ res propriæ Episcopi, (si tamen habet pro„ prias) & manifestæ Dominicæ: ut potestatem habeat de „ propriis moriens Episcopus sicut voluerit, & quibus „ voluerit, derelinquere: nec sub occasione Ecclesiastica„ rum rerum ea, quæ Episcopi esse probantur, intercidant. „ Fortassis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propin„ quos aut servos. Et justum est hoc apud Deum & homi„ nes, ut nec Ecclesia detrimentum patiatur ignoratione „ rerum Pontificis, nec Episcopus vel ejus propinqui sub „ obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in causas incidant, „ qui ad eum pertinent morsq; ejus injuriis malæ famæ „ subjiciatur.

Idipsum statuitur *Can.* 24. Concilii Antiocheni.

Ex his manifestum est, jus quidem Episcopis fuisse, bona *propria*, id est, non intuitu Ecclesiæ acquisita, relinquere quibus velint; at de rebus Ecclesiæ non potuisse disponere.

III. Non absimile est quod Can. 49. Concilii Carthaginensis III. apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 3. *can.* 1. decernitur, ut nimirùm Episcopi & quicùmq; Clerici, qui nihil habentes ordinantur, debeant omnia quæ post ordinationem compararunt Ecclesiæ conferre, "Si autem ipsis pro„ priè aliquid liberalitate alicujus, vel successione cogna„ tionis obvenerit, faciant inde, quod eorum proposito „ congruit.

IV. Hunc Canonem referens Cardinalis Baronius ad an. 397. scribit: "occasio sanciendi hujus Canonis ista fuit. „ Cum reddita pace, Ecclesia ubiq; bonis afflueret, cum „ plures ex iis qui eidem ministrabant, pietatem in quæ„ stum convertentes, studio sanctitatis & cura pauperum „ abjectis, divitias colligendi ardore dumtaxat flagra„ bant, de quibus hæc Hieronymus Epist. 2. ad Nepotia„ num: *Nonnulli sunt ditiores monachi quam fuerant sæ„ culares. & Clerici qui possident opes sub Christo paupere, „ quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerunt, ut „ suspiceret eos Ecclesia divites quos mundus habuit an„ tea mendicos.* Et paulò post: *Negotiatorem Clericum, & „ ex inope divitem, ex ignobili gloriosum quasi quandam*

„ *pestem*

„ *pestem fuge*. Cum itaq; hæc, ut ait Hieronymus, *Eccle-*
„ *sia ingemisceret*, optimè à sanctis patribus hujus Cano-
„ nis sanctione statutum est, ut Ecclesia ipsa sibi vendicet,
„ quæ clericis ex rebus Ecclesiæ bona quæsivit.

V. Notat quoq; apposite Ludovicus Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte* 1. *lib.* 4. *c.* 19. *n.* 7. hæc finalia Canonis verba: *Faciant inde quod ipsorum proposito convenit*, continere salutare monitum, quo monentur Episcopi & Clerici de proprio patrimonio disponere eum in modum, qui conveniat sanctitati professionis Clericalis.

VI. Justinianus Imperator in *L.* 42. §. 1. *Cod. De Episcopis & Clericis*, sancivit de Episcopis: "Nullo modo habe-
„ re eos facultatem *testandi*, vel donandi, vel per aliam
„ quamcúmq; excogitationem alienandi quid rebus suis
„ postquam facti fuerint Episcopi, possederint & acquisi-
„ erint, vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex alia
„ quacumq; causa: exceptis dumtaxat his, quas ante Epis-
„ copatum habuerunt ex quacúmq; causa, vel quæ post
„ Episcopatum à parentibus & thesis, hoc est, patruis, vel
„ avunculis, & à fratribus ad ipsos pervenerunt, perven-
„ turæq; sunt: quæcúmq; enim post ordinationem ex qua-
„ cúmq; causa extra præfatas personas ad ipsos pervene-
„ runt, ea jubemus ad sanctissimam Ecclesiam, cujus Epis-
„ copatum tenuerint, pertinere & ab ea vindicari & e-
„ vinci: nulla alia persona potestatem habente, ex eo pro-
„ prium quid auferre lucrum.

VII. Conformiter ad hanc Justiniani Sanctionem scribit Mariniano Episcopo Ravennæ S. Gregorius *lib.* 5. *epist.* 1. ut inquirat in testamentum sui Prædecessoris de quo Clerus Ravennæ conquestus erat: Ut ea quæ de Ecclesia
„ sua, vel de acquisitis in Episcopatu rebus contra legum
„ fieri statuta disposuit, fraternitas vestra nec auctorita-
„ tem præbeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si
„ quid autem de *propriis* rebus, quas *ante* Episcopatum
„ habuit, quod quidem priùs Ecclesiæ suæ non contulit,
„ fieri voluit, vel decrevit, firmum per omnia robur obti-
„ nere necesse est.

Scribit quoq; Anthemio Campaniæ Subdiacono *lib.* 7. *in dict.* 2. *epist.* 53. se intellexisse, "quod Attelbanæ civita-
„ tis Episcopus dum de hac luce migraret, *condito testa-*
„ *mento* in octo unciis totius substantiæ suæ *nurum* su-
„ am hæredem instituerit, Ecclesiam suam in residuis qua-
„ tuor.

Cùm verò hæc testamentaria dispositio videretur bona acquisita intuitu Ecclesiæ confundere cum bonis patrimonialibus subjicit: " Hortamur ergo experientiam
„ tuam, ut sollicitâ inquisitione discutias, & quidquid
„ Ecclesiæ ipsius esse potuerit à qualibet persona detine-
„ ri nullatenus patiaris, nisi hoc solùm quod eum *ante*
„ Episcopatus ordinem *proprium* habuisse constiterit.
„ Quidquid verò ante Ecclesiæ ipsius esse cognoveris, vel
„ in Episcopatus ordine prædictum Episcopum acquisi-
„ visse, in ejusdem Ecclesiæ conservetur dominio, ne
„ quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione
„ præsumat.

Refertur hoc Gregorii responsum in *Cap.* 1. ꝶ *De Testamentis*, quamvis per errorem ibidem tribuatur Gregorio IX.

VIII. Eodem tendunt Decreta quæ inquiri jubent, an Presbyteri aliiq; Clerici bona aliqua habuerint tempore ordinationis; de quibus supra capite primo; ibiq; notatum, hanc inquisitionem unicè factam, ut sciretur, quæ bona censeri deberent provenisse ab Ecclesia? & consequenter ut talia ad Ecclesiam pertinere.

Hinc manifestum est, antiquis Canonibus vetitum fuisse, non tantùm Episcopis, sed & inferioribus Clericis quacúmq; ratione de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis per testamentum disponere.

IX. Disciplina hæc pluribus sæculis perseveravit; eamque retinendam, etiam sæculo 12. sancivit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* 7. ꝶ *De Testamentis*. Conqueritur enim Concilium, "quod quidam Clerici
„ cùm ab Ecclesiis suis multa beneficia perceperint, bona
„ per eas acquisita, in alios transferre præsumant. Hoc i-
„ gitur (ait Concilium) quia *antiquis Canonibus* constat
„ inhibitum, nos indemnitati Ecclesiarum providere vo-
„ lentes, sive intestati decesserint, sive aliis conferre vo-
„ luerint, penès Ecclesias eadem bona præcipimus per-
„ manere.

X. Hoc Decretum non solummodò de *immobilibus*; sed & de *mobilibus* intelligendum esse, declarat idem Pontifex, adversus pravos illius Decreti interpretes, in litteris ad Electum & Capitulum Cassanense, in *Cap.* 12. ꝶ *De Testamentis*, respondetq; quod" *generaliter* bona
„ *qualibet* per Ecclesiam acquisita, (*vis* vel ut verior lectio
„ habet, *es*) debent juxta *Lateranense Concilium* perma-
„ nere.

XI. Et ad Episcopum Vigiliensem in *Cap.* 9. ꝶ *Eod.* scribit, quod Clerici" de his quæ *consideratione* Ecclesiæ per-
„ ceperunt, nullum de *jure* possunt facere *testamentum*:
„ licet de his quæ paternæ successionis, vel cognationis
„ intuitu, aut artificio sunt adepti, seu dono consangui-
„ neorum aut amicorum, *non habito respectu* ad Eccle-
„ siam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere valeant.

XII. Hæc generalia Alexandri satis indicant, quod de *jure* sive juxta *antiquos Canones*, nequidem ad *pias* causas de Ecclesiastica substantia Episcopis aut Clericis licitum fuerit testari: quasi nefas esset, de rebus eorum administrationi dumtaxat concessis, disponere in tempus *finitæ* administrationis.

Illud quoq; luculenter indicat idem Pontifex citato *Cap.* 12. dicens: "Licet *mobilia* per Ecclesiam acquisita de
„ *jure* in alios pro morientis arbitrio transferri non pos-
„ sint; consuetudinis tamen non est improbandæ, ut de
„ his pauperibus & Religiosis locis, & aliis, qui viventi
„ servierant sive sint consanguinei, sive alii, aliqua juxta
„ servitii meritum conferantur.

XIII. Nequidem ergo de *mobilibus* per Ecclesiam acquisitis licebat Clericis *de jure* per testamentum, etiam *pauperibus, & religiosis* locis aliqua conferre; sed si quid hic licere dicitur, id *consuetudini* adscribitur; quam non *improbandam* vocat Pontifex.

XIV. Consuetudo quæ hic *non improbanda* dicitur, & per relationem Rescripti Pontificis in Decretales Gregorii XI. quasi *jure* probata & firmata fuit; tandem etiam *pro jure* invaluit. Unde & in Synodis post hanc Gregorianam compilationem Decretalium passim permittitur Clericis de *mobilibus*, sub moderationibus in citato rescripto Alexandri III. appositis, testari.

Anno 1284. Synodus Nemausensis titulo *De Testamentis*, ipsa verba Decreti Alexandrini exscribit; ipsamq; consuetudinem cum suis modificationibus similiter *non improbandam* appellat: unà declarans, qualiter ipsa bona Clericorum, maximè quæ ab Ecclesia provenerunt distribui debeant: si nullum testamentum fecerint, addito hoc notando monito: "Adhæc, *quidquid* habent Clerici
„ de bonis Ecclesiasticis, deductis expensis honestis & ne-
„ cessariis, *pauperum* debet esse.

XV. Rursus anno 1300. celebrata Synodus Bajocensis *c.* 58. " præcipit Sacerdotibus, ut *immobilia* de bonis Ec-
„ clesiæ acquisita, tantummodò *suis* legent Ecclesiis: *De ju-*
„ *re*, enim aliud facere non possunt. De *mobilibus* autem
„ Sacerdotes *rationabile* possunt facere testamentum.

Testamentum *rationabile* indubiè hîc aliud non est, quàm testamentum factum secundùm *jura* sive legitimum; uti etiam notat Ludovicus Thomasinus *De Disciplina Ecclesiæ parte* 4. *lib.* 4. *c.* 16. *n.* 10.

Hic reflecti potest, facultatem de *mobilibus* testandi, non amplius *consuetudini* adscribi, sed *juri*: eo quod *consuetudo* à jure esset probata.

XVI. Ex Synodis nostratibus eodem anno 1300. Coloniensis *c.* 5. præcipit: Clerici bona, maximè immobilia, & „ quæ

quæ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum *testamenti*, sive alias non transferant ad consanguineos; sed relinquant ea *Ecclesiæ*, à qua sunt profecta. Sed intuitu *eleemosynæ*, pauperibus & religiosis & piis locis, & illis qui ipsis servierunt, sive consanguinei sint, sive alii, *aliqua* juxta servitii merita de *mobilibus* dare possunt.

XVII. Verùm licet hæc consuetudo testandi ita modificata ut in Decretalibus Pontificum, & Synodis proponitur esse *non improbanda*: illud nihilominus fatendum, quotidiana experientia compertum est, quod ubi semel Canonum rigor laxatur, tametsi multis modificationibus relaxatio restringatur, sensim modificationes illæ negligantur, & relaxatio sine illis retineatur; quin & paulatim extendatur & omnis tandem Canonum vigor enervetur, prout hîc contigisse notat Boëtius Epo in Commentario ad *Cap.* 12. ⁑ *De Testam. n.* 54. ubi ad verbum *aliqua* monet: "vides ex hoc loco *paulatim* consuetudinem disponendi per testamenta de bonis per Ecclesiam quæsitis irrepsisse. Primò *parum* quid relinquendo (prout hîc fit) postea *largiore* manu, donec tandem *plena* potestas omnium quibuslibet, etiam non pauperibus relinquendorum fuit arrepta, quemadmodum nunc plurimis fit in locis minimè rectè, sed periculosissimè, sive spectemus eos qui dant, sive qui ab iisdem dantibus accipiunt.

XVIII. Huic consuetudini forsan non parum contulit quod lapsu temporis, Pontifices & Episcopi faciliùs testandi licentiam, etiam liberam, Clericis indulgerent; uti notat Zypæus in Jure Novo titulo De Testamentis *n.* 4. ubi unà scribit: " Livinus Torrentius Episcopus Antverpiensis facultatem testandi in Diœcesi Antverpiensi omnibus fecit, salvo tamen, & et reservato mobilium nummo sexagesimo, redditione computuum, &c. postquam scilicet animadvertisset, nemini petenti eam facultatem consuevisse negari, adeoque sine examine concedi. Itaque is publici juris fecit, ne formula petendæ licentiæ, captatoria hæreditatis esse videretur.

Idipsum notavit Theodorus Tuldenus ad Codicem titulo De Episcopis & Clericis *numer.* 6. ubi loquens de consuetudine, quæ abrogasse videtur antiquos Canones vetantes Clericis de bonis Ecclesiasticis testari, ait: " Et cum olim singuli sæpe testamenti factionem à Pontifice obtinerent, quidni potuerit eam deinde ad omnes extendere, *usum* hunc tolerando & tacitè probando.

XIX. Insuper non parum ad firmandam hanc consuetudinem valere potuit difficultas discernendi ea quæ ex patrimonio aut industria, vel aliundè quam consideratione Ecclesiæ Clericis obvenerunt, ab iis, quæ ab Ecclesia provenerunt: in tantum ut singula penè Clericorum testamenta ob hanc bonorum confusionem & incertitudinem litibus essent obnoxia. Itaq; satius visum fuit, testamenta illa tolerare, & Clericorum conscientiæ relinquere, quomodo de acquisitis ab Ecclesia, disponant, quam litibus omnia involvere: præsertim cum frequenter non constet, num consanguinei sive hæredes quibus bona per testamentum deferuntur, revera sint divites, an pauperes, quibus tamquam *pauperibus*, superflua ex proventibus Ecclesiasticis communicari possent.

XX. Quidquid sit, hoc expeditum, circa sæculum XV. libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis, vel acquisitis intuitu Ecclesiæ invaluisse; alibi tamen tardius, alibi citius.

Legitur in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c.* 22. *n.* 9. ordinatio Caroli VI. Regis Galliæ edita anno 1406. ubi inter alia dicit, quod "bona (Ecclesiarum) per Prælatos post eorum obitum dimissa, futuris debent successoribus reservari in Ecclesiæ utilitatem convertenda; nisi fortè (sit) in illis locis Regni, ubi de usu & *consuetudine* notoriè observatis, licitum sit, Prælatis ipsis & aliis Ecclesiasticis sæcularibus de iisdem bonis *facere testamentum*, quibus etiam ab intestato, in dictis bonis secundùm consuetudinem & observantiam supradictas sui succedunt hæredes.

Hæc ostendunt, quod eo tempore, hæc libertas testandi dumtaxat in quibusdam locis Regni Galliæ invaluisset. Secundò quod libertas unicè inniteretur *usui & consuetudini*. Tertiò quòd hoc jus consuetudinarium nondum tam firmiter esset stabilitum, quin de eo cum aliqua dubitatione adhuc dicatur, *nisi* FORTE *in illis locis*, &c.

XXI. De consuetudine permittente *Clericis* testandi libertatem in quosvis usus de proventibus Ecclesiasticis testatur Covarruvias de Testamentis *cap.* 7. *n.* 23. dicitque " moribus receptum esse, ut Clerici *extra omnem licentiam* liberè testentur, & in ultima voluntate distribuant bona, quæ ex reditibus Ecclesiarum adepti sunt. " Additque *numer.* 24. Carolus Hispaniarum Rex anno 1523. Comitiis totius Regni Provinciæ habitis jussit, hanc consuetudinem ut legitimè inductam, servari.

XXII. Eam quoque generaliter in Regno Galliæ receptam esse testantur passim Pragmatici; ac signanter Guilielmus Benedicti, qui jam à ducentis circiter annis de hac consuetudine ita scripsit ad *Cap.* RAYNUTIUS ⁑ *De Testament.* Verbo, *Et uxorem n.* 264. " Pari modo fuit in eorum Regno [Galliæ], consuetum, & publicè ac notoriè observatum, & per Ecclesiam toleratum, Episcopos, ac cæteros Beneficiatos posse de fructibus suarum Dignitatum & Beneficiorum; ac de bonis per eos nomine proprio, vel nomine Ecclesiæ acquisitos; etiam de pretio ex fructibus Beneficiorum redacto *testari*, & aliàs inter vivos, vel causa mortis, sicut laici de suis bonis liberè disponere, prout dietim faciunt.

XXIII. In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt, Pastores aliosque Beneficiatos sibi subditos testari non posse, etiam ad pias causas, nisi præhabita ipsorum licentia: notatque Joannes Molanus in tractatu *De piis Testamentis capit.* 40. quod eam licentiam rigidè exigant statuta Diœcesis Leodiensis. Quæ eadem statuta dicunt: " Pro licentiis testandi Pastoribus & Beneficiatis auctoritate nostra ordinaria concedi solitis, solvetur florenus Brabantiæ ad ratam cujuslibet modii: Presbyteris autem nulla beneficia obtinentibus duplex scutum Bullonicum.

Per *florenum* Brabantiæ intelliguntur duo solidi, & per *scutum Bullonicum* duodecim solidi. Non abstinuisse est Diœcesis Namurcensis, & forsan quorumdam vicinorum locorum consuetudo; quæ ante novorū Episcopatuum in Belgio erectionem erant Diœcesis Leodiensis; cujus passim consuetudinum & privilegiorum reliquias nonnullas retinuerunt.

XXIV. Sed cum hujusmodi licentia testandi nemini eam postulanti negetur; & videatur hæc consuetudo potiùs sapere proprium interesse, quàm conservationem disciplinæ, meritò Academiam hanc Lovaniensem laudat Joannes Molanus citato loco *capite* 40. quod licet olim fuerit Diœcesis Leodiensis, " omnibus suis suppositis, & professoribus, studiosis & familiaribus tanta liberalitate eam [licentiam] annuit, ut non sit necesse petere, quod omnibus ultrò & gratis offerri.

Hoc tamen injungunt Statuta Academica titulo *De piis Legatis*: " Executores ultimarum voluntatum suppositorum decedentium, statim post mortem defuncti suppositi, cujuscumq; etiam conditionis fuerit, testamēta hujusmodi Domino Rectori præsente Notario Universitatis exhibeant, quam exhibitionem Rector & Notarius gratis admittant.

XXV. Excipit tamen ibidem Covarruvias *Episcopos*, quibus *solis* testandi licentiam necessariam asserit. Faceturq; Guilelmus Benedicti loco citato *n.* 265. " quod de Epis-

„Episcopis major erat dubitandi ratio, propter majorem „quam habent communionem & conjunctionem cum „suis Ecclesiis, quàm cæteri Beneficiati ob causam matri-„monii spiritualis inter eos existentis.

Addit tamen *Benedictus*: "Et quasi omnes Episcopi habere consueverunt à Papa dispensationem testandi, & „nedum testari potuerunt de bonis ex consuetudine, sed „etiam de fructibus beneficiorum, nec non de spoliis.

Hic nota, hunc auctorem non obscurè innuere, consuetudinem testandi libertatem Episcopis annuentem, ex consueta dispensatione profluxisse, uti supra notavimus.

Mores Belgii Episcopis eamdem libertatem indulgent: adeò ut licet Paulus III. Prælatos adeò fecerit inhabiles ad testandum, ut ne locis quidem piis ultra decimam partem relinqui quocumq; titulo velit, omnesq; contrarias testandi concessiones eò reducat in Constitutione quam refert P. Matthæi in septimo Decretalium *lib. 2. titul.* 13. tamen nullius Episcopi testamentum eo nomine quod non habuerit facultatē testandi à summo Pontifice, in Belgio irritatum se scire, dicit Zypæus in Jure novo *De Testamentis n.* 7.

XXVI. Non eamdem fuisse libertatem testandi in Italia satis colligitur ex specialibus privilegiis seu indultis testandi à variis Pontificibus concessis. Et quidem refert Fagnanus ad *c.* SI QUIS ;; *De Peculio Clericorum*, Paulum V. anno 1606. indulsisse omnimodam facultatem incolis & civibus Urbis, qui in ea, vel ejus districtu infra decem milliaria, non tamen extra debitam residentiam, decesserint liberè disponendi de omnibus suis bonis etiam provenientibus ex quibuscumq; fructibus, reditibus, proventibus, juribus, obventionibus & emolumentis Ecclesiasticis & beneficiorum quomodolibet qualificatorum, tam inter vivos, quàm in *ultima voluntate*.

Hæc specialia indulta sat ostendunt, non fuisse in Italia consuetudine inductam eam generalem libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis; quod & ipse Fagnanus satis innuit; unà dicens, ambigendum non esse, quin Pontifex impertiri possit Clericis facultatem disponendi in vita & in morte de fructibus beneficiorum.

XXVII. Additq; ex communi Canonistarum opinione, Papam etiam *Regularibus* posse dare licentiam testandi: quod tamen in Gallia non admitti passim notant illius Regni Pragmatici; uti videri potest apud Julianum Brodæum in notis ad Louëtium *Litt. C. n.* 8. & Carolum Fevretium De Abusu *Lib.* 4. *c.* 7. *n.* 10. Et in verificatione Facultatum Legatorum Sedis Apostolicæ solet inseri hæc clausula: "*Testandi* contra Provinciarum consuetudines, „jura Regni, ac Constitutiones in Curia promulgatas, il-„lis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut in Cœnobiis „Monasticam professis gratiam non faciat." Vide supra *parte* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. *num.* 11.

XXVIII. Regulares tamen assumpti ad Episcopatum, quasi à Regula Monastica soluti non secus ac Episcopi è Clero seculari assumpti, de proventibus Ecclesiasticis tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem disponunt; imò si intestati decedant, ipsos proximos consanguineos habent hæredes, ex generali consuetudine illius Regni; de qua latius capite sequenti.

XXIX. Verùm uti rectè ibidem ex Præposito monet Fagnanus, neq; consuetudo, neq; dispensatio Papæ potestatem dare possunt Clericis, ut fructibus beneficiorum abutantur; sive in profanos usus expendant vel dispensent.

Similiter Martinus Navarrus in sua Apologia pro suo De Reditibus Ecclesiasticis libro, agnoscit, "esse in Hispa-„nia consuetudinem testandi de proventibus Ecclesiasti-„cis, creditq; eam validam etiam *in foro conscientiæ* quo-„ad testandum intuitu pietatis, paupertatis, remuneratio-„nis & debiti solutionis; & nullam esse consuetudinem „præscriptam & validam, testandi pro libito in *profana* „sine aliquo prædictorum intuitu: quamvis in multis „Regnis, & Provinciis extra Italiam, & in aliqua ejus par-„te, justè in foro exteriori toleretur consuetudo, ne te-„stamenta Clericorum ob hoc in judicium deducantur, „& servari jubeantur ad obviandum frequentissimis li-„tibus quæ aliàs orirentur.

Additq; Navarrus, quod de hac opinione admonitus Pius V. antequam licentia imprimendi fieret, responderit esse *justam & sanctam opinionem*.

Videri potest Joannes Molanus citato *c.* 40. ubi latè ostendit, licentiam testandi etiam à Pontifice obtentam, non dare facultatem disponendi in usus profanos.

XXX. Neq; enim consuetudo aut dispensatio testandi mutat vel alterat naturam & conditionem proventuum Ecclesiasticorum, manetq; onus dandorum superfluorum pauperibus annexum proventibus Ecclesiasticis; unde, nec ullâ consuetudine quantumvis *inveterata* poterit induci, ut profanos in usus Ecclesiasticis de proventibus vel testari liceat, vel ab intestato successores habere non indigentes, uti loquitur citatus Boëtius Epo in Commentario ad *c.* 1. ;; De Testamentis *n.* 84.

XXXI. Quapropter Patres Tridentini, licet haud ignorarent, in multis regnis testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in favorem parentum non egentium, tolerari, & valida reputari, nihilominus Episcopis aliisq; quibuscúmq; beneficia Ecclesiastica obtinentibus "omnino interdicit, ne ex reditibus Ecclesiæ consangui-„neos familiaresve suos augere studeant; sed si pauperes „sint, iis ut pauperibus distribuant.

XXXII. Sicuti ergo electio ad beneficium Ecclesiasticum minùs digni omisso digniore non reprobatur quantum ad forum contentiosum, quamvis elegens in foro conscientiæ incurrat peccatum acceptionis personarum, & violationis justitiæ distributivæ sit reus (quemadmodum titulo præcedenti dictum est) ita testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos; aut favorem consanguineorum non indigentium, non reprobantur, sive non declarantur invalida in foro contentioso propter *odia litium*; sed non eximunt ipsos disponentes ab injustitia, dum proventus Ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium & naturam ipsorum bonorum.

Igitur Canones, in quantum vetant de proventibus Ecclesiasticis non disponi in usus profanos; nec ad ditandos parentes insumi, *absit*, ut *etiamnum non obligent*, ait Christianus Lupus tomo 1. Schol. in Canones *pag.* 484. additque *Nemo se seducat. Deus non irridetur.*

XXXIII. Meritò attendent Clerici de proventibus Ecclesiasticis disponere proponentes hoc saluberrimum monitum Synodi Osnaburgensis anno 1628. *parte* 2. *tit.* 11. §. 1. "Cum in officiis charitatis ac piæ remuneratio-„nis, primo loco illis teneamur obnoxii, à quibus bene-„ficium nos cognoscimus recepisse, facilè intelligunt o-„mnes Ecclesiarum nostrarum Clerici & Beneficiati, qui „de Ecclesiæ stipendiis ac reditibus vivunt, ut de iis, quæ „ex justa suarum rerum dispensatione supersunt, in su-„premæ voluntatis declaratione non ex carnali affecti-„one, sed pro Ecclesiæ Dei utilitate disponant. Licet enim „refrigescente charitate, & cupiditate ac cura carnis suc-„crescente paulatim irrepsisse videatur, ut Clerici etiam „de acquisitis per Ecclesiam testentur, attamen magno „salutis periculo conjunctum est, ut mox ad Tribunal „Christi rapiendi, deq; omnibus usq; ad extremum qua-„drantem rationem reddituri, carnem & sanguinē Chri-„sto, & ejus Ecclesiæ ac pauperibus præponant, magis „verò securum voluntati & gloriæ divinæ, rationi & a-„nimarum saluti consentaneum, ut quæ ipsis ex patri-„monio Christi, & bonis ecclesiasticis (quorum procura-„tores, Administratores ac dispēsatores dicuntur & sunt) „post honestam ipsorum sustentationem supersunt ea in

pios

„ pios usus convertant, ac in cœlum præmittant in thesau-„ ris cœlestibus invenienda, & præsertim Ecclesiarum (qui-„ bus adscripti sunt) pauperum aliarumque piarum causa-„ rum rationem habeant, ne dum fortè consanguineos su-„ os ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locupletare con-„ tendunt, rectum charitatis & obligationis ordinem in-„ vertant, & sibi aliisque damnationem acquirant.

XXXIV. Simile motivum legitur in statutis Synodalibus editis in Synodo Diœcesana Antverpiensi sub Francisco Sonno anno 1576. titulo De Testamentis *cap. 3.* " Item „ monemus omnes Clericos ne in testamentis suis faciendis „ nimium tribuant carni & sanguini : sed meminerint ea „ quæ necessitatibus suis supersunt ex fructibus suorum be-„ neficiorum esse verè pauperum & Ecclesiæ, ac de jure ex „ omnibus beneficiis eos tantùm posse capere stipendia vi-„ tæ suæ, cùm non habeantur ut proprietarii: sed tantùm ut „ usuarii: neque intuitu personæ cujusque sunt in fundatio-„ nibus relicta bona beneficiorum; sed intuitu Ecclesiæ cu-„ jus servitio sunt deputati; ita ut ab Ecclesia honestæ vitæ „ stipendia tantùm promereantur & capere possint.

CAPUT VIII.

Ad quos bona Clericorum *intestatorum* deferantur?

1. *Canones volunt bona Ecclesiastica post mortem Clericorum deferri Ecclesiæ.*
2. *Ante rerum Ecclesiasticarum divisionem satis constabat, quid nomine* Ecclesiæ *hic significaretur.*
3. *Facta divisione dubitari cœpit.*
4. *Dubium decidit Alexander III.*
5. *Bona Clerici defuncti devolvuntur vel ad Congregationem, vel ad successorem in beneficium.*
6. *Fundamentum hujus distinctionis.*
7. *Bona Episcopi, Archidiaconi, vel alterius in dignitate constituti ad quem devolvantur?*
8. *Devolvuntur bona Clericorum ad Capitulum non jure hareditario, sed jure* peculii.
9. *Consuetudo subinde bona Clericorum decedentium sine testamento defert ad Episcopum.*
10. *Decretalis Bonifacii VIII. probata à Concilio Constantiensi hanc consuetudinem supponit.*
11. *Solet hac consuetudo restringi ad* mobilia; *& quare?*
12. *Quæ sit hac in parte consuetudo Diœcesis Leodiensis.*
13. *Consuetudo deferens mobilia Clerici defuncti Episcopo probata in Synodis Tornacensibus.*
14. *Hodie Capitula Canonicis tantum in* mobilia *succedunt.*
15. *Privilegium datum Episcopis succedendi* Clericis *comprehendit etiam* Canonicos.
16. *Qui dispositionem rerum suarum in voluntatem alterius contulit non censetur decedere* intestatus.
17. *Quando constat sufficienter de dispositione Clerici non censetur decedere intestatus.*
18. *Episcopi Aurelianenses olim Clericis in* mobilia *succedebant; sed id hodie abolitum asserit Choppinus.*
19. *Id conforme consuetudini Regni Galliæ deferenti bona Clericorum intestatorum indistinctè proximioribus hæredibus.*
20. *Idque etiam quoad bona Episcopi qui vitam Monasticam professi fuerunt.*
21. *Etiam in Belgio idem obtinet.*
22. *Consuetudo non concernit bona nomine Ecclesiæ comparata.*
23. *Neque procedit cum ex conjecturis sat constat, defunctum voluisse Ecclesiæ relinquere.*
24. *Quomodo fructus nondum percepti dividendi inter hæredē defuncti & successorem in Beneficium.*
25. *In aliquibus Ecclesiis computatur annus à die S. Joannis aut alterius Sancti.*
26. *Quid circa hoc habeant Synodi Belgicæ.*
27. *In aliquibus Ecclesiis fructus non percepti cedunt Episcopo vel Archidiacono.*
28. *Hi quibus cedunt tenentur curare ut oneribus Beneficii satisfiat.*
29. *Canonicis solet dari* annus gratiæ.
30. *Cuykius Episcopus Ruræmundensis eum improbat.*
31. *Nulla legitima auctoritate, & ex causa parum honesta introductus apparet.*
32. *Laudantur Canonici Lovanienses quia annum gratiæ aboleverunt.*
33. *Quo fundamento nitatur consuetudo deferens bona Clericorum ad proximos hæredes.*
34. *Hæc consuetudo non immutat naturam bonorum Ecclesiasticorum.*
35. *Hæredes eaut bona Ecclesiastica dispensare debent.*
36. *Similiter & Episcopi in bona illa ex consuetudine succedentes.*
37. *An Canonici bona mobilia defuncti* inter se *dividere possint?*

I. MAnifestum est ex Canonibus hactenus hoc titulo spartim relatis, proventus Ecclesiasticos; uti & bona ex proventibus illis acquisita, quæ post mortem Beneficiatorum superveneránt multis seculis mansisse penes Ecclesiam; utpote ad quam & proventus illi spectare credebantur; & ipsis Beneficiatis, non nisi tamquam *usuariis* concessa, ut vita sua durante ex illis *necessaria* accipere possent: aut etiam in pauperes, & pios usus dispensarent; post mortem verò, quidquid superesset, apud Ecclesiam, tamquam proprietariam remaneret.

II. Quamdiu substitit integra bonorum Ecclesiæ communio, & plena eorum dispensatio penes Episcopos mansit, nequaquam ambiguum erat, quid *Ecclesiæ* nomine intelligeretur: neque per quem decedentium Clericorum proventus Ecclesiastici essent dispensandi.

III. At facta bonorum Ecclesiæ partitione, præsertim illa, qua cœpit ipsorum Capitulorum mensa à mensa Episcopali dividi; & singulis titulis sui particulares proventus annecti, dispensandi, non per Episcopum, sed ipsos *singulares* Titulares, dubitatum fuit, quid nomine *Ecclesiæ*, cui proventus morientium Beneficiatorum cederent, significaretur.

IV. Hoc dubium dirimere volens Alexander III. in *Cap.* 12. ✕ *De Testamentis* declarat, quod " nomine *Ecclesiæ*, „ non Episcopus, vel Successor Clerici morientis ubi est „ collegium Clericorum, sed communis Congregatio intel-„ ligatur, quæ rerum illarum debet canonicam distributio-„ nem & curam habere. Ubi autem in loco defuncti tantum „ est unus ordinandus, is ea bona (sicut & alia ipsius Eccle-„ siæ in Dei timore dispenset.

V. Ex hac decretali quæ in Decretales Gregorii IX. relata jus commune facit, res à Clericis relicta non ad Episcopum; sed vel ad Collegium Clericorum, vel ad Successorem devolvitur: quod & divisioni rerum Ecclesiæ tempore hujus Decretalis stabilitæ, conforme esse rectè advertit Boëtius Epo ad hanc Decretalem,

Æquum enim est, quod cùm illi qui sunt de communi Clericorum Collegio vel Congregatione, de communi massa bonorum totius Collegii seu congregationis, separata à massa Episcopi, suas accipiant præbendas seu portiones, etiam ad eamdem massam, quidquid singulis decedentibus fortè superfuerit, redeat.

Eadem ratione æquum est, ut quidquid superest Clerico dece-

decedenti, qui vixit de proventibus, eosque & dispensavit, qui titulo Ecclesiastico sunt annexi; & huic aut illi officio singulariter & seorsim destinati, maneat in hac singulari massâ cum reliquis bonis titulo annexis; ipsique Titulari dispensatio relinquatur.

VI. " Totius igitur districtionis hic traditæ fundamen„tum consistit in ipsorum bonorum Ecclesiasticorum, un„de defunctus Clericus portionem suam accepit, conditio„ne. Nam semper ea quæ defuncto supersunt ad propri„am conditionem redeunt. Quare si percepta fuerint ex a„liqua massâ communi, ad eamdem communionem rede„unt; sin autem aliunde percepta fuerint, eodem redire de„bent. " Ita Boëtius Epo loco citato *n.* 14.

VII. Hinc & ibidem resolvit cum Glossographo, quòd quatenus Episcopi, Archidiaconi, aliique in dignitate constituti, " habent bona sua prorsus aliena & separata à bonis „Capitulo communibus (quod Episcopo ferè perpetuum „est) non Capitulum, sed eorum successores in officium „vel dignitatem, præferentur: quatenus verò præbendas „habent ex communi bonorum Capitularium corpore seu „massâ, instar cæterorum Canonicorum, Capitulum præ„feretur.

VIII. Rectè autem notat Zypæus in Jure Novo tit. De Testamentis *num.* 2. quod bona Clerici defuncti " ad Capi„tulum vel Congregationem revertantur, non tam jure „hæreditatis, quàm peculii.

IX. Hæc quidem inspecta hac Decretali & jure communi; at speciali consuetudine aliove titulo jam pridem, etiam post hanc editam Decretalem, Episcopi nonnulli res Clericorum seu beneficiatorum decedentium sibi attribuerunt, uti evidenter supponit Synodus Pictaviensis anno 1280. *Can.* 8. monens omnes qui Sede vacante aliquid ex bonis Clericorum *intestatorum* acceperint, *Episcopo* restituant. Verba Canonis sunt: " Monemus omnes illos, qui de bonis „Sacerdotum vel Clericorum beneficiatorum *intestato„rum* aliquid habuerint Sede vacante, *nobis* vel mandato „nostro restituant infra mensem.

X. Eamdem consuetudinem supponit, & non obscurè probat Bonifacius VIII. in *Cap.* 9. *De Officio Ordin. in* 6. Prohibet enim ne Episcopi, aut Abbates, seu quivis alii Regulares vel seculares Prælati vacantibus Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus vel Ecclesiis quibuscumque sibi subjectis, eorumdem bona (morientibus eorum Rectoribus vel ministris) *in ipsis inventa*, occupare aut in usus suos convertere quoquo modo præsumant: " Nisi (ait) de „speciali *privilegio* aut *consuetudine* jam præscripta legiti„mè, seu alia causâ rationabili hoc eisdem competere di„gnoscatur.

Concilium constantiense *Sess.* 39. *tit De Spoliis*, vetat per Episcopos & inferiores Prælatos bona decedentium Clericorum occupari præter & contra juris communis formam, " constitutione (ait) felicis Bonifacii VIII. quæ inci„pit, *præsenti*, super hoc edita specialiter in suo robore du„ratura.

XI. Juxta hanc ergò declarationem Bonifacii VIII. toleratur consuetudo, quæ etiam hic in Belgio viget multis in locis, ut Episcopi Clericis intestatis, qui non sunt de certo Capitulo aut Congregatione, succedant, saltem in mobilia: quia major præsumptio est, quod mobilia ex proventibus Ecclesiasticis fuerint ad usus quotidianos & necessarios comparata; quàm immobilia, quæ potiùs à parentibus tanquam patrimonialia ad Clericos devoluta supponuntur.

Magis enim indecorum, minusque conveniens statui Clericali, & conditioni proventuum Ecclesiasticorum consonum est, bona immobilia, quæ non ad necessitatem & usum quotidianum comparari solent, ex bonis Ecclesiasticis parare, quàm *mobilia*, quæ necessitatibus & usibus quotidianis deservire debent, quodammodo necessaria sunt.

XII. In Diœcesi Leodiensi, si Pastores, beneficiati aut alii Presbyteri sine licentia condendi Testamentum ab Episcopo obtenta moriantur (sive condiderint testamenta sive non) eorum mobilia pertinent ad Reverendissimum Episcopum, quo cum Parentes aut hæredes defuncti ordinariè conveniunt, ut mediante aliquali recognitione in jus ejusdem Episcopi surrogentur. Hanc esse modernam Ecclesiæ illius consuetudinem, mihi de ea inquirenti rescriptum est. Eamdem nonnullæ Ecclesiæ Belgicæ, quæ olim Diœcesis Leodiensis fuerunt, prætendunt.

XIII. Synodus Tornacensis anno 1481. *cap.* 7. præcepit Decanis, mobilia Presbyterorum " statim post eorum obi„tum subsecuro & stricto arresto inventariari, ac inventa„riata teneri quoad usque ei constiterit, an Presbyteri defun„cti testamentum condiderint vel non, si autem intestati „decesserint bona prædicta per Dominos Decanos ad ma„jorem utilitatem vendantur, & taliter super hoc Decani „disponant, quod ipsi inde gentibus & officiariis nostris „computum & rationem loco & tempore debitis reddere „possint, si verò testati fuerint testamento approbato, bo„na executoribus tradi imperat.

Hæc ad verbum renovata fuêre in Synodis anno 1509. & 1520. & in altera anno 1568. *cap.* 5. art. ultimo dicitur: " Sacerdotum intestatorum mobilia secundùm antiquam „nostræ Diœcesis consuetudinem nobis competere de„claramus. " Hoc ipsum & posteriores Synodi confirmant.

XIV. Sicuti autem Episcopi in *mobilia* duntaxat succedere prætendunt, ita & Capitula passim, etiam hic in Belgio, Canonicis intestatis succedunt tantum in bona *mobilia*; tametsi de jure communi succedere deberent in omnia bona, tam immobilia, quàm mobilia ab Ecclesia profecta, sive ex proventibus Ecclesiasticis comparata: uti notat Zypæus loco citato *n.* 1.

XV. Scribit Innocentius III. Episcopo Altissiodorensi: " Cùm tibi de benignitate Sedis Apostolicæ sit indultum, „quod ordinatio rerum clericorum ab intestato deceden„tium liberè in tua potestate, ac dispositione permaneat, „volens omnem materiam scandali removeri, quod ali„quando inter te, & tuos est subortum, super duobus nos „consulere voluisti. Primò an appellatio vocabuli clerico„rum, tam ad Canonicos quàm ad non Canonicos exten„datur. Secundò, an illi qui in voluntate, & dispositione al„terius suam committunt ultimam voluntatem nihil per „se penitus, ordinantes, vel determinantes quid cui loco, „vel personæ conferri debeat, dicantur decedere intestati. „Primæ igitur consultationi tuæ duximus respondendum, „quod appellatio clericorum non solùm alios, sed & Cano„nicos comprehendat. In secunda verò dicimus, quod qui „extremam voluntatem in alterius dispositione committit, „non videtur decedere intestatus.

Refertur hoc Innocentii Rescriptum partim in *Cap.* 13. ꝉ *De Testamentis*, & partim in *Cap.* 28. ꝉ *De V. S.*

Duo verò ex integro rescripto habentur. Primum quod vi indulti seu privilegii Sedis Apostolicæ interdum Episcopo competat ordinatio & dispositio rerum Clericorum ab intestato decedentium. Hoc jure usus etiam est Thomas Archiepiscopus Eboracensis ex privilegio Alexandri III. teste Matthæo Parisiensi qui ad annum 1181. scribit: " Eo„dem anno Rogerus Eboracensis Archiepiscopus diem „clausit supremum 12. Kalendis Decembris, qui adhuc vi„vens à Papa Alexandro privilegium impetraverat, ut si „Clericus suæ jurisdictioni suppositus, agens in extremis „testamentum non conficeret & propriis manibus bona „sua moriens non distribueret, Archiepiscopus haberet fa„cultatem injiciendi manus in bona defuncti.

Nomine *Clericorum & Canonicos* comprehendi, ostendit ipsum Innocentii responsum, adeoque quod excluso Capitulo, Episcopo vi privilegii competat ordinatio & dispositio bonorum quæ à Canonicis *intestatis* relinquuntur.

XVI. Alterum ex hoc Innocentii responso habetur, quod

si

si quis in dispositione & voluntate alterius dispositionem rerum suarum contulit non censeatur decedere *intestatus*; nimirum ad hunc effectum, ut vi privilegii Episcopo competat ordinatio rerum defuncti; tamquam is *intestatus* decessisset; uti recte advertit Andræas Fachinæus *lib. 5. Controvers. cap. 57.* notans quod ex integro responso seu Decretali Innocentii verus hic intellectus *Cap. 13.* ... *De Testamentis* sumi debeat.

XVII. Hic communiter statuunt Canonistæ, quod si sufficienter & legitimè quocumque modo constet de voluntate defuncti, sufficiat ad excludendum Episcopum vel Capitulum à rebus Clerici defuncti, tametsi solemne testamentum non sit.

Unde & inter statuta Capituli secundæ fundationis erecti per Eugenium IV. in Ecclesia S. Petri Lovanii reperitur hic articulus: "Item statuimus ac ordinamus, quod ille non „censeatur ab *intestato* defunctus, neque poterit Decanus „vel Capitulum de bonis ejus quomodocumque disponere „de cujus voluntate *quomodolibet* apparet per scripturam „publicam, aut etiam *quantumcumque privatam*, seu „simplicem sive non solemnem manu decedentis scriptam, aut saltem subsignatam, aut de ejus scientia aut scitu „sigillatam.

XVIII. Ex Joanne Fabro refert Choppinus *lib. 1. De Jurisdict.* Andegavensium *cap. 41. num. 1.* in nota marginali, Aurelianenses Episcopos, & Capitula vindicare sibi bona Clericorum *intestatorum* veteri ac recepta consuetudine: addit autem Choppinus: *Sed omnia ista progressu temporis exoleverunt.*

XIX. Verisimile est, Choppinum reflexisse ad generalem Galliæ consuetudinem, qua receptum est, quod exclusis Episcopo & Ecclesia, vel Capitulo, bona Clericorum *intestatorum* indistinctè sive mobilia sive immobilia, undecumque provenientia, etiam ex proventibus Ecclesiasticis, devolvantur ad proximiores consanguineos, non secus ac bona laicorum; quemadmodum uno consensu tradunt Pragmatici Galliæ, uti videri potest apud Broudæum in notis ad Louëtium *litt. E. num. 4.* idque & quoad fructus beneficii tam perceptos, quàm percipiendos: citatque plurimas particulares Provinciarum & locorum consuetudines huic generali juri Gallicano conformes: monetque ex Molinæo, non tantùm Decretales & canones huic consuetudini generali contrarias non esse in usu, sed & Capitulorum ac Ecclesiarum particularia Statuta ei contraria, judicari nulla & abusiva.

XX. Idque etiam quoad Episcopos qui ante Episcopatum vitam regularem vel monasticam erant professi: his enim *intestatis* morientibus ex generali Galliæ Consuetudine in universa bona succedunt proximi de sanguine; ut passim testantur Pragmatici; & non semel judicatum fuisse refert Mornacius ad *L. 33. ff. De Peculio.*

XXI. Refert Wamesius *Consilio Can. 371.* arbitraria sententia per amplissimos Dominos Consiliarios Concilii Arthesiensis, hæredibus Reverendissimi Domini Richardoti Episcopi Atrebatensis, ejusdem Episcopatus perceptos, & ante illius mortem collectos, & inhorreatos fructus fuisse adjudicatos, non successori in Episcopatum.

Richardotum autem ex Ordine Eremitarum S. Augustini ad Episcopatum Atrebatensem assumptum fuisse constat.

XXII. Hæc tamen generalis consuetudo restringitur ad bona, quæ Episcopus, prælatus aliúsve Clericus acquirit suo nomine pro se & hæredibus suis. Si enim ea nomine Ecclesiæ comparasset, non essent hæreditaria, ut idem Auctor ex Molinæo refert judicatum.

XXIII. Similiter si appareat de destinatione & voluntate Clerici fundata super conjectura & præsumptione vehementi, quòd bona exempta in usum Ecclesiæ cedere voluerit; quemadmodum in casu occurrente ibidem judicatum testatur Broudæus.

XXIV. Cùm non tantùm fructus percepti, sed & percipiendi ad hæredes pertineant, quæritur à Canonistis, quomodo fructus illius anni, quo beneficiatus abiit, dividendi sint inter hæredes defuncti & successorem in beneficium: communisque receptum, dividendos esse pro rata temporis quo onera beneficii tulit; eodem modo quo fructus dotis, soluto matrimonio, dividuntur inter viduam & viri hæredes; uti multis citatis Auctoribus & Parlamentorum Arrestis notat Broudæus ad Louëtium *litt. F. n. 11.*

XXV. "Et hanc computandi rationem politia tum Ci„vilis, tum Ecclesiastica passim recepit," ait Zypæus *Consult. 4. De Success. ab intestato*, additque: "Nisi quod in „pluribus Ecclesiis annum computari consuetum sit à festo „S. Joannis, seu alterius Sancti pro cujusque Ecclesiæ ob„servantia; eo quòd ad eum diem præcisè beneficiarii resi„dentiam inchoare possint, & debeant; & revoluto anno „ad eumdem diem finiant: unde eumdem computum fru„ctuum ratio sequitur. Atque ejus quidem rationis semper „ea causa manet, ut ad ratam præstiti eo anno servitii de„beatur rata fructuum, respondeatque ratum operæ pre„tium, quatenus operarius dignus est mercede sua.

XXVI. Huic consonat quod in Synodo Antverpiensi sub Miræo *tit. 8. cap. 11.* decernitur: "Fructus Pastoratus „aut beneficii vacantis per decessum vel cessum debentur „domui mortuariæ pro rata temporis, quo possessor rese„dit post festum S. Joannis Baptistæ.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 17. cap. 5.* desiderat, ut Ecclesiis Parochialibus vacantibus, quàm fieri potest certissimè provideatur de idoneis Pastoribus; "Illique (ait) „mox instituantur, & sic à capta possessione, & inchoata „residentia pro rata temporis fructibus gaudeant.

XXVII. In aliquibus Ecclesiis fructus beneficii solent ipsi domui mortuariæ, aut etiam Episcopo, vel Archidiacono usque ad festum S. Joannis, vel aliud festum pro varia Ecclesiarum consuetudine cedere.

XXVIII. Porrò ad quoscumque beneficii fructus pertineant, oneribus beneficii quoque satisfacere debent: res enim transit cum suo onere: neque ferendus esset, volens lucrum amplecti, onera autem ferre recusaret, quemadmodum in re non absimili deciditur in *Cap.* PRÆSENTI *De Officio Ordinarii in 6.* ubi declaratur, quod si ex privilegio aut consuetudine alicui cedant bona beneficiati defuncti, "hoc de illis bonis debeat intelligi quæ *solutis debitis*, si „qua sint, & iis, quæ fuerint *necessaria* pro servitoribus & „ministris ac incumbentibus oneribus, usque ad novos re„ditus supportandis, congruè reservatis, ex ipsis reperta „fuerint superesse.

Hinc in citata Synodo Antverpiensi post allegata verba subjungitur: "Ulteriores (fructus vacantis beneficii) verò „administrabit Sigillifer & debitis *oneribus* curabit satis„fieri.

Et ita quoque videmus usu observari, in Collectoribus Episcoporum, qui vacantium litigiosorumque beneficiorum fructus occupant, ait Wamesius *Consil. Can. 372.* quod nimirum oneribus beneficiorum satisfaciant pro rata temporis, quo fructus accipiunt. Videri possunt quæ de portione congrua danda Vicario seu Deservitori vacantibus Ecclesiis Parochialibus dicta sunt *tit. 22. cap. 5.*

XXIX. In pluribus Canonicorum Collegiis consuetudo habet, ut fructus unius aut subinde plurium annorum cedant integri ipsi domui mortuariæ, vocarique solet *annus gratiæ*; de quo anno gratiæ latè egit Henricus Cuykius Episcopus Ruremondensis in epistola parænetica ad universum suæ Diœcesis Clerum de moderatione Cleri, testamentariis tabulis Ecclesiasticorum, & *anno gratiæ* abolendo.

XXX. Hic multis hunc *annum gratiæ* improbat; notatque quod ferè non alii quàm Canonici hunc *annum gratiæ* habeant, "qui non solùm viventes de proventu Ec„clesiæ sustentari volunt, sed *annum* quoque *gratiæ* sibi „ipsis indulgent; ut qui in manes etiam suos benefici esse „volunt.

XXXI. "Quæro igitur (ait Cuykius) quo jure hic annus invaluit? quo percipientium merito? quibus authoribus? & quis probaverit? An Apostolica sedes? an Ordinariorum authoritas? Neutrum horum dici potest. Sibi ipsis ergo hanc faciunt gratiam qui ab Ordinariorum sese eximunt authoritate, nec dirigi, nisi à se ipsis volunt. Quid mirum si impingant? Non igitur Pastores, non Episcopi, non Beneficiati alii, sed *Canonici soli*, consensu mutuo hunc quem dixi *annum gratiæ* adinvenerunt. Quo verò Consilio? aut qua necessitate? Nempè quod usu veniret interdum, ut rerum suarum decoctores, quales sunt intemperati, ebriosi, Veneri ac ventri dediti, aleatores, ignavi ac torpidi Canonici, cum multo ære alieno ex hac vita discederent, nec superesset, unde conflata debita possent dissolvi. Inde cœpit ille annus gratiæ: ut è proventu præbendæ ejus qui mortuus esset, æs alienum dissolveretur. Irritamentū hoc fuit multis ad contrahendum debita plura & graviora: & quidem tanta interdum, ut extinguendis illis nec *annus gratiæ* quidem possit sufficere. Quis non reputet injustum: ut qui ad Canonicatus accedunt, & chori ac templi onera subeunt, propter ejusmodi decoctores, debito frustrentur proventu? Et qui mortem obierunt, pro eo tempore, quo nullum Ecclesiæ præstant obsequium, fructu illius fruantur.

XXXII. Deinde ostensa hujus *anni gratiæ* injustitia laudat Canonicos Ecclesiæ S. Petri Lovanii quod hunc annum gratiæ aboleverint, optátque ut eorum exemplum alii sequantur. "Quamobrem laudandi Lovanienses D. Petri Canonici, qui ante sex, septémve annos, etsi primi anni sui fructu propter annum gratiæ qui antecessoribus cesserat spoliati omnes fuissent; his persuasi rationibus, & propter Pontificiam prohibitionem illam quæ annum gratiæ ubique aboleri voluit, libera voluntate & prorsus heroica virtute, toto suffragante Capitulo, annum gratiæ ita penitus abrogaverunt, ut nulla jam apud illos ejus extet memoria. Imitati etiam sunt nostri Rurimundenses Canonici; & re penitiùs introspecta, hunc non gratiæ, sed meræ injustitiæ annum, pro se suisque posteris contemnendum quoque putaverunt. Optandum sanè ut cæteri omnes aliarum quarumlibet Ecclesiarum Canonici, ad eandem justitiæ normam redigantur; nec mortuos imposterum sinant in labores viventium introire, nec rationem ullam habendam putent decoctorum illorum qui suam profundunt substantiam, nullum finem facturi conflandi debita, nisi ex auctoritate ad disciplinam & parsimoniam revocentur, nisi tutoribus subjiciantur, nisi subdantur correctioni: quæ una & sola ratio est, qua illi, qui Christi decoquunt patrimonium, in ordinem redigantur.

XXXIII. Consuetudo transmittens proventus Ecclesiasticos aliáque ex reditibus Ecclesiasticis aut ab Ecclesia profecta ad proximos de sanguine ipsius Beneficiati, videtur eodem fundamento niti, & eodem titulo tolerari, quo nititur & toleratur consuetudo testandi *validè* de eisdem proventibus & bonis, etiam in favorem consanguineorum divitum: nimirum propter *odia litium*; sive ne lites nimium multiplicarentur, dum bona patrimonialia aut aliundè quàm ab Ecclesia profecta, à bonis Ecclesiasticis essent secernenda.

XXXIV. Unde sicuti consuetudo sustinens validitatem testamenti quoad dispositionem horum Ecclesiasticorum, horum naturam seu conditionem non immutat: ita nec hæc quæ Clericorum intestatorum bona undecumque obvenientia defert ad proximos de sanguine.

XXXV. Itaque bona Ecclesiastica ad hæredes sive ex testamento, sive ab *intestato* devolvuntur sub eadem conditione & onere quibus fuerunt apud defunctum: neque per hanc translationem quidquam de natura horum bonorum immutatur; sed ipsi hæredes ea, ut bona Ecclesiastica dispensare debent; & credere, quod sicut defuncto Clerico non licuit de iis luxuriari, & in profanos usus expendere; sic nec ipsis liceat: utpotè qui bona illa cum eodem onere ex persona defuncti acceperunt.

XXXVI. Scribit Thomas Cantipratanus *lib. 2. cap. 55.* relatum de Venerabili Guilielmo Episcopo Parisiensi, quod cum nuntiaretur ei "quemdam Canonicum Ecclesiæ Parisiensis intestatum decessisse, & ipse de jure Canonico in tribus millibus marcharum succedere deberet eidem, complosis manibus respondit: Absit hoc à me: sed heu misero pecunia sua secum sit in perditionem: & hæc dicens, præcepit pecuniam in usus pauperum erogari." Addit dein Cantipratanus: *Benè & dignè dixit & fecit.*

Neque alia fuit mens Patrum Concilii Toletani anno 1566. qui *Act. 2. cap. 18.* decreverunt: "Bona quæcumque eorum Clericorum qui *intestati* moriuntur, ad Episcopum vel consuetudine vel alio quocumque jure pertinentia ac devoluta, per eundem Episcopum in *pios* tantùm usus, ejus arbitrio expendantur.

Synodus Coloniensis anno 1536. *parte 13. cap. 11.* ait: "Ubi Sacerdos nostræ Diœcesis Coloniensis mortuus est *intestatus*, bona ipsius præter patrimonialia, quæ hæredibus cedunt, deducto ære alieno & funeralibus, in *piam* causam pro defuncti animæ salute convertantur.

XXXVII. Joannes Molanus in suo tractatu de Piis Testamentis *cap. 41.* notans quod Alexander III. in citato *Cap. 12.* ꝫ *De Testamentis*, velit, ut dum Clerici intestati decedunt, communis Congregatio rerum ab ipsis relictarum debeat *Canonicam distributionem & curam* habere; vel successor ea bona *in Dei timore dispensare*, concludit, "quod à decedentibus absque testamento, Ecclesiæ suo jure accedit, hoc non videri à Canonicis *in privatum* singulorum usum dividi posse; sed in *Dei timore* dispensandum esse, ut & animæ defuncti prosit, & in *communem* totius Ecclesiæ utilitatem redundet.

Itaque (ait Molanus) si qui Canonici sordida quærant compendia, discant, quid sit *Canonica distributio*, ubi Alexander scribit, "communem congregationem rerum illarum debere *Canonicam distributionem & curam* habere. Si enim intelligant distributionem in capita Canonicorum, vehementer falluntur; si autem intelligant distributionem secundùm Canones, rectè intelligunt.

Unde laudandum jam nominatum Capitulum Canonicorum secundæ fundationis, quod nihil in utilitatem Canonicorum vult applicari, sed juxta verisimilem mentem defuncti omnia dispensari. "Item statuimus & ordinamus, quod si contingat quem ex nostris Canonicis decedere intestatum, de cujus voluntate non appareat, per quamcumque scripturam, etiam minùs solemnem, quod in illum eventum Capitulum dabit duos executores, qui de ejus bonis derelictis pro funeralibus, ac debitis legitimis, pro hæredibus, ac aliàs ad *pios* usus applicandis habebunt legaliter dispensare secundùm *verisimilem* mentem ac voluntatem taliter decedentis.

TITU-

TITULUS XXXIII.
De Decimis & Oblationibus.

CAPUT I.
De Origine Decimarum, & quo jure debeantur?

1. *Praceptum veteris legis de solvendis* decimis *per Christum renovatum non est.*
2. *Praceptum hoc ab Ecclesia, etiam in quantum judiciale, renovari potuit, & qua ratio renovandi.*
3. *In veteri lege hoc praceptum etiam erat partim* morale.
4. *Hodie partim ex jure naturali, partim ex jure humano decima debentur.*
5. *Incertum, quando praceptum de solvendis decimis populo Christiano datum fuerit: tribus primis seculis datum non est.*
6. *Cessante persecutione Imperatorum Ethnicorum fidelis populus de decimis solvendis moneri cœpit.*
7. *Adhortatio S. Hieronymi ad solutionem decimarum.*
8. *Sanctus Chrysostomus earum solutionem multum ursit.*
9. *Eas commendavit S. Augustinus.*
10. *His Patrum exhortationibus multi ad decimas solvendas adducebantur.*
11. *Nullum tamen adhuc erat praceptum de decimis*
12. *Sermo de* decimis reddendis *falsò S. Augustino adscriptus.*
13. *Consuetudo decimas solvendi sensim invaluit; & unde?*
14. *Seculo 6. Episcopos coëgisse laicos ad solvendas decimas constat ex Constitutione Justiniani Imp.*
15. *Occasione hujus legis invaluit consuetudo apud Gracos non solvendi decimas.*
16. *Alia apud Gracos tributa in subsidium Sacerdotum sunt.*
17. *Obligatio decimas solvendi in aliquibus Ecclesiis Latinis seculo 5. videtur fuisse.*
18. *Seculo 6. praceptum de solvendis decimis expressit Synodus Matisconensis.*
19. *Nullum antiquius de decimis solvendis praceptum creditur.*
20. *Capitularia Regum Francorum eam obligationem apertè edicunt.*
21. *Principes ad earum solutionem populum constringebant seculo 8.*
22. *Quàm sollicitè decimarum solutionem urserint Principes, patet ex lege Longobardorum.*
23. *Noluerunt tamen constringi populum mediante ju*ramento.
24. *Non facilè permittenda in solutione vectigalium exactio juramenti.*
25. *Non ubique solutio decimarum aqualiter recepta & stabilita.*
26. *Decreta de solvendis decimis generaliter concipiebantur seculo* 10.
27. *Pontifices aliquando generaliter Responsa exprimebant attenta loci consuetudine.*
28. *Omissa mentione consuetudinis eorum fragmenta in Decretales Gregorii IX. relata.*
29. *Responsum Alexandri III. de decimis etiam apud solvendis mutilatè in Decretales relatum.*
30. *Ad responsa Pontificum ut in Decretales relata respexerunt posteriores Synodi & auctores.*
31. *Calestinus III. voluit etiam de* militia *decimas solvendas esse.*
32. *Indicat earum solutionem ex traditione SS. Patrum descendere.*
33. *Allusit ad sermonem falsò tributum S. Augustino.*
34. *Ex hoc responso Calestini receptum est, decimas etiam personales de jure debitas esse.*
35. *An antiquitùs de his solvendis extet praceptum?*
36. *Alia decimarum species, qua occasione invaluerint?*

I. IN Lege Mosaïca, decimas ex fructibus & frugibus terræ debitas fuisse Levitis & Sacerdotibus Veteris Legis dubium non est: at præceptum illud tamquam judiciale & merè positivum, Lege Mosaica per mortem Christi quoad judicialia & cæremonialia mortua, etiam cessâsse: neque per Christum, aut Apostolos Christianis datum præceptum esse, ut *decimam* partem fructuum Clero seu Sacerdotibus Novæ Legis solvere teneatur, hodie à Canonistis & Theologis fat communi consensu recipitur.

II. Hanc sententiam probat S. Thomas 2. 2. *q.* 87. ubi unà imprimis monet, præceptum de solvendis decimis datum in Vetere Lege fuisse unum ex præceptis *judicialibus*, quæ quidem per Christum cessârunt; sed renovari potuerunt auctoritate eorum quorum est condere Legem.

Secundò docet, " quod determinatio decimæ partis solvendæ, sit auctoritate Ecclesiæ, tempore Novæ Legis instituta, secundùm quandam humanitatem: ut scilicet non minùs populus Novæ Legis ministris Novi Testamenti exhiberet, quàm populus Veteris Legis ministris Veteris Testamenti exhibeat.

III. Tertiò monet ibidem, præceptum de solvendis decimis etiam tempore veteris legis partem fuisse " *morale* inditum naturali ratione. Quod enim eis qui divino cultui ministrabant ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat.

IV. Ex his concludit: " Sic ergo patet, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen pensatis opportunitatibus temporum & personarum, posset aliam partem determinare solvendam.

Hæc Doctoris Angelici conclusio unanimi Theologorum & recentiorum Canonistarum calculo probatur, & ubique gentium usu recepta est, explosâ quorumdam antiquorum Canonistarum opinione, qui volebant, populum Christianum ad specificam ac determinatam decimarum solutionem, non minùs quàm populum Judaicum, præcepto *divino*, nulla consuetudine abolendo, obligari.

V. At illud non æquè compertum, quandonam præceptum de solvendis decimis populo Christiano impositū sit.

Id sat expeditum videtur, tribus primis Ecclesiæ seculis, adhuc sæviente Imperatorum Ethnicorum persecutione in Christianos, decimas nondum solvi solitas, nec inter Ecclesiasticos proventus numeratas fuisse.

Sanctus Cyprianus libro De Unitate Ecclesiæ ait : *At nunc de patrimonio nec* DECIMAS *damus*. Et Epistola 66. ad Clerum & populum Furnitanorum, ostendere volens, Sacerdotes per secularia negotia ab Officio altaris non esse abstrahendos; atque propterea in vetere lege assignatas fuisse decimas de fructibus terrarum, quæ aliis Tribubus erant assignatæ, subjungit: " Quæ nunc ratio & forma in Clero tenetur ut qui in Ecclesia Domini ordinatione clerica promoventur, in nullo ab administratione divina avocentur, nec molestiis & negotiis secularibus alligentur, sed in honore *sportulantium* fratrum, tamquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sacrificiis non recedant, sed die ac nocte cœlestibus rebus, & spiritualibus serviant. " Hæc palàm supponunt, tempore Cypriani, *sportulas* vicem decimarum subiisse. Unde & ad illa verba Cypriani reflectens vir eruditus Nicolaus Rigaltius hanc statuit conclusionem: " Itaque ab Apostolis ad usque Cypriani tempora nulla fuit, inter Christiana subsidia, mentio decimarum. Usitatæ aliquamdiu sportulæ.

VI. Cessante persecutione, id est sæculo 4. & sequenti, plura de solvendis decimis, ad exemplum populi Judaici, passim in concionibus & exhortationibus Patrum ad populum occurrunt; atque ex illis evidens est, Patres eo tempore crebris exhortationibus populum Christianum ad decimarum solutionem excitasse.

VII. Audiamus S. Hieronymum : " Quod de *decimis* primitiisque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdotibus ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite; quibus præceptum est, non solùm decimas dare & primitias, sed & vendere omnia quæ habent & dare pauperibus, & sequi Dominum Salvatorem. Quòd si facere nolumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus partem demus ex toto, & Sacerdotibus ac Levitis honorem debitum deferamus, " *In cap. 3. Malach.*

VIII. Decimas quoque laudabat, & ad eas offerendas excitabat populum suum S. Joannes Chrysostomus *Hom. 5.* in Epistolam ad Ephesios, asseverans, Christianos longè arctiùs quàm Judæos ad eleëmosynas obligari, adjungens: Nam quid Judæi non faciebant? *Decimas* & rursum decimas præbebant orphanis, viduis, proselytis. Sed mihi quidam de quopiam dicebat : Hic aut ille dat decimas. Quanto est hoc plenum probro & dedecore, si quod apud Judæos non habebatur in admiratione, hoc apud Christianos factum est admirabile! Si tunc erat periculum decimas non relinquere, cogita quantum nunc sit.

IX. Et sub idem tempus S. Augustinus idem urget in Enarratione in *Psalmum 146.* dicens: " Decimas vis? decimas exime, quamquam parum sit. Dictum est enim, quia Pharisæi decimas dabant, jejuno bis in sabbatho, decimas do omnium quæ possideo. Et quid ait Dominus? Nisi abundaverit justitia vestra plus quàm scribarum & Pharisæorum non intrabitis in regnum cœlorum.

X. Quin his justis & fortissimis Patrum exhortationibus plures moverentur ad fructuum suorum decimas Ecclesiæ offerendas, ambigi nequit: atque unus illorum indubiè erat rusticus ille, qui apud Cassianum *Collatione 14.* ad Abbatem Joannem dixisse fertur, *se numquam de fructibus suis aliquid usurpasse, nisi priùs Deo primitias eorum ac* DECIMAS *obtulisset.*

XI. Illud tamen ex ipso modo exhortandi sat constat, Patres quidem exhortari voluisse fideles, ut ad exemplum Pharisæi & populi Judaici de omnibus bonis sibi à Domino concessis, *decimas* Deo offerrent ; sed meras fuisse exhortationes, nullum Ecclesiasticum præceptum supponentes; ipsamque solutionem decimarum eo tempore *voluntariam* fuisse, ut aliarum eleëmosynarum oblationem, non obscurum est.

Unde Christianus Lupus tomo 4. Scholiorum in Canones *pag. 195.* relatis supra citatis verbis S. Chrysostomi ait: " Ex quo vides decimas tunc fuisse dumtaxat *voluntarias*. Eas quippe non unusquisque, sed hic dumtaxat, aut ille dabat, erátque opus admiratione dignum.

XII. Extat quidem sermo S. Augustini *De reddendis Decimis*, qui non tantùm exhortationem ad offerendas decimas continet; sed & rigidum præceptum non obscurè supponit *num. 3.* " Decimæ enim ex *debito* requiruntur, & qui eas dare noluerit, res *alienas* invasit. Et quanti pauperes in locis, ubi ipse habitat, illo decimas non dante famè mortui fuerint tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judicis apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam suis usibus reservavit.

Verum hunc sermonem tamquam Augustino suppositum in appendicem rejecerunt eruditi Parisienses operum Augustini Revisores, eique hanc notam præposuerunt: In appendice nunc primum collocatur. Lovanienses *dubium* reliquerant: rejecit post Verlinum Vindingus ob id maximè quod decimas de quibus reddendis hic agitur, intelligere liceat ex Sermone 3. in Psalm. 103. num 9. & ex enarratione Psalm. 146. num. 16. & 17. nondum fuisse Augustini ætate Clericis & Sacerdotibus datas aut assignatas.

XIII. Fatendum nihilominus est, crebris hisce Patrum & Pastorum suorum exhortationibus, Fideles ad *decimarum* oblationem multùm permotos fuisse; atque in pluribus locis sensim populum decimarum oblationi & solutioni se voluntariè submisisse: quo factum, ut tandem consuetudine invalescente, quæ voluntariæ priùs fuerant, tandem in necessarias transiverint: ipsique Episcopi refractarios ad solutionem adigere cœperint.

XIV. Et quidem seculo 6. in Ecclesia Orientali Episcopos coegisse laicos ad decimarum solutionem etiam sub pœna excommunicationis clarum est ex *L. 39 §. 1. Cod. De Episcopis & Clericis* ubi dicitur: " Non oportet, Episcopos, aut Clericos cogere quosquam ad *fructus* offerendos, aut angarias dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut anathematizare, aut denegare communionem, aut idcirco non baptizare: quamvis usus ita obtinuerit.

XV. Quamvis non constet, hac lege vetitam fuisse decimarum petitionem, nihilominus hoc scitur, à multis seculis, forsan occasione hujus legis, decimarum pensationem apud Orientales esse ignotam; nec obscurum est, ad eum Orientalium morem respicere Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap. 32.* ✠ *De Decimis* ; & rectè notavit Emmanuel Gonzales in commentario ad hanc Decretalem: ejusque moris meminit Decretalis Honorii III. cujus fragmentum extat in *Cap. 11.* ✠ *De Transact.* in qua dicitur. *Licet Episcopi Græcorum nec percipere* DECIMAS *consueverint.*

XVI. Verùm illud notandum, apud, Græcos certa fuisse constituta tributa pro Sacerdotum alimentis, ut constat ex Novella 3. & 43. Justiniani Imp. taxatúrque hujus tributi summa in Bulla aurea Isaaci Commeni; è qua taxatione apparet, hoc tributum vices decimarum facilè supplere posse.

XVII. In quibusdam Ecclesiis Latinis, decimarum solutionem tamquam necessariam & præceptam, fuisse propositam etiam seculo quinto, vel citatus sermo sub nomine Augustini evincit. Nam eruditi, qui eum Augustino abjudicant, Cæsario Arelatensi, qui sub finem seculi 5. floruit, tribuendum putant.

XVIII. Hanc obligationem clariùs & certiùs seculo 6. expressit Synodus Matisconensis II. *Can. 5.* supponitque, jam multo tempore, populum decimas obtulisse: " Nunc autem (ait) paulatim prævaricatores legum penè Christiani omnes ostenduntur, dum ea quæ divinitus sancita sunt, id implere negligunt.

Deinde subjicit : " Unde statuimus ac decernimus, ut mos antiquus à fidelibus reparetur; & decimas Ecclesiasticis famulantibus ceremoniis populus omnis inferat; quas Sacerdotes in usum pauperum, aut in captivorum redemp-

,, demptionem prærogantes, suis orationibus pacem popu- ,, lo ac salutem impetrent. Si quis autem contumax nostris ,, statutis saluberrimis fuerit, à membris Ecclesiæ omni ,, tempore separetur.

XIX. Hic evidens est præceptum de decimis solvendis; creduntque non pauci, hanc esse antiquissimam, quæ extet positiva lex Ecclesiastica de decimis solvendis: ante hoc Decretum solutionem decimarum vel voluntariam fuisse, vel solâ consuetudine vel fidelium usu stabilitam.

Quidquid sit, hoc indubitatum est, post hoc Decretum plurimos, præsertim in Ecclesia Latina, editos fuisse Canones eamdem decimarum solutionem urgentes & præcipientes.

XX. In Capitulari Caroli M. anno 801. *cap.* 6. decernitur: "Ut unusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes ,, erudiat, ut sciant, qualiter decimas totius Facultatis Ecclesiis divinis debitè offerant.

Admodum notandum est quod *cap.* 7. ibidem adjungitur: "Ut & ipsi Sacerdotes populi suscipiant decimas, & no- ,, mina eorum quicumque dederint scripta habeant & se- ,, cundum authoritatem Canonicam coram testibus divi- ,, dant, & ad ornamentum Ecclesiæ primam eligant partem: ,, secundam autem ad usum pauperum, vel peregrinorum ,, per eorum manus misericorditer cum omni humilitate ,, dispensent: tertiam verò sibimet partem ipsis soli Sacerdo- ,, tes reservent.

Huic non absimile est, quod anno 813. decretum est in Concilio Turonensi *Can.* 16. "Ut decimæ quæ singulis ,, dabuntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presby- ,, teris ad usum Ecclesiæ & pauperum summâ diligentiâ ,, dispensentur.

XXI. Imò quod ampliùs est, ab eo tempore non tantùm Episcopi; sed & Imperatores & Principes populum ad solvendas decimas constrinxerunt. *Lib.* 2. Capitularium Regum Francorum *cap.* 39. editionis Baluzianæ legitur: "Qui ,, decimas post crebertimas admonitiones & prædicationes ,, Sacerdotum solvere neglexerint, excommunicentur. Ju- ,, ramento verò eos constringi nolumus propter perjurii pe- ,, riculū. Idem reperitur in Concilio, Cabilonensi II. *Can.* 19.

Sed & per auctoritatem Regiam refractarios cogi volebant. "De Decimis quas populus dare non vult, nisi quoli- ,, bet modo ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum ,, est ne fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec E- ,, piscopum nec Comitem audire voluerit, si noster homo ,, fuerit, ad præsentiam nostram venire compellatur. Cæteri ,, verò distinguantur ut inviti Ecclesiæ restituant quod vo- ,, luntariè dare neglexerunt.

XXII. Ita an. 829. Ludovicus Pius in Capitulari Wormatiensi *tit.* 1. *cap.* 6. & reperitur *lib.* 5. *Capitularium Regum Francorum c.* 101. & illius fragmentum retulit Gratianus *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 7. ac integrum insertum est legibus Longobardorum *lib.* 3. *tit.* 3. *cap.* 8. ubi *cap.* 6. refertur hæc notabilis lex Imperatoris Lotharii, è qua patebit, quam solicitè & seriò voluerint à subditis decimas exsolvi: "De deci- ,, mis, ut dentur, & dare nolentibus, secundùm quod anno ,, præterito denuntiatum est, à ministris Reipub. exigantur ,, & eligantur quatuor vel octo homines optimi, prout, si ,, opus fuerit, de singulis plebibus juxta qualitatem uniuscu- ,, jusque plebis, ut ipsi inter Sacerdotes & plebem testes exi- ,, stant, ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc autem ideo tan- ,, tos testes esse diximus, ne ibi juramentum aliquod facien- ,, dum necessitas contingat. Non tamen omninò tantos te- ,, stes mittendos esse dicimus, ut ipsos semper omnes in dan- ,, dis decimis præsentes esse pariter necesse sit; sed dum plu- ,, ribus committitur, minus graventur, duos autem testes, ,, si adfuerint, sufficere credimus, negligentes autem à Pres- ,, byteris Ecclesiam ammoneantur, usque ad tertiam vicem, ,, ut ipsi decimam dent. Quod si contempserint, ab introi- ,, tu Ecclesiæ prohibeantur, & si hoc minimè emendave- ,, runt, à ministris Reipub. districti, singuli per caput VI. so- ,, lid. Ecclesiæ componant, & insuper dare decimam cogan- ,, tur. Nam si iterum contemptores existant, & per publi- ,, cam auctoritatem domus vel casæ eorum giffentur, quo- ,, usque pro ipsa decima, sicut supra dictum est, satisfaciant. ,, Quia si denuò rebelles vel contradictores esse voluerint, ,, & super ipsam guiffam, suâ auctoritate præsumpserint in- ,, troire; tunc à ministris Regis in custodiam mittantur, us- ,, que ad judicium dum postmodum perducantur, & ibi ,, secundum legem ad Comitem vel ad partem publicam ,, componant. Reliqua verò decima, ut supra dictum est, & ,, VI. solid. ad Ecclesiam satisfaciant.

XXIII. Hic meritò notatur, quod & Carolus M. in citato Capitulari, & ipse Lotharius tam solicitè caverint, ne ad solutionem decimarum populus juramento constringeretur; idque, ut expressit Carolus, *propter periculum perjurii*; quæ revera cautio notanda à Principibus & Magistratibus, ne facilè subditos suos juramentis involvant, ob evidens periculum, in perjurii crimina prolabendi.

XXIV. Hoc fundamento dum nuper Theologis & Jurisperitis Lovaniensibus propositus esset hic casus: Ad plenius colligendum tributum seu gabellam farinæ impositam in quadam regione, imponitur incolis, ut nisi conveniant cum collectoribus dicti tributi, *jurare* debeant, quantum consumant farinæ in sua familia pro mense vel anno &c. & non plus; quæ sicumque esset: An tale *juramentum* rectè incolis imponatur salvâ conscientiâ & bono publico? Responsum est ab octo Doctoribus Theologis, & quatuor Doctoribus Juris, hoc juramentum non esse incolis imponendum, ob periculum perjurii; adducto etiam loco S. Basilii ex *Epist.* 305. ubi ipse similis juramenti exactionem multis improbat.

XXV. Interim ex ipsis Conciliorum Canonibus; nec non Principum Sanctionibus, quæ circa idem tempus editæ leguntur, haud obscurum est, non ubique populum se huic decimarum debito subjecisse; neque ubique æqualiter jus hoc receptum & stabilitum fuisse. Unde in Capitulari Ludovici Pii sub idem tempus legitur: "De nutrimine pro ,, decima, sicut hactenus *consuetudo* fuit ab omnibus obser- ,, vetur. "*Lib.* 2. *Capitular. cap.* 21.

XXVI. Decreta nihilominus Conciliorum & Episcoporum passim generaliter exprimebantur; atque de omnibus solvendas esse decimas urgebant; idque etiam comminatis in refractarios censuris Ecclesiasticis; uti & Pontifices in suis Decretalibus, præsertim Alexander III. ejusque successores.

XXVII. Et quidem cum significatum esset Alexandro III. quod cum in Provincia Cantuariensi Parochiani decimas bonorum suorum consuevissent Ecclesiis, quibus debentur cum integritate solvere nunc tam laudabili *consuetudine* prætermissâ, quidam ex iis de *lana* & de *fæno*, & proventibus *molendinorum* & *piscariarum* ipsis Ecclesiis subtrahere non verentur, Respondet: "Quoniam igitur in- ,, stitutione divinæ manifestius obviant, qui decimas ipsas ,, Ecclesiis non persolvunt, Fraternitati vestræ per Aposto- ,, lica scripta mandamus; quatenus parœcianos vestros mo- ,, nere curetis, & si opus fuerit, sed excommunicationis di- ,, strictione compellere, ut de proventibus *molendinorum*, ,, *piscariarum fæno, & lana*, decimas Ecclesiis, quibus de- ,, bentur, cum integritate persolvant.

Integra Decretalis refertur in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum titulo *De Decimis c.* 2. & in appendice ad Concilium Lateranense sub eodem Alexandro III. *parte* 4. *cap.* 2. ex qua integra Decretali, intelligitur, quod Pontifex in suo r[illegible]nso multùm attenderit *consuetudinem*, quæ ibidem circa decimarum solutionem inoleverat: & quàm nonnulli invertere volebant.

XXVIII. Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator solum fragmentum continens *mandatum* Pontificis, nulla consuetudinis facta mentione, retulit in *Cap.* 5. *h. De Decimis.* Canonistæ verò qui integras Decretales non consulebant; sed tantùm fragmenta à Raymundo relata, non dubitarunt concludere, decimas de

omnibus ibidem expressis esse de jure communi *ubique* solvendas.

XXIX. In eadem Appendice *cap.* 3. refertur ejusdem Pontificis rescriptum Wintoniensi Episcopo, in quo inter alia scribit: "Præterea Parochianos vestros de forno equi-„tio, pomis & pyris & apibus & omni fructu solvere Ec-„clesiastica districtione, appellatione." Addendum ex veteri Antonii Augustini Decretalium collectione, *cessante* „compellas.

Hoc Rescriptum relatum est in *Cap.*6. ¶ *De Decimis*; sed mutilatè, ut ex ejus lectione apparebit.

XXX. Interim ex his intelligimus, Pontifices tum temporis respondisse, generaliter decimas solvendas esse, multumque verisimile est, ad responsum Alexandri reflexisse Patres Synodi Londoniensis anno 1175. *Can.*13. "Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de fructibus, Do-„mini sunt, & illi sanctificantur. Sed quia multi modo „inveniuntur decimas dare nolentes, statuimus, ut juxta „Domini Papæ præcepta admoneantur semel, secundò & „tertio, & de *grano* & *de vino*, de fructibus arborum, „de *fœtibus* animalium, de *lana*, de *agnis*, de *butyro*, „de *caseo*, *de lino*, & *cannabe*, & de reliquis quæ annua-„tim renovantur, decimas integrè persolvant: quod si „commoniti non emendaverint, anathemati se noverint „subjacere.

XXXI. Quin & sub finem ejusdem sæculi Cælestinus III. dixit non tantùm de fructibus & frugibus & quæ annuè renascuntur, "sed de negotiatione ipsa, etiam militia, de ve-„natione, & de omnibus bonis decimas ministris Ecclesiæ „esse tribuendas, ita ut qui de his ea solvere neglexerint, Ec-„clesiastica districtione debeant percelli.

XXXII. Quin & innuit & Pontifex hæc ex traditione SS. Patrum debita esse. Nam pro fundamento sui dicti præmittit hæc verba: *Revera sicut Sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis.*

XXXIII. Ex integra Decretali quæ extat in secunda Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, non obscurum est, Pontificem reflexisse ad Sermonem *De reddendis Decimis*, quem sub nomine S. Augustini citavit Gratianus; ut supra monuimus: eumque revera esse Augustini credidisse.

XXXIV. Quidquid sit, postquam hoc responsum in Decretales Gregorii IX. in *Cap.*22. ¶ *De Decimis* relatum est, & partem Juris Communis constituit, unanimi Canonistarum consensu conclusum est, de omnibus etiam *personalibus* lucris, decimas esse solvendas: atque ita decimas personales jure communi deberi receptum fuit.

XXXV. An huic Decretali prima decimarum *personalium* origo debeatur, eatenus saltem, ut nullum antiquius de iis solvendis extet præceptum, nescio. Reperi equidem sub finem sæculi octavi S. Theodulphum Episcopum Aurelianensem in suo Capitulari *cap* 35. admonuisse *Mercatores, ut non plus terrena lucra quam vitam cupiant sempiternam*; ac dein subjungit: "Sicut enim ab his qui labori „agrorum & cæteris laboribus, victum atque vestitum, & „necessaria usibus humanis acquirere hiantes stant, *decima* „& eleëmosynæ dandæ sunt: ita his quoque qui pro ne-„cessitatibus suis negotiis insistunt, faciendum est. Unicui-„que enim homini Deus dedit *artem* qua pascatur, & u-„nusquisque de *arte* sua de qua corporis necessaria *subsidia* „habet, animæ quoque, quod magis necessarium est subsi-„dium administrare debet.

Habetur tomo 7. Concil. General. col. 1145. Sed hic potius quædam exhortatio, quam præceptum apparet. Verisimile tamen est, ex his & similibus exhortationibus, consuetudinem solvendi decimas etiam *personales* fuisse introductam & pro lege invaluisse: qua introducta, Pontifices super solutione decimarum interrogati, etiam conformiter responderunt: quæ responsa in Decretales relata, tandem pro jure communi recepta fuerunt.

XXXVI. Stabilito autem jure decimarum; cum varia super earum exemptione, privilegia essent concessa; nec non diversis titulis decimæ ad alios & quam Parochos essent translatæ, plures quæstiones super his oriri cœperunt, quæ occasionem dederunt, decimas *novales* & *minutas*; item *infeudatas* ab aliis ordinariis & antiquis decimis distinguendi; uti infra, ubi de his decimis agetur, ostendemus.

CAPUT II.

De quibus Decimæ hodie sint solvendæ?

1. *Responsa Alexandri III. de solvendis Decimis etiam ex proventibus Molendinorum; item lana, & apibus.*
2. *Quin & de negotiatione & militia.*
3. *De jure communi, etiam de omni honesto lucro Decima solvenda.*
4. *Quid Decimæ prædiales?*
5. *Quæ sint prædia* rustica, *& quæ* urbana?
6. *Quæ Decimæ ex consuetudine hodierna dicantur prædiales?*
7. *Decimæ personales quæ dicantur?*
8. *Decimæ ex venatione aut aucupio vel piscatione interdum possunt esse* prædiales.
9. *Quæ sint Decimæ mixtæ?*
10. *Sanctus Thomas docet, in hac materia consuetudinem attendendam.*
11. *Idipsum responderunt Pontifices.*
12. *Juxta Canonistas præcipuè consuetudo attendenda.*
13. *Non sine magnis incommodis à consuetudine in hac materia receditur.*
14. *Voluerunt Principes consuetudinem servari: Ordinatio Philippi Regis Galliæ de non exigendis Decimis* insolitis.
15. *Similis Ordinatio Caroli V. Imper. pro Regnis Hispaniæ.*
16. *Idem ordinatum ab eodem pro Ditionibus Belgicis.*
17. *In præfatione sui Edicti asserit, Clerum sufficienter dotatum.*
18. *Conqueritur, quod plures exigant Decimas in*solitas.
19. *Enumerat species illas* insolitas.
20. *Non conqueritur de exactione decimarum* personalium, *quia hæ exoleverant.*
21. *Decimas prædiales & mixtas vetat exigi ex iis rebus, è quibus à 40. retro annis exactæ non fuerunt.*
22. *Quæ sint species, quæ passim & ubique sunt Decimis subjectæ.*
23. *Variæ difficultates occasione hujus Edicti exortæ; ad quas sopiendas plura Edicta posteriora emanârunt.*
24. *Primum Edictum interpretativum.*
25. *In hoc Edicto declaratur, Decimas ex terris de* novo *ad culturam redactis esse solvendas, modò* fructus *soliti fuerint Decimari.*
26. *Decimæ mixtæ solitæ solvi debentur ex domibus* noviter *ædificatis.*
27. *Non tamen de iis speciebus, è quibus ante 40. annos solitum non fuit Decimas solvi.*
28. *Utrum Decimæ sint* insolitæ *vel* solitæ, *non fundi, sed fructus inspiciendi.*
29. *Mens Principis fuit, ut Decimæ solverentur juxta jus commune, ubi* contraria *consuetudo non est.*
30. *Primò attendenda consuetudo Parochiæ in qua Decima prætenditur.*
31. *Si in Parochia de hac consuetudine nihil haberi queat, recurrendum ad loca vicina.*
32. *Quæstio recenter occasione hujus articuli; & an ligna nova-*

Digitized by Google

novarum silvarum sit species distincta à lignis antiquarum silvarum.

33. *Verius videtur esse aliam speciem.*

34. *Si circa speciem frugis noviter seminatæ nulla sit consuetudo servandum jus commune.*

35. *De omnibus frugibus solvenda Decima nisi probetur consuetudo contraria.*

36. *Consuetudo hæc probanda à prætendente exemptionem à Decimis.*

37. *Quamdiu consuetudo* contraria *non plenè probatur, Decimæ solvendæ.*

38. *Requiritur consuetudo* positiva.

39. *Quid requiratur, ut per consuetudinem censeatur aliqua species facta non decimabilis.*

I. SCribit Alexander III. in *Cap.* 5. ☧ *de Decimis* Archiepiscopo Cantuariensi: "Mandamus quatenus Parochianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sub excommunicationis districtione compellere, ut de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lanâ, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant.

Et rursus Vintoniensi Episcopo: "Mandamus quatenus Parochianos tuos de *apibus*, & de *omni* fructu decimas persolvere Ecclesiastica districtione compellas. " *Cap.* 6. ☧ *eod.*

II. Et in *Cap.* 22. ☧ *eod.* dicit Pontifex: Reverâ sicut sancti Patres in suis tradiderunt scripturis, de vino, grano, fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa etiam militia, de venatione, de omnibus bonis decimæ sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut qui de his eas solvere neglexerint, Ecclesiastica districtione debeant percelli.

III. Ex his manifestum est, & unanimi consensu tradunt Canonistæ, de jure communi non tantum de fructibus terræ, sed & de pecoribus, quin & de negotiatione & militia, omnique honesto lucro decimas, attento jure Decretalium, solvendas esse.

Hinc ulteriùs invaluit distinctio decimarum in prædiales, personales, & mixtas.

IV. Prædiales dicuntur ratione prædiorum: quia ex fructibus & proventibus prædiorum solvuntur: idque indifferenter, sive prædia sint *rustica*, sive *urbana*, ut loquuntur Juris-Consulti.

V. Prædia *urbana* vocant ædificia habitandi causâ facta, sive in urbe, sive extra urbem *L.* 198. *ff. De V.S.* è quorum mercede locationis decimæ de jure præstantur *Cap. penult.* ☧ *de Pactis*; quemadmodum & ex molendinorum proventibus *Cap.* 23. ☧ *de Decimis.*

Prædia *rustica* sunt ædificia habitandi causâ non præparata; sed in alium usum; uti sunt stabula, ovilia & similia *L.* 4. §. 1. *In quibus causis pignus &c.*

VI. Item rusticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, silvæ, & similia. Et quidem attento hodierno harum aliarumque multarum Provinciarum usu hac ferè in materia decimarum pro *prædiis*, ex quibus decimæ solvuntur, & à quibus decimæ *prædiales* dicuntur, nomine *prædiorum* veniunt: eò quod passim consuetudine & usu invaluerit, ut ex solis fructibus è terra nascentibus sive naturalibus, non autem de fructibus civilibus, uti est merces elocationis, aut alia annua pensitatio, decimæ solvantur.

VII. Decimæ personales à Canonistis dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria & opera sua acquirit, persolvuntur; veluti ex lucro honestæ cujuscumque negotiationis, ex stipendio militiæ, ex venatione, piscatione aliave professione vel opificio.

VIII. Ubi tamen fructus prædii ex venatione, piscatione aut aucupio constarent, juxta *L.* 8. §. AUCUPIUM *ff. De Usufructu*, & *L.* 26. *De Usuris*, tunc ex illis perceptæ decimæ magis *prædiales*, quàm *personales* dicendæ essent: utpotè ex fructibus terræ tum provenientes, uti passim notant Canonistæ.

IX. Decimæ mixtæ dicuntur, quæ partim personales, partim prædiales sunt: quales sunt, quæ ex fructibus pecorum, ex fœtu, lana, lacte, ovis aliisque similibus solvuntur.

In quantum enim animalia in prædiis nascuntur & aluntur, eatenus ex iis provenientia, etiam ex ipsis *prædiis* quodammodo provenire intelliguntur; atque eatenus de decimis prædialibus aliquid communicant. Sed quia animalia illa non proferunt fructus sine cura ac industria hominum, propterea etiam de decimis personalibus aliquid participant; ideoque *mixtæ* dicuntur.

Hanc tripartitam decimarum divisionem anno 1404. expressit Synodus Lingoniensis apud Bouchellum in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ: supponitque omnes illas decimas jure deberi.

X. Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. quærens, utrum de *omnibus* teneantur homines decimas dare, resolvit juxta jus commune tum receptum, de *omnibus* possessis decimas esse solvendas. Et licet in vetere lege non solverentur decimæ *personales*, in nova tamen lege rectè populum cogi ad solvendas decimas personales asserit, *secundùm* (ait) CONSUETUDINEM *patriæ & indigentiam ministrorum.* Et in Responso *ad* 3. ait, de rebus minutis decimas non deberi, *nisi fortè propter consuetudinem Patriæ.*

Hæc aliaque quæ ibidem habet idem Doctor clarè supponunt, ipsum existimasse, etiam ex consuetudine judicandum esse, quæ decimæ, & è quibus rebus solvi debeant.

XI. Et reverâ in hac decimarum materia varias locorum consuetudines esse servandas sæpius responderunt Pontifices, quorum Responsa in Decretales Gregorii IX. relata partem juris communis constituunt; ac signanter Lucius III. in *Cap.* 20. ☧ *De Decimis* scribit Strigoniensi Archi-Episcopo: "Quoniam à *diversis diversa consuetudo* tenetur, tu eligas in hoc casu, quod *per consuetudinem* diu obtentam ibidem noveris observatum.

Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 32. ☧ *eod.* ait: Illæ decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ debentur ex lege divina, vel *loci consuetudine* approbata.

XII. Ex his concludunt Canonistæ, consuetudinem in solutione decimarum esse præcipuè attendendam; & nonnisi hac deficiente ad jus commune esse recurrendum; sive de quota, sive de qualitate decimarum aut modo solutionis agatur.

XIII. Hoc si accuratè servetur, plures difficultates evitabuntur, & minus odiosa reddetur decimarum exactio; dum facilè quod solitum est, à populo obtinetur: ad insolita verò ægrè sæpe, & non nisi contentionibus magnis & nocivis induci se patitur.

Refert Hemboldus Presbyter in Chronico Sclavorum *lib.* 1. *cap.* 51. Geroldo Lubecensi Episcopo, decimas tamquam à Deo & Apostolis donatas exigenti in terra Wagirensi responderunt Holsati; "Numquam se daturos decimas, quas Patres sui non dedissent, malle se potiùs succensis ædibus propriis egredi terram, quàm tantæ servitutis jugum subire.

XIV. Ut igitur in exactione decimarum, omnia pacificè agerentur, voluerunt & ipsi Principes; ut & populus integrè & sine fraude decimas solitas solveret; & ipse Clerus ab insolitis abstineret.

Famosa est hanc in rem ordinatio Philippi IV. Regis Galliæ edita anno 1303. vocaturque vulgò *Philippina* quæ dicit: "Senescallus defendat singulos à *nova* exactione decimarum & primitiarum, & præsentationis; sed prout de jure fuerit, & hactenus est *consuetum* fieri.

XV. Non absimilis est ordinatio Caroli V. Imperatoris & Regis Hispaniarum, ac Belgiarum Principis; qua vetuit decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem contrariam non

non consueverunt solvi, uti refert Covarruvias *Lib.* 1. *Variar. resolut. cap.* 17. *num.* 8. dicitque ita ab eodem Cæsare cautum esse Toleti anno 1525. Rursus anno 1528. Madricii; ac dein Segobiæ anno 1532.

XVI. Idipsum jam ante pro Belgicis Provinciis ipse Carolus sanxerat, evulgato Edictum primum Mechliniæ prima Octobris 1520. quod idiomate Gallico extat parte I. Edictorum Flandriæ *Rubrica* 12. *cap.* 1. ac dein idem Edictum probatum & publicatum fuit in Brabantia 6. Novembris ejusdem anni; extatque idiomate flandrico parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 2. atque hodie in Belgio pro lege fundamentali in materia decimarum passim assumitur.

XVII. Primum in hoc Edicto præfatur Princeps, ab antiquo hic semper observatum, ut decimæ exigerentur & solverentur juxta locorum & regionum conditionem seu *consuetudinem*; ac præterea Clerum à suis Prædecessoribus ita abundè fuisse dotatum, ut meritò ab imponendis & exigendis *novis* talliis & exactionibus cum ipsius Principis ejusque subditorum præjudicio, abstinere debeat.

XVIII. Dein asserit, quod his non obstantibus, Capitula, Curati aliæque Ecclesiasticæ personæ non contentæ *solitis* decimis & bonis in fundatione donatis, aliisque quæ eorum Prædecessores accipere & exigere *consueverunt*, incipiant, & quotidie progrediantur petere & exigere varias *novas* decimas multiformis generis fructuum.

XIX. Post hæc enumerat decimarum species, quas novitatis insimulare videtur, scilicet, lignorum, fœni, herbarum, pascuorum, pinguium cornutarum bestiarum, ovium, agnorum, lanæ, porcorum, vitulorum, anserum & similium. Adhæc, raparum, raphanorum, acetariorum, ceparum, pomorum, pyrorum, nucum & similium frugum.

Addit, nonnullos Ecclesiasticos prætendere, sibi competere jus decimarum super omnibus rebus & fructibus, crescentibus & provenientibus ex terra.

XX. Nulla de decimis personalibus mentio, aut querelæ in Edicto occurrit. Indicium quod nec tunc in usu fuerint, nec Ecclesiastici jus suum ad illas extendere prætenderint: quas & hodie in Belgio, Gallia aliisque pluribus in locis omnino incognitas esse, ex praxi notorium est; & passim auctores testantur; notatumque est supra *tit.* 1. *cap.* 3. *numer.* 9. sat verisimile esse, jura funeralia aliaque similia in locum decimarum personalium, aliquibus saltem in locis, successisse.

XXI. Circa decimas prædiales & mixtas, vetat Edictum, à subditis exigi decimas eorum fructuum de quibus 40. retro annis nullæ decimæ exactæ aut solutæ essent.

XXII. Sunt quædam species frugum, è quibus passim ubique decimæ solvuntur; ut sunt frumentum, siligo, hordeum & avena; & quæ his proximè accedunt: eò quod in cibum potumque cerevisiarum necessariæ sint, uti notat Zypæus *Consult.* 3. *de Decimis num.* 7. ex iis autem speciebus, quas Edictum exprimit, non ita communiter decimæ solvuntur; sed varia est circa has locorum consuetudo; cujus limites transgredi, cum laicorum præjudicio, vetat Edictum.

XXIII. Variæ dein quæstiones & contentiones laicos inter & Ecclesiasticos, occasione hujus novi Edicti oriri & moveri cœperunt: quibus sopiendis plura Edicta interpretativa prioris Edicti sequuta sunt: quæ non minus quam ipsum primum Edictum, hodie in decisione quæstionum in hac materia occurrentium pro lege habentur.

XXIV. Prima eaque præcipua Edicti interpretatio data fuit 10. Januarii 1528. ad supplicationem Cleri Diœcesis Leodiensis sub Ducatu Brabantiæ & Comitatu Namurcensis; & inserta parti primæ Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *c.* 4. ac rursum renovata fuit 15. Septembris 1530. ad supplicationem Cleri Comitatus Frandriæ; refertur que parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 2. *Rubrica* 12.

XXV. Primò hoc Edicto interpretativo sive declaratorio dictum fuit, per primum Edictum non esse prohibitum „solvi, colligi & levari jura decimarum de grano, fœno, fructibus excretis & defructuatis in terris, pratis, aut hæreditatibus *noviter* ad *culturam* redactis, „unde in parochiis, ubi sunt excreti, collecti & defructuati consuetum fuit 40. annis antea solvi, colligi & levari jura decimarum de talibus & similibus granis, fœnis, „fructibus.

XXVI. Ulterius declarat, quod non intenderit, "prohibitum fuisse, nec prohibere solvi jura decimarum „ex agnellis, lanâ, pullis, volatilibus, & aliis bestiis nutritis, & educatis in domibus & hæreditatibus, quæ noviter fuissent reædificatæ & positæ in usum habitationis & receptionis. Quinimò quòd inde fiat solutio decimæ, proviso quòd de similibus speciebus ab antea „40. annis solvi soleret decima in Parochiis, in quibus „dictæ domus & ædificia ac hæreditates essent situatæ & „jacentes.

XXVII. Ne autem Clerus prætextu hujus interpretationis insolitas decimas exigeret, addit: "Sed non intendimus „quòd possint exigi, capi, aut levari jura decimarum de grano, ligno, fœno fructibus, pullis, agnellis, lanâ, bestiis, & „aliis rebus, de quibus non fuisset à tempore dictorum 40. „annorum consuetum solvi aliqua jura decimarum in Parochiis, aut locis in quibus excrevissent, aut nutritæ fuissent, non habito respectu à quo tempore citra, dictæ domus fuissent ædificatæ, inhabitatæ aut dictæ hæreditates „ad culturam redactæ.

XXVIII. Post & generaliter declarat, "quod in solutione dictarum decimarum non habebitur respectus, in quibus terris dicta grana, fœnum, fructus, & nemora colligantur, aut crescant, nec in quibus ædificiis aut pascuis „dictæ bestiæ essent natæ & enutritæ, & dicti pulli, & volatilia educati. Sed solummodò si in dicta Parochia, aut „loco ubi consuetum fuit levari, & exigi, jura decimæ dictarum specierum.

Ex his manifestum est, quod conformiter ad jus commune non fundi aut terræ inspici debeant, dum quæritur, an decimæ sint *insolitæ*; sed ipsa fructuum species, quæ in fundo excrevit: utrum nimirum hæc decimarum solvere solita sit.

XXIX. Non obscurum quoque est, Principem primo suo Edicto hoc unum cavere voluisse, ut decimæ juxta jus commune solverentur, in quantum consuetudo locorum non contrariatur: sed ubi consuetudo loci aliter obtinet, nihil *novi* prætextu juris communis induceretur.

Huic consonat, quod declarat in eodem Edicto interpretativo: "Quòd si in aliquo villagio dictorum Ducatûs & „Comitatûs sub Diœcesi Leodiensi pro futuro tempore „esset seminata, plantata, collecta aut enutrita aliqua nova „species, quæ in dicto villagio, nunquam fuisset seminata, „plantata, collecta, educata aut enutrita, quod eo casu, „quantum ad solutionem decimæ hujusmodi novæ speciei, observabitur prout in aliis villagiis dictorum Ducatus & Comitatus, ubi fuissent seminatæ, plantatæ, aut nutritæ similes species.

XXX. Itaque ad judicandum de frugibus, num solitæ sint decimas solvere, primo loco attendi debet consuetudo villagii seu Parochiæ intra cujus limites hæ fruges seminantur: utrum scilicet consuetum sit eo in loco ex hujusmodi frugibus vel fructibus decimas solvi.

XXXI. Cùm verò de consuetudine hac nihil statui queat, si similis frugum species ante hac ibidem seminata non sit, vult eo casu Princeps recurri ad loca vicina, ut si iis in locis hæc frugum species solita sit seminari, quoad decimarum solutionem consuetudo illorum locorum servetur in illo villagio, in quo jam primùm seminari cœpit.

XXXII. Nuper incidit quæstio cujus decisio ex intellectu hujus articuli dependebat.

In quodam pago vicino Lovanio; quidam terram aliquam arabilem, & è qua dudum fructus decimabiles percepti fuerant, redegerat in silvam. Prætendebat Parochus

Decimas ligni excrescentis in hac noviter plantata silva; eo quod in locis vicinis ex novis silvis decimæ solverentur.

Econtrario negabat Dominus silvæ, decimas deberi; quia licet essent in eodem villagio multæ silvæ, nullæ tamen lignorum decimæ unquam essent solutæ: adeòque prætendebat, non esse recurrendum ad consuetudinem *vicinorum* locorum: sed servandam consuetudinem *hujus* loci.

Replicabat Parochus, esse quidem multas silvas in suo villagio; sed tantùm *antiquas* vulgò *Aude stockbosschen*, nullam verò esse, aut ab hominum memoria fuisse *novam* silvam: ideoque recurrendum ad consuetudinem vicinorum locorum in quibus similes silvæ reperiuntur.

Reponebat Dominus silvæ, sive sint antiquæ, sive novæ silvæ, fructus earum, scilicet *ligna* censeri eamdem speciem fructuum: atque ita satis esse, quod in ipso villagio excrescerent ligna silvarum, atque ex illis decimæ numquam fuissent solutæ.

XXXIII. Cum super hac quæstione judicium meum postularetur, judicavi, verisimilius esse jus Parochi; atque ligna novarum silvarum esse speciem diversam, quoad præsentem materiam & mentem Edicti, à lignis antiquarum silvarum.

Certum enim est, multis in locis Belgii solvi decimas ligni excreti in novis silvis; nullibi verò, aut paucissimis saltem in locis, eas solvi ex silvis antiquis. Judicium haud obscurum, in hac materia decimarum, eas lignorum & silvarum species omninò distingui: uti & distinguuntur quoad onera Regia; quibus novæ, non autem antiquæ silvæ solent esse subjectæ.

Unde & plures periti & famosi Advocati in proposita quæstione, sine ulla hæsitatione & ambiguitate responderunt, ligna novarum silvarum habenda pro specie distincta à lignis veterum silvarum: & proinde in petitione decimarum in casu proposito Parochum fuisse fundatum.

XXXIV. Pergit ulteriùs in sua declaratione Princeps: "Et si aliqua nova species antea non visa, nec consueta se„minari, aut nutriri in aliquo villagio, aut quarterio dicto„rum Ducatus, & Comitatus, sub Diœcesi prætacta, esset „ibidem seminata, plantata aut nutrita, observabitur quan„tum ad solutionem decimarum dictæ novæ speciei jus „scriptum & illius dispositio.

XXXV. Hinc rursum perquam manifestum est, Principem non intendisse juri communi, circa solutionem decimarum derogare, nisi in quantum consuetudo locorum derogavit, quam observatam voluit.

Igitur cum omnium frugum decima *jure* debeatur; etiam de blado & universo legumine *cap. 3.* ¶ *De Decimis*; consequens est, ex mente Principis, de omnibus frugibus solvendas esse decimas, nisi contrariâ consuetudine, ut minus 40. *annorum*, inductum esse probetur, ex similibus frugibus decimas solvi.

XXXVI. Hinc concludendum est, Parochum aliumve Decimatorem fundatum esse in petendis decimis quarumcumque frugum, quousque probetur consuetudo 40. annorum quoad hanc frugum speciem juri communi derogasse: quam probationem facere tenetur, qui vi hujusmodi consuetudinis decimas negat; uti rectè reflectit Zypæus *Consult. 4. De Decimis*; ubi unà latè deducit, quæ ad probationem hujus consuetudinis requirantur; & quâ formâ hæc probatio sit facienda.

XXXVII. Concluditur præterea, quod juri communi standum sit, quamdiu plene contraria consuetudo probata non est. Unde si casus occurrat, ut juxta Edictum deberet recurri ad consuetudinem *vicinorum* locorum, inveniaturque iis in locis consuetudo non uniformis, sed dubia & varia, tunc juxta ante dicta, standum erit juri communi; sive præferenda consuetudo solvendi decimas, tamquam juri magis consona, quemadmodum notat Zypæus *Consult. 3. De Decimis n. 1. & 2.*

XXXVIII. Hoc Edictum interpretativum sufficienter declarat, nullatenus sufficere merè negativam non solutionem decimarum ex certis frugibus, tametsi etiam 40. annorum spatio & amplius continuatam; qualis non solutio esse potest in loco ubi nullæ unquam hujusmodi fruges seminatæ fuerunt: sed requiri consuetudinem positivam non solvendi decimas ex frugibus ibidem seminatis; eam quæ stabilitam actibus positivis, quales sunt evectiones & collectiones publicæ hujusmodi frugum nullis umquam solutis, aut juridicè prætensis decimis; è quibus publicis actibus præsumitur tacitus consensus Parochorum & Clericorum, quod ex hujusmodi frugibus decimæ nec solvi debeant, nec prætendi possint.

XXXIX. Hinc ulteriùs statuendum, quod si quidem certa species frugum in aliquo loco seminata fuerit; sed in tam exigua quantitate, aut in eum usum consumenda, ut operæ pretium non videretur ex iis decimas prætendere; quin & decimarum exactio notam aliquam avaritiæ & inhumanitatis præferret: eo casu non solutio decimarum ex similibus frugibus, nequaquam consuetudinem, de qua in Edicto, inducere posset. Licet enim fruges illæ in eo loco seminatæ fuerint; tamen seminatæ non sunt eo modo, quo seminantur fructus alii decimabiles. Quapropter si successu temporis fruges illæ in magna quantitate, & ad eum usum in quem passim fruges decimabiles insumuntur, incipiant seminari, prætendi nequaquam poterit obstare consuetudinem 40. annorum non solvendi decimas ex hujusmodi frugibus: sed de illis judicandum erit, quasi numquam fruges illæ in loco illo seminatæ fuissent: quia seminatæ non fuerunt in ea quantitate ut honestè decimari possent: ideoque recurrendum erit, vel ad consuetudinem vicinorum locorum, vel ad jus commune, juxta regulas per Edictum præscriptas, uti latè ostendit Zypæus citata *Consult. 4. De Decimis* adducto exemplo de *panico*.

CAPUT III.

De Jure Parochorum ad decimas, & cui Parochiæ debeantur.

1. *Ad decimas ut quasdam oblationes Sacerdotibus offerendas primitùs populus excitatus.*
2. *Ex intentione populi decimæ Parochis cedunt.*
3. *Pristini Canones jus illud Parochis vindicantes.*
4. *Illustre eam in rem testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis.*
5. *Etiam Episcopi & Abbates cogebantur decimas suarum terrarum dare Ecclesiis Parochialibus.*
6. *Vetitum Senioribus Parochiæ aliquid de decimis accipere.*
7. *Decimas de jure ad Parochos spectare supposuerunt Pontifices.*
8. *Responsa Innocentii III. in Decretales relata hoc jus Parochorum exprimentia.*
9. *Uniformis Canonistarum sententia, decimas de jure ad Parochum spectare.*
10. *Hodie etiam excluso Episcopo.*
11. *Dubitatum an in Parochia ubi recipit Sacramenta, an in Parochia ubi terræ sunt sitæ sint decimæ solvendæ.*
12. *Ex sententia Glossæ personales solvendæ ubi Sacramenta recipiuntur; prædiales ubi prædia sita sunt.*
13. *Hæc distinctio communiter recepta.*
14. *Cui Parochiæ debeantur decimæ mixtæ ex Decreto Synodi Wigorniensis.*
15. *Decimæ animalium debentur Parochiæ in qua pascuntur, & quare?*
16. *Si pascantur in duabus Parochiis cui debeantur?*
17. *Multùm in hoc consuetudini tribuitur.*
18. *Decimæ adjudicandæ Parocho quamdiu non probantur ad alium spectare.*

19. Spe-

19. *Spoliati jure decimarum per Parochum non sunt restituend. nisi probent ad se jus illud spectare.*
20. *Quomodo hæc juris decisio hodie recepta.*
21. *Decimæ Parochis oblatæ pro administratione Sacramentorum.*
22. *Quæ hodie in administratione Sacramentorum; & sepulturis dantur, demum invaluerunt post devolutionem Decimarum ad Capitula & Monasteria.*
23. *Quid requiratur ut quis decimas contra Parochum præscribat.*
24. *Privilegia decimas recipiendi in præjudicium Parochi sunt odiosa.*

I. Decimas tamquam oblationes & eleëmosynas à Patribus jam pridem populo fuisse commendatas, supra notavimus: idque exemplo populo judaici, qui ex præcepto legis, decimas Sacerdotibus & Levitis ut ministris Altaris persolvebat; ut hoc pacto se non minus religiosos ostenderent erga ministros novi Testamenti, quam populus ille erat erga ministros veteris Testamenti; implerentque per hanc decimarum oblationem præceptum Christi, quo vult, operarios & ministros Evangelii à populo esse alendos; & pauperibus succurrendum.

II. Cùm ergò sæculo 7. & 8. quando præcipuè decimarum solutio invalescere cœpit, singulæ Ecclesiæ per suos particulares Presbyteros (quos hodie *Parochos* dicimus) regerentur; hique populo spiritualia administrarent, atque totius Parochiæ curam agerent, etiam hisce decimas tamquam quasdam oblationes cedere populus voluit.

III. In vita S. Joannis Papæ VIII. legitur: "Idem „ inter cætera de decimis Sacerdotibus dandis ita præce„ pit. Quas scilicet decimas unumquemque Fidelem „ illi Sacerdoti dare censuimus, in cujus Parochia eum „ procul dubio constat sub Episcopi proprii ditione, quia „ ad hoc recipiendum ab Episcopo suo est constitutus „ manere.

Plura ejusdem ætatis Decreta, quæ Parochialibus Ecclesiis *decimas* vindicant, refert Gratianus *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 42. & sequentibus.

IV. His jungi potest illustre testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis, qui sub idem tempus consultus à Theodboldo Lingonensi Episcopo super incertis Sanctorum Reliquiis, superque prodigiis quæ illarum occasione dicebantur evenire, gravem ad ipsum Epistolam scripsit adversùs temeritatem quorumdam Monachorum Reliquias illas venditantium, & populum ad Oratoria, in quibus hujusmodi Reliquiæ quiescebant, allicientium, "annuntian„ do omnibus fideliter, atque obtestando, ut intermisso hu„ jusmodi vano & pernicioso concursu, unde nulla animæ „ salus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas pro„ venire cognoscitur, unaquæque plebs in parochiis & Ec„ clesiis, quibus attributa est, quieta consistat, ubi sacrum „ baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini perci„ pit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi à Sacer„ dote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmi„ tate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam *decimas* „ & primitias suas offerre *præcipitur*, ubi filios suos baptis„ matis gratia initiari gratulatur, ubi verbum Dei assiduè „ audit, & agenda ac non agenda cognoscit.

V. Imò quod amplius est, cum anno 813. ad Synodum Cabilonensem II. delatæ essent querelæ, quod quidam Episcopi & Abbates *decimas* non sinerent dari Ecclesiis, ubi illorum Coloni Missas audiunt, decrevit Sacer Conventus *Can.* 19. "Ut Episcopi & Abbates de agris & vineis, „ quæ ad suum & fratrum stipendium habent, *decimas* ad „ Ecclesias deferri faciant: familiæ verò ibi dent *decimas*, „ ubi infantes eorum *baptizantur*, & ubi per *totum* anni „ circulum Missas audiunt.

VI. Et in Concilio Metensi anno 888. *Can.* 2. statutum „ est, ut deinceps nemo *Seniorum* de Ecclesia sua accipiat de „ decimis aliquam portionem, sed solummodò Sacerdos „ qui eo loco servit, ubi antiquitus decimæ fuerant conse„ cratæ, ipse eas cum integritate accipiat in sui sustentatio„ nem, & ad luminaria concinnanda, & Basilicæ ædificia, „ vestimenta quoque sacerdotalia, & cætera utensilia suo „ ministerio congrua obtinenda.

VII. Similia sunt recentiorum Canonum plurima Decreta, quæ evincunt, decimas adinstar quarumdam oblationum Parochis & Ecclesiis Parochialibus primitus fuisse oblatas; quod & Pontificum Decretales, quæ hodiernum jus Canonicum & Ecclesiasticum constituunt, supponunt; ubi indubitatum & receptum asserunt umquam decimas *de jure* ad Parochiales Ecclesias spectare.

VIII. Consultus enim Innocentius III. si in aliqua Parochia decimarum perceptio ad personas aliquas Ecclesiasticas ab antiquo pertineat, utrum novalia etiam ad easdem personas pertinere incipiant, respondit negativè: *Quia*, ait, *cum perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, Decimæ novalium, quæ fiunt in Parochiis earumdem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur.* Cap. 29. ✠ De Decimis.

Rursus proposito dubio, utrum minutæ quædam Decimæ Monasteriis & Ecclesiis Conventualibus deberentur, respondit idem Innocentius: quod si hi fructus proveniant ex iis fundis, è quibus Monasteria & Ecclesiæ Conventuales ab antiquo Decimas Majores percipiebant, etiam horum fructuum Decimas iisdem deberi cum ipsis terra illa ab antiquo fuerit Decimalis, & non debeat una eademque Ecclesia diverso jure censeri: *Alioquin*, inquit, *Parochialibus Ecclesiis exolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio Decimarum*, Cap. 30. ✠ De Decimis.

IX. Ex his aliisque juris apertissimis decisionibus, uno calculo hanc conclusionem probant Canonistæ: "Ecclesia „ Parochialis de jure communi fundat intentionem in „ perceptione Decimarum prædialium ex fructibus, qui „ colliguntur intra limites Parochiæ suæ. "Ita post alios Canonistas Fagnanus ad cap. 29. ✠ De Decimis num. 21. additque: eamque passim servat Rota, ut in pluribus decisionibus relatis à Cardinali Seraphico *decis.* 801. *nu.* 1. in quibus Rota firmavit Parochialem Ecclesiam fundare intentionem super Decimis, etiam contra Episcopum: quod & tradit Rebuffus tractatu de Decimis q. 7. num. 5. nimirum, quod Curati fundati sint in Decimis prædialibus provenientibus intra limites suarum Parochiarum contra Episcopum.

X. Antiquitus quidem, uti observat Claudius le Prestre in suis quæstionibus *Cent.* 3. *c.* 24. priusquam Ecclesia pluribus terris & possessionibus ditata esset, *quarta* omnium proventuum Ecclesiasticorum ad Episcopum, in sua respectivè Diœcesi, spectabat: at hodie in decimis Parochialium Ecclesiarum non debet Episcopus, nec de jure communi, nec de consuetudine habere aliquam portionem: nisi forsan ex particulari conventione vel titulo portio aliqua ipsi esset reservata; de quo casu accipiendum est *cap.* 13. ✠ *De Decimis*, ubi alicujus portionis Episcopo competentis mentio occurrit: uti notat Glossa ad dictum Capitulum.

XI. Proposuit olim Episcopus Massiliensis Alexandro III. quod essent homines in Parochia unius Ecclesiæ, qui terras in alia Parochia excolunt; consuluitque Alexandrum, „ cui Ecclesiæ de terris illis decimas solvere debeant, an „ ei in cujus Parochia sunt constituti; (forte legendum „ *constituta*) an illi, in qua divina audiunt, & Ecclesiastica „ alia percipiunt Sacramenta? Respondet Pontifex: Sanè „ cum hujusmodi quæstio temporibus prædecessorum „ nostrorum sæpius mota fuerit, nec ab aliquo terminata, „ aliis intuitu territorii, aliis personarum obtentu asse„ rentibus debere persolvi; non est nobis facilè certum „ super hoc dare responsum; cum auctoritates sanctorum Patrum etiam sint diversæ; & ideò, in hujusmo„ di dubitatione ad consuetudinem duximus recurren„ dum,

Digiti

,, cum, & attendendum, etiam si illæ Ecclesiæ in uno sint, ,, vel in diversis Episcopatibus constitutæ. Quia difficile ni- ,, mis videtur, ut una Ecclesia in Episcopatu alterius reci- ,, piat decimas, cum ex hoc Episcopatuum fines confundi ,, non immeritò viderentur.

Refertur casus & resolutio in *Cap.* 18. ꝟ *De Decimis*; sed fusius in *Cap.* 3. *De Decimis* in secunda Decretalium collectione apud Antonium Augustinum; è qua textum descripsi.

XII. Ad hanc dubiam & suspensivam resolutionem reflectens Glossographus in citato *cap.* 18. verbo *diversa* ait: " Facilè est solvere hanc diversitatem. Ibi debent dari per- ,, sonales decimæ ubi quis recipit Ecclesiastica Sacramenta: ,, & si habet prædia in alia Parochia, ibi debet dare decimas ,, illorum prædiorum.

XIII. Hæc distinctio Glossæ communiter recepta est: & jure ac consuetudine probata: præsertim quoad decimas *prædiales*; ut hæ debeantur Parocho sive Ecclesiæ Parochiali intra cujus limites prædia sita sunt; uti apertè declaravit Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. *De Restitut. Spoliat. in* 6.

XIV. Legitur in Synodo Wigorniensi anno 1240. *Can.* 44. " Cum decimarum confusio provenientium de lana, ,, agnis & caseis, Ecclesiarum rectoribus amodo contentio- ,, nis occasionem generet: statuimus quod in quacumque ,, Parochia per totum annum fuerit ovile ovium, licet oves ,, Parochiæ vicinæ limites transeant, ad pascua quærenda, ,, illi Ecclesiæ in cujus Parochia cubaverint, Decimæ tri- ,, buantur. Quod si continuè cubant in una Parochia, & ,, continuè pascant in alia, inter Ecclesias decima dividatur. ,, Idem & quod de vaccis duximus esse statuendum.

XV. Hæc Synodalis determinatio quoad decimas animalium & juri & consuetudini sat conformis est. Et licet decima agnorum & similes dicantur mixtæ, tamen *prædialibus* magis, quàm personalibus accedunt; uti notat Glossa ad *cap.* 20. ꝟ *de Decimis*, verbo *Personales*; ex quo ibidem infert: " Ubi ergò pascuntur continuò, ibi decimæ sol- ,, vi debent.

XVI. Deinde quærit: Sed quid si per medietatem anni in territorio unius Ecclesiæ & per aliam medietatem in territorio alterius Ecclesiæ pascantur? Æquum est (ait) ut dividantur.

Testatur quoque Germanus Forget in suo tractatu de Decimis *cap.* 4 *num.* 6. quod si animalia diversis in Parochiis pascantur, communiter observari in Gallia, decimas esse dividendas inter Parochos servata proportione temporis, quo animalia in Parochia manserint & pabula acceperint.

Similiter refert Michael de Perray in suo tractatu De congrua portione tomo 2. *cap.* 30. *n.* 46. Judicatum 20. decembris 1685. quod quando grex pertinet ad villicum, qui habet duas villas in duabus Parochiis, decimam dividendam esse in Parochos utriusque villæ.

XVII. Idipsum quoad divisionem decimæ animalium inter Parochos tradit Rebuffus De Decimis *qu.* 6. ubi una notans *num.* 27. consuetudinem in his nonnunquam aliam esse, asseritque, valere consuetudinem, ut Ecclesia Parochialis ubi *frequentius* pascantur, accipiat decimam; *& communius* (ait) *observatur.*

XVIII. Itaque hoc apud omnes compertum est, decimas *de jure* spectare ad Parochos: ideòque juxta receptissima & notissima Juris principia, Parocho competunt decimæ infra limites suæ Parochiæ excrescentes, quamdiu non ostenditur aliquo speciali & legitimo titulo ad alium spectare; idque plenè & ad sufficientiam juris probatum fuerit. Si enim vel circa probationem, vel titulum maneat aliquod dubium, Parocho, cui jus commune favet, adjudicandæ erunt decimæ; sive potiùs non auferendæ; uti aliquando in casu admodùm dubio judicatum esse testatur Ludovicus Charundas *lib.* 1. *Resp.* 29.

XIX. Hoc fundamento declaravit Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. ꝟ *De Restitut. spoliat.* " Ad decimas quas Cano- ,, nici S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesiæ B. Cle- ,, ri possedisse *aliquamdiu*, & eis per eundem Clericum *spoliatos* fuisse, nequaquam restitui deberi, nisi *evidenter* ,, docuerint, quod earum possessionem legitimè assecuti ,, fuissent.

XX. Quamvis hæc Pontificis decisio, quoad Parochum spoliantem Canonicos jure decimandi hodie non admitteretur; neque Parocho fas sit, quemquam viâ facti in possessione quantumvis exigui temporis turbare, uti notat Grimaudet De Decimis *Lib.* 3. *cap.* 8. nihilominus ex hac Pontificia decisione, nec non fundamento decisionis, patescit, Pontificem non dubitasse, decimas pleno & indubitato jure spectare ad Parochum; easque Parochum sibi vindicare posse, quamdiu non ostenditur speciali titulo eas ad alium spectare.

XXI. Et sanè inspectâ primigeniâ decimarum origine, atque ipsa Fidelium Offerentium primâ intentione, videntur decimæ non minore jure ad Parochum spectare, quàm oblationes, quæ hodie in Sacramentorum administratione, & mortuorum sepulturis dari solent. Nam decimas à populo primitùs oblatas esse Parochis ad eum modum quo hodie jura funeralia, aliave in Sacramentorum administratione offeruntur & solvuntur; & hæc à populo demum offerri, & quodammodo exigi cœpisse postquam variis modis decimæ à Parochis ablatæ, & ad Monasteria & Capitula devolutæ fuere à pluribus observatum est.

XXII. Observatque Christianus Lupus Dissertatione 2. proœmiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones *cap.* 7. quod cum sæculo 11. & 12. Decreta plura edita essent adversùs exactiones in Sacramentorum administratione, nihil tamen *perfectum* fuisset: quia Episcopi Decreta recipere noluerunt: nimirum illi, " qui vel ipsi, vel ,, ipsorum Cathedralia aut Collegiata Capitula possidebant Parochialium Ecclesiarum decimas: ideòque vo- ,, lebant de ipsis splendidè vivere, & miseros Parochos esu- ,, rire: atque ita cogi ad victitandum de solis oblationibus ,, aut exactionibus Sacramentorum. Hæc ille, qui dein ad- ,, jungit: Episcopi & alii jam dictas decimas possidentes ,, Prælati, eorumque Capitula ac monasteria, RIGI- ,, DUM coram Deo onus portant dandæ Parochis susten- ,, tationis integræ, & MISERAS plebes liberandi ab exa- ,, ctionibus variis, SUSPECTIS, OFFENSIVIS, ad quas ,, isti à paupertate coguntur.

Verùm de hoc latiùs titulo sequenti; ubi unà ostendetur, hâc eâdem ratione onus dandi portionem congruam seu competentiam Pastoralem esse annexam juri decimandi.

XXIII. Cùm Ecclesia Parochialis jure communi sit fundata in perceptione decimarum infra limites Parochiæ excrescentium, perspicuum est, jus decimandi intra eosdem limites præscribi non posse contra Ecclesiam Parochialem; nisi cum possessione 40. annorū concurrat *titulus*, vel defectum tituli suppleat possessio *immemorialis*, sive tanti temporis, cujus contrarii memoria non existit; juxta decretalem Bonifacii VIII. in *Cap.* 1. *De Præscriptionibus in* 6. " Episco- ,, pum qui Ecclesias & decimas quas ab eo repetis, proponit ,, (licet in tua sint constitutæ Diœcesi) se legitimè præscrip- ,, sisse, allegare oportere (cum jus commune contra ipsum ,, faciat) hujusmodi præscriptionis *titulum*, & probare. ,, Nam licet ei qui rem præscribit Ecclesiasticam, si sibi non ,, est contrarium jus commune, vel contra eum præsump- ,, tio non habeatur, sufficiat bona fides; ubi tamen est ei jus ,, commune contrarium vel habetur præsumptio contra ,, ipsum, bona fides non sufficit: sed est necessarius titulus, ,, qui possessori causam tribuat præscribendi. Nisi tanti ,, temporis allegetur præscriptio, cujus contrarii memoria ,, non existat.

XXIV. Eadem ratione privilegia concessa Capitulis, Monasteriis, vel singularibus quibusvis personis percipiendi decimas intra limites Parochiæ ad exclusionem Eccle- ,, siæ

siæ Parochialis, sunt strictissimè interpretanda, & intra verborum rigorem concludenda: quòd infra latiùs probabitur, ubi de decimis novalibus & minutis agemus.

CAPUT IV.

De Decimis Laicalibus sive infeudatis.

1. *Census debitus ab Emphyteutis dictus* decima; *à decimis Ecclesiasticis diversa.*
2. *Prætextu similis census multa terra exempta à decimis.*
3. *Decimarum Ecclesiasticarum laicos esse incapaces, Canones declarant.*
4. *Decretum Concilii Romani sub Gregorio VII.*
5. *Laicos decimas nulla posse ratione præscribere, scribit Alexander III.*
6. *Idem Pontifex deplorat, Sacerdotes occasionem dare laicis decimas occupandi.*
7. *Dicit eas esse* Sacerdotum; *& ideò à laicis teneri non posse.*
8. *Decima principaliter instituta in usum Sacerdotū.*
9. *Hac consideratione jus decimandi est* spirituale.
10. *Eatenus laici illius incapaces.*
11. *Decima per se non sunt spirituales; nec earum laici incapaces.*
12. *Privilegium Regum Hispaniæ accipiendi* tertias *decimarum.*
13. *Privilegium hoc fuit personale usque ad Alexandrum VI. qui illud fecit perpetuum.*
14. *Comiti Flandriæ jam pridem decima data in feudum.*
15. *Laicis decimas in feudum* perpetuum *concessas sæculo 12. fatetur Fridericus Imp.*
16. *Episcopi & Prælati nimia facilitate decimas laicis concedebant.*
17. *Canones multi editi contra laicos decimarum detentores.*
18. *Violenter resistebant Laici & Monachi Episcopis decimas vindicantibus.*
19. *Episcopi nonnihil de rigore contra laicos* decimas *possidentes remittunt.*
20. *Decretum Concilii Bituricensis sæculo 11.*
21. *Synodus Tolosana tantùm præcipit* tertiam *partem decimarum à laicis possessarum dari Ecclesiis.*
22. *Gregorius VII. monet suum Legatum ut mitius cum militibus decimas possidentibus agat.*
23. *Indicatur, vitia Sacerdotum occasionem dedisse laicis decimas sibi appropriandi.*
24. *Querela de Episcopis dantibus decimas militibus & consanguineis.*
25. *Constat sæculo 11. decimas in* feudum *datas.*
26. *Laici in possessione decimarum* infeudatarum *incipiebant tolerari.*
27. *Permittebatur eis in quemcumque Clericum decimas post mortem transmittere.*
28. *Concilium Lateranense sub Alexandro III. vetat eas in* alios laicos *transferre, & de novo accipere.*
29. *Communis opinio hoc Decreto permissum fuisse laicis hactenus possessas decimas retinendi.*
30. *Meritò dubitatur, an hæc opinio sit fundata.*
31. *Hæc interpretatio Concilii quoad decimas* infeudatas *videtur probata Innocentio III.*
32. *Ratio ob quam decima* infeudatæ *laicis faciliùs permitterentur.*
33. *Concilium Lateranense sub Innocentio III. videtur tacitè decimas infeudatas permisisse.*
34. *Judicat Innocentius III. laicos super decimis* infeudatis *non inquietandos, modò eas non extendant.*
35. *Alexander IV. distinxit decimas possessas ante &* post *Concilium Lateranense.*
36. *Canonistæ supposuerunt Alexandrum loqui de Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quæ opinio hodie recepta est.*
37. *Laicus hodie prætendens decimas debet probare eas* infeudatas *ante dictum Concilium: & quomodo hoc probetur.*
38. *Decima* infeudatæ *à laicis hodie possidentur ut cætera bona* feudalia *& patrimonialia.*
39. *Possunt quovis titulo etiam in alios laicos transferri.*
40. *De his tam in* petitorio, *quàm possessorio cognoscit judex laicus.*
41. *Decima hæ retinent equidem aliquid de primigenia sua conditione.*
42. *Reversa ad Ecclesiam resumunt primigeniam naturam.*
43. *Decima sic reversa eximitur à jurisdictione laicali.*
44. *In acquisitione harum decimarum Ecclesia non indiget amortizatione.*
45. *Nec vendita subjacent retractui Gentilitio.*
46. *Hæc locum habent quando decima* infeudatæ *liberè & simpliciter redeunt ad Ecclesiam.*
47. *Quid si decima revertantur accessoriè cum castro.*
48. *Novas decimas vetantur laici accipere.*

I. Decimæ, prout accipiuntur, & dum eas à laicis possideri non posse Canones dicunt, multum differunt à decimis *dominicatis* aut *indominicatis*, quæ passim occurrunt in Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis; uti monet Franciscus De Roye antecessor Andegavensis Institutionum Juris Canonici *lib. 2. cap. 12.* "Hæ ii quidem (ait) prophanæ sunt, & agro„rum census aut tributa, veluti campartium, agrarium, „cottagium, & alia id genus.

Solebant enim frequenter ipsi Principes aut Nobiles terras suas dare in emphyteusim ea conditione, ut certa pars fructuum ab Emphyteutis solveretur dominis directis; quæ pars fructuum subinde *decima* vocata fuit.

II. Quin & notat Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo *De Episcopis & Clericis §. De Decimis n. 6.* quod quamvis similia jura non sint *decima*; tamen hoc prætextu multæ terræ à decimarum solutione exemptæ remaneant; quasi revera decimas exsolverent ipsis Dominis. "Cum enim (ait) „terræ incultæ spectent per mores ad principem seu vasal„los, qui territoria ab eis possident & in emphyteusim sæpe „datæ sunt, atque indies dentur ea lege ut *decima* fructuum „ad Dominos spectet, eaque decimi manipuli vernaculè „vocari apud nos soleant, fit, ut sæpius exinde hæc confusa „sint, & in abusum decimarum trahantur.

III. De his itaque decimis sive juribus planè prophanis & laicalibus hic non agitur; sed de veris decimis origine sua *Ecclesiasticis*, quæque à populo in usum Ecclesiæ primitus oblatæ fuerunt.

Harum decimarum laicos esse omninò incapaces, neque eas ullâ præscriptione aut longi temporis possessione sibi vindicare posse, uno quasi consensu tradunt Canonistæ; idque multorum textuum Juris Canonici auctoritate.

IV. Apud Gratianum *Caus. 16. q. 7. Can. 1.* ex Concilio Lateranensi sub Gregorio VII. refertur: "Decimæ quas in „usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demon„strat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus. „Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet per„sonis eas acceperint, nisi Ecclesiæ reddiderint, sciant se sa„crilegii crimen committere, & æternæ damnationis peri„culum incurrere.

V. Et Alexander III. causam vertentem inter Archidiaconum, & nobilem virū super *decimis* committit Parmensi Episcopo, ut eam auditis utrimque partibus debito fine deci-

Digitized by Google

decidat, "non obstante præscriptione temporis, vel con-„cessione Ecclesiasticæ sæcularisve personæ, si idem eam „opponere voluerit: *quia* (ait) *cum laici decimas detine-„re non possint, eas* NULLA *valent præscribere ratione.*" Refertur hæc Decretalis in *Cap.* 7. ꝟ *De Præscriptionibus*; & latiùs in *Cap.* 10. *eod. tit.* in prima Collectione apud Antonium Augustinum.

VI. Deplorat idem Pontifex in *Cap.* 7. ꝟ *De Decimis* quod laici in asserendis sibi decimis, "fomitem sui erroris „dicantur in ipso Clero aliquoties invenire, dum quidam „Prælatorum Ecclesiæ decimas, & Ecclesias eis disponere „indulgent, & eos in devia mortis impellunt, qui prædica-„tione eorum ad viam vitæ fuerant revocandi. Statuimus „ut si quis alicui laico in sæculo remanenti Ecclesiam, de-„cimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor „quæ inutiliter terram occupat, succidatur, & donec emen-„det, dolore suæ jaceat ruinæ prostratus.

VII. Ratio ob quam laicis nefas sit, decimas possidere; Prælatique adeò arguendi sint, qui eas laicis concedunt, initialibus verbis ipsius Decretalis indicatur: "Quamvis (ait) „sit grave nimis; & divini dignum animadversione judicii „habeatur, quod laici quidam quod *Sacerdotum* est, in Ec-„clesiasticis rebus usurpent.

His itaque verbis indicatur, ideò nefas esse, decimas à laicis usurpari, aut laicis concedi; quia decimæ sunt Sacerdotum: nefas autem est, à laicis usurpari aut detineri, *quod Sacerdotum est.*

VIII. Si decimas consideremus juxta primariam earum institutionem & originem, certum est, eas Sacerdotibus tamquam Ecclesiæ Ministris, sive ut operariis, & spiritualia populo ministrantibus fuisse assignatas: Nam, ut rectè notat S. Thomas 2.2. q. 86. *art.* 2. *in C. Radix solutionis decimarum est debitum quo seminantibus spiritualia, debentur temporalia.*

IX. Hinc idem Doctor *art.* 3. in C. docet jus accipiendi decimas eatenus spirituale esse; in "quantum consequitur „illud debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus „de ministerio, & quo seminantibus spiritualia, debentur „temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes cu-„ram animarum; & ideò eis competit hoc jus habere." Sive ut dicit Joannes Gersonius in Tractatu De Vita spirituali animæ, decimæ sunt quid spirituale *per deputationem.*

X. In quantum ergò jus decimarum fundatur in ministerio Clericali vel Pastorali; eatenus laici, etiam Religiosi juris decimandi incapaces sunt; eoque titulo jus decimandi rectè dicitur spirituale, & solis Clericis competere posse.

XI. Verùm, uti ibidem subjungit Doctor Angelicus, "res „quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt: Unde „possunt in usum quorumlibet cedere; & sic possunt ad „laicos pervenire.

Hinc ulteriùs in responso ad tertium argumentum statuit S. Thomas, quod possit Ecclesia alicui laico concedere, ut dandas decimas ipse accipiat; "sive pro necessitate Ec-„clesiæ (sicut quibusdam militibus decimæ debentur, in „feudum per Ecclesiam concessæ) sive etiam ad subventio-„nem pauperum: sicut quibusdam Religiosis *laicis*, vel non „habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt con-„cessæ per modum eleemosynæ.

XII. Pontifices nonnunquam Regibus decimas nonnullas concessisse certum est.

Refert Emanuel Gonzales in Commentario Capituli 19. ꝟ de Decimis; quod Romani Pontifices concesserint *tertias* decimarum Regibus Catholicis, qui proprio sanguine & maximis sumptibus Ecclesias à Sarracenis occupatas recuperarunt; asseritque Regem Catholicum in Hispania ex acervo decimarum in novem partes diviso duas partes percipere.

XIII. Circa tempus verò hujus concessionis (ait) non satis constat: illud tamen certum est, usque ad tempora Alexandri VI. hæc privilegia Regibus nostris concessa non fuisse perpetua, sed temporalia in subsidium belli cum Sarracenis initi. Alexander autem in sua Bulla quæ incipit *Dum indefensa* anni 1494. die 16. Februarii concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elizabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum Regni Castellæ, Legionis, & Granatæ licite perciperent: & quoad tertias Regni Granatensis aliud privilegium concessit Innocentius VIII.

Deinde citat auctores qui referunt privilegia Romanorum Pontificum percipiendi partem decimarum concessa tam Regibus Castellæ, quàm Arragoniæ.

XIV. In charta dotationis Ecclesiæ S. Donatiani Brugis, quæ nunc Cathedralis est, legitur apud Miræum in Codice *piarum donationum cap.* 34. quod Arnulphus Magnus Flandriæ Comes donet dictæ Ecclesiæ, de Episcoporum, Tornacensis & Morinensis ordinatione ac consilio quasdam Decimas; "de iis, inquit, quas mihi & prædecessoribus „meis, in Comitatu seu Marchionatu Flandriæ, de terris „cultis & incultis Sanctissimi Patres Papæ Romani, pro ad-„jutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum, „pro expugnatione ac resistentia contra Wandalos qui „Flandriam & alias terras vicinas, cum Ecclesiis in ipsis con-„structis crudeliter & damnabiliter devastabant, & incen-„dio tradebant, in feudum perpetuum concesserunt.

XV. Hoc titulo decimas ad Principes pervenisse jam pridem in publica oratione habita in Concilio Principum dixit Fredericus I. Imp. uti scribit Arnoldus Lubecensis *lib.* 3. *cap.* 18. "Scimus autem (ait) *decimas* & oblationes à „Deo Sacerdotibus, & Levitis primitus deputatas; sed cum „tempore Christianitatis ab adversariis infestarentur Ec-„clesiæ, easdem decimas Præpotentes, & Nobiles viri „ab Ecclesiis in Beneficio stabili acceperunt, ut ipsi de-„fensores Ecclesiarum fierent, quas per se obtinere non va-„lerent.

Hic notandum, sæculo 12. decimas à laicis in *feudum perpetuum*, sive Beneficium stabile fuisse possessas.

XVI. Scitur quoque nonnullos Episcopos & Prælatos sine necessitate, ac justa causa, sub idem tempus, id est, sæculo 11. & 12. decimas concessisse; quin & laicos decimas, præsertim Ecclesiarum Parochialium propria auctoritate, aut Parochorum conniventia usurpasse & sibi asseruisse.

XVII. Scitur quoque circa idem tempus, multa Concilia & Prælatorum conventus habitos fuisse; multaque Decreta edita contra laicos decimarum detentores.

XVIII. Narrat Aymoinus in vita Abbonis Floriacensis Abbatis *cap.* 9. quod anno 997. in Monasterio S. Dionysii haud procul à Parisiis Concilium aggregatum quamplurium Episcoporum fuit. Cumque de *Decimis* quæ à laicis ut plurimum occupabantur, & Monachis passim detrahebantur, ad Parochianos reducendis, quæstio in medium fuisset proposita, resistente eis dicto Abbone Abbate, tanta seditio exorta fuit, ut omnes Episcopi è Conventu fugere fuerint coacti; atque inter fugiendum Seguinus Archiepiscopus Senonensis canitie venerabundus fugiens, inter scapulas securi ictus à populo cæno & luto oblitus penè mortuus relictus, nec eum dignitas Sacerdotalis protexerit aut canities, quin penè occideretur. Tota historia extat tomo 9. Concil. general. *col.* 770. & seq.

XIX. Ex hac Laicorum & Monachorum violenta resistentia, satis intelligebant Episcopi, in hac materia, amore pacis & tranquillitatis potiùs aliquid dissimulandum esse, quàm cum omni rigore procedendum.

XX. Concilium Bituricense anno 1031. *Can.* 21. & 22. hoc unum vetuit, ne laici tenentes Ecclesias Parochiales, seu earum proventus in *feudum*, dominatum in Presbyteros exercerent, neque suo arbitrio instituerent aut destituerent: verba sunt; "Ut sæculares Ecclesiastica beneficia, quod *fevos* Presbyterales vocant, non habeant super Presbyte-„ros. Ut nullus laicus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, „nisi in manu Episcopi: quia Episcopus curam animarum „debet unicuique Presbyterorum commendare de Paro-„chiis Ecclesiarum singularum.

XXI. Synodus Tolosana an. 1056. *Can.* 12. monet: "De „Eccle-

„ Ecclesiis in alodiis *laicorum* constitutis, ut tertia pars de„ cimarum cum primitiis, & Presbyterio & cæteris in po„ testate Presbyteri ad servitium ipsius Ecclesiæ, sub Epis„ copi, vel Clericorum ditione permaneant.

XXII. Sub idem tempus Gregorius VII. cum intellexisset Hugonem Episcopum Diensem suum in Anglia Legatum aliquos milites *excommunicasse*, propterea quod decimas dimittere noluissent, scribit eidem *lib. 9. Epist. 5.* "Super his igitur consulimus atque hortamur, ut nunc pro „ tempore Canonicum rigorem vestra sapientia temperet, „ atque hac turbationis tempestate, quædam parcendo, „ nonnulla dissimulando, ita studeat moderari, ut non ex „ severitate justitiæ deteriorandi occasionem sumant, sed „ suspenso nunc judicio, spatium recognoscendi æquita„ tem habentes, postmodum faciliùs acquiescant.

XXIII. Notandum autem id quod præmiserat Pontifex, nimirum, milites illos priùs ad Presbyteros fornicarios & simoniacos coercendos favorem & auxilium ipsi Legato impendisse. Verisimile est, vitia hæc, quæ eo tempore plurimùm invaluerant, occasionem & prætextum dedisse laicis, Ecclesias Parochiales sive earum decimas & proventus, quas & simoniacè accipiebant, & pessimè impendebant presbyteri, occupandi.

XXIV. Apud Gratianum *Caus. 16. q. 7. Can. 3.* legitur Decretum sub nomine ejusdem Pontificis continens querelam Pontificis contra quosdam Episcopos qui "decimas at„ que Christianorum oblationes non Sacerdotibus *propriæ* „ Diœcesis; sed potiùs *laicalibus* personis, *militum* videli„ cet, sive *servitorum*, vel quod graviùs est, etiam *consan„ guineis* conferebant.

Decretum hoc apud Gregorium non reperitur, quamvis quid simile reprehendat idem Pontifex in Germanno Episcopo Metensi *lib. 6. Epist. 5.* uti notant Correctores Romani ad *Can. 13. Caus. 1. q. 3.* ubi idem Decretum rursus refertur.

XXV. Quidquid sit de veritate hujus Decreti, illud sat constat, circa tempora hujus Pontificis, datas esse laicis decimas in *feudum*; uti testatur P. Damiani *lib. 1. Epist. 10.* his verbis: "Inter omnia Porrò hæc mala illud excedit, & „ diabolicam propemodum videtur æquare nequitiam, „ quia prædiis in militiam profligatis, omnique possessione „ terrarum, insuper & *decimæ* ac plebes adduntur in *bene„ ficium* sæcularibus.

XXVI. Insuper illud non obscurum, quod licet hujusmodi *decimarum infeudationes*, quæ frequenter sine necessitate aut magna Ecclesiæ utilitate sæcularibus annuebantur, ab Ecclesia non probarentur, nihilominus aliquatenus tolerari inciperent: præsertim cum jam laici in hac decimarum possessione aliquamdiu fuissent.

XXVII. In Concilio Abrincensi, cui duo Legati Sedis Apostolicæ præsidebant, anno 1172. promulgatum fuit hoc Decretum *Can. 9.* "Item his, qui decimas *hereditario* jure „ tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo *Clerico* dare, eo „ quidem tenore, ut postea ad Ecclesiam, cui de jure com„ petunt, revertantur.

XXVIII. Tandem Concilium Lateranense III. sub Alexandro III. anno 1179. *Can. 14.* edidit hoc Decretum: "Pro„ hibemus ne laici decimam cum animarum periculo de„ tinentes in *alios laicos* possint aliquo modo transferre: " Si quis verò receperit, & non reddiderit Christianâ sepul„ turâ privetur. "*Cap. 19.* ꝟ *De Decimis.*

XXIX. Quia Concilium expressè non injungit restitutionem decimarum, quas hactenus laici possidebant, sed tantùm vetat eas in *alios laicos* transferri; additâ prohibitione novas recipiendi; vulgò creditum est, Concilium permisisse laicis retinere eas decimas in quarum possessione ante hoc Decretum fuerant.

XXX. Verùm cum Concilium expressè dicat, laicos cum *periculo animarum decimas detinere*; nec verbo indicet, eas *licitè* ab eis retineri, meritò nonnulli dubitant, num rectè huic Decreto adscribatur licita decimarum infeudatarum possessio: quemadmodum latiùs deducit Ludovicus Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte 4. lib. 3. cap. 3. num. 7.*

Unde in Constitutionibus Synodalibus Odonis Episcopi Parisiensis, 20. circiter annis post dictum Concilium legitur: "Frequenter moneantur laici, ut non detineant deci„ mas, quas in periculum animarum suarum detinent.

XXXI. Equidem hæc opinio, & Decreti interpretatio videtur sensim invaluisse; præsertim quoad decimas *infeudatas*, atque eodem penè sæculo probatam fuisse Innocentio III. Cum enim Capitulum Suessionense postulasset ab Innocentio III. licentiam redimendi decimas, quæ infra metas Parochiarum ipsius Capituli *in feudum à laicis* detinebantur, eam facultatem annuit hac additâ clausulâ: " Proviso nihilominus ut consueta servitia ad quæ „ laici pro decimis illis Ecclesiis tenebantur, etiam post „ contractum talis venditionis impendant, cum ad eos „ pretium perveniat earumdem. Nisi forte tam modico „ pretio velint esse contenti, quod ob hoc Ecclesiæ ab ex„ actione servitiorum illorum, tamquam pro redemptione „ majoris incommodi, commodè valeant abstinere. " *lib. 4. Epist. 9.*

Hinc notandum imprimis Pontificem non dicere, laicos has decimas *infeudatas* retinere non posse, aut earum *pretium* injustè recipere, prout antea dici solebat.

XXXII. Secundò significat Pontifex, laicos ratione harum decimarum *infeudatarum* obligari ad aliqua servitia præstanda Ecclesiis, quarum decimas in feudum detinebant: atque ita Ecclesia videbatur probare ipsorum jus & possessionem, recipiendo servitia illa in compensationem decimarum.

Tertiò habetur ex hac Innocentii Epistola, quod laici illi post redemptionem decimarum tenerentur continuare solita *servitia*, si pretium aliquod notabile decimarum accepissent, indicium non obscurum, *servitia* illa aliquatenus pretio decimarum correspondisse.

Hoc igitur fundamento, decimas *infeudatas* tolerasse, nec earum possessores inquietandos judicasse videtur Innocentius: motus forsan prædictâ Concilii Lateranensis sub Alexandro III. interpretatione.

XXXIII. Quidquid sit, licet in Concilio Lateranensi sub hoc Innocentio plura contra usurpationes decimarum Decreta edita sint, nullum tamen occurrit quod vel in speciem urgeat restitutionem decimarum, quas laici in feudum jam obtinebant.

XXXIV. Imò idem Pontifex scribit Vercellensi Episcopo in *Cap. 25.* ꝟ *De Decimis*: "Nec occasione decima„ tionis antiquæ (licet *in feudum* decimæ sint concessæ) „ sunt decimæ novalium usurpandæ: cum in talibus non sit „ extendenda licentia sed potiùs restringenda.

Hic sat patenter videtur innuere, super decimis antiquis præsertim in *feudum* concessis, laicos non inquietandos, modo eam licentiam non extendant.

XXXV. Hæc interpretatio Concilii Lateranensis super retinendis decimis ante Concilium à laicis possessis, magis continuò invaluisse videtur. Sub medium enim sæculi 13. Alexander IV. postquam dixit, Religiosos posse de consensu Episcoporum decimas à laicis detentas accipere, subjungit: "Illas autem decimas intelligimus posse taliter à Reli„ giosis de manibus laicorum recipi vel acquiri, quæ ante „ *Lateranense Concilium* ipsis laicis *in feudum perpetuò* „ fuere concessæ. " *Cap. 2. §. Sanè De Decimis in 6.*

XXXVI. Quamvis Alexander non expresserit, quod Concilium *Lateranense* intelligat; communi tamen Canonistarum opinione receptum fuit, hic intelligi Concilium Lateranense sub *Alexandro III.* Unde in Corpore Canonico ad verbum *Concilium* apponitur hæc nota marginalis: *Hoc est Concilium Later. sub Alexandro III. c. 9.*

Canonistarum hæc Glossa ubique recepta fuit; & secundùm illam hodie invaluit, laicos non esse turbandos super decimis quas ante Concilium illud Lateranense possederunt;

Digitized by Google

runt: ejusque distinctionis in ipsis quoque Principum nostrorum, uti & Regum Galliæ edictis frequens mentio occurrit.

Hinc pro communi & vulgari regula hodie receptum est decimas *infeudatas* à laicis licitè retineri posse, modò eas possederint ante Concilium Lateranense sub *Alexandro III.*

XXXVII. Inde ulteriùs statuunt, quod laicus hodie prætendens decimas in aliqua Parochia tamquam *infeudatas*, debeat ostendere, titulum infeudationis suæ præcessisse dictum Concilium Lateranense; aut saltem probare possessionem *immemorialem*; quodque ab antiquo semper collegerit decimas, *nec vi, nec clam, nec precario*, nullo contradicente; nec de contrario extet memoria. Hæc quippe possessio vicem tituli supplet, aut saltem præsumptionem facit, eum legitimè & cum titulo possidere; uti post Panormitanum ad *Cap. 7.* ;; *De His quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli* notant communiter Doctores; & ita sæpius judicatum refert Claudius Le Prestre *Cent. 1. cap. 13.* & latiùs Carolus Fevretus De Abusu *lib. 6. cap. 2.* Monet nihilominus Broudæus ad Lovetium *Litt. D. num. 9.* possessionem illam esse sufficientem, si modò doceatur de antiquis aliquibus investituris, licet prima; imò nec illæ quæ præcesserunt Concilium Lateranense non ostendantur, aliàs simplex possessio non sufficeret.

XXXVIII. Illud quoque jam pridem hic & in Gallia aliisque partibus invaluit, quod decimæ *infeudatæ* à laicis possideantur ut alia bona patrimonialia; quodque illas liberè vendere ac alienare queant etiam aliis *laicis*; & ad suos hæredes sive testamentarios, non secus ac alia bona patrimonialia & allodialia transmittantur.

XXXIX. Idque contra supra citatum textum Concilii Laterenensis, & Decretum Gregorii IX. *cap. fin.* ;; *De Decimis*; uti jam pridem observavit Guilielmus Benedicta ad cap. RAYNITIUS ;; *De Testamentis*; & post ipsum omnes passim Pragmatici; & de Belgio testatur Zypæus Resp. 2. De Decimis *num. 5.* & notoria praxis ubique confirmat.

XL. Quare & de hujusmodi decimis tamquam bonis laicalibus & feudalibus, tam in Belgio, quam Gallia non tantùm in possessorio, sed & petitorio cognoscit judex laicus: quod & in Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem expressum est.

XLI. Interim decimæ ex sua primigenia institutione & natura sunt Ecclesiasticæ; & tamquam *feudales* cum certo quodam adhuc respectu ad Ecclesiam à qua ad laicos devenisse præsumuntur.

XLII. Hinc jam pridem declarasse S. Ludovicum Regem Galliæ refert Molinæus ad Consuetudines Parisienses §. 68. *num. 21.* edit. 1612. "quod decimæ ad Ecclesiam reversæ ex tunc, & deinceps semper censerentur & reputarentur res *merè Ecclesiastica*, tamquam ad originem & primitivum statum reversæ, etiamsi constaret, quod priùs spectabant laicis jure infeudationis ante Concilium Lateranense.

XLIII. Additque Molinæus, quod decima sic simpliciter & purè à laicis reversa ad Ecclesiam, "per privilegia Ecclesiæ data, sit deinceps exempta à jurisdictione sæculari, nec possit à potestate sæculari prehendi. Et hoc procedit sive hujusmodi decima detur vel remittatur ipsi Ecclesiæ Parochiali ad quam de jure communi spectat, sive alii Ecclesiæ, vel Collegio Ecclesiastico dummodò sine onere & qualitate feudi.

XLIV. Insuper ex hac primogenia conditione decimarum, quam etiam existentes in manibus laicorum retinere aliquatenus videntur, permittit idem Sanctus Rex, omnibus qui in suis terris possident *decimas*, aut alibi à se tamquam *relevantes* jure feudi, eas Ecclesiis restituere in *perpetuum* sine ulla alia Regis licentia: neque debere solvi ulla jura amortizationis notat Lovetius *litt. D. n. 60.*

XLV. Eodem ex capite, decimas infeudatas, si Ecclesiæ venditæ sint, retractui *gentilitio* non subjici non semel judicatum esse refert Renatus Choppinus *Lib. 3. De Domanio Gallico tit. 23. num. 8.* "Decimarum enim sacrum jus (ait) quæ re lierint ad Ecclesiam postliminio, pristinam recipit sacræ rei conditionem.

XLVI. Hæc quidem si decimæ laicales & infeudatæ simpliciter & purè Ecclesiæ restituantur; secus si quis laicus decimam suam infeudaret Ecclesiæ, vel ei concedat in feudum, & ad onera feudalia erga se: quia tunc semper remanet feudalis, & res profana: ait Molinæus loco citato *num. 23.*

XLVII. "Item secus si feudum decimale transiret vel reverteretur ad Ecclesiam non per se, sed cum universitate castri, vel alterius rei temporalis cui annexum est, & à quo dependet, quia semper retinet naturam fundi & rei profanæ, sicut & ipsum principale cui accedit. *cap. accessorium d. regul. jur. in 6. cap. dilectus 3. de prabend.* hoc enim casu Ecclesia sive Prælatus non fruitur hâc decimâ tamquam Ecclesia; vel tanquam Prælatus Ecclesiasticus simpliciter, sed tanquam domina vel dominus loci temporalis à quo feudum decimale dependet. Et prædicta procedunt quantumcumque feudum decimale, tanquam feudum Ecclesiæ datum, vel ad eam cum universitate alterius rei translatum, amortizetur sive per se sive cum universitate rei, quia amortizatio non immutat qualitatem rei, nec eximit à jurisdictione sæculari.

Idipsum citato Molinæo notat Zypæus in Jure Novo tit. De Reparandis Ecclesiis *nu. 13.* "Quia (ait) per talem statum impediuntur ad Ecclesiam reversæ naturam recuperare primigeniam, quod alioquin fieret *Cap. 34.* ;; *De Præbendis* ubi donatarius Ecclesiasticus juris conferendi, non gaudet jure Regis donantis, sed quale ordinarium Ecclesia recipit, quia id jus ad Ecclesiam reversum erat. Unde idem censendum foret de decimis, quæ cum onere fidelitatis aut clientelæ, alteriusve servitii remanent, etsi in manu Ecclesiastica sint. Sed in his secus processum in edicto, magis ex æquitate, quàm mero jure.

XLVIII. Quoad prohibitionem acquirendi de novo decimas supra citatum Decretum Concilii Lateranensis receptum apparet; neque alienatio vel infeudatio decimarum in favorem laicorum licita, etiam auctoritate Episcopi imò licentia Pontificis de bonis Ecclesiæ alienandis se ad alienationem decimarum non extendit; ut infra titulo de rebus Ecclesiæ alienandis vel non alienandis notabitur. Videri potest Zypæus Responso 2. *De Decimis.*

CAPUT V.

De Decimis ad Monasteria & Capitula devolutis.

1. *Epistola sub nomine S. Hieronymi à Gratiano relata de decimis à Monachis possessis.*
2. *Hæc Epistola tamquam supposititia rejicitur.*
3. *Apparet sæculo 11. aut 12. conficta.*
4. *Hæc ficticia Epistola non parum contulit, ut Monasteria decimas sibi asserere possent.*
5. *Sæculis 9. & sequentibus decimæ Monachis communicari cœperunt.*
6. *Qua ratione juxta S. Thomã iis communicari possint.*
7. *Nonnumquam Episcopi decimas Monasteriis dederunt.*
8. *Frequenter etiam auctoritate Pontificum datæ sunt.*
9. *Præcipuè tamen à laicis in Monasteria & Capitula devoluta sunt.*
10. *Tempore Caroli Martelli decimæ passim per Galliam à laicis occupatæ.*
11. *Idipsum per mortem Martelli non cessavit.*
12. *Parochialium Ecclesiarum decimæ sæculo 11. ad laicos transierunt.*

13. *Ad earum restitutionem Episcopi laicos movebant & urgebant.*
14. *Plures laici hisce exhortationibus ad restitutionem movebantur.*
15. *Sæculo 9. passim Monasteriis & Canonicorum Collegiis laici decimas dabant.*
16. *Idipsum rursus contigit sæculo 11. & 12.*
17. *Plures rationes quibus alliciebantur laici ad dandas decimas monasteriis.*
18. *Hæc restitutio non omnibus probabatur; quia non fiebat iis quibus decimæ* jure *debebantur.*
19. *Sæculo 11. ordinatum fuit, ne Monachi aut Canonici sine* consensu Episcopi *decimas à laicis acciperent.*
20. *Idipsum in Concilio Lateranensi renovatum.*
21. *His Decretis volebant Episcopi reducere decimas ad Ecclesias Parochiales.*
22. *Decreta hæc optatum non habuère effectum.*
23. *Sub prætextu* redemptionis Ecclesiarum *Episcopi lucrum ex consensu captabant; & ideò faciliùs consentiebant.*
24. *Hanc redemptionem Urbanus II. Simoniacam definivit.*
25. *Quomodo huic definitioni fraus fieret.*
26. *Si Episcopi non consentirent, dabatur licentia recurrendi ad R. Pontificem ad supplendum consensum.*
27. *Hinc multa à Pontificibus obtenta privilegia de accipiendis decimis.*
28. *Hæ decimarum impetrationes & receptiones non omnibus Monachis placebant; & quare?*
29. *Querela S. Bernardi de Monachis decimas sibi contra Clericos vindicantibus.*
30. *Ordo Cisterciensis in suis exordiis decimas abjecit.*
31. *Nonnulli volebant sua monasteria propter decimarum possessionem deserere; quos reprehendit Ivo Carnotensis.*
32. *Monachis decimas* ut pauperibus *posse communicari asserit Ivo.*
33. *Idipsum probavit S. Bernardus.*
34. *Quid in decimarum receptione per Abbates observari voluit Ivo.*
35. *Monasteria decimas possidentia tenentur Ecclesiis Parochialibus providere.*
36. *Tenentur decimas ut eleemosynas considerare.*
37. *Pauperibus ex iis subvenire.*
38. *Præcipuè in illis Parochiis è quibus decimas accipiunt.*

I. APud Gratianum *Caus.16. q.1. Can.68.* sub nomine S.Hieronymi ad Damasum Papam legitur: "Maximè curandum est illis, „ ut de decimis & oblationibus, cœnobiis, „ & xenodochiis, qualem voluerint & potuerint sinte rationem impendant. Liberum est enim „ Monachis, & spiritualibus viris Deum timentibus & colentibus, decimas & oblationes, cunctaque remedia concedere, & de jure suo in dominium illorum, & usum „ transferre, nec tam in pauperibus paupertatem, quam „ religionem attendere. Quod autem beatitudo tua quæsivit, utrum usus *decimarum*, & oblationum *sæcularibus* „ provenire possit, novit vestra sanctitas omninò non licere, protestantibus hoc divinis auctoritatibus paternorum „ Canonum. Quamobrem, si aliquando fuerint ab his malè detenta, quæ divini juris esse noscuntur, & in usum transierunt *monachorum*, & servorum Dei, *Episcopo* tamen „ loci illius præbente *consensum*, constabunt eis omnia perpetua firmitate, & stabilitate subnixa.

Si sincera esset hæc Hieronymi ad Damasum Epistola, dubitari vix posset, sæculo IV. id est tempus S.Hieronymi, Monachis decimas competiisse; atque liberum fuisse laicis de consensu Episcopi in Monachos decimas transferre.

II. Verùm cum tempore S.Hieronymi decimæ nondum fuerint stabilitæ, ut supra *cap.* 1. notavimus; neque sciatur, eo tempore laicos decimas prætendisse, multò minus occupasse, nullatenus, quæ hîc dicuntur, cum disciplina & moribus ætatis S.Hieronymi convenire plures Eruditi adverterunt; ideòque hanc tamquam suppositìtiam rejiciunt; ipseque Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones *pag.* 188. de hac Epistola ait: "*Pessimè* à Gratiano adscribitur S. „ Hieronymo. Omninò enim scripta est *longè* posterius in „ gratiam Monachorum.

III. Admodum verisimile est, circa sæculum 11. aut 12. confictam fuisse; quando decimas à laicis de consensu Episcopi in Monasteria transferri passim invaluit; uti infra patebit.

IV. Eam sub nomine S.Hieronymi citarunt coram Innocentio III. quidam Monachi; ejusque auctoritate se adversus quosdam Canonicos in possessione decimarum, quas à laicis de consensu Episcopi acceperant, muniebant; uti refert ipse Innocentius in litteris ad Archipresbyterum & Scholasticum Bituricensem; & refertur in *Cap.7.* ¶ *De his quæ fiunt à Prælato* &c. ubi & non obscurè auctoritas istius Epistolæ admittitur, ut dubium non sit, quin hæc Epistola à Gratiano sub nomine S.Hieronymi relata Monasteria in asserendis & retinendis decimis multum stabilierit.

V. Porrò decimis ubique per Galliam aliasque partes stabilitis, Monasteriis & Capitulis circa sæcula 9. & sequentia communicatas fuisse; imò magna ex parte sensim transiisse scitur: idque variis titulis.

VI. Decimas per se non esse spirituales ideoque & laicis & Monachis curam animarum non habentibus communicari posse docet S.Thomas *2.2.q.87.art.3.* unde in responso ad 3. concludit, quod sicut alias res temporales ad Ecclesiam spectantes potest Ecclesia in laicos transferre, ita & decimas concedere queat; "sive pro necessitate Ecclesiæ (ait) „ sicut quibusdam militibus decimæ debentur *in feudum* per Ecclesiam concessæ, sive etiam ad subventionem pauperum: sicut quibusdam *Religiosis laicis* vel „ non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt „ concessæ, per modum eleëmosynæ. Quibusdam tamen religiosis competit accipere decimas ex eo quod habent „ curam animarum.

VII. Per Episcopos nonnunquam decimas Monasteriis & Capitulis concessas fuisse dubitari nequit; ipsaque fundationum & dotationum diplomata passim fidem faciunt; pluraque referuntur in Bibliotheca Cluniacensi pag. 1285. & 1387. ac sequentibus.

VIII. Similiter auctoritate Romanorum Pontificum plurimarum Ecclesiarum decimas, quin & Ecclesias ipsas Monasteriis & Capitulis incorporatas esse, præsertim sæculo 12. & sequentibus, notius est quam ut probari debeat.

IX. Nihilominus illud constat, decimas pro majore parte ad Monasteria & Capitula per laicos devolutas esse; idque seculo 9.10. & 11.

X. Constat enim circa sæculum octavum & sequentia decimas variis prætextibus, vel titulis, necessitate subinde id pro tempore exigente, vel à laicis fuisse occupatas, vel concessas.

Et quidem cum tempore Caroli Martelli, Gallia undique potentissimis hostibus & exercitibus, præcipuè Paganorum & infidelium impugnaretur; ad quos repellendos, cùm Nobiles & Principes suas opes exhausissent, solatii & mercedis colore eis data fuère Ecclesiarum etiam Parochialium reditus & bona, uti ex Synodis & historiis illorum temporum constat.

Et quidem de Carolo Martello vetus Fragmentum de majoribus Domûs Regiæ à Petro Pithæo editum, hoc prodit: "Carolus Major Domûs & Austriorum Princeps, „ res Ecclesiarum, propter assiduitatem bellorum *laicis* „ tradit.

Ex quodam veteri Chronico idem de Carolo Martello refert Vir eruditus Joannes Filesacus in suo de sacrilegio Lai-

Laico commentario; sive veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela: "Carolus, ait Chronicon, propter assiduitatem bellorum, Decimas & quasdam alias res Ecclesiasticas *Laicis concessit*.

XI. Morbus hic nec mortuo Carolo Martello cessavit, sed sub pluribus Regibus perduravit; uti doctè ostendit Joannes Filesacus in dicto tractatu; notatque sub Carolo Laicos virtute quidem militari & bellica fortitudine illustres, ob fidelem Regi in bello navatam operam, beneficii loco, prædia & villas Ecclesiæ, dono accepisse. Et hæc Regiæ Munificentiæ symbola, ait Filesacus, *beneficia* nominantur apud Scriptores nostros. Et de his beneficiis intelligi oportet quod legitur *lib. 1. Capitular. cap. 157.* "Ut qui Ecclesiarum *beneficia* habent, nonam & decimam ex iis Ecclesiæ, cujus res sunt, donec, & qui tale beneficium habent, quod ad medietatem laborent, & de earum portione proprio Presbytero, id est Parocho, decimas donent.

XII. Ex dictis quoque capite præcedenti, & relatis ibidem Canonibus facilè est intelligere, sæculis 10. & 11. Decimas Ecclesiarum Parochialium à laicis passim vel occupatas, vel jure quodam infeudationis acceptas.

XIII. Cum verò decimæ principaliter ac primariò Sacerdotibus spiritualia ministrantibus ex intentione Fidelium eas offerentium, & Ecclesiæ eas exigentis sint ordinatæ; atque ipsis quodammodò violentè ablatæ censerentur, Episcopi tum adhortationibus, tum editis Decretis Laicos ad earum restitutionem ac dimissionem urgere haud destiterunt.

XIV. His exhortationibus & Decretis, quæ nonnumquam & censuras minabantur in refractarios, plures Principes laici commoti ab iis se liberare, & locis aut operibus piis impendere voluerunt.

XV. Et quidem de restitutione *decimarum* quæ facta fuit à successoribus Caroli Martelli id est, Ludovico Pio & filiis ejus, loquens Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones *pag. 186.* ait: "Et Monachorum & Regularium in Cathedrali aut Collegiato Claustro Clericorum disciplina tunc florentissimè vigebat. Hinc plures Laici, dum Sæculares seu singulares Clericos aversantur, detentas Altarium Decimas illis donarunt, ex ipsis fundarunt nova Monasteria ac Regularia Collegia, atque ita utramque istam professionem opulentissimè ditarunt.

XVI. "Post extinctam Caroli Magni sobolem (pergit Lupus) & patrata in Formosum Pontificem scandala malum adeò resurrexit, ut Laici in ipsis etiam Romanis Basilicis devotas adventantium fidelium oblationes invaderent, & ipsos adventantes in via prædarentur. Medicinam adhibere iterùm cœpit Gregorius sextus, Victor secundus, ac præsertim sanctus Leo nonus, laudatus ab Hermanno contracto. Et tunc iterum varia, in quibus vigebat Regularis Ordo, Monasteria non parùm profecerunt. Plurima tunc fuisse de novo fundata scribit Glaber Rudolphus.

XVII. Accedebat summa tum temporis in laicis fundandi ac dotandi Monasteria & Canonicorum Collegia aviditas; ut vel sic eorum nomen & posteritas Fundatorum aut Benefactorum Catalogo inserta, quodammodò post vitam superessent, & nomen æternum hæreditarent.

Accedebant Monachorum frequentes, instantes & importunæ preces & solicitationes: qui & hoc fundationis dotationisque opus in cœlum usque attollere, atque ad demerendum Deum, peccatorumque remissionem impetrandam plurimum valere, persuadere omni modo studebant.

Quin & suffragia suarum congregationum, Fundatorum atque Benefactorum animabus è pœnis purgatorii liberandis, mirum in modum efficacia esse astruebant & persuadebant.

Hæc omnia, mirum quantum stimularint pios laicos, ut Decimas aliaque bona in monasteriorum fundationes & dotationes, præcipuè per testamenta, cum iis amplius ipsi uti non possent, conferrent; adeò ut vix ullum reperias Monasterium quod non aliqua, ut minus, ex parte per hujusmodi Laicorum largitionem fundatum atque dotatum sit.

XVIII. Verùm licet hac ratione decimæ è manibus laicorum extrahi viderentur, tamen non iis, quibus jure debitæ erant, scilicet Ecclesiis Parochialibus, & Sacerdotibus spiritualia ministrantibus restituebantur: unde nec hujusmodi decimarum translationes Episcopi probabant.

Hinc ad Urbanum II. scribit S. Ivo Carnotensis *Epist. 12.* "Multa mordum ita fieri video in domo Dei, quæ me torqueant, *maximè* quod apud nos qui Altari non serviunt, de Altari vivant.

XIX. Ut hanc devolutionem Episcopi impedirent, easque ad naturales earum possessores, id est, Parochos & Sacerdotes spiritualia populo seminantes reducerent, pluribus in Synodis decreverunt, Monasteria sine *consensu* Episcopi decimas accipere non posse.

"Ut nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ juris sunt Ecclesiastici accipere sine Episcopi concessione præsumat: "ait Synodus Melfitana an. 1078. *Can. 2.*

Et in Concilio Romano sub idem tempus eundem in finem Decretum fuit: "ut nullus Abbas Decimas & primitias, & reliqua quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos pertinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi in cujus Diœcesi habitat, detineat, auctoritate Apostolicâ sancimus.

Et Joannes Cardinalis de Crema, Honorii II. in Anglia Legatus in sua Londinensi Synodo an. 1125. "Nullus Abbas, nullus Prior, nullus omninò Monachus vel Clericus Ecclesiam sive decimam, seu quælibet beneficia Ecclesiastica de dono Laici sine proprii Episcopi auctoritate & assensu suscipiat: quod si præsumptum fuerit, irrita erit donatio hujusmodi; & ipse Canonicæ ultioni subjacebit.

XX. Et rursus in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. conquesti Episcopi de Templariorum, aliorumque Religiosorum excessu in recipiendis Decimis è manibus Laicorum, eorum querelam probans Synodus, ait: "Ecclesias & Decimas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam illos (Templarios) quam alios Religiosos recipere prohibemus, dimissis quascumque contra tenorem istum aliquo tempore receperunt. "*Cap. 3. ꝟ De Priv.*

Hoc Decretum anno 1200. rursus iisdem verbis renovavit Synodus Londinensis; & anno 1215. magnum illud Concilium Lateran. sub Innocentio III. *Can. 16.*

XXI. Has omnes Conciliorum ordinationes in id collimare, ut decimæ ad Ecclesias Parochiales, quibus *de jure* debentur, reducantur sat manifestum est.

Hinc ad litteras Innocentii III. quibus Capitulo Suessionensi impertiit licentiam decimas à laicis redimendi, sub ea expressa conditione, si ad Ecclesias Parochiales reduci non possent (verba capite præcedenti relata sunt) reflectens Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones pag. 199. ait: "Ita possessiones suas, decimas præsertim ac primitias, de laicorum manibus efestucare variis modis conata semper fuit Ecclesia, ea tamen lege, ut ad propriæ Parochiæ redirent opus. Quod ubi non potuit, permissæ sunt transire ad aliquod Monasterium seu Capitulum.

His consonat illud Innocentii III. *Cap. 7. ꝟ de his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* "Laicus qui decimam detinet, monendus est, ut eam restituat Ecclesiæ ad quam spectat, qui si fortè induci nequiverit, & eam cum Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui, constabit ipsa donatio, perpetuâ firmitate subnixa.

XXII. Verùm licet Conciliorum mens fuerit per sua Decreta devolutionem decimarum ad Monasteria & Collegia Canonicorum aliquousque restringere, exiguum tamen effectum habuere.

XXIII. Imprimis enim Episcopi se haud difficiles in

præstando consensu præbebant; quia pro præstando consensu certam summam pecuniæ accipiebant; idque in redemptionem juris quod ad decimas habebant; vocabantque redemptionem Ecclesiarum sive altarium.

XXIV. Refert Goffridus Abbas Vindocinensis *lib. 3. Epist. 12.* Urbanum II. in Arvernensi Concilio hanc Altarium redemptionem judicasse & declarasse Simoniacam: "Redemptionem Ecclesiarum, quæ vulgari hoc vocabulo Altaria nuncupantur, beatus Vir (Urbanus II.) Simoniacam pravitatem vocavit, & Apostolica auctoritate damnavit.

XXV. "Displicuerat hoc vitium Gregorio VII. qui Diensi Episcopo Legato suo interdicendum præceperat *illud commune malum pene totius terræ, videlicet quod altaria venduntur.* Lib. 4. Epist. 7. Sed definitioni Concilii fraus deinde facta ab Episcopis, qui annuo censu, licet levi, Ecclesias onerabant. Sicque eveniebat, ut per singulos annos particulari solutione exigerent quod per intervalla ex Vicariorum seu personarum substitutione percipiebant.

Vehementer hanc fraudem exagitat citatus Goffridus in laudata Epistola; cujus verba refert Petrus De Marca Archiepiscopus Parisiensis in notis ad Canonem VII. Concilii Claromontani sub Urbano II. ubi latè de hac Ecclesiarum & altarium redemptione agit; refertque quoddam rescriptum Paschalis II. Papæ, "ubi & mentio fit alterius fraudis ab Episcopis excogitatæ, qui mutato nomine, non pro *Altarium*, sed pro personarum redemptione à se pecuniam exigi dicebant: id est, non ratione Altarium *per Vicarios*, sed *pro Vicariis.* " Habentur hæ notæ tomo 10. Concil. general. *col.* 578.

Interim quia Episcopis ex consensu illo præstito lucrum aliquod cedebat; mirum! quanta decimarum copia ad Monasteria, & Canonicorum Collegia, etiam Episcopis consentientibus, transiverit: præsertim quia sæpius Laici induci non poterant, ut eas Ecclesiis Parochialibus restituerent.

XXVI. Accedebat, quod quidem laicis vetitum esset, decimas sine consensu Episcopi Monasteriis dare, addita tamen erat hæc clausula, "Qui (Episcopus) si forsan improbitatis aut avaritiæ causa consentire noluerit, Romano Pontifici nuntietur, & cum ejus licentia, quod offerendum est, offeratur." Ita Concilium Melsitanum sub Urbano II. *Can.* 5.

XXVII. Itaque ubi Episcopus consensum negabat, recursus ad Pontificem patebat; à quo opportunè importunè consensum sollicitabant, & non rarò extorquebant; & privilegia recipiendi decimas renuente etiam Episcopo obtinebant: cujus generis privilegiorum plurima exstant rescripta in tabulariis Ecclesiasticis, ait De Marca loco citato.

XXVIII. Porrò hæ & similes decimarum ad monasteria devolutiones non omnibus, etiam Monachis placebant: eò quòd per illas qui Altari serviebant, proventibus Altaris defraudarentur; & qui altari non serviebant, de altari viverent: & quod erat seminantium spiritualia, à non seminantibus possideretur.

XXIX. Graphicè id describitur in Epistola quæ sub nomine Hugonis Abbatis Cluniacensis, & S. Bernardi Abbatis Clarævallensis habetur ad calcem Epistolarum Ivonis Carnotensis ad Monachos Majoris Monasterii, qui super decimis alicujus Parochiæ cum aliquibus Canonicis disceptabant, in qua præter alia dicitur: "Quid quod de altari contenditur, & hoc adversus filios Levi, id est, adversus Clericos; Clericorum est altari deservire, & de altario vivere. Nobis nostra professio & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præscribunt laboribus, & non ex sanctuario Dei. Huc accedit, quod eidem Ecclesiæ de qua præsens disceptatio est, Clerici soli deserviunt, vosque cum illis partimini beneficium, cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus clamat pro Clericis, imò ante ipsum Moyses: *non alligabis os bovi trituranti.* Item: *Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* Vos autem per contrarium convenimus. Qua audacia, O Monachi, præsumitis seu vinum de vinea quàm non plantastis, seu lac de grege quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis ubi nihil exhibetis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morientes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, corripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absolvite resipiscentes, reconciliate pœnitentes: & in medio denique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium est sedere & tacere. Sic fortasse dignum se probabit mercenarius mercede sua. Alioquin invidiosum admodum est, velle metere ubi non seminaveris. Sed & colligere quod alius sparserit, etiam injuriosum.

XXX. Scimus Monachos illos, quibus Ordo Cisterciensis sua primordia debet, decimarum possessionem non probasse; imò earum possessionem dedisse occasionem è Monasterio se subtrahendi, & ad Cistertii eremum confugiendi. Rem ipsam, atque eorum sensum exponit Sigebertus Gemblacensis ad *annum* 1107. "Abbas Cistertii & fratres ejus, non immemores pensionis suæ, regulam beati Benedicti in loco illo ordinatam unanimiter statuerunt tenere, rejicientes à se quidquid Regulæ refragabatur. Exuti veterem hominem, novum se induisse gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in vita Sancti Benedicti legebant eundem Doctorem possedisse Ecclesias vel Altaria, vel decimas aliorum hominum, ideò hæc omnia abdicaverunt. Decimas ajebant à sanctis Patribus, qui organa erant Spiritus Sancti, quorumque Statuta transgredi est sacrilegium committi, in quatuor portiones distributas, unam scilicet Episcopo, alteram Presbytero, tertium hospitibus ad illam Ecclesiam venientibus, seu viduis & orphanis, sive pauperibus aliundè victum non habentibus, quartam restaurationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computo personam Monachi, qui terras suas possidet, unde & per se & per sua pecora sua laborando vivat, non reperiebant, idcirco hæc veluti aliorum jus injustè sibi usurpare detrectabant.

XXXI. Cum verò hæc decimarum occupatio Abbatibus & Monasteriorum œconomis præcipuè imputaretur, nonnulli Monachorum & Regularium eò deveniebant, ut crederent, Abbates decimas sibi asserentes & possidentes esse in statu damnationis; atque propterea probos Monachos se ab iis separare debere, & Monasteria deserere; uti colligitur ex Epistola 192. Ivonis Carnotensis; ubi Sancti Augustini varia, quæ bonis à malorum intra Ecclesiam communione nullum esse contagium timendum docent, testimonia adducit, dein pergit: "Hæc & his similia Præcones hujusmodi (non intelligentes aut non legentes) suadent Monachis, ut Monasteria sua deserant propter Abbates suos & Procuratores Monasteriorum suorum, qui aliquas *decimas*, quæ jure pertinent ad dispensationem Episcoporum, monasteriis suis adquisierunt. Dicant mihi tam subtiles divinorum judiciorum scrutatores, quid salubrius sit Monachis, utrum permanere cœnobitas sub præpositorum suorum obedientia quæ melior est quàm victimæ, & ibi vivere de decimis & fidelium oblationibus, quas Ecclesia lege caritatis communicare potest non tantum monasteriis, sed etiam zenodochiis, infirmis & peregrinis: an fieri Sarabatas, ut in privatis locis proprio jure vivant, & victum sibi de substantia pauperum per manum raptorum, & de fœnore negotiatorum accipiant.

XXXII. Post hæc ait: "Licet enim decimæ & oblationes principaliter clericali debeantur militiæ; potest tamen Ecclesia omne quod habet cum omnibus pauperibus habere commune. Quanto magis cum his pauperibus qui relictis facultatibus propriis non in angaria bajulantes Christi crucem, sequuntur pauperem Christum.

XXXIII. Agnovit ergò Ivo, decimas principaliter Militiæ

Cleri-

Clericali deberi; Monachis autem ut pauperibus posse communicari. Eandem mentem Concilii Trecensis, & S. Bernardi fuisse (qui huic Concilio interfuit, & cujus operâ potissimum exarata est in eo Concilio regula Templariorum) patet ex *cap. 66.* ejusdem regulæ: "Credimus namque relictis affluentibus divitiis spontaneæ paupertati esse subjectos, unde *decimas* vobis in comuni viventibus juste habere hoc modo demonstrabimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decima juste debetur, vobis caritativè eam dare voluerit: assensu communis Capituli de illis decimis quas tunc Ecclesia possidere videtur vobis attribuere debet. Si autem Laicus quilibet adhuc illam vel ex patrimonio suo damnabiliter amplectitur, & seipsum in hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit: ad nutum ejus qui præest tantum sine consensu Capituli id agere potest.

Hic notandum distingui inter decimas ab Ecclesiis possessas; & decimas à Laicis hactenus detentas: ut priores, tamquam jam realiter spectantes ad Ecclesiam per Episcopum sine consensu Capituli Militibus Templi dari nequeant; posteriores verò de *solo* consensu Episcopi concedi queant juxta Canones supra relatos: quæ distinctio probatur quoque ab Innocentio III. in *Cap. 7.* ;; *De His quæ fiunt à Prælato* &c. "Cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur: & aliud quod detinetur à Laico ad usum Ecclesiasticum revocare: " ait Innocentius.

Addit & ibidem Innocentius: "Monendus est Laicus, qui decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ ad quam spectat, qui si fortè induci nequiverit, & eam Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conventui: constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixa.

XXXIV. Ivo Carnotensis verbis supra relatis, quibus ostendit Monasteriis decimas communicari posse, adjungit quæ circa decimarum receptionem in Abbatibus reprehendenda videantur: "Est tamen in quo Abbatibus & præpositis Monasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis ad quos non pertinent, id est à laicis decimas & oblationes accipiant, si inordinatè eas à quibuscumque personis adquirant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipendia Presbyterorum antiquitùs instituta minorent ac sibi usurpent.

XXXV. Itaque hoc imprimis attendere oportet Abbates aliosque Monasteriorum & Collegiorum Præpositos decimas possidentium, ut *stipendia* Presbyterorum antiquitùs constituta non minorent, ac sibi usurpent; id est, non ita decimas sibi approprient, ut Parochi aliqui Presbyteri curam animarum habentes, quibus decimæ principaliter & de jure debentur, egeant, aut honestâ sustentatione destituantur: sed de hoc latiùs titulo sequenti.

XXXVI. Præterea attendant Prælati aliique curam animarum non habentes, & decimas possidentes, eas tamquam *pauperibus* ex sententia S. Bernardi & Ivonis sibi esse communicatas; uti & S. Thomas loco citato asserit, dicens: "Quibusdam Religiosis Laicis, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum *eleemosynæ*.

Hinc facilè est concludere, speciali titulo magnâ moderatione & frugalitate decimis à Religiosis utendum esse, cavendumque, ne eas in luxum aut usus prophanos impendant.

XXXVII. Beatus Petrus Damiani *Lib. 2. Epist 14.* laudans nonnulla sui temporis Monasteria à largis eleëmosynis quas in pauperes effundebant, inter cætera dicit: "Enim verò, ut copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Monasteriis & Eremis decimæ quorumcumque proventuum, & non modo pecorum, sed etiam cornicum pariter & ovorum.

Horum verborum sensum nonnihil dubium esse notat Christianus Lupus tomo 5. Schol. in Canones pag. 193. "Affirmare videntur, quod ideò invasas olim à laicis Decimas transferri in Monasteria atque Eremos jam permittat Ecclesia, ut Abbates & Præpositi, tamquam fideles dispensatores ipsas dividant in pauperes. Et hocce omninò non sine laici ipsas in varia hinc inde Monasteria transtulerunt. De Monachorum enim potiùs, quàm de Clericorum futura in pauperes pietate confidebant. Alii à Petro Damiani laudari existimant quædam Monasteria, quòd omnium suorum proventuum decimas darent pauperibus. Quidquid sit, *certum* & *clarum* est, quòd decimas possidentia Monasteria, ac etiam Clericorum Collegia seu Capitula ad *largas* eleëmosynas, non tantùm ex charitate, sed omninò ex rigida justitia obligentur.

Deinde paucis interpositis addit: "Et Monachorum fidem à piis olim laicis fuisse electam ad hoc opus, jam dixi, & rursum dico. Quod ab ejusmodi Monasteriis est perpetuâ memoriâ retinendum. Electa sunt ad ipsas dispensandas potiùs, quàm possidendas.

De hac Monasteriorum ad eleëmosynas in pauperes & hospites elargiendas obligatione; & quanta liberalitate Monasteria & Canonicorum Collegia jam pridem opera misericordiæ exercuerint; ut propterea & *Hospitalia* & *Domus Dei* vocari meruerint, ostendetur intra titulo De Hospitalibus & piis locis.

XXXVIII. Cùm verò de jure & ex intentione offerentium decimæ *principaliter* debeantur Parocho intra cujus limites excrescunt, ut ex iis & sua necessaria habeat, & reliqua in pauperes suæ Parochiæ & alios pios usus dispenset, non dubium est, quin pauperibus Parochiæ ex decimis intra limites illius collectis, speciali titulo succurri conveniat; eorumque specialem rationem à Decimatoribus haberi.

Synodus Londinensis anno 1342. invehitur in Religiosos obtinentes incorporatas sibi Ecclesias & decimas, & indigentibus Parochianis non succurrentes, statuitque *Can. 4.* "Quod Religiosi prædicti Beneficia appropriata obtinentes Ecclesiastica, secundum beneficiorum hujusmodi Facultates, annis singulis, pauperibus *Parochianis*, circa eleëmosynæ quantitatem ipsorum locorum ordinariorum moderandam arbitrio, per Episcopos ipsos distribuere compellantur, sub pœna sequestrationis & substractionis fructuum proventuum beneficiorum hujusmodi, donec in præmissis paruerint competenter." V. Boniface tom. 3. *lib. 5. tit. 14. cap. 1. & 4.*

CAPUT VI.

De Decimis novalibus & minutis.

1. *Quid novale de jure Civili.*
2. *Innocentius III. definit* Novale.
3. *Strictius accipit* Novale, *quàm jure Civili accipitur.*
4. *Hæc definitio præcipuè concernit* indulgentiam *à* novalibus.
5. *Hæc Indulgentia tamquam contraria Juri communi strictè interpretanda.*
6. *Indulgentia hæc non procedit si multum præjudicet Ecclesiæ Parochiali.*
7. *Non sequitur ex responso Innocentii,* Novale *semper tam strictè sumi debere.*
8. *Licet ager non esset* novalis *in casu istius indulgentiæ, posset tamen esse* novalis *in favorem Parochi.*
9. *Consuetudo habet pro novali agrum qui prætulit fructus non decimabiles.*
10. *Ex scopo Innocentii III. videtur hic ager posse dici novalis.*
11. *Innocentius respexisse videtur ad emolumentum ex agro Ecclesiæ Parochiali proveniens.*
12. *Idipsum notavit Glossographus.*

13. Cano-

13. *Canonistæ videntur eam rationem attendisse.*
14. *In judicando quid sint* novalia, *attendenda consuetudo; & in dubio pro Parocho judicandum.*
15. *Speciali titulo Novalia Parocho competunt.*
16. *Synodus Burdigalensis monet restitui Parochis* novalia.
17. *Innocentius III. declarat, decimas novales non comprehendi sub jure percipiendi decimas.*
18. *Idipsum declarat Alexander IV.*
19. *Nisi speciali titulo novalia ad alium quàm Parochum spectare ostendantur, adjudicanda sunt Parocho.*
20. *Juri communi consonat praxis.*
21. *Etiam Vicario* perpetuo *competunt* novalia.
22. *Etiamsi Vicario tantùm competat exigua portio decimarum* veterum, *etiam minutarum.*
23. *Quid si nulla decima, sed tantùm portio congrua in pecunia?*
24. *Quomodo intelligendum privilegium datum Monasteriis percipiendi* novalia.
25. *Olim Principes Belgii prætenderunt novalia; sed iis postmodum renuntiarunt.*
26. *Quid decimæ* minutæ?
27. *Competunt & hæ speciali titulo Parocho.*
28. *Decimæ uno tempore & loco* minutæ, *alio sunt* majores.

I. Decimas *novales* dictas esse ab agro *novali* nemo dubitat. Ut ergò sciamus quid sint decimæ *novales*, inquirendum quid sit ager *novalis*.

In *Lege 30. ff. D. V. S.* dicitur, *Novalis est terra præcisa quæ anno cessavit*. Et in *L. 3. §. 2. De Termino moto:* " Hi quoque qui finalium quæstionum „ obscurandarum causâ faciem locorum convertunt, ut „ ex arbore arbustum, aut ex sylva *novale* aut aliquid hu„ jusmodi faciunt, pœna plectendi sunt pro persona, & „ conditione, & factorum violentia.

Ex his Juris-Consulti statuerunt, terram præcisam quæ *anno* cessavit; vel sylvam, quæ arboribus extirpatis, ad culturam redacta est, terram *novalem* esse.

II. Utriusque hujus interpretationis sive definitionis ex Jure Civili desumptæ meminit Innocentius III. in *Cap. 21.* ✠ *De V. S.*

Interrogatus enim ab Episcopo Cæsaraugustano, quid per *novale* intelligatur, ubi à Pontifice concessum fuit Privilegium de non solvendis decimis ex agris *novalibus*, respondit Innocentius: " Licet autem quidam dixerint, quod „ *novale* sit terra præcisa, quæ anno cessat, aliis asserenti„ bus, quod ex sylva, quæ arboribus extirpatis ad cultum „ redigitur, fieri novale dicatur: quarum utraque inter„ pretatio ex *civilibus* legibus colligitur. Nos igitur inqui„ sit. t. r. quod eam credimus prædecessorum nostrorum „ intentionem fuisse, cùm piis locis indulgentiam de nova„ libus concesserunt, ut novale intellexerint agrum de no„ vo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, „ quod aliquando cultus fuisset.

III. Pontificem in strictiore significatione accipere *Novale*, quàm in Jure Civili videbatur accipi, fat manifestum est; concluduntque hinc Canonistæ, in hac materia decimarum, agrum *Novalem* non dici terram præcisam quæ *anno* cessavit: sed illam de qua non extat memoria quod aliquando culta fuerit.

IV. Insuper ex verbis Pontificis satis intelligitur, ipsum duntaxat voluisse docere, quid per *Novale* intelligeretur ex mente Pontificum dum quibusdam piis locis *indulgentiam de Novalibus* concesserunt; hoc est, exemptionem solvendi decimas ex agris *novalibus*.

V. Hanc autem *indulgentiam* esse contrariam Juri communi, quod vult ex omnibus agris, & ab omnibus indifferenter decimas solvi, expeditum est; & per consequens, privilegia hæc sive indulgentias tamquam odiosa strictissimè esse interpretanda & accipienda; ut quantum fieri potest, à jure communi non recedatur, & decimæ integrè solvantur Ecclesiæ Parochiali.

VI. Hinc eodem loco addit Pontifex: " Sed nec de quo„ libet *tali novali* credidimus ei ingulgentiam fore conces„ sam, nisi de illo duntaxat, cujus decimam Religiosus po„ test Conventus absque *gravi* detrimento Parochialis Ec„ clesiæ detinere: cum talis sit sæpe locus incultus, de quo „ Parochialis Ecclesia magnos percipit decimarum ratione „ proventus.

Non ergò mirum si in strictiore significatione vocem *Novale* esse accipiendam responderit Pontifex: eò quòd ageretur de interpretatione privilegii contra jus commune.

VII. Licet ergò Pontifex in hoc casu per *novale* dixerit, ex verisimili mente Pontificum intelligi, agrum *de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset*; non sequitur, quod tam strictè intelligi debeat, ubi non de privilegio juri communi contrario agitur; sed de casu quo per latiorem interpretationem ad jus commune propius accederetur.

VIII. Ut igitur supponeretur in casu hujus Decretalis agrum non habendum pro *novali* qui quidem cultus fuisset; sed hactenus numquam fructus decimabiles protulisset; uti in multis partibus sunt *prata*; quæ quidem fœnum proferunt sed *non decimabile* ex speciali locorum consuetudine; nullatenus inde consequens esset, hujusmodi agrum non esse *novalem*, dum agitur de vindicandis aut conservandis decimis novalibus ipsi Parocho, contra alium Decimatorem.

Hoc quippè casu, quo latior fit interpretatio agri *novalis*, eò magis ad jus commune, quod omnes decimas Parocho assignat, acceditur: atque ita hîc locum habet regula, *Favorabilia sunt amplianda.*

IX. Illa interpretatio multis in locis etiam consuetudini consonat: quæ passim pro agro novali in favorem Parochi habet, prata, item silvas de quibus non extat memoria, quod aliquando ad culturam ita fuerint redacta, ut fructum *decimabilem* protulissent; sed nunc primum ad culturam talem redacta sunt; ut fructum decimabilem proferant.

X. Quin si scopus factæ interpretationis ab Innocentio III. in citato *Cap. 21.* attendatur, & non solus exterior verborum cortex, apparebit, interpretationem *novalis* quam consuetudo multis in locis probavit, à mente Pontificis non esse difformem; ipsumque potiùs attendisse, num ager numquam fructus decimabiles protulerit, quam an numquam absolutè & simpliciter ad culturam redactus fuerit.

XI. Voluisse enim videtur Innocentius declarare, mentem suorum Prædecessorum haud fuisse, per suas *indulgentias de novalibus* piis locis concessas præjudicare Ecclesiis Parochialibus in jure jam quæsito; sive in decimis in quarum possessione jam essent, aut fuissent: quod non fieri credidit, si per *novale* intelligeretur ager ille de quo non extat memoria quod aliquando cultus fuerit: Cùm enim ex tali agro Ecclesia numquam decimas perceperit; etiam non ita propriè videtur lædi in jure jam quæsito; sive potiùs decimas ei non auferri in quarum possessione aliquando eam fuisse constaret.

Verbo, id unum attendisse videtur Pontifex, num ex agro de quo agitur, aliquando emolumentum aliquod habuerit Ecclesia Parochialis, quo per similem indulgentiam privaretur; atque eo casu ex mente concedentium *indulgentiam de novalibus*, agrum illum non videri *novalem* in ordine ut sub illa ingulgentia comprehenderetur; secùs, si non extet memoria quod aliquando emolumentum aliquod Ecclesia Parochialis ex illo perceperit.

XII. Id jam pridem notasse videtur Glossa ad 4. ✠ *De Decimis* verbo, *Pascuis*, ubi observat, *Novalia* dici in

Cap. 21.

„ *De V. S.*" Unde Ecclesia Parochialis *nihil ante* percipiebat, vel ita modicum quod sine læsione poterat illud „ amittere." Ex quo ulterius concludit: "Et ita ista pascua „ (de quibus dicto) *cap. 4. non erant priùs inutilia*, vel area „ sive domus; unde non deberent dici *Novalia* per *Cap. 11.* „ *De V. S.*

Planum ergò est, Glossographum credidisse, hoc unum attendendum esse, ut de agro aliquo statuatur, Novalis sit, vel non, an aliquando aliquod emolumentum ex illo habuerit Ecclesia Parochialis.

XIII. Sed & ipsi Canonistæ eam interpretationem *Novalium* non obscurè insinuant, dum communiter pro ratione ob quam sub præscriptione juris decimandi non comprehendantur *novalia* allegant: *Quia non plus præscriptum, quam possessum*: id est, cum in agro novali numquam decimæ excreverint, non potest quoque præscribens fuisse in quasi possessione percipiendi decimas ex hoc agro. Quæ ratio æquè militat in agro qui quidem aliquando cultus fuisset; sed de quo non extat memoria, quod aliquando fructus decimabiles protulerit; quàm de agro qui absolutè & simpliciter nunquam cultus fuit; ut sunt myricæ.

XIV. Interim hoc indubitatum est, hoc in articulo, uti in hac tota Decimarum materia multum consuetudini esse tribuendum; & si consuetudo dubia sit, eam in favorem Parochi esse interpretandam; utpotè cui decimæ intra limites Parochiæ excrescentes de jure competunt.

XV. Illud ulterius certum est, decimas *novales* speciali titulo & jure Parocho competere.

In Concilio Burdigalensi anno 1255. *Can. 31.* dicitur: „ Licet per Canonica statuta decimæ ad Parochiales Ecclesias pertinere noscantur; quædam tamen Ecclesiæ ex „ præscriptione, aliæ ex consuetudine veteres decimas possideant in *alienis* Parochiis: nonnulli Ecclesiastici nullo „ jure suffulti, sed avaritiâ & pertinaciâ solâ ducti, decimas „ in animarum periculo detinere præsumunt." Ac dein subjungitur: "Sed his tam Clerici, quàm laici non contenti, ad *novalia* quæ specialiter Parochialibus Ecclesiis jura „ reservant, extendunt illicitè manus suas & eædem Ecclesiæ omninò jure suo, quoad novalium decimas, defraudantur. Volentes igitur præsumptioni Clericorum & Laicorum, prout possumus, obviare, & Ecclesiarum indemnitatibus providere: omnibus omninò prohibemus, ne „ quisquam de cætero, clericus aut laicus, occasione veteris decimæ novalia recipiat: sed ea Parochialibus Ecclesiis „ in quibus novalia excreverunt liberè possidenda permittat, usibus ministrorum Ecclesiæ profutura. Si verò quisquam temerarius hujus nostræ constitutionis contemptor, novalia de cætero receperit in Parochiarum præjudicium & gravamen: ipsum excommunicationis vinculo innodamus.

XVI. Post hæc *Can. 32.* "Monemus etiam omnes illos „ qui à triginta annis vel citra, hujus novalia cœperunt, ut „ infra duos menses sine difficultate restituant Ecclesiis, ad „ quas pertinere dignoscuntur, de cætero liberè possidenda. „ Ne verò quisquam per negligentiam ab his sententiis „ se valeat excusare, præcipimus hanc constitutionem per Presbyteros frequenter in suis Ecclesiis prædicari.

XVII. Speciali igitur titulo decimas Parochialibus Ecclesiis deberi supposuit Concilium, conformiter ad responsum Innocentii III. in *Cap. 29.* „ *De Decimis.*

Propositum fuerat Innocentio: "Cum in quibusdam „ Parochiis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas *ab antiquo* pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant *novalia* in eisdem, ad quam hujusmodi *novalium* decima incipiat pertinere." Respondit Innocentius: "Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de „ jure communi pertineat, decimæ *novalium*, quæ fiunt in „ Parochiis earumdem, ad ipsas procul dubio pertinere „ noscuntur, nisi ab his, qui alias percipiunt decimas, rationabilis causa ostendatur per quam appareat novalium „ ad eos decimas pertinere.

XVIII. Idipsum non minùs clarè expressit Alexander IV. in *Cap. 2. §. fin. De Decimis in 6.*" Nec pro eo quod „ fortè in aliquibus Parochiis omnes majores Decimas seu „ partem illarum acquirunt de manibus Laicorum, possint „ pro eadem vel simili portione (si de novo postmodum „ fiant novalia) in eisdem petere, vel percipere novalium „ decimas eorumdem, nisi alia rationalis, per quam hoc facere valeant, causa subsit.

XIX. Ex his aliisque Juris textibus unanimi consensu concludunt Canonistæ, quod licet perceptio decimarum in aliqua Parochia *ab antiquo* pertineat ad Capitulum vel Monasterium, nullum tamen jus competat ad *Novalia*; sed illa de jure maneant sive pertineant ad Ecclesiam Parochialem; nisi ostendatur causa *rationabilis*, puta privilegium aliusve specialis & Canonicus ac rationabilis titulus, quo nominatim perceptio *novalium* Capitulo aut Monasterio sit indulta.

XX. Juri communi consonat praxis, quæ Parochis adjudicat decimas *Novales* exclusis Capitulis & Monasteriis aliisque *Glossis*, ut vocant, Decimatoribus; idque indubitatum esse per supremorum Tribunalium arresta notat Joannes Tournetius in sua Collectione arrestorum *Litt. D. n. 97.* referens ibidem plura arresta quibus decimæ novales adjudicatæ fuerunt Parocho. Item *n. 68.*

XXI. Cum autem hodie inter Vicarium perpetuum & *Curatum* sive *Parochum*, quoad exercitium curæ animarum & jurisdictionem spiritualem nulla sit distinctio; sed ferè penes solum nomen, aut subinde penes aliqua jura honorifica distinguantur, receptum quoque est, novalia non minus ad Vicarium *perpetuum*, quam ad Curatum pertinere; atque id in Curiis sive Parlamentis teneri notatur ad *Cent. 1. cap. 15.* Claudii Le Prestre; Verba sunt: "La difficulté est de sçavoir si celuy qui n' est que Vicaire perpetuel, est aussi fundé en la perception des Novales, au prejudice du curé Primitif, auquel appartient les grosses dixmes. Et semble que non, par ce que il n' at q' une portion „ congrue, laquel il peut demander estre accrue par le Curé „ Primitif au cas qu' elle ne soit suffisante. Tou tefois on „ tient au Palais que le Vicaire perpetuel est fondé au droit „ de Novales, *quia sunt jurisdictionis*:" Id est Nodus ille difficultatis est ut sciatur an ei qui solummodò Vicarius perpetuus est, in præjudicium Pastoris primitivi jus competat percipiendi Novalia, cum ad primitivum spectent magnæ decimæ. Et videtur non competere, cum non habeat nisi congruam portionem cujus augmentum à primitivo Pastore exigere potest si non fuerit sufficiens: Nihilominus in Curia Palatii asseritur, Vicario perpetuo competere jus novalium quia sunt jurisdictionis.

XXII. Plura Parlamentorum arresta recitat Julianus Brodæus ad Louëtium *Litt. D. n. 52.* judicatumque, omnia *novalia* pertinere ad Vicarium perpetuum, quæ à 40. retro annis de novo ad culturam redacta fuerunt.

Idque obtinere ait, tametsi ipse Pastor primitivus aut alius reciperet omnes decimas *majores* sive *grossas*, & insuper majorem partem *minutarum*.

Unde & Wamesius noster Consilio *Can. 446.* resolvit, Pastorem esse fundatum in asserendis sibi decimis *novalibus*, si vel aliquas etiam *minutas* decimas in Parochia percipiat; posseque prætendere per totum Parochiæ suæ districtum *Novalia*, tametsi ipse tantum esset in possessione percipiendi veteres decimas in certo districtu Parochiæ.

XXIII. Imò si Carolo Fevretio in tractatu De Abusu *lib. 6. cap. 1. n. 10.* credimus, plura sunt Arresta Parlamentorum quæ Vicario *perpetuo* adjudicarunt *novalia*, tametsi Vicario assignata esset certa portio congrua *in pecunia*, in Pastorem primitivum translato omni jure & censu Pastorali.

Verùm si integra Vicarii competentia, sive portio congrua

grua consistat in pecunia; ipseque Vicarius per consequens omni juri decimandi videatur renuntiasse; sive potius mediante certâ pecuniæ aut granorum quantitate annuè solvendâ in Pastorem primitivum transtulerit, non apparet, quod eo casu *Novales* decimas prætendere queat; cum omne plane jus decimandi Pastori primitivo mediante hac annua pensione cesserit.

Unde referente & probante Wamesio *Consilio Can. 446. n. 5.* inter *causas rationabiles* ob quas præscribenti decimas in aliqua Parochia etiam competere queant *Novales* " Doctores referunt hanc, si omnia prædia in una eademque Parochia sint uni soli ex privilegio vel præscriptione decimabilia; nec Rector Ecclesiæ sub Parochia ullas possideat decimas majores aut minores; quia propter jus *universi* privilegia seu præscribenti acquisitum, facilius competunt tali casu omnia, quæ de novo creantur, ratione juris comprehensi sub illo universo.

XXIV. Nonnullis indulta fuisse jam pridem privilegia etiam decimas novales percipiendi certum est; atque nonnullos annotavit Renatus Choppinus *De S. P. lib. 3. tit. 4.* eaque supponit Alexander IV. in *Cap. 2. De Decimis in 6.* quod totum penè est ad interpretationem & explanationem illorum privilegiorum.

Ac imprimis declaratur, quod si indultum sit illud Apostolicum, ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres percipiebant, id non intelligatur imprimis de novalibus, quas tempore indulti privilegii alii possidebant: nec extendantur ad alias, nisi in his tantùm locis, ubi Veteres tunc, quando dictum indultum impetratum fuit, ipsi impetratores habebant; & pro ea solummodo portione, qua ipsi tempore impetrationis, hujusmodi percipiebant antiquas.

Secundò declaratur indultum de recipiendis decimis novalibus obtentum ab iis, qui tempore impetrationis *totaliter* Veteres percipiebant Decimas, ultra medietatem Decimarum novalium non extendi: quia ait Pontifex in *Cap. 2. §. De Decimis in 6.* " Non verosimile sit tunc de plena & integra perceptione Veterum similiter expressum quod Apostolica Sedes pariter & similiter novalium decimas in tam grave Parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset, quod ratione talis indulti sive impetrati jam, sive impetrandi deinceps non possit in novalibus (quæ amodo fient) vindicari & acquiri vel percipi, plus quàm medietas decimarum ipsorum novalium etiamsi amplius in Veteribus habebatur: cum non sit dicendum asperum, sed pium potiùs ac benignum, si super decimis futurorum novalium contra Parochialium Ecclesiarum gravamen (quod ex distinctione indulti hujusmodi posset accedere) taliter obviatur. Religiosos tamen Cisterciensis & Carthusiensis Ordinum statuta declaratione hujusmodi (quantum ad hos duos articulos, videlicet de medietate decimarum novalium) comprehendi nolumus, vel constringi.

Ex his perquam manifestum est, sollicitè cavisse Pontifices, ne per privilegia sive indulta de percipiendis decimis nimium gravarentur; quibus *de jure*, & ex prima institutione decimæ debentur, sed ipsis ante omnia sufficienter esset provisum, uti amplius patebit ex dicendis titulo sequenti.

XXV. Monet Zypæus in Notitia juris Belgici *lib. 1. tit. 3. § De Decimis num. 6.* quod Duces Brabantiæ quidam sui juris facere voluerint decimas *novales*. Extat Testamentum Henrici III. Ducis Brabantiæ factum Lovanii in Februario, in quo inter cætera ordinat: " Item per totam terram Brabantiæ generaliter decimas *novalium* restituimus Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, ad quas pertinent pleno jure." Integrum Testamentum insertum est parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib. 1. tit. 5. cap. 1.*

XXVI. Quantum ad jus Parochialis Ecclesiæ, non multum absimiles novalibus sunt decimæ *minutæ*; earumque in Decretalibus etiam non semel mentio occurrit, ac signanter in *Cap. 30. De Decimis*, ubi dicitur quod quædam Monasteria in multis Parochiis *majores* decimas percipiant & *minutas*.

Glossographus ad hoc Capitulum verbo *Minutas* ait: " Minutæ decimæ appellantur partus animalium, & de pullis, ovis, & hortis.

Germanus Forget in suo tractatu De Rebus decimabilibus *cap. 4.* tractans de Decimis *majoribus* seu *grossis*, & *minutis*, ait *num. 2.* Nos vocamus decimas *grossas* sive *majores*, decimas frumenti, hordei, avenæ & his similes.

Minutas autem decimas esse dicit, decimas pisorum, fabarum, & omnis generis leguminum.

Decimæ quoque animalium, ut vitulorum, vel etiam lanæ ex ovibus, pullorum & similes sub *minutis* decimis comprehendi solent. Unde Franciscus De Roye Antecessor Andegavensis *lib. 2. Instit. Juris Can. cap. 12.* ait: Aliæ sunt decimæ *minutæ*, " puta ex fructibus hortorum, ex leguminibus & ex nutrimine animalium." Observatque ibidem, " *minutas* decimas etiam hodie dici *virides*, gallicè *Verdes*, quod ut plurimum sint ex iis quæ virides habent frondes: Nam apud sequioris ævi Scriptores illud *viride* dicitur, quod ex iis nascitur quæ habent *viridia* folia ut notat Glossarium ad Matth. Parif.

XXVII. Decimas *minutas* non secus ac decimas novales speciali titulo deberi Parocho; neque sub generali titulo percipiendi decimas comprehendi, certum est, tam de jure, quàm consuetudine. Quare pro regula practica in materia ponit decimarum Michael du Perray Advocatus Parlamenti Parisiensis in suo tractatu De Portione congrua *parte 2. cap. 30. num. 47.* decimas *minutas* adjudicari Parocho exclusis Decimatoribus *majoribus*. Et ita judicatum fuisse 3. Martii 1648. perorante celebri Advocato *Bignonio*. Et rursus 24. Aprilis 1663. contra Priorem generalem Ordinis militaris De Malta; non obstantibus ejusdem Ordinis privilegiis. Refertur arrestum tomo 2. *Journal des audiences lib. 5. cap. 20.*

Tertium denique prolatum fuit 25. Februarii 1661. teste Du perray loco citato.

Testatur quoque Germanus Forget loco supra indicato *num. 3.* certam herbam ex qua oleum confici solet, quod ipse gallicè vocat, *Rabette*, declaratam fuisse decimam *minutam*; atque hoc titulo per tria diversa arresta adjudicatam esse Parocho privativè ad *majores* vel *grossos* Decimatores.

XXVIII. Id tamen non procedere monet Forgetius, si præcipuus proventus sive fructus Parochiæ consistat in illa specie frugis. Tunc enim non pro decima *minuta*; sed *grossa* sive *majore* reputaretur; nec ad Parochum, sed majores Decimatores spectaret.

Probat quoque Franciscus De Roye loco citato sententiam Cardinalis Hostiensis dicentis, "Decimas *minutas* definiri juxta varias locorum consuetudines prout in iis copia vel penuria sit earum rerum.

CAPUT VII.

Qui decimas solvere teneantur; & qui ab iis exempti?

1. *Jure communi omnes ad decimas tenentur.*
2. *Præcipuè tamen laici.*
3. *Laicus solo titulo præscriptionis à decimarum solutione se eximere nequit.*
4. *Possessio immemorialis interdum facit præsumptionem infeudationis: sed sola non sufficit ad exemptionem à decimis.*
5. *Toparcha Parochiarum tenentur ad decimas è suis terris solvendas.*
6. *Terra etiam censibus subjecta decimas solvere debent.*

7. *Jure*

7. *Jure communi Principes è suis terris decimas debent; Fiscales Brabantiæ contrarium sustinent.*
8. *Ad tempus potest Parochus decimas remittere; & hodie frequentes sunt cum laicis super decimis conventiones.*
9. *Monachi antiquitus decimas solvebant.*
10. *Etiam Jure Decretalium ad eas tenentur.*
11. *Jam pridem Monachis privilegia non solvendi decimas concessa.*
12. *Privilegium Paschalis II. de non solvendis decimis de laboribus & nutrimentis propriis.*
13. *Simile datum Leprosis* in commune *viventibus.*
14. *Illud privilegium restrictum ad* Novalia *respectu Religiosorum exceptis Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis.*
15. *Cistercienses specialiter privilegiati ab Innocentio II. & quare?*
16. *Occasione hujus privilegii multæ querelæ & dissidia exorta.*
17. *Nimia possessionum acquisitio præcipua offensionum origo.*
18. *Conqueritur Archiepiscopus Cantuariensis quod decimæ* aliis debitæ *per hoc privilegium auferantur.*
19. *Dicit privilegium datum quando Ordo* paupertate *gaudebat.*
20. *Scribit, illud privilegium hodie Ordini non convenire.*
21. *Cisterciensibus indultum fuisse privilegium, quando* raræ *erant Abbatiæ dicit Alexander* III.
22. *Volebant privilegium extendere ad terras quas aliis excolendas dabant.*
23. *Id esse contra tenorem privilegii declarat Alexander* III.
24. *Privilegium non extenditur ad terras quas Cistercienses ab aliis conducunt.*
25. *Novæ continuò querelæ contra Cistercienses fiunt.*
26. *Cistercienses resolvunt his querelis obviare excitati litteris Innocentii* III.
27. *Referuntur litteræ Innocentii* III.
28. *Statutum in Capitulo Cisterciensium conditum, & à Concilio Lateranensi sub Innocentio* III. *probatum.*
29. *Addit Concilium ulteriorem restrictionem privilegii.*
30. *Quæ à Concilio probata & statuta sunt ad omnes alios Regulares privilegiis Cisterciensium gaudentes extenduntur.*
31. *Quæ communiter exemptio Regularibus à decimis competat vigore privilegiorum quæ corpori juris sunt inclusa?*
32. *Præ reliquis privilegiati Cistercienses.*
33. *Cistercienses resolverunt non uti immunitate quoad terras de novo acquisitas.*
34. *Ex ordinatione Concilii Lateranensis Cistercienses non gaudent immunitate quoad terras post Concilium acquisitas; etiamsi* propriis *manibus excolant.*
35. *Ampliora privilegia per Pontifices indulta.*
36. *Non constat, hæc privilegia ubique esse recepta.*
37. *Expendendum, quid habeat possessio.*
38. *In dubio pro solutione decimarum judicandum, præsertim in favorem Parochi.*
39. *Non adjudicanda immunitas quoad terras* aliis *elocatas: & ita jam pridem in Gallia judicatum.*
40. *Quid hac in parte declaratum in favorem Cisterciensium & aliorum Ordinum à Ludovico* XIII. *Galliarum Rege.*
41. *Usus in his privilegiis attendendus; cavendumque ne Ecclesiis præcipuè Parochialibus nimium præjudicetur.*
42. *Privilegia hæc personalia sunt; & ad alios extendi nequeunt.*
43. *Non extenduntur ad decimas quæ cum speciali onere alicui sunt indultæ.*

I. JUre communi ab omnibus Christianis *decimas* deberi, neminemque quacumque etiam dignitate præeminentem ab iis exemptum esse; nisi speciali se privilegio titulove exemptum probet, unanimis est Canonistarum sententia in *Cap.* 3. 4. & 5. *de Decimis.*

II. Porrò hæc obligatio solvendi decimas præcipuè tangit laicos, qui à Parochis & Clericis spiritualia accipere debent; eoque titulo quasi jure quodam naturali decimas pro Sacerdotum sustentatione dare tenentur.

III. Unde laicus difficulter admodum se à decimarum solutione eximere potest; refertque Broudæus ad Lovetium *Litt. D. num.* 9. non semel judicatum, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tametsi à tempore *immemoriali* non solvissent; si non ostendant decimas istius terræ titulo infeudationis sibi competere; aitque aliàs possessionem immemorialem, etiam centum aut ducentorum annorum non solvendi decimas non esse sufficientem ad acquirendam exemptionem aut immunitatem: nullaque persona laica (ait) potest acquirere immunitatem libertatem aut exemptionem à decimis *lapsu* temporis; neque eam præscribere ob negligentiam aut collusionem Parochi, aut alterius personæ Ecclesiasticæ jus decimandi alienare non valentis.

IV. Verbo, possessio immemorialis (inquit) præsumi facit infeudationem, quando antiqui tituli, & investitiones proferuntur, non autem sufficit, ut faciat locum præscriptioni seu exemptioni à decimis; quas Parochus solo titulo suæ Ecclesiæ sive Beneficii Parochialis petere potest in futurum; licet non quoad præteritas, quas non petivit.

V. Refert dein judicatum fuisse anno 1633. contra cujusdam loci *Toparcham*, ipsum obligari ad solutionem decimarum ex quibusdam fundis; tametsi probata esset possessio immemorialis exemptionis sive non solutionis decimarum, per elocationes continuè factas à centum & quinquaginta annis, aliaque acta in lite exhibita.

Quinimò Toparchæ prætendentes titulo suæ Toparchiæ exemptionem à decimis solvendis è suis fundis dominicalibus non semel repulsi sunt, non obstante possessione non solvendi; judicatumque eos non eximi, nisi speciali privilegio suam exemptionem probaverint. Carolus Feuretius De Abusu *lib.* 6. *c.* 2. *n.* 2. & Journal des Audiences *part.* 4. *lib.* 1. *c.* 2.

VI. Refert quoque Michael Du Perray judicatum per arrestum 11. Februarii 1641. quod possidentes terras oneratas censibus dumtaxat, solvere teneantur *decimas*, tametsi plusquam à 80. annis decimas non solvissent. Insertum parti primæ *Journal des Aud. lib.* 3. *cap.* 3.

VII. Imò jure communi attento, etiam Principes & Reges è suis terris *decimas* debere unanimi consensu tradunt Canonistæ, pluresque citat Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 1 § 5. addens tamen:
„Sed Fiscales Brabantiæ id non admittunt, sed allegant
„immemorialem præscriptionem, & Domania Ducis
„semper fuisse libera, & immunia à Decimarum solu-
„tione, & in tali qualitate semper fuisse elocata & etiamnum elocari.

VIII. Monet loco citato Broudæus ad Lovetium, quod si exemptio à decimis concessa esset alicui laico per Parochum ad aliquot annos, puta decem, mediante aliqua compensatione & indemnitate facta Ecclesiæ, conventio hujusmodi esset valida; quia tantùm tangit fructus annuos, non autem jus decimandi in se. Ita videmus Capitula & Monasteria passim remittere decimas aliquot annorum; aut certè in multo minore quantitate earum solutionem admittere, ut faciliter laicos ad terras inundatas, aut steriles & infructuosas reducendum ad culturam & terras arabiles.

IX. Non tantùm laicos; sed & Religiosos sive Monachos ad decimas de terris suis solvendas de jure teneri indubitatum est.

Dixit jam pridem S. Hieronymus *Epist.* 1. apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 6. " Alia causa est Monachorum, alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor; illi de altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si *munus* ad altare non defero.

Clarum est ex illo contextu, tempore Hieronymi, Monachos non secus ac alios laicos munera sua, id est, oblationes ad Altare detulisse.

X. Et in *Cap.* 4. ꝟ *De Decimis* scribit Pontifex, monendos & urgendos Monachos, ut " decimas de terris cultis in quibus olim domus constructæ fuerant, Ecclesiæ cum ea integritate persolvant, qua priusquam in eadem Parochia morarentur, solebant persolvi.

Hinc concluditur, terras à Monachis possessas nullatenus à decimis eximi; nisi speciale exemptionis privilegium ostendant; notatque expressè Glossa ad *Cap.* 10. ꝟ *De Decimis*, verbo *laborum suorum*, " quod Monachi in primitiva Ecclesia dabant *decimas* de prædiis & laboribus suis *sicut laici*.

XI. Sicuti autem jam pridem Monachis ad eorum paupertatem sublevandam *decimæ* datæ fuere; ita quoque privilegia exemptionis à decimis ipsis data fuisse legitur.

XII. Sub nomine Paschalis II. refert Gratianus *Caus.* 16 *q.* 1. *Can.* 47. " Decimas à populo Sacerdotibus, ac Levitis esse reddendas, divinæ legis sanxit auctoritas. Cæterum à Monachis, sive Clericis communiter viventibus nulla ratio sinit, ut milites, aut Episcopi, aut personæ quælibet decimas de laboribus, seu nutrimentis suis propriis extorquere debeant.

XIII. Huic congruit quod de leprosis in *communi* viventibus ex Concilio Lateranensi dicitur *in Cap.* 2. ꝟ *De Ecclesiis ædificandis*: " Statuimus etiam, ut de hortis & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur.

XIV. Testatur Alexander III. in *Cap.* 10. ꝟ *De Decimis*, quod prædecessores sui fere omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserant. " Sed (ait) Prædecessor noster Hadrianus (nimirum IV.) solis Fratribus Cisterciensis Ordinis, & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum, quos *propriis manibus* vel *sumptibus colunt*, indulsit: Cæteris verò, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis decimas non persolvant: quem sumus super his imitati. Quare ii, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de aliis rebus Ecclesiæ suæ non possunt subtrahere, vel sibi aliquid ulterius vindicare.

XV. Cisterciensis specialiter in his à Pontificibus privilegiatos fuisse, etiam sub initiis pene sui instituti; ipsoque S. Bernardo præcipuo Ordinis istius propagatore vivente, constat.

Vir eruditus Joannes Mabilonius in præfatione quam recentiori operum S. Bernardi editioni præmisit, § 4. agens de schismate inter Innocentium II. & Anacletum; postquam ostendit multos labores sanctum Bernardum pro extinctione istius schismatis & in favorem Innocentii subiisse; ac tandem fæliciter ejus operâ, schisma fuisse extinctum, subjungit *num.* 48. " Tanti beneficii, maximè per Bernardum accepti, memor Innocentius, Cisterciensibus decimas ex omnibus quas habebant possessionibus propriâ auctoritate relaxavit, inconsultis iis ad quos ejusmodi decimæ pertinebant.

XVI. Quantæ hinc querelæ, & inter Ordinem Cisterciensem & Episcopos atque alios Ordines exorta sint dissidia notavit idem Mabilonius in notis ad Epistolas 228. & 282. Sancti Bernardi.

XVII. Hoc autem vel præcipuè torquebat Episcopos & alios Religiosos, quod passim sibi Cistercienses attraherent possessiones & prædia è quibus *jam antea* vel Clericis vel aliis Religiosis *decimæ* solvebantur: è quibus dum Cistercienses decimas solvere renuebant, reipsâ decimas aliis subtrahebant.

XVIII. Id patet ex Epistola 82 quam sub finem seculi 12. nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis scripsit nominatissimus ille Archidiaconus Bathoniensis Petrus Blesensis *Abbati & Conventui Cisterciensi*. In hac Epistola, præmissis Cisterciensium laudibus, subdit, in uno eorum famam decolorari, quod " Clericis & Monachis decimas auferrent. Et quæ est, ait injuriosa immunitas, ut exempti sitis à decimarum solutione, quibus *obnoxiæ* terræ *erant, antequam* vestræ essent; & quæ solutæ sunt hactenus, non personarum obtentu, sed territorii ratione? Si in vestram possessionem terræ devolutæ sunt, quare in hoc periclitatur *alienum* jus? Nam ad vos terræ juxta communem æquitatem, cum *suo onere* transierunt.

XIX. Et objectio sibi Papæ privilegio ait: " Non ponimus in cœlum os nostrum, nec de facto summi Pontificis disputamus, sed si dominus Papa indulgentiâ speciali quandoque privilegiaverit vos, dum Ordo vester *in paupertate* gaudebat, dum in usus egentium suæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licet in communem redundaret injuriam, quod causâ necessitatis fuerat introductum: nunc autem quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt, etiam in immensum, privilegia hæc potiùs ambitionis quàm Religionis instrumenta censentur.

XX. Deinde addit: " Quidquid indulgeant privilegia Ecclesiæ Romanæ, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est usurpare. Quid si à Sede illa publicum emanasset edictum, quod ubicumque inveneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis licere eos de suis evectionibus dejicere, & equos in usus proprios detinere? Quid interest equos rapiatis, an decimas? Nisi quia decima res spiritualis est, & ideò enormius sacrilegium in decimis committitur quàm in equis.

XXI. Et sanè Ordini Cisterciensi privilegia illa data fuisse, quando ex illorum concessione nulli scandalum oboriri posset fatetur Alexander III. in *Cap.* 9. ꝟ *De Decimis*, suadens quibusdam Monachis Ordinis Cisterciensis, ut cum prætendentibus ab ipsis decimas componant. " Nam quando (ait) Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dederat, ita erant *raræ* Abbatiæ vestri Ordinis, quod exinde nulli poterat de jure scandalum suboriri: sed nunc in tantum *augmentatæ* sunt, ac possessionibus *ditatæ*, quod multi viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpe proponunt.

XXII. Volebant quoque Cistercienses privilegium illud etiam ad possessiones quas *aliis excolendas* tradebant extendere, uti intelligitur ex litteris Alexandri Tertii, quæ integrè referuntur in *Cap.* 11. *De Decimis* in prima collectione decretalium apud Antonium Augustinum; & in appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro Tertio *parte* 13. *cap.* 6. fragmentum autem extat in *Cap.* 11. ꝟ *De Decimis*.

XXIII. In his ergò scribit Alexander III. " Licet de benignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de laboribus vestris, quos propriis manibus vel sumptibus colitis, nemini decimas solvere teneamini: Propter hoc tamen non est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas aliis traditis excolendas.

Post hæc dicit: " Relatum est siquidem auribus nostris, quod cum terras quasdam, quas in decimatione dilecti filii nostri Thesaurarii Senonen. habetis, detis rusticis vestris *excolendas*, exinde decimas sicut deberis, non solvitis, nec facitis à rusticis ipsis exsolvi. Quoniam igitur

igitur quantò arctius vos, & Ordinem vestrum diligimus, tantum minus vos, & Ordinem vestrum volumus efficere quæ sunt honestati contraria, vel obvia rationi, aut ex quibus privilegiorum nostrorum tenorem transgredi videamini, cum privilegium videatur amittere qui permissâ sibi abutitur potestate: f. v. m. quat. de terris illis, quas in decimatione prædicti Thesaurarii propriis manibus non excolitis, sed rusticis traditis excolendas, decimas vobis usurpare nullatenus præsumatis, sed eas in propriis eidem Thesaurario faciatis cum omni integritate persolvi.

XXIV. Rursus apud Alexandrum Tertium Abbas & fratres sanctæ Crucis, qui erant Canonici Regulares conquesti fuere de Monachis de *Newbothel* Ordinis Cisterciensis in Scotia, quod decimas solvere renuerent ex prædiis, quæ ipsi Cistercienses à rusticis Parochiæ, in qua illi Canonici Sacramenta administrabant, & eo titulo decimas accipiebant, conduxerant vel *ad firmam* acceperant: quo fiebat, ut illi Canonici pene omnibus suis decimis defraudarentur. Unde scribit ad illos Monachos Cistercienses Alexander: “Nec fuit intentionis nostræ, aut Antecessorum nostrorum, ut de possessionibus quas *conducitis*, decimas non debeatis persolvere: Universitati vestræ m. præ. (id est, *mandando præcipimus*) ut eis de fructibus de prædiis, quæ conduxistis in parochiis suis, de quibus consueverunt decimas percipere, plenariè persolvatis, vel cum ipsis tam pacificè, & amicabiliter conveniatis, quod nulla inter vos debeat scandali malitia suscitari, & vos videamini ultra quàm vobis indultum est manus extendere.

Ita legitur in *Cap. 6. De Decimis* in prima Collectione Decretalium & eadem pene leguntur in *Cap.* 8. ẍ *eod.*

XXV. His interpretationibus sive privilegii extensionibus, nec non novis possessionum accessionibus privilegium hoc in magnum Ecclesiarum Parochialium, & aliorum quibus decimæ competebant gravamen redundabat; multasque contentiones & rixas excitabat.

XXVI. Itaque Abbates Ordinis Cisterciensis in Capitulo generali congregati anno 1213. resolverunt, hisce querelis & contentionibus occurrere præsertim excitati litteris Innocentii III. inscriptis sub idem tempus Monachis Cisterciensis Ordinis & Hospitalariis Diœcesis Quinque Ecclesiensis; estque 85. *lib.* 16. in editione Epistolarum Innocentii per Bosquetum.

XXVII. In hac itaque Epistola primò scribit Innocentius: “Venerabilis Frater noster Quinque Ecclesiensis Episcopus nobis intimare curavit, quod vos extendentes ad lucra turpia manus vestras multitudinem emitis vinearum, de quibus sibi, vel Ecclesiis suæ Diœcesis decimæ solvi solent: quarum vinum licet nequaquam in usus proprios expendatis, sed vendendum ad alias faceatis provincias deportari: decimas tamen sibi, vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex eisdem.

Post hæc subjungit: “Cum igitur ex hoc Ordini vestro plurimum detrahatur, Universitati vestræ per Apost. scripr. mand. quatenus ab iis de cætero taliter desistatis, quod materia scandali auferatur, & super hoc de vobis clamor ad nos ulterius non ascendat. Scientes nobis esse meritò formidandum, ne propter clamores hujusmodi sacrum Concilium, auctore Domino, in proximo celebrandum privilegia vestra coarctanda provideat, vel etiam revocanda; cum privilegium mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur liberate.

XXVIII. Litteris hisce in Capitulo generali lectis statutum ediderunt, quo querelis Episcoporum aliorumque decimas possidentium satisfieri, salvâ privilegii sui integritate, posse credebant.

Hoc statutum in Concilio generali Lateranensi cui Innocentius III. præsidebat lectum & probatum fuit; refertur que Decretum Concilii in *Cap.* 34. ẍ *De Decimis.* “Nuper Abbates Cisterciensis Ordinis in generali Concilio (vel potiùs *Capitulo* ut in prima Decretalium collectione) congregati, ad commonitionem nostram (Innocentii III.) providè statuerunt, ne de cætero fratres ipsius ordinis emant possessiones, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi fortè pro monasteriis noviter fundandis. Et si tales possessiones eis fuerint piâ fidelium devotione collatæ aut emptæ pro monasteriis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, à quibus Ecclesiis decimæ persolvantur.

XXIX. Hactenus ordinis ipsius statutum, cui deinde addit Concilium Lateranense: “Ne occasione privilegiorum suorum Ecclesiæ alterius prægraventur, decernimus, ut de alienis terris & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis manibus, aut sumptibus excolunt, decimas persolvant Ecclesiis, quibus ratione prædictorum antea solvebantur, nisi cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum.

XXX. Denique hæc omnia Concilium sua auctoritate extendit ad omnes Regulares iisdem privilegiis cum Cisterciensibus gaudentes: “Et hoc ipsum (ait) ad alios Regulares, qui gaudent similibus privilegiis, extendi volumus & mandamus ut Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores existant ad exhibendum eis, de suis malefactoribus justitiæ complementum, eorumque privilegia diligentius & perfectius studeant observare.

XXXI Si itaque attendamus privilegia immunitatis à decimis Regularibus indulta, prout illa Corpori Juris inserta sunt, sequitur imprimis; nullos Regulares exceptis Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis habere immunitatem à decimis, nisi de *novalibus suis, quæ propriis manibus vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & de hortis suis*; uti statuit Hadrianus IV. & probavit Alexander III in *Cap.* 10. ẍ *De Decimis.*

XXXII. Secundò, Cisterciensibus, Templariis & Hospitalariis indultam esse immunitatem à decimis de omnibus suis terris quas propriis manibus excolunt, uti in citato *Cap.* 10. declaratur.

XXXIII. Tertiò habetur, quod Cistercienses vi statuti sui Ordinis à Concilio Lateranensi probati, non possint de novo possessiones, de quibus antea decimæ solvebantur, acquirere, nisi pro fundandis noviter monasteriis; & si etiam in hanc causam dentur, eas aliis excolendas tradent, ut ex iis decimæ solvantur.

XXXIV. Quartò, quod si quas possessiones post Concilium Lateran. celebratum sub Innocentio III. anno 1215. quocumque modo acquisierint, easque etiam *propriis manibus* excolant, decimas solvere teneantur Cistercienses, & omnes similia privilegia habentes; uti constat ex ordinatione ipsius Concilii Lateranensis.

XXXV. Verùm Cistercienses aliique Regulares plurima proferunt posteriorum Pontificum privilegia, quibus amplior ipsis indulgetur à decimis exemptio seu immunitas, quàm in privilegiis Corpori Juris insertis est expressa; quæ privilegia passim apud auctores de hac immunitate scribentes referuntur; ac signanter apud Wamesium Consilio *Can.* 445. & Zypæum *Consult.* 8. *De Decimis.*

XXXVI. Porrò Zypæus relato privilegio Martini V. quo larga satis à Decimis immunitas, etiam de terris post Concilium Lateranense acquirendis, indulgetur Cisterciensibus, ait: “Sed vereor in viridi non esse passim observantia, quatenus excedit privilegia Corpori juris inserta (quamvis Wamesius *De Decimis conf.* 445 illa ex facto propugnet) præsertim quando erunt *noviter* emptæ possessiones, ex quibus *aliis* decimæ *solvebantur*, aut non ipsis propriis manibus, aut sumptibus colant, aut saltem partiarios fortè habuerint colonos, qui de portione sua decimas solvant, portione Religiosorum immuni relicta.

XXXVII. Hæc Zypæus, qui rectè ibidem monet *num.* 7. "In privilegiis diversimodè restrictis non facilè „ est hodie invertenda possessio, sive religiosi sint inpossessione immunitatis; sive alii in possessione decimas „ percipiendi. Ea enim possessio argumento est, casum „ seu feudum, de quo agitur, subjectum esse privilegio „ vel non esse, vel privilegium receptum esse ibi, vel non „ esse.

XXXVIII. Quin in dubio pro solutione decimarum judicandum sit, dubitari nequit; cum certum sit jure communi, omnes etiam Religiosos saltem Curam animarum non habentes in Parochia, decimas solvere debere: quod & multo magis obtinere debet, si prætendatur exemptio à decimis ultra privilegia Corpori Juris inserta; & contra Ecclesiam Parochialem, cui de jure decimæ debentur.

XXXIX. Cum autem adeò clarè in jure sit expressum; imò & ipsum Cisterciensium Statutum exprimat & supponat immunitatem à decimis se non extendere ad terras sive possessiones, quas *aliis excolendas* tradunt non facilè privilegium posterius ad earum immunitatem admittendum.

Unde refert Claudius le Prestre in sua Arrestorum collectione *Cent.* 3. *cap.* 26. plura esse arresta quibus judicatum fuit, privilegium Cisterciensium de non solvendis decimis è terris quas *propriis manibus colunt*, non extendi ad terras quas aliis excolendas tradunt. Hæc arresta notantur apud Broudæū ad Lovetiū *Litt. D, n.* 57.

XL. Monet nihilominus ibidem Broudæus, post tempora horum arrestorum, Cistercienses aliosque nonnullos Ordines obtinuisse Litteras patentes Ludovici XIII. Regis Galliarum anno 1620. confirmativas Bullarum Eugenii III. aliorumque Pontificum, quibus annuitur immunitas à Decimis è possessionibus, quæ sunt de fundatione, dotatione & dominio Abbatiarum dictorum Ordinum, tam pro illis quas colunt propriis manibus, quàm illis quas suis colonis excolendas tradunt. Quæ litteræ eodem anno in Parlamento simpliciter admissæ & probatæ fuerunt. Testaturque Broudæus conformiter ad has litteras judicatum fuisse, præmisso exacto causæ examine & discussione, in favorem Abbatis & Conventus Clarevallensis Ordinis Cisterciensis, de non solvendis decimis è suis terris, quamdiu eas vel propriis manibus colerent, vel aliis excolendas elocarent, elocatione non excedente terminum novem annorum.

XLI. Itaque in his privilegiis, uti in tota materia decimarum, multum attendenda possessio & usus, præcipuè antiquus; multumque insuper attendendum privilegiatis, ut ita suis privilegiis utantur, ne Ecclesiæ præsertim Parochiales, quibus de jure decimæ debentur, nimium graventur. Quare Rectè monet Zypæus loco citato *num.* 12. "Quod si præter commune dubium accedat specialis tenuitas Parochi, eo magis res ad compo„ sitionem urgenda est; quia nimis eo loci incipit privi„ legium esse nocivum: & sic arbitrio boni viri restrin„ gendum, & quidem sic, ut congrua portio Parocho „ maneat, & congrua liberaliter.

XLII. Qualiscumque immunitas Cisterciensibus aliisve Religiosis vi privilegiorum competat, hoc satis constat, eam dumtaxat *personalem* esse: neque possessionibus aut rebus inhærere. Quapropter si partiarios colonos habeant, pro portione colonorum decimæ essent solvendæ, tametsi immunitas Cisterciensium ad eum casum se extenderet; quia non nisi portionem Cisterciensibus competentem eximere posset.

His conforme est privilegium Alexandri IV. quod extare inter munimenta Monasterii S. Bernardi ad Scaldium testatur Zypæus loco citato *num.* 6. quo privilegio concessum est. "Ut si animalia dederint in *societatem*, de „ fœtibus decimas non solvant, quoad *eam partem* quæ *eos* contingit.

Hoc fundamento anno 1602. adjudicatæ fuerunt decimæ Parocho è terris quas quidam laicus emerat à quodam Monasterio Ordinis Cisterciensis: tametsi ex terris quamdiu pertinuerant ad Monasterium, numquam decimæ solutæ essent: imò & cum Parocho concordatum initum esset, quod pro omni decima quæ prætendi posset ex terris illis defungeretur Monasterium solutione 30 stuferorum. Dictum enim fuit, privilegia, uti & transactionem occasione illorum initam, esse intelligenda pro tempore quo Monasterium terras illas haberet, & ut propriis uteretur: ac per consequens privilegium immunitatis Ordini concessum eas à decimis eximere poterat. Vide Choppinum De *S. P. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 8.

XLIII. Flavius Cherubinus in Compendio Bullarii in Gregorio XIII. *cap.* 51. agens de Bulla hujus Pontificis, qua privilegium immunitatis à decimis concessum Societati Jesu renovat & ampliat cum derogatione Decreti Concilii Lateranensis de quo in *Cap.* 34. *ü De Decimis*, quærit ibidem *Scholio secundo*, "De quibus deci„ mis Societatis exemptiones intelligantur? deinde respon„ det: De illis, quæ Parochis, vel aliis personis, aut Col„ legiis, ex juris communis dispositione debentur, & non „ de his, quæ jure speciali ex aliqua particulari conces„ sione, & privilegio debentur, maxime si ex causa one„ rosa, & ex quasi contractu Principis. "Additque ita anno 1598. censuisse Rotam Romanam. Idipsum indicat Covarruvias *lib.* 1. *variarum resol. cap.* 17. *num.* 14. rationem addens; "Ex eo quod hujus quasi possessionis „ summus Pontifex ignarus est, nec ejus mentionem in „ privilegio fecerit, & ideò eam tollere non voluerit.

Refertur quoque in registro MS. Archiepiscopatûs Mechliniensis, pronuntiatum fuisse unanimi suffragio in Parlamento Mechliniensi anno 1633. pro Capellanis Capellæ Regiæ, privilegium Cisterciensium de non solvendis decimis non comprehendere decimas alicui competentes ex *speciali* fundatione.

CAPUT VIII.

Quomodo Decimæ solvendæ?

1. *Decima in sua origine sunt species oblationis.*
2. *Admonendus populus ut liberali ac grato animo decimas persolvat.*
3. *Hic meritò applicatur quod de oblationibus dicitur.*
4. *Solutio decimarum debitè facta ut sacrificium Deo gratum habetur.*
5. *Ægrè populus hodie ad decimarum solutionem adducitur.*
6. *Ratio illius videtur iniqua decimarum dispensatio.*
7. *Attento hodierno decimarum usu non mirum, si populus decimarum solutioni ægrè acquiescat.*
8. *Ob iniquam & injustam decimarum dispensationem populus decimas negare non potest.*
9. *De Jure communi decima pars fructuum solvenda.*
10. *Consuetudine introduci potest ut* minor *quota quam decima solvatur.*
11. *Quare hac minor nihilominus* decima *vocetur.*
12. *Solutione quota etiam minoris per consuetudinem introducta satisfit* integræ *decimarum solutioni.*
13. *Decima solvenda sine deductione expensarum in colligendis fructibus.*
14. *Id procedit in decimis prædialibus, non autem personalibus.*
15. *Non deducuntur etiam expensa facta in conservationem aut meliorationem fundorum facta.*
16. *Interdum ex conventione Decimatores aliquid pro expensis contribuere solent.*
17. *Imò & auctoritate publica subinde adiguntur.*
18. *Volunt Principes nostri ut solita decima exactè solvantur, nec dicantur esse* arbitrariæ.
19. *Fructus decimales è fundis avehi non possunt prinsquam in manipulos & acervos collecti sunt.*

20. *Debent*

20. *Debent quoque pravie moneri Decimatores, ut determinato tempore adsint decimationi.*
21. *Eadem & in Gallia ordinata sunt.*
22. *In Gallia frequenter judicatum, decimas* in specie *solvendas esse non obstante contraria consuetudine aut conventione.*
23. *Idipsum ibidem reputatur pro firmo principio in materia decimarum.*
24. *Non ubique, nec etiam in Belgio id tam rigerosè observari videtur.*
25. *Quomodo & quando solvenda decima fœtuum animalium.*

I. DEcimas in sua origine, & primigenia institutione esse quamdam speciem oblationis, qua populus partem bonorum suorum temporalium Deo offerebat, in Ministrorum ejus ac pauperum usus impendendam ex dictis *cap.* 1. compertum est.

II. Et quamvis hodie decimæ non sint amplius eo sensu *voluntaria*, ut dependeat ab arbitrio populi eas offerre vel non offerre; semper tamen monendus & instruendus populus, ut liberali ac benevolo in Deum affectu eas offerat: earumque oblatione Deum de sua substantia honorare & quasi sacrificium voluntarium offerre satagat; juxta illud Ecclesiastici *cap.* 35. *vers.* 11. 12. & 13. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum: quoniā Dominus retribuens est & septies tantùm reddet tibi. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.*

III. Hic meritò applicatur quod de oblationibus monuit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *parte* 2. *cap.* 15. "Quò gratius autem Deo sit quod offerunt, „ad præstandum accedant Fideles intima animi pietate „speciali hilaritate, sancta charitate, omnique Christia„næ devotionis testificatione.

IV. Hoc pacto fiet, ut offerentibus & dantibus *decimas* suas dici poterit, quod iis jam pridem dixisse fertur S. Joannes Monachus apud Cassianum *Collat.* 21. *cap.* 2. „Devotionem hujus oblationis.... Gratanter ample„ctor, quia fideliter primitias vestras ac decimas indi„gentium usibus profuturas velut *Sacrificium Domino* „*bona suavitatis offertis.*

V. Verùm quàm ægrè ac involuntariè & coactè decimæ à laicis frequenter solvantur; imò ab invitis & reluctantibus extorqueri debeant; quantaque laicorum murmura hic audiantur, notius est, quàm probari debeat.

VI. Porrò occasio horum murmurum nec obscura nec abstrusa apparet: eamque rectè notavit Christianus Lupus tomo 4. *Schol. in Canones pag.* 197. Postquam enim ostendit, plures populos se primitus decimarum impositioni opposuisse; & "quod interim ipsum (onus „decimarum) omnis fere sub cælo Ecclesia post mag„nas luctas admiserit, ait: Ita tamen ut infidam admini„strationem numquam ferè cessaverit culpare popu„lus, & adversus illam murmurare & recalcitrare.

Ut enim in litteris ad Alexandrum II. deplorat B. Petrus Damiani *lib.* 1. *Epist.* 10. "Quotidie Regales epu„læ, quotidie apparatus, quotidie nuptiale convivium; „& unde refrigerare debuerant indigentes, rubentium „tabularum recreant gestatores. Et cum Episcopus dis„pensator, & promus debeat esse pauperum, ad eorum „mensam affluentibus deliciis, alieni ructant; cum & il„li, quorum est tota substantia, procul exclusi, famis in„opia contabescant.

VII. Et sane quis miretur, populum ægre ad solutionem decimarum adduci; imò omni quâ possit arte & modo ab earum solutione se subducere, dum videt eas non laborantibus in Vinea Domini; nec seminantibus sibi spiritualia impendi; nec pauperibus communicari, sed pro majore parte in luxum otiosorum & suaviter viventium Clericorum absumi: imò ex iis & illos, qui paupertatem & omnem in rebus terrenis singularem moderationem profitentur, passim ut opulentiores hujus seculi Principes apparatum ducere, & splendide vitam in omnibus agere.

Non dubium, quin populus facilè induceretur, ut hilari ac pio cordis affectu decimas suas offerret, si modò non verbis, sed reipsa ostenderetur, decimas Deo offerri in usum non otiosorum Sacerdotum, sed *operariorum & laborantium*; nec ut Sacerdotes aliique Decimatores inde superbiant, lautèque & deliciosè vivant; sed Operarii Evangelici *cibum* suum acciperent; & reliqua in pauperes & pios usus distribuerentur.

VIII. Superiorum est prospicere, qua ratione tam iniqua decimarum dispensatio corrigatur, earumque rectus ac legitimus usus reducatur. At subditorum & privatorum est, legibus & ordinationibus solutionem decimarum indicentibus se humiliter subjicere, & omni exactitudine satisfacere; permittendo Decimatorum conscientiis de illis prout oportet disponere.

Neque enim subditorum aut privatorum est onera auctoritate publicâ imposita recusare, eo prætextu, quod aliqui iis abutantur.

Unde meritò damnata est à Concilio Constantiensi hæc assertio: "Decimæ sunt puræ eleemosynæ, & Paro„chiani possunt propter *peccata* suorum Prælatorum „ad libitum suum auferre eas.

Edicto Blesensi *art.* 49. expressè auctoritate Regis Galliæ declaratum fuit, proprietarios & possessores terrarum decimabilium non posse allegare in judicio, jus decimarum tantùm esse ad *beneplacitum*.

IX. Cùm verò ad exemplum decimæ Mosaicæ sive Legis Veteris hodierna decima primitùs introducta sit, etiam decima pars fructuum solvi debet, *Cap.* 1. *ꝟ De Decimis*. Unde omnium Canonistarum consensu receptum est, quotam decimarum esse *decimam* partem fructuum; nisi ostendatur, quod consuetudo eam ad minorem partem reduxerit: quemadmodum notat Zypæus *Consult.* 1. *De Decimis*; ubi unà inquirit, quid ad introducendam talem consuetudinem requiratur. Adde Antonium Fabrum in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 68.

X. Interim indubitatum est, consuetudine introduci posse, ut minor quota fructuum debeatur, vigetque hodie plerisque in locis, ut undecimus dumtaxat granorum manipulus solvatur: imò & aliquibus locis duodecimus, imò vel minor: quæ consuetudo, legitimè introducta & stabilita, indubiè servanda est.

XI. Et quamvis juxta has locorum consuetudines minor quota, quàm *decima* solvatur: semper tamen *decima* dicitur ait Franciscus De Roye *lib.* 2. *Instit. Juris Canonici cap.* 12. "Vel quòd illæ partes in locum decimæ „successerint: vel quòd ad eam primò taxatum sit sa„crum illud tributum, eaque frequentius observetur.

XII. Qui quotam consuetudine præscriptam solvit, licet *decima* parte minorem, ad sensum Canonum & Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 12. *De Reformat.* decimas *integrè* persolvit: quia Decreta illa intelligenda sunt, de solutione facienda juxta stabilitam loci consuetudinem, quæ vim legis habet.

XIII. Illud ad *integritatem* decimarum requiritur, ut nihil de quota decimarum detrahatur prætextu expensarum aut onerum, quæ à proprietariis, aut colonis solvi & subiri debent: idque conformiter ad jus commune in *Cap.* 22. 26. & 28 *ꝟ De Decimis*: ubi id clarissimis terminis deciditur: respondetque in citato *Cap.* 28. Innocentius III. "Quod licet circa res acquisitas vel „factas de pecunia decimata, cum ipsæ venduntur, cre-

„ damus deducendas expensas, & de residuo, quasi de „ lucro decimas persolvendas, ut si vendatur domus a- „ ger, vinea, clibanus, molendinum, grex, aut quælibet „ merces. Expensas tamen, quæ fiunt pro fructibus per- „ cipiendis, ex illis, de quibus fructus proveniunt, non „ credimus deducendas, etiamsi fuerint decimatæ: quo- „ niam salva decima, fructus efficiuntur eorum, qui faci- „ unt ipsas expensas.

XIV. Hîc sat apertè Pontifex distinguit inter *lucrū* & fructus *civiles* è quibus decimæ *personales* de jure debentur, & fructus *naturales* è quibus decimæ prædiales solvuntur: ut illi non nisi deductis expensis debeantur; hi non deductis. Ratio distinctionis est, quod lucrum non intelligatur nisi quod superest deductis expensis: uti nec fructus, si *civiliter* considerentur; at *fructus* terræ non *civiliter*; sed *naturaliter* prout è terra nascuntur considerari debeant: ut observat Barbosa De Officio Parochi *Cap.* 28. *n.* 34.

XV. Addit Pontifex in citato *cap.* 28. "Nec pro re- „ staurando detrimento quarumlibet rerum, ex quibus „ decimæ persolvuntur, credimus deducendas expen- „ sas, de proventibus decimandis: quia penes dominum „ res permanent restauratæ, ut si pars aliqua moriatur „ armenti, deterioretur vinea, portio mercis depereat, „ vel totus clibanus destruatur.

XVI. Quamvis hæc ita de jure obtineant; neque consuetudo aut lex aliqua specialis Decimatores ad contributionem expensarum in fundos decimabiles obligare videatur: neque Carolus V. in Edicto 23. Maij 1531. ubi regulas præscribit, qui, quantumve ad aggerum reparationem teneantur, decimarum meminerit, uti observat Zypæus *Consult.* 1. "Nihilominus (ait Zypæus) „ ex æquo & bono ad animandos agricolas ad steriles „ miricas aratro subjiciendas, glebas à veperibus & sen- „ tibus occupatas purgandas, sylvas inutiles exscinden- „ das, alveum & arenam à mari occupatum aggeribus „ circumductis continenti annectendam, aut insulam ri- „ pis littoribusque obsidendam, & culturæ mancipan- „ dam, solent, quibus jus est decimarum, cultoribus ad „ annos aliquot immunitatem decimarum, ex toto vel „ in partem tribuere, pro gravitate sumptuum.

XVII. Quinimò si publicè expediat terras aliquas aggeribus cingi; idque sine magnis & notabilibus expensis fieri nequeat, interdum æquitas exigere potest, ut etiam auctoritate publicâ decimatores pro portione decimarum in aliquam partem expensarum vocentur, uti loco citato monet Zypæus.

XVIII. Sicuti autem Principes nostri solicitè caverunt, ut Ecclesiastici solitis decimis essent contenti; ita sub gravibus quoque pœnis sanxerunt, ut decimis illis pacificè & sine ulla turbatione uti & frui sinerentur: notanter Edicto Caroli V. de 7. Junii 1554. quod refertur parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 12. & Philippi II 6 Junii 1564. quod extat parte 1. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 5. vetatque expresse Carolus in hoc suo Edicto, ne quis dicat, decimas esse *meras* eleemosynas ad arbitrium & beneplacitum populi solvendas.

XIX. Ut autem omnis fraus in decimarum solutione evitetur: atque ipsæ decimæ cum omni sinceritate & integritate solvantur: in iisdem Edictis cavetur, ne fructus decimabiles, nec ante nec post solis occasum furtim avehantur: neque priusquam in manipulos & acervos, juxta locorum consuetudinem, collecti sint.

XX. Ulteriùs, ut non auferantur aut avehantur, priusquam idoneè denuntiatum sit Decimatoribus eorumve commissariis in loco existentibus, fructus esse avectioni paratos, ipsisque tempus & locum designaverint, quibus compareant ut videant manipulos & acervos numerari: qui si statuto tempore non adsint, permittitur colonis seu villicis fructus suos è fundo avehere, relicto ibidē manipulo vel acervo pro decimis debito.

XXI. Eadem in Gallia pluribus & iteratis Regiis Edictis cauta esse, referunt passim Pragmatici; notanturque in Actis Cleri Gallicani *tomo* 3 *parte* 3. *tit.* 1.

XXII. Referuntur & ibidem plura Parlamentorum arresta, quibus judicatum fuit, decimas esse solvendas *in specie*; ac signanter anno 1612. condemnati coloni solvere decimas in *specie*, non obstante possessione *immemoriali* solvendi vice decimarum certam quantitatem granorum. Idipsum in contradictorio judicio conformiter ad conclusiones Advocati Regii judicatum 23. Aprilis 1641. non obstante consuetudine *immemoriali* solvendi pro decimis certam quantitatem pecuniæ. Et 9. Julii 1642. condemnati quidam solvere suo Parocho decimam vini in specie. Rursus 31 Maie 1664. condemnati quidam incolæ solvere decimam vini in specie, non obstante possessione plusquam centenaria & immemoriali solvendi dumtaxat quatuor asses in singula jugera vineæ. Imo anno 1665. judicatum, etiam decimas agnorum, lanæ aliasque minutas esse solvendas in specie non obstante quacumque conventione aut possessione contraria.

XXIII. Hæc omnia conformia Parlamentorum arresta, dubitare non sinunt, quin usus Regni Galliæ habeat, decimas esse *in specie* solvendas. Unde Michael Du Perray in tractatu de portione congrua *parte* 2. *cap.* 30. inter principia in materia decimarum juxta consuetudinem Galliæ recepta ponit hoc *num.* 41. Decima solvenda est *in specie*, non obstantibus quibuscumque conventionibus & transactionibus inter Incolas Parochiæ & prædecessores ipsius Curati.

XXIV. Ex Panormitano ad *Cap* 32. ⁘ *De Decimis* refert Choppinus De S. P. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 4. "Quod à „ Germanis pensitari assolent quotannis certi ac defini- „ ti frugum acervi, quos nec augere fertilitas anni, nec „ minuere sterilitas possit. Addit præterea Choppinus: „ Slavorum item in regione, Aldenburgensi præsuli de- „ signatum est decimæ vice annuum vectigal ex omni- „ bus Vuagirorum, seu Obotritorum latifundiis: nempe „ quolibet ex aratro, grani mensura, & lini resticuli qua- „ drageni, cum duodecim nummis argenteis: unus præ- „ terea nummus, pretii summam colligentis.

Similiter in Belgio in aliquibus locis usus obtinet, ut vel ex longæva consuetudine, vel conventione solvatur vice decimarum præsertim *minutarum* aliqua determinata quantitas: quæ solutio nonnumquam præferenda solutioni hujusmodi decimarum *in specie*; eo quod hæc ob ejus incertitudinem & exilitatem sæpe quæstiones & difficultates parere soleat. Neq; credo, usum solutionis decimarum *in specie* ita receptum, ut consuetudo immemorialis, aut conventio legitimè facta ei contraria, in judiciis invalidaretur: & coloni aut proprietarii ad solutionem decimarum *in specie* non obstante consuetudine aut conventione urgerentur. Et quidem expressè ait post Rebuffum Franciscus Tondutus *lib.* 1. *Quæstionum & resolut. cap.* 7. *num* 76. "Valida videtur consuetudo, „ quod loco animalium solvatur certa pecuniarum „ summa nomine decimæ.

XXV. Notat quoque ibidem Tondutus quoad decimas animalium, si consuetudo habeat ut decimus vel vigesimus fœtus solvatur, fideliter solvendū esse quidquid venerit decimum, vel vigesimum aut aliàs secundùm consuetum numerum. Notatque, quod quamvis per longum tempus rustici animalia minutiora & deteriora Parocho, pro decima per dolum & astutiam præstiterint, talis consuetudo non sit legitima, nec recipienda.

Quod si discerni nequeat, quod sit decimum animal, vel secundùm datam consuetudinem vigesimum, tunc nec de melioribus, nec de pejoribus solvenda erit decima, sed de mediocribus arbitrio boni viri uti post Oldradum *consil.* 236. observat ibidem Tondutus.

Adhæc, ut rectè post alios monet Tondutus *num.* 6. non

non debetur hæc decima statim ubi nata sunt animalia, sed ubi non amplius indigent lacte materno : alioquin inutilia apud Ecclesiam remanerent, & morerentur.

Quanto autem tempore proprietarius fœtum decimabilem servare & nutrire debeat, pro regionum & locorum conditione determinandum esse, verius credit Germanus Forgetius in tractatu De rebus *decimabilibus cap.* 3. *numer.* 5. monetque quoad *agnos* intervenisse arrestum Parlamenti Parisiensis per modum Regulamenti 27. maji 1559. quo cautum fuit, quod Decimatores teneantur hebdomada ante Pascha ipsos annos signare; iique signati, sint eorum periculo & oneri; verba Regulamenti, prout ea refert Forgetius, sunt *Que les dismeurs sont tenus compter, marquer & lever, le jeudy, ou autre jour de la sepmaine sainčte, par chacun an, la disme d'iceux agneaux : & le dit temps passé, le proprietaire, ou ses fermiers, & commis pourront compter, nombrer, & marquer: pour en cas de mort, sans fraude, en representer, & rendre les peaux à la dite marque; dont le proprietaire, & les commis qui auront marqué seront creuz par leur serment. Que si la disme des agneaux estoit levee apres la dite sepmaine sainčte, seront les dismeurs tenus payer le salaire raisonnable pour raison de la garde d'iceux agneaux.* Id est, Decimatores teneri ut numerent, signent & colligant feria quintâ aut aliâ die majoris hebdomadæ annuatim decimas agnorum, quo tempore elapso liberum erit proprietario, aut ejus villico, aut ei quem commiserit, numerare & signare; ut perire eos contingat, sine fraude vellera signata exhibeat & reddat, stabiturque juramento proprietarii, & eorum quos commiserit, qui signaverint vellera. Si verò agnorum decimæ colligerentur post dictam majorem hebdomadam tenebuntur decimatores stipendium prout ratio exiget, persolvere, ratione custodiæ dictorum agnorum.

CAPUT IX.

Quomodo, & coram quo decimæ exigendæ?

1. *Decimæ accipiendæ animi gratitudine, ut spirituales Deo oblatæ hostiæ.*
2. *Cavendum ne cum nimio rigore, & specie avaritiæ exigantur.*
3. *Nonnulli hic abutuntur suo juramento de conservandis bonis Ecclesiæ.*
4. *Qui Decimatores cum majore moderatione decimas exigere debeant?*
5. *Refractarii decimarum debitores ad solutionem juridicè urgeri possunt.*
6. *De Jure communi etiam per* Censuras.
7. *Idipsum declarat Synodus Tridentina.*
8. *Mores Belgii vix admittunt quempiam per censuras ad decimarum solutionem urgeri.*
9. *Idipsum pravidè ad publicationem Synodi Tridentinæ monuerunt Concilia Regia.*
10. *Jure Communi causa decimarum coram Judice Ecclesiastico tractanda.*
11. *Quæstiones in hac materia hic solent coram Tribunalibus Regiis agitari.*
12. *Coram quo actio super decimis contra laicum institui debeat juxta Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.*
13. *Quid circa petitorium & possessorium eadem Concordata statuant.*
14. *Hodie & in Belgio & Gallia possessorium agitatur coram Conciliis Regiis.*
15. *Quæstio super decimis* insolitis *agitanda coram Concilio Regio ex Edicto Caroli V.*
16. *Idem & in Hispania & Gallia obtinet.*
17. *Cur hodie rarò admodum materia decimarum agitetur coram Judice Ecclesiastico.*
18. *Quomodo Judex secularis procedere debeat, dum possessio est dubia.*
19. *Decimæ sunt fructuum; & iis non excrescentibus decima non debentur.*
20. *Potest proprietarius fundum suum* incultum *permittere.*
21. *Potest in fundo suo seminare fructus non decimabiles; licet soliti fuissent seminari decimabiles.*
22. *Decimator simili casu nullas decimas prætendere potest.*
23. *Nonnumquam ex æquitate hæc libertas restringi potest Officio judicis.*
24. *Onus decimarum non solutarum non sequitur* novum *fundi possessorem.*
25. *Decimæ uno anno non petitæ altero anno peti non possunt.*

1. SI populus inducendus sit, ut decimas liberali ac grato animo, & sincerâ in Deum pietate offerat, uti capite præcedenti notavimus; indubiè & ipsi Ecclesiastici suo exigendi modo ostendere debent, quod non avaritiæ aut cupiditatis spiritu; sed tamquam spirituales Deo oblatas hostias, cum quadam animi gratitudine decimas recipiant.

II. Imprimis itaque in hac decimarum exactione observandum à Decimatoribus, præsertim Ecclesiasticis, ne cum fidelium scandalo, nimio rigore decimas à populo, interdum sat inope, & gravato, exigant. Temporalia etiam potius perdenda sunt, quàm nomen Dei propter nostras exactiones blasphemetur, & proximi scandalizentur, inquiebat Joannes Molanus Canonicus ad suos Canonicos in Oratione de *Defendendis Decimis cap.* 12. additque: "Fœda nimirum est macula avaritiæ „in hominibus Ecclesiasticis, maximeque eos liberales „esse decet. Unde Paulus Apostolus non poterat tuta „conscientia necessaria vitæ à Corinthiis exigere, non „quod ea contra justitiam, sed contra charitatis debi„tum exegisset.

III. Notat quoque ibidem Molanus, "quod Cano„nici quidam nimio rigore urgeant semper, se *jurasse* „defensionem jurium Ecclesiæ suæ; ac proinde nihil „unquam de jure decimarum ex quacumque causa re„mittere volunt. Quibus à doctioribus & prudentiori„bus confratribus dicendum est, eos ex vi juramenti „non obligari ut extremo jure in decimis defendendis „utantur; eo quod juramentum non sit vinculum ini„quitatis, sed obligatio ejus intelligi debeat salvis hono„re Dei, & ædificatione proximorum.

IV. Omnibus quidem Ecclesiasticis convenit, ut cum summa moderatione & charitate in decimarum aliorumque temporalium jurium postulatione, & exactione se gerant; nullamque dent populis justam offensionis aut scandali occasionem; speciali tamen ratione ad eam moderationem adstringuntur illi Decimatores, qui populo spiritualia non seminantes, temporalia eorum metunt; & quibus decimæ per modum quodammodo *eleëmosynæ* communicatæ sunt; vel quorum fides specialiter electa est, ut eas in pauperes distribuerent; quemadmodum supra *cap.* 5. annotatum fuit.

Quis enim non à ratione & justitia alienum arbitrabitur, quod hi quibus decimæ eo potissimùm fine datæ sunt, ut iis tamquam *pauperes* utantur, & reliquum, ut fideles earum dispensatores in pauperes erogent, cum summo rigore eas à pauperibus exigant & quodammodo extorqueant?

V. Cæterùm cum decimæ hodie non ut merè voluntariæ oblationes & eleëmosynæ solvantur; sed

ad

Digitized by Google

ad illas solvendas populus ex *justitia* teneatur, non dubium, quin malevoli refractarii ad solutionem earum cogi possint; ipsique decimatores tam Ecclesiastici, quàm laici decimarum solutionem juridicè urgere queant; & subinde teneantur.

VI. Imo refractarios ad earum solutionem & per censuras Ecclesiasticas constringi posse in jure cautum est.

Legitur *lib.* 2. *Capitular. Regum Francorum cap.* 38. „Qui decimas pro crebris admonitionibus & prædica„tionibus Sacerdotum dare neglexerint, *excommuni„centur.*" Et in *Cap.* 5. ✠ *De Decimis*, mandat Cantuariensi Archiepiscopo Alexander III, ut Parochianos, si opus fuerit, sub *excommunicationis* districtione compellat, ut de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, & lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant. Idipsum mandatur in *Cap.* 15. *&* 21. ✠ *eod.* aliisque Juris textibus.

VII. His insistens Synodus Trid. *Sess.* 25. *cap.* 12. *De Ref.* " præcipit omnibus cujuscumque gradus & condi„tionis sint, ad quos *decimarum* solutio spectat, ut eas, „ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut „quibuscumque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legi„timè debentur, integrè persolvant. Qui verò eas aut „subtrahunt, aut impediunt *excommunicentur*; nec ab „hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvan„tur.

VIII. Verùm cùm Synodus Tridentina eadem Sessione *cap.* 3. satis insinuet, in causis præsertim civilibus, ad excommunicationis, censurarumque inflictionem non esse procedendum, quando executio realis vel personalis aliter haberi potest, mores Belgii vix admittunt, ut laici decimas solvere renuentes per censuras Ecclesiasticas compellantur; aut ob earum non solutionem excommunicari possint; eo quod alia passim media sint, quibus ad solutionem cogantur.

IX. Refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 32. §. 54. quòd cùm hic agetur de publicatione Synodi Tridentinæ, eumque in finem Decreta reformationis ad Concilia Regia per Belgii Gubernatricem nomine Regis Philippi II. revidenda fuisset missa; quod ad citatum *Caput* 12. quo præcipitur, ut unusquisque decimas quas debet, integrè persolvat, & qui eas subtrahunt aut impediunt, excommunicentur, " notarint Bra„banti, tractus complures in hac regione à decimarum „præstatione esse exemptos privilegio aut præscriptio„ne, & nominatim Regiam Majestatem ab hoc onere „immunem agere. Deinde non esse hic usitatum, censu„ris vel excommunicationibus cogere reluctantes ad „decimarum præstationem, quæ nec per Canones, nisi „pro rebus gravioribus irrogari possunt. Solere hic jure „agi contra frustratores decimarum in Conciliis Pro„vincialibus.

Similiter ad *Sess.* 22. *cap.* 11. quo coercentur *anathemate* laici usurpatores, detentores, violatores rerum & jurium Ecclesiasticorum, vel piorum locorum aut fundationum, & Patroni jure patronatus insuper privantur, „animadverterunt Concilia, laicos hisce in rebus con„veniri solitos apud judices seculares, & Concilia Pro„vincialia, ibique pro modo culpæ coercendos. " Anselmo ibidem §. 31.

X. De jure communi causa decimarum tamquam Ecclesiastica tractanda videtur coram judice Ecclesiastico; ipsumque judicem Ecclesiasticum esse etiam laicorum judicem competentem in hac materia decimarum communiter tradunt Canonistæ; & latè probat Covarruvias *Pract. q. cap.* 35.

XI. Verùm in his aliisque pluribus Provinciis & Regnis solent passim quæstiones super decimis coram Regiis Tribunalibus agitari; & laici ad Concilia Regia super solutione decimarum evocari.

XII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *titulo* 3. §. 1. imprimis statuitur: " Si „laicus actione personali, ex contractu per Ecclesiasti„cam personam conveniatur, ratione bonorum merè „Ecclesiasticorum, ut puta decimarum vel oblationum, „vel ratione bonorum (ut prædicitur) amortizatorum, „poterit laicus in jus trahi coram Officiali, vel judice „Officiali, vel judice sæculari. Ita quod talis quæstio erit „mixti fori. Si verò eadem personali actione laicus per „Clericum conveniatur, ex contractu, ratione aliorum „bonorum, ad Ecclesiam spectantium, non amortizato„rum, ut suprà, actor sequetur forum rei, nec de tali„bus causis se poterunt Ecclesiastici judices intromitte„re. Si autem laicus invitis dominis, videatur defru„ctuasse bona merè Ecclesiastica, vel amortizata, ut su„prà, sine aliquo contractu præambulo, poterit coram „judice Ecclesiastico, vel sæculari conveniri.

XIII. Deinde §. 13. decernitur, quod in causis merè Ecclesiasticis, ut puta *decimarum*, judex Ecclesiasticus, etiam contra *Laicos* poterit cognoscere in *petitorio*.

Quoad possessorium statuitur in dictis Concordatis *titulo* 4. quod per modum provisionis " possessorium „recuperandæ & retinendæ quæstio & cognitio specta„bit ad judices seculares privativè, sive agatur de pos„sessorio beneficiorum, decimarum, jurispatronatus, „vel aliorum jurium, & quæstio in possessorio suspen„det petitorium, nisi quæstio petitoria esset contestata „coram judice spirituali contra intentantem possesso„rium.

Subditur autem §. 2. " Interdictum verò adipiscendæ „possessionis judici Ecclesiastico relinquitur.

XIV. Hodie in Belgio, in Gallia, Hispania, aliisque multis Provinciis possessorium decimarum tractari apud judices Regios notissimum est, & quotidiana praxis probat; notantque passim Pragmatici, quos citat Covarruvias *Pract. quæst. cap.* 35. Vide etiam Carolum Fevretium De Abusu *lib.* 6. *cap.* 1. & Broudæum ad Lovetium *Litt. B. num.* 11. *&* *Litt. D. num.* 19.

XV. Edictum Caroli V. annni 1520. quo vetat *insolitas* decimas exigi (de quo actum supra *cap.* 2.) cognitionem novarum decimarum, puta an sit nova species, an solvi solita quæ exigitur, attribuit Conciliis Provincialibus Regiis, inhibendo omnibus judicibus Ecclesiasticis cujuscumque auctoritatis sint, eam ob causam quemcumque Laicum citandi, aliumque actum juridicum exercendi, prout latius in citato Edicto videri potest. Notatque Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 1. §. 11. " hic agi *de facto* non de jure; an „scilicet sint novæ species, an ab annis 40. retro sint so„lutæ; an denique Ecclesia sit, fueritque in possessione „eas recipiendi & colligendi. " Deinde monet, " quod „jurisdictio hæc & cognitio quoad novas decimarum „species Concordata Brabantiæ sit confirmata. *Tit. de* „*Jurisdict.* 2. §. *in causis* 13. *verb. Ordinatione tamen* „*Principis super modo decimarum solvendarum edita, in* „*suo robore durante.*

Inita sunt hæc Concordata anno 1541. adeoque viginti & uno annis post editum præcitatum Edictum de non exigendis *insolitis* decimis.

XVI. Observat Covarruvias loco supra citato *num.* 2. Vers. *Quantò erit*, " causam decimarum quandoque „in his Regnis (Hispaniarum) tractari apud Regios „Auditores: nempe cum Laici contendunt, decimas ab „eis exigi, quæ legitima temporis præscriptione mini„mè debentur, & sunt remissæ, denique conqueruntur „contra morem & consuetudinem decimas ab eis exi„gi: nam etsi condemnentur à judice Ecclesiastico, ni„hilominus ex querela causa retinetur apud Regia „prætoria. Siquidem & Litteræ Regiæ passim dantur „à supremo senatu ad id, ut Laici non cogantur deci„mas illas solvere, quæ solvi legitima temporis præscri„ptione non consueverunt.

Idem

Idem in Gallia servari, & pridem à Philippo IV. decretum fuisse testantur Pragmatici.

XVII. Cum autem hodie rarissimè de ipso jure decimarum quoad petitorium quæstio incidat; sed penè semper de possessione & consuetudine solvendi vel exigendi quæstio fit: soleantque Laici recusantes decimarum solutionem non *jus* ipsum decimandi negare: sed tantum possessionem vel consuetudinem eas ex tali specie, aut in tali quota & modo solvendi, etiam vix quæstio super earum solutione coram judice Ecclesiastico agitatur: solentque Laici non coram Judice Ecclesiastico: sed Regio evocari, & ad earum solutioné compelli.

XVIII. Cæterum dum judex Laicus de solo possessorio decimarum cognoscit: & quæstio de *quota* decimarum incidat, dicit Antonius Faber in Codice *lib. 1. tit. 2. Definit. 63.* "Quod judex sicuti de sola possessione „ potest cognoscere, ita quotam illam demum præscri- „ bere potest, quam præstari solitam videt ex conclu- „ dentibus & indubitatis probationibus. Sin minus „ liqueat de quota certa, nihil aliud superest quod face- „ re possit, nisi & formam juris sequatur.

Deinde addit: "Nec movere illum debet, quod per- „ peram judicaturus videatur, si Parochum tueatur in „ quasi possessione decimæ exigendæ, qui numquam in „ ea possessione fuerit, quique longè minorem, licet dif- „ formem quotam à Parochianis accipere solitus probe- „ tur. Nam quod pertinet ad jus exigendarum decima- „ rum ad formam juris, semper Ecclesia possidet quam- „ diu contraria possessio nulla est, cujus ratio, defectu „ probationum in judicando haberi possit. *Ita tracta-* „ *tum est* in causa R. Antonii de la Rouaire Parochi & „ Parochianorum de Greisy 13. Cal. Januarii 1593.

Quod in quæstione circa determinationem *quotæ* resolvit hic Antonius Faber, idipsum & in aliis quæstionibus, ubi de excludendo Decimatore jure communi fundato agitur, observandum esse, non difficile est intelligere.

XIX. In exactione & petitione decimarum illud quoque observandum, eas non posse peti nisi de fructibus excretis: sive jus decimarum non esse onus fundorum, sed fructuum. Hinc nullis fructibus excrescentibus etiam decimæ prætendi nequeunt: tametsi etiam per negligentiam proprietariorum aut colonorum factum esset, quod fructus nulli, aut minus valentes excreti & collecti essent.

XX. Imò ipse proprietarius fundum suum *incultum* relinquere potest: neque à Parocho aliove Decimatore ad excolendum aut seminandum adigi potest; uti rectè monet Grimaudet *De Decimis lib. 3. cap. 3.*

XXI. Additque Grimaudetius: Curatus enim non est dominus, nec jus habet in fundos, ratione cujus possit impedire possessorem, ne re sua pro libitu utatur; mutetque fundum suum solitum seminari granis decimabilibus, in aliam speciem culturæ, è qua decima non solet solvi, puta in pratum, sylvam, aut stagnum.

XXII. Hoc enim casu decimator nihil prætendere potest, nihilque juris habet. Jus enim ad decimas tantùm prætendere potest, quando fructus decimabiles excreverunt quia decimæ ex fructibus, non autem ex fundis debentur: satisfacitque fundi proprietarius, si ex fructibus *decimabilibus* decimas sine fraude exsolvat.

XXIII. Idipsum notavit quoque Zypæus in Jure novo titulo *De Decimis num 5.* unà tamen addens: "Sed „ quid si in toto pago terræ arabiles vertantur in boum „ pascua, ut quadantenus ibi annihilentur decimæ, & „ Cleri alimenta? Desiderabit æquitas, ut intra modum „ judicis officio coarctetur hæc libertas, ad exemplum „ privilegii nimium præjudicantis. "Aut saltem eo casu „ declarari posset, in tali parochia decimas ex similibus terris aut fructibus deberi ob eorum frequentiam: licet hactenus ex similibus solitum non fuisset decimas exigere, quamdiu in exigua quantitate seminari solebant.

XXIV. Ulterius quia decimæ sunt onus fructuum, non fundi, rectè docent Canonistæ, decimas exigi non posse à novo fundi possessore, si forsan à prædecessore qui fructus percepit non fuerint solutæ.

XXV. Imò cùm decimæ quotannis ex fructibus singulis annis excrescentibus debeantur, si uno anno petitæ non fuerunt, sequenti anno duplices peti nequeunt: imò pro anno illo quo petitæ non fuerunt, remissæ habentur.

" Decimæ quamvis in annos singulos debeantur, eti- „ am citra interpellationem (ait Antonius Faber loco „ citato *Definit. 63.*) si tamen suo tempore petitæ non „ fuerint, postea pro annis præteritis peti non possunt „ quasi tacito judicio remissæ." Et ita à Senatu Sabaudiæ judicatum dicit anno 1593.

Unde inter regulas in hac decimarum materia in Gallia receptas, & hanc Michael Du Perray in suo tractatu de portione congrua *parte 2. cap. 30. num. 38.* ponit, quod decimæ præteritorum annorum non petantur. Verba ejus sunt: *C'est aussi une maxime tres constante que les Dixmes ne tombent pas en arrerages, & l'on n'en peut point demander plusieurs années, les Dixmes se payent sur le champ, étans destinées à la nourriture des Ministres du Seigneur qui servent à l'Autel, ils sont presumez de les avoir prises. Jugé par Arrest du 13. Decembre 1672.* Id est. Axioma certissimum est decimas non obstringi æris alieni reliquiis, nec plurium annorum decimas exigi fas esse. In ipso temporis articulo solvuntur decimæ, cum alimentationi servorum Dei qui altari ministrant, deputentur quibus ipsos gavisos esse præsumitur. Ita judicatum Senatus consulto die 13. Decemb. 1672.

CAPUT X.

De Oblationibus.

1. *Quid oblatio generaliter sumpta?*
2. *Quid apud Canonistas nomine oblationis veniat?*
3. *In quo præcipuè oblationes à decimis distinguantur?*
4. *Vulgus tantum pro oblationibus habet inter Missarum solemnia offerri solita.*
5. *Hæc acceptio vulgaris nimis constricta.*
6. *Oblationes debent esse voluntaria.*
7. *Omnes proventus Ecclesiæ juris communi cedunt Ecclesiæ parochiali.*
8. *Ecclesiæ Parochiali de jure communi competunt oblationes.*
9. *Etiam facta ad imaginem extra templum parochiale*
10. *Item quæ fiunt Sacerdoti celebranti in Sacello intra limites parochia.*
11. *Similiter quæ fiunt tempore Jubilai, vel anno sancto &c. in Ecclesia Cathedrali spectant ad Archipresbyterum, non autem ad Episcopum.*
12. *Competũt vicario perpetuo excluso Pastore primitivo.*
13. *Hactenus dicta procedunt jure communi.*
14. *Ex consuetudine & voluntate offerentium possunt oblationes aliis competere.*
15. *Si constet de voluntate offerentiũ cessat jus commune.*
16. *Oblationes collecta per Magistros fabrica, mensa S. Spiritus, aliosve similes non solent cedere Parocho.*
17. *Sicuti nec quæ offeruntur in truncis expositis ad recipiendas Oblationes in certum usum.*
18. *Oblationes quæ fiunt ad imaginem & reliquias alienæ jus Sancti solent cedere Sacello in quo imago vel reliquia requiescunt.*
19. *Si Sacellum habeat speciales mamburnes oblationes solent cedere sacello.*

20. Hodie

20. *Hodie solent oblationes quæ fiunt extra altare aliis quam parocho cedere.*
21. *In quibus oblationibus hodie jus commune obtineat?*
22. *Prædicta conformia sunt Synodo Namurcensi.*
23. *Si nulla circumstantia determinent usum Oblationum salvum manet jus parochi.*
24. *Oblationum administratio manet penes parochum licet in alterius usum sint impendenda.*
25. *Etiamsi administratio sit penes laicos.*
26. *Non est inconveniens oblationum administrationem esse penes laicos.*
27. *Neque per hoc impingitur in canones vetantes oblationes cedere laicis.*
28. *Quo titulo laicis possit competere administratio oblationum.*

I. OBlatio generaliter sumpta, idem sonat, quod alicujus rei non petitæ spontanea largitio. Quæ si homini fiat, *Donatio* dicitur; si Deo, magis propriè *Oblatio*: quia cum Deo, utpotè omnium Domino nihil dari queat maluerunt Canones eam largitionem *Oblationem* vocare.

Oblatio ita generaliter sumpta comprehendit & oblationes strictè dictas, & decimas, primitias & quidquid à fidelibus in usum Ministrorum Ecclesiæ Deo consecratur.

II. Verùm, modo loquendi Canonistis usitato, oblationes à Decimis distinguuntur, vocanturque *oblationes* quæ à fidelibus vel ad Altare, vel etiam extra Altare *ultrò & voluntariè* citra ullam in quantitate aut specie determinationem Deo vel Ecclesiæ dantur.

III. Itaque in hoc præcipuè Decimæ ab oblationibus discernuntur, quod decimæ partim ex jure, partim ex consuetudine soleant esse determinatæ ad certam quotam, & speciem; nec earum determinatio, & solutio Fidelium laicorum voluntati & libertati sit relicta: è contra verò, *oblationum* tam quoad quotam, quàm quoad speciem determinatio à nutu & beneplacito offerentium dependere consueverit.

IV. Vulgari hodierno loquendi usu, oblationum nomine ferè dumtaxat veniunt illa, quæ ad manum Sacerdotis inter Missarum solemnia offerri consueverunt de quarum usu & origine actum est supra titulo 5. *cap.* 4.

V. Equidem dubitari nequit, quin plura alia quæ hodie à populo offeruntur sint revera *oblationes*, & nomine *oblationum* veniant, prout etiam à decimis & primitiis distinguuntur: ut puta quæ post administrata Sacramenta; aut in purificatione mulierum similibusque functionibus Pastoralibus populus offerre solet; & quæ etiam in truncis ad colligendas eleëmosynas populi expositis ponuntur; aut Matriculariis sive Magistris Fabricæ, vel mensæ S. Spiritus juxta morem in plerisque Belgicis Ecclesiis receptum, circumeuntibus per Ecclesiam, dantur: vel etiam alio modo in usum Ecclesiæ aut pauperum: v. gr. in Ecclesiis Ruralibus, in carnis ovorum, butyri, aut alterius edulii specie ipsis exhibentur: item illa quæ à visitantibus certa Oratoria vel Sacella, in quibus Imagines vulgò Miraculosæ, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, ibidem vel in, vel extra Altare offeruntur. quæ omnia nomine *oblationum*, ex modo loquendi SS. Canonum & Canonistarum veniunt.

VI. Oblationes, præsertim in administratione Sacramentorum aliave functione Pastorali dari consuetas planè voluntarias & liberas esse debere ostensum est suprà *titulo* 1. *cap.* 3. ibique probatum, omninò verum esse, quidquam directè vel indirectè pro hujusmodi functionibus stipulari: sed dumtaxat permitti, ut accipiantur quæ *ultrò & liberaliter* à Fidelibus offeruntur: ac insuper quàm solicitè omnis species Simoniæ & turpis quæstus in receptione harum oblationum caveri debeat.

VII. Proventus singularum Parochiarum cedere Ecclesiæ Parochiali ejusque ministris uno consensu concludunt Canonistæ *cap.* 9. ✠ *De his quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli.* In quo dicitur: "Cum auctoritate Dionysii fuerunt parochiæ limitatæ, quatenus „singularum parœciarum proventus in usus Ecclesiæ „cederent necessarios, & ministrorum.

VIII. Inter proventus verò parœciarum numerandas esse oblationes, quæ in districtu Parochiæ offeruntur, nemo negat.

Hinc ulteriùs pari consensu conficiunt Canonistæ, parochum tamquam primarium Ecclesiæ Parochialis Ministrum *de jure communi* fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quæ obveniunt infra limites suæ parochæ: easque ei deberi, nî ostendatur vel ex voluntate offerentium, vel immemoriali consuetudine, aliove legitimo titulo ad alium spectare.

IX. Quamobrem oblationes quæ fiunt S. Imagini infrà limites Parochiæ, non ad Dominum parietis cui imago adhæret, nec ad Episcopum spectare, sed ad parochialem Ecclesiam, seu illius Rectorem post alios Canonistas tradit Fagnanus ad citatum capitulum 9. hancque esse communem Doctorum conclusionem asserit ex Socino: "Quam, ait, etiam sæpius secuti sunt Domi- „ni De Rota: ubi hæc sententia, licet fuerit olim con- „troversa, tamen hodie dicitur esse receptissima.

Procedit quoque hæc conclusio in oblationibus factis Imagini existenti in aliqua Capella seu Oratorio infra limites Parochiæ: ut scilicet oblationes illæ non cedant Capellæ, sed Ecclesiæ Parochiali: quemadmodum post Abbatem aliosque veteres Canonum Interpretes docet Fagnanus loco citato *num.* 24 & Barbosa de officio Parochi *cap.* 24. *num.* 22. qui & addunt, id etiam procedere, licet oblationes essent factæ in Capellis, ubi essent erecta distincta beneficia: "Quia nihilominus Pa- „rochiali Ecclesiæ, & Parocho, non Capellis aut ea- „rum Capellanis oblationes cedunt.

X. Quinimò licet oblationes offerantur celebranti Capellano, aut alteri Sacerdoti in Sacello intra vel extra Ecclesiam Parochialem sed tamen infra limites Parochiæ, nihilominus cedunt Parocho, non Presbytero celebranti: "Nam oblationes faciunt Parochiani, ait „Fagnanus propter administrationem Sacramentorum.

XI. Eodem fundamento: "Oblationes quæ fiunt „tempore Jubilæi vel anno sancto in Ecclesia Cathedra- „li (ait Barbosa loco citato *num.* 27) spectant ad Ar- „chi-Presbyterum ejusdem Ecclesiæ, non ad Episco- „pum: nam cum Archi-Presbyter habeat curam ani- „marum, & Sacramentorum administrationem, habet „per consequens de jure communi fundatam intentio- „nem ad omnes oblationes, idque privativè ad Episco- „pum. "Hæc Barbosa post plures ibidem allegatos Do- „ctores.

XII. Cùm ergò oblationes, uti & decimæ, principaliter dari præsumantur in usum & sustentationem Sacerdotum curam spiritualem populi offerentis sustinentium, consequens est oblationes de jure communi potius Vicario *perpetuo*, quàm Pastori *primitivo* adjudicandas esse. Cura enim spiritualis populi integra & solida est penes Vicarium *perpetuum*; adeò ut quoad eam curam Vicarius *perpetuus* nomine, non re à vero Parocho distinguatur Penes verò Pastorem *primitivum* nihil de cura animarum est: sed solo penè nomine *Pastor* dicitur uti latius ostendetur titulo sequenti.

Refert quidem Renatus Choppinus. *lib.* 2. *De sacra polit. tit.* 7. *num.* 25. Parlamentum Parisiense censuisse in receptione oblationum, Pastorem Primitivum, Vicario

Vicario ejusdem Ecclesiæ esse præferendum; sed monet Franciscus Pinsonius tract. *De Beneficiis parte 3.* § 2. „ Illud decretum Curiæ non definitiva sanctione pro- „ nuntiatum, sed interim & pendente decisione appel- „ lationis tamquam ab abusu, ab ipso Vicario interposi- „ tæ à sententia Officialis Parisiensis, qua primariis Pa- „ storibus oblationes addixerat: adeò ut inde pateat, Se- „ natum extemporali judicio, non perpetuò jus dicere „ voluisse. " Hæc Pinsonius; qui num. 18 addit " nam & „ aliàs, ut observavit Laurentius Bouchellus in Biblio- „ theca Juris gallici in verbo *oblationes*, Senatus obla- „ tiones in Ecclesia S. Salvatoris exhibitas, ejusdem Re- „ ctori seu Vicario perpetuo deberi pronuntiavit, ex- „ clusis Regularibus S Martini Campestris, licet prima- „ riis Rectoribus ejusdem Ecclesiæ, quod & hodie ob- „ servatur & æquius est.

Vide etiam Le Maistre *Plaidoyé 9.* ubi latè ostendit oblationes Vicario *perpetuo* excluso Pastore *primitivo* competere: & ita judicatum pro Vicario contra Capitulum Cathedrale an. 1633 fuisse ibidem asseritur.

XIII. Hæc omnia, quæ hactenus de jure Parochi & Vicarii ad oblationes dicta sunt, procedunt *in dubio* & de *jure communi*: id est, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia ipsorum offerentium voluntate: quæ in oblationibus, utpotè ordinariè & plerumque merè voluntariis, præcipuè attendi debet: & ratione cujus frequenter oblationes ad alia loco, vel personas, quā ad Ecclesiam Parochialem aut Parochum pertinent.

XIV. Sicuti enim communi consensu Canonistarum receptum est, oblationes, attento jure Communi ad Parochum spectare: ita quoque receptum est, oblationes vi consuetudinis, privilegii alteriusve tituli: & præcipuè ex voluntate offerentium posse ad alios, quàm Parochum pertinere.

XV. Hinc infert Cardinalis De Luca *Discursu* 19. *De Decimis*: " Ubi expressè vel etiam adminiculariter „ & conjecturaliter constat de voluntate facientium ob- „ lationes & eleëmosynas, ut ipsi Ecclesiæ seu certis usi- „ bus applicari debeant, non autem ut ipse Rector im- „ pinguaretur, atque in privatos usus, privatamque uti- „ litatem convertat, tunc absque dubio illa voluntas ser- „ vari debet; eaque cuicumque juris dispositioni præ- „ valet.

XVI. Ex hac verisimili offerentium voluntate, oblationes quæ colliguntur, etiam in ipsis Ecclesiis Parochialibus per magistros Fabricæ sive Æditnos, vel Magistros mensæ S. Spiritus, aliosve Magistros seu Intendentes alicujus domus pauperum, aut orphanotrophii, vel Sacelli, aut Altaris, non cedunt Parocho, sed Fabricæ, pauperibus, Sacello, aut Altari, in quorum respectivè usum sciuntur à Magistris illis, aut intendentibus peti & colligi.

XVII. Similiter, quæ offeruntur in mensis aut truncis ad recipiendas oblationes in certum usum expositis indubiè in eum usum cedunt. Cum enim populus sciat, eum in finem mensas, aut truncos esse expositos, oblationes suas in mensas illas aut truncos conjiciendo, aut reponendo, sat significat, eas velle usui designato applicari.

XVIII. Eodem ex capite, usu ubique penè receptum ut oblationes notabiles & frequentes quæ fiunt ad imagines vel reliquias alicujus Sancti, ob miracula vera, vel putativa, cedant Sacello sive Oratorio in quo imago vel reliquiæ requiescunt: " Omninò enim probabile est „ (inquit Cardinalis de Luca loco citato *num.* 11.) quod „ populus pro gratiis acceptis, vel speratis, ad illam ima- „ ginem recurrendo cum eleëmosynis & oblationibus, „ id agat animo donandi ipsi imagini, & frequentiùs ut „ sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & exor- „ netur, non autem ad donandum Parocho, vel Episco- „ po seu alteri Prælato ad privatam utilitatem.

XIX. Si oblationes fiant in Sacello quod habet speciales Mamburnos seu Magistros, qui curam Fabricæ, & ornamentorum habeant; itemque cura ut Divina ibidem Officia agantur, oblationes illæ de consuetudine non Parocho, aut Ecclesiæ Parochiali, sed ipsi Sacello, ex conjecturali offerentium voluntate, cedere solent: præsertim quæ extra Altare offeruntur.

Cum enim noverit Populus, Magistros sive Mamburnos aut intendentes istorum Sacellorum colligere eleëmosynas sive oblationes in usum Sacellorum, populus offerendo, præsumitur offerre ad intentionem colligentium.

XX. Quin & consuetudo ferè universalis habet, ut oblationes quæ vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam vel Sacella, vel ad certum Altare, aut imaginem dispositis, cedant vel fabricæ, vel ad ornatum Altaris, aut imaginis, alium ve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposita, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi & peti.

XXI. Ideoque penè de solis oblationibus quæ fiunt in Altari, & in administratione Sacramentorum, aut exequiis, vel anniversariis, sive inhumationibus defunctorum, jus aliquod Parocho competit, præsertim extra Ecclesiam suam Parochialem.

Quin & quoad has consuetudine, aliove titulo legitimo nonnumquam obtinuit, ut oblationes etiam quæ fiunt ad Altare, aut in exequiis vel anniversariis defunctorum, in Sacellis aut Ecclesiis succursalibus cedant non ipsi Parocho, sed vel celebranti, vel Presbyteris & Ministris Sacellorum aut Ecclesiarum, vel etiam Fabricæ, aut alteri pio usui.

Imò & non rarò, etiam ex oblationibus, quæ in Ecclesia Parochiali fiunt ad Altare vel extra Altare, pars aliqua cedit Fabricæ: aut interdum Canonicis, aut aliis, qui Pastores primitivos se vocant.

XXII. Hæc omnia conformia sunt iis, quæ de oblationibus leguntur in Synodo Namurcensi sub Engelberto Desbois anno 1639. *tit* 17. "Oblationes quæ fi- „ unt in Ecclesiis parochialibus & Capellis in iisdē con- „ structis, ad eos pertineant, qui hactenus illas ex anti- „ qua consuetudine perceperunt. Et ubi consuetudine „ nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes „ quæ fiunt ad majus Altare & ad Altaria dictarū Capel- „ larum non habentium mamburnum particularem. Si „ quæ verò dictarum Capellarum mamburnum habent „ oblationes soli Capellæ cedant, quemadmodum etiam „ Confraternitatibus Confraternitatum oblationes il- „ lis exceptis, quæ offeruntur in Altari ad manus cele- „ brantis tempore Missarum, quæ erunt Pastoris.

XXIII. Itaque quæ de jure Parochorum ad oblationes hactenus dicta sunt, obtinent dumtaxat, quando non constat quem in usum offerentes velint suas oblationes impendi: aut saltem non constat, eos velle illas impendi in alium usum, quàm parochi, aut Ecclesiæ Parochialis.

Si verò nec circumstantiæ determinent usum, cui verisimiliter offerentes suas oblationes velint applicari: sed simpliciter ad honorem Dei, idque ex quadam recepta offerendi consuetudine offerant: uti plerumque contingit in oblationibus, quæ fiunt in officiis defunctorum: item in oblationibus quæ fieri solent ad manum celebrantis in festis solemnioribus, his & similibus casibus, Parochus de jure communi habet fundatam intentionem ad oblationes: & nisi ostendatur consuetudo aut privilegium, aliusve legitimus titulus contrarius, oblationes integræ Parocho competunt.

XXIV. Tametsi oblationes ex voluntate verisimili Offerentium frequenter in alium, quam Parochi usum impendendæ sint, nihilominus tamen & eo casu, de jure communi ipse Parochus, tamquam primarius

20. *Hodie solent oblationes quæ fiunt extra altare aliis quam parocho cedere.*
21. *In quibus oblationibus hodie jus commune obtineat?*
22. *Prædicta conformia sunt Synodo Namurcensi*
23. *Si nulla circumstantia determinent usum Oblationum salvum manet jus parochi.*
24. *Oblationum administratio manet penes parochum licet in alterius usum sint impendenda.*
25. *Etiamsi administratio sit penes laicos.*
26. *Non est inconveniens oblationum administrationem esse penes laicos.*
27. *Neque per hoc impingitur in canones vetantes oblationes cedere laicis.*
28. *Quo titulo laicis possit competere administratio oblationum.*

I. OBlatio generaliter sumpta, idem sonat, quod alicujus rei non petitæ spontanea largitio. Quæ si homini fiat, *Donatio* dicitur; si Deo, magis propriè *Oblatio*: quia cum Deo, utpotè omnium Domino nihil dari queat maluerunt Canones eam largitionem *Oblationem* vocare.

Oblatio ita generaliter sumpta comprehendit & oblationes strictè dictas, & decimas, primitias & quidquid à fidelibus in usum Ministrorum Ecclesiæ Deo consecratur.

II. Verùm, modo loquendi Canonistis usitato, oblationes à Decimis distinguuntur, vocanturque *oblationes* quæ à fidelibus vel ad Altare, vel etiam extra Altare *ultrò & voluntariè* citra ullam in quantitate aut specie determinationem Deo vel Ecclesiæ dantur.

III. Itaque in hoc præcipuè Decimæ ab oblationibus discernuntur, quod decimæ partim ex jure, partim ex consuetudine soleant esse determinatæ ad certam quotam, & speciem; nec earum determinatio, & solutio Fidelium laicorum voluntati & libertati sit relicta: è contra verò, *oblationum* tam quoad quotam, quàm quoad speciem determinatio à nutu & beneplacito offerentium dependere consueverit.

IV. Vulgari hodierno loquendi usu, oblationum nomine ferè dumtaxat veniunt illa, quæ ad manum Sacerdotis inter Missarum solemnia offerri consueverunt de quarum usu & origine actum est supra titulo *5. cap. 4.*

V. Equidem dubitari nequit, quin plura alia quæ hodie à populo offeruntur sint revera *oblationes*, & nomine *oblationum* veniant, prout etiam à decimis & primitiis distinguuntur: ut puta quæ post administrata Sacramenta: aut in purificatione mulierum similibusque functionibus Pastoralibus populus offerre solet; & quæ etiam in truncis ad colligendas eleëmosynas populi expositis ponuntur; aut Matriculariis sive Magistris Fabricæ, vel mensæ S. Spiritus juxta morem in plerisque Belgicis Ecclesiis receptum, circumeuntibus per Ecclesiam, dantur: vel etiam alio modo in usum Ecclesiæ aut pauperum: v. gr. in Ecclesiis Ruralibus, in carnis ovorum, butyri, aut alterius eduli specie ipsis exhibentur: item illa quæ à visitantibus certa Oratoria vel Sacella, in quibus Imagines vulgò Miraculosæ, vel Sanctorum Reliquiæ quiescunt, ibidem vel in, vel extra Altare offeruntur. quæ omnia nomine *oblationum*, ex modo loquendi SS. Canonum & Canonistarum veniunt.

VI. Oblationes, præsertim in administratione Sacramentorum aliave functione Pastorali dari consuetas planè voluntarias & liberas esse debere ostensum est suprà *titulo 1. cap. 3.* ibique probatum, omninò vetitum esse, quidquam directè vel indirectè pro hujusmodi functionibus stipulari: sed dumtaxat permitti, ut accipiantur quæ *ultrò & liberaliter* à Fidelibus offeruntur: ac insuper quàm solicitè omnis species Simoniæ & turpis quæstus in receptione harum oblationum caveri debeat.

VII. Proventus singularum Parochiarum cedere Ecclesiæ Parochiali ejusque ministris uno consensu concludunt Canonistæ *cap. 9.* ✠ *De his quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* In quo dicitur; "Cum auctori„tate Dionysii fuerunt parochiæ limitatæ, quatenus „singularum parœciarum proventus in usus Ecclesiæ „cederent necessarios, & ministrorum.

VIII. Inter proventus verò parœciarum numerandas esse oblationes, quæ in districtu Parochiæ offeruntur, nemo negat.

Hinc ulteriùs pari consensu conficiunt Canonistæ, parochum tamquam primarium Ecclesiæ Parochialis Ministrum *de jure communi* fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quæ obveniunt infra limites suæ parochiæ: easque ei deberi, nî ostendatur vel ex voluntate offerentium, vel immemoriali consuetudine, aliove legitimo titulo ad alium spectare.

IX. Quamobrem oblationes quæ fiunt S. Imagini infrà limites Parochiæ, non ad Dominum parietis cui imago adhæret, nec ad Episcopum spectare, sed ad parochialem Ecclesiam, seu illius Rectorem post alios Canonistas tradit Fagnanus ad citatum capitulum *9.* hancque esse communem Doctorum conclusionem asserit ex Socino: "Quam, ait, etiam sæpius secuti sunt Domi„ni De Rota; ubi hæc sententia, licet fuerit olim con„troversa, tamen hodie dicitur esse receptissima.

Procedit quodque hæc conclusio in oblationibus factis Imagini existenti in aliqua Capella seu Oratorio infra limites Parochiæ: ut scilicet oblationes illæ non cedant Capellæ, sed Ecclesiæ Parochiali: quemadmodum post Abbatem aliosque veteres Canonum Interpretes docet Fagnanus loco citato *num.* 24 & Barbosa de officio Parochi *cap.* 24. *num.* 12. qui & addunt, id etiam procedere, licet oblationes essent factæ in Capellis, ubi essent erecta distincta beneficia: "Quia nihilominus Pa„rochiali Ecclesiæ, & Parocho, non Capellis aut ea„rum Capellanis oblationes cedunt.

X. Quinimò licet oblationes offerantur celebranti Capellano, aut alteri Sacerdoti in Sacello intra vel extra Ecclesiam Parochialem sed tamen infra limites Parochiæ, nihilominus cedunt Parocho, non Presbytero celebranti: "Nam oblationes faciunt Parochiani, ait „Fagnanus propter administrationem Sacramento„rum.

XI. Eodem fundamento: "Oblationes quæ fiunt „tempore Jubilæi vel anno sancto in Ecclesia Cathedra„li (ait Barbosa loco citato *num.* 27) spectant ad Ar„chi-Presbyterum ejusdem Ecclesiæ, non ad Episco„pum: nam cum Archi-Presbyter habeat curam ani„marum, & Sacramentorum administrationem, habet „per consequens de jure communi fundatam intentio„nem ad omnes oblationes, idque privativè ad Episco„pum. "Hæc Barbosa post plures ibidem allegatos Do„ctores.

XII. Cùm ergò oblationes, uti & decimæ, principaliter dari præsumantur in usum & sustentationem Sacerdotum curam spiritualem populi offerentis sustinentium, consequens est oblationes de jure communi potius Vicario *perpetuo*, quàm Pastori *primitivo* adjudicandas esse. Cura enim spiritualis populi integra & solida est penes Vicarium *perpetuum*; adeò ut quoad eam curam Vicarius *perpetuus* nomine, non re à vero Parocho distinguatur Penes verò Pastorem *primitivum* nihil de cura animarum est; sed solo penè nomine *Pastor* dicitur uti latius ostendetur titulo sequenti.

Refert quidem Renatus Choppinus. *lib. 1. De sacra polit, tit. 7. num.* 25. Parlamentum Parisiense censuisse in receptione oblationum, Pastorem Primitivum,

Vicario

Vicario ejusdem Ecclesiæ esse præferendum; sed monet Franciscus Pinsonius tract. *De Beneficiis parte 3.* § 2. „ illud decretum Curiæ non definitiva sanctione pronuntiatum, sed interim & pendente decisione appellationis tamquam ab abusu, ab ipso Vicario interpositæ à sententia Officialis Parisiensis, qua primariis Pastoribus oblationes addixerat: adeò ut inde pateat, Senatum extemporali judicio, non perpetuò jus dicere voluisse." Hæc Pinsonius; qui num. 18. addit " nam & alias, ut observavit Laurentius Bouchellus in Bibliotheca Juris gallici in verbo *oblationes*, Senatus oblationes in Ecclesia S. Salvatoris exhibitas, ejusdem Rectori seu Vicario perpetuo deberi pronuntiavit, exclusis Regularibus S Martini Campestris, licet primariis Rectoribus ejusdem Ecclesiæ, quod & hodie observatur & æquius est.

Vide etiam Le Maistre *Plaidoyé 9.* ubi latè ostendit oblationes Vicario *perpetuo* excluso Pastore *primitivo* competere: & ita judicatum pro Vicario contra Capitulum Cathedrale an. 1633 fuisse ibidem asseritur.

XIII. Hæc omnia, quæ hactenus de jure Parochi & Vicarii ad oblationes dicta sunt, procedunt *in dubio* & de *jure communi*: id est, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia ipsorum offerentium voluntate: quæ in oblationibus, utpotè ordinariè & plerumque merè voluntariis, præcipuè attendi debet: & ratione cujus frequenter oblationes ad alia loca, vel personas, quã ad Ecclesiam Parochialem aut Parochum pertinent.

XIV. Sicuti enim communi consensu Canonistarum receptum est, oblationes, attento jure Communi ad Parochum spectare: ita quoque receptum est, oblationes vi consuetudinis, privilegii alteriusve tituli: & præcipuè ex voluntate offerentium posse ad alios, quàm Parochum pertinere.

XV. Hinc infert Cardinalis De Luca *Discursu 19. De Decimis*: " Ubi expressè vel etiam adminiculariter „ & conjecturaliter constat de voluntate facientium oblationes & eleëmosynas, ut ipsi Ecclesiæ seu certis usibus applicari debeant, non autem ut ipse Rector impinguaretur, atque in privatos usus, privatamque utilitatem convertat, tunc absque dubio illa voluntas servari debet: eaque cuicumque juris dispositioni prævalet.

XVI. Ex hac verisimili offerentium voluntate, oblationes quæ colliguntur, etiam in ipsis Ecclesiis Parochialibus per magistros Fabricæ sive Æditutos, vel Magistros mensæ S. Spiritus, aliosve Magistros seu Intendentes alicujus domus pauperum, aut orphanotrophii, vel Sacelli, aut Altaris, non cedunt Parocho, sed Fabricæ, pauperibus, Sacello, aut Altari, in quorum respectivè usum sciuntur à Magistris illis, aut intendentibus peti & colligi.

XVII. Similiter, quæ offeruntur in mensis aut truncis ad recipiendas oblationes in certum usum expositis indubiè in eum usum cedunt. Cum enim populus sciat, eum in finem mensas, aut truncos esse expositos, oblationes suas in mensas illas aut truncos conjiciendo, aut reponendo, sat significat, eas velle usui designato applicari.

XVIII. Eodem ex capite, usu ubique penè receptum ut oblationes notabiles & frequentes quæ fiunt ad imagines vel reliquias alicujus Sancti, ob miracula vera, vel putativa, cedant Sacello sive Oratorio in quo imago vel reliquiæ requiescunt: " Omninò enim probabile est „ (inquit Cardinalis de Luca loco citato *num. 11.*) quod populus pro gratiis acceptis, vel speratis, ad illam imaginem recurrendo cum eleëmosynis & oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini, & frequentiùs ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & exornetur, non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo seu alteri Prælato ad privatam utilitatem.

XIX. Si oblationes fiant in Sacello quod habet speciales Mamburnos seu Magistros, qui curam Fabricæ, & ornamentorum habeant: itemque cura ut Divina ibidem Officia agantur, oblationes illæ de consuetudine non Parocho, aut Ecclesiæ Parochiali, sed ipsi Sacello, ex conjecturali offerentium voluntate, cedere solent: præsertim quæ extra Altare offeruntur.

Cum enim noverit Populus, Magistros sive Mamburnos aut intendentes istorum Sacellorum colligere eleëmosynas sive oblationes in usum Sacellorum, populus offerendo, præsumitur offerre ad intentionem colligentium.

XX. Quin & consuetudo ferè universalis habet, ut oblationes quæ vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam vel Sacella, vel ad certum Altare, aut imaginem dispositis, cedant vel fabricæ, vel ad ornatum Altaris, aut imaginis, aliumve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposita, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi & peti.

XXI. Ideoque penè de solis oblationibus quæ fiunt in Altari, & in administratione Sacramentorum, aut exequiis, vel anniversariis, sive inhumationibus defunctorum, jus aliquod Parocho competit, præsertim extra Ecclesiam suam Parochialem.

Quin & quoad has consuetudine, aliove titulo legitimo nonnumquam obtinuit, ut oblationes etiam quæ fiunt ad Altare, aut in exequiis vel anniversariis defunctorum, in Sacellis aut Ecclesiis succursalibus cedant non ipsi Parocho, sed vel celebranti, vel Presbyteris & Ministris Sacellorum aut Ecclesiarum, vel etiam Fabricæ, aut alteri pio usui.

Imò & non rarò, etiam ex oblationibus, quæ in Ecclesia Parochiali fiunt ad Altare vel extra Altare, pars aliqua cedit Fabricæ: aut interdum Canonicis, aut aliis, qui Pastores primitivos se vocant.

XXII. Hæc omnia conformia sunt iis, quæ de oblationibus leguntur in Synodo Namurcensi sub Engelberto Desbois anno 1639. *tit.* 17. "Oblationes quæ fiunt in Ecclesiis parochialibus & Capellis in iisdẽ constructis, ad eos pertineant, qui hactenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt Et ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat oblationes quæ fiunt ad majus Altare & ad Altaria dictarũ Capellarum non habentium mamburnum particularem. Si quæ verò dictarum Capellarum mamburnum habent oblationes soli Capellæ cedant, quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraternitatum oblationes illis exceptis, quæ offeruntur in Altari ad manus celebrantis tempore Missarum, quæ erunt Pastoris

XXIII. Itaque quæ de jure Parochorum ad oblationes hactenus dicta sunt, obtinent dumtaxat, quando non constat quem in usum offerentes velint suas oblationes impendi: aut saltem non constat, eos velle illas impendi in alium usum, quàm parochi, aut Ecclesiæ Parochialis.

Si verò nec circumstantiæ determinent usum, cui verisimiliter offerentes suas oblationes velint applicari: sed simpliciter ad honorem Dei, idque ex quadam recepta offerendi consuetudine offerant: uti plerumque contingit in oblationibus, quæ fiunt in officiis defunctorum: item in oblationibus quæ fieri solent ad manum celebrantis in festis solemnioribus, his & similibus casibus, Parochus de jure communi habet fundatam intentionem ad oblationes: & nisi ostendatur consuetudo aut privilegium, aliusve legitimus titulus contrarius, oblationes integræ Parocho competunt.

XXIV. Tametsi oblationes ex voluntate verisimili Offerentium frequenter in alium, quam Parochi usum impendendæ sint, nihilominus tamen & eo casu, de jure communi ipse Parochus, tamquam primarius

marius Ecclesiæ Parochialis Minister, & totius Parochiæ curam gerens, eatenus fundatam habet ad oblationes intentionem, ut earum administratio eidem competat, tametsi in alios quàm ejus privatos usus impendendæ sint.

XXV. Quinimò, etiamsi alii sint in possessione dispensationis, vel administrationis eleemosynarum, nisi eodem titulo parochus sit exclusus, unà cum aliis dispensationi & administrationi super intendendi jus habet ut scilic. quantum fieri potest, juri communi, quod parocho oblationum dispensationem concedit, propiùs inhæreatur.

Unde in præcitata Synodo Namurcensi dicitur: „Reddatur computus omnium collectarum, etiam „confraternitatum, & quocumque alio titulo vel no„mine fiunt, per Mamburnos in Ecclesia, præsente *Pa„rocho* & Magistratu loci.

XXVI Oblationum enim dispensationem, etiam ad Laicos spectare posse dubitari nequit.

Neque inconveniens est, ut harum administratio sit penes Laicos, quoniam ista, uti notat de Luca loco citato „non dicitur administratio istius juris spiritualis, cujus „laici sunt incapaces, & de qua administratione lo„quuntur S. Canones; dum illa consistit in ipso forma„li regimine, vel rectoria Ecclesiæ, vel Capellæ, cum „administratione divinorum, illorumque actuum spi„ritualium explicatione, qui nonnisi Ecclesiasticis per„sonis conceduntur, Laicis autem interdicuntur; sed „agitur de administratione temporali, prout *facti* est, „qualis est custodia tam suppellectilis, quàm bonorum „temporalium, eorumque cura est, & œconomica ad„ministratio ne dissipentur, seu in alios usus conver„tantur.

XXVII. Hactenus de Luca; qui ibidem variis exemplis ostendit, ubique usu esse receptum, ut etiam custodia Sacrarum Reliquiarum, aliarumque Imaginum & oblationum quæ ad eas conferri consueverunt, Laicis in quibusdam Capellis aut Confraternitatibus committatur: quia hic agitur solummodo de administratione œconomica & merè temporali; quæ versatur v. g. circa vestimenta & vasa sacra, ut benè custodiantur; oblationes & proventus in usus Capellæ, Altaris, aut alium, in quem ex voluntate offerentium destinatæ sunt, fideliter impendantur; nequaquam verò ut in usum laicorum cedant, quod Sacris Canonibus vetatur, eosque oblationum eatenus percipiendarum incapaces declarant.

XXVIII. Unde Joannes Tournet in suis arrestis *litt. O. cap.* 4. monet, pro certo & indubitato esse tenendum Laicos nihil posse prætendere ad oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis vel Capellis, nisi sint Matricularii, Magistri fabricæ, aut Intendentes: eo quod hæc eorum qualitas sufficienter tunc ostendat, eos non recipere oblationes in usus proprios, sed in usum Ecclesiarum fabricæ, confraternitatum, &c. quarum procurationem agunt.

TITULUS XXXIV.

De Portione Congrua Parochorum.

CAPUT I.

De Origine Pastorum Primitivorum, Vicariorum perpetuorum & Portionis congruæ.

1. *Olim laici non tantùm res temporales Ecclesiæ, sed & ipsas Ecclesias sibi vindicarunt.*
2. *Distinguebant inter Ecclesiam & Altare.*
3. *Hanc distinctionem deplorat & improbat S. Abbo Abbas Floriacensis.*
4. *Ecclesiis per laicos ad Monasteria & Capitula devolutis cœperunt & ipsa hac distinctione uti.*
5. *Ut possent sibi temporalia retinere, & aliis curam spiritualem demandare, Episcoporum consensum adhibebant, mediante aliquo censu.*
6. *Census hic vocatus* redemptio Altarium *ab usu feudorum deducta.*
7. *Decretum Synodi Claremontanæ contra hanc* Altarium redemptionem.
8. *Decretum hoc permittit Monasteriis Ecclesias Parochiales retinere quas* longo *tempore possederunt.*
9. *Eodem Decreto quasi proprietas Ecclesiarum Parochialium Monachis & Canonicis addicta.*
10. *Presbyteri per Monachos aut Canonicos Ecclesiis Parochialibus præfici sine consensu Episcoporum non poterant; & de cura animarum ipsis rationem reddere debebant.*
11. *Monachis & Canonicis dabatur præsentatio; Episcopis institutio.*
12. *Synodus Claremontana non definit, an Presbyter præficiendus debeat esse* perpetuus, *an* temporalis *Vicarius.*
13. *Monachi & Canonici malebant Vicarios temporales &* amovibiles.
14. *Episcopi ob plurima incommoda ex hac amovibilitate provenientia voluerunt Vicarios* perpetuos.
15. *Decretum Synodi Germanicæ contra Vicarios* amovibiles.
16. *Synodus Biterrensis vult ab omnibus Religiosis & Canonicis præfici Vicarios* perpetuos.
17. *Vult ut omnibus Ecclesiis Parochialibus præficiatur* proprius & perpetuus *Presbyter.*
18. *Idipsum voluit Concilium generale Lateranense.*
19. *Abusus præficiendi Vicarios* amovibiles *tempore Concilii Tridentini adhuc vigebat.*
20. *Decretum Synodi Tridentinæ de præficiendis Vicariis* perpetuis
21. *Synodus Tridentina vult præfici Vicarios* perpetuos *nisi pro bono Ecclesiarum aliud Ordinarius videatur.*
22. *Etiamsi Ecclesiæ sint unitæ quoad spiritualia, & temporalia; & licet esset contraria consuetudo* immemorialis.
23. *Edictum Regis Galliæ de Vicariis* perpetuis.
24. *Qui ab hoc Edicto excepti?*
25. *Vicarii perpetui non possunt amoveri, licet etiam moriatur Principalis.*
26. *Vicarii perpetui non sunt à Principalibus in suis titulis dependentes.*
27. *Vicaria perpetua est verum beneficium Parochiale.*
28. *In Vicarium perpetuum transit integra cura animarum: & non nisi nomine tenus est Vicarius.*
29. *Abbates, Canonici, aliique possidentes Ecclesias unitas & datas Vicariis* perpetuis *tantùm sunt nomine tenus Pastores.*
30. *Cur dicantur Pastores* primitivi.
31. *Jus primitivorum Pastorum non attingit curam animarum.*
32. *Tantùm concernit temporalia, aut jura honorifica.*
33. *Aliqua jura honorifica quæ ipsis competere possunt.*
34. *In Belgio similia jura quibusdam Ecclesiis competunt.*

35. *Jus*

35. *Jus nominandi Vice-Pastorem, Custodem, Concionatorem &c. interdum iisdem competit.*

36. *In his turbandi non sunt, dum sine praejudicio Curae animarum Vicario incumbentis iis utuntur.*

37. *Canones volentes Ecclesiis providere de Vicariis perpetuis, statuerunt iis dandam sustentationem ex bonis Ecclesiae.*

38. *Hinc origo portionis congruae.*

I. Titulo praecedenti *capite* 3. ostendimus, quod seculo 8. & sequentibus decimae passim à laicis fuerint occupatae, vel etiam *in feudum* concessae; quin & illud constat, quod non tantùm decimas aliasque res temporales sibi attribuerent; sed etiam ipsas Ecclesias & *Altaria* sibi vindicarent; eaque & jure hereditario ad heredes transmitterent: ipsique heredes Altaria sive Ecclesias in tot partes dividerent, quot erant heredes; ita ut pro numero heredum, etiam plures Presbyteri qui Ecclesiis deservirent, instituerentur. Imò non secus ac res temporales venum exponerentur.

Hinc illud S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis libro *De Dispensatione rerum Eccles. cap.* 15. "Nunc non „solum possessiones Ecclesiasticae, sed ipsae etiam Eccle-„siae cum possessionibus venumdantur. "Plura de hoc abusu legi possunt apud Franciscum Florentem in Cõmentario ad *Cap.* 1. *&* 2. *de Jure Patronatus*; ostenditque ex antiqua Collectione Decretalium, decisionem horum Capitulorum ad hunc abusum spectare.

II. Ne autem Sacramentorum administratio aliarumque functionum Sacerdotalium persolutio à laicis ipsarum Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est quaedam nova distinctio inter *Ecclesiam & Altare*: ut nimirum Ecclesia comprehenderet omnia temporalia; haecque penes *laicos* remaneret: *Altare* verò Sacramentorum administrationem caeterarumque functionum Sacerdotalium persolutionem; hancque Presbyteris aliquibus committebant.

III. De hac distinctione saeculi 11. ad Reges Galliae Hugonem & Robertum scripsit S. Abbo Floriacensis Abbas; eamque distinctionem ut gravissimum errorem arguit: "Certè charissimi Principes (ait) nec catholicè „loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, il-„le alteram dicit esse suam, Ac veluti quaedam jumenta „comparati jumentis insipientibus, utrasque aliquando „venales proponimus, propositas ab aliis emere non „formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo „fertur *Altare* esse Episcopi, & *Ecclesiam* alterius cu-„juslibet domini: cum ex domo consecrata & altari u-„num quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia: sicut unus „homo constat ex corpore & anima. Videte aequissimi „principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit ca-„ritas.

IV. Dum autem successu temporis è laicorum manibus, Ecclesiae ad Monasteria & Canonicorum Collegia pervenerunt; atque illis tam quoad temporalia & spiritualia incorporatae; coeperunt quoque nonnulla Monasteria, & Canonicorum Collegia, exemplo laicorum à quibus eas acceperant, *Ecclesiam* ab *Altari* dividere: & Ecclesiam seu decimas aliaque jura temporalia sibi reservantia, *Altare* sive spiritualium curam Presbyteris quibusdam demandare.

V. Ut autem hac auctoritate liberius ac securius uterentur, licentiam committendi curam spiritualium alicui Presbytero, retentis sibi temporalibus, ab Episcopis impetrabant mediante aliquo censu pecuniario Episcopis praestando, in *Vicariorum* mutatione, seu in mutatione Presbyterorum illi curae praeficiendorum, in signum nimirum recognitionis, quod *Altaria* illa de consensu & liberalitate Episcoporum tenerent.

VI. Censuum illorum pensitatio dicebatur *redemptio Altarium* (uti titulo praecedenti *cap.* 4. notatum est) idque, ut apparet, ex usu feudorum, qui habet, ut Domino directo certa pecunia sive jus *relevii* solvatur, quoties novus vasallus investitur.

VII. De hac Altarium redemptione extat sub nomine Urbani II. Decretum apud Gratianum *Caus.* 1. *quaest.* 3. *Can.* 4. "Quaesitum est de Episcopis qui Altaria mona-„steriis data frequenter redimi compellebant pecunia: „quia quidem simoniacae pravitatis usus in Galliarum „partibus jam diutius inolevit, ut Ecclesiae, vel decimae „(quae vulgari vocabulo apud eos *altaria* nuncupan-„tur) Monasteriis datae, saepius ab Episcopis sub pallia-„ta avaritia vendantur: mortuis nimirum, seu mutatis „clericis, quos personas vocant. Nos auctore Deo ve-„nalitatem omnem tam ex rebus, quam ex ministeriis „Ecclesiasticis propellentes, hoc ulterius fieri auctorita-„te Apostolica prohibemus, sicut etiam praebendas om-„nes venumdandas interdicimus. Porrò quaecumque „altaria, vel decimas ab annis triginta, & supra sub hu-„jusmodi redemptione possedisse monasteria noscun-„tur, quietè deinceps, & sine molestia qualibet eis possi-„denda firmamus. Salvo utique Episcoporum censu „annuo, quem ex iisdem altaribus habere soliti sunt.

Ad hunc Canonem notant Correctores Romani: „In summis Capitulorum Concilii Claremontensis ha-„biti Alverniae *cap.* 6. haec leguntur, quae ad caput hoc „spectare videntur: Ut Altaria congregationibus Ca-„nonicorum, vel Monachorum per personas data, mor-„tuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, „nisi fuerint illis per eorum scripta vel privilegia con-„firmata.

VIII. Ex his Decretis patet quidem, *redemptiones* illas *altarium* parum placuisse Synodis illis: nihilominus permisisse, ut *Altaria* quae Monasteria longo tempore sub hujusmodi redemptione possedisse noscuntur, aut per Episcoporum scripta & privilegia illis confirmata fuisse, pacificè & quietè retinere sinantur: *salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem Altaribus habere soliti sunt.*

IX. Itaque rectè advertit Petrus De Marca in notis ad Canonem 7. Concilii Claremontani, quod ex hoc Decreto jam relato. "Illud consecuti sint Canonici & „Monachi, ut *altarium*, sive Ecclesiarum quasi proprie-„tas, adempta Personarum substitutione, illis addicta „sit absque ullius pensitationis onere.

Hinc videmus quod seculo 12 & sequentibus passim liberum fuerit Monasteriis & Capitulis nominare Presbyteros, qui curam animarum sustinerent: temporalibus sibi retentis.

X. Haec tamen privilegia ita concedebantur, ut hos Presbyteros sine Episcoporum consensu instituere non possent, illique Presbyteri de cura animarum Episcopis, de temporalibus autem ipsis Abbatibus rationem exhiberent: quemadmodum apud Gratianum *Caus.* 16 *q.* 2. *Can* 6 declarat dicta Synodus Claremontana: "Sanè „quia Monachorum quidam Episcopis jus suum au-„ferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ec-„clesiis, quas tenent, absque Episcoporum consilio Pres-„byteros collocent, sed Episcopi Parochiae curam cum „Abbatum consensu sacerdoti committant: ut ejusmo-„di sacerdotes de populi quidem cura Episcopis ratio-„nem reddant; Abbati verò pro rebus temporalibus ad „monasterium pertinentibus debitam subjectionem „exhibeant: & sic sua cuique jura serventur.

Apud Gratianum dein additur ex eadem Synodo: „In Parochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos „instituantur, qui eis respondeant de animarum cura, „& his quae ad Episcopum pertinent.

XI. Sensum hujus Decreti esse, quod Monasteria & Capitula haberent praesentationem Presbyterorum, qui

qui Ecclesias Parochiales in spiritualibus regerent: Episcopis autem competeret eorumdem Presbyterorum approbatio & institutio, ex ipso Decreto haud obscurum est ipseque Urbanus II. qui huic Synodo præfuit, clariùs expressit in epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem edita in Bibliotheca Cluniacensi *pag. 520.* in qua inter cætera hæc leguntur; "Liceat quoque vobis seu fratribus in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere, ita tamen ut ab Episcopis, vel ab Episcoporum Vicariis animarum curam absque venalitate suscipiant.

XII. Hic Canon non determinabat, num Presbyteri ad curam spiritualem destinandi, deberent esse *perpetui*, an sufficeret presbyterum aliquem conductitium, & ad *nutum amovibilem* præficere.

XIII. Et quidem cum Presbyteri illi conductitii & ad nutum amovibiles, magis à Monasteriis & Capitulis dependerent, atque propterea iis magis complacere studerent, & paucioribus subsidiis temporalibus essent contenti; maluerunt Monasteria & Capitula hujusmodi conductitiis & ad nutum amovibilibus presbyteris curam animarum demandare.

XIV. Verùm Episcopi considerabant, quod hi conductitii Presbyteri magis studerent, ut illis, à quibus dependebant, complacerent, quàm ut Parochiam in spiritualibus debitè regerent; ac insuper plurima alia incommoda ex amovibilitate & mutatione Presbyterorum in Regimine Ecclesiarum profluerent; quin & hinc contingeret, quod passim Ecclesiæ proprio & vero Pastore & Parocho destituerentur.

Quapropter decreverunt, ut juxta veterem disciplinam, unicuique Ecclesiæ Parochiali suus proprius & *perpetuus* Presbyter præficeretur; utque talem Monachi ac Canonici Ecclesiis Parochialibus sibi incorporatis præficiendum præsentarent, Synodalibus Decretis edixerunt.

XV. Synodus Germanica anno 1225. celebrata Moguntiæ, uti notat Labbeus, sub præsidio Conradi Episcopi Cardinalis Portuensis, & sanctæ Rufinæ, Sedisque Apostolicæ Legati, deplorat, *Can.* 12. quod "enormis „ quædam consuetudo in quibusdam Almaniæ partibus „ contra *Canonicas* Sanctiones invaluit, ut ponantur in „ Ecclesiis *conductitii* Sacerdotes *Vicarii temporales*. Ne „ id fiat de cætero (ait) Legatus auctoritate Legationis „ qua fungimur omnibus modis inhibemus. Sed cum „ Vicarius poni debet & potest, *perpetuò* instituatur idque assensu & auctoritate Diœcesani & Archidiaconi „ loci illius.

XVI. Concilium Biterrense anno 1233. *Can.* 11. „ Omnibus Religiosis, Capitulis & aliis Personis, qui tenent Ecclesias Parochiales, ad eorum donationes spectantes districtè præcipit, quatenus usque ad festum „ omnium Sanctorum proximè venturum, suis diœcesanis Episcopis Rectores, seu *perpetuos* vicarios, & idoneos vita & scientia, ad easdem Ecclesias repræsentent, „ ut ab eis curam recipiant animarum.

XVII. Et *Can.* 12. generaliter statuit, ut in omnibus Ecclesiis sit unus *perpetuus* Sacerdos: "Volumus igitur „ & districtè præcipimus, ut quælibet parochialis Ecclesia proprium habeat & *perpetuum* sacerdotem, qui „ personaliter deserviat in eadem.

XVIII. Infiniti sunt Conciliorum Canones, qui idipsum decreverunt, conformiter ad Concilium Lateranense sub Innocentio III. quod voluit, ut si Ecclesia Parochialis aliqua annexa sit majori Dignitati, ut qui eam obtinet nequeat Parochiali Ecclesiæ *personaliter* deservire "in ipsa Ecclesia Parochiali idoneum & *perpetuum* „ habeat Vicarium canonicè institutum. "*Cap.* 30. „ *De Præbendis.*

XIX. His omnibus Decretis nequaquam abusus ille extirpari valuit; adeo ut de *conductitiis* hisce Sacerdotibus, qui Ecclesiis incorporatis Monasteriis & Capitulis præficiebantur, summopere conquesti sint Principes Germaniæ sub initium elapsi seculi; uti patet ex *articulo 86.* inter *gravamina* eorū nomine Adriano VI. exhibita.

XX. Unde Synodus Trid. huic tandem abusui efficaciter occurrere volens statuit *Sess. 7. cap. 7. De Reform.* „ Beneficia Ecclesiastica Curata, quæ Cathedralibus, „ Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel monasteriis, beneficiis, seu Collegiis, aut piis locis quibuscumque perpetuò „ unita & annexa reperiuntur, ab Ordinariis locorum „ annis singulis visitentur, qui solicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam *perpetuos*, nisi „ ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine aliter „ expedire videbitur, animarum cura laudabiliter exerceatur.

XXI. Evidens est ex verbis Decreti, votum & mentem Concilii fuisse, ut Ecclesiis Parochialibus unitis Monasteriis vel Capitulis præficeretur Vicarius *perpetuus*; nec non ut Episcopi solicitè providere procurent, ut per Vicarios *perpetuos* cura animarum exerceatur; nequaquam verò per Vicarios *amovibiles*; nisi in particulari casu ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum ita expedire videbitur.

XXII. Decretum hoc habere locum in Beneficiis unitis mensæ quoad spiritualia & temporalia, ex mente & verbis Concilii, quod generaliter loquitur, rectè notavit Garcias de Beneficiis *parte 11. cap. 2. num. 6.* asseritque ita S. Congregationem declarasse.

Similiter derogasse Concilium consuetudini immemoriali deserviendi per Vicarios *amovibiles* notat ibidem *n. 7.* testaturque id à S. Congregatione declaratum.

XXIII Ut Decretum Synodi Tridentinæ plenum sortiretur effectum anno 1686. Regio Edicto in Gallia cautum fuit, ut omnibus Ecclesiis Parochialibus præficeretur Vicarius *perpetuus*; Verba Edicti sunt: *Que les Cures qui sont unies à des Chapitres ou autres Communautez Ecclesiastiques, & celles où il y a des Curez primitifs, soient desservies par des Curez ou des Vicaires perpetuels qui seront pourvus en Titre, sans que l'on y puisse mettre à l'advenir des Prestres amovibles sous quelque pretexte que ce puisse estre.* Id est, Ut Pastoratus uniti Capitulis aliisve Collegiis Ecclesiasticis, iisque ubi sunt Pastores primitivi, administrentur per Curiales aut Vicarios perpetuos in titulum provisos, nec constituendos in posterum Sacerdotes qui amoveri possint, quæcumque facto causa obtendatur.

XXIV. Verùm postmodum ad supplicationem Canonicorum Regularium declaratum fuit, illo Edicto non comprehendi Ecclesias Parochiales incorporatas Monasteriis & Communitatibus, quibus ipsæ communitates per suos presbyteros deserviunt: uti refert Michael Du Perray in tractatu *De Portione congrua parte 2. cap. 25.* additque: *Ces Communautez sont les Chanoines Reguliers de l'Ordre de saint Augustin les Premonstrez, les Prestres de l'Oratoire, & les Prestres Missionaires. Ils ont obtenu Des arrests du Conseil, par lesquels ils sont conservez dans leur ancien droit de commettre aux Cures fondées dans les Eglises des Abbayes de leur Congregation ou Communauté, quand elles sont unies à la Mense Capitulaire, & dont l'union a esté confirmée par Lettres Patentes.*

Ils sont aussi conservez dans la profession en laquelle ils sont de faire desservir les Cures par des Prestres AMOVIBILES *approuvez par des Evêques & Archevêques, si les Cures sont possedées de cette maniere de temps immemorial, ausquelles les Abbez & Chapitres presentent ou conferent selon qu'ils auront le droit de le faire.* Id est. Hæ Communitates sunt Canonici Regulares S. Augustini, Præmonstratenses, presbyteri Oratorii & Missionum. Senatus Decreta obtinuerunt quibus jus suum prisci usus asseritur, committendi ad Pastoratus fundatos in Ecclesiis Abbatialibus, Communitatis aut Congregationis

tionis suæ, modò uniti sint mensæ Capitulari, unioque fuerit confirmata per litteras patentes.

Servatum est insuper jus possessionis ipsorum quâ Pastoratus curant administrari per Sacerdotes quos amovere possint, ab Episcopis & Archiepiscopis approbatos, si talis Pastoratuum possessio fuerit omni memoria antiquior, ad quos Abbates aut Capitula præsentant, aut conferunt, prout faciendi jus ipsis erit.

XXV. Hi Vicarii *perpetui* ab Episcopo instituti, non secus atque alii Parochi & Beneficiati, eatenus sunt *perpetui*, ut non possint, nisi Canonicè & servato juris ordine amoveri. Et uti rectè monet Rebuffus in Praxi Beneficiorum titulo De *Vicariis perpetuis num.* 15. Vicarius perpetuus removeri non potest, etiamsi Rector principalis moriatur.

XXVI. Licet enim hujusmodi Presbyteri Parochiis præfecti dicantur *Vicarii*, nullatenus tamen dependent à suis Principalibus, quemadmodum mãdatarii à mandantibus, aut delegati à delegantibus; sed titulum habent per se subsistentem; imò, uti supra *tit.* 18. *cap.* 1. *num.* 25. dictum est, non potest institui Vicarius perpetuus, nisi prius per Episcopum erecta Vicaria *perpetua*.

XXVII. Vicaria autem *perpetua* est verum Beneficium æquè ac verus Pastoratus; daturque Vicario in *titulum*, uti post Rebuffum communi consensu tradunt Canonistæ: "& jura loquentia in Beneficiis habent locum „in Vicariis perpetuis; etiam illa quæ loquuntur in Pa„rochialibus, habent etiam locum in his Vicariis, "ait Rebuffus *n.* 14. & sat apertè decisum est in *Clementina unica De Officio Vicarii*. Adde Concilium Toletanum anni 1565. *actione* 2. *Decreto* 24.

XXVIII. Itaque in Vicarios perpetuos transfertur omnis planè cura animarum; eamque æquè ac alii Parochi tenent & exercent jure sui *tituli*, nec jure delegato, sed jure ordinario. Itaque non nisi nomine tenus appellantur Vicarii; quod nomen eis adhæsit ex hoc quod Ecclesiæ etiam quoad spiritualia unitæ fuerint Monasteriis, Capitulis aliisve; quæ spiritualium illorum curam Presbyteris, qui ipsorum nomine eam exercerent, demandarunt.

XXIX. Sicuti autem ipsi Vicarii *perpetui* tantum nomine tenus sunt *Vicarii*, eò quod revera jure proprio curam animarum exerceant; ita & Abbates, Canonici aliique qui Ecclesias sic unitas possident, *Pastores* non re, sed nomine sunt: eò quod omnis functio Pastoralis sive cura animarum ab ipsis ablata sit & in Vicarios *perpetuos* translata.

XXX. Unde tandem cœperunt dici *Pastores* non simpliciter, sed cum addito, *Primitivi*: quo significatur, eos *primitus* possedisse Ecclesias illas tamquam Monasteriis, Capitulis aut Dignitatibus suis unitas; atque tandem quoad *spiritualia* Vicariis *perpetuis* esse datas; ipsa tamen Ecclesia Parochiali quoad temporalia penes ipsos remanente.

XXXI. Jus igitur *primitivorum* Pastorum nequaquam spectat curam animarum: imo nequidem eo titulo administrationi Sacramentorum, aut alteri functioni Pastorali se immiscere possunt: neque ab hac functione Pastores *Primitivi* dicuntur. Quod vel inde manifestum est, quod jus illud Primitivi Pastoris etiam communitatibus mulierum, & virorum laicorum competat uti benè annotat Le Maistre *Playdoye* 9.

XXXII. Temporalium autem quæ penes primitivos Pastores remanere solent, præcipuè solet esse decimarum perceptio: ac interdum jura aliqua honorifica, quæ tamen ipsam curam animarum nullatenus attingunt.

Unde Ludovicus XIII. in sua ordinatione anno 1629 art. 12. declaravit, quod posthac Monasteria, Capitula seu Cathedralia, seu Collegiata, quibus Ecclesiæ Parochiales fuerunt unitæ, non possint prætendere ulla jura in supra dictis Ecclesiis nisi *honoraria*. Habetur vol. 2. Actorum Cleri Gallicani.

XXXIII. Conformiter ad hanc ordinationem anno 1630 judicatum fuit, quod Prior cujusdam Monasterii Ordinis S Benedicti, in qualitate Pastoris *Primitivi* posset in Ecclesia Parochiali, cui Presbyter Sæcularis in qualitate *vicarii perpetui* deserviebat, quatuor anni solemnioribus Festis Divinum Officium facere, & cum Stola incedere: omnesque oblationes, quæ diebus illis fierent, recipere: ac deinde totius anni decursu, obtinere primum locum in Choro, & supplicationibus, & inhumationibus mortuorum: quibus quandocumque vellet assistere posset: atque tunc gaudere distributionibus, quemadmodum reliqui ejusdem Ecclesiæ Presbyteri: hac tamen cautione, quod nec in dictis solemnitatibus, nec alio quoquam tempore functionibus ullis Pastoralibus se immiscere posset. Refertur in libro cui titulus: *Conferences des Ordonnances* tom. 1. lib. 1.

Similiter anno 1654. per sententiam Senatus Parisiensis, Pastori Primitivo adjudicata fuit Facultas cantandi in Ecclesia Parochiali integrum Officium Divinum; unaque percipiendi integras oblationes in festo Assumptionis & Purificationis B. Mariæ, & quatuor aliis præcipuis anni solemnitatibus.

XXXIV. Usu quoque passim in Belgio obtinuit, ut Capitula Canonicorum, quædam hujusmodi jura honorifica, quæ Curam animarum non attingunt, in Ecclesiis Parochialibus, præsertim quæ in ipsa civitate sunt, reservaverint. Ut exempli gratia, quod certis diebus Vicarii perpetui earum Ecclesiarum debeant accedere ad Ecclesiam Canonicorum, Officio Divino, aut supplicationi unà cum suo Clero & Cruce assistere: quibusdam diebus ad Capitulum accedere, ut monitiones Decani, qui & ipsorum Pastor solet esse excipiant.

XXXV. Nonnullis quoque Capitulis titulo *primitivi* pastoris remansit jus nominandi Vice-Pastorem, Custodem vel Matricularium: item subinde jus nominandi Concionatorem pro Adventu & Quadragesima aliaque similia jura: in quorum possessione facilè turbandi non sunt, præsertim si à tempore *immemoriali* in pacifica possessione fuerint.

XXXVI. Ita tamen Capitula hisce juribus uti debent, ut integram Parochiæ curam & regimen animarum Vicario *perpetuo* permittant; neque illum in functionibus suis pastoralibus turbent.

Unde si Vicarius *per se* in adventu vel Quadragesima concionari velit, eatenus cessabit jus primitivi pastoris nominandi concionatorem: quemadmodum anno 1644 pro plebano Ecclesiæ Collegiatæ & parochialis S. Petri Lovanii, contra quosdam ejusdem Ecclesiæ Canonicos Pastores primitivos judicavit Senatus Brabantiæ. Ut *parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 8 notatum est.

XXXVII. Non tantùm soliciti fuere Episcopi & Synodi, ut Ecclesiis parochialibus, quæ Monasteriis & Capitulis erant incorporatæ, Vicarii *perpetui* præficerentur, sed vel præcipuè curabant, ut ex temporalibus proventibus illarum Ecclesiarum tantùm relinqueretur, unde Vicarius honestam sustentationem habere, & alia onera sustinere posset.

Nonnulli enim habentes Ecclesias parochiales suis Monasteriis, Capitulis aut dignitatibus unitas, presbyteris earum servitiis deputatis relinquebant adeò exiguam portionem, ut ea non possent congruè sustentari; unde fiebat, ut in illis regionibus penè nullus inveniretur Sacerdos parochialis, qui ullam vel modicam habere peritiam litterarum. quemadmodum deplorat Concilium Lateranense sub Innocentio III. unà statuens, "ut (consuetudine qualibet Episcopi vel patroni, seu „cujuslibet alterius non obstante) portio presbyteris „ipsis sufficiens assignetur. "*Cap.* 30. ✠ *De Praebendis*.

Quin & in omnibus Decretis tum Synodorum, tum Episcoporum, quibus urgetur deputatio presbyterorum qui Curam animarum in parochiis unitis subeant, etiam præcipitur, ut ex temporalibus Ecclesiarum sufficiens portio Presbyteris assignetur. Quin & Alexander III, scribens Episcopo Wigoriensi, eidem mandat, ut " „ ad præsentationem Monachorum nullum recipiat, ni- „ si (ait) tantum ei de proventibus Ecclesiæ coram te „ fuerit assignatum, undè jura Episcopalia possit persol- „ vere, & congruam sustentationem habere. " *Cap.* 12. *De Prabendis*. Canones & Decreta hanc portionis assignationem urgentia in decursu hujus tituli plura exhibenda erunt.

XXXVIII. Sicuti ergo ex incorporatione Ecclesiarum quoad *spiritualia* originem habent Vicarii *perpetui*, & Pastores *primitivi*, ita ex incorporatione Ecclesiarum quoad *temporalia*, ac præsertim quoad *decimas*, originem habuit portio *congrua*; quomodo eam vocat Pontifex in *Cap.* 4. *De Regularibus in* 6. quasi *congruens* illi cui assignatur; id est, proportionata ejus necessitatibus. Quare & subinde *sufficiens* dicitur; & in *Cap.* 2. *De Decimis in* 6. vocatur *portio* COMPETENS; atque hinc forsan fluxit ejus nomenclatura apud Belgas notissima, scilicet, *Competentia Pastoralis*, quæ omnia diversa nomina idem significant, nimirum portionem debere esse *sufficientem* ut cura animarum sustineatur; uti in sequentibus dicetur.

CAPUT II.

Quæ in taxatione Portionis congruæ attendenda.

1. *Portio congrua debet esse sufficiens sustentationi Vicarii, & sustinendis oneribus Parochia.*
2. *Hac sufficientia multum dependet ab arbitrio judicis.*
3. *Synodus Trid. taxationem committit judicio Ordinarii.*
4. *Nonnunquam determinata fuit hac portio; sed non fuit stabilis.*
5. *Synodi Belgica mutationem illius indicant.*
6. *In Gallia frequenter circa hanc taxationem variatum.*
7. *Tempus & locus in hac taxatione attendi debent.*
8. *Pauperum numerus attendendus.*
9. *Item multitudo Parochianorum.*
10. *Copia decimarum qua in Parochia colliguntur attendenda.*
11. *Non tantum Parochi, sed parochia ratio habenda.*
12. *Si Parochia in cura animarum requirat plures Sacerdotes, eorum ratio habenda.*
13. *Id requirit Synodus Tridentina.*
14. *Ex mente Synodi Trid. non erit congrua, si illis Sacerdotibus non sufficiat.*
15. *Id conforme Canonibus exigentibus portionem* congruam.
16. *In taxatione portionis congrua Sacerdotum necessariorum rationem habendam docent Canonista.*
17. *Potest Vicarius occasione horum Sacerdotum petere augmentum portionis.*
18. *An ipsi Sacerdotes possint eam* per se *petere?*
19. *Quid Parochus in hac petitione augmenti probare debeat.*
20. *Non judicandum ex consuetudine, nec aliquorum praxi, quot Sacerdotes requirantur.*
21. *Neque ex facto Pradecessorum Parochi augmentum petentis.*
22. *Sedulo inquirendo frequenter reperiretur in Parochiis defectus Sacerdotum.*
23. *Attendere debent Decimatores ne sanguis animarum ab ipsis requiratur.*

I. Quantumvis Canones de hac congrua portione loquentes, non eisdem verbis eam exprimant, in hoc tamen omnes conveniunt, quod tanta esse debeat, ut sufficere queat, ut „ exinde Vicarii sive Recto- „ res Ecclesiarum Parochia- „ lium competentem susten- „ tationem habere, & Episcopalia jura solvere valeant, „ aliaque debita onera supportare, " uti loquitur Alexander IV. *in Cap.* 1. §. 1. *De Decimis in* 6. vel ut Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *De Reformat.* exprimit: „ Tantum redigatur, quod Rectoris ac Parochiæ necessitati decenter sufficiat.

II. Porrò cum hæc sufficientia à temporum, personarum & locorum diversitate plurimùm dependeat; neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex plurimis factis frequenti mutationi obnoxiis judicandum sit, necesse est, ut determinatio portionis congruæ sive competentiæ pastoralis, arbitrio judicis fiat: qui omnibus ritè expensis, statuat quid hic & nunc sustentationi presbyterorum & parochiæ necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

III. Unde Synodus Tridentina noluit determinare portionem Vicariorum etiam perpetuorum, sed " cum „ tertiæ partis fructuum, aut *majori* vel *minori arbitrio* „ ipsorum Ordinariorum, portione, etiam super re certa „ assignanda, ibidem deputandos voluit, quo animarum „ cura laudabiliter exerceatur. *Sess.* 7. *cap.* 7. *De Reform.*

IV. Verum quidem est, per Synodos, Pontifices, atque etiam auctoritate Regiâ, subinde determinatum fuisse, quantum Vicariis Ecclesiarum Parochialium in congruam portionem assignari oporteret; nequaquam tamen hæc determinatio ita generalis & *stabilis* fuit, quin ob certas temporum, locorum aut personarum circumstantias judici fas fuerit, interdum ab ea aliquantulum recedere; si viderit per determinatam portionem Parochi & Parochiæ necessitati decenter non satisfieri, nec sufficienter provideri, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

V. Hinc Synodus Mechliniensis anno 1570. taxata portione congrua seu canonica addit, *moderatione tamen Episcopi semper salva*. Et altera Synodus sub Hovio, determinata portione congrua ad 50. libras grossorum Flandriæ, addit: *Nisi Episcoporum judicio Parochiæ amplitudo aliquid amplius ultra* 50 *libras requireret.*

VI. Observat quoque Franciscus Pinsonius post Brodæum ad Lovetium *Litt. D. num.* 8. & 60. quod " hæc „ portio, jure gallico, diversam habuit taxationem. Pri- „ mum enim (ait) Constitutione Caroli IX. Regis Gal- „ liæ ad 120. libras omni onere liberas reduceretur, in- „ de variis Curiæ placitis primum ad 150. producta, de- „ inde ad 200. & tandem mercium pretiis excrescenti- „ bus, substractis ubique vitæ subsidiis, ad 300. portionis „ congruæ assignatio excrevit. " Adde Edictum an. 1686.

VII. Cum itaque portionis congruæ determinatio à judicis arbitrio plurimùm dependeat; primò attendere debet judex tempus & locum.

Nec enim ambigi potest, quin portio uno tempore & loco sustentationi Parochi, & Ecclesiæ necessitati sufficiens esse, queat, quæ alio tempore & loco ob raritatem, & caritatem annonæ minimè sufficeret.

" Unde in Regionibus, in quibus est frumenti & vini „ caritas, & portio congrua in pecunia assignatur (in- „ quit Rebuffus) magis augeri debet portio, quàm in „ locis, ubi adest frumenti & vini abundantia. " *De Portione cong.*

VIII. Præterea attendenda est Parochiæ amplitudo, nec non & Parochianorum multitudo; inter quos frequenter nec copia pauperum deest, quorum indubiè & ratio-

rationem habendam esse communiter docent Canonistæ ad *Cap.* 12. *X. De Præbendis*, ubi Alexander III. conqueritur de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum in tantùm gravant, ut *hospitalitatem* tenere non possint nimirum respectu pauperum, uti ad citatum Capitulum advertit Glossographus dicens, ad eam teneri Clericos, *quia quidquid habent Clerici, pauperum est.*

Unde Rebuffus in citato tractatu quærens quæ in constituenda portione congrua considerari debeant, ait *num.* 71. " Sextò, præcipuè ratio *hospitalitatis* haberi de„ bet: & Beneficii locus considerari, an sit frequens *pau*„ *perum* accessus.

IX. Legitur quod in causa *competentiæ* Pastoralis inter Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Reves, & Abbatissam d'Annyvers Senatus Brabantiæ per sententiam interlocutoriam 16. Jan. 1676. injunxit Pastori, ut exhiberet numerum familiarum, & Communicantium suæ Parochiæ, priusquam super portione congrua pronuntiaretur.

X. In portionis hujus taxatione meritò quoque attenduntur proventus ipsius Ecclesiæ Parochialis, quemadmodum rectè notat Rebuffus *num* 69. Si enim Parochiani magnam *decimarum* copiam pendant, idque primariò ut succurratur eis, qui curam ipsorum in spiritualibus agunt; æquum planè est, ut hi etiam liberalius de illis participent: maximè cum decimæ, quarum hæc portio pars quædam est; jure communi ad Parochos pertineant: adeoque per liberaliorem portionis assignationem, ipsæ decimæ nonnisi pro majori aliqua parte ad naturales suos Dominos quodammodo reducantur.

XI. Non tantùm ipsius Vicarii perpetui ratio habenda; sed etiam ipsius Parochiæ: id est, ut portio congrua tanta sit, ut non tantùm ipsius Vicarii necessitatibus; sed & *Parochiæ necessitati* sufficiat, uti loquitur Synodus Tridentina; vel ut dicit eadem Synodus *Cura animarum laudabiliter exerceatur.*

XII. Si ergo latitudo Parochiæ, aut Parochianorum numerus exigat plures Sacerdotes, ut *cura animarum laudabiliter* exerceatur, portio congrua non tantùm congruere debet necessitatibus & sustentationi ipsius Vicarii perpetui; sed & horum Presbyterorum, qui requiruntur; ut Cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

XIII. Vult Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 4. *De Reformat.* ut " Episcopi etiam tamquam Sedis Aposto„ licæ delegati, in omnibus Ecclesiis Parochialibus & „ Baptismalibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut „ unus Rector non possit sufficere Ecclesiasticis Sacra„ mentis administrandis, & cultui divino peragendo, „ cogant Rectores, vel alios ad quos pertinet, sibi tot Sa„ cerdotes ad hoc munus adjungere, quot sufficiant ad „ Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebran„ dum.

Si Rectori seu Parocho incumbat sibi tot Sacerdotes adjungere, quot Sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum celebrandum, ea debet esse congrua portio, sive competentia, quæ oneri illi sustinendo sufficiat; id est, sufficiat tot Sacerdotibus intertinendis.

XIV. Et quomodo ex mente Synodi Tridentinæ erit congrua sive sufficiens, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur, si non sufficiat tot Sacerdotibus sustentandis, quot requiruntur ad Sacramenta exhibenda, aut cultum Divinum celebrandum; cum cura animarum præcipuè consistat in convenienti & debita administratione Sacramentorum; & ut ad ea suscipienda populus convenienter instruatur & disponatur: quod sine pluribus Sacerdotibus frequenter in una Parochia fieri nequit.

Adhæc dum Ecclesia adeò solicitè inculcat, ut ex decimis, proventibusque Parochialium Ecclesiarum incorporatarum ante omnia detur congrua portio Vicariis, qui curam Ecclesiarum sustinent, quid, quæso, aliud „ intendit, quàm providere, ne per Ecclesiarum Parochialium incorporationem, defectu temporalium, animarum cura negligatur; desintque presbyteri, qui Parochianis spiritualia ministrare sufficiant? Igitur ex mente Ecclesiæ incorporantis Ecclesiarum parochialium proventus est, ut ex illis portio assignetur quæ non tantum uni Parocho aut Vicario sit sufficiens, sed tot presbyteris sufficiat, quot ad animarum curam laudabiliter exercendam, & parochianis spiritualia administranda sunt necessarii.

XV. Itaque in taxatione congruæ portionis indubiè attendi debet, num ipse Vicarius *perpetuus* sive Parochus indigeat uno aut pluribus Sacerdotibus, qui secum laborent, ut *cura animarum* in illa Parochia laudabiliter exerceri queat.

XVI. Unde Rebuffus inquirens, quæ in hac taxatione attendi debeant, ait *num.* 61. " Si Vicarius uno „ indigeret Sacerdote vel pluribus propter Ecclesias ac„ cessorias, quas *succursus* vocant, tunc rationem illo„ rum judex habere debet; & omninò numerus persona„ rum necessarium considerari in portione congrua so„ let. " Et supra citatum Edictum Regium de anno 1686. expressè vult haberi rationem in constituenda portione congrua, Vice-pastoris, aut Vice-Pastorum, qui Vicario *perpetuo* judicabuntur necessarii, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

XVII. Potest ergo Parochus sive Vicarius perpetuus petere augmentum portionis congruæ, tametsi hæc quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis & cultu divino celebrando, ob multitudinem parochianorum, aut latitudinem parochiæ adjungere debet.

Cum enim ipsi principaliter & immediatè cura animarum totius Parochiæ incumbat, ac propterea ipsius sit, Presbyteros sibi adjungere, qui ad curam animarum debitè & laudabiliter exercendam requiruntur, etiam ad ipsum præcipuè spectat portionem congruam petere, quâ parochiæ necessitati satisfieri queat.

XVIII. Hinc judicatum refert Joannes Tournet litt. P. *Capite* 119. Parochum teneri Ecclesiæ succursali assignare Presbyterum, qui illi deserviat; sed Decimatores illi Presbytero nequaquam ad portionem congruam teneri; neque Presbytero jus esse eam petendi, at eam soli Vicario perpetuo sive parocho assignandam, qui eam presbytero seu Capellano communicet, sive distribuat: Si tamen ipse Vicarius vel in adjungendis presbyteris, vel in assignanda aut petenda ipsis congrua portione esset negligens, possent Episcopi, vel parochiani aut etiam presbyteri ipsi, eo casu ejus negligentiam supplere, uti infra latius exponetur.

XIX. Parochus postulans portionis congruæ augmentum, ut plures sibi presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quod in Ecclesia sibi concredita, populus ita numerosus sit, ut nec ipse nec hi, qui modò ipsi adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo; tametsi forsan ejus prædecessores vel soli vel cum uno alterove adjuncto presbytero curam animarum sustinuerint.

XX. Certum quippe est, nec à lapsu temporis, nec horum illorumve praxi dependere, neque ex hac judicandum, quot presbyteri ad debitè Sacramenta Ecclesiastica administranda, & cultum Divinum peragendum requirantur: sed id judicandum esse juxta Regulas Evangelicas, & Ecclesiasticas, quæ non ad hominum praxim, quæ in cura animarum frequenter leviter & perfunctoriè nimis procedit, sed ad normam veritatis de labore & difficultate indebitè administrandis Sacramentis &. Fidelibus ad ea ritè susci-

suscipienda disponendis judicant, & procedi volunt.

XXI. Parum quoque refert, num forsan prædecessores, nomen boni pastoris in vulgò habuerint. Scitur enim, quàm vulgi judicium in dijudicando num quis bonus sit pastor, vel malus, cæcum sit; quamque multis dici posset, quod Angelo Ecclesiæ Sardis dicit Spiritus S. in libro Apoc. cap. 3. *quia nomen habes quod vivas, & mortuus es.*

XXII. Quin & si sedulò inquireretur in parochiis illis numerosis, quarum solus pastor, vel cum uno alterove Presbytero curam sustinuit, non rarò summus defectus instructionis in populo, & in suscipiendis Sacramentis exigua dispositione deprehenderetur; adeò ut ad oculum pateret, quàm leve & parum fundatum sit argumentum, à praxi pastorum, quos vulgus etiam pro bonis habuit, petitum.

XXIII. Optandum sanè ut Abbates, Canonici aliique similes Decimatores sæpius secum attentè ruminarent, quàm multa requirantur, ut rudis populus ritè circa mysteria Religionis, & vitam verè christianam instruatur, & ad Sacramenta ritè suscipienda rectè disponatur; atque à vitiis retrahi, & in virtutum exercitiis confirmari valeat; indubiè facilè agnoscerent, quàm frequenter in parochiis sit operariorum defectus; neque per unum alterumve Sacerdotem in numerosis Parochiis Cura animarum *laudabiliter* exerceri queat: meritoque timerent, ne sanguis animarum ab iis sit requirendus, si defectu portionis *congruæ*, copia Sacerdotum animabus illis regendis necessariorum defuerit.

CAPUT III.

Unde Portio Congrua desumenda?

1. *Ex proventibus Ecclesiarum Parochialium eam Canones sumi volunt.*
2. *Probat id clausula unionibus adjici solita.*
3. *Unde eam sumi voluerit Synodus Tridentina?*
4. *Primo loco vult Ecclesiis Parochialibus provideri per Beneficiorum unionem.*
5. *Synodus Mechliniensis etiam per unionem Parochialium & concessionem Deserviturarum.*
6. *Id tantum* per provisionem *permisit.*
7. *Non sunt uniendæ passim Ecclesiæ Parochiales ut decimatores à danda portione congrua absolvantur.*
8. *Quid in unione Beneficiorum cavendum?*
9. *Post beneficiorum unionem recurrendum ad* primitias; *& quare priùs ad has, quàm ad Decimas.*
10. *Oblationes potiùs quàm Decimæ in portionem congruam cedere debent.*
11. *Primitiis & oblationibus deficientibus ad decimas recurrendum.*
12. *Non omnes decimæ eodem Ordine huic oneri subjectæ.*
13. *Decimis deficientibus ad Parochianorum collectas recurri vult Synodus Trid.*
14. *Non nisi iis deficientibus ad eas recurri vult Edictum ad Synodum Cameracensem.*
15. *Idem declarat Edictum ad Synodum Mechliniensem.*
16. *Ostenditur justitia istius Ordinis.*
17. *Injustum est portionem congruam desumi ex proventibus fabricæ aut pauperum, decimis sufficientibus.*
18. *Neque hanc injustitiam lapsus temporis purgare potest.*
19. *Collectæ populo hic in Belgio sine auctoritate Regia imponi non possunt.*

I. Canones de portione congrua loquentes, eam ex proventibus Ecclesiarum parochialium desumi præcipiunt; sive volunt, ut tantùm de his proventibus relinquatur Vicario, unde ipse commodè sustentari, & debita onera possit supportare.

II. Quare & in unionibus sive incorporationibus Ecclesiarum parochialium solet adjici hæc clausula: " Reservata tamen de fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in iis instituendo congruâ portione, ex qua idem Vicarius commodè sustentari valeat, jura Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera supportare. " Rebuffus in praxi Benef. ad Regulam Cancell. *De Unionibus gloss.* 11. *n.* 16.

III. Synodus Tridentina videns plerasque Ecclesias parochiales necessariis Ministris destitutas defectu mediorum temporalium, quæ per incorporationem passim ad Monasteria & Capitula transiverant, volens ut omni meliori modo sine mora Ecclesiis illis parochialibus provideretur voluit: " In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeò exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus si per beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut quâ commodiori ei videbitur ratione, tantùm redigatur, quod pro Rectoris ac parochiæ necessitate decenter sufficiat.

IV. Juxta tenorem hujus Decreti, apparet, Ecclesiis parochialibus tenuibus, & non sufficientibus, ut oneribus debitis satisfiat, primo loco providendum esse per unionem beneficiorum; & non nisi in defectum horum recurrendum esse ad alia media in decreto expressa.

Idipsum & Zypæus notavit *Consult.* 4. *De Parochiis*; dicitque: " Primus modus Rectoribus parochiarum providendi est, per beneficiorum unionem; cui si locus non sit, succedunt alii à Concilio relati: aut quæ commodior ratio Ordinario videtur. Non autem aliis locus est, quam si per beneficiorum unionem id fieri non possit, etiam in alia Ecclesia fundatorum, ut satis textus; præsertim excipiendo Curata & Regularia.

V. Synodus II. P. Mechliniensis *tit.* 17 *cap.* 3. permittit Episcopis Ecclesiis parochialibus de portione congrua providere, non tantum per unionem beneficiorum *simplicium*, sed etiam per unionem vicinarum & minorum Ecclesiarum, vel per concessionem deserviturarum.

VI. Verùm sat insinuat Synodus, dumtaxat eam Ecclesiarum vicinarum & minorum Ecclesiarum unionem, nec non concessionem deserviturarum admitti ob temporum illorum duritiem; & quousque commodior ratio providendi haberi nequit.

Postquam enim eam providendi rationem proposuit, immediatè adjungit: " Et aliàs propter idoneorum Sacerdotum raritatem *per modum provisionis* providere.

VII. Unde nullatenus ex mente Synodi videtur, ut Episcopi per similes uniones & concessiones Ecclesiarum & deserviturarum Ecclesiis parochialibus provideant, ut se vel alios Decimatum possessores à danda competentia eximant; & interim Parochos ita per unitas Ecclesias vel concessas deservituras gravent, ut curam parochiæ negligere debeant; aut saltem functionibus pastoralibus plenè satisfacere & sedulò incumbere in sua parochia nequeant.

VIII. Imò in quorumcumque beneficiorum unione cavendum est, ne tot taliaque beneficia in competentiam Parochorum uniantur, ut Parochus illorum oneribus

tibus satisfacere nequeat, saltem sine notabili in cura suæ Parochiæ, & functionibus Pastoralibus impedimento: quòd faciliùs contingit, si extra Ecclesiam Parochialem beneficia fundata sint; & in locis à Parochiali Ecclesia remotis onera beneneficiis illis annexa exsolvere debeat.

IX. Si per beneficiorum unionem sufficienter & commodè Ecclesiis Parochialibus provideri nequeat, vult tum Synodus, ut primitiarum aut decimarum assignatione provideatur.

Primitias ante decimas excutiendas esse, videtur ordo verborum insinuare; qui in eo fundatur, ait Zypæus citata Consultatione *num.* 4. " quod primitiæ utpote „ *oblationes* arbitrio Fidelium relictæ, *magis propria* sint „ Parochorum jura; & ad *solum* Pastorem pertineant de „ jure: adeo quidem ut etsi decimas laici ante Conci„ lium Lateranense possessas retinere permittantur, non „ tamen oblationes. Unde etsi ubique decimas, nullibi „ tamen oblationes penes laicos videmus.

X. Itaque si oblationes alteri quàm Parocho competant, priùs ratione harum oblationum ad congruam portionem is tenetur, quàm Decimarum Possessor; ac priùs oblationes Parocho vindicandæ: quæ si non sufficiant, tum demum ad Decimas recurrendum. Hoc verò intelligendum de oblationibus, quæ ex solo privilegio aut præscriptione ad Pastores v. g. Primitivos transierunt; & quæ secluso privilegio aut præscriptione ex voluntate offerentium & jure communi ad Parochum spectarent; qualia esse solent ea quæ in Defunctorum inhumationibus offerri sive donari solent: secus verò de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæ enim nullatenus in Parochorum competentiam convertendæ sunt.

XI. Primitiis vel etiam oblationibus excussis, ad decimas recurrendum esse, textus Synodi Tridentinæ indicat.

Speciem decimarum hic non expressit Synodus; sed indefinitè decimarum mentionem tantùm fecit. Et sanè cum decimæ principaliter & primitùs sint institutæ in sustentationem Sacerdotum qui populo spiritualia seminant; ideoque *de jure* ad Parochos pertineant (uti sæpiùs titulo præcedenti notatum est) nihil justiùs, quàm ex illis saltem *congruam* portionem Parochorum desumi; sive eatenus saltem Parochis reservari, ut ex iis habeant competentem & congruam portionem, quò suis necessitatibus providere & debita onera supportare queant.

XII. Licet omnes decimæ intra limites Parochiæ excrescentes huic portioni congruæ meritò subjiciantur, tamen quia inter decimas aliæ præ aliis speciali ori titulo Parochis competunt, seu potiùs reservatæ sunt, (uti titulo præcedenti ostensum est) & aliæ cum speciali onere assignandæ portionis congruæ donatæ aut concessæ fuerunt, ideo etiam aliæ præ aliis huic oneri sunt subjectæ; & earum possessores ante alios ad hanc congruam portionem solvendam tenentur, ut latiùs dicetur capite sequenti.

XIII. Decimis intra fines Parochiæ haud sufficientibus, ad *Parochianorum Symbola* ac *collectas* recurri posse, indicat Synodus Tridentina.

His locum non esse, nisi primitiis & decimis deficientibus, evincit ipse verborum contextus & ordo.

XIV. Hunc ordinem significant quoque Principum Edicta, tum ad Synodum Cameracensem, tum Synodum Mechliniensem. Philippus II. in Edicto ad Cameracensem Synodum *art.* 41. vult, ut excussis duobus prioribus mediis conficiendi congruam portionem à Synodo suggestis, Magistratus assistant Episcopis ut reperiatur quod portioni congruæ deesse apparebit. Verba Edicti sunt: *Et pour ce qu'en plusieurs lieux les Curés sont petitement prouveus & n'est possible, signament es villes, les prouveoir de portion canonicque par assignation des dismes, ou union des simples benefices, ains est necessaire venir à la troisieme voie ordonnée par le sainct Concil de Trente, sçavoir des collectes sur les Parochiens, laquelle collecte ne se pouvant practiquer sans nostre authorité, & consentement. Ordonnons à tous Magistrats, & gens de loy, qu'ils ayent à assister les Evesques à trouver ce què de faudra pour l'entretenement desdicts Pasteurs la ou ne leur pourra estre suffisament pourveu par les deux premieres voyes ordonnés par le dict Concil de Trente, jusques aux sommes advisées par ceste Synode Metropolitaine, lesquels Magistrats feront l'assiette de ce qu'iceux Evesques auront declarè dafaillir, aux deux premiéres voyes, pour trouver la sustentation lesdicts Curez.* Id est. Et quia pluribus locis Parochis parce provisum est, nec fieri potest ut de portione Canonica assignando decimas, aut uniendo Beneficia simplicia, ipsis, præsertim commorantibus in Oppidis, prospiciatur; verum necesse est iniri viam tertiam statutam per Concilium Tridentinum; videlicet ut per Parochias collectæ instituantur, quæ cum sine authoritate nostra & assensu corrogari non possint: Magistratibus singulis iisque qui præsunt injungimus, ut Episcoporum sint adjutores, in finem ut suppleatur quod deerit sustentationi dictorum Pastorum, quibus sufficienter provideri non poterit, altero ex prioribus modis per Concilium Tridentinum assignatis, idque usque ad acquisitionem summæ, per hanc Synodum Metropolitanam constitutæ, qui Magistratus descriptionem facient eorum quæ duobus prioribus modis deesse Episcopi judicaverint, ut dictorum Parochorum sustentationi provideatur.

XV. In Edicto ad Synodum Mechliniensem *art.* 16. dicunt Principes: " Ut si per media à Concilio Tri„ dentino suggesta Parochialibus Ecclesiis sufficienter „ provideri nequeat, Concilia Regia & Magistratus co„ nabuntur per impositiones, collectas aut aliàs inveni„ re, quæ Episcopi judicabunt deesse ad congruam Pa„ rochorum sustentationem.

XVI. Nihil evidentius, quàm Principes ad collectas & impositiones Parochianorum tum demum concedere recursum, quando *primitiis & decimis* excussis, portio congrua haberi nequit: idque revera justissima ratione.

Cum enim primitiæ, sive oblationes & decimæ à populo solvantur, ut ministri Altaris sustineantur; atque laborantibus in Vinea Domini, & sibi spiritualia seminantibus, temporalia subministrentur, quid æquiùs & justiùs, ut illæ priùs impendantur in sustentationem Ministrorum, priusquam rursus nova onera populo imponantur.

XVII. Si justum non sit, ut ad portionem congruam urgeantur per novam onerum impositionem Parochiani, quamdiu decimæ sufficiant, intelligi potest, quanta sit injustitia quod in nonnullis Parochiis portio congrua vel Pastorum vel Vice-pastorum desumatur ex proventibus specialiter in usum fabricæ aut pauperum destinatis & debitis. Quasi fabricæ & pauperibus sui proventus subtrahi possint & debeant, ut major copia decimarum, quæ in Pastorum sustentationem dantur, ad monasteria & Capitula devolvantur; & ex iis Monachi & Canonici commodiùs vivere valeant.

XVIII. Imò tam manifestè apparet hujusmodi applicatio proventuum fabricæ vel pauperum injusta & infidelis, ut nec lapsu temporis, quantumvis immemorialis justificari posse videatur; ideoque si probetur, revera proventus illos esse relictos in usum fabricæ aut pauperum, meritò ad suos legitimos usus reducentur; & Decimatores ad portionem congruam convenientur & condemnabuntur.

XIX. Denique citata Principum edicta oſtendunt, ſat non eſſe in Belgio Epiſcopis, ſua auctoritate populum compellere ad danda temporalia per modum collectarum;ſed Regia auctoritate, & conſenſu opus eſſe: quod & in receptione Concilii Tridentini monuêre Concilia Regia.

Cum enim Margarita Parmenſis Belgii Gubernatrix Decreta Concilii Tridentini de reformatione nomine Philippi II miſiſſet ad Senatus Regios, *ad c. 4 ſeſſ. 21. de reform.* qua datur Epiſcopis facultas novas Parochias erigendi;& ſi neceſſe fuerit *compellendi* populum ea ſubminiſtrare, quæ ſufficiunt ad vitam Sacerdotum ſuſtinendam: "Communis omnium Senatuum nota fuit „compulſionem illam populi & exactionem illam fieri „non poſſe ſine auctoritate Regia, neque hanc juriſdi„ctionem Eccleſiaſticis Judicibus umquam competiiſ„ſe." Anſelmo in Triboniano Belgico. *cap. 33. §. 22.*

CAPUT IV.

Quo ordine Decimatores ſint portioni congruæ ſubjecti; & quouſque?

1. *Decimæ ſpecialiori titulo ad Parochos ſpectantes præ reliquis oneri portionis congruæ ſubjectæ*
2. *Hoc ex capite decimæ* Novales & minutæ *ante alias excutiendæ.*
3. *Decimæ nominatim huic portioni ſubjectæ ante alias excutiendæ.*
4. *Olim paſſim tertia pars pro Parochorum ſuſtentatione à Decimatoribus relinquebatur.*
5. *Hæc* tertia *pars poſtmodum ad Capitula & Monaſteria tranſivit.*
6. *Qui hanc* tertiam *poſſident ante alios Decimatores ad portionem* congruam *tenentur.*
7. *Hæc* tertia *pars uniri non ſolet niſi cum onere congruæ portionis.*
8. *An decimæ ultimò incorporatæ ante alias teneantur.*
9. *Primitivi Paſtores præ reliquis Decimatoribus videntur obligari.*
10. *Patroni Eccleſiaſtici ſolent eſſe Paſtores* primitivi, *& eatenus ad portionem congruam obligari.*
11. *Non ſemper ſunt Paſtores* primitivi.
12. *Paſtor* primitivus *quomodo à Vicario pro conſequenda portione congrua conveniri poſſit?*
13. *Quando Decimatores teneantur pro decimarum portione quam poſſident contribuere.*
14. *Ratio quæ videtur ab hoc onere eximere decimas* infeudatas.
15. *Poſſeſſas ante Concilium Lateranenſe eximere videtur Edictum Philippi II.*
16. *Ob onera decimis* infeudatis *inhærentia ratione* feudi, *videntur ab hoc onere eximendæ.*
17. *Ratio ſuadens eas ad portionem congruam debere concurrere.*
18. *Decimæ hæ tamquam partim laicales, partim Eccleſiaſticæ* ſubſidiariè *in defectum aliarum decimarum contribuunt,*
19. *Decimæ* infeudatæ *ad Eccleſiam reverſæ huic oneri ſubjectæ tamquam Eccleſiaſticæ.*
20. *Etiamſi titulo* oneroſo *ſint acquiſitæ.*
21. *Secus videtur dicendum, ſi cum onere* feudali *ſint reverſæ.*
22. *Edictum Philippi II. indiſtinctè eas obligare videtur.*
23. *Decimæ ex ſua inſtitutione ſunt ordinatæ ad ſuſtentationem Parochorum.*
24. *Non ſunt ad alios tranſlatæ niſi deductâ portione congrua.*
25. *Onus dandi hanc portionem eſt* reale *perpetuò decimis inhærens.*
26. *Non abſolvuntur ab hoc onere licet ſemel portio congrua fuerit aſſignata.*
27. *Nihil cedit Decimatoribus, niſi quod ſuper abundat detractâ portione congruâ.*
28. *Idipſum declaravit Synodus Juliobonenſis.*
29. *Decimatores tamdiu manent huic oneri ſubjecti quamdiu decimas retinent.*
30. *Portio Parocho debetur licet nihil Decimatoribus ſupereſſet.*

I. DEcimas aliquas magis propriè & ſpecialiori titulo præ aliis Parocho competere, titulo præcedenti notatum eſt. Cùm ergò hæ decimæ *ſpecialiter* Parocho competant, & cum majori quaſi violentia ipſi adimantur, æquum quoque apparet, ut ſi Parocho è decimis portio congrua aſſignari debeat, potiùs è decimis *ſpecialiter* Parocho competentibus, quàm ex aliis decimis deſumatur. Decimæ hæ enim præ aliis oneri portionis congruæ ſubjectæ ſunt, ſicuti primitias & oblationes ante decimas pro conficienda portione congrua excutiendas eſſe capite præcedenti notatum fuit;idque ea ratione, quod ſpecialiori titulo debeantur Parocho, quàm decimæ.

II. Hoc ex capite, decimæ *novales* ante decimas veteres pro conficienda hac portione excutiendæ ſunt: quia propriè Parochorum ſunt; quod & Zypæus notavit *Conſult. 4. De Parochiis n. 5.*

Pari ratione decimæ *minutæ*, utpote non ſecus ac novales ad Parochum ſpeciali titulo ſpectantes (ut titulo præcedenti *cap. 6.* dictum eſt) huic oneri ante decimas majores ſeu *groſſas* ſubjectæ ſunt: ſolentque hæ Vicariis perpetuis, excluſis Decimatoribus majoribus, adjudicari.

III. Si inter decimas majores reperiantur quædam nominatim aut ſpecialiter in competentiam ſive portionem congruam aſſignatæ & addictæ, hæ etiam ante reliquas in hanc portionem congruam imputandæ ſunt.

IV. Olim uſitatum erat, ut laici aliique decimas poſſidentes, tertiam earum partem relinquerent in ſuſtentationem Parochorum & Miniſtrorum Eccleſiarum Parochialium;atque per hanc tertiæ partis aſſignationem obligationi ſuſtentandi Parochum ſatisfacere volebant; uti poſt alios citatos auctores notat Zypæus *Conſult. 4.*

V. Succeſſu verò temporis, cum nonnumquam decimæ adeò excreſcerent, ut vel tertia pars decimarum notabilem annuatim ſummam conficeret: videreturque, quod detractâ portione congrua Parochorum, adhuc multum ſupereſſe poſſet, cœperunt nonnulla Capitula aut Monaſteria impetrare Eccleſiarum Parochialium incorporationem unà cum hac dote: ſcilicet, tertia parte decimarum: aut ſi Eccleſiæ aliis eſſent jam unitæ, tertiam hanc partem decimarum, quæ primitus in ſuſtentationem ſive portionem congruam Parochorum erat relicta, ſibi incorporare.

VI. Cum ergo hæc pars decimarum ſpecialiter ab ipſis Decimatoribus primitus in portionem *congruam* data ſit: etiam ſpeciali ratione huic oneri ſubjecta manet, ad quemcumque poſſeſſorem tranſiverit.

Neque Decimatores qui alias duas partes decimarũ poſſident ad portionem congruam tenentur, quamdiu tertia hæc pars decimarum exhauſta non eſt: quandoquidem ipſi hanc tertiam partem in Parochorum ſuſtentationem dederint: atque per eam aſſignationem eatenus ſaltem ſatisfecerint obligationi dandi congruam

gruam *portionem*, ut eam dare ulterius non debeant, quamdiu hæc *tertia*, ab ipsis in congruam portionem assignata, sufficit.

VII. Accedit, quòd in unione seu incorporatione istius tertiæ partis inseratur solita clausula reservans super hac parte decimarum, quæ incorporatur, portionem congruam ipsius Vicarii.

VIII. Quando igitur decimæ aliquæ in sustentationem Parochorum seu Vicariorum remanserunt, & hæ postmodum alicui Capitulo aut Monasterio fuerunt assignatæ, indubiè tunc verum erit, quod dicit Zypæus *citata Consult. 4.* nimirum ante alias decimas ad portionem congruam teneri illas decimas, quæ *ultimò* ab Ecclesia Parochiali sunt decisæ, ad eam rationem quæ in donationibus inofficiosis est; ut si à quopiam factæ sint diverso tempore, & per eas legitima liberorum læsa, ultima tantùm donatio eatenus rescindatur, quia ea sola est inofficiosa. *L. 7. Cod. De Inoff. Donat.*

IX. Adhæc inter decimarum possessores ante reliquos ad congruam portionem ordinariè tenentur hi, qui dicuntur *primitivi* Pastores; qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporatas cum decimis & proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario congruam portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

Præterea de jure communi *in Clem. 1. De Jure Patronatus* "Diœcesanis sub obtestatione Divini judicii districtè inhibetur, ne præsentatum aliquem per quamcumque personam Ecclesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittat, nisi intra certum terminum competentem per Diœcesanos ipsos præsentantibus præfigendum, ipsi præsentato fuerit coram eis congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata. Quam si forsan iidem præsentantes intra terminum ipsum assignare neglexerint, ne factum eorum noceat præsentato, statuitur, ut ex tunc Diœcesani debeant præsentatum (nisi aliud Canonicum obstet) admittere, & in pœnam præsentantium, ad Diœcesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur.

X. Porrò Patroni Ecclesiastici ad portionem congruam suis præsentatis assignandam ideo specialiter astringuntur, quia, uti rectè notat Zypæus *citata Consult. 3.* rarò accidit in Ecclesiasticis, ut ipsi Parochiales Ecclesias extruxerint, vel dotaverint: cùm res Ecclesiæ suæ alienare nequeant; & si de suo dederint Patroni *laici* nomen habeant. Quare qui hodie dicuntur Patroni Ecclesiastici, & unà Ecclesiarum Parochialium, quarum sunt Patroni, decimas percipiunt, non solent esse veri Patroni; sed *primitivi* Pastores titulo unionis dictarum Ecclesiarum: atque in ea qualitate præsentare Vicarium: cui congruam portionem eo titulo assignare tenentur.

Nec mirum, nullam in dicta Clementina nec Jure Canon. fieri mentionem *Pastoris primitivi*: quia nomen illud primitivi Pastoris recentius est collectione Corporis Canonici, quo hodie utimur. sed quos nunc Pastores primitivos dicimus, tunc plerumque Patroni Ecclesiastici nuncupabantur.

XI. Dubitandum tamen non est, quin interdum jus præsentandi à jure primitivi pastoris, qui vi unionis & incorporationis ad congruam portionem speciatim obligatur, sit sejunctum: quo casu si dubitetur, num quis sit primitivus Pastor, nec de unionis & incorporationis forma & conditionibus sat constet, ad alia indicia & argumenta, quæ Pastoris primitivi jus innuunt, recurrendum erit; v. g. Si Canonici vel Religiosi eorumve Prælati jus habeant functiones aliquas Ecclesiasticas certis diebus in Ecclesia parochiali obeundi; Parochus ipsos ut Superiores suos in aliquibus agnoscere teneatur: Si decimas minutiores aut novales, quæ Parochis præ aliis decimis speciali titulo reservari solent, percipiant, aliave jura exerceant, quæ primitivis Pastoribus reservari solent.

XII. Dum igitur ex his aliisve argumentis constat, quis sit Ecclesiæ parochialis Pastor primitivus inter decimarum possessores poterit Vicarius sive Parochus contra illum directè agere ad congruam portionem eamque integram, relictis aliis decimatoribus: salvo regressu Pastori primitivo adversus alios decimarum possessores: & ita 17. Martii 1634. in parlamento Dionensi judicatum testatur Carolus Fevret *lib. 6. tract. De Abusu cap. 6. §. 10.* Et tamquam indubitatum tradit Grimaudet *lib. 2. De Decimis cap. 8 num. 7.* additque. "Quòd si congrua portio fuisset assignata, sed sufficiens non esse deprehenderetur, Vicarii contra Pastores primitivos agere deberent coram Episcopo, ad hoc ut condemnentur & cogantur supplere exemplo filii, cui pater reliquit portionem suorum bonorum pro legitima, quæ si sit insufficiens, potest filius agere ad supplementum; eò quod pater nequeat filio relinquere minorem portionem quàm legitimam. Insuper causa Parochorum est favorabilior, quia omnes reditus Ecclesiæ parochialis non dantur nisi ob curam animarum, quam ipsi Vicarii seu Parochi sustinent: & valde scandalosum est in Ecclesia (in qua omnia juxta meliorem disciplinam deberent esse ordinata quod uni laborent, & alii otiosi manducent eorum salaria & substantiam.

XIII. Si non constet, quis inter plures decimatores speciali titulo ad portionem congruam sit obstrictus, neque ullus ipsorum sciatur ullas decimas, speciali titulo huic oneri obnoxias possidere tenebuntur omnes pro quota decimarum, quam quisque possidet, ad portionem congruam concurrere.

XIV. Bona laicorum per collectas, sive impositiones non gravanda, nisi in defectum primitiarum & decimarum capite præcedenti dictum est.

Cùm verò decimæ *infeudatæ* hodie quasi bona patrimonialia possideantur, atque de illis, non secùs ac de patrimonialibus disponant, uti titulo præcedenti *cap. 4.* probatum, dubitari posset, num similes decimæ aliter quàm reliqua bona laicorum huic oneri sint subjecta.

XV. Edictum Philippi II. Regis Catholici ad Synodum Cameracensem in contributionem portionis congruæ vocat decimas existentes in manibus laicorum, si modò probari queat, eas ab Ecclesiasticis ad laicos pervenisse post Concilium Lateran. sub Alexandro III. Verba Edicti sunt: *Ensemble celles que l'on pourra verifier avoir esté achaptées, ou autrement acquises par gens layz des Ecclesiastiques depuis le premier Concil de Latran qui fut l'an mil cent septante neuf soubz Alexandre troisieme.* Id est. Deinde illas quas probari poterit ab Ecclesiasticis Laicos emisse aut acquisivisse à celebrato primo Lateranensi Concilio sub annum 1179. sedente Alexandro III. Videtur ergo Edictum ab hoc onere exemisse decimas *infeudatas* quæ non probantur *post dictum Concilium* laicis fuisse acquisitas.

XVI. Accedit, quod cum hæ decimæ cum onere *feudi* transierint ad laicos; atque laici ratione illarum ad certa servitia sive onera obstringantur Ecclesiis à quibus decimas infeudatas tenent, æquum quoque videtur, ut ab oneribus eximantur, quæ aliàs decimis inhærent.

XVII. Verum cum decimæ illæ institutæ sint, & à populo dentur ut Parochis & Ministris de sustentatione provideatur; atque eatenus quasi violentè ab Ecclesiis Parochialibus fuerint abstractæ, apparet, aliam non fuisse Pontificum aut Episcoporum intentionem, quam ut Laici eas decimas retinerent, quamdiu ipsis parochis aliundè esset provisum; neque populus, qui

Digitized by Google

qui illas decimas in parochorum sustentationem offert rursus esset novo onere gravandus.

XVIII. Itaque quia decimæ *infeudatæ* partim sunt bona Laicalia & quasi patrimonialia, partim Ecclesiastica & ab Ecclesia profecta, passim receptum est, decimas has non quidem omninò ab hoc onere esse exemptas; sed in defectum decimarum ab Ecclesiasticis possessarum & naturam proventuum Ecclesiasticorum magis retinentium, huic oneri tantum *subsidiariè* subjici; idque æquum esse notavit Renatus Choppinus *De S. P. lib. 3. tit. 4. n. 20. & 21.* & ita judicatum refert Ludovicus Charondas *Lib. 1. Resp. 34.* item Claudius Henrys in sua Collectione arrestorum *tomo 1. lib. 1. quæst. 27.* atque novissimè anno 1662 solemni arresto decisum fuit, decimas infeudatas *subsidiariè* ad portionem congruam obligari Habetur arrestum hoc integrum tomo 2. Journal des Audiences *lib. 4. cap. 52.* unà cum discursu super origine decimarum *infeudatarum*; ostenditurque, decimas quæ passim seculo 11. & 12. ad Laicos devolutæ fuerunt, revera pertinuisse ad Ecclesias Parochiales; & consequenter origine sua esse revera decimas Ecclesiasticas: quo casu eas portioni congruæ, saltem *subsidiariè* subjectas fatetur Zypæus titulo *De Feudis num. 2.* in Jure Novo; & ita à Senatu Brabantiæ judicatum testatur.

XIX. Notatum fuit titulo præcedenti *cap. 4.* decimas *infeudatas* si ad Ecclesiam vel Corpus aliquod Ecclesiasticum revertantur, recipere primigeniam suam naturam, habendasque rursus esse ut decimas Ecclesiasticas.

Hinc ulterius deducitur, eas & quoad portionem *congruam*, non ut *infeudatas & laicales*, sed ut Ecclesiasticas esse reputandas; & ita sæpius judicatum fuisse refert Broudæus ad Lovetium *Litt. P num. 60.* item Claudius Henrys loco citato *quæst. 7.* notatque ibidem, "reversionem decimarum ad Ecclesiam esse favorabilem: quia reducit ad primævam earum naturam, & Ecclesiastici potius sua propria recuperant; quàm de novo acquirunt .... Itaque hodie indubitatum est, Decimas infeudatas reversas ad Ecclesiam fieri Ecclesiasticas, & sequi communes regulas aliarum Decimarum.

XX. Quin & portioni congruæ obnoxias esse, tametsi titulo oneroso ad Ecclesiam reversæ sint, asserit Wamesius *cons. 452. n. 7* & conforme esse sententiæ Senatus Parisiensis prolatæ *16. Feb. 1628.* ex iis quæ recitat Claudius Henrys loco citato, non obscurè colligitur.

XXI. Hanc decimarum infeudatarum ad pristinam naturam reductionem operatur ipsa decimarum ad Ecclesiam reversio, si simpliciter & purè restituantur; secus verò si cum onere seu nexu feudali quo erant apud laicos Ecclesiæ restituantur: quo casu semper manent *feudales* uti citato *cap. 4.* annotavimus.

Inde consequenter statuendum videtur de his decimis cum eo nexu ad Ecclesiam reversis, quod de decimis infeudatis in manibus laicorum existentibus, ut nimirum ad hanc portionem non nisi *subsidiariè* deficientibus aliis decimis Ecclesiasticis concurrere debeant: quod & verisimilius credit Zypæus *Resp. 2. De Parochiis num. 6.*

XXII. Sed an hanc distinctionem patiatur citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem dubitat Zypæus ibidem: eo quod Edictum decimas *feudales* quocumque modo ad Ecclesiam reversas ad portionem congruam vocet tamquam ad suam primam naturam reversas. Verba Edicti sunt: *Nous declarons nostre intention estre que la portion Canonique, & reparation desdicts Eglises, debueront contribuer les dismes aians autrefois esté Laicales, lesquelles presentement seroient retournées es mains des gens d'Eglises, de quelle nature qu'elles soient fiefz, ou autres, pour estre retournées a leur primitive nature.* Id est, Hanc nostram mentem esse declaramus, ut ad Canonicam portionem & Ecclesiarum reparationem suppeditent decimæ, quondam Laicales, quæ ad Ecclesiasticorum denuo manus devenerunt, cujuscumque naturæ fuerint, sive feudales, sive aliæ, quia ad pristinam conditionem redierunt.

XXIII. Porrò cum decimæ quasi ex sua natura & primæva institutione sint ad hoc ordinatæ, ut Parochis ex illis sustentatio aliaque necessaria subministrentur; sub hoc onere congruæ portionis ad Capitula, Monasteria aliave Corpora aut personas transiverunt: cui oneri perpetuò manent subjectæ, semperque earum possessores obligantur Parochis de portione congrua providere.

XXIV. Imò nec decimæ Capitulis, Monasteriis aliisque concessæ sunt, nisi *prius* deducta *portione congrua*; adeò ut tantum censeatur concessum quod ultra Parochi sustentationem superesse potest

XXV. Itaque rectè post Rebuffum aliosque notavit Zypæus *Consult. 4. De Parochiis num. 8.* onus hoc dandæ portionis congruæ esse onus *reale* & permanens; ita ut ratione illius possessores decimarum semper maneant ad hanc portionem subministrandam obligati: quemadmodum fundis sitis ad viam, flumen & mare incumbit onus reficiendi aggeres, toties quoties aggeres reficiendi sunt: quo simili utitur ibidem Zypæus.

XXVI Hinc ulterius concluditur, quod si jam pridem assignata portio congrua perierit, vastata sit, aut mutatis temporum locorumque circumstantiis incompetens sive insufficiens inveniatur: ut Parochi aut Parochiæ necessitatibus per eam sit provisum, vi dictæ clausulæ expressæ, vel subintellectæ de novo competentiam, aut augmentum ex Decimis seu proventibus Ecclesiæ incorporatæ dare tenebuntur: quandoquidem proventus dictarum Ecclesiarum sub eo onere sint ipsis incorporati, ut primò Vicariis de congrua portione sit provisum.

XXVII. Ulteriùs ex eodem principio deducitur, quod Capitula, Monasteria, aliive quibus decimæ sunt concedæ, nihil ex illis prætendere queant, nisi quod ipsi congruæ Parochorum portioni superest. Nam ut rectè notavit Rebuffus De Portione congrua *num. 103.* "Prius Papa vult reservari congruam portionem, *postea* reliquos fructus donat, & unit: ob id præferri debet prima Ecclesia Vicarii, ut Panormitanus in *cap. de Monachis* ☩ *De Prœbend.* probat dicens: habentes Ecclesiam quoad temporalia non posse omnes reditus Ecclesiæ consumere, & sibi usurpare, sed reditus tantum superfluos detracta prius congrua portione Vicario seu Rectori instituendo, & pro juribus Episcopalibus.

XXVIII. Idipsum jam pridem expressit Concilium Juliobonense à Wilhelmo Rege Angelorum cum Episcopis & Proceribus Normanniæ celebratum anno 1080. *Can. 12.* ubi postquam ordinasset, quomodo Monasterium decimas possidens deberet Presbytero Ecclesiæ deservienti ex decimis providere, tandem in fine concludit: "Quæ verò *superabundant* in usus Monasterii Abbas habeat. Hoc idem (ait) in Ecclesiis Canonicorum observetur.

XXIX. Similiter hinc statuendum, quod decimarum possessores oneri maneant subjecti, quamdiu decimis proventibusque Ecclesiarum Parochialium unitarum incumbunt; nec nisi ultroneâ abdicatione omnium proventuum ab eo eximuntur. exemplo possessoris fundi hypothecati pro certo reditu qui demum liberatur, cum hypothecato fundo se exuit. quod vulgo Galli vocant *deguerpir.*

XXX. Rectè quoque eodem ex principio concludit Rebuffus loco citato *nu. 101.* "Et si temporalia, vel alii reditus

„ reditus beneficii non sufficerent nisi Vicario; tunc præ„feretur Vicarius, tum quod illud temporale priùs erat „patrimonium suæ Ecclesiæ, & postea fuit Religiosis „datum, vel ab ipsis occupatum, sic ait de damno vitan„do, & Monasterium de lucro captando: ideo præfer„tur Vicarii Ecclesia Monasterio: tum etiam quod hoc „sit favorabilius, videlicet alere plebem cibis spiritua„libus; ut Vicarius facit, & quod bona facilè revertan„tur ad suam naturam. " Hæc Rebuffus, qui & *num.* 103. probat dictum Henrici Bohicq. " Tolerabilius esse quod „Canonicus vel Prior egeat, qui habet annexam cu„ram, quam Vicarius, qui illam exercet.

Quibus consonat Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 52. asserens, " certum esse, Parocho aut „eis qui Parochi vices gerunt magis favendum esse, „quam possessori Decimarum quisquis ille sit: cum Pa„rochus ejusve Vicarius Altari & Parochianis deserviat, „Nec ad rem pertinebit, quod si decimarum possessori „quantulacumque portio detrahatur; futurum sit, ut „non habeat ille quo se alat. Etsi enim dici solet, non esse „discooperiendum unum Altare, ut alterum cooperia„tur, priùs tamen Parocho subveniendum est adversus „decimarum possessorem, tum possessori ab ipso ordi„nario, cujus officium est providere, ne alimentorum „penuria cogantur ii qui altari serviunt, Religionis cul„tum deserere. " Hæc ille, quem sequitur Zypæus *tit. De Parochis n* 11.

CAPUT V.

Portio congrua tamquam causa alimentorum judicanda & assignanda.

1. *Causa portionis congrua est causa alimentorum.*
2. *Hinc in ea* summariè *procedendum.*
3. *Portio debet* provisionaliter *adjudicari, si causa moram trahat.*
4. *Ita vult Synodus Mechliniensis.*
5. *Hac adjudicatio provisionalis fieri potest in omni parte litis.*
6. *Solutio congrua portionis non patitur moram.*
7. *Conforme Edictum Principum nostrorum.*
8. *Quæstio inter Decimatores super solutione portionis congrua ejus assignationem retardare non debet.*
9. *Exemplo alimentorum portio congrua transactione tolli nequit.*
10. *Non facilè transactioni per transigentem contraveniendum.*
11. *Mutatis circumstantiis interdum potest.*
12. *Transactio sine auctoritate Superioris inita non obligat successores.*
13. *Inita cum consensu & approbatione Episcopi obligat successores.*
14. *Poterit nihilominus successu temporis augmentum portionis peti.*
15. *Nulla transactione aut lapsu temporis, vel lege positiva portio congrua tolli potest.*
16. *Portionis congrua compensatio admitti non solet.*
17. *Congrua portio in* re certa *assignanda.*
18. *Synodi passim* rem certam *designant.*
19. *Non dicitur Parochus habere portionem congruam, nisi habeat in* re certa.
20. *Potest Vicarius abdicare proventus Ecclesiasticos, & petere portionem* congruam.
21. *Expedit Parochis habere portionem in* re certa.
22. *Id ostenditur exemplo SS. Patrum.*
23. *Portio assignata in* re certa *ob sterilitatem aut devastationem fructuum non minuenda.*
24. *Fructuum mentio non taxationis sed demonstrationis causa censetur facta.*
25. *Quod solvitur in redemptionem decimarum, debetur nullis fructibus crescentibus.*
26. *Decimatores sterilitatis commodo gaudentes, debent & fertilitatis onera ferre.*
27. *Non est aequum, ut in casu sterilitatis Vicarii semper cum summo rigore exigant integram portionem à Decimatoribus.*

I. Causam portionis congruæ esse causam *alimentorum* negari nequit: quandoquidem certum sit, portionem congruam primariò & directè assignari in sustentationem & alimentationem Presbyterorum curam animarum sustinentium: unde & hanc causam portionis tractandam tamquam causam alimentorum omnes agnoscunt.

II. Hinc imprimis infertur, quod sicuti in causa alimentorum *summariè* procedi, & *provisionalis* adjudicatio fieri solet; ita & in hac causa procedi debeat: prætertim cum hic non tantùm periculum sit, ne defectu alimentationis, Parochus vitæ necessariis destituatur, si assignatio portionis differatur, quousque causa plenariè sit instructa; sed & periculum est, ne populus interea necessariis ministris destituatur.

III. Quare tamquam indubitatum tradit Rebuffus, " quod si Parochus aut Vicarius congruam portionem „petat, & processus tractum & dilationem recipiat, de„beat ei per modum *provisionis* adjudicari provisio con„gruæ portionis, donec videantur jura utriusque, & alia „sententia proferatur, ut interim Deo servire possit, & „sacramenta Parochianis administrare. " In tract. de congrua portione *num.* 54. Et in tract. de sententia provisionali in præfatione *num.* 30. asserit. Curato petenti integras Decimas adjudicatam fuisse à Senatu quartam partem Decimarum per modum provisionis, ut interim vivere possit.

IV. His conforme est decretum Synodi P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *capit.* 4. " Si contingat oriri aliquam dif„ficultatem Pastoribus in assignanda judicio Episcopi „Canonica portione, iidem Episcopi seu eorumdem „Vicarii aut Officiales, *summariè & de plano*, sine stre„pitu & figura judicii audita nuda petitione Parocho„rum, & eorum quorum interest responsione, & facta „desuper summaria informatione, quod ipsis Parochis „deesse compererint, ad summam superiùs taxatam per „modum *provisionis* adjudicabunt; & appellatio executionem non suspendat. " Adde Syn. P. II. Camer. *tit.* 14 *cap* 7.

V. Potest autem hæc provisionalis adjudicatio peti in qualibet parte litis, etiam post litem contestatam; imò etiam post sententiam, quæ transivit in rem judicatam, quando executio sententiæ posset habere dilationem; uti tradit Rebuffus in tractatu de sentent. provis. *art.* 1. *gloss.* 2. eò quod numquam non inhumanum sit, vel ad modicum tempus os bovi trituranti occludere.

VI. Notabile occurrit arrestum apud Tournetium in sua collectione arrestorum *Litt. P. num.* 126. quo conductor decimarum condemnatus fuit ad solvendam portionem congruam 360 librarum salvo recursu ipsius conductoris adversus principalem Decimatorem; idque hac sola ratione, quia principalis Decimator erat extra Provinciam, & propter bellum non patebat facilis accessus ad Decimatorem; atque ita notabilis mora intercedere forsan debuisset, priusquam Parochus congruam suam portionem consequi potuisset; uti ibidem narrat Tournetius.

Ut vel hinc pateat, Senatum judicasse, haud æquum esse, ut ad aliquod notabile tempus, parocho sua portio congrua deesset, præsertim ubi constat decimas esse sufficientes.

VII. Enim-

VII. Eundem in finem Principes nostri Albertus & Isabella in Edicto ad Synodum Mechlin. *art* 16. declararunt, suam esse mentem, ut si Ordinarii essent defectuosi in assignanda congrua portione Pastoribus, eo casu Pastores possint recurrere ad Concilium Regium suæ respectivè diœcesis, ut super eorum querelis provideretur; præsertim per interventionem officii Fiscalis si necesse sit. Et quidem ob hanc *provisionalem* adjudicationem, quæ à Regio senatu in hac materia solet annui, causa congruæ portionis seu competentiæ hodie coram Regio Tribunali passim ventilatur, uti infra latiùs dicetur.

VIII. Eadem ratione si inter ipsos Decimatores non conveniat, quis sit Pastor primitivus, aut quis ante alios ad portionem congruam teneatur, omnes ad portionem congruam dandam interpellari poterunt; omnesque per provisionem respectivè pro ea parte qua decimis gaudent, ad congruam portionem condemnari; salva ipsis ulteriori inquisitione, quis eorum assignationi congruæ portionis specialiori titulo sit obstrictus: ne alias ob diuturniorem illam Decimatorum inter se disceptationem, Parocho sua interim desit sustentatio, atque ejus defectu cura animarum minus laudabiliter exerceatur. Ita judicatum refert Charondas *L.* 1. *Resp. cap.* 60. & novissimè in Senatu Brabantiæ pro incolis Parochiæ Gelensis contra Episcopum Antverpiensem, Abbatissam & Conventum de Roosendael, Capitulum S. Dymphæ in dicta Parochia Gelensi, & Pastorem Gelensem Decimatores.

Cum enim inter hos haud conveniret, quis ad congruam portionem dandam Presbyteris ad curam animarum in dicta Parochia necessariis teneretur, concluserunt dicti incolæ, ut hac controversia & disquisitione ipsis decimatoribus salvâ, saltem per provisionem ad congruam portionem condemnarentur; quam conclusionem probans Senatus Brabantiæ, declaravit, ad minus duos Presbyteros esse Parocho adjungendos, qui cum ipso functionibus Pastoralibus intenderent; quorum uni Parochus ipse ex suis Pastoralibus congruam sustentationem dare teneretur, alteri verò congrua portio centum pataconum annuè daretur à tribus aliis decimatoribus; salvâ ipsis inter se disquisitione vel conventione, quo ordine, aut pro qua parte ipsi ad hanc portionem concurrere debeant.

Idipsum asseritur in citato Edicto Regio de an. 1686.

IX. Exemplo quoque alimentorum in annos singulos testamento relictorum dicitur super portione congrua transigi non posse; sive eam per transactionem tolli non posse; uti post alios notat Rebuffus De portione congrua *num.* 91. dicens: "Etiam per transactionem „hæc congrua non tolletur portio, quæ cum sit alimen„torum loco, & modico contentus Vicarius transigere „posset, ideo non tollitur per transactionem, sicut nec „alimenta. *L. cum hiss. ff. de transaction.*

X. Verum si transactio bona fide, sine dolo aut fraude inita sit, haud facilè sanè, à simili transactione, prætextu non sufficientis alimentationis, ipse Vicarius qui ipse transegit, recedere potest; neque facilè petens augmentum portionis recipiendus esset.

XI. Si tamen mutatis circumstantiis, portio congrua pro qua conventum erat, facta esset planè insufficiens, vel etiam notoriè appareret, illum Vicarium nunc ex illa vivere non posse, non obstante illa transactione portio *congrua* sive sufficiens danda esset; uti monet Rebuffus *n.* 93.

XII. Si transactio inita sit inter Decimatores & Vicarium sine auctoritate Superiorum, hæc cum nullatenus ad ipsos successores Vicarii transeat, quos ipse Vicarius privata sua auctoritate obligare non potuit, etiam non impediet, quo minus hi augmentum portionis petere queant.

XIII. Transactio autem inita & confirmata auctoritate & consensu Superioris, puta Episcopi, firmior est; & non tantùm hunc præsentem Vicarium transigentem; sed & successores ipsius obligare solet. Unde & hi transactioni stare debent; & uti transactio super futuris alimentis valet auctore Prætore *L.* 8. *Cod. de Transact.* ita & hæc tenebit, tametsi super *alimentis* inita censeatur.

XIV. Si tamen portio *congrua* per transactionem constituta successu temporis fiat insufficiens, indubiè non obstante hac transactione augeri poterit, & debebit.

XV. Nulla quippe transactione aut conventione, vel positiva ordinatione, vel etiam longissimi temporis lapsu induci potest, ut negetur portio *congrua* seu sufficiens Parocho ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur: cum non humana, sed divina & naturali lege sanctum sit, ut os bovi trituranti non alligetur.

Quare Rebuffus loco citato *num.* 90. quærens, "an „portio congrua tolli queat? respondet, Non; quia non „debet ligari os bovis triturantis; & qui spiritualia se„minant, dignum est, ut metant temporalia.

XVI. Sicuti per transactionem tolli nequit portio *congrua*, eò quod cedat in locum alimentationis necessariæ; ita quoque nec compensatione retardari potest, uti notat Rebuffus ibidem *num.* 94. additque: „ideo non fuere auditi Decanus & Canonici S. Mar„celli volentes compensare expensas in parlamento fa„ctas in congrua portione, nec potuerunt uti aliqua „retentione pro illis contra Vicarium de *Genevilliers*: „& ita pronuntiavit Senatus anno 1524. die 27. Fe„bruarii.

XVII. Ad exemplum insuper alimentorum & ut Parocho & ministris Altaris certiùs & securiùs de honesta sustentatione provideretur, visum fuit, ut si fieri posset, in *re certa* portio congrua assignaretur; quemadmodum significat Synodus Tridentina *sess.* 7. *cap.* 7 *De Reform.* in verbis: *Portione etiam in* RE CERTA *assignanda.*

XVIII. Hinc videmus, quod Synodi aut etiam Principum Edicta, cum de portione congrua Parochorum aut Vicariorum assignanda vel determinanda agunt, nullibi aliquam decimarum partem assignent, sed certam & determinatam pecuniæ summam annuè pendendam.

XIX. Neque Parochi aut Vicarii aliquam Decimarum partem possidentes, dicuntur habere portionem congruam. Ut vel hinc appareat, portionem congruam propriè consistere in *re certa*: atque eum qui obligatur ad dandam portionem congruam, eam debere in *re certa* assignare; si Vicarius aut Parochus congruam portionem petat.

XX. Quare Vicarius seu Parochus possidens aliquam decimarum partem; adeo ut etiam ex illa possessione præsumatur aliqua decimarum partitio antiquitus fuisse facta inter Vicarium & Pastorem primitivum, tamen Decimas Pastori primitivo integras remittens, ad petendam congruam portionem admittitur, inquit Carolus Fevret. *lib.* 6. *de abusu cap.* 1. § 12.

Similiter ultimum Edictum Regis Galliæ de anno 1686. quo per totum Regnum portio congrua taxata est ad 300. libras Gallicas ultra casuale & decimas novales, dat optionem Vicariis perpetuis, renuntiandi decimis aliisque proventibus Ecclesiasticis, & acceptandi hanc portionem congruam.

XXI. Neque dubium apparet, quin Parochis ordinariè magis expediat portionem *congruam in re certa*, puta certa quantitate granorum, aut certa pecuniæ summa annuè solvenda, habere, quam aliquam portionem decimarum.

Quis

Quis enim nescit, quas curas secum trahat decimarum collectio, si eas Parochus seu Vicarius per se sive familiam suam faciat? Quæ sanè non modicum in functionibus pastoralibus impedimentum generant.

Si verò eas aliis elocet, quantæ ex ea elocatione natæ non sunt oriri difficultates & nonnumquam contentiones cum subditis, dum ab his solutio exigenda est? Quæ murmurationes & obloquia adversus Parochum hinc non nascitura timentur? Dum facilè sibi persuadent, in earum elocatione nimium à Parocho exigi, aut unum alteri ex quadam humana consideratione præferri; atque hinc affectus erga Parochum diminuitur, & charitas frigescit.

XXII. Cum ergò tantopere olim Sancti Patres desideraverint, ut Episcopi & Ministri Ecclesiæ ab omni rerum temporalium cura possent esse liberi, ut liberiùs ministerio verbi & orationi instare possent; quemadmodum videre est apud Chrysostomum *homilia* 57. *in Matthæum*; quidni meritò Parochi cæterique curam animarum gerentes, à decimarum cura & sollicitudine liberari eligent, certa eis portione annua in sustentationem assignata, quo liberius, & sine rerum corporalium curis & distractionibus toti possint ministerio verbi & orationi adinstar Apostolorum instantes esse.

XXIII. Et quidem portio contra *in reverta* assignata adeo firma & stabilis censetur, ut nec ob sterilitatem fructuum decimabilium, aut devastationem aliamve tempestatem minuenda veniat; uti tamquam indubitatum tradit Tournetius in sua Collectione Arrestorum *Litt. P. n.* 116, insuper addens, quod nec audiendus sit conductor decimarum, qui sub onere solvendi portionem congruam conduxerit, si solutionem prætextu sterilitatis aut devastationis fructuum negare velit. Verba ejus sunt *Puis qu'en France, comme plusieurs autres Royaumes & Seigneuries on a permis & accordé qu'autres que des Curez s'attribuent les dixmes des Parroisses en leur baillant quelque portion d'icelles pour leur nourriture & entretenement, il est raisonnable que ladite portion leur soit payée sans aucune diminution, ny moderation pour quelque cal..mité de troubles, ny d'autres desastres & adversitez que doivent porter ceux qui jouyssent des dixmes. Et ne sera receu le fermier ayant pris les dixmes à ferme, à la charge de payer certaine quantité de grains au Curé pour son gros, de luyen faire diminution pour telles occasions: ains se doit pourvoir à l'encontre de ceux, lesquels s'attribuans le droict des dixmes, luy en ont fait bail. Car la portion du Curé est comme une debte à luy deuë, ou dot estimée pour la charge qu'il aide l'Eglise & service qu'il fait à l'Autel. Ainsi a esté jugé par Arrest de la Cour pour un Curé, contre le fermier des dixmes, auquel son recours a esté reservé contre les Religieux Gros dixmeurs, du 15. Decembre* 1570 Id est. Quandoquidem in Gallia prout & pluribus aliis Regnis & ditionibus, permittatur & annuatur ut, alii præter Parochos decimas Parochorum possideant, aliquam earum partem deputando alimentationi & sustentationi Pastorum, æquum est ut dicta portio ipsis persolvatur absque ulla imminutione aut moderatione ratione calamitatum, turbationum, aliorumque infortuniorum & adversitatum quas iis, qui decimas gaudent damno esse oportet. Nec admittendum ut conductor qui decimas redemit sub onere persolvendi Parocho quantitatem pro portione constitutam, occasione talium fortuitorum aliquid ipsi detrahat: verum sibi caveat periculo eorum, qui sibi jus decimarum attribuentes illas elocarunt. Portio enim Parochi non secus quam debitum ipsi competit, aut dos supputata pro munere, quod Ecclesiæ prosit, & ministerio quod præstat altari. Ita judicatum ex senatus consulto in favorem Parochi adversus decimarum conductorem cui jus prosequendæ petitionis reservatum est contra Regulares decimarum possessores 15. Decembr. 1570.

XXIV. Et sanè hæc portio in certa granorum aut pecuniæ quantitate assignata non solvitur cum respectu fructuum hoc illove anno emergentium; sed datur in exsolutionem oneris impositi Capitulis aut Monasteriis in ipsa unione vel incorporatione aut translatione Decimarum: adeò ut onus dandi congruam portionem, in cujus redemptionem hæc granorum aut pecuniæ quantitas annuatim solvenda promittitur, non ipsis decimis, quæ *annuatim* realiter percipiuntur, sed juri decimandi, quod in Monasterium aut Capitulum translatum est, perpetuò inhæreat.

XXV. Et si subinde fructuum mentio fiat è quibus designata granorum quantitas sit solvenda, illa non taxationis, sed demonstrationis causa facta censetur, ut notat Joannes Tourner. *lit. P. cap.* 121. ut consequenter illis fructibus non natis, ex aliis eadem granorum quantitas exsolvenda sit & supplenda; quemadmodum in casu non absimili cibariorum & vestiariorum legatorum respondit Scævola in *L.* 12 *ff. de alimentis legatis*: nimirum cibaria integra ab hæredibus solvenda esse, tametsi ex fundis, quos Testator fideicommissi jure obligaverat, *ut ex reditu eorum alimenta supra scripta perciperent*, minores reditus provenerint, quàm est quantitas cibariorum & vestiariorum.

XXVI. Simili ratione si quis mediante transactione jus solvendi Decimas *certâ* quantitate pecuniæ annuè solvenda redemerit, hæc transactio, uti rectè notat Grimaudet *lib.* 3. *de Decimis cap.* 3. *num.* 10. est in utilitatem vel damnum possessoris fundi; eamque solvere tenetur, sive agrum suum colat, sive non; nec potest possessor fundi se à solutione eximere hac vulgari ratione, quod cessante causa Decimarum non teneatur solvere id quod vice decimarum promissum est quia mediante tali transactione, omnis casus fortuitus & evictionis ejus periculo sunt, ni fundus chasmate aliove casu esset absorptus & planè periisset.

Refert quoque Renatus Choppinus ex Panormitano, Teutonicos sive Germanos pro Decimis solvere annuatim certas mensuras granorum, quæ nec minuuntur nec augentur ob quamcumque fertilitatem aut sterilitatem supervenientem, *lib.* 3. *de Pol. Eccles. tit* 4. §. 4.

XXVII. Quidni igitur Monasteria & Capitula aliique Decimarum Possessores, quæ mediante certa granorum vel pecuniæ quantitate jus decimandi quodammodo sibi reservant, & quasi redimunt, casum fortuitum sustineant? præsertim cum & commodum fertilitatis accipiant; nihilque ob eam Parocho accedat.

XXVIII. Quamvis portio congrua consistens in certa granorum aut pecuniæ quantitate annuè solvenda, non debeat in rigore juris ob sterilitatem aut devastationem decimarum diminui aut remitti; tamen nonnumquam æquitas exigit, ut Parochus hic aliquam remissionem faciat; præsertim si ei commodè & honestè sit de congrua portione provisum; nec ipsæ decimæ notabilem summam ultra portionem congruam soleant Decimatoribus pendere: ipsique honestam sustentationem Parocho pro temporum miseria offerant.

CAPUT VI.

Quæ in portionem congruam imputanda?

1. *Quandonam aliqua dicantur imputari in portionem congruam?*
2. *Quando Decimator imputare aliqua possit.*
3. *De imputatione in portionem congruam loquuntur Synodi Belgicæ.*
4. *Parochus petens portionem congruam debet exhibere declarationem omnium bonorum & proventuum quæ ratione sua Ecclesiæ habet.*

5. *Certa emolumenta ratione Beneficii Parocho competentia in portionem congruam imputanda.*
6. *Decimæ etiam novales & minutæ imputandæ.*
7. *An hæ juxta Edictum Regis Galliæ in portionem congruam imputentur.*
8. *Proventus Beneficii Ecclesiæ Parochiali uniti imputandi.*
9. *Onera illius Beneficii à Parocho ferenda; unde & moderatè unienda sunt beneficia.*
10. *Proventus Parocho competentes alio titulo quàm beneficii Curati non sunt imputandi.*
11. *Aliquando proventus beneficii non uniti sunt imputandi.*
12. *Ex Decretis Synodorum etiam* accidentia *in portionem congruam imputanda.*
13. *Synodi loquuntur de accidentibus quæ ad aliquam* certam *summam annuam reduci possunt.*
14. *Quæ ad eam certitudinem redigi nequeunt, imputanda non sunt.*
15. *Hujus generis sunt oblationes quæ à* mera *liberalitate populi dependent.*
16. *Has ob suam incertitudinem non imputari tradunt Canonistæ.*
17. *Speciali titulo inconveniens est, ut oblationes in Sacramentorum administratione fieri solitæ imputentur*
18. *Ex hac imputatione sequeretur sordida illarum oblationum exactio.*
19. *Quin & suspecta conventiones.*
20. *Diminueretur populi erga sacras functiones reverentia*
21. *Sacerdotes facilè notam avaritiæ & turpis quæstus incurrerent*
22. *Nascentur pauperum murmura contra Sacerdotes.*
23. *Injustum est hisce oblationibus populum gravari.*
24. *Portio congrua ita taxanda ut Sacerdotes* gratis *& liberali animo Sacramenta administrare queant.*
25. *Decretum de hac re Synodi Colonensis anni 1636.*
26. *Idem Insinuat Synodus Colonensis anni 1549.*
27. *Idipsum postulatum ex parte Regis Galliæ in Concilio Trid.*
28. *Sperandum non est, Sacramenta gratis ut oportet administranda, ubi oblationes imputantur.*
29. *Perniciosum est honoraria Missarum in portionem congruam imputari.*
30. *Curandum ut sine respectu ad has oblationes & honoraria portio congrua assignetur.*
31. *Decimis sufficientibus de his portio congrua desumenda.*
32. *Decimis non sufficientibus per beneficiorum unionem potiùs quàm per has oblationes providendum.*
33. *Accidentia non omninò incerta, quæ sint?*
34. *Hæc accidentia ad certam summam redigi possunt.*
35. *De his loquuntur Synodi, dum accidentia in portionem computari volunt.*
36. *Major ratio ut in civitatibus, quàm pagis hæc in portionem computentur.*
37. *Videtur duntaxat à Synodis ob temporum duritiem horum accidentium imputatio tolerari.*
38. *Non debent cum nimio rigore hæc accidentia in portionem congruam imputari.*

I. Illa imputari dicuntur in portionem congruam, quorum in taxatione portionis congruæ ita ratio habetur, ut eorum intuitu portio congrua ad ratam illorum diminuatur; puta, ut portio congrua esset sufficiens requirerentur annuè octingenti floreni; sed quia Vicarius seu Parochus habet suo beneficio Parochiali seu Vicariæ annexos proventus pendentes annuè 400. florenos, portio congrua taxabitur ultra hos proventus ad 400. florenos solvendos ab iis qui oneri solvendæ portionis congruæ sunt subjecti: quæ summa unâ cum valore annuo illorum proventuum simul conficiunt integram portionem congruam sive competentiam 800. florenorum, quæ judicatur sufficiens Rectoris & Parochiæ necessitati.

II. Si contingat ab Episcopo taxari portionem congruam abstractim ab omni eo, quod ipse Vicarius habet in annuis proventibus qui in portionem congruam ex juris vel consuetudinis dispositione imputari consueverunt, tunc ipse Decimator ad cujus onus spectat solutio portionis congruæ, detaxata portione tantùm diminuet, quantum annuè valere æstimantur proventus Pastorales, quos Vicarius retinet; & quod his computatis sive imputatis portioni taxatæ deerit supplere debebit.

III. De hac computatione seu imputatione loquitur Synodus Mechliniensis titulo *De Decanis & Pastoribus*, ubi mandat, ab Episcopis assignari portionem congruam computatis certis fructibus & emolumentis. De eadem imputatione simili modo loquitur Synodus P. II. Cameracensis *tit. 14 cap. 9.*

IV. Ut autem hæc computatio sive imputatio justè fiat, atque omnium quæ imputanda sunt æqua ratio haberi queat; & justa portionis taxatio fieri, mandat Synodus D. Mechliniensis *tit. 16. cap. 4.* "Ut Pastor quilibet
„ de Canonica portione summariè & de plano sibi pro-
„ videri desiderans, ante omnia exhibeat nobis, Vicario
„ aut Officiali nostro, libellum supplicem, in quo conti-
„ neatur, cuive annexa sit plena, eaque particularis &
„ proprio juramento firmata declaratio bonorum, quæ
„ ratione Ecclesiæ suæ parochialis ipsi competunt. Ne-
„ que certi tantùm fructus & emolumenta expriman-
„ tur, sed incerta quoque & accidentalia trium aut qua-
„ tuor communium annorum ultimo præteritorum.

Idipsum injungit Synodus Camerac. P. II *tit. 14 cap. 7.* addens, & *onerum annexorum, quæ deduci debebunt*, declarationem adjungendam.

Duo sunt quorum rationem in taxanda portione habendam indicant hæ Synodi.

V. Primò, omnium *certorum* fructuum & emolumentorum, quæ *ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi* (Pastori) *competunt*.

Hæc imputanda esse nemo dubitat. Cum enim portio congrua detur, ut Pastori & Parochiæ necessitati sit provisum, consequens est, quod si *certa* emolumenta quæ ratione Ecclesiæ Parochialis percipit, pro parte congruæ sustentationi Vicarii satisfaciant, tantum suppleatur id quod ad integram sustentationem Parochi, & Parochiæ necessitatem deesse deprehenditur.

Unde Rebuffus in suo tractatu de portione congrua *num.* 85. quærens quæ debeant Vicario computari in congrua portione, respondet: " *Omnia certa* quæ ha-
„ bet ratione sui Beneficii seu Vicariæ; & sic omnia quæ
„ jure suo habet Ecclesia, ei computantur pro portione
„ congrua.

VI. Itaque si Vicario competant aliquæ decimæ, etiam novales vel minutæ, hæ indubiè in portionem congruam imputandæ sunt; hoc est, earum ratio haberi debebit, ut attento annuo valore illarum decimarum portio hæc major aut minor debeatur; sive plus minusve supplendum sit ab iis, quibus onus portionis congruæ incumbit.

VII. In Edicto Regis Galliæ de anno 1686. quo portio congrua Vicariorum & Pastorum taxatur ad 300. libras gallicas conficientes centum patacones monetæ Brabanticæ, excipiuntur decimæ novales ex terris, quæ post acceptatam à Vicariis & Pastoribus hanc portionem, ad culturam redigentur; quas ultra portionem Vicarii & Pastores recipere poterunt

Verum licet ob has decimas *novales* taxata hæc portio

Dig

tio diminui nequeat; sed integra à Decimatoribus majoribus seu *grossis*, ut vocant, solvi debeat, nihilominus admodum verisimile est, in determinanda hac portione habitam fuisse rationem decimarum *novalium*, quæ verisimiliter in Parochis futuræ creduntur: atque ita ex ipsa in congruam portionem esse imputatas.

VIII. Similiter si Beneficium simplex, aut aliqua fundatio auctoritate Episcopi unita sive incorporata sit Beneficio curato, indubiè proventus illius sunt computandi in portionem congruam; quandoquidem per unionem sive incorporationem, proventus hujus uniti Beneficii vel fundationis sint facti proventus Beneficii Curati; idque eo maximè intuitu, ut per illius proventus Parocho de congrua portione esset provisum.

IX. Cumque per similem incorporationem Beneficium incorporatum quodammodo supprimatur, & in Beneficium Curatum, cui incorporatum est, quasi transfundatur, hinc est, quod onera Beneficii simplicis, etiam in Beneficium Curatum transeant; & onera Beneficii Curati post incorporationem reputentur; ac propterea Curatus ea onera tamquam sua propria subire teneatur.

Quare, ut superius monui, in unione sive incorporatione Beneficiorum aut fundationum attendendum, ne occasione hujusmodi incorporationum, tot onera Parocho imponantur, ut necessariis suis functionibus Pastoralibus ritè fungendis minimè sufficiat. Ipse quoque judex in determinanda portione, dum rationem proventuum Beneficiorum unitorum sive incorporatorum habet, indubiè & onerum, ratione illorum Beneficiorum unitorum parocho incumbentium, habeat necesse est.

X. Supra citata Synodus Mechliniensis volens libello supplici in materia portionis congruæ annecti declarationem omnium bonorum expresè addit: *quæ ratione Ecclesia sua Parochialis ipsi competunt*: innuens quod ea quæ aliundè habet, non sint imputanda; quod & Rebuffus loco citato notavit.

Exemplum assignat ibidem Rebuffus *num. 88.* " Si „ nobilis ob sacellum vel ædiculam in Ecclesia con„ structam dat pensionem Vicario, non debet compu„ tari in congrua portione: quia hoc non habet ratione „ sui Beneficii, sed capellæ fundatæ ibi. " Addi & hoc posset, quod intentio hujus nobilis non sit, eam pensionem induci in competentiam parochi aut Vicarii; sed eam ipsi tamquam sibi *specialiter* servienti dare sine respectu ad portionem congruam, quam ab aliis accipere debet.

XI. Si enim aliquod Beneficium citra unionem aut incorporationem Vicario conferatur ab Episcopo, ut proventus illius ipsi in portionem congruam serviant; idque auctoritate clausulæ in Concilio Tridentino adjectæ: *aut quâ commodiori ei videbitur ratione*, indubiè hi proventus computandi erunt: quia quamvis non competant Vicario propriè *ratione Ecclesiæ suæ Parochialis*, sed alterius Beneficii tamen quia ab Episcopo Beneficium collatum fuit, ut per proventus illius Vicario esset *sufficienter* provisum, videtur consequenter Beneficium ipsi competere tamquam Vicario & ratione Vicariæ, ob cujus insufficientiam Beneficium cum proventibus ipsi datum est.

XII. Præter certos fructus & certa emolumenta, vult insuper citata Synodus Mechliniensis exhiberi cum libello supplice, quo petitur summariè portio Canonica assignari, *incerta quoque accidentia trium aut quatuor communium annorum ultimò præteritorum*: idque conformiter ad Synodos Provinciales Mechl. quæ volunt portionem congruam confici computatis non tantum *certis* fructibus & emolumentis, sed etiam, " *incertis* „ seu *accidentalibus*, quæ ad certam summam communi„ bus tribus aut 4 annis ultimò præteritis redigi possunt,

XIII. Supponit ergo Synodus *accidentia* in portionem congruam imputanda, esse talia, ut ad *certam* summam, inspectis communibus tribus aut quatuor annis ultimò præteritis redigi possint: ut hac reductione facta, non *incerta*, sed quodammodo *certa* emolumenta dici possint, & portio congrua super iis assignata censeri aliquo modo queat constituta in re *certa*.

XIV. Hinc facilè est concludere, nullatenus ex mente harum Synodorum imputandas, oblationes sive accidentia illa quæ omninò sunt *incerta*, nec facilè ad aliquam certitudinem redigi possunt.

XV. Hujus generis sunt oblationes ex mera plebis liberalitate pendulæ ac profluæ, quæ nec exigi possunt; sed ob ancipitem populi favorem, ministrorum gratiositati, temporumque, ac mercaturæ prosperitati se attemperantem, aliasve circumstantias semper admodum sunt incertæ; neque à parochis annotari solent, sed gratiosè prout offeruntur, accipi: ideoque nec facile ad certam summam, computatis retro aliquot annis, reduci possunt; cujus generis sunt, quæ passim in administratione Baptismi, Viatici, Extremæ Unctionis atque mulierum purificatione dari consueverunt; quæ nullo modo in competentiam imputari possunt.

XVI. Has oblationes tamquam planè incertas non esse computandas in portionem congruam communiter tradunt Canonistæ.

Quapropter Grimaudetius in tractatu *De Decimis lib. 2. cap.* 8. postquam *num.* 29. dixit, portionem congruam Vicario assignandam ex rebus *certis*, tamquam consequens subjungit *num.* 30 oblationes *incertas*, quæ ad certitudinem redigi nequeunt, imputandos non esse.

XVII. Præter incertitudinem, quæ in oblationibus in administrationis Sacramentorum præsertim Baptismi, Eucharistiæ vel Viatici aut Extremæ Unctionis fieri solitis, occurrit, & eas incompetentiam imputari vetat, plura præterea sunt; quæ persuadent, hasce in hanc portionem non imputandas; neque earum in determinatione & taxatione portionis, eam rationem habendam, ut Vicarius seu Pastor aliive Sacerdotes Curam animarum sustinentes ex illis oblationibus sustentationem necessariam accipere cogantur: sive ut portio ipsa congrua harum oblationum intuitu ad tam modicam quantitatē taxetur, ut deficientibus hisce oblationibus, etiam honesta sustentatio Presbyteris illis sit defutura.

XVIII Dum enim Sacerdotes ex oblationibus occasione Sacramentorum administrationis fieri solitis, honestam sustentationem habere coguntur etiam quadam necessitate adiguntur, ut hasce oblationes, si non directè & explicitè, saltem indirectè & implicitè exigant.

XIX. Eadem necessitate comparandi necessaria vitæ subsidia continget, ut ad sordidas & de Simonia, aut saltem turpi quæstu & avaritia multum suspectas conventiones & pactiones delabentur.

Quantopere autem omnes omnino pactiones & exactiones in administratione Sacramentorum Canones exhorreant, & uno consensu Synodi nostræ Belgicæ veterint supra *titulo* 1. *cap.* 3. annotavimus; ut vel ex illis Decretis appareat, à mente Synodorum planè alienum esse, ut similes oblationes in congruam portionem Pastorum imputarentur.

XX. Adhæc quis non videt, quantopere erga sacras functiones & Sacramenta diminuatur populi reverentia & de eorum dignitate Idæa, dum videt, quod illa Sacerdotum victui subservire debeant, videnturque ea respectu Sacerdotum esse adinstar artis de pane lucrando.

XXI. Præterea dum Sacerdotes ex illis victitare debent idque populus non ignorat, persuasum facilè populo est, quod in administratione Sacramentorum, aliisve sacris functionibus semper aliquid offerre debeat; & quidem pro ea conditione, qua vulgo quisque reputatur,

tatur, & nî offerat, avaritiæ, aut etiam injustitiæ quamdam notam se incursurum; quasi subtrahantur ea, è quibus Sacerdotes vivere debent.

XXII. Quis verò sat eloquatur, quæ inde pauperum, præsertim quorum paupertas publicè nota non est, murmura atque obloquia; quod nihil in Ecclesia *gratis* dari videatur; omniaque ad Sacerdotum quæstum ac pauperum oppressionem in Ecclesia appareant inventa.

XXIII. Denique justum non est; plebi populoque gravamina, indies excrescentia continuè & sine intermissione per Ecclesiasticos injici; quod contingit, dum Monasteria & Capitula Decimas à plebe ac populo recipiunt, nec sufficientem ex illis, Parochis cæterisque curam animarum sustinentibus portionem assignant; sed eos cogunt, ut emendicatis, & quasi extorris plebis oblationibus sustentationem quærant; atque ita ultra Decimas Parochorum sustentationi sufficientes, misera plebs ad similes oblationes sensim cogitur; cum tamen Decimis sufficientibus ab omni ulteriori contributione pro Parochi alimentatione plebs absolvi deberet.

XXIV. Ut itaque hæc aliaque incommoda præveniantur, congrua portio ita determinanda, & taxanda, ut Sacerdotes liberali animo, & ab omni spe temporalis retributionis libero possint Sacramenta populo administrare; quemadmodum seculo præterito desiderabant, & monebant patres Concilii Coloniensis anno 1536.

XXV. Hi quidem volentes de victu Parochorum dispicere, præmittendum duxerunt, quod Christus docuit, & sacri Canones maximè seriò percipiunt, nempè ut Sacramenta Ecclesiastica *gratis* ministrentur.

Sed quia prævidebant id haud facilè obtinendum, nisi portio congrua Parochis detur, quæ eos ad quærenda vitæ subsidia ex administratione Sacramentorum non cogat, immediatè subjungunt: " At cum lex divina „ præcipiat, non alligandum os bovi trituranti........ „ dispiciendum est, ut Parochis Evangelii prædicatori- „ bus *certa ac competens* subministratio victus & vesti- „ tus fiat, *idque ad eum modum, ne in administrandis* „ *Sacramentis quidpiam exigendo oneri sint Parochianis.*" *parte 8. cap. 2*

XXVI. Et alterum Coloniense Concilium anno 1549. *Medio* III. *capit.* 10. " Si portio Vicariorum sit „ accisa, nec sufficiat, ut honestè ac decenter ex ea viva- „ tur, ne ea causa sit cur animæ negligantur, aut desera- „ tur officium, vel ad *curas sordidas* Pastor ille pro victu „ comparando adigatur, mandat & decernit ut justa „ portio secundùm reformationem ei de *Decimis* Col- „ legii vel Monasterii *bonis* assignetur, sive per Episco- „ pum loci, sive per ejus visitatores.

XXVII. Inter articulos qui nomine Caroli IX. ad reformationem Ecclesiæ oblati fuêre Patribus Concilii Tridentini erat hic 16. " Ut à Sacerdotali ordine sor- „ des omnes, & omnis avaritiæ labes procul expellan- „ tur, nec ullo prætextu pro rebus Divinis quidquam ex- „ igatur, curet Episcopus, aut per unionem beneficio- „ rum, aut Decimarum assignationem: & si id fieri non „ poterit commodè, Principes provideant, ut per Paro- „ chianorum symbola & collectas, Plebanus, & cum eo „ duo aut plures Clerici habeant, unde vitam congruè „ traducant & hospitalitatem præbeant.

XXVIII. Hæc sat evincunt, creditum fuisse, nequaquam sperandum esse, ut Sacramenta omninò *gratis* administrentur; nec *pro rebus divinis quidquam exigatur*, vel à Sacerdotali Ordine *sordes omnes* & omnis *avaritiæ labes procul expellantur*, nisi Sacerdotibus portio talis assignetur, quæ independenter ab oblationibus in Sacramentorum administratione recipiendis, sit verè *congrua* & *competens*. Quare in nullis Synodis legitur, portionem congruam ex similibus oblationibus conflandam.

XXIX. Quam indignum, quamque perniciosum sit, Sacerdotes debere ex quotidianis Missarum stipendiis victitare, latè ostendimus supra *titulo 5. cap. 6.* Ex quo facilè intelligi poterit, non minus, imò magis indignum esse, & perniciosum, hæc honoraria Missarum imputari in portionem congruam, quàm oblationes in administratione Sacramentorum dari consuetas.

XXX. Meritò ergò soliciti sunt Episcopi, aliique etiam Civiles Magistratus, quibus assignatio portionis congruæ incumbit, ut de illa Sacerdotibus curam animarum sustinentibus eo modo provideatur, ut omnes illæ scabiosæ & sordidæ exactiones à Sacerdotali Ordine procul repellantur; neque Sacerdotibus necessitas quodammodo injiciatur, ob defectum subsidiorum temporalium ad illas deflectendi.

XXXI. Sanè si decimæ sint sufficientes ad portionem congruam, nequaquam æquum est, ut Decimatores curam animarum non sustinentes decimas percipiant, & Sacerdotes in cura animarum laborantes ad has scabiosas exactiones à necessitate cogantur; ipsaque plebs ad eas dandas quodammodò cogatur.

Unde de his suspectis exactionibus in administratione Sacramentorum loquens Christianus Lupus Dissertatione 2. procemiali ad totum 3. Schol. in Canones *cap. 7.* ait: " Episcopi & alii jam dictas decimas possi- „ dentes Prælati, eorumque Capitula & Monasteria, „ RIGIDUM coram Deo onus portant dandæ Paro- „ chis sustentationis integræ, & MISERAS plebes „ liberandi ab exactionibus variis, SUSPECTIS „ & OFFENSIVIS, ad quas isti à paupertate co- „ guntur,

XXXII. Si verò decimæ non sint: ut in civitatibus nonnunquam contingit, poterit Parochis, aliisque Sacerdotibus de portione congrua provideri per Beneficiorum potiùs unionem vel suppressionem; quæ in civitatibus solent esse frequentiora.

Et sanè dolendum, quod videamus plurimos passim in civitatibus seu Capellanos seu Canonicos otiosam planè, quin raro scandalosam & mollem vitam ducentes ex proventibus Ecclesiasticis; & parochis ac Sacerdotibus curam animarum sustinentibus & strenuè laborantibus vix vitæ necessaria subministrari; & quasi mendicos ferè ex oblationibus illis & honorariis victitare debere. Qualis abusus! Meritò omni modo Superiorum auctoritate extirpandus!

XXXIII. Præter has incertas planè & ab arbitrio ac plena populi liberalitate pendentes oblationes seu accidentia, sunt alia quædam accidentia; quæ licet in sua origine veram oblationum naturam habuerint, paulatim tamen in taxata jura, ad quæ etiam populus juridicè cogi subinde potest, transiverunt; qualia sunt jura *funeratia*; quæ plerisque in locis auctoritate Ecclesiastica & Civili constituta ac taxata sunt; quemadmodum infra titulo *De Sepulturis* ostendetur.

XXXIV. Hæc itaque accidentia, quia non omninò à voluntate & arbitrio populi dependent, & tamquam taxata jura pastoralia annotari solent, non ita incerta sunt; nec tot mutationibus obnoxia, quemadmodum oblationes illæ minutiores à *mera* liberalitate populi pendulæ; possuntque facilius computatis tribus aut quatuor retro annis ad certam summam redigi.

XXXV. De his *accidentibus* intelligendæ sunt Synodi, dum in taxanda portione congrua rationem habere volunt accidentium, quæ *ad certam summam communibus tribus vel quatuor annis ultimo præteritis redigi possunt.*

XXXVI. Synodus P. II. Cameracensis tit. De Decimis *cap. 9.* vult, " ut Ordinarius habebit rationem in æsti- „ matione (portionis) valoris bonorum cujusve Paro- „ chiæ, quod *urbes tantum* eorum accidentium, quæ tri- „ bus aut quatuor annis simul computatis *aliqualiter* ad „ suum valorem in singulos annos reduci possunt.

Non

Non sat liquet, num tò *tantum* referatur ad vocem *accidentium*, an verò ad vocem *urbes*: ut sensus esset; *tantum* quoad urbes rationem accidentium illorum habendam esse.

Et revera non obscura ratio est, cur potiùs horum accidentium haberetur ratio in portione Parochorum in urbibus, quam in pagis. Cum enim hæc accidentia, sive jura funeralia auctoritate superiorum taxata & populo imposita habeant speciem quamdam collectarum, æquum non apparet, ut hac populo imponantur, ubi decimæ sunt sufficientes, ut in pagis esse solent; secus in civitatibus, ob abolitas jam pridem decimas personales.

XXXVII. Addit eadem Synodus *cap* 10. " Si tamen „ in aliquibus locis, accidentia in æstimationem non „ venire jam usu receptum fuerit, declarat sacra Syno„ dus, suæ intentionis non esse, ut ab illo usu in præjudi„ cium Pastorum recedatur.

Hic non obscurè insinuat Synodus, non esse omninò ex voto, quod hæc accidentia in competentiam Pastorum imputentur; sed id potiùs ex necessitate tolerari & admitti; cum scilicet aliter Parochorum & Parochiæ necessitatibus succurri nequit.

Nec mirum: cum nemo nesciat, quam malè sæpè apud populum hæc jurium sive accidentium exactio oleat, & populum offendat; quamque sacri Canones exhorreant, quod Sacerdotibus ex mortuorum cadaveribus sua compendia quærere videantur; uti latius infra titulo De Sepulturis ostendetur.

XXXVIII. Rebuffus in Tractatu de portione congrua *n.* 87. fatetur, incerta posse in portionem computari, si possint ad certam summam reduci; addit tamen: *Sed non ita exactè computabuntur sicut certa.*

Neque revera cum ea exactitudine, hæc accidentia ob eorum incertitudinem computari possunt, sicut *certi* proventus: neque etiam convenit, ut cum omni rigore eorum valor imputetur: ne aliàs Parochus à necessitate quodammodò coactus, jubeatur illa etiam cum nimio rigore à suis Parochianis, non sine offensione, & nota avaritiæ exigere.

CAPUT VII.

Per quos, & coram quibus Portio congrua petenda?

1. *Vicarius perpetuus habet jus petendi portionem congruam.*
2. *Parocho negligente quando Episcopus assignationem portionis urgere queat?*
3. *Episcopi vi sui officii allaborare debent, ut Ecclesiis Parochialibus de portione congrua sit provisum.*
4. *Id indicant Decretales, & Synodus Tridentina.*
5. *Parochiani portionem congruam pro Presbyteris sibi necessariis petere possunt.*
6. *Synodus Antverpiensis vult ut Communitas agat ad portionem congruam.*
7. *Etiam pro Presbyteris Parocho in adjutorium adjungendis.*
8. *Portio congrua subinde assignata pro pluribus Presbyteris non habito judicio Ordinarii.*
9. *De Jure cognitio de portione congrua spectat ad Ordinarium.*
10. *Quæstio de portione congrua in possessorio hodie agitur coram judice regio.*
11. *Judex laicus* provisionaliter *pronuntiat super portione congrua.*
12. *Edictum Regis Galliæ reservat cognitionem judicibus Regiis.*
13. *Edictum Principum nostrorum vult per Regios Magistratus executioni mandari quod per Ordinarios fuerit determinatum.*
14. *Eodem Edicto mandatur Magistratibus Regiis ut Ordinariis defectuosis in assignanda portione, ipsi provideant.*
15. *Quomodo conformiter ad hoc Edictum soleat portio congrua peti.*
16. *Sententia* provisionalis *Senatus Regiis qualem effectum habeat.*
17. *Petitorum super portione congrua hodie institui non solet.*
18. *Dum portio congrua petitur super decimis* infeudatis, *etiam petitorium spectat hodie ad judices Regios.*

I. Portionem congruam peti posse per Vicarium perpetuum, in cujus sustentationem principaliter cedit, dubium non est. Imò non tantùm suis propriis necessitatibus, sed & Presbyterorum, qui ad curam animarum laudabiliter exercendam necessarii sunt, sufficientem petere posse, supra *cap.* 2. notavimus.

II. Si Parochus seu Vicarius perpetuus esset negligens in adjungendis sibi Presbyteris necessariis ad curam animarum laudabiliter exercendam; & Episcopus judicaverit propter amplitudinem & extensionem Parochiæ plures Presbyteros necessarios; aut in Ecclesia aliqua succursali requiri Presbyterum, qui ibidem resideat, & populi circa illam Ecclesiam commorantis curam habeat, ob distantiam ab Ecclesia Parochiali, poterit Episcopus Parocho negligente ad portionem congruam cogere ipsos Decimatores, aliosve ad quos ejus solutio spectat. Quin & Vicarium hujusmodi Ecclesiæ Succursali auctoritate Episcopi præpositum ad portionem congruam, Parocho negligente, agere posse judicatum refert Joannes Tournetius Litt. P. *numer.* 119.

III. Et sanè cùm intersit Episcopi, ut ipsis Ecclesiis Parochialibus sit bene provisum de idoneis Ministris; & his nihil desit, quo minus cura animarum per ipsos laudabiliter exerceatur, dubitari nequit, quin Episcopus meritò omni modo allaboret & agat, ut portio congrua Vicario perpetuo, aliisque Presbyteris ad curam animarum sustinendam requisitis assignetur.

IV. Id non obscurè innuit *Cap.* 1. *De Præbendis in 6.* dicens, per Sedem Apostolicam olim constitutum, ut Diœcesani nullum ad præsentationem Religiosorum ad aliquam Ecclesiam recipiant, nisi tantum ei de proventibus ipsius Ecclesiæ coram eis fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere Ipsa quoque Synodus Tridentina *sess.* 7 *cap.* 7. item *sess.* 24. *cap.* 13. *De Reformat.* curam procurandi congruam portionem Episcopis committit.

V. Ad portionem congruam etiam agere possunt Parochiani sive Incolæ Ecclesiæ Parochialis, eò quòd, uti rectè advertit Zypæus *Consult.* 6. *num.* 1. *De Parochiis*, " sua interest bonum habere Parochum; eum„ que commodius sint semper inventuri, si dos detur „ liberalis. Qua ex consideratione, tametsi laicus per „ Canones non possit accusare Clericum; tamen licet „ laico Parochiano suum Prælatum denuntiare. Pluri„ mum enim interest laicorum, habere bonos Præ„ latos. " Ita Zypæus ex Julio Claro aliisque ibi ci„ tatis.

VI. Et Synodus Antverpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 14. vult, quod si per Patronos Ecclesiis Parochialibus de portione congrua non fuerit provisum, tunc Ecclesia Parochiali vacante, *Communitas ipsa*, curante seu monente Decano Christianitatis, Episcopo, aut Officiali ipsius offerat libellum.

Digitized by Google

VII. Si Synodus velit per ipsam Communitatem offerri libellum pro habenda portione congrua ubi Ecclesiæ provisum non est de Pastore; quidni eadem ratione Communitas ipsa libellum offerre poterit pro portione congrua Presbyterorum, qui ultra ipsum Parochum pro sustinenda cura animarum sunt necessarii; si ipse Parochus, ob aliquod forsan proprium interesse hanc portionem petere, & presbyteros assumere negligat? Atque ita ad petendam congruam portionem pro Presbyteris illis subsidiariis admisit Senatus Brabantiæ Incolas Gelenses in Diœcesi Buscoducensi; condemnavitque Decimatores, inter quos erat ipse Parochus, ad intertinendos duos Presbyteros, quorum unus esset ad onus solius Parochi, alter verò ad onus aliorum Decimatorum assignatâ singulis portione congruâ centum pataconum ultra accidentia. Ita judicatum 14. Martii 1684.

VIII. In hac causa & illud notandum occurrit. Licet Decimatores opponerent, propriè ad Vicarium Apostolicum Buscoducensem spectare Presbyteros sive Vicarios ad curam parochiæ necessarios designare; ipsum verò hactenus non judicasse, eos esse necessarios, nihilominus Senatus considerans Parochiæ illius amplitudinem atque extensionem, nec non populum adeò esse numerosum, ut evidens esset unum Rectorem non posse sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ritè administrandis, cæterisque functionibus Pastoralibus obeundis, judicavit Parocho alios duos Presbyteros adjungendos.

IX. Sive jus commune, sive Concilium Tridentinum atque Synodos Belgicas spectemus, cognitio & determinatio portionis ad Ordinarium loci spectat; idque etiam contra exemptos *Cap. 1. de præb. in 6. Clem. unica de jure Patronatus Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. & sess. 24. cap. 13 de reformat.* Ideòque etiam à Senatu Regio litigantes super hac materia ad Episcopum remissi fuêre; ut videre est apud Broudeau in notis ad Lovetium *litt. C. num.* 48. & Choppinum *lib. 3. de S. P. titul.* 4. §. 8.

X. Verùm cum moribus Belgii & vicinarum Provinciarum obtineat, quod Episcopi de possessorio rerum etiam spiritualium, ac singulariter de possessorio Decimarum non cognoscant: ideòque nec per provisionem possessionem adjudicare queant; hinc fit, ut quæstio super congrua portione seu competentia hodie passim ad Judices Regios devolvatur; ut hi saltem per *provisionem* congruam portionem assignent.

XI. Unde Antonius Faber in Codice *tit. de jurisd. omnium judicum definit.* 18 postquam dixit de congruæ portionis debito cognoscere judicem laicum non posse, quoniam ea res ad Ordinarii cognitionem pertinet, subjungit: " Obtinuit tamen præsertim apud Gallos, & apud nos, ut de eo Judex laicus incidenter saltem & „ *provisionaliter* pronuntiet. Neque id per usurpationem „ dumtaxat & sine ratione, ut quidam calumniantur, „ sed vel ob id maximè, quod cum lis super petitorio coram judice Ecclesiastico magnas plerumque moras secum trahat, permittendum non est, curionem & parochum laborare interim inopiâ & alimentis destitutum „ necessariis animarum sibi commissarum curam salutemque deserere. Interest namque Principis & Reipublicæ provideri, ne quid tale accidat. Ideòque & ad Principem, Principisque Magistratus ea cura pertinet, non solùm si parochus probet se esse in quasi possessione percipiendæ congruæ portionis (qui casus nullam haberet dubitationem, cum etiam in beneficialibus possessorii cognitio ad Judicem laicum spectet, ut sæpius diximus) sed etiamsi nulla possessionis ejusmodi probatio adferatur.

XII. Et in Edicto Regis Galliæ de anno 1686. super portione congrua, executio ejusdem, nec non determinatio seu decisio difficultatum, quæ moveri possent super ejusdem intellectu, defertur in prima instantia Ballivis & Senechallis Regiis, & in casum appellationis Curiis Regiis.

XIII. Edictum Principum nostrorum ad Synodum Mechliniensem *art. 15*, injungit Judicibus Regiis, ut promptè & indilatè exequi mandent per suos apparitores, quidquid in hac materia congruæ portionis sive competentiæ Pastoralis fuerit vel provisionaliter vel definitivè per Episcopos ordinatum.

XIV. Ulterius eodem Edicto *art. 16* declarant Principes, esse suam mentem, ut si contingat ipsos Ordinarios fore defectuosos in assignanda hac portione sive competentia ipsis Parochis, tunc licebit Pastoribus recurrere ad Concilia Regia suarum respectivè Diœcesium, ut ad ipsorum querelas hac in parte provideatur, præsertim intervenientibus, si opus sit, Fiscalibus Regiis.

XV. Conformiter ad hoc Edictum, solent Parochi pro taxatione portionis congruæ offerre libellum supplicem Ordinario; quâ taxatâ si Decimatores eam dare recusent, pro executione ejus quod Ordinarius decrevit, ad Senatum Regium recursum habent: quem similiter instituunt, si ipse Ordinarius recuset, vel sit in mora providendi de portione congrua; seu competentia, vel nullam assignando; vel assignando talem, quæ omnibus attentis *congrua* seu *competens* non creditur: quo casu petitur, ut saltem per provisionem portio congrua per judices Regios assignetur, & adjudicetur.

XVI. Et quidem hæc sententia *provisionalis* (ait Broudeau loco citato) manet, & executioni mandatur donec per tres sententias conformes coram judice Ecclesiastico petitorium plenè fuerit evacuatum: & hæc est, ait, praxis Curiæ, pluribus arrestis confirmata notatque, Officiali Curiæ Ecclesiasticæ fas non esse, pendente petitorio, Vicario minorem portionem assignare per provisionem, quàm Judex Regius assignaverat: & ita judicatum 12 Feb. 1637.

XVII. Non solet hodie super portione congrua coram judice Ecclesiastico petitorium institui; sed re in possessorio decisâ, consuevit plenum effectum sortiri: tum quod causa in petitorio ob varias appellationes & tricas in annos plurimos protrahi posset; tum quod in ipso *possessorio* omnia merita causæ ita soleant discuti & examinari, ut vix aliquid supersit in petitorio producendum vel allegandum, quod non fuerit in *possessorio* productum & allegatum; tam circa ea quæ *juris* sunt, quam *facti*.

XVIII. Cùm cognitio de decimis *infeudatis* hodie privativè etiam quoad *petitorium* spectet ad Tribunalia Regia, ut supra *cap.* 5. notatum est, & portio congrua ex decimis infeudatis desumenda, sit quasi pars illarum decimarum; consequenter & cognitio de portione congrua quæ prætenditur ex decimis infeudatis omnimodè devoluta est moribus nostris ad Tribunal Regium: nec potest Judex Ecclesiasticus ullatenus cognoscere de congrua portione, si Decimæ è quibus portio petitur, à Laicis possideantur, & *infeudatæ* esse prætendantur. Vide latè Broudeau ad Lovetium loco citato Et Rebuffum tract. de portione congrua q. 7. ubi asserit, quod anno 1557. " remissa fuit causa ad Judicem Regium „ cujusdam Curati, qui petebat Decimas coram Judice „ Ecclesiastico & portionem congruam, à quo fuerat „ appellatum tamquam abusu, dicens Decimas esse *infeudatas*, & abusivè judicatum decrevit Curia. " Plura arresta simmilia notat Tournet, *litt. P. cap.* 108.

CAPUT VIII.

De Domo Pastorali; an sub Portione congrua comprehendatur; & cui onus etiam exstruendi & reparandi incumbat?

1. *Habitatio venit nomine alimentorum.*

2. *Parocho de convenienti habitatione providendum.*
3. *Ratio quæ suadere videtur eam sub portione congrua comprehendi.*
4. *Spectata natura portionis congruæ meritò dubitatur, an domus Pastoralis comprehendatur.*
5. *Ratio dubitandi.*
6. *In taxatione congruæ portionis non solet comprehendi domus Pastoralis; neque obligatio illam solvendi, insert obligationem solvendi hanc.*
7. *Consuetudo locorum varia est quoad personas huic oneri subjectas.*
8. *In locis olim Episcopo Leodiensi subjectis onus exstruendi domum Pastoralem incumbit Incolis.*
9. *Decretum Archidiaconatus Hasbaniæ de hoc onere.*
10. *In Gallia sæpius judicatum ad Parochianos spectare primam domus Pastoralis exstructionem.*
11. *Hodie in Gallia videtur onus illud portionis partim Parochianis partim Decimatoribus incumbere.*
12. *Domus Pastoralis consideratur ut appendix Ecclesiæ Parochialis.*
13. *Hinc condemnatus ad reparandam Ecclesiam prætenditur condemnatus ad reparandam domum.*
14. *Consequenter reparatio domus iisdem Legibus regitur quibus reparatio Ecclesiæ.*
15. *Edictum Regium de onere exstruendi & reparandi domum Pastoralem in Flandria.*
16. *In Edicto videntur ab hoc onere eximi Incolæ.*
17. *Reparatio domus & reparatio Ecclesiæ conjunguntur.*
18. *Edictum supponit utramque reparationem iisdem legibus regi.*
19. *Si Edicta super reparatione Ecclesiarum servari debeant in reparatione domus, rectè dicitur onus hujus reparationis ad Decimatores pertinere.*
20. *Circa onus hoc quid attendendum.*
21. *Quid in exstructione domus circa formam considerandum.*
22. *In hac materia summariè & per provisionem procedendum.*
23. *Idipsum recenter in Gallia declaratum.*
24. *Pastores ad reparationem suæ domus quomodo teneantur.*
25. *Decani Rurales Domus Pastorales visitare, & Parochos ad reparationes necessarias cogere debent.*
26. *Parochiani etiam domum visitare possunt, si eis onus reparandi incumbant.*
27. *Si Parochus reparationem neglexerit, heredes ad eas tenentur.*
28. *Parochi in domo ejusque suppellectile moderationem Clericalem servare debent.*

I. DE domo Pastorali in jure nihil speciale cautum reperio; hoc scitur, habitationem inter vitæ corporalis necessaria computari; unde & jam pridem à jurisconsulto Javoleno in *L. 6 ff. De Alimentis legatis* dictum est: legatis *alimentis* non tantùm cibaria & vestitum, sed & *habitationem* deberi. Rationem addit: *Quia sine his ali corpus non potest.*

II. Hinc consequens est quod ubi præcipitur, Parocho de alimentis aliisque ad sustentationem corporalem necessariis esse providendum, etiam unà præcipiatur, provideri debere de convenienti habitatione sive domicilio

III. Unde & videri posset, habitationem seu domicilium partem esse portionis congruæ, sive sub portione congrua esse comprehendendam.

Cùm enim portio congrua debeat esse sufficiens ad honestam sustentationem Parochi sive Vicarii; non apparet, quod futura sit congrua seu competens & sufficiens, nisi & ipsam habitationem Parocho adeò necessariam complectatur.

Hinc & ulterius concludendum apparet, quod hi quibus onus solvendi portionem congruam incumbit, etiam teneantur Parocho seu Vicario congruam & competentem habitationem procurare.

IV. Verùm si propiùs naturam portionis congruæ attendamus, prout hæc tum in Canonibus & Synodis, & etiam Regiis Edictis, tum in ipsa unionum vel incorporationum formulis exprimi & reservari consuevit, non sine fundamento dubitari poterit, num sub portione congrua extructio domus pastoralis, vel assignatio habitationis comprehendatur; eatenus nimirum, ut hi quibus solutio portionis congruæ injungitur, unà teneantur ad extructionem illius domûs.

V. Sive enim Canones & Synodorum Decreta, Regiaque Edicta, sive formulam reservationis portionis congruæ inspiciamus, patebit, portionem congruam ita reservari ut è proventibus Ecclesiasticis solvatur Parocho *annuè* tantùm, quod Rectoris ac Parochiæ necessitati *decenter* sufficiat. Unde & plerumque videmus in Synodis & Edictis Regiis, certam summam *annuè* persolvendam pro competentia Pastorali sive portione congrua assignatam.

Porrò hæc summa sive portio *annuè* pendenda commensurari solet necessitatibus quotidianis ipsius Rectoris & Parochiæ: ut nimirum ex illa habeat honestam sustentationem, & oneribus sibi incumbentibus satisfacere queat.

Inter has autem *quotidianas* necessitates, aut onera Parocho incumbentia numerari nequit extructio domus Pastoralis: quia hæc non quotannis recurrit; neque aliquâ summâ annuè persolvendâ facienda est; sed una constructione oneri illi in multos annos satisfieri solet; idque nonnumquam tam notabilibus impensis, ut plurium annorum proventus decimarum integri vix sufficerent: quo contingeret, ut Capitula, & Monasteria aliaque corpora Ecclesiastica decimas possidentia subitò quasi opprimerentur; aut certè à re alieno se nimium gravare deberent.

VI. Hinc indubiè contingit, quod portio congrua ita determinari soleat, ut sub ea domus Pastoralis non comprehendatur. Unde ex obligatione solvendi portionem concludi non posse videtur obligatio exstruendi domum pastoralem: sicuti neque ex eadem obligatione concluditur obligatio reparandi Ecclesiam; tametsi portio congrua debeat esse talis, ut Rectoris ac *Parochiæ* necessitati decenter sufficiat, ut loquitur Synodus Trident. *sess. 24. c. 13. De Refor.*

VII. Sicuti ergò reparatio Ecclesiarum pro varia locorum consuetudine, nunc ad Parochianos, nunc ad Decimatores, & frequenter ad utrosque quadam proportione servata, translata est; uti supra *titulo 16. c. 5.* notavimus; ita & onus exstruendi domum Pastoralem pro varia locorum consuetudine alibi parochianis, alibi decimatoribus, alibi utrisque incumbit.

VIII. Et quidem in locis quæ ante erectionem novorum in Belgio Episcopatuum fuerunt sub Diœcesi Leodiensi, onus hoc incumbere solet Incolis sive communitati: eo quod consuetudo istius Diœcesis onus illud in communitatem rejecerit: atque propterea etiam postquam ab ea Diœcesi separata fuere, manserunt huic oneri subjecta.

IX. De hoc enim onere inter Statuta Archidiaconatûs Hasbaniæ, qui ad has partes præcipuè extendebatur, legitur: "Tenetur etiam Communitas suo Pastori ad
" procurationem & assignationem fundi, seu heredi-
" tatis dotalis juxta Ecclesiam Parochialem, aut sal-
" tem intra villam, eamque liberam, ac in eadē exstrue-
" re domum honestam & commodam, cum coquina,

cubicu-

„ cubiculis saltem duobus, granario, penuario, cæteris-„ que hac in parte pro qualitate Pastoratûs, & proven-„ tuum ejusdem arbitrio nostro necessariis.

X. Refert quoque Choppinus in suo Monastico *lib.* 1. *tit.* 3. *n.* 14. "Parochorum partes esse, Curioni domum „ quam incolat, suppeditare, familiari utensilium in-„ strumento munitam. Additque Atque ita de Sacerdo-„ talium ædium structura pronuntiarunt Conscripti „ curiæ pro Claudio Versorio Lungiumelli Vici Curio-„ ne, adversùs Vicarios ipsos Decreto prid. kalendas „ Quintiles anni 567 "Simile Decretum sive Arrestum pro Curione contra Parochos refert *lib.* 3. *de Sacra Pol. tit.* 3. *n.* 15.

XI. Hyacinthus Boniface in sua collectione Arrestorum *tomo* 3. *lib.* 5 *tit.* 14. *c* 7. primùm citatis variis arrestis, & auctoribus, quibus suaderi videtur, onus exstruendi domum Pastoralem Incolis sive Communitati incumbere; dein profert varia arresta quibus declaratum fuit, decimatores teneri contribuere unam *tertiam*, Incolas verò *duas tertias* pro constructione domûs Pastoralis, ac signanter ita judicatum an. 1672. contra Capitulum Cathedrale Aquense, condemnato Capitulo ad contribuendam *tertiam* partem pro constructione domûs pastoralis.

Arrestum integrum extat apud citatum auctorem: additque, hoc arrestum ostendere, quantum ad hanc contributionem, non esse amplius faciendam distinctionem inter *primam* exstructionem domûs pastoralis, & dirutæ reædificationem; licet olim aliqua fuisset. Verba Auctoris sunt: *Cela montre que quand la Jurisprudence ancienne auroit varié en la contribution pour la construction du premier logement du Curé, la Jurisprudence nouvelle auroit fixe cette contribution pour la construction premiere, egalement avec les reédifications & reparations, commey ayant meme raison en l'une & en l'autre.* Id est. Hoc probat, licet antiquum jus, quoad contributionem in pastoralem ædium extructionem faciendam variè decrevisset, jus novum contributionem hanc fix sse stabiliter pro prima extructione, æqualiter cum reædificationibus & reparationibus, utpote cum par utriusque sit causa.

XII. Fundamentum hujus Jurisprudentiæ & arrestorum videtur esse, quod domus Pastoralis sit quædam appendix Ecclesiarum; utpote quæ contigua Ecclesiæ esse conveniat. Ut proinde sicuti ex notoria Jurisprudentia Regni Galliæ, Decimatores tenentur *tertiam* partem contribuere pro reparatione Ecclesiarum; ita & eam contribuere jubeantur pro constructione domûs Pastoralis, tamquam illius appendicis.

XIII. Unde citatus Hyacinthus Boniface loco citato allegans fundamenta ex parte Communitatis contra Capitulum in causa per allegatum arrestum decisâ reproducta, asserit inter alia, dictum fuisse, quòd cum œconomus Capituli jam tum condemnatus fuisset ad contribuendam *tertiam* partem pro reparatione Ecclesiæ, etiam unà condemnatus esset, ad eamdem contributionem pro extructione domûs Pastoralis tamquam appendicis ipsius Ecclesiæ. Verba sunt: *A tout evenement, suivant le mesme arrest, l'œconome ayant esté condamné à contribuer pour* UN TIERS *à la fabrique de l'eglise, il l'a esté* CONSEQUEMENT *au* LOGEMENT *du Curé, qui est la* DEPENDENCE *de la fabrique de l'eglise.* Id est. In omnem casum, juxta idem Arrestum, Oeconomo jusso contribuere tertiam partem impensarum fabricæ Ecclesiæ, consequenter jussus est idem pro Parochi domo præstare, quæ Fabricæ Ecclesiæ annexa est & ab ea dependet.

XIV. Hoc posito principio, quod domus Pastoralis sit quædam appendix ipsius Ecclesiæ; ac propterea cessante speciali locorum consuetudine, aut concordato vel lege, debeat iis legibus regi hæc constructio vel potiùs restauratio domûs Pastoralis, quibus ipsa Ecclesiarum reparatio, facilè intelligi poterit ex iis quæ *tit.* 16. *cap.* 5. dicta sunt, quomodò hic in Belgio, præveniendo speciales locorum consuetudines & concordata aut conventiones, Decimatores ad restaurationem domûs Pastoralis concurrere debeant.

XV. Per Regulamentum Regium probatum in Concilio privato Bruxellis, pro omnibus civitatibus non muratis & Parochiis ruralibus totius Provinciæ Flandriæ emissum 30. Julii 1672. *art.* 48. "Vetitum est „ dare ad onus Parochiæ seu Communitatis ullam mer-„ cedem conductionis, aut domicilium Pastori; aut fa-„ cere ullam reparationem circa domum pastoralem, „ aut Ecclesiarum; utpote spectantia ad onus Decima-„ torum aut pastorum, juxta modificationem (ait) fa-„ ctam per nostra Edicta.

XVI. Itaque juxta hoc Edictum parochiani seu Communitatis eximi videntur ab onere exstruendi & reparandi domum Pastoralem.

XVII. Notari meretur, reparationem domûs Pastoralis & reparationem Ecclesiæ in hoc articulo conjungi, imò sub uno verborum contextu ipsam communitatem ab utriusque onere exemptam declarari.

XVIII. Hinc non obscurè colligitur, Regios Ministros hujus Edicti auctores, reparationem domus censuisse iisdem legibus regendam, quibus reparatio Ecclesiæ. Quod & inde colligitur, quod remittat ad modificationem expressam in *anterioribus* Edictis; quæ alia esse non videntur, quam illa quæ determinant, quomodò decimæ in Ecclesiarum reparationem impendendæ sint nam specialia Edicta moderationem aliquam continentia, quâ decimæ in reparationem aut ædificationem *domus* Pastoralis veniant impendendæ hactenus edita nesciuntur.

XIX. Et sanè cum juxta Edicta nostratia de quibus *titulo* 16. *cap.* 5. in reparationem Ecclesiarum venire debeat per sex annos *triens* decimarum; sive spatio sex annorum integræ decimæ duorum annorum, non dubium, quin si eo modo ad reparationem & exstructionem Domûs Pastoralis concurrere debeant, meritò dictum esse in præfato articulo, onus reparandi & exstruendi domum pastoralem ad Decimatores spectare: quia non facilè expensæ reparationis aut etiam constructionis excedent valorem *integrarum decimarum duorum annorum*.

XX. Quidquid sit, illud imprimis indubitatum est, in hac materia esse servandam consuetudinem singulorum locorum, item concordata; & post hæc generales leges provinciæ. His autem deficientibus, sat æquum apparet, ut ea ratio servetur circa reparationem domus, quæ præscribitur circa reparationem Ecclesiæ; cujus ipsa domus pastoralis quædam appendix videtur.

XXI. Præterea & illud expeditum est, ad quemcumque onus restaurandi aut extruendi domum pertineat; hujusmodi domum esse exstruendam, quæ ipsi parocho & Presbyteris ad curam animarum necessariis honestè & decenter sufficiat, quæ sufficientia & decentia ex variis locorum, temporum, Pastoratuum aliisque circumstantiis arbitrio judicis determinanda est, quemadmodum de ipsa congrua portione supra *cap.* 2. dictum est: citatumque Statutum Archidiaconatûs Hasbaniæ nominatim expressit.

XXII. Similiter & hoc indubitatum, quod licet extructio domûs Pastoralis non soleat sub taxata portione congrua contineri, nihilominus, eam eatenus partem portioni congruæ dici debere, quatenus non minus, quàm alimenta aliave corporis subsidia, est necessaria ad Parochi sustentationem quin & sub alimentis necessariis comprehenditur, ut supra dictum est.

Hinc in hac causa exstructionis domûs Pastoralis, non secus ac in causa portionis congruæ & alimentorum,

rum *summariè* per *provisionem* est procedendum: ne aliàs ob longiores litium & disceptationum moras Parochus necessaria habitatione careat.

Unde in allegato Statuto Archidiaconatûs Hasbaniæ decernitur: "Quoties nullâ Pastoris culpâ, casuve „fortuito, aut militari hostilive insolentiâ domum sic „destrui, aut labefactari contigerit, declaramus, Parochianos ad reparationem, saltem *provisionaliter*, te„neri, salvo sibi semper contra noxios, & eos qui dam„no causam dederint, regressu.

XXIII. In Declaratione quoque Regis Galliæ de anno 1661. hic modus procedendi summariè & *provisionaliter* decernitur; & latiùs exprimitur in arresto interpretativo sive declaratorio istius declarationis.

Hoc Arresto imprimis decernitur, ut juxta *articulum* 52. Edicti Blesensis, & *art.* 2. Edicti Melunensis, & declarationem de anno 1661. Archiepiscopi & Episcopi visitantes suas Diœceses curabunt, ut Parochis commodè de habitatione sit provisum: injunctumque Officiariis, ut exequi faciant, quod hunc in finem per Archiepiscopos aut Episcopos ordinatum fuerit; idque per arrestationem ad hunc effectum, Et in casum contestationis, quantum ad domicilium Parochi, injungit Officiariis locorum, ut *sine mora* convocent incolas loci, ad concludendum & determinandum, quam partem singuli contribuere tenebuntur. Et quousque domus fuerit extructa, levare poterunt pro rata, quam singuli solent contribuere in oneribus publicis seu *tallis*, summam 40. librarum Gallicarum, si opus sit, *annuè*, pro conductione domûs in qua *interim* ipse Parochus habitare possit. Verba Arresti de 14. Martii 1673. sunt: *Et à l'egard de celles concernant les logemens des Curez, enjoint aux Officiers des lieux de faire assembler incessamment les Habitans pour y pourvoir, & regler quelle part chacun d'eux sera tenu dy contribuer. Et en attendant que lesdits logemens soient en état d'estre habitez, faire lever sans frais sur toute la communauté, & à proportion de ce que chaque habitant paye de taille, jusques à la somme de quarante livres, si besoin est, par an, pour le louage d'une maison où le Curé puisse demeurer.* Id est. Quoad ea quæ Parochorum domos concernunt, Officialibus locorum injungitur, ut indilatè incolas convocent, quo rei huic provideatur & determinetur, quota pars à singulis eorum sit contribuenda, interim donec dispositæ erunt prædictæ ædes ut incolantur per totam Communitatem sine sumptu collecta fiat; servata proportione illius quod quilibet incola pro vectigalibus pendit, usque ad summam 40. librarum annuè, si opus est, in conductionem domus in qua Parochus habitet, donec & usque prædictæ ædes poterunt inhabitari. Integrum arrestum pronunriatum 14. Martii 1673. habetur apud Michaelem Du Perray in suo tractatu *De Portione congrua* ad calcem *c.* 28.

XXIV. Domo Pastorali extructa in usum Parochi, cum Parochus eam inhabitet; eâque quasi usufructuarius utatur ad suam commoditatem; etiam ipsam domum sartam & tectam conservare & reparationes necessarias facere tenetur adinstar usufructuarii.

De hac reparatione ita loquitur Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 19. *c.* 4. "In omnibus locis ubi domus Pa„rochiales non sunt, vel temporum injuria collapsæ „sunt, provideat Pastor cum suis Parochianis, ut quan„to citius fieri poterit, aliqua domus, ipsique Ecclesiæ „propinqua, & in fundo Pastoratus, si quis sit, ædifice„tur quam, ubi ædificata erit, *ipse Pastor* juxta suum ju„ramentum *sartam tectam* conservare debeat.

Hic per transennam notandum, quod & Synodus indicare videatur, onus ædificandi aut restaurandi domum ad Parochianos spectare.

De reparatione domuum Pastoralium à Parochis facienda hæc habet Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 22. *c.* 7. "Pastores & quicumque alii Beneficiati, domos be„neficiorum suorum *integras* conservent: ac *debitè re„parent*, nisi reparationes earumdem ab aliis fieri debe„re certò constet.

Reparationes quæ Parochis penè ubique incumbunt intelliguntur de reparationibus minoribus; quæque circa domos etiam sat firmas quotidie faciendæ occurrunt, ut farræ tectæ conservari queant: non autem de majoribus & extraordinariis reparationibus; ut puta restauratione tecti, quod vetustate aut tempestate corruit, vel incendio consumptum est; quemadmodum usufructuarius *si qua vetustate corruerunt reficere non cogitur*, uti scribit Ulpianus in *L.* 7. § 2 *ff De usufructu.* Et hæc est communis praxis Belgii. ut Pastores ad minores & ordinarias reparationes, Decimatores, vel Parochiani ad majores & extraordinarias teneantur.

XXV. Ut autem reparatio suo tempore & tempestivè fiat; & ne defectu factæ reparationis paulatim domus totaliter corruat, decernit Synodus Mechliniensis loco citato: "Archipresbyteri, ubi ipsis id juris ex con„suetudine competit, illas (domos Pastorum & Benefi„ciatorum) singulis annis seriò visitent; & quando eas „reparatione indigere advertent, eam mox fieri man„dent & non obedientes denuntientur Episcopo, vel „ejus Vicario generali, ut ad debitas reparationes faci„endas, prout juris & rationis fuerit, compellantur, & „pro præterita negligentia etiam puniantur. "*Tit.* 22. *c.* 7.

XXVI Quia Incolæ sive Parochiani multis in locis, ac nominatim in Diœcesi Leodiensi ad ædificandam & restaurandam domum Pastoralem obligantur, etiam & ipsi meritò soliciti sunt, ut reparationes necessariæ tempestivè & suo tempore fiant.

Hinc Statutum Archidiaconatûs Hasbaniæ postquam declaravit Parochianos ad procurandam domum pastoralem teneri, tamquam consequens subjicit: „Qui quidem Parochiani poterunt toties quoties ex „evidente aliqua justa causa necessarium erit, domum „pastoralem (suis tamen impensis) visitare, procurare„ve ut domus per Justitiarios, adhibitis etiam expertis, „visitetur, ut exinde comperti defectus, authoritate „nostrâ reparentur.

Quod hic Parochianis permittitur, id eodem fundamento permittendum Decimatoribus, ubi onus procurandi domum pastoralem ipsis incumbit.

XXVII. Addit præterea hoc statutum Archidiaconale: "Statuimus autem & ordinamus, quod si ædes hu„jusmodi pastorales defuncti Pastoris negligentia de„structæ, seu labefactatæ comperiantur, hoc totum ex„pensis hæredum, & hæreditatis restitui debere: Ita ta„men, quòd infra annum ab obitu Pastoris per Justitia„rios loci (quos ad hoc tenore præsentium deputamus) „fiat domus visitatio, quando videlicet prævia Reve„rendissimi Episcopi licentia Pastor fuerit testatus; „Quod si intestatus decesserit fiet visitatio mox à se„pultura defuncti, vel saltem antequam ipsius bo„na per Officiatos ejusdem Reverendissimi prehen„dantur; Alioquin Parochiani in querela non audi„antur.

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 22. *c.* 7. ait; „Si verò ad hujusmodi reparationes obligatos, iis „necdum perfectis, ex hac vita migrare, vel Benefi„cia sua resignare contigerit; bona domorum mor„tuariarum, eorumque qui Beneficia sua dimiserunt, „arrestentur, & arrestata maneant, donec eæ perfectæ „fuerint.

XXVIII. Dicet quidem domum pastoralem honestæ & decenti habitationi Pastoris esse convenientem; at id summopere cavendum Pastoribus, ne in suarum domorum extructione aut ornatu, vel suppellectile ipsam pompam fastumque seculi quærant; populoque

loque vel hinc suo exemplo seculi pompas & fastum sectandum doceant: persuadeantque populo, quod in militia Christi plus quærant lucra & gloriam seculi, quam paupertatem Christi; præsertim si populo innotescat, quod hæc non è patrimonio, sed solis proventibus Ecclesiasticis habeantur: quodque parentes humili domo & tenui suppellectile tamquam homines tenuis aut mediocris conditionis, contenti fuerint. Videri possunt quæ supra *tit.* 31. *cap.* 4. dicta fuerunt.

TITULUS XXXV.

De Immunitate bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

Quàm immunitatem jam pridem dederint Imperatores.

1. *Immunitas à tributis data Ecclesiis à Constantino.*
2. *Immunitas à muneribus publicis indulta à Constantino.*
3. *Hæc immunitas rursus ab eodem Imperatore renovata.*
4. *Enixum studium Constantini ut hanc immunitatem Clericis asserat & quæ ejus ratio.*
5. *Ratio indultæ immunitatis meritò à Clericis notatur.*
6. *Ex ratione evincitur, eam esse immunitatem personalem.*
7. *Hæc prima Clericis indulta immunitas, & magis conveniens.*
8. *Immunitas à susceptione militum; & à vectigalibus pensitandis ratione negotiationis: & quæ hujus ratio.*
9. *Quare aliquando Clericis indultum negotiari; & postea vetitum.*
10. *Immunitas à* sordidis *muneribus & Parangariis.*
11. *Quid sint Parangaria.*
12. *Quid intelligatur per* sordida munera?
13. *Privata Clericorum Patrimonia ordinariis tributis erant obnoxia.*
14. *Hanc limitationem probarunt Episcopi.*
15. *Terras Clericorum tributis fuisse obnoxias fatetur S. Ambrosius.*
16. *Soli Clerici nullum possidentes patrimonium erant immunes.*
17. *Omnes Ecclesiæ exceptis 4. majoribus erant tributis obnoxiæ regnante Theodosio juniore.*
18. *Neque sub Justiniano Imp. erant ab his immunes.*
19. *Officinas Clericorum à tributis non exemit.*
20. *Clodovæus Rex Galliæ agris Ecclesiæ immunitatem indulsit.*
21. *Ludovicus Pius immunitate donavit* Mansum *Ecclesiæ.*
22. *Mansus Ecclesiæ dicebatur ipsa dos Ecclesiæ.*
23. *Continebat ordinariè 12.* Bunnaria *terræ arabilis.*
24. *Capitulare Caroli Calvi de immunitate hujus* Mansi.
25. *Non tantùm Ecclesiis Parochialibus: sed & Monasteriis & Ecclesiis Cathedralibus hæc immunitas competebat.*
26. *Aliqui eam immunitatem contra mentem Imperatorum nimis restringebant.*
27. *Eorum restrictio rejicitur.*
28. *Immunitas ad omnes fundos Ecclesiæ extenditur.*
29. *Cur exciperetur constructio viarum & pontium.*
30. *Terræ de novo ab Ecclesia acquisita non gaudebant immunitate si ante fuissent obnoxiæ.*
31. *Gaudebant si antea fuissent liberæ.*

I. Sub nomine Constantini Magni, qui primus inter Imperatores publicè Christianam Religionem professus est, extat de immunitate Ecclesiarum egregia lex in Codice Theodosiano *Lib.* 11. *tit.* 1. *Lege* 1. "Præter privatas res nostras, & Ecclesias Catholicas, nemo ex nostra jussione præcipuis emolumentis familiaris juvetur substantiæ, &c. omnes pensitare debebunt.

Hic Ecclesias Catholicas generaliter à rei tributariæ contributione eximi, sat clarum; fateturque ipse Jacobus Gothofredus; quamvis credat eam postmodum per sequentes Imperatores revocatam aut saltem temperatam esse; de quo infra.

II. Extat apud Eusebium *lib.* 10. *Hist. cap.* 7. ejusdem Constantini Epistola ad Anulinum Africæ Præfectum, quâ Clericos immunes à publicis functionibus esse mandat: "Eos homines (ait) qui intra Provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, quos Clericos vocare consueverunt; ab omnibus omninò publicis functionibus immunes volumus conservari: ne errore aliquo aut casu sacrilego à cultu summæ Divinitati debito abstrahantur; sed ut potius absque ulla inquietudine propriæ legi deserviant. Quippe his summam venerationem divino Numini exhibentibus, maximum inde emolumentum Reipublicæ videtur accedere.

Refert S. Augustinus *Epist.* 86. ult. edit. responsum Anulini ad Imperatorem Constantinum, in quo hoc privilegium immunitatis expressum est his verbis: "Cùm ab omni omninò munere indulgentia Majestatis vestræ liberati videantur esse Catholici, custoditâ sanctitate legis, debitâ reverentiâ divinæ legi inserviant.

III. Verum hæc immunitas, quæ hic à Constantino indulta asseritur, est immunitas merè *personalis* sive à muneribus & functionibus personalibus; de qua extat & alia ejusdem Imperatoris sanctio in *L.* 2. *Cod. Theod. De Episcopis & Clericis*; "Qui divino cultui ministeria religionis impendunt (id est, hi qui *Clerici* appellantur) ab omnibus omninò muneribus excusentur: Ne sacrilego livore quorumdam à *divinis obsequiis avocentur.*

Notat Jacobus Gothofredus, hanc legem esse omninò diversam ab ea de qua ipse Constantinus in citata Epistola ad Anulinum; uti & ab ea quæ refertur in *L.* 1. & 7. eodem titulo in Codice Theodosiano.

IV. Ex his autem toties iteratis legibus, liquet, quam enixo Constantini studio opus fuerit, (ait Gothofredus) ad firmandam semel hanc *Clericorum* Catholicæ Ecclesiæ immunitatem à muneribus civilibus; quæ tamen hac æquissima ratione, quæ hîc expresse redditur, nixa erat: *Ne*, scilicet, *Clerici à divinis obsequiis avocentur.* Quæ eadem ratio à Justiniano in *L.* 51. *Cod. De Episcopis & Clericis*, ubi immunitatem à tutelis Clericis indulget; uti notavimus *parte* 1. *tit.* 2. *cap* 6. *num.* 5.

V. Hic notent Clerici, non alia de causa à muneribus publicis sibi immunitatem concessam, nisi ut Divinis Officiis sine impedimento vacare queant: quo monentur, juxta vocationem suam sedulò iis incumbere.

VI. Interim ex allegata ratione hujus immunitatis rectè

rectè colligit citatus Gothofredus, immunitatem *munerum personalium* hic intelligi, non verò immunitatem *patrimonialium*.

VII. Hæc quidem immunitas *personalis*, tamquam ipsis Clericis magis conveniens & necessaria, ne à suis officiis avocarentur, prima est, quæ Clericis tributa fuit; uti ad *L.* 8. *Cod. Theod. De Episcopis & Clericis*, notavit Gothofredus; cui postmodum aliæ successerunt quæ in legibus subsequentium Imperatorum continentur; & magis onera realia, quàm personalia concernunt: ideòque immunitates non tam personales, quàm *reales* sunt; atque de his hoc titulo potissimum agitur.

VIII. Et quidem sub nomine Constantii Constantini Filii extat Constitutio in citata lege 8. quo Clericis concedit immunitatem à militum transeuntium hospitio; item à vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturæ. Verba legis sunt: "Præterea neque *hospites* suscipienti. Et si qui de vobis *alimoniæ* causâ negotiationem exercere volunt, immunitate potientur.

IX. Non mirum hic Clericis negotiationem exercentibus immunitatem indultam. Cum enim in ipsis Ecclesiæ exordiis nondum eæ essent Ecclesiæ divitiæ ut omnibus Clericis ad Divinum cultum necessariis sufficerent, oportuit quosdam Clericos *alimoniæ* causâ negotiationem aliquam modestam exercere, ne cuiquam graves essent sicuti & quosdam honesto aliquo opificio victum sibi comparare, etiam sacris Canonibus probantibus, compertum est. Sed cum avaritia multorum hac facultate negotiandi abuteretur, meritò Clericis postmodum interdicta fuit; & Clerici Negotiatores à Patribus severè reprehensi; ut infra videbitur.

X. Extat Constitutio sub nomine Constantii & Constantis filiorum Constantini Magni in *L.* 10. *Cod. Theod. De Episcopis & Clericis*: quâ omnibus Clericis conceditur immunitas à *sordidis muneribus*. Verba sunt; *Repellaturque ab his* (Clericis) *exactio munerum sordidorum* Quæ sint hæc sordida munera, mox dicetur.

Insuper concedit Clericis immunitatem generalem de qualibet negotiatione, notandâ ratione adjunctâ; verba sunt: *Negotiatorum dispendiis minimè obligentur, cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculis* (forsan legendum *tabernulis*) *atque ergastariis* (id est locis mercimoniis deputatis) *colligunt, pauperibus profuturos*.

Tertia immunitas conceditur à *Parangariis* his verbis expressa: *Parangariarum quoque parili modo cesset exactio*.

De Parangariis extat titulus in Codice Theodosiano libro 8. *De Cursu publico, angariis & parangariis* in Cod. Just. *lib.* 12. *tit.* 51.

XI. Angariæ & Parangariæ erant, jumentorum & plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ militaris, aliarumque specierum Fiscalium. Dicebantur autem *Angariæ*, si per viam rectam, ordinariam & Regiam faciendæ erant transvectiones. Parangariæ autem, quando viâ transversâ extra viam Regiam, ubi cursus publicus dispositus non erat. Vide notas Jacobi Gothofredi ad *L.* 4. & 15. *Cod. Theod. De Cursu publico*.

XII. Sordida munera de quibus in citata lege, etiam vocabantur munera *extraordinaria*; unde est titulus in Codice Theodosiano, *De extraordinariis & sordidis muneribus*.

Inter hæc sordida & extraordinaria munera erant etiam refectio viarum, instauratio pontium, & subjectio annonæ militaris; quemadmodum videre est in *L.* 40. *Cod Theod. De Episcopis & Clericis*, quæ est Honorii Imp ubi species nonnullæ munerum sordidorum exprimuntur, à quibus Clericos immunes declarat, addita hac generali clausula: "Nihil præter Canonicam inclinationem, quod adventitiæ necessitatis sarcina repentina depoposcerit ejus functionibus adscribatur. "Refertur hæc eadem constitutio, licet nonnihil mutilata in *L.* 5. *Cod. Justin. De SS. Ecclesiis*.

XIII. Hæc quidem quoad immunitatem à sordidis & extraordinariis muneribus sive impositionibus, at ab ordinariis tributis patrimonia Clericorum exempta fuisse non constat: imò iisdem fuisse subjecta non obscurè declaravit Constantius Imperator in *L.* 15. *Cod. Theod. De Episcopis & Clericis*. Verba legis sunt: "De his „ sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auctoritas tua, non solum eos aliena juga nequaquam statuet „ excusare, sed etiam his (in Codice Justinianæo legitur *pro his*) quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda „ fiscalia perurgeri." Extant hæc verba in *L.* 3. *Cod. Justin. De Episcopis & Clericis*.

XIV. Notatu dignum est, quod in ipsa Constitutione, prout extat in Codice Theodosiano, dicatur, æquum visum fuisse Episcopis hoc Imperatoris Decretum. „ Maximè (ait) cum in Comitatu Tranquillitatis nostræ alii quoque, qui ex Hispania, atque Africa convenerunt, probaverunt, id maximè justè (sive potiùs „ *justitiæ*) convenire, ut præterea (legendum *præterea*) „ juga & professionem (id est, *rem professam apud censum*) quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia „ sustinenda translationesque faciendas omnes Clerici „ debeant adtineri.

XV. Et revera prædia Clericorum tributis & vectigalibus fuisse subjecta tempore etiam S. Ambrosii, ipse variis locis fatetur: "Si tributum petit (Imperator) non „ negamus. Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros „ desiderat Imperator, potestatem habet vindicandorum; nemo nostrum intervenit... Potest pauperibus „ collatio populi redundare Non faciant de agris invidiam; tollant eos si libitum est. Imperatori non dono, „ sed non nego,..... Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo Tributum Cæsaris est, non „ negatur Ecclesia Dei est, Cæsari utique non debet addici.

Ex variis locis S. Ambrosii conflatus est *Canon.* 22. *Caus.* 23. *q.* 8. in quo inter alia dicitur: *Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia Dei est*. Et in Canone sequenti sub nomine Urbani Papæ scribitur: "Tributum „ in ore piscis, piscante Petro inventum: quia de *exterioribus* suis quæ palam cunctis apparent, Ecclesia *tributum reddit*.

XVI. Et in Evang. Lucæ scribens Ambrosius ait: „ Et si tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere „ quæ mundi sunt. Sed si habes divitias, obnoxius es „ Cæsari. Si vis Regi nihil debere terreno, relinque omnia & sequere Christum.

XVII Extat Constitutio Theodosii Junioris de an. 424. in *L.* 33. *Cod. Theod. De Annonis & tributis*; & extat licet nonnihil mutilata in *L.* 12. *Cod. Justin. eod. tit.*

In hac lege Theodosius omnes Ecclesias tributis subjectas dicit, exceptâ Ecclesiâ Thessalonicensi, addita insuper cautione, ne per fraudem sub obtentu hujus Ecclesiæ alii hac immunitate gaudeant. Verba, prout referuntur in Codice Theodosiano sunt: "Sacrosancta Thessalonicensis Ecclesia civitatis exceptâ: ita tamen, ut apertè sciat, propriæ tantummodò capitationis modum beneficio mei numinis „ sublevandum; nec externorum gravamine tributorum Rempublicam Ecclesiastici nominis abusione lædendam.

Capitatio, cujus hîc mentio fit, non est ea quæ hominibus imponitur, sed tributum possessionis sive agrorum; uti notavit Gothofredus in notis ad hanc *legem* 33 & etiam monet Antonius Perezius ad titulum Codicis *De Annonis & tributis* n 35. qui & una observat, Ecclesias prædia possidentes à tributis non excusari, quibus ipsa prædia jam pridem fuerant subjecta: "Sola (ait)

„(ait) excipitur Ecclesia Thessalonicensis; & ideò quod „huic datur, ut immunis sit à capitatione & *tributo suarum possessionum*, non est porrigendum ad alias Ecclesias: non enim licet abuti nomine Ecclesiæ, evitandorum Canonum causâ, ut inde Respublica lædatur.

Eumdem hujus legis sensum latiùs adstruit & probat Jacobus Gothofredus, in notis ad eamdem legem.

XVIII. Justinianus Imperator in *Novella 37*, volens Africanis Ecclesiis restitui bona ab Arianis ablata, addit hanc clausulam: *Ut tamen publicas pro iis pensiones conferant*. Per *pensiones* hîc intelligi *tributa* Principi solvenda, dubium non apparet; & notat Cujacius in notis ad hanc Novellam dicens: "Eodem quo superior tempore hæc etiam edita fuit Constitutio, ut Ecclesiæ „Africæ bona sua à Vandalis seu Arianis occupata recipiant, sub onere *tributorum* publicorum.

Addit deinde: "Ecclesias non fuisse olim immunes à „*publicis* collationibus certissimum est.

XIX. Idem Justinianus *Novella 43*. confirmat & renovat immunitatem jam pridem indultam mille & centum Officinis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut ex earum proventibus *funerum* sumptus ferre posset. Verba ejus sunt: "Hæ igitur, ut immunes, & ab omni vectigali maneant exemptæ, sancimus: Neque his ipsis Officinis, neque vectigalia imperantibus collegiis, quæ „istas præbent, quidquam damni sustinentibus, aut ullos titulos agnoscentibus.

Post hæc subjicit: "Ceteræ verò omnes hujus almæ „urbis quatuordecim regionum officinæ, sive sacrosanctæ alicujus sint Ecclesiæ, sive hospitalium, sive monasteriorum, sive orphanotrophiorum, sive ptochiorum, sive alterius cujuscumque dominii sive regiarum „domuum, sive aliquorum magistratuum, ampla, media, minurave officia administrantium, sive gloriosissimorum Senatorum, sive magnificentissimorum illustrium, sive spectabilium cubiculariorum, sive aliquorum militiis adscriptorum hæ inquam, omnes publica ipsis imposita præstent vectigalia, & omnia alia „tum faciant, tum impleant quemadmodum quemque „in suo collegio facere æquum est, *semperque per Collegii præfectos in publicum persolvant*: nemine queunte „ea de causa inniti privilegiis aut ejusmodi alia uti excusatione.

Notandam hujus negatæ immunitatis addit rationem. "Neque enim sustinemus aliorum onus ad alios „deferri, aut tam immitem proponere formulam, ut „quotidie vectigalia augeantur, & (quemadmodum „edocti sumus) quadruplo aut quintuplo, adeòque etiam decuplo majora irrogentur, cum nihil tam magnò „studio tamque serio affectemus, quam ne novo quisquam vectigali oneretur.

XX. Sub idem pene tempus quo hæc à Justiniano decreta fuêre, de Clodovæo Galliarum Rege testatur Synodus Aurelianensis I. *Can. 5.* etiam *agris* quos ipse Ecclesiis dederat, immunitatem concessisse "De Oblationibus vel agris (ait) quos Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus est, vel adhuc „non habentibus Deo inspirante contulerit, ipsorum „*agrorum* vel Clericorum *immunitate* concessâ, id esse „justissimum definimus, &c.

Tomo 5. Concil. generalium editionis labeanæ *col.* 827. refertur constitutio sub nomine Chlotarii Regis Galliarum quâ immunitatem fat amplam Ecclesiis tribuit, sive confirmat his verbis: "Agraria, pascuaria vel „decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nostræ devotione concedimus. Ita ut actor aut decimator in *rebus* Ecclesiæ nullus accedat Ecclesiæ vel Clericis nullam requirant agentes publici functionem, qui avi „aut genitoris; aut germani nostri *immunitatem* meruerunt.

Credit Ludovicus Thomassinus *De Disciplina Ecclesiæ parte 2. lib. 3. cap. 5.* ad hanc potissimùm Chlotarii Constitutionem reflexisse S. Gregorium, ubi Theodorico & Theoberto Regibus Francorum scribit *lib. 7. Epist. 115.* "Audivimus autem, quia Ecclesiarum prædia *tributa* nunc præbeant, & magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur "Quasi S. Gregorius miraretur, immunitatem à Regibus Galliæ Ecclesiis indultam adeò in Regno illo conculcari.

Si hæc sit revera Constitutio Clotarii I. meritò observat Thomassinus, eam sub finem vitæ ab eo editam esse. Sub initium enim Regni eum voluisse Ecclesiis immunitatem adimere constat ex Gregorio Turonensi *lib. 4. Hist. Francorum cap. 2.* atque Episcopos Regi consensisse excepto Episcopo Turonensi *Injurioso*. Verba Gregorii sunt: "Denique Chlotarius Rex, indixerat, *ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum fisco dissolverent.* Quod licet inviti cum omnes Episcopi consensissent atque subscripsissent, viriliter hoc beatus „Injuriosus respuens subscribere dedignatus est, dicens „*Si volueris res Dei tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet; quia iniquum est ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe tua horrea repleantur.* „Et iratus contra Regem, nec vale dicens abcessit. „Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem beati „Martini, misit post eum cum muneribus veniam precans, & hoc quod fecerat damnans, simulque rogans, „ut pro se virtutem beati Martini Antistitis exoraret.

At de Theoberto narrat idem Historicus *lib. 3. cap. 25.* "Omne *tributum* quod in Fisco suo ab Ecclesiis in „Arverno sitis reddebatur, clementer indulsit.

XXI. Subsequentes Galliarum Reges Ecclesiarum immunitatem non tantùm probarunt; sed & ampliarunt, uti ex eorum Capitularibus haud obscurum est.

In Capitulari Ludovici Pii anni 816. *cap. 10.* legitur: „Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque alio servitio attribuatur. Et Presbyteri „in eis constituti non de decimis, neque oblationibus „fidelium, non de domibus, neque de atriis vel hortis „juxta Ecclesiam positis, neque de præscripto *manso* „aliquod servitium præter Ecclesiasticum faciant. Et „si quid ampliùs habuerint, inde Senioribus debitum „servitium impendant.

Refertur quoque *lib. 1. Capitular. cap. 85.* extatque apud Gratianum *Caus. 23 q. 8. Can. 24* sed mutilatum.

XXII. "Ecclesiæ cujusque *mansus* dicebatur fundus „hoc est, certus modus cum structura plerumque ad „mansionem, ait Jacobus Sirmondus in notis ad Capitularia Caroli Calvi. Vel ut notat Du Cange in suo „Glossario, Verbo *Mansus Ecclesiasticus*, dicitur ea „agri portio quæ ipsi Ecclesiæ in dotem assignari solebat, vel Presbytero Ecclesiam deservienti cum aliquot „mancipiis.

Quidquid sit, hoc constat, *Mansum* Ecclesiæ Regum Edictis immunitate donatum fuisse; sive sancitum fuisse, unicuique Ecclesiæ unum *mansum integrum* absque ullo servitio attribui, ut loquitur Sirmondus; qui & addit: "Quare de hoc manso censum aut aliud quodvis „servitium exigi nefas fuit. Ea *immunitas mansi* dicebatur, ut titulo 40. ca. 9. *Seniores immunitatem de manso ad Ecclesiam dato conservent.*

XXIII. Mansus hic ordinariè constabat 12. *bunnariis* terræ arabilis cum aliquot mancipiis. Unde in legibus Longobardorum *lib. 3. tit. 1. cap. 46.* legitur "Quod „si fortè in aliquo loco Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil dotis habuerit, volumus, ut secundùm jussionem Domini ac Genitoris nostri, unus mansus cum XII. *bunnariis* de terra arabili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus, qui in eadem Ecclesia officium audire debent, ut sacerdotes ibi possint esse, & divinos cultus

„tus fieri, quod si hoc populus noluerit, destrua-„tur.

Et inter ea super quibus à Decanis per singulas Parochias inquiri jubebat Hincmarus Remensis erat hic articulus: "Si habeat mansum habentem *bunnaria duodecim*, præter cœmiterium & cortem, ubi Ecclesia & domus ipsius continetur, aut si habeat mancipia quatuor. "Habetur tomo 8. Concil. general. *col.* 573.

Idipsum habetur in formula Inquisitionis faciendæ ab Episcopo visitante Parochias, relatâ à Reginone *lib.* 1. *art.* 13.

XXIV. Immunitas hujus *mansi* occurrit quoque in Capitulari Caroli Calvi de anno 865. *tit.* 37. *cap.* 11. „Ut de uno manso ad Ecclesiam dato nullus census, „nec caballi pastus à *Senioribus* requiratur, sicut in præ-„fato Capitulari continetur. Sed neque de terrulis ac „vineolis pro loco sepulturæ ad easdem Ecclesias datis, „neque de decimis, sicut in Canonibus & in præfatis „Capitularibus continetur.

XXV. Hæc Capitularia unicè videntur concernere Ecclesias Parochiales & rurales, earumque Presbyteros & terras; quandoquidem non loquantur nisi de servitio *Senioribus*, hoc est. Toparchis & Dominis Pagorum exhibendo; uti rectè notavit & ostendit Ludovicus Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. Hi enim *Seniores* sive Toparchæ passim ex omnibus terris & à familiis servitutem aliquam prætendebant.

Verùm licet in citatis Capitularibus de Monasteriis & Ecclesiis in civitatibus positis, mentio non fiat; eo quod hæc non ita essent Toparcharum illorum servitutibus & vexationibus exposita, certum nihilominus est, non minore immunitate fuisse donata

Jura illa seu servitia quæ Domini à Presbyteris requirebant, exprimuntur in Concilio Trosleano *cap.* 6. Conqueritur enim quod "aliqui, exactiones censûs ab „ipsis Sacerdotibus exquirant, & xeniis, ac pastis, vel „paraverendis, seu caballorum saginationibus presby-„teros affligant.

XXVI. Et quidem cum aliqui prætenderent. "Non „plus immunitatis (Monasteriis concessæ) nomine „complecti, quàm claustra Monasterii, cætera quamvis „ad easdem Ecclesias vel Monasteria pertineant, extra „immunitatem esse;" declararunt Imperatores, quod omnes terræ ad Monasteria pertinentes eadem immunitate gauderent. "Volumus atque decernimus ut om-„nes intelligant non solum claustra Monasterii vel Ec-„clesiæ, atq; castitia Ecclesiarum sub immunitatis de-„fensione consistere, verum etiam domus & villas, & „septa villarum, & piscatoria manu facta & quidquid „fossis aut sepibus vel etiam alio clausularum genere „præcingitur, eodem immunitatis nomine contineri. "Ita legitur *lib.* 5. *Capitular. cap.* 279.

XXVII. Hæc generalis immunitas luculenter rursus exprimitur *lib.* 6. *Capitular. cap.* 109. "Possessiones „ad Religiosa loca pertinentes nullam descriptionem „agnoscant, nisi ad constitutionem viarum vel ponti-„um; si tamen intra eadem loca habuerint possessio-„nes. In aliis verò omnibus habeant integram immu-„nitatem.

XXVIII. Quod hic adjicitur de constitutione viarum & pontium, idipsum jam pridem edixerat Justinianus Imperator *Novella* 131. *cap.* 5 ubi Ecclesiarum prædia & latifundia à sordidis functionibus & extraordinariis oneribus immunia fecit, exceptis *publicarum*, *viarum*, *pontium* aliorumque publicorum operum restaurationibus & ædificationibus; idque ad instar aliorum possessorum. Ante Justinianum Valentianus III. in *Novella* 21. inter Theodosianas ab his Clericos immunes non esse decrevit; neque *sordidis* muneribus annumeranda. Vide Zypæum *Consult.* 1. *De Immunit. Eccles. num.* 3. ubi latè ostendit, Ecclesiasticos teneri ad reparationes *viarum* quæ fundis Ecclesiæ adjacent, hæc esse onera innata rebus, atque intrinseca; quamquam executricem Magistratûs manum requirant.

Idem Valentianus vetuit Clericos *negotiari*: atque ita respectu ipsorum omnem immunitatem à tributis à mercatoribus pendendis cessare.

Nec immeritò, scitur enim quam difficulter in mercatura modus teneatur; & quam avaritia, lucri ardor, aliaque vitia hic se immisceant.

Et quidem de Clericis istius temporis scribit Sulpitius Severus *lib.* 2. *Hist.* "Tanta hoc tempore animos eo-„rum habendi cupido veluti tabes incessit: inhiant „possessionibus, prædia excolunt, auro incubant, *emunt* „*venduntque*, quæstui per omnia student. Scitur S Hie-„ronymum monuisse Nepotianum: *Negotiatorem* Cle-„ricum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, „quasi quamdam *pestem* fuge.

XXIX. Licet terris Ecclesiæ immunitas esset, tamen si novæ terræ ad Ecclesiam pervenirent, censui subjectæ, hæ immunitate non gaudebant; uti sat clarè expressum est *lib.* 3. *Capitular. cap* 86. "Ut de rebus unde *cen-*„*sus* ad partem Regis exire solebat, si ad aliquam Eccle-„siam traditæ sunt, aut reddantur propriis heredibus, „aut qui eas retinuerit, illum censum persolvat.

Rursus *lib.* 4. *cap.* 37. "Quicumque terram tributa-„riam unde *tributum* ad partem nostram exire solebat „vel ad Ecclesiam vel cuilibet alteri tradiderit, is qui „eam susceperit, tributum quod inde solvebatur, omni „modo ad partem nostram persolvat; nisi fortè talem „firmitatem de parte dominica habeat per quam ip-„sum tributum sibi per donatum possit ostendere.

Finalis clausula ostendit, opus fuisse speciali privilegio seu indulto, quo terræ tributariæ ad Ecclesiam devolutæ, à tributo cui antea erant subjectæ, eximerentur.

XXX. Ostendunt tamen citati textus, nonnullas fuisse terras, tributo vel censui non subjectas, hasque si ad Ecclesias pervenissent, immunes etiam mansisse; ac potuisse Ecclesiam eas liberè acquirere & retinere; uti bene advertit Thomasinus citato *c.* 5. *n.* 7.

XXXI. Hæc sunt quæ diversis temporibus de immunitate bonorum Ecclesiæ jam pridem Principes decrevere: Quibus addi potest recentior Fred. II. Imp. Constitutio relata in Authentica, ITEM NULLA *Cod. De Episcopis & Clericis*: "Item nulla Communitas, vel per-„sona publica vel privata collectas, vel exactiones, an-„garias vel perangarias, Ecclesiis vel aliis piis locis vel „Ecclesiasticis personis imponere, aut invadere Eccle-„siastica bona præsumant. "His Imperatoriis Ordinationibus nonnulla quæ in Principum nostrorum Edictis, quibus nunc utimur, consona esse, & ex his originem suam sumpsisse, capite sequenti annotabimus.

CAPUT II.

Quid Decretales, & hodierna Belgii consuetudo circa hanc immunitatem statuant?

1. *Immunitas mansi ipsius Ecclesiæ asserta in Cap.* 1. *de Cens.*
2. *Quis auctor hujus Capituli.*
3. *Quomodo hic asseratur immunitas* Dotis *ipsius Ecclesiæ.*
4. *Secundùm aliquos vi hujus Decretalis sola dos Ecclesiæ immunitate gaudet.*
5. *Hæc opinio consona videtur Synodo Valentinæ.*
6. *Alii credunt vi hujus Decretalis omnia bona Ecclesiæ fuisse immunia & sola patrimonialia excepta.*

7. *Immunitas Ecclesiastica seculo 9. & 10. ultra terminos hujus Decretalis extensa non fuit.*
8. *Seculo 11. ad bona etiam* patrimonialia *Clericorum extendi cœpit.*
9. *Decreta Conciliorum Lateranensium loquuntur generaliter de bonis Clericorum.*
10. *Synodi habita seculo 13. evincunt immunitatem etiam bonis* patrimonialibus *Clericorum competiisse.*
11. *Id & seculo 14. obtinuit.*
12. *Condemnantur Clericorum fraudes bona laicalia fictè sibi asserentium.*
13. *Hodie hic in Belgio bona* patrimonialia *Clericorum non sunt immunia.*
14. *Edicto Principum nostrorum specialiter eximuntur bona Ecclesiarum primæ fundationis, & amortizata, vel aliquo tempore ut talia possessa.*
15. *Princeps specialiter eximendo bona* primæ fundationis *respexisse videtur ad* Cap. 1. ⁂ De Censib.
16. *Quare bona Ecclesiæ non amortizata non gaudeant immunitate.*
17. *An coloni bonorum Ecclesiasticorum gaudeant immunitate.*
18. *Præter immunitatem ab oneribus quæ rebus imponuntur, est & alia eximens ab oneribus personis impositis.*
19. *Quæ sint onera realia in hac materia.*
20. *Tripliciter imponuntur onera realia.*
21. *Quæ sint onera personalia.*
22. *Quæ dicantur mixta.*
23. *Quare hic in Belgio nequeat in specie dici quæ sint onera realia, quæ personalia.*
24. *Clerici ab oneribus personalibus jure Decretalium sunt immunes.*
25. *Hanc immunitatem asserit Concilium Lateranense.*
26. *Immunitatem hanc Bonifacius* VIII. *adscribere videtur juri* divino.
27. *Synodus Trid. eam* divinâ ordinatione *constitutam asserit.*
28. *Immunitas hæc non potest dici instituta* jure divino.
29. *Ostenditur quod dici queat consona iis quæ in Scriptura Sacra dicuntur.*
30. *Hæc immunitas potest dici divina ordinatione introducta sicuti decimarum solutio.*
31. *Varia est locorum & temporum circa hanc immunitatem disciplina.*
32. *Hanc varietatem supposuerunt in Belgio Concilia Regia in receptione Concilii Tridentini.*
33. *Clerici immunes sunt ab oneribus* mixtis.
34. *A militum hospitio immunes Clerici jure Decretalium.*
35. *In Gallia quoque & Belgio competit: & quæ hujus immunitatis ratio.*
36. *Immunitas hæc non domibus, sed Clericis domos inhabitantibus competit.*
37. *An domus oneri recipiendi aliquando obnoxia sint immunes dum Clerici eas incolunt.*
38. *Tempore obsidionis aut magnæ necessitatis hæc immunitas cessat.*
39. *Solicitè cavendum ne prætextu necessitatis immunitas Ecclesiastica violetur.*
40. *Vetantur ab Ecclesiis exigi* Fodrum, albergariæ & Regium.
41. *Quid* Fodrum, & albergariæ.
42. *Per* REGIUM *quidam intelligunt expensas militares.*
43. *Ab expensis militaribus Clericos eximit jus commune, cui consonant Edicta Regia in Gallia.*
44. *Eadem immunitas competit Clericis in Belgio.*
45. *An Clerici jure communi sint immunes à vigiliis & custodia murorum?*
46. *An teneantur contribuere pro reparatione murorum aut mœnium civitatis*
47. *De consuetudine Regni Galliæ tenentur contribuere duobus concurrentibus.*
48. *In hac materia immunitatis usus etiam est attendendus.*
49. *De onere* capitationis: *& quomodo ab eo Clerici sint immunes.*
50. *Assignatur vera ratio indulta immunitatis bonorum Ecclesiasticorum ex Concilio Lateranensi.*
51. *Eandem indicat S. Agobardus.*
52. *Rectus usus bonorum Ecclesiasticorum medium est efficacissimum conservandi immunitatem Ecclesiasticam.*

I. IN *cap.1.* ⁂ *De censibus* legitur: "Sancitum est, ut unicuique Ecclesiæ „unus *Mansus* integer absque ul„lo servitio tribuatur. Et presby„teri in eis constituti, non de de„cimis neque de oblationibus fi„delium, non de domibus, neque „de areis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de „prædicto Manso aliquod servitium faciant præter „Ecclesiasticum. Et si aliquid amplius habuerint, inde „senioribus debitum servitium impendant.

II. Hic textus refertur in hac Decretalium collectione sub nomine Concilii apud *Guarmatiam*, uti & in prima Decretalium Collectione Antonii Augustini. Apud Gratianum *caus.* 23. *q.* 8 *can.* 25. refertur ex Concilio Wormatiensi; uti & apud Buchardum & Ivonem: quæ licet sint diversa, non tamen sunt contraria, inquit Emanuel Gonzales in Commentario ad citatum *cap. 1.* cum plerumque Concilia *Wormatiensia* dicantur *Guarmatiensia*, â civitate *Wormatia* seu *Guarmatia*. Notatque Stephanus Balutius ad citatum Canonem Gratiani, in antiquis editionibus Decreti Gratiani eum referri ex Concilio *Guarmatiensi*, cum hodie legatur, *Wormatiensi*. Observat quoque ibidem Baluzius, primum ejus auctorem esse Carolum magnum. Ex cujus Capitularibus citatur à Regionone *lib.* 1. *cap.* 24. & è Capitularibus eum capite præcedenti retulimus.

III. Per *mansum* hic intelligi *dotem Ecclesiæ*, capite præcedenti notavimus: & ita communiter intelligi à Canonistis monet Panormitanus in expositione hujus textus.

Ex quo ulterius concluditur, inspecto jure Decretalium, agros & possessiones quæ revera ad Ecclesiam pertinent, tamquam *dos* ipsius Ecclesiæ, immunes esse ab omni servitio temporali, & consequenter ab omni pensitatione tributorum & vectigalium.

IV. Si vero ultra *mansum* aliaque ibidem expressa, „*quid amplius* habuerint, inde Senioribus suis debitum „servitium impendant, "ait textus.

Verus sensus horum verborum nonnullis videtur esse quod "si ipsæ Ecclesiæ alia prædia habeant, ultra prædictum *mansum*, ex his tributum, quod pendere sole„bant Senioribus, id est, Judicibus, aut Magistratibus „seu Dominis illius prædii debitum servitium impen„dant; quia tunc prædia illa transeunt cum suo onere, „nec similia prædia habent privilegium *dotis* Ecclesiæ, „PP. enim & Imperator privilegium hoc exemptio„nis concesserunt *manso* Ecclesiæ qui *necessarius* est ad „alimoniam Rectoris & aliorum ministrorum Eccle„siæ, nec non ejus luminaria, & similia, non autem ali„is prædiis, quæ pro dote Ecclesiæ assignata non erant „in quibus æqualis ratio favoris, & necessitatis non „vigebat.

V. Hactenus Gonzales; cujus interpretatio etiam confirmari videtur ex *Canone* 9. Concilii Valentini III, celebrati anno 855. quo nominatim cavetur, *ne de*

dotibus

dotibus Ecclesiarum ullus census à Secularibus exigatur. Verba Canonis sunt: "*Dotes* verò à Fidelibus designatæ „ Basilicis ad hoc, quod statutum ad eis (Presbyteris Pa- „ rochialibus) vindicentur, nullaque redhibitio *census* „ inde à quolibet sæculari exigatur.

Hinc non obscurum est, ipsius *dotis* specialem rationem habitam fuisse; atque singulariter fuisse provisum, ne per censuum aut tributorum exactiones minueretur.

VI. Nonnulli tamen credunt, finalia citatæ Decretalis sive Canonis verba: *Et si quid amplius* &c. non esse referenda ad Ecclesias, sed ad *Presbyteros*; ut sensus sit: Si Presbyteri quid *amplius* habuerint; puta aliquos *proprios* agros aut *patrimonialia* prædia, hæc esse servitiis & oneribus obnoxia: quo sensu omnia bona Ecclesiæ essent immunia; quæ autem Presbyteri *amplius* sive præter illa haberent *propria*, tributa vel servitia Dominis sive Senioribus deberent.

VII. Quidquid sit, hoc sat constat, hunc Canonem seculo 9. & 10 passim in Synodis, & Episcoporum Decretis fuisse renovatum; neque immunitatem hanc vix ultra terminos hujus Decretalis seu Canonis illis seculis fuisse extensam; atque id sollicitè curasse Episcopos, ut unicuique Ecclesiæ *mansus integer*, & ab omni servitio liber assignaretur & conservaretur. At seculo 11. & sequentibus non tantùm ad omnia bona Ecclesiæ, sed etiam ad *patrimonialia & privata* Clericorum bona hæc immunitas extendi cœpit.

VIII. Et quidem seculo 11. celebratum Concilium Melphitanum sub Urbano II. *can.* 11. decernit. "Ne „ gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum „ jus laicis in Clericos esse volumus.... Neque liceat „ laicis exactionem aliquam pro Ecclesiæ beneficiis, aut „ *paternis maternisve* facultatibus quærere.

Hic non obscurè significatur, laicis fas non fuisse, etiam in bonis *paternis* aut *maternis* Clericorum aliquam exactionem quærere.

IX. Concilia Lateranensia sub Alexandro III. quorum Decreta referuntur in *Cap.* 4. & 7. *De Immunitate Eccles.* licet non loquantur nominatim de bonis *propriis & privatis* Clericorum; tamen quia loquuntur indefinitè *de bonis Ecclesiarum* & CLERICORUM & *pauperum usibus deputatis*, ita accepta fuisse videntur, quasi sub hac immunitate bona *patrimonialia* essent comprehensa, ut ex Synodis sub idem penè tempus habitis non obscurum est.

X. Et quidem hoc sensu immunitatem accepisse apparet Patres Concilii Narbonensis an. 1227. (id est 12. circiter annis post Concilium Lateranense sub Innocentio III.) *Can.* 12. "Item statuimus, ut Clerici occasione „ *patrimonii* sui, vel personæ *nullatenus tallientur*, & tam „ Consules, quàm alii Laici, ab his talliis & exactioni- „ bus per censuram Ecclesiasticam, si necesse fuerit, com- „ pellantur.

Rursus in Concilio Tolosano an. 1229 *Can.* 20. "Cle- „ rici quoque non talliabuntur occasione etiam *heredi-* „ *tatis*, etiamsi per *successionem* eis obvenerit, nisi sint „ mercatores vel uxorati.

Concilium Coloniense anno 1266 *Can.* 8. statuit, ut non tantùm "bona Ecclesiarum sed etiam *Ecclesiastica-* „ *rum personarum* civitatis & Diœcesis Coloniensis sint „ & maneant in omni loco, tam in civitate quàm extra, „ & transeant tam in terris, quàm in aquis, absque telo- „ nio, & qualibet exactione, & sine omni impedimento „ libera & penitus absoluta.

XI. Hæc aliaque illo seculo habita Concilia sat significant, immunitatem etiam ad bona *patrimonialia* Clericorum fuisse extensam. Imò & seculo 14. idem jus perseverasse plura Conciliorum Decreta probant; ac signanter Concilii Avenionensis anno 1326 *Can.* 11. „ Item quod Clerici, & hospitalia, & Ecclesiæ à talliis „ & exactionibus, quas Domini temporales faciunt, „ etiam ratione possessionum temporalium, nec non in „ *patrimonialibus*, secundùm leges & Canones defen- „ dantur per Ordinarios, nimis hactenus super hoc ne- „ gligentes: ne paulatim usurpent temporales Domi- „ ni in præjudicium, & enervationem Ecclesiasticæ li- „ bertatis.

XII. Imò & sub finem ejusdem seculi, testimonium perseverantis illius disciplinæ sat luculentum suppeditat Concilium Narbonense an. 1374. *Can.* 25. condemnans Clericorum & Religiosorum aliquorum fraudes, qui sub fictis bonorum in se translationibus etiam bona Laicorum sub immunitate conservabant; "Ad no- „ strum (ait) pervenit auditum, quod nonnulli Cleri- „ ci soluti, & tam in minoribus quàm in Sacris Ordi- „ nibus constituti, & etiam Religiosi aliqui, sibi procu- „ rant donationes rerum immobilium fieri in *fraudem*, „ ut bona sic eis donata ad contributionem talliarum „ Laicorum pro rata non teneantur. Nos igitur talibus „ fraudibus obviare volentes hoc sacro approbante „ Concilio prohibemus, ne hujusmodi donationes in „ *fraudem*, ut præmittitur, recipiant.

XIII. Verùm cum Clerici hæc bona possideant, non ut Clerici, aut tamquam ministri Ecclesiæ; neque ullatenus ad Ecclesiam pertineant, aut legibus Ecclesiæ subjaceant; jam pridem hisce in partibus omnis immunitas quoad bona *patrimonialia* Clericorum desiit; sed per omnia conditionem bonorum *laicalium* quoad onera rebus imposita sequuntur; ac notanter declaratum est in Edicto Philippi Boni Ducis Brabantiæ 20. Septembris anno 1451 *art.* 7. quod in onere reali, quod vulgò idiomate Brabantino dicitur *Beden*, contribuere & solvere teneantur Ecclesiasticæ personæ & Beguinæ in Brabantia de suo *patrimonio*, & bonis in suos *privatos & proprios* usus acquisitis, sicuti alii incolæ.

XIV. Quin & *art.* 8. in eandem contributionem etiam vocantur omnia bona in Brabantia sita, quæ Ecclesiasticæ personæ ad *usum Ecclesiasticum* sive in Monasteriis aut alibi in vel extra Brabantiam commorantes emerunt & acquisierunt; exceptis iis bonis quæ ad *primam fundationem* data fuere; & ad eum finem à Principe *amortizatis*; item iis exceptis, quæ ab Ecclesiasticis plusquam à 70. annis acquisita erant, & ab onere illo semper manserant exempta. Idipsum exprimitur in Edicto de anno 487 *art.* 11. excipiuntur bona ad usum Ecclesiasticum acquisita ante annum 1481. & ab eo tempore exempta manserunt; hoc est, *sex annis* ante hoc Edictum.

XV. Princeps hic eximendo specialiter bona *primæ fundationis*, sive *dotationis*, videtur respexisse ad Decretalem seu Canonem supra relatum, eximentem *Mansum* seu *dotem* Ecclesiæ: eumque juxta primum sensum ibidem assignatum intellexisse videtur.

XVI. Vult insuper Princeps ea *sola* bona Ecclesiæ immunitate ab isto onere gaudere: quia cum jam pridem receptum esset, ut sine speciali facultate Principis, quæ *amortizatio* dicitur, bona immobilia in Ecclesiam tamquam *manum mortuam* transferri non possent, (uti *parte* 1. *tit.* 29. *cap.* 3. dictum est) hac acquirendi facultate non factâ à Principibus, æstimarunt Nobiles & alii laici, cogi posse Ecclesiam, ut bona è manu mittat, vel si benignius agatur, ut *realia onera*, non secus ac seculares ferat, idèoque secundùm leges civiles ad indicta communiter rebus onera: etiam Ecclesiarum possessiones obligari uti loquitur Zypæus *Consult.* 1. *nu.* 10. *De Immunit. Eccles.*

Imò ne nimium gravarentur laici per immunitatem bonorum Ecclesiæ ab oneribus publicis, ipsis quoque litteris amortizationis inseritur clausula, quod bona amortizata remanebunt *taxabilia*, qualiter antea fuerunt;

runt; quales litteras veteres se aliquando vidisse asserit Zypæus loco citato;& supra citato *cap.* 3. ex Antonio Anselmo notavi, quod Supplicantes pro amortizatione,ut eam faciliùs impetrent, soleant bona amortizanda subjicere, & obnoxia reddere impositionibus & tallis.

XVII. Refert Zypæus in Jure Novo *tit. De Immunitate Ecclesiarum num.* 22. Concilium Brabantiæ 22. Augusti an.1598 declarasse in causa Monasterii S. Bernardi ad Scaldim contra pagos de Westmal & Soersele, " à precariis similibusque oneribus, non decimas „tantùm, sed & decimarum conductores immunes „esse, ne scilicet per eorum latus Clerici transfigeren„tur.

Deinde subjungit Zypæus: "An idem sit censendum „de conductoribus aliorum bonorum amortizatorum, „ut nec ipsi contribuant,sicut nec locatores? Pro affir„mativa facit similitudinis ratio, & *art.* 14. *d. instruct.* „ubi precariarum onus dirigitur in colonum, & nihi„lominus amortizatis bonis datur supra dicta immu„nitas. Et ita aliquibus locis usus habet; pluribus secus „sed error sæpe irrepit ideò, quod non inquiratur, an „antiquitus amortizata, an recentius acquisita bona „sint.

Hæc ille; qui & *Consult.* 1. *De Immunitate Eccles num.* 14 asserit judicatum fuisse 9. Junii 1636. pro Abbate Averbodiensi & Postulanensi contra municipium de Balem,ab oneribus realibus excepta esse, non tantùm bona amortizata; sed & ipsos colonos talium bonorum.

XVIII. Et hæc quidem quoad immunitatem quæ ex natura & conditione ipsorum bonorum petitur sine consideratione personæ possidentis; præter quam est & immunitas personis Clericorum competens; ipsasque personas ab oneribus laicalibus eximens; pro qua immunitate dignoscenda,necessariò onerum realium, personalium & mixtorum distinctio observanda est.

XIX. Onera realia sunt, quæ imponuntur ipsis rebus nullâ prorsus habitâ personæ possidentis contemplatione; uti jam pridem notavit Boetius Epo ad *Cap.* 4. ✠ *De Immunitate Eccles.num.* 57.

XX. Hoc autem genus onerum merè realium in alia tria subdividitur genera (ait dictus auctor) "quando„quidem nunc res ipsa per sese præstat ministerium, si„cut equus,mulus,plaustrum, navis, res alia quælibet; „nunc aliquid ex ipsa re proveniens exigitur, ut certa „portio fructuum; nunc denique neque res ipsa servit, „neque ex rei proventu quidquam delibatur, sed pecu„niaria fit contributio pro re certa seu respectu solius „rei certæ citra ullam personæ considerationem, sicuti „fit in omnibus ii; tributis ac Vectigalibus pecuniari„is quæ rebus ipsis incumbit.

XXI. Onera personalia sunt,quæ *personis* imponuntur;ita nimirum, ut personis singulis aliqua pecuniaria aliave contributio imponatur: quæ cum sumptus requirat, & hoc ex capite patrimonii diminutionem inducat,etiam onus *patrimoniale* rectè appellatur; quantumlibet ipsis *personis* vel *capitibus* imponatur, & non rebus;quale onus est, quod hodie vulgo *capitatio* dicitur,de quo infra.

XXII Denique onera aliqua dicuntur *mixta*, id est, partim realia,partim personalia; quæ nimirum personis quidem incumbunt,sed habita rerum possessarum contemplatione. Exemplum hujus generis occurrit in imperatis per Principem (sed pecuniariter exigendis & solvendis) centesimis, vel quinquagesimis,vel vigesimis vel decimis omnium cujuslibet sibi subditi facultatum: tale namque munus vel onus patrimoniale singulis incumbit,contemplatione tamen totius patrimonii, proque rata patrimonii,uti notat Boetius Epo loco supra citato.

XXIII. Notandum hic in Belgio non posse in specie definiri,quæ onera sint *realia*,vel *personalia*; eo quod id ferè dependeat à voluntate & consensu Ordinum sive Statuum qui dum in onera illa consentiunt, unà declarant,quo *pede*,ut ajunt,velint illa exigi,an pede *reali* vel *personali* vel *mixto*:uti capite sequenti latiùs dicetur.

XXIV. Si Decretales attendamus,evidens est, Clericis sive personis Ecclesiasticis immunitatem ab exactionibus ac talliis & oneribus patrimonialibus, quæ *personalia* dicuntur,competere. "Clericos constat à per„sonalibus oneribus liberos esse, quamvis non à patri„monialibus illis quæ rebus insunt aut imposita *perpe„tuò*,fuerunt, antequam in Ecclesiam transirent, "ait Zyp. *Cons.* 1. *n.* 5.

XXV. Et quidem Concilium Lateranense sub Innocentio III i *Cap.*7. ✠ *De Immunit Eccles.*renovans & amplians Decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III. de quo *Cap.*4. ✠ *eod* ait; "Adversus Consules & „Rectores civitatum vel qui Ecclesias & Ecclesiasticos „viros talliis seu collectis & exactionibus aliis adgra„vare nituntur,volens immunitati Ecclesiasticæ Late„ran.Concilium providere. præsumptionem hujusmo„di sub anathematis districtione prohibuit: transgres„sores & fautores eorum excommunicationi subjacere „præcepit, donec satisfactionem impenderint compe„tentem.

XXVI. Et Bonifacius VIII. in *Cap.* 4. *De Immunit. Eccles in* 6. dicere non dubitat,quod "Ecclesiæ *Ecclesi„asticaque persona* ac res ipsarum, non solùm jure huma„no,quin imò & *Divino*. à secularium personarum ex„actionibus sint immunes.

XXVII, Similiter & Synodus Tridentina *sess.* 25. *cap.* 20. *De Reformat.* immunitatem Ecclesiarum & Ecclesiasticarum personarum juri divino referendam indicat,dum dicit;se confidere,Principes seculares, "non „permissuros,ut Officiales, aut inferiores Magistratus, „Ecclesiæ & personarum Ecclesiasticarum immunita„tem, *Dei ordinatione*, & Canonicis sanctionibus con„stitutam,aliquo cupiditatis studio, seu inconsidera„tione aliqua violent.

XXVIII. Verum hæc,tum Pontificis, tum Synodi Tridentinæ dicta non ita accipienda sunt, quasi ipsa Ecclesiarum & Clericorum immunitas, præsertim ab oneribus temporalibus, esset jure divino præcepta & stabilita; sed quod sit consona iis quæ in sacra Scriptura & Verbo Dei consignata sunt,

XXIX. Legitur enim *Genesis cap.*47. quod suggerente Patriarcha Joseph sub Pharaone Rege Ægypti, omnis terra Ægyptiorum Pharaoni subjecta fuerit, *præter terram Sacerdotum,quæ à Rege tradita fuerat eis*; additque Sacer textus *Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti, Regibus quinta pars solvitur, & factum est,quasi in legem,absque terra Sacerdotali, quæ libera ab hac conditione fuit.*

Licet ex hoc facto Josephi nullum possit elici præceptum Divinum, tamen elicitur argumentum, quo ostendatur,meritò à Principibus Christianis dari Sacerdotibus Novæ Legis,quod sub Imperatore Ethnico indultum fuit Sacerdotibus Idolorum.

Ad idem conducit exemplum Regis Artaxerxis de quo I. *Esdræ cap.*7 legitur, scripsisse ipsum ad Custodes Arcæ publicæ in hæc verba *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus & Levitis,& Cantoribus,& Janitoribus, Nathinæis, & Ministris domus Dei hujus, ut* VECTIGAL, *&* TRIBUTUM *& annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.*

XXX. Itaque rectè dicitur hæc immunitas *Dei ordinatione* constituta, in quantum ad exemplum eorum quæ Scriptura Sacra proponit,inducta est: quemadmodum in simili supra *titulo* 33. de decimarum origine notavimus.

XXXI. Et

XXXI. Et ficuti circa decimarum folutionem varia est locorum varietas, non obstãte quod ea quæ in Scriptura occurrunt decimis introducendis occasionem dederint; ita & circa hanc immunitatem pro temporum & locorum diversitate variam fuisse & adhuc esse disciplinam notorium est, quod & manifestum est argumentũ, eam non juri Divino, nisi impropriè, adscribi posse.

XXXII. Antonius Anselmo Jurisconsultus Antverpiensis in suo Triboniano Belgico *cap.* 53. referens annotationes factas ad Decreta Concilii Tridentini per Concilia Regia hic in Belgio præviè ad ejusdem Concilii publicationem, loquens §§. 55. & 56. de citato *cap.* 20 *sess.* 25. ait: "Eadem sessione (25) cap. 20. monentur om-„ nes Principes Christiani libertatem, immunitatem, & „ Jurisdictionem Ecclesiasticam protegere & conser-„ vare. Hic rursum Brabanti auctoritatem & privilegia „ Regiæ Majestatis, & Provinciarum ingeminant. Alii „ id intelligere se ajunt, exceptis necessitatibus, aliisque „ casibus jure expressis, proque Provinciarum inculpa-„ to more ac usu legitimè præscripto sive privilegio „ confirmato.

XXXIII. Ab oneribus personalibus, quæ à laicis imponuntur personis, habitâ tamen consideratione possessionum, quæ *mixta* dici possunt, Clericos immunes esse, sive jus Civile, sive Canonicum attendamus, indubitatum est, uti etiam notat Zypæus *Consult. I. De immunit. Eccles. num.* 2. & 5. & evidenter exprimitur in *Cap.* 7. ꝟ *De Immunit. Eccles.* nec non *Cap.* 1 *eod. in* 6.

XXXIV. Hinc imprimis deducitur, Clericos ab hospitio militum esse immunes; quod & jam pridem à Constantino Magno in *L.* 1 *Cod. De Episcopis & Clericis* cautum reperitur; & ex *Cap.* 1. ꝟ *De Immunit. Eccles.* communiter deducunt Canonistæ; quamvis ibidem non de militibus hospitio recipiendis; sed de Placitis sive Judiciis in Ecclesiis vel domibus Ecclesiarum exercendis; & ipsis Judicibus hospitio recipiendis agi videatur, & textus ipse sat innuit. Interim hic unanimi consensu tradunt Canonistæ, Clericos à recipiendis militibus esse imunes.

XXXV. Eam in Senatu Sabaudiæ Clericis assertam refert Antonius Faber in Codice *lib.* 9. *tit.* 30. *Definit.* 26 creditque "fortasse hoc privilegium Clericis datum, „ quod onus hoc personalem quoque inferat vexatio-„ nem, quæ recipientis verecundiam ipsam pulsare ac „ lædere videatur. "Et in Gallia servari tradit Choppinus *lib.* 3. *De S. Polit. tit.* 2. *n.* 3. atque sæpius nominatim Edictis Regiis vetitum fuisse, Ecclesiasticorum domos militum hospitio gravare, refertur in Actis Cleri Gallicani *tomo* 1 *parte* 4. *cap* 7. Et in Declaratione Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii 1479. Clerus Brabantiæ, qui tum temporis suberat Episcopis Leodiensi & Cameracensi, declaratur exemptus ab hospitio militum.

XXXVI. Cum autem hoc privilegium personale, sive personis Clericorum potiùs, quàm eorum domibus concessum sit, rectè notat Boetius Epo ad *Cap.* 1. ꝟ *De Immunit. Eccles.* "domos Ecclesiarum hic intelligi, quas „ ipsimet inhabitant Ecclesiastici, non quas laicis inha-„ bitandas concesserint; quemadmodum (ait) vice ver-„ sâ, laicorum domûs, quas occupant & inhabitant Cle-„ rici pro domibus Ecclesiarum hac in re videntur ha-„ bendæ.

XXXVII. Dicunt quidem communiter Canonistæ, cessare hanc immunitatem, si domus Ecclesiasticorum singulari quodam jure fuerint illi oneri subjectæ; sed uti ibidem rectè reflectit Boetius Epo, id intelligi debet de *singulari* & *speciali* jure, non autem de generali, quo laicorum domus à laicis inhabitatæ passim huic oneri subjacent.

XXXVIII. Ulterius Choppinus loco citato, postquam dixit domos Clericorum à militum hospitio esse immunes, addit hanc limitationem: "Dempto eo casu, „ si obsidione cincta mœnia proponentur, vel summum „ aliud periculum impenderet.

Similiter Antonius Faber allegatâ *Defin.* 26. notat, Ecclesiasticos in recipiendis militibus merito laicis subsidio esse, ubi laici recipiendorum militum oneri sunt impares.

XXXIX. Ne tamen hoc prætextu necessitatis, aut impotentiæ violaretur Ecclesiastica immunitas, dicit in casu occurrente, à Senatu Sabaudiæ per sententiam interlocutoriam ordinatum fuisse, ut antequam ad recipiendos milites adigerentur Ecclesiastici, ante omnia „ per unum è Senatoribus inspicerentur & describeren-„ tur omnes totius civitatis ædes, quæ ad subeundum „ hospitis recipiendi munus essent idoneæ, ut ex ea in-„ spectione ac descriptione constare posset, quibus fini-„ bus circumscribendi & definiendi essent casus illi ne-„ cessitatis, quorũ haberi rationem oporteret, ad obligã-„ dos Clericos, ut laicis subsidium ferrent, ne aut in Cle-„ ricorum, aut in laicorum arbitrio relictũ id videretur.

Rationem hujus inspectionis subjungit, "Nam nisi „ maxima omninòque præcisa urgeret necessitas quæ „ nec nobilioribus, nec aliis ullis præcipua immunitate „ gaudentibus parceret, nihil contra Ecclesiasticam im-„ munitatem statuendum esse constabat, sive de statio-„ nario milite, sive de eo, qui ex causa aliqua improvisa „ supervenerit, recipiendo ageretur. Quomodo sæpiùs „ à Senatu nostro pronuntiatum antehac fuit pridem „ pro Canonicis civitatis Aquensis, nuper autem pro R. „ D. Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis, con-„ firmatâ Concilii Gebennensis sententia, me Præside „ pro ipsis latâ.

XL. In *Cap* 23. ꝟ *De Jure Patronatus* inhibetur Patronis, Advocatis & vicedominis exigere ab Ecclesiis Patronatis *fodrum, albergarias*, & *regium*.

XLI. Fodrum interpretatur Boetius Epo *De Regalia num.* 14 jumentorum *pabula* à voce germanica, *fœder*. Per *albergarias* autem significari credit, hospitiorum præbendorum onus; corruptâ scilicet per imperitos voce germanicâ seu *berberghe*, quod est hospitium, seu *berbergen*, quod est hospitio excipere, seu *berbergiers*, qui sunt hospites, vel potiùs Pandochæi seu caupones, in *albergarias*.

XLII. *Regium* autem interpretatur Glossa ad citatũ Capitulum, *tributum* Regi pendendum; credit tamen Zypæus citatâ *Consultat.* 1. *nu* 20. "fortè propriùs de ali-„ is militaribus expensis, v. g. angariis & parangariis, „ quasi *regio* jure aut more exactis rectè hic intelligi, ob „ duo militaria vocabula, quibus conjungitur.

XLIII. Quidquid sit, hoc sat certum, jure communi inspecto, Ecclesiasticos non tantùm à militum hospitio; sed & militaribus expensis esse immunes; ipsaque Regia Edicta in Gallia non semel eam immunitatem Ecclesiasticis asseruerunt ac signanter Henricus III. Edicto Blesensi anno 1577. Ecclesiasticos exemptos declaravit ab omnibus bellicis contributionibus, & militum hospitiis & Ludovicus XIII. anno 16 9. edixit, Clericos eximi ab annonæ militaris contributione, à Gubernatorum & militum impensis uti latiùs hæc referuntur in Actis Cleri Gallicani loco supra citato.

XLIV. Declaratio Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ supra allegata, exemptum declarans Clerum Brabantiæ ab omni onere & impositione, à quibus secundùm jus scriptum, *gescreven rechten* Clerus est exemptus, sat patenter hanc immunitatem circa impensas militares tuetur & asserit: quemadmodum omnia illa Principum Edicta, quibus promittunt tueri & conservare Ecclesiasticos suarum ditionum in suis juribus & immunitatibus.

XLV. Ad Episcopum Terracinensem scribit S. Gregorius *lib.* 7 *indict.* 1. *Epist* 20. "Quia verò comperimus „ multos se à *murorum vigiliis* excusare, sit Fraternitas

„ vestra sollicita, ut nullum neque per nostrum vel *Ec-* „ *clesiæ* nomen aut quolibet alio modo defendi à *vigiliis* „ patiatur, sed omnes generaliter compellantur, quate- „ nus cunctis vigilantibus, meliùs auxiliante Domino „ civitatis valeat custodia procurari.

Fragmentum hoc Epistolæ extat in *Cap.* 2. ꝟ. *De Immunit. Eccles.* ubi notant communiter Interpretes, hæc intelligi debere de casu magnæ necessitatis, juxta ejusdem Capituli rubricam his verbis expressam: *Tempore magnæ necessitatis, non debet aliquis excusari à murorum seu civitatis custodia.* Extra casum autem necessitatis, Ecclesiasticos ab hoc onere *vigiliarum* sive per se, sive per alium suis impensis subeundo esse immunes, nemo interpretum dubitat; uti videre est apud Boetium Eponem in commentario ad hoc Capitulum 2.

XLVI. Idem auctor latè in utramque partem disquirit, an Ecclesiastici teneantur contribuere in reparationem murorum & mœnium civitatis; asseritque eam quæstionem inter utriusque Juris Interpretes multùm controverti, & allatis utriusque sententiæ fundamentis tandem dicit *nu.* 42. "Propter tantam quæstionis ambi- „ guitatem, quoties hac de re controversia fuit, plerum- „ que negotium transactione fuit sopitum, neque sen- „ tentia contra Clerum ulla reperitur hactenus in hujus „ quæstionis genere lata.

XLVII. Rebuffus in suo tractatu *De Sententiis provisionalibus art.* 3 *Gloss.* 6. sat innuit, Clerum *de jure* non teneri contribuere pro reparatione murorum & fortificatione civitatis; tamen asserere non dubitat, contrariam opinionem de facto servari in Francia.

Post hæc statuit hanc conclusionem. "De consuetudi- „ ne itaque cogitur Ecclesia & Clerici duobus interve- „ nientibus ad pontium, itinerumque refectiones & mu- „ rorum primò si refectio fiat propter necessitatem, & „ non ad decus urbium solùm: quia necessitas legem non „ habet. *L. unica. ff. de officio Consul.* & omnia tempore „ necessitatis communicanda sunt. *L.* 2. *§ in eadem. ff. ad* „ *legem Rhod. de jactu.* Ratio est, quia clerici juvabuntur „ pontibus, & illis muris, & itineribus sicut laici: ideò „ secundùm naturam est eum pati incommoda, quem „ sequuntur commoda, *L. secundùm ff. de reg. jur.*

„ Secundùm quod Ecclesia res ibi possideat tempo- „ rales unde chordigeri, vel alii clerici, qui nullum tem- „ porale possident, non tenentur: ut asserit Guiliel. Bene- „ dic. in *repe. cap. Raynutius. in verb. & uxorem n.* 1030. „ *de testam.* quia temporalia tunc capiuntur pro execu- „ tione, quæ non possunt capi: quando illæ Ecclesiæ non „ habent, nec solent condemnari eo casu clerici, vel Ec- „ clesiæ.

Subjicit dein plura Parlamentorum arresta, quibus Ecclesiastici ad hanc contributionem condemnati fuerunt, "per quæ patet (inquit) hodie non esse dubium in „ hoc Regno Franciæ.

XLVIII. Certum est, quod in hac materia, etiam consuetudo & receptus usus non parùm sint attendenda; nec facilè Ecclesiastici contra receptum usum privilegia urgere debeant; præsertim inferiores inconsultis suis Superioribus.

XLIX. Inter onera merè personalia, sed tamen patrimonialia, est illud quod *capitatio* dici consuevit; estque vectigal sive tributum, quod *pro capite* solvitur; puta, quod Patresfamiliarum pro singulis capitibus ærario publico dependere coguntur.

Ab hoc tributo sive onere Clericos esse immunes ex Jure scripto evidens est, cum nimis evidens sit hujusmodi oneris impositione Ecclesiasticas personas à laicis gravari contra *Cap.* 7. ꝟ. *De Immunit. Eccles. & Cap.* 1. *De Censibus in* 6. notatque Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 14. addens §. 4. "Causâ urgen- „ te Sacerdotes hoc tributum persolvunt, impositio ta- „ men non fit nisi de *eorum consensu*; uti factum in Edi- cto de 5. Martii 1631. "quod habetur parte 2. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 21. ubi exprimitur singulatim quid singuli *capitatim* contribuere debeant.

L. Ratio indultæ hujus immunitatis realis sive patrimonialis non obscurè indicatur à Concilio Lateranensi in *cap.* 4. ꝟ. *De Immunit. Eccles.* ubi deplorat, quod laici sive fossata sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum & pauperum *usibus* deputatis velint ferè cuncta compleri.

Quid his aliud indicatum voluit Concilium, nisi indignum esse, bona Clericorum & pauperum *usibus* deputata (qualia sunt bona Ecclesiarum) in profanos & seculares usus converti? Ut proinde causa hujus immunitatis esse videatur, quod bona in hos usus à populo & Principibus oblata & destinata non debeant rursus in alios usus sine gravissima causa converti.

LI. Eandem rationem videtur jam pridem attigisse S. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis libro *De Dispensat. Eccles. cap.* 19. "Quæsitum est etiam, vel quæri „ potuit, cur Dominus exactoribus publicis, qui dixe- „ runt Petro, *Magister vester non solvit didragma de lo-* „ *culis* non dedit stateram, sed Petrum ad mare direxit, „ ut de ore piscis tolleret? Responsumque est à Docto- „ ribus Ecclesiæ, quia dominici loculi in *pauperes* & in di- „ es festos expendebantur; & cum exegisset necessitas in „ alimenta discipulorum Domini, (sicut scriptum est: „ *Discipuli autem abierunt in civitatem ut cibos emerent*) „ noluisse Dominum, rem pauperum in publicam ex- „ actionem mittere, sed omnipotenti virtute, quod uti- „ que pauperum non erat, de mari tollere & fisco redde- „ re voluisse, ut formam daret discipulis, quam Ecclesiæ „ commendarent.

Quasi diceret, Christum noluisse ex denariis discipulorum & pauperum *usibus* deputatis vectigal petitum solvere, ut suo facto ostenderet, bona illa non esse impendenda in vectigalia & tributa aliasque publicas exactiones; sed Clericorum & pauperum usibus servanda esse.

Et uti rectè advertit Vir eruditus, Claudius Fleury in suis *Institut. Can. lib* 1 *cap.* 29. loquens de hac Clericorum immunitate. "cum Respublica Ecclesiasticos intertine- „ at, & eorum labores compenset, æquum est, ut saltem „ bona ipsis conservet; ne aliàs quod dat unâ manu, re- „ trahat alterâ.

LII. Optimum itaque & efficacissimum medium conservandæ *immunitatis* bonorum Ecclesiasticorum erit, si bona Ecclesiastica in usus Ecclesiasticorum operantium in vinea Domini, & ex iis moderatè viventium, & alimenta pauperum aliosve pios usus impenderentur. Si enim hunc in usum bona Ecclesiæ impendi viderent Principes haud dubiè non secus ac Majores ipsorum ad bona illa Ecclesiis integra servanda incitarentur; ubi econtra, dum ea in usus profanos contra Fundatorum & Offerentium intentionem insumi conspiciunt, parùm existimant piaculi, dum ea in Reipublicæ commoda convertunt; tuncque sæpe locum habet illud vulgatum *Quod non capit Christus, rapit Fiscus.*

CAPUT III.

De Subsidiis voluntariis à Clero Principi solvendis.

1. *Olim moris fuit, ut etiam Ecclesiastici aliqua dona Principi offerrent; videnturque primitùs fuisse voluntaria.*
2. *Notitia Monasteriorum quæ dona Principi debebant.*
3. *Dona hæc in necessitatem transiisse videntur seculo 9. & per ea Monasteria quædam ad egestatem redacta.*

4. Quæ

4. Quis finis Ecclesiæ in dandis his donis.
5. Monentur Principes ut Ecclesiæ bona tueantur; & vicissim Ecclesiastici, ut Principibus etiam in temporalibus subsidio sint.
6. In necessitate Principis ex reditibus Ecclesiæ subsidium ferre probavit Concilium Lateranense.
7. Ut collecta à Clericis conferatur requiritur de jure communi consensus Episcopi & Cleri.
8. Requiritur notabilis necessitas, eaque arbitrio Episcopi cum Clero.
9. Necessitas vel utilitas debet esse communis laicorum & Clericorum; & cui nec facultates laicorum sufficiant.
10. Debet dari liberè, sine coactione.
11. Seculi 12. captum est peti à Clero subsidium pro expeditione Hierosolymitana.
12. Eo seculo Concilium Parisiense eum in finem addixit decimam bonorum Ecclesiasticorum.
13. Hæc prima fuit hujus generis decima, dicta decima Saladini.
14. Data pro uno anno tantùm; idque ob instantem necessitatem de consensu populi & Cleri.
15. De omnibus bonis etiam mobilibus; & ab omnibus paucis exceptis.
16. Pontifices erant solliciti ne Clerici ad contribuendum inviti non cogerentur.
17. Ne ad preces Principum nimis facilè Prælati consentirent, Concilium Lateranense IV. requirit, prævie consuli R. Pontificem.
18. Concilium Lateranense Clericis vigesimam, & Cardinalibus decimam imposuit in subsidium Cruce signatorum.
19. Honorius III. ad succurrendum Imperio Constantinopolitano medietatem proventuum Ecclesiasticorum unius anni attribuit.
20. Pontifices non semper requirebant consensum Cleri.
21. Pro bello contra Hæreticos Clerus Gallicanus decimam annuit sub conditione, ut Rex personaliter laboraret.
22. Clerus impositioni decimæ subinde restitit, ne quod gratuitò datur in necessitatem verteretur.
23. Pontifices interdum Clericos reluctantes ad solutionem adigebant.
24. Hæc decimarum impositio penè in contributionem ordinariam & perpetuam transibat; ipsaque expeditio Hierosolymitana sæpè tantùm erat falsus prætextus.
25. Reges monebantur ad restituendam decimam omissa expeditione; sed frustra.
26. Rex Angliæ à Pontifice petit decimas omnium Regnorum quorum Principes personaliter expeditionem in Terram Sanctam non susceperant.
27. Respondet Pontifex annui postulatis non posse: responsum indicat, Bellum sacrum fuisse tantùm prætextum exigendi decimam.
28. Clerus maluit decimam in defensionem proprii Regni Principibus addicere.
29. Clerus Gallicanus suo Regi tantam decimam sponte addicit, quantam Pontifices dare solebant.
30. Idque in tuitionem sui Regni.
31. Circa hoc tempus Clerum à laicis multùm gravari conqueritur Bonifacius VIII.
32. Constitutio Bonifacii VIII. quæ sub excommunicatione vetat etiam sponte aliquid à Clericis contribui sine licentia Sedis Apostolicæ.
33. Cum derogatione omnium privilegiorum etiam Regibus indultorum.
34. Multùm contra hanc Constitutionem exulceratus fuit animus Philippi Pulchri Regis Galliæ.
35. Bonifacius mentem suam exponit, atque à nonnullis suam Decretalem malignè interpretatam asseris.
36. Declarat suam Decretalem ad casum necessitatis, quæ Regis conscientiæ committitur, non extendi.
37. Huic declarationi unniti dicitur privilegium Regis Galliæ recipiendi subsidium à Clero sine licentia Pontificis.
38. Benedictus XI. mitigavit Decretalem Bonifacii VIII.
39. Clemens V. eam revocavit & irritam declaravit; & quare.
40. Decimæ impositio tempore schismatis Avenionensis admodum frequens fuit.
41. Decretum Concilii Constantiensis super hac impositione.
42. Neque post hoc Decretum cessavit; semper tamen solvebatur tanquam subsidium extraordinarium & gratuitum.
43. In Gallia præcedenti seculo cœpit solvi ut subsidium ordinarium.
44. Cœpit præter decimam solvi aliud subsidium nomine doni gratuiti & quomodo illud imponatur?
45. Precaria vulgò Bede in Belgio solvi solita primitùs fuit gratuita & extraordinaria.
46. Hodie est ordinaria contributio.
47. Hæc contributio non gravat bona Ecclesiastica.
48. Abbates conficientes primum membrum Statuum Brabantiæ solvunt suam specialem quotam in hac contributione.
49. Clerus Secularis non contribuit; quia in eam non consensit.
50. Clerus secularis Brabantiæ tanquam Corpus distinctum conferebat Principi subsidium.
51. Non comprehenditur sub consensu Ordinum Brabantiæ.
52. Qui constituunt primum Membrum Ordinum Brabantiæ non contribuunt cum Clero.
53. Quæstio aliquando fuit, qui cum Clero, & qui cum Statibus contribuere deberent.
54. Post erectionem in Belgio Episcopatuum, Clerus mansit separatus à primo Membro Statuum Brabantiæ.
55. Clerus urgentibus laicis aliquando in subsidium ex consensu Statuum concessum sine consequentia concurrit.
56. Principes Belgii etiam hoc seculo habuerunt Clerum Brabantiæ ut Corpus à Statibus Brabantiæ distinctum.
57. Clerus etiamnum hodie contendit se non comprehendi.
58. Clerus nunquam per ordines Brabantiæ nominatim taxatur, nec certa quota ei imponitur.
59. Non convenit ut clerus in subsidiis taxetur à laicis.
60. Clerus Brabantiæ in annuendis subsidiis adhibuit consensum Episcoporum.
61. Non solet Consuli Romanus Pontifex.
62. Convenit ut à subsidiis exempta sit competentia Pastoralis.
63. Subsidia diversimodè colliguntur.
64. Quæ inter modos colligendi differentia?

I. Certum est quod jam pridem in more fuerit, ut non tantùm Seculares, sed & Ecclesiastici Proceres annua dona sive munera Principi offerrent.

In Concilio Vernensi anno 755. Can. 6. Rex Pipinus mandat Abbatissis & Monialibus è suis non egredi Monasteriis sub prætextu deferendi sua munera ad Principem, permittens ea per suos Deputatos deferri: *Et qualia MUNERA ad PALATIUM dare voluerint, per Missos suos ea dirigat.*

Termini illi, *qualia munera dare voluerint*, insinuare videntur, tunc temporis munera illa fuisse voluntaria & arbitraria saltem quoad quantitatem.

II, Anno

ed by Google

II. Anno 817. "Ludovicus Pius Conventum fecit „apud Aquis Sedem regiam, Episcoporum, Abbatum „seu totius Senatûs Francorum, ubi inter cæteras dispo„sitiones Imperii statuit, atque constitutum scribere fe„cit, quæ Monasteria in Regno vel Imperio suo *dona & „militiam* facere possunt, quæ *sola dona* sine militia, quæ „verò nec dona nec militiam, sed solas orationes pro „salute Imperatoris, vel filiorum ejus, & stabilitate Im„perii. " Dein notantur nominatim Monasteria quæ *militiam & dona*, item quæ *sola dona*, & tum quæ *solas orationes* debent; atque postremorum numerus priora excedit: videturque respectus ad paupertatem vel opulentiam monasteriorum habitus fuisse; cum dicatur, *quæ Monasteria militiam & dona facere* POSSUNT.

III Ex his equidem non obscurum apparet, *dona* hæc in quamdam necessitatem transiisse. Et quidem onere illo nonnulla Monasteria fuisse ad paupertatem redacta indicat Arno Monachus in vita S. Benedicti Anianensis, narrans quod hic Benedictus à Ludovico Pio obtinuerit aliquod sublevamen pro Monasteriis, quæ per *militiam & dona* ad summam egestatem redacta fuerant "Erant (ait) quædam ex iis *munera militiamque* „exercentia; quapropter ad tantam devenerant pau„pertatem, ut alimenta, vestimentaque deessent Mona„chis

IV. Scribit Hincmarus Remensis in opusculo *De Ordine Palatii*, quod per hæc dona Ecclesia satisfacere intendat debito suo erga Principes per Apostolum denuntiato. "Causâ suæ defensionis Regi ac Reipublicæ „vectigalia, quæ nobiscum *annua dona* vocantur, præ„stat Ecclesia, servans quod jubet Apostolus: Cui ho„norem, honorem; cui vectigal, vectigal præstate Regi „ac Defensoribus vestris.

V. Circa annum 844. in Synodo secus Theudonis Villam habita, cui interfuerunt tres fratres gloriosi Principes Hlotarius videlicet, Hludovicus & Carolus, patres ipsos Principes fortiter monuerunt, ne res Ecclesiasticas invad. & abusum sinerent; sed eas integras ac illibatas conservarent exemplo prædecessorum suorum; dona tamen volentes, ut omnes Ecclesiastici, quantum possent non tantùm spirituali, sed & temporali subsidio Regi auxilio essent. Verba Synodi *Canone* 4. sunt: " „Quod ut commodiùs valeatis implere, unusquisque „Vir Ecclesiasticus & intercessionis adjutorium, & so„latii quo Respublica indiget subsidium, juxta quanti„tatem rerum Ecclesiæ sibi commissæ, salvo jure quod „exinde divinis dispensationibus debet impendi, prom„ptè & ex animo parare, & impigrè, sicut tempore an„tecessorum vestrorum consueverat, studebit offerre.

VI. Et sanè numquam Ecclesia non probavit, ut etiam ex Ecclesiæ facultatibus Reipublicæ & Principibus ad defensionem Regni aliasque necessitates liberali & grato animo subsidium feratur.

Quapropter Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* 4. ;; *De Immunit. Eccles.* postquam sub anathemate prohibuit talliis & exactionibus res aut personas Ecclesiasticas gravari, subjungit hanc clausulam: " „Nisi Episcopus & Clerus tantam necessitatem vel uti„litatem aspexerint, ut absque ulla exactione (vel ut le„gitur *cap.* 19. Concilii, *coactione*) ad relevandas com„munes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non „suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias existiment „conferenda.

VII. Juxta litteram hujus Decretalis, ut subsidium temporale sive collecta Clero imponatur, requiritur primò non tantùm consensus Episcopi, aut Cleri, ut post alios Canonistas notat Prosper Fagnanus ad hoc Capitulum *n.* 23. "cum copula & in textu posita requirat „concursum utriusque copulati: & probatur apertiùs in „*cap* 7. ;; *eod.* ubi refertur dispositio hujus Canonis, & „textus dicit; *Episcopus* SIMUL *cum Clericis*. Quo fit, „ut nec cum Capitulo Episcopus id possit: quia in ma„gnis gentibus totum Clerum non sufficit, Episcopum ha„bere consensum sui Capituli, sed oportet ut conveniat consensus Cleri. " Hæc ille.

VIII. Secundò requiritur necessitas, vel utilitas, "im„mò cum textus dicat non *tantam*, sufficit quælibet, sed „requiritur *maxima*; & pendet ex arbitrio Episcopi „cum Clericis hoc judicare: cum textus dicat, *aspexe„rint.* " Ita post Panormitanum & alios citatos Fagnanus *n.* 25.

IX. Tertiò requiri, ut hujusmodi necessitas vel utilitas sit *communis*, videlicet tam laicorum, quàm Clericorum, post Panormitanum multis contendit Fagnanus *num.* 26. Notatque dein requiri, facultates laicorum relevandis necessitatibus non sufficere; ita ut Clerici non concurrant, nisi in *subsidium*.

X. Denique requiritur ut contributio fiat ab Ecclesiasticis sine *coactione* vel compulsione; ac propterea in *Cap.* 7. ;; *De Immunit. Eccles.* expressè cautum est, ut laici *humiliter & cum gratiarum actione* recipiant subsidia, quæ Clerici duxerint conferenda.

XI. Cùm circa hæc tempora Principes animarentur ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam pro recuperatione *Terræ Sanctæ*, cœpta fuit à Clero postulari contributio pro expensis illius expeditionis sustinendis.

XII. Refert Rigordus in vita Philippi Augusti Regis Francorum, quod "anno 1188. mense Martio mediâ „quadragesimâ Parisiis celebratum est generale Conci„lium à Philippo Rege convocatis omnibus Archiepis„copis, Episcopis, Abbatibus, & totius Regni Baroni„bus; in quo innumerabilis militum multitudo seu pe„ditum, sacratissima cruce insigniti sunt. Et propter „hanc instantem necessitatem (oppidò enim iter Hie„rosolymitanum Rex affectabat) cum assensu Cleri & „populi, quasdam *decimas* ab omnibus esse accipien„das eò tantùm anno decrevit, quæ dictæ sanctæ *deci„mæ Saladini*.

XIII Hic notandum, antiquiorem non reperiri *decimæ* hujus generis, id est, quæ à Clero Regi solvitur, & Gallico idiomate vocatur *Decimas*, institutionem. Unde & hanc esse primam *decimam* Clero impositam, quæ vocatur *decima Saladini*, communiter notant Auctores de hac specie *decimæ* tractantes.

XIV. Illud observatu dignum, hanc pro *eo tantùm anno* fuisse institutam Item quod exigeretur *ab omnibus*, tam laicis, quàm Clericis; idque cum *consensu Cleri, & populi*: & etiam ob *instantem necessitatem*.

XV. Addit etiam Rigordus, "constitutum esse de *de„cimis*, quod omnes illi qui *crucem* non habentes, qui„cumque sint, *decimam* ad minus dabunt hoc anno de „omnibus *mobilibus* suis, & de omnibus reditibus, ex„ceptis illis qui sunt Cisterciensis Ordinis, & Ordinis „Carthusiensis, & Ordinis Fontis Ebrardi, & „exceptis leprosis quantùm ad suum pertinet pro„prium.

Quas mutationes sensim acceperit hujus *decimæ* impositio & solutio in sequentibus videbitur.

XVI Interim soliciti erant Pontifices, ut non nisi de *consensu Cleri* onus aliquod imponeretur. Unde cum anno 1203. Mediolanenses cogerent Ecclesiasticos ad contribuendum, Innocentius III. acriter ipsos reprehendit, permittens ut "recipiant humiliter cum gra„tiarum actionibus, si quis forsan Episcopus & Clerus „simul tantam necessitatem vel utilitatem inspexerint, „ut absque *ulla coactione*, ubi laicorum non suppetunt „facultates, subsidia per Ecclesiasticos duxerint confe„renda. " Apud Odoricum Raynaldum ad hunc an„num *n.* 65.

Hæc consona sunt Decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III. uti supra notavimus.

XVII. Ve-

XVII. Verùm attendens hic Pontifex Innocentius III. quod Episcopi & Clerici faciliùs forsan quàm oporteret, necessitatem aut utilitatem subesse judicarent; præsertim Regibus aut Principibus contributionem sive subsidium à Clero pendendum urgentibus, anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. renovans Decretum præcedentis Concilii Lateranensis, addidit hanc clausulam: *Propter imprudentiam tamen quorumdam Romanus Pontifex priùs consulatur: cujus interest, communibus utilitatibus providere.* Refertur in *Cap. 7. ¶ De Immunit. Eccles.*

XVIII. Illud ipsum Concilium suâ auctoritate, Clericis omnibus *vigesimam*, Dominis Cardinalibus *decimam* pro expeditione sacra indixit; uti refert citatus Raynaldus *num. 14.*

XIX. Honorius III. immediatus Innocentii successor Guilielmo Marchioni Montisferrati ad succurrendum Imperio Constantinopolitano, mediam partem redituum Ecclesiasticorum & omnium mobilium, exceptis Ecclesiarum thesauris anno 1224. attribuit. Notanda sunt verba Epistolæ, quàm ad Clerum Imperii Constantinopolitani super hac impositione scribit apud Raynaldum *num. 25.* " Attendentes satiùs esse, ut bona vestra & Ecclesiarum vestrarum pro manutenendo imperii statu communicetis ad tempus, quam ea omnia perpetuò amittatis, de fratrum nostrorum consilio propter urgentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium vestrorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobilium quæ nunc habetis in ipso Imperio, exceptis dumtaxat Ecclesiarum thesauris, vestibus, & equis, & utensilibus in quibus non est aurum vel argentum, aut lapides pretiosi, medietatem integrè conferatis.

XX. Evidens est, Pontificem Clero hanc contributionem sine prævio ipsius Cleri consensu, tamquam primarium rerum Ecclesiasticarum Dispensatorem, imposuisse; uti & sequentes Pontifices sæpiùs decimam aliamve partem proventuum Ecclesiasticorum Regibus & Principibus, inconsulto Clero, attribuerunt.

XXI. Et quidem cum *decima* hæc primùm in subsidium expeditionis in *terram sanctam* data esset, deinde etiam in subsidium belli contra alios hæreticos concedi cœpit.

Ad bellum contra hæreticos Albigenses conficiendum Legatus Apostolicus *decimam* in Concilio Bituricensi decrevit, " Clerus cum animi gaudio, de *pura liberalitate*, ne tanto negotio deesse videretur, dimidiam partem decimæ, non quidem nomine decimæ, sed obtentu subsidii persolverunt, aliam partem & etiam majorem, si expediret, si Deus eumdem Regem reservasset incolumem; & in eodem negotio persistentem, libenter & liberaliter soluturi.

Eâ tamen conditione hanc contributionem seu subsidium promiserat Clerus, si Rex Ludovicus VIII. negotium sive bellum contra Albigenses assumeret, & *personaliter* laboraret.

XXII. Cum igitur Ludovico VIII. defuncto ipse Legatus Apost. Clerum ad solutionem *decimæ* in favorem *Blanchæ* Reginæ matris Ludovici IX. Regis adhuc pueri compellere conatus est, restiterunt complures; " considerantes quod non erat, in cujus manu negotium posset perficere sicut priùs (vivente Ludovico VIII.) nullam visum est eis subesse causam, quare quinque annorum *decima* solveretur: maximè cum jam Legatus vellet eos, sicut dicebatur, ad solutionem, ut Reginæ promiserat, compellere, eo dicente, quod etiam cappas nostras daret ei; nec Regina se vellet ad certum tempus, vel certum numerum militum aliquatenus obligare; attendentes, quod de liberalitate processerat, convertebatur in obligationem, & servitutem sibi timentes in posterum. Quatuor Provinciarum insignia Capitula, Remense, Senonense, Turonense, & Rothomagense, habitâ deliberatione & tractatu pro libertate sua potiùs quàm pro subventione vitanda, ne ad onus ejusmodi compellerentur, ad Sedem Apostolicam appellarunt.

Hæc ex Epistola Capituli Parisiensis ad Gregorium IX. quæ extant apud Odoricum Raynaldum ad annum 1227. *num. 57.* qui ibidem *num. 58.* refert litteras Gregorii ad Capitula quibus Legatum suum acrioribus verbis perstringit, jubetque ut ordinationem & malè tentata in Clerum revocet.

Ex his equidem apparet, Capitula timuisse, ne illa quæ primitùs ut dona *gratuita* ex mera liberalitate erant oblata, tandem in jura & servitutes converterentur: quod in similibus nimis frequenter evenire experientiâ plus quàm notorium est.

XXIII. Verùm postmodum idem Gregorius attentâ auctoritate qua ipsius Legatus fuerat instructus, *decimam* impositam solvendam declaravit, litteris ea de re datis ad S. Ludovicum adhuc puerum; apud Odoricum Raynaldum *num. 61.*

Apparet quoque ex his, Pontifices eorumque Legatos secundùm datam sibi à Sede Apostolica auctoritatem Clerum ad *decimam* aliasve hujusmodi subventiones cœpisse compellere, etiam invitum & reluctantem.

Auctoritatem hanc luculentiùs adstruxit Clemens IV. Cum enim anno 1267. S. Ludovico in subventionem belli sacri *decimam* trium annorum omnium redituum & proventuum Ecclesiasticorum in toto Regno Franciæ jussisset exhiberi, ea res ingrata accidit Clero Gallicano; utque se ab hoc onere liberaret, Oratores suos ad Pontificem misit; qui eorum dicta rejecit & refutavit litteris suis ad Decanos & Capitula datis, in quibus inter cætera dicit: " Nec appellari debuit sub nominis abusione tributum, quod de bonis Ecclesiasticis in illius peculiare negotium, qui suo sanguine fundavit Ecclesiam (Hierosolymitanam) seu aliàs interdum exigente necessitate; vel suadente utilitate, deliberatione, *provida potestatis Apostolicæ plenitudo* dispensat. " Extant hæ litteræ apud Odoricum Raynaldum ad annum 1267. *num. 58* additque quod si contemptis censuris refractarii & rebelles persistant, " non sit abbreviata manus Vicarii Christi, ut & contemptores hujusmodi privare possit beneficiis & inhabiles reddere ad habenda, deponere, degradare & exequi quod statuit invocato brachio seculari *ut si cesset subditorum devotio, non dormitet coercitio contemptorum.*

XXIV. Adeò frequentes fuere hæ *decimarum* impositiones ut ferè annuæ & ordinariæ fierent: & quantumvis pleræque concederentur in subsidium expeditionis in Terram sanctam vel belli contra hæreticos, nihilominus Reges eas in suum ærarium referre non dubitabant, tametsi nulla similis expeditio sequeretur.

XXV. Unde anno 1291. " Philippum Pulchrum Regem Galliæ Nicolaus IV. exhortatus est litteris ad eum datis, ut vel *crucem* pro te Syriaca recuperanda indueret, vel *decimam* parenti crucesignato concessam restitueret. Qua de re etiam scripsit ad Parisiensem Episcopum, ut si Gallorum Rex crucis signa in Saracenos attollere respueret, collectas è *decimis* pecunias à patre acceptas restitueret. " Hæc Odoricus Raynaldus ad annum 1291. *num. 22.* qui & *num. 56.* notat, quod eodem anno ipse Philippus missis ad Nicolaum Papam Oratoribus petierit rursus *decimas sexennales* in sumptus sacri belli; ut vel inde appareat, quàm parum dispositus esset Philippus ad reddendas *decimas* à patre suo perceptas.

XXVI. Refert idem Annalista ad annum 1292. *num.* 7. & 8 litteras Nicolai IV. Papæ ad Eduardum Regem Angliæ, è quibus discimus, Regem illum per suos Oratores exposuisse se firmiter statuisse suscipere *personaliter* expeditionem in Syriam, eumque in finem postulasse à Papa, " ut de decimis & obventionibus regnorum „ & terrarum, quorum, quarumque Reges vel Domini „ *personaliter* in Terræ Sanctæ subsidium non transibunt, „ sibi provideret Ecclesia.

XXVII. Postulatis Regis se satisfacere per omnia non posse respondit Pontifex, rationem addens: " Quod de „ decimâ Regni Franciæ ad manus Ecclesiæ nihil pervenit. De terris verò Regi Castellæ subjectis, nihil „ umquam percepit Ecclesia, cum felicis recordationis „ Gregorius Papa Prædecessor noster claræ memoriæ „ Alfonso Regi Castellæ ipsam decimam ex certis causis „ duxerit concedendam. De decima verò partium Alemanniæ & terrarum, quas continet regio aquilonis; „ sicut ipsius aquilonaris gentis non ignota conditio potest omnibus verisimiliter indicare, ac nobis hoc realiter patefecit, modicum respectivè ad ipsam Ecclesiam, nescitur pervenisse.

Ex his aliisque quæ historiæ illorum temporum referunt, haud obscurum, expeditionem in terram sanctam, aut bellum contra hæreticos occasionem quidem dedisse exigendi & indicendi has *decimas* super bonis Ecclesiasticorum; sed frequenter fuisse fucatum aut fictitium titulum & prætextum derivandi proventus Ecclesiasticos in ærarium Principum.

XXVIII. Interim Clerus jam quodammodò assuetus huic decimarum pensitationi in sumptus prætensæ expeditionis vel contra Saracenos, aut hæreticos, vel etiam alios extraneos Principes, quæ frequenter vel fictitia, vel sine fructu & successu deprehendebatur, maluit eam pensitationem in defensionem & conservationem proprii Regni & Ecclesiæ in casu necessitatis annuere.

XXIX. Tomo 10. Specilegii Dacheriani *pag.* 113. extant litteræ Concilii Samuriensis è quibus intelligimus, Clerum Provinciæ Turonensis concessisse Philippo Pulchro Regi Galliæ, " *decimam* de omnibus mobilibus suis, & personarum Ecclesiasticarum suarum „ Diœcesium non exemptarum, usque ad biennium „ dumtaxat; tantam pecuniæ summam, quantam à nobis (ajunt) & aliis personis Ecclesiasticis prædictis, „ nomine decimæ pro tempore quo decimam habebat „ ex concessione Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, deductis „ sumptibus, percipere consuevit: ita tamen quod per „ illam concessionem nullum præjudicium Ecclesiis nobis, & aliis personis Ecclesiasticis generetur, nec aliqua „ servitus Domino Regi in prædictis Ecclesiis acquiratur.

XXX Dicunt autem quod concedant hanc decimam „ Domino Regi hac vice communi consensu Cleri ob „ necessitatem dicti Regni (Franciæ) & propter defensionem & tuitionem Regni, Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, & bonorum earumdem.

XXXI. Verùm hâc contributione titulo defensionis, vel tuitionis semel introductâ, cœperunt passim Principes illam prætextu necessitatis à Prælatis & Clero petere; & Prælati & Clerus precibus Principum resistere metuentes, aut etiam ipsis nimium adulantes ut sibi eos propitios haberent, facilè annuere: Et mirum in modum ipsos Ecclesiasticos proventus gravabant, & quasi servituti subjiciebant; uti suâ Constitutione quæ refertur in *Cap. 3. de Immunit. Eccl.* altè conqueritur Bonifacius VIII.

XXXII. His nimiis exactionibus, ut idem Pontifex obviaret, non solùm renovavit Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quo vetatur Episcopis etiam consensu Cleri sui, consentire in aliquam contributionem ob communes necessitates & utilitates, nisi priùs consulatur Romanus Pontifex; sed insuper addit: " Prælatis & personis Ecclesiasticis in virtute obedientiæ & „ sub depositionis pœna districtè mandantes, ut talibus „ absque expressâ licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant: quodque prætextu cujuscumque obligationis, „ promissionis, & confessionis factarum hactenus vel „ faciendarum in antea, priusquam hujusmodi constitutio, prohibitio, seu præceptum ad notitiam ipsorum „ pervenerit, nihil solvant, nec supradicti seculares quoquomodo recipiant. Et si solverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incidant „ ipso facto. A supradictis autem excommunicationum „ & interdicti sententiis nullus absolvi valeat (præterquam in mortis articulo) absque Sedis Apostolicæ „ auctoritate & licentia speciali. Cum nostræ intentionis existat tam horrendum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

XXXIII Subjungit dein derogationem omnium privilegiorum, etiam ipsis Regibus concessorum. Verba Decretalis sunt: " Non obstantibus quibuscumque privilegio sub quibuscumque tenoribus, formis, seu modis, aut verborum conceptione concessis Imperatoribus, Regibus & aliis supradictis, quæ contra præmissa „ in nullo volumus alicui vel aliquibus suffragari.

XXXIV. Porrò intellexit Bonifacius Papa ob editam hanc Constitutionem vehementer exulceratum animum Philippi Pulchri Galliarum Regis, quasi hac constitutione vetitum esset sub anathemate Clericis succurrere Regi quando necessitas tuendi regnum suum contra hostes externos deposcit, ut ex responsis nomine ipsius Regis contra Bullam ipsius Bonifacii datis patescit. „ Quis sapiens & intelligens hæc, non incidit in vehementem stuporem, audiens Vicarium Jesu Christi „ prohibentem tributum dari Cæsari, & sub anathemate fulminantem, ne Clerici, contra iniquæ & injustæ „ persecutionis incursus, Domino Regi & Regno, imò „ sibimetipsis, pro rata sua, manum porrigant adjutricem? Date verò histrionibus, & amicis carnalibus, & „ neglectis pauperibus, expensas facere superfluas in nobis, æquitativis, comitativis, commessationibus & aliis „ pompis sæcularibus, permittitur eisdem, imò conceditur, ad perniciosæ imitationis exemplum. Hoc enim „ natura & ratio, jus divinum & humanum, pariter detestantur, ad illicita fræna laxare, & licita; imò necessaria, cohibere. Quis enim sanæ mentis judicaret licitum „ & honestum, sub anathemate cohibere, ne Clerici ex „ devotione Principum incrassati, impinguati, & dilatati, pro modulo suo eisdem Principibus assistant, contra „ ingruentes injustarum persecutionum adversitates, „ quocumque colore excogitato, doni, vel mutui, vel „ subventionis, pro seipsis, pro Rege, & Regno pugnantibus, & resistentibus inimicis vi armorum, alimenta „ præbendo, vel stipendia persolvendo?

XXXV. Verùm hanc suæ Constitutionis interpretationem esse à sua mente omnino alienam ostendebat ipse Pontifex jam tum in hac Bulla cui reponebantur hæ responsiones nomine Regis: " Non enim (ait) præcisè statuimus pro defensione vel necessitatibus tuis, „ vel Regni tui ab eisdem prælatis Ecclesiasticisque personis pecuniarum subsidium non præstari; sed adjecimus id non fieri absque nostra licentia speciali, adductus in considerationem nostram exactionibus intolerabilibus, Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis & secularibus dicti regni ab Officialibus tuis auctoritate tua impositis atque factis, de futuris potiùs verisimiliter formidantes, cum ex præteritis certitudo præsumi valeat „ de futuris

Latiùs verò mentem suam aperuit Bonifacius in alia Bulla de 31. Julii 1297. in qua imprimis declarat, " quod "Con-

„Constitutio ipsa, vel ejus prohibitio, ad donaria vel „mutua seu quævis alia voluntaria Prælatorum & personarum Ecclesiasticarum ejusdem regni, cujuscunque „status, ordinis, vel conditionis existant, omni prorsus „tractatione, aut exactione cessante, se aliquatenus non „extendat, licet ad id forsitan carissimi in Christo filii „nostri Philippi Francorum Regis illustris, vel successorum suorum qui pro tempore fuerint, aut Officialium „eorumdem, seu Ducum, Baronum, nobilium, vel aliorum dominorum temporalium de regno prædicto, requisitio curialis, & amica præcedat.

XXXVI Ulteriùs subjungit; „Adjicimus insuper „hujusmodi declarationi nostræ, quod si præfatis Regi „& successoribus suis pro universali, vel particulari ejusdem regni defensione periculosa necessitas immineret, „ad hujusmodi necessitatis casum se nequaquam extendat constitutio memorata; quin potiùs idem Rex, ac „successores ipsius possint à Prælatis & personis Ecclesiasticis dicti Regni petere, ac recipere pro hujusmodi „defensione subsidium, vel contributionem, illudque „ad illam Prælati & personæ prædicti, præfato Regi, „suisque successoribus, inconsulto etiam Romano Pontifice, teneantur & valeant, sub quotæ nomine, aut aliàs „etiam imperari, non obstantibus constitutione prædicta, seu quovis exemptionis, vel alio quolibet privilegio sub quacumque verborum forma confectio, à Sede Apostolica impetrato.

Tertiò significat: „Quod *necessitatis* declaratio supradictæ ipsius Regis, & successorum suorum conscientiis, dummodo successores ipsi vicesimum ætatis „annum exegerint, relinquatur, super quo dictorum Regis, & successorum conscientias onerari, eisque innotescere volumus, quod quicquid recipi ultrà ipsius defensionis casum contigit, in suarum recipient periculum animarum, sub quo nisi salubriter providere aut attendere potuerunt in quo periculo remanerent.

Hæc omnia latiùs referuntur in historia dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum *pagin.* 18. 21. 39. & 40.

XXXVII. Huic Bullæ Bonifacianæ instruxit Joannes Ferrautius in suo tractatu de juribus & Privilegiis Regni Franciæ, privilegium Regum Galliæ levandi super Clero summam pecuniæ sub nomine *doni gratuiti* in defensionem Regni sine *speciali* Sedis Apostolicæ licentia. Quidquid sit de hoc fundamento, id constat, non tantùm in Regno Galliæ, sed & hic in Belgio, collectas seu precarias à Rege & Principe super Clero colligi nomine *doni* aut *subsidii gratuiti*, sine speciali licentia Pontificis; cui forsan usui hæc Bulla, aliæque sequentium Pontificum Bullæ Constitutionis Bonifacianæ declaratoriæ & etiam revocatoriæ occasionem dedisse potuerunt.

XXXVIII. Benedictus XI. immediatus Bonifacii successor, constitutionem Bonifacii mitigavit, revocando pœnas ipsis Clericis *dantibus* inflictas; admonens unà Ecclesiasticos, „attentè caveant ne Conciliorum Lateranensium transgressores existant, aliquid in casu necessitatis vel utilitatis communis, quoquo modo, vel „titulo *inconsulto Romano Pontifice* occasione subventionum dictarum concedendo laicis, vel etiam promittendo. „Extat hæc constitutio in *Extrav. unica De Immunit. Eccles.* inter communes

XXXIX. Postmodum Clemens V. Benedicti successor, qui primum Avenione in Gallia Sedem Apostolicam collocavit, & favore Philippi Pulchri ad Pontificatum fuerat promotus, inter alias Constitutiones Bonifacii, quas petente Philippo Rege revocavit, & hanc penitùs revocavit, & haberi voluit pro infecta; omniaque ad terminos Decretorum Conciliorum Lateran. reduxit. „Quoniam (ait) ex Constitutione Bonifacii „Papæ octavi Prædecessoris nostri, quæ incipit, *Clericis „Laicos*, & ex declaratione seu declarationibus ex illa „postmodum subsecutis, nonnulla scandala, magna pericula & incommoda gravia sunt secuta, & ampliora „sequi (nisi celeri remedio succurratur) præsumitur „verisimiliter in futurum. „Extat hæc Constitutio in „*Clem. unica de Immunit. Eccles.*

XL. Post hæc decimarum impositio non tantùm continuata; sed & magis continuò frequentata; maximè autem extorta eodem seculo famoso illo ac diuturno scismate; quando Pontifices, ut ad suam obedientiam Principes allicerent, sibique favorabiles & propitios redderent, facilè quidquid peterent, annuebant; præsertim cum & ipsis annuentibus principibus, & ipsi Pontifices in suum commodum interdum *decimam* levarent.

XLI. Eas passim ipsi Pontifices inconsulto Clero imponebant. Qua de re querelis delatis ad Concilium Constantiense, tandem Martinus V. sacro approbante Concilio *sess.* 43 præcepit. „Jura quæ prohibent inferioribus à Papa Decimas & alia onera Ecclesiis & „Ecclesiasticis personis imponi, districtiùs observari. „Per summos autem Pontifices nullatenus imponi generaliter super totum Clerum, nisi ex magna & ardua „causa & utilitate universalem Ecclesiam concernente, „& de consilio & consensu & subscriptione S. R. E. „Cardinalium & Prælatorum, quorum consilium „commodè haberi poterit. Nec specialiter in aliquo „regno vel provincia, inconsultis Prælatis ipsius regni „vel provinciæ, & ipsis non consentientibus, vel eorum „majori parte, & eo casu per personas Ecclesiasticas, & „Auctoritate Apostolica dumtaxat levari.

XLII. Neque tamen post hoc Concilium *decimarum* impositio cessavit; interdum impetrata licentia Pontificum; interdum ipso Clero in subsidium ad postulationem Regum consentiente; quemadmodum ordine temporis servato multis ostendit Ludovicus Thomasinus *De Discipl. Eccles. parte 4. lib. 3 cap. 24.* at hactenus *decima* nulla ab Ecclesiasticis tributum sive debitum *ordinarium* prætendebatur vel solvebatur.

XLIII. Verùm circa medium seculi 16. induci cœpit *decima ordinaria* in Regno Galliæ. Regnante enim Carolo IX. anno 1561. Clerus Gallicanus Possiaci congregatus pepigit de summa sexdecies centenorum millium librarum ex Sacerdotiis colligendâ annuè, spatio sex annorum incipiendo à 1. Januarii 1561 & finiendo ultima Decembris 1567. quibus Regia Domania Civitati Parisiensi, ob levatas pecunias in bellum contra Calvinistas, oppignorata redimerentur, censusque super iis constituti solverentur. Idem Clerus anno 1567. in Comitiis generalibus per Deputatos congregatus novum cum Præfecto & Ædilibus contractum iniit, quo se obstrinxit ad solvendum Urbi *quotannis* summam sexties centum & trigesies mille librarum, ad Domanium Regis, pari censu gravatum, redimendum. Contractum hunc aliosque, cum dicto Præfecto & Ædilibus initos improbavit Cœtus generalibus Cleri Gallicani Medoluni anno 1579. & 1580. tamquam factos sine legitimo dicti Cleri consensu. Regi tamen concessit summam tredecies centum mille librarum annuæ contributionis ad *sexennium*.

Sexennio evoluto, Clerus eamdem contributionem continuavit ad *decennium*. Hoc *decennio* evoluto rursus facta est continuatio ad aliud *decennium*; & hucusque continuatur de decennio in decennium: quæ tandem longa continuatio effecit, ut contributio, quæ in sua origine erat donum *gratuitum* & subsidium extraordinarium, facta sit contributio *ordinaria*, atque hodie ut talis reputetur; diciturque *decima Cleri* sive gallicè, *les decimes*

decimes du Clerge; solviturque annuè per omnes Beneficiatos juxta quotam à Clero determinatam. Notatque Renatus Choppinus lib. 3. De Domanio Gallico *tit.* 23. *n.* 8 quod *decima* quæ olim dabantur in expeditionem contra Saracenos, nunc in *annuas Fisci rationes, Patrimonii instar, referantur.*

XLIV. Præter hanc *decimam* in origine sua *gratuitam & extraordinariam*, at nunc *ordinariam*, cœpit Clerus Regi conferre alias subventiones, quæ ad distinctionem hujus *decima* vocantur *dona gratuita*, gallicè *dons gratuits* aut etiam *decimes extraordinaires.*

Prima gratuita contributio sive *donum gratuitum* ultra *decimam ordinariam* Regi oblatum fuit anno 1585. pro expensis in bellum contra Calvinistas, ac dein sæpius continuatum, uti latiùs refertur in Actis Cleri Gallicani tomo 4. *tit.* 4. ubi *art.* 21. notatur quod anno 1670. hoc *donum gratuitum* fuerit duorum millionum bis centum millium librarum; *art.* 22. quod anno 1675. ascenderit ad quatuor milliones & quinquies centum millia librarum.

Quomodo, & quibus conditionibus hæc *dona gratuita* per Clerum offerantur, aliaque ad hanc materiam pertinentia latè referuntur in citatis Actis Cleri Gallicani.

XLV. In Belgio solvitur annuatim Principi quædam precaria sub nomine vulgari *Bede*; quo vocabulo sufficienter exprimitur, esse revera contributionem precariam, & ad *preces* concessa; & revera hanc contributionem primitùs fuisse omninò *precariam & gratuitam* dubitari nequit.

Dicit enim expresse Maximilianus Dux Brabantiæ in acta instructionis super solutione hujus *Precaria* die 20. Septembris 1451. quod tres Ordines Brabantiæ ob multiplices expensas, quas pro conservatione Patriæ ac signanter Ducatus Brabantiæ subire debuit, ad suas speciales supplicationes, nunc voluntariè & liberaliter consenserint in unam precariam. Verba flandricè expressa sunt: *Nu ter teyt vvillighlycken ende liberaelyck geconsenteert hebben eene bede.*

Eamdem conditionem hujus precariæ vulgò *Bede* agnovit Philippus Dux Brabantiæ in instructione super modo solutionis & collectionis ejusdem de anno 1497. extatque parte 2. Edict. Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4.

XLVI. Verùm sicuti circa *decimam Cleri* contingit in Gallia; ut nimirum de contributione extraordinaria transiverit sensim in *ordinariam*, ita & in Belgio circa hanc precariam contigit; ut nimirum de extraordinaria transierit in *ordinariam*; & ut talis hodie solvi consuevit, sub vocabulo *Ordinarisse Bede.*

XLVII. Verùm notandum quod hæc precaria non afficiat, nec comprehendat *bona* Ecclesiæ *amortizata*, vel ab Ecclesia uti talia tempore in dicta Instructione determinatio, possessa; quemadmodum capite præcedenti *n.* 14. observatum fuit; sed bona laicalia, sive pro laicalibus reputata, sive à laicis, sive Ecclesiasticis possessa.

XLVIII. Ulterius observandum, quod Prælati sive Abbates Brabantiæ constituentes primum *membrum Statuum Brabantia*, in hac precaria suam *specialem quotam* solvant.

XLIX. Tertiò notandum, quod Clerus *secularis* in hac *precaria* non fuerit comprehensus. Ratio hujus haud obscura est.

Cum enim Status sive Ordines Brabantiæ, de quorum *consensu* hæc *precaria* fuit concessa, constet ex tribus *membris*; quorum primum conflatur ex solis Prælatis sive Abbatibus; secundum ex solis Nobilibus; & tertium ex Civitatibus seu earum Deputatis, Clerus secularis Brabantiæ, qui tunc totaliter suberat respectivè Episcopis Leodiensi & Cameracensi, sub nullo trium membrorum comprehendebatur; nec ulli de Clero Statibus seu Ordinibus Brabantiæ intererant, qui nomine Cleri in *precariam* illam dici possent consensisse. Abbates enim Monasteriorum suorum & ab ipsis dependentium consensum supplere poterant; sed nequaquam ipsius *Cleri secularis*, nullatenus ab ipsis dependentis, aut ipsis subjecti.

L. Hinc & videmus, quod sub tempus inductæ hujus *precaria* Clerus Brabantiæ, tamquam Corpus separatum fuerit reputatus; & specialia suo nomine subsidia Principi pependerit.

Extant parte 2. Edict. Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. litteræ Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii anni 1479. in quibus nomine ipsorum Ducum asseritur, quod hi de medio & communi Clero Terrarum Brabantiæ *van de middele, ende gemeynte Clergien van onse lande van Brabant*, in Diœcesibus Leodiensi & Cameracensi existentes, ad sublevandas præsentes necessitates ex mera liberalitate & charitate, *liberalyck vangereghte lief de ende ghunste*, pro suis bonis Ecclesiasticis in Brabantia vel alibi promiserint summam quatuor millium florenorum semel.

LI. In eisdem litteris asseritur, quod hoc subsidium non det aut promittat Clerus sub forma contributionis alicujus precariæ vulgò *Bede*, subventionis aut impositionis, in quas laici aut etiam *tres Ordines Brabantia* consenserunt; aut posthac consentient, ad quas ipse Clerus secundùm Ecclesiastica, & Cæsarea Jura non tenetur Verba Edicti sunt: *Ende niet van reghts vvegen, noch in maniere oft forme van contributie, van eenige beden, subventie oft settingen, die de leecken, oft ooch die* DRY STAETEN *ons voorschreven landts van Brabant ons oft tot desen Wercke geconsenteert, inne setten, oft naermaels over denghenen die van ons gevvoonelyck zyn met hun te contribueren, consenteren, inne setten oft vvillecoren moeghten, dar inne de voorschreve Clergie naer uytvvysens de geesteleycke ende Keyserlycke reghten ende vryheden niet gebonden en is.* Id est. Non via Juris, nec per modum contributionis, aut precarii, subventionis aut impositionis quæ laici, vel ipsi tres Status dicti nostri Brabantiæ Ducatus nobis in eum finem annuerunt, vel persolvunt, aut ratione illius quod ii, qui cum ipsis contribuere solent, in posterum quandoque possent annuere, persolvere, aut contribuere, quibus præfatus Clerus juxta Ecclesiastica & Cæsarea jura & libertates obnoxius non est.

Hæc evidenter probant, Clerum secularem nequaquam comprehensum fuisse eo tempore sub consensu, sive Precariâ ex consensu trium Ordinum Brabantiæ indulta.

LII. Ulteriùs probant hæ litteræ sive Edictum Principis, Clerum Secularem Brabantiæ habitum fuisse ut Corpus omninò distinctum à primo Membro Statuum Brabantiæ. Unde in eodem Edicto dicitur, quod in subsidio per Clerum addicto contribuere debeant omnia Ecclesiastica bona, exceptis Prælatis Brabantiæ, & aliis Ecclesiasticis locis sive hospitalibus, quæ cum eisdem Prælatis, *primum membrum* trium Statuum Brabantiæ repræsentantibus, ante hac & in futurum consueverunt communes subventiones precarias & impositiones solvere. Quomodo clariùs distinctio Cleri à primo Membro, quoad hanc materiam, exprimi potuisset? Verba Edicti sunt: *Dat alle geestelycke oft Kerckelicke goeden in Brabant liggende, in der selven somme contribueren ende mede gheldenfullen, uytghenomen die* PRELATEN VAN BRABANT *ende andere geestelycke plaetsen oft Godts huysen die metten selve Prelaten den eersten staet van de dry staeten van Brabant voorgenomde, representerende van anderen tyde, ende hercommen ghevvoonelyck zyn ghemeyn subventien, beden ende settingen te betaelen.* Id est, Ecclesiastica omnia bona in Brabantia sita in eamdem summam contribuent & conferent, exceptis

PRÆ-

PRÆLATIS BRABANTIÆ, aliisque tum Ecclesiarum; tum piarum fundationum locis, quæ cum iisdem Prælatis primum Ordinum trium Statuum Brabantiæ repræsentantia, sive olim sive in posterum consueverunt communes subventiones, precaria & impositiones persolvere.

LIII. Eadem Cleri à Statibus Brabantiæ separatio in facienda contributione Subsidii pro necessitate Patriæ claris terminis exprimitur in Acta Mariæ Ducissæ Austriæ Gubernatricis Belgii de 4. septemb. 1523 quæ extat parte 3. Edict. Brabantiæ *lib. 3. tit. 1. cap. 28.* in qua ad supplicationem trium Ordinum Brabantiæ declaratur, quod Xenodochia, hospitalia, domus pauperum, Confraternitates, aliique qui per subsidium ab Ordinibus Brabantiæ promissum gravantur, & ad illud contribuere debent, sicuti in similibus subsidiis hactenus contribuere consueverunt, immunes & liberi manebunt à taxis & impositionibus, quas *Clerus* Brabantiæ iis imponere meditatur, ita tamen, ut si reperiatur, prædicta Corpora habere aliqua bona *amortizata*, quod hæc cum Clero contribuere tenebuntur inspecto horum bonorum valore.

Idipsum Rursus per aliam Actam de 25. martii 1528. declaratum est; & quidem uti in eadem dicitur, de prævio advisamento Concilii Brabantiæ, & Concilii privati extatque hæc Acta parte 3. Edict. Brabantiæ *lib. 3. tit. 1. cap. 29.*

Hæc omnia evidenter supponunt & evincunt, *Clerum Brabantiæ* eo tempore non fuisse comprehensum sub primo membro Ordinum Brabantiæ; neque in subsidiis per Ordines Brabantiæ concessis contribuisse; sed separatum subsidium subinde principi dedisse; & separatam pro eo contributionem instituisse.

LIV. Nec tantùm ante novorum in Belgio Episcopatuum erectionem Clerus à primo membro separatus fuit; sed & post eorum erectionem remansit sejunctus: eò quod nullus in primo isto Membro esset, qui Clerum repræsentaret.

Admissi quidem fuere ad Ordines Brabantiæ Archiepiscopus Mechliniensis & Episcopus Antverpiensis; at neuter eorum in qualitate Episcopi: sed ille tamquam Abbas Affligemiensis; hic verò ut Abbas S. Bernardi ad Schaldim; quâ qualitate etiamnum manent.

Porrò in hac qualitate ipsos haud posse repræsentare Clerum secularem; neque Clerum ipsis in ea qualitate subjici, notorium est.

Unde post erectos in Belgio Episcopatus, & admissionem Archiepiscopi Mechliniensis, & Episcopi Antverpiensis ad Ordines Brabantiæ scriptæ sunt Litteræ ad Archiepiscopum Mechliniensem signatæ per Ducissam Isabellam 26. Julii 1629. quibus Archiepiscopus rogatur, ut sine mora convocet universum suum Clerũ, comprehensis etiam Monasteriis, tam virorum, quam mulierum, exceptis Abbatiis Ordinis Præmonstratensis & aliis, quæ ex antiquo more vocantur ad *Ordines Brabantiæ* ad deliberandum super voluntaria contributione occasione obsidionis Sylvæ ducensis. Verba Litterarum sunt: *partant avons trouvé necessaire, de vous requerir au nom de Sa Majesté, comme faisons tres instamment par cette, de vouloir sans aucune remise convoquer le Clergé de vostre Diocese, y comprendant mesme les Monasteres, soit d' hommes ou femmes, & autres maisons de Dieu* HORMIS LES ABBAYES DE L'ORDRE DU PREMONSTRE' ET AUTRES, QUI D'AMCIENNE COUSTUME SONT APPELLEZ AUX ESTATS DE BRABANT, *au regard desquelles avons aussi donné l'ordre convenable à les requerir.* Id est. Quocirca necessarium duximus, ut suæ Majestatis nomine à vobis requireremus prout hisce facimus instantissimè, ut sine ulla dilatione Diœcesis vestræ Clerum convocetis, comprehensis etiam Monasteriis hujus & alterius sexus, aliisque piarum fundationum Domibus; EXCEPTIS ORDINIS PRÆMONSTRATENSIS ABBATIIS, ALIISQUE EX ANTIQUA CONSUETUDINE AD ORDINES BRABANTIÆ CONVOCATIS, quos ad eumdem finem convenienter requiri curavimus.

Addunt dein hanc finalem clausulam: *Les asseurant que cette quotation se fera sans prejudice du Privilege d'exemption, & autres qu'ils peuvent avoir, & aussi que ce qu'ils contribueront à cet effect ne sera tiré en en aucune consequence, perjudice, ou lesion des immunitez & franchises, dont ils pourroient jouir.* Id est. Spondentes hanc tributi descriptionem fore sine præjudicio, privilegii exemptionis, aliorumque ipsis fortè concessorum, sic ut nec ab eo quod contribuent exemplum ullomodo ducatur in detrimentum aut lesionem immunitatum aut libertatũ, quibus eos gaudere forsan contingit.

Similem actam dedit eadem sua Celsitudo Isabella 23. Octob 1630. Similiter & Archidux Leopoldus anno 1651 Litteris particularibus consensum Cleri ad contributionem gratuitam expostulans.

Omnia hæc rursus evincunt, Clerum Brabantiæ in materia contributionis sive subsidii gratuiti remansisse à Statibus Brabantiæ sejunctum; atque suum consensum separatim præstitisse: & à Ducibus Brabantiæ, ut Corpus Ecclesiasticum separatum à primo membro Ordinum fuisse reputatum, etiam postquam Archiepiscopus Mechliniensis, & Episcopus Antverpiensis tamquam Abbates ad primum membrum StatuumBrabantiæ admissi fuerunt.

LV. Legitur quidem aliquando nonnullos prætendisse, Clerum subjicere contributioni in *subsidium* per *Status Brabantiæ* concessum; at Clerum expostulasse, id repugnare suæ immunitati, & usui hactenus observato, declaratumque fuisse per Principem, hanc contributionem non posse trahi in consequentiam, constat ex Supplica ejusdem Cleri exhibita Carolo V. ejusque apostilla ad hanc supplicam; quæ extant in Acta nomine ejusdem Caroli expedita 21. Julii 1541. Verba ipsius Actæ sunt: *Charles par la divine Clemence Empereur des Romains toujours Auguste Roy &c. A tous ceux qui cettes presentes verront salut.* Id est. Carolus divina favente Clementia Romanorum Imperator semper Augustus, Rex &c. omnibus has visuris salutem.

Comme les tres RR. Peres en Dieu nos tres chers & aymez Cousins, les Evesques de Liege & de Cambray, ensemble les gens de Clergie de desdits Evechés residens & ayants leurs biens en nostre Pays & Duché de Brabant, nous ayent fait remonstrer. Id est. Cum Reverendi admodum in Christo PP. & dilecti nostri Cognati Episcopi Leodiensis & Cameracensis, adjunctis simul dictorum Episcopatuum Clericis commorantibus & bona sua possidentibus, in ditione nostra & Ducatu Brabantiæ exponi nobis curaverint.

Que combien DE DROIT TANT DIVIN QUE HUMAIN *ceux de l'Etat Ecclesiastique, tant leurs personnes, que biens ayent de toute ancienneté esté, & sont, & doivent demeurer quittes francs, & exempts de tous tailles, contributions, & impôts*, SANS ONCQUES AVOIR ESTE' COMPRINS, NY CONTRIBUE' ES CHARGES, CONSENTEMENS, ET ACCORDS FAITS PAR LES ETATS DE BRABANT. *Id est.* Quod licet TAM DIVINO QUAM HUMANO JURE Ecclesiasticus ordo, tum quoad personas, tum possessiones, ab omni retrò tempore fuerit, sit & debeat esse exemptus omnibus vectigalibus, contributionibus & impositionibus, NEC UMQUAM COMPREHENSUS FUERIT, NEC CONTRIBUERIT, IN ONERA, CONSENSUS, PACTA PER ORDINIS BRABANTIÆ INITA.

Mais quand le cas s'est offerts, qu'il a esté requis d'avoir

d'avoir quelque ayde, assistence ou subside d'eux, l'on s'est addressé aux Eveques de Liege & de Cambray, & à chacun dans son Diocese, pour par leur moyen & authorite FAIRE CONVOQUER CEUX DU CLERGIE, *aux quels l'on a accustumé proposer & demander tel don gratuit ou subside, qu'il convenoit pour subvenir à nos affaires, en quoy ils ne sont iamais rendus difficils, ains y ont volontairement consenty, comme encore ils seront prests quand la necessite la requerera.* Id est. Verùm cum se obtulit occasio, ut ab iis precarium aliquod aut subsidium posceretur, adiri solitos Episcopos Leodiensem & Cameracensem, & quemlibet in sua Diœcesi ut mediante eorum authoritate, II QUI DE CLERO SUNT CONVOCARENTUR, quibus proponi & à quibus peti moris fuit, donum gratuitum, aut subsidium quale conveniebat ut negotiis nostris succurreretur, qua in re difficiles se numquam præbuere; quin ultro assenserunt, prout & modò parati sunt, cum necessitas postulabit.

Ce non obstant soubs ombre de dixiémes deniers n'a guerres deux fois accordés par les Etats de Brabant de tous biens & meubles & autres revenus l'on s'est avance contraindre par execution reele ceux du dit Clergie & Estat Ecclesiastique, SANS LES AVOIR FAIT ASSEMBLER ET DEMANDER LEUR CONSENTEMENT, COMME L'ON A ACCOUTUME' A FAIRE DU PASSE', *le tout contre & au prejudice de leurs dites libertes, franchises & exemptions, nous supplians qu'a la conservation d'icelles il nous plaise sur ce faire declaration, afin que telle nouvelleté ne soit tire en consequente.* Id est. Quibus non obstantibus prætextu nummi decimi non ita pridem bis concessi per Ordines Brabantiæ, in omnia bona & mobilia aliosque reditùs, progressum est ad coactionem reali executione dicti Cleri & status Ecclesiastici, TAMETSI CONVOCATI NON FUERINT, NEC ROGATI ASSENSUM PROUT OLIM OBTINUIT CONSUETUDO, idque contra & in detrimentum libertatum dictarum, & exemptionum ipsorum, Nobis supplicantes ut pro conservatione illarum placeat Nobis declarationem facere, ne talis novitas ducatur in exemplum.

Sçavoir faisons, que tous les choses susdites considerées, inclinant favorablement à la Supplication & Requeste desdits Remonstrants, avons declare & declarons par ces presentes, que ce qu'ils ont paye & declarons par ces presentes, que ce qu'ils ont paye & contribue es dixiemes dessus mentionnez, veu qu'ls ont este accordez par l'extreme & necessaire defense du Pays, ou tous exempts & non exempts Privilegiez & non Privilegiez, & tous autres nuls exceptes ont contribuez, ne seracy apres tire en consequence & ne tournera au prejudice des droits, libertes, & exemptions des Remonstrants. Id est, Quibus omnibus attentis Notum facimus, propensi favorabiliter supplicationi dictorum exponentium, declaravimus & declaramus per hasce, quod id quod persolverunt & contribuerunt in exactionibus dictis nummi decimi, quandoquidem pro extrema & necessaria Patriæ defensione fuerint permissæ & ad quas omnes tam exempti quam non exempti; Privilegio præditi & non præditi cæterique omnes, nemine excepto contribuerunt, nullum invehet detrimentum jurium, libertatum & exemptionum, Exponentium.

Ex hac supplica intelligimus, Clerum Brabantiæ prætendisse se non posse comprehendi sub consensu Statuũ Brabantiæ, eo quod sub nullo membro contineretur.

Secundò ex apostilla data ad hanc supplicam patet, consensum Ordinum, occasione cujus prætendebatur, quod Clerus contribuere deberet, datũ fuisse cum clausula, quod etiam *exempti* in contributionem venire deberent; id est cum clausula hodie usitata, *niemant vrye.*

Tertiò probat hæc supplica, quod tunc nonnulli prætenderint sub consensu Ordinum Brabantiæ comprehendi ipsum Clerum, præsertim quando is datus est cum prædicta clausula, *niemant vrye.*

Quartò habemus ex ipsa Principis apostilla, à Clero tunc aliquam contributionem fuisse solutam; ipsum Principem judicasse ob præsentem necessitatem, hanc contributionem à Clero esse dissimulandam, sive jam factam non esse revocandam.

Quintò ex eadem apostilla habetur, Principem judicasse, & declarasse hanc contributionem esse quidem à Clero dissimulandam; nequaquam tamen declarasse, Clerum sub consensu Ordinum tametsi sub conditione, *niemant vrye*, præstito comprehendi: imò potiùs contrarium indicasse per clausulam apostillæ insertam.

LVI. Quandonam posthac Clerus in contributionem subsidii per Status Brabantiæ impositi, vocari cœperit, nescio. Interim non obscurum est, Principes Belgii etiam hoc seculo, Clerum Brabantiæ habuisse pro corpore omnino separato à tribus membris Ordinum, atque à Clero tamquam distincto Corpore *Subsidium voluntarium* petiisse; uti ex supra allegatis litteris patescit.

LVII. Ulterius hoc scio à paucis annis nonnullos è Clero Brabantiæ Pastores contendisse se non posse ex consensu Ordinum Brabantiæ gravari; variisque editis publicis Scriptis suam ab his subsidiis immunitatem propugnasse: atque inter alia evulgatum fuit scriptum cui titulus: *Brevis deductio juris pro immunitate Pastorum Brabantiæ à publicis ejusdem Provinciæ oneribus Supplicantium*; in quo scripto ostenditur, Clerum Secularem esse Corpus distinctum à Statibus Brabantiæ, neque sub Consensu Statuum comprehendi; idque iisdem penè argumentis quæ hîc à me proposita sunt.

Pendet quoque lis coram Concilio Brabantiæ inter Capitulum SS. Michaelis & Gudulæ juncto Clero civitatis Bruxellensis & ipsam civitatem Bruxellensem, in qua Capitulum & clerus sustinent, se per Ordines Brabantiæ citra specialem suum consensum gravari non posse.

LVIII. Quidquid sit de hac controversia, illud constat, Clerum in consensu Ordinum Brabantiæ *nominatum* non exprimi: neque *specialem quotam* determinari, quam Clerus conferre debeat: quæ tamen quota determinata est pro Prælatis primum membrum Ordinum constituentibus.

Indicium sanè probabile, clerum ex prima intentione Ordinum Brabantiæ non fuisse comprehensum, neque de clero fuisse cogitatum: præsertim cùm reperiatur exactè determinatum quid in singulis subsidiis singulæ civitates, & pagi proportionatim conferre debeant: nihil autem determinatum umquam sit, quàm portionem clerus ferre debeat.

LIX. Unde & contingit, ut Pastores aliique de Clero taxentur & tallientur ab ipsis Pagorum Magistratibus & prætoribus, idque sæpe cum notabili inæqualitate ad alios Incolas, & infractione immunitatis Ecclesiasticæ, aliisque summis incommodis.

Sanè frequens in his & aliis Provinciis jam pridem fuit cleri voluntaria contributio: at illius contributionis distributio per ipsa membra & supposita cleri, non ipsis Pagorum consulibus vel Prætoribus aliisque laicis: sed Deputatis aut Capitibus Cleri concredita fuit: atque ab his Ecclesiastici singuli habita proportione proventuum taxati, & contribuere compulsi sunt.

Legitur in citata acta Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii 1479. quod Clerus Brabantiæ consensisset in subsidium quoddam, sed imponendum & colligendum per Deputatos Cleri, absque interventu laicorum. Verba sunt: *Om by de voorz. Clergie of by sekeren heuren ghedeputeerde, die de ordinaris oft conservateurs selver daer toe committeren ende stellen sullen sonder toedoen, middel oft ondervvinden van ons, noch*

eenighe

venighe leeckerhand, die voorz. somme van vier duysent Rinsguldens dier vverde boven verclaert, te settente innen ende te ontfanghen soo dat behoort, ende t' onsen behoeff te betaelen in termyne voorschreven, by den selven heuren ghecommitteerden, die voor de selve Clergie oft heuren ghedeputeerden ende nerghens anders rekeninghe ende bevvys daer af doen sullen, maer alsoo verre die voorz. Clergie oft heure ghedeputeerde in ende tot behulp der innighen van de penninghen vorschreven, boven ende tot behulp van de gheestelycke censuren oft bedvvanghe onser vveerelycker hands teghen de vveder spanninghen oft rebelle behoeffd, sullen vvy oft onse Officieren daer op versocht hun daer inne bystant ende behulp doen. Id est. Ut per dictum Clerum aut ejus Deputatos, quos ad eum finem Ordinarii aut ipsi Conservatores statuent & designabunt, nullatenus interveniente nostrâ operâ, authoritate, aut instantia, vel alia laicali potestate, prædicta quatuor mille florenorum summa, valoris ut supra, imponatur, colligatur & recipiatur, prout opus, & ad usum nostrum persolvatur in dies præstituros, ab eodem Clero aut iis quibus negotium demandarint, qui coram eodem Clero aut ejus Deputatis: nec aliis omninò, ratione reddent & conferent, verùm si aut dictus Clerus, aut ejus Deputati ultra Ecclesiasticas Censuras vel ad earum robur, in dictæ pecuniæ collectionem seculari nostra potestate ad compellendum rebelles, & contumaces indigeant. Nos aut Ministri nostri id rogati opem & auxilium conferemus.

In Gallia quoque *donum gratuitum*, in quod Clerus consentit, per Prælatos, non autem laicos distribui & colligi notum est.

Quomodocumque in contributionem & subsidium Clerus vocetur, optandum sanè esset, in hac occasione Clerus, ac notanter Pastores, laicis & suis subditis non subderentur; neque multifariis eorum vexationibus exponerentur: quibus optimi ac zelosissimi Pastores frequentiùs sunt expositi; utpotè qui ob annuntiatam veritatem, & zelum disciplinæ odio malevolorum hominum magis sunt obnoxii. Episcoporum aliorumque Superiorum est prospicere & allaborare quâ viâ remedium hisce adferri queat.

LX. Ex ipsa allegata acta Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ constat, subsidium voluntarium à Clero addictum fuisse de consensu Episcoporum Leodiensis & Cameracensis, quibus Clerus Brabantiæ tunc suberat *Met heuren vrye vville, by oirlove ende consente van de Eervveerdighe Vaderen in Gode de Biscoppen van Luydick ende Cameryck heuren Ordinarisse*: Id est Liberâ eorum voluntate annuentibus pariter & permittentibus ipsorum Ordinariis Reverendis in Christo Patribus Episcopis Leodiensi & Cameracensi. Idque conformiter ad Decretum Concilii Lateranensis in *Cap. 4.* ✠ *De Immunit. Eccles.*

LXI. Sed cum nulla fiat mentio Romani Pontificis, admodum verisimile est, jam tum Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap. 7.* ✠ *Eod.* non fuisse in usu, in quantum vult, ut in hujusmodi subsidiis aut contributionibus *consulatur Romanus Pontifex*. Facilè enim privilegium quod vi declarationis Bonifacii VIII. prætendit Rex Galliæ, vicino Belgio communicari potuit. Quidquid sit, certum & notorium est, in hujusmodi subsidiis consentiendis hodie Romanum Pontificem consuli non consuevisse. Vide Zypæum *Consult. 1. De Immunit. Eccles. n. 1.* ubi notat, eam ferre inter cæteras causam esse, cur *Bullam Cœnæ* non publicari aut recipi tam multis locis videamus.

LXII. Cæterum in annuendis subsidiis ea ratio tenenda, ut dum necessitatibus Patriæ succurri prætenditur, ipse Clerus, ac signanter Pastores & animarum Directores suis necessariis non priventur; & dum in temporalibus Reipublicæ succurritur, in spiritualibus non noceatur; quis facilè continget, si Parochis sua necessaria desint.

Unde omninò justum est, dum subsidio aut aliqua voluntaria contributione Clerus gravatur, ipsam tamen Pastoralem *competentiam* servari exemptam; quemadmodum jam pridem soliciti fuêre Patres, ut *Mansus integer*, id est ipsa *dos* Ecclesiæ unicuique servaretur à censu & servitio immunis; uti *capit. 2.* latiùs notatum fuit.

Adhæc nullatenus verisimile est, Principes desiderare, ut per subsidia competentia Pastoralis minuatur, qui tantopere soliciti fuerunt ut sine mora parochis decompetentia provideretur; uti supra *tit. 14. cap. 5.* videri potest. Quare non semel hic in Belgio declaratum fuit, competentiam pastoralem à contributione esse exemptam ac signanter anno 1685. & 1687.

LXIII. Circa *subsidia* quæ hic in Belgio Regi addicuntur, & illud observandum, alia ex consensu Statuum sive Ordinum vel Membrorum imponi vel colligi tanquam *realia*, sive uti loquuntur *pede reali, reele voet*: alia ut personalia, *personele voet*; alia denique partim reali, partim personali; prout Ordinibus vel Statibus visum fuerit: vel si non exprimatur, tunc colligi solet eo pede, quo aliàs subsidium pro tali necessitate, aut talibus expensis solutum, colligi consuevit: soletque hîc & consuetudo operari, ut observat Zypæus *Consult. 1. De Immunit. Eccles.*

LXIV. Quando ut realia, sive *pede reali* colliguntur, tunc fundis imponuntur, non habita personarum consideratione: ita ut exteri tallientur, sive in contributionē vocentur in locis ubi fundi eorum siti sunt, pro ratione fundorum. Econtra ubi ut *personalia* colliguntur, non habetur ratio fundorum sed personarum: & collectio seu impositio fit personis habito respectu lucri & proventuum suorum tuncque soli incolæ gravantur in loco domicilii. Ex his facilè videre est, quæ ratio ineatur, dum partim realia partim personalia sunt.

TITULUS XXXVI.

De Administratione & Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

De Episcoporum in dispensandis & administrandis rebus Ecclesiæ auctoritate.

1. *Plena dispensatio rerum Ecclesiæ olim fuit penes Episcopos.*
2. *Etiam post divisionem in 4. portiones mansit penes Episcopos dispensandi auctoritas.*
3. *Nonnulli Episcopi hac auctoritate abutebantur.*
4. *Voluerunt Synodi Ecclesiis Parochialibus provideri.*
5. *Seculo 6. cœperunt aliquæ obventiones Ecclesiis Parochialibus assignari.*
6. *Sensim singulis Titulis particulares proventus fuere annexi.*
7. *Libertate Episcoporum dispensandi res Ecclesiæ per erectionem Beneficiorum diminuta, manserunt supremi earum rerum Superintendentes.*
8. *Primum hujus Superintendentiæ argumentum & vestigium.*

9. *Secundum illius argumentum.*
10. *Tertium argumentum.*
11. *Quartum illius argumentum.*
12. *Quintum argumentum.*
13. *Sextum argumentum.*
14. *Septimum argumentum.*
15. *Episcopi exemplo Apostolorum soliciti esse debent, ne per curam temporalem avocentur à ministerio spirituali.*
16. *Quales esse debeant dispensatores rerum Ecclesiæ?*
17. *Quam solicitus fuerit Apostolus, ne suspecta infida dispensationis daretur.*
18. *Voluit jam pridem Ecclesia ut Episcopi in dispensatione rerum Ecclesiæ adhiberent Clerum suæ Ecclesiæ.*
19. *Cura temporalium in multis Ecclesiis commissa fuit Diaconis, ac præcipuè Archidiaconis.*
20. *Ex hac Archidiaconorum auctoritate remansit hodiernum jus* deportus.
21. *In quibusdam Ecclesiis Episcopi habebant œconomum cui cura temporalium incumbebat.*
22. *Idque etiam ante Concilium Calchedonense.*
23. *Canon Concilii Calchedonensis præcipiens in omnibus institui œconomum.*
24. *OEconomus non sumendus ex cognatis aut domesticis Episcopi*
25. *Constitutio Justiniani Imp. de œconomis.*
26. *Decretum Synodi VII de constituendis œconomis.*
27. *Canon Concilii Hispalensis contra Episcopos sine œconomo res Ecclesiæ administrantes.*
28. *Concilium Toletanum IV. urget institutionem œconomi; & hic aliquando dictus* Vice Dominus.
29. *Quando usus œconomorum desinere cœperit.*
30. *Sanctus Carolus magis attendens spiritum quàm litterarum Canonum œconomos ab Episcopis constitui voluit.*
31. *Id ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis servari voluit, ut liberius functionibus incumbere possent.*
32. *Qualem œconomum desideret.*
33. *Synodus Calchedonensis vult etiam proventus Sede vacante per œconomum administrari.*
34. *Hoc Decretum renovatum per Synodum Tridentinam.*
35. *Electus à Capitulo sine justa causa deponi nequit.*

I. EPiscopos primitus fuisse rerum Ecclesiasticarum primarios ac præcipuos dispensatores omnium passim Canonum una est sententia.

Canon 41. vulgò Apostolorum ait: "Jubemus Episcopum rerum „Ecclesiæ potestatem habere. "Rationem addit: "Si enim pretiosæ hominum animæ „sunt ei credendæ, multò magis sunt committendæ pe„cuniæ, ut in ejus sit facultate omnia administrare.

Eadem repetit *Canon. 25.* Concilii Antiocheni anno 341. vulgo *in Encæniis* dicens: Episcopus habeat rerum Ecclesiæ "potestatem, ut eas in omnes egentes dispen„set, cum multa cautione & Dei timore.

II. Et quamvis seculo 4. aut 5. in aliquibus saltem Ecclesiis vulgaris illa rerum Ecclesiasticarum in quatuor portiones divisio invaluerit, & Canonum authoritate decreta sit, nihilominus suprema dispensandi auctoritas remansit penes Episcopos, uti suprà *tit.* 32. *cap.* 6. monuimus; & multis Canonibus etiam seculo sexto & septimo claris terminis expressum est.

III. Hac auctoritate nonnulli Episcopi abutentes, facultates Ecclesiarum ita sibi vindicabant, ut parum aut nihil ipsis Clericis relinquerent, quemadmodum seculo sexto Episcopi Gallicani apud Carpentoracten congregati testantur, dicentes: "Hujusmodi ad nos querela „pervenit, quod ea quæ à quibuscumque Fidelibus Pa„rochiis conferuntur, ita ab aliquibus Episcopis præsu„mantur, ut aut parum, aut propè nihil Ecclesiis, quibus „relicta fuerant, relinquatur.

IV. Post hæc subjungunt: "Hoc nobis justum & ra„tionabile visum est, ut si Ecclesia civitatis ejus, cui E„piscopus præest, ita est idonea, ut Christo propitio ni„hil indigeat, quidquid parochiis fuerit derelictum, „Clericis qui ipsis parochiis deserviunt, vel reparatio„nibus Ecclesiarum rationabiliter dispensetur. Si verò „Episcopum multas expensas & minorem substantiam „habere constiterit, Parochiis quibus largior fuerit „collata substantia, hoc tantùm quod Clericis vel sartis „tectis rationabiliter sufficiat, reservetur: quod autem „amplius fuerit propter majores expensas Episcopus „ad se debeat revocare.

Hinc ergo apparet eo adhuc tempore dispensationem facultatum Ecclesiasticarum fuisse penes Episcopos, atque potuisse etiam inferiorum Ecclesiarum Parochialium facultates ad se avocare; modò tamen ipsis Parochialibus esset sufficienter provisum.

V. Verùm quia in hac sufficientia assignanda vel relinquenda Episcopi nonnulli essent æquo tardiores aut tenaciores & minus liberales, cœperunt seculo sexto nonnulla bona ipsis Ecclesiis parochialibus præsertim ruralibus, aut Presbyteris illis deservientibus reservari, quorum proventus ipsis solis crederent. In Concilio Aurelianensi III. anno 538. decernitur *Can. 5.* "Si quæ ob„lationes in quibuslibet rebus atque corporibus colla„tæ fuerint basilicis in civitatibus constitutis, ad pote„statem Episcopi redigantur; & in ejus sit arbitrio, quid „ad reparationem basilicæ, aut observantum ibi sub„stantiam deputetur. De facultatibus verò parochia„rum vel basilicarum in pagis civitatum constitutis sin„gulorum locorum consuetudo servetur.

VI. Hoc insuper scitur, sensim unicuique Ecclesiæ, quin & titulo suos particulares proventus circa nonum & decimum seculum cœpisse annecti; ita ut qui Ecclesiæ aut titulo esset præfectus, *jure suo* haberet *plenum* jus percipiendi & dispensandi annuos proventus illi annexos; uti latè deduxi supra *titul.* 18. *capit.* 1, ubi de origine beneficiorum actum est.

VII. Quamvis autem per beneficiorum erectionem; nec non bonorum Ecclesiæ Cathedralis inter Episcopum & Canonicos partitionem, libera illa Episcoporum dispensandi, & administrandi res Ecclesiasticas auctoritas non parum restricta fuerit; nihilominus indubitatum est, Episcopos adhuc mansisse rerum Ecclesiasticarum superintendentes, & curatores quoad Ecclesias & loca sibi subjecta; atque etiamnum hodie auctoritatis illius non paucas, nec exiguas superesse reliquias.

VIII. Indubiè hujus auctoritatis reliquiæ putandæ sunt, quod passim in Synodis Belgicis injungitur, ut adeptus Pastoratum, antequam cura animarum vel possessio pastoratus ei detur, jurare & promittere debeat: „Specificationem omnium fructuum Pastoratus mei „cum debita designatione hypothecarum, limitum & „terminorum, intra annum à festo nativitatis S. Joan„nis Baptistæ proximè venturo, Archipresbytero tra„dam

Hæc ex Synodo P. II. Mechliniensi, uti latiùs retulimus supra *titulo 26 cap. 2.* ubi unà notavimus, idem penè juramentum exigi à provisis de quocumque simplici beneficio.

Ut quid hæc bonorum specificatio Archipresbyteris, qui Episcoporum quasi Vicarii sunt, exhibenda? Nisi ut ipsi vice Episcoporum conservationi illorum bonorum intendant; invigilentque ne quid per Beneficiatorum incuriam deperdatur.

IX. Jubent quoque Synodi, "pro conservatione bo„norum ad Ecclesias Parochiales & Capellanias perti„nentium, ut singuli parochi & Capellani inventarium „bono-

„ bonorum eorumdem faciant, illudque subsignent, nec „ non à Majore & Scabinis etiam suæ Parochiæ subsignari curent, & *Ordinario* transmittant, qui Ordinarii „ registrum in quo singula inventaria hujusmodi de„ scribantur, confici mandent, ipsa originalia & authen„ tica in archivum aliquod reponant, & ad posteritatis „ memoriam diligenter asservent. " Ita Synodus P. II. „ Cameracensis *titul.* 15 *cap.* 7.

X. Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 22. *cap.* 3. vult ut "Possessores quorumcumque Beneficiorum, litteras „ fundationum eorumdem, & omnium bonorum ad „ beneficia spectantium, Decanis Capitulorum vel Ar„ chipresbyteris, quorum visitationi ipsa Beneficia sub„ sunt intra trimestre post publicationem præsentis Sy„ nodi exhibeant, in archivis Episcoporum, vel Capitu„ lorum asservandas.

Similia in omnibus passim Synodis Belgicis leguntur, quæ Episcopalem in bona Ecclesiarum & Beneficiorum Episcopis subjectorum superintendentiam evincunt.

XI. Illa quoque tum Synodorum Decreta, tum Principum Edicta, quæ volunt computibus bonorum spectantium ad Ecclesiarum fabricas, & Mensas pauperum Episcopum ejusve Deputatum interesse (de quibus *parte* 1. *tit.* 5. *cap.* 4.) rursus ostendunt, Episcopo horum etiam bonorum curam incumbere.

XII. Synodus Trid. *sess.* 22. *cap.* 8. & 9. *De Reform.* Episcopis attribuens amplam potestatem visitandi Hospitalia, aliaque pia loca; ipsosque hospitalium & similium administratores urgens ad reddendam singulis annis rationem administrationis Ordinario, non obscurè ipsam Episcoporum auctoritatem in bona illorum locorum insinuat: sed de hac auctoritate Episcoporum latiùs agetur infra titulo sequenti.

XIII. Consensus Episcopi in alienatione bonorum Ecclesiarum necessarius (de quo infra) sat manifestè evincit, eminentem aliquam, & primariam auctoritatem in administrandis inferiorum Ecclesiarum & Beneficiorum bonis penes Episcopos remanere.

XIV. Quod Parochi aliique plures Beneficiati testari nequeant sine licentia Episcopi; item quod ad Episcopum mobilia Clericorum intestatorum in quibusdam locis devolvantur, ut ea ipse in Canonicos usus dispenset, manifesta sunt hujus Episcopalis auctoritatis indicia, & relicta vestigia.

Quod in nonnullis locis Episcopi ad se trahant proventus beneficiorum vacantium, aut litigiosorum, vel quibus ipsi Beneficiati personaliter non deserviunt, hujus auctoritatis est vestigium: uti expressè docet Synodus Silvæ ducensis sub Masio *tit.* 20. *cap.* 9 dicens: "Cum „ Ordinarius in sua Diœcesi omnium beneficiorum, „ bonorumque Ecclesiasticorum sit *Curator*, & *Rector* „ *supremus*: ordinamus, quod tempore vacationis ac li„ tispendentiæ deservituræ Ecclesiarum ac Capellania„ rum, beneficiorum, officiorumque Ecclesiasticorum, „ ac etiam ob temerariam Rectorum absentiam, ab iis„ dem, videlicet quando illi nobis litteras privilegii & „ dispensationis, quibus à residentia excusari volunt, „ tempestivè ante festum S. Ægydii non exhibent, nec „ juxta ordinationem Concilii Provincialis Mechlini„ ensis primi, docent quod extra locum residentiæ cle„ ricaliter, & convenienter ordini suo incedant & vi„ vant, tunc dispositio servitii seu deservituræ, ac omni„ um fructuum ejusmodi Ecclesiarum & beneficiorum „ ad nos, juxta antiquam & laudabilem consuetudinem „ habentem in Jure Canonico fundamentum, spectet „ & pertineat.

XV. Verùm dum Ecclesia curam & dispensationem temporalium Episcopis commisit, noluit eos his ita occupari, ut horum cura aut dispensatio ipsos in cura spirituali longè maximâ impediret; sed voluit, ut imitarentur Apostolos, quorum sunt successores, qui dixerunt ad multitudinem discipulorum: *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu sancto & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi & ministerio Verbi instantes erimus.* Additque sacer textus: *Et placuit sermo coram omni multitudine.* Act. 6.

XVI. Exigunt Apostoli, ut eligantur ad hoc opus mensarum, sive dispensationem temporalium *viri boni testimonii*, hoc est integræ & inculpatæ famæ; nec non *pleni Spiritu Sancto & sapientia*: quia, nisi quis plenus sit *Spiritu Sancto*, sive charitate Dei & proximi, & *sapientia*, hoc est Christiana prudentia in rebus agendis, in rerum temporalium dispensatione facilè peccatur; vel nisi sit *boni testimonii*, peccare existimabitur.

XVII. Quapropter & Apostolus collectæ perficiendæ apud Corinthios, non tantum Titum, *quem in multis sæpè solicitum esse* probaverat, sed misit *etiam cum illo Fratrem cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; ne quis* (ait) *nos vituperet in hac plenitudine quæ ministratur à nobis*. Sensus est ait Estius: "Ideò misimus viros tam „ integros, & extra omnem suspicionem positos Titum „ & alterum fratrem cujus laus in Evangelio: ne quis „ malè de nobis loquatur aut suspicetur, quasi non satis „ fideliter & castè pecunia tam larga, nostro ministerio „ collecta, à nobis tractetur. Nam ut pecuniæ cupido la„ tissimè grassatur ita ejusdem tractatio summam fidem „ exigit, ac perfacilè in eo genere vel peccatur vel pecca„ ri existimatur.

XVIII. Exemplo itaque Apostolorum, jam pridem Ecclesia voluit, ut Episcopi in dispensatione & cura rerum temporalium adjutores & socios fideles haberent; ne ipsa temporalium cura in spirituali suo ministerio impedirentur, omnemque infidæ administrationis suspicionem evitarent.

Imprimis cautum fuit ut in hac dispensatione Presbyterorum & Diaconorum suorum (quos hodie repræsentat capitulum Cathedrale) operâ uterentur; adeo quidem ut in Concilio Antiocheno seculo 4. cautum fuerit: "Quod si (Episcopus) convertat res Ecclesiæ in „ suos usus, & Ecclesiæ reditus vel agrorum fructus, non „ ex *Presbyterorum* vel *Diaconorum* sententia admini„ stret, sed domesticis suis aut cognatis, vel fratribus, vel „ filiis, licentiam det, ut rationes Ecclesiæ per ipsos clam „ detrimentum capiant; is Synodo Provinciæ admini„ strationis rationem reddat.

Hujus veteris disciplinæ etiamnum est vestigium, quod "Episcopi res suæ Ecclesiæ sive Episcopatus alie„ nare aut gravare sine consensu sui Capituli nequeant, „ uti infra notabitur.

XIX. Ipsa quoque temporalium cura & immediata dispensatio in multis Ecclesiis exemplo Apostolorum commissa fuit Diaconis; inter quos tamen prima cura sensim transiit ad Archidiaconos. Unde S. Isidorus describens officia Archidiaconi ait; "Colle" ctam pecuniam de communione ipse accipit, & Epis" copo defert, & Clericis partes proprias idem distri" buit.

XX. Postquam singulis Ecclesiis sui proventus fuere annexi, plena dispensatio ipsis beneficiatis concredita fuit, minui quoque esse cœpit Archidiaconorum circa dispensationem Ecclesiasticarum auctoritas. Ex pristina interim hac dispensandi auctoritate & cura Ecclesiarum Parochialium Archidiaconis incumbente remansit etiamnum hodie apud quosdam Archidiaconos jus dispensandi proventus ecclesiarum Parochialium durante earum vacatione, quod vocari solet *jus deportus*. Sed cum pristina disciplina non nisi dispensationē rerū Ecclesiæ Archidiaconis annueret, non apparet, hoc *jus deportus* ipsis Archidiaconis fructus Ecclesiarum vacantium

tium attribuere, ut illos in privatos suos usus convertant sed eorum dumtaxat fidelem & providam dispensationem, sive curam : ut ita Archidiaconi tamquam oculi Episcoporum invigilent, ne Ecclesiæ vacantes vel in temporalibus, vel spiritualibus aliquid detrimenti patiantur, ipsique proventus ritè dispensentur, & Ecclesiæ operariis ad mentem Canonum impendantur.

XXI. In nonnullis Ecclesiis, præsertim Orientalibus moris fuit, ut Episcopus suum haberet œconomum, qui rerum temporalium curam & dispensationem haberet; ut hoc pacto Episcopus nec rerum temporalium solicitudine nimium distraheretur, nec infidæ administrationis suspicione insimularetur.

XXII. Canone 9. Theophili Alexandrini decernitur: "Ut totius Sacerdotalis Ordinis sententia alius re„nuntietur œconomus in quo Apollo quoque Episco„pus consensit, ut bona Ecclesiæ in ea quæ oportet, im„pendantur.

Hic per transennam notandum, quod œconomus constituatur, ut bona Ecclesiæ, *in ea quæ oportet*, *impendantur*, quod est impendere (ait Theodorus Balsamon) in viduas, hospites & pauperes, uti docet sequens Canon, cujus hæc sunt verba : "Viduæ & pauperes & peregrinantes hospites "omni quiete fruantur, & nemo quæ „sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet.

XXIII. Scripti sunt hi Canones currente seculo 4. adeoque fuisse in aliquibus Ecclesiis œconomos institutos ante Concilium Calchedonense nequaquam obscurum; probatque & ipse *Canon 20* hujus Concilii, quo jubentur œconomi institui. "Quoniam in nonnullis Ec„clesiis, ut sæpè à nobis auditum est, Episcopi absque „œconomis tractant res Ecclesiasticas, placuit omnem „Ecclesiam Episcopum habentem, ex proprio Clero „œconomum habere, qui ex Episcopi sui sententia res „Ecclesiasticas dispenset, ut nec sine testibus sit Ecclesiæ „ministratio, nec ideò res ejus dissipentur, & probrum „ac dedecus Sacerdotio inuratur. Si autem hoc non fe„cerit, eum divinis etiam Canonibus subjici. "*dist.* 89. *Can.* 4.

XXIV. Primùm hic advertendum monet Zonaras; „neque ex domesticis ipsius Episcopi cuiquam, propin„quo fortè, aut uni è familia, sed homini ex Episcopatus „Clero delecto, œconomi munus à Concilio mandari „placet.

Deinde subjungit Zonaras: "Quo quidem ex Episco„pi tamen sententia bona procurante, & quos in usus „Ecclesiastici reditus insumantur facilè apparebit, nec „erit cur quispiam in Ecclesiæ patrimonio dissolutum „Episcopum fuisse suspicari queat (id enim dissipandi „verbo ostenditur) eumque quasi sacros proventus „perditè irreligioseque effundentem, convitiis, contu„meliisque proscindat. Qua quidem ex re, cum Episco„pi fides multitudini suspecta esse consuevit, tum offen„siones quoque populi, velut ex odio malè gestæ pote„statis excitantur.

XXV. Œconomorum sæpiùs meminit Justinianus Imp. ac signanter in *L. 42 §. 5. cod. De Episcopis & Clericis* ubi œconomos *cum judicio & diligenti discussione* creari præcipit, addens : "Scientibus ipsis quod singulis „annis rationem referent sanctissimo Episcopo suæ ad„ministrationis : & quæcumque in re videbuntur res „Ecclesiasticas minuisse, vel læsisse, vel proprium quæ„stum quæsisse, hoc Ecclesiasticis rebus restituent.

XXVI. Canonem Calchedonensem seculo 8. renovavit Synodus Nicæna II. *Can.* 11. eumque illæsum servandum esse declarat : "Et si quidem (ait) unusquisque „Metropolitanus in sua Ecclesia œconomum consti„tuit, bene habet. Sin minùs, Constantinopolitano E„piscopo speciali auctoritate licebit œconomum in „ejus Ecclesia præficere. Similiter & Metropolitanis, si „qui eis subsunt Episcopi noluint in Ecclesiis œcono„mos constituere.

Hic advertere licet, quàm solicita fuerit hæc œcumenica Synodus, ut Episcopi suos haberent œconomos.

XXVII. Seculo septimo celebrata Synodus Hispalensis II *Can.* 9. mandat, "ut unusquisque nostrum (id „est Episcoporum) secundùm Calchedonensium Pa„trum Decreta ex proprio Clero œconomum sibi con„stituat .... Si quis autem Episcopus posthac Eccle„siasticam rem aut laicali procuratione administran„dam elegerit, aut *sine testimonio œconomi* gubernan„dam crediderit, verè ut contemptor Canonum & „fraudator Ecclesiasticarum rerum non solùm à Chri„sto de rebus pauperum judicabitur reus, sed etiam & „Concilio manebit obnoxius. "Apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 22.

XXVIII. Circa idem tempus Concilium Toletanum IV *Can* 48 ait: "Eos quos œconomos Græci appel„lant, hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas „tractant, sicut sancta Synodus Calchedonensis insti„tuit omnes Episcopos de proprio Clero ad regendas „Ecclesias habere oportet : qui autem deinceps con„tempserit, obnoxius ejusdem magni Concilii erit.

Porrò sciendum apud Latinos frequenter hos œconomos fuisse vocatos *Vice-Dominos*; uti notat, multisque ostendit Du Cange in suo Glossario, verbo *Vice-Domini Ecclesiarum*.

XXIX Quo tempore usus œconomorum desierit, incertum est: admodum verisimile est, sensim desiisse, postquam administratio rerum Ecclesiasticarum ad singulos Beneficiatos devoluta est, manente sola administratione & dispensatione *immediata* bonorum ipsius Episcopatus penes Episcopum.

XXX. Verùm quia semper Cavendum est, ne Episcopi rerum temporalium cura & solicitudine in spirituali animarum cura & regimine impediantur; neque infidæ administrationis insimulentur; qui fuit institutionis œconomorum finis : hinc S. Carolus sacrorum Canonum Zelosus instaurator, & spiritum magis, quàm litteram sacrorum Canonum considerans, ea quæ Concilium Calchedonense, & Toletanum decreverunt circa œconomos totius substantiæ Ecclesiasticæ, quando omnium rerum Ecclesiasticarum *immediata* dispensatio erat penes Episcopos, applicuit œconomis qui solas res Ecclesiæ Cathedralis sive Episcopatus administrent, in Concilio V. Mediolanensi parte 3. *cap.* 11 ubi ait: "Sacrosancti Concilii Calchedonensis Canon ju„bet, ab Episcopo *œconomum* deligi & constitui, qui Ec„clesiæ Cathedralis prædia, bona, resque de illius sen„tentia & arbitrio administret, ut non modo illa non „dissipentur, sed testis sit rectæ administrationis ac dis„pensationis.

XXXI. Deinde adjungit : "Id ut à Provinciæ no„stræ singulis Episcopis servetur, hoc decreto statui„mus; nec verò solum quo diligentius bonorum Eccle„siæ rectæ administrationi ad illius Concilii præscrip„tum consulatur : verum etiam quo *studiosius* Episco„pus, cum census, suppellectilis bonorumque eorum „curatorem administratoremque habuerit, in *re„rum spiritualium officiis*, quæ Episcopalis muneris pro„pria sunt, ipse omni cogitatione totoque animo in„cumbat.

XXXII. Quis autem in œconomum eligi debeat, ex præscripto Canonum significat : "Eum verò *œcono„mum*, vel ut alio canone cavetur, *Vice-Dominum* con„stituat Episcopus, non laicum, neque sibi cognatione, „affinitateve, aut favore conjunctum, sed Ecclesiasti„cum hominem qui & *de clero suo*, & verò si talem qui „idoneus sit habere potest, diaconatu initiatus sit, qui„que in eo administrationis genere & *rectè & peritè* „versari possit.

His sat ostendit sanctissimus præsul, Episcopos rerum tempo-

temporalium curam meritò exemplo Apostolorum aliis demandare, ut ipsi orationi & ministerio liberius vacare queat; ita tamen, ut providos & fideles dispensatores & œconomos deligendo, providus & fidelis bonorum Ecclesiæ dispensator habeatur.

XXXIII. Concilium Calchedonense non tantùm œconomos constitui voluit, qui viventibus Episcopis rerum administrationem susciperent, sed & *Canone* 25. voluit, *Vidua Ecclesia reditum, apud Ecclesia œconomum salvum custodiri.*

XXXIV. Hoc Decretum renovans Synodus Tridentina *sess.* 24. *cap.* 16. *De Reformat.* statuit, ut "Capitulum Sede vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, œconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, qui rerum Ecclesiasticarum & proventuum curam gerant, quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri. Episcopus verò ad eamdem Ecclesiam vacantem promotus ex iis quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, Vicario, & aliis quibuscumque officialibus & administratoribus, qui Sede vacante, fuerunt à Capitulo vel ab aliis in ejus locum constituti, etiam si fuerint ex eodem Capitulo, rationem exigat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscumque eorum muneris; possitque eos punire qui in eorum officio seu administratione deliquerint: etiam si prædicti officiales, redditis rationibus, à Capitulo, vel à deputatis ab eodem, absolutionem aut liberationem obtinuerint.

XXXV. Hoc Decretum in Synodis Belgicis passim observari nominatim præcipitur; additque Synodus D. Mechliniensis, "iique (OEconomi) semel electi, à Capitulo non mutentur sine justa & rationabili causa.

CAPUT II.

De Elocatione Bonorum Ecclesiasticorum.

1. *Nomine nuda administrationis venit elocatio, modò fiat ad* modicum *tempus.*
2. *Ad* longum *tempus facta censetur species alienationis.*
3. *Tempus* novem *annorum de Jure Civili habetur modicum; de jure Canonico* trium *annorum.*
4. *In Belgio pro parte à Jure Civili, & Canonico recessum est.*
5. *Varios terminos pro diversitate bonorum præscripsit Synodus Cameracensis, & Edictum Regum probavit.*
6. *Similes terminos expressit Synodus Mechliniensis, & Edictum Principum ad illam Synodum.*
7. *Plures elocationes simul facta pro tempore legitimo sæpius repetito non valent.*
8. *Certum tempus determinatum intra quod contractus locationis renovari possit.*
9. *Beneficiati tantùm pro tempore sua deservitura mercedem elocationis recipere possunt.*
10. *Decretum Concilii Tridentini contra elocationes* anticipatis *solutionibus.*
11. *Decreta Synodorum & Edicta Principum Belgii contra similes fraudes.*
12. *An in elocatione liceat recipere* Bibalia.
13. *Elocationes debent fieri publicè præviis proclamationibus.*
14. *Aliquando ob fraudem Rusticorum iis omissis fieri possunt.*
15. *In Gallia nonnullis interdicta conductio bonorum Ecclesiasticorum.*
16. *In Gallia aliquando data fuit prærogativa Parochis in conductione decimarum; sed hodie cessat.*
17. *Non convenit Parochis conductio decimarum.*
18. *Inspecto Jure communi elocatio facta à Beneficiato non protenditur ultra ejus vitam.*
19. *Idipsum in Gallia ordinatum.*
20. *Quid Synodi Belgii circa hoc statuerunt?*
21. *Utrum Resignatarius stare debeat elocationi Resignantis?*
22. *Si Prælatus tamquam Administrator bonorum Ecclesia elocaverit, successor tenetur.*

I. Elocationem bonorum Ecclesiæ esse speciem administrationis, atque sub administratione comprehendi, modo intra terminos nudæ & simplicis elocationis concludatur, una est Canonistarum sententia; & apertè probatur in *Clementina* 1. *De Rebus Ecclesia non alienandis*; ipsaque notoria praxis consonat.

II. Ut autem intra terminos elocationis subsistat requiritur, ut fit ad *modicum* tempus. Longioris enim temporis terminus efficeret, ut nomine quidem diceretur elocatio; sed re ipsa species alienationis censeretur; quemadmodum supra *tit.* 25 *cap.* 4. notavimus; atque eatenus non administrationis, sed alienationis species haberetur.

III. Hoc tempus *modicum* secundùm interpretes Juris Civilis sequutos Glossam ad *Novellam* 120. *cap.* 1. ad novem annos; & *longum* ad decem producitur: sicut Principum Constitutiones *longum* tempus in præscriptione definiverunt. Vide Covarruviam *lib.* 2 *Var. resol. cap.* 16. & ibi citatos. At Paulus II. in *extravag.* AMBITIOSÆ *De rebus Ecclesia non alienandis* videtur tempus *modicum* contraxisse ad *triennium*, inter species alienationis vetitas referens locationem & conductionem *ultra triennium*.

IV. Verùm hanc extravagantem multis in locis quoad hanc restrictionem ad *triennium* receptam non esse, passim testantur Pragmatici; ipsæque Synodi Belgicæ, & Principum Edicta contrarium usum manifestè ostendunt; quæ quasi mediam viam inter jus civile & Canonicum tenuerunt, nimirum pro diversitate bonorum varios temporis terminos elocationis determinantia.

V. Synodus P. II. Cameracensis *titul.* 15. *capit.* 6. ait; "Terminus ordinarius locationis domorum & terrarum arabilium sit *novem* annorum; pro pratis *sex*; pro decimis *trium*, si tamen seorsim à terris arabilibus elocentur.

Hunc terminum probavit quoque Philippus II. in Edicto ad hanc Synodum *art.* 24 vetans hunc terminum quovis modo excedi, nisi observatis solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis; idque sub pœna nullitatis contractuum.

VI. Similiter Edictum Principum ad Synodum P. II. Mechliniensem *a.* 10. asserit, Synodum præscripsisse certos terminos observandos in elocatione bonorũ Ecclesiasticorum; præcipitque Edictum eos ab omnibus observari; interdicens ultra terminos præscriptos conducere ulla bona Ecclesiastica sub pœna nullitatis ipsius contractus. Verba Edicti sunt: *Ende alsoo het voors. Synode heeft ghestelt eenen zekeren termyn die men sal moeten onderhouden in de verpachtinge van de goederen van de Capittelen, Cloosteren oft andere Beneficien, met sekere distinctie aldaer gheroert, soo bevelen wy alle onse ondersaten hun daer naer te vuegen, en niet te pachten oft aenveerden alsulcke goederen de voorschreven Capittelen, Cloosteren oft andere gheestelycke Beneficien toebehoorende, vor anderen langeren termyn, op peine van nulliteyt van hunnen pacht.* Id est. Quandoquidem dicta Synodus limitaverit tempus observandum in conductionibus bonorum, tum Monasteriorum, aliorumque Beneficiorum, mediante quadam distinctione ibidem expressa, hinc mandamus quibus-

quibuscumque subditis nostris, ut juxta ea se conforment, nec talia, ad Capitula, Monasteria, aliaque Beneficia Ecclesiastica spectantia bona in longius tempus conducant, pœna irritæ conductionis constituta.

Verùm in hodiernis Synodi hujus Provincialis exemplaribus non reperiuntur hi termini elocationis expressi; sed tantùm dicitur simpliciter *tit.* 22. *cap.* 2. " Bona Ecclesiæ locare non liceat ultra tempus à jure definitum. " Sed monet Zypæus in Notitia Juris Belgici tit. De *Episcopis & Clericis* §. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, quod " Synodus alios pratis, alios decimis, alios agris " præscribat, pro natura regionis; sed Romæ substitutum est tempus tantùm à jure præscriptum. Edictum " autem conceptum est antequam Synodus probata " Roma rediret: termini autem conceptum est ante- " quam Synodus probata Roma rediret: termini autem " ejusdem Synodi, quos Edictum probat, regesti sunt in " Synodum Antverpiensem 1609. *tit.* 21. *c.* 25. " hæc ille, qui & addere potuisset Synodum D. Mechliniensem anno 1609 quæ *tit.* 21. *c.* 1. eosdem terminos expressit, quos Synodus Cameracensis expresserat; refertque se ad citatum articuli Edicti.

VII. Rectè post alios notat Covarruvias loco citato *num.* 4. quod si fiant plures elocationes unius ejusdemque rei in certum, & legitimum tempus sæpiùs repetitum, puta in plura triennia, aut novennia, adjecta clausula, ut tot sint locationes quot *triennia* aut *novennia*, & finito primo triennio aut novennio censeatur facta *nova* elocatio, sint nullæ saltem quoad excessum legitimi temporis, tamquam manifestè factæ in fraudem legis.

VIII. Ad occurrendum hujusmodi fraudibus decretum est in Synodis nostris Belgicis, quod " nec renovari " possit contractus locationis terrarum arrabilium, nisi " *finito sexennio* prioris contractus, quoad prata verò *quadriennio*, & quoad decimas *biennio*, alioquin contra- " ctus sint irriti, & qui eos fecerint Clerici per Episco- " pos puniantur. " Ita Synodus P. II. Cameracensis *cap.* 6. cui omnes passim aliæ Synodi consonant; uti & Edictum Regium ad hanc Synodum Cameracensem *art.* 24.

IX. Cum Beneficiati tantum habeant usum bonorum suis titulis annexorum pro tempore quo Beneficiis illis deserviunt; neque ultra illud tempus proventus illorum percipere queant, consequens est, quod nec jus ipsis sit, mercedem conductionis & elocationis ultra tempus illud recipiendi: sed proventus, ipsamque conductionis mercedem integram Successori relinquere teneantur, ne aliàs ipsa Beneficia defectu proventuum Ministris destitui contingeret, dum unus suorum etiam Successorum annuos proventus præripuisset: quod jam pridem per elocationes *anticipatis* solutionibus frequenter fiebat; non sine notabili Ecclesiæ pernicie, uti deplorat Synodus Tridentina, similes elocationes damnans.

X. Verba Decreti *sess.* 25. *cap.* 11. *De Reformat.* sunt: " Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cum earum " bona, repræsentata pecunia, in successorum præjudi- " cium aliis locantur, omnes igitur hæ locationes, si *anticipatis* solutionibus fient, nullatenus in præjudicium " successorum validæ intelligantur; quocumque indulto " aut privilegio non obstante; nec hujusmodi locationes " in Romana Curia, vel extra eam confirmentur.

XI. Hoc Decretum in pluribus Synodis Belgicis renovatum hodie ubique observatur, vetatque eas Synodus Antverpiensis anno 1610. *tit.* 21. *cap.* 17. sub pœna *duplum* restituendi ejus quod acceptum erit.

Addit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 5. " Venditiones verò granorum & aliorum rerum quæ " vilissimo pretio fiunt ob *anticipatas* solutiones, sive " pro una tantum vice, sive ad plures annos contractus " ineatur, tamquam usuram sapientes planè interdicit, " Clericisque vendentibus pœnam suspensionis imposuit. Contra ementes autem sive Clerici sint, sive laici, " tamquam contra usurarios procedatur.

Easdem venditiones annullat, sive pro invalidis habet Edictum Philippi II. ad hanc Synodum *art.* 23.

Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 20. *cap.* 11. reprobatis elocationibus quæ fiunt *anticipatis* solutionibus " ulterius statuit, ne Ecclesiarum Rectores, aut " beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinentes pen- " dentes beneficiorum fructus, aut proventus curren- " tes, quovis prætextu, vel causa vendant, aut elo- " cent nisi dilata in id tempus pretii, vel mercedis so- " lutione; quo fructus erunt à solo separati, aut annus " cessit, ne illis cedentibus aut decedentibus frauda- " tis successoribus, Ecclesia debitis muneribus de- " stituatur sub pœna arbitrio nostro infligenda.

XII Synodus P. I. Mechliniensis postquam titulo *De Elocatione bonorum Eccles. cap.* 1. renovavit Decretum Concilii Tridentini contra elocationes *anticipatis solutionibus* factas, deinde *cap.* 3. decernit, " quod pro renovatione arendæ possessores beneficio- " rum non recipiant arrhæ nomine, ultra sex florenos: " Collegia verò & Monasteria nihil exigant supra *consuetas pitantias*, salvo in omnibus Episcopi modera- " mine.

Quæ hic *consueta pitantia* vocantur, hodie in multis locis dici solent *Bibalia*: circa quæ meritò monet Synodus moderationem esse servandam; ne alias exigendo & recipiendo notabilia *Bibalia*, per ipsa merces elocationis semper minuatur, & fraus fiat Decreto vetanti elocationes *anticipatis* solutionibus. Unde & quædam Synodi nihil exigi volunt, ac signanter Synodus Audomarensis *tit.* 22. *cap.* 3. ait: " Pro hujusmodi autem " arendæ renovatione, possessores Beneficiorum *nihil* " *vini* nomine accipiant, quod in damnum possit venire " successorem. " Huic non difforme est Edictum Regium ad Synodum Cameracensem infrà citandum, vetans exigi *poculum vini* in diminutionem mercedis, nisi de consensu Superioris.

XIII. Ut verò bona Ecclesiarum sine fraude securiùs elocentur, volunt Synodi nostræ, ut non nisi publicè, & præviis proclamationibus elocentur.

Synodus P. II. Cameracensis *titulo* 15. *cap.* 8. " ait: " Dicti verò Parochi & Capellani bona Beneficiorum " suorum, non nisi tribus proclamationibus factis, re- " licta cuilibet facultate plus offerendi, elocare pos- " sint.

Huic Decreto consonat Edictum Regium ad hanc Synodum *art.* 25. latius eamdem formam elocationis exprimens. Verba Edicti sunt: *Au surplus declarons que les biens d'Eglises Parochiales, Chappelles, & des lieux pieux ne se pourront bailler en ferme, ou louaige, si ce n'est apres trois proclamations; ou attaches de billetz faites es lieux accoustumez, ou qu'ils soient louez aussi cherement, que se baillent en ferme les terres circonvoisines de semblable bonte, let ont sans prendre pot de vin à la diminution du rendaige, ne soit du consentement du Superieur, à peine que telz contracts seront tenus & reputez pour nuls, & de nulle valeur.* Id est. Insuper declaramus, Parochialium Ecclesiarum, Cappellarum, aliorumque locorum pietati dicatorum bona non elocanda, nisi tribus præviis denuntiationibus, aut tabellæ locis consuetis proscriptæ fuerint, vel tanti forent elocata quanti ejusdem ubertatis circumvicini agri, idque sine bibalium aut vini receptione in imminutionem pactæ mercedis, nisi Superiorum consensus accesserit, hac aliàs indicta pœna, ut tales contractus nullius roboris & valoris habeantur.

XIV. Posteriores Synodi conformiter ad hoc edictum idem statuerunt; addit tamen Synodus Gandensis reno-

renovata inter Decreta edita per Antonium Triest Episcopum Gandensem in Congregatione Vicariatus & Archipresbyterorum suæ Diœcesis an. 1650. *tit. 20 cap. 14.* " Casu quo tamen publicam elocationem, propter „ collusionem incolarum loci, vel ob aliam causam ra„ tionabilem, Ecclesiis aut Beneficiis fore damno vero „ similiter appareat, omissis proclamationibus, secreto „ vel è manu, ut vocant, præfata bona elocari poterunt; „ non minoris tamen, quam bona vicina ejusdem natu„ ræ & qualitatis elocantur, nec aliter quam etiam ac„ cepta idonea cautione, ac de licentia nostra aut Vica„ riatus, vel saltem Decani loci.

XV. Ut bona Ecclesiastica melius conserventur, neque à laicis præsertim potentioribus sub prætextu elocationis & conductionis subinde occupentur; aut saltem proventus illorum divertantur, pluribus Regiis Edictis & Parlamentorum Arrestis vetitum est in Gallia Notabilibus & Magistratibus & Officiariis Regiis & Toparcharum conducere sive per se, sive per interpositas personas bona Ecclesiastica; vetitumque Ecclesiasticis bona Ecclesiarum iisdem elocare; uti videri potest in Actis Cleri Gallicani *tom. 1. parte 3. tit. 2. cap. 5.*

XVI. Aliquando in Gallia data fuit prærogativa Parochis in conductione decimarum suæ parochiæ; sed posteriori Edicto Henrici IV. de anno 1604. hæc prærogativa sublata est; omnibus etiam laicis ad eam conductionem admissis; uti videre est in libro cui titulus: *La Grande Conference des Ordonnances* &c. *lib 2. tit. 2. parte 1. §. 4.*

XVII. Et meritò hæc prærogativa sublata est: quia non convenit, ut Pastores sint decimarum ad Monasteria & Capitula spectantium conductores uti *parte 1. tit. 2 cap. 6.* notavimus. Neque dubitandum videtur, decimas ad Monasteria & Capitula devolutas, etsi de Jure communi ad Parochum dicantur spectare, revera esse *alienas* respectu Parochorum, ad mentem Synodorum decernentium: " Clerici beneficiati, vel in Sacris con„ stituti, decimas, census, prædia aut terras *alienas* non „ conducant, quæstus faciendi gratia. " Ita Synodus P. „ II. Mechliniensis *titul 18. cap. 5.*

XVIII. Cum Beneficiatus tantùm habeat jus percipiendi proventus bonorum titulo suo annexorum durante tempore quo beneficium possidet, consequens est, quod nec bona illa ultra illud tempus elocare queat; ad instar usufructuarii, qui elocationem ultra tempus durantis ususfructus extendere nequit; expiratque elocatio ipso expirante usufructu. *L. 9. §. 1. ff. Locati*

Hinc communiter concludunt Canonistæ, si Beneficiatus ad certum tempus terras aut domum aliave bona sui beneficii elocaverit, & intra tempus elocationis moriatur, ipsam elocationem exspirare, neque successorem debere stare elocationi. Mortuo enim Rectore qui locavit, fructus & reditus ad successorem pertinent; nec amplius ad defuncti jus attinent; & ideò locatio ejus morte extinguitur, ait post alios citatos Covarruvias *Lib. 2. Variar. Resolut. capit. 15. num. 6.* Vide etiam Wamesium *Consf. Can. 324.*

XIX. In Gallia Edicto Regio de 7. septemb 1568. declaratum fuit, elocationes exspirare per mortem, dimissionem, aut resignationem Beneficiati, salvo regressu ipsi conductori contra Resignantem, ejusve heredem pro expensis, damnis & interesse. Verba Edicta sunt: *Ordonnons que toutes fermes des benefices expireront par la demission, resignation, ou trepas du Beneficier, sauf le recours au fermier pour ses depens, dommages & interests contre le resignant ou heritier du defunt en cas d' advance, si ce n' est des terres de labour, dont les baux ne pourront exceder neuf années, & que les fermes soient denement faites au plus offerant & dernier encherisseur à esteint de chandelle, & avec les solemnitez que se gardent aux Baux de nostre Domaine.* Id est, Statuimus ut Beneficiorum omnium elocationes expirent, dimittente aut resignante aut moriente Beneficiato, salvo recursu conductoris, ratione impensarum damni & incommodi adversus resignantem aut hæredem defuncti in casu anticipationis, exceptis conductionibus agrorum sementivorum quorum conductiones novennii tempus non excedent, posito elocationes debitè factas fuisse plurimo & ultimo licenti ad extinctionem candelæ, aliisque solemnibus formulis in Regionum censuum nostrorum conductione observari consuetis.

XX. Et hæc quidem de jure communi: nam ex quorumdam locorum consuetudine successor in Beneficio tenetur stare, saltem ad aliquod tempus locationi factæ per prædecessorem.

Synodus D. Mechliniensis *tit. 27. cap. 3.* " elocatio„ nes bonorum beneficialium à Beneficiatis initas non „ diutiùs durare declarat, quàm pro illo anno in quo „ moritur, vel beneficium dimittit ipse Beneficiatus con„ trahens. " Deinde addit hanc clausulam: " Nisi à no„ bis (*Episcopo*) vel Capitulo; sub cujus jurisdictione „ ipsa beneficia existunt, confirmatæ fuerint.

Eadem habet Synodus Namurcensis anni 1659. *tit. 22. cap. 3.* nisi quod in clausula exceptiva exprimat etiam elocationes factas *auctione publica*; quasi & has durare vellet ultra annum quo Beneficiatus moritur, vel dimittit beneficium.

XXI. Resignatarium tamen qui ab ipso Beneficiato elocatore titulum quodammodo accipit, teneri stare elocationi Resignantis, probabilius existimat Renatus Choppinus *lib. 3. De S. Polit. tit. 7. num. 6.* " Imò in„ dubitati juris esse, successorem Resignatarium serva„ re & tueri oportere locationes factas à Resignante, si „ licitæ sint & sine fraude, maximè si conductor sit, „ qui impensas quasdam in sarta tecta prorogaverit, " asserit Paponius *lib. 1. arrest. tit. 13.* in additionibus ad *art. 5.*

XXII. Supradicta intelligunt communiter Canonistæ, quando ipse Beneficiatus suo proprio nomine, & in suum usum elocat bona sui Beneficii, quorum proventus ipsi tamquam Beneficiato competunt; secus verò si bona elocaverit ad Ecclesiam aut Conventum spectantia, quæ non in ipsius particularis commodum; sed ipsius Ecclesiæ aut Conventus elocantur.

Hoc enim casu, non ut particularis possessor beneficii & suo proprio nomine elocat; sed tamquam legitimus bonorum Ecclesiæ administrator: quo casu Prælatus qui ipsi in administratione Ecclesiæ succedit, eidem elocationi factæ stare tenetur; sicut tutor, qui alteri tutori in administratione successit, ait Covarruvias loco citato; qui & tamquam consequens subjungit: " Sic sanè si „ Rector alicujus hospitalis ad annum tantùm electus „ ipsius res locaverit ad triennium, vel ad aliud tempus „ jure permissum, tenebitur successor locationis factæ „ nomine xenodochii & ad ejus usum, stare omninò: a„ lioqui fallax esset hæc administrandi potestas. Idem „ dicas in rectoribus civitatum, ubi ad eorum officium „ spectat res civitatis locare, nam locatio ab eis nomine „ civitatis facta, etiam ad successorem transivit, sicut & „ alii contractus.

Deinde subjicit hanc generalem conclusionem & regulam à Canonistis communiter probatam: " Igitur ubi „ igitur ubi locatio rerum Ecclesiæ à Prælato fieri potest „ ad usum ipsius Ecclesiæ, & ea facta fuerit nomine Ec„ clesiæ, ut & facta censebitur, in rebus ad ipsam Eccle„ siam non ad Prælatum pertinentibus, successor in di„ gnitate licet possit in integrum restitutionem petere „ ad læsionem Ecclesiæ, non poterit Jure ordinario à lo„ catione discedere Non idem erit si Prælatus Ecclesiæ „ locaverit rem cujus reditus non ad Ecclesiam, sed ad „ ipsum Prælatum pertinent. Nam licet nomine „ Ecclesiæ locaverit, intelligitur ea locatio sub ea

„ condi-

„ conditione si ipse Prælatus vixerit, & ut effectum ha-„ beat, dum ipse Prælatus jus habuerit percipiendi redi-„ tus illos, hoc etenim dictat materia subjecta.

CAPUT III.

De vetita rerum Ecclesiæ alienatione & quid nomine alienationis veniat; & quæ res contineatur?

1. *Primis Ecclesiæ seculis non videtur Episcopis interdicta rerum Ecclesiæ alienatio.*
2. *Quare vetita postmodum earum alienatio.*
3. *Decretum Concilii Carthaginensis vetans hanc alienationem*
4. *Decretum sub nomine Concilii apud Valentiam relatum in Decretalibus Gregorii IX.*
5. *In nullo Concilio Valentino reperitur.*
6. *Refert illud Gratianus nonnullis additis, quæ simul conficiunt Decretum hodie vulgatissimum; cujus tenor exhibetur.*
7. *Refertur à Gratiano sub nomine* Leonis Papæ; *qui communiter creditur Leo Magnus.*
8. *Epistolam Leonis M. quæ partem Decreti continet primus evulgavit Gerardus Vossius.*
9. *Ex hac Epistola aliqua omisit, notanda tamen, & aliqua addidit Gratianus.*
10. *Epistolam hanc Leoni Magno adscribi non posse dicit Paschasius Quenellius.*
11. *Argumenta quibus id probat Quenellius.*
12. *Qua ratione Leoni Magno hæc Epistola supposita videatur.*
13. *Hoc Decreto antiquiores usi non sunt; sed posterioribus admodum fuit familiare non tantum Doctoribus, sed & Pontificibus.*
14. *Plura tum à Pontificibus, tum à Synodis edita Decreta alienationem rerum Ecclesiæ vetantia.*
15. *Principes Seculares illa suis legibus fulcierunt.*
16. *Constitutio Leonis Imp. & ratio vetitæ alienationis.*
17. *Hæc constitutio per Anastasium extensa.*
18. *Justinianus hac abrogata extendit legem Leonis ad omnes Ecclesias.*
19. *Principes nostri etiam Decreta Canonum probarunt.*
20. *Episcopi & Pastores, hodie jurant bona suarum Ecclesiarum & Beneficiorum non alienare.*
21. *Nomine alienationis continetur omnis actus translativus Dominii.*
22. *Item per quem aliquo modo res Ecclesiæ adimitur.*
23. *Alienatio fit per infeudationem, & dationem in emphyteusim.*
24. *Item per concessionem ususfructus.*
25. *Vetatur quoque res pignori dari, & quare?*
26. *Ostenditur corruptus textus* Cap. 5. h. t. *delendamque v. cem* conditionem
27. *Debet Beneficiatus res sui Beneficii* integras *servare.*
28. *Quæ res sub prohibita alienatione continetur?*
29. *An arbores in fundo excrescentes continetur?*
30. *Decretum Synodi Silvaducensis de cedendis arboribus.*

I. PRimis Ecclesiæ seculis, præsertim quamdiu Ecclesia præter Fidelium oblationes nulla bona habebat, non legitur, Episcopis interdictam fuisse rerum Ecclesiasticarum alienationem; sed libera & plena earum dispositio ipsis concredita videbatur. Absonum enim videbatur, iis non credi rerum temporalium dispensationem, quibus pretiosæ hominum animæ sunt credendæ.

II. Verùm cum Ecclesia cessante Ethnicorum Imperatorum persecutione cœpit etiam bona immobilia possidere, è quorum proventibus in perpetuum qui dammodo Ministris Ecclesiæ, aliisque necessariis ad divinum cultum provideretur; atque experientia doceret, nonnullos Episcopos, non satis solicitos pro successoribus, bona illa in propriam utilitatem distrahere, cœpit ipsorum auctoritas in rerum illarum administratione limitari; & rerum Ecclesiasticarum alienatio inhiberi; aut saltem certis quibusdam terminis & legibus circumscribi.

III. Quando hæc alienationis inhibitio initium sumpserit, incertum est. Hoc non obscurum est, seculo 4. in aliquibus saltem Ecclesiis Canones hac de re editos fuisse. Legitur in Concilio Carthaginensi V. anno 391. *Can* 39. " Nullus res Ecclesiæ distrahat. Quod si reditus non habet, & aliqua nimia necessitas cogit, hanc „ insinuandam esse Primati ipsius Provinciæ censemus, „ ut cum statuto numero Episcoporum, utrum faciendum sit, arbitretur. Quod si tanta urget necessitas Ecclesiæ ut non possit ante Primatem consulere, saltem „ vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Concilium referre omnem Ecclesiæ necessitatem. Quod si „ non fecerit, reus Deo, & sancto Concilio venditor honore amisso teneatur. " Ita refert Gratianus *caus.* 17. *q.* 4. *Can.* 39.

IV. Refertur quoque in Decretalibus Gregorii IX. in *Cap* 1. *De his quæ fiunt à Prælato* &c. sub nomine Concilii *apud Valentiam*: " Irrita erit Episcoporum donatio „ vel venditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque „ collaudatione & subscriptione Clericorum.

V. Nonnulli credunt hoc Decretum editum in Concilio Valentino habito anno 374. at notavit jam pridem Antonius Augustinus, uti & Petrus Crabbus in notis ad hoc Concilium, Decretum hoc in nullo Valentino Concilio Galliæ aut Hispaniæ reperiri.

VI. Extat idem Decretum apud Gratianum *caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 52. nonnullis tamen additis, quæ simul conficiunt Decretum in hac materia apud Canonistas famosissimum & vulgatissimum; & quo penè solo hodierna disciplina de alienatione rerum Ecclesiæ continetur. Exprimitur autem his verbis: " Sine exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ suæ „ quidquam donare, vel commutare, vel vendere „ audeat; nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora „ prospiciat, & cum totius cleri tractatu atque consensu id eligat; quod non sit dubium profuturum „ Ecclesiæ. Episcopus rebus Ecclesiæ tanquam commendatis, non tamquam propriis utatur. Irrita enim Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit absque conniventia, & subscriptione clericorum.

VII. Refert autem illud Gratianus ex epistola Leonis Papæ, *universis Episcopis per Siciliam constitutis*; crediturque passim à Canonistis, hic designari Leonem Magnum.

VIII. Verum nulla inter epistolas Leonis Magni extabat quæ hoc Decretum contineret, antequam Gerardus Vossius epistolam hactenus ineditam, sub nomine Leonis Magni ad universos Episcopos per Siciliam constitutos evulgavit; quam ex antiquo Cardinalis Sirleti M. S. codice acceptam, ex consulari nota, & ipsius Leonis phrasi ac dictione, quam spirare ei visum est, Leonis Magni esse non suspicatur modò, sed planè & indubitanter asseverat.

IX. Si hoc Vossii judicium satis esset fundatum, non dubium, quin saltem pro prima parte, id est, à primis verbis, usque ad illa, *profuturum Ecclesiæ*, hoc Decretum Leoni Magno adscribendum esset; quia eatenus in hac Epistola continetur; reliqua à Gratiano addita sunt; uti & nonnulla omissa: quæ tamen meritò fuissent

Digitized by Google

fuiſſent addita, ut potè rationem prohibitæ alienationis exprimentia. " Quia (ait) plenum juſtitiæ eſt, fratres ,, chariſſimi, ut non ſolùm Epiſcopi, ſed etiam totius Cle- ,, ri ſtudio, Eccleſiaſticæ utilitatis incrementa ſerventur, ,, & eorum munera illibata permaneant, quæ pro ani- ,, marum ſuarum ſalute, fideles de propria ſubſtantia Ec- ,, cleſiis contulerunt.

X. Verùm Vir ſummæ eruditionis Paſchaſius Queſnellus in ſua operum Leonis reviſione, relata opinione Voſſii dicere non dubitavit: " Mihi verò Leonis non ,, eſſe, penè certum eſt, vel unius ſtyli inſpectione, quem ,, à Leonino abhorrere quivis facilè deprehenderit.

XI. Tum realis nonnullis quæ à ſtylo Leonis videntur planè aliena, plura alia argumenta adducit, quibus oſtendat, epiſtolam hanc Leoni Magno adſcribi non poſſe; atque inter alia advertit in eadem epiſtola mentionem fieri duplicis Decreti, quo à Leone *ordinatum erat quemadmodum utriuſque Eccleſiæ utilitatibus conſuleretur*, adverſus fraudulentos Eccleſiaſticorum bonorum prædones " Quæ Decreta (ait Quenellius) ſi verè ,, à Leone emiſſa eſſent, numquam eorum memoria ex- ,, cidiſſet. Etſi enim plurimæ Leonis aliorumque Pon- ,, tificum *familiares* epiſtolæ, vel omninò perierint, vel ,, ad tempus ab hominum notitia ſubtractæ ſint, vix ta- ,, men contingere id potuit circa Decretales & Conſti- ,, tuta, quæ plurium Eccleſiarum negotia & ordinatio- ,, nem attinent, & multò minùs ſi ad totius Provinciæ ,, ampliſſimæque Inſulæ Epiſcopos & Eccleſias fuerint ,, directæ; cujus generis eſſe debuerant tam hæc, ſi ge- ,, nuina eſſet, quàm ille de quibus mentionem facit.

Deinde advertit, nequaquam veriſimile eſſe, " tem- ,, pore Leonis tantam fuiſſe Eccleſiaſticæ diſciplinæ ,, perturbationem, ut in Provincia Romanæ Sedi ſub- ,, jecta, in qua erant vigilantiſſimi Præſules, inter quos ,, Paſchaſinus Lileberanus, *omnia alicujus Eccleſiæ prædia* ,, *vendendo, donando, & diverſis modis alienando Epiſco-* ,, *pus diſſiparet*; imò tanta corruptela ut plures qui id a- ,, gerent, invenirentur, quod epiſtola diſertè aſſerit. ,, Quamobrem ad poſteriora ſecula remittendam eſſe ,, hujuſmodi deprædationem exiſtimo.

XII. Ex his aliiſque tandem concludit Eruditus auctor: " His perpenſis in hanc ſententiam facilè addu- ,, cor, ut vel hanc Epiſtolam exiſtimem ſuppoſititiam ,, eſſe, eo ſcilicet conſilio confictam ut alicui illarum ,, Eccleſiarum prædia diſtracta denuò vindicarentur: ,, quod ſæpe factum eſſe notum eſt, ut germanorum mo- ,, numentorum loco fictitia ſubſtituerentur aſſerendis ,, Eccleſiarum juribus vel privilegiis quoque modo ac- ,, commodata; vel ſaltem credam alterius eſſe Leonis; ,, quam noſtri, ſecundi puta vel tertii vel etiam poſte- ,, rioris.

XIII. Quidquid ſit de hac Epiſtolæ, aut hujus Decreti ſinceritate; & an Leoni Magno, an alteri adſcribendum, hoc conſtat, quod licet in antiquorum Pontificum, qui ſeculo 5. & 6. aut etiam 7. Leoni ſucceſſerunt, Decretis contra indebitam bonorum Eccleſiaſticorum alienationem editis, nulla hujus Decreti mentio fiat, nihilominus poſterioribus ſeculis, hoc Decretum in hac materia paſſim non tantùm à Doctoribus, ſed & Pontificibus in ſuis reſponſis & Decretalibus fuiſſe aſſumptum, tamquam præcipuum monumentum diſciplinam alienationis bonorum Eccleſiaſticorum formans.

Unde Rebuffus hanc alienationis materiam Auditoribus ſuis explanare volens, hoc Decretum tamquam *utiliſſimum & frequentiſſimum* ſingillatim per ſingulas partes explicandum duxit, ut ipſe aſſerit in ſuo *Compendio alienationis rerum Eccleſ. n.* 43.

Similiter Innocentius III. in fundamentum ſuæ reſolutionis non ſemel hoc Decreto, & quidem ſub nomine *Leonis* Papæ uſus eſt, ut videri poteſt in *Cap.* 7. *&* 8. *X. De His quæ fiunt à Prælato &c.*

XIV. Præter hoc Decretum extant plura tum antiquiorum, tum recentiorum Pontificum & Synodorum Decreta, alienationem hanc vetantia, aut ſaltem certis regulis & terminis circumſcribentia, quæ referuntur, vel apud Gratianum, vel in Decretalibus Gregorii IV. aliiſque partibus Juris Canonici ſub titulo *De Rebus Eccleſiæ alienandis, vel non alienandis*; & quorum in progreſſu hujus tituli mentio facienda erit.

XV. Principes quoque conſervationi rerum temporalium quas ipſi vel eorum Majores, aut Vaſalli & ſubditi Eccleſiis donarant, conſervationi intendentes, Canones alienationem vetantes aut circumſcribentes ſuis legibus fulcierunt.

XVI. Primus Imperatorum qui hac de re legem edidit, creditur Leo Imperator anno 470. cujus conſtitutio extat in *L.* 14. *Cod. De SS. Eccleſiis*, declarans, nulli Epiſcopo aut œconomo eſſe alienandi facultatem; " ,, nec ſi omnes cum religioſo Epiſcopo & œconomo ,, Clerici in earum poſſeſſionum alienationem conſen- ,, tiant. " Ea Rationem ſuæ conſtitutionis notandam ſubjungit: " Ea enim quæ ad beatiſſimæ Eccleſiæ jura ,, pertinent, vel poſthac fortè pervenerint, tamquam ,, ipſam ſacroſanctam & religioſam Eccleſiam, intacta ,, convenit venerabiliter cuſtodiri: ut ſicut ipſa religio- ,, nis & fidei mater perpetua eſt, ita ejus patrimonium ,, jugiter ſervetur illæſum.

XVII. Hæc Leonis conſtitutio ſolam Eccleſiam Conſtantinopolitanam ſpectans, ab Anaſtaſio Imperatore in *L.* 17. *Cod. eod.* ad omnes Patriarchatus Conſtantinopolitani Eccleſias extenſa eſt; vultque ut quæ ab ipſo decreta ſunt, locum habeant, & in futuris Eccleſiaſticis rebus, & in præteritis aut præſentibus.

XVIII. Tandem Juſtinianus, abrogata lege Anaſtaſiana, Leoninam ad omnes planè Eccleſias extendit; duaſque amplas de hac alienationis prohibitione, ejuſque regulis & terminis edidit, relatas in *Novella* 7. *&* 120. atque per partes referuntur penè integrè in authenticis ſubjectis citatæ *legi* 14. & pro magna parte extant apud Gratianum *Cauſ.* 20. *q.* 2. *Can:* 2. poſt relatum fragmentum ex Conſtitutione Leonis.

XIX. Principes noſtri alienationes bonorum Eccleſiaſticorum ſine forma Canonibus & legibus præſcripta factas pro nullis haberi volunt; edicitque Philippus II. in Edicto " ad Synodum Cameracenſem *art.* 22. quod ſi contingat judices Regios interpellari ab Eccleſiaſticis ſuper reſciſſione aut annullatione alienationis rerum Eccleſiaſticarum, hi judices ſequi debebunt Canones, & leges Civiles his non contrarias, nec non Edicta, conſuetudines, & morem obſervatum, in majus Eccleſiarum bonum. Verba Edicti ſunt: *D' avantaige nous entendons que quant perſonnes Eccleſiaſtiques intenteront quelque action par devant nos Juges Provinciaulx, ou autres ſeculiers pour la reſciſſion, ou annullation de quelque alienation des biens d'Egliſe, ou de quelque louage fait à longues années, ou autre contract dommageable a l' Egliſe, noſdits Juges ſe regleront ſelon les Canons, & conſtitutions du droict Civil non repugnantes auſdicts Canons, & ſelon les placcartz, couſtumes, ou uſances obſervez pour le plus grand bien des Egliſes.* Id eſt. Inſuper volumus, ut quandocumque Eccleſiaſtici coram Judicibus noſtris Provincialibus aliiſque Secularibus litem intentabunt pro reſciſſione alienationis factæ de bonis Eccleſiæ, aut conductionis in longum tempus pactæ, aut alterius contractus Eccleſiæ nocivi, Judices noſtri, Canonibus & Juris Civilis Conſtitutionibus, dictis Canonibus non adverſantibus ſe conforment, prout & juxta edicta, mores, receptaſque conſuetudines ad majus Eccleſiarum bonum.

XX. Epi-

XX. Episcopi hodie juxta formulam juramenti in Pontificali præscriptam, jurant ante suam ordinationem, non alienare bona mensæ suæ; de quo juramento actum est supra *parte 1. titul. 15. capit. 2.* Similiter & Parochi jurant, se non alienaturos bona sui Pastoratus, de quo suprà *titul. 22. cap. 2.*

XXI. Alienationis nomine imprimis venit actu omnis quo rei alicujus dominium transfertur; idque sive is sit actus ultimæ voluntatis, sive inter vivos; uti specialim declaratur in citata *L. 14. Cod. De SS. Eccles.* Specialiter autem vetatur in hac lege donatio *ad vicissitudinem beneficii collati, aut gratiæ referendæ*: quia color hic plerumque donationi quæritur, ut ait Justinianus in *Novella 120.* & notavit Cujacius ad *Novellam 7.*

XXII. Imò quia finis vetitæ alienationis est, ut res Ecclesiæ perpetuò integræ conserventur; ut ex earum proventibus Ministri vivere, aliaque ad cultum Divinum necessaria semper haberi queant, consequens est, alienationis nomine hîc comprehendi omnem illarum actum, per quem res ipsa quocumque modo Ecclesiæ adimitur, aut impeditur quo minus Ecclesia hac re ulteriùs plenè & liberè uti, aut ejus emolumentum aut proventum percipere queat.

XXIII. Unde non tantùm res Ecclesiæ alienari dicitur, ad mentem Canonum, dum in alium transfertur quoad plenum & absolutum dominium; sed etiam per translationem dominii utilis; ut fit per infeudationem, vel dationem in emphyteusim; & declaratur in *Novella 7.* Justiniani: quia licet non adimatur directum dominium ipsi Ecclesiæ, rei tamen emolumentum eripitur.

XXIV. Similiter quia per usumfructum rei, tota ipsius utilitas ad usumfructuarium devolvitur, & proprietario adimitur, vetita alienatione, etiam vetita habetur ususfructus concessio.

XXV. Quin & prohibentur eadem ratione res Ecclesiæ pignori sive hypothecæ dari in citata Novella Justiniani; & in allegato *Cap. 5.* expressè inter vetitas alienationis species ponitur *specialis hypothecæ obligatio*; prohibeturque creditoribus rem Ecclesiæ specialis hypothecæ titulo obligare: quia licet per pignoris constitutionem non mutetur causa dominii, tamen *jus in re* tribuitur, vi cujus creditor ad ejus distractionem procedere aliquando possit: neque res ipsa pignori aut hypothecæ supposita amplius libera manet penes Ecclesiam; sed ob *jus in re* in alium translatum, jam quodammodo alia censetur: ideoque si testator alienationem prohibuerit, etiam pignoris datio prohibita censetur *L. fin. Cod. De Rebus alienis non alienandis.*

XXVI. Dicitur in allegato *Capitulo 5.* Alienationis autem verbum continet *conditionem*; quæ verba à variis diversimodè sumuntur; aliis dicentibus, pro *conditionem*, legendum *conductionem*, nimirum ad longum tempus; aliis prætendentibus intelligi contractum *conditionalem*; aliis verò sumentibus vocem illam pro *pactione* super rebus Ecclesiæ. At omissis hisce incertis opinionibus super acceptione hujus vocis, verior apparet opinio Antonii Augustini, qui vocem illam rejiciendam credit; utpotè in authographis & codicibus, unde hic textus primitus desumptus est, non occurrens. Textum enim hunc primitus desumptum ex *Novella 7.* Justiniani non obscurum est; & ex illa refertur apud Ivonem *parte 4. cap. 185* ubi nulla mentio fit *conditionis.* Burchardus textum hunc retulit *lib. 3. capit. 164.* sub nomine Concilii apud Silvanectem sub Ludovico Rege *Can. 5.* idque cum hac voce *conditionem*, sed omissa voce *venditionem*; putatque Antonius Augustinus, quod librarii Burchardi mendosè pro *venditionem* scripserint *conditionem*: quod mendum retinuit Bernardus Papiensis in prima Decretalium Collectione. Raymundus autem Decretalium Gregorii IX. compilator retenta voce *conditionem* addidit & vocem *venditionem*, *cruce*m, ut ajunt, *interpretibus relinquens.* Hinc iterum patet, quam utile, imò & necessarium sit, nonnumquam ad ipsos primos Decretalium fontes habere recursum, uti monui & pluribus ostendi in tractatu Historico Canonico in Canones *parte 8. cap. 1. §. 6.*

XXVII. Ut autem verbo absolvam, potest quidem Beneficiatus rebus sui Beneficii uti, atque ex proventibus vivere; sed res ipsas integras conservare debet, & ad successores transmittere; ut & ipsi earum proventus liberè & plenè percipere queant; ut sicut ipsa religio perpetua est, ita & ejus patrimonium jugiter servetur illæsum; uti loquitur Leo Imperator.

XXVIII. Ex hactenus dictis facilè intelligi potest, quæ res sub prohibita alienatione, ad mentem Canonum & Legum comprehendi debeant; nimirum illæ, è quibus loca pia reguntur atque illustrantur, & eorum Ministri alimoniam accipiunt, quemadmodum loquitur Pontifex in *Extravagante* AMBITIOSÆ *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*: id est, quæ ex natura sua, vel voluntate offerentium destinatæ sunt, ut usibus Ecclesiæ, vel Ministrorum alimoniæ in perpetuum subserviant; & quibus Beneficiati tamquam usufructuarii utantur salva earum substantia.

XXIX Quapropter si in fundo pertinente ad Ecclesiam aut beneficium nascantur grandes arbores, quæ cædi non solent, non poterit eas Beneficiatus in suum proprium commodum, tamquam annuos proventus, cædere & convertere: quia ex natura sua videntur destinatæ ut serventur ipsi Ecclesiæ; non autem adinstar annuorum proventuum à Beneficiatis consumantur, uti in usufructuario respondit Jurisconsultus in *Leg. 11. ff. De Usufructu*, & judicatum refert Renatus Choppinus De S. polit. *lib. 3. titul. 8. num. 12.*

Notat quoque Zypæus in *jure novo titulo De Rebus Ecclesiæ non alienandis nu. 8.* arbores grandes & cædi insuetas rerum immobilium loco haberi, neque per Beneficiatum cædi posse, " nisi (ait) demortuæ sint: quando in earum locum alias substituere usufructuarius seu „ Beneficiarius tenetur *L. 18. ff. De Usufructu.*

XXX. De arboribus cædendis, atque in earum locum aliis plantandis, extat Decretum Synodi Sylvæducensis sub Masio *titulo 20. cap. 13.* quo ferè continetur quidquid circa hujusmodi arbores jure communi & hodierno Belgico observari oportet: " Hoc etiam seriò „ mandamus universis Parochis, aliisque beneficiorum „ & officiorum Rectoribus, ut in locum arborum cæ„ duarum, quæ vel vetustate, vel alio modo pereunt vel „ cæduntur (quas tamen nonnisi congruo & debito „ tempore pro locorum consuetudine cædi volumus) „ alias plantent: quoad arbores verò incæduas, illæ absque nostra speciali licentia non cædantur, ac pretium „ indè proveniens ad augmentum, & utilitatem benefi„ ciorum, aut reparationem ædificiorum eorumdem „ applicetur, & nihilominus in locum earum aliæ sub„ stituantur, sub pœnis arbitrio nostro imponendis.

CAPUT IV.

De Causa & solemnitate in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis.

1. *Ex causa utilitatis vel necessitatis res Ecclesiæ alienari possunt.*
2. *Redemptionem captivorum esse justam causam alienandi vasa Ecclesiæ declaravit Justinianus Imp.*
3. *Idem sensit S. Gregorius.*
4. *Ad redimendos captivos & alendos pauperes vasa Ecclesiæ posse distrahi docuit S. Ambrosius.*
5. *Melius esse aurum impendi alendis pauperibus, quàm ornandis templis docuit S. Hieronymus.*
6. *Idipsum multis adstruxit S. Chrysostomus.*

7. Reder-

7. *Redarguit Monachos S. Bernardus, qui neglectis pauperibus templa sumptuosè ornabant.*
8. *Hic ornatus splendidus templorum non rarò provenit ex avaritia.*
9. *Quare homines solent esse proniores ad ornanda templa quàm alendos pauperes.*
10. *Laudatus Episcopus, qui pro alendis & redimendis captivis vasa Ecclesiæ etiam initiata vendiderat.*
11. *Triplex causa alienandi probatur à Canonistis*
12. *Hæc causa olim probari debebat in Concilio Episcoporum.*
13. *Hinc astruitur Decretum de non alienandis rebus Ecclesiæ à Gratiano relatum, non esse Leonis Magni.*
14. *Juxta hoc Decretum & modernam disciplinam huic conformem non debet causa discuti in Concilio Episcoporum*
15. *Requiritur tamen* tractatus *prævius super causa alienandi.*
16. *Sufficit* unicus; *nisi plures requirat specialis constitutio aut consuetudo.*
17. *Quomodo* tractatus *Cleri sive Capituli instituendus.*
18. *Debet discuti an non possit alia via necessitati Ecclesiæ succurri.*
19. *Tractatus Cleri vel Capituli requiritur, quando ipsius consensus exigitur; & non aliter.*
20. *Quorum exigitur consensus, etiam* tractatus *necessarius est.*
21. *Exigitur consensus Capituli dum agitur de bonis mensæ Capitularis.*
22. *An requiratur consensus* totius *Capituli?*
23. *Consensus Capituli requiritur quoad bona mensæ Episcopalis, licet sit separata à mensa Capitulari.*
24. *Requiritur quoque consensus Episcopi.*
25. *Si Ecclesia non habeat Capitulum aut Conventus, solus consensus Episcopi sufficit.*
26. *Quomodo Episcopi soleant instituere* tractatum *sive examen super causa alienationis.*
27. *Quoad Ecclesias exemptas requiritur licentia Pontificis.*
28. *Imò attenta Constitutione Pauli II. exigitur illa in omni alienatione rerum Ecclesiæ: sed hic non recepta.*
29. *Si Regulares exempti habeant Superiorem cum potestate quasi Episcopali, hujus auctoritas sufficit.*
30. *Quid de Monialibus Ordinum Mendicantium?*
31. *Episcopi hodie jurant non alienare possessiones suæ mensæ* inconsulto *Pontifice.*
32. *Pontifex solet dare licentiam in forma commissoria.*
33. *Judices Delegati diligenter inquirere debent de veritate contentorum in litteris Apostolicis.*
34. *An requiratur consensus Patroni?*
35. *Hodie in Gallia, & in Belgio solet requiri consensus Regius.*
36. *Quomodo ante consensum Regium fiat informatio super causa alienationis.*
37. *Tria potissimùm in alienatione hodie requiruntur, ad quæ respexit Philippus II. in suo Edicto.*
38. *Consensus Capituli aut Episcopi quomodo exprimendus.*
39. *Plures solemnitates requisitæ à Justiniano sed hodie non sunt in usu.*
40. *Non semper ob defectum solemnitatis requisitæ invalidatur alienatio in Gallia.*
41. *Neque hic in Belgio.*
42. *Potissimùm attenditur, num justa fuerit causa alienandi.*
43. *Alienatio non semper rescinditur propter omissum consensum aliquorum de Conventu, vel Superioris.*
44. *Causa alienationis in instrumento exprimenda: præsumitur tamen si legitima forma sit servata.*
45. *An præsumatur debita solemnitas intervenisse?*
46. *Post tempus notabile non facilè rescindenda alienatio nisi fraus aut dolus intervenisse probetur.*
47. *Alienatio in consanguineos Prælati habetur suspecta.*
48. *Ob læsionem notabilem restitui potest Ecclesia exemplo minoris.*

1. TAmetsi multis Canonibus & Principum Legibus vetita jam pridem fuerit rerum Ecclesiasticarum alienatio; nequaquam tamen mens illorum fuit, earum alienationem impedire, quando vel causa pietatis, aut Ecclesiæ necessitas aut utilitas eam alienationem postularet.

Unde in famoso illo Decreto relato apud Gratianum sub nomine Leonis Papæ (cujus verba relata sunt capite præcedenti) post inhibitam alienationem additur clausula *Nisi fortè aliquid horum faciat, ut* MELIORA *prospiciat*. Et in *Clementina I. De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, post factam similiter prohibitionem alienationis subditur: *Nisi necessitas aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiæ aut administrationis hujusmodi hoc exposcat.* E quibus uno consensu concludunt Doctores, res Ecclesiæ ex causa *necessitatis* aut *utilitatis* alienari posse.

II. In Novella Justiniani 120 *cap.* 10. prohibentur vendi aut pignori supponi vasa sacra Ecclesiarum, *nisi pro redemptione captivorum.*

Similiter idem Imperator in *L. 21. Cod. De SS. Ecclesiis* prohibens sacrorum vasorum qualemcumque alienationem aut oppignorationem, addit: "Excepta videli„cet causa *captivitatis* in locis his, in quibus hoc (quod „abominamur) contigerit "Rationem exceptionis notandam subjungit: "Nam si necessitas fuerit in re„demptione captivorum, tunc & venditionem præfa„tarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignora„tiones fieri concedimus: quoniam non absurdum est, „animas hominum quibuscumque vasis, vel vestimen„tis præferri

III. Ad has Justiniani Constitutiones verosimiliter reflexit S. Gregorius dum *lib. 6. Epist.* 35 scribit: "Et Sa„crorum Canonum & *Legalia* statuta permittunt mi„nisteria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione „vendenda." Et rursus *lib 7 indict 2 epist.* 14. "Sacro„rum Canonum statuta, & *Legalis* permittit auctori„tas, licitè res Ecclesiasticas in *redemptionem captivo„rum* impendi.

IV. Extat apud Gratianum *caus. 12. quæst. 2. Can. 14. & 15.* qui ibidem *Can. 70.* refert dictum S. Ambrosii ex *lib. 2. de Officiis cap* 28. *In his tribus generibus* (scilicet redemptione captivorum, alimonia pauperum, & sepultura Christianorum) *vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere conflare vendere licet.*

V. Et Canone sequenti refertur dictum S. Hieronymi in epistola ad Nepotianum quo vivis Christi templis & membris providendum esse potiùs, quàm templis inanimatis astruit; prævenitque argumentum, quod à templo Salomonis pro splendido & exorbitanti templorum ornatu desumitur. "Tunc hæc probabantur à „Domino, quando Sacerdotes Hostias immolabant, & „sanguis pecudum erat remissio peccatorum: quam„quam hæc omnia præcesserint in figura, scripta autem „sunt propter nos, in quos fines seculorum devenerunt. „Nunc verò, cum paupertatem domus suæ pauper Do„minus dedicarit, portemus crucem, & divitias lutum „putabimus.

VI. Eamdem veritatem multis adstruit S. Chrysostomus *Homil. 51. in Matth* non improbans quidem templorum ornatum; sed misericordiæ opera præferens. „Hæc dico non quia vetare velim talium vasorum ob„lationem, sed quia dignum putem, ante omnia miseri„cordiæ ac benignitati esse incumbendum; Nam & va-

Digitized by Google

„ sa Deus suscipit, sed illa multò magis sibi gratiosa sunt. „ Et vasa quidem danti solùm profuerint, benignitatis „ verò etiam accipienti Ec hî quidem ostentatio nonnunquam potest accusari, ibi verò totum misericordi „ animo attribuitur.

Deinde nonnullis interpositis ait: “ Nec prohibeo „ magnifica templa condere, sed hæc cum illis, imò verò „ hæc ante illa facere moneo. Nemo enim, quia templa „ magnifica non condiderit umquam accusatus est; at „ verò gehennæ ignis inextinguibilis, supplicia dæmo „ num imminent, nisi quis diligenter ista peragere ve„ lit.

VII. Hæc latiùs retulit Vir eruditus & pius Joannes Merlo Horstius in notis ad caput 11. Apologiæ S. Bernardi ad Guilielmum Abbatem, ubi hic sanctus inter alia exclamat: “ O vanitas vanitatum sed non vanior „ quàm insanior fulget Ecclesia in parietibus, & in pau„ peribus eget. Suos lapides induit auro, & suos filios „ nudos deserit. De sumptibus egenorum servitur ocu„ lis divitum. Inveniunt curiosi quo delectentur, & non „ inveniunt miseri quo sustententur.

VIII. Advertit ibidem S. Bernardus hunc templorum vanum & superbum ornatum non rarò ex ipsa procedere avaritia. “Si quæris quomodo, miro, inquam, „ modo. Tali quadam arte spargitur æs, ut multiplice„ tur. Expenditur ut augeatur, & effusio copiam parit. „ Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mirandarum va„ nitatum accenduntur homines magis ad offerendum „ quàm ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pe„ cunia pecuniam trahit, quia nescio quo pacto ubi am„ plius divitiarum cernitur, ibi offertur libentiùs Auro „ tectis reliquiis saginantur oculi, & loculi aperiuntur. „ Ostenditur pulcherrima forma Sancti vel Sanctæ ali„ cujus, & eo creditur sanctior, quo coloratior. Currunt „ homines ad osculandum, invitantur ad donandum, & „ magis mirantur pulchra, quàm venerantur sacra. Po„ nuntur de hinc in clesia gemmatæ non coronæ, sed ro„ tæ, circumseptæ lampadibus, sed non minùs fulgentes „ insertis lapidibus. Cernimus & pro candelabris arbo„ res quasdam erectas, multò æris pondere, miro artifi„ cis opere fabricatas, nec magis corruscantes superpo„ sitis lucernis, quàm suis gemmis. Quid, putas, in his „ omnibus quæritur? Pœnitentium compunctio, an in„ tuentium admiratio? “Utinam hæc tantùm ætate Bernardi vera fuissent.

IX. Rectè quoque notat Horstius, cur multorum liberalitas pronius in templorum donaria, quàm in egenorum subsidia feratur. “Nempe quod pauperibus im„ penditur in vacuos & obscuros abit ventres: quod „ templis offertur, omnium oculis conspicuum expo„ nitur.

X. Acacium Episcopum Amidæ summoperè laudatum fuisse, quod pro redimendis & alendis captivis vasa aurea & argentea Ecclesiæ, vendiderit refert Socrates *lib. 7. Hist. cap. 21.*

XI. Ex his itaque aliisque concludunt Canonistæ, triplicem esse causam, nimirum necessitatis, utilitatis, & „ pietatis, ob quam res Ecclesiæ alienari possint.

XII. Verum hæc necessitatis, utilitatis, aut pietatis causa, ut res Ecclesiæ præsertim immobiles & notabilis pretii alienari queant, olim in Concilio Episcoporum discuti & probari debebat; uti constat ex Canone Carthaginensi capite præcedenti relato; qui dicit “*necessitatem* insinuandam esse Primati Provinciæ, „ ut cum statuto numero Episcoporum, utrum fa„ ciendum sit, arbitretur. “ Additque: “ Quod si „ tanta urget necessitas, ut non possit ante consulere, „ saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans „ ad Concilium referre omnes suæ Ecclesiæ necessita„ tes.

Et Hilarus Papa *epistola 8.* ad Episcopos diversarum Provinciarum Galliæ scribit seculo V. Prædia ad Ecclesiam pertinentia in alterum non transferantur, “nisi „ prius apud Concilium alienationis ipsis causa doceatur, ut quid fieri debeat, *communi* omnium delibera„ tione tractetur.

XIII. Quapropter non immeritò Paschasius Quenellius probans, epistolam ad universos per Siciliam constitutos Episcopos, à Gerardo Vossio evulgatam, Leoni Magno adscribi non posse, notat, Decretum quod huic epistolæ inseritur permittens alienationem rerum Ecclesiæ *cum totius cleri tractatu atque consensu*, esse recentioris & remissioris disciplinæ: cum pristina tractatum atque consensum Concilii Episcoporum exigeret.

XIV. Interim illud certum est, recentiorem & remissiorem hac in re disciplinam, vetere antiquata, invaluisse, cui introducendæ occasionem dedisse rariorem Synodorum Episcopalium celebrationem vix dubitari potest; ipsumque tandem Decretum sub nomine Leonis Papæ à Gratiano relatum eandem stabilivisse admodum verisimile est.

XV. Quamquam juxta hanc recentiorem disciplinam non requiratur discussio causæ ipsius alienationis in concilio Episcoporum, requiritur tamen tractatus sive discussio & examen causæ per illos facienda, qui alienationem probare debent; uti communi consensu docent Canonistæ, indicatque Decretum sub nomine Leonis Papæ relatum à Gratiano in verbis, *cum totius Cleri tractatu.*

XVI. Unum dumtaxat tractatum requirit citatum Decretum; eumque sufficere monet Rebuffus *in Compendio alienat. rerum Eccles. num. 81. dum tamen sit solemnis & diligens* nisi tamen specialis alicujus Ordinis constitutio qualis est Benedictinorum juxta Rebuffum) vel Ecclesiæ consuetudo plures tractatus exigeret.

XVII. Post hæc subjungit ibidem Rebuffus *num.* 84. qualis hic debeat esse tractatus, “Omnes Canonici „ vel Monachi (ait) debent vocari expressè ad sonum „ campanæ, vel alias, juxta morem ipsorum, ad tracta„ dum & deliberandum super venditione, vel locatio„ ne, perpetua, seu alienatione. Quibus congregatis, „ prælatus, Abbas, seu Prior proponet causam, videlicet „ debitum urgere, vel aliam interesse necessitatem, seu „ utilitatem: super qua licet canonicis, seu monachis sic „ congregatis, tractabitis, seu deliberabitis an, & quia „ alienare expediat. Et quilibet dicet suum suffragium. „ Et postea, si convenerint in unam sententiam, fiet in„ strumentum hujus deliberationis, & tractatus, vide„ licet, quod tales Canonici S. Petri Montispessul. post „ longum & diligentem tractatum communi consensu „ confirmaverunt, quod talis possessio propter tale de„ bitum vendatur, vel alienetur, & pecunia ad dictam „ causam convertatur, credentes hoc utilius expedire Ecclesiæ.

XVIII. Addit deinde: “Etiam tractari debet qua via „ extra alienationem provideri possit Ecclesiæ, an ex „ fructibus, locationum rerum Ecclesiæ habitis, & non „ de fructibus, an possit provideri de rebus mobilibus; „ & si non de mobilibus, an magis de quibusdam rebus „ minus fructuosis quam aliis, instar alienationis bono„ rum pupillorum.

XIX. Quod dicitur hic de *tractatu* Cleri sive Capituli intelligitur de casu, quo in alienatione bonorum requiritur consensus Capituli. Qui enim alienationem suo assensu probare tenentur, præmittere quoque debent *tractatum* sive examen, an justa & sufficiens sit causa hic & nunc talia bona Ecclesiæ alienandi.

XX. Ut ergò sciatur quorum *Tractatus*, sive *Examen* super causis alienationis præcedere debeat, prius examinandum, qui alienationi consensum præbere debeant,

XXI. In-

XXI. Imprimis si agatur de bonis spectantibus ad aliquod Capitulum, aut Conventum, requiritur consensus illorum qui Capitulum illud aut Conventum repræsentant vel constituunt; illudque insinuat Decretum apud Gratianum sub nomine *Leonis Papæ* in verbis: *Et cum totius Cleri tractatu atque consensu.*

XXII. Hîc nomine *Cleri* intelligi Capitulum, post alios Canonistas notat Rebuffus *num.* 79 Notatque insuper *n.* 76. quod licet dicatur *totius*, sufficiat tamen consensus *majoris partis*; "sed hic dicit *totiùs* (ait) quantùm ad *tractatum*; sed requiritur *major* pars quantùm „ ad consensum: nisi minor pars velit causam rationa„ bilem in contrarium allegare, quia tunc negotium „ differri debet.

XXIII. Præterea requiritur consensus & tractatus *Capituli*, si agatur de alienatione bonorum spectantium ad mensam Episcopi; etiamsi mensa Capituli, & mensa Episcopi sint separatæ.

XXIV. Præter consensum Capituli requiritur consensus Episcopi, sive agatur de Ecclesia Cathedrali, sive collegiata etiam Regulari, non tamen exempta. *Cap.* 1. *De rebus Ecclesiæ non alienandis.*

XXV. Si agatur de bonis Ecclesiæ non habentis Capitulum aut Conventum, puta Parochialis, sufficit licentia & consensus ipsius Episcopi, etiam sine consensu Capituli, uti notat Rebuffus *num.* 88. quod & praxi conforme est. Et consequenter etiam Episcopi duntaxat, & non Capituli *tractatus* sive *examen* super causa alienationis præcedere debet.

XXVI. Non teneri Episcopum hunc *tractatum*, sive examen *juridicè* absolvere notat Rebuffus *num.* 14. solentque hodie Episcopi libellos supplices, quibus petitur facultas alienandi bona Ecclesiarum Parochialium aut per levationem pecuniæ ea gravandi, remittere ad Decanos Rurales, ut informatione capta super causâ alienationis aut levationis in libellis expressâ, judicium suum ad Episcopos rescribant; quo accepto Episcopi annuunt; vel renuunt; nisi ulterius examen judicent necessarium.

Qualis autem informatio fieri debeat sat bene proponitur in *L.* 5. *ff. De Rebus eorum qui sub tutela*; & latè deducit Zypæus Consult. 2. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

XXVII. Si Ecclesia sit exempta, atque Pontifici immediatè subjecta, requiritur consensus Pontificis; atque ille consensus debet esse specialis & expressus, uti monet Rebuffus *num* 86.

XXVIII. Quin attento rigore *Clementinæ* AMBITIOSÆ *De Rebus Ecclesiæ non alienandis*, nulla Ecclesiarum aut monasteriorum bona *inconsulto Pontifice* alienari possunt; sed notat Zypæus in Jure novo tit. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis n.* 2. Extravagantem quoad hoc punctum non ubique receptam, "sed quod, sal„ tem in his Ditionibus, Episcopi alienationem rerum „ ad Ecclesias sibi subjectas spectantium facultatem „ causâ cognitâ concedant.

XXIX. Similiter testatur Rebuffus *n.* 86. quod si Abbates exempti vel alii Prælati haberent Ecclesias sibi *pleno* jure subjectas; tunc si Rector velit alienare, poterit cum consensu illius Abbatis habentis jurisdictionem quasi Episcopalem.

XXX. Deinde *n.* 87. tamquam consequens infert: „ Ideò infertur, quòd si moniales subjectæ pleno jure „ Prædicatoribus vel Minoribus, velint alienare, pote„ runt cum authoritate ministri Provincialis, vel Gene„ ralis, vel alterius habentis jurisdictionem in eis quasi „ Episcopalem, cum tractatu & solemnitatibus hic ex„ pressis.

XXXI. Hodie juxta præscriptum Pontificalis Romani Episcopus consecrandus inter alia jurat: "Posses„ siones verò ad mensam meam pertinentes non ven„ dam nec donabo, neque impignorabo; nec de novo „ infeudabo, vel aliquo modo alienabo, etiam cum con„ sensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto Romano „ Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero; „ pœnas in quadam super hoc edita constitutione con„ tentas, eo ipso incurrere volo. "De hac formula juramenti actum supra *parte* 1. *tit.* 15 *c.* 2.

XXXII. Interim quando ad Pontificem pro licentia alienationis recurritur, ipsiusque consensus petitur, tunc quoque consensum præstare non consuevit, nisi prævio *tractatu* sive discussione causæ "Solet enim (ait „ Rebuffus *n.* 15.) committere alicui existenti in parti„ bus ut videat an expediat illam rem alienari, & ad re„ lationem illius auctoritatem interponere; alias etiam „ alienatio ex auctoritate Papæ irritaretur, quia jure „ non facta.

XXXIII. De hac Sedis Apostolicæ consuetudine loquens Synodus P. II Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 1. monet judices ut diligenter advertant, num omnia in litteris Apostolicis expressa veritate nitantur. Verba Decreti sunt: "Cùm alienationes bonorum Ecclesiasticorum „ jure communi sint prohibitæ, contingatque nihilo„ minus non rarò commissiones seu delegationes à Sede „ Apostolica impetrari ad Decretum alienationi inter„ ponendum, si in *evidentem* Ecclesiæ utilitatem cedere „ deprehendantur. Animadvertant diligenter judices „ omnes, ut Ecclesiarum, de quibus agitur, nudâ utilita„ te perspectâ, maturè examinent & investigent omnia „ quæ litteris Apostolicis præscribuntur, nullâ persona„ rum, aut partium ratione habitâ, quæ cùm in hujus„ modi negotii sint concordes, eò attentiùs judici est „ invigilandum, ne Ecclesiæ bona non tam utiliter ven„ dita, quàm leviter delapidata esse aliquando inveni„ antur.

Rescriptum super alienatione rei Ecclesiasticæ solet vocari Rescriptum *Si in evidentem*: quia continet hanc clausulam: *Si per informationem, alienationem in* EVIDENTEM *& urgentem necessitatem factam esse reperiris.*

In Gallia non admitti licentiam alienandi Sedis Apostolicæ *motu proprio*; vel cum clausula, *invitis Clericis* tradunt Pragmatici, & videri potest Carolus Fevretius *De Abusu lib* 3. *cap.* 1. *num* 19.

XXXIV. Præter consensum Superioris, etiam requiri consensum Patroni, communiter notant Canonistæ; quod tantùm intelligi vult Zypæus loco citato *num.* 9. de iis bonis quæ à Patrono profecta sunt.

XXXV. In Gallia in hac alienatione intervenire debere auctoritatem Regiam post alios monet Claudius Fleury in suis Institut. Juris Canonici *parte* 2 *cap.* 12. eò quod Rex habeatur protector Ecclesiarum, & bonorum ad eas spectantium.

In Belgio quoque non facilè alienatio bonorum Ecclesiæ, præsertim si notabilia sunt, sine consensu Regis absolvenda est; cum & Principes Belgii se protectores Ecclesiarum & bonorum Ecclesiasticorum profiteantur.

Etiam in commutationibus rerum Ecclesiasticarum auctoritatem Regiam olim intervenisse, probant Capitularia Regum Francorum, & ostendit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia *pag.* 1205. verbo, *ubicumque commutationes.*

XXXVI. Si ad Regem pro obtinenda licentia alienandi recursus habeatur, tunc *tractatus* sive informatio per judices loci, aut alios à Regio Senatu Deputatos super utilitate vel necessitate alienationis instituitur, qua facta, si necessitas aut utilitas appareat, litteræ nomine Regis expediuntur, quibus licentia alienandi annuitur.

XXXVII. Tria proinde potissimùm hodie ad alienationem requiruntur, nimirum legitima causa alienandi,

nandi, tractatus sive discussio causæ, & consensus Superioris.

Unde Philippus II. in Edicta ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut à judicibus Regiis habeantur pro nullis alienationes omnes bonorum Ecclesiasticorum factæ sine consensu Superiorum & causæ cognitione, non obstante quacumque consuetudine contraria. Verba Edicti sunt: *Comme aussi voulons, & entendons que par noz Juges Royaux, & tous autres soient tenues pour nulles les alienations, & louages à longues années des biens Ecclesiastiques faictes sans le consentement des superieurs, & deue cognoissance de cause. Et ce non obstant toutes coustumes au contraire au regard des alienations, & louages susdicts qui se feront à l'advenir.* Id est Prout volumus & decernimus, ut Regii nostri Judices aliique, omnes irritas habeant alienationes & conductiones ad longum tempus bonorum Ecclesiasticorum quæ sine Superiorum assensu & debita causæ cognitione fuerint peractæ, idque non obstante quavis consuetudine contrariâ, respectu alienationum & conductionum in posterum faciendarum.

XXXVIII. Indubiè de consensu Superioris; uti & Capituli, vel Conventûs, ubi is requiritur, constare debet per publicum instrumentum; requiritque Decretum relatum à Gratiano sub nomine Leonis Papæ, omnium Clericorum *subscriptionem*. Unde communiter docent Canonistæ, in alienatione bonorum Ecclesiæ requiri *subscriptionem omnium Canonicorum* aut Monachorum vel Monialium Capitulum constituentium: Sed Rebuffus testatur *num.* 17. quod "de consuetudine „non subscribant Canonici vel Monachi; sed omnibus „præsentibus scribat Secretarius vel Notarius in instru„mentis alienationum. "Idem testatur Zypæus loco citato *num.* 5. monet tamen, id non ubique uniformiter observari: "Nam in cautiùs factis & deliberatis maturè „alienationibus etiam his temporibus secus observa„tum videmus.

XXXIX. Plures insuper præscriptæ sunt solemnitates à Justiniano Imperatore in *Novella* 7. & referuntur in *Authentica*, Hoc JUS PORRECTUM *Cod. De SS. Ecclesiis*; & à Gratiano inserta *Canoni* 2. *Caus.* 10. *q.* 2. Verum uti monet Rebuffus *num* 20. hæ solemnitates in alienatione rerum Ecclesiæ hodie non servantur. Et Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo *De SS. Ecclesiis* §. *De Rebus Ecclesiæ non alienandis* testatur, neque nos servare hodie in alienatione Ecclesiastica solemnitates dictæ *Authentica*, sed præscripta tantùm Canonum. Vide quoque Tornetium in collectione arrestorum *Litt. A. cap.* 34. ejusque Notatores.

XL. Quin nec hodie ob prætermissam aliquam solemnitatem jure Canonico requisitam, alienatio rei Ecclesiasticæ semper rescinditur, aut invalida declaratur; notatque Rebuffus *num.* 103. Curiam Parlamenti Parisiensis non rescindere alienationes sine solemnitate, nisi læsio, & quidem notabilis intervenerit.

XLI. Scribit quoque Petrus Stockmannius quondam in Concilio Brabantiæ Consiliarius Regius, in suis ejusdem Curiæ decisionibus: "Quemadmodum in Gal„lia, ita & *apud nos* non observantur ad amussim om„nia, quæ tam scrupulosæ constituta sunt circa bono„rum Ecclesiasticorum alienationes, nec omissio cu„jusvis solemnitatis locum facit rescissioni earumdem „maximè verò in his causis spectari solet, an læsio nota„bilis Ecclesiæ intervenerit an non, atque ubi hæc non „ostenditur, plerumque ratæ manent alienationes, licet „aliquid fortè in ritu & solemnibus deficiat, atque „adeò quamvis non intercesserit consensus eorum om„nium quos regulæ & instituta Religionum & Decreta „Pontificia intervenire volunt.

XLII. Hæc ille *Decis.* 146. *num.* 1. & 2. additque *num.* 3. "Nos aliquoties ita censuimus, uti vide quoque tra„ctatum in Curia Tholosana apud Maynardum *lib.* 2. „*Decisionum Tholosanarum cap.* 7. attendi potissimùm „debere justam & urgentem causam alienationis, vel „evidentem Ecclesiæ utilitatem, rerum item quæ alie„natæ sunt utilitatem aut pretium, ad hæc bonam aut „malam fidem contrahentium, aliasque hoc genus cir„cumstantias, quæ Religioni judicantium magnâ parte „relinquendæ sunt.

„Solemnitates autem quia istarum rerum causâ in„stitutæ ac comparatæ sunt, inferioris gradûs & mino„ris momenti meritò hodie in foro & judiciis nostris „habentur.

XLIII. "Propterea cum incidisset quæstio de rescin„denda alienatione fundi Ecclesiastici, ubi & necessitas „probata erat, & bona fides emptorum, qui in almo„niam egentium Religiosarum nummos suos erogave„rant, tum consensus atque approbatio Conventus seu „Capituli, confirmata fuit alienatio, & repulsæ Reli„giosæ, licet ostenderetur quasdam ejusdem Monaste„rii vestales non consensisse neque subscripsisse, quod„que Primas ordinis, quem Generalem vocant, aliena„tionem ratam esse non jussisset, id quod tamen decreta „Ordinis, authoritate Pontificia confirmata, ita jube„bant.

XLIV. Primùm ergò in alienatione rei Ecclesiasticæ sedulo attendendum ut causa alienationis certò exprimatur; eaque in instrumento specificè exprimatur iis circumstantiis vallata, ut facilè probari queat, aut saltem præsumi debeat. Unde rectè monet Rebuffus *num.* 9. quod de causa constare debeat per publicum instrumentum.

Ubi tamen est forma servata, & Decretum Superioris interpositum, semper præsumitur factum pro utilitate Ecclesiæ, uti notatur ad Tornetium loco citato *cap.* 36.

XLV. Solemnitas extrinseca, ut auctoritas tutorum in alienatione rei minoris, vel tractatus Capituli & consensus solemnis, & aliæ solemnitates Ecclesiasticæ non præsumuntur, nisi probentur, ait Rebuffus *n.* 37.

„Fallit (ait idem) ex longinquitate temporis, quia „tunc omnia præsumuntur solemniter acta Item si in„strumento diceretur, solemnitatem servatam, is qui di„cit non servatam, vel causam non fuisse veram, proba„re debet.

XLVI. Et revera si notabile tempus à rerum alienatione facta effluxerit, non facilè prætextu omissæ solemnitatis, vel defectu justæ causæ alienationes rescindendæ; nisi dolus, vel collusio aliqua intervenisse appareat. Ne & hujusmodi alienationum rescissione familiæ turbentur; & nemo facilè inveniatur, qui cùm Ecclesia aut Corporalibus Ecclesiasticis contrahere velit.

XLVII. Meritò suspecta habetur alienatio, & meritò, etiam post lapsum notabilis temporis inquiritur, num in utilitatem Ecclesiæ facta sit, si in familiares aut cognatos ipsius Prælati bona Ecclesiæ translata; vel cum illis contractus initus fuerit. Nam, uti rectè docet Alciatus *lib* 1. *Præsumpt.* 29. alienatio facta per Prælatum in consanguineos, non præsumitur in Ecclesiæ, sed ipsorum consanguineorum utilitatem facta: prout & ipse Justinianus Imperator in *Novella* 102. unde desumpta est *Authentica* QUIBUSCUMQUE *Cod. De SS. Ecclesiis* insinuat, interdicens certis personis res Ecclesiæ accipere, "ut œconomo, ejusque cognatis: alioquin bona „eorum & œconomorum, & ordinatorum, quibus con„juncti sunt, post mortem eorum pervenient ad Eccle„siam, de qua rem accipiunt.

XLVIII. Tametsi alienatio omni cum solemnitate fuerit facta, si tamen postmodum appareat læsio notabilis ex parte ipsius Ecclesiæ, poterit petere restitutionem exemplo Minoris, cujus jure & privilegio utitur Ecclesia, uti communiter docent Canonistæ in 1. *Cap.* De

De in integrum restitutione ; ubi Pontifex rescribit, „ quod si Ecclesia læsa est, & manifestè apparet detri„ mentum ipsius (cum Episcopo ejus conditionem fa„ cere deteriorem non liceat, & Ecclesia *jure minoris* „ utatur) quæ in damnum ejus data (possessio) consti„ terit, ad ipsius convenit jus & proprietatem redire.

Ne tamen alteri per hanc restitutionem nocumentum inferatur, addit Pontifex: "Providendum est ta„ men, ne si fortè coloni possessiones illas expensis ac la„ bore suo reddiderint meliores, sumptibus quos bona „ fide fecerunt, debeant defraudari.

Unde autem læsio desumi debeat; & quando hujusmodi Læsio censeatur intervenisse ut restitutio annui debeat, latè deducit Zypæus *Consult. 2. De Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

TITULUS XXXVII.

De Hospitalibus & aliis piis Locis.

CAPUT I.

De vario Hospitalium genere.

1. *Nomine Hospitalis subinde venit omnis pius locus recipiendis pauperibus destinatus.*
2. *Quibus usibus specialiter destinentur* xenodochia?
3. *Quid sint* Orphanotrophia?
4. *Procotrophia & Brephotrophia cui usui serviant.*
5. *Nosocomia, leprosaria & gerontocomia describuntur.*
6. *Alia sunt privata, alia publica.*
7. *Illa merè laica, hæc verò religiosa loca reputantur.*
8. *Hospitale non est publicum etsi oratorium annexum habeat.*
9. *Indicium quod Hospitale sit publicum & religiosum.*
10. *Aliqua sunt Hospitalia in Beneficium Ecclesiasticum erecta.*
11. *Quid requiratur, ut Hospitale censeatur in Beneficium erectum.*
12. *Primæva natura Hospitalium est, ut sint* simplicis *administrationis.*
13. *Canonicorum Collegia ex præscripto Regulæ habebant singula suum hospitale.*
14. *Huic Hospitali dabant* decimam *suorum proventuum.*
15. *Præficiebatur unus è Canonicis qui curam pauperum haberet; & qualis ad hoc eligendus?*
16. *Invigilare debebant Prælati, ne bona pauperum usibus deputata in alios usus diverterentur.*
17. *Incipiebant Hospitalia ut* beneficia *concedi, & ita proventus deverti.*
18. *Quàm graviter delinquat bona Hospitalis divertens.*
19. *Belgica Canonicorum collegia habuerunt suum Hospitale; & adhuc supersunt vestigia.*
20. *Monasteria jam pridem pro Hospitalibus reputata.*
21. *Monasteria designarunt loca pauperibus & hospitalibus recipiendis.*
22. *Nonnulla Hospitalia Monasteriis & Capitulis unita per modum suppressionis.*
23. *Aliqua unita sine suppressione.*
24. *Debent onera fundationis explere.*
25. *Hospitalia commissa Religiosis sine incorporatione aut unione.*
26. *Quare Hospitalium varietas nosci debeat?*

I. LOca recipiendis & alendis pauperibus aliisve miserabilibus personis destinata subinde generali nomine *Hospitalia* dicuntur; quemadmodum nomine hospitalitatis nonnumquam venit quodcumque charitatis opus proximo impensum.

Verùm tum pro diversitate regionum, tum ob diversam & multiplicem naturæ humanæ miseriam, cui in hujusmodi locis succurritur, varia quoque iis nomina indita sunt.

II. Quædam enim specialiter destinata sunt susceptioni peregrinorum; dicunturque subinde *xenodochia*, à græco verbo *xeno*, quod Latinè significat *hospitem recipere*. Interdùm speciali nomine vocantur *Hospitia* peregrinis destinata.

III. Aliqua vocantur *Orphanotrophia*, ubi orphani sive pueri parentibus orbati aluntur; & qui horum curam agunt, *Orphanotrophos* vocat *L. 32. Cod. De Episcopis & Clericis*; dicunturque, Parentibus atque substantiis destitos minores sustentare & educare veluti affectione paternâ: aut quasi tutores pupillorum & curatores adolescentium.

IV. *Procotrophia* sunt loca ubi recipiuntur pauperes debiles, qui labore proprio sibi necessaria ob corporis infirmitatem quærere nequeunt.

Nonnulla sunt loca ubi infantes pauperes recenter nati & expositi educantur, quæ vocantur *Brephotrophia*.

V. *Nosocomia* vocantur ubi ægri & infirmi curantur. His jungendæ *Leprosariæ*, in quibus specialiter & separatim leprâ infecti curantur. Similiter *Gerontocomia* ubi pauperes senes aluntur, meritò nosocomiis junguntur, cum senectus ipsa sit morbus.

VI. Inter hæc loca pauperibus & miseris hominibus alendis & curandis destinata, alia sunt quæ nonnulli ex charitate ac pietate in pauperes privatâ suâ auctoritate extruxerunt dotarunt, legesque præscripserunt, nullâ Episcopi aut alterius Prælati Ecclesiastici auctoritate interveniente.

Alia sunt Episcopi auctoritate erecta, & ad usum religiosum publico & Ecclesiastico ritu deputata: qualia plerumque sunt hodierna nosocomia & leprosariæ quibus mulieres religiosæ præfectæ sunt.

VII. Priora quidem dicuntur & reputantur loca pia at omninò *profana* sive laica; hæc verò habentur pro locis *Religiosis* atque de his agi sub titulo Decretalium *De Domibus Religiosis* communiter notant Interpretes.

VIII. Ut autem Nosocomium vel aliud quodvis hospitale habeatur pro loco vel domo *Religiosa*, non sufficit, auctoritate Episcopi in ipso hospitali, aut prope, esse erectum oratorium aut sacellum, in quo pro commoditate pauperum eo divertentium, Ecclesiastica peragantur officia: quia cum ipsum hospitale ab ipso oratorio aut sacello sit planè distinctum, non magis potest ab ipso suam mutuare religiositatem, quam castrum aut palatium Principis à simili Sacello mutuarent.

IX. At cùm dubitatur, an hospitale sit publicum, aut privatum, cùm non appareat, an Episcopi auctoritate sit constitutum, inquirendum est, utrum publicè ibi campana pulsetur & populus ad divina publicè admittatur; tunc enim verum est dicere, publicum esse, & Episcopi auctoritati & jurisdictioni submissum, ut docet *Panormit. ad Caput* PATENTIBUS *de privileg. num. 1.*

X. Insuper sunt quædam hospitalia in titulum Ecclesiast cum erecta, quæ consequenter solis Clericis tamquam vera beneficia Ecclesiastica conferuntur sub obligatione impendendi proventus honestæ suæ sustentationi superfluos, in usum pauperum aut miserabilum personarum secundum leges fundationi hospitalis adscriptas qualia nonnulla hospitalia esse supponit *Clementina 2. De Religiosis Domibus*; vetans "ut nullus ex „locis (piis) ipsis secularibus Clericis in *beneficium* „conferatur: etiamsi de consuetudine (quàm reprobat „penitus) hoc fuerit observatum: "*nisi in illo um fundatione secus constitutum fuerit, seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum*. Idipsum supponit quoque Synodus Tridentina *sess. 25 cap. 8. De Reformat.* præcipiens omnibus, qui hujusmodi loca in *titulum* obtinent, ut impositum illis onus officiumve administrent: atque hospitalitatem, quam debent ex fructibus ad id deputatis actu exerceant. De hac obligatione latiùs agetur infra.

XI. Ut autem Hospitale in beneficium censeatur erectum, & ut tale in titulum conferri, requiritur, ut ipsum Hospitale cum omni sua dote sive proventibus Clerico in titulum beneficii conferatur, cum onere hospitalitatem, vel alia pia opera, sublevandis hominum miseriis & infirmitatibus, exercendi.

Si enim duntaxat Presbyter aliquis simpliciter institui soleat, etiam cum Canonica tituli collatione ab Episcopo ad præsentationem alicujus Patroni acceptâ, non censebitur tamen ipsum hospitale datum in titulum, sed tantum ipsum oratorium sive sacellum missæ sacrificio aliisque Sacramentis pauperibus administrandis destinatum. Quin imò cum ipsorum hospitalium institutioni quodammodò repugnet, ut in titulum beneficii concedantur nisi evidenter probetur, judicandum in dubio, illa non esse erecta in titulum.

Secundum hanc distinctionem sæpius judicatum esse refert Joannes Tornetius in collectione Arrestorum *litt. H. cap. 34.*

XII. Eâdem hâc ratione si quæ loca pia in titulum Beneficii fuerint concessa, facilè ad suam primævam naturam ad est simplicis administrationis reducta censebuntur. Unde & judicatum testatur Tornetius loco allegato quod hospitale dari solitum in titulum Beneficii, & postea translatum ad Griseas Sorores, per hanc translationem reversum sit ad primævam & naturalem naturam hospitalium, id est, simplicis administrationis.

XIII. Adhæc sunt quædam hospitalia spectantia ad Canonicorum Collegia; & quasi partem ipsorum Collegiorum constituentia.

Pro quo notandum, Canonicorum Collegia jam pridem singula suum habuisse *hospitale*, quemadmodum indicat ipsa Canonicorum regula in Concilio Aquisgranensi an. 816. exarata *cap.* 141.

„Evangelicis atque Apostolicis instruimur docu„mentis, in colligendis hospitibus ante omnia operam „dare debere, ut meritò de nobis dicatur à Domino, „*Hospes fui, & congregistis me*, &c. Proinde oportet, ut Præ„lati Ecclesiæ præcedentium Patrum exempla sectan„tes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes „colligantur, & de rebus Ecclesiæ tantùm ibidem de„putent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem „rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Eccle„siæ villis ibidem conferuntur.

XIV. Ex hac regula patet, quod præter prædictos proventus specialiter usui Hospitalis deputatos, ipsi quoque Canonici monerentur, ut "tam de frugibus, „quàm etiam de omnibus eleemosynarum oblationi„bus in usus pauperum *decimas libentissimè* ad ipsum „conferrent Hospitale.

XV. Præcipit præterea, ut "boni testimonii de ipsa „Congregatione frater constituatur, qui hospites & peregrinos adventantes, utpote Christum in membris „suis, suscipiat, eisque necessaria libenter pro viribus „administret qui etiam ea quæ in usus pauperum cede„re debent, nequaquam in suos usus reflectat, ne cum „Juda loculos Domini furante, sententiam damnatio„nis excipiat.

XVI. Utque fidelius res hospitalis administrentur addit regula. "Sed & Prælatorum debet vigilare indu„stria, ne eum, cui hospitale pauperum committitur, „res pauperibus deputatas in aliquo minuere, aut his „quasi beneficiario munere concessis sinant uti: quod „à Prælatis quibusdam, curam pauperum parvipen„dentibus, fieri comperimus.

XVII. Hic per antecessum notare possumus, quod nonnullis hospitalia *Beneficiario jure* concederentur; atque hoc pacto proventus hospitalium in usus Clericorum diverterentur; qui abusus paulatim magis excrevit, ut tandem necesse fuerit prohibere, ne hospitalia in titulum Beneficii concederentur; imò eorum administratio potiùs laicis, quàm Clericis committetur; uti infra notabitur.

XVIII. Monet denique regula "Quod si is, cui hos„pitale commissum est, curam pauperum neglexerit, „eorumque res in suos usus retorserit, quamquam di„vinâ ultione dignus sit, severius tamen quàm cæteri „delinquentes à Præpositis judicandus, & à ministerio „removendus est.

Rationem hanc notandam subjungit: "Quippe qui „& pretia peccatorum, & alimenta pauperum, & the„saurum cælo recondendum suis (quod fas non fuit) „aptavit usibus.

XIX. Observat Aubertus Miræus in notis ad hanc Canonicorum regulam: "Similes domus hospitalariæ „ad usum pauperum exstructæ hodieque multis in locis „juxta Canonicorum templa visuntur; ut ad S. Servati„um in Urbe Trajectensi ad Mosam, Tornaci & alibi „in Belgio. Sic & Antverpiæ olim hospitalaria domus „stetit juxta Basilicam Marianam, inde postea ad ex„timam urbis regionem translata, " Cui domui hodie quoque Canonici superintendunt; & per suos deputatos computibus intersunt.

XX. In Monasteriis hospitalitatem jam pridem viguisse, ipsosque Fundatores, & Benefactores bona sua Monasteriis obtulisse, ut & Monachi & *pauperes* ex iis alerentur, notorium est; & sæpiùs in hoc opere ostendimus; notatque Christianus Lupus in Scholiis ad Canonem 11. Calchedonensem, in magno Belgii Chronico Monasterium *Stabulense* merito sic vocari, utpote quod sit *stabulum omnium peregrinorum*. Additque Chronicon, eumdem in finem Belgica Monasteria passim constructa in locis aviis & periculosis. Quidni eadem ratione dicamus, etiamnum hodie in litteris Regiis Monasteria & Abbatias vocari *Godts-huysen*, quo vocabulo *domus pauperum* designari solent.

XXI. Ne verò per pauperum receptionem disciplina claustralis nimium perturbaretur, cæperunt Monasteria extra claustrum ad portas Monasterii, loca aliqua recipiendis pauperibus & peregrinis deputare; quæ *hospitalia* dici poterant; & quorum apud pleraque Monasteria Benedictinorum, Cisterciensium, Præmonstratensium, & Canonicorum Regularium patentes reliquiæ etiam hodie supersunt: quæ hospitalia, sive loca hospitibus aut pauperibus recipiendis destinata partem Monasterii constituunt; ideòque directioni & administrationi Prælatorum & Religiosorum, quemadmodum reliqua pars Monasterii subjiciuntur.

XXII. Similiter sunt quædam hospitalia Monasteriis aut Capitulis incorporata per viam *suppressionis*: ita scilicet ut ipsum hospitale unà cum dote ac proventibus

Dig

tibus erectum sit in Monasterium vel Capitulum; quo casu ipsa hospitalia sunt quodammodò extincta, & in Monasteria aut Capitula commutata. Suppressio tamen sive commutatio hæc sæpius fit cum onere speciali hospitalitatem in pauperes exercendi secundùm primævam ipsorum hospitalium fundationem; prout ex litteris & legibus ipsius suppressionis sive incorporationis facilè constare poterit.

XXIII. Subinde autem uniuntur Monasteriis simplici unione absque tituli sive hospitalis suppressione: sed ipsum hospitale salvum manet; cura tamen & administratio integra est apud ipsum Monasterium, cum obligatione exercendi ipsam hospitalitatem, & proventus illi impendendi juxta leges ipsius fundationis.

XXIV. De his & similibus loquitur Synodus Tridentina *sess. 25. cap. 8. De Reformat.* ubi præcipit illis qui hospitalia vulgò nuncupata, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumque usum præcipuè instituta. Ecclesiis suis *unita* obtinent, ut impositum illis onus officiumque administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant.

XXV. Frequenter ipsa Hospitalia, præsertim seculo 12. & sequentibus, credita fuêre viris aut mulieribus religiosis in communi viventibus, ut ipsi infirmorum & pauperum curam haberent; ita tamen ut superintendentia & quasi primaria administratio penes alios sive Ecclesiasticos sive laicos remaneret: uti inferiùs latiùs demonstrabitur.

XXVI. Hæc Hospitalium & piorum locorum varia natura & conditio meritò attendenda; ut & intelligatur, quibus eorum proventus præcipuè ex mente Fundatorum sint impendendi; tum ut sciatur, qui illorum sint superintendentes, & qui administratores: qui varii sunt pro varia locorum conditione, uti ex infra dicendis apparebit.

CAPUT II.

De Superintendentibus Hospitalium & piorum Locorum.

1. *Apostolis primitùs cura pauperum, & dispensatio eleemosynarum concredita.*
2. *Episcopi Apostolis in hanc curam successerunt.*
3. *Concilium Calchedonense auctoritatem in loca pia Episcopis asserit ex* Patrum traditione.
4. *Justinianus eam auctoritatem Episcopis vindicat.*
5. *Administratores piorum locorum vult eligi judicio Episcoporum.*
6. *Episcopi corrigere, imò & deponere possunt piorum locorum administratores; etsi hi sint à Fundatoribus electi.*
7. *Quales eligi velit administratores.*
8. *Si testator non designaverit per quem Legatum* pium *sit distribuendum, executio committitur Episcopo.*
9. *Si incertum sit cui xenodochia impendi voluerit testator. Episcopi est dirimere.*
10. *Sed quid si nullum in civitate sit xenodochium?*
11. *In administratione hujusmodi piorum locorum non quærendum proprium lucrum.*
12. *Episcopi negligentiam circa executionem piorum legatorum supplet Archiepiscopus vel Primas.*
13. *Etiam quilibet de populo executionem* pii *legati urgere potest.*
14. *Pœna in non solventes* pia *legata.*
15. *Ex lege Justiniani Episcopi piorum locorum manent Superintendentes etsi à Fundatore sint electi administratores.*
16. *Tempore S. Gregorii cura piorum locorum incumbebat Episcopis.*
17. *Auctoritas Episcoporum in pia loca seculo 9. vigebat.*
18. *Eadem expressa in Decretalibus Gregorii IX.*
19. *De Jure communi hospitalia Episcopis subjiciuntur.*
20. *Hospitalia cœperunt eximi à jurisdictione Episcoporum; atque hinc multorum ruina.*
21. *Auctoritatem Episcoporum in pia loca quomodò restituerit Concilium Viennense?*
22. *Constitutionem Concilii Viennensis renovans Synodus Tridentina, & Episcopis curam hospitalium imponit.*
23. *Synodus Tridentina dat Episcopis jus visitandi hospitalia etiam* exempta.
24. *Licet etiam laici sint administratores.*
25. *Ex Decreto ejusdem Synodi administratores tenentur reddere rationem Ordinariis.*
26. *Licet ex fundatione etiam aliis reddenda sit.*
27. *Synodus Trid. ipsos administratores hospitalium subjicit Ordinariis.*
28. *Eadem Synodus voluit restauratam Episcoporum auctoritatem circa administrationem piorum locorum.*
29. *Hæc auctoritas non excludit curam & protectionem Principum.*
30. *Jam pridem xenodochia sub protectione Principum posita; & quare?*
31. *Synodus Trid. meminit hospitalium existentium sub* immediata *Regum protectione; nec sine licentia Regis visitari vult.*
32. Immediata *protectio qua hic intelligatur?*
33. *Si quæstio incidat an hospitale sit sub hac* immediata *protectione, quis erit judex?*
34. *Episcopis hujusmodi hospitalia visitantibus subinde adjunctus Consiliarius Regius.*
35. *Episcopus auctoritatem in hospitalia retinebat, si per hæredes fundatoris regerentur.*
36. *Synodus Trid. supponit per legem fundationis Episcopum ab audiendis rationibus posse excludi.*
37. *Multò magis à jure visitandi.*
38. *Loca pia non religiosa quoad jus visitandi Episcopo non sunt subjecta.*
39. *An subjecta sint quoad redditionem rationum?*
40. *In publicatione Concilii Tridentini apposita nota ad Decretum quo cura hospitalium committitur Ordinariis.*
41. *Item ad Decretum quo statuuntur Episcopi executores piarum dispositionum.*
42. *Abbas notat refertur clausula apposita in litteris Regiis, quibus publicatio Concilii Trid. mandatur.*
43. *Ex Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem aliquando Episcopus computus non intervenit.*
44. *Destitutio & institutio administratorum aliquando ad solos laicos pertinet.*
45. *Aliquando ad ipsum Episcopum.*
46. *Qualiter ante Synodum Tridentinam aliqua hospitalia ad curam laicorum pertinuerint?*
47. *Hæc laicorum jura salva esse possunt licet auctoritas Episcoporum concurrat.*
48. *Philippus II. Episcopum ejusve deputatum computui interesse voluit.*
49. *Edictum ad Synodum Mechliniensem diem computui reddendo de Episcopi consensu statui vult.*
50. *Vult præterea deputatum Episcopi computibus interesse; atque per ipsum cum aliis interesse solitis quæstiones sopiri.*
51. *Episcopis eorumve Vicariis visitantibus exhibendi computus.*

52. An-

52. *Auctoritas Episcoporum quoad hospitalia & pia loca per hoc Edictum stabilita.*
53. *Edictum non extendendum ad casum quo contrarium in fundatione expressè est cautum.*
54. *Neque ad loca pia non religiosa.*
55. *Principum auctoritate semper salva.*
56. *Quæ Regulæ in hac materia sint servandæ?*

I. Apostolos curam pauperum egisse; atque primos Christianos bona sua in alimoniam pauperum distribuenda ad pedes Apostolorum, ut per ipsos in pauperes dispensarentur, posuisse testatur S. Textus. *Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat:* nimirum auctoritate Apostolorum.

II. Episcopi tamquam Apostolorum successores, etiam in curam & solicitudinem pauperum successerunt; atque eo titulo specialiter Patres pauperum dicti fuere. Imò Synodus Trid. *sess 23. c. 1. De Reformat.* sat clarè significat, episcopis jure *divino* mandatum esse pauperum aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.

Itaque eleemosynæ in pauperum alimoniam erogandæ, nec non loca pauperibus recipiendis ac curandis destinata, Episcopis tamquam spiritualibus pauperum Patribus concredita, eorumque curæ & regimini præcipuè commissa fuere.

III. Concilium Calchedonense *Can.* 8. " Clerici in „ *Ptochiis* constituti, sub potestate sint ejus qui in ea est „ civitate Episcopus, secundùm traditionem sanctorum „ Patrum nec per præsumptionem recedant à suo Epi„ scopo." Apud Gratianum *caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 10.

„ Sunt verò (ait Zonaras) Ptocheia domus quæ pau„ peribus sustentandis, curandisve destinatæ sunt, quales „ eæ videlicet in quas aut pupilli, aut alii ætate variisque „ morborum generibus confecti homines recipi & ali „ solent.

Itaque vult Canon, Clericos hujusmodi domibus sive hospitalibus præfectos sub potestate esse Episcopi; ut nimirum regiminis ac curæ rationem Episcopo exhibeant, & si defectuosi inveniantur, ab ipso corrigantur.

Notandum autem, quod dicat Canon Clericos hos ita Episcopo debere subjici *secundùm Patrum traditionem*; quo indicatur, hanc Episcoporum in similia loca solicitudinem & superioritatem ex Patrum traditione descendere.

IV. Conformiter ad hunc Canonem & Patrum traditionem, Justinianus hospitalium & piorum locorum curam & tuitionem variis editis Constitutionibus detulit Episcopis.

V. Imprimis in *L.* 42. § 9. *Cod. De Episcopis & Clericis.* decrevit ut " nec xenodochius, nec nosocomus, nec „ ptochotrophus, nec orphanotrophus, nec brephotro„ phus nec quisquis ptochio præficiendus est, per talem „ fiat largitionem: sed per judicium & probationem eo„ rum qui in illis locis sunt, Deo amantissimorum Epi„ scoporum.

VI. Ulterius in *L.* 46. §. 3. *Cod. eod.* vult ut ipsi quidem Episcopi *per se* hujusmodi locorum curam non agant, sed ea per Præfectos, puta xenodochos prochotrophos & similes administrentur; at illorum administrationem inspiciant, & non rectè administrantes corrigant, imò & si mereantur expellant; idque etiamsi hujusmodi præfecti ab ipsis Fundatoribus fuerint designati. Verba legis sunt: " Deo amabiles Episcopi, si quidem „ aliquos dilectè hi, qui defecerunt, præposuerint rebus „ (veluti Xenodochos, ptochotrophos, aut nosocomos, „ aut brephotrophos, aut orphanotrophos, aut geron„ tocomos, aut paramonarios, aut œconomos, aut sim„ pliciter dicendo, piarum actionum administratores) „ illos quidem permittant habere administrationem; „ ipsi verò administrent quidem; sed administrationem „ illorum inspiciant aut observent: & rectè quidem ha„ bentem laudent; in quibusdam autem aliquid præter„ gredientem corrigant; pessimâ autem admini„ stratione factâ etiam eos expellant, & alios insti„ tuant.

VII. Quales autem instituendi sunt adjungit: " Qui „ cogitent & animo concipiant magni Dei timorem, & „ terribilem magni & numquam finiendi judicii diem, „ ad quam illos respicientes, convenit omnia facere cum „ ad Deum coordinata mente.

VIII. Rursus in *L.* 28 *Cod. eod.* decernit, ut si testator aliquid in redemptionem captivorum reliquerit, & testator nullum specialiter designaverit per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, " sed si testator „ absolutè tantummodò summam legati vel fideicom„ missi taxaverit, quæ debeat memoratæ causæ profice„ re, Vir Reverendissimus Episcopus illius civitatis, ex „ qua testor oritur, habeat facultatem exigendi, quod „ hujus rei gratia fuerit derelictum, pium defuncti pro„ positum sine ulla cunctatione, ut convenit, impletu„ rus.

Hinc concludunt Jurisconsulti, executorem legitimum testamenti ad *pias* causas esse Episcopum. Vide *notam* 22. ad hanc legem in editione Corporis Civilis operâ & studio 12. *Simonis van Leeuve* 1663.

IX. Eadem cura ex Constitutione Justiniani in *L.* 49. *Cod. eod.* Episcopo incumbit, si quis solos captivos instituerit heredes; qui similiter, pauperibus institutis, erogabit bona in eos, quos testator designaverit; vel nullis ab eo designatis xenodochio civitatis; quòd si plura sint, *pauperiori*: " hoc videlicet discutiendo à viro „ reverendissimo locorum Antistite, & sub eo constitu„ tis *Clericis*.

Hic per transennam nota, in administratione & erogatione piorum locorum Episcopum tractare debere cum suis Clericis.

X. Pergit deinde Justinianus: " Sin autem nullus „ xenon in civitate inveniatur: tunc, secundùm de cap„ tivis sanctionem, pro tempore Oeconomus sacrosan„ ctæ Ecclesiæ vel Episcopus hereditatem accipiat; & si„ ne Falcidiæ ratione pauperibus, qui in civitate sunt, „ vel penitus mendicantibus, vel aliâ sustentatione egen„ tibus, eædem pecuniæ distribuantur.

XI. Ut autem hæc charitatis & pietatis oblata etiam gratis ex charitate, sine spe temporalis lucri erogentur, solicitè inculcat dicens: " In omnibus autem „ hujusmodi casibus cœlestes iracundias sacrosancta„ rum rerum administratores expectent, si qualecum„ que lucrum ex hujusmodi gubernationibus sibimet „ acquisierint, vel si hoc committi ab alio consenserint, „ & non gravissimâ pœnâ, & interminatione, „ quod perperam factum est, studeant corrige„ re.

XII. Quòd si Episcopi negligentes fuerint in cogendis heredibus ad solvenda pia legata, aut opus pium a testatore injunctum perficiendum, " licentia erit „ aut Metropolitano Provinciæ, aut Archiepiscopo „ Diœceseos, hæc cognoscenti, inquirere & coge„ re, pium opus aut liberalitatem omnimodò im„ pleri.

XIII. Hæc Justinianus in *L.* 46. §. 6. *Cod. eod.* addens; „ Et cuicumque civium idem etiam facere licentia erit; „ cùm sit enim communis pietatis ratio communes & „ populares decet etiam affectiones constitui harum re„ rum executionis: habituro unoquoque licentiam

„ ex

„ ex nostra hac lege movere ex *lege condictitia*, & postu-„ lare relicta adimpleri.

XIV. Utque efficaciùs heredes aliique opere pio à testatore gravati ad executionem urgeantur, & hoc sancivit §. 7. " Ut si impediti à Deo amabilibus Episcopis, „ qui his rebus honorati sunt, posteà cessaverint, seu di-„ stulerint, ita ut Præsidum exactione opus fuerit, con-„ festim non solùm ipsi simplum (quod dicitur) exigan-„ tur, sed omninò duplum.

XV. Hactenus dicta manifestè significant, Episcopos piorum locorum, quin & omnium piorum legatorum esse saltem superintendentes; eorumque curam ipsis incumbere, tametsi laicos fundatores habeant; imò licet administratores & executores à fundatoribus sint speciatim designati, tamen ipsi Episcopi semper maneant Superintendentes, qui curent & invigilent, an omnia secundùm testatorum & fundatorum voluntatem & mentem ritè adimpleantur; idque licet etiam testator *in contrarium prohibuerit*; uti declarat Justinianus in citata *Lege 46.* in principio.

XVI. Tempore S. Gregorii xenodochia fuisse sub directione ac cura Episcoporum, è multis Gregorii Epistolis est manifestissimum; ac notanter *Epist. 24. lib. 3.* in qua monet Januarium Episcopum Caralitanum: " Ut „ tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xe-„ nodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subtili-„ ter reddant.

Hortatur insuper de rebus xenodochiorum summam curam gerere, " Ut nulli (ait) sine tua licentia dentur „ notitiave, ne usque ad direptionem earum ex Frater-„ nitatis tuæ perveniatur incuria.

XVII. Ad Ludovicum Regem in Attiniaco Palatio consistentem scribunt anno 858 Episcopi Provinciarum Remensis & Rothomagensis à Carisiaco Palatio quò convenerant: " Sed & Rectoribus Monasteriorum „ & *Xenodochiorum*, id est, *Hospitalium*, præcipite ut si-„ cut Canonica docet auctoritas, & Capitula avi & pa-„ tris vestri præcipiunt, Episcopis propriis sint subjecti, „ & Monasteria atque Hospitalia sibi commissa ipso-„ rum regant consilio; quoniam Episcopi paternam sol-„ licitudinem eis secundùm ministerium illorum stude-„ bunt impendere.

Integra Epistola habetur *tomo* 2. Capitularium editionis Baluzianæ *col.* 102 & apud Labbæum *tomo* 8. Concil *col* 654. sub hoc titulo: *Epistola Episcoporum è Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Regem Germaniæ.*

XVIII. Hæc Episcoporum auctoritas in Decretalibus Gregorii IX quoque expressa habetur in *Cap* 3. ☧ *De Religiosis Domibus:* " De xenodochiis & aliis similibus „ locis per solicitudinem Episcoporum, in quorum Di-„ œcesi existunt, ad easdem utilitates, constituta sunt or-„ dinentur.

Refertur hæc Decretalis tamquam desumpta ex *Decretis Eugenii Papæ*; sed desumpta apparet ex Synodo Romana anni 826 sub Eugenio II. *Can.* 23. uti notat Antonius Augustinus *lib. 2. Dialogorum de Emendatione Gratiani Dialog.* 2.

XIX. Interim ex hac Decretali concludunt Canonistæ, „ Episcopum fundare intentionem de jure commu-„ ni super subjectione, administratione & ordinatione „ hospitalium & omnium piorum locorum suæ Diœ-„ cesis: " uti notat Fagnanus ad hanc Decretalem *num.* 2.

XX. Porrò sicuti posterioribus seculis Monasteria se à jurisdictione Episcoporum sensim eximere & subtrahere cœperunt; ita quoque Fratres & Sorores Hospitalibus præfecti; & Clerici qui illa in titulum Beneficii possidebant, ut liberiùs de illorum proventibus disponere possent, exemptionis privilegia impetrare studuerunt; atque hinc contigit, quod seculo 14. deploravit Concilium Viennense; " quod xenodochiorum, lepro-„ sariarum, eleemosynariarum, seu hospitalium recto-„ res, locorum ipsorum curâ postposita, bona, res & ju-„ ra ipsorum interdum ab occupatorum & usurpatorum „ manibus excutere negligunt: quinimò ea collabi & „ deperdi, domus & ædificia ruinis deformari permit-„ tunt, & non attento, quod loca ipsa ad hoc fundata, „ & fidelium erogationibus dotata fuerunt, ut pauperes „ infectique leprâ reciperentur inibi, & ex proventibus „ sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter face-„ re; proventus eosdem in usus suos damnabiliter con-„ vertentes.

XXI. Huic ergò abusui occurrere volens Concilium, injungit locorum Ordinariis, ut si Rectores hujusmodi locorum, negligentes fuerint, aut leges fundationis non servaverint, " etiamsi pia loca prædicta exemptionis „ privilegio munita consistant, per seipsos vel per alios „ implere omnia præmissa & singula, & Rectores eosque „ utique non exemptos propriâ; exemptos verò & alios „ privilegiatos Apostolicâ ad id auctoritate compel-„ lant. " Hactenus Concilium Viennense in *Clem.* 2. *De Religiosis domibus.*

XXII. Hanc Clementinam iteratò renovavit Synodus Tridentina; ac imprimis *Sess.* 7 *cap.* 15. *De Reformat.* ait: " Curent Ordinarii, ut hospitalia quæcumque à suis „ administratoribus, quocumque illi nomine censean-„ tur, etiam quomodolibet *exemptis*, fideliter & dili-„ genter gubernentur, constitutionis Concilii Viennen-„ sis, quæ incipit, *Quia contingit*, formâ servatâ, quam „ quidem constitutionem eâdem Sancta Synodus inno-„ vandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea „ contentis.

XXIII. Post hæc Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *De Reformat.* dat Episcopis, etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis jus visitandi hujusmodi loca, tametsi *exemptionis privilegio sint munita.* Unde & monet Fagnanus loco citato *num.* 4 hodie exemptionum privilegia hisce piis locis non suffragari; utpote sublata (ait) à Concilio Tridentino.

XXIV. Addit insuper Synodus Tridentina: Episcopi habeant jus visitandi hospitalia aliaque pia loca, etiamsi prædictorum locorum cura ad *Laicos* pertineat; ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum statuta cognoscant & exequantur; non obstantibus quacumque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut statuto.

XXV. Præterea de eadem Sessione *cap.* 9. decerni-„ tur, quod administratores tam Ecclesiastici, quàm lai-„ ci hospitalis & quorumcumque piorum locorum, sin-„ gulis annis teneantur reddere rationem administra-„ tionis Ordinario; consuetudinibus & privilegiis qui-„ buscumque in contrarium sublatis.

XXVI. Quin & addit: " Quod si ex consuetudi-„ ne aut privilegio, aut ex constitutione aliqua loci „ aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, tunc cum iis „ adhibeatur etiam Ordinarius: & aliter factæ libera-„ tiones dictis administratoribus minimè suffragen-„ tur.

Hinc concludit Fagnanus ad *Cap.* 4. ☧ *De Religiosis domibus num.* 40. " Atque ita privilegium, consuetudo, „ aut constitutio, quibus alteri quàm Episcopo redden-„ da est ratio, non sunt quidem sublata à Concilio, sed „ modificata, ut locum habeant non privativè ad Epi-„ scopum, sed cumulativè. Et ita (ait) rescripsit S. Con-„ gregatio ad S. memoriæ Cardinalem Borromæum sub „ die 7. Februarii 1575.

XXVII. Denique Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 8 *De Reformat.* vult, " si hi qui administrationem „ hospitalis habent, etiamsi laici sint, ab Ordinario mo-„ niti hospitalitatis munus, adhibitis omnibus, ad

„ quæ

„ quæ tenentur necessariis, re ipsâ obire cessaverint; non „ solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia juris remedia „ ad id compelli possint; sed etiam hospitalis ipsius administratione, curâve perpetuò privari possint.

XXVIII. Ex his sat manifestum est, Synodum Tridentinam voluisse, saltem quantum temporum conditio, & jam recepta disciplina patiebantur, auctoritatem Episcoporum circa hospitalia aliaque pia loca restituere; atque ad primævum suum vigorem revocare.

XXIX. Verùm hæc Episcoporum auctoritas, sive cura & vigilantia, numquam exclusit Regum & Principum in conservandis piis hisce fundationibus sollicitudinem & patrocinium; quin & semper Ecclesia ipsos Principes tamquam speciales pauperum & miserabilium patronos & protectores suspexit.

XXX. Imò jam pridem Xenodochia aliaque pia loca à Fundatoribus sub protectione Regia constituta fuisse testantur Patres Synodi Regiaticinæ anno 850. *Can.* 16. unà rationem illius assignantes, & Principum obligationem: " Suggerendum est (inquiunt) beatissimis Imperatoribus quia hi, qui Monasteria & Synodochia sub „ defensione sacri Palatii posuerunt, ideò fecisse probantur, quod à nullo melius quàm à summis potestatibus protegenda crediderint: & si ea contra decreta „ institutorum personis quibus non licet dederint, ipsi „ impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt. „ Et cavendum summopere principibus, ut quia minimè nunc judicantur, ne in futuro judicio ab omnipotenti Deo gravius judicentur, secundùm Apostolum: „ Etenim horrendum est, incidere in manus Dei viventis. Nos verò qui debitores sumus ut fideliter annuntiemus, idcircò humiliter suggerimus quod silere non „ audemus.

XXXI. Similium hospitalium & priorum locorum sub speciali & immediatâ protectione Regum & Principum constitutorum meminit quoque Synodus Trid. *Sess.* 22. *cap.* 8. *De Reformat.* ubi declarans quod Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, addit hanc limitationem: *Nos tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.*

XXXII. Dum hic Synodus loquitur de *immediata* Regum protectione, intelligi vult non generalem illam protectionem & tutelam, quam Principes promittunt & debent omnibus piis locis; sed de *speciali* & expressa protectione in quam quædam hospitalia, de singulari gratia Principis, & Fundatorum voluntate, recepta sunt.

Insuper intelligitur *immediata* protectio Regum sive Principum supremorum *regalia* in suis ditionibus possidentium, non autem Vasallorum tametsi illustrium.

XXXIII. Si controversia incidat, an sub tali protectione hospitale existat, censuit S. Congregatio ejus rei cognitionem & definitionem, non ad secularem judicem, sed ad Episcopum pertinere. Ad hanc resolutionem reflectens Zypæus in jure novo tit. De Religiosis domibus *num.* 8. ait: " Quod credo verum dum talis „ exceptio quasi incidenter Episcopo ad visitationem „ talis hospitalis se accingenti, opponitur; alioquin ut „ plenis velis ea cognitio ad Ecclesiasticos judices devehatur, cum de ipso Principum privilegio agatur, „ apud supremos Principes haud facilè obtinebitur.

XXXIV. Dicit insuper Zypæus ibidem *num.* 16. quod Rege cavere volente, ne per visitationem Episcopalem aliquid præjudicii in suo jure pateretur, " in principio publicationis Concilii Tridentini consuetum „ esset episcopis regium assensum petentibus ad loca „ hujusmodi visitanda adjungi Consiliarium quemdam „ Regium, qui animadverteret, ne quid ex fundatione „ perverteretur.

XXXV. Insuper ex *Canone* 15. citatæ Synodi Regiaticinæ patet, quod Xenodochia sive hospitalia quædam ex voluntate Fundatorum per heredes regerentur; ita tamen ut Episcopus retineret superintendentiam, ut nihil ab ipsis negligeretur, & negligentes punire posset. Verba Synodi sunt: " Quæ autem sub defensione quidem sunt Ecclesiæ, sed juxta Institutorum decreta per „ *heredes*, vel pertinentes, qui religiosam vitam duxerint, regi debent, procuret Episcopus, ut ab eis non „ negligantur: & si in aliquo malæ tractationis obnoxii reperiantur, Ecclesiasticæ subjaceant disciplinæ.

Itaque jam pridem persuasum fuit, jus laicorum administrandi & gubernandi hospitalia non excludere auctoritatem Episcoporum iisdem locis superintendendi. quod & ipsa Trid. Synodus *Sess.* 22. *cap.* 8. *De Reformat.* etiam supposuit, declarans quod Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, etiamsi eorum *cura ad laicos* pertineat. Et *cap.* 9. vult, ut si ratio reddenda sit coram aliis ad id deputatis, tunc cum iis etiam adhibeatur Ordinarius.

XXXVI. Supponit nihilominus & ipsa Synodus Tridentina citato *cap.* 9. hospitale ita posse fundari, ut Episcopus à computu excludatur. Volens enim ut administratores rationem administrationis singulis annis teneantur reddere, adjungit hanc limitationem: " Nisi secus fortè in institutione & ordinatione talis Ecclesiæ „ seu fabricæ expressè cautum esset.

XXXVII. Posse quoque Episcopum excludi per legem fundationi appositam à jure visitandi; neque huic legi per Synodum Tridentinam esse derogatum, tamquam indubitatum tradit Fagnanus ad *Cap.* 4. *De Domibus Religiosis num.* 44. & ita quoque respondisse S. Congregationem testatur.

XXXVIII. Insuper hospitale privatâ laicorum auctoritate erectum, cum non sit locus *religiosus*; sed merè *laicalis*, etiam ab auctoritate Episcopi, saltem quoad jus visitandi exemptum esse notat Fagnanus *num.* 5. idque non tantùm jure communi; sed etiam Concilii Tridentini. Nam etsi Concilium *sess.* 22. *cap.* 8. *De Reformat.* statuat, " Episcopi habeant jus visitandi omnia pia loca, „ etiamsi eorum cura ad laicos pertineat; tamen ibi adjiciuntur hæc verba, *in casibus à* JURE *expressis*; nec „ non illa, *juxta sacrorum Canonum statuta*, quæ restringunt dispositionem ad limites juris communis. Unde „ sicut loca pia non religiosa seu non Ecclesiastica non „ subsunt Episcopo de jure communi; ita nec post Concilium Tridentinum.

XXXIX. Si jus commune spectemus, etiam quoad rationes administrationis exigendas, Episcopi auctoritas circa hæc loca non religiosa & merè laicalia exclusa est; uti ibidem *num.* 57. notat Fagnanus; sed ex Decreto Concilii Tridentini *sess.* 22. *cap.* 9. *De Reformat.* auctoritatem Episcopi in exigendis rationibus administrationis ad hæc loca etiam extendi credit. " Nam (ait) „ Decretum illud non restringitur ad casus in jure expressos, sicut restringitur *caput* 8. immediatè præcedens quoad *Jus visitandi*; sed loquitur generaliter & „ indistinctè, & excipit tantummodò casum, cum in fundatione expressè cautum est ut Episcopus non possit „ exigere rationes administrationis.

Hæc Fagnanus, qui conformiter sæpiùs à S. Congregatione, & notanter S. Carolo Borromæo responsum fuisse asserit.

XL. Dum hîc Concilium Tridentinum esset promulgandum, nonnulla circa ejus Decreta administrationem hospitalium aliorumque piorum locorum concernentia à Regiis Magistratibus notata fuere.

Et quidem ad *cap.* 15. *sess.* 7. quo dicitur, Curent Ordi-

Ordinarii ut hospitalia quæcumque à suis administratoribus quomodòlibet exemptis fideliter & diligenter gubernentur, " cuncti annotarunt, ab omni ævo administrationem hospitalium ad curam Magistratuum pertinuisse, idque esse consentaneum ipsis fundationibus: mutationem hanc fore populo turbando & avertendo ab augendis hujusmodi piis fundationibus.

XLI. Ita refert Anselmo in suo Triboniano Belgico cap. 32. §. 15. qui rursus §. 29. dicit ad *capite 8. sess. 22.* quo Episcopi constituuntur omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate quam inter vivos executores, & visitatores hospitalium, collegiorum quorumcumque etiam laicorum, nisi sint sub immediata Regum protectione, has notas esse appositas " Plerique utrumque articulum à moribus nostris alienum esse, ac non recipiendum monent: Brabanti hic etiam Concordatis quæ de utraque re cum Episcopis pepigerunt insistendum contendunt, in quibus neque Episcopi habentur pro executoribus piarum dispositionum, & laici administratores hospitalium aut aliorum piorum locorum superioribus suis sæcularibus subjiciuntur, cum quodam tamen temperamento in casum negligentiæ.

XLII. Nequaquam obscurum, uti etiam notat Anselmo, quod ad has notas reflexerit Margareta Parmensis Regii tunc temporis Belgii Gubernatrix per clausulam generalem in litteris ad Archiepiscopum Cameracensem insertam, qua asserit, publicationem Concilii Tridentini faciendam salvis juribus & prærogativis suæ Majestatis suorumque vasallorum: ac nominatim circa superintendentiam & administrationem hospitalium & aliorum piorum locorum. Non (ait) ad contraveniendum dicto Concilio, sed ut executio accommodetur naturæ cujusque Provinciæ. Zypæus in Jure novo titul. *De Constitution. num. 6.*

XLIII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem (quorum meminère Brabanti in allegata nota) *tit. 3. §. 11.* cautum fuit: " Si Rectores *hospitalium*, Xenodochiorum aut aliorum piorum locorum administratores laici fuerint & laicis instituti, rationes administrationum suarum reddere cogentur coram superioribus suis, vocato ad hoc Curato, si residea, & in absentia ejus vice Curato, vel Vicario perpetuo residente, ut si voluerit, intersit, absque quòd Decanus foraneus, vel Christianitatis, aut alius Commissarius per Episcopum deputandus, necessario vocati aut interesse debeat.

XLIV Deinde §. 12. ulteriùs statuitur: " Institutio verò, vel destitutio, vel correctio talium administratorum, ad eosdem superiores laicos pertinebit, qui si negligentes fuerint in exactione rationum, aut correctione delinquentium post monitionem per Episcopum eis legitimè factam, eorum negligentiam poterit Episcopus supplere, rationes, reliqua, & computum administrationum exigendo, puniendo, vel destituendo delinquentes, pro illa vice.

XLV. Post hæc subjungit: " Si verò administratores prædicti omnes, vel pro eorum majori parte, Ecclesiastici fuerint, rationum exactio, institutio, vel destitutio rectorum, ad Episcopum spectabit.

XLVI Hæc ostendunt, jam pridem in Belgio fuisse hospitalia aliaque pia loca, quorum administratio & regimen essent penes laicos; quibus jus esset administratores instituendi & destituendi; & rationes administrationis excipiendi; ita tamen ut Curatus loci ad audiendas rationes vocaretur; non autem Decanus ruralis aliusve Episcopi Commissarius; salvâ dumtaxat auctoritate Episcoporum in casum negligentiæ ipsorum laicorum.

XLVII. His laicorum prærogativis non præjudicare credidere Principes nostri, si & Episcopi curam & superintendentiam quamdam circa regimen & administrationem haberent; atque unà cum his laicis superintendentibus ad rectam hospitalium administrationem concurrerent; imò & hanc simultaneam vigilantiam posse contribuere ad ipsorum hospitalium conservationem judicarunt.

XLVIII. Hinc & principes nostri etiam ad hospitalium curam unà cum laicis superintendentibus admitti voluere Episcopos; uti ex eorum Edictis editis post Concilii Tridentini publicationem in Belgio factam, constat.

Philippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *art. 13. & 14.* voluit, ut in computu piorum locorum præsens sit, & vocetur Curatus loci, vel alius ab Episcopo, si ita ipsi visum fuerit, deputandus; sine tamen expensis istorum locorum, & sine præjudicio juris & auctoritatis regiæ, & particularium Toparcharum. Idque, uti in proœmio significat, uti bona piorum locorum meliùs impendantur, & fundationes conserventur. Verba utriusque articuli sunt: *Et à fin que les biens des fabriques d' Eglises, & d' aultres lieux pieux soient bien employez, & les fondations entretenues comme il appartient; Voulons que par tout à l' audition des comptes des bien desdicts fabriques des Eglises soit present, & appellé le Curé du lieu, ou bien que l' Evesque y envoie quelque aultre sien deputé; quant pour quelque cause il estimera cela expedient, moyennantque ce soit sans aucuns fraix de ladicte fabrique, & sans prejudice de nos droits & auctoritez, ou des Seigneurs particuliers des lieux.*

Comme aussy ledict Curé pourra de la part de' Evesque estre present à l' audition des comptes des hospitaux, Maladries, Maisons d' Orphelins, Escolles, & aultres lieux pieux des Villages; Pourveu que ce soit sans fraix & charge desdicts maisons, & sans prejudice comme dessus. Id est. Ut bona spectantia ad Ecclesiarum Fabricam, aliaque piarum Fundationum loca bene collocentur ipsæque Fundationes, prout oportet sartæ tectæque serventur. Volumus, ut ubique Parochus loci ad computus exhibitionem vocetur, eique intersit, aut ut ipse Episcopus, si ob rationes id expedire judicaverit, alium quemdam suum Deputatum eo destinet, sic tamen ut sine gravamine dictæ Fabricæ id fiat, & sine detrimento juris & authoritatis nostræ aut particularis cujusvis loci Toparchæ.

Prout & dictus parochus nomine Episcopi interesse poterit exhibitioni computum Xenodochiorum, Nosocomiorum, Orphanotrophiorum, Scholarum, aliarumque in Pagis piarum Fundationum, modò dictæ Fundationes per hoc nullo sumptu graventur & sine detrimento, ut supra.

XLIX. Post hæc Principes nostri Albertus & Isabella in Edicto anni 1608. ad Synodum Mechliniensem *artic. 23* agnoscunt ipsis Episcopis ex Sacrorum Canonum præscripto jus invigilandi piis fundationibus incumbere; dicuntque se confidere, quod Episcopi ut obligationi huic satisfaciant, sedulò cum ipsis Principibus ad conservationem illarum fundationum concurrent. Hinc statuunt imprimis, ut in omnibus civitatibus & pagis aliisque locis suarum respectivè Diœcesium, Episcopi per se vel suos ad id Deputatos, cum interventione Patroni fundationis, si sit, vel aliorum qui intervenire hactenus consueverunt, vel alias primarii Officiarii loci, præfigant singulis annis certum diem quo receptores piarum fundationum rationes reddant.

L. Deinde *art. 24* declarant mentem suam esse, quod in excipiendis hisce computibus, præter illos qui hucusque soliti fuerunt interesse, sive nomine ipsorum Principum, sive Vasallorum, conformiter ad citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem, inter-

interveniant Episcopi eorumve Commissarii, sine tamen onere ipsarum fundationum & ut suboriturae difficultates sopiri possint de communi Consilio eorum, qui computibus intererunt.

LI. Denique *art.* 25. statuunt, quod quotiescumque praedicta hospitalia aut *Ecclesiastica* loca visitabuntur per ipsorum Vicarios, aut alios ad id deputatos, tunc & alii Superintendentes sive provisores & administratores ibidem se sistent, dummodò adventus ipsorum iis innotuerit, & tenebuntur ipsis Visitantibus computus ex nunc exhibitos & conclusos, si ad hoc requirantur, praesentare.

Porrò quia his articulis continetur penè tota disciplina quae in Belgio circa hospitalia aliaque pia & religiosa loca servanda est, non inconveniens judicavi integros ipsos articulos hic inserere; quamvis summarium illorum supra parte 1 tit. 5 cap. 4 relatum sit.

Articuli 23. verba sunt: *Also vvy de conservatie van de voorseyde Kercken sonderlynghe voor gherecommandeert hebben, oock vande Godts-huysen, Taefelen ende disschen van den Heyligen Geest, ende alle andere deuchdelicke fundatien, ghelyck oock de goederen derselver, van vvelcke goederen een goede partye is ghekomen van de Princen onse voorsaten, oft van onse Vasallen ende zyn ghelegghen in onse Landen en de Provincien onder onse Hoocheyt ende jurisdictie, ons bebrouvvende ende versekerende vande goede affectie die de voorsz. Eerts bisschopp ende Bisschoppen hebben om ons hierinne bystaende zyn, in voldoeninge van het devoir, d'vvelck door de Gheestelycke rechten hunnen last ende digniteyt toestaet, hebben vvy provisionelicken, ten obsienen als vooren, geordonneert, ende ordonneren, by desen in conformiteyt van t'gene dat vvy al reede gheordonneert hebben aende voorsz. Eerts-Bisschop by acte van Commissie vanden zeventhienften dach van Mey, duysent ses hondert ende ses, dat in alle steden, dorpen ende plaetsen van hun Diocese respectivelick de voorseyde Bisschoppen by hun ofte by de ghene die sy daertoe committeren sullen, met interventie van de patroonen van de fundatien, indien daer eenige zyn, of sulche andere die daer van hier te vooren de sorge ghedragen hebben, oft anderssints van den principaelen Officier der plaetsen, instellen ende prefigeren eenen zekeren ordinarissen ende staenden dagh t'elcken jaere, om by de ontfangers ende andere handelynghe hebbende vande goederen, innecomen ende peninghen, de voorsz Godts-huysen, Gasthuysen, Fabrycken vande Kercken, tafelen vanden Heylighen Geest oft vande ghemeyne armenhuysen vande arme kinderen, ende generaelick alle andere devote plaetsen toebehoorende, elcken Jaere rekeninghe by gheschrifte te doen van hunnen ontfanckende handelynghe, verkiesende ende besluytende onderlynghe den zelven dagh, den vvelcken sy vercondighen sullen aen de ontfangers, om ten selven daghe bereet te syne elcken Jaere, op alsulchen boete van ghelde die daer toeghestelt sal vvorden ten profyte vande selve fundatie der goederen daer van sy den ontfanc ende handelynghe syn hebbende.* Id est. Cum nobis dictarum Ecclesiarum conservatio peculiariter cordi sit, tum & domuum Hospitalium, Mensarum & Portionum S. Spiritûs, omniumque aliarum piarum Fundationum, prout & bonorum earumdem sitorum in ditionibus & Provinciis nostris sub suprema nostra Jurisdictione quorum bonam partem aut Principes Praedecessores nostri, aut subditi nostri contribuerunt, confidentes, exploratumque habentes affectum quem praedicti Archiepiscopus & Episcopi gerunt, ut ea in parte sint nobis adjumento ad muneris sui executionem, quod secundum Ecclesiastica Jura dignitati & curae eorum incumbit, Nos pro statu & conditione rei praesentis dumtaxat, mandavimus in finem ut supra, prout & mandamus, conformiter ad id quod jam nunc injunximus dicto Archiepiscopo per litteras Commissionis datas 17. Maij 1606. ut in omnibus Civitatibus, Pagis & locis Dioecesium suarum respectivè, dicti Episcopi, aut per se, aut per eos quibus id demandabunt intervenientibus Fundationum Patronis, si qui sint, aut aliis qui illarum ante hac curam gesserunt, aut aliis praecipui locorum Praefecti, statuant & designent certum ordinarium & stabilem quemdam in singulos annos diem, quo Receptores, aliique bonorum administratores, redituum nummorum dictarum domuum Hospitalium, Xenodochiorum, Bavaricae Templorum, Mensarum S. Spiritûs, aut Paupertatis communium, Brephotrophiorum, & generalitas quorumcumque ad piarum Fundationum loca spectantium, annuatim scripto tradant computum recepturae & administrationis suae, eligant & praefigant, eum diem quem Receptoribus designabunt, ut singulis annis eodem die parati sint, indictâ mulcta pecuniaria quae ad eum finem constituetur in emolumentum bonorum ipsius Fundationis, quorum Recepturam & administrationem exequuntur.

Tenor articuli 25. hic est: *Ten overbrengen ende in't presenteren van de vvelcke rekeninghe, boven de ghene die tot noch toe daer toe ghevvaceert hebben, t'zy van onsen oft van onsen Vasallen t'vveghen, soo is ons intentie, ende ordonneren vvy by desen, achter volghende t'ghene dat gedaen is gevveest by vvylen zyne voorsz. Majesteyt, by syne brieven van Placcaerte, in approbatie van het Synode van Camerijck, vanden eesten dagh van Junius, duysent vyfhondert zeventachtentigh dat de voorseyde Bisschoppen, oft hunne ghecommitterde daer sullen interventeren, sonder eenigen cost oft last vande voorsz Godts-huysen, tot betere directie vande saecken, ende ten ghenoeghe van een yegelicken, ende ten eynde dat de over-comende svvaricheden beslicht moghen vvorden by ghemeynen advyse van de ghene die over de voorsz. rekeninghe sullen staen.* Id est. Quâ in exhibitione & praesentatione computus, ultra eos qui hactenus in rationibus illis accipiendis operam posuerunt, seu nostro seu subditorum nostrorum nomine, haec est nostra voluntas & per hasce statuimus, conformiter ad illud quod à praedicta sua quondam Majestate decretum est per sui diplomatis litteras in approbatione Synodi Cameracensis datas 1. Junii anni 1587. ut praedicti Episcopi animarum deputati interveniant sine ullo sumptu aut gravamine dictarum domuum Hospitalium, ad meliorem negotiorum administrationem & uniuscujusque satisfactionem. & ut enascentes difficultates ex communi omnium consilio qui excipiendo computui praeerunt, tollantur.

Ende inghevalle dat door alsulcke decisie oft ordonnantie yemandt soude vvillen pretenderen besvvaert te vvesen, sal hem dies mogen beclaghen voor den vveerlicken Oversten, Richter der plaetsen vande fondatie, daer van d'administratie ghexerceert is, tot coste vande vvelcke fondatie sal alsdan ghesustineert vvorden t'ghene by de Auditeurs gheordonneert sal zyn ghevveest. Id est. Si verò per talem decisionem aut mandatum se aliquis gravatum praetendat, liberum sit ipsi querelas suas deponere coram saeculari praefecto, Judice loci fundationis cujus administratio fuerit exercita, cujus fundationis periculo sustinebitur id quod Auditores decreverint.

Denique articulis 27 sic habet. *Ende soo vvanneer de voorsz. Godts-huysen oft Geestelycke plaetsen sullen ghevisiteert vvorde by hunne Vicarisen, oft andere daer van last hebbende, sullen alsdan hun oock daer laeten vinden de voorsz provisseurs oft administrateurs, als sy daer van de vvete sullen ghehadt hebben, doende hun communicatie vande rekeninghen alreede ghedaen ende ghesloten, in dien sy dies versocht vvorden.* Id est. Et cum praedictae domus Hospitales aut Ecclesiastica loca per Vicarios suos, aliosve quibus id injunctum fuerit visitabuntur, incipiunt etiam praedicti Provisores aut administratores ubi praemoniti fuerint traditurí computus exhibitos conclusos & admissos, si id rogentur,

LII. Ad hos articulos Edicti reflectens Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 36. ait §. 1. A piis fundationibus Episcopos excludere est contra hoc Edictum. Deinde adjicit, id & esse contra Concordata Brabantiæ, (de quibus supra) contra Concilium Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 8 *&* 9. *De Reformat.* & denique contra principia utriusque Juris.

Post hæc notat, quod cum Concilium Frisiæ difficultatem faceret in recipiendo & admittendo dicto *cap.* 9. Concilii Tridentini, & Regi rescripsisset, Concilium non esse publicandum, nisi & omisso hoc capite 9. *voluit & respondit Rex anno* 1569. *ut illud caput admitteretur.* Idipsum testatur Zypæus tit. *De Religiosis domibus num.* 2. addens Concilium Secretum rescripsisse, "etsi rationes piorum locorum antea solùm consuevissent reddi "coram Commissariis Concilii (Frisiæ) Decretum tamen Concilii (Tridentini) observaretur.

LIII. Cum ex dictis constet, Principes nostros integras & illæsas voluisse servari piorum fundationes, etiam obscurum non est, quod Episcoporum auctoritatem exigendi rationes, vel iis interveniendi, aut etiam visitandi noluerint extendere ad hospitalia aliave pia loca, in quorum institutione & ordinatione secus expressè cautum est; quandoquidem nec ad similia loca auctoritatem Episcoporum extendat Synodus Tridentina, uti supra notatum est.

LIV. Adhæc quia nec Jure communi, neque ex Decreto Concilii Tridentini auctoritas Episcoporum, saltem quoad jus visitandi, se extendit ad hospitalia aliaque pia loca *non religiosa*, sed privata & merè laicalia; verisimile, nec his Principum Edictis etiam similia loca ex mente Principum fuisse comprehensa; quod & ipso Edicto ad Synodum Mechliniensem insinuatur *art.* 27. ubi loca visitationi subjecta vocat *Ecclesiastica* loca *geestelicke plaetsen.*

Consonat his & consuetudo, quæ orphanotrophia aliaque similia loca privata & laica passim directioni & administrationi laicorum vel Ecclesiasticorum juxta leges in fundatione præscriptas permittit, absque ullo interventu Episcoporum aut Archipresbyterorum aliorumque ab ipsis deputatorum.

LV. Insuper quantumvis Principes ad piorum locorum curam Episcopos eorumque Commissarios vocaverint, eosque etiam cum aliis laicis Superintendentibus computibus & deliberationibus interesse voluerint, nihil tamen de auctoritate & protectione regia, quam super hisce piis fundationibus habent, remisère.

Undè expressè in citato Edicto ad Synodum Mechliniensem *art.* 26. declarant Principes, quod si per decisionem vel ordinationem factam de communi consensu Episcopi ejusve Deputati & aliorum Superintendentium quisquam se gravatum prætendat, poterit querelas suas deponere apud superiores *seculares*, judices loci fundationis, de cujus administratione agitur. Verba articuli sunt: *Ende in ghevalle dat door alsulcke decisie oft ordonnantie yemandt ende vvillen pretenderen besvvaert te vvesen, sal hem des mogen beclagen voor den vvereltycken Oversten, Rechter der plaetsen vande fondatie, daer van d' administratie gheexecuteert is, tot coste vande vvelcke fondatie sal als-dan gejustineert vvorden tgene by de auditeurs gheordonneert sal zyn gevveest.* Id est. Sunt eadem verba quæ Pag. Superiori. *Si verò per talem decisionem aut mandatum, &c.*

Quoad superintendentes hospitalium & piorum locorum, per omnia ferè cum praxi Belgica consonat praxis Galliæ; uti videri potest in Actis Cleri Gallicani *tomo* 3. *parte* 3. *tit.* 4 item in libro qui inscribitur, *La grande Conference des Ordonnances lib.* 1. *tit.* 2. *parte* 3. ubi plurima Regum Galliæ Edicta, & Parlamentorum arresta in hac materia recitantur, quorum aliqua & in sequentibus notabimus.

LVI. Cæterum in hac materia hospitalium & piorum locorum si quæstio incidat, qui rationibus audiendis intervenire, vel administrationi intendere debeant, sequendæ erunt regulæ, quæ supra parte 1. tit. 5. cap 6. assignatæ sunt pro decisione similium quæstionum circa administrationem & superintendentiam Fabricæ Ecclesiarum, & Mensarum S. Spiritus, quæ in Principum Edictis penè semper cum hospitalibus aliisque piis locis junguntur.

CAPUT III.

Qui sint præficiendi curandis infirmis & pauperibus sive corporaliter sive spiritualiter.

1. *Exemplo Apostolorum Episcopi curam immediatam hospitalium demandarunt Diaconis.*
2. *Domus illa dicta Diaconia propter Diaconos eis ministrantes.*
3. *Quid propriè essent Diaconia.*
4. *Diaconorum qui hospitalibus erant præfecti meminit S. Gregorius*
5. *Interdum & alii quàm Diaconi præficiebantur.*
6. *Sanctus Gregorius Religiosos viros hospitalibus præfici desiderabat.*
7. *Subsequentibus seculis Episcopi soliciti fuere, ut hospitalia Religiosis committerentur, & quare.*
8. *Concilium Viennense meminit Hospitalium quæ ad Ordines Religiosos spectabant.*
9. *Ordo S. Joannis Hierosolymitani primitùs fuit* hospitalariis; *cujus origo refertur.*
10. *Erat subjectus Ordinario.*
11. *Quam piè Fratres hujus Ordinis primitùs infirmis & egenis inservirent.*
12. *Hic Ordo factus est totus* militaris.
13. *Ordo S. Antonii Viennensis specialiter pro curandis infirmis institutus ejusque origo.*
14. *Permittitur huic Ordini eleemosynas pro pauperibus quærere.*
15. *Modus in his colligendis servandus; & quæ specialiter cavenda.*
16. *Hospitalia hujus Ordinis etiam à Regio Magistratu leges acceperunt.*
17. *Famosum hospitale Romæ erectum ab Innocentio III. datum Ordini S. Spiritus ad regenda hospitalia institutio.*
18. *Idem confirmans hospitale Cadomense voluit Regulam S. Augustini in eo servari.*
19. *Ordo* Joannis de Deo *ad serviendum infirmis institutus.*
20. *Jam pridem fuere Sanctimoniales Hospitalibus præfectæ.*
21. *In Belgio Hospitalibus & Leprosariis præfecti fuere primitùs Fratres & Sorores.*
22. *Fratribus remotis remanserunt solæ Sorores.*
23. *Sorores hospitalariæ hodierna profiteri solent Regulam S. Augustini.*
24. *Cura infirmorum his Sanctimonialibus commissa cum directione œconomica hospitalium.*
25. *Temporalia ad Sanctimoniales non spectant.*
26. *Temporalium administratio Ecclesiasticis aut Religiosis non competit, nisi illa in titulum habent.*
27. *Quid potissimùm in receptione hujusmodi Sanctimonialium attendendum?*
28. *Quales præfici hospitalibus velit Concilium Viennense.*
29. *Qui ex Edicto Regio in Gallia præficiendi?*
30. *Nec hoc Edictum, uti nec Decretum Concilii Viennensis extenditur ad hospitalia Ord. Religiosorum.*

Digitized by Google

31. *Neque ad illa quae ex primaeva fundatione unita sunt monasterio, aut in titulum beneficii erecta,*
32. *Secus de hospitalibus cui simpliciter est annexum Sacellum; vel cui simpliciter Religiosi ministrant.*
33. *In quibus hospitalibus hodie soleant laici curam agere,*
34. *Qualis debeat esse Hospitalarius.*
35. *In hospitalibus non tantum cura Corporalis; sed & spiritualis infirmorum habenda.*
36. *Jure communi cura spiritualis hospitalium spectat ad Parochum.*
37. *Hospitalia sub cura laicorum existentia plerumque sunt sub directione Parochi.*
38. *Quae sunt sub cura Monialium solent habere suos speciales Presbyteros.*
39. *Innocentius* III. *hospitali concessit particulares presbyteros.*
40. *Consuetudinem hic spectandam esse declaravit Concilium Viennense.*
41. *Hospitale potest jus hoc praescribere.*
42. *Super his inita concordata servanda sunt ; & exemplum hujusmodi concordati.*
43. *Convenit ut in majoribus hospitalibus sint speciales Sacerdotes ; iique plures servata proportione infirmorum.*

I. SIcuti Apostoli curam Mensarum Diaconis commiserunt, ut ipsi orationi & ministerio verbi intendere possent; ita horum exemplo Episcopi jam pridem curam pauperum & hospitalium Diaconis demandarunt, ipsosque domorum illarum praefectos crearunt.

II. Et quidem à Diaconis curam domorum illarum gerentibus dictae fuere domus illae *Diaconiae*; quales in Urbe Roma à Pontificibus institutas jam olim fuisse narrat Anastasius Bibliothecarius in eorum vitis; ac signanter de Adriano I. scribit: " Constituit *Diaconias*
„ tres foras portam Beatorum Apostolorum Principis.
„ Et de Gregorio III." Item *Diaconiam* SS. Sergii & Bac-
„ chi, & concedens omnia quae in usum Diaconiae exi-
„ stunt, statuit perpetuo tempore sustentatione *paupe-*
„ *rum* in *Diaconiae* ministerio deservire.

III. Itaque Diaconiae erant loca in quibus per Diaconos, pauperes viduae, pupilli, senes aliaeque miserabiles personae alebantur, de quibus latiùs Du Cange in suo Glossario verbo, *Diaconia*; & supra *parte* 1. *tit.* 21. *cap.* 1. Diaconos hisce *Diaconiis* praefectos olim dictos fuisse Diaconos *Cardinales* atque hinc & oratoriis illarum domorum etiamnum adhaerere titulum Cardinalium, observatum est.

IV. De quodam Florentino *Diacono* qui praeesse dignoscitur *Xenodochio* Anichiorum scribit S Gregorius *lib.* 10. *Epist.* 43. & rursus lib. 11. Epist, 14. scribens Venantio Patricio Panormitano, meminit cujusdam Crescentis *Diaconi* qui *Xenodochium* gubernaverat.

V. Haec sat ostendunt, *Diaconis* frequenter hospitalium & similium locorum curam fuisse demandatam; non tamen illis solis, nec semper, nec ubique.

Et quidem apud ipsum S. Gregorium *lib.* 7. *indict.* 2. *Epist.* 27. occurrit quidam Antonius *Subdiaconus Xenodochii Praepositus.* Similiter Xenones aliique piorum locorum administratores & curatores quorum apud Justinianum frequens mentio occurrit, Diaconos fuisse, non probatur.

Rursus S. Gregorius *lib.* 3. *Epist.* 24. describens quales Xenodochiis praefectos desiderat ait: Tales in eis
„ (Xenodochiis) qui praesint ordinentur, qui vita,
„ moribus, atque industria inveniantur esse dignissimi:
„ religiosi dumtaxat. quos vexandi judices non habent
„ potestatem; ne si tales personae fuerint, quas in suum
„ possint evocare judicium, vastandarum rerum
„ debilium, quae illic rejacent, praebeatur occa-
„ sio.

Hic Gregorius non requirit *Diaconos*, sed tales qui vita, moribus, atque industria inveniuntur dignissimi: quod & in eligendis Xenodochiorum praefectis attendi voluit Justinianus. Et revera parum interest, num Diaconus vel Religiosus fuerint, modò vita & moribus atque industria domibus suis fideliter & Christianè administrandis & curandis idonei fuerint.

VI. Nihilominus fatendum est, S. Gregorium desiderasse, ut hospitalibus *Religiosi* potiùs, quàm seculares homines praeficerentur; eò quòd minus periculi dissipationis bonorum ab illis, quam his timeretur, supponitque Synodus Regiaticina an. 850. celebrata *Canone* 15. quaedam fuisse hospitalia quae juxta Institutorum decreta regi deberent per eos qui *Religiosam vitam duxerint.* Textus Canonis capite praecedenti relatus est.

VII. Porrò sequentibus seculis excrescente continuò magis *hospitalium* numero, magna Episcoporum & Fundatorum cura fuit, ut ipsa hospitalia viris Religiosis committerentur; qui & summa fidelitate bona pauperum usibus deputata conservarent & administrarent, atque ipsis pauperibus ac infirmis eximia in proximum charitate & mansuetudine inservirent, nec non vitam Religiosam in hospitalibus agentes; à quibus non tantùm corporale sed & spirituale subsidium pauperes & infirmi in hospitalibus viventes, aut ad ea divertentes acciperent: essentque ipsa hospitalia verè loca pia & religiosa; in quibus scilicet pietatis in proximum, & religionis in Deum opera vigerent.

VIII. Meminit *Clementina* QUIA CONTINGIT *De Religiosis domibus* hospitalium Militarium Ordinum & Religiosorum etiam aliorum; id est, hospitalium, quae ad curam illorum Ordinum vel Religiosorum pertinebant.

Glossographus in citata Clementina ad verbum *Militarium* ait: " ut sancti Joannis Hierosolymitani,
„ sanctae Mariae Teutonicorum Calastrensium & simi-
„ lium.

IX. Constat seculo 12. originem sumpsisse Ordinem equestrem seu militarem quorum Sodales vocati fuere hospitalarii S Joannis Hierosolymitani; idque ab hospitali in honorem *Sancti Joannis Eleemosynarii* seculo 12. exstructi.

Hierosolymâ enim adhuc sub Saracenorum captivitate detentâ, plurimi ex Occidente ad *Terram Sanctam* partim negotiationis, partim devotionis causâ confluebant. Hi itaque mediante certo tributo impetrarunt, ut in honorem *Beatae Mariae* propè Ecclesiam Dominici Sepulchri alteram construerent, divinis Officiis Latinorum ritu celebrandis consecrandam. Mox ut perfecta est, tradita fuit Abbati & Monachis latinis, ipsique nomen *Sanctae Mariae* DE LATINA est impositum. Postea peregrinis mulieribus excipiendis aliud Monasterium in honorem *Beatae Mariae Magdalenae* conditum est, in quo *Sanctimoniales hospitalariae* constitutae. Demum peregrinorum ad loca Sancta confluentium crescente numero, Abbas & Monachi *Sanctae Mariae de Latina* infirmis & egenis suscipiendis hospitale in honorem *Sancti Joannis eleemosynarii* condidere.

Postquam autem Hierosolyma à Saracenorum Tyrannide liberata fuit, quidam *Gerardus* nobilitate & vitae sanctimoniâ insignis, qui in hospitali Joannis Eleemosynarii pauperibus & infirmis sub Abbate *de Latina* ministraverat, adjunctis sibi nonnullis honestis, religiosisque viris, habitum regulam suscepit, ac vestibus suis *alba cruce* exterius insignitis solemni professione se obstrinxit. Ipsum imitata est quaedam nobilis & religio-

Digitized by Google

ligiosa matrona *Agnes*. Hi devotè Dominio servientes, infirmis pauperibus de suis diligenter ministrabant; & initium Ordini S. Joannis Hierosolymitani dedere.

X. De his scribitur, quod Abbati *Sanctæ Mariæ de Latina* parebant; ac multò magis Patriarchæ Hierosolymitano, "cui de bonis suis decimas, secundùm sacros „Canones & utriusque Testamenti præcepta absque ul„la contradictione reddebant.

XI. De his quoque narratur, quod utinam omnium virorum & mulierum Hospitalariorum animis esset insculptum! "Orationi autem vacantes, vigiliis & jeju„niis seipsos affligentes, operibus misericordiæ affluen„tes, parci sibi & austeri; pauperibus autem & infirmis, „quos dominos suos appellabant, largi & misericordes „existebant. Panes de pura simila largiebantur infirmis, „residuum verò cum furfure ad usos proprios reserva„bant.

XII. Porrò progressu temporis cum ministrantibus Hospitali admitti cœperunt & *milites* ad Terræ Sanctæ defensionem contra Saracenos: quo factum ut tandem Ordo *hospitalis* totus in equestrem & militarem mutatus sit; sicuti & aliis similibus Ordinibus accidit.

XIII. Nonnullæ quoque sunt Religiones infirmis & pauperibus inserviendis specialiter institutæ; uti est Ordo S. Antonii Viennensis, cui circa seculum 12. initium dedit vir Nobilis è Provincia *Viennensi Gasto* nomine, qui à morbo gravissimo, *S. Antonii* ope liberatus, votum perpetuo serviendi S. Antonio unà cum filio suo nuncupavit; atque cum aliis nonnullis viris nobilibus & piis *Antonianam* Congregationem instituit an. 1095. qui ægris sacro igne correptis & mutilatis inservirent. Hæc pia Congregatio in Ordinem Religiosum demum evasit an. 1218. quando Falco Dominus, eleemosynariæ *S. Antonii Viennensis* septimus Præceptor ab Honorio III. obtinuit, trium votorum emittendorum pro se suisque facultatem. Extat in Bullario Romano Bulla Bonifacii VIII quæ incipit: *In dispositione*; quâ Domum *S. Antonii Viennensis* erexit in Abbatiam, atque "ipsum „hospitale cum omnibus membris suis in quibuscum„que mundi partibus constitutis, eorumque pertinen„tiis & juribus ipsi subjecit & univit Abbatiæ Quod„que in eodem Monasterio S. Antonii & Hospitali, ac „membris eisdem, B. Augustini Regula servaretur, & „secundùm eam dicti Abbas & Canonici seu Fratres „vivere perpetuò tenerentur.

XIV. Extat insuper Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Romani Pontificis*. 73. in Bull. R quâ permittitur eisdem Fratribus S. Antonii illorum locorum "in quibus ho„spitalitas *actu* exercetur, ut petitâ & obtentâ in primis „ab Ordinariis locorum annis singulis in scriptis licen„tiâ quam ipsi Ordinarii omninò gratis dare debeant, „eleemosynas, & quæcumque alia charitatis subsidia „per personas honestæ vitæ ad id ab ipso Abbate seu „aliis dictæ Religionis Superioribus pro tempore de„putatas, pro usu ejus Hospitalis S. Antonii, in quo „hospitalitas actu exercetur, simulque existit intra fines „illius civitatis vel Diœcesis in qua eleemosynæ per„quirantur, aut ejusmodi est in quo curari soleant pau„peres omnes eo morbo laborantes, qui ex tota illa „Diœcesi adducuntur perquirere & colligere, illaque „recipere & levare liberè & licitè valeant, dummodò „hujusmodi eleemosynæ convertantur dumtaxat in u„sus pauperum infirmorum & ministrorum deservien„tium hospitalibus quæ in illa Diœcesi sunt, aut in qui„bus curari solent pauperes illius Diœcesis in qua elee„mosynæ colliguntur.

XV. Post hæc modum colligendi eleemosynas præscribit; notatque à quibus harum eleemosynarum collectores cavere debeant, inter quæ nonnulla sunt, quæ hodierni eleemosynarum collectores meritò attendent. „Volumus quod personæ ut præfertur deputatæ Quæ„storum nomen nullo modo sumant, sed eleemosyna„rum collectores nuncupentur, & propter hanc ope„ram, eleemosynarum hujusmodi participes non sint, „atque hoc munere citra ullum dolum & cum omni „modestia fungantur quodque ad stabula pro Benedi„ctionibus super animalia faciendis accedere, easque „sigillare, & aliqua sigilla & præter præsentes seu earum „transumpta alia privilegia necnon instrumenta quæ„dam quæstorum insignia, reliquias, chartas, imagines, „acus & alia his similia ad excitandas personas circum„ferre, indulgentiam publicare, aut per se vel alium „prædicare, fideles ad eleemosynas sibi erogandas mi„nis aut imprecationibus inducere, aut tamquam debi„tas, vel solitas, seu aliquâ arte etiam prætextu dicendi „orationem S. Antonii extorquere, vel super locis ul„lam quovis nomine conventionem etiam in utilita„tem Monasterii, præceptoriarum, Hospitalium, & do„morum hujusmodi facere nullo modo præsumant, „sed simpliciter, pie & modestè unica dumtaxat cam„panella pulsata (cujus usus soli religioni prædictæ à „Sede Apostolica concessus fuisse perhibetur) elee„mosynas pro sub ventione hospitalium & domorum „hujusmodi petendo, accipiant tantùm quod sibi of„feretur.

XVI. Hujus Antonianæ Congregationis meminit Renatus Choppinus *lib. 1. De S. Polit. tit 5. num. 9.* atque: "Antoniani Ordinis *valetudinaria*, in quibus „sacro igne correpti studiosè curabantur, subsunt qui„dem œconomicæ cœnobitarum potestati, non profa„norum Urbis decurionum: at familiari huic Præfe„cturæ leges dantur interim à Civili Magistratu, ad „publicum usum externæque decus politiæ conservan„dum.

Deinde dicit quod arresto Curiæ 7. Idus Septembris 1575. "talibus egenis ad Antonianas Præceptorias „commeantibus dictus est à Senatu alimentorum mo„dus, ac medicaminum: ea conditione, ut morbo „levati abscedere Hospitali domo teneantur. Alii vide„licet, ut pristinum vivendi institutum repetant; artifi„ciumque, ex quo priùs sibi victum comparabant: „Alii, ut novam artem, in vitæ subsidium addis„cant, collatitio ære sumptibusque Antoniani præce„ptores.

XVII. In Bullario Romano extat Bulla Innocentii III. quæ incipit *Inter opera pietatis*, qua famosum illud *Hospitale* in Urbe Romana apud *S. Mariam in Saxia* erexit ad egenos infirmos recipiendos & curandos, "sta„tuentes (ait) ut *regularis Ordo* qui secundùm Deum „& institutionem Fratrum *S. Spiritus* in eodem loco „(in monte Pessulano) per nos institutus esse digno„scitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter „observetur.

Extat & Bulla Xisti IV. quæ incipit *Etsi universis* 11. in Bull. Romano, qua declaratur, quòd omnes Magistri, vel Præceptores "quorumcumque loco„rum sub vocabulo S. Spiritus sint totaliter subjecti „magno Magistro, seu generali Præceptori Archie„piscopalis S. Spiritus in Saxia de urbe: & absque „ejus licentia eleemosynas querere non possint. Et „ad ipsum solum spectet collatio Ordinis Sancti Spiri„tus.

XVIII. Idem Pontifex Innocentius III. anno 1209. in suam protectionem recepit hospitale S. Thomæ in civitate Cadomensi in quo erat Coventus vitam religiosam eligentium, "statuens, ut Ordo Canoni„cus qui secundùm Deum & B. Augustini Regulam „in eodem loco constitutus esse dignoscitur, perpe„tuis ibidem temporibus observetur. " *Epist. 15. regist. 13.*

XIX. Præterito seculo initium habuit Ordo *charitatis* à Joanne *de Deo* natione Lusitano ad officia charitatis erga pauperes, præsertim infirmos institutus, & à Pio V primum confirmatus Constitutione quæ incipit, *licet ex debito* 143. in Bull. Rom. in qua permittitur Fratribus dicti Ordinis ferre specialem habitum, *dummodo sub Regula S. Augustini vivant*.

Permittit Pontifex, ut unum Sacerdotem habeant in singulis hospitalibus, qui & Fratribus & infirmis Sacramenta administret: & tam ipsum Sacerdotem, quam Majorem nuncupatum & alios Confratres " sub loci " Ordinarii jurisdictione, correctione, visitatione; & „ obedientia, etiam perpetuò subjicit & supponit, ipsumque Majorem, & alios confratres de eleemosynarum hujusmodi administratione singulis annis, in tempore eidem Ordinario bene viso, legalem computum „ eidem Ordinario loci tantùm, & nulli alteri reddere „ debere.

XX. Scribit quoque Cardinalis Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentis *cap.* 29. " Sunt insuper aliæ „ tam virorum, quàm mulierum seculo renuntiantium „ & regulariter in domibus leprosorum, vel hospitalibus pauperum viventium a limitatione & numero certo in omnibus occidentis Regionibus congregationes, pauperibus & infirmis humiliter & devotè ministrantes. Vivunt autem secundùm S. Augustini Regulam, absque proprio & in communi, sed unius Majoris obedientia, & habitu regulari suscepto perpetuam „ Domino promittunt continentiam. Horas Canonicas „ quantum hospitalitatis studium & pauperum Christi „ ministerium permittunt, diebus & noctibus audire „ non omittunt.

XXI. Quod de partibus Occidentis generaliter asserit hic auctor, verissimum est de Belgio aliisque vicinis Provinciis, in quibus seculo 12. & sequentibus seculis, plurimæ tum domus leprosariæ, tum hospitales, præsertim pro infirmis erectæ fuere; idque cum certo numero Fratrum & Sororum qui infirmis & leprosis servirent & ministrarent; & vitam communem & religiosam agerent.

Seculo præterito adhuc in Gallia fuisse Fratres & Sorores; sed valde corruptos, testatur Concil. Rothom. *Tit. De Episc. n.* 31.

XXII. Sed cum experientia doceret, periculosum esse Fratrum & Sororum sub eodem tecto contubernium, passim in omnibus domibus illis leprosariis & hospitalibus retentæ fuere solæ Sorores; quæ præ Fratribus ministrandis infirmis, & rei domesticæ agendæ convenientiores credebantur.

XXIII. Hæ verò Sorores hodie ubique penè sub trium votorum religionis professione secundùm regulam Sancti Augustini vitam Religiosam agunt, cum speciali obligatione; imò in nonnullis cum speciali voto infirmis inserviendi; atque illæ quæ in Nosocomiis inserviunt ægris vocari solent, *Sanctimoniales Hospitalariæ*; Quæ verò in Leprosariis, quia vix lepra infecti eò divertere hodie solent, vix ab aliis Sanctimonialibus distinguuntur; & domus illæ hodie hic in Belgio pro Monasteriis Monialium simpliciter reputantur.

XXIV. His itaque Sanctimonialibus in Nosocomiis & Leprosariis cura infirmorum committitur: & hospitalium directio ipsis concreditur; cum tamen obligatione reddendi computum iis qui vel secundùm leges fundationis, aut secundùm consuetudines locorum, vel jus commune locis piis & religiosis superintendunt.

XXV. Hæ enim sorores dumtaxat hospitalibus sunt deputatæ, ut curam habeant infirmorum, & tamquam ministræ in infirmis ministrent; ut ex earum fundationibus manifestum est.

Unde Concilium Arelatense anno 1260, *Can.* 13. videns, quod tam Clerici, quam laici multiplici prece, & pretio, aliquando etiam per litteras Papales & mandata Principum hospitalia consuevissent occupare; nec ibi pauperibus aliquid ministraretur, sed omnia bona & eleemosynæ talium hospitalium per Rectores in usus proprios devorarentur, " ordinavit & statuit, ut in jure cavetur, ut de cætero per Prælatos locorum, & „ alios ad quos id pertinere noscitur, propriè congruè & „ ad id competenter perquirantur, qui habitu & signo „ aliquo religionis assumpto, ibidem Domino famulantes, vitam agant communem, & annis singulis, ipsis „ institutoribus suis, vel deputatis ab eis, rationem de „ omnibus reddant nihil sibi aut suis, præter victum & „ vestitum, de omnibus eleemosynis hujusmodi hospitalium retinentes.

XXVI. Scribit Joannes Tornetius in sua collectione arrestorum *litt. H. cap.* 35. quod licet hospitalia ex primæva fundatione possessa non in *titulum*, sed sub forma simplicis administrationis, longo tempore Religiosi rexerint quoad *temporalia*, nihilominus Curia ipsis ademerit regimen *temporalium*, dumtaxat relictâ curâ spiritualium, & intendentiâ pauperum. Verba ejus sunt. *Les Hospitaux tenus de leur premiere fondation non en tiltre de Benefice, mais en forme de simple & nue administration, sont d'une qualite toute diverse & differente Car combien que par la succession & continuation de temps, les Religieux ayent des le commencement gouverné & administré le revenu temporel & annuel d un Hospital, toutes fois la Cour de Parlament osta ladite administration du temporel au Prieur & Religieux leur dyant seulement laisse la charge spirituelle & l intendance des pauvres*. Id est. Domus Hospitales ex primæva Fundatione possessæ non in titulum Beneficii; sed sub forma simplicis & nudæ administrationis, alterius omninò & diversæ sunt qualitatis, licet enim successu temporis ab initio Religiosi rexerint & administrarint temporales annuosque reditus domus cujusdam Hospitalis, nihilominus suprema Curia dictam temporalium administrationem Priori & Religiosis ademit, solâ illis relictâ spiritualium & curâ Pauperum.

Rationem subjicit: *Car se seroit une chose hors de raison de commettre l administration & gouvernement des biens prophanes, & le maniement des affaires seculieres à des Religieux, soit en public, soit en particulier.* Id est, Foret enim à ratione alienum, profanorum bonorum præfecturam & administrationem privatim aut publicè Religiosis committere. Vide eumdem *cap.* 34. ibi plura profert aresta quibus Ecclesiasticis administratio hospitalium quoad *temporalia* adempta fuit, & ad laicos translata.

XXVII. Cum ergò præcipuum & primarium harum Sanctimonialium institutum sit infirmis & pauperibus inservire, satis intelligitur, in earum receptione & hoc præ cæteris esse attendendum, an eas dotes tum naturales, tum supernaturales habeant, quæ huic servitio conveniunt: ut nimirum magnâ charitate & pio affectu ac diligentiâ & zelo pauperibus infirmis tamquam Christi membris inserviant; omnesque molestias & incommoda corporalia, quæ servitium illud sequi solent, libenti animo ferre possint: neque periculum sit ne dum infirmos præsertim alterius sexus à sordibus & vulneribus aut infirmitatibus corporalibus purgare, & curare satagunt, ipsæ in anima sordescant, & vulnerentur.

XXVIII. Concilium Viennense in *Clementina 2. De Religiosis Domibus*, vetans imposterum hospitalia dari in Beneficium (uti capite primo dictum est) vult ut " „ eorum gubernatio viris providis, & idoneis, & boni „ testimonii committatur, qui sciant, velint, & valeant, „ loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum „ proventus & reditus in personarum usum miserabi- „ lium

Digitized by Google

„ ilum fideliter dispensare, & quos in usus alios bona „ prædicta convertere præsumptio verisimilis non exi- „ stat: in quibus sub obtestatione divini judicii illorum, „ ad quos dictorum locorum commissio pertinet, con- „ scientias oneramus.

XXIX. In Gallia cautum Edicto Blesensi *art. 65.* quod leprosariis,& hospitalibus præfici nequeant Ecclesiastici, aut nobiles sed tantùm communes cives. Verba edicti sunt: *Et ne pourront desormais estre establis Commissaires au regime & gouvernement des fruits & revenus desdites Maladeries & Hospitaux autres que simples bourgeois,marchands,ou laboureurs, & non personnes Ecclesiastiques, Gentils-hommes, Archers, Officiers publics, leurs serviteurs, ou personnes par eux interposées.* " Id est. Nec deinceps ad curam & præfecturam fructuum,redituum dictorum Nosocomiorum & Xenodochiorum committi poterunt alii quam meri Cives, Mercatores, aut agricolæ, Ecclesiasticis, Nobilibus Satellitibus, Reipublicæ Præfectis, servis eorum aut personis per eos constitutis, exclusis.

XXX. Notatur autem in opere quod intitulatur *La grande conference des Ordonnances lib. 1. tit. 2. parte 3. §. 2. nota 4.* quod Edictum volens eligi *duos cives* pro administratione hospitalium,non comprehendat hospitalia Ordinum Religiosorum, puta SS Trinitatis, Redemptionis captivorum & S. Antonii,quæ obtinuerunt juridicam declarationem, quod non per personas Laicas,sed Religiosas regerentur juxta citatam Clementinam §. *Præmissa*, quo expresè declarat Concilium Viennense, quod dispositionem suam, qua vult administrationem hospitalium committi, *viris providis* &c. minimè velit extendi *ad hospitalia militarium Ordinum aut Religiosorum aliorum.*

XXXI. Similiter refert judicatum esse 29. Julii 1570. neque sub hoc Edicto comprehendi hospitalia, quæ ex primæva sua fundatione *unita* sunt Monasterio & domui Religiosæ. Uti nec illa quæ vi fundationis conferri consueverunt in *titulum* beneficii per Episcopum, tametsi etiam ad præsentationem Patroni *laici*: atque ita non semel judicatum esse notat. Vide latiùs eadem referentem Renatum Choppinum de *S. Polit. lib. 3. tit. 5. n. 5.*

XXXII. Observat ibidem Choppinus, quod " Alia „ causa sit ejus Valetudinarii, cui Sacellum aliquod, ve- „ lut appendix, progressu temporis adstructum addi- „ tumque sit, puta ad Sacrum litatorium inopibus, æ- „ gris, hospitibus ministrandum. Nam hoc casu Politica „ civium manu tractantur utriusque patrimonia tum „ Valetudinarii, tum Sacelli. Ita, me dicente, judicavit „ Senatus de Hospitali Leprosorum in Æde Vindoci- „ nensi, cujus tamen sacra Capella hucusque Episcopi „ beneficiaria extiterat, Attesto 13. Kalend. Februar. „ an. 1571. in pomeridiana Curiæ sessione causarum- „ que agitatione forensi.

Sed si hospitale non sit erectum in titulum, neque Monasterio aut Conventui Religiosorum incorporatum; sed tantummodò aliqui Religiosi ibidem sint ex voluntate Fundatorum assumpti,ut ægris vel leprosis & pauperibus serviant; & œconomiæ præsint, hospitale ejusmodi quoad temporalium administrationem non esse penes Religiosos; nec de his intelligendam esse exceptionem de qua in §. *præmissa* citatæ Clementinæ observat Choppinus loco citato *num. 6.* atque ita arresto Parisiensi anno 1567. profanis œconomis adjudicatam bonorum curationem nosocomii Abignei Biturigum oppiduli; tametsi huic nosocomio Arnulphus Bernilus loci indigena adjunxisset cum notabili multorum prædiorum dote novam Monastici Primatis & Monachorum familiam; ut scilicet hæc procurandis Domûs DEI hospitibus egenisque assiduè incumberet.

Similiter adjudicata fuit integra administratio & superintendentia Hospitalis Capitulo Collegiatæ *S. Furcbii* Peroni, etiam quoad institutionem & destitutionem administratorum, tametsi ibidem essent *Sanctimoniales* in communi viventes & rei domesticæ & pauperum curam habentes. Apud Choppinum ibidem *n. 2.* in notis.

XXXIII. Plerisque Orphanotrophiis, in quibus pupilli parentibus orbati educantur, item Brephotrophiis, quæ recipiendis infantibus expositis destinata sunt; item Gerontocomiis,in quibus senes aluntur,& locis peregrinis & transeuntibus hospitio recipiendis destinatis, & propriè vocantur *Hospitalia*; his, inquam, penè ubique laici Administratores & Rectores hîc in Belgio præfecti sunt.

Parum refert, uti suprà monuimus, qualis sit cui cura Hospitalis committatur, laicus, an Clericus, Religiosus, an secularis, modò dotes & qualitates habeat rectè administrandi Hospitalis, & pauperibus providendi, iisque intendendi secundùm leges fundationis.

XXXIV De hospitalario agens S. Carolus in Concilio Mediolanensi V. parte 3. tit. *Quæ ad loca pia pertinent,* " ait: Primò Hospitalarius, sive cui hospitalium „ cura committitur, vir sit, cujus fides,pietas,vitæ inno- „ centia, sedulitas, charitas gravium virorum testimo- „ nio commendata sit.

Quomodò verò Rectores & Administratores Hospitalium & piorum locorum erga ipsos pauperes se habere debeant; & quæ ab iis præcipuè observanda sint, capite 4. latiùs exponetur.

XXXV. Porrò prospiciendum est ut in istis domibus, quæ ad animarum salutem pertinent, minimè negligantur. Quantò enim animus pretiosior est corpore, tantò diligentior de illo cura habenda, ait Concilium Burdigalense anno 1583. *tit.* 28.

Igitur non tantùm præficiendi sunt hospitalibus qui corporum necessitatibus, & miseriis curandis & sublevandis inserviunt; sed & Sacerdotes qui pauperibus & infirmis spiritualia administrando eorum miserias & vulnera spiritualia curent.

XXXVI. Et quidem si jus commune spectemus, pauperes hospitalium debent recipere Sacramenta à Rectore Ecclesiæ parochialis in cujus Parochia sunt sita hospitalia;uti communiter docent Canonistæ; ac jam pridem notarunt Petrus de Ubaldis in tractatu De Canonica Episcoporum & parochorum portione; item Lupus De Castelliona in tractatu hospitalitatis *num.* 34. notatque, quod " fundet *Matrix* Ecclesia intentionem suam in „ hospitalibus suis in sua Parochia quoad prædicta spi- „ ritualia " Habentur dicti tractatus volumine 11. *Tractatus tractatuum.*

XXXVII. Etenim passim hospitalia sub regimine laicorum constituta manent sub spirituali cura Parochorum & Ecclesiis Parochialibus subjecta; tametsi interdum etiam oratoria aut Sacella habeant annexa in quibus pro commoditate pauperum ibidem degentium Missarum solemnia aliaque pia exercitia habeantur.

XXXVIII. At Hospitalia Ordinum Religiosorum, quin & Leprosariæ & Nosocomia in quibus Sanctimoniales infirmis curandis vitam religiosam agunt, partim ex privilegio, partim ex Concordatis,partim longâ consuetudine certos habent Presbyteros, qui Sanctimonialibus & infirmis Sacramenta administrent, aliaque munia Pastoralia exerceant.

XXXIX Innocentius III. in Bulla quâ erexit Hospitale in Urbe *B. Mariæ in Saxia*, voluit, ut in eadem Ecclesia quatuor semper ad minus sint Clerici Regulam ejusdem Hospitalis professi, qui omnia spiritualia liberè administrarent, dein §. 4. subjungit: " Ipsi autem victu "&

Digitized by Google

& vestitu contenti, quem eis secundùm eandem Regulam præcipimus exhiberi. divinis vacent officiis, & intendant Ecclesiasticis Sacramentis, ita quod de aliis Hospitalis negotiis præter concessionem Magistri, se nullatenus intromittant.

Permittit quoque §. 13. ut pro suo & pauperum ac infirmorum usu habere eis liceat *oratorium* & *cœmeterium*.

XL. Nonnulla Hospitalia habere speciales Presbyteros à quibus Sacramenta infirmis ministrentur; alia verò Parochialibus Presbyteris subesse, asserit sæpiùs citata *Clementina* 2. vultque in hac diversitate servandam esse consuetudinem. Verba sunt." Cæterum nostræ intentionis existit, quod si qua sint hospitalia altare, vel altaria & cœmeterium ab antiquo habentia, & Presbyteros celebrantes & Sacramenta Ecclesiastica pauperibus ministrantes, seu si Parochiales rectores consueverint in illis exercere præmissa, *antiqua consuetudo* servetur, quoad exercenda & ministranda spiritualia supradicta.

XLI. Hinc concludunt Canonistæ post Glossam verbo, *Parochiali* ; " Licet hospitale & ipsius familia & pauperes ibi degentes sint de Parochia matricis Ecclesiæ, potuit tamen præscribere hospitale, quod per proprium Sacerdotem illis spiritualia ministrentur.

XLII. Concordata nonnumquam super his inter Ecclesias Parochiales & hospitalia sive nosocomia, præsertim in quibus Sanctimoniales degunt & ministrant, & ad formam Monasterii quasi redacta sunt, inita sunt; quibus standum erit.

Simile concordatum initum fuit anno 1260. super jure sepulturæ inter Plebanum, Custodem & Canonicos Ecclesiæ S. Petri in Lovanio, & Magistram, Fratres & Sorores hospitalis pauperum ibidem, " quod dictum hospitale *cœmeterium* habebit, in quo Fratres, Sorores, infirmi ipsius hospitalis, ac eorum familiares qui se & sua ad dictum hospitale transtulerint sepeliri debebunt. Si verò aliquis alius ibidem sepulturam elegerit, qui fuerit de Parochia Sancti Petri, ille non admittetur, nisi salvo jure Plebani, Custodis & Ecclesiæ S. Petri prædictæ. Et pro hoc Magistra, Fratres & Sorores prædicti, plebano prædicto in quatuor præcipuis solemnitatibus viginti solidos ita quod in qualibet solemnitatum prædictarum quinque solidos, & dicto Custodi sex solidos, ita quod in qualibet earumdem solemnitatum decem & octo denarios Lovanienses solvere tenebuntur.

XLIII. Sanè in magnis Nosocomiis in quibus frequens solet esse infirmorum numerus, convenit, ut speciales sint Presbyteri qui infirmis assistant, eosque ritè instruant, & ad Christianè moriendum vel vivendum disponant.

Qui autem attenderit, quàm crassa sæpè ignorantiâ laborent, & quàm multis criminibus frequenter sint onusti & implicati pauperes ad Nosocomia divertentes, facilè intelliget, quod plures, quàm hodie consueverint, Sacerdotes Nosocomiis pro cura spirituali infirmorum meritò præficerentur; ne aliàs appareat, revera plus curari corporum, quàm animarum curationem.

Stephanus Episcopus Noviomensis anno 1215. fundans hospitale, voluit in eo esse quinque Fratres laicos conversos & 13. Sorores ad inserviendum infirmis, *quinque* autem *Presbyteros* & *duos Clericos*. Gerardus ejus successor auxit numerum Sororum ad viginti. Et hujus successor numerum Presbyterorum ad sex, ut ita numerus Presbyterorum servatâ proportione augeretur pro numero ministrantium corporaliter. Vide Ludovicum Thomasinum *De Discipl. Ecclesiæ parte 4. lib. 1. cap. 75. num. 3.*

CAPUT IV.

Quæ in Administratione & Dispensatione rerum Hospitalium observanda?

1. *Administratores Hospitalium meminisse debent, quod pauperibus impensum, aut substractum, Christo censeatur impensum aut substractum.*
2. *Eligendi Administratores qui possint & velint* fideliter *administrare.*
3. *De Jure tenentur Administratores præstare* juramentum *de fidelitate in administrando.*
4. *Idipsum in Belgio cautum.*
5. *De Jure tenentur singulis annis reddere rationem administrationis.*
6. *Similiter in Belgio & Gallia.*
7. *An his legibus subjiciantur qui Hospitalia tenent in* titulum?
8. *Administratores debent bonorum ad Hospitalia spectantium* inventarium *conficere.*
9. *In alienatione, & elocatione servanda solemnitates præscripta in alienatione & elocatione bonorum Ecclesiæ.*
10. *Bona piorum locorum impendi debent in usus à Fundatoribus præscriptos.*
11. *Relicta in usum infirmorum, an* sanis *impendi queant?*
12. *Abusivum declaratum, quod numerus* sanorum *in hospitalibus excedat numerum infirmorum.*
13. *Numerus Fratrum & Sororum infirmis ministrantium plerumque à Fundatoribus præscriptus; & quare?*
14. *In unione Hospitalis Monasterio cautum ne nimis multæ Moniales assumerentur in detrimentum pauperum.*
15. *Certa portio pro victu Administrantium Regiis Edictis in Gallia taxata.*
16. *Parlamentorum arresta hisce conformia.*
17. *Licet hæc in Belgio non sint decreta, tamen Administrantes ultra usus necessarios accipere nequeunt.*
18. *Relicta in usus pauperum an ad Ecclesiæ restaurationem vel ornatum impendi possint?*
19. *Si relicta in* certum *pium usum in illum impendi nequeant,* proximiori *impendenda sunt.*
20. *Qualiter hic accipiendus usus* proximior?
21. *Commutatio fundationum piarum qua auctoritate facienda?*
22. *De commutatione notabili facta per Decretum Regis Galliæ.*

I. ADministratores & Directores hospitalium aliorumque piorum locorum illud imprimis sæpè meminisse debent, quemadmodum monet S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi IV. *parte 3. tit. Quæ ad pia loca pertinent*, " se pauperum, pupillorum, viduarum, senum egestate aut ægritudine laborantium, peregrinorum & aliorum id generis hominum, alia ope agentium, prout propria uniuscujusque loci instituta ratio est, curam sustinere & illam quidem tanti esse, ut, cum potissimum Episcopo, tamquam communi omnium, & eorum præcipuè miserabilium hominum parenti, ea Sacrosanctis Canonum legibus commissa sit; tum quidquid in illos, vel misericordiæ vel beneficii, vel operæ, vel opis, vel officii confertur; quidquidve rursus damni, detrimenti, injuriæ infertur, id omne Christus Dominus sæpe in Evangelio demonstret, in se collatum, aut illatum esse, ac propterea se in die judicii, prout benè illis factum, aut neglectum, omissumve in eorum necessitatibus sublevandis erit, retributurum.

Hinc

Digitized by Google

Hinc concludit: "Non suis, sed eorum quorum curam susceperunt commodis atque utilitatibus serviant.

II. Itaque omni exactitudine & fidelitate bona ad loca pia spectantia, in utilitatem ipsorum locorum & pauperum ibidem alendorum & curandorum Rectores eorum administrare debent. *Clementina 2. De Religiosis domibus*, ubi jubentur constitui tales administratores, "qui sciant, velint, & valeant loca ipsa, bona eorum ac jura utiliter regere, & eorum proventus & reditus in personarum usum miserabilium fideliter dispensare, & quos in usus alios bona prædicta convertere præsumptio verisimilis non existat; in quibus sub obtestatione divini judicii illorum, ad quos dictorum locorum commissio pertinet, conscientias oneramus.

III Ut autem in hac administratione majori fide versentur, præscribit Concilium Viennense in citata Clementina, quod administratores piorum locorum præstare debeant *juramentum*, nimirum de fideli administratione. Non exprimitur quidem formula juramenti; sed cum dicatur, *ad instar tutorum & curatorum*, facilè intelligitur, quod saltem in substantia, horum administratorum juramentum coincidere debeat cum juramento à tutoribus & curatoribus de jure præstando: nimirum, *omnia se rectè & cum utilitate pupilli agere, & neque prætermittere ea, quæ utilia pupillo esse putaverint, neque admittere quæ inutilia existimaverint*. Vide *Legem 7. § 5. Cod. De Curatore furiosi*, cum authentica eidem adjuncta.

IV. Cum hac formula coincidit illa quæ passim à Synodis nostris præscribitur, & hodie exigi solet, quod scilicet bona pauperum conservabunt, & pro eorum necessitatibus fideliter dispensabunt: quodque pro bonorum hujusmodi conservatione & fideli dispensatione, non minorem, sed (si fieri possit) majorem curam & operam impendent, quàm "pro rebus propriis. Repeti possunt, quæ de hoc juramento dicta sunt *parte 1. tit. 5. cap. 1.*

V. Injungit præterea Concilium Viennense, ut hi administratores "Ordinariis seu aliis quibus subsunt loca hujusmodi vel deputandis ab eis, *annis singulis* de administratione sua teneantur reddere rationem.

Idipsum jam pridem decretum erat à Justiniano in *Novella 123. cap. 23.* ubi hujusmodi locorum gubernatores jubentur pro creditis sibi gubernationibus apud proprium Episcopum cui subjacent, conveniri, & rationem suæ gubernationis facere.

Hinc conficitur, quod administratores hospitalium & aliorum piorum locorum *de jure* cogi possint, ut *singulis annis* rationes suæ administrationis reddant.

VI. Similiter hic in Belgio per Decreta Synodalia & Principum Edicta sæpius cautum fuit, ac recenter in Edicto de 30 Septemb. 1651. in Flandria declaratum fuit, quod administratores bonorum pauperum debeant *singulis annis* rationem suæ administrationis reddere. Extat Edictum *parte 3. Edictorum Flandriæ pag. 31.*

Idem in Gallia præcipiunt Edicta Regia, quæ referuntur in opere cui titulus, *Grande Conference des Ordonnances lib. 1. tit. 2. parte 3. §. 12.* scilicet designati per personas Ecclesiasticas, & patronos laicos coram suis judicibus, vocatis ut minus quatuor è notabilioribus incolis loci aut Parochiæ Qui autem administratores constituti fuerint per communitatem civitatis aut pagi coram judicibus Regiis in præsentia Episcopi vel Archiepiscopi aut ejus Vicarii, vocatis iis qui tunc regimini civitatis aut pagi præsunt. Tenor Edicti est: *Ordonnons que lesdits Administrateurs rendront compte d'an en an, & à la fin de chacune année, à sçavoir ceux qui ont ete commis par les gens d'Eglise, & patron lais, pardevant leurs Juges, appellez les plus apparens habitans du lieu ou paroisse, jusque au nombre de quatre au moins: & les autres qui auront ete commis par les Communautez des villes & bourgades pardevant nos Juges, en la presence de l'Evesque, ou Archevesque ou son Vicaire, appellez les Eschevins, Consellers Capitouls, Consuls ou autres, qui lors auront administration des villes ou bourgades.* Id est Mandamus ut dicti Administratores, annuatim & in fine cujusque anni reddant rationem, videlicet qui ab Ecclesiasticis & Patronis laicis fuerint constituti, coram Judicibus suis, convocatis primariis loci aut Parochiæ incolis ut minus quatuor: qui verò à Communitatibus Civitatum aut vicorum constituti fuerint, coram Judicibus nostris præsente Episcopo, Archiepiscopo aut Vicario, convocatis Scabinis, Consiliariis, Consulibus, aliisve præfecturam Civitatum aut Vicarium tum temporis administrantibus.

VII. Notat ibidem Nicolaus Frerot *nota 17.* quod quæ tum hic, tum de jure cauta sunt de *annua* redditione computus, spectent designatos *simplices* administratores laicos, non autem *Titulares*, sive qui titulo Beneficii habent administrationem; hosque dumtaxat singulis *trienniis* rationem administrationis reddere debere sæpius judicatum fuisse asserit Vide etiam Joannem Tornetium in sua collectione arrestorum *Litt H. cap. 34.*

VIII. Ut autem rationes exactius reddi possint; & à Superintendentibus intelligi queat, num administratio fuerit justa & fidelis; nihilque de bonis hospitalis culpa aut negligentia Administratorum deperditum sit, vult Concilium Viennense in citata *Clementina 2.* ut administratores priusquam administrationi se immisceant, *de locorum ipsorum bonis inventaria conficiant*: quod & jam pridem constitutum erat à Justiniano in *L 32. Cod. De Episcopis & Clericis*; item in *Novella 131. cap. 15.* Quod inventarium non tantum mobilia, sed & omnia monumenta spectantia reditus & bona piorum locorum continere debet, uti citata *nota 17.* monet Nicolaus Frerot.

IX. Ad hæc ut securius bona hospitalium & piorum locorum conserventur, volunt Canones & Leges, quibus & Principum nostrorum Edicta consonant, ut non sine necessitate aut utilitate servatis solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis, bona illa alienentur; ipsæque elocationes fiant ea forma, qua elocationes rerum Ecclesiasticarum; de quibus titulo præcedenti actum est.

X Ut fidelis sit proventuum locorum piorum dispensatio, non sufficit, quod hi in quoscumque pios usus videantur impendi; sed impendendi sunt ad determinatum usum pium ad quem ipse Fundator destinavit. Unde Concilium Viennense expressè declarat, *ea quæ ad* CERTUM *usum largitione sunt destinata fidelium, ad* ILLUM *debent, & non alium, converti*; idipsum vult Synodus Tridentina *sess. 25. cap. 8. De Reform.* eandem constitutionem Concilii Viennensis innovans.

XI. Si itaque in usum pauperum infirmorum fundatum sit Nosocomium, in eum usum impendendi sunt proventus, contingetque eos infideliter impendi, si non pauperum *infirmorum*; sed *sanorum* usui impendantur: nisi in quantum ipsi *sani* in nosocomio infirmis sunt necessarii.

Unde Synodus Arelatensis anno 1260. *Can. 13.* deplorans quod bona hospitalium per Rectores eorum in *proprios* usus converterentur, ita ut nihil pauperibus ministraretur, voluit ut de cætero regimen committatur aliquibus, ibidem Domino famulantibus & vitam communem agentibus, nihil sibi aut suis præter *victum & vestitum*, de omnibus eleemosynis hujusmodi hospitalium retinentibus.

XII. Conqueritur insuper Synodus Parisiensis anno 1212. *parte 3. Can. 9* quod "cùm pauci sani possint mul-

"tis

„ tis infirmis competentius ministrare, illud indignum „ esse, ut numerus sanorum ibidem manentium excedat „ numerum infirmorum aut peregrinorum.

Rationem subjicit: "Bona etenim ibidem ex devo„ tione Fidelium collata, non sunt sanorum usibus de„ putata, sed potius infirmorum.

XIII. Huic abusui ut obviarent Fundatores, frequentiùs certum numerum Fratrum & Sororum, quem infirmis aut peregrinis inserviendis credebant sufficientem, præfixerunt.

Anno 1215. Stephanus Episcopus Novionensis fundans hospitale, præfixit numerum quinque Fratrum conversorum Laicorum, & tredecim Sororum, eumque numquam excedi volens; uti habetur *tom.* 13. Specilegii Dacheriani. pag. 334. Meminit Renatus Choppinus lib 3. De S. Polit *tit.* 5. *num.* 6. cujusdam hospitalis anno 1419. fundati à quodam Berlino, ea conditione, ut ibidem unus Prior cum novem Religiosis, nimirum quatuor Capellanis, & quinque Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini, ministraret.

In Litteris Honorii III. quibus cura Leprosariæ ad muros urbis Lovaniensis vulgò *Ter-Banck* committitur directioni Abbatis Villariensis, expresè cavetur, quod numerus Fratrum & Sororum ibidem Leprosis ministrantium numerum novennarium excedere nequeat.

Plures indubiè hujusmodi præscripti limites reperientur si litteræ fundationum excutiantur.

XIV. Episcopus Tornacensis anno 1233. uniens famosum hospitale in Civitate Gandensi, vulgò *Byloca* dictum, Monasterio Monialium Ordinis Cisterciensis, expresè cavit, quod quamvis proventibus abundaret, non reciperentur nisi *pauca* Moniales, ita ut numerum non excedant viginti quinque, nisi ex evidentissima & urgenti causa, & conversæ Sorores ibidem non recipiantur nisi *pauca* quæ sufficere possint ad ipsius hospitalis ac Monasterii ministeria obeunda.

XV. Sed ne hi qui sive in spiritualibus, sive corporalibus inserviunt, liberalius quam oportet, in suos usus convertant hospitalium proventus, certa quantitas proventuum nonnumquam pro victu & vestitu aliisque necessariis ipsis assignari & taxari consuevit.

Et quidem in Gallia Edicto Regio de anno 1561. decretum fuit, ut per judices locorum taxaretur certa summa pro illo, qui hospitale aut leprosariam possidet in titulum; quodque similiter taxaretur summa pro victu & vestitu Religiosorum qui in hospitalibus ad ministrandum infirmis morantur, danda ipsis ab Administratoribus. Verba Edicti sunt: *Ordonnons & enjoignons aux Juges des lieux arbitrer & taxer dedans un mois pour tous delais, à tous ceux qui se pretendront Titulaires, de quelque qualité qu'ils soient, & quelque provision qu'ils ayent obtenu, soit de nous, à la nomination de nostre grand Aumosnier ou autrement, certaine somme pour leur vivre & vestaire seulement, eu egard au revenu de l'Hospital ou Maladiere, laquelle somme à quelque revenu que se puisse monter led. Hospital ou Maladiere, n'excedera la somme de sept vingts livres tour. par chacun an, à prendre & recevoir par les mains des Administrateurs, la somme qui sera taxée, à la charge de faire le Service divin, & administrer les Sacrements aux pauvres en personne, comme leur Office & devoir le requiert. Entendons toutes fois qu'és lieux où il y a Religieux ou Religieuses, les fondations soient gardées & entretenues, & pour leur vivre & commun vestiaire seulement, somme certaine soit taxée, laquelle leur sera distribuée & payée par les mains des Administr. teurs.* Id est. Mandamus & injungimus Judicibus locorum, ut intra mensem, nec diutius differant, omnibus qui se titulares asserent cujuscumque qualitatis fuerint, & qualemcumque obtinuerint collationem sive à nobis per nominationem supremi nostri Eleëmosynarii, sive alio modo, decernant & taxent certam summam pro victu & vestitu tantùm, habita ratione redituum domus hospitalis aut Nosocomii, quæ summa, quanticumque sint reditus dictæ domus hospitalis aut Nosocomii, non excedet centum quadraginta libras *Turonenses* annuatim percipienda recipiendaque per manus Administratorum, prout taxata fuerit; sub onere persolvendi Officium divinum, administrandique per se Sacramenta pauperibus ut munus ipsorum & Officium requirit. Volumus nihilominus ut in locis in quibus sunt Religiosi aut Moniales, Fundationes observentur & conserventur, quo ipsorum victu & communi vestitu tantùm, determinataque summa taxetur quæ per Administratores ipsis distribuetur & persolvetur.

Deinde *art.* 3. addit: *Le surplus du revenu desdits hospitaux, maladeries & autres lieux pitoyables sera entierement employé à la nourriture & necessitez desd pauvres, reparations & entretenemens des bastimens edifices & autres choses necessaires.* Id est. Quod superest ex reditibus dictarum domuum Hospitalium aut Nosocomiorum aliorumque locorum piæ Fundationis penitus convertetur in alimentationem & necessitatem dictorum pauperum, reparationes & ædificiorum conservationem, ædificationes, aliaque necessaria.

XVI. Conformiter ad hoc Edictum anno 1567. dictum fuit per arrestum Curiæ, quod Priori hospitalis fundati ab Arnulpho Berlino, daretur summa 140. librarum tamquam titulari; & cæteris Religiosis darentur necessaria ad victum in specie per Administratores. Verba arresti prout refertur apud Choppinum De Sacra Polit. *lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 6. *in notis*, sunt: *Et aura le dit Prieur 140. livres de taxe comme titulaire, suivant l'edict des hospitaux du Moy Avril 1561. Et que par la main desdits Gouverneurs, les autres Religieux & Religieuses seront administrez en espece de pitance, bleds, vins, & autres choses à eux necessaires.* Id est. Habebitque dictus Prior 140. libras secundùm taxam tanquam titularis, juxta Edictum concernens domus hospitales datum mense Aprili 1561. & per supradictos Præfectos cæteris Religiosis & Monialibus dabitur in forma obsonii aut pitanciæ, frumentum, vinum aliaque necessaria.

Similia arresta quibus portio insumenda in victum & vestitum Ministrorum taxata fuit, profert Joannes Tornetius in sua collectione arrestorum *litt. H. c.* 34.

XVII. Meminit hujus gallicanæ disciplinæ Zypæus *Consult.* 2. *n.* 1. *De Religiosis domibus*, additque. *Quod apud nos non obtinet, sed ubique fundationum termini attenduntur.*

Verum licet in Belgio non habeamus Edicta Regia quibus similis taxa præscribitur, nihilominus illud observandum, ut juxta fundationum terminos, proventus hospitalium impendantur in usus pauperum; neque ultra necessaria ministris impendantur.

XVIII. Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. parte 3. tit. *Quæ ad pia loca pertinent* statuit: "Quæ „ porrò eleemosynæ pauperibus, aut singulis etiam sive „ hominibus sive familiis quavis ratione debentur, ne „ in alium cujusque rei usum, ac ne in Ecclesiæ quidem „ instaurationem ornatumve eas erogari liceat, nisi & „ eorum quorum interest consensu, & Episcopi præterea concessu eoque litteris exarato.

XIX. Porrò contingere potest, ut loca quædam pro personis certo morbi genere infectis fundata sint, isque morbus certis temporibus cesset; ideoque non reperiantur quibus juxta litteram fundationis proventus locorum impendendi essent: quo casu ne pia fundatorum intentio suo frustretur effectu, voluit Synodus

dus Tridentina *Sess. 25 cap. 8. De Reformat.* ut tunc arbitrio Episcopi cum duobus de Capitulo in usum, qui eorum institutioni proximus est, convertantur. Verba Decreti sunt: "Quod si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco & tempore utilior, convertantur, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit; nisi aliter fortè, etiam in hunc eventum, in eorum fundatione aut institutione fuerit expressum quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus, aut, si id non possit, ipse prout supra, utiliter provideat.

XX. Quod hic Concilium dicit de usu institutioni hospitalium *proximiori*, non scrupulosè intelligendum esse, sat innuit ipsum Concilium, dum addit, *pro loco & tempore utilior*. Mens Concilii in formatione hujus Decreti unicè fuit prohibere, ne qui possident hospitalia omnes fructus in usus proprios convertant, sub prætextu quod non inveniantur infirmi juxta institutionem hospitalis; uti declarasse S. Congregationem refertur ad calcem *capitis 8*.

XXI. Sed quod hæc Fundationum mutatio committatur arbitrio Episcopi cum duobus de Capitulo, dubito num hic in Belgio indistinctè admittatur; præsertim si de Laicalibus fundationibus agatur. Neque enim facilè permitterent Judices Regii, ut sine eorum interventu similes commutationes absolverentur. Unde prævie ad publicationem Concilii Tridentini, ad *cap. 6. sess. 22.* quo commutationes ultimarum voluntatum committuntur Episcopis locorum tamquam Sedis Apostolicæ Delegatis, hæc nota apposita fuit: "Hanc auctoritatem negant Concilia, umquam in Belgio competiisse Judicibus Ecclesiasticis.

XXII. Quapropter si de commutatione alicujus fundationis, præsertim notabilis agatur, consultius est, ut consensui Episcopi accedat consensus Regius; atque utraque auctoritate commutatio firmetur.

In Gallia Edicto Regio anni 1672. Ordini militari S. Lazari uniti sunt proventus eorumque administratio perpetua omnium aliorum Ordinum Hospitalariorum, qui aliquando in Regno Galliæ fuerunt, & de facto extincti sunt. Ulterius eidem Ordini data est administratio omnium leprosariarum, & hospitalium in quibus hospitalitas cessavit, sive illa in titulum, sive in administrationem possiderentur; idque sine obligatione reddendi computum de iisdem proventibus. Ex omnibus his proventibus Rex instituit plures Commendatarias, quas ipse Rex tamquam Caput Ordinis pleno jure confert Officiariis & militibus huic Ordini adscriptis: easque etiam pensione aliqua in favorem aliorum Officiariorum gravare potest. Ordo ipse expensas suppeditare debet pro hospitalibus militaribus & locorum limitaneorum; & in sustentationem leprosorum, si qui reperiantur. Ita refert Fleury *lib. 2. Instit. Juris Can. cap. 30.*

CAPUT V.

Qui ad hospitalia recipiendi & quid circa Mendicos habeant Principum Edicta; & quomodo regenda?

1. *In receptione pauperum non sola egestas attendenda.*
2. *In hac receptione privatus affectus seponendus.*
3. *Nebulonibus & histrionibus, & morbum simulantibus hospitalia patere non debent.*
4. *Validi Mendici ad hospitalia non recipiendi.*
5. *Etiam à communibus eleemosynis hujusmodi mendici excludendi.*
6. *Opificiis simus potius applicandi.*
7. *Hujusmodi Mendicos semper admodum odiosi fuere.*
8. *Constitutio Imp. Valentiniani contra* validos *Mendicantes.*
9. *Novella Justiniani eosdem coercens.*
10. *Veteres Gallorum leges contra* validos *Mendicantes.*
11. *Edicto Principum nostrorum* Validi *& sufficientes ut labore manuum victum acquirant, mendicare vetantur.*
12. *Officiarii locorum frequenter accedere debent ad loca in quibus similes Mendici convenire solent.*
13. *Officiarii Mendicos qui corporum infirmitatem præferunt visitare possunt; & fingentes morbum puniendi.*
14. *Peregrini qua cautione, & pro quo tempore ad Hospitalia recipiendi.*
15. *Quanta mala inferat inertia Magistratuum in exequendis his Principum Edictis.*
16. *Edicto Caroli V. omnibus generaliter vetitum fuit* mendicare.
16. *Vetitum parentibus permittere proles mendicare & in singulis locis constituendi qui invigilent.*
18. *Optandum ut hujus Edicti haberi posset executio.*
19. *Quomodo Civitates se à* validis *Mendicantibus liberare possent.*
20. *Ut pauperibus aliunde quàm per mendicitatem provideretur desideravit Carolus V.*
21. *Ob difficultatem providendi pauperibus de necessariis subsidiis executionem non habuit Edictum.*
22. *In recentioribus Edictis mendicitas cum certis limitationibus tolerata.*
23. *Paupertas & insufficientia ad lucrandum victum probari debent.*
24. *Edicta Principum nostrorum mendicare non permittunt extra locum originis & habitationis.*
25. *Hac conformia antiquis Canonibus qui volunt ut unaquaque civitas suos pauperes alat.*
26. *Idipsum cautum in Capitularibus Regum Francorum.*
27. *Major cura & præsertim in spiritualibus circa pauperes haberi posset, si vagari non permitterentur.*
28. *Quid S. Carolus statuerit pro cura spirituali pauperum.*
29. *Ad dedicationes, convivia nuptualia aliasque similes solemnitates mendici accedere vetantur.*
30. *Vetantur mendicare in Ecclesiis.*
31. *Tenentur se conformare statutis locorum vetantibus mendicitatem, aut eam ad certum locum aut tempus limitantibus.*
32. *Quorumdam locorum statuta vagam & ostiatim stipem emendicandi licentiam vetantia.*
33. *Horum statutorum æquitas vindicatur à Jurisconsulto Brugensi.*
34. *Ut honestas in hospitalibus servetur, persona utriusque sexus separanda.*
35. *Hæc separatio etiam servanda in locis piis ad educationem puerorum destinatis.*
36. *Quid de hac re senserit Gersonius & Salesius?*
37. *Singulariter attendendum qui pueris præficiantur.*
38. *Pueri opificiis applicandi, ne mendicare cogantur.*
39. *Rectores hospitalium curare debent, ut quoad corporalia & spiritualia ipsis pauperibus bene sit.*

Rectores

I. Rectores & adminiſtratores hoſpitalium imprimis attendere debent, ſe non eſſe dominos proventuum illorum locorum, ſed nudos & ſimplices diſpenſatores: neque proventus illos in ipſorum commodum aut uſum eſſe à Fundatoribus primariò deſtinatos; ſed in pauperum ſublevamen; eamque diſpenſationem eſſe faciendam juxta leges juſtitiæ diſtributivæ in illud pauperum genus, in quod ipſe Fundator proventus impenſos voluit. “In hoc autem pauperum delectu, non egeſtatis inopiæque ſolùm, ſed morum etiam, ac vitæ probitatis ratio habeatur; “ait S. Carolus in Concil. Mediol. V *parte 3. tit. Quæ ad pia loca pertinent* Idipſum Synodi noſtræ Belgicæ in diſpenſatione eleemoſynarum Menſæ S. Spiritus obſervari volunt, uti ſupra *parte 1. tit. 5. c. 3.* oſtenſum eſt.

Si quas forſan ſpeciales inſuper qualitates aut conditiones requiſierit in admittendis ipſe Fundator, & has ipſi Rectores & Adminiſtratores, tamquam fideles diſpenſatores, & executores attendere tenebuntur.

II. At infidelis eſt diſpenſatio, magnuſque abuſus, quem meritò damnat Synodus Colonienſis anno 1536. *parte 11. cap. 6.* “quo in quibuſdam locis fit, ut neglectis miſeris ac inopibus quibus hoſpitalia dedicata ſunt, *ex privato affectu* Magiſtrorum, aut Magiſtratuum, qui hoſpitalibus hiſce præſunt, non modò validi, ſed & quibus victus & veſtitus ſuppetit, recipiantur tantùm quod illic commodius & in otio vivatur, qui certè aliter cenſeri non poſſunt, quàm pauperum deprædatores, raptoreſque, de alieno viventes, ac velut ex ſanguine pauperum ſaginati.

III. Adhæc attendendum eſt Rectoribus hoſpitalium aliorumque piorum locorum, “ne ea loca quæ pauperum & peregrinorum ſubſidio ſunt addicta, aleatoribus, hiſtrionibus atque id genus nebulonibus pateant, “ait Synodus P. II. Cameracenſis *tit. 15 cap. 14.* Idipſum monuit S. Carolus in ſuo Concilio Mediol. I. *parte 3. tit. De piorum locorum adminiſtratione.*

Addit præterea S Carolus; ne Mendicis morbum ſimulantibus domorum hoſpitalium aditus pateat.

IV. Cum enim hujuſmodi loca eorumque bona alendis pauperibus & infirmis ſint unicè deſtinata, meritò ab iis repelluntur “Mendici validi & robuſti, qui manuum labore ſe ipſos ſuſtentare poſſunt; ne miſerabilium perſonarum alimenta ab ignavis ac deſidioſis impiè abſumantur, “uti loquitur Concilium Bituricenſe anno 1584 *tit 43. can.* 4. volens, ut hoſpitalia his ſolis pateant, qui præ ægritudine, ſenio aut corporis imbecillitate victum ſibi parare non poſſunt.

V. Synodus Colonienſis anno *1536. parte* 11. *cap. 5.* ait: “Sint autem Mendicantibus *validis* non ſolùm hoſpitalia clauſa, ſed & publicè ac oſtiatim mendicare penitus interdictum. Et qui ſecus agere comperti fuerint arceantur, ac Legalibus noſtriſque conſtitutionibus comprehenſis pœnis ſubdantur. Utilius enim eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurius juſtitiam negligat, quam eidem frangitur, ut ſeductus injuſtitiæ acquieſcat.

VI. Idipſum & aliæ paſſim Synodi inculcant; additque meritò Synodus Burdigalenſis anno *1583. tit.* 28. “Compellanturque à Magiſtratibus ſe potius in aliqua arte exercere, vel manuum labore honeſtum vitæ ſubſidium quærere, quàm immeritis eleëmoſynis ignaviam ſuam alere.

Voluit Similiter S. Carolus loco citato, ut hujuſmodi mendici moneantur, “ut ſe in arte aliqua potius exercentes inde ſibi honeſtum vitæ ſubſidium comparent, quam ignaviæ ac deſidiæ dediti, oſtiatim in triviis, & in templis miſerrimè mendicent. Si id recuſaverint, curent Epiſcopi ut ejiciantur.

VII. Hujuſmodi *validi* Mendici admodum ſemper odioſi, & tamquam Reipublicæ pernicioſi habiti fuere, eoſque etiam ipſi Romani Imperatores, non tantùm eleemoſynis indignos, ſed etiam tamquam Reipublicæ peſtes ſunt execrati, & publicis legibus coercuerunt.

VIII. Extat de his Conſtitutio Imperatoris Valentiani Junioris de anno 381. in *L. unica Cod. De Mendicantibus validis lib* 11. & in Codice Theodoſiano *lib. 14. tit. 18.* ubi oſtendit Jacobus Gothofredus, quod “mens ſeu ſententia Valentiniani iſthæc unica ſit, ut inertes hujuſmodi & abſque ulla debilitate miſerarios Urbe Roma ſubmoveat, vicoſque publicos; urbemque adeò hiſce mendicabulis liberet, atque incondita turba, inutilique pondere terræ.

Turbam magnam hujuſmodi validorum mendicorum tunc temporis Romam affluxiſſe, & qua occaſione id contigerit, ibidem oſtendit Gothofredus.

IX. Memoranda, & meritò notanda eſt de his Conſtitutio Juſtiniani Imp. in *Novella* 80. Cum enim plurimi Conſtantinopolim confluerent, Quæſtorem inſtituit Juſtinianus, qui inquireret in peregrinos, & cauſas adventus eorum: ſi lites, velociter eos, præſertim agricolas, eripi difficultatibus curaret, & contentionibus ſopitis remitti in ſuas Civitates & Provincias. Illis porrò qui negotium ibi non haberent excedere compulſis. Mendicantes verò ait *cap.* 5. “Si hujus terræ (id eſt *indigenæ*) fuerint, & corporibus quidem *validis* utantur, vitæ autem eis decens non eſt occaſio: hos non fruſtra eſſe *terræ onus* permittere, ſed tradere citiùs eos operum publicorum attinet artificibus, ad miniſterium, & præpoſitis panificantium ſtationum, & hortos operantibus, aliiſque diverſis artibus, aut operibus, in quibus valent ſimul quidem laborare, ſimul autem ali: & ſegnem ita ad meliorem mutare vitam.

„Si verò aliqui noluerint obſervire operibus quibus traditi ſunt, hos ſectari hac Regia civitate: parcentes enim eis, hoc ſancimus: ut non ſegnitie eos ad illicitos actus impellente, leges eos abripiant ad pœnas, noſtris tradentes judicibus, Læſos autem aut læſas corpore, aut canice graves, hos ſine moleſtia eſſe jubemus in hac noſtra civitate, aut piè agere volentibus adſcribendos: & aliorum ſingulos interrogare qua venerint gratia: & inquiſitis, quæ digna ſunt ſuper eis agere, ut non pigri hic ſedeant, ſed competentia agentes, ad proprias revertantur provincias.

X. Beatus Rhenanus lib. 2. Rerum German. *pag.* 95. inter alias leges Francorum hanc refert: “Mendici per regiones vagari non permittantur. Suos pauperes quæque civitas alito. Illis, niſi manibus operentur, nullus quidquam dato. “Extat quoque ſimilis lex *lib.* 1. *Capitularium Regum Francorum cap.* 118.

XI. Principibus noſtris non minus odioſum fuit hoc pernicioſum hominum genus, ut ex ipſis Edictis cognoſcere poſſumus.

Imprimis Edicto de 8. Junii 1559. (extatque *parte 2.* Edictorum Flandriæ *lib* 1. *Rubrica* 3.) vetatur, ne ullus ſive incolæ, ſive exteri *validi* corpore, & ſufficientes ad laborem, ut victum ſibi parare queant, ſub quocumque prætextu poſſint diſcurrendo in pagis vel civitatibus mendicare, aut apud ſeculares aut Eccleſiaſticos expenſas facere, abſque earum ſolutione ſub pœna fuſtigationis, & ſtigmatis in dorſo aliave arbitraria. Verba Edicti ſunt: *Dat niemant vvie hy ſy Inlantſche noch Uytlant-*

Uytlantsche, hunne ghesonde leden hebbende, ende soo ghestelt zynde dat sy tot eenighen arbeyt mogen bequaem zyn om den cost te vvinnen, en zullen mogen Rabauts-ghevvyse, oft onder t' decxsele van vverck te zoecken oft andersins achter Lande gaen in Steden oft in Dorpen, biddende heurlieder Broodt, oft opde goede lieden. Gheestelicke, ofte Weerlicke, gaen teeren zonder hunnen Cost te betaelen, op peine voor d' eerste reyse van ghegheesselt ende met een bernende Yser op hunnen Rugghe gheteeckent ty zyne, oft voor eenen tydt op de Galeyen ghesonden, oft in ghemeine vvercken ghestelt, oft anders arbitrairlick ghestraft te vvorden. Ende indien sulcke Persoonen ten platten Lande bevonden vvorden met Waepenen, oft gheyserde Stocken gaende, oft in sulcke gheselscap, oft maniere, dat sy de goede Lieden souffissante oorzaecke gheven, van hen bevreest te zyne, oft eenig ghevvelt, overvvillighe vvorden, ende dreigementen te ghebruicken, oft hunne peerden oft Hoornebeesten steelden oft vvech leyden, zunderlinghe uuyt de Weide by nachte, oft andersins in hunne beesten, Huysraet, ende ander Goedt schaede oft onvville deden, van alsdan aen hun Lyf, oock met de Galghe: Oft indien sy jemandt dreechden te verbranden, oft in openbaere vveghen beroofden, met den Viere ghepuniert, ende ghestraft te vvorden. Id est. Nemini quibuscumque fuerit, sive incolæ sive extraneo, & corpore valenti, atque ita disposito ut labori sit aptus quo cibum lucretur, licebit scurrili more aut titulo quærendæ operæ, aut aliàs per agros discurrere, aut in Civitatibus & Pagis mendicare, aut honestis hominibus seu Ecclesiasticis seu Secularibus sumptu tueare nec persolvere. Pro primo delicto flagellationis & inurendi stigmatis, aut triremes ad tempus aut operas publicas damnationis aut alia arbitraria pœna interdictum esto. Si autem tales in agris deprehendantur armati, aut incedentes baculis ferro præfixis, aut tali in consortio & habitu ut probis sufficienter timoris ansam præbeant, seu vi quidquam moliantur, contumeliis proscindant, minas intentent, equos aut armenta furentur & abigant, præcipuè noctu ex pascuis aut alio demum modo pecoribus suppellectili aliisque cujusquam bonis detrimentum aut incommodum inferant, tum pœna in corpore etiam laqueo plectantur: si autem & incendium minarentur, aut in viis publicis grassarentur ignis supplicio in eos animadvertatur.

Idipsum repetitur in Edicto Alberti & Isabellæ de 28. Septemb. 1617. *art.* 1. extatque in eodem libro & eadem Rubrica. His addi potest Ordinatio Philippi Boni de 14. Augusti 1459 *art.* 1. quæ habetur parte 4. Edict. Brab *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 3.

XII. Utque Officiarii locorum facilius hujusmodi validos & vagantes mendicos deprehendant, mandatur Officiariis, ut frequenter accedant ad annua aut hebdomadalia fora templa hospitalia, dedicationes & loca in quibus hujusmodi hominum genus congregari solet. Verba Edictorum de an. 1519. & 1617 sunt: *Ende ten eynde dat de Schouteren Baillivven ende andere Officieren vande Steden ende vanden platten Lande dies te beter gheinformeert ende gheadverteert moghen vvesen, vvaer dat sulcke Landtlopers ende Quaetdoenders zyn. Wy ordonneren hun dat een jeghelick van hun in sin districk respectivelick hem dickmael vinde op de vrie ende ordinarisse Merckten, in de Kercken, Gast-huysen ende Godts huysen, Bruilosten, Kermessen ende diergelicke vergaderinghen ende Feesten daer zulcke luiden ghevvoonlick verkeeren, ende daer sy hun zullen meinen te vinden, om die te vanghen, ende teghen hun te procederen naer d' inhouden van dese onse ordonnantie.* Id est Et ut Prætores, Præfecti, aliique Administri tam Urbani quàm Forenses exactiùs edoceantur & moneantur ubi vagi tales & facinorosi homines degant. Mandamus ut quilibet ipsorum in Districtu suo respectivè, frequenter intersit Nundinis liberis & consuetis, ad Templa, Xenodochia, domosque Hospitales, Nuptias, Dedicationes similesque Festivos conventus se conferat, ad quæ istiusmodi homines solent confluere, ut eos comprehendant, & juxta hujus Edicti tenorem contra eos procedat.

XIII. Et quia similes vagabundi & otiosi homines frequenter simulant morbos, aut fingunt vulnera, vult prædictum Edictum de anno *1617. art.* 12. ut Officiarii adhibitis medicis & chyrurgis ipsos visitent; & si deprehendant fictionem, etiam criminaliter adversus ipsos procedant. Verba sunt: *Voorts om te voorsien teghens het bedrog dat de Bedelaers ende Bedelersen ghevvonelick sin voorts te stellen, hun ghelatende oft sy met eenighe sieckten gequelt vvaeren oft anderssints ghedebiliteert, hoe vvel dat zy dat niet en syn, hebben vvy gheordonneert ende ghestatueert, Ordonneren ende statueren dat ten versoecke van de respective Officiers van de plaetsen de voors. Bedelaers ende Bedelerssen zullen ghevisiteert vvorden door ghesvvorenen Medecyns ende Chirurgiens, ten eynde dat de ghene die bevonden zullen vvesen hun ghelaten te hebben sieck te syn van sulcke sieckte creupelheydt oft andere Kranck-heyt, rigoreuselick gheexamineert ende criminelicken gestraft vvorden naer de circonstantien ende gheleghentheyt van de zake.* Id est. Cæterum ad occurrendum fraudibus quibus Mendici & Mendicæ solent imponere, fingentes se morbis quibusdam vexatos aut alio modo debiles, quantumvis falsò. Mandavimus & decrevimus, mandamus & decernimus, ut ad postulationem Præfectorum locorum respectivè, dicti Mendici & Mendicæ per Medicos & Chirurgos Juratos examinentur, ad eum finem ut qui deprehensi fuerint morbum aliquem, claudicationem, aut infirmitatem quamplam simulasse, rigorosè interrogentur, & attentis circumstantiis & qualitatibus causæ, ut criminis rei puniantur.

XIV. Sub his Edictis nequaquam comprehenduntur honesti homines non soliti mendicare; sed peregrinationis aut alia honesta causa de uno ad alium locum itinerantes; poteruntque hi in hospitalibus & piis locis *una nocte* morari juxta Edictum Caroli V. de 7. Octob. 1531. quod habetur parte 1 Edict. Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1. hâc tamen cautione, quod priusquam à Magistris hospitalium recipiantur, debeant accipere signum consuetum à Deputato Eleemosynario. Verba Edicti sunt: *Item dat gheen vreemde oft uytlandige persoonen om aelmoessen en sullen moghen bidden, op gelicke peine ende correctie Behoudelick dat eerbaer lieden (niet ghevvoonlick te biddene, passerende haeren vvegh in pelgrimage oft andere verdienstighe vvercken) sullen mogen logiren in Gast-huysen ende Gods-huysen eenen nacht alleenlick, op de peyne als voren Ende om by den Meesters oft Meestressen van den voorseyden Gast-huysen ontfanghen te vvorden, sullen ghehouden vvesen te vercryghen ende heml, te presenteren iyctecken van den Officieren ofte gecommitteerde tot der charitate, van der plecken inden vvelcken zy sullen vvillen logieren.* Id est Item quod nulli peregrino eleemosynas emendicare licitum erit: simili pœna & correctione decreta. Salvo tamen ut personis honestis (nec mendicare consuetis per vias transeuntibus in peregrinationem, aut alia meritoria opera obeuntibus) indulgeatur hospitium in Xenodochiis & domibus hospitalibus unâ dumtaxat nocte, aliàs eadem ut supra pœnâ constituta. Ut verò à Magistro seu Magistra recipiantur, tenebuntur eis exhibere signum consuetum Præfecti aut Deputati Eleemosynarii, locorum in quibus hospitari decreverint.

Idipsum habetur in Edicto ejusdē Caroli de 22. Dec. 1515. & extat Parte 1. Edict. Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* I. addita cautione, quod singulis vicibus debebunt habere testimonium præcipui Officiarii loci è quo exierunt peregrinationis causa, continent testimoniū vitæ & regiminis, & causam peregrinationis; neque aliquis ipsorum poterit recipi in aliquo publico diversorio. Verba

Edicti

Edicti sunt: *Et quant aux vrais Pelerins, Passans en & par nosdicts Pays, ils se pourront loger & herberger ès Hospitaulx à ce ordonnez une nuyct seulement: en ayant en chascune fois certification & enseignement de l'Officier du Lieu ou ils seront partis pour faire leurdict pelerinage contenant tesmoignage de leur vie & regime, & la cause pourquoy i s font lesdicts Pelerinages: & ne pourront nuls d'eulx estre logez en aucunes Hostelleries.* Id est. Et quoad eos qui verè peregrini sunt, iter per regiones nostras facientes, una dumtaxat nocte in domibus hospitalibus ad id constitutis commorari poterunt, modò habeant in singulas vices testimonium & indicium Præfecti locorum unde profecti sunt ut peregrinationem susciperent, quo vitæ & morum testificationem, & causæ itineris suscepti exhibebunt, nec poterit aliquis eorum in diversorio ullo, hospitio excipi.

Supra citata Ordinatio Philippi Boni *art. 29.* similibus personis itinerantibus & peregrinis in pagis quidem non nisi *una* nocte; sed in civitatibus *duabus* noctibus & *una* die morari permittit; hac tamen conditione, quod semper recto itinere ad locum destinatum suæ peregrinationis procedant.

XV. Jodocus Damhouderus famosissimus Jurisconsultus in sua praxi criminali *cap. 112.* reflectens ad Principum nostrorum de coercendis *validis* Mendicantibus Edicta, deplorat "multorum Judicum inertiam, „ quæ quosvis & ubilibet locorum mendicare permit„ tit, qui eleemosynis non egent, sed otium dumtaxat „ sectantur & voluptates, & ubicumque pulchram in„ terim occasionem nanciscuntur, ibi ne à maleficiis „ quidem temperant, quorum maleficiorum causam „ præbent Officiariorum supina inertia, & corripien„ dorum pauperum pertinax tædium.

Dein subjicit "Optarem hic nostram Christianorum „ pietatem æquiparari posse Turcis & Ethnicis, apud „ quos nulli fas est ita mendicare ostiatim, sed unaquæ„ que civitas suos alit pauperes, & verè pauperes: otio„ sos autem cogunt ad labores.

XVI. In præcitato Edicto de 7. Octob. *1531, art. 10.* cautum fuit, ut nemo quomodocumque, sive publicè sive occultè sub quocumque prætextu mendicet sub pœna jejunii in pane & aqua, ac deinde correctionis arbitrariæ, exceptis Religiosis, Mendicantibus & Leprosis; ita tamen ut signis suis consuetis discriminentur. Verba Edicti sunt: *Dat niemandt, het zy mans oft vrouwen, bemlieden en voorderen van nu voortaen te bidden, oft aelmoessen te begheeren, by daghe ofte by nachte, heymelick nochte openbaer, ob de straten, in de Kercken, nocht in oft voor die husen van den goeden lieden, in wat manieren dat het zy: op de peyne in dien jemandt die contrarie dede voor deerste reyse ghevanghen te worden, ende gestelt tot water ende broodt, tot discretie van onsen officieren rechteren ende wethanders, oft andere persoonen de last hebben zullen van deser onser ordonnancie, in der plecken daer t'selve ghebueren zalde: voor de twede reyse, van gestraft ende gecorrigiert te worden ter discretie als voren. Uytgenomen ende hier af ghereserveert den religieusen mendicanten, de ghevangenen ende lazarussen ende melaetschen, de welcke om aelmoessen zullen moghen bidden zo zy ghewoenlick zyn, hebbēde de voorseyde lazarussen haere hoen, handtschoenen, mantels ende andere tekenē zo dat behoort.* Id est, Ut nemo seu vir seu fœmina mēdicare audeat aut stipē corradere, diu aut noctu, clam aut palam, in plateis, in domibus aut præforibus honestorū hominum, aut quocūque modo: edicta primū in delinquentes incarcerationis pœna, & ut pane & aqua macerentur ad arbitrium administrorum Judicum & Præfectorum nostrorum, aut aliorum quibus incumbet cura Edicti hujus nostri observandi, in locis ubi simile quid contigerit. Iteratum delictum ad arbitrium ut supra punietur & corrigetur. Hinc tamen exceptis Religiosis mendicantibus captivis, leprosis & Elephantiacis quibus licitum erit eleemosynam ut consueverunt rogare, dictis leprosis pileo, manicis, pallio, aliisque notis, ut oportet, discretis.

XVII. Præcipitur quoque parentibus, ut pueros suos à mendicitate cohibeant sub pœna quod virgis corrigentur & arbitrio Magistratuum.

Dein ut in singulis locis, unus pluresve à Magistratu satellites constituantur, qui transgressores apprehendant.

XVIII. Sanè attentis incommodis quæ mendicitas, tam ipsis Mendicis, quàm Reipublicæ adferre solet, non dubium, quin optandum esset, ut hic articulus Edicti servaretur, laudatque non immeritò Zypæus in suo Judice *lib. 3. cap. 10. n. 4.* Confœderatarum Provinciarum „ civitates, & præsertim Amsterodamensem, "quæ non „ patiuntur aliquem publicè mendicare, sed debilibus „ & infirmis necessarias eleëmosynas procurant, vali„ dos in loca publica cogunt, quorum præfecti singulis „ pensa præscribunt pro artis suæ peritia, quam si nul„ lam norint, alia imperant, quæ nullo vel levi artificio „ expediuntur; victum interim & amictum præbent: & „ si frugis bonæ apparuerint, etiam lucellum.

XIX. Subjungit dein Zypæus memorabile factum Alostensium, quod utinam plures civitates sæpius imitarentur, non dubium quin à se validos & vagabundos mendicantes, non secus ac Alostenses penitus abigerent, „ Nuper (ait Zypæus) Alostenses omnes undique ad„ venas validos mendicantes fossis, quæ urbem cingunt, „ purgandis devoverunt, atque ita opus publicum mi„ nimo sumptu perfecerunt, vitia otiosorum minuerunt „ quin imò id obtinuerunt, ut brevi eum locum mendi„ cantes ut charibdim vitarent, & aliò declinarent, ubi „ eos labor improbus non vexarent.

XX. Carolus V. ut Edictum suum executioni mandare posset; nec tamen veris pauperibus invalidis & infirmis sua deessent necessaria, multa de procurandis pauperum subsidiis eodem Edicto disposuit; atque inter alia, ut omnium eleemosynarum, mensarum S. Spiritus, & similium charitativarum largitionum esset communio, fieretque una bursa, & judicio Curatorum & Præfectorum, eorum, qui à Magistratibus deputarentur, fieret distributio. Verba *articuli 15.* sunt: *Endoom te subvenieren den armen ziecken ende andere niet machtigh wesende haer broodt te winnen, noch anders hebbende om op te levene die bevonden sullen worden woonende in elcke stadt ofte dorp in onsen landen: ordineren wy dat van allen charitaten, tafel van huys armen, Gast huysen, Broerschappen ende andere hebbende obyten ende distributien van provenen ende aelmoessen, ghemaeckt zal worden een ghemeene borsse, om den armen daer af distributie te doene, by advys vanden Meesters ende Gouverneurs van den voorschreven tafelen vanden armen; van den Gast-huysen ende Broederschappen, metsgaders van die ghenen die de Officieren ende Wethanders in elcke stadt, parochie ofte dorp zullen willen deputeren ende committeren tot voorderinghe vander charitate, inder manieren hier na verclaert. Behaudelicken dat de aelmoessen ghefondeert voor Geestelicke persoonen, als Mendicanten ende anderen, ghedistribueert zullen worden, na die ordinantie vanden Fondateuren.* Id est. Et ut succurratur inopibus ægrotis, nec victum lucrari valentibus, nec aliunde de mediis ad vitæ sustentationem provisis, quos vel Civitatum vel Pagorum ditionum nostrarum incolas esse constabit. Mandamus ut omnes eleemosynæ, Mensarum S. Spiritus, domorum, Hospitalium, Confraternitatum, aliarumque in die obitus anniversaria quapiam distributiones, largitiones & eleemosynæ in commune conferantur, ut exinde pauperibus distribuantur de consilio Magistrorum & Præfectorum dictarum Mensarum S. Spiritus, domuum, Hospitalium & Confraternitatum, simul-

simulque eorum quos Administris & Magistratibus in singulis Civitatibus, Parochiis aut Pagis deputare & demandare visum fuerit in progressum eleemosynarum juxta modum infra expressum. Salvo tamen Eleemosynas fundatas pro Ecclesiasticis, quales Mendicantes aliique, distributum iri secundùm statutum Fundatorum.

XXI. Verùm cum hæc omnium eleemosynarum communio ad effectum deduci non posset, tum ob difficultates quas ipsa communio in rebus humanis generare solet; tum ob contrariam Fundatorum voluntatem, qui particulares sibi in fundationibus suis fines præfixerant & expresserant; etiam Edictum quoad hunc articulum omnimodam suam executionem non habuit; uti insinuat Zypæus in Notitia Juris Belgici tit. *De Episcopis & Clericis n.* 23.

XXII. Videmus in recentioribus tam ipsius Caroli, quam Successorum Principum aliquam fuisse factam moderationem quoad pauperes invalidos & infirmos, relicta iis mendicandi licentia, his tamen conditionibus, ut iis observatis quæ ex mendicitate sequuntur incommoda evitarentur.

Imprimis itaque Edicto de 27. Nov. 1585. extante parte 1. Edi[illegible] Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 31 permittitur veris pauper[illegible]s, qui labore manuum victum sibi & familiæ suæ lucrari nequeunt; tametsi omni modo se impendant, eleemosynas mendicatò petere; quod idem in pluribus aliis Edictis exprimitur.

XXIII. Sed Edictum illud requirit, ut de hac paupertate & impotentia sufficientem probationem fecerint, priusquam mendicare permittantur; quod ipsum requirit Edictum Alberti & Isabellæ de 28. Sept. 1617. *art.* 4. Quin allegata Ordinatio Philippi Boni *art.* 26. vult, ut nullus qui excesserit 12. annum, vel non excesserit 60. annum mendicare possit absque *signo* appenso in collo, quod in loco ubi mendicare intendit statutum fuerit; quodque à Magistris Mensæ S. Spiritus acceperint.

XXIV. Secundò hujusmodi pauperes mendicare nequeunt, nisi in locis originis, aut ubi ultimò suam habuerunt residentiam; ita ut extra illa loca & loca vicina (in quibus eleemosynæ erogari solent) mendicare nequeant: Verba sunt: *Zullen de Aelmoessen mogen gaen bidden ter plaetse daer sy geboren syn, oft daer sy het t' laetste jaer te voeren heurlieder continuele resident e gehauden hebben, zonder buyte de selve oft de plaetse daer ontrent (daermen gewoonlick is aelmoessen te halen) te mogen bedelen.* Id est, Poterunt Eleemosynam corrogare in loco suo natali aut in quo anno proximè tum elapso continuè fuerint commorati, ita ut extra illa aut vicina loca in quibus Eleemosynæ erogari solent mendicare iis non liceat. Ita Edictum de 15. Junii 1556. & penè iisdem verbis repetitur in Edictis de 8. Julii 1599 & 28. Sept. 1617.

XXV. Hic articulus consonat iis quæ jam pridem Canonibus sanctissimè decreta leguntur: "Unaquæque „civitas pauperes & egenos incolas alimentis congru„entibus pascat secundum vires, & tam vicani Presby„teri quàm cives unusquisque suum pauperem pascant; „quo fiet, ut ipsi pauperes per alias civitates non va„gentur. "Hæc Concilium Turonense II. anno 567. *Can.* 5.

XXVI. Et lib. 1. Capitularium Regum Francorum. *cap.* 118. decernitur: "De Mendicis qui per patrias dis„currunt, volumus ut unusquisque fidelium nostrorum „suum pauperem de beneficio aut de propria familia „nutriat, & non permittat alicubi ire mendicando.

XXVII. Profectò si hæc Decreta observarentur; neque vagantes de uno in alium locum mendici admitterentur, sed omnes intra limites suarum respectivè Parochiarum terminos se continere juberentur, tunc illorum exactior haberetur notitia; possetque esse Parochorum major circa similes pauperes cura; qui hodie passim Parochis planè ignoti, nullasque instructiones frequentantes, sed de uno ad alium locum vagantes, in Mysteriis Religionis manent omninò ignari; & hinc sine ullo penè Religionis sensu gentiliter in omni ferè vitiorum genere viventes.

XXVIII. Hîc meritò notandum quod decrevit S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. parte 3 tit. *Quæ ad pia loca pertinent*, ut ubi mendicorum curæ & victui necessario ita consultum non est, ut certo quodam pio loco collecti, non mendicatim victum sibi quærirent, curent Episcopi ut per Parochos illi qui intra fines suarum Parochiarum sunt, in libro accuratè ordineque scribantur: atque hæc circa illos à Parochis observentur: "Quo „& unde illi migrent. Quod vitæ christianæ institutum „teneant. An fidei rudimenta norint: An diebus festis „saltem Missæ sacrificio intersint. An sæpè confessi cre„bro etiam per annum, aut saltem constituto Paschæ „tempore sacram Eucharistiam sumant.

Denique addit: "Quos doctrinæ Christianæ rudes „mendicos vagantes viderint, festis diebus stata hora „ad ejusdem doctrinæ scholas convenire diligenter cu„rent, eosdemque instruant. "Adde quæ supra *parte* 1. *tit.* 3 *cap* 4. *n.* 5. dicta sunt.

XXIX. Ut ad Edicta Principum nostrorum revertamur, præcipitur in Edicto de 15. Junii *art.* 11. ne pauperes ad dedicationes Ecclesiarum, nuptias, aliasque similes solemnitates ut lautius tractentur, accedere audeant: *Oft hemlieden in Bruyloften, Eerste Messen, Kermessen, Scutteryen oft andere Feesten te vinden, om ghedient te vvorden nae heuren appetyte, als sy tot noch toevvolgedaen hebben* Id est, Ne vel ad nuptias, Primitias, Encœnia, jaculationes aut alias solemnitates conveniant; ut secundum gustus sui appetentiam excipiantur, prout huc usque hactenus fecerunt. Idem decernitur in Edictis de 8 Julii 1599. & de 28. Sept. 1617.

Eisdem illis Edictis cavetur, ut pauperes illi mendici erunt contenti eleemosynis quæ ipsis voluntariè dabuntur, absque murmuratione aut asperitate sub correctione arbitraria. *Zullen oock in heuren plaetsen om aelmoessen bittende hemlieden laeten ghenoughen, met t'ghenne dat die goede lieden hemlieden geven zullen: sonder die zelve, met vvoor dem ofte met vvercken eenighe steyticheyt, stuvicheyt oft verdriet aen te doene, op peyne von arbitrairlicken daer van gecorrigiert te vvorden* Id est, Deindè in statione sua stipem mendicantes acquiescent iis contenti quæ ipsis boni homines erogabunt, sic ut nec verbo aut facto, arrogantia aut morositate iisdem incommodo sint; arbitrariæ correctionis pœnâ constituta.

XXX. Scitur quantum sæpe celebrationem divinorum Officiorum, quantumque Fidelium devotionem turbet mendicorum per templa discursus; ut meritò gravibus pœnis inhibeatur in allegata Ordinatione Philippi Boni *art.* 33. ne ullus in Ecclesiis mendicare audeat; quodque Ecclesiarum Æditui sive ad hoc Deputati hujusmodi Mendicantes in Ecclesiis Magistratui denuntiare debeant.

XXXI. Deinde in præcitatis Edictis declaratur, quod si in loco originis aut ultimæ residentiæ hujusmodi pauperum esset, aliquod particulare statutum quo ipsis inhibitum esset mendicare, aut determinatus locus, vel determinatum tempus mendicitati præfixum, tenebuntur se huic omnimodò conformare *Indien nochtans ter plaetsen van heurlieder ghebooste ofte laetste residentie als voeren, eenighe statuten ofte reghel ghesedt vvaere op t' bidden van den aelmoessen daer by hemlieden verboden vvaere te bidden, ofte zeker plaetse ofte tydt daertoe ghestelt vvaere, sullen ghehanden syn, hemlieden daer naer in alles te reguleren.* Id est Si tamen in loco originis aut ultimæ commorationis ut supra, statuta quædam aut regula

regula foret præfixa circa eleëmosynarum corrogationem, quibus ipsis inhiberetur mendicare, aut locus determinatus & tempus limitaretur, tenebuntur his omnibus sese conformare.

XXXII. Refert Ægidius Wytsius Jurisconsultus Brugensis in suo Consilio *De continendis & alendis domi pauperibus, & in ordinem redigendis validis mendicantibus* in prooemio. "Ante annos triginta (id est circa „annum 1540.) Valedoleti in Hispaniis, & in Flandria „Hypris & haud ita pridem apud nos (Brugenses) re„pertus est modus quidam, quo optimè videtur con„sultum pauperibus. Cautum est, ut suos civitas paupe„res alat, utque per publicam curam & idoneos dispen„satores eis provideatur, prohibita vaga & promiscua „illa ostiatim stipem emendicandi licentia.

XXXIII. Decreti hujus æquitatem, justitiam & utilitatem multis ostendit hoc Consilium atque à criminationibus & objectionibus doctissimè vindicat. Dignum sanè opusculum quod Magistratuum manibus teratur, quibus cura incumbit, veris pauperibus providendi, & fictos ac validos mendicantes coercendi & in ordinem redigendi, atque ex illo discerent optimum modum miseris & infirmis pauperibus succurrendi, & rempublicam à pernicioso & otioso hominum genere expurgādi.

XXXIV. Non tantum attendendum est Rectoribus hospitalium, qui ad illa recipiantur; sed insuper ut omnia in illis honestè & Christianè agantur.

U. honestas in hospitalibus, piisque diversoriis, ubi „hospitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam præ„textu Matrimonii versari ne permittantur. "Ita Synodus P. II Cameracensis *tit.* 11. *cap.* 14. Idipsum cavit S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi I. tit. *De Piorum locorum administratione.*

XXXV. Hæc personarum utriusque sexus separatio non tantùm in hospitalibus & piis diversoriis ad quæ grandiores & ætate provectiores divertunt, observanda est; sed & in Orphanotrophiis & Brephotrophiis in quibus pueri orphani, & infantes expositi aluntur & educantur. Nimis notum est, quam periculosa sit etiam puerorum utriusque sexus familiaris inter se conversatio; ut proinde & hic summa Magistrorum cura esse debeat, ne aliàs in ipsis locis piis, & ex Fidelium pietate ad puerorum piam educationem institutis, ipsa juvenilis & tenera ætas corrumpatur, & vitiorum semina eorum animis inserantur.

XXXVI. Etenim quàm periculosa res sit, etiam puerorum utriusque sexus aut cum ancillis in eodem lecto dormitio, notum est; & jam pridem monuit Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis vir pietate juxta ac solicito salutis proximi desiderio illustris, in tractatu *De arte sive scientia audiendi Confessiones*, in quo proponit per varias considerationes, quâ methodo Confessarius interrogare debeat pœnitentem super peccato carnis; & consideratione 9. quomodo interrogandi pueri; „& primò quidem si umquam in ætate quinque, sex, „septem annorum vel eo circa jacuerint cum ancillis, „sicut mos est puerorum. *Et certè* (ait) *reperientur hor„renda.*

Similiter S. Franciscus Salesius *lib.* 1. *Epist.* 5. scribit: „Interea cave, non solum illi, verum & sororibus ejus, „ne dormiant, *nisi soli*, aut cum illis, quibus possis tan„tum meritò confidere, quantum tibi ipsi. Incredibile „est, quàm utile sit hoc consilium, experientia mihi „commendandum in dies singulos reddit.

XXXVII. Quapropter & illud solicitè providendum ut his puerorum receptaculis præficiantur pii & morigeri Rectores & Rectrices; quemadmodum supra *tit.* 11. *cap.* 5. dictum est de Scholarum magistris: nimis enim notum est, quàm perniciosum sit, Magistros aut Magistras corruptos, præsertim in materia carnis, pueris esse præfectos.

XXXVIII. Cum circa educationem puerorum orphanorum & expositorum ea cura habenda sit, ut exacta pueritia agere valeant vitam homine Christiano & honesto cive dignam; neque ad sordidam & malorum mitiorum lernam mendicitatem declinare cogantur, omninò soliciti esse debent hujusmodi locorum administratores & rectores, ut "infantes, ubi primum per „ætatem licuerit, locis iis, quibus commodè & per fa„cultates fieri poterit, moribus optimis *artibusque*, quæ „sexum deceant, tam mares, quam fœminæ instruantur, „donec eis Deo dante provisum fuerit, "uti loquitur Concilium Tholosanum anno 1590. *parte* 3. *cap.* 6. *nu.* 15.

XXXIX. Verbo administratores & Rectores piorum locorum ita in ea administratione versari debent, ut ex œconomia ac disciplina illorum pateleat, se totos pauperibus, & quoad corporalia & quoad spiritualia impendi.

CAPUT VI.

De Confraternitatibus.

1. *Confraternitates piis locis annumerandæ.*
2. *Etiam apud Gentiles notæ fuerunt.*
3. *In Ecclesia à multis seculis notissimæ fuerunt.*
4. *Geldonia sive* Guldæ *species Confraternitatum.*
5. *Confraternitates quæ hodie* Guldæ *dicuntur, institutæ ad exercitium militare.*
6. *Adhuc hodie retinent exercitia, & signa militaria.*
7. *Multis gaudent privilegiis, & quare?*
8. *De his Confraternitatibus loqui videtur S. Anselmus.*
9. *Similiter & Concilium apud Montem pessulanum seculo 13.*
10. *Similes Confraternitates sine auctoritate Regia hodie institui nequeunt.*
11. *Hæ Confraternitates non veniunt nomine* piorum *locorum.*
12. *Confraternitates quædam sunt laicorum.*
13. *Nonnullæ in Ecclesiis Parochialibus & Regularibus habent Altare vel Sacellum; aliæ habent Sacella separata.*
14. *Confraternitates merè Ecclesiasticæ.*
15. *Confraternitates institutæ ad exercitium operum pietatis.*
16. *Etiam ut mutuis precibus juventur Confratres.*
17. *Varia sunt opera pietatis pro varietate Confraternitatum.*
18. *Pro instructione puerorum Confraternitates instituì voluit Pius V.*
19. *Eas in sua Provincia promovit S. Carolus.*
20. *Instituit & S. Carolus Confraternitatem ad* sedandas discordias.
21. *Plurimæ Confraternitates institutæ sub titulo Divæ Virginis alteriusve è Divis.*
22. *Confraternitates erigi non possunt sine licentia Episcopi.*
23. *Clemens VIII. declaravit Confraternitatem erigi non posse prætextu cujuscumque privilegii sine licentia Episcopi.*
24. *Confraternitatum statuta approbationi & correctioni Ordinariorum subjecta.*
25. *Episcopus quæ in admissione & approbatione Confraternitatis attendere debeat?*
26. *Non convenit ut observatio Regularum juretur.*
27. *Exercitia Confraternitatum ita disponi debent, ut publicis Ecclesiarum Parochialium officiis non obsint.*

28. *Vult S Carolus ut Divina officia Confraternitatum fiant ante vel post officia Ecclesiarum Parochialium.*
29. *Referuntur plurium Conciliorum Decreta conformia.*
30. *Episcopi Confraternitatibus invigilare debent.*
31. *Jus eas visitandi Episcopis attribuit Synodus Tridentina etiamsi sint* laicorum.
32. *Etiam dum sunt in Ecclesiis Regularium ex Declaratione Cardinalium.*
33. *Idipsum supposuit S. Carolus.*
34. *Attendere debent Episcopi visitando abusum commessationum, qui in Confraternitates jam pridem irrepsit.*
35. *Meritò designatur aliquis qui Confraternitatibus invigilet.*
36. *jam pridem irrepserunt sub specie pietatis quæstus illiciti & audacia peccandi.*
37. *Etiam hodie Confraternitates hisce subjectæ sunt.*
38. *In quibusdam libellis Confraternitatum occurrentia inducere nata sunt in abominandam superstitionem de qua Synodus Cameracensis.*
39. *Synodum respexisse ad vanam ac superstitiosam vulgi fiduciam in cultu S. Barbaræ ostenditur ex illis quæ de hac Sancta referuntur.*
40. *Quæ in libellis Confraternitatum de hac Sancta dicuntur nata sunt inducere in hanc superstitionem.*
41. *In aliarum Confraternitatum libellis occurrunt & plurima quæ huic superstitioni occasionem dare possunt.*
42. *Certo numero Missarum vel precum certam è purgatorio liberationem promittere vana est superstitio.*
43. *Plures sunt Confraternitatum libelli, qui exorbitantes continent indulgentias? quibus fidem non esse adhibendam populus moneri debet.*
44. *In quibusdam libellis promittitur absolutio* generalis; *cujus formula proponitur.*
45. *Hæc nata est populo ingerere præsumptuosam fiduciam.*
46. *Apparet hæc formula ab aliqua privata auctoritate confecta, & qua occasione.*

I. Locis piis annumerari solent Confraternitates; quæ dicuntur sodalitia quædam hominum religionis causa in unam Societatem sive quamdam Fraternitatem coeuntium: & quodam spirituali confraternitatis fœdere colligatorum.

II. Horum sodalitiorum etiam apud Gentiles usum fuisse non obscurè innuit Jurisconsultus in *L.* 1 *ff. De Collegiis illicitis*, ubi scribit: "Sed *Religionis* causa coire „ non prohibentur, tum tamen per hoc non fiat contra „ Senatusconsultum.

Religionis enim causa coire, aliud non est, nisi *religionis* causa *collegium* habere, ut notat Dionysius Gothofredus ad hanc legem *nota 8.* monetque hujusmodi collegia fuisse Gentilium & exterorum.

III. Sed quidquid sit de hujusmodi sodalitiis aut collegiis Gentilium, certum est, à multis seculis in Ecclesia Catholica similia sodalitia fuisse notissima.

Et quidem seculo nono de his sodalitiis tamquam notissimis; imò jam nonnullis abusibus conspurcatis loquitur Concilium Nannatense *can.* 15. Et sub idem tempus Hincmarus Remensis in Capitulis suis ad Presbyteros *capit.* 16. agit *de collectis, quas* (ait) *Geldonias vel confratrias vulgò vocant.*

IV. Geldonias, quæ & Gildæ dictæ fuerunt, significare *Fraternitates*, & Sodalitia observavit Du Cange in suo Glossario, verbo *Gilda*; creditque quod *Gulda* à verbo theutonico *Gulde*, idem sonet quod *Gilda.*

V. Hoc notorium est, *Guldas*, quæ hic in Belgio in omnibus penè civitatibus & pagis ab antiquo institutæ fuerunt; & usque in hodiernum diem supersunt, esse quædam sodalitia sive Fraternitates hominum laicorum in unum quasi collegium coeuntium, ut se in arte militari exerceant; & quasi collegium militare ad defensionem patriæ, aut civitatis, vel pagi semper paratum constituant.

VI. Unde etiamnum hodie horum collegiorum vel sodalitiorum primarium exercitium est, occupari circa illa quæ olim militibus ad defensionem patriæ propria erant.

Habent & propterea suos Capitaneos aliosque Officiales quos cohortes militares habere consueverunt. Similiter & tympana, vexilla aliaque similia militaria insignia & instrumenta retinent.

VII. Et quia in defensionem & custodiam, ac præsertim ad cohibendos populares tumultus, institutæ sunt, etiam pluribus specialibus privilegiis hujusmodi *Guldarum* sodales ex principum, vel etiam ipsarum Civitatum munificentia gaudere consueverunt.

VIII. De his Confratriis verisimiliter loquitur, S. Anselmus *lib.* 2. *epist.* 7. "De Domino "Henrico qui Ca„ merarius fuit, audio quia in multis inordinatè se agit, „ & maximè in bibendo: ita ut in Gildis cum ebriosis „ bibat, & cum eis inebrietur... Ex Dei & Sanctorum „ ejus, & nostra auctoritate prohibeo ne postquam hanc „ nostram prohibitionem cognoverit, amplius in gilda, „ aut in conventu eorum qui ad inebriandum solum „ conveniunt, bibere audeat.

Quod hic insinuat S Anselmus in *Gildis*, sive *Guldis* potationes frequentari, & ad bibendum conveniri, utinam cum ætate S. Anselmi transiisset, neque ad nostra tempora descendisset abusus.

IX. De his quoque Confratriis loqui videtur Synodus apud Montem pessulanum cui unà cum Petro Beneventano Legato Apostolico interfuerunt quinque Archiepiscopi, decerniturque *Can.* 45. "Quia propter „ conjurationes & conspirationes quæ *confratriæ* vo„ cantur in civitatibus, villis, & castris, quandoque mul„ ta discordiæ materia suscitatur: præsens Synodus sub „ anathematis interminatione constituit, ut in civitati„ bus, villis, & castris, non fiant de cætero confratriæ, „ nisi de voluntate dominorum locorum ipsorum, & „ Diœcesani Episcopi propter urgentem necessitatem „ & evidentem utilitatem id fiat.

X. Quod hic decernitur, ne hujusmodi Confratriæ fiant *nisi de voluntate Dominorum locorum.* hic & in Gallia eatenus obtinet, quod Confratriæ præsertim hæ, utpotè omninò laicales, quas *Guldas* vocamus, erigi nequeant sine consensu Magistratus Regii, uti passim tradunt Pragmatici, ac notanter Automnus ad *L.* 15. *Cod. De Episcopis & Clericis*, & Renatus Choppinus *lib.* 3. *de Domanio Gallico lib.* 3 *capit.* 27. *num.* 24. aitque, quod „ licet forsan in exteris Provinciis liceat Collegiis sta„ tuta sibi condere, in Gallia tamen singula hæc Princi„ pis unius auspiciis decernuntur & conceduntur, alio„ quin irrita, illegitima, rescindenda. "Pluribus hæc Regia auctoritas circa institutionem Confraternitatum astruitur in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 27.

XI. Cum hæ *confratriæ* quæ *Gildoniæ* seu *Gildæ* olim dictæ, & hodie *Guldæ* vocantur, sint omninò laicales & profanæ, sive personas eas constituentes & administrantes, sive finem institutionis spectemus, etiam propriè piis aut religiosis locis annumerari nequeunt: unde nec de his agere propositum est, sed dumtaxat de Confraternitatibus pietatis & religionis causa institutis; quæque & communiter Confraternitates dici consueverunt.

XII. Hæ Confraternitates quædam sunt *laicorum*, id

id est, quæ laicorum directioni subsunt, & quibus laici præsunt; atque per laicos collectæ fiunt; & bona ad eas spectantia à laicis administrantur.

Similes Confraternitates interdum habent specialia Sacella in quibus Divina officia Confraternitatum peraguntur per Presbyteros à Magistris Confraternitatum designandos.

XIII. Plures etiam sunt in Ecclesiis Parochialibus, in quibus subinde particulare Sacellum aut altare officiis divinis Confraternitatum, peragendis destinatum habent; quod & sumptibus Confraternitatum exornatur & intertinetur.

Quin & in Ecclesiis Regularium, etiam Ordinum Mendicantium hujusmodi laicorum Confraternitates cum certo Sacello aut altari occurrunt, quarum totalis quoque directio & administratio residet penes laicos.

XIV. Sunt & Confraternitates, ad quas quidem laici tamquam Sodales admittuntur, & adscribuntur; sed tamen omnimoda directio est penes Ecclesiasticos sive Seculares, sive Regulares; quales hodie frequentissimæ sunt in Ecclesiis Regularium præsertim Ordinum Mendicantium.

XV. Verus scopus harum Confraternitatum est, ut plures in unum confœderati & arctiori vinculo colligati mutuo exemplo ad pietatis opera excitentur, & mutuis precibus & bonis operibus juventur.

„Confraternitates & Societates in quibus per particulares quasdam actiones aliaque exercitia spiritualia „faciliorem sibi salutis viam parare conantur Fideles" inquit Concilium Narbonense *anno* 1609 *cap*. 34.

XVI. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis coram Patribus Concilii Basiliensis refutans errores Bohemorum, qui ipsum Confraternitatum institutum reprobabant, rectum finem earum his verbis exposuit: „Non sunt de se illicitæ Confraternitates ipsæ imò ho„nestatis titulum habent, & parere possunt fructum, „*Nam frater qui juvatur à fratre, est quasi civitas firma*, „Proverbiorum 18. Licet enim suffragia Ecclesiæ pro„sint omnibus in unitate ejus existentibus ex parte ca„ritatis, quæ non quærit quæ sua sunt, sed omnia com„munia, ut dicit apostolus, tamen ex parte intentionis, „his, quibus applicantur, prosunt magis, quam aliis. Et „per hoc institutæ, concessæ vel permissæ sunt fraterni„tates ipsæ.

XVII. Opera pietatis ad quæ ipsæ Confraternitates instituuntur varia sunt, juxta præscriptum singularum Confraternitatum. Supra *tit*. 4 *cap*. 4. diximus, quomodo in multis locis institutæ sint Confraternitates Venerabilis Sacramenti: quarum Sodales specialiter intendere debent cultui & honori hujus Sacramenti, ac signanter & illud ad infirmos deferendum, *per se vel per alium* legitimo impedimento non occurrente devotè comitari.

XVIII. Pius V. considerans, quod puerorum Christiana instructio, & pia educatio plurimum valeat, ut postmodum, "vitam pudicam, honestam & exempla„rem, ac aliquando sanctam agant: è converso autem „parentum carentia seu paupertate aut incuria, vel ig„navia, non sic educati, persæpè ducantur in exitium, „& quod pejus est, secum ducant plures in interitum, „hortatur omnes Ordinarios, ut in suis respectivè diœcesibus, "tot Societates seu Confraternitates, quot ad „hoc tam sanctissimum opus exercendum opportunæ „videbuntur, auctoritate Apostolica erigant & instituant. "In Constitutione quæ incipit, *Ex debito* 137. in Bull. R.

Ut autem hoc opus magis promoveret, "omnibus „& singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœ„nitentibus & confessis, seu statutis à jure temporibus „firmum confitendi propositum habentibus, qui in ali„qua dictarum Societatum, seu Confraternitatum ubi„libet constitutarum intravenerint, & adscripti fuerint „illis videlicet tam qui alios docuerint, quam qui ab ali„is in articulis fidei & præceptis Ecclesiæ hujusmodi „instructi fuerint, quotiescumque in præfato sanctissi„mo exercitio se occupaverint, quadraginta dies de in„junctis eis pœnitentiis auctoritate Apostolica tenore „præsentium misericorditer in Domino relaxat, præ„sentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

XIX Harum institutum summopere laudavit S. Carolus, ut ex ejus Conciliis & actis Ecclesiæ Mediolanensis constat; ac notanter Concilio II. Mediolanensi *tit*. 1. *Decreto* 2. decernitur Quo studiosius Parochus fidei initiis tradendis incumbat, "Id etiam curet Episco„pus, ut in singulis suæ Diœcesis oppidis & vicis do„ctrinæ Christianæ Sodalitas instituatur, quæ in eo mu„nere Parochos adjuvet.

Utque ostenderet, quàm hæc Sodalitatum institutio sibi cordi esset, rursus Concilio III. Mediolanensi decrevit: "Quibus in oppidis vicis ac locis, quæ ad suam diœ„cesim pertinent, Episcopus has necessariæ doctrinæ „Christianæ scholas & sodalitates, ut altera provincia„li Synodo jussum est, non adhuc instituit, illas quam„primum, & quam diligentissimè institui curet.

XX. Plures alias Confraternitates ad diversa pietatis opera instituit idem sanctissimus Præsul; atque signanter unam institui desideravit, quæ odiis & dissidiis componendis invigilaret; de qua in suo Concilio IV. Mediolan *parte* 2. *tit. Quæ ad pia loca pertinent*, hæc habet: "Ut odiis, dissidiis, atque inimicitiis occurratur, „rursusque paci, cujus Fideles in primis amantissimi esse „debent, tot sanctissimis vinculis inter se juncti, consu„latur; id præter cætera Episcopi paterna sollicitudine „curent in sua quique urbe ac diœcesi, aliquam homi„num, qui morum gravitate, spectata integritate, & au„ctoritate præstantiores sint, confratriam, ut in hujus „provinciæ nonnullis urbibus instituta jam est, insti„tuere: cujus officium sit, discordiæ flammas restringe„re, dissidia amovere, concordiam inire, pacemque in„ter omnes reconciliare; aut hoc ipsum componendæ „inter dissidentes pacis officium alteri confratriæ ad„jungant, quæ rectè apteque id ipsum præstare queat.

XXI. Plurimæ Confraternitates erectæ sunt sub titulo alicujus Sancti vel Sanctæ, ac signanter Divæ Virginis: eò quod specialiter hujus illiusve virtutes & exempla imitari instituant, aut singulari cultu & devotione colere, & piis exercitiis ejus patrocinium implorare velint. Et ut etiam exteriùs ostendant se Confraternitatis Sodales habitum aut signum aliquod ipsi Confraternitati proprium assumunt & gestant.

XXII. Ut autem hæc Sodalitia piè instituantur, nihilque solidæ pietati aut Christianæ Religioni contrarium, sub prætextu devotionis irrepat, jam pridem cautum fuit ne sine Episcopi licentia hujusmodi Confraternitates, instituantur.

Concilium apud Campinacum celebratum anno 1238. *Can*. 31. statuit, "quòd nulla fiat Confraternitas „laicorum sine auctoritate & consensu Diœcesani Epis„copi. "Idipsum anno 1234. decreverat Concilium Arelatense *Can*. 9.

XXIII. Recentiora Concilia omnia hanc auctoritatem Episcopis vindicant, ac novissimè Clemens VIII. in Constitutione quæ incipit: *Quæcumque*, 115. in Bul R. ibidem exhibita sub hoc titulo: *Præscriptio forma, quâ Ordines Regulares, & Confraternitates Seculares, de cætero uti debent in erigendis & aggregandis Congregationibus & Confraternitatibus. Et communicatione suarum indulgentiarum, & Indultorum, eleemosynarumque collectione & Confessorum electione.*

Imprimis declarat Pontifex, quòd Officiales Ordinum Regularium quorumcumque etiam Mendicantium, aut Confraternitatum jam erectarum, "quibus alias „Confraternitates & congregationes instituendi, eri-

gendi,

gendi, ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgen-„tias, facultates, aliasque spirituales gratias & indulta „prædicta elargiendi potestas à Romanis Pontificibus „& Sede Apostolica attributa fuit, unam tantùm con-„fraternitatem & congregationem, de consensu tamen „Ordinarii loci, & cum litteris ejus testimonialibus, „quibus Confraternitatis & Congregationis erigendæ „& instituendæ pietas & Christianæ caritatis officia „quæ exercere cupit, apud eos commendentur, in eo-„rum & quibuscumque aliis Ecclesiis & collegiis elige-„re & instituere.

XXIV. Dein declarat, quòd Statuta aut Privilegia Confraternitatibus erigendis communicari nequeant, „nisi ea priùs ab Episcopo Diœcesano examinata, & „pro ratione loci approbata fuerint, quæ nihilominus „ejusdem Episcopi Decretis ac moderationi, & corre-„ctioni, in omnibus semper subjecta remaneant.

XXV. Antequam autem Episcopus licentiam præstet, debet examinare, num ipsa Confraternitatis institutio tempori & loco conveniat: num opera veræ ac solitæ pietatis præscribantur; ipsæque regulæ ita sint conceptæ, ut nihil contineant, quod publicis & necessariis Religionis officiis officiat, vel ipsis forsan confratribus periculum aliquod peccati ingerere possit.

XXVI. Et quidem quia juramenta servandi Statuta vel Regulares Confraternitatum nata sunt ipsos jurantes exponere periculo perjurii, minusque conveniens apparet, ad externa & specialia illa pietatis opera hujusmodi vinculis juramentorum Fideles astringere, meritò Episcopus hujusmodi juramenta rejiciet, exemplo Concilii Senonensis anni 1524. quod *Can.* 30. ait „juramenta quæ solent præstari in ingressu omninò re-„probamus & cassamus: prohibentes ne deinceps jura-„menta super observatione Statutorum prædictarum „Confraternitatum, aut præstentur, aut exigantur.

XXVII. Solliciti meritò quoque erunt Episcopi, ut si quæ in Regulis Confraternitatum præscribantur Officia Divina celebranda, statuatur iis celebrandis locus & tempus, quibus ipsi Fideles à frequentatione Officii parochialis, ac notanter instructionis, non abstrahantur aut impediantur: quod non rarò per confraternitates contingere, non tantùm cum neglectu Ecclesiarum parochialium, sed & summo defectu instructionis Fidelium, nimis notorium est.

XXVIII. Hinc S. Carolus in citato *tit.* 18. statuit; „Quo tempore in Basilica Cathedrali Ecclesiave paro-„chiali officium vesperarum celebratur, tunc ne in il-„lis confratriæ scholæve oratoriis civitatis aut loci il-„lius ab eisdem confratribus recitari liceat officia, sed „vel ante vel post recitentur: ita tamen ut non solùm „hujusmodi officiorum occasione non divertantur illi „à divinis officiis publicis; sed nec etiam à scholis do-„ctrinæ Christianæ, in quibus ejusmodi confratres uti-„les adjutores & operarii esse solent.

XXIX. Et rursus concilium Tolosanum anno 1590 *parte* 3. *cap.* 7. "Quo tempore Dominicis, festivisque ali-„is diebus, divina officia recitantur, sacra missarum so-„lennia cantu celebrantur, concionesque aut in cathe-„drali aut parochiali Ecclesia publicè habentur, eo tem-„pore nullæ in confraternitatibus ceremoniæ, nulla sa-„cra peragantur.

Similiter Patres Concilii Avenionensis anno 1594. *cap.* 52. volunt, ut "Missæ cæteraque officia divina in „confraternitatibus celebrentur, ut Ecclesiarum sa-„crificia, preces honorariæ, concionesque non impedi-„antur.

Denique Concilium Narbonense anno 1609. *cap.* 34. ait: In Capellis earum Confraternitatum, ubi „aliquod recitatur officium, illud fiat horâ competen-„ti, ita ut dum *Parochiale* recitatur, in illis omninò ces-„setur.

XXX. Verùm quantumvis confraternitates sanctissimè fuerint institutæ; optimisque legibus & regulis munitæ, nihilominus uti & sacratissima quæque instituta, abusibus obnoxiæ sunt, nisi Episcoporum & Superiorum vigilantia & cura continuò attendat.

XXXI. Ut ergo Episcopi confraternitatibus invigilare queant declarat Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *De Reform.* quod Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicæ Delegati habeant jus visitandi *Confraternitates* laicorum, etiam quas Scholas sive quocumque alio nomine vocant: "ac omnia quæ ad Dei cultum, aut ani-„marum salutem, seu pauperes sustentandos instituta „sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum sta-„tuta cognoscant, & exequantur non obstantibus, qua-„cumque consuetudine, etiam immemorabili, privile-„gio, aut statuto.

XXXII. Juxta hoc Decretum, Episcopos posse visitare confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium etiam *exemptorum* refert post alios Barbosa in collectaneis ad citatum *caput* 8. Concilii Tridentini; citatque *num.* 24 resolutionem Cardinalium qua declaratum asserit, nedum ipsas Confraternitates, sed etiam Capellas earum in Ecclesiis Regularium existentes Episcopum visitare posse; in his saltem quæ confraternitatum administrationem spectant.

XXXIII. Idipsum supposuit S. Carolus, cum enim in Concilio V. Mediolanensi *parte* 3. *tit.* 18. plura circa confratrias observanda præscripsisset, tandem decernit ut "quæcumque tum in hoc, tum aliis superioribus con-„ciliis de Confratriis etiam laicalibus constituta aut „præscripta sunt, ea Episcopus ab illis inviolatè, inte-„greque servari mandet, etiam si in Ecclesiis *Regulari-„um* illæ Scholæ, confraternitatesve erectæ sint, exerce-„anturve; ita ut si quid contra ab eisdem unquam fa-„ctum erit, id pro culpæ modo ab Episcopo graviter „puniatur arbitratu suo.

XXXIV. Jam pridem nonnullas Confratrias laicorum subjectas commessationibus, & excessivis conviviis fuisse, manifestum est ex *Canone* 15 Concilii Nannatensis; nec non Capitulis Hincmari Remensis suprà citatis; quia abusus & hodie in laicorum Confraternitatibus non rarò occurrit; adeò ut in hoc unum institutæ videantur, ut semel vel etiam sæpiùs per annum ad aliquod solemne Sacrum, ac postmodum ad solemne convivium conveniant. Imò nonnumquam contingit, "ut „abusu intolerabili, quod ex eleemosynis ad pios usus „destinatis convivia & commessationis instruantur; uti „loquitur Concilium Avenionense anno 1594. *cap.* 52. Episcoporum & Magistratuum est, quibus cura Confraternitatum incumbit, hisce abusibus occurrere, & Confraternitates ad legitimum suum usum revocare.

XXXV. Notandum & meritò ab Episcopis æmulandum Decretum ejusdem Concilii præcedenti immediatè subjectum: "Præficiatur vir aliquis pietate ac pru-„dentia præditus, qui Confraternitates invisat, ut si „quid vitiosum in eis repullulare viderit, observet, om-„ninoque tolli procuret.

XXXVI. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis in allegata oratione qua coram Patribus Concilii Basiliensis institutum Confraternitatum tuebatur, abusus qui tum Confraternitates conspurcabant agnoscere, & à recto earum usu secernere non dubitavit: "Et revera „(ait) non dubium quin multa mala sub hac specie pie-„tatis patentur; puta questus illiciti, deordinati favores, „audacia peccandi, & multa similia.

XXXVII. Si serio attendantur, quæ in variis Confraternitatibus agantur, & populo proponantur ac promittantur, facilè apparebit, de Confraternitatibus hodie ea omnia & forsan verius dici posse, quæ coram concilio Basil. intrepidè & tanquam indubitata dixit Carlerius.

Proponitur enim non rarò populo tum in concionibus, tum in libellis Confraternitatum, quòd qui huic illive Confraternitati adscripti sint, signum seu habitum confraternitatis gestaverint, ac levissima pietatis opera in honorem hujus illiusve Sancti fecerint, certam sibi de salute æterna securitatem promittere possint; vel securi esse queant, quòd sine Pœnitentiæ Sacramento, & vera conversione ex hac vita non eripientur.

XXXVIII. Similia ad commendationem Confraternitatum dicta, ut hoc pacto plures ad eas, & consequenter ad suas Ecclesias cum oblationibus attrahant, quid aliud parere in populo possunt, quàm *audaciam peccandi*; & occasionem incidendi in "abominandam „ vanitatem ac superstitionem eorum, qui certò polli„ centur, non ex hac vita migraturos sine pœnitentia & „ Sacramentis eos, qui hunc vel illum ex divis coluerint; quemadmodum loquitur Synodus P. I. Cameracensis *tit. De Sanctis cap. 6.*

XXXIX. Synodum hic respicere ad vanam ac superstitiosam vulgi fiduciam in cultu S. Barbaræ admodum verisimile est; innuitque Molanus in historia SS. Imaginum *lib. 3 cap. 52.*

De hac sancta, jam pridem proditum fuit, uti testatur Georgius Colvenerius Doctor Theologus Duacensis in notis ad *librum 2. Cantipratani De Apibus cap. 28. num. 25.* "Quod quicumque eam coluerit Sacramentorum „ Confessionis & Eucharistiæ particeps efficietur ante„ quam ex hac vita demigret..... Hinc est (ait Colvene„ rius) quod in Francia & in locis adjacentibus S. Barba„ ram *Matrem confessionis* appellent, adjiciantque laici „ penè omnes in generali confessione quæ præmittitur „ Sacramentali hæc verba: *Et Domina S. Barbaræ matri „ confessionis.*

Cum ipsa cameracensis Diœcesis adjaceat Regno Franciæ verisimile est & in hanc Diœcesim eam populi persuasionem fuisse inductam; ut propterea Synodus hæc meritò reprobaverit abominandam illam & superstitiosam vanitatem, quâ persuadebatur, *certò* quem non emigraturum ex hac vita, qui S. Barbaram aliumve è Divis coluerit.

Quin & in hisce partibus hæc persuasio nota fuerit, vix dubitari sinit Synodus D. Mechliniensis *tit. 14. cap. 1.* iisdem penè verbis, abominandam hanc vanitatem & superstitionem reprobans.

XL. Huic abominandæ vanitati & superstitioni fomentum adhuc suppeditant aliqui libelli idiomate vulgari de Confraternitate, & vita hujus Sanctæ conscripti; qui & passim in manibus laicorum versantur; in quibus scribitur. Cum esset Martyrio proxima, ipsam postulasse à Deo ut existentibus *in exitu* vitæ succurrere posset. Ad hanc autem postulationem recepisse hoc Divinum responsum: Deum facturum quodcumque pro Cultoribus postulaverit.

Post hæc duo subjunguntur, quæ specialiter Cultoribus suis sit impetratura. Primò quod eos liberabit à subitanea morte, eis necessariâ peccatorum contritione impetrata. Secundò, quod suos cultores non sinet migrare ex hac vita sine Sacramento pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis.

XLI. Hæc autem vulgaribus hominibus proposita, imprimere nata sunt abominandam illam vanitatem & superstitionem, qua certò sibi pollicentur se non emigraturos ex hac vita, si S. Barbaram coluerint, idque eo genere cultus, qui in hujusmodi libellis præscribi consuevit; puta jejunando in ejus profesto, audiendo Missam quæ in ejus honorem celebrari solet; aut quotidie aliquas precatiunculas recitando.

Quod in his libellis de S. Barbara ejusque Cultoribus dicitur, non minus perniciosè, nec minori cum populi scandalo in plurium aliarum Confraternitatum libellis proponitur & asseritur; puta quod qui huic illive Confraternitati adscriptus fuerit, signumque seu habitum Confraternitatis portaverit, precesque in regulis præscriptas recitaverit, aliave quædam levia pietatis opera exercuerit, non morietur sine Sacramentis; nec antequam confessus fuerit, perdet loquelam aut usum rationis: quod inscriptum & Sodalem esse Confraternitatis sit signum per magnum prædordinationis & prædestinationis ad gloriam, aliaque similia: quæ indubiè plurimos nata sunt inducere ad abominandam illam vanitatem & superstitionem de qua supra.

Ex qua persuasione ulteriùs contingit, quod per illa externa, & sibi suisque cupiditatibus parum adversa pietatis qualiacumque exercitia, credant sibi viam ad salutem esse apertam; nulla sit ampliùs de vitæ morumque emendatione, nulla de vera cordis conversione sollicitudo, nullusque labor; imò omnis solida veraque tandem pietas quasi exulet; solaque umbra quædam pietatis superesse videatur.

XLII. Huic vanitati & superstitioni aliam addunt Synodi præcitatæ, illorum nimirum, "qui certo nume„ ro & præscripta forma Missarum vel precum affir„ mant certas designatasque animas è purgatorio sem„ per liberari;" uti loquitur citata Synodus D. Mechliniensis. Quod & iisdem verbis expressit, & planè reprobandum declaravit citata Synodus Cameracensis.

XLIII. Adhæc, si Episcopi visitando confraternitates unà examinarent Confraternitatum libellos, qui passim laicorum & vulgarium manibus teruntur, invenirent quàm plurimos de quibus jam pridem citata Synodus Cameracensis locuta est in suo *De Indulgentiis* Decreto præcipiens, ut Parochi populum suum "dili„ genter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, aut „ etiam impressis libellis temerè fidem adhibeant, qui „ ex levibus, vanis & superstitiosis causis exorbitantes „ indulgentias pollicentur: cum indulgentiæ non nisi „ ex piis & rationabilibus causis concedi debeant.

Idipsum monet Synodus P. I. Mechliniensis tit. *De Indulgentiis*, etiamsi hujusmodi libelli *etiam cum privilegio* impressi fuerint; additque. "Potissimum si promis„ siones contineant certorum effectuum, periculorum „ scilicet evitationem, à gladiis, à tormentis, ab aquis, à „ peste, aut liberationem certam à Purgatorio. Quem„ admodum & Missis quibusdam, & precibus certo nu„ mero recitandas, affixas, alicubi videre licet.

XLIV. Non tantùm ingens farrago indulgentiarum, etiam plenissimarum, idque frequenter cum liberatione animarum ex purgatorio ex levissimis causis in dictis libellis reperitur; sed insuper in quibusdam occurrit quædam formula absolutionis, Sodalibus Confraternitatis in fine vitæ impendendæ, qua & à reatu, omnibusque simul pœnis peccatorum absolvuntur; & ipsi innocentiæ Baptismali restituuntur sub hac verborum forma: "Remitto per Plenariam Indulgentiam omnem „ pœnam in purgatorio tibi debitam pro præmissis, & „ restituo te illi innocentiæ, & puritati quam in Baptis„ mo accepisti, ita quod decedenti tibi ab hoc sæculo „ clausæ sint portæ pœnarum & apertæ januæ delicia„ rum Paradisi, & si hac vice non morieris, salva sit tibi „ gratia quando fueris in articulo mortis. In nomine „ Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

XLV. Per se satis patet, quam proclive sit, ut hac absolutionis promissione populo facta, & in libellis Confraternitatum proposita, ipse etiam populus, in quamdam præsumptuosam securitatem de non sustinendis pœnis purgatorii incidat; modo huic Confraternitati fuerit inscriptus, atque levissima pietatis opera in regulis expressa persolverit.

XLVI. Verisimile est hanc absolutionis formulam ab aliquo Confraternitatis Zelatore (ut plures ad Confraternitatem alliceret; quo motivo indubiè & aliæ exorbitantes gratiæ Confraternitatibus sensim allatæ

sunt)

sint) fuisse propositam: et forsan occasione, quod alicubi invenerit, vel audiverit, Confratribus concessam esse indulgentiam *plenariam* in articulo mortis; qualis penè in omnium Confraternitatum hodiernis libellis asseritur. Hujus igitur effectum & efficaciam ut fortius exprimeret, & explicaret; majoremque de hac gratia Confratribus indulta ideam imprimeret, ipsamque Confraternitatem hoc titulo amplius commendabilem redderet, ipsum plenissimum indulgentiæ plenariæ effectum hac formula exprimere voluit, atque ita eam indulgentiam communicare ac si revera moribundus plenissimam omnium pœnarum indulgentiam semper consequeretur.

Quidquid sit de origine hujus absolutionis ejusve formulæ, sat notorium est, hanc formulam absolutionis sic expressam, aliam prorsus ideam vulgaribus imprimere, quàm solius indulgentiæ plenariæ in articulis mortis consequendæ pollicitatio.

Hæc aliaque in Confraternitatum libellis occurrentia; atque ad extollendam earum utilitatem & prærogativas; dum ad proprium quæstum à Præfectis & Directoribus Confraternitatum multoties asseruntur, & populo inculcantur, faciunt, ut Confraternitates de se & ex suo instituto laudabiles, sæpius populo sint non tantùm inutiles sed non rarò noxiæ: occasionemque præbeant hæreticis, Ecclesiam calumniandi, quasi salutem populi, solidamque omnem pietatem in externis quibusdam signis, & pietatis levissimis exercitiis positam crederet.

Ut ergo & populo adimatur occasio in perniciosam illam superstitionem & vanitatem incidendi; & hæreticis prætextus Ecclesiæ insultandi, quasi externis quibusdam Confraternitatum Symbolis aut pietatis exercitiis certam salutem annexam aut promissam crederet, convenit, ut Episcopi sæpiùs confraternitates visitando libellos earum sollicitè examinarent, & quidquid hanc abominandam superstitionem fovere posset, tollerent; ipsisque Fidelibus pias regulas præscriberent, ipsumque finem confraternitatem exponerent; atque de hoc per Parochos populum sæpiùs moneri & instrui curarent. Quo pacto contingeret, ut & populus veram de confraternitatibus ideam haberet, & hæreticis calumniandi Ecclesiam, & irridendi confraternitates prætextus eriperetur.

TITULUS XXXVIII.

De Sepulturis.

CAPUT I.

De Ritibus Sepulturæ & exequiis.

1. *Apud primos Christianos in usu fuit honorifica mortuorum sepultura.*
2. *Non abjicienda esse Christianorum corpora docet S. August.*
3. *Laudata divino testimonio justorum sepultura.*
4. *Quare commendata Justorum sepultura?*
5. *Romanis etiam Gentilibus de sepeliendis mortuis magna fuit cura.*
6. *Prodita actio Funeraria pro repetendis sumptibus sepulturæ.*
7. *Hi sumptus ante omne aliud æs alienum solvendi.*
8. *Creditores prætextu debiti sepulturam impedire non possunt; neque intra 9. dies à morte debitoris debitum exigere, & quare?*
9. *An Parochus cadaver quod per limites Parochiæ vehitur arrestare queat prætextu jurium sibi competentium?*
10. *Quæ in favorem sepulturæ sub Gentilitate decreta erant, confirmarunt Imperatores Christiani.*
11. *Plures ritus quibus hodie utimur olim Judæis & Gentilibus fuere communes.*
12. *A Christianis respuendi non sunt ritus, quia iis Gentiles ad superstitionem abutebantur.*
13. *Jam pridem ritus fuit Christianis usitatus* occludendi oculos *mortui.*
14. *Idque ut horror ex aspectu defuncti oriri solitus diminueretur.*
15. *Defunctorum corpora olim publicè exponebantur, & efferebantur, quemadmodum in Religiosis hodie observatur.*
16. *Eadem ratione invaluit ritus* lavandi *corpora defunctorum.*
17. *Mortui vestibus induti exponi & sepeliri solebant.*
18 *Hujus ritus reliquiæ sunt vestitio & expositio Sacerdotum.*
19. *Quid de hoc ritu scribat Durandus?*
20. *Præscriptum Ritualis Romani.*
21. *Quomodo hoc præscriptum in Belgio sit in usu?*
22. *Ætate Durandi etiam circa vestitionem secularium laicorum aliquid superfuisse videtur.*
23. *Eo tempore videntur adhuc patenter exposita & delata fuisse mortuorum cadavera.*
24. *Cadavera laicorum hodie involvuntur* linteo; *quod & olim factum fuit.*
25. *Antiquitus corpora defunctorum sub vesperam efferebantur.*
26. *Vespertina corporum elatio dedit originem adhibendi faces.*
27. *Gentilibus moris fuit, ut etiam ad mortuorum monumenta lucernas accenderent.*
28. *Etiam diurnis funeribus in signum lætitiæ adhibiti cerei à Gentilibus & Judæis.*
29. *Idipsum factum à Christianis*
30. *Cerei & hymni adhibiti in funere Christianorum ob victoriam peracti agonis.*
31. *Immodica & superstitiosa luctus indicia à Gentilibus in funeribus adhibita.*
32. *Quare hos luctuosos ritus improbarint Patres in funeribus Christianorum?*
33. *Ritus Gentilium converterunt Christiani in signa lætitiæ.*
34. *Clericis defunctos lugere induendo vestes lugubres vetuit Concilium Toletanum; & quare?*
35. *Non omnis in morte Christianorum luctus improbatus.*
36. *Corporibus ad Ecclesiam delatis etiam ibidem hymni & psalmi decantabantur.*
37. *Hinc & vigiliæ defunctorum originem habent.*
38. *Inde ulterius officium defunctorum constans primis vesperis & officio nocturno.*
39. *Quando Officium Defunctorum sit compositum incertum est.*
40 40. *Seculo 12. adhuc in officio defunctorum canebatur* alleluja.
41. *Officium Defunctorum ex Sacramentario conscriptum seculo 10.*

42. Co-

42. *Celebrabatur Missa præsente Corpore; quod & antiqui ritus est.*
43. *Volunt Ritualia hodierna ut Missa præsente corpore celebretur, quod olim observabatur quoad totum officium; cujus ritus etiam superest vestigium.*
44. *Quid Missa in antiquo Sacramentario exhibita contineat diversum ab hodierna.*
45. *Preces quæ in sepeliendo corpore hodie dicuntur etiam seculo 10. nota.*
46. *Trina thurificatio & trina aqua lustralis aspersio, non occurrit in citato Sacramentario.*
47. *Rituum solet esse Magna pro Ecclesiarum diversitate varietas.*
48. *Quid circa hos varios ritus observare debeant Parochi, & quid Episcopi.*
49. *Exequiæ ab heredibus defuncto impendendæ; & ad eas constringendi.*
50. *Juxta Synodorum Decreta differendæ ultra sex septimanas.*
51. *S. Carolus vult ut heredes constringantur dare luminaria.*
52. *Parochi in urgendis exequiis cavere debent notam avaritiæ.*
53. *Non probat Ecclesia immodicos exequiarum sumptus.*
54. *Quâ ratione ab immoderatis sumptibus laicos abstrahet Parochus?*
55. *Etiam Gentiles immoderatos funerum sumptus improbarunt; uti & Principes nostri.*
56. *Monita circa sumptus funerum populo utilia.*
57. *Item circa suffragia pro mortuis.*
58. *Ut populus ad exequias moderatas excitetur, procurandum, ut religiosa modestia & reverentia celebrentur.*
59. *Magnus solet in his celebrandis esse pietatis defectus.*
60. *Clerici in frequentandis Defunctorum officiis cavere debent mercenarium agendi modum.*
61. *In sepulturis meritò haberetur exhortatio ad populum de morte & novissimis.*
62. *Frequentes solebant esse Orationes funebres; & quid in his vitandum?*

I. AB ipso Ecclesiæ exordio Majores nostri certis & statis ritibus corpora Christianorum, ut animarum domicilia & templa Spiritus Sancti sepeliri docuerunt; eorumque sepulturam congruis honoribus ornarunt.

Origines *lib. 8. contra Celsum* ait: " Rationabilem animam honorare didicimus, & hujus organa sepulchro honorificè demandare.

Et S. Hieronymus advertit non tantùm sub Veteri; sed & sub novo testamento honorem sepulturæ laudari, Scribens ad Paulam de obitu Blesillæ *lib. 1. Epist. 25.* ait: " De Moyse verò, inquit, & Aaron quòd eis ex veteri more sit planctus exhibitus, non mirandum est, cùm & in Actis Apostolorum, jam Evangelio coruscante, Stephano fecerint Jerosolymæ fratres planctum magnum, & utique planctus magnus, non in plangentium exanimatione, ut tu putas, sed in pompa funeris, & exequiarum frequentia intelligendus sit.

II. His consonat S. August. *lib. 1. De Civitate Dei c. 13.* scribens: " Non sunt contemnenda & abjicienda corpora defunctorum, maximèque justorum atque fidelium, quibus tanquam organis, ac vasis, ad omnia bona opera, sanctus usus est Spiritus. Si enim paterna vestis & annulus, ac si quid ejusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ utique multò familiariùs atque conjunctiùs quàm quælibet indumenta gestamus.

III. Deinde paulò post: " Unde & antiquorum justorum funera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & sepultura provisa, ipsique dum viverent de sepeliendis, vel etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt, & Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Angelo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrecturus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædicandumque commendat, quod unguentum pretiosum super membra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et laudabiliter commemorantur in Evangelio qui corpus ejus de cruce acceptum diligenter atque honorificè tegendum sepeliendumque curarunt.

IV. " Verum (ut ibidem monet) istæ auctoritates non hoc admonent, quod insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam, ubi & illud salubriter discitur, quanta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus & sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod exanimis hominum membris officii diligentiæque persolvitur.

Plura de hoc pietatis officio mortuis impendendo habet idem S. Doctor libro *De Cura pro mortuis*; item Sermone 32. De Verbis Apostoli, qui in novissima editione est 172.

V. Quantam & ipsi Romani adhuc sub ipsa gentilitate curam pro mortuis habuerint, evincunt, quæ sub titulis Digestorum *De Religiosis & sumptibus funerum, & ut funus ducere liceat*; item *De Mortuo inferendo*, nec non *De sepulchro violato*, ex responsis Jurisconsultorum referuntur.

VI. Ex quibus imprimis habetur, apud Romanos proditam fuisse actionem, quæ *funeraria* dicitur; qua is qui in funus alicujus sumptus fecit, eos petere & exigere potest ab eo ad quem res illa pertinet, *L. 2. ff. De Religios. & sumpt. funer.* puta heredem, patrem in cujus potestate defunctus erat, dominum. *L. 14. §. fin. L. 21. & 31. ff. eod.*

VII. Imò his sumptibus eam Romani prærogativam dedere, ut qui hos fecerit, omnibus creditoribus præferatur; possitque illos tamquam æs alienum, non tantùm ante legata; sed etiam ante omne aliud creditum deducere *L. penult. ff. eod.*

VIII. Sepulturæ favor fecit, ut nec creditores ullo modo impedire, aut debitoris cadaver inquietare possent. *L. 3. § 4. ff. De Sepulc. viol.*

IX. Hinc Peckius in tractatu suo *De Jure sistendi capite 5. n. 23.* graviter invehitur in Parochos, qui contra jus humanitatis detinent cadavera quæ per eorum Parochias transvehuntur, prætextu jurium quæ sibi ratione istius transitus per limites parochiæ competere prætendunt: cum tamen jam pridem apud Romanos decretum esset, ut funus ducere liceat per viam publicam *L. 38. ff. De Relig. & sumpt. fun.* quia funeris faciendi aditus semper esse debet *L. 10. ff. eod.*

X. Hæc aliaque quæ luculenter probant, Romanis funeris & sepulturæ causam favorabilem & piam fuisse, etiam ipsi Imperatores Christiani confirmarunt; uti ex relatione illorum in corpus Juris, nec non eorum subsequentibus legibus patescit.

XI. Quin & ritus plurimos, quibus hodie circa mortuos eorumque sepulturam utuntur, & jam pridem usi fuere Christiani, non tantùm Judæis; sed & gentilibus communes fuisse; atque tam ab his, quàm illis primitus ad Christianos pervenisse notavit Baronius, & in sequentibus notabitur.

XII. Neque enim ritus illos respuere debuere Christiani, quia ad suam superstitionem & gentilitatis errores eos adhibuerunt gentiles; modò sine superstitione ad

ad religiosum cultum adhiberi queant, quemadmodum jam pridem monuit S. Augustinus *lib. 2. De Doctrina Christiana*; atque signanter monet non idcirò musicam esse respuendam, quia gentiles illa ad suam superstitionem abusi sunt: " Nos (ait) non propter superstitionem pro„ fanorum debemus musicam fugere, si quid inde utile „ ad intelligendas Scripturas rapere potuerimus.

XIII. Inter ritus mortuorum cadaveribus, tum à Gentilibus, tum à Christianis jam pridem exhibitos, fuit mox ipsis corporibus mortuis *oculos occludere*: cujus ritus meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 22.* è quo unà intelligitur, non tantùm oculos, sed & *ora* occlusa fuisse.

XIV. De hoc ritu latè agit eruditus auctor Romæ Subterraneæ *lib. 1. cap. 21.* qui & genuinam hujus ritus rationem ibidem *num. 13.* indicasse videtur; nimirum quod quasi natura dictante hunc ritum adhibuerint, ad „ propulsandum horrorem illum, qui ex apertis, patentibusque mortuorum oculis, quibus omnis cum vita ac lumine decor extinctus est, exemplo animis astantium refunditur.

XV. Indubitatum enim est, mortuorum corpora, non ut hodie loculis fuisse inclusa, sed patenter fuisse omnium oculis exposita, & ad sepulchra delata; quemadmodum & hodie Religiosorum cadavera feretro imposita, ad Ecclesiam deferuntur, & sepeliuntur: moremque illum hodiernum cadavera loculis includendi, & quasi oculis humanorum substrahendi recentiorem esse certum est.

XVI. Verisimile est, ex eodem more scilicet cadavera patenter exponendi & deferendi invaluisse ritum apud Antiquos vulgatum, corpora defunctorum *lavandi*; uti non obscurè indicant ipsa Acta Apostolorum *cap. 9.* ubi de Tabitha Joppensi mortua, & à S. Petro resuscitata dicitur: *Quam cum lavissent posuerunt eam in cænaculo.* Meminit quoque ejusdem ritus Dionysius Alexandrinus apud Eusebium loco citato Et apud Gregorium Turonensem De Vitis Patrum *cap. 5.* de S. Gallo Episcopo Avernæ refertur: *Exinde* ALBUTUS *& vestitus in Ecclesiam defertur.* In Sacramentario S. Gregorii post preces psalmosque in cujusque obitu recitari solitos subditur: *post ea lavetur & ponatur in feretrum.* Et in Sacramentario MS. Ratoldi Abbatis è quo officium sepulturæ edidit Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii *pag. 261.* legitur: *Oratio post* LAVATIONEM *corporis antequam de domo* EFFERATUR.

XVII. Forsan eodem ex capite mos olim fuit corpus defuncti pretiosis vestibus induendi; idque pro qualitate & conditione personarum; atque cum iisdem vestibus expositum postmodum sepeliendi. S. Hieronymus in fine vitæ S. Pauli scribit: *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus; cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt?* Plura de hoc ritu testimonia recitat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii *pag. 266.*

XVIII. Hinc indubiè mos inolevit, ut Episcopi & Clerici vestibus Ordini congruentibus induerentur; & iis induti exponerentur, & sepelirentur. De S. Gebhardo Episcopo Constantiensi lib. 1. vitæ ipsius cap. 22. scribitur: *Cum ergo lotus &* SACERDOTALIBUS, *ut* MORIS *est, vestibus indutus & feretro impositus ad Ecclesiam fuisset deportatus.* Et S. Gregorius Turonensis in vitis Patrum *cap. 5.* de S. Gallo Episcopo Avernæ scribit: *Exinde ablutus &* VESTITUS *in Ecclesiam defertur.* Plura habet de hac ceremonia Menardus loco citato *pag. 267.*

XIX. Gulielmus Durandus in Rationali Divinorum Officiorum *lib. 7. cap. 159* describens ritum sepeliendi suo tempore usitatum ait; " Clerici si fuerint ordinati, „ illis indumentis sepeliantur, quibus fuerant ordinati, „ Si non habeant ordines, more laicorum.

XX Rituale Romanum sub Paulo V. de hac ceremonia hæc habet: " Sacerdos aut cujusvis Ordinis Clericus „ defunctus vestibus suis quotidianis communibus usque „ ad talarem vestem inclusivè, tum desuper sacro „ vestitu Sacerdotali vel Clericali, quem Ordinis sui ratio „ poscit, indui debet. Sacerdos quidem super talarem „ vestem amictu alba, cingulo, manipulo, stola, & casula „ seu planeta violacea sit indutus.

" Diaconus verò induatur amictu, alba, cingulo, ma„ nipulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub axilla „ dextra annectatur, & dalmatica violacea

" Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & tunicella.

" Alii præterea inferiorum Ordinum Clerici super„ pelliceo supra vestem talarem ornati debent; singuli „ prædicti cum tonsura ac birretis suis.

XXI. Hoc Ritualis præscriptum quoad Episcopos & Sacerdotes etiam in his partibus servatur; at quoad inferiores Clericos passim desiit esse in usu; neque hi publicè & patenter exponi solent; sed tantùm Episcopi & Sacerdotes. Regulares tamen, tametsi etiam laici seu Conversi, habitu suo regulari, stola tamen superposita si Sacerdotes fuerint, induti, exponi & sepeliri consueverunt: quæ sunt antiqui moris, olim *omnibus* Christianis communis, reliquiæ.

XXII. Olim moris fuisse, saltem in aliquibus Ecclesiis tum orientalibus, tum Latinis, ut Eucharistia sive Corpus Domini imponeretur pectori ipsius defuncti, atque cum ipso sepeliretur constat ex Amalario Fortunato *lib. 4. cap. 41.* ubi ex Beda referens ritum observatum in sepultura S. Cuthberti inter alia dicit; *oblata super pectus sanctum posita* fuisse. Et in vita S. Basilii scribit S. Amphilochius; " Dividens panem in tres portiones, unam qui„ dem suscepit cum timore multo, aliam verò servavit „ ad *consepeliendum sibi*, tertiam verò super columbam „ argenteam suspendit super altare.

Ritum hunc etiam quodam miraculo probatum fuisse apparet ex iis quæ infert S. Gregorius *lib. 2. Dialog. cap. 24.* Refert enim de S. Benedicto, quod puerum monachum, qui sine peritia ejus benedictione exierat, & repentina morte raptum, & quem sepultum terra bis evomuerat, parentibus restituere volens, iis *Communionem Corporis Domini* dederit, dicens, ite & hoc Dominicum corpus super *pectus* ejus cum magna reverentia *ponite*, & sic *sepulturæ* eum tradite: Quod cum factum esset, terra puerum non amplius evomuit.

Ad hunc ritum relatis hisce SS Basilii & Benedicti auctoritatibus reflectens Cardinalis Bona *lib. 2. Rer. liturg. capit. 17 §. 6.* ait. " Sive id fecerint sancti Patres „ peculiari instinctu, ne unquam à Domino separaren„ tur, sive ex consuetudine tunc recepta hæc tamen po„ stea abrogata fuit.

Quidni tamen dicamus, hujus antiqui ritus vestigium seu reliquias esse, quod hodie cadaveribus Sacerdotum apponatur calix cæreus cum hostia non consecrata, & consepeliatur?

XXIII. Seculares autem communes laici, vestiri non solent, neque publicè exponi. Aliquod nihilominus etiam circa laicos ætate Durandi hujus vestitionis vestigium superfuisse insinuant quæ loco citato de ritu communi sepeliendi refert: " Debent (ait) mor„ tui ad hunc modum sepeliri; sudariis videlicet indu„ ti, & ut caligas circa tibias habeant, & soleas in „ pedibus; quo significent, se ita paratos esse ad ju„ dicium.

XXIV. Hodie cadavera laicorum non amplius patenter; sed loculis inclusa ad Ecclesiam deferuntur. Quo autem tempore ritus ille cadavera loculis includendi invaluerit, hactenus non inveni; admodum verisimile invaluisse, quando non ampliùs sub vesperam, sed pleno die corpora defunctorum ad templum portari cæpe-

cœperunt: ne scilicet per publicam & conspicuam cadaverum frequentem delationem per eorum conspectum nimius terror hominibus incuteretur. Equidem apparet, tempore Gulelmi Durandi Episcopi Mimatensis vulgò Speculatoris, id est, seculo 14. nondum receptus, saltem generaliter, ritus cadavera occultandi. Ipse enim in *Rationali* Divin. Offic. *lib. 7. cap. 159.* referens ritum sepeliendi non meminit hujus inclusionis faciendæ, nisi uno speciali casu, nimirum si quis moriatur in mari, & terra omninò non videatur in qua sepeliri queat, *paretur* (ait) *vidomuncula quadam ex lignis, si possit haberi, & projiciatur in mare.*

Quidquid sit, non dubium, quin ritus portandi hodie ipsa Monachorum corpora *patenter* ad templum, & sepeliendi, remanserit ex antiquo ritu omnibus communi. Ulteriùs nec illud dubium apparet, quin consuetudo cooperiendi loculum velo nunc albo, nunc nigro, idque magis vel minus pretioso pro defunctorum conditione; quin & imponendi insignia; profluxerit ex pristino more ipsum defunctum vestiendi.

XXV. Cadavera mortuorum apud Gentiles plerumque noctu elata fuisse notat Servius ad 11. *Æneydos* scribens: *Per* NOCTEM *cadavera afferebantur cum faculis*; pluribusque ostendit Gothofredus ad *L. 5. Cod. Theod. De Sepulchris violatis.*

Quin Christiani durante Ethnicorum persecutione corpora noctu ad cryptas & loca subterranea sepelienda detulerint, dubium non est; at pace reddita Ecclesiæ per Constantinum claro die cœperunt corpora deferre, uti non obscurum est ex citata *lege 5.* quæ Julianum Apostatam quidem auctorem habet. In hac enim lege clarè supponitur, quod consuetudo deferendi publicè & per confertam populi frequentiam cadavera mortuorum invaluisset; quæ consuetudo hic abrogatur, hac inter alias ratione, quod *cum diem functis nihil interest; utrum per noctem, an per dies efferantur, liberari convenit populi totius aspectus.*

Credit Gothofredus, hanc legem in odium Christianorum à Juliano Apostata editam fuisse. Quid sit, eam nihilominus Theodosius Junior per relationem in suum Codicem probasse videtur: ac propterea mos noctu sive vesperi corpora ad Ecclesiam deferendi rursus, etiam inter Christianos, restiturus fuisse apparet; ejusque meminisse videtur S. Ambrosius lib *De Viduis*: hodieque in Monasteriis passim servatur.

XXVI. Ab hac consuetudine *noctu* corpora efferendi, primitùs originem habuisse morem faces seu fanalia incendendi & corporibus mortuorum præferendi notat auctor Romæ subterraneæ *lib. 1. c. 17 n. 29. & c. 18. n. 1.* indeque *funus* dictum à *funibus*, videlicet incensis feretro præferri consuetis ex Grammaticis plerique autumant, ait idem Auctor *nu. 19.*

XXVII. Quin & Gentilibus moris fuisse, non tantùm faces in efferendis corporibus præferre; sed ad sepulchra mortuorum certis temporibus lucernas accendere constat ex *L.* MÆVIA *ff. De manumissis testam.* in qua refertur, quod Mævia famulis suis libertatem testamento dederit cum hoc onere, *ut monumento alternis mensibus* LUCERNAM ACCENDANT, *& solemnia mortis peragant.* Ad hunc locum reflectens auctor Romæ subterraneæ *lib. 1. cap 18. n. 2.* ait: "En luminaria accendendi mos, & mortuos hujusmodi ritus colendi ex „ipsis superstitionis gentilitiæ monumentis adnotatus.

XXVIII. Quin & diurnis funeribus lumina adhibuisse Gentiles monet citatus Auctor, atque lampadum, lucernam ac cereorum usum tam apud Gentiles, quàm Judæos & etiam primos Christianos fuisse, non tantùm ad effugenda noctis tenebras, sed & ad lætitiam insinuandam, & pium religionis cultum amplificandum probavit jam pridem S. Hieronymus adversus Vigilantium, & multis adstruit Baronius ad annum 58. "Cum„que (ait Baronius) hæc ipsa æquè Judæi factitarent, „atque Gentiles: cur non potiùs à Judæis ea, sicut & „pleraque alia, quàm à gentilibus Ecclesiam esse mu„tuatam dixerimus? Et si velimus accepta ab illis esse, „quid absurdum si eadem in veri Dei cultum conversa „fuerint, ut alia multa?

XXIX. Usum cereorum in funeribus plurima antiqua monumenta evincunt. De funere Constantini scribit Eusebius *lib 4. De Vita Constantini cap 66.* "Posthæc „milites sublatum è lecto corpus in arca aurea depo„suerunt, eamque purpurea obtectam veste Constanti„nopolim deportarunt, atque in præcipuo Imperialis „palatii cubiculo sublimem collocaverunt. De hinc au„tea super candelabra *luminibus undique accensis*, admi„rabile spectaculum intuentibus præbebatur.

Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait: *Sacerdotes lampades cereosque prætulerunt funeri.*

Et de funere Constantii loquens S. Gregorius Nazianzenus dicit eum elatum esse *luminibus accensis*: addetque: *Quibus Christiani transitum honorare pium censent.* Vide plura apud Onuphrium Panuinum De Ritu sepeliendi mortuos *c. 5.*

XXX. Cereos defunctis prælatos fuisse in signum triumphi ob peracti viriliter agonis cursum insinuat S. Chrysostomus homil. 4. in *Epist. ad Hebræos* scribens: „Dic mihi quid sibi volunt istæ fulgentes lampades? An „non defunctos tamquam *athletas* deducimus?

Eundem in finem decantatos hymnos fuisse in delatione funerum subjungit Chrysostomus: "Quid etiam „*hymni*? An non Deum glorificamus, & gratias agimus, „quod eum qui excessit, jam coronaverit; Quod à labo„ribus liberaverit? Quod abjecto metu eum apud se ha„beat? Nonne ideo sunt *hymni*? Nonne ideo *psalmodia*, „Hæc omnia sunt *lætantium*.

Latiùs de hoc ritu in gratiarum actionem adhibito in mortuorum delatione agit Dionysius Areopagita, seu auctor De Hierarchia Ecclesiast. *cap. 7.* & multis ex antiquitate adductis testimoniis adstruit Onuphrius citato *c. 5.* & latiùs Auctor Romæ subterraneæ *lib. 1. cap. 19.*

XXXI. Cantum etiam à gentilibus in funeribus adhibitum fuisse constat; sed lugubrem; quo suum de mortuis mœrorem & luctum declararent: cui & plurima insana & phanatica externi luctus indicia addebant; in tantùm ut viros mulieresque ad hoc conducerent, qui suo continuo ejulatu luctum testarentur: quin & ostentationis studio, interdum gladiis brachia impetebant, vulneribus cruentabant, genas vellebant, & capillos evellebant; uti testatur S. Chrysost. Homil. 61. in cap. 11. Joannis.

Quod autem Phanaticus ille plangentium mos in usu olim apud Judæos esset ex ipsorum Evangelico textu luce clarius comprobatur. Nam cum Christus Dominus in cujusdam Principis Pharisæorum domum, cujus filia è vivis paulò ante abcesserat, eandem à mortuis excitaturus, venisset, invenit ibi ut Evangelista (ait) tibicines & turbam flentem atque eiulantem: *in more enim*, ut Ambrosius ait, *receptum erat, ut in omnis ductione funeris tibicines ad incendendos, excitandosque confluentium luctus adhiberentur & præfica*, hoc est mulieres quæ mercede conducebantur ad deflendum laudandumque defunctum.

XXXII. Hos immodicos luctus in Christianorum funeribus improbaverunt Patres, ne aliàs Ethnicis occasio daretur, religionem Christianam irridendi, quasi aliud factis, aliud verbis probarent Christiani: dum scilicet ritibus suis luctum ostenderent, & ubique verbis prædicarent, mortem à Christianis esse expetendam, esseque transitum è mortali ac misera vita ad æternam & felicem ac omnis miseriæ expertem; conformiter ad illud Apostoli: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.*

XXXIII. Ita-

XXXIII. Itaque Ecclesia immodicos & phanaticos Gentilium & Judæorum luctus, & lugendi modos rejiciens, & tamen nonnullos eorum retinens, in patientissima lætitiæ signa convertit; uti jam pridem notavit S. Cyprianus in tractatu *De Mortalitate* dicens sibi præceptum, publicè contestari, "Fratres nostros non esse lugendos assertione Dominica de seculo liberatos, cùm sciamus non eos amitti, sed præmitti, recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent: desiderari eos debere non plangi; nec accipiendas hic esse atras vestes, quando ibi illi indumenta alba jam sumpserint: occasionem dandam non esse gentilibus, ut nos meritò ac jure reprehendant, quod quos vivere apud Deum dicimus, ut extinctos, & perditos lugeamus, & fidem quam sermone & voce depromimus cordis & pectoris testimonio non probemus." Adde Conc. III Tolet. *Can.* 22. apud Gratianum *caus.* 13. *q.* 2. *Can.* 28.

XXXIV. Utque Clerici suo exemplo ostenderent; de morte propinquorum non esse dolendum more gentilium qui spem non habent, sed potiùs iis congratulandum de triumpho, vetitum fuit Clericis, ne in morte parentum vestes lugubres sumerent. Et quidem Concilium Toletanum *an.* 1473. *Can.* 8. "vocat absurdum & reprehensibilem quorumdam abusum Clericorum, qui lugubres & luctuosas vestes induunt, & flebiliores quam suæ congruit honestati, ex eo se reddunt, quia parentes consanguineique eorum & amici corruptibilem carnis nostræ molem deponentes, ad æternam patriam de præsentis exilii miseria convolarunt." Hunc abusum penitus abolitum vult; "cum & secundùm sententiam ore benedicto prolatam, qui credit in Christum etiam si mortuus fuerit vivet."

Deinde decernit sub pœna suspensionis à perceptione fructuum suorum Beneficiorum per tres menses pro qualibet vice, "ut ulterius luctuosas vestes induere Clerici in sacris ordinibus constituti, vel Beneficiati nostræ Provinciæ non audeant."

Hinc indubie mos non lugendi propinquos mansit apud Regulares, qui nullum solent in vestibus luctus indicium assumere.

XXXV. Ex his tamen nequaquam concludere licet, omnem in morte Christianorum luctum reprehendi, aut à Patribus vetitum fuisse: sed immodicum more Gentilium, uti monet S. Augustinus *Serm.* 32. *De Verbis Apostoli*, sive 172. "Ideò non admonuit Apostolus ut non contristemur; sed *non sicut cæteri, qui spem non habent.* Contristamur ergo nos in nostrorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipiendi: inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat divina promissio."

XXXVI. Quod supra dictum de nocturna vel vespertina cadaverum delatione ad Ecclesiam non ita intelligendum, quasi ipsa nocte aut vespera sepelirentur; sed ibidem manebant tota nocte exposita, die sequenti sepelienda; imò & nonnumquam pluribus noctibus ibidem insepulta remanebant.

Eo autem tempore hymni & psalmi præsente corpore recitabantur, aut etiam canebantur. Testatur S. Gregorius Turonensis in vitis Patrum *cap.* 30. de S. Gallo: "Delatus in Ecclesiam, donec Comprovinciales (Episcopi) ad eum sepeliendum convenirent, jacuit ibi per *triduum*, assiduo instante *psallentis* magna frequentia populi." Plura habet auctor Romæ subterraneæ *lib.* 1. *cap.* 10.

XXXVII. Hinc indubiè originem habent vigiliæ defunctorum dum enim apud defunctorum corpora in Ecclesiis exposita Fideles orando excubarent, quid aliud, quam *vigilias* apud defunctos agebant?

In Martyrologio Romano ad diem 14. Februarii legitur: "Sanctorum Proculi, Ephebi & Apollonii Martyrum, qui cum *ad corpus* Sancti Valentini *vigilias* agerent, jussu Leontii Consularis comprehensi, gladio cæsi sunt."

Et in obitu Macrinæ sororis suæ contigisse narrat S. Gregorius Nyssenus, antequam corpus ejus sepulchro inferretur, per totam noctem fuisse productam psalmodiam: "Factum est, (ait) ut virginum cantu lamentationibus commixto resonaret locus." Ac dein subdit, perfectam esse nocturnam *pervigilationem* canendis psalmis, ut in Martyrum celebrare.

XXXVIII. His vigiliis hodiernum officium defunctorum, quod & *vigiliarum* nomen retinuit, respondere, vix dubitari potest.

Constat hoc officium primis vesperis, & officio nocturno; quod ipsum non obscurum indicium est, ex pristinis illis vigiliis descendere; seu potiùs illis successisse.

Cùm enim corpus sub vesperam ad Ecclesiam delatum tota ibidem nocte quiesceret, preces & vigiliæ quæ vesperi coram corpore agebantur primis Vesperis (quæ juxta ritum Ecclesiasticum ad Vesperam sequentis diei fieri debent) apprimè correspondent; reliqua verò quæ de nocte agebantur, officio *nocturno*.

Olim quidem præsente corpore vigiliæ agebantur; quemadmodum & hodie apud Monachos fieri consuevit, idque ex antiquo ritu omnibus communi. At postquam corpora secularium ad Ecclesiam sub vesperam deferri, & nocte exponi desierunt, officium defunctorum sive vigiliæ in absentia corporis cantari cœpit: in signum tamen pristini ritûs feretrum vacuum corpus ipsum repræsentans poni solet.

XXXIX. Quandonam officium defunctorum compositum fuerit, nescio. In Codice Sacramentarii S. Remigii Remensis, quod circa an. 1000. scriptum credit Hugo Menardus, refertur *Officium pro defunctis*; illudque exscripsit Menardus in notis ad Sacramentarium S. Gregorii; sed ab hodierno Romano planè diversum; non nisi ferè aliquibus commendationibus animæ & collectis constans.

XL. Hoc autem speciale observat in hoc Officio Menardus, quod in principio Officii occurrit: *Imprimis cantatur Psalmus* IN EXITU ISRAEL *cum antiphona, vel* ALLELUJA; "ex quibus constat (ait Menardus) olim hanc lætitiæ vocem in defunctorum officio non fuisse præterm issam ob lætitiam quæ toti Ecclesiæ ex morte justorum obvenit: ut videre est apud S. Hieronymum in Epitaphio Fabiolæ *Et jam fama volans tanti prænuncia luctus totius urbis populum ad exequias congregabat, sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum in sublime quatiebat* ALLELUJA. Hæc lætitiæ vox à Græcis cantatur in Liturgia *ëu koimydéntas*, id est, de his, qui dormierunt finita Epistolæ lectione."

XLI. Post hæc *pag.* 262 exhibet Officium ex Codice MS Ratoldi Abbatis, quem circa finem seculi 10 exaratum esse credit. Hoc officium nec Vesperas, nec officium nocturnum defunctorum continet; sed tantummodò preces & psalmos recitandos coram ægro agonizante; & statim postquam exspiravit.

XLII. Additur insuper oratio dicenda *post lavationem corporis antequam de domo efferatur.* Tum sequuntur orationes recitandæ in delatione corporis ad Ecclesiam. Post hæc subjungitur: *In Ecclesia autem requiescet corpus defuncti, quousque pro ejus anima Missa canatur & offeratur ab omnibus, quibus visum fuerit.*

Hic morem celebrandi *Missam* pro Defunctis; & quidem præsente corpore; nec non morem *offerendi* usitatum fuisse videmus: quem & primis seculis notum fuisse ex multis testimoniis ostendit Onuphrius loco citato *cap.* 10 *& c.* 9. etiam *eleemosynas* pro mortuis, condito & curato funere, datas esse probat ex Origine & Hieronymo.

XLIII. Ri-

XLIII. Ritum celebrandi Missam *præsente* corpore etiam & hodie observari desiderat Rituale Romanum, eumque antiquissimum esse asserit " Quod *antiquissimi* „ est instituti, illud, quantum fieri potest, retineatur, ut „ Missa *præsente corpore defuncti* pro eo celebretur, ante- „ quam sepulturæ tradatur.

Vespertinæ ergò sepulturæ, quæ non rarò singularitatem aliamve vanitatem sapiunt non facilè admittendæ: neque eas extra casum necessitatis admittit Rituale nostrum Mechliniense dicens: " Pro laudabili & anti- „ qua consuetudine Ecclesiæ corpus adulti defuncti an- „ te meridiem cum Missa orationibusque, & ceremoniis „ debitis (casu necessitatis, excepto) sepeliri conve- „ nit.

XLIV. Notandum *Missam* pro Defunctis in citato Codice Ratoldi expressam in multis hodiernæ Romanæ consonare, exceptâ *præfatione* quæ hic specialis est; item oratione dicendâ infra *Actionem*, in qua specialiùs exprimitur, oblationem hanc fieri pro hoc defuncto. Verba sunt: " Hanc igitur oblationem quam tibi pro anima „ famuli tui illi offerimus, quem hodie carnali corru- „ ptione liberasti, quæsumus, Domine, placatus acci- „ pias, & quidquid humanæ conditionis obreptione „ contraxit, expedias, ut tuis purificata remediis ad gau- „ dium sempiternum perveniat per Dominum nostrum „ Jesum Christum.

XLV. Finitâ Missâ notantur orationes & responsoria dicenda ad corpus defuncti antequam terræ mandetur. Hæc rursus multùm cum hodiernis conveniunt. Occurrit quoque hodiernus ritus post collectam *ter* dicendi *Kyrie- eleyson*; idque tribus repetitis collectis, prout hodie in Ritualibus præscribitur.

XLVI. Nulla fit mentio *trina* thurificationis; uti nec aspersionis aquæ lustralis super corpus defuncti, quæ hic in Belgio in usu est. Indicium, hos ritus esse recentioris instituti; aut saltem in Ecclesia, ad cujus usum hoc Sacramentarium erat scriptum, tunc nondum fuisse receptos Rituale Romanum tantum *unius* aspersionis & thurificationis meminit.

XLVII. Scitur enim, nihil adeò varium olim fuisse pro varietate Ecclesiarum, quam rituum ac precum similium usus.

Guilielmus Durandus, qui vixit sub finem seculi 13. describens Officium Defunctorum sui temporis, testatur, quod " in quibusdam Ecclesiis legantur novem le- „ ctiones ex Job, in aliis verò totidem, sed ex Libro Sa- „ pientiæ, Incipiunt autem hæ hoc pacto *Melius est ire* „ *ad domum luctus, quam ad domum convivii.* Sunt rur- „ sum aliæ Ecclesiæ in quibus itidem novem recitant „ Lectiones, verùm ex sermone quodam B. Aug. quem „ ille composuit de mortuis & quem finivit in hunc „ modum, *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, quod „ à quibusdam dicitur sub finem lectionum loco.

Hæc ille in rationali Divin. Off. *lib. 7. cap. 161.*

XLVIII. Porrò in hac rituum & ceremoniarum varietate à parochis aliisque inferioribus tenendus est usus suarum Ecclesiarum, præsertim in ipsis Ritualibus, seu Manualibus vel Pastoralibus præscriptus. Episcopi verò est, ea omnia prohibere, atque è medio tollere, quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio, veræ pietatis falsa imitatrix, inducere potuisset, solicitèque attendere, ne quæ similia irrepant: puta determinato numero Missarum, aut precum certam animarum è purgatorio liberationem addicere; quam superstitionem Synodos damnasse titulo præcedenti *cap. 6.* monui.

XLIX. Quæ hodie pro defunctis in die ipsius Sepulturæ aguntur, vocari solent *Exequiæ*; quas ab heredibus pro defuncto persolvendas esse volunt Synodi nostræ. Synodus Cameracensis an. 1567. sub hoc titulo: *Ut heredes defunctis* JUSTA *rependant* habet sequens Decretum; " Mandamus præterea Pastoribus, ut modestè „ moneant filios hæredesque eorum, qui ex hoc seculo in „ Ecclesiæ communione migrarunt, ut pietatem & gra- „ titudinem erga mortuos conservent, utque juxta hujus „ Diœcesis laudabilem consuetudinem, moremque ma- „ jorum Christianæ charitatis officia omnia rependant „ pro suo quisque modulo ac facultate, utpote preces, „ eleemosynas, Ecclesiæ suffragia, ac Missæ sacrificium; „ sed in his gerant se prudenter Pastores, evitentque o- „ mninò sordidum quæstum, & omnem avaritiæ labem. „ Hæredibus autem ipsis, in virtute sanctæ obedientiæ „ mandamus, ut parentum defunctorum exequias, non „ differant ultra sex hebdomadas à die obdormitionis, „ nisi justis causis per nos aut Pastores probandis.

L. Et Pastorale Mechliniense tit. *De Cura pro mortuis* ait, " Nec celebratio exequiarum ultra sex septimanas à „ die obitus nisi justis de causis per Ordinarium aut De- „ canum Ruralem approbandis differri debet. Quod si „ dictis sex septimanis elapsis hæredes aut consanguinei „ defuncti, etiam postquam ad hoc à Pastore præmoniti „ & requisiti fuerint, illas celebrari non curent, Pastoris „ erit negligentiam hanc Domino ordinario, ejusve „ Promotori denunciare.

LI. Similiter S. Carolus in suo primo Mediolanensi tit. *De Funeribus & exequiis* statuit: Si mortuorum heredes ita se impiè gesserint, ut religiosum exequiarum institutum negligentes " cruci, Clericis, & funeri debita „ lumina adhiberi nolint; ab Episcopo ea comparare „ cogantur quæ necessaria videbuntur.

Meritò autem monet Parochos citata Synodus Cameracensis, ut " in his gerant se prudenter, evitentque „ omninò sordidum quæstum, & omnem avaritiæ labem.

LII. Hanc turpis quæstus & avaritiæ notam difficulter evitabunt Parochi, si in juribus suis exigendis sint duri & difficiles; si pactiones & conventiones super iis cum heredibus ineant (de quibus latiùs infra) si suos Parochianos ad fastuosas, etiam non rarò cum summo filiorum aliorumque heredum incommodo, exequias, aut anniversariorum fundationem vel multorum Sacrorum celebrationem adhortentur.

LIII. Licet enim Ecclesia probet, imò præcipiat, corpora defunctorum honorificè, & cultu religioso sepeliri; moderationem tamen in hoc requirit; ut scilicet, nec despecta sit, nec superba sepultura, uti rectè monuit Concilium Remense anno 1583. tit. De Sepulturis *num.* 1. dicens: " Quantum autem attinet ad Christianorum se- „ pulturam quam nec superbam, nec neglectam esse de- „ cet, aut despectam, Parochi in hanc officii sui partem „ diligenter incumbant, ut piorum funera Christianæ „ simplicitatis ac modestiæ limites non excedant.

LIV. Deinde *num.* 2. medium quo id impetretur suggerit: " Id autem fiet, si ipsi primum mercede contenti „ & honesta contenti, dein superfluas impensas, quæ „ propter ambitionem ac fastum fiunt, vel heredibus re- „ linqui, vel pauperibus erogari suadeant.

LV. Etiam ipsi Romani Gentiles moderationem sumptuum & expensarum in defunctorum exequiis desiderarunt, atque arbitrio judicum determinandi erant *L. 12. §. 5. & L. 14. §. 6. ff. De Religiosis & sumptibus funerum*; additque posterior, nec testatoris voluntatem sequendam, *si res egrediatur* JUSTAM *sumptus rationem.*

Hinc in Belgio tum Ecclesiasticorum tum Civilium Magistratuum auctoritate sumptus, & fastum exequiarum non semel moderatos, & limitatos fuisse, juxta qualitatem personarum, scitur. Optandum, ut ubique in his justa & Christiana moderatio servaretur!

LVI. Ubi deprehenditur populus ad hujusmodi nimias pomposas & superbas sepulturas inclinari, meritò ei dicetur, verbis Augustini *Sermone* 32. De verbo Apostoli (qui est hodie *Sermo* 172.) " Pompæ fune- „ ris, agmina exequiarum, sumptuosa diligentia se- „ pultu-

„ pulturæ, monumentorum opulenta constructio, vivo„ rum sunt qualiacumque solatia, non adjutoria mor„ tuorum." Idem habet *lib.* 1. *De Civit. Dei cap.* 13.

LVII. Adhæc monendus nonnumquam, quod tametsi indubitatum sit, "orationibus sanctæ Ecclesiæ, & „ sacrificio salutari, ut eleemosynis, quæ pro eorum spi„ ritibus erogantur, mortuos adjuvari; ut cum eis mise„ ricordius agatur à Domino, quam meruerunt; "uti loquitur Augustinus in citato Sermone; tamen advertendum esse quod adjicit idem Doctor: "Prodesse illa de„ functis; sed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut „ possint eis hæc utilia esse post mortem. "Idipsum monet libro De Cura pro mortuis *cap.* 18.

LVIII. Ut verò ad moderatas juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem exequias defunctis persolvendas fidelis populus excitetur, validum & securissimum medium est, "ut in his præstandis, qua par est modestia ac „ devotione ita se habeant Parochi aliique Ministri ut „ ad defunctorum salutem, simulque vivorum pieta„ tem, quemadmodum verè sunt, non ad quæstum, ejus„ modi ritus instituti esse videantur: "ut loquitur Rituale Romanum tit. *De Exequiis.*

LIX. Qui animadvertit ad modum quo hæc defunctorum officia in multis Ecclesiis persolvuntur, intelliget, quàm meritò monerentur Parochi aliique quibus cura officiorum incumbit, ut sedulò advigilent & strenuè adlaborent, ut vigiliæ & exequiæ defunctorum Fidelium, solemniter, tractim, graviter & devotè decantentur; quemadmodum Pastoribus suis injunxit vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in suis Decretis *tit.* 11 *cap.* 11.

LX. Monet Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 13. *cap.* 7. "Quod Clero ob funus, aut exequias defunctorum „ datur, ne durante ipso officio & spectante populo; sed „ eodem officio finito, iis qui eidem ab initio usque ad „ finem adfuerint, distribuatur.

Hoc decretum utinam attenderent Canonici & Capellani, qui mox absoluto offertorio, cum summo populi scandalo, & non obscuro indicio animi mercenarii, excurrunt, & medietate vix officii persolutâ integras officii distributiones accipere non formidant.

LXI. Vult Synodus Cameracensis anni 1604. *tit.* 13. *cap.* 2. ut "brevem semper habeant exhortationem Pa„ rochi in sepultura & exequiis defunctorum ante„ quam populum à loco sepulturæ dimittant; in eaque „ ad orandum pro defunctis omnes hortentur.

Non dubium, quin pia esset hæc praxis, & sæpè non inutilis; eo quod ipsa recens defuncti memoria, & præsentia nata sit conciliare attentionem majorem, & vivaciorem de morte, & judicio extremo aliisque novissimis imprimere ideam. Unde Pastores meritò cogitare & consulere poterunt, quomodò hanc à Synodo propositam praxim ad usum deducere poterunt.

LXII. Olim frequentes esse solebant orationes funebres; hodie verò rariores sunt; atque de his monet hæc Synodus Cameracensis *cap.* 3. ut "in his orationibus „ ita discretè se gerant Concionatores, ut assentationem „ omnem fugiant & non nisi ob veras & compertas vir„ tutes defunctos laudent. "Et Synodus Namurcensis an. 1639 *tit.* 16. *cap.* 5. monuit: "eas sobriè habeant po„ tiùs auditores consideratione mortis & judicii, ad „ peccatorum fugam excitando, quàm immodicè lau„ des defuncti propalando.

CAPUT II.

De loco Sepulturæ.

1. *Apud Romanos vetitum fuit intra urbes corpora inhumare.*
2. *Hanc legem renovavit Theodosius Junior.*
3. *Prima ratio hujus prohibitionis à Theodosio adducta.*
4. *Secunda ratio hujus prohibitionis; quæ & à Gentilibus probata, sed motivo ethnico.*
5. *Quo sensu eam probarint Christiani.*
6. *Altera pars legis Theodosianæ.*
7. *Quid Martyrum* sedes *in hac lege?*
8. *Cessante Gentilium persecutione Martyrum sepulchra in Urbe permissa fuere.*
9. *Verus sensus legis Theodosianæ.*
10. *Christiani multum desiderarunt sepeliri ad sepulchra Martyrum.*
11. *Sensim invaluit sepultura Urbana; quæ & Constitutione Leonis probata fuit.*
12. *Votum Christianorum fuit ad Ecclesias sepeliri, tamquam ad Martyrum sepulchra.*
13. *Qua ratione Ecclesiæ dici possint Martyrum sepulchra?*
14. *Primitus satis erant in vestibulis Martyrum sepeliri.*
15. *Hoc exemplo Christianis tantum datum fuit sepeliri in locis* propè *Ecclesias.*
16. *Hæc loca cur dicta sint cæmeteria?*
17. *Apud Romanos inhumatio corporis reddebat locum religiosum.*
18. *Ecclesia hodie requirit, ut locus sepulturæ sit prævið religiosus.*
19. *Cæmeteria hodie debent benedici.*
20. *Quando benedici cœperint.*
21. *Non apparet, quod olim fuerit benedictio cæmeterii separata à benedictione Ecclesiæ.*
22. *Hodie cæmeterium per specialem ritum & formulam benedictionis dedicatur.*
23. *Concilium Lugdun. à cæmeteriis abesse vult actiones profanas.*
24. *Quid pro reverentia cæmeteriorum statuerint Synodi Belgicæ.*
25. *Ostenditur ex hodierno ritu benedictionis, cæmeteria ad inhumationem corporum specialiter destinari.*
26. *Concilium Bracarense vetus quemquam in Ecclesia sepeliri.*
27. *Idipsum vetat Concilium Nannatense seculo* 9.
28. *In hoc Concilio occurrunt tria loca sepulturis designata; & quid sit* atrium;
29. *Quid* porticus; *& quid* exedra.
30. *Capitularia Regum Francorum prohibent sepeliri in Ecclesiis.*
31. *Circa idem tempus cœpit Sacerdotibus & quibusdam laicis ob vitæ meritum sepultura in ipsa Ecclesia concedi.*
32. *Exceptio hæc laicis occasionem ambiendi, & Sacerdotibus annuendi sepulturam in Ecclesia subministravit.*
33. *Ex sepulturis in Ecclesia Sacerdotes emolumentum capere cœperunt.*
34. *Ambitione laicorum & cupiditate Sacerdotum impellentibus pristina disciplina penè interiit.*
35. *Licet Ecclesia de pristina disciplina multum remiserit, non tamen eam omninò dimisit.*
36. *Id ostendit hodierna cæmeterii specialis benedictio.*
37. *Idem evincunt recentiora Synodi; & quid circa hoc punctum statuerit Synodus Rothomagensis;*
38. *Concilium Remense vetat concedi sepulturam in Ecclesia sine consensu Superiorum.*
39. *Synodus Burdigalensis inter* gravissimos *abusus circa sepulturam reponit morem sepeliendi promiscuè in Ecclesiis.*
40. *Pristinum morem sepeliendi in cæmeteriis conservari optat Rituale Romanum.*
41. *Præcipit, ut dum in Ecclesia locus datur, tantum humi, & non prope altare detur.*

42. *Quæ à S. Carolo circa hoc punctum statuta sint,*
43. *Quid hic ab Episcopis attendendum?*
44. *Quomodò Parochi se gerere debeant?*
45. *Decretum Episcopi de non danda sepultura in Ecclesia sine suo consensu probatum à Parlamento Parisiensi.*
46. *Locum sepulturæ assignare quibus competat;*
47. *Non facilè excludendus Parochus*
48. *Usus sepulchrorum familiarium & hereditariorum apud Romanos.*
49. *Jus sepulchri familiaris occasione juris Patronatus; & quam diu duret?*
50. *Quibus modis hodie plerumque hujusmodi sepulchra acquirantur?*
51. *Non probanda solicitudo de extractione sepulchrorum.*

I. APud Romanos jam pridem vetitum fuisse in civitatibus hominem sepeliri notum est ex Lege 12. Tabularum quæ dicebat: *hominem mortuum* IN URBE *ne sepelito, neve urito.* Et teste Ulpiano in *L. 3. §. 5. ff. De sepulchro violato*, Adrianus Imperator, edicto pœnam 40. aureorum statuit in eos qui *in civitate sepeliunt.* Renovatum est rursus hoc jus per Constitutionem Diocletiani & Maximiani in *L. 12. Cod. De Religios. & sumpt. funer.*

II. Verùm cum harum legum observatio sensim variis prætextibus exolesceret, sequuta est an. 381. Constitutio Theodosii Junioris quæ refertur in *L. 6. Cod. Theod. De Sepulchro violato.*

Hic primò decernit Theodosius, "Omnia quæ supra „terram urnis clausa, vel sacrofagis corpora detinen„tur *extra urbem* delata ponantur, ut & humanitatis „instar exhibeant, & relinquant incolarum domicilio „sanctitatem." Dein pœnam subjungit in legis prævaricatores.

III. Per hæc verba, *Ut & humanitatis instar exhibeant*, significare voluit Theodosius, ipsa mortuorum sepulchra ad vias publicas & in agris meritò poni, ut exhibeant hominibus humanæ fragilitatis & mortalitatis exemplar sive *speciem* vel *effigiem*: quod vocis *instar* juxta græcam interpretationem respondere notat Gothofredus ad hanc legem. Et hæc est prima ratio prohibitionis à Theodosio expressa.

Hanc ipsam rationem hujus prohibitionis assignat Varro *lib. 5. De Lingua Latina.* "Sepulchra (ait) ideò „secundùm *viam* sunt, quo prætereuntes admoneant, „& se fuisse, & illos esse mortales." Huc pertinent & tituli sepulchrorum: *Siste, aspice, vave Viator.*

IV. Altera ratio exprimitur his verbis. *Ut ita relinquatur Incolarum domicilio sanctitas.* Quæ ratio, sed sensu diverso à Gentilibus olim allegata fuisse videtur. In citata enim *Lege 12.* Diocletianus & Maximianus dicunt: *Ne tamen municipiorum jus polluatur.* Et Paulus Jurisconsultus *lib. 1. sent. 21.* ait: *Corpus in Civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis.* Gentilibus enim persuasum erat, Diis superis sacrata solo aspectu vel contactu rei funestæ contaminari; & Sacerdotes si vel *funus* viderent, vel domum funeris ingrederentur: uti notat Gothofredus ad *L. 5. & 6. Cod. Theod. de Sepulchro viol.*

V. Cæterùm Imperatores Christiani, sanctitatem civitatum violari credebant per corpora mortuorum, quod nimio suo fætore civitates inficerent. Unde & Isidorus *lib. 14. & Orig. cap. 12.* vetitæ sepulturæ in civitate hanc rationem reddit, ne fœtore ipso corpora viventium contacta inficerentur.

VI. Hæc quoad primam partem legis Theodosianæ. Secunda pars continetur finalibus his verbis: "Ac ne „alicujus fallax & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, atque Apostolorum vel Mar„tyrum sedem humanis corporibus æstimet esse con„cessam, ab his quoque, ita ut à reliquo civitatis, nove„rint se atque intelligant esse submotos.

VII. Pro intellectu horum verborum notandum, *per Apostolorum & Martyrum sedem* intelligi sepulchrum seu conditorium, in quo reliquiæ vel corpora Apostolorum vel Martyrum condita erant.

VIII. Ulterius notandum, Christianâ Religione jam invalescente, Sedes sive sepulchra Apostolorum & Martyrum *intra urbes* permissa fuisse; quantumvis privatorum sepulchra in urbe esse non possent: imò passim corpora Martyrum, licet tempore persecutionis extra urbem sepulta, ad urbem translata atque honorificè condita fuisse. Ad has Sedes sive sepulchra ædiculæ, imò & Ecclesiæ ædificabantur, quæ vulgò *Martyria* dicta fuerunt.

IX. Cum Martyrum sepulchra in ipsis civitatibus permitterentur, nonnullorum *fallax & arguta solertia* contendebat, hæc sepulchra à lege generali, vetante loca civitatis sepulturæ deputari, esse excepta; quasi in hisce saltem sepulchris Martyrum privatorum quorumcumque cadavera sepelire liceret. Hanc igitur persuasionem hic vocat Theodosius *fallacem & argutam solertiam*; & ut talem rejicit.

X. Interim privatos quosque admodum desiderasse apud Martyrum loca sepeliri, constat ex hac lege Theodosii, partim urbanæ sepulturæ præjudicio à Martyribus ipsis petito, partim pietatis motu desiderantes & corpora sua post mortem corporibus Martyrum sociari; nonnunquam forsan & ambitione. De hoc desiderio videri potest Augustinus De octo Dulcitii quæstionibus *quæst. 2.* Et ipsum Augustinum scripsisse librum *De Cura pro Mortuis*, cum interrogatus litteris fuisset, utrum prosit cuique post mortem, quod corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur, testatur ipsemet *lib. 2. Retract. cap. 64.* Quæ interrogatio sat ipsum populi desiderium rursus insinuat. Ostendit & eodem libro Augustinus, quid prodesse queat, corpora apud Sanctorum memoriam sepeliri, asseritque inter alia; „Profectò etiam provisus sepeliendis corporibus apud „Memorias Sanctorum locus, bonæ affectionis huma„næ est erga funera suorum: quoniam si nonnulla reli„gio est ut sepeliantur, non potest nulla esse quando „ubi sepeliantur attenditur.

XI. Hoc itaque populi desiderio, partim pietate, partim æmulatione & ambitione subnixio, sensim sepulchra urbana invaluerunt; donec tandem Leonis Imperatoris Constitutione in *Novella 53.* data fuit plena libertas, vel intra vel extra urbem sepulturam eligendi, abrogatâ contrariâ lege civili: "Ne igitur (ait) „ullo modo inter *civiles* leges hæc lex censeatur, sanci„mus: quin potiùs, ut *à consuetudine* rectè contemnitur, „sic etiam decreto nostro prorsus reprobatur.

Hic etiam indicatur, legem hanc de non sepeliendo in civitate, *consuetudine* fuisse contemptam ante hoc Leonis Decretum.

XII. Porrò cum Christianis maximè in votis esset, apud Martyrum sive Sanctorum Sedes vel sepulchra inhumari, ut per conjunctionem cum Sanctis etiam corpora eorum quodammodò sanctificarentur, & eorum intercessione juvarentur, cæperunt eodem spiritu expetere, & desiderare apud ipsas Basilicas sive Ecclesias sepeliri.

XIII. Sicuti enim primitùs ipsi Christiani loca suorum Ecclesiasticorum Conventuum habebant ad sepulchra martyrum; ut propterea *Martyria* fuerint appellata; ita postmodum cessante persecutione, religiosè servatum fuit, nullam consecrari Ecclesiam sine reliquiis Sanctorum: ut hoc pacto, ipsæ Ecclesiæ ad sepulchra

chra Martyrum quodammodò exstrui ritu veteri censerentur; seu potiùs Sedes & dormitoria Martyrum haberentur: ut proinde ad Ecclesias sepeliri, esset sepeliri ad Memorias sive sepulchra Martyrum.

XIV. Verùm primis Christianis satis erat, si ad limina Martyrum inhumarentur; adeò ut vel ipsi Imperatores id sibi honori ducerent, uti testatur S. Chrysostomus *Homil. 26. in 2. ad Corinth.* scribens: "Imperatores pro magno habuere, si juxta Apostolorum talem vestibula corpora ipsorum sepelirentur, fierentque Reges Piscatorum janitores.

XV. Hoc primorum Christianorum exemplo factum, ut Christianorum sepulturis non ipsæ Ecclesiæ, sed loca prope ipsas Ecclesias designata & concessa fuerint: idque tam intra, quàm extra urbes; ubicumque Ecclesiæ Parochiales sive publicæ essent exstructæ.

XVI. Hæc loca humandis corporibus destinata, varia quidem olim nomina sortita sunt, quæ latè exponuntur ab Auctore Romæ Subterraneæ; qui & antiquorum sepulchrorum & cryptarum arenariarum formas explicat & exhibet.

Usitatius autem & olim & hodie dicuntur *cæmeteria* à græco verbo *koimáo* quod *dormire* significat.

Illa autem vox apposiùè data est loco in quo humantur corpora *Christianorum*; utpote qui ob spem gloriosæ resurrectionis non tam mortui jacere, quàm *dormire* dicuntur, *Joannis cap. 11.* ubi Christus Lazarum qui erat mortuus *dormire* dixit. Et Apostolus 1. Thessalonic. 4. *Nolo vos ignorare de* DORMIENTIBUS; ubi Hieronymus ait: *Eos* DORMIENTES *appellari, quia certum est, eos resurrecturos.* Eamdem rationem urgent & alii Patres, quos citat Joannes Durantus De Ritibus Ecclesiæ *libr. 1. cap. 21.*

XVII. Apud Romanos quilibet locum suum proprium reddebat *religiosum*, si in eum *mortuum* sepeliebat; aut saltem partem ejus principalem, puta *caput*, uti ait Jurisconsultus in *L. 44. ff. De Religiosis & sump. funerum*; qui dein addit: "Cum autem impetratur, ut reliquiæ transferantur, desinit locus religiosus esse." Hinc manifestum, totam loci religiositatem ex ipsa corporis inhumatione desumi. Unde & in *L. 2. ff. eod.* Celsus ait: "Non totus, qui sepulturæ destinatus est, locus religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est.

XVIII. Hodie apud Catholicos locus non efficitur *religiosus* per ipsam corporis humani inhumationem; sed per preces & benedictiones Sacerdotales priùs religiosus redditur & benedicitur, ut in illum corpora Catholicorum inferantur; imò si quis locum non religiosum in sepulturam elegisset, hujusmodi electio spernenda esset; uti capite sequenti dicetur.

XIX. Unde ut cæmeterium corporibus Christianorum humandis deserviat, priùs in locum religiosum per Episcopum solemni ritu erigendum & consecrandum est.

XX. Quandonam verò hic ritus consecrandi seu benedicendi cæmeteria initium sumpserit incertum est. Interim videtur S. Gregorius Turonensis De Gloria Confessorum *cap. 106.* benedictionis istius meminisse. Refert enim quod cum ipse monuisset Abbatissam Monasterii Pictaviensis, ut corpus B. Radegundis Francorum Reginæ sepeliret; illa responderit: Et quid faciemus si Episcopus Urbis non Advenerit? Quia locus ille in quo sepeliri debet, non est *Sacerdotali Benedictione* sacratus. Hoc sanè responsum non obscurè innuit, ibi etiam moris fuisse, ut locus sepulturæ præviè sacraretur; & quidem benedictione Sacerdotali seu Episcopali.

XXI. Quidnî dicamus, cæmeterii consecrationem cum ipsa quodammodò Ecclesiæ consecratione cœpisse; seu potiùs cæmeterium tamquam partem & appendicem, aut verius aream vel porticum ipsius, unâ quasi consecratione cum ipsa Ecclesia consecratum fuisse: quod innuere videtur Innocentius III. in *Cap. 7.* ✠ *De Consecrat. Ecclesiæ* scribens: "Cæmeteria verò in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt aspersione aquæ solemniter benedictæ, SICUT *in Ecclesiarum dedicationibus* consuevit.

XXII. Similiter declarat Bonifacius VIII. quod pollutâ Ecclesiâ etiam pollutum censeatur cæmeterium contiguum; tamquam nimirum Ecclesiæ *accessorium*, ut ibidem significat.

Extat quidem in hodierno Pontificali Romano specialis ritus seu forma benedictionis cæmeterii per Episcopum faciendæ; sed quo tempore hæc formula præscripta sit, nescio. Hoc interim constat, cæmeterium per solemnem benedictionem è loco profano effici locum religiosum; imò tamquam Ecclesiæ appendici etiam de jure immunitatem localem esse indultam.

XXIII. Ecclesias & cæmeteria tamquam loca religiosa junxit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. decernens, ut "cessent in Ecclesiis earumque cæmeteriis negotiationes, & præcipuè nundinarum ac fori cujuscumque tumultus, omnis in eis sæcularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla inibi causa per laicos criminalis agitetur, sint loca eadem à Laicorum cognitionibus aliena.

XXIV. Synodi nostræ Belgicæ specialem venerationem cæmeteriis, tamquam locis religiosis deberi, etiam significant, plura quæ ad decorem & venerationem eorum conducunt statuentes. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 15. cap. 6.* ait: "Cæmeteria diligenter sepiantur, & claudantur, nec animalia in eisdem ad pascendum admittantur: multò minùs in eis sordes fiant aut aliunde inferantur. Qui in istis culpabiles fuerint, arbitrio Episcoporum puniantur.

Synodus Mechliniensis *tit. 11. cap. 16* ait: "Cæmeteria muris, fossis aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus.

Dein *cap. 17.* "Nec sine gravi injuria loci sacri tolerari potest, ut in cæmeteriis tripudietur: ideòque id districtè prohibemus.

Denique *cap. 18.* "liba quoque, & placentæ & similia in cœmeteriis non vendantur: neque strues lignorum in eis fiant, ligna ve congerantur: & generaliter nihil in eis permittatur quod loci religioni ac sanctitati repugnet.

Similia in aliis Synodis passim inculcantur quæ quomodò cum hodierna cœmeteriorum promiscua profanatione consistant, Prælatorum, Parochorum aliorumque quibus hæc cura incumbit, est attendere, & remedium opportunum adhibere.

XXV. Interim ex ipsius cœmeterii benedictionis formula, quæ hodie in Pontificali extat, sat constat, cœmeterium unicè benedici ad inhumationem corporum humanorum: uti ex benedictionibus & collectis constat: quæ omnes ad corpora in illis humanda respiciunt.

Et quidem in ipso benedictionis initio precatur Pontifex benedicens: "ut purgetur, benedicatur, sanctificetur, & consecratur hoc cœmeterium, ut humana corpora hic post vitæ cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia.

Et in alia oratione Deum supplicat "famulorum famularumque tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus quietis sedem, & ab omni incursione malorum spirituum tutelam benignus largitor tribuas." Et rursus in altera; "Hanc terram quæsumus ad usum sepulturæ

„ *sepultura* de benedictione tui sepulti corporis conse„ crare digneris.

Hæc & similia in ritu benedictionis cæmeterii occurrentia evincunt, cœmeteria propriè ad usum sepulturæ ex intentione Ecclesiæ destinari & benedici; non ita verò ipsa templa, in quorum etiam consecratione corporum in iis sepeliendorum mentio non fit; nec orationes aut benedictiones ad sepulturam corporum diriguntur.

XXVI. Et sanè sicuti antiquitùs Christiani non in ipsis Martyrum sepulchris; sed ad limina sepulchrorum Martyrum sepeliebantur; imò ut ibidem sepeliri possent privilegii loco habebant, uti supra dictum est; ita quoque non in Ecclesiis in quibus Martyrum corpora requiescunt, sed in cœmeteriis sepeliri corpora mortuorum visum fuit.

Concilium Bracarense I. *Can.* 18. "Item placuit, ut „ corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam „ Sanctorum sepeliantur: sed si necesse est deforis circa „ murum Basilicæ usque adeò non abhorret.

XXVII. Apud Gratianum *Caus.* 13. *q.* 2. *Can.* 15. „ Prohibendum est etiam secundum Majorum institu„ ta, ut in Ecclesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, „ aut in porticu aut in exedris Ecclesiæ. Intra Ecclesiam „ verò & prope altare, ubi corpus & sanguis Domini „ conficitur, nullatenus sepeliantur.

Refertur hoc Decretum à Gratiano sub nomine *Synodi Varensis*; sed uti monent Correctores Romani, non reperitur in hujusmodi Synodo; sed extat in Concilio Nannatensi anni 850. è quo etiam refert Regino *lib.* 1. *cap.* 125. & Burchardus *lib.* 3. *cap.* 159.

XXVIII. Interim ex hoc Canone colligimus, tria fuisse loca sepulturis destinata; sed tamen extra ipsam Ecclesiam, nimirum *atrium, porticum*, & *exedram*.

Atrium propriè quidem est, spatium vacuum quod remansit ex area sive solo ubi ædificata est Ecclesia; atque ita atrium omnem circumdabit Ecclesiam: hîc tamen accipitur, pro ea parte quæ proxima januis est, in qua vestibulum est: & ita apud Ecclesiasticos auctores passim sumi probat nonnullis adductis testimoniis Stephanus Baluzius in notis ad Reginonem *pag.* 557.

XXIX. Porticus ait ibidem Baluzius, est locus deambulationi aptus, ut sunt claustra Ecclesiarum & Monasteriorum.

Exedræ significatio obscurior est. Verisimile apparet, exedras constituisse partem murorum Ecclesiæ: atque fuisse loca circa Ecclesiam constructa in muris Ecclesiarum, in quibus sedere liceret; uti etiamnum in aliquibus Ecclesiis videmus.

In muro ergo illo prominenti cum nonnulli dein sepeliri cœpissent, cameras quasdam ac fornices constituebant in *exedra* in quibus eorum corpora conderentur; testaturque Baluzius quod istiusmodi cameræ plures etiamnum videantur in circuitu Ecclesiæ Tutelensis.

XXX. In his igitur tribus locis prope Ecclesiam; sed non intra Ecclesiam sepeliri mortuorum corpora permittit hæc Synodus seculo 9. quod & aliis pluribus Synodis sub idem tempus decretum fuit. In *lib.* 1. *Capitularium Regum Francorum cap.* 158. legitur: "Ut nul„ lus deinceps in Ecclesia mortuum sepeliat. "Et *lib.* 2. „ *cap.* 48. "Ut de sepeliendis in Basilicis mortuis con„ stitutio illa servetur quæ antiquis Patribus constitu„ ta est." Hæc eadem verba occurrunt in *Can.* 21. Concilii Arelatensis VI. anno 813.

XXXI. Sed illud notandum, sub idem tempus cœpisse non tantum Episcopis, & Presbyteris, sed & quibusdam laicis honoris causâ sepultura in ipsis Ecclesiis concedi.

Seculo VIII S. Theodolphus Episcopus Aurelianensis in Epistola ad suos Presbyteros prohibens, ut nemo in Ecclesia sepeliatur, addit hanc clausulam: "Nisi for„ tè talis sit persona Sacerdotis, aut cujuslibet justi ho„ minis, quæ per vitæ meritum, talem, vivendo, suo cor„ pori defuncto locum acquisivit.

Non absimilis exceptio in pluribus ejusdem ætatis Decretis legitur.

XXXII. Cum autem *vitæ merita* ob quæ hæc prærogativa esset indulgenda, determinata non essent, hæc exceptio latum campum aperuit laicis sepulturam in Ecclesia ambiendi: & Sacerdotibus plenam eam annuendi libertatem.

XXXIII. Accedebat, quod ex sepulturis intra Ecclesiam frequenter emolumentum notabile in Sacerdotes redundaret; dum vel laici, ut honoratiorem sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores: vel etiam ipsi Sacerdotes pro locis honorabilioribus pretium exigere non erubescerent: uti ex Decretis contra hanc Sacerdotum exactionem infra referendis abundè patescit.

XXXIV. Mirum quanta velocitate, duobus hisce, scilicet laicorum ambitione & Clericorum cupiditate impellentibus, disciplina hæc antiquitùs religiosè observata de non sepeliendis mortuis in Ecclesiis, quasi ad interitum descenderit, ipsæque Ecclesiæ factæ sint divitum quorumcumque cœmeteria, in sepulturam pauperum dumtaxat relictis cœmeteriis.

XXXV. Verùm Ecclesia eodem semper spiritu animata, licet pro temporum & circumstantiarum conditione nonnumquam de externa disciplina aliquid remittat, prout indubiè in hoc puncto multùm remisit: satis tamen ostendit, quod & in hoc articulo disciplinæ eodem spiritu agatur, neque à pristina disciplina recedat, nec de ea remittat, nisi necessitate & conditione temporis quodammodò cogente.

XXXVI. Ut quid enim etiamnum hodie specialem illum ritum benedicendi cæmeteria retinet; nisi ut ostendat, locum proprium sepeliendis mortuorum corporibus esse cœmeterium?

XXXVII. Ipsa nostri pene temporis Concilia, eumdem Ecclesiæ spiritum exprimunt, dum promiscuam illam sepeliendi in Ecclesiis, modò pecunia sufficiens detur, consuetudinem improbant; & quantùm temporis conditio ferebat, inhumationem corporum ad cœmeteria relegant.

Concilium Rothomagense anno 1581. tit. de Curatorum officiis *num.* 31. ait. "Non adeò promiscuè (ut „ nunc fit) mortui sepeliantur in Ecclesiis, ac ne quidem „ ditiores: ne is honor detur pecuniis potiùs, quàm gra„ tiis Spiritûs sancti, sed de hoc servetur Deo sacratis „ specialiter hominibus, eo quod præ aliis eorum cor„ pora templa sint Christi & Spiritûs sancti, & aliis „ in sublimitate & dignitate, tam Ecclesiastica quàm „ seculari constitutis, quandoquidem & isti Dei mini„ stri sunt, atque organa Spiritûs sancti, Aliis insu„ per qui nobilitate vel virtutibus, vel meritis erga „ Deum & Rempublicam fulgent. Cæteri piè & reli„ giosè in cœmeteriis ad hoc dedicatis sepulturæ tra„ dantur.

XXXVIII. Anno 1583. Concilium Remense tit. *De Sepulturis* voluit ut "omnes Christiani, quibus „ sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non „ autem in Ecclesiis sepeliantur: nisi (a t) fortè de „ consensu Superiorum. Superiores autem non „ passim omnibus id privilegii concedant, sed in ejus„ modi concessionibus delectum habeant persona„ rum.

XXXIX. Quin eodem anno habitum Concilium Burdigalense *cap.* 10 inter gravissimos abusus circa sepulturas recensuit hanc promiscuam sepeliendi in Ecclesiis licentiam? statuitque "ut in Ecclesiis deinceps „ nulli sepeliantur, nisi fuerint Sacerdotes, prout jura „ præcri-

Digitized by Google

„ præscribunt, vel sacris initiati, & religiosi, Ecclesia„rumve Patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctorita„te, meritisque in Deum & religionem commendati „fuerint, ad id cum licentia Episcopi admittantur. Cæ„teros verò in cœmeteriis & polyandriis, quæ olim eti„am illustriores non aspernabantur, sepeliri manda„mus.

Hic obiter nota, quod *jura* quæ reclamat Concilium, esse *Canonem 18. caus.* 13. *q.* 2. ubi ex Concilio Moguntino refertur: "Nullus mortuus in Ecclesia sepelia„tur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, „vel Fideles laici.

XL. Hæc sat clarè ostendunt, Ecclesiam non planè abjecisse pristinam Patrum disciplinam; sed è contra optare, ut & hodie servaretur. Quod ipsum Rituale Romanum sub Paulo V. expressit dicens: "Ubi viget anti„qua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio re„tineatur, & ubi fieri potest, restituatur.

XLI. Addit idem Rituale: "At verò cui locus sepul„turæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadave„ra autem prope altaria non sepeliantur.

XLII. Consonant hisce quæ S. Carolus habet in Concilio I. Mediolanensi *parte 2. cap. 61.* ubi imprimis „monet Episcopos, ut morem multis locis intermissum, „mortuos in cœmeteriis sepeliendi restituendum cu„rent. "Deinde addit: "Et si cui locus sepulturæ dein„ceps dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur: & sepul„chrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo „Ecclesiæ pavimento æquatum sit.

Et in Concilio Mediolanensi IV. *parte 1. cap. 13.* statuit; "Ne sepulturæ locus quovis nomine cuiquam de„tur, ut sepulchra fiant, constituanturve in ulla „quavis Ecclesia, sine Episcopi concessu *scriptis* exa„rato.

Post hæc addit: "In choro autem, vel capella majori, „nullo modo, nec verò in aliis Ecclesiæ locis prope al„taria, nisi tam longè sepulchra distent, ut sepulchrale „os scabello, seu bradella altaris procul absit spatio sal„tem cubitorum trium, quæ autem propiùs exstructa „jam sunt omninò amoveri, obstruique decerni„mus.

XLIII. Episcoporum erit attendere, quousque conveniat conformiter ad tot Conciliorum Decreta, antiquam disciplinam & consuetudinem sepeliendi mortuorum cadavera in cœmeteriis restituere: & qua moderatione in Ecclesiis sepultura sit annuenda: ut si ab Ecclesia removeri nequeant; saltem ab altaribus removeantur; ne ipsa putrida cadavera, etiam nonnunquam impiorum hominum, tamquam Sanctorum reliquiæ vel sub altaribus condi videantur.

XLIV. Parochi in his locis concedendis vel negandis frequenter parum possunt præsertim contra inveteratam consuetudinem; ipsique præcipuè attendere debent, ne turpis quæstùs gratiâ appetere videantur sumptuosas sepulturas vel exequias. Si quid verò pro decore Ecclesiarum, aut disciplinæ, contra insolitum morem statuendum aut faciendum credant, consultius erit id Episcopis aliisve Superioribus indicare & committere ut ipsi auctoritate sua statuant, quod pro temporum & locorum conditione convenire judicaverint.

XLV. Refert Franciscus Pinsonius in tractatu De Beneficiis ad verba, *Cum suo reditu cap. 4 parte 2.* §. 4. *nu.* 9. Episcopum Silvanectensem Synodali Epistola Compresbyteris suis mandasse, ne intra Ecclesiarum septa, sine suo jussu vel litteris commendatitiis defunctorum corpora inferrent; cumque ab hoc Decreto per appellationem tamquam *ab abusu* ad Senatum Regium esset causa devoluta, tandem per orante Advocato Regio die 8. Martii 1650 pro Episcopo esse pronuntiatum.

XLVI. Porrò inspectâ modernâ Ecclesiæ disciplinâ, locum sepulturæ eligere in Ecclesia ferè solis Patronis aut Fundatoribus competit; quibus etiam in choro locus dari consuevit; idque inter jura honorifica computari notavimus supra *tit. 25. cap. 7.* aliàs locum sepulturæ in Ecclesia nemo sibi propria auctoritate eligere potest; sed is designandus ab iis qui Ecclesiis præsident, earumque curam habent. Et quidem quia Æditu is Ecclesiarum cura Fabricæ incumbit, etiam consuetudo in multis Ecclesiis jus designandi locum sepulturæ eisdem detulit, uti notat Carolus Fevretius De Abusu *lib. 4. cap.* 8. *nu.* 31.

Ex Cujacio refert Mornacius ad *L. 4. ff. De Mortuo inferendo*: "in antiquis inscriptionibus solere notari lo„cum ponendarum statuarum, vel exstruendi monu„menti, datumque eum esse decreto decurionum, ut in„telligeretur statuas jure esse positas, vel exstructum „decreto decurionum monumentum. Notabatur ejus„modi concessio his litteris singularibus, L. D. D. D. I. I. „*locus decreto decurionum datus*; servantque hactenus „hunc morem Ecclesiæ Parisienses. Nemini enim licet „Epitaphios in eis titulos parietibus, colomnisve præ„figere, corporaque ulla condere nisi concesserint ædi„tui, seu matricularii, ut loquimur; & quamvis publica „videatur vasta illa Innocentium Lutetianorum ossua„ria, jus tamen ab S Germani Antisidorensis Ecclesia „petendum est, soletque propterea in Epitaphiis ferè „omnibus hoc subjici, *par la permission de Messieurs de* „*S. Germain de Lauxerrios.*

XLVII Hæc Mornacius: circa quæ singularum Ecclesiarum consuetudo maximè attendenda. Non facilè tamen Parochus in hoc puncto negligendus aut excludendus: cum etiam ipsi Gentiles Romani curam funeralium Pontificibus tamquam rerum sacrarum ministris detulerint nam ut Cicero ait *Oratione De Arusp.* Numa 11. *Pontificibus ipsis justorum funebrium curam demandavit*: & latiùs probat auctor Romæ Subterraneæ *lib. 1. cap. 17. numer 6. & 7.*

XLVIII. Apud Romanos moris fuisse, ut quis non tantùm sibi, sed & Familiaribus & heredibus sepulchrum construeret, indubitatum est; dicitque Jurisconsultus Cajus in *L. 5. De Religiosis & sumptibus funerum*: „Familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi familiæ„que suæ constituit Hereditaria autem quæ quis sibi & heredibus suis constituit.

XLIX. Hodie quoque frequentia sunt familiaria sepulchra; acquiunturque per hoc quod Ecclesias in suis fundis ædificent. Patronique ex eo effecti sint.

Hoc jus sepulchrale quia competit ratione juris Patronatus, vendito fundo cui inhæret jus patronatus, etiam jus ipsum Sepulchri transit cum ipso jure patronatus ad aliam familiam; nec familiaribus veteris Patroni jus sepulturæ ulteriùs competit; & ita judicatum refert Mornacius ad citatam *legem* 5.

L. Alter sepulchra familiaria acquiruntur hodie ab Æditŭis aliisque, quibus loca sepulturæ designandi & concedendi auctoritas competit; soletque pro oblatione majoris vel minoris summæ pecuniæ honoratior locus, amplioris que monumenti exstruendi licentia concedi; ita ut etiam specus imas, arcuato opere, ad condenda corpora, concamerent: solentque loca illa subterranea *cavea* appellari. Frequentiùs autem parte Ecclesiæ sibi concessâ, citra cellas subterraneas, tellure solidâ, in usum sepulchri familiaris utuntur, aperienda scilicet, atque effodienda quoties aliquis de familia est sepeliendus.

LI. Hereditariorum sepulchrorum meminit Hincmarus Remensis in suo tertio Capitulari *cap. 2.* dicens; „Et nemo Christianorum præsumat, quasi *hereditario* „jure, de sepultura contendere: sed in Sacerdotis pro„videntia sit, ut Parochiani sui, secundùm Christianam „devotionem, in locis quibus viderit sepeliantur. Ipse

„ tamen Sacerdos memor ordinis sui, provideat & congruam cuique sepulturam, & ne scandalum quantùm „ vitari potest, fiat suis Parochianis.

Meritò sanè monentur Fideles, ut licet pia sit cura sepeliendi, & sepulchra construendi: quia & hæc in Scripturis sanctis inter bona opera deputata sunt, "verùm illa quæ adjuvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, erogationes, multò pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs impendant qui suos carne, „ non spiritu mortuos, non solùm carnaliter, sed etiam „ spiritualiter amant; "quemadmodum loquitur Augustinus Serm. 72.

CAPUT III.

De Sepultura Parochiali, Majorum & electa sive per electionem.

1. *Justum est ut Parochus propriis Parochianis defunctis* justa *persolvat.*
2. *Ecclesia Parochialis ejusve cœmeterium proprius Parochianorum locus sepulturæ.*
3. *Jus funerandi juribus Parochialibus annumeratum.*
4. *Parochialis Ecclesia de jure fundata est super sepulturis Parochianorum.*
5. *Hinc ad solas pene Parochiales Ecclesias habentur cœmeteria.*
6. *Ritualia & Synodi Parochos habent pro Ordinariis ministris exequiarum & sepulturarum.*
7. *Qui Parochiani in ordine ad sepulturam dicendi.*
8. *Scholares Academici in Parochia sepeliendi.*
9. *Etiam peregrini & transeuntes.*
10. *Nisi tamen in Parochia domicilii commodè sepeliri queant.*
11. *Religiosi à propriis Superioribus, & in Ecclesia aut ambitu Monasterii sepeliendi.*
12. *Similiter & eorum* oblati.
13. *Modò tamen sint* plenè *oblati, & qui tales dicendi.*
14. *Plenè oblati signum aliquod distinctum accipiebant.*
15. *Multùm distant à pueris aliisque in Monasteriis simpliciter habitantibus.*
16. *Hi Parochiæ manent subjecti.*
17. *Nisi consuetudo aut concordata aliud habeant.*
18. *Beneficiati in Ecclesia Beneficiorum suorum sepeliendi.*
19. *De jure sepulchrum Majorum præfertur quoad sepulturam Ecclesiæ Parochiali.*
20. *De consuetudine videtur requiri electio sepulchri Majorum.*
21. *Facilitas tamen ad præsumendam electionem.*
22. *Per electionem sepulturæ excludi potest Ecclesia Parochialis & sepulchrum Majorum.*
23. *Electio sepulturæ potest fieri in loco minùs religioso; sed non in loco profano.*
24. *Quid de hac re habeat Rituale Romanum.*
25. *Sepeliri in loco profano an noceat defuncto?*
26. *Unicuique libera est electio sepulturæ; etiam uxori sine consensu mariti.*
27. *Ubi sepelienda uxor non electa sepultura.*
28. *Filiusfamilias sine consensu parentum eligunt sepulturam si sint majorennes.*
29. *Pater eligit pro filio minorenni si consuetudo id habeat.*
30. *Electio non est propriè actus ultimæ voluntatis.*
31. *Videtur esse species mandati ad nutum revocabilis; quod etiam sine scriptura dari potest.*
32. *Per testes etiam singulares electio sepulturæ probari potest.*
33. *Quæ attendenda in depositione testium?*
34. *Ex facto ipsius defuncti subinde probatur electa sepultura.*
35. *Exactior probatio electionis requiritur ad excludendam Ecclesiam Parochialem, quàm aliam.*
36. *Introduci posset ut electio fieret tantùm per scripturam.*
37. *Quo motivo jam pridem plures ad suas Ecclesias attrahere conati sint fidelium sepulturas.*
38. *Excessus Monachorum per Pontificem repressus.*
39. *Fratres Mendicantes sepulturas solicitare cœperunt.*
40. *Ex solicitatione hac dissidia & scandala orta; quibus obviandis Constitutionem edidit Bonifacius* VIII.
41. *Electio sic facta est nulla; nec in electa sepultura sepeliendi.*
42. *Clerici & Religiosi vigore similis electionis sepelientes tenentur ad omnium perceptorum restitutionem.*
43. *Pœna hujus Constitutionis* ipso facto *incurritur; & Papæ absolutio reservatur.*
44. *Hæc Constitutio in Belgio renovata; & quantus ex ejus observantia sperandus fructus.*

I. QUia Parochus vitâ durante curam spiritualem suorum Parochianorum sustinet, ipsisque loco Patris est, æquum est, ut & defunctos non deserat; ipsisque etiam defunctis justa persolvat, & locum sepulturæ concedat. Et sicuti pro ipsis vivis orare & sacrificium offerre debuit; ita convenit, ut pro defunctis preces, Missasque offerat.

II. Unde jam pridem tamquam indubitatum traditum fuit, Ecclesiam Parochialem ejusque cœmeterium esse proprium locum sepulturæ Parochianorum; & Parochianos in Parochiali Ecclesia ejusve cœmeterio esse sepeliendos, nisi ostendatur ex aliquo speciali titulo in alia Ecclesia esse sepeliendos; quod multis juris textibus expressum est; ac signanter in *Cap. 3.* ... *De Sepulturis*, item *Cap 2. eod. tit. in 6.* & in *Clementina 2.* §. HUJUSMODI *eod.* notantque omnes interpretes.

III. Insuper uno consensu hoc jus funerandi omnes interpretes juribus Parochialibus annumerant post Abbatem ad *Cap. 9. De Sepult. num. 8.* ubi monet: "Primò scias quod de jure communi solùm Ecclesiæ habentes populum habent jus sepeliendi jus enim funerandi est de jure Parochiali, quemadmodum & Sacramentorum exhibitio.

IV. Itaque Parochialis Ecclesia de jure communi fundata est quoad sepulturas omnium Parochianorum; & ipsi Parocho jus funerandi competit, quamdiu contrarium non probatur; quemadmodum fundatas est in jure Sacramenta, aliave Pastoralia intra limites suæ Parochiæ suis Parochianis exhibendi.

V. Hinc passim videmus circa solas penè Ecclesias Parochiales cœmeteria (quæ sunt propriè loca sepulturis destinata) ædificata & auctoritate Episcoporum dedicata.

VI. Similiter Ritualia, nec non Episcoporum Concilia dum de sepulturis ac funeralibus agunt, ferè ad solos Parochos, tamquam ordinarios Ministros, sua decreta dirigunt; eosque monent & instruunt quid agere, & quid cavere in his debeant. Quæ non obscurè indicant, Episcopos reputare ipsos Parochos sepulturarum ac funeralium suorum Parochianorum ordinarios Ministros.

VII. Parochiani autem quantùm ad sepulturam, hi dicuntur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut ipsa Sacramenta vivi in ipsa percipere: & Parochi ipsis administrare teneantur.

VIII. Unde Scholares in Academiis, licet non habeant

beant animum figendi ibi fixum domicilium; sed tantum pro tempore studiorum ibidem morandi, censentur tamen respectu sepulturæ, non secus atque respectu exhibitionis Sacramentorum, Parochiani istius parochiæ quam tempore studiorum incolunt; uti notat Abbas Panormitanus ad *cap.* 1. ꝟ *De Sepult. n.* 4. & communis praxis consonat.

IX. Similiter rectè ibidem notat Panormitanus, quod peregrini & transeuntes debeant sepeliri in Parochia in qua moriuntur, eò quod Parochialis Ecclesia sit fundata in omnibus quæ obveniunt in sua Parochia, quamdiu ad alium spectare non probantur: quo ex capite etiam nullus præter Parochum potest his peregrinis intra limites suæ Parochiæ Sacramenta administrare.

X. Hoc tamen intelligendum, si modo apud suam *propriam* Parochiam peregrinus ille sepeliri nequeat. Nam, uti deciditur in *Cap.* 5. *De Sepulturis in* 6. "Si qui „habet domicilium in civitate vel castro quandoque „ad villam ruralem se transfert recreationis causâ, vel „ut ruralia exerceat in eadem, si ibidem decedat, non „in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali debet „sepeliri, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat de-* „*portari.*

XI. Porrò quia Religiosi suum prælatum, Priorem aliumve suum Superiorem pro Pastore aut Parocho habent; ipsumque Monasterium quodammodò pro Parochia, etiam debent per ipsum Superiorem exequiæ pro ipsis celebrari, & in Monasterii ambitu, quod vice cœmeterii est, vel Ecclesia speliri, *Cap. fin. De Sepulturis in* 6. Diciturque quod nec alibi sepulturam eligere queant; *quod velle vel nolle non habeant*: quod & de Monialibus dicendum. Quin & Begginæ, licet propriè *Regulares* non sint, suum proprium Parochum, & cœmeterium, ac jus sepulturæ hodie habeant, uti supra *parte.* 1. *tit.* 33. *cap.* 3. notavimus.

XII. Imò in *Cap.* 10. ꝟ *De Sepulturis* injungit Pontifex Hospitalariis "ut de quarta trium millium solido„rum satisfaciant Priori; cum constet eos à Parochianis „ejus illos solidos recepisse; nisi (ait) sufficienter sit o„stensum, quod eorum *Oblati* vel *Conversi* fuissent.

Ad hæc verba reflectens Panormitanus ait: "Nota „ibi: *eorum Oblati* & tenementi: quia nescio alibi ita „expressum, quod *Oblati & Conversi* sepeliantur apud „Ecclesiam ubi sunt *Oblati*; nec debet solvi portio Ec„clesiæ Parochiali.

XIII. Addit dein Panormitanus: "Quod ego intel„ligo in *plenè* Oblatis & Conversis; ut qui tradiderunt „se & sua, aliàs secus.

Hæc Panormitani restrictio non obscurè expressa est in *Clem.* 1. *De Decimis* ubi declaratur, quod Constitutio de solvendis Ecclesiæ Parochiali decimis animalium, quæ Religiosi in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus vel aliis ab ipsis tenenda, extendenda non sit ad animalia, quæ per Religiosorum ipsorum Donatos seu *Oblatos* tenentur: *dum tamen* (ait textus) *illi Religiosis cum effectu donaverint aut obtulerint se & sua.*

Hæc clausula ostendit, pro verbis oblatis non esse reputandos nisi *cum effectu se & sua* Religiosis obtulerint: atque hâc oblatione de familia Monasterii censeantur, sive ipsi familiæ incorporati.

De hisce Oblatis latè agit Du Cange in Glossario, verbo *Oblati* monens, quod licet non omnes Oblati essent *veri Monachi*, nihilominus *Oblatorum & Donatorum* ea esset conditio, ut de familia Monachorum censerentur, Abbati obedientiam promitterent, & victum & vestitum ab iis consequerentur.

XIV. In signum oblationis etiam signum aliquod distinctum accepisse innuit *Cap.* 1. *De Success. ab intestato* in tertia Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, ubi refertur, "quod cum Archipresbyter de „Alerio se & sua ad participationem orationum, Mo„nasterio de Bruxeria pietatis intuitu obtulisset, qui„busdam rebus usui suo simplici reservatis, de manu „cujusdam fratris ejusdem cœnobii *augmentationem co-* „*rona in signum oblationis* illius accepit.

XV. Multùm proinde differunt *veri & pleni* Oblati, de quibus fit mentio in Decretalibus; quique de familia Monasteriorum reputantur, ut eorum juribus & privilegiis participent, à pueris aut etiam adultis qui simpliciter in Monasteriis habitare & expensas solvere solent; nec obedientiam aliquam promittunt, aut vestem aliudve signum distinctivum Oblatorum accipiunt.

XVI. Unde nec hi Monasteriis incorporati, etiam Monasteriorum juribus aut privilegiis gaudere queunt; manentque Parochis & Parochialibus subjecti; debentque tamquam Parochiani ad Ecclesiam Parochialem sepeliri; quemadmodum Panormitanus supra non obscurè innuit, *solos plenè Oblatos* apud Ecclesiam ubi oblati sunt sepeliendos monens.

Hoc & indubiè fundamento declararunt S. Carolus & Synodi Belgicæ, quod laici famuli quicumque Regularium Monasteriis operam navantes, tametsi *in illis habitent*, stato Paschatis tempore in sua quique Ecclesia Parochiali sacram communionem sumere debeant; de quo supra *tit.* 4. *cap.* 3 *n.* 9. nimirum quia hujusmodi famuli tametsi in Monasteriis habitantes, non sunt veri *Oblati*, nec de familia Regulari; ideòque Parochiæ subjecti manent.

His conformis est sententia Officialis Cameracensis de ultima Julii 1432. pro Pastore Ecclesiæ Parochialis De Molenbeca sive S. Catharinæ in civitate Bruxellensi, qua declaratum est, "servitores servitrices, juvenes, & „commensales, cæterosque in dicto Beghinasio famu„lantes infra limites parochialis Ecclesiæ de Molen„beke & in dicto Beghinasio commorantes prædicti „actoris, veris Beghinis dumtaxat exceptis, fuisse ac „esse Parochianos ab eodemque Actore (pastore præ„dicto) Sacramenta Ecclesiastica, nec non Eccle„siasticam *sepulturam* debuisse ac debere recipere: „insuper decernimus, hospites transeuntes, & pere„grinos prædicti Actoris Parochianos infirmitate de„tentos, & in dicto Beghinasio defunctos non potuis„se nec posse Sacramenta Ecclesiastica, sepulturamque „Ecclesiasticam in dicto Beghinasio recipere nisi pri„mitus & ante omnia licentiâ à dicto Actore petitâ & „obtentâ.

XVII. Addunt tamen Synodi: *Nisi ex speciali concordia aliud ipsis sit permissum* Quæ clausula & in hac de sepulturis materia subintelligi debet. Quin enim & hic concordata sint servanda dubium non est; quemadmodum & privilegia & indulta Particularia, præsertim diuturnâ possessione suffulta hic attendenda sunt: de quibus latiùs capite quinto.

XVIII. Sicuti Religiosi & oblati, qui sunt de familia Monasterii, sepeliendi sunt ad Ecclesiam Monasterii: ita & Canonici sepeliendi sunt in Ecclesia Capituli, tametsi forsan in alia Parochia habitent, eò quod ipsi Ecclesiæ Capitulari sint incorporati, atque ejus sint membra, manentque Parochiani hujus Ecclesiæ ubicumque degant; uti notat Card. Tuscus *Pract. conclus Litt. P. conclus.* 99. *n.* 5. & quotidiana praxis consonat; quæ respectu beneficiatorum *propriam* Ecclesiam seu Parochiam reputat Ecclesiam cui sunt per beneficium incorporati atque in hac eos sepeliri vult, si commodè fieri possit; nec alio titulo, puta electionis, alibi sepeliendi sunt.

Unde in antiquis Decretis Cameracensibus *tit.* 21. statuitur: ut "Capellani perpetui Sacramenta sua à Curatis „locorum suorum in infirmitatibus suis accipiant, & si „decedant,

„ decedant, in *Capellaniis suis sepeliantur*, nisi ex devo-„ tione (salvo jure Parochiali) alibi elegerint sepulturam.

XIX. Quæ hactenus de jure Ecclesiæ Parochialis ad sepulturam Parochianorum dicta sunt, intelligi debent inspecto jure Decretalium, nisi defunctus habeat sepulchrum *Majorum*, in quo potiùs, quàm in Parochia sepeliendum esse declaratur *Cap. 1. & 3. ꝟ. De Sepulturis*; idque exemplo petito à Parochianis in Veteri Testamento, qui amabant sepeliri in sepulchro Majorum. Hinc frequenter in Scriptura Sacra occurrit hæc phrasis: *sepultus seu appositus est ad* PATRES *suos*.

XX. Verùm de Patriarcha Jacob legitur, quod *adjuraverit* filium suum Joseph, ut corpus suum sepeliret in sepulchro Majorum, uti & in Tobia consideravit *Can.* EBRON *caus. 13. q. 2.* adeòque sepulchrum Majorum per *electionem* obtinuisse & sibi procurasse videntur ait Zypæus in Jure novo *tit. De Sepulturis n. 4.* asseritque quod horum exemplo, " multis locis usurpetur, ut nisi „ defunctus testatus fuerit, se sepeliri velle apud Majores „ suos, sepeliatur in Parochia.

XXI. Addit tamen Zypæus: " Si autem alia argu-„ menta concurrunt, facilè sepulchrum Majorum assu-„ mitur in argumentum electæ in eo sepulturæ.

Indubiè consuetudo locorum plurimùm hic valere potest, præsertim ut primævum jus Ecclesiæ Parochiali conservetur.

XXII. Sepulturæ Majorum uti & Parochiali de jure & consuetudine præfertur sepultura à defuncto electa, *Cap. 1. ꝟ. De Sepulturis*; ubi Pontifex postquam dixit, unumquemque juxta instituta antiquorum Patrum in Majorum suorum sepulchro sepeliendum esse, subjungit: " Nulli tamen negamus propriam eligere sepultu-„ ram, & etiam alienam. Dominus enim & Magister „ alienam elegit, ut propriam, " Et in *Cap. 2. §. fin. eod. in 6.* dicitur: " Si quis antiquâ dimissâ novam *elegerit* „ sepulturam, electionem hujusmodi nolumus impug-„ nari.

XXIII. Verùm illud in Decretali notandum, quod dicatur, electionem non esse impugnandam, etiamsi elegerit sepulturam *in loco minùs religioso*, quod repugnare videtur *Cap. 3. ꝟ. De Sepult.* ubi scribit Innocentius III. „ mortuorum sepulturas & cœmeteria apud illas Eccle-„ sias & Monasteria ex antiquo esse disposita in quibus „ Religiosorum fratrum Conventus sunt constituti, & „ orationes, atque Missarum solemnia tam pro vivis, „ quàm defunctis frequentiùs celebrantur. " Hinc ulte-„ riùs concludit: " Unde ipsorum devotioni & extremæ „ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri desi-„ derant, minimè est contradicendum.

Deinde addit: " Qui verò relictis antiquis Ecclesiis „ & Patrum aliorumque Parentum suorum sepulchris, „ contra consuetudinem Patrum veteris Testamenti, „ qui cum patribus suis sepulti esse leguntur ad nova & „ *minùs religiosa* loca se transferunt, irrationabiliter & „ contra antiquam institutionem facere videntur.

Hinc unanimi consensu concludunt Canonistæ, sepulturam eligendam esse in loco *religioso*; electionem autem factam de loco profano, tamquam irrationabilem esse respuendam: notantque Pontificem in citato *Cap. 2. De Sepulturis in 6.* non esse impugnandam electionem in loco *profano*; sed *minus religioso*. Apparet autem quod Bonifacius VIII. ibi per locum *minus religiosum* intelligat Oratorium, vel Sacellum ad Missarum solemnia & sepulturas dedicatum; sed tamen, in quo non est *Religiosorum Fratrum Conventus*, nec *frequenter Missarum solemnia* tam pro vivis quàm defunctis celebrantur; qualem locum desiderasse videbatur Innocentius III. in dict. *Cap. 3.* atque quoad hoc, Decretalem Innocentii III. correxisse aut potiùs declarasse videtur Bonifacius VIII. qui expressè monet, *licet jura super hoc videantur esse diversa*.

XXIV. Rituale Romanum ait: " Cæterùm nemo „ Christianus in communione fidelium defunctus extra „ Ecclesiam aut cœmeterium ritè benedictum sepeliri „ debet; sed si necessitas cogat ex aliquo eventu aliquan-„ do ad tempus aliter fieri poterit, corpus in locum sa-„ crum quamprimùm transferatur.

XXV. Quid prosit sepultura ad memorias Martyrum sive Ecclesias latè exponit Augustinus *libro de Cura pro mortuis*; unà ostendens, nihil obesse Christianis, si per crudelitatem tyrannorum, aut inhumanitatem hominum, vel alia de causa ipsorum corpora maneant insepulta; aut etiam à bestiis devorentur.

XXVI. Itaque unicuique libera est electio sepulturæ in loco quocumque religioso jus sepulturæ habente. Et quidem adeò libera est hæc electio, ut nec subjectio uxoris respectu mariti impediat, quo minus uxor etiam vivente marito sibi possit eligere sepulturam; diciturque in *Cap. 7. ꝟ. De Sepulturis*, nullam quoad hanc eligendi libertatem, esse faciendam distinctionem inter virum & mulierem. Ratio suubjungitur: *Cum electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri*. Quasi diceret, electio hæc non nisi post mortem mulieris effectum habet; atque in illud tempus tantùm disponitur, quando mulier tunc soluta est à lege viri.

XXVII. Si autem mulier non elegerit sepulturam, in sepulchro mariti sepelienda erit; & quidem si plures habuerit maritos, est cum ultimo, cujus domicilium & honorem retinet, sepelienda. *Cap 3. §.* MULIER *De Sepult. in 6.* Atque de hoc casu non electæ sepulturæ accipiendum esse credit Glossographus quod ex S. Hieronymo dicitur in *Can. 2. Caus. 13. q. 2.* " Quos conjunxit „ unum conjugium, conjungat sepulchrum; quia una „ caro est, & quos Deus conjunxit, homo non separet. " Item & illud sub nomine S. Augustini in Canone sequenti: Unaquæque mulier sequatur virum suum sive in „ vita, sive in morte.

XXVIII. Sicuti potestas mariti in uxorem non impedit electionem sepulturæ; ita nec patria potestas impedimento est filio-familias, quo minùs sibi eligat, etiam sine consensu patris sepulturam, *Cap 4. De Sepulturis in 6.* modò tamen minorennem ætatem excesserit, sive pubertatem attigerit.

XXIX. Minores enim sibi eligere non possunt; sed pater eligere sepulturam potest pro minore suo filio, si *consuetudo loci* habeat *Cap. 7. §.* UTRUM *ꝟ. De Sepult.* ubi autem consuetudo hujusmodi non habetur, cum suis Majoribus, vel in Ecclesia Parochiali sunt sepeliendi. Dicto *Cap. 4. De Sepult. in 6.*

Notat autem hîc Glossographus, quod " consuetudo „ habeat, quod parentes vel amici, tales (minorennes) „ sepeliant in altera *quam volunt* (hoc est in sepultura „ Majorum, vel in Ecclesia parochiali) Et grave videtur „ (ait) puerum 8. dierum semper in antiquis tumulis „ solemniter sepeliri.

Unde & in suis Ordinationibus Synodalibus declarat Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus, quod pueri minorennes debeant sepeliri in Ecclesia Parochiali, nisi habeatur sepulchrum Majorum, in quo pater poterit eligere sepulturam pro filio minorenni. *Tit. 4. art. 2. cap. 6.*

XXX. Quamvis electio sepulturæ plerumque fiat per testamentum aut codicillos; atque non nisi morte confirmetur & effectum sortiatur, nequaquam tamen propriè est actus ultimæ voluntatis; neq; regulis & solemnitatibus ultimarum voluntatum subjecta aut abligata: unde, ut jam dictum est, licet filiusfamilias de jure testamentũ facere nequeat, sepulturam tamen eligere potest.

XXXI. Videtur itaq; electio hæc esse quædam species mandati exequendi post mortem; ac propterea etiam re integrâ revocabilis usq; ad mortē. Atque consequenter non tantùm per testamentum aut codicillos, sed & aliam

aliam quamcumque defuncti scripturam, aut etiam sine scriptura, solo verbo electio hæc fieri potest.

XXXII. Ita autem fieri debet, ut plenè probari queat, sive per scripturam sive per tot testes, & tales qui plenam fidem faciant; uti rectè persolvit Wamesius *Conf. Can.* 433. qui & ibidem ex Guid[one] Papa *Decis.* 544. tradit, ad probandam electam sepulturam sufficere testes singulares ex loco & tempore; unó dicente hoc loco & tempore, aliis alio audivisse, defunctum sibi eligentem sepulturam, aut confitentem quòd elegerit.

XXXIII. Hoc tamen addit Wamesius: " In hac „ probatione, quæ fit per testes, sive contestes, sive singulares, hoc requiritur, ut deponant defunctum non „ jocosè, non levitate quadam, aut obiter fecisse hanc „ electionem; sed destinato proposito, & verbis non „ omninò enuntiativis, sed dispositivis, in re & actione „ seria seu ardua.

XXXIV. Notat insuper, interdum probari posse electam sepulturam " ex facti evidentia, ex destinatione „ Patrisfamilias, si videlicet sibi vel uxori, seu familiæ „ aliquo loco monumentum fieri fecerit, si sacrophagum posuerit, si epitaphium, præveniendo tempus „ mortis posuerit.

XXXV. Illud quoque non dubium exactiorem probationem requiri de electione sepulturæ, si agatur de excludenda Ecclesia parochiali in qua defunctus vitâ suâ durante Sacramenta recepit, & audivit verbum Dei, quàm si agatur inter duas Ecclesias, quarum neutra de jure fundata est super sepultura defuncti.

XXXVI. In Actis Cleri Gallicani *tom.* 1. *tit.* 2. *c.* 6. *art.* 7. refertur judicatum 19. Julii 1628. per Arrestum Parlamenti Redonensis corpora defunctorum esse sepelienda in suis parochiis, nisi aliter per testamentum & ultimam voluntatem disposuerint.

Non dubium, quin consuetudine, vel statuto induci posset, ut nulla electio sepulturæ admitteretur cum exclusione Ecclesiæ parochialis, nisi de electione per testamentum, aut aliam legitimam ultimæ voluntatis dispositionem constaret: ut ita magis cautum esset Ecclesiis parochialibus, quibus de jure sepultura competit; tum ut omnes contentiones super probatione electionis cessarent; sicuti hac ratione hic Edicto perpetuo cautum est, non admitti aliam probationem quàm per scripturam, quando agitur de summa excedente 300. flor.

XXXVII. Cùm autem jam pridem soliciti fuerint Fideles suam erga loca suæ sepulturæ liberalitatem singularem ostendere, fundationesque pias iis in locis facere; quin & in funeribus oblationes fieri consueverint; etiam jam pridem cupiditas quorumdam Ecclesiasticorum his emolumentis temporalibus inhiantium, variis artificiis & modis parum honestis conata est Fideles ad eligendam in suis Ecclesiis sepulturam inducere; idque non rarò cum notabili detrimento Ecclesiarum Parochialium, quæ ipsos defunctos, vitâ durante, tamquam piæ matres lactaverant, & nutriverant.

XXXVIII. In *Cap.* 4. *De Sepulturis* in pri[illegible]ctione Decretalium apud Antonium Augustinu[illegible]gmentum extat in *Cap.* 2. *h. eod.*) refertur Epistola Leonis (verisimiliter IX.) omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutis inscripta, in qua scribit, sibi esse relatum, quosdam esse perversè agentes qui pervertere nituntur Ecclesiæ unitatem, " videlicet Abbates, Monachos, qui „ non studio caritatis, sed zelo rapacitatis invigilant, at„ que seducere conantur sæculares quos illaqueare pos„ sunt ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive „ in vita, monasteriis suis tradant. & Ecclesiis, quibus „ subjectæ esse videntur & à quibus Baptismum, Pœni„ tentiam, Eucharistiam, nec non pabulum vitæ, cum „ lacte carnis acceperint, vel accipiunt, nihil de bonis re„ linquunt.

Hanc Monachorum rapacitatem planè improbandam dicit: " considerantes (ait) non esse bonum, si illi „ qui olim socii fuerunt passionum, secundùm Aposto„ lum, sint immunes à societate consolationum. Et quia „ dignus est operarius mercede suâ.

XXXIX Sanctus Bonaventura in Epistola 2. ad Provinciales sui Ordinis scribit, quòd sepulturarum & testamentorum litigiosa & avida quædam invasio Ordinem ipsum Clero toti non modicum exosum fecisset; uti suprà *part.* 1. *tit.* 32 *cap.* 1. *num.* 21. notavimus. Ex quo colligitur, quòd vel eo tempore inciperent ad suas Ecclesias attrahere Fidelium sepulturas; idque cum Cleri offensione.

XL. Cùm autem hæc sepulturarum invasio, quæ etiam aliorum Ordinum Religiosos, imò Clericos sæculares sensim invasit, magna scandala & dissensionum semina pareret, ipsisque Fidelibus libertatem in eligendis sepulturis adimeret, Bonifacius VIII. animarum periculis & scandalis quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volens, ait: " Universis Religiosis & secularibus Clericis „ cujuscumque status, vel conditionis existant, in virtute „ sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione maledictio„ nis æternæ, districtissimè prohibemus: ne aliquos ad „ vovendum, jurandum, ut fide interpositâ, seu alias pro„ mittendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepul„ turam eligant, vel jam electam ulteriùs non immu„ tent.

XLI. Extat hoc Bonifacii Decretum in *Cap.* 1. *De Sepult. in* 6. additque: " Nos enim (si secùs factum fuerit) „ electionem talem decernimus nullius penitus existere „ firmitatis. Statuentes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud „ sic electas Ecclesias ullatenus sepeliri, nec alibi (ne con„ tra votum, juramentum aut promissum hujusmodi à se „ factum materiam habeant veniendi) possint eligere „ sepulturam: sed contradictione quacumque cessante „ sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud quas se„ peliendi de jure fuissent, si aliàs sepulturâ non electâ „ forsitan decessissent.

XLII. " Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos „ in suis Ecclesiis vel cœmeteriis præsumpserint sepelire; „ ad restitutionem tam sepultorum corporum (si petan„ tur) quàm etiam omnium, quæ occasione sepulturæ „ illorum pervenerint quomodolibet ad eosdem, intra „ decennium integraliter faciendam ipsos obligatos es„ se censemus. Quam nisi fecerint, Ecclesiæ ipsæ, apud „ quas sepulti fuerint, nec non & cœmeteria earumdem, „ ex tunc eo ipso sint, & tamdiu maneant Ecclesiastico „ supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit restitu„ tio plenaria omnium prædictorum.

XLIII Hæc constitutio renovatur in *Cap.* 3. *De Pœnis* in Clementinis, volens, " violatores dictæ constitu„ tionis pœnam à Bonifacio comminatam, incurrere *ip„ so facto*, ab alio, quàm à Sede Apostolica (præter„ quam in mortis articulo) nullatenus absolvendos; „ nullis privilegiis aut statutis cujuscumque tenoris exi„ stant, super his valituris.

XLIV. Synodus Namurcensis anno 1659. postquam *tit.* 19. *cap* 4 declaraverat, quod in sepeliendis mortuis seu deducendis ad Ecclesiam non possint Religiosi portare stolam extra septa Monasterii sui juxta Clementinam DUDUM *De Sepulturis*, subjungit, *cap.* 5. " Ne„ que inducere, aut persuadere morientibus ut apud se „ eligant sepulturam sub pœna comminatâ in Clemen„ tina CUPIENTES. *De Pœnis*.

Sanè si Fidelibus permitteretur libera sepulturarum electio, omnisque illa inductio & odiosa ac scandalosa sepulturarum invasio cessaret, non dubium, quin multa dissensionum Clerum inter & Regulares semina suffocarentur, murmuraque & scandala evitarentur.

CA-

CAPUT IV.
De vetita exactione pro Sepulturis; & de juribus funeralibus.

1. *Athanasius certum reditum attribuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ ut* exequiæ *sine sumptu fierent.*
2. *Id primùm constituit Constantinus Magnus.*
3. *Hæ leges quomodo tempore Justiniani Imp. neglectæ.*
4. *Leges illas Justinianus renovavit.*
5. *Sumptus & expensas funerum præscripsit; & ministrorum honoraria taxavit.*
6. *Inter hos ministros erant qui* Decani *dicebantur.*
7. *Quod hodie in Ecclesia Constantinopolitana* Decani *officium.*
8. *Qui* Decani *dicuntur, non absimiles hodiernis Alexianis.*
9. *Inter funeris ministros erant Acolythi: & quod horum munus?*
10. *Erant quoque Asceteriæ sive Canonicæ; quales hæ fuerint; & quot funeribus adhibendæ cum Acolythis.*
11. *Constitutio Justiniani per Leonem Imp. renovata.*
12. *Quare conveniret, ut exequiæ* gratis *fierent.*
13. *Tempore S. Gregorii querebantur Laici pro sepultura pretium exigi.*
14. *Id graviter reprehendit S. Gregorius.*
15. *Ipse vitium illud evellere studuit; monetque Episcopos ut idipsum faciant.*
16. *Reprobat consuetudinem exigendi pretium pro sepultura tamquam abusivam.*
17. *Leo IV. pro sepulturis quidquam exigi vetat.*
18. *Similiter & Hincmarus Remensis.*
19. *Idipsum sæculo 9. & 10. plura Concilia vetuerunt; & exactionem pro exequiis defunctorum ut Simoniacam damnat Concilium Turonense.*
20. *Idipsum declarat Concilium Lateranense, neque consuetudinem contrariam valere dicit.*
21. *Consuetudinem non effodiendi sepulchrum priusquam pro terra pretium solvatur reprobat Honorius* III.
22. *Consuetudo oblationes in exequiis faciendi non reprobatur.*
23. *Voluntarias oblationes à Clericis accipi permittit S. Gregorius.*
24. *Idem permittit Hincmarus Remensis.*
25. *Pristina Concilia reprobantia exactiones, admittunt receptionem oblationum.*
26. *Simili modo Synodi recentiores reprobant exactiones, & probant oblationes.*
27. *Quid nomine oblationum veniat?*
28. *S. Carolus oblatum & Ecclesiæ consecratum dixit quidquid circa funus apponitur.*
29. *Idem censuit Episcopus Gratianopolitanus.*
30. *Non videtur id ubique receptum.*
31. *Inter oblata recensenda & Cleri honoraria.*
32. *Pallium feretro imponendum* gratis *dari optavit S. Carolus; & quid circa hoc habeat consuetudo Belgica?*
33. *Pallium semel feretro impositum esse Ecclesiæ consecratum declarat S. Carolus.*
34. *In Belgio usitatæ redemptiones; quidque in his cavendum.*
35. *Redemptiones has reprobasse videtur S. Carolus.*
36. *Oblationes funerariæ cui competant?*
37. *Sicuti Clericis vetitæ exactiones, ita & laicis vetatur laudabiles offerendi consuetudines infringere.*
38. *Concilium Lateranense vult laudabiles consuetudines offerendi retineri.*
39. *Laudabiles consuetudines observari voluit S. Carolus.*
40. *Ut Parochis & Ecclesiis Parochialibus provideretur, oportuit consuetas oblationes stabilire, & quasi necessarias facere.*
41. *Ut abusus vitaretur, conveniens fuit, ut auctoritate Superiorum laudabiles consuetudines taxarentur.*
42. *Decreta Synodorum Cameracensium de hac taxatione.*
43. *In Belgio taxatio harum oblationum sive jurium funeralium sine consensu Magistratus ægrè admittitur.*
44. *Taxa jurium Funeralium auctoritate Regia facta pro Comitatu Namurcensi.*
45. *Ordinatio Caroli V. super materia funeralium pro civitate Mechliniensi.*
46. *Pro mortuis extra civitatem ad exequias celebrandas in civitate hæc ordinatio cogi non vult hæredes.*
47. *Vult unicuique liberum esse eligere genus sepulturæ & exequiarum quod sibi placet.*
48. *Recentior taxa Regia eorumdem jurium pro civitate Mechliniensi.*
49. *Similis pro civitate Antverpiensi.*
50. *Natura jurium sic taxatorum similis est decimarum conditioni.*
51. *Jura taxata & consueta à Clero non excedenda.*
52. *Prætextus excedendi à S. Carolo rejecti.*
53. *Cavere debet Clerus, ne quid ex* pacto *prætextu jurium exigat; sed solvi solitis sint contenti.*
54. *Evitare solicitè avaritiæ notam; nec ob non solutionem jurium sepulturam deferre.*
55. *Hæc dilatio Sepulturæ ab Imperatoribus etiam Ethnicis reprobata.*
56. *Eadem ratione improbatur mos arrestandi corpora quæ vehuntur per pagos & quæ hujus moris origo.*
57. *Hunc morem improbat Parlamentum Mechliniense.*
58. *Improbat quoque S. Carolus.*
59. *Pignus accipere in securitatem solutionis jurium funeralium vetat S. Carolus.*
60. *Sepultura conveniens hodie ob defectum solutionis jurium non rarò negatur: quod non est probandum.*
61. *Parochi Parochianis suis licet pauperibus honestam sepulturam meritò procurare student.*
62. *Monitum Episcopi Gratianopolitani circa sepulturam pauperum.*
63. *Ob defectum competentiæ subinde Parochi ad duriorem jurium exactionem impelluntur.*

I. EXtat in Codice Justinianæo titulo *De SS. Ecclesiis* lex Anastasii Imperatoris in hæc verba: "Magna &c. „Constitutio magnæ Ecclesiæ „Constantinopoleos, septuaginta „librarum auri reditum, eam ob „causam, ut scilicet exequiæ sine „sumptu & *gratis* fiant in urbe Constantinopolitana, & „usque ad novos muros, & Blacernas.

II. Si Justiniano credimus, hujus constitutionis primus Auctor non est Anastasius, sed Constantini M. lex est, per Anastasium innovata. Dicit enim in *Novella* [illegible] inscribitur. *De debita impensa in exequiis defunc*[illegible], " Quod Constantinus rectè cogitans disposuit, & post hæc Anastasius firmavit, adjiciens „etiam reditus causæ, hoc nos ipsi, cùm periculum patiatur cadere, reparare & dare cum omni cautela & „terminis competentibus cogimur, illud facientes munere immortale.

Constantinus itaque erectam à se Constantinopolim, Romanæ urbis dignitate & privilegiis donavit; & ejus Ecclesiæ mille & centum tabernas seu officinas sitas in præcipuis civitatis foris, & ab omni Regia exactione ac publico onere liberas adscripsit, ex quarum reditu omnes funerum impensæ solverentur.

III. Verùm hoc Principis donum in alienos usus jam tempore Justiniani converti videbatur; vel certè con-

tra

tra intentionem donantis, funeris impensa non è *publico* erogabatur; sed ab hæredibus defunctorum exigebatur; uti testatur ipse Justinianus. "Plurimi plerumque audierunt nos (inquit) dicentes non similiter causam procedere, neque sine mercede fieri defunctorum exequias, sed exigi amarè, & inveniri plurima foris nomina & corpora quæ etiam invitos exigunt lugentes, & cogunt dare non habentes, hæc omnia justum judicavimus competenti correctione digna facere.

IV. Itaque hâc Novellâ rursus constituit Justinianus, ut Ecclesia Constantinopolitana ex officinis mille & centum ab omni onere liberis, & reditu ab Anastasio adjecto, impensas funerum suppediret; nihilque causâ funeris ab heredibus exigatur.

V. Utque firmior esset ejus observantia, etiam hâc Novellâ modus sumptibus funerum præscribitur; quantumque per semestria singula oporteat OEconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ dare his qui funeri operam impendunt, taxatur.

VI. Inter hos funeri assistentes erant, qui *Decani* dicebantur, qui & *lecticarii* sive *Copiatæ* vel etiam *Vespiliones* & fossarii dicti sunt; quorum officium erat lectum seu feretrum cui cadaver erat impositum efferre, & corpus inhumare; de quibus fit etiam mentio in *L. 4. Cod. de SS. Ecclesiis*, ubi numerus eorum restringitur ad nongentos & quinquaginta.

VII. In notitia Ecclesiæ Constantinopolitanæ apud Goartium legitur: "Decanus Sacerdotes ad jura sua & oblationum partem accipiendam advocat." Hanc exponens Goartius ait: "Decanus idem est quod Vespilio seu Lecticarius, & ut Epiphanius loquitur, qui mortuorum effert corpora. Unus hic tantùm esse perhibetur, supra alios videlicet de grege plebis ad efferendos mortuos absque Ecclesiastico titulo assumptos eminentior, cujus est etiam ea Provincia, ut Sacerdotes componat in juribus & contributionibus, ad eos ex funeribus & alio quovis obsequio provenientibus, accipiendis.

VIII. Hi igitur Decani sui Vespiliones vel Lecticarii similes fuêre hodiernis nostris Fratribus Cellitis seu Alexianis, qui sepeliendis inhumandisque ac curandis mortuorum corporibus se impendunt.

IX. Inter funerum ministros, quibus & è publico honorarium constituit, erant Acolythi & Ascetriæ sive Canonicæ. Acolythi erant quasi asseclæ, quorum officium erant funeri funalia sive faces præferre; statuitque ut singulis funeribus saltem *tres* Acolythi assistant, qui nihil penitùs accipient; scilicet ab heredibus defuncti.

X. Ascetriæ sive Canonicæ erant mulieres quæ præcinendo & psallendo funus præcedebant, quas octo ut minus singulis funeribus adesse voluit.

Verba Justiniani sunt in hac Novella *cap. 4. §. 1.* "Sancimus singulo lecto (id est *feretro*) gratis dato unum asceterium dari, asceteriarum aut Canonicarum non minus octo mulierum præcedentium lectum & psallentium, & tribus Acolythis, qui nihil penitùs accipient.

XI. Cumque rursus lapsu temporis hæc Constitutio negligeretur, ac proventus in alios usus detorquerentur, Leo Sapiens legem tulit, qua decrevit, ut quæ de his jam olim edita Constitutio est, innota & inviolata permaneat. *Novell. 12.*

XII. Optandum sanè esset, ut quod in Constantinopolitana Ecclesia ex pia Imperatorum liberalitate fuit ordinatum, etiam hodie in omnibus Ecclesiis servari posset; ipsæque etiam pauperum exequiæ, & funeralia honorificè & religiosè prout eorum merita & vitæ conditio exigunt, sine ipsorum sumptu agerentur; ipsisque Clericis occasio adimeretur, de hoc pietatis ac religionis opere quasi mercandi, & de alieno luctu lucrum captandi.

XIII. Scribit ad Januarium Episcopum Calaritanum S. Gregorius *lib. 7. indict. 2. Epist. 56.* "Questa est nobis charissima fœmina, quod ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra non erubescat exigere, atque ei super doloris gemitum, majorem dispendii studeat inferre molestiam.

XIV. Post hæc subjungit Gregorius: "Quod si ita se veritas habet, quia grave nimis, & procul est à Sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, & de alieno velle facere luctu compendium: ab hac se petitione fraternitas vestra contineat, & molesta ei de cætero non existat; maximè quia & Hortolanum quondam, de quo se ipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesiæ vestræ non in parva quantitate munificum memorat extitisse.

XV. Deinde narrat, quomodò ipse vitium hoc extirpare studuerit; & quod exemplo etiam Gentilium Episcopi excitari debeant, ut sepulturam gratis annuant. "Hoc autem vitium (ait) & nos postquam, Deo auctore, ad Episcopatûs honorem accessimus, de Ecclesia nostra omninò vetuimus, & pravam denuò consuetudinem nequaquam usurpari permisimus: memores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc est, Ephron, filio Seor sepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit. Si ergò tantæ considerationis paganus vir fuit, quantò magis nos qui Sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus: Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuò tentari præsumatur admoneo.

Hanc sententiam Gregorii refert Gratianus *caus. 13. qu. 2. Can. 12.*

XVI. Et dono Episcopo Messano scribens idem sanctus Pontifex *lib. 7. Indict. 1. Epist. 4.* morem aliquid pro sepultura exigendi vocat *illicitam antiquam consuetudinem*. Verba ejus sunt: "Cum secundùm nostrum institutum noveris nos *illicitam antiquam consuetudinem* omninò vetuisse, nec cuiquam assensum præbere, ut loca humandi corporis pretio possint adipisci.

XVII. Seculo 9. Leo IV. in homilia seu Epistola De Cura Pastorali ad omnes Sacerdotes curam animarum gerentes ait: "Nullus vestrum pro mortuis sepeliendis præmium aut munus exigat.

XVIII. Hincmarus Rhemensis in litteris ad Hedenulphum Laudunensem Episcopum ait: "Episcopus aut Presbyter pro sepultura obaudiens Decreta B. Gregorii, pretium de terra concessa putredini quemquam non permittat in sua Parochia quærere, & de alieno velle luctu compendium.

Eandem prohibitionem reiteravit in primo suo Capitulari *cap. 12.* & in tertio *cap. 2.* additque hic; *Sicut Sacra & Canonica sanxit auctoritas.*

XIX. Sub idem tempus Concilium Meldense *Can. 72.* verbis utens S. Gregorii ait: "Nemo pro loco sepulturæ pretium de terra putredini concessa, & de alieno velle facere luctu compendium, aliquo modo tentet.

Plura sunt tum Synodorum, tum Episcoporum Decreta hanc sepulturarum mercimoniam execrantia; & apud Gratianum *caus. 13. q. 2. Can. 14.* refertur Decretum Concilii Triburiensis; & *Can. 15.* aliud sub nomine Synodi Varensis, sed quod revera est Decretum Synodi Nannatensis: & *Can. 12.* extat sententia S. Hieronymi hisce conformis.

His Decretis insistentes posteriores Synodi & summi Pontifices, uno consensu *exactiones* omnes pro sepeliendis mortuis non tantùm prohibuerunt, sed ut Simoniacas reprobarunt; idque non obstante quacumque contraria consuetudine.

Extat in *Cap. 8.* ꝟ *De Simonia* Decretum Concilii Turonensis sub Alexandro III. "Pro *sepultura* quoque, & crisma-

crismatis & olei receptione, nulla cujusquam pretii exactio attentetur. “ Additque: “ Nec sub obtentu *cujusquam consuetudinis* reatum suum quisquam tueatur, quia diuturnitas temporis non diminuit peccata, sed auget.

XX. Et in *Cap.* 9. ;; *eod.* refertur Constitutio Concilii Lateranensis sub Alexandro III. ubi imprimis dicitur: “ Horribile nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut & pro sepulturis & exequiis mortuorum aliquid requiratur.

Putant autem (pergit Concilium) plures ex hoc licere, quia legem mortis de longa invaluisse consuetudine arbitrantur; non attendentes quod tantò graviora sunt crimina, quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt allegatam.

XXI. Denique Honorius III. scribit Magalonensi Episcopo in *Cap.* 13. ;; *De Sepult.* “ Abolendæ consuetudinis perversitas apud montem Pessulan. (ut dicitur) inolevit, ut decedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quam pro terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persolvatur: & infra. Mandamus, quatenus cum loci Diœcesanus existas, inhibeas clericis ne quicquam omninò præsumant exigere hac de causa.

XXII. Verùm cùm hisce Decretis nequaquam reprobetur laudabilis, & à primis seculis in Ecclesia recepta consuetudo in funeribus oblationes pro mortuis faciendi; proinde neque Clericis eas recipiendi libertas adempta est.

XXIII. Et quidem S. Gregorius in citata *Epist.* 56. postquam exactionem pro sepultura reprobavit, addit: Sed si quando aliquem in Ecclesia sepeliri conceditis, si quidem parentes ipsius, proximi, vel heredes pro luminaribus *spontè efferre* quid voluerint, accipere non vetamus.

XXIV. Similiter Hincmarus Rhemensis in allegato primo Capitulari prohibens quidquam exigi aut extorqueri, addit: “ Si quid autem Altari vel Ecclesiæ, aut sibi (Presbytero) *gratis oblatum* fuerit à devotis quibuslibet, cum benignitate recipere non interdicimus: “ Et rursus in altero Capitulari: Si autem aliquid quisquam *gratis* offerre voluerit post sepultum corpus, hoc suscipi non vetamus.

XXV. In Concilio Meldensi etiam hæc clausula his verbis exprimitur: “ Si quando autem proximi vel heredes *sponte* aliquid conferre in Ecclesia voluerint in *eleemosynam* defuncti, accipere non vetamus. *Peti* verò vel *exigi* aliquid omninò prohibemus.

Decreta Conciliorum Triburiensis & Nannatensis supra citata apud Gratianum, eamdem clausulam continent.

XXVI. Eodem tenore & Synodorum nostræ penè ætatis Decreta concipiuntur; ut nimirum, exactiones & pactiones interdicant; oblationes verò probent; hasque à Parochis aliisque quibus de jure vel consuetudine aliove legitimo titulo competunt, recipere permittant.

XXVII. Nomine oblationum non veniunt hic tantùm illa quæ in Missis exequiarum aut anniversariorum ad altare offeruntur; sed & luminaria aliaque quæ circa funus sive occasione funeris à consanguineis heredibusque defuncti in funeris pompam impenduntur.

XXVIII. Unde S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi I *tit. De Funeribus & Exequiis* ait: “ Candelæ omnes, cerei & quæ intortitia vocantur, quæ circum crucem & cadaver ad Ecclesiam adferuntur, & alia quæ circa phereterum, & in altaribus, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredum impensa accenduntur, ita Deo oblata esse intelliguntur, ut ejus Ecclesiæ sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta sint.

XXIX. Sancti Caroli vestigia premens Cardinalis Gratianopolitanus in suis Ordinationibus Synodalibus *tit.* 4. *art.* 2. *cap.* 15. Idipsum declaravit. Verba ipsius sunt: *Tout ce qui est offert à l' Eglise n' en doit jamais etre retiré; c' est pourquoy Nous ordonnons que les cierges & flambeaux qui auront esté allumez aux convois, ou dans l' Eglise a l' Autel, demeureront aux Curez, ou à ceux à qui ils appartiennent, par le droit & par la coutume, à la reserve des cierges des Confreries, & que les Confreres tiennent à leurs mains pour accompagner le corps de lour Confrere, qui seront retirez par leurs Officiers.* Id est. Quidquid Ecclesiæ oblatum est auferri ab ea non potest: hinc statuimus ut candelæ & faces quæ accensæ fuerint in comitatu vel in Altari Templi, Parocho cedant, aut iis ad quos jure aut consuetudine pertinent: hinc exceptis Confraternitatum candelis quas in deducendo Confratres prætulerint, quæ per ipsorum administros reposcentur.

XXX. Id nihilominus non ubique videtur receptum; ac nominatim legitur in Regulamento emanato è Curia Brabantiæ an. 1685. pro civitate Antverpiensi super juribus sepulturæ *art.* 12. quod faces quæ positæ fuère circa feretrum non poterunt retineri ab Ecclesia; sed referentur ad domum mortuariam, ad dispositionem hæredum vel Executorum. Verba articuli sunt: *Dat men ten obsighte vande flambeeuwen gestaen hebbende rontom de baere in geene Kercke vande selve stadt,* (Antwerpen) *het sal moeggen behouden maer dat met deselve sal laeten wederkeeren naer het Sterfhuys om te blyven ter dispositie vande Erfgenaemen oft Executeurs van't selve.* Id est. Quoad faces circum circa feretrum collocatas, nulla ejusdem civitatis Ecclesia has sibi poterit vendicare, verùm ad domum mortuariam referri eas liberum erit, ut de iis aut hæredes, aut executores disponant.

XXXI. Præter illa hic enumerata, inter oblationes etiam comprehendenda sunt, quæ Clericis funus comitantibus, & exequias aliave Officia funeralia agentibus dari solent; de quibus loquitur S. Carolus dicens: “ Excipimus (à superiori Decreto) ea quæ Clericis cujusvis eleemosynæ causâ dari solent, & quæ funeralium nomine Cathedralibus & Parochialibus Ecclesiis ex sacris Canonibus debentur.

XXXII. Vult insuper S. Carolus; ut “ dent operam Episcopi diligenti cohortatione, ut in singulis Parochiis, communibus eorum sumptibus qui sunt in Parochia, comparetur pallium, quod mortuo imponi solet; idque omnibus in funere *gratis* commodetur: quod si Parochiani id recusarint, singuli Parochi, & alii Ecclesiarum curatarum rectores pallium ad hujusmodi usum emant; pro quo mortuorum heredes illis minimum aliquid Episcopi arbitratu largiantur.

Hîc in plerisque Eccles. *pallium* hujusmodi habetur; sed sumptibus Ecclesiæ vel fabricæ plerumque comparatum; pro quo aliquid solvi solet; Superiorum est attendere, ne ejus occasione nimis petatur.

XXXIII. Addit Carolus: “ Si verò nobiles homines aureo vel serico vel omninò pretioso pallio uti voluerint; pecuniâ suâ faciendum curent; quod ad ejusmodi cadaverum usum nullo modo in posterum adhibeatur, sed illi Ecclesiæ, in qua mortuus sepultus fuerit, illico post funus acquisitum sit, & in ejus ornamenta convertatur.

XXXIV. Consueverunt hæc & similia, ad pompam funeris vel feretro, vel altaribus, vel etiam templi aut chori parietibus appendenda vela sive panni lugubres, certâ redimi eleemosynâ, Fabricæ, vel Canonicis, aut Parocho, juxta variam locorum consuetudinem, cedente: quemadmodum & ipsa in specie oblata, in quorum locum hæc redemptionis pecunia succedit, pro varia locorum consuetudine his illisve cedunt; quod & innuit S. Ca-

S. Carolus in suo Concilio Mediol. II. *Decreto* 16. explanans hac in parte Decretum primi Concilii supra relatum, quo significabatur, oblata cedere Sacristiæ.

Sed hac in redemptione illud cavendum, ne eo titulo pompæ funeris nimium excrescant; atque etiam hi, quorum conditio & dignitas hujusmodi externum apparatum non permittunt, ad similem fastum, mediante alicujus modicæ pecuniæ redemptione prosiliant; Parochi autem & Clerici, qui interim per similes redemptiones lucrum captant faciliores reddantur, ad externum illum fastum permittendum, ut hoc pacto saltem lucrum ex redemptione proveniens habeant. Accedit, quod hujusmodi redemptiones, præsertim quando hactenus consuetudine aut Superiorum auctoritate non sunt determinatæ, mercimoniam quamdam redoleant soleantque laici cum Parochis & Clericis super his quasi mercari.

XXXV. Hinc S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. *tit. De Funeribus & Exequiis* statuit: " Ne pactiones de „ funere, aut de exequiis pro mortuo celebrandis cum „ defuncti herede, aut alio ad quem pertineat, à Paro- „ cho, aliovè ea conditione fiant, ut certa ceræ pars, quæ „ exequiarum officiis superetit, ipsi heredi aut alteri re- „ stituatur.

Has redemptiones improbare quoque videtur citata Ordinatio Curiæ Brabantiæ pro civitate Antverpiensi *art.* 14 in verbis: *Dat in toecommende sullen cesseren alle* REDEMTIE *over cruysen, vaenen, baer-cleeden, behangen vande chooren, en de diergelycke; maer sal een ieder schuldigh syn sigh te contenteren met de reghten hier onder int' particulier aengeroert.* Id est Nulla in posterum fiet redemptio ratione crucis quæ præfertur, labari, vestis sepulchralis, vestitionis chori aut similium; sed unicuique satis erit quod per jura infra specialiter exprimenda concedetur.

XXXVI. Cessante particulari consuetudine, aut privilegio aliove titulo, oblationes hæ funerariæ tamquam jura Pastoralia spectant ad illos, quibus alia jura Pastoralia competunt; atque de his, sicuti de aliis oblationibus, judicandum conformiter ad illa quæ supra *tit.* 35. *c. fin.* dicta sunt. Et ita in specie de pecunia quæ in redemptionem panni lugubris parietibus Ecclesiæ appensi solvebatur respondit Zyp. *Consult.* 6. *De Sepult.*

XXXVII. Sicuti Clericis severè prohibitum fuit, ne super sepulturis aut exequiis aliisve similibus Religionis operibus paciscantur, vel hac occasione extorsiones faciant; ita quoque laicis inculcatum fuit, ne pias & laudabiles ac receptas offerendi consuetudines facilè infringant.

XXXVIII. Testatur Concilium Lateranense in *Cap.* 42. *ij De Simonia*, " Ad Apostolicam audientiam „ frequenti relatione pervenisse, quod quidam Clerici „ pro *exequiis mortuorum*, & benedictionibus nuben- „ tium & similibus, pecuniam exigunt & extorquent: „ & si fortè eorum cupiditati non fuerit satisfactum, „ impedimenta fictitia, fraudulenter opponunt. E „ contra verò quidam laici laudabilem consuetudinem „ erga sanctam Ecclesiam, piâ devotione Fidelium „ introductam, ex fermento hæreticæ pravitatis ni- „ tuntur infringere, sub prætextu Canonicæ pieta- „ tis.

His querelis occurrens Concilium ait: " Quapropter „ super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias „ consuetudines præcipimus observari statuentes, ut li- „ berè conferantur Ecclesiastica Sacramenta, sed per E- „ piscopum loci veritate cognitâ compescantur, qui „ malitiosè nituntur laudabilem consuetudinem immu- „ tare.

Ex hoc Decreto conclusum fuit, exactiones quidem in exequiis mortuorum vetitas esse; sed & laudabiles consuetudines offerendi à laicis esse observandas; imò etiam per Episcopum ad earum observantiam urgeri posse: quod non solum praxis; sed & Synodi posteriores probarunt.

XXXIX. Et quidem S. Carolus in suo Concilio Mediol. I. *De Funeribus & Exequiis* statuit imprimis: " Ex- „ equiarum, sepulturæ & anniversariorum causâ nemi- „ ni quidquam pacisci, aut exigere liceat, neque etiam „ petere, vel quid aliud committere, quod simoniacæ la- „ bis, aut sordidæ avaritiæ suspicionem habeat.

Huic dein decreto immediatè subjungit: " Pias ta- „ men in his consuetudines servari jubemus; cujus rei „ Epis. curam suscipiat.

Ulterius cum prius illud Decretum contra exactiones & pactiones Rectorum Ecclesiarum in exequiis in eam partem à plerisque accipi animadvertisset, quod occasione inde sumptâ, Ecclesiæ, non servato piarum consuetudinum usu, debitis eleemosynis defraudentur, in suo Concilio Mediol. II *parte* 3. *Decreto* 17. hæc in modum declarationis seu explanationis prioris Decreti addidit: " Quare Episcopus habita & locorum, & perso- „ narum ratione, in funeribus & exequiis, quæ pia insti- „ tuta & consuetudines laudabiles sib. videbuntur, arbi- „ tratu suo servari jubeat sacrorum canonum auctorita- „ te; contumacesque compellat omni juris remedio.

XL. Postquam autem decimæ personales desierunt, & decimæ reales ac mixtæ sensim ad Monasteria & Capitula Canonicorum devolutæ fuêre, necessitas quodammodò coegit, consuetudines has offerendi stabilire; ipsosque laicos quasi constringere ad ipsas oblationes hactenus consuetas; ut Parochorum & Ecclesiarum Parochialium necessitatibus provideretur; creditumque fuit, æquum esse, " proprio Pastori tam pro officio exe- „ quiarum, quàm reliquis charitatis officiis defuncto, „ vitâ ejus durante impensis, debitum honorarium post „ mortẽ præstari " Uti loquitur Syn. P.II Cam *t.* 12.*c.*8.

XLI. Sed ne circa has laudabiles piasque consuetudines, vel à Clericis per excessum, vel à laicis per defectum aberretur, omnesque contentiones, & etiam sordidæ aut suspectæ conventiones evitentur, meritò caverunt Synodi, ut modus ac mensura hisce oblationibus, auctoritate Superiorum ponatur; determineturque quid juxta laudabilem piamque consuetudinem à laicis solvi, & à Clericis prætendi queat: quod auctoritate Episcoporum fieri in supra allegato Decreto mandavit S. Carolus.

XLII. Similiter Synodus P.II Cam. in citato Decreto, quo æquum declaravit, ut proprio Pastori tam pro officio exequiarum, quam reliquis charitatis officiis defuncto, vita ejus durante, impensis, debitum honorarium post mortem præstaretur, advertens, difficillimum esse, hoc (debitum honorarium) *uniformiter* pro singulis locis statuere & definire volunt, ut " curent Episcopi in suis „ singulis Diœcesibus circa id providere, prout (ait) sta- „ tuitur *c.*7 tituli *De Decimis* primi Concil. Provincialis.

Illo autem *cap.* 7. Synodus illa Provincialis decrevit: „ In Ecclesiis, in quibus jura Pastoralia vel conventione „ vel auctoritate Magistratus sunt ordinata ac termina- „ ta, ea jura maneant, si æqua fuerint: si minus vel auge- „ antur, vel minuantur Episc. ac Magistratûs judicio. In „ quibus autem non sunt determinata, ineatur ratio „ cum eodem Magistratu ut fiat.

XLIII. Supponit Synodus in hoc Decreto, taxationem horum jurium, & Episcopor. & magistratuum auctoritate fieri.

Verisimile est, Synodum hîc attendisse harum & vicinarum Provinciarum morem & consuetudinem; quæ jura illa temporalia citra auctoritatem Magistratûs civilis ægrè laicis imponi finerent, uti supra *tit.* 1. *cap.* 3 notavimus: ubi unà dictum est esse conveniens, ut utrâque potestate, hæc jura taxentur: ne aliàs laicis, de excessibus ecclesiasticorum in taxandis his juribus, querendi detur prætextus.

XLIV. Notoria est Belgii praxis, taxationem hanc perficiendi auctoritate Magistratus Regii; extatque in pluribus Ecclesiis similis taxa. Pro civitate & Comitatu Namurcensi, prout illa inita & conventa est de mandato Regio cùm Concilio illius Provinciæ, describitur ad calcem Synodi Namurcensis an. 1659. *Cui quisque se conformabit*, ait ipsa Synodus *tit. 19. cap. 7.*

XLV. Extat quoque parte 3. Edictorum Brabantiæ *lib. 1. tit. 6. c. 1.* ordinatio Caroli V. de 23. Martii 1528. pro civitate & districtu Mechliniensi, quâ sumptus funerum, & honoraria sive jura Parochorum aliorumque ministrorum, nec non Ecclesiæ sive fabricæ specificantur & taxantur.

XLVI. Imprimis in hac ordinatione decernitur, quod nullus civis aut incola Mechliniensis tenebitur ad exequias aut alia jura, pro civibus seu incolis civitatis Mechliniensis, qui extra civitatem mortui fuerint; etiamsi intra civitatem vitâ durante domicilium & larem haberent; nisi ipse defunctus per testamentum aut ultimam suam voluntatem ordinasset; aut ejus heredes communi consensu libera voluntate & ex devotione idipsum vellent & à Parocho requirerent.

XLVII. Secundo declaratur, quod unicuique cujuscumque status fit, sive dives sive pauper fuerit, liberum sit, eligere tales exequias sive magnas sive exiguas, cum illo pulsu campanarum, & lumine, sicuti ei visum fuerit: & casu quoad per testamentum aut aliter non declaraverit, idipsum fieri possit de voluntate & judicio heredis vel executoris. Verba Edicti sunt: *Ende dat een iegheleck mensche binnen Mechelen ende Schependom vandier, ryk ofte arm, van wat state ofte conditie die sy kiesen ende verclaeren sal te doen soo groote ende clyne uytvaerte, met sulcken gheluyt ende licht, alst hem ghelieven sal, ende in dien hy by synen testamente ofte andersins niet ghecosen ofte verclaert en hadde, sal t' selve gheschieden tot wille ende discretie van den erfghenaemen ofte executeurs sonder voor der gebonden, bedwongen ofte ghemolesteert te moghen vvesen.* Id est. Unusquisque tam incola Mech quàm qui sub ejus scabinatus jurisd. degit, pauper seu dives cujuscumque gradus aut condition. fuerit, eliget & statuet exequias sibi parandas ea pompâ seu splendida, seu mediocri tali campanarum pulsu & facibus, prout ipsi libitum fuerit si verò testamento aut alias nihil horum statuisset, juxta prudentiam & voluntatem heredum aut executorum id constituetur, nemine ad plura obligato, sine ulla coactione aut molestia.

XLVIII. Cum verò super his juribus rursus excitata esset quæstio coram Parlamento Mechliniensi inter Magistratum dictæ civitatis ex una, & Capitulum, Plebanum ac Pastores ejusdem civitatis ex altera partibus, Parlamentum auditis Advocatis Fiscalibus, nec non Commissariis pro informatione causæ designatis, declarationem per modum ordinationis edidit anno 1668 quâ confirmavit citatam Carolinam, atque exactam insuper omnium jurium pro temporum conditione, nec non funerum diversitate, tum Fabricæ, tum Capitulo, Parochis, aliisque quibuscumque ministris competentium specificam taxam fecit; ac etiam sumptuum funeratiorum aliquam moderationem adjunxit. Habetur hæc ordinatio unà cum taxa parte 4. Edict. Brabantiæ *lib. 2. tit. 14.*

XLIX. Similis taxa jurium funeralium, nec non determinatio eorum quæ circa sepulturas observari oporteat, emanavit an. 1686. è Curia Brabantiæ pro civitate Antverpiensi, in qua determinantur omnia & singula jura Parochorum, Cleri, custodum aliorumque ministrorum & Fabricæ, idque pro diversitate funerum.

Dicitur insuper in hac Ordinatione *art. 22.* quotidie quæstionem moveri super electione sepulturæ, & sepeliendis pueris & aliis in sepulchro Majorum; aliquibus prætendentibus, sine speciali electione, pueros non posse extra suam Parochiam sepeliri tametsi alibi habeatur sepulchrum majorum.

Itaque *art. 23.* decernitur, quod pueri infra an. 25. uti & minorennes non juncti Matrimonio sepelientur ubi parentes aut unus ipsorum voluerit; nisi ipsi filii sepulturam elegissent.

Et *art. 24.* additur, quod si contraria electio non fit, patre aut matre ibidem sepultis, eadem etiam sepultura pro pueris erit.

Dein *art. 25.* quod pueri parentibus orbati, & celibes morientes, sive adhuc sint sub tutela sive non, si in ipsa civitate habeant sepulturam patris aut matris, poterunt in ea sepeliri in casum non contrariæ electionis.

Si pater & mater in ipsa civitate sint sepulti in diversis locis, & pueri non conjugati non elegerint sepulturam, liberum erit heredibus aut executoribus in alterutrius sepultura corpus defuncti pueri sepelire. *art. 28.* Ad evitandas quæstiones super probatione electionis sepulturæ statuitur *art. 31* quod omnis electio sepulturæ extra Ecclesiam Parochialem domicilii defuncti fieri debebit *in scriptis* sub signatura defuncti, vel per declarationem coram Notario, qui de eo mox actam capiet, & de qua constare debebit Præfecto funerum ante inhumationem. Verba articuli sunt: *Dat alle dielectie van sepulturen buyten de Parochie kercke vande vvooninge vanden overledenen sal moeten geschieden schriftelijck by onderteeckeninge vanden overledenen, oft declaratie voor notaris die daer van instantelijck sal acte houden, ende vvaer van sal moeten consteren aen den Præfectus funerum voor de begraeffenisse.* Id est. Quod omnis sepulchri electio extra Parochiam habitationis defuncti scripto fieri debebit sub Chirographo defuncti, vel per declarationem coram Notario, qui hujusce continuò actam scribat, cujusque faciat fidem Præfecto funerum ante inhumationem.

* Additur tamen art. 32. præcedentem articulum ita esse intelligendum, ut quoad illos qui nomina sua alicui lapidi sepolchrali insculpi jusserunt, aut nomina sua etiam vita ipsorum durante posita sunt, corpus ipsorum ibidem sepeliendum sit Verba sunt: *Soo nochtans dat nopende de gene de hunne namen hebben doen stellen op eenige saecken oft vvaer van de namen bevonden vvorden aldaer gestelt te zyn van in hun leven, het doode lichaem in de kercke alvvaer sulcks bevonden vvort, sal begraven vvorden.* Id est. Sic tamen ut quoad eos qui nomina sua lapidi sepulchrali inscribi jusserint iisque etiamnum vivis insculpta esse constiterit, cadaver in Ecclesia in qua id fieri curarint, sepeliantur.

L. Hæc jura sic taxata, sunt onera quædam adinstar quodammodo decimarum laicis imposita; sed demùm post mortem in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, & reparationem ac intertentionem Fabricæ templi nec non Divinorum officiorum solvenda. Et sicuti decimarum solutio in sua origine voluntaria, sensim in necessitatem versa est; ita & circa has funerarias oblationes contigit.

LI. Et quemadmodum decimæ juxta locorum consuetudines accipi debeant; neque Clerus *insolitas* prætendere potest; ita & juribus hisce taxatis & receptis Clerus contentus esse tenetur, cavendumque, ne vanis & excogitatis prætextibus jura illa propria auctoritate augeant, aut nova in gravamen laicorum inducant.

Ita S. Carolus in suo Concil. Mediol. IV. parte 2 tit. *De Funeribus & exequiis* monet, ut Capitula & Canonici contenti sint in funere, funerisque officio eleemosyna, quæ generatim ipsi universo, aut singillatim unicuique de Capitulo dari solet.

Deinde adjungit: "Idem Parochi, rectores, sacristæ „ custodes, & alii Clerici inviolatè servent ad Episcopi „ proscriptum.

LII. "Pro crucibus autem, & quæ circa cadaver aut ceno-

„ cenotaphium disponuntur, pro campanis item, lampadibusve, aliove prætextu, aut nomine, nihil præterea „ capiat, exigatve, nec Capitulum, nec quisquam de Capitulo, nec rector, nec sacrista, custos aliusve Clericus „ quicumque, nisi si quid est quod fabricæ, aut sacristæ, „ campanarum nomine dari piæ consuetudinis Episcopus esse censuerit; idque verè in eum usum cedat; at „ pro crucibus nihil omninò, quovis etiam fabricæ, vel „ sacristæ nomine accipi liceat.

LIII. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 13. *cap.* 3. decrevit, ut "pro loco sepulturæ, etiam eo prætextu quod „ cedat fabricæ, aut alii piæ causæ, nihil ex pacto exigatur; sed si quid (*ait*) juxta cujusque loci piam & laudabilem consuetudinem à defuncti heredibus vel executoribus donetur; ipsi fabricæ cedat, non autem in usus „ Canonicorum, pastorum, aut aliarum personarum „ convertatur.

Monet quoque Rituale Romanum, ut "Parochi aliique Sacerdotes iis eleemosynis contenti sint, quæ aut „ probatâ consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.

LIV. Ulteriùs Parochi aliique Sacerdotes in horum jurium petitione omnis avaritiæ & aviditatis specimen solicitè cavere debent.

Hinc imprimis caveant differre sepulturam prætextu quod non sufficienter de juribus solvendis cautum fuerit.

Seculo 11. Guilielmus Episcopus Parisiensis in suo Capitulari *Cap.* 5. ait: "Presbyteri non detineant corpora mortuorum super terram occasione pecuniæ extorquendæ.

Et ejus successor S. Odo in Capitulari suo: "Prohibetur distinctè, ne pro interrasio corpus sepeliri differatur.

LV. Hanc sepulturæ dilationem non tantùm à Sacris Canonibus, sed Imperatorum tam Gentilium, quàm Christianorum legibus tamquam rem barbaram reprobatam esse ostendit Christianus Lupus Dissertatione 2. procemiali ad tomum 3. scholiorum in Canones *cap.* 12. ubi insuper relata Severi Imperatoris lege, *Ne corpora detinerentur aut vexarentur, aut prohiberentur per oppidorum territoria transferri*, ait: "Ad verò hodie apud „ nos Christianos si quis peregrè moriens sepeliri velit „ in Patria, ejus cadaver loco moveri aut transferri non „ sinitur, nisi singulis, per quarum territoria transierit, „ Parochialibus Ecclesiis persolverit sua jura. Ea de „ causa quandoque videmus cadavera arrestari. Cujus „ consuetudinis justitiam non video usque huc, & cupio „ edoceri.

LVI. Neque ego hactenus consuetudinis hujus justitiam video; videturque hæc consuetudo sat solidè reprobata per Peckium in tractatu *De Jure sistendi cap.* 5. ubi in Parochos acriter invehitur, ut supra *cap.* 1. monui admodumque verisimile est, hanc consuetudinem originem traxisse ex avita hominum pietate ac religione, quâ ducti in singulis Ecclesiis pagorum per quos cadavera deferebantur ad locum sepulturæ, mortuos deponebant, donec pastores illi cum Clero preces suas pro defuncto effudissent atque hæc pietatis officia, sensim per Parochos tracta esse in necessitatem apparet.

LVII. Supra citata Ordinatio parlamenti Mechliniensis de an. 1664. super juribus funeralibus, vult, ut si exteri in ipsa civitate Mechliniensi moriantur, & eorum corpora alio asportentur, nihil ab eorum heredibus prætendere possit Ecclesia parochialis sub qua mortui sunt, si ibi non sepeliantur; neque sub prætextu dictorum jurium sepulturæ, aut servitii arrestare corpora exterorum, aut habitantium, vel aliter impedire aut differre eorum sepulturam.

Non obscurum est, Parlamentum improbasse jam dictam consuetudinem exigendi jura sepulturæ corporum, quæ tantùm transvehuntur per Parochiam; eoque titulo arrestandi; cum nec jura exigi permittant, licet etiam in Parochia mortui sint.

LVIII. Hanc consuetudinem haud probatam fuisse S. Carolo colligitur ex Decreto Concilii Mediolanensis IV, quo decernitur, ut "Parochus intra cujus Parochiæ „ fines, aliquis alienæ Parochiæ occisus est, ejus cadaver „ liberè alio transferri nullo prætextu prohibeat: nihil„ que ea de causa accipiat. Si verò translatio ea cum fu„ nere fit, liberum ei sit uti jure suo. "*Parte* 2. *cap.* 12.

LIX. Insuper ad evitandam avaritiæ aviditatisque suspicionem statuit, ibidem S. Carolus: "Ne Parochi, „ aliique Clerici, neque item exequiarum curatores, alii„ ve quicumque in funere operam ponunt, pignora ca„ piant, quibus sibi caveant de funerali eleemosyna, aut „ de eorum operæ in funere præstitæ mercede.

LX. Non solent quidem hodie ob defectum solutionis jurium corpora manere, aut detineri inhumata; sed tamen rarum non est, ut ob ejus defectum negentur sepultura & exequiæ, quas pietas & institutio Christiana defunctorum Christianorum corporibus impendi postulant.

Sanè nec honestum, nec religioni nostræ decorum apparet ut defunctus qui vitæ suæ meritis, & conditione sive statu meruit honestam ac honorificam sepulturam, locumque sepulturæ, his carere debeat, quia heredes ejus sine notabili rei familiaris detrimento jura funeralia solvere nequeunt; aut certè hereditas ejusmodi jurium solutionem ferre non potest.

LXI. Indubiè Parochi in similibus circumstantiis ostendere debent, se juribus illis non tam avidè inhiare, ut propterea velint suos Parochianos, aliàs benè meritos honesta sepultura privari; neque nimium duri esse debent in eorum exactione, præsertim dum sciunt familiam defuncti honestam quidem esse; sed tamen revera in re familiari minùs abundantem.

Scio quidem, sæpe non dependere à solo Parocho remissionem horum jurium; imò frequenter minorem eorum partem ad ipsum spectare; nihilominus, si ipse suo agendi modo ostendat, se velle etiam sine juribus, aut cum notabili eorum remissione exequias & sepulturam facere, satis erit ut notam aviditatis evadat; & Parochianorum suorum benevolentiam conciliet; ostendatque quod Parochianis etiam pauperibus, juxta conditionem ipsorum, *justa* persolvere sit paratus.

LXII. Eminentissimi Cardinalis Camusii Episcopi Gratianopolitani in citatis Ordinationibus Synodalibus *tit.* 4. *art.* 2. *c.* 12. hoc notandum occurrit monitum: *Nous leur* (les Curez) *recommandons de temoigner autant de piete & d'empressement aux enterremens des pauvres que des riches; de dire les prieres accoûtumées en les conduisant à l'Eglise & en les mettant en terre, & d'éviter de donner lieu de soupçonner qu'ils apprehendent de n'avoir point de retribution.* Id est, Commendamus ipsis ut eamdem solicitudinem exhibeant ad sepeliendos pauperes quam divites, eosque deducendo ad Ecclesiam & inhumando consuetas preces recitent, caveantque occasionem suspicioni præbere quod timeant ne sibi fiat retributio.

LXIII. Indubiè multùm urgenter ac quasi impelluntur Parochi eorumque Vicarii ad duriorem jurium illorum exactionem, idque non sine gravi Fidelium scandalo & offensione, eò quod ex his sibi vitæ necessaria, defectu sufficientis aliundè competentiæ, habere debeant. Decimarum possessores, quibus incumbit parochis de competentia, convenienti providere, meritò attendent, ne sua tenacitate hisce scandalosis & scabiosis exactionibus causam præbeant.

CAPUT V.

De Juribus Ecclesiæ Parochialis ad exequias & oblationes dum alibi sepultura est electa.

Ecclesiæ Parochiali competunt de jure sepultura & exequiæ.

2. *Nonnullis aliis locis religiosis* libera *sepultura, sive jus sepeliendi concessum est.*
3. *Sed ultra privilegii tenorem non extendendum.*
4. *Jus sepulturæ, & Jus celebrandi exequias sunt distincta nec in illo concesso sequitur & hoc concessum esse.*
5. *Consequenter alicui loco religioso concessa libera sepultura, non censetur propterea concessum jus exequiarum.*
6. *Pontifices indulgentes alicui loco religioso liberam sepulturam reservant Ecclesiæ Parochiali reliqua sua jura.*
7. *Clausula reservatoria jurium Ecclesiæ Parochialis occurrit in Bulla confirmatoria Ordinis S. Dominici.*
8. *Eadem clausula exprimi solita in omnibus Bullis quibus* libera *sepultura annuitur.*
9. *Per* liberam *sepulturam intelligitur jus sepeliendi liberè cadavera eorum qui in loco illo sepeliri elegerunt.*
10. *Corpora dum in locis hujusmodi inhumantur, dicuntur ab Ecclesia Parochiali* assumi.
11. Salva justitia *Ecclesiarum Parochialium idem est, quod salvo jure illarum Ecclesiarum.*
12. *Vigore clausulæ salva justitia Ecclesiarum Parochialium, manet iis salvum jus celebrandi exequias.*
13. *Manet quoque Ecclesiæ Parochiali jus ut cadaver priùs ad eam deferatur, & eo præsente Missa celebretur.*
14. *Nulla consuetudo requiritur, ut hoc jus salvum sit Ecclesiæ Parochiali.*
15. *Hoc jure utuntur Ecclesiæ Parochiales in Gallia.*
16. *Hoc jus Ecclesiis Parochialibus per arresta Regia sæpius assertum.*
17. *Illud jus Ecclesiis Parochialibus vindicat Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus.*
18. *In pluribus Ecclesiis Belgicis idem jus salvum manet, & Parochiæ civitatis Iprensis adjudicatum.*
19. *Per Senatum Regium assertum Parocho civitatis Hallensis.*
20. *Similiter Parocho civitatis Athensis.*
21. *Corpus Sepulturæ rectè deferri debet ad locum sepulturæ.*
22. *Jus exequiarum Parochiis civitatis Mechliniensis asseruit Parlamentum.*
23. *Exequiæ persolvendæ in Parochia quales esse debeant?*
24. *Æquum est, ut Ecclesia Matrix seu Parochialis participet in oblationibus factis Ecclesiæ electæ sepulturæ.*
25. *Leo III. tertiam partem dari voluit.*
26. *Alius Pontifex medietatem.*
27. *Tandem* quarta *exemplo quartæ legitimæ, aut Falcidiæ assignata.*
28. *In statuenda hac portione inspiciendam esse legitimam consuetudinem respondit Urbanus III.*
29. *Portio hæc semper dicitur* quarta *licet aliquando sit major vel minor.*
30. *Concilium Viennense* quartam *funerariam determinavit.*
31. *Voluit dari ex omnibus quæ à defuncto relinquuntur Fratribus apud quos est electa sepultura.*
32. *Etiam ex candelis quas manibus præferunt.*
33. *In quartam funerariam non sunt imputandæ oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali.*
34. *Decretum Synodi Tridentinæ quoad hanc* quartam *funerariam.*
35. *Summa fuit Prælatorum cura pro conservanda hac* quarta *Ecclesiæ Parochiali.*
36. *Hæc quarta consuetudine regitur.*
37. *Quid in Gallia & Belgio consuetudo habeat?*
38. *In dubio salvum manet jus Ecclesiæ Parochialis.*
39. *Concordata in hac materia sunt attendenda.*
40. *Quid circa hæc observandum?*

I. SUperiori capite ostensum est, Ecclesiam Parochialem seu ejus cæmeterium esse locum sepulturæ sive inhumationis, atque de jure unumquemque esse sepeliendum in Ecclesia Parochiali, nisi ostêdatur ex speciali titulo derogatum esse huic juri.

Ulterius ostensum est, Ecclesiæ Parochiali de jure competere, ut in ea exequiæ aliaque justa defuncto persolvantur, & Parochum esse ordinarium exequiarum aliorumque officiorum defunctis impendendorum ministrum; eique jus esse, ea defunctis suis Parochianis administrandi, non secus ac Sacramenta aliaque salutis media vita durante.

II. Porrò licet de jure soli Ecclesiæ Parochiali id competat, nullusque alius locus, inspecto jure communi, inhumationi Fidelium defunctorum datus sit; nihilominus successu temporis, jus sepulturæ, sive inhumationis aliis passim locis religiosis ex privilegio communicatum esse constat; ipsisque insuper Fidelibus factam libertatem, sepulturam eligendi in quocumque loco religioso jus sepulturæ habente.

III. Sed cum hæc inhumandi facultas aliis Ecclesiis sive locis religiosis competat jure *speciali* seu *privilegiato*, consequens est, eam ultra tenorem privilegii contra Ecclesiam Parochialem ejusque jura extendi non posse.

IV. Ulterius notandum est, quod inter se disparata omninò sint, defunctorum sepultura sive inhumatio, & exequiæ sive officium Ecclesiasticum pro defuncto exsolvendum.

Hinc sequitur, uno indulto nequaquam alterum censeri concessum; indubitatumque est, posse aliquem in aliquo loco religioso sepeliri, tametsi in eodem nullæ exequiæ, nullumque officium defuncto persolvantur: quod quotidiana praxi notorius est, quàm ut probari debeat.

V. Dum ergo alicui Ecclesiæ sive loco religioso indulta est sepultura, vel licentia dandi sepulturam iis qui in illis inhumari elegerint, nequaquam propterea ipsi datum censetur jus ut ibidem, in præjudicium Ecclesiæ Parochialis celebrentur exequiæ, aliave officia Ecclesiastica pro defunctis persolvantur.

Cum enim jus cadavera inhumandi in aliquo loco, sit planè distinctum à jure celebrandi exequias pro defuncto; & utrumque illud jus spectet de jure communi ad Ecclesiam parochialem, indubitatum est, quod uno eorum alteri loco vigore privilegii communicato, nequaquam alterum censeri debeat indultum in præjudicium Ecclesiæ Parochialis: quia à jure communi non censetur recessum, nisi in quantum ipse tenor privilegii exprimit, & exigit: Imò dum ipsa verba privilegii sunt dubia, juxta indubitatas juris regulas interpretanda sunt, ut quàm minimum à jure communi recedatur.

VI. Jure ergo inhumationis communicato alicui Ecclesiæ seu religioso loco, salva nihilominus remanent Ecclesiæ Parochiali reliqua jura. Quod & ipsi Romani Pontifices significare intendunt, privilegiis illis, quibus jus sepulturæ concedunt, inserendo clausulam, *salva justitia*

Digitized by Google

stitia Ecclesiarum à quibus corpora assumuntur: Cujus clausulæ mentio fit in *Cap. 9. ꝟ. de Sepult.*

VII. Et in Bulla Honorii III. quæ incipit: *Religiosam*, Ordinis Patrum Prædicatorum confirmatoria conceditur ipsorum Ecclesiæ jus sepulturæ seu inhumationis, sed cum dicta clausula reservativa. Verba Bullæ §. 10. sunt: "Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse de„cernimus, ut eorum devotioni & extremæ voluntati, „qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi fortè excom„municati vel interdicti sint) nullus obsistat: *salva ta„men justitia illarum Ecclesiarum à quibus mortuorum „corpora assumuntur.*

VIII. Hæc eadem clausula exprimitur in Bulla Sixti IV. quæ vocatur *Mare magnum* qua varia privilegia indulget Ordini B. M. V. De Monte Carmelo, atque inter alia liberam sepulturam in suis Ecclesiis; idque, ut ait, „ad exemplum Prædecessorum, à quibus Ordinum „Mendicantium professoribus concessum fuit, ut in „suis Ecclesiis, vel cœmeteriis liberam possint habere „sepulturam: *salva tamen justitia Ecclesiarum Paro„chialium, à quibus corpora defunctorum assumuntur.*

Hæc Bulla Sixtina insuper probat, Pontifices in suis privilegiis, liberam sepulturam Ordinum Mendicantium Professoribus cum prædicta clausula dedisse; idque conformiter ad responsum Clem. III. in citato *C. 9. ꝟ. De Sepult.* Nec credo, ullam authenticam Bullam Pontificiam super concessione liberæ sepulturæ proferri posse, quæ hac clausula careat.

IX. Ex relatis quoque Bullis habetur, quod libera sepultura non aliud sonet, nisi libertatem sepeliendi sive inhumandi corpora illorum qui ibidem sepeliri desideraverint, vel elegerint; nullusque sepulturæ obsistere queat.

X. Per *Ecclesias à quibus corpora assumuntur*, intelligi in hac clausula Ecclesias *Parochiales* evidens est, exprimitque ipsa Bulla Sixtina jam citata traduntque omnes passim Canonistæ. Cùm enim Ecclesia de jure habeat fundatam intentionem ad sepulturam suorum Parochianorum, censentur corpora alibi sepelienda ab ipsa assumi eo quod jure communi jam essent ipsi Ecclesiæ Parochiali addicta.

XI Per *justitiam Ecclesiarum* hic significari jura Ecclesiarum non minùs notorium est; eo quod ex *justitia* eis competant; in qua significatione in antiquis etiam monumentis vox *justitia* sive *justitia* sæpius occurrit, ut ostendit Du Cange in suo Glossario, verbo *justitia*. Dicimus quoque *justa* persolvere defuncto, dum ipsi persolvimus quæ *jure* ei debentur. Unde clausula, *salva justitia* synonyma est huic, *salvo jure*. Quare in Bulla Sixti III. quâ ad supplicationem Ducissæ Brabantiæ probatur erectio Conventus Dominicanorum in civitate Broxellensi, conceditur ut in eo commorantes Fratres fruantur omnibus & singulis juribus & privilegiis, quibus alii ejusdem Ordinis Conventus gaudent: prædicta clausula his verbis exprimitur: JURE *tamen Parochialis Ecclesiæ & cujuslibet alterius semper salvo.*

XII. Cùm ergo inter jura Ecclesiæ Parochialis sint *exequiæ* aliaque officia funeralia pro defuncto persolvenda, eaque à sepultura sive inhumatione planè distincta; consequens est per concessam *liberam sepulturam*, sive facultatem sepeliendi mortuorum cadavera, hæc non censeri adempta: quin & per adjectam prædictam clausulam cum aliis juribus ipsi Ecclesiæ Parochiali conservata.

XIII Quia verò, uti supra *cap. 1.* dictum est, convenit, ut Missa funeralis celebretur præsente corpore, etiam de jure competit Ecclesiæ Parochiali, ut corpus sibi præsentetur, atque eo præsente Missa celebretur; quod non obstare liberæ electioni sepulturæ, jam pridem notavit Glossographus ad *Clementinam* DUDUM *De Sepulturis*, verbo *integrè* ex Joanne De Imola; imprimis ubi est consuetudo primùm portandi corpus defuncti ad Ecclesiam Parochialem priusquam sepeliatur in loco electæ sepulturæ, hæc consuetudo servanda est. Deinde ex eodem addit, "quod ubi non est consuetudo, etiam „esse cadaver deferendum, ut sic haberet *Missam in pro„pria Ecclesia*, & sic recipiat ibi *ultimum vale* à suo Cu„rato. Nec istud (ait) electioni sepulturæ repugnat, sed „concordat.

XIV. Supponit igitur Glossographus post Joannem De Imola, jura illa manere salva Ecclesiæ Parochiali; neque consuetudine opus esse ut jura hæc Ecclesiæ vindicentur; sed citra consuetudinem, aut specialem titulum ipso jure competere.

XV. Jure hoc etiamnum uti passim Ecclesias Gallicanas innuit Matthæus Beuvelet in quodam libello gallico cui titulo: *Instruction sur le Manuel par forme de demandes & responses familieres; où se voyent recueillies les choses les plus remarquables qui se trouvent dans la pluspart des Manuels, qui sont en usage dans l'Eglise.*

Hic igitur volens ostendere quid circa sepulturam eorum qui extra Ecclesiam Parochialem eam elegerunt, sit servandum ex præscripto majoris partis Ritualium seu Manualium quibus utitur Ecclesia, notat, quod Clerus Parochiæ sub qua sepeliendus discessit, levet corpus eoque ad eandem Ecclesiam Parochialem delato; post ibidem celebratam Missam pro defuncto; Curatus comitante Clero suo, illud præsentat Superiori loci, in quo sepeliri desideravit. Verba ejus sunt *pag. 179. edit. 1681.* *Quand un paroissien desire d'estre enterré en un autre lieu, que sa paroisse? &* Respondet: *Le Clergé sur la Paroisse, duquel il est decedé, va lever le corps, & l'ayant conduit dans la mesme Paroisse, après y avoir dit* LA MESSE *pour le Defunt; le Curé accompagné de son Clergé, le va presenter au Superieur du lieu, où il avoit demandé d'etre inhumé.* Id est. Cum Curialis inhumari desiderat extra Parochiam? &c. Clerus Parochiæ in qua decesserit tollit cadaver, eoque ad eamdem Parochiam delato, & Missa pro Defuncto peracta, Parochus Clero comitante exhibet corpus Superiori ejus loci in quo sepeliri postulavit.

De generali usu Ecclesiarum Galliæ testatur quoque Claudius Henrys *lib. 1. c. 3. q. 10.* suorum arrestorum, ubi relatis opinione, & verbis Glossæ supra expressis adjungit: C'EST CE QUI SE PRATIQUE AUSSI PAR TOUT: *& il est bien juste qu'un enfant rende ce dernier devoir à la Mere, & qu'il reconnoisse en quittant le monde celle qui l'a nourri de son laict pendant sa vie.* Id est, Idque ubique observatur & sanè æquum est ut filius hoc Matri supremum officium referat, agnoscatque mundo demigrans illam, quæ eum vivum lacte suo pavit.

XVI. Plura arresta huic conformia refert Carolus Fevretius in tractatu *De Abusu lib. 4. cap 8 n. 5. & 6.* & recentius refertur in opere cui titulus, *Journal des Audiences parte 3 lib. 3. c. 1.* prolatum in Parlamento Parisiensi 25. Januarii 1669. in causa Patrum Augustianorum contra quosdam Parochos, quo declaratum fuit, Augustianis jus esse sepeliendi corpora eorum qui apud ipsos elegerint sepulturam; quæ tamen corpora levabuntur à Curatis aut Vicariis Ecclesiarum, in quibus decesserunt, & portata in Ecclesiam Parochialem, postmodum reducentur ad Ecclesiam Augustianorum, ut ibidem inhumentur. Verba arresti sunt: *La cour faisant Droit sur le tous.... emendant a maintenu & gardé les dits Augustins au droit & possession d'enterrer en leur Eglise le corps defunt, quand il y aura election de sepulture.... lesquels corps des Defunts seront levez par les Curez, ou Vicaires des dites Paroisses, où ils seront decedez, & portez en l'Eglise Parochiale, & conduits en suitte en l'Eglise des dits Augustins pour y estre par eux receus & enterrez.* Id est. Curia super omnibus jus dicens.... dictis Augustinianis possessionem asseruit ac tutam præstitit: ut in Ecclesiis suis cadaver sepeliant, cum electus fuerit locus sepultu-

ræ.... quæ cadavera tollentur à Parochis aut Vicariis dictarum Parochiarum in quibus decesserint, transferenturque ad Ecclesiam Parochialem & exinde ad dictorum Augustinianorum Ecclesiam deducentur, ut ab iis excipiantur & inhumentur.

Notat quoque Barbosa De officio Parochi *parte* 3. *c.* 26. *n.* 70 " Ubi defunctorum cadavera in alterius Pa„rochia existerent, & in Ecclesiis Fratrum sepeliri de„bent, priùs in Ecclesiam Parochialem ad *benedictionem* „ac *ultimum vale* à Parocho recipiendum deferenda „esse.

XVII. Conformiter ad hunc usum Regni Galliæ Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus in suis Ordinationibus Synodalibus *tit.* 4. *art.* 2 *c.* 5. interdicit omnibus Sacerdotibus sub pœna suspensionis, & laicis sub pœna excommunicationis transferre quacumque de causa corpora, defunctorum è domo mortuaria ad locum sepulturæ electæ extra Parochiam, nisi prius fuerint delata ad Ecclesiam Parochialem. Verba sunt: *Nous defendons à tous Prêtres* à peine de suspense; & *à tous Laiques* sous peine d' Excommunication, *de transporter pour quelque cause que ce soit les corps des fideles de la maison où ils se seront decedez au lieu qu'ils auront choisi pour leur sepulture hors de leur Paroisse, qu'ils n'ayent esté portez auparavant par le Curé à l'Eglise Paroissiale, d'où ils ne pourront estre transportez dans des Carosses sans Clergé. & sans luminaire, si l'on n'en a obtenu de Nous la permission & afin que les convois se fassent avec décence, Nous ordonnons que le Clerge des Paroisses accompagnera les corps jusqu' à la porte d'Eglise, où l' on les enterrera.* Id est. Inhibemus quibuscumque Sacerdotibus sub pœna suspensionis, Laicis sub pœna excommunicationis, ne quacumque ex causa transferant corpora fidelium è domo in qua decesserint, ad locum Sepulturæ, quem elegerint extra Parochiam, nisi prævię per Parochum ad Ecclesiam Parochialem corpus delatum fuerit, unde in rheda educi non poterit sine Clero & facibus, nisi consensus noster accesserit. Ut verò funebres comitatus decenter fiant, mandamus ut Clerus Parochialis corpus usque ad Ecclesiæ limen in qua inhumabitur, deducat.

XVIII. In pluribus Ecclesiis Belgicis idem jus inviolatum hactenus remanet.

Et quidem anno 1613. Vicariatus Iprensis Sede vacante declaravit in causa inter Augustinianos & Parochos civitatis Iprensis, " corpora defunctorum laico„rum, etiam convictualium studiosorum in Monasterio „dictorum Patrum, repræsentanda esse in Ecclesia Pa„rochiali, ibidemque celebranda consueta funeralia, „priusquam illa apud prædictos Patres sepeliri queant.

XIX. Similis est declaratio seu sententia Senatus Regii Montensis pro Pastore civitatis Hallensis contra Minoritas ibidem an. 1656. Tenor sententiæ est: *Les Gens, &c. faisant droit declarent que les Peres Recollectes devront souffrir que le corps du defunt, qui aura choisi sa sepulture en leur Eglise, soit porte par le Pasteur & Clerge en l' Eglise Paroissiale, pour recevoir avec decence la derniere Benediction Pastorale, & de là estre conduit par ledit Pasteur & Clergé, si celui requis en est, jusques prés d' Eglise desdits Peres, pour à leur sortie d'celle, le mesme corps leur estre delivré; leur ordonnant de n'y faire aucun Service, avant que celui de la Paroisse soit celebré avec les publications accoutumées*, Id est, Judices &c. Jus dicentes declarant teneri PP. Recollectos ut permittant Defuncti cadaver qui in templo ipsorum Sepulturam elegerit, à Parocho & Clero ad Ecclesiam Parochialem deferri, ut ei suprema Pastoralis Benedictio decenter impendatur, indeque per dictum Parochum & Clerum, si is rogatus fuerit deducatur usque in viciniam Templi dictorum PP. quo ipsis Templo egressis dictum cadaver tradatur mandantes ut nullas exequias peragant, antequã in Parochia consuetis publicationibus præmissis celebratæ fuerint.

XX. Et altera ejusdem Senatus pro Parocho S Juliani contra PP. Recollectas in civitate Athenti qua declaratum fuit an. 1652. *que les Peres Recollectes ne pourront en sepulturer en leur Eglise aucun corps qui n'ait esté representé en l' Eglise Paroissiale du defunt, ne soit apres que le Pasteur deuement averti en fait refus.* Id est. Quod PP. Recollectis nullum in Templo suo liceat corpus terræ mandare, quod prius delatum non fuerit ad Ecclesiam parochialem defuncti, nisi ejus rei Pastor debitè præmonitus id recusasset.

XXI. Postquam autem sensim permitti cœpit, ut contra pristinam & in Ritualibus præscriptam disciplinam Missa funeralis sive exequiæ in Ecclesia peragerentur *absente* corpore, unà haud difficulter permissum aut dissimulatum fuit, ut corpus defuncti rectè deferretur ad locum electæ sepulturæ; modò tamen Missæ sive exequiæ pro defuncto in Parochia celebrarentur: quemadmodum in nonnullis Ecclesiis hodie observari videmus.

XXII. Et quidem in ordinatione Parlamenti Mechliniensis emanata an. 1668. quæ extat *parte* 4. *Edict. Brabant. lib.* 2. *tit.* 14. expressè declaratur, quod heredes aut executores defuncti in civitate Mechl. teneantur exhibere funeralia ipsi defuncto in Ecclesia Parochiali intra cujus limites è vivis discessit, licet in alia Ecclesia delegerit sepulturam. Verba sunt: *La cour faisant Droit, & reglant le tout, declare & ordonne que les executeurs Testamentaires & autres, à qui il appartient de rendre les derniers devoirs aux Trepassez, ayants fixe domicile & venants à deceder en cette ville de Malines, seront tenus de faire les Funerailles, & Services du Defunt en l'Eglise Parochiale, dans les limites de laquelle ils auront eu leur derniere residance, non obstant qu'ils auront choysi leur Sepulture en quelque autre Eglise* Id est. Curia jus dicens & suas cuique partes assignans, declarat & statuit Executores Testamentorum, aliosque ad quos spectabit defunctis justa persolvere, commorantibus & decedentibus in hac Civitate Mechl. obstrictos fore ut curent exequias & Officium pro Defuncto celebrari in Ecclesia Parochiali, intra cujus limites ultimò fuerint commorati, idq; quantum„vis locum Sepulturæ in alia Ecclesia sibi delegissent.

XXIII. Cùm verò hodiè sint diversi generis exequiæ sive funera pro ratione majoris vel minoris pompæ & celebritatis exterioris, & loci quo ipsum cadaver repræsentatur vel sepelitur; ac majora vel minora jura tum Parocho, tum Fabricæ alisque competant, pro ratione officii pro defuncto persolvendi, quæstio incidit, quod genus exequiarum in Ecclesia Parochiali sit persolvendum, quando in alia Ecclesia fuit electa sepultura; & an hæres sive executor qualicumque officio in Ecclesia Parochiali defungatur; & judicatum per Parlamentum Mechlin. 18. Martii 1669. heredem sive executorem non defungi, sed teneri ad exequias sive officium istius generis, quod respondet officio sive funeralibus factis in ipsa corporis inhumatione in loco sepulturæ electæ. Quia per factam eo modo inhumationem censetur determinasse genus funeris. Deinde parum honestum videtur, defuncto apud extraneam Ecclesiam splendidiùs parentare, quàm apud propriam & Matricem Ecclesiam.

XXIV. Ulteriùs quia de jure ipsa Corporis inhumatio sive sepultura cum omnibus oblationibus competit Ecclesiæ Parochiali tamquam matri quæ defunctum Christo parturivit, & vita durante enutrivit, justum quoque visum fuit, ut dum inhumatio cum oblationibus ad aliquam Ecclesiam transferri permittitur, hæc Ecclesia mater non in totum ab illis oblationibus excludatur; exemplo matris carnalis, quæ saltem in partem hereditatis liberorum suorum vocatur, si hæc ad extraneos ex dispositione liberorum transeat.

XXV. Et quidem in *Cap.* 1. *ij*; *De Sepul.* postquam Pontifex declaravit, exemplo Patriarcharum unúmquemque

que in sepulchro Majorum esse sepeliendum; & ad exemplum Christi, nulli negandam esse electionem sepulturæ addit: " Sed quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui judicii illi Ecclesiæ dari censemus, " in qua cælesti pabulo refici consuevit ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fuerint passionum, & " sic demum ubicumque libitum fuerit, eligat sepulturam.

XXVI. In *Cap.* 8. ꝟ *eod.* mandatur, "ut quicumque " amodò in monasterio converti voluerit, sive in morte, " sive in vita, omnium rerum & possessionum; quas pro " salute animæ decrevit disponere, medietatem Ecclesiæ, ad quam dignoscitur pertinere relinquat.

XXVII. At in *Cap.* 8. ꝟ *eod.* statuitur, ut si aliquem Parochianorum alibi contigerit eligere sepulturam, de testamento ipsius *quarta* portio relinquatur, scilicet Ecclesiæ Parochiali.

Portio *quarta* hic determinata apparet exemplo *quartæ* partis hereditatis, quæ Matri debetur pro legitima ex hereditate filii.

XXVIII. Interim ex citatis Decretalibus intelligimus, non eamdem fuisse hujus portionis taxationem.

Unde interrogatus Clemens III quomodo posita hac varietate intelligenda esset clausula in privilegiis apponi solita *salva justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur*, respondit. "Ut sicut beatus Hieronymus inquit, unaquæque provincia in suo " sensu abundet, secundùm rationabilem consuetudinem regionis illa *justitia* circa medietatem vel tertiam, vel quartam partem pro locorum diversitatibus " attendatur." *Cap.* 9. ꝟ *De Sepulturis.*

XXIX. Verùm licet juxta locorum sive Provinciarum consuetudinem hæc portio possit esse major vel minor quam *quarta*, nihilominus sicuti portio fructuum quæ Ecclesiæ penditur semper dicitur *decima*, tametsi non semper decimam fructuum portionem conficiat, ita quoque portio quæ debetur Ecclesiæ Parochiali ratione sepulturæ in alia Ecclesia, licet non semper sit *quarta* portio funeralium, nihilominus retinet nomen *quartæ funerariæ*, tamquam succedens in locum *quartæ*, quæ adinstar quartæ legitimæ debetur Ecclesiæ Parochiali tamquam Matri respectu defuncti.

Vocatur quoque portio *Canonica* in *Cap.* 2. *De Sepulturis in* 6. & alibi, eo quod à Canonibus sit inducta.

XXX. In *Clementina* DUDUM, *De Sepulturis*, quæ plura dubia & quæstiones, Fratres Minores & Prædicatores inter & Parochos explanat & resolvit, etiam, "auctoritate Apostolica constituitur & ordinatur, ut dictorum Ordinum Fratres de obventionibus omnibus " tam funeralibus, quàm quibuscumque & in quomodocumque relictis distinctè vel indistinctè, ad quoscumque certos, vel determinatos usus, de quibus etiam quarta, sive canonica portio dari sive exigi non " consuevit, vel non debet de jure nec non de datis vel " qualitercumque donatis in morte, seu mortis articulo " in infirmitate donantis, vel dantis, de qua decesserit " quomodocumque directè vel indirectè fratribus ipsis " vel aliis pro eisdem quartam partem (quam auctoritate Apostolica taxamus, & etiam limitamus) parœcialibus sacerdotibus, & Ecclesiarum rectoribus, seu " curatis largiri integrè teneantur.

XXXI. Juxta hanc decisionem non tantùm ex funeralibus propriè dictis, id est, quæ cum funere deferuntur, *quarta* debetur; sed *generaliter ex omnibus quibuscumque & quorumcumque, in quoscumque usus* obventionibus Fratribus illis à defuncto, qui apud ipsos sepulturam elegit, relictis; tametsi etiam de jure portio Canonica de illis dari non deberet. Quia licet funeri non applicentur, videntur tamen intuitu electæ sepulturæ à defuncto esse relicta: ideoque æquum videtur, Ecclesiæ Parochiali ex his *quartam* deberi: quia simul cum ipsa sepultura ab Ecclesia Parochiali videntur quodammodò abstracta.

XXXII. Hinc Glossographus ad hanc Clementinam, verbo *Funeralibus* notat, quod juxta hunc textum etiam *quarta* debeatur ex candelis quæ *dantur ad manus*, id est, quas Fratres comitantes, manibus ferunt. "Et licet " hoc sit rigorosum (ait Glossa) hoc tamen vult ista littera, & verbum, *omnibus* quod præcedit, & *quibuscumque* quod sequitur. "Additque; "Per hæc verba etiam " puto, eos teneri de iis quæ legantur pro Missis dicendis.

XXXIII. Adhæc observandum, obventiones è quibus *quarta* detrahenda dicitur, intelligi de solis obventionibus quæ obveniunt Ecclesiæ in qua electa est sepultura; factas autem in Ecclesia Parochiali hic nullatenus considerandas, neque has in *quartam* esse imputandas: sed integras Ecclesiæ Parochiali cedere; ac præter has deberi *quartam* ex obventionibus relictis Ecclesiæ dictorum Fratrum in qua electa fuit sepultura.

Id jam pridem post Joannem Monachum notavit Joannes De Imola ad citatam Clementinam asserens, quod si cadaver primò portetur ad Ecclesiam Parochialem, ibique *Missa* celebretur, "recepta in tali Missa non " computentur in *quartam*: Nam licet *quarta* debeat " contentari, & nihil aliud amplius petere, tamen id est " verum respectu *quartæ* ejus quod est relictum Fratribus, nam de his hic loquitur; de relictis autem Ecclesiæ " Matrici nihil hic dicit Papa.

XXXIV. De hac quarta *funeraria* extat Decretum Concilii Tridentini *sess.* 25. *cap.* 11. *De Reform.* in hæc verba, 'Decernit Sancta Synodus, ut quibuscumque in " locis jam ante annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathedrali aut parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit; ex quocumque privilegio, aliis monasteriis, hospitalibus, aut quibuscumque locis piis concessa, eadem posthac integro jure, & " eadem portione, quæ antea solebat, cathedrali seu parochiali Ecclesiæ persolvatur: non obstantibus concessionibus gratiis, privilegiis etiam Mari magno nuncupatis, aut aliis quibuscumque.

XXXV. Hoc Decretum, nec non prællegati Juris textus satis indicant, quanta fuerit Ecclesiæ cura, ut Parochialibus Ecclesiis provideretur; quodque creditum fuerit, obventiones & funeralia quæ locis electæ sepulturæ relinquuntur, quasi violentè Ecclesiis Parochialibus absumi, atque propterea meritò Ecclesiis Parochialibus *quartam* addici, exemplo matris, cui hereditas filii adimitur & ad extraneos defertur.

XXXVI. Sed & illud ex allegatis Decretalibus & Decreto Concilii Tridentini habetur, hanc *quartam* consuetudine regi; eamque pro varietate provinciarum & locorum variam esse quæ varietas non tantùm circa quantitatem, sed & circa ea è quibus debetur, versatur.

XXXVII. Synodus Tridentina solùm urgens solutionem integram *quartæ* quæ *funeraria* dicitur, quæ ante 40. annos Ecclesiæ Cathedrali aut Parochiali solvi solita fuit, sat clarè innuat, usum portionis hujus funerariæ consuetudine longissimi temporis, aliove titulo tolli posse; quemadmodum in Gallia eam non esse in usu testatur vir eruditus Claudius Fleurii *lib.* 2. *Inst. Juris Canonici c.* 9. uti & Belgio multis in locis usus ipsius desiit, præsertim iis in Ecclesiis, quæ jus celebrandi primas exequias retinent: in aliis verò ea ferè consuetudo est, ut electa sepultura apud Fratres Mendicantes, Parochus ad deducendum funus cum suo Clero invitetur; utque officio funebri in Ecclesia Fratrum illorum per ipsos Fratres celebrando intersint, ac propterea *quartam* partem consequantur *funeralium*, id est, eorum quæ circa funus adhibentur. Ut enim *quarta* omnium omninò obventionum juxta expressionem Clementinæ *Dudum* solvatur, nescio, an ullibi saltem in Belgio obtineat.

XXXVIII. Ita-

XXXVIII. Itaque quoad hanc *quartam funerariam*, uti & alia jura funeralia multùm valet consuetudo locorum & Ecclesiarum præsertim longi temporis. Si autem ipse usus dubius sit, interpretatio ex jure communi, vel interdum ex usu vicinorum locorum desumenda, ita tamen ut in dubio pro Ecclesia Parochiali quoad jus ad sepulturas & oblationes interpretatio fiat; utpote cui jus commune assistit, quod salvum manet donec aliud ostendatur.

XXXIX. Insuper in hac materia attendenda sunt concordata & conventiones inita inter Prælatos & Parochos cum Fratribus Mendicantibus aliisve, de quibus Concordatis agitur in *Cap. fin. De Pactis in 6.* ubi unà decernit Bonifacius VIII. hujusmodi "compositiones & „pacta cum Prælatis, Capitulis & Rectoribus & personis prædictis ab ipsorum Fratrum Conventualibus, „Prioribus, seu Guardianis facta vel approbata, de suorum conventuum consilio & assensu (dum tamen aliàs sunt licita & honesta) debere ab ipsis fratribus in „locis, in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter „observari: non obstante, quod magistri vel ministri aut „Priores Generalium seu Provincialium prædictorum „non intervenerit in eisdem assensus, nec ab ipsorum „Generalibus vel Provincialibus Capitulis extiterint „approbata: seu quod Sedes Apostolica in iis, quæ per „prædictos Fratres minores facta fuerint, auctoritatem „suam non præstiterit vel assensum.

XL. Circa hæc concordata observandum, ut claris terminis, omnia exprimantur; ne aliàs ob æquivocationem terminorum contingat, ut concordata, quæ pacis & concordiæ causa ineuntur, postmodum sint litium & dissidiorum semina. Et quia experientia compertum est, concordata in hujusmodi materiis penè semper lites parere, non facilè ad hujusmodi concordata Parochi condescendere debent; sed potiùs juri communi inhærere: præsertim quia concordata hæc vix ineuntur, quin Ecclesia Parochialis aliquid de suo jure remittat; imò nonnumquam contingit lites planè infundatas suscitari, ut postmodum mediante hujusmodi concordato sopiantur, quo semper aliquid Ecclesiæ Parochiali alioquin de jure communi competens decidit, & Fratribus mendicantibus accrescit. Itaque dum de ineundis concordatis agitur, meritò omnia accuratè expenduntur, & Superioribus communicantur.

Monumentum ad Cap. V. Num. XXIII. Sententia Parlamenti Mechliniensis. &c.

Sententia Parlamenti Mechliniensis de forma exequiarum celebrandarum in Ecclesia Parochiali pro Parochianis sepultis in Ecclesiis Mendicantium.

Sentence Extendue Touchant le pied qu'on doit tenir aux Enterremens & Exequés de ceux qui choisissent leur sepulture hors leur propre paroiche, donneé au grand Conseil le 18 Mars 1669.

Comme different auroit esté meu au Grand Conseil de sa Majesté entre le Pere Superieur de l'Oratoire en cette ville, deservant de la Cure de S. Jean suppt. d'une part & Elisabeth van den Berghe Rescribente d'autre, sur ce que le Suppt. auroit par requeste du treizieme de ce mois remonstré que feve Jenne vanden Berghe residente en ladite Paroisse, & ayant esté administreé par le Curé d'icelle, estoit decedee au Mois d'Octobre dernier, & sur la promesse que la Rescribente sa sœur & heretiere avoit fait de faire son service, ou d'en payer les droits à la ditte Eglise Paroissiale, elle avoit esté inhumée le vingtiesme dudit Mois dans la Chapelle de Nostre Dame en l'Eglise de la Societé de Jesus, ou l'Autel avoit esté couvert de drap blanc & la bierre entourée de quatre chandeliers: ce que denotoit plustot un enterrement de chaur que d'Eglise & comme laditte rescribente ajant voulu attendre le dernier reglement de cette cour emané le 24. de Decembre dernier refusoit maintenant de se conformer à icelui, & que non obstant plusieurs interpellations amiables elle ne vouloit accomplire ses promesses, ny payer les droits deus à sa Paroisse, sous ombre qu'elle pouvoit choisir tel service que bon luy sembloit, suivant l'article deuxiesme de la Caroline, du vainte troisieme de Mars 1528. & sans considerer, que ledit article ne parloit que d'un service effectif, & presuppose un choix du defunct, ou de son heritier, qui n'avoit pas esté fait au cas en question, & qu'autrement ce seroit eluder les droits de toutes les Paroisses, si apres avoir fait un service pompeux dans une Eglise etrangere, comme avoit esté fait au sujet de ladite defuncte, on pouvoit se prevaloir de ladite Caroline, qui ne parloit que du service effectif & nullement des droits surroguez au lieu du service, qui se faisoit ailleurs & proportionez à la qualite d'icelui de Choor-lyck *ou* Kerck-lyck*. ce pourquoy le suppliant concluoit a ce que seroit ordonne à la ditte rescribente, & en tant que de besoing condamnee de luy payer promptement les droits du service nomme* Kerck-lyck *& les droit de* schinckinghe*, du moins par provision, ou bien deputer commissaire pour parties ouyes, sommierement estre dispose sur ce que se requiert. Surquoy auroit esté ordonne quelle seroit incontinent monstre à Partie pour y dire pardevant le conseillier de Baillencourt le lendemain à deux heures apres mydi peremptoirement & à peine que sera dispose sur la provision requise. Que lors parties comparantes pardevant ledit commissaire, ledit Suppliant y auroit fait ramener a fait ladite requeste & conclure selon icelle demandant despens la Rescribente y respondant auroit declaré que la defuncte n'avoit ordonné aucunes exeques ou funerailles non plus par testament qu'autrement par ainsi competoit a la Rescribente sa sœur le choix & l'election d'icelles ensuitte de ladite Caroline article dexiesme, laquelle rescribente avoit choisy si quelle faisoit, de faire faire des exeques mediocres, ou thioes* mittelbaere Uyt-vaert van t' vierde Ordre*, offrant suivant ce de promptement faire celebrer lesdites exeques, d'en payer les droits y afferans, soutenant moyennant ce devoir passer, & qu'au surplus le suppliant seroit declare non recevable ny fonde au dispositif de sa requeste, du moins en la forme & maniere demandant despens. Pour a quoy replicquer le suppliant auroit requis & luy auroit esté accorde terme jusqu'au lendemain sans prejudice de ce ledit Commissaire, se conformant a ce dont la* COUR *l'avoit enchargé auroit demande au procureur de la Rescribente, s'il vouloit mettre en denegation, que la defuncte auroit esté ensevelie en l'Eglise des Peres Jesuites, & qu'il on auroit fait mesme appareilles de funerailles comme on estoit accoustume d'y faire pour les autres personnes, lesquelles de memoire on y avoit enterre, & pour lesquelles on y avoit fait services tant au regard des ornemens de l'Autel que de la representation que l'on mettoit au millieu de l'Eglise du temps de l'Office, & quelquels jours en apres; à quoy la rescribente satisfaisant auroit au verbal du 15. dudit Mois, fait dire que la defuncte avoit esté enterrée dans ladite Eglises des Peres Jesuites en la forme & maniere qu'iceux estoient accoustumez d'enterrer toutes autres personnes tant riches, que pauvres egalement & sans aucune difference ou distinction moins d'aucun appareil de funerailles, ayant simplement la Bierre & l'Autel esté converts de drap blanc, selon qu'on offroit de verifier en cas de besoing. Surquoy procedant ledit suppliant, & aussi sur le verbal precedent, auroit debatu le tout par insuffisance, & autremēt, & persisté es conclusions prinses par sa requeste avec demande de depens. Ce qu'estant ainsy debatu par la Rescribente elle auroit pareillement persisté sans qu'elle y adjoutoit par son advertissemēt que la Caroline n'ayant oncques esté abolie ou alteree chacū la devoit etroitemēt observer & de suitte se conformer aux prescripts des funerailles y reglees, de tant plus que l'observāce d'icelle se trouvoit biē expressemēt commādé par*

laditte

laditte sentence du vingt quatriesme Decembre dernier, aussi les causes efficiente & finale de laditte Caroline tesmoignent clairement que les Pasteurs n'avoient aucune chose à dire au regard de la forme des funerailles d'un tres pessé, ce que bien consideré l'on ne pouvoit comprendre avec quel fondement le suppliant vouloit obliger la rescribente de faire faire les funerailles a'un Kerck-lych, *veu qu'en effect ces deux choses repugnoient d'avoir le choix & liberté de faire si grand, ou petit service qu'on desire. On voioit que dans l'Eglise Metropolitaine de S. Rombaut, que pour un pauvre bourgeois qui estoit du corps d'un Mestier, l'Autel estoit couvert de drap, noir, la bierre entource de chandeliers, & converte d'un splendide habit en Thioes,* Baet-Kleedt, *& tout ce non obstant, que l'enterrement se faisoit dans la cemeterre; par consequent ce n'est oint par les appareilz, Qui devoient determiner les funerailles. Si convenoit noter que la place, ou que le service se fait, ne determinoit non plus l'espece de funerailles, comme estant veritable que plusieurs services de tres passez en la Paroisse dudit S. Rombaut se faisoient dans le Chaur, non obstant, que les funerailles estoient de la moin dre espece, entre autre des Marglisseurs fossoyeur & autre servant l'Eglise. Ce qu'ayant esté joint audit different & iceluy mis en estat de juger. Le tout veu & consideré* la Cour *faisant droit at ordonné & ordonné par c'esté sentence diffinitive, & arrest à laditte suppliante de faire celebrer pour la defuncte sçeureen sa Paroisse un service au pied du reglement estably pour l'Ordre dit* Kerck-lycken, *& d'an payer les droits, ensemble les droits du convoy de l'enterrement. La condemnant es depens de la poursuitte à la taxation & moderation d'icelle cour. Donne à Malines le dixhuictieme de Mars 1669.*

CAPUT VI.

Quibus neganda sit Sepultura?

1. *Carere sepultura pœna gravissima etiam apud Ethnicos.*
2. *Eam Christianis Gentiles ut ignominiosissimam infligebant.*
3. *Apud Romanos corpora morte punitorum insepulta manebant.*
4. *Hodie sine licentia Magistratus inhumari nequeunt.*
5. *Medicis dantur corpora morte punitorum ad exercitium anatomiæ.*
6. *Ecclesia nulli negat inhumationem, nisi Ecclesiasticam.*
7. *Quos removet vivos à communione, eisdem negat sepulturam sacram.*
8. *Sepultura negatur excommunicato, ne aliàs cum illo communicetur in sacris.*
9. *Negatur ob vetitum ingressum in Ecclesiam.*
10. *Per inhumationem in loco sacro videtur excommunicatus admitti ad publicas preces.*
11. *Cadaver repræsentat hominem vivum.*
12. *Ex negata communione in vivis probatur neganda sepultura.*
13. *Ab Ecclesiastica sepultura exclusi ab unitate Ecclesiæ segregati.*
14. *Quales sunt excommunicati quibus in vita communio negata.*
15. *An requiratur ut sint denuntiati?*
16. *Interdicti quoque exclusi.*
17. *Item Heretici, schismatici & similes.*
18. *Qui non communicarunt in Paschate ad præscriptum Canonis* Omnis utriusque sexus.
19. *Occisi in ludo torneamentorum.*
20. *His similes sunt pugnantes in duello.*
21. *A sepultura excluduntur tametsi dederint signa pœnitentiæ.*
22. *Raptoribus subinde negatur sepultura, licet concedatur* viaticum, *& quid per* viaticum *intelligatur.*
23. *Putant Canonistæ non semper concedendam sepulturam iis, qui in extremis acceperunt absolutionem.*
24. *Idipsum supposuit Concilium Ravenatense.*
25. *Manifesti* Usurarii *à sepultura excludendi,*
26. *Hac pœna evincit insufficientiam titulorum quibus hodie usura palliatur.*
27. *Infantes mortui sine Baptismo non sepeliendi in loco sacro.*
28. *Neganda publicis & obstinatis peccatoribus.*
29. *Prudenter in hac negatione procedere debent Parochi.*
30. *Per inhumationem excommunicati polluitur locus sacer, ut nullus ibi sepeliri queat.*
31. *Id expressum in Synodo Aurelianensi, & quæ hujus ratio?*
32. *Cadavera hujusmodi exhumanda si discerni queant.*
33. *Exhumatio auctoritate Superioris ordinariè fieri debet.*
34. *Circa negationem sepulturæ & exhumationem Ecclesiarum consuetudo attendenda.*

I. GRavissimam etiam apud Gentiles pœnam fuisse carere sepultura notissimum est. Eam non nisi scelestissimis impositam fuisse probant *L. 11. §. 3. De His qui notantur infamia & L. 35 ff. de Religiosis & sumptibus funerum.* Unde & de parricidis tamquam scelestissimis decretum fuit, ut cadavera coram aut in mare projicerentur, aut bestiis objicerentur devoranda.

II. Hinc Gentilium in Christianos furorem exprimere volens Tertullianus in Apologetico *cap. 37.* ait: "Nec „mortuis parcunt Christianis quin illos de requie sepul„turæ, de asylo quodam mortis, jam nec totos avellant, „dissecent, distrahant.

III. Refertur in *L. 1. ff. De Cadaveribus punitorum:* „Corpora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipso„rum neganda non sunt; & id de se observasse etiam D. „Augustus lib. 10. de vita sua scribit. Hodie autem eo„rum in quos animadvertitur, corpora non aliter sepe„liuntur, nam si fuerit petitum & permissum: & non„nunquam non permittitur, maximè majestatis causa „damnatorum.

IV. Etiam & hodie ad terrorem & exemplum aliorum, corpora suspensorum manent insepulta; nec sine licentia Magistratus abduci, aut sepulturæ tradi possunt, Vide Paponium *lib. 20. tit. 8 art. 4.* ubi notat, quod licet jure Romanorum videretur necessarius consensus Principis juxta *L. 2 ff. de Cadaveribus punitorum*, nihilominus invaluisset, ut à Judice peti corpus possit; quemadmodum corpus Salvatoris nostri Jesu Christi petitum ad sepulturam à Pilato judice datum fuit. Refertque ibidem, cadaver cujusdam Advocati à Senatu Parisiensi parentibus ad sepulturam concessum fuisse, etsi de crimine læsæ majestatis convictus, ultimo supplicio fuisset affectus. Dedit & consuetudo Judici arbitrium permittendi medicis cadavera ista ad anatomen.

V. Quin & medicis hujus Universitatis anno 1661. permisit Concil. Brabantiæ, ut pro exercitio Anatomiæ quærere possint corpora morte punitorum in civitate Lovaniensi & pagis vicinis; mandaturque Officiariis, ut dum contingit personam *Virilis* sexus affici ultimo supplicio in mensibus hiemalibus, Octobri. Novembri, Decembri, Januario, Februario & Martio, indilatè indicare debeant Professori Anatomiæ; & si mulier eo supplicio afficiatur, in omni mense id significare debeant: eo quod rariùs mulieres, quàm viri supplicio moriantur.

VI. Et

Digitized by Google

VI. Et hæc quidem de vetita omni planè sepultura & inhumatione, quâ fit, ut ipsa corpora maneant planè inhumata, & omnium oculis exposita, à bestiis & aëre consumenda quam pœnam per Canones aut Ecclesiam impositam non legimus; neque legitur Ecclesiam umquam prohibuisse, cadavera mortuorum humari sive terra cooperiri; sed ut summum vetuit, quorumdam corpora in loco *religioso* aut *ritu Ecclesiastico* sepeliri.

VII. Sicuti enim nonnullos vivos à sua communione, præsertim in sacris, jam pridem excludendos censuit; ita quoque eosdem sua communione post mortem indignos credidit.

VIII. Imprimis enim, si Divina officia & preces attendamus, quæ in exequiis atque sepulturis ex Ecclesiæ præscripto adhibentur, notorium erit, sepulturam Ecclesiasticam esse actionem verè *spiritualem* & sacram; ut consequenter qui in hisce cum excommunicato communicaret, revera cum illo in *sacris* communicare esset dicendus.

IX. Adhæc excommunicatis negatum fuisse ingressum Ecclesiæ scitur. Cum ergo locus Christianæ sepulturæ sit Ecclesia ejusve cœmeterium, quod est ejus quasi appendix, etiam corpora illorum, quibus vita durante is ingressus Ecclesiæ fuit, & mansit usque ad mortem interdictus, nec post mortem in Ecclesiam aut cœmeterium inferri voluit.

X. Accedit, quod Ecclesia quodammodo publicè pro illis, quorum corpora in locis illis religiosis sunt inhumata, orare videatur; nimirum per orationes illas quas pro inhumandis jam in antecessum fudit per Pontificem in ipsa Benedictione cœmeterii.

Sicuti ergo excommunicatus videretur ad communionem Ecclesiæ admitti, atque cum illo in sacris communicati, si per inhumationem ipsorum cadaverum illos ad participandum in publicis illis precibus admitteret Ecclesia, ita & post mortem videretur admitti, si ad sacram sepulturam reciperetur.

XI. Quamvis enim mortuum corpus seu cadaver non sit capax communionis spiritualis, quia nihilominus cadaver hominem quasi viventem repræsentat, pœna quæ corpori infligitur, ipsi homini infligi videtur. Ut ergo ostendatur, defunctum extra Ecclesiæ communionem fuisse; nec ad eam vita durante reversum, Ecclesia noluit, post mortem etiam cadaver ipsius ad communionem admitti.

XII. Ecclesiastica igitur sepultura negatur ab Ecclesia iis, qui à sua communione manserunt separati, ne cum ipsis in divitiis communicare videretur. Unde Innocentius III. in *Cap.* 12. ꝟ *De Sepulturis* probans, excommunicatorum corpora non esse in Ecclesiastico cœmeterio inhumanda, præmittit: " Sacris est Canonibus in-
„ stitutum, ut *quibus non communicamus vivis, non com-*
„ *municemus defunctis*: & ut careant Ecclesiastica sepul-
„ tura, qui prius erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec
„ in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerunt, " hinc ulterius concludit, excommunicatum in Ecclesiastico cœmeterio sepeliendum non esse; imò & sepultum esse exhumandum, si cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XIII. Itaque generaliter ab Ecclesiastica sepultura seclusi habiti jam pridem fuere, qui ab unitate Ecclesiæ segregati usque ad mortem manserunt, & in hac segregatione defuncti sunt.

XIV. Hinc imprimis excommunicati quibus communicare non possumus in vivis, à sepultura Ecclesiastica sunt excludendi: quemadmodum respondit Pontifex in citato *cap.* 12. Et in *Cap.* 6. *De Privilegiis* in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum (cujus fragmentum extat in *Cap.* 5. ꝟ *eod.*) scribit Cantuariensi Archiepiscopo Alexander III. se intellexisse " quod Hospitalarii nominatim excommunicatos
„ contra prohibitionem Episcoporum Ecclesiasticæ præ-
„ sumant tradere sepulturæ: non cogitantes, (ait) quo-
„ niam grave sit eis in morte communicare, quos dum
„ viverent, Ecclesia à suo sinu pro suis excessibus segre-
„ gavit. " Deinde dicit, hujusmodi præsumptionem & temeritatem nullatenus esset tolerandam.

Rituale Romanum inter excludendos ab Ecclesiastica sepultura numerat *publicos excommunicatos majori excommunicatione*. Eosdem passim omnia Ritualia à Sepultura excludendos esse notant.

XV. Pastorale Mechliniense inter repellendos à sepultura Ecclesiastica etiam reponit excommunicatum, sed addit, *publicè denuntiatum*. " Nullus (ait) excommu-
„ nicatus & *publicè denuntiatus* sacra sepultura est coho-
„ nestandus.

Et sanè cum juxta Extrav. Martini V. nullus *publicè* excommunicatus nisi sit *denuntiatus* (si publicos Clericorum percussores excipias) sit in vivis vitandus (uti infra parte 3. Tit. De Censuris ostendetur) non apparet, quare post mortem communicari cum hisce nequeat; atque hanc opinionem Pastorale amplecti videtur.

XVI Eadem ratione qua excommunicati etiam excluduntur à sepultura Ecclesiastica nominatim interdicti, qui & ab Ecclesiæ ingressu prohibiti exclusi sunt, *Cap.* 10. ꝟ *De Sepult* & *Cap.* 17. ꝟ *De V. S.* & Ritualia consonant. Nam qui vivi ab Ecclesia manserunt exclusi, nec mortui admittendi sunt.

XVII Hæretici, Judæi, Pagani Schismatici & similes ab Ecclesia alieni & separati ad Ecclesiasticam sepulturam admittendi non sunt, nimirum si ut tales sint publicè convicti & denuntiati; aut publicè professionem hæreseos & ab Ecclesia recessum profiteantur: quales & Ritualia inter exclusos à Sepultura reponunt.

Edicto Regis Galliæ anni 1606 *art.* 10. hæretici, qui dicuntur *pretense reformats*, *Pretendus Reformes*, privantur Ecclesiastica sepultura, etiamsi essent Ecclesiarum fundatores. Acta Cleri Gallicani tomo 1. *parte* 1. *tit.* 2. *c.* 6. *n.* 6. ubi & *n.* 10. asseritur judicatum in Parlamento Parisiensi anno 1611. corpus Catholici sepultum inter prætensè Reformatos esse exhumandum, & sepeliendum in terra sancta.

XVIII. Insuper inter privandos Ecclesiastica sepultura referunt Ritualia de quibus publicè constat, quod præcepto annuæ communionis ad præscriptum Canonis *Omnis utriusque sexus* non satisfecerunt. In citato quippe Canone Concilii Lateranensis relato in *Cap.* 12. ꝟ *De Pœnit* & *remiss.* in non satisfacientem præcepto communionis annuæ ibidem præscripto decernitur: & *vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur*, & *moriens Christiana careat sepultura*.

Hic rursus obiter notandum, vivum arceri ab ingressu Ecclesiæ, & morientem carere Christiana sepultura, tanquam unum ex altero consequens conjungi; quasi diceretur, vivens arcetur ab ingressu Ecclesiæ, ergo moriens careat Christiana sepultura.

Pœnam hanc negatæ Christianæ sepulturæ non esse hoc casu *latæ sententiæ*; neque eam posse Parochum propria auctoritate infligere ostendimus supra *tit.* 4. *cap.* 3.

XIX. Ex Concilio Lateranensi refertur in *Cap.* 1. ꝟ *De Torneamentis*: " Felicis memoriæ Innocentii
„ & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhæ-
„ rentes, detestabiles illas nundinas vel ferias, quas
„ vulgò *torneamenta* vocant, in quibus milites ex con-
„ dicto convenire solent, & ad ostentationem virium
„ suarum, & audaciæ temerè congredi; unde mortes
„ hominum & animarum pericula sæpè proveniunt, fie-
„ ri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fue-
„ rit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur: Ec-
„ clesiastica tamen careat sepultura.

XX. Tor-

Digitized by Google

XX. Torneamentis paria sunt singularia illa certamina quæ hodie *duella* vocantur; de quibus agit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *Cap.* 19. *De Reformat.* Statuitque ut " pugnantes sive ipsi duellantes & qui eorum *pa*„*trini* vocantur, excommunicationis ac omnium bono„rum suorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ pœ„nam incurrant, & ut homicidæ & ita sacros Canones „puniri debeant; & si in ipso conflictu decesserint, per„petuò careant Ecclesiastica sepultura.

XXI. Hanc pœnam passim Ritualia & Synodorum Decreta renovant; dicitque Rituale Romanum, negatur Ecclesiastica sepultura " morientibus in duello etiamsi „ante obitum dederint *pœnitentiæ* signa.

Hanc clausulam adjiciens auctor hujus Ritualis respexisse videtur ad finalia verba supra relata ex *cap.* 1. *De Torneamentis*, quibus dicitur, quod licet occumbenti in torneamentis poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

XXII. Præterea in *Cap.* 2. *De Raptoribus* statuitur, „ut quicumque ex his qui violenter surrexerint in rapi„nam sive in Ecclesiarum violationes manifestè fuerit „deprehensus, & in sanitate obstinata mente non pœni„tuerit, vel emendaverit, & in morte securitatem præ„stare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum pro„desse videtur, sicut credimus, sed de peccato contrito „*viaticum non negetur*, ita tamen, ut nullus Clericorum „sepulturæ illius intersit, nec ejus eleemosynam præsu„mat accipere.

Extat hoc idem Decretum in appendice Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *parte* 3. cujus hoc est summarium; „De Raptoribus, & Ecclesiarum violatoribus, „& quando *post peractam pœnitentiam* sit neganda „sepultura Ecclesiastica, nisi satisdent de satisfa„ciendo.

Hinc non obscurum, in hoc Decreto, quod citatur in Decretalibus Gregorii IX. sub nomine Eugenii III. per *viaticum* non intelligi *Sacram Communionem*, sed *pœnitentiæ* dationem. Viaticum enim olim etiam pro pœnitentiæ datione; quin pro omni eo quod ipsi moribundo quacumque ratione servire poterat, ut iter seu viam ad æternitatem felicius absolvere posset, sumptum esse, ostendi supra *tit.* 4 *c.* 4.

XXIII. Interim ex hisce Decretalibus concludunt Canonistæ, quod non semper danda sit Ecclesiastica sepultura, tametsi ob signa pœnitentiæ & emendationem promissam concedatur pœnitentia; imò & absolutio, quæ vocatur *necessarium* viaticum.

XXIV. Id clarissimis terminis expressit Concilium Ravennatense anno 1311. *Rubrica* 28. decernens, „quod quicumque de cætero excommunicationis vel „suspensionis, vel interdicti sententiam animo sustinue„rit per annum indurato, etsi in morte beneficium *abso*„*lutionis* satisfactione præstitâ meruerit, nihilominus ta„men in pœnam contumaciæ, Ecclesiasticâ careat se„pulturâ.

Et *Rubrica* 29. De pœna adulterorum: " Etsi in mor„te de prædictis satisfecerint cum effectu, nihilominus „tamen in ipsorum contemptum & pœnam Ecclesiasti„câ careant sepulturâ.

XXV. Inter non admittendos ad Ecclesiasticam sepulturam reponunt passim Ritualia, ac nominatim Pastorale Mechliniense " manifestum fœneratorem, nisi „aut de perceptis usuris satisfecerit, aut de iis restituen„dis sufficientem cautionem, juxta juris dispositionem, „posuerit.

Juris dispositio, ad quam Pastorale remittit, occurrit in *Cap.* 2. *De Usuris in* 6. ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. quam Constitutionem innovat Synodus D. Mechliniensis *tit.* 11. *cap.* 29. his verbis: Usurarium „manifestum etsi per testamentum usuras restitui man„daverit, nemo tamen ad Ecclesiasticam sepulturam „admittat, nisi actualiter etiam, prout facultates tule„rint, usuras restituerit, vel de iis restituendis idoneè ca„verit, juxta constitutionem Gregorii X. sub pœna Ca„nonum.

XXVI. Verùm hæc seu Pontificum, seu Synodorum in usurarios decreta, nescio quem effectum habere queant, aut quo fine edi potuerint, si omnes qui passim hodie à Casuistis proferuntur tituli, puta, lucri cessantis, damni emergentis, aliique similes ad excusandas usuras, sufficientes sint. Quis enim adeò stupidus fœnerator, ut ad evadendam hanc pœnam non possit saltem lucrum cessans ex pecuniæ mutuatione prætendi, quod usuris acceptis æquivaleat? Quis convinci poterit, nullum ipsi lucrum ob mutuatam pecuniam ereptum, aut damnum obvenisse, quod aliquo honesto interesse compensari possit? Videant, qui hujusmodi titulos justificant, quomodo hæc Pontificum & Synodorum Decreta non reddant planè inutilia: & an hinc non potius concludendum sit, hosce titulos ut sufficientes à Decretorum illorum auctoribus agnitos haud fuisse.

XXVII. Hæc per transennam. Præter jam nominatos à sepultura quoque Ecclesiastica excludendi sunt infantes mortui absque Baptismo, quemadmodum in omnibus Ritualibus præscribitur; voluntque ut locus aliquis juxta cœmeterium iis sepeliendis deputetur: quod & praxis observat.

XXVIII. Denique Rituale R. negandam dicit Ecclesiasticam sepulturam *manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt*.

Et Pastorale Mechliniense: " Sacra Sepultura nulli „conceditur, qui more Christi fidelium se per Sacra„mentorum susceptionem ad salutarem exitum non „præparaverit: illis tamen qui inopinata & subita mor„te hinc auferuntur, exceptis; quibus sacra sepultura „concedenda venit, dummodò eos vitam Catholicis „hominibus congruam egisse, & sacrosanctis mysteriis „dum viverent, in Paschate communicasse constite„rit.

XXIX. Ne autem in deneganda Ecclesiastica sepultura temerè procedant Parochi, monet Rituale R. " Ubi „verò in prædictis casibus dubium occurrit, Ordinarius „consulatur.

Optimum sanè ac salutare in hac materia monitum. Cum enim rarò sine magna turbatione negetur Ecclesiastica sepultura in externa communione Ecclesiæ defunctis, etiam ipsi Parochi haud faciles esse debent ad negandam suis Parochianis Ecclesiasticam sepulturam inconsultis Superioribus: nec dubium, quin multis casibus neganda sit *publicè* sacra Communio, quibus tamen indulgeri possit Ecclesiastica sepultura; quemadmodum supra *tit.* 4 *cap.* 3. notavi.

XXX. Porrò quia admissio ad Ecclesiasticam sepulturam videtur species quædam *communionis*, uti supra ostendimus; hinc est quod excommunicatis aliisque quibus in vivis non communicamus, non tantùm sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso sepulturam, locus ipse pollui seu profanari censeatur, eatenus saltem ut divina officia ibidem agi nequeant, ne Ecclesia illum ibidem sepultum in suam communionem recipere videatur, neque ullus Fidelis eo loco sepeliri possit; ne per eam inhumationem cum excommunicato ibidem sepulto cum quo in vivis communicare videatur.

XXXI. Unde ex Synodo Aurelianensi *cap.* 5. refertur apud Gratianum *Dist.* 1. *De Consecrat. Can.* 27. " Eccle„siam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, „neque Missas in ea celebrare, sed jactari foras, & mun„dari oportet.

Ratio hujus constitutionis est (ait Glossa ad verbum *celebrare*) " Quia infideles vivi ab Ecclesia repelluntur, „ergo mortui: quia quibus viventibus Ecclesia non „communicat, & mortuis communicare non potest.

Et

Et rursus apud Gratianum ibidem *Can.* 28. sub nomine Concilii Agrippinensis dicitur: " Ecclesiam in qua „ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet sed si apta videtur ad consecrandum, „ inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis „ ejus loci, reædificetur, sed si hæc consecrata ante fuerit, missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint, „ qui in ea sepulti sunt.

XXXII. Conformiter ad hos Canones respondit Innocentius III. in citato *Cap.* 12. X. *De Sepulturis*, " si „ contingat interdum, quod vel excommunicatorum „ corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in „ cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum „ corporibus discerni potuerint, exhumari debent, & „ procul ab Ecclesiastica sepultura jactari.

XXXIII. Monet ad dictum *Canonem* 28 verbo, *evulsis*, Glossographus, *auctoritate Episcopi vel Principis tantum*, hanc evulsionem esse faciendam.

Exhumatio enim corporis inhumati ordinariè fieri nequit; variæque eæque gravissimæ pœnæ in exhumatores cadaverum, & violatores sepulchrorum jam pridem decretæ fuere, uti videre est ad titulos Digestorum & Codicis *De sepulchro violato*. Ex causa tamen exhumatio conceditur; sed ne hic aberretur, in quibusdam locis requiritur Superioris licentia. Et quidem in Synodo Buscoducensi sub Masio *tit.* 24. *cap* 6. legitur: „ Nec non inhumata corpora sine expressa licentia exhumari interdicimus.

XXXIV. Cæterum circa negationem sepulturæ; uti & cadaverum exhumationem & translationem præter Ritualia & Synodorum Decreta, multùm quoque attendenda locorum & Ecclesiarum consuetudo & praxis.

(o)

PARS

PARS TERTIA
DE
JUDICIIS, DELICTIS,
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS PRIMUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN CIVILIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis causis Laicorum.

1. *Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.*
2. *Quod quæstiones ad tribunalia Infidelium judicandas deferrent.*
3. *Loquitur Apostolus de actore non de reo.*
4. *In quo consisteret vitium Corinthiorum?*
5. *Primum argumentum Apostoli quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.*
6. *Secundum argumentum Apostoli.*
7. *Vult in dirimendis secularibus judiciis* contemptibiles *constitui; & qui* contemptibiles?
8. *Non simpliciter, sed comparativè hos judices constitui vult.*
9. *Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis è Fidelibus constitueretur, qui quæstiones dirimeret.*
10. *Ut hic tamquam arbiter quæstiones determinaret.*
11. *Desiderabat Apostolus, ut a forensibus litigiis abstinerēt.*
12. *Quis ex mente Apostoli* Sapiens *dicatur?*
13. *Quâ ratione ex sensu Apostoli quæstionibus & causis civilibus componendis Episcopi merito intenderint.*
14. *Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.*
15. *Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.*
16. *Imperatores Christiani desiderarunt, ut quæstiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.*
17. *Constantinus M. permisit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.*
18. *Arcadius Imperator similiter indulsit ut litigantes ex* mutuo *consensu judicium Episcopi tamquam arbitri expetere possint.*
19. *A decisione Episcopi sic electi provocari non poterat.*
20. *Litigantium altero recusante causa ad Episcopos trahi non poterat.*
21. *Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos respexit S. Leo consulens Pœnitentibus ut ad Episcopale potiùs quàm seculare judicium recurrant.*
22. *Episcopi potiùs* arbitri *quàm judices constituebantur; idque de consensu utriusque litigantis.*
23. *Extravagans permittens litiganti* altero reluctante *expetere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.*
24. *Hæc Extravagans vult sententias Episcoporum* inviolatas *servari.*
25. *Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis?*
26. *Hæc Lex à nonnullis viris eruditis ut supposititia, rejecta à Carolo M. sub nomine Theodosii innovata & confirmata.*
27. *Eam referunt S. Ivo & Gratianus; & probavit Innocentius III.*
28. *Vigore hujus legis licitum erat laico in quacumque parte litis ad Episcopum causam trahere etiam altero litigantium invito.*
29. *Non licet à sententia Episcopi appellare.*
30. *Voluit Carolus M. in omnibus suis Ditionibus, & ab omnibus hanc legem servari.*
31. *Quis fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus?*
32. *Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.*
33. *Episcopi urgebant Principes ut idem esset judiciorum forensium scopus.*
34. *Pleræq; laicorum causæ civiles ad Episcopos deferebātur.*
35. *Quàm extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica seculo 13. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.*
36. *Causa civiles inter laicos ratione* juramenti *spectabat ad Judicem Ecclesiasticum.*
37. *Hoc titulo omnes pene causæ ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.*

38. *Causæ testamentariæ ad tribunal Ecclesiasticum spectabant.*
39. *Ratio illius erat, quòd testamenta conficerentur coram Notario Ecclesiastico.*
40. *Per hoc plurimæ causæ Ecclesiastico tribunali subjiciebantur.*
41. *Rectores Ecclesiarum poterant laicos, qui personas vel bona ipsorum læserant, ad Ecclesiasticum vocare.*
42. *Multo tempore in Gallia penè solum fuit forum Ecclesiasticum.*
43 *Id ostenditur ex discursu Bertrandi Episcopi Eduensis nomine Cleri Gallicani coram Philippo Valesio habito.*
44. *Prætendit hic omnem causam, in qua subest materia, peccati spectare ad forum Ecclesiasticum.*
45. *Ex hoc principio facilè omnes causæ ad forum Ecclesiasticum trahi possunt.*
46. *Dicit Eduensis consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ esse, ut cognoscat de causis personalibus & realibus laicorum.*
47. *Asserit hanc consuetudinem introductam ex voluntate litigantium eligentium tribunal Ecclesiasticum.*
48. *Reflectit hic Eduensis ad Legem sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgatam.*
49. *Hæc consuetudo in contradictorio judicio dicitur confirmata.*
50. *Quare Ecclesia Gallicana ampliore jurisdictione utatur, quàm alia Ecclesia?*
51. *Supplicant Prælati, ut Rex conservet eam jurisdictionem in causis laicorum.*
52. *Item, ut juxta legem Theodosii à Carolo M. innovatam permittat Litigantibus libertatem, judicem eligendi.*
53. *Extensionem jurisdictionis Ecclesiasticæ probat tractatus Gulielmi Durandi Concilio Viennensi exhibitus.*
54. *Consectaria ex ante dictis.*

I. APostolus advertens inordinatum morum litigandi & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios irrepere, eos in prima sua ad ipsos Epistola *cap.* 9. de duobus arguit.

II. Primò, quòd quæstiones exortas inter ipsos ad profana *infidelium* tribunalia deferrent. *Audet* (ait) *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* id est, audet aliquis apud *iniquos*, seu infideles, & non apud Christianos, qui hic *Sancti* vocantur, *judicari*, seu judicio experiri?

III. Rectè autem monet Estius in Commentario ad hæc Apostoli verba, dirigi hunc Apostoli sermonem ad *actorem*; cujus in potestate erat apud Ethnicum Judicem agere, vel non agere: non contra *reum* qui compellebatur, cui nec integrum erat Judicem *ethnicum* declinare, modò competentem.

IV. Peccatum ergò Corinthiorum in eo erat (pergit „Estius) quòd cùm possent causam agere apud fideles sal-„tem, ut delectos arbitros: mallent apud infideles judices ex-„periri, non sine Ethnicorum scandalo, & Christianæ reli-„gionis injuria: nam eò vitia Christianorum detegebantur „apud infideles, primùm diffidia, deinde avaritia, tum injuriæ „mutuæ.

V. Ut autem hujus recursûs ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolus, adjungit: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judi-„cetis?* quasi diceret: cùm sitis Judices universales de maxi-„mis rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita „condemnanda sit; an vos indignos censetis, qui præficiamini „minimis Judiciis? Veluti cùm disceptatur de negotiis hujus „sæculi plerumque frivolis, atque exigui momenti, certè ex-„tremo loco habendis à Christiano. Ita Estius.

VI. Prosequitur argumentum Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Id est „si judicaturi sumus Angelos, id est creaturam omnium præ-„stantissimam, quantò magis digni habendi, qui inter nos de „rebus infimis, ut sunt ea quæ spectant ad usum vitæ præsen-„tis, judicemus? ait Estius.

VII. Post hæc concludit: *Sæcularia ergo judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.*

Per *contemptibiles* hic intelligit Apostolus, qui inter ipsos Fideles, sive in Ecclesia *minimi* habentur.

VIII. Nequaquam tamen absolutè & simpliciter vult similes dijudicandis ac terminandis *sæcularibus judiciis* sive quæstionibus esse præficiendos; sed *comparativè* duntaxat ad infideles; docere volens, potiùs hoc agendum esse, etsi parum deceat, quàm ut Christiani litigent apud infideles.

Unde sequitur apud Apostolum: *Ad verecundiam dico*: quasi diceret: Quod dixi de *contemptibilibus* constituendis ad judicandum inter vos, non dixi quòd ita fieri debeat: sed ut ab eo quod agitis pudor vos avocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes & honorati, qui causas vestras dijudicent. Quod vobis profectò *pudorem* incutere debet.

IX. Et hoc est quod sequitur: *Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter Fratrem suum?* Sensus est: Adeone non est vel unus sapiens apud vos, qui Fratrum inter se disceptantium causas possit judicando vel arbitrando, secundùm Jus & æquitatem dirimere?

Itaque hoc unum inculcare voluit Apostolus, ut si Fidelis quæstionem habeat de rebus etiam temporalibus cum alio Fideli, quæstionem non ad tribunal sæculare ethnicorum trahat, sed alicui *Sapienti* inter Fideles sive Christianos quæstionem proponat, ut ipse eam determinet & dirimat.

X. Licèt enim eo tempore sub Imperatoribus ethnicis, Christiani non essent Judices à Principe constituti cum potestate, uti rectè notat Estius, poterant tamen eligi & assumi tamquam *arbitri*, quorum sententiis ex compromisso starent, qui controversias habebant.

XI. Imo vel idcirco desiderabat Apostolus, ut Fideles quæstiones ad Ecclesiam referrent, ut hoc pacto Judicia & lites forenses fugerent, controversiasque suas amicabiliter, interveniente *Sapiente*, componerent: ideoque subjungit præcedentibus: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos.* Ac si diceret, non est quòd propterea ad infidelium tribunalia controversias vestras deferatis; quia Fideles judicandi auctoritate ab Imperatoribus non sunt instructi: & consequenter Judicia exercere nequeant; quia hæc vos Christiani fugere debetis: imo *jam omnino delictum est in vobis, quòd judicia* sive lites forenses, *habetis inter vos.*

Vult ergò Apostolus, ut Fideles quæstiones inter ipsos excitatas, non in forensibus Tribunalibus agitent; sed eligant aliquis sapiens ex ipsis, cui quæstionum suarum decisionem committant.

XII. Per *Sapientem*, qui dirimendis & sopiendis quæstionibus inter Fideles exurgentibus intendat, & ad quem ipsi recurrant; intelligi videtur omnis ille, qui difficultatibus illis terminandis, & Fratribus conciliandis, eosque à litibus avocandis est convenientior, & veræ ac Christianæ sapientiæ gratia in Ecclesia honoratus; uti monet Estius.

XIII. Cùm igitur Episcopi præcipuâ in Ecclesia auctoritate pollerent, ipsisque tamquam Christianorum spiritualibus Patribus & Directoribus Fideles sua negotia magis consuevissent confidere, ipsisque speciali titulo incumberet, animos filiorum & subditorum suorum conciliare, & ab inordinato rerum terrenarum amore avocare, judicarunt jam pridem sanctissimi Episcopi muneris sui esse, causas & quæstiones Fidelium, etiam de rebus *terrenis* audire, & dirimere; ipsosque ad concordiam revocare, simulque suâ authoritate paternâ eos docere, quantum præ bonis temporalibus,

libus, pro quibus tantoperè disputant, amanda sint consilia.

XIV. Quantopere huic operi incubuerit S. Augustinus, testis est Possidius in ejus vita, referens, eum interpellatum non solùm à Christianis, sed à cujuscumque sectæ hominibus, causas eorum audivisse *diligenter ac piè* : & ut eas dirimeret, aliquando totâ die jejunum perdurasse : ubi etiam hoc addit, quàm sanctâ intentione, genus illud occupationis alioquin ipsi molestissimæ susceperit; idque, ut ait Possidius, secundùm Apostoli sententiam dicentis, *Audet quisquam vestrûm* &c.

Ipse quoque plurimis locis de seipso testatur, quomodo quæstionibus & causis decidendis occuparetur, & hisce implicatus à rerum cœlestium contemplatione invitus avocaretur; ac signanter libro de Opere Monachorum *cap.* 19. ubi mi asserit, se hisce molestiis ex Apostoli sententia implicari: „Quibus (ait) nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique „suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio.

Quantos labores, quantasque molestias subiret, & qualiter se totum impenderet, ut homines sæculares ad concordiam revocaret; ipsisque persuaderet, ut suo se subjicerent judicio, videri potest *Conc.* 24. *in Psalm.* 118.

XV. Eidem operi insudasse S. Ambrosium, testis est Augustinus *lib.* 6. *Confess. cap.* 3. Secludentibus me (ait) ab ejus aure „atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infir„mitatibus serviebat.

XVI. Imperatores Christiani desiderantes inter subditos suos pacem & animorum concordiam, etiam hoc Episcopale studium in decidendis & dirimendis negotiis civilibus laudârunt, & suis legibus probârunt & stabilierunt.

XVII. De Constantino M. scribit Sozomenus *lib.* 1. *hist.* „*c.* 9. Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium pro„vocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent: eorum au„tem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis præ„valeret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset: utque „res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum eorum„que Officiales executioni mandarent.

XVIII. Extat & Arcadii Imperatoris Constitutio in *L.* 7. *Cod. de Episcopali Audientia*, quâ idipsum litigantibus „permittitur: Si qui (ait) *ex consensu* apud sacræ legis Anti„stitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur il„lius in Civili dumtaxat negotio, more *Arbitri*, sponte resi„dentis judicium.

Hinc elucet, litigantibus liberum fuisse, causas suas civiles ad Episcopum deferre, qui quasi à partibus electus, non ut Judex, sed more *Arbitri* causam susciperet & dirimeret.

XIX. Ut autem firmior esset ab Episcopo tamquam arbitro inter Fideles probata sententia, declaratur in *L.* 8. *Cod. eod.* quòd ab ea provocari nequeat; atque ipsi Judices, quod ab Episcopo determinatum fuerit, executioni mandari debe„rent. Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à „Sacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhi„bendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri ne„cesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per ju„dicum quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, defi„nitioni executio tribuatur.

XX. Permittit quoque Valentinianus III. in *Novella* 12. laicis, ut præeunte vinculo *compromissi* coram Episcopo cau„sas suas pecuniarias agant. Addit tamen: Aliter eos Judices „esse non patimur, nisi *voluntas jurgantium* interposita, si„cut dictum est, conditione procedat: Si ambo ejusdem „officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus „& jure communi.

Hæc non obscurè probant, Episcoporum judicia fuisse *amicabilia arbitraria*, laicosque non nisi *volentes* eorum Judicio subjectos.

XXI. Ad has leges reflexisse apparet S. Leo dum *Epist.* 2. „respondit Rustico Narbonensi Episcopo: Si pœnitens „habet causam, quam negligere fortè non debeat, melius „expetit Ecclesiasticum quam forense Judicium. Hic enim satis patenter supponit Leo, laicis optionem esse recurrendi vel Ecclesiasticos, vel Sæculares Judices. Consulit autem Ecclesiasticos potiùs expeti à pœnitentibus; quia tunc temporis, non more forensi & judiciario; sed arbitrario & amicè quasi causæ ab Episcopis finiebantur & sopiebantur: ut consequenter qui ad Episcopum recurrebant, quæstionesque suas referebant, non tam litigare & judicio experiri, quàm amicè convenire, & pacificè quæstionem terminari velle viderentur.

XXII. Quæ hactenus relata sunt, evincunt Episcopos de causis laicorum etiam civilium judices, sive potius arbitros constitutos fuisse, si modò litigantes eos elegerint; sive, *si qui apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint*; ut loquitur Arcadius in citata *L.* 7. *Cod. de Episcopali audientia*; aut quemadmodum dicit Honorius in lege sequenti, *qui se audiri à Sacerdotibus elegerint*, uti rectè notat Jacobus Gothofredus ad Extravagantem primam de Episcopali judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani.

XXIII. Credit autem Gothofredus, hanc Extravagantem sive legem vel ex hoc capite suppostitiam esse, & Constantino M. tribui non posse, quòd permittat causas laicorum ad Episcopos deferri, non tantùm ex *utriusque* litigantium consensu, sed & *altero refragante*.

In hac quippe lege sub nomine Constantini dicitur: „Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive peti„tor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, „sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi „sententia, Judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico „sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad E„piscopum cum sermone litigantium dirigatur: Multa „enim quæ in Judicio captiosæ præscriptionis vincula promi „non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis „auctoritas.

XXIV. Significat in eadem lege Constantinus Ablavio Præ„fecto, Sanximus sicut Edicti nostri forma declarat, sententias „Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis dis„cretione, inviolatas semper incorruptasque servari: scilicet „ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeantur, quidquid „Episcoporum fuerit sententia terminatum.

Additur post hæc, quòd nec liceat ulteriùs retractari nego„tium, quod Episcoporum sententia deciderit.

XXV. Cur tanta Episcoporum sententiis auctoritas, tantaque litigantibus ad judicia Episcopalia recurrendi tribua„tur libertas, subditur: Hoc nos Edicto salubri aliquando „censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium „semina comprimentes: ut miseri homines, longis ac pe„nè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis pe„titionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine dis„cedant.

XXVI. Quamvis Jacobus Gothofredus aliique viri eruditi tum ex allegata tum aliis rationibus non improbabiliter sustineant, hanc extravagantem sive edictum Constantino tribui non posse, hoc nihilominus constat, jam pridem illud in Capitularibus Regum Francorum probatum, & quasi adoptatum esse, *lib.* 6. *cap.* 366. edit. Baluzianæ; citaturque non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii.

XXVII. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto *parte* 16. *cap.* 312. & à Gratiano *Caus.* 11. *q.* 1. *Can.* 35. & 36. ac tandem ab Innocentio III. tamquam primitùs à Theodosio editum, & à Carolo M. innovatum adducitur & probatur in *Cap.* 13. *§. De Judiciis.*

XXVIII. Vigore proinde hujus edicti licitum erat laicis non tantùm ante inchoationem judicii, sed in quacumque parte litis causam è manibus judicis laici extrahere, & ad Judicium Episcopi trahere, idque parte adversâ refragante. Consequenter ampliùs dici non poterat, Episcopum tamquam arbitrum de utriusque litigantis consensu esse electum: & quasi ex compromisso causam dirimere.

XXIX. Ulterius Edictum eam tribuit judicio sive sententiæ Episcopali efficaciam, ut causæ sententiis Episcoporum terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec alte-

ulteriùs liceat retractare negotium ; ut legitur apud Gratianum.

XXX. Porro notanda meritò verba, quibus hoc Edictum sub nomine Theodosii Carolus M. promulgavit ; hinc enim patebit per omnes generatim suas ditiones, sive hæ jure scripto seu Romano uterentur, sive jure consuetudinario, quod hanc promulgationem fecerit consultu omnium suorum Fidelium, tam Clericorum, quàm laicorum. Verba sunt : "Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vuascones, Beneventani, Gothi & Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo constricti vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro capitulo videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus & inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum tam Clericorum quàm & Laicorum posuimus lege cunctis perpetuò tenendam."

XXXI. Eadem indubiè mens erat Caroli M. in hujus legis renovatione & promulgatione quæ in ipsa lege erat expressa sub nomine Theodosii ; nimirum, ut populo pax & vera concordia procuraretur, litesque ac contentiones inter Fideles amicè componerentur per Episcopum communem ipsorum patrem ; atque Episcopi ministerio è cordibus eradicaretur litium & dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix, cupiditas ; & plantaretur pacis & concordiæ mater charitas.

Hic scopus, ut supra diximus, in ipsa lege his verbis exprimitur: "Hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant."

XXXII. Tota ergo Episcoporum jurisdictio & auctoritas in laicorum causis ad concordiam pacemque inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium & actionum laqueis ac tricis eripiendos tendebat. Ut proinde mirum videri haud debeat, si laicis libertas daretur ad ipsos tamquam communes pacificatores & patres recurrendi.

XXXIII. Imò Episcopi persuadere conabantur Regibus, quod & judices laici potiùs pacificatores, quàm judices esse deberent ; ita Episcopi Concilii Triburiensis ad Ludovicum Regem Germanorum loquebantur. "Constituite Comites & Ministros Reipub. qui placita non pro acquisitione lucri teneant : sed ut casæ Dei, & viduæ ac pupilli & populus justitiam habeant ; & plus litigantes ad concordiam salvâ justitiâ revocare studeant, quàm committere ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc justum judicium decerni faciant."

XXXIV. Hinc itaque fiebat, ut pleraque causæ etiam laicorum coram Ecclesiasticis agitarentur ; latèque ipsa auctoritas Episcopalis in decidendis quæstionibus se extenderet.

XXXV. Et reverà extensam admodum fuisse Ecclesiasticorum jurisdictionem, etiam circa causas laicorum dubitari nequit, legiturque quòd anno 1225. Ludovicus Rex Galliarum convocaverit Concilium Meloduno, ibique Archiepiscopi & Episcopi Franciæ, præsente Legato, peterent instanter à Rege Franciæ & à suis Baronibus jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione istâ dicebant investitam esse Ecclesiam Gallicanam.

Huic postulationi Episcoporum Rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat, hoc esse dissonum rationi : "Cùm causa mobilium (ait) non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum merè sit laicalis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere."

XXXVI. Hæc ex Chronico Turonensi referuntur tomo XI. Concil. General. *col.* a 9.. ex quibus patescit, quòd licèt super postulatis Episcoporum nihil fuerit conclusum, ipsaque causa *ab utraque parte posita sit in suspenso*, nihilominus ex ipso Regis responso habetur.

Primò, quòd causa etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi tunc temporis spectaret ad forum Ecclesiasticum ; quod tamquam indubitatum, supponens Bonifacius VIII. *Cap. 3. De Foro competenti in VI.* respondit, quòd Clericus possit laicum, pro quo fidejusserat, quippe juramento interposito promiserat fidejussorem servare in- "demnem convenire coram judice Ecclesiastico, ad cujus (ait) forum ratione *juramenti* causæ hujusmodi cognitio *noscitur* pertinere."

XXXVII. Hoc titulo omnes pene quæstiones super contractibus etiam civilibus ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur ; licèt etiam causa esset realis, uti notat Mornacius ad *L. 8. Cod. De Episcopali Audientia* ; quia numquam "ferè omittebant tabelliones adjicere præstitum à contrahentibus Sacramentum de servandis quæ pepigissent," ait Mornacius.

XXXVIII. Ulterius ex responso Regis patet, causas testamentarias ad forum Ecclesiasticum pertinuisse ; quod & notavit Mornacius loco citato.

XXXIX. Rationem addit Mornacius, quòd testamenta fe- "rè omnia conscriberentur à duobus semper Notariis, altero Regio, altero Apostolico. Dein addit : Ita ut per mixturam utriusque illius muneris ludificari & in hoc etiam mos esset imperium regium. Manus enim sola incidens Tabellionis Apostolici efficiebat, *levibusque velut per devia gyris*, negotium Ecclesiasticum, quod aliàs, & nisi mixtura illa fuisset, plane erat profanum, & à profanis, seu sæcularibus, regiisque judicibus Judicandum."

XL. Observavit & illud auctor Somnii Vergerii; asseritque quod laici frequenter contractus suos coram Notariis Ecclesiæ conficerent, ut Judici sæculari se subtraherent. "Multi (ait *cap. 200.*) magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quàm vinculum temporale ; & ante aliquando dimitterent contractus facere, sine quibus non possent vivere, quàm se submittere Curiæ temporali."

XLI. Sicuti contractus coram Notario Ecclesiastico subdebantur tribunali Ecclesiastico, ita quæcumque causa cui quid spirituale seu Ecclesiasticum videbatur immixtum ad idem spectare dicebatur.

Hac de causa Rectores Ecclesiarum coram Judice Ecclesiastico convenire poterant Laicos, qui vel ipsorum personas, vel bona læsisse aut occupasse prætendebantur : quia de sacrilegii crimine agi videbatur. *Cap. 8.* ix *De Foro Competenti.*

XLII. Hæc aliaque quæ causas etiam laicorum ad judicium Ecclesiasticum trahebant, evincunt, meritò notasse "Mornacium loco supra citato : Inde eminuit per longas ætates unum penè, ac solum in universa Gallia forum Ecclesiasticum, eviluitque toto illo tempore, quasique emarcuit Jurisdictio Regia."

XLIII. Meritò sanè id speciatim de Gallia monuit Mornacius. Nam ut constat ex disputatione super puncto Jurisdictionis anno 1327. habitâ inter Nobiles Regiosque ministros, & Prælatos Regni Galliæ coram Philippo Valesio Rege Galliæ, in Regno Galliæ magis quàm in ullo alio, jurisdictio Ecclesiastica ad omnes penè laicorum causas se extendebat; uti ex articulis à Petro de Cugneriis Consiliario Regio nomine Nobilium & Baronum contra Prælatos propositis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur.

XLIV. Hic imprimis probat Eduensis, Jurisdictionem temporalem posse competere Ecclesiasticis; nec esse contrariam Sacerdotio; atque inter alia prolatis exemplis Petri, *qui Ananiam & Sapheram pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnavit* ; & Pauli, qui *convictum fornicatorem condemnavit* : nec non verbis Christi, *Si peccaverit in te frater &c.* Subjungit : Ecce quàm expressè vult quod

in

re, in qua est *peccatum* unius adversus alterum, si illiquit monitus caritative non emendaverit, debet ne ad judicium Ecclesiæ referri.

Hoc principio posito, nemo non videt, quàm facile, omnes planè causas ad judicium Ecclesiæ re nullæ ferè causæ sint, in quibus peccatum injustitiæ e prætendi nequeat. Quod & ipse Eduensis non obprestis; qui paulò post dicit: Præterea nullus dubitat, nitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertinem ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius ter, quòd Ecclesia cognoscere possit.

Dicit deinde Eduensis, quod consuetudo secunat jurisdictionem, maximè personæ capaci: ac inde oncludit: Cum ergo Ecclesia Gallicana consueveicos cognoscere in actionibus personalibus & *rea*ujus Ecclesiæ, patet quod consuetudo potuit sibi n jurisdictionem.

ervamus, consuetudinem in Gallia viguisse, ut & de clesia judicaret.

Asserit præterea, quòd Ecclesia Gallicana magis sibi illud jus consuetudine, quàm præscriptione: consuetudo videtur introduci magis ex voluntate ne populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum àm ad judicium sæculare & in favorem eorum.

. Non obscurum est, Episcopum Eduensem te ad legem illam quam sub nomine Theodosii : & innovavit Carolus M. qua laicis facultas dandi ad judicem Ecclesiasticum etiam altera parte cujus legis ipse Eduensis jam meminerat; ejusuntiam nomine Cleri apud Regem urget, ut mox

Multum confirmatur ad hoc ista consuetudo luensis) quia fuit in contradictorio judicio obtennter enim reclamantibus Baronibus, responsione m audità, fuit per prædecessores vestros Reges lo hujusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam xenta.

æc sibi hanc objectionem ex persona adversarii ure hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cum ae sibi in aliis regionibus hoc minimè vendicare ? ad quod potest faciliter responderi (ait) si enim cciæ quos Deus singularibus privilegiis, gratiis & præ cæteris Regibus insignivit & prosperati sunt; os propter tria, scilicet propter magnam fidem & n ad Deum, item propter maximum honorem & n ad Ecclesiam, item propter justitiam prælibaulum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates it vel concesserunt vel liberè permiserunt, non est minta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quod Eccis propinquiores tanto pluribus libertatibus e ex hoc minus habuerunt, sed plus sicut rei evifestatione hoc redundat in magnam nobilitatem gis.

lit de hoc responso; hoc equidem negari nequit, ense fatente, Ecclesia Gallicana præ cæteris Ece jurisdictione uteretur.

nodum respondet Eduensis nomine Prælatoos articulos gravaminum per Barones & Nors; ac dein supplicant Regiæ Majestati, quod a, libertates, privilegia Canonica, consuetudi.s, quæ & quas Ecclesiæ Gallicanæ habent & emporibus retroactis, eis defendere & servare, uper cognitionem actionum personalium & tarum, nec non & interdictorum maximè inter

. alia singillatim exprimunt, quæ amplitudionis indicant, atque finaliter petunt, ut oclamationes & inhibitiones factas, scilicet laicus trahat alium laicum coram judice Ecvocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura

Et licet (inquiunt) in aliquibus locis pro tollenda eorum „ malitia in talibus proclamationibus seu inhibitionibus ver„ ba, quæ sequuntur, apponant: videlicet quod laicus non tra„ hat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus „ ad judices sæculares seu temporales, hoc est propter jura Ec„ clesiæ usurpanda: quia multa pertinent ad forum laicorum, „ quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum. Et sic jus & „ consuetudo tollerentur, per quæ in *electione* laici est, quod „ possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire.

Prælatos hic rursus respicere ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. innovatam, quæ laicis libertatem recurrendi ad judicem Ecclesiasticum tribuit, manifestum est.

LIII. Quàm latè tunc jurisdictio Ecclesiastica in Regno etiam Galliæ ex mente & opinione Prælatorum se extenderet, sat probat hic discursus; uti & tractatus de modo generalis Concilii celebrandi per Guilelmum Durandum Episcopum Mimatensem Concilio Viennensi oblatus, ubi *Rubrica 70.* vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à laicis inflicta proponit: quæ si ritè expendantur, apparebit, quàm latè ex opinione Prælatorum se jurisdictio Ecclesiastica diffunderet.

LIV. Hactenus dicta ostendunt, quousque jurisdictio sive auctoritas Ecclesiæ in judicandis & decidendis laicorum causis etiam civilibus & profanis se extenderet: quòdque & primis sæculis, Principes causas ad Episcopale arbitrium deferri optaverint; ipsasque Episcoporum decisiones irretractabiles esse voluerint.

Patet insuper, succedentibus sæculis, jurisdictioni Ecclesiasticæ non exiguas à Magistratibus civilibus & Regiis factas oppositiones.

Cognoscitur quoque quòd non defuerint Episcopi etiam Sanctissimi, qui se Magistratuum conatibus opposuêre ipsamque auctoritatem & jurisdictionem Ecclesiasticam tutati sunt: non quod forensibus negotiis, aut causarum & quæstionum discussionibus implicari amarent, aut lucrum ex illis sperarent; sed quòd jura Ecclesiarum suarum defendenda crederent; nec non putarent, causis terminandis & pacificandis suorum subditorum meritò se debere impendere, ut ipsos à litibus forensibus expedirent, & pacem & concordiam inter ipsos firmarent.

Notanda sunt, quæ in hanc rem leguntur de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano in ejus vita apud Surium ad diem „ primam Aprilis: Temporalium negotiorum litigiosas cau„ sas æternorum amore, non amare, sed tolerare didicerat. Di„ cebat enim omni febre molestiora sibi placita; modisque „ omnibus his se abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sci„ ret offensurum. Intererat autem his tantummodo *pacis* ob„ tentu, maximè pauperum atque Ecclesiarum. Ubi verò in„ exorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repererat iras, „ tunc demum fortissimè de Dei fisus auxilio, totusque in cha„ ritatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac de„ votissimè offensis pro his qui offenderant supplicabat. O „ quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cœnosa se „ pro talibus loca projecit? quoties ad pedes contemptibilium „ etiam personarum prostratus jacuit? nec facilè, imò penè „ nusquam frustrabatur optatis. Nam & si qui negassent, „ non solùm gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes „ offerebant postea non roganti, quod negaverant suppli„ canti.

CAPUT II.

Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis civilibus laicorum in Belgio & Gallia.

1. *Pluribus sæculis admodum extensa auctoritas Episcoporum in decidendis causis laicorum.*

2. Per undecim secula videtur fuisse facultas laicis deferendi suas causas ad judicium Episcopi.
3. Circa seculum 13. cœpit jurisdictio Ecclesiastica in Gallia & vicinis Provinciis impeti.
4. Confœderatio Nobilium Galliæ contra jurisdictionem Ecclesiasticam.
5. Causam delegant aliquibus qui eā strenuè prosequantur.
6. Papa hunc nobilium impetum sistit.
7. Seculo 13. Rex Galliæ inhibuit Delegato Pontificis de rebus ad jurisdictionem temporalem spectantibus cognoscere.
8. Laici non patiebantur laicos conveniri coram Judice Ecclesiastico sub initium seculi 14.
9. Laici studebant laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ subtrahere.
10. Circa seculum 14. vulnera multa Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta queritur Gulielmus Durandus.
11. Sensim & frustatim jurisdictio Ecclesiastica quasi interiit.
12. Seculo 14. Carolus V. Franciæ Rex causas reales jurisdictioni Ecclesiasticæ substraxit.
13. Dein Franciscus I etiam quoad actiones personales *laicos à jurisdictione Ecclesiastica exemit.*
14. Inhibuit sub mulcta arbitraria judicibus Ecclesiasticis citare laicos in causis merè personalibus.
15. Declarat salvam jurisdictionem Ecclesiasticam in causis merè spiritualibus.
16. Hæc Constitutio primitùs tantùm edita fuit per provisionem & cum aliqua limitatione.
17. Quomodo per usum transierit in definitivam & absolutam.
18. Principes Belgii seculo 15. laicos in causis personalibus coram Judice Ecclesiastico noluerunt conveniri.
19. Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem laicos pene quoad omnes causas à jurisdictione Ecclesiastica eximunt.
20. Similiter & Concordata inter Hannones & Archiepiscopum Cameracensem.
21. Hodie in citatione laici ad forum Ecclesiasticum debet exprimi causa; & quare?
22. Laici hodie in judicem Ecclesiasticū consentire nequeunt.
23. Hodie abrogata Lex sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgata.
24. Quæ ratio diminutæ jurisdictionis Ecclesiasticæ remissivè.

I. Pluribus sæculis admodum extensam fuisse Episcoporum auctoritatem in decidendis causis civilibus, etiam Laicorum; eamque Principes suis legibus promovisse & stabilisse, capite præcedenti ostendimus.

II. Videtur autem per undecim & amplius sæcula Ecclesia mansisse in pacifica possessione hac extensa auctoritate decidendi causas Laicorum, saltem quas Laici ad ipsorum tribunal deferebant, ipsisque Laicis integram fuisse libertatem, ut dimissis judicibus sæcularibus, causarum suarum decisionem Episcopis deferrent.

III. Verùm circa sæculum 13. cœpit hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem pene ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles Laicorum; idque vel maximè in Gallia viciniisque Provinciis, in quibus tamen præteritis temporibus latius, quàm in aliis regionibus se extenderat jurisdictio & auctoritas Ecclesiastica, uti ex discursu Berthrandi Episcopi Eduensis capite præcedenti notavimus.

IV. Refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ex historia Matthæi Parisiensis ad annum 1246. quòd anno 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerunt, & mutua fide obstrinxerint, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene absorpta erat à Clericis, revindicare & defendere. Verba ipsorum sunt: Nos omnes Regni Majores attento „animo percipientes, quòd regnum non per jus scriptum, „nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos „fuerit adquisitum, præsenti decreto omnium juramento „statuimus & sancimus, ut nullus Clericus vel Laicus alium „de cætero trahat in causam coram ordinario Judice vel „delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris: amissio„ne omnium bonorum suorum, & unius membri mutilatio„ne, transgressoribus imminente; certis à nobis super hoc ex„ecutoribus deputatis; ut sic jurisdictio nostra resuscitata re„spiret, & ipsi hactenus ex nostra depauperatione ditati, qui„bus Dominus propter eorum superbiam profanas voluit re„velare contentiones, reducantur ad statum Ecclesiæ primi„væ; & in contemplatione viventes, nobis, sicut decet, acti„vam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum „sæculo recesserunt.

V. Refertur ibidem ex eodem Historico acta dictorum Baronum, qua constituunt quatuor è suis, qui simul, vel duo ex ipsis strenuè cum plena auctoritate & potestate hoc negotium contra Clerum prosequantur; datâ quoque eisdem auctoritate exigendi etiam certam pecuniæ quantitatem à singulis de hac communitate pro expensis in prosequenda hac causa; monentque, ut si forsan quisquam de hac communitate excommunicaretur, & hi quatuor judicarent, excommunicationem injustam, tunc non attendendo excommunicationem pergeret. Verba actæ Gallico idiomate relatæ sunt: *A tous ceux qui ces lettres verront, nous tous desquels les seaux perdent en cest present escrit, faisons sçavoir, que nous par la foy de nos corps avons fiancé & sommes aliancé, tant nous comme nos heritiers à tousjours, à ayder les uns aux autres, & à tous ceux de nos terres, & d'autres terres, qui vendront estre de ceste compagnie, à pourchasser & à requirir & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy envers la clergie. Et pour ce que seroit grieve chose nous tous assembler pour ceste besoigne, nous avons esleu par le commun assent & octroy de nous tous, le Duc de Bur*goigne, *le Conte* Petrun *de* Bretaigne, *le Conte d'Angu*lesme, *& le Conte de S.* Pol, *à ce que si aucuns de ceste communité avoit à faire envers la clergie, tel ayde comme ces quatre devantdits esgarderoient qu'un homme luy doit faire, nous luy ferions. Et cest à sçavoir, que à ce defendre, pourchasser, & requerir, chascun de ceste communité mettra la centiesme part par son serment de la vaillance d'un an de la terre qu'il tiendra. Et chascun riche homme de ceste compagnie fera lever ces deniers, chascun an à son povoir à la Purification de nostre Dame, & les delivra où il sera mestier pour ceste besoigne, par les lettres pendantes de ces quatre avant nommez, ou des deux d'eux. Et si aucun avoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre avant nommez, il ne seroit pas aydé de la communité. Et si aucun de ceste compagnie estoit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la clergie luy fait, il ne lairroit aller son droit ne sa querele pour l'excommuniement, ne pour autre chose q'uon luy face, si ce nest par l'accort de ces quatre, ou des deux de eux, ains poursuiveroit sa droiture. Et si les deux des quatre mourreroyent ou alloyent hors de la terre, les autres deux qui demeureroyent, mettroyent autres deux en lieu de ces deux, qui auroyent tel povoir que est à devant devisé. Et si lavenoit que les trois & les quatre allassent hors de la terre, ou mourrissent, les douze ou les dix des riches de ceste communité, esliront autres quatre, qui auront ce mesme povoir que les quatre devantdits. Et si ces quatre, ou aucun de la communité par le commandement de ces quatre faisent aucune besogne qui appertenoit à ceste communité, la communité l'en delivreroit.* Id est: Omnibus has visuris, Nos omnes quorum sigilla his appensa sunt litteris, notum facimus, quod interpositâ corporum nostrorum fide fœdus iniverimus, tam Nos ipsi, quàm liberi nostri in perpetuum, ut nobis mutuo, omnibusque qui in terris Jurisdictionis nostræ, seu in aliis degunt, huicque fœderi associari volent, opem feramus, ad promovendum procurandum & defendendum nostra & ipsorum jura, bonâ fide adversus Clerum. Et quia difficile foret in eum finem singulos nostrum convenire, constituimus de communi omnium assensu & venia Ducem Burgundiæ, Comitem Petunium Britanniæ, Comitem Inculismensem, & Comitem S. Pauli, ut si quisquam hujus communitatis adversus Clerum tali auxilio indigeat, quale prædicti quatuor judicaverint, per aliquem ipsi præstari debere, nos ipsi

assera-

;s. Propthereaque scilicet ut id defendamus, promovea- procuremus, quilibet hujus Communitatis interposi- irando, conferet centesimam partem reditus annui n quas possidet. Et opulentus quilibet hujus Commu- ocurabit horum nummorum collectionem annua- ut poterit in festum Purificationis Divæ Virginis, tra- bi opus erit, in hanc operam visis litteris obsignatis rum quatuor, aut duorum ex illis.

.ddit dein Matthæus Parisiensis: " Hæc cùm audisset igemuit spiritu perturbato; & cupiens eorum emollia, & constantiam enervare, admonitione præmissâ us perterruit nec se sic sensit prævalere. Contulit igi- stis consanguineorum eorum multa beneficia Eccle- & licentiam plura obtinendi, cum indulgentiis mul- non & plura ipsis nobilibus contulit donativa; & sic eorum à prædicta Præsumptione revocavit. Mul- ien perterruit hujusmodi tenor Epistolæ, crede- ie hæc à consensu *Frederici* emanasse; maximè cùm odi clausula finalis concordet Epistolæ *Frederici*, ultis misit Principibus, in cujus fine sic dicit: *Semper ?ra intentio voluntatis clericos cujuscumque ordi- ioe inducere, & maximè maximos, ut tales perse- it in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva. A- em vitam ducentes, humilitatem Dominicam imi- Tales namque clericos solebant Angelos intueri, mi- corruscare.* Id est:

culpa teneretur, arbitrioque prædictorum quatuor ctaret, à nullo Communitatis juvaretur. Si autem hujus Communitatis injuriâ foret excommunica- dicti quatuor censerent ei Clerum intulisse, nec que- ts suum prosequi omitteret propter excommunica- t aliud demum quidquid contra ipsum agatur, nisi ù istorum quatuor aut duorum ex ipsis, verum jus èqueretur. Quòd si duo horum quatuor moreren- tegre proficiscerentur, alii duo qui restarent, alios ituerent in locum horum duorum qui eamdem ha- hortatem quam supra declaravimus. Quod si con- t vel tres vel ipsi quatuor peregre proficiscerentur ntur, duodecim aut decem ex opulentis hujus com- uatuor alios eligerent, qui eamdem quam prædicti testatem haberent. Quod si hi quatuor aut quis a- nmunitate ad mandatum horum quatuor operam rstent, quæ hanc Communitatem concernat, per 10 eximeretur.

d sit de hoc additamento; hoc satis constat, sub a jurisdictioni Ecclesiasticæ non tantùm opposi- cœpisse; sed & paulatim eam diminui & re-

urrit in citatis Probationibus libertatum Ecclesiæ *ip. 7. num. 6.* declaratio cujusdam Capellani Pon- declarat, sibi à Rege S. Ludovico fuisse injun- e communia Belvacensi, seu de rebus pertinenti- dem, nec de regalibus suis, sub de rebus aliquibus ionem suam secularem pertinentibus, cognoscere indirectè, seu inquisitionem facere aliquatenus r.

oit Mayerus *lib.* 10. Annalium Flandriæ, anno n fuisse apud Compendium Synodum Provincia- hiepiscopum Remorum, " ubi fulminati Magi- (ait Mayerus,) qui non patiebantur, ut laici in foro o convenirentur.

jus Synodi edidit Labbeus in ultima Concilio- im collectione ex MS. codice S. Genovefæ Pari- scurum est, Mayerum reflexisse ad Canonem is Synodi, qui his verbis exprimitur: " Item cùm nporales Domini, suis inhibeant subditis, ne quis- i trahat in foro Ecclesiastico, in causis aliàs à ju- etudine permissis, quin imò quia sic trahentes requenter ad contemptionem trahentis & bo- lem amicorum trahentis, & bonorum ipsorum: iant prohibentes, contra facientes excommu-

„ nicationis vinculo innodamus, & denuntiamus à Canonibus „ excommunicatos.

IX. Hinc rursus apparet, Magistratus & Dominos temporales circa hæc tempora laicorumea usas jurisdictioni Ecclesiasticæ voluisse subtrahere: quod & manifestum est ex articulis per Petrum Cugnerium nomine Baronum & Nobilium Franciæ contra Clerum coram Philippo Valesio propositis; de quibus capite præcedenti actum est.

X. Et quamvis Prælati & Clerus se pro tuenda sua jurisdictione fortiter & viriliter sæpius opposuerunt, nihilominus Magistratus ac Ministri Regii suffulti auctoritate Regiâ paulatim perruperunt; ac sensim totam penè jurisdictionem & auctoritatem judicandi, præsertim de causis civilibus laicorum ad suum tribunal traxerunt quemadmodum circa idem tempus testatur Gulielmus Durandus in Tractatu de Modo generalis Concilii celebrandi, ubi *Rubrica* 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta describens, ait: " Quasi per quamdam allu- „ vionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. „ Et sicut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos ju- „ risdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur. „ Quidquid ad Ecclesiasticam jurisdictionem, potissimè quoad „ temporalia, pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt „ casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directè vel indire- „ ctè per eos Ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis „ mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere pos- „ sunt sicut experientia docet.

XI. Verissimum esse, quod Domini temporales & Magistratus Regii frustatim, sive per partes omnem jurisdictionem Ecclesiasticam de causis pecuniariis laicorum sibi attraxerint, notarunt passim auctores, & ex variis Regum Sanctionibus, & Parlamentorum arrestis successivè datis haud obscurum est.

XII. Anno 1371. Carolus V. Rex Franciæ instante Procuratore generali injungi ac inhiberi mandavit sub magnis pœnis Regi applicandis, Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffra- „ ganeis & ipsorum Officialibus, ne de casibus & actionibus „ realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hæreditatis, „ interdictis possessoriis acquirendi & retinendi, ac restitutori- „ is, & de causis retractuum hæreditagiorum, nec non de redi- „ tibus annualibus, & assidatis vel assisis, seu debitis & petitis „ super hæreditagiis, in præjudicium (ait) nostræ jurisdictio- „ nis temporalis de cætero amplius cognoscere aut se intro- „ mittere quoquo modo præsumant, sed facta & agitata in „ contrarium, monitiones & processus Ecclesiasticos penden- „ tes, super hoc factos vel inchoatos, si quæ vel qui sint, revo- „ cent penitus & annullent. Integra acta habentur inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gall. *cap.* 7. *num.* 25. & apud Choppinum *lib.* 2. *De Sacra Politia tit.* 1. *num.* 6.

XIII. Hic dumtaxat actionum & causarum realium cognitio Ecclesiasticis adimitur; nihil hactenus de merè personalibus. Cumque de hisce multæ ac variæ essent inter utrumque tribunal quæstiones, tandem Regiâ Constitutione Francisci I. „ obrogatum est indiscriminatim Ecclesiasticæ in profanis ju- „ risdictioni, non tantùm de actionibus in rem, sed in personam „ quoque conceptis, uti loquitur Choppinus loco citato *tit.* 2. *num.* 2.

Edita fuit hæc Constitutio 1539. cujus primi articuli verba sunt:, *C'est à sçavoir que nous avons défendu & défendons à tous nos sujets de faire citer, ne convenir les lais pardevant les Juges d'Eglises és actions pures personnelles, sur peine de perdition de cause, & d'amende arbitraire.* Id est:

Videlicet quòd prohibuerimus & prohibeamus quibuscumque subditis nostris, ne curent citari aut in jus vocari Laicos coram Judicibus Ecclesiasticis pro causis merè personalibus, indicta pœnâ amittendæ causæ & mulctæ arbitrariæ.

XIV. Dein art. 2. ait: *Et avons défendu à tous Juges Ecclesiastiques de bailler ne delivrer aucunes citations verbalement ou par escrit, pour faire citer nosdits sujets purs laix, esdites matieres d'actions pures personnelles*

Id est: Inhibuimus quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, ne citationes ullas insinuent aut tradant seu verbo seu scripto, ut

VI. Et hæc quidem de vetita omni planè sepultura & inhumatione, quâ fit, ut ipsa corpora maneant planè inhumata, & omnium oculis exposita, à bestiis & aëre consumenda quam pœnam per Canones aut Ecclesiam impositam non legimus: neque legitur Ecclesiam umquam prohibuisse, cadavera mortuorum humari sive terra cooperiri; sed ut summum vetuit, quorumdam corpora in loco *religioso* aut *ritu Ecclesiastico* sepeliri.

VII. Sicuti enim nonnullos vivos à sua communione præsertim in sacris, jam pridem excludendos censuit; ita quoque eosdem sua communione post mortem indignos credidit.

VIII. Imprimis enim, si Divina officia & preces attendamus, quæ in exequiis atque sepulturis ex Ecclesiæ præscripto adhibentur, notorium erit, sepulturam Ecclesiasticam esse actionem verè *spiritualem* & sacram; ut consequenter qui in hisce cum excommunicato communicaret, revera cum illo in *sacris* communicare esset dicendus.

IX. Adhæc excommunicatis negatum fuisse ingressum Ecclesiæ scitur. Cum ergo locus Christianæ sepulturæ sit Ecclesia ejusve cœmeterium, quod est ejus quasi appendix, etiam corpora illorum, quibus vita durante is ingressus Ecclesiæ fuit, & mansit usque ad mortem interdictus, nec post mortem in Ecclesiam aut cœmeterium inferri voluit.

X. Accedit, quod Ecclesia quodammodo publicè pro illis, quorum corpora in locis illis religiosis sunt inhumata, orare videatur; nimirum per orationes illas quas pro inhumandis jam in antecessum fudit per Pontificem in ipsa Benedictione cœmeterii.

Sicuti ergo excommunicatus videretur ad communionem Ecclesiæ admitti, atque cum illo in sacris communicari, si per inhumationem ipsorum cadaverum illos ad participandum in publicis illis precibus admitteret Ecclesia, ita & post mortem videretur admitti, si ad sacram sepulturam reciperetur.

XI. Quamvis enim mortuum corpus seu cadaver non sit capax communionis spiritualis, quia nihilominus cadaver hominem quasi viventem repræsentat, pœna quæ corpori infligitur, ipsi homini infligi videtur. Ut ergo ostendatur defunctum extra Ecclesiæ communionem fuisse; nec ad eam vita durante reversum, Ecclesia noluit, post mortem etiam cadaver ipsius ad communionem admitti.

XII. Ecclesiastica igitur sepultura negatur ab Ecclesia iis, qui à sua communione manserunt separati, ne cum ipsis in divinis communicare videretur. Unde Innocentius III. in *Cap.* 12. ✠ *De Sepulturis* probans, excommunicatorum corpora non esse in Ecclesiastico cœmeterio inhumanda, præmittit: " Sacris est Canonibus in„ stitutum, ut *quibus non communicamus vivis, non com„ municemus defunctis*: & ut careant Ecclesiastica sepul„ tura, qui priùs erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec „ in articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerunt, " hinc ulterius concludit, excommunicatum in Ecclesiastico cœmeterio sepeliendum non esse; imò & sepultum esse exhumandum, si cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XIII. Itaque generaliter ab Ecclesiastica sepultura seclusi habiti jam pridem fuere, qui ab unitate Ecclesiæ segregati usque ad mortem manserunt, & in hac segregatione defuncti sunt.

XIV. Hinc imprimis excommunicati quibus communicare non possumus in vivis, à sepultura Ecclesiastica sunt excludendi: quemadmodum respondit Pontifex in citato *cap.* 12 Et in *Cap.* 6. *De Privilegiis* in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum (cujus fragmentum extat in *Cap.* 5. ✠ *eod.*) scribit Cantuariensi Archiepiscopo Alexander III. se intellexisse " quod Hospitalarii nominatim excommunicatos „ contra prohibitionem Episcoporum Ecclesiasticæ præ„ sumant tradere sepulturæ: non cogitantes, (ait) quo„ niam grave sit eis in morte communicare, quos dum „ viverent, Ecclesia à suo sinu pro suis excessibus segre„ gavit. " Deinde dicit, hujusmodi præsumptionem & temeritatem nullatenus esse tolerandam.

Rituale Romanum inter excludendos ab Ecclesiastica sepultura numerat *publicos excommunicatos majori excommunicatione*. Eosdem passim omnia Ritualia à Sepultura excludendos esse notant.

XV. Pastorale Mechliniense inter repellendos à sepultura Ecclesiastica etiam reponit excommunicatum, sed addit, *publicè denuntiatum*. " Nullus (ait) excommu„ nicatus & *publicè denuntiatus* sacra sepultura est coho„ nestandus.

Et sanè cum juxta Extrav. Martini V. nullus *publicè* excommunicatus nisi sit *denuntiatus* (si publicos Clericorum percussores excipias) sit in vivis vitandus (uti Infra parte 3. Tit. De Censuris ostendetur) non apparet, quare post mortem communicari cum hisce nequeat; atque hanc opinionem Pastorale amplecti videtur.

XVI Eadem ratione qua excommunicati etiam excluduntur à sepultura Ecclesiastica nominatim interdicti, qui & ab Ecclesiæ ingressu prohibiti exclusi sunt, *Cap.* 10. ✠ *De Sepult & Cap.* 17. ✠ *De V. S.* & Ritualia consonant: Nam qui vivi ab Ecclesia manserunt exclusi, nec mortui admittendi sunt.

XVII. Hæretici, Judæi, Pagani Schismatici & similes ab Ecclesia alieni & separati ad Ecclesiasticam sepulturam admittendi non sunt, nimirum si ut tales sint publicè convicti & denuntiati; aut publicè professionem hæreseos & ab Ecclesia recessum profiteantur: quales & Ritualia inter exclusos à Sepultura reponunt.

Edicto Regis Galliæ anni 1606 *art.* 10. hæretici, qui dicuntur *prætense reformati*, *Pretendus Reformes*, privantur Ecclesiastica sepultura, etiamsi essent Ecclesiarum fundatores. Acta Cleri Gallicani tomo 1. *parte* 1. *tit.* 2. *c.* 6. *n.* 6. ubi & *n.* 10. asseritur judicatum in Parlamento Parisiensi anno 1611. corpus Catholici sepultum inter prætensè Reformatos esse exhumandum, & sepeliendum in terra sancta.

XVIII. Insuper inter privandos Ecclesiastica sepultura referunt Ritualia de quibus publicè constat, quod præcepto annuæ communionis ad præscriptum Canonis *Omnis utriusque sexus* non satisfecerunt. In citato quippe Canone Concilii Lateranensis relato in *Cap.* 12. ✠ *De Pœnit. & remiss.* in non satisfacientem præcepto communionis annuæ ibidem præscripto decernitur: *& vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Hic rursus obiter notandum, vivum arceri ab ingressu Ecclesiæ, & morientem carere Christiana sepultura, tanquam unum ex altero consequens conjungi; quasi diceretur, vivens arcetur ab ingressu Ecclesiæ, ergo moriens careat Christiana sepultura.

Pœnam hanc negatæ Christianæ sepulturæ non esse hoc casu *latæ sententiæ*; neque eam posse Parochum propria auctoritate infligere ostendimus supra *tit.* 4. *cap.* 3.

XIX. Ex Concilio Lateranensi refertur in *Cap.* 1. ✠ *De Torneamentis*: " Felicis memoriæ Innocentii „ & Eugenii prædecessorum nostrorum vestigiis inhæ„ rentes, detestabiles illas nundinas vel ferias, quas „ vulgò *torneamenta* vocant, in quibus milites ex con„ dicto convenire solent, & ad ostentationem virium „ suarum, & audaciæ temerè congredi; unde mortes „ hominum & animarum pericula sæpè proveniunt, fie„ ri prohibemus. Quod si quis eorum ibi mortuus fue„ rit, quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur: Ec„ clesiastica tamen careat sepultura.

XX. Tor-

XX. Torneamentis paria sunt singularia illa certamina quæ hodie *duella* vocantur; de quibus agit Synodus Tridentina *Sess. 25. Cap. 19. De Reformat.* Statuitque ut " pugnantes sive ipsi duellantes & qui eorum *pa-* „*trini* vocantur, excommunicationis ac omnium bono- „rum suorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ pœ- „nam incurrant, & ut homicidæ & ita sacros Canones „puniri debeant; & si in ipso conflictu decesserint, per- „petuò careant Ecclesiastica sepultura.

XXI. Hanc pœnam passim Ritualia & Synodorum Decreta renovant; dicitque Rituale Romanum, negatur Ecclesiastica sepultura " morientibus in duello etiamsi „ante obitum dederint *pœnitentiæ* signa.

Hanc clausulam adjiciens auctor hujus Ritualis respexisse videtur ad finalia verba supra relata ex *cap. 1. De Torneamentis*, quibus dicitur, quod licet occumbenti in torneamentis poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepultura.

XXII. Prætereà in *Cap. 2.* " *De Raptoribus* statuitur, „ut quicumque ex his qui violenter surrexerint in rapi- „nam sive in Ecclesiarum violationes manifestè fuerit „deprehensus, & in sanitate obstinata mente non pœni- „tuerit, vel emendaverit, & in morte securitatem præ- „stare nequiverit, solemnitas pœnitentiæ parum pro- „desse videtur, sicut credimus, sed de peccato contrito „*viaticum non negetur*, ita tamen, ut nullus Clericorum „sepulturæ illius intersit, nec ejus eleemosynam præsu- „mat accipere.

Extat hoc idem Decretum in appendice Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *parte 3.* cujus hoc est summarium: „De Raptoribus, & Ecclesiarum violatoribus, „& quando *post peractam pœnitentiam* sit neganda „sepultura Ecclesiastica, nisi satisdent de satisfa- „ciendo.

Hinc non obscurum, in hoc Decreto, quod citatur in Decretalibus Gregorii IX. sub nomine Eugenii III. per *viaticum* non intelligi *Sacram Communionem*, sed *pœnitentiæ* dationem. Viaticum enim olim etiam pro pœnitentiæ datione; quin pro omni eo quod ipsi moribundo quacumque ratione servire poterat, ut iter seu viam ad æternitatem felicius absolvere posset, sumptum esse, ostendi supra *tit. 4. c. 4.*

XXIII. Interim ex hisce Decretalibus concludunt Canonistæ, quod non semper danda sit Ecclesiastica sepultura, tametsi ob signa pœnitentiæ & emendationem promissam concedatur pœnitentia; imò & absolutio, quæ vocatur *necessarium* viaticum.

XXIV. Id clarissimis terminis expressit Concilium Ravennatense anno 1311. *Rubrica 28.* decernens, „quod quicumque de cætero excommunicationis vel „suspensionis, vel interdicti sententiam animo sustinue- „rit per annum indurato, etsi in morte beneficium *abso-* „*lutionis* satisfactione præstitâ meruerit, nihilominus ta- „men in pœnam contumaciæ, Ecclesiasticâ careat se- „pulturâ.

Et *Rubrica 29.* De pœna adulterorum: " Et si in mor- „te de prædictis satisfecerint cum effectu, nihilominus „tamen in ipsorum contemptum & pœnam Ecclesiasti- „câ careant sepulturâ.

XXV. Inter non admittendos ad Ecclesiasticam sepulturam reponunt passim Ritualia, ac nominatim Pastorale Mechliniense " manifestum fœneratorem, nisi „aut de perceptis usuris satisfecerit, aut de iis restituen- „dis sufficientem cautionem, juxta juris dispositionem, „posuerit.

Juris dispositio, ad quam Pastorale remittit, occurrit in *Cap. 2. De Usuris in 6.* ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. quam Constitutionem innovat Synodus D. Mechliniensis *tit. 11. cap. 29.* his verbis: Usurarium „manifestum etsi per testamentum usuras restitui man- „daverit, nemo tamen ad Ecclesiasticam sepulturam „admittat, nisi actualiter etiam, prout facultates tule- „rint, usuras restituerit, vel de iis restituendis idoneè ca- „verit, juxta constitutionem Gregorii X. sub pœna Ca- „nonum.

XXVI. Verùm hæc seu Pontificum, seu Synodorum in usurarios decreta, nescio quem effectum habere queant, aut quo fine edi potuerint, si omnes qui passim hodie à Casuistis proferuntur tituli, puta, lucri cessantis, damni emergentis, aliique similes ad excusandas usuras, sufficientes sint. Quis enim adeò stupidus fœnerator, ut ad evadendam hanc pœnam non possit saltem lucrum cessans ex pecuniæ mutuatione prætendi, quod usuris acceptis æquivaleat? Quis convinci poterit, nullum ipsi lucrum ob mutuatam pecuniam ereptum, aut damnum obvenisse, quod aliquo honesto interesse compensari possit? Videant, qui hujusmodi titulos justificant, quomodo hæc Pontificum & Synodorum Decreta non reddant planè inutilia: & an hinc non potius concludendum sit, hosce titulos ut sufficientes à Decretorum illorum auctoribus agnitos haud fuisse.

XXVII. Hæc per transennam. Præter jam nominatos à sepultura quoque Ecclesiastica excludendi sunt infantes mortui absque Baptismo, quemadmodum in omnibus Ritualibus præscribitur; voluntque ut locus aliquis juxta cœmeterium iis sepeliendis deputetur: quod & praxis observat.

XXVIII. Denique Rituale R. negandam dicit Ecclesiasticam sepulturam *manifestis & publicis peccatoribus, qui sine pœnitentia perierunt.*

Et Pastorale Mechliniense: " Sacra Sepultura nulli „conceditur, qui more Christi fidelium se per Sacra- „mentorum susceptionem ad salutarem exitum non „præparaverit: illis tamen qui inopinata & subita mor- „te hinc auferuntur, exceptis; quibus sacra sepultura „concedenda venit, dummodò eos vitam Catholicis „hominibus congruam egisse, & sacrosanctis mysteriis „dum viverent, in Paschate communicasse constite- „rit.

XXIX. Ne autem in deneganda Ecclesiastica sepultura temerè procedant Parochi, monet Rituale R. " Ubi „verò in prædictis casibus dubium occurrit, Ordinarius „consulatur.

Optimum sanè ac salutare in hac materia monitum: Cum enim rarò sine magna turbatione negetur Ecclesiastica sepultura in externa communione Ecclesiæ defunctis, etiam ipsi Parochi haud faciles esse debent ad negandam suis Parochianis Ecclesiasticam sepulturam in consultis Superioribus: nec dubium, quin multis casibus neganda sit *publicè* sacra Communio, quibus tamen indulgeri possit Ecclesiastica sepultura; quemadmodum supra *tit. 4. cap. 3.* notavi.

XXX. Porrò quia admissio ad Eccles[illegible]ticam sepulturam videtur species quædam *communionis*, uti supra ostendimus; hinc est quod excommunicatis aliisque quibus in vivis non communicamus, non tantùm sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso sepulturam, locus ipse pollui seu profanari censeatur, eatenus saltem, ut divina officia ibidem agi nequeant, ne Ecclesia illum ibidem sepultum in suam communionem recipere videatur, neque ullus Fidelis eo loco sepeliri possit; ne per eam inhumationem cum excommunicato ibidem sepulto, cum quo in vivis comunicare videatur.

XXXI. Unde ex Synodo Aurelianensi *cap. 3.* refertur apud Gratianum *Dist. 1. De Consecrat. Can. 27.* " Ecclesiam in qua paganus sepultus est, non liceat consecrare, „neque Missas in ea celebrare, sed jactari foras, & mun- „dari oportet.

Ratio hujus constitutionis est (ait Glossa ad verbum *celebrare*) " Quia infideles vivi ab Ecclesia repelluntur, „ergo mortui: quia quibus viventibus Ecclesia non „communicat, & mortuis communicare non potest.

Et

Et rursus apud Gratianum ibidem *Can. 28.* sub nomine Concilii Agrippinensis dicitur: " Ecclesiam in qua „ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctifi- „ care non licet sed si apta videtur ad consecrandum, „ inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis „ ejus loci, reædificetur, sed si hæc consecrata ante fue- „ rit, missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint, „ qui in ea sepulti sunt.

XXXII. Conformiter ad hos Canones respondit Innocentius III. in citato *Cap. 12.* ⅌ *De Sepulturis*, " si „ contingat interdum, quod vel excommunicatorum „ corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in „ cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum „ corporibus discerni potuerint, exhumari debent, & „ procul ab Ecclesiastica sepultura jactari.

XXXIII. Monet ad dictum *Canonem* 28 verbo, *evulsis*, Glossographus, *auctoritate Episcopi vel Principis tantùm*, hanc evulsionem esse faciendam.

Exhumatio enim corporis inhumati ordinariè fieri nequit; variæque eæque gravissimæ pœnæ in exhumatores cadaverum, & violatores sepulchrorum jam pridem decretæ fuere, uti videre est ad titulos Digestorum & Codicis *De sepulchro violato*. Ex causa tamen exhumatio conceditur; sed ne hic aberretur, in quibusdam locis requiritur Superioris licentia. Et quidem in Synodo Buscoducensi sub Masio *tit. 24. cap 6.* legitur: „ Nec non inhumata corpora sine expressa licentia ex- „ humari interdicimus.

XXXIV. Cæterum circa negationem sepulturæ; uti & cadaverum exhumationem & translationem præter Ritualia & Synodorum Decreta, multùm quoque attendenda locorum & Ecclesiarum consuetudo & praxis.

(o)

PARS

PARS TERTIA
DE
JUDICIIS, DELICTIS,
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS PRIMUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN CIVILIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis causis Laicorum.

1. *Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.*
2. *Quod quæstiones ad tribunalia Infidelium judicandas deferrent.*
3. *Loquitur Apostolus de actore non de reo.*
4. *In quo consisteret vitium Corinthiorum?*
5. *Primum argumentum Apostoli quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.*
6. *Secundum argumentum Apostoli.*
7. *Vult in dirimendis secularibus judiciis* contemptibiles *constitui; & qui* contemptibiles?
8. *Non simpliciter, sed comparativè hos judices constitui vult.*
9. *Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis è Fidelibus constitueretur, qui quæstiones dirimeret.*
10. *Ut hic tamquam arbiter quæstiones determinaret.*
11. *Desiderabat Apostolus, ut a forensibus litigiis abstinerēt.*
12. *Quis ex mente Apostoli* Sapiens *dicatur?*
13. *Quâ ratione ex sensu Apostoli quæstionibus & causis civilibus componendis Episcopi merito intenderint.*
14. *Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.*
15. *Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.*
16. *Imperatores Christiani desiderarunt, ut quæstiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.*
17. *Constantinus M. permisit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.*
18. *Arcadius Imperator similiter indulsit ut litigantes ex* mutuo *consensu judicium Episcopi tamquam arbitri expetere possint.*
19. *A decisione Episcopi sic electi provocari non poterat.*
20. *Litigantium altero recusante causa ad Episcopos trahi non poterat.*
21. *Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos respexit S. Leo consulens Pœnitentibus ut ad Episcopale potiùs quàm sæculare judicium recurrant.*
22. *Episcopi potiùs* arbitri *quàm judices constituebantur, idque de consensu utriusque litigantis.*
23. *Extravagans permittens litiganti* altero reluctante *expetere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.*
24. *Hæc Extravagans vult sententias Episcoporum* inviolatas *servari.*
25. *Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis?*
26. *Hæc Lex à nonnullis viris eruditis ut supposititia, rejecta à Carolo M. sub nomine Theodosii innovata & confirmata.*
27. *Eam referunt S. Ivo & Gratianus; & probavit Innocentius III.*
28. *Vigore hujus legis licitum erat laico in quacumque parte litis ad Episcopum causam trahere etiam altero litigantium invito.*
29. *Non licet à sententia Episcopi appellare.*
30. *Voluit Carolus M. in omnibus suis Ditionibus, & ab omnibus hanc legem servari.*
31. *Quis fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus?*
32. *Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.*
33. *Episcopi urgebant Principes ut idem esset judiciorum forensium scopus.*
34. *Pleraq; laicorum causæ civiles ad Episcopos deferebãtur.*
35. *Quàm extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica sæculo 13. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.*
36. *Causa civilis inter laicos ratione* juramenti *spectabat ad Judicem Ecclesiasticum.*
37. *Hoc titulo omnes pene causæ ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.*

Digitized by Google

38. *Causa testamentaria ad tribunal Ecclesiasticum spectabant.*

39. *Ratio illius erat, quòd testamenta conficerentur coram Notario Ecclesiastico.*

40. *Per hoc plurima causa Ecclesiastico tribunali subjiciebantur.*

41. *Rectores Ecclesiarum poterant laicos, qui personas vel bona ipsorum laserant, ad Ecclesiasticum vocare.*

42. *Multo tempore in Gallia penè solùm fuit forum Ecclesiasticum.*

43 *Id ostenditur ex discursu Bertrandi Episcopi Eduensis nomine Cleri Gallicani coram Philippo Valesio habito.*

44. *Pratendit hic omnem causam, in qua subest materia, peccati spectare ad forum Ecclesiasticum.*

45. *Ex hoc principio facilè omnes causa ad forum Ecclesiasticum trahi possunt.*

46. *Dicit Eduensis consuetudinem Ecclesia Gallicana esse, ut cognoscat de causis personalibus & realibus laicorum.*

47. *Asserit hanc consuetudinem introductam ex voluntate litigantium eligentium tribunal Ecclesiasticum.*

48. *Reflectit hic Eduensis ad Legem sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgatam.*

49. *Hac consuetudo in contradictorio judicio dicitur confirmata.*

50. *Quare Ecclesia Gallicana ampliore jurisdictione utatur, quàm alia Ecclesia?*

51. *Supplicant Pralati, ut Rex conservet eam jurisdictionem in causis laicorum.*

52. *Item, ut juxta legem Theodosii à Carolo M. innovatam permittat Litigantibus libertatem, judicem eligendi.*

53. *Extensionem jurisdictionis Ecclesiastica probat tractatus Guilielmi Durandi Concilio Viennensi exhibitus.*

54. *Consectaria ex ante dictis.*

I. APostolus advertens inordinatum morum litigandi & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios irrepere, eos in prima sua ad ipsos Epistola *cap.* 9. de duobus arguit.

II. Primò, quòd quæstiones exortas inter ipsos ad profana *infidelium* tribunalia deferrent. *Audet* (ait) *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* id est, audet aliquis apud *iniquos*, seu infideles, & non apud Christianos, qui hic *Sancti* vocantur, *judicari*, seu judicio experiri?

III. Rectè autem monet Estius in Commentario ad hæc Apostoli verba, dirigi hunc Apostoli sermonem ad *actorem*; cujus in potestate erat apud Ethnicum Judicem agere, vel non agere: non contra *reum* qui compellebatur, cui nec integrum erat Judicem *ethnicum* declinare, modò competentem.

IV. Peccatum ergò Corinthiorum in eo erat (pergit „ Estius) quòd cùm possent causam agere apud fideles sal- „ tem, ut delectos arbitros: mallent apud infideles judices ex- „ periri, non sine Ethnicorum scandalo, & Christianæ reli- „ gionis injuria: nam eò vitia Christianorum detegebantur „ apud infideles, primùm dissidia, deinde avaritia, tum injuriæ „ mutuæ.

V. Ut autem hujus recursûs ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolus, adjungit: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judi-* „ *cetis?* quasi diceret: cùm sitis Judices universales de maxi- „ mis rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita „ condemnanda sit; an vos indignos censetis, qui præficiamini „ minimis Judiciis? Veluti cùm disceptatur de negotiis hujus „ sæculi plerumque frivolis, atque exigui momenti, certè ex- „ tremo loco habendis à Christiano. Ita Estius.

VI. Prosequitur argumentum Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sacularia?* Id est, „ si judicaturi sumus Angelos, id est creaturam omnium præ- „ stantissimam, quantò magis digni habendi, qui inter nos de „ rebus infimis, ut sunt ea quæ spectant ad usum vitæ præsen- „ tis, judicemus? ait Estius.

VII. Post hæc concludit: *Sacularia ergo judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.*

Per *contemptibiles* hic intelligit Apostolus, qui inter ipsos Fideles, sive in Ecclesia *minimi* habentur.

VIII. Nequaquam tamen absolutè & simpliciter vult similes dijudicandis ac terminandis *sacularibus judiciis* sive quæstionibus esse præficiendos; sed *comparativè* duntaxat ad infideles; docere volens, potiùs hoc agendum esse, etsi parum deceat, quàm ut Christiani litigent apud infideles.

Unde sequitur apud Apostolum: *Ad verecundiam dico*: quasi diceret: Quod dixi de *contemptibilibus* constituendis ad judicandum inter vos, non dixi quòd ita fieri debeat: sed ut ab eo quod agitis pudor vos avocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes & honorati, qui causas vestras dijudicent. Quod vobis profectò *pudorem* incutere debet.

IX. Et hoc est quod sequitur: *Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter Fratrem suum?* Sensus est: Adeone non est vel unus sapiens apud vos, qui Fratrum inter se disceptantium causas possit judicando vel arbitrando, secundùm Jus & æquitatem dirimere?

Itaque hoc unum inculcare voluit Apostolus, ut si Fidelis quæstionem habeat de rebus etiam temporalibus cum alio Fideli, quæstionem non ad tribunal sæculare ethnicorum trahat, sed alicui *Sapienti* inter Fideles sive Christianos quæstionem proponat, ut ipse eam determinet & dirimat.

X. Licèt enim eo tempore sub Imperatoribus ethnicis, Christiani non essent Judices à Principe constituti cum potestate, uti rectè notat Estius, poterant tamen eligi & assumi tamquam *arbitri*, quorum sententiis ex compromisso starent, qui controversias habebant.

XI. Imo vel idcirco desiderabat Apostolus, ut Fideles quæstiones ad Ecclesiam referrent, ut hoc pacto Judicia & lites forenses fugerent; controversiasque suas amicabiliter, interveniente *Sapiente*, componerent: ideoque subjungit præcedentibus: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos.* Ac si diceret, non est quòd propterea ad infidelium tribunalia controversias vestras deferatis; quia Fideles judicandi auctoritate ab Imperatoribus non sunt instructi: & consequenter Judicia exercere nequeant; quia hæc vos Christiani fugere debetis: imo *jam omnino delictum est in vobis, quòd judicia* sive lites forenses, *habetis inter vos.*

Vult ergo Apostolus, ut Fideles quæstiones inter ipsos excitatas, non in forensibus Tribunalibus agitent; sed eligant aliquis sapiens ex ipsis, cui quæstionum suarum decisionem committant.

XII. Per *Sapientem*, qui dirimendis & sopiendis quæstionibus inter Fideles exurgentibus intendat, & ad quem ipsi recurrant; intelligi videtur omnis ille, qui difficultatibus illis terminandis, & Fratribus conciliandis, eosque à litibus avocandis est convenientior, & veræ ac Christianæ sapientiæ gratiâ in Ecclesia honoratus; uti monet Estius.

XIII. Cùm igitur Episcopi præcipuâ in Ecclesia auctoritate pollerent, ipsisque tamquam Christianorum spiritualibus Patribus & Directoribus Fideles sua negotia magis consuevissent confidere, ipsisque speciali titulo incumberet, animos filiorum & subditorum suorum conciliare, & ab inordinato rerum terrenarum amore avocare, judicarunt jam pridem sanctissimi Episcopi muneris sui esse, causas & quæstiones Fidelium, etiam de rebus *terrenis* audire, & dirimere; ipsosque ad concordiam revocare, simulque suâ authoritate paternâ eos docere, quantum præ bonis temporalibus,

bus, pro quibus tantoperè disputant, amanda sint consilia.

XIV. Quantopere huic operi incubuerit S. Augustinus, testis est Possidius in ejus vita, referens, eum interpellatum non solùm à Christianis, sed à cujuscumque sectæ hominibus, causas eorum audivisse *diligenter ac piè*: & ut eas dirimeret, aliquando totâ die jejunum perdurasse: ubi etiam hoc addit, quàm sanctâ intentione, genus illud occupationis alioquin ipsi molestissimæ susceperit; idque, ut ait Possidius, secundùm Apostoli sententiam dicentis, *Audet quisquam vestrûm &c.*

Ipse quoque plurimis locis de seipso testatur, quomodo quæstionibus & causis decidendis occuparetur, & hisce implicatus à rerum cœlestium contemplatione invitus avocaretur; ac signanter libro de Opere Monachorum *cap. 19.* ubi mal asserit, se hisce molestiis ex Apostoli sententia implicari: „Quibus (ait) nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique „suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio.

Quantos labores, quantasque molestias subiret, & qualiter se totum impenderet, ut homines sæculares ad concordiam revocaret; ipsisque persuaderet, ut suo se subjicerent judicio, videri potest *Conc. 24. in Psalm. 118.*

XV. Eidem operi insudasse S. Ambrosium, testis est Augustinus *lib. 6. Confess. cap. 3.* Secludentibus me (ait) ab ejus aure „atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infir„mitatibus serviebat.

XVI. Imperatores Christiani desiderantes inter subditos suos pacem & animorum concordiam, etiam hoc Episcopale studium in decidendis & dirimendis negotiis civilibus laudârunt, & suis legibus probârunt & stabilierunt.

XVII. De Constantino M. scribit Sozomenus *lib. 1. hist. c. 9.* Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium pro„vocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent: eorum au„tem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis præ„valeret, perindeac si ab Imperatore ipso data fuisset: utque „res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum eorum„que Officiales executioni mandarent.

XVIII. Extat & Arcadii Imperatoris Constitutio in *L. 7. Cod. de Episcopali Audientia*, quâ idipsum litigantibus „permittitur: Si qui, (ait) *ex consensu* apud sacræ legis Anti„stitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur il„lius in *Civili* dumtaxat negotio, more *Arbitri*, sponte resi„dentis judicium.

Hinc elucet, litigantibus liberum fuisse, causas suas civiles ad Episcopum deferre, qui quasi à partibus electus, non ut Judex, sed more *Arbitri* causam susciperet & dirimeret.

XIX. Ut autem firmior esset ab Episcopo tamquam arbitro inter Fideles probata sententia, declaratur in *L. 8. Cod. eod.* quòd ab ea provocari nequeat; atque ipsi Judices, quod ab Episcopo determinatum fuerit, executioni mandari debe„rent. Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à „Sacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhi„bendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri ne„cesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per ju„dicium quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, defi„nitioni executio tribuatur.

XX. Permittit quoque Valentianus III. in *Novella 12.* laicis, ut præeunte vinculo *compromissi* coram Episcopo cau„sas suas pecuniarias agant. Addit tamen: Aliter eos Judices „esse non patimur, nisi *voluntas jurgantium* interposita, si„cut dictum est, conditione procedat: Si ambo ejusdem „officii litigatores nolunt, vel alteruter, agant publicis legibus „& jure communi.

Hæc non obscurè probant, Episcoporum judicia fuisse *amicabilia arbitraria*, laicosque non nisi *volentes* eorum Judicio subjectos.

XXI. Ad has leges reflexisse apparet S. Leo dum *Epist. 2.* „respondit Rustico Narbonensi Episcopo: Si pœnitens „habet causam, quam negligere fortè non debeat, melius „expetit Ecclesiasticum quam forense Judicium. Hic enim sat patenter supponit Leo, laicis optionem esse recurrendi vel Ecclesiasticos, vel Sæculares Judices. Consulit autem Ecclesiasticos potiùs expeti à pœnitentibus; quia tum temporis, non more forensi & judiciario; sed arbitrario & amicè quasi causæ ab Episcopis finiebantur & sopiebantur: ut consequenter qui ad Episcopum recurrebant, quæstionesque suas referebant, non tam litigare & judicio experiri, quàm amicè convenire, & pacificè quæstionem terminari velle viderentur.

XXII. Quæ hactenus relata sunt, evincunt Episcopos de causis laicorum etiam civilium judices, sive potius arbitros constitutos fuisse, si modò litigantes eos elegerint; sive, *si qui apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint*; ut loquitur Arcadius in citata *L. 7. Cod. de Episcopali audientia*; aut quemadmodum dicit Honorius in lege sequenti, *qui se audiri à Sacerdotibus elegerint*, uti rectè notat Jacobus Gothofredus ad Extravagantem primam de Episcopali judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani.

XXIII. Credit autem Gothofredus, hanc Extravagantem sive legem vel ex hoc capite suppostitiam esse, & Constantino M. tribui non posse, quòd permittat causas laicorum ad Episcopos deferri, non tantùm ex *utriusque* litigantium consensu, sed & *altero refragante*.

In hac quippe lege sub nomine Constantini dicitur: „Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive peti„tor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, „sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi „sententia, Judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico „sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad E„piscopum cum sermone litigantium dirigatur: Multa „enim quæ in Judicio captiosæ præscriptionis vincula promi „non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis „auctoritas.

XXIV. Significat in eadem lege Constantinus Ablavio Præ„fecto, Sanximus sicut Edicti nostri forma declarat, sententias „Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis dis„cretione, inviolatas semper incorruptasque servari: scilicet „ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeantur, quidquid „Episcoporum fuerit sententia terminatum.

Additur post hæc, quòd nec liceat ulteriùs retractari nego„tium, quod Episcoporum sententia deciderit.

XXV. Cur tanta Episcoporum sententiis auctoritas, tantaque litigantibus ad judicia Episcopalia recurrendi tribua„tur libertas, subditur: Hoc nos Edicto salubri aliquando „censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium „semina comprimentes: ut miseri homines, longis ac pe„nè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis pe„titionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine dis„cedant.

XXVI. Quamvis Jacobus Gothofredus aliique viri eruditi tum ex allegata tum aliis rationibus non improbabiliter sustineant, hanc extravagantem sive edictum Constantino tribui non posse, hoc nihilominus constat, jam pridem illud in Capitularibus Regum Francorum probatum, & quasi adoptatum esse, *lib. 6. cap. 366.* edit. Baluzianæ; citaturque non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii.

XXVII. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto *parte 16. cap. 312.* & à Gratiano *Caus. 11. q. 1. Can. 35. & 36.* ac tandem ab Innocentio III. tamquam primitùs à Theodosio editum, & à Carolo M. innovatum adducitur & probatur in *Cap. 13. De Judiciis.*

XXVIII. Vigore proinde hujus edicti licitum erat laicis non tantùm antè inchoationem judicii, sed in quacumque parte litis causam è manibus judicis laici extrahere, & ad Judicium Episcopi trahere, idque parte adversâ refragante. Consequenter ampliùs dici non poterat, Episcopum tamquam arbitrum de utriusque litigantis consensu esse electum: & quasi ex compromisso causam dirimere.

XXIX. Ulterius Edictum eam tribuit judicio sive sententiæ Episcopali efficaciam, ut causæ sententiis Episcoporum terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec ulte-

Digitiz

ul. erius liceat retractare negotium; ut legitur apud Gratianum.

XXX. Porro notanda meritò verba, quibus hoc Edictum sub nomine Theodosii Carolus M. promulgavit; hinc enim patebit per omnes generatim suas ditiones, sive hæ jure scripto seu Romano uterentur, sive jure consuetudinario, quod hanc promulgationem fecerit consultu omnium suorum Fidelium, tam Clericorum, quàm laicorum. Verba sunt: „Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni „nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani quam Franci, „Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Fresones, „Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vuascones, „Beneventani, Gothi & Hispani, cæterique nobis subjecti „omnes, licet quocumque videantur legis vinculo constri„cti vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, „quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro capitu„lo videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus „rescriptam sumpsimus & inter nostra capitula pro lege te„nendam consultu omnium fidelium nostrorum tam Cleri„corum quàm & Laicorum posuimus lege cunctis perpetuò „tenendam.

XXXI. Eadem indubiè mens erat Caroli M. in hujus legis renovatione & promulgatione quæ in ipsa lege erat expressâ sub nomine Theodosii; nimirum, ut populo pax & vera concordia procuraretur, litesque ac contentiones inter Fideles amicè componerentur per Episcopum communem ipsorum patrem; atque Episcopi ministerio è cordibus eradicaretur litium & dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix, cupiditas; & plantaretur pacis & concordiæ mater charitas.

Hic scopus, ut supra diximus, in ipsa lege his verbis expri„mitur: Hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina „comprimentes, ut miseri homines longis ac penè perpetuis „actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel à cupi„ditate præpropera maturo fine discedant.

XXXII. Tota ergo Episcoporum jurisdictio & auctoritas in laicorum causis ad concordiam pacemque inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium & actionum laqueis at tritis eripiendos tendebat. Ut proinde mirum videri haud debeat, si laicis libertas daretur ad ipsos tamquam communes pacificatores & patres recurrendi.

XXXIII. Imò Episcopi persuadere conabantur Regibus, quod & judices laici potiùs pacificatores, quàm judices esse deberent; ita Episcopi Concilii Triburiensis ad Ludovicum Regem Germanorum loquebantur. „Constituite „Comites & Ministros Reipub. qui placita non pro acqui„sitione lucri teneant: sed ut casæ Dei, & viduæ ac pu„pilli & populus justitiam habeant; & plus litigantes ad „concordiam salvâ justitiâ revocare studeant, quàm com„mittere ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos „si pacificare non potuerint, tunc justum judicium decerni fa„ciant.

XXXIV. Hinc itaque fiebat, ut pleræque causæ etiam laicorum coram Ecclesiasticis agitarentur; latèque ipsa auctoritas Episcopalis in decidendis quæstionibus se extenderet.

XXXV. Et reverà extensam admodum fuisse Ecclesiasticorum jurisdictionem, etiam circa causas laicorum dubitari nequit, legiturque quòd anno 1225. Ludovicus Rex Galliarum convocaverit Concilium Meloduno, ibique Archiepiscopi & Episcopi Franciæ, præsente Legato, peterent instanter à Rege Franciæ & à suis Baronibus jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione istâ dicebant investitam esse Ecclesiam Gallicanam.

Huic postulationi Episcoporum Rex se opponens, ar„gumentis evidentissimis asserebat, hoc esse dissonum ratio„ni: Cùm causa mobilium (ait) non ratione juramenti, vel „fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum merè sit lai„calis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus per„tinere.

XXXVI. Hæc ex Chronico Turonensi referuntur tomo XI. Concil. General. *col.* 2[illegible] ex quibus patescit, quòd licèt super postulatis Episcoporum nihil fuerit conclusum, ipsaque causa *ab utraque parte posita sit in suspenso*, nihilominus ex ipso Regis responso habetur.

Primò, quòd causa etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi tunc temporis spectaret ad forum Ecclesiasticum; quod tamquam indubitatum, supponens Bonifacius VIII. *Cap.* 3. *De Foro competenti in VI.* respondit, quòd Clericus possit laicum, pro quo fidejusserat, quippe juramento interposito promiserat fidejussorem servare in„demnem convenire coram judice Ecclesiastico, ad cujus (ait) „forum ratione *juramenti* causæ hujusmodi cognitio *nosci„tur* pertinere.

XXXVII. Hoc titulo omnes penè quæstiones super contractibus etiam civilibus ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur; licèt etiam causa esset realis, uti notat Mornacius ad *L.* 8. *Cod. De Episcopali Audientia*; quia numquam „ferè omittebant tabelliones adjicere præstitum à contrahen„tibus Sacramentum de servandis quæ pepigissent, ait Mornacius.

XXXVIII. Ulterius ex responso Regis patet, causas testamentarias ad forum Ecclesiasticum pertinuisse; quod & notavit Mornacius loco citato.

XXXIX. Rationem addit Mornacius, quòd testamenta fe„rè omnia conscriberentur à duobus semper Notariis, altero „Regio, altero Apostolico. Dein addit: Ita ut per mixturam „utriusque illius muneris ludificari & in hoc etiam mos esset „imperium regium. Manus enim sola incidens Tabellionis „Apostolici efficiebat, *levibusque velut per devia gyris*, ne„gotium Ecclesiasticum, quod aliàs, & nisi mixtura illa fuisset, „planè erat profanum, & à profanis, seu sæcularibus, regiisque „judicibus Judicandum.

XL. Observavit & illud auctor Somnii Vergerii; asseritque quod laici frequenter contractus suos coram Notariis Ecclesiæ conficerent, ut Judici sæculari se subtraherent. Multi (ait „*cap.*100.) magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quàm vincu„lum temporale; & ante aliquando dimitterent contractus fa„cere, sine quibus non possent vivere, quàm se submittere Cu„riæ temporali.

XLI. Sicuti contractus coram Notario Ecclesiastico subdebantur tribunali Ecclesiastico, ita quæcumque causa cui quid spirituale seu Ecclesiasticum videbatur immixtum ad idem spectare dicebatur.

Hac de causa Rectores Ecclesiarum coram Judice Ecclesiastico convenire poterant Laicos, qui vel ipsorum personas, vel bona læsisse aut occupasse prætendebantur: quia de sacrilegii crimine agi videbatur. *Cap.* 8. *&* *De Foro Competenti*.

XLII. Hæc aliaque quæ causas etiam laicorum ad judicium Ecclesiasticum trahebant, evincunt, meritò notasse „Mornacium loco supra citato: Inde eminuit per longas æ„tates unum penè, ac solum in universa Gallia forum Eccle„siasticum, eviluitque toto illo tempore, quasique emarcuit „Jurisdictio Regia.

XLIII. Meritò sanè id speciatim de Gallia monuit Mornacius. Nam ut constat ex disputatione super puncto Jurisdictionis anno 1327. habitâ inter Nobiles Regiosque ministros, & Prælatos Regni Galliæ coram Philippo Valesio Rege Galliæ, in Regno Galliæ magis quàm in ullo alio, jurisdictio Ecclesiastica ad omnes penè laicorum causas se extendebat; uti ex articulis à Petro de Cugneriis Consiliario Regio nomine Nobilium & Baronum contra Prælatos propositis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur.

XLIV. Hic imprimis probat Eduensis, Jurisdictionem temporalem posse competere Ecclesiasticis; nec esse contrariam Sacerdotio; atque inter alia prolatis exemplis Petri, *qui Ananiam & Sapphiram pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnavit*; & Pauli, qui *convictum fornicatorem condemnavit*: nec non verbis Christi, *Si peccaverit in te frater* &c. Subjungit: Ecce quàm expressè vult quod in

„in omni re, in qua est *peccatum* unius adversus alterum, si il-„le qui deliquit monitus caritativè non emendaverit, debet ne-„gotium ad judicium Ecclesiæ referri.

XLV. Hoc principio posito, nemo non videt, quàm non sit difficile, omnes planè causas ad judicium Ecclesiæ referre: cùm nullæ ferè causæ sint, in quibus peccatum injustitiæ intervenire prætendi nequeat. Quod & ipse Eduensis non obscurè expressit; qui paulò post dicit: Præterea nullus dubitat, „quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas perti-„neat: cùm ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius „partis, patet, quòd Ecclesia cognoscere possit.

XLVI. Dicit deinde Eduensis, quod consuetudo secundùm jura dat jurisdictionem, maximè personæ capaci: ac inde „ulterius concludit: Cum ergo Ecclesia Gallicana consueve-„rit inter laicos cognoscere in actionibus personalibus & *rea-„libus* alicujus Ecclesiæ, patet quod consuetudo potuit sibi „dare illam jurisdictionem.

Hic observamus, consuetudinem in Gallia viguisse, ut & de *realibus* Ecclesia judicaret.

XLVII. Asserit præterea, quòd Ecclesia Gallicana magis „vindicet sibi illud jus consuetudine, quàm præscriptione: „quia (ait) consuetudo videtur introduci magis ex voluntate „& electione populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum „potiùs, quàm ad judicium sæculare & in favorem eorum.

XLVIII. Non obscurum est, Episcopum Eduensem hic reflectere ad legem illam quam sub nomine Theodosii confirmavit & innovavit Carolus M. qua laicis facultas datur recurrendi ad judicem Ecclesiasticum etiam altera parte renitente, cujus legis ipse Eduensis jam meminerat; ejusque observantiam nomine Cleri apud Regem urget, ut mox videbimus.

XLIX. Multum confirmatur ad hoc ista consuetudo „(pergit Eduensis) quia fuit in contradictorio judicio obten-„ta: frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione „Prælatorum auditâ, fuit per prædecessores vestros Reges „consuetudo hujusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam „pacificè obtenta.

L. Posthæc sibi hanc objectionem ex persona adversarii „format: Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cum a-„liæ Ecclesiæ sibi in aliis regionibus hoc minimè vendicare „noscuntur? ad quod potest faciliter responderi (ait) si enim „Reges Franciæ quos Deus singularibus privilegiis, gratiis & „honoribus præ cæteris Regibus insignivit & prosperati sunt; „inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & „devotionem ad Deum, item propter maximum honorem & „reverentiam ad Ecclesiam, item propter justitiam prælibatam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates „concesserunt vel concessi uti liberè permiserunt, non est mi-„rum, imò tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quod Ec-„clesiæ tanto eis propinquiores tanto pluribus libertatibus „gaudent, nec ex hoc minus habuerunt, sed plus sicut rei evi-„dentia manifestat: imò hoc redundat in magnam nobilitatem „regni & Regis.

Quidquid sit de hoc responso; hoc equidem negari nequit, quin ipso Eduense fatente, Ecclesia Gallicana præ cæteris Ecclesiis ampliore jurisdictione uteretur.

LI. Postmodum respondet Eduensis nomine Prælatorum ad singulos articulos gravaminum per Barones & Nobiles propositos; ac dein supplicant Regiæ Majestati, quod „placeat ei jura, libertates, privilegia Canonica, consuetudi-„nes & saisinas, quæ & quas Ecclesiæ Gallicanæ habent & „habuerunt temporibus retroactis, eis defendere & servare, „specialiter super cognitionem actionum personalium & „realium mixtarum, nec non & interdictorum maximè inter „laicos.

LII. Plura alia singillatim exprimunt, quæ amplitudinem jurisdictionis indicant, atque finaliter petunt, ut „placeat ei proclamationes & inhibitiones factas, scilicet „quod nullus laicus trahat alium laicum coram judice Ec-„clesiastico revocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura „tollere.

Et licet (inquiunt) in aliquibus locis pro tollenda eorum „malitia in talibus proclamationibus seu inhibitionibus ver-„ba, quæ sequuntur, apponant: videlicet quod laicus non tra-„hat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus „ad judices sæculares seu temporales, hoc est propter jura Ec-„clesiæ usurpanda: quia multa pertinent ad forum laicorum, „quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum. Et sic jus & „consuetudo tollerentur, per quæ in *electione* laici est, quod „possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire.

Prælatos hic rursus respicere ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. innovatam, quæ laicis libertatem recurrendi ad judicem Ecclesiasticum tribuit, manifestum est.

LIII. Quàm latè tunc jurisdictio Ecclesiastica in Regno etiam Galliæ ex mente & opinione Prælatorum se extenderet, sat probat hic discursus; uti & tractatus de modo generalis Concilii celebrandi per Guilelmum Durandum Episcopum Mimatensem Concilio Viennensi oblatus, ubi *Rubrica* 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à laicis inflicta proponit: quæ si ritè expendantur, apparebit, quàm latè ex opinione Prælatorum se jurisdictio Ecclesiastica diffunderet.

LIV. Hactenus dicta ostendunt, quousque jurisdictio sive auctoritas Ecclesiæ in judicandis & decidendis laicorum causis etiam civilibus & profanis se extenderet: quodque & primis sæculis, Principes causas ad Episcopale arbitrium deferri optaverint; ipsasque Episcoporum decisiones irretractabiles esse voluerint.

Patet insuper, succedentibus sæculis, jurisdictioni Ecclesiasticæ non exiguas à Magistratibus civilibus & Regiis factas oppositiones.

Cognoscitur quoque quòd non defuerint Episcopi etiam Sanctissimi, qui se Magistratuum conatibus opposuere ipsamque auctoritatem & jurisdictionem Ecclesiasticam tutati sunt: non quod forensibus negotiis, aut causarum & quæstionum discussionibus implicari amarent, aut lucrum ex illis sperarent; sed quòd jura Ecclesiarum suarum defendenda crederent; nec non putarent, causis terminandis & pacificandis suorum subditorum meritò se debere impendere, ut ipsos à litibus forensibus expedirent, & pacem & concordiam inter ipsos firmarent.

Notanda sunt, quæ in hanc rem leguntur de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano in ejus vita apud Surium ad diem „primam Aprilis: Temporalium negotiorum litigiosas cau-„sas æternorum amore, non amare, sed tolerare didicerat. Di-„cebat enim omni febre molestiora sibi placita; modisque „omnibus his se abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sci-„ret offensurum. Intererat autem his tantummodo *pacis* ob-„tentu, maximè pauperum atque Ecclesiarum. Ubi verò in-„exorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repererat iras, „tunc demum fortissimè de Dei fisus auxilio, totusque in cha-„ritatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac de-„votissimè offensis pro his qui offenderant supplicabat. O „quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cœnosa se „pro talibus loca projecit! quoties ad pedes contemptibilium „etiam personarum prostratus jacuit! nec facilè, imò penè „nusquam frustrabatur optatis. Nam & si qui negassent, „non solùm gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes „offerebant postea non roganti, quod negaverant suppli-„canti.

CAPUT II.

Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis civilibus laicorum in Belgio & Gallia.

1. *Pluribus sæculis admodum extensa auctoritas Episcoporum in decidendis causis laicorum.*

2. *Per undecim secula videtur fuisse facultas laicis deferendi suas causas ad judicium Episcopi.*
3. *Circa seculum 13. cœpit jurisdictio Ecclesiastica in Gallia & vicinis Provinciis impeti.*
4. *Confœderatio Nobilium Galliæ contra jurisdictionem Ecclesiasticam.*
5. *Causam delegant aliquibus qui eã strenuè prosequantur.*
6. *Papa hunc nobilium impetum sistit.*
7. *Seculo 13. Rex Galliæ inhibuit Delegato Pontificis de rebus ad jurisdictionem temporalem spectantibus cognoscere.*
8. *Laici non patiebantur laicos conveniri coram Judice Ecclesiastico sub initium seculi 14.*
9. *Laici studebant laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ subtrahere.*
10. *Circa seculum 14. vulnera multa Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta queritur Gulielmus Durandus.*
11. *Sensim & frustatim jurisdictio Ecclesiastica quasi interiit.*
12. *Seculo 14. Carolus V. Franciæ Rex causas* reales *jurisdictioni Ecclesiasticæ substraxit.*
13. *Dein Franciscus I etiam quoad actiones* personales *laicos à jurisdictione Ecclesiastica exemit.*
14. *Inhibuit sub mulcta arbitraria judicibus Ecclesiasticis citare laicos in causis merè personalibus.*
15. *Declarat salvam jurisdictionem Ecclesiasticam in causis merè spiritualibus.*
16. *Hæc Constitutio primitùs tantùm edita fuit per provisionem & cum aliqua limitatione.*
17. *Quomodo per usum transierit in definitivam & absolutam.*
18. *Principes Belgii seculo 15. laicos in causis personalibus coram Judice Ecclesiastico noluerunt conveniri.*
19. *Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem laicos pene quoad omnes causas à jurisdictione Ecclesiastica eximunt.*
20. *Similiter & Concordata inter Hannones & Archiepiscopum Cameracensem.*
21. *Hodie in citatione laici ad forum Ecclesiasticum debet exprimi causa; & quare?*
22. *Laici hodie in judicem Ecclesiasticũ consentire nequeunt.*
23. *Hodie abrogata Lex sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgata.*
24. *Quæ ratio diminutæ jurisdictionis Ecclesiasticæ remissivè.*

I. Prioribus sæculis admodum extensam fuisse Episcoporum auctoritatem in decidendis causis civilibus, etiam Laicorum; eamque Principes suis legibus promovisse & stabilisse, capite præcedenti ostendimus.

II. Videtur autem per undecim & amplius sæcula Ecclesia mansisse in pacifica possessione hac extensa auctoritate decidendi causas Laicorum, saltem quas Laici ad ipsorum tribunal deferebant, ipsisque Laicis integram fuisse libertatem, ut dimissis judicibus sæcularibus, causarum suarum decisionem Episcopis deferrent.

III. Verùm circa sæculum 13. cœpit hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem pene ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles Laicorum; idque vel maximè in Gallia vicinisque Provinciis, in quibus tamen præteritis temporibus latius, quàm in aliis regionibus se extenderat jurisdictio & auctoritas Ecclesiastica, uti ex discursu Berthrandi Episcopi Eduensis capite præcedenti notavimus.

IV. Refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ex historia Matthæi Parisiensis ad annum 1246. quòd anno 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerunt, & mutua fide obstrinxerint, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene absorpta erat à Clericis, revindicare & defendere. Verba ipsorum sunt: Nos omnes Regni Majores attento „animo percipientes, quòd regnum non per jus scriptum, „nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos „fuerit adquisitum, præsenti decreto omnium juramento „statuimus & sancimus, ut nullus Clericus vel Laicus alium „de cætero trahat in causam coram ordinario Judice vel „delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris: amissio„ne omnium bonorum suorum, & unius membri mutilatio„ne, transgressoribus imminente; certis à nobis super hoc exe„cutoribus deputatis; ut sic jurisdictio nostra resuscitata re„spiret, & ipsi hactenus ex nostra depauperatione ditati, qui„bus Dominus propter eorum superbiam profanas voluit re„velare contentiones, reducantur ad statum Ecclesiæ primiti„væ; & in contemplatione viventes, nobis, sicut decet, acti„vam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum à „sæculo recesserunt.

V. Refertur ibidem ex eodem Historico acta dictorum Baronum, qua constituunt quatuor è suis, qui simul, vel duo ex ipsis strenuè cum plena auctoritate & potestate hoc negotium contra Clerum prosequantur; datâ quoque eisdem auctoritate exigendi etiam certam pecuniæ quantitatem à singulis de hac communitate pro expensis in prosequenda hac causa; monentque, ut si forsan quisquam de hac communitate excommunicaretur, & hi quatuor judicarent, excommunicationem injustam, tunc non attendendo excommunicationem pergeret: Verba actæ Gallico idiomate relatæ sunt: *A tous ceux qui ces lettres verront, nous tous desquels les seaux pendent en cest present escrit, faisons sçavoir, que nous par la foy de nos corps avons fiancé & sommes aliancé, tant nous comme nos heritiers à toujours, à ayder les uns aux autres, & à tous ceux de nos terres, & d'autres terres, qui voudront estre de ceste compagnie, à pourchasser & à requerir & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy envers la clergie. Et pour ce que seroit grieve chose nous tous assembler pour ceste besoigne, nous avons esu par le commun assent & ottroy de nous tous, le Duc de* Burgoigne, *le Conte* Petrun *de* Bretaigne, *le Conte* d'Angulelme, *& le Conte de* S. Pol, *à ce que si aucuns de ceste communité avoit à faire envers la clergie, tel ayde comme ces quatre devantdits esgarderoient qu'un homme luy doit faire, nous luy ferions. Et cest à sçavoir, que à ce defendre, pourchasser, & requerir, chascun de ceste communité mettra la centiesme part par son serment de la vaillance d'un an de la terre quil tiendra. Et chascun riche homme de ceste compagnie fera lever ces deniers, chascun an à son povoir à la Purification de nostre Dame, & les delivra où il sera mestier pour ceste besoigne, par les lettres pendantes de ces quatre avant nommez, ou des deux de eux. Et si aucun avoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre avant nommez, il ne seroit pas aydé de la communité. Et si aucun de ceste compagnie estoit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la clergie luy fait, il ne laisseroit aller son droit ne sa querele pour l'excommuniment, ne pour autre chose q'non luy face, si ce n'est par l'accort de ces quatre, ou des deux de eux, ains poursuiveroit sa droiture. Et si les deux des quatre mourroyent ou alloyent hors de la terre, les autres deux qui demeuroyent, mettroyent autres deux en lieu de ces deux, qui auroyent tel povoir que cest à devant divisé. Et si lavenoit que les trois & les quatre allassent hors de la terre, ou mourrissent, les douze ou les dix des riches du ceste communité, esliront autres quatre, qui auront ce mesme povoir que les quatre devantdits. Et si ces quatre, ou aucun de la communité par le commandement de ces quatre faisent aucune besoigne qui appertenoit à ceste communité, la communiid l'en delivreroit.* Id est: Omnibus has visuris, Nos omnes quorum sigilla his appensa sunt litteris, notum facimus, quod interpositâ corporum nostrorum fide fœdus iniverimus, tam Nos ipsi, quàm liberi nostri in perpetuum, ut nobis mutuo, omnibusque qui in terris Jurisdictionis nostræ, seu in aliis degunt, huicque fœderi associari volent, opem feramus, ad promovendum procurandum & defendendum nostra & ipsorum jura, bonâ fide adversus Clerum. Et quia difficile foret in eum finem singulos nostrum convenire, constituimus de communi omnium assensu & venia Ducem Burgundiæ, Comitem Perunium Britanniæ, Comitem Inculismensem, & Comitem S. Pauli, ut si quisquam hujus communitatis adversus Clerum tali auxilio indigeat, quale prædicti quatuor judicaverint, per aliquem ipsi præstari debere, nos ipsi assera-

afferamus. Propterea que scilicet ut id defendamus, promoveamus & procuremus, quilibet hujus Communitatis interposito jure jurando, conferet centesimam partem reditus annui terrarum quas possidet. Et opulentus quilibet hujus Communitatis procurabit horum nummorum collectionem annuatim, prout poterit in festum Purificationis Divæ Virginis, tradetque ubi opus erit, in hanc operam visis litteris obsignatis prædictorum quatuor, aut duorum ex illis.

VI. Addit dein Matthæus Parisiensis: "Hæc cùm audisset „Papa, ingemuit spiritu perturbato; & cupiens eorum emolli„re corda, & constantiam enervare, admonitione præmissâ „eos minus perterruit nec se sic sensit prævalere. Contulit igi„tur multis consanguineorum eorum multa beneficia Eccle„siastica, & licentiam plura obtinendi, cum indulgentiis mul„tis, nec non & plura ipsis nobilibus contulit donativa; & sic „multos eorum à prædicta Præsumptione revocavit. Mul„tos tamen perterruit hujusmodi tenor Epistolæ, creden„turque hæc à consensu *Frederici* emanasse; maximè cùm „hujusmodi clausula finalis concordet Epistolæ *Frederici*, „quam multis misit Principibus, in cujus fine sic dicit: *Semper „fuit nostra intentio voluntatis clericos cujuscumque ordi„nis ad hoc inducere, & maximè maximos, ut tales perse„verarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva. A„postolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imi„tantes. Tales namque clerici solebant Angelos intueri, mi„raculis coruscare.* Id est:

Si verò culpa teneretur, arbitrioque prædictorum quatuor stare detrectaret, à nullo Communitatis juvaretur. Si autem quisquam hujus Communitatis injuriâ foret excommunicatus, quàm dicti quatuor censerent ei Clerum intulisse, nec querelas, nec jus suum prosequi omitteret propter excommunicationem, aut aliud demum quidquid contra ipsum agatur, nisi de consensu istorum quatuor aut duorum ex ipsis, verum jus suum prosequeretur. Quòd si duo horum quatuor morerentur, aut peregre proficiscerentur, alii duo qui restarent, alios duos substituerent in locum horum duorum qui eamdem haberent authoritatem quam supra declaravimus. Quod si contingeret, ut vel tres vel ipsi quatuor peregre proficiscerentur aut morerentur, duodecim aut decem ex opulentis hujus communitatis quatuor alios eligerent, qui eamdem quam prædicti quatuor potestatem haberent. Quod si hi quatuor aut quis alius ex Communitate ad mandatum horum quatuor operam aliquam præstent, quæ hanc Communitatem concernat, per ipsam damno eximeretur.

Quidquid sit de hoc additamento; hoc satis constat, sub hæc tempora jurisdictioni Ecclesiasticæ non tantùm oppositionem fieri cœpisse; sed & paulatim eam diminui & restringi.

VII. Occurrit in citatis Probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 7. num. 6.* declaratio cujusdam Capellani Pontificii, qua declarat, sibi à Rege S. Ludovico fuisse injun„ctum, ne de communia Belvacensi, seu de rebus pertinenti„bus ad eamdem, nec de regalibus suis, sub de rebus aliquibus „ad jurisdictionem suam secularem pertinentibus, cognoscere „directè sive indirectè, seu inquisitionem facere aliquatenus „præsumeret.

VIII. Scribit Mayerus *lib. 10.* Annalium Flandriæ, anno 1301. coactam fuisse apud Compendium Synodum Provincialem per Archiepiscopum Remorum, " ubi fulminati Magi„stratus laici (ait Mayerus,) qui non patiebantur, ut laici in foro „Ecclesiastico convenirentur.

Statuta hujus Synodi edidit Labbeus in ultima Conciliorum generalium collectione ex MS. codice S. Genovefæ Parisiensis: nec obscurum est, Mayerum reflexisse ad Canonem quintum hujus Synodi, qui his verbis exprimitur: " Item cùm „nonnulli temporales Domini, suis inhibeant subditis, ne quis „eorum alium trahat in foro Ecclesiastico, in causis aliàs à ju„re seu consuetudine permissis, quin imò quia sic trahentes „procedunt frequenter ad contemptionem trahentis & bo„norum ejusdem amicorum trahentis, & bonorum ipsorum: „nos ne talia fiant prohibentes, contra facientes excommu„nicationis vinculo innodamus, & denuntiamus à Canonibus „excommunicatos.

IX. Hinc rursus apparet, Magistratus & Dominos temporales circa hæc tempora laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ voluisse subtrahere: quod & manifestum est ex articulis per Petrum Cugnerium nomine Baronum & Nobilium Franciæ contra Clerum coram Philippo Valesio propositis; de quibus capite præcedenti actum est.

X. Et quamvis Prælati & Clerus se pro tuenda sua jurisdictione fortiter & viriliter sæpius opposuerunt, nihilominus Magistratus ac Ministri Regii suffulti auctoritate Regiâ paulatim perruperunt; ac sensim totam penè jurisdictionem & auctoritatem judicandi, præsertim de causis civilibus laicorum ad suum tribunal traxerunt quemadmodum circa idem tempus testatur Gulielmus Durandus in Tractatu de Modo generalis Concilii celebrandi, ubi *Rubrica 70.* vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta describens, ait: " Quasi per quamdam allu„vionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. „Et sicut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos ju„risdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur. „Quidquid ad Ecclesiasticam jurisdictionem, potissimè quoad „temporalia, pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt „casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directè vel indire„ctè per eos Ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis „mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere pos„sunt sicut experientia docet.

XI. Verissimum esse, quod Domini temporales & Magistratus Regii frustatim, sive per partes omnem jurisdictionem Ecclesiasticam de causis pecuniariis laicorum sibi attraxerint, notarunt passim auctores, & ex variis Regum Sanctionibus, & Parlamentorum arrestis successivè datis haud obscurum est.

XII. Anno 1371. Carolus V. Rex Franciæ instante Procuratore generali injungi ac inhiberi mandavit sub magnis pœnis Regi applicandis, Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffra„ganeis & ipsorum Officialibus, ne de casibus & actionibus „realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hæreditatis, „interdictis possessoriis acquirendi & retinendi, ac restitutori„is, & de causis retractuum hæreditagiorum, nec non de redi„tibus annualibus, & assidatis vel assisis, seu debitis & petitis „super hæreditagiis, in præjudicium (ait) nostræ jurisdictio„nis temporalis de cætero amplius cognoscere aut se intro„mittere quoquo modo præsumant, sed facta & agitata in „contrarium, monitiones & processus Ecclesiasticos penden„tes, super hoc factos vel inchoatos, si quæ vel qui sint, revo„cent penitus & annullent. Integra acta habentur inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gall. *cap. 7. num. 25.* & apud Choppinum *lib. 2. De Sacra Politia tit. 1. num. 6.*

XIII. Hic dumtaxat actionum & causarum realium cognitio Ecclesiasticis adimitur; nihil hactenus de merè personalibus. Cumque de hisce multæ ac variæ essent inter utrumque tribunal quæstiones, tandem Regiâ Constitutione Francisci I. „obrogatum est indiscriminatim Ecclesiasticæ in profanis ju„risdictioni, non tantùm de actionibus in rem, sed in personam „quoque conceptis, uti loquitur Choppinus loco citato *tit. 2. num. 2.*

Edita fuit hæc Constitutio 1539. cujus primi articuli verba sunt: *C'est à sçavoir que nous avons défendu & défendons à tous nos sujets de faire citer, ne convenir les lais pardevant les Juges d'Eglises és actions pures personnelles, sur peine de perdition de cause, & d'amende arbitraire.* Id est:

Videlicet quòd prohibuerimus & prohibeamus quibuscumque subditis nostris, ne curent citari aut in jus vocari Laicos coram Judicibus Ecclesiasticis pro causis merè personalibus, indictâ pœnâ amittendæ causæ & mulctæ arbitrariæ.

XIV. Dein art. 2. ait: *Et avons défendu à tous Juges Ecclesiastiques de bailler ne delivrer aucunes citations verbalement ou par escrit, pour faire citer nosdits sujets purs lais esdites matieres d'actions pures personnelles*

Id est: Inhibuimus quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, ne citationes ullas insinuent aut tradant seu verbo seu scripto, ut in

in jus vocent subditos nostros merè Laicos in dictis causis actionum merè personalium.

XV. Et ne videatur jurisdictioni Ecclesiasticæ in causis purè spiritualibus ullatenus præjudicare, expresse dicit *art. 4.* illa à se ordinata salvâ jurisdictione Ecclesiasticâ & materia Sacramentorum, & aliis merè spiritualibus, de quibus Ecclesiastici cognoscere poterunt etiam contra laicos. *Sans prejudice toutes fois de la jurisdiction Ecclesiastique, és matieres des Sacrament, & autres pures spirituelles & Ecclesiastiques. dont ils pourront cognoistre contre lesdits purs laix selon la forme de droit.*

Id est: Sine detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus & Ecclesiasticis, de quibus cognoscere poterunt contra dictos merè Laicos secundùm formam Juris.

XVI. Quin & *art. 3.* expresse monet, prædicta non nisi per provisionem fuisse ordinata; & nec hoc contra illos, qui contrario Arresto interveniente Procuratore Regio essent muniti. *Et ce par maniere de provision quant à ceux dont le fait à ete receu sur la possession d'en cognoistre, & jusques a ce que par nous autrement en ait ete ordonne, & sans en ce comprendre ceux qui en auroient obtenu arrest donne avec nostre procureur general, s' aucuns y ha.* Id est:

Atque id per modum Juris fiduciarii quoad eos quorum causa admissa est ratione possessionis de illa cognoscendi, & donec aliter per Nos fuerit statutum, non comprehensis iis qui interveniente Procuratore nostro Generali decretum obtinuissent, si qui tales sint.

XVII. Verùm hæc provisionalis ac limitata ordinatio sensim in definitivam & absolutam ex Curiæ usu & Arrestis Parlamentorum transivit, uti notat Carolus Fevretius de Abusu *lib. 1. cap. 4. num. 11.* Parlamenta enim ab edita hac Regia ordinatione, omnes citationes, omnesque processus in Curiis Ecclesiasticis contra laicos ex causis civilibus & profanis rejecerunt, ut nullos & abusivos, non obstantibus quibuscumque indultis, privilegiis aliisve titulis, vel possessione.

XVIII. Extat *parte 1. Edictorum Flandriæ lib. 1. Rubrica 4.* ordinatio Maximiliani & Philippi de 24. Augusti 1486. qua inhibetur, ne quis in Comitatu Flandriæ cujuscumque conditionis aut statûs in actionibus personalibus, civilibus & profanis (quarum cognitio ad temporalem ipsius Comitis Flandriæ jurisdictionem spectat) alibi quàm coram tribunali sæculari laicum citare præsumat, & quidquid in contrarium actum fuerit, cassetur & annulletur. Verba ordinationis sunt: *Vous* (President & Gens du Conseil en Flandre) *mandons & commettons par ces presentes, que par nos baillif & autres Officiers de nos villes & lieux de nostre dict pays & Comte de Flandres ou l'on est accoustume de faire cryx & publications vous faites par cry publique, tele inhibition & deffense de par nous à tous nos subjects de nostredict pays & Comte de Flandres, de quelque estat ou condition qu'ils soyent que contre ny a prejudice de nosdictes droits, preeminences & jurisdiction temporelle, ils ne tirent ou facent tirer, traveiller ou molester, aucuns de nosdicts subjects lays en actions personnelles, prophanes & civiles (dont la cognoissance & judicature appertient à nous, & à nos loix & justices temporelles) ailleurs que pardevant icelles nos loix & justices temporelles. Ainsi, que tous ce que par eux ou aucun d'eux aura ete fait ou poursuyvi au contraire, qu'ils le revoquent ou facent revoquer & mettre au neant: & ce sur & à peine de soixante livres parisis de nostre monnoye de Flandres, à appliquer a nostre prouffit pour autant de fois qu'ils seront trouvez faisans ou avoir fait le contraire.*

Id est: Vobis (*Præsidi & Consiliariis Flandriæ*) mandamus, & per præsentes committimus, ut Prætores nostros aliosque Civitatum nostrarum & locorum dictæ nostræ Provinciæ & Comitatûs Flandriæ Præfectos, in quibus proclamationes & promulgationes fieri consuetum est, curetis per proclamationem publicam talem inhibitionem nostro nomine omnibus subditis nostris dictæ Provinciæ & Comitatus Flandriæ cujuscumque gradus aut conditionis fuerint, promulgari, ne in detrimentum aut contra dicta nostra jura, prærogativam & temporalem jurisdictionem, in jus vocent aut vocari faciant, vexent, aut infestent quempiam dictorum nostrorum subditorum Laicorum quoad actiones personales, profanas & Civiles (quorum cognitio & decisio Nobis, legibus nostris & sæculari tribunali competit) alibi quam coram tribunali isto & legibus Civilibus. Sed ut quidquid actum fuerit aut institutum in contrarium revocent aut revocari jubeant & irritum fieri, idque indicta pœna sexaginta librarum *parisis* monetæ nostræ Flandricæ in emolumentum nostrum convertendarum, toties quoties deprehendentur contra hæc delinquere vel deliquisse.

Idipsum rursus pro Comitatu Flandriæ ordinavit per formam Edicti Carolus V. anno 1522. extatque eodem loco. Verba idiomate Flandrico expressa sunt: *Wi hebben by goede ende rype deliberatie van raede, ende uyt onsen eygen mouvement rechte wetenheyt ende vulcomen macht gheordonneert ende gestatueert, ordonneren ende statueren by forme van Edicte, midts desen onsen brieve dat nyemand wie dat hy zy, binnen onsen lande ende graefschape van Vlaenderen hem voors aen en vervoordere eenighe leeke ofte wereltlicke persoonen (van wat state ofte conditie hy zy) te daghene ofte doen daghene, betrekene, traveilliërene, oft anderssins te molesterene in eenigher manieren, voor ende comme zaecken en actien personnele, reele, mixte, prophane, ende civile, elders dan voor heurlieder wereltlicke rechten ende Jugen tient behooren zal op de peyne ende boete van Sestigh ponden parisis, van twintigh grooten onser vlaemscher munte't pont, telcker reyse als zy bevonden werden zullen dat ghedaen thebbenne: ende oock mede, indien zy yet daer teghens gheattempteert hadden, dat zy ghehauden zullen wesen tselve te renuncierene ende doen renuncieren tot hueren laste ende coste.*

Id est: Nos ex matura & æqua deliberatione & consilio & motu proprio, certa scientia & plena authoritate mandavimus & statuimus mandamus & statuimus in forma Edicti per has nostras litteras, ut nemo quiscumque sit in hac nostra Provincia & Comitatu Flandriæ in posterum præsumat Laicos ullos aut personas sæculares (cujuscumque gradus aut conditionis extiterit) citare aut citari jubere, in jus vocare, vexare, aut aliàs ullo modo incommodum iis facessere ob causas & actiones personales, reales, mixtas, profanas & civiles alibi quàm coram ipsorum Judicibus & Justitia sæcularibus quibus competet. Sexaginta librarum *parisis* viginti grossorum monetæ nostræ Flandricæ in libram, pœnâ indictâ, toties quoties id fecisse deprehendentur. Deinde si quid contra ausi fuerint ut teneantur iisdem actis, sumptu & onere propriis renuntiare aut renuntiari curare.

Insuper mandat sub pœna 60. librarum, omnibus judicibus Ecclesiasticis, Promotoribus, Scribis, Notariis, Procuratoribus, aliisque omnibus, ut caveant, posthac in Comitatu Flandriæ expedire aliquam citationem, monitionem, aliamve provisionis formam, in materia & actione personali, reali, civili vel profana (cujus cognitio ad judicem sæcularem spectat) aut vi hujusmodi citationis & monitionis, urgere aut urgeri facere aliquem laicum, non obstante quacumque contraria juris dispositione, consuetudine aut praxi, quibus per se præsens Edictum derogat. *Insgelicks hebben wy gheordonneert ghestatueert ende verboden, ordonneren, statueren ende verbieden by desen, an alle gheestelicke rechters ofte Jugen, Promoteuren, Scriben, Notarissen, Procureurs ofte ander wye zy zyn. dat zy hem verdraghen van nu voort an, binnen onsen voorseyden lande ende Graefschape van Vlaenderen, eenighe citatien, monitien ofte andere manieren van provisien te decernerene oft expedierene, van materien ende actien personele, reele, civile ofte prophane (dan of de kennesse den wereltlicken rechters competeert ende toebehoort) noch oock uyt crachte van zulcke citatien ende monitien te*

te vervolghene ofte doen vervolghen, eenighe vande voorschreven leecke ende wereldlicke persoonen, op gelijcke peyne ende boete van Sestigh pond parisis, te verbeurene by den ghenen die ter contrarien ghedaen zal hebben, telcker reyse als dat gebeuren zal: ende dat zy daer toe bedwonghen worden, by de peyne vorschreven. Ende indien zy dat ghedaen hadden, dat zy tselve terstont renuncieren tot hueren eyghen coste: niet teghenstaende eenighe dispositie van rechte, costume ofte usantie ter contrarien, de welcke wy hebben in dit stick gederogniert ende derogueren mits desen onsen brieve.
Idest: Similiter mandavimus, statuimus, & prohibuimus, mandamus statuimus & prohibemus & hasce quibuscumq; Ecclesiasticis Judicibus, Promotoribus, Scribis, Tabellionibus, Procuratoribus aut aliis quicumque demum fuerint, ne in posterum in hac dicta nostra Provincia & Comitatu Flandriæ præsumant citationes, monitiones, aut alterius generis rescripta decernere & expedire in causis & actionibus personalibus, realibus, civilibus aut profanis (quarum cognitio Judicibus Secularibus competit, ad eosque spectat) nec in vim talium citationum & monitionum quempiam prædictorum Laicorum & Secularium personarum persequantur aut persequi jubeant. Simili pœna & mulcta sexaginta librarum *Parisis* indictaper solvendâ per eum qui contra hæc deliquerit, toties quoties id continget. Et per dictam pœnam ad id compellantur. Si autem id egerint, ex templo actis proprio sumptu renuntient: non obstante quavis Juris dispositione, consuetudine, aut alio contrariis, quibus in hac parte derogavimus & derogamus per hasce nostras litteras.

XIX. Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. de 1541. laicos penè in omnibus causis privativè judici sæculari subjiciunt; declarantque, quòd nec hujusmodi causis se poterunt Judices Ecclesiastici immiscere. Solæ fere causæ testamentariæ & dotales sive ex contractibus antenuptialibus resultantes & de bonis amortizatis excipiuntur, idque cum variis limitationibus & modificationibus, uti titulo sequenti latius exponetur.

XX. Habentur hæc Concordata parte I. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1 *tit.* 1. *cap.* 8. ubi & *cap.* 3. refertur confirmatio Concordati inter Archiepiscopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ, in quo inter cætera cavetur *art.* 21. quòd imposterum judices Ecclesiastici non citabunt, aut citari facient Hannones pro debitis procedentibus ex contractu, mercatura, aut alia finali causa civili. *Item ceux d' Eglise se garderont d' oresnavant de citer ou faire citer les manans du pays d' Haynault pour sommes de deniers procedans des contracts, marchiets, & autres semblables purement civils.*
Idest: Item cavebunt in posterum Ecclesiastici, ne citent aut citari jubeant incolas Hannoniæ ratione pecuniæ ex contractu, emptione, aliisque talibus merè civilibus debitæ.

XXI. Ordinatione Regia anno 1512. in Gallia cautum fuit, nullum laicum coram judice Ecclesiastico vocari posse, nisi in citationis libello nominatim adscribatur causa ex qua citatur. Hujus Ordinationis meminit Renatus Choppinus De Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4, qui & addit: " Minimè verò otiosa Regia illa constitutio, ne profani Ordinis viri promiscuè " apud Pontificios Præfectos conveniantur, navè in discrimi" natim de omni causarum genere cognitionem interponant.
Idipsum anno 1521. ordinavit Carolus V. ut causâ sic expressâ deliberare & cognoscere queant Laici citati, num coram judice Ecclesiastico comparare debeant, an verò citationes hujusmodi aliâ viâ cessare facient. Verba sunt: *Ordonnons & statuons par ces presentes, par maniere d' Edit perpetuel, que d' oresnavant toutes les Citations à emaner & decerner par les Officiaux & autres Juges Ecclesiastiques, desdictes Cours spirituelles de Cambray, Arras, Tournay, Terouane & autres, contre nosdits Subjects & gens Lais soyent libellees & narrees des Causes, Raisons, & actions, pour lesquelles elles se decernent & octroyent: à fin que nosdicts Subjects Lais cites, puyssent par icelles sçavoir & deliberer (sans autres Frais, Travail ou Despens) de ce qu' ils en auront à faire: & s' ils sont tenus de comparoir esdicts Cours, ou faire cesser lesdictes Citations par autre voye: voullans & ordonnant par cesdictes presentes, de nostre certaine science, qu' aux Citations autrement expediees & decernees ne soit aucunement obey.*
Id est: Mandamus & statuimus per has præsentes in forma Edicti perpetui, ut in posterum omnes citationes quæ emanabunt & decernentur per Ministros aliosque Judices Ecclesiasticos dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Cameracensis, Atrebatensis, Tornacensis, Teroanæ & aliarum adversus præfatos nostros subditos & Laicos, non insinuentur sine libello & narratione causarum, rationum & actionum, ob quas decretæ fuerint & concessæ. Eatenus ut dicti nostri subditi Laici citati inde possint cognoscere & deliberare (omissis aliis sumptibus, molestiis & impensis) quid ipsis agendum incumbat: & utrum in dictis Curiis sistere se teneantur, aut dictarum citationum cessationem alio modo procurent: volentes & mandantes per hasce præsentes ex certa nostra scientia, ut Citationibus alio modo decretis & confectis non deferatur.

XXII. Testatur insuper Fevretius De Abusu *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. axioma hoc moribus Galliæ receptum esse, laicum in judicem Ecclesiasticum consentire non posse, sive ejus jurisdictionem prorogare.

Similiter in Hispania teste Emanuele Gonzales in Commentario ad *Cap.* 18. " *De Foro competenti num.* 20. speciali " Principis jussione inhibitum est laicis, Ecclesiasticorum judi" cum prorogare jurisdictionem, si rei sint; quòd si faciant, " nullus est processus coram Ecclesiastico fabricatus; Fiscalis" que Regius petere in Aula Auditorum potest, ut talis decla" retur. Quæ quidem leges Regiæ (pergit Gonzales) nec " sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, neque contra illam " jurisdictionem: quia in laicos reos, causisque merè profanis " nulla Ecclesiasticis judicibus competit jurisdictio.

Posthæc concludit Gonzales: " Substinenda ergo est lex " politica, quàm omnes Christianæ nationes habent. Tum ibidem refert variarum Nationum auctores, qui de hac praxi testantur.

XXIII. Hinc facilè cognosci potest, ad quàm angustos limites hodie restricta sit auctoritas vel jurisdictio judicum Ecclesiasticorum in causis civilibus & profanis laicorum; quodque jam planè abrogata sit lex illa, quam sub nomine Theodosii renovaverat, & per omnes sui Imperii ditiones observari voluerat Carolus M. qua lege permittebatur laicis, in quacumque parte litis judicem sæcularem declinare, causamque ad judicem Ecclesiasticum transferre; idque & altero litigante etiam refragante; quemadmodum capite præcedenti latiùs expositum fuit.

XXIV. Hæc jurisdictionis Ecclesiasticæ in decidendis causis civilibus præsertim laicorum diminutio cœpit & crevit cum ipsa immutatione formæ sive modi exercendi judicia Ecclesiastica, tum quoad personas judicum sive decidentium causas, tum quoad instructionem & examen causarum. Quæ enim primitus per Episcopos tamquam amicabiles arbitros sine strepitu & formalitatibus forensibus decidebantur; cœperunt postmodum per Officiales ad rigorem juris, & adhibitis omnibus solemnitatibus modo forensi tractari, & decidi; adeo ut in forma procedendi à sæculari judicio vix differrent; quemadmodum in sequentibus latiùs ostendetur, ubi unà demonstrabitur, quomodo hâc judiciorum Ecclesiasticorum formâ introductâ, mirum non sit, quòd ipsæ laicorum causæ civiles Ecclesiasticis judicibus substractæ fuerint.

CAPUT III.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis civilibus Clericorum?

1. *Olim etiam sanctissimi Episcopi decidendis causis laicorum se impendebant.*
2. *Decidebant causas potiùs ut arbitratores, quàm ut Judices.*

3. Con-

Et rursus apud Gratianum ibidem *Can. 28.* sub nomine Concilii Agrippinensis dicitur: " Ecclesiam in qua „ mortuorum cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet sed si apta videtur ad consecrandum, „ inde evulsis corporibus, & rasis parietibus, vel tignis „ ejus loci, reædificetur, sed si hæc consecrata ante fuerit, missas in ea celebrare licet: si tamen fideles fuerint, „ qui in ea sepulti sunt.

XXXII. Conformiter ad hos Canones respondit Innocentius III. in citato *Cap. 12.* X. *De Sepulturis*, " si „ contingat interdum, quod vel excommunicatorum „ corpora per violentiam aliquorum, vel alio casu in „ cœmeterio Ecclesiastico tumulentur, si ab aliorum „ corporibus discerni potuerint, exhumari debent, & „ procul ab Ecclesiastica sepultura jactari.

XXXIII. Monet ad dictum *Canonem 28* verbo *evulsis*, Glossographus, *auctoritate Episcopi vel Principis tantùm*, hanc evulsionem esse faciendam. Exhumatio enim corporis inhumati ordinariè fieri nequit; variæque eæque gravissimæ pœnæ in exhumatores cadaverum, & violatores sepulchrorum jam pridem decretæ fuere, uti videre est ad titulos Digestorum & Codicis *De sepulchro violato*. Ex causa tamen exhumatio conceditur; sed ne hic aberretur, in quibusdam locis requiritur Superioris licentia. Et quidem in Synodo Buscoducensi sub Masio *tit. 24. cap 6.* legitur: „ Nec non inhumata corpora sine expressa licentia ex„ humari interdicimus.

XXXIV. Cæterum circa negationem sepulturæ; uti & cadaverum exhumationem & translationem præter Ritualia & Synodorum Decreta, multùm quoque attendenda locorum & Ecclesiarum consuetudo & praxis.

(o)

PARS

Digitized by Google

PARS TERTIA
DE
JUDICIIS, DELICTIS,
ET
POENIS ECCLESIASTICIS.

TITULUS PRIMUS
DE
JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN CIVILIBUS.

CAPUT PRIMUM.
Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in dirimendis causis Laicorum.

1. *Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.*
2. *Quod quæstiones ad tribunalia Infidelium judicandas deferrent.*
3. *Loquitur Apostolus de actore non de reo.*
4. *In quo consisteret vitium Corinthiorum?*
5. *Primum argumentum Apostoli quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.*
6. *Secundum argumentum Apostoli.*
7. *Vult in dirimendis sæcularibus judiciis* contemptibiles *constitui; & qui* contemptibiles?
8. *Non simpliciter, sed comparativè hos judices constitui vult.*
9. *Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis è Fidelibus constitueretur, qui quæstiones dirimeret.*
10. *Ut hic tamquam arbiter quæstiones determinaret.*
11. *Desiderabat Apostolus, ut a forensibus litigiis abstinerēt.*
12. *Quis ex mente Apostoli* Sapiens *dicatur?*
13. *Quâ ratione ex sensu Apostoli quæstionibus & causis civilibus componendis Episcopi merito intenderint.*
14. *Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.*
15. *Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.*
16. *Imperatores Christiani desiderarunt, ut quæstiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.*
17. *Constantinus M. permisit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.*
18. *Arcadius Imperator similiter indulsit ut litigantes ex* mutuo *consensu judicium Episcopi tamquam arbitri experiri possint.*
19. *A decisione Episcopi sic electi provocari non poterat.*
20. *Litigantium altero recusante causa ad Episcopos trahi non poterat.*
21. *Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos respexit S. Leo consulens Pœnitentibus ut ad Episcopale potiùs quàm sæculare judicium recurrant.*
22. *Episcopi potiùs* arbitri *quàm judices constituebantur; idque de consensu utriusque litigantis.*
23. *Extravagans permittens litiganti* altero reluctante *expetere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.*
24. *Hæc Extravagans vult sententias Episcoporum* inviolatas *servari.*
25. *Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis?*
26. *Hæc Lex à nonnullis viris eruditis ut supposititia, rejecta à Carolo M. sub nomine Theodosii innovata & confirmata.*
27. *Eam referunt S. Ivo & Gratianus; & probavit Innocentius III.*
28. *Vigore hujus legis licitum erat laico in quacumque parte litis ad Episcopum causam trahere etiam altero litigantium invito.*
29. *Non licet à sententia Episcopi appellare.*
30. *Voluit Carolus M. in omnibus suis Ditionibus, & ab omnibus hanc legem servari.*
31. *Quis fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus?*
32. *Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.*
33. *Episcopi urgebant Principes ut idem esset judiciorum sæcularium scopus.*
34. *Pleraq; laicorum causæ civiles ad Episcopos deferebātur.*
35. *Quàm extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica sæculo 13. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.*
36. *Causa civilis inter laicos ratione* juramenti *spectabat ad Judicem Ecclesiasticum.*
37. *Hoc titulo omnes pene causæ ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.*

Digitized by Google

38. *Causa testamentariæ ad tribunal Ecclesiasticum spectabant.*

39. *Ratio illius erat, quòd testamenta conficerentur coram Notario Ecclesiastico.*

40. *Per hoc plurimæ causæ Ecclesiastico tribunali subjiciebantur.*

41. *Rectores Ecclesiarum poterant laicos, qui personas vel bona ipsorum læserant, ad Ecclesiasticum vocare.*

42. *Multo tempore in Gallia penè solùm fuit forum Ecclesiasticum.*

43 *Id ostenditur ex discursu Bertrandi Episcopi Eduensis nomine Cleri Gallicani coram Philippo Valesio habito.*

44. *Prætendit hic omnem causam, in qua subest materia, peccati spectare ad forum Ecclesiasticum.*

45. *Ex hoc principio facilè omnes causæ ad forum Ecclesiasticum trahi possunt.*

46. *Dicit Eduensis consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ esse, ut cognoscat de causis personalibus & realibus laicorum.*

47. *Asserit hanc consuetudinem introductam ex voluntate litigantium eligentium tribunal Ecclesiasticum.*

48. *Reflectit hic Eduensis ad Legem sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgatam.*

49. *Hæc consuetudo in contradictorio judicio dicitur confirmata.*

50. *Quare Ecclesia Gallicana ampliore jurisdictione utatur, quàm alia Ecclesia?*

51. *Supplicant Prælati, ut Rex conservet eam jurisdictionem in causis laicorum.*

52. *Item, ut juxta legem Theodosii à Carolo M. innovatam permittat Litigantibus libertatem, judicem eligendi.*

53. *Extensionem jurisdictionis Ecclesiasticæ probat tractatus Guilielmi Durandi Concilio Viennensi exhibitus.*

54. *Consectaria ex ante dictis.*

I. APostolus advertens inordinatum modum litigandi & disceptandi super rebus temporalibus inter Fideles Corinthios irrepere, eos in prima sua ad ipsos Epistola *cap.* 9. de duobus arguit.

II. Primò, quòd quæstiones exortas inter ipsos ad profana *infidelium* tribunalia deferrent. *Audet* (ait) *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos?* id est, audet aliquis apud *iniquos*, seu infideles, & non apud Christianos, qui hic *Sancti* vocantur, *judicari*, seu judicio experiri?

III. Rectè autem monet Estius in Commentario ad hæc Apostoli verba, dirigi hunc Apostoli sermonem ad *actorem*; cujus in potestate erat apud Ethnicum Judicem agere, vel non agere: non contra *reum* qui compellebatur, cui nec integrum erat Judicem *ethnicum* declinare, modò competentem.

IV. Peccatum ergò Corinthiorum in eo erat (pergit „Estius) quòd cùm possent causam agere apud fideles sal„tem, ut delectos arbitros: mallent apud infideles judices ex„periri, non sine Ethnicorum scandalo, & Christianæ reli„gionis injuria: nam eò vitia Christianorum detegebantur „apud infideles, primùm dissidia, deinde avaritia, tum injuriæ „mutuæ.

V. Ut autem hujus recursûs ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostolus, adjungit: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judi„cetis?* quasi diceret: cùm sitis Judices universales de maxi„mis rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita „condemnanda sit; an vos indignos censetis, qui præficiamini „minimis Judiciis? Veluti cùm disceptatur de negotiis hujus „sæculi plerumque frivolis, atque exigui momenti, certè ex„tremo loco habendis à Christiano. Ita Estius.

VI. Prosequitur argumentum Apostolus: *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis sæcularia?* Id est „si judicaturi sumus Angelos, id est creaturam omnium præ„stantissimam, quantò magis digni habendi, qui inter nos de „rebus infimis, ut sunt ea quæ spectant ad usum vitæ præsen„tis, judicemus? ait Estius.

VII. Post hæc concludit: *Sæcularia ergo judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.*

Per *contemptibiles* hic intelligit Apostolus, qui inter ipsos Fideles, sive in Ecclesia *minimi* habentur.

VIII. Nequaquam tamen absolutè & simpliciter vult similes dijudicandis ac terminandis *sæcularibus judiciis* sive quæstionibus esse præficiendos; sed *comparativè* duntaxat ad infideles; docere volens, potiùs hoc agendum esse, etsi parum deceat, quàm ut Christiani litigent apud infideles.

Unde sequitur apud Apostolum: *Ad verecundiam dico*: quasi diceret: Quod dixi de *contemptibilibus* constituendis ad judicandum inter vos, non dixi quòd ita fieri debeat: sed ut ab eo quod agitis pudor vos avocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes & honorati, qui causas vestras dijudicent. Quod vobis profectò *pudorem* incutere debet.

IX. Et hoc est quod sequitur: *Sic non est inter vos sapiens quisquam qui possit judicare inter Fratrem suum?* Sensus est: Adeone non est vel unus sapiens apud vos, qui Fratrum inter se discepantium causas possit judicando vel arbitrando, secundùm Jus & æquitatem dirimere?

Itaque hoc unum inculcare voluit Apostolus, ut si Fidelis quæstionem habeat de rebus etiam temporalibus cum alio Fideli, quæstionem non ad tribunal sæculare ethnicorum trahat, sed alicui *Sapienti* inter Fideles sive Christianos quæstionem proponat, ut ipse eam determinet & dirimat.

X. Licèt enim eo tempore sub Imperatoribus ethnicis, Christiani non essent Judices à Principe constituti cum potestate, uti rectè notat Estius, poterant tamen eligi & assumi tamquam *arbitri*, quorum sententiis ex compromisso starent, qui controversias habebant.

XI. Imo vel idcirco desiderabat Apostolus, ut Fideles quæstiones ad Ecclesiam referrent, ut hoc pacto Judicia & lites forenses fugerent; controversiasque suas amicabiliter, interveniente *Sapiente*, componerent: ideoque subjungit præcedentibus: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos.* Ac si diceret, non est quòd propterea ad infidelium tribunalia controversias vestras deferatis; quia Fideles judicandi auctoritate ab Imperatoribus non sunt instructi: & consequenter Judicia exercere nequeant; quia hæc vos Christiani fugere debetis: imo *jam omnino delictum est in vobis, quòd judicia* sive lites forenses, *habetis inter vos.*

Vult ergò Apostolus, ut Fideles quæstiones inter ipsos excitatas, non in forensibus Tribunalibus agitent; sed eligant aliquis sapiens ex ipsis, cui quæstionum suarum decisionem committant.

XII. Per *Sapientem*, qui dirimendis & sopiendis quæstionibus inter Fideles exurgentibus intendat, & ad quem ipsi recurrant; intelligi videtur omnis ille, qui difficultatibus illis terminandis, & Fratribus conciliandis, eosque à litibus avocandis est convenientior, & veræ ac Christianæ sapientiæ gratiâ in Ecclesia honoratus; uti monet Estius.

XIII. Cùm igitur Episcopi præcipuâ in Ecclesia auctoritate pollerent, ipsisque tamquam Christianorum spiritualibus Patribus & Directoribus Fideles sua negotia magis consuevissent confidere, ipsisque speciali titulo incumberet, animos filiorum & subditorum suorum conciliare, & ab inordinato rerum terrenarum amore avocare, judicarunt jam pridem sanctissimi Episcopi muneris sui esse, causas & quæstiones Fidelium, etiam de rebus *terrenis* audire, & dirimere; ipsosque ad concordiam revocare, simulque suâ authoritate paternâ eos docere, quantum præ bonis tempora-

libus,

libus, pro quibus tantoperè disputant, amanda sint cœlestia.

XIV. Quantopere huic operi incubuerit S. Augustinus, testis est Possidius in ejus vita, referens, eum interpellatum non solùm à Christianis, sed à cujuscumque sectæ hominibus, causas eorum audivisse *diligenter ac piè*: & ut eas dirimeret, aliquando totâ die jejunum perdurasse: ubi etiam hoc addit, quàm sanctâ intentione, genus illud occupationis alioquin ipsi molestissimæ susceperit; idque, ut ait Possidius, secundùm Apostoli sententiam dicentis, *Audet quisquam vestrûm* &c.

Ipse quoque plurimis locis de seipso testatur, quomodo quæstionibus & causis decidendis occuparetur, & hisce implicatus à rerum cœlestium contemplatione invitus avocaretur; ac signanter libro de Opere Monachorum *cap. 29.* ubi mi asserit, se hisce molestiis ex Apostoli sententia implicari: „Quibus (ait) nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique „suo, sed ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio.

Quantos labores, quantasque molestias subiret, & qualiter setotum impenderet, ut homines sæculares ad concordiam revocaret; ipsisque persuaderet, ut suo se subjicerent judicio, videri potest *Conc. 24. in Psalm. 118.*

XV. Eidem operi insudasse S. Ambrosium, testis est Augustinus *lib. 6. Confess. cap. 3.* Secludentibus me (ait) ab ejus aure „atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum infir„mitatibus serviebat.

XVI. Imperatores Christiani desiderantes inter subditos suos pacem & animorum concordiam, etiam hoc Episcopale studium in decidendis & dirimendis negotiis civilibus laudârunt, & suis legibus probârunt & stabiliērunt.

XVII. De Constantino M. scribit Sozomenus *lib. 1. hist.* „*c. 9.* Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium pro„vocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent: eorum au„tem sententia rata esset, aliorumque judicum sententiis præ„valeret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset: utque „res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum eorum„que Officiales executioni mandarent.

XVIII. Extat & Arcadii Imperatoris Constitutio in *L. 7. Cod. de Episcopali Audientia*, quâ idipsum litigantibus „permittitur: Si qui (ait) *ex consensu* apud sacræ legis Anti„stitem litigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur il„lius in *Civili* dumtaxat negotio, more *Arbitri*, sponte resi„dentis judicium.

Hinc elucet, litigantibus liberum fuisse, causas suas civiles ad Episcopum deferre, qui quasi à partibus electus, non ut Judex, sed more *Arbitri* causam susciperet & dirimeret.

XIX. Ut autem firmior esset ab Episcopo tamquam arbitro inter Fideles probata sententia, declaratur in *L. 8. Cod. eod.* quòd ab ea provocari nequeat; atque ipsi Judices, quod ab Episcopo determinatum fuerit, executioni mandari debe„tent. Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à „Sacerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhi„bendam esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri ne„cesse est potestatibus, à quibus non licet provocare. Per ju„dicium quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, defi„nitioni executio tribuatur.

XX. Permittit quoque Valentinianus III. in *Novella 12.* laicis, ut præeunte vinculo *compromissi* coram Episcopo cau„sas suas pecuniarias agant. Addit tamen: Aliter eos Judices „esse non patimur, nisi *voluntas jurgantium* interposita, si„cut dictum est, conditione procedat: Si ambo ejusdem „officii litigatores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus „& jure communi.

Hæc non obscurè probant, Episcoporum judicia fuisse *amicabilia arbitraria*, laicosque non nisi *volentes* eorum Judicio subjectos.

XXI. Ad has leges reflexisse apparet S. Leo dum *Epist. 2.* „respondit Rustico Narbonensi Episcopo: Si pœnitens „habet causam, quam negligere fortè non debeat, melius „expetit Ecclesiasticum quam forense Judicium. Hic enim sat patenter supponit Leo, laicis optionem esse recurrendi vel Ecclesiasticos, vel Sæculares Judices. Consulit autem Ecclesiasticos potiùs expeti à pœnitentibus; quia tunc temporis, non more forensi & judiciario; sed arbitrario & amicè quasi causæ ab Episcopis finiebantur & sopiebantur: ut consequenter qui ad Episcopum recurrebant, quæstionesque suas referebant, non tam litigare & judicio experiri, quàm amicè convenire, & pacificè quæstionem terminari velle viderentur.

XXII. Quæ hactenus relata sunt, evincunt Episcopos de causis laicorum etiam civilium judices, sive potius arbitros constitutos fuisse, si modò litigantes eos elegerint; sive, *si qui apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint*; ut loquitur Arcadius in citata *L. 7. Cod. de Episcopali audientia*; aut quemadmodum dicit Honorius in lege sequenti, *qui se audiri à Sacerdotibus elegerint*, uti rectè notat Jacobus Gothofredus ad Extravagantem primam de Episcopali judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani.

XXIII. Credit autem Gothofredus, hanc Extravagantem sive legem vel ex hoc capite suppositiam esse, & Constantino M. tribui non posse, quòd permittat causas laicorum ad Episcopos deferri, non tantùm ex *utriusque* litigantium consensu, sed & *altero refragante*.

In hac quippe lege sub nomine Constantini dicitur: „Quicumque itaque litem habens, sive possessor, sive peti„tor erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, „sive cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi „sententia, Judicium eligit sacrosanctæ legis Antistitis, illico „sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad E„piscopum cum sermone litigantium dirigatur: Multa „enim quæ in Judicio captiosæ præscriptionis vincula promi „non patiuntur, investigat & promit sacrosanctæ religionis „auctoritas.

XXIV. Significat in eadem lege Constantinus Ablavio Præ„fecto, Sancimus sicut Edicti nostri forma declarat, sententias „Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis dis„cretione, inviolatas semper incorruptasque servari: scilicet „ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeantur, quidquid „Episcoporum fuerit sententia terminatum.

Additur post hæc, quòd nec liceat ulteriùs retractari nego„tium, quod Episcoporum sententia deciderit.

XXV. Cur tanta Episcoporum sententiis auctoritas, tantaque litigantibus ad judicia Episcopalia recurrendi tribua„tur libertas, subditur: Hoc nos Edicto salubri aliquando „censuimus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium „semina comprimentes: ut miseri homines, longis ac pe„nè perpetuis actionum laqueis implicati, ab improbis pe„titionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine dis„cedant.

XXVI. Quamvis Jacobus Gothofredus aliique viri eruditi tum ex allegata tum aliis rationibus non improbabiliter sustineant, hanc extravagantem sive edictum Constantino tribui non posse, hoc nihilominus constat, jam pridem illud in Capitularibus Regum Francorum probatum, & quasi adoptatum esse, *lib. 6. cap. 366.* edit. Baluzianæ; citaturque non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii.

XXVII. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto *parte 16. cap. 312.* & à Gratiano *Caus. 11. q. 1. Can. 35. & 36.* ac tandem ab Innocentio III. tamquam primitùs à Theodosio editum, & à Carolo M. innovatum adducitur & probatur in *Cap. 13. X. De Judiciis.*

XXVIII. Vigore proinde hujus edicti licitum erat laicis non tantùm ante inchoationem judicii, sed in quacumque parte litis causam è manibus judicis laici extrahere, & ad Judicium Episcopi trahere, idque parte adversâ refragante. Consequenter ampliùs dici non poterat, Episcopum tamquam arbitrum de utriusque litigantis consensu esse electum: & quasi ex compromisso causam dirimere.

XXIX. Ulterius Edictum eam tribuit judicio sive sententiæ Episcopali efficaciam, ut causæ sententiis Episcoporum terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec alte-

ulterius liceat retractare negotium; ut legitur apud Gratianum.

XXX. Porro notanda meritò verba, quibus hoc Edictum sub nomine Theodosii Carolus M. promulgavit; hinc enim patebit per omnes generatim suas ditiones, sive hæ jure scripto seu Romano uterentur, sive jure consuetudinario, quod hanc promulgationem fecerit consultu omnium suorum Fidelium, tam Clericorum, quàm laicorum. Verba sunt: Volumus atque præcipimus ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante subjecti, tam Romani quam Franci, Alemanni, Bajuvarii, Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Britones, Langobardi, Vuascones, Beneventani, Gothi & Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocumque videantur legis vinculo constricti vel consuetudinario more connexi, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii Imperatoris libro capitulo videlicet 11. ad interrogata Ablavii Ducis illi & omnibus rescriptam sumpsimus & inter nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium nostrorum tam Clericorum quàm & Laicorum posuimus lege cunctis perpetuò tenendam.

XXXI. Eadem indubiè mens erat Caroli M. in hujus legis renovatione & promulgatione quæ in ipsa lege erat expressa sub nomine Theodosii; nimirum, ut populo pax & vera concordia procuraretur, litesque ac contentiones inter Fideles amicè componerentur per Episcopum communem ipsorum patrem; atque Episcopi ministerio è cordibus eradicaretur litium & dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix, cupiditas; & plantaretur pacis & concordiæ mater charitas.

Hic scopus, ut supra diximus, in ipsa lege his verbis exprimitur: Hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium semina comprimentes, ut miseri homines longis ac penè perpetuis actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel à cupiditate præpropera maturo fine discedant.

XXXII. Tota ergo Episcoporum jurisdictio & auctoritas in laicorum causis ad concordiam pacemque inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium & actionum laqueis ac tricis eripiendos tendebat. Ut proinde mirum videri haud debeat, si laicis libertas daretur ad ipsos tamquam communes pacificatores & patres recurrendi.

XXXIII. Imò Episcopi persuadere conabantur Regibus, quod & judices laici potiùs pacificatores, quàm judices esse deberent; ita Episcopi Concilii Triburiensis ad Ludovicum Regem Germanorum loquebantur. Constituite Comites & Ministros Reipub. qui placita non pro acquisitione lucri teneant: sed ut casæ Dei, & viduæ ac pupilli & populus justitiam habeant; & plus litigantes ad concordiam salvâ justitiâ revocare studeant, quàm committere ut ipsi inde aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potuerint, tunc justum judicium decerni faciant.

XXXIV. Hinc itaque fiebat, ut pleræque causæ etiam laicorum coram Ecclesiasticis agitarentur; latèque ipsa auctoritas Episcopalis in decidendis quæstionibus se extenderet.

XXXV. Et reverâ extensam admodum fuisse Ecclesiasticorum jurisdictionem, etiam circa causas laicorum dubitari nequit, legiturque quòd anno 1225. Ludovicus Rex Galliarum convocaverit Concilium Melodini, ibique Archiepiscopi & Episcopi Franciæ, præsente Legato, peterent instanter à Rege Franciæ & à suis Baronibus jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione ista dicebant investitam esse Ecclesiam Gallicanam.

Huic postulationi Episcoporum Rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat, hoc esse dissonum rationi: Cùm causa mobilium (ait) non ratione juramenti, vel fidei, vel testamenti, vel maritagii petitorum merè sit laicalis, nec ad forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere.

XXXVI. Hæc ex Chronico Turonensi referuntur tom. XI. Concil. General. *col. 2*[illegible] ex quibus patescit, quòd licè super postulatis Episcoporum nihil fuerit conclusum, ipsaque causa *ab utraque parte posita sit in suspenso*, nihilominus e ipso Regis responso habetur.

Primò, quòd causa etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi tunc temporis spectaret ad forum Ecclesiasticum; quod tamquam indubitatum, supponens Bonifacius VIII. *Cap. 3. De Foro competenti in VI.* respondit quòd Clericus possit laicum, pro quo fidejusserat, quippe juramento interposito promiserat fidejussorem servare indemnem convenire coram judice Ecclesiastico, ad cujus (ait) forum ratione *juramenti* causæ hujusmodi cognitio *noscitur* pertinere.

XXXVII. Hoc titulo omnes pene quæstiones super contractibus etiam civilibus ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur; licèt etiam causa esset realis, uti notat Mornacius ad *L. 8. Cod. De Episcopali Audientia*; quia numquam ferè omittebant tabelliones adjicere præstitum à contrahentibus Sacramentum de servandis quæ pepigissent, ait Mornacius.

XXXVIII. Ulterius ex responso Regis patet, causas testamentarias ad forum Ecclesiasticum pertinuisse; quod & notavit Mornacius loco citato.

XXXIX. Rationem addit Mornacius, quòd testamenta ferè omnia conscriberentur à duobus semper Notariis, altero Regio, altero Apostolico. Dein addit: Ita ut per mixturam utriusque illius muneris ludificari & in hoc etiam mos esset imperium regium. Manus enim sola incidens Tabellionis Apostolici efficiebat, *in vibusque velut per devia gyris*, negotium Ecclesiasticum, quod aliàs, & nisi mixtura illa fuisset, planè erat profanum, & à profanis, seu sæcularibus, regiisque judicibus Judicandum.

XL. Observavit & illud auctor Somnii Vergerii; asseritque quod laici frequenter contractus suos coram Notariis Ecclesiæ conficerent, ut Judici sæculari se subtraherent. Multi (ait *cap. 200.*) magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quàm vinculum temporale; & ante aliquando dimitterent contractus facere, sine quibus non possent vivere, quàm se submittere Curiæ temporali.

XLI. Sicuti contractus coram Notario Ecclesiastico subdebantur tribunali Ecclesiastico, ita quæcumque causa cui quid spirituale seu Ecclesiasticum videbatur immixtum ad idem spectare dicebatur.

Hac de causa Rectores Ecclesiarum coram Judice Ecclesiastico convenire poterant Laicos, qui vel ipsorum personas, vel bona læsisse aut occupasse prætendebantur: quia de sacrilegii crimine agi videbatur. *Cap. 8.* [illegible] *De Foro Competenti.*

XLII. Hæc aliaque quæ causas etiam laicorum ad judicium Ecclesiasticum trahebant, evincunt, meritò notasse Mornacium loco supra citato: Inde eminuit per longas ætates unum penè, ac solum in universa Gallia forum Ecclesiasticum, evilui(t)que toto illo tempore, quasique emarcuit Jurisdictio Regia.

XLIII. Meritò sanè id speciatim de Gallia monuit Mornacius. Nam ut constat ex disputatione super puncto Jurisdictionis anno 1327. habitâ inter Nobiles Regiosque ministros, & Prælatos Regni Galliæ coram Philippo Valesio Rege Galliæ, in Regno Galliæ magis quàm in ullo alio, jurisdictio Ecclesiastica ad omnes penè laicorum causas se extendebat; uti ex articulis à Petro de Cugneriis Consiliario Regio nomine Nobilium & Baronum contra Prælatos propositis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur.

XLIV. Hic imprimis probat Eduensis, Jurisdictionem temporalem posse competere Ecclesiasticis; nec esse contrariam Sacerdotio; atque inter alia prolatis exemplis Petri, *qui Ananiam & Sapheram pro crimine furti & mendacii judicialiter condemnavit*; & Pauli, qui *convictum fornicatorem condemnavit*: nec non verbis Christi, *Si peccaverit in te frater &c.* Subjungit: Ecce quàm expressè vult quod in

„in omni re, in qua est peccatum unius adversus alterum, si il„le qui deliquit monitus caritati vè non emendaverit, debet ne„gotium ad judicium Ecclesiæ referri.

XLV. Hoc principio posito, nemo non videt, quàm non sit difficile, omnes planè causas ad judicium Ecclesiæ referre: cùm nullæ ferè causæ sint, in quibus peccatum injustitiæ intervenire prætendi nequeat. Quod & ipse Eduensis non obscurè expressit; qui paulò post dicit: Præterea nullus dubitat, „quin cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas perti„neat: cum ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius „partis, patet, quòd Ecclesia cognoscere possit.

XLVI. Dicit deinde Eduensis, quod consuetudo secundùm jura dat jurisdictionem, maximè personæ capaci: ac inde „ulterius concludit: Cum ergo Ecclesia Gallicana consueve„rit inter laicos cognoscere in actionibus personalibus & rea„libus alicujus Ecclesiæ, patet quod consuetudo potuit sibi „dare illam jurisdictionem.

Hic observamus, consuetudinem in Gallia viguisse, ut & de realibus Ecclesia judicaret.

XLVII. Asserit præterea, quòd Ecclesia Gallicana magis „vindicet sibi illud jus consuetudine, quàm præscriptione: „quia (ait) consuetudo videtur introduci magis ex voluntate „& electione populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum „potiùs, quàm ad judicium sæculare & in favorem eorum.

XLVIII. Non obscurum est, Episcopum Eduensem hic reflectere ad legem illam quam sub nomine Theodosii confirmavit & innovavit Carolus M. qua laicis facultas datur recurrendi ad judicem Ecclesiasticum etiam altera parte renitente, cujus legis ipse Eduensis jam meminerat; ejusque observantiam nomine Cleri apud Regem urget, ut mox videbimus.

XLIX. Multum confirmatur ad hoc ista consuetudo „(pergit Eduensis) quia fuit in contradictorio judicio obten„ta: frequenter enim reclamantibus Baronibus, responsione „Prælatorum auditâ, fuit per prædecessores vestros Reges „consuetudo hujusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam „pacificè obtenta.

L. Posthæc sibi hanc objectionem ex persona adversarii „format: Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cum a„liæ Ecclesiæ sibi in aliis regionibus hoc minimè vendicare „noscantur? ad quod potest faciliter responderi (ait) si enim „Reges Franciæ quos Deus singularibus privilegiis, gratiis & „honoribus præ cæteris Regibus insignivit & prosperati sunt; „inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & „devotionem ad Deum, item propter maximum honorem & „reverentiam ad Ecclesiam, item propter justitiam prælibа„tam ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates „concesserunt vel concessisse uti liberè permiserunt, non est mi„rum, imò tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quod Ec„clesiæ tanto eis propinquiores tanto pluribus libertatibus „gaudent, nec ex hoc minus habuerunt, sed plus fieut rei evi„dentia manifestat, imò hoc redundat in magnam nobilitatem „regni & Regis.

Quidquid sit de hoc responso; hoc equidem negari nequit, quin ipso Eduense fatente, Ecclesia Gallicana præ cæteris Ecclesiis ampliore jurisdictione utere tur.

LI. Postmodum respondet Eduensis nomine Prælatorum ad singulos articulos gravaminum per Barones & Nobiles propositos; ac dein supplicant Regiæ Majestati, quod „placeat ei jura, libertates, privilegia Canonica, consuetudi„nes & saisinas, quæ & quas Ecclesiæ Gallicanæ habent & „habuerunt temporibus retroactis, eis defendere & servare, „specialiter super cognitionem actionum personalium & „realium mixtarum, nec non & interdictorum maximè inter „laicos.

LII. Plura alia singillatim exprimunt, quæ amplitudinem jurisdictionis indicant, atque finaliter petunt, ut „placeat ei proclamationes & inhibitiones factas, scilicet „quod nullus laicus trahat alium laicum coram judice Ec„clesiastico revocare: quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura „tollere.

Et licet (inquiunt) in aliquibus locis pro tollenda eorum „malitia in talibus proclamationibus seu inhibitionibus ver„ba, quæ sequuntur, apponant: videlicet quod laicus non tra„hat alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus „ad judices sæculares seu temporales, hoc est propter jura Ec„clesiæ usurpanda: quia multa pertinent ad forum laicorum, „quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum. Et sic jus & „consuetudo tollerentur, per quæ in electione laici est, quod „possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire.

Prælatos hic rursus respicere ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. innovatam, quæ laicis libertatem recurrendi ad judicem Ecclesiasticum tribuit, manifestum est.

LIII. Quàm latè tunc jurisdictio Ecclesiastica in Regno etiam Galliæ ex mente & opinione Prælatorum se extenderet, sat probat hic discursus; uti & tractatus de modo generalis Concilii celebrandi per Guilelmum Durandum Episcopum Mimatensem Concilio Viennensi oblatus, ubi *Rubrica* 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à laicis inflicta proponit: quæ si ritè expendantur, apparebit, quàm latè ex opinione Prælatorum se jurisdictio Ecclesiastica diffunderet.

LIV. Hactenus dicta ostendunt, quousque jurisdictio sive auctoritas Ecclesiæ in judicandis & decidendis laicorum causis etiam civilibus & profanis se extenderet: quòdque & primis sæculis, Principes causas ad Episcopale arbitrium deferri optaverint; ipsasque Episcoporum decisiones irretractabiles esse voluerint.

Patet insuper, succedentibus sæculis, jurisdictioni Ecclesiasticæ non exiguas à Magistratibus civilibus & Regiis factas oppositiones.

Cognoscitur quoque quòd non defuerint Episcopi etiam Sanctissimi, qui se Magistratuum conatibus opposuere ipsamque auctoritatem & jurisdictionem Ecclesiasticam tutati sint: non quod forensibus negotiis, aut causarum & quæstionum discussionibus implicari amarent, aut lucrum ex illis sperarent; sed quòd jura Ecclesiarum suarum defendenda crederent; nec non putarent, causis terminandis & pacificandis suorum subditorum meritò se debere impendere, ut ipsos à litibus forensibus expedirent, & pacem & concordiam inter ipsos firmarent.

Notanda sunt, quæ in hanc rem leguntur de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano in ejus vita apud Surium ad diem „primam Aprilis: Temporalium negotiorum litigiosas cau„sas æternorum amore, non amare, sed tolerare didicerat. Di„cebat enim omni febre molestiora sibi placita; modisque „omnibus his se abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sci„ret offensurum. Intererat autem his tantummodo pacis ob„tentu, maximè pauperum atque Ecclesiarum. Ubi verò in„exorabilia in aliquibus odia & inexpiabiles repeterat iras, „tunc demum fortissimè de Dei fisus auxilio, totusque in cha„ritatis atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac de„votissimè offensis pro his qui offenderant supplicabat. O „quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cœnosa se „pro talibus loca projecit? quoties ad pedes contemptibilium „etiam personarum prostratus jacuit? nec facilè, imò penè „nusquam frustrabatur optatis. Nam & si qui negassent, „non solùm gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes „offerebant postea non rogandi, quod negaverant suppli„canti.

CAPUT II.

Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis civilibus laicorum in Belgio & Gallia.

1. *Pluribus sæculis admodum extensa auctoritas Episcoporum in decidendis causis laicorum.*

2. *Per undecim sæcula videtur fuisse facultas laicis deferendi suas causas ad judicium Episcopi.*
3. *Circa sæculum 13. cœpit jurisdictio Ecclesiastica in Gallia & vicinis Provinciis impeti.*
4. *Confœderatio Nobilium Galliæ contra jurisdictionem Ecclesiasticam.*
5. *Causam delegant aliquibus qui eã strennè prosequantur.*
6. *Papa hunc nobilium impetum sistit.*
7. *Sæculo 13. RexGalliæ inhibuit Delegato Pontificis de rebus ad jurisdictionem temporalem spectantibus cognoscere.*
8. *Laici non patiebantur laicos conveniri coram Judice Ecclesiastico sub initium sæculi 14.*
9. *Laici studebant laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ subtrahere.*
10. *Circa sæculum 14. vulnera multa Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta queritur Gulielmus Durandus.*
11. *Sensim & frustatim jurisdictio Ecclesiastica quasi interiit.*
12. *Sæculo 14. Carolus V. Franciæ Rex causas reales jurisdictioni Ecclesiasticæ substraxit.*
13. *Dein Franciscus I etiam quoad actiones* personales *laicos à jurisdictione Ecclesiastica exemit.*
14. *Inhibuit sub mulcta arbitraria judicibus Ecclesiasticis citare laicos in causis merè personalibus.*
15. *Declarat salvam jurisdictionem Ecclesiasticam in causis merè spiritualibus.*
16. *Hæc Constitutio primitùs tantùm edita fuit per provisionem & cum aliqua limitatione.*
17. *Quomodo per usum transierit in definitivam & absolutam.*
18. *Principes Belgii sæculo 15. laicos in causis personalibus coram Judice Ecclesiastico noluerunt conveniri.*
19. *Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem laicos pene quoad omnes causas à jurisdictione Ecclesiastica eximunt.*
20. *Similiter & Concordata inter Hannones & Archiepiscopum Cameracensem.*
21. *Hodie in citatione laici ad forum Ecclesiasticum debet exprimi caussa; & quare?*
22. *Laici hodie in judicem Ecclesiasticũ consentire nequeunt.*
23. *Hodie abrogata Lex sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgata.*
24. *Quæ ratio diminutæ jurisdictionis Ecclesiasticæ remissivè.*

I. Pluribus sæculis admodum extensam fuisse Episcoporum auctoritatem in decidendis causis civilibus, etiam Laicorum; eamque Principes suis legibus promovisse & stabilivisse, capite præcedenti ostendimus.

II. Videtur autem per undecim & amplius sæcula Ecclesia mansisse in pacifica possessione hac extensâ auctoritate decidendi causas Laicorum, saltem quas Laici ad ipsorum tribunal deferebant, ipsisque Laicis integram fuisse libertatem, ut dimissis judicibus sæcularibus, causarum suarum decisionem Episcopis deferrent.

III. Verùm circa sæculum 13. cœpit hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem pene ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles Laicorum; idque vel maximè in Gallia vicinisque Provinciis, in quibus tamen præteritis temporibus latius, quàm in aliis regionibus se extenderat jurisdictio & auctoritas Ecclesiastica, ut ex discursu Berthrandi Episcopi Eduensis capite præcedenti notavimus.

IV. Refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ ex historia Matthæi Parisiensis ad annum 1246. quòd anno 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerunt, & mutua fide obstrinxerint, jurisdictionem sæcularem, quæ tota pene absorpta erat à Clericis, revindicare & defendere. Verba ipsorum sunt: Nos omnes Regni Majores attento
„ animo percipientes, quòd regnum non per jus scriptum,
„ nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos
„ fuerit adquisitum, præsenti decreto omnium juramento
„ statuimus & sancimus, ut nullus Clericus vel Laicus alium
„ de cætero trahat in causam coram ordinario Judice vel
„ delegato, nisi super hæresi, matrimonio, vel usuris: amissio-
„ ne omnium bonorum suorum, & unius membri mutilatio-
„ ne, transgressoribus imminente; certis à nobis super hoc exe-
„ cutoribus deputatis; ut sic jurisdictio nostra resuscitata re-
„ spiret, & ipsi hactenus ex nostra depauperatione ditati, qui-
„ bus Dominus propter eorum superbiam profanas voluit re-
„ velare contentiones, reducantur ad statum Ecclesiæ primiti-
„ væ; & in contemplatione viventes, nobis, sicut decet, acti-
„ vam vitam ducentibus, ostendant miracula, quæ dudum à
„ sæculo recesserunt.

V. Refertur ibidem ex eodem Historico acta dictorum Baronum, quâ constituunt quatuor è suis, qui simul, vel duo ex ipsis strenuè cum plena auctoritate & potestate hoc negotium contra Clerum prosequantur; datâ quoque eisdem auctoritate exigendi etiam certam pecuniæ quantitatem à singulis de hac communitate pro expensis in prosequenda hac causa; monentque, ut si forsan quisquam de hac communitate excommunicaretur, & hi quatuor judicarent, excommunicationem injustam, tunc non attendendo excommunicationem pergeret: Verba actæ Gallico idiomate relatæ sunt: *A tous ceux qui ces lettres verront, nous tous desquels les seaux pendent en cest present escrit, faisons sçavoir, que nous par la foy de nos corps avons fiancé & sommes aliancé, tant nous comme nos heritiers à tousjours, à ayder les uns aux autres, & à tous ceux de nos terres, & d'autres terres, qui vondront estre de ceste compagnie, à pourchasser & à requirir & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy envers la clergie. Et pour ce que seroit grieve chose nous tous assembler pour ceste besoigne, nous avons esseu par le commun assent & ottroy de nous tous, le Duc de* Burgoigne, *le Conte* Petrun *de* Bretaigne, *le Conte d'* Angulesme, *& le Conte de* S. Pol, *à ce que si aucuns de ceste communité avoit à faire envers la clergie, tel ayde comme ces quatre devantdits esgarderoient qu'un homme luy doit faire, nous luy ferions. Et cest à sçavoir, que à ce defendre, pourchasser, & requerir, chascun de ceste communité mettra la centiesme part par son serment de la vaillance d'un an de la terre quil tiendra. Et chascun riche homme de ceste compagnie fera lever ces deniers, chascun an à son povoir à la Purification de nostre Dame, & les delivra où il sera mestier pour ceste besoigne, par les lettres pendantes de ces quatre avant nommez, ou des deux de eux. Et si aucun avoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre avant nommez, il ne seroit pas aydé de la communité. Et si aucun de ceste compagnie estoit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la clergie luy fait, il ne laisseroit aller son droit ne sa querele pour l'excommuniment, ne pour autre chose q'uon luy face, si ce nest par l'accort de ces quatre, ou des deux de eux, ains poursuiveroit sa droiture. Et si les deux des quatre mourreroyent ou alloyent hors de la terre, les autres deux qui demeuroyent, mettroyent autres deux en lieu de ces deux, qui auroyent tel povoir que cest à devant divisé. Et si lavenoit que les trois & les quatre allassent hors de la terre, ou mourrissent, les douze ou les dix des riches du ceste communité, esliront autres quatre, qui auront ce mesme povoir que les quatre devantdits. Et si ces quatre, ou aucun de la communité par le commandement de ces quatre faisent aucune besoigne qui appartenoint à ceste communité, la communité l'en delivreroit.* Id est: Omnibus has visuris, Nos omnes quorum sigilla his appensa sunt litteris, notum facimus, quod interpositâ corporum nostrorum fide fœdus iniverimus, tam Nos ipsi, quàm liberi nostri in perpetuum, ut nobis mutuo, omnibusque qui in terris Jurisdictionis nostræ, seu in aliis degunt, huicque fœderi associari volent, opem feramus, ad promovendum procurandum & defendendum nostra & ipsorum jura, bonâ fide adversus Clerum. Et quia difficile foret in eum finem singulos nostrum convenire, constituimus de communi omnium assensu & venia Ducem Burgundiæ, Comitem Perunium Britanniæ, Comitem Inculismensem, & Comitem S. Pauli, ut si quisquam hujus communitatis adversus Clerum tali auxilio indigeat, quale prædicti quatuor judicaverint, per aliquem ipsi præstari debere, nos ipsi affera-

afferamus. Propterea que scilicet ut id defendamus, promoveamus & procuremus, quilibet hujus Communitatis interposito jure jurando, conferet centesimam partem reditus annui terrarum quas possidet. Et opulentus quilibet hujus Communitatis procurabit horum nummorum collectionem annuatim, prout poterit in festum Purificationis Divæ Virginis, tradetque ubi opus erit, in hanc operam visis litteris obsignatis prædictorum quatuor, aut duorum ex illis.

VI. Addit dein Matthæus Parisiensis: " Hæc cùm audisset „Papa, ingemuit spiritu perturbato; & cupiens eorum emolli„re corda, & constantiam enervare, admonitione præmissâ „eos minis perterruit nec se sic sensit prævalere. Contulit igi„tur multis consanguineorum eorum multa beneficia Eccle„siastica, & licentiam plura obtinendi, cum indulgentiis mul„tis, nec non & plura ipsis nobilibus contulit donativa; & sic „multos eorum à prædicta Præsumptione revocavit. Mul„tos tamen perterruit hujusmodi tenor Epistolæ, crede„baturque hæc à consensu *Frederici* emanasse; maximè cùm „hujusmodi clausula finalis concordet Epistolæ *Frederici*, „quam multis misit Principibus, in cujus fine sic dicit: *Semper „fuit nostra intentio voluntatis clericos cujuscumque ordi„nis ad hoc inducere, & maximè maximos, ut tales perse„verarent in fine, quales fuerunt in Ecclesia primitiva. A„postolicam vitam ducentes, humilitatem Dominicam imi„tantes. Tales namque clerici solebant Angelos intueri, mi„raculis corruscare.* Id est:

Si verò culpa teneretur, arbitrioque prædictorum quatuor stare detrectaret, à nullo Communitatis juvaretur. Si autem quisquam hujus Communitatis injuriâ foret excommunicatus, quàm dicti quatuor censerent ei Clerum intulisse, nec querelas, nec jus suum prosequi omitteret propter excommunicationem, aut aliud demum quidquid contra ipsum agatur, nisi de consensu istorum quatuor aut duorum ex ipsis, verum jus suum prosequeretur. Quòd si duo horum quatuor morerentur, aut peregre proficiscerentur, alii duo qui restarent, alios duos substituerent in locum horum duorum qui eamdem haberent authoritatem quam supra declaravimus. Quod si contingeret, ut vel tres vel ipsi quatuor peregre proficiscerentur aut morerentur, duodecim aut decem ex opulentis hujus communitatis quatuor alios eligerent, qui eamdem quam prædicti quatuor potestatem haberent. Quod si hi quatuor aut quis alius ex Communitate ad mandatum horum quatuor operam aliquam præstent, quæ hanc Communitatem concernat, per ipsam damno eximeretur.

Quidquid sit de hoc additamento; hoc satis constat, sub hæc tempora jurisdictioni Ecclesiasticæ non tantùm oppositionem fieri cœpisse; sed & paulatim eam diminui & restringi.

VII. Occurrit in citatis Probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 7. num. 6.* declaratio cujusdam Capellani Pontificii, qua declarat, sibi à Rege S. Ludovico fuisse injun„ctum, ne de communia Belvacensi, seu de rebus pertinenti„bus ad eamdem, nec de regalibus suis, sub de rebus aliquibus „ad jurisdictionem suam secularem pertinentibus, cognoscere „directè sive indirectè, seu inquisitionem facere aliquatenus „præsumeret.

VIII. Scribit Mayerus *lib. 10.* Annalium Flandriæ, anno 1301. coactam fuisse apud Compendium Synodum Provincialem per Archiepiscopum Remorum, " ubi fulminati Magi„stratus laici (ait Mayerus,) qui non patiebantur, ut laici in foro „Ecclesiastico convenirentur.

Statuta hujus Synodi edidit Labbeus in ultima Conciliorum generalium collectione ex MS. codice S. Genovefæ Parisiensis: nec obscurum est, Mayerum reflexisse ad Canonem quintum hujus Synodi, qui his verbis exprimitur: " Item cùm „nonnulli temporales Domini, suis inhibeant subditis, ne quis „eorum alium trahat in foro Ecclesiastico, in causis aliàs à ju„re seu consuetudine permissis, quin imò quia sic trahentes „procedunt frequenter ad contemptionem trahentis & bo„norum ejusdem amicorum trahentis, & bonorum ipsorum: „nos ne talia fiant prohibentes, contra facientes excommu„nicationis vinculo innodamus, & denuntiamus à Canonibus „excommunicatos.

IX. Hinc rursus apparet, Magistratus & Dominos temporales circa hæc tempora laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ voluisse subtrahere: quod & manifestum est ex articulis per Petrum Cugnerium nomine Baronum & Nobilium Franciæ contra Clerum coram Philippo Valesio propositis; de quibus capite præcedenti actum est.

X. Et quamvis Prælati & Clerus se pro tuenda sua jurisdictione fortiter & viriliter sæpius opposuerunt, nihilominus Magistratus ac Ministri Regii suffulti auctoritate Regiâ paulatim perruperunt; ac sensim totam penè jurisdictionem & auctoritatem judicandi, præsertim de causis civilibus laicorum ad suum tribunal traxerunt quemadmodum circa idem tempus testatur Gulielmus Durandus in Tractatu de Modo generalis Concilii celebrandi, ubi *Rubrica 70.* vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta describens, ait: " Quasi per quamdam allu„vionem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. „Et sicut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos ju„risdictio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur. „Quidquid ad Ecclesiasticam jurisdictionem, potissimè quoad „temporalia, pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt „casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directè vel indire„ctè per eos Ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis „mundi partibus. Nec jam constituta remedia proficere pos„sunt sicut experientia docet.

XI. Verissimum esse, quod Domini temporales & Magistratus Regii frustatim, sive per partes omnem jurisdictionem Ecclesiasticam de causis pecuniariis laicorum sibi attraxerint, notarunt passim auctores, & ex variis Regum Sanctionibus, & Parlamentorum arrestis successivè datis haud obscurum est.

XII. Anno 1371. Carolus V. Rex Franciæ instante Procuratore generali injungi ac inhiberi mandavit sub magnis pœnis Regi applicandis, Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffra„ganeis & ipsorum Officialibus, ne de casibus & actionibus „realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hæreditatis, „interdictis possessoriis acquirendi & retinendi, ac restitutori„is, & de causis retractuum hæreditagiorum, nec non de redi„tibus annualibus, & assidatis vel assisis, seu debitis & petitis „super hæreditagiis, in præjudicium (ait) nostræ jurisdictio„nis temporalis de cætero amplius cognoscere aut se intro„mittere quoquo modo præsumant, sed facta & agitata in „contrarium, monitiones & processus Ecclesiasticos penden„tes, super hoc factos vel inchoatos, si quæ vel qui sint, revo„cent penitus & annullent. Integra acta habentur inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gall. *cap. 7. num. 15.* & apud Choppinum *lib. 2. De Sacra Polit. tit. 1. num. 6.*

XIII. Hic dumtaxat actionum & causarum realium cognitio Ecclesiasticis adimitur; nihil hactenus de merè personalibus. Cumque de hisce multæ ac variæ essent inter utrumque tribunal quæstiones, tandem Regiâ Constitutione Francisci I. „obrogatum est indiscriminatim Ecclesiasticæ in profanis ju„risdictioni, non tantùm de actionibus in rem, sed in personam „quoque conceptis, uti loquitur Choppinus loco citato *tit. 2. num. 1.*

Edita fuit hæc Constitutio 1539. cujus primi articuli verba sunt: *C'est à sçavoir que nous avons défendu & défendons à tous nos sujets de faire citer, ne convenir les laiz pardevant les Juges d'Eglises és actions pures personnelles, sur peine de perdition de cause, & d'amende arbitraire.* Id est:

Videlicet quòd prohibuerimus & prohibeamus quibuscumque subditis nostris, nè curent citari aut in jus vocari Laicos coram Judicibus Ecclesiasticis pro causis merè personalibus, indictâ pœnâ amittendæ causæ & mulctæ arbitrariæ.

XIV. Dein art. 2. ait: *Et avons défendu à tous Juges Ecclesiastiques de bailler ne delivrer aucunes citations verbalement ou par escrit, pour faire citer nosdits sujets purs laiz, esdites matieres d'actions pures personneles*

Id est: Inhibuimus quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, ne citationes ullas infinuent aut tradant seu verbo seu scripto, ut

in jus vocent subditos nostros merè Laicos in dictis causis actionum merè personalium.

XV. Et ne videatur jurisdictioni Ecclesiasticæ in causis purè spiritualibus ullatenus præjudicare, expresse dicit *art.* 4. illa à se ordinata salvâ jurisdictione Ecclesiasticâ & materia Sacramentorum, & aliis merè spiritualibus, de quibus Ecclesiastici cognoscere poterunt etiam contra laicos. *Sans prejudice toutes fois de la jurisdiction Ecclesiastique, ès matieres des Sacramens, & autres pures spirituelles & Ecclesiastiques, dont ils pourront cognoistre contre lesdits purs laix selon la forme de droit.*

Id est: Sine detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus & Ecclesiasticis, de quibus cognoscere poterunt contra dictos merè Laicos secundùm formam Juris.

XVI. Quin & *art.* 5. expressè monet, prædicta non nisi per provisione m fuisse ordinata; & nec hoc contra illos, qui contrario Arresto interveniente Procuratore Regio essent muniti. *Et ce par maniere de provision quant à ceux dont le fait à ête receu sur la possession d'en cognoistre, & jusques à ce que par nous autrement en ait ete ordonne, & sans en ce comprendre ceux qui en auroient obtenu arrest donne avec nostre procureur general, s'aucuns y ha.* Id est:

Atque id per modum Juris fiduciarii quoad eos quorum causa admissa est ratione possessionis de illa cognoscendi, & donec aliter per Nos fuerit statutum, non comprehensis iis qui interveniente Procuratore nostro Generali decretum obtinuissent, si qui tales sint.

XVII. Verùm hæc provisionalis ac limitata ordinatio sensim in definitivam & absolutam ex Curiæ usu & Arrestis Parlamentorum transivit, uti notat Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. Parlamenta enim ab edita hac Regia ordinatione, omnes citationes, omnesque processus in Curiis Ecclesiasticis contra laicos ex causis civilibus & profanis rejecerunt, ut nullos & abusivos, non obstantibus quibuscumque indultis, privilegiis aliisve titulis, vel possessione.

XVIII. Extat *parte* 1. *Edictorum Flandriæ lib.* 1. *Rubrica* 4. ordinatio Maximiliani & Philippi de 24. Augusti 1486. qua inhibetur, ne quis in Comitatu Flandriæ cujuscumque conditionis aut statûs in actionibus personalibus, civilibus & profanis (quarum cognitio ad temporalem ipsius Comitis Flandriæ jurisdictionem spectat) alibi quàm coram tribunali sæculari laicum citare præsumat, & quidquid in contrarium actum fuerit, cassetur & annulletur. Verba ordinationis sunt: *Vous* (President & Gens du Conseil en Flandre) *mandons & commettons par ces presentes, que par nos baillif & autres Officiers de nos villes & lieux de nostre dict pays & Comte de Flandres, ou l'on est accoutume de faire cryx & publications vous faites par cry publique, tele inhibition & deffence de par nous à tous nos subjects de nostre dict pays & Comte de Flandres, de quelque estat ou condition qu'ils soyent que contre ny a prejudice de nosdicts droits, preeminences & jurisdiction temporelle, ils ne tirent ou facent tirer, traveiller ou molester, aucuns de nosdicts subjects lays en actions personnelles, prophanes & civiles (dont la cognoissance & judicature appertient à nous, & à nos loix & justices temporelles) ailleurs que pardevant icelles nos loix & justices temporelles. Ainsi, que tout ce que par eux ou aucun d'eux aura ete fait ou poursuyvi au contraire, qu'ils le revoquent ou facent revoquer & mettre au neant: & ce sur & à peine de soixante livres parisis de nostre monnoye de Flandres, à appliquer a nostre prouffit pour autant de fois qu'ils seront trouvez faisans ou avoir fait le contraire.*

Id est: Vobis (*Præsidi & Consiliariis Flandriæ*) mandamus, & per præsentes committimus, ut Prætores nostros aliosque Civitatum nostrarum & locorum dictæ nostræ Provinciæ & Comitatûs Flandriæ Præfectos, in quibus proclamationes & promulgationes fieri consuetum est, curetis per proclamationem publicam talem inhibitionem nostro nomine omnibus subditis nostris dictæ Provinciæ & Comitatus Flandriæ cujuscumque gradus aut conditionis fuerint, promulgari, ne in detrimentum aut contra dicta nostra jura, prærogativam & temporalem jurisdictionem, in jus vocent aut vocari faciant, vexent, aut infestent quempiam dictorum nostrorum subditorum Laicorum quoad actiones personales, profanas & Civiles (quorum cognitio & decisio Nobis, legibus nostris & sæculari tribunali competit) alibi quam coram tribunali isto & legibus Civilibus. Sed ut quidquid actum fuerit aut institutum in contrarium revocent aut revocari jubeant & irritum fieri, idque indicta pœna sexaginta librarum *parisis* monetæ nostræ Flandricæ in emolumentum nostrum convertendarum, toties quoties deprehendentur contra hæc delinquere vel deliquisse.

Idipsum rursus pro Comitatu Flandriæ ordinavit per formam Edicti Carolus V. anno 1522. extatque eodem loco. Verba idiomate Flandrico expressa sunt: *Wi hebben by goede ende rype deliberatie van raede, ende uyt onsen eygen mouvement rechte wetenheyt ende volcomen macht gheordonneert ende gestatueert, ordonneren ende statueren by vorme van Edicte, midts desen onsen brieve dat nyemand wie dat hy zy, binnen onsen lande ende graefschape van Vlaenderen hem voors aen en vervoordere eenighe leeke ofte wereliicke persoonen (van wat state ofte conditie hy zy) te daghene ofte doen daghene, betrekene, traveilleerene, oft anderssins te molesterene in eenigher manieren, voor ende omme zaecken en actien personnele, reele, mixte, prophane, ende civile, elders dan voor heurlieder wereliicke rechten ende Jugen zient behooren zal op de peyne ende boete van Sestigh ponden parisis, van twintigh grooten onser vlaemscher munte 't pont, telcker reyse als zy bevonden werden zullen dat ghedaen thebbenne; ende oock mede, indien zy yet daer teghens gheattempteert hadden, dat zy ghehauden zullen wesen tselve te renuncierene ende doen renuncieren ten heuren laste ende coste.*

Id est: Nos ex matura & æqua deliberatione & consilio & motu proprio, certa scientia & plena authoritate mandavimus & statuimus mandamus & statuimus in forma Edicti per has nostras litteras, ut nemo quiscumque sit in hac nostra Provincia & Comitatu Flandriæ in posterum præsumat Laicos ullos aut personas sæculares (cujuscumque gradus aut conditionis extiterit) citare aut citari jubere, in jus vocare, vexare, aut aliis ullo modo incommodum iis facessere ob causas & actiones personales, reales, mixtas, profanas & civiles alibi quàm coram ipsorum Judicibus & Justitia sæcularibus quibus competet. Sexaginta librarum *parisis* viginti grossorum moneta nostræ Flandricæ in libram, pœnâ indictâ, toties quoties id fecisse deprehendentur. Deinde si quid contra ausi fuerint ut teneantur iisdem actis, sumptu & onere propriis renuntiare aut renuntiari curare.

Insuper mandat sub pœna 60. librarum, omnibus judicibus Ecclesiasticis, Promotoribus, Scribis, Notariis, Procuratoribus, aliisque omnibus, ut caveant, posthac in Comitatu Flandriæ expedire aliquam citationem, monitionem, aliamve provisionis formam, in materia & actione personali, reali, civili vel profana (cujus cognitio ad judicem sæcularem spectat) aut vi hujusmodi citationis & monitionis, urgere aut urgeri facere aliquem laicum, non obstante quacumque contraria juris dispositione, consuetudine aut praxi, quibus per se præsens Edictum derogat. *Insgelicks hebben wy gheordonneert gheestatueert ende verboden, ordonneren, statueren ende verbieden by desen, an alle gheestelicke rechters ofte Jugen, Promoteuren, Scriben, Notarissen, Procureurs ofte ander wye zy zyn, dat zy hem verdraghen van nu voort an, binnen onsen voorseyden lande ende Graefschape van Vlaenderen, eenighe citatien, monitien ofte andere manieren van provisien te decernerene oft expedierene, van materien ende actien personele, reele civile ofte prophane (dan of de kennisse den wereliicken rechters competeert ende toebehoort) noch oock uyt cracht van zulcke citatien ende monitien*

te

te vervolghen ofte doen vervolghen, eenighe vande voorsz. de leeke ende vverlicke persoonen, op gelijcke peyne ende boete van Sestigh pond parisis, te verbueren by den ghenen die ter contrarien ghedaen zal hebben, telcker reyse als dat gebeuren zal: ende dat zy daer toe bedvvonghen vvorden, by die peyne vorschreven. Ende indien zy dat ghedaen hadden, dat zy tselve terstont renuncieren tot hueren eyghen coste: niet teghenstaende eenighe dispositie van rechte, costume ofte usantie ter contrarien, de vvelcke vvy hebben in dit stick gederoguiert ende deroguieren mits desen onsen brieve.

Id est: Similiter mandavimus, statuimus, & prohibuimus, mandamus statuimus & prohibemus & hasce quibuscumq; Ecclesiasticis Judicibus, Promotoribus, Scribis, Tabellionibus, Procuratoribus aut aliis quicumque demum fuerint, ne in posterum in hac dicta nostra Provincia & Comitatu Flandriæ præsumant citationes, monitiones, aut alterius generis rescripta decernere & expedire in causis & actionibus personalibus, realibus, civilibus aut profanis (quarum cognitio Judicibus Sæcularibus competit, ad eosque spectat) nec in vim talium citationum & monitionum quempiam prædictorum Laicorum & Secularium personarum persequantur aut persequi jubeant. Simili pœna & mulcta sexaginta librarum *Parisis* indicta, persolvendâ per eum qui contra hæc deliquerit, toties quoties id continget. Et per dictam pœnam ad id compellantur. Si autem id egerint, ex templo actis proprio sumptu renuntient: non obstante quavis Juris dispositione, consuetudine, aut usu contrariis, quibus in hac parte derogavimus & derogamus per hasce nostras litteras.

XIX. Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. de 1541. laicos penè in omnibus causis privativè judici sæculari subjiciunt; declarantque, quòd nec hujusmodi causis se poterunt Judices Ecclesiastici immiscere. Solæ fere causæ testamentariæ & dotales sive ex contractibus antenuptialibus resultantes & de bonis amortizatis excipiuntur, idque cum variis limitationibus & modificationibus, uti titulo sequenti latius exponetur.

XX. Habentur hæc Concordata parte I. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1 *tit.* 1. *cap.* 8. ubi & *cap.* 3. refertur confirmatio Concordati inter Archiepiscopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ, in quo inter cætera cavetur *art.* 21. quòd imposterum judices Ecclesiastici non citabunt, aut citari facient Hannones pro debitis procedentibus ex contractu, mercatura, aut alia finali causa civili. *Item ceux d'Eglise se garderont d'oresnavant de citer ou faire citer les manans du pays d'Haynault pour sommes de deniers procedans des contracts, marchiets, & autres semblables purement civils.*

Id est: Item cavebunt in posterum Ecclesiastici, ne citent aut citari jubeant incolas Hannoniæ ratione pecuniæ ex contractu, emptione, aliisque talibus merè civilibus debitæ.

XXI. Ordinatione Regia anno 1532. in Gallia cautum fuit, nullum laicum coram judice Ecclesiastico vocari posse, nisi in citationis libello nominatim adscribatur causa ex qua citatur. Hujus Ordinationis meminit Renatus Choppinus De Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4. qui & addit: "Minimè verò otiosa Regia illa constitutio, ne profani Ordinis viri promiscuè apud Pontificios Præfectos conveniantur, navè in discriminatim de omni causarum genere cognitionem interponant.

Idipsum anno 1521. ordinavit Carolus V. ut causâ sic expressâ deliberare & cognoscere queant laici citati, num coram judice Ecclesiastico comparare debeant, an verò citationes hujusmodi aliâ viâ cessare facient. Verba sunt: *Ordonnons & statuons par ces presentes, par maniere d'Edit perpetuel, que d'oresnavant toutes les Citations è emaner & decerner par les Officiaux & autres Juges Ecclesiastiques, desdicts Cours spirituelles de Cambray, Arras, Tournay, Terouane & autres, contre nosdits Subjects & gens Lais soyent libellees & narrees des Causes, Raisons, & actions, pour lesquelles elles se decernent & ostroyent: à fin que nosdicts Subjects Lais cites, puyssent par icelles sçavoir & deliberer (sans autres Fras, Travailes ou Despens) de ce qu'ils en auront à faire: & s'ils sont tenus de comparoir esdicts Cours, ou faire cesser lesdictes Citations par autre voye: voullans & ordonnans par cesdictes presentes, de nostre certaine science, qu'aux Citations autrement expediees & decernees, ne soit aucunement obey.*

Id est: Mandamus & statuimus per has præsentes in forma Edicti perpetui, ut in posterum omnes citationes quæ emanabunt & decernentur per Ministros aliosque Judices Ecclesiasticos dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Cameracensis, Atrebatensis, Tornacensis, Teroanæ & aliarum adversus præfatos nostros subditos & Laicos, non insinuentur sine libello & narratione causarum, rationum & actionum, ob quas decretæ fuerint & concessæ. Eatenus ut dicti nostri subditi Laici citati inde possint cognoscere & deliberare (omissis aliis sumptibus, molestiis & impensis) quid ipsis agendum incumbat: & utrum in dictis Curiis sistere se teneantur, aut dictarum citationum cessationem alio modo procurent: volentes & mandantes per hasce præsentes ex certa nostra scientia, ut Citationibus alio modo decretis & confectis non deferatur.

XXII. Testatur insuper Fevretius De Abusu *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. axioma hoc moribus Galliæ receptum esse, laicum in judicem Ecclesiasticum consentire non posse, sive ejus jurisdictionem prorogare.

Similiter in Hispania teste Emanuele Gonzales in Commentario ad *Cap.* 18. *De Foro competenti num.* 10. "speciali Principis jussione inhibitum est laicis, Ecclesiasticorum judicum prorogare jurisdictionem, si rei sint; quòd si faciant, nullus est processus coram Ecclesiastico fabricatus; Fiscalisque Regius petere in Aula Auditorum potest, ut talis declaretur. Quæ quidem leges Regiæ (pergit Gonzales) nec sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, neque contra illam jurisdictionem: quia in laicos reos, causisque merè profanis nulla Ecclesiasticis judicibus competit jurisdictio.

Posthæc concludit Gonzales: "Substinenda ergo est lex politica, quam omnes Christianæ nationes habent. Tum ibidem refert variarum Nationum auctores, qui de hac praxi testantur.

XXIII. Hinc facilè cognosci potest, ad quam angustos limites hodie restricta sit auctoritas vel jurisdictio judicum Ecclesiasticorum in causis civilibus & profanis laicorum; quodque jam planè abrogata sit lex illa, quam sub nomine Theodosii renovaverat, & per omnes sui Imperii ditiones observari voluerat Carolus M. qua lege permittebatur laicis, in quacumque parte litis judicem sæcularem declinare, causamque ad judicem Ecclesiasticum transferre; idque & altero litigante etiam refragante; quemadmodum capite præcedenti latiùs expositum fuit.

XXIV. Hæc jurisdictionis Ecclesiasticæ in decidendis causis civilibus præsertim laicorum diminutio cœpit & crevit cum ipsa immutatione formæ sive modi exercendi judicia Ecclesiastica, tum quoad personas judicum sive decidentium causas, tum quoad instructionem & examen causarum. Quæ enim primitus per Episcopos tamquam amicabiles arbitros sine strepitu & formalitatibus forensibus decidebantur; cœperunt postmodum per Officiales ad rigorem juris, & adhibitis omnibus solemnitatibus modo forensi tractari, & decidi; adeo ut in forma procedendi à sæculari judicio vix differrent; quemadmodum in sequentibus latiùs ostendetur, ubi unà demonstrabitur, quomodo hâc judiciorum Ecclesiasticorum formâ introducta, mirum non sit, quòd ipsæ laicorum causæ civiles Ecclesiasticis judicibus substractæ fuerint.

CAPUT III.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis civilibus Clericorum?

1. *Olim etiam sanctissimi Episcopi decidendis causis laicorum se impendebant.*
2. *Decidebant causas potiùs ut arbitratores, quàm ut Judices.*

3. Con-

3. *Causam ad Episcopum deferri olim pene erat idem quod liti renuntiare.*
4. *Ratio ob quam conveniat, ut Clerici suas quaestiones committant decidi ab Episcopo sine strepitu judicii forensis.*
5. *Convenit id Clericorum & Monachorum vocationi.*
6. *Canones volunt Clericos à litibus abstinere, & praecipiunt Episcopis, ut ipsos ad concordiam revocent.*
7. *Olim Clericus in causa civili recurrens ad saeculare judicium relicto Episcopo mulctabatur.*
8. *Dicebatur hujusmodi Clericus indignè de Ecclesia sentire.*
9. *Concilium Chalcedonense vult ut causa Clericorum vel per Episcopum vel per arbitros decidatur.*
10. *Concilium unicè intendit, ut Clericorum quaestiones sine strepitu litis deciderentur.*
11. *Quomodo S. Augustinus quaestiones inter suos Clericos & Monachos componeret?*
12. *Deferenda est quaestio ad Episcopum, tametsi laicus contra clericum quaestionem habeat.*
13. *Ita voluit Justinianus Imp.*
14. *Justiniani mens fuit Clericos & Monachos à forensibus jurgiis eximere.*
15. *Justinianus abrogavit legem, quae Monachos Provinciarum Rectoribus subjiciebat.*
16. *Ne à sacris suis officiis avocarentur, nolebat eos extra Provinciam evocari.*
17. *Causas clericorum decidi vult Justinianus sine solemnitate judiciali.*
18. *Scopus privilegii* Fori *est litium Clericorum amicabilis decisio, atque causae clerrimè terminentur.*
19. *Qualiter sententia Episcopi in causis Clericorum executioni mandanda ex Constitutione Justiniani.*
20. *Exemptio Clericorum à foro saeculari per recentiores Principum & Praelatorum leges confirmata.*
21. *Capitularia Regum Francorum volunt clericum à suo Episcopo & non à judice saeculari judicari.*
22. *Laicus vetatur clericum trahere ad* publicum *judicem.*
23. *Judex* publicus *olim opponebatur.*
24. *Circa seculum 12. Pontifices & Episcopi multùm hanc clericorum exemptionem asserunt, & extenderunt.*
25. *Innocentius III respondit, clericum privilegio fori nequidem in causis profanis renuntiare posse.*
26. *Nequidem cum juramento.*
27. *Conformiter ad hoc Innocentii responsum etiam postmodum in Synodis decretum fuit.*
28. *Nec per contractum clerici se laico Judici subjicere poterant.*
29. *Clericus plerisque in locis laicum ad Judicem Ecclesiasticum citare poterat.*
30. *In recentioribus Synodis exemptio clericorum à jurisdictione laicorum confirmatur.*
31. *In asserenda clericorum exemptione idem semper mansit Ecclesiae scopus & spiritus.*

I. Ostendimus c. 1. quantopere sanctissimi etiam Episcopi se impenderint decidendis quaestionibus & disceptationibus Fidelium, etiam super rebus temporalibus & profanis; idque non dominandi animo, aut auctoritatem jurisdictionemque suam amplificandi spiritu; sed pacem ac charitatem inter Fideles conciliandi, ipsosque à forensibus judiciis, ad mentem Apostoli, avocandi studio.

II. Ipsa quippe judicia Ecclesiastica (ut & ibidem notavimus) primitùs erant amicabilia arbitria potiùs, quàm judicia; ipsique Episcopi non tam judicis, quàm amicabilis arbitratoris partes exercebant: nec tam ad rigorem legum & juris civilis, quàm juxta leges charitatis quaestiones ex aequo & bono decidebant.

III. Unde quaestionem vel causam ad Episcopum deferre, idem erat, ac judicio Forensi renuntiare, & causam arbitrio Episcopi sine strepitu judicii decidendam committere. Quapropter S. Augustinus Christiano justo quidem, sed tamen infirmo permittit, temporalia sibi ablata repetere, seu Ecclesiastico, non Forensi judicio. Describens enim *l. 3 ad Bonifacium c. 5.* hominem perfectissimum in fide viventem, sed imperfectiorem, dicit inter caetera de illo: Eleëmosynarum largissimus, injuriarum patientissimus, qui non solùm non auferat aliena, sed nec sua reposcat ablata. De hoc autem ita pronuntiat: Possidet rem familiarem, faciens inde eleëmosynas, non tamen quàm ille tã largas; non aufert aliena; sed quamvis Ecclesiastico judicio, non Forensi, tamen repetit sua.

IV. Si ergò Ecclesia tantopere sollicita fuerit, ut communes fideles à Forensibus judiciis retraheret, iique suas quaestiones de rebus temporalibus, ut minus ipsi Episcopis aut sapienti alicui, secundùm monitum Apostoli, decidendas & terminandas sine Forensi strepitu crederent, quid mirum, si Clericos & Monachos à Forensibus judiciis abstinere jusserit: utpote, qui prae communi populo rerum terrenarum contemptum profitentur, ipsique populum tenentur suo exemplo illarum contemptum docere.

V. Accedit quòd Clericorum & Monachorum vocationi & instituto magis, quàm laicorum contrarientur forenses litium tumultus. Cùm enim Clerici Ecclesiae Ministerio ad spiritualem animarum profectum sint destinati; & Monachi ad vitam solitariam, & à mundo absconditam & abstractam, sat clarum est, statui & vocationi ipsorum planè contrariari jurgiis & litibus forensibus implicari.

VI. Ex Concilio Carthag. IV. *Can.* 19. refert Gratianus *Caus.* 14. *q.* 1. *Can.* 1. Episcopus nec provocatus pro rebus transitoriis litiget.

Ex *Dist.* 90 *Can.* 1. ex eodem Concilio recitat: Discordantes Clericos Episcopus vel ratione vel potestate ad concordiam trahat: inobedientes Synodus per audientiam damnet.

VII. Volebant igitur Patres, ut Clerici quaestiones suas Episcopis subjicerent, & Episcopi ipsos ad concordiam revocarent. Concilium Carthaginense III. cui Augustinus interfuit, *Canone* 9. decernit: Item placuit, ut quisquis Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum seu Clericorum, cùm in Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel *civilis* causa fuerit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata sententia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio. In civili verò perdet quod evicit, si locum suum obtinere voluerit.

VIII. Legitur hic Canon apud Gratianum *caus.* 11. *quaest.* 1. *Can.* 43. cum additamento: Cui enim ad eligendos judices undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consortio judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de judicio saeculari poscit auxilium, cùm privatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi terminari praecipiat.

Monet autem Justellus in notis ad Codicem Ecclesiae Africanae: "Quae quidem verba in omnibus Latinis Graecisque codicibus editis & manuscriptis, quibus in hac editione usi sumus, non habentur, nec in collectione Dionysii Exigui Moguntiae edita anno 1525.

Quisquis interim haec verba Canoni addidit, indicare voluisse videtur, quàm indignè agant Clerici, qui quasi indigniùs de Ecclesia sentientes quàm Laici, saecularia judicia prae Ecclesiasticis eligunt.

IX. Quapropter Patres Synodi Chalcedonensis *Can.* 9. decreverunt: "Si quis Clericus habet cum Clerico litem aut negotium, proprium Episcopum non relinquat, & ad saecularia judicia ne excurrat, sed causam prius apud proprium Episcopum agat: vel de Episcopi sententia apud eos, quos utraque pars elegerit, judicium agitetur; Si quis autem praeter haec fecerit, Canonis poenis subjiciatur.

X. Quid hîc aliud intendit Synodus Chalcedonensis, nisi Clericis aditum ad saecularia & forensia judicia occludere, iisque praecipere, ut quaestiones inter ipsos exortas arbitrio Episcopi determinandas committant, vel certè ex Episcopi sententia & consilio aliis quos elegerint; id est, *arbitris*,

Unde

Unde Isidorus Canonem hunc referens legit: *Apud* ARBITROS *ex utraque parte electos audiatur negotium*: quam lectionem secutus videtur Gratianus *caus.* 11. *q.* 1. *Can.* 46. quamvis non rectè restringat recursum ad arbitros ad casum quo esset *negotium ipsius Episcopi*.

XI. Quomodo lites inter Clericos Monachosque suos componeret terminaretque Augustinus, ipse exponit Sermone 49. „De Diversis seu 355. novæ editionis: Si pueri isti servi Dei sunt „(aut) litem hanc inter illos cito finimus. Audio illos ut pater, „& forte melius quàm pater ipsorum. Videbo quid sit juris, „sicut Deus voluerit cum paucis fratribus fidelibus honoratis, „Deo propitio, de numero vestro, id est, de plebe ista. Audio „inter illos causam; & sicut Dominus donaverit, finio.

XII. Nec dumtaxat quæstiones Clericorum & Monachorum ad Episcopum deferendæ erant si Clericus contra Clericum, & Monachus contra Monachum quæstionem haberet, sed etiam si Laicus quæstionem haberet contra Clericum, aut Monachum, ad Episcopum deferri debere, non tantùm sacris Canonibus; sed & Principum legibus cautum erat.

XIII. Justinianus Imperator in *Novella* 79. *cap.* 1. sancivit, si quis quamcumque habuerit causam cum aliquibus „venerabilib[illegible]nctimonialibus, aut sacris virginibus, aut „mulieribus omnino in Monasteriis consistentibus, Deo amabilem civitatis illius Episcopum interpellet. Ille verò mittat „& cum omni honestate quæ sunt de personarum præsentia „disponat: sive oportet per Abbates, sive per Responsales, „sive per alios quoslibet hoc fieri. Ipsi verò cum omni „veneratione sacerdotali causam examinent & judicent, & „*civiles* non sint penitus eis judices, neque confundant eorum honestatem, cùm idonei sint Deo amabiles singularum civitatum Episcopi, & quæ de lite sunt, & de cautela „judiciorum disponere & judicare honestè atque *sacerdotaliter*, & secundum leges nostras, & sacratissimas regulas. „Si enim & qui aliquam rationem habere putantur, merebuntur justitiam, & honestas sacratorum inviolata integraque servabitur.

Quamvis hic dumtaxat Sanctimonialium & mulierum in Monasteriis manentium mentio fiat, nihilominus ex *cap.* 2. & epilogo Novellæ constat, eandem & ad Monachos Constitutionem extendi.

XIV. Vult ergò Justinianus causas Monialium & Monachorum ad Episcopos deferri, ut ipsi non tamquam judices civiles judicialiter & cum strepitu & formula Forensi, sed *honestè & Sacerdotaliter* eas terminent: ut ita à forensi contentione Monachi expediti sine impedimento Deo vacare queant; quod & *cap.* 2. expressit dicens: " Sed etiam accelerari lites „sancimus Monachis illatas, ut non mens eorum occupetur „circa litis sollicitudinem: sed velociter liberati, sacris operibus obsecundent.

XV. Rectè notat Cujacius ad hanc Novellam, quod hîc Justinianus abrogaverit Constitutionem quæ refertur in *L.* 31. *Cod. De Episcopis*, qua decernitur, Monachos ad judices „extra suas Provincias trahi non posse, sed apud suos judices „ordinarios, id est, Provinciarum Rectores, in quibus locis „degunt, Ecclesiarum ministeriis obsecundent (quod ad Clericos, de quibus etiam hic agitur, refertur) omniumque contra se agentium excipiant actiones.

XVI. Porrò quamvis hæc lex antiquata sit per Justinianum quatenus Monachos ad Rectores Provinciarum evocari in causis civilibus permittebat; nihilominus & hoc in favorem Monachorum cavebatur, ne ad quosvis longè etiam extra Provinciam dissitos judices, quemadmodum communes laici, „conveniendi essent: " ratione hac notanda: ut his horis saltem atque temporibus quibus religiosos viros à turbulenta „observatione prætorii vacare contigerit, cumque eos ad tempus petitorum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se monasteria & venerabiles Ecclesias conferentes, sapienti animo, „precatione sollicita, faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obsecundent, in suis laribus domiciliisque constituti.

XVII. Hinc rursus manifestum est, ipsos etiam Principes Christianos, jam pridem sollicitos fuisse, ne per tumultum forensium negotiorum sanctum Monachorum otium turbaretur.

Quod in citata Novella de Monachis decreverat Justinianus, id postulante Menna Patriarcha Constantinopolitano per Novellam 83. ad Clericos extendit, nimirum ut si quis „habeat adversùs eos *pecuniariam* causam, prius ad Deo „amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, „& interpellet eum, & ex non scripto judicium mereatur, & „si hoc fiat, nec inquietet eum nec trahat ad auditoria ci„vilia, neque à sacro eum vocare faciat ministerio; sed „ex non scripto examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam forsan etiam scriptam, & si hoc quoque „partes voluerint & proposuerint, & liberentur alterutro „certamine.

Finalia verba *liberentur alterutro certamine* rectè interpretatur Dionysius Gothofredus in notis, *id est, exceptionibus & dilationibus nimiis*.

Et Cujacius ad prædictam *Novellam* 79 hanc præsentem *Novellam* 83. breviter sic contraxit: " Ex Novella 83. Clerici „actione pecuniaria committuntur coram Episcopo, qui litem finiat celerrimè sine sumptu, & sine scriptura solemni.

XVIII. Itaque omnis scopus hujus privilegii Clericalis, quod hodie *privilegium fori* vocatur, fuit, ut Clericorum causæ citra strepitum forensem quàm citissimè finirentur; quod Justinianus in eadem Novella indicat, ubi §. 1. declarat, „quod si aut propter causæ naturam, aut propter quandam fortè difficultatem non fuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse & ad civiles „judices pergere, & privilegiis omnibus custoditis, quæ „reverendissimis Clericis sacræ præstant Constitutiones, „& litigare, & examinationem fieri, & terminum imponi liti, „& ita liberam fieri causam clarissimis judicibus secundùm „nostras constitutiones vel leges studentibus cum magnanimitate & velociter lites decidere.

Velociter ergo decidi lites Clericorum præcipit, rationem subjungens: " Ut non propter hujusmodi causas sacris amo„veantur obsequiis, & cùm oporteat Deum placari, & decentia Sacerdotibus agi, auditoriis detineantur & illis „turbis, atque inhærente tumultu litigantium animabus.

XIX. Has leges postmodum rursus confirmavit Justinianus *Novella* 123. *cap.* 21. addita tamen hac moderatione; ut si Episcopus sententiam tulerit, & alter litigantium intra decem „dies contradicat iis quæ judicata sunt, tunc locorum judex „causam examinet, & si invenerit judicium rectè factum, etiam per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni „propriæ tradat, quæ judicata sunt: & non liceat secundò in „tali causa victo appellare. Si verò (pergit Justinianus) judicis sententia contraria fuerit iis quæ à Deo amabili Episcopo judicata sunt, tunc locum habere appellationem contra „sententiam judicis& hanc secundum legum ordinem referri „& exerceri. Si tamen ex imperiali jussione aut judiciali „præcepto Episcopus judicat inter quascumque personas: appellatio ad imperium, aut ad eum qui transmisit negotium, „referatur.

XX. Hanc auctoritatem Episcoporum in decidendis Clericorum causis, & eorum à jurisdictione Laicorum exemptionem posteriores Principes & Synodi sæpiùs renovarunt & confirmarunt.

XXI. Libro 1. Capitularium Regum Francorum *cap.* 28. legitur conformiter ad Canonem Calchedonensem supra relatum: " Si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo „Episcopo dijudicentur, & non à sæcularibus.

XXII. Sub idem tempus in Capitularibus Herardi Archiepiscopi Turonensis legitur: " Ut nullus La[illegible]co[illegible]um quemqu[illegible]am „Clericorum absque permissu Episcopi compellat ad causas „ire *ad publicum*. Et qui fecerit donec corrigat, ab Ecclesiæ „societate pellatur.

XXIII. Dum hic vetatur Laicis Clericos *ad publicum* tra-

trahere, vetitum censetur ad judicem sive Magistratum civilem trahere. Nam uti rectè observavit Hieronymus Bignonius in notis ad lib. 1. Formularum Marchulfi Monachi *cap. 3.* eo tempore soli judices civiles sive sæculares dicebantur *publici* judices. Et in *Cap. 12.* ☩ *De Foro competenti* accipiuntur *publica judicia* pro Jurisdictione sæculari, opponunturque cognitionibus Ecclesiasticis, uti ibidem notavit Emmanuel Gonzales.

XXIV. Mirum quanto zelo sequentibus sæculis hoc privilegium Clericorum, ne à Laicis ad judices sæculares trahi possent, urserint Pontifices & Episcopi; uti vel ex Decretis eorum Decretalibus Gregorii IX. insertis cognoscere possumus.

XXV. Legitur in *Cap. 12.* ☩ *De Foro competenti* responsum Innocentii III. Pisano Archi-Episcopo, id est Lothario, qui fuit Juris Civilis Glossator, uti observat Gonzales in notis ad dictum *Cap. 12.*

Crediderat hactenus Lotharius, quòd licitum esset Clerico renuntiare, saltem in temporalibus, Juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi voluntas adversarii accedat; ipsumque juramentum interpositum esse servandum. At respondet Innocentius, Clericos huic juri renuntiare non posse, rationem hanc addens: quia *pacto privatorum juri publico minimè derogatur.* Dein citato Canone Carthaginensi supra „ relato, infert: Manifestè patet, quod non solum inviti, sed „ etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia sub- „ eant: cùm non sit personale Beneficium, cui renuntiare va- „ lent, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publicè indul- „ tum, cui privatorum pacto derogari non potest.

XXVI. Quin & addit: Nec juramentum licitè servari po- „ tuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactionibus infor- „ matur.

Ex hoc responso Innocentii III. concludunt Canonistæ, Clericum se non posse Judici sæculari submittere etiam medio juramento; tametsi Justinianus id permiserit: quam Justiniani Constitutionem per hanc Decretalem abrogatam esse dicunt.

XXVII. Conformiter ad hoc responsum legitur in Syno- „ do Exoniensi anno 1287. *Can. 30.* Cùm nec *volens*, nec in- „ vitus Clericus valeat sibi laicum constituere Judicem, inhibe- „ mus ne Clericus Clericum super re spirituali, aut quâcumque „ actione personali sibi competente, vel suis, trahat in causam „ correctionis coram judice sæculari. Alioquin illum qui hoc „ facere attentaverit, causam perdere declaramus.

XXVIII. & *Can. 41.* ubi altè deplorat, quòd indies magis magisque laici nitantur subjicere suæ ditioni Clerum & Eccle- „ siæ libertates. Quorum potius (ait) temerariam audaciam „ resecare tenemur, quàm fovere. Deinde concludit: Prohibe- „ mus igitur sub pœna excommunicationis, ne Clerici, maxime „ beneficiati pro debito proprio vel alieno, districtioni se ob- „ ligent Judicis sæcularis: cujus obligationis prætextu, laici de „ facto, quamquam de Jure non valeant, Clericos ad Judicia „ sæcularia pertrahant.

XXIX. Nec tantùm Clericum coram sæculari Judice vocari posse receptum erat sæculo 12. & 13. sed & plerisque locis consuetudo invaluerat, ut Clericus etiam laicum coram Judice Ecclesiastico vocaret ad vindicandam rem à laico possessam, licèt eam *suam* esse laicus prætendebat: quemadmodum testatur Alexander III. in *Cap. 5.* ☩ *de Foro comp.*

XXX. In Synodis recentioribus passim renovatas has Decretales & pristinos de hac exemptione Clericorum à sæculari Jurisdictione Canones videmus; ac signanter Concilium Constantiense sub Martino V. renovavit Constitutionem Fre- „ derici II. Imperatoris: Nullus Ecclesiasticam personam in „ criminali quæstione vel *civili* ad sæculare judicium præsu- „ mat attrahere, contra Canonicas sanctiones & constitutiones „ imperiales.

Concilium Moguntinum anno 1549. *Can. 76.* statuit, ut actor Clerico coram sæculari judicio actionem intendens, eo „ ipso omni causâ cadat, nec amplius ad ejus causæ quærelam, „ etiam coram Ecclesiastico Judice admittatur.

XXXI. Porro in hac Clericorum à jurisdictione laicorum exemptione semper idem fuit Ecclesiæ scopus, idemque spiritus; nimirum, ut ipsos à litibus & tumultibus forensibus avocaret; quæstionesque inter ipsos suscitatæ amicabiliter interveniente Episcopo aliove prudente ac sapiente Viro, ad mentem Apostoli, componerentur & terminarentur; uti rectè advertit Ludovicus Thomassinus De Disciplina Ecclesiæ *parte 4. lib. 2. cap. 89.* tametsi nonnulli Prælati nonnumquam dominandi spiritu, aut quæstûs causâ in usu jurisdictionis, ejusque defensione processerint: quia hi ipsum Ecclesiæ spiritum & scopum mutare non potuerunt; quamvis forsan his Prælatis, eorumque excessibus ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio non immeritò imputetur; uti infra latiùs ostendetur.

CAPUT IV.

Quibus casibus hodie Clerici in Civilibus coram Judice Sæculari conveniantur.

1. *Quando & quâ de causâ causæ Clericorum præsertim civiles ad tribunalia laicalia devolvi cœperint.*
2. *An de hac devolutione Episcopi bene conqueri debeant?*
3. *In Gallia circa tempora Philippi Valesii exemptio Clericorum imminui cœpta.*
4. *Conquerebantur tum temporis quòd Judex Ecclesiasticus impediretur quominus Clericus in causa hereditaria conveniretur coram laico.*
5. *Quid huic querelæ responderint Prælati.*
6. *Ex ipsorum querelis & responso colligitur, etiam prætendisse judices Ecclesiasticos cognoscere de causa* reali *inter Clericos; quod & juri communi conforme prætenditur.*
7. *Usus cognitionem in causa* reali *ad judicem laicum etiam inter Clericos transtulit.*
8. *Jam pridem solemni arresto interdictum Judici Ecclesiastico de causa reali cognoscere.*
9. *Mulctatus Officialis qui de tali causa cognoverat.*
10. *Id non tantum in Gallia, sed pene ubique servatur.*
11. *Tempore Philippi Valesii. Prælati asserebant, ad se omnes causas* reales *spectare, quibus aliquid* personale *erat admixtum.*
12. *Hodie omnis causa etiam personalis ad Judices laicos spectat, si aliquid* realitatis *sit admixtum.*
13. *In causis* mixtis *Clerici coram laicis conveniuntur.*
14. *Contractus coram judice Ecclesiastico factus non inducit* realitatem; *quia de realitate disponere nequit.*
15. *Clericus pro arreragiis redituum conveniendus coram Ecclesiastico judice si personaliter tantùm conveniatur; secus, si jus* reale *controvertatur.*
16. *Hæc distinctio jam pridem solemni arresto probata.*
17. *Etiam Rector & Conservator Academiæ Lovaniensis eadem distinctione utuntur.*
18. *Ex contractu inito coram notario Regio Clericus coram judice Regio convenitur.*
19. *Clerici per contractum se solent jurisdictioni laicali submittere.*
20. *Dispositio juris quâ Clericus vetatur renuntiare privilegio suo sublata quoad causas civiles.*
21. *Quæstio an Clericus sit remittendus ad Judicem Ecclesiasticum, hodie spectat ad Judicem Regium.*
22. *Idipsum supponit Edictum Principum nostrorum ad Synodum Cameracensem.*
23. *Prætendunt Pragmatici hic intervenire quæstionem* Facti.
24. *Supponunt quoque omnem jurisdictionem quoad causas civiles spectare ad Principem quousque probatum sit in alios translatam.*
25. *Hinc concludunt, Clericum coram laico citatum debere comparere, ut privilegium alleget.*

26. Cle-

6. Clericus hodie convenitur coram laico, si in alia quàm Clerici qualitate conveniatur.
7. Clericus administrans bona laicorum potest corã laico judice conveniri.
8. Item si sit Officiarius sæcularis.
9. Similiter ut tutor aut curator laici.
10. Conventus ad præstandam gardiam in causa evictionis.
11. Ut hæres laici potest coram sæculari quoque conveniri.
12. Quantum diminuta jurisdictio Ecclesiastica?
13. In Brabantia concessum privilegium Prælatis ut conveniri nequeant nisi coram supremo Principis Senatu.
14. Idem nonnullis Capitulis in Gallia concessum.
15. Hoc privilegium ad causas concernentes functiones sacras non extenditur.
16. Etiam hodie manet spiritus Canonum qui vetabant Clericis ad sæcularia tribunalia recursum.

SIcuti causæ civiles Laicorum ad sæcularia tribunalia sensim devolutæ sunt, ipsique Episcopi & Judices Ecclesiastici ab earum cognitione penè totaliter exclusi, postquã nimirum judicia Ecclesiastica ad normam ...iciorum civilium institui & agi cæperunt, uti supra *c.* 2. ...nuimus; ita & causæ civiles Clericorum ad laicos judices ...volvi cæperunt, & exemptio Clericorũ quoad causas has ...ctissimos limites coarctari; ipsique Clerici coram laicis ...bunalibus in causis civilibus nõ tantùm à laicis citari; sed ...o hæc tribunalia expetere, & suos creditores etiam Cle...os convenire maluerunt: adeò ut hodie, præsertim in Bel...o & Gallia de exemptione clericorũ à laicali jurisdictione ...oad causas *merè civiles* vix aliquid superlit: quinimò & ...iq; causas Ecclesiasticas agitari corã judicibus Regiis, ...lo sequenti ostendetur; ibi unà ratio reddetur, cur Clerici ...umq; ament coram Regiis Tribunalibus, quàm Ecclesia...is suas quæstiones examinari & judicari, & quæ sit ratio, ...r is recursus hodie faciliùs, quàm olim tolerari queat.

II. Unà ostendetur, quòd graviter ferre non debeant E...scopi, si causæ & quæstiones ad Regia & laica tribunalia ...nsferantur, quamdiu ea, quæ nunc invaluit, forma judi...rum Ecclesiasticorum remanet; licèt non immeritò do...ant, quòd judicia Ecclesiastica, quæ primitus non nisi ad ...ncordiam & pacem tendebant, nihilq; de forensibus tricis ...ebant, tandem in jurgia forensia transierint; quin & in ...laicalia judicia facilè superent: atque ita omnis ferè ra..., quæ jam pridem moverat Prælatos Ecclesiæ, ipsosque ...ncipes, ut Clericos coram judicibus Ecclesiasticis con...ire vellent; & laica tribunalia declinare juberent, non ...tum negativè, sed & contrariè cessare videatur; quia li...ando coram Ecclesiasticis amplius & diutius litium tu...ltibus & forensibus tricis implicari solent, quàm liti...ando coram tribunalibus Regiis.

III. Jurisdictionem Ecclesiasticam quoad causas Clerico...rum circa tempora Philippi Valesii Regis Franciæ, id est, ...o initium sæculi XIV. imminuisse, notat Michaël Rous...ius; & non obscurũ est ex disceptatione inter Prælatos ...& Barones Regni Galliæ coram eodem Rege sub initia i...lius sæculi super materia jurisdictionis excitata.

IV. Inter articulos ex parte Baronum per Petrum Cugne...rium contra Prælatos allegatos erat hic 57. "Item si laicus ...vocat Clericum in causâ hæreditaria coram judice sæcu...lari, ipsi judices Ecclesiastici faciunt cessare processus, si...bi cognitionem attribuentes."

V. Huic articulo nomine Prælatorum respondet Ludo...vicus Bertrandus Episcopus Eduensis, "quòd super actio...ne personali vel mixta, aut super interdicto, quòd in par...te personale extiterit, Clericus fuerit coram judice sæcu...lari vocatus, non debet coram eo respondere; ubi autem ...actio esset merè realis, de jure deberet super hoc cujusli...bet Ecclesiæ consuetudo servari, & ubi consuetudo non ...esset, deberet jus scriptum in talibus imitari."

VI. Ex articuli propositione, & ad illum responsione pa...tet, quòd tum quæstio esset, quis Clericorum competens ...esset judex, etiam in causis *mixtis & realibus*; ipsumque E...piscopum prætendisse, in causis *mixtis*, quæ aliquid perso-nalitatis continent, solum judicem Ecclesiasticũ esse competentem; quin & in causa merè reali, si consuetudo Ecclesiæ non sit contraria: quod & conforme esse juri communi vulgò tradunt Canonistæ, quos citat Aufrerius de Potestate sæculari in Ecclesiasticos *regula* 2. *fallentia* 4.

VII. Verùm controversiam hanc usus finivit, ipsamque cognitionem de causis *realibus* judici laico detulit, quantumvis contra Clericum agatur; nam ut ipse Aufrerius testatur ex Joanne Fabio, hodie Clericus in actione *reali* potest coram judice sæculari conveniri; & ita de consuetudine in Regno Galliæ servari asserit.

VIII. Testatur quoque ibidem Aufrerius, "an. 1385. in „ Parlamento Parisiensi pronuntiatum fuisse arrestum, quo „ dictum fuit, Episcopum Cabilonensem non esse recipien„ dum ad manutenendũ, quòd in ejus Curia spirituali posset „ cognoscere de actione *reali*, & fuisse condemnatũ ad ces„ sandũ de cætero ab impedimẽtis per eum super hoc factis.

„ Hoc arrestum, ait Joannes Galli *qu.* 45. mirum videri „ non debet; nam si penes judicem Ecclesiasticum notio „ illa remansisset, oportuisset aliquando Regem & cæteros „ Galliæ Proceres ire litigatum Romæ pro feudis & tempo„ ralibus suis per viam appellationis, aut evocationis."

IX. Insuper ut Judices Ecclesiastici deterrerentur à capienda notione de actione *reali*, " anno 1463. Capitulum „ S. Maxentii fuit condemnatum in 200. libras, quia co„ gnoverat de actione *reali* virtute jurisdictionis spiritua„ lis," inquit Aufrer.

X. Nec tantùm in Gallia, sed & aliis plerisque Regnis, judices laicos cognoscere de causis *realibus* ostendit Michaël Roussellius in Historia jurisdictionis Pontificiæ *lib.* 4. *cap.* 4. & de Belgio testatur Judocus Damhauderus in Praxi civili *cap.* 53. & ibi notat Tuldenus, & praxis notoria & quotidiana consonat.

XI. Ex responso Ludovici Bertrandi supra relato patet, Prælatos ut indubitatum tunc asseruisse, quòd Clericus in actione *mixta*, aut super interdicto, quod in *parte personale* extitit, coram judice sæculari vocatus, non debeat corã eo respondere. Supponebant enim, *personale* ibidem intermixtum trahere ad se *reale*, ipsumq; judicem laicum esse omninò incapacem, qui de *personali* contra Clericum quovis modo judicare posset: econtra verò judicem Ecclesiasticũ haud esse incapacem, qui de *reali*, quod hîc miscetur, cognoscat: ideoque solicitè notant, *quod in parte* PERSONALE *est.*

XII. At verò hodie contrarium planè principium invaluit, & in Regiis Parlamentis receptum & probatum est: nimirum, bona temporalia esse omninò de jurisdictione sæculari; ipsosq; judices Ecclesiasticos esse incapaces cognoscendi aut statuendi de *realitate* bonorum; adeò ut abstinere debeant ab omni causa, cui *realitas* aliqua immixta est.

XIII. Hinc tamquam indubitatum tradunt Pragmatici, Clericum non tantùm in merè realibus, sed & in *mixtis*, putà actione hypothecaria conveniendum esse corã judice sæculari, sive ipsius rei sitæ, quemadmodum loco citato notat Aufrerius; & pluribus relatis confirmat Roussellius dicto *c.* 4. *n.* 10. additque: "Denique nullius non quæstio„ nis ex fundo & *realibus* subortæ competens est nobis ju„ dex sæcularis; nec Hispanis, ut tradit Alphonsus Villa„ diego: Ecclesiasticus verò incompetens."

Hactenus Roussellius, qui ex his concludit: "Itaque si „ Clericus vendiderit fundum, aut si immobilia ejus sint „ præhendenda, non poterit forum sæculare declinare."

XIV. Imò receptum esse tradit pluribus citatis Broudæus in notis ad Louëtium *Litt. H. n.* 15. quòd contractus & obligationes firmatæ sigillo judicis Ecclesiastici nullam inducant hypothecam sive tacitã sive expressam: quia judex Ecclesiasticus nullum habet jus se immiscendi iis, quæ *realitatem* spectant. Verba ipsius sunt: *Parce que la jurisdiction Ecclesiastique n'a aucun droit de s'entremettre en ce qui est de la realitté comme est l'hypotheque.* Id est: Eò quòd Jurisdictioni Ecclesiasticæ nullum jus competat, ut se immisceat iis, quæ realitatem spectant, quale est Hypotheca.

XV. Ex hoc principio nonnulli conclusere, quòd Clericus ratio-

ratione canonũ,seu *arreragiorum*,ut ajunt,alicujus reditus realis sive fundiarii, non nisi coram judice laico conveniri posset;eò,quòd huic obligationi *realitas* causã dederit;sive quòd obligatio canonum ex obligatione *reali* profluxerit.

Verùm si de solis annuis canonibus agitur,ratione quorũ obligatio dumtaxat personalis habetur,neq; ipsum jus reditus sive *reale* controvertatur,non apparet,cur de hac obligatione *merè personali* judex Ecclesiasticus competens non sit; secus verò,si ipsum *jus reale* in controversiam veniat.

Hac distinctione jam pridem usus est Aufrerius, dicens, pro arreragiis census annui conveniri posse Clericos corã judice sæculari,"quando medium concludendi est *reale*,ut „ quia petitur ratione prædiorum censualiũ:quia tunc ma„ gis videntur conveniri prædia, quam personæ, scil. pos„ sessores prædiorum. Si autem medium concludendi sit „ *personale*, ut quia arreragia petuntur ex stipulatione vel „ obligatione personali, tunc secus esset dicendum."

XVI. Hæc distinctio fundata apparet in famoso& solemni arresto prolato an. 1271. contra plures Episcopos eorumq; Officiales,quo ipsis interdicitur,"cognoscere de actionibus „ realibus,& de reditibus annualibus affidatis seu debitis& „ petitis super hæreditagiis, supposito,quòd partes *censum* „ aut *onus reale* se debere *minimè* confiteantur." Arrestum refertur apud Choppinum De Sacr. Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 6.

Distinctionem hanc rationi consonam esse fatetur etiam Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 11. insignis aliàs jurisdictionis Regiæ Patronus.

XVII. Hæc distinctio occurrit quoq; in concordia inter Maximilian. & Philippum, & Universitatem nostram Lovaniensem, inita super exercitio jurisdictionis Rectoris & Conservatoris,confirmata per Carolum V. Imper. ubi permittitur,ut Rector & Conservator cognoscant de materiis personalibus,non *realibus* aut *mixtis* bona immobilia tangentibus; permittiturque,ut si personaliter agatur de *reditibus*,possit incidenter de titulo cognoscere,ne continentia causæ dividatur; ut tamen non cognoscat de *realitate*, aut validitate contractus. Verba sunt: *Que lesdicts Recteur & Conservateur pourront prendre & avoir la cognoissance des matieres personelles, non reeles & mixtes, si avant qu'il touche biens immeubles. Pourveuque si les parties, que viendront en justice pardevant eux, en la deduction desdicts actions personelles,se veullent ayder d'aucun titre & en vertu d'iceluy justifier la constitution de la rente ou autre chose, dont en action personelle question seroit meue pardevant eux, iceux Recteur & Conservateur pour eviter que la contenance de la cause ne soit divisé,pourront incidemment prendre connoissance audit titre, sans toute fois autrement eux entremettre d'aucune realité, & sans aussi eux entremettre ou prendre connoissance sur la validité dudit titre au cas que question s'en meut pardevant eux.* Id est: Quòd dicti Rector & Conservator cognoscere poterunt de causis personalibus,non realibus & mixtis,quatenus concernunt bona immobilia. Si modò partes,quæ corã ipsis in judicio se sistent, in deductione actionum personalium titulo quodam tueri se velint,& in vim illius probare creationem reditus, aut quid aliud, de quo per actionem personalem coram ipsis mota fuerit quæstio: dicto Rectori & Conservatori, ut evitetur continentiæ causæ divisio,incidenter de dicto titulo cognoscere licebit, ita tamen, ut nullatenus realitati se immisceant, aut de validitate dicti tituli cognoscant, si coram ipsis quæstio desuper moveretur.

XVIII. Si tamen contractus initi & roborati sint sigillo Regio,vi hujus cõtractûs Clericos hodie actione personali conveniri corã judice sæculari,notat ibidem Fevretius. Cui consonat articulus modificationis jam pridè inseri solitus verificationi Legatorum Sedis Apostolicæ: "De contra„ ctibus inter quascumque personas sive Ecclesiasticas sive „ laicas initis, qui obligationes personales continebant, „ si à Notariis *Regiis* publicâ auctoritate recepti fuerint, „ ipse Legatus non cognoscat." Vide modificationes has relatas supra *parte* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. *num.* 11.

XIX. Accedit,quòd dum contractus etiã inter Clericos, aut Clericum & Laicum coram Notariis Regiis ineuntur & conficiuntur, soleat illis inseri clausula, quâ contrahentes pro impletione dictorũ contractuum & obligationum se subjiciunt *voluntariè* ipsis Regiis & aliis ordinariis judicibus, vigore cujus submissionis conveniri possunt coram judice Regio & sæculari pro adimpletione contractûs. Fevretius ibidem *cap.* 6. *num.* 10. & *cap.* 10. *num.* 8. ubi citat ordinationem Philippi II. Regis Catholici, quâ declarat,contractus confectos sub sigillo Regio cum submissione esse attributivos jurisdictionis.

XX. Quod enim jure communi cautum est, Clericum non posse renuntiare privilegio fori,se subjiciendo jurisdictioni laicali,id quoad causas *civiles* in desuetudinem abiit, uti passim testantur Pragmatici: Unde Monarcitus ad *L.* 4. *ff. De Pactis* discussâ hac quæstione in utramque partem, demùm adjungit: "Tandem itum est ab omnibus in eam „ sententiam,ut si de crimine agatur,renuntiare non possit „ Clericus,Clerici privilegio; cùm dedecus inde inferatur „ ordini, in cujus gratiam privilegium inductum est: in „ *civili* autem negotio secus."

XXI. Si quæstio sit,an citatus sit Clericus,vel in hac causa gaudere debeat privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum sit remittendus,inspecto jure communi in *Cap.* 12. *De sententia excommunicat. in* VI. cognitio ad judicem Ecclesiasticum spectat: at hic rursus usus tandem judicibus Regiis favit: nam ubique penè usũ invaluit, ut hujus quæstionis decisio ad judicem sæcularem pertineat.

De Gallia testatur & ipse Covarruvias *Pract. qq. c.* 33. *n.* 1. ubi postquam ostendit,de jure quæstionem hanc ad judicem Ecclesiasticum spectare,ait:"Apud Gallos hujus con„ troversiæ cognitio ad sæcularem judicem pertinet,ab eo„ que lis tractatur & expeditur, non admissa nec recepta „ constitutione Bonifacii VIII. in *dicto cap.* 12."

Et Grivellius *Decisione Dolana* 30. ait:"Ut apud judicem „ sæcularẽ spectet cognoscere,an remittendus sit reus ad fo„ rum Ecclesiasticũ vel non,id apud nos in praxi servatur."

XXII. Idipsum supponit Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 17. mandans,ut si aliquæ personæ conquerantur apud tribunalia Regia, se malè citatos esse coram tribunali Ecclesiastico, ipsa Concilia Regia, antequam quidquam decernant,priùs petant de causa per judicem Ecclesiasticum informari, ut informatione habita judicent,an causa ad judicem Ecclesiasticum spectet. Verba Edicti sunt: *Et quand lesdicts Juges Ecclesiastiques auront cité quelques personnes qui se pretendent exemptes de leur Jurisdiction. Nous ordonnons à nos Consaux, & Sieges Provinciaux que leur en estant faite plaincte, auparavant decerner quelque provision de saisissement, ou cassation, ils ayent a escrire audict Juge Ecclesiastique, à fin d'advertir que c'est au proces, de quelle matiere il y à question, & sur quoy le demandeur fonde la connoissance du Juge Ecclesiastique. Et s'il luy semble la matiere disposée, pour submettre ledict lay à sa Jurisdiction, & par quelle raison pour la rescription vëue, & examinée en Conseil, si les raisons sont trouvees insuffisantes, requerir ledict Juge Ecclesiastique iterativement de se deporter de ladicte connoissance. A peine d'y pourveoir par les remedes accoustumes, comme en cas de defaut ils feront. Tenant pendant ceste communication toutes procedures en surceance.* Id est: Et cùm dicti Judices Ecclesiastici aliquos in jus vocaverint, qui se ab illorum jurisdictione exemptos esse contendent: Mandamus Consiliis nostris, & Provinciarum Tribunalibus, ut querelis apud eos depositis, antequam bonorum occupationem aut rescissionem decernant, priùs dicto Judici Ecclesiastico scribant, ut de statu litis edoceantur, de qua materia sit orta controversia, quo fundamento ad cognitionem Judicis Ecclesiastici recurrat: & utrùm ipsi videatur materia deposita, ut dictum Laicum jurisdictioni suæ subjiciat,& qua de causa, ut visâ rescriptione, & in Consilio expensâ, si infundatæ deprehendantur rationes, iteratò dictus Judex Ecclesiasticus moneatur, ut à dictæ causæ cognitione abstineat, se aliàs in pœnam ordinari

medi-

mediis provisuros, prout & in casum defectus facient. Omni interim processu suspenso, dum hæc communicatio fiet.

XXIII. Fundamentum hujus praxeos apparet, quod in hac quæstione aliquid temporale sive non spirituale intervenire credant; nec de *jure*, sed de *facto* quæstionem esse. Hoc autē *factum* nihil spiritualitatis habere dicunt. Unde Aufrerius in Repititione *Clem. 1. de Officio Ord. regulâ 4. fallentiâ* 8. dicit, quòd regula, quæ dictat, Judicem sæcularem de causis Ecclesiasticis non cognoscere, "fallat *generaliter*, ubi de quæstione Ecclesiastica versatur sola quæstio *facti*: Nam tunc Judex sæcularis est competens." Deinde in exemplum subjicit, si disputetur, utrùm mulier fuerit desponsata vel non, vel an habitus sit Clericalis, an non; an quis sit legitimus vel non, an sit usurarius vel non, quia non est quæstio juris, sed *facti*. Et idem in similibus."

XXIV. Ad hæc supponunt judices Regii, omnem jurisdictionem contentiosam primariò, & originaliter residere & esse penes Principem: nec nisi ab illo ad inferiores sive laicos, sive Ecclesiasticos, præsertim quoad negotia *civilia*, dimanare: atq; hinc concludunt, omnes coram Principe ejusve Magistratu conveniendos, quousque ostensum sit, ipsos aliquo speciali titulo alteri jurisdictioni esse subjectos.

XXV. Hinc ulteriùs invaluit teste *Joanne Gallo q.* 353. quòd Clericus citatus coram judice sæculari debeat comparere, & suum privilegium sive exceptionem declinatoriam allegare, & petere, ut remittatur ad judicem Ecclesiasticum, aliàs ut contumax condemnandus.

XXVI. Sicuti Clerici conveniuntur hodie corā judice sæculari, si causa *rem* potiùs quàm personā respiciat: eò quòd non tam Clericus, quàm *res* ipsa temporalis & profana conveniri videatur; ita dum Clerici se officiis aut negotiis sæcularibus immiscent, aut præficiuntur, atq; sub ea qualitate conveniuntur, quæstio non coram judice Ecclesiastico, sed sæculari agitanda est; quia non tamquam Clerici, sed tamquam sæculares conveniri censendi sunt.

XXVII. Itaq; si Clericus administrationem rerum profanarum ad laicas personas spectantium susceperit, nō poterit judicem sæcularem declinare, si de ipsa administratione agatur; hancq; esse omnium Parlamentorum praxim testis est Lucius *lib. 2. Placitorum tit. 2. c.* 15. dicitque: "Sacerdotem sacrisq; initiatum, qui rebus prophanis se immiscuerit, si ad prophanum judicem iis de rebus vocetur, ire debere, neque fori præscriptione se tueri posse, quod & permultis Curiæ auctoritatibus comprobatum est."

XXVIII. "Pariter trahi potest Clericus in actione personali coram Judice sæculari, ubi tamquā Officiarius sæcularis teneretur: ut qui fortè depositū pecuniarum vel aliarū rerū suscepit auctoritate judicis sæcularis: "ut notat Guilelmus Benedicti ad *Cap.* Rainutius verbo *Et Uxor, n.* 419.

XXIX. Addit idem auctor, qui à 200. & amplius añis scripsit: "Et idem servatur in hoc Regno (Franciæ) ubicumq; Clericus aut persona Ecclesiastica officium tutelæ vel curæ, aut aliud quodcumq; sæculare gessissent, qui coguntur de administratis reddere rationem coram judice sæculari."

XXX. Eadem ratione si Clericus venditor alicujus fundi vocetur ab emptore ad *garandiam*, ut ajunt, sive ad præstandā evictionem, non poterit declinare tribunal sæculare, coram quo causa evictionis tractatur; quia in hoc casu Clericus coram judice laico litigat, non per se, sed tamquam actor & procurator emptoris laici, uti loquitur Glossa in *L.* Venditorem, *ff. de Judiciis*. Et ita servari in Curiis jam pridem annotavit Gulielmus Benedicti loco citato *n.* 417. ubi & *n.* 416. observat, in causa reconventionis Clericum quoque excipere non posse à judice, coram quo ipse alium convenit; atque in praxi esse receptum, licèt de jure non una sit de hac quæstionibus Canonistarum opinio. Vide plura apud Carolum Fevretium De Abusu *lib. 4. c.* 10.

XXXI. Similiter quæstio inter Canonistas disputata, num Clericus hæres laici conventus in qualitate hæredis queat declinare forum laici, cui defunctus suberat, hodie cessat: receptumq; est, Clericum respondere debere coram judice defuncti, nec forum ex persona hæredis mutari; uti pluribus citatis ostendit Fevretius de Abusu *lib. 4. cap.* 10. *n.* 8.

XXXII. Ex his aliisque, quæ ex praxi hodierna, & Parlamentorū arrestis referuntur à Pragmaticis, quæq; quotidie observari videmus, sat evincitur, exemptionem Clericorū à jurisdictione & foro sæculari in causis civilibus sive profanis ad angustos admodū limites esse redactā; rarissimosq; esse casus, quibus clerici judiciū sæculare in hujusmodi causis declinare efficaciter queāt; præsertim cùm & ipsi judices regii contendant sibi auctoritatē privativè competere judicandi, an causa ad judicem Ecclesiasticum remittenda sit, vel non.

XXXIII. Porrò ne Ecclesiastici præcipuè in dignitate constituti, ratione similium actionum coram quibuscumq; minoribus Magistratibus, non sine dignitatis suæ dedecore, & incommodi conveniantur, speciali indultum est Privilegio, Prælatis, qui de Statibus existunt, ut non alium judicem agnoscant quàm ipsum Principem: ad quod privilegiū alludunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolū V. dum dicunt *tit. 3. art.* 7. "Abbates, Abbatissæ, & alii de statibus Brabantiæ existentes juri stabunt activè & passivè coram judicibus illis, coram quibus de antiqua consuetudine stare juri consueverunt:" scilicet (ait Zypæus de Foro comp. *num.* 1.) coram Duce seu ejus Concilio Brabantiæ, quod in hoc Ducatu est supremus Senatus.

Dein ibidem adjungit Zypæus, "Prout passim praxis introduxit, ut Prælati ac Collegia Ecclesiastica coram Principum Conciliis conveniantur, & alios eò trahant."

XXXIV. Refert quoque Choppinus de S.P. *lib. 2. tit 2. n.* 5. privilegium plerisque Canonicorum Collegiis competere, ut nimirum alium judicem sæcularem præter Senatum Regiū agnoscere non debeant; recitatq; in hanc rem diploma Caroli 7. Regis Franciæ de an. 1440. datum Cathedrali Pictonum templo in hæc verba: "Ut Canonici ipsius Ecclesiæ tam conjunctim quàm divisim, nullatenus teneantur litigare coram aliquo judice sæculari Regni nostri, præterquam in *Curia Parlamenti*, nisi eis placuerit, respectu omnium causarum suarum tam agendo quàm defendendo, tangendo corpus & fundationem dictæ Ecclesiæ, & ubi dicti de Capitulo erunt pars. Nostra tamen est intentio, quòd eorum homines ac subditi, & alia membra in hoc, quòd aliqualiter non tanget jura seu fundationem ipsius Ecclesiæ, respondere tenebuntur in casu ressorti coram illo Baillivorum aut Seneschalorum nostrorum, in cujus Baillivia seu Seneschalia commorabuntur."

XXXV. Hoc tamen privilegium Abbatum & Prælatorum intelligendum est de actionibus civilibus sive profanis, non autem de sacris, & ad spirituale eorum regimen spectantibus. Nam uti rectè ibidem notavit Zypæus *n.* 4. "Abbates Brabantiæ, quoad *sacra* sui statûs aut regiminis, numquam spectaverunt ad dictum Concilium (Brabantiæ) sed tantùm quoad debita & actiones *Civiles*."

XXXVI. Interim hactenus dicta & notoria praxis evincunt, nec diffiteri possumus, Clericos juxta modernum usum, & praxim ubiq; penè receptam, in causis civilibus coram judicibus sæcularibus conveniri posse, neq; Clericos, ut coram illis litigent, hodie indigere consensu Episcopi; quemadmodum sacri Canones olim requirebant. Nihilominus illud immutatum & imobile manet, Clericos debere, quantum possibile est, lites fugere; semperque ita agere, ut verificari queat in ipsis, ut ad mentem Apostoli sint *non litigosi*.

Ulteriùs hoc negari nequit, quin & hodie ratio Canonum vetantium Clericos in forensi judicio litigare, immota permaneat; licèt *externa* disciplina in ipsis expressa suum amiserit vigorem. Quid enim aliud per dictos Canones intenditur, nisi Clericos litibus & forensibus jurgiis eximere, eosque inducere, quin & astringere, ut quæstiones suas potiùs Episcopo, aut aliis Viris prudentibus & intelligentibus àmicabiliter sine strepitu forensi decidendas committerent? An non & hodie Clerici tenentur, quantum possibile est, lites fugere, & à forensibus jurgiis se liberare; omnique affectu, & studio desiderare & conari, ut quæstiones amicè terminentur: summoque cordis affectu quotidie dicere cum Ecclesia: *Extingue flammas litium*!

TITULUS II.
De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT I.
De Causis spiritualibus, præsertim Matrimonialibus.

1 *Causa alia* merè *Ecclesiastica, alia* non merè.
2 *In hac generalitate interdum in jure accipiuntur.*
3 *Canones interdicentes laicis omnem de causis Ecclesiasticis cognitionem, præcipuè loquuntur de* merè *Ecclesiasticis.*
4 *Causæ Sacramentorum tamquam merè Ecclesiasticæ spectant de jure ad forum Ecclesiasticum.*
5 *Etiam hodie ad illud spectant in Gallia.*
6 *In Gallia per Parlamentorum Arresta causæ merè Ecclesiasticæ ad judicem Ecclesiasticum remittuntur.*
7 *Inhibitum judicibus Regiis cognoscere de causis spiritualibus.*
8 *Idipsum & in Belgio obtinet.*
9 *Ad judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere de capacitate & qualitatibus requisitis ad administrationem aut susceptionem Sacramentorum.*
10 *Inter quæstiones merè Ecclesiasticas hodie ferè solæ sunt causæ Matrimoniales, quæ coram judice Ecclesiastico agitantur.*
11 *Causa Matrimonialis etiam hodie coram solo judice Ecclesiastico agitari potest.*
12 *Etsi coram judice sæculari tantùm* incidenter *mota esset*
13 *Idipsum obtinet in Belgio vigore Concordatorum inter Episcopum Leodiensem & Carolum V.*
14 *Quod si quis calumniosè exceptionem de valore Matrimonii coram judice sæculari incidenter proposuerit?*
15 *Causæ Matrimoniales aliquando ad Synodos spectâsse creduntur.*
16 *Postmodum ad ipsos Episcopos exclusis inferioribus judicibus.*
17 *Hanc disciplinam innovavit Synodus Trid.*
18 *An hodie Abbates possint cognoscere de causis Matrimonialibus?*
19 *Consuetudo ni sit immemorialis, inferioribus cognitionem harum causarum tribuere nequit.*
20 *Conservatores Privilegiorum cognoscere nequeunt.*
21 *Ex stylo Curiæ R. causa Matrimoniales etiam in secunda instantia solis Episcopis committi solent.*
22 *Causa Matrimonialis coram judice sæculari tractari potest, si sit tantùm quæstio* facti, *an sit initum Matrimonium.*
23 *Item si non agatur de* validitate *aut* invaliditate *Matrimonii inter ipsos contrahentes.*
24 *Causa* Natalium *profluens ex jure Matrimonii spectat ad solum judicem Ecclesiasticum.*
25 *Secùs si tantùm agatur de quæstione* facti, *an sit natus ex Matrimonio.*
26 *Judex Ecclesiasticus in Gallia nec incidenter de quæstione* facti *aut profana cognoscere potest.*
27 *Nec potest adjudicare alimenta aut pecuniam pro sumptibus litis pendente causâ Matrimoniali.*
28 *Nec* accessoriè *hodie cognoscere potest de dote.*
29 *In Belgio liberaliùs agitur cum judice Ecclesiastico.*
30 *De aliis causis Ecclesiasticis, puta Beneficiorum, decimarum, &c. hodie vix agitur coram judice Ecclesiastico; & quare.*

I. CAusas Ecclesiasticas communiter dividunt Canonistæ in Ecclesiasticas *meras* & *non meras*. *Meras* vocant, quæ sunt tales ex natura sua, independenter ab omni positiva constitutione aut consuetudine. Non meras, quæ quamvis sint ex natura sua temporales & profanæ, justis tamen de causis reservatæ sunt Ecclesiasticis Judicibus.

II. Hac generali significatione causæ Ecclesiasticæ accipiuntur in *Cap. 4. de Immunit. Eccles. in* VI. in verbis: „super causis Ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, negotiorum, vel rerum „de jure vel antiqua consuetudine pertinere noscun„tur."

III. Causæ *merè* Ecclesiasticæ, sive quæ tales ex natura sua reputantur: sunt exempli gratiâ causæ Sacramentorum, & similes, quæ nihil temporalis annexum habent; sed omninò spirituales & Ecclesiasticæ sunt; atque de his præcipuè intelligendi sunt Canones, interdicentes laicis omnem cognitionem de causis Ecclesiasticis; adeò quidem, ut Concilium Lateranense sub Innocentio III. [a] generali„ter prohibuerit, ne super rebus *spiritualibus* compromit„tatur in laicum: quia non decet, ut laicus in talibus ar„bitretur." *Cap. 8. de Arbitris.*

IV. Hinc unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse merè Ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum, ad judicem Ecclesiasticum privativè spectare; nihilque circa eorum validitatem vel invaliditatem judicem sæcularem posse decernere: eò quòd hæc ex natura sua sint merè spirituales.

V. Quapropter licèt sensim in Gallia & etiam in his Provinciis causæ plures, quæ inspecto jure communi erant Ecclesiasticæ cognitionis, devolutæ sint ad judices laicos, sive tribunalia Regia; nihilominus causæ Sacramentorum & similes merè spirituales reservatæ manserunt judicibus Ecclesiasticis, etiam per ipsas Principum Ordinationes, & Parlamentorum arresta.

In Edicto Francisci I. Regis Franciæ de anno 1539. quo vetantur citari laici in causis merè personalibus coram judice Ecclesiastico (de quo titulo præcedenti c. 4.) expressè additur clausula reservans cognitionem de causis Sacramentalibus, aliisque spiritualibus judici Ecclesiastico, *Sans prejudice toutefois de la jurisdiction Ecclesiastique és matieres de Sacremens & autres pures spirituelles Ecclesiastiques, dont ils pourront cognoistre contre lesd. lais selon la forme de droict.* Id est: Absque detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus Ecclesiasticis, de quibus contra dictos Laicos juxta formam juris poterunt cognoscere.

VI. Rursus Regio Edicto anno 1610. injunctum fuit judicibus Regiis, ut permittant judici Ecclesiastico causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, ac nominatim causas concernentes Sacramenta, & cæteras merè spirituales prout referuntur in Actis Cleri Gallicani *Tom. 1. parti 1. tit. 2. cap. 9. art. 8.* in verbis: *Il enjoinct aux cours de Parlament de laisser à la jurisdiction Ecclesiastique les causes qui sont de leur connoissance; méme celles qui concernent les Sacramens & autres causes spirituelles & purement Ecclesiastiques, sans les attirer à eux sous pretexte de possessoire, ou pour quelque autre occasion que ce soit.* Id est: Injungit Supremorum Senatuum Curiis, ut Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectas sinant causas, quarum ad eos spectat cognitio; quinimò eas, quæ Sacramenta aliasque causas Spirituales & merè Ecclesiasticas concernunt, nec causas illas titulo possessorii aut aliâ demum quacumque occasione ad se traducent.

VII. Idipsum sæpiùs postmodum Regiis Edictis renovatum fuisse ibidem refertur; additurque *art. 12.* per arr- fur-

tem Concilii privati 28. Augusti 1637. inhibitum fuisse omnibus supremis Curiis, cæterisque judicibus Regiis, cognoscere de causis merè spiritualibus & Ecclesiasticis.

Citantur ibidem *art.* 11. & 13. *arresta*, quibus causæ super doctrina ad Episcopum tamquam judicem Ordinarium remissæ fuere.

VIII. Similia in Principum nostrorum edictis passim occurrunt, dicitq; Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *Cap.* 84. §. 8. "Etenim Principes nostri religiosè suis Constitutionibus vetuerunt, ne quis in causis Politiam Ecclesiasticam tangentibus, aut in morum correctoriis recurrat ad judicem sæcularem, aut per appellationem procuret aliquam supersessoriam seu suspensionem aut clausulas inhibitivas."

IX. Hoc fundamento imprimis ad Episcopum & judicem Ecclesiasticum spectant causæ, in quibus de ipsis Sacramentis agitur, putà de capacitate & approbatione requisita in ministris Sacramentorum, ipsorum examine, admissione, &c. quæ etiam hodie privativè ad Episcopum sive judicem Ecclesiasticum spectant, tamquam causæ merè spirituales & Ecclesiasticæ. Vide supra *parte* 2. *tit.* 26. *c.* 1.

X. Verùm super valore vel nullitate Sacramentorum nullæ hodie ad forum contentiosum quæstiones deferri solent, nisi super matrimonio; ideoque solæ causæ matrimoniales ferè sunt inter causas civiles, circa quas hodie jurisdictio Ecclesiastica versatur, & ratione quarum laici ad forum Ecclesiasticum citari solent.

XI. Et sanè si quæstio vertatur de validitate ipsius Matrimonii, solus judex Ecclesiasticus est competens; ipseque solus de hac quæstione cognoscere potest; idque sive jus commune, sive consuetudinarium spectemus, quemadmodum post alios Pragmaticos notat Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 5. *cap.* 5.

XII. Imò quæstio de validitate Matrimonii in tantum est fori Ecclesiastici, ut si motâ quæstione de jure hæreditatis incidat quæstio de jure connubiorum, "putà de præcedenti nuptialium sacrorum impedimento, vel si quâ aliâ ratione canonicâ convellatur jus statusque matrimonii, de eo *sacrum* est tribunal adeundum, non civilis Magistratus;" inquit Renatus Choppinus De Sacra Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 16. additque: "Sive inciderit, seu principaliter mota sit connubialis controversia. Idque à Neapolitano Senatu disceptatum refert consultissimus ejusdem Ordinis Senator Matthæus *Decis. Neapolit.* 219."

XIII. Conformia sunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. 11. Janu. 1543, lecta & publicata in Camera Concilii Brabantiæ januis apertis, & acceptata ab Episcopo Cameracensi, sub quo & Episcopo Leodiensi ante novos erectos in Belgio Episcopatus, tota Brabantia fuit; ita ut meritò hæc Concordata pro lege in Brabantia habeantur. In his itaque Concordatis *tit.* 2. *art.* 1. decernitur: "Quoad fœdus Matrimoniorum.... *solius* judicis Ecclesiastici erit cognoscere, etiamsi quæstio fœderis Matrimonialis inciderit coram judice sæculari, quo casu judex sæcularis supersedere tenebitur, & hunc articulum (tamquam spiritualem) ad judicem Ecclesiasticum, per eum infra anni spatium terminandum, remittere."

XIV. Addit dein *art.* 2. "Sed si quis dictam allegationem incidentis quæstionis calumniosè proposuisse repertatur, condemnabitur in mulctam judicis arbitrio constituendam, alioquin termino effluxo, judex sæcularis in causa coram eo intentata, poterit procedere, perinde, ac si hujusmodi articulus coram eo non incidisset, vel propositus fuisset.

XV. Causas Matrimoniales olim in Conciliis Episcoporum decisas fuisse innuitur apud Gratianum *Caus.* 35. *q.* 6. *Can.* 10. ubi Alexander II. scribit cuidam Gulielmo, ne propriam uxorem prætextu consanguinitatis præsumat dimittere, & aliam ducere, *donec Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit.*

XVI. Verùm Glossa ad *Canonem* 1. *caus.* 33. *q.* 2. monet, quod si olim id obtinuerit, postmodum tamen ad Episcopos singulos causæ Matrimoniales, exclusis inferioribus, devolutæ sint. Verba Glossæ sunt: "Sed rectè & hodie ad Episcopalem jurisdictionem cognitio Matrimonialis causæ spectat. Unde nec Abbates nec alii cognoscere possunt de matrimonio, nisi ex concessione vel alia causa legitima id habeant."

XVII. Hanc disciplinam renovavit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *c.* 20. *De Reformat.* decernens: "Ad hæc causæ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & jurisdictioni relinquantur."

XVIII. Decretum Concilii Tridentini etiam à cognitione causarum Matrimonialium excludere *Abbates* quantumvis exemptos, decisum fuisse in Rota Romana refert Barbosa in Collectaneis ad hoc caput Concilii Tridentini *num.* 56. idque donec per tres sententias conformes, vel unam, quæ transivit in rem judicatam, constiterit, Abbatiam, ac loca illi subjecta, seu ab ea dependentia, *nullius* esse Diœcesis; & consequenter constet, quòd Abbas in loca illa habeat jurisdictionem *quasi Episcopalem*. Hanc eandem distinctionem quoad Abbates circa cognitionem harum causarum notavit Fevretius De Abusu *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6.

XIX. Notat insuper Barbosa De Potestate Episcopi *parte* 3. *Allegat.* 84. *num.* 5. quòd Synodus sustulerit possessionem quadragenariam cum titulo seu privilegio, "solamque immemorabilem non excludere, & donec de illa constiterit per tres conformes sententias, non inferiorem Episcopo, sed ipsum Episcopum hujusmodi causas cognoscere debere."

Huic resolutioni conformis est resolutio Cardinalium data Episcopo Antverpiensi, declarans, ad Episcopum spectare facultatē cognoscendi de causis Matrimonialibus, nisi Capitulū *immemorabilem* consuetudinem haberet; sed donec eam per tres sententias probaverit, Episcopus ea utatur. Extat apud Zypæum De Officio Ordinarii *num.* 20.

XX. Cùm Synodus generaliter causas matrimoniales judicum inferiorum judicio subtrahat, & Episcopi *tantum* jurisdictioni relinqui mandet, non videtur Privilegiorum conservatorum jurisdictio ad has causas extendenda; notatque Fevretius loco citato *num.* 8. ex Choppino, quòd ex Ordinatione Ludovici XII. anni 1498. "Vetitum sit Conservatoribus, ne de fœdere connubiali, de divortiis, aut de Ecclesiastica Sacramentorum administratione cognoscant."

XXI. Quamvis Decretum Synodi Tridentinæ tantùm videatur loqui de cognitione in prima instantia; nec appareat vi hujus Decreti vetitum, delegari causas Matrimoniales in *secunda* instantia judicibus inferioribus, nihilominus stylus Curiæ jam pridem usitatus fuit, ut causæ matrimoniales non soleant aliis quàm Episcopis à Sede Apostolica committi; uti testatur Covarruvias De Matrimonio *parte* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 1. & Barbosa in Collectaneis ad præsens caput Concilii Trid. *num.* 59.

XXII. Quod de incidente quæstione Matrimoniali remittenda ad judicem Ecclesiasticum dictum fuit, intelligi oportet de casu, quo de validitate Matrimonii agitur, ut est casus in *Cap.* 1. *& De Ordine cognitionis*; secus verò ubi non de jure, sed de *facto* quæstio incideret; putà si non quæratur, an Matrimonium sit validum; sed an reverà de *facto* ullum matrimonium fuerit initum. "Si enim in petitionem hæreditatis incidat *mera facti* quæstio, contractumne sit, necne conjugium, eo casu legitima erit Regii Prætoris cognitio." ait Choppinus De S. Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 6. & ita in Parlamentis constanter servari monet Fevretius De Abusu *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 18.

XXIII. Asserit ibidem Fevretius *num.* 19. quòd si motâ quæstione super causa Matrimoniali intercedat *tertia* persona allegans vim, seductionem, aliudve factum intervenisse, judex Ecclesiasticus quæstionis hujus competens non sit; & ita aliquando judicatum fuerit, conformiter ad ea, quæ tradit Imbertus in suo Manuali in quæstione intitulatâ, *Matrimonii causa*: "Matrimonii quæstio & con-

„controversia, licèt quantum ad eos, inter quos contractum „asseveratur matrimonium, sit coram Pontificio judice tra„ctanda : tamen si pater aut mater simul cum filia apud „Pontificium forum conveniantur, ut quam de futuro ma„trimonio emiserint promissionem, impleant, poterunt „illi parentes fori jurisdictionem declinare, vel etiam ab „ipsius citationis decreto tanquam ab abusu, provocare ad „supremam Parlamenti Curiam."

Rationem addit, dicens, "in Regno (Franciæ) receptum „fuisse, quia de jure Franciæ speciali laici sunt à Pontificia „jurisdictione soluti ac emancipati; nisi in casibus *specia„liter* permissis." Et Annæus Robertus *lib. 3. Rerum jud. cap. 5.* asserit, "de jure Franciæ obtinere, ut de iis tantùm „cognoscere possit Judex Ecclesiasticus, quæ *spiritualia* „sunt, aut ad Sacramenta pertineant."

XXIV. Quia causa natalium, sive an quis sit *legitimus*, pendere solet à *jure & validitate* matrimonii, causam hanc esse fori Ecclesiastici tanquam *spiritualem*, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap. 7.* ꝟ *Qui filii sint legitimi*; atque ut talem agnoscunt allegata concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem; voluntque, ut si quæstio legitimitatis aut illegitimitatis coram judice sæculari incidat, eodem modo ac quæstio fœderis Matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum remittatur.

XXV. Ex ipso contextu Concordatorum fat manifestum est, quòd remissio hæc intelligenda sit de casu, quo de *jure* agitur, non autem de *facto*; putà si controvertatur, an quis sit *legitimus* ob defectum sive non valorem matrimonii; secùs verò si tantùm quæratur, num hic reverà sit filius sive natus ex tali matre aut patre, quemadmodum notavit Cevallos tract. *de Cognit. per viam violentiæ qu. 96.* dicens: "Resolutivè tenendum est, judicem laicum posse „cognoscere, an sit filius natus in figura Matrimonii, an „non: quia est quæstio *facti*, incidens principali motæ „super petitione hæreditatis."

Quod & ipsa concordata *tit. 1. art. 6.* expresserunt, caventia, quòd non potest judex Ecclesiasticus cognoscere „de *filiatione*, cùm est quæstio inter laicos de *mero facto*, „an talis scilicet sit filius vel non."

XXVI. Quin quæstio profana & *facti* accessoriè cum ipsa quæstione *Juris* coram judice Ecclesiastico ex usu Regni Galliæ tractari potest. Putà si judex Ecclesiasticus pronuntiaverit in causa Matrimonii aut sponsalium, non poterit tamen pronuntiare super damnis & interesse resultantibus ex non adimpletis sponsalibus; quemadmodum observat Joannes Tornetius in collectione arrestorum *litt. A. num. 116.* citatque Fevretius loco citato *nu. 14.* arrestum de anno 1689. quo declaratum fuit, abusivè processum per Officialem Carnotensem, qui pronuntiatione facta super cessatione sponsalium, condemnaverat patrem desponsæ, qui sponsalibus cõsenserat, ad expensas, damna, & interesse.

XXVII. Similiter si contingeret pendente quæstione super validitate matrimonii, uxorem petere summam pecuniæ pro alimentatione, & sustinendis expensis litis, abusum futurum pronuntiant Pragmatici Galli, si Officialis super his pronuntiet; quemadmodum pluribus citatis testatur Fevretius *num. 13.*

XXVIII. Monet quoque ibidem Fevretius, quòd in Gallia soleret Ecclesiasticus judex judicare accessoriè de dote, alimentis, aliisque similibus; sed eodem Fevretio teste, hæc doctrina tandem rejecta est, interdictumque Officialibus de his, tamquam de rebus *meri facti* cognoscere, quod & generaliter observari ait: *Ce qui s'observe par tout pour le present en telle sorte que la citation* IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM *decerné par l'Official seroit cassé comme abusive*. Id est; Quod ubique modò observatur: sic ut citatio IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM per Officialem decreta aboleretur, tanquam ob abusum vitiosa. Ita videmus verissimum esse, jurisdictionem Ecclesiasticam per *frusta* tandem disrumpi, uti jam pridem querebatur Durandus Episcopus Mimatensis.

XXIX. In Belgio sanè juxta sæpiùs citata Concordata modestiùs agitur cum judice Ecclesiastico; permittiturque judici Ecclesiastico cognoscere de *alimentis*, quæ per virum aut mulierem peti contigerit pendente divortii causâ, vel de tractamento alterius eorumdem, si hæc coram eo incidant, vel incidenter petantur, uti supra *part. 2. tit. 15. c. 7* ostensum est; ubi unà notatum fuit, quando de dote aut donatione propter nuptias judex Ecclesiasticus judicare queat juxta eadem concordata; item *tit. 12. cap. 2.*

XXX. Quin inter causas Ecclesiasticas reputandæ sint causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum; uti & decimarum, præsertim ad Ecclesiasticos spectantium, necnon juris sepeliendi & similium, nemo dubitet. Unde in sæpe citatis Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 3. art. 13.* hæ omnes causæ causis merè Ecclesiasticis annumerantur, "de quibus Judex Ecclesiasticus etiam con„tra *laicos* poterit cognoscere in petitorio."

Causa jurispatronatus spiritualibus causis quoque accensetur. Ita enim "conjuncta & connexa spiritualibus causis dicitur in *cap. 3.* ꝟ *De judiciis*, quod non nisi Eccle„siastico judicio valeat definiri."

Verùm juspatronatus laicis ratione feudi aut alicujus rei patrimonialis competens, non spirituale, sed quodammodo profanum, saltem quoad competentiã judicis habetur.

Unde de hoc jurepatronatus in citatis Concordatis §. 14. dicitur: "De jure verò Patronatûs Principis suorum vasal„lorum, & aliorum laicorum, juspatronatus ad causam „feudorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, „quando inter duos laicos quæstio erit, quis eorum sit pa„tronus, solus judex sæcularis cognoscet, sive super illis „principaliter, & de per se, agatur, vel cum universitate. Si „verò inter duos, vel plures præsentatos, vel patronos lai„cos, quæstio fuerit coram judice Ecclesiastico, de institu„tione suâ, quis eorum præferri debeat, & inciderit quæ„stio jurispatronatus, de illâ sic incidenti, in præjudicium „partium litigantium, non autem patronorum absentium, „judex Ecclesiasticus cognoscet, & definiet."

Verùm hodie raró admodum de his causis sive Beneficiorum, sive Decimarum vel jurispatronatûs coram judice Ecclesiastico agitur; quia quæstiones vel causæ hæ rarissimè in *petitorio* aguntur; sed dumtaxat in possessorio, quod ex notoria praxi coram solis Regiis Conciliis agitari potest, uti infra *capite 4.* ostendemus.

CAPUT II.

De Causis Testamentariis, & quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.

1. *Apud Romanos summa fuit erga ultimas voluntates veneratio.*
2. *Solebant tabulas testamentarias Præfectis templorum confidere.*
3. *Imperatores Christiani executionem ultimarum voluntatum specialiter Episcopis demandàrunt.*
4. *Christianis etiam usitatum fuit testamenta sua Episcopis consignare.*
5. *Hæc consuetudo videtur causas testamentarias ad judicem Ecclesiasticum transtulisse.*
6. *Jure Decretalium causa testamentaria sunt fori Ecclesiastici.*
7. *Ecclesiastici præscribebant solemnitates testamentarias reprobatis solemnitatibus à jure civili inductis.*
8. *Solemnitas jure Canonico inducta ubique passim recepta.*
9. *Tempore Philippi Valesii questi sunt laici causas hæreditarias ad forum Ecclesiasticum trahi.*
10. *Ecclesiastici sustinebant eas de jure & consuetudine ad suum forum spectare.*
11. *Seculo præterito cognitio causarum testamentariarum sensim ad judices sæculares devolvi cœpit.*
12. *Fuit à primùm fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio.*

13. Hinc

13. *Hinc testamentorum cognitio ad judices Regios quomodo devoluta?*
14. *Tempore Joannis Galli causa testamentaria in Gallia* (*erat adhuc* mixti *fori.*
15. *Hodie est solius fori sæcularis, sublatis contrariis locorum consuetudinibus.*
16. *Etiamsi agatur de testamento ad* pias *causas.*
17. *Principes Belgii in hoc articulo moderatiùs egerunt cum jurisdictione Ecclesiastica.*
18. *Causa testamentaria Principum Edictis declaratur pertinere ad judicem Ecclesiasticum.*
19. *In Concordatis Brabantiæ causa testamentaria habetur* (mixti *fori.*
20. *Judex Ecclesiasticus super causa testamentaria adiens potest etiam de connexis & emergentibus cognoscere.*
21. *Judex Ecclesiasticus in decisione harum causarum sequi tenetur ordinationes Principum, & locorum consuetudines.*
22. *Hoc juri conforme.*
23. *Quædam actiones licèt oriantur ex testamento,* soli *judici* laico *reservantur.*
24. *Quid de hac cognitione habeat Concordatum inter Episcopum Cameracensem, & Magistratum Antverpiensem.*
25. *Ex Concordatis Hannoniæ testamenta Ecclesiasticorum spectant ad Ecclesiasticos, & laicorum ad laicos judices.*
26. *Concordata Brabantiæ dant potestatem judici Ecclesiastico supplendi negligentiam executorum.*
27. *Item absolvendi ab onere executionis.*
28. *Synodi Belgicæ supponunt causas testamentorum in* pias *causas, ad Episcopos spectare.*
29. *Idque etsi testator id interdixisset ; quod consonat juri communi.*
30. *Rectori & Universitati Lovaniensi quæ sit auctoritas circa testamenta Suppositorum?*
31. *Synodus Cameracensis ostendit testamenta* Clericorum *speciali ratione ad Episcopi curam spectare.*
32. *Licèt non ubiq; causæ testamentariæ spectent ad forum Ecclesiasticum, Episcopi tamen curam piorum legatorum habere debent.*
33. *Id voluit Justinianus Imp.*
34. *Synodi Belgicæ injungunt Parochis invigilare, ut pia legata solvantur, & piæ fundationes impleantur.*
35. *Meritò monent Pastores suos Parochianos, ut tempestivè condant salutare testamentum.*
36. *Parochi debent esse Parochianorum defunctorum quasi pii Procuratores, ut procurent executionem piæ eorum voluntatis.*
37. *Parochi executionem piorum legatorum urgentes cavere debent omnem avaritiæ speciem.*
38. *Executores sæpius suscitant infundatas lites super solutione piorum legatorum ex proprio interesse : & quod contra hos remedium?*

INter causas profanas, quæ jam pridem jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectæ fuère, una eaq; è præcipuis fuit causa testamentorum, cujus cognitio & executio specialiter Ecclesiasticis competiisse videtur.

Legitur apud Romanos, summam fuisse erga ultimas defunctorum ordinationes venerationem, habebantq; ut sacrilegos & falsarios, qui ultima hominum elogia ante eorum mortem aperirent aut evulgarent. Is qui aperuerit vivi testamentum, lege Corneliâ de falsis tenetur, ait Marcianus in *l.* 2. §. 5 *ff Ad legem Corneliam de falsis.*

II. Ut autem securiùs conservarentur, & fideliùs executioni mandarentur, solebant tabulas testamentorum deponere in æde sacra, ipsisq; Præfectis ædis sacræ eas confidere ; cujus moris meminit Ulpianus *in l.* 3. §. 3 *ff. de Tabulis exhibendis*, dicens: "Proinde & si custodiam tabularum *æditwus*, „ vel tabularius suscepit, dicendum est, eum teneri interdi„ cto."

Per æditwum hîc intelligi *æditwum templi*, monet Gothofredus in notis *n.* 17. additq; : "Solebant enim Veteres testa„ menta templis eorumq; custodibus, ut & Vestalibus com„ mendare." Plures ex antiquis, qui hujus moris testes sunt, ibidem citat Gothofredus.

III. Constat quoq; Imperatores Christianos curam testamentorum specialiter Episcopis demandâsse, ac voluisse, ut invigilarent, si suprema voluntas defuncti executioni mandaretur, uti videri potest *in L.* 28. *Cod. De Episcopis & Clericis*, nec non Authentica eidem subjecta.

IV. Unde & Christianis usitatum fuit, Episcopis sua testamenta consignare, eisq; executionis curam committere. Refert Amoinus *lib.* 4. *De Gestis Francorum c.* 30. Dagobertum Regem Galliæ voluisse testamenti sui quatuor exemplaria fieri, "è quibus unum Lugduni in Gallia, aliud Parchi„ siis ; tertium Mettis in *archivis Ecclesiarum* dirigi vo„ luit."

V. Ex hac porrò consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum, earúmq; executionem ipsis demandandi, verisimiliter fluxit, quòd testamentorum executio, & difficultatum super his exorientium discussio & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ & religioni sua ultima elogia defuncti commiserant, transierit.

His accedebat, quòd nullum pene testamentum conficeretur, nisi Notarius aliquis Ecclesiasticus interveniret; à quo factum testamentum etiam aliquid Ecclesiastici mutuare videbatur, ratione cujus ad forum Ecclesiasticum spectare deberet.

VI. Quidquid sit, hoc equidem constat, vel è solis responsis & resolutionibus Pontificum, præsertim Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. quæ sub titulo Decretalium *De Testamentis* referuntur, quæstiones & causas testamentarias, etiam planè civiles ac profanas & laicales ad Pontifices & Episcopos fuisse relatas, ipsorumq; decisiones super iis expetitas ; quemadmodum videre est in *cap.* 16. & 18. ✠ *De Testamentis.*

VII. Quin & ea in causis testamentariis auctoritas erat Ecclesiæ, ut Alexander III. rescribens Hostiensi Episcopo *in c.* 10. ✠ *eod.* reprobatâ solemnitate juris civilis de adhibendis *septem* testibus, " testamenta, quæ Parochiani coram „ Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis „ in extrema fecerint voluntate, firma decreverit permane„ re sub anathematis interminatione; prohibentes [ait] ne „ quis hujusmodi audeat rescindere testamenta. "

VII. Quòd autem passim hæc Ecclesiæ auctoritas circa has causas agnita & recepta fuerit, vel hinc elucet; quòd contra juris Civilis dispositionem, hæc Pontificis decisio, & præscripta forma testamentaria ubique penè recepta & probata fuerit.

IX. Inter articulos nomine Baronum & Nobilium Regni Galliæ coram Philippo Valesio per Petrum Cugnerium contra Prælatos ejusdem Regni propositos erant hi 64. & 65. „ Item volunt (judices Ecclesiastici) inventaria facere de bo„ nis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntq; bonorum „ tam mobilium quàm immobilium possessionem habere, „ & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis, qui„ bus volunt conferre. Item testamenta quoq; volunt per „ manus suas executioni tradere; inventaria facere bono„ rum defunctorum, eademq; servare, & hæredibus distri„ buere; & habent officiales, qui super his exequendis dum„ taxat deputati existunt."

X. Hæc à Petro Cugnerio asserta, Prælati non negabant, sed sustinebant illa ad judices Ecclesiasticos tum de jure, tũ de consuetudine spectare. Responsum enim Bertrandi Episcopi Eduensis erat "Ad 64. & 65. qui loquuntur de execu„ toribus & inventariis bonorum testatoris & intestatoris „ dicit, quòd tam de jure scripto quàm de consuetudine spe„ ciali prælati sunt executores legitimi testamentorũ, unde „ si executio venerit ad prælatum, nulli facit injuriam, bona „ inter hæredes distribuendo, & de eis inventaria faciendo. „ Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maximè in locis, „ ubi sic de consuetudine extitit observatum à tanto tem„ pore, quòd in contrarium memoria non existit."

XI. Agnoscit ipse Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 4. *c.* 79.

„controversia, licèt quantum ad eos, inter quos contractum „asseveratur matrimonium, sit coram Pontificio judice tra- „ctanda : tamen si pater aut mater simul cum filiis apud „Pontificium forum conveniantur, ut quam de futuro ma- „trimonio emiserint promissionem, impleant, poterunt „illi parentes fori jurisdictionem declinare, vel etiam ab „ipsius citationis decreto tanquam ab abusu, provocare ad „supremam Parlamenti Curiam."

Rationem addit, dicens, "in Regno (Franciæ) receptum „fuisse, quia de jure Franciæ speciali laici sunt à Pontificia „jurisdictione soluti ac emancipati; nisi in casibus *specia- „liter* permissis." Et Annæus Robertus *lib.3. Rerum jud. cap.5.* asserit, "de jure Franciæ obtinere, ut de iis tantùm „cognoscere possit Judex Ecclesiasticus, quæ *spiritualia* „sunt, aut ad Sacramenta pertineant."

XXIV. Quia causa natalium, sive an quis sit *legitimus*, pendere solet à *jure* & *validitate* matrimonii, causam hanc esse fori Ecclesiastici tamquam *spiritualem*, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.7.* ✠ *Qui filii sint legitimi*; atque ut talem agnoscunt allegata concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem; voluntque, ut si quæstio legitimitatis aut illegitimitatis coram judice sæculari incidat, eodem modo ac quæstio fœderis Matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum remittatur.

XXV. Ex ipso contextu Concordatorum sat manifestum est, quòd remissio hæc intelligenda sit de casu, quo de *jure* agitur, non autem de *facto*; putà si controvertatur, an quis sit *legitimus* ob defectum sive non valorem matrimonii; secùs verò si tantùm quæratur, num hic reverà sit filius sive natus ex tali matre aut patre, quemadmodum notavit Cevallos tract. *de Cognit. per viam violentiæ qu. 96.* dicens: "Resolutivè tenendum est, judicem laicum posse „cognoscere, an sit filius natus in figura Matrimonii, an „non : quia est quæstio *facti*, incidens principali motæ „super petitione hæreditatis."

Quod & ipsa concordata *tit. 1. art. 6.* expresserunt, caventia, quòd non potest judex Ecclesiasticus cognoscere „de *filiatione*, cùm est quæstio inter laicos de *mero facto*, „an talis scilicet sit filius vel non."

XXVI. Quin quæstio profana & *facti* accessoriè cum ipsa quæstione *Juris* coram judice Ecclesiastico ex usu Regni Galliæ tractari potest. Putà si judex Ecclesiasticus pronuntiaverit in causa Matrimonii aut sponsalium, non poterit tamen pronuntiare super damnis & interesse resultantibus ex non adimpletis sponsalibus; quemadmodum observat Joannes Tornetius in collectione arrestorum *litt. A. num. 116.* citatque Fevretius loco citato *nu. 14.* arrestum de anno 1689. quo declaratum fuit, abusivè processum per Officialem Carnotensem, qui pronuntiatione facta super cessatione sponsalium, condemnaverat patrem desponsæ, qui sponsalibus cōsenserat, ad expensas, damna, & interesse.

XXVII. Similiter si contingeret pendente quæstione super validitate matrimonii, uxorem petere summam pecuniæ pro alimentatione, & sustinendis expensis litis, abusum futurum pronuntiant Pragmatici Galli, si Officialis super his pronuntiet; quemadmodum pluribus citatis testatur Fevretius *num. 13.*

XXVIII. Monet quoque ibidem Fevretius, quòd in Gallia soleret Ecclesiasticus judex judicare accessoriè de dote, alimentis, aliisque similibus; sed eodem Fevretio teste, hæc doctrina tandem rejecta est, interdictumque Officialibus de his, tamquam de rebus *meri facti* cognoscere, quod & generaliter observari ait: *Ce qui s'observe par tout pour le present, en telle sorte que la citation* IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM *decerné par l'Official seroit cassé comme abusive.* Id est: Quod ubique modò observatur: sic ut citatio IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM per Officialem decreta aboleretur, tanquam ob abusum vitiosa. Ita videmus verissimum esse, jurisdictionem Ecclesiasticam per *frusta* tandem disrumpi, uti jam pridem querebatur Durandus Episcopus Mimatensis.

XXIX. In Belgio sanè juxta sæpiùs citata Concordata modestiùs agitur cum judice Ecclesiastico; permittiturque judici Ecclesiastico cognoscere de *alimentis*, quæ per virum aut mulierem peti contigerit pendente divortii causa, vel de tractamento alterius eorumdem, si hæc coram eo incidant, vel incidenter petantur, uti supra *part. 2. tit. 15. c.7.* ostensum est; ubi unà notatum fuit, quando de dote aut donatione propter nuptias judex Ecclesiasticus judicare queat juxta eadem concordata; item *tit. 12. cap. 2.*

XXX. Quin inter causas Ecclesiasticas reputandæ sint causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum; uti & decimarum, præsertim ad Ecclesiasticos spectantium, necnon juris funerandi & similium, nemo dubitet. Unde in sæpe citatis Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 3. art. 13.* hæ omnes causæ causis merè Ecclesiasticis annumerantur, "de quibus Judex Ecclesiasticus etiam con- „tra *laicos* poterit cognoscere in petitorio."

Causa jurispatronatus spiritualibus causis quoque accensetur. Ita enim "conjuncta & connexa spiritualibus causis dicitur in *cap. 3.* ✠ *De judiciis*, quod non nisi Eccle- „siastico judicio valeat definiri."

Verùm juspatronatus laicis ratione feudi aut alicujus rei patrimonialis competens, non spirituale, sed quodammodo profanum, saltem quoad competentiã judicis habetur.

Unde de hoc jurepatronatus in citatis Concordatis §.14. dicitur: "De jure verò Patronatûs Principis suorum vasal- „lorum, & aliorum laicorum, juspatronatus ad causam „feudorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, „quando inter duos laicos quæstio erit, quis eorum sit pa- „tronus, solus judex sæcularis cognoscet, sive super illis „principaliter, & de per se, agatur, vel cum universitate. Si „verò inter duos, vel plures præsentatos, vel patronos lai- „cos, quæstio fuerit coram judice Ecclesiastico, de institu- „tione suâ, quis eorum præferri debeat, & inciderit quæ- „stio jurispatronatus, de illâ sic incidenti, in præjudicium „partium litigantium, non autem patronorum absentium, „judex Ecclesiasticus cognoscet, & definiet."

Verùm hodie raró admodum de his causis sive Beneficiorum, sive Decimarum vel jurispatronatûs coram judice Ecclesiastico agitur; quia quæstiones vel causæ hæ rarissimè in *petitorio* aguntur; sed dumtaxat in possessorio, quod ex notoria praxi coram solis Regiis Consiliis agitari potest, uti infra *capite 4.* ostendemus.

CAPUT II.

De Causis Testamentariis, & quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.

1. *Apud Romanos summa fuit erga ultimas voluntates veneratio.*
2. *Solebant tabulas testamentarias Præfectis templorum confidere.*
3. *Imperatores Christiani executionem ultimarum voluntatum specialiter Episcopis demandârunt.*
4. *Christianis etiam usitatum fuit testamenta sua Episcopis consignare.*
5. *Hæc consuetudo videtur causas testamentarias ad judicem Ecclesiasticum transtulisse.*
6. *Jure Decretalium causa testamentaria sunt fori Ecclesiastici.*
7. *Ecclesiastici præscribebant solemnitates testamentarias reprobatis solemnitatibus à jure civili inductis.*
8. *Solemnitas jure Canonico inducta ubique passim recepta.*
9. *Tempore Philippi Valesii questi sunt laici causas hæreditarias ad forum Ecclesiasticum trahi.*
10. *Ecclesiastici sustinebant eas de jure & consuetudine ad suum forum spectare.*
11. *Sæculo præterito cognitio causarum testamentariarum sensim ad judices sæculares devolvi cœpit.*
12. *Vetita primùm fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio.*

13. *Hinc*

13. *Hinc testamentorum cognitio ad judices Regios quomodo devoluta?*
14. *Tempore Joannis Galli causa testamentaria in Gallia erat adhuc mixti fori.*
15. *Hodie est solius fori sæcularis sublatis contrariis locorum consuetudinibus.*
16. *Etiamsi agatur de testamento ad* pias *causas.*
17. *Principes Belgii in hoc articulo moderatius egerunt cum jurisdictione Ecclesiastica.*
18. *Causa testamentaria Principum Edictis declaratur pertinere ad judicem Ecclesiasticum.*
19. *In Concordatis Brabantiæ causa testamentaria habetur mixti fori.*
20. *Judex Ecclesiasticus super causa testamentaria aditus potest etiam de connexis & emergentibus cognoscere.*
21. *Judex Ecclesiasticus in decisione harum causarum sequi tenetur ordinationes Principum, & locorum consuetudines.*
22. *Hoc juri conforme.*
23. *Quædam actiones licèt oriantur ex testamento,* soli judici laico *reservantur.*
24. *Quid de hac cognitione habeat Concordatum inter Episcopum Cameracensem, & Magistratum Antverpiensem.*
25. *Ex Concordatis Hannoniæ testamenta Ecclesiasticorum spectant ad Ecclesiasticos, & laicorum ad laicos judices.*
26. *Concordata Brabantiæ dant potestatem judici Ecclesiastico supplendi negligentiam executorum.*
27. *Item absolvendi ab onere executionis.*
28. *Synodi Belgicæ supponunt causas testamentorum in* pias *causas, ad Episcopos spectare.*
29. *Idque etsi testator id interdixisset; quod consonat juri communi.*
30 *Rectori & Universitati Lovaniensi quæ sit auctoritas circa testamenta Suppositorum?*
31. *Synodus Cameracensis ostendit testamenta* Clericorum *speciali ratione ad Episcopi curam spectare.*
32. *Licèt non ubiq; causæ testamentariæ spectent ad forum Ecclesiasticum, Episcopi tamen curam piorum legatorum habere debent.*
33. *Id voluit Justinianus Imp.*
34. *Synodi Belgicæ injungunt Parochis invigilare, ut pia legata solvantur, & piæ fundationes impleantur.*
35. *Meritò monent Pastores suos Parochianos, ut tempestivè condant salutare testamentum.*
36. *Parochi debent esse Parochianorum defunctorum quasi pii Procuratores, ut procurent executionem piæ eorum voluntatis.*
37. *Parochi executionem piorum legatorum urgentes cavere debent omnem avaritiæ speciem.*
38. *Executores sæpius suscitant infundatas lites super solutione piorum legatorum ex proprio interesse: & quod contra hos remedium?*

I. INter causas profanas, quæ jam pridem jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectæ fuere, una eaq; è præcipuis fuit causa testamentorum, cujus cognitio & executio specialiter Ecclesiasticis competiisse videtur.

Legitur apud Romanos, summam fuisse erga ultimas defunctorum ordinationes venerationem, habebantq; ut sacrilegos & falsarios, qui ultima hominum elogia ante eorum mortem aperirent aut evulgarent. Is qui aperuerit vivi testamentum, lege Corneliâ de falsis tenetur, ait Marcianus in *l. 2. §. 5 ff. Ad legem Corneliam de falsis.*

II. Ut autem securiùs conservarentur, & fideliùs executioni mandarentur, solebant tabulas testamentorum deponere in æde sacra, ipsisq; Præfectis ædis sacræ eas confidere; cujus moris meminit Ulpianus *in l. 3. §. 3 ff. de Tabulis exhibendis*, dicens: "Proinde & si custodiam tabularum *æditunus*, „ vel tabularius suscepit, dicendum est, eum teneri interdi„ cto."

Per æditunum hîc intelligi *æditunum templi*, monet Gothofredus in notis *n. 17.* additq;: "Solebant enim Veteres testa„ menta templis eorumq; custodibus, ut & Vestalibus com„ mendare." Plures ex antiquis, qui hujus moris testes sunt, ibidem citat Gothofredus.

III. Constat quoq; Imperatores Christianos curam testamentorum specialiter Episcopis demandâsse, ac voluisse, ut invigilarent, si suprema voluntas defuncti executioni mandaretur, uti videri potest *in l. 28. Cod. De Episcopis & Clericis*, nec non Authentica eidem subjecta.

IV. Unde & Christianis usitatum fuit, Episcopis sua testamenta consignare, eisq; executionis curam committere. Refert Amoinus *lib. 4. De Gestis Francorum c. 30.* Dagobertum Regem Galliæ voluisse testamenti sui quatuor exemplaria fieri, "è quibus unum Lugduni in Gallia, aliud Parrhi„ siis; tertium Mettis in *archivis Ecclesiarum* dirigi vo„ luit."

V. Ex hac porrò consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum, earúmq; executionem ipsis demandandi, verisimiliter fluxit, quòd testamentorum executio, & difficultatum super his exorientium discussio & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ & religioni sua ultima elogia defuncti commiserant, transierit.

His accedebat, quòd nullum pene testamentum conficeretur, nisi Notarius aliquis Ecclesiasticus interveniret; à quo factum testamentum etiam aliquid Ecclesiastici mutuare videbatur, ratione cujus ad forum Ecclesiasticum spectare deberet.

VI. Quidquid sit, hoc equidem constat, vel è solis responsis & resolutionibus Pontificum, præsertim Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. quæ sub titulo Decretalium *De Testamentis* referuntur, quæstiones & causas testamentarias, etiam planè civiles ac profanas & laicales ad Pontifices & Episcopos fuisse relatas, ipsorumq; decisiones super iis expetitas; quemadmodum videre est in *cap. 16. & 18. h. De Testamentis.*

VII. Quin & ea in causis testamentariis auctoritas erat Ecclesiæ, ut Alexander III. rescribens Hostiensi Episcopo *in c. 10. h. eod.* reprobatâ solemnitate juris civilis de adhibendis *septem* testibus, " testamenta, quæ Parochiani coram „ Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis „ in extrema fecerint voluntate, firma decreverit permane„ re sub anathematis interminatione; prohibentes [ait] ne „ quis hujusmodi audeat rescindere testamenta."

VIII. Quòd autem passim hæc Ecclesiæ auctoritas circa has causas agnita & recepta fuerit, vel hinc elucet; quòd contra juris Civilis dispositionem, hæc Pontificis decisio, & præscripta forma testamentaria ubique penè recepta & probata fuerit.

IX. Inter articulos nomine Baronum & Nobilium Regni Galliæ coram Philippo Valesio per Petrum Cugnerium contra Prælatos ejusdem Regni propositos erant hi *64.* & *65.* „ Item volunt [judices Ecclesiastici] inventaria facere de bo„ nis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntq; bonorum „ tam mobilium quàm immobilium possessionem habere, „ & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis, qui„ bus volunt conferre. Item testamenta quoq; volunt per „ manus suas executioni tradere; inventaria facere bono„ rum defunctorum, eademq; servare, & hæredibus distri„ buere; & habent officiales, qui super his exequendis dum„ taxat deputati existunt."

X. Hæc à Petro Cugnerio asserta, Prælati non negabant; sed sustinebant illa ad judices Ecclesiasticos tum de jure, tũ de consuetudine spectare. Responsum enim Bertrandi Episcopi Eduensis erat "Ad *64.* & *65.* qui loquuntur de execu„ toribus & inventariis bonorum testatoris & intestatoris „ dicit, quòd tam de jure scripto quàm de consuetudine spe„ ciali prælati sunt executores legitimi testamentorũ, unde „ si executio venerit ad prælatum, nulli facit injuriam, bona „ inter hæredes distribuendo, & de eis inventaria faciendo. „ Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maximè in locis, „ ubi sic de consuetudine extitit observatum à tanto tem„ pore, quòd in contrarium memoria non existit."

XI. Agnoscit ipse Carolus Feuretius De Abusu *lib. 4. c.*

trahere, vetitum censetur ad judicem sive Magistratum civilem trahere. Nam uti rectè observavit Hieronymus Bignonius in notis ad lib. 1. Formularum Marchulfi Monachi *cap.* 3. eo tempore soli judices civiles sive sæculares dicebantur *publici* judices. Et in *Cap.* 12. *De Foro competenti* accipiuntur *publica judicia* pro Jurisdictione sæculari, opponunturque cognitionibus Ecclesiasticis, uti ibidem notavit Emmanuel Gonzales.

XXIV. Mirum quanto zelo sequentibus sæculis hoc privilegium Clericorum, ne à Laicis ad judices sæculares trahi possent, urserint Pontifices & Episcopi; uti vel ex Decretis eorum Decretalibus Gregorii IX. insertis cognoscere possumus.

XXV. Legitur in *Cap.* 12. *De Foro competenti* responsum Innocentii III. Pisano Archi-Episcopo, id est Lothario, qui fuit Juris Civilis Glossator, uti observat Gonzales in notis ad dictum *Cap.* 12.

Crediderat hactenus Lotharius, quòd licitum esset Clerico renuntiare, saltem in temporalibus, Juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi voluntas adversarii accedat; ipsumque juramentum interpositum esse servandum. At respondet Innocentius, Clericos huic juri renuntiare non posse, rationem hanc addens: quia *pacto privatorum juri publico minimè derogatur*. Dein citato Canone Carthaginensi supra
„ relato, infert: Manifestè patet, quod non solum inviti, sed
„ etiam voluntarii pacisci non possunt, ut sæcularia judicia sub-
„ eant: cùm non sit personale Beneficium, cui renuntiare va-
„ lent, sed potius toti collegio Ecclesiastico sit publicè indul-
„ tum, cui privatorum pacto derogari non potest.

XXVI. Quin & addit: Nec juramentum licitè servari po-
„ tuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactionibus infor-
„ matur.

Ex hoc responso Innocentii III. concludunt Canonistæ, Clericum se non posse Judici sæculari submittere etiam medio juramento; tametsi Justinianus id permiserit: quam Justiniani Constitutionem per hanc Decretalem abrogatam esse dicunt.

XXVII. Conformiter ad hoc responsum legitur in Syno-
„ do Exoniensi anno 1287. *Can.* 30. Cùm nec *volens*, nec in-
„ vitus Clericus valeat sibi laicum constituere Judicem, inhibe-
„ mus ne Clericus Clericum super re spirituali, aut quâcumque
„ actione personali sibi competente, vel suis, trahat in causam
„ correctionis coram judice sæculari. Alioquin illum qui hoc
„ facere attentaverit, causam perdere declaramus.

XXVIII. & *Can.* 41. ubi altè deplorat, quòd indies magis magisque laici nitantur subjicere suæ ditioni Clerum & Eccle-
„ siæ libertates. Quorum potius (ait) temerariam audaciam
„ resecare tenemur, quàm fovere. Deinde concludit: Prohibe-
„ mus igitur sub pœna excommunicationis, ne Clerici, maximè
„ beneficiati pro debito proprio vel alieno, districtioni se ob-
„ ligent Judicis sæcularis: cujus obligationis prætextu, laici de
„ facto, quamquam de Jure non valeant, Clericos ad Judicia
„ sæcularia pertrahant.

XXIX. Nec tantùm Clericum coram sæculari Judice vocari posse receptum erat sæculo 12. & 13. sed & plerisque locis consuetudo invaluerat, ut Clericus etiam laicum coram Judice Ecclesiastico vocaret ad vindicandam rem à laico possessam, licèt eam *suam* esse laicus prætendebat: quemadmodum testatur Alexander III. in *Cap.* 5. *de Foro comp.*

XXX. In Synodis recentioribus passim renovatas has Decretales & pristinos de hac exemptione Clericorum à sæculari Jurisdictione Canones videmus; ac signanter Concilium Constantiense sub Martino V. renovavit Constitutionem Fre-
„ derici II. Imperatoris: Nullus Ecclesiasticam personam in
„ criminali quæstione vel *civili* ad sæculare judicium præsu-
„ mat attrahere, contra Canonicas sanctiones & constitutiones
„ imperiales.

Concilium Moguntinum anno 1549. *Can.* 76. statuit, ut actor Clerico coram sæculari judicio actionem intendens, eo
„ ipso omni causâ cadat, nec amplius ad ejus causæ querelam,
„ etiam coram Ecclesiastico Judice admittatur.

XXXI. Porro in hac Clericorum à jurisdictione laicorum exemptione semper idem fuit Ecclesiæ scopus, idemque spiritus; nimirum, ut ipsos à litibus & tumultibus forensibus avocaret; quæstionesque inter ipsos suscitatæ amicabiliter interveniente Episcopo aliove prudente ac sapiente Viro, ad mentem Apostoli, componerentur & terminarentur; uti rectè advertit Ludovicus Thomasinus De Disciplina Ecclesiæ *parte* 4. *lib.* 2. *cap.* 89. tametsi nonnulli Prælati nonnunquam dominandi spiritu, aut quæstûs causâ in usu jurisdictionis, ejusque defensione processerint: quia hi ipsum Ecclesiæ spiritum & scopum mutare non potuerunt; quamvis forsan his Prælatis, eorumque excessibus ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio non immeritò imputetur; uti infra latiùs ostendetur.

CAPUT IV.

Quibus casibus hodie Clerici in Civilibus coram Judice Sæculari conveniantur.

1. *Quando & quâ de causâ causæ Clericorum præsertim civiles ad tribunalia laicalia devolvi [illegible]erint.*
2. *An de hac devolutione Episcopi h[illegible] conqueri debeant?*
3. *In Gallia circa tempora Philippi Valesii exemptio Clericorum imminui cœpta.*
4. *Conquerebantur tum temporis quòd Judex Ecclesiasticus impediret quominus Clericus in causa hereditaria conveniretur coram laico.*
5. *Quid huic querelæ responderint Prælati.*
6. *Ex ipsorum querelis & responso colligitur, etiam prætendisse judices Ecclesiasticos cognoscere de causa* reali *inter Clericos; quod & juri communi conforme prætenditur.*
7. *Usus cognitionem in causa* reali *ad judicem laicum etiam inter Clericos transtulit.*
8. *Jam pridem solemni arresto interdictum Judici Ecclesiastico de causa reali cognoscere.*
9. *Mulctatus Officialis qui de tali causa cognoverat.*
10. *Id non tantum in Gallia, sed penè ubique servatur.*
11. *Tempore Philippi Valesii. Prælati asserebant, ad se omnes causas* reales *spectare, quibus aliquid* personale *erat admixtum.*
12. *Hodie omnis causa etiam personalis ad Judices laicos spectat, si aliquid* realitatis *sit admixtum.*
13. *In causis* mixtis *Clerici coram laicis conveniuntur.*
14. *Contractus coram judice Ecclesiastico factus non inducit* realitatem; *quia de realitate disponere nequit.*
15. *Clericus pro arreragiis redituum conveniendus coram Ecclesiastico judice si personaliter tantùm conveniatur, secus, si jus* reale *controvertatur.*
16. *Hæc distinctio jam pridem solemni arresto probata.*
17. *Etiam Rector & Conservator Academiæ Lovaniensis eadem distinctione utuntur.*
18. *Ex contractu inito coram notario Regio Clericus coram judice Regio convenitur.*
19. *Clerici per contractum se solent jurisdictioni laicali submittere.*
20. *Dispositio juris quâ Clericus vetatur renuntiare privilegio usu sublata quoad causas civiles.*
21. *Quæstio an Clericus sit remittendus ad Judicem Ecclesiasticum, hodie spectat ad Judicem Regium.*
22. *Idipsum supponit Edictum Principum nostrorum ad Synodum Cameracensem.*
23. *Prætendunt Pragmatici hic intervenire quæstionem* Facti.
24. *Supponunt quoque omnem jurisdictionem quoad causas civiles spectare ad Principem quousque probatum sit in alios translatam.*
25. *Hinc concludunt, Clericum coram laico citatum debere comparere, ut privilegium alleget.*

26. *Cle-*

26. *Clericus hodie convenitur coram laico, si in alia quàm Clerici qualitate conveniatur.* (*dici convenire.*
27. *Clericus administrans bona laicorum potest corà laico in-*
28. *Item si sit Officiarius sæcularis.*
29. *Similiter ut tutor aut curator laici.*
30. *Conventus ad præstandam gardiam in causa evictionis.*
31. *Ut hæres laici potest coram sæculari quoque conveniri.*
32. *Quantum diminuta jurisdictio Ecclesiastica?*
33. *In Brabantia concessum privilegium Prælatis ut conveniri nequeant nisi coram supremo Principis Senatu.*
34. *Idem nonnullis Capitulis in Gallia concessum.*
35. *Hoc privilegium ad causas concernentes functiones sacras non extenditur.*
36. *Etiam hodie manet spiritus Canonum qui vetabant Clericis ad sæcularia tribunalia recursum.*

I. Sicuti causæ civiles Laicorum ad sæcularia tribunalia sensim devolutæ sunt, ipsique Episcopi & Judices Ecclesiastici ab earum cognitione penè totaliter exclusi, postquā nimirum judicia Ecclesiastica ad normam judiciorum civilium institui & agi cœperunt, uti supra *c.* 2. monuimus; ita & causæ civiles Clericorum ad laicos judices devolvi cœperunt, & exemptio Clericorū quoad causas has ad arctissimos limites coarctata; ipsique Clerici coram laicis tribunalibus in causis civilibus nō tantùm à laicis citari; sed ultrò hæc tribunalia expetere, & suos creditores etiam Clericos convenire maluerunt: adeò ut hodie, præsertim in Belgio, & Gallia de exemptione clericorū à laicali jurisdictione quoad causas *merè civiles* vix aliquid supersit: quinimò & plerasq; causas Ecclesiasticas agitari corā judicibus Regiis, titulo sequenti ostendetur; ibi unà ratio reddetur, cur Clerici plerumq; ament coram Regiis Tribunalibus, quàm Ecclesiasticis suas quæstiones examinari & judicari, & quæ sit ratio, cur is recursus hodie faciliùs, quàm olim tolerari queat.

II. Unà ostendetur, quòd graviter ferre non debeant Episcopi, si causæ & quæstiones ad Regia & laica tribunalia transferantur, quamdiu ea, quæ nunc invaluit, forma judiciorum Ecclesiasticorum remanet; licèt non immeritò doleant, quòd judicia Ecclesiastica, quæ primitus non nisi ad concordiam & pacem tendebant, nihilq; de forensibus tricis habebant, tandem in jurgia forensia transierint; quin & in his laicalia judicia facilè superent: atque ita omnis ferè ratio, quæ jam pridem moverat Prælatos Ecclesiæ, ipsosque Principes, ut Clericos coram judicibus Ecclesiasticis convenire vellent; & laica tribunalia declinare juberent, non tantùm negativè, sed & contrariè cessare videatur; quia litigando coram Ecclesiasticis amplius & diutius litium tumultibus & forensibus tricis implicari solent, quàm litigando coram tribunalibus Regiis.

III. Jurisdictionem Ecclesiasticam quoad causas Clericorum circa tempora Philippi Valesii Regis Franciæ, id est, sub initium sæculi XIV. imminuisse, notat Michaël Rousselius; & non obscurū est ex disceptatione inter Prælatos & Barones Regni Galliæ coram eodem Rege sub initia ipsius sæculi super materia jurisdictionis excitata.

IV. Inter articulos ex parte Baronum per Petrum Cugnerium contra Prælatos allegatos erat hic 57. "Item si laicus vocat Clericum in causâ hæreditaria coram judice sæculari, ipsi judices Ecclesiastici faciunt cessare processus, sibi cognitionem attribuentes."

V. Huic articulo nomine Prælatorum respondet Ludovicus Bertrandus Episcopus Eduensis, "quòd super actione personali vel mixta, aut super interdicto, quòd in parte personale extiterit, Clericus fuerit coram judice sæculari vocatus, non debet coram eo respondere; ubi autem actio esset merè realis, de jure deberet super hoc cujuslibet Ecclesiæ consuetudo servari, & ubi consuetudo non esset, deberet jus scriptum in talibus imitari."

VI. Ex articuli propositione, & ad illum responsione patet, quòd tum quæstio esset, quis Clericorum competens sit judex, etiam in causis *mixtis & realibus*; ipsumque Eduensem prætendisse, in causis *mixtis*, quæ aliquid personalitatis continent, solum judicem Ecclesiasticū esse competentem; quin & in causa merè reali, si consuetudo Ecclesiæ non sit contraria: quod & conforme esse juri communi vulgò tradunt Canonistæ, quos citat Aufrerius de Potestate sæculari in Ecclesiasticos *regula* 2. *fallentia* 4.

VII. Verùm controversiam hanc usus finivit, ipsamque cognitionem de causis *realibus* judici laico detulit, quantumvis contra Clericum agatur; nam ut ipse Aufrerius testatur ex Joanne Fabio, hodie Clericus in actione *reali* potest coram judice sæculari conveniri; & ita de consuetudine in Regno Galliæ servari asserit.

VIII. Testatur quoque ibidem Aufrerius, "an. 1385. in „Parlamento Parisiensi pronuntiatum fuisse arrestum, quo „dictum fuit, Episcopum Cabilonensem non esse recipien„dum ad manutenendū, quòd in ejus Curia spirituali posset „cognoscere de actione *reali*, & fuisse condemnatū ad ces„sandū de cætero ab impedimētis per eum super hoc factis.

„Hoc arrestum, ait Joannes Galli *qu.* 45. mirum videri „non debet; nam si penes judicem Ecclesiasticum notio „illa remansisset, oportuisset aliquando Regem & cæteros „Galliæ Proceres ire litigatum Romæ pro feudis & tempo„ralibus suis per viam appellationis, aut evocationis."

IX. Insuper ut Judices Ecclesiastici deterrerentur à capienda notione de actione *reali*, " anno 1463. Capitulum „S. Maxentii fuit condemnatum in 200. libras, quia co„gnoverat de actione *reali* virtute jurisdictionis spiritua„lis," inquit Aufrer.

X. Nec tantùm in Gallia, sed & aliis plerisque Regnis, judices laicos cognoscere de causis *realibus* ostendit Michaël Rousselius in Historia jurisdictionis Pontificiæ *lib.* 4. *cap.* 4. & de Belgio testatur Judocus Damhauderus in Praxi civili *cap.* 53. & ibi notat Tuldenus, & praxis notoria & quotidiana consonat.

XI. Ex responso Ludovici Bertrandi supra relato patet, Prælatos ut indubitatum tunc asseruisse, quòd Clericus in actione *mixta*, aut super interdicto, quod in *parte personale* extitit, coram judice sæculari vocatus, non debeat corā eo respondere. Supponebant enim, *personale* ibidem intermixtum trahere ad se *reale*, ipsumq; judicem laicum esse omninò incapacem, qui de *personali* contra Clericum quovis modo judicare posset: econtra verò judicem Ecclesiasticū haud esse incapacem, qui de *reali*, quod hìc miscetur, cognoscat: ideoque solicitè notant, *quod in parte* PERSONALE *est*.

XII. At verò hodie contrarium planè principium invaluit, & in Regiis Parlamentis receptum & probatum est: nimirum, bona temporalia esse omninò de jurisdictione sæculari; ipsosq; judices Ecclesiasticos esse incapaces cognoscendi aut statuendi de *realitate* bonorum; adeò ut abstinere debeant ab omni causa, cui *realitas* aliqua immixta est.

XIII. Hinc tamquam indubitatum tradunt Pragmatici, Clericum non tantùm in merè realibus, sed & in *mixtis*, putà actione hypothecaria conveniendum esse corā judice sæculari, sive ipsius rei sitæ, quemadmodum loco citato notat Aufrerius; & pluribus relatis confirmat Rousselius dicto *c.* 4. *n.* 10. additque: "Denique nullius non quæstionis ex fundo & *realibus* subortæ competens est nobis ju„dex sæcularis; nec Hispanis, ut tradit Alphonsus Villa„diego: Ecclesiasticus verò incompetens."

Hactenus Rousselius, qui ex his concludit: "Itaque si „Clericus vendiderit fundum, aut si immobilia ejus sint „præhendenda, non poterit forum sæculare declinare."

XIV. Imò receptum esse tradit pluribus citatis Broudæus in notis ad Louëtium *Litt. H. n.* 15. quòd contractus & obligationes firmatæ sigillo judicis Ecclesiastici nullam inducant hypothecam sive tacitā sive expressam; quia judex Ecclesiasticus nullum habet jus se immiscendi iis, quæ *realitatem* spectant. Verba ipsius sunt: *Parce que la jurisdiction Ecclesiastique n'a aucun droit de s'entremettre en ce qui est de la realitté comme est l'hypotheque.* Id est: Eò quòd Jurisdictioni Ecclesiasticæ nullum jus competat, ut se immisceat iis, quæ realitatem spectant, quale est Hypotheca.

XV. Ex hoc principio nonnulli conclusêre, quòd Clericus ratio-

ratione canonū, seu *arreragiorum*, ut ajunt, alicujus reditus realis sive fundiarii, non nisi coram judice laico conveniri posset; eò, quòd huic obligationi *realitas* causā dederit; sive quòd obligatio canonum ex obligatione *reali* profluxerit.

Verùm si de solis annuis canonibus agitur, ratione quorū obligatio dumtaxat personalis habetur, neq; ipsum jus reditus sive *reale* controvertatur, non apparet, cur de hac obligatione *merè personali* judex Ecclesiasticus competens non sit; secus vero, si ipsum *jus reale* in controversiam veniat.

Hac distinctione jam pridem usus est Aufrerius, dicens, pro arreragiis census annui conveniri posse Clericos corā judice sæculari, "quando medium concludendi est *reale*; ut „ quia petitur ratione prædiorum censualiū: quia tunc ma„ gis videntur conveniri prædia, quam personæ, scil. pos„ sessores prædiorum. Si autem medium concludendi sit „ *personale*, ut quia arreragia petuntur ex stipulatione vel „ obligatione personali, tunc secus esset dicendum."

XVI. Hæc distinctio fundata apparet in famoso & solemni arresto prolato an. 1271. contra plures Episcopos eorumq; Officiales, quo ipsis interdicitur, "cognoscere de actionibus „ realibus, & de reditibus annualibus affidatis seu debitis & „ petitis super hæreditagiis, supposito, quòd partes *censum* „ aut *onus reale* se debere *minimè* confiteantur." Arrestum refertur apud Choppinum De Sacr. Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 6.

Distinctionem hanc rationi consonam esse fatetur etiam Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 11. insignis aliàs jurisdictionis Regiæ Patronus.

XVII. Hæc distinctio occurrit quoq; in concordia inter Maximilian. & Philippum, & Universitatem nostram Lovaniensem, inita super exercitio jurisdictionis Rectoris & Conservatoris, confirmata per Carolum V. Imper. ubi permittitur, ut Rector & Conservator cognoscant de materiis personalibus, non *realibus* aut *mixtis* bona immobilia tangentibus; permittiturque, ut si personaliter agatur de *reditibus*, possit incidenter de titulo cognoscere, ne continentia causæ dividatur; ut tamen non cognoscat de *realitate*, aut validitate contractus. Verba sunt: *Que lesdicts Recteur & Conservateur pourront prendre & avoir la cognoissance des matieres personelles, non reeles & mixtes, si avant qu'il touche biens immeubles. Pourvuque si les parties, que viendront en justice pardevant eux, en la deduction desdicts actions personelles, se veullent ayder d'aucun titre & en vertu d'iceluy justifier la constitution de la rente ou autre chose, dont en action personelle question seroit mene pardevant eux, iceux Recteur & Conservateur pour eviter que la contenance de la cause ne soit divisé, pourront incidemment prendre connoissance audit titre, sans toute fois autrement eux entremettre d'aucune realité, & sans aussi eux entremettre ou prendre connoissance sur la validité dudit titre au cas que question s'en meut pardevant eux.* Id est: Quòd dicti Rector & Conservator cognoscere poterunt de causis personalibus, non realibus & mixtis, quatenus concernunt bona immobilia. Si modò partes, quæ corā ipsis in judicio se sistent, in deductione actionum personalium titulo quodam tueri se velint, & in vim illius probare creationem reditus, aut quid aliud, de quo per actionem personalem coram ipsis mota fuerit quæstio: dicto Rectori & Conservatori, ut evitetur continentiæ causæ divisio, incidenter de dicto titulo cognoscere licebit, ita tamen, ut nullatenus realitati se immisceant, aut de validitate dicti tituli cognoscant, si coram ipsis quæstio desuper moveretur.

XVIII. Si tamen contractus initi & roborati sint sigillo Regio, vi hujus cōtractûs Clericos hodie actione personali conveniri corā judice sæculari, notat ibidem Fevretius. Cui consonat articulus modificationis jam pridē inseri solitus verificationi Legatorum Sedis Apostolicæ: "De contra„ ctibus inter quascumque personas sive Ecclesiasticas sive „ laicas initis, qui obligationes personales continebant, „ si à Notariis *Regiis* publicâ auctoritate recepti fuerint, „ ipse Legatus non cognoscat." Vide modificationes has relatas supra *parte* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. *num.* 11.

XIX. Accedit, quòd dum contractus etiā inter Clericos, aut Clericum & Laicum coram Notariis Regiis ineuntur & conficiuntur, soleat illis inseri clausula, quâ contrahentes pro impletione dictorū contractuum & obligationum se subjiciunt *voluntariè* ipsis Regiis & aliis ordinariis judicibus, vigore cujus submissionis conveniri possunt coram judice Regio & sæculari pro adimpletione contractûs, Fevretius ibidem *cap.* 6. *num.* 10. & *cap.* 10. *num.* 8. ubi citat ordinationem Philippi II. Regis Catholici, quâ declarat, contractus confectos sub sigillo Regio cum submissione esse attributivos jurisdictionis.

XX. Quod enim jure communi cautum est, Clericum non posse renuntiare privilegio fori, se subjiciendo jurisdictioni laicali, id quoad causas *civiles* in desuetudinem abiit, uti passim testantur Pragmatici: Unde Monarcius ad *L.* 4. *ff. De Pactis* discussâ hac quæstione in utramque partem, demùm adjungit: "Tandem itum est ab omnibus in eam „ sententiam, ut si de crimine agatur, renuntiare non possit „ Clericus, Clerici privilegio; cùm dedecus inde inferatur „ ordini, in cujus gratiam privilegium inductum est: in „ *civili* autem negotio secus."

XXI. Si quæstio sit, an citatus sit Clericus, vel in hac causa gaudere debeat privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum sit remittendus, inspecto jure communi in *Cap.* 11. *De sententia excommunicat. in* VI. cognitio ad judicem Ecclesiasticum spectat: at hic rursus usus tandem judicibus Regiis favit: nam ubique penè usu invaluit, ut hujus quæstionis decisio ad judicem sæcularem pertineat.

De Gallia testatur & ipse Covarruvias *Pract. qq. c.* 33. *n.* 1. ubi postquam ostendit, de jure quæstionem hanc ad judicem Ecclesiasticum spectare, ait: "Apud Gallos hujus con„ troversiæ cognitio ad sæcularem judicem pertinet, ab eo„ que lis tractatur & expeditur, non admissa nec recepta „ constitutione Bonifacii VIII. in *dicto cap.* 11."

Et Grivellius *Decisione Dolana* 30. ait: "Ut apud judicem „ sæcularē spectet cognoscere, an remittendus sit reus ad fo„ rum Ecclesiasticū vel non, id apud nos in praxi servatur."

XXII. Idipsum supponit Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 17. mandans, ut si aliquæ personæ conquerantur apud tribunalia Regia, se malè citatos esse coram tribunali Ecclesiastico, ipsa Concilia Regia, antequam quidquam decernant, priùs petant de causa per judicem Ecclesiasticum informari, ut informatione habita judicent, an causa ad judicem Ecclesiasticum spectet. Verba Edicti sunt: *Et quand lesdicts Juges Ecclesiastiques auront cité quelques personnes qui se pretendent exemptes de leur Jurisdiction. Nous ordonnons à nos Conseaux, & Sieges Provinciaux que leur en estant faite plaincte, auparavant decerner quelque provision de saisissement, ou cassation, ils ayent a ecrire audict Juge Ecclesiastique, à fin d'advertir que c'est un proces, de quelle matiere il y à question, & sur quoy le demandeur fonde la connoissance du Juge Ecclesiastique. Et s'il luy semble la matiere disposée, pour submettre ledict lay à sa Jurisdiction, & par quelle rayson, pour la rescription veue, & examinée en Conseil, si les raisons sont trouvees insuffisantes, requerir ledict Juge Ecclesiastique iterativement de se deporter de ladicte connoissance. A peine d'y pourveoir par les remedes accoustumes, comme en cas de defaut ils feront. Tenant pendant ceste communication toutes procedures en surceance.* Id est: Et cùm dicti Judices Ecclesiastici aliquos in jus vocaverint, qui se ab illorum jurisdictione exemptos esse contendent. Mandamus Consiliis nostris, & Provinciarum Tribunalibus, ut querelis apud eos depositis, antequam bonorum occupationem aut rescissionem decernant, priùs dicto Judici Ecclesiastico scribant, ut de statu litis edoceantur, de qua materia sit orta controversia, quo fundamento ad cognitionem Judicis Ecclesiastici recurrat: & utrùm ipsi videatur materia deposita, ut dictum Laicum jurisdictioni suæ subjiciat, & qua de causa, ut visâ rescriptione, & in Consilio expensâ, si infundatæ deprehendantur rationes, iteratò dictus Judex Ecclesiasticus moneatur, ut à dictæ causæ cognitione abstineat, sub aliàs in pœnam ordinariis

medii

mediis provisuros, prout & in casum defectus facient. Omni interim processu suspenso, dum hæc communicatio fiet.

XXIII. Fundamentum hujus praxeos apparet, quod in hac quæstione aliquid temporale sive non spirituale intervenire credant; nec de *jure*, sed de *facto* quæstionem esse. Hoc autē *factum* nihil spiritualitatis habere dicunt. Unde Aufrerius in Repititione *Clem. 1. de Officio Ord. regulâ 4. fallentiâ* 8. dicit, quòd regula, quæ dictat, Judicem sæcularem de causis Ecclesiasticis non cognoscere, " fallat *generaliter*, ubi de „ quæstione Ecclesiastica versatur sola quæstio *facti*: Nam „ tunc Judex sæcularis est competens. " Deinde in exem„ plum subjicit, si disputetur, utrùm mulier fuerit despon„ sata vel non, vel an habitus sit Clericalis, an non; an quis „ sit legitimus vel non, an sit usurarius vel non, quia non „ est quæstio juris, sed *facti*. Et idem in similibus. "

XXIV. Ad hæc supponunt judices Regii, omnem jurisdictionem contentiosam primariò, & originaliter residere & esse penes Principem: nec nisi ab illo ad inferiores sive laicos, sive Ecclesiasticos, præsertim quoad negotia *civilia*, dimanare: atq; hinc concludunt, omnes coram Principe ejusve Magistratu conveniendos, quousque ostensum sit, ipsos aliquo speciali titulo alteri jurisdictioni esse subjectos.

XXV. Hinc ulteriùs invaluit teste *Joanne Gallo q.* 353. quòd Clericus citatus coram judice sæculari debeat comparere, & suum privilegium sive exceptionem declinatoriam allegare, & petere, ut remittatur ad judicem Ecclesiasticum, aliàs ut contumax condemnandus.

XXVI. Sicuti Clerici conveniuntur hodie corā judice sæculari, si causa *rem* potiùs quàm personā respiciat: eò quòd non tam Clericus, quàm *res* ipsa temporalis & profana conveniri videatur; ita dum Clerici se officiis aut negotiis sæcularibus immiscent, aut præficiuntur, atq; sub ea qualitate conveniuntur, quæstio non coram judice Ecclesiastico, sed sæculari agitanda est; quia non tamquam Clerici, sed tamquam sæculares conveniri censendi sunt.

XXVII. Itaq; si Clericus administrationem rerum profanatum ad laicas personas spectantium susceperit, nō poterit judicem sæcularem declinare, si de ipsa administratione agatur; hancq; esse omnium Parlamentorum praxim testis est Lucius *lib.* 2. *Placitorum tit.* 2. *c.* 15. dicitque: "Sacerdo„ tem sacrisq; initiatum, qui rebus prophanis se immiscue„ rit, si ad prophanum judicem iis de rebus vocetur, ire de„ bere, neque fori præscriptione se tueri posse, quod & „ permultis Curiæ auctoritatibus comprobatum est."

XXVIII. "Pariter trahi potest Clericus in actione persona„ li coram Judice sæculari, ubi tamquā Officiarius sæcularis „ teneretur: ut qui fortè depositū pecuniarum vel aliarū re„ rū susceperit auctoritate judicis sæcularis: "ut notat Guilelmus Benedicti ad *Cap.* Raynutius verbo *Et Uxor. n.* 419.

XXIX. Addit idem auctor, qui à 200. & amplius añis scripsit: "Et idem servatur in hoc Regno (Franciæ) ubicumq; Cleri„ cus aut persona Ecclesiastica officium tutelæ vel curæ, aut „ aliud quodcumq; sæculare gessissent, qui coguntur de ad„ ministratis reddere rationem coram judice sæculari. "

XXX. Eadem ratione si Clericus venditor alicujus fundi vocetur ab emptore ad *garandiam*, ut ajunt, sive ad præstandā evictionem, non poterit declinare tribunal sæculare, coram quo causa evictionis tractatur; quia in hoc casu Clericus coram judice laico litigat, non per se, sed tamquam actor & procurator emptoris laici, uti loquitur Glossa in *L.* Venditor, *ff. de Judiciis*. Et ita servari in Curiis jam pridem annotavit Guilelmus Benedicti loco citato *n.* 417. ubi & *n.* 416. observat, in causa reconventionis Clericum quoque excipere non posse à judice, coram quo ipse alium convenit; idque in praxi esse receptum, licèt de jure non una sit de hisce quæstionibus Canonistarum opinio. Vide plura apud Carolum Fevretium De Abusu *lib.* 4. *c.* 10.

XXXI. Similiter quæstio inter Canonistas disputata, num Clericus hæres laici conventus in qualitate hæredis queat declinare forum laici, cui defunctus suberat, hodie cessat: receptumq; est, Clericum respondere debere coram judice defuncti, nec forum ex persona hæredis mutari; uti pluribus citatis ostendit Fevretius de Abusu *lib.* 4. *cap.* 10. *n.* 8.

XXXII. Ex his alisque, quæ ex praxi hodierna, & Parlamentorū arrestis referuntur à Pragmaticis, quæq; quotidie observari videmus, sat evincitur, exemptionem Clericorū à jurisdictione & foro sæculari in causis civilibus sive profanis ad angustos admodū limites esse redactā; rarissimosq; esse casus, quibus clerici judiciū sæculare in hujusmodi causis declinare efficaciter queāt; præsertim cùm & ipsi judices regii contendant sibi auctoritatē privativè competere judicandi, an causa ad judicem Ecclesiasticum remittenda sit, vel non.

XXXIII. Porrò ne Ecclesiastici præcipuè in dignitate constituti, ratione similium actionum coram quibuscumq; minoribus Magistratibus, non sine dignitatis suæ dedecore, & incommodi conveniantur, speciali indultum est Privilegio, Prælatis, qui de Statibus existunt, ut non alium judicem agnoscant quàm ipsum Principem: ad quod privilegiū alludunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolū V. dum dicunt *tit.* 3. *art.* 7. " Abbates, Abbatissæ, & alii de „ statibus Brabantiæ existentes juri stabunt activè & passivè „ coram judicibus illis, coram quibus de antiqua consuetu„ dine stare juri consueverunt: " scilicet (ait Zypæus de Foro comp. *num.* 2.) coram Duce seu *ejus* Concilio Brabantiæ, quod in hoc Ducatu est supremus Senatus.

Dein ibidem adjungit Zypæus, " Prout passim praxis in„ troduxit, ut Prælati ac Collegia Ecclesiastica coram Prin„ cipum Conciliis conveniantur, & alios eò trahant. "

XXXIV. Refert quoque Choppinus de S. P. *lib.* 1. *tit* 2. *n.* 5. privilegium plerisque Canonicorum Collegiis competere, ut nimirum alium judicem sæcularem præter Senatum Regiū agnoscere non debeant; recitatq; in hanc rem diploma Caroli 7. Regis Franciæ de an. 1440. datum Cathedrali Pictonum templo in hæc verba: "Ut Canonici ipsius Ecclesiæ „ tam conjunctim quàm divisim, nullatenus teneantur li„ tigare coram aliquo judice sæculari Regni nostri, præter„ quam in *Curia Parlamenti*, nisi eis placuerit, respectu o„ mnium causarum suarum tam agendo quàm defendendo, „ tangendo corpus & fundationem dictæ Ecclesiæ, & ubi „ dicti de Capitulo erunt pars. Nostra tamen est intentio, „ quòd eorum homines ac subditi, & alia membra in hoc, „ quòd aliqualiter non tanget jura seu fundationem ipsius „ Ecclesiæ, respondere tenebuntur in casu ressorti coram „ illo Baillivorum aut Seneschalorum nostrorum, in cujus „ Baillivia seu Seneschalia commorabuntur."

XXXV. Hoc tamen privilegium Abbatum & Prælatorum intelligendum est de actionibus civilibus sive profanis, non autem de sacris, & ad spirituale eorum regimen spectantibus. Nam uti rectè ibidem notavit Zypæus *n.* 4. " Abba„ tes Brabantiæ, quoad *sacra* sui status aut regiminis, num„ quam spectaverunt ad dictum Concilium (Brabantiæ) „ sed tantùm quoad debita & actiones *Civiles*."

XXXVI. Interim hactenus dicta & notoria praxis evincunt, nec diffiteri possumus, Clericos juxta modernum usum, & praxim ubiq; penè receptam, in causis civilibus coram judicibus sæcularibus conveniri posse, neq; Clericos, ut coram illis litigent, hodie indigere consensu Episcopi; quemadmodum sacri Canones olim requirebant. Nihilominus illud immutatum & imobile manet, Clericos debere, quantum possibile est, lites fugere; semperque ita agere, ut verificari queat in ipsis, ut ad mentem Apostoli sint *non litigosi*.

Ulteriùs hoc negari nequit, quin & hodie ratio Canonum vetantium Clericos in forensi judicio litigare, immota permaneat; licèt *externa* disciplina in ipsis expressa suum amiserit vigorem. Quid enim aliud per dictos Canones intenditur, nisi Clericos litibus & forensibus jurgiis eximere, eosque inducere, quin & astringere, ut quæstiones suas potiùs Episcopo, aut aliis Viris prudentibus & intelligentibus amicabiliter sine strepitu forensi decidendas committerent? An non & hodie Clerici tenentur, quantum possibile est, lites fugere, & à forensibus jurgiis se liberare; omnique affectu, & studio desiderare & conari, ut quæstiones amicè terminentur: summoque cordis affectu quotidie dicere cum Ecclesia: *Extingue flammas litium*!

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Causis spiritualibus, præsertim Matrimonialibus.

1 *Causa alia* merè *Ecclesiastica, alia* non merè.
2 *In hac generalitate interdum in jure accipiuntur.*
3 *Canones interdicentes laicis omnem de causis Ecclesiasticis cognitionem, præcipuè loquuntur de* merè *Ecclesiasticis.*
4 *Causæ Sacramentorum tamquam merè Ecclesiasticæ spectant de jure ad forum Ecclesiasticum.*
5 *Etiam hodie ad illud spectant in Gallia.*
6 *In Gallia per Parlamentorum Arresta causæ merè Ecclesiasticæ ad judicem Ecclesiasticum remittuntur.*
7 *Inhibitum judicibus Regiis cognoscere de causis spiritualibus.*
8 *Idipsum & in Belgio obtinet.*
9 *Ad judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere de capacitate & qualitatibus requisitis ad administrationem aut susceptionem Sacramentorum.*
10 *Inter quæstiones merè Ecclesiasticas hodie ferè solæ sunt causæ Matrimoniales, quæ coram judice Ecclesiastico agitantur.*
11 *Causa Matrimonialis etiam hodie coram solo judice Ecclesiastico agitari potest.*
12 *Etsi coram judice sæculari tantùm* incidenter *mota esset*
13 *Idipsum obtinet in Belgio vigore Concordatorum inter Episcopum Leodiensem & Carolum V.*
14 *Quod si quis calumniosè exceptionem de valore Matrimonii coram judice sæculari incidenter proposuerit?*
15 *Causæ Matrimoniales aliquando ad Synodos spectâsse creduntur.*
16 *Postmodum ad ipsos Episcopos exclusis inferioribus judicibus.*
17 *Hanc disciplinam innovavit Synodus Trid.*
18 *An hodie Abbates possint cognoscere de causis Matrimonialibus?*
19 *Consuetudo ni sit immemorialis, inferioribus cognitionem harum causarum tribuere nequit.*
20 *Conservatores Privilegiorum cognoscere nequeunt.*
21 *Ex stylo Curiæ R. causa Matrimoniales etiam in secunda instantia solis Episcopis committi solent.*
22 *Causa Matrimonialis coram judice sæculari tractari potest, si sit tantùm quæstio* facti, *an sit initum Matrimonium.*
23 *Item si non agatur de* validitate *aut* invaliditate *Matrimonii inter ipsos contrahentes.*
24 *Causa* Natalium *profluens ex jure Matrimonii spectat ad solum judicem Ecclesiasticum.*
25 *Secùs si tantùm agatur de quæstione* facti, *an sit natus ex Matrimonio.*
26 *Judex Ecclesiasticus in Gallia nec incidenter de quæstione* facti *aut profana cognoscere potest.*
27 *Nec potest adjudicare alimenta aut pecuniam pro sumptibus litis pendente causâ Matrimoniali.*
28 *Nec* accessoriè *hodie cognoscere potest de* dote.
29 *In Belgio liberaliùs agitur cum judice Ecclesiastico.*
30 *De aliis causis Ecclesiasticis, puta Beneficiorum, decimarum, &c. hodie vix agitur coram judice Ecclesiastico; & quare.*

I. Causas Ecclesiasticas communiter dividunt Canonistæ in Ecclesiasticas *meras* & *non meras*. *Meras* vocant, quæ sunt tales ex natura sua, independenter ab omni positiva constitutione aut consuetudine. Non meras, quæ quamvis sint ex natura sua temporales & profanæ, justis tamen de causis reservatæ sunt Ecclesiasticis Judicibus.

II. Hac generali significatione causæ Ecclesiasticæ accipiuntur in *Cap. 4. de Immunit. Eccles. in* VI. in verbis, „super causis Ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, negotiorum, vel rerum „de jure vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur."

III. Causæ *merè* Ecclesiasticæ, sive quæ tales ex natura sua reputantur: sunt exempli gratiâ causæ Sacramentorum, & similes, quæ nihil temporalis annexum habent; sed omninò spirituales & Ecclesiasticæ sunt; atque de his præcipuè intelligendi sunt Canones, interdicentes laicis omnem cognitionem de causis Ecclesiasticis; adeò quidem, ut Concilium Lateranense sub Innocentio III. „generaliter prohibuerit, ne super rebus *spiritualibus* compromittatur in laicum: quia non decet, ut laicus in talibus arbitretur." *Cap. 8. De Arbitris.*

IV. Hinc unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse merè Ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum, ad judicem Ecclesiasticum privativè spectare; nihilque circa eorum validitatem vel invaliditatem judicem sæcularem posse decernere: eò quòd hæc ex natura sua sint merè spirituales.

V. Quapropter licèt sensim in Gallia & etiam in his Provinciis causæ plures, quæ inspecto jure communi erant Ecclesiasticæ cognitionis, devolutæ sint ad judices laicos, sive tribunalia Regia; nihilominus causæ Sacramentorum & similes merè spirituales reservatæ manserunt judicibus Ecclesiasticis, etiam per ipsas Principum Ordinationes, & Parlamentorum arresta.

In Edicto Francisci I. Regis Franciæ de anno 1539. quo vetantur citari laici in causis merè personalibus coram judice Ecclesiastico (de quo titulo præcedenti *c. 4.*) expressè additur clausula reservans cognitionem de causis Sacramentalibus, aliisque spiritualibus judici Ecclesiastico. *Sans prejudice toutefois de la jurisdiction Ecclesiastique és matieres de Sacremens & autres pures spirituelles Ecclesiastiques, dont ils pourront cognoistre contre lesd. lais selon la forme de droict.* Id est: Absque detrimento nihilominus Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacramentorum & aliis merè spiritualibus Ecclesiasticis, de quibus contra dictos Laicos juxta formam juris poterunt cognoscere.

VI. Rursus Regio Edicto anno 1610. injunctum fuit judicibus Regiis, ut permittant judici Ecclesiastico causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, ac nominatim causas concernentes Sacramenta, & cæteras merè spirituales, prout referuntur in Actis Cleri Gallicani *Tom. 1. parte 1. tit. 2. cap. 9. art. 8.* in verbis: *Il enjoinct aux cours de Parlament de laisser à la jurisdiction Ecclesiastique les causes qui sont de leur connoissance; même celles qui concernent les Sacramens & autres causes spirituelles & purement Ecclesiastiques, sans les attirer à eux sous pretexte de possessoire, ou pour quelque autre occasion que ce soit.* Id est: Injungit Supremorum Senatuum Curiis, ut Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectas sinant causas, quarum ad eos spectat cognitio; quinimò eas, quæ Sacramenta aliasque causas Spirituales & merè Ecclesiasticas concernunt, nec causas illas titulo possessorii aut alia demum quacumque occasione ad se traducent.

VII. Idipsum sæpiùs postmodum Regiis Edictis renovatum fuisse ibidem refertur; additurque *art. 12.* per arre-
stum

Digitize

stum Concilii privati 28. Augusti 1637. inhibitum fuisse omnibus supremis Curiis, cæterisque judicibus Regiis, cognoscere de causis merè spiritualibus & Ecclesiasticis.

Citantur ibidem *art.* 11. & 13. arresta, quibus causæ super doctrina ad Episcopum tamquam judicem Ordinarium remissæ fuêre.

VIII. Similia in Principum nostrorum edictis passim occurrunt, dicitq; Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *Cap.* 84. §. 8. " Etenim Principes nostri religiosè suis „ Constitutionibus vetuerunt, ne quis in causis Politiam „ Ecclesiasticam tangentibus, aut in morum correctoriis „ recurrat ad judicem sæcularem, aut per appellationem „ procuret aliquam supersessoriam seu suspensionem aut „ clausulas inhibitivas. "

IX. Hoc fundamento imprimis ad Episcopum & judicem Ecclesiasticum spectant causæ, in quibus de ipsis Sacramentis agitur, putà de capacitate & approbatione requisita in ministris Sacramentorum, ipsorum examine, admissione, &c. quæ etiam hodie privativè ad Episcopum sive judicem Ecclesiasticum spectant, tamquam causæ merè spirituales & Ecclesiasticæ. Vide supra *parte* 2. *tit.* 26. *c.* 1.

X. Verùm super valore vel nullitate Sacramentorum nullæ hodie ad forum contentiosum quæstiones deferri solent, nisi super matrimonio; ideoque solæ causæ matrimoniales ferè sunt inter causas civiles, circa quas hodie jurisdictio Ecclesiastica versatur, & ratione quarum laici ad forum Ecclesiasticum citari solent.

XI. Et sanè si quæstio vertatur de validitate ipsius Matrimonii, solus judex Ecclesiasticus est competens; ipseque solus de hac quæstione cognoscere potest; idque sive jus commune, sive consuetudinarium spectemus, quemadmodum post alios Pragmaticos notat Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 5. *cap.* 5.

XII. Imò quæstio de validitate Matrimonii in tantum est fori Ecclesiastici, ut si motâ quæstione de jure hæreditatis incidat quæstio de jure connubiorum, "putà de præcedenti „ nuptialium faccorum impedimento, vel si quâ aliâ ratio„ne canonicâ convellatur jus statusque matrimonii, de eo „ *sacrum* est tribunal adeundum, non civilis Magistratus; " inquit Renatus Choppinus De Sacra Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 16. additque: " Sive inciderit, seu principaliter mota sit „ connubialis controversia. Idque à Neapolitano Senatu „ disceptatum refert consultissimus ejusdem Ordinis Se„ nato: Matthæus *Decis. Neapolit.* 219. "

XIII. Conformia sunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. 11. Janu. 1545. lecta & publicata in Camera Concilii Brabantiæ januis apertis, & acceptata ab Episcopo Cameracensi, sub quo & Episcopo Leodiensi ante novos erectos in Belgio Episcopatus, tota Brabantia fuit; ita ut meritò hæc Concordata pro lege in Brabantia habeantur. In his itaque Concordatis *tit.* 2. *art.* 1. decernitur: " Quoad fœdus Matrimoniorum.... *solius* judicis „ Ecclesiastici erit cognoscere, etiamsi quæstio fœderis „ Matrimonialis inciderit coram judice sæculari, quo casu „ judex sæcularis supersedere tenebitur, & hunc articulum „ (tamquam spiritualem) ad judicem Ecclesiasticum, per „ eum infra anni spatium terminandum, remittere. "

XIV. Addit dein *art.* 2. " Sed si quis dictam allegatio„ nem incidentis quæstionis calumniosè proposuisse repe„ riatur, condemnabitur in mulctam judicis arbitrio con„ stituendam, alioquin termino effluxo, judex sæcularis in „ causa coram eo intentata, poterit procedere, perinde, ac „ si hujusmodi articulus coram eo non incidisset, vel pro„ positus fuisset.

XV. Causas Matrimoniales olim in Conciliis Episcoporum decisas fuisse innuitur apud Gratianum *Caus.* 35. *q.* 6. *Can.* 10. ubi Alexander II. scribit cuidam Gulielmo, ne propriam uxorem prætextu consanguinitatis præsumat dimittere, & aliam ducere, *donec Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit.*

XVI. Verùm Glossa ad *Canonem I. caus.* 33. *q.* 2. monet, quòd si olim id obtinuerit, postmodum tamen ad Episcopos singulos causæ Matrimoniales, exclusis inferioribus, devolutæ sint. Verba Glossæ sunt: " Sed rectè & hodie ad „ Episcopalem jurisdictionem cognitio Matrimonialis cau„ sæ spectat. Unde nec Abbates nec alii cognoscere pos„ sunt de matrimonio, nisi ex concessione vel alia causa le„ gitima id habeant. "

XVII. Hanc disciplinam renovavit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *c.* 20. *De Reformat.* decernens: " Ad hæc causæ „ Matrimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum „ inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm „ examini & jurisdictioni relinquantur. "

XVIII. Decretum Concilii Tridentini etiam à cognitione causarum Matrimonialium excludere *Abbates* quantumvis exemptos, decisum fuisse in Rota Romana refert Barbosa in Collectaneis ad hoc caput Concilii Tridentini *num.* 56. idque donec per tres sententias conformes, vel unam, quæ transivit in rem judicatam, constiterit, Abbatiam, ac loca illi subjecta, seu ab ea dependentia, *nullius* esse Diœcesis; & consequenter constet, quòd Abbas in loca illa habeat jurisdictionem *quasi Episcopalem*. Hanc eandem distinctionem quoad Abbates circa cognitionem harum causarum notavit Fevretius De Abusu *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6.

XIX. Notat insuper Barbosa De Potestate Episcopi *parte* 3. *Allegat.* 84. *num.* 5. quòd Synodus sustulerit possessionem quadragenariam cum titulo seu privilegio, so„ lamque immemorabilem non excludere, & donec de illâ „ constiterit per tres conformes sententias, non inferiorem „ Episcopo, sed ipsum Episcopum hujusmodi causas co„ gnoscere debere. "

Huic resolutioni conformis est resolutio Cardinalium data Episcopo Antverpiensi, declarans, ad Episcopum spectare facultatê cognoscendi de causis Matrimonialibus, nisi Capitulû *immemorabilem* consuetudinem haberet; sed donec eam per tres sententias probaverit, Episcopus ea utatur. Extat apud Zypæum De Officio Ordinarii *num.* 20.

XX. Cùm Synodus generaliter causas matrimoniales judicum inferiorum judicio subtrahat, & Episcopi *tantum* jurisdictioni relinqui mandet, non videtur Privilegiorum conservatorum jurisdictio ad has causas extendenda; notatque Fevretius loco citato *num.* 8. ex Choppino, quòd ex Ordinatione Ludovici XII. anni 1498. " Vetitum sit „ Conservatoribus, ne de fœdere connubiali, de divortiis, „ aut de Ecclesiastica Sacramentorum administratione co„ gnoscant. "

XXI. Quamvis Decretum Synodi Tridentinæ tantùm videatur loqui de cognitione in prima instantia; nec appareat vi hujus Decreti vetitum, delegari causas Matrimoniales in *secunda* instantia judicibus inferioribus, nihilominus stylus Curiæ jam pridem usitatus fuit, ut causæ matrimoniales non soleant aliis quàm *Episcopis* à Sede Apostolica committi; uti testatur Covarruvias De Matrimonio *parte* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 1. & Barbosa in Collectaneis ad præsens caput Concilii Trid. *num.* 59.

XXII. Quod de incidente quæstione Matrimoniali remittenda ad judicem Ecclesiasticum dictum fuit, intelligi oportet de casu, quo de validitate Matrimonii agitur, ut est casus in *Cap.* 1. & *De Ordine cognitionis*; secus verò ubi non de jure, sed de *facto* quæstio incideret; putà si non quæratur, an Matrimonium sit validum; sed an reverà de *facto* ullum matrimonium fuerit initum. " Si enim in peti„ tionem hæreditatis incidat *mera facti* quæstio, contra„ ctumne sit, necne conjugium, eo casu legitima erit Regii „ Prætoris cognitio, " ait Choppinus De S. Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 6. & ita in Parlamentis constanter servari monet Fevretius De Abusu *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 18.

XXIII. Asserit ibidem Fevretius *num.* 19. quòd si motâ quæstione super causa Matrimoniali intercedat *tertia* persona allegans vim, seductionem, aliudve factum intervenisse, judex Ecclesiasticus quæstionis hujus competens non sit; & ita aliquando judicatum fuerit, conformiter ad ea, quæ tradit Imbertus in suo Manuali in quæstione intitulatâ, *Matrimonii causa*: " Matrimonii quæstio &

„controversia, licèt quantum ad eos, inter quos contractum „ asseveratur matrimonium, sit coram Pontificio judice tra„ctanda : tamen si pater aut mater simul cum filia apud „ Pontificium forum conveniantur, ut quam de futuro ma„trimonio emiserint promissionem, impleant, poterunt „ illi parentes fori jurisdictionem declinare, vel etiam ab „ ipsius citationis decreto tanquam ab abusu, provocare ad „ supremam Parlamenti Curiam.“

Rationem addit, dicens, “ in Regno (Franciæ) receptum „ fuisse, quia de jure Franciæ speciali laici sunt à Pontificia „ jurisdictione soluti ac emancipati ; nisi in casibus *specia„liter* permissis.“ Et Annæus Robertus *lib. 3. Rerum jud. cap. 5.* asserit, “ de jure Franciæ obtinere, ut de iis tantùm „ cognoscere possit Judex Ecclesiasticus, quæ *spiritualia* „ sunt, aut ad Sacramenta pertineant.“

XXIV. Quia causa natalium, sive an quis sit *legitimus*, pendere solet à *jure & validitate* matrimonii, causam hanc esse fori Ecclesiastici tanquam *spiritualem*, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap. 7. X. Qui filii sint legitimi*; atque ut talem agnoscunt allegata concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem; voluntque, ut si quæstio legitimitatis aut illegitimitatis coram judice sæculari incidat, eodem modo ac quæstio fœderis Matrimonialis ad Judicem Ecclesiasticum remittatur.

XXV. Ex ipso contextu Concordatorum sat manifestum est, quòd remissio hæc intelligenda sit de casu, quo de *jure* agitur, non autem de *facto*; putà si controvertatur, an quis sit *legitimus* ob defectum sive non valorem matrimonii; secùs verò si tantùm quæratur, num hic reverà sit filius sive natus ex tali matre aut patre, quemadmodum notavit Cevallos tract. *de Cognit. per viam violentiæ qu. 96.* dicens: “ Resolutivè tenendum est, judicem laicum posse „ cognoscere, an sit filius natus in figura Matrimonii, an „ non : quia est quæstio *facti*, incidens principali motæ „ super petitione hæreditatis.“

Quod & ipsa concordata *tit. 1. art. 6.* expresserunt, caventia, quòd non potest judex Ecclesiasticus cognoscere „ de *filiatione*, cùm est quæstio inter laicos de *mero facto*, „ an talis scilicet sit filius vel non.“

XXVI. Quin quæstio profana & *facti* accessoriè cum ipsa quæstione *Juris* coram judice Ecclesiastico ex usu Regni Galliæ tractari potest. Putà si judex Ecclesiasticus pronuntiaverit in causa Matrimonii aut sponsalium, non poterit tamen pronuntiare super damnis & interesse resultantibus ex non adimpletis sponsalibus; quemadmodum observat Joannes Tornetius in collectione arrestorum *litt. A. num. 116.* citatque Fevretius loco citato *nu. 14.* arrestum de anno 1689. quo declaratum fuit, abusivè processum per Officialem Carnotensem, qui pronuntiatione facta super cessatione sponsalium, condemnaverat patrem desponsæ, qui sponsalibus cōsenserat, ad expensas, damna, & interesse.

XXVII. Similiter si contingeret pendente quæstione super validitate matrimonii, uxorem petere summam pecuniæ pro alimentatione, & sustinendis expensis litis, abusum futurum pronuntiant Pragmatici Galli, si Officialis super his pronuntiet ; quemadmodum pluribus citatis testatur Fevretius *num. 13.*

XXVIII. Monet quoque ibidem Fevretius, quòd in Gallia soleret Ecclesiasticus judex judicare accessoriè de dote, alimentis, aliisque similibus; sed eodem Fevretio teste, hæc doctrina tandem rejecta est, interdictumque Officialibus de his, tanquam de rebus *meri facti* cognoscere, quod & generaliter observari ait : *Ce qui s'observe par tout pour le present, en telle sorte que la citation* IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM *decerné par l'Official seroit cassé comme abusive.* Id est : Quod ubique modò observatur : sic ut citatio IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM per Officialem decreta aboleretur, tanquam ob abusum vitiosa. Ita videmus verissimum esse, jurisdictionem Ecclesiasticam per *frusta* tandem dirumpi, uti jam pridem querebatur Durandus Episcopus Mimatensis.

XXIX. In Belgio sanè juxta sæpiùs citata Concordata modestiùs agitur cum judice Ecclesiastico; permittitur quippe judici Ecclesiastico cognoscere de *alimentis*, quæ per virum aut mulierem peti contigerit pendente divortii causa, vel de tractamento alterius eorumdem, si hæc coram eo incidant, vel incidenter petantur, uti supra *part. 2. tit. 13. c. 7.* ostensum est; ubi unà notatum fuit, quando de dote aut donatione propter nuptias judex Ecclesiasticus judicare queat juxta eadem concordata; item *tit. 12. cap. 2.*

XXX. Quin inter causas Ecclesiasticas reputandæ sint causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum ; uti & decimarum, præsertim ad Ecclesiasticos spectantium, necnon juris sepeliendi & similium, nemo dubitet. Unde in sæpe citatis Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 5. art. 13.* hæ omnes causæ causis merè Ecclesiasticis annumerantur, “ de quibus Judex Ecclesiasticus etiam con„ tra *laicos* poterit cognoscere in petitorio.“

Causa jurispatronatus spiritualibus causis quoque accensetur. Ita enim “ conjuncta & connexa spiritualibus causis dicitur in *cap. 3. X. De judiciis*, quod non nisi Eccle„ siastico judicio valeat definiri.“

Verùm jus patronatus laicis ratione feudi aut alicujus rei patrimonialis competens, non spirituale, sed quodammodo profanum, saltem quoad competentiā judicis habetur.

Unde de hoc jurepatronatus in citatis Concordatis §. 14. dicitur: “ De jure verò Patronatûs Principis suorum vassal„ lorum, & aliorum laicorum, juspatronatus ad causam „ feudorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, „ quando inter duos laicos quæstio erit, quis eorum sit pa„ tronus, solus judex sæcularis cognoscet, sive super illis „ principaliter, & de per se, agatur, vel cum universitate. Si „ verò inter duos, vel plures præsentatos, vel patronos lai„ cos, quæstio fuerit coram judice Ecclesiastico, de institu„ tione suâ, quis eorum præferri debeat, & inciderit quæ„ stio jurispatronatus, de illâ sic incidenti, in præjudicium „ partium litigantium, non autem patronorum absentium, „ judex Ecclesiasticus cognoscet, & definiet.“

Verùm hodie raró admodum de his causis sive Beneficiorum, sive Decimarum vel jurispatronatûs coram judice Ecclesiastico agitur ; quia quæstiones vel causæ hæ rarissimè in *petitorio* aguntur ; sed dumtaxat in possessorio, quod ex notoria praxi coram solis Regiis Conciliis agitari potest, uti infra *capite 4.* ostendemus.

CAPUT II.

De Causis Testamentariis, & quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.

1. *Apud Romanos summa fuit erga ultimas voluntates veneratio.*
2. *Solebant tabulas testamentarias Præfectis templorum confidere.*
3. *Imperatores Christiani executionem ultimarum voluntatum specialiter Episcopis demandârunt.*
4. *Christianis etiam usitatum fuit testamenta sua Episcopis consignare.*
5. *Hæc consuetudo videtur causas testamentarias ad judicem Ecclesiasticum transtulisse.*
6. *Jure Decretalium causæ testamentariæ sunt fori Ecclesiastici.*
7. *Ecclesiastici præscribebant solemnitates testamentarias reprobatis solemnitatibus à jure civili inductis.*
8. *Solemnitas jure Canonico inducta ubique passim recepta.*
9. *Tempore Philippi Valesii questi sunt laici causas hæreditarias ad forum Ecclesiasticum trahi.*
10. *Ecclesiastici sustinebant eas de jure & consuetudine ad suum forum spectare.*
11. *Sæculo præterito cognitio causarum testamentariarum sensim ad judices sæculares devolvi cœpit.*
12. *Vetera primùm fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio.*

13. *Hinc*

13. *Hinc testamentorum cognitio ad judices Regios quomodo devoluta!*
14. *Tempore Joannis Galli causa testamentaria in Gallia (erat adhuc* mixti *fori.*
15. *Hodie est solius fori sæcularis, sublatis contrariis locorum consuetudinibus.*
16. *Etiamsi agatur de testamento ad* pias *causas.*
17. *Principes Belgii in hoc articulo moderatiùs egerunt cum jurisdictione Ecclesiastica.*
18. *Causa testamentaria Principum Edictis declaratur pertinere ad judicem Ecclesiasticum.*
19. *In Concordatis Brabantiæ causa testamentaria habetur* (mixti *fori.*
20. *Judex Ecclesiasticus super causa testamentaria adiens potest etiam de connexis & emergentibus cognoscere.*
21. *Judex Ecclesiasticus in decisione harum causarum sequi tenetur ordinationes Principum, & locorum consuetudines.*
22. *Hoc juri conforme.*
23. *Quædam actiones licèt oriantur ex testamento,* soli ju*dici* laico *reservantur.*
24. *Quid de hac cognitione habeat Concordatum inter Episcopum Cameracensem, & Magistratum Antverpiensem.*
25. *Ex Concordatis Hannoniæ testamenta Ecclesiasticorum spectant ad Ecclesiasticos, & laicorum ad laicos judices.*
26. *Concordata Brabantiæ dant potestatem judici Ecclesiastico supplendi negligentiam executorum.*
27. *Item absolvendi ab onere executionis.*
28. *Synodi Belgicæ supponunt causas testamentorum in* pias *causas, ad Episcopos spectare.*
29. *Idque etsi testator id interdixisset ; quod consonat juri communi.*
30 *Rectori & Universitati Lovaniensi quæ sit auctoritas circa testamenta Suppositorum?*
31. *Synodus Cameracensis ostendit testamenta* Clericorum *speciali ratione ad Episcopi curam spectare.*
32. *Licèt non ubiq; causæ testamentariæ spectent ad forum Ecclesiasticum, Episcopi tamen curam piorum legatorum habere debent.*
33. *Id voluit Justinianus Imp.*
34. *Synodi Belgicæ injungunt Parochis invigilare, ut pia legata solvantur, & piæ fundationes impleantur.*
35. *Meritò monent Pastores suos Parochianos, ut tempestivè condant salutare testamentum.*
36. *Parochi debent esse Parochianorum defunctorum quasi pii Procuratores, ut procurent executionem piæ eorum voluntatis.*
37. *Parochi executionem piorum legatorum urgentes cavere debent omnem avaritiæ speciem.*
38. *Executores sæpius suscitant infundatas lites super solutione piorum legatorum ex proprio interesse : & quod contra hos remedium?*

I. INter causas profanas, quæ jam pridem jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectæ fuère, una eaq; è præcipuis fuit causa testamentorum, cujus cognitio & executio specialiter Ecclesiasticis competiisse videtur.

Legitur apud Romanos, summam fuisse erga ultimas defunctorum ordinationes venerationem, habebantq; ut sacrilegos & falsarios, qui ultima hominum elogia ante eorum mortem aperirent aut evulgarent. Is qui aperuerit vivi testamentum, lege Corneliâ de falsis tenetur, ait Marcianus in *l.* 2. §. 5 *ff. Ad legem Corneliam de falsis.*

II. Ut autem securiùs conservarentur, & fideliùs executioni mandarentur, solebant tabulas testamentorum deponere in æde sacra, ipsisq; Præfectis ædis sacræ eas confidere ; cujus moris meminit Ulpianus *in l.* 3. §. 3 *ff. de Tabulis exhibendis*, dicens: "Proinde & si custodiam tabularum *æditu*us,
„ vel tabularius suscepit, dicendum est, eum teneri interdi-
„ cto."

Per æditum hîc intelligi *æditum templi*, monet Gothofredus in notis *n.* 17. additq; : "Solebant enim Veteres testa-
„ menta templis eorumq; custodibus, ut & Vestalibus com-
„ mendare." Plures ex antiquis, qui hujus moris testes sunt, ibidem citat Gothofredus.

III. Constat quoq; Imperatores Christianos curam testamentorum specialiter Episcopis demandâsse, ac voluisse, ut invigilarent, si suprema voluntas defuncti executioni mandaretur, uti videri potest *in l.* 28. *Cod. De Episcopis & Clericis*, nec non Authentica eidem subjecta.

IV. Unde & Christianis usitatum fuit, Episcopis sua testamenta consignare, eisq; executionis curam committere. Refert Amoinus *lib.* 4. *De Gestis Francorum c.* 30. Dagobertum Regem Galliæ voluisse testamenti sui quatuor exemplaria fieri, "è quibus unum Lugduni in Gallia, aliud Parrhi-
„ siis ; tertium Mettis in *archivis Ecclesiarum* dirigi vo-
„ luit."

V. Ex hac porrò consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum, earumq; executionem ipsis demandandi, verisimiliter fluxit, quòd testamentorum executio, & difficultatum super his exorientium discussio & decisio ad Ecclesiasticos, quorum prudentiæ & religioni sua ultima elogia defuncti commiserant, transierit.

His accedebat, quòd nullum pene testamentum conficeretur, nisi Notarius aliquis Ecclesiasticus interveniret, à quo factum testamentum etiam aliquid Ecclesiastici mutuare videbatur, ratione cujus ad forum Ecclesiasticum spectare deberet.

VI. Quidquid sit, hoc equidem constat, vel è solis responsis & resolutionibus Pontificum, præsertim Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. quæ sub titulo Decretalium *De Testamentis* referuntur, quæstiones & causas testamentarias, etiam planè civiles ac profanas & laicales ad Pontifices & Episcopos fuisse relatas, ipsorumq; decisiones super iis expetitas ; quemadmodum videre est in *cap.* 16. & 18. *ii. De Testamentis.*

VII. Quin & ea in causis testamentariis auctoritas erat Ecclesiæ, ut Alexander III. rescribens Hostiensi Episcopo *in c.* 10. *ii. eod.* reprobatâ solemnitate juris civilis de adhibendis *septem* testibus, "testamenta, quæ Parochiani coram
„ Presbytero suo, & tribus vel duabus aliis personis idoneis
„ in extrema fecerint voluntate, firma decreverit permane-
„ re sub anathematis interminatione; prohibentes [ait] ne
„ quis hujusmodi audeat rescindere testamenta."

VII. Quòd autem passim hæc Ecclesiæ auctoritas circa has causas agnita & recepta fuerit, vel hinc elucet; quòd contra juris Civilis dispositionem, hæc Pontificis decisio, & præscripta forma testamentaria ubique penè recepta & probata fuerit.

IX. Inter articulos nomine Baronum & Nobilium Regni Galliæ coram Philippo Valesio per Petrum Cugnerium contra Prælatos ejusdem Regni propositos erant hi 64. & 65.
„ Item volunt (judices Ecclesiastici) inventaria facere de bo-
„ nis illorum, qui ab intestato decedunt: voluntq; bonorum
„ tam mobilium quàm immobilium possessionem habere,
„ & ipsa per manus eorum distribui hæredibus, vel illis, qui-
„ bus volunt conferre. Item testamenta quoq; volunt per
„ manus suas executioni tradere; inventaria facere bono-
„ rum defunctorum, eademq; servare, & hæredibus distri-
„ buere; & habent officiales, qui super his exequendis dum-
„ taxat deputati existunt."

X. Hæc à Petro Cugnerio asserta, Prælati non negabant; sed sustinebant illa ad judices Ecclesiasticos tum de jure, tū de consuetudine spectare. Responsum enim Bertrandi Episcopi Eduensis erat "Ad 64. & 65. qui loquuntur de execu-
„ toribus & inventariis bonorum testatoris & intestatoris
„ dicit, quòd tam de jure scripto quàm de consuetudine spe-
„ ciali prælati sunt executores legitimi testamentorū, unde
„ si executio venerit ad prælatum, nulli facit injuriam, bona
„ inter hæredes distribuendo, & de eis inventaria faciendo.
„ Et hoc idem dicit de bonis intestatorum, maximè in locis,
„ ubi sic de consuetudine extitit observatum à tanto tem-
„ pore, quòd in contrarium memoria non existit."

XI. Agnoscit ipse Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 4. *c.*

7.*n*.3.quòd in Burgundia judices Ecclesiastici cognoverint de publicatione & executione testamentorum usq; ad annum 1508. primúmq; cœperint post Ordinationem Francisci I.de anno 1539.judicesRegii de hac testamentorum publicatione judicare.

Additq; Fervetius,quòd & *pedetentim* pro temporis & casuum occurrentium opportunitate hæc cognitio judicibusEcclesiasticis adimi cœpta sit.

XII Primò quidem adempta fuit Notariis Ecclesiasticis auctoritas conficiendi testamenta,eò,quòd confectio testamenti videretur negotium merè sæculare,ac temporalitatem respiciens;ac ideo sæcularis cognitionis ; uti ex stylo Parlamenti refertFevretius ibidem *n*.4.Et quidem interdicta fuitNotariisEcclesiasticis testamenti confectio,abrogatis specialibus locorum consuetudinibus , quæ testamenta tam NotariisEcclesiasticis facta probabant.

XIII.Hac facta inhibitione,necesse erat in confectione testamentorum adhibereNotariosRegios,qui ex solito stylo apponebant clausulam submissionis judicibus Regiis : qua mediante submissione,& appositione sigilliRegii testamenta inter casusRegios relata censebantur,ut notatChoppinusDe DominioRegio *lib*.2.*tit*.7.*n*.6.

XIV.Verùm tametsi testamenta coram Notariis Regiis confecta, essent cognitionis Regiæ, tamen adhuc exclusi non erant judicesEcclesiastici;sed præventioni locus erat ; poterantq; executores executionem voluntariè submittere CuriæEcclesiasticæ,ut de suo tempore testatur JoannesGalli,celebris & antiquus Jurisconsultus *Quæst*.26.dicens:Item „audivi dici à DominoArnoldo primoPræsidente inParlamento,quòd licèt EpiscopusParisiensis faceret coram cu„ria sua spirituali adornare executores alicujus defuncti , „per hoc non acquireret præventionem contra Regem, „quia executores possent,hoc non obstante,subjicere exe„cutionemCuriæRegiæ temporali intra annum à tempo„re mortis testantis, licèt secus si voluntariè submitterent „executionem curiæ spirituali."

Verùm & hanc præventionem paulatim in Gallia amisitEcclesiasticus judex:& cognitio de testamentis, quæ erat etiam ex præscripto variarum consuetudinum *mixti fori*, facta tandem est cognitionis *merè sæcularis*;idq; sive testamentum fuerit laici,sive Sacerdotis;sive testatores subjecissent executionem Curiæ spirituali voluntariè, sive non;uti pluribus tandem arrestis probatum declaratum testatur Broudæus in notis ad Louëtium *Litt. N.n.* 5.quamvis ex notisMornacii ad *L*.18 *Cod.De Episcopis & Clericis* pateat, quòd non ita pridem adhuc in vigore essent consuetudines Provinciarum,permittentes cognitionem de causis testamentariis judicibusEcclesiasticis,saltem per præventionem. Dicit enim Mornacius, quòd hodie soli Regii judices de hujusmodi controversiis cognoscant ; addit tamen hanc clausulam. *Nisi aliter præscripti Provinciarum mores statuant,ut apud Meldas & Tricassinos,&c.*

Videri etiam potestMichaëlRoussellius *lib*.4.*Hist.Jurisd. Pontif.c*.4.*n*.20.ubi notat,hodie generaliter controversias ex testamentis quibuscunq; etiam Ecclesiasticorum,& interEcclesiasticos pendere à tribunali sæculari;licèt esset etiam successio Ecclesiastici ut Ecclesiastici.

Ita videmus magis magisq; jurisdictionem sæcularem extendi,& Ecclesiasticam restringi.

XVI.Quin etsi ageretur de testamento ad *pias causas*,etiamClerici,nihilominus quæstionem agitandam fore coram judice sæculari,ParlamentaRegia determinâsse videntur,uti indicatBroudæus loco allegato sub finem.Citatis enim *Cap*.6.17.& 19. *x. De Testamentis*,aliisq; nonnullis Juris textibus,qui executionem & cognitionem testamentorum;signanter quoad legata & dispositiones ad *pias causas*,Episcopis deferunt,asserit hæc inGallia non observari ; quod adeo verum est[ait]ut si agatur de legato *pio*, prosecutio fieri soleat perProcuratorem *Regium* coramCuriaRegia;ita utEpiscopus se immiscere nequeat: additq; opiniones eorum,qui causas has sustinebant,esse vel *Ecclesiastici*, aut saltem *mixti* fori,non recipi inFrancia,nec unquam recipiendas,utpotè jam dudum per contraria arresta abrogatas.

XVII.SanèPrincipesBelgii moderatiores hactenus fuere in restringenda jurisdictione Ecclesiastica quoad testamenta eorúmq; executiones , & quæstiones super eorum validitate exorientes.

Constat enim causas testamentarias jurisdictioni Ecclesiasticæ hîc in Belgio non esse substractas:imò sæpius etiam in Litteris Principum declaratum, de iis judices Ecclesiasticos cognoscerere posse.

XVIII.Extat parte 1.Edict.Brabantiæ *lib*.1.*tit*.1.*c*.1.privilegium Philippi Boni de 3. Januarii 1447. quo conceditur pro privilegio incolisBrabantiæ,quòd coram judice Ecclesiastico citari nequeant,nisi ex causa *testamentorum*, contractuum antenuptialium,& bonorum amortizatorum,datâ facultate Ecclesiasticis judicibus , sententias suas in his causis datas per mandata & inhibitiones exequendi.Verba sunt : *Dat sy in dien sacken hun metten de geestelyck gherichte souden moghen behelpen , ende dan uyt bringen ende doen exequeren in onsen voorschreven Lande die monition ende andere gheboden daer toe dienende,ghelyck in voorleden tyden ende van oudts heeft plegen te ghesceden.*Id est: Quòd in his causisEcclesiastico Jure protegere se possint,& proferre & curare,ut executioni mandentur monitiones,aliaq; rescripta ad id spectantia in dictis nostris Provinciis , prout antiqua olim consuetudo obtinuit.

Rursus in additione 2.ad LætumIntroitum Caroli V.de anno 1515.*art*.3.permittitur judicibusEcclesiasticis cognitio de tribus prædictis causis.

XIX.Verum cùm tantùm dicatur, judicem Ecclesiasticum cognoscere posse de his *tribus* causis, non excludendo ab earum cognitione judicem sæcularem, sustinuerunt judicesRegii,causas illas esse *mixti* fori;atq; in eam sententiam tandem itum est perConcordata inter EpiscopumLeodiensem & Carolum V,

In his Concordatis *tit*. 1. *art*. 1. conventum est, "quòd „causæ testamentariæ in Ducatu Brabantiæ sub Diœcesi „Leodiensi censebuntur esse *mixti* fori, eritq; *præventioni* „locus;ita & taliter,quòd judex primò aditus,siveEcclesia„sticus sive sæcularis,de illis unà cum incidentibus , emer„gentibus , annexis & connexis cognoscet ; & decidet ; & „hoc quando agitur actione personali."

XX.Deinde §.2.subditur,"Videlicet si judexEcclesiasti„cus primò,& principaliter adeatur , in causa testamenta„ria vel dotali , poterit coram eo libellari,& concludi ad „validitatem vel invaliditatem testamenti , vel contractus „dotalis,seu antenuptialis,& cognoscet de hujusmodi cau„sa testamentaria,vel dotali,& de viribus,& non viribus te„stamenti,vel non contractus dotalis antenuptialis, & de „iis,quæ incidunt,& emergunt, vel necessario sequuntur, „& sine quibus causæ hujusmodi expediri non possunt ,& „poterit sententiam suam per censuras exequi, vel per Ju„dicis sæcularis requisitionem."

Idem permittitur judici sæculari §. 3." etiamsi quæstio „virium vel non virium(testamenti) inciderit in alia causa „coram eo attentatâ.

XXI.Additur & eodem articulo 3.quòd judex Ecclesiasticus in decisione hujusmodi causarum teneatur se conformareOrdinationibusPrincipum,& consuetudinibus locorum."Salvo,quòd in prædictis causis JudexEcclesiasticus „non poterit judicando contravenire ordinationibus, & „constitutionibusDucumBrabantiæ,nec statutis consuetu„dinibus,vel privilegiis locorum,hactenus editis,& obser„vatis,seu in posterum edendis,& huic concordiæ non præ„judicantibus,alioquin Princeps poterit providere."

XXII.Et sanè cùm agatur de causa *civili* inter personas laicas;quæq; non mero jure ad forum Ecclesiasticum spectat,sed quâdam tantùm præscriptione & consuetudine , non est incongruum,ut in his civilia jura observentur , ut notat Zypæus *De Foro comp.n*.6.

XXIII.Insuper §.4.declaratur, quòd "nec poterit judex „Ecclesiasticus cognoscere de feudis , aut de dominus pro-

„tutel-

„ risdictionem habentibus, nec de actionibus realibus ex „ testamento ortum sumentibus."

XXIV. In Concordatis inter Magistratum Antverpiensem & Episcopum Cameracensem [cui Antverpia tunc erat subjecta] causa testamentaria remittitur ad Episcopũ, ut habetur in concordato de 9. Sept. 1490. parte 1. Edict. Brabantiæ *lib. 8. tit. 1. c. 6.* notatq; Zypæus, ex hoc Concordato causas testamentarias judici Ecclesiastico *privativè* reservari, nec esse præventioni locum; & ita anno 1503. judicâsse Senatum Brabantiæ ibidem refert.

Quinimò credit Zypæus, quòd videatur Episcopus Cameracensis eodem jure usus, quà se Diœcesis Cameracensis extendit in Brabantiam: quod & Præses Everardus cons. 136. indicâsse apparet, uti ex ejus verbis à *Zypæo* ibidem relatis colligitur.

XXV. In Concordatis inter judices Ecclesiasticos & Sæculares Hannoniæ de 12. Jan 1483. *art. 8.* & causæ testamentorum Ecclesiasticorum deferuntur privativè judici Ecclesiastico; laicorum verò judici sæculari. *Quant au faict de tous testaments, codicilles, & dernieres volontes des Prestres, Cures & gens d' Eglise beneficiers & Officiers portans habits d' Eglise & Clercs de paroisses tonsures, puissants & habils de ce faire faicts & passes pardevant notaires, ou tesmoins ou par autre forme, selon l' ordonance de l' Eglise la cognoissance sera & appartiendra à la Justice spirituelle* SEULEMENT, *& auront iceux testaments, codicilles & derniere volonté, plaine execution audit pays d' Haynault, sans prejudice toutefois de ceux qui seront exempts de la jurisdiction de mondit Seigneur de Cambray qui demeureront pardevant leurs juges, & d' autres testaments la cognoissance en demeurera à la justice temporelle, comme il est accoustumè.* Id est: Quoad causam quorumvis Testamentorum Codicillorum, & ultimarum Voluntatum, Presbyterorum Parochorum, & personatum Ecclesiasticarum, Beneficiatorum, & Ministrorum gestantium habitum Ecclesiasticum, & Clericorum Parochialium tonsurâ insignitorum, capacium & idoneorum similia condendi, actaq; fuerint coram Notariis aut testibus aut alio modo juxta leges Ecclesiæ, cognitio ad SOLUM Judicem Ecclesiasticum spectabit, dictaq; testamenta Codicilli & ultimæ Voluntates integrè executioni mandabuntur in dicta Hannoniæ Provincia, salvo tamen eorum jure, qui erunt Jurisdictione dicti Domini Archiepiscopi Cameracensis exempti, qui coram suis Judicibus se sistent, aliorumque Testamentorum cognitio ad sæcularia tribunalia, ut moris est, competet.

Ex his manifestum est, in causis testamentariis plus in Belgio, quàm in Gallia judici Ecclesiastico attribui; quamvis & illud constet, non in omnibus Belgii Provinciis aut locis eamdem in hac re consuetudinem aut legem esse.

Hoc quoq; fatendum est, quòd ubi præventioni locus est soleat magis ad sæcularia quàm ad Ecclesiastica tribunalia recurri; cujus ratio infra capite ultimo exponetur.

XXVI. Non tantùm de validitate aut invaliditate cognoscendi auctoritatem tribuunt judici Ecclesiastico Concordata Brabantiæ; sed & supplendi negligentiam Executorum. "Si autem (inquiunt) executores piorum legatorum fuerint reperti negligentes, & culpabiles; poterunt secundùm casus exigentiam per Judicem Ecclesiasticum puniri, „ & eorum negligentiæ suppleri."

XXVII. Insuper dant potestatem judici Ecclesiastico, absolvendi Executores ab onere executionis, citandiq; omnes interesse habentes; qui tamen si *laici* sint, inviti comparere non tenebuntur. Verba sunt:" Et si dicti executores coram judice Ecclesiastico ab onere executionis dictorum piorum „ legatorum absolvi se petant, poterunt quoad illum effectum dumtaxat ab eo citationes impetrare, vigore cujus „ nominatim vocentur omnes, quibus legata pia relicta „ fuerunt, & in genere omnes alii sua communiter, vel divisim interesse putantes. Cujus tamen occasione laici coram „ Ecclesiastico judice comparere non tenebuntur, nisi velint, valebitq; citatio ad effectum absolutionis legatorum „ piorum dumtaxat."

XXVIII. Synodi nostræ Belgicæ supponunt, executionem testamentorum præsertim in *pias* causas ad Episcopos spectare. Synodus Namurcensis sub Havetio anno 1570. titulo De Testamentis *c. 1.* postquam dixit, non esse ferendum abusum, qui passim cernitur circa testamentorum executionem, quò sæpè numero fit, ut defunctorum extrema voluntas suum non sortiatur effectum, & quæ in *pios usus* erant insumenda, in alios contra fas & æquum expendantur, præ„ cipit, ut qui à decessuro nominati sunt executores, si onus „ suscipere velint, ante omnia curent defuncti bona descri„ bi præsentibus fide dignis testibus, quæ ubi erunt descri„ pta unà cum testamento, infra mensem à morte Testato„ ris, ad nostri fori judicem deferant; per quem in dubiis, si „ quæ oriantur, Executores instruantur, & si in muneris sus„ cepti functione fuerint negligentes, corrigentur."

XXIX. Similia passim in aliis Synodis leguntur, additque Synodus Buscoducensis sub Masio *tit. 23. c. 2.* in omnibus *piis* voluntatibus esse per locorum Ordinarios providendum, ut secundùm defuncti desideria omnia fideliter fiant, *licèt etiam à testatoribus contingeret interdici.* Quæ clausula desumpta est ex *Cap. 17.* „ *De Testamentis.*

XXX. Auctoritatem super executione testamentorum Rectori & Universitati nostræ Lovaniensi competere, Universitatis Statuta, & notoria praxis supponunt.

In his enim Statutis titulo De Piis Legatis legitur:" Exe„ cutores ultimarum voluntatum Suppositorum decedentium, statim post mortem defuncti Suppositi, cujuscumque etiam conditionis fuerit, testamenta hujusmodi „ Domino Rectori præsente Notario Universitatis exhibeant, quam exhibitionem Rector & Notarius gratis admittat.

"Executores anno suæ Administrationis finito computum & rationem hujusmodi Piorum legatorum & suæ „ Administrationis coram Rectore & ordinariis Deputatis „ reddant. Ad hujusmodi computum fieri videndum, omnes „ & singuli Creditores, hæredes, legatarii, & successores, ac „ jus & actionem in bonis Testatoris habentes per edictum „ publicum in valvis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri Lovaniensis proponendum vocentur."

XXXI. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 12. c. 18.* ostendit, ad Ordinarium sive judicem Ecclesiasticum speciali ratione spectare executionem ultimarum voluntatum *ipsorum Clericorum*; decrevitq; à sua Majestate Regia postulandum, ut judices laici "nullam moveant difficultatem in hac execu„ tione; sed penes Episcopos seu alios judices Ecclesiasticos „ sit libera facultas cogendi executores dictorum testamen„ torum, etiam laicos, ad reddendum suos computus, & pia „ legata, aut fundationes executoni demandandum."

Hæc conformia videntur Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Magistratus Hannoniæ supra relatis.

XXXII. Licèt non ubiq; hæc auctoritas juridicè cogendi executores testamentorum, aut ipsos ab onere executionis absolvendi, quantumvis etiam sint testamenta ad *pias causas*, competat Episcopis; nihilominùs nemo dubitat, quin saltem ipsis incumbat pro paterna sua solicitudine invigilare, ut defunctorum pia voluntas observetur; ipsaq; *pia* legata suo tempore solvantur, & secundùm voluntatem defunctorum impendantur.

XXXIII. Ita & Justinianus in *L. 46. Cod. De Episcopis*, vult, ut Episcopi curam piorum legatorum habeant; atque negligentes hæredes & executores urgeant adimplere; sed si ipsorum mandatis non obediant, ipsiq; consequenter heredes juridicè cogendi sint, vult ut per Judices Provinciarum cogantur: *Clarissimis Præsidibus Provinciarum necessitatem imponentibus heredibus ea perficere.*

XXXIV. Unde etiam Synodi nostræ non tantùm Episcopis, sed & Parochis præcipiunt, ut "piorum legatorum di„ ligentem curam habeant, & seriis monitionibus satagant „ ut ante finem anni piis Fundatorum voluntatibus satisfiat „ alioquin ii, quibus hoc onus incumbit, Ordinario de„ nuntientur." Ita Synodus P. II. Mechliniensis *tit. 17. capit. 9.*

XXXV.

XXXV. Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 24. *c.* 1. vult, ut imprimis "Pastores moneant parochianos suos, ut „tempestive testamentum condant salutare, atq; ita dispo„nant tempori, domui, rebúsq; suis, ut in morte dispositum „esse desiderent, ne opus sit, animum tum anxiè his occupa„ri, cùm ea relinquenda sunt.„

XXXVI. Deinde addit: "Ubi illi vitam cum morte mu„taverint, sint eorum veluti procuratores, tum ut animabus „eorum, subsidio fortassis egentibus, sacrificiis, precibus, e„leemosynis, cæterisq; caritatis officiis succurratur, tum e„tiam ut piæ eorum, quas ultimò testati sunt, voluntates, ac „testamentariæ constitutiones, exequutioni, ita ut oportet, „mandentur. Perquirant itaq; quid condiderint piorum „legatorum: quod ubi intellexerint, observent, justis exe„quiarum ritè peractis, an hæredes & testamenti exequuto„res id adimpleant; &, si tardi illi aut negligentes fuerint, „moneant eos, nostrâ etiam auctoritate, si opus est. Quòd si „anno à morte testatoris evoluto, refractarii difficilesque „perseverent, Nobis aut Vicariis nostris vel Procuratori a„nimarum à nobis designato, absq; ulteriori dissimulatione „illos denuncient.„

XXXVII. Executionem hanc securiùs urgere poterunt Pastores, si nihil sit, quod directè aut indirectè in propriū ipsorum emolumentum cedere queat; aliàs prudenter & circūspectè procedere debent, ne hîc avaritiæ aut cupiditatis suspicionem incurrant. Hinc & monet Synodus Namurcensis anni 1639. *tit.* 15. *c.* 3. " Caveant seriò Pastores, ne à mo„ribundis aliquid sibi testamento legari petant.„

XXXVIII. Valde quoq; notandum, quod observat citata Synodus Namurcensis sub Haverio, multos, ne voluntati testatoris satisfaciant, tergiversari, qui certa & manifesta controvertentes, iniquos processus temerè suscipiunt, non suo, sed eorum periculo, quibus bona testamento sunt relicta. " Id ne quis (ait) posthac faciat, statuimus, ut si Executores „absq; justa & evidenti causa litem instituant, & per judi„cis sententiam in expensas condemnentur, eas de *suis*, non „testatoris bonis refundere cogantur. " Hæc si à judicibus observarentur, quàm multæ lites infundatæ & temerariæ, quibus sæpè piæ fundationes exhauriuntur, non suscipe- rentur; ad quas suscipiendas prochviores sunt executores, quia nihil damni sibi ex iis metuunt, & notabile emolumentum ex vacationibus & labore in earum prosequutione impendendis sperant.

CAPUT III.

De aliis Causis profanis ad specialem Episcoporum curam spectantibus.

1. *Bona verè Ecclesiastica à laica jurisdictione quomodo exempta.*
2. *Jure communi causæ super bonis Ecclesiasticis spectant ad judicem Ecclesiasticum.*
3. *Illud & in Principum nostrorum Edictis expressum quoad bona* amortizata.
4. *Quæ ad hunc effectum censenda sint amortizata.*
5. *Quare hodie bona Ecclesiæ præsumantur* amortizata.
6. *Vi Concordatorum Brabantiæ Officialis cognoscere potest de bonis amortizatis; modò priùs ipsi constet esse amortizata.*
7. *Quæstio, an sint* amortizata, *ad judicem Regium spectat.*
8. *Quis de servitute super bonis amortizatis cognoscat?*
9. *An laicus actione personali occasione bonorum amortizatorum coram judice Ecclesiastico conveniri queat?*
10. *Quare hodie rarò causæ super bonis amortizatis coram judice Ecclesiastico tractentur?*
11. *Quid de causis super* rebus mobilibus *Clericorum.*
12. *Arrestum per judicem* sæcularem *injici non potest pensioni Ecclesiastica reservata alicui Pastori,*
13. *Posset tamen judex sæcularis inhibere colono alicujus Clerici, ne mercedem solveret.*
14. *Quomodo de dote in Belgio cognoscat judex Ecclesiasticus remissivè.*
15. *Declarârunt Principes Belgii, Judices Ecclesiasticos tantùm de tribus causis scilicet* testamentorum, dotis, & *bonorum* amortizatorum *cognoscere posse.*
16. *Hæc restrictio respicit tantùm causas* profanas.
17. *In aliis causis profanis si* laicus *citetur, citatio per Senatum Regium cassatur.*
18. *Nec per laicum in aliis causis jurisdictio Ecclesiastica hodie prorogari potest.*
19. *An laicus ex contractu conveniri queat coram judice Ecclesiastico ratione interpositi juramenti?*
20. *Causæ viduarum & miserabilium personarum hodie non sunt fori Ecclesiastici.*
21. *Hujusmodi personæ sunt sub* speciali *protectione Regis.*
22. *Possunt suos creditores vocare coram Senatu Regio in prima instantia.*
23. *Aliquando judicatum, famulum ratione sui salarii posse convenire Clericum actione personali coram Senatu Regio; & quare?*
24. *Licèt causæ miserabilium personarum non sint hodie fori Ecclesiastici, curam tamen illarum personarum habere debent Episcopi.*
25. *Monitum de hac re S. Caroli ad Episcopos.*
26. *Hoc sensu verificari potest responsum Prælatorum Galliæ ad articulos Petri Cugnerii.*
27. *Interdum Episcopi apud judices, aut etiam Principem instare debent, ut miserabilibus personis justitia administretur.*
28. *De jure communi & ex communi Canonistarum opinione judex Ecclesiasticus supplere potest negligentiam judicis sæcularis non administrantis justitiam.*
29. *Hac opinio hodie non admittitur.*

I. RES Ecclesiæ esse exemptas à potestate laicorum; nec eas à laicis gravari posse supra *parte* 2. *tit.* 35. *c.* 2. vidimus; ubi una notavimus, non omnia bona ad Ecclesiasticos spectantia, hodie censeri bona Ecclesiastica, saltem eatenus, ut immunitate bonis Ecclesiasticis indultâ gaudeant; sed ea tantùm, quæ amortizata sunt, aut ut alia temporis præscripto ab Ecclesia possessa fuerunt. De hac amortizatione vide supra *part.* 1. *tit.* 29. *c.* 3.

II. Porrò sicuti Ecclesiastici sive Clerici *fori* privilegio gaudent; ita quoq; bona *verè Ecclesiastica*, qualia hodie sunt bona *amortizata*, à jurisdictione sæculari inspecto jure communi exempta esse, unanimi consensu docent Canonistæ; quod & hîc in Belgio etiamnum hodie ferè obtinet.

III. In litteris Philippi Boni de 3. Januarii 1447. expressè declaratur, quòd causæ de bonis amortizatis spectent ad judicem Ecclesiasticum; ita ut in hujusmodi causa laicus conveniri queat coram Ecclesiastico judice: *Van geestelycke ende amortizeerden goeden.* Quod & expressum est in additione 2. ad Lætum Introitum Caroli V. de anno 1515. *art.* 3. Extat parte 1. Edict. Brab. *lib.* 2. *tit.* 1. *c.* 17.

IV. Cùm verò variæ quæstiones inter Ecclesiasticum & laicalem judicem occasione harum causarum moverentur, tandem pluribus articulis hæc materia in Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem exposita fuit.

Imprimis *tit.* 3. *art.* 1. declaratur, quòd "illa bona tantùm „censeri debeant *amortizata*, quæ à jurisdictione sæculari „per Principem sunt exempta, litteris desuper ritè expedi„tis, vel quæ à 70. aut 80. annis tamquam amortizata per „Ecclesiam possessa fuerunt."

V. "Verùm enim verò [ait Zypæus De Foro compet. 11.] „in præsentiarum non est valde laborandum de hujusmo„di amortizatione, cùm omnia ferè bona Ecclesiasticorum „ab annis nunc 70. ut amortizata possideantur; quoad Col„legia antiquiora, quæ his calamitosis temporibus passim „ob publicas collectas, reales, & personales, à quibus saltem in Brabantia vix eximuntur, magis decreverint, quàm „res suas auxerint, plerâq; insignia prædia, aliáq; ob hæc o„nera distraxerint,"

VI.

VI. Præmissâ descriptione bonorum amortizatorum subditur in Concordatis *art.* 2. "Officialis cognoscet de pro„prietate bonorum amortizatorum, ut supra, etiam contra „*laicum*."

Sed ne sub prætextu amortizationis laici in aliis causis ad tribunal Ecclesiasticum citentur, additur hæc cautio: Sed „priusquam citatio decernatur, debebit eidem (Officiali) „de amortizatione prædicta constare, per litterarum amor„tizationis inspectionem, vel copiam authenticam vel de „possessione per tempora, in Citatorio exprimendo mo„dum, per quem eidem de hujusmodi amortizatione con„stiterit."

VII. "Factâ autem hoc modo citatione, de sequenti, reus „laicus (pergunt Concordata) ante litis contestationem a„mortizationem prædictam verbo, vel scripto poterit im„pugnare, cum causarum suarum allegatione & resignati„one.

"Et si super eadem impugnatione incidens quæstio e„merserit, [inquiunt Concordata] illa ad Concilium Bra„bantiæ decidenda remittetur, cum præfixone termini u„nius anni, intra quem quæstio illa veniet terminanda alio„qui Officialis ad causæ principalis expeditionem proce„dere poterit, perinde ac si quæstio illa non incidisset."

VIII. Hæc de causis, quæ ipsam bonorum amortizatorum proprietatem tangunt; si autem agatur de servitute, sive in urbanis prædiis vel rusticis ex quocúmq; jure prætendatur, cognitio non spectabit ad Officialem," nisi quando ambo „fundi tam dominans, quàm serviens amortizati fuerint; uti declaratur *art.* 4.

Et *art.* 5. "De terminis & limitibus ponendis, vel amo„vendis, judex Ecclesiasticus non cognoscet, sed sæcularis „solus."

IX. Hactenus de actionibus realibus ratione bonorum a„mortizatorum, vel servitutibus illis bonis inhærentibus. „Si autem laicus actione *personali* ex *contractu* per Eccle„siasticam personam conveniatur ratione bonorum *merè* „*Ecclesiasticorum*, ut putà decimarum, vel oblationum, „vel ratione bonorum (ut prædicitur) *amortizatorum*, po„terit *laicus* in jus trahi coram Officiali; vel judice sæcula„ri; ita quòd talis actio erit *mixti* fori." Ita Concordata *art.* 10. Idem erit, si laicus *invitis* dominis, videatur *defructuâsse* bona *merè Ecclesiastica*; uti ibidem dicitur.

X. Dicta evincunt cognitionem bonorum amortizatorum hisce Concordatis judici Ecclesiastico attribui; sed sub iis limitationibus & cautionibus, ut mirum videri non debeat, raro causas hujusmodi hodie coram judice Ecclesiastico tractari, præsertim quia *art.* 7. dicitur: "Abbates & Ab„batissæ, & alii de Statibus Brabantiæ" (penes quos præcipua bona amortizata resident) "juri stabunt activè & passi„vè coram judicibus illis, coram quibus, de antiqua con„suetudine, stare juri consueverunt." Nimirum coram supremo Brabantiæ Senatu, uti titulo præcedenti *c.* 4. dictum est.

XI. Certum est, bona *mobilia* magis sequi personam, ac de conditione personæ plus mutuare, quàm bona *immobilia*: unde de illis eodem titulo Concordatorum §. 8. decernitur: "Bona mobilia, & moventia Presbyterorum, Diacono„rum, Subdiaconorum, & Clericorum beneficiatorum, a„ctu suis officiis deservientium, aut in Universitate studen„tium, vel Reipublicæ causâ absentium, viventium, vel pio„rum locorum, sequentur conditionem personæ, vel pio„rum locorum, quoad forum, nisi in casibus, in quibus ju„dex sæcularis potestatem habet in Clericos, sive eorum „bona."

XII. Hinc Zypæus *Consult.* 2. *de Judiciis* sine ulla hæsitatione resolvit, nullum, irritum atq; invalidum esse arrestum per judicem sæcularem, injectum pentioni Ecclesiasticæ & spirituali, cuidam Sacerdoti reservatæ super Pastoratu suo solvendæ per Deservitorem ejusdem Pastoratûs. Rationem præmisit; quia judex sæcularis in bona *mobilia* Clericorum, quæ *personæ conditionem* sequuntur, jurisdictionem non habet.

XIII. Monet tamen ibidem Zypæus: "Quòd si autem *sæ„cularis* quispiam ejus (Clerici) colonus aut aliàs debitor „esset, tum isti personæ sæculari à suo judice juberi posset, „ut manus suas non vacuaret."

XIV. Præter duas has causas civiles & profanas, scilicet testamentarias, & bonorum amortizatorum, judici Ecclesiastico permittitur tertia, nimirum *dotis*, sive contractus antenuptialis; quæ in allegatis concordatis conjungitur cum causis testamentariis; ut tantùm repetenda sint, quæ capite præcedenti de his dicta sunt.

XV. Porrò declararunt Philippus Bonus in citatis litteris de 3. Januarii 1447. & Carolus V. in allegata additione 2. ad suum lætum introitum, Judices Ecclesiasticos contra laicos cognoscere non posse, nisi in tribus prædictis causis. Verba Additionis sunt: *Dat die selve Geestelycke Rechters,* MAER *kennisse nemen en sullen van* DRY *saeken* SONDER MEER: *te vveten van die vveerden of onvveerden van testamenten, van bonvvelyckxsen vvorvvaerden, van Geestelycke gheadmortiseerde goeden, ende* NIET VOORDERE. Id est: Ut iidem Judices Ecclesiastici de tribus dumtaxat causarum generibus cognoscant, videlicet de validitate aut invaliditate testamentorum, de pactis antenuptialibus, de bonis Ecclesiasticis amortizatis, nec omninò de aliis.

XVI. Hanc restrictionem intelligendam esse de causis merè civilibus; non autem de merè Ecclesiasticis & spiritualibus, rectè advertit, & ostendit Zypæus De Foro comp. *n.* 5. hasq; etiamnum hodie ad Ecclesiasticum judicem spectare; & in his causis laicos in Belgio coram Ecclesiastico judice posse conveniri.

XVII. Itaq; quoad causas civiles & profanas, jurisdictio Ecclesiastica ad has *tres* causas restringitur; ita ut ratione *causæ* laici foro Ecclesiastico non sint subjecti extra prædictas causas, neq; judex Ecclesiasticus ex alia causa civili laicum citare possit.

Hinc Hubertus Loyens in Tractatu de Curia Brabantiæ *c.* 15. ait: "Ad Senatum (*Brabantiæ*) quoq; attinent rescissio„nes judiciorum Ecclesiasticorum, quando municipes vel „incolæ Brabantiæ ad eorum tribunal evocantur, extra *tres* „causarum species, nempe testamentorum validitate, pa„ctorum Matrimonialium valore, & rerum in pios usus „donatarum, seu per amortizationem sæculari potestati „subductarum."

XVIII. Imò in tantùm judex Ecclesiasticus in aliis causis profanis est judex incompetens laicorum, ut nec consensu laici approbari queat. "Quoniam (ait Rousselius *lib.* 6. *c.* 5. *n.* „13.) non patimur jurisdictiones prorogari, quia non pen„dent ex voluntate subditorum, sed patrimoniales sunt, vel „Regiæ, & utraque à Principe promanantes."

XIX. Unde quod Canonistæ communiter dicunt, laicum ex contractu civili posse conveniri coram judice Ecclesiastico, si juramentum de adimplendo contractu fuerit interpositum, ut supra *tit.* 1. *c.* 1. monui, hodie in desuetudinem abiit, quemadmodum monet Renatus Choppinus *lib.* 2. *de S. P. tit.* 2. *n.* 3. dicitq; eum disciplinæ forensis usum jam pridem explosum esse.

XX. Similiter quod communiter tradunt Doctores post Glossam ad *c.* 15. ;; *De Foro comp.* quòd causæ etiam *civiles* & *profanæ* viduarum & *miserabilium* personarum pertineant ad judicem Ecclesiasticum, ita ut hujusmodi personæ debitores suos laicos coram Tribunali Ecclesiastico citare possint; explosum esse pluribus citatis notat Rousselius, *lib.* 6. *Hist. Pontif. c.* 5. *n.* 14.

XXI. Atq; hodie receptum est, quod jam pridem dixit coram Philippo Valesio Petrus Cugnerius: nimirum, mulieres viduas, pupillos, aliásq; miserabiles personas cum suis bonis esse de *gardia* Regis; & causarum illarum cognitionem spectare ad Regem.

XXII. Et quidem legitur jam pridem decretū à Constantino M. in *lege Unica Cod. Quando Imperator inter pupillos vel viduas, &c.* "Quòd si pupilli vel viduæ, aliiq; fortunæ „injuriâ miserabiles judicium nostræ Serenitatis oraverint, „præsertim cùm alicujus potentiam perhorrescant: „co-

„ cogantur eorum adversarii examini nostro sui copiam fa-
„ cere."

Hoc privilegio etiam hodie miserabiles personæ utuntur; refertq; judicatum Antonius Faber in Codice *lib. 3. tit. 13. Defin.* 1. quòd vidua uti possit hoc privilegio etiam contra pupillum, tametsi etiam ageretur de notabili dote. Plura de hoc personarum miserabilium privilegio vide apud Covarruviam *Pract. qq. c. 6.*

XXIII. Imò uti notat Fevretius De Abusu *lib. 4. c. 10. n. 9.* eò extensum est hoc privilegium, ut si quæstio esset de salario alicujus operarii, aut famuli, vel ancillæ contra Clericum etiam permitteretur actione personali convenire Clericum coram Senatu Regio; & ita judicatum fuisse in Parlamento Parisiensi 11. Augusti 1633. rescissâ inhibitione factâ per Officialem Episcopi cuidam pauperi fœminæ non conveniendi Presbyterum super suo salario alibi quàm corã ipso. Injustum enim apparebat Senatui Regio, remittere hanc pauperem fœminam ad judicem Ecclesiasticum, à quo non posset accipere aliquam provisionem, nisi post tres sententias conformes. *N'y ayant* (ait Fevretius) *aucune apparence d'obliger un serviteur ou mercenaire, d'aller plaider pour ses gages & salaires en Cour d'Eglise, où il ne pourroit obtiner une provision executoire sans appelle, qu'après* trois *sentences conformes.* Id est: Cùm omninò videatur absurdum, ut cogatur famulus aut mercenarius coram Ecclesiastico tribunali pro stipendio aut mercede litigare, nec executionem, à qua appellari non posset, obtinere valeret, nisi post tres sententias conformes.

XXIV. Verùm tametsi hodie causæ miserabilium personarum non pertineant ad tribunal Episcopi, eatenus, ut personæ illæ possint laicos debitores suos *juridicè* coram ipsius tribunali citare; possintq; Officiales Episcoporum eo titulo de causis Civilibus laicorum cognoscere nihilominus illud semper verum est, quòd non tantùm Episcopis, sed & omnibus, quibus animarum cura incumbit, *precepto divino mandatum sit, pauperum aliarumq; miserabilium personarum curam paternam gerere*, uti loquitur Synodus Tridentina *Sess. 23. c. 1. De Reform.*

XXV. Sanctus Carolus in suo Concilio Mediolanensi III. *c.* 18. monet Episcopos, quòd sacri Canones ipsis curam pauperum & oppressorum specialiter injunxerint, ac propterea aliquem sive laicum, sive Ecclesiasticum designare debeant, qui ipsorum causas suscipiat & prosequatur. Pupil-
„ pillorum, viduarum, & egentium hominum cura Episco-
„ po, communi omnium parenti, à sacrosanctis Canonum
„ legibus potissimùm commendata & commissa negligi
„ non debet; ne si lædantur, vociferentur ad Dominum, qui
„ exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris
„ officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum, vel
„ alium pium hominem, Christianæ charitatis operibus at-
„ que officiis deditum, qui viscera misericordiæ indutus, id
„ generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat.
„ Quòd si aliqui jam huic pio operi præfecti sint, id agat E-
„ piscopus, ut ii munus sibi creditum exequantur quàm di-
„ ligentissimè."

XXVI. Hoc sensu rectè responsum est ad articulum Petri Cugnerii suprà relatum nomine Prælatorum: "De viduis &
„ pupillis dicit Episcopus, quòd de jure divino & humano,
„ gardia talium personarum, quantum ad violentias & sai-
„ sinas, pertinet ad Ecclesiam? & sic de consuetudine obser-
„ vatur in Ecclesiis Gallicanis."

XXVII. Unde si viduæ aliæq; personæ miserabiles justitiam contra potentes consequi non possint, meritò Episcopi & Pastores operâ & consilio ipsis assistent; etiam instando apud judices Regios, ut justitia iis administretur; aut etiam Principem interpellando, si opus sit, ut judicibus injungat justitiam administrare.

Ita jam pridem Justinianus sanxit, ut si negligentes fuerint judices in administranda justitia, adeatur loci Episcopus; hicque apud judices pro administranda justitia instet.

XXVIII. Nec tantùm instare posse Episcopos, ut in foro sæculari jus ipsis viduis aliisq; personis miserabilibus administretur; sed & judicem Ecclesiasticum posse negligentiam judicis sæcularis supplere, communis est Canonistarum opinio fundata in *Cap.* 11. ¼ *De Foro com.* ubi Glossa ait: "No-
„ ta, quòd propter negligentiam judicis sæcularis transfer-
„ tur jurisdictio ad Ecclesiasticum judicem."

XXIX. Hanc esse receptam à Canonistis opinionem notavit quoq; Covarruvias *Pract. qq. c. 6. n.* 1. de qua tamen ipse se ingenuè fateri debere dicit: "Hoc *certo* scio, eam a-
„ pud Regia Hispaniarum & Galliæ Prætoria *visus* equidem
„ fore, tantùm abest, ut ea in usum & praxim recepta fue-
„ rit."

Similiter Michaël Rousselius *lib. 6. Hist. Pontificiæ juris. c. 5. n.* 16. relatis legibus Wisigothorum, quibus concedebatur Episcopis reformare sententias laicorum, subjungit:
" At hodie antiquatæ sunt istæ dispositiones, siquidem ve-
„ rum est, quod Bavidilla scribit, non esse jus Ecclesiastico
„ judici laicum Prætorem cogere, ut ab eo carceri deditum,
„ licèt injustè, liberet: & non facilè admissum iri, ut Episco-
„ palis notio de causis pauperum & viduarum, atq; de *ne-*
„ *gligentia* sæcularis Magistratûs supplenda jurisdictionem
„ habeat, quoniam lege Regiâ prohibetur conventio laici
„ coram judice Ecclesiastico: adeò ut si pro causa purè pro-
„ phana, quæ non sit mixti fori, laicus laico diem dixerit a-
„ pud forum Ecclesiasticum, eum puniri velit lex Regia."

CAPUT IV.

De Possessorio & Petitorio in Causis Ecclesiasticis.

1. *De jure communi etiam* possessorium *rei spiritualis spectat ad judicem Ecclesiasticum.*
2. *Contrarius usus jam pridem invaluit in Gallia.*
3. *Martinus V. declarat, se nolle huic usui quoad possessorium* retinendæ *possessionis derogare.*
4. *Pontifex per suam Bullam nullum novum privilegium concedit, sed receptum usum tantùm permittit.*
5. *Hæ & similes Pontificum Declarationes jus Regium super cognitione possessoris non parum firmarunt.*
6. *Etiam earum occasione ad alia Regna is usus extensus.*
7. *In Belgio sub finem sæculi 15 stabilitus fuisse videtur.*
8. *Sensim & gradatim usus ille invaluit.*
9. *In Concordatis Brabantiæ possessorium* retinendæ *& recuperandæ possessionis defertur Judici Sæculari, adipiscendæ autem Ecclesiastico.*
10. *Etiam in Gallia primitus possessorium* adipiscendæ *Judici Ecclesiastico relictum.*
11. *Quare prius potiùs quam posterius sibi Judices Sæculares attraxerint?*
12. *Prætendunt Judices Regii in possessorio tantùm tractari quæstionem* facti, *non juris.*
13. *Verisimile primitùs Judices Regios non cœpisse plenam titulorum aut jurium discussionem.*
14. *Olim incognita fuit distinctio inter simplicem recredentiam & plenum possessorium: & unde hæc originem habuerit?*
15. *Quid recredentia; & unde sic dicta?*
16. *Quamdiu duret effectus recredentiæ?*
17. *A Recredentiario præstanda cautio de restituendis fructibus; & qualis præstanda remissivè.*
18. *Cui in causa Beneficiali recredentia adjudicanda?*
19. *Ad abbreviandas lites in materia Beneficiali debent Partes in initio litis exhibere titulos.*
20. *Id conforme est Concordatis Brabantiæ.*
21. *Quanam nomine tituli intelligantur?*
22. *Ex Ordinatione Francisci I. Regis Franciæ tenentur etiam exhibere capacitates,* capacitez, *quid harum nomine intelligatur.*
23. *Aliquando usus habuit, ut super recredentia & pleno possessorio* duo *distincti processus instituerentur.*
24. *Id hodie vetitum.*

25. Potest

25 *Potest tamen distinctè super iis pronuntiari.*
26 *Recredentia adjudicatur praviâ* summariâ *causæ discussione.*
27 *Recredentia non est adjudicanda, dum causa sine nova probatione* in pleno *possessorio potest expediri.*
28 *Pro* pleno *possessorio causa plenariè instruitur, & tituli discutiuntur.*
29 *Judices Regii hodie revera examinant & discutiunt* (petitorium.
30 *Hinc & inhibetur hodie possessorii & petitorii cumulatio.*
31 *Quamdiu possessorium pendet, vel totalem executionem non habet, non potest intentari petitorium.*
32 *Quandonam quoad hunc effectum sit evacuatum possessorium?*
33 *Lata & executioni mandata sententia pleni possessorii potest intentari petitorium.*
34 *Si a sententia pleni possessorii sit appellatum, debet petitorium suspendi pendente appellatione.*
35. *Licet soli Judices Regii cognoscant de possessorio in materia Ecclesiastica, tamen interdum appellari potest.*
36 *Quamdiu petitorium coram Judice Ecclesiastico pendet, possessorium retinet suum effectum.*
37 *Hinc rarò post plenum possessorium intentatur petitorium.*
38 *Altera ratio, quæ facit, ut rarò in petitorio absoluto possessorio agatur: imò aliquando in Gallia inhibitum sit petitorium intentare.*
39 *Hodie possessorium retinendæ & recuperandæ possessionis* privativè *ad Judicem laicum spectat.*
40 *Quomodo omnes causæ Beneficiales hodie titulo possessorii* retinendæ *possessionis corā Judice Regio agitentur.*
41 *Judices Regii licet petitorium examinent, non nisi tamen super possessorio tamquam merè* facti *pronuntiant.*
42 *Ut causa Ecclesiastica deferatur ad Judicem Laicum, solet peti* manutenentia; *cujus definitio additur.*
43 *Ratio ethimologica hujus vocis.*
44 *Pro obtinenda manutenentia requiritur possessio.*
45 *Item turbatio facti.*
46 *Hodie titulo manutenentiæ omnes passim causæ ad Tribunalia Regia devolvuntur.*
47 *Ipsi Ecclesiastici amant litigare apud Tribunalia Regia.*
48 *Rationes, cur forum Ecclesiasticum declinent.*
49 *Dolendum, quòd hodie apud laicos Ecclesiastici litigare cogantur.* (randum.
50 *Manente hodierno stylo fori Ecclesiastici vix aliud spe-*
51 *Episcopi allaborare debent, ut lites Ecclesiasticorum amicè sopiantur.*

I. NOn tantùm petitorium, sed & possessorium in causis Beneficialibus, aliisque, de jure communi spectare ad judicem Ecclesiasticum, excluso judice sæculari, unanimis est Canonistarum sententia; neq; obscurè probatur in Decretalibus sub titulo ¶ *De Causa possessionis & proprietatis*, in quibus supponitur, utrumque judicium coram eodem judice esse terminandum; & pluribus ostendit Covarruvias *Pract. qq. c. 35. n. 1.* aitque, " non posse "laicum judicem secundùm *rigorem juris* cognoscere de „ causa *possessoria* beneficii Ecclesiastici; cùm ad justificandā „ possessionem in hoc casu sit necessaria quædam summa„ria probatio alicujus tituli apparentis, nec aliter possit „ possessio obtineri, etiam quoad interdicta possessoria."

II. Fatetur nihilominus ipse Covarruvias, contrarium usum jam pridem in Regno Galliæ invaluisse, cujus usûs etiam antiqui Auctores Galliæ meminerunt; atque inter alios Guilielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, ¶ *De Testam.* verbo *Et uxorem n. 131.* dicens: "Ex antiqua & *im„memorabili* consuetudine remedia possessoria etiam in „ Beneficialibus & Ecclesiasticis causis in isto Regno Fran„ciæ procedunt & tractantur per judices Regios: quā con„suetudinem Beatus Pater Martinus Papa ad requestā Re„gis Franciæ, videlicet Caroli VII. Domini nostri Regis „ moderni nunc regnantis avi paterni approbavit, etiam „ respectu causarum Beneficialium tam in Regno, quàm „ in Delphinatu, seu declaravit dictæ consuetudini & stylo „ per quamcumque Constitutionem Apostolicam derogatum non fuisse, nec judices Regios de talibus quæstioni„bus cognoscentes Censuris Ecclesiasticis ligâsse, nec de„rogare aut ligare velle."

Indubitanter reflectit hîc Auctor ille ad Bullam Martini V. datam anno 1426. 4. Februarii; ac integra refertur in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c. 26. n. 2.*

III. In hac Bulla expressè declarat Martinus V. quod per suas litteras anteriores (quibus sub gravibus pœnis inhibuerat Clericis, ut suas causas & querelas, præcipuè quæ de jure vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum spectare noscuntur, ad forum laicum non deferant) non intendat præjudicare juri & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu possessorii *retinendæ* possessionis super quibuscumque Ecclesiis & Beneficiis Ecclesiasticis. Verba sunt: "Cùm au„tem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Ca„roli Regis Francorum illustris nobis fuit expositum, à „ nonnullis revocetur in dubium, an per hujusmodi nostrā „ Constitutionem derogari voluerimus juri & jurisdictio„ni Regiæ, præsertim in casu possessorii retinendæ posses„sionis, super quibuscumque Ecclesiis & Beneficiis Ec„clesiasticis suorum Regni Franciæ, & Delphinatûs Vien„nensis; per quam jurisdictionem præfatus Rex sibi lice„re asserit, in omni casu etiam juridicè tueri possessores; „ Nos ad omnis ambiguitatis tollendum dubium, super „ his opportunè consulere & providere volentes, ejusdem „ Regis in hac parte supplicationibus inclinati, auctori„tate Apostolicā tenore præsentium declaramus, nostræ „ intentionis non fuisse, neque esse, per prædictam aut „ quamcumque aliam Constitutionem nostram eidem „ Regi, & ejus Regiæ jurisdictioni, per quam, sicut as„seritur, tam ipse quàm progenitores sui super hujus„modi possessorio à tanto tempore, circa quod de ejus „ contrario memoria hominum non exstitit, consueverunt „ cognoscere, in aliquo derogari voluisse aut velle quo„quo modo: decernentes partes molestatas super earum „ conservatione ad suorum beneficiorum possessionem „ ipsius Regis auxilium implorantes, dummodò in con„temptum jurisdictionis & libertatis Ecclesiasticæ, & ut „ partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis diutiùs pertur„barent, hoc non fecerint, pœnas in dicta nostra Consti„tutione contentas nullatenus incurrisse aut debere incur„rere quovis modo. Per hoc autem nullum jus seu juris„dictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi de no„vo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, dum„tummodo conservari."

IV. Ex verbis jam relatis manifestum est, errâsse Zypæum, dum scripsit titulo *De Causa possess. & propriet. n. 1.* quòd "Franci à Martino V. privilegium impetrarunt, „ quo judex sæcularis iis (possessoriis rerum spiritualium „controversiis) ingerere se posset." Non enim Martinus V. ipsis privilegium dedit cognoscendi de possessorio *retinendæ* possessionis super beneficiis Ecclesiasticis; sed tantùm declaravit, neque per hanc, neque per quamcumque suam „ Constitutionem eidem Regi (Franciæ) & ejus Regiæ ju„risdictioni, per quam sicut asseritur, tam ipse, quàm ejus „ Progenitores super hujusmodi possessorio à tanto tem„pore, circa quod de contrario memoria hominum non „ exstitit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari vo„luisse aut velle quoquo modo."

Imò & expressè protestatur Pontifex, " se per hoc nul„lum jus seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis ei„dem Regi *de novo* acquiri velle." Evidens proinde est, nullum privilegium Francis esse à Martino V. datum; sed solummodo jus ab antiquo competens confirmatum.

V. Non dubium tamen, quin ex similibus Pontificum Declarationibus consuetudo & jus cognoscendi de possessorio Beneficiorum in tribunalibus laicalibus non parum fuerit firmatum; ipsique judices Regii magis obfirmati.

Unde Guilielmus Benedicti dicto loco citatis ad marginē

hâc Bullâ Martini V. necnon Litteris Leonis X. ad Curiam Regiam Tolosanam, quibus stylum & consuetudinem Franciæ in hoc puncto clarè approbare videtur, subdit: "Ex quibus resultat, Judices Regios sine scrupulo conscientiæ cognoscere posse de tali possessione, postquam Summi Pontifices, qui potestatem super hoc dispensandi habent, scienter hoc tolerârunt tanto tempore, quinimò approbârunt, ut videtur."

VI. Quin & illud admodum verisimile est, quòd ex hac Bulla, tametsi ad solum Regem Franciæ datam, alii quoque Reges & Principes consuetudinem & simile jus securiùs sibi asseruerint. Cujus vel ipse Salgado *De Protect. Regia parte* 1. *Præludio* 5. *n.* 293. testis est. Relatâ enim hac Bullâ ait: "Licèt sit inducta in favorem Regum Franciæ, tamen ejus decisio & determinatio generalis est, & universaliter comprehendit omnes Reges & Principes simile jus & consuetudinem immemorialem habentes."

VII. In Belgio sub finem sæculi XV. stabilitam fuisse consuetudinem disceptandi *possessorium* in causis Beneficialibus coram judicibus Regiis, patet ex Edicto Philippi Archiducis die 20. Maii 1497. quo cavetur, ut nullus vigore Bullæ, aut provisionis Papalis trahatur extra patriam; sed, quæstione incidente, si sit in *possessorio*, accedatur ad ipsum *Principem* aut ejus Officiarios, ad quos ipsa cognitio spectat; & in *petitorio* ad Ordinarium. Verba sunt: *Et semblablement que nul (quel qu'il soit) pour raison desdicts benefices estans en nosdicts pays ne attraye noz subjectz ny autres y resident, par vertu desdictes Bulles & Rescriptz de Cour de Rome: ains s'aulcune chose ilz veullent demander, à la cause dicte, le facent, s'il c'est en possoire, pardevant nous ou noz Officiers, ausquelz la connoissance en appertiendra, & en petitoire, en premiere instance, pardevant l'Ordinaire en nosdicts pays.* Id est: similiter ut nemo (quiscumque fuerit) ratione Beneficiorum sitorum in dictis nostris Provinciis, ullum subditorum nostrorū aut aliorum in iis commorantium, vi dictarum Bullarum & rescriptorum Curiæ Romanæ in jus vocet: verùm si quid volent obtinere in dicta causa coram Nobis aut Ministris nostris, si de possessorio agatur, compareant, ad quos hujusmodi cognitio spectabit. In petitorio verò in prima instantia, coram Ordinario in dictis nostris Provinciis.

VIII. Jus hoc Regis judicandi de *possessorio* rerum spiritualium primitùs consuetudine magis quàm aliquâ positivâ Ordinatione apparet inductum fuisse; idque sensim & per gradus.

Et quidem citata Bulla Martini V. tantùm meminit juris cognoscendi de possessorio *retinendæ* possessionis; quod & *recuperandæ* complectitur, ait Zypæus loco citato *num.* 2. juxta generale remedium Can. *Reintegrandæ.*

IX. In Concordatis Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem de anno 1541. *tit.* 4. §. 1. & 2. possessorium *retinendæ* & *recuperandæ* possessionis defertur judici sæculari; interdictum verò *adipiscendæ* judici spirituali relinquitur.

X. Similiter Guido Papæ Consiliarius in Senatu Gratianopolitano circa annum 1440. testatur, quòd "licèt hic Senatus cognosceret de possessorio *retinendæ* & *reintegrandæ* in Beneficialibus, equidem in possessorio *adipiscendæ* non consueverat Curia de eo cognoscere, cùm plus habeat proprietatis, quàm possessionis." *Decis.* 1.

XI. Causam enim possessorii assumpserunt judices Regii vel hoc titulo, quòd possessio *in facto*, & non *in jure* consistat. Quæ autem *facti* sunt, non spiritualia, sed potiùs temporalia censentur. Possessio enim non dicitur spiritualis, ut ipsa proprietas, sed potiùs *temporalis*, ait Guido Papæ *Decis.* 1. Et Aufrerius *Reg.* 2. *Fall.* 24. post Glossam in *Cap.* Cùm dilectus, 32 *De Elect.* ait: "Quando agitur de possessorio de jure spirituali, non agitur *spiritualiter*, & ideo non est tractanda tamquam spiritualis." At in interdicto *adipiscendæ* nihil *facti*, sed tantùm *juris* versatur; ideoque & hoc possessorium ad Senatum Regium non spectare judicavit Senatus Sabaudiæ apud Antonium Fabrum in Cod. *lib.* 3. *tit.* 7. *defin.* 1.

XII. Illud sanè compertum est, cognitionem possessorii judicibus laicis delatam esse, quòd crederetur, non *juris*, sed *facti* quæstionem versari. Unde Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *cap.* 41. objiciens sibi, quòd judex sæcularis dando manutenentiam in materia Beneficiali videatur se immiscere rebus spiritualibus, ait: "Quia in isto casu non immiscet sese rebus spiritualibus, nec spirituales res tractat, nec exercet, sed tantùm quod est merè sæculare: dum lites, contentiones, & turbationes à suæ Reipublicæ subditis arcet & prohibet."

XIII. Imò verisimile est, quòd Concilia Regia, cùm primùm de *possessorio* cognoscere cœperunt, ipsum jus Contendentium parùm examinâsse: sed cùm contingeret, duos de Beneficio contendere, ac unus alterum è possessione via facti extrudere, atque per vim se in ea manutenere vellet, Concilia Regia, ut hos tumultus, qui in seditiones non raro degenerabant; imò nonnunquam inter Principes aut Nobiles bella quædam excitabant, præcipuè dum de Episcopatibus inter personas potentes quæstio incidebat, ut hos, inquam, tumultus compescerent, *summariè* atque *de plano* de causa cognoscebant, ad decernendam illi, qui apparentius jus habere videbatur, nudam ac simplicem possessionem *facti*; eumque in hac possessione contra violentias adversarii tuendum, donec per legitimum judicem Ecclesiasticum de ipso jure plenè judicatum esset. Unde Jodocus Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *c.* 41. *n.* 4. ostendit, quòd judex Regius, dando manutenentiam, non tractet res spirituales, sed tantùm *merè sæculare*: "Dum (ait) lites, cõtentiones, & turbationes à suæ Reipublicæ subditis arcet & prohibet." Simile ex Andræa Gail tradit in notis ad citatum locum Damhauderi Nicolaus Toldenus, dicitque hoc jus fundatum in jure communi: "Nam quoties (inquit) de *possessione* inter duos pluresque contentio est, ita ut uterque possidere se contendat, & res ob litigiosam possessionem ad *arma* spectare videatur, tunc judicem ex officio, vel parte petente possessionem sequestrare posse rei controversæ citatis partibus, ut certâ die compareant, & jura sua possessoria *summariè* deducant, interimque ab *armis abstineant*."

XIV. Unde nec primitùs nota fuisse apparet distinctio inter *recredentiam*, ut nostri vocant, sive *momentaneam* possessionem, & *plenum* possessorium; quæ sensim invaluit, & hodie usitatissima est, præsertim in materiis Beneficialibus.

Cùm enim in his possessio justa esse nequeat sine titulo Canonico, qui in *Cap.* 1. *De Regulis Juris in* VI. vocatur *Institutio Canonica*, cœperunt prætextu possessorii plenum super titulis examen instituere, ut de possessione judicarent. Hoc autem examen quia non raro longiores moras requirit, ne beneficium medio tempore necessario ministro destituatur, qui & functiones obire, & proventus colligere queat, introducta est prædicta possessorii distinctio; ut per *recredentiam* interim, dum *plenum* possessorium discutitur, beneficio de ministro provideatur.

XV. Recredentia enim est interlocutoria, quam judex dat, processu durante, in materia novitatis, manutenentiæ, aut in aliis materiis possessoriis, super usu fructuum, aut rei litigiosæ, ait Damhauderus in Praxi Rerum Civil. *cap.* 147.

Dicta autem *recredentia*, quasi *rei credentia*, quòd res, fructus, & possessio rei, ei potiùs, cui *recredentia* adjudicatur, credenda credatur; *interim* scilicet, quousque plenius res ipsa discussa, & in pleno possessorio definita fuerit.

XVI. Recredentia enim non habet effectum, nisi quousque lis duraverit proprietatis vel possessionis; idque sine præjudicio partis adversæ, si hæc in pleno possessorio vincat.

Neque enim fructus aut emolumenta rei Recredentiario absolutè & irrevocabiliter addicuntur; sed tantummodo quasi ejus fidei *interim* creduntur, seu quasi penes ipsum sequestrantur, restituendi parti adversæ, si plenum possessorium huic adjudicetur; uti notat Rebuffus in *Tract. de Caus. Benef. possess. art.* 1. *Gloss. num.* 18. cui consonat *art.* 41. Ordinationum Curiæ Brab.

XVII. Hæc insuper declarant, à recredentiario præstan-

standam esse sufficientem cautionem de restituendis & reddendis illis fructibus, quos pars adversa lucrari & habere potuisset, si actualiter possedisset: *Behoudelyck goede ende sufficiente cautie van te restitueren ende vveaerkeren al sulcken vruchten, als de partye soude moghen vvinnen ende hebben, ingevall hy actuelijcken possedeerde.* Id est: Additâ legitimâ sufficienteque cautione de restituendis reddendisque iis fructibus, quos lucrari pars adversa & obtinere posset, si actu possessione foret gavisa.

Quomodo, quando, & quæ cautio præstanda sit, latè explicat Rebuffus in Tractatu De Sententiis executorialibus *art.* 1. *Gloss.* 15. & 16.

XVIII. In materia autem Beneficiali quoad recredentiam, qui titulum habet, & exhibet, præfertur illi, qui titulum non habet, ait Rebuff. de Causis Benef. possess. *art.* 3. *num.* 7. quia tunc *apparentiorem* censetur habere titulum, cum alter nullum producat. Et ut notat *n.* 8. judices in judicanda recredentia duo maximè attendere debent, videlicet titulos partium, & earum capacitatem: & adjudicare recredentiam habenti apparentiorem titulum, si capax sit & idoneus; quod & indicant Ordinationes Curiæ Brabantiæ, quæ volunt, ut si altera partium suo tempore non reproduxerit suos titulos, hæc excidat *recredentiâ*, quæ adjudicabitur illi parti, quæ suos titulos exhibuerit.

XIX. Ut ergo faciliùs ac sine longa mora, ut minùs recredentia alteri partium adjudicari queat, debent partes statim in initio litis exhibere suos titulos, quemadmodum tum in Gallia per Ordinationem Francisci I. *art.* 10. tum in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 439. cautum est.

XX. Id consonat Concordatis Brabantiæ, quæ optant lites super possessorio abbreviari, ne diu Beneficia vacare contingat; atque propterea *tit.* 4. *art.* 1. dicitur: "Expe-„diens tamen esset, quòd Princeps tempus terminanda-„rum litium super possessorio statueret, ne Beneficia diuti-„nam vacationem patiantur."

XXI. Nomine *tituli* autem veniunt omnia acta, quæ tribuere queunt jus ad beneficium; ut sunt litteræ præsentationis, collationis, institutionis, litteræ testimoniales approbationis super sufficientia doctrinæ & morum, vulgò *Visa*, acta captæ possessionis, &c.

XXII. In Ordinatione Francisci I. *art.* 3. non tantùm titulorũ exhibendorum, sed & *capacitatum* mentio fit in verbis: *Et par faut d'exhiber, se fera avjudication de recreance ou mauntenue sur les tiltres* & CAPACITEZ *de celuy qui aura forny.* Id est: Defectuque exhibitionis adjudicabitur recredentia aut manutenentia illi, qui de titulis & capacitatibus docuerit.

Hoc nomine *capacitez* veniunt acta, quæ probant capacitatem personæ, ut sunt extractum ex Registro Baptismali, quo v. g. legitimitas, ætas, vel locus originis aut Baptismi probantur, litteræ Tonsuræ, Ordinis, vel Gradûs Academici, aut similium pro conditione beneficii.

XXIII. Apud Gallos aliquando usitatum fuisse, ut judices duos facerent distinctos processus & instantias: unum super *recredentia*, & alterum super *pleno* possessorio: ita ut prolatâ sententiâ *recredentiæ*, de *novo* inchoarent processum super *pleno* possessorio, notat Rebuffus in citato Tractatu *art.* 10. & in Belgio quoque obtinuisse verisimile credit Nicolaus Tuldenus in notis ad *Caput* 147. Damhouderi.

XXIV. Verùm, cùm conveniat lites super Beneficiis citò terminari, tam in Gallia, quàm hìc in Belgio ordinatũ fuit, ut non fiant imposterum *duo distincti* processus super recredentia & pleno possessorio; sed ambo jungantur & instruantur per *unicum* processum, uti habet citata Ordinatio Francisci I. *art.* 10. & Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 440. addentes insuper, quòd Advocatus, qui separatim in his materiis scripserit, condemnabitur in mulctam 10. Carolinorum, *Carels-guldens*, applicandorum ærario Regis, & suspendetur à suo officio ad sex menses.

XXV. Hinc tamen nullatenus concludendum est, vetitũ esse, *separatim* ferri duas sententias, alteram *recredentiæ*, & alteram *pleni possessorii*, uti monet Rebuffus, & quotidiana praxis observat; supponuntque citatæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 441. quo injungitur, ut titulis hinc inde per partes reproductis, ipsi de Curia Brabantiæ mox de causa discernant, ut minùs quoad recredentiã super titulis & munimentis ab utraq; parte allegatis: *Naer dien de voorf. materie possessoire van Beneficien alsoo geinstrueert sal zyn, soo sullen die van onsen voorschreven Raede gehouden zyn te vuyten ten minste de recredentie, op de voorschreven titulen ende munimenten van beyden syden geproduceert.* Id est: Cum verò præfata materia de possessorio Beneficiorũ hoc modo ordinata fuerit, tenebuntur ii de dicto nostro Consilio ut minùs decernere recredentiam ratione prædictorum titulorum & momentorum causæ utrimque productorum.

XXVI. In adjudicanda recredentia judex tantùm summariè se informare solet, atq; ex actis sive hinc inde reproductis instrumentis dispicere, quis apparentiorem titulum habere videatur; & cui omnibus expressis possessio *per interim*, quousque *plenè* causa fuerit discussa, & pleniùs de jure contendentium constiterit, sit *credenda*.

XXVII. Monet autem Rebuffus in tractatu *De Sentent. execut. art.* 1. *Gloss.* 5. *n.* 3. quòd "numquam recredentiæ „sententia proferri debeat, quando plenum possessorium „potest expediri sine alia probatione: utpote quando non „sunt aliqua facta allegata, sed ex ipsis titulis potest „ipsum Beneficium dijudicari."

Recredentialis autem sententiæ executio habetur non obstante oppositione aut appellatione; quemadmodum habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 443. duratque ejus effectus, quousque per sententiam definitivam *in pleno possessorio* fuerit retractata. De quo vide Antonium Fabrum in Cod. *lib.* 1. *tit.* 2. *Def.* 95.

XXVIII. Adjudicatâ recredentiâ, si nimirum materia & causæ status eam requirere videatur, tunc ulteriùs causa instruitur, & *plenariè* de titulis & juribus ipsarum partium judices cognoscunt, eaque discutiunt; ut appareat, quis Canonicam possessionem habeat, atque in ea manutenendus sit; & cui per sententiam definitivam *plenum* possessorium adjudicandum sit.

XXIX. Hinc evidens est, hodie in possessorio judices non tantùm de mero & nudo *facto* possessionis cognoscere, sed totum & integrum jus discutere: ut ex *jure* dijudicent, cui possessio, quæ sine Canonica institutione, sive Canonico titulo haberi nequit, adjudicanda sit.

Proinde dubitari non potest, quin reverà hodie judices Regii in judicio possessorio rerũ spiritualium examinent & tractent ipsum *petitorium*, sive *jus* ipsum; quamvis sententiam dicendo, non super ipso petitorio, sed possessorio dumtaxat pronuntient.

XXX. Quare mirum non est, si & tandem unà invaluerit, atq; in Gallia & in Belgio decretum sit, quòd possessorium & petitorium simul intentari non possint; ut habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 445. Cùm enim in possessorio tituli & jus litigantium examinentur & discutiantur inconveniens sanè visum est, si eodem tempore in *petitorio*, coram judice Ecclesiastico discuterentur.

XXXI. Quin & eodem articulo, uti & in Ordinatione Francisci I. Regis Franciæ *art.* 12. decernitur, quòd intentato possessorio non possit intentari petitorium, quamdiu materia possessorii per sententiam definitivã plenè terminata non fuerit, ipsiq; sententiæ totaliter satisfactum fuerit, tam quoad principale, quàm fructus, damna & interesse, si hæc adjudicata sint, nisi per illum, in cujus favorem sententia lata fuit, fieret, quòd executio non haberetur.

XXXII. Quandonam juxta has Ordinationes censeatur satisfactum *integrè* ipsi possessorio, ut petitorium intentari queat, consule Rebuffum in tractatu *de Causis Benef. possess. art.* 12. ubi inter alia notat, quòd licèt in Ordinatione Regia, uti & in citatis Ordinationibus Curiæ Brabantiæ, nihil dicatur de *expensis* litis, nihilominus & has comprehendi; & debere esse solutas, antequam petitorium coram judice Ecclesiastico intentari possit.

XXXIII. Sententia autem definitivè in *pleno* possessorio pro-

prolatâ, & tam quoad ipsum principale, quam accessoria executioni mandatâ, tunc liberum est parti victæ intentare *petitorium* coram judice Ecclesiastico, si possessorium fuerit in materia Ecclesiastica ad forum Ecclesiasticum spectante.

XXXIV. Si tamen ab ipsa sententia in possessorio lata sit appellatum, appellatione pendente super possessorio, petitorium intentari nequit: quia ipsum possessorium necdum *totaliter* censetur evacuatum, sive absolutum; uti notat Rebuffus in Tract. *de Causis Benef. possess. art.* 12. *n.* 3. & Wamesius noster *Cons. Can.* 82. & notoria praxis consonat.

XXXV. Soli quidem judices Regii in Gallia, uti & in his partibus, de possessorio in materia Ecclesiastica judicant, quemadmodum observat Rebuffus *de Sentent. execut. art.* 1. *Gloss.* 11. non tamen soli judices *supremi*, sed & subalterni, sive à quibus ad supremam Curiam appellatur; ut sunt in Belgio Concilia Provincialia, putà Flandriæ, Namurcense, &c. à quibus ad Parlamentum Mechliniense à sententia super *pleno* possessorio in materia Ecclesiastica quotidie appellatur, eâque appellatione pendente, petitorium manet in suspenso.

XXXVI. Porrò petitorio intentato, & coram judice Ecclesiastico pendente, effectus sententiæ latæ in pleno possessorio non sistitur; nec ii, cui possessorium adjudicatum est, in sua possessione quoquo modo turbari potest prætextu intentati petitorii, quamdiu ipsum petitorium coram judice Ecclesiastico *plenè* evacuatum & absolutum non est. Non censetur autem petitorium esse plenè adjudicatum, nisi per tres sententias conformes fuerit judicatum; si nimirum toties fuerit appellatum.

XXXVII. Mirum proinde videri non debet, quòd rarò in Beneficialibus aliisque Ecclesiasticis causis intentetur petitorium coram judice Ecclesiastico, postquam plenum possessorium in Curia Regia fuit adjudicatum; quia scitur, sæpissimè tantam temporis moram requiri, ut verisimilius ipse finis vitæ præveniret ipsum finem litis.

XXXVIII. Accedit, quòd cùm hodie in causis possessorii examinentur & discutiantur *plenariè* omnes tituli, quibus ipsa possessio innititur; non sine fundamēto credatur, quòd & in *possessorio* succumbet, qui in pleno possessorio victus fuit. Quare refert Fevretius de Abusu *lib.* 4. *c.* 11. *n.* 6. aliquando in Parlamentis Galliæ judicatam fuisse abusivam citationem in *petitorio* post absolutum & adjudicatum *plenum* possessorium; quasi injustum & inordinatum esset, rursus titulos examinare coram judice Ecclesiastico, qui ad plenum in Regio Senatu discussi fuêre; atque per intentatum petitorium, ipsas materias, præsertim Beneficiales, durante vitâ Beneficiati, æternizare. Nihilominus ipse Fevretius fateri debet, & juxta jus commune, & ipsas Regias Ordinationes petitorium posse coram judice Ecclesiastico, evacuato possessorio, intentari. Quod & ipsa Concordata Brabantiæ *tit.* 4. *art.* 1. expressè permittunt; optantque à Principe tempus terminandarum litium super possessorio statui, *ut quæstio petitoria citiùs institui & terminari valeat.* Videri etiam potest Tornetius in sua Collectione Arrestorum *lit. P. art.* 138. 140. & 147. atque hoc ultimo articulo indicat, aliquando inhibitum, intentari petitorium post absolutum plenum possessorium; quin & ibidem notat, anno 1613. Parlamentum sibi attraxisse causam cujusdam Presbyteri, qui coram judice Ecclesiastico litigabat pro obtinenda portione congrua, eique per provisionem aliquam portionem assignâsse; quia ob frequentes appellationes, & difformes à variis judicibus latas sententias, nihil obtinere à judice Ecclesiastico poterat; quo fiebat, ut Ecclesia interim viduata à suo ministro maneret.

XXXIX. Videtur indicare Philippus Probus ad Sanct. Pragmat. *tit. De Electionibus*, *Cap.* LICET §. SUPER OMNIBUS, quòd suo tempore cognitio de *possessoriis* Beneficialibus competeret judicibus Regiis *non privativè*, sed *cumulativè* cum Ecclesiasticis. Sed hîc rursus certò auctoritas judicum Regiorum crevit, ipsaque possessoria non cumulativè, sed *privativè* ad ipsos transierunt. Unde ad citata verba Philippi Probi notavit in margine Franciscus Pinsonius: "Istud non servatur circa possessoriam litium cognitionem judicibus sæcularibus competentem etiam *privativè*." Quod & Concordata Brabantiæ, saltem quoad possessorium *retinendæ & recuperandæ* præscribunt, reservantque *privativè* ipsis judicibus sæcularibus hujus possessorii cognitionem.

XL. Reservant quidem hæc Concordata interdictum *adipiscendæ* possessionis judici Ecclesiastico; sed tamen id non impedit, quò minùs omnes passim quæstiones in materia Beneficiali titulo possessorii ad Regia Tribunalia deferantur; nam mox ut collatio Beneficii habetur, si possessio realis haberi nequeat, capitur possessio, quam *juris* vocant, coram Notario; quam ut sufficientem ad fundandum possessorium *retinendæ possessionis* Concilia Regia recipiunt, notat Zypæus *tit. De Causa poss. & propriet. num.* 2.

XLI. Quamvis enim reipsa hodie judices Regii de omni penè quæstione in materia Ecclesiastica cognoscant non tantùm de possessorio, sed & de petitorio; ut tamen priscis formulis insistere videantur, solumque possessorium, quod *facti* est, sibi attribuere, nunquam de petitorio aut jure ipso pronuntiant; sed tantùm super possessorio, declarando, hunc illumve esse *manutenendum in sua possessione*; sive literas *manutenentiæ* rectè vel malè obtentas.

XLII. Ut enim quæstio in materia spirituali seu Ecclesiastica ad Tribunal Regium deferatur, peti solet *manutenentia*, quæ est "quædam provisio, imò veriùs quoddam Principis vel Concilii sui, beneficium, quo aliquem pacificum possessorem, metuentem tamen ex ea ejici, aut exturbari, in eadem sua quieta possessione tenet, servat, & quasi manutenendo suâ authoritate tuetur."

XLIII. Ita Damheuderus in Praxi Rerum Civilium *cap.* 41. *num.* 1. additque *nu.* 2. quòd quamvis hoc vocabulum sit recens, tamen aptum sit ad significandum, "quòd possessor in possessione sua per Principem manuteneatur, & in ea permanere jubeatur, cum interdictione omnium, qui ad hanc quietam possessionem contradicere velint, & id donec per justitiam alius potiùs jus habens instituatur, manutentus iterum ejiciatur."

Unde si exteriorem formam manutenentiæ, ipsumque litterarum manutenentiæ tenorem dumtaxat consideremus, diceretur, judices Regios de nuda *facti* possessione cognoscere, ac id unicè præcavere ne pacificus possessor vi *facti* inquietetur: licèt plus reipsa sibi attribuant.

XLIV. Quare & hodie duo pro obtinendis litteris manutenentiæ requiruntur. Primò possessio, de qua saltem summariè apparere debet; quemadmodum in ipsis Litteris manutenentiæ expressè etiam exprimitur; præscribiturque in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 438. quòd qui anno uno fuit extra possessionem, manutentiam habere nequeat.

XLV. Secundò requiritur turbatio *facti*, quæ generaliter fit per quemcumque actum, quo quis non sinit liberè & quietè res nostras possidere, ut ait Rebuffus in Tract. *De Materia possess. art.* 1. *Gloss.* 2. *num.* 36. ubi & plures modos turbationis enumerat, aitque *num.* 39. quòd quis teneatur exprimere modum & qualitatem turbationis, nisi ex actis appareat.

XLVI. Verùm quia qualiscumque possessio etiam *juris*, necnon qualiscumque turbatio facilè admittitur, ut Litteræ *manutenentiæ* concedantur; fit, ut omnes passim causæ Ecclesiasticæ titulo *manutenentiæ* sive possessorii ad Tribunalia Regia trahantur, ipsaque Tribunalia Ecclesiastica iis priventur.

XLVII. Et quod mirum est, passim ipsimet Ecclesiastici amant, quin & omnem operam impendunt, causas suas Beneficiales aliasque Ecclesiasticas apud Regia Tribunalia potiùs, quàm apud Ecclesiastica examinari, & dijudicari; quod ex hodierna forma procedendi in foro Ecclesiastico, magna ex parte provenire indubitatum est.

XLVIII. Juxta hodiernū enim procedendi & litigandi morē & stylu in judiciis Ecclesiasticis servari solitum, quiq; ab aliquot sæculis irrepsit, nemo nescit, penè citiùs expectandum esse [illegible] ultu-

litigantibus finem vitæ, quàm finem litium, plusque & diutius tumultibus & jurgiis forensibus implicandos litigantes coram Judice Ecclesiastico, quàm Regio. Ut non dicam, quòd ordinariè de capacitate Officialium judiciis Ecclesiasticis præsidentium non ea sit opinio & persuasio in causis, præsertim arduis discutiendis, quæ habetur de Senatibus Regiis: quorum & in judicando integritas sæpè partibus est magis perspecta, quàm ipsorum Officialium: quemadmodum in progressu Operis, ubi & forma judiciorum, & appellationum frequentia, item de Officialibus singillatim tractabitur, latiùs ostendetur.

XLIX. Indubiè dolendum est, causas Ecclesiasticas, ipsasque quæstiones & difficultates inter Ecclesiasticos exorientes passim ad laicalia Tribunalia deferri, ipsosque laicos constitui judices & arbitros harum controversiarum; & qui à Sacerdotibus judicari & instrui deberent, ipsos Sacerdotes instruere & judicare debeant, & eorum quæstiones decidere: ut meritò Ecclesiasticis hodie dici queat, quod Christianis ad judicia Gentilium confugientibus exprobrabat Apostolus: *Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum.*

L. Et quamvis nemo non dubitet, id in non exiguum dedecus Ecclesiæ & opprobrium Cleri cedere, spes tamen exigua id emendandi affulget, nisi ille forensis litigandi modus & dilationum & appellationum frequentia è judiciis Ecclesiasticis tollatur. Unde Episcopis & judicibus Ecclesiasticis querentibus suam jurisdictionem diminui, imò quasi totaliter aboleri, non immeritò dicetur, quod ad Eugenium Papam scripsit S. Bernardus *lib. 1. De Consid. c. 10.* "Agitentur causæ, sed sicut oportet. Nam is modum qui frequentatur, execrabilis planè, & qui non dico Ecclesiam, sed nec forum deceret. Miror namque, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis. Corrige pravum morem ... Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio."

LI. Interim dum hæc judiciorum Ecclesiasticorũ emendatio haberi non potest, Episcopi tenentur, quantum possibile est, intendere, ut lites & controversias more antiquo & ad mentem Apostoli & Ecclesiæ, præsertim inter Clericos super Beneficiis aliisque materiis Ecclesiasticis sinè forensi strepitu componant; seque ita in omnibus gerere, ut Clerici eam de ipsorum integritate, & in judicando æquitate concipiant fiduciam, ut libenter quæstiones ipsorum judicio & arbitrio decidendas subjiciant, exemplo S. Caroli, de quo scilicet Auctor vitæ ejus *lib. 7. c. 7.* "De litibus est memorabile, Notariis Scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quæ de Beneficiis tam frequentes alibi inter Clericos esse solent, penè dediscerent. Nulla enim eo vivente lis erat ejusmodi. Vocatus quisque, nihil agitans, ne cogitans ferè quidem, Beneficium accipiebat, sine controversia retinebat, sine auctoritate sui antistis non dimittebat aut permutabat.

Ut hoc ubique per suam Provinciam obtineret, in Concilio VI. Mediolanensi statuit: "Antequam litis reive alicujus judicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controversias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare, &c. Sin autem id assequi non poterunt, id saltem curent, ut lites breviùs, quàm in foro laicali moris est, definiantur."

TITULUS III.

De Jurisdictione Criminali.

CAPUT I.

Quæ jam pridem fuerit auctoritas Judicis Ecclesiastici in puniendis delictis Clericorum.

1 *Auctoritatem vindicandi crimina Magistratibus Civilibus detulit Apostolus.*
2 *Imperatores correctionem eorum, quæ contra religionem & disciplinam Ecclesiasticam committuntur, permiserunt Judici Ecclesiastico.*
3 *Constitutio Valentiniani Imp. delictorum hujusmodi correctionem Episcopis asserens.*
4 *Sensum hujus Constitutionis exponit S. Ambrosius.*
5 *Delicta civilia Clericorum judicibus publicis in hac Constitutione reservata.*
6 *Eamdem delictorum distinctionem adstruunt Imp. Arcadius & Honorius.*
7 *Eadem occurrit in Constitutione sub nomine Valentiniani Junioris & Theodosii.*
8 *Hinc invaluit divisio delictorum in Ecclesiastica & communia, quæ hic describuntur.*
9 *Ecclesiastica Ecclesiastico, communia Civili Judici delata.*
10 *An hæc distinctio per Honorium Imp. aliquando fuerit sublata?*
11 *Certum est, Justinianum Imp. eâ distinctione usum esse.*
12 *Non vult tamen Clericum capitaliter puniri à Judice Civili, nisi ab Episcopo exauctoratum.*
13 *Constitutio Justiniani in compendium contracta.*
14 *Posteriore suâ Constitutione cavit Justinianus, Clericum à Judice sæculari non damnandum nisi probante Episcopo.*
15 *Id conforme Canonibus sub id tempus editis.*
16 *Sensim omnium delictorum Clericorum sine distinctione cognitio & punitio Judici Ecclesiastico* privativè *delata.*
17 *Id supponunt Capitularia Regum Francorum.*
18 *Ratio hujus disciplinæ assignatur.*
19 *In recentioribus legibus nulla prædictæ distinctionis delictorum mentio.*
20 *Sæculo II. etiam crimen* furti *à Clerico commissum Judici Ecclesiastico reservatum.*
21 *Articulus Henrici II. Regis Angliæ, quo volebat laicos de aliquibus delictis Clericorum cognoscere, reprobatus.*
22 *In Gallia quoque* indistinctè *crimina Clericorum Judici Ecclesiastico deferebantur.*
23 *Ob hanc disciplinam Gratianus videtur truncâsse legem sub nomine Valentiniani & Theodosii publicatam.*
24 *Immunitatem Clericorum in criminalibus generaliter expressit Fredericus Imp.*
25 *His consonat jus Decretalium.*
26 *De Jure Decretaliũ Clericus de crimine assasinatûs convictus videtur à* solo *Judice Ecclesiastico judicandus.*
27 *Clericus coram Judice* sæculari *falsum deponens, de jure debet judicari in foro Ecclesiastico.*
28 *Synodus Tridentina causas* criminales *tamquam majores Episcopis reservat.*
29 *Non tamen excluditur Officialis.*

I. PUblicam auctoritatem vindicandi crimina esse penes Magistratus civiles, quibus jus gladii est, clarissimè docuit Apostolus in Epistola ad Romanos *cap. 13.* ubi de Potestate sublimiori ait: *Non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sensus est: "Gladium gestat, sive Potestas, sive Princeps tamquam Dei minister, à quo gladium accepit, ut sit *vindex in iram*, id est, ut ejus vice ac nomine justitiam exerceat vindicativam in punien-

„dis iis, qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, „vel honestatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim „instituta est potestas *secularis*, ut & pacem publicam con„servet, & vitæ communis honestatem tueatur." Ita Estius in hunc Apostoli textum.

II. Verùm sicuti Ecclesiæ atque religionis curam crediderunt Principes Christiani ipsis Episcopis tamquam præcipuis ejus ministris, & Apostolorum successoribus, ita quoq; ipsis correctionem eorum, quæ Ecclesiasticam & religionem, ejusque disciplinam spectant, ipsis detulerunt; præsertim tamen si quid, quod hanc turbaret, à Clericis seu inferioribus Ecclesiæ ministris fieri contingeret.

III. Extat hac de re Constitutio Gratiani & Valentiniani Senioris Imp. de an. 376. in *L. 23. Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*: "Qui mos est causarum civilium, idem in nego„tiis Ecclesiasticis obtinendus est: ut si qua sunt ex quibus„dam dissensionibus, levibusq; delictis ad religionis obser„vantiam pertinentia, locis suis, & à suæ Diœceseos Syno„dis audiantur: exceptis, quæ actio criminalis ab Ordina„riis extraordinariisque Judicibus, aut illustribus potesta„tibus audientia constituit.

Nequaquam obscurum est, Ecclesiasticis Synodis, sive conventibus deferri correctionem delictorum, quæ contra Ecclesiasticam disciplinam aut religionem committuntur: *si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad* RELIGIONIS *observantiam spectantia.*

IV. Id voluisse Valentinianum, indicat quoq; S. Ambrosius, de hac Lege ad Valentinianum Juniorem scribens *epist.* 13. "Nec quisquã contumacẽ judicare me debet, cum „hoc asseram, quod Augustæ memoriæ pater tuus non so„lùm sermone respondit; sed etiam Legibus suis sanxit: in „causa fidei vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare „debere, qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc „enim verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdo„tibus voluit judicare, quin etiam si aliàs quoque arguere„tur Episcopus, & morum esset examinanda causa, etiam „hæc voluit ad Episcopale judicium pertinere."

V. Sed quid de civilibus delictis Clericorum, quæ ipsam Reipublicæ tranquillitatem turbant, & cum Laicis communia sunt? Hæc judicibus publicis detulisse videtur his verbis: "Exceptis his, quæ actio *criminalis* ab ordinariis, extraor„dinariisque judicibus aut Illustribus potestatibus audien„tia constituit." Hic pro *audientia* legendum esse, *audienda*, rectè notasse videtur Jacobus Gothofredus: ut sensus sit, ea accipienda esse, quæ actio *criminalis* efficit, ut ab ordinariis vel extraordinariis judicibus, aut illustribus potestatibus *audienda* sint.

VI. Qua distinctione etiam Imperatores Arcadius & Honorius anno 399. usi videntur in *L. 1. Cod. Theod. De Religione*, dicentes: "Quoties de *Religione* agitur, Episcopos „oportet judicare; cæteras verò causas, quæ ad ordinarios „cognitores, vel ad usum *publici* juris pertinent, *Legibus* „oportet audiri."

VII. Levia ergo seu religionem ac morum sanctitatem lædentia Clericorum delicta & causas ad Episcopale judiciũ spectare voluère prædicti Imperatores; publica autem, quæ regimen ac politiam Reipublicæ concernunt, eamque nata sunt perturbare, publicis judicibus reservant: quod & probat *L. 3. Cod. Theod. De Episcopali Jud.* quæ Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio inscribitur, ubi decernitur, "nomen Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ „necessitatibus serviunt, ne ad judicia sive ordinariorum, „sive extraordinariorum judicum pertrahatur: habent illi „judices suos, nec quicquam (vel potiùs *quidquam*) his pu„blicis commune cum legibus, *quantum* (inquiunt) *ad* „*causas tamen* ECCLESIASTICAS *pertinent*, quas decet Epi„scopali auctoritate decidi."

Additur & in eadem Lege, quòd si quæstio mota fuerit, quæ ad *Christianam* pertineat *Sanctitatem*, tunc eos decebit sub eo judice litigare, qui *Præsul* est in suis partibus *omnium Sacerdotum*. Quidquid verò negotiorum *aliunde* incidet, id ipse Præses Provinciæ terminabit.

VIII. Ex his ergo legibus deduxerunt Doctores, duo genera delictorum in Clericis esse distinguenda; ut nimirum alia sint delicta *Ecclesiastica*, alia vero *communia*. Priora dici illa, quæ committuntur propriè contra disciplinam Ecclesiasticam, & ordinem sive statum Ecclesiasticum; quæque pœnis Canonicis, putà exauthoratione, vel communionis privationis, aut Ordinis suspensione castigantur. Hæc Ecclesiastica meritò vocantur, quia ab Ecclesiasticis ut *Ecclesiasticis* committuntur.

Communia dicunt, quæ jure communi & *publicis* Legibus vindicantur, nec propriè contra Ecclesiasticam disciplinam, sed contra regimen politicum perpetrantur; quæq; Clerici non ut *Ecclesiastici*, sed ut Reipublicæ cives committunt; Nam ut rectè Card. Bellarminus *lib. 1. de Clericis cap. 18.* Clerici præterquam quòd Clerici sunt, etiam ci„ves & partes reipublicæ."

IX. Quæ ergo *Ecclesiastica* erant, Episcopis vindicanda permittebantur; quæ verò *communia*, etiam communibus & ordinariis judicibus deferebantur: idque exemplo *militum*, quorum crimina sive admissa, quia aut *propria*, aut cum *aliis communia*, etiam & persecutio aut *propria*, aut *communis* est, ut ait Jurisconsultus in *L. 2. ff. De Re militari*.

X. Credunt nonnulli, eam delictorum distinctionẽ quoad immunitatem Clericorum à judicio sæculari sublatã per Honorii Imp. Constitutionem an. 412. relatam *L. 41. Cod. Theod. De Episc. & Clericis*, qua decernitur indefinitè: "Cle„ricos non nisi apud Episcopos accusari convenit." Deinde additur: "Igitur si Episcopus, vel Presbyter, vel Diaco„nus, & quicumque inferioris loci, Christianæ legis Mini„ster, apud Episcopum, siquidem alibi non oportet, à qua„libet persona fuerint accusati, sive sublimis vir honoris, „sive ullius alterius dignitatis, qui hoc genus laudabilis in„tentionis arripiet, noverit docenda probationibus, mon„stranda documentis se debere inferre."

Verùm non obstante hâc indefinitâ expressione credit Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem post Medotum in tractatu De Delicto communi & privilegio, Honorium non recessisse ab Antecessorum suorum Constitutionibus, tantùmque de *Ecclesiasticis* delictis loquutum esse, quod ex ipsis verbis legis ostendere conatur Gothofredus.

XI. Quidquid sit, certum est, Justinianum Imperat. eam rursus delictorum differentiam observâsse in *Novella* 83. ubi in præfatione §. 2. ait: "Si tamen (Clerici) de crimi„nibus conveniantur, si quidem *civilibus*, hîc quidem „competentes judices, in Provinciis autem earum Præsides „sive judices," &c. Deinde *cap. 1.* subdit: "Si verò *Ec*„*clesiasticum* sit delictum, egens castigatione Ecclesiasticâ „& mulctâ, Deo amabilis Episcopus hoc discernat, nihil „communicantibus clarissimis Provinciæ judicibus. Ne„que enim volumus talia negotia omninò scire civiles ju„dices: cùm oporteat talia Ecclesiasticè examinari, & e„mendari animas delinquentium per Ecclesiasticam mul„ctam secundùm sacras & divinas regulas, quas etiam no„stræ sequi non dedignantur leges."

XII. Dicit quidem in prima parte, ubi de *civilibus* delictis loquitur: "Illud palam est, si reum esse putaverit eum, „qui convenitur, Provinciæ Præses, & pœnis judicaverit „dignum; priùs hunc spoliari à Dei amabili Episcopo Sa„cerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu." Id enim dumtaxat probat, Justinianum quidem voluisse, Sacerdotes accusari posse de *civilibus* delictis coram Præside Provinciæ; sed convictum non posse pœna *capitali* damnari, nisi prius per Episcopum Sacerdotali dignitate spoliatum, quod hodie per solemnem degradationem contingit; de qua infra titulo *De Pœnis Ecclesiasticis*.

XIII. Hanc Justiniani mentẽ in hac Constitutione brevi verborũ cõpendio expressit Irnerius in *Authentica* CLERICUS QUOQUE, §. 1. & 2. "Sed in *civili* crimine *civilis* præses „judex, ut lis ultra duos non egrediatur menses: nec tamen „puniatur, etiamsi reus sit inventus, priusquam per Epi„scopum Sacerdotio spolietur. Si verò crimen sit Ecclesia„sticum, Episcopalis erit examinatio & castigatio."

XIV.

XIV. At idem Imperator Justinianus in *Novella* 123. *c.* 21. decernit, Ut si quis Clericum aut Monachum vel Monialem de crimine apud judicem civilem accusaverit, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, „ tunc Episcopo locorum gesta monumentorum palam faciat; & si ex his agnoscatur, proposita crimina commisisse „ eum, tunc ipse Episcopus hunc secundùm regulas ab honore sive gradu quem habet, separet: judex autem ultio„ nem ei inferat legibus congruentem. Si verò Episcopus „ putaverit gesta non justè confecta, tunc liceat ei deferre „ & nudare honore seu gradu accusatam personam; ita ta„ men ut hujusmodi persona sub legitima cautela fiat, & i„ ta ad nos negotiū tam ab Episcopo quàm à judice referatur, ut nos hoc cognoscētes, quæ nobis videtur, jubeamus.

Noluit ergo Justinianus, Clericum etiam apud judicem civilem de crimine civili accusatum & convictum condemnari & puniri, nisi Episcopus judicis sententiam probasset, aut ipsius Principis decisio in casum dissensûs causam determinâsset.

Ex hac posteriore Justiniani Constitutione satis clarum est, Justinianum causas criminales Clericorum, non tantùm in delictis Ecclesiasticis, sed & civilibus sive communibus voluisse ab Episcopis debere approbari, priusquam executioni mandarentur; aut saltem si judex sæcularis & Episcopus dissentirent, causam ad Principem esse referendam.

XV. Id consonat Canonibus sæculi 6. qui nolunt Clericis ullam injuriam à judicibus inferri inscio eorum Episcopo; ut loquitur Synodus Matisconensis II. anno 575. *Can.* 10. Item Synodus Parisiensis V. *Can.* 4. dicens: " Ut nullus judi„ cum, neq; Presbyterum, neq; Diaconum, aut Clericum ul„ lum aut Juniores Ecclesiæ *sine scientia Pontificis* per se di„ stringat, aut damnare præsumat."

XVI. Sensim autem causas criminales sine criminum distinctione ad judicem Ecclesiasticum etiam *privativè* fuisse devolutas, tam Principum, quàm Pontificum & Synodorum posteriores sanctiones evincunt; quæ nullâ factâ delictorum distinctione, causas criminales Clericorum, Episcopis, sive judicibus Ecclesiasticis deferunt.

XVII. Libro 1. *Capitul. Regum Franc. c.* 38. sancitum est: "Ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint, apud „ Ecclesiasticos judicentur, non apud sæculares." Et *lib.* 5. *c.* 378. "Nemo audeat Clericum aut Monachum vel Sancti„ monialem fœminam ad civile judicium *accusare* sed ad „ Episcopum."

XVIII. Rursus *lib.* 7. *c.* 422. dicitur: Placuit, ut Clerici non „ distringantur vel dijudicentur, nisi à propriis Episcopis. " Rationem addit: "Fas enim non est, ut divini muneris mi„ nistri temporalium Potestatum subdantur arbitrio. Nam „ si propriorum Episcoporum jussionibus inobedientes ex„ stiterint tunc juxta Canonicas Sanctiones per potestates „ exteras adducantur, id est, per judices sæculares."

XIX. Nihil hic de distinctione delictorum occurrit, sed generaliter Clerici coram judice laico accusari vetantur; uti nec in Responsis Pontificum, aut Synodorum Decretis, quæ aliquot sequentibus sæculis publicata sunt; at generatim Clericorum accusatio coram Episcopis institui, & Clericos eorum sententiâ puniendos seu condemnandos decernitur.

XX. In Constitutionibus, quas anno 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt Legati Alexandri II. legitur: "Integram quoq; habeat Episcopus in omnem suum „ Clerum canonicè judicandi ac distringendi potestatem, „ tam in civitate quàm extra, per omnes Plebes & Capellas: „ ut dum Clerici fuerint à sæcularis judicii infestatione se„ curi in divina servitute & Canonum auctoritate consi„ stant quieti, & Archiepiscopo suo obediant devoti."

XXI. Inter consuetudines, quas Henricus II. Rex Angliæ ab Episcopis tempore S. Thomæ Cantuariensis observari, & juramento firmari volebat, erat hic articulus 3. Clerici „ citati & accusati de quacúmq; re, moniti à justitia Regis, „ venient in curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde „ videbitur curiæ Regis, quod sit ibi respondendum. Ita „ quòd justitia Regis mittet in curiam sanctæ Ecclesiæ ad „ videndum, qua ratione res ibi tractabitur: etsi Clericus „ convictus vel confessus fuerit, non debet de cætero eum „ Ecclesia tueri.„ Tomo 10. Concil. *col.* 1431.

Hunc articulum tamquam immunitati Clericali contrarium damnavit Alexander III. scripsitq; ad ipsum Regem Henricum *epist.* 10." Sicuti Clerici à viris sæcularibus vitâ „ & habitu distinguuntur, ita & judicia Clericorum à laico„ rum judiciis diversa penitus comprobantur." Monetque ut negotia Ecclesiastica & præcipuè criminalia personis Ecclesiasticis tractanda relinquat.

XXII. Circa idem tempus legitur contentio inter Ecclesiam Rothomagensem, & Wilhelmum Normanniæ Senescallum, præsentibus Baronibus composita hoc inter alios articulo:" Imprimis determinatum est de Clericis, quòd nul„ lâ occasione à sæcularibus potestatibus capientur, nisi pro „ homicidio, furto, & incendio, vel hujusmodi enormi fla„ gitio, quod ad placitum gladii pertineat, & tunc cùm re„ quisiti fuerint ab Ecclesiasticis Judicibus, quieti reddentur „ in Ecclesiastica curia judicandi.„

XXIII. Itaq; eo tempore generaliter invaluerat, ut de crimine etiam civili in Curia Ecclesiastica Clerici judicarentur. Unde Gratianus noster sub hæc tempora Decretum suum conficiens, & ad sui temporis disciplinam respiciens, referensq; fragmentum citatæ legis 3. *Cod. Theod. De Episcopali judicio*, quo asseritur immunitas Clericorum, *caus.* 11. *q.* 1. *Can.* 5. clausulam illam, *quantum tamen ad causas Ecclesiasticas* omisit, hunc constituendo Canonem: " Continua lege „ sancimus ut nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ „ necessitatibus serviunt, ad judicia sive ordinariorum, sive „ extraordinariorum judicum pertrahatur. Habent illi suos „ judices, nec quidquam his publicis est commune cum le„ gibus."

XXIV. Hanc immunitatem ita generatim ad omnia crimina extensam etiam confirmavit Fredericus Imp. in *Auth.* STATUIMUS. *Cod. de Episcopis*, qua statuit, "ut nullus Ec„ clesiasticam personam in criminali quæstione vel civili „ trahere ad judicem sæcularem præsumat contra constitu„ tiones Imperiales, & Canonicas sanctiones. Quod si actor „ fecerit, à suo jure cedat, judicatum non teneat, & judex ex „ tunc potestate judicandi privetur."

Ad eam Frederici Constitutionem rectè notat Dionysius Gothofredus, hac constitutione abrogatam fuisse constitutionem Justiniani, quæ super delicto civili Clericum coram judice civili conveniri volebat.

XXV. Hisce conformes sunt Decretales, quæ hodie jus commune Canonicum constituunt, generalem immunitatem sive privilegium fori Clericis de quocumq; crimine reis vindicantes.

Et quidem ex litteris Innocentii III. ad Archiepiscopum Pisanum refertur in *c.* 12. *X. De Foro comp.* "Tam Episcopi, „ quàm Diaconi, seu quilibet Clerici, in *criminali* negotio, si „ derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis se purgare „ voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum a„ mittant."

XXVI. Imò adeo extensum est hoc fori privilegium in causis criminalibus ex communi Canonistarum sententia, ut nec de crimine assasinatus contra Clericum cognoscere posse judicem laicum sustineant; neq; à judice laico ob hujusmodi crimen puniri, nisi priùs à Judice Ecclesiastico condemnatus sit, & declaratus ut talis; quantumvis in detestationem istius criminis in *c.* 1. *De homicidio* in VI. decernatur, quòd Prælatus seu quævis alia persona Ecclesiastica hoc crimen ommittens, depositionis à dignitate, honore, ordine, officio & Beneficio incurrat sententiam *ipso facto*; & postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia sententia depositionis adversus eum requiratur. Videri possunt notata *ad c.* 96. practicæ criminalis Lopez De Salsedo.

XXVII. Videri quoq; poterit apud eundem *c.* 93. *n.* 2. ex communi Canonistarum opinione, inspecto jure communi Clericū, qui falsum testimoniū dixit coram judice *sæculari*, per eū tamē puniri non posse, neq; principaliter, nec incidenter,

Quin

Quin & simplices Clericos primâ dumtaxat Tonsurâ insignitos de enormissimis criminibus, etiam læsæ Majestatis, gavisos fuisse privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum remitti debuisse sæculo 13. & 14. multis exemplis ostendit Michaël Roussèlius in Historia Pontificiæ Jurisdictionis *lib. 4. c. 2. n. 22.* & nonnulla antiqua Parlamentorum Arresta referuntur in Actis Cleri Gallicani *tomo 1. parte 1. tit. 2. c. 17.* quæ evincunt, latè admodum tunc se extendisse hoc privilegium fori.

XXVIII. Synodus Tridentina causas criminales, non secùs ac causas Matrimoniales, solis Episcopis detulit, exclusis judicibus inferioribus *Sess. 24. c. 20. De Reform*; Cùm autem sub eodem verborum contextu tam criminales causas quàm Matrimoniales, Episcopis reservet, poterunt hîc sufficere, quæ super hoc Decreto suprà titulo præcedenti *c. 1.* dicta fuerunt.

XXIX. Illud hîc notandum, per Decretum Concilii nequaquam excludi à cognitione causarum *criminalium* Officialem Episcopi: quia hic vice Episcopi judicat, ipsumque tribunal Officialis reputatur tribunal Episcopale. Quapropter de omnibus causis, quæ Episcopo tamquam Ordinario judici deferuntur, Officialis cognoscere & judicare poterit, nisi specialiter dictum sit, quod *per seipsum* Episcopus cognoscere & judicare debeat.

CAPUT II.

Qua ratione imminutum hodie privilegium *fori*, & de quibus criminibus Clericorum cognoscant Judices Regii?

1 *Olim latissimè patebat privilegium* fori *Clericis competens.*
2 *Cur privilegium illud facilè indultum fuerit.*
3 *Rationes, quæ moverunt Prælatos, ut hoc privilegium tuerentur, & Principes, ut hoc ipsum confirmarent.*
4 *Circa sæculum 13. & 14. hoc privilegium impeti capit.*
5 *Querela Concilii Remensis de hac impetitione.*
6 *Concilium vetat aliquam* emendam *per Laicos exigi à Clericis.*
7 *Concilium Avenionense prohibet sub pœna excommunicationis personam Laicam capi per judices Laicos.*
8 *Concilium revocat omnes licentias datas ab Episcopis capiendi Clericos per judices Laicos.*
9 *Non obstantibus Decretis Conciliorum equidem magis continuò attentatum fuit contra privilegium* fori.
10. *Vult Concilium, ut in locis, in quibus detinentur Clerici, à Laicis cessetur à divinis.*
11 *Decretum Concilii Constantiensis pro immunitate clericali.*
12 *Ex Decretis Conciliorum cognoscitur, Magistratus civiles attentâsse sine speciali auctoritate Regis.*
13 *Sæculo decimo quinto aliqua crimina erant reservata ex consuetudine cognitioni Regiæ, etiam contra clericos.*
14 *Hæc reservatio innitebatur consuetudini & præsumpto privilegio Pontificio.*
15. *Pro stabilienda consuetudine adferant criminum impunitatem, quæ dicebatur haberi in tribunalibus Ecclesiasticis.*
16 *Multiplex appellatio à sententia judicis Ecclesiastici punitionem criminum impediebat.*
17 *Facilis laicorum tonsuratio procurabat impunitatem criminum, de qua querebantur judices Regii.*
18 *Crimina reservata & modus procedendi à judicibus Regiis olim continuò extensa.*
19 *Primitùs tantùm videntur judices Regii clericos condemnâsse* [illegible]ecuniariter.
20 *Successu temporis integram punitionem sibi attribuerunt.*
21 *Quæ crimina dicerentur privilegiata, & quæ communia*
22 *Cur sic dicta?*
23 *Decretum Francisci* I. *Regis Galliarum de processu super crimine privilegiato.*
24 *De hoc edicto tamquam immunitati clericali contrario questus fuit Clerus Gallicanus.*
25 *Moderatio hujus Edicti impetrata ab Henrico* III: *Edicto Melodunensi.*
26 *Modus procedendi hic præscriptus multis titulis videtur conveniens.*
27 *Hic procedendi modus per totum Regnum Galliæ fuit extensus abrogatâ contrariâ praxi.*
28 *Edictum Henrici* III. *nullam facit distinctionem super delictis privilegiatis.*
29 *Hodie plura delicta privilegiata dicuntur ab hoc edicto exempta, & solis judicibus Regiis reservata.*
30 *Hodie videtur invaluisse distinctio ipsorum criminum privilegiatorum, de quibus judices Regii vel soli vel conjunctim cognoscant.*
31 *Per hanc distinctionem multum detractum auctoritati Ecclesiasticæ.*
32 *Juxta Edictum Henrici* III. *sive Mediolanense, clericus accusatus de delicto privilegiato remittendus est ad Episcopum proprium.*
33 *Episcopus aliquando tenetur deputare Vicarium, qui de crimine cum Judice Regio cognoscat.*
34 *Similiter & in causa appellationis Vicarius nominandus de Diœcesi, in qua prima sententia fuit prolata.*
35 *Privilegiū Episcopi Parisiensis cognoscendi de criminosionum clericorum, qui in civitate Parisiensi capiuntur.*
36 *Causâ pendente in Parlamento Regio deputandi Consiliarii Ecclesiastici ab Episcopo.*
37 *Cur id specialiter indultum* supremis *curiis.*
38 *Remissione clerici facta ad judicem Ecclesiasticum causa conjunctim cum judice Regio instruenda est.*
39 *Causâ conjunctim instructâ sententia per utrumq; judicem separatim proferenda.*
40 *Absolutus à judice Ecclesiastico potest super eodem delicto condemnari à judice Regio.*
41 *Judex Ecclesiasticus non potest clericum dimittere è carcere sine consensu judicis Regii.*
42 *Appellans à sententia judicis Ecclesiastici remittitur ad Superiorem Ecclesiasticum; & quem effectum hæc appellatio habeat.*
43 *Modus hic procedendi super crimine privilegiato in Belgio hactenus non est præscriptus.*
44 *Multa crimina dicuntur privilegiata in Flandria.*
45 *Quid de his habeant concordata Brabantiæ.*
46 *Hæc Concordata non omnia crimina capitalia habent pro privilegiatis.*
47 *Concordata tantùm loquuntur de simplicibus clericis prima Tonsura*
48 *Cur praxis Galliæ faciliùs communicari potuerit Flandriæ quam Brabantiæ.*
49 *Clerici delinquentes in officio sæculari non gaudent privilegio clericali, etiam juxta concordata Brabantiæ.*
50 *Idipsum in Flandria & Gallia usitatum.*
51 *Plura per Ministros Regios paulatim inducta contra immunitatem Ecclesiasticam ultra tenorem Edictorum Regiorum & concordatorum.*
52 *Quibus modis his occurrere possent Episcopi.*

I. Latissimè jam pridem patuisse privilegium Clericale, quod *fori* vocant, in materia criminali, capite præcedenti ostendimus; adeò ut Clerici, tametsi enormium criminum rei & convicti, à judice Ecclesiastico dumtaxat judicari & condemnari possent: qui convictos solebat non publico aut capitali supplicio damnare (nec enim per se poterat) sed carceri perpetuo, jejunioq; panis & aquæ similibusque pœnis castigare.

II. Hoc facilè indulgebatur, ut vel sic Clerici ad meliorem frugem revocarentur, & Ordinis Ecclesiastici dignitati consuleretur; caveretur q; ne Sacerdotalis ordo sæcularium insultationi exponeretur; quemadmodum Prælati Gallicani Ludo-

Ludovico Pio jam pridem repræsentârunt, ut Ebbonem Archiepiscopum Remensem de crimine rebellionis convictum, Synodi judicio puniendum dimitteret: "Ut parceretur (inquiunt) ipsius verecundiæ, ac propter etiam Ecclesiæ „ opprobrium, & insolentem sæcularium insultationem, „ tum ne dignitas Sacerdotalis pollueretur, si publicè Ebbo „ de his, quibus impetitus & adhuc impetendus erat, con„ victus foret."

Ita refert Hincmarus in Opusculo contra Gothoscalcum *c.36.*

III. Et sanè quis ambigat, quin contumeliosum appareat Ordini Sacerdotali, ipsos Sacerdotes propalam in plateis publicis coram populo necari, aut corporalibus suppliciis affici? Quod & pagani ipsi agnoverunt. Nam decori Vestalium dabatur, ut daturæ pœnas, ludibrio & oculis vulgi subtraherentur, defossæ in specum vivæ.

Scitur quoq; quanto & ipsis Laicis scandalo sit, dum ipsa Clericorum crimina propalantur, & omnium oculis exponuntur; quantumq; hæc Laicorum erga Sacerdotes venerationem & obedientiam diminuant! Mirum proinde videri non debet, quòd Imperatores & Principes Christiani aliquando admodum favorabiles fuerint in remittendis Clericorum delictis ad judices Ecclesiasticos: ipsiq; Episcopi etiam Sanctissimi tanto zelo & labore hoc privilegium *fori* vindicaverint, & contra Laicorum conatus defenderint.

IV. Porrò quemadmodum circa sæculum 13. & 14. privilegium fori in materia civili à nonnullis impeti, & sensim atterì cœpit, uti *titulo* 1 *c.3.* ostensum est, ita circa idem privilegium in materia criminali contigisse, vel ex Solis Synodorum Decretis contra hosce laicorū insultus intelligimus.

V. Concilium Remense celebratum apud Compendium anno 1301. imprimis" statuit & decernit, quòd si in aliqua „ civitate, vel in aliquo loco Remensis Provinciæ contingat „ quandoq; Clericum detineri per laicalem justitiam, post„ quam dictus Clericus fuerit ab Episcopo loci illius, vel ab „ Officiali, vel Decano rurali, seu ex parte alicujus eorum „ legitimè requisitus, cessetur à Divinis in loco captionis & „ detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.

Deinde *Can.* 3. vult Concilium, "si Clericus per justitiam „ sæcularē laicalem capiatur in aliqua Diœcesi, & extraha„ tur ab ea, & ad aliam deducatur, *cessetur* similiter à divinis „ in loco, ubi fuerit captus, & in locis ipsius capientis, per „ quem fuit deductus, quousq; ad dictam Diœcesim fuerit „ readductus, & sufficienter restitutus."

VI. Deniq; *Can.* 3. sub pœna excommunicationis inhibet laicis, ne occasione excessuum Clericorum aliquid exigant vel levent:" Cùm (inquit Concilium) per justitiam laicalem „ non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari „ emenda de eisdem, cùm hæc ad solos judices Ecclesiasti„ cos, non sæculares pertinere noscantur."

VII. Concilium Avenionense anno 1326. *Can.* 14. sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ prohibet judicibus & Magistratibus Laicis aliquam personam Ecclesiasticam capere; " nisi fortè in eo dumtaxat casu, cùm scili„ cet eos adhuc flagrante crimine capi contigerit, ante„ quam ad alios extraneos actus divertant, rectâ viâ eos ad „ Curiam Ecclesiasticam duxerint, & eos restituerint sine „ fraude."

VIII. Illud notandum occurrit, quòd Concilium revocet omnes licentias aliquando ex causa eis (Magistratibus civilibus) ad certum tempus, vel simpliciter ad certas personas ab Archiepiscopis vel Episcopis concessas: eò quòd hac „ occasione, manus temerarias ad capiendum Clericos pas„ sim & indifferenter inciviliter, & eo modo quo possint „ turpius, ad majorem confusionem Ecclesiæ ac Cleri exten„ dere non vererentur."

Quidni ex his licentiis nonnunquam forsan faciliùs & liberaliùs concessis, sensim major accesserit Magistratibus laicis capiendi Clericos audacia, & libertas.

IX. Id equidem videmus, sensim magis laicos contra Clericalē hoc privilegium attentâsse. Conqueritur enim Concilium Parisiense anno 1346. *Can.* 1. quòd" justitia sæcularis „ Clericos & personas Ecclesiasticas de die in diem capiat, „ & capi faciat, & captos seu captas in prisionem seu carce„ rem detrudat, seu detrudi, detineat, seu detineri; & quod „ gravius est, torqueat, seu torqueri; ultimo supplicio tra„ dit, seu etiam tradi faciat, in præjudicium jurisdictionis „ Ecclesiasticæ libertatis."

X. His attentatis occurrere volens Concilium statuit: „ Si contingat Clericum seu personam Ecclesiasticam in vil„ lis, seu castris aut locis Diœcesis aut Provinciæ Senonensis „ capit. 1. per judicem sæcularem, seu detineri, vel ulti„ mo tradi supplicio, judex requisitus, seu monitus de red„ dendo eundem Clericum, seu illam personam......ipsius, „ suo judici Ecclesiastico non reddiderit, seu restituerit, vel „ reddere aut restituere noluerit, seu recusaverit, aut plus „ debito distulerit, in sua malitia perseverans: cessetur à Di„ vinis.

XI. Similia & in aliis Conciliis etiam sæculo 15. occurrunt; ac notanter in Concilio Constantiensi anno 1417. Nul„ lus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel „ civili, ad judicium sæculare præsumat attrahere contra „ canonicas sanctiones, & contra Constitutiones Imperia„ les.

XII. Cùm hæc Decreta dirigantur contra Magistratus judices immunitatis Clericalis infractores, admodum verisimile est, Magistratus & judices id propriâ auctoritate attentâsse.

Et sanè si Regiâ auctoritate, seu aliquo positivo Principis Edicto fuissent suffulti, numquam eas pœnas & & censuras Episcopi in ipsos evibrâssent; sed potiùs ipsi Principi pro revocatione, suspensione, vel moderatione sui Edicti supplicâssent.

XIII. Negare tamen non possumus, nonnulla delicta atrociora sæculo 15. jam tum Regiæ cognitioni ex consuetudine fuisse reservata; idq; etiam contra Clericos, quemadmodum antiqui Practici, Malluetus, Aufrerius, & post hos Guilelmus Benedicti ad *Cap. Raynutius* unanimiter testantur; & signanter Benedicti ait *n.* 435. "Cognoscit Rex & ejus „ Officiarii de omni crimine *privilegiato*; ut sunt crimen læ„ sæ Majestatis, falsæ monetæ, infractio salvegardiæ Regiæ, „ vel assecuramenti brisati. Et procedere consuevit etiam „ contra Clericos de præmissis, vel aliquo præmissorum in„ culpatos: vel si manum Regiam violaverint, & de quibus„ dam aliis, quæ *privilegiata* dicuntur.

XIV. Illud tum ex Guilelmo Benedicti, tum aliis antiquioribus auctoribus patet, hanc auctoritatem cognoscendi de delictis Clericorum tunc consuetudini adscriptam fuisse quam privilegio Pontificio dicebant innixam.

Aufrerius enim De Potestate sæcul. in Ecclesiasticos *Reg.* 1. *Fol.* 12. postquam dixit, quòd in casu violationis seu infractionis salvægardiæ judices Regii contra Clericos quoscumque cognoscere consueverint, & hujusmodi Clericos *pecuniariter* punire, subjungit:" Et de hoc Rex & ejus Officiarii „ sunt in possessione & saisina à tempore, cujus initii me„ moria non existit; quod tempus immemoriale, juxta The„ otoricam Joannis Monachi, operatur idem quod privile„ gium.„

Post hæc dicit:" Nec obstat, si dicatur illud locum habe„ re, quando præscribens est capax possessionis, secus ubi „ esset incapax.

"Ad quod respondetur [ait Aufrerius] verum esse regu„ lariter, quòd ex solo cursu temporis quis fieri non potest „ capax de incapaci, fallit tamen, si unà cum tali possessione „ immemoriali concurrat *fama privilegii*; quia ne propter „ difficultatem probandi rem tam antiquam pereat jus par„ tis, præsumitur *pro privilegio*; non ergo solum tempus „ hoc inducit, sed præsumptio privilegii probata diuturni„ tate famæ.....Quòd autem facultas cognoscendi civiliter„ que puniendi de certis criminibus aliquorum Clericorum „ per judicem sæcularem sit quæsibilis *privilegio*, jam satis „ tactum esse videtur in prima fallentia...Sed sic est, quod „ in nostro casu unà cum prædicta possessione immemora„ bili concurrit fama privilegii. Et præsertim, quia scientia „ Prin-

„Principis cum tolerantia in materia quæsibili privilegio „facit validam consuetudinem generalem præsentis Regni

Ex his manifestum est, judices Regios auctoritatem hanc sensim assumpsisse cognoscendi de quibusdam criminibus Clericorum, eamque non in aliqua positiva Ordinatione Regia, sed in possessione & præsumpto privilegio, atq; tacita Principis approbatione ex tolerantia resultante, fundâsse.

XV. Hanc possessionem immunitatem Clericalem tot Conciliorum Canonibus, & Principum legibus expressam & firmatam, tuebantur judices Regii vel eo præcipuè prætextu, quòd Clericorum crimina apud judices Ecclesiasticos essent impunita; ipsaq; impunitas incentivum daret peccandi; idq; in summam Reipublicæ & humanæ societatis turbationem & nocumentum; quemadmodum jam pridem coram Philippo Valesio conquerebatur Petrus Cugnerius; & latiùs Papomus *lib.1.tit.5. Arrest.34.* ubi in hanc impunitatem refundit hanc criminum privilegiatorum reservationem.

XVI. Similiter Gulelmus Benedicti *n.443.* postquam & dixit *simplices* Clericos, qui arma portarunt in exercitu, ex consuetudine Regni Galliæ puniri per judices Regios sine prævia degradatione aut cognitione judicis Ecclesiastici, rationem addens ait: „Aliàs multa sequerentur & infinita „scandala, si judices sæculares haberent in talibus expectare „judicis Ecclesiastici declarationem, & simplicium Cleri„corum degradationem: à qua declaratione appellarent „criminosi ad Metropolitanum, & deinde ad Papam: & sic „crimina puniri non possent sine magnis circuitu, „sumptibus & laboribus, ac periculo perditionis prisone„riorum sic traducendorum: ex quo tota sæcularis justitia „remaneret illusa, crimina impunita, & patria scandalizata.

XVII. Deinde quod notandum adjungit: Viso maximè „hodierno more, quòd domini Episcopi omnes & quos„cumque etiam armigeros & laboratores ac vagabundos „tonsurant, imò jam conjugatos promovent ad Clericatum „quorum plures tonsurantur, ut liberius delinquere pos„sint, & corporalem securiùs evadere punitionem.

Indubiè hæc facilitas tonsurandi, atq; hoc pacto subtrahendi quoscumq; etiam laicos malefactores jurisdictioni sæculari; eisq; hoc pacto impunitatem procurandi, judicibus Regiis occasionem contra criminosos sine respectu privilegii Clericalis præbuit procedendi, atrocioraque crimina Rempublicam præcipuè conturbantia, & auctoritatem Regiam lædentia, suæ cognitioni servandi.

XVIII. Cùm autem hæc crimina, ac modus procedendi contra Clericos criminosos nullâ positivâ Ordinatione essent expressâ aut determinata; nec ubiq; praxis fuit uniformis, nec semper eadem permansit; sed continuò per judices Regios quibus major erat potestas, extensa: ut mirum non sit, si frequenter Prælatos inter & judices Regios fuerit super his contentio.

XIX. Et quidem teste Aufrerio, eo tempore moris erat, quòd executio emendæ per Clericum debitæ ratione violationis salvægardiæ Regiæ fieri deberet in bonis imobilibus „temporálibus, Unde [ait Aufrerius] anno Domini 1399. „die prima Martii, cùm quidam Clericus in simili casu con„demnatus in emendam, non haberet temporale, dictum „fuit per curiam Parlamenti, quòd idem Clericus solutus „teneret prisionem in curia Episcopi Parisiensis usq; ad sa„tisfactionem. Et hoc ne Arrestum primum remaneret il„lusorium, & quia dicta emenda descendebat ex delicto.

Hinc apparet, primitus tantùm judices Regios condemnâsse Clericos *pecuniariter*; nec suis carceribus, sed Episcopali carceri mandasse.

XX. Successu verò temporis integram cognitionem & punitionem criminum *privilegiatorum* sibi judices Regii arrogabant, solâ cognitione & judicandi auctoritate de delictis *communibus* judici Ecclesiastico relictâ.

XXI. Crimina autem *privilegiata* censebantur atrociora crimina, quæ directè ad turbandam quietem publicam tendebant; uti sunt crimina læsæ Majestatis, aliaque similia.

Communia verò, quæ præcipuè ipsam Ecclesiasticam œconomiam & Sacrorum administrationem spectabant, atq; ideo & *Ecclesiastica* dici poterant, quæq; Canonicam pœnam merebantur, Imò unum idemq; crimen potest esse privilegiatum, in quantum lædit Rempublicam, & eatenus pœnâ civili puniendum; & *commune*, quatenus disciplinæ Ecclesiasticæ opponitur, & pœnâ etiam Canonicâ reus plecti meretur.

XXII. Cur autem crimina ad forum sæculare contra *privilegium* Clericale spectantia nomen *privilegii* acceperint, & *privilegiata* fuerint vocata: & econtra quæ ex *privilegio* fori ad judicem Ecclesiasticum spectant, *communia* fuerint appellata, non malè expressisse videtur Michaël Rousellus in Historia *Jurisdict. Pontif. lib.4.c.3.n.6.* Quia *privilegium* „quasi constitutum est laico judici, ut de illis cognoscat: „nempe quoniam Ecclesiastici videbantur præscripsisse o„mnium criminum in se ipsos cognitionem, privilegio „fuerit opus, ut non obstante illa præscriptione, notionem „hujusmodi criminum haberent sæculares Magistra„tus.

Et quamquam, inspecto primævo jure, crimina illa, quæ ex *privilegio* fori spectant ad cognitionem judicis Ecclesiastici excluso judice sæculari, potiùs viderentur dicenda esse *privilegiata* à *privilegio* fori, uti quoque notat ibidem Rousselus, nihilominus usus invaluit, ut hæc dicantur crimina *communia*, quasi circa hæc juxta jus commune procedatur.

XXIII. Cùm autem judicibus Regiis super processu criminali contra Clericos accusatos de crimine privilegiato sæpe molestia moveretur à judicibus Ecclesiasticis, tandem certus modus à Francisco I. præscriptus fuit Edicto Molinensi anno 1566. *art.39.* quo declaravit, non esse remittendos Clericos accusatos de crimine *privilegiato* ad judicem Ecclesiasticum pro delicto *communi*, nisi priùs super delicto privilegiato, judices Regii cognoverint & judicaverint. Verba Edicti sunt: *Pour obvier aux difficultes qui se sont cy-devant presentées en la confection des proces criminels des personnes Ecclesiast. mesmement pour le cas privilegié, Ordonn. que nos Juges & Officiers instruiront & jugeront en tout cas les delicts privilegies contre les personnes Ecclesiastiques, auparavant que faire aucun delaissement d'iceles à leurs Juges d'Eglise, pour le delict commun. Lequel delaissement sera fait a la charge de tenir prison, pour les peines du delict privilegié, où elles n'auroient esté satisfaites. & ausquelles respondiont les Officiers de l'Evesq. en cas d'elargissement par eux fait, avant la satisfaction desd. peines.* Id est: Ad obviandum difficultatibus, quæ antehac occurrerunt in processu criminali personarum Ecclesiasticarum, etiam in casu Privilegiato. Mandamus ut Judices & Præfecti nostri instruant & judicent, quicumq; fuerit casus, delicta Privilegiata adversus personas Ecclesiasticas, priusquam Judicibus suis Ecclesiasticis pro delicto communi dimittantur. Quæ dimissio fiet sub onere eos carceri mancipandi in pœnam delicti Privilegiati si pro eo non satisfecerint, Si verò è vinculis ante persolutam pœnam eximantur, id periculo Ministrorum Episcopi, qui hoc admiserint, factum fuerit.

XXIV. Itaque judices Regii juxta hoc Edictum poterant condemnare Clericum sine præsentia judicis Ecclesiastici, & antequam judex Ecclesiasticus de crimine cognosceret. De quo Clerus Gallicanus, tamquam de vulnere mortali Clericali immunitati inflicto, suas querelas iteratò deposuit, donec tandem anno 1580. sub Henrico III. per Edictum Melodunense prioris Edicti mitigationem obtinuit.

XXVI. Mitigatio autem in hoc præcipuè consistit, quòd instructio litis contra personas Ecclesiasticas super crimine privilegiato debeat *conjunctim* per judicē Regium & judicem Ecclesiasticum institui; & judex Regius teneatur accedere Curiam Ecclesiasticam in ordine ad formandá dictam instructionem. Verba Edicti *art.22.* sunt: *L'instruction des proces criminels contre les personnes Ecclesiastiques pour les cas privilegies, se fera conjointement tant par les Juges*

desd.

desd. Ecclesiastiques, que par nos Juges. Et en ce cas seront ceux de nosd. Juges, qui seront commis pour ces effect, tenus aller au Siege de la jurisdiction Ecclesiastiques Id est: Instructio causarum criminalium contra personas Ecclesiasticas pro casu Privilegiato conjunctim fiet tum per Ecclesiasticos, tum per nostros Judices. Quo casu Judices nostri qui ad eam causam deputabuntur, Curiam Ecclesiasticæ Jurisdictionis accedere tenebuntur.

XXVI. Hic procedendi modus pluribus titulis conveniens visus est. Imprimis dum utraq; potestas, scilicet Ecclesiastica & Regia in unum conveniunt, illustrior redditur conventus. Adhæc utrâq; potestate uni eidemq; causæ incumbente & allaborante, facilè omnibus suadetur, nec à justitia per unam potestatem nimiâ conniventiâ deflecti, nec innocentiam per aliam opprimi. Ulteriùs hâc formâ procedendi evitatur contentio sat frequens in Provinciis, in quibus hæc forma procedendi non erat in usu, super qualitate criminis num esset commune sive Ecclesiasticum, num esset privilegiatum.

Hâc quoque procedendi formâ fit, ut si contingat, Clericos absolvi à pœna corporis afflictiva aut civili, remittaturque judici Ecclesiastico puniendus solâ pœnâ Canonicâ, dici nequeat, judices Ecclesiasticos esse similes pristino Senatui Romano, qui teste Plinio *lib. 9. Epist. 13.* "sævus in cæteros, Senatoribus solis quasi mutuâ dissimulatione parcebat."

XXVII. Hinc tandem factum est, hanc formam processûs ita placuisse, ut per Edictum Regium anno 1678. & confirmatum per declarationem, anni 1684. per totum Regnum Galliæ extensa fuerit, abrogatâ praxi & formâ procedendi contrariâ in quibusdam Provinciis hactenus observatâ; uti monet Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Can. c. 14.*

XXVIII. Edictum Melodunense suprà relatum nullam facit delictorum *privilegiatorum* distinctionem; sed de his omnibus indistinctè loquitur, & vult esse judicium commune inter judicem Ecclesiasticum & Regium sive sæcularem.

XXIX. Verùm hanc communionem tandem judices Regii respuerunt circa delicta atrociora, quemadmodum testatur Michaël Rousselius loco citato *n. 8.* referens, "inter atrocia delicta læsæ Majestatis Divinæ & humanæ, parricidium, homicidium data operâ, & insidiis commissum, sodomia, & cætera hujusmodi quæ horrori sunt & detestationi." Quin addit Claudius Fleury loco citato, judices Regios ratò ad judicem Ecclesiasticum remittere in casibus quibus pœna *corporalis* locum habere potest.

XXX. Hinc ipse Rousselius enumeratis delictis *privilegiatis* ad judicis Regii cognitionem spectantibus *n. 14.* ponit hanc conclusionem: "Sit igitur ex præmissis distinctio criminum, ut quædam privilegiata sint pro foro sæculari cujusmodi *atrocia omnia*, ut non requiratur *præsentia* judicis Ecclesiastici. Alia privilegiata pro foro Ecclesiastico, ut ad illud remittantur Clerici rei, sed judicandi assistente Regio judice & Procuratore: ac ea fortasse *communia* dicuntur, quoniam ipsorum cognitio utrique judici *communis* est."

Eandem distinctionem delictorum *privilegiatorum* tamquam hodie usitatam asserit Claudius Fleury *parte 3. Inst. Juris Can. c. 14.* aitq; delicta privilegiata *solis* judicibus Regiis reservata, esse *læsæ Majestatis* & alia quæ eò reducuntur, putà falsæ monetæ: & generaliter non solere remitti ad judicem Ecclesiasticum, dum occurrunt casus quibus pœna *corporalis* infligi posset. Verba Auctoris sunt: *Il y en a de tellement privilegiés, que les Juges laiques en cognossent seuls, sans donner part à l'Official de leur procedure, n'y avoir aucun egard au privilege criminel. Tel est le crime de lese Majesté, & ceux que l'on y rapporte comme la fausse monoye. Et en general, ils ne renvoyent guere au Juge Ecclesiastique, dans le cas où la peine afflictive peut avoir lieu.* Id est: Quædam crimina eò usq; Privilegiata sunt, ut de iis soli Judices Laici cognoscant, non communicato cum Officiali processu suo, aut habitâ privilegii criminalis ratione. Tale est crimen læsæ Majestatis, & ea quæ ad id reducuntur, quale adulteratæ monetæ. Et generaliter vix ad Ecclesiasticum Judicem remittunt, dum pœnæ corporali in casu locus est.

XXXI. Si hodiernam Parlamentorum & Magistratuum Civilium praxim rectè hi Auctores expresserint, apparet jam tandem crimina, quæ olim sola dicebantur *privilegiata*, non tantùm non spectare ad cognitionem judicis laici *conjunctim* cum judice Ecclesiastico; sed ab horum cognitione judices Ecclesiasticos esse submotos: atq; crimina *privilegiata*, de quibus Edictum Melodunense vult conjunctim cognosci, esse redacta ad crimina *leviora* quæ pœnam aliquã civilẽ merentur, eò quòd & Civili politiæ adversentur.

Id & ipse Rousselius haud diffiteri videtur, dum *n. 32.* dicit crimina simplicia quæ ad *solius* judicis Ecclesiastici notionem spectant, esse illa, quæ solâ castigatione Ecclesiasticâ indigent.

Si hæc vera sint, videant ipsi Prælati, quâ ratione huic Regiæ jurisdictionis amplificationi in diminutionem suæ auctoritatis & jurisdictionis occurrere queant, eamq; postliminio revocare, ad eos saltem terminos, quos ipsi Reges suis Edictis expresserunt: interim praxim hanc sat recentem esse, fidem facit famosus Galliæ Jurisconsultus & Practicus Claudius le Prestre, qui *Cent. 1. c. 20.* dicit, se non vidisse umquam negatam remissionem Clerici, nisi in crimine læsæ Majestatis, vel nisi Clericus captus esset in veste sæculari, quantumvis aliàs ageretur de crimine valde atroci, quorum plura exempla allegat.

XXXII. Et quidem juxta Edictum Melodunense suprà citatum Clericus accusatus de delicto *privilegiato* remittendus est ad judicem Ecclesiasticum, id est, Episcopum suum *proprium*, non autem ejus loci in quo apprehensus est, vel in quo delictum est commissum.

Quam remissionem satis expressit ipsum Edictum, dum voluit, ut judex Regius accedat ad Curiam Ecclesiasticam, ut ibidem cum judice Ecclesiastico causam instruat.

XXXIII. Si tamen *proprius* Episcopus sit extra districtum Curiæ supremæ à qua remittitur reus, solet illa Episcopo injungere, ut Vicarios in suo districtu committat, à quibus unà cum judice Regio de crimine & persona lis instruatur, uti monet Rousselius loco citato *n. 27.*

XXXIV. Similiter in casu appellationis à sententia lata per judicem Ecclesiasticum super delicto, si Metropolitanus aut Primas sit extra districtum Curiæ, sub quo sententia in prima instantia fuit prolata, tenetur hic Vicarium constituere de eadem Diœcesi, qui sub eodem districtu causam appellationis instruat & si appellatio devoluta sit ad Papam, impetrantur judices delegati ex eadem Diœcesi, uti monet le Prestre loco citato *n. 8.*

XXXV. Illud tamen privilegium datum Episcopo Parisiensi, ut cognoscat de delictis omnium Clericorum cujuscumq; sint Diœcesis, qui capiuntur in ipsa civitate Parisiensi: qui consequenter ad ipsum, & non ad proprium Episcopum remittendi sunt. Hujus privilegii meminit Choppinus in *Præfatione ad Consuet. Paris. pag. 7.*

XXXVI. Monet insuper Fleury citato *c. 14.* quòd si causa instruatur in aliquo Parlamento, non soleat advocari Officialis, sed quòd Episcopus Ordinario Clerici accusati debeat in Vicarios suos deputare Consiliarios Ecclesiasticos Parlamenti.

XXXVII. Vide Paponium *lib. 1. tit. 5. Arresto 51.* ubi notat, quòd soli *supremæ* Curiæ id liceat, quæ corpore *Ecclesiasticorum* & laicorum constat. Additur in notis: "Quòd si Episcopus id facere renuat, aut differat, postquam id ei significatũ est, Curia quẽdam ex officio delegato consuevit."

XXXVIII. Remissione ad judicem Ecclesiasticum factâ, processus criminalis instrui debet conjunctim per utrumq; judicem. Neq; potest judex Ecclesiasticus vigore hujus remissionis in casu delicti privilegiati processum instruere, nisi assistente judice Regio.

XXXIX. Causâ per judicem Ecclesiasticum & Civilem conjunctim instructâ, sententia separatim pronuntiatur per utrumq;

utrumque judicem: nimirum per judicem Ecclesiasticum pronuntiatur super crimine in quantum est Ecclesiasticum sive *commune*, ut vocant; per judicem autem Civilem pronuntiatur super eodem crimine in quantum est *privilegiatum*, & uterq; judex pœnam crimini sub una & altera consideratione convenientem imponit: & ita per solemne Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1631. ordinatum fuit, vetitumq; judicibus Regiis proferre sententiam conjunctim cum judice Ecclesiastico.

XL. Hinc licèt accusatus esset absolutus à judice Ecclesiastico, posset nihilominus super eodem delicto, in quantum est *privilegiatum*, condemnari per judicem Regium; & ita judicatum anno 1604. Vide Claudium le Prestre *Cen.* 1. *cap.* 20. ubi & notat, quòd etiam judex Regius possit procedere ad sententiam mortis, non obstante sententia absolutoriâ judicis Ecclesiastici, si crimen in quantum est privilegiatum, talem pœnam mereretur: quia sententia judicis Ecclesiastici nullatenus constringit judices Regios, in quantum est crimen privilegiatum.

XLI. Hinc judex Ecclesiasticus Clericum incarceratum è suo carcere dimittere non potest, quamdiu sententiæ judicis Regii non satisfecit reus, nisi consensus ipsius judicis accesserit; tametsi à judice Ecclesiastico fuisse absolutus vel pœnæ à judice Ecclesiastico impositæ satisfecisset. Le Prestre loco citato *n.* 9. Diciturq; in annotationibus ad arresta Paponi *lib.* 1. *tit.* 5. *arresto* 35. ita in Camera criminali anno 1586. decretum fuisse.

XLII. Insuper quia utraq; sententia est planè separata & à diverso judice prolata, si accusatus appellet, Curia Regia non solet recipere appellationem, nisi quæ est à sententia judicis *laici*: aliam autem remittit ad Superiorem immediatum judicis Ecclesiastici, à cujus sententia appellatur: & huic quidem adeo defert Curia Regia, ut supersedeat ipsa quoad appellationem à sententia judicis laici, quousq; in causa appellationis per judicem Ecclesiasticū etiam per *tres* sententias *conformes*, pronuntiatū sit. Uti notat Le Prestre ibidem.

XLIII. Hic ferè est hodiernus procedendi stylus quoad delicta privilegiata, sive non merè Ecclesiastica in Gallia observari solitus, qui hactenus nullo Regio Edicto in Belgio præscriptus aut expressus scitur; neque consuetudine aut usu introductus.

XLIV. Equidem illud negari nequit, quin & hic in Belgio crimina nonnulla habeantur pro *privilegiatis*, & eo sensu de his judex Regius possit contra Clericum, non obstante privilegio Clericali, cognoscere; uti notat Damhauderus in *Praxi Rerum Civilium c.* 124. ubi imprimis dicit, Clericos teneri respondere coram suo Principe, aut coram ejus Concilio de publicæ fidei, salvæguardiæ sive securitatis violatione. Item de armorum gestatione, & aliis similibus causis privilegiatis. Deinde *n.* 26. dicit: „Intelliguntur „privilegiatæ causæ crimina enormia qualificata, & quæ „Princeps sibi reservat, veluti crimen læsæ Majestatis vel „divinæ vel humanæ, & cætera ibidem enumerata; in quibus dicit, Curiam Gandensem nullam admittere remissionē: & pluribus confirmat ibidē in notis Nicolaus Tuldenus.

XLV. Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 6. qui inscribitur *De Actionibus competentibus contra Clericos prima Tonsura*, post quam expresserunt conditiones requisitas in Clericis conjugatis vel non conjugatis primâ Tonsurâ insignitis, ut privilegio fori gaudere queant (de quibus conditionibus agitur capite sequēti) subjiciunt: „Hi omnes Clericali officio gaudebunt, etiam „in criminibus membri amputationem, aut capitalem pœ„nam, seu corporis afflictivam inferentibus.„

Post hæc *art.* 8. per modum exceptionis additur: " Non „in enormibus, utpote hæreticis, mandatis Principis contra„venientibus, raptoribus virginum, homicidis ex proposi„to, vel per insidias, incendiariis, grassatoribus, famosis la„tronibus, depopulatoribus agrorum, & similibus.„

XLVI. Ex his manifestum, quòd Concordata hæc non omnia crimina, etiam Clericorum conjugatorum primæ tonsuræ habeant pro *privilegiatis*, quantumvis adeo gravia, ut etiam *capitalem* pœnam, seu corporis afflictivam inferant, sed tantum *enormia* quæ quasi directè ad Reipublicæ & Statûs politici turbationem & eversionem tendunt.

XLVII. Porrò concordata hæc tantùm loquuntur de simplicibus Clericis sive conjugatis sive non conjugatis, hisq; etiam in delictis quantumvis pœnâ corporali puniendis, modò tamen non sint ex enormioribus, immunitate Clericali gaudere declarant: de Clericis autem in sacris constitutis non loquuntur: ut hos juri communi quoad usum hujus immunitatis reliquisse videantur: refertq; *Zypæus tit. De Foro compet. n.* 37. Concilium Brabantiæ Presbyteros de crimine enormi convictos remisisse ad judicem Ecclesiasticum.

XLVIII. Neq; mirum videri deberet, si Flandria magis, quàm Brabantia moribus & praxi Gallicanis consentiret. Notum quippe est, quòd ante institutum anno 1473. à Carolo Burgundione Parlamentum Mechliniense, Flandri à suo Senatu Provinciali appellârint ad Parlamentum *Parisiense*; uti monet Damhauderus in Praxi rerum civilium *c.* 6. notatq; *n.* 4. quòd Parlamentum Mechliniense in locum *Parisiensis* suffectum, hujus Parlamenti ferè modum, ritum, institutionem, & auctoritatem referat. Quid mirum igitur si Flandri praxim & mores Parisienses sensim etiam sequuti sint.

XLIX. Porrò sicuti ob criminis *enormitatem* Clerici nonnumquam suo privilegio privantur, ita quoq; eodem non gaudent, quando alio quàm Ecclesiastico officio funguntur, atq; circa illud delinquunt: eò quòd tunc non ut Clerici, sed ut Officiarii considerentur; eaq; delicta non habeantur pro delictis Clericorum; sed laicorum seu Officiariorum laicalium, quorum officia Clerici obeunt.

Hinc citata Concordata *art.* 8. expressè declarant, quòd Clericus Clericali privilegio non gaudebit, *quando contra statuta officiorum delinquetur*; id est, Officiorum sæcularium quibus fungitur.

L. Notat idipsum Nicolaus Tuldenus in annotationibus ad *c.* 124. Damhauderi in Praxi rerum Civilium; allegatq; id procedere, „in Clerico, licèt *in Sacris* constituto, officium sæ„culare gerente, in eoq; delinquente: ut puniri possit pro „modo delicti, per captionem temporalitatis, ac venditio„nem immobilium, privarique ac suspendi officio in quo „deliquit.„ De conformi prax. Galliæ jam pridem testatus est Guilelmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, verbo *& uxorem n.* 447. dicens: „Tertio cognoscit Rex & ejus Officia„rii ubicumq; Clericus licet in *Sacris* constitutus officium „sæculare gerens deliquisset in officio quod puniri pos„set pro modo delicti per captionem temporalitatis ac „venditionem bonorum immobilium. Et si casus hoc exi„geret, privari aut suspendi officio in quo deliquit, quod „est de casibus privilegiatis secundùm aliquos, & ita serva„ri est consuetum in regno.„

LI. Ex his quæ hactenus dicta sunt, non difficile erit intelligere, quòd sensim tribunalia Laica & Regia auctoritatem sive jurisdictionem in Clericos de criminibus accusatos prætenderint, non tantùm ultra præscripta Canonum & Juris Communis; sed & ultra ipsas Regias Ordinationes ad figendos limites utriusq; jurisdictionis expressè editas. Quantopere de hac ampliatione jurisdictionis Laicæ conquesti sint Episcopi proximè elapso sæculo, ex Synodis Provincialibus tunc celebratis videri potest.

LII. Sed si Episcopi suos Clericos, ac præsertim in *Sacris* constitutos à Laicis judicari & puniri nolint, imprimis provideant, ut non cito manus imponant; sed primùm diligenter examinent, num iis moribus sint, ut flagitia, quibus respublica turbetur, ab eo non timeantur.

Ulterius si contingat, Judam aliquem aut similem perditum hominē irrepere, criminibus non conniveant, sed pro debito puniant; idq; pœnâ ipsi crimini condignâ: neq; sint Episcopi eorumve Officiales ex illis, de quibus jam pridem dixit Guilelmus Benedicti loco citato *numer.* 448. „Omnia delicta quantumcumq; gravia in pecuniam con„vertunt.„ Et quod deterius est, si aliquem etiam pro gra„vissimo crimine condemnaverint ad perpetuum carcerē,

sen-

„semper in fine sententiæ gratia Domini Episcopi & miseri„ cordia reservatur.... Cujus Clausulæ virtute pœnam perso„næ delinquentis in detrimentum bursæ, quæ non deliquit, „convertunt. Ex quo cùm justitiam veram de Clericis non fa„ciant, ex isto inconvenienti, quia eos non puniunt, sequitur „aliud inconveniens, quòd sæpè Judices sæculares de eis justi„tiam faciant, & eos puniant."

Et quia Episcopi in criminum punitione per frequentes appellationes & recusationes, aliaque similia à facinorosis hominibus facilè impediuntur, rursus spes exigua affulget, integram Clericorum immunitatem restituendi, ni hisce appellationibus & recusationibus modus apponatur; quia his sic stantibus, videbunt Judices Regii, quòd crimina manebunt impunita, idque nonnunquam cum summo Reipublicæ detrimento, si ea jurisdictioni Ecclesiasticæ relinquantur.

CAPUT III.

Qui Clerici privilegio *fori* gaudeant?

1 *Attento Jure Decretalium omnes indistinctè Clerici etiam prima Tonsura gaudent privilegio fori.*
2 *Similiter & juxta pristinos Canones, & Principum sanctiones.*
3 *Id ipsum supponit Pontificale Romanum.*
4 *Canones omnes Clericos habent pro Ministris Ecclesiæ.*
5 *Hoc quoque indicant ceremoniæ primæ Tonsuræ.*
6 *Insinuat etiam Synodus Tridentina.*
7 *Meritò initiati primâ Tonsurâ tamquam* Ministri *Ecclesiæ hoc privilegio gaudent.*
8 *Matrimonium non obstat, quominùs Clericus sit* Minister *Ecclesiæ.*
9 *Hinc clericis conjugatis communicatum hoc privilegiū.*
10 *Clericus propter* ministerium *Ecclesiæ datum hoc privilegium.*
11 *Circa sæculum 13. & 14. canonistæ primam Tonsuram Ordinibus annumerare cœperunt, & efficaciam imprimendi characterem ei tribuere.*
12 *Hinc immunitatem in ipsam Tonsuram, & non in ministerium Ecclesiæ refuderunt.*
13 *Id supposuerunt Prælati Galliæ coram Philippo Valesio sæculo 14.*
14 *Hac opinione recepta omnes passim etiam sceleratissimi se à Jurisdictione Laica substrahebant.*
15 *Hinc justa laicorum querela de impunitate criminum, & extensione hujus privilegii contra intentionem Canonum.*
16 *Querela Petri Cugneriis super hoc articulo.*
17 *Querela laicorum renovata circa tempora Concilii Tridentini.*
18 *Synodus Tridentina constitutionem Bonifacii VIII. de clericis conjugatis renovavit.*
19 *Addidit clausulam, qua ostendit, hoc privilegium non attribui nudæ tonsuræ.*
20 *Decretum Synodi Tridentinæ circa clericos non conjugatos.*
21 *Hic rursus ostendit, privilegium non dari ob nudam tonsuram.*
22 *Quæ dicenda vestes clericales, & quandonam censeatur clericus* abjecisse *vestes clericales remissivè.*
23 *Clericus tonsuratus etiam non conjugatus captus in veste laicali forum sæculare declinare non potest.*
24 *Clericus conjugatus faciliùs privatur privilegio fori quàm non conjugatus.*
25 *Aliquando in Gallia ordinatum fuit, ut soli clerici in sacris constituti gauderent hoc privilegio.*
26 *Hoc postmodum extensum ad beneficiatos & scholares.*
27 *Hæc extensio videtur convenire cum Decreto Concilii Tridentini*
28 *Ex mente Synodi Tridentinæ clericus serviens Ecclesiæ, aut studens etiam sine speciali mandato aut licentia Episcopi gaudet hoc privilegio.*
29 *An clericatus, postquam delictum aliquod est commissum, tribuere soleat privilegium fori?*
30 *Clerici non servantes conditiones à Synodo Tridentina præscriptas excidant privilegio sine prævia monitione.*
31 *Clericus deponens vestes clericales non in perpetuum privatur hoc privilegio, sed resumpto habitu recuperat.*

I. Attento Jure Decretalium, Clericos omnes & indistinctè gaudere privilegio *fori*, communis est Canonistarum sententia fundata in generali ac indefinita expressione Decretalium de hoc privilegio loquentium, ac notanter *Cap.* 2. *De Foro comp.* ubi sub nomine Concilii Parisiensis dicitur: " Nullus Judicum, neque Presbyterum, ne„ que Diaconum, aut *Clericum ullum*, aut minores Ecclesiæ „ sine permissu Pontificis per se distringere aut condemnare „ præsumat. Quod si fecerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam ir„ rogare dignoscitur, tamdiu sit sequestratus, quousque rea„ tum suum cognoscat & emendet."

II. Similiter & veteres Canones, necnon Principum Sanctiones de auctoritate & jurisdictione Episcoporum loquentes, omnem indefinitivè Clerum Episcopis subjiciunt, omnesque generatim Clericos de foro Episcopi esse supponunt.

III. Quare de Pontificale Romanum etiamnum hodie supponit, Tonsuratos per susceptionem primæ Tonsuræ constitui *de foro Ecclesiæ*. Post collatam enim Tonsuram, ex præscripto Pontificalis Episcopus alloquitur novos Tonsuratos, dicens: " Filii charissimi, animadvertere debetis, quòd hodie de *foro* „ *Ecclesiæ* facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis; cavete „ igitur, ne propter culpas vestras illa perdatis; & habitu ho„ nesto, bonis moribus, atque operibus Deo placere studeatis."

IV. Neque sanè mirandum, jam pridem sub hoc privilegio indistinctè *omnes* Clericos, etiam primæ Tonsuræ & minorum Ordinum, fuisse comprehensos: quia supponebatur, uti & hodie Ecclesia desiderat, quòd omnes Clerici reverà essent *ministri* Ecclesiæ, atque reipsâ conversatione & habitu ita se exhibere, ut omnibus manifestum esset, se velle Ecclesiæ, & non sæculo servire.

V. Id quoque hodiernæ ceremoniæ & preces, quas in collatione primæ Tonsuræ Pontificale præscribit, ostendunt.

Ut quid enim habitum sæcularem deponunt, & *habitum sacræ religionis* induunt, nisi ut se sæculo renuntiare, & religioni militare post hac velle demonstrent? Unde & Episcopus ad impositionem vestis Clericalis ad Deum se convertit, supplicans: " Quibus in tuo sancto nomine habitum sacræ religio„ nis imponimus, ut te largiente *devoti in Ecclesia tua perse„ vere mereantur.*"

VI. Et Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 4. *De Reformat.* præcipit, ut ii dumtaxat Tonsurâ initientur, " de quibus pro„ babilis conjectura sit, eos non sæcularis judicii fugiendi „ fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus „ elegisse."

VII. Dum igitur prima Tonsura juxta Ecclesiæ intentionem, & regulas ab ipsa præscriptas fuit collata, meritò etiam vel primâ Tonsura initiati sub hoc privilegio comprehendi poterant, & de foro Ecclesiæ constitui; utpotè ejus *ministerio* reipsâ adscripti, & eidem juxta conditionem suam ad præscriptum Episcoporum incumbere parati.

VIII. Cùm autem nec Matrimonium obstet, quò minùs quis *servitio* Ecclesiæ insistere, & ei se totaliter consecrare queat, nec Conjugati Tonsurâ Clericali initiati, hoc privilegio fraudari debuerunt: nec Ecclesia ob contractum ab iis Matrimonium, auctoritate in suos *Ministros* privari.

IX. Hinc ex citata Decretali sub nomine Concilii Parisiensis tamquam consequens declarat Bonifacius VIII. in *Cap. Unico De Clericis conjugatis in* VI. " Clericos conjuga„ tos pro commissis ab iis excessibus vel delictis, trahi non „ posse criminaliter aut civiliter ad judicium sæculare: nec „ ac ipsis sæcularibus judicibus eos debere personaliter, vel „ etiam

„etiam peculiariter (ne per unam viam concedatur eisdem ju-„dicibus, quod per aliam denegatur) hactenus condem-„nari."

X. Non immeritò ergo *omnes* Clericos privilegio Clericali comprehendebant non tantùm Synodorum Canones, sed & ipsorum Principum Sanctiones, quia omnes indistinctè Clericos divinis obsequiis mancipatos supponebant, quemadmodum expressit Constantinus M. non obscurè in Clericale obsequium ipsam immunitatem refundens, in *L. 2. Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*: "Qui divino cultui ministeria reli-„gionis impendunt (id est hi, qui *Clerici* appellantur) ab om-„nibus omnino muneribus excusentur; ne sacrilego livore „quorumdam à divinis *obsequiis* avocentur.

XI. Verùm cùm circa sæculum 13. & 14. cœpissent Canonistæ *Tonsuram* Clericalem Ordinibus annumerare, eique etiam efficaciam imprimendi characterem indelebilem tribuere, unà cœperunt docere, Tonsuratos per nudam & simplicem susceptionem primæ Tonsuræ fieri personas *sacras*.

XII. Ex quo ulteriùs concludebant, primâ Tonsurâ initiatos à foro sæculari, tamquam personas sacras seu sacratas esse exemptos, tametsi nec Tonsuram, nec habitum Clericalem gestarent; eò quòd supponerent, per Tonsuram imprimi characterem independenter ab omni servitio aut habitu Clericali.

XIII. Id supposuisse Episcopum Eduensem, qui nomine Prælatorum Galliæ pro immunitate Ecclesiastica decertabat cum Petro Cugnerio coram Philippo Valesio, patet ex illius responso ad articulum 30. ejusdem Cugnerii. Articulus Cugnerii erat: "Item si contingat, quòd Gentes Regiæ capiant ali-„quem malefactorem pro crimine certo per eum commisso, „& idem malefactor dicat, se Clericum esse, licèt nec Tonsu-„ram, nec habitum deferat Clericales, Officiales prælatorum „faciunt in continenti detinentes & capientes compelli per „monitiones & sententias ad restituendum sibi prædictum „malefactorem tamquam Clericum suum."

Huic articulo respondit Eduensis: "Ad 30. (articulum) qui „loquitur de Clericis conjugatis captis in habitu laicali: dicit, „quod tales pro eo, quòd non deferunt Tonsuram, vel habi-„tum Clericis congruentem, non amittunt privilegium Cle-„ricale: unde si sit notorium judici Ecclesiastico, talem esse „Clericum, vel fama sit publica super hoc, idem judex sine cu-„juscumque injuria potest ad restitutionem talis Clerici justi-„tiam compellere sæcularem."

Hoc responsum manifestè supponit, quòd sufficiat esse Clericum, ut quis fori privilegio gaudeat, & captus à judice laico restituendus sit judici Ecclesiastico, tametsi nec Tonsuram, nec habitum deferat Clericis congruentem.

XIV. Porrò hâc persuasione de characteris impressione per simplicem & nudam Tonsuræ susceptionem semel receptâ, ostium erat apertum, quo omnes passim se à jurisdictione laicali subducerent, & pœnas per judices laicos criminibus congruentes infligendas impunè evaderent; idque tam conjugati, quàm cœlibes cujuscumque conditionis tametsi nec de statu Ecclesiastico assumendo, aut habitu & Tonsura Clericali gestando cogitarent, modò tantùm primâ Tonsurâ initiarentur. Nec illud difficilè erat, tum quòd Officiales desiderarent plures suo foro subjectos, tum quòd etiam Ministri Episcoporum exinde lucellum captarent. Nec deerant Episcopi, qui suis Ministris benefacere volentes, quin ex lucello illo nonnumquam participantes, facilè ad Tonsuram quoslibet admitterent; maximè cùm tunc & Episcopi Titulares sibi auctoritatem Tonsuram & Ordines conferendi in aliena Diœcesi arrogarent, & lucrum exinde quærerent, quemadmodum ex Decretis Synodi Tridentinæ, quibus hi abusus resecantur, haud difficulter potest intelligi.

XV. Mirum ergo videri nequit, si laici quererentur, hoc pacto passim sceleratos homines, nihil præter nudam Tonsuræ impressionem habentes, titulo privilegii Clericalis à jurisdictione laicali eximi, atque hoc pacto scelera atrocissima manere impunita, idque contra intentionem eorum, qui privilegium hoc veris Clericis, sive Ministris Ecclesiæ, qui & conversatione & habitu se tales exhiberent, indulgere voluerunt.

XVI. Inter articulos Petri Cugnerii erat hic 49. "Item fa-„ciunt Prælati Tonsuras hominibus 30. annorum & ultra, & „etiam conjugatis aliquibus, quando veniunt ad eos metu „intrusionis carceris, & punitionis alicujus criminalis „delicti, quod anteà perpetraverunt, & hoc pluries fuit „factum."

Querelam Guilelmi Benedicti facili Tonsuratione cujuslibet generis & artificii hominum, & quomodo hac ratione crimina manerent impunita, citavimus Capite præcedenti.

XVII. Nec circa tempora Concilii Tridentini cessârunt querelæ laicorum de impunitate criminum etiam atrocissimorum, quæ obtentu hujus privilegii obtinebatur, uti videre est in gravamine 31. inter gravamina à Principibus Germaniæ sub id tempus Sedi Apostolicæ oblato; & litteris Francisci De Vargas Oratoris Regis Catholici in Concilio Tridentino ad Episcopum Atrebatensem datis 26. Novemb. 1551. in quibus acre de hoc excessu conqueritur.

XVIII. Ut his querelis satisfaceret Synodus, imprimis renovavit Constitutionem Bonifacii VIII. de Clericis conjugatis, addens hanc clausulam: "Modò hi Clerici (conjugati) alicujus „Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem „Ecclesiæ serviant, vel ministrent; & Clericali habitu & Ton-„surâ utantur, nemini quoad hoc, privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili suffragante." *Sess. 23. cap. 6. De Reformat.*

XIX. Hac clausulâ sat ostendit Synodus, privilegium hoc Clericale non ob nudam rationem capillorum ut ceremonialem illam Tonsuram esse indultum; sed maximè propter ministerium, cui per ipsam Tonsuram fit applicatio, sive datur introitus.

XX. Circa Clericos non conjugatos declarat, quòd nullus „prima Tonsurâ initiatus, aut etiam in minoribus Ordi-„nibus constitutus, ante decimum quartum annum benefici-„um possit obtinere." Deinde subjungit: "Is etiam fori privi-„legio non gaudeat, nisi beneficium Ecclesiasticum habeat; „Clericalem habitum & Tonsuram deferens, alicui Ec-„clesiæ ex mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario „Clericorum, aut in aliqua Schola, vel Universitate, de licen-„tia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos „versetur."

Non obscurum est, Synodum hîc æquiparare initiatum primâ Tonsurâ, & initiatum minoribus Ordinibus: atque in utroque requirere hîc expressas conditiones, ut privilegio fori gaudere queant.

XXI. Ulteriùs sat manifestum, Synodum non refundere hoc privilegium *fori* in nudam & solam Tonsuræ Clericalis aut minorum Ordinum susceptionem; qui in hoc, quòd quis ministerio Ecclesiastico sit actualiter applicatus; aut saltem se impendat, ut Ecclesiæ servire queat.

XXII. Circa vestes sive habitum Clericalem multa præscribunt Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 6.* quoad Clericos conjugatos & simplices; sed quæ omnia videntur eò tendere, ut Clerici illi habitu externo se Clericos esse ostendant, aut saltem à laicis distinguant. Quæ enim sit vestis Clericalis, ex locorum & temporum conditione desumendum esse, ostendi *parte 1. tit. 2 cap. 2.* ubi unà notatum, quandonam Clerici vestes Clericales *abjecisse* censeatur, ut privilegio *fori* excidant, & pœnis Canonicis contra non gestantes vestem Clericalem decretis puniantur.

XXIII. Clericum Tonsuratum non conjugatum, & in alio quàm Clericali habitu captum, pro illa vice forum declinare non posse, nec privilegio uti, judicatum esse anno 1584. refert Paponius *lib. 1. tit. 5. arresto 42.* & in annotationibus idipsum non semel aliàs judicatum dicitur.

XXIV. Item *Arresto 47.* refert judicatum esse, Clericum *conjugatum* non gaudere privilegio fori, qui captus fuerat

in

in veste non quidem omninò laicali; sed tamen aliqualiter ad eam accedente; monetque Paponius, quòd aliud foret in Clerico *non conjugato*: "Hoc casu quippe (ait) major habitus „dissolutio requireretur, & faciliùs *conjugatus* privilegium „suum amittit."

Nec immeritò. Licèt enim conjugium absolutè Clericatui non repugnet; dubium tamen non est, Clericum per conjugium præsumi ad statum sæcularem velle divertere; quæ præsumptio tunc per habitum alioquousque ad laicalem accedentem perficitur.

XXV. Edicto Molinensi anno 1566. cautum fuit in Gallia, quòd nullus Clericus gauderet privilegio fori, nisi ut minùs esset *Subdiaconus*, actualiter residens, & Divinis inserviens. Verba Edicti sunt: *Que nul de nos sujets soy disant Clerc ne pourra jouir dudit privilege soit pour delaissement aux juges d'Eglise, ou pour autre chose: s'il n'est constitue es Ordres sacres, & pour le moins Sous-diacre Clerc actuellement resident & servant aux offices, ministeres & benefices qu'il tient dans l'Eglise.* Id est: Ut nemo subditorum nostrorum se Clericum asserens valeat dicto privilegio gaudere, sive ut ad Ecclesiasticos Judices remittatur, sive alia de causa, nisi sacris Ordinibus initiatus sit, saltem subdiaconus, aut Clericus actu residens & inserviens officiis, ministeriis & beneficiis quæ in Ecclesia possidet.

XXVI. At postmodum ad instantiam Cleri declaravit Rex, quòd etiam Clerici Scholares actualiter & sine fraude studentes, & omnes Beneficiati privilegio fori uterentur. *Les Ecoliers actuellement estudeans, & sans fraude, & aussi tous Clercs Beneficiés.* Id est: Scholares actu, & dolo deposito Studentes, omnesque insuper Clerici beneficiati.

XXVII. Per hanc moderationē Edictum Regium ad terminos Concilii Tridentini reductum apparet; nisi quòd Synodus tantùm requirat, ut Clericus *alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat*; quod fieri potest, tametsi nullum *Beneficium* habeat; moderatio verò Edicti tantùm præter Scholares excipiat Clericos *Beneficiatos*. Sed quidni dicamus, Clericum, qui *alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi servit*, ad mentem Regii Edicti pro Beneficiato esse reputandum; quod & Edicto anni 1571. *art.* 14. declaratum est in verbis: *Ceux qui serviront actuellement à l'Eglise jouiront du privilege de Clericature & Tonsure.* Id est: Qui actu inservient Ecclesiæ, Privilegio Clericatus & Tonsuræ gaudebunt.

XXVIII. Unde & S. Congregationem declarâsse refert Fagnanus ad *Cap.* 1. ☞ *De Foro comp. num.* 11. quòd Clericus incedens in habitu & Tonsura Clericali gaudeat privilegio, si *alicui Ecclesiæ serviat*, etiam *sine mandato* Episcopi; aut studeat in aliquo Seminario, vel Schola, aut Universitate *cum licentiam* Episcopi; quia etiam cessante mandato aut licentia Episcopi, habetur finis præcipuus Concilii.

XXIX. Et hæc quidem, si non appareat, Clericatum fuisse susceptum in fraudem fugiendi judicii sæcularis. Si enim post delictum commissum susceperit Clericatum, & ex circumstantiis satis constet, id in fraudem factum esse, sat convenit inter Doctores, hujusmodi Clericum prætextu suscepti Clericatûs jurisdictionem laicam declinare non posse. Indicium autem fraudis haud obscurum erit, si mox à perpetrato delicto Tonsuram susceperit, uti rectè monet Roussellus *lib.* 4. *Hist. Pontificiæ jurisd. c.* 3. *n.* 48. Nam ex vicinitate vel diuturnitate temporis dolus præsumitur esse aut abesse, ait Roussellus. Cæterum latè de hac quæstione per varias distinctiones agit Fagnanus ad *Cap.* MAGNUS, ☞ *De Obligatis ad ratiocinia.*

XXX. Cùm Synodus Tridentina jam dictas conditiones in Clerico requirat, ut privilegio *fori* gaudere queat, rectè post Riccium notat Zypæus titulo *De Foro comp. num.* 43. Clericos non servantes conditiones hîc expressas excludi à privilegio fori, nullâ etiam præviâ monitione.

XXXI. Hoc tamen privilegium non absolutè amittat Clericus, qui vestes Clericales deposuit; sed tantùm pro eo tempore, quo eas non gestat. Si enim resumptis veste & Tonsurâ Clericali alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi deserviat ad præscriptum Concilii Tridentini, non apparet, cur tunc privilegio gaudere non debeat; quandoquidem tunc habeat omnes conditiones à Concilio requisitas; & ita voluisse S. Congregationem refert Fagnanus loco citato.

CAPUT IV.

Coram quo Causæ criminales Episcoporum examinandæ & terminandæ?

1 *Causæ criminales Episcoporum olim in Synodis Provincialibus terminatæ.*
2 *Probatur ex Synodo Nicænâ.*
3 *Canonem Nicænum judicium Episcoporum deferre Synodo Provinciali, probat Concilium Constantinopolitanum primum.*
4 *Luculenter idem evincit Epistola Patrum Africanorū.*
5 *Disciplinam Niceno Canone expressam confirmat Synodus Antiochena.*
6 *Eadem disciplina asseritur in Concilio Sardicensi.*
7 *Synodus Sardicensis permittit interdum renovari judicium Synodi Provincialis.*
8 *Renovationem non permittit nisi causâ cognitâ.*
9 *Cognitionem causæ Synodus defert Episcopo Romano.*
10 *Pendente causa renovationis coram Episcopo Romano nullum in locum damnati Episcopi ordinari voluit Synodus.*
11 *Si Episcopus Romanus judicium renovandum censeat, renovationem committere potest propinquis Episcopis Provinciæ.*
12 *Potest etiam committere aliquos è latere suo, qui cum Episcopis Provinciæ judicium renovent.*
13 *Refertur summariè sensus Canonum Sardicensium.*
14 *Canonibus Sardicensibus quoad judicium Episcoporum in primâ instantiâ consonat Synodus Calchedonensis.*
15 *Eamdem disciplinam expressit Gelasius II.*
16 *Disciplina hæc mutari cœpit circa sæculum 8. occasione collectionis Isidorianæ.*
17 *In hac collectione refertur sub nomine Julii Papæ Epistola Decretalis, causas Episcoporum reservans Sedi Apostolicæ.*
18 *Similis Epistola refertur sub nomine Eleuterii Papæ.*
19 *Quanto applausu hæ litteræ Decretales fuerint receptæ remissive.*
20 *Hinc invaluit, Episcopos non nisi à Sede Apostolica judicari posse.*
21 *Id sæculo 9 asseruit & vindicavit Gregorius IV.*
22 *Sæculo 10. eadem opinio ubique penè recepta.*
23 *Tamquam indubitata proponitur in Dictatu vulgò Gregorii VII.*
24 *Decretalibus veterum Pontificum authoritatem non exiguam conciliavit Decretum Gratiani.*
25 *Retulit Gratianus Decretales reservantes causas Episcoporum Sedi Apostolicæ in suum Decretum.*
26 *Retulit quoque Canones asserentes easdem causas Synodo Provinciali; atque hinc distinctio inter graviores & minores causas Episcoporum.*
27 *Hanc distinctionem non obscurè amplexus est Innocentius III.*
28 *Eamdem distinctionem jam pridem proposuit antiquus Glossator Sanctionis Pragmaticæ.*
29 *Conformiter ad hanc distinctionem causas* graviores *criminales Synodus Tridentina committit Summo Pontifici.*
30 *Causas minores remittit ad Synodum Provincialem.*
31 *Huic Decreto Cardinalis Lotharingius apponi voluit particulam,* Salvis Provinciarum privilegiis.
32 *Nonnulla omissa in Decreto ne offenderentur Galli.*
33 *Decretum, antequam promulgaretur, displicuit Oratoribus Regis Galliæ.*
34 *Nota Oratoris Regis Christianissimi in hoc Decretum.*
35 *Observationibus Gallicanis consonant observationes Belgicæ.*

36 *Solliciti fuêre Magistratus Regii, ne subditi judicarentur extra suas Provincias.*

37 *Judicia facilius institui & absolvi possunt intra Provinciam.*

38 *An Episcopi ob aliquod crimen possint conveniri apud Judicem laicum?*

39 *Difficulter hodie conveniri possunt Episcopi criminaliter.*

I. Causas criminales Episcoporum jam pridem in Synodis Provincialibus tractatas fuisse satis constat, estque passim ab omnibus admissum, & in Canonibus antiquis expressum.

II. Id imprimis probat Nicænus *Canon.* V. qui licet expressè & nominatim de Episcopis non loquatur, nihilominus cùm generatim quæstiones in Provincia exorientes velit in Synodo Provinciæ examinari, ac determinari, videtur & ipsas quæstiones sive causas contra Episcopos comprehendere; præsertim quia nominatim Concilio Provinciali judicium tribuit, & examen excommunicationum ab Episcopis latarum in Clericos; quod fieri non potest, quin de Episcopo judicium feratur. " Requirantur autem, ne pusillanimitate, „ aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videantur „ à Congregatione sectusi. Ut hoc ergò decentiùs inquiratur, „ beneplacuit, annis singulis per unamquamque Provinciam „ bis in anno Concilia celebrari, ut communiter omnibus si„ mul Episcopis Provinciæ congregatis, discutiantur hujus„ modi quæstiones."

III. Ad hæc secunda Synodus generalis Constantinopolitana I. dicit, omnem Provinciæ administrationem Synodo Provinciali per Canonem Nicænum commissam. Verba *Canonis II.* hujus Synodi sunt: " Servatâ, quæ præscripta est de „ gubernationibus, regulâ, manifestum est, quòd ista, quæ per „ unamquamque Provinciam ipsius Provinciæ Synodus dis„ penset, sicut *Nicæno* contra decretum esse Concilio."

Quis porrò ambigat, quin intra illa, quæ per unamquamque Provinciam occurrunt, maximi momenti sit Episcoporum correctio & depositio?

IV. Sed omnem scrupulum eximunt Patres Africani, quos interêrat S. Augustinus in Epistola ad Celestinum Papam, ubi tamquam indubitatum asserunt juxta Nicæna Decreta, Episcopos à suis Metropolitanis, nimirum in suis Conciliis Provincialibus esse judicandos. " Præfato debitæ salutationis officii „ impendio deprecamur, (inquiunt) ut deinceps ad vestras au„ res hinc venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis ex„ communicatos in communionem velitis admittere; quia hoc „ etiam in Nicæno Concilio definitum facilè advertit Venera„ bilitas Tua; nam etsi de inferioribus Clericis vel laicis videtur „ ibi præcaveri, quantò magis hoc de *Episcopis* voluit obser„ vari, ne in sua Provincia à communione suspensi à Tua San„ ctitate vel festinatò, vel præproperè vel indebitè videantur „ communioni restitui; quia & nullâ Patrum definitione, hoc „ Ecclesiæ derogatum est Africanæ, & Decreta Nicæna, sive „ inferioris gradûs Clericos, sive ipsos *Episcopos* suis Metro„ politanis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim ju„ stissimeque providerunt, quæcumque negotia in suis locis, „ ubi orta sunt, finienda, nec unicuique Provinciæ, gratiam „ Sancti Spiritûs defuturam, quâ æquitas à Christi Sacerdo„ tibus & prudenter videatur, & constantissimè teneatur.

V. Disciplinam Nicæno Canone stabilitam amplexi sunt Patres Concilii Antiocheni *Can.* 15. qui ex versione Dionysii Exigui sic habet: " Si quis Episcopus, de certis criminibus ac„ cusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Pro„ vinciæ, cunctique consonanter eamdem contra eum for„ mam Decreti protulerint, hunc apud alios nullo modo judi„ cari sed firmam concordantium Episcoporum Provinciæ „ manere sententiam."

Hic manifestè supponit Concilium, Synodum Provinciæ de criminibus Episcopi judicare, ipsamq; sententiam, si constantibus Episcoporum suffragiis lata sit, firmam manere voluit.

Sin autem Episcopi dissentiant, statuit Synodus *Can.* 14. „ ut (tunc) Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia judi„ ces alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos si„ mul & per Comprovinciales Episcopos, quod justum visum „ fuerit, approbetur."

VI. Disciplina hæc deferens causas Episcoporum Synodo Provinciæ luculenter quoque Canonibus Concilii Sardicensis expressa est.

Nam *Canon.* 3. ex lectione Dionysii Exigui ita habet: „ Quòd si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua cau„ sa, & putat, se causam bonam habere; ut *iterum Concilium* „ (versio Gentiani Herveti habet: *Ut etiam rursùs judicium*) „ renovetur, si Vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam ho„ noremus, ut scribatur ab his, qui causam examinârunt." (Græca versio habet: *Judicârunt.*) " Julio Romano Episco„ po, & si judicaverit, renovandum est judicium, renovetur, „ & det judices. Si autem probaverit, talem causam esse, ut „ non refricentur ea, quæ acta sunt, quæ decreverit, confirma„ ta erunt. Si hoc omnibus placet? Synodus respondit: Pla„ cet."

Hoc Canone deferri Synodo provinciæ in prima instantia causas Episcoporum, atque ab ea Episcopos judicandos esse, manifestum est.

VII. Verùm cùm animadversum esset, non semel accidisse, ut Hæricorum, ac nominatim Arianorum, qui tunc dominabantur, vafritie & potentiâ, Episcopi Catholici in Conciliis seu potiùs Conciliabulis opprimerentur & damnarentur, ut recenter in S. Athanasio factum fuerat, Osius Episcopus Cordubensis Occidentalium & Orthodoxorum Episcoporum Coryphæus, censuit, conveniens fore, ut si Episcopus damnatus putaret se *bonam causam habere*, petere possit *renovari* judicium, sive causam rursus examinari.

VIII. Sed ne hac *renovatione* judicii semper posset ipsum Synodale judicium suspendi etiam per homines sceleratos, meritoque damnatos; ipsaque judicia Ecclesiastica magis paterent nebulonum quorundam proterviæ, quàm sæcularia, in quibus non omnium appellationes recipi docet titulus Codicis, *Quorum appellationes non recipiantur*, judicatum, eam non esse admittendam sine justa causa.

IX. Itaque necesse erat, ut quis designaretur, qui judicaret, num judici *renovatio* esset admittenda, quare proposuit Osius: Si placeret, ut quando aliquis damnatus à Synodo petit *renovari judicium*, scribatur Julio Episcopo Romano per Episcopos, qui judicârunt, ut ipse judicet, an renovandum sit judicium, an non. Si prius, judicium renovetur; si posterius, tunc judicata maneant firma. Verba Canonis ex versione Herveti clara sunt: " Si vestræ dilectioni videtur, Petri Apostoli me„ moriam honoremus, ut ab iis, qui judicaverunt, scribatur „ Julio Romanorum Episcopo; & per propinquos Provinciæ „ Episcopos, si opus sit, judicium renovetur; & cognitores ipse „ præbeat. Si autem probari non potest, causam ejus esse ta„ lem ut eam rursus judicari opus sit; quæ semel sunt judicata, „ non infirmentur, sed rata sit lata sententia."

X. Ut verò causa maneret integra, quousque sententia Episcopi Romani super renovatione judicii haberetur, æquum visum fuit Gaudentio Episcopo, cujus sententiam Synodus probavit, ut dum sententia Episcopi Romani expectaretur, nullus in locum depositi Episcopi ordinaretur, quemadmodum *Canone* 4. exprimitur; qui ex versione Gentiani Herveti sic habet: " Gaudentius Episcopus dixit: Si videtur, necesse esse ad„ jici huic sententiæ, quam sincerâ dilectione plenam protu„ listi, ut si quis Episcopus fuerit depositus judicio Episcopo„ rum, qui sunt in vicinia, & dicat rursus sibi defensio„ nis negotium competere, non prius in cathedram alius „ substituatur, quàm Romanus Episcopus causâ cognitâ sen„ tentiam tulerit."

XI. Ulterius quia *Canone* 3. expressa non erat forma: quæ in ipsa renovatione judicii servanda foret, casu quo Episcopus Romanus senserit, judicium esse *renovandum*, *Canone* 7. decernitur, " ut si quis Episcopus delatus fuerit, & con„ gregati ejusdem Regionis Episcopi eum *gradu* moverint

„ac *velut appellans* confugerit ad Beatissimum Romanæ Ec„clesiæ Episcopum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit ejus rei examinationem renovari; Coëpiscopis „scribere dignetur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter & accurate singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sententiam ferant." Hæc juxta versionem Herveti, cui quoad sensum consonat editio Dionysii Exigui. Atque hic est primus modus, quo ex sententia Episcopi Romani *judicium* renovari potest.

XII. Alterum modum subjungit Canon, cujus sensus clarius exprimitur apud Dionysium Exiguum, quàm in versione Hervetiana, quamvis reipsa conveniat. Itaque Dionysii editio ita habet: "Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, „deprecatione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi, quid „velit, & quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui „præsentes cum Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; „faciet, quod sapientissimo consilio suo judicaverit."

XIII. Sensus proinde Concilii Sardicensis his Canonibus expressus est, ut Episcopi coram Synodo Provinciæ accusari, judicari, & etiam *gradu moveri* queant; ipsaque sententia Synodi firma consistat, nisi Episcopus damnatus judicium renovari petierit; ipseque Episcopus Romanus ab Episcopis Provinciæ interpellatus judicaverit, judicium renovandum juxta modum *Can.* 7. expressum: prout latiùs deduxi in Tractatu Historico-Canonico in notis ad hos Canones.

XIV. Canonibus Sardicensibus quoad primum judicium super causis Episcoporum delatum Synodo Provinciæ, consonat Synodus Calchedonensis *Can.* 9. "Si Clericus autem cum „proprio Episcopo negotium aut litem habeat, à Provinciæ „Synodo judicetur." Vide etiam Novellam Justiniani 123. *cap.* 21. quæ controversias Episcoporum similiter Synodis Provincialibus, vel etiam Metropolitano committit.

XV. Circa idem tempus Gelasius II. Papa disertè agnoscit, Episcopos Provinciæ esse judices, "ad quorum judicium *omnes* causæ *Episcoporum*, & reliquorum Sacerdotum ac civitatum causæ referantur, ut ab his omnibus justè consonâ „voce discernantur." Epistolâ ad Joannem Constantinopolitanum.

XVI. Verùm circa sæculum 8. & 9. hæc Synodorum auctoritas in decedendis causis Episcoporum diminui cœpit. Sub id enim tempus nova quædam Collectio Canonum & Epistolarum Decretalium Pontificum prodiit sub nomine cujusdam Isidori, in qua ipsum jus judicandi & deponendi Episcopos Synodis Provincialibus adimitur, & Romano Pontifici etiam in prima instantia asseritur.

XVII. Refertur enim sub nomine Julii I. Epistola Decretalis ad Orientales Episcopos in causis Athanasii, & excessibus contra Romanam Ecclesiam, in qua *cap.* 2. hæc leguntur: "Porrò dudum à Sanctis Apostolis successoribusque eorum, „in præfatis antiquis Decretum fuerat statutis, quæ hactenus „Sancta & Universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari, quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt."

Et rursus *cap.* 4. "Si quis ab hodierna die & deinceps Episcopum præter hujus Sanctæ Sedis sententiam damnare, „aut propria pellere sede Præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore, eosque, qui absque hujus Sedis sunt ejecti sententia, vel damnati, hujus Sanctæ Sedis auctoritate sciote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus."

XVIII. In Epistola quoque Eleutherii Papæ huic similiter collectioni insertâ dicitur: "De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva „Episcoporum tantùm judicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorumque „successoribus multorum consensu Episcoporum jam definitum est."

XIX. Quanto applausu hæc collectio, ac præsertim Epistolæ illæ Decretales sub gloriosis nominibus primorum Pontificum & Martyrum exhibitæ, fuerint receptæ, non tantùm à Romanis Pontificibus, sed & plerisque Episcopis, qui ambiebant se judicio & correctioni Metropolitanorum & Synodorum Provincialium subtrahere, Sedi Apostolicæ in causis criminalibus immediatè subjici, latè exposui in Tractatu Historico-Canonico in Canones *parte* 4. *tit.* 1. §. 3.

Stabilitâ autem harum Decretalium auctoritate, unà invaluit opinio, Episcopum sine auctoritate Sedis Apost. damnari non posse; quod tamquam ab Apostolis ad posteros derivatum, & quasi divinitus pro privilegio Sedi Apostolicæ, cui Petrus præsedit, concessum esse dicebatur.

XXI. Unde cùm anno 835. ad Gregorium VI. appellâsset Aldricus Cenomanensis Episcopus ante sententiam Episcoporum, præcipit quidem Gregorius, ut causa ejus audiatur à Primate Diœceseos; sed judicium peragi prohibet; quod sibi reservat, vel legatis suis in Provinciam mittendis. Extat integra epistola tomo 7. Concil. *col.* 1571. fragmentum huc spectans apud Gratianum *Caus.* 2. *q.* 6. *Can.* 11.

Eadem fuit subsequentium Pontificum sententia, quam & suis epistolis sæpiùs expresserunt, & ut observaretur, præceperunt.

XXII. Observat Petrus de Marca *lib.* 7. *De Concordia Sacerdotii & Imp. cap.* 26. Arnulphum Remensem Archiepiscopum in Synodo Remensi sub sæculo 9. depositum, auctoritate Romani Pontificis fuisse restitutum, eo solo titulo, quòd in Synodo sine Sedis Apostolicæ auctoritate depositus fuisset: monetque ab eo tempore opinionem illam invaluisse, ac tandem praxim ei conformem uno quasi consensu fuisse receptam & stabilitam.

XXIII. Quare in *Dictatu*, qui vulgò Gregorii VII. dicitur, & sub ejus nomine extat tomo 10. Concil. col. 110. pro vice regulæ ponitur *art.* 3. "Quòd ille solus (Papa) possit deponere Episcopos, vel reconciliare."

XXIV. Ad hæc cùm variæ prodirent sæculo 11. & 12. Canonum Collectiones, in omnibus passim prædictæ Decretales Pontificum ab Isidoro primùm proditæ inserebantur; qua insertione non exigua iis conciliabatur auctoritas: præsertim tamen eis auctoritatē addidit Gratianus, eas suo Decreto inserēdo.

Cùm enim Decretum illud omnium, non tantùm Canonistarum, sed & Theologorum manibus tereretur, eoque tamquam Corpore Canonico uterentur; imò & Doctorum Glossis illustraretur, sententiæ ibidem expressæ pro indubito suscipiebantur, & in foro admittebantur.

XXV. Refert Gratianus fragmentum supra citatæ epistolæ Julii I. *Caus.* 3. *q.* 6. *Can.* 9. cum hac epigraphe. "*Præter sententiam Romani Pontificis, nec Concilia celebrari, nec Episcopum damnari oportet.*" Et *Can.* 7. fragmentum epistolæ Eleutherii cum hoc summario: "*Comprovinciales & Metropolitani Episcoporum causam audire, sed diffinire non possunt.*"

XXVI. Cùm verò Gratianus in suum Decretum retulisset quoque Canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses, & similes, qui causas Episcoporum ad judicem Synodorum referunt, necesse fuit, aliquam reperiri rationē hos Canones conciliandi; unde tandem adhibita fuit distinctio inter causas majores & minores. Majores dixerunt, quæ depositionem ab Episcopatu mererentur. Minores verò, quæ correctionem, sed mitiorem requirerent.

Illas Sedi Apostolicæ reservatas esse dicebant juxta Decreta in Decretalibus Pontificum relata, has verò conformiter ad sacros Canones in Synodis Provincialibus & à Metropolitanis esse terminandas.

XXVIII. Hanc distinctionem non obscurè amplexus videtur Innocentius III. nam solam Episcoporum depositionem Sedi Apostolicæ reservatam asserit in *Capite* 2. *De Trans-*

Digitized by Google

Translat. Episcop. imò ait, tria, nimirum *translationem, depositionem* & *cessionem* Episcoporum, non tam institutione Canonicâ, quàm institutione Divinâ, soli esse Romano Pontifici reservata.

XXVIII. Hanc distinctionem jam pridem receptam fuisse in Gallia testis est antiquus Sanctionis Pragmaticæ Glossographus Cosmas Guimierius, dicens: "Episcoporum depositio est Papæ reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium provinciale erit judex.

XXIX. Eamdem tandem confirmavit Synodus Trid. *Sess. 24. cap. 5. De Reformat.* ubi ait: "Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam sit committenda, nemini prorsùs ea committatur, Nisi Metropolitanis, aut Episcopis, à Beatissimo Papa eligendis. Hæc verò commissio & specialis sit, & manu ipsius Sanctiss. Pontificis signata, nec umquam plus his tribuat, quàm ut solam facti instructionem sumant, processumque conficiant: quem statim ad Romanum Pontificem transmittant; reservatâ eidem Sanctissimo sententiâ definitivâ."

XXX. Post hæc de minoribus Episcoporum causis subjungit: "Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à deputandis per Concilium provinciale."

XXXI. Refert Cardinalis Pallavicinus *lib. 13. Hist. Concilii Trid. cap. 7. num. 11.* quòd cùm ageretur de Decretis reformationis *Sessione 24.* promulgandis, Cardinalis Lotharingus in quinto capite, ubi lex habetur de committendis Episcoporum causis, opinabatur, aut caput illud omninò delendum, aut restringendum, adjectâ particulâ *salvis Provinciarum privilegiis*: aliter necesse fore, ut Galli repugnarent, cùm Decretum illud opponeretur privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ."

XXXII. Deinde narrat Pallavicinus ibidem *cap. 8. num. 5.* quòd in hoc quinto capite "sublatæ fuerint in gratiam Lotharingi amplissimæ derogationes cuicumque privilegio jam appositæ, idque ne apertum detrimentum prærogativis Ecclesiæ Gallicanæ in eo contineretur, quandoquidem ille non impetraverat, sicut petierat in antegressio examine, ut Provinciarum privilegia disertè illæsa servarentur: in quo necesse habuit, ut ardenter se gereret, quoniam super hoc articulo Venetiis conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores."

XXXIII. Quod hîc dicit Pallavicinus de Gallicis Oratoribus, etiam probant observationes atque animadversiones Oratorum Regis Christianissimi in articulos reformationis, *Sess. 24.* publicandos; in his observationibus notatur: "Caput, quod incipit, *Causa criminales*, non placet. Adversatur enim antiquissimo juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra Regnum à quoquam ex quacumque causa in jus vocari, nedum condemnari possit."

XXXIV. Extant hæ observationes in libello, cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente*, edit. 1654. *pag.* 573. ubi & *pag.* 575. referuntur notæ Domini de Pibrac Oratoris Regis Galliæ in Concilio Tridentino, ad aliquot Capita hujus *Sessionis* 24. ubi nominatim ad hoc Caput quintum notatur: "Hoc totum Decretum gratissimum omnibus Patribus fuit, nulloque dissentiente approbatum, quanquam ex eo nihil magis sequi videatur quàm securitas, & gravissimorum criminum impunitas, quæ ipsa per se maxima est illecebra peccandi. Quis enim ex longinquis regionibus ad testimonium dicendum Romam proficisci volet? Violatur quoque hîc apertissimè jus nostrum, quo hactenus semper usi sumus: neminem enim Gallum, nisi in Gallia, judicari leges patiuntur. Illud autem nulla ratione fieri potest, quòd causæ civiles Episcoporum, ubi scilicet de eorum bonis agitur, ad forum Romanum hoc Decreto transferuntur."

XXXV. Observationibus Gallicanis circa hoc Decretum Concilii Tridentini non absimiles sunt notæ Magistratuum Belgicorum, quas prævié ante publicationem Concilii Tridentini in his partibus addiderunt.

Imprimis enim ad *cap. 8. Sess. 13.* ubi dicitur: *Causa Episcoporum, cùm pro criminis gravitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur*, speciatim Brabantini observârunt, hac ratione subditos extra Patriam fore trahendos, quod directò adversatur indulto Summorum Pontificum, Leonis & Clementis, & Constitutionibus Suæ Majestatis, & Illustrissimorum ejus Prædecessorum, qui non sine gravi ac prægnanti causâ id concesserunt."

Deinde ad *cap. 5. Sess. 24.* "monuerunt Brabantini, Flandri, aliique posse Regem inhærere veteri juri & auctoritati suæ ad conservandam securitatem & tranquillitatem Reipublicæ & subditorum."

XXXVI. Plurima & antiquissima sunt Principum Belgii edicta, quæ vetant, Belgas extra suas provincias in jus vocari, quæ etiam juramento Principes in sua inauguratione inviolabiliter observare promittunt. Idque non tantùm in causis civilibus, sed & Ecclesiasticis: atque hinc notorius & quotidianus usus delegandi judices appellationum in *Partibus*, si quando à sententia judicis Ecclesiastici ad Pontificem appellatum est, uti infra, ubi de *Judicibus delegatis* agetur, latiùs ostendetur.

XXXVII. Non dubium, quin magna secum trahat incommoda extra Provinciam, & in remotis locis Causam prosequi debere: idque sive personas litigantes spectes, quæ sine magnis sumptibus, variisque domesticis & familiaribus incommodis in locis illis remotioribus ad prosequendas causas morari nequeunt; sive etiam ipsam causarum instructionem attendas; nam ut jam pridem rectè scripsit S. Ivo Carnotensis *epistola* 86. "Si intra Provinciam, secundum quod instituta Majorum continent, fieret prima discussio, sicut necesse foret, non deessent accusatores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non audent ad remota loca prodire."

XXXVIII. Quamvis nonnulla crimina inferiores Clericos, quin & Presbyteros judicibus Regiis subjecerint; praxisque invaluerit, ut de illis à judicibus Laicis judicentur & condemnentur, hactenus non scimus ad Episcopos Laicam jurisdictionem ratione criminis quantumvis atrocis esse extensam, referturque in Actis Cleri Gallicani declaratum esse 26. Aprilis 1657. per Regem Galliæ, quòd si Episcopi accusarentur de crimine *lesa Majestatis*, ipsorum processus instruerentur per judices Ecclesiasticos, conformiter ad Sanctiones Canonicas, & formam in hoc Regno servari consuetam. Qua de re extat articulus in Summario Actorum Cleri Gallicani edit. 1680. *tomo* 1. *parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *art.* 37. *Les immunites & exemptions acquises aux Cardinaux. Archivêques doivent estre inviolablement gardées & observées dans ce Royaume. Ce qui fut ordonné par sa Majesté par Arrest de son Conseil d'Etat du 26. Avril 1657. & la Commission du 21. Septembre 1654. qui avoit esté envoyée au Parlament de Paris pour faire le Procés à Monseigneur le Cardinal de Rets, fut declarée null ; & qu'au cas qu'ils soient accuses du crime de lese Majesté leur Proces sera instruit, & juge pour leurs personnes, par les Juges Ecclesiastiques, conformement aux saints Decrets, & Constitutions Canoniques, & suivant les formes observees dans le Royaume aux causes des Evêques.* Id est: Immunitates & exemptiones Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis partæ inviolabiliter conservandæ sunt in hocce Regno. Idque à sua Majestate statutum est per Edictum Consilii status datum 26. April. 1657. & Mandatum de 21. Septembris 1654. quod supremæ Curiæ Parisiensi missum fuerat, ut Dominus Cardinalis Retensis in jus vocaretur, nullius valoris declaratum est; atque in casum, quo de crimine læsæ Majestatis rei agerentur ipsorum causa instrueretur & judicaretur pro ipsorum persona per

Eccle-

Ecclesiasticos Judices, conformiter ad Ecclesiastica Decreta & Canonicas Sanctiones, & juxta morem in hoc Regno observatum in causâ Episcoporum.

Sa Majesté donna une Declaration du même jour 26. Avril 1657. qui confirme ledit Arrest. Id est: Sua Majestas eodem die 26. Aprilis 1657. Declarationem fecit qua dictum Edictum confirmat.

XXXIX. Ex his satis intelligitur, quomodo Ecclesia fuerit sollicita, ne temere Episcopi accusarentur aut damnarentur, neque inferioribus subderentur; dum non nisi causas criminales ipsorum coram multorum Episcoporum cœtu examinari & discuti voluit. Verum & ex his etiam intelligere possint Episcopi, quòd juxta mentem Ecclesiæ debeant se in omnibus irreprehensibiles exhibere, ne quis contra ipsos justam querelam habeat: neque hanc ab inferioribus judicibus immunitatem in licentiam dominandi, aut liberius peccandi assumere. Sanè dum hodie vix sæculo uno Synodus Provincialis habetur, patet, quomodo ab omni pene judice Episcopi in hujusmodi causis sint exempti.

TITULUS IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

Quomodo olim Episcopi de omnibus criminibus cognoverint, & quomodo hæc Episcoporum auctoritas imminuta?

1 *Per multa sæcula latissimè se extendit Ecclesia auctoritas in crimina etiam laicorum.*

2 *Argumentum istius disciplinæ suppeditant Constitutiones vulgò Apostolicæ.*

3 *Episcopi in omnia crimina, etiam occulta, inquirebant, & quasi processum instituebant.*

4 *Hæc inquisitio & processus tendebant ad reconciliationem peccatoris.*

5 *Forum externum non erat separatum à foro interno, seu Sacramentali.*

6 *Non erat alius pro foro externo, alius pro foro interno constitutus.*

7 *Hæc disciplina videtur durasse per 11. sæcula.*

8 *Multa judicialia etiam interveniebant, quæ tamen indirectè spectabant ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

9 *Circa sæculum 7. quædam crimina specialiter spectabant ad Episcopos; sed quidquid Episcopi agebant, spectabat ad Sacramentum Pœnitentiæ.*

10 *Ostenditur quomodo omnia crimina meritò fuerint jurisdictionis Ecclesiasticæ.*

11 *Nulla tunc erat criminum distinctio in Ecclesiastica & Civilia prout illa hodie accipiuntur.*

12 *Episcopus non vetabatur inquirere in crimina Civilia etiam laicorum.*

13 *Episcopo non obstabat judicium laici.*

14 *Crimen Civiliter punitum poterat postmodum etiam per Episcopum puniri.*

15 *Ratio istius disciplinæ.*

16 *Reprobantur qui contrarium asserere volebant.*

17 *Qui Episcopis obedire renuebant, compellebantur per Magistratus Civiles.*

18 *Jurisdictio Episcoporum integra mansit quamdiu forum externum fuit conjunctum cum interno.*

19 *Circa sæculum 12. utrumque forum separari cœpit.*

20 *Quæ fori judicialis sunt Episcopi sibi vel Vicariis suis reservârunt, & quæ fori interni, inferioribus Presbyteris commiserunt.*

21 *Hâc fori separatione stabilitâ, Officiales Episcoporum de omni peccato cognoscere prætendebant.*

22 *Conforme responsum Innocentii III.*

23 *Posito hoc principio, omnium pene causas sibi attrahebant Judices Ecclesiastici.*

24 *Fundamentum Officialium erat, quòd ad Ecclesiasticos pertineret remissio peccatorum.*

25 *Hæc ratio non concludebat pro foro contentioso.*

26 *Ob separationem fori Pœnitentialis à foro contentioso cœperunt judices Regii aliqua crimina sibi reservare.*

27 *Crimina quæ nihil continent spirituale præter illud quod concernit forum Sacramentale, non spectant ad cognitionem Officialium.*

28 *Ad illud forum spectantia remittuntur ad hujus fori ministros.*

29 *Si crimen habeat aliquid spirituale præter illud quod concernit forum Sacramentale, illud manet cognitionis Ecclesiasticæ.*

30 *Hinc invaluit distinctio criminum in Ecclesiastica, Civilia & mixta.*

I. Primitus latissimè Ecclesiæ auctoritatem in puniendis quibuscumque etiam laicorum delictis, atque in ea inquirendi potestatem, multis ostendit Morinus De Administratione Sacramenti pœnit. *lib. 1. cap. 9 & 10.*

Imò asserere non dubitat, quòd totis undecim & amplius sæculis eam in omnia crimina auctoritatem Ecclesia constantissimè exercuerit. "Quamquam enim (ait) toto illo tempore „nonnullas magni momenti varietates urgentibus de causis „Episcopi in Ecclesiæ disciplinam quæ pœnitentiam spectat, „intulerint, constantissimè tamen Jurisdictionem suam in „omnia crimina etiam levissima, occulta & publica, Sacra„mentali, ut nunc loquimur, ratione exercuerunt.

II. Argumentum istius disciplinæ suppeditat totus liber secundus Constitutionum vulgò Apostolicarum, quæ licèt Apostolis falsò tribuantur, tamen antiquæ sunt, nec sæculo 4. recentiores videntur. In hoc porro libro, nihil penè aliud tra„ctatur quàm modus ratioque, juxta quam Episcopus in ju„dicandis ac puniendis peccatis, recipiendis ad pœnitentiam „peccatoribus sese gerere debeat; nec ulla umquam in eo „distinctio peccatorum, cujus membrum foro Ecclesiastico, „& pœnitentiæ non subjiciatur:" ait Morinus citato *cap. 10. num. 2.*

III. Ostendit ibidem multis ex antiquitate petitis testimoniis, Episcopos tum temporis in omnia crimina etiam occulta inquisivisse, ac quasi processus instituisse, ut conformiter ad crimina detecta pœnitentias imponerent.

IV. Hoc tamen apprimè notandum, quòd dicat Morinus, Episcopos Jurisdictionem suam tunc in *omnia* crimina exercuisse, *Sacramentali*, ut nunc loquimur, *ratione*.

Licèt enim in peccata inquirerent, testes audirent, censuris aliisque canonicis pœnis contra peccatores procederent, tamen hæc omnia unicè ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imò omnia quæ Episcopi circa crimina exercebant, cum pœnitentiæ Sacramento connectebantur; atque ad ipsum forum internum Pœnitentiæ sive antecedenter sive consequenter reducebantur.

V. Neque enim toto illo sæculorum undecim curriculo forum externum ab interno seu Sacramentali disjungebatur; sed hoc illi arcto vinculo connectebatur; sive potius quidquid in foro externo agebatur, ad forum internum Sacramenti Pœnitentiæ referebatur, uti fusè ibidem ostendit Morinus.

VI. "Nec erat alius, qui excommunicationem, alius „qui peccata solveret, ad quem solutâ excommunicatione pos-

Digitized by Google

„ peccator esset remittendus: nec erat aliud tribunal in quo excommunicandus, vel excommunicatus judicabatur, aliud in „ quo Pœnitens excommunicatione solutâ; sed unus & idem „ homo, Episcopus scilicet vel Presbyter unius ejusdemque tribunalis præses id præstabat.

VII. Hæc Morinus *cap.* 10. *num.* 1. qui addit *num.* 11. nihil hactenus à se inventum quod probet, ante sæculum 12. forum externum ab interno fuisse separatum; aut judicem peculiarem excommunicationis solvendæ, alium culpæ eluendæ destinatum fuisse.

VIII. Non eo tamen inficias (subdit Morinus) in ea Pœnitentiali criminum, præsertim publicorum, vindicta „ multa judicialia tantum & cæremonialia adhibita fuisse, quæ „ indirectè & per accidens non ex sui natura ad Sacramentum Pœnitentiæ referebantur. Imò videtur necessarium, „ cùm Pœnitentiæ publicæ non instituerentur solùm ut Deo „ satisfieret, sed etiam ut Ecclesia Reorum Pœnitentiis ædificaretur. Verùm antiqui ad unum & idem tribunal utraque „ revocabant. „

IX. Illud quoque haud diffitetur circa sæculum 7. duplex quoddam forum invaluisse. Sub id enim tempus invaluit disciplina, ut de peccatis publicis *publica*, de occultis pœnitentia *occulta* ageretur. „ Publicorum itidem peccatorum Confessio, Pœnitentia, Absolutio, ad Episcopos, eorumque speciales „ Delegatos pertinet: Occultorum Confessio, Pœnitentia, Absolutio, ad quoslibet Presbyteros. Duplex forum manifestissimum, causarumque materia longè diversa. Utrumque „ hoc forum à tempore notato multis sæculis in Ecclesia fulgentissimum fuit.

Verùm quidquid Episcopi, quidquid Presbyteri circa peccatores agebant, totum ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, sive peccatorum curationem directè vel indirectè pertinebat.

X. Cùm igitur omnis Ecclesiastica auctoritas tum unicè ad eluendas criminum maculas, aut etiam avertenda à reliquo populo scandala collimaret; neque forum externum & contentiosum, à foro interno disjungeretur; ipsique Episcopi Sacramentali dumtaxat ratione in crimina inquirerent, eaque punirent; non mirum, quòd sicuti hodie nulla omninò crimina à foro *interno* sive Sacramentali subtrahuntur; ita toto illo tempore, quo utrumque forum mansit conjunctum, etiam crimina omnia auctoritati Ecclesiasticæ manserint subjecta, ut Ecclesiæ ministri salutares pœnitentias etiam solemni quodam & judiciali modo decernerent, prout saluti peccatorum & fidelium ædificatione convenire judicarent.

XI. Nulla igitur tum nota erat criminum distinctio in Ecclesiastica & civilia, eo nimirum sensu, ut aliqua essent judici civili reservata privativè ad judicem Ecclesiasticum, sive Episcopum.

XII. Neque enim vetebatur Episcopus in crimina Laicorum quantumvis *civilia*, putà furtum, homicidium &c. inquirere; atque de his vel per propriam Confessionem, vel aliunde convictis publicas, vel occultas pœnitentias pro rationum criminum imponere, non quidem ad meram delictorum illorum vindictam; sed ad delinquentium emendationem, & publici scandali reparationem.

XIII. Ulteriùs quia eo tempore forum externum jungebatur interno; & quæ Episcopi agebant circa criminum inquisitiones, & alia quæ ad forum externum pertinere videbantur, *Sacramentali ratione* exercebantur, sive proximè aut remotè, directè aut indirectè ad forum internum reducebantur: ideo judicium Magistratus civilis, vel sententia aut pœna decreta contra delinquentes non magis impediebat ipsam jurisdictionem seu auctoritatem Ecclesiasticam in puniendis eisdem criminibus per pœnitentias publicas solemniter & judiciali quodam modo imponendas, quàm hodie sententia judicis Laici impediret Confessarios in iis quæ forum *internum* spectant.

XIV. Quapropter „ qui propter crimen lege civili punitus fuerat; quia civili examine & convictione crimen „ publicatum erat, Pœnitentiæ publicæ post toleratam pœnam civilem, sive pecuniariam, sive corporalem subjiciebatur: Nonnunquam etiam post actam pœnitentiam publicam „ pœna civili puniebatur. „

XV. Ita Morinus de Administratione Sacram. Pœnit. *lib.* 7. *cap.* 6. rationem hanc subjiciens: „ Pœnitentiam enim „ ut medicinam potissimùm considerabant, peccatorem ut ægrotum: Ideo punitum quidem propter crimen pœna civili „ censebant, non autem sanatum. Christiana tantùm pœnitentia eum verè sanare, vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur. Quapropter crimen actione civili detectum „ & condemnatum medicinâ pœnitentiali publicè diligenter „ curabant.

XVI. Plurima in probationem illius praxeos ibidem adducit testimonia, atque inter alia notat quod sub initium sæculi 10. nonnulli asserere præsumerent, post sumptum Lege Civili de reis supplicium, nullam superesse Episcopis infligendarum pœnitentiarum auctoritatem, eique id impudenter contendebant jactantes, *nihil pertinere ad Episcopum quæ à publico examinata dignoscuntur & discussa*, uti legitur in Concilio Romano anni 904 *Can.* 12. respondetque Concilium: „ Quod „ omnino irregulariter inolevisse manifestum est. Habeant igitur Episcopi singularum urbium in sua diœcesi liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare secundùm quod Canones censuerunt, absque impedimento „ alicujus. Et cùm opus fuerit, ad comprimendos rebelles & „ contemptores, publicum Placitum convocent, non ad præjudicandum, sed potiùs ad ea quæ Deo placita sunt, & saluti „ animarum convenium, prosequendum.

XVII. Quod hic dicit Concilium, aliquando ad comprimendos rebelles & contemptores publicum Placitum per Episcopos convocandum, disciplinæ illorum temporum congruit. Id enim consuetum erat, ut si Episcoporum judicio in suscipiendis pœnitentiis Canonicis parere recusarent criminum auctores, à Magistratibus Civilibus cogerentur.

Ut Episcopi incestuosos penitus investigare studeant, omnino decernimus: „ Qui si pœnitere noluerint, ab Ecclesia expellantur ait Concilium Moguntinum anno 816. *Can.* 28. additque: „ Quòd si Sacerdotum monitionibus noluerint aurem „ accommodare, volentes in pristinis perdurare criminibus, „ oportet eos per sæcularis potentiæ disciplinam à tam prava „ consuetudine coërceri.

Plurima in eam rem adducit Morinus *lib.* 7. *cap.* 5. easque probant, eo tempore Episcopos jurisdictionem & auctoritatem in utroque foro in omnia crimina etiam laicorum exercuisse.

XVIII. Porrò hæc Episcoporum jurisdictio integra mansisse videtur usque ad sæculum 11. aut 12. quousque scilicet ipsum forum externum seu contentiosum à foro interno & Sacramentali non fuit omninò disjunctum.

XIX. Circa sæculum 12. cum "Scholasticæ Theologiæ „ fundamenta jacerentur, brevique Scholas omnes occupasset, (ait Morinus *lib.* 1. *cap.* 9. *numer.* 6.) „ forum pœnitentiale in praxi separari cœptum est à judiciali, & in varias personas transferri, ne Episcopi eorumque Vicarii negotiorum tam Ecclesiasticorum, quàm laicòrum mole opprimerentur. „

XX. Deinde pergit Morinus: „ Et licèt hoc posterius „ auctoritate, virtute, Spiritusque S communicatione priori plurimùm cedat, Primario tamen alicui Presbytero cæteris dominaturo delegatum est; prioris verò exercitium „ inferioribus & vilioribus Presbyteris demandatum. Ille „ igitur Primarius Presbyter Episcopi Vicarius civiles omnes criminalesque Clericorum causas, necnon Laicorum „ plerasque judicavit; sed cum juris formulis, strepituque „ & tumultu forensi; Censurasque Ecclesiasticas pro prudentia sua solus pronuntiavit, vel à jure illatas solus declaravit & executus est; solus quoque ad easdem Censuris absolutionem concessit, quam culpæ & peccatorum expunctricem esse noluit, ne forum suum judiciale & externum „ cum pœnitentiali & interno confunderet; neve, quod „ necessum fuisset, longas & multiformes secretæ omnium

pec-

„peccatorum confessionis ambages audiendo defatigare-„tur.

XXI. Hac utriusque fori separatione stabilitâ, Episcopi eorumque Officiales omnium criminum & delictorum cognitionem, etiam adversùs laicos, sibi secundùm Canones vindicabant; imò de omni causâ, ubi quæstio de peccato videretur, cognoscere prætendebant.

XXII. Hinc Innocentius III. in *Cap.* 13. ☧ *De Judiciis* scribit Archiepiscopis & Episcopis per Franciam constitutis: „Non intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum (Regem) „spectat judicium, nisi fortè juri communi per speciale privi-„legium vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum: „sed decernere *de peccato*, cujus ad nos pertinet sine dubita-„tione censura, quam in quemlibet exercere possumus & de-„bemus... Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad offi-„cium nostrum spectet de quocumque mortali peccato cor-„ripere quemlibet Christianum, & si correptionem contemp-„serit, per districtionem Ecclesiasticam coërcere.

XXIII. Posito hoc principio, non tantùm de quibuslibet criminibus, sed de omnibus penè causis Civilibus cognitionem sibi competere contendebant Ecclesiastici; uti suprà *titulo* 1. *cap.* 1. ostendi, & videri potest ex iis quæ in famosa illa disceptatione inter Petrum Cugnerium & Bertrandum Episcopum Eduensem coram Philippo Valesio objecta & responsa sunt.

XXIV. Hoc ex responsis Bertrandi intelligitur, ipsum jurisdictionem & auctoritatem Ecclesiasticam præcipuè defendisse hac inter alias ratione, quòd peccatum interveniret, cujus remissio ad Episcopos attinet. Id & ad citatum *cap.* 13. *de Judiciis*, ubi Innocentius dicit se non velle judicare de feudo, sed de peccato, indicat Glossa dicens: *Tantùm ratione peccati, & inducendo ad pœnitentiam.*

XXV. Hæc ratio quidem concludebat pro foro Sacramentali & iis quæ ad forum illud referuntur, at quoad forum externum & contentiosum haud concludebat.

XXVI. Quare judices Regii animadvertentes, forum externum & contentiosum esse planè à foro interno & Sacramentali jam separatum, neque ampliùs procedi ab Episcopis seu eorum Officialibus *ratione Sacramentali*; neque pœnas canonicas infligi per modum salutaris & medicinalis pœnitentiæ in ordine ad purgationem delictorum, sed modo omnino forensi & strepitu judiciali, non ad ipsos criminosos disponendum ad remissionem suorum delictorum; sed ad meram vindictam pecuniariam, vel corporalem, cœperunt laicorum causas criminales, non secùs ac Civiles, sibi reservare.

XXVII. Cùm enim quædam essent crimina in quibus nihil omnino esset spirituale, nihilque quod ad forum Ecclesiasticum spectaret, nisi ipsius peccati coram Deo remissio aut absolutio vigore Clavium à Sacerdote obtinenda, visum fuit; cognitionem hujusmodi criminum ad judicium sive forum Officialis non spectare, sed potiùs ad laicale, quantum ad pœnam externam & Civilem istorum criminum: quandoquidem nihil in crimine occurrat spirituale præter illud, quod unicè spectat forum Sacramentale & internum, à foro contentioso & externo planè distinctum: in tantùm quidem, ut sæpius ipsa fori contentiosi jurisdictio competat iis, qui ipsius Jurisdictionis Sacramentalis sunt incapaces.

XXVIII. Illud autem quod forum internum & Sacramentale spectat, ad ipsos Sacerdotes & Episcopos hujus fori ministros remittitur: & quia olim forum externum & internum non erant distincta, hinc de omnibus criminibus cognoscebat Episcopus ejusvè Vicarius; sed in ordine ad forum internum, uti suprà expositum est.

XXIX. Si verò crimen præter illa, quæ forum internum concernunt, habeat aliquid spiritualitatis, etiam ratione illius etiamnum hodie judicis Ecclesiastici cognitio est contra laicos.

XXX. Hinc ad exemplum causarum Civilium, hodie invaluit divisio delictorum in Civilia; Ecclesiastica & mixta. De prioribus solus Judex laicus contra laicos cognoscit: neque ratione horum coram Officiali Episcopi citari potest. De Ecclesiasticis solus judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit. De mixtis uterque per præventionem. Quæ autem crimina sint unius alteriusvè generis, in progressu videbitur.

CAPUT II.

De Crimine hæresis & schismatis.

1 *Difficulter definitur quid sit hæresis, aut quis sit Hæreticus.*
2 *Minùs docti subinde putant hæreses, quæ non sunt.*
3 *Simplices interdum ut Hæreticos quosdam persequentes hæreses faciunt.*
4 *Arcadius Imp. declaravit quos Hæreticorum numero haberi vellet.*
5 *Laudabile fuit hoc Arcadii consilium & quare?*
6 *Requirit Arcadius, ne quis à* judicio Catholicæ Religionis *deviet; sive ab eo, quod Catholica Religio credendum proponit.*
7 *Hoc est, quod verbo Dei scripto vel non scripto continetur.*
8 *Quod ad hæresim requisivit Arcadius, hodie ab omnibus requiritur.*
9 *Potest quis à verbo Dei deviare sine hæresi, si ab Ecclesia ut verbum Dei nondum sit propositum.*
10 *Multa sunt quæ ob defectum hujus propositionis ad* fidei *certitudinem non pertingunt.*
11 *Utile admodum est, discernere quæ fidei sunt, ab iis quæ fidei non sunt.*
12 *Ad cognoscendam fidem Ecclesiæ Catholicæ nonnunquam exemplum Catholicorum Episcoporum propositum fuit.*
13 *Hoc consilio usus est Theodosius Imperator, remittendo populum ad fidem Ecclesiæ Romanæ, & Damasi Episcopi Romani, & Petri Alexandrini.*
14 *Refertur Edictum Theodosii.*
15 *Ratio hujus Edicti.*
16 *Quare Theodosius specialiter remiserit populum ad fidem Ecclesiæ Romanæ?*
17 *Jam pridem usitatum fuit, ut fides ab Apostolis tradita peteretur ab Ecclesia Romana.*
18 *Usitatum quoque, ad cognoscendam fidem Catholicam jungere utramque Ecclesiam Romanam simul & Alexandrinam.*
19 *Exemplum interdum aliorum Episcoporum ad cognoscendam fidem propositum fuit.*
20 *Pro dignoscenda fide Catholica frequens remissio fuit ad Concilia præsertim generalia.*
21 *Hoc consilio usus est Pius IV. in moderna formula fidei.*
22 *Qui à judicio Catholicæ Religionis ab Ecclesia proposito deviat, meritò Hæreticis annumeratur.*
23 *Deviare hic accipitur pro recedere cum pertinacia.*
24 *Qui errat circa articulum fidei sine pertinacia, non est Hæreticus.*
25 *Absolvitur ab hæresi, qui sua submittit judicio Ecclesiæ Romanæ.*
26 *Nemo damnandus ut Hæreticus, nisi de hæresi planè convictus.*
27 *Non facilè damnandus ut Hæreticus qui publicè fidem Catholicam profitetur.*
28 *Episcopi etiam sanctissimi aliquando de hæresi accusati.*
29 *Sanctus Chrysostomus noluit sine cognitione causæ aliquos ut Hæreticos damnare.*
30 *Quomodo S. Epiphanius se permiserit in materia hæresis nimis leviter prævenire.*
31 *Huic periculo se exponunt, qui vagis accusationibus de hæresi aures præbent.*
32 *Sollicitè cavendum, ne habeatur Hæreticus qui non est legitimè convictus.*
33 *Id religiosè observari voluit Innocentius XII.*

34 *In*

34 *In quantum hæresis continet recessum à dogmate Ecclesiæ eatenus est crimen merè Ecclesiasticum.*
35 *Tale esse declaravit Bonifacius VIII.*
36 *Consonat unanimis Canonistarum sententia.*
37 *Concordata Brabantiæ judicium de hæresi deferunt soli Episcopo, salvâ tamen in aliquibus Principis auctoritate.*
38 *In Gallia simplex crimen hæresis spectat ad cognitionem Judicis Ecclesiastici.*
39 *Interdum annexum habet crimen* privilegiatum, *& eatenus spectat ad Judicem sæcularem.*
40 *Hæc distinctio circa crimen hæresis fundamento non caret.*
41 *Summa fuit jam pridem Principum cura pro extirpandis Hæreticis.*
42 *Hanc esse Principum obligationem astruit S. Augustinus.*
43 *Variæ pœnæ à Principibus in Hæreticos decretæ.*
44 *Judicium S. Augustini de his pœnis.*
45 *Principum nostrorum Edicta contra Hæreticos remissivè.*
46 *Episcopis speciatim incumbit inquisitio in Hæreticos.*
47 *His adjuncti fuerunt speciales fidei Inquisitores.*
48 *Inquisitores hi in Hispania, Italia, aliisque Regnis recepti.*
49 *Etiam in Belgio aliquando introducta fuit Inquisitio.*
50 *Postmodum abrogata, & quare?*
51 *Quid propriè schisma?*
52 *Crimen schismatis quâ ratione Ecclesiasticum, & quâ ratione Civile?*

I. QUid sit hæresis, & quid aliquem Hæreticum faciat, regulari aliquâ definitione comprehendi, sicut ego existimo, aut omnino non potest, aut difficillimè potest, ait S. Augustinus libro De Hæresibus *in Præfat.*

Eamdem difficultatem exaggerat in *Epistola* 222. ad Quodvuldeum (qui à S. Augustino librum De Hæresibus quæ hactenus fuerant, scribi petierat) ubi narrat, quòd Philastrius quidam Brixiensis Episcopus scripsisset librum De Hæresibus, hicque numeraverit hæreses, quæ in populo Judaico fuerint ante Adventum Domini 28. & exortas post Domini Adventum 128. Epiphanius autem Episcopus Cyprius scripserit quoque librum de eadem materia, sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, 80. complexus est.

Post hæc subjungit Augustinus: Cùm ergo ambo id vellent facere quod à me petis, quantum tamen inter se differant de numero interim sectarum vides: quod utique non evenisset, nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, & aliud alteri. Neque enim putandum est, aliquas ignorasse Epiphanium, quas noverat Philastrius; cum Epiphanium longè Philastrio doctiorem invenerimus; ita ut Philastrium potius dicere debemus latuisse plurimas, si tamen plures ei iste complexus & iste pauciores. Sed procul dubio in ea quæstione, ubi disceptabatur, quid sit hæresis, non idem videbatur ambobus, & reverà omnibus definire difficile est: & ideo cavendum, cùm omnes in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, quamvis hæreses sint, aut annumeremus aliquas, cùm hæreses non sint.

II. Hinc imprimis habemus, non tantùm visum esse Augustino, difficile esse definire, quid sit hæresis, vel quis sit Hæreticus dicendus; sed etiam nonnumquam, minùs doctum & instructum hæreses putare aut fingere, quas non esse hæreses doctior novit; uti in Philastrio & Epiphanio contigisse hic monet Augustinus.

III. Et S. Gregorius *lib* 9. *Epist.* 39. scribens Theotistæ Patriciæ ait, quòd sint multi Fidelium, qui imperito zelo succendantur, & sæpe dum quosdam quasi Hæreticos insequuntur, hæreses faciunt.

IV. Arcadius Imperator sub finem sæculi 4. postquam jam variæ leges contra Hæreticos latæ essent, declaravit, qui Hæreticorum vocabulo contineantur; & latis adversùs eos Sanctionibus debeant succumbere; nimirum, *qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare.* Extat in *L.* 28. *Cod. Theod. De Hæreticis.* Et referuntur jam citata verba in *L.* 2. §. 1. *Cod. Justin. eod. tit.*

Hanc legem hodie inter celebratissimas esse in argumento de Hæreticis, & quæstionem capitalem decidere, scilicet definitionem Hæreticorum, & proinde hæreseos, rectè monet Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem in Codice Theodosiano.

V. Ubi etiam notat, quàm laudabile & Christiano Principe dignum fuerit hoc Arcadii consilium. Sæpe enim, dum in incerto vagantur criminum Interpretatores, luctuosa Regna, Resque publicæ tumultu, imò & Ecclesiæ colliduntur, atque innoxius sæpe sanguis effunditur: quod nemo veris quidem & agnitis Hæreticis Arcadius *hujus legis* Auctor unquam sustinuit.

VI. Vult ergo Arcadius, eos Hæreticos esse censendos, *qui à judicio Catholicæ Religionis & tramite detecti fuerint deviare.*

Imprimis itaque inspiciendum, quid hic per *judicium Catholicæ Religionis & tramitem* intelligat Arcadius.

Indubiè aliud noluit Arcadius, quàm deflectendum non esse ab iis, quæ ipsa Catholica Religio proponit, & judicat esse credenda & tenenda.

VII. Cùm autem Catholica Religio nihil aliud fide credendum proponat, nisi quod à Christo, vel scripto, vel verbo per traditionem Apostolicam accepit, videtur Arcadius hic idem voluisse, quod jam antea ex mente suorum prædecessorum dixerat Gratianus Imp. in *L.* 1. *Cod. Ne sanctum Baptisma iteretur.* Ubi condemnans Anabaptistas sive iterantes Baptismum ait: Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Evangeliorum & Apostolorum fides, & traditio incorrupta servavit. Quare nonnisi quod Catholica Religio nihil aliud *fide* credendum proponit: & consequenter qui hæc tenet, à judicio Catholicæ Religionis & tramite non convincitur deviare.

VIII. Quod tradidere hic Imperatores, hodie & uno consensu tradunt Canonistæ & Theologi, dum ad hæresim requirunt deviationem ab articulo, quem Ecclesia seu Religio Catholica tamquam *fidei* articulum credendum ac tenendum proponit. Illud omne & solum est de fide Catholica, quod est revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Ecclesia Catholica fide Divinâ credendum, ait Doctissimus Franciscus Veronius in *Regula Fidei Catholicæ cap.* 1. §. 1.

IX. Nequaquam igitur sufficit, ut Hæreticus quispiam habeatur, eum deviare aut dissentire ab aliquo articulo, qui in verbo Dei continetur, nisi ipsum contineri, Regio sive Ecclesia Catholica declaraverit; eumque tamquam à Deo revelatum, & consequenter *fide Divinâ* credendum proposuerit; uti rectè monet ibidem Veronius §. 2. "quia revelatum quidem est in verbo Divino, sed quòd Interprete egeat, & necdum Ecclesia sensum verbi Dei seu scripti seu traditi aperuerit, sicque nondum definierit; & proinde nondum proposuerit, hoc vel illud esse fide credendum.

X. Hæc Veronius, qui ibidem §. 3. recenset multa, quæ ad certitudinem fidei non perveniunt, eò quòd non continentur in *verbo Dei* scripto aut *non scripto*: & §. 4. latè ostendit, quibus non possit attribui certitudo *fidei Divinæ*; quia necdum sunt ab Ecclesia Catholica tamquam talia Fidelibus proposita.

XI. Post hæc descendendo ad particulares materias, examinat & segregat ea quæ *fidei* sunt ab iis quæ ad eam fidei certitudinem hactenus non pertigerunt: idque eâ eruditione & exactitudine, ut de hac *Regula Fidei* pronuntiare non dubitarint Illustrissimi & Doctissimi Walenburchii: Æstimamus hunc Tractatum adeò excellentem, ut meritò plurimùm fiat apud illos, qui operam salutarem impendunt reducendis errantibus ab hæresi & schismate ad unitatem veritatemque Ecclesiæ Catholicæ. Sanè nihil esse Hæreticis convertendis, & supervacaneis disputationibus & contentionibus resecandis utilius, quàm exactè discernere dogmata Ecclesiæ Catholicæ à dogmatibus sive sententiis parti-

by Google

particularium Auctorum, vel etiam Scholarum, notum est, & bene observavit Episcopus Meldensis in famosa illa ac probatissima nuper exhibita *Fidei Expositione*.

XII. Jam pridem Imperatores, ut normam & regulam seu typum fidei Catholicæ populis sibi subditis exponerent, eos nonnumquam ad fidem Illustrium Ecclesiarum & præcipuorum Episcoporum, qui tum in fide Catholica præcipuè eminebant, remiserunt; ut nimirum cum his in fide convenirent: ac unà brevem formulam *fidei*, illi præcipuè hæresi, quæ tum exurgebat, oppositam proponebant.

XIII. Hoc consilio anno 380. Theodosius Imp. ut populos sibi subjectos contra hæresim Arianam muniret, & in fide Catholica firmaret, Rescripto suo significavit, se velle ut omnes subditi sui eam Religionem sequerentur, quam Petrus Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset; & quam eo tempore Damasus Romanæ urbis Episcopus, ac Petrus Alexandrinus servarent. Utque eorum dumtaxat Ecclesia qui Divinam Trinitatem æquali honore colerent, Catholica nominaretur: qui verò aliter sentirent, Hæretici dicerentur, infames que essent, seque scirent supplicio afficiendos.

XIV. Hæc Sozomenus *lib. 7. Hist. Eccles. cap. 4.* extatque ipsum Edictum in *L. 1. Cod. De Fide Catholica* his verbis expressum: "Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, ut secundùm Apostolicam disciplinam Evangelicamque doctrinam, Patris & Filii & Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Majestate, & sub pia Trinitate credamus.

Edictum hoc recitans Baronius ad annum 380. vocat *auream Sanctionem*.

XV. Notatu dignum quod scribit Sozomenus, Theodosium ad hanc legem descendisse, „cùm apud se reputasset satius esse, ut suam de Divinitate sententiam ipse subditis suis palam prædicaret, ne vim inferre videretur, repentè invitis quid colendum esset præcipiendo.

Hoc exemplo ostenditur, populis priùs clarè exponendum, quid *credere* oporteat, quàm eos ut Hæreticos insectari.

XVI. Theodosius igitur populis non proponit tantùm in generali fidem Catholicæ Ecclesiæ, sed primùm eis exemplum Ecclesiæ Romanæ præferendum duxit his verbis: In tali volumus Religione versari, quam divum Petrum tradidisse Romanis, Religio *usque adhuc* (vel ut in Codice Theodosiano legitur, *usque nunc*) ab ipso insinuata declarat. "Quibus verbis non tantùm Romanis semel traditam Religionem testatur, verùm eandem ita traditam, ut deinceps ad hanc diem in tradita semel Religione perstiterint: id enim est quod indicat his verbis, *usque nunc ab ipso insinuata declarat*, quod traditum semel, deinceps in sinu custoditum habetur servaturque.

XVII. Et sanè ad Ecclesiam Romanam antiquitus remissos Fideles, ut ab ea fidem ab Apostolis traditam & conservatam acciperent, Patrum Scripta testantur. Et quidem S. Irænæus Lugdunensis Episcopus de ipsa Romana Ecclesia scribit: *Hujus exemplo pravam omnem disciplinam profligamus*. Rationem ipsam hoc Imperatorio Edicto expressam subjiciens *lib. 3. adversus Hæreses cap. 3.* „ Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos qui sunt undique fideles: in qua semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ ab Apostolis est traditio.

XVIII. Adhæc proponit Theodosius, sequendum exemplum duorum Catholicorum Episcoporum; ac imprimis Damasi Romani Episcopi: *Quamque* (scilicet fidem) *Pontificem* DAMASUM *sequi claret*. Dein Petrum Alexandriæ Episcopum adjungit, eique copulat, *Virum Apostolicæ sanctitatis*.

Sanè sub idem tempus S. Hieronymus simili prorsus ratione & exemplo quo Theodosius in hoc Edicto, ad eorumdem Damasi & Petri fidem provocandum esse duxit, Epistola ad Marcum Presbyterum: „Hæreticus (inquit) vocor prædicans ὁμοούσιον Trinitatem, Sabellianæ impietatis arguor, tres subsistentes veras, integras, perfectasque Personas indelessà voce pronuntians: si ab Arianis, meritò: si ab Orthodoxis, qui hujusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt, aut si iis placet, Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum me cum Ægypto, hoc est, cum *Damaso Petroque* condamnent. Quid unum hominem, exceptis sociis, criminantur?

Similia quæ morem antiquum provocandi ad fidem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ & Alexandrinæ probant, occurrunt apud Ambrosium, Rufinum, quin & Athanasium, uti ostendit Jacobus Gothofredus in notis ad *L. 2. Cod. Theod. De Fide Cathol.*

XIX. Eumdem morem, scilicet ad exemplum Catholicorum Episcoporum provocandi, sequuti sunt Theodosius Junior in *L. fin. Cod. Theod. De his qui super Religione contendunt*, ubi provocat ad exemplum Arsacii Episcopi Constantinopolitani, Theophyli Episcopi Alexandrini, & Porphyrii Antiocheni, *Reverendissimorum sacræ legis Antistitum*. Sequutus est Marcianus Imp. in *L. 8. Cod. De Hæreticis*, ubi ait: *Et sicut Athanasius, & Theophylus, & Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ credebant.*

XX. Frequentissimum quoque fuit, ad Conciliorum præsertim generalium definitiones revocare; eosque pro Hæreticis declarare, qui hisce definitionibus acquiescere nolunt: quemadmodùm de quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino & Calchedonensi diversis Sanctionibus (quæ habentur sub titulo Codicis *De Fide Catholica*) edixit Imperator Justinianus; & in *Novella 131. cap. 1.* de his quatuor Conciliis loquens ait: „Prædictarum enim Synodorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges observamus.

Novum ergo non est, quòd vel ad Conciliorum Canones, certamvè fidei formulam remittatur populus, ut *judicium Catholicæ Religionis*, à quo deviare nefas sit, cognoscere queat; præsertim circa hæreses, à quibus maximè populo timendum, & ipsis Pastoribus præcipuè invigilandum.

XXI. Hoc consilio confecta & proposita formula, sive professio fidei hodie usitatissima & frequentissima auctoritate Pii IV. Pontificis publicata, in qua speciatim fides Ecclesiæ Catholicæ exponitur contra hæreses tum præcipuè dominantes, additâ hac generali clausula: „Cætera item omnia à sacris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sacrosancta Synodo Tridentina tradita, definita & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor.

XXII. Qui igitur *à judicio Catholicæ Religionis & tramite* sic proposito *detecti fuerint deviare*, meritò Arcadius Imp. in citata *lege 28.* eos Hæreticis accensendos declarat: hoc est, qui peculiarem sibi in rebus fidei viam muniunt, & alienam *à judicio Catholicæ Religionis & tramite* sententiam proponunt, novoque *tramite* incedere volunt: sive ut idem ipse Arcadius loquitur in *l. 13. Cod. De Paganis*: *à Catholicæ Religionis dogmate deviare* CONTENDUNT.

XXIII. Hac autem loquendi formula sat innuit, non sufficere ad hæresim, simpliciter à judicio Catholicæ Religionis & tramite *deviare*, sed requiri, ut deviare *contendat*, sive quidam *animositate* in judicium oppositum feratur, sive errorem tueatur *pervicaci animositate*; uti notat Glossa ad *L. 3. Cod. De Hæreticis*.

XXIV. Et ut jam pridem rectè dixit Augustinus *Epist. 43.* „Qui sententiam suam quamvis falsam atque perversam, nullâ *pertinaci* animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cautâ sollicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi. „ Apud Gratianum *caus. 24. q. 3. Can. 29.* „ ubi Glossa notat, verbo *pertinaci*, licèt ergo teneat aliquis

ea,

„ ea quæ sunt contra fidem, dummodò paratus sit corrigi, „ non est habendus Hæreticus.

XXV. Hac ratione Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap. 2.* §. *De Summa Trinitate* damnatis opinionibus Abbatis Joachim, ipsum nihilominus ab hæresi absolvit. „Cùm omnia Scripta sua nobis (ait Innocentius III.) „ assignari mandaverit Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam corrigenda.„ Hinc commune illud à Canonistis probatum axioma: *Non error, sed erroris pertinacia Hæreticum facit.*

XXVI. Vult Arcadius in sæpè citata Lege, eos pro hæreticis habendos, non qui dicuntur aut accusantur à judicio Catholicæ religionis & tramite deviare; sed *detecti fuerint* deviare; hoc est, convicti & plenè probati fuerint *deviare*; idque ad eum modum quo crimen probari debet, priusquam quis tamquam criminis auctor damnari possit; uti benè ostendit Jacobus Gothofredus ad citatam *Legem 28.* in Codice Theodosiano; probatque hæc verba *Levi argumento* non posse accipi pro *levi* præsumptione, aut suspicione; quasi sufficeret *levis* probatio vel præsumptio aut suspicio, ut quis habeatur *hæreticus*, & ut talis condemnetur: sed vocem *argumento* accipi hoc loco pro articulo dogmatico, sensumque Arcadii esse, eum pro hæretico habendum, qui in quocumque articulo, quantumvis *levis* ipsi videatur, à judicio catholicæ religionis & tramite deviare convictus fuerit: adeoque verba illa *Levi argumento* jungenda non esse cum voce *detecti*, sed cum verbo *deviare*; uti etiam probat Tuldenus in Codice h.t.

XXVII. Et sanè cùm crimen *hæresis* sit crimen enorme, & gravissimis annumeretur; ac insuper difficulter sciatur, quis hæreticus sit censendus, indubiè exacta & admodum clara probatio requirenda est, antequam quis de hoc crimine condemnetur; præsertim si de cætero inter Catholicos hactenus versetur, & Catholicam fidem publicè profiteatur, ejusque communioni adhæreat.

XXVIII. Scitur quàm injustè jam pridem etiam Sanctissimi & maximè orthodoxi Episcopi aliique tamquam hæretici accusati fuerint; & quomodo etiam optimis quibusvis Principibus & Prælatis subreptum fuerit.

XXIX. Notum quomodo aliquando in S. Joannem Chrysostomum concitatus fuerit S. Epiphanius, ejusque contubernium ac communionem detractaverit, eò quòd nollet ipse Chrysostomus damnare ut hæreticos, contra quos Epiphanius jam præventus erat: cum Chrysostomus *ante causa cognitionem hoc facere haudquaquam justum esse duceret*, uti narrat Sozomenus *lib. 8. Hist. Eccles. cap. 14.*

XXX. Adhæc notatu dignum, quod sequenti *cap. 15.* subjungit Sozomenus de Epiphanio. Cùm enim Ammonius & qui cum illo erant adiissent Epiphanium, eique dixisset Ammonius: "Libenter equidem discerem, utrum aliquando in „ discipulos aut in libros nostros incideris. Illo (Epiphanio) negante, iterum quæsivit Ammonius: Unde ergo hæreticos il„ los esse judicasti, qui nullum habes argumentum, quo senten„ tiam illorum possis convincere? Et cùm Epiphanius diceret, „ id se auditu accepisse: nos verò, ait Ammonius, planè contra„ rium fecimus. Nam & discipulos tuos sæpenumero vidimus, „ & libros perlegimus: ex quibus unus est qui Ancoratus in„ scribitur. Cùmque multi vituperare te & tanquam hæreti„ cum calumniari vellent, nos pro parte, uti par erat, propug„ navimus, & causæ tuæ defensionem suscepimus. Proinde nec „ tu ex solo auditu absentes damnare debuisti, quos nequa„ quam tu ipse certis argumentis inductus conviceras; nec ejus„ modi gratiam referre laudatoribus tuis.

Hæc Sozomenus, qui addit: „Post hæc Epiphanius lenius „ eos allocutus, tum quidem ab se dimisit.

XXXI. Interim ex hac historia patescit, quomodo in hac hæresis accusatione obripi possit, si vagis & incertis accusationibus, & aliorum relationi aures præbeantur: quia & similes accusationes tametsi zelo fidei & religionis tegantur, non rarò tamen ex quadam particulari accusantium in accusatos passione procedunt; quemadmodum verisimile est, Epiphanium agnovisse, accusationes suscitatas in S. Chrysostomum ex singulari Theophili Alexandrini invidia processisse; ipsumque propterea Epiphanium relicta Constantinopoli Cyprum navigasse, uti notat Antonius Godeau Episcopus Vinciensis in sua Historia ad annum 402. *cap. 6.*

XXXII. Solicitè ergo cavendum, ne quis de hæresi damnetur, aut ut hæreticus habeatur, nisi *à judicio Catholicæ religionis & tramite fuerit* CONVICTUS *deviare*: uti loquitur Arcadius Imperator.

XXXIII. Hanc æquissimam justissimamque regulam sequutus modernus Pontifex Innocentius XII. in Brevi ad Belgii Episcopos 6. Februarii 1694. ipsis, quantum in Domino potest, injungit: „Ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatio„ ne & invidioso nomine Jansenismi traduci aut nuncupari si„ natis, nisi prius suspectum esse *legitimè* constiterit, aliquam „ ex his Propositionibus docuisse aut tenuisse, nec quemquam „ sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gra„ dibus, ac concionibus habendis, vel alia quacumque functio„ ne Ecclesiastica permittatis, nisi *servato juris ordine*, tam „ pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, com„ meruisse *probatum* fuerit.

XXXIV. Porrò quia nulla hæresis est, nullusque judicari potest hæreticus, nisi à judicio Catholicæ religionis, sive dogmate Ecclesiæ cum pertinacia recedatur, hinc apud omnes in confesso est, crimen hæresis esse crimen Ecclesiasticum; ipsisque Episcopis de hæresi cognitionem primario competere; *Cùm eorum sit ministeriis de dogmatibus judicare*, ait S. Ambrosius *epist. 36.*

XXXV. Huic Bonifacius VIII. in *Cap. 18. De Hæreticis in* VI. „ prohibet districtiùs Potestatibus & Dominis tempo„ ralibus, & Rectoribus eorumdemque Officialibus, ne ipsi de „ hoc crimine (cum *merè* sit *Ecclesiasticum*) quoquo modo „ cognoscant vel judicent.

XXXVI. Conformiter ad hunc textum, concordi Canonistarum sententia receptum est, hoc crimen merè esse Ecclesiasticum; ita ut tam contra laicos, quàm Clericos judex Ecclesiasticus privativè ad judicem sæcularem cognoscat, quemadmodum notavit Julius Clarus *lib. 5. Sentent.* §. *Hæresis* dicens: „ crimen hæresis est merè Ecclesiasticum, „ & ideo ejus cognitio ad solos judices Ecclesiasticos spe„ ctat, neque potest judex laicus aliquo modo in eo se intro„ mittere, & cum hac conclusione *transeunt omnes* indiffe„ renter.

XXXVII. Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 9. art. 1.* habent crimen hæresis pro merè Ecclesiastico, de quo *cognoscet solus Episcopus*, salvâ ta„ men (inquiunt) Principi apprehensione & detentione per„ sonarum de hæresi suspectarum, necnon annotatione, & „ confiscatione bonorum de hæresi condemnatorum. Ex qui„ bus Episcopus moderatas expensas habebit, si de crimine „ hæresis cognoverit, reservata etiam eidem Principi punitio„ ne eorum, qui contra prohibitionem suam asserunt propositiones *jam ut* hæreticas damnatas, aut quid aliud contra „ mandata, seu prohibitiones faciunt (ad juvandum negotium „ fidei) facta vel factas.

XXXVIII. In Gallia quoque crimen hæresis in quantum spectat deviationem à judicio seu dogmate religionis Catholicæ spectat ad judicem Ecclesiasticum ex Ordinatione Henrici II. Regis Galliæ de 30. Augusti 1542. *art. 1.*, ubi quidem injungit judicibus & Magistratibus laicis, ut conjunctim vel divisim cognoscant de materiis concernentibus factum hæresis: sed duntaxat quantum ad informationem & decretum; cum obligatione eosdem tradendi Judici Ecclesiastico, ut hic de errore & hæresi judicet. Verba Ordinationis sunt: *Ordonnons que nos Baillifs, Seneschaux, & Juges Presidiaux, leurs Lieutenans generaux & partic. cognoistront cumulativement & concurremment, ainsi que les cas s'y offriront, des matieres concernans le faict d'heresie: à sçavoir quant à l'information & decret seulement, à la charge qu'apres avoir executé leur decret & interrogé les personnes accusées desdits crimes, ils seront tenus rendre les personnes*

aux

aux Juges d'Eglise pour cognoistre d'iceux crimes d'erreur ou heresie simple, procedant plus d'ignorance ou leur infirmité & fragilité humaine, legereté & lubricité de la langue de l'accusé, que de vraye malice ou volonté de se separer de l'union de l'Eglise. Id est: Mandamus, ut Prætores, Senescalli, & Judices nostri Præsidiales, eorum seu Generales, seu Vicarii speciales, de materia causam hæresis concernente, prout se casus offeret, cumulatim & concurrenter cognoscant. Videlicet quoad inquisitionem & decretum dumtaxat: exinde verò post decreti executionem, & personarum de dictis criminibus accusatarum inquisitionem, teneantur eas Ecclesiasticis Judicibus sistere, ut de iis criminibus erroris aut hæresios simplicis cognoscāt an magis ortæ ex ignorātia infirmitateque ipsarum, & fragilitate humana, levitate & lubricitate linguæ ipsius rei, quàm ex mera malitia aut voluntate sese ab Ecclesiæ unitate segregandi.

XXXIX. Addit dein hæc Ordinatio, quòd si crimini hæresios conjunctum esset scandalum publicum, commotio popularis, seditio, aut aliud crimen secum trahens offensam publicam, & consequenter casum *privilegiatum*, tunc de crimine hoc debeat *conjunctim* per utrumq; judicem laicū & Ecclesiasticum cognosci. Tenor Ordinationis est: *Et où avec le crime d'heresie y auroit scandale public, commotion populaire, sedition, ou autre crime emportant offense publique, & par consequent cas privilegié, en ce cas sera le procez fait par les Juges de l'Eglise & Royaux ensemblément. Et apres le delict commun jugé par le Juge Ecclesiastique, sera procedé au jugement du cas privilegié par nos Juges: à la charge aussi que s'il y avoit appel de leurs sentences, les appellations ressortiront en nostre Cour de Parlement.* Id est; Ubi verò criminis hæresios publicum scandalū jungeretur, emotio popularis, seditio, aliudve crimen publicè injurium, & consequenter casûs privilegiati, tum per Judices Ecclesiasticos & Regios conjunctim lis instaurabitur, delictoque communi per Judicem Ecclesiasticum judicato, per Nostros Judices ad judicium Privilegiati casus procedetur, sic ut si ab eorum sententia liceat provocare, teneantur dictas Provocationes ad supremam nostram Curiam referre.

XL. Non immeritò sanè hìc distinguitur crimen hæresis, in quantum contrariatur fidei Catholicæ, & in quantum scandalum publicum, commotionem populorum, seditionem, aliave similia Rempublicam & Ecclesiam turbantia inducit: ut scilicet judicium de hæresi, quatenus contraria est dogmatibus fidei, deferatur Ecclesiæ; in quantum verò populos turbat, & scandalum parit, coërcitioni Principum subdatur: ut scilicet Ecclesia de doctrina decernat: Principes verò eorumque Magistratus seu auctoritate hæreticos jam declaratos compescant; ipsamque Reipublicæ quietem & tranquillitatem procurent, & veritatem religionis declaratam tueantur.

XLI. Hinc omnes pristinæ illæ Christianorum & Catholicorum Principum Sanctiones, quæ tum in Codice Theodosiano, tum Justinianæo extant sub titulis De Fide Catholica, De Hæreticis, aliisque affinibus; quibus ea, quæ ab Ecclesia definita sunt, proponunt, suâ auctoritate muniunt, & executioni mandari præcipiunt; omniq; solicitudine intendunt, ne quid contrarium judicio Catholicæ religionis irrepat, aut quis à tramite Catholicæ religionis deviet.

XLII. Hanc Principum solicitudinem laudat S. Augustinus in epistola ad Bonifacium 185. docetque, officii Principis Christiani esse, hæresim è suis Regnis profligare. "Quomodo (ait) Reges Domino serviunt in timore, nisi „ea, quæ contra jussa Domini fiunt, religiosâ severitate „prohibendo atque plectendo? Aliter enim servit, quia „homo est, aliter quia etiam Rex est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter: quia verò etiam Rex est, servit leges justa præcipientes, & contraria prohibentes, convenienti vigore sanciendo."

Dein nonnullis interpositis pergit: "Quis mente sobrius „Regibus dicat, nolite curare in regno vestro, à quo teneatur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri; non ad vos „pertineat in regno vestro, quis velit esse sive Religiosus, „sive Sacrilegus; quibus dici non potest, non ad vos pertineat, in regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus? Cur enim, cùm datum sit divinitùs homini liberum „arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur? An fidem non servare levius est animam Deo, „quàm fœminam viro? Aut si ea, quæ non contemptu, sed „ignorantia religionis committuntur, minùs vindicanda, „nunquid ideo negligenda sunt?"

Fragmentum hujus sententiæ S. Augustini refert Gratianus *caus. 23. q. 4. Can. 42.* ubi & plures Canones ex dictis Augustini in hanc rem referuntur.

XLIII. Ad coërcendos, quin & ad reducendos ad fidem Catholicā, aut etiam in fide Catholica populos retinendos, plures pœnæ jam pridem in hæreticos à Principibus decretæ fuerunt, uti videri potest in legibus sub titulis *de Fide Catholica*, item *De Hæreticis* in Codice seu Theodosiano, seu Justinianæo extantibus; ubi tamen advertere licebit, graviores aut mitiores pro qualitate hæresium, & hæreticorum pervicacia & insolentia esse decretas; *Non enim omnes hæretici eadem austeritate plectendi sunt*, ait Theodosius Imp. in *L. 65. Cod. Theod. De Hæreticis.* De hac pœnarum varietate pro hæreticorum & hæresium varia conditione & perfidia vel pertinacia vide latè Paratitlon Jacobi Gothofredi ad titulum De Hæreticis in Codice Theodosiano; & Tuldenum ad eundem titulum Codicis Justinianæi.

XLIV. Per inflictionem pœnæ temporalis coërceri hæreticos, & ad Catholicam veritatem adigi probat & laudat S. Augustinus in allegata epistola ad Bonifacium. "Quoniā „(ait *n. 7.*) multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur; & se esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie „liberatos gratias agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse saluberrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantùm receptâ sanitate gratulantur; & in residuos, cum quibus fuerant perituri, jam simili dilectione „nobiscum, ut pariter instemus, ne illi pereant, excitantur."

Deinde multis ostendit, utile omninò esse, per terrorem pœnarum homines ad veritatem duci, seu quasi compelli. "Multis enim (ait) profuit, priùs timore vel dolore cogi, ut „postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, opere sectari." Fatetur quidem, bonis & filiali affectu Deo adhærentibus, quique recta fide, veroque intellectu, totis animæ suæ viribus dicunt: *Sitivit anima mea ad Deum vivum quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* non solùm temporalium pœnarum, vel imperialiū legum, sed nec gehennarum timorem necessarium esse: "sed tamen, antequam dicant boni filii, *concupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo*, multi priùs tamquam mali servi, & „quodammodo improbi fugitivi, ad Dominum suum temporalium flagellorum verbere revocantur."

Meminit quoque ibidem Augustinus vulgatissimæ illius legis, quam Theodosius generaliter in omnes hæreticos promulgavit; *ut quisquis eorum Episcopus vel Clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri mulctaretur*; extatque in *L. 21. Cod. Theod. De Hæreticis.*

Hanc legem arbitrabatur Augustinus cum nonnullis aliis Episcopis, esse restringendam ad eos hæreticos seu Donatistas, *in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis vel à circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia Catholica pateretur*; eamq; restrictionem ab Imperatoribus postulandam dixit; quod & à Concilio Episcoporum obtinuit; & Legati eum in finem ad Imperatorem missi sunt; sed nihil obtinuerunt; sed lex ipsa, instantibus Episcopis contrariæ opinionis per Africam promulgata fuit, uti testatur Augustinus; qui & ibidem refert, multos ea occasione veritatem agnovisse, & ad Catholicam Ecclesiam rediisse. "Jam verò „cùm ipsæ leges (ait *n. 29.*) venissent in Africam, præcipuè „illi, qui quærebant occasionem, aut sævitiā furentium metuebant, aut suos verecundabantur offendere, ad Ecclesiam continuò transierunt. Multi enim, qui solâ illic à „parentibus traditâ consuetudine tenebantur, qualem verò „causam ipsa hæresis haberet, numquam antea cognoverant, numquam quærere & considerare voluerant; mox

„ ubi cœperunt advertere, & nihil in ea dignum invenire, „ propter quod tanta damna paterentur, sine ulla difficul- „ tate Catholici facti sunt. Docuit enim eos sollicitudo, „ quos negligentes securitas fecerat. Istorum autem omni- „ um præcedentium auctoritatem & persuasionem secuti „ sunt multi, qui minùs idonei erant per seipsos intellige- „ re, quid distaret inter Donatistarum errorem, & Ca- „ tholicam veritatem."

Ex his Augustini dictis facilè colligitur, ipsum probare quidem Hæreticorum coërcitionem, non ad vindictam, sed ad emendationem ac pœnitentiam; quod expressiùs docet *Epist.* 100. ad Donatum Proconsulē Africæ, ubi ipsum deprecatur, ne nimiùm in Hæreticos desæviat, & ne pro immanitate facinorum, sed potiùs pro lenitatis Christianæ consideratione censeat coërcendos. "Neq; (enim ait) vindi- „ ctam de inimicis in hac terra requirimus, aut verò ad eas „ angustias animi nos debent coarctare, quæ patimur, ut „ obliviscantur, quid nobis præceperit, pro cujus veritate ac „ nomine patimur. Diligimus inimicos nostros, & oramus „ pro eis. Unde occasione terribilium judicum ac legum, ne „ in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non „ necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec „ suppliciis, quibus digni sunt, exerceri. Sic igitur eorum „ peccata compesce, ut sint, quos pœniteat peccâsse."

XXV. Superiore sæculo exortis hæresibus Lutheranâ, & Calvinianâ, quæ & ad has vicinasq; Provincias virus suum spargebant, Principes nostri plurima, eaque nonnulla admodum severa adversùs has hæreses, & earum fautores, & patronos edidêre; quibus in eos, eorumque conventicula animadverti mandârunt; ipsosque ad has Provincias recipi vetârunt; & alia multa, quæ ipsis pro extirpatione hæreseos, & conservatione populi in avita Catholica fide conducentia apparebant: quæ omnia referuntur in libris Edictorum; & summariè recitantur, & indicantur in Codice Belgico Antonii Anselmo Juris-Consulti Antverpiensis, verbo *Ketters*, id est, *Hæretici*.

XLVI. Sive Principum Edicta, sive Canones Ecclesiæ, seu Pontificum Decretales attendamus, indubitatum est, primam de hæreticis sive hæresibus, in quantum doctrinæ Catholicæ Ecclesiæ opponuntur, inquisitionem & judicium Episcopis competere; eisque semper hoc judicium esse delatum: adeò ut nullus de hæresi, ut est crimen merè Ecclesiasticum, judex præter Episcopos per 12. & amplius sæcula notus fuerit; quemadmodum *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 3. notavimus.

XLVII. At circa sæculū XIII. exortâ hæresi Albigensium, eaque in partibus Gallicanis, ac signanter in Comitatu Tholosano latiùs continuò progrediente, nonnulli ab Innoc. III. Romano Pontifice deputari cœperunt, qui unà cum Episcopis in hæreticos inquirerent, & auctoritate Apostolicâ muniti contra hæreticos procederent, imò & ipsum Episcoporum defectum supplerent, qui dein *Inquisitores fidei* seu *hæreticæ pravitatis* dicti fuerunt; de quorum origine & progressu citato *c.* 3. egimus; ac insuper notavimus, quomodo tandem tribunal *inquisitionis* erectum fuerit, coram quo de hæresi, & de hæreticis, aut de hæresi suspectis, eorumve fautoribus cognosceretur & judicaretur.

XLVIII. Hoc Inquisitionis tribunal fuisse receptum in Regno Arragoniæ circa annum 1233. allaborante Sancto Raymundo De Pennafort Ordinis Prædicatorum, scribit Ludovicus à Paramo De Origine & Progressu Inquisitionis *lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8. sed extra Regnum Arragoniæ se non extendisse constat ex epistola Innocentii IV. datâ ad ipsum Raymundum anno 1249. quæ habetur tomo 11. Concil. *col.* 603.

Sub finem sæculi XV. ad alia Regna & Ditiones Hispaniæ tribunal extendi cœpit. Mortuo enim Henrico Arragoniæ Rege sine liberis, Regnum illud devolutum est ad ejus sororem Isabellam, quæ junctа matrimonio Ferdinando Castellæ Regi postulavit, auctoritate Sixti IV. Inquisitionem in hoc Regno stabiliri & confirmari an. 1484. obtentâ postmodum Bulla, qua toti administrationi tamquam generalis Inquisitor præficiebatur *Thomas de Turre Cremata* ex Ordine Dominicanorum præcipuâ apud Reges gratiâ, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat, uti loquitur Mariana *lib.* 24. *De Rebus Hisp. cap.* 17. qui & addit: "Edictis Inquisitionis propositis, spe veniæ homines pro- „ miscuæ ætatis, sexûs, conditionis, ad 17. millia virorum „ ultrò crimina esse confessos, duo millia igne crematos, „ majori numero in vicinas Provincias delapso."

Ut intelligatur, quare tot millia virorum *ultrò* sua crimina confiterentur, sciendum, quòd Inquisitor in suo adventu habeat sermonem ad populum, in quo *magna gratia* addicitur iis, qui sua crimina *spontè* confessi fuerint, veniamque petierint.

Narrat ibidem Mariana, tribunal hoc inquisitionis initio Provincialibus *grave* visum fuisse; multasq; adversùs illud fuisse populi querelas. Quibus tamen non obstantibus, paucis post annis, hoc inquisitionis tribunal per omnia penè reliqua Hispaniæ Regna propagatum est; variisq; locis Inquisitores constituti, quibus omnibus hodie præest Inquisitor generalis, qui à Rege nominatur, & à Pontifice confirmatur: præsidetque hic supremo Inquisitionis Concilio, quod Curiam Regis semper sequitur. Ab hoc Concilio reliqui inferiores Inquisitores leges accipiunt; atque ab eorum sententiis ad hoc appellatur.

Inquisitio Lusitanica efformata ad normam Inquisitionis Hispanicæ erecta fuit à Paulo III. anno 1535. ad postulationem Joannis III. Lusitaniæ Regis.

In Italia plures jam pridē Inquisitiones institutæ fuerunt, designatis Inquisitoribus præcipuè ex Ordine Prædicatorū & Minorum. At in Urbe Roma Inquisitionis tribunal per ipsum Pontificem cum quibusdam ministris, quos pro opportunitate assumebat, exercebatur, donec Cardinales ad id deputari cœperunt; ac tandem Congregatio Inquisitionis instituta fuit; de quibus *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 3.

XLIX. Carolum V. Belgii Principem circa annum 1541. voluisse in has Belgii Provincias Inquisitores fidei introducere, patet ex Concordatis inter ipsum Carolum & Episcopum Leodiensem initis. Ibi enim cognitione de crimine hæresis soli Episcopo delatâ, additur hæc clausula. "Salvâ „ Principi prærogativâ sua quoad *Inquisitorem* per eum à „ Sancta Sede impetratum vel impetrandum." De fidei Inquisitoribus per Carolum V. à Sede Apostolica postulatis & impetratis etiam agit Famianus Strada de Bello Belgico *lib.* 2. *ad an.* 1550. ubi scribit: "Cùm postulâsset (Carolus V.) „ à Pontifice Censores fidei, accepissetque, eorum auctori- „ tati, securitatique cavens multa sancivit, quæ anni 1550. „ Placito præscribuntur." Habetur hoc Placitum *parte* 1. *Edictorum Brab. lib.* 1. *tit.* 2. *c.* 2. sub hoc titulo: *Instructio pro Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Belgio.* Hic inter alia dicitur, quòd progressui hæreseos providere volens Sua Majestas, "in Provinciis Inferioris Germaniæ, Suæ Ma- „ jestati ratione sui patrimonii subjectis, certos Inquisito- „ res hæreticæ pravitatis, viros doctos, & probos, incul- „ patæ vitæ & famæ, ordinari & designari curavit, quibus „ data est ampla potestas contra omnes Hæreticos, & de „ hæresi suspectos, eorumque fautores & receptores, in- „ quirendi, procedendi, corrigendi, & puniendi, necnon „ procedendi ad degradationem Ecclesiasticorum, & tra- „ ditionem Curiæ sæculari, juxta formam & tenorem litte- „ rarum Apostolicarum desuper confectarum.

Post hæc multis articulis, modum, quo Inquisitores procedere debeant, & qualiter ipsis à Magistratibus Regis auxilium præberi deberi debeat, præscribit.

Rursus Philippus II. in quem Carolus has Provincias Belgicas pleno jure transtulerat, præfatum Edictum novo Edicto approbavit & confirmavit, & in quantum opus erat, de novo ordinavit & statuit in civitate Bruxellensi an. 1555. 28. Novemb. "Requirentes (ait) omnes & singulos In- „ quisitores, eorumque subdelegatos, ut omnia in dicta „ Instructione præscripta diligenter observent, debitéque „ executioni tradant: Mandantes itidem cunctis, tam Ma- „ gistratibus, quàm privatis, subditisque nostris universis, ut „ præ-

„ præfatis inquisitoribus circa, quæ in dicta Instructione „ continentur, omnem præstent assistentiam, Mandatisque „ ac Ordinationibus hujusmodi, quantum ipsos concernit, „ diligenter pareant, quatenus gratiam nostram charam „ habeant, indignationemque nostram, ac pœnam arbitra„riæ correctionis evitare maluerint."

Quamvis hoc Edictum publicâsset Philippus, "rem ta„men haud promovit (ait Strada) implicitus repentè bello, „ quod eo ipso, quo Edictum proposuit, anno, tribusque „ insequentibus, acerrimè cum Gallo gessit."

At mox ut liber fuit à bello, animum rursus ad Religionē promovendam adjiciens, discedensque è Belgio an. 1559. "mandata sorori suæ Gubernatrici atque Antistiti Gran„vellano dedit, enixè curarent, ut Caroli Edicta & cautio„nes, quas ipse Rex pro pontificiis Inquisitoribus confir„marat, exquisitè servarentur," ait Strada.

Denique an. 1565. Philippus II. iteratò scripsit ad Margaritam Parmensem Belgii Gubernatricem, "ut Quæsito„res causarum fidei ubique persanctè retineantur, omni„que ope à Gubernatrice ac reliquis Provinciarum Præfe„ctis adjuventur.

His litteris receptis, earum copiam misit Gubernatrix ad Conciliū Flandriæ, præcipiens, ut omnis favor & assistentia præstetur Inquisitoribus fidei in exercitio sui officii, ipsaque Inquisitio fiat, prout hactenus facta fuit. Verba litterarum sunt: *Aussi que l'on donne toute faveur, & assistence aux Inquisiteurs de la Foy en l'exercice de leurs offices, & que l'Inquisition se face par lesdits Inquisiteurs, comme elle s'est faite jusques à maintenant, & comme leur appartient par droits divins & humains, ce que Sa Majesté aussi tres expressement commande par lesdites lettres.* Id est: Insuper ut omnis favor & auxilium Inquisitoribus fidei in muneris sui executione præstetur, utque per dictos Inquisitores, prout hactenus obtinuit, Inquisitio fiat, & prout ad eos divino & humano jure spectat, quod Majestas sua verbis conceptis per litteras dictas statuit.

Ex his aliisq; intelligitur, tam Caroli V. quàm Philippi II. intentionem fuisse, inducere & stabilire Inquisitores in has Provincias; ipsæque litteræ ac Edicta Regia satis innuunt, & aliunde constat, Inquisitores aliquo tempore stabilitos fuisse, saltem in aliquibus Belgii partibus, testisque est ipse lapis sepulchralis Michaelis Baii, qui visitur in Sacello Collegii Adriani VI. Papæ hîc Lovanii, in quo ipse Baius dicitur *Generalis per Germaniam Inferiorem Inquisitor Regius.*

L. Cæterùm ipse toties repetita Edictorum pro stabiliendis Inquisitoribus renovatio sat innuit, non eam fuisse populi Belgici in recipiendis hisce Inquisitoribus animi promptitudinem, quam ipsi Principes desiderâssent; imò summas fuisse ab initio usque ad finem populi & Nobilium oppositionem, colligitur ex iis, quæ Famianus Strada, aliique tumultuum Belgicorum Historici tradunt.

Et quidem Strada factâ mentione Edicti Caroli V. de anno 1550. cujus suprà meminimus, addit: "Verùm nova illa ju„dicii facies plus terroris secum attulit in Belgium, quàm „ observantiæ. Nam etsi alicubi suscepta res est. Brabantini „ tamen, quòd in eo carpi libertatem suam dicerent, commo„dum nacti, imposito sese onere liberârunt sub ejus anni „ quinquagesimi finem." Hæc ille *lib. 2. ad an.* 1550.

Deinde postquam narravit, quòd Margareta Parmensis Belgii Gubernatrix vellet conformiter ad Mandata Regia, Edicta de *Inquisitoribus* executioni mandare, scribit, quòd Gubernatrix de hac re cum Præfectis Provinciarum agere aggressa, *senserit esse non paulò difficiliùs imperata facere, quam imperare facienda.*

Præterea testatur, quòd Magistratus ægrè viderentur id negotii in se suscipere, & inter Nobiles essent dissensiones. "Apud populum nihil moderati, aut medii, consternatio „ primùm, mox audacia: nunc timenti, nunc terrenti similis: „ nempe ut potentiorum aspiratione, atq; Hæreticorū fla„gello agitabatur," *lib. 2. ad an.* 1550. ubi scribit, quòd & in ipsum Regem voces exaudirentur, quas aliunde immissas in ora sermonemque multitudinis apparebat: atque in iis vehemens contra formam illam Inquisitionis elucebat animorum cōmotio; imò teste Strada, tantus tum populi, tum Nobilium adversùs Inquisitores fuit excitatus tumultus, totq; sparsi libelli pro eorum abrogatione, ut annuente Gubernatrice, datâ veniâ delinquentibus, & mitigatis Regiis Edictis, intermissa fuerit cōtentio de eo inferendis Inquisitoribus, ubi antè non fuerât; uti latiùs narrat Strada loco citato

Verùm hæc animosū cōmotio magis emicuit, cùm circa ann. 1565. nomine Philippi II. rursus urgeri cæpit negotiū Inquisitionis, ipsaque Gubernatrix litteras ea de re misit ad Provinciarū Concilia, quarum suprà mentionem fecimus.

"Etenim Regis Edictum Brabantinis cùm proposuisset „ Provinciæ Cancellarius, (neq; enim Brabantia Præfectum „ habet alium præter eum, qui toti Belgio præest) illico ci„vitates, quæ dicuntur Provinciæ capita, Lovanium, Bru„xellæ, Antverpia, & Buscoducum, coacto Senatu, com„positoque ad Cancellariam libello, vehementer iracun„dèque flagitant, ut suorum ratio privilegiorum habeatur, „ quibus ea Quæsitorum judicia, Cæsarisque Placita cùm „ repugnent, non debuisse Edictum Regis à Cancellario „ tam facilè proponi, à se certè admitti non posse.

Quanta fuerit Nobilium & magnatum commotio, pluribus ibidem narrat Strada, aitque: "Tunc enimverò, qui „ conjurationem moliebantur, nacti speciem tuendæ patriæ „ libertatis, sparsis incredibili celeritate per Provincias li„bellis, (eos ad quinq; millia fuisse scripsit ad Regem postea „ Gubernatrix) Hispanicam inquirendi de Religione cen„suram ludibriis, execrationibus, maledictis omnibus lace„rare: monere populos, ne ei sese tyrannidi supponerent, „ cui ubique gentium, ac veluti quodam consensu generis „ humani repugnatum sit, ne Romæ quidem sine tumultu „ initia ejus extitisse: quid agendum esse Belgio tot privi„legiis adversùs nova hæc omnia communito?

Quin eodem Stradâ referente *lib. 5. ad an.* 1566. novem homines è Nobilitate fœdus conscribunt, quod cæteris proponerent, in quo exorsi ab Inquisitionis execratione, dicebant, eam divinis humanisq; legibus adversam, barbariem longè superare omnium retro tyrannorum; seque *societatem iniisse, quâ obviam irent nefariis eorum conatibus, qui per hæc judicia proscriptionesque ac cædes in optimorum civium fortunas intenderent.* Hæc conjuratio vulgò *compromissum* appellata est, inquit Strada; ac variis dein linguis, quo ubique vulgaretur, prodiit in lucem cum hac inscriptione, ut Britanicè quidem edita præferebat: *Exemplar fœderis à Proceribus, Nobilibusque Inferioris Germaniæ percussi, ob Hispanicam Inquisitionem, hisce Provinciis intentatam.*

Plura addit Strada, quæ ostendunt, magis continuò crevisse Nobilium Procerumq; adversùs Inquisitionem commotiones; diciturq; ipsam Gubernatricem in publico Procerum & Magistratuum concessu fassam: *Scio adversùs hoc tribunal effusè ferri omnium odia.* Id ipsum Proceres confirmarunt, dicentes: "Quod verò ad Inquisitionem attinet, „ satis apparere, eam nulli hominum ordini acceptam esse, „ adeò ut Antverpiæ nemo sit tam tenuis fortunæ, qui sclo„pum aut hastile aliquod non ostentet, mineturque, illo se „ telo usurum in eos, qui Hispanicam Inquisitionem infer„re in urbem connitantur. Imò & Episcopos non levi affe„ctos injuriâ videri, dum Religionis causæ, quarum cogni„tio ad ipsos jure pertinet, ad posterius hoc Quæsitorum „ tribunal transferuntur."

Et licèt in eo consensu non una fuerit omnium sententia, *vix tamen fuit in eo Senatu, qui opportunum tempori existimaverit ejusmodi tribunal.*

Tandem post multas altercationes res in hunc modum composita est: "Cùm duplex sit Inquisitionis genus, alte„rum muneri Episcoporum adjunctum, alterum certis ju„dicibus à Pontifice Maximo impositum. Querelas atque „ odia populorum esse dumtaxat in hosce Pontificios Quæ„sitores: quos licèt Carolus Cæsar invexerit in Belgium, „ id tamen coactum fecisse Pastorum inopiâ neglientiâque. „ Quæ ratio cùm in præsentia cesset, simulque tantopere

by Google

„mortales abhorreant ab externo hujus Inquisitionis no-„mine, non debere adversantibus populis tam violentum „intempestivumque remedium obtrudi."

Hæc aliaq; multa, quæ summam erga hoc tribunal aversionem ostendebant, ad Regem iteratis litteris scripsit Gubernatrix, qui tandem significavit, se permittere, ut Inquisitores Ecclesiastici removerentur, modò tamen Episcopi priùs in suas Sedes essent inducti; quod cùm factum esset, paulatim ipsum Inquisitionis tribunal per totum Belgium abolitum fuit, ut nihil de eo hodie supersit, nisi innata quodammodo populi Belgici ab eo aversio, ita ut vel solum nomen *Inquisitionis* exhorreat & execretur.

Quoad Galliam & Germaniam Inquisitio in aliquibus civitatibus recepta fuit sub initium, quo primùm orta est, sed exiguo tempore substitit; hodie nullũ iis in Regnis super est Inquisitionis tribunal, aut illius aliquod exercitium. Dicitur quidẽ in civitate Montispessulana esse Dominicanus, nomè *Inquisitoris* cum aliqua Regia pensione retinẽs; sed sine ullo functionis exercitio. Vide Fleury *part. 3. Inst. Jur. Can. c. 9.*

LI. Schisma Græcum nomen est, *scissuram* sonans, ut habet *Can. 34. caus. 24. q. 1*, possetque juxta hanc latiorem significationem quælibet Societatis ac Communitatis diruptio sive scissura schismatis appellatione contineri. Hìc autem sumitur pro scissione vel divisione ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ ex pluribus particularibus Ecclesiis sub uno Capite coalescens universalem sive Catholicam & unam Ecclesiam constituit. Ut ergo aliqua Ecclesia sit Schismatica, vel aliqui dicantur *Schismatici*, non sufficit, quòd non communicet cum aliqua particulari Ecclesia aut Societate, quæ universalem Ecclesiam non constituunt; sed requiritur, ut non communicet cum Ecclesia Catholica seu Universali.

Censetur autem recedere à communione Universalis Ecclesiæ, si recedat ab omnibus aut penè omnibus Ecclesiis particularibus, quæ Ecclesiam Universalem conficiunt. Quare Optatus Milevitanus Donatistas Schismaticos esse probat, quòd ab Ecclesiarum totius Orbis communione discesserant. *Videndum est*, (ait) *quis in radice cum toto Orbe manserit, quis foras exierit.* Centies idem argumentum contra Donatistas urget S. Augustinus.

Verùm cùm Ecclesia Romana propter Primatum sit unitatis centrum, ejusque Antistes cæterorum Capût sit constitutus, ut *schismatis* tolleretur occasio, haud dubium, quin magnum sit argumentum, eos non esse schismaticos, qui ipsi tamquam Capiti adhærent, & cum eo communione junguntur; è contra magnum sit schismatis præjudicium, si quis ab ejus sit communione alienus. Hinc schisma à S. Thoma, quem communiter sequuntur Theologi, definitur: "Divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, „in quantum Ecclesia est corpus mysticum, ex universis Fi-„delibus tamquam membris, & Romano Pontifice tam-„quam Capite Constans."

Ex dictis facilè intelligitur, Ecclesias particulares aliquando posse inter se dividi, & à mutua communione separari, licèt propterea non sint Schismatici; eò quòd utrique aliæ pleræque Ecclesiæ communicent, & neutra se à reliquis Ecclesiis universalitatem constituentibus sejungat.

LII. Canones Ecclesiæ, necnon Pontificum Sanctiones de Schismate & Hæresi eodem penè modo loquuntur. Quia licèt schisma absolutè posset esse sine hæresi, ordinariè tamen hæresim conjunctam habet; imò si initio absque hæresi fuerit, & in sola forsan quæstione facti constiterit; tamen plerumque tandem in hæresim degenerat.

Si hæresim conjunctam habeat, atq; in hæresi fundetur, crimen erit merè Ecclesiasticũ, ad *solius* judicis Ecclesiastici judicium spectans. Si autem sit merum schisma sine hæresi, tunc judex sæcularis poterit cognoscere; uti in terminis distingunt Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit. 9. art. 2.* "De crimine schismatis „sapientis *hæresim*, idem ut suprà in præcedenti articulo (de „hæresi) Si autem schisma non sapiat hæresim, cum cogni-„tio & punitio ad *solum* judicem *sæcularem* pertinebit."

CAPUT III.

De Sortilegio, Magia, & aliis similibus.

1 *Quid sortilegium.*
2 *Cur sortilegi dicti divinatores seu* divini.
3 *Sortilegiorum definitio ex Isidoro.*
4 *Sortilegia sive sortes divinatoriæ meritò superstitiosis divinationibus annumerantur.*
5 *Sortes divinatorias Leo IV. maleficia reputat.*
6 *Natura sortilegii probat intervenire maleficium.*
7 *In sortilegio intervenit pactum implicitum vel explicitum cum dæmone.*
8 *Eisdem signis, quibus utuntur Sortilegi ad prædictionem futurorum, etiam utuntur ad nocendum, & tunc propriè malefici dicuntur.*
9 *Pro varietate signorum, quibus Sortilegi utuntur, varia quoque sortiuntur nomina.* (meda.
10 *Ex sortilegiis, maleficiis gravissima solent oriri in* [illegible]
11 *Consulere Sortilegos super statu Reipublicæ aut Principis etiam ipsi Gentiles sub pœna capitali vetuerant*
12 *Constitutio Constantii Imperatoris contra sortilegos divinatores.*
13 *Quid per Aruspicem intelligatur in hac Constitutione.*
14 *Quid Mathematici, Astrologi & Genethliaci.*
15 *Quid per Augures intelligatur.*
16 *Vatum nomine qui veniant.*
17 *Constantius Imperator in dicta Constitutione non tantùm hoc nominatim expressos, sed generatim omnes Sortilegos & Maleficos pœnâ capitali perstringit.*
18 *Altera Constantii Constitutio contra illos, qui maleficiis elementa perturbare, aut Manes evocare audent.*
19 *Magicis artibus elementa turbari posse jam pridem creditum est, dictique hujusmodi malefici Tempestarii.*
20 *De his Tempestariis testimoniũ S. Agobardi Episc. Lugd.*
21 *Jam pridem Magos inclamâsse mortuos, à quibus futura prædicerentur, testatur Tertullianus.* (lianus.
22 *Hic sæpiùs hominibus illudi per phantasma asserit Tertul-*
23 *Pœna legis Constantii est vivicomburium.*
24 *Lex Constantini contra Maleficos, qui aliquid moliuntur contra salutem hominum, vel animos ad libidinẽ excitant*
25 *Dubitatur, num Constantinus probaverit, artem magicam adhiberi posse ad bonum finem.*
26 *Id probâsse Constantinum credidit Leo Imp.*
27 *Leo Imperator abrogatâ Lege Constantini omnem magiam etiam ad bonum finem adhiberi vetuit.*
28 *Non desunt, qui putant, Leonem non benè intellexisse Legem Constantini.*
29 *Certum est, semper fuisse vetitas magicas artes, etiam ad bonum finem adhibitas.*
30 *Eas jam pridem vetuit Constantius Imperator.*
31 *Similes incantationes vetita in Synodo Ancyrana.*
32 *Sanctus Chrysostomus invehitur in eos, qui magicis artibus utuntur ad conservationem vitæ.*
33 *In Capitulis Martini Bracarensis id ipsum vetitum.*
34 *Consonat Responsum Alexand. III. in Cap 2 de sortilegiis,*
35 *Erroneum declarat Facultas Parisiensis, licere uti maleficiis ad bonum finem, vel maleficia maleficiis pelli posse.*
36 *Hoc postremum vetat quoque Rituale Romanum*
37 *Consentiunt Synodi Belgicæ, & vicinarum Provinciarum.*
38 *Decretũ Synodi Cameracensis contra varias superstitiones ad curationem hominis, vel jumenti adhiberi solitas.*
39 *Simile Decretum Synodi Provincialis secundæ Mechliniensis.*
40 *Regula ad dignoscendum, an aliquid sit superstitiosum, ab hac Synodo proposita.*
41 *Eandem regulam quoad substantiam probaverat Synodus Provincialis prima Mechliniensis.*
42 *Ex hac regula declarat Synodus Sylvæ-Ducensis plures observationes esse superstitiosas.*
43 *Monet eadem Synodus, populum à Parochis docendum, grave peccatum esse, hujusmodi observationibus uti.*

44. De-

44 *Decreta Synodorum Namurcensium contra quasdam superstitiosas observationes.*
45 *De superstitione liberandi certas animas è Purgatorio per certas verborum formulas remissivè.*
46 *Plures superstitionum species remissivè.*
47 *Referuntur Edicta Principum nostrorum contra Sortilegos & Magos.* (*ptiaci.*
48 *Specialia Edicta contra illos, qui vulgò vocantur Ægy-*
49 *Ex Canonistarum sententia crimen sortilegii creditur esse Ecclesiasticum.*
50 *Ita in Gallia aliquando judicatum.*
51 *Hodie judicatur esse merè Civile.*
52 *Praxis Galliæ apparet conformis praxi Belgicæ.*
53 *Judex in his causis cum magna prudentia & circumspectione procedere debet.* (*re super hac materia.*
54 *Episcopi & Pastores tenentur populum diligenter instrue-*
55 *Formula usitata inter milites Hispanos judicata superstitiosa per Episcopum Iprensem.*
56. *Si simile examen hodie ab Episcopis institueretur, multa deprehenderentur superstitiosa, quæ à populo frequentantur.* (*scopi.*
57 *Ad quas observationes maximè attendere debent Epi-*
58 *Aliquando permittit Deus ut vera prædicantur, & quare.*
59 *Meritò attendunt Episcopi, ne exorcismis aut cæremoniis Ecclesiæ immisceantur superstitiosa.*
60 *Quæ potissimùm hic ab Exorcistis cavenda.*

I. Sortilegium dicitur à *sorte*, soletque accipi in malam partem, nimirum pro superstitiosa & magica *divinatione*, qua quis futura aut occulta, vel omninò incerta prædicere, aut cognoscere vult ex aliquibus signis, quæ ad ea cognoscenda aut indicenda nec à natura, aut Deo instituta vel ordinata sunt.

II. Solent similia signa vocari *sortes divinatoriæ*, tamquam quæ adhibeantur ad cognoscendum ea, quæ citra divinam revelationem ex talibus cognosci nequeant, atq; illi, qui iis utuntur, vocantur *divinatores*, tamquam futura & planè occulta prædicentes aut revelantes, aliquid Divinitatis præ se ferentes: quare & teste Isidoro *lib. 8. Etymol. cap. 9.* Divini appellantur, quasi *Deo pleni*.

III. Definiuntur ab ipso Isidoro apud Gratianum *caus. 26. q. 1. Can. 1.* "Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religionis per quasdam, quas Sanctorum *sortes* vocant, divinationis scientiam profitentur, aut quarumcumque scripturarum inspectione, futura promittunt."

IV. Sortes illæ divinatoriæ, utpote nullam vel naturalem vel supernaturalẽ vim habentes ad occulta illa ac merè cõtingentia, & planè ab incerto eventu dependentia manifestanda, meritò superstitiosæ divinationes, & maleficia reputantur, & ut talia jam pridem reprobatæ sunt, uti apud Gratian. *causa 26. q. 5. Can. 7.* legitur: "Sortes, quibus cuncta vos in vestris discriminatis judiciis, (quod Patres damnaverunt) nihil aliud, quàm divinationes & maleficia esse decernimus. Quamobrem volumus illas omninò damnari, & inter Christianos ultra nolumus nominari, & ne exerceantur, sub anathematis interdicto prohibemus."

V. Hic *sortes* reputari inter *divinationes* & *maleficia* manifestum est; evidentiùsque adhuc patebit, si attendatur epistola Leonis IV. ad Episcopos Britanniæ *cap. 4.* unde hic Canon desumptus est. Dicit enim Leo: "De Experientia autem divinationum vel maleficiorum, scriptum quidem habemus in sacris Canonibus, ut ipsa verba ponamus, ita: Qui Divinationes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte malefica, aut expiandi causa, sub regula quinquennii jaceant."

His præmissis infert tamquã consequens: *unde ad eorum similitudinem*, SORTES & cætera, quæ suprà relata sunt.

Plures Canones, quibus *sortilegi* unà cum Divinatoribus & maleficis condemnantur, & pari pœnâ plectuntur, refert Gratianus citatâ *quæst. 5.*

VI. Et sanè si attendatur natura sortilegii, sive *sortium*, prout eæ adhibentur ad cognitionem, sive manifestationem futurorum vel occultorum, ad quæ cognoscenda aut manifestanda, nec ex natura rei, nec ex supernaturali Dei ordinatione vim ullam habent, facilè patebit, sortilegium esse ad superstitiosam Divinationem referendum.

Si enim cultus divinus, sive id quod soli Deo competit, exhibeatur aut tribuatur creaturæ, dicitur superstitio cultûs *indebiti*, uti loquuntur Theologi post S. Thomam *2. 2. q. 93. art. 1.*

Dum ergo cognitio futurorum contingentium, quæ à libero hominum arbitrio, aut aliis planè incertis eventibus dependent, aut occultorum manifestatio petitur à rebus ad eam manifestationem nec à natura, nec Dei Ordinatione institutis vel ordinatis, tunc transfertur quidam Dei cultus, vel Dei proprietas, nimirum futurorum & occultorum scientia & manifestatio, ad creaturam. Ac propterea Sortilegi etiam Divinatores, tamquam *Divini* aliquid præferentes, dicti sunt, uti supra notatum est.

VII. Ulteriùs quia sortes, sive signa adhibita ad futurorum & occultorum cognitionem nullam ex sua conditione, vel speciali Dei ordinatione virtutem habent, ideo sortilegium continere solet expressum vel tacitum pactum cum dæmone, à quo mediantibus illis signis futurorum & occultorum scientia expetitur.

VIII. Nec tantùm ad futurorum aut occultorum revelationem signis illis utitur dæmon; sed etiam ad nocendum hominibus vel in corpore, vel bonis temporalibus, diciturque ars hæc *maleficium*.

Et quamvis omnes quacumque ratione homines malum facientes, possent dici *malefici*, nihilominus, diabolicis hisce artibus ad hominum nocumentum utentibus vulgò *Malefici* vocantur *ob facinorum magnitudinem*, ut loquitur *L. 5. Cod. De Maleficis.*

IX. Sicuti autem varia sunt signa, quibus dæmon utitur ad suas præstigias, fallacias, aut maleficia exercenda, ita variæ sunt sortilegii & maleficii species, quæ à diversitate signorum etiam varia sortiuntur nomina, quorum tum in Canonibus, tum legibus Principum mentio occurrit; ut in sequentibus videbitur; quibus tamen omnibus dæmon utitur ad deceptionem & nocumentum hominum, & ut divinitatem sibi attribuat futurorum, & occultorum manifestationem sibi vindicet. Dumque hominibus persuadet, eam à se expetere & exspectare, unà persuadet, & sibi cultum Deo soli debitum exhiberi, quod dæmon ex innata sibi superbia summopere affectat.

X. Præterquam autẽ, quòd in omni sortilegio, maleficio, vel superstitione tale aliquod expressum vel implicitum pactum & cõmercium cum dæmone interveniat, etiã gravissima solent vel ex sortilegiis, sive futurorũ prædictionibus incõmoda oriri, & à dæmone hisce mediantibus procurari.

XI. Sciebant vel ipsi Gentiles, & Idolorum cultores, quid ex auguriis & divinationibus incommodi expectari posset, si de Reipublicæ statu, aut Principis persona futura, vel occulta per hujusmodi auguria panderentur. Quapropter tametsi Romani Gentiles dæmonia, & idola colerent, multaque superstitiosa permitterent & probarent; tamen severissimè puniebant eos, qui de statu Reipublicæ, aut salute Principis consuluissent; testaturque Paulus Juris-Consultus *Sent. 5. tit. 21.* pœnâ *capitali* punitos, *qui de salute Principis, vel summa Reipublicæ respondissent.*

XII. Imperatores verò Christiani expendentes, quàm hæc omnia & Reipublicæ, populis, necnon ipsi Religioni Christianæ essent adversa, & perniciosa, generaliter hæc omnia unà cum ipsa Gentilitate & Idololatria abolere & extirpare funditus studuerunt.

Imprimis extat in *L. 5. Cod. de Maleficis & Mathematicis* Constitutio Constantii Imp. de an. 357. contra Sortilegos sive Divinatores in hæc verba: "Nemo Aruspicem consulat aut Mathematicum; nemo Ariolum, Augurum & Vatum prava confessio conticescat. Chaldæi ac Magi, ac cæteri, quos *maleficos* ob facinorum magnitudinem vulgus, appellat, nec ad partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas. Etenim supplicio

„ capitis ferietur gladio ultore prostratus, quicumque Jus-
„ sis nostris obsequium denegaverit."

XIII. *Auruspex* sive Auspex, cujus in hac Lege, aliisq; frequens mentio occurrit, dictus fuit, qui hostiis & extis sive visceribus pecudum (quas idolis Gentilitas immolabat) inspectis futura prædicebat; atque hinc ars sive professio ex simili inspectione futura prædicandi *Auruspina* dicebatur. De his vide *Can. 1. caus. 26. q. 3.* item *Can. 14. ead. caus.*

XIV. Mathematicus hic pro Astrologo accipitur. "Astro-
„ logi autem dicti eò quòd in astris augurantur," ait Gratianus in *Can. 1. caus. 26. q. 3.* additurque in eodem Canone: "Genethliaci appellati sunt propter natalitiorum conside-
„ rationes dierum. Geneses enim hominum per duodecim
„ cæli signa describunt, siderumq; cursu nascentiũ mores,
„ actus & eventus prædicere conantur: id est, quis quali signo
„ fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur.
„ Hi sunt, qui vulgo Mathematici vocantur, cujus supersti-
„ tionis genus constellationes Latini vocant, id est, notatio-
„ nes siderum, quomodo se habeant, cùm quisq; nascitur." Hæc ex citato Canone, quem sub nomine S. Augustini exhibet Gratianus; sed uti notant Correctores Romani, pleraque non extant apud Augustinum, "sed sunt in libello
„ Rabani De *Magorum præstigiis*, quem ipse Rabanus ex
„ variis Augustini & Isidori locis collegit, & Gratianus sæ-
„ pè citat sub nomine Augustini."

Rectè hic notatur, prædictum libellum ex dictis S. Augustini esse collectum; nam & citata verba saltem quoad substantiam habentur apud S. August. *lib. 2. De Doctrina Christiana c. 21.* ubi latè agit de his *qui Genethliaci propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgo Mathematici vocantur*, quorum superstitionem perniciosam & fallacem ibidem exponit & refutat.

Hos eosdem quoque S. Augustin. *lib. 4. Confess. 3.* appellat *Planetarios*; refertursque locus Augustini à Gratiano *Can. 8. caus. 26. q. 2.*

XV. Augures sunt (ait citatus *Can. 1.*) qui volatus aviũ, "&
„ voces intendunt; aliaque signa rerum, vel observationes
„ improvisas hominibus occurrentes ferunt. Iidem sunt &
„ auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes observant.
„ Dicta autem sunt auspicia, quasi avium spicia, & auguria
„ quasi avium garria, id est, avium voces & linguæ. Item
„ augurium quasi avigerium, quod aves gerunt.

XVI. Vates hic sumi possunt pro iis, qui quasi spiritu prophetico, & tamquam *Deo pleni* de futuris vaticinantur; quique & *Fanatici* dicti, qui vi Numinis interiori se agitari fingebant; unde & *Divini* dicti sunt. Divinitate enim plenos se esse simulant, & astutâ quadam fraudulentiâ hominibus futura conjectant, ut dicitur in allegato Canone 1.

XVII. Hos itaq; generatim consuli vetat hâc Lege Constantius; & quidẽ sub pœna *capitali*. Imò non tantùm in hac Lege nominatim expressos, sed & omnes *generatim* Sortilegos, sive ope dæmonum futura prædicentes hâc Lege comprehendi; omnemq; perniciosam illã *divinandi* artẽ damnari satis innuunt hæc verba legis: *Et cæteri, quos maleficos ob facinorum magnitudinem vulgus appellat.* Item: *Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas.* Unde huic Legi in Codice Theodosiano subjicitur hæc cõpendiosa interpretatio: "Quicumq; pro curiositate futurorum, vel invocationem
„ dæmonũ, vel divinos, quos ariolos appellant, vel Aruspi-
„ cem, qui auguria colligit, consuluerit, *capite* punietur."

XVIII. Extat alia ejusdem Imperatoris Constantii Constitutio in *L. 6. Cod. De Maleficis*, de Magia, sive de magicis artibus in hæc verba: "Multi magicis artibus usi, elementa
„ turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, &
„ Manibus accitis audent ventilare, ut quisque suos confi-
„ ciat malis artibus inimicos: hos quoniam naturæ pere-
„ grini sunt, feralis pestis absumat."

Habetur & hæc Constitutio in *L. 5. Cod. Theod. ead.* ubi pro *usi*, legitur *ausi*: ut sensus sit, *multi magicis artibus* AUSI *elementa turbare, vitas insontium labefactare audent.*

Hanc lectionem ut rectiorem & veriorẽ probat Jacobus Gothofredus ad citatam *Legem 5.* in Codice Theodosiano; notatque, quòd Constantius duplicem audaciam hic perstringat Magorum ad inimicos suos conficiendos, elementorum scilicet turbationem, & Manium evocationem.

XIX. Magicis artibus elementa turbari passim notum est, vocanturq; ob tempestates per elementorum turbationem excitatas *Tempestarii*, de quibus in Legibus Visigothorum legitur *lib. 6. tit. 2. lege 3.* "Malefici & immissores tempe-
„ statum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vi-
„ neas, messesque mittere perhibentur." Et *lib. 1. Capitularium Regum Francorum c. 62.* „Præcipimus, ut nec cauca-
„ latores, nec incantatores, nec *Tempestarii*, nec obligatores
„ fiant. Et ubicumque sunt, emendentur, vel damnentur."

XX. Est de his Tempestariis insignis locus S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis in Libro de *Grandine & Tonitruis c. 1.* "In his regionibus penè omnes homines nobiles
„ & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant, grã-
„ dines & tonitrua hominũ libitu posse fieri. Dicunt enim,
„ mox ut audierint tonitrua, & viderint fulgura, *Aura le-*
„ *vatitia est.* Interrogati verò, quid sit aura levatitia, alii
„ cum verecundia, parum remordente conscientia, alii au-
„ tem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confir-
„ mant, incantationibus hominum, qui dicuntur *Tempesta-*
„ *rii*, esse levatam, & ideo dici *levatitiam*, auram."

Hunc vulgi errorem ibidem rejicit Agobardus.

XXI. Addit Constantius: *Et Manibus accitis audent ventilare, ut*, &c. hoc est, nonnulli magicis artibus, animas seu spiritus defunctorum inclamare, & quasi de inferis accire audent, quo inimicos suos conficiant.

De hac specie magiæ tamquam suo tempore usitatissima loquitur Tertull. Libro de Anima *cap. 57.* "Publica jam
„ littera est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiã pro-
„ ba morte disjunctas, etiam promptâ humatione dispun-
„ ctas evocaturum se ab inferûm incolatu pollicetur.

XXII. At hîc sæpe phantasma dumtaxat esse, ac sensibus hominum illudi per dæmoniacas præstigias, ibidem monet Tertullian.: "Sic in illa specie magiæ, quæ jam quiescentes
„ animas evellere ab inferis creditur, & conspectui exhi-
„ bere, non alia fallaciæ vis est operatior. Planè quia &
„ *phantasma* præstatur, quia & corpus affingitur; nec ma-
„ gnum illi, exteriores oculos circumscribere, cui interio-
„ rem mentis aciem excœcare perfacile est."

Qui hac arte utuntur, vulgò *Necromantici* vocantur.

XXIII. Itaq; hâc Lege Constantinus statuit, ut si qui ausi sint, vel elementorũ turbatione, vel accitis Manibus per magicas artes suos inimicos labefactare, hos *feralis pestis absumat*. Per feralem pestem hîc intelligi *vivicomburium*, putat Jacobus Gothofredus; ibidem ostendens, quâ ratione hæc pœna dicatur *feralis pestis*, Notaturq; in appendice ad Aresta Paponii *lib. 22. tit. 3.* quòd adversùs eos vel eas, qui, quæve execrabile cõmiserunt sortilegiũ, constituta sit pœna *ignis*; atque ita plerumque Arrestis Curiæ puniti fuerint.

XXIV. In *Lege 4. Cod. de Maleficiis* legitur quoque sub nomine Constantini M. "Eorum est scientia punienda, & se-
„ verissimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accincti
„ artibus, aut contra hominum moliti salutem, aut pudicos
„ ad libidinem deflexisse animos detegentur." Horum incitamentorum ad impudicos amores per artes magicas meminit S. Augustin. *lib. 10. de Civit. Dei c. 11.* & plura refert in hanc rem Jacobus Gothofredus ad *L. 3. Cod. Theod. de maleficiis*; & Gregorius Tholosanus in Syntagmate Juris universi *lib. 34. cap. 12.* ostendit, quomodo etiam rebus sacratissimis ad hæc maleficia abutantur.

XXV. Omnem ergo illam scientiã magicã, quæ ad hominũ nocumentũ vertitur, severissimè puniendã dixit Constantinus. Sed quid, si hæc scientia non ad nocumentũ, sed potius ad salutẽ & cõmodum homini procuranda serviat, & adhibeatur? Id licitum putâsse Constantinum in hac Lege aliqui credidêre. Verbis enim supra relatis subjungit immediatè tamquã priorum verborũ moderativa: "Nullis verò crimi-
„ nalibus implicãda sunt remedia humanis quæsita corpo-
„ ribus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffra-
„ gia, ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis
„ gran-

„ grandinisq; lapidatione quaterentur: quibus non cujus„ quam salus, aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent actus, ne divina munera & labores hominum sternerentur.

Ex his itaq; statuunt nonnulli, Constantinum quidem interdixisse magicas artes, sive incantationes sive incantamenta (quæ hic *suffragia* dicuntur) adhiberi in hominum nocumentum; sed ea probasse si ad salutem ipsorũ, aut fructuum conservationem adhiberentur. Unde Petrus Tolosanus in Sintagmate Juris universi *lib.34. cap.18.* asseveranter ait: Scio leges Codicis Justineanei, magiam illam, quæ salutem & bonum aliquod procurare videtur, non improbasse.„ Deinde citat hanc legem quartam.

XXVI. Ita hanc legem intellexisse: Leonem Imp. qui vulgò *sapiens* dictus est, patet ex ejus Constitutione 65. *De Incantatorum pœna*; ubi expressè asserit auctorem hujus legis probasse *incantationes illas, tamquam fructus & segetes curent, aliaque bona (ut quidem videtur) suppeditent.*

XXVII. Hanc legem ipse Leo *ex legum quasi fundo tollendam* putavit. Deinde rationem subjicit:„ Nos istiusmodi „ incantationes perniciosas esse persuasum habemus: & ut „ boni quidpiam inde manare credamus, induci non possumus. Ac sanè etiamsi boni quidpiam producere illas appareat (quomodo quidem approbanti ipsas legi videtur) „ non id bonum esse, sed illecebram atq; nassam, quæ illectos in malorum omnium extremum, ubi à summo bono „ excidant, absorbeat, compertum habemus.

Tandem nonnullis interpositis concludit: Sanè verò si „ quis aliquo modo incantamentis usus esse deprehensus „ fuerit, sive id restituendæ conservandæve valetudinis, sive „ avertendæ à rebus frugiferis calamitatis causâ fecerit, is „ apostatarum pœnam subiens supremum supplicium sustineto.

XXVIII. Non desunt, qui credant Leonem sensum hujus Legis haud fuisse assequutum: noluisse Constantinum in hac Lege probare incantationes magicas ad conservationem segetum, vel salutem corporum procurandam; sed tantùm declarasse per priorem partem suæ Constitutionis, prohibita non esse *remedia humanis quæsita corporibus*, hoc est remedia quæ non ars magica, sed natura suppeditat: qualia nonnumquam & cantamenta ad leniendum dolorem esse possunt; uti ostendit Jacobus Gothofredus ad hanc legem in Codice Theodosiano.

XXIX. Quidquid sit, hoc certum est, jam pridem & sacris Canonibus & Imperatorum Sanctionibus, & Patrum Scriptis damnatas fuisse generatim incantationes & magicas artes, tametsi ad salutem procurandam adhibitas.

XXX. Scribit Ammianus *lib.16.* de Constantii Imp. temporibus:„ Si quis anile incantamentum ad *leniendum* adhibuisset dolorem, reus delatus, pœnaliter interibat. *Et li.19.* „ testatur, ut veneficos pronuntiatos reos capitis interiisse, si „ qui remedia quartanæ, vel alterius doloris collo gestaret.

XXXI. Synodus Ancyrana sub initium sæculi 4. *Can.24.* „ ait: Qui vaticinantur & gentium consuetudines sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducunt, ad medicamenta arte invenienda, vel lustrationem in quinquennii Canonem incidant, secundùm gradus definitos: tres annos „ substrationis, & duos annos orationis sine oblatione.„

XXXII. Et S. Joannes Chrysostomus *Homil.43. in Matth. c.23.* invehitur in eos qui suâ ætate philacteria ad collum suum appendebant, vel partem aliquam Evangelii scriptam quasi virtus Evangelii in litterarum figuris sita fuisset. Neq; dubitat idem S. Doctor *Homiliâ 8. in Epist. ad Colossenses*, comparare aliquatenus martyrio contemptum harum vanitatum; quasi vitam potiùs amittere, quam has superstitiosas vanitates adhibere malint.

XXXIII. Ex Capitulis Martini Bracarensis refert Gratianus *caus.26. q.5. Can.3.*"Si quis autem Paganorum consuetudinem sequens Divinos & Sortilegos in domum suam „ introduxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia „ inveniant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque „ annis pœnitentiam agant.„

XXXIV. Hisce conforme est Responsum Alexandri III. in *Cap.2.* ;; *De Sortilegiis*. Expositum erat Pontifici,„ quemdam Presbyterum cum quodam infami ad privatum locum accessisse: non eâ intentione ut dæmonium vocaret, „ sed eâ intentione ut inspectione astrolabii, *furtum* cujusdam Ecclesiæ posset recuperari.„ Respondit Pontifex:" Verùm licèt hoc ex *bono zelo & simplicitate* se fecisse proponat, id tamen gravissimum fuit, & non modicam inde „ maculam peccati contraxit.„

Deinde mandat, ut huic Presbytero pœnitentia pro expiatione illius delicti imponatur, quod per *annum & amplius*, si Episcopo visum fuerit, ab altaris ministerio præcipiatur abstinere.

XXXV. Unde rectè declaravit Facultas Theologica Parisiensis anno 1398. *art.5.* eos falli, qui credunt licitum, uti ad bonum finem arte magicâ aliisq; superstitionibus, quas Deus & Ecclesia damnant.

Quin & addit *art.6.* sine errore sustineri non posse, licitum esse, quin & permittendum esse, maleficium maleficio tollere. Verba sunt:„ Quòd licitum sit, etiam permittendum „ maleficia maleficiis repellere: error.„

XXXVI. Idipsum & expressit Rituale Rom. dicens:„ Aliqui (dæmones) ostendunt factum maleficium, & à quibus „ sit factum, & modum ad illud dissipandum; sed caveat ne „ ob hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quàm ad Ecclesiæ ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio „ modo illicito utatur.„

XXXVII. His omnibus tandem consentiunt recentiores tum in Belgio, tum alibi celebratæ Synodi, generatim omnem usum artis magicæ & cujusvis superstitionis, tametsi ad sanitatem corporis, vel animalium, vel conservationem fructuum, aut rerum perditarum recuperationem, aliumve honestum finem adhibitum.

XXXVIII. Synodus P. II. Cameracensis *tit.1. c.7.* ait: Signa vel imagines, annulive, orationes scriptæ, vel, ut vocant brevia characteribus, aut nominibus incognitis impressa, „ ne ad alicujus morbi hominis, jumentive curationem adhibeantur, ne etiam ligaturæ matrimonii actum impedientes; aliave veneficia, vel fascinationes superstitiosâ observatione fiant, aut dissolvantur, nec vulnera aut plagæ „ ullæ superstitioso adhibito signorum, verborum, aut precum numero, linteolis, vel aliis, quæ à Medicis comprobata non sit, ratione curentur.„

Et altera Synodus D. Cameracensis anni 1604. *tit.1 c.8.* agit adversus eos, non tantùm,„ qui magos divinatores, „ sagas, Ægyptios, aliosve similes, super futuris eventibus, „ qui à libera pendent hominum voluntate, super furto ablatis, absconditis thesauris, rebus deperditis, aliisq; occultis consulunt, aut consuli mandant;„ sed & in eos, qui rerum occultarum cognitionem, per cribri, annuli, vel alterius rei agitationem explorant.„

Dein *c.9.* mandat, ut„ ea omnia quæ certas personarum, „ temporum, numerorum, locorum, & similium rerum, „ observationes corporisq; compositionem ac certorum „ esculentorum & potulentorum sumptionem ita requirunt, ut qui ea prætermiserit expectato fraudetur effectu; „ tamquam vana & superstitiosa, vel de superstitione admodùm suspecta, de medio tollantur, nisi arte Medica, Ecclesiæ Constitutione, aut consuetudine per eandam approbatâ præscribantur.

De variis superstitionibus ex observatione temporum vide Thiers in Tractatu de Superstitionibus *c.5.* Inter vanas & superstitiosas observationes personarum meritò refertur illa, hodie sat frequens etiam inter homines non vulgares, quâ creditur unus intra annum moriturus, si *tredecim* simul in mensa accumbant; secùs si majore vel minore numero sint: quam observationem planè superstitiosam esse evidenter colligitur ex regula superiùs ex Synodo Mechliniensi adductâ, & ab omnibus probatâ.

XXXIX. Synodus P. II. Mechliniensis *tit.51. c.1.* ait: Nemo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curãda superstitiosis remediis utatur; vel super rebus deperditis

„ditis aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, di„vinos; seu pro divinis se venditantes, consulere præsumat.

XL. Deinde *c.* 3. ponit regulam, è qua dignosci queat, num quid superstitiosum sit; vultq; „ut Parochi subditos „suos diligenter de superstitionibus doceant, & inter cæte„ra, superstitiosum esse, expectare quemcumq; effectum à „quacumq; re, quem res illa nec ex sua natura, nec ex insti„tutione divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ec„clesiæ producere potest.„

XLI. Hanc regulam licèt non iisdem verbis, expresserat Synodus P. I. Mechliniensis *tit. de Superstitione* docens, om„nem illum rerum usum esse superstitiosum, qui sine ver„bo Dei & Ecclesiæ doctrina fit, præscriptis aliquibus riti„bus & observantiis, quarum rationabilis causa reddi non „potest, & fiducia in eis collocatur, certò expectandi ali„quem eventum, qui sine illis ritibus ex Sanctorum inter„cessione non speraretur; aut quæ in cultu Sanctorum ex „temeritate, ac quadam levitate potiùs, quàm pietate & „vera in Deum religione, fieri videntur.„

XLII. Huic Regulæ insistentes aliæ passim Synodi Belgicæ varias exinde observationes etiamnum hodie usitatas, superstitiosas esse concludunt.

Synodus Silvæ-Ducensis sub Metsio postquam probavit regulam in Synodo Mechliniensi I. propositam, „declarat ad „profanam superstitionem pertinere, quòd nonnulli illici„tis & insolitis medicamentis, ligaturis, amuletis, chartu„lis, litterarum incisuris, aut rebus consecratis, verbisq; sa„cris extra probatam medendi rationem ad morbos homi„num depellendos, febresq; curandas, aut pecudes sanan„das utantur.„

XLIII. Post hæc concludit: „Ac ideo mandamus omni„bus Parochis nostris, ut fidelem populum doceant usum „dictarum rerum ad effectus hujusmodi, & similes conse„quendos, absq; gravi peccato contra primum Decalogi „præceptum adhiberi à quocumq; non posse, cùm illa ad „occulta quædam cum dæmonibus inita pacta pertineant.

XLIV. Synodus Namurcensis 1639. *tit.* 4. *c.* 1. ait: Nullus „se, vel animalia, à morbo curari, & à periculis præservari „procuret per superstitionem, aut verba magica; & quod „gravius est, non consulat divinos, aut cribrum verti curet, „ad cognoscendum, quis rem suam, vel alterius surripuerit „aut sibi malum intulerit.„

Observatio in vertendo *cribro*, cujus hæc Synodus meminit, hodie in aliquibus locis satis adhuc usitata est; ac per eam non rarò etiam innocentissimi in suspicionem criminis adducuntur: unde meritò hic invigilant Episcopi & Pastores. Vocatur hæc *divinatio* apud Petrum Tholosanum loco citato *c* 3. *Coscinomantia.*

Altera recentior Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 14. post expressis verbis renovatam regulam in Synodo P. II. Mechliniensi propositam, subjungit *c.* 6. „Monebunt Pasto„res parochianos suos, abstinere à remediis quibus præten„duntur nosci occulta, & à vulgari consuetudine circumli„gandi arbores pro ubertate fructuum & infortuniis, pati„bula pro cessatione febrium, & à peregrinationibus per „imperitas mulierculas suggestis, & aliis similibus.„

XLV. Addit *c.* 7. „Monebunt etiam abominandam esse „eorum vanitatem, qui certo numero & præscriptâ formâ „verborum & precum asserunt certas animas semper è pur„gatorio liberari.„ De hac abominanda vanitate videri possunt, quæ dicta sunt *parte* 2. *tit.* 37. *c.* 6.

XLVI. Plures superstitionum species refert & reprobat S. Carolus in Concilio Mediol. I. *parte* 2. *c.* 10. & infinita penè signa, & verborum formulas, quibus homines vulgares passim utuntur vel ad investigationem furorum, vel ad maleficia, aut ad recuperandam sibi vel brutis suis sanationem à morbis vel vulneribus, aut ad conservationem frugum, aliumve effectum, nominatim recitat Joannes Baptista Thiers in tractatu *de Superstitionibus*; quem meritò Parochi in hac materia consulent, utpote plura referentem, quæ hodiè multùm frequentantur.

XLVII. Et sicuti pristini Reipublicæ Moderatores hisce maleficiis & superstitionibus eliminandis etiam suam operam impenderunt; ita & Principes nostri varia Edicta contra Maleficos, Divinos, Incantatores & similes; nec non in consulentes, sive opem eorum expetentes, diversis temporibus ediderunt.

Imprimis Edicto criminali anno 1570. *art.* 60. jubentur puniri generaliter magi sive malefici secundùm Jus scriptum. Et Edicto Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechliniensem *art.* 13, sancitur, ut nemo prædictionibus & arcanorum revelationibus superstitiosis se addicat; perpetuo exilio mulctandus, gravibusq; pœnis etiam coërceantur consulentes. Verba sunt: *Ende vvillende voorts verboeden ende voorcomen alle occasien van superstitie, verbieden allen ende eenen jegelycken, van vvat qualiteyt oft conditie sy syn, hun te onderwinden oft moyen met vvaerseggingen van toecomende, oft openbaringhen van verborghen sacken: ende so verre deshalven eenige beticht oft schuldigh bevonden souden vvorden, ordonneren vvy vvel ernstelycken alle onse Rechteren, ende aen die van onse Vaßalen, de selve te bannen voor altoos buyten onse Landen ende Provincien, straffende met groote boeten oft andersins die gene, die tot alsulke te rade gaen.* Id est: Cupientes insuper avertere & occurrere occasionibus quibusvis superstitionis, inhibemus omnibus & singulis cujuscúmq; qualitatis aut conditionis extiterint, ne operam dent, aut se immisceant prædictionibus futuri, aut detectionibus rerum arcanarum: si autem his non obstantibus quispiam accusetur aut deprehendatur reus, mandamus urgentissimè quibuscúmq, nostris & Subditorum nostrorum Judicibus, ut eos perpetuo extra ditiones nostras & Provincias exilio damnent, gravibúsq; mulctis aut aliter in eos animadvertant, qui tales consulunt.

Deinde *art* 4. statuitur, ut adversùs magos & maleficos sertò & diligenter procedatur, juxta Litteras Regias ad Episcopos omnes atq; Concilia missas 20. Junii 1592.

Habentur hæ Litteræ ad calcem Synodi Antverpiensis sub Miræo; item *parte* 2. *Edictorum Flandriæ lib.* 1. *Rubrica* 1. His Litteris Rex mandat, ut in omnis generis Sortileg s, Genethliacos, Astrologos judiciarios, Maleficos, Superstitiosos, omnes Judices diligenter insurgant; Prælati, per Pastores & Concionatores populum instruant, Judices Ecclesiastici & Sæculares officio fungantur; ii secundùm Canones & Constitutiones Apostolicas; illi secundùm Leges & Edicta: Episcopi & Officiales & Promotores diligentiam præstent: similiter Concilia, Magistratus, & Officiarii.

XLVIII. Præter hæc Edicta generalia contra magos & maleficos sunt insuper quædam specialia contra eos, qui sub vulgari nomine Ægyptiorum hic solent vagari, quos Carolus V. & Philippus II. suis respectivè Edictis de 15 Feb. 1537. & 2. Sept. 1560. & *art.* 6. *Additionis* 2. *ad Latum Introitum*, sub pœna confiscationis corporis & bonorum, eorúmve asseclas, vel qui se tales dicerent, aut eorum habitu uterentur, vetuerunt in his Ditionibus versari. De horum hominum in Europam adventu agit Pasquier *lib.* 4. *Recherches c.* 17. Hoc hominum genus uti solet *chiromantiâ*, id est, divinatione ex inspectione manuũ, atq; eâ mediante de annis vitæ, faustis vel infaustis eventibus multa divinare & prognosticare; & hisce fallaciis simplices fallere, & pecunias emungere.

XLIX. In *Canone* 10. *caus.* 26. *q.* 5. refertur ex S. Gregorio ad Januarium Episcopum, quòd si Episcopus exhortatione sua nequeat aruspices atq; sortilegos ad emendationem revocare, possit eos, „si quidem servi sunt, verberibus cru„ciatibúsq; quibus ad emendationem pervenire valeant, „castigare: si verò sunt liberi, inclusione dignâ, districtâque „sunt in pœnitentiam redigendi, ut qui salubria, & à mortis „periculo revocântia audire verba contemnunt, cruciatus „saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reduce„re sanitatem.„

Hic verbo *verberibus* annotat Glossographus: Cùm hic scribatur Episcopis; patet hoc crimen *Ecclesiasticum* esse.

L. Notat Choppinus *lib.* 2. *de S. Polit. tit.* 2. *n.* 11. id conforme esse veteri Senatusconsulto, quo anno 1282. Sylvanectensi Præsuli adjudicata fuit cognitio in sagas & fascinatrices

ces mulieres, quæ anteà hujus sortilegii nomine relatæ fuerant in numerum reorum coram Sylvanectensi Regiæ Prætore. Arrestum refertur *p. 7. styli Parlament: Arresto 72.*

LI. Verùm uti ibidem notat Choppinus, postero sæculo in contrariam sententiam à Senatu Parisiensi itum est, ne hujusmodi veneficæ incantatrices mulierculæ ad Sacros Magistratus remitterentur, Arresto contra Episcopum Parisiensem prolato anno 1387. quod refert Joannes Galli *q. 241.* & Tornetius *litt. S. c. 41.* ubi ulterius remittit ad Ludovicum Charondam, qui *lib. 9. Respons. 43.* probat, criminis hujus cognitionem spectare ad judicem Civilem; qui & refert ibidem formam instituendi processum super hac crimine, pluresq; sententias à judice Civili prolatas: addit q; Tornetius, *id jam esse usitatum & communi praxi receptum.*

LII. Nihilominus Joann. Paponius *lib. 21. tit. 3.* relato Arresto cujus meminit Joannes Galli, quod suprà retulimus, fatetur, „alterum *contrarium* Arrestum extare inter judicia, „consilia, & arresta Parlamenti Samartiniani 1582. de tribus mulieribus sortilegii accusatis, quæ ad Episcopum Parisiensem remissæ fuerunt.„

Conjecturam suam hujus contrarietatis adjungit Paponius: „Ex eo, forsan; quòd de *fide* inquirendum videbatur adversus eas, in præcedente verò quæstio de eo non erat.„

Si Hæc Paponii conjectura praxim Galliæ attingat, & ei conveniat, haud difformis erit praxi Belgicæ, prout hæc expressa est in Concordatis Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem. De judice enim hujus criminis ibidem *tit. 9. art. 15.* dicitur: „De criminibus sortilegii, divinationis maleficii, & consulentium eos, cognoscet, & puniet „judex Sæcularis solus, nisi quando prædicta crimina fierent per invocationem dæmonum, aut abnegationem *fidei*, quo casu cùm sapiant hæresim, Episcopus aut Inquisitor cognoscet, ut in articulo hæresis dictum est.„

Distinctionem hic in Concordatis expressam etiam approbat Petrus Tolosanus in Syntagmate Juris Universi *lib. 34. c. 15.*

LIII. Cæterùm quisquis sit hujus criminis judex, indubitatum est, summâ prudentiâ & circumspectione hic procedendum esse: cùm certum sit, multa frequenter magicis & diabolicis artibus adscribi, atque ex commercio diabolico perpetrari existimari, quæ naturales causas habent; aut certè non nisi phantastica & illusoria sunt hominum figmenta.

Imò nonnumquam dæmon suis prostigiis homines, præsertim mulierculas ita movere, aut earum phantasiam turbare potest, ut reverà credant se, nescio quæ, cum dæmone commercia habere, atq; de his interrogatæ etiam fateantur & ex ordine etiam cum quadam certitudine, ut ipsis apparet, deponant, mira sibi obvenisse, atq; cum dæmone tractasse, quorum tamen nihil subest: quam in rem videre licet *Canonem 22. caus. 26. q. 5.* Videri etiam possunt quæ habent Abulensis in *Cap. 13. Genesis q. 354.* & Cajetanus in *2. 2. q. 95. art. 3.* apparebitq; quòd non rarò fallantur mulieres quæ credunt, & pro indubitato asserunt, se ope dæmonis ad certum conventuum sagarum translatas fuisse, atque mira cum dæmone gessisse & loquutas fuisse. Quin & admodùm verisimile est, translationes illas ad sagarum conventus esse meras dæmonis illusiones, & mulierculam vehementes imaginationes: neq; iis fidem esse adhibendam, nisi de earum veritate ex certis argumentis constiterit.

A pluribus jam pridem observatum & notatum fuit, quòd illis in locis, ubi sagæ aliquo numero trahuntur ad judicia, & veluti tales condemnantur, ordinariè plures aliæ mulieres sibi persuadeant, quòd & ipsæ sint sagæ; forti nimirum imaginatione, ex illis quæ de sagis audiunt cerebrũ suum ita occupant, ut sibi persuadeant se quoq; illa, aut fecisse aut passas esse, de quibus priores fuerant accusatæ. Et hinc fit, ut per ejusmodi inquisitionem, sagarum, ut creduntur, numerus mirè multiplicetur: & ex adverso, ubi de sagis non fit per judices inquisitio, pauciores inveniantur de hoc crimine suspectæ.

LIV. Quamvis crimen sortilegii hodie ferè sit cognitionis judicis Sæcularis, atq; ad judicem Sæcularem ejus punitio spectet; nihilominus certum est, Episcopos & Pastores non tantùm posse, sed & teneri de hoc crimine, omniq; superstitione inquirere, sollicitèq; examinare omnia, quæ aliquam superstitionis speciem præferunt, populumq; sibi creditum solicitè instruere, in quo hujus criminis & superstitionis malitia consistat; & quàm periculosum sit, in morbis aliisq; adversitatibus ad hæc remedia superstitiosa, quibus diabolus se immiscet, recurrere.

Unde Rex noster in Litteris 20. Junii anni 1592. ad Episcopos & Concilia Regia missis (quarum suprà mentio facta est) postquam retulit, quomodo ea quibus malefici & sortilegi utuntur, & hominibus imponunt, sint meræ fraudes dæmonis, vult, ut Prælati Ecclesiastici indilatè injungunt Pastoribus & Concionatoribus, ut moneant diligenter & frequenter populum, ut hujusmodi impostores & illusores, tamquam vera diaboli instrumenta fugiant; unà admonentes, ut hoc crimen horreant & detestentur tamquam à Deo pariter & hominibus vetitum. Verba Litterarum sunt: *Scavoir est que les Prelats Ecclesiastiques ordonnent incontinent aux Pasteurs & Prædicateurs chacun en son Diocese, de preadvertir & admonester diligemment, & souvent le peuple de soy garder de tels abuseurs, imposteurs, trompeurs, comme vrais instrumens diaboliques, commettans ces impietes & abominations par secrete assistence des malins esprits contre Dieu, & leur prochains, les admonestans & commandans aussi d'avoir en horreur & detestation tels meschans pechés condemnés en premier de Dieu, & apres des hommes procedans seulement, comme dict est, de l'invention du diable, ennemy commun du genre humain, a quelq. couleur qu'il se soit, de Divination, Magie, Mathematicq; Astrologie, Prognostication, Physiognomie, Negromantie, Chiromantie, ou autres tel tres tant specieux que puissent estre: procedant cecy en grande partie de la suite & effect de tant d'heresies, & faulses doctrines, & d'apostasies pullulantes par tout.* Id est: Videlicet ut Prælati Ecclesiastici (quilibet in sua Diœcesi) indilatè Pastoribus & Concionatoribus injungant, ut frequenter & sedulo denuncient & populum commoneant, quo sibi à talibus veteratoribus, impostoribus & deceptoribus tanquam diaboli verè ministris caveant; has impietates & abominationes committentibus, per occultam operationem malignorum spirituum adversus Deum & proximum, utq; insuper horreant & detestentur enormia talia peccata ut à Deo primò & ab hominibus reprobata, quæ non nisi ex inventione diaboli (ut dictum est) ortum habent universi generis humani inimico, quocumq; obtectu fiant, divinationes, Magiæ, Mathematices, Astrologiæ, Prognostici, physiognomiæ Necromantiæ, Chiromantiæ, aut alio demum quocumq; titulo quamlibet speciose: his omnibus pro magna parte ortum ducentibus tanquã sequelis & effectis ex tot hæresibus perversis dogmatibus, & apostasiis quaqua enascentibus.

LV. Refert Martinus Delrio *lib. 3. Disquisit. Magic. parte 2. q. 4. sect. 7.* formulam verborum inter milites Hispanos suo tempore usitatam, „quâ quidam *Salutatores*, ut ferunt, (ait Delrio) sanctè viventes, & omnes *gratis* curantes, cum „sola impositione linteorum, & certorum verborum recitatione utuntur.„

Addit dein Delrio, super hac formula motam fuisse Ipris quæstionem, maximè, quia nullum naturale medicamentũ accedebat; ac post examẽ de ea institutum, Episcopus Iprensis ejusq; Consiliarii, totam curationem hanc judicárunt superstitiosam & illicitã, & prohibuerunt ne quis eâ uteretur.

Dicit ibidem Delriò, quòd multis hæc damnatio injusta visa sit; *sed* [ait ipse] *immeritò.* Rationes subjungit: „Nam „hic effectus totus expectatur à Deo per modum miraculi, „Sed miracula sic assiduè & quasi ex consuetudine poscere, „est Deum tentare. Deinde sancti viri, ad miracula edenda, „non sunt usi certis, & quasi conceptis verborum formulis; sed modò sic, modò aliter, prout Spiritus Sanctus suggerebat. Tertiò sanctitas hujus, non satis probata: sit enim plerúmque ut malefici præclarè, specie externa, sanctitatem mentiantur: neque in hac re milites satis idonei „judices: quibus sancti videntur, qui extrinsecus peccata gravia

„gravia non produnt. Quartò, qui donum sanationum à „Deo acceperunt, illi numquam accipiunt cum conditio„ne, ut talibus vel talibus utantur verbis: sed tales commen„titiæ formulæ sunt indicia pacti saltem latentis. Quintò, „non licèt privatis comminisci formulas, quas nec sacræ lit„teræ, nec Ecclesiasticus usus approbavit, qualis est ista.„

LVI. Si simile examen ab Episcopis & Pastoribus instituere tur super observationibus & verborum formulis, quæ hodie ad sanationem tam hominum, quàm jumentorum, aut frugum conservationē adhibentur, non dubium, quin non paucas reperirent, non minùs quàm prædictam curationis formam superstitiosas & illicitas; maximè si non tam attenderent inveteratum harum observationum usum, sed potius abusum, quam regulas à Synodis propositas & probatas; neq; multitudinem, quæ iis sine ullo examine utitur sequerentur: nec omnes passim observantias aut ritus qui nonnūquam dormientibus Pastoribus in aliquibus Ecclesiis tamquam zizania succreverunt, & profundas radices jecerunt, reputarent pro praxi aut ritibus Ecclesiæ Catholicæ.

LVII. Præcipuè autem attendere debent Pastores & allaborandum erit circa observantias, è quibus non tantum populus sperat conservationem aut recuperationem rerum temporalium, aut vitæ humanæ, sed insuper emolumentū aliquod in Ecclesiasticos, aut eorum Ecclesias, vel communitates ex iis redundat. Incredibile enim est, quàm facilè similes observantiæ etiam evidenter superstitiosæ invalescant; & cum invaluerint, quam difficulter aboleri queant.

Dum similium observationum abolitio tentatur, imo vel in quæstionē deducitur, mox clamores in populo excitantur, quasi ipse Religiosus Sanctorum, vel imaginum aut reliquiarum cultus, aut probatus ab Ecclesia ritus abolendi essent: nihilq; nisi zelus avitæ religionis retinendæ auditur, & auribus popularibus inclamatur; quibus excitatus populus clamat non secus atq; clamabat Asiæ populus: *Magna Diana Ephesiorum*, excitatus à Demetrio & sociis ejus, specie venerationis in *Dianam* ejusve templum, sed reipsa, quia *Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum: quos convocans* [ait sacer Textus] *& eos qui hujusmodi erant opifices, dixit. Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio.*

Si attendas genuina motiva eorū, qui maximè solent populu contra abolitionem harum observationum, & adversus Episcopos & Pastores earum abolitionē meditantes excitare, indubiè patebit, eos non absimili motivo duci, quo Demetrius ejusq; socii pro conservatione venerationis *Dianæ* ejusq; templi contra Paulum & Apostolos seditionem excitabant: *Quia de hoc artificio est nobis acquisitio.*

LVIII. Opportunum erit ostendere populo, quod non sit adhibenda fides observationibus tametsi nonnumquam ex iis sequantur effectus sperati: quia etiam Deus permittit, ut dæmones iis abutantur, & hominibus mediantibus superstitiosis observationibus prosperi aliquid succedat; aut aliqua innotescant, in pœnam nimii erga res temporales affectus, aut curiositatis futura aut incognita sciendi: quo Dei justo judicio homines amplius implicari dæmoniacis hisce superstitionibus contingit.

Apud Gratianum *cauf. 26. q. 5. Can. 14.* sub nomine Augustini refertur: „Si autem aliquis mihi opponit, & dicit quo„modo eveniunt illa, quæ illi divini prædicant futura; aut „quomodo ægris possunt præbere medelam, aut sanis im„mittere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis ac pote„statis non habent; hoc à me recipiat responsum: quod ideo „quisq; non debet eis credere, quia aliquando eveniunt „quæ prædicunt, aut sanare videntur languidos, aut lædere „sanos, quia hoc permissu Dei fit, ut ipsi, qui hæc audiunt, „vel vident, probentur, & appareat, quā fide sint, vel devo„tione erga Deum.„

Eamdem quæstionem versans S. Augustinus *lib. 5. q. in Deuteronomii cap. 19.* dicit: „Nec præter suam potestatem „Deus ostendit esse, quòd ista contingunt: sed quasi quæ„reretur, cur ea permittat, causam tentationis exposuit, ad „cognoscendam utiq; eorum dilectionem, utrùm eam ha„beant erga Deum suum, cognoscendam verò ab ipsis [illegible] „tiùs, quam ab illo qui scit omnia antequam fiant.„

Extat similiter apud Gratianum in citato *Canone 14.*

Quomodo dæmones possint nonnumquam ex [illegible] circumstantiis sibi notis naturaliter aliqua futura præd[illegible] re; aut etiam nonnulla in hominibus aut aliis rebus [illegible] nis causare, nec tamen iis propterea credendum aut c[illegible] dendum sit, ipsiq; frequentissimè fallantur & fallan[illegible] dit Augustinus toto libro *de Divinatione Dæmonum.*

LIX. Inter cætera (inquit Pastorale Mechliniense) qu[illegible] Christus Ecclesiam suam sponsam ornavit, est potestas [illegible] ciendi dæmonem è corporibus hominum, ejusq; vim [illegible] iam reprimendi, juxta illud Luc. 19. *Ecce dedi vobis pot[illegible] tem calcandi supra serpentes & scorpiones & super om[illegible] virtutem inimici.*

Antiquum esse ritum, & in Ecclesia usitatum adhibe[illegible] exorcismos probat Exorcistatum in Ecclesia usitatus Ord[illegible] tio; quibus in ipsa Ordinatione liber exorcismorum tr[illegible] tur, & jam pridem traditus fuit, ut colligitur ex *Can. 7.* C[illegible] cilii Carthaginensis IV.

Sed ne in hos ritus, uti & in alias Ecclesiæ cæremonias [illegible] prætextu religionis superstitio se immiscerat, admodum [illegible] licitè invigilare tenentur Episcopi.

Hac de causa Synodus Tridentina in Decreto *de Obs[illegible] vandis & Evitandis in celebratione Missæ* expressè, „dec[illegible] „nit, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere „atq; è medio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ *su„perstitio*, veræ pietatis falsa imitatrix, induxit.„

Et inter alia nominatim vult, ut, „quarumdam Missarum „& candelarum *certum* numerum, qui magis à superstitio„so cultu, quàm à vera religione, inventus est, omnino [illegible] „Ecclesia removeant.„

Similiter mandat Episcopis, ut, „omnis superstitio, in San„ctorum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imagi„num sacro usu tollatur.„ Decreto *de Invocatione Sanct„orum.*

LX. Ne igitur prætextu exorcismorum & benedictionum invalescat superstitio, atq; Sacerdotum aut Exorcistarum imperitia aut cupiditas iis ad superstitionem abutat[illegible] imprimis passim in Synodis & Ritualibus decretum est, [illegible] nemo utatur aliis exorcismis, quàm ab Ordinario approba[illegible] tis; uti loquitur Synodus Mechliniensis P. II. *tit. 5.*

Monet Pastorale Mechliniense conformiter ad Rituale Romanum, „Non temerè credat Exorcista, aliquem esse ob„sessum aut maleficiatum, neq; facilè adhibeat exorcismos „nisi ex signis, prudentū Medicorum, suo, aliorumq; Docto„rum judicio examinatis, moraliter constet esse energu„menum aut maleficiatum.„ Quæ sint hæc signa, satè p[illegible] „Rituale Romanum exponit Pastorale Mechliniense: qu[illegible] tamen signa prudenter & maturè expendenda sunt.

Addit Pastorale Mechliniense verbis supra relatis: „Mul„tò minùs morbos hominum, animalium, aut damna pos„sessionibus obvenientia, statim incantationibus aut male„ficiis attribuet; aut homines id ordinariè existimantes, [illegible] „ista opinione relinquet, multò minùs confirmabit.„

Admodum prudenter præcipit Pastorale Mechliniense im„pressū anno 1598. sub Hovio, ut, „seriò instruantur quorum „vaccæ vel alia jumenta vexantur incantationibus, ne ea[illegible] „quam imputent, neq; suspicentur vicinos vel alios homi„nes id fecisse, qui fortè sunt innocentissimi; nec aures præ„beant vanis hominum promissionibus, qui ineptis & „fallacissimis indiciis nituntur deprehendere an mulier [illegible] „vel alia sit incantatrix, &c. Per quas observationes diaboli„illusionibus exponūtur qui talibus fidunt; & iniquis suspi„cionibus capiuntur erga homines sæpe innoxios, cum gra„vi injuria proximi, & suarum animarum detrimento. E[illegible] „ob id diabolus sæpe talia vel suggerit, vel per alios homi„nes malos suggeri procurat, additis aliquādo indiciis, qui„bus suspicionē augeat, quā præ damni dolore qui tempo„ralibus plus satis addicti sunt, ægrè sibi patiuntur eximi.„

Valde frequentes hodie esse has leves suspiciones notum est; ut proinde meritò sint soliciti Pastores, ut conformiter

id

ad hoc monitum Pastoralis, sæpius populum ea de re moneneant, invigilentq; ne subinde nonnulli etiam Ecclesiastici, qui ex exorcismis commoda sibi aut suis famulis quærunt, populum ad similes suspiciones incitent; aut occasionem præbeant populo imputandi morbos aut infortunia maleficiis, quæ revera naturaliter acciderunt.

Et sanè citatum Pastorale Hovii deplorat, quòd „ut olim „fuerunt, qui hanc exorcizandi potestatem infeliciter usur„parent; quemadmodum legitur in Actis Apostolorum c. „19. de filiis Scevæ Judæis; ita etiam hodie multi invenion„tur, qui vel cupiditate, vel alia quavis temeritate aut igno„rantia ducti, sumunt quidem sibi audacter officium exor„cizandi, sed non cum eo fructu, qui inde sperari posset, si „graviter & cum debita pietate negotium tractaretur.„

Hinc in multis Synodis statutum est, ne quis tametsi Ordinem Exorcistarum, imò Sacerdotii susceperit, exorcizare possit, nisi specialem habeat ab Ordinario licentiam. „Nullus omninò exorcizare præsumat (ait Synodus P. II. Mechl. „*tit. 15. c. 4.*) sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta. „ Idipsum passim in aliis Synodis occurrit.

Quomodo Exorcista se per pietatis exercitia, præsertim jejunium & orationem præparare debeat, ut cum dæmone certare feliciter queat, & quæ in ipsa exorcizatione cavere & observare debeat, latè exponit Rituale Romanum, quod sequitur Pastorale Mechliniense.

CAPUT IV.

De Crimine adulterii, lenocinii, stupri, raptûs, concubinatûs, & fornicationis.

1 Quid sit adulterium & quotuplex. (crimina.
2 Crimen adulterii Scriptura Sacra reputat inter gravissima
3 Imperatores Romani similiter atrocissimis criminibus annumerârunt. [ostendunt.
4 Pœna contra adulteros decreta atrocitatem criminis
5 Justinianus Imperator supposuit pœnam mortis in adulteros decrevisse Constantinum M.
6 Justinianus quoad mulieres adulteras pœnam mitigavit.
7 Apud Romanos viri adulteri mitiùs puniti quàm mulieres adulteræ; inde tamen non sequitur, levius fuisse illorum quàm harum crimen.
8 Idipsum ostendunt Ambrosius & Hieronymus.
9 Ex Canonibus Pœnitentialibus ostenditur atrocitas istius criminis. (siasticum.
10 Canonistæ jam pridem crediderunt hoc crimen esse Eccle-
11 Hæc opinio Canonistarum sæculo 14. etiam in Gallia recepta est. [culare.
12 Sensim crimen hoc in Gallia devolutum est ad forum se-
13 Manet tamen Ecclesiasticũ si agatur de separatione thori.
14 Hæc praxis Galliæ non dissonat à Concordatis Brabantiæ.
15 Eadem videtur praxis Flandriæ ex Damhoudero.
16 Deplorat Damhouderus crimen hoc nimis leviter puniri.
17 Idipsum deplorat Zypæus, & quæ hodie soleat esse pœna adulterorum. (Constitutione Justiniani.
18 In Gallia adulteræ sæpius punitæ pœna juris expressâ in
19 Eadem pœna obtinet in Sabaudia.
20 Non facilè permittendum ut ad Monasteria Monialium tamquam carceres retrudantur adulteræ, & quare.
21 In Gallia pœna adulterorum aliquando est capitalis pro ratione circumstantiarum. (vantia.
22 In Belgio non eadem videtur esse in omnibus locis obser-
23 Mariti interdum ob adulteria uxorum puniendi.
24 Maritus interdum committit crimen Lenocinii ob adulterium uxoris.
25 Quid sit Lenocinium.
26 Detestabile semper habitum hoc crimen. [Lenocinii.
27 An maritus dissimulans adulteriũ uxoris semper sit reus
28 Quis de hoc crimine Lenocinii cognoscat juxta Concordata Brabantiæ.
29 Quæ sit differentia inter adulterium & stuprum.
30 Quid sit propriè stuprum.
31 Pœna stupri de Jure Civili. (posita.
32 Quæ pœnitentia pro stupro per Canones pœnitentiales im-
33 Quoad forum externum pœna civilis contra stuprum Jure Canonico mitigata.
34 Videtur hæc mitigatio originem habere ex Lege Mosaica.
35 Pœna stupri Jure Canonico & Lege Mosaica expressa qualiter hodie in foro Ecclesiastico recepta.
36 Stuprator tenetur alere prolem & quandonam mulieri asserenti hunc illumve esse stupratorem, credatur.
37 Stuprum virginis nondum viripotentis morte punitur.
38 Stuprũ tutoris cum puella extraordinariâ pœnâ punitur.
39 Custos carceris stuprum committens in captivam pœnâ mortis plectitur.
40 Ex eadem ratione directores & directrices puerorum ipsos corrumpentes graviter puniendi. (abutuntur.
41 Gravissimâ pœnâ digni Sacerdotes qui suis Pœnitentibus
42 Pœna stupri violenti an de jure capitalis? (guatur.
43 Raptus propriè dictus à stupro violento quomodo distin-
44 Ex tabulis Legum Brabantiæ pœna stupri violenti est pœna atrocissima: hodie fere pœna gladii. [monium.
45 An actio criminalis raptus cesset post contractum Matri-
46 Quamvis matrimonia non facilè turbanda prætextu adulterii interdum tamen ex officio agere potest Fiscus contra adulteros. [missivè.
47 De raptu ut constituit impedimentum matrimonii re-
48 Quid sit incestus & inter quos committatur? (tentiales
49 Quæ pœnitentia imposita incestuosis per Canones Pœni-
50 Varia est pœnâ incestûs in foro externo pro varietate ipsius incestus.
51 Crimen incestûs ex Concordatis Brabantiæ est mixti fori.
52 Similiter crimen concubinatûs notorii.
53 Concubinatus semper ab Ecclesia reputatus ut illicitus.
54 Leges concubinatum permittentes jam pridem per Leonem Imperatorem reprobatæ. (batum.
55 Supponit Imperator concubinatum jure Divino esse repro-
56 Sanctus Augustinus concubinatum tamquam concubitum reprobatum describit. [peccatum.
57 Synodus Tridentina concubinatum declaravit esse grave
58 Juxta Correctores Romanos vera uxor minùs solemniter ducta olim aliquando vocabatur concubina.
59 Idipsum insinuat Gratianus. [sidori.
60 Canon à Gratiano relatus sub nomine S. Isidori non est I-
61 Scriptura Sacra veram uxorem subinde vocat concubinã.
62 Qualiter à concubina distinguatur meretrix ut vulgè dicitur.
63 Simplicem fornicationem esse grave peccatum ostendit Sacer Textus.
64 Idipsum ostenditur ex sancto Augustino. (sium.
65 Idipsum probat S. Chrysostomus, & alius apud S. Ambro-
66 Item Canones Pœnitentiales.
67 Episcopi & Pastores allaborare debent ut eliminentur omnia quæ ad hoc peccatum allicere possunt.
68 Peccatum carnis quandonam habeat rationem sacrilegii.
69 Quæ pœna Clericorum in hoc crimen incidentium?

I. ADulterium dicitur copula carnalis inter personas non conjuges, quarum saltem altera est matrimonio juncta alteri tertiæ.

Hinc facilè intelligi potest, esse quasi triplicem adulterii speciem: unam nimirùm conjugati cum conjugata; ita ut sit adulterium ex parte utriusq;. Secundam mulieris conjugatæ cum aliquo non conjugato. Tertiam deniq; viri conjugati cum muliere soluta.

II. Crimen adulterii, sive jus Divinum, sive humanum seu Civile seu Ecclesiasticum spectemus, semper inter gravissima & atrocissima crimina reputatum fuit.

Narratur Genesis c. 26. quòd cùm Abimelech Rex Palestinorum cognovisset, Rebeccam esse uxorem Isaac, dixerit ad Isaac: *Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos* GRANDE PECCATUM. Additq; Sacer Textus: *Præcipitque omni populo dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorẽ, morte morietur.*

Hinc

Digitized by Google

Hinc apparet, etiam ipsos Gentiles, qualis erat Abimelech, solo naturæ lumine judicasse, adulterium esse *grande* peccatum; etiam *morte* puniendum.

Gravitatem criminis ostendit Deus, dum Levitici *c.* 20. declaravit: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur & mœchus & adultera.* Hanc legem rursus renovavit Deus Deuteron. *c.* 22. *Si dormiverit vir cum uxore alterius, uterq; moriatur, id est, adulter & adultera, & auferes malum de Israël,*

III. Conformiter ad legem naturalem & Divinam, inter atrocissima ac immanissima crimina jam pridè à Principibus & Imperatoribus repositum fuit adulterium in *Lege 7. Cod. Theod. de Remiss. crim.* Unde & adulteri unà cū atrocissimorum criminū reis excludebantur ab indulgentia *Paschali*, id est, indulgentiâ quæ minorū criminū reis ob festum Paschæ dari solebat; uti patet ex citata *lege 7.* & aliis sub eodē titulo; & latè exponit Jacobus Gothofredus ad eundem titulum.

Similiter ob criminis atrocitatem, adulteris legitimè convictis aut confessis, appellare non licuit *L. 1. Cod. Theod. Quorum appell. non recip.* ipsumq; adulterium ibidem numeratur inter crimina quæ *atrocissima crimina sunt.*

Quin & ipse Ulpianus Jurisconsultus Gentilis adulterium vocat *probrum & opprobrium naturæ* in *L. 42. ff. De V. S.* dicitque *natura turpe* esse.

IV. Atrocitas pœnæ jam pridem in addulteros decretæ, ipsam quoque criminis atrocitatem ostendit.

In *Lege 4. Cod. Theod. Quorum appell. non recipiantur* refertur rescriptum Constantii Imp. de anno 339. quo rescribit, quod „pari similiq; ratione sacrilegos nuptiarum, tam„ quam manifestos *parricidas, insuere culeo vivos*, vel *exurere*, Judicantem oporteat.„

V. Extat & Constitutio Constantini M. in *L. 30. Cod. ad Legem Juliam de adulteriis*, in cujus fine dicitur: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Sed cùm eadem hæc Constitutio referatur in *L. 2. Cod. Theod. eod. tit.* sine hoc additamento, credunt nonnulli, id à Triboniano ex citato rescripto Constantii huic Constitutioni esse adjectum.

Quidquid sit, de eo sat convenit inter Interpretes, Justinianum in *Novella* 134. *c.* 10. supposuisse Constantinum pœnam mortis in reos adulterii decrevisse; quam quoad viros adulteros retineri vult Justinianus.

VI. Quoad mulieres autem adulteras pœnâ illâ mitigatâ; voluit, „adulteram competentibus vulneribus subactam, in „monasterium mitti: & si quidem intra biennium recipere „eam vir suus voluerit, potestatem ei damus hoc facere & „copulari ei, nullum periculum ex hoc metuens: & nullatenus propter ea quæ in medio tempore facta sunt, nuptias „lædi. Si verò prædictum tempus transiverit, aut vir, priusquam recipiat mulierem, moriatur, tonderi eam, & monachicum habitum accipere, & habitare in ipso monasterio in omni propriæ vitæ tempore.„

Ex his conflata est Authentica *Sed hodie* subjecta citatæ *legi* 30 Hinc quoque patet, mitius cum adultera muliere, quam viro adultero agi, uti ad hanc Novellam notavit Dionysius Gothofredus.

VII. Verùm jam pridem apud Romanos ob quasdam rationes politicas severius punita fuisse adulteria mulierum, quàm virorum certum est: atq; hinc nonnullos etiam Christianos voluisse, minora esse peccata virorum, quàm mulierum adulteria, testis est Augustinus *lib.* 2. *De Adulterinis conjugiis c.* 8. ubi adulteros quosdam introducit ita loquentes. „An verò sexus nostri dignitas hanc sustinebit injuriā, „ut cum aliis fœminis præter uxores nostras si quid admittimus, in luendis pœnis mulieribus comparemur? His respondet Augustinus: „Quasi non propterea magis debeant „illicitas concupiscentias viriliter frænare, quia viri sunt: „quasi non propterea magis debeant mulieribus suis ad „virtutis hujus exemplum se præbere, quia viri sunt: quasi „non propterea minus debeant à libidine superari, quia viri sunt: quasi non propterea minus debeant lascivienti „carni servire, quia viri sunt? Et tamen indignantur, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas; cū tantò gravius eos puniri oportuerit, quantò magis „ad eos pertinet & virtute vincere & exemplo regere fœminas.....Sed isti quibus displicet ut inter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur, & potius eligunt marime q; in hac causa, mundi legibus subditi esse quam Christi, quoniam jura *forensia* non eisdem quibus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere.

Multis ibidem exaggerat Augustinus gravitatem adulterii in viris; ostenditq; falsò sibi persuadere maritos, leviora sua esse, quàm uxorum adulteria.

VIII. Et Ambrosius *lib.* 1. *De Abraham c.* 4. apud Gratianum *Caus.* 32. *q.* 4. *Can.* 4. „Nemo blandiatur sibi de *legibus* „*hominum.* Omne stuprum adulterium est; nec viro licet, „quod mulieri non licet. Eadem à viro, quæ ab uxore debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, commissum fuerit, adulterii crimine damnatur.„

Et ibidem apud Gratianum *q.* 5. *Can.* 20. S. Hieronymus: „Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, „& eadem servitus pari conditione censetur.„ Adde quæ in hanc rem dicta sunt *parte* 2. *tit.* 15. *c.* 2.

Hæc & hodie non inutiliter subinde à Parochis coram populo dicuntur: quia & hoc tempore, quibusdam persuasum apparet, leviora esse virorum, quàm mulierū adulteria.

IX. Quàm atrox hoc adulterii crimen reputaverit Ecclesia, colligi poterit ex Canonibus pœnitentialibus, quibus plurium annorum pœnitentia viris tametsi semel tantummodo lapsis imponebatur. Unde antiquiores Canones omittam, in Canonibus à S. Carolo in ordinem redactis, & singulis Decalogi præceptis accommodatis dicitur: „Si quis „maritus semel lapsus est, pœnitentiam aget annis quinq; „Si sæpius mœchatus est, in fine mortis est conveniendus: „siq; promiserit se cessaturum dabitur ei communio. „Id est, in fine vitæ reconciliatio dabitur. Communio enim hic juxta antiquorum phrasim pro reconciliatione, non pro comunione Eucharistica sumitur. Imò uti Cardinalis Bona notat *lib.* 1. *Rerum Liturg. c.* 17. *n.* 1. inter crimina quibus olim in quibusdam saltem Ecclesiis negata fuit absolutio in fine vitæ, numerabatur adulterium.

Hæc Canonum pœnitentialium notitia serviet iis, qui foro pœnitentiali præsunt, ut adulteris ex pœnitentiarum diuturnitate olim à Patribus decreta, ostendatur criminis enormitas; ut ipsi pro personarum, temporum & criminum qualitate pœnitentias convenientes imponant, quemadmodum *parte* 2. *tit.* 6. *c.* 4. ostendi.

X. Crimen adulterii esse delictum Ecclesiasticum, communiter docent Canonistæ ad *C.* 1. *De Officio Ordinarii*, ubi sub nomine Synodi Joannis Papæ, quæ creditur celebrata apud Trecas in Gallia anno 872. dicitur, ut „habeant Episcopi singularum urbium in suis Diœcesibus liberam potestatem adulteria & scelera inquirere, ulcisci & judicare secundū quod canones censent absq; impedimēto alicujus.

XI. Hic Glossographus notavit crimina enumerata, ac nominatim crimen adulterii esse de criminibus *Ecclesiasticis*; eamq; opinionem receptam fuisse tempore Petri Cugnerii patet ex *art.* 39. ex parte Baronum Regni Galliæ contra Prælatos Anno 1329. proposito. „Item dicti Officiales „faciunt citari aliquem bonum hominem conjugatum, & „imponunt ei quòd adulteratus est cum aliqua: & similiter „mulierem aliquam conjugatam imponendo sibi quòd adulterata est, in perpetuam infamiam ipsorum conjugum, „& cum hoc extorsionem pecuniarum recipiunt ab eisdem. Huic articulo responsum fuit à Bertrando Episcopo Eduensi: „Ad 39. [articulum] qui loquitur de adulteriis quæ laicis per Officiales imponuntur: dicit quòd nunquam talia „faciunt, prout loquitur articulus memoratus, neque fieri „debent talia, nisi super factis notoriis, vel manifestis, aut „ubi tales, contra quos proceditur, essent publicè diffamati, seu in aliis casibus à Jure permissis, & nihilominus parati erant Prælati præcipere suis, quòd aliàs in talibus nullo modo procedant.„

Ex his sat manifestum est, Prælatos haud dubitasse, quin cogni-

cognitio de crimine adulterii spectaret ad Officiales, possentque ratione hujusmodi notorii criminis etiam laici coram Officialibus citari, neque id negasse Barones; sed tantùm hos conquestos fuisse, falsò imponi innocentibus & bonis conjugatis hujusmodi crimen cum summa eorum infamatione, & pecuniarum extorsione.

XII. At verò lapsu temporis crimen hoc in Gallia ad tribunal laicum revocatum est; refertque Ægidius Magister in Tractatu De Appellat. *cap. 6.* antiquum arrestum vulgò De *Uxoratis scortatoribus* per recentiora arresta renovatum esse; atque hisce arrestis inhibitum fuisse Episcopis & Archidiaconis, citare laicos in materia adulterii coram suis Officialibus. Eisdem arrestis indicatis concludit quoque Rousselius *lib. 6 Jurisd. Pontif. cap. 4. numer. 28.* „Ergo de crimine „adulterii judicat laica Curia: licet ejus criminis pœna sit ar„bitraria.

XIII. Si tamen non criminaliter seu ad pœnam propriè agatur, sed ad solam separationem thori, cognitio erit judicis Ecclesiastici, quemadmodum notavit Glossa Pragmatica *titul. De Concubinariis*, §. *Et cum omnes*, verbo *Pertinet.*

XIV. Id non omnino dissonat à Concordatis Brabantiæ quæ *tit. 9. art. fin.* statuunt: „De crimine adulterii, cognoscet „Judex Ecclesiasticus, ubi cognovit de separatione matrimo„nii, quoad thorum, propter adulterium, & in locis, ubi habet „Synodos, & scabinos synodales hoc salvo, quod scabini non „poterunt denuntiare nisi notorios adulteros, nec poterit Ju„dex Ecclesiasticus procedere contra alios, quam contra de„nuntiatos per scabinos Synodales, vel per alterum conjugum, „in locis ubi consuevit de adulterio cognoscere: ubi vero non „habet scabinos synodales, consuevit tamen cognoscere uter„que de adulterio notorio, vel ad requisitionem alterius „conjugum, cognoscet, & non alias, eritque præventioni „locus.

XV. Judocus Damhouderus in Praxi rerum criminalium *cap. 91. num. 17.* notat, quod „Judices Ecclesiastici adulterii „notitiam & punitionem sibi peculiariter reservent & vin„dicent Curiæ spirituales & Jura Canonica: quia hoc adul„terium directè concernit & spectat ad Ecclesiam, aut ad vio„lationem Sacramenti Matrimonii. „Deinde adjungit: „Ju„dices sæculares nihilominus sæpè adulterii examinationem, „& punitionem assumunt: non tanquam curiæ spirituali præ„judicantes, quasi de Sacramentis & causis spiritualibus „quicquam judicantes: quum ea tantùm faciant, non Sacra„menti violati gratia, sed ipsius personæ causâ, quæ propha„na est, & non spiritualis: ideoque ipsorum foro habilis est, & „subjecta.

Hic sat insinuat Damhouderus, Judices sæculares contra laicos cognoscere de *adulterio*, quando non de Sacramento seu separatione Matrimonii, sed de pœna infligenda tractatur.

XVI. Hoc non immerito deplorat ibidem Damhouderus, quod ubi olim adulteria Deo jubente, ac legibus Romanis postmodum probantibus fuerunt *morte* punita, „hoc infeli„cissimo sæculo apud quosdam Judices tam parvi fiant adul„teria, ut quasi parum ipsis insit sceleris, & quasi peccata sint „leviuscula ob hoc solum quod sint frequentia, & à multis ci„tra conscientiæ stimulum perpetrata. Ideoque vel levius „adulteria puniunt, forsan etiam, quod ipsi eo aliquando con„taminati sunt.

XVII. Conqueritur quoque Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. ad Legem Juliam De Adulteriis num. 7.* „Crimen „hoc adulterii *nimis molliter* puniri: pecuniariis plerumque „mulctis, quandoque expositione in theatro ad ignominiam, „inductione infami per plateam, processione in lineo indusio, „& delata ad templum candela, adulteræ veste supra genua „præcisa, ad subsannationem, aut simili arbitraria.

XVIII. Eamdem esse in Gallia usitatissimam adulterii pœnam testatur Boërius *Decis. 279.* idque ut apparet, desumptum est ex Glossa ad *Can. 5. caus. 32. qu. 1.* Refert tamen Paponius *lib. 22. arrest. tit. 9.* adulteras sæpius fuisse condemnatas ad pœnam juris expressam in *Authentica* SED HODIE *Cod. De Adulteriis*, cujus supra meminimus.

XIX. Dicit Antonius Faber in Codice *lib. 9. tit. 7. Definit. 2.* in Sabaudia adulteras puniri pœnâ juris expressâ in citata Authentica *Sed hodie*; ubi rectè notat, quod si Monasterium non nisi honestis, Deoque sacris virginibus includendis sit destinatum, cogi nequeat ad adulteram recipiendam, nisi ab initio in eam rem constitutum sit, cujusmodi Monasteria pleraque apud Italos, nulla apud nos, ait Faber.

XX. Et sanè admodum inconveniens & periculosum est, ejusmodi adulteras, aliove carnali concubitu corruptas ad Monasteria aut honestarum virginum consortium admittere propter periculum infectionis: neque Superiores facilè etiam intuitu lucri temporalis in similium receptionem consentire debent: sed potius allaborare, ut loca specialiter ad simile hominum genus collocandum, & recludendum exstruantur; iisque de bonis Directoribus & Directricibus provideatur: quale hodie in civitate Bruxellensi satis amplum & famosum habetur.

XXI. Nonnumquam adulteros ob speciales circumstantias concurrentes fuisse etiam pœna mortis punitos testatur Paponius loco citato: ut proinde appareat, pœnam adulterii esse quasi arbitrariam pro casuum & circumstantiarum varietate, quæ crimen vel aggravant, vel alleviant: quod etiam ex Paponio observat Petrus Tholosanus in Syntagmate *lib. 35. cap. 6. num. 38.*

XXII. In Belgio non eamdem esse Provinciarum consuetudinem indicarunt Concilia Regia, dum in promulgatione Concilii Tridentini hic ageretur. Nam teste Anselmo in suo Triboniano Belg. *cap. 32. §. 34.* circa *cap. 8. Sess. 24. De Reform. Matrim.* quo adulteros & concubinarios contumaces excommunicandos, & extra Diœcesim ejiciendos statuitur, notatum fuit: „Uti variant Provinciarum consuetudines, ita „& censuræ. Brabantus videtur sufficere pœna Juris Cano„nici, & contra Laicos Juris scripti. Hanones ad Concorda„ta sua provocant, Namurani Laicos à Laicis puniendos, „Clericos à judicibus Ecclesiasticis. Arthesii & Ultrajectini „notant ejectionem adulterorum extra oppidum & Diœce„sim sapere relegationem, quæ non competat in Belgio pote„stati Ecclesiasticæ. Alii indicant præventioni locum esse „inter Judicem Ecclesiasticum & sæcularem. In summa Con„cordata & consuetudines vetustas prævalere debere quoli„bet in loco.

XXIII. Mariti non tantùm ob propria adulteria puniendi; sed interdum etiam ob adulteria uxorum. „Maritus enim „(ait Damhouderus *cap. 92.*) qui sciens volensque dissimu„lat, & permittit uxorem adulterari, ita ut nec verbis, nec „re ulla illi adulteranti obsistat, nec ipsam ab adulterio retra„hat, vel nec ipsam à se dimoveat, is ob uxoris adulterii dissi„mulationem damnandus est exilio, aut alia simili pœna arbi„traria Judicis.

XXIV. Multò magis his pœnis aut acrioribus pœnis est condemnandus, quoties ex uxoris adulterio, ullum sibi quæstum parat aut lucrum: hoc enim faciendo, crimen præterea committit Lenocinii, *L. 2. §.* LENOCINII *ff. ad Legem Jul. De Adult. & L. 2. Cod. eod.*

XXV. Lenocinium, cujus hic facta mentio, est nefarium illud scelus quo quis ex publicis scortationibus, adulteriis, fornicationibus similibusque nefariis vitiis carnis sibi quæstum facit: non quidem proprio corpore, sed virgines, mulieres, vel uxores aliasve matronas quæstûs gratiâ ad actum venereum pelliciens, vel etiam privatim ad hoc domi alens, & ex eo meretricio quæstu vivens.

XXVI. De hoc crimine videri potest Damhouderus in Praxi Rerum criminalium *cap. 93.* è quo hæc descripsi; qui & ibidem ostendit, hoc crimen etiam Ethnicis fuisse detestabile, ac atrocibus pœnis subjectum; deploratque hodie quidem apud Christianos mitius puniri; una tamen monens, hujusmodi lenones aut lenas „esse in dam„nabili rerum statu, & abjectissima dæmonum mancipia „uno dæmonibus multo nocentiores, utpote per quas

Digitized by Google

„ non rarò honestas puellas, matronas probas,& Ecclesiasticos, natura & moribus continentissimos ad lapsum pertrahunt, quod ipsorum dæmonum tentamenta præstare non poterant,neque possent, nisi hujusmodi instrumentis adjutarentur. Quocirca etsi extremam punitionem temporalem hîc apud Judicem sæcularem evadant,punitionem tamen divinam numquam effugient.

XXVII. Non semper tamen arguendus est maritus,aut Lenocinii insimulandus,qui adulterium uxoris dissimulat,aut etiam tegit. Ubi enim adulterium uxoris non esset manifestum, nihilque de eo haberetur in ore & notitia vulgi præter incertam suspicionem,& rumusculum popularem, quem maritus suâ prudentiâ facilè tueri posset & tegere,eo casu maritus uxori cohabitans, nequaquam de lenocinio ob dissimulatum adulterium uxoris est condemnandus *L.17. Cod. Ad leg. Jul. De Adult.* „Nam & hoc singulis à naturæ recto dictamine insitum est,ut domesticos omnes,atque adeo uxoris propriæ vitia tegant,& probitatem tueantur sicubi possint & valeant;„ ait Damhouderus *cap.92*. Quandonam maritus uxorem adulteram subinde ex lege saltem charitatis recipere teneatur, dixi *parte 2. tit. 15. cap. 2.*

XXVIII. De hoc crimine dicitur in Concordatis Brabantiæ *tit. 9. art. 23.* „De crimine lenocinii notorii,ubi quis est leno suæ uxoris,uterque cognoscet,secundum qualitatem suæ jurisdictionis, extra illum autem casum judex sæcularis solus cognoscet & puniet.

XXIX. Adulterium & stuprum subinde pro eodem sumuntur; dicitque lex 101. *ff. De V. S.* quod lex Julia *De Adulteriis* indifferenter hoc verbo *stupro* utatur: & tam in Jure Civili, quàm Canonico sub eodem titulo agitur de adulteriis & stupro. Attamen propriè adulterium in nuptam, stuprum verò in virginem viduamque committitur, ait *L. 8. §. 1. ff. Ad leg. Iul. De Adult.* Et in *L. 34. §. 1. ff. eod.* „Adulterium in nupta admittitur: stuprum in vidua, vel virgine, vel puero committitur.

XXX. Gratianus post *Canonem 2. Caus. 36. qu. 1.* hanc stupri definitionem tradit: „Stuprum autem propriè est virginum illicita defloratio: quando videlicet non præcedenti conjugali pactione, utriusque voluntate virgo corrumpitur, patre injuriam ad animum statim post cognitionem non revocante.

Recepto hodie loquendi modo, etiam sub stupro comprehenditur defloratio viduæ honestè viventis; uti tradit Damhouderus in *Praxi rerum Criminal. cap. 94. num. 2.* dicens: „Est autem stuprum ordinarium crimen, quod in virginem, *viduamque* honestè viventem committitur.

XXXI. Pœna stupri simplicis citra vim commissi, nullisque aggravantibus circumstantiis vestiti, de Jure Civili in personis honestis est publicatio dimidiæ partis bonorum;in humilibus coercitio corporis cum relegatione §. ITEM LEX JULIA *Instit. De Publicis judiciis.*

XXXII. Inter Canones Pœnitentiales à S. Carolo collectos habetur: „Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœnitentiam aget annum unum. „Item „Vidua quæ stuprum admiserit pœnitentiam aget annum totum,& præterea in altero anno dies jejuniorum.

XXXIII. Pro foro externo, pœna stupri lege Civili decreta, jure Decretalium mitigata est juxta responsum Pontificis in *Cap. 2. ii De Adulteriis.* „Pervenit ad nos(ait Pontifex)quod Felix quamdam Virginem *stupro* decepit:quod si verum est, quamvis esset de lege pœnâ plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes, hoc modo disponimus,ut aut quam stupravit uxorem habeat:aut si renuendum putaverit, corporaliter castigatus,excommunicatusque in Monasterio,in quo agat pœnitentiam,detrudatur, de quo nulla sit egrediendi sine præceptione licentia.

XXXIV. Hæc mitigatio conformis apparet legi Moysaicæ relatæ in *Cap. 1. ii eod.* ubi dicitur: „Si quis seduxerit virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit uxorem.

XXXV. Hæc dispositio Juris Canonici quoad pœnam stupri hodie in tribunalibus recepta est. Imo licet tam Lex Moysaica,quam Jus Canonicum stupratorem obligent ad duo præstanda, scilicet ad dotandum & ducendum virginem stupratam,consuetudo tamen *alternativam* induxit; relinquens electioni stupratoris,an dotare,vel ducere velit,uti post Julium Clarum notat Zypæus *Consilio 4. De Adulteriis & stupro*: nisi tamen promissio Matrimonii accesserit: quæ quando copula accessit,facilius accedentibus aliquibus circumstantiis intervenisse præsumitur; uti ibidem monet Zypæus; additque, quod facilius stuprator simpliciter ad ducendum obligatus credi possit & condemnari: nam facile res redit ad suam naturam & jus primævum.

XXXVI. „ Insuper tenetur Stuprator prolem alere, quam se ex eo concepisse mulier juraverit tempore partus. Quia tunc ratione instantis periculi, non immemor suæ salutis præsumitur dicere veritatem, nisi tamen illa jam ante ab alio fuerit cognita, aut postea plures admiserit, deque eo constet, & probet ipse. Nam præsumptio est pro muliere, secundum quam virginitas, utpote qualitas naturalis adfuisse præsumitur, & delictum abfuisse.„ Perez. *ad l. Juliam. De Adult. num. 51.* & conformiter ad consuetudines Mechlinienses *tit. 18. art. 4.* & aliarum civitatum quas ad dictum articulum refert Paulus Christinæus.

XXXVII. Hæc quidem si non concurrant speciales circumstantiæ aggravantes. Si enim stuprum committatur in virginem præ ætate nondum viripotentem, etiam hodie de consuetudine videtur pœna mortis imposita; nisi circumstantiæ eam imminui faciant, puta quia stuprum quidem fuit attentatum, sed non consummatum, ut ex Joanne Fabro tradit Perezius ad Codicem *De Adulteriis numer. 49.*

XXXVIII. Gravius quoque punitur tutor qui pupillam suæ cautelæ creditam stupravit juxta *L. unicam Cod. si quis eam, cujus tutor fuit, corruperit*; „ Crescit enim crimen propter perfidiam violantis eam, quam à corruptela immunem ultrò præstare debet; cùm tutor non tantùm patrimonio,sed moribus regendis præponatur, „ait Tuldenus ad citatum titulum Codicis.

XXXIX. Similiter tradit ex Joanne Fabro Tuldenus ad titulum Codicis *De Mulieribus quæ se propriis servis junxerunt*, Commentariensem, qui custodiæ suæ creditam vitiaverit, quamvis consentientem, capite plectendum. Cujus rationem esse credit Tuldenus, quod „Capta fidei custodis credatur: quod is impressione potestatis facilè consensum expresserit: imò quod illa commercio libidinis facilè corruptoris sui corruperit fidem, ad laxandam effugio custodiam.

XL. Quidnî & graviori pœna digni ludimagistri aliique filiorum aut puerorum directores, qui hisce, quos à corruptelis suâ curâ & vigilantiâ præservare deberent, abutuntur, eosque corrumpunt.

XLI. Sacerdotum autem qui filias suas spirituales ad libidines provocant, iisque abutuntur, quis illorum scelus & sacrilegium sat æstimet meritoque Michael Rousselius *lib. 4. Hist. jurisd. Pontif. cap. 3. numer. 27.* postquam ex Riccio retulit, in foro Neapolitano „suspensum dumtaxat à cura sua fuisse Sacerdotem accusatum & convictum quod in actu confessionis mulieres solicitaret ad turpia, pluribus deponentibus se tactu & signis ab eo solicitatas fuisse; „exclamat: „ Indulgens sanè, aut potiùs ridicula pro qualitate criminis, nullo non supplicio in tanto sacrilegio digni pœnâ: unde remitti debeat ad judicem laicum, vel etiam flammis expiandus.

XLII. Stuprum subinde violentiam adjunctam habet; vocaturque stuprum *violentum*; dum nimirum vis aliqua corporalis puellæ infertur: punitur que ex lege Julia *De Vi*, uti notat Tuldenus ad titulum Codicis *De Raptu virginum*; dicitque pœnam hujus stupri cœpisse esse capitalem ex Constitutione Caroli V.

Verum credunt nonnulli, pœnam stupri *violenti* esse capitalem

Digitized by Google

capitalem ex dispositione Justiniani in *L. unica Cod. de Raptu Virginum*; asseruntque stuprum *violentum* sub *raptu* ex mente Justiniani contineri; quasi non tam ratio raptus ponatur in eo quod virgo per *violentiam* abducta fuerit *à loco*, quàm quod per *vim* oppressa fuerit.

Hinc raptum dicunt, quoties honesta mulier aut virgo *vi* abducitur libidinis causa, aut per vim opprimitur. Damhauderus loco citato *cap. 97. num. 2.*

XLIII. Gratianus loco supra allegato dicit raptum admitti, „cum puella *violenter* à domo patris abducitur, ut „corrupta in uxorem habeatur, *sive puellæ* solummodo „sive parentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit.

XLIV. Certum est non tantum raptus propriè dicti, qui fit per *violentam abductionem* puellæ; sed & stupri *violenti* per *oppressionem* puellæ pœnam esse non tantum simpliciter capitalem, sed & in modo esse graviorem ordinaria pœna capitali ex Tabulis legum Brabantiæ: ut scilicet ei, qui invitam virginem aut fœminam stupraverit, *asserе* cervix amputetur. Verba sunt: *Wie dat vrouwen oft joffrouwen vercracht, men soude dem den hals af saghen met eender plancken.* „Hodie ferè ubique (ait Zypæus in Notit. „Juris Belg. *De Adulteriis & stupris*) gladio punitur tam „ipse reus, quam qui opem præstant, & conniventes parentes „exilio.

XLV. Quia crimen raptus non tantum personas particulares lædit & offendit; sed & Reipublicæ admodum damnosum & nocivum est, hinc est quod tametsi rapta contraxerit Matrimonium cum raptore, etiam consentientibus parentibus, omniaque raptori fuerint ex parte puellæ & parentum condonata, propterea tamen actio criminalis non censetur extincta; potestque Fiscus adhuc adversus Matrimonio conjunctos *capitaliter* agere; uti notat Damhouderus in *Praxi rerum criminal. cap. 97.*

Observat nihilominus Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Raptu virginum numer. 3.* quod pœna criminalis, nimirum in quantum est *capitalis*, ferè per Matrimonium cesset; addens tamen *numer. 4.* se vidisse fiscali actione pulsatos, ut raptûs reos, quamvis jam conjuges, & pecuniâ crimen abolitum: *atque hæc* (ait) *in gratiam, ut videbatur, Matrimonii.*

XLVI. Monet quoque Antonius Faber in Codice *lib. 9. tit. 7. Definit. 4.* quod „& si bene concordantia matrimonia „nemo turbare debeat, ne publicus quidem accusator prætex„tu adulterii, quod ab altero ex conjugibus, altero non con„querente admissum esse dicatur, si tamen absente per multos „annos viro mulier corpore suo quæstum vulgo faciat, libe„rosque suscipiat, quos nemo non sciat aut vulgo quæsitos es„se aut ex certo adulterio susceptos, ad procuratoris Fiscalis „officium pertinet, ut rem deferat, & crimen quod publicè „scandalo sit maloque exemplo, coërceri curet, sed ita demum „si præcedat diffamatio. Nam si vulgo ignoretur, quis adulter „sit, non est permittenda inquisitio, ut sciatur, quis ille sit, tum „puniatur. Id enim solo marito requirente & accusante fieri „potest.

XLVII. Plura de raptu prout constituit impedimentum Matrimonii; & quibus pœnis illum puniendum censuerit Synodus Tridentina, videri possunt *parte 2. tit. 13. cap. 9.*

XLVIII. Ulterius defloratio virginis, aut alius illicitus actus venereus specialem malitiam induit, si contingat inter personas conjunctas in gradu vetito consanguinitatis aut affinitatis: soletque hic actus vocari incestus.

Hinc dicit Gratianus post *Canonem 2. caus. 36. q. 1.* „Incestus est consanguinearum vel affinium abusus. Unde In„cestuosi dicuntur, qui consanguineis vel affinibus abu„tuntur.

De pœnitentia injungenda incestuosis agitur in *Can. 17. caus. 33. q. 2.* ubi una habetur incestum committi, „cùm ea „quam de sacro fonte Baptismatis susceperit, aut cum illa, „quam ante Episcopum tenuerit, cum sacro Chrismate fue„rit uncta.

Notandum tamen non omnem consanguinitatem aut affinitatem causare incestum; sed eam duntaxat quæ ponit impedimentum dirimens Matrimonium: sive inter eos qui sunt consanguinei vel affines in gradu vetito.

XLIX. In Canonibus pœnitentialibus Sancti Caroli de incestuosis habetur: „Qui cum duabus sororibus, vel cum no„verca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, vel „quo denique incestum admiserit, ab ingressu Ecclesiæ absti„nebit annum unum: quo anno præter festos dies pane so„lùm & aquâ utetur, arma non feret, osculum nemini præ„bebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet; „sex deinde annis Ecclesiam ingredietur, sed carne, & vino, & „sicera non utetur, nisi festis diebus. Postea verò duobus an„nis quando carne vescetur, à potu vini abstinebit: quod si „biberit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præci„puis festis: deinde usque ad obitum perpetuò præter festos „dies à carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis hebdo„madis jejunabit, & quadragesimas tres singulis annis legiti„mè custodiet.

Deinde addit *Canone sequenti*: Qui incestum fecerit, „ei alii annorum 12. alii 15. alii 10. alii 7. pœnitentiam con„stituunt.

L. Observat Damhouderus *loco citato cap. 96.* „Quisquis „hoc incestu se contaminat, is *capitaliter* puniendus est.

Verùm sicuti non ejusdem malitiæ est omnis incestus; ipsaque malitia incestus augetur, vel diminuitur pro ratione gradûs propinquioris, vel remotioris, quo personæ incestuosæ sese consanguinitate aut affinitate contingunt; ita indubiè & pœna augenda vel minuenda erit, ut & ipse Damhouderus observat *num. 4.* Latiùs Antonius Faber *lib. 5. Cod. tit. 3.* per varias definitiones.

LI. Concordata Brabantiæ *tit. 9. cap. 24.* dicunt: „De cri„mine incontinentiæ cum Moniali, affini, consanguinea, co„gnoscet uterque judex, seclusâ aliâ qualitate delicti, vis, rap„tûs, vel simili; quia tunc solus Sæcularis judex cognoscit.

Hæc evincunt, crimen incestûs esse crimen *mixti* fori; sed propter concurrens crimen raptûs aut oppressionis, sive violentiæ, reddi merè sæculare: eò quod tunc fiat crimen *capitale*: qualia crimina solent spectare ad cognitionem & punitionem judicis Sæcularis.

LII. Crimen concubinatûs juxta hæc Concordata similiter *mixti* fori esse, saltem quando concubinatus est notorius, indicat *articulus 22.* ubi dicitur: „De crimine concubinatûs noto„rii *præventioni* erit locus.

LIII. Ex his quoque verbis patet, concubinatum hic habitum pro *crimine*.

Et sanè quamvis Jure Civili majoris mali evitandi causâ *concubinatus* aliquando toleratus sive non punitus fuerit, quatenus unica cum unico ad instar uxoris extra Matrimonii vinculum cohabitaret, & carnaliter conversaretur, tamen is semper à sacris Canonibus fuit reprobatus, & à SS. Patribus pro gravi crimine habitus fuit.

LIV. Imo jam pridem leges concubinatum permittentes à Leone, qui vulgo Sapiens dicitur, rejectæ sunt *Constit. 91.* cujus hic titulus. *Ut concubinam habere non liceat.*

Imprimis in hac Constitutione dicit Leo, quod „ea „lex quæ probrosè cum *concubinis* immisceri non erubes„centibus id permittendum judicavit, honestatem susque „deque habuerit. Ne ergo (ait) hoc Legislatoris erra„tum dedecore nostram Rempublicam afficere sinamus. „Itaque lex illa in æternum sileto.„ Rationem deinde subjicit: „Ab illa enim non modo Religionis, verùm etiam na„turæ injuriâ secundùm Divina Christianisque convenien„tia præcepta prohibemur. Et quidem si cum fontem ha„beas, sobriè inde haurire Divino præcepto moneare: quâ „ratione, cùm puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? „Tum tametsi fontem non habeas, rebus tamen vetitis „uti non potes. Cæterùm vitæ consortem invenire difficile „non est.

LV. Evidenter hic supponit Imperator, concubinatum illum, quem lex Civilis non puniebat sive tolerabat, esse

vetitum *jure Divino*; quod & Canonistæ & Theologi uno consensu docent, ipseque sacer Textus non uno in loco expressit utpote omnem carnalem concubitum extra Matrimonium reprobans, ut infra paucis ostendetur.

LVI. Concubinatum manifestè tamquam reprobatum concubitum describit S. Augustinus *libro* 50. Homiliarum *Homil.* 49. ubi ita scribit: „Sufficiant vobis aut uxores, aut nec „uxores: concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si „vos surdi estis: audiant Angeli ejus, si vos contemnitis: con„cubinas vobis habere non licet: si audiant Competentes, „quod dico Fidelibus, non habetis uxores, non licet vobis ha„bere concubinas, quas postea ducatis uxores; quanto magis „damnatio vobis erit, si habere volueritis & concubinas, & „uxores dimittatis?

Locum S. Augustini retulit Gratianus *dist.* 34. *Can.* 6. sed mutilatè, uti ibidem notârunt Correctores Romani. Et *caus.* 32. *qu.* 2. *Can.* 5. refert ex eodem sancto Doctore libro *De Bono Conjugali cap.* 14. "Concubinæ ad tempus adhibitæ, nec „etiam si causa filiorum concumbant, justum faciunt concu„binatum suum. „Plura tum ex ipso Augustino, tum aliis SS. Patribus docet Ferdinandus Mendoza *lib.* 2. *De Confirm. Concil. Eliberit. cap.* 8. quibus ostenditur, concubinatum semper fuisse reprobatum.

LVII. Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 8. *De Reformat. Matrimonii* declarat, non tantùm esse peccatum, sed *grave* peccatum, homines solutos habere concubinas; statuitque, „Hujusmodi concubinarios, cujuscumque statûs, dignitatis & „conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex of„ficio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non ejecerint, „seque ab earum consuetudine non sejunxerint, excommuni„catione feriendos esse; à qua non absolvantur, donec reipsâ „admonitioni factæ paruerint. Quod si in concubinatu per „annum, censuris neglectis, permanserint, contra eos ab Or„dinario severè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres „sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris seu concu„binariis publicè vivunt, si ter admonitæ non paruerint, ab „Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio „graviter pro modo culpæ puniantur, & extra oppidum vel „diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, invocato, si „opus fuerit brachio sæculari, ejiciantur: aliis pœnis contra „adulteros & concubinarios inflictis, in suo robore perma„nentibus.

Ex his evincitur, simplicem concubinatum ab Ecclesia semper reputatum fuisse illicitum graveque peccatum; quantumvis Legibus Imperialibus non semper fuerit punitus.

LVIII. Observant Correctores Romani ad *Can.* 4. *Dist.* 32. apud Gratianum, olim aliquando dictas fuisse *concubinas* mulieres, quæ veræ essent *uxores*, atque revera maritali affectu habeantur; quia tamen in earum conjunctione non intervenerant dotalia instrumenta, aliaque ad solemnem ritum nuptiarum ex Legum præscripto requisita, non appellabantur uxores: neque gaudebant Juribus quæ uxoribus juxta solemnem Legum ritum acceptis deferebantur: creduntque hi Correctores de similibus concubinis quosdam antiquos Canones in Decreto Gratiani occurrentes debere intelligi.

LIX. Insinuavit idipsum non obscurè ipse Gratianus, præcitato *Canone* 4. præmittens hæc verba: „Concubina autem „hic ea intelligitur, quæ *cessantibus legalibus instrumentis* „unita est, & *conjugali affectu* adsciscitur; hanc *conjugem* fa„cit affectus, concubinam verò Lex nominat.

LX. Refert quoque Gratianus citatâ *Distinctione* 34. Canonem de Concubina sub nomine Isidori de Distantia novi & veteris Testamenti: sed, uti rectè advertit Jacobus Du Breul Monachus Sancti Germani à Pratis, qui Opera S. Isidori revidit & excudi jussit: „*Lib.* 1. *Sent. cap.* 21. argumentum „est de differentia Testamentorum, non inde tamen desump„tus videri potest hic Canon, ut neque ex differentiarum *lib.* „1. *diff.* 18.

LXI. Et licet Isidorus posteriore loco nonnullas assignet differentias inter utrumque Testamentum, nihil tamen de concubinis dicit: quamvis negari nequeat, in veteri Testamento subinde vocari *concubinas* eas mulieres, quæ erant veræ & propriè dictæ uxores, sed minus solemniter ductæ; ita legitur *Genesis* 25. 1. quod Abraham duxerit *uxorem* nomine Ceturam, quæ eodem capite vocatur concubina: Et Judicum *cap.* 19. *v.* 1. dicitur, *Fuit quidam vir Levites habitans in latere Montis Ephraim qui accepit* UXOREM *de Bethlehem Juda.* Quæ hic & *v.* 9. appellatur *uxor*, & revera hujus Levitæ uxor erat, vocatur *v.* 10. ejus *concubina.* Indicium evidens, de quas uxores tum etiam dictas fuisse concubinas.

LXII. A concubina distat illa quæ vulgo *meretrix* dicitur, quod hæc pluribus se prostituat; & quasi quæstum ex concubitu quærat; ista verò uno tantùm utatur. *Meretrix quæ multorum libidini patet*, ait *Can.* 16. *Dist.* 34. Et ex Augustino *Canone* 11. *Caus.* 32. *quæst.* 4. „Meretrices esse, & ad meretrices accedere prohibet Dominus, quarum publicè venalis „est turpitudo.

LXIII. Cum meretrice si laicus solutus peccet, simplex fornicatio dicitur; quæ licet hodie pro sat levi peccato vulgo reputetur, nihilominus certum est, fornicationis peccatum esse grave atque ab Apostolo numerari inter ea quæ à Regno Dei excludunt, ad Ephesios *cap.* 5. dicente: *Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus.... non habet hæreditatem in Regno Christi & Dei.*

Ulteriùs Apostolus gravitatem fornicationis astruit 1. *ad Corinth.* 6. tribus præcipuè argumentis.

Primum exprimit his verbis: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollam ergo membra Christi, faciam membra meretricis.* Absit. *Hoc enim est* (ait S. Thomas in hunc locum) HORRENDUM *sacrilegium.*

Secundum argumentum desumit Apostolus ab ingenti libidine, quâ peccatum hoc præ cæteris committitur, expressum his verbis: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur in corpus suum peccat:*

Tertium contentum his verbis: *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritûs Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Quibus verbis enormitas fornicationis ostenditur ex eo, quod fornicari sit contaminare & profanare Templum Spiritûs Sancti: idque cum insigni ingratitudine in Deum; eò quod per fornicationem expellatur Spiritus Sanctus, qui tantâ misericordiâ à Deo datus est.

LXIV. Sanctus Augustinus *Serm.* 162. in ult. edit. reflectens ad verba Apostoli pro secundo argumento superius allata, ait: „Videtur B. Apostolus exaggerare voluisse fornicatio„nis malum SUPER CÆTERA OMNIA PECCATA; quæ etsi per „corpus committantur, non tamen animum humanum con„cupiscentiæ carnali ita efficiunt obstrictum & obnoxium... „ut.... solo hoc tantummodo fornicationis malo in corpus „proprium peccati dixerit, quia MAJORIS LIBIDINIS ARDO„RE, QUO SUPERIOR NULLUS EST, voluptas ipsam corpo„ris tenet servum, efficitque captivum &c.

LXV. Similiter S. Chrysostomus ad ea verba Apostoli *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* „Nil est (ait) hac dictione terribilius. „Et rursus ad hæc, *Qui fornicatur in corpus suum peccat.* „In fornicatione (ait) „totum corpus fit sceleratum & execrandum. Tamquam „enim incidens in lebetem immunditiæ sordibusque & in„quinamento tinctum, sic polluetur. „*Homil.* 18. *in Epist.* 1. *ad Corinth. cap.* 6.

Audiamus & Commentatorem in Epistolas Pauli apud Ambrosium ad hæc verba: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus est.* „Quia (inquit) cætera „peccata, etsi per corpus generantur, non tamen animam „ita carnali concupiscentia faciunt obstrictam & obnoxiam, „quemadmodum commisceri facit animam cum ipso cor„pore usus libidinis, agens in opere carnalis fornicatio„nis: quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut ipso „momento nihil aliud cogitare homini liceat, aut intendere; quia ipsam mentem captivam subdit ipsa submer„sio & absorptio libidinis & concupiscentiæ carnalis. Unde

subi-

„subditur : Qui autem fornicatur in corpus suum peccat. „Ostenditur GRAVISSIMUM esse peccatum, quia ex hoc omne „deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio perit, non „totum.

Ante hos omnes S. Cyprianus *Epist. 52.* fornicationis gravitatem adstruxit, ipsamque fornicatoris causam pejorem esse quàm libellatici asseruit : „Si se cordis & renis scrutatorem constituat & judicem, per omnia æqualiter judicet, &... fraudatores & mœchos à latere suo atque à comitatu suo separet : QUANDO MULTO GRAVIOR ET PEJOR „EST MŒCHI QUAM LIBELLATICI CAUSA : cùm hic necessitate, ille voluntate peccaverit : hic existimans sibi „satis esse, quod non sacrificaverit, errore deceptus sit; ille „Matrimonii expugnator alieni, vel lupanar ingressus... sanctificatum corpus & Dei templum DETESTABILI COLLUVIONE violaverit.

LXVI. Enormitas fornicationis etiam ex pœnitentia ei per Canones Pœnitentiales olim imposita, elucet. Inter Canones S. Basilii occurrit *Canon 59.* quo decernitur : „Fornicator septem annis sanctis non communicabit, duobus deflens & duobus audiens, & duobus substractus, & „in uno consistens : octavo autem ad communionem admittetur.

Inter Canones à S. Carolo ex Pœnitentiali Romano aliisque libris mediæ ætatis, cum jam disciplina pœnitentialis nonnihil flaccescere cœperat, collectos habetur : „Si laicus solutus „cum fœmina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres : & „quantò sæpius, tantò majori pœnitentiâ afficietur.

LXVII. Tametsi non omnia crimina carnis sint fori Ecclesiastici, neque juxta hodiernam disciplinam laici propter quæcumque carnis peccata coram illo tribunali accusari & puniri soleant, tamen Episcoporum & Pastorum est allaborare, ut peccata hæc eorumque occasiones & incitamenta eliminentur; meretrices & lupanaria è suis Diœcesibus & Parochiis, quantum possibile est, eliminando : libros cantilenas, statuas, imaginesque ac similia veneris incitamenta proscribendo : patres & matres-familias, nec non magistros & magistras, qui hujusmodi libros obscœnos vel in familia, vel domi legi, aut imagines sive statuas exponi permittunt, haud facile ad reconciliationis beneficium admittendo, quamdiu hæc in familiis aut domibus suis permittunt. De conventiculis personarum utriusque sexûs, quæ solent esse impudicitiæ prostibula, multis actum est *parte 2. tit. 17. cap. 6.*

Sanè vel ipsæ Leges Romanæ ipsos Christianos, & præsertim Episcopos & Pastores excitare deberent, ut quantum in ipsis est, amoveatur è publico quidquid castitatem offendere posset. Hæ enim Leges adeo castæ fuerunt, ut ne *nudum* quidem *militem* in flumine lavari permittant in conspectu exercitûs *L. 12. Cod. De Re Militari lib. 12.* „Ne „deproperans publicos oculos *nudatus* incesset, sed procul „à cunctorum obtutibus in inferioribus partibus fluviorum „hoc ipsum faciat.

Adhæc verba reflectens Dionysius Gothofredus in notis ait : „Quod summo sanè pudore factum, quodque hodie pro„bro est, in militibus etiam *nudata* corpora non tulisse, qui „summâ inverecundiâ nudos omnimodò in publicis fluviis la„vari æstate sinimus & spectamus.

Eandem Legem referens Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. ad Legem Jul. De Adult. num. 5.* ait : „Quod & castarum „Civitatum Edictis sæpius proclamatur, sed non usquequaque „servatur : „negligentiâ Magistratuum & Superiorum : qui utinam seriò attenderent peccata ex publica illa membrorum nuditate provenientia; & quomodo suâ in exequendis Edictis negligentiâ eorum efficiantur participes.

LXVIII. Si per peccatum carnis violetur persona Deo specialiter consecrata sive dicata, tunc peccatum hoc habet rationem *sacrilegii*, in quantum est violatio rei sacræ, id est, rei Deo specialiter consecratæ aut dicatæ.

Hoc titulo fornicatio, adulterium, aliudve peccatum carnis commissum à persona voto castitatis obstricta & Deo consecrata, præter rationem fornicationis, adulterii alteriusve peccati carnis, habet insuper rationem sacrilegii; novamque ac distinctam malitiam peccato carnis addit.

Hinc fornicatio cum Moniali voto castitatis adstricta, de jure Civili etiam pœnâ mortis punitur; quod & Statutis Ducatus Mediolanensis expressum est; & disponunt communiter Statuta per Italiam, teste Julio Claro *lib. 5. Recept. Sent. §. FORNICATIO num. 17.*

In Concordatis Brabantiæ *tit. 9. art. 24.* dicitur : „De cri„mine incontinentiæ cum Moniali... cognoscet uterque ju„dex seclusâ aliâ qualitate delicti, vis, raptûs vel simili, quia „tunc solus Sæcularis judex cognoscet.

LXIX. Porrò quò major sanctitas requiritur in persona aliqua, eò quoque enormior est violatio, quâ sanctitati personæ detrahitur; ipsaque persona speciali ratione sanctificata & Deo consecrata profanatur. Hinc præ cæteris peccatis sacrilegii enormius est peccatum carnis, quo ipsa Sacerdotum sanctitas violatur, & membra specialiter Deo consecrata fiunt membra meretricis.

Quare multis sæculis sanctissimè servatum fuit, ut si quis Sacro Ordine initiatus peccato carnis se polluisset, atque membra Deo sacrata profanasset, in perpetuum ab omni Ecclesiæ ministerio deponeretur, ut nec post actam pœnitentiam restitueretur, uti notatum fuit *parte 2. tit. 10. cap. 6.* & latius probatum in Dissertatione *De Canonicis parte 2. cap. 2.*

Quibus pœnis in foro externo hodie subjaceant & puniendi sint Clerici, qui mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinent, aut cum iis ullam consuetudinem habere audent, petendum ex Concilio Tridentino *Sess. 25. cap. 14. De Reformat.* ubi modus procedendi contra Clericos de hoc crimine suspectos, eosque puniendi præscribitur, adhibitâ distinctione inter Clericos Beneficiatos & non Beneficiatos.

Satis constat ex modo procedendi adversus Clericos Beneficiatos juxta præscriptum Concilii Tridentini, Concilium non omnem Canonum rigorem suo Decreto expressisse; quemadmodum post Martinum Navarrum notavit Zerola in Praxi Episc. verbo *Concubinarii.* Unde non sine fundamento creditur hoc Decretum unum esse ex iis quæ temporum miseria, & duritia à Patribus extorsit.

Insuper & hoc notandum, Decretum illud quoad priorem suam partem, non procedere quando Clerici fornicatio adjunctam habet aliquam specialem circumstantiam aggravantem; puta in Sacerdote cognoscente suam filiam spiritualem; vel eam quæ propter Sacramentum Pœnitentiæ effecta fuit sibi filia spiritualis; vel Parochianam suam; sed his casibus *deponi* potest, uti notavit Zypæus in Jure Novo *De Cohabitat. Cleric. & mulier. num. 10.* additque : Idem in Religiosis fornicantibus.

CAPUT V.

De Blasphemia, perjurio & aliis nonnullis Delictis Ecclesiasticis.

1 *Quid Blasphemia.*
2 *Maledicta in Sanctos & res sanctas etiam Blasphemiæ nomine veniunt.*
3 *Omne convicium in Deum dicitur Blasphemia.*
4 *Constitutio Gregorii IX. in Blasphemos contra Deum & Sanctos.*
5 *Pœna Blasphemiæ ex Capitularibus Regum Francorum.*
6 *Criminis hujus atrocitatem ostendit sacer textus.*
7 *Pœna Blasphemiæ ex constitutione Justiniani ultimum supplicium.*
8 *Eadem pœna renovata in Capitularibus Regum Francorum.*
9 *Crimen hoc dicitur mitius puniri ob defectum Religionis & Justitiæ.*
10 *Reprobatur consuetudo Blasphemos mitius puniendi.*
11 *Qua pœna in Hispania puniantur Blasphemi.*
12 *Quomodo contra Blasphemos procedatur in Gallia.*

13. *Edicta Principum nostrorum contra Blasphemos.*
14 *Decretum Concilii Cameracensis contra Blasphemiam.*
15 *Nulla consuetudo, aut multorum usus, excusat Blasphemiam.*
16 *De jure communi hoc videtur esse mixti fori.*
17 *In Gallia habetur pro crimine fori sæcularis.*
18 *Quid de crimine Blasphemiæ habeant concordata Brabantiæ.*
19 *Quid eadem concordata habeant de crimine irreverentiæ in imagines.*
20 *Juramenta in communi sermone usitata speciem habent Blasphemiæ; & quid de his habeant concordata Brabantiæ.*
21 *Crimen perjurii habetur pro crimine mixti fori.*
22 *Consuetudo jurandi valde improbata à Sanctis Patribus.*
23 *Ut evitetur frequentia juramentorum vetitum contrahentibus ingeri juramentum.*
24 *Contra pravam jurandi consuetudinem merito procederetur sicuti contra Blasphemiam.*
25 *Ex Canonibus pœnitentialibus probatur enormitas perjurii.*
26 *Pœna perjurii in foro externo hodie ferè est arbitraria.*
27 *Crimen falsi de jure communi dicitur mixti fori.*
28 *In Gallia Clerici committentes crimen falsi coram judice laico ab eodem puniuntur.*
29 *Quid hic habeant concordata Brabantiæ.*
30 *Quid eadem concordata habeant de laico delinquente in officio suo coram Judice Ecclesiastico.*
31 *Violatio festorum refertur inter crimina Ecclesiastica in dictis concordatis.*
32 *Quis cognoscat de turbatione Officii Divini.*
33 *De percussione Clerici quis Judex de jure cognoscat.*
34 *Quis hujus criminis Judex juxta Concordata Brabantiæ.*
35 *Quis sit Judex competens quando delictum est commissum in loco Sacro.*
36 *Cujus fori sit crimen usurarium de jure communi.*
37 *Quid hac de re habeant Concordata Brabantiæ.*
38 *Senatus Brabantiæ cognoscit an contractus sit usurarius vel non.*

I. Blasphemia, ut hodie ferè accipitur, est maledictum in Deum: cùm nimirum vel verbis vel factis injuriosis profertur quidquam Deo injuriosum, derogans ejus perfectioni. Unde S. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *in C.* respondet: „quod nomen blasphemiæ importare videatur quamdam derogationem alicujus excellentis bonitatis, præcipuè Divinæ.

Et in responsione ad primum dicit; „quod ille qui contra Deum loquitur, convitium inferre intendens, derogat Divinæ bonitati, non secundum falsitatem intellectûs, sed etiam secundùm pravitatem voluntatis, detestantis & impedientis pro posse Divinum honorem: quod est Blasphemia perfecta.

II. Non tantùm maledicta immediatè & directè in *Deum*, sed & in Sanctos ejus conjecta, nomine Blasphemiæ veniunt; tametsi & hæc remotè in Deum redundet, ac eatenus in *Deum* etiam Blasphemia vocari queat. Quia, uti respondet S. Thomas citato articulo *ad* 2. „Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, in quantum laudantur opera quæ in Sanctis suis efficit, ita & Blasphemia quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum redundat.

Quod de Blasphemia in Sanctos asserit hic Doctor Angelicus, id ipsum & de Blasphemia in res sacras, puta Sacramenta, dicendum est.

III. Unde ex communi Doctorum sententia asserit Julius Clarus *lib.* 5. *Sentent.* §. BLASPHEMIA: „Omne convitium, contumelia, vel maledictum prolatum in Deum est Blasphemia.

IV. De Blasphemia contra Deum & Sanctos, & maximè beatam Virginem extat Constitutio Gregorii IX. in *Cap.* 2. *X De Maledicis*, qua statuitur, „ut si quis contra Deum vel aliquem Sanctorum suorum, & maximè beatam Virginem, linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per Episcopum suum pœnæ subdatur inferius adnotatæ, videlicet, quod in septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ in manifesto (dum aguntur missarum solemnia) blasphemus existens, ultimo illorum die Dominico pallium & calceamenta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque præcedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum tres si poterit alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. Et si nec ad hoc ejus supperant facultates, id in pœnam aliam commutetur, cui etiam si renuerit recipere ac peragere pœnitentiam supradictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus & in obitu Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Per temporalem præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi Diœcel. adhibita contra eum, blasphemus si dives fuerit, quadraginta solidorum, alioquin triginta sive viginti: & si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœnâ mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus, quod etiam inter alia communitatum statuta ponatur.

V. Legitur *lib.* 6. *Capitular. Rerum Francicæ cap.* 101. „Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactionem tradatur, & publica pœnitentia mulctetur donec precibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque gremio canonicè reddatur.

VI. Crimen hoc semper inter atrocissima crimina computatum fuit. Quid enim atrocius quàm Deo convitiari? Hoc autem facit blasphemia; & nihil ea esse horribilius passim asserunt SS. Patres. Atrocitatem blasphemiæ ostendit Deus, cum interrogatus à Moyse quid statuendum esset de viro Israëlita qui blasphemaverat nomen Domini, & maledixisset ei, respondit: *Educ blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Et ad Filios Israel loqueris: Homo qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini morte moriatur.*

VII. Conformiter ad hanc legem, Justinianus Imp. in *Novella* 77. blasphemos ultimo supplicio afficiendos sancivit. „Si enim (ait) contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non relinquitur; multò magis qui ipsum Deum blasphemant, digni sunt supplicia sustinere.... Propter talia enim delicta, & fames, & terræ motus & pestilentiæ sunt.

Deinde mandat Præfecto Provinciæ, „permanentes in hisce illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram comprehendere, & *ultimis subdere suppliciis*, ut non ex contemptu talium inveniatur & civitas & respublica per hos impios actus lædi.

VIII. Additione 3. ad Capitularia Regum Francorum *cap.* 84. contra blasphemos legitur: „Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, à præfecto Urbis ultimo supplicio subjiciatur. Qui verò talem cognoscens non manifestaverit, similiter coerceatur. Si Præfectus Urbis hæc punire neglexerit, post Dei judicium nostram indignationem incurrat.

IX. Verùm, uti notat relatis aliis auctoribus Julius Clarus loco citato „Hæc pœna *capitalis* licet Divina & humana lege constituta fuerit, hodiernis tamen temporibus ob *defectum* religionis & justitiæ non servatur.

X. Deinde postquam ex Zazio retulit, quod „hæc pœna de consuetudine non servetur, nisi esset magna & enormis blasphemia, quæ ex deliberato, maligno & doloso proposito & execrabili ore ad perniciosum exemplum Dei & hominum proferatur, „subjungit: „Sed certè hæc est pessima consuetudo, & judicio meo graviter peccant Principes Christiani & eorum Magistratus, qui hoc crimen severissimè non puniunt. Et in hoc Respublica Christiana magna indiget reformatione.

XI. Refert Covarruvias ad *Cap.* QUAMVIS *De Pactis in* 6. *parte* 1. §. 7. *num.* 22. quod ex Constitutionibus Regnis in Hispania Blasphemi variè puniantur, præsertim jure *Partitarum* quod *septimo Partit. tit.* 28. continetur. „Quo in loco (ait) Alphonsus Rex diligentissimè pœnas adversus Blasphemos distinxit & statuit. Præsertim quod plebeius pro prima blasphemia verberetur, pro secunda notetur in labiis ferro candenti signo crucis: pro tertia lingua mutilis fiat, eique abscindatur.

Verùm Emanuel Gonzales in Commentario ad *Cap.* 1. *X De Maledicis* asserit, quod „Jure Regio Novissimo in *L.* 5. 6. & 7. *tit.* 4. *lib.* 8. *recopil.* pro prima blasphemia detinetur reus per mensem in carcere cum compedibus; pro se-

„pro secunda in exilium mittitur per sex menses, mulctatur-„que mille marapetinis; pro tertia verò lingua figitur clavo: „quæ ultima pœna consuetudine non est recepta, sed ejus lo-„co flagellatur & lingua premitur ligno, id est *mordaca*. Tan-„dem ex lege finali, *tit. 4. lib. 8. recopil.* ad triremes dam-„nantur Blasphemi: quas pœnas si non exequatur judex, eis „puniendus est.

XII. Varias pœnas diversis temporibus in Blasphemos in Gallia auctoritate Regia Decretas fuisse ostenditur *tomo 2. parte 1. cap. 21.* Actorum Cleri Gallicani; & nonnullæ ordinationes pœnales contra Blasphemos referuntur in appendice ad Paponium *lib. 1. arrest. tit. 2.* atque inter cæteras *num. 2.* Ordinatio Curiæ Regiæ interdicens " Omnibus cujuscumque „status, qualitatis, conditionis, ne pejerare, detestari, infrende-„re, blasphemare, neque alia juramenta detœda & detestanda „proferre velint adversus Dei, sacrosanctæ ipsius matris, om-„niumque Sanctorum & Sanctarum Paradisi honorem: pro-„posita pœna pro prima vice, mulctæ pecuniariæ arbitrio Ju-„dicis, cujus pars tertia prædicto D. Regi, altera ad sarta tecta „Ecclesiæ, tertia denuntiatori, & accusatori addicenda: pro „secunda verò, tertia & quarta vice sub pœna ferrei collaris „publico loco in collum injectionis, idque ut ibidem ab ho-„ra 8. matutina ad primam usque pomeridianam consistant, „sic rursum ut contumeliis & probris omnium expositi sint: „ac præterea mulcta arbitraria afficiantur: pro sexta vice verò „catamidiabuntur, atque inibi ferro candente superius la-„bium eis amburetur, usquequo dentes promineant: pro „septima vice pariter catamidiandi, atque inibi verberandi de-„ducentur, quin & inferius labium his ferro candente ambu-„rendum: & si casus tulerit, ut rursum prædicta jura-„menta & delicta admittant, linguam eis penitus ampu-„tandam.

Hæc Ordinatio rursus renovata fuit an. 1599. sub iisdem pœnis, addita clausula: *Quinimo & VITÆ, si res qualitas ex-poscat.*

Clausula hæc sat ostendit, pœnas in Blasphemos non ita esse determinatas quin pro gravitate, aut levitate blasphemiæ augeri aut mitigari queant; quod ex arrestis notatis à Paponio loco citato & relatis in Actis Cleri Gallicani patescit; quibus imposita fuit varia pœna, etiam subinde *mortis*, pro diversitate blasphemiæ vel persona blasphemante, vel etiam modo blasphemandi, aliisque circumstantiis. Vide etiam Renatum Choppinum De S. Polit. *lib. 1. tit. 2. n. 11.*

XIII. Plura sunt Edicta Principum nostrorum contra Blasphemos, quæ recitat Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Blasphemis*; & quidem novissimo de 7. Octob. 1531. *art. 43.* decernitur, ut Blasphemi rigidè puniantur per carcerem menstruum in pane & aqua; gravius qui Deum ejusve Matrem aut Sanctos abjurant animo improbo, præter carcerem lingua transcindatur sine ulla dissimulatione; & qui alia verba probrosa & vilipendentia protulerint pœnâ arbitraria, idque sine conniventia, alioquin Judices status sui periculum patiantur. Verba Edicti sunt: *Om te remedieren teghens de Blasphemateurs, hebben vvy eenenygelicken verboden ende verbieden te basphemeren Godt almachtig, die Maghet Maria, haeren Heleghen ofte haeren naeme: op de peyne de ghene die Godt, zynder moeder, haeren name, ofte haeren Heleghen, looghenen, afgaen, ende versmaden, zanden ghe apprehendeert ende in stricte ghevangheneße ghehanden vvesen, te vvatere ende te broode den tydt van eender maend. Ende de ghene die Godt ofte zynder Moeder, ofte de Heleghen looghenen, afgaen ofte versmaeden zanden, met eenen quaden ende fellen moede ende herten, boven het voorschreven ghevangheneße sullen op een schavot die tonghe openbaerlicken doorsteken hebben, zonder gratie, respyt ofte verdragh. Ende de ghene die andere vileyne ende quade eeden doen ende svveren zullen, in haeren persoon arbitralicken ghecorrigiert te vvordene ter discretien van den Rechteren, onder den vvelckent' selve ghebueren, ende de kenneße daeraf hebben zande. Ende ensullen de vvorschreven Rechteren niet moghen dissimuleren noch uyt stellen, die puntie vanden Blasphemeghen ofte vanden ghenen die vileyne ofte quade eeden inder manieren voorn doen sullen, nae dat' t' selve tot haer l' kenneße ghekommen sal vvesen op de peine van haeren state ende officien gheprivecrt te vvesen, noch te tot den selven nemmermeer eher restitueert te vvordene, noch te oock andere te moghen vercryghen handen ofte bediene.* Id est: Ut adversus blasphemos provideatur, quibusvis prolubuimus & prohibemus, ne Sacrilegis dictis Deum O. M. Virginem Deiparam, Cælitis aut eorum nomina violent, denuntiatâ, in eos pœnâ qui Deum, Deiparam, eorum nomina , aut Cælites abnegaverint ejuraverint, spreverint, corporalis apprehentionis, arctæque incarcerationis, ut mense continuo aqua & pane macerentur. Iis qui Deum, aut Deiparam aut Cælites abnegaverint, ejuraverint, aut spreverint obstinato & malevolo animo ultra incarcerationem prædictam publice in pegmate lingua perforabitur, favore, mora, & dilatione sepositis. Qui verò aliter turpiter & malè juraverint arbitrariâ in corpore pœnâ mulctabuntur prout judicibus sub quibus id contigerit & innotuerit, æquum visum fuerit Nec fas erit dictis Judicibus connivere aut pœnam procrastinare eorum, qui aut turpiter aut malè juraverint postquam ad eorum pervenerit notitiam. Si secus faxint gradu & officio suo excident, numquam restituendi muneri nec aliud demum impetrare obtinere & administrare poterunt.

Habetur hoc Edictum *part. 1. Edit. Flandriæ lib. 3. Rub. 1.*

Ex verbis hujus articuli patet, pœnam blasphemiæ & hic aliquousque *arbitrariam* esse. Quidni igitur pro atrocitate blasphemiæ subinde possit etiam usque ad mortis supplicium extendi.

XIV. Synodus P. II. Cameracensis *tit. 1. cap. 8.* " Inhæ-„rendo Constitutioni Leonis X. contra blasphemos editæ in „Concilio generali Lateranensi *Sess. 9.* à Pio V. innovatæ, „pœnas in ipsa contentas exactè observari mandat; præcipit-„que Pastoribus, ut sæpe in suis concionibus declarent suis „Parochianis gravitatem hujus delicti.

XV. Blasphemiam jure naturali ac divino prohibitam nulla quantumvis longissimi temporis, aut multorum praxi firmata consuetudine licitam reddi posse certum est. Sed credunt nonnulli, consuetudine induci posse, ut verba ex se & propria significatione blasphematoria, per consuetum hominum loquendi modum eam accipere possint interpretationem seu significationem, ut non pro *blasphemiis* sed pro sceleratis & maledictis juramentis talia verba puniantur uti notat Julius Clarus loco citato *num. 7.* addens: " Senatus tamen noster hoc non „admittit, quinimo plerumque jussit rejici capitula, in quibus „quandoque imputati de blasphemia, volebant hujusmodi „consuetudinem probare. Talis enim non consuetudo, sed „abusus potius dicendus est, cujus nulla ratio haberi debet.

Utinam hoc Senatûs judicium contra blasphemandi insolentissimam & improbam consuetudinem ubique æmularentur Senatus Regii!

XVI. Hoc crimen blasphemiæ esse mixti sive communis fori; ita ut laicus de eo convictus possit per judicem tam Laicum, quàm Ecclesiasticum puniri, post Canonistas ad *Cap. 2. De maledicis*, notat Julius Claris.

XVII. In Gallia tamen cognitio & punitio ad *solum* judicem *laicum* spectat, uti ex Boërio refert Choppinus loco citato; refertque Carolus Fevretius De Abusu *lib. 8. cap. 2. n. 2.* ex Rebuffo, etiam Clericum à judice laico punitum de hoc crimine tamquam privilegiato.

XVIII. Concordata Brabantiæ inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. *tit. 9. art. 4.* habent: " De crimine blas-„phemiæ in Deum vel in Sanctos ejus, nec non juramento per „humanitatem Christi vel ejus membra, cognoscet & puniet „*sæcularis solus.*

XIX. Deinde *art. 5.* " De crimine irreverentiæ in imagines „nostræ Dominæ, & Sanctorum cognitio & punitio ad solũ „judicem sæcularem pertinebit, nisi malefactor sustineret re-„verentiam imaginibus non esse exhibendam propter id, quod „illa repræsentant de, hoc enim cognoscet Ecclesiasticus judex „solus, & judex sæcularis invocatus, exequetur & alias, ut su-„pra in articulo de crimine hæresis.

XX. Perjuria præsertim inter sermocinandum leviter,

 & quasi

& quasi ad ornatum sermonis assumpta, à blasphemia vix distant; atque ad eam spectare notat Zypæus loco citato *num. 6.* De crimine perjurii decernunt supra citata Concordata *tit. 9. art. 27.* "De crimine perjurii, solus judex sæcularis, nisi dubium fuerit an juramentum fuisset obligatorium, nec ne & sic an incursum fuisset perjurium, vel non, vel nisi perjurium commissum fuisset coram judice Ecclesiastico, quo casu Judex Ecclesiasticus cognoscet.

XXI. Ex his patet crimen perjurii esse quodammodo *mixti* fori; uti & in Gallia observari tradit Carolus Fevretius De abusu *lib. 8. cap. 2. num. 4.* aitque, laicum ratione perjurii non posse conveniri coram Judice Ecclesiastico, nisi perjurium à laico coram Judice Ecclesiastico in causa Ecclesiastica esset commissum: monetque in desuetudinem abiisse dispositionem *Cap.* CUM LAICUS *De Foro comp. in 6.* quod & supra *tit. 1. cap. 2.* notavimus.

XXII. Contra pravam & horrendam consuetudinem seu abusum jurandi in communi sermone; & quasi ad omnia sua dicta interponendi juramenta, quæ quamdam blasphemiæ speciem præfert, dum toties nomen Dei in vanum accipitur; imò & sæpius in testimonium falsitatis assumitur, jam pridem declamarunt SS. Patres; ac nominatum S. Chrysostomus in Homiliis ad populum Antiochenum, eam consuetudinem adeo perniciosam existimans, ut publicè profiteretur, se tam diu in eam invecturum, donec reipsa emendationem videret: "Primùm igitur persuadeamus, ut juramentorum fuga in melius mutationem faciat: etsi heri & nudiustertius de hac vobis locutus sum materia, neque tamen hodie desistam, neque cras, neque perendie eamdem persuadere. Et quid dico crastinam aut tertiam diem? Donec vos correctos videam, non absistam: si enim legem prævaricantes non erubescunt: multò magis nos jubentes ne prævaricemini, admonitione continua confundi non est dignum.

Hæc ille *Homil. 15.* ad populum Antiochenum; qui & *eâdem Homilia, & Homil. 9. 11. & 19.* varia specialia media ad pravam hanc consuetudinem paulatim eliminandam proponit; quæ utinam hodie in multis locis contra eamdem consuetudinem à Pastoribus ac præcipuè Episcopis impenderentur!

XXIII. Ad vitanda perjuria, Legibus Hispanis, Lusitanis & & Burgundis cautum est, ne contractus medio juramento fiant" uti ex Butio refert Zypæus in jure novo tit. *De Jure jurando num. 2.* Similiter anno 1290. declaravit Senatus Parisiensis rectè inhibitum fuisse per Vicarium Tolosanum Notariis Regiis, ne ponerent juramentum in instrumentis suis, dum tamen contractus seu negotia super quibus erant dicta instrumenta confecta possent absque juramento subsistere." uti refertur *part. 7. Styli Parlam num. 8.*

XXIV. Sanè contra eandem consuetudinem; idque frequenter interpositis verbis blasphematoriis, aut his non absimilibus, non minus quàm contra blasphemias, Judicum & Pastorem Zelus sese exercere deberet, quemadmodum in suo ad Reginam Matrem libello anno 1649. ursserunt Deputati Cleri Gallicani, uti habetur in Actis ejusdem Cleri *tom. 3. parte 8. tit. 1. num. 47.*

XXV. Quam grave crimen sit perjurium probat pœnitentia Canonica jam pridem imposita. Inter Canones à S. Carolo collectos habentur plures, quibus pro diversitate qua perjurium est commissum major vel minor pœnitentia decernitur.

"Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, vel diaconi, vel in cruce consecrata, alterivè pœnitentiam aget annos tres: in cruce non consecrata; annum unum.

Qui perjurium in Ecclesia fecerit; pœnitentiam aget annos decem.

"Qui sciens pejerat Domini impulsu; pœnitens erit quadragesimas tres, & ferias legitimas. Dominus autem, quia præcepit; quadraginta dies in pane & aqua, & septem sequentes annos,

"Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxerit; pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua, & septem sequentes annos: & tot perjuria jejunabit, quot homines in perjurium induxerit.

XXVI. Pœna perjurii hodie ferè est arbitraria pro qualitate & enormitate delicti, quemadmodum notavit Menochius De Arbitrariis Judicum *lib. 2. cent. 4. casu 319. num 9. & 10.* dicens: "Cum quis jus jurandum per ipsum Deum opt. Max. sedato animo subiit, & pejerasse reperitur, in hoc casu variæ sunt Doctorum opiniones: illorum (ait Menochius) magis placet, qui dixerunt, perjurium puniri, sed extra ordinem, scilicet Judicis arbitrio." Invehitur ibidem Menochius in eos, qui dicere non erubuerunt, puniendos pœna temporali qui pejerant per *salutem* Principis, non autem qui per ipsum Deum, sed hos *soli Deo* puniendos dimitti. "Mirum certè est (ait) quod contempta Principis Religio corporali pœna puniatur: & illa maximi rerum omnium opificis Dei non vindicetur, sed judicio Divino relinquatur.

Dicit quoque Paponius *lib. 22. tit. 11. arresto 19.* perjurium arbitrio judicis puniendum esse; referens ibidem quemdam de perjurio convictum, condemnatum fuisse ad mulctam pecuniarum, qui falsò juraverat, se numquam cessionem bonorum fecisse.

Conqueritur tamen Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De falsis*; quod "fallitas testium *pejerantium* nimis etiam leviter tractetur, præsertim cum crimen coram judice evidens sit.

XXVII. Crimen falsi esse fori *mixti* eatenus, ut si falsum sit commissum coram judice Ecclesiastico, puniri possit per judicem Ecclesiasticum, etiam in Laico; si vero coram judice Laico, puniendum sit per judicem Laicum, communis est Canonistarum opinio; qui & addunt, Clericum conveniendum & puniendum à judice Ecclesiastico, licet *falsum* commisisset coram judice Laico; neque à judice Laico posse puniri vel principaliter vel incidenter, ut loquitur Bernardus Dias in Praxi crim. *cap. 87.*

XXVIII. Contrarium servari in Gallia jam pridem testatus est Guilielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, verbo *Adela, num 434.* dicens: similiter eos (Clericos) punire Judex sæcularis, si coram eo falsum deposuerint; & ita servatur (ait) *in præsenti Regno*: additurque in margine ex Aufrerio De *Potestate Secul. in Ecclesiast. Reg. 1. limitat. 2. n. 7.*" Et idem videtur de Advocato procuratore, vel notario Clericis coram judice sæculari delinquentibus; & idem in Clerico utente falso instrumento coram judice Laico." Refertque ibidem Aufrerius plura arresta. Videri etiam potest Joannis Galli *Quæst. 56.* & latius Carolus Fevretius De Abusu *lib. 8. cap. 2. num. 16.*

XXIX. Concordata Brabantiæ *tit. 9. art. 15.* habent: "De crimine falsitatis commissæ contra litteras Apostolicas vel Ordinarii, ille cognoscet, coram quo incidet quæstio, salva Principi annotatione & confiscatione bonorum delinquentis, ubi verò de prædicto crimine principaliter quæretur, cognitio & correctio ad judicem sæcularem pertinebit.

Permittunt igitur hæc concordata, ut Judex Ecclesiasticus cognoscat de crimine falsi etiam contra *laicum* saltem *incidenter*, si coram ipso judice Ecclesiastico fuerit commissum: eò quod coram hoc judice deponendo, aut falsum instrumentum producendo, ipsum judicem agnoscat & sortiatur. Julius Clarus *lib. 5. § fin. q. 38. n. 15.* dicit, hoc casu præventioni locum esse; & ita in facti contingentia decisum esse per Concilium Neapolitanum.

XXX. Eodem fundamento decernitur in dictis Concordatis *art. 16.* "Judex Ecclesiasticus cognoscet de delicto custodis, commisso in, & circa officium suum & similiter de delictis procuratorum, & advocatorum, & aliorum Officiariorum Curiæ Ecclesiasticæ, in, & circa officium suum delinquentium.

XXXI. Inter crimina Ecclesiastica referunt prædicta Concordata violationem festorum ab Ecclesia institutorum *art. 14.* "De crimine violationis seu infractionis festorum, ab Ecclesia institutorum, cognoscet Judex Ecclesiasticus,

quando

„ quando violatio fiat per opera manualia, & mechanica publice facta, unde oriri possit scandalum, extra casum necessitatis, & alias non, per hoc tamen non excludetur judex sæcularis, exigere mulctam, si per statuta sæcularia aliqua indicta sint, contra festorum violatores in casu prædicto." Repeti „ poterunt quæ de hac re dicta sunt *parte 2. tit. 16. cap. 6.*

XXXII. Ægidius Magister vulgo *Le Maistre* in Tractatu suo *De Appellationibus & abusu cap. 7.* refert arrestum, quo quidam remulus fuit ad Officialem Aurelianensem in causa *turbationis* Officii Divini, quam causaverat proferendo aliqua verba tumultuosa contra Cantores & Presbyteros, qui Processionaliter ante ædes ipsius transibant: Ratio arresti fuit, uti notat hic auctor, quia *cura divini Officii ad Episcopum pertinet.*

Hac ratione docet Monarcius ad *Auth.* SED NOVO JURE *Cod. De Episcopis & Clericis*, quod " si injuria fiat „ Clericis in Ecclesia, vel dum supplicationes procedunt, litaniæque fiunt publicæ, solius Episcopi illarum esse cognitio-„ nem, etiam adversus laicum.

Verùm testatur Renatus Choppinus *lib. 1. De S. P. tit. 4. num. 24.* Senatum pronuntiasse anno 1549. hoc genus delicti esse *mixti* fori; ut nimirum laicus coram laico, & Clericus coram Ecclesiastico judice conveniendus sit. Vide latè Carolum Fevretum; ubi monet, quod si laici rixati sint in Ecclesia, aut verba injuriosa protulerint etiam contra Sacerdotes aut Ministros in Divino Officio occupatos, cognitio sit judicis laici, modo tumultus non processerit ex contemptu Divini Officii.

XXXIII. Julius Clarus loco citato *quæst. 36. num. 47.* scribit, quod crimen laici percutientis Clericum sit *mixti* fori, nimirum ut judex Ecclesiasticus procedat ad pœnas Ecclesiasticas; laicus verò ad pœnas Fisco applicandas. " Uterque e-„ nim judex (ait) videtur offensus; meritò uterque ad pœnam „ sui fori procedere debet cùm pœna spiritualis non tollat „ temporalem, nec contra.

XXXIV. In citatis Concordatis Brabantiæ *tit. 9. art. 12.* de hoc crimine decernitur: " De crimine injectionis manuum „ in personas Ecclesiasticas, cognoscet uterque judex, & puni-„ et secundùm qualitatem suæ jurisdictionis, nisi pœna mortis „ reo inflicta fuerit, quo casu judex Ecclesiasticus amplius non „ poterit cognoscere.

XXXV. De delicto in quantum est in Ecclesia commissum, & ea ratione habet aliquid de sacrilegio, cognoscere judicem Ecclesiasticum, videntur supponere prædicta Concordata *art. 13.* ubi dicunt: De crimine effractionis & pollutionis Ecclesiæ vel cœmeterii, quantum ad effractionem vel pollutionem per vim factam, judex sæcularis cognoscet & puniet. Deinde subjungit: " Et quia delictum in Ecclesia est commissum pote-„ rint etiam delinquentes hoc casu per Episcopum puniri.

Hic patenter supponitur, quod tametsi ob violentiam seu vim illatam judex sæcularis de delicto cognoscere queat, nihilominus judicem Ecclesiasticum idem delictum punire posse, idque eo titulo quod *in Ecclesia* sit commissum.

Unde si pollutio Ecclesiæ vel cœmeterii fiat sine vi, judicis Ecclesiastici erit cognitio, ut eodem articulo declarant Concordata.

XXXVI. Crimen usurarum esse *mixti* fori si agatur *criminaliter*, docet Julius Clarus loco citato *quæst. 37.* eatenus nimirum, ut laicus judex agat adversus laicos, Ecclesiasticus verò contra Clericos usurarios. Similiter potest judex laicus cognoscere, an contractus sit usurarius vel non, si id *incidenter* coram eo incidat; si nimirum reus conventus ex contractu dicat, illum esse usurarium: secus verò si *principaliter* quæratur, num contractus sit usurarius. Hanc enim quæstionem esse fori Ecclesiastici, post alios Canonistas asserit Julius Clarus. Quid in Gallia obtineat tradit Fevretus citato *cap. 2. n. 6.*

XXXVII. Concordata Brabantiæ videntur hoc crimen pro crimine *mixti* fori habuisse. Volunt enim *art. 26.* " De cri-„ mine usuræ notoriæ cognoscet & puniet Ecclesiasticus ju-„ dex, quo ad incursum censurarum & absolutionem ab eo, „ salvo, quod se non intromittet de usurariis existentibus sub „ tolerantia, vel salva guardia Principis, & judex laicus pœnam „ etiam usurariis imponere poterit, secundum jurisdictionis suæ qualitatem.

XXXVIII. Senatum Brabantiæ cognoscere & judicare, nū contractus sit usurarius, vel non, probant ejusque Senatûs decisiones apud Stockmannium *Decis. 75.* & *76.* ubi referuntur dicti Senatûs judicata in materia usurarum; eaque occasione nonnulla notantur in hac materia observatu digna, præsertim *Decis. 45.* testaturque à Senatu Brabantiæ anno 1642. declaratam fuisse usurariam cautionem ea forma conceptam, *ut confiteretur debitor se accepisse à Titio aureos mille ad reditum annuum; & donec pecunia redderetur, se quotannis persoluturum sex in centum: Titium autem repetere volentem nummos suos admoniturum debitorem sex mensibus ante diem cadentem.*

Apparebat enim revera *mutuum* esse contractum, licet nomen *reditus* esset expressum. Ostendit ibidem Stockmannius, non esse admittendos titulos paciscendi certas summas ultra sortem, qui à nonnullis Theologis adducuntur, ni unâ velimus apertis januis usuram recipere; & dicere, prohibitionem fœnoris scriptam esse verbis, non rebus.

Plura ibidem notatu digna notavit Stockmannius; atque inter alia, Mercatores non semper tutos in conscientia dum stipulantur usuras juxta Constitutionem Caroli V. de 4. Octob. 1540. tametsi in foro *externo* actio ipsis concedatur.

MONUMENTUM AD CAPUT QUINTUM.

Resolutio Doctorum Lovaniensium super exactione juramenti de non fraudato publico vectigali.

CASUS.

AD plenius Colligendum tributum seu gabellam farinæ impositam in quadam Regione, imponitur Incolis, ut nisi conveniant cum aemptoribus dicti Tributi, jurare debeant, quantum consumant farinæ in sua familia pro mense vel anno, &c. & non plus.

QUÆRITUR.

An rectè tale juramentum Incolis imponatur salvâ conscientia & bono publico?

RESOLUTIO.

Per exactionem juramenti, de quo in casu, plurimum multiplicanda fore juramenta nequaquam obscurum est.

Imprimis in ea Regione factiè quicumque Incolæ farinâ indigentes (& quis non indiget?) Ad hoc juramentum adigentur, aut certè incitabuntur, ut se à conventione ad beneplacitum Collectorum hujus gabellæ ineundâ liberent, atque minore pretio sese à gabellis illis eximant.

Adhæc, si juramentum hoc à Collectoribus hujus Regionis exigi permittatur, non dubium quin eorum exemptum aliarum Regionum Collectores non minus ac hi lucro inhiantes sint immoraturi.

Deinde si pro securiore exactione hujus gabellæ juramentum Incolis imponi sinatur, quidni eadem ratione pro assequendis aliis gabellis imponi sinetur; atque ita quasi in infinitum juramenta multiplicentur & quotidiana redauntur?

Ex hac multiplicatione duo quasi naturaliter ac morali certitudine sequentur.

Pri-

Primum est ipsius jurisjurandi contemptus atque vilipendium; notum quippe est frequentiam inducere irreverentiam, & jam pridem dictum à Tertuliano: semper abundantia contumeliosa in semetipsa est. *Unde illud vulgatum S. Augustini: Ench. cap. 80.* "*Peccata quantumvis gravia, cum in consuetudinem venerunt, aut parva aut nulla esse creduntur.*

Alterum illudque præcipuum, perjuriorum multiplicium non tantùm periculum, sed certa quasi sequela.

Jam enim pridem observatum est, multiplicari perjuria multiplicatis juramentis: ideoque notarunt Patres, quod licet Christus dicendo: Ego dico vobis non jurare omnino &c. *non quidem absolute jurare vetuerit; tamen tamquam periculosum sollicite cavendum voluerit: ne non satis cavendo in perjurium incidatur: quod post SS. Patres sapientissimè expressit Innocentius III. in Cap.* Etsi Christus 26. ✠ *de Jurejurando:* "*Quædam enim prohibentur, ait, quia per se mala sunt, ut furtum, adulterium & hujusmodi, quæ non sunt aliquatenus facienda. Quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala sunt, sed quia, si fiant frequenter & multum, ex his mala sequuntur: ut vinum per se malum non est, & tamen prohibet Apostolus dicens:* Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, *quoniam ex frequenti & immoderata potatione vini luxuria generatur. Sic & juramentum per se quidem malum non est, cum sit confirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ex causa quoniam ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpè contingit: sicut in Ecclesiastico legitur:* Vir multum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus plaga.

Hinc magna semper fuit tam Ecclesiastici quam Civilis Magistratûs cura, ne juramenta multiplicarentur, aut ubi multiplicata erant diminuerentur.

Sic in legibus antiquis Visigothorum lib. 2. cap. 22. legimus: "*Judex ut bene causam cognoscat, primum testes interroget: ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit certius inveniri, ne ad Sacramentum facilè veniatur. Hoc enim justitia potius indagatio vera commendat, ut Scripturæ ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omnino suspendat.*

Et in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. cap. 79. "*Volumus ut Sacramenta cito non fiant, sed unusquisque judex prius causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere non possit, ne facilè ad Sacramenta veniant.*

Si hæc tam sollicitè etiam in judiciis, ubi est Judex qui jurantes instruere monere atque etiam terrere potest jam pridem Principes ob jurisjurandi Religionem atque perjurii pericula decreverint, quanto magis putamus extrajudicialia hæc juramenta à quibuscumque etiam idiotis atque plebeis hominibus passim præstanda præcavissent, ne dicam improbassent? Reipublica Moderatoribus Ecclesiasticum Magistratum jungentes Patres Concilii Coloniensis anno 36. præteriti sæculi de hac juramentorum multiplicatione audiamus: "*Multiplex illa facilis juramentorum exactio inquiunt, quæ in judiciis Ecclesiasticis fit nobis probari non potest. Christus inter perfectionis hortamenta ponit & illud, ut in totum abstineamus ab omni jurejurando. Quo colore ergo consuetudo nunc passim jurantium in omni negotio excusari possit, non videmus, nisi aut gravitate negotii aut necessitate.*

Rationem improbatæ multitudinis juramentorum hanc addunt: Crebris juramentis raro deest perjurium quod gravissimè punit Deus, *Hac parte 13. cap. 13.*

Ex parte 3. cap. 20. reflectentes ad multiplicia juramenta in quibusdam Capitulis præstari solita ita loquuntur: "*Cum Christus tam serio jurandi facilitatem prohibuerit, ut nisi necessitate veritatis alioqui periclitandæ, cogamur, omnino non jurare debeamus: coercenda est illa immoderata in Capitulis juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multa incipitia perjuria corruant; quorum non tantum illi qui pejerant, sed & qui causam perjurii temerè exigendo præstant, rei sint.*

Hæc indubiè perjuriorum multiplicatio incrementum capiet, si jurantes lucrum sibi accessurum, aut certè damnum temporale à se avertendum mediante perjurio prævideant. Quam enim ad pejerandum proclives sint homines, dum de lucro captando aut damno vitando agitur, etiam ipsos imperatores & jurisconsultos Romanos in densissimis ipsius gentilitatis tenebris novisse non obscurum est ex l. 8. ff. de Conditionibus Institut. *ubi Ulpianus scribit.* "*Quæ sub conditione jurisjurandi relinquuntur, à Prætore reprobantur. Providit enim ne is qui sub jurisjurandi conditione quid accepit, aut omittendo conditionem perderet hæreditatem, legatumve, aut cogeretur turpiter accipiendi conditionem jurare: voluit ergo, eum, cui sub* jurisjurandi conditione *quid relictum est, ita capere, ut capiunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio infertur.*

Deinde Edictum Prætoris probans Ulpianus ait: "*Et rectè: cum enim faciles sint nonnulli hominū jurandum ad contemptu Religionis, alii perquam timidi metu Divini Numinis usque ad superstitionem, ne vel hi vel illi aut consequerentur aut perderent quod relictum est Prætor consultissimè intervenit.*

Quid Principes Christiani senserint, vel ex sola Constitutione in materia præsentem quæstionem propius attingente, quæ refertur lib. 2. Capitularium cap. 39. intelligi poterit. "*Qui decimas post creberrimas monitiones & prædicationes dari neglexerint excommunicentur, inquiunt, juramento verò eos constringi nolumus.*

Igitur etiam gravissima pœna qualis est excommunicatio, subditos suos ad solvendas decimas à Sacerdotibus constringi permittunt; non tamen juramento; rationem attendamus verbis præcedentibus subjectam: Propter periculum perjurii.

Si hic piissimi illi Principes periculum perjurii in subditis veriti noluerint eos juramento ad solvendas decimas constringi, an non meritò Principes nostri juramento de quo quæstio, subditos suos constringi vetabunt propter periculum perjurii?

Num fortè credetur, minus proclives futuros ad pejerandum ut se à Gabellis Regi pendendis eximere queant, quam ut se à decimis Ecclesiæ solvendis liberent?

Ne quid nostro judicio conjecturaque depromamus, audiamus quid de his crediderit verè magnus, & teste Suidâ omnium eloquentissimus & in omni doctrinæ genere summus S. Basilius: tempore quippe illo quidam Collectores Tributorum, spe majoris lucri incitati, homines etiam Rusticos ad juramentum adigere cœperunt non secus atque hi, de quibus in casu. Videamus verba dicti sancti: epist. 205. "*Per omnes usque Synodos & conventus publicos, inquit, contestari non intermitto: per omnes omnino privatos congressus de eadem re disserere non desisto: juramenta non esse in publicis exactionibus à colonis exigenda per reductores: reliquum est de iis & per litteras coram Deo & hominibus protestari, non esse vobis illo insistendum adhuc ulterius, quo mortem animabus inferatis: alias vobis esse ineundas excogitandasque rationes exactionum & nequaquam vulnerandas hominum animas esse. Hæc ad te scribo, non in eum finem quod sit opus tibi per me sermone hortatorio (domi enim habes occasiones & argumenta timendi Deum) sed ut omnes illi, qui à te pendent, per te docti discant, ne sanctum illum ad iram excitent, aut rem interdictam per consuetudinem malam inveteratam quasi indifferentem haberi faciant. Neque enim ad res redigendas quæ quam illis profuerint juramenta: at malum manifestarium & in confesso positum exinde hominum animis inuritur. Si enim perjurium parvi semel facere incipiant homi-*

non

„*non deinceps se ad faciendam solutionem comparabunt, sed juramentum se invenisse rebuntur, fraudis & doli mali instrumentum & dilationis faciendæ occasionem.*" *Hactenus Basilius, qui casum propositum tantâ vehementiâ, & perspicuitate resolvit, ut vel sola sancti Doctoris resolutio pro omni resolutione sufficere deberet.*

Et tamen si hæc suo tempore Basilius, quid putamus dixisset hac nostra ætate, dum non solum quorumdam interpretatione scimus adeo extenuatum illud præceptum: Cui vectigal, vectigal, cui tributum, tributum; *ut pene contra Apostolum persuasum sit, propter timorem non propter conscientiam tributa Regibus esse solvenda; sed etiam ob nimiam nunc multiplicatam juramentorum exactionem & frequentiam, adeo jurisjurandi religio apud multos deperiit, ut sine ullo pene examine veritatis, utilitatis vel necessitatis juretur.*

Dum insuper tot restrictionibus, æquivocationibus & aliis palliis perjuria à quibusdam occultantur, ut perjuria tantum hominum imperitorum & scrupulosorum esse credantur: jamque verius dici queat, quod suo tempore dixit S. Augustinus in libro contra Mendacium cap. 18." *Sunt in eis docti qui etiam regulas figant finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lacrymarum! Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Dicimus ergo cum Carolo Magno vetante constringi subditos suos ad solvendas decimas mediante juramento propter periculum perjurii; *& cum magno Basilio, qui nec publicè nec privatim destitit adversus exactionem juramenti in tributorum solutione intonare, juramenti impositionem de qua in casu, neque incolarum conscientiæ neque bono publico expedire, sed alias potius ineundas excogitandasque rationes exactionum, ne alias patria perjuriis impleatur: atque hinc in suis terris & Regnis implere conspiciant Principes comminationem Prophetæ Zachariæ cap. 5. ✝. 3. & 4.* Hæc est maledictio quæ egreditur super faciem omnis terræ..... Et veniet..... ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & Lapides ejus. *Ita responsum Lovanii hac 22. Octobris anno 1696. Signarunt Doctores Theologiæ.*

G. HUYGENS S. Theol. Doctor & Prof.
HERM. DAMEN S. T. Doctor & Prof. Ord.
D. M. HARNEY Facultatis Theol. Doct. Regens.
GUILIELMUS RENARDIS. T. D. & Prof. Reg.
M. STEYART Vic. Ap. S. D.
FRANCISCUS MARTIN. S. T. Doctor & Prof
HENRICUS DE CHARNEUX S. T. Doct. & P. R.
J. SULLIVANE S. Theol. Doctor & Prof. Regius.

Et Jurium.

J. LISER J. U. Doctor & SS. Can. Prof. Ord.
J. HERYS J. U. Doctor & Prof. Reg.
A. TONSERN. J. U. Doctor & Prof. Ord.
Z. B. VAN ESPEN J. U. Doctor & SS. Can. Prof.

TITULUS V.

De Judicibus Ecclesiasticis & Arbitris.

CAPUT I.

De Judice Ordinario & eorum Officialibus.

Qui apud Romanos dicti Judices Ordinarii?
Horum exemplo qui Jure Canonico vocati sint Ordinarii?
Definitio Judicis Ordinarii.
Non incongruè dicuntur Judices nati.
Legati à latere impropriè dicti Judices Ordinarii.
Jurisdictio Ordinaria nec auferri nec restringi sine causa & citra juris ordinem potest.
Nomine Ordinariorum *intelligi solent Episcopi.*
Episcopus jure suo habet jurisdictionem in tota Diœcesi.
Habet de jure fundatam intentionem exercendi jurisdictionem in omnes personas suæ Diœcesis.
Episcopus retinet jurisdictionem donec plenè *probetur exemptio.*
Episcopus solus habet de jure jurisdictionem generalem *per suam Diœcesim.*
Nullus ad exclusionem Episcopi potest jurisdictionem exercere, nisi eam plenè *probaverit.*
Multis sæculis tota auctoritas causas decidendi mansit pœnes Episcopos.
Episcopi Clerum suum in decidendis causis consulere & adhibere soliti.
Causas summariè decidere, aut partes ad concordiam adducere satagebant.
Difficiliores quæstiones ad Synodos deferebantur.
Episcopi causas inferioribus Prælatis & Archidiaconis committere cœperunt.
Quâ ratione Prælati & Archidiaconi sensim facti sint Judices Ordinarii.
Quomodo hac occasione constituti Officiales, *jurisdictioni Episcopali præessent?*
Quo præcisè tempore constituti sint Officiales *incertum.*
Sæculo 12. *notus erat usus Officialium in Gallia.*
Quin & eodem tempore in ministerium illud graves abusus irrepserant.
Officialium vitium erat munerum *acceptio.*
Episcopi per Officiales lucrum sibi captabant.
Exemplo Episcoporum inferiores Prælati etiam Officiales constituere cœperunt.
Plures cœperunt Officiales constitui.

27 *De multitudine Officialium querela Nobilium Regni Galliæ.*
28 *Eadem querela Principum Germaniæ.*
29 *Officialium aviditati forensis litigandi forma, & litium protractio adscribenda videtur.*
30 *Tempore Petri Blesensis* sæculari jure *causæ agitabantur in foro Ecclesiastico.*
31 *Querelæ Principum nostrorum contra excessus Officialium.*
32 *Ecclesia usum Officialium non reprobat; licet abusus improbet.*
33 *Tribunal Officialis idem cum tribunali Episcopi; diciturque* Ordinarium.
34 *Episcopi pro suis Officialibus rationem reddituri attendere sollicitè debent quos constituant.*
35 *Officiales constituendi in quibus non est* avaritia, *& qui strepitus forenses non quærunt.*
36 *Qui persequantur vitia, non homines propter bursam.*
37 *Ne Officiales in decidendis causis carni aut sanguini indulgerent, voluit S. Carolus ut potius ex aliena Diœcesi assumerentur.*
38 *Voluit insuper sæpius per Episcopum visitari tribunal Officialis.*
39 *Voluit ut justitia* gratis *omnino administraretur.*

I. JAm pridem apud Romanos Judices *Ordinarii* dicti videntur ad distinctionem illorum, qui dantur à Principe *extra ordinem*, de quibus apud Julium Paulum *lib. 5. Recept. Sent. tit. 5.* atque hoc modo Judices Ordinarii recepti apud Ammianum Marcellinum *lib. 16.* credit Janus à Costa in Commentario ad titulum Decretalium *De Officio Judicis Ordinarii.* Verba Marcellini sunt: " Inter „ *Ordinarios* Judices Ruffinus primus Præfectus Prætorio; „ & inter Militares Equitum magister Arbetio.

II. Hoc forsan exemplo contigit, ut & Jure Canonico Judices *Ordinarii* dicti fuerint ad differentiam Judicum qui quasi *extra ordinem* à Pontifice pro quibusdam causis terminandis delegantur; vocanturque Judices *Delegati*: quæ distinctio occurrit in *Cap.* 5. *&* 8. ⅹ *De Officio & Potest Jud. Deleg.* ubi apertè Judex Delegatus distinguitur ab *Ordinario.*

III. Itaque

Digitized by Google

III. Itaque de Jure Canonico, & hodierno usitato loquendi modo, Judices *Ordinarii* dicuntur, qui jurisdictionem non ex speciali aliqua delegatione seu commissione, sed vi suæ Dignitatis sive officii accipiunt. Unde Judex Ordinarius à Canonistis definiri solet, qui jurisdictionem habet, quam *jure suo* seu *jure* Ecclesiasticæ suæ Prælaturæ vel Magistratûs quo funguntur, exercet.

IV. Quare & hi Judices quasi nascuntur, nec inconvenienter ad exemplum Legati *Nati* (de quo *parte 1. tit. 21. cap.1.*) dici possent Judices *Nati*; quasi cum ipsa Prælatura sive officio, cui præficiuntur, absque ulla speciali delegatione, Judices nascantur.

V. Verum quidem est, Legatos Summi Pontificis, qui cum summa potestate mittuntur in Regna & Provincias habere *Ordinariam* jurisdictionem, atque dici *Ordinarios*; quamvis jurisdictionem & auctoritatem suam habeant ex *speciali* delegatione Pontificis. Quia, uti rectè notat Eruditus Franciscus Florens ad titulum *De Officio Ordinarii*, " Præterquam „ quod nova est illa Constitutio, & contra Jus vetus & com„ munem Interpretum sententiam; solent tamen non absolutè, „ sed cum adjunctione appellari Ordinarii *ex delegatione S.* „ *Pontificis*: cæteri verò propriè & absolutè *Ordinarii* dicun„ tur, vel *Ordinarii locorum*, ut appellantur in *Cap. 3. De* „ *Off. Ord. in 6.*

VI. Ex hac descriptione Judicis Ordinarii consequens est, jurisdictionem Ordinariam alicui sine causa aut citra ordinem juris hodie adimi non posse, imò nec restringi; non magis quàm Prælatura aut Dignitas auferri, vel in totum vel pro parte possit. Cum enim hæc jurisdictio sit ipsi Prælaturæ sive Dignitati aut officio annexa; atque possessorem Prælaturæ sive Dignitatis aut officii indivulsè sequatur, eamque jure Prælaturæ exerceat, evidens est, quod si ipsi vel in totum vel pro parte auferretur, unà ipsa Prælatura adimeretur.

VII. Licet omnes qui *jure suo* sive jure suæ Dignitatis vel Prælaturæ jurisdictionem exercent, dici queant *Ordinarii*; nihilominus nomine *Ordinariorum*, vel *Ordinariorum locorum* intelligi solent *Episcopi*, & nomine tribunalis *Ordinarii*, tribunal Episcopale.

VIII. Cùm enim Episcopo tamquam particularis Hierarchiæ sive Ecclesiæ & Diœcesis suæ Capiti competat totius Diœcesis cura & regimen, quemadmodum *parte 1. tit. 16. cap. 4.* exposuimus; etiam eidem primariò, & quasi essentialiter competit jurisdictio spiritualis & Ecclesiastica totius Diœcesis; adeoque jam pridem dixit Bonifacius VIII. in *Cap. 7. De Officio Ordin. in 6.* quod *Episcopus in* TOTA *sua Diœcesi jurisdictionem* ORDINARIAM *noscatur habere*.

IX. Hinc post Glossographum ad citata verba Bonifacii tradunt Canonistæ, quod Episcopus de jure communi habeat intentionem fundatam super exercitio jurisdictionis per totam suam Diœcesim & in omnes personas suæ diœcesis, *ita quod qui se dicit exceptum, habeat hoc probare*, ut loquitur Glossographus.

X. Ulterius inde deducitur, quod Episcopus ex asse sua jurisdictione uti queat contra Clericos & Regulares suæ Diœcesis, donec exemptio *plenè* probata fuerit; adeoque & in casu Concilii Trid. *Sess. 25. cap. 6. De Reformat.* solus procedere potest, donec Capitulum per *tres* sententias *conformes* docuerit de legitima sua exemptione; quemadmodum observat Zypæus in Jure Novo *tit. De Officio Ordin. numero 19.*

XI. Quinimo notat Glossographus ad allegata verba Bonifacii VIII. " quod Episcopus *solus* habet jurisdictionem Ordi„ nariam *generalem* in tota sua Diœcesi. Unde (ait) territo„ rium est *solius* Episcopi, & non Archidiaconi vel alterius in„ ferioris Prælati.

XII. E quo concluditur, quod nullus possit in Diœcesi uti jurisdictione, nisi eam legitimo titulo sibi competere docuerit. Deinde hinc concludunt Canonistæ, quod jurisdictio inferioribus concessa semper intelligatur dumtaxat concessa *cumulativè*, non autem *privativè* cum exclusione Episcopi, nisi clarè & plene probetur.

XIII. Multis sanè sæculis penes Episcopum mansit judicandi auctoritas; ipseque Episcopus causas discutiebat, & decidebat.

XIV. Verum ut Episcopi ostenderent, se non dominandi animo velle præesse; neque omnia suo privato arbitrio decidere & regere, nihil penè sine Presbyteris, Diaconis & Clericis agere aut tractare volebant, ut probant Canones relati apud Gratianum *Caus. 15. q. 7.* & ostendimus *parte 1. tit. 8. c. 4.*

Forma judicandi primitus servata exhibetur *lib. 2. Constitut. Apostol. cap. 47.* quæ Constitutiones licet Apostolis tribui nequeant, videntur tamen circa sæculum IV. collectæ, & disciplinam illius ætatis exhibere.

Hic itaque præscribitur, ut " judicio assistant Diaconi & Presbyteri qui citra acceptationem personarum tamquam homines Dei justè judicent.

XV. Deinde additur: Si inter duas personas quæstio esset, utraque in judicium veniebat, eisque auditis, ferebantur suffragia, ita tamen, ut prius operam omnem impenderent, ut causa amicabiliter componeretur, & disceptantes ad concordiam revocarentur. Verba sunt: " Cum igitur utraque persona si„ cut lex jubet, in judicium venerit, stabit uterque disceptanti„ um in medio judicio, quibus auditis, ferte sanctè & incor„ ruptè suffragia, & date operam, ut antequam Episcopus „ pronuntiet, fiant amici, ne exeat Episcopi sententia super ter„ ram contra eum qui deliquit: quia habet secùm in tribunali „ Christum Dei filium judicii comprobatorem & cogito„ rem.

Ex his habemus, causas tunc summariè, utrimque parte auditâ, fuisse decisas; operamque præcipuè impensam, quomodo partes ad concordiam adducerentur; omnisque dissensionis & amaritudinis radix è cordibus Fidelium eradicaretur, atque ita veri inter se amici fierent. Intelligitur insuper ex citatis, quod licet Diaconi & Presbyteri assisterent, sententia nihilominus ab Episcopo esset pronuntianda.

XVI. Si causæ sive quæstiones majoris momenti incidebant, Episcopus non tantum Presbyteros, Diaconos & Clerum civitatis Episcopalis (qui quasi ipsius Ordinarium Senatum constituebant) sed ex *tota* sua Diœcesi convocabat; quem conventum hodie dicimus Synodum *Diœcesanam*. In hoc autem conventu Episcopus notabiliores quæstiones & difficultates proponebat & unà cum suo Clero discutiebat, ac de eorum consilio decidebat: uti suprà *parte 1. tit. 18. cap. 2.* dictum est.

XVII. Verùm sensim Episcopi, multitudine negotiorum & causarum obruti, præsertim in magnis civitatibus, & vastioribus Diœcesibus; cœperunt causas committere alicui Presbytero & sæpius Archidiaconis suis: quod tum magis frequentari cœpit, ubi jurisdictio Episcopalis ad causas quoque *civiles* Laicorum extensa fuit.

XVIII. Ex hac autem frequenti, & sæpè indefinita causarum delegatione, tandem cœperunt nonnulli Presbyteri & Archidiaconi jurisdictionem sibi delegatam in *ordinariam* jurisdictionem vertere, & ut talem sibi vindicare præsumpserunt; atque reipsa tandem *Ordinarii* judices facti sunt. Uti supra *parte 1. tit. 12. cap. 1.* ostendimus.

Et quidem sub medium sæculi 12. inter *Ordinarios* judices Ecclesiasticos in nonnullis partibus fuisse Archidiaconos, Abbates, aliosque Ecclesiarum Prælatos probatur ex Synodo Remensi sub Eugenio III. anno 1148. è qua refertur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum tit. De Judiciis *capite 2.* " Decerni„ mus, ut laici etiam Ecclesiastica terminare negotia non „ præsumant, & Episcopi, Abbates, Archidiaconi & alii „ Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasticis, vel de illis „ quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum judicio non dis„ ponant.

Eadem Constitutio extat in Decretalibus Gregorii eodem titulo *cap. 2.* sed nonnihil mutilata. Interim notant passim Canonistæ, Abbates, Archidiaconos aliosque Prælatos hic unà cum Episcopis inter judices *Ordinarios* constitui: & quod

Archidiaconos latius ostendimus *parte* 1. *tit.* 12.

Porrò Episcopi videntes, Archidiaconos sibi ordina- quasi independentem ab Episcoporum delegatione onem assumpsisse, maluerunt causas ad suum forum s aliis quibusdam Presbyteris committere & delega- n propria nec ordinaria, sed aliena & delegata aucto- sdictioni præessent; & quorum auctoritas tota ab E- m quasi nutu & arbitrio dependeret; quos alibi *Vi-* nquam vices Episcoporum supplentes; alibi *Officia-* cio quod vice Episcoporum obibant, vocarunt.
Quo tempore cœperint Episcopi constituere Officia- catos, qui jurisdictioni contentiosæ vice ipsorum non omnino constat; admodumque verisimile est, e eodem tempore, praxim hanc invaluisse.
æculo 12. fuisse in Gallia Officiales Episcoporum *epistola* 25. Petri Blesensis, *Officiali* Episcopi Car- scriptâ. Neque in hac Carnotensi Ecclesia tantum, stabilitum fuisse tum temporis usum Officialium a ostendit.
Quin & eo jam tempore officialium illud variis abu- ucatum fuisse ex eadem epistola evincitur.
r enim hunc Officialem amicum suum, quia eum imè diligebat in visceribus Jesu Christi, " Ut de dæorum, & de medio Babylonis tempestivus exeat, erium *damnatissima* villicationis omittat.
audet dicere: " Credo hujusmodi Officiales non ab *omine*, sed ab Officio, *verbo*, mutuasse vo- : *Nam genus hoc hominum, quod dicunt offici-*

Officialium vitium fuisse, munera accipere, indicat entis, exprobans amico suo, eum cupiditate mune- datum acceptasse. " Scio (ait) quia *munerum* cu- vertit cor tuum, ut fieres Officialis Episcopi: ue legeras, sed fortè negligebas verbum illud bea- is devorabit corpora eorum, qui munera libenter

Quin & illud ex eadem epistola intelligimus, quod opi per Officiales jurisdictionem suam quasi ve- erent; atque per Officiales divitias sibi attraherent. ialis intentio est (inquit) ut ad opus Episcopi suæ i commissas miserrimas oves quasi vice illius ton- gat & excoriet. Isti enim sunt Episcopi sanguisu- ites alienum sanguinem quem biberunt.... Quod gant per oppressionem pauperum, Episcopis qui- cias cedit, Officialibus ad tormentum.... Sic E- tali longa manu bona aliena diripit, & notam cri- movens, suis Officialibus culpæ & infamiæ di- ingit.
inferiores Prælati videntes, quod Officiales in copórum non modicum lucrum derivarent, cœ- suos constituere Officiales, & tribunalia suis mi- a erigere; è quibus & sibi non modicum emolu- nturum sperabant.
que majus esset lucrum, non fuerunt Episcopi ontenti, sed plures in diversis suæ jurisdictionis designare; qui omnes ad sua & Dominorum ntenti, mirum in modum homines torquebant, do excoriabant. Hinc & orta distinctio Offi- *lis & foranei*, de quibus *parte* 1. *tit.* 12. *ca-*

hac Officialium magna multitudine, & populi querela Baronum Galliæ proposita coram o Rege Galliæ per Petrum Cugnerium *art.* 16. elati habent magnam multitudinem Officiali- ant Præpositos Clericorum, qui quidem Offi- communiter citationes vivâ voce contra quas- er dominium Regis & alibi sine commissione et Diœcesi esse non debebat, nisi sedes una i cognoscitur de causis. Et ex hoc accidit plu- ltæ personæ sine causa coram eis citantur ad

„ finem quod redimant se de magna pecuniæ quantitate: quod „ est in magnum præjudicium Regis subditorumque suorum „ & jurisdictionis temporalis eorumdem.

Huic articulo reponebant Prælati, quod " tam de ratione, „ quàm de jure & consuetudine quilibet Prælatus in quacum- „ que parte suæ Diœcesis potest habere Officiales suos, & alias „ personas ad jurisdictionem Ecclesiasticam exercendam..... „ quilibet enim Dominus temporalis ubicumque in terra sua „ potest habere gentes & justitiarios suos, & eadem ratione & „ spiritualis Judex.

XXVIII. Inter gravamina Principum Germaniæ in Comitiis Norembergicis Oratori Pontificio exposita anno 1523. Articulus 55. concernebat Officiales Archipresbyterorum, " Qui (ut dicunt) ut plurimùm sunt indocti, inhabiles; insuper „ & scurrilibus moribus, nihil pensi habentes, nihil aventes, „ quàm pecuniam..... Adhæc per leves ac viles has Officia- „ lium personas, in quorum conscientiis nulla Christianæ pie- „ tatis viget ratio, sed tantum sceleratus habendi amor, laici „ miserè ad vivum usque in bonis suis spoliantur, ac depræ- „ dantur.

Officiales lucro inhiantes, nequaquam litibus extinguendis, „ controversiisque amicabiliter sopiendis; sed potiùs suscitan- „ dis & extrahendis intendebant.

XXIX. Hinc non immeritò Officialium multiplicationi adscribenda videtur non tantùm litium multitudo, sed & forensis litigandi forma, & lites æternizandi, quæ ab aliquot sæculis forum Ecclesiasticum intravit; & in suis Synodis, quantum temporum & rerum conditio patiebatur, extirpare studuerunt, uti infra *titulo De Instructione litium* videbitur.

XXX. Teste enim Petro Blesensi in citata Epistola, eo tempore judicia & causæ Ecclesiasticæ *sæculari* jure ab Officialibus decidebantur. Dicit enim ad amicum suum: " Hanc administra- „ tionem, quam tibi damnabiliter usurpasti, patientiùs ferrem, „ nisi Sacrarum Litterarum scientiâ præemineres, Causæ & „ judicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immis- „ ces, potiùs *consuetudinario* & *sæculari* jure deciduntur. Vi- „ rum litteratum & Ecclesiasticum non sic decebat sæculari- „ bus negotiis implicari.

Post hæc addit: " Officium Officialium, quorum te nu- „ mero aggregasti, hodie est, jura confundere, suscitare li- „ tes, transactiones rescindere, innectere dilationes, sup- „ primere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, „ æquitatem vendere, inhiare exactionibus, versutias concin- „ nare.

XXXI. Non desunt quoque Belgarum querelæ adversus gravamina & excessus Officialium uti videre est in Ordinatione Maximiliani & Philippi de 24. Augusti anni 1486. in qua conqueruntur, subditos suos passim in actionibus personalibus & profanis ac merè civilibus citari coram Judice Ecclesiastico: idque frequenter ex causis admodum vilibus, exiguis & futilibus, puta pro summa 10. aut 12. grossorum plus minusve: & quod in casu non comparitionis citatorum, procedant contra ipsos per excommunicationes & alias censuras, ita ut subditos nostros (inquiunt) redigant ad totalem ruinam & paupertatem. Verba sunt: *Et souventes fois, pour bien miserables, petites & inutiles actions, comme de dix ou douze gros pour une fois ou peu plus ou moins: par la Noncomparition des cites, procedent contre eux par excommunications & autres Censures, en telle maniere qu'ils mettent nosdits Subjects à totale perdition & poureté.* Id est: Et frequenter ob viles, exiguas & futiles actiones qualis decem aut duodecim grossorum plus minus semel dumtaxat debitorum, eò quod citati non compareant, adversus eos excommunicationibus aliisque censuris procedunt eo usque ut subditos nostros penitus ad ruinam & inopiam redigant.

Similes querelæ occurrunt in Edicto Caroli V. de 5. Augusti 1521. quo statuitur, nullum laicum coram judice Ecclesiastico posse citari, nisi causâ citationis in libello nominatim expressâ, de quo supra *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 21.

Digitized by Google

XXXII. Hactenus dicta sat ostendunt, Officialium hodiernorum institutionem esse ævi recentioris; ac cum ipsis in tribunalia Ecclesiastica forensem modernum litigandi morem & strepitum intrasse; ipsisque Ecclesiasticis Tribunalibus venerationis & existimationis multum ipsorum occasione deperiisse; & Ecclesiasticæ jurisdictioni non parum fuisse detractum (uti infra tit. *De instructione causarum* latiùs demonstrabitur) nequaquam tamen ex iis concludi potest, Officiales esse ab Ecclesia reprobatos, aut Episcopos ipsorum operâ uti non posse.

Imo scitur, quod licet Ecclesia optaret, citra fori sæcularis strepitum, & forenses formulas Judicia Ecclesiastica agi, & quæstiones finiri ad normam primorum sæculorum (uti infra videbitur) nihilominus quamdiu illud obtineri nequit, non improbat, ut Episcopi negotiis majoribus occupati, Judicia forensia Officialibus committant; ipsamque jurisdictionem per ipsos exerceant; ut supra *parte 1. tit. 12. cap. 4.* ostendimus, ubi speciatim De *Officiali* Episcopi actum fuit.

XXXIII. Illud hic addendum, Officialem esse hodie jurisdictionis Ordinariæ, quæ alias Episcopo competat, ministrum; atque per Judicem *Ordinarium* vulgo intelligi hodie Officialem Episcopi, utpote qui vices Episcopi in exercitio jurisdictionis supplet: ideoque tribunal Officialis etiam est tribunal Episcopi. Unde & causæ reservatæ cognitioni & jurisdictioni Episcopi, etiam per Officialem cognosci & judicari possunt, nisi nominatim declaretur, Episcopum *per se* de causa cognoscere & judicare debere.

XXXIV. Ulterius quia Officiales vices Episcopi in munere judiciario supplent, meritò monet Concilium Narbonense anno 1609. *cap. 41.* "Officiales pro quibus rationem reddituri sunt Episcopi, ut officio fungantur hortentur sæpius, & cum illis agant de rebus civilibus criminalibus quæ in Curiis ventilantur: ut quà fieri poterit meliori & expeditiori ratione provideatur.

Mandat & ibidem Episcopis, ut eum per se jus dicere nequeunt, "personas idoneas, providas & in Jure Canonico exercitatas in Officiales eligant.

XXXV. Sed vel præcipuè attendendum, ut in Officiales & Judices Ecclesiasticos eligantur, in quibus non sit avaritia, quique non cupiditate res temporales augendi; sed amore justitiæ, & pacis inter Fideles conciliandæ officium illud obeant: qui litium tricas & forenses litium strepitus aversentur; nec iis nisi coacti & amore justitiæ inducti se implicari sinant.

XXXVI. Qui denique ostendant, se non adversus homines, sed adversus vitia agere, neque homines, sed vitia persequi velle: ipsorumque delinquentium emendationem, non autem bursam quærere: Non minus adversus vitia & scandala pauperum, nihil in ære habentium, exurgere, quàm divitum, quorum pingues vaccæ, & agri pleni.

Citatum Concilium Narbonense deplorat, quod "ignaros Sacerdotes & pauperes pluribus vitiis deditos experiretur & impunitos ad totius Cleri dedecus sciret, dum (ait) sumptibus adhiberi necessariis parcitur, ut tales puniantur." Deinde subjicit: "Promotores igitur etiam per officii suspensionem, & aliis Juris pœnis compellant, ut contra tales inquirant, debitas pœnas requirant, atque ut justum ab Officialibus de illis supplicium exigatur, Episcopi procurent: ut eos pœnæ formido terreat quos virtutis amor non movet: sumptus verò non salaria solvent ipsi Episcopi, cum in talibus gratis agatur.

XXXVII. Quantopere vereretur S. Carolus, ne Officiales sive vicarii sui ducerentur in causis decidendis carne aut sanguine probat Decretum Concilii Mediol. V. *parte 3. tit. De Episcopo, Episcopali jurisdict. &c.* quo declarat "illud maximè expedire, cum omnique ratione consentiens admodum esse, ut Vicarii Episcopales quoad ejus fieri potest alienæ potius Diœcesis, quam illius sint, ubi commissum vicariæ curæ officii munus obire atque exequi debent." Rationem subjungit: "Sæpe enim fit, ut cum Justitiæ quasi oculis tenebras cognatorum affiniumve illa innata vis offundat; tum gratia metuque eorum quibuscum vixerunt, vivendumque deinceps est, etiam boni constantesque viri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

XXXVIII. Et quia sciebat, facilè in forum Ecclesiasticum abusus irrepere, nisi Episcopus sollicitè invigilet, statuit S. Carolus in Concilio Mediol. III. *parte 1. tit. De iis quæ ad Episcopale forum pertinent:* "Quotannis fori sui tribunal Episcopus visitet; inquiratque an præscripta fori ratio, an præfinita taxa servetur: tum præterea, an si quæ corruptelæ, si qui ve abusus irrepserint; an si quid denique vel instituì vel emendari oporteat: idque sollicitè in primis curet, ut eripiantur abusus, tum restituantur quæcumque ad rectam Judiciorum formam attinent.

XXXIX. Denique sciens nihil adeo fori Ecclesiastici odium apud populum excitare, nihilque spiritui Ecclesiastico magis contrariari, quàm si ex ipsa Justitiæ administratione temporalia quærantur, voluit in primis S. Carolus in Concilio Mediol. III. loco citato: "Nullum neque munus neque donum, neque cujusvis generis xenia, ne esculenta quidem, poculentave Vicarii ab iis accipiant, qui coram eis causas vel habent vel agunt.

Sed his, quæ omnibus Judicibus etiam Sæcularibus sunt pariter interdicta, non contentus, declaravit in Concilio Mediol. V. loco citato: "Illud præter cætera munus Episcopi est, ut in suo Episcopali foro universis & singulis Jus *gratis* reddatur. Quamobrem præter id quod alio Concilio Provinciali de muneribus & donis cavimus, hoc Decreto statuimus, in ordinariis causis nihil quidquam vel minimum, ne sportularum quidem nomine, nec à sponte etiam dantibus, aut ullo quovis modo à Judice illius fori accipi licere.

Si quis acceperit, pœnam lege Julia repetundarum sancitam ipso facto subeat.

Quam denique curam adhibuerit S. Carolus, ut & integri ministri in tribunalibus Ecclesiasticis haberentur, causæque eâ integritate & Justitiâ expedirentur, quæ tribunal Ecclesiasticum decent, in sequentibus latiùs ostendetur; ac unà dicetur, quod recta horum tribunalium institutio sit unicum medium conservandi & restituendi Jurisdictionem Ecclesiasticam.

CAPUT II.

De Judicibus Delegatis, & Synodalibus.

1 *Quid judex delegatus.*
2 *In quo distinguatur ab Ordinario?*
3 *Judicum delegatorum usus præcipuè circa sæculum 12. & 13. invaluisse videtur.*
4 *Cur sub idem tempus multiplicari cœperint delegationes Pontificiæ.*
5 *Plures Decretales circa officium & auctoritatem judicum Delegatorum sub idem tempus editæ.*
6 *Decretales penè solos delegatos Sedis Apostolicæ concernunt; & hodie aliorum rarus est usus.*
7 *Episcoporum Officiales non reputantur ut judices Delegati; & quare?*
8 *Officiales jurisdictionem aliis non delegant; sed tantum aliquam partem aliis citra jurisdictionem committunt.*
9 *Pontifices Judices à se Delegatos haberi voluerunt, ut Judices à* Principe *delegatos.*
10 *Judex à* Principe *datus poterat judicem dare.*
11 *Hoc exemplo Pontifices declararunt Judices à se delegatos posse judices dare.*
12 *Decretalis Alexandri III. de hac auctoritate.*
13 *Altera Decretalis in eam rem vulgo eidem Alexandro attributa.*
14 *Hanc Decretalem declaravit & exposuit Innocentius III.*
15 *Innocentius III. abrogata Novella Justiniani absolvit suos Delegatos à necessitate interveniendi negotiis cum suis subdelegatis.*
16 *Non tantum concedit suis Delegatis auctoritatem dandi judices; sed integram jurisdictionem subdelegandi.*
17 *Quo fundamento responderint Pontifices ab hujusmodi Subdelegatis appellari non ad Delegantem, sed ad Summum Pontificem.*
18 *Hodie receptum, Delegatum Pontificis adinstar Ordinarii posse jurisdictionem subdelegare.*
19 *Judex à S. Pontifice delegatus potest etiam Episcopos subdelegare; eosque compellere.*

20 *Jure*

20 *Jure Decretalium etiam simplices Clerici poterant à Sede Apost. delegari.*
21 *Bonifacius VIII. voluit tantum causas à S. Apostolica delegari habentibus Dignitatem aut personatum, aut Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.*
22 *Quoad habentes* personatum *consuetudo constitutioni Bonifacii derogavit.*
23 *Decretum Concilii Tridentini circa personas à S. Apostolica ejusve Legatis & Nuntiis delegandas.*
24 *Concilium Trid. requirit in judicibus delegandis qualitates à Bonifacio expressas.*
25 *Requirit insuper ut* nominatim *designentur in Synodis, inde dicti Judices Synodales.*
26 *Qui in dignitate constitutus judex fuit delegatus potest delegationem absolvere, tametsi Dignitatem dimiserit.*
27 *Ex dispositione Concilii Trid. cessat hodie Decretalis Alexandri III. declarans, successorem in dignitate succedere in delegatione.*
28 *Hodie solent Judices Synodales designari extra Synodos à solis Ordinariis cum consilio Capituli.*
29 *Etiam subdelegati à Delegatis Pontificiis debent habere qualitates à Synod. praescriptas.*
30 *Hoc non procedit in delegatione ad aliquem particularem actum.*
31 *Ordinariis & eorum Officialibus causae delegari possunt, licet non sint* designati.
32 *Hinc delegatio facta Ordinario etiam hodie transit ad Successorem.*
33 *Judex delegatus debet probare suam delegationem ; & quidem* in Scriptis.
34 *Imo procedere nequit antequam litterae delegationis ipsi fuerint praesentatae.*
35 *Hodie solet rescriptum delegationis litteris citatorialibus inseri, ut citato de delegatione constet.*
36 *Delegatus tenorem suae delegationis servare debet.*
37 *Plures ad eandem causam judices jam pridem delegabantur.*
38 *Pluribus simpliciter delegatis unus sine altero procedere nequit.*
39 *Nisi alter alterum subdelegaverit.*
40 *Addita subinde clausula :* Quod si non omnes interesse possint aut valeant reliqui procedant ; *& quae vis hujus clausulae ?*
41 *Clausula haec erat conditionalis.*
42 *Interdum plures, sed singuli* in solidum *delegantur: quod & hodie fieri solet.*
43 *Per praesentationem & acceptationem ab uno Delegatorum factam, non cessat totaliter aliorum delegatio.*
44 *Inconveniens videtur, ut hodie dentur Judices ad postulationem & arbitrium partis.*

JUdex delegatus dicitur, qui jurisdictionem vel cognitionem causae habet ex delegatione seu mandato alterius ; eamque nomine sive vice delegantis vel mandantis exercet. Unde dixit jam pridem Papinianus Jurisconsultus in *L. 1. § 1. ff. De Officio ejus cui mand. jurisdict.* Qui mandatam jurisdictionem suscepit, proprium nihil habet, sed ejus, qui mandavit, jurisdictione utitur. Et Ulpianus in *L. 16. De Jurisd. omnium Jud.* " Is cui mandata jurisdictio est, fungitur vice ejus qui mandavit, non suâ.

II. Itaque Judex Delegatus distinguitur à Judice Ordinario: quod hic jurisdictionem habeat propriam; eamque suo nomine proprio exerceat. Delegatus verò quidquid possideat & quidquid agat, possideat agatque nomine alterius, & vices ejus suppleat, ejusque personam repraesentet.

III. Haec jurisdictionis delegatio in forum Ecclesiasticum ... esse videtur, postquam forum hoc adinstar fori *saecularis* regi coepit: hoc est, circa saeculum 12. & 13. Quod inde verisimile redditur, quod nec sub titulo *De Rescriptis* neque sub titulo *De Officio & Potestate Judicis Delegati* in Decretalibus Gregorii IX. ulla reperiatur Decretalis quae ... habeat auctorem antiquiorem Alexandro III. qui demum ... finem saeculi 12. Pontificatum gessit: & quando ipsa tribunalia Ecclesiastica adinstar tribunalium saecularium regi coeperunt.

IV. Cumque sub idem tempus causae plurimae, tum per appellationes (quae tum invalescebant) tum per exemptiones Capitulorum & Monasteriorum (quae sub idem tempus originem & progressum habuere) aliisque pluribus titulis ad Romanum Pontificem devolverentur, quibus examinandis & discutiendis aut instituendis Pontifex non sufficiebat ; imo nec Romae, ob distantiam locorū è quibus probationes peti debebant, facilè instrui poterant, necesse fuit causas plurimas aliis delegare: atque ita frequentissimè esse coeperunt delegationes Pontificiae.

V. Cum autem recens esset horum judicum Delegatorum in foro Ecclesiastico institutum, plurima tum circa eorum auctoritatem & officium difficultates ac dubia mota sunt; quibus elucidandis ac terminandis plurima Pontificum prodiere responsa & Constitutiones, praesertim Alexandri III. ac subsequentium Pontificum.

VI. Et quidem omnes fere Decretales sub titulis *De Rescriptis* & de *Officio & potestate Judicis Delegati*, tam in libris Decretalium Gregorii IX. quàm in Sexto Decretalium pertinent ad elucidationem potestatis & officii Judicum à Sede Apostolica delegatorum: qui & hodie frequentiores sunt : imò ferè aliorum usus desiit.

VII. Episcopi enim aliique Judices Ordinarii , si *per se* non judicent, aut jurisdictioni contentiosae praesint , habent suos Officiales, qui licet vice aliena fungantur , nihilominus non pro Judicibus Delegatis ; sed quasi Ordinariis reputantur : tamquam unum cum Ordinariis tribunal constituentes. Quare ipsorum Tribunal reputatur pro Episcopali & Ordinario, ut etiam monet Zypaeus *Tit. De Officio Jud. Deleg. num.* 3.

VIII. Ulterius hi Officiales non solent aliis jurisdictionem delegare; sed tantùm aliquam ejus partem Archipresbyteris aliisve committere, puta ut *audiant allegationes & rationes & attestationes recipiant*, uti loquitur Alexander in *Cap. 7. De Potestate Jud. Deleg. in prima Collectione Decretalium*, reservata sibi finali decisione causae. Itaque & hic potissimum Delegatis Pontificiis agendum.

IX. Cum forum Ecclesiasticum eo tempore fere regeretur legibus civilibus, etiam ipsi Judices delegati ad normam earumdem legum instituti sunt: apparetque ex responsis & Decretalibus Pontificum in Corpus Canonicum relatis, voluisse Pontifices, ut eorum Judices Delegati gauderent praerogativis, quas de Jure Civili Judices Delegati à Principe habent.

X. Imprimis Judici à Principe dato illud speciale fuit , ut Judicem ipse dare possit *l. 5. Cod. De judiciis* ubi dicitur : " A Judice Judex delegatus, Judicis dandi potestatem non habet: cum ipse Judiciario munere fungatur; nisi *à Principe* " Judex datus fuerit.

XI. Hoc exemplo Pontifices etiam declararunt, suis Delegatis jus esse dandi judices, tametsi id denegetur Judicibus Delegatis ab Ordinariis.

XII. Imprimis Alexander III. in *Cap. 7. De Officio & Potest. Jud. Deleg.* in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum, & refertur in parte decisa *cap. 6.* 33 *eod.* respondit Episcopo Wintoniensi: " Innotescat itaque sollicitudini tuae quod Judex à nobis delegatus causam sibi commissam potest aliis delegare, aut totam audiendam & terminandam, aut ut audiant allegationes & rationes , & attestationes recipiant, & sententiam sibi ut reservent, vel horum aliquid tantummodo faciant juxta voluntatem & beneplacitum delegantis.

XIII. Rursus sub nomine Alexandri III. in *Cap. 18.* 33 *eod.* refertur responsum: " Si super causa, quae tibi ex nostra delegatione committitur, à personis Ecclesiasticis, una vel pluribus, quibus (ut parcas laboribus partium & expensis) cognitionem ipsius causae & testium examinationem (sententia tibi reservata) committas, appellatio fuerit interposita, hujusmodi appellationis intuitu causam ipsam definitam relinquere non teneris.

Quamvis Emanuel Gonzales in notis ad hoc Capitulum, credat hujus Decretalis Auctorem non fuisse Alexandrum III. sed Lucium III. certum tamen est, quod Innocentius III. ejus Auctorem crediderit fuisse Alexandrum III.

Innocentius enim respondens Archiepiscopo Cantuariensi in *Cap.* 27. ☩ *eod.* " Per Constitutionem nostram consultationi *Alexandri* Papæ nullatenus derogatur, sed illa per istam „ exponitur, imo in ista veriùs, quæ in illa fuerant prætermissa, „ supplentur, " evidenter ad citatam Decretalem reflectit, ut ex sequentibus verbis manifestum est; & ipse Gonzales in notis ad hoc Capitulum fatetur.

XIV. In hac Decretali apertè declarat Innocentius: " Intentionis nostræ fuit (sicut ex tenore Constitutionis præmissæ potest liquide deprehendi) quod ut judicialis auctoritas „ liberiùs valeat exerceri, delegatus à nobis licitè possit, & „ principium, & finem, & medium causæ sibi commissæ, non „ solùm conjunctim, sed etiam divisim alii delegare, non obstante, quod dicitur, quod judex debet cognoscere per se ipsum in principio, in medio, & in fine: cùm antequam ferat „ sententiam universa quæ acta sunt in judicio, investigare debeat deligenter.

XV. Per hanc clausulam, *non obstante quod dicitur* &c. alludi ad Novellam 60. Justiniani Imp. notavit vir Eruditus Franciscus Florens in Commentario ad tit. Decret. *De Offic. & Potest. Jud. Deleg.* in qua Novella Justinianus nominatim interdixit Judicibus à se delegatis, ne suis Assessoribus vel Consiliariis, neque principium, neque medium, neque finem committerent; sed ipsi per se in omnibus litis partibus unà cum suis Assessoribus vel Consiliariis adessent vigilantiùs. Ab hac igitur necessitate Judices à se delegatos hic absolvit Innocentius; quod & Glossographus notavit, verbo *In principio*: notans insuper, quod " secundùm Leges tantùm suis Consiliariis committit „ judex examinationem, ut in dicta Novella; secundùm Canones committit cuicumque vult, *Cap.* PASTORALIS 28. ☩ „ *eod.* " Quod est etiam Innocentii III.

XVI. Ulteriùs cùm juxta Leges tantùm permittatur Judici *à Principe* delegato *judicem dare*, ipse Innocentius declaravit, Judices *à se* delegatos posse non tantùm Judices dare, qui ex dispositione Juris Civilis tantùm simplicem *notionem*, non autem jurisdictionem habebant, sed posse omnimodam & *plenam* jurisdictionem alteri committere, sive *subdelegare*: quod præter rationem Juris Civilis inductum esse notavit & pluribus probavit Franciscus Florens loco citato.

XVII. Adhæc notat ibidem Florens quod ubi Pontifices contra Juris Civilis rationem introduxerunt Judicem *à se* delegatum posse *integram* jurisdictionem alteri delegare sive subdelegare, conformiter ad alia Juris principia responderint, appellari ab huiusmodi *subdelegato* non ad Delegantem, sed ad Summum Pontificem; juxta *L.* 1. *ff. Quis & à quo appelletur*: ubi dicitur, à Judice *dato* provocandum ad eum qui dedit; sed ab eo cui mandata jurisdictio, non is provocandus sit qui mandavit, sed is qui provocaretur ab eo, qui mandavit.

XVIII Interim ex hoc Innocentii responso, aliisque subsequentium Pontificum conformibus responsis receptum est, Delegatum Pontificis jurisdictionem vel in totum, vel in parte, posse delegare; atque hac in parte potiorem esse Delegatis Ordinariorum, imo quasi Ordinarium reputari.

XIX. Hæc potestas Judici à S. Pontifice delegato idcirco delata est, quia ex persona & vice ipsius Pontificis cognoscit & judicat, ipsiusque personam in hoc judicio repræsentat: ideoque & eidem permittitur, ut Superiores ac Prælatos, imo & Episcopos subdelegare, &, si necessitas exigat, compellere possit; quin & sententiarum executionem eisdem demandare: eò quòd in hac causa tamquam Pontificem repræsentans, reputetur major & superior Ordinariis: ita tamen ut in coactione modum servet, & dignitati deferat & personæ *Cap.* 11. ☩ *De Offic. Jud. Deleg.* & *Cap.* 2. *eod. in* 6.

XX. Jure Decretalium nullæ speciales qualitates expressæ reperiuntur circa personas Judicum delegandorum à Sede Apostolica; sed quilibet etiam simplices Clerici eo jure delegari poterant, pluraque exempla hujusmodi delegationum occurrunt.

XXI. Cum autem id in depressionem Sedis Apostolicæ & Ordinariorum, quibus hi Delegati superiores esse prætendebant, cederet, Bonifacius VIII. in *Cap.* STATUTUM 11. *De Rescript. in* 6. " sancivit, ut nullis nisi dignitate præditis, aut personatum obtinentibus, seu Ecclesiarum „ Cathedralium Canonicis, causæ auctoritate literarum „ Sedis Apostolicæ vel Legatorum ejus, de cætero committantur.

XXII. Quæ beneficia sint hodie *dignitates*, ac pro talibus reputentur, videri potest supra *parte* 2. *tit.* 18. *cap.* 1. ubi... nà notatum fuit, Personatus hodie ferè inter *simplicia* Beneficia reputari; unde & Zypæus *Consult.* 1. *De Offic. Jud. Deleg. num.* 14. observat quod licet Bonifacius hic locarit habentes *Personatum* inter Dignitates & Canonicos Cathedrales, nullum tamen hic viderit designatum in Judicem, nisi & alia qualitas ei competierit.

XXIII. Synodus Tridentina considerans, " quoniam ob „ malitiosam petentium suggestionem, & quandoque ob lo„ corum longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ „ mandantur, usque adeo haberi non potest, huicque interdum, Judicibus non undequaque idoneis causæ in partibus „ delegentur, statuit *Sess.* 25. *cap.* 10. *De Reformat.* in singulis „ Conciliis Provincialibus aut Diœcesanis aliquot personas, „ quæ qualitates habeant, juxta Constitutionem Bonifacii „ VIII. quæ incipit, *Statutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam posthac causæ „ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum „ pertinentes in partibus delegandæ committantur. Et, si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem aut Diœcesanam Synodum: ita ut habeat quæque Diœcesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus „ hujusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quæcumque aliorum Judicum aliis, quam his factæ, surreptitiæ censeantur.

XXIV. Vult ergo imprimit Synodus, ut judices quibus in partibus causæ delegantur à Legatis vel Nuntiis, atque etiam à Sede Apostolicâ, habeant qualitates expressas in citata Constitutione Bonifacii VIII.

XXV. Verùm ultra has qualitates requirit Synodus, ut ex personis illis quæ dictas qualitates habent, aliquæ nominatim designentur in Conciliis Provincialibus aut Diœcesanis, quibus & non aliis, posthac causæ Ecclesiasticæ ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Unde juxta Decretum Synodi non sufficit, quod quis sit in dignitate constitutus, ut causæ ei delegari queant, sed requiritur insuper, ut sit ad id officii speciatim designatus seu nominatus.

Et quia secundum Synodum Tridentinam hæc nominatio deberet fieri in Synodis Provincialibus vel Diœcesanis, solent personæ ad hoc munus delectæ vocari hodie *Judices Synodales*, quasi à *Synodo* designatæ sint in *Judices.*

XXVI. Ut designari queant, requiritur quidem ut qualitatem à Bonifacio VIII. requisitam habeant: sed si constitutus in Dignitate fuerit in Judicem Synodalem designatus; ipsique causa aliqua delegata fuerit, si postmodum eam Dignitatem resignaverit, posse nihilominus in causa illa pergere, post alios notat Stephanus Weymius in Analysi ad Constitutionem I. inter 24. Constitutiones per Concilium Tridentinum innovatas. Quia propriè non est ipsa Dignitas aut Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quæ personam ad judicandum aptam reddit; sed ideo requirit Synodus eam qualitatem, quod magis de capacitate harum personarum ex dignitate quam obtinent præsumatur: quæ præsumptio nullatenus diminuitur, tametsi qualitas illa postmodum illis adimatur; atque hoc casu verè ac propriè accipi possunt hæc Synodi Trid. verba: *aliquem ad id aptas*, cum satis reperiatur apta persona, quæ semel apta...

apta fuit, nec aliquid, quod ad aptitudinem in judicando conducit, amisit.

XXVII. Necessitas designationis faciendæ in Synodis Provincialibus aut Diœcesanis facit, ut hodie cesset Decretalis Alexandri III. in *Cap.* 14. ꝟ *De Offic. & potest. Jud. Deleg.* qua deciditur, Successorem in Dignitate succedere in delegatam jurisdictionem, quæ facta est sub *nomine Dignitatis*, & non personæ nominatim expressæ. Nam non sufficit, ut supra monuimus, ut quis dignitatem habeat ratione cujus Prædecessor fuit electus in judicem Synodalem; sed necessaria est *specialis designatio* personæ.

Hinc ipsa Synodus exprese declarat, "si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem aut Diœcesanam Synodum:" quibus clarè innuit, successorem in dignitate nequaquam suo jure in hoc munus suo prædecessori succedere; sed opus esse nova designatione.

XXVIII. Et quidem cum hodie rarum admodum Synodi celebrentur, passim usu invaluit, ut Ordinarii de consilio Capituli Judices Synodales designent; quibus & non aliis causæ in partibus delegandæ committantur.

XXIX. Nec tantum Nuntii & Legati Apostolici restringuntur in sua delegatione ad personas juxta præscriptum Synodi Trident. designatas; sed & ipsi Delegati, si subdelegare velint: cum Delegatus non debeat melioris conditionis censeri, quàm Delegans; uti rectè advertit Weymsius loco citato *num.* 20.

XXX. Hoc tamen intelligendum de Subdelegato ad plenam cognitionem & decisionem causæ. "Negari enim non potest, quin (ut rectè notat Weymsius *num.* 21.) ad unum aliquem particularem articulum subdelegari rectè possit is, qui dignitatem non habet, dummodo de cætero sit idoneus & legalis: puta ad testium examinationem; ad instrumentorum collationem, vel ad alium similem actum. Et cum per talem Subdelegationem tota jurisdictio Apostolica non transferatur; imò possit talis articulus expediri absque ulla causæ cognitione, non immeritò tolerantur in exercitio illius etiam simplices Clerici, ac personæ privatæ, quæ nullam habent dignitatem. Quod ipsum usus & fori praxis quotidiana testatum faciunt.

XXXI. Advertit Zypæus in jure novo *tit. De Off. Jud. Deleg. num.* 3. quod Synodus Tridentina duntaxat requirat designari in Conciliis Provincialibus aut Diœcesanis personas, quibus *præter Ordinarios* causæ in partibus delegandæ committantur: adeoque ipsis Ordinariis (sub quibus & Officiales Episcoporum comprehenduntur) causas posse delegari absque *speciali* designatione.

XXXII. Ex quo ulterius conficitur, quod delegatio facta Ordinaria sub qualitate Ordinarii transeat ad successorem juxta citatam Decretalem Alexandri III. quia hic sufficit sola qualitas Ordinarii, quæ in successore reperitur. Itaque si Ordinariis sub qualitate Ordinariorum non expressis nominibus propriis facta sit delegatio, indubiè hæc ad successorem transibit: quemadmodum Ordinarii sine ulla speciali delegatione procedunt tamquam Delegati Sedis Apostolicæ in omnibus illis causis per Synodum Tridentinam tamquam Delegatis Sedis Apostolicæ sunt commissæ: de qua delegatione latius agetur infra titulo *De Exemptionibus.*

XXXIII. Ut quis possit jure specialis delegationis procedere, debet ante omnia delegationem probare; neque fides adhibenda dicenti se delegatum, nisi probet se delegatum; uti docent Canonistæ ad *Cap.* CUM JURE ꝟ *De Off. & Potest. Jud. Deleg.*

Imo sicuti mandatis Principum, quæ quis se habere asserit, credi non debet, nisi *scriptis* probaverit *L.* 1. *Cod. De Mandatis Principum*; ita nec delegato credendum, nisi *litteris* suam probaverit delegationem; & ostendit Fagnanus ad citatum *Cap.* CUM IN JURE *num.* 7. & 8.

XXXIV. Quin ex communi Doctorum sententia, judex delegatus ad exercitium suæ jurisdictionis procedere nequit ante præsentatas *litteras* delegatorias, uti multis relatis probat Salgado *De Protect. Reg. parte* 4. *cap.* 6. *num* 60. ubi & *num.* 26. asserit id procedere, etiamsi sciat, facultatem sibi competere, sed nondum sint litteræ præsentatæ. Conformis est hodierna praxis. Qui enim in causa appellationis impetravit à Nuntio Apostolico rescriptum delegatorium, illud Judici Synodali, cui rescriptum dirigitur, præsentat; nec ante ejus sibi factam præsentationem & acceptationem officium Judicis aggreditur.

XXXV. Post acceptationem juxta litteras delegationis procedit: & si partem adversam citet, ipsis litteris citatorialibus copiam rescripti Apostolici inserit; ut ex ipso rescripto probetur ipsi citato auctoritas citantis: conformiter ad opinionem Glossæ in *Can.* SI EPISCOPUS *caus.* 3. *quæst.* 2. verbo *Convocari*, ubi dicit: "Item non valet citatio si rescriptum Apostolicum non inseritur.

XXXVI. Litteræ delegationis non tantum necessariæ sunt, ut delegationem suam Delegatus probare queat; sed insuper ut ex earum tenore auctoritatem & potestatem suam metiri possit: Nam ut ait Pontifex in *Cap.* 21. ꝟ *De Offic. Jud. deleg.* "Mandati siquidem fines excedere probaretur, si quis citra formam rescripti accepti præsumeret judicare." Unde delegatio ad certas personas, aut articulos extendi nequit, sed termini delegationis servandi *Cap.* 40. ꝟ *eod.*

XXXVII. Sicuti Jure Civili in una eademque causa sæpius plures Judices dabantur *L.* 76. *ff. De Judic.* ita & Pontifices causas frequenter pluribus Judicibus delegare soliti fuerunt; *Cap.* 21. ꝟ *eod.* ubi dicitur: "Illa quippe fuit antiqua Sedis Apostolicæ provisio, ut hujusmodi causarum recognitiones duobus, quam uni, tribus, quam duobus libentius delegaret; cum (sicut Canones attestantur) integrum sit judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur. Mandati siquidem excedere fines probaretur, si quis circa formam rescripti accepti præsumeret judicare.

XXXVIII. Et quidem si simpliciter plures delegati sint Judices, unus sine altero procedere nequit *Cap.* 16. ꝟ *eod.* "Quia (ait Pontifex) cum causa duobus committitur, sententia unius non tenet.

XXXIX. Hoc tamen fallit, si unus alteri causam subdelegaverit *Cap.* 6. ꝟ *eod.* quia hanc subdelegandi auctoritatem à Jure habet; adeoque necesse non est, ut hæc ei per Rescriptum delegationis detur, uti notat Glossa ad dictum *Cap.* 6. quod Jure Civili non licebat. Nec enim Judex datus alterum subdelegare poterat, sed cogebatur ipse judicare. Judicandi enim munus erat personale, uti monet Franciscus Florens ad titulum *De Off. Jud. Deleg.*

XL. Cum autem sæpe contingeret, ut pluribus datis Judicibus, unus eorum vel interesse nollet, vel non posset; atque ita lites expediri non possent; cœperunt Pontifices, ut facilius lites expedirentur, in suis rescriptis addere hanc clausulam: *Quod si non omnes interesse velint, aut possint, reliqui in negotio procedant; vel duo aut unus ex illis procedat*, dicto *Cap.* 21. 23. & 30. ꝟ *eod.* in quibus dictarum clausularum vis explicatur. Et quidem in *Cap.* 21. §. 1. dicitur, quod si clausula tantum exprimat, *si interesse nequiverint*, & unus ex ipsis cum *possit*, *noluerit* interesse, reliqui nihilominus possint procedere.

XLI. Ulterius ostenditur in citatis Decretalibus, quod cum prædictæ clausulæ sint *conditionales*, *si interesse non possint aut nolint*, non posse reliquos procedere vel uno tantum neglecto; sed opus est, ut ante constet litteratoriè, sive in scriptis eum interesse non velle, vel non posse.

XLII. Quod si non conditionaliter, sed purè & absolutè ita clausula fuerit concepta; *ut omnes aut duo, vel unus sine altero procedat*, ipsorum quilibet liberè poterit in causa procedere non exspectatis conjudicibus cæteris. Censentur enim hoc casu omnes & *singuli in solidum* delegati. Quæ formula proponitur in *Cap.* 8. *De Off. Jud. Deleg.* estque hodie frequentissima.

Solent enim passim à Nuntiis hic in Belgio designari tres Judices, idque cum clausula, ut eorum quilibet, cui rescri-

rescriptum præsentari contigerit, in causa solus procedere queat.

Usiisque habet, ut non nisi *uni* è tribus rescriptum delegatorum præsentetur; isque solus de causa cognoscat.

XLIII. Nequaquam tamen per præsentationem, quin & acceptionem rescripti ab uno judicum factam, aliorum auctoritas ita exspirat, quin adhuc liberum sit impetranti rescriptum ad ipsos revocare, si prior vel non potuerit, vel noluerit in causa procedere; uti declarat Pontifex in citato *Cap. 8.* tametsi negotium etiam fuisset coram ipso inchoatum. Vide Zypæum *Conf. 1. De Rescriptis.*

XLIV. Hoc nonnullis in hodierno stylo displicet, quod judices designentur ad postulationem partis; ac præterea è tribus designatis electio impetranti detur, cui è tribus quem sibi faventiorem credit, Rescriptum delegationis præsentet: quod sanè (ait Carolus Fevretius *lib. 4. De Abusu cap. 2. num. 11.*) nec fieri nec tolerari oportet ex ratione Jurisconsultis in *L. 47. de Judiciis*: " Observandum est, ne is judex detur, quem altera pars nominatim petit; id enim iniqui esse exempli Adrianus rescripsit.

Quomodo judices & delegati causam instruere, sententiam proferre, ac exequi possint, aut debeant, dicetur inferius, ubi de instructione causarum, sententiarum prolatione earumque executione speciatim tractabitur.

CAPUT III.

De Judicibus delegandis in Partibus; & non evocandis extra Provinciam.

1 *Primitus judices delegabantur in partibus etiam remotissimis.*
2 *Ad evitanda incommoda Concilium Lateranense statuit, nullum posse citari extra suam Diœcesim ultra duas dietas.*
3 *Dietæ hic sumuntur pro dietis vulgaribus non legalibus.*
4 *Hoc sensu dietas accepit Concilium Andegavense.*
5 *Bonifacius VIII. constitutionem Concilii Lateranensis restrinxit ad unam dietam.*
6 *Jam pridem judicavit Synodus Nicæna conveniens esse ut negotia terminentur in locis ubi orta sunt.*
7 *Synodus Tridentina videtur desiderare ut causæ delegentur judicibus Synodalibus singularum respectivè Diœcesium.*
8 *In Gallia, causa appellationis committenda est in propria Diœcesi.*
9 *In Belgio etiam extra propriam Diœcesim judices delegantur; nec hoc videtur absolutè repugnare Concilio Tridentino.*
10 *Juxta notorium usum Belgii incolæ non possunt trahi in judicium extra Provinciam.*
11 *Hic usus indicatur in antiquis tabulis Cortenbergensibus.*
12 *Eumdem confirmat Bulla aurea Caroli IV.*
13 *Idipsum jam pridem juramento interposito promiserunt Principes Belgii.*
14 *Gravissima pœna constituta in eos qui incolas Brabantiæ evocarent extra Brabantiam.*
15 *Aliquando exceptæ fuere causæ coram Episcopis tractandæ.*
16 *Anno 1515. civitates Brabantiæ à Principe impetrarunt ne ulla ex causa ad tribunalia Ecclesiastica extra Brabantiam evocari possent.*
17 *Hodie Episcopi extra Brabantiam residentes habent tribunalia in Brabantia coram quibus citantur incolæ Brabantiæ.*
18 *In causis spectantibus ad Curiam Romanam debent Belgæ judicari per judices delegatos in partibus.*
19 *De hoc jure Belgarum conservando solliciti fuere Magistratus Regii in promulgatione Concilii Tridentini.*
20 *Hoc jus Belgarum etiam agnovit S. Congregatio Cardinalium interpretum Concilii Tridentini.*
21 *Scriptores etiam exteri de hoc privilegio Belgarum mentionem faciunt.*
22 *Judices* in partibus *hic dicuntur, qui in singulis propriis citatorum Provinciis delegantur.*
23 *In Hispania exemptus non potest eligere Conservatorem extra regnum.*
24 *Rex Hispaniæ suscipit defensionem illius qui ad curiam Romanam extra regna Hispaniæ vocatur.*
25 *Similiter in Hispania Episcopi residentes extra regnum debent deputare Vicarios in regno.*
26 *In Gallia nullus potest citari extra regnum sed causæ delegandæ in partibus.*
27 *Executor citans aliquem extra regnum potest super eo conveniri.*
28 *Usus Galliæ habet ut judices delegentur intra limites parlamenti cujusque Provinciæ.*
29 *Ratio istius usus.*
30 *Ab hoc usu non videtur dissona praxis Belgii, & quandonam aliquis videatur citari extra Provinciam.*
31 *An hodie Belga possit citari vigore rescripti delegatorii ultra unam dietam extra suam Diœcesim.*

I. CUm primitus judices delegari cœperunt, sicuti omnimoda erat circa personas delegandas libertas Delegantis; ita quoque quoad locum in quo judicium delegationis esset peragendum, nulla erat restrictio; solebantque etiam in partibus remotioribus judices impetrari; ipsæque partes coram eis ad loca illa remotiora comparere cogebantur.

II. Verum Concilium Lateranense sub Innocentio III. advertens, quod " nonnulli gratiâ Sedis Apostolicæ abutentes „ litteras ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus „ fatigatus laboribus & expensis liti cedere, vel importunitatem actoris redimere compellatur, " statuit, " ne quis *ultra* „ *duas* dietas extra suam Diœcesim per litteras Apostolicas ad „ judicium trahi possit. " *Cap. 21.* ꝟ *De Rescriptis.*

III. Quærit Glossographus hic, num Constitutio intelligatur de *vulgaribus* dietis quæ habentur secundum consuetudinem regionis, aut de *legalibus*, secundum quas viginti milliaria computantur pro dieta *L. 3. ff. De V. S.* resolvit autem Glossographus, quod de *vulgaribus* intelligenda sit; & ita quoque aliquando per Senatum Parisiensem judicatum fuisse refert Choppinus *lib. 2. De S. P. tit. 5. num. 9.*

IV. Hoc sensu Concilium Andegavense 1365. à Simone Archiepiscopo Turonensi cum Suffraganeis celebratum intellexisse *dietas* colligitur ex *Can. 2.* ubi imprimis narrat, quod nonnulli in Provincia Turonensi *dietas* diversimode in casibus præmissis (id est Rescriptorum Sedis Apostolicæ) nitebantur computare. Post hæc dicit: " Nos verò de communi consilio „ & assensu totius Concilii duodecim leucas taxamus pro dieta *vulgari* vel etiam *usuali* in Diœcesi Turonensi & Andegavensi: in Brittannia verò & Cœnomania decem leucas taxamus pro dieta.

Deinde concludit: " Itaque reus à me Diœcesis Turonensis „ & Andegavensis ultra duodecim, & in Britannia & Cœnomania, ultra decem leucas per litteras Apostolicas non trahatur.

V. Dum hic non non permittant ultra *unam* dietam quæ 12. aut 10. leucas comprehendit à fine Diœcesis reum in judicium trahi per litteras Apostolicas, indubiè reflectunt ad Constitutionem Bonifacii VIII. in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis in 6.* qua statutum fuit, ut si actor & reus ejusdem civitatis ▬ Diœcesis fuerint, extra ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorumdem, nisi in duobus casibus ibidem nominatim expressis, in quibus casibus extra dictas civitatem & Diœcesim possit causa committi: *Nullus tamen* (ait) *eorum ultra* UNAM DIETAM *à fine suæ Diœcesis valeat conveniri.*

Deinde addit eadem Constitutio: " Cum autem actor & „ reus civitatum & Diœcesium fuerint diversarum, si a„ ctor in civitate vel Diœcesi rei judicem habere recuset ipsum „ non in sua, sed in alia civitate vel Diœcesi liberè impetrare „ valeat reumque trahere ad eamdem: dummodo locus (ait) ad „ quem eum traxerit, ultra *unam dietam* minimè sit remotus.

Licet ergo Bonifacius in hac Constitutione permiserit reum citari quibusdam casibus extra suam civitatem vel Diœcesim, noluit tamen eum ultra *unam* dietam à fine suæ Diœcesis citari.

VI. Conveniens esse, ut causæ terminentur ubi exortæ sunt, jam pridem judicavit Synodus Nicæna, uti refertur *Can. 11.* in collectione Canonum sub nomine Adriani I. " Prudentissime (inquit) justissimeque Nicæna, sive Africana Decreta „ definierunt, quæcumque negotia in *suis locis*, ubi *orta* fuerint, finienda. " Plures Canones idipsum præsertim in causis Clericorum & Episcoporum, astruentes collegit & retulit Gratianus *Caus. 3. q. 6.*

VII. Unde prædicta Constitutio in quantum restringit evocationes causarum è locis in quibus ortæ sunt, ubique recepta fuit; quin & Synodus Tridentina volens, ut habeat unaquæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus causæ à quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur, satis innuit, se saltem optare, ut causæ judicibus Synodalibus singularum respectivè Diœcesium committantur.

VIII. Imò si Philippo Probo credamus in notis ad Glossam Pragmaticæ Sanctionis *tit. De Causis. §. Statuit*, verbo TERMINENTUR ET FINIANTUR *num.* 8. in Gallia debet causa delegari „in Diœcesi in qua appellatus degit, aut in ea in qua „prima instantia fuit facta, alias appellatur ab ea rescripti ob„tentione tamquam ab abusu.

Et ex Joanne Chenu refert Carolus Fevretius *lib. 4. De Abusu cap. 2. numer. 9.* „Papa in Diœcesi in qua lis cœpta „est, atque in partibus ubi causa in prima instantia tractari „& decidi debuit, Rescripto suo litem ultimo judicio diri„mendam committere debet alias, si extra Diœcesim, inspe„ctâ litis origine, Rescriptum dirigatur, locus erit appellationi „ab abusu.

Testaturque Choppinus *lib. 2. De S P. tit. 4. num. 5.* quod cum à sententia Officialis Capituli Turonensis exempti esset appellatum ad Sedem Apostolicam, atque causa commissa esset duobus Canonicis Ecclesiæ Cænomanensis in Provincia Turonensi, quia tamen erat extra *Diœcesim* Turonensem, delegationem fuisse declaratam abusivam anno 1535. ac rursus in simili casu anno 1564.

Notat Insuper Joannes Lucius *lib. 2. tit. 4.* Inquisitorem fidei, auctoritate Pontificis constitutum, & à Rege admissum non potuisse partes litigantes coram se citare, nisi esset in Regno; quia juxta SS. Canones, Rei delati extra suas Diœceses evocari non poterant. „Itaque (ait) pronuntiatum est, eum qui „ab ejusmodi evocatione velut ab abusu provocasset, rectè at„que ornatè provocasse.

IX. Licet Synodus Tridentina (uti dictum est) optare videatur, ut causæ à judicibus in suis respectivè Diœcesibus ubi ortæ sunt, definiantur; ideoque prædicta praxis Regni Galliæ à mente Synodi non appareat difformis, non apparet tamen, quod Synodus absolutè statuerit, ut causæ in aliqua Diœcesi ortæ tantum delegentur judicibus *ejusdem Diœcesis*, atque hac in parte restrinxerit Constitutionem Bonifacius VIII. Cum enim eam derogationem non exprimat, credit Zypæus *Consult. 1. De Offic. Jud. deleg.* Synodum Tridentinam hac in parte juri antiquo non derogasse; posseque consequenter, judices etiam aliarum Diœcesium delegari, intra terminos tamen à Bonifacio VIII. constitutos, id est, non ultra *unam* dietam extra Diœcesim, præsertim in secundis & tertiis instantiis: quod & notoriæ praxi Belgii consonat.

X. Verum hæc ita nihilominus limitanda sunt, ut causæ semper intra Provinciam maneant; nec Belgæ prætextu cujusvis delegationis extra patriam in judicium trahantur; puta Brabantus extra Brabantiam litigare cogatur.

Hoc enim notorio & vetusto usu receptum est, & Principum Diplomatibus cautum, imo & à Principibus interposito etiam Juramento Belgis promitti solitum, ut Belgæ extra patriam seu Provinciam in judicium trahi non sinantur.

XI. Et quidem in antiquissimis illis Tabulis, quos anno 1312 Joannes Dux Brabantiæ condidit Cortenbergæ, ac inde Tabulæ *Cortenbergenses* vulgò vocantur, studiosè inculcatur, ut subditi & incolæ per judices *indigenas* eo loco quo forum sortiuntur, secundùm cujusque civitatis leges judicentur, interpositâ fide de non permittendo, ut quis adversus ea faciat. Verba latinè reddita sunt: *Cunctis jus postulantibus judicia reddi faciemus per Scabinos, aut eos, quibus judicare incumbit atque uti secundùm proposita negotia forum sortiuntur, nimirum unicuique secundùm jus civitatis suæ, nec adversus hoc faciemus, aut fieri patiemur; & si quid elucidandum, aut mutandum incidet circa leges, id semper fiet adhibito consilio bonorum virorum hujus regionis. Quæ omnia fide, & jurejurando nostro, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promittimus per nos, & successores nostros firma, & stabilia fore, atque curaturos, ut ab aliis observentur.*

Extant hæ tabulæ parte I. Edict. Brabant. *lib. 2. tit. 1. cap. 2.*

XII. Deinde eodem libro *tit. 2.* extat privilegium Caroli IV. vulgo *Bulla aurea*, ejusque iterata confirmatio, qua Duci Brabantiæ conceditur, ne ullibi gentium extra propriam regionem Brabantis diem dicere, aut litem intendere ausit.

XIII. Adhæc jam pridem promiserunt Principes, etiam juramento interposito, perpetuo firmum & stabile fore, ne alter alterum extra Provinciam in jus vocet; ut habetur in læto introitu Joannæ Ducissæ Brabantiæ die 3. Januar. extatque citata *parte 1.* Edict. Brabantiæ *lib. 2. tit. 1. cap. 4.*

XIV. Extat ibidem *cap. 6.* lætus introitus Anthonii Ducis Brabantiæ, quo idem articulus auctior promittitur, addito insuper promisso, severitatem pœnæ (videlicet perditionis corporum & bonorum, *Verbeuren syn lyf ende syn goed*) in contravenientes, se nulli moderaturum.

XV. Addit tamen exceptiones paucas intuitu jurisdictionis Ecclesiasticæ, nimirum in causis testamentorum, pactorum antenuptialium, eleëmosynarum, & bonorum Ecclesiasticorum.

Cùm enim olim tres causarum species ad Audientiam Ecclesiasticam Leodiensis vel Cameracensis Episcopi deduci possent, videlicet de testamentorum validitate, de pactis antenuptialibus, & rebus in pios usus donatis, seu per amortizationem subductis sæculari potestati (uti supra tit. 2. cap. 1. 2. & 3. ostensum est) etiam primitus indultum fuit, ut his ex causis coram illis Episcopis extra Brabantiam comparere deberent.

XVI. Verùm anno 1515. Deputati Civitatum Brabantiæ diserti à Principe stipulati sunt, ne municipes vel incolæ Brabantiæ ulla ex causa ad tribunalia Ecclesiastica evocari possent, aut jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere, nisi per Delegatos in Brabantia residentes & jus dicentes; uti habetur in Additione 2. ad Lætum introitum Caroli V. *art. 3.* Verba sunt: *Dat de ondersaten onses voorschreven landts van Brabant in den Bisschopdomme van Luycke ende Camerycke, buyten den selve Lande van Brabandt geleghen, voor't Geestelycke gherichte, niet en sullen moghen vvorden betoghen van heuren persoonen oft goeden, die in onsen voorschreven Lande van Brabandt gheleghen oft geseten zyn: Maer dat die inde Gheestelycke Hoven der selver Bisschoppen binnen den Lande van Brabandt gestelt, getoghen sullen vvorden ten rechte, alsoo langhe als de selve Geestelycke Hoven in den selven onsen lande van Brabandt leggen sullen.* Id est: Ut subditi dictæ nostræ ditionis Brabanticæ in Diœcesibus Leodiensi & Cameracensi extra dictam Brabantiæ Provinciam coram tribunali Ecclesiastico nec ratione personæ aut bonorum in dicta nostra Brabantiæ Provincia sitorum, conveniri possint, verùm quod ad Curias Ecclesiasticas dictorum Episcoporum intra Brabantiam constitutas in jus vocabantur, donec dictæ Ecclesiasticæ Curiæ in præfata Brabantiæ nostra Provincia extiterint.

XVII. Hæc cautio solemni Principis juramento firmata, ad hanc diem religiosè custoditur. Hinc Archiepiscopi Mechliniensis, & Cameracensis, item Episcopus Namurcensis per suos Officiales in Brabantia residentes & pro tribunali sedentes jus dicunt municipibus & incolis Brabantiæ; neque extra Brabantiam in causis etiam merè Ecclesiasticis umquam citare præsumunt.

XVIII. Nec Episcopos dumtaxat hisce in partibus non residentes, debere per judices in patria residentes judicare; sed & Curiam Romanam & Romanum Pontificem, tam in causis ad ejus cognitionem in prima instantia spectantibus, quam per appellationem ad ipsum devolutis debere per Judices in partibus delegatos judicare; nec municipes aut incolas Brabantiæ, seu Laicos seu Ecclesiasticos vi litterarum Sedis Apostolicæ extra Brabantiam evocari posse, Belgis ac præsertim Brabantinis jam pridem omnino persuasum fuit.

XIX. Quam soliciti Magistratus Belgici, ac notanter Brabantini ne quid huic patrio juri detractum esse videretur, per promulgationem Concilii Tridentini in Belgio, intelligitur ex Notis ejusdem Concilii Decretis per Magistratus Regios appositis.

Ad *cap.* 8. *Seff.* 13. quo decernitur ut causæ Episcoporum, cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur, „specialiter Brabantini observarunt, hac ratione extra Patriam „fore trahendos, quod directo adversatur indulto Summo„rum Pontificum, Leonis & Clementis, & constitutionibus „Suæ Majestatis, & Illustrissimorum ejus Prædecessorum, qui „non sine gravi ac prægnanti causâ id concesserunt.

Rursus ad *caput* 5. *Seff.* 22. „Quod statuitur de cognitio„ne adhibenda in dispensationibus; cum hac cautione acci„piendum esse monetur, ne subditi hac occasione *extra Provincias* suas evocentur.

Denique ad *cap.* 10. *Seff.* 25. dicunt: „Quod statuitur, de„signandas esse personas aliquot præter Ordinarium, quibus „causæ Ecclesiasticæ in partibus delegandæ committantur: sic „accipiendum monent Brabanti, ne hac occasione subditi ex„tra patriam evocentur.

Scimus autem Concilium Tridentinum in Belgio promulgatum esse cum expressâ clausulâ; salvis vetustis ac inveteratis privilegiis & juribus patriæ; quemadmodum latius in Prologomenis ostensum fuit: ideoque & hoc jus inconcussum permansit.

XX. Hoc Belgarum privilegium etiamnum post Concilium Trid. agnovit S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum 23. Junii 1615. Propositum enim fuit Sacræ Congregationi nomine Alberti Archiducis, Belgii Principis, per Philippum Masium ejusdem Principis in Curia Romana Oratorem: ***Cum in Burgundia, Brabantia & Flandria, ac aliis Belgii partibus Dominio Alberti Archiducis Austriæ subjectis, inter alia Archiepiscoporum, & Episcoporum Synodalia statuta ex immemorialibus consuetudinibus, Concordatis, & Privilegiis notoriis earumdem partium, hucusque in viridi sentum & observatum sit, omnium incolarum, eorum exteris Judicibus nullatenus evocabilium, causas præsertim appellatorias, Judicibus Synodalibus Patriæ duntaxat committi, & nihilominus inter alias Nuntiorum Apostolicorum Belgii facultates insertum asseratur indultum, easdem causas generaliter committendi cognoscendi; ideo per Philippum Masium, pro eodem Alberto hic residentem, quæritur, an per dictas facultates Nuntiorum Apostolicorum hic annexas, possit dictis Statutis, & Privilegiis aliquatenus derogatum censeri, juxta cap. 20. Seff. 24. De Reformat.***

Huic propositioni hoc responsum repositum fuit: ***Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, facto prius verbo cum Sanctissimo D. N. Paulo PP. V. Respondit Sanctissimi & Patrum dicti Concilii intentionem non fuisse, nec esse, Statutis & Privilegiis hujusmodi derogare: firmâ tamen, ac aliàs in reliquis illæsâ permanente dicti Capituli 20. Seff. 24. dispositione. Romæ 23. Junii 1615. Signatum S. Cardinalis Lancelottus dictæ Congregationis Præfectus.***

Ex his elucet, etiam ex sententia S. Congregationis, Synodum Tridentinam noluisse per Decreta sua tametsi generaliter expressâ, derogare speciali & immemoriali Belgii consuetudini de non evocando: cujus consuetudinis & juris etiam exteri Scriptores, tamquam de re notoria meminère.

XXI. Ludovicus Guicciardinus Italus in generali Belgii descriptione ait: Pontifex „nullius omnino prætensionis vel cor„rectionis prætextu, quemquam hominem, sive Ecclesiasticus „is sit, sive Laicus, evocare potest extra Provincias. Unde si quid „fortè occurrat, oportet ut mittat, vel hic deputet Commissa„rios qui de prætensa causa cognoscant.„ Vide etiam Choppinum *lib.* 2. *De S.P. tit.* 4. *nu.* 8. ubi ejusdem juris meminit.

XXII. Igitur Judices in *Partibus* hic dicuntur, qui in unaquaque Provincia deleganturineque sufficeret, eos in ipsa Diœcesi delegari, si Diœcesis se extra Provinciam & patriam rei vel appellati extenderet; sed deberet in ea parte Diœcesis causa committi, quæ intra Provinciam continetur.

XXIII. Eodem jure uti Regem Catholicum in Regnis Hispaniæ, latè probat Salgado De Supplicat. ad Sanctissimum *parte* 2. *cap.* 11. refertque *num.* 97. „generale consultum „supremi Concilii Regii, quo dispositum stat, exemptum non „posse eligere Conservatorem *extra hæc Regna Hispaniæ*, „ne naturales horum Regnorum molestentur, nec convenian„tur extra Regnum.

XXIV. Quin & *numer.* 83. tradit Principem & Senatum posse evocatum ad Curiam Romanam defendere, ne extra Regna Hispaniarum extrahatur: „tamquam (ait) hoc sit Re„gis proprium munus & *Regale* Officium, ne subditi tali „molestia opprimantur: maximè cum Clerici, Ecclesiasticæ „quæ personæ, cives reputentur, sintque pars populi & Rei„publicæ temporalis, ad quorum protectionem simul tenetur Princeps.

XXV. Addit denique *num.* 101. „Et ex identitate rationis „aliisque motivis & inconvenientibus vitandis similiter decre„tum fuit per Senatum Supremum *in Decreto* 25. *inter im„pressos*, quod Episcopi Regni Aragonum habentes loca sibi „subjecta in hoc Regno Hispaniæ, Vicarios constituant in il„lis, coram quibus naturales conveniantur.

XXVI. Apud Gallos nullum posse extra Regnum conveniri seu citari, uno consensu testantur Regni illius Pragmatici: asseritque Choppinus *lib.* 2. *De S.P. tit.* 4. *num.* 8. „Politicis „sanctionibus posteriorum temporum, Romana Sedes tene„tur supremam illam sacratum litium cognitionem demanda„re Gallis Ecclesiarum Præfectis.

XXVII. Et Rebuffus ad Concordata *tit. De causis* dicit: „Quando quis citatur extra Regnum practica est, ut ille ab „abusu appellet ad Senatum, qui illum abusum in hoc regno „reformat... Et vidi judicari, ut *executor* intimari possit, & „citari tamquam pars: quia pars extra Regnum citari non „potest, sic judicatum fuit anno 1534. die 15. Februarii in hoc „Senatu contra executorem cujusdam Abbatis in Sabaudia „residentis.

XXVIII. Quin usus Regni Galliæ habet, quod non sufficiat Judices committi in Patria & Diœcesi; sed insuper ut sint intra limites & jurisdictionem Parlamenti, cui ipse reus est subjectus; testaturque Lucius in sua collectione Placitorum „à „Pontificii diplomatis executore velut abutente, rectè pro„vocari, si de rebus Curialis dictionis extra eam datus fuerit.„ Confirmat dein id ipsum per arrestum de anno 1491. quo Parlamentum declaravit abusivam executionem rescripti delegatorii, quod ii quibus Pontifex executionem mandaverat, extra Curiæ ditionem dati essent.

XXIX. Eundem usum latius astruit, & nonnullis Parlamentorum Arrestis confirmat Carolus Fevretus *Lib.* 4. *de Abusu cap.* 2. *nu.* 10. Rationem illius usus allegans, quod in causis in Curiis Ecclesiasticis tractandis, possint multa intervenire, quæ cogant litigantes recurrere ad Curias Parlamentorum, vel pro interdicto de nihil innovando aut attentando, vel ut recipi queant tamquam appellantes ab Abusu; quod haud sine difficultate, longa mora, aliisque incommodis fieri posset, sibi Judices Delegati essent sub jurisdictione alterius Parlamenti, quam sub quo ipsi Litigantes domicilium habent.

XXX. Neque ab hoc usu Galliæ dissona apparet praxis Belgica: nam & hic in Belgio pro limitibus Provinciæ seu Patriæ limites in hoc puncto reputari videntur, intra quos supremus Senatus Principem repræsentans continetur: ut tum extra Patriam sive Provinciam citari vel conveniri dicantur, dum citantur seu conveniuntur ad locum alteri Senatui sive Parlamento subjectum. E contrario autem dicuntur citari in Patria sive Provincia, modo locus judicii sit intra terminos supremi Senatûs, sub quo domicilium habet citatus, tametsi reipsa, & propriè loquendo, locus ad quem citatur, sit alterius Provinciæ, ab ea in qua citatus moratur: puta si è Flandria quis citetur Mechliniam. Licet enim Mechlinia & Flandria sint diversæ Provinciæ nihil

...minus, quia habent idem supremum Parlamentum, ...d præsentem articulum pro eadem Provincia repu...

XXI. Districtus Parlamenti sive Provinciæ latè admo...se aliquando extendit: adeò ut etsi intra limites Pro...e quis citaretur, nonnunquam tamen ultra *unam* die...extra suam Diœcesim in judicium provocaretur: quo ...cet non posset excipere contra eam citationem eo titulo, ...extra Provinciam evocaretur, posset tamen excipere, ...contra Constitutionem Bonifacii VIII. evocaretur ul...*nam dietam* extra suam Diœcesim: cui Constitutioni ...s Belgarum de evocandis extra Provinciam, nullatenus ...puncto est derogatum.

CAPUT IV.

De Arbitris.

...biter interdum accipitur pro judice ordinario, vel arbitro ...tis.
...quentius pro Arbitro ex compromisso electo.
...de dicantur compromissarii & recepti.
...id compromissum.
...ritas Arbitri dependet ex compromisso; nec illud egredi ...test.
...c nec coram Arbitro institui potest reconventio.
...est tamen Arbiter cognoscere de connexis & sine quibus causa ...compromisso comprehensa determinari nequit:
...biter procedere non potest nisi constet de compromisso.
...compromissum debeat esse in scriptis?
...tentia Arbitri sine prævio compromisso an per consensum sub...quentem possit validari?
...promitti potest in unum vel plures.
...n plures fuerit simpliciter compromissum, uno absente etiam ...r contumaciam reliqui procedere non possunt de Jure Civili.
...us obtinet de Jure Canonico.
...d moribus circa hunc articulum sit receptum.
...compromissum rectè fiat in duos cum potestate assumendi ter...m in casum dissensus.
...promisso soleo inseri pœna, & quandonam hæc debeatur.
...ilatione pœnæ liceat à Compromisso recedere.
...Compromissa hodie fieri possint interposito juramento.
...Jure Civili non potest in judices ordinarios compromitti ut ...itros.
...st tamen de Jure Canonico & quæ ratio diversitatis.
...st utroque jure compromitti in Judices tamquam Arbi...tores.
...trator non est propriè Arbiter nec forma judicialis pro...t.
...ces se interponentes ut Arbitratores agunt tantum partes ...cabilium compositorum.
...ipuè urgenda est concordia dum causa est dubia; & quomo...ac in parte peccare possint judices urgendo partes ad con...iam in casu non dubio.
...bandum quod judices tantum cogitent de concordia post fa...expensas.
...frequenter in eandem personam compromittitur tamquam ...itrum & Arbitratorem.
...non admittunt appellationem à sententia Arbitri.
...ps introductorum Arbitrorum est consonum.
...s hodierni admittunt reductionem à sententia Arbitri.
...reductio habet vim appellationis quoad effectum suspen...m.
...n à sententia Arbitri nulliter lata reducitur.
...em à sententia arbitri fiat reductio.
...tio adinstar appellationis fieri debet intra decem dies.
...chantia facta post viginti dies non habet effectum suspen...m.
...ia reducendi debet à Curia Regia peti per libellum.
...nis facilem reducendi licentiam Arbitria hodie solent esse ...ffectu.
...remedium ut per Arbitria litibus finis imponatur?

ARbiter aliquando sumitur pro Judice Ordinario, *ut in L. 6. Cod. de Postulando*; & quandoque pro eo qui de jure eligitur dum Judex recusatur ex causa suspicionis; quem Doctores communiter vocant *arbitrum juris*, de quo infra titulo *De Appellat. & Recusat.*

II. Frequentius vero accipitur pro eo qui eligitur à partibus ex compromisso conventionali; & in hac significatione sumitur sub titulo Decretalium *De Arbitris*; uti & titulo Codicis *De Receptis Arbitris* & Digestorum *De Receptis qui Arbitrium receperunt.*

III. Hi arbitri subinde etiam vocantur simpliciter *compromissarii L. 41. ff. eod,* eò quod litigantes in eum *compromittant.* Recipiunt enim & promittunt invicem litigantes stare sententiæ arbitri *communi* consensu electi; qui & *recepit se* pronuntiaturum: & inde dicti sunt *recepti.*

IV. Partium autem conventio vel constipulatio, quâ promittunt utrimque se velle stare decisioni electi arbitri dicitur *compromissum*: & uti rectè notat Rebuffus in tractatu *De Arbitris Glos. 1.* compromissum est illa simultanea partium de stando arbitrio promissio.

V. Et quidem cum arbiter auctoritatem judicandi vel decidendi à lege non habeat; sed ex partium duntaxat conventione sive compromisso; ideo omnis ejus auctoritas ex ipso compromisso desumenda est. Unde ait Jurisconsultus in *L. 32. §. 15. De Receptis qui arbitrium* &c. „De officio arbitri tractantibus sciendum est, omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum: nec enim aliud illi licebit, quàm quod ibi, „ut efficere possit, cautum est: non ergo quodlibet statuere „arbiter poterit, nec in re qualibet: nisi quare compromissum est, & quatenus compromissum est.

VI. Quare interrogatus Innocentius III. utrum coram arbitris reconventioni sit locus, respondit: „quod licet in Judicio convenientem reconvenire valeatis, qui coram Judice „convenitur, coram arbitris tamen reconvenire non potest: „Cum arbitri (ait) judicare non valeant, nisi de iis tantum „super quibus in eos extiterit compromissum „*Cap. 6.* ⁊ *De Arbitris.*

VII. Hæc nihilominus intelligenda sunt de iis quæ omnino distincta sunt ab iis super quibus compromissum est. Si enim aliquid emergat dependens à principali negotio, rectè de eo arbiter cognoscit. Hinc dicit Pontifex, quod arbitri etiam de restitutione cognoscere queant, si coram eis *incidenter* motum fuerit. *Cap. 9.* ⁊ *De Restit. in integ.* similiter super *interesse* tametsi in compromisso non expressum, pronuntiare potest arbiter, citatâ *L. 32. §. 5.* Imò, uti communiter docent Interpretes, potest arbiter de iis cognoscere sine quibus causâ decidi non posset; quæque ipsi causæ adeo connexa sunt, ut, ni unâ decidantur, causæ plena decisio haberi nequeat. Vide Tuldenum ad Codicem tit. *De receptis Arbitris.*

VIII. Interim cum auctoritas arbitri petenda & mensuranda sit ex forma compromissi; primum de ipso compromisso constare debet, antequam arbiter procedat. „Compro„missum autem aut submissum in arbitros debet scribi (ait „Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap. 204.*) ac tum „scriptum illud debet authenticari per aliquem Judicem, No„tarium, Tabellionem, Graphiarium, aut per aliam similem „personam publicam idque præsentibus testibus, quia arbi„ter secundum hoc fundamentum, ad conscriptam illam, & „acceptam authoritatem debet instituere ac producere suum „Processum, ac eam conscriptam facultatem nullo modo „excedere.

IX. Imò dicit Rebuffus in tract. De Arbitris *art. 1. Gloss. 1. numer. 10.* „Oportet quod probetur arbitrium per „literas, alioquin Judex semper procedere poterit. „Vide notas Nicolai Tuldeni ad citatum locum Damhouderi; item ad *cap. 208.* ubi monet opinionem Rebuffi apud nos non servari.

X. Observat quoque Antonius Faber ad Codicem *lib. 2. tit. 38. Defint. 1.* „Et si valere non potest arbitrorum sententia, quam nostri laudum dicunt, si non præcedat compro„missum: Si tamen sententiæ litigatores consenserint, hactenus confirmabitur, ut valeat in vim pacti, sive tacitus con„sensus intervenerit.

XI. Compromitti potest, tam in unum, quàm in plures,

plures; tam in æquali, quam inæquali numero: quod posterius tamen est convenientius; ut in casu dissensûs major pars decidit *L. 17. §. 6. ff. eod.*

XII. Si in plures simpliciter sit compromissum, uno eorum absente, reliqui procedere nequeunt: quia non videretur servari forma compromissi, quæ in plures concepta est; & ita deciditur in *L. 18. ff. eod.* Idque procedet, licet per legitimam citationem, ut adesset, interpellatus probetur, uti notat Faber loco citato *Definit. 3.* Nam quod dici solet, contumaciam esse pro præsentia, tunc verum est, cum agitur de præjudicio contumacis, non alterius, cui contumaciam alterius nocere non oportet: ut in proposita specie: quia tertius ille absens potuisset forsan, si adfuisset, alios trahere in suam sententiam; & quod notandum, noluit compromittere nisi in *tres*; & hac forma & non alia compromissum à Partibus conclusum fuit.

XIII. De Jure Canonico ex speciali Constitutione Bonifacii VIII. in *Cap. 2. De Arbitris in 6.* contrarium obtinet; ut nimirum, si unus è tribus arbitris legitimè citatus, & cessante legitimo impedimento absit, possint reliqui duo negotium examinare & liberè definire, sicut possent eo præsente, nec volente cum iis in unam sententiam concordare: ut sic ipsius absentia præsentiâ repleta divinâ, eum reputari faciat pro præsente.

Hanc suam Constitutionem videri contrariam legibus haud diffitetur; ait enim: *licet lex civilis aliud innuere videatur.*

XIV. Hac Juris Canonici Constitutione nos uti testatur Simon à Groenevvegen *De Legib. abrogat. ad L. 18 ff. De Receptis qui arbit.* &c. item Simon Van Leeuvven in Censura Forensi *parte 1. cap. 17. num. 9.* citans ibidem Costalium ad *L. 17. ff. eod.* qui tamen de hac inter Jus Civile & Canonicum differentia hîc loquens dicit, „quod in eo genere quæ„stionis sumus, in quo jus utrumque in suo foro servari debeat, „civile in civili, Canonicum in Canonico, cùm talia salutem „animæ non contingant.

Subdit quoque ibidem Costalius. „Item quemadmo„dum Jure Civili requirimus ut omnes arbitri sententiæ fe„rendæ adsint: idem ferè dicitur in actis, quæ ad instruen„dam litem fiunt, ut ea expedire non possint, nisi præsenti„bus omnibus arbitris: ideo ex tribus arbitris acceptis duo „non possint recipere testes & interrogare, ut curia Parisien„sis censuit.

Illud equidem expeditum apparet, decisionem Juris Canonici non habere locum, si in plures compromissum sit, non simpliciter, sed adjectâ conditione, ut *simul omnes* in cognoscendo & judicando interfint, uti rectè observat Tuldenus ad Damhouderum *in Praxi rerum civil. cap. 212. litt. D.*

XV. Si in duos simpliciter compromissum sit; hique inter se dissentiant, tacitè id actum videtur, ut tertius ab iis eligatur, cujus auctoritati pareatur, *L. 17. §. 6. ff. eod.* At si in duos compromissum sit hâc additâ expressâ cautione, *ut si dissentiant, tertium assumant,* dicit Jurisconsultus in citata *L. 17. §. 5.* „Puto tale compromissum non valere: nam in assumendo „possunt dissentire. „At hac Juris Civilis subtilitate explosâ, hodie contrarium servatur; suntque hæc compromissa usitatissima. Rebuffus loco citato *num. 7.* item Mornacius ad citatam *L. 17.* & Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Arbitris* notat, nihil per mores frequentius, quàm ut eligantur duo arbitri, & his detur auctoritas assumendi tertium non suspectum in casu dissensûs; quod & probari in *Cap. 61. ¤ De Appellat.* rectè ibidem reflectit Zypæus.

XVI. Solent compromissa fieri pœnâ interpositâ, si arbitrio non obtemperetur *L. 11. §. 2. L. 12. & 13. ff. De Receptis* &c. Hæc autem pœna persolvenda est à non obtemperante Decreto seu *laudo* arbitri, vel comparere nolente coram arbitro electo: perinde enim est, non pareat quis sententiæ, an, ne ea feratur, impediat *L. 2. Cod. De Receptis arbitris,* & *L. 27. §. 4. & L. 30 ff. eod.*

XVII. Si pœna simpliciter inseratur compromisso, quo nihil frequentius moribus nostris, in æstimandis emptionum pretiis in arbitrium boni viri collatis, eâ persolutâ liberè à compromisso receditur: secus si adjecta sit cum clausula, manente compromisso; quia tunc is qui compromisso stare renuit, in pœnam incidit, & nihilominus compromisso stare jubetur; Andræas Gail. *lib. 1. Observat. 150. num. 14.*

XVIII. Aliquando etiam interposito jurejurando arbitros fuisse assumptos constat ex *L. 4. Cod. eod,* illudque vocatur ibidem *sanctissimum arbitrium.*

Postmodum autem Justinianus *in Novella 82. cap. 11.* „Sancimus de cætero nullum fieri omnino judicem *arbitra„lem* & cum *jurisjurandi* cautione judicare: Ne (ait) ex „hoc in perjurium invitum incidant homines propter judi„cum ignorantiam pejerare compulsi: sed omnino qui judi„cem aut judices eligunt, cum pœna eligant eos, quatenus par„tes ad invicem coëant, & necessitatem habeant aut conten„tæ esse judicio, aut si retractare voluerit alter, det mulctam, „& si licentiam habeat discedere reus ab iis quæ judicata sunt, „& ad aliud venire auditorium: nostris judicibus si adiri fue„rint, exigentibus mulctam: & iis qui eam jussi sunt accipere; „restitui præparantibus.

Hanc Justiniani Ordinationem non fuisse ubique receptam constat ex *Cap. 2. & 9. ¤ De Arbitris,* ubi arbitrorum cum interposito juramento mentio fit; eamque distinctionem inter Jus Civile & Canonicum observat Damhouderus *cap. 204.*

Non desunt Interpretes, qui docent, eam Justiniani Constitutionem de Arbitris tantum, & non de Litigantibus loqui, uti monet Zypæus in Jure Novo *tit. De Arbitris,* additque: „Adeoque *jurata* compromissa *indies* fiunt.

XIX. Arbitri quacumque forma assumpti nullam accipiunt propriè dictam jurisdictionem, quam privati dare nequeunt; unde nec propriè *judices* sunt; sed compromissarii privato partium consensu, ad eorum controversias decidendas, assumpti. Imò inspecto Jure Civili, Judices Ordinarii in Arbitros assumi nequeunt *L. 9. §. 2. ff. eod.* cui consonus apparet *articulus 23.* Ordinat Curiæ Brabantiæ, qui inhibet Consiliariis ne munus compromissi suscipiant causarum in Senatu motarum, aut verosimiliter movendarum sine consensu Cancellarii & Senatûs,

XX. Jure Canonico tamen etiam in ipsos Judices compromitti posse constat ex *Cap. 7. ¤ De Arbitris & Cap. 11. ¤ De Præbendis.* Credit Janus à Costa in Summario tituli Decretalium *De Arbitris,* hoc de Jure Canonico receptum esse, quia ipsa Judicia Ecclesiastica cœperunt ab *Arbitrio*, & more arbitrorum primùm jussi sunt Episcopi judicare *L. 7. Cod. De Episcop. Aud.* & supra *tit. 1. cap. 2.* notavimus.

Nonnulli autem credunt, referente A Costa ibidem, hanc decisionem Juris Canonici occasionem habuisse ex *Novella 86.* Justiniani: ex qua potest Judex esse honorarius arbiter vel *mediator*, id est, ut loquuntur, *Arbitrator* & amicabilis compositor.

XXI. Quidquid sit, hoc sat constat, Judices ordinarios posse se interponere, etiam in causis coram se pendentibus, tamquam mediatores, ut partes ad concordiam inducant.

Quin & ipsos Judices tamquam *Arbitratores* compromitti posse dicit Anthonius Faber ad Cod. *lib. 2. tit. 38. definit. 2.* „In Præsides & Senatores non magis (ait) compromit„ti potest tamquam *Arbitros juris* quam in quemlibet alium „Judicem Ordinarium: cum sint & ipsi Judices Ordinarii. „Sed tamquam in *Arbitratores*, & benevolos, ut vocant „compositores compromitti haud dubiè potest. „Et ita judicatum in Senatu Sabaudiæ anno 1591.

XXII. Neque enim *arbitrator* est propriè dictus *arbiter*, qui more Judicis causam discutit, & definit, partesque Judicis subit; uti notat ex Corasio Diodorus Tuldenus ad titulum Cod. *De Receptis Arbitris,* additurque, quod quidem præter Compromissarium alium arbitrum jus agnoscat, sed qui propriè non est arbiter, nec ut talis de lite cognoscit, verùm ad cujus æstimationem moderationemque aliquid in contractibus partes referunt. „Porrò (ait Tuldenus;

„nus) amicabilis contendentium conciliator non desinit ipse „litem, sed ejus finiendæ consilium modumque suggerit ipsis „contendentibus. Nec nego (pergit Tuldenus) hunc quoque „arbitrum vocari, sed nego judicem esse, verum proxenetam „transactionis esse affirmo.

Hactenus ex Tuldeno allegata videntur disertè expressa in *L.* 13. §. 2. *ff. eod.* „Recepisse autem arbitrium videtur (ut „Pedius *lib.* 9. dicit) qui Judicis partes suscepit, finemque se „sua sententia controversiis impositurum pollicetur. Quod si „(inquit) hactenus intervenit, ut experiretur, an consilio suo, „vel auctoritate discuti litem paterentur, non videtur arbi- „trium recepisse.

Hic manifestè distinguitur à propriè dicto *arbitro*, qui se simpliciter interponit, ut experiatur, an litem finire posset; qui, uti notat ibidem Dionysius Gothofredus, *arbitrator* dicitur.

XXIII. Igitur dum judices se interponunt, ut suggerant, proponantque litigantibus media & consilia concordiæ, arbitratores seu amicabiles compositores dici possunt, non arbitri: nec dubium, quin officium Judicis nonnumquam exigat, ut conentur partes ad concordiam aliquam & transactionem inducere, uti rectè monet Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap.* 199. testaturque, quod „in supremo Mechliniensi Conci- „lio frequenter utantur, ut partes mittant ad Commissarios, ut „illas audiant causas ipsarum coram discutiant, & disputent, „& eas si quomodo poterunt, amicè concordent. Et si eas nul- „lo modo concordare poterunt, saltem utrique partium seor- „sum, & secretè omnes difficultates causarum prudenter ape- „rient, ut inter spem & metum fluctuantes, persuasionibus ci- „tiùs ad concordiam conducantur. Sin pertinaciter sanis con- „siliis acquiescere nolint, rerum eventum & sententiam futu- „ram expectent. Atque hoc pii ac Christiani Judicis officium, „quivis Judex exequi, & peragere potest, ne dicam debet, in „quocumque statu res etiam & causæ consistent, si materia „difficultatis plurimum contineat, & Judicis sententia pro- „nuntianda anceps videatur.

XXIV. Monet autem ibidem *num.* 3. ut reflectat Lector ad finalem clausulam verbis supra relatis adjectam: *Si materia difficultatis plurimum contineat, & judicis sententia pronuntianda anceps videatur.* „Quia (ait) si processus „in jure conclusus, visitatus, & diligenter examinatus esset, „atque ex eo examine Judex certè cognosceret utrius par- „tis causa esset potior, & justior, eo casu non debet partes „ad concordiam inducere, & pertrahere, id enim si faceret, „alterutri parti magis favere videretur, quod ab animo Ju- „dicis procul abesse convenit, sed eo casu debet jus dicere, „& justitiam æquiori parti adjudicare citra omnem favo- „rem & de concordantia apud neutram partem, nec semel „hiscere.

Multa quoque tradit Nicolaus Tuldenus ad *cap.* 206. Damhouderi *lit. M.* contra judices, qui videntes partem unam habere justam causam, nihilominus eam ad concordiam, & aliquid de suo jure remittendum incitant, ut vel hoc pacto alteri parti faveant.

XXV. Hoc non minus reprehendendum, quod judices frequenter de excitandis partibus ad concordiam non cogitent, nisi postquam jam omnes penè litis expensæ factæ sunt, ipsisque nihil amplius ex lite lucrandum superest; & quando ob factas expensas ferè impossibilis, aut admodum difficilis redditur concordia. Hoc animadvertisse videtur Damhouderus, qui loco citato *num.* 4. dat hoc pium omnibus Judicibus monitum: „Sed hoc (ait) omnibus Judicibus ex Christiana charitate ve- „lim esse familiare, ut quoties coram ipsis ullus processus in- „tentatur, partes per se, aut per alios concordatos curent, si „possint, priusquam ad odiosas, ac voracissimas lites descen- „dant. Id enim facientes, non tantùm pii Judicis, sed etiam veri, „ac sinceri Christiani hominis officium referunt, Apostolicam „doctrinam sequuntur, & ad Christi Servatoris nostri, ac pa- „cifici exemplum se componunt, & id imitatione exprimere „curant.

XXVI. Communiter hodie fit, ut partes se in unam eamdemque personam submittant, tamquam *arbitratorem & arbitrum*, „hoc est, ut in causis controversis unus & idem in- „duat utramque personam, & arbitri arbitratoris, sic ut si par- „tes consiliis, rationibus & amicis pacificationibus concordari „poterunt, id primò scilicet curet: sin id non valebit, arbitrum „agat, & rem omnem juris ordine peragat: ait Damhouderus „*cap.* 204. *num.* 8. in *Praxi Rerum Civil.* additque: „Atque „hoc geminum officium arbitratoris & arbitri, in uno mihi „videtur admodum laudabile amplectendum.

XXVII. De sententia arbitri ex compromisso Jure perfecto aditi appellari non posse sæpe rescriptum est (ait *L.* 1. *De Receptis Arbitris*:) „Quia nec judicati actio inde præstari po- „test: & ob hoc ipsum pœna invicem promittitur, ut metu „ejus à placitis non recedatur. „Et in *L.* 27. §. 2. *ff. eod.* „Stari „autem debet sententiæ arbitri quam de re dixerit: sive æqua, „sive iniqua sit: & sibi imputet, qui compromisit: Nam & „Divi Pii rescripto adjicitur: *Vel minus probabilem senten- „tiam æquo animo ferre debet.*

XXVIII. Hinc communi calculo concludunt Interpretes, de Jure Civili à sententia arbitri ex libero partium consensu assumpto appellari non posse: sed ejus sententiæ omnino esse standum: quod & scopo introductorum arbitrorum omnino consonum apparet: nimirum, ut ope arbitrorum lites citius ac minoribus expensis terminentur, & à forensi strepitu tandem ipsi litigantes eximantur, & omnibus jurgiis finis imponatur.

XXIX. Unde deplorat Tuldenus, quod consuetudo id perperam mutaverit. Moribus enim passim invaluit, ut ab arbitrorum sententia provocari, sive (ut ajunt) *reduci* queat, idque exemplo *arbitratorum* inductum apparet; de quibus legitur in *L.* 76 *ff. Pro Socio*; „quod ad boni viri Judicium „redigi debeat, etsi nominatim persona comprehensa sit, cujus „arbitratu fiat.

„Hodie praxis statuit & servat (ait Rebuffus) quod sem- „per recurratur ad arbitrium boni viri, ubicumque arbiter „iniquè arbitratus est. Et hoc sive cum adjectione pœnæ erat „electus, sive non: & sic non fit hodie differentia in hoc Re- „gno, in quo passim securritur ad arbitrium boni viri quo- „modocumque arbiter iniquè arbitratus fuerit, & sive arbiter, „sive arbitrator, sive amicabilis compositor & quocumque „nomine vocitatus fuerit. „Hæc ille in Tract. *De Arbitris art.* 1. *gloss.* 3. *num.* 7. Quod & praxi Belgicæ conforme est, Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. De Arbitris.*

XXX. Hæc provocatio, quia non est propriè à sententia, non solet vocari appellatio, sed *reductio*, scilicet ad arbitrium boni viri; quamvis reipsà, inspectis hodiernis moribus, ab appellatione vix differat. Quare monet Rebuffus loco citato *Gloss.* 8. *num.* 30. quod sententia Arbitri pendente reductione maneat omnino in suspenso & sine executione, æquè ac sententia Judicis pendente appellatione: quia (ait) hæc reductio vim habet suspensivam, sicut appellatio.

XXXI. Quare etiam, sicuti moribus nostris à quacumque sententia judiciali, quantumvis *nulliter* latâ, debet provideri per appellationem, neque infirmari potest per viam (ut ajunt) *nullitatis*; ita quoque obtinuit, ut simili modo per reductionem debeat infirmari sententia arbitralis, quamvis nulliter lata; uti observat Antonius Faber loco citato *Definit.* 6. Eadem ratione Rebuffus in *tractatu De Arbitris art.* 1. *gloss* 8. postquam *num.* 28. dixisset, in Rota aliquando dubitatum, an in causa reductionis ad arbitrium boni viri sit lis contestanda, quia per officium Judicii imploratur, mox tamen dicit *nu.* 29. „In Francia tamen hæc dubitatio non fit, quia per *appellatio- „nem* recursus fit, & omnia quæ in causa appellationis requi- „runtur, & in hoc recursu servari solent.

XXXII. Hæc reductio in Gallia fit ad Judicem Ordinarium, id est, eum in cujus territorio pars habet domicilium; & sic is regulariter erit Judex, qui in causa fuisset Judex sine compromisso. Latè Rebuffus loco citato *gloss.* 10.

Idipsum in Germania obtinere testantur Gail *lib.* 1. *obs.* 149. & Mynsingerus *Cent.* 2. *assert.* 61.

In Brabantia reductio fieri solet immediatè ad supre-

mum Senatum, uti notat Zypæus in Notitia Juris Belgici tit. *De Arbitris*: refertque Hubertus Loyens in Tractatu De Curia Brabantiæ *cap.* 15. inter causas de quibus Senatus Brabantiæ est judex, reductionem à laudo arbitrorum, dicens: „ Ad cognitionem Senatus jure quoque „ pertinet omnis reductio à sententia Arbitri, ad arbitrium „ boni viri.

Ex Ordinationibus tamen hujus Curiæ *art.* 487. potest reductionis causa committi Judicibus Ordinariis, ubi expedire videbitur. Verba articuli sunt: ***De Materien van reductien sullen by onsen Raede ten Landrechte moghen gecommitteert vvorden, als sy bevinden sullen soo te behooren.*** Id est: Reductionem causæ poterunt senatui nostro in Patrio tribunali committi cum sic expedire videbitur.

XXXIII. Dum reductio sit quædam species appellationis, ex communi Interpretum opinione debet fieri intra decem dies adinstar appellationis; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum civil *cap.* 215. & ita servari in Francia dicit Rebuffus loco citato *gloss* 8. *num.*6. Unà tamen monens, quod si dolo, vel per sordes quis prætendat se enormiter læsum, possit intra 10. annos impetrare litteras Regias restitutionis; quemadmodum in aliis contractibus id licet.

XXXIV. Ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 488. reductio ad hanc Curiam effectum suspensivum non habet, nisi facta sit intra 20. *dies* à latâ sententia arbitrali: post annum verò nulla reductio admittenda. ***Dat egeen materien van reductien effect van suspensie hebben en sullen, ten sy dat die reductie versocht is binnen twintigh daghen naer d' uytspracke gedaen, ende egheen reductien en sullen ontfangen, oft geadmitteert vvorden naer den jaere dat d' uytsprake gedaen sal syn.*** Id est: Ut nulla reductionis causa suspensionis effectum sortiatur, nisi dicta reductio intra vigesimum à prolata sententia diem impetretur. Elapso verò post sententiam anno, nulla reductio recipi aut admitti poterit.

XXXV. Ut reductio fiat, debet per libellum à Curia facultas reducendi impetrari; quod & innuit citatus articulus Ordinationum Curiæ Brabantiæ, dum dicit reductionem non habere effectum suspensivum, nisi *petita sit* intra 20. dies *Die reductie* VERSOCHT *is*.

XXXVI. Conqueritur Busius, ad Legem primam *De Arbitris*, quod malo more eadem reductio in nonnullis Belgicis Curiis facile & plerumque sine ulteriori causæ cognitione concedatur. Et sanè etiam concedi solet, tametsi pœna compromisso adjecta sit, & reductioni expressè renuntiatum sit: nam & adversus hanc renuntiationem restitutio datur, & reductio admittitur; uti latè deducit Rebuffus loco citato *Gloss* 5. & 8. ibi notans, omnes penè cautelas, quæ pro roboratione arbitriorum fuere jam pridem observatæ, amplius non valere. Adeo ut hodie vis arbitriorum penè totaliter sit enervata: ipsaque compromissa magis ad augendas quam extinguendas lites hodie servire videantur: Cum tamen teste Jurisconsulto in *L.* 37 *ff. eod.* non differendarum litium causa, sed *tollendarum* ad Arbitros eatur.

XXXVII. Ad hæc finalia verba reflectens Momacius ad *L.* 36. *ff. De Receptis qui Arbitrium &c.* ait: „ Notandus „ textus. Sed quia nec satis arctum arbitralis sententiæ vin„ culum esse compertum est ex quotidianis experimentis, in„ venta est & hæc alia ratio tollendarum litium: nempe ut sta„ tim atque terminata sunt negotia ab Arbitris, Litigantes co„ ram eis transigant apud tabelliones, id est, & contestationes „ quæ factæ ab iis fuerunt, & judicium quod ab Arbitris la„ tum est, transactionis obice perpetuo muniant, nihilque „ amplius pateat, tantillumve emineat, præter contractum „ quem omnium esse fortissimum ideo voluit constitutio Re„ gia anni 1561.

Et ne adversus transactionem forsan restitutio petatur ex capite prætensæ Læsionis; atque hinc rursus litibus initium detur, solet transactionis confirmatio à Senatu peti.

TITULUS VI.
De Ministris Curiæ Ecclesiasticæ.

CAPUT I.

De Assessore.

1 *Hodierni Officiarii seu Ministri curiæ Ecclesiasticæ demum institui cœperunt quando in forum Ecclesiasticum intravit stilus fori civilis.*
2 *Origo & conditio horum Ministrorum potissimum ex Jure Civili petenda.*
3 *Officium Assessoris jam pridem apud Romanos notum fuit & unde nomen Assessoris.*
4 *Assessores etiam dicti fuerunt Consiliarii.*
5 *Apud Romanos Magistratus Assessoribus utebantur.*
6 *Error in judicando cur Assessoribus, non Magistratibus imputaretur.*
7 *Assessores reputabantur quasi judices & ideo multis privilegiis gaudebant.*
8 *Erant immunes à tutelis & onere indictionis.*
9 *Si absentes læsi essent restituebantur in integrum.*
10 *Assessores apud Romanos accipiebant salaria sua ex publico.*
11 *Olim omnes majores Magistratus sibi Assessores assumere poterant; hodie soli Principes supremi.*
12 *Hodie Assessores Principum constituunt parlamenta & Concilia eorum.*
13 *Inferiores Magistratus habere solent suos Secretarios vel Graphiarios vices assessorum supplentes.*
14 *Præter hos officiatos consulere consueverunt Advocatos, qui locum assessorum suppleant.*
15 *Nonnunquam Magistratus tenentur judicium istorum Advocatorum in pronuntianda sententia sequi.*
16 *Exemplo Magistratuum Civilium Judices Ecclesiastici cœperunt Assessores sibi assumere.*
17 *Sæculo 13. moris fuisse assumere Advocatos in Assessores in Curiis Ecclesiasticis probat Synodus Cantuariensis.*
18 *Nonnulli Judices Ecclesiastici in gravamen partium sine causa assumebant assessores.*
19 *Decretum Bonifacii VIII. occasione hujus abusus conditum.*
20 *Quis dicatur Assessor in hoc Decreto Bonifacii.*
21 *Bonifacius vetat assumi Assessorem à judice nisi eo indigeat.*
22 *Potest tamen semper assumere modo id fiat sine gravamine partis.*
23 *Quandonam Judex censeatur fraudulenter assumere Assessorem ex mente Bonifacii.*
24 *Potest assumere Judex, si indigeat, Assessorem etiam cum gravamine partis.*
25 *Hodie Judices Ecclesiastici qui non sunt professione jurisperiti solent Assessores assumere.*
26 *Ex Constitutione Leonis X. Judices in neutro jurium graduati tenentur Assessorem assumere una etiam parte tantum requirente.*
27 *Judex licet professione jurisperitus & in jure graduatus possit Assessorem ad gravamen partis assumere, si eo indigeat.*
28 *An judex indigeat vel non, Bonifacius relinquit conscientiæ ipsius judicis.*
29 *Unde hodie Judices de causa assumendi Assessorem nulli nisi soli Deo rationem reddere debent.*
30 *Judex delegatus ob suam insufficientiam hodie non potest recusari.*
31 *Potest recusari Assessor tamquam suspectus.*
32 *Permittit Bonifacius judici ut Assessori competens salarium el onus partium assignet.*
33 *Quæ de jure in assignatione salarii consideranda?*
34 *Quid hodie obtineat circa salarium Assessorum, qui in Assessores assumuntur, vel pro judice consuluntur.*
35 *In Curiis Ecclesiasticis jura Assessoris solent esse taxata.*
36 *Interdum Assessor recipit jura judicis nullo honorario judici relicto.*
37 *Convenit ut Judex per se examini causæ intersit, tametsi Assessore utatur.*

I. Dum

I. DUm circa sæculum 12. cœperunt in tribunalibus Ecclesiasticis causæ more & stylo forensi instrui, & secundùm legum etiam Civilium rigorem examinari & decidi, unà in his tribunalibus invaluere Officiarii & Ministri fori Civilis; atque ad exemplum Officiatorum & Ministrorum jurisdictionis civilis iisdem penè legibus institui & ordinari, uti rectè notavit Carolus Loyseau tractatu *De Officiis lib.5.cap.6.n.33.* dicens vice fundamenti in hac materia tenendum esse, quod officia fori Ecclesiastici iisdem juribus & regulis regantur quibus Officia sæcularia: *Aussi il faut tenir* (ait) *pour maxime, que les Offices de la justice Ecclesiastique gardent & retienent le mesme droit, & les mesmes regles de la justice temporelle.* Id est: Unde tanquam axioma habeatur quod officia fori Ecclesiastici, idem jus easdemque regulas cum foro sæculari observent & teneant.

II. Unde si quis noscere velit Ministrorum seu Officiatorum Curiæ Ecclesiasticæ originem & naturam, quin & eorum munus & Officium, nec non regulas quas observare debent, eam notitiam ex jure Civili fere haurire debebit; atque investigare, quæ fuerint aut sint hujusmodi ministrorum apud Civiles Magistratus munia & leges. Atque hinc facilè quoque intelliget, ex foro Civili in forum Ecclesiasticum hæc esse introducta, postquam hoc forum ad normam istius regi cœpit, & causæ ad præscriptum non tantùm Canonum, sed & ipsarum legum Civilium instrui & decidi.

III. Notum jam pridem fuit officium *Adsessorum*; ita dictorum, quod Magistratibus *adsidere* in causarum examine & decisione solerent. „Omne officium Adsessoris, quo Juris „studiosi partibus suis funguntur, in his ferè partibus constat; „in cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, „epistolis, „inquit Paulus Jurisconsultus in *L. 1. ff. De Officio Adsessorum.*

IV. Dicuntur & Consiliarii, utpote qui consiliis propriis Magistratus in decidendis & tractandis causis juvare debebant *L.7. Cod. eod.*

V. Licet enim jure Romanorum Judices legum peritiam habere debeant, atque munus judicandi *per se* obire teneantur *Novellâ 60. & 82.* tamen Magistratus hac scientiâ non debebant esse instructi; uti ipse etiam Justinianus indicat in dicta *Novella 82. cap. 2.* & manifestè supponit *L. 2. ff. Quod quisque juris in alterum statuerit* &c. ubi dicitur: „Si Adsessoris imprudentiâ jus aliter dictum sit, quàm oportuit, non „debet hoc Magistratui officere, sed ipsi *Adsessori.*

VI. Cur non debeat Magistratui officere, rationem allegat ibidem ex Cujacio *lib.23. Observat.40.* Dionysius Gothofredus: „Adsessor pro Jurisperito agit & scientiam juris præ„stare debet: Prætor vel Præses non item. Et plerumque nec „Jurisperitus est, sed vir militaris ex nobiliori quadam familia, „qui arma potiùs callet, quàm leges; quod & hodie in iis qui „Ballivi, sive *Seneschalli*, dicuntur, usu venit.

Idipsum jam pridem observavit Theodorus Balsamon ad *Can. 15.* Carthaginensem, dicens: „Magistratus seu qui præ„sunt judicibus, non coguntur leges exactè scire, ut qui in „multis aliis magnis occupationibus versentur; & propterea „si per imperitiam sententiam ferant, eis venia datur. Eorum „Assessores, si contra leges ferant sententiam, puniuntur. Dicit „enim lex in *lib.7. tit.3. cap.24.* Dolum Magistratus requi„rimus. Si enim per imperitiam Assessoris aliter judicatum „fuerit, non facit injuriam Præses seu Magistratus, sed qui ei „fert auxilium. Et est probabilis quidem ratio. Magistratus „enim propter eam quæ dicta est causam, non insimulantur: „Judices autem, quorum est proprium munus judicare, si con„tra leges fecerint, tenentur ac si dolo fecissent, secundùm „legem quæ dicit; Imperitia negligentiæ æquiparatur; & „rursus. Dolum quis facit qui perfectè nescit quod se scire „profitetur.

VII. Assessorum illorum non exigua erat apud Romanos dignitas; multisque erant privilegiis decorati. Cùm enim eorum consiliis omnia apud majores Magistratus agerentur, quasi Judices & Magistratus erant: hincque administrantium Provincias socii atque participes, & *quædam uniuscujusque portio* videri dicuntur in *L. OMNIS Cod. Theod. De iis quæ administrantibus* &c.

VIII. Et quidem Assessores tamquam qui vices Judicum subirent, ipsisque Provinciarum Præsidibus & Magistratibus assisterent suis consiliis continuo, immunes erant à tutelis, & ab omni indictionis onere, non solùm dum in officio erant, sed & eo deposito. *L. 11. ff. De Officio Assess.*

IX. Similiter si dum hujus officii causâ in Provinciis agerent & à patria abessent, intereà in aliquo læsi essent, damnumve in Patria accepissent, restituebantur in integrum. *L. 37. & 38. ff. Ex quibus causis majores* &c. quia Republicæ causa abesse censebantur.

X. Et quod amplius est, ipsi Adsessores non secus ac ipsi Magistratus salaria sua ex *publico* accipiebant *L.4. ff. eod.* Unde & titulus Codicis *De Annonis & capitatione Administrantium vel* ASSESSORUM &c,

XI. Olim major quivis Magistratus sibi Assessores adoptabat, ut Præfectus Prætorio, Præses, Proconsul, Prætor, publico eis constituto salario *L. 11. Cod. Assessoribus.* Hodie solùm Principes, & qui Provinciis præsunt, & liberæ civitates eos assumunt in consilium, ait Antonius Perezius ad tit. Codicis *De Adsessoribus num.1.*

XII. Hi hodie dicuntur Consiliarii Principis; constituuntque ipsa hodierna Principum Parlamenta & concilia, quæ etiam tamquam Principum Assessores, omnia sua publicant & enuntiant sub nomine Principis; ipsoque Principis sigillo utuntur.

XIII. Inferiores Magistratus hodie suos habere solent Secretarios vel Graphiarios (de quibus infra) qui plerumque sunt Jurisperiti, & in negotiis forensibus aliquatenus instructi. Hi tamquam quidam Magistratuum Adsessores causis instruendis & agendis ac decidendis Magistratibus assistere consueverunt: præsertim quia cum hi Officiarii perpetui sint, Magistratus autem ferè ubique temporales, in negotiis instructiores esse solent. Quare & omnibus sat persuasum est, à capacitate & diligentia hujusmodi Officiatorum bonum regimen & causarum justam directionem plurimum dependere.

XIV. Præter hos Officiatos, quorum consilio passim Magistratus utuntur in negotiis dirigendis, & causis instruendis, consulere quoque consueverunt Advocatos seu Jurisperitos, qui iis in causis vicem Adsessorum supplent; utpote, qui in judicando suis consiliis quasi adsident, quidve edicere, aut pronuntiare debeant, præscribunt. Unde Advocati qui à Magistratibus super decisionibus causarum consuluntur, vulgo dicuntur consulere *pro judice*; quod consilia ipsorum sint adinstar judiciorum.

XV. Licet enim tales Advocati nullam habeant jurisdictionem; neque sententiam suo nomine proferre queant, nihilominus his Advocatis potiori jure ipsa sententia adscribenda, quam Magistratibus, quia Magistratus, qui frequentiùs juris scientiâ non sunt instructi, judicium Advocatorum illorum sequuntur. Imò ex Edicto de an. 1695. tenentur Magistratibus subalterni in Brabantia ex sententia Advocatorum pronuntiare.

XVI. Exemplo Magistratuum civilium cœperunt & ipsi Prælati, quibus jure ordinario, vel delegato judicandi auctoritas competebat in causis tractandis & decidendis Assessores adsciscere; præsertim postquam causæ Ecclesiasticæ tractari inceperunt more forensi; atque non amplius ex æquo & bono more arbitrorum, sed ex rigore juris in foro Ecclesiastico procedi consuetum fuit. Sæpius enim contingebat, ipsos Prælatos, aliosve quibus auctoritas judicandi vel jure proprio, vel delegato competebat, scientiâ illâ forensi aut parum esse instructos; aut aliis majoribus & gravioribus negotiis occupari, quo minus forensibus illis quæ multum sæpe temporis requirunt, implicari possent aut conveniret.

XVII. Sæculo 13. moris fuisse, ut in tribunalibus Ecclesiasticis assumerentur Advocati in Assessores patet ex Synodo Cantuariensi anno 1265. *Can. 27.* ubi dicitur: „Ad Advocatorum consilium in interloquutoriis, & sententiis

„tentiis in consistorio prænotato (Episcopali) ferendis, *de consuetudine* Curiæ supradictæ (Episcopalis Cantuariensis) à judice seu Præsidente recurritur.

Hinc manifestum est, non fuisse novum in Curia Cantuariensi ad consilium Advocatorum in sententiis ferendis recurrere; sed jam illud *de consuetudine* eo tempore fuisse servatum. Advocati autem hi ibidem vocantur & *Assessores*.

XVIII. Quamquam non sit improbandum, quod Prælati disceptationum forensium peritiâ haud instructi, vel gravioribus negotiis impediti in causis tractandis & decidendis Assessores sibi assumant, hoc tamen improbandum, in gravamen Partium sine justa causa, ut Advocatis aliisve faveatur, Assessores etiam plures nonnumquam adsciscí.

XIX. Huic abusui occurrere volens Bonifacius VIII. in *Cap.* 11. §. ASSESSOREM *De Rescriptis* in VI. statuit: „Assessorem autem ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter (nisi eo indigeat, quod conscientiæ relinquatur ejusdem) sibi nequaquam adjungat: alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum assumens, ei, de competenti salario provide moderando ab eo, faciat à partibus communiter provideri.

XX. „Est autem Assessor (ait Archidiaconus ad hoc Capitulum) is, quem ille qui potestatem habet judicandi, sibi associat ut sibi in causa assideat, vel assistat, seque ad causam rectè decidendam instruat. „Atque de officio ejus remittit ad titulos Digestorum & Codicis *De Offic. Assessoris*, ut vel inde apparet, nec Archidiaconum dubitasse, quin officium Assessoris, de quo hic agitur, & in tribunalibus Ecclesiasticis hodie est vulgatum, ex jure Civili originem habuerit; & ex hoc jure de officio Assessoris sit statuendum.

XXI. Imprimis itaque Bonifacius dicit, quòd Delegatus Judex à Sede Apostolica non debeat assumere Assessorem *nisi eo indigeat*. Ad quæ verba reflectens Glossographus quærit. „Utrum Delegatis indistinctè permissum sit assumere Assessores sive Consiliarios, posito quòd ipsi Delegati sint sufficientes ad decidendum dubia? Et respondet, quòd non, nisi necessitas exigat: Ideò (ait) si Delegatus sit negligens, quia dixit, quod non vult studere, ideò quia non recipit aliquid à partibus, hoc non debet facere, quia si sit sufficiens, non debet in gravamen partium assumere Assessores vel Consiliarios qui salarisabuntur à partibus.

XXII. Rectè addit Glossographus hæc finalia verba, *qui salarisabuntur à Partibus*. Nec enim prohibetur judex Delegatus indistinctè & pro suo arbitrio assumere Assessores sive Consiliarios, nisi in quantum hæc assumptio vergit in gravamen Partium. Unde in sua Constitutione dicit Bonifacius, quod si Delegatus sibi adjungit Assessorem quo non indiget, *de suo proprio teneatur providere eidem*.

XXIII. Deplorat Pontifex, quòd quidam contrarium faciant *fraudulenter*, hoc est sibi Assessorem adjungant, quo non indigent. *Fraudulenter*, inquit Glossographus, „vel ut partes gravent, vel alteram earum: vel ut amicis serviant, vel ut lucrum percipiant, vel participent.

XXIV. Vetat autem Bonifacius à Judice Delegato Assessorem assumi additâ hâc cautione, *nisi eo indigeat*: quo manifestè indicat, Judicem Assessorem sibi posse adjungere, *si eo indigeat*: puta, „quia fortè non est peritus ut convenit, ad universa puncta causæ ruminanda: vel quia variis suis negotiis, vel infirmitate corporis impeditur; „uti ibidem exponit Glossographus.

XXV. Ex capite non sufficientis peritiæ solent hodie Judices Delegati, qui professione non sunt Jurisperiti, nec consequenter forensium disceptationum peritiam profitentur, Assessores assumere, ex quorum consilio & directione causas instruant & decidant.

XXVI. Imò Leo X. in Constitutione quæ incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ*, 10. in Bul. R. declaravit §. 9. „Judices autem, & Conservatores à Sede Apostolica deputati, si in altero jurium graduati non fuerint, Assessorem Partibus non suspectum, ab ipsis Partibus, vel earum altera requisiti, assumere, & secundum ejus relationem judicare teneantur.

XXVII. Et licet sint professione Jurisperiti, & in utroque vel altero jurium graduati, si tamen se directioni aut decisioni causarum reverâ credant insufficientes, aut non satis suæ peritiæ ob causarum difficultatem & gravitatem fidant, vel aliis majoribus negotiis ita sint occupati ut hisce vacare nequeant poterunt & hi vel pro integra causæ directione, vel saltem pro ejus finali decisione Assessorem assumere prout & hodie frequenter judices, etiam professione Juris-periti, atque in jure graduati assumunt.

XXVIII. Utrùm autem Judex *Assessore indigeat*, & utrum sit causa sufficiens eum sibi adjungendi expensis Partium, ex citata Constitutione *conscientiæ* ipsius Judicis assumentis relinquitur. Ex quo concludit Glossographus, „quod Pars non possit referre quæstionem Judici Delegato: scilicet dicendo quòd Assessore non egeat. Cum enim hoc *conscientiæ relinquatur* ipsius, ergo soli Deo, & nulli alii Judici vel cognitori.

XXIX. Conformiter ad hanc expositionem glossæ Judices Ecclesiastici hodie sibi Assessores assumunt ex solo conscientiæ dictamine; nec ipsis super sufficientia causæ assumptionis à Partibus in foro externo quæstio moveri potest. Caveant tamen, ne Assessores plures, aut non necessarios in gravamen Partium, puta ut amicis aut familiaribus lucrum procurent, vel eorum sibi favorem aut amicitiam concilient, assumendo rationem reddere debeant ei, qui conscientiæ cognitor est & Judex.

XXX. Cùm Judex Delegatus ob suam insufficientiam possit, imò & debeat sibi Assessorem assumere, rectè hic observat glossa marginalis, quod licet Judex Delegatus non sit sufficiens, propter hoc non possit recusari; quod & hodiernæ praxi est conforme.

XXXI. Addit Bonifacius VIII. in sua Constitutione, quòd si Judex Delegatus Assessore indigeat, *ipsum neutri Parti suspectum assumat*.

Hic rursus notat glossa, „quòd Consiliarius vel Assessor possit recusari ut suspectus, licet non habeat jurisdictionem: quia Consiliarius posset inducere Judicem ad judicandum pro Parte adversa.„ Quod vel tunc indubiè præcipuè locum habet, quando Judices Juris peritiam non habentes, omnem penè causæ directionem & decisionem à Judicio Assessorum petere & exspectare debent: tunc enim licet auctoritatem Judicis non habeant, reverâ tamen in decisione & instructione causæ partes Judicis agunt.

XXXII. Permittit autem Bonifacius in sua Constitutione, ut si Judex Delegatus Assessorem, quo se *indigere* judicavit, assumpserit: „ei de competenti salario providè moderando ab eo, faciat à Partibus communiter provideri.

XXXIII. Hic ad verbum *moderando* monet Glossographus, quod moderatio hæc fieri debeat à Judice secundum „qualitatem causæ & Partium conditionem & facundiam Assessoris & loci consuetudinem.

XXXIV. Hodie ferè ubique moribus receptum est, ut si Advocati in certis causis pro *Judice* consulantur, aut in Assessores assumantur, salarium ipsis solvatur pro quantitate temporis vel numero horarum quibus in causæ examine fuerint occupati. Salarium autem illud in singulas horas solet de stylo Curiarum esse taxatum.

Illud hic advertendum ne tempus & horas rebus & discursibus ad causam impertinentibus impendant; & nihilominus ad gravamen Partium tamquam in causæ examine impensas adducant; vel etiam majus quàm Statuta Curiarum determinant, salarium prætendant.

XXXV. In Curiis Ecclesiasticis, in quibus solet penè semper adesse Adsessor, imò nonnunquam omnia ferè per solum Adsessorem aguntur, consuetum est ut & ipsius Adsessoris, quemadmodùm aliorum Officiariorum, salarium sit taxatum. Ita in Statutis omnium Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis tit. *De Assessore* habentur ejus jura taxata; atque *art.* 1. „Pro qualibet sua præsentia,

sive in terminis substantialibus, sive non substantiali- abebit 5. stuferos.
liter legimus in Ordinationibus Curiarum Rectoris ervatoris hujus Universitatis per Principes Belgii Al- & Isabellam anno 1617. probatis, salarium Assessoris 1. Extant hæ Ordinationes *parte 3. Edict. Brabantia* .5. *cap. 30.*
XVI Dicitur in citatis Ordinationibus Curiarum Pro- Iechliniensis *art. 3.* „Si contingat Assessorem, loco nissarii audire testes sive extra civitatem, & locum re- z, sive judicialiter sive extrajudicialiter, habebit Jura e casibus Commissario attributa.
nt igitur hæc Statuta, ut Commissarius sive Judex de rticipet, si ipse operam non impendat: quod sanè t. Unde & Universitas nostra Lovaniensis in litteris pem datis anno 1500. pro conservatione ipsius Cu- servatorialis, loquens de Juribus Conservatoris ait: rlocutoriis & diffinitivis, quia compositas per As- n solum pronunciat nihil. „ Habentur hæ litteræ rivilegio Ducis Philippi super cursu Jurisdictionis Conservatoris, quod extat in citato libro Edicto- 8.
VII. Tametsi ex justa causa Judex Ecclesiasticus pos- ssore, imò frequenter debeat eo uti, tam in causis di- quàm decidendis; nihilominus conveniens est, ut & ipsa acta causæ legat, & examinet, ipsosque Assesso- ut ita videat, ne quid ex aliquo humano affectu, aut a, vel imprudentia committatur, aut omittatur, quod eri Parti officiat, aut Justitiam lædere queat; quem- voluit Justinianus *Novella* 60. ut Judices saltem entiæ dictionem sibi reservarent.

CAPUT II.

De Advocatis.

le & quando in curias Ecclesiasticas Advocati fuerint
.
tigantes tam in curiis Ecclesiasticis quam secularibus per Advocatos proponere solent.
ius III. voluit ut non per Advocatos sed per ipsos li- factum exponeretur.
xim adduci optat Cujacius.
us conari debet de factis causæ exactè instrui.
uscipere non potest ante obtentam convenientem causæ tionem.
n curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlinien- hunc articulum.
usæ cognitione quoad facta debet Advocatus examina- usa sit fundata in jure.
examine merito Advocati sibi proponunt exemplum C-

lvocati specialiter attendere debent ne injustam causam t ob solitum præstari juramentum.
en requirit in Advocato peritiam juris.
manos hujus peritiæ debebant habere testimonium à ibus juris.
m hujus testimonii supplent gradus Academici; nec Advocatis admitti solent nisi ut minus Licentiati juris.
lliciti esse debent Professores, ut indignis gradum A- m conferant.
gua Universitatis requirit rigorosum *examen per to- ordinatione ad gradum Licentiæ in jure.*
ria incommoda redundent in Ecclesiam & Rempubli- mis facili admissione ad gradus Academicos.
ie hic in Belgio merito exactius examen circa graduan- requiratur.
tione Justiniani requiritur studium quinquennii ut ius profiteri possit, hodie minus requiritur ad gra- utiæ.
die post absolutum studium juris, tempus aliquod ur discenda praxi antequam suscipiatur officium
.
non solum debet esse eruditus in jure, sed maximè va- lis affectibus, præsertim à cupiditate lucri.
tas hodie specialiter periculosa est, quia Advocatis co- n Jur. Eccl. P. III.

dis salarium, sive causam perdant sive lucrentur.
22 *Hodie non solent Advocati ob imperitiam aut injustam causæ defensionem in judicio conveniri; quod magnopere ad suscipiendas etiam causas injustas excitat.*
23 *Multitudo Advocatorum sæpe in causa est ut causæ injustæ suscipiantur.*
24 *Olim certus erat Advocatorum numerus, hodie indeterminatur.*
25 *Ex hac multitudine oritur quoque diuturnitas & multitudo litium.*
26 *Nonnulli crediderunt feliciorem fore Rempublicam sine Advocatis quam cum Advocatis.*
27 *Valde optandum ut numerus Advocatorum restringeretur.*
28 *Advocatus causam injustam suscipere nequit, licet prævideat quod alios patronos reperiet.*
29 *Licet etiam ex recusato patrocinio sibi gravia incommoda imminere intelligat.*
30 *Advocatus causam quam suscepit ut justam, deserere debet, ubi intellexerit eam esse injustam.*
31 *Nec potest partem adversam pellicere ad transigendum cum suo cliente.*
32 *Ad id tenetur Advocatus etiam cum periculo infamiæ & offensæ sui clientis.*
33 *Advocatus in prosecutione causæ debet se exhibere fidelem sui clientis patronum, & ingenuum justitiæ defensorem.*
34 *Ut Advocatus id assequatur debet breviter & clarè statum quæstionis judici exponere.*
35 *Hodiernum Advocatorum vitium multis parergis causam involvendi & extrahendi.*
36 *Hoc Advocatorum vitium jam pridem reprobavit Justinianus Imperator.*
37 *Mos conviciandi partem adversam ejusve Advocatum per leges Romanas improbatus.*
38 *Ob convicia in partem adversam conjecta hodie puniuntur Advocati, licet convicia principalis probet.*
39 *Advocati abstinere debent etiam vi sui juramenti à superfluis dilationibus.*
40 *Qui Advocati huic vitio magis sint expositi.*
41 *Statutum Curiæ Ecclesiasticæ contra superfluas scriptiones & dilationes.*
42 *Fidelitas Advocati ergo suum clientem requirit ut ei serviat sine collusione cum parte adversa.*
43 *An Advocatus possit suscipere causam, dum à parte adversa fuit consultus; vel in prima instantia pro illa postulavit?*
44 *Ad eliminanda vitia Advocatorum lata aliquando fuit lex Cincia, qua vetabat ab Advocatis aliquid pro patrocinio accipi.*
45 *Hæc lex urgente Senatu Romano moderationem accepit, & Advocatis moderatum honorarium permissum.*
46 *Jure Romanorum in taxatione honorariis merita causæ & industria Advocati considerari debebant.*
47 *Hodie pro pagellarum & linearum numero fit taxatio, ex qua taxandi ratione multa incommoda oriuntur.*
48 *Quid bonus Advocatus stante hoc usu taxandi observare debeat.*
49 *Advocatus ut ostendat se justitiæ defensorem, debet etiam causas pauperum gratis suscipere.*
50 *An error Advocati noceat clienti?*
51 *Hactenus dicta ostendunt, Advocati officium esse periculosum quod etiam monuit Sanctus Carolus.*
52 *Quare jam pridem munus Advocati interdictum fuerit Clericis?*
53 *Qui hodie Clerici ab officio Advocati excludantur.*
54 *Casus quibus Clerici in sacris constituti postulare possunt, & quæ hic moderatio tenenda.*
55 *An in foro Ecclesiastico Clerici postulare queant.*
56 *S. Carolus Advocatum pauperum è suis Clericis instituit. De Advocato Fisci remissivè.*

I. Quemadmodum in Curias & tribunalia Ecclesiastica ad exemplum tribunalium Civilium intrarunt Assessores, postquam stylus forensis tribunalia Ecclesiastica occupavit, (uti capite præcedenti dictum est) pari ratione Advocati ex foro Civili ad forum Ecclesiasticum una cum stylo forensi admissi sunt; eodemque munere in utroque tribunali fungi cœperunt.

II. Hodie quidem solent ferè litigantes sive in Civilibus sive Ecclesiasticis Curiis per Advocatos causas suas, tam quoad facta, quam quoad Jura proponere.

III. Innocentius III. in *Cap.* 14. *X. De Judiciis*, tamen respondit Episcopo Heliensi, „ ut principales personæ (id est „ Actor & Reus) non per Advocatos, sed per se ipsos factum „ proponant; nisi fortè sint adeo indiscretæ, ut earum defectus „ de Judicis licentia per alios suppleatur.

Digitized by Google

IV. „Utinam (inquit Cujacius ad hanc Decretalem) ser„varetur lex hujus Capituli, quæ vult litigatores ipsos per se, si „intellectum capiant, factum, de quo est controversia sive „quæstio, narrare apud judicem, non per Advocatos. Ii enim „plerumque in facto narrando callidè nimis & fastidiosè se „gerunt ut decipiant judicum religionem & fidem; quin & „sæpius numero ad causam orandam accedunt facto nondum „bene perspecto & percepto, de quo (ut Ammianus Marcel„linus *lib.* 30. scribit) sub ore judicis inter ipsos conflictuum „articulos tunc demum instruuntur, quod hodie fit vulgo: „hisce hominibus committas jura tua, causas tuas, qui ad eas „nondum cognitas accedunt temerè, ac tunc demum incipiunt „cognoscere cum & agere.

V. Interim attenta hodierna praxi, boni Advocati officium est de facto, sive quæstione ritè instrui, ipsumque Clientem monere, ut exactè & sincerè facta & statum quæstionis exponat; ostendendo, quòd non possit de justitia causæ rectè judicare, justumque judicium formare, nisi omnia fideliter & veraciter exponantur.

VI. Si videat Clientem in exponendis factis, formandoque casu hæresitare; nec posse se satis exprimere, Advocati est, „ipsum interrogando, aut aliqua proponendo juvare, omniq; modo satagere, veritatem factorum, veramque speciem quæstionis cognoscere. Quod si advertat, se veram facti speciem non posse habere debet id ipsi Clienti sincerè dicere; eumque à suscipienda lite dissuadere, saltem quousque meliùs de specie casûs, & veritate factorum fuerit instructus.

VII. Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 8. *art.* 7. volunt, „ut Advocati ante initium litis, à „partibus totius causæ instructionem, quantum fieri potest, „accipiant, ut alioqui proponenda appositè proponere, aut ad „proposita aptè respondere possint; neque in singulos termi„nos ipsos litigantes advocare debeant.

VIII. Perspectâ specie casus quoad facta, Advocati officium est, priusquam causam suscipiat, expendere, num id quod prætendit Cliens suus sit justum; sive an causa ex parte sui Clientis sit in justitia & jure fundata.

IX. In utroque hoc examine, id est, factorum & juris meritò attendent Advocati illud, quod de se narrat Cicero homo licet gentilis *lib.* 2. *De Orat.* „Soleo (ait) dare operam, ut de „sua quisque re me ipse doceat, & ut ne quis alius adsit, quo li„beriùs loquatur, & agere adversam causam, ut ille agat suam, „& quidquid de re sua cogitaverit, in medium proferat. Ita„que cum ille discessit, tres personas unus sustineo, summa ani„mi æquitate; meam adversarii judicis.

X. Advocati hodierni vel eo exactiùs causæ justitiam, priusquam ejus patrocinium suscipiant, examinare & discutere obligantur, quod non tantum jure naturali vetante injustitiæ quacumque ratione patrocinari: sed & speciali vinculo juramenti constringantur, nullam causam defendendam suscipere, quam noverint injustam. Illud quidem olim Jure Romanorum in singulis causis utriusque partis Advocati jurare debebant *L.* 14. §. 1. *Cod. de Judiciis*; at hodie in omnibus passim Tribunalibus, illud semel in sua ad officium Advocati admissione jurato promittunt.

XI. Porrò ut Advocatus æquum justumque de causa judicium formare queat, primò requiritur ut eâ sit scientiâ instructus, ut inter justum & injustum discernere queat.

XII. Hinc apud Romanos nullus in Advocatorum matriculam recipiebatur, nisi de peritia juris à Professoribus juris testimonium haberet, *L.* 11. §. 1. *Cod. de Advocatis divers. judic.* „Jurisperitos etiam eorum Doctores jubemus juratos „sub gestorum testificatione depromere, *esse eum qui post hac* „*subrogari voluerit, peritiâ juris instructum.* „Et in *L.* 3. §. 4. & *L.* 5. §. 4. *Cod. de Advocatis divers. judic.* dicitur: „Nec de cetero quemquam, antequam per *statuta* tempora „*legum* eruditioni noscatur inhæsisse, supradicto consortio „(Advocatorum) sociari.

XIII. Moribus hodiernis eruditionis testimonium supplent gradus Academici in aliqua famosa Universitate prævio Doctorum examine adepti: nec solent ad munus Advocati in Curiis sive sæcularibus, sive Ecclesiasticis admitti, nisi ut ... centiæ gradu in jure fuerint insigniti: ut minimum gra... quam publico testimonio suam in jure peritiam prob...

Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 286. volunt, ... vocati Curiæ sint Viri *docti*, & ad minus Licentiati in ... siastico, vel Civili jure, bene eloquentes. Verba sunt: *Dat a... vocaten in onsen Raede sullen wesen geleerde persoone... de ten minsten Licentiaten in die geestelycke oft weere... Rechten, hebbende goede eloquentie.* Id est: ut Advo... Consilio nostro sint Viri docti, ut minus Licentiati Ju... nonici aut Civilis, insignique facundiâ prædíti.

In statutis Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ M... niensis *tit.* 8. *art.* 1. dicitur: „Nullus ad postulandum ... „vocati munus exerçendum admittatur, nisi qui in ... „Universitate Doctoratus vel Licentiæ Lauream in utr... „Jure est assecutus.

XIV. Si gradus Academici sint vice testimonii publ... scientia atque capacitate Graduati, facilè intelligi potest, ... solicitu esse debeant Doctores quibus admissio ad simile... dus incumbit, ne gradus illi ceu quædam eruditionis te... nia annuant, nisi iis quos post rigorosum examen h... testimonium mereri compererint.

XV. Unde & Principes nostri in visitatione hujus ... Universitatis anno 1617. ne paucarum Legum, aut Can... Licentiati fiant, sed in Theorica Juris *perfectè* versati ... læstram praxeos, ut docti & spectabiles Viri prodeant, ... clientibus prudenter & candidè patrocinentur, voluerun... statuerunt, ut Doctores utriusque vel alterius Juris, ... examen Licentiandorum committitur, possint *ubicumq... libuerit*, per *totum* Jus Civile, vel Canonicum respecti... minent. Examen autem rigorosum requiri exprimunt ... lo sequenti dicentes: „Verùm ne illis dedecori sit, rep... „pati, statuimus, ut notabili tempore ante Repetition... „ctum examen *rigorosum* fiat.

XVI. Hæc latiùs deducta videri poterunt in Dissertat... mea *De Instituto & Officio Canonicorum parte* 1. *cap.* 4 ubi unà ostendi, quàm multa & gravia incommoda in Eccle... siam & Rempublicam redundent ex indebita graduum Aca... demicorum collatione: & consequenter quàm meritò in Con... silio Constantiensi inter remedia reformandi Ecclesiam pro... posuerit Card. D' Aliaco „Ut Gradus Academici ... „rentur dignis sine favore aut acceptione personarum, & cu... „rigore examinis in scientia & moribus.

XVII. Illud hic meretur notari, quòd hodie, præserti... Belgio viciniisque Provinciis, requiratur singularis & exa... circa admittendos ad Gradus Academicos cura, & discreti... eò quòd sine ullo alio sive scientiæ sive morum testim... vel examine, omnes indifferenter ad officium Advocati ad... tantur, qui gradu Licentiæ in Jure sunt insigniti: quamvis te... ste Carpzovio in *Processu Juris tit.* 5. *art.* 7. in Impe... Camera non indistinctè omnes admittantur, qui licentiæ li... ras testimoniales protulerunt; sed insuper Præses & Asse... inquirere jubentur in originem, doctrinam & vitam ant... ctam, ne quemquam præterquam ex legitimo Matrim... natum, honestè viventem, & simul insigni eruditionis titulo ... coratum recipiant.

XVIII. Justinianus in præfatione Pandectarum quinq... nii studium Juris præfixit; assignatis materiis & libris q... singulos illos annos impendi oporteat.

Per Visitationem hujus Universitatis Lovaniensis ordin... tum fuit, ut „nemo in utraque Juris Facultate ad Lice... „admittatur, nisi qui *quatuor* annis in iisdem studuerit, & ... „ctiones publicas se audivisse docuerit. In Jure verò Can... „co vel Civili tantum, nisi qui *tribus* annis lectiones pr... „ctas audiverit, ejusque rei fidem fecerit.

XIX. Cùm hodie non tantum requiratur in Advoca... scientia Juris Civilis & Canonici, prout hæc ex libris J... ris communis hauritur; sed insuper consuetudinem & ... ticularium jurium diversorum locorum, meritò tem... quod *quinquennio* à Justiniano præstituto, hic minus ... requiritur ad gradum licentiæ, impenditur haurienda ...

tiæ consuetudinum & Jurium particularium; nec non styli & praxeos, priusquam ad licentiæ gradum promotus Advocati officio se impendat.

XX. Præter scientiam in Advocato, quâ discernat justum ab injusto, ipsúmque quæstionis nodum exactè intelligat, illud maximè necessarium est ut sit vacuus ab affectibus, qui etiam sapientum oculos excæcant; judiciumque ita sæpe pervertunt, ut non ex veritate, sed pro affectu id justum judicent, quod justum esse affectui commodum est: præcipuè autem in Advocatis id facit auri sacra fames, & lucri aviditas: idcirco ea in Advocatis admodum cavenda est.

Huic tamen periculo speciali titulo sunt expositi Advocati qui numerosam habentes familiam, nec habentes de proprio unde eam, juxta conditionem Advocatorum, instituant, ex officio Advocationis sibi familiæque suæ providere debent, ut plerumque hic verificetur illud Ecclesiastici *cap. 27. ℣. 1. propter inopiam multi deliquerunt.*

XXI. Hæc lucri aviditas vel eo titulo hodie est Advocatis periculosissima, quod moribus hodiernis Advocati sua salaria accipiant, sive causa cadant, sive in causâ triumphent; sive causæ justæ, sive injustæ patrocinati fuerint.

XXII. Et licet de Jure communi videatur Advocatus, ob suam in dirigendis causis, aut in suscipiendis imprudentiam teneri ex *quasi delicto* parti victæ ad interesse argumento *L.* IDEM JURIS EST *ff. ad Leg. Aquil.* tamen moribus hodiernis id à Forensi usu recessit, neque Advocati ob imperitiam aut imprudentiam in causis dirigendis aut suscipiendis convenire à suo Cliente possint; uti notat Bugnonius *De Legib. abrog. lib. 1. cap. 124.* & Christinæus in Notis. Si tamen dolus intervenisse probari queat, rectè conveniri poterit. Quin & si Judex videat, Advocatos frequenter causas injustas magnâ temeritate suscipere, aut crassam in directione inscitiam ostendere meritò ipsos ab officio Advocationis, ne nocere pergant, suspendere poterit.

Interim cum rarò admodum Advocati ob injustæ causæ defensionem mulctentur, aut suis salariis frustrentur, nemini obscurum esse potest, quàm difficulter Advocatus quem lucri cupiditas obsidet, causas quantumvis injustas rejiciet, aut Justitiam aliquam non finget, ubi videt sibi non incertam spem lucri offerri.

XXIII. Auget periculum hodierna Advocatorum prodigiosa multitudo. Dum enim causæ justæ non sufficiunt tantæ Advocatorum multitudini ut ex causarum patrociniis victum sibi parare queant, lites multiplicare debent, & causas haud difficulter justas judicant, dum aliàs causis, quibus patrocinarentur, destituerentur.

Et quid est, quod hodie non sine summo dolore conspicere debeamus nullas penè esse causas quantumvis injustas, quæ suos non reperiant patronos, nisi Advocatorum hæc promiscua turba, quæ ad lucrum potius quam ad Justitiæ defensionem tota est intenta & nullas sibi oblatas causas recusat, ne panem è mensa rejiciat, ut vulgò dicitur?

XXIV. Olim quidem certus erat Advocatorum numerus qui excedi non poterat *L. 8. & 11. Cod. De Advocatis divers. judiciorum*: At moribus nostris, sine numero omnes qui licentiæ dumtaxat gradum adepti sunt, ad officium Advocatorum recipiuntur.

XXV. Ex hac Advocatorum turba fit, ut non tantùm omnes passim indifferenter causæ quantumvis injustæ patronos reperiant; sed etiam lites in longum extrahantur & sine fine multiplicentur, quemadmodum eruditè & eleganter exposuit Nicolaus Vernulæus in hac Academia quondam Historiographus Regius & publicus Eloquentiæ Professor in *Dissertatione De Litibus Oratione 5.*

XXVI. Cùm enim in hac Dissertatione Oratione primâ ostendisset, inter maxima terrarum orbis mala lites esse, atque tribus sequentibus tria attulisset remedia litibus tollendis aut saltem moderandis opportuna, tandem hâc quintâ Oratione quarum remedium suggerens ait: „Optandum fortassis „esset, ut causarum Patronis hodie Respublica careret. Et„enim (inquit) ubi Causidicorum turba strepit, ibi litium in„cendiis tota civitas ardet, nec ulla propemodum à conten„tione domus vacare potest. Illi ut vivant, lites serunt ac fo„vent, & cum lucri sint mancipia, id unum illis est votum, re„plere sua marsupia.

Post hæc scribit: „Zamorensis vidisse se populosissimas in „Germania civitates ait, in quibus nullæ lites essent, atque id„circo, quod nulli in iis essent Advocati; existimatque vir pru„dentissimus minus Reipublicæ perniciosum fore, si quidam „injustè ob Advocatorum & defensionis inopiam opprimantur, quam si infinitis litium contentionibus reliqui omnes ci„ves, atque adeo tota Respublica concutiatur primùm, deinde „miserrimè subvertatur.

Denique refert, quomodo nonnulli Reges ac Principes ad suas ditiones Causidicos admittere noluerint, aut introductos expulerint, ne per illos litibus omnia implerentur; recitatque dictum Columellæ: *sine Causidicis felices olim fuere, futuraque sunt urbes.*

XXVII. Cæterum advertens quod hoc remedium nimis acerbum videri fortassè possit; quoniam etiam laudabile & honorificum est Advocatorum officium, qui gloriosæ vocis confisi munimine, in laborantium spem, vitam & posteros defendunt, ut loquuntur Imperatores in *L. 14. Cod. De Advocatis diversis judiciorum*, hoc saltem expetit, ut „sint Advo„cati, sed *pauci*, excellenti ingenio multiplici doctrina, fidi, „opulenti, *non avari*, non fraudulenti: qui in consilio dando „sint cauti, in patrocinio suscepto fideles, in Judicio procu„rando Justi...... Atque hoc (ait) Sapientum omnium est con„silium, qui numerum illum pene innumerum Pragmatico„rum rigidæ Judiciorum sinceritati vehementer infestum „arbitrantur. Animadvertunt nimirum plures hodie cau„sidicos esse, quam causas, qui ut vivant, id unum agunt, ut „copiosius litium sit proventus, & ut ex una lite lis alia semper „exoriatur.

Similiter Tuldenus *De causis corruptorum judiciorum lib. 4. cap. 2.* hunc Advocatorum indeterminatum numerum improbat, illumque vehementer infestum existimat rectæ & rigidæ judiciorum sinceritati.

XXVIII. Non obstante hâc Advocatorum multitudine, quorum plures causas omnes passim accipiunt, debet bonus & Christianus Justitiæ Patronus, omni planè privato, atque humano affectu seposito, causam examinare, eamque ubi injustam reperit, omnino à se dimittere: quantumvis non dubitet, quin alios Patronos defensoresque causa hæc facilè inveniet.

XXIX. Quin & prævideat, quod si Clienti hac in causa patrocinari recuset, ad alium se Patronum, non tantùm pro hac, sed & aliis causis convertet; videatque hinc se non modico lucro privandum. Neque enim aut aliorum Advocatorum, quantumvis multorum exemplum, aut lucri licet etiam admodum notabilis amissio, justificare potest injustæ causæ patrocinium, neque Advocandum, qui jurejurando promisit se non patrocinaturum causæ quam novit injustam, à perjurii crimine absolvere.

XXX. Ut Advocatus Justitiam omnem adimpleat, cavere debet, non tantùm ne causæ injustæ patrocinium suscipiat; sed ne ullo umquam tempore causæ, quam injustam novit, patrocinetur. Unde si causam quam justam credebat, susceperit defendendam, ac in litis progressu injustitiam ejus advertat patrocinium illius deserere debet: quod non ipsa solùm lex naturalis dictat, sed & solitum juramentum imponit. Verba juramenti ex Ordinatione Curiæ Brabantiæ sunt: *Ende indien sy eenige saecken aennemen, meynende die redelyck ende gefondeert te wesen, ende sy daer naer die contrarie verstaen, dat sy in dien gevalle sulcke ongefondeerde saecken* TERSTONT *laeten ende renuntieren sullen.* Id est: Si verò causæ alicujus quam æquam & fundatam putaverint, patrocinium susceperint, quod postea secus esse compererint, continuo tum causas tales fundamentis Juris destitutas dimittent & abdicabunt.

XXXI. Monet quoque Tuldenus De *causis corruptorum judiciorum lib. 4. cap. 6.* „Deserere iniquam causam jubetur, „non pellicere ad transigendum, adversarium, ut ab omni se „injustitiæ societate disjungat.

XXXII. Hic rursus ab injustitia absolvere nequit Advocatum,

catum, qui injustitiam causæ noscens, eidem patrocinari pergit, quod prævideat ex desertione causæ sibi imminere existimationis & famæ suæ non modicam læsionem; ac Clientis quem in expensas hactenus factas, & in litem adduxit, in ipsum iram & offensionem, aliaque similia incommoda: quæ quantumvis ipsi advocato gravia & dura sint, nequeunt tamen injustitiæ aut perjurii labem abstergere. Illud quidem diffiteri non possumus, quod ob hæc & similia officium Advocatorum non parum sit periculosum: cum non rarò vel temporalibus lucris, quin & famæ existimationique, atque hominum favoribus sit renuntiandum, si justitiæ adhærere juramentumque servare velint.

XXXIII. Et hæc quidem de patrocinio causæ assumendo, aut in eo continuando. Ubi autem Advocatus revera credit causam sui Clientis justam & fundatam, ipsumque ab adversario injustè vexari, causamque sufficientem judicio experiendi esse putat; tunc ulterius requiritur, ut in prosecutione causæ sincerum ac fidelem sui Clientis se patronum exhibeat, ingenuumque Justitiæ Athletam, illud præcipuè ac primariò præ oculis habens, quomodo possit ipsi judici causæ justitiam persuadere: suumque Clientem quàm citissimè litibus & jurgiis forensibus eximere, & ab Adversarii injustitiis & molestiis liberare.

XXXIV. Ut autem Advocatus in defensione causæ talem se exhibeat, imprimis studeat oportet, ut rectè concipiat statum controversiæ, ipsumque difficultatis cardinem, eumque claris & simplicibus terminis judici exponat; abstineatque ab omnibus quæ ad statum quæstionis non pertinent, aut eum involvunt ac obscurant potiùs, quam elucidant. Verissimè enim jam pridem dixit S. Bernardus *lib. 1. De Consid. cap. 10.* „Nihil ita „absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura „narratio.

XXXV. Hoc sanè hodiernum est multorum Advocatorum vitium, quod sua non ad causæ scopum & quæstionis cardinem dirigant, nec studeant breviter & dilucidè statum causæ judici exponere; sed confusè omnia agglomerent, ipsamque facti speciem in infinitos penè articulos & particulas discerpant, interjectis & intermixtis parergis quæ ipsam facti speciem obscurant potiùs quàm elucidant. Accedunt dein cavillationes circa singulas non tantùm causæ minutias, sed argutias quoque adversarii, quæ nihil aut parùm ad statum causæ conferunt, sed eam totaliter involvunt, & plura sæpe in una lite volumina progignunt.

XXXVI. Has Advocatorum longas disputationes, & effrenem scribendi libertatem jam olim repressit Justinianus in *L. fin. §. 1. Cod. De Appellat.* dicens: „In refutatoriis autem libellis, „qui solent maximè in sacro auditorio prudentissimorum no„strorum procerum recitari caveant tam litigatores, quam „libellorum dictatores, verbosis uti adsertionibus; & ea, quæ „jam perorata sunt, iterum resuscitare: sed hæc sola eis in„scribere, quæ compendiosa narratione causas provocationis „possunt explanare, vel aliquid novi continent, vel addere „quod derelictum est: scituri, quod si hoc fuerit prætermis„sum, non deerit adversus libellorum conditores amplissimi „judicii competens indignatio.

Hisce verbis relatis dicit Tuldenus loco citato *cap. 9.* quod hinc rectè Juris Interpretes censeant, interdici à judice advocatione ei posse, qui nimis in superfluatum disputationum sinus effundi solet.

Huic Advocatorum vitio incentivam vehementem subministrat hodiernus mos taxandi salaria Advocatorum pro numero pagellarum & linearum, atque verborum: de quo infra.

XXXVII. Accedit non rarò hodie aliud vitium, à Romanis jam olim reprobatum in *L. 6. §. 1. Cod. de Postulando*, quod scilicet in conviciandi prorumpant licentiam; „Agant „(inquit lex citata) quod causa desiderat: temperent se ab in„juria. Nam si quis adeo procax fuerit, ut non ratione, sed „probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem „patietur: nec enim conniventia commodanda est, ut quis„quam negotio derelicto in adversarii sui contumeliam aut „palam pergat, aut subdolè.

XXXVIII. Idipsum injungunt Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art. 293.* adduntque nec Advocatos id facere posse, nec à pœna ibidem statuta eximendos, tametsi ipsorum Clientes, hæc convicia sive injurias sint parati probare. *Al vvaert oock so dat heure meesters de selve injurien souden vvillen advoueren.*

XXXIX. Ulterius cùm Advocati sit omni studio & industria procurare clienti suo administrationem justitiæ, atque à litium difficultate & onere liberare; satis patet, optimè Advocatis congruere quod habetur in citata *Lege 6. §. 4.* „Nemo „ex industria protrahat jurgium.

Hinc inter alia hodie jurant Advocati, quod intuitu proprii lucri, vel ad præjudicandum parti adversæ, non quærent illegitimas vias, aut dilationes. *Dat sy om haer selfs profyt oft om die vvederpartye van heure meesters te prejudiceren, geene onbehoorleycke vveghen oft dilayten soecken en sullen.* Id est: Ut nec proprii lucri causa, nec quo adversariæ Clientum suorum parti detrimentum accersant, illegitimis viis procedant aut dilationes procurent.

Speciale Edictum Regium contra Advocatos inutilibus & superfluis dilationibus utentes extat *parte 2. Edict. Flandriæ lib. 1. Rub. 5.* de ult. Augusti anni 1586.

VL. Huic vitio magis solent esse subjecti Advocati, qui divites fieri volentes tot causis se onerant, ut omnibus ritè dirigendis & instruendis sint impares: nec tamen nimiâ lucri aviditate illecti, ullas à se causas dimittere amant. Atque hinc multiplices dilationes accipere, morasque omni viâ possibili, cum summo litigantium detrimento, magnisque expensis nectere conantur.

XLI. Prædicta omnia compendio exprimunt citata Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit. 8. art. 5.* „Caveant Advocati, in scripturis concipiendis, „ab injuriis, inutilibus repetitionibus, à supervacaneis & im„pertinentibus allegationibus, & positionibus: facta etiam „singula non dividant, nec plura conjungant, sed in unoquo„que articulo unum factum ponant, sub pœna, quod tales „notoriè impertinentes articuli in taxam non venient. Seriò „etiam caveant, ne aliquâ ratione falsas allegationes pro veris „obtrudant sub gravi pœna, pro gravitate delicti per Judicem „infligenda.

Deinde *art. 6.* addunt: „Abstinebunt à superfluis Le„gum, Canonum, vel Authorum allegationibus. „Quantopere in hoc articulo hodie peccetur ab Advocatis, qui vulgò dicuntur scribere *pro-culina*: quibusque satis est, si pagellas impleant, pudendum est dicere.

XLII. Fidelitas Patronorum, quam suis clientibus addicunt eorum causas suscipiendo, exigit quoque, ut omni fidelitate sine ulla cum parte adversa collusione causam sui clientis defendant; ideoque & jam pridem apud Romanos adhuc Gentiles, Advocatus, qui causam sui clientis prodebat, colludendo cum adversario, extra ordinem puniebatur. *L. 1. ff. De Prævaricat.*

XLIII. Utque ab omni prævaricationis specie sint remoti, non convenit, ut facilè patrocinium alicujus suscipiat Advocatus, dum adversa pars eum consulendo, arcana suæ causæ sincerè & fideliter ipsi exposuit; tametsi causæ ipsius patrocinium suscipere recusaverit.

Eadem ratione postulare non posse Advocatum contra clientem in judicio appellationis, pro quo postulavit in prima instantia, communiter receptum est.

XLIV. Ut vitia, quæ hodie laudabile & honorificum Advocatorum officium reddunt odiosum, & in vilipendium adducunt, eliminari possent, credunt nonnulli in usum revocandam legem Cinciam, quâ ne causarum Patroni pecuniam aut donum aliquod pro causis in foro agendis acciperent, vetabatur: quam jam vetustate abolitam Augustus Imp. teste Tacito *L. b. 14. Annal.* renovavit; & retineri voluit Trajanus, jussis omnibus qui quid negotii haberent, priusquam agerent, jurare: *Nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.* Vide latè hac de re discurrentem Nicolaum Vernulæum *Dissertat. De Litibus Orat. 4.* ubi revocatæ hujus Legis hanc utilitatem putat: „quod Patroni causarum nihil ex litibus sperantes, quàm

caus-

„ citissimè ad earum finem adspirabunt, non eas producent, „ non dilatabunt, non ingentibus scriptorum molibus onerabunt. Una est (ait) lucri aviditas, quæ hoc tempore procreat tot Motiva, tot Instrumenta, tot Arrestata, tot Interrogatoria, tot vidimus, tot Replicas Duplicasque, tam prolixas, „ & tantâ verborum farragine amplificatas, quas dum miseri „ Clientes intuentur, & quandoque vix ferre possunt, attoniti „ illo tot foliorum apparatu, quicquid habent in Advocatorum „ sinum conjiciunt, & adhuc parvam sese rependisse pro tanto labore mercedem arbitrantur.

Idipsum monet Tuldenus *lib. 4. De Caus. corrup. jud cap. 10.* dicens: " Prædæ spes uberioris, & salarii copiosioris auctoramentum tot tabulas, tot calumniatores, prævaricatoresque facit.

XLV. Hoc tamen monet Tuldenus hanc legem etiam sub Imperatoribus Romanis moderationem accepisse Scribit enim quod cum de renovanda hac lege rursus sub Claudio Imp. ageretur; atque eam in rem disseruisse Silium Consulem, rem tamen peragi non potuisse, eò quod quidam de Senatu fortiter intercederent dicentes: " Neque eloquentiam gratuitò contingere, omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat. Sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura, ut „ minus decora.

Quidquid sit de hac Senatus intercessione; nec non contra legem Cinciam allegatis, hoc constat, quod Imperatores Romani salarium quoddam Advocatis permiserint; illiusque meminit Ulpianus Jurisconsultus (qui circa tempora Claudii Imp. floruit) in *L. 1. §. 10. ff. De Extraord. cognit.*

XLVI. Notanda autem ratio taxationis, quam à judice in taxando Advocati honorario ineundam esse scribit Ulpianus: " In honorariis Advocatorum ita versari judex debet: ut pro „ modo litis, proque Advocati facundia, & fori consuetudine, & judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat: dummodo licitum honorarium quantitas non egrediatur.

Quantitas legitimi honorarii exprimitur in *L. 5. Cod. De Postulando.*

XLVII. Verùm hæc ratio taxandi Advocatorum honoraria, nec non præfixa eorum quantitas, moribus hodiernis à foro recesserunt.

Hodie enim non pro Advocati facundia vel eruditione & meritis, sed pro numero pagellarum, articulorum vel linearum salaria taxandi usus invaluit, in quem stomachabundus invehitur Tuldenus loco citato *capite 11.* " Quid enim hoc „ aliud est (ait) quàm ultro incitare loquacitatem ad permiscendum omnia, tragœdiasque excitandum in nugis? Quid „ hoc aliud, quàm præmiis provocare ad diffundendam causam, protrahendumque jurgium? Adeo igitur vel nihil ingenii doctrinæque in Advocatis quod æstimetur, vel nihil „ in judicibus ea æstimaturæ prudentiæ est, ut numerari versus „ actionum, non ponderari oporteat? Id verò perinde est, ac „ si picturæ pretium definiat modus & spatia oblitarum tabularum. An non longè majus discrimen & artis & ingenii & „ utilitatis inter forenses orationes, & pictorum opera? Quando reprimetur inanis torrens garrulitatis, sua inundatione „ omnem causæ speciem, omnesque juris limites confundentis; „ si honorarii quantitatem loquacitatis modus definiet? Furor est, profectò furor, publicâ auctoritate, honore, lucro incitare rabulas ad certamen extendendæ in immensum litis & „ loquacitatis.

" Itaque (concludit ibidem Tuldenus) saluberrimum judicii fuerit, judicem qui de causa cognovit, honorarii quantitatem definire, pro conditione causæ, & merito navatæ diligentiæ, quam non mole æstimet, sed pondere: sensa magis „ imputando quam verba; argumenta, non cavillationes; vim „ disputationis ad causæ pertinentis statum, non pompam inanium excursuum; causæ enucleationem, non ineptissimarum adversarii argutiarum dum refutantur, imitationem; „ defensionem clientis, non intenta adversario maledicta: & in „ universum vim & pondus orationis ad statum causæ accommodatæ, non numerum & molem scriptorum in ratione salarii intueatur judex.

XLVIII. Interim tamen ubi hic usus taxandi salaria perseverat, bonus Advocatus debet causas a more & zelo justitiæ & veritatis assumere, & pro officii sui ratione Judici sincerè ac fideliter exponere; vitando ea omnia quæ ad causæ justam defensionem non spectant, ac taxato à Judice salario contentus esse; quemadmodum & jurejurando in sua ad officium Advocati admissione promittere solet.

XLIX. Ostendet Advocatus se non primariò intuitu salarii, nec animo plane mercenario causarum patrocinium suscipere, si non tantùm divitum, sed & pauperum justas causas libenti animo suscipiat; iisque fideliter & diligenter gratis & seposita omni spe remunerationis temporalis inserviat, quemadmodum etiam volunt Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art. 291.* ubi decernitur, ut Advocati suis Clientibus ipsorumve procuratoribus liberum dabunt accessum, tam pauperibus (quibus pro Deo servient) quam divitibus; & ut pauperi prius ad ipsum accedenti, præstabit alloquium ante divitem qui posteriùs accesserit. *Dat d' Advocaten sullen den partyen oft hueren Procureurs volkomen audientie geven, soo voel den armen (die sy om Godes wille dienen sullen) als den rycken, ende den armen eerst aen hem komende, audientie geven, gerieven ende ontcommeren voor de rycken die naer komen souken.* Id est: Ut Advocati, parti aut ejus Procuratoribus liberum & facilem dent accessum, nec minus pauperi (cui pro Deo inservient) quam diviti. Pauperique cum prior advenerit, aures præbebunt eumque expedient præ divite seriùs accedente.

L. An error Advocati noceat Clienti; imprimis distinguendum est inter errorem juris & facti. Si Advocatus quæ meri Juris sunt omiserit, non ita nocent Clienti, quin per judicem suppleri queant; imo judicis est, ex officio quæ Juris sunt supplere juxta *L. unicam Cod. Ut quæ desunt Advocatis &c.* Error autem facti à judice suppleri ordinariè non potest: ne non tam judicem, quàm Advocatum agere videatur. Vide Antonium Fabrum in *Cod. lib. 2. tit. 7. Definit. 1.* ubi dicit, " factum numquam supplendum esse, nisi tale sit, ut ex actis „ & instrumentis litis non modò conjici, sed etiam probari „ queat. Id enim est (ait) quod vulgo nostri jactitant, debere „ judicem secundum allegata & probata judicare potius, quàm „ secundum propriam conscientiam. Hinc consequens fit; „ ut non nisi perraró suppleri exceptiones possint, propterea „ quod, licet pleræque juris magis quàm facti esse videantur, „ vix tamen contingere potest, ut non aliquam habeant implicitam facti quæstionem, cum ex facto pendeant, cujus non „ semper expedita est ex actis probatio. Nam neque notorium supplere Judex potest, quod non fuerit allegatum, „ quamvis allegati probationes exigere nullus jure possit.

Quomodo autem error positivus sive facti alicujus falsi allegatio Advocati noceat Clienti & habenda sit pro allegatione Clientis vide eundem ibidem *tit. 6. definit. 1.*

LI. Ex omnibus quæ hactenus dicta sunt, facilè cognosci potest, quod licet haud contemnendum, quin & laudabile sit Christiani & boni Advocati officium, nihilominus illud multis periculis expositum, & forensibus tricis implicatum sit. Dixit olim etiam Plinius *lib. 2. epist. ad Nepotem: Nos qui in foro, variisque litibus agimus, multum malitia, quamvis nolimus, addiscimus.* Et Symmachus: *In forensi pulvere rara cognitio facundioris, & boni pectoris.*

LII. Ob hæc pericula, tum quod Advocatorum officium ferè totum in forensibus disceptationibus consistat, meritò judicatum fuit, Clericis in sortem Domini vocatis hoc officium minimè congruere: probatumque quod olim dixit Justinianus Imp. in *L. 41. Cod. de Episcopis:* " Absurdum enim Clericis est, imo etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium. " Quâ moderatione scientiæ Legum Civilium studere debeant Clerici dictum est supra *parte 1. tit. 2. cap. 4.*

LIII. In *Cap. 1.* ꝫ *De Postulando* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. " Clericici Subdiaconatu,

„ & supra, & in Ordinibus quoque minoribus ,* si stipendiis „ Ecclesiasticis sustententur, coram Sæculari Judice Advocati in „ negotiis sæcularibus fieri non præsumant : Nisi propriam „ causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut promiserabi- „ libus fortè personis, quæ proprias causas administrare non „ possunt.

Hinc concluditur, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, aut beneficium Ecclesiasticum, è quo sustententur, habentes, non posse coram Judice Sæculari munus advocationis exercere.

LIV. Excipit Pontifex in citata Decretali tres causas in quibus postulare Clericis permittitur, nimirum, si propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus personis, quæ proprias causas administrare non possunt. Hæ exceptiones verisimiliter invaluerunt, postquam Clerici non tantùm Sacris Canonibus, sed & legibus Civilibus incumbere cœperunt; quos acerbo stylo exagitat Petrus Blesensis relatus supra *parte 1. tit. 2. cap. 4.*

Interim & his casibus advocationis officium à Clericis tum ea moderatione est exercendum, ut non impingant in eam Apostoli sententiam: nemo militans Deo se implicat negotiis sæcularibus.

LV. Cùm Decretalis nominatim loquatur de exercitio advocationis coram Judice *Sæculari*; concludunt communiter Canonistæ sequuti Glossam, nequaquam vetitum esse Clericis, agere Advocatum coram Judice Ecclesiastico, sive in Curiis Ecclesiasticis.

Verùm quia hodie causæ aguntur stylo forensi in Curiis hisce non secùs ac in foro Sæculari, parum videtur vocationi Clericali conforme, causas & in hisce Curiis instruere, aut dirigere, & eâ occasione disceptationibus forensibus implicari. Hinc & plerumque etiam in Curiis Ecclesiasticis Advocati sunt laici; & sæpe iidem qui coram Judice Sæculari id munus obeunt.

LVI. Quia tamen pium est, pauperes oppressos juvare, eorumque Patronos agere ne defectu defensionis à potentioribus opprimantur, statuit S. Carolus, ut in sua Diœcesi esset semper aliquis *Advocatus pauperum*. Quin & in Cathedrali & Collegiatis nonnullis Ecclesiis, auctoritate Apostolicâ instituit præbendam *Canonistalem*, cujus possessor *Advocatum pauperum* coram Judicibus Ecclesiasticis agere debebat. Vide Acta Ecclesiæ Mediolanensis *pag. 567.* edit. Lugdunensis anni 1683. ubi & inter alia statuit, quod quicumque Ecclesiastici „ homines Mediolani commorantes Juris-periti sunt, eorum „ unus semper per vices, quemadmodum jam à nobis cum illis „ actum est, unoquoque trimestri in orbem officio Advocati „ pauperum fungatur.

CAPUT III.

De Procuratoribus & Syndicis.

1 *De Jure communi duo sunt genera Procuratorum; hodie soli Procuratores ad* lites *hoc nomine appellari solent.*
2 *Aliquando apud Romanos vetitum fuit causas agere in judicio per Procuratores.*
3 *Hoc jus multis sæculis viguit in Gallia.*
4 *Ex hoc jure Gallicano petendus intellectus* Cap. 7. ✠ De Procuratoribus.
5 *Sæculo 15. declaratum fuit in Gallia, licitum esse in causis Civilibus agere per Procuratores.*
6 *Hæc declaratio conformis est praxi omnium passim tribunalium.*
7 *Ordinationes Curiæ Rectoralis Universitatis Lovaniensis vetant citationes* personales.
8 *In criminalibus admittitur citatio* personalis; *& quis ejus effectus.*
9 *Procuratores ad lites quando in Curias Ecclesiasticas intraverint.*
10 *Officium Procuratorum jure Romanorum erat privatum; secus hodie; nec ad illud infames admittuntur.*
11 *Hodie numerus Procuratorum solet esse determinatus; nec admitti nisi prævio examine.*
12 *Moribus hodiernis causæ agi debent per probatum Procuratorem Curiæ.*
13 *Etiam* inviti *ad officium suscipiendum cogi possunt.*
14 *Excusandus à suscipienda causa si juret se credere causam injustam.*
15 *Procurator non potest servire causæ quam novit injustam.*
16 *Hujusmodi causam non suscipere juramento promittunt.*
17 *Difficulter suo juramento satisfaciunt Procuratores, qui causas omnes passim sine examine suscipiunt.*
18 *Ordinationes Curiæ Rectoralis volunt ut Procurator ante causæ susceptionem de ea sit debitè instructus.*
19 *Quæ ab Advocatis hac in parte observanda sunt, etiam meritò Procuratoribus attenduntur.*
20 *Procuratores æquè ac Advocati suis Clientibus* fideliter *servire debent; & quid eum in finem habeant Ordinationes Curiæ Brabantiæ?*
21 *Procuratores non possunt protrahere lites in dispendium partium neque eum in finem superfluas dilationes petere.*
22 *Contra abusus Procuratorum multum valeret exacta observantia Ordinationum Curiarum.*
23 *Procurator licet à Curia admissus debet habere* mandatum *ad causam prosequendam.*
24 *An admittatur sine sufficienti mandato sub cautione de* rato?
25 *Cautio de* rato *tantum videtur admittenda quando aliqualiter constat de mandato; nisi in certis personis.*
26 *Quomodo Procuratorium hodie probetur.*
27 *An Procuratorium post litem contestatam revocari possit? Et an morte constituentis expiret?*
28 *Hodie Procuratoribus debentur sua salaria; & qui hinc abusus.*
29 *Actores Universitatis, Collegii, Civitatis &c. sunt quasi eorum Procuratores.*
30 *Hi vocantur* Syndici: *interdum* Pensionarii.
31 *Syndicus non tantum ad lites, sed & ad negotia extrajudicialia constitui solet.*
32 *Universitas Lovaniensis habet suum Syndicum; & quod ejus juramentum & officium.*
33 *In Decretalibus Gregorii IX. extat unica Decretalis De Syndico desumpta ex epistola S. Gregorii.*
34 *Sanctus Gregorius sollicitus fuit, ut negotia Monachorum ita tractentur, ne eorum mens per plura distenta desinat.*
35 *Consulit ut negotia alicui Laico committantur aliquo constituto solario.*
36 *Ratio notanda à S. Gregorio allata.*
37 *Ex hac Decretali concludunt Canonistæ, à Monachis esse constituendum* Syndicum *ad lites prosequendas.*
38 *Quam periculosum sit Monachis implicari negotiis forensibus.*
39 *Convenit etiam, ut Clerici se à forensibus tricis eximant.*

I. DE Jure duæ sunt Procuratorum species. Prima eorum qui ad negotia familiaria & extrajudicialia committuntur; nec hodie solent vocari *Procuratores*; sed communiter dicuntur Receptores, Administratores, Oeconomi, aut etiam mandatarii, si sunt ad negotia aliqua specialia deputati.

Alia species Procuratorum est, qui sunt ad lites & causas in judicio prosequendas; solentque vulgò simpliciter *Procuratores* appellari; atque de his solis hîc agitur.

II. Vetustissimo Jure Romanorum, hujusmodi Procuratores litis prosequendæ causâ constituere permissum non fuisse, notant passim Interpretes, ac nominatim Bugnonius *De Legibus abrog. lib. 2. c. 58.* & Christinæus ibidem in notis.

III. Notant quoque, conformiter ad hoc vetustissimum jus, diu in Gallia moris fuisse, ut sine gratia & rescripto Regio, Actori per Procuratorem agere non liceret, quod præter alia docet nos Marculfus Monachus *lib. 1. Form. c. 21.* & ibidem observavit vir eruditus Hieronymus Bignonius ; additque : „ Illud longo post tempore apud nos (Gallos) obtinuisse , ut „ præter Regem nulli Procuratoris habendi absque Principis „ consensu facultas suppeteret , testatur Joannes Faber ad §. „ UNIVERSITATIS *Instit. De Rerum divis.* & Brolius in „ stylo Parlamenti.

IV. Ex hoc prisco Gallico jure petenda apparet vera ratio, quæ movit Universitatem Parisiensem petendi ab Innocentio III. ut ad agendum & defendendum de *ejus permissione* Procuratorem instituere liceret: respondit autem Innocentius : “ Licet de jure communi hoc facere valeatis, instituendi ta- „ men procuratoris super his auctoritate præsentium vobis „ concedimus facultatem. ” Extat responsum in *Cap. 7.* ✠ *De Procurat.*

Cùm enim Universitas Parisiensis tota penderet ab auctoritate Romani Pontificis, licentiam, quàm alii à Rege impetra-

Digitized by Google

impetrare debebant, ipsa à Romano Pontifice petere maluit. Vide Janum A Costa & Hieronymum Bignonium locis citatis.

V. Meminit ejusdem moris Francici Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 84. asseritque eum abrogatum in Comitiis habitis Turingæ anno 1483. „ubi tunc ordinatum & „decretum fuit (ait) quod omnes Actores in materiis civilibus „possint occupare & comparare per Procuratores absque „gratia Regis ad hoc impetranda.

VI. Hæc moderatio conformis est hodiernis moribus, quibus receptum est, ut in omnibus passim tribunalibus tam Civilibus quam Ecclesiasticis sine ulla speciali licentiâ permittatur per Procuratorem agere & se defendere; idque in omnibus causis saltem civilibus.

VII. Conformiter ad hunc usum in Ordinationibus Curiarum Rectoris & conservatoris privilegiorum hujus Universitatis Lovaniensis confirmatis auctoritate Principum Belgii Alberti & Isabellæ die 18. Aprilis 1617. *art.* 11. ordinatur: „Omittatur deinceps in citatorialibus litteris, quod pars de„beat comparere *personaliter*, ad respondendum certo die,& „hora: quia id per Procuratorem facere potest.

VIII. In criminalibus tamen citari solent rei ad respondendum *personaliter*; & dicitur citatio *personalis*, vulgò *Daegh sel personeel*; atque ita citati constituti dicuntur in *reatu*; redduntur que infames, ac solent ab officio publico, quo funguntur, suspendi quousque se à crimine intentio purgaverint, & absoluti sint. Vide Van Leeuwen in Censura forensi *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 10.

IX. Nec tantum in Curiis Civilibus, sed & Ecclesiasticis usus Procuratorum invaluit idque verisimiliter unà cum stylo forensi; id est, circa sæculum 12. aut 13. unde de hujusmodi Procuratoribus ad lites nullæ Decretales aut Decreta quæ æetam hanc præcedant, in libris Juris Canonici occurrunt. Quod enim in *Cap.* 1. *3. De Procuratoribus* refertur ex S. Gregorio, spectat dumtaxat ad Procuratores seu mandatarios ad *negotia* agenda specialiter commissos; non autem ad Procuratores ex officio suo ad prosequendas lites & causas constitutos & electos: quales sunt hodierni Procuratores ad lites.

X. Si Jus commune attendamus, officium Procuratorum est privatum & vile; omnesque passim personæ indifferenter in Procuratores designari possunt. At moribus hodiernis *publicum* est; nec ad illud infames admittuntur, licet Justinianus exceptionem infamiæ contra Procuratorem noluerit habere locum §. *fin. Instit. De Except.* uti notat Gudelinus *L. De Jure Noviss. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 26. Vide etiam Christinæum *vol.* 2. *Decis.* 107. *num.* 2.

XI. Quin & in Curiis tam Ecclesiasticis quàm Civilibus vulgò usitatum est, non nisi certas & determinato numero personas ad hoc officium assumi; & prævio super qualitate & capacitate earum examine. Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 8. *art.* 2. „Nullus Procuratoris „officio fungi permittetur, nisi qui 25. ætatis annum excesserit, „& per Officialem super litteraturâ, industriâ, stylo & pra„ctica examinatus, & idoneus repertus, in manibus ejusdem „juramentum præstiterit.

Similiter Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 322. nullum volunt admitti ad Officium Procuratoris; nisi præviè ex comissione Cancellarii fuerit examinatus & idoneus repertus: admittunt tamen minorem 25. annis, modo excesserit 20.

XII. Morem hunc de certis designatisque dumtaxat personis, idque prævio examine, & præstito juramento admittendis in Procuratores, ubique communem esse, videre est apud van Leeuwen loco citato; & testatur Nicolaus Tuldenus ad allegatum locum Damhouderi, quod „hodie privati, neque „per se, nec per Procuratores causam suam agere in foro vel „Judicio possint, nisi *selectis* quibusdam forensibus Procura„toribus negotium mandent.

XIII. Quamdiu Officium Procuratorum fuit privatum, nemo illud invitus suscipere tenebatur; at hodie dum publicum est, hi qui prævio examine & juramento in numerum eorum relati sunt, etiam inviti cogi possunt, ut officium suum impendant, uti post alios observat Nicolaus Tuldenus ad Damhouderum in Praxi rer. Civil. *cap.* 84. *Litt. E.*

XIV. Ex justis tamen causis ab Officio impendendo in hac illave causa excusari possunt; dicitque Damhouderus ibidem *n.* 2. quod „ab eo onere suscipiendo sese purgare possint, & il„lud onus detrectare, si *jurent* quod teste conscientia, ipsorum „(clientum) causa non videatur ipsis defensibilis.

XV. Nec immeritò: licet enim hodiernis moribus receptum sit, non transferri Judicium in Procuratorem: neque ipsum per litis contestationem reddi dominum causæ; aut in ipsum sententiam ferri, quemadmodum Jure Civili obtinebat, uti passim monent Pragmatici, ac nominatim Simon à Groenvvegen de Legibus abrogatis ad tit. Digestorum *De Procuratoribus*; nihilominus verum manet, Procuratores hodiernos suscipere defensionem & prosecutionem causæ; quam sanè impendere nequaquam possunt causæ quam credunt *injustam*.

XVI. Imò & juramentum in admissione ad Officium Procuratoris solet ipsos astringere, quod nullam causam, quam noverint injustam, suscipient; aut si aliquam tanquam justam susceperint, dimittent mox ut eam noverint injustam. Verba juramenti præstari soliti in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis sunt: „Nec acceptabo Offi„cium Procuratoris in malis & injustis causis scienter: & quàm „citò mihi constiterit de injustitia causæ, in ea amplius non „procurabo.

XVII. Procuratores illi, qui omnes indifferenter causas sibi oblatas sine ullo examine super earum Justitia aut injustitia suscipiunt, ostendunt parum memores se esse præstiti Juramenti; parumque solicitos, num Justam, injustámve causam tueantur: meritoque anxii sunt, an cum hujusmodi affectata ignorantia immunes erunt à perjurio, saltem coram eo qui scrutatur cor & renes, si causam injustam suscipiant, quam si „examen debitum præmisissent nec lucri cupiditate ad omnes indifferenter causas suscipiendas fuissent illecti, facilè agnovissent esse injustam.

XVIII. In citatis Ordinationibus Curiæ Rectoris & Conservatoris hujus Universitatis *art.* 12. statuitur: „Procurator „non occupet causam aliquam sive ad agendum, sive ad de„fendendum, nisi prius satis instructus.

XIX. Quæ capite præcedenti dicta & notata fuerunt circa obligationem Advocatorum de non patrocinando causæ injustæ hic merito repeti poterunt: cum tam Procuratoribus, quàm Advocatis vi Juramenti & officii vetitum sit, causæ injustæ quacumque ratione patrocinium impendere.

XX. Non minus quoque Procuratores, quàm Advocati obligantur fideliter suis Clientibus servire: unde & hic repeti poterunt quæ de fidelitate Clienti ab Advocato servanda dicta sunt capite superiori. Hoc tamen hic observandum, quod Curia Brabantiæ cautum volens, ne ex connexione & familiaritate Procuratorum, *secreta* unius Partis alteri revelarentur, statuit *art.* 324. ne pater & filius, aut duo fratres, vel duo habitantes in eadem domo sint simul in eadem causa Procuratores pro utraque parte. *Om dies vville dat de Procureurs onderlinghe gheallieert zynde van bloede oft affiniteyt, gelyck vader ende sone, tvvee ghebreurs, oft vvonende in een huys, ontfanghen in een saecke de procuratie van beyden partyen, vvaer uyt die secreten van partyen somvvylen vvorden ghereveleert, ende d'een van partyen ghesupplanteert oft bedroghen: Wy verbieden den voors. Procureurs alsoo gheallieert zynde, oft vvonende in een huys, te nemen procuratie oft te occuperen in een saecke vor beyde de partyen.* Id est: Eo quod Procuratores mutuò, aut sanguine aut affinitate conjuncti quales Pater & filius, aut etiam fratres, aut in eodem domicilio commorantes in eadem causa utriusque partis procurationem agunt, unde fit ut quandoque arcana partium detegantur, alteraque harum circumveniatur & decipiatur, Prohibemus dictis procuratoribus ut supra conjunctis aut

in eadem

in eadem domo commorantibus, ne in eadem causa utriusque partis procurationem admittant.

XXI. Illud quoque Procuratoribus æque ac Advocatis incumbit, ut omni modo allaborent, ut Clienti suo justitia administretur; uniceque studeant causam sincere prosequi; nihil scienter ad protractionem causæ in suum proprium lucrum, & litigantium detrimentum faciendo.

Hac de causa Procuratores in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis inter alia jurant: "Nec petam aliquas dilationes in causis meis, in gravamen alicujus partium, sed terminos meos legaliter servabo....... Nihilque proponam per me, vel alium pro causa protrahenda, vel ad vexandum indebitè adversarium.

Contra superfluas & extravagantes dilationes sub variis prætextibus peti solitas extat *art.* 329. Ordinationum Curiæ Brabantiæ.

XXII. In his Ordinationibus uti & Ordinationibus Concilii Flandriæ de anno 1624. & 1667. quæ habentur parte 3. Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubr.* 8. nec non in statutis Curiarum Ecclesiasticarum multa occurrunt, quæ officium Procuratorum spectant, quæque plures hodiernos abusus resecarent, si exactè observarentur: illudque notandum, quod in formula juramenti præstandi à Procuratoribus in Curiis Ecclesiasticis exprimitur: "Itē in responsionibus per credit vel non faciendis, non informabo partes, sed ipsas omnino inducam, ut fateantur veritatem." Ad quem articulum juramenti nescio, an sat hodie attendant Procuratores.

XXIII. Licet hodie in plurimis Curiis certus determinatusque sit numerus Procuratorum, nec officio Procuratorum fungi quis possit, nisi prævio examine super idoneitate, & præstito juramento in numerum Procuratorum sit admissus, uti suprà notavimus, nullus tamen illorum potest causam aliquam suscipere, aut prosequi, nisi mandatum sive procuratorium habuerit: ipsaque auctoritas Procuratoris etiamnum hodie ex mandato seu procuratorio dependet: uti monet Simon è Groenevvegen ad *Instit. De Satisdationibus* §. 3.

XXIV. Quin eodem teste non admittitur hodie Procurator absque mandato, etiamsi caveat *de rato*; nisi tamen pars litigans ipsi Procuratori esset sanguine juncta; quo casu ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 315. poterit sub cautione de rato, ex permissione Curiæ admitti. Verba articuli sunt: ***Dat de Procureurs hun niet en sullen voorderen sonder besonderlycke procuratie eenighe partyen te dienen ten vvare dat de partye hen bestonde van bloede, in vvelken ghevalle sy mides stellende cautie de rato, sullen ter ordinantie van onsen voorsz. Raede moghen vvorden gheadmitteert.*** Id est: Ut Procuratores se in obsequium partium non interponant, absque legitima rei gerendæ sibi facta potestate, nisi pars iis sanguine foret juncta, quo casu si caverint de rato, poterunt ex decreto præfati nostri Consilii admitti.

Quod ergo dicit Simon van Leuvven in Censura Forensi *parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. *num.* 4. quod ex stylo Procurator, qui debitè instructus est, mandatum autem aut nondum accepit, aut quod accepit, in aliquo deficiens est, sub cautione de rato, & termino quo defectum suppleat, aut sufficiens mandatum cum ratihabitione omnium quæ hactenus ab eo gesta fuerint, interim admittitur, id consonum non est citato articulo Ordinationum Curiæ Brabantiæ; nec hodie in illa Curia admitteretur; quamvis in aliis nonnullis Curiis id admittatur; ut ex ibidem citatis Pragmaticis notat van Leeuvven; & in Ordinationibus Curiæ Rectoris & Conservatoris hujus Universitatis *art.* 13. non obscure admittitur. Verba articuli sunt: "Ut Procurator sive Actoris, sive Rei, primo die suæ comparitionis exhibeat suum mandatum: & si mandatum *minus sufficiens* videatur, jubeatur aliud exhibere intra certum tempus, interea tamen ulterius procedatur, præstitā *cautione de rato*, per eundem Procuratorem præstanda, nec aliter admittatur." Idem habet *art.* 8. *tit.* 11. *Ordinat. Curiarum Ecclesiast.*

XXV. De hac admissione Procuratoris sub cautione *de rato* vide latè Nicolaum Tuldenum ad Damhouderum in notis *cap.* 90. *litt. C.* ubi notat ex Socino aliisque, huic cautioni ita demum locum esse, quando aliqualiter de mandato constat, sed non plene: neque eam admitti, quando res quæ agitur est valde ardua.

Ubi sine sufficienti mandato sub cautione de rato admissus est Procurator, si mandatum intra terminum non exhibeat, in ipsum Procuratorem sententia fertur, & ad interesse & damnū condemnatur; imò & in aliquibus partibus, arbitrali correctioni obnoxius redditur; uti aliis citatis monet van Leeuvven loco citato.

XXVI. Quamvis de jure communi Procuratorium solo consensu expediri queat, & etiam per testes aut Nuntium probari queat, in nonnullis tamen Curiis hodie receptum est, non nisi per Scripturam admitti probationem procuratorii, uti servari in Parlamento Mechliniensi testatur Christinæus *Vol.* 2. *Decis.* 107. *num.* 10. uti nec in ejusdem Civitatis Mechliniensis Consilio Duodecim virali ex statuto ejusdem *tit.* 1. *art.* 25. cujus hæc sunt verba: "In causa civili licitum est per Procuratorem actiones instituere & excipere, modò Procurator plenè doceat de mandato per sigillum authenticum, vel per chirographum Secretarii Principis." Vide Christinæum ad hunc articulum; ubi latè agit de forma ad probandum procuratorium hodie necessaria: de qua etiam agit Damhouderus in *Praxi rerum Civil. cap.* 90. ubi monet *num.* 4. quod "Procuratoria sub Principis sigillo alicujus data non egeant attestatione Senatorum, sed sint per se sufficientia." Addens: "Item quando constituentes sunt Prælati, Episcopi, aut præclari Nobiles, aut in ea dignitate aut officio constituti, ut sua sigilla omnibus sint cognita, rata, & approbata, eorum quoque procuratoria data, & sigillata habentur rata & valida, sine ulla cognitione Magistratuum.

XXVII. Supra observatum fuit, quod hodierni Procuratores per litis contestationem non fiant *domini litis*, uti habant Jure Romano; sed habeantur pro ministris nudum ministerium sive servitium in prosecutione litium suis Clientibus præstantibus: atque hinc ulterius moribus receptum est, quod & post litem contestatam procurator revocari queat: Et si altera partium moriatur ante causæ conclusionem, tunc procurator inchoatam causam finire non possit, sed implorato judicis officio citato ad reassumendam in eo statu, in quo relicta est, contra hæredes decernatur: A Groenvvegen ad *L.* 22. *Cod. De Procurat.* Et ita servari in Curia Mechliniensi testatur Christinæus citatâ *Decis.* 107. *num.* 22.

Dicitur quidem in *Clem. fin. De Procurat.* "Procuratorem à Prælato, Rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia sua vel Beneficio constitutum per mortem constituentis revocari; etiam quoad negotia & causas, in quibus per ipsum lis fuerit ante mortem hujusmodi contestata." Sed id speciale est in Rectore Ecclesiæ; uti rectè notavit Zypæus in *Notit. Juris Belg. De Procuratoribus*, quia Rectoris Ecclesiæ tamquam meri usufructuarii jus omne per mortem perimitur; adeoque nihil tum superest, quod ejus mandatum porrigatur.

XXVIII. Jure Romano Procuratoris officium erat gratuitum, nisi aliquod salarium esset promissum: at hodie tam in Ecclesiasticis, quam Civilibus Curiis sua salaria Procuratores à Clientibus petere possunt, licet de his nihil dictum fuerit.

Notius est quàm ut probari debeat, multiplices inutiles terminos, altercationes, dilationes, aliaque similia à Procuratoribus procurari, & fieri, ut salaria ipsorum continuo crescant: infinitasque Procuratorum tricas esse, ad protrahendum causas, suaque salaria augenda, nōrunt non tantùm qui Curiis præsunt, sed & qui in illis lites sustinere coacti aliquando fuere: possuntque colligi ex Ordinationibus Curiarum non tantùm Civilium, sed & Ecclesiasticarum, quibus multi Procuratorum abusus castigantur, multaque à Procuratoribus observanda & cavenda præscribuntur: observandumque esset, ut quemadmodum tantūm

tum

stituta sunt, ita quoque exactissimè observarentur: abscindarentur omnes illi prætextus quibus Procuratores, etiam in Curiis Ecclesiasticis utuntur ad lites & terminos prolongandos & multiplicandos; ipsumque tribunal Ecclesiasticum odio & vilipendio communi exponunt.

Quam periculosum ex hoc capite sit Procuratorum officium; & qui huic maximè sint expositi, intelligi potest ex dictis capite præcedenti num. 35. & seq.

XXIX. Procuratori similis est Defensor sive actor causarum Universitatis Collegii Societatis similiumque corporum, quæ à Principe vel Senatu sunt confirmata. Neque enim omnibus passim permissum est habere corpus Collegii, sive Societatis, quod ad exemplum Reipublicæ habeat res communes, arcam communem, & Actorem *L. 1. §. ff. Quod cujusque Universitatis nomine &c.*

XXX. Actor hic vocabulo græco vocatur *Syndicus* à lite sive causâ, quam nomine Universitatis prosequitur, agendo vel defendendo *L. 18. §. 13. ff. De Muneribus.* Solet similis procurator ad agendas causas constitutus civitatibus majoribus vocari *Pensionarius*; uti notat Christinæus ad citatum articulum 25. consuetudinum Mechliniensium, ubi & de Officio Pensionarii tractat.

XXXI. Observat autem Mornacius ad *L. 1. §. 1. ff. eod.* "Ex usu hodierno Syndicos creari consuevisse, ut sint non tantum actores Reipublicæ quoad lites, sed etiam ad cætera „quælibet Universitatis negotia, vel oppidi aut Parœciæ cui „dati sunt.

XXXII. Habet & nostra Universitas Lovaniensis Syndicum, qui inter alia jurat, quod causas Universitatis quas tamquam actrix vel rea suo vel alieno nomine habebit diligenter prosequetur.

Præscribunt tamen Statuta Universitatis, ut "nullum causam Universitatis nomine inchoet, nisi ad hoc habeat speciale mandatum ab Universitate, vel saltem à Rectore & De„putatis. Causam inchoatam non deserat absque consensu „Universitatis vel Rectoris & deputatorum; sed omni dili„gentiâ prosequatur usque ad finem. Item admoneat D. Re„ctorem, ut conclusiones Universitatis exequatur.

XXXIII. In Decretalibus Gregorii IX. extat specialis titulus *De Syndico*, sub quo unica tantùm refertur Decretalis sub hoc titulo: *Gregorius Papa Subdiacono Defensori Siciliæ.* Rectè autem post Contium monuit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium, hanc Decretalem esse fragmentum *epist. 67. lib. 1.* S. Gregorii, cujus inscriptio est, *Petro Subdiacono Defensori Siciliæ.*

XXXIV. In hac epistola imprimis scribit S. Gregorius: "Sicut studii nostri esse condecet à litigiis forensibus submo„vere, ut divinis ministeriis piè ac solerter invigilent, ita neces„se est nostrâ provisione, quemadmodum negotia eorum „disponi debeant, ordinare ne distenta mens per varias cau„sarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum e„nervata torpescat.

XXXV. Post hæc significat dicto Petro Subdiacono, quod "præsentium litterarum lator Joannes Abbas plurima se Mo„nasterii sui asserat habere negotia.

Deinde subjungit: "Pro qua re experientiam tuam per præ„sentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, „qui Romani viri magnifici ex prætore Cancellarius fuerat, „loqui debeat. Cujus si pronam ad hanc rem compereris vo„luntatem, ei Monasterii ipsius generaliter debeas constituto „salario commendare negotia.

XXXVI. Rationem hanc notandam adjungit: "Expedit „enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei „quietos existere; ut & utilitates cellæ per negligentiam non „pereant & servorum Dei mentes ad opus Dominicum libe„riores existant.

XXXVII. Hinc notant Interpretes post Glossam, S. Gregorium voluisse, ut quidam Faustus constitueretur Syndicus Monasterii cum salario de bonis Monasterii ad omnia negotia Monasterii in judicio procuranda: eò quod expediat, ut modicum damnum sustineant Monachi, ut ab hujusmodi litigiis conquiescant, & Divinis intersint.

XXXVIII. Quàm periculosum sit, Monachum sæcularibus negotiis, & præsertim forensibus implicari; & quæ in Oeconomo sive Procuratore Monasterii sint observanda, notavi supra *parte 1. tit. 31. cap. 5.*

XXXIX. Cæterum & illud certum, non tantum Monachis, sed & Clericis parùm convenire, eorumque vocationi parum esse conforme, negotiis illis temporalibus & forensibus litigiis implicari, atque per illa ab Ecclesiasticis ministeriis avocari.

Sic olim Episcopos prohibuere Concilia, ne ad Comitatum pergerent, electis ad id opus Diaconis: sic eosdem à rerum temporalium administratione submoverunt, quando curam illam Oeconomis & vicedominis demandarunt, uti monet eruditus auctor notarum in citatam epistolam S. Gregorii: cum quo quidni dicamus: "Utinam & cæteris Clericis simili quo„piam remedio provideretur ope Syndicorum & defensorum, „ab omnibus terrenis negotiis liberi soli Deo vacarent, omnes„que Clerici & Monachi tam essent forensium actionum ru„des, quam coguntur esse gnari.

CAPUT IV.

De Graphiariis & Secretariis.

1 *Qui apud Romanos dicti Cancellarii?*
2 *In horum locum successerunt hodierni Graphiarii & Secretarii.*
3 *Ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. nulla reperitur Constitutio de adhibendo Graphiario in Judiciis Ecclesiasticis.*
4 *Concilium vult adhiberi personam publicam, quæ Acta judicialia conscribat.*
5 *Persona illa publica coincidit cum hodierno Graphiario, qui & Notarius aliquando dictus fuit.*
6 *Ordinatio Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis de scribendis Actis per Graphiarium.*
7 *Graphiarius debet Acta registrare & diligenter conservare.*
8 *Debet in speciali registro registrare omnes sententias.*
9 *Prædicta Graphiarius jurejurando promittit.*
10 *Graphiarius debet copiam Actorum dare Parti petenti, originalibus sibi retentis.*
11 *Actis judicialibus à Graphiario conscriptis & registratis plena fides adhibetur licet nulli testes interveniant.*
12 *In hoc tamen attendendus stylus & consuetudo Curiarum.*
13 *In quibus causis Secretariis Episcoporum aut Collegiorum plena fides sit adhibenda.*
14 *Graphiarius debet utrique parti indifferenter servire.*
15 *Juramentum Graphiariorum in Curia Ecclesiastica de hac indifferentia.*
16 *Graphiariorum indifferentia hodie maximè necessaria, & quare?*
17 *Rectus Judiciorum ordo multum hodie dependet à Graphiariis.*
18 *Graphiariorum officium olim erat vile; secus hodie.*
19 *Querela Bonifacii VIII. de nimia exactione salarii Graphiariorum.*
20 *Hodie Graphiariorum salaria sunt taxata, & quomodo ex hac taxatione Graphiarii capiant occasionem causas protrahendi.*
21 *Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum contra excessus Graphiariorum.*

I. EXtat in Codice Justinianæo titulus *De Adsessoribus, Domesticis* & CANCELLARIIS Judicum.

Notant autem communiter Doctores, *Cancellarios* Judicum fuisse, qui scribendis & expediendis Judicum epistolis actisque operam dabant. Hosque *Cancellarios* fuisse dictos, quod eorum cellulæ ob chartarum amittendarum periculum, *cancellis* essent munitæ.

II. Horum officio funguntur hodie tam in Curiis Ecclesiasticis, quàm Civilibus illi quos *Graphiarios* vel *Secretarios* vocamus; qui tamquam publicæ & juratæ personæ omnia acta judicialia scribunt, ac fideliter constituunt, sive registrant.

III. Admodum verisimile, hos Graphiarios & Secretarios unà cum stylo forensi, & forma litigandi è Curiis Civilibus

Digitized by Google

libus in Curias Ecclesiasticas sensim intrasse; quamvis non reperiatur ulla Constitutio Canonica, quæ præcipiat Judicibus Ecclesiasticis personam publicam conscribendis actis habere ante Constitutionem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. relatam in *Cap. 11. De Probat.*

IV. Conqueritur hic Concilium, quod quidam Judices aliquando in præjudicium alterius partis aliqua falsa asserant; & quoniam contra falsam assertionem iniqui Judicis (ait) innocens litigator quandoque non potest veram negativam probare: cum negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio: ne falsitas æquitati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, statuit Concilium, "ut tam in ordinario judicio, „quam extraordinario judex semper adhibeat aut publicam „(si potest habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fi-„deliter universa Judicii Acta conscribant: videlicet citatio-„nes, dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, respon-„siones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, „instrumentorum productiones, interlocutiones, appellatio-„nes, renuntiationes, conclusiones, & cætera quæ occurrerint „competenti ordine conscribenda, loca designando, & tem-„pora, & personas.

V. Persona *publica*, de hac hic agit Concilium Lateranense dicitur in *Cap. 11. De Rescriptis in 6. Notarius*, coinciditque cum eo qui hodie solet dici *Graphiarius* vel *Secretarius*. Unde & in antiquis Statutis hujus Universitatis, qui hodie vulgò vocatur *Secretarius*, dicitur *Notarius Universitatis*.

VI. Itaque conformiter ad Decretum Concilii Lateranensis in omni judicio sive ordinario sive extraordinario hodie habetur persona publica, sive *Graphiarius* vel *Secretarius*, qui juxta Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit. 5. art. 2.* debet "scribere & subsignare „omnes citationes, monitionesque, inhibitiones, arrestationes, „commissiones, executorias, decreta, sententias & reliqua „omnia, quæ tam ad officii, quàm partium instantiam, aut a-„lias sub nomine Officialis, expedientur, idque omnino sub „data illius diei, quo decreta fuerint.

VII. Cum verò parum esset ad finem assequendum, quem in citato Decreto intendit Concilium Lateranense, Acta conscribere, nisi etiam diligenter custodirentur ut ex iis semper veritas haberi queat, ideo addunt dictæ Ordinationes eodem articulo. "Conscribetque & *registrabit* omnia Acta judi-„cialia, eaque ac Partium munimenta exhibita judicialiter, „(ne alioquin ad damna & interesse Partium teneatur) *diligenter conscribat*.

VIII. Et *art. 7.* "Graphiarius in speciali registro omnes „sententias, tam diffinitivas, quàm interlocutorias, propriâ „manu registrare tenebitur; aut si per alium faciat, unicuique „sententiæ, sic registratæ subscribet.

IX. Illud quoque punctum in formula juramenti à Graphiariis præstandi exprimitur his verbis: "Acta processuum & „causarum diligenter & veraciter registro meo inscribam, & „postquam inscripsero, nihil addam, vel delebo sine decreto „Officialis: exhibita sine ejusdem decreto non restituam, non „exhibita inseri non permittam:

Similis registratio sententiarum & Actorum judicialium injungitur Graphiariis Curiæ Brabantiæ in ejusdem Curiæ Ordinationibus *art. 126.*

X. Addit Concilium Lateranense in allegato Decreto: "Et „omnia sic conscripta Partibus tribuantur, ita quod *origina-„lia* penes Scriptores remaneant: ut si super processu judicis „fuerit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari.

Hoc & praxis observat, ut nimirum copia Actorum Partibus tradantur auctoritate judicis; originalibus vel publicis registris in quæ Acta sunt relata, manentibus in Graphiaria.

XI. Porrò Actis à Graphario conscriptis sive signatis plena fides adhibetur, tametsi nulli præterea testes adhibeantur; uti post Glossam ad citatum *Cap. 11. De Probationibus* communiter tradunt interpretes, & praxis confirmat teste Simone van Leeuwen in *Cens. Forensi parte 2. lib. 1. cap. 8. num. 5.* qui monet tamen *num. 6.* id restringendum esse ad *mere judicialia*, & quæ propriè sunt de Actis, & ad judicii expeditionem pertinent; secus in extrajudicialibus, aliisque quæ his extrinsecus inseruntur. Hanc distinctionem expressit quoque glossa loco citato dicens: "Et licet circa *judicia* credatur scrip-„turæ tabellionis, tamen circa contractus non creditur ei nisi habeat testium subscriptionem,

XII. In his nihilominus consuetudo & stylus Curiarum singularium attendi debent, qui nonnumquam præter Graphiarii aut Secretarii fidem, etiam signaturam judicis aut sigillum publicum requirunt, ut Litteris sive Actis plena fides habeatur.

XIII. Habent & Episcopi suos passim Secretarios, qui sunt deputati ad conficienda instrumenta de Actibus ipsius tantum Episcopi: puta de collationibus vel institutionibus, vel quæ cooperante Episcopo fiunt, ut de resignatione Beneficii in manus Episcopi facta, vel præsentatione Patroni, vel quavis insinuatione ei factâ; vel de acceptatione collationis, in præsentia ejusdem Episcopi facta, & similibus ad ipsius Episcopi officium spectantibus. Hi licet in his negotiis censeantur *Notarii* & personæ *publicæ*; nequaquam tamen vulgo & simpliciter *Notarii* dicuntur; neque extra dicta negotia possunt instrumenta in qualitate Notariorum conficere; sed habentur pro privatis personis: quemadmodum Actuarii sive Graphiarii extra rem forensem. Neque similes Prælatorum Secretarios solere intelligi in Regis Edictis vel Curiarum Ordinationibus nomine *Notariorum*, communiter tradunt Pragmatici & communis praxis evincit; uti nec Scribas aut Secretarios Collegiorum Ecclesiasticorum, ad negotia dumtaxat horum Collegiorum expedienda deputatos; sed tantùm Notarios *communes* ad quæcumque negotia extrajudicialia vel Ecclesiastica vel Civilia auctoritate *publica* deputatos: de quibus agetur titulo sequenti, ubi de probatione per instrumenta tractabitur: eò quod fides instrumentorum præcipuè à fide Notariorum dependeat.

XIV. Quandoquidem Graphiarius seu Secretarius sit persona publica judici in scribendis Actibus deserviens, debet, ut ipse judex, esse in causa indifferens, atque utrique Parti fideliter servire; neque uni magis, quam alteri favere.

XV. Unde juxta Odinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlin. jurejurando promittit Graphiarius: "Litigantibus, vel litigare volentibus directè vel in-„directè consilium non dabo: Dicta & depositiones testium „fideliter excipiam." Et *tit. 5. art. 9.* Graphiario præcipitur, "quod memor juramenti sui, secretus erit, neutri „partium se *addictum*, aut *partialem* exhibebit, sed eundem „omnibus; neutri etiam consilium directè vel indirectè „dabit.

XVI. Hæc Graphiariorum indifferentia hodie maximè necessaria est; eò quod moribus nostris in plerisque judiciis, præsertim subalternis & Ecclesiasticis, Graphiarii Assessorum & Consiliariorum vicem ferè sustineant; frequenterque judices ab ipsis instructionem accipere debeant: uti rectè notavit Simon van Leeuwen loco citato.

XVII. Hinc facilè intelligitur, & quotidiana experientia nimiùm evincit, bonum judiciorum ordinem, quin & rectam justitiæ administrationem plurimùm dependere à peritia & integritate Graphiariorum & Secretariorum: ut propterea meritò solliciti sint, quibus ipsorum electio vel deputatio competit, peritos & integros ad hujusmodi officia assumere.

XVIII. Illud quoque notandum, quod licet olim Scribarum sive Graphiariorum (quos *Tabelliones* vocant Veteres) reputaretur vile officium & servile, hodie tamen officium ipsorum sit honorificum, & in honore habeantur: quia eorum fidei publicæ tabulæ, periculaque magistratuum committuntur; uti notat Simon à Groenewegen ad titulum Codicis *De Tabulariis, Scribis*, &c.

XIX. Notarios sive Graphiarios Acta scribentes in

eatgea-

Digitized by Google

ndo salario metas rationis jam pridem excessisse conque-
Bonifacius VIII. *in Cap. 11. §. Notarium De Rescriptis*
mandans ut judex prout ad ipsius officium spectat, pru-
refrænet.

. In plerisque Curiis tam Ecclesiasticis quàm Civilibus
Graphiariorum & Secretariorum taxata sunt.

um cùm hæc taxatio ita plerumque concepta sit, ut in
s terminos, nec non paginas & lineas copiarum Acto-
larium sit constitutum, natum est fieri, ut lucri causâ
longum protrahant, copiasque Actorum extendant, &
licent cum maximo Partium incommodo: idque vel
ne timendum in Curiis tam Ecclesiasticis, quàm Civili-
quibus pauciores causæ occurrunt, & quibus præfici-
æpius Graphiarii & Secretarii tenuis conditionis & for-
ui ex proventibus suorum officiorum se & familiam su-
e coguntur.

I. Interim hisce injustitiis occurrere volentes sæpiùs ci-
rdinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ
nensis *tit. 5. art. 4.* statuunt: " Graphiarius ab omni-
perfluis abstineat, ideoque nec dies festos ad substanti-
non necessarios apponat, nec dignitatem judicum
nillariorum, vel litigatorum, vel Procuratorum sæpi-
etat. In depositionibus testium, aut extracto quocum-
ocessibus inserendo, abstineat à superfluis præambu-
gisque, & inutilibus præfationibus, & aliis omnibus,
l principale negotium non pertinent; nec tenorem to-
ildem instrumenti citationis, vel cujusque scripturæ
m reteret, sed si tenore semel inserto, ejus alibi men-
enda sit, fiat remissivè, secùs inserta non veniant in

sus *art. 8.* " Nullum salarium consequitur Graphia-
n Actis malè, & illegibiliter, vel ordine præpostero
ipsis, sed omnes illæ expeditiones intra Acta illegitima
buntur.

n ipso quoque juramento à Graphiario præstando ex-
ur his paucis verbis: " Causâ lucri vel ultra consuetum
n Acta non extendam.

CAPUT V.

ocato Fisci & Procuratore officii sive Promotore; nec non Apparitoribus.

Romanos frequens mentio Advocatorum Fisci, & quod co-
rum.
vocantur Advocati Fiscales.
Jus est Procurator Fisci vulgò Procurator Regius.
uriæ Ecclesiasticæ cœperunt habere suos Advocatos Fis-
Procuratores officii, qui Promotores dicuntur.
rivatum nomen Promotoris.
institutionis Promotoris Curiæ Ecclesiasticæ.
fficium Advocati Fiscalis Universitatis Lovaniensis.
s incumbit promovere causas ad publica Ecclesiæ jura
tes.
rum Promotorum præcipuè consistit in detegendis &
ndis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectan-

cimo quarto plures querebantur innocenter à Promoto-
xari.
his querelis occurrendum censuerit Concilium Novio-
Provinciæ Remensis.
rum excessus sæculo quarto describit Nicolaus Cleman-

bi nondum hodie aboliti.
bus injungitur ut non nisi habitâ informatione, magna-
ratione quempiam conveniant.
ione procedendum contra personas Ecclesiasticas & beni

nis Promotor Curiarum Ecclesiasticarum nullum po-
di super excessibus nisi quem verè reum de excessu cre-

super causis agendis debet conferre cum Advocato Fis-

Fiscalis intendere debet, an causa à Promotore insti-
fit.
pen Jur. Eccl. P. III.

19 *Promotor Universitatis causam suscipere nequit, nisi de excessu aut saltem de fama plene informatus.*
20 *Monitum S. Caroli ad Promotorem ejusque Substitutum.*
21 *Promotores nonnumquam proclives ad dissimulandos defectus & excessus; & quare?*
22 *Decretum Curiarum Ecclesiasticarum contra hunc Promotorum defectum.*
23 *Promotores non delinquentibus conniventes arbitrariè puniendi.*
24 *Promotores Curiarum Ecclesiasticarum jurant, quòd excessus fideliter prosequentur.*
25 *Promotor Universitatis propriâ auctoritate cum potest componere super excessu.*
26 *In Gallia Promotores debent esse in sacris constituti.*
27 *In Belgio etiam conjugati & interdum tenuis fortunæ ad hoc officium assumuntur: & quæ hinc incommoda.*
28 *Curia Ecclesiastica suos etiam habet Apparitores sive Nuntios.*
29 *Juramentum Apparitorum.*
30 *Quæ fides Apparitoribus adhibenda.*
31 *Quâ pœnâ plectendi qui Apparitoribus in executione sui officii resistunt.*
32 *Plura de Apparitoribus & Nuntiis remissivè.*

I. Frequens in Legibus Romanis occurrit mentio Advocati Fisci, extatque in Codice Justinianæo specialis titulus *De Advocat. Fisci.*

Dicebatur autem Advocatus Fisci, qui causas publicas & Principis agebat; ac ideò in ordine Advocatorum excellebat; ex quo ordine ad eum honorem promoveri solebant longis experimentis ante alios spectati, ut ait *L. 8. Cod. de Advocatis diversorum Jud.*

II. Similes Advocati in hodiernis quoque Curiis Regiis dicuntur Advocati *Fiscales*, tamquam qui ex officio patrocinari debeant Fisco sive publico Ærario: vel etiam vocantur Advocati *Regii*; quia Regi sive causis Regis serviunt: extantque passim in Ordinationibus Curiarum varii articuli de Officio Advocati Fiscalis.

III. Sicuti in causis privatis intervenit non tantùm Advocatus, sed & Procurator; ita Advocato Fisci, etiam in causis publicis, jungitur Procurator, qui causas Fiscales & Regias in qualitate Procuratoris prosequatur. Et sicuti Advocatus Fiscalis primus est in ordine Advocatorum, ita hic primum locum obtinet in ordine Procuratorum.

IV. Postquam Curiæ Ecclesiasticæ more & stylo Curiarum Civilium gubernari cœperunt, ipsaque jurisdictio ad normam jurisdictionis Civilis exerceri, etiam cœperunt creari Advocati Fiscales & Procuratores Officii, quos hodie *Promotores* vocamus, qui causas *publicas*, & ad *communem* Ecclesiæ utilitatem spectantes susciperent & defenderent; atque earum decisionem coram judice Ecclesiastico urgerent.

V. Nomen *Promotoris* derivatur à verbo *promovere*, eò quòd officii ejus sit invigilare abusibus & insolentiis delictisque quæ in Diœcesi committuntur; atque de iis Episcoporum & judicem informare, quin & opportunum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo, expetere; uti notat Claudius Horry in Tractatu gallico *De Procuratore Curiæ Ecclesiastica*, qui habetur ad calcem libri ejusdem Auctoris, cui titulus: *Le parfait Notaire Apostolique.*

VI. Refert & ibidem formulam quâ Archiepiscopus Parisiensis Curiæ suæ Ecclesiasticæ Promotorem constituit; è qua facilè intelligitur, quas causas promovere debeat: " Dantes tibi (ait) facultatem omnes & singulas causas ad „ Forum nostrum & jurisdictionem nostram Ecclesiasticam „ & spiritualem spectantes agendi, promovendi, interes- „ sendi & concludendi sententias, & jus super iis à Domino „ Officiali dictæ nostræ Curiæ Ecclesiasticæ & spiritualis „ Fori, ipsasque debitæ executioni demandari instandi, Eccle- „ siasticos & alios nobis subditos delinquentes seu in cri- „ mine deprehensos & in culpa ac alios quos convene- „ rit citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiari, „ condemnari, absolvi, prout æquitas & Juris ordo po- „ stulaverit curandi; & generaliter omnia alia & singula „ faciendi, & gerendi & exercendi quæ ad hujusmodi „ Promotoris munus & officium de jure, usu, vel consuetu-

 dine

„ dine spectant & pertinent, & quæ circa præmissa necessaria „ & opportuna fuerint.

Similia passim Promotoribus & Advocatis Fiscalibus injunguntur.

VII. Et quidem in Statutis hujus Universitatis Lovaniensis declaratur, Advocati Fiscalis officium esse, "omnes „ causas Universitatis contra quoscumque prosequi, in qui- „ bus agitur de Læsione alicujus privilegii tam intra, quàm „ extra Lovanium." Hac de causa vult ut Advocatus Fiscalis "apud se habeat & incorporet omnia Privilegia, Ex- „ emptiones, Libertates, Concordata & pacta Universita- „ tis cum Principibus & Communitatibus, Episcopis atque „ Prælatis.

Eadem ex causa dicit, "quod officio ejus incumbat, venire „ ad omnes Congregationes ac Deputationes, & quoties Re- „ ctori libuerit, ubi scilicet aliquid de supradictis negotiis tra- „ ctabitur.

Illud denique Advocato Fiscali injungitur, "ut assistat Pro- „ motori in libellando processus Fiscales, contra excedentes & „ Statuta Edictave violantes.

VIII. Similiter declarat S. Carolus in *Instructione Promotoris Fisci*, quod illorum officium etiam sit, cum sollicitudi- „ ne promovere causas omnes etiam Civiles, quæ ex officio „ tractantur, quamvis etiam assistat Pars; præsertim pro exe- „ cutione piorum relictorum, & bonorum Ecclesiasticorum, „ piorumve locorum usurpatorum recuperatione. Itidem cau- „ sis quomodolibet spectantibus ad mensam Archiepiscopa- „ lem, jurave spiritualia vel temporalia Archiepiscopatûs. Iti- „ dem de causis, ubi de Ecclesiastica jurisdictione vel libertate „ tuenda agitur.

IX. Hodie officium Promotorum seu Procuratorum causarum Fiscalium in Curiis Ecclesiasticis præcipuè consistit in detegendis & prosequendis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentibus.

In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit. De Promotoribus seu Procuratoribus causarum Fiscalium art.* 1. dicitur: "Omnia & singula delicta „ ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantia investigabunt, & „ ut puniantur, prosequentur.

X. Hoc jam pridem fuisse Promotorum officium certum est; atque evidenter supponit Concilium Novionense celebratum anno 1544. à Joanne Remensi Archiepiscopo & Suffraganeis ejus *Can.* 16. unà declarans, "quod quam plurimorum de „ Dominis temporalibus & Judicibus Sæcularibus querimoniã „ receperit, continentem quòd nonnulli dictarum Curiarum „ Ecclesiasticarum Promotores, ac etiam Procuratores, ad ex- „ cessus citantes eorum homines subditos, & Burgenses, va- „ ria & diversa crimina & excessus coloribus fictis exquisitos „ eisdem imponentes, non solùm in corporibus propriis, „ & gravi eorumdem incommodo, damnificant & fatigant; „ sed etiam gravissimis sumptibus & expensis: nobis sup- „ plicantes ut vellemus super his providere de remedio „ opportuno.

XI. His ergo querelis occurrere volens Concilium subjungit. "Nos verò attendentes, juri non fore consonum quòd „ inde nascantur injuriæ, unde debent jura provenire: statui- „ mus decernentes, quòd de cætero nullus Promotorum aut „ Procuratorum ad excessus aliquem ex officio citari faciat, „ vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, „ & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati posset in „ posterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri, „ nisi verisimiliter videatur eisdem, quòd justam causã habeant „ contra tales procedendi: super quo tamen eorum conscientias „ oneramus. Et de hoc cùm ad dictum officium assumentur, „ per juramentum astringentur; nec tunc etiam ultra primam „ citationem procedatur per eosdem, Officiali dicti loci incon- „ sulto.

XII. Acriori stylo hunc Promotorum excessum, ne dicam nequitiam & tyrannidem descripsit circa idem sæculum Nicolaus De Clemangiis *De Corrupto Ecclesiæ Statu cap.* 15. *num.* 1. „ Dici non potest (inquit) quanta mal- „ ciant illi scelerati exploratores criminum, quos *Promoto-* „ appellant. Simplices & pauperculos agrestes vitam satis m- „ cuam in suis tugariis agentes & fraudis urbanæ nescios m- „ sæpè pro nihilo vocant. Causas & crimina contra eos fe- „ lò confingunt, vexant, terrent, minitantur: sicque eos per- „ lia secum componere, & pasci sci cogunt. Quod si facere „ nuant, crebris eos citationibus quotidieque impetunt, & „ pra modum infestant. Quod si semel qualibet occasione p- „ pediti comparere desierint, censurâ illico anathematis re- „ belles & contumaces feriuntur. Si verò ad diem venire, qu- „ ties vocati erunt, perseveraverint eorum audientias apud „ dicum tribunalia impedient, morasque & subterfugia c- „ tionum & interlocutionum captabunt, quæ perfacilè à „ ris Ecclesiasticis obtinentur, quo vel sic longo tædio long- „ que sui temporis jacturâ fatigati, superfuturam vexa- „ tionem atque impensam pecuniæ pactione redimere cogant. „ &c.

XIII. Optandum sanè esset, ut hi excessus & injustæ vexationes cum sæculis istis desiissent; nec ad nostra tempora perseverassent.

Nimiùm ipsa quotidiana experientia evincit, quàm hoc hominum genus lucri cupiditate stimulatum, innocentissimos non rarò, idque nonnunquam super fictis excessibus vexet, & scelera gravissimosque excessus dissimulet, dum faciliùs ab illis, quàm ab his mulctas aut sub prætextu compositionis aliquam pecuniæ summam consequi sperat.

XIV. His abusibus ut occurratur, in Statutis Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis decernitur, imprimis, ut non nisi habitâ informatione, magnáque discretione aliquos super excessibus aggrediantur.

„ Caveant, ne quem innocentem per calumniam in jus vo- „ cent, aut importunè, vel indiscretè aliquos exagitent, defe- „ ctusque propalent, ac accusatos seu inquisitos, præsertim Ec- „ clesiasticos, ante sententiam diffament, sed cum omni mode- „ stia, integritate, & humanitate officium suum exerceant, „ inquiunt citatæ Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 7. *art.* 3.

XV. Additurque *art.* 4. „ Quamobrem etiam, antequam „ causam aliquam contra Ecclesiasticos aut honesti nominis „ personas in Judicio contradictorio tractandam exhibeant, „ eam priùs Officiali denuntient, ut dispiciat, an eas ad se per „ litteras clausas evocare velit, an viâ Regiâ permittere cau- „ sam agi.

XVI. Adhæc jurejurando promittit Promotor harum Curiarum: „ Neminem citari procurabo ab officio super exces- „ sibus, nisi credidero illos veros delinquentes, & me causam „ justam habere.

XVII. Utque maturiùs hac in parte procedatur injungunt *tit.* 4. *art.* 2. Advocato Fiscali quod „ singulis hebdomadibus, „ diebus & horis designandis, deliberabit cum Promotore de „ omnibus causis institutis, vel instituendis, signanter de iis, in „ quibus proximâ die juridicâ, vel concludendum verbaliter, „ aut articuli, aliæve scripturæ erunt exhibendæ, informatio- „ nes Promotoris visitabit, eidem consilium in omnibus dabit, „ & quando materiæ difficultas, scandalum, personæ digni- „ tas, vel negotii qualitas id exiget, omnia nobis, vel Officiali „ referet, priusquam Promotori diem parti dicere permittat, „ quod nunquam etiam alias faciet, nisi Promotor instructio- „ nem suam, saltem summariè in scriptis ipsi Advocato sup- „ tenti tradiderit.

XVIII. Insuper *art.* 3. mandatur Advocato Fiscali: Un- „ cè etiam curabit, ne per Promotorem aliquæ causæ offi- „ vel in scriptis, aut etiam summariè instituantur, nisi prævia „ informatione, serióque advigilabit, ne temerè aliquis vexe- „ tur, vel calumniosè in jus vocetur.

XIX. Et juxta Statuta hujus Universitatis simpliciter p- Promotor: „ Quod nullam causam contra aliquem incipiam, „ nisi de excessu vel delicto, aut saltem de fama fuero plan- „ formatus.

XX.

XX. Itaque rectè monuit S. Carolus Promotorem Fisci ejusdem socios & substituros, ut "meminerint, se esse Procuratores veritatis, & non debere sub ejus clypeo innocentes opprimere, vel aliàs esse in causa, ut quis calumniis fatigetur." In Actis Ecclesiæ Mediol. *parte 4. tit. De Officio Promotoris Fisci & substitutorum pag.* 566. edit. anni 1683.

XXI. Sicuti non rarò Promotores spe lucri incitati nimis faciles sunt ut personas etiam Ecclesiasticas vitæ & conversationis innocentis, suisque officiis diligenter & strenue incumbentes super quibusdam fictis aut levibus excessibus divexent; ita econtrario proclives sunt ad dissimulanda crimina enormia, publica & scandalosa, abulisque gravissimos & perniciosissimos, dum ex illa dissimulatione, vel super iis cum Accusatis vel denuntiatis compositione, lucrum sperant; vel saltem ex ipsa accusatione & actione difficultates à sceleratis criminum illorum auctoribus, aut abusuum fautoribus timent, & nullum aut exiguum lucrum sperant: adeo ut ad agendum aut inquirendum contra excessus, delinquentes ipsos non nisi lucri cupiditas incitare videatur.

XXII. Hunc Promotorum defectum emendare volentes Episcopi Provinciæ Mechliniensis ordinarunt citato *tit. 7. art. 2.* quod Promotores "cum nemine dissimulabunt, aut component; sed simul atque de delictis sufficienter fuerint informati (in quo omnem diligentiam adhibebunt sic tamen quod in causis violationum Festorum, similibusque aliis levibus excessibus, informationem in scriptis non capient) actionem adversus eosdem, ex Advocati Fiscalis prævio consilio, & in gravioribus causis, etiam prius obtento judicis decreto, & non aliter, instituent; & ad finem usque legitimè prosequentur, nec eam, nisi ex ejusdem Advocati judicio, & prævio Judicis decreto, derelinquent.

XXIII. Additur *art. 3.* "Si autem Promotores delinquentes aliquos sciant cum quibus conniveant, & ad nos, vel Officialem non deferant, tamquam consentientes, vel saltem negligentes arbitrariè puniantur.

XXIV. Jurejurando in assumptione ad officium Promotoris promittit: "Excessus non supprimam, neque celabo, sed sed cum omni possibili diligentia prosequar, nec desistam, etiamsi citatum innocentem putavero nisi id Advocato Fiscali, vel Officiali indicavero, ut desuper decernat quod ratio postulabit.. Nullis muneribus, prece, odio, favore inducar, quo minus Promotoris munus, juxta prædicta statuta fideliter exequar.

XXV. Similiter Promotor Universitatis jurat: "Neque super aliquo excessu vel delicto componam sine expresso consensu D. Rectoris vel Universitatis.

XXVI. Et quia Promotoris est præcipuè animadvertere in crimina & excessus Ecclesiasticorum, conveniens apparet, ut & ipsi Promotores sint Ecclesiastici; uti declarat Concilium Turonense anno 1583. idque praxi Regni Galliæ consonat, quæ in Promotores non admittit nisi Sacerdotes aut saltem Sacris Ordinibus initiatos, uti refert Carolus Fevretius *lib. 4. De Abusu cap. 3. num. 29.* & post ipsum Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Can. cap. 4.*

XXVII. In Belgio etiam personis conjugatis officium Promotoris committitur; & quidem nonnumquam personis tenuis satis fortunæ; quæ dum familiam suam ex emolumentis officii intertinere coguntur, toti sunt ad lucrum intenti: atque hinc frequens innocentium oppressio, pauperum & miserorum excoriatio, causarum protractio, salariorum extensio, & denique enormium & scandalosorum peccatorum frequens impunitas, quàm facile similes lucrorum aucupes tolerant, modò manus eorum impleantur.

Hi sunt, qui tribunal Ecclesiasticum adeo odiosum & vile vulgò reddunt, ut penè populo sit persuasum non ad correctionem, sed pecunias habendas in crimina inquiri, & in criminosos actionem institui: eo quod videant, crimina tametsi publica & scandalosa manere passim impunita, dum nullum eorum punitione lucrum speratur.

XXVIII. Præter Promotorem aliosque Officiatos, habet quoque hodie Curia Ecclesiastica, ad exemplum Curiarum sæcularium, suos Apparitores sive Nuntios, qui ea quæ in judiciis peragenda sunt partibus annuntiant, litigatores in jus vocant, & mandata atque sententias judicum exequuntur *L. 33. Cod. De Episcop. & Cleric. L. 1. Cod. De Execut. & exact.*

XXIX. Nuntius in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis jurat in hæc verba: "Fidelis ero in officio meo, nihil aliud referendo, vel rescribendo, quam per me actum erit: & omnia, quæ officio executoris incumbunt, fideliter faciam, & exercebo. Nullas pactiones, aut conventiones cum partibus, vel Procuratoribus, aliisque per me, vel alium faciam pro causis protelandis, & differendis, sed mandata Curiæ fideliter & diligenter exequar, & executionem factam, juxta statuta dorso litterarum inscribam. Quoscumque excessus per Diœcesim N. audivero, Vicario generali, Officiali, Sigillifero, seu Promotori indicabo.

XXX. Ob præstitum juramentum, iis plena fides adhibetur in iis, quæ ratione officii ex mandato judicis exequuntur, & factâ executione referunt: puta asserenti apparitori, se aliquem citasse, eumque personaliter invenisse, eaque expedivisse quæ ipsi à judice mandata & commissa erant, plena adhibetur fides, nullo alio teste aut testimonio accedente; uti notant Doctores post Glossam in *Cap.* CUM PARATI ;; *De Appellat.* & notoria praxis hic in Belgio tam in Curiis Civilibus, quàm Ecclesiasticis confirmat. Vide Peckium in tractatu De Jure sistendi *cap. 16.* ubi etiam notat, quâ pœnâ sit puniendus Apparitor, qui falsam relationem fecisse probatur. Referenti autem extra officium non creditur, uti post alios citatos notat Christinæus ad Bugnionium *lib. 2. cap. 80.* sed de hoc infra latius, ubi de forma citationis, & relationis agetur.

XXXI. Ulterius quia Apparitores in executione eorum quæ sui sunt officii judicis personam repræsentant, non levi pœna puniendi sunt, & hodie puniri solent, qui Apparitoribus executionem de mandato judicis & ex officio facientibus re aut facto resistunt, eisque injuriam inferunt. Vide Bugnionium *De Legibus abrogatis lib. 1. cap. 182.* ibique notas Christinæi.

XXXII. Plura circa Apparitorum & Nuntiorum officium, & quæ ab iis observanda sint, videri possunt in Ordinationibus Curiarum sive Civilium, sive Ecclesiasticarum; atque ex iis etiam apparebit, in utrisque penè per omnia esse idem Apparitorum & Nuntiorum Officium: è quibus tum titulo sequenti, tum sub titulo De Sententiis & earum executione plura notanda occurrent.

TITULUS VII.
De Instructione Causarum Civilium.

CAPUT I.
Quando & quomodo hodierna forma litigandi forum Ecclesiasticum intraverit.

1 *Judicia Ecclesiastica primitus sine strepitu forensi peracta.*
2 *Quare Principes optaverint ut litigantes potius ad Episcopos quàm ad Judices publicos suas quæstiones deferrent.*
3 *Scopus exemptionis Clericorum & Monachorum à foro sæculari fuit, ut à litibus forensibus eximerentur.*
4 *Canones vetantes Clericis ad judicia sæcularia recursum, præcipuè intenderunt ne essent litigiosi.*
5 *Refertur summariè quid olim inter judicia Civilia & Ecclesiastica interesset.*
6 *Circa sæculum 12. strepitus forensis in judicia Ecclesiastica sensim intravit.*

7 *Prælectio Juris Civilis, quæ circa hoc tempus cœpit in Italia, huic mutationi causam præbuit.*
8 *Decretum Ivonis ostendit, Clericos studium Juris Civilis junxisse studio Canonum.*
9 *De aviditate Clericorum ad studium Legum multorum querela.*
10 *Penè soli Clerici studio Legum incumbebant.*
11 *Clerici Legibus imbuti eas in suum forum deduxerunt.*
12 *Pontifices cœperunt quoque in suis Responsis uti auctoritate Legum Civilium; & ad harum normam causas decidi voluerunt.*
13 *Ex Decreto Concilii Lateranensis IV. evincitur quod sæculo 13° stylus forensis forum Ecclesiasticum intrasset.*
14 *Judices sæculares causarum directionem & decisionem plerumque Clericis committebant.*
15 *Hinc forma litigandi in Decretalibus præscripta tribunalia sæcularia intravit.*
16 *Ecclesia semper desiderat causas in foro Ecclesiastico præcipuè inter Clericos sine strepitu forensi decidi.*
17 *Stante moderna disciplina Judices tenentur suarum Curiarum Ordinationes servare.*
18 *Quomodo pristinam disciplinam præ oculis habere debeant?*
19 *Scopus hujus tituli.*

I. PRimitus Judicia Ecclesiastica fuisse adinstar arbitriorum sine strepitu forensi, fusè ostendimus supr. *tit.* 1. *cap.* 1. ipsosque Episcopos in decidendis causis etiam Laicorum, non tamquam *publicos* Judices, sed potius ut arbitrarios seu verius amicabiles arbitratores intervenisse: in hoc unum intentos, ut quæstiones inter Fideles, exortas sine strepitu forensi & recursu ad publicos & ordinarios judices, componerent; atque hoc modo filios suos discordantes in concordiam, veramque amicitiam & pacem adducerent.

II. Unde & ibidem notavimus, Imperatores optasse, ut litigantes potiùs ad Episcopos, quam ad publicos judices suas controversias deferrent; hoc præcipuè motivo inducti, quod optarent, subditorum suorum quæstiones & discordias amicabili potiùs arbitramento Episcoporum componi, quàm ipsos jurgiis forensibus, & litium ambagibus & tricis implicari: eamque fuisse rationem, cur judiciis sive decisionibus Episcoporum tantam præbuerint auctoritatem & firmitatem, ibidem ostendimus.

III. Ostendimus insuper eodem titulo *cap.* 3. quod tam Principum quàm Episcoporum qui voluerunt, ut Clericorum & Monachorum causæ, non ad publicos judices, sed Episcopos deferri deberent præcipuus scopus fuerit, ipsos Clericos & Monachos à litibus & jurgiis forensibus eximere: utque ipsorum quæstiones sine strepitu judiciali per Episcopos, ut *amicabiles arbitratores* citra formam judicialem deciderentur; quod & sanctissimos Episcopos in defensione ac tuitione exemptionis Clericorum intendisse notavimus.

IV. Denique observavimus, quod ubi Canones vetarunt Clericis ad judicia sæcularia recurrere, unicè intenderint eis inculcare, ne contra Apostoli præceptum essent *litigiosi*: sed lites, quantum in ipsis esset, fugerent, & quæstiones suas Judicio Episcoporum decidendas submitterent.

V. Summa igitur erat inter Judicia Ecclesiastica & sæcularia differentia. In illis enim sine formulis judiciorum & Legum Civilium neglecto rigore, ex solis Scripturis sacris & Canonum præscripto *summariè* ex æquitate adinstar *arbitramentorum* quæstiones decidebantur; in his verò juxta formulas juris, & servato Legum rigore procedebatur: ideoque & hæc vocabantur *publica judicia*, & qui eis præsidebant, judices *publici*.

VI. Hæc judiciorum Ecclesiasticorum simplex & plana forma circiter per decem sæcula inconcussa permansit, atque toto illo tempore ipse forensis strepitus à judiciis illis exulavit: ac demum à quinque circiter sæculis in tribunalia Ecclesiastica sensim formalitates & tricæ forenses irrepere cœperunt; atque labentibus sæculis ita multiplicari, ut nec in his tribunalia Ecclesiastica tribunalibus Civilibus cedere debuerint; imo facilè hæc superaverint.

VII. Unde hæc Judiciorum Ecclesiasticorum immutatio; atque pristinæ disciplinæ collapsio originem habeat, non difficulter intelligetur, si advertatur, quod circa sæculum undecimum in Italia vicinisque Provinciis cœperit florere studium Juris Civilis; publiceque prælegi Jus Justinianæum. Nec tantùm Laici, sed & Clerici jure illo delectari: & studio SS. Canonum illud jungere cœperint.

VIII. Hinc videmus, quod Ivo Carnotensis sæculo 11. in suam Canonum collectionem sive *Decretum*, non tantùm Canones vel dicta Patrum, sed & multa ex libris Juris Civilis tum Pandectis, tum Codice, Novellis ac Institutionibus Justinianæis retulerit; quod alii Canonum Collectores ante Ivonem fecisse saltem in Occidente, non reperimus: eò quod studium Juris Civilis antea minus notum esset.

IX. Huic Legum studio quanta aviditate Ecclesiastici, etiam neglecto quodammodo Scripturarum & SS. Canonum studio se implicarent, ostendunt plurimorum, tum piorum virorum, nec non Conciliorum illius temporis querelæ, de nimia Clericorum in hoc studium propensione; uti suprà *parte* 1. *tit.* 1. *cap.* 6. videri potest.

X. Imo & hoc notandum, quod penè soli Clerici sive Ecclesiastici eo tempore studio juris se darent; ut inter Nobiles & Sæculares vix reperirentur qui aliquam vel mediocrem juris scientiam haberent, adeo quidem ut *Clerici* dicerentur omnes generatim Viri *litterati & docti*, uti notat Du Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis Verbo *Clerici*.

XI. Porrò Clerici studio Legum imbuti, solâ scientiâ non contenti, eam & in praxim deducere voluerunt; quapropter Legibus ipsis, earumque formulis in judiciis uti cœperunt; atque ex earum præscripto causas decidere. Et quidem tanta velocitate Judicia Ecclesiastica Leges Civiles Justinianeæ occuparunt, ut sub initium sæculi 12. ad Eugenium Papam scribat S. Bernardus *lib.* 1. *De Consideras. cap.* 4. in ejus Curia perstrepere Leges Justiniani, ipsasque in lites & cavillationes degenerasse. "Et quidem quotidie (ait) perstrepunt in palatio „ Leges, sed *Justiniani*, non Domini. Justene etiam illud: Tu „ videris. Nam certè *Lex Domini immaculata convertens* „ *animas*. Hæ autem non tam Leges quàm lites sunt & cavil„ lationes subvertentes judicium.

XII. Cum ergo & studium Legum inter ipsos Clericos invaluisset, & causæ ad earum præscriptum decidi passim consuevissent, ipsi quoque Pontifices, ac nominatim Alexander III. & Innocentius III. eorumque Successores in suis Responsis Legum auctoritate uti & modum causas instituendi & decidendi ad normam Legum Civilium præscribere cœperunt; quemadmodum patet ex Decretalibus relatis Libro secundo Decretalium Gregorii IX. qui Liber uti & pars Libri primi pene nihil continent nisi modum & formam causas instruendi & decidendi; quæque tum à Litigantibus, tum à Judicibus in causarum instructione & decisione observari debeant.

XIII. Quomodo stylus forensis jam tum sub initium sæculi 13. tribunalia Ecclesiastica occupasset, probat Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 11. *§. De Probationibus*, ubi statuit, "ut tam in ordinario judicio, quàm „ extraordinario judex semper adhibeat aut publicam (si po„ test habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter „ universa judicii acta conscribant: videlicet citationes, dilatio„ nes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, in„ terrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumen„ torum productiones, interlocutiones, appellationes, renun„ ciationes, conclusiones, & cætera quæ occurrerint compe„ tenti ordine conscribenda, loca designando, & tempora, & „ personas.

XIV. Denique cum circa hæc tempora judices publici passim essent viri Nobiles & militares, exiguâ, aut nullâ juris scientiâ instructi qui nec per se judicabant, solebant & hi in causis instruendis & decidendis assumere Clericos Legum scientiâ instructos; ipsisque plerumque plenam judiciorum directionem committere.

XV. Hi verò formulas, quas ad præscriptum Legum in suis Decretalibus præscripserant Pontifices in hæc tribunalia

in-

lia introduxerunt, uti notat Claudius Fleury *parte 3. Institut. Juris Can. cap 4.* qui ibidem rectè monet, omnem hodiernam litigandi formam in Curiis sæcularibus usitatam provenire à Canonistis; ideoque, si quis eam exactè cognoscere velit, ejus originem ex Decretalibus haurire debeat. Verba ejus sunt: ***En sorte que toute la procedure moderne des Cours seculieres vient des Canonistes: & qui voudra l'estudier curieusement, doit en chercher les origines dans les Decretales.*** Id est: Adeo ut omnes moderni processus Curiarum Secularium à Canonistis sint inducti, earumque originem in Decretalibus, quærat, qui eas sedulò investigare decreverit.

XVI. Sicuti Ecclesia numquam probavit, ut Clerici in sortem Domini vocati, abdicato Scripturarum & SS. Canonum studio se totos studio Legum immergerent, uti citato *cap. 6.* ostendimus; ita numquam votum Ecclesiæ fuit, ut forensi illo strepitu causæ in foro Ecclesiastico agerentur; sed è contrario Ecclesia eodem semper spiritu animata, lites & contentiones aversans, nonnumquam desideravit, & etiamnum desiderat, ut quæstiones & controversiæ filiorum suorum, ac præsertim illorum qui in sortem Domini vocati, & à tumultibus mundi vi suæ vocationis sunt separati, amicabiliter & summariè sine omnibus illis forensibus tricis & solemnitatibus terminarentur atque deciderentur; quod & Conciliorum atque Episcoporum Decreta etiam horum posteriorum temporum evincunt, uti in progressu hujus materiæ notabitur.

XVII. Interim dum ea non est temporum conditio, ut Judicia Ecclesiastica ad pristinam illam ac simplicem normam reducantur; atque Ecclesia eam quæ à nonnullis sæculis invaluit, tolerat judiciorum formam, indubiè Judices in causis decidendis & instruendis suarum Curiarum ordinationes ac Statuta non quidem ad corticem litteræ, at ad mentem Ecclesiæ & constituentium, attendere & observare tenentur.

XVIII. Debent insuper, ad pristinam Patrum normam, quæ unicè pacem & charitatem inter Fideles fovendam & conservandam intendebat, quantum præsentis temporis disciplina patitur, collimare: aut frequenter allequi possent, litesque multas sopire, aut saltem multum abbreviare, & litigantes concertationibus & molestiis forensibus eximere, si exactè observarent, quæ etiam posteriores Canones & Curiarum Ordinationes præscribunt, quemadmodum in decursu hujus tituli notabimus.

XIX. Cùm ergo hodie & judices, & litigantes sive laici sive Clerici jubeantur se receptæ disciplinæ & formæ judiciali conformare, utile judicavi hodiernam formam Judiciorum Ecclesiasticorum, quæ in plerisque cum forma judiciorum Secularium coincidit, breviter, & quoad præcipua saltem puncta exponere: & hoc quidem titulo ea quæ praxim Civilem, & sequenti titulo quæ praxim Criminalem spectant, proponendo.

CAPUT II.

De Citatione ejusque forma.

1 *Exordium & fundamentum processuum est citatio Partis.*
2 *Citatio Partis est juris naturalis; nec ulla humana auctoritate tolli potest.*
Ejus necessitatem agnoverunt Romani adhuc gentiles.
Aliquando licuit privata auctoritate adversarium in jus adducere: sed id per Justinianum mutatum.
In supremis Curiis citatio fieri debet de speciali venia Curiæ; in inferioribus verò sufficit generalis data Apparitoribus.
Interdum tamen & in his specialis jussus Judicis requiritur.
In Curiis Ecclesiasticis jam pridem solebat requiri specialis *jussus Judicis.*
Idque convenienter, ut prævid ad citationem lis componi posset.
Meritò Judex, præsertim Ecclesiasticus, ante decretam citationem concordiam tentat.
Consuetudo hujus Universitatis de non decernenda citatione contra majora Supposita nisi monitione prævia.
Citatio Juridica duplex, privata & publica, & utriusque descriptio.

12 *Citatio fieri debet ad personam, si reperiri queat, aut ad ejus domicilium, & ita jubent Ordinationes Curiæ Rectoris.*
13 *Hinc clausula in Litteris citatorialibus:* Ad personam, aut ad domicilium, *ordinem citationis designans.*
14 *Moribus hodiernis citatio fieri potest ad personam Procuratoris, aut ejus domicilium.*
15 *Procedit id in citationibus post litis contestationem.*
16 *Usus citationem ad domicilium sustinet, tametsi apparitor personam curiosè foris non quæsierit.*
17 *Imo sufficit si dicatur non esse domi.*
18 *Forma citationis ad domicilium.*
19 *Facta citatione ad domicilium præsumitur pervenisse ad notitiam citati.*
20 *Quid sit dicendum proprium domicilium in ordine ad citationem, & quid si quis habeat plura?*
21 *Quo modo citanda Corpora & illustres personæ remissivè.*
22 *Quo modo per apparitorem relinquenda copia citationis, ut citatus ejus notitiam habere possit.*
23 *Citationes vagabundorum per publicas proclamationes, vel affixiones, fieri solent.*
24 *Quomodo citandi qui ad alienas Provincias migrarunt.*
25 *Quid si Procuratorem vel bonorum suorum administratorem in Provincia habeat?*
26 *Ordinationes Curiæ Rectoris non permittunt fieri citationem per edictum nisi persona citanda lateat, aut nesciatur ubi sit.*
27 *Qua forma citatio per Edictum juxta has Ordinationes fieri debeat.*
28 *Litteræ excommunicatoriales qua cautione ex præscripto harum Ordinationem dandæ.*
29 *Litteris citatorialibus causa citationis ordinariè inserenda.*
30 *Id Præscribunt Ordinationes Curiæ Rectoralis.*
31 *Subinde integer libellus Actoris citato communicatur in ipsa citatione.*
32 *Appariter tenetur dare relationem citationis ei ad cujus instantiam hæc facta est.*
33 *Citato dandus conveniens terminus ad comparendum, & quare?*

I. OMnis processuum institutio fere ab ipsa citatione exordium sumit, ait Damhouderus in Praxi Rerum Civil. *c. 54. n. 1.* notatque *n. 2.* quod citatio sit fundamentum & principium Ordinis judiciarii.

II. Eam esse jure naturali & humano ad judicii ordinem necessariam monet *num. 4.* adeo ut ipsius omissio judicium omne reddat nullum: nam parte non vocata & inaudita nihil legitimè statui potest. " Quocirca (pergit Damhouderus) ne „ per Principem quidem quantumvis petentem citatio omitti „ potest, adeo ut ex certa scientia & de plenitudine potestatis „ nec possit, nec debeat procedere ad ullam sententiam sine ci„ tatione partis ut est textus in *Clem.* PASTORALIS §. CÆ„ TERUM *De Sententia & re jud.* ubi summus Pontifex „ idem expressè declarat, quod Princeps non potest ex certa „ scientia citationis defectum supplere, imò ne quidem contra „ suum subditum, quia hoc esset in judicio tollere defensionem „ sui, quæ tamen est de jure naturali, ut in judicio alteram au„ rem accusatoribus, alteram defensoribus relinquamus.

III. Sanè neminem inauditum condemnari posse videbant & ipsi Romani adhuc sub densissimis gentilitatis tenebris constituti; uti colligitur ex sententia Festi relata *Actorum 25.* ***Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem prinsquam is qui accusatur, præsentes habeat testes, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.***

IV. Olim Actori potestas erat adversarium suum propriâ ac privatâ auctoritate in jus vocare: qui nisi confestim iret, aut vadimonium promitteret, id est, satisdaret judicio sisti, invitus obtorto collo in jus dici & trahi poterat *L. 5. ff. Qui satisdare cogunt.* Verùm cùm parum humanum & tutum videretur, rem tantam privatis committere, iis hæc potestas paulatim adempta fuit, & modestior quædam citandi sive in jus vocandi ratio introducta est; videlicet ut futura lis denuntietur auctoritate judicis per publicum ministrum seu Apparitorem, aut per edictum seu Litteras publicè affixas *Novella 53.*

V. Hodie in Belgio in supremis Curiis veniâ seu litteris citatorialibus opus est; sed in inferioribus tribunalibus Apparitores sive Nuntii nullo speciali judicis mandato interveniente

veniente, ad solam Partis petitionem, citationem exequuntur; uti post alios citatos observat Christinæus in notis ad Bugnionium *De Legibus abrogatis lib. 1. cap. 112.* idque quasi ex tacito & generali Magistratûs mandato. Eamdem distinctionem in Gallia servari testatur Rebuffus in Tractatu *De Citationibus Glossa 4. num. 8.*

VI. Rectè autem monet Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. De in jus vocando*, jussum illum generalem judicis ita accipiendum esse, ut nihil insolitum habeat: "ideoque (ait) non „extenditur ad citationem quæ facienda est per edictum, „per tubam, per campanam, minus per apprehen„sionem, quæ realis est citatio; nisi fortè in flagranti crimine „reus deprehensus sit." Idipsum notat Rebuffus loco citato.

VII. Quod in supremis Curiis hodie servari tradit Christinæus, id & in Curiis Ecclesiasticis penè ubique servatur; ut scilicet nemo etiam per Apparitorem citari queat ad personam, nisi de speciali mandato judicis; idque & in Gallicanis Curiis Ecclesiasticis servatum fuisse usque ad annum 1667. quo prodiit Edictum Regium super forma procedendi in causis civilibus coram judice Ecclesiastico, monet Claudius Fleury in Instit. Juris Can. *parte 3. cap. 4.* & explicat Claudius Horry in Tractatu cui titulus: *Procureur des Officialités* &c. ubi summariè proponit modum instituendi processum seu civilem, seu Criminalem in Curiis Ecclesiasticis conformiter ad Edicta Regia de annis 1667. & 1670. quorum prius spectat processus in materia Civili & posterius processus in materia Criminali.

VIII. Cæterùm quod in Curiis Ecclesiasticis citatio non fiat, nisi de speciali mandato & licentia judicis, forsan vel ideò servatum & ordinatum fuit, ut judex antequam Partem citari permittat, aliquemve initialem actum judicialem exerceri, prius examinare, & inquirere posset, an quæstio sine lite terminari amicabiliter non queat; partesque ad concordiam adduci, quod ante omnem citationem juridicam faciliùs obtineretur; quàm ubi per citationem lis aliquo modo inchoata fuerit; & Pars juridicè citata nonnihil exacerbata.

IX. Unde meritò judices, præsertim Ecclesiastici, priusquam citationem decernant, expendunt, num causa talis sit quæ litem mereatur; & an partes ad amicabilem concordiam ante omnem citationem juridicam adducere nequeant.

X. Hinc consuetudine in hac Universitate Lovaniensi invaluit, ut nullus qui de Consilio Universitatis existat, possit coram D. Rectore citari, etiam de ejus speciali mandato, nisi ei prius libellus supplex Actoris à Rectore prælectus fuerit, petitumque num contendere, num petitioni Actoris condescendere velit.

XI. Citatio verbalis, quæ hodie usitatissima est, solita fieri per Apparitorem ad mandatum judicis, alia dicitur *privata*; non quòd auctoritate privatâ fiat, sed quia fit ad *privatam* personam Rei, aut ejus domicilium; quemadmodùm observat Merula in *Praxi Civili Curiæ Hollandiæ lib. 4. tit. 24. cap. 3.*

Alia verò vocatur *publica*, quia *publicè* fit per Edicta Ecclesiis aliisque locis publicis affixa, vel per proclamationem Apparitoris per sonum tubæ, aliove simili signo, Merula ibidem *num. 3.*

XII. Ordinariè citatio fieri debet ad *personam*, si inveniri possit.

Hinc in Ordinationibus Curiarum D. Rectoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis confirmatis per Principes nostros Albertum & Isabellam *art. 1.* mandatur, "Ut citatio semper ad personam fiat, si commodè reperiri „potest, puta intra oppidum, vel pagum existens, & ad eum „tutus sit accessus: nec fiat ad domicilium, nisi personâ priùs „quæsitâ (de quo mentio fiat in relatione) idemque in litte„rarum aliarum executione observetur.

XIII. Hunc ordinem in Ordinationibus Curiæ Hollandiæ etiam præscribi notat Merula in *Praxi lib. 4. tit. 24. cap. 15.* monetque clausulam in litteris citorialibus inseri solitam: *Ad personam citandi aut ejus domicilium*, non intelligi, quasi sit in arbitrio Apparitoris, num velit citationem facere ad *personam* citandi, an verò ad *ejus domicilium*; sed designari ordinem citationis ab Apparitore servandum; ut nimirum primò inquirat in personam; & si inveniri nequeat, tunc fiat ad ejus domicilium. Idipsum & in Gallia observatur ex Ordinatione Ludovici XII. quam latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citationibus*; notatque conformiter ad ea quæ habet Merula, ordinem citationis servandum esse, ut nimirum primò persona inquiratur, antequam fiat citatio ad domicilium: monetque id & in Hispania & Italia servari.

XIV. Ibidem Rebuffus *num. 4. & 5.* ait, quòd de consuetudine citatio fieri queat ad personam *Procuratoris*, aut ad ejus domicilium; quod & hic in Belgio obtinet: teneturque Pars si litiget extra locum domicilii, Procuratorem in loco judicii constituere, cui insinuatio fieri possit: aut domicilium eligere.

XV. Et Damhouderus in *Praxi Rer. Civil. cap. 49. num. 11.* dicit, ante litis contestationem necessum esse, partem ipsam citare ad ipsam personam sive ad ipsius domicilium; sed post litis contestationem sufficere citationem fieri ad personam Procuratoris.

XVI. Notat autem Zypæus in *Notitia Juris Belgici titulo De in jus vocando*, quod citationem ad domum usus sustineat, quamvis Nuntius Reum sive citandum *curiosè foris* non quærat.

XVII. Et quidem moribus ferè receptum, ut Apparitor citaturus ad domicilium citandi accedat; & si dicatur à domesticis citandum non esse domi, quòd citra ulteriorem inquisitionem citet ipsum in persona domestici; & ita servari asserit Rebuffus citatâ *Glossa 3. num. 10.* Et *num. 13.* dixerat, quod hodie sufficit ut Apparitor citandum domi perquirat, licet non alibi, quamvis de jure major inquisitio fieri deberet, ut communiter tradunt Interpretes ad *L. 4. §.* PRÆTOR *ff. De Damno infecto.*

XVIII. Dum ergo citatio fiat ad domum, insinuatio fieri debet domesticis: quòd si nullus sit domi, tunc citatio declarabitur vicinis, sic ut citatio talis ad ipsius citati notitiam pervenire possit, inquit Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. capite 59.*

Hæc forma executionis in plerisque Curiarum Ordinationibus præscribitur; atque in terminis exprimitur in citatis Ordinationibus Curiæ Rectoralis hujus Universitatis *art. 2. & 3.* his verbis: "Non repertâ verò persona, adhibitaque „diligentiâ, fiat citatio, seu monitio & denuntiatio, primò „uxori, tum aliis domesticis, vel eorum alicui, prout quique „personæ conjunctissimus est, & ibidem reperitur.

"Alioquin nullo domi, vel in vicinia reperto, relinquatur „copia ad ostium domus, vel insinuetur vicinis.

XIX. Porrò factâ citatione ad domicilium, præsumitur quòd citatio pervenerit ad notitiam citati; quia isti habentes præsumuntur ei dedisse citationis exemplum, & certiorem eum fecisse; uti tradit Rebuffus ibidem *num. 2.* additque *num. 4.* quod nec audientur volentes postea probare, non venisse in notitiam illorum: quod & moribus nostris conforme esse testatur Tuldenus in notis ad citatam *Cap. 59.* Damhauderi.

XX. Quæ habenda sit propria domus; & ubi citatio facienda sit, si citandus plura domicilia habeat, latè examinat Rebuffus; item Damhouderus locis suprà citatis. Et quid de consuetudine obtineat, breviter annotat Merula in Praxi *lib. 4. tit. 24. cap. 15.*

XXI. Ibidem quoque tradit Damhouderus, quomodo communitates, puta Capitula, Monasteria, Civitates &c. citari debeant; & latiùs Merula in Praxi *lib. 4. tit. 24. cap. 12.* ubi & quæ servanda sint in Citatione Illustrium Personarum breviter exponit.

XXII. Ut autem citandus habeat exactiorem notitiam citationis, possitque probare, ad quam diem, & quo die citatus fuerit, debet Apparitor non tantum litteras citationis coram citando, aut ejus domesticis legere, sed & copiam earum citat

rum tradere & relinquere sua manu signatam; uti notat Merula loco citato *cap.* 14. & expressè in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 386. injungitur Apparitoribus copias relinquere citationis,& provisionis quam exequuntur, citato, vel ejus servitoribus aut familiæ, vel easdem affigere ostio domûs citati, cum insertione primæ diei juridicæ, quam designaverit apparitor, etsi copia petita non esset. *Ende sullen onse voornoemde Deurwaerders ghebonden zyn copie te laten van de mandementen, ende provisien die sy ter executien ghestelt sullen hebben, den ghedaeghde, syne dienaren ende familie, ofte de selve te affigeren aen die deuren van den huyse van den gedaeghden, met insertie van den eersten daghe van Rechte die hy hem beteeckent sal hebben, alwaert oock soo dat die copye niet versocht en waere, op arbitrale correctie.* Id est: Et apparitores nostri præfati ex officio tenebuntur mandatorum aut provisionum quas executioni mandaverint exemplar, citato, aut ejus famulo & familiæ tradere, aut idem ostio citati affigere, inserendo primum diem instituendæ actionis, quam ipsi designaverint, etiam quantumvis dictum exemplar non posceretur. Idque sub pœna arbitraria.

Hæc planè conformia sunt praxi & Ordinationi Regni Galliæ, & latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citatione art.* 5. item Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art.* 3.

XXIII. Vagabundi & qui nusquam habent certum domicilium, vel proprium vel conductum, vel gratis concessum, citantur per publicas proclamationes vel Edicta publica, aut cum authorizatione, ait Damhouderus citato *cap.* 51. *num.* 7. & post ipsum Zypæus loco suprà allegato.

XXIV. Addit deinde Damhouderus: „Sic etiam citantur, „qui patriam planè deseruerunt & in alienas regiones sese mo„raturos transtulerunt, sed eam citationem per auctorizatio„nem convenit fieri in loco, ubi ultimè habitarunt, aut fre„quentârunt, debetque illis dies comparitionis insinuari in „finibus patriæ, & in loco quantum fieri poterit ipsis maximè „vicino.

XXV. Hoc tamen notandum, quod si citandus in patria habeat Procuratorem, factorem sive bonorum suorum administratorem, ei debeat fieri insinuatio citationis, idque cum eo temporis intervallo, ut principalis de citatione possit commodè informari. Item si per edictum fiat citatio, debet tamen citato (si sciatur ubi moretur) mitti per litteras copia citationis; uti conformiter ad Ordinationes Curiæ Hollandicæ tradit Merula loco citato *cap.* 16. & præscribitur in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 388. *&* 389. Vide etiam Edictum Caroli V. de 11. Jan. 1535. item Ordinationes Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art.* 4.

XXVI. His & conformes sunt Ordinationes Curiarum D. Rectoris & D. Conservatoris hujus Universitatis; ubi *art.* 6. ordinatur: „Non fiat citatio per edictum, nisi prius constiterit „de non tuto vel facili accessu ad personam, vel ad domum, seu „domesticos, nec decernatur vel admittatur facta per edictum „citatio, nisi persona citanda latitet, aut nesciatur ubi sit.

XXVII. Deinde *art.* 7. „Cum fiet per edictum citatio, „fiat ad Ecclesiam Parochialem loci habitationis Citandi, si„ve ubi in eo oppido vel pago edicta fieri vel affigi solent, „vel in casu non tuti accessus, ad Ecclesiam sive locum pro„pinquiorem ut ad notitiam Citati facillimè queat pervenire „citatio, insinuatione eidem per epistolam facta, sive Pastori, „ut denuntiet excommunicationem, si litteræ fuerint excom„municatoriales.

XXVIII. Rectè autem monent circa litteras excommunicatoriales: *art.* 8. ut „tamen non dentur, nisi citatione prius „facta in personam, vel aliàs ex evidenti contumacia, & quo „casu non suppetunt alia remedia juxta Concilii Tridentini „Decretum.

XXIX. Ut reus sive citatus melius deliberare queat, num cedere, num litigare velit, debet ipsa petitio, sive libellus Actoris ad cujus instantiam citatio fit, ipsis litteris citatorialibus saltem summariè inseri; tum etiam, ut ex ipsa citatione intelligere & deliberare queat, utrum ex justa causa, & coram legitimo Judice &c. citatus sit. Quod specialiter Edictis Principum nostrorum cautum esse in citatione laicorum ad tribunal Ecclesiasticum notavimus *tit.* 1. *cap.* 2. & generaliter in omni citatione requirit Constitutio Ludovici XII. Regis Galliæ; quam explanat Rebuffus in citato tractatu *De Citatione art.* 5. & in Belgicis Tribunalibus observari tradit Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 55.

XXX. Hinc & in citatis Ordinationibus Curiæ Rectoralis & Conservatorialis, *art.* 9. dicitur: „Mittatur libel„lus cum executore citaturo, ut tantò melius possit delibera„re, an contendere velit: & si contendendum putet, instruere „possit suum Procuratorem: aut saltem litteræ monitoria„les, tam clarè & planè monitionem Actoris, causamque „debiti contineant, ut Reus deliberare, sesèque instruere „possit.

XXXI. Interdum non tantum causa citationis, aut summaria Actoris petitio Reo exhibetur; sed subinde cùm lites communicatoriè, ut vocant Pragmatici, instruuntur, „libello Ju„dici oblato, Judex in margine ejusdem libelli decernit, ut de„super adversarius ad certum diem respondeat, isque libellus „cum decreto per Nuntium adversario porrigitur: eodemque „ulteriùs modo ea lis peragitur, „ait Zypæus in *Notitia Juris Belgici De Edendo.*

XXXII. Facta citatione, debet Nuntius sive Apparitor dare relationem ei ad cujus instantiam citationem fecit: eique totam citationis seriem inserere, exprimendo diem, quin subinde & horam factæ citationis, & in quem diem citaverit; an ad personam, an ad domicilium; quibus è domesticis, aut vicinis eam insinuaverit; quid responsi retulerit, & generatim quæ in ipsa citatione contigerunt; quemadmodum latiùs exponit Merula in *Praxi Curiæ Hollandicæ lib.* 4. *tit.* 25 *cap.* 1. & Rebuffus in Tractatu *De Citatione art.* 5. *Glossa* 5. & in omnium passim Curiarum Ordinationibus præcipitur.

XXXIII. Adhæc ne Citatus præceps & non satis instructus in judicium trahatur, & in litem incidat, dandus est Citato terminus sive dilatio aliqua; eaque longior vel brevior, ratione habitâ causarum, personarum, ac præcipuè distantiæ domicilii ipsius Citati à loco Judicii, quemadmodum passim in omnium Curiarum Ordinationibus exprimitur; ac nominatim in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 9. *art.* 9. „Et quo facilius Partes ante „litis ingressum concordare, vel transigere, vel seriò cum Ad„vocato suo de causa deliberare possint, antequam præcipites „in litem incidant, unde postea difficilius se extricent, ac deni„que res suas tempestivè ad comparendum stato tempore „componere, certa intervalla temporum, inter diem factæ „executionis, & terminum ad comparendum servientem & „præfixum, servari volumus. Utpote, si ad Judicium primâ „citatione evocatus, domicilium in civitate, aut intra milliare „ab eo foveat, tres dies inter medios, & liberos; si vero more„tur extra civitatem & milliare, intra tamen sex, septem vel „octo milliaria aut circiter, octo dies inter medios & liberos „habeat; si verò ultra octo milliaria, aut circiter, habeat „duodecim dies modo præscripto, nisi natura citationis, & „qualitas causæ breviora requirat intervalla; præsertim in „causis officii ubi de impediendis aut emendandis excessibus „agitur. In ulterioribus autem citationibus dies breviores, „competentes tamen, assignari poterunt.

Et *art.* 10. additur: „Et si contingat terminum citationis „incidere in diem festum, vel non Juridicum, serviet citatio de „juridica proximè sequenti.

CAPUT III.

De Libelli oblatione & litis contestatione.

1 *Quid libellus conventionalis.*
2 *Libellus judici offerendus, & authoritate judicis Reo communicandus.*

3 *Libelli conventionales olim in judiciis Ecclesiasticis incogniti, præsertim in causis Civilibus.*
4 *Etiam ante Justinianum Imp.*
5 *Glossographus id restringit ad causas* modicas *&* viles.
6 *Hæc limitatio parum conformis pristinæ disciplinæ.*
7 *Libelli conventionales unà cum stylo forensi in judicia Ecclesiastica intrarunt.*
8 *Quomodo distinctio Glossæ inter causas arduas & leviores, in quibus* summariè *est procedendum, sit recepta.*
9 *Quæ sint causæ* leviores summariè *decidendæ.*
10 *Libellus quâ formâ concipiendus.*
11 *Quoad oblationem & formam concipiendi libellum stylus Curiarum Ecclesiasticarum coincidit cum stylo Curiarum Civilium.*
12 *In formatione libelli præcipuè attendenda conclusio.*
13 *Si citatus conclusioni Actoris non censeat annuendum, sequi solet litiscontestatio, & quid hæc sit.*
14 *Jure Decretalium propositiones & responsiones ad eas non inducitur litiscontestatio.*
15 *Ratio istius juris.*
16 *Processus defectu litiscontestationis irritus est.*
17 *Quomodo de praxi hodierna inducatur litiscontestatio.*
18 *Primitus in judiciis Ecclesiasticis solemnis litiscontestatio usitata non fuit.*
19 *Nec hodie in* summariis *requiritur.*
20 *Optandum, ut causæ Ecclesiasticæ* summariè *absolverentur.*
21 *Per litiscontestationem judicio inchoato lis defuncti ipso jure transit in hæredes, secùs de moribus hodiernis.*

I Libellus conventionalis de quo hic agitur, & sub titulo Decretalium *De Libelli Oblatione*, describitur à Doctoribus post Glossam ad *Cap.* . ⁊ *de Libelli Oblatione*, scriptura in qua continetur res quæ petitur, & causa petendi & nomen Actoris & coram quo judice.

II. Hinc ibidem infert Glossographus, quòd semper sit offerendus libellus *judici*; & per ipsum Reo, ut ipse Reus possit deliberare; quemadmodum dicitur in *Auth.* OFFERATUR *Cod De Litiscontestat*, quam refert Gratianus *cauf. 3. qu. 3.*

III. Verùm libellos conventionales, in causis præsertim Civilibus, coram judicibus Ecclesiasticis olim fuisse ignotos, constat ex *Novella 67.* Justiniani, quam verbis Juliani Antecessoris retulit Gratianus in *Can. 45. cauf. 11. qu. 1.*, ubi dicitur: „Ubi autem Episcopus causam dirimere vult *sine* „*scriptura* omnia procedant, & diffinitiva sententia sine scri„ptis ab eo proferatur.

IV. Neque id primum à Justiniano esse constitutum, sed etiam ante Justinianum fuisse regulariter scripturam denegatam judicibus Ecclesiasticis, ex *L. 41. Cod. Theod. de Episcop. & Clericis* colligi notat Janus A Costa in Summario tituli Decretalium *De Libelli Oblatione*: additque: „Nec teme„rè olim solennia Judiciorum Civilium vel publicorum u„surpavit Ecclesia.

V. Fatetur ibidem Glossographus loco citato, quòd allegatus *Canon. 45.* velit à judice Ecclesiastico causas esse dirimendas *sine scriptura*; sed id credit obtinere in *modicis & vilibus causis*, ut in his scriptura non requiratur.

VI. Verùm id à sensu Justiniani & disciplina illius ætatis est planè alienum. Neque enim illius distinctionis vel vestigium in Legibus Justiniani, aut ætatis illius Canonibus extat.

VII. Dicendum ergò, quòd quamdiu judicia Ecclesiastica sine strepitu forensi & formulis publicorum & Civilium judiciorum peracta sunt, nihil de solemni quoque libelli exhibitione aut oblatione cautum fuerit; sed simplex petitio seu expositio suffecerit: at postquam ad normam forensium judiciorum ipsa Ecclesiastica judicia formari cœperunt, non ampliùs simplex quæstionis ac controversiæ expositio suffecit; sed libellis, æquè atque in judiciis Civilibus, opus fuit.

VIII. Hodie de jure Decretalium, & moribus recepta est sententia & distinctio Glossographi, ut nimirum in judiciis Ecclesiasticis, ubi de re ardua agitur in plenario judicio, requiratur libellus in scriptis judici offerendus: in levioribus ac brevioribus causis *summariè* absolvendis, non sit necesse libellum *scripto* tradi; sed sufficiat Actoris petitionem coram judice nudè proponi; eamque Actis continuò inseri, ut re postea exigente, ejus copia haberi possit, *Clem.* SÆPE §. VERUM *De V. S.* quod & tribunalibus civilibus servari notat Damhouderus *in Praxi rerum Civil. cap. 100.* & laudatus Nicolaus Tuldenus ibidem in notis.

IX. Causas leviores, in quibus *summariè* sit procedendum juxta præscriptum citatæ Clementinæ *sæpè*, declarant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit. 11. art. 1.* esse, si in causa civili pecuniaria summa petita non excedat quatuor libras flandricas, atque in causis officii excessus minores; „Nec ulli articuli (nisi pro„pter personarum qualitatem, vel delicti circumstantiam „Officialis aliter faciendum decreverit) exhibentur: sed „Advocati utrimque causam verbaliter exponent, conclu„sio tamen summariè, & pertinenter cum debitis circumstan„tiis verbaliter capta, & responsio replica duplica verbali„ter subsecutæ, actis paucissimo verborum relatu conti„nuò inserentur, & Judex sententiam mox proferet, si res „liqueat.

X. Ex *Cap. 2. & 3.* ⁊ *De libelli oblat.* colligunt Doctores post Glossam, quod si agatur actione reali sive rei vindicatione exprimendam, esse rem quæ petitur, & utrùm petatur totum, an pars: aliàs enim Reus deliberare non posset. In hac tamen actione non esse exprimendam causam: „Cau„sa enim (ait ibidem Glossa) expressa est eo ipso quod pro„ponit rei vindicationem. Causa enim non est alia nisi ipsum „dominium, cum dicit, rem ad se pertinere jure dominii vel „quasi...... Si autem agatur actione personali, ut si petas de„cem dari tibi, causa petendi exprimenda est in libello; aliter „enim respondere non tenetur. „Ita glossographus, qui latiùs ibidem prosequitur, quomodo causa & res petita sint in libello exprimendæ; & an causâ unâ expressâ, possit eandem rem postmodùm petere ex alia causa; item an libellum semel oblatum mutare possit.

XI. Cæterum stylus Curiarum Ecclesiasticarum quoad oblationem libelli ejusque formam hodie penè per omnia coincidit cum stylo Curiarum civilium. Unde meritò in hac materia consuluntur Interpretes Juris Civilis ad titulum Digestorum & Codicis *De Edendo*; ac præsertim Pragmatici, qui annotant stylum & consuetudines singularum Curiarum quæ informatione libellorum attendi debent.

XII. Illud autem uno consensu monent, in formatione libelli maximè attendendum esse, ut conclusio sit apta, paucis & claris ac intelligibilibus terminis expressa; nihil habens obscuri, nec conditionale, generale, vel alternativum; è qua ipse judex & pars adversa possint facilè intelligere petitionem & intentionem Actoris. Vide Damhouderum in *Praxi rerum civilium cap. 101. & 102.* & Notas Nicolai Tuldeni. Imò tametsi consuetis actionum formulis in concipiendo libello usus non sit, nequaquam tamen inde libellus de nullitate argui poterit, dummodo ipsa conclusio ritè sit concepta; atque ipsum factum & rei veritatem ita proponat, ut quid sibi aut præstari petat, intelligi possit: ita ut si inepta sit narratio & conclusio apta, libellus sustineatur, quod conclusio reliqua amplier, restringat, aut exponat.

XIII. Si reus ad diem citationi præfixum in judicio compareat, & visa ac examinata Actoris petitione judicet non esse annuendum Actoris libello; sed petitioni sive conclusioni Actoris absolutè resistendum, tunc solet sequi litis contestatio, quæ est Rei ad Actoris, vel contra Actoris ad Rei petitionem principalem, negando vel affirmando coram judice purè facta responsio animo contestandi litem. *Cap. unico* ⁊ *De Litis contestation.* & ibidem tradit Glossa.

XIV. In citato Capitulo dicit Gregorius IX. quod quendam processum de Fratrum suorum consilio irritum duxerit nuntiandum: quia quamvis positiones & responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus: quia tamen *litis contestationem* non invenit factam: „Cùm (ait) non per positiones & responsiones ad „eas, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem

sionem secutam litis contestatio fiat. „Eadem sententia occurrit in *Cap.* 54. §. PARTIBUS ꝟ. *De Elect.* cujus verba assumpsit Gregorius in hac Constitutione, uti observat Cujacius ad dictum *Cap. Unicum.*

XV. Cur per positiones & responsiones ad eas non inducatur litis contestatio scribit Glossographus ad citatum *Cap. Unicum*: „Qui enim ponit aliquod dictum vel factum, nihil petit ab adversario: nec etiam ostendit, se per hoc velle agere: „& ita non posset per hoc fieri sententia condemnationis vel „absolutionis, cum nihil peritum sit per positionem, sed ostenditur esse factum, vel dictum seu promissum.

XVI. Ex eodem Pontificis Responso statuunt Canonistæ post Glossam sine litis contestatione processum esse irritum declarandum, tamquam fundamento & capite carentem.

XVII. Hodie in judiciis effectum litis contestationis habet prima qualiscumque responsio Rei de causa principali, teste Tuldeno in Codice De Litis contestatione *numer.* 3. asseritque de simili Germaniæ usu testari Mynf. *Cent.* 4. *Observation.* 62. Vide latiùs Bugnionium De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 185. & *lib.* 3. *cap.* 121. & ibi notas Christinæi.

XVIII. Solemnem & formalem litis contestationem olim in judiciis Ecclesiasticis, quando forma arbitrorum potiùs quàm judiciorum servabatur, necessariam non fuisse, ipsa judiciorum forma tunc servata probat.

XIX. Unde in *Clem.* SÆPE *De V.S.* expressè sancitur sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi, quòd si in causis aliquibus simpliciter, *& de plano* procedi mandetur, ut judex cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, *litis contestationem non postulet*. Hic procedendi modus hodie vocatur *summarius & de plano*, multùmque ad pristinum judiciorum Ecclesiasticorum ordinem accedit.

XX. Optandum esset, ut ad abbreviandas lites hic procedendi modus, præsertim in Curiis Ecclesiasticis sæpius, etiam de consensu Partium servaretur. Non licet quidem Partibus ordinem juris suo arbitrio moderari, uti observat Tuldenus in Codice loco citato *numer.* 5. „Si verò (ait) judicis arbitrio id commiserunt, poterit is, solemnitatibus juris „omissis, de sola facti & juris veritate inquirere & pronuntiare: valebitque id non in vim pacti, quippe in quod „consensu Partium convalescere etiam possit sententia ipso „jure invalida.

XXI. Cùm per litis contestationem lis videatur formata, atque de jure communi quasi contractum inter Partes, receptum quoque fuit eodem jure, ut si alteruter litigantium lite pendente ante causæ conclusionem moriatur, lis cœpta ad hæredes defuncti activè & passivè ipso jure transmittatur *L.* 33. *ff. De Fidejussorib. L.* 19 *ff. De Judiciis*. Sed moribus nostris introductum est, ut Rei defuncti hæres de novo conveniatur ad hoc ut litem reassumat, & ex postremis retroactis cum Actore ulteriùs procedat, aut Actori cedat quod petitur. Idemque ex parte rei, si Actoris hæredes liti renuntiaturos putet, aut ejus intersit, absolutoriam sententiam prosequi.

Ratio hujus praxeos videtur, ne quis invitus agere aut litigare per indirectum videatur: quæ ratio subtilitati juris Romani, quæ per litis contestationem quasi contractum intervenire fingebat, prævaluit.

CAPUT IV.

De Juramento calumniæ & Dilationibus.

1 *Juramentum calumniæ à litigantibus in exordio litis præstari voluit Justinianus Imp.*
2 *Caveat ne quacumque occasione omitteretur.*
3 *Ratio hujus enixæ voluntatis.*
4 *Rarior hodie est hujus juramenti usus in Curiis sæcularibus.*
5 *In Gallicanis Curiis Regiis non præstari testatur Rebuffus.*
6 *In quibusdam Conciliis Belgicis non jurari de calumnia testatur Damhouderus.*
7 *Ratio abrogationis hujus juramenti.*
8 *Juratur etiam hodie durante processu in Curiis sæcularibus de* malitia.
9 *Quid inter hoc juramentum & juramentum de* calumnia *intersit?*
10 *Juramentum illud de malitia vocatur hodie de* calumnia; *& quid intersit inter jus Romanum & hodiernum usum Curiarum Sæcularium?*
11 *In Curiis Ecclesiasticis observatur quoad hoc juramentum dispositio Juris Pontificii.*
12 *Respondit Eugenius III. Canones nulli hoc juramentum indicere.*
13 *Responsum illud ad causas spirituales restrinxit Raymundus Decretalium Gregorii IX. compilator.*
14 *Ex dispositione Juris Pontificii initio litis debet jurari de calumnia.*
15 *Si in exordio litis non sit præstitum, potest post modum exigi.*
16 *Ob omissum tacitè hoc juramentum processus non est irritus aut irritandus.*
17 *Hoc juramentum tacitè censetur remissum, si à parte non exigatur.*
18 *Præstito in exordio litis juramento de calumnia, potest in progressu litis exigi juramentum de* malitia.
19 *Nec in Curiis Ecclesiasticis hodie distinguitur juramentum* malitiæ *à juramento* calumniæ.
20 *Hodie etiam in causis spiritualibus juratur de calumnia.*
21 *In Judiciis quoque* summariis.
22 *Pœna recusantis hoc juramentum.*
23 *Quid contineat hoc juramentum, & quomodo exponi debeat Parti cui indicitur.*
24 *Qua ratione Imperatores Clericis hoc juramentum remiserint?*
25 *Ex Constitutione Henrici II. Imp. probata in* Cap. 1. ꝟ. De Juram. calumniæ *potest hoc juramentum à personis Ecclesiasticis præstari per Procuratorem, nisi judex aliud judicaverit.*
26 *Non debet præstari à Procuratore nisi bene instructo.*
27 *Ex Dispositione Juris Pontificii Episcopus juramentum hoc præstare nequit nisi consulto R. Pontifice; nec Clericus inconsulto Episcopo.*
28 *Quoad Episcopum id in desuetudinem abiisse notat Glossa.*
29 *Quid hodie circa Clericos obtineat?*
30 *Lite contestatâ, & præstito juramento calumniæ, solet dari dilatio; & quid sit dilatio?*
31 *In qualibet parte litis solent dari dilationes, & earum termini de Jure Civili erant determinati & fixi.*
32 *Jure Canonico dependent ab arbitrio judicis.*
33 *Decisio Juris Canonici conformis est hodiernæ praxi.*
34 *Quo sensu dilationes hodie dicantur dependere ab arbitrio judicis.*
35 *Ne judices hic exorbitent, termini dilationum in Ordinationibus Curiarum solent exprimi.*
36 *Quæ dilationes dandæ in provisione manutenentiæ?*
37 *Moderatio terminorum sive dilationum ex Ordinationibus Curiarum Eccles.*
38 *Judicis est superfluas dilationes amputare, ob damna quæ Partibus hinc obveniunt.*
39 *Abbreviationem dilationum præscribunt Ordinationes Curiarum.*
40 *Causis requirentibus celerem expeditionem breves termini assignandi.*
41 *Causæ possessoriæ super Beneficiis celeriter expediendæ.*
42 *Causas Monachorum voluit Justinianus accelerari, & quare.*
43 *Solent in Curiis Ecclesiasticis Citato dari tres dilationes ad comparendum, & quid perdat, si ad primam non compareat.*
44 *Quis effectus non comparationis infra secundam dilationem.*
45 *Quid si nec infra terminum tertiæ compareat?*
46 *Concilium Tridentinum desideravit ut lites celeriter terminarentur; idque saltem intra biennium, permittens post lapsum biennii recursum ad judicem superiorem.*
47 *Etsi hodie rarus sit hujus Decreti usus, tamen constat, Concilium optasse, ut Fideles, ac præsertim Ecclesiastici, celerrimè litibus eximantur.*
48 *Quæ sit praxis in Gallia, dum judex in causis decidendis est morosus?*

I. Justinianus Imperator intendens Litigantes à calumniosa litium prosecutione avertere, voluit, *L.* 2. *Cod. De Jurejurando propter calum.* ut ipsæ personæ Litigantes, id est actor & reus in primordio litis jurent: & actor quidem juret, *Non calumniandi animo litem movisse, sed existimando bonam causam habere*. Reus verò non aliter suis allegationibus utatur, nisi prius & ipse juraverit, *quod putans se bonâ instantiâ uti, ad reluctandum pervenerit.*

II. Addit

II. Addit ibidem Justinianus §. 4. „Sed quia veremur, „ne forsan quidam collusione aliquâ utentes remittere videantur inter se hujusmodi Sacramentum, & ex prædicta „dissimulatione nostram sanctionem deludant: sancimus „omnes judices, licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes (quia non pro commodo privatorum, sed pro communi utilitate præsentem legem posuimus) „minimè pati tale Sacramentum remitti; sed omnimodò „hoc & ab actore & à fugiente exigi: ne paulatim videatur hujusmodi res defraudari, & Sacramentum vel principalium personarum, vel Advocatorum ex quacumque parte „mutilari.

III. Hæc satis ostendunt, quàm enixè voluerit Justinianus hoc juramentum à Litigantibus præstari; optaveritque ne quacumque occasione intermitteretur. Rationem hujus sui voti expressit §. 8. „Sic enim non lites solùm, sed etiam calumniatores minuentur: sic pro judiciis putabunt homines se se in sacrariis sisti. Si enim & ipsæ principales Litigantium partes per juramentum lites exerceant, & causarum „patroni præbeant Sacramentum, & ipsi judices propositis „Sacrosanctis Scripturis tam totius causæ faciant examinationem, quam suum proferant arbitrium: quid aliud nisi „pro hominibus Deum in omnibus causis judicem esse credendum est? Antiquâ itaque calumnia quiescente & ejus „ambagibus, constitutio nostra dilucida & compendiosa in „terris clareat omnibus, & sit maximum dirimendarum causarum remedium.

IV. Non obstante hâc enixâ Justiniani Declaratione, nec non communi commodo quod ex usu hujus juramenti sperandum proponit Justinianus, usus ipsius hodie in Curiis Sæcularibus penè evanuit; eatenus nimirum, quatenus à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus.

Unde dicit Petrus Gudelinus *De Jure novissimo lib. 4. cap. 8. num 22.* „Sciendum est, in Sæculari foro exactionis illius „juramenti (de calumnia) rarissimum, aut nullum usum esse, „etiam à litigatoribus.

V. De Gallia testatur Rebuffus in *Prooemio ad Constitut. Regias Glossâ 5. numer. 50.* „In Curiis Sæcularibus Regni non juratur de calumnia; & sic parum servit Rubrica *De Jurejurando propter calumniam dando.* „Et in Tractatu *De Responsionibus per credit vel non*, ait: Notandum „est, quòd usus judiciorum antiquus multa invenit contra Partes remedia, ut veritatem ab eis elicerent. Primò invenit, ut „jurarent se nihil calumniæ causâ facturos in causa. Verùm „quia istud juramentum in initio litis præstabatur, aliquando „Partes in medio litis calumniabantur, & non erant memores „illius juramenti; ob id statutum fuit, ut etiam jurarent de malitia, quòd malitiæ causâ nihil facient, & hoc repetebatur *Cap.* „*2. De Juram. calum. in VI.* & differentias inter ista juramenta tradit Socinus in Rubrica *De Juramento calumniæ*: Quæ „duo juramenta in his Curiis Franciæ consuetudinariis non „præstantur.

VI. Testatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap. 151. numer. 30.* quòd in Flandriæ Provinciali Concilio, & in magno Mechliniensi Consilio hoc juramento (de calumnia) non utantur. Conjecturam istius non usus subjungit: „Fortassis quia timendum sit, ne partes hujusmodi prædictum juramentum præstando sæpè pejerarent: Et contra „præceptum divinum peccantes suam perderent animam potiùs quàm litem.

VII. Dixeratque jam pridem Baldus ad *L. SI POST Cod. De Evict.* quod juramentum calumniæ contemnatur, ut non æstimetur uno obulo; quia facti sumus contemptores Dei, & religionis ejus. Dictum hoc Baldi referens Maranta *De Ordine jud. parte 6. tit. De Juramento numer. 11.* ait: „Unde ego puto, quòd litigatores nostri temporis potiùs „jurant de calumnia committenda, quàm vitanda; & ideò „melius esset, ex toto tolleretur à judicio causâ vitandi tot „perjuria.

Eamdem rationem abrogati hujus Juramenti in Gallia allegat Rebuffus loco citato ex Prooemio. Quæ ratio si sufficiens fuerit ad abrogandum Juramentum contra calumniosas lites introductum, facilè erit intelligere, quàm multa juramenta merito hodie ob eamdem rationem abrogarentur.

VIII. Porrò monet ibidem Damhouderus *numer. 31.* quòd „in istis Conciliis benè utantur, durante processu, juramento malitiæ, hoc est, quo jurent sese extraordinarias dilationes ad calumniandum non petituros, vel accepturos, neque etiam impertinentes exceptiones ac productiones ad „processum sive ad Judicium differendum, aut suas Partes vexandum proposituros & allegaturos.

IX. Subjicit dein *numer. 32.* differentiam inter Juramentum calumniæ & Juramentum malitiæ: „Quod Juramentum calumniæ datur & conceditur duntaxat semel, statim post litis contestationem: Juramentum verò malitiæ datur & conceditur toties quoties judici æquum & Justum „& expedire videbitur, non minùs ante, quàm post litis contestationem.

X. Tametsi Juramentum calumniæ, quod à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus & totam litem spectabat, hodie in Curiis Sæcularibus passim abolitum sit, nihilominus in plerisque Curiis Sæcularibus perseverat usus Juramenti, quod olim *malitia*, hodie etiam de *calumnia* vocatur, præstandum super certis articulis aut propositionibus in progressu litis, prout judex instante Parte arbitratus fuerit. Unde rectè dicit D. Christinæus in notis ad Bugnonium *lib. 1. c. 3.* „Ad mores Belgarum quod attinet, quamvis in Judiciis non „soleat frequentari eodem quo apud Romanos modo; non „tamen ejus usus planè exolevit. „Vide etiam Merulam in *Praxi lib. 4. tit. 64.*

XI. Illud apud omnes indubitatum est, frequentiorem hujus Juramenti usum perseverare in Curiis Ecclesiasticis; atque à litigantibus crebro præstari, teste Gudelino loco citato. Et Rebuffus in citato Tractatu *De Responsionibus per credit vel non*, postquam dixit Juramenta de calumnia & de malitia in Curiis Sæcularibus consuetudinariis non præstari, immediatè addit: „Sed in Curiis Ecclesiasticis observatur Juris Pontificii dispositio, & hæc Juramenta servantur.

XII. Admodùm verisimile est, Pontifices ad imitationem Justiniani Imp. ad amputandas & præveniendas calumniosas lites hoc Juramentum induxisse in forum Ecclesiasticum postquam in illud stylus forensis litigandi intravit. Neque enim legitur antiquitus ulli indictum Juramentum calumniæ, uti etiam in quadam Decretali testatur Eugenius III, relatâ in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part. 2. cap. 2.*; & in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *Capit. 3. De Juramento calumniæ*. Ubi respondit Pontifex, quòd „Romana Ecclesia in his causis, in quibus de decimis Ecclesiæ, & Rebus spiritualibus „tantum agitur, Juramentum calumniæ nec dare, vel recipere consuevit: eo quòd hujusmodi causæ non ex Legum „districtione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sortiuntur, Canones autem (ait) Juramentum calumniæ *nulli* „*prorsus* indicunt.

XIII. Verùm quidem est, in *Cap. 2. ☞ De Juramento calumniæ*, ubi prædictum Responsum Eugenii refertur, finali huic clausulæ interseri hæc verba; *In hujusmodi casibus vel causis*, quæ generalitatem prædictorum verborum restringunt ad *causas* de quibus antè actum erat: sed sciendum est, tam familiare fuisse Raymundo Decretalium Gregorii IX. Collectori, aliqua antiquis Decretalibus addere, vel detrahere, prout disciplinæ sui temporis congruere videbatur: quemadmodum latiùs ostendi in Tract. Historico-Canonico in Canones *parte 8. cap. 1. §. 4. & 5.*

Hoc equidem constat, ætate Raymundi Juramentum calumniæ in foro Ecclesiastico, in aliquibus saltem causis, fuisse exactum; atque ad normam Juris Justinianæi sensim magis magisque stabilitum esse.

XIV. Imprimis itaque inspectâ hodiernâ Juris Pontificii dispositione, nec Actori, nec Reo suis allegationibus uti permittitur, nisi præstito hoc juramento *Cap. 2. §. 1. De Juramento calumniæ in VI.*

XV. Sed

XV. Sed „ si de calumnia , seu de veritate dicenda in pri„ mo litis exordio non juretur (ut debet) poterit postmodum „ in qualibet parte litis jurari ; „ ait Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. *eod. in 6.* rationem addens : Cùm hujusmodi juramen„ tum præstari ab initio, de substantia Ordinis Judiciarii non „ existat.

XVI. Quin & declarat ipse Bonifacius ibidem §. 1. quod „ propter omissum quoque *tacitè* in tota causâ calumniæ jura„ mentum, judicialis processus aliàs factus legitimè , non est „ nullus, nec etiam annullandus.

XVII. Hinc deducit Glossographus, hic probatam esse à Bonifacio eorum Antiquorum opinionem sustinentium, quod juramentum hoc dumtaxat necessariò sit præstandum , quando à parte est exactum. Si enim non exigatur , *tacitè* remissum censetur : quæ remissio vetita non est , modò absit collusio.

Unde & in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 21. dicitur : „ Lite per responsionem Rei „ contestatâ, *petentibus Partibus*, eâdem die juridicâ jurabitur „ de calumnia.

XVIII. Dicit insuper Bonifacius VIII. in citato *cap.* 1. §. *fin.* „ In omnibus autem causis , nedum ante, sed etiam postquam „ lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit jura„ tum in ipsis : potest Judex à Partibus exigere juramentum „ malitiæ, quoties viderit expedire.

Notat hic Glossa : „ licet ex quo juratum est *de calumnia*, „ ampliùs in eadem causa *de calumnia* jurandum non sit ab „ eodem : *de malitia* tamen benè juratur , puta cùm suspica„ tur Judex quod *malitiosè* proponatur exceptio , petatur di„ latio, &c.

XIX. Moribus hodiernis non distinguimus scrupulosè juramentum malitiæ à juramento calumniæ, quasi hoc de tota lite intelligeretur , atque semel dumtaxat peti posset : sed & illud quod super certis articulis in progressu litis à Judice ad instantiam Partis imponitur , vocari solet juramentum *calumniæ* ; idque non tantum in Curiis Sæcularibus, (de quo suprà) sed & Ecclesiasticis. Unde in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art.* 12. *De Juramento calumniæ* dicitur : „ Illud quidem juramentum intra certa judi„ cii tempora non coarctamus ; sed id poterit Judex indicere, „ quando & *quoties* expedire viderit.

XX. Juxta Decretalem Eugenii III. suprà citatam, non esse exigendum hoc juramentum in causis spiritualibus, præsertim prout exprimitur à Raymundo in *Cap.* 2. ☧ *eod.* manifestum est, agnoscitque Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. §. *fin. eod. in* 6. quod Canones in causis spiritualibus non indicant alicui juramentum calumniæ, ipse autem perpendens etiam in hujusmodi causis posse calumniari , utile reputavit, „ quod simul, sicut „ (ait) plerique observant , tam de veritate dicenda, quam de „ *calumnia* ,(ut via præcludatur calumniis) jurari debeat in iis„ dem; „ nimirum spiritualibus causis.

XXI. Nec tantum in Judiciis ordinariis, sed & in summariis à Judice exigi posse juramentum calumniæ , patet ex *Clementina* SÆPE *De V. S.* ubi expressè declaratur, quod si alicui commissa sit causa, ut in ea *de plano & simpliciter* , ac sine strepitu & figura Judicii procedatur, „ citationem tamen , ac „ *præstationem juramenti de calumnia* , vel malitia , sive de „ veritate dicenda , ne veritas occultetur, per commissionem „ hujusmodi non intelligi exclusam.

XXII. „ Pœna recusantis hoc juramentum cùm præstan„ dum fuerit, est, ut Actor ab instituta cadat actione , Reus au„ tem haberi debeat pro confesso : „ ait Pontifex in *Cap.* 7. §. *fin.* ☧ *De Juramento calumniæ* ; & renovatur in citato *art.* 12. Ordinat. Curiarum Eccles. Monet autem Glossa ad dictum §. *finalem* , quod recusantes hoc juramentum cadant causâ per sententiam Judicis : „ Quia Judex procedit contra eundem „ (Actorem recusantem) ac si nihil probasset, Reum absolven„ do, & eodem modo de Reo.

XXIII. Quid autem complectatur juramentum de *calumnia*, expressit Glossographus quatuor versiculis ; & latius ac clariùs explicat *art.* 13. *tit.* 11. Ordinationum Curiarum Eccles. quo & mandatur, ut parti, quæ de calumnia jurare debebit , vulgari idiomate omnes clausulæ juramenti exponantur. Verba articuli sunt : „ Parti verò, quæ de calumnia jurare de„ bebit , vulgari idiomate omnes clausulas juramenti calum„ niæ exponi volumus: videlicet, quod credit se habere bonam „ causam ; quod interrogatus non negabit id, quod verum esse „ crediderit; quod non utetur scienter falsâ probatione ; quod „ dilationem non petit in fraudem , ad protelandam litem ; „ quodque nihil dederit, aut promiserit, nec dabit, aut promit„ tet pro victoria obtinenda, nisi illis , quibus leges & canones „ dare permittunt ; fietque in Actis mentio , an expositio ista „ facta fuerit, aut non : Scriba verò aut Graphiarius, qui circa „ harum clausularum expositionem seu dictam notitiam, ne„ gligens fuerit, mulctabitur uno floreno.

XXIV. Juramentum hoc remitti apparet Clericis notissima Constitutione Marciani Imp. *in L.* 25. *Cod. de Episc. & Clericis* ; cujus meminit Pontifex in *Cap.* 1. ☧ *De Juramento calumniæ* , ubi per errorem pro *Marciano* legitur *Marco.* Et licet Marcianus tantum videatur loqui de Clericis Constantinopolitanis ; tamen cum ratio à Marciano sit generalis : quia *Ecclesiasticis regulis & Canone à Beatissimis Episcopis antiquitus constituto Clerici jurare prohibentur* , eam trahendam esse ad omnes Orbis Christiani Clericos , primum Henricus II. Imp. decrevit , Constitutione quæ extat *Lib.* 2. *Legum Longobardorum tit.* 47. *c.* 11. qua „ decernit, & impe„ riali auctoritate & irretractabiliter diffinit, ut nec Episcopus, „ nec Presbyter, nec cujuscumque Ordinis Clericus, non Ab„ bas , non aliquis Monachus vel Sanctimonialis in quacum„ que controversia, sive criminali, sive civili jusjurandum qua„ libet ratione compellatur subire : sed Advocatis suis propriè „ idoneis hoc officium debeat delegare.

XXV. Hanc Henrici Constitutionem laudat Pontifex in citato *Cap.* 1. finalemque clausulam refert his verbis : Sed idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare: „ Hic notat Glossa verbo *Defen„ soribus* ; „ id est : Syndicis , Actoribus, aut Procuratoribus : „ licet nomina sint diversa, officium tamen est idem ; unde suf„ ficit sive dicatur, constituimus talem Syndicum , Procurato„ rem, sive Actorem.

Hinc receptum est, juramentum hoc à personis præsertim Ecclesiasticis per Procuratorem *speciale* mandatum habentem præstari posse, nisi Judex inspectâ controversiæ qualitate, & personarum principalium conditione, ipsis potius, quàm earum procuratoribus etiam speciale mandatum habentibus, juramentum deferendum judicaverit *Cap.* 5. ☧ *eod.*

In hoc enim Capitulo dicitur; „ In pertractandis causis sa„ cramentum calumniæ non passim præcipimus exhiberi, sed „ causæ & principalium personarum qualitate inspectâ, quan„ doque per ipsas principales personas quandoque per œco„ nomos, qui causam omnino non nesciant, in animam jurantis „ illud præcipimus præstari.

Dependet ergo à Judicis arbitrio an juramentum præstandum sit per ipsas personas principales, an per OEconomos sive Procuratores.

XXVI. Illud hic notandum, quod dicatur præstandum per OEconomos *qui causam omnino non nesciant*, „ Id est: (ait „ Glossa) *bene sciant* : aliter enim *anceps* subiret juramentum, „ quod facere non debet. „ Quod utinam jurantes omnes bene attenderent.

XXVII. Porro Pontifex in citato *Cap.* 1. postquam probavit Constitutionem Henrici Imp. subjungit hanc clausulam: „ Verùm cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Ro„ mano Pontifice, vel quisque Clericus inconsulto Prælato suo „ minimè jurare audeat.

XXVIII. Ad hæc verba movet hic Glossographus : „ Difficile videtur , ut Episcopus propter hoc debeat requi„ rere Romanum Pontificem : sed *hoc non servatur.* Un„ de si Episcopus (ait) litigat in propria persona , ipse„ met præstat juramentum de calumnia : nec est necesse

requi-

„requirere Papam *Cap. ult.* ¾ *eod.* Clericus faciliùs potest requirere Episcopum; unde tenetur primò requirere „ipsum.

XXIX. Verùm nec hoc de Clericis hodie servatur, præsertim dum exigitur juramentum à Judice Ecclesiastico.

At de juramento præstando à Clericis coram Judice sæculari legitur in Synodo D. Mechliniensi *tit.* 17. *cap.* 5.: „Clericus coram Judice laico testimonium dicturus, vel „quodcumque Juramentum præstiturus (quod etiam sine „nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei „non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ juramentum „præstet.

Sed neque in judiciis sæcularibus communiter attenditur, præcipuè si ipsi Clerici coram illis in materia profana litigent; quo casu solent non secus ac laici in manibus judicis laici jurare. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ anni 1541. *art.* 20. cavetur, quod Ecclesiastici in materia merè civili, tenebuntur requisiti ferre testimonium veritatis coram Judice sæculari, neque pars quæ vult testimonium exigere teneatur ullam licentiam requirere: Et si testare renuant, cogentur per Decanos suos Christianitatis. Verba articuli sunt: *Item les gens d' Eglise en matiere pure civile s' ils en sont requis pourront & deveront deposer & porter leur tesmoignage de verité devant juges seculiers sans que la partie, qui le veut produire, doivent demander quelque licence, si lesdits gens d' Eglise font aucune difficulté, seront contraincts par leurs Doyens de Chrestienneté de ce faire.* Id est: Item personæ Ecclesiasticæ in causis purè civilibus, si rogentur, poterunt & debebunt testimonium dicere & veritatem coram sæcularibus Judicibus testari, nec adstringetur pars quæ eos volet producere, veniam aut ullius assensum rogare, si verò dicti Ecclesiastici difficiles in ea re se præbeant per Christianitatis Decanos suos ad id faciendum compellentur. Extant parte 1. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

XXX. Lite contestata, ac præstito juramento calumniæ, solent litigantes utrimque petere inducias sive dilationes, ut interea ea quæ ad fundandam suam intentionem necessaria sunt, sibi comparare, & in ordinem redigere possint.

Dilatio enim judicialis, de qua hic agitur, est justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodiùs perficiendum conceditur Actori vel Reo.

XXXI. In qualibet parte Judicii dari à Judice solent dilationes, intra quas litigantes ad suam intentionem probandam, aut absolvendum ea quæ à Judice ad instructionem causæ injunguntur, se præparare possint. Sive spectemus dilationes quæ initio litis dantur, & vocari solent *citatoria* vel *deliberatoria*; sive quæ in progressu litis, dicunturque communiter *probatoria*, de Jure Civili habent certa tempora designata, toto titulo Codicis *De Dilationibus*; eaque nec iterari posse cavetur in *l.* 7. *Cod. De Feriis.*

XXXII. Jure verò Canonico termini sive tempora dilationum pendent ab arbitrio Judicis; *Cap.* 24. ¾ *De Offic. Deleg. cap.* 15. ¾ *De Sententia & re jud.* atque hac ratione dicuntur dilationes de Jure Canonico esse *arbitrariæ*.

XXXIII. Hæc autem decisio Juris Canonici passim moribus ubique recepta est; testanturque passim Pragmatici, de consuetudine in omnibus passim Curiis etiam sæcularibus dilationes esse arbitrarias. Ex stylo communi, & consuetudine Curiarum non servantur *juris* dilationes, (ait Bugnion De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 104.) sed stylus & quælibet Curia suas *arbitratur* dilationes, ac eas concedit.

Deinde subjungit idem Auctor: „Nec tamen propte„rea dicendum est, dilationes in arbitrio Judicum positas „esse, quinimò pro rerum necessitate largiendæ sunt; at„que, ut refert Ulpianus in *L.* NONNUNQUAM *ff. De* „*Judiciis*, dilationes dandas æstimare oportet eum, qui jus „dicit, pro conditione ac qualitate causæ, personæ, vel tem„poris, & ita ordinem edictorum & compendium mode„rari.

Id desumptum apparet ex Glossa ad *Cap.* 2. ¾ *De Dilationibus* verbo *Plenè*; ubi dicit: „Dilationes istæ hodie vi„dentur arbitrariæ ut Judex considerata locorum distantia, „temporis qualitate inducias concedat.

XXXIV. Non igitur eo sensu dilationes sunt *arbitraria*, quasi tempora earum dependerent à libero planè nullis legibus circumscripto arbitrio & voluntate Judicis; sed quod Judex omnibus prædictis maturè expensis, terminos sive dilationes ita determinare, sive arbitrari debeat, ut neque earum nimiam brevitatem litigantibus probationis & instructionis tempus denegetur; neque per earum prolixitatem, multiplicationem aut prolongationem lites protrahantur, & litigantes suo Jure per multum temporis fraudentur: à qua inordinata dilationum concessione appellari posse decidit *Cap.* 1. ¾ *eod.* & uno consensu docent Canonistæ, hocque in usu est.

XXXV. Verùm ne Judices in hac dilationum vel restrictione, vel prolongatione seu extensione aberrent, in omnibus Curiarum tam Sæcularium quàm Ecclesiasticarum Ordinationibus, & numerus & tempora ac intervalla dilationum designari solent: quos terminos non sine rationibus urgentibus & causæ cognitione transgredi licet: ubi & videmus rationem præmissorum habitam esse. Sic enim videmus in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 505. incolis assignari terminum sive dilationem quindecim dierum; exteris verò trium septimanarum.

XXXVI. Et *art.* 386. mandatur Apparitoribus, ut dum litteras manutenentiæ aut alterius provisionis cum clausula citationis in casum oppositionis insinuant, diem comparitionis nec nimis brevem, nec nimis longum assignent, sed convenientem, ita ut ad minus *duo* dies martis, vel ad summum *tres* intercedant; nisi de consensu utriusque partis, vel nisi in ipsa provisione ipsis injunctum sit longiorem terminum assignare; vel nisi *vacantiæ* intercederent: quia tunc assignanda esset prima dies juridica post vacantias; verba articuli sunt: *Soo sullen sy den ghenen die hen opponeren, vveygheringe oft vertreck maecken, gheven en de beteeckenen daeg, te compareren voor onsen voornoemden Raede, sonder den selven dach te seer kort, oft de lanck te stellen, maer tamelyck ende redelyck: te vveten datter ten minsten tvvee Dynst-daghen tusschen beyden zyn, ende ten hooghsten niet meer dan dry Dynst daghen, ten vvare by consense van beyde den partyen, oft dat byder provisie hen gheordineert vvorde corteren oft langheren dagh te gheven, oft ten vvare dat de vacantien tusschen beyden vvaren, soo sonde den dagh ghenomen vvorden op den eersten dagh van rechte naer de vacantien.* Id est: Tum opponenti, recusanti aut declinanti diem constituent & præfigent, quâ coram consilio nostro prætato compareat, nec diem illam nimium accelerabunt aut procrastinabunt; sed medium quoddam ex æquitate tenebunt, videlicet ut saltem dies martis iteratò intercedat, tertioque ut summum, nisi utraque pars consentiret, aut ipsa provisio brevius aut longius tempus decerneret assignandum, aut nisi vacationum feriæ intercederent, quo casu prima post vacationem Juridica dies constitueretur.

XXXVII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis mirè elucet hæc dilationum sive terminorum moderatio *tit.* 11. *art.* 36. ubi statuitur, ut „conce„dantur ad probationes faciendas prius Actori, deinde Reo, vel „conjunctim utrique eodem tempore, secundum negotii & „personarum qualitatem, & Judicis discretionem, si testes in „civitate habitaverint, vel infra quatuor milliaria, sub prima „& secunda dilatione, tres septimanæ; sub tertia dilatione, „quindecim dies, & hoc sine continuatione, nisi constiterit de „debitis diligentiis factis, & quod per partem probare deben„tem non steterit, quominus satisfecerit: quo casu, juxta ne„gotii & personarum qualitatem, poterit Judex tertiam di„lationem continuare, vel prolongare. Si verò testes ultra „quatuor milliaria abfuerint (idem intelligentes de instrumen„tis producendis, & aliunde adferendis) tunc Judex pro „distantiam locorum, testium, & temporum qualitate, „terminum statuet ad tres septimanas vel ad mensem, ...

rout judicaverit expedire, sub duabus dilationibus,
is pendentibus per partes non steterit, statuit judex
uindecim dies, vel tres septimanas, secundùm loci
iam, pro tertia dilatione. Nunquam verò pars, vel
atorum aliquis admittatur ad quartam dilationem,
undùm formam juris communis, ut videlicet quar-
lationem petens, juret, quòd per se, aut per alium
ata non didicerit, quòd per fraudem, vel per do-
rogationem aut dilationem non petat, quódque
quos producere, instrumentave, quæ exhibere de-
, priùs habere non potuerit.

le *art.* 37. additur: "In causis summariis, & Actor
bandum intentionem suam, & reus ad proban-
ceptiones, si quas dederit, non habebunt pro pri-
ecunda dilatione, nisi tres septimanas sine ulla
atione; pro tertia verò dilatione, habebunt quin-
lies tantùm, nisi testes absint, aut aliud impedi-
n probetur, quo casu, terminus prorogabitur se-
n conscientiam judicis, nullo verò modo quarta
conceditur.

VIII. Porrò sicuti judicis est, litigantibus ordinarias
rias causæ instruendæ suæ & defensioni dilationes
ita & ipsi incumbit extraordinarias haud temerè
e; atque superfluas rejicere, omnesque intra legi-
convenientes terminos concludere, propter enor-
ia, & interesse, quæ plerumque ex indebitis dila-
, & justitiæ procrastinationibus enascuntur ait
derus in Praxi rerum civil. *cap.* 114. *num.* 5. Mala
ocrastinationibus sequi solita enumerat *num.* 6.
ut) pars ob has sæpè depauperetur, aut mendica-
aleficia patrare cogatur, aut mœrore contabes-
noriatur, liberique ipsius squalloribus & inediâ
, ne pejora commemorem."

e concludit: "Ideoque hujusmodi pericula &
n Deo ingrata, quàm hominibus invisa, judicibus
emeditanda, & justitiæ progressus legitimè ab
erandus."

. Hinc in Ordinationibus Curiarum passim multa
erfluas hasce dilationes & litium procrastinatio-
unt: atque imprimis in Ordinationibus Curia-
Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *a.* 3. decernitur: "Ad lites
ndas, nolumus, quòd terminus absentiæ, *ullave*
tur Actori ante conclusioné, vel libelli exhibitio-
& in causis appellationū servabitur, ut videlicet
nparitionis termino gravamina exhibeantur; ab-
penitus modū procedendi, qui alicubi inolevit,
ratores terminum ad gravamina exhibenda pe-
; cùm quilibet sciat, vel scire debeat, cur adver-
jus vocârit, aut deniq; cur ad superiorem judicē
. Et hæc omnia, nisi fortè Officialis ex officio,
causa unicam dilationem concedendam duxe-
psâ tenebitur Appellans, sive Actor, saltē perti-
materia appellationis, aut aliàs concludere."
). generaliter dicitur, quòd judex *omnes arbi-*
iones, quantū fieri poterit, *tenebitur abbreviare*.
verò nonnullæ causæ ex procrastinatione spe-
tur, & adferunt præjudicium, non rarò etiam
, ideo & in his causis dilationes specialiter ab-
c difficiliùs indulgendæ sunt.

citatis Ordinationibus eodem titulo *a.* 21. sta-
ausis verò summariis supra tactis, ac miserabi-
narum, alimentationis, divortii, & incarcera-
riduo in triduum procedatur, & omnes dila-
necessariæ præcidantur."

am statutum erat in Synodo P. III. Camera-
cap. 4. Imò ea potest esse causarum & persona-
um conditio, ut non tantùm *triduí*, sed & mul-
terminum judex præscribere meritò debeat;
um & sæpè in causis accelerationem requi-
videmus: ut proinde in his plurimùm valeat
ctum judicis arbitrium.

protractio causarum Beneficialium, præsertim

Curatorum soleat secum trahere Ministrorum defectum, nec non & Clericos forensibus tricis tenere implicatos, & à divino servitio abstractos, meritò in his causis dilationes & termini præcidendi & abbreviandi sunt; quod & Ordinationes Curiæ Brabantiæ insinuant *art.* 444. Verba articuli sunt: *Dat-men in de voorsz. materien van possessien van beneficien sommierlyck procederen sal, ende dat alle dilayen peremptoir sullen zyn, ende dat-men maer een dilay accorderen en sal, om d'enqueste van partyen te doen, indien dattet venige vallen.* Id est: Ut in prædictis causis circa beneficiorum possessionem summatim res agatur, omnisq; ampliatio præcisa sit, unicaque dumtaxat prorogatio concedatur, ut partium inquisitio, si qua sit opus, instruatur.

XLII. Et Justinianus in *Novella* 79. *cap.* 2. voluit, lites Monachis illatas *accelerari*, "ut (ait) non mens eorum occupetur circa litis sollicitudinem; sed *velociter* liberati, „sacris operibus obsecundent."

XLIII. Juxta ordinarium stylum Curiarum Ecclesiasticarum solent Reo citato dari tres dilationes sive termini ad comparendum; ita tamen ut omnis termini sive dilationis lapsus ipsum non comparentem constituat in aliquali contumacia; & contumaciæ nonnullis effectibus subjiciat.

Si enim Reus ad primam citationem in termino præfixo, "non compareat, nec Procuratorem in causis Civilibus „mittat, secludetur ab omni exceptione *declinatoriâ*, & in „expensas contumaciales condemnabitur."

XLIV. "Si nec secundò citatus compareat, secludetur „ab omni exceptione *declinatoria*, & iteratò in expensas cō„demnabitur," uti habent Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 4.

Addunt citatæ Ordinationes, quòd secundo termino non cōparente Reo, "decernetur tertia citatio sub pœna seclu„sionis à peremptoria in litteris exprimenda. Quòd si nec „sic citatus compareat, accusatâ contumaciâ, delatisq; Actis „causæ judex determinabit, prout juris erit, & rationis."

XLV. Post tertiam igitur citationē non comparens Reus verè contumax constituitur; & si post hanc compareat, & audiri desideret, non audietur, *nisi refusis expensis contumacialibus*, uti statuitur in dictis Ordinationibus *art.* 7.

XLVI. Hæc sat ostendunt, etiamnum hodie mentem Ecclesiæ esse, ut lites, quantum fieri potest, abbrevientur, omnesque dilationes non necessariæ rescindantur; quod & ipsa Synodus Tridentina sat ostendit *Sess.* 24. *cap.* 2. *De Reformat.* decernens, ut "causæ omnes ad forum Ecclesiasticum „quomodolibet pertinentes saltem infra bienniū à die mo„tæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit „partibus vel alteri illarum judices superiores, aliàs tamen „competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, as„sumant, & quamprimùm terminari curent."

XLVII. Rarus aut nullus penè est hodie Decreti hujus usus quoad recursum ad Judices superiores ob lapsum biennii à die motæ litis; sed solent causæ etiam ad plures annos protrahi, & sine peremptione instantiæ, aut mutatione Judicis coram eodem judice continuari: quia facilè ostenderetur, quòd non steterit per Judicem, quò minus intra dictum tempus causam definiret: sed vel ob qualitatem causæ, vel cavillationes partium; quo casu Decreto locum non esse declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap.* VENERABILIS, *De Judiciis*.

Indubitatum interim est, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ut causæ in foro Ecclesiastico quàm citissimè ac brevissimè absolverentur, ac *saltem* ultra bienniū non protraherentur; ut ita ipsi Judices præsertim Ecclesiastici allaborarent, omnemque curam impenderent, ut ipsos Fideles à litigiis, & forensibus jurgiis quàm citissimè eximerent, & in veram concordiam & pacem ac tranquillitatem adducerent: factisque approbarent, se nequaquam lites, discordiarum & odiorum seminaria, sed pacem & charitatem inter ejusdem Ecclesiæ filios quærere: seque optare, ut omnia jurgia, & quæstiones summariè ac amicabiliter potiùs componere possent, quàm judicialiter discutere & decidere deberent, exemplo Sanctorum Patrum & Episco-

potum, ad quos tamquam Patres & Pacificatores sua dissidia Fideles referebant.

XLVIII. In Gallia non debet exspectari lapsus biennii. Si enim ante illud tempus causa sit in statu, ut decidi queat, Pars tertiò juridicè monebit judicem, & si post tertiam monitionem adhuc perseveret in mora decidendi ipsam causam, poterit Pars appellare tamquam à denegata justitia; ipsumque judicem vocare in jus, atque adversùm ipsum concludere ad damna & interesse, uti notat Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Canon. cap. 7.*

CAPUT V.

De Probationibus & Præsumptionibus.

1 *Post litem inter Partes contestatam solet sequi necessitas probandi.*
2 *Quid propriè sit* probare?
3 *Probatio versatur circa facta, non autem circa jus.*
4 *Hinc motiva juris non computantur inter acta litis.*
5 *Qui factum controversum allegat, illud probare tenetur*
6 *Unde Auctori solet probatio incumbere.*
7 *Si Reus respondendo factum alleget, ei probatio incumbit.* (Reum.
8 *Præsumptio juris subinde onus probandi injicit in*
9 *Subinde utrique incumbit probatio.*
10 *Pro quo judex decidere debeat, si uterque probet.*
11 *In pari probatione solet favorabilior esse causa possessoris.*
12 *Ex possessione oritur aliqua præsumptio pro possessore.*
13 *In quo hæc præsumptio sit fundata?*
14 *Quod hinc commodum possessionis?*
15 *Inde patet, cur in pari causa dicatur melior conditio possidentis.*
16 *Quomodo circa hanc regulam erretur remissivè.*
17 *Quid sit præsumptio?*
18 *Quare dicatur probatio* artificialis?
19 *Triplex species præsumptionis; & quid præsumptio juris tantùm?*
20 *Species hujus præsumptionis.*
21 *Quid præsumptio* juris & de jure?
22 *Exemplum hujus præsumptionis.*
23 *Etiam hæc præsumptio tantùm innititur conjecturis.*
24 *Hinc cedit veritati.*
25 *Describitur præsumptio hominis seu judicis.*
26 *Præsumptiones hominis admodum diversæ sunt quoad effectum probationis: & quare?*
27 *In æstimando effectu præsumptionis magnâ prudentiâ & circumspectione opus est.*
28 *Non judicandum ex præsumptione, dum veritas aliunde haberi potest.*
29 *Ad abbreviandas probationes inductus usus positionum.*
30 *Quid sint positiones?*
31 *Videtur earum usus ex foro Ecclesiastico in Civile intrâsse.*
32 *Pars adversa ad positiones respondere non debet, nisi jubente judice.*
33 *Debet Pars citari ad respondendum.*
34 *Non potest judex Partem interrogare, aut juramentum deferre, nisi rogatus.*
35 *Respondere recusans habetur pro confitente.*
36 *Nisi rationabilem causam non respondendi habeat; & quæ sit causa rationabilis?*
37 *Positiones exhibendæ judici, ut videat, an sint admittendæ vel rejiciendæ.*
38 *Difficulter quis excusatur à respondendo super facto* proprio.
39 *An ad positiones responderi queat per Procuratorem; & quale mandatum requiratur?*
40 *In responso ad positiones debet esse summa sinceritas ob juramentum calumniæ præviè præstandum.*
41 *In Gallia vetitum ad positiones respondere per* credit; *& quare?*
42 *Citra perjurium non potest responderi ad factum propositum non* credit, *si illud sciat verum.*
43 *Quid hic incumbat judici?*
44 *Post responsa ad positiones quorum supersit probatio.*

I. Lite contestatâ per negationem ipsius Rei, sequitur necessitas probationis. Nisi enim quis asserta sua in judicio probet, nihil obtinere potest; ideoque probatio dicitur anima processûs.

II. Probare autem hîc idem significat, quod Judici fidem facere de facto dubio, super quo in judicio est quæstio; sive de facto, quod unus litigantium asserit, & alter negat. Unde probatio, de qua agitur sub titulis Juris Canonici & Civilis de *Probationibus*, non est aliud, quàm judici alicujus facti dubii sive controversi, legitimè facta ostensio seu verificatio.

III. Nec enim probatio propriè versatur nisi circa *facta*, sive ea, quæ *facti sunt*: quia hæc sola à Partibus Judici probanda sunt: quæ enim juris sunt, judici nota esse supponuntur: & secundùm Leges seu jura, è quibus causæ decisio dependet, judicare eum oportet, licèt à Litigatoribus eorumve Advocatis per negligentiam vel imperitiam forent omissa, *L. unica, Cod. ut quæ desunt Advocatis*, &c.

IV. Hinc *motiva Juris*, quibus jus ipsum deducitur, tamquam non necessaria ad instructionem causæ, non computantur inter acta litis: neque in taxatione impensarum eorum ratio solet haberi: sed manent ad onus exhibentis, tametsi causam lucretur cum expensis.

V. Igitur qui factum allegat, quod alter negat, si huic *facto* conclusio seu petitio innitatur, tenetur factum illud judici probare.

VI. Idcircò ordinariè ipse Actor intentionem suam probare jubetur: eò quòd hic soleat factum allegare, atque in eo intentionem suam adversùs Reum fundare; Reus verò soleat factum simpliciter negare; atque hinc illud vulgare: *Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit.*

VII. Si autem Reus non simpliciter neget petitionem Actoris, sed contra eam excipiat, proponendo aliquod factum petitionem Actoris perimens, quæ inde dicta est exceptio *peremptoria*, tunc tenetur Reus *factum* allegatum probare: putà solutionem, transactionem, pactum de non petendo, &c.

VIII. Rursus Reus probare tenetur, quando jus commune aut præsumptio est pro Actore. Licèt enim Reus negare videatur, implicitè tamen asserit, & *factum* allegat. Si enim jus commune vel præsumptio sit pro Actore, Reus petitionem Actoris huic juri vel præsumptioni innixam negans, implicitè asserit factum aliquod, quo jus commune aut præsumptionem Actori faventem elidere contendit: quod *factum* nisi probet, manet ejus commune vel præsumptio pro Actore, & vi illius Judex petitionem Actori adjudicare tenebitur.

Plures alios casus, quibus Reo incumbit onus probandi, assignat Damhouderus in Praxi Civil. *cap. 158.*

IX. Si ab utraq; parte allegentur facta contraria, utriusque erit sua facta verificare, si iis fundamentū causæ innititur: putà in judiciis *duplicibus*, ut *communi dividundo familiæ erciscundæ*, interdicto *retinendæ* possessionis, &c.

Et quidem in his obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante. V. G. unus probaverit possessionem, alter non, indubiè probanti adjudicabitur possessorium.

X. Quòd si uterque probaverit, Judicis erit dijudicare, uter meliùs probaverit: ut si agatur de possessione, quis antiquiorem possessionem, vel justiorem titulum probaverit, juxta Rubricam *Cap. 9.* ij *De Probat*, quæ habet: "Si Actor „ & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, ob„ tinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo ma„ ximè justificatam, vel meliores probationes respectu pos„ sessionis adduxit."

XI. "Quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, „ *possessoris* testes præferentur: cùm promptiora sint jura ad

„ solꝗ

„ad solvendum, quàm ad condemnandum, " ait Pontifex in *Cap. 3. §. Quod si, X. De Probat.* Hinc concludunt communiter Canonistæ, quòd in pari probatione potior sit conditio possidentis: imò inde conflata apparet regula juris: " In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis." *Cap. 65. De Regulis juris in VI.*

XII. Ex ipsa enim possessione oritur præsumptio quædam pro possessore, eaque pro diuturnitate vel brevitate durationis vehementior, vel levior: quæ & in judicio vice cujusdam probationis habetur.

XIII. Leges enim volunt, ut in foro externo quisque præsumatur & habeatur tamquam Dominus rei, quam ut sibi propriam possidet; nec è possessione illius deturbetur, quo-usque in judicio sufficienter fuerit probatum, rem illam ad ipsum possessorem reverà non spectare; eique possessionem tamquam injustam esse auferendam.

XIV. Itaque commodum non exiguum confert hæc præsumptio ipsi possessori; quòd nimirum onus probandi transferat in adversarium; ipseque interim gaudeat usu ipsius rei, donec adversarius probaverit; quod expressit Justinianus in *§. 4. Instit. De Interdictis*, dicens: " Commo„dum possidenti in eo est, quòd etiamsi ejus res non sit, qui „possidet, si modò Actor non potuerit suam esse probare, „maneat in suo loco possessor."

XV. Ex his haud difficulter intelligitur, qua ratione dicat Regula Juris, quòd in pari casu sit melior conditio possidentis; nimirum ob præsumptionem ex possessione resultantem, & onus probandi in adversarium transferentem.

XVI. Hinc ulteriùs elucet, quantopere circa hanc Regulam errent, qui putant, possessorem tutum semper in retentione rei, tametsi rationabiliter dubitet, an sua sit, an aliena: necnon illi, qui Regulam hanc extendunt extra materiam justitiæ; uti latiùs ostendi in explicatione hujus Regulæ, quam per modum appendicis adjunxi Dissertationi seu Repetitioni ad Regulam: *In dubiis semita tutior est eligenda.*

XVII. Præsumptio dicitur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta.

Hæc autem opinio ex indiciis & conjecturis & argumentis deducta, interim dum probatio clara veritatis cessat, vicem probationis supplet: atq; ideo *præsumptio* dicta, quasi aliquid *antè sumas*, & ponat credendum sequendumque, uti observat Tuldenus in Codice *tit. De Probat. num. 5.*

XVIII. Probatio innixa præsumptioni dicitur *artificialis*, quia arte ingenii quodammodo conficitur per collectionem ex signis, indiciis, probabilibusque argumentis.

XIX. Præsumptio communiter dividitur in præsumptionem Juris tantùm, præsumptionem Juris & de Jure, & præsumptionem judicis sive hominis.

Præsumptio Juris tantùm dicitur indicium Lege probatum; id est, quòd lege sit expressum, ex hujusmodi indicio præsumendum esse, hoc illudve subesse, quo-usque contrarium probetur.

XX. Hujus præsumptionis species est, quæ resultat ex possessione. Vult enim Lex, ut ex possessione præsumatur rem ad possessorem spectare, quo-usque contrarium probetur. Hujus generis præsumptiones plurimæ tam in Legibus, quàm Decretalibus occurrunt.

XXI. Præsumptio juris & de jure vocatur, cùm Lex aut Canon ita ex aliquo indicio quidpiam præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate à judice haberi velit, non admissâ probatione in contrarium: ideoque à Doctoribus dicitur necessaria & violentissima.

XXII. Hujus præsumptionis species occurrit in *Cap. 30. X. De Sponsalibus*; ubi dicitur, quòd is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, insuper carnali copulâ subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam tenetur redire. " Rationem subjungit Pontifex: "Quia licèt præsumptum primum Matrimonium videatur, *contra præsumptionem* tamen hujusmodi non est probatio admittenda. Ex quo sequitur (ait) quòd nec ve„rum, nec aliquod censeatur Matrimonium, quod de facto „est postmodum subsecutum."

Hinc post Glossam docent Canonistæ, ex copula carnali subsecuta oriri *jure Decretalium* præsumptionem juris & de jure, sponsalia de futuro mutuo consensu transiisse in sponsalia de præsenti; sive verum consensum Matrimonialem intervenisse, & Matrimonium esse contractum: atque ab ipso judice ita esse procedendum in judicio, ac si reverà Matrimonium esset initum; nec Partes ad contrariam probationem esse admittendas.

XXIII. Verùm licèt præsumptio juris & de jure sit violentissima, nec facilè per contrarias probationes elidatur: tamen verè & propriè non est veritas, cùm versetur circa dubium; & in claris locus non sit conjecturis vel præsumptioni, quæ ex conjecturis desumitur.

XXIV. Hinc concludunt Doctores, quòd etiam hæc præsumptio cedere debeat veritati; atq; ordinariè elidatur per confessionem illius, pro quo stat ipsa præsumptio. Vide Andream Vallensem in *Paratitlis tituli, De Præsumpt. §. 4. num. 7.* ubi & plures casus annotat, quibus ipsa præsumptio juris & de jure elidi potest.

XXV. Præsumptio hominis sive judicis est quædam opinio sive conceptus hominis ex aliqua conjectura sive indicio formatus. Dicitur hominis sive judicis, quia nullâ Lege aut Canone nominatim expressum est, ex hoc illove facto hujusmodi præsumptionem sive opinionem esse formandam; sed eam judex sibi format.

XXVI. Porrò sicuti indicia seu principia, è quibus hujusmodi opiniones vel judicia formari possunt, sunt admodum varia, ita & præsumptiones ex iis resultantes variæ quoque sunt, præcipuè quoad effectum probationis. Prout enim indicia sive argumenta ex factis & circumstantiis resultantia sunt fortiora & plausibiliora; ita & præsumptio iis respondens vehementior est, & ad probandū efficacior.

XXVII. Cùm autem definire, quid hæc indicia hìc & nunc in talibus circumstantiis probent, quamque præsumptionem faciant, ab hominum diversis opinionibus dependeat, sat apparet, quàm circumspecti ac prudentes debeant esse judices in scrutandis & ponderandis factis & circumstantiis, ut de effectu præsumptionis ex his resultantis rectè statuere queant.

XXVIII. Meritò proinde Damhouderus in Praxi *Rerum Civil. cap. 178. num. 46.* " Judicem diligenter præmonitum „esse vult, ne hisce præsumptionibus nimiùm innitatur, „sed ut reliqua omnia diligenter consideret, antequam ad „definitivam descendat, & ut maturâ deliberatione omnia „prius perquirat, quàm ex suspicionibus præsumptivis „ullam sententiam pronunciet."

XXIX. Contingit autem frequenter, quòd tam ex parte Actoris, quàm ex parte Rei multa *facta* proponantur; quorum omnium si exacta probatio fieri debeat, lites in longum protrahentur, & litigantes in immensas expensas incident: atque sæpè continget ob difficultates & impensas probationum Partes suo jure fraudari.

Hinc ad exemplum *interrogationum in jure faciendarum*, quæ apud Veteres in usu fuerunt, ut patet ex titulo Digestorum *De Interrogationibus in jure faciendis*, introductus est usus *positionum*.

XXX. Positiones sunt articuli, quibus Actor vel Reus exprimit *facta*, quæ in judicio fuerunt allegata; eaque scriptis Judici exhibet, ut super iis jubeat Partem adversam respōdere: atq; hoc pacto à Parte adversa confessionem de veritate factorum extorquendo, Ponens ab onere relevetur.

XXXI. Meminit harum positionum Bonifacius VIII. in *Cap. 2. de Confessis in VI.* & in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum passim mentio occurrit; atq; admodum verisimile est, earum usum ex Constitutionibus Canonicis initium sumpsisse, & ad Curias Civiles transiisse.

XXXII. Supponit hìc Pontifex, quod respondere ad Positiones non teneatur Pars adversa, nisi jussa à judice respondere; quòd latiùs ibidem exponit Glossa, verbo *Jussusque à Judice*; quod & praxis observat. Licèt enim Pars suas posi-

veniente, ad solam Partis petitionem, citationem exequuntur; uti post alios citatos observat Christinaeus in notis ad Bugnionium *De Legibus abrogatis lib. 1. cap. 112.* idque quasi ex tacito & generali Magistratûs mandato. Eamdem distinctionem in Gallia servari testatur Rebuffus in Tractatu *De Citationibus Glossa 4. num 8.*

VI. Rectè autem monet Zypaeus in *Notitia Juris Belg. tit. De in jus vocando*, jussum illum generalem judicis ita accipiendum esse, ut nihil insolitum habeat: "ideoque (ait) non „extenditur ad citationem quae facienda est per edictum, „per tubam, per campanam, minus per apprehen„sionem, quae realis est citatio; nisi fortè in flagranti crimine „reus deprehensus sit." Idipsum notat Rebuffus loco citato.

VII. Quod in supremis Curiis hodie servari tradit Christinaeus, id & in Curiis Ecclesiasticis penè ubique servatur; ut scilicet nemo etiam per Apparitorem citari queat ad personam, nisi de speciali mandato judicis; idque & in Gallicanis Curiis Ecclesiasticis servatum fuisse usque ad annum 1667. quo prodiit Edictum Regium super forma procedendi in causis civilibus coram judice Ecclesiastico, monet Claudius Fleury in Instit. Juris Can. *parte 3. cap. 4.* & explicat Claudius Horry in Tractatu cui titulus: *Procureur des Officialités* &c. ubi summariè proponit modum instituendi processum seu civilem, seu Criminalem in Curiis Ecclesiasticis conformiter ad Edicta Regia de annis 1667. & 1670. quorum prius spectat processus in materia Civili & posterius processus in materia Criminali.

VIII. Caeterùm quod in Curiis Ecclesiasticis citatio non fiat, nisi de speciali mandato & licentia judicis, forsan vel ideò servatum & ordinatum fuit, ut judex antequam Partem citari permittat, aliquemve initialem actum judicialem exerceri, prius examinare, & inquirere posset, an quaestio sine lite terminari amicabiliter non queat; partesque ad concordiam adduci, quod ante omnem citationem juridicam faciliùs obtineretur; quàm ubi per citationem lis aliquo modo inchoata fuerit; & Pars juridicè citata nonnihil exacerbata.

IX. Unde meritò judices, praesertim Ecclesiastici, priusquam citationem decernant, expendunt, num causa talis sit quae litem mereatur; & an partes ad amicabilem concordiam ante omnem citationem juridicam adducere nequeant.

X. Hinc consuetudine in hac Universitate Lovaniensi invaluit, ut nullus qui de Consilio Universitatis existat, possit coram D. Rectore citari, etiam de ejus speciali mandato, nisi ei prius libellus supplex Actoris à Rectore praelectus fuerit, petitumque num contendere, num petitioni Actoris condescendere velit.

XI. Citatio verbalis, quae hodie usitatissima est, solita fieri per Apparitorem ad mandatum judicis, alia dicitur *privata*; non quòd auctoritate privatâ fiat, sed quia fit ad *privatam* personam Rei, aut ejus domicilium; quemadmodùm observat Merula in *Praxi Civili Curiae Hollandiae lib. 4. tit. 24. cap. 3.*

Alia verò vocatur *publica*, quia *publicè* fit per Edicta Ecclesiis aliisque locis publicis affixa, vel per proclamationem Apparitoris per sonum tubae, aliove simili signo, Merula ibidem *num. 3.*

XII. Ordinariè citatio fieri debet ad *personam*, si inveniri possit.

Hinc in Ordinationibus Curiarum D. Rectoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis confirmatis per Principes nostros Abertum & Isabellam *art. 1.* mandatur, "Ut citatio semper ad personam fiat, si commodè reperiri „potest, puta intra oppidum, vel pagum existens, & ad eum „tutus sit accessus: nec fiat ad domicilium, nisi personâ priùs „quaesitâ (de quo mentio fiat in relatione) idemque in litte„rarum aliarum executione observetur.

XIII. Hunc ordinem in Ordinationibus Curiae Hollandiae etiam praescribi notat Merula in *Praxi lib. 4. tit. 24. cap. 15.* monetque clausulam in litteris citorialibus inseri solitam: *Ad personam citandi aut ejus domicilium*, non intelligi, quasi sit in arbitrio Apparitoris, num velit citationem facere ad *personam* citandi, an verò ad *ejus domicilium*; sed designari ordinem citationis ab Apparitore servandum; ut nimirum primò inquirat in personam; & si inveniri nequeat, tunc fiat ad ejus domicilium. Idipsum & in Gallia observatur ex Ordinatione Ludovici XII. quam latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citationibus*; notatque conformiter ad ea quae habet Merula, ordinem citationis servandum esse, ut nimirum primò persona inquiratur, antequam fiat citatio ad domicilium: monetque id & in Hispania & Italia servari.

XIV. Ibidem Rebuffus *num. 4. & 5.* ait, quòd de consuetudine citatio fieri queat ad personam *Procuratoris*, aut ad ejus domicilium; quod & hic in Belgio obtinet: tenetur que Pars si litiget extra locum domicilii, Procuratorem in loco judicii constituere, cui intimatio fieri possit: aut domicilium eligere.

XV. Et Damhouderus in *Praxi Rer. Civil. cap. 49. num. 11.* dicit, ante litis contestationem necessium esse, partem ipsam citare ad ipsam personam sive ad ipsius domicilium; sed post litis contestationem sufficere citationem fieri ad personam Procuratoris.

XVI. Notat autem Zypaeus in *Notitia Juris Belgici titulo De in jus vocando*, quod citationem ad domum usus sustineat, quamvis Nuntius Reum sive citandum *curiosè foris* non quaerat.

XVII. Et quidem moribus ferè receptum, ut Apparitor citaturus ad domicilium citandi accedat; & si dicatur à domesticis citandum non esse domi, quòd citra ulteriorem inquisitionem citet ipsum in persona domestici; & ita servari asserit Rebuffus citatâ *Glossa 3. num. 10.* Et *num. 13.* dixerat, quod hodie sufficit ut Apparitor citandum domi perquirat, licet non alibi, quamvis de jure major inquisitio fieri deberet, ut communiter tradunt Interpretes ad *L. 4. §.* PRAETOR *ff. De Damno infecto.*

XVIII. Dum ergo citatio fiat ad domum, insinuatio fieri debet domesticis: quòd si nullus sit domi, tunc citatio declarabitur vicinis, sic ut citatio talis ad ipsius citati notitiam pervenire possit, inquit Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. capite 59.*

Haec forma executionis in plerisque Curiarum Ordinationibus praescribitur; atque in terminis exprimitur in citatis Ordinationibus Curiae Rectoralis hujus Universitatis *art. 2. & 3.* his verbis: "Non repertâ verò personâ, adhibitaque „diligentiâ, fiat citatio, seu monitio & denuntiatio, primò „uxori, tum aliis domesticis, vel eorum alicui, prout quisque „personae conjunctissimus est, & ibidem reperitur.

"Alioquin nullo domi, vel in vicinia reperto, relinquatur „copia ad ostium domus, vel insinuetur vicinis.

XIX. Porrò factâ citatione ad domicilium, praesumitur quòd citatio pervenerit ad notitiam citati; quia isti habentes praesumuntur ei dedisse citationis exemplum, & certiorem eum fecisse; uti tradit Rebuffus ibidem *num. 2.* additque *num. 4.* quod nec audientur volentes posteà probare, non venisse in notitiam illorum: quod & moribus nostris conforme esse testatur Tuldenus in notis ad citatam *Cap. 59.* Damhauderi.

XX. Quae habenda sit propria domus; & ubi citatio facienda sit, si citandus plura domicilia habeat, latè examinat Rebuffus; item Damhouderus locis suprà citatis. Et quid de consuetudine obtineat, breviter annotat Merula in Praxi *lib. 4. tit. 24. cap. 15.*

XXI. Ibidem quoque tradit Damhouderus, quomodo communitates, puta Capitula, Monasteria, Civitates &c. citari debeant; & latiùs Merula in Praxi *lib. 4. tit. 24. cap. 12.* ubi & quae servanda sint in Citatione Illustrium Personarum breviter exponit.

XXII. Ut autem citandus habeat exactiorem notitiam citationis, possitque probare, ad quam diem, & quo die citatus fuerit, debet Apparitor non tantum litteras citationis coram citando, aut ejus domesticis legere, sed & copiam earum

rum tradere & relinquere sua manu signatam; uti notat Merula loco citato *cap.* 14. & expressè in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 386. injungitur Apparitoribus copies relinquere citationis, & provisionis quam exequuntur, citato, vel ejus servitoribus aut familiæ, vel easdem affigere ostio domûs citati, cum insertione primæ diei juridicæ, quam designaverit apparitor, etsi copia petita non esset. *Ende sullen onse voornoemde Deurwvaerders ghebonden zyn copie te laten van de mandementen, ende provisien die sy ter executien ghestelt sullen hebben, den ghedaeghde, syne dienaren ende familie, ofte deselve te affigeren aen die deuren van den huyse van den gedaeghden, met insertie van den eersten daghe van Rechte, die by hem beteeckent sal hebben, alwvaert oock soo dat die copye niet versocht en vvare, op arbitrale correctie.* Id est: Et apparitores nostri præfati ex officio tenebuntur mandatorum aut provisionum quas executioni mandaverint exemplar, citato, aut ejus famulo & familiæ tradere, aut idem ostio citati affigere, inserendo primam diem instituendæ actionis, quam ipsi designaverint, etiam quantumvis dictum exemplar non posceretur. Idque sub pœna arbitraria.

Hæc planè conformia sunt praxi & Ordinationi Regni Galliæ, & latè exponit Rebuffus in Tractatu *De Citatione art.* 5. item Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art.* 3.

XXIII. Vagabundi & qui nusquam habent certum domicilium, vel proprium vel conductum, vel gratis concessum, citantur per publicas proclamationes vel Edicta publica, aut cum authotizatione, ait Damhouderus citato *cap.* 51. *num.* 7. & post ipsum Zypæus loco suprà allegato.

XXIV. Addit deinde Damhouderus: „Sic etiam citantur, „qui patriam planè deseruerunt & in alienas regiones sese mo„taturos transtulerunt, sed eam citationem per auctorizatio„nem convenit fieri in loco, ubi ultimè habitarunt, aut fre„quentarunt, debetque illis dies comparitionis insinuari in „finibus patriæ, & in loco quantum fieri poterit ipsis maximè „vicino.

XXV. Hoc tamen notandum, quod si citandus in patria habeat Procuratorem, factorem sive bonorum suorum administratorem, ei debeat fieri insinuatio citationis, idque cum eo temporis intervallo, ut principalis de citatione possit commodè informari. Item si per edictum fiat citatio, debet tamen citato (si sciatur ubi moretur) mitti per litteras copia citationis; uti conformiter ad Ordinationes Curiæ Hollandicæ tradit Merula loco citato *cap.* 16. & præscribitur in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 388. *&* 389. Vide etiam Edictum Caroli V. de 11. Jan. 1535. item Ordinationes Parlamenti Mechliniensis *tit. De Apparitoribus art.* 4.

XXVI. His & conformes sunt Ordinationes Curiarum D. Rectoris & D. Conservatoris hujus Universitatis; ubi *art.* 6. ordinatur: „Non fiat citatio per edictum, nisi prius constiterit „de non tuto vel facili accessu ad personam, vel ad domum, seu „domesticos, nec decernatur vel admittatur facta per edictum „citatio, nisi persona citanda latitet, aut nesciatur ubi sit.

XXVII. Deinde *art.* 7. „Cum fiet per edictum citatio, „fiat ad Ecclesiam Parochialem loci habitationis Citandi, si„ve ubi in eo oppido vel pago edicta fieri vel affigi solent, „vel in casu non tuti accessus, ad Ecclesiam sive locum pro„pinquiorem ut ad notitiam Citati facillimè queat pervenire „citatio, insinuatione eidem per epistolam facta, sive Pastori, „ut denuntiet excommunicationem, si litteræ fuerint excom„municatoriales.

XXVIII. Rectè autem monent circa litteras excommunicatoriales: *art.* 8. ut „tamen non dentur, nisi citatione prius „factâ in personam, vel aliâs ex evidenti contumacia, & quo „casu non suppetunt alia remedia juxta Concilii Tridentini „Decretum.

XXIX. Ut reus sive citatus melius deliberare queat, num cedere, num litigare velit, debet ipsa petitio, sive libellus Actoris ad cujus instantiam citatio fit, ipsis litteris citatorialibus saltem summariè inseri; tum etiam, ut ex ipsa citatione intelligere & deliberare queat, utrum ex justa causa, & coram legitimo Judice &c. citatus sit. Quod specialiter Edictis Principum nostrorum cautum esse in citatione laicorum ad tribunal Ecclesiasticum notavimus *tit.* 1. *cap.* 2. & generaliter in omni citatione requirit Constitutio Ludovici XII. Regis Galliæ; quam explanat Rebuffus in citato tractatu *De Citatione art.* 5. & in Belgicis Tribunalibus observari tradit Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 55.

XXX. Hinc & in citatis Ordinationibus Curiæ Rectoralis & Conservatorialis, *art.* 9. dicitur: „Mittatur libel„lus cum executore citaturo, ut tantò melius possit delibera„re, an contendere velit: & si contendendum putet, instruere „possit suum Procuratorem: aut saltem litteræ monitoria„les, tam clarè & planè monitionem Actoris, causamque „debiti contineant, ut Reus deliberare, sesque instruere „possit.

XXXI. Interdum non tantum causa citationis, aut summaria Actoris petitio Reo exhibetur; sed subinde cùm lites communicatoriè, ut vocant Pragmatici, instruuntur, „libello Ju„dici oblato, Judex in margine ejusdem libelli decernit, ut de„super adversarius ad certum diem respondeat, isque libellus „cum decreto per Nuntium adversario porrigitur: eodemque „ulteriùs modo ea lis peragitur, „ait Zypæus in *Notitia Juris Belgici De Edendo.*

XXXII. Factâ citatione, debet Nuntius sive Apparitor dare relationem ei ad cujus instantiam citationem fecit: eique totam citationis seriem inserere, exprimendo diem, quin subinde & horam factæ citationis, & in quem diem citaverit; an ad personam, an ad domicilium; quibus è domesticis, aut vicinis eam insinuaverit; quid responsi retulerit, & generatim quæ in ipsa citatione contigerunt; quemadmodum latiùs exponit Merula in *Praxi Curiæ Hollandicæ lib.* 4. *tit.* 25. *cap.* 1. & Rebuffus in Tractatu *De Citatione art.* 5. *Glossa* 5. & in omnium passim Curiarum Ordinationibus præcipitur.

XXXIII. Adhæc ne Citatus præceps & non satis instructus in judicium trahatur, & in litem incidat, dandus est Citato terminus sive dilatio aliqua; eaque longior vel brevior, ratione habitâ causarum, personarum, ac præcipuè distantiæ domicilii ipsius Citati à loco Judicii, quemadmodum passim in omnium Curiarum Ordinationibus exprimitur; ac nominatim in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 9. *art.* 9. „Et quo facilius Partes ante „litis ingressum concordare, vel transigere, vel seriò cum Ad„vocato suo de causa deliberare possint, antequam præcipites „in litem incidant, unde postea difficilius se extricent, ac deni„que res suas tempestivè ad comparendum stato tempore „componere, certa intervalla temporum, inter diem factæ „executionis, & terminum ad comparendum servientem & „præfixum, servari volumus. Utpote, si ad Judicium primâ „citatione evocatus, domicilium in civitate, aut intra milliare „ab eo foveat, tres dies inter medios, & liberos; si vero more„tur extra civitatem & milliare, intra tamen sex, septem vel „octo milliaria aut circiter, octo dies inter medios & liberos „habeat; si verò ultra octo milliaria, aut circiter, habeat „duodecim dies modo præscripto, nisi natura citationis, & „qualitas causæ breviora requirat intervalla; præsertim in „causis officii ubi de impediendis aut emendandis excessibus „agitur. In ulterioribus autem citationibus dies breviores, „competentes tamen, assignari poterunt.

Et *art.* 10. additur: „Et si contingat terminum citationis „incidere in diem festum, vel non Juridicum, serviet citatio de „juridica proximè sequenti.

CAPUT III.

De Libelli oblatione & litis contestatione.

1 *Quid libellus conventionalis.*
2 *Libellus judici offerendus, & authoritate judicis Reo communicandus.*

3 *Libelli conventionales olim in judiciis Ecclesiasticis incogniti, præsertim in causis Civilibus.*
4 *Etiam ante Justinianum Imp.*
5 *Glossographus id restringit ad causas* modicas & viles.
6 *Hæc limitatio parum conformis pristinæ disciplinæ.*
7 *Libelli conventionales unà cum stylo forensi in judicia Ecclesiastica intrarunt.*
8 *Quomodo distinctio Glossæ inter causas arduas & leviores, in quibus* summariè *est procedendum, sit recepta.*
9 *Quæ sint causæ* leviores summariè *decidendæ.*
10 *Libellus quâ formâ concipiendus.*
11 *Quoad oblationem & formam concipiendi libellum stylus Curiarum Ecclesiasticarum coincidit cum stylo Curiarum Civilium.*
12 *In formatione libelli præcipuè attendenda conclusio.*
13 *Si citatus conclusioni Actoris non censeat annuendum, sequi solet litiscontestatio, & quid hæc sit.*
14 *Jure Decretalium propositiones & responsiones ad eas non inducitur litiscontestatio.*
15 *Ratio istius juris.*
16 *Processus defectu litiscontestationis irritus est.*
17 *Quomodo de praxi hodierna inducatur litiscontestatio.*
18 *Primitus in judiciis Ecclesiasticis solemnis litiscontestatio usitata non fuit.*
19 *Nec hodie in* summariis *requiritur.*
20 *Optandum, ut causæ Ecclesiasticæ* summariè *absolverentur.*
21 *Per litiscontestationem judicio inchoato lis defuncti ipso jure transit in hæredes, secùs de moribus hodiernis.*

I. Libellus conventionalis de quo hic agitur, & sub titulo Decretalium *De Libelli Oblatione*, describitur à Doctoribus post Glossam ad *Cap.* . ii *de Libelli Oblatione*, scriptura in qua continetur res quæ petitur, & causa petendi & nomen Actoris & coram quo judice.

II. Hinc ibidem infert Glossographus, quòd semper sit offerendus libellus *judici*; & per ipsum Reo, ut ipse Reus possit deliberare; quemadmodùm dicitur in *Auth.* OFFERATUR *Cod. De Litiscontestat.* quam refert Gratianus *caus.* 3. *qu.* 3.

III. Verùm libellos conventionales, in causis præsertim Civilibus, coram judicibus Ecclesiasticis olim fuisse ignotos, constat ex *Novella* 67. Justiniani, quam verbis Juliani Antecessoris retulit Gratianus in *Can.* 45. *caus.* 11. *qu.* 1. ubi dicitur: „Ubi autem Episcopus causam dirimere vult *sine* „*scriptura* omnia procedant, & diffinitiva sententia sine scri„ptis ab eo proferatur.

IV. Neque id primum à Justiniano esse constitutum, sed etiam ante Justinianum fuisse regulariter scripturam denegatam judicibus Ecclesiasticis, ex *L.* 41. *Cod. Theod. de Episcop. & Clericis* colligi notat Janus A Costa in Summario tituli Decretalium *De Libelli Oblatione*: additque: „Nec teme„rè olim solemnia Judiciorum Civilium vel publicorum u„surpavit Ecclesia.

V. Fatetur ibidem Glossographus loco citato, quòd allegatus *Canon.* 45. velit à judice Ecclesiastico causas esse dirimendas *sine scriptura*; sed id credit obtinere in *modicis & vilibus causis*, ut in his scriptura non requiratur.

VI. Verùm id à sensu Justiniani & disciplina illius ætatis est planè alienum. Neque enim illius distinctionis vel vestigium in Legibus Justiniani, aut ætatis illius Canonibus extat.

VII. Dicendum ergò, quòd quamdiu judicia Ecclesiastica sine strepitu forensi & formulis publicorum & Civilium judiciorum peracta sunt, nihil de solemni quoque libelli exhibitione aut oblatione cautum fuerit; sed simplex petitio seu expositio suffecerit: at postquam ad normam forentium judiciorum ipsa Ecclesiastica judicia formari cœperunt, non ampliùs simplex quæstionis ac controversiæ expositio suffecit; sed libellis, æquè atque in judiciis Civilibus, opus fuit.

VIII. Hodie de jure Decretalium, & moribus recepta est sententia & distinctio Glossographi, ut nimirum in judiciis Ecclesiasticis, ubi de re ardua agitur in plenario judicio, requiratur libellus in scriptis judici offerendus: in levioribus ac brevioribus causis *summariè* absolvendis, non sit necesse libellum *scripto* tradi; sed sufficiat Actoris petitionem coram judice nudè proponi; eamque Actis continuò inseri, ut re postea exigente, ejus copia haberi possit, *Clem.* SÆPE §. VERUM *De V. S.* quod & tribunalibus civilibus servari notat Damhouderus *in Praxi rerum Civil. cap.* 100. & latiùs Nicolaus Tuldenus ibidem in notis.

IX. Causas leviores, in quibus *summariè* sit procedendum juxta præscriptum citatæ Clementinæ *sæpè*, declarant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 1. esse, si in causa civili pecuniaria summa petita non excedat quatuor libras flandricas, atque in causis officii excessus minores; „Nec ulli articuli (nisi pro„pter personarum qualitatem, vel delicti circumstantiam „Officialis aliter faciendum decreverit) exhibentur: sed „Advocati utrimque causam verbaliter exponent, conclu„sio tamen summariè, & pertinenter cum debitis circumstan„tiis verbaliter capta, & responsio replica duplica verbali„ter subsecutæ, actis paucissimo verborum relatu conti„nuò inserentur, & Judex sententiam mox proferet, si res „liqueat.

X. Ex *Cap.* 2. *&* 3. ii *De libelli oblat.* colligunt Doctores post Glossam, quod si agatur actione reali sive rei vindicatione exprimendam, esse rem quæ petitur, & utrùm petatur totum, an pars: aliàs enim Reus deliberare non posset. In hac tamen actione non esse exprimendam causam: „Cau„sa enim (ait ibidem Glossa) expressa est eo ipso quod pro„ponit rei vindicationem. Causa enim non est alia nisi ipsum „dominium, cum dicit, rem ad se pertinere jure dominii vel „quasi...... Si autem agatur actione personali, ut si petas de„cem dari tibi, causa petendi exprimenda est in libello; aliter „enim respondere non tenetur. „Ita glossographus, qui latiùs ibidem prosequitur, quomodo causa & res petita sint in libello exprimendæ; & an causâ unâ expressâ, possit eamdem rem postmodum petere ex alia causa; item an libellum semel oblatum mutare possit.

XI. Cæterum stylus Curiarum Ecclesiasticarum quoad oblationem libelli ejusque formam hodie penè per omnia coincidit cum stylo Curiarum civilium. Unde meritò in hac materia consuluntur Interpretes Juris Civilis ad titulum Digestorum & Codicis *De Edendo*; ac præsertim Pragmatici, qui annotant stylum & consuetudines singularum Curiarum quæ in formatione libellorum attendi debent.

XII. Illud autem uno consensu monent, in formatione libelli maximè attendendum esse, ut conclusio sit apta, paucis & claris ac intelligibilibus terminis expressa; nihil habens obscuri, nec conditionale, generale, vel alternativum; è qua ipse judex & pars adversa possint facilè intelligere petitionem & intentionem Actoris. Vide Damhouderum in *Praxi rerum civilium cap.* 101. *&* 102. & Notas Nicolai Tuldeni. Imò tametsi consuetis actionum formulis in concipiendo libello usus non sit, nequaquam tamen inde libellus de nullitate argui poterit, dummodo ipsa conclusio ritè sit concepta; atque ipsum factum & rei veritatem ita proponat, ut quid sibi aut præstari petat, intelligi possit ita ut si inepta sit narratio & conclusio apta, libellus sustineatur, quod conclusio reliqua ampliet, restringat, aut exponat.

XIII. Si reus ad diem citationi præfixum in judicio compareat, & visa ac examinata Actoris petitione judicet non esse annuendum Actoris libello; sed petitioni sive conclusioni Actoris absolutè resistendum, tunc solet sequi litis contestatio; quæ est Rei ad Actoris, vel contra Actoris ad Rei petitionem principalem, negando vel affirmando coram judice purè facta responsio animo contestandi litem. *Cap. unico* ii *De Litis contestation.* & ibidem tradit Glossa.

XIV. In citato Capitulo dicit Gregorius IX. quod quemdam processum de Fratrum suorum consilio irritum duxerit nuntiandum: quia quamvis positiones & responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus: quia tamen *litis contestationem* non invenit factam: „Cùm (ait) non per positiones & responsiones ad „eas, sed per petitionem in jure propositam, & responsionem

sionem secutam litis contestatio fiat. „Eadem sententia occurrit in *Cap.* 54. §. PARTIBUS ꝗ *De Elect.* cujus verba assumpsit Gregorius in hac Constitutione, uti observat Cujacius ad dictum *Cap. Unicum.*

XV. Cur per positiones & responsiones ad eas non inducatur litis contestatio scribit Glossographus ad citatum *Cap. Unicum*: „ Qui enim ponit aliquod dictum vel factum, nihil petit ab adversario: nec etiam ostendit, se per hoc velle agere: „ & ita non posset per hoc fieri sententia condemnationis vel „absolutionis, cum nihil peritum sit per positionem, sed ostendit esse factum, vel dictum seu promissum.

XVI. Ex eodem Pontificis Responso statuunt Canonistæ post Glossam sine litis contestatione processum esse irritum declarandum, tamquam fundamento & capite carentem.

XVII. Hodie in judiciis effectum litis contestationis habet prima qualiscumque responsio Rei de causa principali, teste Tuldeno in Codice De Litis contestatione *numer.* 3. asseritque de simili Germaniæ usu testari Mynf. *Cent.* 4. *Observation.* 62. Vide latiùs Bugnionium De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 185. & *lib.* 3. *cap.* 121. & ibi notas Christinæi.

XVIII. Solemnem & formalem litis contestationem olim in judiciis Ecclesiasticis, quando forma arbitrorum potiùs quàm judiciorum servabatur, necessariam non fuisse, ipsa judiciorum forma tunc servata probat.

XIX. Unde in *Clem.* SÆPE *De V.S.* expressè sancitur sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi, quòd si in causis aliquibus simpliciter, *& de plano* procedi mandetur, ut judex cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, *litis contestationem non postulet.* Hic procedendi modus hodie vocatur *summarius & de plano*, multùmque ad pristinum judiciorum Ecclesiasticorum ordinem accedit.

XX. Optandum esset, ut ad abbreviandas lites hic procedendi modus, præsertim in Curiis Ecclesiasticis sæpius, etiam de consensu Partium servaretur. Non licet quidem Partibus ordinem juris suo arbitrio moderari, uti observat Tuldenus in Codice loco citato *numer.* 5. „Si verò (ait) judi„cis arbitrio id commiserunt, poterit is, solemnitatibus juris „omissis, de sola facti & juris veritate inquirere & pro„nuntiare: valebitque id non in vim pacti, quippe in quod „consensu Partium convalescere etiam possit sententia ipso „jure invalida.

XXI. Cùm per litis contestationem lis videatur formata, atque de jure communi quasi contractum inter Partes, receptum quoque fuit eodem jure, ut si alteruter litigantium lite pendente ante causæ conclusionem moriatur, lis cœpta ad hæredes defuncti activè & passivè ipso jure transmittatur *L.* 33. *ff. De Fidejussorib. L.* 19 *ff. De Judiciis.* Sed moribus nostris introductum est, ut Rei defuncti hæres de novo conveniatur ad hoc ut litem reassumat, & ex postremis retroactis cum Actore ulteriùs procedat, aut Actori cedat quod petitur. Idemque ex parte rei, si Actoris hæredes liti renuntiaturos putet, aut ejus interfit, absolutoriam sententiam prosequi.

Ratio hujus praxeos videtur, ne quis invitus agere aut litigare per indirectum videatur: quæ ratio subtilitati juris Romani, quæ per litis contestationem quasi contractum intervenire fingebat, prævaluit.

CAPUT IV.

De Juramento calumniæ & Dilationibus.

1 *Juramentum calumniæ à litigantibus in exordio litis præstari voluit Justinianus Imp.*
2 *Caveat ne quacumque occasione omitteretur.*
3 *Ratio hujus enixæ voluntatis.*
4 *Rarior hodie est hujus juramenti usus in Curiis sæcularibus.*
5 *In Gallicanis Curiis Regiis non præstari testatur Rebuffus.*
6 *In quibusdam Conciliis Belgicis non jurari de calumnia testatur Damhouderus.*
7 *Ratio abrogationis hujus juramenti.*
8 *Juratur etiam hodie durante processu in Curiis sæcularibus de* malitia.
9 *Quid inter hoc juramentum & juramentum de* calumnia *intersit?*
10 *Juramentum illud de malitia vocatur hodie de* calumnia; *& quid intersit inter jus Romanum & hodiernum usum Curiarum Sæcularium?*
11 *In Curiis Ecclesiasticis observatur quoad hoc juramentum dispositio Juris Pontificii.*
12 *Respondit Eugenius III. Canones nullo hoc juramentum indicere.*
13 *Responsum illud ad causas spirituales restringit Raymundus Decretalium Gregorii IX. compilator.*
14 *Ex dispositione Juris Pontificii initio litis debet jurari de calumnia.*
15 *Si in exordio litis non sit præstitum, potest postmodum exigi.*
16 *Ob omissum tacitè hoc juramentum processus non est irritus aut irritandus.*
17 *Hoc juramentum tacitè censetur remissum, si à parte non exigatur.*
18 *Præstito in exordio litis juramento de calumnia, potest in progressu litis exigi juramentum de* malitia.
19 *Nec in Curiis Ecclesiasticis hodie distinguitur juramentum* malitiæ *à juramento* calumniæ.
20 *Hodie etiam in causis spiritualibus juratur de calumnia.*
21 *In Judiciis quoque* summariis.
22 *Pœna recusantis hoc juramentum.*
23 *Quid contineat hoc juramentum, & quomodo exprimi debeat Parti cui indicitur.*
24 *Qua ratione Imperatores Clericis hoc juramentum remiserint?*
25 *Ex Constitutione Henrici II. Imp. probata in* Cap. 1. ꝗ De Juram. calumniæ *potest hoc juramentum à personis Ecclesiasticis præstari per Procuratorem, nisi judex aliud judicaverit.*
26 *Non debet præstari à Procuratore nisi bene instructo.*
27 *Ex Dispositione Juris Pontificii Episcopus juramentum hoc præstare nequit nisi consulto R. Pontifice; nec Clericus inconsulto Episcopo.*
28 *Quoad Episcopum id in desuetudinem abiisse notat Glossa.*
29 *Quid hodie circa Clericos obtineat?*
30 *Lite contestatâ & præstito juramento calumniæ, solet dari dilatio; & quid sit dilatio?*
31 *In qualibet parte litis solent dari dilationes, & earum termini de Jure Civili erant determinati & fixi.*
32 *Jure Canonico dependent ab arbitrio judicis.*
33 *Decisio Juris Canonici conformis est hodiernæ praxi.*
34 *Quo sensu dilationes hodie dicantur dependere ab arbitrio judicis.*
35 *Nec judices hic exorbitent, termini dilationum in Ordinationibus Curiarum solent exprimi.*
36 *Quæ dilationes dandæ in provisione manutenentiæ?*
37 *Moderatio terminorum sive dilationum ex Ordinationibus Curiarum Eccles.*
38 *Judicis est superfluas dilationes amputare ob damna quæ Partibus hinc obveniunt.*
39 *Abbreviationem dilationum præscribunt Ordinationes Curiarum.*
40 *Causis requirentibus celerem expeditionem breves termini assignandi.*
41 *Causæ possessoriæ super Beneficiis celeriter expediendæ.*
42 *Causas Monachorum voluit Justinianus accelerari, & quare.*
43 *Solent in Curiis Ecclesiasticis Citato dari tres dilationes ad comparendum; & quid perdat, si ad primam non compareat.*
44 *Quis effectus non comparationis infra secundam dilationem.*
45 *Quid si nec infra terminum tertiæ compareat?*
46 *Concilium Tridentinum desideravit ut lites celeriter terminarentur; idque saltem intra biennium, permittens post lapsum biennii recursum ad judicem superiorem.*
47 *Etsi hodie rarus sit hujus Decreti usus, tamen constat, Concilium optasse, ut Fideles, ac præsertim Ecclesiastici, celerrimè litibus eximantur.*
48 *Quæ sit praxis in Gallia, dum judex in causis decidendis est morosus?*

I. JUstinianus Imperator intendens Litigantes à calumniosa litium prosecutione avertere, voluit, *L.* 2. *Cod. De Jurejurando propter calum.* ut ipsæ personæ Litigantes, id est actor & reus in primordio litis jurent: & actor quidem juret, *Non calumniandi animo litem movisse, sed existimando bonam causam habere.* Reus verò non aliter suis allegationibus utatur, nisi prius & ipse juraverit, *quod putans se bonâ instantiâ uti, ad reluctandum pervenerit.*

II. Addit

II. Addit ibidem Justinianus §. 4. „Sed quia veremur, „ne forsan quidam collusione aliqua utentes remittere videantur inter se hujusmodi Sacramentum, & ex prædicta „dissimulatione nostram sanctionem deludant: sancimus „omnes judices, licet ex compromisso cognoscant, vigo„rem suum exercentes (quia non pro commodo privato„rum, sed pro communi utilitate præsentem legem posuimus) „minime pati tale Sacramentum remitti; sed omnimodò „hoc & ab actore & à fugiente exigi: ne paulatim videa„tur hujusmodi res defraudari, & Sacramentum vel princi„palium personarum, vel Advocatorum ex quacumque parte „mutilari.

III. Hæc satis ostendunt, quàm enixè voluerit Justinianus hoc juramentum à Litigantibus præstari; optaveritque ne quacumque occasione intermitteretur. Rationem hujus sui voti expressit §. 8. „Sic enim non lites solùm, sed etiam ca„lumniatores minuentur: sic pro judiciis putabunt homi„nes sese in sacrariis sisti. Si enim & ipsæ principales Litigan„tium partes per juramentum lites exerceant, & causarum „patroni præbeant Sacramentum, & ipsi judices propositis „Sacrosanctis Scripturis tam totius causæ faciant examina„tionem, quam suum proferant arbitrium: quid aliud nisi „pro hominibus Deum in omnibus causis judicem esse cre„dendum est? Antiquâ itaque calumnia quiescente & ejus „ambagibus, constitutio nostra dilucida & compendiosa in „terris clareat omnibus, & sit maximum dirimendarum causa„rum remedium.

IV. Non obstante hâc enixâ Justiniani Declaratione, nec non communi commodo quod ex usu hujus juramenti sperandum proponit Justinianus, usus ipsius hodie in Curiis Sæcularibus penè evanuit, eatenus nimirum, quatenus à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus.

Unde dicit Petrus Gudelinus *De Jure novissimo lib. 4. cap. 8. num 22.* „Sciendum est, in Sæculari foro exactionis istius „juramenti (de calumnia) rarissimum, aut nullum usum esse, „etiam à litigatoribus.

V. De Gallia testatur Rebuffus in *Proœmio ad Constitut. Regias Glossâ 5. numer. 50.* „In Curiis Sæcularibus Regni non juratur de calumnia; & sic parum servit Rubrica *De Jurejurando propter calumniam dando.* „Et in Tractatu *De Responsionibus per credit vel non,* ait: Notandum „est, quòd usus judiciorum antiquus multa invenit contra Par„tes remedia, ut veritatem ab eis elicerent. Primò invenit, ut „jurarent se nihil calumniæ causâ facturos in causa. Verùm „quia istud juramentum in initio litis præstabatur, aliquando „Partes in medio litis calumniabantur, & non erant memores „illius juramenti; ob id statutum fuit, ut etiam jurarent de ma„litia, quòd malitiæ causâ nihil facient, & hoc repetebatur *Cap. 2. De Juram. calum. in* VI. & differentias inter ista juramen„ta tradit Socinus in Rubrica *De Juramento calumniæ:* Quæ „duo juramenta in his Curiis Franciæ consuetudinariis non „præstantur.

VI. Testatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap. 151. numer. 30.* quòd in Flandriæ Provinciali Concilio, & in magno Mechliniensi Consilio hoc juramento (de calumnia) non utantur. Conjecturam istius non usus subjungit: „Fortassis quia timendum sit, ne partes hujusmodi prædi„ctum juramentum præstando sæpè pejerarent: Et contra „præceptum divinum peccantes suam perderent animam po„tiùs quàm litem.

VII. Dixeratque jam pridem Baldus ad *L.* SI POST *Cod. De Evict.* quod juramentum calumniæ contemnatur, ut non æstimetur uno obulo; quia facti sumus contemptores Dei, & religionis ejus. Dictum hoc Baldi referens Maranta *De Ordine jud. parte 6. tit. De Juramento numer. 11.* ait: „Unde ego puto, quòd litigatores nostri temporis potiùs „jurant de calumnia committenda, quàm vitanda; & ideò „melius esset, ex toto tolleretur à judicio causâ vitandi tot „perjuria.

Eamdem rationem abrogati hujus Juramenti in Gallia allegat Rebuffus loco citato ex Proœmio. Quæ ratio si sufficiens fuerit ad abrogandum Juramentum contra calumniosas lites introductum, facilè erit intelligere, quàm multa juramenta meritò hodie ob eamdem rationem abrogarentur.

VIII. Porrò monet ibidem Damhouderus *numer. 31.* quòd „in istis Conciliis benè utantur, durante processu, jura„mento malitiæ, hoc est, quo jurent sese extraordinarias dila„tiones ad calumniandum non petituros, vel accepturos, ne„que etiam impertinentes exceptiones ac productiones ad „processum sive ad Judicium differendum, aut suas Partes ve„xandum proposit判uros & allegaturos.

IX. Subjicit dein *numer. 32.* differentiam inter Juramentum calumniæ & Juramentum malitiæ: „Quod Ju„ramentum calumniæ datur & conceditur dumtaxat semel, sta„tim post litis contestationem: Juramentum verò malitiæ da„tur & conceditur toties quoties judici æquum & Justum „& expedire videbitur, non minùs ante, quàm post litis conte„stationem.

X. Tametsi Juramentum calumniæ, quod à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus & totam litem spectabat, hodie in Curiis Sæcularibus passim abolitum sit, nihilominus in plerisque Curiis Sæcularibus perseverat usus Juramenti, quod olim *malitiæ*, hodie etiam de *calumnia* vocatur, præstandum super certis articulis aut propositionibus in progressu litis, prout judex instante Parte arbitratus fuerit. Unde rectè dicit D. Christinæus in notis ad Bugnionium *lib. 1. c. 5.* „Ad mores Belgarum quod attinet, quamvis in Judiciis non „soleat frequentari eodem quo apud Romanos modo; non „tamen ejus usus planè exolevit. „Vide etiam Merulam in *Praxi lib. 4. tit. 64.*

XI. Illud apud omnes indubitatum est, frequentiorem hujus Juramenti usum perseverare in Curiis Ecclesiasticis; atque à litigantibus crebrò præstari, teste Gudelino loco citato. Et Rebuffus in citato Tractatu *De Responsionibus per credit vel non,* postquam dixit Juramenta de calumnia & de malitia in Curiis Sæcularibus consuetudinariis non præstari, immediatè addit: „Sed in Curiis Ecclesiasticis observatur Juris Pontifi„ci dispositio, & hæc Juramenta servantur.

XII. Admodùm verisimile est, Pontifices ad imitationem Justiniani Imp. ad amputandas & præveniendas calumniosas lites hoc Juramentum induxisse in forum Ecclesiasticum postquam in illud stylus forensis litigandi intravit. Neque enim legitur antiquitus ulli indictum Juramentum calumniæ, uti etiam in quadam Decretali testatur Eugenius III. relatâ in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part. 2. cap. 2.*; & in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *Capit. 3. De Juramento calumniæ,* Ubi respondit Pontifex, quòd „Romana Ecclesia in his cau„sis, in quibus de decimis Ecclesiæ, & Rebus spiritualibus „tantum agitur, Juramentum calumniæ nec dare, vel reci„pere consuevit: eo quòd hujusmodi causæ non ex Legum „districtione, sed ex Canonum æquitate finem debitum sor„tiuntur, Canones autem (ait) Juramentum calumniæ *nulli* „*prorsus* indicunt.

XIII. Verùm quidem est, in *Cap. 2. ᵹ. De Juramento calumniæ,* ubi prædictum Responsum Eugenii refertur, finali huic clausulæ interseri hæc verba; *In hujusmodi casibus vel causis,* quæ generalitatem prædictorum verborum restringunt ad *causas* de quibus antè actum erat: sed sciendum est, satis familiare fuisse Raymundo Decretalium Gregorii IX. Collectori, aliqua antiquis Decretalibus addere, vel detrahere, prout disciplinæ sui temporis congruere videbatur: quemadmodùm latiùs ostendi in Tract. Historico-Canonico in Canones *parte 8. cap. 1. §. 4. & 5.*

Hoc equidem constat, ætate Raymundi Juramentum calumniæ in foro Ecclesiastico, in aliquibus saltem causis, fuisse exactum; atque ad normam Juris Justinianæi sensim magis magisque stabilitum esse.

XIV. Imprimis itaque inspectâ hodiernâ Juris Pontificii dispositione, nec Actori, nec Reo suis allegationibus uti permittitur, nisi præstito hoc juramento *Cap. 2. §. 1. De Juramento calumniæ in* VI.

XV. Sed

XV. Sed „ si de calumnia , seu de veritate dicenda in primo litis exordio non juretur (ut debet) poterit postmodum „in qualibet parte litis jurari ; „ait Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. *eod. in 6.* rationem addens : Cùm hujusmodi juramentum præstari ab initio , de substantia Ordinis Judiciarii non „existat.

XVI. Quin & declarat ipse Bonifacius ibidem §. 1. quod „propter omissum quoque *tacitè* in tota causâ calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs factus legitimè , non est „nullus,nec etiam annullandus.

XVII. Hinc deducit Glossographus , hic probatam esse à Bonifacio eorum Antiquorum opinionem sustinentium,quod juramentum hoc dumtaxat necessariò sit præstandum , quandò à parte est exactum. Si enim non exigatur , *tacitè* remissum censetur : quæ remissio vetita non est , modò absit collusio.

Unde & in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 21. dicitur : „Lite per responsionem Rei „contestatâ,*petentibus Partibus*,eâdem die juridicâ jurabitur „de calumnia.

XVIII. Dicit insuper Bonifacius VIII. in citato *cap.* 1. §. *fin.* „In omnibus autem causis , nedum ante, sed etiam postquam „lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calumnia sit jura„tum in ipsis : potest Judex à Partibus exigere juramentum „malitiæ,quoties viderit expedire.

Notat hic Glossa : „licet ex quo juratum est *de calumnia*, „amplius in eadem causa *de calumnia* jurandum non sit ab „eodem : *de malitia* tamen benè juratur , puta cùm suspica„tur Judex quod *malitiosè* proponatur exceptio , petatur di„latio,&c.

XIX. Moribus hodiernis non distinguimus scrupulosè juramentum malitiæ à juramento calumniæ,quasi hoc de tota lite intelligeretur , atque semel dumtaxat peti posset : sed & illud quod super certis articulis in progressu litis à Judice ad instantiam Partis imponitur , vocari solet juramentum *calumniæ* ; idque non tantum in Curiis Sæcularibus , (de quo suprà) sed & Ecclesiasticis. Unde in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art.* 12. *De Juramento calumniæ* dicitur : „Illud quidem juramentum intra certa judi„cii tempora non coarctamus ; sed id poterit Judex indicere, „quando & *quoties* expedire viderit.

XX. Juxta Decretalem Eugenii III. suprà citatam,non esse exigendum hoc juramentum *in causis spiritualibus*, præsertim prout exprimitur à Raymundo in *Cap.* 2. ꝟ *eod.* manifestum est,agnoscitque Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. §. *fin. eod. in 6.* quod Canones in causis spiritualibus non indicant alicui juramentum calumniæ,ipse autem perpendens etiam in hujusmodi causis posse calumniari , utile reputavit, „quod simul,sicut „(ait) plerique observant , tam de veritate dicenda, quam de „*calumnia* ,(ut via præcludatur calumniis) jurari debeat in iis„dem,„nimirum spiritualibus causis.

XXI. Nec tantum in Judiciis ordinariis, sed & in summariis à Judice exigi posse juramentum calumniæ , patet ex *Clementina* SÆPE *De V. S.* ubi expressè declaratur, quod si alicui commissa sit causa,ut in ea *de plano & simpliciter* , ac sine strepitu & figura Judicii procedatur, „citationem tamen , ac „*præstationem juramenti de calumnia* , vel malitia , sive de „veritate dicenda , ne veritas occultetur, per commissionem „hujusmodi non intelligi exclusam.

XXII. „ Pœna recusantis hoc juramentum cùm præstan„dum fuerit,est, ut Actor ab instituta cadat actione , Reus au„tem haberi debeat pro confesso: „ait Pontifex in *Cap.* 7. §. *fin.* ꝟ *De Juramento calumniæ* ; & renovatur in citato *art.* 12.Ordinat. Curiarum Eccles. Monet autem Glossa ad dictum §. *finalem* , quod recusantes hoc juramentum cadant causâ per sententiam Judicis: „Quia Judex procedit contra eundem „(Actorem recusantem) ac si nihil probasset,Reum absolven„do,& eodem modo de Reo.

XXIII. Quid autem complectatur juramentum de *calumnia*, expressit Glossographus quatuor versiculis ; & latiùs ac clariùs explicat *art.* 13. *tit.* 11. Ordinationum Curiarum Eccles. quo & mandatur, ut parti, quæ de calumnia jurare debebit , vulgari idiomate omnes clausulæ juramenti exponantur. Verba articuli sunt : „Parti verò,quæ de calumnia jurare de„bebit , vulgari idiomate omnes clausulas juramenti calum„niæ exponi volumus: videlicet,quod credit se habere bonam „causam ; quod interrogatus non negabit id,quod verum esse „crediderit; quod non utetur scienter falsâ probatione ; quod „dilationem non petit in fraudem , ad protelandam litem ; „quodque nihil dederit,aut promiserit, nec dabit, aut promit„tet pro victoria obtinenda, nisi illis , quibus leges & canones „dare permittunt ; fietque in Actis mentio , an expositio ista „facta fuerit,aut non : Scriba verò aut Graphiarius, qui circa „harum clausularum expositionem seu dictam notitiam, ne„gligens fuerit,mulctabitur uno floreno.

XXIV. Juramentum hoc remitti apparet Clericis notissima Constitutione Marciani Imp. *in L.* 25. *Cod. de Episc. & Clericis* ; cujus meminit Pontifex in *Cap.* 1. ꝟ *De Juramento calumniæ* , ubi per errorem pro *Marciano* legitur *Marco.* Et licet Marcianus tantum videatur loqui de Clericis Constantinopolitanis ; tamen cum ratio à Marciano sit generalis ; quia *Ecclesiasticis regulis & Canone à Beatissimis Episcopis antiquitus constituto Clerici jurare prohibentur* , eam trahendam esse ad omnes Orbis Christiani Clericos , primum Henricus II. Imp. decrevit , Constitutione quæ extat *Lib.* 2. *Legum Longobardorum tit.* 47. *c.* 11. qua „decernit,& impe„riali auctoritate & irretractabiliter diffinit, ut nec Episcopus, „nec Presbyter,nec cujuscumque Ordinis Clericus, non Ab„bas , non aliquis Monachus vel Sanctimonialis in quacum„que controversia,sive criminali,sive civili jusjurandum qua„libet ratione compellatur subire : sed Advocatis suis propriè „idoneis hoc officium debeat delegare.

XXV. Hanc Henrici Constitutionem laudat Pontifex in citato *Cap.* 1. finalemque clausulam refert his verbis : Sed idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare:„Hic notat Glossa verbo *Defen„soribus* ; „id est : Syndicis , Actoribus,aut Procuratoribus : „licet nomina sint diversa,officium tamen est idem : unde suf„ficit sive dicatur,constituimus talem Syndicum , Procurato„rem,sive Actorem.

Hinc receptum est, juramentum hoc à personis præsertim Ecclesiasticis per Procuratorem *speciali* mandatum habentem præstari posse,nisi Judex inspectâ controversiæ qualitate, & personarum principalium conditione,ipsis potius,quàm earum procuratoribus etiam speciale mandatum habentibus,juramentum deferendum judicaverit *Cap.* 3. ꝟ *eod.*

In hoc enim Capitulo dicitur; „In pertractandis causis sa„cramentum calumniæ non passim præcipimus exhiberi, sed „causæ & principalium personarum qualitate inspecta,quan„doque per ipsas principales personas quandoque per œco„nomos,qui causam omnino non nesciant,in animam jurantis „illud præcipimus præstari.

Dependet ergo à Judicis arbitrio an juramentum præstandum sit per ipsas personas principales, an per OEconomos sive Procuratores.

XXVI. Illud hic notandum,quod dicatur præstandum per OEconomos *qui causam omnino non nesciant*, „Id est: (ait „Glossa) *benè sciant* : aliter enim *anceps* subiret juramentum, „quod facere non debet. „Quod utinam jurantes omnes benè attenderent.

XXVII. Porro Pontifex in citato *Cap.* 1. postquam probavit Constitutionem Henrici Imp. subjungit hanc clausulam „Verùm cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Ro„mano Pontifice,vel quisque Clericus inconsulto Prælato suo „minimè jurare audeat.

XXVIII. Ad hæc verba monet hic Glossographus : „Difficile videtur , ut Episcopus propter hoc debeat requi„rere Romanum Pontificem : sed *hoc non servatur.* Un„de si Episcopus (ait) litigat in propria persona , ipse„met præstat juramentum de calumnia : nec est necesse

requi-

„requirere Papam *Cap. ult.* ☩ *eod.* Clericus facilius po-„test requirere Episcopum; unde tenetur primò requirere „ipsum.

XXIX. Verùm nec hoc de Clericis hodie servatur, præsertim dum exigitur juramentum à Judice Ecclesiastico.

At de juramento præstando à Clericis coram Judice sæculari legitur in Synodo D. Mechliniensi *tit.* 17. *cap.* 5.: „Clericus coram Judice laico testimonium dicturus, vel „quodcumque Juramentum præstiturus (quod etiam sine „nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei „non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ juramentum „præstet.

Sed neque in judiciis sæcularibus communiter attenditur, præcipue si ipsi Clerici coram illis in materia profana litigent; quo casu solent non secus ac laici in manibus judicis laici jurare. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ anni 1541. *art.* 20. cavetur, quod Ecclesiastici in materia merè civili, tenebuntur requisiti ferre testimonium veritatis coram Judice sæculari, neque pars quæ vult testimonium exigere teneatur illam licentiam requirere: Et si testare renuant, cogentur per Decanos suos Christianitatis. Verba articuli sunt: *Item les gens d' Eglise en matiere pure civile s'ils en sont requis pourront & deveront deposer & porter leur tesmoignage de verité devant juges seculiers sans que la partie, qui le veut produire, doivent demander quelque licence, si lesdits gens d' Eglise font aucune difficulté, seront contrainčts par leurs Doyens de Chrestienneté de ce faire.* Id est: Item personæ Ecclesiasticæ in causis purè civilibus, si rogentur, poterunt & debebunt testimonium dicere & veritatem coram sæcularibus Judicibus testari, nec adstringetur pars quæ eos volet producere, veniam aut ullius assensum rogare, si verò dicti Ecclesiastici difficiles in ea re se præbeant per Christianitatis Decanos suos ad id faciendum compellentur. Extant parte I. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

XXX. Lite contestata, ac præstito juramento calumniæ, solent litigantes utrimque petere inducias sive dilationes, ut interea ea quæ ad fundandam suam intentionem necessaria sunt, sibi comparare, & in ordinem redigere possint.

Dilatio enim judicialis, de qua hic agitur, est justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodius perficiendum conceditur Actori vel Reo.

XXXI. In qualibet parte Judicii dari à Judice solent dilationes, intra quas litigantes ad suam intentionem probandam, aut absolvendum ea quæ à Judice ad instructionem causæ injunguntur, se præparare possint. Sive spectemus dilationes quæ initio litis dantur, & vocari solent *citatoriæ* vel *deliberatoriæ*; sive quæ in progressu litis, dicunturque communiter *probatoria*, de Jure Civili habent certa tempora designata, toto titulo Codicis *De Dilationibus*; eaque nec iterari posse edicitur in *l.* 7. *Cod. De Feriis.*

XXXII. Jure verò Canonico termini sive tempora dilationum pendent ab arbitrio Judicis, *Cap.* 24. ☩ *De Offic. Deleg. cap.* 15. ☩ *De Sententia & re jud.* atque hac ratione dicuntur dilationes de Jure Canonico esse *arbitrariæ*.

XXXIII Hæc autem decisio Juris Canonici passim moribus ubique recepta est; testanturque passim Pragmatici, de consuetudine in omnibus passim Curiis etiam sæcularibus dilationes esse arbitrarias. Ex stylo communi, & consuetudine Curiarum non servantur *juris* dilationes, (ait Bugnion De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 104.) sed stylus & quælibet Curia suas *arbitratur* dilationes, ac eas concedit.

Deinde subjungit idem Auctor: „Nec tamen propterea dicendum est, dilationes in arbitrio Judicum positas „esse, quinimò pro rerum necessitate largiendæ sunt; at„que, ut refert Ulpianus in *L.* NONNUNQUAM *ff. De* „*Judiciis*, dilationes dandas æstimare oportet eum, qui jus „dicit, pro conditione ac qualitate causæ, personæ, vel tem„poris, & ita ordinem edictorum & compendium mode„rari.

Id desumptum apparet ex Glossa ad *Cap.* 2. ☩ *De Dilationibus* verbo *Plenè*; ubi dicit: „Dilationes istæ hodie viden„tur arbitrariæ ut Judex considerata locorum distantia, & „temporis qualitate inducias concedat.

XXXIV. Non igitur eo sensu dilationes sunt *arbitrariæ*, quasi tempora earum dependerent à libero planè nullis legibus circumscripto arbitrio & voluntate Judicis; sed quod Judex omnibus prædictis maturè expensis, terminos sive dilationes ita determinare, sive arbitrari debeat, ut nec per earum nimiam brevitatem litigantibus probationis & instructionis tempus denegetur; neque per earum prolixitatem & multiplicationem aut prolongationem lites protrahantur, & litigantes suo Jure per multum temporis fraudentur: à qua inordinata dilationum concessione appellari posse decidur in *Cap.* 1. ☩ *eod.* & uno consensu docent Canonistæ, hodieque in usu est.

XXXV. Verùm ne Judices in hac dilationum vel restrictione, vel prolongatione seu extensione aberrent, in omnibus Curiarum tam Sæcularium quàm Ecclesiasticarum Ordinationibus, & numerus & tempora ac intervalla dilationum designari solent: quos terminos non sine rationibus urgentibus & causæ cognitione transgredi licet: ubi & videmus rationem præmissorum habitam esse. Sic enim videmus in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 505. incolis assignari terminum sive dilationem quindecim dierum; exteris verò trium septimanarum.

XXXVI. Et *art.* 386. mandatur Apparitoribus, ut dum litteras manutenentiæ aut alterius provisionis cum clausula citationis in casum oppositionis insinuant, diem comparitionis nec nimis brevem, nec nimis longum assignent, sed convenientem, ita ut ad minus *duo* dies martis, vel ad summum *tres* intercedant; nisi de consensu utriusque partis, vel nisi in ipsa provisione ipsis injunctum sit longiorem terminum assignare; vel nisi *vacantiæ* intercederent: quia tunc assignanda esset prima dies juridica post vacantias; verba articuli sunt: *Soo sullen sy den ghenen die hen opponeren, weygheringe ofte vertreck maecken, gheven en de beteeckenen daeg, te compareren voor onsen voornoemden Raede, sonder den selven dach te seer kort, ofte de lanck te stellen, maer tamelyck ende redelyck: te vveten datter ten minsten twee Dynst-daghen tusschen beyden zyn, ende ten hooghsten niet meer dan dry Dynst daghen, ten vvare by consente van beyde den partyen, oft dat by der provisie hen gheordineert vvorde corteren ofte langheren dagh te gheven, oft ten vvare dat de vacantien tusschen beyden vvaren, soo soude den dagh ghenomen vvorden op den eersten dagh van rechte naer de vacantien.* Id est: Tum opponenti, recusanti aut declinanti diem constituent & præfigent, quâ coram consilio nostro præfato compareat, nec diem illam nimium accelerabunt aut procrastinabunt; sed medium quoddam ex æquitate tenebunt, videlicet ut saltem dies martis iteratò intercedat, tertioque ut summum, nisi utraque pars consentiret, aut ipsa provisio brevius aut longius tempus decerneret assignandum, aut nisi vacationum feriæ intercederent, quo casu prima post vacationem Juridica dies constitueretur.

XXXVII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis mirè elucet hæc dilationum sive terminorum moderatio *tit.* 11. *art.* 36. ubi statuitur, ut „conce„dantur ad probationes faciendas prius Actori, deinde Reo, vel „conjunctim utrique eodem tempore, secundum negotii, & „personarum qualitatem, & Judicis discretionem, si testes in „civitate habitaverint, vel intra quatuor milliaria, sub prima „& secunda dilatione, tres septimanæ; sub tertia dilatione, „quindecim dies, & hoc sine continuatione, nisi constiterit de „debitis diligentiis factis, & quod per partem probare debentem non steterit, quominus satisfecerit: quo casu, juxta ne„gotii & personarum qualitatem, poterit Judex tertiam di„lationem continuare, vel prolongare. Si verò testes ultra „quatuor milliaria abfuerint (idem intelligentes de instrumen„tis producendis, & aliunde adferendis) tunc Judex juxta „distantiam locorum, testium, & temporum qualitatem, „terminum statuet ad tres septimanas vel ad mensem, vel

alias

alias, prout judicaverit expedire, sub duabus dilationibus, & si illis pendentibus per partes non steterit, statuit judex alios quindecim dies, vel tres septimanas, secundùm loci distantiam, pro tertia dilatione. Nunquam verò pars, vel Procuratorum aliquis admittatur ad quartam dilationem, nisi secundùm formam juris communis, ut videlicet quartam dilationem petens, juret, quòd per se, aut per alium malitiosè non didicerit, quòd per fraudem, vel per dolum, prorogationem aut dilationem non petat, quódque testes, quos producere, instrumentave, quæ exhibere debuerat, priùs habere non potuerit.

Deinde *art.* 37, additur: " In causis summariis, & Actor ad probandum intentionem suam, & reus ad probandam exceptiones, si quas dederit, non habebunt pro prima & secunda dilatione, nisi tres septimanas sine ulla continuatione; pro tertia verò dilatione, habebunt quindecim dies tantùm, nisi testes absint, aut aliud impedimentum probetur, quo casu, terminus prorogabitur secundùm conscientiam judicis, nullo verò modo quarta dilatio conceditur.

XXXVIII. Porrò sicuti judicis est, litigantibus ordinarias & necessarias causæ instruendæ suæ & defensioni dilationes indulgere; ita & ipsi incumbit extraordinarias haud temerè concedere; atque superfluas rejicere, omnesque intra legitimos ac convenientes terminos concludere, propter enormia damna, & interesse, quæ plerumque ex indebitis dilationibus, & justitiæ procrastinationibus enascuntur ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 114. *num.* 5. Mala ex his procrastinationibus sequi solita enumerat *num.* 6. "Ita ut (ait) pars ob has sæpè depauperetur, aut mendicare, vel maleficia patrare cogatur; aut mœrore contabescat, & moriatur, liberique ipsius squalloribus & inediâ pereant, ne pejora commemorem."

Deinde concludit: " Ideoque hujusmodi pericula & mala tam Deo ingrata, quàm hominibus invisa, judicibus erunt præmeditanda, & justitiæ progressus legitimè ab iis accelerandus."

XXXIX. Hinc in Ordinationibus Curiarum passim multa contra superfluas hasce dilationes & litium procrastinationes occurrunt: atque imprimis in Ordinationibus Curiarum Eccl. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *a.* 3. decernitur: "Ad lites abbreviandas, nolumus, quòd terminus absentiæ, *ullave dilatio* detur Actori ante conclusionē, vel libelli exhibitionē: quod & in causis appellationū servabitur, ut videlicet primo comparitionis termino gravamina exhibeantur; abrogantes penitus modū procedendi, qui alicubi inolevit, quo Procuratores terminum ad gravamina exhibenda petere solent; cùm quilibet sciat, vel scire debeat, cur adversarium in jus vocârit, aut demq; cur ad superiorem judicē appellârit. Et hæc omnia, nisi fortè Officialis ex officio, aliq; de causa unicam dilationem concedendam duxerit, quâ elapsâ tenebitur Appellans, sive Actor, saltē pertinenter in materia appellationis, aut aliàs concludere."

Ex *art.* 20. generaliter dicitur, quòd judex *omnes arbitrarias dilationes*, quantū fieri poterit, *tenebitur abbreviare.*

XL. Quia verò nonnullæ causæ ex procrastinatione specialem patiuntur, & adferunt præjudicium, non rarò etiam irreparabile, ideo & in his causis dilationes specialiter abbreviandæ, & difficiliùs indulgendæ sunt.

Unde in citatis Ordinationibus eodem titulo *a.* 21. statuitur: " In causis verò summariis supra tactis, ac miserabilium personarum, alimentationis, divortii, & incarceratorum de triduo in triduum procedatur, & omnes dilationes non necessariæ præcidantur."

Idipsum jam statutum erat in Synodo P. III. Cameracensi *tit.* 22, *cap.* 4. Imò ea potest esse causarum & personarum ac locorum conditio, ut non tantùm *tridui*, sed & multò breviorem terminum judex præscribere meritò debeat; quemadmodum & sæpè in causis accelerationem requirentibus fieri videmus: ut proinde in his plurimùm valeat prudens & justum judicis arbitrium.

XLI. Cùm protractio causarum Beneficialium, præsertim Curatorum soleat secum trahere Ministrorum defectum, nec non & Clericos forensibus tricis tenere implicatos, & à divino servitio abstractos, meritò in his causis dilationes & termini præcidendi & abbreviandi sunt; quod & Ordinationes Curiæ Brabantiæ insinuant *art.* 444. Verba articuli sunt: *Dat-men in de voorsz materien van possessien van beneficien sommierlyck procederen sal, ende dat alle dilayen peremptoir sullen zyn, ende dat-men maer een dilay accorderen en sal, om d'enqueste van partyen te doen, indien datter eenige vallen.* Id est: Ut in prædictis causis circa beneficiorum possessionem summatim res agatur, omnisq; ampliatio præcisa sit, unicaque dumtaxat prorogatio concedatur, ut partium inquisitio, si qua sit opus, instruatur.

XLII. Et Justinianus in *Novella* 79. *cap.* 2. voluit, lites Monachis illatas *accelerari*, "ut (ait) non mens eorum occupetur circa litis solicitudinem; sed *velociter* liberati, „ sacris operibus obsecundent."

XLIII. Juxta ordinarium stylum Curiarum Ecclesiasticarum solent Reo citato dari tres dilationes sive termini ad comparendum; ita tamen ut omnis termini sive dilationis lapsus ipsum non comparentem constituat in aliquali contumacia; & contumaciæ nonnullis effectibus subjiciat.

Si enim Reus ad primam citationem in termino præfixo, "non compareat, ne Procuratorem in causis Civilibus „ mittat, secludetur ab omni exceptione *declinatoriâ*, & in „ expensas contumaciales condemnabitur."

XLIV. " Si nec secundò citatus compareat, secludetur „ ab omni exceptione *declinatoria*, & iteratò in expensas cōdemnabitur," uti habent Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 4.

Addunt citatæ Ordinationes, quòd secundo termino non cōparente Reo, "decernetur tertia citatio sub pœna seclusionis à peremptoria in litteris exprimenda. Quòd si nec „ sic citatus compareat, accusatâ contumaciâ, delatisq; Actis „ causæ judex determinabit, prout juris erit, & rationis."

XLV. Post tertiam igitur citationē non comparens Reus verè contumax constituitur; & si post hanc compareat, & audiri desideret, non audietur, *nisi refusis expensis contumacialibus*, uti statuitur in dictis Ordinationibus *art.* 7.

XLVI. Hæc sat ostendunt, etiamnum hodie mentem Ecclesiæ esse, ut lites, quantum fieri potest, abbrevientur, omnesque dilationes non necessariæ rescindantur; quod & ipsa Synodus Tridentina sat ostendit *Sess.* 24. *cap.* 2. *De Reformat.* decernens, ut " causæ omnes ad forum Ecclesiasticum „ quomodolibet pertinentes saltem infra bienniū à die mo„ tæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit „ partibus vel alteri illarum judices superiores, aliàs tamen „ competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, as„ sumant, & quamprimùm terminari curent."

XLVII. Rarus aut nullus penè est hodie Decreti hujus usus quoad recursum ad Judices superiores ob lapsum biennii à die motæ litis; sed solent causæ etiam ad plures annos protrahi, & sine peremptione instantiæ, aut mutatione Judicis coram eodem judice continuari: quia facilè ostenderetur, quòd non steterit per Judicem, quò minus intra dictum tempus causam definiret: sed vel ob qualitatem causæ, vel cavillationes partium; quo casu Decreto locum non esse declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap.* VENERABILIS, *De Judiciis*.

Indubitatum interim est, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ut causæ in foro Ecclesiastico quàm citissimè ac brevissimè absolverentur, ac *saltem* ultra bienniū non protraherentur; ut ita ipsi Judices præsertim Ecclesiastici allaborarent, omnemque curam impenderent, ut ipsos Fideles à litigiis, & forensibus jurgiis quàm citissimè eximerent, & in veram concordiam & pacem ac tranquillitatem adducerent: factisque approbarent, se nequaquam lites, discordiarum & odiorum seminaria, sed pacem & charitatem inter ejusdem Ecclesiæ filios quærere: seque optare, ut omnia jurgia, & quæstiones summariè ac amicabiliter potiùs componere possent, quàm judicialiter discutere & decidere deberent, exemplo Sanctorum Patrum & Episco-

porum, ad quos tamquam Patres & Pacificatores sua dissidia Fideles referebant.

XLVIII. In Gallia non debet exspectari lapsus biennii. Si enim ante illud tempus causa sit in statu, ut decidi queat, Pars tertiò juridicè monebit judicem, & si post tertiam monitionem adhuc perseveret in mora decidendi ipsam causam, poterit Pars appellare tamquam à denegata justitia; ipsumque judicem vocare in jus, atque adversùm ipsum concludere ad damna & interesse, uti notat Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Canon. cap. 7.*

CAPUT V.

De Probationibus & Præsumptionibus.

1 *Post litem inter Partes contestatam solet sequi necessitas probandi.*
2 *Quid propriè sit* probare?
3 *Probatio versatur circa facta, non autem circa jus.*
4 *Hinc motiva juris non computantur inter acta litis.*
5 *Qui factum controversum allegat, illud probare tenetur*
6 *Unde Auctori solet probatio incumbere.*
7 *Si Reus respondendo factum alleget, ei probatio incumbit.*
8 *Præsumptio juris subinde onus probandi injicit in Reum.*
9 *Subinde utrique incumbit probatio.*
10 *Pro quo judex decidere debeat, si uterque probet.*
11 *In pari probatione solet favorabilior esse causa possessoris.*
12 *Ex possessione oritur aliqua præsumptio pro possessore.*
13 *In quo hæc præsumptio sit fundata?*
14 *Quod hinc commodum possessionis?*
15 *Inde patet, cur in pari causa dicatur melior conditio possidentis.*
16 *Quomodo circa hanc regulam erretur remissivè.*
17 *Quid sit præsumptio?*
18 *Quare dicatur probatio* artificialis?
19 *Triplex species præsumptionis; & quid præsumptio juris tantùm?*
20 *Species hujus præsumptionis.*
21 *Quid præsumptio* juris & de jure?
22 *Exemplum hujus præsumptionis.*
23 *Etiam hæc præsumptio tantùm innititur conjecturis.*
24 *Hinc cedit veritati.*
25 *Describitur præsumptio hominis seu judicis.*
26 *Præsumptiones hominis admodum diversæ sunt quoad effectum probationis: & quare?*
27 *In æstimando effectu præsumptionis magnâ prudentiâ & circumspectione opus est.*
28 *Non judicandum ex præsumptione, dum veritas aliunde haberi potest.*
29 *Ad abbreviandas probationes inductus usus positionum.*
30 *Quid sint positiones?*
31 *Videtur earum usus ex foro Ecclesiastico in Civile intrâsse.*
32 *Pars adversa ad positiones respondere non debet, nisi jubente judice.*
33 *Debet Pars citari ad respondendum.*
34 *Non potest judex Partem interrogare, aut juramentum deferre, nisi rogatus.*
35 *Respondere recusans habetur pro confitente.*
36 *Nisi rationabilem causam non respondendi habeat; & quæ sit causa rationabilis?*
37 *Positiones exhibendæ judici, ut videat, an sint admittendæ vel rejiciendæ.*
38 *Difficulter quis excusatur à respondendo super facto* proprio.
39 *An ad positiones responderi queat per Procuratorem; & quale mandatum requiratur?*
40 *In responso ad positiones debet esse summa sinceritas ob juramentum calumniæ previè præstandum.*
41 *In Gallia vetitum ad positiones respondere per* credit; *& quare?*
42 *Citra perjurium non potest responderi ad factum propositum non* credit, *si illud sciat verum.*
43 *Quid hic incumbat judici?*
44 *Post responsa ad positiones quorum supersit probatio.*

I. Lite contestatâ per negationem ipsius Rei, sequitur necessitas probationis. Nisi enim quis asserta sua in judicio probet, nihil obtinere potest; ideoque probatio dicitur anima processûs.

II. Probare autem hîc idem significat, quod Judici fidem facere de facto dubio, super quo in judicio est quæstio; sive de facto, quod unus litigantium asserit, & alter negat. Unde probatio, de qua agitur sub titulis Juris Canonici & Civilis de *Probationibus*, non est aliud, quàm judici alicujus facti dubii sive controversi, legitimè facta ostensio seu verificatio.

III. Nec enim probatio propriè versatur nisi circa *facta*, sive ea, quæ *facti sunt*: quia hæc sola à Partibus Judici probanda sunt: quæ enim juris sunt, judici nota esse supponuntur: & secundùm Leges seu jura, è quibus causæ decisio dependet, judicare eum oportet, licèt à Litigatoribus eorumve Advocatis per negligentiam vel imperitiam forent omissa, *L. unica, Cod. ut quæ desunt Advocatis*, &c.

IV. Hinc *motiva Juris*, quibus jus ipsum deducitur, tamquam non necessaria ad instructionem causæ, non computantur inter acta litis: neque in taxatione impensarum eorum ratio solet haberi: sed manent ad onus exhibentis, tametsi causam lucretur cum expensis.

V. Igitur qui factum allegat, quod alter negat, si huic *facto* conclusio seu petitio innitatur, tenetur factum illud judici probare.

VI. Idcircò ordinariè ipse Actor intentionem suam probare jubetur: eò quòd hic soleat factum allegare, atque in eo intentionem suam adversùs Reum fundare; Reus verò soleat factum simpliciter negare; atque hinc illud vulgare: *Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit.*

VII. Si autem Reus non simpliciter neget petitionem Actoris, sed contra eam excipiat, proponendo aliquod factum petitionem Actoris perimens, quæ inde dicta est exceptio *peremptoria*, tunc tenetur Reus *factum* allegatum probare: putà solutionem, transactionem, pactum de non petendo, &c.

VIII. Rursus Reus probare tenetur, quando jus commune aut præsumptio est pro Actore. Licèt enim Reus negare videatur, implicitè tamen asserit, & *factum* allegat. Si enim jus commune vel præsumptio sit pro Actore, Reus petitionem Actoris huic juri vel præsumptioni innixam negans, implicitè asserit factum aliquod, quo jus commune aut præsumptionem Actori faventem elidere contendit: quod *factum* nisi probet, manet ejus commune vel præsumptio pro Actore, & vi illius Judex petitionem Actori adjudicare tenebitur.

Plures alios casus, quibus Reo incumbit onus probandi, assignat Damhouderus in Praxi Civil. *cap. 158.*

IX. Si ab utraq; parte allegentur facta contraria, utriusque erit sua facta verificare, si iis fundamentū causæ innitatur: putà in judiciis *duplicibus*, ut *communi dividundo, familiæ erciscundæ*, interdicto *retinendæ* possessionis, &c.

Et quidem in his obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante. V. G. unus probaverit possessionem, alter non, indubiè probanti adjudicabitur possessorium.

X. Quòd si uterque probaverit, Judicis erit dijudicare, uter meliùs probaverit: ut si agatur de possessione, quis antiquiorem possessionem, vel justiorem titulum probaverit, juxta Rubricam *Cap. 9.* ¶ *De Probat.* quæ habet: "Si Actor „ & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, ob„ tinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo ma„ ximè justificatam, vel meliores probationes respectu pos„ sessionis adduxit."

XI. "Quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, „ *possessoris* testes præferentur: cùm promptiora sint jura ad „ sol-

„ad solvendum, quàm ad condemnandum, " ait Pontifex in Cap. 3. §. QUOD SI, ¶ De Probat. Hinc concludunt communiter Canonistæ, quòd in pari probatione potior sit conditio possidentis: imò inde conflata apparet regula juris: " In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis" Cap. 65. De Regulis juris in VI.

XII. Ex ipsa enim possessione oritur præsumptio quædam pro possessore, eaque pro diuturnitate vel brevitate durationis vehementior, vel levior: quæ & in judicio vice cujusdam probationis habetur.

XIII. Leges enim volunt, ut in foro externo quisque præsumatur & habeatur tamquam Dominus rei, quam ut suam propriam possidet; nec è possessione illius deturbetur, quo-usque in judicio sufficienter fuerit probatum, rem illam ad ipsum possessorem reverà non spectare; eique possessionem tamquam injustam esse auferendam.

XIV. Itaque commodum non exiguum confert hæc præsumptio ipsi possessori; quòd nimirum onus probandi transferat in adversarium; ipseque interim gaudeat usu ipsius rei, donec adversarius probaverit; quod expressit Justinianus in §. 4. Instit. De Interdictis, dicens: " Commodum possidenti in eo est, quòd etiamsi ejus res non sit, qui „possidet, si modò Actor non potuerit suam esse probare, „maneat in suo loco possessor."

XV. Ex his haud difficulter intelligitur, qua ratione dicat Regula Juris, quòd in pari casu sit melior conditio possidentis; nimirum ob præsumptionem ex possessione resultantem, & onus probandi in adversarium transferentem.

XVI. Hinc ulteriùs elucet, quantopere circa hanc Regulam errent, qui putant, possessorem tutum semper in retentione rei, tametsi rationabiliter dubitet, an sua sit, an aliena: nec non illi, qui Regulam hanc extendunt extra materiam justitiæ; uti latiùs ostendi in explicatione hujus Regulæ, quam per modum appendicis adjunxi Dissertationi seu Repetitioni ad Regulam: *In dubiis semita tutior est eligenda.*

XVII. Præsumptio dicitur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta.

Hæc autem opinio ex indiciis & conjecturis & argumentis deducta, interim dum probatio clara veritatis cessat, vicem probationis supplet: atq; ideo *præsumptio* dicta, quasi aliquid *antè sumat*, & ponat credendum sequendumque, ut observat Tuldenus in Codice tit. De Probat. num. 3.

XVIII. Probatio innixa præsumptioni dicitur *artificialis*, quia arte ingenii quodammodo conficitur per collectionem ex signis, indiciis, probabilibusque argumentis.

XIX. Præsumptio communiter dividitur in præsumptionem Juris tantùm, præsumptionem Juris & de Jure, & præsumptionem judicis sive hominis.

Præsumptio Juris tantùm dicitur indicium Lege probatum; id est, quòd lege sit expressum, ex hujusmodi indicio præsumendum esse, hoc illudve subesse, quo-usque contrarium probetur.

XX. Hujus præsumptionis species est, quæ resultat ex possessione. Vult enim Lex, ut ex possessione præsumatur rem ad possessorem spectare, quo-usque contrarium probetur. Hujus generis præsumptiones plurimæ tam in Legibus, quàm Decretalibus occurrunt.

XXI. Præsumptio juris & de jure vocatur, cùm Lex aut Canon ita ex aliquo indicio quidpiam præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate à judice haberi velit, non admissâ probatione in contrarium: ideoque à Doctoribus dicitur necessaria & violentissima.

XXII. Hujus præsumptionis species occurrit in Cap. 30. ¶ De Sponsalibus; ubi dicitur, quòd is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, insuper carnali copula subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam tenetur redire. " Rationem subjungit Pontifex: "Quia licet præsumptum primum Matrimonium „videatur, *contra præsumptionem* tamen hujusmodi non est „probatio admittenda. Ex quo sequitur (ait) quòd nec ve„rum, nec aliquod censeatur Matrimonium, quod de facto „est postmodum subsecutum."

Hinc post Glossam docent Canonistæ, ex copula carnali subsecuta oriri *jure Decretalium* præsumptionem juris & de jure, sponsalia de futuro mutuo consensu transisse in sponsalia de præsenti; sive verum consensum Matrimonialem intervenisse, & Matrimonium esse contractum: atque ab ipso judice ita esse procedendum in judicio, ac si reverà Matrimonium esset initum; nec Partes ad contrariam probationem esse admittendas.

XXIII. Verùm licèt præsumptio juris & de jure sit violentissima, nec facilè per contrarias probationes elidatur: tamen verè & propriè non est veritas, cùm versetur circa dubium; & in claris locus non sit conjecturis vel præsumptioni, quæ ex conjecturis desumitur.

XXIV. Hinc concludunt Doctores, quòd etiam hæc præsumptio cedere debeat veritati; atq; ordinariè elidatur per confessionem illius, pro quo stat ipsa præsumptio. Vide Andream Vallensem in *Paratitlis tituli, De Præsumpt.* §. 4. *num.* 7. ubi & plures casus annotat, quibus ipsa præsumptio juris & de jure elidi potest.

XXV. Præsumptio hominis sive judicis est quædam opinio sive conceptus hominis ex aliqua conjectura sive indicio formatus. Dicitur hominis sive judicis, quia nullâ Lege aut Canone nominatim expressum est, ex hoc illove facto hujusmodi præsumptionem sive opinionem esse formandam; sed eam judex sibi format.

XXVI. Porrò sicuti indicia seu principia, è quibus hujusmodi opiniones vel judicia formari possunt, sunt admodum varia, ita & præsumptiones ex iis resultantes variæ quoque sunt, præcipuè quoad effectum probationis. Prout enim indicia sive argumenta ex factis & circumstantiis resultantia sunt fortiora & plausibiliora; ita & præsumptio iis respondens vehementior est, & ad probandū efficacior.

XXVII. Cùm autem definire, quid hæc indicia hîc & nunc in talibus circumstantiis probent, quamque præsumptionem faciant, ab hominum diversis opinionibus dependeat, sat apparet, quàm circumspecti ac prudentes debeant esse judices in scrutandis & ponderandis factis & circumstantiis, ut de effectu præsumptionis ex his resultantis rectè statuere queant.

XXVIII. Meritò proinde Damhouderus in Praxi *Rerum Civil. cap.* 178. *num.* 46. " Judicem diligenter præmonitum „esse vult, ne hisce præsumptionibus nimiùm innitatur, „sed ut reliqua omnia diligenter consideret, antequam ad „definitivam descendat, & ut maturâ deliberatione omnia „prius perquirat, quàm ex suspicionibus præsumptivis „ullam sententiam pronunciet."

XXIX. Contingit autem frequenter, quòd tam ex parte Actoris, quàm ex parte Rei multa *facta* proponantur; quorum omnium si exacta probatio fieri debeat, lites in longum protrahentur, & litigantes in immensas expensas incident: atque sæpè continget ob difficultates & impensas probationum Partes suo jure fraudari.

Hinc ad exemplum *interrogationum in jure faciendarum*, quæ apud Veteres in usu fuerunt, ut patet ex titulo Digestorum *De Interrogationibus in jure faciendis*, introductus est usus *positionum*.

XXX. Positiones sunt articuli, quibus Actor vel Reus exprimit *facta*, quæ in judicio fuerunt allegata; eaque scriptis Judici exhibet, ut super iis jubeat Partem adversam respōdere: atq; hoc pacto à Parte adversa confessionem de veritate factorum extorquendo, Ponens ab onere relevetur.

XXXI. Meminit harum positionum Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. *de Confessis* in VI. & in Ordinationibus Curiarum Ecclesiarum passim mentio occurrit; atq; admodum verisimile est, earum usum ex Constitutionibus Canonicis initium sumpsisse, & ad Curias Civiles transiisse.

XXXII. Supponit hîc Pontifex, quòd respondere ad Positiones non teneatur Pars adversa, nisi jussa à judice respondere; quòd latiùs ibidem exponit Glossa, verbo *Jussusque à judice*; quod & praxis observat. Licèt enim Pars suas posi-

positiones exhibuerit; atque super iis medio juramento respondeti postulaverit, nequaquam respondere cogitur, quamdiu Decretum & jussus Judicis non intervenerit; & ad positiones à Judice respondere cogatur.

XXXIII. Ulteriùs ad has responsiones faciendas debet primò pars adversa citari: si enim non citaretur, responsiones nullas facere tenetur, ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 154. *n.* 33. quod & habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *a.* 31. quo ordinatur, Commissarios ad examen testiū deputatos ante omnia debere litteras citatoriales sub suis sigillis comittere uni Apparitorum vel Nuntiorum Curiæ, ad citandum Partes, ad respondendum scripturis sive positionibus *per credit vel non*. Verba articuli sunt: *Dat de Commissarissen alleer sy uyt crachte van heure commissien tot eenige enquesten sullen moghen procederen sullen ghehouden zyn heure brieven van citatien onder heuren segele te decerneren aen eenige Deurvvaerderen oft Boden van onsen Raede, om die partye te daghen, op de scrifturen, die selve eerst gheaffirmeert zynde, t'antvvorden* PER CREDIT VEL NON. Id est: Ut Commissarii, priusquam vi mandati inquisitionem instituant, teneantur citationis litteras sigillis suis munitas cuidam seu Apparitorum seu Nuntiorum Curiæ tradere, quibus partes evocentur, ut ad scripta tum præasserta respondeant per *Credit*, *vel non*.

XXXIV. Non poterit tamen judex deferre juramentum Parti, & eam interrogare, nisi Parte hoc requirente, ut ait Rebuffus in Tractatu *De Respons. per credit vel non*, *art.* 1, *n.* 14. additque: " Quia judices in Francia solent ad Partiū „ utilitatem esse elingues, sine requisitione illarum."

XXXV. Dicit autem Pontifex in citato *Cap.* 2. *De Confessis in VI.* quòd si quis jussus à judice " respondere recu„ let, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet, „ super iis, de quibus in iisdem positionibus interrogatus „ extitit, pro confesso," quod & hodiernæ praxi est conforme, & extat ea de re expressus *artic.* 36. Ordinationum Curiæ Brabantiæ. Vide etiam Merulam in Praxi *lib.* 4. *tit.* 71. *cap.* 4. *num.* 4.

XXXVI. Addit nihilominus Pontifex hanc notandam clausulam restrictivam, *si absq; rationabili causa recuset*.

Notat autem ibidem Glossa, *rationabilem causam* responsum recusandi esse, "si positio sibi proposita superflua esset „ vel impertinens, quæ probata non relevaret; vel obscura, „ vel generalis; item si sit de facto alieno; item si sit captio„ sa; item si sit impossibilis vel contra naturam: Item super „ crimine ejus, contra quem fiunt, non admittuntur posi„ tiones. Hæ ergò & similes sint rationabiles causæ, propter „ quas respondere non teneatur." Hactenus Glossographus, qui id ibidem latiùs ostendit, & post illum fusiùs deducit Damhouderus in Praxi rer. civil. *cap.* 154. ubi unà notat *num.* 32. qua forma responsiones fiant tam in Concilio Flandriæ, quàm Parlamento Mechliniensi coram Commissario ordinato & deputato ad informationem faciendam, & coram suo adjuncto.

XXXVII. Hinc Actor postquam suas positiones collegerit & formaverit, tunc eas judici in scriptis exhibere debet, ut tam Partes quàm judex videant, an sint tales positiones vel admittendæ, vel rejiciendæ, ait Damhouderus ibidem *c.* 152. additque: " Nam debet judex eas positiones exami„ nare, an faciant ad causam, & an sint admissibiles, & non „ captiosæ, non negativæ & sic de aliis, idque Partibus præ„ sentibus."

XXXVIII. Si de *facto proprio* ipsius respondentis agatur, illudque ad causæ decisionem serviat, ac clarè proponatur, difficulter à responso se eximere poterit interrogatus; decernuntq; expressè Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 34. quòd litigantes eorum vel Procuratores teneantur respōdere super *factis propriis* simpliciter & absolutè absq; ulla additione, vel excusatione ignorantiæ, oblivionis, impertinētiæ, aut alterius sub pœna sex florenorū. Verba articuli sunt: *ende sullen de voorscreven partyen oft heure procureurs moeten antvvorden op'eghene, d'vvelck van heur eygene feyten vvesen sal, naecktelyck ende absolutelyck sonder tot de selve te moghen vueghen eenighe additien oft excusatien van ignorantie, vergheten theyt, impertinentie, oft andere, op pene van ses Carolus guldens, d'een helicht t'onsen proffyte, ende d'andere helicht tot behoef van de geinteresseerde partyen*. Id est: Debebuntque dictæ partes, aut eorum Procuratores ad ea, quæ facta propria concernunt, simpliciter & absolutè respondere, nec liceat illis additiones, aut excusationes seu ignorantiæ seu oblivionis, ineptias aut alia apponere sub mulcta sex florenorum Carolinorum, cujus altera medietas nostro emolumento, alter parti, cujus res agitur, cedet.

Similem pœnam sex florenorum imponunt *art.* 35. ei, qui detegitur facta aliqua calumniosè posuisse, aut negasse.

XXXIX. Sæpiùs citatæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ *a.* 33. non permittunt responsiones fieri per Procuratorem, dum de *facto proprio* Partis respondētis agitur, nisi ob morbum vel absentiam, aliamve rationabilem causam à Parte ipsa fieri non possent; quo casu Procurator habens *speciale* mandatum (quod exhibere tenebitur Commissariis in præsentia Partis adversæ) continens factum, vel facta, super quibus Pars deberet respondere, poterit dictas responsiones facere, & non alias. Notat quoque Rebuffus citato loco, requiri in Gallia *speciale* mandatum ad respondendum, nec sufficere generale; & ita aliquando judicatum fuisse.

Secundùm stylum Concilii Flandriæ & Parlamenti Mechliniensis, quando altera Partium non est præsens, sed est absens, tunc jurat illius absentis Procurator in eadem causa sui Magistri, uti refert Damhouderus *c.* 153. *n.* 3.

XL. Cæterùm cùm hæ responsiones fiant prævio juramento *de calumnia*, satis manifestum est, summâ sinceritate in his responsionibus esse procedendum; summoperéque cavendum, ne quid falsi aut contra veritatem dicatur:

Dicit Damhouderus citato *cap.* 154. *n.* 39. quòd " multi Advocati & Procuratores nonnumquam consulunt Do„ minis ac Magistris suis, ut illum aut illum articulum ne„ gent, ut non confiteantur, quòd ipsi cum tali confessione, „ etiamsi vera esset, suam causam perderent, aut in sua cau„ sa succumberent. Sed hi (ait Damhouderus) non con„ siderant, quòd veritatem simulanter & falsò negando, „ suas animas damnant, & ita veritatem negantes, ad in„ ferna descendunt."

XLI. Observat Rebuffus in allegato Tractatu *art.* 2. per Constitutionem Francisci I. an. 1539. *art.* 36. prohibitum esse, ne de cætero responsiones fiant *per credit*; easque ideo sublatas arbitratur, " quia Partes super his frequenter „ pejerabant, existimantes falsò, se non ligari, si jurarent „ *per non credit*: licèt de jure tantum valeat confessio per „ verbum *credit*, sicut facta de veritate." Quod & monet Glossographus ad *Cap.* 32. *X. De Jurejurando*, verbo, *occultâ Veritate*.

XLII. Nec dubium, quin vi juramenti præstiti teneatur respondens dicere sincerè circa veritatem facti, quod putat subesse. Unde si re ritè discussâ, putet reverâ factum propositum esse verum, non poterit citra perjurium respondere *non credit*; cùm ita in effectu dicat, idque sub juramento, quòd factū non putet sive credat verum; ubi tamen reverâ sciat, & credat esse verum, Judicis erit super his subinde monere & instruere Partes, præsertim quas meritò præsumit rudiores, & ad vim juramenti minùs reflectentes.

XLIII. Dicit Damhouderus citato *c.* 152, *n.* 15. " Obla„ tis igitur ab Actore positionibus, quærat Judex primò à „ Ponente actore, sic ponis tu, vel credis tu N. per juramen„ tum à te præstitum, quod in his positionibus continetur. „ Et si affirmativè respondeat, quòd sic, tunc convertet „ se ad Reum, contra quem fiunt positiones; & ipsum ad„ hortabitur, ut habitâ animæ salutis ratione, nihil horum neget, quod verum esse noverit."

XLIV. Responsionibus ad Positiones absolutis, restat probatio eorum factorum dumtaxat, quæ Pars adversa respondit *per non credit*, sive ad quorū veritatē nec explicitè, nec implicitè cōfessa est. Quæ enim Pars in suis Responsivis confessa est per verbū *credit*, ulteriùs probari non debent:

ad

minec ea, ad quæ per contumaciam respondere noluit: utpotè quæ pro confessis habentur, uti supra notavimus.

Probatio autem factorum, quæ Pars in judicio inficiatur, potissimùm fit tribus modis; per testes, per scripturas, & instrumenta, & per juramenti delationem à Parte, aut à Judice; idque juxta factorum & causæ conditionem & naturam, prout in sequentibus explanabitur.

CAPUT VI.

De Probatione per Testes.

1 *Probatio per testes solet præferri probationi per instrumenta.*
2 *Qui testes producere intendit, terminum ad eos producendum à judice petere debet; & quid hic hodie obtineat.*
3 *Non facilè citra sententiam Partes ad probandum admittendæ.*
4 *Judex viso processu Partes aut alteram earum ad probandum ex officio admittere potest.*
5 *Solent designari Commissarii ad examen testium.*
6 *Testes à Judice citandi sunt licèt à Parte produci debeãt.*
7 *Testes ad dandum testimonium etiam cogi possunt.*
8 *An testis qui Apparitori vel Judici declarat, se nihil de causa hac scire, cogi queat ad testandum?*
9 *Nonnullæ personæ excusantur à ferendo testimonio; & quid de Clericis coram Judice laico?*
10 *Quomodo audiendi & examinandi testes infirmi, aut in remotis degentes?*
11 *Regulariter duo testes plenè probant.*
12 *Modo sint omni exceptione majores.*
13 *De Jure omnes testes censentur idonei, nisi ostendantur excepti.*
14 *Moribus hodiernis Judex testem non repellit, nisi Parte opponente: Judicis autem est arbitrari, quæ fides ei adhibenda.*
15 *Possunt super eodem plures, quàm duo testes produci; nimia tamen multitudo à Judice refrænanda.*
16 *Hodie ultra 10. testes super eodem facto non producendi.*
17 *Fallit in probatione consuetudinis, styli, privilegii, & similium.*
18 *Hæc per* Turbas *probari solent: quæ constat ut minùs 10. testibus.*
19 *Pro turba non ultra 30. testes producendi, nec ampliùs quàm tres turbæ.*
20 *Testes jurare debent de dicenda veritate.*
21 *Convenit juramentum præcedere depositionem testis.*
22 *In repetitione seu recollectione testium coram Judice superiore, an renovandum juramentum?*
23 *Judex instruere debet testes super præstando juramento.*
24 *Citanda Pars adversa ad videndum jurare testes; ea non comparente poterit ulteriùs procedi.*
25 *Producens testes debet exhibere articulos, super quibus testes audiendi & interrogandi.*
26 *A Parte adversa dantur Judici interrogatoria; & quæ sit eorum forma?*
27 *Ratio introductionis interrogatoriorum.*
28 *Designationes articulorum & interrogatoria actis litis inserenda sunt.*
29 *Interrogatoria Parti adversæ non communicantur; sed à Judice examinantur.*
30 *In Curiis Regiis interrogatoriorum usus non est.*
31 *Testes singulatim, & secretò examinandi.*
32 *Monendi testes à Judice, ut exactè attendant ad articulos sibi propositos.*
33 *Judex in examine testium ad quæ potissimùm attendere debeat.*
34 *Non recipienda depositio testis relativa ad depositionem alterius.*
35 *Testis non satisfacit, tradendo suam depositionem scripto.*
36 *Depositiones testium scripto à Notario excipiendæ, & quid hic observandum?*
37 *In scribendis depositionibus testium quæ exprimenda, & quæ omittenda?*
38 *Omnium & singulorum testium depositiones integrè, & ad longum excipiendæ.*
39 *Depositiones scripto exceptæ testibus relegendæ sunt.*
40 *Quomodo depositiones à testibus signandæ sint?*
41 *Depositiones testium à Commissariis non possunt publicari.*
42 *De Jure communi debet fieri publicatio depositionum & testium ante sententiam.*
43 *In Gallia jam pridem usus invaluerat non publicandi depositiones.*
44 *Idem usus in Belgio aliquando obtinuit.*
45 *Abrogatus generaliter per edictum perpetuum de anno 1611.*
46 *Etiam in Curiis Ecclesiasticis fit publicatio depositionum & testium; interdum tamen sola testium nomina.*
47 *Quis scopus publicationis?*
48 *Post publicatas depositiones vetita ulterior productio testium super iisdem aut planè contrariis articulis.*
49 *Interdum tamen permittitur; sed raro.*
50 *Publicatis depositionibus & nominibus testium permittitur testium reprobatio.*
51 *Unde hæc sumi soleat?*
52 *Qualitas testium inspicienda pro tempore dati testimonii.*
53 *An testis ab una Parte productus possit ab eadem reprobari, si contra ipsam producatur?*
54 *Reprobatio subinde sumitur ex iis, quæ depositiones concernunt.*
55 *Facta reprobatione testium admittitur salvatio.*
56 *Qualis terminus est datus ad reprobandum, etiam dandus ad salvandum.*
57 *In reprobationibus & salvationibus nihil impertinens ad causam est ponendum.*
58 *Terminus dandus ad probanda facta contra testes allegata.*
59 *Edictum Principum nostrorum vult reprobationes testium & depositionum, uti & eorum salvationes simul absolvi.*

I. INter modos facta probandi frequentissimus est, qui fit per testes; traduntque communiter Canonistæ, eum multò efficaciorem, ac digniorem esse, quàm qui fit per instrumenta; cùm etiam falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, per testes probari possit. *Cap.* 10. §. PORRO, *X. De Fide instrumen.* Hodie tamen in quibusdam causis admittitur probatio per sola instrumenta, & non per testes; ut in decursu ostendetur.

II. Si Actor per testes suam intentionem probare velit, vel Reus suam exceptionem, inprimis petere debet à judice admitti ad probandum, & dari sibi terminum ad probandum, sive terminum convenientem, intra quem suos testes producere queat. Hodie ferè receptum est, ut judex viso processu Partes, vel alteram earum ad probandum per sententiam interloquutoriam condemnet, vel admittat.

III. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *art.* 25. mandant: " Processus sic, ut præmittitur, instructus " ad Judicem deferatur, ut ipse dispiciat, an quæstio juris, " vel facti sit, sententiam suam diffinitivam, vel interlocutoriam ferat, nec antè citra sententiam ad probandum " Partes admittantur, nisi ambæ consentiant, & Judici nulla " suspicio subrêpat collusionis Procuratorum, aut Advocatorum, qui suo lucro velint expensas facere damno partium, ad earum jura tuenda non necessarias."

IV. Deinde *art.* 26. addunt: " Processu per Judicem " visitato, seu visis Actis, si testium productione opus esse " judicet, utramque partem, aut illam, quam ad fundandam " intentionem suam probatione indigere comperiet, ad " probandam admittet."

V. In Curiis Civilibus, dum Partes sunt admissæ ad probandum, solent deputari Commissarii, coram quibus testes

testes produci, & examinari debent; de quibus Commissariis designandis à Cancellario Curiæ Brabantiæ est expressus *art.* 29. dictarum Ordinationum.

VI. Post hæc, testes per Commissarium vel Judicem citari debent. Testes enim, qui sua sponte, nullâ præviâ citatione, ad ferendum testimonium se offerunt, suspecti esse solent.

Illud tamen notandum, quòd ipsi testes à Partibus vel per Partes produci debeant, & nullo modo à Judice, vel per Judicem, aut à Judicis officio; quia Judex ex suo officio, Partium facta in causis civilibus, aut in causis criminalibus civiliter intentatis, inquirere non potest; licèt id possit in criminalibus causis criminaliter intentatis. Ita Damhouderus in Praxi Rer. Civil. *cap.* 163.

Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *a.* 29. idipsum insinuant, ubi statuunt: "In probandi termino pendente, is, cui probandi onus incumbit, articulos scripto designabit, super quibus *productionem facere* intendet."

VII. Citati testes ad dicendum testimonium si contumaciter comparere, & testimonium ferre recusent, possunt etiam inviti, præsertim in Civilibus, cogi ad testimonium ferendum *Cap.* 2. *ʒ De Testibus cogendis*, & *L.* SI QUANDO, *Cod. De Testibus*, & Authenticâ ei subjectâ.

VIII. Imò si contingeret, quòd testis citatus Apparitori citanti responderet: "Ego non veniam, quia ego de causa nihil scio, tamen deberet venire & comparere, & ad hoc compellendus est, saltem ut illa declaret, & affirmet sub suo juramento," ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 163. *n.* 10. Si tamen ex circumstantiis satis appareret Judici, quòd testis nihil de causa illa sciret, meritò eum à subeundo labore, & præstando juramento absolvere posset.

IX. Sunt præterea quædam personæ, quæ à ferendo testimonio, etiã in civilibus causis, excusantur; de quibus agunt Doctores ad titulum Decretalium *de Testibus cogendis*: quibus & annumerant Clericos, præsertim in Sacris constitutos, quos asserunt excusari à testimonio ferendo, in causis etiam civilibus corã Judice laico, saltem sine licentia & consensu suorum Prælatorũ: quod tamen hodie non servari notat Bugnionius de Legibus abrog. *lib.* 3. *c.* 152. quin & cogi posse ad testimonium ferendum coram laicis in civilibus: quod & in Belgio servari notat Christinæus ad Bugnionium ibidem *cap.* 151. Et exprimitur in Concordatis inter Episcopum Cameracensem, & status Hannoniæ de anno 1541. *art.* 20. uti supra *cap.* 2. notatum est.

X. Si testes sint infirmi, vel in remotis partibus morentur, tunc subinde ipse Judex vel Comissarii ad locum ipsorum testium accedunt; atque ipsos testes personaliter audiunt & examinant: interdum verò in causis non arduis, ut parcatur sumptibus, scribitur Judici, sub quo degunt testes, ut eos recipiat & audiat juxta scedulam informationis eò transmissam, & secundùm formam ac stylum loci, uti loquitur Damhouderus citato *cap.* 163. *num.* 8. idque & in Curiis Ecclesiasticis est usitatissimum; mandaturque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 38. quòd "quando Judex ob sua impedimenta, locorum distantiam, Partium tenuitatem, & modicum causæ momentum vel aliàs non vacabit testibus per se audiendis, committet partes suas alteri ad hoc idoneo, qui, prout & ipse Judex, numquam solus, sed semper cum adjuncto idoneo, Partibus quàm minimè oneroso, & neutri partium suspecto, testes audiet."

XI. Regulariter duo testes sufficiunt ad plenam probationem, *L.* 12. *ff De Probationibus* ubi Ulpianus ait: "Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt: pluralis enim elocutio duorum numero contenta est." Quod est conforme huic Christi sententiæ: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

XII. Verùm ut duorum testium depositio super uno eodemque facto plenè probet, requiritur, ut hi testes sint omni exceptione majores; id est, ut nulla ex parte fides illorum vacillet, quales olim antiquo verbo legis XII. Tabularum *assidui* vel *classici* vocabantur, uti observat Wesembecius ad titulum De Testibus *numer.* 2.

XIII. Multi de jure testes esse prohibentur, & alii quidè generaliter in quibuscumque causis, & contra quascumque personas; alii in certis causis, & contra certas personas; qui passim à Doctoribus ad titulum Decretalium, Digestorum & Codicis *De Testibus* annotantur.

Omnes tamen censentur de jure idonei testes, qui specialiter non ostenduntur excepti, *Cap.* 1. *ʒ De Testibus*, & ibi Glossa, unà notans, quòd "edictum de testibus prohibitorium sit, ut quilibet admittatur, qui non repellitur."

XIV. Cùm ergo omnis testis de jure reputetur idoneus, nisi ostendatur exceptus, Partis est exceptionem adversùs testem opponere: moribusque receptum est, ut judex testè non repellat, nisi Parte opponente: ipsius tamen arbitrio relictum manet, quantum fidei tribuat, juxta *L.* 3. §. 1 & 2. *ff. De Testibus*; ubi asseritur: "Divus Adrianus Vivio Varo Legato Provinciæ Ciliciæ rescripsit, eum qui judicat, magis posse scire, quanta fides habenda sit testibus." Idipsum latiùs exprimitur in *L.* 21. §. 2. *ff. eod.*

XV. Licèt duo testes omni exceptione majores sufficiant ad plenam probationem, quia tamen nonnumquam fides testium aliqua ex Parte debilitatur, prohibitum non est, imò & nonnumquam consultum ad firmiorem & clariorem probationem plures testes adducere: modò tamen caveatur, ne superflua multitudo testium ad divexandum Adversarium sumptibus, producatur; volueruntque jam pridem Romani, ut licentiam producendi testes ita Judices moderentur, "ut eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur: ne effrænatâ potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. *L.* 1. §. 2. *ff. eod.*

XVI. Moribus hodiernis plerisque Curiarum Ordinationibus cautum est, ne super uno eodemque articulo ultra 10. *testes* producantur; quemadmodum de Parisiensi Parlamento testatur Masuerus De Judiciorum Praxi *sub Rubrica de testibus col.* 6.

Et in Curia Brabantiæ *art.* 44. injungitur Commissariis, quòd super uno facto non possint ultra 10. testes audiri, nisi in causis Fiscalibus, vel aliis magni momenti arbitrio Cancellarii & Concilii: & si ultra 10. testes essent auditi, hi non taxabuntur ad onus partis adversæ. Testaturque Antonius Faber in Codice *lib.* 4. *tit.* 15. *Definit.* 6. in notis, stylo Senatûs Sabaudici cautum esse, super eodem facto ultra 10. *testes* non audiendos.

XVII. Idem numerus testium præfigitur in citatis Ordinationibus Curiarum Eccl. *art.* 25. addita hac exceptione: "Nisi quando vertitur quæstio super consuetudine, aut Judex, meritis causæ excussis, aliud decreverit."

Quod hîc dicitur de *consuetudine*, ut in hujus probationem plures quàm 10. testes admitti queant, similiter locum habet, ubi de usu aut stylo alicujus Curiæ, aut de privilegiis diu usitatis controversia est; uti monet Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 164.

XVIII. Hæc enim vix sine multitudine testium uniformiter deponentium probari possunt; diciturque probatio per *Turbas*; quasi turbatim populus testaretur. In citato *art.* 44. Ordinationum Curiæ Brabantiæ declaratur, quòd una *turba* habebitur tantùm pro unico teste. Turba autem constat 10. testibus, uti observat Merula in Praxi *lib.* 1. *tit.* 65. *cap.* 13. *num.* 4. asseritque Antonius Faber loco citato *Definit.* 14. quòd super consuetudine plures testes per *turbam* quidem audiri possint, "ita tamen (ait) ut non paucioribus quàm *decem* testibus turba constet."

XIX. Addens unà ex Rebuffo, "nec tamen posse adduci ultra 30. testes pro turba, & quòd probatio recipiatur ad tres turbas, & non ampliùs."

XX. Ut dictis testium fides in judicio habeatur, hodie requiritur, ut priùs coram judice præstet juramentũ de dicenda veritate: nec testi, injurato hodie in judicio creditur; & licèt hoc juramentũ non sit pars litis, aut de substantia processûs, non potest tamen omitti, nisi de consensu utriusque Partis,

Digitized by Google

Partis, & judice probante, *Cap. 39.* ‡ *De testibus*, & ubi Glossa verbo *Remittatur*. Vide etiam Merulam in Praxi *lib. 4. tit. 65.*

XXI. Planè convenit juramentum hoc non sequi, sed antecedere testimonium, uti & Praxis observat: „Nam faciliùs „religio à falso absterruerit, quàm ad confitendum de falso „adegerit;„ uti rectè advertit Tuldenus in Codice ad titulum *De Testibus*: qui tamen adjungit; „Sed non utiq; hoc or„dine converso irritum fuerit testimonium. „ Vide etiam Damhouderum in Praxi rerum civil. *c. 166. n. 11.*

XXII. Monet Merula *n. 7.* quòd si quis juramento præstito deposuerit coram arbitro, aut Judice subalterno, si post modum coram Judice superiore cogatur renovare eandem depositionem, non videatur cogendus ad renovandum juramentum: quod sanè æquum & justum apparet; ne juramenta nimis leviter, & sine sufficienti causa (prout hodie frequenter admodum contingit) exigantur & præstentur; & ita Nomen Domini in vanum assumatur.

XXIII. Priusquam testes ad jurandum admittantur, meritò Judex sollicitus est, ut testes sint ritè instructi de ipso juramento quæ contineat; quàmq; grave sit juramento quidquam falsi, præsertim in judicio, & in præjudicium tertii testificari. Hinc in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. 11. art. 38.* expressè mandatur Judici vel Commissario seu Delegato ad audiendos testes, quòd testes „ante omnem depositionem ad veritatem adhortabitur, & „iis specificè pœnas perjurii exponet: quàm imprimis gra„viter Deum offendat testis falsum deponens, aut verum „subticens; Judicem quoq; qui secundùm probata judica„re debet, fallat; & partem vehementer lædat, quod ad re„stitutionem totius damni, quod pars ea de causa patitur, „teneatur.

XXII. Hoc testium juramentum præstandum est, Parte illa contra quam producuntur, legitimè citata; quæ si per se, vel per Procuratorem compareat, in ejus præsentia præstandum est. Si autem legitimè citata non compareat, poterit ipsa absente recipi juramentum, & procedi ad auditionem testium, *Cap. 2.* ‡ *De Testibus*, & ibi Glossa. Imò in sæpius citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. *tit. 11. art. 27.* præcipitur, ut Judex ad examen testium non procedat, nisi de „Partis ad videndum *jurare* testes citatione constiterit, quæ „in initio suorum actorum seu examinis describi per Graphiarium, seu alium adjunctum curabit. „ Dicitur autem „*art. 41.* „Si pars citata ad videndum testes jurare se absen„tes, procedetur nihilominus à Commissariis ad examen, „Eadem habentur in Ordinat. Curiæ Brab. *art. 559.*

XXV. Ante examen testium, pars testes producens, debet prius intentionem suæ examinationis faciendæ ex petitione sua elicere, eamq; in scriptum quoddam redigere Judici tradendum, ut super articulis ibidem designatis testes producendos examinet.

XXVI. Insuper Interrogatoria à Parte contra quam testes producuntur, judici exhibentur, de quibus in *Cap. 2. De Testibus in VI.* ubi Glossa verbo *Interrogatoria* dicit Interroga„toria sunt quæ facit Pars testibus productis contra se, & „dantur super articulis à Parte producente exhibitis. For„ma Interrogatoriorum hæc est: Si dixerit testis verum esse „quod primo intentionis articulo continetur, quæratur ab „eo quomodo scit, & si præsens erat, & ad quid ibi erat, & si „vidit, aliave his similia, secundùm quod facient ad factum; ut latius eam describit Glossographus loco citato.

XXVII. Interrogatoriorum usus potissimum introductus fuisse apparet, ut ex responsis super iisdem, testium fraudes, falsitates & subornationes faciliùs & clariùs deprehendi & cognosci possent, quemadmodum notat Merula loco citato *cap. 8. num. 3.* quare nec à parte producenda generalia aut inutilia interrogatoria, quæ dumtaxat ad causam protrahendam, Partem producentem expensis onerandam, & vexandum Commissarium facere videntur: quæ omnia Judex rejicere debet, uti ibidem monet Merula *n. 4.*

XXVIII. Circa articulos monent citatæ Ordinationes Curiarum Eccles. *tit. 11. art. 29.* quòd, „ nullos designabunt ad recipiendas probationes, sub pœna unius floreni, nisi qui „ in lite propositi & adversario communicati fuerint: De„ signationes verò articulorum & interrogatoria, actis, „ tamquam eorum pars inserenda sunt.

XXIX. Ut autem interrogatoriorum finis supra designatus habeatur, hæc „ de consuetudine & de jure non dantur „ Parti adversæ, ne posset super his instruere testes suos: sed „ Judex per se vel Assessorem examinat illa: & si qua reperit „ superflua vel impertinentia, illa resecat. „ Ita Glossa loco citato.

XXX. Innuit autem ibidem Glossographus, non semper interrogatoria exhiberi; imo nec in omnibus Curiis eorum usus est. Et quidem *art. 72.* Ordinationum Curiæ Brab. interdicitur Partibus, ulla Interrogatoria Commissariis subministrare. Verba sunt: *Dat Partyen de Commissarissen egeen interrogatorien en sullen mogen overgeven.* Et teste Damhoudero in Praxi rerum civil. *c. 170. n. 16.* in magno Mech„liniensi, & in Provinciali Flandriæ Conciliis, Commissari„us format sua interrogatoria, in omnibus iis, quæ ipsi ali„quo modo ad veritatis inquisitionem pertinere videbun„tur.

XXXI. Testes præstito juramento parte adversa præsente, aut saltem legitimè citata & absente, à Commissario vel Judice super articulis designatis *singulatim* examinandi sunt, hoc est, quilibet seorsum, sic ut nullus sciat, quid alter dixerit, seu deposuerit; & *secretè* nemine præsente, præter Commissarium seu Judicem, & Graphiarium seu Secretarium vel Notarium, qui depositiones excipiat. Damhouderus in Praxi rer. civil. *c. 170.*

Quamvis enim Pars adversa in præstatione juramenti admittatur, non tamen in ipsa depositione.

XXXII. Commissarius seriò admonere & instruere debet testes, ut ritè advertant ad facta super quibus interrogabuntur; nec aliud dicant, quàm sicut revera in animo credunt; utque clarè & lucidè loquantur.

XXXIII. Judex autem sive Commissarius, „eosdem dili„genter juxta data, aut alioquin juris interrogatoria, de „tempore, loco, causa scientiæ, aliisq; necessariis circum„stantiis, exactè examinabit, „ inquiunt Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. 11. art. 38.*

Idipsum præcipitur in Ordinat. Curiæ Brab. *art. 57.* volentes insuper, ut veritatem, & rationes scientiæ ritè inquirant. Plura quæ ad rectam normam examinandi testes pertinent vide apud Damhouderum citato *c. 170.*

XXXIV. Notat ibidem Damhouderus, „ non esse recipi„endum testem qui ad hunc modum deponere volet; Ego „Petrus testor & depono idem quod Joannes deposuit. „Nescit enim Petrus quid Joannes deposuerit, neque quid „Commissarius ab ipso exquisiturus erit.

XXXV. Testis debet coram & in præsentia judicis testimonium ferre; neq; sufficeret scripto ad judicem misso testari. Etenim judicis aspectus vel reverentia sui refrænat audaciam falsi, vel id ex vultu & titubatione deprehendit judex, uti rectè observat Tuldenus in Codice ad titulum *De Testibus n. 7.*

XXXVI. Depositiones testium singulorum debent scripto excipi: alioqui Curia aut judex non posset quidquam ex depositis legitimè judicare. In conscribendis autem testium depositionibus, à Commissario adhibenda est magna prudentia & diligens cautio, ut in scribendo linguam, idioma & modum loquendi testium quàm proximè imitetur, & iisdem utatur terminis quibus testis usus est in deponendo, ait Damhouderus ibidem *n. 32.* quod & expressè mandant sæpius allegatæ Ordinationes Curiæ Eccles. *tit. 11. art. 44.* additâ hâc ratione: *Quoniam in utroq; idiomate magna vis verborum est.*

XXXVII. Eisdem Ordinationibus *art. 43.* statuitur: „Superflua præambula circa testimoniorum extensionem, „deinceps volumus omitti, sed solùm præmitti nomen, „cognomen Commissarii & testis ejusdemq; testis ætatem, „habitationem, an partium sit consanguineus, vel affinis,

„an eosdem nôrit,& an commodum,vel incommodum,ex „litis decisione expectet,quodq; citatus, expositisq; specificè ei perjurii pœnis, examinatus super interrogatoriis „fieri petitis,puta primo, aut tali articulo, ita respondebit.„

XXXVIII. Ne tamen compendiosè procedere volens depositiones obscuras aut ambiguas reddat mandatur in iisdem Ordinationibus ibidem *art.* 44. „Numquam,sub pœna trium florenorum,scribetur,quod unus testis concordat cum altero,aut quod testis deposuit contenta articuli „esse vera,sed claris & apertis verbis ad longum scribetur „id,quod quisq; deposuerit,& attestatus fuerit.

XXXIX. Ut verò certior & firmior sit depositio;ipseque testis majori cum judicio & maturitate testetur, præcipitur eodem *art.* 44. „Et de verbo ad verbum testimonium notatum testi relegetur,& iterum interrogabitur,an sua depositio sit benè,fideliter,& juxta mentem suam ac intelligentiam scripta.„

Idem mandant Ordinationes Curiæ Brab. *art.* 37. adduntque,testes post habitam lecturâ posse persistere vel mutare.

XL. Ulterius depositio propriâ subscriptione munietur, „si testis scribere nôrit;& si propter senium,imperitiam,& „alia impedimenta signare non valuerit, in ejus præsentia „Commissarius,vel Graphiarius, cùm aderit, apposito per „deponentem propriâ manu aliquo signo, ipsius nomen „subscribet.

Hæc in citatis Ordinationibus Curiar. Eccles. citato *art.* 44. Vide quoque *art.* 39. Ordinat. Curiæ Brab.

XLI. „ Depositiones testium, donec à judice publicatæ „fuerint,secretas servent Commissarii,neq; originales de„positiones Partibus tradantur,sed post publicationem petentibus illarum copia conficiatur, & Commissarii testibus simile silentium sub pœna arbitraria imponent: pro„ut etiam de jure sub pœna damni, quod inde sequitur, „resarciendi,servare tenentur.„ Ita dictæ Ordinationes Curiar. Eccles. *art.* 47. & concordat *art.* 37. Ordinat. Curiæ Brab.

XLII. De jure communi ante sententiam debet fieri publicatio depositionum *Cap.* 24. §. DEBET ⁏ *De Accusat.* Imò Glossa in *L.* PROLATAM *Cod. De Sentent. & interlocut*,sententiam nullam esse tradit,quæ non publicatis testimoniis lata est.

XLIII. In nonnullis tamen Curiis,præsertim Regiis jam pridem invaluerat,ut nulla publicatio depositionum,etiam in causis civilibus,fieret;idq; propter securitatem testium, ne ipsi incurrant odium partium contra quas deposuerunt, & ut faciliùs deponant,quod fortè non auderent, si Partes illustres,aut alii magni Domini scirent,aut videre possent illorum depositiones;quod & in Gallia passim Curiæ servarunt usq; ad annum 1549. quando Franciscus I. decrevit,ut in materiis civilibus ubique fiat publicatio depositionum, quousque aliter fuerit ordinatum.

Excipit tamen hæc ordinatio Parlamentum Parisiense nec non Cameram supplicationum,in quibus non solet fieri publicatio,uti notat Rebuffus in tractatu *De Publicatione attestationum* Glossâ unâ *n.* 2. & 3. additq; nec in Parlamento Tholosano hunc articulum Ordinationis fuisse receptum,nec in supremis Curiis.

XLIV. Ex Gallia usus ille non publicandi depositiones etiam in Belgium irrepserat,uti de Mechliniensium & Flandrorum Conciliis testatur Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 182. & de Curia Hollandiæ testatur Merula in Praxi *lib.* 4. *tit.* 78. *c.* 1. *n.* 3. eumq; usum durasse usq; ad tempora Philippi II. Regis Catholici,satis innuitur in rescriptis ejusdem Philippi ad supplicationem Statuum Hollandiæ anno 1556. & ad supplicationem Statuum Brabantiæ anno 1575. quibus permittit & ordinat,ut in causis,etiam tunc pendentibus nondum decisis,ad petitionem Partium fiat publicatio & notificatio depositionum seu attestationum. Rescripta latinè reddita extant apud Damhouderum dicto *c.* 182. & datum ad supplicationem Statuum Hollandiæ refert Merula dicto *c.* 1.

XLV. Sed cùm hæc rescripta non omnes Curias Belgii concernerent,usus antiquus in nonnullis adhuc Curiis perseverabat,quousque per dictum perpetuum Alberti & Isabellæ anni 1611. *art.* 10. ordinatum fuit, ut in omnibus Curiis & Tribunalibus justitiæ,sive supremis,sive subalternis,quæ Principibus suberant,publicatio depositionum fiat juxta dispositionem Juris communis: quod ubique hodie in Belgio observatur teste Christinæo ad Bugnyonium De Legib. abrog. *lib.* 2. *cap.* 117. utque fiat in suprema Curia, aliisque subalternis per totam Brabantiam, expressè præcipit *art.* 76. Ordinat. dictæ Curiæ.

XLVI. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 48. volunt: "Terminis probatoriis elapsis pe„tent Partes à judice publicationem testium, qui de consensu Partium publicationem faciet, & copiam decernet. „Si tamen altera pars in publicationem consentire recu„set,ea non fiat,nisi decreto judicis pro tribunali sedentis.

Interdum autem & in civilibus causis depositiones ipsæ publicandæ non sunt; sed dumtaxat nomina testium; ubi scilicet certum,aut verisimile erit, ex depositionum publicatione testibus periculum imminere,uti habent citatæ Ordinationes *art.* 49.

XLVII. Publicatio hæc potissimùm fit,ut Pars adversa possit scire quid testes deposuerint;atque ex illis cognoscere,in quo statu causa sit: an cedere,an ulterius decisionem causæ exspectare; ita ut videat, an dicta testium refellere queat; aut eorum auctoritatem enervare, objiciendo testibus ea, quæ fidem ipsorum diminuant, sive suspectam reddant.

XLVIII. Post publicatas attestationes non licet amplius ad alias productiones testium super iisdem articulis, vel planè contrariis recurrere, propter periculum subornationis, quæ facilè committi posset ad supplendas vel emendandas priores attestationes, ut statuitur *art.* 74. Ordinat. Curiæ Brab. & multis citatis notat Christinæus loco citato *cap.* 109. asseritque, in Belgio usu receptum esse, ut nec per viam restitutionis id permitti soleat.

XLIX. Quibusdam tamen casibus productionem testium,post factam publicationem admittendam esse ostendit Antonius Faber. in *Cod. lib.* 4. *tit.* 15. *def.* 5. monet tamen *definit* 31. productionem testium post publicata testimonia parcissimè & perraiò esse indulgendam. *Definit.* 63. autem scribit, post apertas testificationes, si nondum sint discita testificata, audiri testes posse, quia cessat periculum subornationis.

L. Publicatis depositionibus & nominibus testium,moribus hodiernis permittitur Partibus eos reprobare; id est, exceptiones proponere aut contra personas, aut dicta testium;ipsæq; Ordinationes *Curiarum Eccles. tit.* 11. *art.* 50. volunt,ut " terminus octidui, vel quindenæ pro omnimo„da dilatione, & sub pœna seclusionis ad excipiendum „contra testes,eorumque dicta præfigatur."

LI. Reprobatio hæc frequenter sumitur ex factis sive circumstantiis,quæ ipsas personas testium concernunt: alleganturque ad enervandam vel minuendam fidem testium; puta quòd sit infamis, perjurus, consanguineus producenti,aliaque similia, quæ latè enumerant Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 186. & Merula *lib.* 4. *tit.* 78. *cap.* 4. hoc rectè monens *num.* 69. quòd ordinariè non tantùm valeat testimonium testis pauperis, quàm divitis; eò quòd pauper faciliùs corrumpi possit.

LII. Notandum quoque monet *n.* 70. quòd testis consideretur in ea qualitate,qua erat tempore præstiti juramenti & factæ depositionis;non autem qualis sit tempore reprobationis. Unde si post depositionem factus esset affinis illius pro quo deposuit, non posset propterea reprobari, si modò tempore depositionis fuisset non suspectus.

LIII. Observat item *num.* 71. quòd testis ab una Parte pro se productus,non possit reprobari, si in eadem vel alia causa contra ipsam à Parte adversa producatur, quia per productionem factus est *omni exceptione major*: quod tamen intelligendum est, modò non accesserit nova aliqua cir-

circumstantia, quæ ipsum suspectum reddit; putà quia inte- rea factus est affinis Partis adversæ, vel junxit se in causa &c.

LIV. Desumitur quoq; non rarò reprobatio ex aliquibus circumstantiis quæ ipsas depositiones spectant; putà quod sint obscuræ; vacillantes; nihil certò affirmantes aut negantes; sibi contrariantes; destitutæ rationibus scientiæ; sine fundamento assertæ; impertinentes ad articulos propositos &c. Vide Merulam loco citato c. 5. & Damhouderum *cap.* 135.

LV. Post reprobationes testium & depositionum factas, permittitur Partibus facere *salvationes*, quæ sunt defensiones aut solutiones contra reprobationes à Parte productas, quibus suam productionem, suos testes eorumque depositiones justificare nititur.

LVI. In Ordinationibus Curiarum Ecclesi. citato *art.* 50. statutur, ut exceptionibus per reprobationem exhibitis, „similis terminus [octidui aut quindenæ] sub pœna seclusio- „nis, ad *salvandum* statuatur & per salvationum exhibitio- „nem, vel ubi Pars iis renuntiaverit, conclusum censebitur „in causa.„

LVII. „Illud tamen in prædictis exceptionibus & salvationibus sedulò cavendum erit (ajunt dictæ Ordinationes *art.* 51.) ne quidquam allegetur, aut proferatur, quod earum „naturam non sapiat; & si contrà factum fuerit, nullam ju- „dex eorum habeat rationem, quin etiam, si ita expedire „judicaverit, pro officio suo rejiciat.„

LVIII. Additur ibidem *art.* 52. „Si quæ facta in exceptio- „nibus in testes, vel salvationibus allegentur, testes con- „cernentia, quorum probationem necessariam ad causæ „decisionem æstimabit judex præfigetur quindena, vel „mensis, ad eorundem factorum probationem, prout res „exiget, sub unica tantùm dilatione.„

LIX. Principes in Edicto de 28. Novemb. 1611. interpretativo *art.* 10. Edicti perpetui ejusdem anni, volunt, ut in uno eodemq; volumine testium personæ reprobentur, & depositiones ipsorum confutentur, idque sub unico termino aut dilatione; & simili ritu *salvationes* fiant.

CAPUT VII.

De Probatione per instrumenta: & de Notariis Apostolicis & Regiis.

1 *Frequens est probatio per instrumenta; & quid hîc significet instrumentum.*
2 *Auctoritas instrumentorum varia est pro diversitate illorum.*
3 *Quæ dicantur instrumenta publica?*
4 *Instrumenta publica debent esse confecta à persona publica & in forma legitima.*
5 *Debet esse* publica *ad scribenda sive conficienda instrumenta.*
6 *Hinc Scriptura judicis non solet reputari pro publica.*
7 *Neque littera scripta à Rege.*
8 *Quare Scriptura non sit semper publica, licèt à publica persona sit scripta.*
9 *Qui hodie ad conficienda instrumenta sunt constituti, dicuntur Notarii à* Notis.
10 *Notarii alii Regii, alii Ecclesiastici; & unde hæc distinctio orta?*
11 *Notarii Ecclesiastici alii sunt Episcopales, alii Apostolici; & cur priores penè desierint?*
12 *Synodus Tridentina permittit Episcopis examen Notariorum quacumque auctoritate creatorum.*
13 *Decretum Synodi quoad Notarios auctoritate Regia admissos in Belgio receptum non est.*
14 *Notarii Apostolici examinati a persona in Dignitate constituta juxta litteras Apostolicas possunt in Belgio ab Episcopis examinari.*
15 *Litteræ creationis Notariorum Apostolicorum expediuntur in forma commissoria; quæ refertur.*
16 *Creandus in Notarium ex tenore litterarum potest quamcumq; personam in Dignitate constitutam in examinatorem eligere.*
17 *Hinc natum est fieri, ut & imperiti admittantur.*
18 *In Gallia Notarii Apostolici debent ab Ordinariis locorum examinari & admitti.*
19 *Examinis & admissionis litteras habere tenentur.*
20 *Nomina eorum, item locus domicilii & residentia registrari debent in graphiario Episcopali, & Curiæ Præsidiali ipsius Diœcesis in qua residere volunt.*
21 *Tenentur residere in oppidis & locis insignioribus, non ultra numerum à Curiis Præsidialibus taxatum.*
22 *Referuntur verba Edicti Henrici II. quibus præmissa statuuntur.*
23 *Hæc non tantùm in materia possessoria Beneficiorum obtinent.*
24 *Notarii Apostolici non possunt exercere in Gallia officium Notariatus, nisi in una Diœcesi, in qua juxta formam præscriptam admissi sunt.*
25 *In Belgio ex Edicto Caroli V. nullus potest exercere officium Notariatus, nisi à Concilio Provinciali prævio examine admissus.*
26 *Negotia merè profana non aliter quàm coram Notariis à Regiis Conciliis admissis in Belgio expediri possunt.*
27 *Idipsum in Gallia jam pridem receptum; neq; testamenta à Notariis Apostolicis confici possunt.*
28 *Hac & aliorum Regnorum moribus recepta.*
29 *Notarii Apostolici penè solùm in materiis Ecclesiasticis adhibentur; & quæ sint hâ materia remissivè.*
30 *Expressio qualitatis, Curiæ in qua admissus, & loci residentiæ à Notario facienda.*
31 *Notarii instrumenta conficere non possunt nisi rogati; neque pro personis omnino ipsis ignotis*
32 *Edicto Principum nostrorum injunctum Notariis servare prothocolla; eaque fideliter registrare.*
33 *Quantum dependeat ab hac fideli conservatione.*
34 *Notarius Apostolicus hanc conservationem juramento promittit.*
35 *An in confectione instrumenti publici requiratur subsignatio testium cum subsignatione Notarii?*
36 *Quid de expressione temporis quo instrumentum conficitur; item de invocatione Numinis, anni regnantis Principis, &c.*
37 *Scriptura signata à publicis Graphiariis vel Secretariis; vel sigillata publico sigillo; item acta judicialia pro scripturis* publicis *habentur.*
38 *Antiqua scriptura aut vetusta insignia; quæq; reperiuntur in antiquis libris, quam probationem faciant?*
39 *Quid de antiquis historiis?*
40 *Contenta in libris confectis per Officiales* publicos, *quam fidem faciant?*
41 *Instrumentum sumptum ex archivo publico facit* plenam *fidem.*
42 *Quod dicatur archivum* publicum?
43 *Instrumentum* originale *unde dicatur; & quare vocetur* authenticum?
44 *Quod hodie habeatur pro instrumento* originali?
45 *Solus Notarius qui confecit Minutam potest ex minuta facere instrumentum originale.*
46 *Copiis licèt authenticis, quare in judicio fides haberi non soleat?*
47 *Debent conferri cum originali? & quomodo hæc collatio facienda?*
48 *Sicuti examen testium, ita & collatio instrumenti alteri committi per judicem potest.*
49 *Instrumenta quæ vetustate corrumpi incipiunt, auctoritate judicis renovari possunt.*
50 *Trad[illegible]onem solemnem exemplaris ex originali probat jus co[illegible]une.*
51 *Traductio fieri debet ex originali.*
52 *Instrumentis publicis plena fides adhiberi solet quoad omnia quæ di*spositivè *asseruntur.*

53 *Quæ*

Digitized by Google

„requirere Papam *Cap. ult.* ✠ *eod.* Clericus facilius po„test requirere Episcopum; unde tenetur primò requirere „ipsum.

XXIX. Verùm nec hoc de Clericis hodie servatur, præsertim dum exigitur juramentum à Judice Ecclesiastico.

At de juramento præstando à Clericis coram Judice sæculari legitur in Synodo D. Mechliniensi *tit.* 17. *cap.* 5.: „Clericus coram Judice laico testimonium dicturus, vel „quodcumque juramentum præstiturus (quod etiam sine „nostra, vel alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei „non licet) in manibus personæ Ecclesiasticæ juramentum „præstet.

Sed neque in judiciis sæcularibus communiter attenditur, præcipue si ipsi Clerici coram illis in materia profana litigent; quo casu solent non secus ac laici in manibus judicis laici jurare. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ anni 1541. *art.* 20. cavetur, quod Ecclesiastici in materia merè civili, tenebuntur requisiti ferre testimonium veritatis coram Judice sæculari, neque pars quæ vult testimonium exigere teneatur ullam licentiam requirere: Et si testare renuant, cogentur per Decanos suos Christianitatis. Verba articuli sunt: *Item les gens d'Eglise en matiere pure civile s'ils en sont requis pourront & deveront deposer & porter leur tesmoignage de verité devant juges seculiers sans que la partie, qui le veut produire, doivent demander quelque licence, si lesdits gens d'Eglise font aucune difficulté, seront contraincts par leurs Doyens de Chrestienneté de ce faire.* Id est: Item personæ Ecclesiasticæ in causis purè civilibus, si rogentur, poterunt & debebunt testimonium dicere & veritatem coram sæcularibus Judicibus testari, nec adstringetur pars quæ eos volet producere, veniam aut ullius assensum rogare, si verò dicti Ecclesiastici difficiles in ea re se præbeant per Christianitatis Decanos suos ad id faciendum compellentur. Extant parte 1. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3.

XXX. Lite contestata, ac præstito juramento calumniæ, solent litigantes utrimque petere inducias sive dilationes, ut interea ea quæ ad fundandam suam intentionem necessaria sunt, sibi comparare, & in ordinem redigere possint.

Dilatio enim judicialis, de qua hic agitur, est justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodius perficiendum conceditur Actori vel Reo.

XXXI. In qualibet parte Judicii dari à Judice solent dilationes, intra quas litigantes ad suam intentionem probandam, aut absolvendum ea quæ à Judice ad instructionem causæ injunguntur, se præparare possint. Sive spectemus dilationes quæ initio litis dantur, & vocari solent *citatoria* vel *deliberatoria*, sive quæ in progressu litis, dicunturque communiter *probatoria*, de Jure Civili habent certa tempora designata, toto titulo Codicis *De Dilationibus*; eaque nec iterari posse edicitur in *l.* 7. *Cod. De Feriis.*

XXXII. Jure verò Canonico termini sive tempora dilationum pendent ab arbitrio Judicis; *Cap.* 24. ✠ *De Offic. Deleg. cap.* 15. ✠ *De Sententia & re jud.* atque hac ratione dicuntur dilationes de Jure Canonico esse *arbitraria.*

XXXIII. Hæc autem decisio Juris Canonici passim moribus ubique recepta est; testanturque passim Pragmatici, de consuetudine in omnibus passim Curiis etiam sæcularibus dilationes esse arbitrarias. Ex stylo communi, & consuetudine Curiarum non servantur *juris* dilationes, (ait Bugnion De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 104.) sed stylus & quælibet Curia suas *arbitratur* dilationes, ac eas concedit.

Deinde subjungit idem Auctor: „Nec tamen propte„rea dicendum est, dilationes in arbitrio Judicum positas „esse, quinimò pro rerum necessitate largiendæ sunt; at„que, ut refert Ulpianus in *L.* NONNUNQUAM *ff. De* „*Judiciis*, dilationes dandas æstimare oportet eum, qui jus „dicit, pro conditione ac qualitate causæ, personæ, vel tem„poris, & ita ordinem edictorum & compendium mode„rari.

Id desumptum apparet ex Glossa ad *Cap.* 2. ✠ *De Dilationibus* verbo *Plenè*; ubi dicit: „Dilationes istæ hodie viden„tur arbitrariæ ut Judex considerata locorum distantiâ, & „temporis quantitate inducias concedat.

XXXIV. Non igitur eo sensu dilationes sunt *arbitraria*, quasi tempora earum dependerent à libero planè nullis legibus circumscripto arbitrio & voluntate Judicis; sed quod Judex omnibus prædictis maturè expensis, terminos sive dilationes ita determinare, sive arbitrari debeat, ut nec per earum nimiam brevitatem litigantibus probationis & instructionis tempus denegetur; neque per earum prolixitatem & multiplicationem aut prolongationem lites protrahantur, & litigantes suo Jure per multum temporis fraudentur: à qua inordinata dilationum concessione appellari posse deciditur in *Cap.* 1. ✠ *eod.* & uno consensu docent Canonistæ, hodieque in usu est.

XXXV. Verùm ne Judices in hac dilationum vel restrictione, vel prolongatione seu extensione aberrent, in omnibus Curiarum tam Sæcularium quàm Ecclesiasticarum Ordinationibus, & numerus & tempora ac intervalla dilationum designari solent: quos terminos non sine rationibus urgentibus & causæ cognitione transgredi licet: ubi & videmus rationem præmissorum habitam esse. Sic enim videmus in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 305. incolis assignari terminum sive dilationem quindecim dierum; exteris verò trium septimanarum.

XXXVI. Et *art.* 386. mandatur Apparitoribus, ut dum litteras manutenentiæ aut alterius provisionis cum clausula citationis in casum oppositionis insinuant, diem comparitionis nec nimis brevem, nec nimis longum assignent, sed convenientem, ita ut ad minus *duo* dies martis, vel ad summum *tres* intercedant; nisi de consensu utriusque partis, vel nisi in ipsâ provisione ipsis injunctum sit longiorem terminum assignare; vel nisi *vacantiæ* intercederent: quia tunc assignanda esset prima dies juridica post vacantias; verba articuli sunt: *Soo sullen sy den ghenen die hen opponeren, weygheringe oft vertreck maecken, gheven en de beteeckenen daeg, te compareren voor onsen voornoemden Raede, sonder den selven dach te seer kort, oft de lanck te stellen, maer tamelyck ende redelyck: te weten datter ten minsten twee Dynst-daghen tusschen beyden zyn, ende ten hooghsten niet meer dan dry Dynst-daghen, ten ware by consense van beyde den partyen, oft dat by der provisie hen gheordineert worde corteren oft langheren dagh te gheven, oft ten ware dat de vacantien tusschen beyden waren, soo soude den dagh ghenomen worden op den eersten dagh van rechte naer de vacantien.* Id est: Tum opponenti, recusanti aut declinanti diem constituent & præfigent, quâ coram consilio nostro præfato compareat, nec diem illam nimium accelerabunt aut procrastinabunt; sed medium quoddam ex æquitate tenebunt, videlicet ut saltem dies martis iteratò intercedat, tertioque ut summum, nisi utraque pars consentiret, aut ipsa provisio brevius aut longius tempus decerneret assignandum, aut nisi vacationum feriæ intercederent, quo casu prima post vacationem Juridica dies constitueretur.

XXXVII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis mirè elucet hæc dilationum sive terminorum moderatio *tit.* 11. *art.* 36. ubi statuitur, ut „conce„dantur ad probationes faciendas prius Actori, deinde Reo, vel „conjunctim utrique eodem tempore, secundum negotii, & „personarum qualitatem, & Judicis discretionem, si testes in „civitate habitaverint, vel intra quatuor milliaria, sub prima „& secunda dilatione, tres septimanæ; sub tertia dilatione, „quindecim dies, & hoc sine continuatione, nisi constiterit de „debitis diligentiis factis, & quod per partem probare deben„tem non steterit, quominus satisfecerit: quo casu, juxta ne„gotii & personarum qualitatem, poterit Judex tertiam di„lationem continuare, vel prolongare. Si verò testes ultra „quatuor milliaria abfuerint (idem intelligentes de instrumen„tis producendis, & aliunde adferendis) tunc Judex juxta „distantiam locorum, testium, & temporum qualitatem, „terminum statuet ad tres septimanas vel ad mensem, vel

alias

by Google

aliàs, prout judicaverit expedire, sub duabus dilationibus, & si illis pendentibus per partes non steterit, statuit judex alios quindecim dies, vel tres septimanas, secundùm loci distantiam, pro tertia dilatione. Nunquam verò pars, vel Procuratorum aliquis admittatur ad quartam dilationem, nisi secundùm formam juris communis, ut videlicet quartam dilationem petens, juret, quòd per se, aut per alium testificata non didicerit, quòd per fraudem, vel per dolum, prorogationem aut dilationem non petat, quódque testes, quos producere, instrumentave, quæ exhibere desiderat, priùs habere non potuerit.

Deinde *art.* 37. additur: "In causis summariis, & Actor ad probandum intentionem suam, & reus ad probandum exceptiones, si quas dederit, non habebunt pro prima & secunda dilatione, nisi tres septimanas sine ulla continuatione; pro tertia verò dilatione, habebunt quindecim dies tantùm, nisi testes absint, aut aliud impedimentum probetur, quo casu, terminus protogabitur secundùm conscientiam judicis, nullo verò modo quarta dilatio conceditur.

XXXVIII. Porrò sicuti judicis est, litigantibus ordinarias necessarias causæ instruendæ suæ & defensioni dilationes innuere; ita & ipsi incumbit extraordinarias haud temerè concedere; atque superfluas rejicere, omnesque intra legitimos ac convenientes terminos concludere, propter enormia damna, & interesse, quæ plerumque ex indebitis dilationibus, & justitiæ procrastinationibus enascuntur ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 114. *num.* 5. Mala ex his procrastinationibus sequi solita enumerat *num.* 6. "Ita ut (aut) pars ob has sæpè depauperetur, aut mendicare, vel maleficia patrare cogatur, aut mœrore contabescat, & moriatur, liberique ipsius squalloribus & inediâ pereant, ne pejora commemorem."

Deinde concludit: "Ideoque hujusmodi pericula & mala tam Deo ingrata, quàm hominibus invisa, judicibus erunt præmeditanda, & justitiæ progressus legitimè ab eis accelerandus."

XXXIX. Hinc in Ordinationibus Curiarum passim multa contra superfluas hasce dilationes & litium procrastinationes occurrunt: atque imprimis in Ordinationibus Curiarum Eccl. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *a.* 3. decernitur: "Ad lites abbreviandas, nolumus, quòd terminus absentiæ, *ullave dilatio* detur Actori ante conclusioně, vel libelli exhibitionē: quod & in causis appellationū servabitur, ut videlicet primo comparitionis termino gravamina exhibeantur: abrogantes penitus modū procedendi, qui alicubi inolevit, quo Procuratores terminum ad gravamina exhibenda petere solent; cùm quilibet sciat, vel scire debeat, cur adversarium in jus vocârit, aut demq; cur ad superiorem judicē appellârit. Et hæc omnia, nisi fortè Officialis ex officio, justisq; de causa unicam dilationem concedendam duxerit, quâ elapsâ tenebitur Appellans, sive Actor, saltē pertinenter in materia appellationis, aut aliàs concludere."

Et *art.* 20. generaliter dicitur, quòd judex *omnes arbitrarias dilationes*, quantū fieri poterit, *tenebitur abbreviare*.

XL. Quia verò nonnullæ causæ ex procrastinatione specialē patiuntur, & adferunt præjudicium, non rarò etiam irreparabile, ideo & in his causis dilationes specialiter abbreviandæ, & difficiliùs indulgendæ sunt.

Unde in citatis Ordinationibus eodem titulo *a.* 21. statuitur: "In causis verò summariis supra tactis, ac miserabilium personarum, alimentationis, divortii, & incarceratorum de triduo in triduum procedatur, & omnes dilationes non necessariæ præcidantur."

Idipsum jam statutum erat in Synodo P. III. Cameracensi *tit.* 22. *cap.* 4. Imò ea potest esse causarum & personarum ac locorum conditio, ut non tantùm *tridui*, sed & multò breviorem terminum judex præscribere meritò debeat; quemadmodum & sæpè in causis accelerationem requirentibus fieri videmus: ut proinde in his plurimùm valeat prudens & justum judicis arbitrium.

XLI. Cùm protractio causarum Beneficialium, præsertim Curatorum soleat secum trahere Ministrorum defectum, nec non & Clericos forensibus tricis tenere implicatos, & à divino servitio abstractos, meritò in his causis dilationes & termini præcidendi & abbreviandi sunt; quod & Ordinationes Curiæ Brabantiæ insinuant *art.* 444. Verba articuli sunt: ***Dat-men in de voorsz. materien van possessien van beneficien sommierlyck procederen sal, ende dat alle dilayen peremptoir sullen zyn, ende dat-men maer een dilay accorderen sal, om d'enqueste van partyen te doen, indien datter eenige vallen.*** Id est: Ut in prædictis causis circa beneficiorum possessionem summatim res agatur, omnisq; ampliatio præcisa sit, unicaque dumtaxat protogatio concedatur, ut partium inquisitio, si qua sit opus, instruatur.

XLII. Et Justinianus in *Novella* 79. *cap.* 2. voluit, lites Monachis illatas *accelerari*, "ut (ait) non mens eorum occupetur circa litis solicitudinem; sed *velociter* liberati, sacris operibus obsecundent."

XLIII. Juxta ordinarium stylum Curiarum Ecclesiasticarum solent Reo citato dari tres dilationes sive termini ad comparendum; ita tamen ut omnis termini sive dilationis lapsus ipsum non comparentem constituat in aliquali contumacia; & contumaciæ nonnullis effectibus subjiciat.

Si enim Reus ad primam citationem in termino præfixo, "non compareat, ne Procuratorem in causis Civilibus mittat, secludetur ab omni exceptione *declinatoriâ*, & in expensis contumaciales condemnabitur."

XLIV. "Si nec secundò citatus compareat, secludetur ab omni exceptione *declinatoria*, & iteratò in expensas cōdemnabitur," uti habent Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 4.

Addunt citatæ Ordinationes, quòd secundo termino non cōparente Reo, "decernetur tertia citatio sub pœna seclusionis à peremptoria in litteris exprimenda. Quòd si nec sic citatus compareat, accusatâ contumaciâ, delatisq; Actis causæ judex determinabit, prout juris erit, & rationis."

XLV. Post tertiam igitur citationē non comparens Reus verè contumax constituitur; & si post hanc compareat, & audiri desideret, non audietur, *nisi refusis expensis contumacialibus*, uti statuitur in dictis Ordinationibus *art.* 7.

XLVI. Hæc sat ostendunt, etiamnum hodie mentem Ecclesiæ esse, ut lites, quantum fieri potest, abbrevientur, omnesque dilationes non necessariæ rescindantur; quod & ipsa Synodus Tridentina sat ostendit *Sess.* 24. *cap.* 2. *De Reformat.* decernens, ut "causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentes saltem infra bienniū à die motæ litis terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus vel alteri illarum judices superiores, aliàs tamen competentes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & quamprimùm terminari curent."

XLVII. Rarus aut nullus penè est hodie Decreti hujus usus quoad recursum ad Judices superiores ob lapsum biennii à die motæ litis; sed solent causæ etiam ad plures annos protrahi, & sine peremptione instantiæ, aut mutatione Judicis coram eodem judice continuari: quia facilè ostenderetur, quòd non steterit per Judicem, quò minus intra dictum tempus causam definiret: sed vel ob qualitatem causæ, vel cavillationes partium; quo casu Decreto locum non esse declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap.* VENERABILIS, 5. *De Judiciis.*

Indubitatum interim est, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ut causæ in foro Ecclesiastico quàm citissimè ac brevissimè absolverentur, ac *saltem* ultra bienniū non protraherentur; ut ita ipsi Judices præsertim Ecclesiastici allaborarent, omnemque curam impenderent, ut ipsos Fideles à litigiis, & forensibus jurgiis quàm citissimè eximerent, & in veram concordiam & pacem ac tranquillitatem adducerent: factisque approbarent, se nequaquam lites, discordiarum & odiorum seminaria, sed pacem & charitatem inter ejusdem Ecclesiæ filios quærere: seque optare, ut omnia jurgia, & quæstiones summariè ac amicabiliter potiùs componere possent, quàm judicialiter discutere & decidere deberent, exemplo Sanctorum Patrum & Episcoporum,

porum, ad quos tamquam Patres & Pacificatores sua dissidia Fideles referebant.

XLVIII. In Gallia non debet exspectari lapsus biennii. Si enim ante illud tempus causa sit in statu, ut decidi queat, Pars tertiò juridicè monebit judicem, & si post tertiam monitionem adhuc perseveret in mora decidendi ipsam causam, poterit Pars appellare tamquam à denegata justitia, ipsumque judicem vocare in jus, atque adversùm ipsum concludere ad damna & interesse, uti notat Claudius Fleury *parte 3. Instit. Juris Canon. cap. 7.*

CAPUT V.

De Probationibus & Præsumptionibus.

1 *Post litem inter Partes contestatam solet sequi necessitas probandi.*
2 *Quid propriè sit* probare?
3 *Probatio versatur circa* facta, *non autem circa jus.*
4 *Hinc motiva juris non computantur inter acta litis.*
5 *Qui factum controversum allegat illud probare tenetur*
6 *Unde Auctori solet probatio incumbere.*
7 *Si Reus respondendo factum alleget, ei probatio incumbit.*
8 *Præsumptio juris subinde onus probandi injicit in* (*Reum.*
9 *Subinde utrique incumbit probatio.*
10 *Pro quo judex decidere debeat, si uterque probet.*
11 *In pari probatione solet favorabilior esse causa possessoris.*
12 *Ex possessione oritur aliqua præsumptio pro possessore.*
13 *In quo hæc præsumptio sit fundata?*
14 *Quod hinc commodum possessionis?*
15 *Inde patet, cur in pari causa dicatur melior conditio possidentis.*
16 *Quomodo circa hanc regulam erretur remissivè.*
17 *Quid sit præsumptio?*
18 *Quare dicatur probatio* artificialis?
19 *Triplex species præsumptionis; & quid præsumptio juris tantùm?*
20 *Species hujus præsumptionis.*
21 *Quid præsumptio* juris & de jure?
22 *Exemplum hujus præsumptionis.*
23 *Etiam hæc præsumptio tantùm innititur conjecturis.*
24 *Hinc cedit veritati.*
25 *Describitur præsumptio hominis seu judicis.*
26 *Præsumptiones hominis admodum diversæ sunt quoad effectum probationis: & quare?*
27 *In æstimando effectu præsumptionis magnâ prudentiâ & circumspectione opus est.*
28 *Non judicandum ex præsumptione, dum veritas aliunde haberi potest.*
29 *Ad abbreviandas probationes inductus usus positionum.*
30 *Quid sint positiones?*
31 *Videtur earum usus ex foro Ecclesiastico in Civile intrasse.*
32 *Pars adversa ad positiones respondere non debet, nisi jubente judice.*
33 *Debet Pars citari ad respondendum.*
34 *Non potest judex Partem interrogare, aut juramentum deferre, nisi rogatus.*
35 *Respondere recusans habetur pro confitente.*
36 *Nisi rationabilem causam non respondendi habeat; & quæ sit causa rationabilis?*
37 *Positiones exhibendæ judici, ut videat, an sint admittendæ vel rejiciendæ.*
38 *Difficulter quis excusatur à respondendo super facto* proprio.
39 *An ad positiones responderi queat per Procuratorem; & quale mandatum requiratur?*
40 *In responso ad positiones debet esse summa sinceritas ob juramentum calumniæ pravie præstandum.*
41 *In Gallia vetitum ad positiones respondere per* credit; *& quare?*
42 *Citra perjurium non potest responderi ad factum propositum* non credit, *si illud sciat verum.*
43 *Quid hic incumbat judici?*
44 *Post responsa ad positiones quorum superfit probatio.*

I. Lite contestatâ per negationem ipsius Rei, sequitur necessitas probationis. Nisi enim quis asserta sua in judicio probet, nihil obtinere potest; ideoque probatio dicitur anima processûs.

II. Probare autem hîc idem significat, quod Judici fidem facere de facto dubio, super quo in judicio est quæstio; sive de facto, quod unus litigantium asserit, & alter negat. Unde probatio, de qua agitur sub titulis Juris Canonici & Civilis de *Probationibus*, non est aliud, quàm judici alicujus facti dubii sive controversi, legitimè facta ostensio seu verificatio.

III. Nec enim probatio propriè versatur nisi circa *facta*, sive ea, quæ *facti sunt*: quia hæc sola à Partibus Judici probanda sunt: quæ enim juris sunt, judici nota esse supponuntur: & secundùm Leges seu jura, è quibus causæ decisio dependet, judicare eum oportet, licèt à Litigatoribus eorumve Advocatis per negligentiam vel imperitiam forent omissa, *L. unica, Cod. ut quæ desunt Advocatis, &c.*

IV. Hinc *motiva Juris*, quibus jus ipsum deducitur, tamquam non necessaria ad instructionem causæ, non computantur inter acta litis: neque in taxatione impensarum eorum ratio solet haberi: sed manent ad onus exhibentis, tametsi causam lucretur cum expensis.

V. Igitur qui factum allegat, quod alter negat, si huic *facto* conclusio seu petitio innitatur, tenetur factum illud judici probare.

VI. Idcircò ordinariè ipse Actor intentionem suam probare jubetur: eò quòd hic soleat factum allegare, atque in eo intentionem suam adversùs Reum fundare; Reus verò soleat factum simpliciter negare; atque hinc illud vulgare: *Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit.*

VII. Si autem Reus non simpliciter neget petitionem Actoris, sed contra eam excipiat, proponendo aliquod factum petitionem Actoris perimens, quæ inde dicta est exceptio *peremptoria*, tunc tenetur Reus *factum* allegatum probare: putà solutionem, transactionem, pactum de non petendo, &c.

VIII. Rursus Reus probare tenetur, quando jus commune aut præsumptio est pro Actore. Licèt enim Reus negare videatur, implicitè tamen asserit, & *factum* allegat. Si enim jus commune vel præsumptio sit pro Actore, Reus petitionem Actoris huic juri vel præsumptioni innixam negans, implicitè asserit factum aliquod, quo jus commune aut præsumptionem Actori faventem elidere contendit: quod *factum* nisi probet, manet ejus commune vel præsumptio pro Actore, & vi illius Judex petitionem Actori adjudicare tenebitur.

Plures alios casus, quibus Reo incumbit onus probandi, assignat Damhouderus in Praxi Civil. *cap.* 158.

IX. Si ab utraq; parte allegentur facta contraria, utriusque erit sua facta verificare, si iis fundamentū causæ innititur: putà in judiciis *duplicibus*, ut *communi dividundo familiæ erciscundæ*, interdicto *retinendæ* possessionis, &c.

Et quidem in his obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante. V. G. unus probaverit possessionem, alter non, indubiè probanti adjudicabitur possessorium.

X. Quòd si uterque probaverit, Judicis erit dijudicare, uter meliùs probaverit: ut si agatur de possessione, quis antiquiorem possessionem, vel justiorem titulum probaverit, juxta Rubricam *Cap. 9.* ℣ *De Probat.* quæ habet: "Si Actor „ & Reus in interdicto retinendæ possessionis probant, ob- „ tinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo ma- „ ximè justificatam, vel meliores probationes respectu pos- „ sessionis adduxit."

XI. "Quòd si ambarum partium testes sint æquè idonei, „ *possessoris* testes præferentur: cùm promptiora sint jura ad „ sol-

„ad solvendum, quàm ad condemnandum, “ ait Pontifex in *Cap.* 3. §. QUOD SI, *De Probat.* Hinc concludunt communiter Canonistæ, quòd in pari probatione potior sit conditio possidentis: imò inde conflata apparet regula juris: “In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis.” *Cap.* 65. *De Regulis juris in VI.*

XII. Ex ipsa enim possessione oritur præsumptio quædam pro possessore, eaque pro diuturnitate vel brevitate durationis vehementior, vel levior: quæ & in judicio vice cujusdam probationis habetur.

XIII. Leges enim volunt, ut in foro externo quisque præsumatur & habeatur tamquam Dominus rei, quam ut sibi propriam possidet; nec è possessione illius deturbetur, quo-usque in judicio sufficienter fuerit probatum, rem illam ad ipsum possessorem reverà non spectare; eique possessionem tamquam injustam esse auferendam.

XIV. Itaque commodum non exiguum confert hæc præsumptio ipsi possessori; quòd nimirum onus probandi transferat in adversarium; ipseque interim gaudeat usu ipsius rei, donec adversarius probaverit; quod expressit Justinianus in §. 4. *Instit. De Interdictis*, dicens: “Commodum possidenti in eo est, quòd etiamsi ejus res non sit, qui „possidet, si modò Actor non potuerit suam esse probare, „maneat in suo loco possessor.”

XV. Ex his haud difficulter intelligitur, qua ratione dicat Regula Juris, quòd in pari casu sit melior conditio possidentis; nimirum ob præsumptionem ex possessione resultantem, & onus probandi in adversarium transferentem.

XVI. Hinc ulteriùs elucet, quantopere circa hanc Regulam errent, qui putant, possessorem tutum semper in retentione rei, tametsi rationabiliter dubitet, an sua sit, an aliena: necnon illi, qui Regulam hanc extendunt extra materiam justitiæ; uti latiùs ostendi in explicatione hujus Regulæ, quam per modum appendicis adjunxi Dissertationi seu Repetitioni ad Regulam: *In dubiis semita tutior est eligenda.*

XVII. Præsumptio dicitur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta.

Hæc autem opinio ex indiciis & conjecturis & argumentis deducta, interim dum probatio clara veritatis cessat, vicem probationis supplet: atq; ideo *præsumptio* dicta, quasi aliquid *antè sumat*, & ponat credendum sequendumque, uti observat Tuldenus in Codice *tit. De Probat. num.* 3.

XVIII. Probatio innixa præsumptioni dicitur *artificialis*, quia arte ingenii quodammodo conficitur per collectionem ex signis, indiciis, probabilibusque argumentis.

XIX. Præsumptio communiter dividitur in præsumptionem Juris tantùm, præsumptionem Juris & de Jure, & præsumptionem judicis sive hominis.

Præsumptio Juris tantùm dicitur indicium Lege probatum; id est, quòd lege sit expressum, ex hujusmodi indicio præsumendum esse, hoc illudve subesse, quo-usque contrarium probetur.

XX. Hujus præsumptionis species est, quæ resultat ex possessione. Vult enim Lex, ut ex possessione præsumatur rem ad possessorem spectare, quo-usque contrarium probetur. Hujus generis præsumptiones plurimæ tam in Legibus, quàm Decretalibus occurrunt.

XXI. Præsumptio juris & de jure vocatur, cùm Lex aut Canon ita ex aliquo indicio quidpiam præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate à judice haberi velit, non admissâ probatione in contrarium: ideoque à Doctoribus dicitur necessaria & violentissima.

XXII. Hujus præsumptionis species occurrit in *Cap.* 30. *De Sponsalibus*; ubi dicitur, quòd is, qui fidem dedit mulieri super matrimonio contrahendo, insuper carnali copulâ subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam & cognoscat, ad primam tenetur redire. “Rationem subjungit Pontifex: “Quia licet præsumptum primum Matrimonium „videatur, *contra præsumptionem* tamen hujusmodi non est „probatio admittenda. Ex quo sequitur (ait) quòd nec ve„rum, nec aliquod censeatur Matrimonium, quod de facto „est postmodum subsecutum.”

Hinc post Glossam docent Canonistæ, ex copula carnali subsecuta oriri *jure Decretalium* præsumptionem juris & de jure, sponsalia de futuro mutuo consensu transiisse in sponsalia de præsenti; sive verum consensum Matrimonialem intervenisse, & Matrimonium esse contractum: atque ab ipso judice ita esse procedendum in judicio, ac si reverà Matrimonium esset initum; nec Partes ad contrariam probationem esse admittendas.

XXIII. Verùm licèt præsumptio juris & de jure sit violentissima, nec facilè per contrarias probationes elidatur: tamen verè & propriè non est veritas, cùm versetur circa dubium; & in claris locus non sit conjecturis vel præsumptioni, quæ ex conjecturis desumitur.

XXIV. Hinc concludunt Doctores, quòd etiam hæc præsumptio cedere debeat veritati; atq; ordinariè elidatur per confessionem illius, pro quo stat ipsa præsumptio. Vide Andream Vallensem in *Paratitlis tituli, De Præsumpt.* §. 4. *num.* 7. ubi & plures casus annotat, quibus ipsa præsumptio juris & de jure elidi potest.

XXV. Præsumptio hominis sive judicis est quædam opinio sive conceptus hominis ex aliqua conjectura sive indicio formatus. Dicitur hominis sive judicis, quia nullâ Lege aut Canone nominatim expressum est, ex hoc illove facto hujusmodi præsumptionem sive opinionem esse formandam; sed eam judex sibi format.

XXVI. Porrò sicuti indicia seu principia, è quibus hujusmodi opiniones vel judicia formari possunt, sunt admodum varia, ita & præsumptiones ex iis resultantes variæ quoque sunt, præcipuè quoad effectum probationis. Prout enim indicia sive argumenta ex factis & circumstantiis resultantia sunt fortiora & plausibiliora; ita & præsumptio iis respondens vehementior est, & ad probandũ efficacior.

XXVII. Cùm autem definire, quid hæc indicia hîc & nunc in talibus circumstantiis probent, quamque præsumptionem faciant, ab hominum diversis opinionibus dependeat, sat apparet, quàm circumspecti ac prudentes debeant esse judices in scrutandis & ponderandis factis & circumstantiis, ut de effectu præsumptionis ex his resultantis rectè statuere queant.

XXVIII. Meritò proinde Damhouderus in Praxi *Rerum Civil. cap.* 178. *num.* 46. “Judicem diligenter præmonitum „esse vult, ne hisce præsumptionibus nimiùm innitatur, „sed ut reliqua omnia diligenter consideret, antequam ad „definitivam descendat, & ut maturâ deliberatione omnia „prius perquirat, quàm ex suspicionibus præsumptivis „ullam sententiam pronunciet.”

XXIX. Contingit autem frequenter, quòd tam ex parte Actoris, quàm ex parte Rei multa *facta* proponantur; quorum omnium si exacta probatio fieri debeat, lites in longum protrahentur, & litigantes in immensas expensas incident: atque sæpè continget ob difficultates & impensas probationum Partes suo jure fraudari.

Hinc ad exemplum *interrogationum in jure faciendarum*, quæ apud Veteres in usu fuerunt, ut patet ex titulo Digestorum *De Interrogationibus in jure faciendis*, introductus est usus *positionum*.

XXX. Positiones sunt articuli, quibus Actor vel Reus exprimit *facta*, quæ in judicio fuerunt allegata; eaque scriptis Judici exhibet, ut super iis jubeat Partem adversam respõdere: atq; hoc pacto à Parte adversa confessionem de veritate factorum extorquendo, Ponens ab onere relevetur.

XXXI. Meminit harum positionum Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. *de Confessis* in VI. & in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum passim mentio occurrit; atq; admodum verisimile est, earum usum ex Constitutionibus Canonicis initium sumpsisse, & ad Curias Civiles transiisse.

XXXII. Supponit hîc Pontifex, quod respondere ad Positiones non teneatur Pars adversa, nisi jussa à judice respondere; quòd latiùs ibidem exponit Glossa, verbo *Jussusque à Judice*; quod & praxis observat. Licèt enim Pars suas posi-

positiones exhibuerit; atque super iis medio juramento responderi postulaverit, nequaquam respondere cogitur, quamdiu Decretum & jussus Judicis non intervenerit; & ad positiones à Judice respondere cogatur.

XXXIII. Ulteriùs ad has responsiones faciendas debet primò pars adversa citari: si enim non citaretur, responsiones nullas facere tenetur, ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 154. *n.* 33. quod & habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *a.* 31. quo ordinatur, Commissarios ad examen testiũ deputatos ante omnia debere litteras citatoriales sub suis sigillis comittere uni Apparitorum vel Nuntiorum Curiæ, ad citandum Partes, ad respondendum scripturis sive positionibus *per credit vel non.* Verba articuli sunt: *Dat de Commissarissen al-eer sy uyt crachte van heure commissien tot eenige enquesten sullen moghen procederen, sullen ghehouden zyn heure briefven van citatien onder heuren segele te decerneren aen eenige Deurvvaerderen ofte Boden van onsen Raede, om die partye te daghen, op de scrifturen, die selve eerst gheaffirmeert zynde, t'antvvorden* PER CREDIT VEL NON. Id est: Ut Commissarii, priusquam vi mandati inquisitionem instituant, teneantur citationis litteras sigillis suis munitas cuidam seu Apparitorum seu Nuntiorum Curiæ tradere, quibus partes evocentur, ut ad scripta tum præasserta respondeant per *Credit, vel non.*

XXXIV. Non poterit tamen judex deferre juramentum Parti, & eam interrogare, nisi Parte hoc requirente, ut ait Rebuffus in Tractatu *De Respons. per credit vel non, art.* 1. *n.* 14. additque: "Quia judices in Francia solent ad Partiũ „utilitatem esse elingues, sine requisitione illarum."

XXXV. Dicit autem Pontifex in citato *Cap.* 2. *De Confessis in VI.* quòd si quis jussus à judice "respondere recu„set, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet, „super iis, de quibus in iisdem positionibus interrogatus „extitit, pro confesso," quod & hodiernæ praxi est conforme, & extat ea de re expressus *artic.* 36. Ordinationum Curiæ Brabantiæ. Vide etiam Merulam in Praxi *lib.* 4. *tit.* 71. *cap.* 4. *num.* 4.

XXXVI. Addit nihilominus Pontifex hanc notandam clausulam restrictivam, si *absq; rationabili causa recuset.*

Notat autem ibidem Glossa, *rationabilem causam* responsum recusandi esse, "si positio sibi proposita superflua esset „vel impertinens, quæ probata non relevaret; vel obscura, „vel generalis; item si sit de facto alieno; item si sit captio„sa; item si sit impossibilis vel contra naturam: Item super „crimine ejus, contra quem fiunt, non admittuntur posi„tiones. Hæ ergò & similes sint rationabiles causæ, propter „quas respondere non teneatur." Hactenus Glossographus, qui id ibidem latiùs ostendit, & post illum fusiùs deducit Damhouderus in Praxi rer. civil. *cap.* 154. ubi unà notat *num.* 32. qua forma responsiones fiant tam in Concilio Flandriæ, quàm Parlamento Mechliniensi coram Commissario ordinato & deputato ad informationem faciendam, & coram suo adjuncto.

XXXVII. Hinc Actor postquam suas positiones collegerit & formaverit, tunc eas judici in scriptis exhibere debet, ut tam Partes quàm judex videant, an sint tales positiones vel admittendæ, vel rejiciendæ, ait Damhouderus ibidem *c.* 152. additque: "Nam debet judex eas positiones exami„nare, an faciant ad causam, & an sint admissibiles, & non „captiosæ, non negativæ & sic de aliis, idque Partibus præ„sentibus."

XXXVIII. Si de *facto proprio* ipsius respondentis agatur, illudque ad causæ decisionem serviat, ac clarè proponatur, difficulter à responso se eximere poterit interrogatus; decernuntq; expressè Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 34. quòd litigantes eorum vel Procuratores teneantur respõdere super *factis propriis* simpliciter & absolutè absq; ulla additione, vel excusatione ignorantiæ, oblivionis, impertinẽtiæ, aut alterius sub pœna sex florenorũ. Verba articuli sunt: *ende sullen de voorscreven partyen ofte heure procureurs moeten antvvoorden op 'tghene, d'vvelck van heur eygene feyten vvesen sal, naecktelyck ende absolutelyck, sonder tot de selve te moghen vueghen eenighe additien ofte excusatien van ignorantie, verghetentheyt, impertinentie, ofte andere, op pene van ses Carolus guldens, d'een helicht t'onsen profyte, ende d'andere helicht tot behoef van de geinteresseerde partyen.* Id est: Debebuntque dictæ partes, aut eorum Procuratores ad ea, quæ facta propria concernunt, simpliciter & absolutè respondere, nec liceat illis additiones, aut excusationes seu ignorantiæ seu oblivionis, ineptias aut alia apponere sub mulcta sex florenorum Carolinorum, cujus altera medietas nostro emolumento, alter parti, cujus res agitur, cedet.

Similem pœnam sex florenorum imponunt *art.* 35. ei, qui detegitur facta aliqua calumniosè posuisse, aut negasse.

XXXIX. Sæpiùs citatæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ *a.* 33. non permittunt responsiones fieri per Procuratorem, dum de *facto proprio* Partis respondẽtis agitur, nisi ob morbum vel absentiam, aliamve rationabilem causam à Parte ipsa fieri non possent; quo casu Procurator habens *speciale* mandatum (quod exhibere tenebitur Commissariis in præsentia Partis adversæ) continens factum, vel facta, super quibus Pars deberet respondere, poterit *dictas* responsiones facere, & non alias. Notat quoque Rebuffus citato loco, requiri in Gallia *speciale* mandatum ad respondendum, nec sufficere generale; & ita aliquando judicatum fuisse.

Secundùm stylum Concilii Flandriæ & Parlamenti Mechliniensis, quando altera Partium non est præsens, sed est absens, tunc jurat illius absentis Procurator in eadem causa sui Magistri, uti refert Damhouderus *c.* 151. *n.* 3.

XL. Cæterùm cùm hæ responsiones fiant prævio juramento *de calumnia*, satis manifestum est, summâ sinceritate in his responsionibus esse procedendum; summoperéque cavendum, ne quid falsi aut contra veritatem dicatur:

Dicit Damhouderus citato *cap.* 154. *n.* 39. quòd "multi Advocati & Procuratores nonnumquam consulunt Do„minis ac Magistris suis, ut illum aut illum articulum ne„gent, ut non confiteantur, quòd ipsi cum tali confessione, „etiamsi vera esset, suam causam perderent, aut in sua cau„sa succumberent. Sed hi (ait Damhouderus) non con„siderant, quòd veritatem simulanter & falsò negando, „suas animas damnant, & ita veritatem negantes, ad in„ferna descendunt."

XLI. Observat Rebuffus in allegato Tractatu *art.* 2. per Constitutionem Francisci I. an. 1539. *art.* 36. prohibitum esse, ne de cætero responsiones fiant *per credis*; easque ideo sublatas arbitratur, "quia Partes super his frequenter „pejerabant, existimantes falsò, se non ligari, si jurarent „*per non credis*: licèt de jure tantum valeat confessio per „verbum *credis*, sicut facta de veritate." Quod & monet Glossographus ad *Cap.* 32. *de Jurejurando*, verbo, *occultâ veritate.*

XLII. Nec dubium, quin vi juramenti præstiti teneatur respondens dicere sincerè circa veritatem facti, quod putat subesse. Unde si re ritè discussa, putet reverà factum propositum esse verum, non poterit citra perjurium respondere *non credit*; cùm ita in effectu dicat, idque sub juramento, quòd factũ non putet sive credat verum; ubi tamen reverà sciat, & credat esse verum, Judicis erit super his subinde monere & instruere Partes, præsertim quas meritò præsumit rudiores, & ad vim juramenti minùs reflectentes.

XLIII. Dicit Damhouderus citato *c.* 152. *n.* 25. "Oblatis igitur ab Actore positionibus, quærat Judex primò à „Ponente actore, sic ponis tu, vel credis tu N. per juramen„tum à te præstitum, quod in his positionibus continetur. „Et si affirmativè respondeat, quòd sic, tunc convertet „se ad Reum, contra quem fiunt positiones; & ipsum ad„hortabitur, ut habitâ animæ salutis ratione, nihil ho„rum neget, quod verum esse noverit."

XLIV. Responsionibus ad Positiones absolutis, restat probatio eorum factorum dumtaxat, quæ Pars adversa respondit *per non credit*, sive ad quorũ veritatẽ nec explicitè, nec implicitè cõfessa est. Quæ enim Pars in suis Responsivis confessa est per verbũ *credit*, ulteriùs probari non debent:

ad

uti nec ea, ad quæ per contumaciam respondere noluit: utpotè quæ pro confessis habentur, uti supra notavimus.

Probatio autem factorum, quæ Pars in judicio inficiatur, potissimùm fit tribus modis; per testes, per scripturas, & instrumenta, & per juramenti delationem à Parte, aut à Judice; idque juxta factorum & causæ conditionem & naturam, prout in sequentibus explanabitur.

CAPUT VI.

De Probatione per Testes.

1 *Probatio per testes solet præferri probationi per instrumenta.*

2 *Qui testes producere intendit, terminum ad eos producendum à judice petere debet; & quid hic hodie obtineat.*

3 *Non facilè citra sententiam Partes ad probandum admittendæ.*

4 *Judex viso processu Partes aut alteram earum ad probandum ex officio admittere potest.*

5 *Solent designari Commissarii ad examen testium.*

6 *Testes à Judice citandi sunt licèt à Parte produci debeãt.*

7 *Testes ad dandum testimonium etiam cogi possunt.*

8 *An testis qui Apparitori vel Judici declarat, se nihil de causa hac scire, cogi queat ad testandum?*

9 *Nonnullæ personæ excusantur à ferendo testimonio; & quid de Clericis coram Judice laico?*

10 *Quomodo audiendi & examinandi testes infirmi, aut in remotis degentes?*

11 *Regulariter duo testes plenè probant.*

12 *Modò sint omni exceptione majores.*

13 *De Jure omnes testes censentur idonei, nisi ostendantur excepti.*

14 *Moribus hodiernis Judex testem non repellit, nisi Parte opponente: Judicis autem est arbitrari, quæ fides ei adhibenda.*

15 *Possunt super eodem plures, quàm duo testes produci; nimia tamen multitudo à Judice refrænanda.*

16 *Hodie ultra 10. testes super eodem facto non producendi.*

17 *Fallit in probatione consuetudinis, styli, privilegii, & similium.*

18 *Hæc per* Turbas *probari solent: quæ constat ut minùs 10. testibus.*

19 *Pro turba non ultra 30. testes producendi, nec ampliùs quàm tres turbæ.*

20 *Testes jurare debent de dicenda veritate.*

21 *Convenit juramentum præcedere depositionem testis.*

22 *In repetitione seu recollectione testium coram Judice superiore, an renovandum juramentum?*

23 *Judex instruere debet testes super præstando juramento.*

24 *Citanda Pars adversa ad videndum jurare testes; ea non comparente poterit ulteriùs procedi.*

25 *Producens testes debet exhibere articulos, super quibus testes audiendi & interrogandi.*

26 *A Parte adversa dantur Judici interrogatoria; & quæ sit eorum forma?*

27 *Ratio introductionis interrogatoriorum.*

28 *Designationes articulorum & interrogatoria actis litis inserenda sunt.*

29 *Interrogatoria Parti adversæ non communicantur; sed à Judice examinantur.*

30 *In Curiis Regiis interrogatoriorum usus non est.*

31 *Testes* singulatim, & secretò *examinandi.*

32 *Monendi testes à Judice, ut exactè attendant ad articulos sibi propositos.*

33 *Judex in examine testium ad quæ potissimùm attendere debeat.*

34 *Non recipienda depositio testis relativa ad depositionem alterius.*

35 *Testis non satisfacit, tradendo suam depositionem scripto.*

36 *Depositiones testium scripto à Notario excipiendæ, & quid hic observandum?*

37 *In scribendis depositionibus testium quæ exprimenda, & quæ omittenda?*

38 *Omnium & singulorum testium depositiones integrè, & ad longum excipiendæ.*

39 *Depositiones scripto exceptæ testibus relegendæ sunt.*

40 *Quomodo depositiones à testibus signandæ sint?*

41 *Depositiones testium à Commissariis non possunt publicari.*

42 *De Jure communi debet fieri publicatio depositionum & testium ante sententiam.*

43 *In Gallia jam pridem usus invaluerat non publicandi depositiones.*

44 *Idem usus in Belgio aliquando obtinuit.*

45 *Abrogatus generaliter per edictum perpetuum de anno 1611,*

46 *Etiam in Curiis Ecclesiasticis fit publicatio depositionum & testium; interdum tamen sola testium nomina.*

47 *Quis scopus publicationis?*

48 *Post publicatas depositiones vetita ulterior productio testium super iisdem aut planè contrariis articulis.*

49 *Interdum tamen permittitur; sed rarò.*

50 *Publicatis depositionibus & nominibus testium permittitur testium reprobatio.*

51 *Unde hæc sumi soleat?*

52 *Qualitas testium inspicienda pro tempore dati testimonii.*

53 *An testis ab una Parte productus possit ab eadem reprobari, si contra ipsam producatur?*

54 *Reprobatio subinde sumitur ex iis, quæ depositiones concernunt.*

55 *Facta reprobatione testium admittitur salvatio.*

56 *Qualis terminus est datus ad reprobandum, etiam dandus ad salvandum.*

57 *In reprobationibus & salvationibus nihil impertinens ad causam est ponendum.*

58 *Terminus dandus ad probanda facta contra testes allegata.*

59 *Edictum Principum nostrorum vult reprobationes testium & depositionum, uti & eorum salvationes simul absolvi.*

I. INter modos facta probandi frequentissimus est, qui fit per testes; tradontque communiter Canonistæ, eum multò efficaciorem, ac digniorem esse, quàm qui fit per instrumenta; cùm etiam falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, per testes probari possit. *Cap.* 10. §. PORRO, *x. De Fide instrumen.* Hodie tamen in quibusdam causis admittitur probatio per sola instrumenta, & non per testes; ut in decursu ostendetur.

II. Si Actor per testes suam intentionem probare velit, vel Reus suam exceptionem, inprimis petere debet à judice admitti ad probandum, & dari sibi terminum ad probandum, sive terminum convenientem, intra quem suos testes producere queat. Hodie ferè receptum est, ut judex viso processu Partes, vel alteram earum ad probandum per sententiam interloquutoriam condemnet, vel admittat.

III. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *art.* 25. mandant: "Processus sic, ut præmittitur, instructus "ad Judicem deferatur, ut ipse dispiciat, an quæstio juris, "vel facti sit, sententiam suam diffinitivam, vel interlocutoriam ferat, nec antè citra sententiam ad probandum "Partes admittantur, nisi ambæ consentiant, & Judici nulla "suspicio subrèpat collusionis Procuratorum, aut Advocatorum, qui suo lucro velint expensas facere damno partium, ad earum jura tuenda non necessarias."

IV. Deinde *art.* 26. addunt: "Processu per Judicem "visitato, seu visis Actis, si testium productione opus esse "judicet, utramque partem, aut illam, quam ad fundandam "intentionem suam probatione indigere comperiet, ad "probandam admittet."

V. In Curiis Civilibus, dum Partes sunt admissæ ad probandum, solent deputari Commissarii, coram quibus testes

testes produci, & examinari debent; de quibus Commissariis designandis à Cancellario Curiæ Brabantiæ est expressum *art.* 29. dictarum Ordinationum.

VI. Post hæc, testes per Commissarium vel Judicem citari debent. Testes enim, qui sua sponte, nullâ prævia citatione, ad ferendum testimonium se offerunt, suspecti esse solent.

Illud tamen notandum, quòd ipsi testes à Partibus vel per Partes produci debeant, & nullo modo à Judice, vel per Judicem, aut à Judicis officio; quia Judex ex suo officio, Partium facta in causis civilibus, aut in causis criminalibus civiliter intentatis, inquirere non potest; licèt id possit in criminalibus causis criminaliter intentatis. Ita Damhouderus in Praxi Rer. Civil. *cap.* 163.

Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *a.* 29. idipsum insinuant, ubi statuunt: "In probandi termino pendente, is, cui probandi onus incumbit, articulos scripto designabit, super quibus *productionem facere* intendet."

VII. Citati testes ad dicendum testimonium si contumaciter comparere, & testimonium ferre recusent, possunt etiam inviti, præsertim in Civilibus, cogi ad testimonium ferendum *Cap.* 2. *De Testibus cogendis*, & *L.* SI QUANDO, *Cod. De Testibus*, & Authenticâ ei subjectâ.

VIII. Imò si contingeret, quòd testis citatus Apparitori citanti responderet: "Ego non veniam, quia ego de causa nihil scio, tamen deberet venire & comparere, & ad hoc compellendus est, saltem ut illa declaret, & affirmet sub suo juramento," ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 163. *n.* 10. Si tamen ex circumstantiis satis appareret Judici, quòd testis nihil de causa illa sciret, meritò eum à subeundo labore, & præstando juramento absolvere posset.

IX. Sunt præterea quædam personæ, quæ à ferendo testimonio, etiā in civilibus causis, excusantur; de quibus agunt Doctores ad titulum Decretalium *de Testibus cogendis*: quibus & annumerant Clericos, præsertim in Sacris constitutos, quos asserunt excusari à testimonio ferendo, in causis etiam civilibus corā Judice laico, saltem sine licentia & consensu suorum Prælatorū: quod tamen hodie non servari notat Bugnionius de Legibus abrog. *lib.* 3. *c.* 151. quin & cogi posse ad testimonium ferendum coram laicis in civilibus: quod & in Belgio servari notat Christinæus ad Bugnionium ibidem *cap.* 151. Et exprimitur in Concordatis inter Episcopum Cameracensem, & status Hannoniæ de anno 1541. *art.* 20. uti supra cap. 2. notatum est.

X. Si testes sint infirmi, vel in remotis partibus morentur, tunc subinde ipse Judex vel Comissarii ad locum ipsorum testium accedant; atque ipsos testes personaliter audiunt & examinant: interdum verò in causis non arduis, ut parcatur sumptibus, scribitur Judici, sub quo degunt testes, ut eos recipiat & audiat juxta scedulam informationis eò transmissam, & secundùm formam ac stylum loci, uti loquitur Damhouderus citato *cap.* 163. *num.* 8. idque & in Curiis Ecclesiasticis est usitatissimum; mandaturque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 38. quòd "quando Judex ob sua impedimenta, locorum distantiam, Partium tenuitatem, & modicum causæ momentum vel aliàs non vacabit testibus per se audiendis, committet partes suas alteri ad hoc idoneo, qui, prout & ipse Judex, numquam solus, sed semper cum adjuncto idoneo, Partibus quàm minimè oneroso, & neutri partium suspecto, testes audiet."

XI. Regulariter duo testes sufficiunt ad plenam probationem, *L.* 12. *ff. De Probationibus* ubi Ulpianus ait: "Ubi numerus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt: pluralis enim elocutio duorum numero contenta est." Quod est conforme huic Christi sententiæ: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.*

XII. Verùm ut duorum testium depositio super uno eodemque facto plenè probet, requiritur, ut hi testes sint omni exceptione majores; id est, ut nulla ex parte fides illorum vacillet, quales olim antiquo verbo legis XII. Tabularum *assidui* vel *classici* vocabantur, uti observat Wesembecius ad titulum De Testibus *numer.* 2.

XIII. Multi de jure testes esse prohibentur; & alii quidem generaliter in quibuscumque causis, & contra quascumque personas; alii in certis causis, & contra certas personas; qui passim à Doctoribus ad titulum Decretalium, Digestorum & Codicis *De Testibus* annotantur.

Omnes tamen censentur de jure idonei testes, qui specialiter non ostenduntur excepti, *Cap.* 1. *De Testibus*, & ibi Glossa, unà notans, quòd "edictum de testibus prohibitorium sit, ut quilibet admittatur, qui non repellitur."

XIV. Cùm ergo omnis testis de jure reputetur idoneus, nisi ostendatur exceptus, Partis est exceptionem adversùs testem opponere: moribusque receptum est, ut judex testē non repellat, nisi Parte opponente: ipsius tamen arbitrio relictum manet, quantum fidei tribuat, juxta *L.* 3. §. 1 & 2. *ff. De Testibus*; ubi asseritur: "Divus Adrianus Vivio Varo Legato Provinciæ Ciliciæ rescripsit, eum qui judicat, magis posse scire, quanta fides habenda sit testibus." Idipsum latiùs exprimitur in *L.* 21. §. 2. *ff. eod.*

XV. Licèt duo testes omni exceptione majores sufficiant ad plenam probationem, quia tamen nonnumquam fides testium aliqua ex Parte debilitatur, prohibitum non est, imò & nonnumquam consultum ad firmiorem & clariorem probationem plures testes adducere: modò tamen caveatur, ne superflua multitudo testium ad divexandum Adversarium sumptibus, producatur; volueruntque jam pridem Romani, ut licentiam producendi testes ita Judices moderentur, "ut eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari patiantur: ne effrænatâ potestate ad vexandos homines superflua multitudo testium protrahatur. *L.* 1. §. 2. *ff. eod.*

XVI. Moribus hodiernis plerisque Curiarum Ordinationibus cautum est, ne super uno eodemque articulo ultra 10. *testes* producantur; quemadmodum de Parisiensi Parlamento testatur Masuerus De Judiciorum Praxi *sub Rubrica de testibus col.* 6.

Et in Curia Brabantiæ *art.* 44. injungitur Commissariis, quòd super uno facto non possint ultra 10. testes audiri, nisi in causis Fiscalibus, vel aliis magni momenti arbitrio Cancellarii & Concilii: & si ultra 10. testes essent auditi, hi non taxabuntur ad onus partis adversæ. Testaturque Antonius Faber in Codice *lib.* 4. *tit.* 15. *Definit.* 6. in notis, stylo Senatûs Sabaudici cautum esse, super eodem facto ultra 10. *testes* non audiendos.

XVII. Idem numerus testium præfigitur in citatis Ordinationibus Curiarum Eccl. *art.* 25. addita hac exceptione: "Nisi quando vertitur quæstio super consuetudine, aut Judex, meritis causæ excussis, aliud decreverit."

Quod hîc dicitur de *consuetudine*, ut in hujus probationem plures quàm 10. testes admitti queant, similiter locum habet, ubi de usu aut stylo alicujus Curiæ, aut de privilegiis diu ulitatis controversia est; uti monet Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 164.

XVIII. Hæc enim vix sine multitudine testium uniformiter deponentium probari possunt; diciturque probatio per *Turbas*; quasi turbatim populus testaretur. In citato *art.* 44. Ordinationum Curiæ Brabantiæ declaratur, quòd una *turba* habebitur tantùm pro unico teste. Turba autem constat 10. testibus, uti observat Merula in Praxi *lib.* 1. *tit.* 65. *cap.* 13. *num.* 4. asseritque Antonius Faber loco citato *Definit.* 14. quòd super consuetudine plures testes per *turbam* quidem audiri possint, "ita tamen (ait) ut non paucioribus quàm *decem* testibus turba constet."

XIX. Addens unà ex Rebuffo, "nec tamen posse adduci ultra 30. testes pro turba, & quòd probatio recipiatur ad tres turbas, & non ampliùs."

XX. Ut dictis testium fides in judicio habeatur, hodie requiritur, ut priùs coram judice præstet juramentū de dicenda veritate: nec testi, injurato hodie in judicio creditur; & licèt hoc juramentū non sit pars litis, aut de substantia processûs, non potest tamen omitti, nisi de consensu utriusque Partis,

Partis, & judice probante, *Cap. 39.* ,, *De testibus*, & ubi Glossa verbo *Remittatur*. Vide etiam Merulam in Praxi *lib. 4. tit. 65.*

XXI. Planè convenit juramentum hoc non sequi, sed antecedere testimonium uti & Praxis observat: ,, Nam faciliùs ,, religio à falso absterruerit, quàm ad confitendum de falso ,, adegerit; ,, uti rectè advertit Tuldenus in Codice ad titulum *De Testibus*: qui tamen adjungit; ,, Sed non utiq; hoc or- ,, dine converso irritum fuerit testimonium. ,, Vide etiam Damhouderum in Praxi rerum civil. *c.* 166. *n.* 11.

XXII. Monet Merula *n. 7.* quòd si quis juramento præstito deposuerit coram arbitro, aut Judice subalterno, si post modum coram Judice superiore cogatur renovare eandem depositionem, non videatur cogendus ad renovandum juramentum: quod sanè æquum & justum apparet; ne juramenta nimis leviter, & sine sufficienti causa (prout hodie frequenter admodum contingit) exigantur & præstentur; & ita Nomen Domini in vanum assumatur.

XXIII. Priusquam testes ad jurandum admittantur, meritò Judex solicitus est, ut testes sint ritè instructi de ipso juramento quæ contineat; quàmq; grave sit juramento quidquam falsi, præsertim in judicio, & in præjudicium tertii testificari. Hinc in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 38. expressè mandatur Judici vel Commissario seu Delegato ad audiendos testes, quòd testes ,, ante omnem depositionem ad veritatem adhortabitur, & ,, iis specificè pœnas perjurii exponet: quàm imprimis graviter Deum offendat testis falsum deponens, aut verum ,, subticens; Judicem quoq; qui secundùm probata judicare debet, fallat; & partem vehementer lædat, quod ad restitutionem totius damni, quod pars ea de causa patitur, ,, teneatur.

XXII. Hoc testium juramentum præstandum est, Parte illa contra quam producuntur, legitimè citata; quæ si per se, vel per Procuratorem compareat, in ejus præsentia præstandum est. Si autem legitimè citata non compareat, poterit ipsa absente recipi juramentum, & procedi ad auditionem testium. *Cap. 2.* ,, *De Testibus*, & ibi Glossa. Imò in sæpius citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. *tit.* 11. *art.* 27. præcipitur, ut Judex ad examen testium non procedat, nisi de ,, Partis ad videndum *jurare* testes citatione constiterit, quæ ,, in initio suorum actorum seu examinis describi per Graphiarium, seu alium adjunctum curabit. ,, Dicitur autem ,, *art.* 41. ,, Si pars citata ad videndum testes jurare se absen- ,, tes, procedetur nihilominus à Commissariis ad examen, ,, Eadem habentur in Ordinat. Curiæ Brab. *art.* 559.

XXV. Ante examen testium, pars testes producens, debet prius intentionem suæ examinationis faciendæ ex petitione sua elicere, eamq; in scriptum quoddam redigere Judici tradendum, ut super articulis ibidem designatis testes producendos examinet.

XXVI. Insuper Interrogatoria à Parte contra quam testes producuntur, judici exhibentur, de quibus in *Cap. 2. De Testibus in VI.* ubi Glossa verbo *Interrogatoria* dicit Interroga- ,, toria sunt quæ facit Pars testibus productis contra se, & ,, dantur super articulis à Parte producente exhibitis. Forma Interrogatoriorum hæc est: Si dixerit testis verum esse ,, quod primo intentionis articulo continetur, quæratur ab ,, eo quomodo scit, & si præsens erat, & ad quid ibi erat, & si ,, vidit, aliave his similia, secundùm quod facient ad factum; ,, latius eam describit Glossographus loco citato.

XXVII. Interrogatoriorum usus potissimum introductus fuisse apparet, ut ex responsis super iisdem, testium fraudes, falsitates & subornationes faciliùs & clariùs deprehendi & cognosci possent, quemadmodum notat Merula loco citato *cap.* 8. *num.* 3. quare nec à parte producenda generalia aut inutilia interrogatoria, quæ duntaxat ad causam protrahendam, Partem producentem expensis onerandam, & vexandum Commissarium facere videntur; quæ omnia Judex rejicere debet, uti ibidem monet Merula *n.* 4.

XXVIII. Circa articulos monent citatæ Ordinationes Curiarum Eccles. *tit.* 11. *art.* 29. quòd ,, nullos designabunt ad recipiendas probationes, sub pœna unius floreni, nisi qui ,, in lite propositi & adversario communicati fuerint: De- ,, signationes verò articulorum & interrogatoria, actis, ,, tamquam eorum pars inserenda sunt.

XXIX. Ut autem interrogatoriorum finis supra designatus habeatur, hæc ,, de consuetudine & de jure non dantur ,, Parti adversæ, ne posset super his instruere testes suos: sed ,, Judex per se vel Assessorem examinat illa: & si qua reperit ,, superflua vel impertinentia, illa resecat. ,, Ita Glossa loco citato.

XXX. Innuit autem ibidem Glossographus, non semper interrogatoria exhiberi; imo nec in omnibus Curiis eorum usus est. Et quidem *art.* 72. Ordinationum Curiæ Brab. interdicitur Partibus, ut Interrogatoria Commissariis subministrare. Verba sunt: *Dat Partyen de Commissarissen egeen interrogatorien en sullen mogen overgeven.* Et teste Damhoudero in Praxi rerum civil. *c.* 170. *n.* 16. in magno Mech- ,, liniensi, & in Provinciali Flandriæ Conciliis, Commissari- ,, us format sua interrogatoria, in omnibus iis, quæ ipsi ali- ,, quo modo ad veritatis inquisitionem pertinere videbun- ,, tur.

XXXI. Testes præstito juramento parte adversa præsente, aut saltem legitimè citata & absente, à Commissario vel Judice super articulis designatis *singulatim* examinandi sunt, hoc est, quilibet seorsum, sic ut nullus sciat, quid alter dixerit, seu deposuerit; & *secretò* nemine præsente, præter Commissarium seu Judicem, & Graphiarium seu Secretarium vel Notarium, qui depositiones excipiat Damhouderus in Praxi rer. civil. *c.* 170.

Quamvis enim Pars adversa in præstatione juramenti admittatur, non tamen in ipsa depositione.

XXXII. Commissarius seriò admonere & instruere debet testes, ut ritè advertant ad facta super quibus interrogabuntur; nec aliud dicant, quàm sicut revera in animo credunt: utque clarè & lucidè loquantur.

XXXIII. Judex autem sive Commissarius, ,, eosdem dili- ,, genter juxta data, aut alioquin juris interrogatoria, de ,, tempore, loco, causa scientiæ, aliisq; necessariis circum- ,, stantiis, exactè examinabit, ,, inquiunt Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11, *art.* 38.

Idipsum præcipitur in Ordinat. Curiæ Brab. *art.* 37. volentes insuper, ut veritatem, & rationes scientiæ ritè inquirant. Plura quæ ad rectam normam examinandi testes pertinent vide apud Damhouderum citato *c.* 170.

XXXIV. Notat ibidem Damhouderus, ,, non esse recipi- ,, endum testem qui ad hunc modum deponere volet; Ego ,, Petrus testor & depono idem quod Joannes deposuit. ,, Nescit enim Petrus quid Joannes deposuerit, neque quid ,, Commissarius ab ipso exquisiturus erit.

XXXV. Testis debet coram & in præsentia judicis testimonium ferre; neq; sufficeret scripto ad judicem misso testari. Etenim judicis aspectus vel reverentia sui refrænat audaciam falsi, vel id ex vultu & titubatione deprehendit judex, uti rectè observat Tuldenus in Codice ad titulum *De Testibus n.* 7.

XXXVI. Depositiones testium singulorum debent scripto excipi: alioqui Curia aut judex non posset quidquam ex depositis legitimè judicare. In conscribendis autem testium depositionibus, à Commissario adhibenda est magna prudentia & diligens cautio, ut in scribendo linguam, idioma & modum loquendi testium quàm proximè imitetur, & iisdem utatur terminis quibus testis usus est in deponendo, ait Damhouderus ibidem *n.* 32. quod & expressè mandant sæpius allegatæ Ordinationes Curiæ Eccles. *tit.* 11. *art.* 44. addità hàc ratione: *Quoniam in utroq; idiomate magna vis verborum est.*

XXXVII. Eisdem Ordinationibus *art.* 45. statuitur: ,, Superflua præambula circa testimoniorum extensionem, ,, deinceps volumus omitti, sed solùm præmitti nomen, ,, cognomen Commissarii & testis ejusdemq; testis ætatem, ,, habitationem, an partium sit consanguineus, vel affinis, an

„ an eosdem nôrit,& an commodum,vel incommodum,ex „ litis decisione expectet,quodq; citatus, expositisq; speci- „ ficè ei perjurii pœnis, examinatus super interrogatoriis „ fieri petitis,puta primo, aut tali articulo, ita responde- „ rit.„„

XXXVIII. Ne tamen compendiosè procedere volens depositiones obscuras aut ambiguas reddat mandatur in iisdem Ordinationibus ibidem *art*.44. „Numquam,sub pœ- „ na trium florenorum,scribetur,quod unus testis concor- „ dat cum altero,aut quod testis deposuit contenta articuli „ esse vera,sed claris & apertis verbis ad longum scribetur „ id,quod quisq; deposuerit,& attestatus fuerit.

XXXIX. Ut verò certior & firmior sit depositio,ipseque testis majori cum judicio & maturitate testetur, præcipitur eodem *art*.44.„Et de verbo ad verbum testimonium nota- „ tum testi relegetur,& iterum interrogabitur,an sua depo- „ sitio sit benè,fideliter,& juxta mentem suam ac intelligen- „ tiam scripta.„

Idem mandant Ordinationes Curiæ Brab. *art*.37.adduntque,testes post habitam lecturã posse persistere vel mutare.

XL. Ulterius depositio propriâ subscriptione munietur, „ si testis scribere nôrit;& si propter senium,imperitiam,& „ alia impedimenta signare non valuerit, in ejus præsentia „ Commissarius,vel Graphiarius, cùm aderit, apposito per „ deponentem propriâ manu aliquo signo , ipsius nomen „ subscribet.

Hæc in citatis Ordinationibus Curiæ. Eccles.citato *art*. 44.Vide quoque *art*.39.Ordinat.Curiæ Brab.

XLI.„ Depositiones testium, donec à judice publicatæ „ fuerint,secretas servent Commissarii,neq; originales de- „ positiones Partibus tradantur,sed post publicationem pe- „ tentibus illarum copia conficiatur, & Commissarii testi- „ bus simile silentium sub pœna arbitraria imponent: pro- „ ut etiam de jure sub pœna damni, quod inde sequitur , „ resarciendi,servare tenentur.„Ita dictæ Ordinationes Curiæ. Eccles. *art*. 47. & concordat *art*. 37. Ordinat. Curiæ Brab.

XLII. De jure communi ante sententiam debet fieri publicatio depositionum *Cap*.24.§.DEBET ;; *De Accusat*. Imò Glossa in *L*. PROLATAM *Cod.De Sentent.& interlocut*,sententiam nullam esse tradit,quæ non publicatis testimoniis lata est.

XLIII. In nonnullis tamen Curiis,præsertim Regiis jam pridem invaluerat,ut nulla publicatio depositionum,etiam in causis civilibus,fieret;idq; propter securitatem testium , ne ipsi incurrant odium partium contra quas deposuerunt, & ut faciliùs deponant,quod fortè non auderent, si Partes illustres,aut alii magni Domini scirent,aut videre possent illorum depositiones;quod & in Gallia passim Curiæ servarunt usq; ad annum 1549.quando Franciscus I.decrevit,ut in materiis civilibus ubique fiat publicatio depositionum, quousque aliter fuerit ordinatum.

Excipit tamen hæc ordinatio Parlamentum Parisiense nec non Cameram supplicationum,in quibus non solet fieri publicatio,uti notat Rebuffus in tractatu *De Publicatione attestationum* Glossâ unâ *n*.2.*&* 3.additq; nec in Parlamento Tholosano hunc articulum Ordinationis fuisse receptum,nec in supremis Curiis.

XLIV. Ex Gallia usus ille non publicandi depositiones etiam in Belgium irrepserat,uti de Mechliniensium & Flandrorum Conciliis testatur Damhouderus in Praxi rerum civil.c 182.& de Curia Hollandiæ testatur Merula in Praxi *lib*. 4.*tit*.78.c.1 *n*.3 .eumq; usum durasse usq; ad tempora Philippi II. Regis Catholici,satis innuitur in rescriptis ejusdem Philippi ad supplicationem Statuum Hollandiæ anno 1556. & ad supplicationem Statuum Brabantiæ anno 1575. quibus permittit & ordinat,ut in causis,etiam tunc pendentibus nondum decisis,ad petitionem Partium fiat publicatio & notificatio depositionum seu attestationum. Rescripta latinè reddita extant apud Damhouderum dicto *c*. 182. & datum ad supplicationem Statuum Hollandiæ refert Merula dicto c.1.

XLV. Sed cùm hæc rescripta non omnes Curias Belgii concernerent,usus antiquus in nonnullis adhuc Curiis perseverabat,quousque per dictum perpetuum Alberti & Isabellæ anni 1611.*art*.10. ordinatum fuit , ut in omnibus Curiis & Tribunalibus justitiæ,sive supremis,sive subalternis,quæ Principibus suberant,publicatio depositionum fiat juxta dispositionem Juris communis : quod ubique hodie in Belgio observatur teste Christinæo ad Bugnyonium De Legib. abrog. *lib*. 2.*cap*. 117. utque fiat in suprema Curia, aliisque subalternis per totam Brabantiam , expressè præcipit *art*.76. Ordinat.dictæ Curiæ.

XLVI. Ordinationes Curiarum Eccles.Provinciæ Mechl. *tit*. 11. *art*. 48. volunt: "Terminis probatoriis elapsis pe- „ tent Partes à judice publicationem testium, qui de consensu Partium publicationem faciet , & copiam decernet. „ Si tamen altera pars in publicationem consentire recu- „ set,ea non fiat,nisi decreto judicis pro tribunali sedentis.

Interdum autem & in civilibus causis depositiones ipsæ publicandæ non sunt; sed dumtaxat nomina testium ; ubi scilicet certum,aut verisimile erit , ex depositionum publicatione testibus periculum imminere,uti habent citatæ Ordinationes *art*. 49.

XLVII. Publicatio hæc potissimùm fit,ut Pars adversa possit scire quid testes deposuerint;atque ex illis cognoscere,in quo statu causa sit: an cedere,an ulterius decisionem causæ exspectare ; ita ut videat, an dicta testium refellere queat ; aut eorum auctoritatem enervare , objiciendo testibus ea, quæ fidem ipsorum diminuant, sive suspectam reddant.

XLVIII. Post publicatas attestationes non licet amplius ad alias productiones testium super iisdem articulis , vel planè contrariis recurrere, propter periculum subornationis , quæ facilè committi posset ad supplendas vel emendandas priores attestationes, ut statuitur *art*. 74. Ordinat. Curiæ Brab. & multis citatis notat Christinæus loco citato *cap*. 109. asseritque , in Belgio usu receptum esse , ut nec per viam restitutionis id permitti soleat.

XLIX. Quibusdam tamen casibus productionem testium,post factam publicationem admittendam esse ostendit Antonius Faber. in *Cod. lib*. 4. *tit*. 15. *def*. 5. monet tamen *definit* 32. productionem testium post publicata testimonia parcissimè & perrarò esse indulgendam. *Definit*.63. autem scribit , post apertas testificationes , si nondum sint discita testificata, audiri testes posse, quia cessat periculum subornationis.

L. Publicatis depositionibus & nominibus testium,moribus hodiernis permittitur Partibus eos reprobare ; id est, exceptiones proponere aut contra personas , aut dicta testium;ipsæq; Ordinationes *Curiarum Eccles.tit*.11.*art*.50. volunt,ut " terminus octidui , vel quindenæ pro omnimo- „ da dilatione , & sub pœna seclusionis ad excipiendum „ contra testes,eorumque dicta præfigatur."

LI. Reprobatio hæc frequenter sumitur ex factis sive circumstantiis,quæ ipsas personas testium concernunt : alleganturque ad enervandam vel minuendam fidem testium ; puta quòd sit infamis, perjurus, consanguineus producenti,aliaque similia , quæ latè enumerant Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap*. 186. & Merula *lib*.4. *tit*.78. *cap*.4. hoc rectè monens *num*.69.quòd ordinariè non tantùm valeat testimonium testis pauperis , quàm divitis ; eò quòd pauper faciliùs corrumpi possit.

LII. Notandum quoque monet *n*. 70. quòd testis consideretur in ea qualitate,qua erat tempore præstiti juramenti & factæ depositionis;non autem qualis sit tempore reprobationis. Unde si post depositionem factus esset affinis illius pro quo deposuit, non posset propterea reprobari , si modò tempore depositionis fuisset non suspectus.

LIII. Observat item *num*. 71. quòd testis ab una Parte pro se productus,non possit reprobari , si in eadem vel alia causa contra ipsam à Parte adversa producatur , quia per productionem factus est *omni exceptione major* : quod tamen intelligendum est , modò non accesserit nova aliqua cir-

circumstantia, quæ ipsum suspectum reddi:; putà quia interea factus est affinis Partis adversæ, vel junxit se in causa &c.

LIV. Desumitur queq; non rarò reprobatio ex aliquibus circumstantiis quæ ipsas depositiones spectant; putà quod sint obscuræ; vacillantes; nihil certò affirmantes aut negantes; sibi contrariantes; destitutæ rationibus scientiæ; sine fundamento assertæ; impertinentes ad articulos propositos &c. Vide Merulam loco citato c. 5. & Damhouderium *cap.* 185.

LV. Post reprobationes testium & depositionum factas, permittitur Partibus facere *salvationes*, quæ sunt defensiones aut solutiones contra reprobationes à Parte productas, quibus suam productionem, suos testes eorumque depositiones justificare nititur.

LVI. In Ordinationibus Curiarum Eccles. citato *art.* 50. statuitur, ut exceptionibus per reprobationem exhibitis, „similis terminus [octidui aut quindenæ] sub pœna seclusio„nis, ad *salvandum* statuatur & per salvationum exhibitio„nem, vel ubi Pars iis renuntiaverit, conclusum censebitur „in causa.„

LVII. „Illud tamen in prædictis exceptionibus & salvationibus sedulò cavendum erit (ajunt dictæ Ordinationes *art.* 51.) ne quidquam allegetur, aut proferatur, quod earum „naturam non sapiat; & si contrà factum fuerit, nullam ju„dex eorum habeat rationem, quin etiam, si ita expedire „judicaverit, pro officio suo rejiciat.„

LVIII. Additur ibidem *art.* 52. „Si quæ facta in exceptio„nibus in testes, vel salvationibus allegentur, testes con„cernentia, quorum probationem necessariam ad causæ „decisionem æstimabit judex præfigetur quindena, vel „mensis, ad eorundem factorum probationem, prout res „exiget, sub unica tantùm dilatione.„

LIX. Principes in Edicto de 28. Novemb. 1611. interpretativo *art.* 10. Edicti perpetui ejusdem anni, volunt, ut in uno eodemq; volumine testium personæ reprobentur, & depositiones ipsorum confutentur, idque sub unico termino aut dilatione; & simili ritu *salvationes* fiant.

CAPUT VII.

De Probatione per instrumenta: & de Notariis Apostolicis & Regiis.

1 *Frequens est probatio per instrumenta; & quid hic significet instrumentum.*

2 *Auctoritas instrumentorum varia est pro diversitate illorum.*

3 *Quæ dicantur instrumenta publica?*

4 *Instrumenta publica debent esse confecta à persona publica & in forma legitima.*

5 *Debet esse* publica *ad scribenda sive conficienda instrumenta.*

6 *Hinc Scriptura judicis non solet reputari pro publica.*

7 *Neque littera scripta à Rege.*

8 *Quare Scriptura non sit semper publica, licèt à publica persona sit scripta.*

9 *Qui hodie ad conficienda instrumenta sunt constituti, dicuntur Notarii à* Notis.

10 *Notarii alii Regii, alii Ecclesiastici; & unde hæc distinctio orta?*

11 *Notarii Ecclesiastici alii sunt Episcopales, alii Apostolici; & cur priores penè defierint?*

12 *Synodus Tridentina permittit Episcopis examen Notariorum quacumque auctoritate creatorum.*

13 *Decretum Synodi quoad Notarios auctoritate Regia admissos in Belgio receptum non est.*

14 *Notarii Apostolici examinati a persona in Dignitate constituta juxta litteras Apostolicas possunt in Belgio ab Episcopis examinari.*

15 *Littera creationis Notariorum Apostolicorum expediuntur in forma commissoria; quæ refertur.*

16 *Creandus in Notarium ex tenore litterarum potest quamcumq; personam in Dignitate constitutam in examinatorem eligere.*

17 *Hinc natum est fieri, ut & imperiti admittantur.*

18 *In Gallia Notarii Apostolici debent ab Ordinariis locorum examinari & admitti.*

19 *Examinis & admissionis litteras habere tenentur.*

20 *Nomina eorum, item locus domicilii & residentiæ registrari debent in graphiaria Episcopali, & Curia Præsidiali ipsius Diœcesis in qua residere volunt.*

21 *Tenentur residere in oppidis & locis insignioribus, non ultra numerum à Curiis Præsidialibus taxatum.*

22 *Referuntur verba Edicti Henrici II. quibus præmissa statuuntur.*

23 *Hæc non tantùm in materia possessoria Beneficiorum obtinent.*

24 *Notarii Apostolici non possunt exercere in Gallia officium Notariatus, nisi in una Diœcesi, in qua juxta formam præscriptam admissi sunt.*

25 *In Belgio ex Edicto Caroli V. nullus potest exercere officium Notariatus, nisi à Concilio Provinciali prævio examine admissus.*

26 *Negotia merè profana non aliter quàm coram Notariis à Regiis Conciliis admissis in Belgio expediri possunt.*

27 *Idipsum in Gallia jam pridem receptum; neq; testamenta à Notariis Apostolicis confici possunt.*

28 *Hæc & aliorum Regnorum moribus recepta.*

29 *Notarii Apostolici penè solùm in materiis Ecclesiasticis adhibentur; & quæ sint hæ materiæ remissivè.*

30 *Expressio qualitatis, Curiæ in qua admissus, & loci residentiæ à Notario facienda.*

31 *Notarii instrumenta conficere non possunt nisi rogati; neque pro personis omnino ipsis ignotis*

32 *Edicto Principum nostrorum injunctum Notariis servare prothocolla; eaque fideliter registrare.*

33 *Quantum dependeat ab hac fideli conservatione.*

34 *Notarius Apostolicus hanc conservationem juramento promittit.*

35 *An in confectione instrumenti publici requiratur subsignatio testium cum subsignatione Notarii?*

36 *Quid de expressione temporis quo instrumentum conficitur; item de invocatione Numinis, anni regnantis Principis, &c.*

37 *Scriptura signata à publicis Graphiariis vel Secretariis; vel sigillata publico sigillo; item acta judicialia pro scripturis* publicis *habentur.*

38 *Antiqua scriptura aut vetusta insignia; queq; reperiuntur in antiquis libris, quam probationem faciant?*

39 *Quid de antiquis historiis?*

40 *Contenta in libris confectis per Officiales* publicos, *quam fidem faciant?*

41 *Instrumentum sumptum ex archivo publico facit* plenam *fidem.*

42 *Quod dicatur archivum* publicum?

43 *Instrumentum* originale *unde dicatur; & quare vocetur* authenticum?

44 *Quod hodie habeatur pro instrumento* originali?

45 *Solus Notarius qui confecit Minutam potest ex minuta facere instrumentum originale.*

46 *Copiis licèt authenticis, quare in judicio fides haberi non soleat?*

47 *Debent conferri cum originali? & quomodo hæc collatio facienda?*

48 *Sicuti examen testium, ita & collatio instrumenti alteri committi per judicem potest.*

49 *Instrumenta quæ vetustate corrumpi incipiunt, auctoritate judicis renovari possunt.*

50 *Traductionem solemnem exemplaris ex originali probat jus commune.*

51 *Traductio fieri debet ex originali.*

52 *Instrumentis publicis plena fides adhiberi solet quoad omnia quæ* dispositivè *asseruntur.*

53 *Quæ*

53 *Quæ requirãtur ut fides instrumenti per testes elervetur*
54 *Quædam negotia non nisi per scripturam probari possunt & statuta eam probationem exigentia sunt strictè interpretanda.*
55 *Refertur articulus Edicti perpetui requirens probationem per scripturam in dispositione excedente summam 300 florenorum.*
56 *Similis est in aliis Regnis constitutio; & quæ ejus ratio.*
57 *Articulus non excludit juramentum litis decisorium, nec confessionem partis.*
58 *Hinc concluditur, scripturam non requiri ad substantiam actus, sed tantùm ad probationem; neque operari in foro Poli.*
49 *Non est exclusa probatio quam faciunt libri mercatorũ.*
60 *Edictum etiam admittit scripturam privatam.*
61 *Ut de fide scripturæ* privatæ *statuatur, triplex ejus species distinguenda.*
62 *Scriptura privata scripta in commodum scribentis, fidem non facit.*
63 *Scriptura privata facit fidem contra scribentem.*
64 *De jure distinguitur scriptura causam debiti non exprimens, & eam exprimens.*
65 *Priori de jure fides plena contra scribentem non adhibetur; quod non ubique in praxi observatur.*
66 *Posteriori plena fides habetur tã de jure, quàm de praxi.*
67 *Quomodo cogendus quis sit ad recognoscendam suam scripturam?*
68 *Scedula etiam privata in judicio recognita habet paratam executionem.*
69 *Idque etiamsi esset sine die & subscriptione.*
70 *Item si sola subscriptio fuerit recognita.*
71 *An sola appositio signi ejus qui scribere nescit?*
72 *Ordinatio Regis Galliæ de hac recognitione ejusque effectu.*
73 *Conforme Edictum Caroli V. Imp.*
74 *Quomodo scriptura probetur.*

I. FRequentissimam probationis speciem esse, quæ fit per testes, capite præcedenti diximus: alia est per vocem mortuam, sive per scripturas seu instrumenta, de qua agitur tam in Jure Civili, quàm Canonico sub titulo *De Fide instrumentorum*, ubi speciatim explicatur, quam fidẽ instrumenta mereãtu; & consequenter, quid in judicio probent.

Varia est *instrumenti* in genere significatio; sed hic specialiter sumitur pro qualibet scriptura, quæ fidem rei, quam cotinet, judici facit, & causam instruit.

II. Fides autem instrumenti seu auctoritas probandi varia est, pro diversitate instrumentorum; quæ alia sunt publica, alia privata; alia rursus originalia, alia verò exemplaria dumtaxat: quorum nonnulla plenam, alia semiplenam, alia nullam, aut admodùm exiguam fidem faciunt.

III. Publica instrumenta imprimis sunt, eaq; hodie usitatissima, quæ à publica persona, veluti Notario in legitima forma confecta sunt.

IV. Duo proinde requiruntur, ut hoc pacto dicatur publicum & legitimum instrumentum: nimirum quod conficiens instrumentum sit persona publica, id est, auctoritate publicâ ad conficienda instrumenta constituta; & secundò, quod in legitima forma, quam leges & stylus patriæ vel Curiæ requirunt, sit confectum.

V. Neque enim sufficit, ut scribens sit persona *publica* simpliciter; sed requiritur ut sit auctoritate publicâ constitutus ad scribendum, sive ad conficienda instrumenta, vel litteras expediendas vel signandas; uti rectè notat Rebuffus in Tractatu *De Chirographorum & scedularum recognitione n.* 1.

VI. Hinc infert *n.* 3. quòd, „scriptura judicis, etiamsi habeat testes inscriptos, censetur privata: quia [illegible] ere non „ est judicum officium, sed tabellionum„ Dicitq; ex Baldo, „ sive scriptura fiat in judicio, sive extra à judice, poterit per „ testes reprobari, quia non est publica.„

VII. Et *n.* 4. concludit, quòd, „ litteræ manu propriâ Regis „ etiam Francorum scriptæ, licèt is sit publica persona etiam „ in his quæ ad suum pertinent officium, quia ad ejus officium non spectat scribere, privatæ dicentur, & propterea „ non faciunt fidem, nisi sigillo vel aliis adminiculis juventur, & ideo Fiscus facit scripturas per tabelliones, vel alios Officiales ad hoc deputatos„

VIII. „ Nec est inconveniens (ait *n.* 7.) privatam scripturam à publica persona emanare: quia in hoc, id est, quoad „ scribendum non est publica, sed privata, per tex. in *L.* 3 *ff. de Offic. Præsid.* ubi Magistratus est publica persona in suo „ territorio, extra verò territorium est privata: & sic extra „ officium, cui aliquis est præpositus, dicitur privatus.

IX. Qui ad conficienda instrumenta promiscua, extrajudicialia & inter privatos conficienda sunt constituti, hodie communiter dicuntur *Notarii à notis*. Primitùs enim Notarii in conficiendis instrumentis quibusdam signis sive notis utebantur brevitatis causâ, quas postmodùm extendebant; uti notat Claudius Hortii in suo Notario Apostolico *pag.* 14. edit. 1688. Dicuntur & alio nomine *Tabelliones*; quorum in jure frequens mentio occurrit, videntúrq; cum hodiernis nostris Notariis convenire.

X. Porrò cùm non tantùm super rebus temporalibus inter laicos, sed etiam spiritualibus & inter Ecclesiasticos instrumenta, ad probationem fieri soleant; imò posterioribus tandem sæculis invaluerit in Curiis Ecclesiasticis idem modus probandi, qui in Civilibus etiam cœperunt auctoritate Ecclesiasticâ creari Notarii, qui de rebus Ecclesiasticis, & inter personas Ecclesiasticas instrumenta conficerent.

Hinc tandem invaluit duplex species Notariorum, nimirum Ecclesiasticorum & Civilium sive Regiorum.

XI. Ecclesiastici alii sunt Episcopales, qui auctoritate Episcopi Notarii creantur; alii verò *Papales*, quos hodie Notarios *Apostolicos* vocamus: qui nimirum auctoritate Apostolicâ sive Papali constituuntur: suntq; hi soli hodie ferè noti. Cùm enim Episcopus tantùm queat dare auctoritatem conficiendi instrumenta limitatam ad suam Diœcesim, maluerunt recurrere ad Sedem Apostolicam, à qua illimitatam auctoritatem accipiunt.

XII. Verùm facilitas, quâ in Curia Romana jam pridem hæc facultas obtinebatur, numerum excessivum Notariorum, ac sæpè admodùm imperitorum invexerat, & quorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriebatur, uti deplorat Synodus Tridentina *Sess.* 22. *c.* 10. *De Reform.* statuitq; propterea, quòd, „ possit Episcopus quoscumque Notarios, etiamsi Apostolicâ, Imperiali, aut Regiâ auctoritate creati fuerint, etiam tamquam Delegatus Sedis „ Apostolicæ, examinatione adhibita, eorum sufficientiam „ scrutari; illisq; non idoneis repertis, aut quandocumq; in „ officio delinquentibus, officii ejus in negotiis, litibus, & „ causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuò, aut ad tempus prohiberi, neq; eorum appellatio interdictionem Ordinarii suspendat.„

XIII. Dum de promulgatione Concilii Tridentini per Belgium faciendâ ageretur, ad citatum Decretum notârunt pleriq; illud quod dicitur, Notarios auctoritate Imperiali vel Regiâ creatos, adhuc ab Episcopis examinari posse, admitti non posse illæsâ auctoritate Regiâ; & omninò observandum Edictum Caroli V. Cæsaris de creatione Notariorum anno 1533.

Conformiter ad hanc notam, Notarii Regii seu auctoritate Regia admissi ab examine Episcoporum hîc in Belgio eximuntur; nec unquam Episcopi eorumve Officiales simile examen prætendunt, aut prætendisse sciuntur.

XIV. Quin nec Notarii Apostolici hodie solent hîc in Belgio examen Ordinarii subire, modò à persona in dignitate Ecclesiastica juxta litteras Romanas admissi fuerint. Volunt tamen Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 1. *art.* 6. ut, „ Omnes Notarii Apostolici, etiam Ecclesiastici, „ intra tres menses, Officiali cujusq; Diœcesis, litteras suæ „ creationis ostendant; & si ei visum fuerit, eos, juxta *Caput* „ 10. *Sess.* 22. *Concilii Trid.* examinet, & si minùs idoneos repe-

„ repererit, eis in negotiis litibus, aut causis Ecclesiasticis, „ ac spiritualibus, officii exercendi usum perpetuò, vel ad „ tempus inhibeat, sub pœna arbitraria, eaq; gravi, Permit- „ tendi autem registrabuntur à Graphiario singularum Cu- „ riarum, & horum Statutorum observationem, quantum „ eos concernent, promittent.„

XV. Ex moderno stylo Curiæ Romanæ litteræ creationis Notariorum expediuntur in forma *commissoria*, inscribuntur q; non rarò generaliter personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, vel earum cuilibet insolidum, diciturq; Dis- „ cretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam habe- „ mus, per præsentes committimus & mandamus, ut si præ- „ vio rigoroso examine eumdem N. vitâ, moribus, practicâ, „ litteraturâ, cæterisq; partibus habilem & idoneum esse „ cognoveritis, seu aliquis vestrûm cognoverit, & super „ quo conscientiam vestram oneramus, ipsum in Notarium „ & Tabellionem publicum & Judicem ordinarium cum „ solitis facultatibus, Apostolicâ auctoritate prædictâ ordi- „ netis, creetis & instituatis, seu aliquis vestrûm creet, ordi- „ net & instituat, ipsúmq; per pennam & calamare, aliaque „ consueta insignia de dictis Officiis investiatis, prout nos „ in eventum prædictum harum seriè ordinamus, creamus, „ & investibus cum facultate quoad pias & Ecclesiasticas „ causas ac ab eis dependentes & concernentes tantùm per „ quascúmq; mundi partes, civitates, terras, oppida, castra, „ villas & omnia alia totius orbis loca sanctæ Romanæ Ec- „ clesiæ mediatè vel immediatè subjecta, quoscúmq; con- „ tractus, distractus, conventiones, acta, actus judiciarios, „ inter vivos & causâ mortis donationes, testamenta, codi- „ cillos & omnes alias ultimas voluntates, cæteraq; instru- „ menta ad Forum Ecclesiasticum dumtaxat pertinentia ro- „ gandi, recipiendi, subscribendi & publicandi, omniaq; alia „ faciendi, quæ ad officium Notarii Tabellionisq; publici & „ Judicis ordinarii pertinere dignoscuntur, quodq; ad eum- „ dem D. N. Notarium Tabellionemq; publicum, & Judi- „ cem ordinarium tanquam ad personam authenticam pu- „ blicè recurratur, instrumentisq; publicis per eum confici- „ endis stetur, firmiterque credatur, & plenaria fides adhi- „ beatur in judicio & extra.„

XVI. Itaq; approbandus in Notarium litteras alicui personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sibi magis notæ, quamq; sibi magis affectam credit, præsentat; qui præmisso examine secundùm tenorem litterarum, & præstito prius juramento (cujus formula in litteris exprimitur) ipsum auctoritate Apostolica Notarium creat; idq; illimitatè ad omnes Diœceses in loca; atq; hîc in Belgiô sæpius nulla alia Ordinariorum prævia examinatione aut admissione; vi hujus admissionis instrumenta publica conficiunt; & pro publicis Notariis Apostolicis se gerunt.

XVII. Quia verò hoc examen committitur personæ ab ipso examinando eligenda, haud difficulter intelligitur, quàm parum efficax sit hujusmodi examen ad impediendum admissionem Notariorum insufficientium, & ex quorum imperitia plurima incommoda & lites nata sunt oriri, & indies oriuntur.

XVIII. Ut proinde efficacius hisce incommodis occurratur, ordinatum fuit in Gallia Edicto Henrici II. anni 1550. quod se refert ad Edictum anni 1547. quòd fides non adhibebitur instrumentis factis per Notarios Apostolicos, nisi prius fuerint examinati & admissi per Archiepiscopos, Episcopos, eorum Vicarios vel Officiales, & præstito coram ipsis juramento.

XIX. Hujus examinis, admissionis & præstiti juramenti debent habere litteras sub sigillo Diœcesani sive Vicarii seu Officialis. Per Vicarium enim ibidem significari Officialem sive Vicarium habentem tribunal, satis manifestum est ex contextu, & praxis confirmat.

XX. Requiritur præterea, quòd nomen, cognomen eorum, & locus domicilii & residentiæ registrentur in Graphiaria Curiæ Archiepiscopalis, aut Episcopalis. Registratio hæc pariter fieri debet in Curia Regia Præsidiali dictæ Diœcesis.

XXI. Deniq; requirit edictum, ut resideant in Urbibus vel Oppidis & insignioribus locis Diœcesis. Idque intra numerum à Curiis Præsidialibus pro ratione Diœcesis taxatum.

XXII. Verba Edicti sunt: *Premierement, que par nos Cours souveraines, & autres nos Juges, en jugeant le possessoire des benefices contentieux, ne sera foy adjoustée ès procurations pour resigner, ne revocatió d'icelles, prinses de possession, & autres actes & instrumens passes par Notaires Apostoliques, s'ils ne sont prealablement examinez, & receux par les Archevesques, Evesques, leurs Vicaires, ou Officiaux, & fais serment entre leurs mains, & de ce ayant lettres sous leurs sceaux, gaist aussi enregistrer ès Greffes des Cours desdits Archevesques & Evesques & Cours Presidiales de nostre Royaume suivant l'Edict par nous faict, leurs noms & surnoms, & declarer le nom du lieu de leur demeurance qu'ils seront tenus faire aux villes & plus notables lieux desdites Dioceses respectivement: selon le departement & nombre qu'il sera advisé.* Id est: Primò ut nec Senatus nostri Supremi, nec alii nostri Judices dum de possessione Beneficiorum contentiosorum cognoscent, fidem adhibeant procurationibus ad resignandum seu earum retractationibus, inductionibus in possessionem, aliisq; actis & instrumentis per Notarios Apostolicos confectis, nisi prævie fuerint examinati & admissi ab Archiepiscopis, Episcopis, eorum Vicariis aut Administris & ad manus eorum juramentũ præstiterint litterasq; sigillo eorum munitas desuper obtinuerint, & ad Graphe ja Curiarum dictorum Archiepiscoporum, Episcoporũ & Curiarum nostri Regni Præsidialium juxta Edictum quòd à Nobis emanavit, retulerint nomina sua, cognomina, indicaverintq; nomen loci comorationis suæ, quam obstricti erût facere in Civitatibus locisq; Diœcesiũ celebrioribus respectivè, juxta distributionem & numerũ qui designabitur.

XXIII. Et licèt Edictum non loquatur expressè, nisi quantum ad fidem adhibendam in judicio possessorio; tamen idem esse in judicio petitorio in quacũmq; Curia causa agitetur; neque tantùm in causa Beneficiali; sed & in alia quacumq; testantur passim Pragmatici post Molinæum ad hunc textum.

XXIV. Eodem edicto §. 2. statuitur, quòd Notarii non possint fungi officio Notariatûs, nisi in una dumtaxat Diœcesi sub pœna falsi, & nullitatis contractuum. Verba sunt: *Et ne pourront lesdicts Notaires exercer lesdicts Notariats qu'en un Diœcese sur peine de faux, & de nullité des contracts qui seront receus hors du Diœcese, au quel ils auront esté receus.* Id est: Nec fas erit dictis Tabellionibus nisi in una dumtaxat Diœcesi munus suum exercere, sub pœna falsi & rescissionis contractuum, quos confecerint extra Diœcesim in qua fuerint recepti.

Itaq; Notarii Apostolici non possunt in Gallia conficere, publica instrumenta, aliosve Actus Notariales exercere, nisi in illa Diœcesi, in qua admissi sunt, juxta formam anteà expressam: & si fecerint, incurrunt pœnam falsi, & contractus coram ipsis facti sunt nulli.

XXV. Edicto Caroli V. de 7. Octobris 1531. quod extat parte 1. Edictorum Flandriæ *Lib.* 3. *Rubrica* 1. cautum est §. 4. ut nullus possit exercere officium Notariatus, nisi prævie examinatus & admissus à Concilio Provinciali cujusq; territorii sive loci in quo hujusmodi officium exercere vellet, litterasq; admissionis obtinuerit; idq; ut ait Edictum, ad obviandum abusibus & fraudibus qui per Notarios committebantur in grave præjudicium subditorum. Verba Edicti sunt: *Ende omme te voorziene op de ghebreken, faulten ende abusẽ, die in onzen voorseyden landen ghecommitteerde vvorden, by den Notarissen ofte Tabellionen by eenighe uyt simpelkeyt ende ignorantie, ende by den anderen, met propooste ende opsetten vville, tot grooten intereste van onzen ondersaten ende van der ghemeynder vvelvaerdt: hebben vvy ghestatueerdt ende statueren, dat van nu voordts aen nyemandt tot den voorzeyden staete gheadmitteerdt en zal vvorden, dan vermaerde ende vvel ghefameerde lieden ende de ghene, die by examinatie ende onderzouk van den Hooft ende*

ende lieden van onzen raeden ende Provincialen Rechteren, in elck landt bysondere bevonden zullen vvorden daer toe expert bequaeme ende sufficient te zyne, ende voor zulcke gheapprobeerdt : ende dat daer af blycke by acte van den voorschreven Raeden ende Provincialen Rechteren. Id est : Ad occurrendum defectibus, erroribus & abusibus, qui in dictis nostris regionibus per Notarios aut Tabelliones committuntur, ab aliquibus quidem simplicitate & ignorantiâ, ab aliis verò deditâ operâ, in grave subditorum nostrorum & boni publici detrimentum : mandavimus prout & mandamus, ut nulli in posterum ad id muneris assumantur, nisi qui sint probè noti & bonæ famæ, talesq; qui prævio examine; & inquisitione Præsidis & Consiliariorum nostrorum Judicumq; Provincialium, in qualibet particulari Provincia ad id reperientur idonei, capaces, & habiles, & ut tales fuerint approbati, & hujuscemodi constet per acta dictorum Consiliorum & Judicum Provincialium.

XXVI. Conformiter ad hoc Edictum, notoria est Praxis Belgii, nullos Notarios hic in Curiis sæcularibus, aut contractibus, aut actibus civilibus expediendis admitti, nisi à Curia Regia cujusq; Provinciæ admissi sint. Neque facilè hic in Belgio admitteretur auctoritas Notarii Apostolici in actibus merè profanis.

XXVII. In veteri stylo Parlamenti Parisiensi *part. 3. tit. 25. art. 2.* habetur Ordinatio Caroli VIII. de anno 1490. „Prohibemus omnibus subjectis nostris laicis, ne habeant „passari vel recipi facere contractus eorum per Notarios A„postolicos, Imperiales vel Episcopales in materiis tempo„ralibus vel profanis, alioquin nulla fides adhibebitur, re„putabunturque nulli, & nullius efficaciæ seu virtutis.

Refertur idem articulus inter probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c. 7. n. 45.* additâ notâ, in qua plura referuntur conformia arresta huic ordinationi; asseriturq; obligationes factas coram Notariis Apostolicis non esse subjectas provisioni. Prohibitum esse Notariis Apostolicis conficere inventaria. Item testamentum confectum per Notarium Apostolicum esse nullum; quod & asserit Brodæus in notis ad Louëtium *litt. Num. 5.* idq; indifferenter sive testamentum sit laici sive Ecclesiastici: tametsi testamentum factum coram *Curato* & duobus testibus sit validum : quia Curatus ad excipienda testamenta est authorizatus, etiam per Edicta Regia, non autem Notarius Apostolicus. Testamenta enim hodie censentur spectare non ad jurisdictionem Ecclesiasticam; sed sæcularem, uti ibidem notat Brodæus. Vide etiam Claudium Horiri in suo Notario Apostolico *pag. 16. edit.* 1688.

XXVIII. Ordinationes & consuetudinem Regni de non adhibendis Notariis Apostolicis in negotiis mere civilibus esse conformes moribus & statutis omnium passim Regnorum, notatur in citatâ notâ ad *c. 7.* probationum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

XXIX. Solent Notarii Apostolici hodie expedire instrumenta in materiis Ecclesiasticis, ac præsertim Beneficialibus, & quæ in Curiis Ecclesiasticis, ac nominatim in Curia Romana tractari debent. Quæ verò sint materiæ expediendæ per Notarios Apostolicos ex hodierno stylo Regni Galliæ, breviter enarrat Claudius Horiri loco citato *pag. 6.*

XXX. Notarius in confectione instrumenti debet facere mentionem suæ qualitatis; & in qua Curia sit admissus, & loci suæ residentiæ, quemadmodum Notarii Regii hic observant.

XXXI. Notarii non nisi à partibus rogati instrumenta conscribere, aut alios actus notariales ad ipsas spectantes excipere debent. Imò Edicto 4. Octobris 1550. (quod extat Parte 1. Edict. Flandriæ *lib. 3. Rubrica 1.*) cautum est, ne ulli Notarii contractus aut testamenta conficiant pro personis quæ ipsis ignotæ sunt, nisi testes viri probi & noti affirment eas esse tales, quales se indigitant; illudq; actis inscribatur; & earum simul domicilium. Idipsum & in Gallia cautum esse notat Bugnionius de Legibus Abrogatis *lib. 2. c. 115.*

XXXII. Eodem Edicto præscribitur, quòd Notarii tenebuntur conficere sufficientia & justa registra prothocolla omnium contractuum, testamentorum, aliorumq; actuum quos conficient, eaq; registrabunt juxta ordinem temporis quo confecta sunt, atq; in calce cujuslibet testamenti, contractus vel actus, notabunt prædictum registrum, illudq; sollicitè custodient ; ut ad illud in casum necessitatis recursus haberi queat; idq; sub pœna privationis officii, & inhabilitatis ad illud, & insuper correctionis arbitrariæ. Verba Edicti sunt : *Dat alle Notarissen gheadmittert ende gheapprobeert, sullen ghehanden vvesen te macken goed ende rechtveerdegh registre ende prothocolle van allen contracten, testamenten ende ander acten die zy passeren ende ontfanghen sullen , ende de zelve registreren by ordere dat zy die ontfanghen zullen hebben ende ghepasseert: ende in theinde van elck contract, testament, oft ander acten, teekenen tvoorseyde register, ende t selve vvel bevvaeren om daer toe recours t'hebbene vvanneer dat van noede vvesen sal : op de peyne ghepriveert te vvesen van den vvorseyden state , ende verclaert inhabil nemmermeer te moghen exerceren officie ende boven dien arbitralicken gheecorrigiert.* Id est : Ut omnes Tabelliones admissi & approbati, obstringantur conficere sinceros & fideles commentarios & prototypa contractuum, testamentorum, aliorumq; actorum quæ admiserint & receperint, eademq; eo ordine quo exceperint in tabulas suas referre, & ad calcem cujusvis contractûs, testamenti aut alterius acti prædictos Commentarios notare, eosque cautè asservare, ut ad eos possit recurri cùm opus fuerit aliàs dicto munere privandi & inhabiles declarandi, ut officium umquam exerceant, arbitrariaq; insuper pœnâ impositâ.

XXXIII. Meritò prothocolla sive minutæ omni diligentiâ à Notariis conservari mandantur: quia scitur, quàm multa plerumq; inde incommoda partibus obvenire queant ; & quàm facile defectu prothocollorum probatione juris sui destitui.

XXXIV. Hinc & inter cætera jurat in sua admissione Notarius Apostolicus: „ Contractus in *Prothocollum* redigam , & postquam sic redegero, malitiosè non differam „contra voluntatem illorum vel illius , quorũ vel cujus est „ contractus super eo conficere publicum instrumentum.„

XXXV. Ut instrumentum sit publicum, de jure communi requiritur, ut unà cum Notario interveniant ut minùs duo testes, hiq; cum Notario subscribant sive signent *Cap. 2. ✠ De Fide Instrument.* & ibi Doctores, quod & in Gallia obtinet ex Edicto Aurelianensi *art. 85.* uti testatur Bugnionius *lib. 2. c. 116.* & in Sabaudia extare Senatusconsultum, quo jubentur Notarii facere, ut tam à testibus, quam contrahentibus, si litteras sciant, instrumenta subscribantur, refert Antonius Faber. in Cod. *lib. 4. tit. 16. Definit. 19 n 8. in notis* Apud nos Belgas non requiritur subscriptio testium, sed satis est nomina testium instrumento inscribi , nisi in causis majoris momenti, putà ultima voluntate, ubi necessaria est duorum testium subscriptio, uti expressum est *art. 12.* Edicti de anno 1611. item pactis antenuptialibus & similibus magni momenti. Vide Christinæum ad citatum locum Bugnionii.

XXXVI. Præterea Notarius debet annotare annum, mensem & diem & locum ipsius contractus. Quin invocationem Numinis, annum regnantis Principis, & indictionem exprimenda esse vulgò tradunt Interpretes; quod tamen hisce in Provinciis à Notariis saltem Regiis non servatur : quamvis Notarii Apostolici invocationem Numinis præmittere, & annum regnantis Pontificis , nec non indictionem exprimere soleant.

XXXVII. Præter hæc instrumenta à publicis Notariis legitimè confecta, sunt & plures aliæ scripturæ, quæ pro publicis instrumentis reputantur, & in judiciis ad fidem adstruendam pro publicis habentur: puta quæ à publicis Graphiariis vel Secretariis signata sunt ; vel sigillo authentico Principum , Civitatum, aliorumque publicorum corporum. Item acta judicialia, quæ utrique Parti sunt communia, & registrata sunt ab illis qui registrandi publicâ auctoritatem habent. Vide Glossam ad *Cap. 2. ✠ De Fide instrument.*

num. verbo, *Sigillum*, Merulam in Praxi *lib.* 4 *tit.* 66. *cap.* 2.

XXXVIII. "Antiquæ item sive vetustæ scripturæ, anti-„qua arma, insignia, aut alia signa, aut scuta picta, aut in-„sculpta lapidibus, sepulchris, aut tumbis, vel ad muros, „aut ad Columnas, ea omnia publicæ quoque sunt proba-„tiones, ideoque judicem plurimùm movent, ut ex his fi-„dem colligat, potissimùm si multum essent vetusta, aut si „tam longo stetissent tépore, ut eorû initii vix ulla extaret „memoria; ideoque & vehementem probationem procul „dubio efficiunt, & tantò majorem fidem faciunt, si cum „iis & alia adminicula concurrant. Sic etiam dici potest de „illis litterarum, aut scriptorum Probationibus, quæ repe-„riuntur in antiquis Ecclesiarum libris, Missalibus, Mar-„tyrologiis, aut in similibus, quorum initii quoque me-„moria non existat." Damhouderus *cap.* 174. Adde Glos-sam ad *Cap.* 13. ¾ *De Probationibus.*

XXXIX. Idipsum notat Merula loco citato *num.* 7. ad-ditque *num.* 8. idem dici posse de iis, quæ in antiquis histo-riis occurrunt: quod tamen intelligi oportet, si sint Histo-rici fide digni; aut saltem pro talibus publicè & communi-ter reputati.

XL. Si libri sint confecti per Officiales publicos, ad hoc publicè auctoritate Superioris constitutos, hujusmodi libri pro publicis habentur, & plenam fidem faciunt; præsertim in iis, quæ concernunt officium dictorum Officialium: uti post alios docet Molinæus ad *Consuetud. Paris. tit.* 1. §. 8. *num.* 13.

XLI. Vicem instrumenti publici habet quoque scriptura sive instrumentum sumptum ex Archivo publico; probat-que plenè, etiamsi careat subscriptione Notarii, testibus, aliisque solemnibus publici instrumenti, uti expresse notat Glossa citata.

XLII. Publicum Archivum dicitur, quod erectum est au-ctoritate *publicâ*, asservationi authenticarum scripturarum specialiter destinatum, atque sub custodia Officialis publici ad hoc deputati; quale est insigne illud Archivum Præfe-cturæ Aurelianensis, unde promuntur documenta plenæ fidei, nedum inter Aurelianenses subditos illi Præfecturæ, sed inter omnes Regnicolas, imò inter quoscumque; teste Molinæo ibidem *n.* 30. additque: "Secùs si de facto quod-„dam Archivum erigeretur à non habentibus potestatem „supremam legé condendi, & Notarios publicos creandi, „quia illud esset potiùs privatum chartophylacium, vel „bibliotheca, quàm publicum Archivum, hec esset authen-„ticum, nec scripturis inde prolatis crederem fidem adhi-„bendam, nisi essent in forma, & haberent solemnia publi-„ci instrumenti, & maximè, quando ageretur de utilitate „eorum, qui constituerunt illud Archivum."

XLIII. Quæ hactenus dicta sunt de instrumentis publi-cis, intelligenda sunt de ipsis Originalibus. Originale autem instrumentum est ipsa prima scriptura, quasi origo sit ipsius actûs, & omnium exemplarium; uti exponit Covarruvias *Pract. qq. cap.* 19. *n.* 1. ubi & monet, Originale quoque rectè vocari *Authenticum*, tamquam certam fidem faciens: atque de hujusmodi scriptura *authentica* intelligi debet *Cap.* 1. ¾ *De Fide instrum.*

XLIV. Hodie originale instrumentum non est ipsa Mi-nuta sive Matrix à Partibus & Notariis, subinde & testibus signata, quæ apud Notarium remanere debet; sed instru-mentum ab eodem Notario juxta dictam Minutam confe-ctum & signatum, uti ibidem ex Molinæo ad *Consuet. Pa-ris. tit.* 1. §. 8. *n.* 42. rectè monet Covarruvias *n.* 2.

XLV. Si scriptura ab alio Tabellione ex ipso Originali sit desumpta, hæcque concordantiam cum ipso originali teste-tur, erit hæc scriptura *Exemplar* Originalis, non auté Ori-ginale; soletq; hodie hujusmodi scriptura sive exemplar au-ctoritate Notarii ex Originali desumptum vocari *copia au-thentica*: quia licèt non parem fidem cum originali faciat, tamen aliqualem meretur, propter auctoritatem testantis.

XLVI. Interim exemplaria sive copiæ fidé in judicio non faciunt argumento *Cap.* 1. ¾ *De Fide instrum.* ubi dicit Pon-tifex: "Si scripturam *authenticam* non videmus, ad exem-„plaria nihil facere possumus." Ibidem monet Glossogra-phus: "Nota, quòd exemplari non creditur, nisi ostendatur „Originale."

Rationes, ob quas copiæ non credatur, sunt, quia relatû ad aliud probari debet ex illo, ad quod refertur. Deinde a-lius Notarius, aut copiam faciens subinde accipit, aut intel-ligit (etiam sine fraude) tractum litterarum aut verborum aliter, quàm Notarius, qui originale confecit; è quo sensus æquivocus oriri posset; atque inde ulteriùs obscuritas, quin & falsitas; præsertim quòd lapsus temporis interdum indu-cat aliam formam litterarum & scriptionis. Vide Merulam in *Praxi lib.* 4. *tit* 66. *cap.* 4.

XLVII. Exemplaria autem plenam fidem facient, si ad originales litteras per Judicem vel Commissarium collata sint; idque in præsentia Partis adversæ, aut certè in ejus ab-sentia, si ad collationem videndam fuerit vocata, & contu-maciter se absentaverit; quemadmodum Capite præceden-ti De Juramento testium in præsentia Partis excipiendo di-ctum fuit: atque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Pro-vinciæ Mechliniensis sub eodem *art.* 41. agitur de citatio-ne Partis ad videndum jurare Partes, & instrumenta exhi-beri, & cum suo originali conferri: & qualiter Parte per contumaciam absente in utroque pergendum sit.

XLVIII. Similiter sicuti examen testium subinde alteri judici committitur ad evitandos sumptus; ita collatio scri-pturarum cum instrumentis originalibus committitur ju-dici loci, in quo originalia servantur; debetq; judex atten-tè advertere, an in ipso originali non insint aliqua vitia aut an ipse locus originalium litterarum non sit ipsi suspectus. "Nam si quæ vitia aut suspiciones reperiat, ea vitia, scilicet „suspecta loca, nomen, sumã, data, locû & similia, diligen-„ter annotabit, & ita notata, cum transumpta collatione, „remittet ad Commissarium, aut ad priorém judicem."

XLIX. Ita Damhouderus in Praxi rerum civilium *c.* 174. *num.* 9. ubi & *n.* 10. monet, quòd si aliqua instrumenta fue-rint negligenter custodita, aut vetustate corrumpi incipiant tum judex possit eadem in præsentia Partis vocatæ restitue-re & renovare, ita ut sint legibilia.

L. De hac traductione instrumenti ex ipso-originali tex-tus est specialis in *Cap. fin.* ¾ *De Fide Instrum.* ubi decerni-tur: "Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam „justam causam exemplari petantur, corã ordinario judice „vel delegato ab eo specialiter præsententur: qui si ea dili-„genter inspecta, in nulla sua parte vitiata repererit, per „publicam personam illa præcipiat exemplari, eamdem „auctoritatem per hoc cum originalibus habitura."

LI. Notant autem hìc communiter Doctores, quòd ex-emplatio hæc fieri necessariò debeat ex originali seu au-thentico instrumẽto. Si enim facta esset duntaxat ex aliquo exemplari etiã solemni, & in forma legitima confecto, non crederetur, etsi etiam solemnis traductio facta esset, & ita in Praxi servari tradunt citati à Covarruvia *Pract. qq. c.* 21 unà tamen notante, quòd id fallat, si originale & prothocollum sint deperdita; item si primum exemplar auctoritate judicis sit traductum ex originali vocatis Partibus, ut tunc exem-plum ex hujusmodi exemplari productum fidem faciat in-ter easdem partes, earumque hæredes, plura ibidem de fide exemplarium traductorum examinante.

LII. Instrumentis publicis legitimè confectis, & in judi-cio judici exhibitis plena fides adhiberi solet: adeo ut ulte-rior probatio requirenda non sit; crediturq; omnibus, quæ in instrumento *dispositivè* asseruntur: neque facilè contra instrumentum publicum legitimè confectum testes reci-piendi sunt juxta illud Pauli Juris Consulti 5. *Sentent.* 15. *Testes, cùm de fide tabularum nihil dicitur, adversùs scri-pturam interrogari non posse*, id est, standum esse instrumen-to, nisi falsum arguatur, scripturæ fide in dubium vocatâ, uti exponit post Cujacium Diodorus Tuldenus ad titulum Codicis *De Fide Instrument. num.* 2.

LIII. Ibidem notat Tuldenus, quædam esse instrumenta, quæ impugnari testibus non licet, ut monumenta publica, libros Civitatum, & hujusmodi. De reprobatione instru-menti

menti per testes vel instrumento inscriptos, vel extraneos, consule Covarruviam *lib.* 2. *Var. resolut. cap.* 13. *num.* 11. ubi observat, legem Regiam in Hispania quatuor exigere, ut per testes fides instrumenti *directè* improbetur. "Primò, „quòd tabellio alioqui nutantis sit fidei, quippe quæ ex „fama dubia quoquo modo fit. Secundum, testes esse pro- „bos viros. Tertium, actum ipsum, cujus instrumentum „meminit, non esse antiquum, sed paucis ante annis con- „tigisse. Quartum, quòd omnes testes instrumento adscri- „pti, unanimi & concordi testimonio adversùs instrumen- „tum jurati testificentur."

LIV. Sunt quædam negotia, quæ ferè non nisi per instrumenta probari possunt, veluti res antiquitùs gestæ, itemque acta judicii, aliaque nonnulla relata à Tuldeno ad citatum titulum *n.* 2. ubi tamen *n.* 3. monet, *regulariter* quæcumq; negotia vel contractus etiam sine scriptura valere, dummodò aliunde de veritate constet: atq; hinc ulteriùs concludit *n.* 4. strictè esse interpretanda statuta, quæ contractus certæ quantitatis, celebratos sine instrumentis, declarant irritos.

LV. Simile aliquod statutum publicatum fuit per Principes nostros anno 1611. Edicti perpetui *art.* 19. circa dispositiones sive per ultimas voluntates, sive inter vivos, quæ excedunt æstimationem 300. florenorum, quas omnes in scriptis fieri mandant; decernentes, quòd solæ scripturæ sive instrumenta super his confecta fidem facient; factâ inhibitione judicibus recipiendi ullas alias probationes. Verba sunt: *Om diesvville datter vele processen vvorden gheroert tusschen onse ondersaeten ter oirsake van de menichvuldicheyt van feyten, die-men voortbrenght ende poseert gheschiedt ende ghevallen te vvesen in de conventien ende contracten, ter oirsake vande vvelcke men ageert, ghelyck oft daer meer vvaer gheseydt oft besproken gevvest als inhouden de instrumenten daer op ghemaeckt, 't zy onder hunne signaturen oft vvel voor Notarissen ende Ghetuyghen: ghelyck oock op 't stuck vande dispositien rakende testamenten, contracten van houvvelyck, ende alle andere specien van conventien, oft dispositien causerende eene groote onsekerheyt, ende somtyts diversiteyt, ia contrarieteyt in 't betoonen met belemmeringhe van processen tot groote schaede van partyen, Wy, om hier inne te versien, hebben gheordonneert ende ordonneren mits desen, dat van alle saken, vvaer van onse ondersaten sullen vvillen handelen oft disponeren, excederende de vveerde van dry hondert ponden Artbois eens, 't zy by ordonnantie van uytersten vville, giften, contracten van houvvelyck vercopinhen oft andere contracten, hoedanich die zyn 't zy van reele saken oft in gelde, vande vveerde als boven, dat sy het selve doen by ghescrifte, 't zy onder heure signaturen oft voor Notarissen ende Ghetuyghen, oft andere openbare persoonen (naer de qualiteyt ende importantie vande voorseyde contracten ende dispositien) de vvelcke daer van sullen maken de instrumenten in behoirlycke vorme; de vvelke alleene sullen dienen tot bethooninghe van 't ghene voornoemt is sonder dat de Rechteren sullen moghen ontfanghen eenighen anderen thoon by Ghetuyghen boven 't inhouden vande selve.* Id est: Cùm multæ inter subditos nostros lites suscitentur ob multitudinem factorū, quæ producuntur, aut occurrisse supponuntur, in conventionibus & cōtractibus, ratione cujus proceditur, ac si plura expressa & conventa forent, quàm in actis desuper seu chirographo suo munitis, seu coram Notarios & testibus conscriptis contineatur, prout & in casu dispositionum testamenta concernentium, & nuptialia, aliudque omne conventionū genus aut dispositionum, unde magna incertitudo; aliquando diversitas quin & contrarietas in producendo exurgit, cum litium intricatione, graviq; partium detrimento. Nos quo his provideamus, mandavimus, & hisce mandamus, ut omnis negotii, de quo convenire aut disponere subditi nostri intendent, si valorem trecentarum librarum Artesiarum semel dumtaxat excedat, seu per dispositionem ultimæ voluntatis, donationum, pactorum nuptialium, venditionum, aliorumve contractuum, qualecumq; id fuerit, seu quidpiam reale, seu pecunia valoris ut supra, scripto tabulæ conficiantur vel sub suo chirographo, vel coram Notario & testibus, vel personis aliis publicis (juxta qualitatem & momentum dictorum contractuum & dispositionum) qui desuper acta secundùm formam legitimam perscribent, quæ sola inservient ad demonstrandum, quod supra dictum est, nec poterunt Judices præter eam, quæ ibidem continetur, aliam per testes probationem excipere.

LVI. Articulum hunc desumptum esse ex Constitutione Franciæ à Carolo IX. Molinis data anno 1566. *art.* 54. observat Antonius Anselmo in Commentario ad hunc articulum §. 3. notatque, in aliis Regnis & Provinciis similes Constitutiones vigere, ad diminuendas & abbreviandas lites.

LVII. Refert ibidem Anselmo §. 8. non semel decisum fuisse in Regiis Conciliis, hunc articulum non excludere juramentum litis decisorium, uti nec confessionem Partis in judicio factam.

LVIII. Interpretationis quoad probationem per juramentum meminit quoque Tuldenus loco citato *n.* 4. atq; inde concludit, non ad substantiam, sed ad probationem, scripturam exigi: notatque, hæc statuta eâdem ferè ratione niti, qua jus Romanorum actionem negans ex pactis non roboratis stipulatione. Nam invenitur idem incommodum perplexarum litium ex lubrica & obnoxia testium sæpè dissidentium fide.

Ex his facilè intelligitur, quòd ordinatio hæc dumtaxat concernat formam probationis in judicio, nullatenus verò ipsam obligationem in foro poli; eamque ex conventione contractam esse, tametsi per scripturam in judicio probari nequeat.

LIX. Quin & declaratum fuit, non esse exclusam probationem, quam de jure, statuto, aut consuetudine merentur libri mercatorum. Quam fidem autem mereantur libri mercatorum, vide apud citatos ab Anselmo ad *art.* 20. Edicti perpetui §. 3. hoc interim certum est, similes libros non probare nisi de rebus ad mercaturam, quam exercent, magistri librorum, spectantibus.

LX. Meminit autem Edictum duplicis scripturæ, scilicet *privatæ* & publicæ; atque utramque ad probationem sufficere intinuat. Scriptura enim, quæ dumtaxat munitur signatura vel sigillo alicujus privati, reverà privata censetur; hanc autem sufficientem esse indicat his verbis: *'T zy onder hunne signature.*

LXI. Ut autem intelligatur, quam fidem mereantur scripturæ privatæ, notandum, hujusmodi scripturas privatas trifariam distingui posse.

Sunt enim harum aliæ, quæ in proprium commodum à privato sunt conscriptæ. Aliæ verò pro aliis, sive in commodum aliorum; & tertiæ tam pro semetipsis, quàm pro aliis sunt conscriptæ.

LXII. Scriptura illa, quam quis pro semetipso, sive in proprium dumtaxat commodum scribit, nullam in propria causa, & pro suo commodo probationem efficit, nec pro ipso scribente quidquam probat.

LXIII. Illa autem scriptura, quam quis scribit aut signat, vel suo sigillo munit & probat in commodum alterius, & ad sui obligationem, probat contra scribentem; & de hac scriptura agit Edictum perpetuum citato *art.* 9.

LXIV. De hac quoq; privata scriptura agitur in *Cap.* 14. *¶ De Fide instrum.* ubi respondit Pontifex, quòd " si cautio *indeterminatè* loquatur, adversarius teneatur ostendere debitum, quod continetur in ea. Sed si causam, „propter quam hujusmodi scriptura processit, expresse, „in eadem confessioni ejus stetur, nisi probaverit se indebitè promisisse."

LXV. Ex hoc textu communiter duo concludunt Doctores. Ex primo scilicet membro Decretalis, quòd privatæ scripturæ, apochæ sive chirographa obligationē *sine causa* continentia, id est, causam obligationis non exprimentia, de jure sint nullius momenti, aut certè efficaciæ per quam exiguæ; nisi tamen consuetudo aut statutum aliter disponeret:

quam-

quemadmodum Brugis, Antverpiæ, ac in aliis civitatibus, in quibus frequenter mercatores negotiantur, statutum esse, quòd super privata scriptura sive obligatione etiam *non causata*, nec ullam obligationis causam continente jus redditur, testatur Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 175.

LXVI. E posteriori Decretalis membro deducitur, scripturam privatam continentem causam obligationis contra scribentem *plenè* probare; quod & in Praxi receptum esse testatur Merula in Praxi Curiæ Hollandicæ *lib.* 4. *tit.* 66. *cap.* 3. *num.* 4. & de moribus nostris Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Fide Instrum. num.* 2. dicitque Damhouderus loco citato *num.* 9. quòd si ipse suam scripturam in judicio confiteatur, illico esse condemnabilem exsolvere; aut si contra eam aliquid dicere vellet, nantizare aut consignare condemnaretur summam in sua privata scriptura contentam.

LXVII. Testatur quoque Rebuffus in præfatione Tractatûs De Chirographorum & cedularum recognitione *num.* 44. practicam Galliæ esse fundatam in consuetudine & Ordinationibus Regiis, " ut qui habet cedulam alicujus, „citare faciat eum visurum recognoscere, sive (ut dicunt) „confiteri vel negare suum chirographum, & si confiteatur „se scripsisse, vel alium suo mandato, tenebitur munire ma„num, & *garnire* summam contentam in cedula. Si verò „Reus illam neget, datur dilatio Actori ad probandum, nec „condemnatur Reus ad garniendum, vel solvendum, do„nec probatum fuerit eum scripsisse."

LXVIII. Habet autem cedula sive scriptura privata in judicio recognita *paratam* executionem, saltem de consuetudine; quia habetur hæc recognitio pro confessione: confessus autem in jure habetur pro judicato, & judicatum habet executionem, uti ibidem notat Rebuffus *num.* 46.

LXIX. Idq; procedit, tametsi cedula esset minùs solemnis, putà sine die & subscriptione: quia si equidem Reus fateatur à se scriptam, tenebitur garnire sive nantizare. Licèt enim instrumentum per se non sit sufficiens ad probandum, tamen partis confessio in judicio facta manet rata; uti notat Rebuffus ibidem *n.* 48. additque, quòd scriptura sic recognita sit major quolibet instrumento etiam publico, & quibuscumque testium depositionibus.

LXX. Imò ut quis condemnetur ad garniendum sive nantizandum, sufficit recognitio solius subscriptionis, vel scripturæ, licèt negaretur debitum: tunc enim judex eum condemnaret ad nantizandum salvis suis defensionibus.

LXXI. Sigilli vel signi appositi per eum, qui scribere nescit, recognitio sufficiens est, ut condemnetur ad garniendum: nisi tamen probaret per alium esse sigillum appositũ; utpote quia illud perdiderat, & ita judicatum fuisse ait Rebuffus *num.* 62. addens: " Ideo inventa est hæc clausula, „quæ in fine sigilli apponi solet: *Et in fidem præmissorum „jussimus has litteras sigilli nostri appensione communiri.*" Non tamen facilè præsumendum est, sigillum per tertium esse appositum, præsertim si de sigillo publico agatur, uti ex Molinæo ad Consuetudines Parisienses monet Covarruvias Pract. *qq. cap.* 22. *num.* 9.

LXXII. Plura circa formam, & effectus hujus recognitionis videri poterunt apud Rebuffum in hoc tractatu, ubi & latè exponit Ordinationem Francisci I. Regis Franciæ anni 1539. *art.* 92. & 93. quorum hic est tenor: *Qui toutes parties, qui seront adjournées en leurs personnes, en cognoissance de cedule, seront tenus icelles cognoistre, ou nyer en personne, ou par Procureur specialement fondé, par devant le juge Seculier, en la jurisdiction duquel seront trouvez sans pouvoir alleguer aucune incompetence: & ce avant que de partir du lieu, où lesdits Parties seront trouvées: autrement lesdits cedules seront tenus pour confessées par un seul defaut, & emporteront hypotheque du jour de la sentence, comme si ils avoyent esté confessées.* Id est: Ut quæcumq; partes personaliter citatæ ad agnitionem schedulæ, eas obstringantur vel personaliter adomttere vel negare, aut per Procuratorem specialiter constitutum coram Judice sæculari, sub cujus jurisdictione deprehendentur, nec licebit iis defectũ jurisdictionis obtendere, idque antequam excedant, in quo partes cõvenerint, aliàs dictæ schedulæ censebuntur admissæ ob unicã vadimonii desertionem, hypothecamq; evincent à die latæ sententiæ, non secus ac si admissæ fuissent.

Si aucun est adjourné en cognoissance de cedule, & compare, ou conteste denyant sa cedule, & par apres elle est prouvée par le creancier, l'hypoteque courra & aura lieu du jour de ladicte denegation & contestation. Id est: Si aliquis citetur ad agnitionem schedulæ, compareatque, vel de illa contendat, suamque esse abnuat, posteaque per creditorem probetur, hypotheca à die recusationis controversiæ locum obtinebit, & effectum sortietur.]

LXXIII. Conforme est Edictum Caroli V. de 7. Martii 1537. extans parte 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 3. *tit.* 22. *cap.* 4. quo edicitur, ut si quis in judicio conveniatur super obligatione contenta in scedula, quòd prima die juridica si Reus personaliter præsens sit, vel in termino, quem ipse judex, unâ tantùm dilatione concessâ, assignaverit, tenebitur scedulam agnoscere, vel diffiteri; & si agnoscat scedulam à se scriptam, subsignatam, vel suo signo signatam, vel suo mandato sive jussu, indilatè condemnabitur summam in scedula expressam *nantizare* sive consignare apud judicẽ, quam summam sic nantizatam poterit Actor levare sub sufficienti & idonea cautione fidejussoria arbitrio judicis, de restituenda prædicta summa in casum, quo deprehenderetur per definitivam non fuisse debitam. Hæc tamen consignatio indicenda non est, si Reus velit intra octiduum probare legitimam exceptionem contra illam scedulam; quæ dilatio ipsi à judice indulgenda erit, & non longior. Si Reus die statuto non compareat, judex consignationem decernet, modò de legitimè facta citatione constet.

Si autem Reus scedulam à se aut suo jussu scriptam aut signatam neget, & postmodum judici ostendatur ipsum calumniosè negasse, tunc Reus condemnabitur in solutionem dictæ summæ, & ab omni exceptione, in pœnam mendacii excluderetur; ac insuper in mulctam pecuniariam æquivalentem sextæ parti summæ in scedula expressæ.

Notandum hoc Edictum specialiter concernere mercatores; atque editum est, ne cursus mercaturæ sisteretur per dilationes solutionis.

LXXIV. Quomodo autem probatio scripturæ fieri debeat, sive per testes, sive per comparationem litterarum, præsertim juxta Constitutionem in *L.* 20. *Cod. De Fide Instrument.* & Authenticas ei subjectas; videri poterit apud Rebuffum in Præfatione Tractatûs *De Chirographorum Recognit. num.* 28. & Gudelinum *De Jure noviss. lib.* 4. *cap.* 11.

CAPUT VIII.

De Juramento suppletorio ob defectum probationum.

1 *Juramentum semper existimat[...] ut medium expediendarum controversiarum.*

2 *Hinc in judiciis ob defectum prob[...]onum juramentum jam pridem adhibitum.*

3 *Propterea dictum* suppletorium, *tamquam in causis dubiis defectum probationi[...] supplens.*

4 *In Legibus Romanis freque[...]s mentio, sed nulla in pristinis Canonibus.*

5 *Videtur cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrasse.*

6 *Alexander III. resolutionem suam ex legibus petit.*

7 *In Decretalibus Gregorii IX. sub titulo* De jurejurando *extat unica Decretalis de hoc juramento.*

8 *Refertur textus hujus Decretalis.*

9 *Ex hoc textu includitur hoc juramentum non esse deferendum nisi deficiente aliâ probatione.*

10 *Causa debet esse admodum dubia, ut huic juramento possit esse locus.*

11 *Reprehenduntur Judices nimis facilè hoc juramentum deferentes.*
12 *Delationem hujus juramenti ad supplendum defectum probationum reprobat Antonius Faber.*
13 *Indubitatum est admodum parcè & circumspectè juramentum hoc deferendum; quia jurans constituitur judex in propria causa.*
14 *Ex delatione hujus juramenti natum est fieri, ut mali in causa injusta vincant, & boni causam justam perdant.*
15 *Antiqua Visigothorum Leges vetant facilè hoc juramentum deferre.*
16 *Idipsum inculcant Capitularia Regum Francorum.*
17 *In Gallia consuetudinaria vix est aliquis usus hujus juramenti.*
18 *Etiam in his partibus rarus est usus: & quare?*
19 *Ob periculum perjurii non defertur in criminalibus, nec in actione famosa.*
20 *Similiter nec in causa Civili ardua & notabili.*
21 *An res sit ardua, attendenda conditio personarum & locorum?*
22 *Dum de re temporali agitur, rarò deferendum pauperibus.*
23 *Ob periculum perjurii non condemnandus Reus eâdem sententiâ, quâ Actori defertur juramentum.*
24 *Judex non rogatus hoc juramentum non defert, ne ad perjurium incitare videatur.*
25 *Homines nimis faciles sunt ad pejerandum, ubi agitur de lucro.*
26 *Concluditur, summa cum moderatione juramentum hoc deferendum.*

I. JUramenti apud omnes semper summa religio fuit, atque ad dirimendas controversias medium maximè opportunum existimatum. Hinc illud apud Romanos in *L. 1. ff. De Jurejurando*, " maximum „ remedium expediendarum litium in usum venit jurisju- „ randi religio, qua vel ex pactione ipsorum litigatorum, „ vel ex auctoritate judicis deciduntur controversiæ."

II. Inde contigit, ut judices ob defectum probationum in causis decidendis juramentum adhibendum judicaverint; ut dum veritas per testes, instrumenta, similesve ordinarias species probationis haberi non posset, per jurisjurandi religionem veritas à litigantibus eliceretur.

III. Idcirco hoc juramentum meritò dictum fuit *suppletorium*, quasi nimirum defectum probationum *supplens*. „Solent enim sæpè judices in dubiis causis, exacto jurejuran- „ do, secundùm eum judicare qui juraverit," ait Cajus Jurisconsultus in *L. 31. ff. De Jurejurando*. Et Imperatores Diocletianus & Maximianus in *L. 3. Cod. de Rebus creditis & jurejurando*, " In bonæ fidei contractibus, necnon etiam „ in cæteris causis, inopia probationum, per judicem jure- „ jurando causâ cognitâ res decidi oportet."

IV. Hujus juramenti in legibus quidem Romanis frequens mentio occurrit; compertumq; est, juramenti hujus usum fuisse Romanis multum familiarem: at in pristinis Canonibus aut Pontificum epistolis vix ulla est juramenti hujus, aut similis, a[illegible] causarum decisionem à judice adhibendi memoria.

V. Admodum ve[illegible]simile est, hoc juramentum ex foro sæculari unà cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrâsse; apparetq; ex Pontificum responsis, Pontifices legum præscriptum in materia hu[illegible] juramenti fuisse sequutos.

VI. Unde Alexand[illegible] reprobans consuetudinem, quæ apud quosdam invaluerat, " ut cùm aliquis intentio- „ nem suam fundaverit instrumentis aut testibus introdu- „ ctis, Sacramentum nihilominus deferatur: quod si subi- „ re noluerit, fides probationibus exhibitis non habetur." Fundamentum reprobationis hujus allegat: quòd hæc consuetudo nulla sit ratione subnixa; " sed manifestè „ (ait) *legibus* adversetur, quæ tunc demum ad hujusmodi „ suffragium decurrendum esse decreverunt, cùm alia le- „ gitimè non suppetunt." Ita igitur in secunda Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *De Probationibus cap. 1.*

VII. Unicam Decretalem de hoc juramento habemus in Decretalibus Greg. IX. sub titulo *De Jurejurando*, nimirū in *Cap. fin.* ejusdem tituli; & quam, uti post Cujacium ad hoc Capitulum notavit Emmanuel Gonzalez in notis ad eamdem Decretalem, Gregorius IX. totam deprompsit ex edicto Prætoris & ejus interpretatione per Prudentes factâ. " Nec est (ait Gonzalez) in hoc titulo (De Jurejurando) „ alia, quæ ad juramentum decisorium litis spectet, nisi „ præsens; cùm in aliis actum esset de juramento extraju- „ diciali in aliis actibus validis & invalidis præstito."

VIII. In hac igitur Decretali significat cuidam judici Gregorius IX. " Juramentum à te (Judice) parti delatum, „ nisi justa de causa non potuit recusari: quamvis quod in „ judicio à parte parti defertur, recusari possit licitè ac re- „ ferri. Nec liceat Convento famosa actione referre hu- „ jusmodi jusjurandum."

Sed ne judex hujus probationis usum semper adhiberi posse arbitraretur, subjungitur: " Sanè si actor omninò in „ probatione defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) „ obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo, reo de- „ ferri potest, ad ostendendam suam innocentiam, juramen- „ tum, nisi judex (inspectis personarum & causæ circum- „ stantiis) illud actori videat deferendum."

IX. Ex hoc itaque textu uno consensu deducunt Interpretes, juramentum hoc non esse à judice deferendum, nisi in causis admodum dubiis, & quando per ordinaria probationis media veritas haberi nequit. Hæc enim probationis species est merè subsidiaria; ideoque non admittenda, nisi *deficientibus aliis probationibus*, uti loquitur *lib. 35. ff. de Jurejurando.*

X. Ulteriùs probatio per juramentum non est assumenda à judice, nisi causa ita sit disposita, ut nequeat se determinare, ob argumenta utrimq; militantia, pro qua Parte, id est, an pro reo, an pro actore sit pronuntiandum: neq; medium ordinarium suppetit, quo jus unius alteriusve partis ulteriùs elucescat, ut se judex in pronuntiando determinare queat.

XI. Hinc Duarenus *Lib. 2. Disp. 33.* causas *dubias*, in quibus judices solet deferre hoc juramentum asserit *l. 31. ff. eod.* interpretatur illas causas, in quibus judices eò redacti sunt propter paritatem probationum, ut hæsitent, & in utramque partem propendeant, & inclinent: reprehenditque tamquam iniquum, quod nonnulli tradunt, hoc juramentum posse in supplementum probationis deferri actori, modò vel unum testem protulerit.

XII. Antonius Faber in Codice *lib. 4. tit. 1. Definit. 1. nota 9.* advertens, quòd " omnibus in re propria dicendi „ testimonii facultatem Jura submoverunt, eadem ratione „ putat nec defendi posse ullâ juris ratione jusjurandum, „ quod *suppletivum* vocant." Et *Definit. 4.* dicere audet, *jam pridem inveterato errore obtinuisse*, ut si alteruter litigantium *semiplenas*, ut vocant, probationes adferat, quod justis probationibus deerit, exacto per judicis officium à petente jurejurando suppleri possit. Et in notis *n. 5.* eamdem suam sententiam repetens ait: *Error enim Interpretum & Pragmaticorum ille est.*

XIII. Quidquid sit de hac Fabri opinione, hoc equidem indubitatum est, admodum parcè & circumspectè hoc jusjurandum à judice Parti in supplementum probationis deferendum esse: quandoquidem negari nequeat, quin verum sit, per hanc juramenti delationem jurantem in re propria testem adhiberi, atque ab ejus juramento causæ decisionem peti.

XIV. Quid enim hinc natum consequi, nisi ut homines parum religiosi, facilè spe victoriæ consequendæ illecti ad perjuria inducantur; alii verò perjurii metu deterriti, etiam juramentum sibi delatum in causâ justa præstare recusantes, causâ cadant.

XV. Unde in antiquis Visigothorum legibus legitur *l. 2. c. 22.* " Judex, ut benè causam cognoscat, primum testes „ interrogat ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit „ certiùs inveniri, ne ad Sacramentum facilè veniatur. „ Hoc enim justitiæ potiùs indagatio vera commendat, ut scri-

„scriptutæ ex omnibus intercurrant, & jurandi necessitas „sese omninò suspendat."

XVI. Et in Capitularibus Regum Francorum lib. 7. c. 97. "Volumus, ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque „Judex priùs causam veraciter cognoscat, ut eum veritas „latere non possit, ne facilè ad Sacramenta veniant."

XVII. Refert Rebuffus in Proœmio ad Constitutiones Regias *Glossâ* 5. *num.* 58. non servari in patria consuetudinaria Regni Galliæ citatam *L.* 31. *ff. De Jurejurando*, & *L.* 3. *Cod. eod.* "Quia (ait) vix defertur juramentum in supple„mentum probationum in contractibus strictè juris, etiamsi „semiplenè probatum fuerit: sed reum judex absolvit, nisi „hoc à Rege per rescriptum concedatur."

Addit nihilominus, "quòd serventur leges illæ in patria „juris scripti, in qua (ait) sine litteris judex defert, si ex„pediat, juramentum, etiam in contractibus stricti juris."

XVIII. Testantur quoque Pragmatici nostrates, juramenti hujus suppletorii usum moribus nostris non planè abiisse in desuetudinem, uti pluribus citatis refert Simon A Groenewegen *De Legibus abrogatis* ad *L.* 3. *Cod. de Rebus creditis*; addens tamen, quod "*rariùs* soleant hodie judi„ces in supplementum probationis alterutri litigantium „juramentum deferre."

Rationem præmittit desumptam ex *L.* 8. *ff. de Condit. Institut.* Quia "faciles sunt nonnulli homines ad jurandum „contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini „Numinis usque ad superstitionem."

XIX. Sed & passim Pragmatici tradunt, hoc juramentum ob perjurii periculum magna cum moderatione & circumspectione esse deferendum.

Atque imprimis juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cùm criminaliter agitur, imò vel civiliter ex actione famosa, qua Reus damnatus redderetur infamis, tradunt communiter Doctores ad *Cap. fin.* ✠ *De Jurejurando*, ubi dicit Pontifex: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum.* Rationem illius allegat Damhouderus in Praxi rer. civil. *c.* 179. *n.* 9. "Ne vi„delicet Reo detur occasio pejerandi, ut scilicet infamiam „evadat."

XX. Sicuti ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum non est in causa criminali aut famosa; ita nec in causa civili, ardua, & notabili, quemadmodum post Glossam ad *L.* 31. *ff. De Jurejurando*, notant Doctores; Nemo enim non videt periculum esse pejerandi, ubi de re ardua & notabili perdenda, aut lucranda agitur.

XXI. Dicitur autem causa ardua, magna vel modica, juxta conditionem personarum litigantium, & ex diversitate locorum, uti post Panormitanum ad *Cap. fin.* ✠ *De Jurejurando* notârunt Doctores. Certum enim, rem respectu unius personæ posse æstimari arduam & magnam, quæ alteri personæ esset modica: ita ut respectu illius esset evidens pejerandi illecebra, & non respectu hujus.

Similiter de loco dicendum; nam in quibusdam locis res habetur pretiosa, quæ in aliis reputatur vilis, uti monet ibidem Panormitanus.

XXII. Dicit quoque ibi Panormitanus, circa personas attendendum etiam est, num divites sint, an pauperes; præsertim si de re temporali agatur. Nam cùm pauperes magis temporalibus indigeant, atque harum defectu multa incommoda sustinere cogantur, verendum, ne ad consequendam rem temporalem, aut eam conservandam proniores ad perjurium reddantur.

XXIII. Observandum monet Antonius Faber loco citato *Definit.* 1. *notâ* 10. quòd "Senatus Sabaudiæ districtè „observet, ut non condemnetur Reus eâdem interlocutio„ne, quâ actor admittitur ad jusjurandum suppletivum, ne „quidem cum hac clausula, quam inferiores judices adde„re solent, *& præstito jurejurando.* Ita enim videretur is, „qui certus esset de victoria, invitari ad jurandum, ac for„tasse ad pejerandum. Ergo in tempus præstiti juramenti „est differenda condemnatio."

XXIV. Hæc ille, qui & *Definit.* 8. monet, quòd hoc juramentum suppletivum à judice deferendum non sit, nisi *petenti*; nec sufficere, quòd jus & justitiam, ut ex vulgari Advocatorum stylo fit, sibi administrari petierit. "Nam „sicuti (ait) non facilè quisquam credendus est jurare „velle: Ita nec ad jurandum à judice invitandus est, pro„pter periculum perjurii, si juretur, aut suspicionem calu„mniæ, si jusjurandum à judice non petenti oblatum re„cusetur."

XXV. Additque rectè *notâ* 6. "Etsi enim non præ„sumitur jurans immemor salutis æternæ, nemo tamen „nescit, quàm facilè plerique vel pro re minima peje„rent.

XXV. Ex his aliisque facilè intelligitur, verissimè monere Pragmaticos, per judices maximo cum moderamine & circumspectione hoc juramentum esse deferendum eo, quòd per illud Pars quodammodo in propria causa testis constituatur, & spe lucri assequendi, aut damni evitandi ad perjurium incitetur, & quasi impellatur.

TITULUS VIII.

De Instructione Causarum Criminalium.

CAPUT I.

De Accusationibus & Informationibus prævius.

1 *In foro Ecclesi. multis sæculis criminum punitio sine formalitatibus juris peracta fuit.*

2 *Forma hodierna criminalis fori Ecclesiastici ex Legibus Civilibus desumpta.*

Concilium Lateranense IV. triplicem modum crimina prosequendi proponit.

Primus est per accusationem, cujus definitio proponitur.

De Jure Accusatio fieri debet per libellum.

Forma accusationis in Legibus Romanis expressa, qua occasione in foro Ecclesiastico olim recepta?

Accusans in libello accusationis inscribere se tenebatur de Jure Romano; quod & Jure Decretalium cautum est.

Ad quid se obligaret accusans per hanc inscriptionem?

Forma inscriptionis expressa apud Gratianum.

10 *Etiam in Belgio aliquando fuit necessitas inscriptionis.*

11 *Ad præveniendum nimium accusandi pruritum inducta necessitas inscriptionis.*

12 *Ad præveniendum privatorum accusandi pruritum, adempta ipsis hodie est auctoritas accusandi criminaliter, & publicis Officialibus reservata.*

13 *His Officialibus remissa est inscriptio, quæ & hodie penè à foro recessit.*

14 *Interdum tamen pœnâ extraordinariâ ob malè institutam accusationem puniuntur.*

15 *Officiales hi non solent quoque in expensas solvendas condemnari.*

16 *Articulus Ordinationis Curiæ Brabantiæ super expensis factis per Procuratorem Regium in causa criminali.*

17 *Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum?*

18 *Deficiente accusatore Judex ex officio potest procedere viâ inquisitionis.*

19 *De Jure hic procedendi modus erat* extraordinarius; *at de consuetudine est ordinarius.*

20 *Hodie semper proceditur in causa criminali viâ inquisitionis.*

21 *Inquisitio hodie sumi solet pro pravia informatione.*
22 *Formare inquisitionem est idem, quod facere processum* informationis.
23 *Inquisitio seu informatio pravia dicitur hodie basis processus criminalis.*
24 *Sententia Officialis cassata ob defectum pravia informationis.*
25 *Eam requirunt Edicta Principum nostrorum.*
26 *Informatio pravia fieri debet auctoritate Judicis.*
27 *Informatio* generalis *instituenda, dum constat de crimine, sed de auctore indicia non habentur.*
28 *Ut contra particularem instituatur specialis informatio, requiruntur indicia pravia.*
29 *De jure communi necessaria est publica infamatio.*
30 *De consuetudine sufficiunt indicia.*
31 *Qua indicia aut infamatio ad informationem* specialem *instituendam sufficiant?*
32 *Denuntiatio hodie aperit viam inquisitioni.*
33 *Etiam privati denuntiatores admittuntur; sed judicis est advertere, quorum denuntiatio sit recipienda.*
34 *Hujusmodi Denuntiatores, si falsò denuntient, condemnandi in expensas & interesse.*
35 *Quando Procurator Regius teneatur nominare denuntiatorem seu instigatorem?*
36 *Quid circa hoc obtineat in Gallia.*
37 *Potest capi pravia informatio, tametsi nullus sit denuntiator, modò sufficientia pracedant indicia.*
38 *Hæc informatio institui potest contra absentem non citatum.*
39 *In processu informativo testes examinantur Parte non citata.*
40 *Denuntiator citari solet ad subministranda indicia.*
41 *Informationes accipienda quam secretissimè*

I. MUltis sæculis forum internum quoad punitionem criminum non fuisse omninò separatum à foro externo, fusè deduximus supra *Titulo* 4. *cap.* 1. neq; illo tempore in discussione vel inquisitione criminum eorumque punitione intervenisse formalitates juris: sed eas demùm circa sæculum XII. in forum Ecclesiasticum irrepsisse, quando scilicet forum externum in punitione criminum à foro interno omninò separatum erat.

II. Et sicuti causæ civiles tum ex legum præscripto in judiciis Ecclesiasticis instrui & decidi cœperunt; ita & causæ criminales in foro Ecclesiastico secundùm formam fori civilis instrui cœperunt: satisque ex dicendis hoc titulo apparebit, modum procedendi in criminalibus jure Canonico præscriptũ primitùs ex ipsis Legibus fuisse desumptũ.

III. Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 24. ꝟ *De Accusationibus* allegat triplicem modum crimina prosequendi per accusationem, denuntiationem, & inquisitionem.

IV. Accusatio est criminis alicujus apud judicem competentem, vindictæ publicæ causâ, inscriptione interveniente, legitimè facta delatio; uti scribit Hostiensis in Summa *tit. De Accusationibus.*

V. De jure accusationem faciendam esse *in scriptis* per libellum communiter docent Interpretes ad *L.* 3. *ff. De Accusationibus*; & satis insinuat Gratianus ad calcem *Canonis* 5. *caus.* 2. *q.* 8. ubi & formam libelli accusatorii desumptam ex citata *Lege* 3. proponit.

VI. Multa præterea refert Gratianus, quæ ad formam accusationis pertinent; sed omnia desumpta penè sunt ex suppotitiis & falsis Decretalibus epistolis primorum Pontificum, quæ verisimiliter ex Legibus Romanis circa sæculum IX. confictæ; ac dein in Decretum Gratiani relatæ occasionẽ dederunt posterioribus Pontificibus, formam accusationis iis expressam suis Decretalibus inserendi; eamque tamquam Sacris Canonibus jam pridem approbatã, retinendi.

VII. Illud præcipuè in libello accusationis observandum occurrit, quòd accusans teneretur in libello se inscribere ad pœnam talionis; ut est textus in citata *L.* 3. & *L.* 3. *Cod. Qui accusare non possunt.* Idq; non tantùm in publicis delictis, sed etiam privatis criminaliter intentatis, *L. fin ff. de Privatis delictis*; quod & probat Pontifex in *Cap.* 16. ꝟ *de Accusationibus*, dicens, quando crimen opponitur in modum accusationis, *oportet inscribi*: quoniam ad depositionem instituitur accusatio. Rursus in citato *Cap.* 24. innovato per Concilium Trident. *Sess.* 24. *cap.* 5. *De Reformat.* decernitur, "ut criminalis accusatio, quæ ad diminutionem capitis, id est, ad degradationem intenditur; nisi *legitima* præcedat *inscriptio*, nullatenus admittatur."

VIII. "Inscribere autem, est obligare se ad *eamdem* pœnam, si non probaverit, quam Reus debuit pati, si probâsset accusator," inquit Glossa ad citatum *Cap.* 16. verbo, *oportet inscribi.* Addit Julius Clarus in Practica criminali *lib.* 5. §. *fin. q.* 12. *n.* 16. de forma inscriptionis esse, non tantùm se obligare ad similitudinem pœnæ, sed insuper promittere, accusationem prosequi usque ad finem.

IX. Hæc forma inscriptionis sat luculenter expressa est in *Can.* 4. *caus.* 2 *q.* 8. qui desumptus est ex suppotitia Sixti III ad Episcopos Orientales. "Qui crimen objicit, scribat *se probaturum*.... Et qui non probaverit, quod objecit, pœnam, quam intulerit, ipse patiatur."

X. Hanc inscriptionem hìc in Belgio in usu fuisse, testantur Tabulæ Legum Brabantiæ anni 1312. in quibus legimus, Joannem Ducem pœnam *talionis* disertè innovâsse, decrevisseque eo loco habendum esse eum, qui alium in jure accusâsset, & accusationem non probâsset, quo alius habendus fuisset probato crimine.

XI. Necessitas hujus inscriptionis inducta apparet, ut homines à calumniis deterrerentur; nec facilè ex odio aliave passione ad accusandos & calumniandos innocentes prorumperent.

Cuilibet enim privato tunc temporis licebat alium de crimine ad vindictam *publicam criminaliter* accusare, & convenire; nisi speciali lege ab accusando prohiberetur, tametsi nullum ejus privatum interesse interveniret. *L.* 8. *ff. De Accusat.* ideoque expediebat, accusandi nimium quorumdam pruritum pœnarum metu coërcere.

XII. Hodie ad præveniendum illum accusandi, imò & calumniandi pruritum, aliaque plurima incomõda, quæ ex privatorum accusationibus oriri nata sunt, consuetudine, & specialibus locorũ Legibus ubiq; passim sublata est hæc auctoritas accusandi criminaliter, sive ad vindictã publicã.

Testatur Guil. Benedicti, qui à 200. & ampliùs annis scripsit, in repetitione *Cap.* RAYNUTIUS ꝟ *de Testamentis*, verbo *Mortuo itaque testatore num.* 200. quòd in regno Galliæ locum non habeat titulus de Accusationibus: "imò (ait) per ordinationes Regias nullus admitteretur etiam pro sua vel suorum injuria ad aliquem accusandum de crimine ad fines judiciales, & vindictam *publicam*; nisi dumtaxat pro *suo interesse civili*. Sed omnia crimina promoventur & persequuntur per Procuratorem Regium in qualibet Baylivia, & Senescalia institutum, & de publico stipendiatum à Rege." De eadem praxi Regni Galliæ testantur Rebuffus in Proœmio ad Constitutiones Regias *Glossa* 5. *num.* 92. & 105. Imbertus Pract. civil. & crimin. *Lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. & passim omnes Pragmatici.

Idipsum in Belgio servari testantur Zypæus in Notitia Juris Belgici, tit. *Qui accusare non possunt*; & Gudelinus de Juris Novissimo *Lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 12. ubi ait: "Quilibet olim secundùm Juris Romani regulam accusator esse potuit; sed moribus nostris licèt quivis ad indicandum denuntiandumque flagitium admittatur, tamen unus est, qui ex officio, nomine fisci seu Reipublicæ, ultionem criminum persequitur, atque is in tribunalibus Regiis Procurator Generalis seu Regius; in tribunalibus autem Episcoporum, nec non hujus universitatis, Promotor vocatur. Quod optimè videtur introductum, quandoquidem nemo privatus personam accusatoris absque summa invidia & odio illius, quem accusat, amicorumq; ejus, suscipere potest.

Vide plures ejusdem praxeos testes apud Christinæum ad Bugnio-

Digitized by Google

[Bu]gnionium *lib.1.c.13.* & Simonem A Groenevvegen. *De LL. Abrog.* ad tit. Cod. *De His qui accusare non possunt.*

XIII. His autem publicis accusatoribus, inscriptionis vinculum & talionis periculum moribus hodiernis quoque remissum: eò quod ipsis ratione officii crimina publica prosequendi, & criminosos accusandi necessitas incumbat; uti omnes Pragmatici uno quasi consensu testantur asseruntq; solemnem illam inscriptionem, uti & pœnam talionis penitus à foro recessisse; earumque usum planè sublatum. Consuli poterunt Julius Clarus loco citato *qu.12.* & *18.* item Christinæus & Groenvvegen cum pluribus ab ipsis citatis.

XIV. Sed ne publici hi Officiarii auctoritate sibi concessâ in perniciem privatorum abutantur, & Legum obtentu, iræ & ultioni obsequantur, nullam omnino criminalem accusationem, nisi decreto judicis, & ex præcedenti informatione instituere possunt; & si secus faciant, imò vel ultra informationem procedant, Reumque de crimine accusent vel vexent, de quo nihil in informationibus occurrit, pro ratione calumniæ & judicantium religione mulctantur & puniuntur; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum criminal. *c. 6.* & plures allegati per Groenevvegen loco citato. Repeti possunt quæ dicta sunt supra *Titulo 6. c. 5. De Promotore.*

XV. Eadem ratione qua Procurator Regius, Promotor aliique publici Officiarii non tenentur se inscribere; etiam ubique penè moribus obtinuit, ut tametsi causâ cadant, in expensas non condemnentur; uti notant passim Pragmatici; & notanter quoad Belgium post Damhouderum in Praxi rerum Civil. *capit. 222. numer. 7.* Anselmo ad *art. 9.* Edicti perpetui §. 8, modò tamen Officiarius, cum omni modestia, integritate & humanitate causam prosequatur ac officium suum exerceat; ita ut dici possit, eum indiscretè, importunè, vel per calumniam egisse; uti loquitur Anselmo: qui dein §. 9. subjungit: „ Sed si nec delictum, nec famam, nec vehementem aliquam præsumptionem probaverit, sed calumniosè, & dolosè aliquem in „ Jus vocasse reperietur, si inquisitum, seu accusatum ante „ sententiam diffamaverit in coronâ civium publicè de delicto reo imposito buccinaverit, aliave præstiterit ex „ quibus animus passionatus, & depravatus elici possit, „ in expensas, nec non damna & interesse condemnandus „ venit; quin & injuriarum, pars, eo casu agere poterit, nunquam enim aut dolus, aut calumnia debet manere impunita.

XVI. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art. 110.* decernunt, ut si Procurator Regius succumbat in causa, quam sine Decreto Curiæ suscepit, condemnabitur in expensas ex proprio solvendas. Si verò succumbat in causa suscepta ex Decreto Curiæ, tunc si non sit locus compensationi, equidem condemnabitur in expensas, sed solvendas ex ærario Curiæ. Verba articuli sunt: ***Dat soo vvanneer onsen voorschreven Procureur sal gheraecken te succumberen in eenighe saken daer toe hy egeen ordinantie van onsen voorschreven Raede en heeft ghehadt, sal ghecondemneert vvorden als de saecke dat heyscht, in de kosten, om die te betaelen uyt synen eyghen buydele ende indien hy succumbeert in saeken daer toe hy ordinantie ghehabdt heeft, sal even ghelijck ghecondemneert vvorden in de kosten, soo vvanneer de materie egeen compensatie en admitteert, maer sullen alsdan de kosten betaelt vvorden by den Ontfangher van den exploiten, tot onse laste.*** Id est: Si quando præfatus noster Procurator causâ cadat, ad quam instituendā mandatum à Consilio nostro præfato non acceperat, condemnabitur, prout res exigit in expensas proprio sumptu faciendas; si verò in actione, quam ex mandato instituit, causâ ceciderit, eodem modo in expensas condemnabitur, si res nequeat compensari; verùm nostro tum sumptu persolventur per ærarii Receptorem.

XVII. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit. 11. art. 59.* volunt, ut „ quotiescumq; „ ratione officii Promotor aliquem in jus vocaverit; tenebitur omnino aut delictum probare, aut saltem famam. „ Cùm autem non proprio motu, sed præcedente Decreto „ Judicis, aut nostro, vel Vicariatûs, aliquem citari curaverit vel arrestari, cùm diligentiam suam præstiterit, nihil ei „ imputabitur. „

Dein *art. 60.* subdit: „ Si verò nec delictum, nec vehementem aliquam præsumptionem probaverit, sed calumniosè & dolosè aliquem in jus vocasse reperietur, „ tunc ipse Promotor in expensas condemnatus, illas Parti „ restituet: quin & injuriarum Pars agere poterit. Si verò „ non ipsum quidem principale delictum, v.g. adulterium, „ concubinatumve probaverit, sed præter famam, præsumptionemve vehementem, aliquos actus alios illud plerumq; comitantes, præcedentesq; illicitos, ac scandalosos „ ob horum probationem Reus juxta actuum enormitatem, scandalum, & conscientiam Judicis in partem, aut solidas expensas condemnari poterit. „

XVIII. De jure communi si legitimus accusator deerat, ne crimina manerent impunita, poterat judex nonnunquam via inquisitionis contra criminosos procedere; de qua in *Cap. 19. 21. & 24. ꝛ. De Accusat.* Tuncq; dicitur judex procedere à seipso, sive ex officio.

XIX. Eodem jure inspecto, hic modus procedendi via inquisitionis erat extraordinarius, & tantùm in defectum legitimi accusatoris assumendus, uti latè ostendit Julius Clarus loco citato *q. 3. n. 4. & 5.* At hodie de consuetudine hic modus procedendi viâ inquisitionis revera est ordinarius; quia moribus hodiernis non solet accusatio sive processus criminalis contra aliquem seu in tribunali civili seu Ecclesiastico institui, nisi prævia inquisitione.

XX. Testatur quoq; Gulielmus Benedicti loco citato *nu. 201.* „ Quòd hodie omnia expediuntur per viam inquisitionis; imò (ait Benedicti) cùm hodie semper procedatur per „ inquisitionem loco accusationis surrogatam, sicut damnatus via accusationis erat infamis; ita nunc si damnetur „ viâ inquisitionis, proviso quòd damnatus tali pœna afficiatur. „

XXI. Notandum enim, quòd procedere via inquisitionis non sit, quando Judex transmittit reo inquisitionem; ut nonnulli arbitrantur, sed actus inquisitionis secundùm communem loquelam & dispositionem appropriatur primo actui, quo mediante, per viam officii Judex videtur velle procedere contra aliquem, non autem attribuitur actibus sequentibus processûs; uti monet Julius Clarus citata *q. 3. n. 2.* ibidem addens: „ Et sic rectè loquendo, inquirere „ contra aliquem, non est ei transmittere inquisitionem, „ sed est recipere testes, seu informationes contra eum. „ Charta verò inquisitionis sive libellus criminalis, qui „ contra reum formatur, atque ei intimatur cum termino „ comparendi, est actus communis utriq; modo procedendi. Et ideo indifferenter transmittitur reo absenti, tam si „ procedatur ad accusationem seu querelam partis, quàm „ si procedatur ex officio. „

XXII. Itaque formare inquisitionem contra aliquem est facere processum informativum, assumendo informationes contra reum super delicto. Ex his dein informationibus elicitur titulus & series facti, quæ postea narratur in libello accusationis, & Reo transmittitur vel communicatur in vim citationis.

XXIII. Inquisitio igitur seu informatio prærequiritur hodie, ut publici Accusatores, qui soli moribus hodiernis ad accusandum criminaliter & ad vindictam publicam admittuntur, accusationem instituere, aut contra reum libellum accusationis offerre possint. Ideoq; tradunt communiter Pragmatici, moribus hodiernis informationem esse basim processûs criminalis. Carolus Fevretius De Abusu *lib. 8. c. 3. n. 1.*

XXIV. Refertq; Joannes Tornetius in collectione arrestorum *Litt. A, c. 125.* condemnatum quemdam Officialem per Parlamentum Regium in mulctam 25. pataconum, quia omissa informatione inceperat ab interrogatione Rei; & vi confessionis à Reo elicitæ processerat ad sententiam definitivam privationis Beneficii.

XXV. „Hæc autem inquisitio, quam vulgò informationem *præviam* vocamus, ex judicis & officio & auctoritate „semper fieri necessum est, „ait Damhouderus in Praxi *rerum criminal. c. 8. n. 1.* additq; *n. 2.* „ Nemo enim insi solus „Judex aut Judicis potestatem habens; de crimine efficaciter inquirere potest.„

XXVI. Idipsum ordinatum per Edictum criminale Philippi II. de 9. Julii 1580. *art.* 51. extatq; parte 2. Edict. Brabantiæ *lib. 2. tit. 3. c. 1.* vetatq; sub gravi pœna omnibus Notariis, Secretariis, Graphiariis, & generatim omnibus personis, quæ non sunt judices, nec commissionem aut auctoritatem habentes ad capiendas informationes præparatorias, testes audire, attestationes dare, aut speciales actus exercere in causis & processibus coram aliis judicibus pendentibus: inhibendo insuper judicibus, ullam rationem habere hujusmodi informationum aut attestationum.

XXVII. Et quidem si de crimine commisso judici constet sed auctor criminis omnino ignoretur; nullaq; fama, aut indicia hactenus aliquem in particulari de crimine perpetrato suspectum reddant, tunc vel Procurator Regius, Promotor aliusve publicus Officialis auctoritate judicis *generaliter* inquirit, sive *generalem* informationem instituit interrogando testes, quos de negotio informatos putat, aliaque tentat, quæ ad detegendum auctorem commissi criminis conducere posse credit. Hæc vocatur informatio sive inquisitio generalis.

XXVIII. Ut autem fiat inquisitio sive informatio *specialis* contra particularem & individuam personam, debent saltem aliqua indicia præcedere, quæ personam judici meritò de crimine commisso suspectam reddant.

XXIX. Et quidem jure communi inspecto, ac signanter Decreto Concilii Lateranensis in *Cap. 24.* ⁏ *De Accusat.* communiter tradunt Canonistæ, non posse institui hanc informationem *specialem* contra particularem personam, nisi præcedat *publica* diffamatio. „Sicut enim (ait Concilium) „accusationem legitimam debet præcedere inscriptio, sic „& inquisitionem *clamosa insinuatio* prævenire.

XXX. Verùm ut informatio etiam specialis contra aliquem sumatur, ex praxi hodierna sufficit si indicia habeantur, quæ ipsum de crimine revera suspectum reddunt: quod & notavit Julius Clarus loco citato *q. 6. n. 1.* Postquam enim dixit, Canonistarum opinionem esse, requiri *famam publicam* præcedentem, quæ sit *vice accusationis*, ut quasi populus videatur illum ut Reum criminis judici deferre, seu apud judicem accusare subjungit: „Sed certè quidquid sit de jure, „totum contrarium docet practica, quæ communiter ob„servatur. Judex enim constito de delicto, assumit infor„mationes in genere, & interrogat primò testes, quos putat „esse de negotio informatos, super veritate criminis, scili„cet an sciant, quis maleficium illud commiserit. Et si di„cant, se nescire, tunc interrogat eos super diffamatione ne„minem nominando, sed in genere interrogando, contra „quem illius delicti fama laboret: & si ex eorum dictis re„sultet probatio facta contra aliquem, tunc specialiter „contra eum inquirit, & ad ulteriora contra eum procedit; „vel per citationem, vel per capturam juxta qualitatem in„diciorum.

XXXI. Quin fama contra aliquem de commisso crimine queat aperire viam inquisitioni dubium non est. Quæ autem fama sive diffamatio requiratur vel sufficiat ad instituendam specialem inquisitionem seu informationem, generaliter determinari nequit: pendetq; plurimùm à Judicis arbitrio, qui attentis gravitate criminis, conditione & qualitate, ac bonâ famâ, ac vitæ integritate infamati; nec non personis quæ huic famæ occasionem dedisse creduntur, judicet, num sufficiens fama sit, ut hîc & nunc contra infamatum informatio capiatur. Vide Damhouderum in *Praxi Rerum crim. c. 8.*

XXXII. Denuntiatio frequenter quoq; hodie aperit viam inquisitioni seu informationi instituendæ: nam licèt de jure communi, præsertim Canonico, quidam modus ordinarius procedendi contra criminosos sit denuntiatio, quemadmodùm describitur in *Cap. 24.* ⁏ *De Accusat.* hodie tamen denuntiatio nihil aliud operatur, nisi quòd succedat loco diffamationis vel querelæ, & sic aperiat viam Judici ad inquirendum contra aliquem; adeò quòd ita dicatur procedere Judex ex officio, quando præcedit sola denuntiatio, sicut quādo præcedit sola diffamatio. Ita Julius Clarus *q. 7. n. 1.*

XXXIII. Observat ibidem Clarus *n. 7.* quòd de consuetudine passim servetur, ut non modò Officiales ad hoc constituti admittantur ad denuntiandum, sed & alii. Idipsum tradit Damhouderus *c. 6.* monetq; *n. 12.* Judicis esse, ante„quam denuntiationem acceptet, diligenter introspicere „ac animadvertere personæ denuntiantis qualitatem, inge„genium, mores, omnesq; conditiones; nec non studiosè & „accuratè perscrutari singulas tam denuntiatoris, quàm a„liarum rerum penè omnium circumstantias, ne cui (quod „hujusmodi rerum neglectu fieri potest) temerè odiosam „molestiam pariat, ac frustra in graves expensas indu„cat.„

XXXIV. Si quis spontè & voluntariè, non ex necessitate officii, aliquem Judici super certo crimine denuntiaverit, & factâ informatione & processu absoluto reperiatur falsò & calumniosè denuntiâsse, poterit denuntiator condemnari in expensas, uti notat Iulius Clarus citatâ *q. 7 n. 12. & q. 10. n. 4.* item Antonius Faber in *Cod. lib. 9 tit. 2, Defin. 9. & 13.* qui & dicit, „quòd instigator accusationis, qui per calum„niam instigasse ex litis eventu probatur, condemnandus „sit in omne, quod Rei interest.„ Adde Paponium *lib. 24. tit. 1. arresto 2.*

XXXV. Insuper addit Faber citatâ *Definit. 10. notâ 4.* „Quòd non cogatur Fiscalis Procurator nominare instiga„torem, nisi eo demum tempore, quo ex eventu judicii ap„pareat calumniosam fuisse accusationem. Et ideo [ait] non „facilè debet Procurator Fiscalis instigatorem occultum „audire, nisi priùs & privatâ saltem scripturâ subscribat, ve„ramque esse affirmet accusationem.„

XXXVI. In Gallia, si accusati manifestè innocentes reperiantur, Procurator Regius delatorem suum nominare tenetur, propter expensas scilicet, damna ac interesse Parti adjudicandas, ex Constitutione Aurelianensi *art. 37.* Verba articuli sunt: *Nos Procureurs, ou des hauts Justificiers, seront tenus nommer le denonciateurs (sils' ils en sont requis) apres que la cause aura obtenu jugement & arrest d'absolution, afin de recours des despens, dommages & interest contre qu'il appartiendra.* Id est: Nostri aut Judicum supremorum Procuratores obstringentur nominare delatorem (si ad id rogentur) postquam causa fuerit per judicium terminata, lataq; absolutionis sententia, ut ratione sumptuum & detrimenti, recursus habeatur adversùs eum, ad quem res pertinebit. Vide Appendicem ad citatum titulum Paponii *arresto 3.* ubi & notatur, hunc articulum dumtaxat habere locum in casu absolutionis *puræ* ac *simplicis*, non verò si accusatus in lite ordinaria dumtaxat admittatur, vel usq; ad novum mandatum remittatur sub conditione quotiescumq; se repræsentandi.

XXXVII. Si nullus adsit denuntiator, sint tamen indicia non levia contra certam personam poterit Judex ex officio informationem accipere; ita tamen, ut ritè ponderet indicia, num reverâ sint sufficientia, habitâ consideratione personæ accusatæ, & criminis cujus rea agitur. Nam ex omnium Doctorum sententia in materia indiciorum non potest statui certa regula, sed totum relinquitur judicio Judicis, qui secundùm qualitatem personarum & delicti & indiciorum judicabit, num indicia sufficiant ad capiendam informationem contra illam personam.

Ne Promotores, aut Procuratores Officii spe alicujus lucri, vel ex aliâ subinde carnali passione ad informationes contra honestas & bonæ famæ personas nimis leviter prosiliant, easq; hoc pacto suspectas reddant & infament, passim ubiq; receptum est, Promotores & Procuratores non posse informationes capere nisi præviâ Judicis licentiâ: atque

no,

nominatim Statuta hujus Universitatis habent: „ Promotor „ nullam contra quemquam præparatoriam informatio- „ nem capiat sine jussu D. Rectoris. „

XXXVIII. Hæc informatio præparatoria cùm tantùm fiat in ordine, ut Judex sciat, num sint sufficientia indicia ad agendum criminaliter adversus aliquem; aut ut perveniatur ad notitiam ipsius auctoris, ideo consuetudine receptum est, hanc informationem seu inquisitionem fieri posse, etiam adversus absentem nulla præcedente contumacia.

XXXIX. Ulteriùs certum est, quòd de consuetudine ac stylo omnium Curiarum in informatione sive generali, sive speciali testes examinentur non citata Parte sive persona contra quam fit informatio: ne si citaretur, posset aufugere, aut testes subornare. Vide Julium Clarum in Practica criminali quæst. 11.

XL. Si forsàn adsit denuntiator sivè querelator quamvis citari non debeat, tamen cauti & justi Judices (ait Clarus ibidem) semper citari illum faciunt ad subministrandum indicia, si quæ habet ad coadjuvandum intentionem Fisci.

XLI. Deniq; hæ informationes debent accipi quàm potest secretissimè; ne personæ contra quas inquiritur, antequam sint condemnatæ, per hasce contra se institutas informationes infamentur. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit. 7. art. 3.* injungunt Promotoribus, ut „ caveant, ne quem innocentem per calumniam in „ jus vocent, aut importunè, vel indiscretè aliquos exagi- „ tent, defectusq; propalent; ac accusatos seu inquisitos „ præsertim Ecclesiasticos, ante sententiam diffament, sed „ cum omni modestia, integritate, & humanitate officium „ suum exerceant. „

CAPUT II.

De Captura vel citatione *personali* accusatorum; & quæ circa incarceratos servanda?

1 *Ex informationibus præviis judex dispicere debet, num decernenda sit captura?*

2 *Nemo apprehendendus nisi authoritate judicis.*

3 *Officiarii hodie vi generalis mandati ad apprehensionem procedere nequeunt.*

4 *Quæ à judice in decernenda captura de jure communi sint attendenda?*

5 *Juri communi hac in parte conformes sunt ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*

6 *Dictæ Ordinationes vetant apprehensionem personæ notabilis qualitatis, nisi communicatione facta Episcopo aut Vicariatui ejus.*

7 *Captura non facilè decernenda contra personas Ecclesiasticas.*

8 *Ordinariè non decernenda contra clericos, si cautionem præstent* de parendo.

9 *Synodus Tridentina innuit, non esse decernendam capturam ubi de fuga non timetur.*

10 *Ex communi Doctorum sententia non est procedendum ad incarcerationem dum agitur dumtaxat de pœna pecuniaria, & Reus offert cautionem sufficientem.*

11 *Idq; etiam dum Reus crimen est confessus, vel in flagranti delicto est deprehensus.*

12 *Edictum Philippi II. vult relaxari captivos sub cautione, si non planè de delictis constet, nec agatur de delictis atrocioribus.*

13 *Etiam aliquando relaxatio hæc annuenda ubi agitur de delicto capitali.*

14 *Potest interdum judex accusatum militibus custodiendum, vel alicui tuto loco committere.*

15 *Interdùm pro cautione fidejussoria admittenda juratoria.*

16 *Quomodo probetur accusatum non posse invenire cautionem fidejussoriam?*

17 *Jure Romano captivi non debent malè tractari sed à custodibus carcerum eis humanitas exhibenda.*

18 *Consuetudo hoc jus non abrogavit, licèt à multis negligatur.*

19 *Volunt Edicta Principum nostrorum, ut causa captivorum celeriter terminentur.*

20 *Volunt insuper ab inferioribus judicibus quater in anno transmitti nomina captivorum ad superiores judices.*

21 *Præterea singulis mensibus volunt visitari carceres per officiarios & judices, & interrogari captivos super iis quæ ad causæ expeditionem conducere possunt.*

22 *Item an omnia necessaria captivis subministrentur.*

23 *Quæ à custodibus carcerum observanda circa captivos, & qui in custodes eligendi speciali Edicto Philippi II. expressum est.*

24 *Huic Edicto consonant ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*

25 *Ad quid teneatur custos, si ejus negligentia Reus è carcere fugerit.*

26 *Commessationes lusus chartarum, inhonestá conversationes in carceribus non permittendæ.*

27 *Sollicitè à Judicibus attendendum, qui in custodes carcerum eligantur.*

28 *Iam pridem usitatum fuit per Episcopos carceres visitari.*

29 *Imperatores voluerunt carceres Episcopis semper patère.*

30 *Imperator Justinianus optavit bis per hebdomadam carceres per Episcopos visitari.*

31 *Insuper voluit per Episcopos indicari negligentiam judicum circa captivos.*

32 *S. Carolus præbuit exemplum piæ sollicitudinis erga captivos.*

33 *Voluit semel in hebdomada visitari captivos cum relatione ad Episcopum.*

34 *Constituit insuper protectorem incarceratorum, & quod hujus officium?*

35 *Etiam per Episcopum ipsum voluit aliquando visitari carceres.*

36 *Ex Decreto Concilii Toletani anni 1565. Episcopi quolibet mense carceres visitare debent.*

37 *Visitatio carcerum per Episcopos aut Pastores valde hodie optanda.*

38 *Ubi non apparet decernenda captura, locus erit citationi ipsius Rei.*

39 *Quid citatio* personalis?

40 *In Edicto Principum componitur cum captura; & quare?*

41 *Citatus* personaliter *non potest comparere per procuratorem, nisi ad allegandum impedimentum.*

42 *Interdum citatio personalis ex decreto Curiæ convertitur in citationem simplicem.*

43 *Citati* personaliter *relaxandi non sunt antequam responderint.*

44 *Ex Ordinationibus Curiarum Eccles. subinde respondendum* personaliter *extra materiam criminalem.*

I. INformationibus contra Reum captis, Judex dispicere debet, num decernenda sit captura ipsius Rei sive accusati; vel an simpliciter citandus, aut saltem sub cautione de se sistendo usq; ad sententiam sibi relinquendus.

II. Prudentis enim judicis examini tantùm relictum est, ut is inquirat & judicet, an apprehensione digna sit diffamatio, quæ contra reum habetur, *L. 3. Cod. De Exhibit. reorum*, ubi Imperatores præcipiunt, „ neminem in judicio exhiben- „ dum, nisi de cujus exhibitione Judex pronuntiaverit.

III. Hinc moribus nostris in vim generalis mandati, & vi officii non possunt Officiarii procedere ad apprehensionem personalem, priusquam indiciis & informatione præparatoria, facinus exploraverint, & à judice decretum apprehensionis obtinuerint, uti rectè notat Antonius Perezius ad *tit. Cod. de Exhibendis reis n. 1.*

IV. Porrò Judex hic attendere debet conditionem personæ

sonæ ipsius rei, qualitatem criminis objecti, nec non indicia commissi criminis, quemadmodum alegantur expressit Ulpianus in *l. 1. ff. De Custodia & exhibit. reorum.* „De Custodia reorum Proconsul æstimare solet (ait) utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fide jussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet.„

V. Hactenus dicta sat conformia sunt Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. 7. art. 8.* quo cavetur, ut Promotores „ad incarcerationem non procedant, nisi prævio judicis Decreto, qui nec id concedet, sine diligenti informatione præparatoria, nisi periculum esset fugæ, si informatio capienda, vel decretum judicis expectandum esset ante incarcerationem: vel nisi in flagranti crimine reus deprehenderetur, vel demum, nisi post tres citationes in judicio reproductas, præcedente debitâ informatione declaratus fuerit contumax: datâ nihilominus, hoc ultimo casu, opinione reo criminis non gravissimi, seu veniendi ad carceres, seu loco carceris præstandi cautionem sufficientem de sistendo se juri, & implendo judicato, nisi ex causis aliter Judici videretur.

VI. Addunt insuper citatæ Ordinationes *art. 9.* „Si tamen personæ essent notabilis qualitatis, non apprehendentur, nisi negotio nobis, [Episcopo] vel Vicariatui ante communicato, quando moram hoc faciendi res patietur.„

VII. Et sanè quia incarceratio fieri nequit sine notabili ipsius rei infamia & incommodo, judices præsertim Ecclesiastici, decreta apprehensionis & incarcerationis maximè contra Clericos & personas Ecclesiasticas non facilè decernere debent.

VIII. In *Cap. 15. De Sentent. excommunicat.* in VI. respondit Bonifacius VIII. „Clericos si de parendo juri ubi fide jussoriam dederint cautionem; detinere non debes, nisi excessûs enormitas, vel alia causa rationabilis eos suaserit detinendos.„

IX. Synodus Tridentina *Sess. 25. c. 6. De Reform.* tradens formam, quâ Episcopus procedere debet contra Canonicos Capitulorum Cathedralium exemptorum, inter alia dicit: „In criminalibus ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto *De Concubinariis*, & in atrocioribus delictis, depositionem aut degradationem requirentibus, ubi *de fuga* timetur, *ne judicium eludatur*, & ideo opus sit *personali* detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem & necessariam detentionem procedere.„

Hic non obscurè innuit Synodus, ex summaria informatione detentionem non esse decernendam, ubi de fuga ipsius Rei non timetur: vel ubi periculum non est, ne per ejus fugam judicium reddatur elusorium.

X. Hinc communiter docent Doctores, non esse procedendum ad incarcerationem, quin & incarceratos esse relaxandos, si Reus seu accusatus præstet cautionem sufficientem se in judicio sistendi, & judicato satisfaciendi, quandocumq; pœna non nisi pecuniaria crimini imminet; quorum opinioni accedens Tuldenus loco citato, addit eam opinionem admittendam, „ubicumq; fuga Rei non eluserit executionem: Ergo (ait) & in relegatione.„

XI. „Assentior & iis (pergit Tuldenus) qui idem statuunt, quamvis causa jam ad exitum decurrat: relaxandum nempe interventu sponsoris Reum: idemq; etsi Reus confessus convictusve, ac proinde etsi in flagranti delicto deprehensus, aut ejus publicâ evidentiâ oppressus. Quid enim interest justitiæ aut accusatoris, dum de judicato mox solvendo, non tantùm de Reo sistendo, certius cautum est?„

XII. Edictum criminale de 5. Julii 1570. *art. 53.* vult, ut statim atq; de innocentia captivi constabit, dimittatur & absolvatur: redarguens errorem quorumdam, qui laudem esse justitiæ putant, neminem è carceribus relaxare: cùm vera laus consistat in expedita causæ cognitione, & justa condemnatione vel absolutione: & si per informationes de delicto non plenè constet; sed tantùm sit suspicio vel dubium [modò materia sive crimen non sit nimis enorme] ut relaxetur sub cautione fide jussoria, vel juratoria pro qualitate personæ & delicti. Verba Edicti sunt: *Dat soo geringhe blijcken sal vande innocentie ende onnoselheyt van de gevanghenen, vvillen vvy, dat alle saken gepostponeert ende te rugge ghestelt, die Iugssen ende Rechters vestaen sullen, om hem te ontslaen, ende absolveren, vvesende een abuys, hem te laten duncken die eere vander Iustitien te ziene niemanden te relaxeren: de vvelcke gheleghen is, mits ghevende goet, cort ende oprecht vonnisse, tot absolutie oft condemnatie: Ende indien niet t'eenemael ende gheheelijcken en blijke vander misdaet, naer die informatien ende devoor deshalven ghedaen, maer datter alleenelijck suspicie oft tvvijfel valt) indien de sake ende materie niet te seer svvaer en is) sullen de ghevanghenen gheslaeckt vvorden tot eerbieden, op cautie oft borchtocht fide jussoire oft juratoire nae de qualiteyt vande persoonen, ende der misdaet, De selve confirmerende oft anderssins ordinerende, soomen de sake ende materie bevinden sal ghedisponeert.* Id est: Quàm primum de innocentia captivi constabit, volumus, ut quibuslibet sepositis & omissis nil prius Judices curent: quàm eos dimittere & absolvere, cùm abusus sit quòd quispiã sibi persuadeat agi existimationem justitiæ si quis absolutus dimittatur: quæ in eo sita est ut æqua breviq; seu absolutionis seu condemnationis sententia proferatur; si verò post inquisitionem aliaq; adhibita media, non omnino & liquidò de crimine constet, suspicio verò, dumtaxat aut dubium supersit (si modò causa non sit nimium enormis) dimittentur captivi mediante cautione fide jussionis aut juramenti, attentâ personarum & criminis qualitate. Quod vel observabitur, vel aliter decernetur; prout exiget causæ dispositio ipsius Rei.

In atrocioribus delictis, putà voluntariis homicidiis, relaxationē sub cautione vetat Edictum de 1. Julii 1616. *art. 20.*

XIII. De hac relaxatione sub cautione fide jussoria latius agit Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. c. 20.* ubi inter alia quoq; observat *n. 11.* quòd subinde accusatus de crimine pro quo ex jure communi, & forma Statutorum pœna corporalis est imponenda, possit à judice sub hac cautione relaxari, quod & Tuldenus notavit loco suprà citato; concludens, non esse generaliter verùm, quod communiter asserunt Interpretes, relaxationem hanc non esse annuendam ubi de crimine capitali agitur. Nam „si (ait) cui naturæ & anteactæ vitæ probitas suffragatur, quantò atrocius intentatur crimen, tantò id ab illo & à verisimilitudine magis abhorret. Ergo si spectatæ probitatis vir accusatur, non quia crimen capitale est, ideo is statim carceri mancipandus, sed si gravibus ejus indiciis non urgetur, committendus plerùmque est fide jussoribus.„

XIV. Monet autem Julius Clarus loco citato *q. 64.* quòd subinde „possit Judex reum consignare militibus, ut custodiant illum in loco aliquo tuto extra carceres, vel fide jussoribus, qui promittant, eum in loco aliquo tenere, vel statuere palatium, vel civitatem pro carcere sub fide jussione, quando qualitas personæ hoc requirit, & Judex credit pro certo illum non fore culpabilem.„

XV. Qua forma concipi debeat fide jussio, & quæ dicenda sit sufficiens ibidem; exponit Clarus; unà notans, quòd de jure & consuetudine interdum relaxandi sint Rei sub cautione *juratoria*, cùm fide jussorem reperire nequeunt; quod & citatus *art. 53.* Edicti criminalis anni 1570. manifestè supponit. Hanc consuetudinem laudat Clarus; ne Rei (ait) „qui aliàs essent relaxandi, ubi fide jussorem invenirent, in carceribus marcescant.„

XVI. Dicit ibidem Clarus *n. 15.* communiter receptum esse, „eo ipso quòd Reus cum juramento affirmet, quòd non putat invenire posse fide jussorem, satis censeatur probasse difficultatem præstandi fide jussorem.„

In

„In Practica tamen (ait ibidem) apud nos servatur, quod „Judex ex officio summariè & sine scriptis cum interventu Fisci se informat de facultatibus ipsius rei aliter, quàm „per ejus juramentum, & deinde fit ordinatio, quod relaxetur cum juratoria cautione, cum participatione & interventu Fisci, & subscribitur à Fiscali, & Judex est postea tutus in Syndicatu.„

XVII. Cùm jure Romano carceres non ad pœnam; sed ad custodiam sint constituti, severè legibus vetitum est, captivos malè tractari, quemadmodum latè exponitur in *L. fin. Cod. De Custodia reorum*; neq; ipsis captivis per corruptos carcerum custodes humanitas negetur; ut noxius citò puniatur, & innocens absolvatur: quin & ipse custos carceris „intra trigesimum diem semper ingerat numerum personarum, varietatem delictorum, clausorum ordines, ætatemq; vinctorum. Quòd si hæc prætermiserit, officium „quidem viginti libras auri ærario nostro jubemus inferre: „judicem verò desidem ac resupina cervice tantum titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna, decem auri „libras mulctandum esse censemus.„

XVIII. Rectè notavit Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Custodia reorum n. 1.* quòd „usus hoc non præcisè servet „non [ait] aliquâ vernaculâ lege obstante, sed *negligentia*.„

Et sanè si Principum nostrorum Edicta attendamus, repetiemus non minorem his, quàm Romanis de captivis curam fuisse.

XIX. Imprimis in citato Edicto de anno 1571. mandant *art. 38.* etiam Regiis Conciliis, ut non ultra annum captivos suos detineant, nec reorum causas ultra illud tempus protrahant; & in casum non determinationis, ipsi Principi indicare teneantur rationes retardationis. Quin & Edicto perpetuo anni 1611 *art.* 40. edicitur, ut non ultra *sex menses*, postquam ipse processus fuerit instructus, sententia differatur.

XX. Et *art.* 34. mandatur omnibus inferioribus judicibus, catalogum omnium captivorum quater quotannis, nimirum *Quatuor temporibus* ad superiores transmittere; ut hi examinent, num nihil negligentiæ in terminandis his causis ex parte Judicum aut Officiariorum interveniat. Plura eumdem in finem decernuntur ibidem *art. 35. 36. & 37.*

XXI. Præterea *art.* 39. mandatur, ut Officiarii personaliter, aut in eorum à civitate absentia ipsorum locum tenentes, ut minus singulis mensibus semel visitabunt carceres præsentibus duobus è judicibus, & Graphiario criminali, ipsosq; captivos singulatim alloquentur, eos interrogantes super iis, quæ videbuntur convenire ad causarum expeditionem.

XXII. Insuper attendent, num carceres sint tales, ut captivi securè & tutò ibidem custodiantur: an captivis necessaria subministrentur in victu & potu ac straminibus juxta ordinationes Regias; ipsiq; carceres non sint infecti, vel fœteant, aliaq; similia: *Quandoquidem* (ait Edictum) *carceres sint ad custodiam, & non ad vindictam.*

Idipsum circa visitationem carcerum qui subsunt Concilio Brabantiæ, fieri vult per Procuratorem generalem vel ejus Substitutum, ipsiq; quater in anno assistant duo Consiliarii à Superioribus designandi.

XXIII. Quæ hîc statuta sunt circa subministrationem necessariorum ad victum & potum captivorum; nec non expurgationem & munditiem carcerum, repetuntur in Edicto ejusdem anni 1570. quod speciatim concernit ipsos custodes carcerum; ubi latius declaratur & decernitur, quæ ab his observanda; & qui ad hoc officium assumendi sint. Habetur hoc Edictum *parte 1.* Edict. Brabantiæ *lib. 2. tit. 3. c. 1.*

XXIV. Plura quoq; consona dicto Edicto de officio custodis carcerum habentur in Ordinationibus Curiarum Ecclesiast. *tit.* 10, atq; inter cætera *art.* 1. quod „erit diligens in cu„stodiendis captivis, ac non solum de sua diligentia, sed & „uxoris, & omnium, qui de sua familia sunt, tanquam pro„pria respondebit, nec juramentum solum sed & cautio„nem ea de causa præstare tenebitur.„

XXV. Deinde *art.* 2. additur, „Cùm ejus, aut suorum, ne„gligentiâ aliquem à carceribus fugere contigerit, ad om„nia, quibus tempore fugæ captivus obligatus erat tam ra„tione delicti, quàm expensarum, obligabitur, nisi subti„lem fracturam probare possit, aliamve causam adferre, „quæ secundùm juris depositionem eundem excuset.

XXVI. Præcipitur quoq; *art.* 7. quòd „commessationes „captivorum, lusus chartarum, aut similes, nullo modo ad„mittet, sed bene eorum loco libros pios subministrabit. Hoc ipsum præcipit citatum Edictum; unà vetans in carceribus sive custodiis exerceri popinas, cabaretten aliasq; inhonestas conversationes tenere.

XXVII. Quanta ab inhumanis custodibus miseri captivi patiantur, singulatim enarrat Damhouderus in Praxi rerum crim. c. 17. notatq; „ut judices in assumendis custodibus seu „commentariensibus, vigilantes sint & prudentes, ne qui„busvis citra delectum hoc officium committant; quin po„tius eligant viros bonos, cordatos, humanos, mites, mise„ricordes, benignos, affabiles, pios, bonæ conscientiæ, ti„mentes Deum, qui suis captivis diligenter necessaria sub„ministrent, eos subinde consolentur, & ut pii patresfami„lias, in quibusvis necessitatibus juvamen & solatium præ„beant afflictis. Nihil piaculi, nihil spurcitiæ, nihil exactio„nis, nihil imposturæ, nihil fraudis, nihil criminis, nihil de„niq; maleficii, aut per se, aut per alios, in suos carceres ir„repere sinant.„

XXVIII. Quia inter opera misericordiæ non minimum est, captivos visitare, eorumq; miserias sublevare, jam pridem sanctissimi Episcopi & Pastores sui muneris existimarunt, carceres adire, & captivorum curam agere.

XXIX. Hanc Episcoporum operam in captivos probantes Imperatores, voluerunt, carceres semper ipsis patere.

Extat in appendice Codicis Theodosiani lex Honorii Imp. in hæc verba: „Eam quoq; Sacerdoti concedimus fa„cultatem, ut carceris ope miserationis aulas introeat, me„dicetur ægros, alat pauperes, consoletur insontes; & cùm „singulorum causas cognoverit, interventiones suas apud „judicem competentem suo jure moderetur.„

XXX. Et Justinianus Imp. in *L. 22. Cod. De Episcopali audientia*, solicitudinem Episcoporum erga captivos excitare volens, jubet, „Deo amabiles locorum Episcopos per unam „cujusq; hebdomadæ diem, id est, feria quarta, aut sexta, „quæ & parasceve appellatur, eos qui in custodia haben„tur; visitare; & diligenter inquirere causam, ob quam de„tinentur.„

XXXI. Insuper, „licentiâ datâ Deo charissimis pro tem„pore Episcopis, si quam negligentiam admissam cognove„rint ab Illustrissimis & Magnificentissimis atq; Clarissimis „pro tempore Magistratibus, vel iis, quæ illis parent officiis „talem ipsorum negligentiam indicandi, ut conveni„ens adversus negligentes animi nostri motus exsur„gat.„

XXXII. Sanctus Carolus quem Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, nihil omittere volens, quod ad paternam boni Pastoris curam spectaret, illustre omnibus Pastoribus benignitatis & piæ sollicitudinis erga miseros incarceratos exemplum præbuit.

XXXIII. Imprimis in Concilio suo Mediol. I. *parte 2. tit. De Carceris custodibus* statuit, ut Episcopi „curent etiam „per certos homines, ab eis deligendos, semel in hebdoma„da visitandos eos, qui in carcere tenentur: qui si illos indi„gniùs, & acerbiùs tractari compererint, referant ad Epis„copum, qui pro sua prudentia ac pietate, ne quid iniquiùs „fiat, omninò provideat.

XXXIV. Ultra hos carcerum præfectos, voluit ut esset præterea Protector carceratorum unus ex Canonicis ordinariis Ecclesiæ Metropolitanæ, quem Archiepiscopus libero arbitrio suo deligat singulis bienniis.

Hujus officium esse declarat, „speculari & invigilare „super advocato & Protectore pauperum, & præfecto spi„rituali carcerum, ac rursus collaterali, ac satellibus, & „cæ-

„ carcerum custodibus, ne, muneri suo ulla in re desint, aut „ quid aliud committant in damnum carceratorum. „

„ Sollicitè propterea investiget dè cura spirituali carce- „ ratorum, & rursus de corporali, deq; illorum causarum „ expeditione, & quomodo cum illis agatur ab his singulis „ ad quos spectat. „

„ Visitet pluries, & saltem bis in hebdomada singulos „ carceratos, etiam qui in carceribus secretis sunt, habito „ consensu Vicarii criminalis, seu cum ejus interventu, vel „ Promotoris Fisci, alteriusvè quem Vicarius criminalis ma- „ luerit; si id expedire judicaverit.

„ Sæpiùs etiam in hebdomada convocet Præfectum spi- „ ritualem carcerum; cum eóq; tractet ea omnia, quæ ad „ morum correctionem, corporisq; carceratorum necessi- „ tates, & egestates pertinent; ac prompto animo audiat e- „ tiam ea, quæ in dies ab ipso referuntur; & quæ provisio- „ ne indigere cognoverit, omni sollicitudine, ut opus erit, „ provideat, procuretvè.

„ Si carceratos ipsos universos vel singulos, morum disci- „ ciplina, correctione, monitionevè indigere invenerit, op- „ portunè admoneat, & corripiat; si alios muneri suo deesse „ singulos sui officii moneat, excitétq; tum Vicarium cau- „ sarum criminalium; generalem etiam & Archiepisco- „ pum ut opus fuerit, adeat.

XXXV. Non contentus si per alios Episcopus carcerato- rum curam agat, decernit in suo Concilio Mediol. III. *tit. de iis quæ ad Episcopale forum pertinent*, ut, „ Episcopus non so- „ lum per certos homines, ut primum à nobis constitutum „ est, sed etiam ipse aliquando in anno carcerem visitet: in „ eoq; inclusos paterna charitate consoletur, piéq, in Do- „ mino adhortetur.

„ Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad ju- „ stum patrocinium non desit quidquam; tum in primis „ non libri spiritualis lectio, non crebræ religiosorum ho- „ minum cohortationes, tum ne deniq; aliquid ad animæ „ salutem.

XXXVI. Concilium Toletanum anno 1565. *Act. 2. Decreto 23.* dicit: „ Episcopi saltem quolibet mense carceres, „ quos ad Reorum custodiam opportunos habere debent, „ ipsosq; Reos illic detentos per se ipsos, si præsentes in eo- „ dem loco sint, visitare teneantur.

XXXVII. Quàm optanda sit hodie hæc Episcoporum & pastorum in visitandis carceribus & Reis illic detentis cura, nemo non fatebitur, qui attenderit, quàm misera & diuturna soleat esse incarceratorum conditio, in tantum subsidio temporali destitutorum, ut antequam nocentes declarentur, morte durius supplicium sustinere cogantur. Cui accedit privatio penè omnis spiritualis solatii, quod tamen miseris illis in eo statu constitutis summè necessarium est: ut vel maximè hic sua erga hos miseros & desolatos teneantur Pastores misericordiæ & pietatis viscera aperire. Si omnibus exprobraturus sit Christus: *In carcere eram & non visitastis me*, expendant Pastores, quàm horribile eis futurum sit, si oves suas in carcere constitutas non visitaverint?

XXXVIII. Si visis informationibus, & attentis qualitate delicti & personæ aliisq; circumstantiis, videatur non esse decernenda apprehensio personæ, tunc locus erit citationi ipsius accusati vel inquisiti.

XXXIX. Citatio autem hæc duplex est, personalis & simplex. Personalis dicitur, eò quòd citatus *personaliter* coram Judice comparere teneatur; estq; hæc citatio affinis ipsi citationi reali seu apprehensioni; ac propterea, qui eo modo citatus est ad respondendum, quod nostrates vocant *daechsel personeel*, dicitur citatus ut respondeat *pede ligato*, hoc est, uti *captivus*, quemadmodùm notat Damhouderus in *Praxi Rerum crim. c. 34.* quare & hujusmodi citatio ipsum citatum infamare suprà notavimus.

XL. Hinc in Edicto perpetuo de anno 1611. eadem moderatio præcipitur in decernenda citatione hac *personali*, quæ servanda est in Decreto apprehensionis: interdicitúrq; *art. 39.* Officiariis procedere ad capturam personæ, aut citationem ipsius *personalem* nisi in tribus casibus: scilicet, si reperiatur in flagranti delicto; si Judices decreverint, visis prævis informationibus Reum esse apprehendendum, vel citandum *personaliter*; vel in casum accusationis & ad instantiam Partis *formalis*, in locis in quibus hæc est in usu. Verba articuli sunt: *Soo verbieden vvy aen alle de voorseyde Officieren te procederen tot apprehensie vande persoonen hebbende fixe vvooninghe, noch de selve te daghen om te compareren in persoone, ten zy om eene vande drye naest volghende saken: te vveten dat hy bevonden zy in't teghenvvordigh misdaet; dat de Rechteren ghedecerneert hebben dat hy ghevanghen vvorde, ofte comme compareren en persoone op de informatien preparatoire by den ghesien; ofte vvel by accusatie, ende ter instantie van Partye formele ter plaetsen daer die vvord ghebruyckt.* Id est: Prohibemus prædictis quibuscumq; Ministris, ne personam ullam fixum habentem domicilium apprehendere moliantur, neq; aliquem citent ut personaliter compareat, nisi ob unam ex tribus causis infrapositis, videlicet si quispiam deprehensus fuerit in flagranti delicto, si Judices decreverint incarcerandum aut eum personaliter mandaverint comparere, expensis per eos prævis inquisitionibus: aut demù ratione accusationis, & instante parte formali, iis in locis in quibus id obtinet.

XLI. Citatus *personaliter* debet comparere in persona, nec admittitur Procurator. Si tamen *infirmus* sit, aut alio legitimo impedimento detineatur, potest mittere *excusatorem*, quem Galli vocant *exonsatorem*; de quo agit Rebuffus in suo Tractatu *De Excusationibus sive Exoniis*; ubi *n. 18.* dicit, quòd, „ Curiæ Franciæ admittant excusationem in crimi- „ nalibus, quando *per se* debet quis comparere, & non per „ procuratorem: tunc si citatus ille morbo sontico detinea- „ tur, poterit excusatorem mittere ad eum excusandum, „ non autem reciperetur, si causas innocentiæ allegaret, & „ ita servant etiam supremæ Curiæ Franciæ. „ Latè ibidem examinat quæ sint dicenda legitima impedimenta ob quæ mitti possit excusator; monetq; *n. 60.* quòd, „ hodie ista exo- „ nia seu excusatio tantum in Francia recipiatur in crimina- „ libus, quando reus debet comparere *personaliter*; & sic „ vidi (ait) in forensi judicio servari; in Civilibus verò Pro- „ curatorem mittere debet.

XLII. Hæc & praxi Belgicæ conformia esse testatur Damhouderus loco citato *c. 25.* cujus hic est titulus: *De exonianda in materia criminum.* Item Gerardus à Wassenaer in Praxi judiciaria *c. 27. n. 4.* dicitq; moribus nostris quandoq; per libellum supplicem à Curia impetrari, ut litteræ citationis ad *personaliter* comparendum mutentur in simplicem citationem ad tollendam infamiæ notam, si delicti levitas id permittat.

XLIII. De hac citatione agitur in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art. 454.* & sequentibus, mandaturq; *art. 457.* ut captivi, vel citati *personaliter* ex Decreto Curiæ non relaxentur, priusquam ipsi responderint, & Fiscales Regii aut alii Officiales suas cœperint conclusiones, & ordinatum fuerit, quâ formâ in materia proposita procedetur.

XLIV. Etiam in Curiis Ecclesiasticis citationi *personali* in criminalibus locus est, si eam decernendam judex judicaverit: imò Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. 12. art. 14.* dicunt, quòd, „ citatus in causis officii, defloratrionis, oppositionis bannorum, vel alimentationis proli- „ um, tenebitur in *persona* primâ vice comparere, alioquin „ contumax erit, nec poterit Advocatum, vel Procuratorem „ adhibere, nisi ad articulos, illorumq; circumstantias *per-* „ *sonaliter* responderit. „

CAPUT III.

De Examine Rei, & de tortura.

1 *Promotor juxta Ordinationes Curiarum Eccles. debet intra triduum exhibere libellum contra incarceratum.*

2 *Sum-*

Similiter Fiscales & Officiales Regii infra triduum exhibere debent sua interrogatoria.
Interrogatoria hæc sunt articuli informationis præviæ, super quibus Reus est examinandus.
Reus a judice vel Commissario indilatè examinandus; & quid in hoc examine attendendum?
Reus sine mora ad interrogata respondere tenetur.
6 *Et quidem ante datas defensiones, aut copiam interrogatoriorum.*
7 *Responsiones Rei in scriptis exceptæ communicandæ Promotori aut Fiscalibus; qui iis visis conclusionem capient.*
8 *Quid circa conclusionē capiendam statuat Edictum perpetuum an. 1611.*
9 *Si videatur confessio Rei sufficiens, petitur jus dici: sin minùs petitur, ut testes recolligantur, aut si opus sit, confrontentur.*
10 *Quare & quomodo testes auditi in informatione debeant recolligi sive reexaminari?*
11 *Quid* confrontatio; *& quando adhibenda?*
12 *Testes priùsquam confrontentur, debent esse recollecti.*
13 *Datur Reo facultas reprobandi testes ante confrontationem, sed non post.*
14 *Reus non relaxandus ante factam responsionem.*
15 *Processus criminalis non semper eodem modo instruitur.*
16 *Si Reus ex sua confessione & informatione parum gravetur, processus instituitur modo servari solito in civilibus.*
17 *Actus extraordinariè Reo in carcere constituto.*
18 *Reo semper danda sua defensiones, & dilationes sufficientes ad eas faciendas.*
19 *Quomodo nominandi & examinandi testes, quos Reus ad probandam innocentiam, aut reprobandos testes contra se productos producere vult.*
20 *De Jure Decretalium nomina testium, & eorum depositiones Reo communicanda.*
21 *Non tamen communicanda, priùsquam sint recollecti seu reexaminati.*
22 *Ob periculum imminens testibus, ex Ordinationibus Curiarum Eccles. depositiones non sunt publicandæ.*
23 *Quomodo huic periculo aliqui occurrere velint?*
24 *In processu criminali examinando magna discussione opus est.*
25 *Ubi de pœna corporali agitur, requiruntur probationes clara & indubitata.*
26 *An ex indiciis & conjecturis concludi possit, & locus sit juramento suppletivo.*
27 *An spontanea confessio Rei ad condemnationem sufficiat?*
28 *Hodie dum plenâ probatio non habetur, solet nonnunquam Reus applicari* torturæ seu quæstioni.
29 *Aliqui hanc torquendi praxim improbant; quorum primum argumentum proponitur.*
30 *Secundum argumentum contra praxim torturæ.*
31 *Tertium argumentum.*
32 *Convenit inter Doctores, Reum torquendum non esse, dum alio modo veritas haberi possit.*
33 *Idipsum expressum in Edicto Philippi II.*
34 *Injustum apparet, Reum non convictum de crimine puniri per tormenta torturæ.*
35 *Confessio Rei facta in tortura exiguam aut nullam fidem meretur.*
36 *Ex hodierna praxi confessio facta in tortura debet renovari à Reo extra torturam*
37 *Sed nec hæc renovatio magnam addit fidem; & quare?*
38 *Plura argumenta contra usum torturæ, præsertim in examinandis maleficis remissivè.*
39 *Certum est, torturam cum magna moderatione & circumspectione adhibendam.*
40 *Tortura non imponenda nisi ob crimen admodum grave.*
41 *Requiruntur indicia gravia & conformia tali modo de crimine commisso contra Reum.*
42 *Videtur requiri tanta probatio, ut sola confessio deesse videatur.*
43 *Non sufficit testimonium unius, quantumvis magnæ auctoritatis & fidei.*
44 *Plures personæ exemptæ à tortura, ac nominatim mulieres prægnantes.*
45 *Si dubium sit, an mulier sit prægnans, à tortura abstinendum.*
46 *Tortura adhibenda præsente Judice, ipsiusque arbitrio.*
47 *Hodie adhiberi solet, ut habeatur Rei confessio & quare?*
48 *Quare in Curiis Ecclesiasticis Rei non torqueantur?*

I. IN Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 55. statuitur: "Si Promotor per incarcerationem inceperit, statim, vel ad minimum *infra triduum*, libellum exhibebit super excessibus & delictis Rei, qui tradetur Judici, aut ejus Commissariis à Judice nominandis.

II. Similiter Ordinationum Curiæ Brabantiæ *art.* 454. statuitur, ut si quis ex Decreto Curiæ captus fuerit, aut *personaliter* citatus, Fiscales Regii aliique Officiales tenebuntur intra *triduum* exhibere interrogatoria, sive gravamina, concepta super delictis & malefactis prædictorum captivorum, tradenda Commissario à Curia ad examen captivorum vel citatorum deputato.

III. Hæc interrogatoria non faciunt libellum, sed potiùs sunt ea, quæ per informationem præviam Fiscus seu Procurator Regius ad onus captivi, sive capti accepit. Unde Damhouderus in *Praxi Rerum Criminal. cap.* 30. *num.* 1. ait: "In crimine *criminaliter* intentato per Fiscum ex officio (potissimùm malefico capto) nullam Fiscus petitionem sive libellum format: sed Curiæ illico præviam informationem communicat: cupiens, ut maleficus Reus super ejusdem informationis articulis, ligato pede, examinetur.

IV. His interrogatoriis Judici sive Commissariis exhibitis, tunc juxta citatum articulum Ordinationum Curiarum Ecclesiasticarum "Judex vel Commissarii in præsentia ipsius Promotoris, vel etiam Advocati Fiscalis (si adesse velit) secundùm prædictum libellum Reum examinabunt, diligenterque animadvertent, si Reus constans sit, an vacillet, & desuper judicium suum separatim annotabunt, & judici exhibebunt."

Hæc desumpta apparent ex citato articulo Ordinationum Curiæ Brabantiæ.

V. Et quidem in criminalibus Reus in carcere constitutus, vel personaliter citatus, & comparens, debet sine mora ad interrogata respondere; neque datur ei dilatio ad deliberandum; idque observari generaliter in praxi testatur Julius Clarus in *Pract. Criminali q.* 45. *n.* 7.

VI. Insuper ibidem *num.* 8. testatur, quòd de consuetudine Reus interrogetur & examinetur ante datas defensiones, & copiam indiciorum sive informationum; allegatque ibidem plures Practicos, qui asserunt, ita quotidie practicari; ac esse receptum stylum, usum & consuetudinem.

VII. Posthæc decernitur in citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. "Responsiones Rei in scriptis redactæ Promotori tradentur, qui, communicato consilio cum advocato Fiscali, demùm concludet contra Reum pertinenter, & offeret Promotor probare, deinde captivus capiet terminum ad se justificandum; qui si aliquas justificationes, factaque contraria exhibuerit, scripto poterit Promotor replicare, & procedetur ulteriùs, prout superiùs statutum est; salvo, quòd in his causis incarceratorum de triduo ad triduum procedetur."

Similiter in dictis Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 455. mandatur, responsiones Rei in scriptis redactæ communicabuntur Fiscalibus aliisque Officialibus, ut iis visis capiant conclusionem pro exigentia materiæ, & prout ipsis expedire videbitur.

VIII. Et ne Officiarii cavillos patiantur, super formalitate conclusionis, suffecerit illos ex informationibus, confessionibus, & probationibus delictum proponere, ut puniatur delinquens pro ratione juris, Edictorum, seu aliâ pœnâ, quæ justa, & æqua videbitur; ita cautum Edicto perpetuo Alberti & Isabellæ anni 1611. *art.* 41.

IX. Deinde 456. statuitur, quòd si confessionem Rei reperiant sufficientem, petent jus super ea dici; Sin minùs, ordinabitur, ut testes recolligantur, & si opus sit, confrontentur; idque unâ dumtaxat dilatione ex moderatione Curiæ. Verba articuli sunt: *Ende indien sy de confessien sufficient bevinden, sullen-recht nemen, ende begeren op de selfde: ende ingevalle neen, soo sal men ordineren, dat de getuyghen gerecolleert vvorden, ende soo verre het noodt zy, geconfronteert: ende om dat te doen en sal maer dilay ghegheven vverden ter discretie ende moderatie van den Hove.* Id est: Quòd si confessionem reperiant sufficientē, jus desuper pronuntiari requirē: sin minùs, statuetur, ut testes iteratò interrogentur, & si opus, cum reo cōponantur, quod ut fiat, prorogatio non concedetur, nisi pro prudentia & moderatione Curiæ.

X. De recollectione seu reexamine testium in criminalibus agit Julius Clarus citata *q.* 45. dicitque, quòd si "Reus „delictum neget, debeant testes, qui informatione prævia „auditi fuerunt, rursus examinari citato Reo ad videndum „eos jurare. Et valde erraret judex (ait) qui omissâ tali „repetitione testium procederet ad torturam vel condem„nationem: nam testes recepti ante litis contestationem „nullam fidem faciunt contra Reum, cùm sint examinati „ipso non citato. Et adverte, quia hæc repetitio fieri debet „cum omnibus illis qualitatibus, quæ requirerentur, ubi „isti testes repetendi numquam fuissent examinati."

XI. Interdum quando testis aliquid deponit directè contrarium ei, quod dixit Reus; vel ipse testis deponit de visu, tunc testis jubetur suam depositionem renovare in præsentia & *conspectu* ipsius Rei, atque hæc renovatio depositionis vocari solet *confrontatio*, quasi facta *fronte ad frontem*, uti notat Damhouderus in Praxi rerum criminal. *cap* 47. *n.* 2. additque *num.* 3. quòd "similem quoque confrontatio„nem Judex exerceat, quoties duo testes in materia crimi„nali disconveniunt, ita ut alter suspectum accuset, alter „excuset; maximè si aliter veritas constare nequeat." Vide etiam Julium Clarum loco citato *quæst.* 45. *num.* 14.

XII. Juxta Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 461. testes *confrontandi* debent esse recollecti sive reauditi, & tum demum super iis, in quibus contra accusatum persistunt, *confrontari*: quod & non obscurè supponit *art.* 56. *tit.* 11. Ordinationum Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. mox citandus.

XIII. Insuper *art.* 460. volunt dictæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ, præviè ad confrontationem interrogari Reum, num testes contra se productos reprobare velit; velitq; habere dilationem ad absolvendam reprobationem, ut in confrontatione hujus reprobationis possit haberi ratio; si autē Reus dicat, se nolle reprobare, ad ea post factam confrontationem non admittetur. Verba articuli sunt: *al eer men procederen sal totter voornoemde confrontatien, soo sal men vraghen den geaccuseerden oft hy de ghetuyghen, die tegen hem geproduceert gevvest hebben, vvilt reprocheren oft vvederleghen, ende hebben dilay om van syne reprochen te moghen dienen, om in de confrontatie daer op te nemen alsulcke consideratie als 't behooren sal, ende indien de geaccuseerde seeght niet te vvillen reprocheren de ghetuyghen, soo en sal hem daer naer niet toegelaten vvorden om 't selve te mogen doen.* Id est: Antequam procedatur ad prædictam testium cum reo commissionem, interrogabitur accusatus, utrùm testes contra se productos reprobare aut rejicere desideret, prorogationemque cupiat, quâ eorum refutationem instruat, ut in dicta ejus cum testibus commissione, istius, ut æquum fuerit, ratio habeatur. Si autem accusatus dicat, se nolle testes reprobare, non erit ipsi deinceps licitum id facere.

XIV. Statuunt autem allegatæ Ordinationes Curiarū Eccl. tit. *a.* 56. "Nunquā Reus incarceratus relaxari poterit ante „responsionē super libello, & conclusione Promotoris, vel „etiam (si Judex partibus auditis ita faciendū decreverit) an„tequā testes super informatione præparatoria auditi, sub „juramento repetiti, & cum eodē reo confrontati fuerint, „idq; etiam præstitā cautione, quā Judex secundùm delicti „& personarum qualitatem præstandam esse decreverit."

Hæc omninò conformia sunt iis, quæ decreta sunt *art.* 457. 458. & 459. Ordinat. Curiæ Brabantiæ: uti & stylo Parlamenti Mechliniensis tit. De Processu criminali *art.* 5. 6. & 7.

XV. Processum criminalem non eodem semper modo instrui supponit citatus *art.* 457. Ordinat. Curiæ Brabantiæ vetans relaxationem citati *personaliter*, priùsquam determinatum sit, *quo modo* in materia hac erit procedendum: quod & consonat stylo Parlamenti Mechliniensis dicto *art.* 5. cujus Styli meminit Damhouderus in Praxi rerum criminal. *c.* 34. *n.* 1.

XVI. Dicit autem Damhouderus, si Reus interrogatus *personaliter* sive *pede ligato* "in respondendo nihil fatea„tur, nihilque affirmet sibi contrarium, causæve suæ dam„nosum, neque item admodum gravetur ipsa informatio„ne prævia, recipitur tum ad processum ordinarium, in quo „admittitur occupaturus per procuratorem, & ut defen„siones suas peragat scripto."

XVII. "Verùm si idem citatus (pergit Damhouderus) „interrogatus *pede ligato*, cœperit quippiam confiteri sibi „damnosum ac onerosum; aut si inter respondendum quod „variet, dubiisve sententiis fluctuet & hæsitet, præbens „hac, similive occasione sese suspectum, undique eviden„tia indiciorum, aut suspicionum adversùs ipsum nascan„tur argumenta: decernit tum Curia, eundem citatum de„bere recipi in carceris custodiam, ut ibi processus ipsius „agatur, & tractetur."

XVIII. Quomodocumque processus criminalis agatur, dandæ sunt Reo suæ defensiones, & dilationes competentes, ut innocentiā suam probare queat; ita tamen, ut in causa incarceratorum Ordinationes Curiarum Eccles. *art.* 55. procedi velint de *triduo ad triduum*.

XIX. Et *art.* 462. ordinat. Curiæ Brabantiæ, & *art.* 10. Parlamenti Mechl. decernunt, ut si accusati allegent aliqua facta peremptoria in jure fundata ad ostendendam innocentiam, vel reprobandos testes, jubebuntur incontinenti nominare testes, quibus hæc facta credunt probanda. Qui testes sic designati examinabuntur per Commissarios Curiæ expensis Accusatorum, si ferendis expensis sint sufficientes, aliàs expensis Principis; uti præscribitur *art.* 463. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, & *art.* 11. Parlamenti Mechl.

XX. Ut autem Reo sua prout defensio, danda sunt ei nomina testium, necnon dicta ipsorum publicanda ad effectū, ut possit seipsum defendere, & suas exceptiones proponere versùs eorum dicta & personas, quemadmodum expressum est in Decreto Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 24. ꝟ. *De Accusat.* ubi in terminis decernitur, Inquisito „exponenda esse illa capitula, de quibus fuerit inquiren„dum, ut facultatem habeat defendendi seipsum: & non so„lùm dicta, sed etiam nomina ipsa testium sunt ei (ut quid „& à quo sit dictum appareat) publicanda, necnon excep„tiones & replicationes legitimæ admittendæ: ne per sup„pressionem nominum infamandi, per exceptionem verò „exclusionem, deponendi falsum audacia præbeatur."

XXI. Copia tamen processûs sive dictorum non datur, nisi testes auditi in processu informationis fuerint recollecti, sive ipso reo citato rursus legitimè reexaminati, uti notat Julius Clarus *quæst.* 49. *num.* 8. aitque ita practicari.

XXII. Verùm quia ob potentiam accusati aut consanguineorum vel amicorum ejus subinde timendum est, periculum grave imminere testibus, si eorum nomina & depositiones publicentur, per Ordinationes Curiarum Eccles. *tit.* 11. *a.* 49. decretum, ut "in criminalibus Judex depositio„nes testium non publicet, sed solùm nomina eorum com„municabuntur Parti."

XXIII. Eandem ob causam, referente Julio Claro citatâ *q.* 49. *n.* 3. "inolevit practica, quòd dentur nomina te„stium confusa, & separata à dictis testium ob potentiam „Reorum, ne possint scire, quid ab eorum unoquoq; dictū „fuerit." Sed quàm facilè in notitiam hanc venire queat Accusatus, aut ejus familiares, nemo non intelliget, qui advertat, quàm proclives sint futuri testes ad revelandas suas de-

depositiones, quæ Accusato potenti contrariæ non fuerunt: è quo tunc hanc difficile erit concludere, qui graviores contra Accusatores depositiones dederint. Quamvis ipsa Jure communi præscripta æquior appareat; utpote ampliorem dans facultatem Reo se defendendi.

XXIV. Processu plenè instructo, Judicis est processum diligenter examinare, & discutere, num probationes contra Reum sint sufficientes ad condemnationem: cùmque in causis criminalibus majus præjudicium & periculum soleat versari, quàm in Civilibus, etiam omnia hîc accuratiùs perpendenda sunt.

XXV. Et quidem in causis criminalibus, præsertim si agatur de crimine atroci & capitali, vel quod pœnâ corporali plectendum est, requiri non tantùm plenam probationem, sed indubitatam, & *luce* meridianâ clariorem, communiter tradunt Doctores & Pragmatici argumento *L. fin. Cod. De Probationibus.*

XXVI. Hinc plures contendunt, ex indiciis & præsumptionibus ad condemnationē in criminalibus, ubi de pœna corporali infligenda agitur, procedi non oportere; uti videlicet apud Damhouderum in Praxi rerum criminal. *c.* 54. & Julium Clarum in Practica criminali *q.* 21, 22. & 66. & *q.* 63. ostendit, in similibus causis criminalibus non deferri juramentum suppletivum; tametsi etiam cum semiplena probatione concurreret probitas Partis seu Accusatoris.

XXVII. Ulteriùs si agatur de crimine capitali, judex nequidem ad condemnationem procedere potest ex *spontanea & ultronea* Rei confessione: "sed practica est, ait Julius „Clarus *quæst.* 65. quòd quando Reus est *sponte* confessus „judex mittat eum in carcerem, & apud acta præfigat ei ter„minum ad allegandum quidquid vult, ne condemnetur, „& ad omnes suas defensiones faciendas: quo elapso, si ni„hil probet, potest postea condemnari. Et hanc practicam „servat totus mundus, ut dicit Salicetus in *L.* 2. *Cod. de Cu„stod. Rerum.*" Hactenus Clarus, qui addit, quòd practica generalis observet, ut etiam confesso detur terminus defensionis, licèt dilationem ipse non petierit. Vide Antonium Fabrum in Codice *lib.* 9. *tit.* 21. *Definit.* 8. ubi ostendit, confessioni subinde deferendum esse.

XXVIII. Si judex videat, probationes non esse omninò convenientes & claras, non poterit Reum condemnare, præsertim ad pœnam capitalem vel corporalem; sed si habeatur semiplena, aut etiam plusquam semiplena probatio, tum hodie nonnumquam in judiciis sæcularibus Reus applicatur torturæ sive quæstioni; ut vi tormentorum à Reo confessio criminis extorqueatur.

XXIX. Quidam hanc praxim Christiano judici licitam esse negant; eo quòd iniquum, & à ratione omninò alienum appareat, probationes à Reo ipso petere, eumque tormentis afficere, antequam probatus sit nocens, ut se ipsum nocentem esse fateatur.

Undè hîc rectè jam pridem dixit S. Augustinus *lib.* 19. *De Civitate Dei cap.* 6. "Cùm quæritur, utrùm sit nocens, „cruciatur; & innocens luit pro incerto scelere certissimas „pœnas, non quia illud commisisse detegitur, sed quia non „commisisse nescitur, ac per hoc ignorantia Judicis ple„rùmque est calamitas innocentis."

XXX. Fatendum quoque est, hanc probationem omninò ancipitem esse, nec certæ fidei: quia aliis patientia facilè mendacium facit, aliis infirmitas necessitatem; ut rectè expressit Ulpianus in *L.* 1. §. 23. *ff. De Quæstionibus*, dicens: "Quæstioni fidem non semper, nec tamen numquam ha„bendam, Constitutionibus declaratur: etenim res est fra„gilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam plerique „patientiâ sive duritiâ tormentorum ita tormenta contem„nunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit: alii tantâ „sunt impatientia ut in quovis mentiri quàm pati tormen„ta velint. Ita fit, ut etiam vario modo fateantur, ut non „tantùm se, verùm etiam alios comminentur."

XXXI. Ulteriùs dicunt dicti Auctores: Vel Reus de crimine ipso est *plenè* convictus, vel non. Si sit convictus, crimenque plenè probatū, Reus tormentis subjiciendus non est, ut cōfessio ab ipso extorqueatur: cùm ad condemnationē *confessio* necessaria non sit, ubi aliunde de veritate commissi criminis sufficienter constat; uti expresè cavetur in *L.* 9. *ff. De Quæstion.* ubi dicitur rescriptum esse ab Imperatore, nec de *servis* quæstionem habendam, nisi dum aliter veritas haberi non potest. Quod repetitur in *L.* 12. *Cod. eod.*

XXXII. Unde teste Julio Claro *in Pract. crim. q.* 64. *n.* 5. concludunt *omnes* Doctores, Reum torqueri non posse, si aliter constet de delicto. Dicitque Damhouderus in *Praxi crim. c.* 35. *n.* 3. quòd "Judex ad quæstionem seu torturam „prosilire non debeat, si aliquâ aliâ viâ leviori vel veriori „possit objecti criminis veritas inveniri ac haberi, quan„tumcumque etiam adsint vel verisimilia indicia." Testaturque, comunem esse Doctorum opinionem, "quòd pro„bato delicto, judex nequeat Reum quæstioni tradere."

XXXIII. Idipsum cautū est Edicto criminali Philippi II. Regis Catholici de 9. Julii 1570. *a.* 42. ubi vetatur applicatio ad torturam, dum habetur probatio criminis certa & indubitata, abrogatis contrariis quibuscumq; consuetudinibus, Statutis aut observantiis, quæ potiùs abusus sunt. *Daer die prenve seker en ontuvvyffelachtigh is, verbieden vvy de pynbanck t'appliceren: abolerende oock inden selven gevalle, alle costuyme statuyten oft observantien ter contrarien, die eer abuysen syn dan anderssins.* Id est: Cùm probatio certa & indubitata fuerit, inhibemus, ne inflicta in reos tormenti quæstio adhibeatur, abrogantes etiam in hoc casu quamlibet consuetudinem, statutum, aut usum contrarium, quæ potiùs tanquam abusus reputanda sunt.

XXXIV. Si verò de delicto *non plenè* constet, sed tantùm semiplena, aut saltem non plena probatio habeatur, æquitati & rationi naturali omninò contrarium apparet, hujusmodi non convictum, & quem esse nocentem nondum probatum est, condemnare non ad pœnam dumtaxat pecuniariam, sed corporalem, ipsâ subinde morte duriorem; uti est supplicium torturæ, quale hodie haberi consuevit, & describit Damhouderus *cap.* 36.

XXXV. Denique dicunt hi Auctores, per confessionem Rei in tormentis factam, Judicem æquè incertum esse de innocentia vel nocentia Accusati, atque ante elicitam hujusmodi confessionem: quandoquidem, ut antè notatum est, admodùm fragilis ac dubia sit tormentis hujusmodi extorta confessio.

XXXVI. Confessionis istius fragilitatē nemo negare potest; ideoque uno consensu tradunt Criminalistæ, & praxeos hujus patroni, confessionem tormentis extortam fidem exiguam aut nullam mereri, nisi eam Reus extra torturam renovaverit & confirmaverit; quemadmodum citato Edicto criminali Philippi II. *art.* 4. præcipitur; ut qui in tortura confessus fuerit crimen, rursus intra unum diem sequentem interrogabitur extra torturam & locum torturæ, ut videatur, an in confessione facta perlistat.

XXXVII. Verùm nec hæc approbatio, praxi hodiernâ spectatâ, fidem magnam facere potest. Si enim confessionē in tortura factam retractet, solet rursus torturæ applicari; quod & Edictum arbitrio Judicis committit. Hanc reapplicationem ut evadat Reus, quidnî facilè confessionem licèt falsam confirmet; præsertim cùm ei tormentorum & pœnarum recens sit memoria, & vivax adhuc sensus? Accedit, quòd hæc repetitio torturæ nonnumquam sæpiùs fiat.

XXXVIII. Ob hæc aliaque jam pridem in usum torturæ invectus est Ludovicus Vives in notis ad S. August. *lib.* 19. *De Civit. Dei c.* 6. & plura argumenta recenter congessit August. Nicolas Consiliarius Regius in Parlamento Burgundiæ in *Dissertatione Morali & Juridica: Si tortura sit medium securū ad detegenda & probanda crimina occulta*; contenditque parum conveniens & Christianum esse medium; plurimis sæculis apud nos incognitum; multis incomodis, præsertim in inquirendis & examinandis maleficis obnoxium; meritòque ejus usum abrogandum non minore ratione, quàm purgationum vulgarium, quarum usus non minùs probatus & stabilitus aliquando fuit.

XXXIX. Quidquid sit de hujus & quorumdam etiam

eruditorum Auctorum opinione improbantium usum torturæ, tamquam medium inordinatum ad detegendam veritatem, hoc certum est, Judices in hujus medii applicatione summa moderatione & circumspectione procedere debere.

XL. Imprimis fatentur omnes, indicendam non esse, nisi quando agitur de crimine admodùm gravi ob quod pœna gravis corporis afflictiva sit imponenda: ne aliàs major aut gravior pœna infligatur nondum convicto aut condemnato, quàm imponeretur convicto & condemnato. Julius Clarus *quæst.* 64. *num.* 3. Damhouderus *cap.* 35. *num.* 4.

XLI. Secundò indubitatum est, requiri indicia gravia de commisso delicto contra Accusatum, priùsquam torturæ subjiciatur: neque sufficere quæcumque indicia, sed proportionata tali medio, & tantis cruciatibus Reo inferendis. "In hoc autem, quæ dicuntur indicia ad torturam sufficientia, scire debes (ait Clarus *nu.* 13.) quòd in materia indiciorum & torturæ propter varietatem negotiorum & personarum, non potest dari certa doctrina, sed remittitur arbitrio judicis, ita dicunt communiter Doctores." Monetque ibidem, quòd Judices Deum timentes debeant semper præ oculis habere, ne aliquem injustè tormentis subjiciant.

XLII. Rectè notat Tuldenus in Codice *tit. De Quæstionibus n.* 2. post Auctores ibidem citatos, quòd indicia debeant esse liquida & urgentia, & cum re, de qua agitur, conjuncta, non longè petita, & ambigua, adeò ut sola confessio deesse videatur; quod & Edicto Criminali Philippi II. *art.* 42. cautum est: quamvis & aliquid semiplenæ probationi deferre videatur. "Verumtamen non simpliciter illud, sed secundùm juris terminos exaudiendum existimem," ait Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. De Quæst. num.* 3.

XLIII. Observat quoque ibidem Tuldenus *n.* 5. plerosque putare, quòd unicus testis extra suspicionem, cujusque adsertioni de ipso delicto alia pro Reo indicia non adversentur, sufficiat ad torturam, "sed (ait) hoc non est admittendum, nisi aliud quoque criminis indicium concurrat. Quàm enim præposterum, cùm Reus unius testimonio non revincatur, ubi pecuniolæ periculum vertitur; convinci tantillâ probatione Reum, ubi de discrimine salutis certatur?" Unde & referente Zypæo loco citato. *n.* 2. "In Gallia S. Ludovicus ad unius testis, vel maximè fidei quamvis, noluit quemquam torturæ subjici: quod & hic (ait) habent multarum urbium privilegia.

XLIV. De jure plures sunt personæ, quæ à tortura eximuntur, quas recenset Julius Clarus citatâ *q.* 64. monetque, nonnullas hodie privilegiû illud amisisse. Illud autem privilegiû religiosè observatur & meritò circa mulieres prægnantes; adeò ut non torqueri, sed nec terreri queant; idque etiam observandum, quamvis esset prægnans ex adulterio, etiamsi in ipso carcere ad evitandam torturam dolosè concepisset; & licèt tantùm esset prægnans de pauco tempore, uti communiter docent Doctores. Nam cùm mulier prægnans eximatur à tortura, non ut ipsi, sed ut fœtui consulatur, cessat consideratio indignitatis; uti notat Tuldenus *num.* 3.

XLV. Si Judex dubitet, num mulier prægnans sit tenetur consulere Medicos & obstetrices; quibus auditis si dubium maneat, num sit prægnans, indubiè ob periculum, quod fœtui posset imminere, abstinendum est à tortura.

XLVI. Ad hæc inter omnes convenit, ipsam torturam præsente Judice & pro modo & tempore ab eo præscripto fieri debere; neque adeò extendi, ut corpori patientis ullam gravem læsionem aut mutilationē infligat quæstionis enim modum Judices arbitrari debent, & tormenta adhibenda sunt, non quanta Accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant; quod & plurium civitatum consuetudinibus, ac nominatim Antverpiensis, expressum est, quibus cavetur, ne Schultetus captivum ad torturam ducat, nisi ex prævio Judicis decreto, eoque præsente, neque eum graviori torturæ subjiciat, quàm Judici adhibenda videatur. Vide Simonem Van Leeuwen in *Censura Forensi parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. & ab eo citatos.

XLVII. Plura de hac praxi & usu moderno torturæ videri possunt apud Pragmaticos, quos citatus Van Leeuwen refert; hocque sat innuit, hodie plerumq; adhiberi torturam in Reum plenè aut ferè plenè convictum, ut propria confessio de crimine commisso à Reo extorqueatur: eò quòd hic apud multos receptum sit, pœnas capitales ferri non posse nisi in *confessos*, tametsi plenæ probationes adsint; idque ne appellationi aut provocationi locus sit; de quo latiùs infra *tit.* 10. ubi unà discutietur, num hujusmodi confessio idonea sit ad denegandum remedium appellationis.

XLVIII. Quia tortura, prout hodie in Curiis Sæcularibus adhibetur, ad judicium sanguinis non parum accedit, non solet in Curiis Ecclesiasticis in his partibus nec contra laicos adhiberi; ne Ecclesiastici Judices videantur judicium sanguinis exercere.

CAPUT IV.

De Purgatione vulgari & Canonica.

1 *Olim potiùs ad purgationes vulgares, quàm ad torturam in rebus dubiis recurrebant.*
2 *Purgationis vulgaris triplex species.*
3 *Purgationis per aquam frigidam frequens mentio apud auctores 9. sæculi & sequentium.*
4 *Cur Purgatio hæc diceretur* judicium? *(tur?*
5 *Qui in hoc judicio innocentes, & qui nocentes judicaren-*
6 *Immergendi in aquam in Ecclesiam adducebantur; ubique plures orationes super iis fundebantur.*
7 *Missa specialis celebrabatur.*
8 *Orationes specialiter fiebant, ut Deus* veritatem *in hac purgatione* manifestare *dignaretur.*
9 *Ante communionem immergendi adjurabantur, ut veritatem commissi criminis manifestarent.*
10 *Si non confitebantur crimen, dabatur eis Sacra Communio ad probationem.*
11 *Missa expleta fiebat aqua benedicta, è qua immergendi bibebant ad* probationem.
12 *Fiebat adjuratio* aquæ, *ut per eam Deus signum operaretur ad manifestationem veritatis.*
13 *Quo ritu post hanc conjurationem homines in aquam projicerentur?*
14 *Indicantur auctores referentes Ritus, exercismos, & orationes in hac purgatione solitos adhiberi.*
15 *Ritum hujus purgationis tamquam ab Eugenio II. Papa probatum, & in Franciam missum exhibet Mabillonius.*
16 *Argumenta quæ suadent, hunc ritum non posse adscribi Eugenio.*
17 *Adferuntur nonnulla, quæ insinuant, eum Eugenio adscribendum.*
18 *Certum est, purgationes vulgares aliquot sæculis multum frequentes fuisse.*
19 *Describitur judicium sive purgatio aquæ* ferventis.
20 *Cur manus postquam in aquam ferventem missa fuerat, involveretur sub sigillo judicis?*
21 *Quid judicium ferri* candentis?
22 *Ritus hujus judicii descriptus in Legibus Anglicanis.*
23 *In Hispania frequens ob contemptum juramenti.*
24 *Creditum fuit, quod Deus ad preces & exorcismos per aliquod signum ostenderet veritatem.*
25 *Non adhibebantur, si veritas aliter innotescere poterat.*
26 *Nonnulli has purgationes non probabant.*
27 *Prævaluit tamen earum usus, præsertim in Gallia.*
28 *Sæculo XII. etiam in Belgio probationum vulgarium usus fuit.*
29 *Decretum contra probationes vulgares sub nomine S. Gregorii retulit Gratianus.*
30 *Sed erravit Gratianus, hujusmodi Decretum S. Gregorio adscribendo.*
31 *Extat apud Gratianum Decretum Stephani V. purgationes has reprobans.*

32 *Sed*

32 *Sed nec hoc inter scripta hujus Pontificis reperitur.*
33 *His auctoritatibus Pontifices usi sunt sæculo XII. contra has purgationes, & signanter Alexander III.*
34 *Innocentius III. eas reprobavit.*
35 *Honorius III. eas reprobatas supposuit, quia per illas Deus tentari videtur.*
36 *Sæculo XIII. planè reprobata supponebantur.*
36 *Usus probationis per aquam* : igidam *in aliquibus partibus adhuc hoc sæculo aliquatenus perseveravit.*
38 *Probatio fiebat sine pristinis ritibus exorcismis, & quare?*
39 *Hic usus reprobatus remissivè.*
40 *Ex usu probationum vulgarium ostenditur fallacia argumenti a praxi communi.*
41 *Jam pridem receptum, ut Clericis de crimine infamatis purgatio Canonica indiceretur, & quare?*
42 *Plerumq; fiebat per juramentũ ad corpora aut Reliquias Sanctorum.* *(& quare?*
43 *Juramentum hoc exigi cæpit adhibitis compurgatoribus*
44 *Refertur a Gratiano & in Decretalibus Gregorii Decretum sub nomine Synodi Agathensis hujus purgationis mentionem faciens.*
45 *Sed non videtur illi Synodo posse adscribi.* *(culo 6.*
46 *Constat tamen, ritum hunc purgationis notum fuisse sæ-*
47 *Quare purgatio, quæ fiebat adhibitis compurgatoribus, diceretur fieri* manu sexta, septima, *&c.*
48 *Quot essent adhibendi Compurgatores, pendebat ab arbitrio judicis.*
50 *Refertur tenor hujus purgationis Canonicæ.*
51 *Compurgatores adhibendi, quibus vita & conversatio infamati est nota.*
52 *Debent & ipsi esse honestæ vitæ.* *(nota fuit.*
53 *Olim etiam in Curiis sæcularibus Belgicis hæc purgatio*
54 *Quando officialis contra laicum ea uti queat ex Concordatis Hannoniæ.*
55 *Hodie usus adhuc superest in Curiis Ecclesiasticis.*
56 *Sed usus etiam hic rarior.*
57 *Non adhibenda nisi tamquam medium extraordinarium & subsidiarium aliis probationibus deficientibus.*
58 *Ob periculum perjurii raro adhibenda.*

I. PLuribus sæculis incognitam fuisse apud Occiduos Europæos probationem per torturam notat Augustinus Nicolas Consiliarius Parlamenti Franco-Comitatûs Burgundiæ in sua dissertatione, *An tortura sit medium securum ad probationem criminum occultorum?* pag. 209. dicitque, quòd populus ille circa sæculum VII. & sequentia ad probandum crimina occulta recurrerit potiùs ad purgationes, quas hodie *vulgares* dicimus, tamquam *vulgi* potiùs, quàm Canonum auctoritate inductas; & de quibus agitur sub titulo Decretalium *De Purgatione vulgari*; & pluribus locis apud Gratianum.

II. Purgationis hujus vulgaris, quæ olim ad criminis probationem adhibebatur, variæ fuêre species, atque inter eas notissimæ & magis usitatæ aquæ frigidæ, aquæ calidæ, & ferri candentis.

III. De purgatione per aquam *frigidam* frequens est mentio apud Auctores sæculi IX. & sequentium: eamque appellabant vel *judicium aquæ frigidæ*; vel etiam frequenter simpliciter *judicium aquæ*, uti ostendit Du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo, *aquæ vel aquæ frigidæ judicium.*

IV. Dicebatur *judicium*, quia immersio in aquam frigidam adhibebatur, ut *judicaretur*, num immersus esset nocens, an innocens; ita ut ex his, quæ circa immersum contingebant in hac purgatione, resultaret *judicium* de nocentia vel innocentia immersi: quemadmodum & in purgatione per aquam *calidam*, & ferrum *candens* fiebat; unde similiter dicebatur *judicium aquæ calidæ*, & judicium ferri *candentis*.

V. Itaque de crimine aliquo suspectus, vel de eo accusatus in aquam demergebatur: & si supernataret, nocens ac Reus; contrà si in imum delaberetur, innocens judicabatur. Unde Hincmarus in Opusculo *De Divortio Lotharii*: "Sed in aquæ frigidæ judicio hoc constare videtur, quòd „*innoxii submerguntur*, aquâ *culpabiles supernatant.*" Et rursus dans rationem, cur immergendus fune ligaretur, ait: "Colligatur autem fune, qui examinandus in aquam di„mittitur....scilicet ne aut aliquam possit fraudem in ju„dicio facere, aut si aqua illum velut *innoxium receperit*, „ne in aqua periclitetur, ad tempus valeat retrahi."

VI. Ritus hujus vulgaris probationis hoc ferè modo peragebatur: Primò homines mittendi ad comprobationem judicii *aquæ*, peracto priùs trium dierum jejunio adducebantur in Ecclesiam; ibique super eos in oratione prostratos Presbyter dicebat aliquas orationes, quibus Deum deprecabatur, ut veniam poscentibus indulgere dignaretur, & ab eis iram suæ indignationis avertere.

VII. His orationibus completis, surgebat Presbyter unà cum hominibus illis, & coram ipsis Missam canebat. Vocabatur autem *Missa judicii*; eratque specialiter in hunc finem composita.

VIII. Ipsæ orationes speciatim dirigebantur, ut per hanc probationem Deus manifestare veritatem dignaretur. Prima Collecta hæc erat: "Absolve quæsumus Domine „tuorum delicta famulorum, ut à peccatorum suorum ne„xibus, quæ pro sua fragilitate contraxerunt, tuâ benigni„tate liberentur, & in hoc judicio, prout meruerunt, tuâ ju„stitiâ præveniente ad *veritatis* censuram pervenire me„reantur."

In præfatione inter alia dicebatur: "Supplices exoramus, „ut famulos tuos illos non de præteritis judices reatibus, sed „hujus *culpæ veritatem* spectantibus insinues; quatenus & „in hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te „vitæ præsentis & perpetuæ auctorem agnoscat."

Benedictio ad *judicium* continebat inter cætera: "Fac „in conspectu populi tui, ut nullis malorum præstigiis „*veritatis* tuæ fuscentur examina." Et in oratione post communionem: "Et in famulis tuis *veritatis sententiam* „declaret."

IX. Dum in Missa perventum erat ad Communionem, antequam communicarent, interrogabat eos Sacerdos cum adjuratione, dicens: "Adjuro vos illum & illum per Pa„trem & Filium, & Spiritum Sanctum, & per vestram Chri„stianitatem, quam suscepistis, & per unigenitum Dei „Filium, & per sanctam Trinitatem, & per sanctum Evan„gelium, & per istas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia „sunt, & per istud Baptismum, quo vos Sacerdos regenera„vit, ut non præsumatis ullo modo communicare neque „accedere ad Altare, si hoc fecistis aut consensistis, aut scitis „quis hoc egerit."

X. Si omnes tacérent, porrigebat singulis in aquam mittendis sacram Communionem, dicens: "Corpus hoc & „Sanguis Domini nostri JESU CHRISTI sit tibi ad *pro„bationem*."

XI. Missâ expletâ faciebat Sacerdos aquam benedictam, pergebatque ad locum, ubi homines probabantur, dabatq; iis bibere de aqua; dicebatque singulis: *Hæc aqua fiat tibi ad probationem.*

XII. Post hæc fiebat conjuratio aquæ. Hæc conjuratio licèt non eâdem formâ ubique exprimeretur, tamen ubique ad idem tendebant; hocque unum à Deo petebatur, „ut virtutem suæ benedictionis his aquis infundere, & „novum ac mirabile signum in eis ostendere dignetur, ut „innocentes à crimine furti vel adulterii, aut alterius næ„vi, cujus examinationem agimus, more aquæ in se reci„piant, & in profundum pertrahant; conscios autem hu„jus criminis à se repellant atque rejiciant, nec patiantur „recipere corpus, quod ab onere bonitatis evacuatum ven„tus iniquitatis alleviavit, & inane constituit, sed quod ca„ret pondere virtutis, careat pondere propriæ substantiæ in aquis."

Hæc licèt non iisdem verbis, eodem nihilominus sensu in aliis adjurationis formulis exprimuntur; evincuntque, signum

signum innocentiæ fuisse, si immersi ad ima descenderent; nocentiæ verò si supernatarent.

XIII. Post conjurationem aquæ, exuebantur homines immergendi in aquam propriis vestimentis, & osculabantur singuli Evangelium & crucem Christi, & aqua benedicta super omnes adspergebatur; & qui aderant, omnes jejunare debebant; & sic projiciebantur singuli in aquam: & si submergebantur, inculpabiles reputabantur: si supernatarent, rei esse judicabantur.

XIV. Hos ritus unà cum exorcismis, necnon Missâ his correspondente exhibuit Stephanus Baluzius Tomo 2. Capitularium Regum Francorũ inter veteres formulas, Exorcismorum *c. 2.* Similiter ritum & exorcismos exhibet Delrio Disquisit. Magicarum *lib. 4. cap. 4. quæst. 4. sect. 4.*

XV. Ritum hujus purgationis refert quoque Joannes Mabillonius *pag. 47.* Tomo I. Analectorum sub hoc titulo: *Probationis per aquam frigidam ab Eugenio Papa II. instituta.* Dein subjungit *Conjurationem hominis*; item *orationem ad aquam benedictam.*

Post hæc dicitur: "Hoc autem judicium creavit Omnipotens Deus, & verum est, & per Dominum Eugenium Apostolicum inventum est, ut omnes Episcopi, Abbates, Comites, seu omnes Christiani per universum Orbẽ eum observare studeant, quia à multis probatum est, & verum inventum est. Ideo enim ab illis inventum est & institutum, ut nulli liceat super Sanctum Altare manum ponere; neque super Reliquias vel Sanctorum Corpora jurare.

Annotat autem ibidem Mabillonius, se hæc sumpsisse ex Remigianis pervetustis membranis sæculo IX. exaratis.

XVI. Natalis Alexander Tomo 14. Historiæ Eccl. *c. 1. art. 4.* agens de Eugenio II. vix sibi persuadere potest, id judicium ab Eugenio Papa inventum, & ab omnibus Christianis observari jussum. Id enim instituisse dicitur Eugenius, ut *nulli liceret super Sanctum Altare manum ponere, neq; super reliquias vel Sanctorum Corpora jurare.* Incredibile est (ait Natalis) prudentissimum Pontificem, ut morem jurandi super Altare & Reliquias Sanctorum in Ecclesia ab antiquo receptum abrogaret, ritum invexisse, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipso postulando absque necessitate; nimirum, *ut si culpabilis est hic homo, nullatenus recipiatur ab aqua.*

Ad hæc "an credibile est (ait Natalis Alexander) Eugenium II. vetuisse juramentum super Altare vel Reliquias Martyrum, propter periculum perjurii, & jussisse, ut hominibus de homicidio aut furto suspectis Corpus Christi daretur ad probationem; qua in re periculum evidens erat sacrilegii?"

XVII. Negari non potest, quin hæc meritò suspectam faciant *aquæ frigidæ*, quæ Eugenio adscribitur, probationẽ; licèt teste Mabillonio non tantùm in membranis Remigianis hæc Eugenio II. adscribatur; sed insuper extet vetus collectio Canonum in Monasterio Sancti Mariani apud Antisiodorum adservata, in qua forma judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo: "Hoc judicium atque examinationem misit *Dominus Apostolicus* in Franciam, ut non violarentur Sacra Altaria Sanctorum, sed per hanc adjurationem & judicium aquæ frigidæ possit patescere veritas."

Præterea Du Cange in suo Glossario verbo *Aquæ judiciũ*, ubi plura ad hoc judicium spectantia retulit, inter alia dicit, quòd Ordo ad hoc examen habeatur in Codice MS. S. Laurentii prope Leodium cum hoc Proœmio: "Examen aquæ frigidæ. Quando Romani propter invidiam tulerunt Domino Leoni Papæ oculos & linguam propter thesaurum S. Petri, tunc venit ad Imperatorem Carolum, ut eum adjuvaret de suis inimicis. Tunc Imperator reduxit eum Romam, & restituit eum in locum suum, & thesaurum supradictum non potuit invenire nisi per istud judicium. Quod judicium fecerunt Beatus Eugenius, & Leo, & Imperator, ut Episcopi & Abbates & Comites firmiter teneant & credant, quia probatum habuerunt illi Sancti Viri, qui illud invenerunt.

XVIII. Hoc & non obscurè supponit, ritum hunc ab Eugenio probatum, & in Franciam missum fuisse. Quidquid sit, hoc satis constat, ritum hunc multis sæculis tum in Francia tum alibi multum familiarem fuisse, uti & alias purgationes vulgares, uti infra ostendetur, ubi priùs de duabus aliis purgationis speciebus pauca notaverimus.

XIX. Aquæ *ferventis* judicium seu examen erat, quo quis de crimine suspectus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio immittebat: atq; si illæsam extraheret, innocens; si contrà, Reus pronuntiabatur.

Hoc judicium eodem penè ritu peragebatur quo præcedens; uti patet ex Ordine peragendi, & exorcismis & orationibus solitis, quas exhibet Delrio loco citato; & plura apud Du Cange in suo Glossario, verbo *Aqua ferventis judicium*; notatque, quòd lapis in cacabũ demergeretur, quem Reus extraheret, immissâ in aquam ferventẽ manu vel brachio.

XX. Notandum autem, quòd manus extracta, "cum magna diligentia sic fieret involuta sub sigillo judicis signata usque in die tertio, quo visa sit viris idoneis & æstimata." Ita habetur in ordine hujus judicii apud Delrio, creditque hunc ritum eò referendum; "quia si præstigio aliquo manus læsa, vel illæsa esset, interea, evanescente præstigio, Rei veritatem apparituram credebant."

XXI. Probatio per ferrum *candens* vel *ignitum*, seu judicium ferri *candentis erat*, quo suspectus de crimine ad innocentiæ probationem, nudâ manu ferrum *candens* tangebat; quam si illæsam retraheret, innocens; si adustam, nocens judicabatur.

Hoc judicium eodem rursus ritu peragebatur, quo judicium aquæ *ferventis*; imò & eadem adjuratione benedicebantur ferrum candens ad probationem, & aqua *fervens*; uti videre est in formulis adjurationis relatis per Stephanum Baluzium tomo 2. Capitularium inter veteres formulas exorcismorum *cap. 4.*

XXII. Ritus hujus judicii describitur in legibus Ecclesiasticis Æthestani Regis Angliæ *c. 7. & 8.* extatque *tomo 9.* Conciliorum general. *col. 585.* vultque expressè, ut dum probatio peragitur, "non sit illic alia locutio, quàm ut precentur sedulò Deum Patrem Omnipotentem, ut veritatem suam in eo manifestare dignetur: & bibat accusatus aquam benedictam, & inde conspergatur manus ejus, qua *judicium* portare debet;" id est *ferrum candens.*

XXIII. Probationem hanc sat frequentem in Hispania fuisse sæculo XII. eamq; injunctã, quia homines præsertim plebei nihili faciebant perjuria, probat charta Sancii Regis Aragoniæ relata apud Du Change in Glossario, verbo *Ferrum candens.* "Mando & judico (ait) ut si aliquis homo istorum voluerit extrahere de Monasterio isto terram, aut vineam, aut aliquam hæreditatem, veniat ad S. Joann. & juret super illud altare; & postquam juraverit, accipiat *ferrum calidum judiciale*, sicut mei Villani faciunt, & omnis terra..... Et proinde pono & mando hoc judicium, quia multi sunt inflati spiritu maligno, quia non timẽt perjuriũ de jure, & ideo quòd juraverit, salvum fuerat per ferrum."

Plura de hoc judicio *ferri candentis* videri possunt apud Delrio *lib. 4. Disquisit. Magic. c. 4. sect. 3.* & Du Change in Glossario, verbo *Ferrum candens.*

XXIV. Ex ipsis precibus & exorcismis facilè est colligere, quòd tunc temporis crederetur & persuasum esset, quòd ad preces & exorcismos, illos publicè recitatos, necnon jejunia, quæ jungebantur, Deus per miraculum ostenderet innocentiam hominis accusati in aquam immissi, aut ferrum candens tangentis; non secùs ac olim ad preces Sanctorum similia miracula ostenderat; maximè si aliter veritas haberi non posset.

XXV. Neq; enim hæ probationes adhibendæ erant, nisi ubi veritas haberi aliter non posset, quemadmodum in Jure Feudali Saxonum *cap. 24. art. 19.* legitur: "Aquâ vel ferro non licet in causa aliqua experiri, nisi in qua modis aliis non poterit veritas indagari." Et quia totus effectus hujus judicii expectabatur à speciali Dei bonitate & omnipotentia, dici solebant *judicia Dei*, quasi Deus hoc de innocentia, vel nocentia Accusati judicium ferre deberet.

XXVI.

XXVI. Insuper & illud constat, quòd licèt longè latèque horum judiciorum usus esset diffusus, à multis probatus, & „ etiam publicis Legibus & Ritibus firmatus, nihilominus „ non defuerint, qui usum hunc non probarent.

Et quidem in Capitulari Ludovici Pii anni 819. c. 12. legitur: „ Ut examen aquæ *frigidæ*, quod hactenus faciebant, à „ Missis nostris omnibus interdicatur, ne ulterius fiat. Extat „ illud Decretum *Additione* 4. ad Capitularia Regum Francorum c. 11 5. & *lib*. 2. *Legum Longobard. tit*. 55. c. 31. Similiter Hildegarium Meldorum Episcopum de hoc ritu circa idem tempus dubitasse, probat Epistola Hincmari Remensis ad eundem scripta, quâ ipse Hincmarus hoc judicium multis argumentis nititur probare & scrupulos Hildegario eximere.

XXVII. Unde ex hac Epistola Hincmari aliisq; posterioribus monumentis & Auctoribus, & hoc fatendum est, Decretum Ludovici Pii non fuisse totaliter, nec ubiq; etiam per Galliam receptum, vel observatum; quod & probat Synodus Nannatensis celebrata anno 895. nam c. 22. judicium ferri *candentis* probatur: quin & in Concilio Helenensi anno 1065. habito ab Archiepiscopo Turonensi, & aliis Episcopis, mandatur fieri *judicium aquæ frigidæ*.

XXVIII. Refert Meyrus in Annalibus Flandriæ, ad annum 1164. quòd eo anno Philippus Comes Flandriæ novas Leges dederit Neoportuensibus: quibus ex Legibus intelligere licet, (ait Meyrus) Flandros adhuc ea tempestate candentis „ laminæ usos fuisse judicio. Verba etenim Legis hæc sunt: „ *Si quis vulnus in nocte acceptum alii imputaverit, si Scabi-* „ *nis dignum videtur*, FERRO CANDENTI *se excusabit* „ *accusatus, si aufugerit, manum perdet*, Item in alio capite: „ *Si fur vocatus accusatus fuerit, ferro candenti se excusa-* „ *bit si culpabilis permanserit, suspendetur, & si accusans in* „ *ante juramento defecerit: accusatus liber erit*.„

Scribit quoq; Damhouderus in *Praxi Rerum Crim. c*. 43. „ Gandensibus Civibus à Comite Flandriæ indultum privi- „ legio fuisse, sese purgare *aquâ frigidâ*: quod sanè inter- „ pretandum est (ait Damhouderus) de aqua frigida, & adhi- „ bitis consuetis ritibus.„

In charta Balduini Flandriæ & Hannoniæ Comitis, quâ Gerardimontensis oppidi Leges & Privilegia à Prædecessoribus suis concessa firmat ac stabilit circa finem sæculi II. conceditur inter alia, ut *nemo cogatur subire judicium ignis & aquæ*, nimirum aquæ *ferventis*, quod cum judicio *ignis* conferri solebat. Extat hæc charta apud Miræum inter Diplomata Belgica c. 60.

XXIX. Gratianus *caus*. 2. *q*. 5. *Can*. 7. sub nomine S. Gregorii ad Brunichildam Reginam Francorum retulit hæc: „ Vulgarem denique ac nullâ Canonica Sanctione fultam „ Legem, ferventis scilicet, sive frigidæ aquæ, ignitiq; ferri „ contactum aut cujuslibet popularis inventionis (quia fa- „ bricante hæc sunt omnino ficta invidiâ) nec ipsum exhi- „ bere, nec aliquo modo volumus te postulare, imò Aposto- „ licâ auctoritate prohibemus firmissivè „

XXX. Verùm ut rectè advertit Delrio citatâ *Sectione* 3. hoc adscribere Gregorio, „ facinus hoc Gratiani est, vel in- „ scitia Scriptorum. Nihil tale Gregorius rescripsit. Lege to- „ tam illam Epistolam ad Brunichildam Reginam Franciæ „ quæ superest, videbis purpureæ clamidi assutam flamine- „ um limbum; quem nec S. Ivo Carnotensis agnovit, nec an- „ tiquior Gratiano quod sciam.„

Eumdem errorem notavit Antonius Augustinus *lib*. 2. *De Emendat. Gratiani Dial*. 12. observans, ea verba sumpta esse ex Epistola Alexandri Minoris, id est, II. prout etiam annotârunt Correctores Romani ad citatum Canonem.

XXXI. Profert ibidem Gratianus *Can*. 20. sub nomine Stephani V. Humberto Episcopo Moguntino: „ Ferri can- „ dentis, vel aquæ ferventis examine confessionem extor- „ quere à quolibet Sacri non censent Canones: & quod San- „ ctorum Patrum documento sancitum non est, superstitio- „ sâ adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim „ confessione vel testium approbatione publica delicta, „ habito præ oculis Dei timore, commissi sunt regimini „ nostro judicare. Occulta verò & ignota illi sunt relin- „ quenda, qui solus novit corda filiorum hominum.

XXXII. At inter Epistolas Stephani V. qui sedit sæculo 9. nulla reperitur Epistola Episcopo Moguntino inscripta; nec alia cui hoc Decretum sit insertum. Ut proinde & hoc Decretum admodùm suspectæ fidei videatur; præsertim quòd, si hujusmodi Responsum Pontificis eo tempore emanasset, illud vulgaribus hisce purgationibus, quæ eo tempore maximè frequentabantur, indubiè oppositum fuisset, quod tamen non legitur.

XXXIII. Quidquid sit, illud haud dubium est, quin hisce auctoritatibus à Gratiano sub nomine illorum Pontificum relatis, usi sint sequentes Pontifices, qui post tempora Gratiani usum harum purgationum improbârunt.

Et quidem Alexander III. *Epist*. 19. ad Upsalensem Archiepiscopum, postquam dixit; „ Ferventis verò aquæ vel „ candentis ferri judicium Catholica Ecclesia contra quem- „ libet etiam, nedum contra Episcopum non admittit, „ immediatè subjungit: „ Unde Stephanus Papa V. ferri canden- „ tis, inquit, vel aquæ ferventis examinationem &c. prout „ suprà, ex Gratiano relata sunt. „

XXXIV. Sequentes Pontifices eumdem usum tamquam superstitiosum, & ad Dei tentationem spectantem reprobârunt: judicatq; Innocentius III. in *Cap*. 10. ☧ *De Excessibus Prælat*. Episcopum qui judicio *ferri candentis* auctoritatem præstitit, indignum Altaris ministerio.

XXXV. Dein Honorius III. in *Cap*. 3. ☧ *De Purgatione vulgari*, scribit, compellendos esse Fratres Templarios, ut à probatione *ferri candentis* desistant: „ cum hujusmodi ju- „ dicium (ait) sit penitus interdictum, utpote in quo *Deus* „ *tentari* videtur.

Hic quoq; patet, quòd Honorius illud non prohibeat; sed prohibitum supponat: apparetq; aliunde satis certum, quòd purgationes illæ vulgares eâ ætate planè vetitæ ac illicitæ supponerentur; & sacris Canonibus contrariæ.

XXXVI. Hinc cùm apud Gratianum *caus*. 2. *q*. 5. *Can*. 15. uti & prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum in *Cap*. 1. *De Purgatione vulgari* sub nomine Concilii Triburiensis legeretur: „ Nobilis homo, vel inge- „ nuus, si in Synodo accusatur, & negaverit; si fidelem „ esse eum sciverit, cum 12. ingenuis se expurget. Si „ autem deprehensus fuerit in furto aut perjurio aut falso „ testimonio, ad juramentum non admittatur, sed sicut, qui „ ingenuus non est, *ferventi aquâ aut candenti ferro* se ex- „ purget, „ Raymundus Decretalium Gregorii IX. Com- „ pilator hoc Decretum referens in *Cap*. 1. ☧ *De Purgat*. „ *Can*. hæc verba, *Ferventi aquâ aut candenti ferro* omisit, tamquam disciplinæ sui temporis contraria, & faventia purgationibus vulgaribus, quas Sacris Canonibus contrarias non dubitabat.

XXXVII. Sed sicut vulgares superstitiones, cùm semel radices egerunt, difficulter eradicantur; difficillimeque à superstitiosis observationibus populus abducitur: ita & hic contigit. Nam de suo tempore asserit Delrio loco citato *Sect*. 4. quòd „ in multis Germaniæ, maximè West- „ phaliæ circulo, uterentur hac probâ *aquæ frigidæ* in male- „ ficis indagandis; quas enim famâ, vel aliarum depositione „ suspectas habent; eas (ait) statim absq; ulteriore inquisiti- „ one capiunt, captasque extra urbem deducunt; & in a- „ quam frigidam ita conjiciunt, ut dextra manus sinistro „ pedi, sinistra verò dextro pedi sit alligata; & si superna- „ tant, veneficas vehementiùs suspicantur, & idcirco durio- „ ri subjiciunt quæstioni: sin submergantur, innocentes es- „ se credunt.

Similiter Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. De Purgatione Canonica* asserit, quòd „ indocti quidam de facto adhuc „ nuper usi sint probâ aquæ frigidæ, in eam injectis iis, qui „ de magia accusabantur: quæ si immergerentur, insontes; „ si supernatarent, reæ credebantur: improbato jure (ait) & „ more.„

XXXVIII. Dicit autem ibidem Delrio, quòd judices

hâc probâ uterentur,, sine ulla Dei invocatione, sine ullo ri-,, tu, pietatis aliquid præferente.,, Quod contigisse credo, quòd nulli Sacerdotes benedictionem aquæ ad hanc probationem aliosq; ritus impendere vellent ob Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 9. ⁏ *Ne Clerici vel Monachi secularibus negot.* quo statutum est, ,, nec ullus Subdiaconus, Diaconus vel Sacerdos purgationi ,, aquæ ferventis vel frigidæ, seu ferri candentis ritum ,, cujuslibet benedictionis aut consecrationis impen-,, dat.

XXXIX. Interim & hanc probam ut superstitiosam & illicitam multis refellit ibidem Delrio *q.* 5. atque hodie uno consensu reprobantur, & exulant hic à judiciis hujusmodi vulgares probationes; uti testantur Damhouderus in Praxi rerum crim. *c.* 43. Xypæus loco mox citato, aliique passim Pragmatici.

XL. Potest nihilominus ex his omnibus concludi, quàm fallax sit argumentum ex praxi multorum in Ecclesia etiam publicis aliquorum legibus probatâ, & ritibus publicis exornatâ petitum. Cùm hîc similem videamus pluribus sæculis usitatam, tandem ut superstitiosam, & Dei tentativam improbatam.

XLI. Præter has vulgares probationes, fuit jam pridem alia usitatissima, quâ infamati, præsertim Ecclesiastici, de crimine, sese expurgare jubebantur.,, In priscis enim ,, Ecclesiæ Catholicæ temporibus tanta erat Patribus hone-,, statis cura, ut nedum in Clericis aperta crimina non tole-,, rarent, sed neq; suspicionem seu infamiam criminis susti-,, nere vellent;,, ait Ignatius Lopez in sua Praxi Cau. crim. *c.* ,, 148, atq; ideo (ait),, contra quos de crimine infamia, aut ,, grave scandalum seu vehemens suspicio surgebat, pur-,, gationem Canonicam indicendam decreverunt.,,

XLII. Hæc autem purgatio plerúmque fieri solebat præstito juramento de innocentia, tactis sacrosanctis Evangeliis, vel Sanctorum Reliquiis.

Apud S. Gregorium *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 23. legitur, quòd cum de quodam Episcopo *sinister rumor* spargeretur, & facta districtâ inquisitione de iis quæ sparsa fuerant nullam in eo de iis culpam invenisset:,, Sed ne quid videre-,, tur omissum (ait) quod nostro potuisset dubium cordi ,, remanere, ad Beati Petri Sacratissimum Corpus districta ,, eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere.,, Integer ,, textus Gregorii extat apud Gratianum *caus.* 2. *quæst.* 3. *Can.* 6.

Rursus *lib.* 6. *epist.* 18. Sanctus Gregorius cuidam Diacono scribit, quòd si de ipso aliqua fuissent nuntiata quæ officii ipsius propositum non leviter macularent: ac propterea curæ sibi fuisset, ea diu ac subtili investigatione perquirere; ac dein subjungit:,, & quoniam nil quod tibi ,, noceret invenimus; ne qua de his quæ dicta fuerant, suspicio remaneret, ad plenissimam te satisfactionem, si ,, ab eis insons extiteris, ad sacratissimum corpus Beati ,, Petri Apostolorum Principis districta fecimus Sacramen-,, ta præbere.,,

Pluribus aliis locis de hac purgationis specie agit S. Gregorius; atque signanter *lib.* 7. *ind.* 2. *epist.* 80. committit causam cujusdam Maximi Episcopo Ravennæ, cum hac clausula:,, Si idem Maximus coram vobis & Chartulario ,, nostro de simoniaca hæresi præstito se *sacramento* pur-,, gaverit, atque de aliis ante corpus S. Apollinaris, sicut ,, scripsimus, tantummodò requisitus liberum se esse re-,, sponderit.

XLIII. Cùm autem infamatus de crimine in ea purgatione per sacramentum sive jusjurandum constituatur quasi judex in propria causâ; ideoq; purgatio hæc videretur exigui ponderis ad probandam innocentiam infamati; præsertim quòd qui aliis enormibus criminibus se inquinare ausi sunt, haud difficulter his perjurium ad evadendas pœnas essent adjecturi; ideo & Veteribus jam pridem placuit, ut non solùs infamatus suam innocentiam interposito sacramento sive jurejurando assereret; atque hoc modo se à criminis infamia, vel suspicione purgaret; sed exigebantur illa sacramenta ab infamatis *cum tribus, aut quinque, aut septem Collegis sui ordinis*, ut loquitur Ivo Carnotensis *epist.* 54 & 206.

XLIV. Sub nomine Synodi Agathensis refert Gratianus *Caus.* 2. *qu.* 5. *Can.* 12. & in *Cap.* 2. ⁏ *De Purgat. Canon.* ,, Si Accusatores legitimi non fuerint, qui ejus (Presbyte-,, ri) crimina manifestis indiciis probare contenderint, & ,, ipse negaverit, tunc ipse cum *sociis septem* ejusdem Or-,, dinis (si valet) à crimine seipsum expurget. Diaconus ,, verò, si eodem crimine accusatus fuerit, cum *tribus* se ,, expurget.,,

XLV. Si satis constaret, Decretum hoc esse Synodi Agathensis, quæ habita est anno 506. dubitari non posset de antiquitate hujus ritus; sed cùm inter vulgatos Canones hujus Synodi Decretum hoc non reperiatur; atque in collectione Conciliorum rejiciatur ad calcem Synodi extra numerum Canonum, nihil certi pro antiquitate hujus ritûs hinc statui potest.

XLVI. Indubitatum nihilominus est, ritum hunc purgationis esse antiquum; ejusq; tamquam jam usitati sæpius meminit Gregorius Turonensis, ac signanter *lib.* 8. *Hist. Francorum c.* 9. & 40. & in Capitularibus Regum Francorum frequens occurrit mentio hujus purgationis, atq; signanter *lib.* 3. *c.* 9. statuitur, ut accusati de conspiratione, si liberi homines fuerint, *jurent cum* IDONEIS JURATORIBUS *hoc pro malo non fecisse*. Et in lege Salica *tit.* 50. CONJURATORES dicuntur. Et *lib.* 5. *Capitular. c.* 52. & 62. SACRAMENTALES, in verbis:,, Quod si negare voluerit, cum *duodecim sacramentalibus* juret.,, Et alio loco *Juret cum suis* SACRAMENTALIBUS.

XLVII. Debebant ergo unà cum infamato alii testes *jurare*. Cùm autem constet, manum semper fuisse symbolum fidei; atque idcirco in judiciis, & contractibus, ubi fides adhibetur manus porrigi, in signum fidei, solitum quoque fuit: uti & hodie, porrectis manibus juratur, indeque nihil frequentiùs in antiquis legibus, quàm *manu quinta, manu sexta, septima vel duodecima* se purgare; id est, quinque, sex, septem vel duodecim adhibitis juratoribus.

Hoc sensu accipitur in *Cap.* 8. ⁏ *De Purgat. Can.* ubi mandat Pontifex cuidam Episcopo,, quatenus si accusatores ,, idonei non apparuerint, ut cum *septima* aut *quinta manu* ,, sui Ordinis (sicut expedire cognoveritis) per purgationem ,, Canonicam innocentiam suam ostendat, ipsi injungas. Et *Cap.* 5. ⁏ *eod.* injungitur cuidam Episcopo, quòd,, *tertia manu* sui Ordinis, & *quarta* Abbatum & Religiosorum Sa-,, cerdotum, de Simonia debeat se purgare.,,

XLVIII. Et in *Cap.* 10. ⁏ *eod.* Innocentius III. scribit Senonensi Archiepiscopo:,, Attendentes autem vulgatam in-,, famiam, grave scandalum, & vehementem suspicionem ,, ex testium dictis obortam, quæ contra Decanum facere ,, videbantur, quàm propter eorum quodlibet ei esset pur-,, gatio indicenda, & servantes justitiam, & mollientes ri-,, gorem, purgationem ei *quarta decima manus* sui Ordinis ,, duximus indicendam.,,

Ex his Decretalibus uno consensu concludunt Canonistæ, numerum Compurgatorum sive conjuratorum non esse præcisè in jure determinatum; sed Judicem secundum qualitatem delicti, vehementiam infamiæ, & conditionem personæ majorem vel minorem numerum requirere debere; quemadmodùm etiam jam pridem scripsit Ivo Carnotensis *epist.* 206.,, Posuerunt autem in discretione Episco-,, porum, ut secundùm quod audiunt malam famam Pres-,, byterorum crebrescere & ingravescere, exigant purgato-,, ria sacramenta à Presbyteris infamatis, cum tribus, aut ,, quinque, aut septem collegis.,,

XLIX. Hi compurgatores non debent jurare, quemadmodum ipse infamatus de veritate, sed id solùm tenentur ,, juramento firmare, quòd veritatem credunt eum dicere, qui purgatur; uti scribit Innocentius III. in *Cap.* 13. ⁏ *eod.* vel ut idem Pontifex exprimit in *Cap. fin. eod.* quod *credunt eum verum jurasse.*

L. Hanc

L. Hunc tenorem purgationis exprimens Pontifex in *Cap.* 5. ;; *eod.* ait:,, Porrò purgationis tenor erit hujusmodi. ,, Episcopus [infamatus de Simonia] jurabit primum super ,, Sancta Dei Evangelia, quòd pro Ecclesia Sancti Petri Pres- ,, bytero P. danda, nec ipse per se, nec per submissam perso- ,, nam, nec aliquis pro eo se sciente pretium recepit; deinde ,, purgatores supra Sancta Dei Evangelia jurabunt, quòd i- ,, psi credunt eum verum jurasse.,,

LI. Ut autem compurgatores hujusmodi testimoinium de infamato reddere queant, debet ipsis vita & conversatio infamati apprimè esse nota; ut ex illa fundatam conjecturam concipiant, ipsum reverà crimen, de quo infamatur, non commisisse; ac proinde reverà credere, ipsum *verum* jurasse, quemadmodum expressit Pontifex in *Cap.* 7. ;; *eod.* dicens: ,, Ut autem idonei appareant, necesse est, ut ejus, ,, quem purgare debent, vitam & conversationem agnos- ,, cant.,, Et in *Cap.* 10. ;; *eod.* vult Innocentius III. ut Com- ,, purgatores sint: ,, qui conversationem & vitam ipsius ,, non tam moderno tempore noverint, quàm transacto: ,, si nimicum crimen, de quo infamatur, dicatur, *transacto* tempore commissum, uti exponit Panormitanus:

LII. Ulteriùs ut Comprobatorum testimonium fidem addat juramento & assertioni infamati, requiritur ut hi sint *illius honestatis & opinionis, ut versimile sit, eos nolle amore vel odio seu obtentu pecuniæ pejerare,* ut loquitur Pontifex in *Cap.* 7. ;; *eod.* sive ut sint *fide Catholici & vitâ probati*; quemadmodum dicitur in *Cap.* 10. ;; *eod.*

LIII. Hanc purgationem etiam in Curiis sæcularibus olim in Belgio notam fuisse probant antiquæ tabulæ Legum Brabantiæ, quas anno 1312. dedit Joannes II. Dux Brabantiæ, quemadmodum notat Zypæus in *Jure Novo De Purgat. Canon. n.* 1.

LIV. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ anno 1441 *art.* 25. conventum est, ,, quòd in casu vehementis suspicionis, aut notoriæ infama- ,, tionis, unde oriri posset grave scandalum Officialis pote- ,, rit etiam contra laicum purgationem more consueto in- ,, dicere.,, Habetur hoc Concordatum *parte* 1. *Edict. Brab. lib.* 1. *tit.* 3. *c.* 3.

LV. Usus hujus purgationis in Curiis Ecclesiasticis etiamnum superest; in Sæcularibus vix apparet; quamquam Damhouderus in *Praxi Rerum Crim. c.* 44. dicat, quod ad imitationem Curiarum Ecclesiasticarum, subinde etiam in tribunalia Sæcularia seu prophana in Flandria, nec non aliis in locis hac formâ purgationis utantur.

LVI. Quin & teste Zypæo loco citato, etiam in Curiis Ecclesiasticis *rarior* ejus est usus. Testatur quoq; Ignatius Lopez in annotatione ad *c.* 148. *Practica Can. Crimin.* Bernardi Dias, ,, quòd non facilè per Judices Ecclesiasticos Cano- ,, nica purgatio indicenda sit, cùm fragilis, fallax, & incerta ,, sit; eò quod ab hominum judicio dependeat. Quod in cau- ,, sis fidei Madriliana instructione c. 27. his verbis definitum ,, est. Ob malitiam humanam purgatio Canonica, periculo- ,, sissimum est remedium, præsertim his temporibus. Ideo- ,, que non multùm est in usu, quare utendum rarò, & cum ,, magna causa.,,

LVII. Illud quoque certum, purgationem hanc non esse indicendam, nisi ubi dubium est, num infamatus reverà crimen commiserit; & vitâ ordinariâ veritas detegi nequit, quemadmodùm in relatis Epistolis S. Gregorii manifestum est; & sæpiùs Pontifices responderunt, ac signanter in *Cap.* 3. & 15. ;; *De Purgat. Can.* atque uno consensu tradunt Canonistæ, dicentes, purgationem hanc esse remedium *subsidiarium* indagandæ veritatis, deficientibus aliis remediis.

LVIII. Quin & Judices meritò in indicenda hac purgatione circumspecti esse debent, ne eam faciliùs indicendo sacrilegii & perjurii participes efficiantur. Etenim cum homines, qui magnorum criminum sunt Rei, aut fuerint propter utilitatem aut voluptatem, quas in criminibus quæsiverunt, graviter impingere in legem æternam ejusmodi crimina prohibentem, magnopere timendum est, ne ut supplicium & infamiam, quæ ob crimina commissa imminent evadant, pejerare audeant. Facile est hinc videre, quàm sæpe sacrilegum sit ab ejusmodi criminosis expetere, ut juramento se purgent, cùm, si non certum, sit saltem admodum verisimilè, quòd pejerabunt, si crimen reverà commiserint.

Temerarium proinde est credere quòd tale crimen non commiserint, quia jurant se non commisisse.

TITULUS IX.

De Sententiis, earumque Executione.

CAPUT I.

De Sententia definitiva, Interlocutoria, & provisionali.

1 *Quid sententia; & quid res judicata?*
2 *Sententia alia definitiva, alia interlocutoria.*
3 *Describitur sententia definitiva; & quare hæc sola propriè dicatur sententia?*
4 *Quid sententia interlocutoria?*
5 *Exempla aliqua utriusque sententiæ.*
6 *Sententia interlocutoria est duplex.*
7 *Exponitur, quando sit interlocutoria habens* vim definitivæ.
8 *De hac interlocutoria loquitur Synodus Trid.* sess. 24. cap. 20. de Reformat.
9 *Expressit Synodus præcipuum indicium, è quo dignoscitur, an habeat vim definitivæ?*
10 *Plura exempla hujus sententiæ exhibentur.*
11 *Sententia super pleno possessorio in materia beneficiali est definitiva.*
12 *Recredentialis autem est merè interlocutoria.*
13 *Sententia* provisionalis *solet esse tantum simpliciter interlocutoria.*
14 *Quid sit sententia provisionalis; & cur ejus usus inductus & cur dici nequeat definitiva?*
15 *Solet provisio decerni, ubi est periculum diminutionis cultûs divini.*
16 *In causa alimentorum frequenter est locus sententiæ provisionali.*
17 *Provisio hæc facienda filio sive in prima, sive secunda instantia.*
18 *Potest peti in qualibet parte litis.*
19 *Debet tamen actor probare filiationem seu aliam qualitatem, aut saltem quasi possessionem.*
20 *Provisio in causa portionis congruæ eidem fundamento innititur.*
21 *An Religioso appellanti à Decreto Abbatis adjudicanda per provisionem necessaria ad prosequendam causam?*
22 *Utrum adjudicanda Religioso accusanti Abbatem super indebita administratione Monasterii?*
23 *Quæ in hisce à Judice cavenda.*
24 *Plures causæ in quibus adjudicatur provisio remissivè.*
25 *Judex in sententia exprimere debet, sententiam duntaxat esse provisionalem.*
26 *De jure provisio decerni potest à Judice causæ principalis.*

27 *In*

27 *In Gallia prætenditur, ad Judicem sæcularem spectare, dare provisionem.*
28 *Ordinatione Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis supponunt judicem Ecclesiasticum etiam posse dare sententias provisionales.*
29 *Quomodo hæc danda in causis testamentariis, vel contractuum antenuptialium?*

I. Sententia dicitur ipsa pronuntiatio sive definitio Judicis finem controversiæ imponens. Res verò judicata est ipsa causa controversa, quæ finem controversiæ pronuntiatione Judicis accepit. *L. 1. ff. de re jud.* Quamquam & sententia, quatenus decurso appellationis tempore, manet, veluti à Partibus approbata & judicata, non malè quoque res judicata dicatur; eoque pacto dici soleat, sententiam transire vel transivisse in *rem judicatam.*

II. Cùm autem Judex soleat non tantùm suâ pronuntiatione determinare sive definire causam principalem, sive eam super qua principaliter inter Partes controvertitur; sed sæpius etiam nonnullas in principio litis vel ejus decursu incidentes quæstiones; hinc alia dicitur sententia *definitiva* alia verò *interlocutoria.*

III. Definitiva propriè dicitur, qua judex quantum ex se est, finem imponit principali controversiæ; ipsamque causam inter Partes pendentem dirimit ac definit. Et quia hæc sola sententia propriè causam *definit* & controversiam *dirimit*, etiam sola propriè *sententia* vocatur; utpote per quam ipse judex super controversia pendente sententiam suam dicit.

IV. Interlocutoria vocatur, pronuntiatio judicis super aliquo articulo negotium principale non dirimens; idq; sive articulus sive punctum quod deciditur principium, medium, sive finem litis concernat; modò non definiat negotium *principale* super quo lis contestata fuit. Unde ex Martino in additionibus ad Hostiensem in Summa *tit. De Sententia* dicitur sententia interlocutoria, „ quæ non super „ principali, sed super aliis quæstionibus fertur principali „ causâ durante.„

V. Hinc infert Rebuffus in Repetitione *L.* QUOD JUSSIT *ff. De Re judicata* in præfatione *n.* 33. sententiam esse definitivam, si pronuntietur satisdandum esse, vel non, quando *principaliter* petebatur, aliàs secus. Item si de nullitate actus *principaliter* dubitetur, & super eo feratur sententia, dicetur definitiva. Plura ibidem profert exempla sententiæ definitivæ, quæ ostendunt, sententiam definitivam requirere, ut per eam finis imponatur negotio *principali.* Si autem tantùm decidatur incidens aliquis articulus, manente interim principali negotio indeciso, non dicetur sententia definitiva, sed *interlocutoria*; quasi manente principali controversiâ Judex dumtaxat *interloquatur*, ut principale negotium meliùs terminari queat. dicitq; Rebuffus in tractatu *De Sententiis executoriis* &c. in præfat. *n.* 5. quòd omne Decretum judicis, vel, ut vulgò dicimus, *appunctamentum* dicatur sententia *interlocutoria.*

VI. Sententia autem interlocutoria duplex est. Una habens *vim definitivæ*, atq; à sententia definitiva ferè solo nomine distincta. Altera merè & simpliciter interlocutoria.

VII. Prior appellatur illa sententia, quæ quidem principale negotium absolutè non dirimit; sed tantum aliquem articulum causæ principali incidentem aut connexum; atq; eatenus *interlocutoria* vocatur; sed articulum talem incidentem ita dirimit, ut per hanc suam sententiam parti litiganti damnum inferat irreparabile per definitivam, aut appellationem à definitiva; quapropter hæc sententia quantumvis interlocutoria, dicitur habere *vim definitivæ.*

Cùm enim hujusmodi sententia non *per interim*, sed absolutè articulum illum dirimat, & præjudicium Parti litiganti inferat, quod per definitivam aut appellationem à definitiva *reparari* nequit, eumdem effectum huic sententiæ leges dederunt, quem habet sententia definitiva, quæ negotium principale dirimit.

VIII. De hac sententia interlocutoria loquitur Synodus Trid. *Sess.* 24. *c.* 20. *De Reform.* dum ibidem statuit, ut, „ neq; „ appellationes à sententiis Ordinariorum interpositæ per „ Superiores quoscumq; recipiantur; eorumve commissio „ aut inhibitio fiat nisi à definitiva, vel à *definitivæ vim* ha„ bente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva „ reparari nequeat.

IX. Expressit hic Synodus præcipuum indicium unde dignoscatur, num sententia interlocutoria habeat *vim definitivæ*: si nimirum inferat tale gravamen parti, quod nec per sententiam definitivam, nec per appellationem à sententia definitiva reparari potest.

X. Plurima exempla hujus sententiæ allegant Rebuffus loco citato; & Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 155. atque hic pro primo exemplo allegat, „ Si pars declinaret, aut „ remissionem à Judice peteret, & si tunc Judex nihilomi„ nus eidem parti mandaret, & ordinaret ut respondeat, ea „ ordinatio est interlocutoria definitivam sapiens, quia ipsa „ remissioni petitæ præjudicat, ab appellando partem illam „ excludit, & ipsi perpetuum silentium imponit ideoq; effe„ ctum definitivæ meritò obtinet.

XI. Dicit ibidem *n.* 8. quòd sententia data super possessorio sit interlocutoria simplex; sed quando proprietas ipsa cum possessorio conjuncta & annexa est, eo casu ipsa censeatur definitiva. At Nicolaus Tuldenus *Lit.* I. notat ex Matanta, hanc esse adhibendam distinctionem, ut si agatur super possessorio *principaliter*, & in eo lis contestetur, sen„ tentia in eo lata mera sit definitiva, quia causam definiat „ possessorio principaliter intentatam: non obstante quod „ in petitorio possit revocari; quia id novum esset judicium „ sed si possessorium tractetur incidenter, tunc sit interlo„ cutoria.

Et sanè nemo ambigit, quin sententia lata in Conciliis Regiis super *pleno* possessorio in materia Beneficiali sit definitiva; habeatq; omnes proprietates sententiæ definitivæ, ut colligi potest ex dictis supra *tit.* 2. *c.* 3.

XII At sententia recredentialis in materia Beneficiali rectè dici potest *sententia interlocutoria*; & quidem *simpliciter* sive *merè* interlocutoria non habens vim definitivæ: eò quòd tantùm jus faciat *interim*; nec inferat damnum *irreparabile* per sententiam definitivam super principali, ut supra loco citato ostensum est.

XIII. Imò omnis sententia provisionalis, quæ hodie est frequentissima, præsertim in Curiis Regiis, solet esse dumtaxat interlocutoria; & quidem sæpius merè interlocutoria non habens vim definitivæ: quia sententia provisionalis non solet imponere finem controversiæ principali; quin & sæpius nullum damnum infert, quod per definitivam reparari nequeat.

XIV. Cùm enim sententia definitiva ferri nequeat, nisi primùm judex de causa principali *plenè* cognoverit, consequens est, sententiam provisionalem nequaquam dici posse definitivam. Provisio enim à judice conceditur, ut præsenti necessitati *interim* provideatur, tametsi nondum de causa principali *plenè* cognoverit; uti rectè advertit Rebuffus in Tractatu *De Sententiis provisionalibus*, ubi *n.* 22. dicit, ob justam & necessariam causam provisionem esse faciendam, & maximè quando imminet periculum si non fiat. Et *n.* 14. dixerat; „ Provisio est Pronuntiatio præjudicialis judi„ cis, Divini cultûs, seu alimentorum ratione, aut aliâ ne„ cessariâ, & justâ causâ facta.

XV. Unde cùm publicè expediat, cultum Divinum occasione litis inter privatos excitatæ non diminui, aut populum interim eo privari, solet judex providere, ut *interim* dum quæstio principalis inter Partes agitatur, cultus Divinus peragatur, exemplo Pontificis in *Cap.* 28. ꝫ *De Appell.* ubi mandavit Salesberiensi Episcopo, ut pendente appellatione per Canonicum quemdam residere recusantem inter„ jectâ *interim* alicui honestæ personæ vices ejus in Ecclesia „ committat, & ei de beneficiis illius assignet, unde possit „ congruè sustentari.„

Ad hunc textum reflectens Rebuffus *numer.* 37. ait: „ Ec-

„Ecce quomodo pendente etiam appellatione fit provisio „favore Ecclesiæ & Divini cultûs, tam Ecclesiæ, quàm per„sonæ, quæ Ecclesiæ servire debet durante provisione: Ju„dex enim pendente lite per modum provisionis servitium „Ecclesiæ sic faciendum esse pronuntiabit.„

XVI. Frequens est hæc sententia provisionalis in causa alimentorum, de qua expresiè loquitur Constitutio Caroli VII. Regis Galliæ *art.* 51. vetans, similem provisionem per judices Regios adjudicatam, per appellationem suspendi. De qua provisione latè agit Rebuffus in citato Tractatu *art.* 1. *Glossa* 2.

XVII. Notat autem juxta hodiernam praxim, faciendam esse hanc provisionem filio tam in prima quàm secunda instantia; idq; ex æquitate receptum esse, ne fame pereat, & ne cogatur ob defectum pecuniarum processum deserere, & litibus renuntiare; & ita non semel decisum fuisse, & servari in Gallia testatur.

XVIII. Quin & addit, quòd si non fuerit petita provisio in prima instantia, peti queat in secunda, & adjudicari; imò addit *n.* 14. hanc provisionem peti posse in qualibet parte litis, quia filius semper gravatur.

XIX. Si tamen is qui titulo filiationis petit provisionaliter alimenta, non esset in possessione filiationis, sive publicè non haberetur pro filio illius, cui prætendit succedere, tunc non fieret provisio nisi priùs probata esset filiatio, quæ est fundamentum provisionis, uti rectè monet Rebuffus ibidem *n.* 25.„ Nam oportet [ait] probare saltem quasi pos„sessionem filiationis, vel alterius qualitatis intentatæ.

XX. Et quia causa portionis congruæ Parocho assignandæ est causa alimentorum, in hac summariè & provisionaliter adjudicationem fieri debere, latè ostendi suprà *parte* 2. *tit.* 34. *c.* 5.

XXI. Simili ratione, quia subinde solent Abbates aliiq; Superiores Religiosorum ultra modum in Religiosos sævire; ideoq; compellunt eos ad appellandum, *interim* pendente appellatione judex his Religiosis poterit providere pro alimentis & litis prosecutione, uti notat Rebuffus in præfat. *n.* 107. Magna tamen hic adhibenda à judice cautela, ne rigor disciplinæ per hujusmodi appellationes & provisiones infringatur, & Monachorum inobedientia & dissolutio foveantur.

XXII. Eadem provisio interdum facienda, si Monachus Abbatem suum accuset pro utilitate Ecclesiæ; putà, quòd bona Monasterii dilapidet, computus non reddat, indisciplinatè vivat &c. vel etiam si Monachus Monasterii sui reformationem prosequatur; uti tradit Rebuffus ibidem *n.* 106. argumento *Cap.* 11 ;; *De Accusat.* ubi expresiè respondit Pontifex, quòd Monachi ab accusatione sui Abbatis non sint ullatenùs repellendi: „Quibus, si quidem (ait Pontifex) „cùm proprium non habeant, de rebus Monasterii expen„sæ debent necessariæ, donec causa debitum finem acci„piat, ministrari.

XXIII. Antequam autem hæc provisio Monacho adjudicetur, meritò attendet judex, num prætextus utilitatis Monasterii in accusatione Abbatis, non sit pallium inobedientiæ vel rebellionis; prætextus reformationis, velamen vagationis & excursionis.

XXIV. Pluresalios casus quibus provisio à judice adjudicanda est, ibidem exponit Rebuffus; additq; eam fieri posse etiam in casibus ibi non expressis, dum occurreret alia justa causa, vel similis vel major expressis.

XXV. Monet insuper *n.* 141. quòd in sententia exprimi debeat, tantùm *per modum provisionis* condemnationem fieri.„ Si verò judex simpliciter condemnaret, malè faceret „[inquit] quia ante plenam probationem non debet fieri „condemnatio; quæ tamen condemnatio per provisionem „fit, dummodò *summariè* appareat; & ideo exprimi de„bet.„

XXVI Si juris rationem attendamus, provisio decernenda est ab iisdem judicibus, ad quos materiæ principalis cognitio spectat: quia regulariter is potest de accessoriis cognoscere, qui de principali; & ideo de hac provisione cognoscit is, qui de principali; ait Rebuffus *n.* 31.

XXVII. Addit autem Rebuffus ibidem *n.* 32. „Servatur „tamen in hoc Regno contrarium, quòd judices laici pro„visionem adjudicare possunt læso, vel vulnerato, etiam à „Clerico solvendam: nec is remittetur ad suum judicem „Ecclesiasticum in causa principali, donec executio facta „fuerit super provisione; & sic hæc provisionis materia „maximè coram judicibus sæcularibus exercetur, cùm ipsi „sic usi fuerint, & ab Ordinationibus concedatur. Et si ju„dex Ecclesiasticus ad aliam provisionem Clericum con„demnaret, abutetur & potest tamquam ab abusu ab eo „appellari, ut censuit Senatus anno 1524. die 15. Decem„bris. Imò dicunt Regales (pergit Rebuffus) judicem Eccle„siasticum non posse condemnare laicum ad provisionem „Clerico faciendam, licèt non debeat esse melioris condi„tionis judex laicus quàm Ecclesiasticus, tamen Curia Pari„siensis dixit abusum fuisse Officialem Parisiensem in eo, „quòd purum laicum condemnaverat ad provisionem „Clerici anno 1524. die 14. Februarii.„

XXVIII. Certum est in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis supponi, etiam judicem Ecclesiasticum posse condemnare per provisionem. Nam titulus 13. totus est de *materia provisionali*; atq; per plures articulos disponitur, qualiter in materia provisionali judex procedere debeat; ac nominatim quomodo provisio danda contra eum, cujus chirographum producitur, de qua latiùs actum est suprà *tit.* 7. *c.* 4.

XXIX. Dicitur quoque *art.* 7.„ Quibus in locis cognitio „validitatis testamentorum, vel contractuum antenuptia„lium, ad Judicem Ecclesiasticum spectat, si instrumentum manifestum vitium non continet, sed extrinsecus perfectum apparet, etiamsi falsum, irritum, ruptum, inofficio„sum, nullumve esse dicatur, per provisionem effectum „illud sortiri sub cautione debere, declarabitur; salvâ alle„gatorum penitiori inquisitione, sive ex eo agat ex asse in„stitutus hæres, sive ex parte.„

CAPUT II.

Quæ observanda ante sententiæ prolationem; & quæ juramenta à Judicibus præstanda.

1 *Ante pronuntiationem sententiæ Partes utrimque in suis allegationibus audiendæ.*
2 *De Jure communi Parte una in causa concludente, alteri ad concludendum certum tempus præscribere Judex potest.*
3 *Id conforme hodiernæ praxi.*
4 *Post conclusionem causæ nulla nova facta à Partibus allegari possunt sine licentia Curiæ per libellum* Civilem *impetrandâ.*
5 *Occasione hujus libelli nova lis institui vetatur.*
6 *Conclusio in causa tantùm ligat Partes, non autem Judicem.*
7 *Motiva juris dari possunt post conclusionem in causa.*
8 *Postquam in causa conclusum est examen totius causæ à Judice instituendum.*
9 *Ut examen causæ faciliùs & exactiùs fiat, designatur* Relator *sive* Referendarius; *& unde sic dictus?*
10 *A quo designandus?*
11 *Senatores sollicitare non possunt ut relatores designentur.*
12 *Relator Partibus litigantibus non indicandus.*
13 *Quis delectus in constituendo Relatore haberi debeat?*
14 *Relatores ad sollicitationem Partium dandi non sunt.*
15 *Quo modo causa per Relatorem in Curia referenda?*
16 *Post relationem integra coram Senatu legenda.*
17 *Absolutâ lecturâ tenetur rursus Relator causam summariè repetere.*

18. In

18 *In Curiis Ecclesiasticis non solet esse* Relator: *Quia in his est unicus Judex.*

19 *Secus dum plures sunt; uti in tribunali Academico* Quinque Judicum appellationum: *quod unà describitur.*

20 *In lectione & relatione causæ Senatores debent esse attenti.*

21 *Absoluto causarum examine, Judex de justitia causæ statuere debet seposito omni partium singulari affectu.*

22 *Monitum Justiniani ad Judices.*

23 *Conforme monitum Josaphat Regis Juda.*

24 *Olim Iudices in singulis causis jurabant, se secundùm justitiam judicaturos.*

25 *Hodie idem jurant judices in assumptione ad officium.*

26 *Iurant quoque se nihil à Partibus accepturos.*

27 *Quid hac in parte in Provinciis Confœderatis ordinatū.*

28 *Quid in Gallia?*

29 *Iudices ob malè judicata frequenter restitutioni obnoxii sunt.*

30 *Parum speranda est executio Legum adversus Iudicum corruptionem, nisi constituantur judices avaritiam odientes.*

31 *Difficulter habentur boni judices, ubi officiorum venalitas invaluit.*

32 *Iustinian. nullum medium efficacius reperit contra judicum corruptionem quam si gratis assumerentur.*

33 *Venalitatem officiorum dixit esse totius nequitiæ principium.*

34 *Iustiniani formula quâ assumpti ad officium Iudicis jurare debebant, se nihil pro eo dedisse aut promisisse.*

35 *Similis formula ante Iustinianum præscripta.*

36 *Bina formula similis juramenti hodie hic usitata.*

37 *In litteris* Patentibus *exprimi debet, juramentum esse præstitum; & in continuatione Magistratuum renovari.*

38 *Ut juxta has formulas verum juretur, debet omnis rei temporalis datio vel promissio directa & indirecta abesse.*

39 *Qui pecuniam dat aut promittit amico collatoris, ut ejus favore officium assequatur, juramentum hoc præstare non potest.*

40 *Quomodo non rarò peccetur per eos qui prætextu Religionis Monasteriis munera largiuntur, ut favore eorum ad officia promoveantur.*

41 *Praxis communis, vel Principum conniventia dantes aut promittentes à perjurio eximere nequit.*

42 *Neque restrictio mentalis.*

43 *Dubium à Parochis Lovaniensibus propositum tribus Facultatibus hujus Universitatis occasione juramenti à Magistratu præstari soliti.*

44 *Responsum Facultatum, quo usus restrictionum mentalium reprobatur.*

45 *Scopus omnium juramentorum est, ut habeantur judices, qui sine acceptione personarum justitiâ administrent.*

46 *Causa pauperum æquè ac divitum expediri debent.*

47 *Iudex in definienda causa nullo privato affectu duci potest.*

48 *Ubique abesse debet casus* pro amico.

49 *Licet etiam causa utrimque sit admodum dubia.*

50 *In casu perplexo interdum res litigiosa inter Partes dividenda, numquam autem utendum est casu* pro amico.

51 *Ne Judex à justitiæ tramite deflectat, debet in eo esse magnus amor veritatis & justitiæ, reliquos humanos affectus superans.*

52 *Meritò dum judicandum est, exposcit lumen à Patre luminum.*

I. PRiusquam judex ad sententiam definitivam procedat, præmittēda matura & exacta discussio; jubeturq; judex "utramq; partem sæpius interrogare, num quid novi aliquid addere desideret: cùm hoc ipsum ad alterutrā "partem proficiat, sive definienda causa per judicem, sive ad "majorem potestatem referenda sit." *L.9. Cod. De Judiciis.* Quam legem Tribonianus interpolavit ex *L.1. Cod. Theod. De Officio Iudicis in causis cognoscendis*, cujus hæc est sententia: "Judex cùm causam audire cæperit Litigatorum as- "sertiones vel responsiones patienter accipiat, & omnia "plenâ discussione perquirat. Nec prius litigantibus sua "sententia velit obviare, nisi quando ipsis peractis omni- "bus, jam nihil amplius in contentione habuerint quod "proponant: & tamdiu actio ventiletur, quousq; rei veritas "perveniatur, frequenter interrogari oportet, ne aliquid "prætermissum fortasse maneat: Quia si apud ipsum finien- "da causa est, totum debet agnoscere."

Itaq; ante pronuntiationem sententiæ, nimirum definitivæ, & in causis magni momenti, quæq; accelerationem specialem non requirunt, audiendæ sunt utrimq; Partes in suis allegationibus; ipséq; judex allaborare debet, ut ipsa causa *plenè* instruatur; nihilq; omittatur, quod ad elucidandam veritatem & assequendam justitiam causæ conducere possit.

II. Si unus litigantium ulterioribus productionibus aut allegationibus renuntiaverit; dicatq; se nihil ampliùs habere quod proponat, alter verò nondum velit renuntiare, sed moras nectat, prætexens se habere quæ ulteriùs proponat: voluit Justinianus, *triginta* dies ad eam rem dari, tum alterum mensem indulgeri: & si ne quidquam tunc ille proponat; mensem præfigi et tertium ad proferendum reliquas suas allegationes probationésq; eoq; spatio elapso, judicem causam concludere absq; expectatione longiore. *Novell.* 155. *c.*2. addens rationem suæ Constitutionis: *Ne litigatoribus malè certantibus liceat causarum exitum ultra protrahere.*

III. Hinc concludunt communiter Pragmatici, juri conformem esse hodiernam praxim, quæ habet, quòd alterâ parte concludere in causa nolente, judex eâ invitâ in contumaciam ex officio causam pro conclusa acceptare, & ulterius ad sententiam procedere queat. Vide Damhouderum in Praxi rerum civil. *c.* 191. & latiùs Merulam in Praxi Curiæ Hollandicæ *lib.*4. *tit.*84.

IV. Ubi per conclusionem in causa partes ulterioribus allegationibus renuntiarunt, aut judice pronuntiante in causa esse conclusum, ulterioribus allegationibus via præclusa est, nihil *novi* ad causam spectans allegari ulteriùs potest, nisi de speciali licentia Curiæ, per specialem Libellum petendâ; quem Libellum vocant *Requestam seu libellum civilem*; diciturq; *art.*466. ordinat. Curiæ Brabantiæ, eam licentiam non esse dandam sine magna & notabili causâ: *'t Welck sy nochtans niet en sullen mogen doen sonder groote ende merckelyckē saecke* Id est: Quod nihilominus sine gravi & notabili causâ facere non poterunt.

V. Insuper *art.*469. vetatur, occasione hujus libelli civilis litem institui à principali distinctam; sed si pars adversa contendat, libellum non esse admittendum, rationes rejectionis unà cum libello esse jungendas causæ principali; & si ex rationibus allegatis appareat, eum esse rejiciendum id in sententia super principali exprimi debere. Verba articuli sunt: *Wy vvillen ende ordonneren dat die voorsz requeste metter altercatie van partye gevueght sal vvorden tottē principalen processe, om in't visiteren van dien daer op genomen te vvorden sulcken aenschouvv als't behooren sal, ende ingevalle dat in't visiteren van den principalen processe men bevindt, dat de voorschreven brieven behooren ghereiecteert te vvorden, vvy vvillen't selve gedeclareert te zyne by de sententie diemen ten principale gheven sal, sonder dat men den Partyen sal moghen ordenneren verscheydelyck te procederen op't principael ende Requesten Civile.* Id est: Volumus & statuimus, ut præfatus libellus cum altercatione partis jungatur liti principali, ut in illius examine habeatur ratio ejus, prout æquum fuerit. Si autem in examine litis principalis deprehendatur, prædictas litteras esse rejiciendas, volumus ut in sententia definitiva litis principalis id ipsum exprimatur, nec fas erit partibus injungere, ut seorsim super principali litigent & super libello civili.

VI.

VI. Notandum autem, conclusionem in causa tantùm fieri respectu ipsarum Partium; ut scilicet ipsæ Partes ab ulteriore causæ instructione, & factorum allegatione abstinere debeant: nequaquam verò respectu Judicis. Potest enim Judex ex officio rescindere conclusionem, partibusque injungere *ulteriorem* causæ instructionem: & elucidationem: quo nihil hodie usitatius est. Vide Merulam citato titulo *cap.* 1. *num.* 6. & ibi citatos.

VII. Insuper numquam censetur conclusum in causa quoad ea, quæ juris sunt. Unde & licet litigantibus post conclusionem in causa exhibere *motiva* juris tot, quot iis videbitur; nec Parti eorum communicatio facienda est. Merula ibidem *num.* 9.

VIII. Conclusione causæ factâ, judex tenetur se accingere ad totius causæ examen, omniaque diligenter discutere, & singula à Partibus hinc inde allegata attentè examinare; cavendo, ne unius Partis rationes & fundamenta celerius, quàm alterius percurrat; sed pari attentione, absque ulla personarum acceptione, utrimque allegata ponderare.

IX. Ut examen & discussio causæ exactiùs fiant, ipseque status causæ, & difficultas quæstionis meliùs percipiatur, & judicibus innotescat, in plerisque Curiis & tribunalibus, præsertim sæcularibus usitatum est, ut mox à conclusione causæ nominetur unus è Senatoribus, cui causa examinanda discutiendaque committitur; quique eam breviter in Senatu exponat & *referat*, quem propterea *Relatorem* vulgò *Rapporteur* vocant.

X. Hic à Præside Concilii è Senatoribus assumi solet; nominatimq; dicitur *art.* 79. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, causas per Cancellarium distribuendas esse, prout ei videbitur, ita tamen, ut non distribuat illi, coram quo testes auditi fuerunt, nisi per Curiam aliter ex causa esset ordinatum.

XI. Item *a.* 80. decernitur, Senatores nec per Partes, nec per alios directè aut indirectè instare posse apud Cancellarium, ut relationem alicujus causæ habeant; aut alteri factã sibi assumere possint. *Dat onse Raedes luyden onsen voorsz. Cancellier by hen oft by Partyen noch iemant anders directelyck oft indirectelyck en sullen mogen solliciteren om eenighe rapporten te hebben, noch rapporten over-nemen anderen ghedistribueert.* Id est: Ut Consiliarius noster non liceat cùm per se, tum ad interventionem partium aut cujuscumque demum, prædictum nostrum Cancellarium directè aut indirectè inducere, ut alicujus causæ relationem obtineant, aut ut relationes aliis distributas assumant.

XII. Et ne litigantes Referendarium ad sibi favendum alliciant aut sollicitent, cautum est *a.* 85. ut nulli de Senatu, sive ipse Referendarius sive alii significent Litigantibus, cui relatio causæ sit comissa, sed id silentio premant. Verba articuli sunt: *dat die van onsen Raede, het zy Rapporteur oft andere, de Partyen niet en sullen te kennen gheven, wie heur Proces heeft te rapporteren, maer sullen 't selve secreet houden.* Id est: Ut Consiliarii nostri, sive litis Relator sive alius, non declarent partibus, cui litis earum relatio commissa; at silentium desuper servent.

Idipsum habent instructiones Curiæ Hollandicæ *a.* 150. apud Merulam *lib.* 4. *tit.* 85. *cap.* 5. adduntque, quòd si Referendarius aliquo modo à litigantibus molestetur, ita ut suspicetur, iis innotuisse, relationem causæ sibi esse commissam, tenebitur id Curiæ significare, ad hoc ut causa alteri referenda committatur; vel aliàs per Curiam, prout visum fuerit, provideatur.

XIII. Monet ibidem Merula *c.* 3. *n.* 1. Præsidem, Cancellarium, aliumve, cui designandi Referendarios cura incumbit, debere sedulò attendere, quis præ cæteris ex Senatoribus huic illive causæ examinandæ & referendæ conveniat. Licèt enim supponatur, omnes Senatores esse juris & praxeos scientiâ ritè instructos, certum tamen est, unum in una materia, alium in alia magis versatum & industrium esse; posseque facilè ipsi Præsidi aut Cancellario innotescere ex conversatione, necnon discursibus in Senatu habitis, unum præ alio his illisve causis referendis fore aptiorem.

XIV. Multum ergo ab officio boni & justi Præsidis aut Cancellarii recedunt, qui ad solicitationem Partium, aut amicorum, aut quod pejus est, interventu munerum, Referendarios causarum designant, non quos referendis causis judicant capaciores, sed Partibus solicitandibus magis placentes.

XV. Officium Referendarii est, postquam causam repererit debitè instructam, eamdem diligenter examinare, atque ex actis litis debita extracta conficere, ut per ea queat cognoscere, & in Senatu ostendere, quæ ad intellectum & decisionem causæ servire possunt.

XVI. Factâ per Referendarium summariâ causæ relatione juxta prædicta extractâ, tunc causa integra, priùsquam ad decisionem veniatur, in Curia legenda est: & si aliqua instrumenta sint exhibita, quibus Pars exhibens uti nollet, sed tantùm certâ illius clausulâ; vel una, vel plures clausulæ ad causam spectarent, tunc Referendarius tenetur eam vel eas clausulas ad materiam spectantes designare, ut super iis tantò attentiùs reflectatur: atque tum arbitrio Curiæ vel hæ dumtaxat clausulæ, vel totum instrumentum legatur; prout cautum est *art.* 83. Ordinat. Curiæ Brabantiæ.

XVII. Lecturâ absolutâ, debet rursus Referendarius distinctè repetere, & indicare puncta & difficultates, à quibus ipsa decisio causæ præcipuè dependet. *Art.* 84. Verba sunt: *Ende naer dat 't proces ghelesen sal wesen, soo sal den Rapporteur gehouden sijn bescheydelyck te verhaelen ende te toucheren die puncten ende difficulteyten, op de welcke de decisie van de materien staen sal.* Id est: Lite verò perlectâ, causæ Relatoris munus erit, ut distinctè repetat & indicet puncta & difficultates, à quibus decisio causæ pendebit.

XVIII. In Curiis Ecclesiasticis non solet esse Relator sive Referendarius: quia unicus solet in his esse judex, qui Assessore uti consuevit, qui causam discutiat, eique referat, de quo suprà actum est *tit.* 6. *cap.* 1.

XIX. Ubi autem tribunal Ecclesiasticum constat pluribus judicibus, etiam ex illis eligitur aliquis Relator vel Comissarius, qui causam instruit, dirigit, & aliis summariè refert. Simile tribunal ex antiquissima consuetudine habet Academia Lovaniensis, constans ex quinque Judicibus, & idcirco dictum tribunal *Quinque Judicum*; ad quos à sententiis Rectoris Academici immediatè appellatur; neque de ullis causis cognoscunt in prima instantia, sed solùm de causis appellationum; ideo dicti Judices *appellationum*. Hos Judices sive tribunal describunt Fasti Academici Studii generalis Lovaniensis *p.* 34. edit. an. 1650. his verbis: "Quòd si Rector judicando erraisse, aut malè & perperam judicasse dicetur, errorem illum corrigit ipsa Universitas, id est, *quinque Judices appellationum*, qui Universitatem repræsentant, (quotq; Universitas eam in rem ab ipsa sui origine, singulis semestribus, quoties novus eligitur Rector, ex qualibet Facultate nominare & deputare solet) coram quibus seu majori parte eorumdem, omnibus tamen vocatis, Rector sententiam suam justificare tenetur."

Hi quinq; Judices mox ut electi sunt in ipsa Universitatis Congregatione, "unum ex eorum Collegiis in *Commissarium* eligere debent, mandando illi vices suas pro observatione terminorum in causis appellationum observandorũ, ac pro interlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus; cui sit authoritas & potestas alios judices & Collegas per unum ex Bedellis convocandi, cùm res postulabit." Ita ordinant Statuta Universitatis titulo *De Officio & Jurisd. DD. Quinque Judicum causarum appellationum.*

XX. Sanè evidens est, hæc omnia unicè ordinata esse, ut judices de causa sint plenè & perfectè instructi, priusquam causam decidant; quò spectat quoque *art.* 89. earumdem Ordinationum, ubi præcipitur, ut Cancellarius & Consiliarii tempore relationis & lectionis causarum diligenter attendant, operamque diligentem adhibeant, ut eas benè intelligant & retineant; ut nec eodem tempore aliud aliquid legant, scribant, conferant, vel aliquid agant, quo ab audiendo, intelligendo, & retinendo impediri aut diverti possent, aut alios impedire vel divertere.

XXI. Factâ totius causæ discussione, omniumque allegato-

gatorum maturâ consideratione, judicis est, seposito omni humano affectu, solam justitiam & veritatem præ oculis habendo, seriò perpendere & discutere, à qua Parte stet justitia causæ.

XXII. Hunc in finem statuit Justinian. in *L.* 14. *Cod. De Judiciis*, "omnes omninò Judices Romani Juris dispensatores non aliter litium primordiũ accipere, nisi priùs ante „sedem judicialẽ sacrosanctæ deponantur scripturæ: & hæ „permaneant non solùm in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus, usq; ad ipsum terminum, & diffinitivæ sententiæ recitationem." Deinde subjungit: "Sic „etenim attendentes ad Sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex majore præsidio lites diriment, scituri, quòd non magis alios judicant, quàm ipsi judicantur: „cùm etiam ipsis magis, quàm partibus terribile judicium „est: siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo „inspectore adhibito causas proferunt trutinandas."

XXIII. Illud est, quod jam pridem pius Rex Judæ Josaphat *lib.* 2. *Paralip cap.* 19. præcepisse judicibus legitur: *Videte (ait) quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini, & quodcumque judicaveritis, in vos redundabit.*

Deinde addit: *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite, non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas nec personarum acceptio, nec cupido munerũ*

XXIV. Ad idipsum tendit, quod judices olim nullam causam suscipere poterant, *nisi priùs sacramentum præstitissent, omnimodè sese cum veritate, & Legum observatione judicium esse dispositures.* Uti refertur in citata *Lege* 14.

XXV. Hodie judices, non quidem ad singulas causas, sed semel in assumptione ad officium judicis simile juramentum præstare jubentur. Et quidem juxta formulam juramẽti præstandi ab omnibus, qui in Judices assumentur (quæ habetur ad calcem Edicti criminalis de 5. Julii 1570. extatque parte 2. Edict. Brab. *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1.) jurat assumendus, quòd administrabit omnibus subditis, aliisque, à quibus requiretur, *bonam, veram, & sinceram justitiam, absque intuitu lucri, odii, invidiæ, vel amicitia cujusquam; & quòd nulli favebit ultra id, quod ratio & justitia permittent.* Verba articuli sunt: *Ick sweere, dat ick sal doen ende administreren goede, vvaerachtighe, ende oprechte Justitie, den ondersaten ende andere, die my des versoecken sullen, sonder aenschouvv te nemen op vvinninghe, haet, nydt, oft vriendtschap van iemanden, ende sonder iemandt meer te favoriseren, dan recht ende redene toelatende zyn.* Id est: Juro me curaturum, ut administretur bona, vera, & sincera justitia subditis meis, alisque id requirentibus, seposito omni intuitu lucri, odii, invidiæ, aut amicitiæ cujusquam, nec ulli quoquo modo suffragaturum, ultra quod ratio & justitia permittent.

XXVI. Insuper jurat juxta eamdem formulã, quòd nihil petet aut exiget à quopiam; imò nec acceptabit, tametsi ex *gratitudine sponte* offerretur aut daretur; sed contentus erit salario à Principe sibi designato; nec patietur, quòd aliquis sibi subditus, vel ipsi assistens aliter faciet. Verba sunt: *Dat ick van niemanden, vvie dat oock sy, eenighe dinghen eysschen oft exigeren en sal, noch oock aenveerden oft ontfanghen al vvaert dat de selve my van selfs uyt danckbarheyt ghepresenteert oft ghegheven vvierden, maer sal te vreden zyn met myne vvedden ende behoorlijcke salarisen by zijne Majesteyt tot mijnen voorsayde staet gheordineert: ende en sal niet lijden dat eenighe, vvesende onder mynen last ende bevel, oft die my assisteren, anders doen sullen.* Id est: Quòd à nullo quocumque damum quidquam petam aut exigam, neque etiam recipiam aut admittam, quantumvis etiam ultroneè & ex gratitudine offerretur aut donaretur; sed quòd contentus ero mercede mea, & stipendio convenienti, per suam Majestatem pro conditione mea prædicta designato. Deinde quòd non permittam, ut ullus curæ meæ aut imperio commissus, aut qui mihi assistet, aliter faciat.

Idipsum exprimitur in formula juramenti præstandi ab omnibus judicibus in Brabantia, quæ extat in Læto Introitu Caroli V. & Philippi II. *art.* 11. inserto parti 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 15.

Si hæ formulæ juramenti seriò expendantur, apparebit, quomodo Judices non tantùm vi officii sui teneantur sine ullo muneris intuitu aut amicitiæ, sed & vi sui juramenti omnibus indifferenter justitiam administrare, & ab omni munere etiam gratuito oblato abstinere.

XXVII. Refert Simon Van Leevven in Censura Forensi *parte* 1. *lib.* 5. *c* 7. in Hollandia cautum esse, "Ubi ut Præsides, Senatores, eorumdem conjuges, liberi, ministri, aut „alii, quos in familia alunt, de Partibus litigantibus ulla „dona quantulacumque, ne esculenta poculentave accipiant, severissimè prohibetur, sub pœna ordinis motionis, „& arbitrariæ insuper correctionis: Tenenturque Senatores utriusque Curiæ Hollandiæ, quotannis se solenni juramento expurgare, neque à se, neque à conjugibus, liberisve suis, aut à familia, ullove alio ad ipsos pertinente, „hac in re ipsis conscius fuisse peccatum, & nequid in posterum peccetur, se probè curaturos."

XXVIII. Plura eumdem in finem ibidem ordinata recitat: monetque *n.* 3. similia etiam statuta apud Gallos reperiri; quòdque nominatim Edicto Caroli IX. & Henrici III. etiam *esculenta* & *poculenta* præberi prohibita sint sub pœna concussionis & remotionis à munere in judice, in litigãte ut causâ cadat, eaque re frustretur, cujus causâ judicem donis delinire fuerit aggressus, conformiter ad jus Romanum in *l.* 1. *& fin. Cod. De Pœna judicis, qui malè judicavit.*

XXIX. Et licèt hodie ob malè judicatum rarò judices conveniantur aut condemnentur; eò quòd concussio & dolus vel corruptio difficulter probari queant, nihilominùs certũ est, quòd judices munera accipientes, non tantùm violationis juramenti rei sint coram Deo; sed & non rarò obnoxii sint restitutioni eorum, quæ Pars litigans per iniquam sententiã passa est; tametsi etiam supponatur, nec ex proposito nec dolo malo judices iniquam sententiam tulisse; sed per crassam juris ignorantiam, aut excæcationem, neglectum examinis, quæ munera accepta in ipsis pepererunt, juxta illud Sapientis; *Munera excæcant oculos Sapientum.* Quandonam autem juxta hodiernos mores possint judices ob malè judicata conveniri in foro *externo*, etiam criminaliter, vide Bugnionium *De Legibus abrogatis lib.* 1. *c.* 124. ibidem citatos à Christinæo in notis.

XXX. Verùm parum proderunt juramenta, parum efficient leges etiam severissimæ adversùs judicum corruptionem, nisi & sine corruptione & acceptione personarum judices constituantur, qui oderint avaritiam, & justitiam magis quàm munera diligant, eamque omni humano favori præponant; sintque tales, quales describuntur *Exodi* 18. *v.* 21. *Viri potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam.*

XXXI. Verùm spes exigua est, hujusmodi judices eligendos, si per pretia & munera, & non per merita ad officia via pandatur: nam uti rectè respondisse fertur S. Thomas Aq. Ducissæ Brabantiæ interroganti: Nam licitum esset vendere officia sæcularia, venditionem illam sibi expedientem omninò non videri: "Cùm frequenter contingat (ait) quòd „magis idonei sint pauperes, ut tale officium emere non „possint. Quin etiam si tales divites sint, tamen quia boni „sunt, officia non ambiunt, nec ad lucra inhiant: & sic illa „officia emunt ut plurimum hi, qui pejores."

XXXII. Quinimò Justinianus Imperator noctu diuque animo versans, quomodo à judiciis injustitiam, quam in omnibus penè causis invenerat, arceret, hoc unum fore remedium agnovit, "Si (ait) Præsides gentium, quicumque „civiles administrationes Provinciarum habent, *puris*, procuremus uti *manibus*, & ab omni abstinere acceptione, „pro illis solis contentos eis, quæ à Fisco dantur." *Novella* 8. in Præfat. §. 1.

Sed qua ratione id obtinebitur? "Non aliter (inquit) „fiet, nisi & ipsi singula sine mercede accipiant, nihil omninò dantes nec occasione suffragiorum, neque iis, qui cingula habent, nec alii omnium ulli."

„Con-

„Consideravimus enim (pergit Imperator) quia licèt „quæstus immodicus imminuitur imperio, attamen nostri „subjecti incrementum maximum percipiens, si indemnes „à judicibus conserventur; & imperium *& Fiscus abundabit „utens subjectis locupletibus*: & uno hoc introducto ordi-„ne, plurima earum & innumera erit ubertas."

XXXIII. Post hæc enumeratis multiplicibus incommodis, quæ ex venditione officiorum in Rempublicam & subditos nata sunt redundare, audet concludere: *Et omnino una quadam est hæc omnium occasio malorum: & accipere suffragium à Judicibus totius nequitiæ est Principium.*

Suffragium hic est, pecunia quæ suffragatoribus Aulicis datur, promittiturve honoris adipiscendi causâ. Vide *notam* 3. ad citatam Novellam.

XXXIV. Hoc ut exactiùs observaretur, statuit *c. 7.* ejusdem Novellæ, quod is, qui acceperit administrationem, jurare debeat. *Nihil penitùs, nec quodlibet se præbere, neque occasione suffragii neque patrocinii, & neque promittere, & neque de Provincia proficere dirigere, neq; gloriosissimis Præfectis neque aliis cingula habentibus, neque iis qui circa illos constituti sunt, nec alteri cuilibet per occasionem patrocinii.*

XXXV. Similis formula juramenti præstandi ab iis, qui ad provincias administrandas accedunt, extat in *L. fin. Cod. ad Legem Juliam repetundarum*, ubi tamen luculentiùs exprimuntur, quæ in ipsâ formula Justiniani non quidem nominatim exprimuntur, sed tamen comprehenduntur; nimirum *se pro administrationibus sortiendis neque dedisse quidquam, neque daturos umquam postmodùm fore, sive per se sive per interpositam personam, in fraudem Legis, sacramentique aut venditionis, donationisve titulo, aut alio velamento cujuscumque contractûs.*

XXXVI. Binæ sunt formulæ juramenti hodie hîc in Belgio usitatiores, juxta quas assumendi ad officium judicis vel Magistratus jurare jubentur, non absimiles prædictis formulis jam pridem ab Imperatoribus præscriptis. Una eaque prolixior contenta in Læto Introitu Principum nostrorum, qua assumendi ad Officia & Magistratus jurant, se nec pecuniam, bona, munus, mitam, nec aliquod obsequiū, nec beneficium dedisse, promisisse, obtulisse, aut dari, promitti, vel offerri suo nomine curasse: insuper nec precibus sollicitasse, aut sollicitatorem interposuisse quocumque modo. Verba formulæ idiomate vulgari expressæ sunt: *Dat sy-lieden Borghemeesterschap Schependomme, ende Raedtschap, goeds, gelds, gifte, myde noch eenigherhande diensten, noch gott doen, gheghéven, gheloofl, noch gheboden hebben, noch doen gheloven, gheven, noch bieden yemandem van heuren vvegen, noch daeromme ghebeden, noch doen beden, in eenigher manieren.* Id est: Quòd ipsi pro Consulatu, Scabinatu, assessu Consilii, nec bona, pecuniam, munera, nec cujuscumque generis obsequia aut compensationes, dederint, promiserint, obtulerint, nec promitti dare, aut offerri cuiquam suo nomine curârint, nec idcirco rogarint, aut rogari jusserint quocumque modo. Extat parte I. Edict. Brabantiæ *lib. 2. tit. 1. cap. 15. art. 11.*

Altera formula succinctior, quâ omnes passim ad officia quæcumq; promovendi jurare jubentur ad manus Regis, sive Primarii Officiarii, aut alterius, qui nomine Regis juramentum excipere solet, exprimitur in Edicto Philippi IV. de 2. Maji 1626. quod extat *Parte I. Edictorum Brabantiæ, lib. 3. tit. 14. cap. 2.* Juxta hanc formulam promovendus jurat, se nec pro statu isto assequendo, nec ejus intuitu quidquam cuipiam, sive in pecunia, sive in alia quacumque re obtulisse, promisisse, aut dedisse; nec item offerri, promitti, aut dari curasse, vel curaturum, aut daturum, directè vel indirectè, aut quovis alio modo: salvo dumtaxat eo, quod pro expeditione erogari consuevit. Tenor formulæ vulgari idiomate expressæ est: *Dat hy om den voorschreven staet te verchryghen, ofte ter oorsaecken van dien, egheene gheldt, noch eenighe andere dinghen, hoedaenich de sonden mogen zijn niemanden ghéboden, beloofl, noch gheghéven enheeft, noch doen bieden, beloven, noch gheven en sal, vvyen dat tet oock zy, directelijck, ofte indirectelijck, noch anderſints in eenigher manieren, behalvens t'ghene, dat men ghevvonnelijck is t'gheven voor t'expeditie, ende depeche.* Id est: Quod ipse, ut prædictum statum adipisceretur, aut ratione illius, nec pecuniam, nec aliud quidpiam qualecunque demum cuipiam obtulerit, promiserit, aut dederit, nec offerri, promitti aut donari curaverit, nec daturus sit cuicumque tandem, directè aut indirectè, nec alio quocumque modo, eo duntaxat excepto, quod pro litterarum confectione dari consuetum est.

XXXVII. Vult autem Princeps, ut in omnibus commissionibus, sive litteris *patentibus* expediendis, super provisione officiorum, hæc formula juramenti inferatur: ideoq; indilatè hoc juramentū præstari præcipit, nec antequam præstitum sit, litteras, sive *patentes* provisionis tradi. Insuper declarat, idipsum observandum in renovatione & *continuatione* Magistratuum: neque posse novos Magistratus ante præstitum hoc juramentum ullam functionem Magistratûs obire, sub pœna nullitatis, quó Ique dicta officia vacabunt, & pro ea vice ad Principis collationem spectabunt.

Si in litteris continuationis dicatur, sub *juramento antea præstito*, tunc per acceptionem litterarum & continuationis, censetur *renovatum* juramentum, tametsi illud expressè & nominatim non repetatur.

XXXVIII. Si prædictæ juramenti formulæ, in verbis quidem nonnihil differentes, sed in substantia & sensu planè conformes, ritè expendantur, non obscurum erit, omnem planè pecuniæ, alteriusve rei temporalis dationem, promissionem, vel oblationem, directè vel indirectè, pro assequendo officio, debere esse exclusam, ut juramentum citra perjurium juxta prædictas formulas præstari queat.

XXXIX. Insuper nequaquam ambiguum est, eum citra perjurii crimen hoc juramentum præstare non posse, qui licèt Principi aut Magistratui, ad quem officii collatio spectat, pecuniam munusve non obtulerit, promiseritve, illud tamen promisit obtulitve per se vel per alium directè vel indirectè illis, quos sciebat gratiâ apud Principem vel Collatorem valere. Quia licèt non immediatè Collatori officii pro assequendo officio pecuniam aliudve temporale dederit; reverâ tamen, saltem indirectè & obliquè ad officium illud assequendum, & Collatorem inclinandum, pecuniam dedit aut promisit: unde nec verè jurare potest, se pro assequendo officio nihil dedisse, promisisse, aut obtulisse *directè vel* INDIRECTE, *aut alio* QUOVIS MODO.

XL. Dicit Zypæus *lib. 1. De Judice c. 38. n. 5.* quòd ambitiosis, contra quos apud Romanos variæ Leges latæ fuerunt, "hodie accedant, qui in speciem religionis fortu-„nas effundunt, & aliquibus piis locis donationes faciant, „ut per eorum Præfectos suffragia consequantur, quæ a-„pud alios emere non liceat."

Sanè qui munera offerunt Monasteriis, aliisve piis locis, ut iis mediantibus Sodalium illorum gratiam aucupentur, atq; hoc pacto per ipsorum intercessionem & commendationem à Principe aut Magistratu officium obtineant, non tantùm ambitionis, sed & perjurii rei sunt; si juramentum ad præscriptum suprà expressæ formulæ faciant. Nimis enim manifestum est, hujusmodi munerum dationem ultimatè fieri, ut per ipsos Monasteriorum & piorum locorum Præfectos & Sodales ad officia perveniatur.

XLI. Qui ex multorum praxi, & Principum, ut ajunt, scientia & conniventia pallium contegendi sua juramenta sibi conficiunt, attendant, quòd licèt Principi quidē fas esset ex justa causa præstandum sibi juramentum interdum remittere, nequaquam tamen multorū praxis aut Principis conniventia, imò nec expressa voluntas sufficiens est, ut dum juramentum sub certa verborum formula præstatur, possit citra perjurium ad eam formulam jurari, si vera non sint, quæ juramento asseruntur. Itaque qui jurat, se nec directè vel indirectè pro assequendo officio pecuniam dedisse, à perjurio excusari nequit, si pecuniam directè vel indirectè dederit per quamcumque contrariam praxim, aut Principis scientiam & conniventiam.

XLII. Neque juramentum justificabit, quòd forsan in men-

mente aliquid subintelligat contrarium ei, quod formula exprimit, ipseque sensus obvius præfert, & intelligit is, cui juramentum præstatur. Quia ut rectè expressit S. Isidorus relatus apud Gratianum *Caus.* 22. q. 5. *Can.* 9. "Quâcumq; „ arte verborum quisq; juret, Deus tamen, qui conscientiæ „ testis est, ita hoc accipit, sicut iste, cui juratur, intelligit. „ Dupliciter autem reus fit, quia & Dei nomen invanum „ assumit, & proximum dolo capit." His consonat hoc Augustini *Epist.* 125. "Illud sanè rectissimè dici non ambigo, „ non secundùm verba jurantis, sed secundùm expectatio- „ nem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem „ jurationis impleri. Nam verba difficillimè comprehen- „ dunt, maximè breviter sententiam, cujus à jurante fides „ exigitur. Unde perjuri sunt, qui servatis verbis, expecta- „ tionem eorum, quibus juratum est, deceperunt."

XLIII. Latissimè hunc restrictionum mentalium fucum jam pridem refutârunt tres superiores hujus Universitatis Facultates, in Responsione datâ Parochis hujus oppidi Lovan. qui propositis suprà expressis juramenti formulis quæsierant, "Utrùm liceat ambire Magistratum, aut officium, „ sollicitando suffragia Collatorum, promissis sympoliis, „ pecuniis, muneribus per se vel per suos? Rursus, Utrùm „ liceat munera, symposia, pecunias, aut simile quidpiam „ accipere, per se vel suos, aut sinere, ut promittantur sibi, „ in eum finem, ut ad officium quodcumque suæ collatio- „ nis aliquem suo suffragio quis promoveat; & simul tamen „ liceat ista juramenta respectivè præstare?"

Hæc erat Parochorum propositio; cujus secundũ membrum reflectit ad juramentum, quod promovendus ad Magistratum etiam præstare tenetur; nimirum, "se non acce- „ pturum, sive per seipsum, sive per alium, ullum munus, „ aut oblationem honorariam, sive in pecunia, sive in bo- „ nis, pro collatione cujusquam officii vel ministerii sibi „ competente; nec permissurum, ut ulla sibi fiat ejusmodi „ promissio eo intuitu."

XLIV. Huic propositioni responderunt dictæ tres Facultates, "id non licere. Et quisquis (inquiunt) eorum ali- „ quid, quæ in istis formulis tanguntur, juxta quod planissi- „ mè verba sonant, fecerit, & tamen juraverit, se non fecisse, „ est indubitati perjurii reus." Quam suam assertionem solidissimè adstruunt, refutatis argutiis, & detectis palliis, quæ ingeniosa ambitio ad excusandas excusationes in peccatis, & ad perjuria in oculis hominum pallianda & occultanda adinvenit. Et quia etiamnum hodie videntur multi hujusmodi vanis prætextibus illudi, & perjuria manifesta tegere velle, non inconveniens credidi, hanc integram Consultationem in fine hujus Capitis exhibere.

XLV. Interim si Principum mens in præscribendis prædictis juramentis attendatur, constabit, omnia hæc juramẽta unicè instituta & ordinata esse, ut Judices & Magistratus constituantur *Viri potentes & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam*; & qui sine ulla personarum acceptione, ulliusque retributionis intuitu, administrent omnibus indifferenter justitiam; ita ut nulla ipsis sit distantia personarum; ita parvum audiant, ut magnum, nec accipiant cujuspiam personam, quemadmodum Judicibus jam pridem præcepit Deus per Moysen *Deuteronomii* 1. addens: *Quia Dei judicium est.*

XLVI. Unde & in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 21. præcipitur, ut Consiliarii aliique de Curia pauperibus *pro Deo*, id est, *gratis* inserviant, atque æquè pauperibus, quàm divitibus parati sint.

Quod ut exactiùs servetur, *a.* 20. interdicitur Consiliariis, à litigantibus ante vel post sententiã accipere præter constituta salaria quodcumq; munus, sive sub prætextu habendæ expeditionis, vel alio quocumque, sub pœna, quod hujusmodi munus dantes, aut acceptantes arbitrariè corrigentur. Verba articuli sunt: *Dat alle, die van onsen voorsz. Raede sullen hen respective te vreden houden mette gagien, die hen by ons toe ghevueght ende gheordineert zyn, ende oock metten anderen accidenten van rapporten ende vacatien sonder dat iemandt van hen, oft iemandt anders in heure naeme eenighe schencken oft ghiften voor oft naer't vonnisse sal moghen van d'eene oft d'andere partyen litiganten, oft van heuren vveghen ontfanghen het vvare onder't pretext von expeditie oft anderssints, op de pene, dat de ghene, die hen ver voorderen, de voorschreven schencken oft ghiften te doen oft ontfaen, sullen arbitrarlyck ghecorrigeert vvorden.* Id est: Ut omnes, qui de Consilio nostro sunt, respectivè contenti sint mercede, ipsis per nos assignatâ & constitutâ, prout & aliis adventitiis emolumentis litium relatarum, & operæ impensæ, ita ut nulli suorum aut cuicumque alteri liceat eorum nomine, munera quæpiam, seu dona tam antè, quàm post latam sententiam, ab una seu altera litigantium parte, aut eorum intuitu recipere, quamtumvis accelerandæ causæ, aut alio obtentu, arbitrariâ punitione in eos constitutâ, qui prædicta munera aut dona offerre, seu admittere præsument.

XLVII. Judex igitur diligenter excussâ causâ, omnique adhibitâ operâ, ut notitiam veritatis & justitiæ habere possit, tenetur sine ullo personarum privato affectu, humanoq; & particulari intuitu in justitia & veritate judicare, & sententiam ferre, neutri litigantiũ plus favendo, quàm ipsa justitia & veritas favent; atque ita ostendat seipsâ, se non Dominum & arbitrum, sed ministrum dumtaxat justitiæ; juxta illud S. Ambr. in *Ps.* 118. "Bonus Judex nil ex arbitrio suo „ facit, sed juxta leges & jura pronuntiat, Statutis juris ob- „ temperat, nihil indulget propriæ voluntati."

XLVIII. Apage ergo illum horrendum, & omnis justitiæ eversivũ *casum pro amico*; qui judicem non ministrum, sed Dominum & arbitrum justitiæ constituit: meritòq; Alexander VII. & Innocent. XI. duas propositiones huic *casui pro amico* impensiùs faventes, latamque portam pandentes, respectivè condemnârunt. Propositio ab Alexandro damnata hæc est: "Quando litigantes habent pro se opiniones „ æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro fe- „ renda sententia in favorem unius præ alio." Ab Innocentio proscripta hæc est: "Probabiliter existimo, Judicẽ posse „ judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem."

XLIX. Numquam igitur Judex, tametsi causa utrimq; sit admodũ dubia, & probabilis, potest uni magis, quàm alteri litigantium *ex privato affectu* facere, sed decidere tenetur, prout in casu dubio Leges decidi volunt. Putà si agatur de causa criminali, tunc licèt sint probationes admodùm urgentes contra Reum, quæ causam reddant dubiam, nihilominùs Reus erit absolvendus, non ex favore speciali ipsius Judicis erga Reum; sed quia Leges nolunt Reum condemnari, præsertim ad pœnam capitalem, nisi *plenè* probatũ sit crimen; imò probationes sint luce meridianâ clariores.

Similiter & in causa Civili, in dubio uni alterive Parti favendũ erit, non quia Judex ei magis afficitur; sed quia Lex ob specialem rationem, vel ob conditionem personæ, putà quia minor est aut pupillus: vel ob favorem causæ, v.g. quia agitur de causa pia, disponit, ut in dubio pro Reo aut Actore decidatur: quo casu potest dici, quòd Lex dubietatem causæ tollat, ipsique Judici ostendat, pro quo judicare debeat.

L. Sed quid, si omnibus attentis & maturè ponderatis, causa maneat utrimq; admodũ dubia, nec lex disponat, cui adjudicari debeat? nec hoc casu fas est judici pro *amico* judicare, aut se ut justitiæ Dominum gerere; sed ubiq; se ut verum justitiæ ministrum exhibere, omni humano favore vacuum, causamq; sine acceptione personarum decidere debet: & si deprehendere nequeat, cui eam secundùm leges & regulas justitiæ adjudicare debeat, tenebitur rem controversam inter partes dividendo, unicuique pro ratione dubii assignare, quemadmodum jam pridem ostendit Juris-Consultus in *l.* 40. *ff. De Hæredib. instit.* & ex Navarro notat Zoësius ad titulum Digestorum *De Judiciis num.* 32.

LI. Ut autẽ judex animo ita indifferenti causam expendat & judicet, necessarium est, ut se affectibus & passionibus evacuet, atq; in ipso amor justitiæ & veritatis omnem spem timoremq; humanum superet; sitque tam fortis & constans pro justitia, ut superare queat omnẽ affectum cujuscumque alterius rei, cujus habendæ cupiditate, aut amittendæ

timo-

timore dimoveri posset ab administrandâ, indifferenti animo sine ulla personarum acceptione, justitiâ. Id indicare volunt Ecclesiasticus, monens filium suum *cap. 7. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Et ibidem *cap. 4. Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

LII. Et quis est, qui inter omnes humani intellectus tenebras omnesque irruentes tentationes & passiones à justitiæ tramite non aliquando deflectat, nisi ei datum fuerit desuper; eumque dirigat, illuminet, & sustineat Spiritus Sapientiæ, Spiritus scientiæ & fortitudinis? Proinde meritò cum Salomone sæpiùs ad Deum clamat Judex, præsertim dum causæ decisio urgetur: *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam... & mitte illam de cælis sanctis tuis, & sede magnitudinis tuæ ut mecum sit, & mecum laboret, ut sciam, quid acceptum sit apud te.*

Resolutio trium Facultatum Theologiæ, Juris Canonici, & Juris Civilis.

„RESpondetur, non licere. Et quisquis eorum aliquid, quæ in istis formulis tanguntur, juxta quod planissimè verba sonant, fecerit; & tamen juraverit se non fecisse: est indubitati perjurii reus. Non est ista in puteum Democriti abstrusa veritas, ut nonnulli putant, sed ita perspicuè oculis humani generis exposita: ut non minùs dolendum sit, imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obscurari, ut eam, jam olim inter ethnicos indubitatam, à peritioribus veluti dubiam discutiendam censeant; quàm ipsos peritos cupiditatibus alienis usque adeò lenocinari, ut tam lucidissimam tortuosis ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de conscientia hominum delere velle videantur. Quid enim? An fortè non est jusjurandum, quo se dicunt sanctè promittere, tactisque Evangeliis jurare? An non disertis verbis omnia & singula se fecisse vel facturos esse negant *per se, per alios, directè vel indirectè, quocumque modo*, quæ secundùm apertissimum verborum sensum, quem ex Principis & Reipubl. mente habent, & omnium hominum sano judicio præ se ferunt, eos fecisse, vel facere se sciunt, & in ipso casu supponuntur? Falsum ergo esse sciunt, quod jurant, & proinde perjurium est. Quid enim perjurium, nisi jurare, quod falsum quis arbitretur: videlicet non se fecisse vel facturum esse, quando se fecisse aut facere norit? Unde Aug. *Serm. 28. de verbis Apost. cap. 2.* totius humani generis sensum de illa veritate promens, *Da*, inquit, *alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis, quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur.* In quo genere jurantium viderint illi, num ab Augustino comprehensi sint, qui sciunt se prensationibus, promissis vini, cerevisiæ, pecuniarum effusionibus, nundinatos esse Magistratus, Lectiones, aut officia: & scientes videntesque, coram scientibus, Deo ipso, quem testem invocant, inspectante, nihilominus jurant non fecisse: videant, inquam, etiam atque etiam, utrùm ipsi non sint, qui *jurant tanquam verum sit, quod sciunt falsum esse*; & simul videbunt, quàm *detestanda bellua, & de rebus humanis exterminanda*, veritate per os Augustini loquente, decernantur. Cujus quidem rei ratio ut enucleatiùs intelligatur, & occurratur frivolis quorumdam cavillationibus, quibus tanquam ficulneis foliis turpitudinem tegunt, sciendum est, certam, receptissimamque esse veritatem, etiam apud illos, qui quàm maximè habenas adulterandæ veritati laxaverunt, fallaciisque verborum perturbârunt humani generis commercium, eum qui sponte suâ, nemine, nisi propriâ ambitione allequendi honoris impellente, juramento sese ingerit, & ejus necessitati se exponit; atque interim Princeps vel per se, vel per statutum justissimis de causis latum, præcipit, ut juret veritatem, non posse aliter jurare, quàm secundùm mentem Principis ac Statuti. Tunc enim, quidquid aliàs licere vel non licere quispiam dixerit, cessat omnis causa, vel in speciem legitima fucandæ veritatis. Nam & Princeps, ut supponimus, legitimè jubet, & Principi legitimè jubenti obediendum esse lex humana & divina, & naturalis & æterna testatur; nec Principi obedire potest, nisi eo sensu jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa verba planissimè profitentur. Nam in illis circumstantiis, nescio, quo privato sensu à sensu Principis, & statuti, & Reipubl. & omnium hominum alieno jurare, non est obedire Principi, sed illudere: neque calliditas ista à perjurio jurantem liberat, sed eum reddit Principis indignatione, & humani generis detestatione digniorem. Omnem enim fidem ex ejus commercio funditùs tollit, qui in tam rationabilibus circumstantiis adhuc à verborum strophis, & occultis sensus versutiis præsidium petendum putat. Atqui hæc omnia in præsenti casu concurrunt liquidissimè. Nam & Princeps legitimus jurari veritatem jubet, & legitimè jubet, & tota Respublica id, quod jubet, probat, & quo sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissimis notum est: & res gravissima est, & Reipubl. omninò necessaria, & neminem ad jurandi necessitatem adigit nisi propriæ ambitionis æstus, qui ad honores per ambitus corruptelas anhelat & properat. Quis igitur dubitet, hîc fidem atque sinceritatem jussui statutoque Principis, & exspectationi Reipubl. deberi, nisi qui dolosè jurando fallere, & omnem loquendi sinceritatem, omnem jurisjurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quisquam injurato credat, si neque juratis hîc tutò credi potest? Si, inquam, liceat hîc commentitio verborum fuco Principis & Reipublic. & omnium hominum exspectationem fallere; & de cœptis interrogatum, de aliis jurare? Hoc enim non jurare, sed pejerare est. Nam, ut optimè verissiméque S. Aug. Epist. 224. *Expectationem eorum, quibus juratur, quisquis deceperit, perjurus est*: quod cum prædictis saltem circumstantiis, si unquam, absolutissimè verum esse, nullum dubium esse debet. Quam perversitatem nimis Reipubl. etiam in loquendo, nedum in jurando, perniciosam graviter perstrinxit Tertull. lib. 4. cont. Marc. c. 38. *Justa & digna præscriptio est, in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Ceterùm aliud consulenti aliud respondere, dementis est.* Et Aug. Epist. 224. fallaciis pejerantium terminos collocans, fidentissimè dicit; *Illud sanè rectissimè dici non ambigo, secundùm expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri: nam verba difficillimè comprehendunt maximè breviter sententiam, cujus à jurante fides exigitur. Unde perjuri sunt, qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Propter quam, credo, absolutissimam Augustini resolutionem Veritas illa in Jus Canonicum, Sancto Isidoro Hispalensi Episcopo verba præformante, translata est. Cap. Quacunq; art. 22. q. 5. S. Isidor. l. 2. sent. c. 31. *Quacunque arte verborum quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit.* Unde perjurium simul ac dolum in hujusmodi jurejurando, quod ad privatas intentiones relicto legitimo verborum sensu detorquetur, non minùs Isidorus atque Augustinus detestantur; Isidor. ibid. dum non minùs ita jurando, quàm *proximum dolo capiendo*, jurantes reos fieri volunt. Nempe uterque regulam à Spiritu Sancto. . . . in-

intuebatur; qui cùm rogaretur à Propheta suo, Ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Planissimum responsum dedit, non solùm dicendo: *qui loquitur veritatem in corde suo*, ibid. v. 3. & 5. quod omnes isti Principum & Reipubl. Ludificatores pro se jactitant; sed etiam addendo: *Qui non egit dolum in lingua sua: qui jurat proximo suo, & non decipit.* Quantò justius addas: Qui jurat Regi suo & Reipubl. & non decipit? Nam hujusmodi deceptio, si uspiam, certè in istis nostri casûs circumstantiis, tam æqu è ex parte Regis & Reipubl. tam iniquis ex parte ambientium, qui ultrò præcipites in istas mentiendi & pejerandi angustias ruunt, maximè detestabilis est: ut sanè adversùs tales potissimùm sententias suas Scriptura & Veteres isti pronuntiaverint, quibus & Zacharias exitium comminatur, Zach. 5. 3. & 4. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: & veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.*

Deinde ex alio capite doctrinæ istius veritas perspicuò constare potest: quando enim à Principe, vel Collegiis popularibus aliqui ad Magistratum vel Professiones Academicas adsciscuntur, inter Eligentes Electosque expressum hoc intercedit pactum, ut non aliâ lege ad Magistratum aut Professionem admoti censeantur, quàm si solemni jurejurando hi se de ambitu purgaverint; illi verò præterea se viros idoneos, Officiis atque Lectionibus, citra personarum acceptionem, ac munerum sordes, se admoturos receperint, juxta formulas juramenti supra descriptas. Jam verò certum est, & omnium Doctorum sententiâ indubitatum, à conventionibus pactisque mutuis, sive tacitis sive expressis, omnem abesse debere fraudem, dolumque malum; multóque magis à Sacramentis, quibus conditionem appositam se servaturos alter alteri spondet ac jurat. Est autem fraus, dolusque malus, *sicut scit omnis, qui verba Latina intelligit, cùm aliud agitur, & aliud fingitur*, inquit Augustinus Tract. 7. in Joann. & in Psalm. 5. & in 14. Vel, ut alibi post Philosophos dicit: *Cum aliud agitur, aliud simulatur: cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Tull. lib. 3. offic. Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit, *perfidi, improbi, malitiosi sunt*: qui autem Dei testimonio hdem simulationis illius supplere volunt, perfidiæ addunt perjurium. Alterutrum autem quisquis tanquam licitum in conventiones humanæ societatis admittit, omnia profectò vincula mutui commercii disrumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, jurantibus; pontemque sternit, per quem omnes fraudes, mendacia, perjuria tutò transeant. Hoc certè scio, quisquis hujusmodi restrictionum, vel potiùs fraudium aut mendaciorum strophas in mutuis conventionibus permissas putat, nemini succensere debere, qui sibi juranti, cælumque & terram in fidei subsidium invocanti, non crediderit. Quâ pœnâ talibus nulla forsan justior, & ad perversitatem illam corrigendam opportunior infligi posset: nimirum, ut suam omnibus hominibus fidem in loquendo suspectam esse sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustulerunt. Fixum ergo ratumque maneat, à pactis mutuis omnem abesse debere fraudulentiam; omnem ergo occultam restrictionem, quæ verbis ex mente paciscentium non comprehenditur. Tantò enim perniciosior ille dolus est, quantò latentiùs lædit; tantò detestabilior, quantò majori hypocrisi sub integritatis pallio latet. Ex quo nascitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciscendo, pactique conditionibus jurejurando sanciendis, etiam hostem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præ se ferens, sacrilegus & perjurus sit. Talis judicatus est olim Cydias, Historiam narrat ex Herod. Stobæus serm. 26. qui cùm aurum ex deposito reddendum suscepisset, baculum, cui illud incluserat, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manu tenendum tradidit, intereà testem invocans Deum cum versuta mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse. Sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effusum, dolus detectus fuit; Cydias cum detestatione humani generis malâ morte periit. Tales & illi multò potiori jure sunt, qui cùm Professionem, vel Magistratum, sub lege præstitæ vel præstandæ integritatis, à nundinationum sordibus, acceperint, eamque pecuniarum & munerum acceptione apertissimè violaverint; audacter jurant, eam se præstitisse, videlicet (sicut mentis restrictione Principem suum ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, *publicè*: ut alii, *non ab indignis*: ut alii, *non ultrà solitum.* Quasi verò acceptio clancularia, aut ab eis, quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnatæ impositâ lege corruptelæ. Sic enim, his authoribus, etiam Romanus populus pejerare potuisset, se nihil omninò accepisse, quando usque adeò consuetudine quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur ὡς ἐργασίαν νομίμην, *ut opificio consueto*, Plutarch. in Catone Uticensi palamque in foro, mensæ pecuniis plenæ ponerentur, quibus suffragia populi redimerent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnunquam palam, nihil sæpiùs ab indignis accipiebant. Idem in Cæsare. Nam Cæsar inter cæteros industriâ, fortitudine domi bellique clarus, & per quàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam tenebat plebem. Sed quemadmodū nemo dubitat, intolerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutræ restrictionum beneficio inter jurandum interposito, à manifesti perjurii labe excusari possunt. *Fraus enim astringit*, non dissolvit perjurium, Cicero lib. 3. offic. Nec verò veritas ista tam obscura est, ut vel in solis Doctoribus Ecclesiasticis, vel in Sacris Literis quærenda sit. Vidit eam, scripsit, opereque expressit impietas Paganorum, ut pietas Christianorum nostrorum erubesceret. Marcus enim Attilius Regulus, cùm à Carthaginensibus captus, eis non per Sacramenta Dei veri, sed per dæmonum inquinamenta jurare cogeretur, ut nisi captivorum commutationem impetrâsset, rediret ad carcerem; non putavit in istis angustiis aliquâ jurandi dexteritate sibi posse subveniri, sed horrendos corporis cruciatus sibi revertendo subeundos potiùs arbitratus est, quàm fallaciter suum de reditu jusjurandum intelligendo, vel non redeundo, pejerare. Perjurum enim se omninò fore judicavit, si aliud iuraret, quàm quod legitimus verborum sensus præ se tulit, quodque ab illo non Rex, non Respublica sua, sed hostis firmandum Sacramenti sanctitate postulabat. Nam hinc est etiam illud præclarum, & ab Augustino epist. 124. celebratum, quòd Romana Censura post acceptum Cannensem cladem noluit retinere in numero Senatorum (Polib. & Aug. unum fuisse volunt ex decem. Livius verò & Attilius Græcus plures, de quo & Tull. in fine 3. offic.) non solùm eos, qui metu mortis crudeliumque pœnarum apertissimè pejerare, quàm ad castra Pœnorum redire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu perjurii se putaverant absolutos, quia post præstitum jusjurandum quasi aliquid obliti, fictâ nescio quâ necessitate, reversi fuerant, quam quodam jurandi artificio præter mentem eorum, quibus juraverant, excepisse videbantur. Omnibus enim notis ignominiisque confectos esse tradunt, ut quidam eorum mortem sibi exemplo consciverint; cæteri non foro solùm omni deinde vitâ, sed prope luce, ac publico caruerint. Vide Livium lib. 22. in fine. Tull. in fine lib. 3. offic. *Ita non attenderunt*, inquit Aug. Epist. 124. *qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitâsset, sed quid ab illo ii, quibus juraverat, exspectarent.* Hæc legimus, hæc miramur, hæc infidelium sensa & facta laudibus in cælum tollimus; & nos Christiani disputandum putamus, utrùm perjuri sint, qui non hostibus sed Reipublicæ & Regi suo, nullo mortis justæ vel injustæ, nullo carceris accen-

arcendi metu, sed se ambitionis æstu stimulante, ultro sese ad Magistratum & Officia inde ad jusjurandum subeundum offerunt, scientiâq; facti sui, & conscientiâ reclamante pejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse, quæ jurisjurandi formulâ exprimuntur? Et quod magis intolerabile est, ad hoc nefas quasi licitum, viri boni, nescio quâ Theologiæ quasi limatioris fiducia annuendum esse decernunt. Quid enim est hoc aliud, quàm artem fallendi Principem & Rempublicam adeoq; pejerandi tradere si verum est, quod verissimum esse in casu longè mitiori docuit August. 224. *Perjuros esse, qui servatis verbis exspectationem eorum quibus juratum est, deceperunt?* Quæ si temporibus Augustini monstra sententiarum produxissent, quantâ vocis contentione & animi gemitu iterum juxta doctrinæ suæ jam traditæ regulam exclamasset Lib. cont. mendac. c. 18. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! & quid faciemus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab ira Veritatis si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Ab hujus labe criminis aliqui se immunes putant; quòd non aliter censeant intelligendum hoc jusjurandum, vel aliter à Principe intelligi, quàm ne corrumpantur donis promissisvè Collatores, ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quod Princeps sciat istam donandi potandique consuetudinem, nec in statuti (ut sonat) transgressores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accersitur: sed toto cœlo falluntur, primò, quia ex conniventia Principum, scelerum licentiam colligere, fallacissimum est argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt, multa possunt & expediunt, sed opportunius differuntur; multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis severissimè punienda, relinquunt Deo, qui solus occultorum testis & judex est. Deindè, quòd putant Principem & Rempub. intelligere cum ista restrictione juramentum, sine dubio falsum est. Primò, quia non potest cadere in priorem juramenti partem, quia quisque jurat, *se non ambivisse muneribus Magistratum.* Illius enim sensus absolutus est, quod munera nulla dederit, quibus suffragia compararet, sepositâ omni dignitatis indignitatisq; consideratione. Quid enim magis fingi posset fatuum, quàm jusjurandum ab aliquo de sua dignitate seu capacitate postulare, ut videlicet juret, nullis muneribus, quibus eligentes corruperit, se ambivisse, ut se indignum eligerent? Igitur neq; restrictio illa in posteriorem partem cadere potest, qua iidem jurant, *se munera non accepturos.* Disertè enim additur, *quòd similiter*, sive eodem sensu, quod jurant se non dedisse, jurent se non accepturos esse munera. Deindè, quemadmodùm officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipubl. est, ita & muneribus corrumpi, ad officia minùs dignis conferenda, prætéritis dignioribus, Reipubl. vehementer noxium est. Utrumque ergo incommodum amoliri voluerunt, qui in bonum Reipubl. istas jurisjurandi formulas præscripserunt. Denique, quia juramenti objectum, sensus, & veritas verborum, quibus expressum est, ex significatione pendet, non ex conceptibus, quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Ex mentali autem restrictione verborum significationem suspendere, est omnem istorum vocalium signorum vim ac certitudinem, adeoq; omnem humanæ societatis fidem, quæ citra illam subsistere nequit, uno letali ictu interimere. Cùm ergo in præscriptis jurisjurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel indignitatis significationem præ se ferat, non est illa juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergo eorum, qui concurrunt æstimatio, conscientiæ cujusque juxta naturæ legem relicta fuit, non autem juramento illigata; propterea quòd plerumque illius comparatio incertior sit, quàm ut juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quàm ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio, Collatorum judicia excæcare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illæque sinceritatis pestes facilè notari possunt, in eas cautio juramenti palàm directa fuit, ut universim excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum talium nuper perspicuè exposuit. Nam in Edicto an. 1626. quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur, disertissimis verbis declarat in præfatione, se non permittere, *ut Collatores officiorum ex eis emolumentum suum captent, non magis venditione, aut elocatione, quàm aliâ quacumq; ratione: neque ut quispiam accipiat aut largiatur quicquam respectivè in recognitionem aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocumque modo.* An dignis vendere & elocare, à dignis pretium emungere, caveas cerevisiarias exigere, non est suum captare emolumentum? Hinc ulteriùs in eodem Edicto Art. 1. cuncta officia, quæ tali modo extorta fœdataque fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur. An dignorum officia, non sunt officia? Hinc quotquot præterea pretii alicujus accepti aut dati culpâ detinentur, officiis dejiciendos, & ad hoc ipsum vel aliud administrandum totâ vitâ inhabiles esse, sancitur. Quæ profectò manifestissimè clamant, omnes omninò quorumlibet corruptelas, sive digni sive indigni videantur Candidati, Regia Sanctione esse suppressas. Et sanè remedium, quod sordibus istis coërcendis jam olim publica authoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit, esseve poterit utilitatis: juramento enim satisfecerit, fidemque purgaverit suam, quisquis dixerit se dignum putavisse, qui revera indignus fuerit: adeoque jurisjurandi violati non nisi à seipso damnari poterit. Neque minus contra scopum hujusce Regiæ Sanctionis tendit, quod à dignis, quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud imprimis spectat Princeps, quemadmodum latè in ipsa Præfatione aliisque locis declaratur, ne populus exactionibus, aliisque illicitis emungendæ pecuniæ modis, à Magistratibus Præfectisque suis opprimatur, dum pretium, quo in venandos honores & officia, plena manu fusum fuit, paulatim iterum cum fœnore colligitur. Quod profectò malum Reipubl. ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. Nec verò umquam hujusmodi leges & juramenta sic intellecta fuerunt in Rebus publicis, quæ sordes ambientium severè coërcendo, oppressiones justitiæ & populi, aliaque mala, à cervicibus suis arceri voluerunt. Testis est Romana, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, sive de cætero digni sive indigni haberentur. Qua de causa crimen istud etiam in maximis illius Reipub. viris tum accusatum, tum magna severitate vindicatum est. Nam ut Salustius *Vir bonus ad honores & imperium verâ viâ*, Salust. in Conjur. Catil. hoc est, ut eum exponit Aug. lib. 5. de Civit. cap. 12. virtute, *nititur: malus dolis atque fallaciis contendit*: Inter quas profectò, munerum corruptelæ non infimum locum tenent. Itaque postquam suffragiorum invaluisset corruptela per adulteratos populi mores, & Cato legem à Senatu ferendam curasset, quo Magistratus designati, si neminem accusatorem haberent, Plut. in Catone Minore, *jurato judicio se offerre cogerentur, atque ibi rationem parati Magistratus reddere*; etiam perjuri habiti sunt, non solum suffragatores, qui pretio in Candidatos traducti probarentur, sed etiam Candidati, si cujus facta Sacramento ejus dissona probata fuissent. Quam propterea legem ita timuère Candidati, ut periculosissimus tumultus adversus Catonem concitatus fuerit. Nimirum, quia nondum didicerant à Christianis Ethnici dexteritatem deponendi istius metus, subtilem, inquam, illam Theologiam, qua legitimam Reipubl. Sanctionem de non comparandis aut vendendis pretio suffragiis, quam juxta

„ Reipub. mentem violassent, sine perjurio se non violasse „ jurarent. Perjuri igitur fuerunt Ethnicorum judicio, qui „ Magistratus aut officia pretio ambientes, se pretium non „ dedisse pejerassent. Perjuri fuerunt, etiam Imperatorum „ judicio, Theodosii & Valentiniani, qui cum jussissent Ma- „ gistratus, lege Sancimus ejusmodi, Cod. ad legem Julian. „ Repetund. *juratos inter gesta depromere, se pro admini-* „ *strationibus sortiendis, neq; dedisse quidpiam, neq; daturos* „ *nunquam postmodum fore sive per se, sive interpositam perso-* „ *nam in fraudem legis Sacramentique*; quæ formula hodi- „ erno juramento, de quo tractamus, est simillima, adver- „ sùs trangressores, tanquam publico crimine neglecti Sa- „ cramenti perjuros, addunt, *Si quis ausus fuerit præbita* „ *Sacramenta negligere, non modò adversùs accipientem,* „ *sed etiam adversùs dantem accusandi cunctis tanquam* „ *crimen publicum concedimus facultatem.* Quòd si quis à „ Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus & priscis „ Romanæ Curiæ Censoribus tanquam Theologiæ imperi- „ tis, ad subsellia Theologorum Christianorum provocan- „ dum putet, profectò causa, de quâ satagimus, finita est. „ Perjuri enim fuerunt, etiam Principis Theologorum Au- „ gustini judicio: qui de tali suffragiorum suorum nundina- „ tore populo, quia juratos in suffragia mittebatur, sine flu- „ ctuatione decernet: Aug. lib. 3. de Civit. cap. 2. *Quid a-* „ *liud toties Senatores corrupti in judiciis, toties populus* „ *in suffragiis, vel in quibusque causis, quæ apud eum* „ *concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabunt?* „ *Nam corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi serva-* „ *batur antiquus, non ut à sceleribus metu Religionis pro-* „ *hiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus cæteris ad-* „ *derentur.*„

CAPUT III.

De Forma concipiendi & pronuntiandi sententiam, & condemnatione in expensas & interesse.

1 *Sententia concipienda est prævia plenaria causæ discussione.*
2 *Sententia scripto mandanda est.*
3 *Justinianus nonnullas sententias excepit.*
4 *Hodie Sententia sive dictum scribitur.*
5 *Quod vocetur* dictum; *& quid sententia* extensa?
6 *Primitus Sententia in foro Ecclesiastico non ferebantur* ex scripto.
7 *Hodie dispositio Juris Civilis etiam in foro Ecclesiastico* (*recepta est.*
8 *Hoc tamen non obtinet in sententia interlocutoria.*
9 *De Jure communi, & stylo fori Ecclesiastici sententia à judice pronuntianda est.*
10 *Et à* sedente *pro tribunali.*
11 *Jus Civile permittit Illustribus personis, ut sententias per* alios *pronuntient.*
12 *Ad harum exemplum id & Episcopis permittitur de Jure Canonico.*
13 *Hodie Magistratus Civiles sententias pronuntiant per suos Secretarios aut Graphiarios.*
14 *In quibusdam Curiis sententia non recitatur; sed duntaxat Partibus traditur.*
15 *De Jure communi sententia pronuncianda Partibus præsentibus aut saltem citatis: cui consonat stylus Curiarum Ecclesiasticarum, sed non secularium.*
16 *Sententia de jure ferenda in Procuratorum; Secus de Praxi.*
17 *Quo die sententia pronuncianda?*
18 *Sententia definitiva debet etiam esse super expensis & interesse.*
19 *An ob omissam condemnationem in expensas possit Victor appellare?*
20 *Regula communis victum Victori in expensas esse condemnandum.*
21 *Nonnumquam licita expensarum compensatio.*
22 *Frequentiorem expensarum compensationem coërcuit Edictum de anno 1611.*
23 *Renovavit Edictum anni 1585. & quid hoc contineat,*
24 *His Edictis consonant Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl.*
25 *Quid agendum dum in Scripturis Partium multa inutilia & impertinentia miscentur.*
26 *Hodie solent in sententia interlocutoria reservari expensæ in definitivam: nec de hac reservatione loquuntur Edicta.*
27 *Judex in sententia non solet exprimere determinatam summam expensarum: sed earum taxationem sibi reservare.*
28 *Quomodo hæc taxatio fiat?*
29 *Quæ in taxatione attendenda ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ.*
30 *Forma taxandi expensas utriq; Curiæ seculari & Ecclesiasticæ conformis.*
31 *Taxa expensarum tradenda Victo, & quare?*
32 *Condemnatio ad interesse, & restitutionem fructuum quomodo de jure facienda?*
33 *Interdum Judex ex officio taxat interesse; interdum injungit Parti ut specificet suum interesse.*
34 *Declaratio interesse à Victore exhibita tradenda Parti Victæ ad diminuendum.*
35 *Advocati puniendi qui excedunt in taxando interesse.*
36 *Plura circa taxationem interesse & restitutionem fructuum remissivè.*

I. IMprimis jam pridem ab Imperatoribus ordinatum fuit in *L. 2. Cod. De Sent. ex breviculo recitandis*, „ ut Judices quos cognoscendi & pronuntiandi necessitas tenet, non „ subitas, sed deliberatione habitâ post ne- „ gotium sententias ponderatas sibi antè forment.„ Requiritur igitur, ut Judex sententiam suam formet præmissâ de toto negotio plenâ deliberatione, & causæ discussione, de quo actum capite præcedenti.

II. Addunt dein Imperatores: „ Et emendatas statim in li- „ bellum securâ fidelitate conferant, scriptasque ex libello „ Partibus legant.„

Hic patet, sententiam *scripto* esse mandandam; & ex scripto pronuntiandam: quod & apertiùs declaratur in *L. 3. Cod. eod*, ubi Imperatores renovantes prius Statutum, quo mandabatur Judicibus, ut *ultimas definitiones* (sive sententias definitivas) *de scriptis recitatione proferrent*, huic adjiciunt „ Sanctioni, ut sententia, quæ dicta fuerit, cùm *scripta* non „ esset, nec nomen quidem sententiæ habere mereatur.„

III. Justinianus Imperator ab hac generali regula excipit in *Novella 17. c. 3.* [è qua sumpta est Authentica NISI subjecta citatæ legi 3.] breves lites, & maximè vilium personarum; „ tunc enim (ait) *sine scriptis*, & sine aliqua expensa „ cognoscere Præsidem oportet.„

IV. Hodie similiter sententiæ in scriptum rediguntur priusquam pronuntientur; & quidem juxta ordinationes Curiæ Brabantiæ *art. 91.* ipse commissarius sententiam sive *Dictum*, ut vocant, concipere & *scribere* debet, illudque Concilio prælegere, ut approbetur.

V. Hoc *dictum* vocatur *breviculum*, Gallicè *Brief*, quasi brevi compendio exprimens sententiam judicis super causa controversa: unde nec in illo scribuntur dicta partium, & responsiones, uti notat Rebuffus tract. De Sententiis *art. 3. n. 40.* Si tamen pars petat suis expensis, sententiam habere cum summaria narratione eorum, quæ hinc inde dicta & allegata fuerunt, poterit id à Secretario sive Graphiario fieri; modò tamen exactè servetur formula ipsius *Dicti*, in quo nec jota mutari potest: Diciturq; tunc sententia *extensa*. Vide *art. 155. Ordinat. Curiæ Brabantiæ.*

VI. In suprà allegata Authentica, quâ à generali Lege de ferenda sententia *ex scripto*, excipiuntur causæ breves & ma-

Digitized by

maximè vilium personarum, additur & hæc exceptio: *Nisi Episcopus cognoscat inter suos subditos*: quæ desumpta est ex *Novella* 83. Justiniani, quâ declarat, Ut „si quis habet adversùs Clericos quamlibet pecuniariam causam, priùs ad „Deo amabilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet eum, & ex *non scripto* judicium „mereatur, & si hoc fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad „Auditoria Civilia, neq; à sacro eum vocare faciat ministerio, sed ex non scripto examinetur negotium sine damnis, „& accipiat formam forsan etiam scriptam, si hoc quoque „Partes voluerint & poposcerint: & liberentur alterutro „certamine.„

Ex hoc contextu Justiniani manifestum est, quòd Imperator supposuerit, apud Episcopum summariè, & citra formam judicialem causas examinari & definiri; ac ideo nec scripturâ opus esse, quæ in summariis nec hodie requiritur: atque ita durante vetere disciplinâ fori Ecclesiastici, nec hæc formalitas exigebatur.

VII. At postquam forma judicialis & forensis intravit in forum Ecclesiasticum, etiam & hæc formalitas necessaria fuit, & expresse declaratur in *Cap. fin. De Sententia & re judicata in VI.* ubi refertur & probatur supra relata *Lex.* 3. quæ ait, sententiam quæ ex non scripto recitaretur, nec nomen sententiæ mereri.

VIII. Notat autem ibidem Glossa verbo *definitiva*, quòd hæc intelligenda sint de sententia *definitiva*, non autem interlocutoria; quia necesse non est, quod hæc proferatur & recitetur in scripto. „Potest ergo (ait) judex interloqui, & postea interlocutoriam illam tabellio rediget „in scriptis: nec est etiam de necessitate, quòd redigatur in „scriptis: sed aliàs non creditur judici, nisi id pateat per „scripta actorum.„

IX. Sententia ab ipso judice partibus prælegenda est, citatâ *lege* 2. *Cod. De Sententiis ex breviculo recit.* Quod & probatur à Pontifice in allegato Capitulo finali: additq; expresse, quòd sententia definitiva debeat à judice, *non ab alio* de scripti recitatione proferri: quod & Officiales aliiq; inferiores judices Ecclesiastici observant; præcipiturq; in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art.* 57. „ut judex pro tribunali sedens, in loco consi„storiali, die juridica, definitivam sententiam *in scriptis* ferat.„

X. Dicitur *Sedens*, quia in dicto Cap. finali expressè decernitur: „Sententia quam scripto edi à Judice litigatoribus „non recitari, vel ab ipso *Stando, non sedendo* proferri con„tingit, *nullius* penitus est momenti.„

XI. Ab hac tamen regula facit citata *Lex.* 2. hanc exceptionem: „Exceptis tam viris eminentissimis Præfectis præ„torio, quàm aliis illustrem administrationem gerentibus, „cæterisq; illustribus judicibus, quibus licentia concedatur „etiam per officium suum, & eos qui ministerium suum „eis accommodant, sententias recitare.

XII. Ad exemplum illustrium personarum, permittit quoq; Pontifex in dicto *Cap. fin.* ut Episcopo, sententiam ab eo ferendam liceat *per alium* recitare: „quem (ait) prop„ter dignitatis prærogativam amphori convenit honore „fulgere.

XIII. Eodem forsan exemplo illustrium personarum, mos receptus in Curiis sæcularibus, sententiam recitari ex scripto, non ab ipso judice, sed à Graphiario sive Secretario Curiæ præsente Senatorum cætu, aut saltem coram duobus Curiæ Commissariis, uti post alios citatos notat Christinæus ad Bugnyonium *lib.* 1. *c.* 13. & de Gallia testatur ibidem Bugnyonius, uti & *lib.* 2. *c.* 136.

XIV. Imò in quibusdam Curiis moris est, ut sententia non recitetur, sed solùm per Graphiarium in scriptum redacta Partibus tradatur; quemadmodùm annotat Tuldenus ad titulum *Codicis De Sententiis ex breviculo recitandis n.* 4. addens: „Quod quidam minus laudant: quia per publicam „recitationem, minorem fore putant confidentiam deflectendi ab æquitate. Pudor enim per oculos maximè subit „& impudentia secretò animatur.„ Idipsum notavit Perezius ad eumdem titulum *n.* 6.

XV. De jure, sententia pronuntianda est Partibus præsentibus, aut saltem ad audiendam pronuntiari sententiam citatis, & non comparentibus. De unoquoque enim negotio præsentibus, quos causa contingit, judicare oportet, inquit, *l.* 47. *ff. De Sent. & re jud.*; & ita servatur in judiciis Ecclesiasticis: sed in Curiis sæcularibus non solent partes citari ad audiendam pronuntiari sententiam, uti monet Zypæus in notit. Juris Belg. tit. *De Sent. n.* 6, & latè Merula in Praxi *lib.* 4. *tit.* 89. *c.* 1. *n.* 10. rationes hujus praxeos allegans.

XVI. Similiter tametsi de Jure Civili debeat sententia ferri in Procuratorem, qui per litis contestationem censetur factus dominus litis, *l.* 1. *Cod. De Sententiis & interlocut. omnium jud.* hodie tamen indistinctè in ipsos Dominos concipi & ferri solent omnes sententiæ; idq; ubique in omnibus passim Curiis, tam Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus observatur, uti videri potest apud auctores citatos à Christinæo ad Bugnyonium *lib.* 2. *cap.* 32. Quia Procuratores hodierni, non Domini litium, sed ministri Litigantium habentur.

XVII. Sententia pronuntiari potest omni die juridica: singulariter tamen & solemniter in aliquibus Curiis pronuntiari solent quater in anno; scilicet ultima die juridica: ante vacantias Paschatis, Pentecostes, Augusti; Nativitatis Domini. Merula loco citato *n.* 11.

XVIII. Quia per sententiam definitivam finis totalis imponendus est Partium disceptationi, idcirco non tantùm super principali, sed & accessoriis, ut sunt expensæ litis, fructus interim percepti vel percipiendi, damnum & interesse, pronuntiari debet: ut ita controversia super his, unà cum principali terminetur.

Et quidem juxta *l* 3. *Cod. De Fructibus & litium expensis*, „terminato, transactoq; negotio, posthac nulli actio, neq; „ex rescripto super sumptuum petitione præstetur, nisi Ju„dex, qui de principali negotio sententiam promulgavit, „cominus partibus constitutis juridica pronuntiatione si„gnificaverit, *victori causæ restitui debere expensas, aut su„per his querelam jure competere.*„

Ratio subjungitur: „Post absolutum enim dimissumq; „judicium, nefas est litem alteram consurgere ex litis pri„mæ materia.„

XIX. Si Judex condemnationem expensarum omiserit, non propterea de jure, victo appellare licet. *L. fin. Cod. Quando provocare non est necesse*: Sed aliud praxis videtur recipere, atque appellationem ab omissa condemnatione in expensas admittere; soletque dici appellatio *à minima*. Praxis enim habet, ut litigantes concludendo etiam petant condemnari Partem adversam in expensas; ac per consequens, Judex non condemnando, conclusioni non satisfecisse censetur. Vide Christinæum in notis ad Bugnyonium *lib.* 1. *c.* 15. *litt. B.*

XX. Et quia Pars causâ cadens, præsumitur, alteram injustè in judicium vocasse, eiq; injustè litem movisse, communis regula est, victum victori in expensas condemnandum, juxta *l. penult. Cod. de Fructib. & expens. lit.* in verbis: „Constitutio præcipit, ut quivis Judex in sententia sua „jubeat *victum* factos in judicio *sumptus* præstare.„

XXI. Cùm tamen nonnumquam contingere queat causam adeò fuisse utrimque obscuram, tantaque etiam pro Victo argumenta, ut revera nulla possit dici subfuisse temeritas litigandi ex parte Victi; sed probabilem admodùm rationem judicio experiendi habuisse videatur, poterit quoque Judex in hujusmodi casibus, Victum ab expensarum vel saltem earum parte absolvere; & uti hodie loquuntur, vel in totum, vel pro parte *expensas compensare*: id est, ut utraque pars in totum, vel pro parte suas expensas ferat: atq; hujusmodi expensarum compensationem hodie, tam in Curiis Ecclesiasticis, quàm Sæcularibus frequentari videmus.

XXII. Sed quia praxis invaluerat, quòd leviori ex causa frequenter fieret expensarū compensatio, ac per hoc temeritas

ritas litigantium foveri videretur, Principes nostri Edicto anni 1611. *art.* 9. inhibuerunt omnibus Judicibus compensare expensas, etiam inter consanguineos vel affines, nisi ex *gravi admodùm causa*. Verba articuli sunt: *Om eenighsints te bedvvingen de temeriteyt van de litiganten, verbieden vvy aen alle subalterne ende overste Rechteren, te ghebruyken compensatie van kosten, maer vvel van condemnatie, tot laste van den gene, die ten principaelen sal verliesen, alvvaert soo, dat de Partyen maechschap vvarre, oft geallieert, ten zy nochtans om seer groote oorsaecken, vvaer mede vvy belasten hunne conscientien.* Id est: Ut aliqualiter cohibeatur litigantium temeritas, inhibemus omnibus tam subalternis quam Supremis Judicibus, ne compensationis expensarum consuetudinem inducant, at contra condemnationis onere illius qui cadet causâ principali, quantumvis etiam sanguinis vel affinitatis necessitudo inter partes intercederet, nisi tamen ratio gravis subesset, & eatenus eorum conscientiam oneramus.

XXIII. Addit præterea, ut ad præveniendas tergiversationes & calumnias, omnes judices observent Edictum de ultima Augusti 1586.

Extat hoc Edictum parte 2. Edict. Flandriæ *lib.* 1. *Rubr.* 5. In hoc Edicto imprimis decernitur, ut in condemnatione & taxatione expensarum, diligenter attendatur, & inspiciatur status causæ; uti & levitas, temeritas, calumnia sive dolosa protractio Partium litigantium; & sic ut compensatio expensarum non fiat, nec ob proximitatem sanguinis, affinitatis, vel conjunctionis inter litigantes, nec alio quocumque prætextu, nisi ex bonis, probatis, sufficientibus & legitimis causis, è quibus certi esse possumus de bona fide eorum, qui causâ ceciderunt. Verba Edicti sunt: *Ordonneren ende statueren, dat voortaen inde condemnatien ende taxatien van de kosten, alle goet ende zorghfuldigh aenschauvven de regard ghenomen sal vvorden op de ghelegenheyt van de zaken, midtsgaders op de lichtveerdigheyt, temeriteyt, calumnie oft bedrieghelycke stuyeringhe van de procederende Partyen sonder de kosten te compenseren, noch om maechschap van bloede, affiniteyt, oft alliance, dier soude moghen tusschen de selve partyen vvesen, noch onder eenigh andere deckse l, ten vvaere om goede oprechte suffisante ende Wettelicke redenen, vvaer deur men versekert vvaere van de goede trauvve van den ghenen in de zaecke vervallende.* Id est: Mandamus & statuimus ut in posterum quoad condemnationem & impensarum taxationem justè & sedulo causæ statum expendant, similiter & levitatem, temeritatem, & calumniam aut dolosas partium litigantium protractiones nec impensas compensabunt ob consanguinitatem, affinitatem aut conjunctionem, quæ inter dictas partes intercedere posset, nec alio quocumq; obtentu, nisi ob bonas dumtaxat, æquas, sufficientes & legitimas rationes, ex quibus de bona fide illius qui cadit causâ liquido constaret.

XXIV. His Edictis quoad condemnationem in expensas planè conformis est *art.* 58. *tituli* 11. *Ordinat. Cur. Eccles. Provinciæ Mechliniensis*: Caveat autem Judex diligenter, „ ut obviam eatur calumniis temerè litigantium, ne unquam expensas compenset, vel reservet, sed semper in „ easdem victum condemnet, nisi aliter ipsi videatur, ex justa rationabili, & gravi causa in jure fundata, quæ tamen „ majus momentum habeat, quàm sit vicina solum consanguinitas.„

XXV. Monet Antonius Anselmo in Commentario ad citatum *art.* 9. *Edicti Perpetui* §. 3. cùm in scripturis occurrunt inutiles repetitiones, discursus in aëre, impertinentes allegationes, &c. non quidem compensatio fiat expensarum, sed pronuntietur, ut earum in taxatione expensarum ratio habeatur; ipsiq; Advocati, qui excessum hujusmodi commiserunt, aliqua parte solatii sui priventur, uti anno 1650. pronuntiavit Senatus Mechliniensis in hæc verba: *Se condemne les reformans es depens du proces la taxe de quelle sera faicte moderement, en consideration de la superfluité des exhibitions & prolixité de ses escrisatures y servies. Ordonnant la Cour, aux Advocats de part, & d'aultre, de se contenter de la moitié des salaires qu'autrement leur eussent estre deuz au regard desdits escripts.* Id est: Condemnentur reformantes in expensas litis, quarum taxatio fiet cum moderamine, attentis exhibitionibus superfluis & scripturarum eò servientium prolixitate. Mandatq; Curia Advocatis utriusque partis, ut dimidiâ mercedis parte, quæ aliàs eis debita fuisset ratione instrumentorum litis sint contenti.

XXVI. Edictum non loquitur de reservatione expensarum; sed eam arbitrio Judicis reliquit. Unde & usus habet, ut expensarum reservatio in sententia interlocutoria fiat, usq; ad sententiam definitivam; uti monet Anselmo loco citato §. 1. licèt conveniens judicet, expensas retardati processûs in quolibet articulo, qui processum retardat, Victori refundere, non expectatâ sententiâ definitivâ.

XXVII. Hodie non solet Judex condemnando Actorem vel Reum in expensas, determinare in ipsa sententia certam summam, sed simpliciter condemnat in expensas litis, earum taxationem sibi reservando.

XXVIII. Igitur Victor, juxta hodiernum stylum, expensas libello comprehendit, isq; Victo communicatur: ut eo viso examinet, num Victor nullas expensas superfluas, aut in lite non factas expresserit, aut earum modum excesserit; atque eas arguendo, prout sibi visum fuerit, diminuat.

Quibus absolutis Judex Acta processûs, & alia ex parte litigantium allegata & verificata discutit, & summam expensarum taxat & moderatur.

XXIX. De hac taxatione agitur in Ordinationibus Curiæ Brab. *tit.* 2. *c.* 24. ubiq; pluribus articulis præscribitur, quid in hac taxatione à Commissario ad taxationem faciendam deputato, sit observandum; atq; nominatim: *art.* 630. Scripturas non esse taxandas, quæ in visitatione & decisione processûs non fuerunt. Et *art.* 631. quòd nullæ expensæ taxabuntur, nisi priùs fuerint legitimè verificatæ.

Et ne per comparationes *personales* adversa pars nimiùm gravetur, deciditur *art.* 633. quòd tantùm poterunt taxari ad onus succûbentis, *tres* cōparationes personales; nisi Cancellario & Senatui ob notabiles rationes aliud videatur.

XXX. Hæc forma taxandi expensas in Curiis sæcularibus servari solita, exprimitur quoq; in Ordinationibus Curiæ Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 62. his verbis: „Ad „ videndum taxari expensas, quæ per Judicem, aut Com„ missarium cum Graphiario taxandæ erunt, unam dum„ taxat fieri volumus citationem ad diminuendum; & die „ serviente exhiberi expensarum specificationem in scri„ ptis: citatus autem non comparens secludetur, & à Judice „ ad taxationem procedetur sine ulteriore dilatione. Com„ parente verò citato, præfigetur ei terminus diminuendi „ peremptorius, sub pœna seclusionis, sub quo sine ulla „ ulteriore dilatione diminuere tenebitur, si diminuere ve„ lit, & Judex, aut Commissarius specificationem cum actis „ conferet, & dispiciet, quæ utiles, quæ inutiles expensæ „ fuerint.„

XXXI. Additur dein *art.* 63. „ Taxa verò „ expensarum „ reo petenti à Graphiario tradetur, ne existiment ignoran„ tes plus justo exigi; & ne fortè officiariis nostris occasio „ detur petendi ultra debitum: quod quidem si unquam at„ tentarint, punientur, ultra amissionem salariorum, mul„ ctâ arbitrariâ.

XXXII. Non tantùm in expensas Victus Victori condemnari solet; sed in restitutionem fructuum, præsertim perceptorum post litis contestationem, & interesse, quod ob intentatam litem Victor passus est, juxta *L.* 2. *Cod. De Fructibus & litium expensis.* Quæ hic de jure attendenda sint, breviter annotat Merula citato *tit.* 89. *ca.* 1. *num.* 17 & 18.

XXXIII. In Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 620. præcipitur, ut in condemnatione damni & interesse exprimatur determinata summa, quæ examinato processu Judicibus æqua videbitur, attentâ gravitate causæ & qualitate litigantium; non permittendo Partibus litigantibus dare per

per declarationem dictum damnum & interesse; nisi materia esset tanti momenti, qualitatis & considerationis, ut Judices non possent prædictum damnum & interesse taxare, nisi prævia informatione: quo casu poterit per Curiam ordinari, ut damnum & interesse per declarationẽ exhibeantur, idq; intra certum præfixum terminum. Teneturq; Pars intra illum terminum suam declarationem exhibere sub pœna seclusionis. *Art. 622.*

XXXIV. Post exhibitam autem declarationem Pars victa unicam dumtaxat habebit dilationem, ut damnum & interesse à Victore exhibitum diminuere queat. Diminutione factâ, si Curiæ videatur, dabitur utriq; Parti unus terminus ad se de omnibus informandum; & post hunc singulæ Partes habebunt terminum ad reprobandum, & solvendum; eruntque omnes termini peremptorii.

XXXV. Articulo 621. præcipitur Advocatis, ut in libellando damno & interesse, non aliud interesse exprimant, nisi quod attentis conditione actionis è qua oritur, & qualitate litigantium, de jure debetur: interdicendo Advocatis taxationem excessivam damni & interesse sub pœna arbitrariâ; & quòd condemnabuntur restituere expensas suis Clientibus, quas ob hanc inordinatam taxationem passi sunt. Mandatur autem Consiliariis, ut his seriò intendant, ipsosq; Advocatos hac in parte excedentes puniant ad terrorem aliorum per suspensionem ab Officio, aut alia pœna, prout ad promovendam justitiam expedire judicabunt; interdicendo Procuratoribus facere dictam declarationem damni & interesse. Verba articuli sunt: *Dat d' Advocaten stellende by ghescbrifte die voorsz. declaratie, niet en sullen moghen eysschen andere schaden ofte interesten dan de ghene diemen naer rechte schuldigh is, nemende aenschouvv op de qualiteyt van de actie van de vvelcke sy procederen, ende op die conditie van partyen, den selven Advocaten verbiedende excessiven heysch te maecken van de voornoemde schaden ende interesten, op de pene van arbitralyck ghecorrigeert te vvorden, ende daer toe noch ghecondemneert heuren meesters te betalen de kosten die sy daeromme sonder redenen gesupporteert sullen hebben: Ordinerende dien van onsen Raede daer op goede consideratie te nemen, ende te corrigeren d' Advocaten ten exemple van de andere die de contrarie doen sullen, 't zy by suspensie van heure staten, ofte anderssins, ghelyck sy tot vorderinghe van de justitie sullen vinden behoorende: ende verbiedende den voorsz. Procureurs te maecken die voor genoemde declaratie van schaden ende interesten.* Id est: Ut Advocatis prædictam declarationem scripto exhibentibus, non liceat aliam damni & incommodi compensationem exigere, quàm talem, quæ secundùm Justitiam ipsis debeatur, attentâ qualitate actionis super qua litem instruunt, & partium conditione: iidemq; Advocatis inhibemus, ne prædictorum damni & incommodi compensationem exigendo excedant, arbitrariè aliàs puniendi: insuperq; condemnandi, ut Clientibus suis sumptus persolvant, quos idcirco sine causa impenderint, injungimusq; Consiliariis nostris, ut ad hæc seriò reflectant, & in Advocatos secus facientes ad aliorum exemplum animadvertant, seu muneris sui temporariâ mulctatione, seu alio modo qui administrandæ justitiæ maximè videbitur conducere: inhibemusq; Procuratoribus, ne prædictas damni & incommodi declarationes conficiant.

XXXVI. Si quis plura de hac condemnatione & taxatione expensarum, damni & interesse, & restitutione fructuum scire velit, consulere poterit duos Tractatus Rebuffi, quorum alter est *De Expensis & Interesse*, alter verò *De Fructibus & illorum Restitutionibus.*

CAPUT IV.

De Executione Sententiæ.

1 *Sententia sine executione inutilis est.*
2 *Semper aliquod spatium condemnatis ad satisfaciendum sententia indultum fuit.*
3 *Justinianus condemnatis inducias quadrimestres concessit.*
4 *Easdem probat Jus Canonicum, quod tamen eas limitari aut prolongari à Judice permittit.*
5 *Hodie ferè induciæ hæ arbitrariæ factæ sunt.*
6 *Solet tamen aliquod spatium indulgeri.*
7 *Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*
8 *Quomodo hodie à debitoribus impetrentur rescripta* moratoria, *quæ executionem suspendant.*
9 *Exacto tempore induciarum executio petitur à judice, qui sententiam tulit.*
10 *Forma decernendi executionem varia est pro varietate tribunalium.*
11 *Executio committi solet Apparitoribus; qui ob id & Executores dicuntur.*
12 *Pœna Apparitorum in Curiis Ecclesiasticis qui donis aliove modo corrupti executionem differunt.*
13 *Prætextu interjectæ appellationis Apparitores ab executione desistere non possunt, nisi de mandato Curiæ pateat.*
14 *Apparitores in executione sententiæ ministros sibi adjungere interdum possunt.*
15 *Pro executione sententiæ Judicis Eccles. potest Apparitor implorare auxilium Magistratus Civilis.*
16 *Ordo executionis præscriptus de jure communi.*
17 *An ordo à jure præscriptus servetur in Gallia?*
18 *Ordinem a jure præscriptum in Belgio non servari testantur Pragmatici.*
19 *In Brabantia tamen aliqua illius ratio habetur.*
20 *De Jure communi aliqua bona exempta ab executione; & quid de his habeant mores hodierni.*
21 *Jam pridem Clero Gallicano datum fuit privilegium, quod eorum* mobilia *capi non possent.*
22 *Quomodo hæc immunitas posterioribus Regiis Edictis restricta fuerit?*
23 *Pro executione sententiæ non procedendum ad incarcerationem, nisi deficientibus bonis temporalibus.*
24 *Ob æs alienum homines liberi de Jure Civili in servitutem redigi non poterant.*
25 *Nonnulli putant eodem jure debitorum incarcerationem fuisse vetitam.*
26 *Contraria sententia hodie in praxi recepta; & quando ad incarcerationem procedi queat?*
27 *Etiam mulieres incarcerari possunt contra Constitutionem Justiniani.*
28 *Quid in harum incarceratione cavendum?*
29 *In Gallia Personæ insignitæ Ordine sacro ob debitum Civile incarcerari non possunt.*
30 *Fallit tamen subinde ob specialem circumstantiam.*
31 *Ab incarceratione liberat* cessio bonorum.
32 *Sola professione debitoris de Jure Civili* cessio *hæc fieri poterat.*
33 *Hæc cedendi facilitas sublata in Gallia & Belgio; & quæ forma præscripta?*
34 *De declaratione bonorum eorumq; cessione facienda à cedente; & quæ sibi retinere queat.*
35 *Quæ observari velint Ordinationes Curiæ Brab.*
36 *Cessio bonorum non liberat ab obligatione solvendi, si cedens ad meliorem fortunam devenerit.*
37 *Cedentis bona post cessionem acquisita creditoribus addicenda salvis tamen cedenti suis necessariis.*
38 *Hoc beneficium non datur decoctoribus, aliisve qui dolo malo debita contraxerunt.*
39 *Edicta Regia contra decoctores.*
40 *Quibusdam datum privilegium quòd citra cessionem bonorum excuti nequeant ultra quam facere possunt.*
41 *Privilegium competere Clerico ex* Cap. 3. ⁝ De Solut. *communiter tradunt Canonistæ.*
42 *Contraria praxis aliquando videtur fuisse recepta in* (Gallia.

43

43 *Clericus vi hujus privilegii non eximitur ab obligatione solvendi debita; sed ne excommunicari queat.*
44 *Ultimum remedium executionis in Curiis Ecclesiasticis est excommunicatio.*

I. Quemadmodum Leges in Republica nullius sunt utilitatis si earum non habeatur executio, ita & sententia inutilis & sine effectu erit, si non obtineatur ejusdem executio. Non est quidem ab executione incipiendum; sed sententia præcedere debet, executio sequi. *L.* 1. *Cod. De Execut. rei jud.*

II. Verùm jam pridem apud Romanos receptum fuit, humanitatis causâ, ut non protinus ad actionem, executionemq; ejus quod judicatum erat, progredi liceret; sed spatium aliquod condemnatis indultum fuit, intra quod judicato satisfacere possent,

III. Et quidem cùm circa hoc tempus sæpiùs variatum fuisset, tandem Imperator Justinianus quatuor menses condemnatis dedit ad solutionem pecuniariam; easque à die condemnationis, vel si provocatio fuerit porrecta à die confirmationis sententiæ connumerandos. *L. penult. & fin. Cod. de Usuris rei jud.* declaratq; in dicta Lege finali *quadrimestres* inducias, quas dedit condemnatis, etiam ad fidejussores eorum & mandatores extendi, *ne Legi fiat derogatum.*

IV. Easdem inducias observandas esse declarat Pontifex in *Cap.* 16. ☧ *De Officio Jud. Deleg.* supponitq; Pontifex in *Cap.* 15. ☧ *De Sent. & Re jud.* unà tamen declarans hoc spatium quadrimestre posse nonnumquam à Judice arctari vel prolongari.

V. Hinc forsan tandem invaluit, ut in nonnullis Curiis, induciis illis legalibus abrogatis, nullum tempus sit præscriptum, quo executio sententiæ differri debeat? sed mox executio ejus fieri queat, nisi Judex sententiæ executionem ad quadrimestre, aut etiam diutius, ex certa aut rationabili causâ prorogare vellet; quemadmodùm de Flandriæ Concilio, & Parlamento Mechliniensi testatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. c.* 256.

Dicit quoq; Zypæus in *Notitia Juris Belgici tit. De Executione rei jud.* „ Executio hodie ad quadrimestre, aut aliud „ certum juris spatium non differtur. „ Similiter Gudelinus *De Jure novis. lib.* 4. *c.* 16. *n.* 6. ait: „ Moribus multorum tri„ bunalium nullū tempus certum, quo differatur executio, „ comparatum est, sed totum arbitrio Magistratûs relictum.

VI. De eodem usu testatur Merula in *Praxi Curiæ Holland. lib.* 4. *tit.* 93. *c.* 7. addit tamen, quòd conveniat, ut Victor partim ex humanitate, partim ex necessitate differat executionem ad 2. aut 3. hebdomadas à lata sententia, quod est tempus intra quod condemnatus adhuc appellare possit: „ a„ deo ut apud nos (ait) locum magis habeant 30. dies, quos „ condemnatis largiuntur Leges 12. tabularum, quàm bi„ mestre ex *L.* 2. *Cod. Theod. De Usuris rei jud.* vel quadrime„ stre ex Constitutione Justiniani. „

Ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ dantur condemnato 12. dies post sententiæ insinuationem *art.* 641. Vide Christinæum ad Bugnyonium *De Leg. Abrog. lib.* 1. *c.* 148. ubi unà annotat, quæ tempora in aliis tribunalibus sint assignata.

VII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiast. Provinciæ Mech. *tit.* 11. *art.* 61. dicitur: „ Postquam sententia interlo„ cutoria vel definitiva transierit in rem judicatam, decer„ nantur statim ad Partium instantiam monitoriales ad pa„ rendum infra tempus congruum à Judice præfigendum; „ & monito non comparente, executoriales in forma, man„ denturq; executioni; monitiones autem sufficiet facere „ Procuratoribus traditâ copiâ sententiæ. „

VIII. Solet moribus nostris Reus ad inopiam redactus adversùs debitum, quod inficiari nequit, moderatas & arbitrarias solvendi inducias petere & impetrare, sub cautione intra certum tempus præstanda: dicunturq; litteræ quibus hujusmodi induciæ indulgentur, vulgò *Brieven van atterminatie*, latinè *Rescripta moratoria*, de quibus Ordinationes Curiæ Brab. *art.* 480. & seqq. ubi tamen *art.* 484. declaratur, quòd nullæ litteræ induciarum, quomodocumq; decretæ, effectum sortientur adversùs sententias, quæ transierunt in rem judicatam. *En sullen egheene brieven van respyte, hoe vvel die gheintermeert zyn, effect sorteren tegben vonnissen gegaen in cracthe van ghevvysde dinghen.*

IX. Exacto tempore quod hodie arbitrio Judicis, vel ex Ordinationum præscripto condemnatis ad satisfaciendum judicato indulgetur, executionem aggreditur Magistratus qui sententiam tulit, à quo litteræ executoriales petuntur, & conceduntur.

X. Et quidem ad exequendam rem judicatam, in Superioribus tribunalibus mandata executoria decernuntur, quibus Apparitores committuntur ad exequendam sententiam iis affixam: In inferioribus verò tribunalibus sententia tantùm scriptis mandata executori traditur, ut executioni mandetur, non ulteriùs requisito Judice; uti refert Simon Van Leeuwen in *Cens. forensi parte* 2. *lib.* 1. *c.* 33. *n.* 7. & 8. Cæterùm oportet in his attendere singulorum tribunalium Ordinationes & stylum.

XI. In exequendo solent Magistratus uti Apparitorum ministerio; qui idcirco & Executores dicti fuerunt. Et in *L.* 8. *Cod. De Execut. rei judicatæ* scribitur: „ Executorem eum „ solum esse manifestum est, qui post sententiam inter Par„ tes auditâ omni & discussâ lite prolatam, rei judicatæ vi„ gorem ad effectum videtur adducere. „

XII. Executionem sententiarum fieri per Apparitores in Curiis Ecclesiasticis Belgicis manifestum ex quotidiana Praxi, & constat ex earum Ordinationibus; diciturq; *tit.* 9. *art.* 13. „ quòd si pecuniâ, aut aliis donis corrupti executio„ nem distulisse deprehensi fuerint, debitum & expensas „ solvent, & ulteriùs pœnâ perjurii & concussionis (citra a„ liquam veniæ spem) ultra officii privationem, & inhabi„ litatem ipso facto incurrendam, plectentur. „

XIII. Magistratus sæculares similiter per Apparitores sententias exequuntur, uti & praxis & singularum Curiarum Ordinationes evincunt; multaq; præscribunt, quæ in exequendis sententiis, ab Apparitoribus observanda sunt; mandaturque *art.* 587. Ordinat. Curiæ Brab. quòd si quis se gerat ut appellantem *ab executione* alicujus Apparitoris exequentis sententiam Curiæ, non propterea Apparitor supersedeat ab executione; sed in executione cœpta perget, quousq; de inhibitione aut prohibitione patescat per patentes litteras Concilii.

Huic consonat *art.* 65. *tit.* 11. Ordinat. Curiar. Eccles. quo dicitur: „ Executio sententiæ numquam retardabitur, „ vel omittetur, etiamsi condemnatus allegaverit gratiam „ nostram vel Vicariatûs, nisi illam *realiter & in scriptis* in „ forma debita *authentica* exhibeat.

XIV. Si sententiæ exequendæ Executor solus *per se* non sufficiat, ministros pro qualitate causæ, & oppositionis, quæ timetur & prævidetur, secum assumere potest; ipsiusq; Magistratûs auxilium implorare, aut interdum etiam manum militarem advocare; uti indicat *art.* 637. *Ordinat. Curiæ Brabantiæ.*

XV. Supponunt quoq; Ordinationes Curiar. Eccles. *tit.* 9. *art.* 15. quòd Apparitores in executione sententiæ requirere possint Magistratum laicum. Mandatur enim, ut si Magistratus laicus Apparitori auxilium præstare recuset, recusationem hanc Apparitor fideliter Officiali referat.

XVI. Inspecto jure communi forma exequendi ferè hæc est: Si damnatus quis sit rem certam restituere, præstare ve, ea ipsi aufertur; etiam interdum, si opus est, manu militari. *L.* RESTITUERE *ff. De Rei vindicat.*

Si verò damnatus sit quis pecuniam solvere, pignora capiuntur atq; distrahuntur, ut ex pretio Victori satis fiat. *L.* 4 *ff. De Sent. & Re jud.*

Ordo autem executionis tunc is est juxta *L.* A Divo Pio *ff. eod.* ut primùm res mobiles pignori capiantur, deinde immobiles, postremò jura & nomina: ideo initium sumitur à rebus mobilibus, quòd earum quàm rerum soli promptior

mis

minúsque damnosa sit distractio. Idcirco autem postremus locus tribuitur nominibus, quòd in eis persequendis negotium habere oporteat, non tantùm cum condemnato, sed cum extraneis ejus debitoribus.

XVII. Ordinem hunc in executione rei judicatæ non observari in Gallia testatur Bugnyonius *lib. 1. c. 141.* idq; abrogatum esse ait, ad obviandum fraudibus eorum, qui mobilia sua occultabant; asseritque Le Maître in suo Tractatu *De Subhastationibus cap. 27.* omninò liberum esse inchoare ab immobilibus. Id tamen aliqui restringunt ad executionem adversùs majorem. Mobilia enim minorum credunt priùs capienda esse, priùsquam ad eorum immobilia deveniatur, ut asserit ibidem Bugnyonius.

XVIII. De Belgio testatur Zypæus loco supra citato, in executione ordinem mobilium, immobilium & nominum non servari. Et Gudelinus *De Jure noviss. lib. 4. cap. 16. n. 8.* ait: " Mores & Sanctiones aliquorum tribunalium nullam „hujusmodi ordinis habent rationem, executionem ordiri „permittentes à rebus quibuslibet, prout eæ magis occur„runt, vel promptius ex iis judicatum redigi posse Appa„ritori videtur."

XIX. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art. 641.* permittunt, ut condemnatus intra 12. dies à facta insinuatione sententiæ possit executori assignare mobilia, ut super iis sententiam exequatur; si autem assignare intra illud tempus neglexerit, tunc Apparitori liberum erit exequi sententiam super bonis quibuscumque ipsius condemnati, neglecto ordine à jure præscripto.

Hîc aliquam rationem ordinis à jure præscripti haberi notat Christinæus ad citatum locum Bugnyonii; ideoq; negat, ordinem juris scripti in Brabantia totaliter abrogatum; quamvis fateatur, aliquarum civitatum, ac signanter Lovaniensis, hunc ordinem in executione suarum sententiarum totaliter abrogâsse.

XX. Sunt insuper nonnulla bona, quæ de jure executioni non sunt subjecta, ut sunt instrumenta rusticorū ad agriculturam necessaria; de quibus in *L. 7. & 8. Cod. Quæ res pignori obligari possunt,* & Authenticâ iis subjectâ; item proventus Ecclesiastici Clericorum, libri Scholarium & Advocatorum. Sed nec hæc in Gallia, uti nec apud nos in usu sunt, saltem quando alia bona desunt; uti testatur Zypæus in *Not. Juris Belgici tit. De Execut. rei jud.* dicens: " Instrumenta etiam „agricolarū, ut nec pignori dari, ita neq; executioni subjici „poterunt, quò minùs colendæ telluri, sationi & annonæ in„commodaretur. Id hodie minùs servatur: sed tamen iis par„citur, dum alia bona reperiri possunt: quod & in Advoca„tis, Scholaribus & Ecclesiasticis obtinet." Hæc Zypæus.

XXI. Refert Renatus Choppinus *L. 1. De Moribus Parisiorum tit. 1. n. 8.* privilegium Philippi IV. Regis Galliarum, quo cavetur, fas non esse creditori, Sacerdotum supellectili, moventibusq; aliis manum injicere publicam. Verba privilegii sunt: " Item volumus, quòd si mandaverimus, „bona alicujus Prælati vel Clerici Clericaliter viventis „capi, seu ad manum nostram poni, virtute mandati nostri „bona eorum *mobilia* non capiantur, saisiantur, neque do„mus illorum discooperiantur."

Meminit & ejusdem privilegii *lib. 3. De S. Polit. tit. 2. n. 2.* notatq; conformiter ad illud privilegium judicatum fuisse anno 1528. " ne Trecensis Ecclesiæ Canonici excu„bias agere pignorum captione cogerentur. Quum enim „Clericorum supellex (ait Choppinus) tunc pignorari „nequiret, vetante Philippi IV. Sanctione, judicatum est „illic, res *mobiles* Sacrati Ordinis ne pro excubiis quidem „esse pignoris jure capiendas."

XXII. Verùm posteriori Edicto Aurelianensi de an. 1560. *art. 28.* sublata est hæc mobilium Sacerdotis prærogativa, restrictaque ad ornamenta destinata ad servitium Divinum, eorum libros, & vestes ordinarias & necessarias. Verba articuli sunt: *Toutes personnes Ecclesiastiques pourront estre indifferement executées en leurs meubles, sauf és ornamens servans & destinez à l'Eglise, leurs livres, vestemens ordinaires & necessaires.* Id est: Quælibet personæ Ecclesiasticæ pignoribus poterunt mulctari, salvis tamen ornamentis Ecclesiasticis functionibus destinatis, libris eorum, vestibusque ordinariis & necessariis.

Prærogativa sive immunitas ab executione quoad sacram supellectilem renovata est rursus Edicto Blesensi anno 1579. *a.* 57. eadem immunitate indulta omnibus mobilibus in usum necessarium & domesticum, & eorum libris.

XXIII. Si bona sufficientia non reperiantur, quibus judicato satisfiat, extremum remedium contra Judicatos est, ut in carcerem retrudantur. Humanior namque sententia est, ut eò non confugiatur, quamdiu bona reperiuntur, quæ capi distrahique possunt; cùm nec pro debito Fisci facilè quis sit conjiciendus in vincula, ait Petrus Gudelinus *De Jure Noviss. lib. 4. cap. 16. num. 14.*

XXIV. Extat Constitutio Imperatorum in *L. 12. Cod. De Obligationibus & Actionib.* "Ob æs alienum servire liberos „creditoribus, jura compelli non compatiuntur." Consonat *Novella* Justiniani 134. §. Quia verò, Sensus Legis est, quòd qui solvendo non sunt, suis creditoribus servire non cogantur. Neminem enim ingenuorum Lex ea facere vult, quæ sunt servilia.

XXV. Hinc concludunt nonnulli interpretes, hoc jure, pro civili debito neminem manu injectâ capi posse, nisi aliud expressè sit conventū. Ita Dionysius Gothofredus in notis ad citatam Legem. Videtur & in eum sensum Legem illam accepisse Auctor Decretalis relatæ in *Cap. 2. ꝫ De Pignoribus,* ubi dicitur: " *Lex* habet ut homo liber pro debito non „teneatur, etsi res defuerint quæ possint pro debito addici."

XXVI. Existimat tamen Gudelinus loco citato *n. 15.* simplicem carceris custodiam his Legibus sublatam non fuisse: " Etenim (ait) usum quidem carceris adhuc retinemus, sed „ultra adversùs judicatos non progredimur."

Hisce consonat *art. 658. Ordinat. Curiæ Brab.* quo cavetur, Executorem non posse apprehendere condemnatum, si is offerat bona sufficientia judicato, aut Executori constet bona condemnati esse sufficientia. Sed si Condemnatus sit in defectu offerendi, nec Executori constet de bonis super quibus executio fieri queat, tunc poterit Executor apprehendere Condemnatum, eumque carceri mancipare, & ibidem retinere quousq; judicato satisfecerit; modò tamen Victor id petat, & pro expensis respondeat, easque ferre velit. Tenor articuli est: *Dat egheen Executeurs nyt crachte van eenighe sententie oft executien op sententie en sullen moghen apprehenderen den ghecondemneerden in synen persoon, soo verre hy bevvyst (met allen den beschede daer toe diener de onder behoorelycke expurgatie van eede) oft den Executeur blycke van eenighe haeffelycke oft erffelycke goeden ghenoech zynde om d'executie te doene: maer naer dien den ghecondemneerde in gebreke vvare, versocht zynde van den Executeur van eenighe goeden daermen d'executie aen mocht doen, te bevvysen, ende niet en bleke van eenighe goeden, daer aen de voorsz. executie sonde gedaen moghen vvorden, soo sullen de vorsz. Executeurs moghen apprehenderen den persoon van den ghecondemneerden, ende den selven ghevanghen setten, ende houden tot dat hy den vonnisse voldaen heeft ende dit alsoo verre de ghene die't vonnisse ghevvonnē heeft, dat versoeckt, ende voor die kosten sprecke, ende die verleghen vvilt.* Id est: Quòd nulli executori vi alicujus sententiæ aut sententiæ executionis fas erit condemnatum personaliter apprehendere, si probet (indiciis quibuslibet eò pertinentibus interpositâ juramenti debitâ expurgatione) aut Executori constet, bona ejus seu mobilia seu immobilia executioni sufficere. Sin verò condemnatus deficeret, rogatusq; ab Executore bona quæpiam pignoranda designare, nec constaret de bonis quæ pignorationi subjici possent, tum liberum erit executoribus prædictis personam condemnati apprehendere & incarcerare, & donec sententiæ fecerit satis, detinere, idque si is qui litem obtinuit hoc requirat, de expensis caveat, easque velit persolvere.

XXVII. Vide plura de hac incarceratione apud Christinæum in notis ad Bugnyonium *l. 1. c. 16.* & ibi citatos; qui & ibidem notat, tam de moribus Galliæ, quàm Belgii, mu-

lieres etiam carceri mancipari contra Constitutionem Justiniani in *Novella* 143. quod & Zypæus monet in *Notit. Juris Belg. De Executione rei jud. n.* 3. "Sed rariùs (ait) ob debita pecuniaria, nisi fortè pœnalia, aut fiscalia."

XXVIII. Rectè autem monet Bugnyonius loco citato *n.* 8. quacunq; de causa mulieres ergastulo mancipentur, debeant ita teneri, ubi viris non pateat aditus, conservandæ muliebris pudicitiæ ergo: additq; Gudelinus *l.* 5. *De Jure Noviss. c.* 14. *n.* 1. rationem quandam sexûs haberi debere, saltè eatenus, ut quemadmodū anteriore *L.* 3. *Cod. de Custodia Reorum* cautum fuit, mulieres in carceribus à viris separentur.

XXIX. In Gallia præcitato *a.* 57. Edicti Blesensis declaratum est, quòd executio contra Ecclesiasticos constitutos in Ordine sacro non possit fieri per incarcerationem personarum; cujus privilegii meminit Choppinus *lib.* 3. *De S. Polit. tit.* 2. *n.* 2. "Nam ut viro Senatorio ultimum supplicium carcerem existimabat Syllanus ille apud Plutarchum in Cicerone; ita Ecclesiæ Presbyteris (ait Choppinus) gravior est vinculorum coërcitio, & in sacra capita pœnalis carcer toti Ordini probrosior, quo sævus creditor ob civile debiti æris negotium mulctatos velit insontes."

XXX. Aliquando tamen judicatū fuisse, rectè incarceratū fuisse Presbyterum ob debitum civile, eò quòd in fraudē & ad eludendum creditorem Presbyter factus esset; restituitq; Executori exequenti sua mobilia, ibidem refert Choppin.

XXXI. Ulteriùs omnibus debitoribus tribuit beneficium effugiendi carcerē cessio bonorum. Ex commiseratione enim inductum est hoc remedium extraordinarium cessionis bonorum per legē Juliam in *L.* 4. *Cod. qui bonis cedere possunt*.

Per hanc cessionem bona omnia creditoribus cessa, licentia iis est ea distrahendi, ut ex eorum pretio, quatenus fieri potest, singulis satisfiat, dicta *L.* 4.

XXXII. Cessio hæc de jure Civili solâ professione, & vivâ voce sine ulla speciali solemnitate, aut judicis venia peragi potest: nam dixit Theodos. Imper. ut refertur in *L.* 6. *Cod. eod.* "In omni cessione bonorum ex qualibet causa facienda, scrupulositate priorum legum explosâ, professio *sola* quærenda est." Deinde additur §. 1. "Idem dixit, in omni cessione sufficit voluntatis *sola* professio."

XXXIII. Verùm cùm hæc facilis cedendi libertas multis daret ansam fraudandi creditores, in Gallia sancitum fuit Edicto Ludov. XII. *c.* 70. ut nemo nisi præsens, & in judicio, discinctusq; ac nuda cervice cedat bonis; quod & in Belgio observari mandat Edictū Caroli V. an. 1541. 20. Octob. & publicatum in Concilio Flandriæ 8. Nov. ejusdem anni; extatq; *parte* 1. *Edict. Flandriæ lib.* 3. *Rubr.* 1. verba Edicti sunt: *Seront tenuz requerir l'intherement de leurs lettres deschaints, & à teste nue en personne, & nō par Procureur.* Id est: Debebuntq; litterarum suarū approbationem, discincti, & aperto capite; nec per Procuratorē, sed personaliter rogare.

XXXIV. Insuper eodem Edicto cavetur, ut qui litteras impetrarunt ad cessionē faciendam, eas in judicio offerant unà cùm synopsi jurata omnium bonorū. Ac insuper quòd si cedens ulteriora bona acquirat, ea mox ad commodum creditorum consignare debebit; tantummodò sibi retento unico lecto, & quæ eò pertinent, unoq; ex quolibet suppellectilium genere, ut vasa ænea aut stannū retinere non possint: nisi ista fecerint, beneficio cessionis excidant. Verba Edicti sunt: *Que tous impetrans de cession, seront tenuz de presenter leurs lettres en jugement endedens le mois de l'impetration: avec l'estat de tous leurs biens & iceulx abandonner à leurs crediteurs, sans en retenir la maniance. Et affirmer ledict estat par serment: requerir l'intherinement de leurs lettres deschaintz & à teste nue, en personne & non par procureur.* Id est, quòd omnes, qui cessionis beneficium impetraverint, debebunt litteras suas in judicio exhibere intra mensem ab impetratione, simulq; bonorum omnium suorum statum, eaq; dimittere creditoribus, nec administratione eorum sibi reservatā, dictumq; statum juramento confirmabunt, litterarumq; suarū approbationē, discincti & aperto capite, non per Procuratorē, sed personaliter rogabunt.

Que lesdictz impetrans de cession, aquerans aultres biens, seront tenuz les consigner au proffict de leurs crediteurs, Et ne pourront retenir qu'un lict avec sa suyte: & de chascune partie de meuble, une. Pourveu qu'ilz ne pourront avoir ny estant, ne vasselle, ny autre meuble de valeur. Et ce qu'ilz auront d'avantage, seront à chascune fois tenuz de consigner au proffict de leurs crediteurs: à peine de perdre l'effect de leurs lettres de cession. Id est: Quòd dicti cessionis beneficium impetrantes, aliaque bona acquirentes, ea emolumento creditorum cedere debebunt, unumque dumtaxat lectum cum adjunctis retinere ipsis licebit, unicamque ex qualibet specie supellectilem, modò non sit stannea, neque argentea, aut alicujus pretii. Simul atque vero amplius horum quidquam habuerint, creditorum emolumento cedere debebunt, aliàs litterarum suarum beneficio excidant.

XXXV. Idem penè præscribitur *a.* 477. Ordinat. Curiæ Brabant. additurque, quòd qui litteras cessionis impetrare vult, debeat jubere citare omnes suos creditores, eisq; ex scripto designare; necnon per inventarium omnia sua debita & credita ac bona, cum oneribus illis impositis; itemque causam debiti, quibus actis: Supplicanti annuetur provisio continens factam declarationem; ipsiq; creditores citabuntur, & copiam dictarum litterarum accipere poterunt; & die præfixa, tenebitur Supplicans comparere in persona, & ulteriùs procedere conformiter ad Edictum de an. 1541. supra citatum. Articulus ita habet: *Alle de ghene die van onsen Rade brieven van cessien sullen vvillen obtineren van saecken die daer behooren, sullen gehouden zyn te doen daghen heure Crediteurs, ende de selve over te gheven in gheschrifte, en by inventaris alle heure schulden, vveder schulden ende goeden die sy hebben, metten lasten daer op staende, ende die saecken, daer uyt die schuldt gesproten sal zijn, ende dit gedaen zijnde sal hen provisie verleent vvorden innehoudende t'voorschreven verclaren, ende sullen die Crediteurs ghedaecht vvorden, ende copye hebben vande voors. brieven, indien sy die beghecren, ende ten daghe dienende sullen d'impetranten schuldich zijn in persoon te compareren, ende voorts procederen achtervolghende onse ordinantien van den jare eenenveertich.* Id est: Quicumq; litteras cessionis impetrare cupient, à Consilio nostro in causis eò referendis: tenebuntur creditores suos citare, iisque scripto & in forma indicis designare, quantum aliis debeant, & ipsis vicissim debeatur, bonaque sua omnia cum oneribus, quibus obstringuntur, resque illas, ob quas æs alienum contraxerint: quo peracto concedetur ipsis rescriptum continens prædictam declarationem, citabunturq; creditores, quibus dictarum litterarum exemplar, si id cupiant, tradetur. Obligabunturq; impetrantes personaliter comparere, & ulterius procedere juxta statuta nostra anni quadragesimi primi.

XXXVI. Hæc quæ tum hoc articulo, tum præcitato Edicto statuuntur ac decernuntur quoad ipsum cessionis effectum, nimirum quòd cessio bonorum liberet quidem debitorē à carcere, non autē ab obligatione, conformia sunt juri comuni, juxta *L.* 1. *Cod. eod.* ubi expressè dicitur: "Qui bonis cesserint, nisi solidum creditor acceperit, non sunt liberati. In eo enim tantummodò hoc beneficium eis prodest, ne judicati detrahantur in carcerem."

XXXVII. Si ergo postmodum alia rursùs bona acquirant, ea rursùs creditoribus addicenda sunt, etiam de jure communi; modò tamen modicum non sit. Nec enim fraudandus est quotidianis alimentis, ut ait *L.* 6. *ff. De Cessione bonorum.* Quid autem sit modicum, judicis est æstimare. Cùm autem hæc retineantur in præjudicium creditorum, indubiè sat parcus debet esse judex in hac æstimatione; ipsique debitores modicis esse contenti; quemadmodum & citatum Edictum Caroli V. satis indicat. Ut autem effectus istos consequantur cedentes, oportet infortunio quodam bonis suis sint lapsi, aut in debita inciderint: in his enim solis locum habet commiseratio, hæc huic beneficio originem dedit; eisque solis convenit ratio expressa in §. *fin. Instit. De Actionib.*

XXXVIII. Hinc decoctori minimè competit hoc beneficium; cùm non sit dignus commiseratione, qui sua turpi-

tudine causavit sibi inopiam. Cujus ordinis etiam sunt, bona sua in fraudem creditorum dissipantes, vel alienantes. Similiter qui dolosè cum creditoribus suis versati sunt, utpote scientes se solvendo non esse. His adde eos, qui spe & animo cedendi contraxerunt; uti de his aliisque notavit Henricus Zoësius ad titulum Digestorum De Cessione bonorum *num.* 11.

XXXIX. Contra hujusmodi decoctores, & dolosos creditorum defraudatores, necnon abusus sub pallio hujus beneficii cessionis bonorum committi solitos, plura eaque acerbissima extant Principum nostrorum Edicta, quorum sumaria referunt Zypæus in Notitia Juris Belg. *tit. de Cessione bonorum*, & Antonius Anselmo in Codice Belgico, verbo *Banckerotiers*; declaratq; inter alia Carolus V. Edicto de 7. Oct. 1531. extatque parte 1. Edict. Flandriæ *lib.* 3. *Rub.* 1. "ut qui foro cedunt, & per fraudem ab aliis auferunt pecuniam, merces, nomina, habeantur, prout eos Imperator declarat, pro furibus manifestis, eorumque occultatores, & receptores fraudis conscii, nisi eos officiario manifestent; & qui in rebus eorum fraudulenter versantur, aut cum fugitivis negotiantur, ut socii, aut aliter creditores eorum se simulant, aut fraudibus eorum quomodocumq; opem ferunt, omnes omnium locorum immunitatibus priventur, extrahi possint, & convicti publicè puniantur, sine connivent1a, ad exemplum, bona sequestrentur ad conservationem juris omnium creditorum."

XL. Nonnullis ad evitandum carcerem cessio bonorum necessaria non est, eò quòd speciali privilegio seu beneficio competentiæ ipsis cautum sit; cujus effectus est, quòd is, cui competit, executi non possit, ultra quàm facere potest. Quales de jure sunt parentes, patronus, socius, & maritus conventus ad restitutionem dotis; donator respectu donatarii, de quibus §. 37. & 38. *Instit. De Actionib.*

XLI. Idem privilegium datum apparet Clerico in *Cap.* 3. *De Solutionibus*, ubi casus proponitur, quòd Odoardus Clericus conventus esset à suis creditoribus coram Officiali Archidiaconi Remensis super quibusdam debitis, ipseq; Officialis in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem excommunicationis sententiam promulgâsset. De hac sententia Officialis ab Odoardo interpellatus Pontifex, mandavit Officiali: "Quatenus si constiterit, quòd prædictus Odoardus in toto vel pro parte non posset solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, receptâ priùs ab eo idoneâ cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita dicta persolvat."

Ex hac Decretali communiter concludunt Canonistæ, Clericis datum esse beneficium *competentiæ*, uti videri potest apud Fagnanum ad hanc Decretalem; qui & ibidem examinat, quæ requirantur, ut Clericus hoc beneficio competentiæ uti queat: probatque *nu.* 58. de jure non requiri, ut Clericus ad obtinendum hoc beneficium priùs *cedat* bonis: quamvis fateatur, nonnullos ex antiquis Canonistis contrarium jam pridem sustinuisse.

XLII. Et hæc opinio in Gallia jam pridem recepta videtur; nam notat Molinæus ad hanc Decretalem, verbo: SENTENTIAM IPSAM SINE DIFFICULTATE: *Hoc non solet servari in Gallia, nisi bonis cedant.* Testaturque Bugnyonius *De Legibus abrogatis lib.* 1. *c.* 12. Arresto Parisiensi decisum esse an. 1529. in bonis non contractis aut acquisitis pro Ecclesia, Clericos non gaudere privilegio, sed bonis cedere teneri.

XLIII. Quidquid sit de hac praxi Galliæ, illud certum est, quòd Clericus ad inopiam redactus vi hujus privilegii non liberetur ab obligatione satisfaciendi suis creditoribus, si ad meliorem fortunam pervenerit, uti evidens est ex ipso *Cap. Odoardus*; sed tantùm liberatur interim, dum satisfacere nequit, ab excommunicatione, tametsi bonis non cedat; quemadmodum laici bonis cedentes, beneficio cessionis, liberantur à carcere.

XLIV. Sicuti enim in tribunalibus sæcularibus extremũ & extraordinarium remedium adversùs condemnatos est incarceratio, utpote quæ decernenda non est, nisi ubi aliter executio sententiæ haberi nequit; ita in tribunalibus Ecclesiasticis extremum remediũ est, ut condemnati non satisfacientes sententiis, *anathemate* aliisve censuris feriantur; quo similiter utendũ non esse, nisi omnibus aliis deficientibus, declaravit Synodus Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *De Reformat.*

Huic Decreto consonant Ordinationes Curiarum Eccl. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *a.* 67. quo statuitur: "Contra contumaces & solvere nolentes sententiæ omnes mandabuntur executioni, cum invocatione (quatenus opus est) auxilii brachii sæcularis. Ad censuras autem non facilè procedetur." De hac moderatione in procedendo per censuras latiùs agetur infra *titulo De Censuris.*

T I T U L U S X.

De Appellationibus & Recusationibus.

C A P U T I.

De Frequentia Appellationum in Curiis Ecclesiasticis.

1 *Primis sæculis admodum rara erant provocationes à decisionibus Episcoporum.*
2 *Excommunicatio lata ab uno Episcopo, servanda erat ab omnibus.*
3 *Permiserunt tamen Patres Nicæni, sententiam Episcopi subinde examinari.*
4 *Eum in finem bis in anno habenda erat Synodus Provincialis.*
5 *Examen sententiæ latæ ab Episcopo in Synodo Provinciali erat species aliqua appellationis.*
6 *Circa sæculum IX cœperunt multiplicari appellationes, & gradus appellationum stabiliri.*
7 *Institutæ appellationes à quibuscumque Judicibus Ecclesiasticis* immediatè *ad Pontificem.*
8 *Cœpit Curia Romana admittere appellationes à quibuscumque sententiis etiam merè interlocutoriis: quin & causarum evocationes.*
9 *Querela S. Bernardi de hac appellationum frequentia, earum facili admissione.*
10. *De iisdem queritur Hildebertus Archiepiscopus Turonensis.*
11 *Metropolitani & Primates imitati sunt Curiam Romanam.*
12 *Quomodo labentibus sæculis continuo extensa sit appellandi libertas.*
13 *Querela Joannis Gropperi in Concilio Tridentino contra abusus appellationum.*
14 *Plures abusus in hanc appellationum materiam irrepsisse satis agnovit Synodus.*
15 *Decretum Synodi restringens facultatem appellandi.*
16 *Synodus vetans appellationem ab interlocutoria non habente* vim definitivæ; *vel à gravamine per definitivam reparabili, concordat Juri Civili.*
17 *Quod decrevit Synodus Tridentina, erat cautum per regulam 36. Cancellariæ.*
18 *Similiter & in Concordatis Gallicanis.*
19 *Quid circa hanc restrictionem decreverit S. Congregatio sub Clemente VIII.*
20 *Non obstante hac restrictione adhuc nimia est appellationum frequentia in Curiis Ecclesiasticis.*
21 *Admittitur appellatio ab omni gravamine per definitivam non reparabili.*

22 *Item si non possit reparari sine difficultate, aut si in totum reparari nequeat.*
23 *Hinc penè ab omni Judicis Decreto appellatio admittitur.*
24 *Recipitur appellatio ab admissione vel non admissione probationis.*
25 *Item à coarctatione dilationum.*
26 *Interdum & à citatione ob breviorem terminum assignatum.*
27 *Similiter & à delatione juramenti, vel à declaratione judicis, quâ se competentem pronuntiat.*
28 *Hac frequentia appellationum viam pandit ad lites æternizandum.*
29 *Admittitur toties appellatio quousq; habeantur tres sententiæ conformes.*
30 *Quomodo intelligatur, quod de Jure Canonico non possit nisi secundò ab eadem sententia appellari.*
31 *Interdum expectandæ sunt quinque sententiæ, antequam executio haberi queat.*
32 *Id declaratur exemplo.*
33 *Subinde sententia transit in rem judicatam, licèt tantùm duæ sententiæ in causa appellationis sint prolatæ.*
34 *Quandonam admittantur quatuor appellationes, & requirantur quinque sententiæ ut executio habeatur.*
35 *Quandocumque habentur tres sententiæ conformes sententia mandanda est executioni, non obstante quacumque oppositione.*
36 *In Gallia in appellatione ab interlocutoria secunda sententia conformis executioni mandatur.*
37 *Post tres sententias conformes non solet recipi appellatio tamquam ab abusu.*
38 *Quandonam habeatur sententiarum conformitas?*
39 *Hæc sententiarum conformitas de jure requiritur in omni appellatione.*
40 *Huic praxis præcipuè adscribenda jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio.*
41 *Appellationes admittuntur non tantùm in causis Civilibus, sed etiam criminalibus.*
42 *Moribus hodiernis in foro sæculari non solet admitti appellatio in criminalibus.*
43 *Quæ ratio hujus consuetudinis, & an satis fundata?*

I. PRimis sæculis admodum raras, & inusitatas fuisse appellationes & provocationes à sententiis sive decisionibus Episcoporum, satis notum est. Cùm enim Episcopi tunc temporis non more judicum sæcularium, secundùm formam & rigorem Legum, aut stylum forensem; sed potiùs per modum arbitri causas & quæstiones, modo quasi paterno deciderent, rarò ab eorum decisionibus provocabatur; imò provocandi libertas in multis causis, præsertim civilibus adempta erat, uti supra *tit. 1. cap. 3.* ostendimus.

II. Imò Episcoporum sententias, etiam excommunicationis in Clericos aut Laicos latas, volebant pristini Patres ab omnibus *inviolabiliter* servari, atque ab Episcopo suo excommunicatum, ab omnibus ubique Episcopis pro excommunicato haberi & tractari volebant; quam regulam renovavit Synodus Nicæna *Can. 5.* dicens: "De iis, qui à „ communione segregati sunt, sive Clericorum sive Lai„ corum sint ordinis, ab Episcopis, qui sunt in unaquaque „ Provincia, valeat sententia secundùm Canonem, qui „ pronuntiat, eos, qui ab aliis ejecti sunt, non esse ab aliis „ admittendos."

III. Nihilominùs attendentes Patres Nicæni, inter Episcopos nonnumquam reperiri, qui hac sua potestate, ex humana aliqua passione in subditorum gravamen abutuntur, atque subinde esse Fidelium de Episcoporum sententiis justas querelas, voluerunt, ut "examinetur, numquid vel pu„ sillanimitate, vel contentione, vel aliqua ejusmodi Epi„ scopi acerbitate, congregatione pulsi sint."

IV. „ Ut hoc ergo convenienter examinationem acci„ piat, (inquiunt Patres Nicæni) rectè habere visum est, ut „ singulis annis in unaquaq; Provincia bis in anno Synodi „ fiant: ut cùm omnes Provinciæ Episcopi in eumdem lo„ cum communiter conveniant, ejusmodi quæstiones exa„ minentur: & sic quos Episcopum offendisse constiterit „ justè esse à Congregatione separati apud omnes videa„ tur, donec Episcoporum Congregationi videatur pro „ humaniorem proferre sententiam. Synodi autem fiant „ una quidem ante Quadragesimam, ut omnibus animi sor„ dibus sublatis, purum munus Deo offeratur: secunda au„ tem autumni tempore."

V. Non dubium, quin hæc adversùs Episcoporũ excommunicationes querela coram Synodis Provincialibus proposita, species quædam fuerit appellationis; quæ tamen non habebant effectum suspensivum, sed devolutivum duntaxat: eratque potiùs simplicis querelæ propositio, quàm appellatio, cujus nec vocabulum occurrit. Neque eo tempore reperitur usitata fuisse appellatio à sententiis Episcoporum ad Metropolitanos, & ab his ad Primates, ac ab his demum ad Pontificem. Hi enim appellationum gradus sequentibus sæculis stabiliti fuisse videntur.

VI. Circa sæculum nonum per Pseudo-Isidorum publicatis spuriis illis ac famosis epistolis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, admodum frequentes cœperunt esse appellationes. Ut enim rectè advertit Vir eruditus Claudius Fleury Parte 3. Instit. *Juris Canonici c. 23.* hæ Decretales stabiliunt diversos gradus jurisdictionis, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum, ad quos gradatim appellari posset; uti videri potest ex fragmentis illarum Decretalium relatis apud Gratianum *caus. 2. q. 6.*

VII. In iisdem etiam Decretalibus asseritur auctoritas liberè provocandi à quibuscumq; judicibus, in quibuscumq; causis ad Romanum Pontificem. "*Si quis*; est, ùm pulsatus „ fuerit in aliqua adversitate, licenter hanc Sanctam & *A*„ *postolicam* Sedem appellet, & ad eam quasi ad Caput, suf„ fugium habeat, ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia „ sua detrimentum patiatur." Ita ex supposititia epistola Sixti Papæ I. *caus. 2. Can. 4. q. 8.* & *Can. 8.* ex epistola Zepherini: "Ad Romanam Ecclesiam ab omnibus, maximè „ tamen ab oppressis appellandum est, & concurrendum „ quasi ad matrem, ut ejus uberibus nutriantur, auctoritate „ defendantur, & à suis oppressionibus releventur: quia „ non potest, nec debet mater oblivisci filium suum."

VIII. Cœperunt autem in Curia Romana recipi appellationes non tantùm à sententiis definitivis, sed & interlocutoriis. Nec in majoribus duntaxat causis, sed & levioribus. Quin & ipsæ causæ principales sæpiùs evocabantur ad Curiam Romanam, etiam interdum in prima instantia.

IX. Hæc frequentia appellationum & causarum evocatio sæculo XII. adeò invaluerat, ut de ea plures Sanctissimos Viros graves querelas deposuisse legamus. S. Bernardus ad Eugenium III. *lib. 3. De Consideratione cap. 2.* "Quanto „ (ait) novimus appellasse pulsatos, quò interim liceret „ quod numquam licet? Nonnullis etiam quoad vixerunt „ licuisse appellationis suffragio nefaria scimus, verbi gra„ tiâ incestum, adulterium. Quale est hoc, turpitudini pa„ trocinari, quod vel maximè formidari à turpibus oporte„ bat? Quousque murmur universæ terræ aut dissimulas, aut „ non advertis? Quousq; dormitas? Quousq; non evigilat „ consideratio tua ad tantam appellationum confusionem „ atque abusionem? Præter jus & fas, præter morem & or„ dinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non „ causa discernitur, aut persona. Præsumuntur leviter pas„ sim, plerumque & nequiter. Volentes malignari, nonne „ his potissimùm terreri solebant? Nunc terrori ipsi ex his „ magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum in vene„ num, non mutatio dexteræ Excelsi hæc?"

Similiter Epistola 178. ad Innocentium II. queritur, Episcoporum auctoritatem contemni ac minui, quòd appellationes ab ipsorum sententiis Romæ faciliùs reciperentur, ipsorumque decreta quantumvis æquissima suspenderentur.

X. Contra eumdem appellationum abusum, & Episcopalis auctoritatis depressionem sub idem tempus ad Honor. II. Pontificem scripsit Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *epist. 82.* "Quaslibet appellationes in Romana vigere & „ susci-

„suscipi Ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec ex Sacris „traditum institutis. Quòd si fortè hujusmodi emersit no„vitas, ut placeat, omnem indifferenter admittere appella„tionem, Pontificalis censura peribit, & omninò contere„tur Ecclesiasticæ robur disciplinæ. Quis enim raptor ad „solam anathematis comminationem non statim appella„bit? Quis Clericus aut Presbyter, frustratoriæ appellatio„nis refugio non putrebit, aut etiam sepelietur in stercore „suo? Quis Episcopus habebit in promptu, non omnem „dico, sed aliquam ulcisci inobedientiam? Ejus virgam „quævis appellatio quassabit, solvet constantiam, severi„tatem emolliet, adducens & illi silentium, & reis impuni„tatem delictorum, . . . Dilatione nempe Censuræ facino„ra fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis im„punè delinquentes, &c."

XI. Metropolitani, Primates, aliique Superiores, ad quos per appellationem causæ devolvebantur, facilè hoc exemplum in recipiendis quibuscumque appellationibus sequuti fuerunt, ob lucrum, quod ex causarum disceptatione, vel ipsi, vel eorum Ministri accipiebant.

XII. Imò labentibus sæculis eò deventum fuit, ut non tantùm à sententiis Judicum, & actibus judicialibus appellatio admitteretur, sed & à quibuscumq; etiam extrajudicialibus Decretis provisionalibus, tametsi ab Episcopis tempore visitationis pro morum emendatione, & Ecclesiasticæ disciplinæ reformatione editis; idque non solùm quoad effectum devolutivum, sed & suspensivum.

XIII. Contra hanc appellationum frequentiam, atq; inde resultantem Ecclesiasticæ disciplinæ, & judiciorum eversionem, in Concilio Tridentino plures è Patribus conquesti fuère; atq; præ cæteris Joannes Gropperus in hunc appellationum abusum vehementiùs insurrexit; ostenditque, labentibus sæculis, Episcopos non tantùm sublatis Synodis, more Judicum sæcularium, forum & officiales instituisse; sed & ad abusus longè majores, quàm in foro sæculari, gradum non cunctanter fecisse. In foro sæculari inquiebat provocationem non fieri, nisi ad judicem immediatè superiorem; tantum abesse, ut fas sit, ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ provocare à Decretis Judicis, quæ vocantur *interlocutoria*; sed causæ finem, & decreta litis decisoria necessariò esse exspectanda. At contrà in judiciis Ecclesiasticis, & appellari à singulis actis Judicis, unde causarum immensitas nascitur; & *immediatè* ad supremum, unde sequitur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas.

Hæc non alium ob finem à se dicta protestabatur Gropperus, nisi ut huic abusui, qui omnem prorsùs corrumpit disciplinam, cum maximo populi & onere, & sumptu, & offendiculo, remedium saltem apponeretur: & dum pro temporum conditione, ad suam primam originem reduci in totum non potest, saltem appellationes in foro Ecclesiastico ad Juris Civilis formam reducerentur.

XIV. Dubitari nequit, quin Synodus Tridentina sat apprehenderit abusus, qui sensim in has Appellationes irrepserant; satisque adverterit, eversionem disciplinæ, causarumque protractionem, & subditorum dispendia ex his abusibus sequi.

Indicant id Decreta ejusdem Synodi, quæ plura in hac quàm ferè in ulla alia materia, edita sunt, & per varias sessiones dispersa; quibus pro temporum conditione abusibus in hac materia sensim inductis mederi voluit, licèt integram medelam afferre non potuerit, quemadmodum in decursu hujus tituli notabitur.

XV. Imprimis *Sess.* 24. *cap.* 20. *De Reformat.* decretum fuit, "ne appellationes ab Ordinariis interpositæ, per Supe„riores quoscumque recipiantur, earumve commissio aut „inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim haben„te; & cùm gravamen per appellationem à definitiva re„parari nequeat."

XVI. Indubitatum est, hoc Decreto restrictam esse libertatem, quam Jus Canonicum tribuebat, appellandi ab *omni* sententia *interlocutoria*, omnique judiciali gravamine: notantq; Doctores, hac in parte Jus Canonicum esse reductũ ad Jus Civile, quod à sententia interlocutoria, quæ per definitivã reparari potest, appellationẽ non admittit; uti videri potest apud Fagnanum ad *Cap.* SUPER EO, 12 *De Appellat.*

XVII. Quod hoc suo Decreto cavit Synodus Tridentina, jam antè expressum erat in *Regula* 36. Cancellariæ, quâ voluit Pontifex, ut litibus finis celeriùs imponatur, & litigantium parcatur sumptibus & expensis, quòd in causis in „Romana Curia pendentibus, & quas imposterum in ea „quovis modo contigerit agitari, nulli ante diffinitivam „sententiam liceat appellare, nec appellatio, si fuerit com„missa, debeat admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim ha„beat diffinitivæ, vel à gravamine minimè concernente „negotium principale, quòd non possit per appellationem „à definitiva sententia reparari, nullæque causæ appellatio„num hujusmodi committantur, nisi in commissione ex„primatur, quòd interlocutoria vim diffinitivæ habeat, „vel gravamen sit tale, quod in appellatione à diffinitiva „non valeat reparari."

XVIII. Cautum quoque erat in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ *tit. de Frivolis appellat.* "Ne à gravamine in quacumque instantia, ante dif„finitivam sententiam quomodolibet appelletur, nisi for„sitan tale gravamen extiterit, quod in diffinitiva reparari „nequiret."

XIX. Anno 1600. 16. Octob. Sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, ex sententia Clem. VIII. quosdam articulos sanxit in materia appellationis observandos, quos ad calcem Ordinationum suarum Curiarum adjici voluerunt Episcopi Belgici; & ab omnibus observari de novo, quatenus opus est, præceperunt. *tit.* 16. *art.* 10.

In Decreto hoc S. Congregationis *art.* 5. decernitur: "Ne, „dum causæ coram inferioribus Judicibus pendent, ante „diffinitivam sententiam, vel vim diffinitivæ habentem, de „gravamine illato, superiores cognoscere valeant, licèt ci„tra præjudicium cursus causarum se id facere contesten„tur: nec ad hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpli„citer mandare, ut ipsis copia processus transmittatur, e„tiam expensis appellantis."

Itaque hodie contra dispositionem Juris Canonici, appellatio recipienda non est ab interlocutoria, nisi vim *diffinitivæ* habente; & cujus gravamen per appellationem reparari nequit.

XX. Tametsi nonnihil hodie restricta sit appellatio à sententiis interlocutoriis, nihilominus adeò frequens manet appellatio, ut ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ prolapsio; imò totalis penè ejus interitus huic appellationum frequentiæ adscribenda penè unicè videatur.

XXI. Salva quippe manet appellatio non tantùm à sententia diffinitiva, sed & interlocutoria habente *vim definitivæ*, quin & ab omni gravamine per appellationem à definitiva non reparabili.

XXII. Idem esse docent communiter Canonistæ, si tale gravamen posset reparari, sed magna cum difficultate, aut præjudicio partis, uti videri potest apud Hieronymum Gonzales ad Regulam 8. Cancellariæ *Glossa* 9. *num.* 177.

Addit dein *num.* 178. item quando gravamen potest per diffinitivam reparari, sed non ex toto: quia tunc quoq; datur appellatio. "Nec non (ait *nu.* 179.) quando articulus „interlocutoriæ esset præjudicialis negotio principali."

XXIII. His positis nullum penè Decretum à judice interponitur, à quo appellari nequeat; cùm vix aliquod decretum sit, quo non inferatur gravamen aliquod, per diffinitivam, vel appellationem à diffinitiva irreparabile, saltem quoad aliquam partem.

XXIV. Et quidem hinc concedi appellationem ab admissione injusta articulorum partis adversæ, seu à non admissione articulorum & probationis, aut exceptionis ipsius partis appellantis, tradunt communiter Doctores citati apud Gonzales *num.* 190.

XXV. Refertque *num.* 191. resolutum in Rota, fuisse nul-

nullam sententiam, quæ lata erat post appellationem interpositam à coarctatione dilationum à jure præscriptarum, cùm tali casu appellatio sit legitima.

XXVI. Idemque est (ait Gonzales *num.* 193. & 194. si appelletur à citatione, continente breviorem terminum, quàm sit opportunus; vel appelletur à citatione ad locum non tutum.

XXVII. Eodem fundamento appellari potest à dilatione juramenti alteri Parti à Judice factâ. Item si Judex se pronuntiet competentem aut incompetentem, expresse vel tacitè ad ulteriora procedendo.

Plurimi alii casus, quibus potest ab interlocutoria, etiam post Decretum Concilii Tridentini, appellari, referuntur apud Gonzales, & alios ab ipso citatos.

XXIII. Quæ omnia evincunt, quàm obvia sit, etiam post restrictionem à Concilio Tridentino inductam, appellandi copia iis, qui lites & quæstiones æternizare volunt: præsertim si attendatur, quòd non tantù in prima instantia occurrat prædicta libertas appellandi à sententia interlocutoria; sed etiam in secunda & tertia instantia: quas singulas haud difficile fuerit vitilitigatoribus, & Curiarum taburis, per interpositas appellationes in plurimos annos protrahere.

XXIX. Accedit, quòd etiam juxta modernam disciplinam liberum sit in Curiis Ecclesiasticis à sententia sive diffinitiva, sive interlocutoria vim diffinitivæ habente, cujus gravamen per appellationem à diffinitiva non est reparabile, toties appellare, donec habeantur tres sententiæ conformes. Ideoque si ab aliqua interlocutoria sit appellatum, debebit principalis processus sisti, quoad-usque per *tres* sententias *conformes*, si toties Partes appellare voluerint, quæstio decisa fuerit.

XXX. Verum quidem est, de Jure Canonico non posse nisi secundò ab eadem sententia appellari, *Cap.* 39. & 65. §. *De Appell.* idq; conformiter ad JusCivile sub tituloCodicis *Ne liceat in unaeademque causa tertiò provocare*. Verùm illud intelligendum est de una eademque persona, ut scilicet eadem Pars non possit nisi secundò appellare; sed institui possunt super eadem causa, eodemque Decreto quatuor appellationes, duæ scilicet ab utraque Parte.

XXXI. Porrò quatuor his appellationibus respondebunt quatuor sententiæ, quæ cum sententia lata in prima instantia erunt quinque sententiæ, ultra quas nulla ampliùs expectanda erit; sententia illa executioni mandabitur, cui duæ aliæ fuerint conformes; sive à qua fuit appellatum, & bis confirmata.

XXXII. Exemplo res clariùs patescit. Petrus in prima instantia sententiam obtinuit. Joannes Pars adversa appellat. Judex appellationis sententiam priorem retractat. Ab hac sententia Petrus appellat. Hic Judex primam sententiam confirmat, & retractat secundam. Rursus Joannes appellat. Judex hic iterum retractat sententiam latam in prima instantia, & confirmat latam in secunda instantia. Petrus ab hac sententia appellat. Hic tandem primam rursus sententiam ratificat.

Itaq; repetiuntur quatuor appellationes; duæ nimirum interjectæ à Joanne, & duæ à Petro. Sunt autem quinque sententiæ computatâ sententiâ latâ in prima instantia; quæ sententia cùm sit per duas sententias confirmata, reperiuntur sententiæ *conformes* in favorem Petri; cui per consequens sine ulteriore appellatione victoria cedit; & prima sententia transit in rem judicatam.

XXXIII. Si Petrus in prima instantia pro se sententiam obtinet; hæcque sententia in secunda & tertia instantia per Joannem instituta, confirmata fuerit, nulla ulterior appellatio interveniet; sed prima sententia per *duas conformes* confirmata transibit in rem judicatam: quia scilicet in eadem causa jam sunt tres sententiæ conformes.

XXXIV. Itaq; quatuor appellationes admittuntur, ubi sententiæ ita inter se discrepant, ut ante datam quintã sententiam non reperiantur *tres* conformes.

XXXV. Si autem post 2. vel 3. appellationes habeantur *tres* sententiæ conformes, ulterior appellatio non admittetur: sed sententia executioni mandabitur, non obstante quacumque oppositione, etiam ex capite nullitatis; uti dicitur in *Clem. I. de Sent. & re Judic.* ubi dicitur; " Ut calumniis „litigantium occurratur, is, qui in beneficiali, vel aliaqua„vis causa tres contra se in petitorio vel possessorio senten„tias reportavit, ad agendum de nullitate ipsarum, vel ali„cujus ex eis nullatenus admittatur, donec hujusmodi sen„tentiæ fuerint executioni mandatæ."

Hoc jus relatum quoq; fuit in Pragmaticam Sanctionem; atq; ex hac inConcordatum inter Leonem X. & Francisc. I. Regem Galliæ *tit. De Frivolis appellat. §. Prohibuimus*; nimirum quoad appellationes à sententiis definitivis.

XXXVI. Quoad autem appellationes ab interlocutoria, volunt *secundam* sententiam conformem executioni mandandam esse, quacumque appellatione interposita non obstante: asseritque Rebuffus in commentario ad hunc textum, pronuntiatum fuisse in Senatu anno 1542. contra rescriptum impetratum post interlocutoriam confirmatam, ut abusivè impetratum & concessum.

XXXVII. Testatur quoq; ibidem, quòd anno 1543. Cardinalis Ferrariensis " appellans contra tres sententias con„formes ad Senatum tamquam *ab abusu*, dicens citationes „non valuisse, non fuerit receptus, sed fuerit ad emendam „condemnatus," Addit præterea Rebuffus; " Et ideo post „*tres* sententias coram Judicibus Ecclesiasticis latas con„formes, vidi impetrari litteras à Cancellaria directas Se„neschallo, aut Baillivo seu Gubernatori, Judici Partium, „in quibus mandatur ipsis, ut has sententias exequantur, „non obstantibus oppositionibus, & appellationibus, si „constaret eidem de dictis tribus sententiis definitivis con„formibus, vel duabus interlocutoriis."

XXXVIII. Sententiarum autem conformitas adesse dicitur, quando est conformitas sive identitas rei, causæ, & personarum, sive verè, sive interpretativè. Quia si una sententia sit contra Petrum, & secunda contra ejus hæredem, qui causam defuncti resumpsit, censebitur identitas personæ interpretativè: eò quòd hæres interpretatione juris sit eadem persona cum defuncto. Vide Salgado *De Protectione Reg. parte 3. cap. 16. num. 26. 27. & 28.* & ibi citatos.

Notat insuper ibidem *nu.* 29. ex Covarruvia *Pract. qq. c.* 25. *n.* 6. quòd dum ultima sententia duabus aliis est conformis, easq; confirmans, " adjecto tamen aliquo modera„mine aut aliqua declaratione, quæ prioribus aliquid addat „& sic quando per tertiam sententiã infertur novum grava„men, & condemnat in id, de quo primæ sententiæ minimè „tractavêre, quoniam ab hoc novo gravamine licet iterum „per condemnatum appellationẽ emittere, eique est defe„rendũ omninò, respectu dumtaxat illius novi additamen„ti, licèt sententia, quatenus cum aliis sit conformis, exe„quenda est, etiã pendente appellatione ab hoc novo grava„mine, cujus respectu hæc ultima diversa est à prioribus."

Addit *n.* 53. ex Escacia *De Appellat.* quòd hoc casu sententia, quæ pro una parte est appellabilis, non considerabitur ut individua; sed ut dividua. Deinde fusiùs examinat, quæ sententiæ dicendæ sint conformes, aut difformes.

XXXIX. Interim illud indubitatum est, etiam hodie post Decretum Conc. Trid. secundò appellari posse à sententia diffinitiva, & quacumq; sententia interlocutoria, & gravamine, quæ per sententiam diffinitivam, aut appellationem à diffinitiva plenè reparari non possunt. Insuper quòd requirantur *tres* sententiæ *conformes*, priusquam vel sententia diffinitiva, vel similis interlocutoria in rem judicatam transeat, & plenam executionem habeat, si pars adversa toties appellare voluerit.

XL. Si quis expendat, quantum temporis requiratur, ut hujusmodi *tres* sententiæ *conformes* obtineantur; & quàm facilè sit & obviũ, præsertim Vitilitigatoribus, & injustam causã foventibus, appellationes à decretis, quæ in progressu litis feruntur, multiplicare, nequaquam mirabitur, jurisdictionẽ Ecclesiasticam ob hanc frequentiã appellationum adeo prolapsam, causasq; passim omnes ad tribunalia Regia devolvi, ubi citra ulteriorem appellationẽ, si suprema

sin

sint; aut saltē post unam appellationē, si Provincialia dumtaxat sint, finis controversiæ speratur; ubi econtra in curiis Ecclesiasticis ob multiplices has appellationes, litigantes facilius sperare possunt finem vitæ, quàm finem causarum.

XLI. Hæc appellandi facultas non tantùm in causis civilibus; sed etiam criminalibus obtinet. Nam si jus Commune, seu Civile, seu Canonicum attendamus, æque in criminalibus, quàm civilibus appellatio admittitur. Cùmque appellationes in foro Ecclesiastico tantopere viderentur multiplicatæ; earumque interpositione, crimina quantumvis gravissima manerent impunita, frequenter etiam cum notabili reipublicæ & politici regiminis perturbatione factum, ut Regii judices se nonnullis causis criminalibus Clericorum immiscere, earumque cognitionem sibi attribuere cœperint; ut supra *tit.* 3 *c.* 2. ostensum est. Quomodo autem Canones, ac novissimè Synodus Tridentina cavere voluerint, ne per frequentes appellationes, Prælati in corrigendis subditorum excessibus non impediantur *c.* 3. videbitur.

XLII. Moribus hodiernis passim receptum est, à sententia criminali in foro sæculari non appellari; ac notanter in Brabantia cautum Edicto Caroli V. de 14. Maji 1530. extatque *parte* 1. *Edict. Brabantiæ lib* 2. *tit.* 2. *c.* 4. & rursus confirmatum Edicti Philippi II. de 9. Julii 1570. *art.* 64. extatq; *parte* 2. *Edict. Brab. lib.* 2. *tit.* 3. *c.* 1.

Idipsum & in Flandria obtinere declaratum 17. Novemb. 1517. & de hac Flandriæ consuetudine testatur Damhouderus in *Praxi rerum crimin. c.* 151. *n.* 2. idque in Concilio Flandriæ observari asserit, etiamsi Rei proprio ore nil confessi sint, modò legitimâ, dignâ, certâque probatione convicti fuerint; atque ita in eodem Concilio judicatum fuisse dicit.

„In Flandriæ verò aliis Senatibus (ait Damhouderus *n.* 4.) „ nequaquam obediunt aut deferunt appellationi in materiis criminalibus, maximè in diffinitivis; quòd in iis neminem corporaliter punire possint, nisi ex propria confessione convictum.„

„Nec etiam admittunt reformationem hujusmodi diffinitivarum (pergit Damhouderus) ob eamdem rationem: „ quod tamen subinde permittunt in sententiis exiliorum. „ Nam hoc casu Domini de Concilio largiuntur & expediunt Reo exulanti litteras reformatorias, quibus ei potestatem faciunt, se tutò & liberè posse recipere, & ire per totam Flandriam, excepto tantùm loco, ubi exilii sententiam accepit.„

Belgicæ praxi plerosque aliorum mores conformes esse ostendit Christinæus in notis ad Bugnyonium *De Legibus abrogatis lib.* 2. *c.* 146. Et Covarruvias *Pract. qq. c.* 23 *nu.* 5. „ ait: „ Usus forensis apud Hispanos, & ferè *toto* in Orbe „ Christiano hactenus obtinuit, ut in criminalibus, quoties „ *corporalis* pœna est infligenda, appellatio minimè admittatur ad executionem impediendam, sive quis damnetur „ ex propria confessione, sive testibus tantùm fuerit convictus.„

Verùm addit ipse Covarruvias: „ Quem usum ipse probare nequeo, nec opinor probari jure posse. Idcirco Judices admoneo, ut priusquam exequantur criminales sententias, cautissimè singula expendant. Poterit enim contingere, quem falsis testibus convictum fuisse, aut iniquissimâ ac crudeli admodùm quæstione inductum & coactum esse crimen de se falsum; cujus rei veritas forsan apud appellationis Judicem constare poterit.„

* * *
* *
*

CAPUT II.

De Forma interponendæ, & prosequendæ appellationis, fatalibus & Apostolis.

1 *Debet de jure appellari ab inferiori ad* immediatum *superiorem.*

2 *Non potest de jure civili appellari* omisso medio; *quod & praxi tribunalium sæcularium est conforme.*

3 *Vetitum in Parlamento Mechliniensi recipere appellationes Flandrorum omisso* medio.

4 *Appellationes omisso* medio *etiam Jure Canonico vetitæ.*

5 *Admittit tamen immediatè ad Pontificem omisso* medio.

6 *In Gallia non admittitur appellatio ad Pontificem* omisso medio.

7 *Quomodo* gradatim *appellari debeat?*

8 *Appellatione devoluta ad Sedem Apostolicam, debet causa committi judicibus delegatis in* Partibus *ex Concordatis Galliæ.*

9 *Eadem est Praxis Belgii.*

10 *Hinc evitantur incommoda, quæ ex appellatione ad Pontificem* omisso medio *urgebat Gropperus.*

11 *Appellatione coram Pontifice introductâ, & causâ decisâ, ulteriori appellationi adhuc locus est.*

12 *Quæ ratione causâ in prima instantia aut secunda coram Pontifice decisâ dentur ulteriores appellationes sine detrimento Primatûs Sedis Apostolicæ.*

13 *Per appellationem* immediatè *ad Pontificem non minuuntur appellationes.*

14 *Ex Constitutione Justiniani appellari debet intra* 10. *dies à lata sententia.*

15 *Hæc constitutio recepta est à Jure Canonico, etiam in appellatione ab actu* extrajudiciali.

16 *Consonat & passim stylus Curiarum.*

17 *A sententia D. Rectoris Academici appellandum intra triduum.*

18 *De jure appellari potest viva voce Judice adhuc sedente pro tribunali: sed id non ubique hodie licet.*

19 *Debet appellari in* scriptis, *si non incontinenti appelletur.*

20 *Hactenus dicta consonant Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mech.*

21 *De Jure debent intra statutum terminum peti litteræ dimissoriæ sive* apostoli.

22 *Unde hæ litteræ dicti* apostoli.

23 *Triplex genus apostolorum.*

24 *Qui intra tempus non petit apostolos, censetur renuntiare appellationi.*

25 *Olim peti debebant iteratò per distincta tempora; hodie petuntur* sæpius *unico contextu.*

26 *Potest Judex à quo petuntur apostoli, accipere terminum juris vel alium terminum præfigere.*

27 *Judex non facilè recusare potest apostolos reverentiales.*

28 *Ordinatio Curiæ Rectoralis de non respondendo de refutatoriis.*

29 *In Curiis sæcularibus desiit usus apostolorum; qui nec in Curiis Ecclesiasticis in Gallia necessarii sunt.*

30 *Ad introducendam & finiendam appellationem Justinianus annum indulsit, & ex causa biennium.*

31 *Hic terminus etiam jure Canonico probatus.*

32 *Etiā quoad appellationes ab actibus extrajudicialibus.*

33 *Terminum introducendæ appellationis à Jure statutum judex à quo ex causa abbreviare potest.*

34 *Terminus à judice præfixus dicitur terminus* hominis.

35 *Unde hi termini dicantur* fatalia *appellationum?*

36 *Fatalia à jure præscripta præsertim finiendis causis appellationum in desuetudinem abierunt.*

37 *Fatalia introducenda & prosequendæ appellationis* ferè

ferè singularum Curiarum Ordinationibus sunt præfixa.

38 *De Fatalibus introducendæ appellationis ex Ordinatione Parlamenti Mechliniensis.*

39 *Quæ sint in Curia Brabantiæ?*

40 *Specialis praxis Curiæ Hannoniæ.*

41 *Quæ fatalia in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechl. sint præscripta?*

42 *Quid observandum in Curia Rectorali?*

43 *Contra lapsum fatalium non facilè danda restitutio.*

44 *Appellatio debet à judice declarari deserta.*

45 *Quæ ab Actore petenda & quomodo probetur desertio.*

46 *In causa appellationis de jure communi possunt* nova *facta allegari, congruitque praxis inferiorum Magistratuum.*

47 *Appellatione institutâ in supremis Curiis causa decidenda est ex actis primæ instantiæ si causa in* scriptis *instructa fuerit.*

48 *Quid circa hunc articulum obtineat in Flandria?*

49 *Quid in Curia Rectoris & Conservatoris Academici.*

50 *In Curiis Ecclesiasticis* nova *facta allegari possunt.*

51 *Ex Decreto Synodi Tridentinæ tenetur Appellans acta coram judice* à quo *transferre ad judicem appellationis.*

52 *Quomodo puniendus Notarius aut Judex copiam actorum dare recusans?*

I. De forma appellationis imprimis est, ut appellatio fiat ab inferiore ad superiorem, & quidem immediatum; uti apertè jam pridem leges præscripserunt; adeo quidem, ut Imperatores Antoninus & Verus rescripserunt in *L. 21. ff. De Appellat.* „appellationes quæ rectò ad „Principem factæ sunt, omissis his ad quos debuerunt fieri „ex imo ordine ad Præsides remitti. Iidemq; rescripserunt „ab Judice, quem à Præside Provinciæ quis acceperit, non „rectè ad Imperatorem appellatum esse: ideoq; eum rever„ti ad Præsidem debere.„

II. Hinc concludunt communi suffragio Interpretes, de Jure Civili appellari non posse ad judicem superiorem, etiam Principem, ejusq; Senatum *omisso medio*; quod & hodie tribunalia sæcularia observant: nec solent Concilia Regia appellationes ab inferioribus Magistratibus *omissis mediis* recipere, nisi in singularibus quibusdā & exceptis casibus.

III. Undè & Edicto 7. Octob. 1523. inhibitum fuit Parlamento Mechliniensi recipere appellationes Incolarum Flandriæ *omisso medio.* Verba Edicti sunt: *Avons ordonné & ordonnons par ces præsentes, que lesdictz de nostre Grand Conseil, ne despescheront, ne pourront despescher doresnavant, aucuns reliefvemens d'appel ou reformation des sentences & appointemens interlocutoires & diffinitifz, renduz en nostredit Pays de Flandres, par quelque loy que ce soit,* omisso medio *pour en avoir & retenir pardevers euls la cognoissance. Ains voulons & ordonnons, que la cognoissance des causes & proces auditz cas d'appel ou reformation demeure & appertient aux Juges ou Loix dudict pays & à chascun par degré respectivement, quy en ont acconstumé & en doibvent cognoistre.* Id est: Mandavimus & mandamus per præsentes, ut prædicti magni nostri senatus Consiliarii, non concedant aut concedere possint litteras ad persequendam provocationem, aut ad reformandas sententias, aut interlocutiones decretorias, aut definitivas pronuntiatas in dicta nostra Flandriæ Provincia, qualiscumq; lex obtendatur, *omisso medio,* ut ipsi de causa cognoscant, sed volumus & mandamus ut causarum & litium cognitio, in casu dictæ provocationis aut reformationis spectet & fiat ad Judices, & Leges patrias, & ad eos gradatim respectivè, qui de iis & solent & debent cognoscere.

IV. Secundùm Jus Civile etiam sæpiùs responderunt Pontifices in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus. Et quidem cùm quidam appellassent à sententia Archidiaconi ad Metropolitanum, omisso Diœcesano Episcopo ad quem fuerat *gradatim* appellandum, ipseq; Officialis Archiepiscopi non obstante exceptione per Partem adversam opposita processisset, Honorius III. mandavit quibusdam judicibus à se delegatis, *quatenus sententias post hujusmodi appellationem latas denuntient penitus non valere.* Idem jus asseritur in *Cap. 1. § 1. De Appellat. In VI.*

V. Verùm in hoc jus Canonicum à Civili recedit, quòd cùm hoc nequidem ad Principem immediatè, *omisso medio,* appellari permittat, Jus tamen Canonicum concedat appellationem ad Pontificem Romanum *omissis mediis. Cap. fin.* ¨ *De Foro comp. Cap. 7. & 54.* ¨ *De Appellat.* Quod conforme est Canonibus, qui sub nomine primorum Pontificum referuntur apud Gratianum *Caus. 2. q. 6.* & supra capite præcedenti relati sunt.

VI. In Gallia ex Concordatis inter Leonem x. & Franciscum I. appellatio *omisso medio* nequidem ad Pontificem admittitur. Verba concordati sub titulo *De Frivolis Appellat.* sunt: „Volumus quòd si quis offensus coram suo Judice ju„stitiæ complementum habere non possit, ad *immediatum* „superiorem per appellationem recursum habeat: nec ad „aliquem superiorem, etiam *ad nos* [Leonem x.] & *Succes„sores* nostros, vel Sedem Apostolicam prædictam, *omisso* „*medio.*„

VII. Hic articulus desumptus ex Sanctione Pragmatica tit. *De Causis*; notatque hic Glossographus, verbo *medio*, gradatim esse appellandum, id est, ad eum qui in gradu proximo est superior eo, à quo appellatur, putà ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primatem, ab illo ad Papam.

VIII. Additur in iisdem Concordatis: „*Si quis verò* im„mediatè subjectus Sedi Apostolicæ, ad eandem Sedem du„xerit appellandum, causa committatur in partibus per re„scriptum, usq; ad finem litis, videlicet usq; ad tertiam sen„tentiam conformem inclusivè, si ab illis appellari conti„gerit. Nisi propter defectum denegatæ justitiæ, aut justum „metum: & tunc committi debeat in partibus convicinis, „& cum causarum expressione. Quæ etiam de illis, etiam „legitimè aliàs quàm per juramentum, coram Judicibus à „Sede Apostolica deputandis constare debeat. Processus „autem contra præmissa attentatos, nullos & irritos esse „volumus, ac rescripta contra præmissa impetrantes, in „expensis, damnis & interesse condemnari debere decerni„mus atque declaramus.„

Notat hic Rebuffus, „quamvis iste textus loquatur in „subjecto *immediatè* Sedi Apostolicæ, tamen idem in hoc „Regno, in alio quocumq; appellante ad Papam obtinet, „ut causa debeat in *partibus* committi, & si contrarium „fiat, ad Senatum appellatur tamquam in abusu.

IX. Hoc jure utimur quoq; in Belgio; ut nimirum causæ quacumq; ratione devolutæ per viam appellationis ad Sedem Apostolicam committi debeant Judicibus delegatis in *Partibus*, uti fusius ostendimus supra *titulo 5. c. 3.*

X. Unde licèt in Belgio admittatur subindè appellatio ad Sedem Apostolicam *omisso medio*, nihilominus cavetur incommodum, quod contra hujusmodi appellationes ad Supremum *omisso medio* in Concilio Tridentino urgebat Gropperus: quandoquidem stante hac Belgica disciplina, nequaquam ex simili appellatione sequatur, extra territorium magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas; quemadmodum urgebat Gropperus.

XI. Ex supra relatis verbis Concordati intelligitur, quòd licèt causa in prima aut secunda instantia fuerit introducta coram Sede Apostolica, nihilominus possit à lata sententia sæpius appellari, videlicet usq; ad tertiam sententiam conformem: quod & in Belgio constantissimè observatur.

XII. Licèt enim appellatio institui nequeat, nisi ab inferiore ad superiorem; adeoque non videatur à Sede Apostolica ad alium judicem appellari posse: quemadmodum à sentētia Principis, sive supremi ejus Senatûs ulterior appellatio non admittitur: tamen receptum est, à Sede Apostolica

hæ appellari, non quidem ad alium judicem superiorem; sed ad eamdem Sedem Apostolicam seu Pontificem melius informatum: soletq; novum Rescriptum à Pontifice sive e- jus in Partibus residente Nuntio vel Pronuntio impetrari, quo alius Judex in Partibus delegetur; qui de causa appellationis rursus cognoscat; potestq; appellatio sic toties reiterari, quousque habeantur tres sententiæ conformes.

XIII. Quare rectè notat Franciscus Salgado *De Protectione Reg. parte 3. c. 16. n. 68.* quòd licèt hodie in foro sæculari rarò aut numquam accidere possit, ut super aliqua causa dentur quinque sententiæ, cùm post primam aut secundam instantiam recurratur ad suprema Prætoria ubi causæ per duas dumtaxat sententias finiuntur, secus tamen esse in foro Ecclesiastico, ubi omnes gradus reperiuntur per *rescripta impetrata*: hoc est, ope impetrationis rescriptorum, appellationes ita instituuntur, ac si revera tot essent gradus Superiorum, ad quos ab inferioribus per gradus appellatio progrederetur: adeoque nec per appellationem ad Sedem Apostolicam causa acceleratur; aut appellationes minuuntur.

XIV. Olim statutum fuit, ut si quis in judicio propriam fuerit causam prosecutus, atq; superatus voluerit provocare, *eodem die* vel *altero* libellos appellatorios offerre deberet, is verò qui negotium tuetur alienum, etiam *tertio* die provocare posset. *l. 6. §. 5. Cod. de Appell.* Sed Justinianus hoc jus mutavit, constituitq; *Novella 23. c. 1.* ut omnes appellationes indistinctè *intra 10. dies* à recitatione sententiæ intentare liceat: è qua Novella desumpta est Authentica *Hodie* subjecta citato §. 5. diciturq; „Hodie autem cuilibet tribuitur spatium decem dierum à sententiæ revocatione computandum.„

XV. Hæc Justiniani Constitutio probata est etiam de Jure Canonico; declaravitq; Bonifacius VIII. in *Cap 8. De Appellat. in VI.* quòd ab actibus extrajudicialibus, in quibus potest appellatio interponi, debeat provocatio fieri intra *decem* dierum spatium, scilicet à die scientiæ gravaminis illati.

XVI. Quod & moribus Belgii, & Curiarum Ordinationibus conforme esse ostendit Christinæus ad Bugnyonium *de Legibus abrog lib. 1. c. 130.* & nominatim expressum est *art. 583. Ordinat. Curiæ Brabantiæ*, numerans dies illos à die latæ sententiæ, vel à die qua scivit sententiam latam fuisse. Vide etiam Merulam in *Prax. Curiæ Hollandiæ lib. 3, capit.*

Ex Statuto hujus Universitatis à sententia D. Rectoris appellandum est intra *triduum* ad Dominos quinque Judices appellationum.

XVII. Interponenda autem ita est appellatio, ut de ea interposita appareat: non tamen necesse est, illam præsentare judici sedenti pro tribunali, sed potest ubique præsentari; imò sufficit illam præsentare actorum Magistro seu Notario in absentia judicis, ut ait Maranta *parte 6. actu 2. numer.* 134.

XVIII. De jure communi à sententia, mox ut lata est, potest vivâ voce, id est, Judice adhuc sedente pro tribunali appellari. *L 14. Cod. De Appellat.* sufficitq; dicere, *appello L. 2. ff. eod.* hocque scribi in actis per Notarium seu Graphiarium sive Secretarium Curiæ. Notat tamen Simon A Groenevvegen ad citatam *Legem* 14. quòd „nonnullorum locorum „moribus vivâ voce appellare in facie Judicis nefas sit.„ Mores & consuetudines, nec non Ordinationes singularum Curiarum in his observanda sunt.

XIX. Si non fuerit incontinenti vivâ voce appellatum, tunc interponenda est scripto appellatio. *L. 3. ff. eod.* idque per libellum, qui continet à quo appellatur, adversus quem à qua sententia. *L. 1. fi. x ff. eod.* Vide Imbertum Instit. forens. lib. 2. capit. 1. Andræam Gayl *lib. 1. observat.* 130.

XX. Hæc omnia expressa sunt in Ordinationibus Curiarum Ecclesi. Provinciæ Mechl. *tit. 16 art. 1.* „Qui gravatum „per prioris Judicis sententiam se tenuerit, poterit appellare „verbaliter illico apud acta, Judice qui sententiam tulit ad„huc pro tribunali sedente: alioquin in scripto Judici intra „decendium à lata sententia insinuandas & appellatio alia „interposita nulla erit, neq; causam ad superiorem devol„vet.„

XXI. Non sufficit autem appellatum esse statim aut ex intervallo, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat *Apostolos*, id est, literas dimissorias, quas judex à quo appellatum est, transmittit ad Judicem ad quem appellatum est, in testimonium & fidem appellationis interpositæ.

XXII. Dicuntur ergò Dimissoriæ, quia, ut dictum est, per eas causa transmittitur ad Judicem, qui appellatus est, *L. 106. ff. De V. S. & L. unica ff. De Libello dimissoriis*: ubi & *Apostoli* vocantur à Græco ἀποστέλλω, quod est mitto, quia mittuntur ad Judicem ad quem, ut de causa appellationis instrui possit, ait Andræas Vallensis ad tit. De Appellat. § 10. *n. 2.*

XXIII. Apostoli hodie sunt in triplici differentia. Primi dimissorii, qui sunt litteræ ad Judicem appellatum directæ, testificantes de appellatione coram Judice à quo, vel aliis personis legitimè interpositâ & admissâ.

Alii sunt Reverentiales, quando non ob justitiam causæ, sed solùm ob reverentiam Superioris ad quem appellatum est, defertur appellationi; hique hodie ordinarii, & pene soli in usu sunt.

Refutatorii deniq; sunt, quibus Judex à quo significat Judici ad quem, se non admisisse appellationem, de quibus in *L fin. §* IN REFUTATORIIS *Cod. De Appellat.*

XXIV Hodie „ab eo, qui appellat, intra 30. dies in„stanter Apostoli peti debent, & eidem intra dictum tem„pus à judice exhiberi: aliàs præsumitur appellationi suæ „renuntiare Appellans, si eos intra idem tempus petere „prætermittat, etiamsi vadat, aut mittat ad appellationem „hujusmodi prosequendam. „ *Caput. 6 De Appellat. in* VI.

XXV. In eodem Capitulo non obscurè indicat Pontifex quod Apostoli *instanter* per diversa tempora petendi sint; sive *sæpius* apud judicē pro iis obtinendis instandum; quod & supponitur in *Clem. 2. eod.* ubi dicitur: „Quamvis rigor „juris exposcat, eum qui appellat debere petere Apostolos „congruo loco & tempore, *sæpius* & *instanter*: Nos tamen „antiquam & communem observantiam litigantium se„qui & æquitatem rigori præferri volentes, decernimus „sufficere quòd per appellantem *simul uno* contextu Apo„stoli instanter & sæpiùs postulentur.„

Hoc nunc jure utimur; solentq; uno contextu peti Apostoli hac ferè formula: Peto responderi de Apostolis *instanter, instantiùs, instantissimè*.

XXVI. Potest Judex à quo petuntur Apostoli assignare petenti certum terminum, aut etiam terminum juris ad recipiendos Apostolos; intra quem si *instanter*, & sæpius, saltem uno contextu non petat, vel recusat recipere oblatos, appellationi suæ appellans renuntiare censetur, dicta *Clement. 2.*

XXVII. Additur in eadem Clementina: „Quòd si Judex „in termino ad dandum apostolos præfixo per eum ipsos „appellanti petenti non dederit, aut si dum peterentur A„postoli, responderit se daturum eosdem, nullo termino „certo sibi præfixo; vel intra juris terminum se eos asserue„rit velle dare, & postea per appellantem congruo loco & „tempore sæpiùs & instanter uno contextu etiam requisi„tus, eos non curaverit intra eumdem terminum exhibe„re: appellationem suam ex tunc prosequi possit appellans „ac si expressè fuissent eidem Apostoli denegati.„

Hic satis innuitur, ordinariè appellationi deferendum; neq; facilè de *refutatoriis* esse respondendum; præsertim si sit sententia definitiva de se appellabilis: quia de justitia sententiæ jam latæ ulteriùs ipse judex à quo judicare non potest; sed judici ad quem judicium permittere debet.

XXVIII. Unde in Ordinationibus Curiarum DD. Rectoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis *art. 59.* decernitur: „Quoniam lites sæpius oriuntur super

Apo-

„ Apostolis, ac refutatorii Apostoli à diffinitiva non magnum habeant momentum, cùm adeatur nihilominus Judex superior, qui inhibet revocátq; attentata: Judex desertat omni appellationi à diffinitiva , nisi appellans fuerit manifestè contumax: aut talis sit casus , in quo non cadit de jure appellatio. „

XXIX. In Curiis & tribunalibus sæcularibus usus Apostolorum passim abolitus est, uti observat Gudelinus De Jure noviss. *lib.* 4. *c.* 14. & pluribus citatis Christinæus ad Bugnyonium *lib.* 1. *c.* 98. Quin imo teste Claudio Fleury in Institut. juris Eccles. *parte* 3. *c.* 23. ne quidem in Curiis Ecclesiasticis illorum usus superest in Gallia: sed appellatio interponitur per actam, & introducitur per libellum, aut commissionem Metropolitani, quæ supplet voces litterarum relevii. Verba auctoris sunt: *On n'use plus, même en cour d'Eglise* D'APOTRES, *ou Lettres de renvoy que l'Appellant devoit obtenir du Juge* A QUO : *mais l'appel s'interiette par un acte, & se releve par requête ou par commission du Metropolitain, qui tient lieu de Relief.* Id est: Abolitus est etiam in Curiis Ecclesiasticis usus *Apostolorum* aut litterarum dimissionis, quas appellans impetrare debebat à Judice A QUO ; verùm provocatio interponitur per actam , ejusque persequendæ professio fit per libellum, aut Mandatum Metropolitani, quod hic vices subit diplomatis ineundæ provocationis.

Verisimile est, quòd hæc praxis invaluerit in Curiis Ecclesiasticis, postquam Edicto Regio anni 1667. ordinatum fuit, ut in tribunalibus Ecclesiasticis teneretur forma tribunalium Civilium.

XXX. Tempus introducendæ & finiendæ appellationis hodie de jure communi est annus, vel ex causa biennium à die interpositæ appellationis. *Auth* EI QUI *Cod. De Temporibus & reparat. appellationum*; quæ relata est à Gratiano in *Can* 41 *Caus.* 2. *q.* 6.

XXXI. Hic terminus etiam Jure Canonico præscriptus est *Cap.* 4. & 5. ꝟ. *De Appell.* Et quidem in posteriori scribit Alexander III. „ Quòd si ante sententiam, vel posteà fuerit appellatum, hujusmodi Appellantibus annus indulgetur; aut ex necessaria & evidenti causa biennium.

XXXII. Et in *Clementina* 3. *eod.* declaratur, quòd sicut „ appellationem judicialem , sic & extrajudicialem intra annum à die interpositionis ipsius, vel à die illati gravaminis, ubi à futuro gravamine appellatur, prosequi & finire tenetur Appellans. Quod si justo cessante impedimento non fecerit , debebit ejus appellatio deserta censeri.

XXXIII Et hic quidem est terminus *juris*; quem ipse *Judex a quo* subinde abbreviare potest, juxta illud quod verbis suprà relatis immediatè subnectit Alexander III. Nisi „ fortè Judex à quo Appellatum fuerit, secundùm locorum distantiam, & personarum, & negotii qualitatem *recisius* tempus fuerit moderatus. „

XXXIV. Terminus à judice præfixus vocatur terminus *hominis*; declaraturq; in *Clem* 4. *De Appellat.* „ Quamdiu appellationis prosecutio per compromissum, vel aliàs de Partium expresso consensu differtur : tempus ad prosequendum eamdem *ab homine* vel *à jure* præfixum currere nolumus Appellanti: nisi fortè Judex videns, ex dilatione periculum imminere , præciperet in illa procedi. „

XXXV. Hæc tempora vocantur *fatalia* appellationis, eò quòd si hæc elabi sinantur, appellatio efficiatur deserta & quasi moriatur, seu *fato* quodammodo extinguatur. Vide Wamesium ad *Cap.* 5. ꝟ. *De Appellat. n.* 2.

XXXVI. Observant autem communiter Pragmatici, hæc *fatalia* nostris & aliorum moribus in desuetudinem abiisse ; præsertim quatenus præfigunt terminum *finiendæ* appellationis. Sicuti enim primæ instantiæ ; postquam in causa conclusum est, perpetuæ sunt; ita & hodie appellationum instantiæ. Gudelinus *lib.* 4. *De Jure noviss. c.* 14. *n.* 30. & plures citati à Christinæo in notis ad Bugnyonium *lib.* 1. *c.* 100.

XXXVII. Verùm licèt nec fatalia ad introducendam aut prosequendam appellationem à jure præscripta moribus ubiq; serventur, certa tamen singularum Curiarum instructionibus introducendæ & prosequendæ appellationis fatalia sunt constituta, quæ si Appellans negligat, deserta censetur appellatio.

XXXVIII. In Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit.. De materia appellat. art.* 2. dantur tres menses à die factæ appellationis ad introducendam appellationem sub pœna desertæ appellationis. Et contra lapsum dicti temporis non vult concedi relivium à Parlamento , nisi ex causa urgente fundata in jure. Verba articuli sunt: *Qui voudra appeller de sentence contre lui rendue dont est permis d'appeller, sera tenu ce faire en dedans dix jours, selon la disposition du droict ecrit. Et relever son appell, ensemble executer icelui & faire servir le jour en dedans trois mois du jour de l'appellation interposée, à peine de desertion. Et contre ledit temps ne sera ac cor[illegible] aucun relief par lesdits de notre grand Conseil, ne fut pour cause urgente fondée en droict.* Id est: Qui à sententia adversus se lata, à qua provocare licitum fuerit, Judicem superiorem appellare intendet , juxta Juris scripti constitutionem, intra decem dies id facere obstringetur, interpositæq; provocationis persecutionem profiteri , eamdemq; executioni mandare & instruere ad diem intra trimestre ab interposita appellatione sub pœna deserti vadimonii, quo tempore elapso non concedentur à magno nostro Consilio litteræ actionis restitutoriæ, nisi ob causam urgentem in jure fundatam.

XXXIX. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 583. concedunt dumtaxat *viginti* dies ad introducendam appellationem computandos à lapsu decem dierum , qui dati sunt ad appellandū sub pœna desertæ appellationis. Tenor articuli est: *Sal gehouden zyn.... binnen twintigh dagen naer de expiratie van de voornoemde thien daghen , oft dat tvonnisse tot synder kennisse ghekomen sal zyn syn brieven van appellatien releveren ende executeren, op de pene van desertien, ende dat die Rechters* à quibus *sullen moghen procederen tot executien van heuren vonnisse, al ofter niet af geappelleert en vvare, vvaer tegen men niet en sal mogen releveren , ten vvare om saecken van minoriteyt, sieckte, nootelycke absentie, oft andere pregnante redenen den Hove daer toe moverende.* Id est: Obstringetur intra diem vigesimum, post lapsum prædictorum decem dierum, aut ex quo sententia ipsi innotuerit, interpositæ provocationis persecutionem profiteri, eamq; exequi sub pœna deserti vadimonii , quodque Judices *à quibus* sententiam latam executioni mandare possint, non secus ac si nulla esset interposita provocatio, adversùs quæ restitutionem persequi non licebit , nisi ob rationes aut minoris ætatis, aut morbi , aut absentiæ necessariæ, aut aliam demum causam urgentem, quæ Curiam permoveret.

XL. Quin in Curia Hannoniæ debet appellari inter decem dies & decem noctes à die intimatæ sententiæ, & prima die juridica introduci appellatio, modò inter diem juridicam & interjectam appellationem fuerint septem dies liberi idque sub mulcta sex florenorum, quâ mediante poterit & sequenti die juridica appellatio introduci. Verba *artic.* 445. Ordinationum dictæ Curiæ sunt: *Lequel appel estant ainsi interjecté devra estre relevé aux premiers plaids de nostre dite Cour ensuyvans pourveu qu'il y ait sept jours francqs depuis l'appel, sinon ledit appellant encherra en six florins d'amende au proufit de l'Officier & juge subalterne dont sera appellé, & luy sera neantmoins encor permis de relever jon dit appel aux seconds plaids apres qu'il l'aura interjetté, & si lors il demeure encor defaillant de le faire, son appel sera declaré pery & deserté, & ledit appellant condamné aux despens aussi en la moitié de l'amende du fol appel.* Id est: Quam provocationē sic interpositā persequi oportebit primā die juridicā dictæ nostræ Curiæ subsequente, modò ab interposita appellatione septem dies liberi elapsi fuerint , aliàs provocans mulctā incurret sex florenorum ad emolumentum Ministri & Judicis inferioris à quo provocaverit, licebitq; ei nihilominus sequenti die juridicā appellationē interpositā per-

prosequisi autem & tum deficeret, declarabitur provocatio irrita & deserta, provocánsq; condemnabitur in sumptus insuper q; ut medietatem mulctæ ob inanem provocationem persolvat.

Neque in Curiis Ecclesiasticis *Fatalia* à jure præscripta aliquæ servantur.

XLI. In Ordinationibus Curiar. Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.16.art.*1. statuitur: „Et intra 30. à sententia petitus debitè Apostolis, tenebitur Appellans impetrare à Judice ad „quem, citationem, seu litteras relevii, & illas exequi intra „20. dies à die ultimæ responsionis Apostolorum numerandos, nisi Judex respondens de Apostolis alium terminum præscripserit. Post illud tempus citari poterit ad docendum de facta diligentia, intra certum tempus Judicis „arbitrio moderandum; eoq; lapso & neglecto, appellatio „declarabitur deserta, & procedetur per Judicem à quo ad „executionem rei judicatæ.

XLII. Ordinationes Curiæ DD. Rectoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis *art.*49. præscribunt, ut „simul atq; appellatum est, præfigatur terminus Appellanti „ad introducendam appellationem coram superiore Judice: scilicet ut non tantùm interim Rescriptum impetretur, verùm etiam & Pars sit citata, & Appellans interim „ibi compareat; & intereà cesset executio.

XLIII. In citatis Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum *art.*3. decernitur insuper: „ Contra lapsum fatalium „appellandi, & appellationem introducendi, & prosequendi, non poterit Judex ad quem restituere, nisi pars doceat „per se non stetisse, seu aliam causam alleget, & probet non „levem, sed in jure legitimè fundatam.„

XLIV. Ut autem Judex à quo ob desertam appellationē ad executionem sententiæ procedere queat, debet ipsa appellatio à Judice *ad quem* declarari deserta. Hæc declaratio ab Appellato petenda est: quia multæ excusationes proponi possint, ob quas non sit deserta appellatio, ubi autem potest defensio competere, requiritur sententia declaratoria. *Cap.* CUM SECUNDUM *De Hæreticis in VI.*

XLV. Monet autem Rebuffus in Tractatu *De Appellationibus art.*5.*n.* 28 in hac materia desertionis tria peti ab Actore. Primò, declarari appellationem desertam, eò quòd non revelavit illam intra tempus præstitutum, vel non est eam prosecutus. Secundò, quòd decreta à Judice & statuta suum sortiantur plenum effectum. Tertiò, quòd Reus appellans condemnetur in expensas instantiæ desertionis.

Probatur autem desertio appellationis ex inspectione & collatione actorum; si nimirum ex his appareat, Appellantem intra præstitutum tempus appellationem non instituisse, aut prosecutum fuisse.

XLVI. Si Jus commune attendamus in *l.* 6. §.1. & *l.*37. *Cod. De Appell.* & *l.* 4. *Cod. De temporibus appell.* permittitur Appellantibus uti novis allegationibus, factáq; deducere quæ in prima instantia omissa fuerunt; idq; & moribus observari saltem in Curiis subalternis asserit Christinæus ad Bugnyonium *lib.*2.*c.*127. Adde & Simonem A Groenevvegen ad citatam *Legem* 4. ubi notat, quòd hæc Lex etiam hodie obtineat.

XLVII. In Curiis supremis tamen, si appellatum sit à sententiis *per scriptum* instructis, ex iisdem actis judicandum est *an benè, an malè* appellatum vel reformatum sit; uti ibidem monet A Groenevvegen, & nominatim præscribitur *art.*609. *Ordin. Curiæ Brabantiæ*; nisi sit obtenta licentia à Curia allegandi *nova* facta; quæ si obtenta fuerit, causáq; appellationis ex *novis* factis decisa sit, idipsum in sententia exprimendum erit, juxta *art.*693. dictarum Ordinat. His conformis est *art.*456. Ordinationum Curiæ Hannoniæ.

XLVIII. Edicto de ultima Junii 1495. mandatur, ut lites à quatuor primariis civitatibus sive Magistratibus Flandriæ decisæ & per appellationem vel reformationem ad Concilium Provinciale Flandriæ devolutæ ex iisdem actis definiantur, an malè vel bene judicatæ sint: sic tamen, ut acta transferantur debitè clausa, sigillata, & præsentibus procuratoribus Partium recognita: & Judices sententiam suam sic latam defendant. Habetur Edictum *parte I. Edict. Fland. lib.* 1. *Rubr.*6.

XLIX. Citatæ Ordinationes Curiæ Rectoralis & Conservatorialis *art.*55. statuunt: „Ut apud *quinq, Judices* judicetur ex *iisdem* actis, an bene vel malè: Et non liceat nova „facta allegare, vel non probata probare, nisi ex causa, & „præstito juramento, uti in prima instantia dictum„ nimirum *art.*14.

L. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis sufficienter indicant *tit.*16. *art.*12. nova facta in Priore instantia non allegata, in causa appellationis posse allegari; nam volunt, ut „die serviente Appellans litteras relevii „reproducet, & simul sine ulteriore dilatione Procurator „de mandato docebit, & gravamina per articulos exhibe„bit, & simul ulterius allegabit, quæcumq; in *priori* instan„tia *non allegaverit*, quæ ad rem suam facere existimabit.

LI. Vult autem Synodus Tridentina *sess.*24.*c.*20. *De Reform.* ut „si quis in casibus à jure permissis appellaverit, aut „de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu aliàs ob lap„sum biennii, ad alium judicem recurrerit; teneatur acta „omnia, coram Episcopo gesta, ad judicem appellationis „expensis suis transferre, eodem tamen Episcopo priùs ad„monito; ut, si quid ei pro causæ instructione videbitur, „possit judici appellationis significare. Quòd si appellatus „compareat; cogatur tunc is quoq; actorum, quæ translata „sunt, expensas proportione sua; si illis uti voluerit, subire; „nisi aliter ex loci consuetudine servetur, ut scilicet ad ap„pellantem integrum hoc onus pertineat.

LII. Utq; Appellans in prosequenda sua appellatione, defectu actorum, non impediatur, Synodus adjungit: „Por„rò ipsam actorum copiā teneatur notarius, congrua mer„cede accepta, appellanti quantò citiùs, & ad minùs intra „mensem, exhibere. Qui notarius si in differenda exhibitio„one fraudem fecerit, ab officii administratione arbitrio „Ordinarii suspendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis „fuerit inter appellantem & pauperes loci distribuendam, „compellatur, Judex verò, si & ipse impedimenti hujus „conscius particeps fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti „integrè acta intra tempus traderentur; ad eamdem dupli „pœnam, prout suprà, teneatur: non obstantibus, quoad o„mnia suprascripta, privilegiis, indultis, concordiis, quæ „suos tantùm teneant auctores, & aliis quibuscumq; con„suetudinibus.

CAPUT III.

De Effectu appellationis.

1. *Pendente appellatione nihil innovandum.*
2. *Idq; donec in causa appellationis fuerit pronuntiatum.*
3. *Hic effectus appellationis etiam jure Canonico probatus.*
4. *Appellatione pendente innovatum à judice* à quo *revocari debet per judicem* ad quem *tamquam* attentatū.
5. *Id etiam obtinet in appellatione quantumvis frivolà, si Judex à quo eidem detulerit.*
6. *Hic effectus non habetur, nisi appellatio judici* à quo, & *Parti fuerit intimata.*
7. *Appellatio* ab interlocutoria *non habet hunc effectum ante inhibitionem judicis* ad quem.
8. *Ratio differentiæ inter appellationem à definitiva, & ab interlocutoria.*
9. *Post inhibitionem innovatum est cassandum, licèt ratio inhibitionis vera non fuerit.*
10. *Attentata revocanda per judicem* ad quem.
11. *Per appellationem jurisdictio Judicis non omnino tollitur: sed suspenditur.*
12. *Judex* à quo *potest vi retenta jurisdictionis ordinaria quæ ad expeditionem appellationis conducunt.*
13. *Duplex appellationis effectus, devolutivus & suspēsivus.*
14. *Effectus suspensivus nonnullis appellationibus nominatim substractus.*

15. *Ju-*

15 *Jure Decretalium in causis* correctionis *non datur appellatio cum effectu* suspensivo.
16 *Hæ Decretales etiam locum habent in correctione Clericorum secularium.*
17 *A correctione legitima appellari non posse cum effectu suspensivo definit Concilium Lateranense.*
18 *Conforme est Decretum Synodi Tridentinæ.*
19 *Admittitur tamen appellatio cum effectu* devolutivo.
20 *Prædicta Decreta procedunt in quorumcumq; Superiorum correctione.*
21 *Si Prælati excesserint formam correctionis, ab eorum Decretis potest appellari cum effectu suspensivo.*
22 *Dum à correctione appellatur, debet exprimi causa gravaminis & excessus.*
23 *Decretum contra Regulares temerè ad Curiam Romanam appellantes.*
24 *A lata sententia excommunicationis non appellatur cum effectu* suspensivo.
25 *Excommunicatus potest denuntiari non obstante appellatione.*
26 *Quare ab excommunicatione lata appellatio non detur cum effectu suspensivo?*
27 *Ab excommunicatione nondum absolutè inflicta appellari potest cum effectu* suspensivo.
28 *Nonnulla sunt tribunalia, à quorum sententiis non appellatur quoad effectum* suspensivum.
29 *Quomodo hoc jure gaudeat sententia quinq; judicum hujus Universitatis si sit conformis sentẽtiæ D. Rectoris?*
30 *Sententiæ non excedentes summam 50. florenorum in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechl. mandantur executioni non obstante appellatione.*
31 *In causis officii, defloratiònis & similibus privilegiatis non recipitur appellatio cum effectu* suspensivò.
32 *Neque in causa alimentorum.*
33 *Quid de causis Beneficialibus?*

I. REgula ab omnibus uno consensu recepta est, pendente appellatione nihil posse innovari seu attentari; sed omnia in eodem statu, in quo erant tempore introducendæ, vel introductæ appellationis quamdiu de ea cognoscitur manere oportere, *L. unica ff. Nihil innovari appellatione interposita*, ubi scribitur: „Appellatione interpositâ, sive „ea recepta sit, sive non, medio tempore nihil novari opor„tet: si quidem fuerit recepta appellatio, quia recepta est: si „verò non est recepta, ne præjudicium fiat, quoad delibere„tur utrum recipienda sit appellatio, an non sit. „

II. Deinde additur §. 1. „ Receptâ autem appellatione „tamdiu nihil erit innovandum, quamdiu de appellatione „fuerit pronuntiatum.

III. Hæc regula etiam Jure Canonico probata est; atque Pontifex ait in *Cap. 7. De Appellat.* in VI. „Non solùm inno„vata post appellationem à definitiva sententia interjectã „debent sẽper (exceptis casibus in quibus jura post senten„tiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis Ju„dicem penitus revocari: sed etiam ea omnia quæ medio „tempore inter sententiam & appellationem (quæ postmo„dum intra decendiũ interponitur ab eadem) contingit in„novari, ac si post appellationem eandem innovata fuissent

IV. Itaq; si post appellationem à definitiva quidquam innovaverit aut attẽtaverit Judex *à quo*, illud imprimis statim & ante omnia per Judicẽ appellationis remedio attentatorum revocari, irritari, seu cassari debet. *C. 55.* ⁖ *De Appell.*

V. Si Judex *à quo* appellationi quantumvis frivolæ detulerit, mox ab ulteriore causæ prosecutione desistere tenetur; & si quid pendente appellatione innovaverit, tamquam *attentatum* erit revocandum. Rationem assignat Pontifex in *Cap. 5. De Appell.* in VI. "Quia Judex ipse, quantum in se fuit „à se jurisdictionem abdicavit eamdem, appellationi defe„rens minùs justæ, totius causæ decisio in Superioris est po„testate transfusa.„

VI. Ut tamen attentata post appellationem interpositã à definitiva revocentur, necesse est, appellationem fuisse intimatam Judici & Parti, nam aliàs Judex & Pars eam ignorantes possunt de jure procedere in causa, nec tunc per eos attentata revocantur, uti tradit Maranta *parte 6, act. n. 2.*

VII. Quin & ulteriùs declarat Pontifex in *Cap. 7. De Appell.* in VI. quod " illa, quæ post appellationem interpositam „ ante definitivam sententiam innovantur, donec appella„tionis causam veram esse constiterit, renovari non debent; „ nisi Judex appellationis (postquam sibi constiterit per ap„pellationem emissam, ex causa probabili fore ad se nego„tium devolutum) inhibeat canonicè Judici (à quo appel„latum exstitit) ne procedat: tunc enim quidquid post inhi„bitionẽ hujusmodi fuerit innovatum, est (licèt causa ea„dem non sit vera) per eumdem appellationis Judicem an„te omnia in statum pristinum reducendum.„

VIII. Cum enim Judex *à quo* ante sententiam definitivã non sit functus suo officio, maneátq; adhuc Judex in causa principali post latam sententiam *interlocutoriam*, hinc receptũ apparet, quòd per appellationẽ ab hac sententia non claudantur ejus manus, nec processus ulterior sistatur, quousq; per Judicem appellationis, habitâ de veritate causæ appellationis summariâ informatione, *inhibitio* facta fuerit.

IX. Factâ autem inhibitione, si quid innovatum fuerit, tamquam attentatum ante omnia in pristinum statum est reducendum; etiamsi causa appellationis allegata non fuerit vera, ut dicit Pontifex in citato *Cap. 7.* idq; ad contemptum Judicis *Ad quem*; qui in causa appellationis reputatur Superior respectu Judicis *à quo.*

X. Attentata autem pendente appellatione revocanda sunt per judicem ipsum appellationis, dicto *Cap. 7.* Hæc enim revocatio attentatorum, quæ fit cum privilegio *ante omnia*, pars quædam est appellationi cohærens; ut non sit propterea conveniens, alium Judicem de ea cognoscere; ne quæ in causa sunt continentia & cohærentia, separentur, & in plures Judices diffundantur. Accedit, quòd cùm per attẽtata lædatur jurisdictio judicis *ad quem*, etiam ratio postulet, ut per illum solum prudenter illa corrigantur.

XI. Quamvis per appellationem à definitiva causa totaliter devolvatur ad judicem appellationis; non ideo tamen omninò tollitur jurisdictio Iudicis *à quo*; sed potiùs suspenditur, eatenus scilicet, ut nihil queat in causa decernere aut facere, quod appellationi, aut appellãri præjudicare posset; nequaquã verò suspenditur jurisdictio quoad ea, quæ tendunt ad faciliorem, expeditioremq; appellationis prosecutionem; circa quæ jurisdictionem suam adhuc retinet Iudex *à quo*, etiam post interpositam & receptam appellationem.

XII. Ex hac retenta aliquali jurisdictione profluit, quòd Iudex *à quo* provocatum est, compellere Appellantem queat, ut appellationem interpositam prosequatur, *Cap. 14.* ⁖ *De Appell.*, deinde, ut Appellans intra certum tempus iter arripiat, ut provocato judici se exhibeat, item inhibere, ne lite pendente attentet; item ab excommunicatione absolvere, si ab ipso Appellans excommunicatus fuit; & pleráq; alia, quæ tendunt ad appellationis expeditionem, non etiam ad ulteriorem causæ cognitionem. Ita Wamesius ad *Cap. 15.* ⁖ *De Appell. n. 3.*

XIII. Ordinarius igitur appellationis effectus est, sistere executionem sententiæ judicis *à quo*; omnémq; ejus vim suspendere, ac integram causæ cognitionem ad Iudicem superiorem deferre. Itáq; appellatio de se & ex natura sua habet duplicem effectum, nimirum devolutivum & suspensivum, Priorem quidem in quantum appellatione mediante, causæ cognitio & decisio devolvitur ad judicẽ appellationis. Posteriorem autem in quantum per appellationem suspenditur effectus sive executio sententiæ à qua appellatum est.

XIV. Verùm quia hæc sententiarum & decretorum *suspensio* occasione appellationis interjectæ frequenter plurima eáq; gravissima parit incommoda, visum fuit, nonnullis appellationibus effectum hunc suspensivum nominatim adimere; ipsarumq; sententiarum aut Decretorum executionem permittere, non obstante appellatione; quamvis etiam ab iisdem sententiis appellatio quoad effectum *devolutivum* permittatur.

XV. Id

XV. Ita cuidam Abbati Ordinis S. Benedicti rescribit Alexander III. in *Cap. 3. De Appellat.* "Si quando quilibet „subditorum tuorum ad remedium appellationis convo- „laverit, non ideo minus eum juxta tenorem mandati, „quod in prædicta Regula (Sancti Benedicti) continetur, „& institutionem Ordinis corrigas & castiges.

Rationem præmisit: "Quia remedium appellationis non „ideo est inventum, ut alicui à religionis & ordinis obser- „vantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium „exhibere.

Et rursus in *Cap. 26.* ☧ *eod.* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. decernitur: "Nec subjecti contra discipli- „nam Ecclesiasticam in vocem appellationis erumpant.... „Præcipuè verò (ait Concilium) hoc in Religiosis volu- „mus observari, ne Religiosi, cum pro aliquo excessu fue- „rint corrigendi, contra regularem Prælati sui & Capituli „disciplinam appellare præsumant, sed humiliter ac devo- „tè suscipiant quod pro salute sua fuerit eis injunctum.

XVI. Ceterùm etsi hæ Decretales *nominatim* loquantur de *Religiosis*, inspectâ tamen earum mente, vindicant sibi locum etiam in aliis subortis, uti communiter tradunt Doctores, quos citat & sequitur Prosper Fagnanus in *Cap.* AD NOSTRAM ☧ *De Appellat. num. 4.*

XVII. Hinc uno quasi consensu post Glossam ad citatum *Cap. 3.* tradunt Doctores, *à correctione legitima* non appellari, saltem quoad effectum *suspensivum*.

Hæc regula evidentius probatur in *Cap. 13.* ☧ *De Officio Ordinarii* ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi generaliter pronuntiatur: "Ut *correctionis* & reformationis „officium liberè valeant exercere, (Ecclesiarum Prælati) „decernimus ut *executionem* ipsorum nulla consuetudo „vel *appellatio* valeat impedire.

XVIII. His aliisque Decretis inhærens Synodus Tridentina in variis Decretis declaravit, mentem suam esse, ut executio correctionis viâ appellationis nequaquam sisteretur. Et quidem *Sess. 22. cap. 1. De Reformat.* cum decrevisset, ut quæ alias à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrina retinenda, ac simul de luxu, commessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscumque criminibus, nec non sæcularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita sunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, immediatè Synodus subjungit: "Nec appellatio *executionem hanc*, quæ ad morum *corre- „ctionem* pertinet, suspendat.

Et rursus speciali Decreto id inculcavit Synodus *Sess. 24. cap. 10. De Reform.* cujus Decreti verba sunt: "Epi- „scopi, ut aptius, quem regunt, populum possint in officio „atque obedientia continere, in omnibus iis quæ ad visi- „tationem, ac morum correctionem subditorum suorum „spectant, Jus & potestatem habeant etiam tamquam A- „postolicæ Sedis Delegati, ea ordinandi, moderandi, pu- „niendi & exequendi, juxta Canonum Sanctiones, quæ il- „lis ex prudentia sua pro subditorum emendatione, ac „diœcesis suæ utilitate necessaria videbuntur. Nec in his, „ubi de visitatione aut morum correctione agitur; exem- „ptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, etiam ad „Sedem Apostolicam, interposita, executionem eorum, „quæ ab his mandata, decreta aut judicata fuerint, quoquo „modo impediat, aut suspendat.

XIX. Appellationem in casu *correctionis* non admitti quoad effectum *suspensivum* satis clare exprimitur; at eam excludi quoad effectum *devolutivum* ex verbis Decretorum elici nequit: quin & consulta S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit, appellationem in causis correctionis esse permissam, ita tamen, ut non suspendat executionē; sive non habeat effectum *suspensivum*. Hacq; ratione conciliari posse ejusdem Concilii Decretum *Sess. 13. cap. 1. De Reform.* quo permittitur appellatio in causa correctionis post sententiam definitivam, vel antea si gravamen sit irreparabile. Vide Fagnanum loco citato *n. 6.* & sequentibus, ubi & varias Congregationis Declarationes refert, quibus probatur Concilium Tridentinum non sustulisse appellationem in causa correctionis quoad effectum *devolutivum*; sed tantum quoad effectū *suspensivum*: id est, causa correctionis possit quidem per appellationem ad Superiorem deferri, ut hic de correctione, an bene, an malè facta sit, cognoscat; sed executionem correctionis interim impedire nequeat, aut inhibere Superiori corrigenti, ne ad executionem illius progrediatur.

XX. Nec illud dumtaxat procedit in correctione Prælatorum Regularium aut Episcoporum respectu suorum Clericorum; sed & omnium etiam Inferiorum, qui Jus corrigendi & puniendi, vel ex consuetudine, indulto, aut privilegio obtinent; quemadmodum ostendit Zypæus *Consult. 3. De Accusat.* occasione cujusdam Clerici, qui Præfecto cæremoniarum in obeundis *Divinis* Officiis obedire jussus, & ob contumaciam atque insolentia verba, à *Capitulo* culpam agnoscere, & ibidem deprecari jussus, diffugio appellationis se tueri volebat: de quo casu resolvit ibidem Zypæus, appellationem interjectam à Clerico non posse *executionem* sistere, utpote in materia correctionis.

XXI. Concilium Lateranense in citato *Cap. 13.* declarans, correctionis aut reformationis executionem non posse per appellationem suspendi, addit hanc exceptionem: *Nisi formam in talibus excesserint* (Prælati) *observandam.* Hinc communiter concludunt Canonistæ, appellationem etiam quoad effectum *suspensivum* admitti à Decretis in visitatione Episcoporum, si *judicialiter* & *formato* processu Episcopus processit ad punitionem alicujus: quia finalis processus metas & formam correctionis excedit; & ita resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus ad *Cap. 3.* ☧ *De Appellat. num. 24.* additque Pontificem factâ sibi relatione, sententiam Congregationis probasse; ut si Episcopus *judicialiter* processit ad definitivam, non comprehendatur hic casus appellatione correctionis morum, & detur appellatio etiam *suspensiva*.

XXII. Videri quoque potest Salgado *De Protectione Regia parte 2. c. 15.* qui *nu. 70.* notandum monet, "quod „quando est appellatio permissa à correctione, seu visita- „tione, puta, propter excessum (ut supra diximus) debet „exprimi causa gravaminis, sive agatur in judicio, sive ex- „tra judicium, sive ante sententiam, sive post sententiam, „Escacia in *Tract. De Appellat. quæst. 17. limit. 36. n. 13.* „Philip. Franch. *in Cap.* AD NOSTRAM *3. sub n. 3. & 4. De* „*Appellat.* illam reddentes rationem: quia quando Jus re- „sistit appellationi nisi in certo casu speciali, tunc Appellans „debet illum exprimere casum, ut sic appareat, appellatum „esse in casu permisso, cui regula non resistit.

XXIII. Contra Regulares ab ordinationibus & correctionibus ad Curiam Romanam temerè appellantes, Decretum Congregationis Episcoporum & Regularium recitat Fagnanus ad *Cap.* DE PRIORE ☧ *De Appellat.* ibidem ostendens, quam parum conveniat Regularibus, ad extera tribunalia appellare, & lites prosequi.

XXIV. Similiter appellatio à lata sententia excommunicationis effectu *suspensivo* destituitur *Cap. 8.* ☧ *De Officio Ordinarii & Cap. 53. §. 1.* ☧ *De Appellat.* Et in *Cap. 20 De Sent. excommunicat. in 6.* declarat Pontifex: "Sicut ex- „communicatio, sic ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ latâ „suspensio aut ipsius effectus, per appellationem sequen- „tem minimè suspenduntur." Et in *Cap. 37.* ☧ *De Appellat.* scribit Lucius III. quod per appellationem nequeant declinare *interdictum*, cui ante appellationem eos constat fuisse suppositos.

Ex his unanimi consensu tradunt Canonistæ, à sententia excommunicationis alteriusve censuræ dari quidem appellationem quoad effectum devolutivum; sed non quoad *suspensivum*; id est per appellationem non suspendi executionem sententiæ.

XXV. Quin & respondet Pontifex in citato *Cap 53.* excommunicatum non obstante appellatione posse denuntiari; quin & proventus posse subtrahi. "Nos itaque (ait) „respondentes, quod cum executionem excommunicatio „secum

„ secum trahat, & excommunicatus per denuntiationem „ amplius non ligetur, excommunicatum denuntiare po„ test, ut ab aliis evitetur. Et illi proventus Ecclesiastici me„ ritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur.

XXVI. Ratio proinde hujus Juris esse videtur, quod sententia excommunicationis alteriusve censuræ videatur secum trahere executionem; neque indigeat ulteriùs ullo alio Judicis ministerio, ut executioni mandetur, quemadmodum in aliis sententiis; pro quarum executione post earum prolationem requiritur Judicis auctoritas, quæ per appellationem ad Judicem superiorem translata & à Judice à quo adempta est: ac proinde ejus auctoritate executioni mandari nequit.

XXVII. Hinc facile intelligitur, quare in casu *cap.* 40. *De appellat.* appellatio effectum excommunicationis impediat. Erat enim lata excommunicatio sive censura sub conditione; hac formula: *Nisi Sempronio intra* 20. *dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum aut interdictum esse cognoscas*; ac per consequens necdum executionem secum trahere potuit: ideoque si ante lapsos 20. dies appellaverit, licet postmodum ad diem statutum non satisfecerit, scribit Pontifex, sibi videri, quod hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire. Unde hic notat Glossa: " Et ita suspenditur sententia, quæ nondum tenet. „ Non enim tenebit, nisi extante conditione: ex quo autem „ teneret, non suspenderetur ejus effectus.

XXVIII. Sunt & nonnulla tribunalia, quorum sententiæ licet ulteriùs examinari queant, & etiam corrigi, nequaquam interim cognitione pendente, sententiarum effectus suspenditur; quemadmodum de sententiis primariarum Civitatum Brabantiæ & aliorum nonnullorum Magistratuum, à quibus non appellatur, sed *reformatur*; item Supremarum Curiarum, quæ per Revisionem seu propositionem erroris nonnumquam corriguntur, ostendetur titulo sequenti.

XXIX. Hujusmodi Jure utitur quoque tribunal Academiæ quod vocatur *quinque Judicum appellationum* (de quo supra *c.* 3.) Si enim sententia quinque Judicum sit *conformis* sententiæ Domini Rectoris à qua fuit appellatum, tunc sententia hæc *Quinque Judicum* executioni mandatur non obstante appellatione ad Sedem Apostolicam juxta Statutum Universitatis de 26. Februarii 1572. & à Senatu Brabantiæ confirmatum 7. Decembris, 1570. Verba Statuti sunt: " Quod omnes & Singuli, qui ratione seu ad causam „ puræ vel purificatæ obligationis in Jus vocati, eamdem „ obligationem pro sua recognoscunt, vel *binis sententiis* „ *conformibus*, à Domino Rectore scilicet & quinq; Judici„ bus vel erunt condemnati, ulteriore dilatione, opposi„ tione, seu tergiversatione, novâq; appellatione interpositâ „ non obstantibus, tenebuntur infra tempus statuendum ad „ summæ, seu rei in eodem chirographo, binisve dictis sen„ tentiis contentæ nantizationem, salvo ipsi nantizanti suo „ Jure, si quod habet, ubi & contra quos id prosequendum „ putabit utilissimum.

Extat hoc Statutum unà cum acta confirmationis ejusdem Statuti per Regiam Majestatem in Concilio Brabantiæ *parte* 3. *Edict. Brabantiæ lib.* 1. *tit.* 5. *c.* 31. & 32.

XXX. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mech. *tit.* 16. *art.* 7. volunt, ut " sententiæ, quæ non excedent quin„ quaginta florenos, sub fide jussoria cautione executioni „ mandabuntur, non obstante appellatione, & sine illius „ præjudicio.

XXXI. Et *art.* 8. " In causis officii; deflorationis, & simili„ bus privilegiatis, cùm sententia excedet dictam summam, „ tamen quoad expensas litis, sub simili cautione, executio„ ni sententiæ mandabuntur. Quod in causa matrimoniali „ etiam sub cautione obtinebit, quotiescúmq; pars appella„ ta paupertatem juraverit: neq; in dictis casibus Judex à quo „ ulteriùs appellationi deferre tenebitur.

XXXII. Deinde *art.* 9. " In causis verò alimentorum „ nunquam appellatio executionem sub cautione faciendā „ suspendet, quando agetur de alimentis cessuris, vel cessis „ tempore litis aut intra annum; secus in antiquioribus, nisi „ ob ea adhuc obærata Pars doceatur.

XXXIII. Denique ne occasione interjectæ appellationis in causis Beneficialibus Officium Divinum negligatur, *art.* 11. decernitur: " In causis beneficialibus, quo minus Eccle„ siastica servitia minuantur, etiamsi appellatum erit, fru„ ctuum perceptio victori sub cautione tribuetur, aut sal„ tem apud tertiam personam sequestrabuntur, quod ulti„ mum semper fiet, quoties neuter litigantium residebit.

CAPUT IV.

De Reformatione, Revisione & Appellatione tamquam *ab abusu*.

1 *Quid reformatio?*
2 *Qui Magistratus in Brabantia hoc jure utantur?*
3 *In quo reformatio ab appellatione differat?*
4 *Nonnullæ Civitates in Flandria eo jure gaudent.*
5 *Ab appellatione magis recedit* Revisio, *quam reformatio*
6 *Describitur Revisio seu propositio erroris.*
7 *Revidendi licentia debet per libellum obtineri à Principe ejusve Senatu.*
8 *Hic libellus continere debet errores quos in Sententia intervenisse prætendit Supplicans.*
9 *Plerumque peti debet intra biennium.*
10 *In Gallia, uti & in Brabantia instituenda intra annum.*
11 *Judices arresti etiam interveniunt revisioni ejusdem arresti.*
12 *His Judicibus alii à Principe adjunguntur, qui* Adjuncti *dicuntur.*
13 *Tenetur impetrans intra tres menses ab impetrata alla revisionis petere à Principe nominari* adjunctos.
14 *Revidens tenetur namptizare summam pecuniæ quæ pro expensis adjunctorum sufficiat.*
15 *Qui in Belgio ad Revisionem evocari soleant?*
16 *Adjuncti nominari non possunt ad postulationem Revidentis.*
17 *Juramentum adjunctorum.*
18 *Revisio non datur ubi arrestum tantum latum est in causa* possessorii.
19 *Uti nec contra decreta interlocutoria.*
20 *Revisio instituenda ex iisdem actis.*
21 *Revisio non suspendit arresti executionem; nequidem quoad expensas.*
22 *Species provocationis à communi appellatione plurimum recedens dicta appellatio* ab abusu.
23 *Formula hujus appellationis præcipuè complectitur* abusum *quem Judex Ecclesiasticus committit.*
24 *Hæc species appellationis vix nota fuit ante sæculum* 16.
25 *Sub initium sæculi* 16. *adhuc non appellabatur tamquam* ab abusu *ob violatam Pragmaticam Sanctionē.*
26 *Tunc contra violatores Pragmaticæ Sanctionis agebatur viâ* nullitatis.
27 *Ubi non erat expressa* nullitas *appellabatur tamquam* (ab abusu.
28 *Præter appellationes* ab abusu *aliis remediis utebantur ad retinendam Canonum & Legum observantiam.*
29 *Omnia illa media post publicata Concordata sensim abrogari cœperunt retenta solâ appellatione tamquam* ab abusu; *& quæ præcipua abrogationis occasio.*
30 *Super quibus appellationes tamquam* ab abusu *instituantur?*
31 *Diversa forma eas interponendi dum agitur contra Bullam aut Rescriptum Pontificis, & dum instituuntur contra sententias aut Decreta Episcoporum aut aliorum Judicum.*
32 *Hæ appellationes tantum instituendæ & recipiendæ ubi abusus est* notorius.
33 *Jam pridem optavit Philippus Probus ut nominatim per Concilium Trid. casus, quibus hæ appellationes recipi possent, fuissent expressi.*
34 *Hanc determinationem sæpius à Rege postulavit Clerus Gallicanus; sed obtinere non potuit.*

35 *Appellatio hæc admitti non debet, nisi in causis arduis, & ubi publicum pateretur.*
36 *Ideo in his appellationibus semper intervenit procurator Regius tamquam pars formalis.*
37 *Abusus semel formatus semper durat.*
38 *Lapsus fatalium non reddit hanc appellationem desertam respectu procuratoris Regii.*
39 *Etiam interdum admittitur contra tres sententias conformes.*
40 *Hæ appellationes non instituendæ nisi coram supremis Curiis.*
41 *Appellatione hac introducta ligantur manus judicis à quo*
42 *Si appelletur à correctoriis non suspenditur executio; nec mandata Episcoporum in visitatione facta.*
43 *Principes nostri nolunt per has appellationes turbari jurisdictionem Ecclesiasticam; & quomodo procedi velint, si hæc limites suos excedat?*
44 *Non volunt eas admitti ubi de correctione Religiosorum aut Clericorum agitur.*
45 *Idipsum & in Hispania obtinet.*
46 *Datur tamen etiam Religiosis recursus ad tribunalia Regia ob illatam violentiam.*
47 *Recursus ad tribunalia Regia titulo violentiæ vel oppressionis; item retentio litterarum Apostolicarum alibi usitata pene coincidunt cum appellationibus tamquam* ab abusu.

I. REformatio hîc accipitur pro quadam specie provocationis, quæ hic in Belgio & alibi instituitur, à sententiis quorumdam tribunalium inferiorum, à quorum sententiis ad superiora tribunalia provocari quidem potest, sed non per modum simplicis appellationis sed *reformationis*.

II. Hoc privilegio hic in Brabantia gaudent quatuor primariæ civitates, Lovaniensis, Bruxellensis, Antverpiensis & Silvæ-ducensis, & aliæ nonnullæ privilegiatæ, de quibus loquitur *art.* 585. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, quo decernitur: Si quis queratur de sententia lata à Magistratu, dictarum civitatum, quæ non sit appellabilis, sed reformabilis, teneatur ab ea reformare intra annum à die latæ sententiæ; & non obstante hac reformatione, sententia mandabitur executioni etiam sine cautione, casu quo id quod executioni mandatur per sententiam sit reparabile; nisi reformans infra 14. dies à lata sententia declararet coram Judicibus *à quo* se velle à sententia reformare; quo casu urgens executionem tenetur præstare cautionem restituendi executum. Verba articuli sunt: *En se indien hem iemandt beklaeght van de vonnissen ghegheven by den Wet-houderen van eenen van de vier Hooft-steden ons landts van Brabandt, oft andere steden gepriviligeert, heure vonnissen niet appellabel, maer alleen reformabel zynde, die sal daer af moeten reformeren binnen den jare van den datum van den vonnisse, ende niet tegenstaende die voorsz. reformatie soo sullen alsulcke vonnissen ter executien ghestelt vvorden sonder cautie, so verre't ghene dat men executeren sal reparable zy, ten vvare dat den reformant binnen vyfthien daghen naer de sententie, verclaerde in presentie van den Rechtere ghegheven hebbende die sententie, dat hy in meyninghe is te reformeren, in vvelcken ghevalle die ghene die d'executie vervolghen sal, sal ghehouden zyn te stellen sufficiente cautie van 't gheexecuteerde te restitueren.* Id est: Si verò quispiam conqueratur de sententia lata per Magistratum alicujus è quatuor primariis Civitatis ditionis nostræ Brabantiæ, aut alterius Civitatis privilegio donatæ, quarum sententiæ reformationi tantùm, non autem provocationi obnoxiæ sunt, is intra annum à lata sententia reformationem persequetur, quâ reformatione non obstante, mandabitur executioni sententia absque cautione, si modo id quod executioni mandabitur sit reparabile, nisi tamen reformationem intendentes intra quindecim dies à lata sententia coram Judice qui eam dixit, mentem suam persequendæ reformationis aperiret, quo casu is qui urgebit executionem obstringetur, ut satis caveat de restitutione executionis.

III. Hinc facilè apparet, in quo reformatio differat ab appellatione; & in quo horum tribunalium prærogativa præcipuè consistat; nimirum, quod per reformationem ab eorum sententiis non suspendatur earum executio, quemadmodum per appellationem, sed executio habeatur, saltem sub cautione.

IV. Testatur quoque Damhouderus in *praxi rerum Civil. c.* 237. *n.* 4. quod "Reformatio non suspendat executionem in quatuor membris Flandriæ: quia illa habent „paratam executionem; adeo ut qui ab illis appellare vel „reformare volet, is statim, non obstante appellatione, vel „reformatione consignare tenebitur.

Hic rursus sufficienter innuit Damhouderus, *Reformationem* ab Appellatione penes solum effectum distingui; atque in hoc tribunalium illorum prærogativam præcipuè consistere, quod eorum sententiæ executioni mandari queant, non obstante provocatione.

V. Magis à communibus regulis appellationis recedit Provocatio sive querela quæ instituitur contra sententias sive arresta Parlamentorum sive *Supremarum* Curiarum Regiarum; soletque dici *Revisio* vel etiam *propositio erroris*.

VI. Sicuti enim à sententiis Præfectorum Prætorio non datur appellandi facultas, sed dumtaxat datur licentia principi supplicandi, ut sententiæ prolatæ *error* demonstrari queat; ita quoque negatur facultas appellandi ab arrestis sive sententiis Supremi Parlamenti, concessâ tantummodò Principi ejusve Senatui supplicandi licentiâ, ut ab ipso Principe vel ejus Senatu obtineatur ejusdem arresti seu sententiæ prolatæ *Revisio*, sive reexamen, quo denuò examinetur, num in ejusdem prolatione nullus *error* intervenerit.

VII. Itaq; si quis credat per arrestum sive sententiam *Supremæ* Curiæ, à qua nec appellari nec reformari potest, se esse læsum; credatque errorem esse commissum, debet ipsi Principi vel ejus Curiæ supplicare, ut possit *errorem* contra judicatum proponere, sive revisionem habere.

VIII. Debet autem libellus, quo Principi ejusve Curiæ pro *revisione* supplicatur, continere gravamen seu errores, quos in ipso arresto intervenisse prætendit Supplicans, quemadmodum notat Rebuffus in tractatu *De Supplicationibus* seu *Errorum propositionibus* in præfatione *n.* 17. cui & consonat *art.* 660. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, ubi expressè præscribitur, quod libellus pro habenda *revisione* offerendus Curiæ debeat continere media & rationes quibus probare contendit prætensum errorē *Inhoudende die middelen ende redenen by den vvelcken sy sullen vvillen sustineren 't voorschreven erreur.* Id est: Continens (*libellus*) rationes & causas quibus dictum errorē probare contendent. Idipsum habetur in Ordinat. Parlam. Mechl. tit. *De revisione art.* 1.

IX. Dicit Damhouderus in Praxi rerum Civil. *cap.* 247. hanc supplicationem olim fieri potuisse intra 10. annos ex stylo Parlamenti Mechliniensis: nunc verò intra *duos* annos per novam constitutionem, uti citato *art.* 1. exprimitur: quod conforme esse Juri communi in *Auth.* QUÆ SUPPLICATIO *Cod. De Precibus Imp. offerendis*, & plurimarum Curiarum ordinationibus notat Christinæus in notis ad Bugnyonium *lib.* 2. *cap.* 139. *litt.* C.

X. In Gallia tamen hodie intra *annum* impetrari debet, teste Rebuffo loco citato *nu.* 57. similiter in Ordinationibus Curiæ Brab. *art.* 660. edicitur, ut si qui contra arresta hujus Senatus volunt proponere *errorem*, tenebuntur *intra annum* à pronuntiatione dictorum arrestorum libellum suum supplicem Curiæ præsentare.

XI. Cùm in revisione seu propositione erroris, non arguatur iniquitas sententiæ, aut inscitia vel malitia Judicis, sed solum dicatur, errorem aliquem intervenisse, & ad eum detegendū acta litis revideri petat Supplicans, ideo ipsa revisio sive propositio *erroris* instituenda est coram iisdē Judicibus, qui arrestum protulerunt; ut ipsi acta revidentes, & à Supplicante instructi expendant, num error aliquis commissus appareat: nec debent esse, ait Rebuffus loco

citato *num.* 83. ita pertinaces, ut si videantur errasse, suos sustineant errores.

XII. Quia tamen difficulter adducuntur Judices ad fatendum errorem commissum, propriamq; retractandam sententiam, hinc Judicibus qui pronuntiationi sententiæ interfuerunt, solent à Principe aut Curia alii adjungi, qui unà cum prioribus de proposito errore judicent; uti notat Rebuffus loco citato *num.* 83. Postquam enim dixit, revisioni sive propositioni erroris interesse eos Judices, qui primò judicarunt, addit: " Postea Rex potest nominare alios plures, ,, quam ipsi sint, qui prius judicarunt: Si tamen Rex eos ,, non nominaverit, Curia solet illos assumere, nec tamen ,, minus assumit, quam essent in primo judicato.

XIII. Per Ordinationes Parlamenti Mechl. *tit. De Propositione erroris art.* 4. statuitur, quod Impetrans intra *tres menses* ab impetrata acta revisionis, teneatur requirere à Principe, ut sibi concedantur Adjuncti, ad revidendum & revisitandum processus, qui ei concedentur in tali numero, qui conveniens videbitur. Verba articuli sunt: *L'Impetrant sera tenu en dedans trois mois à compter du jour dudit acte, requerir à nous de lui accorder Adjoinctz, pour recevoir, & revisiter ledit procez, lesquels lui seront accordez jusques a tel nombre que trouveront convenir.* Id est: Obstringetur Impetrans intra tres menses à die dictæ Actæ nos requirere, ut adjunctos ei concedamus ad recognoscendam & recolendam dictam litem, qui adjuncti ipsi concedentur, tali quidem numero qui judicabitur expedire.

Idipsum præscribitur *a.* 663. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, nisi quod hic exprimatur Adjunctorũ numerus *Octonarius*; & quod Supplicans nullos nominare in sua supplicia queat.

XIV. Volunt quoque utriusq; Senatûs Ordinationes in citatis articulis, Adjunctos concedi sub conditione, quod Impetrans tenebitur namptizare in Graphiaria Curiæ tantã summam pecuniæ, quæ arbitrio Curiæ sufficiat solvendis vacationibus dictorum Adjunctorum. *A la charge que l'Impetrant sera tenu de namptir au greffe de nostre dict grand Conseil autant de deniers qu'il semblera à icelle Cour estre requiré pour payer, & satisfaire les vacations desdicts Adjoincts.* Id est: Sub onere quod Impetrans obstringetur tantam pecuniæ summam in Graphio dicti nostri magni Consilii deponere, quanta dictæ Curiæ requiri videbitur, solvendis vacationibus dictorum adjunctorum.

XV. Vult insuper hic articulus Ordinationum Parlamenti Mechl. non alios in adjunctos designari, nisi Consiliarios Curiarum Regiarũ, nisi ex causa aliter per Principem fuerit ordinatum: *Et ne seront poins autres Adjoincts, si non gens de nos Consaulx, n'est que pour aucuns bons regards, autrement en soit par nous ordonné.* Id est: Nec alii adjuncti assumentur, nisi Curiarum nostrarum Consiliarii, nisi ob justas rationes aliter per nos statuatur.

Ordinationes Curiæ Brabantiæ non determinant qualitatem Adjunctorum: solentque hodie ad revisiones arrestorum supremarum Curiarum præter Regios Consiliarios, etiam vocari Doctores Juris hujus Universitatis.

XVI. Hoc addunt Ordinat. Curiæ Brabantiæ *art.* 664. vetitum esse concedere dictos Adjunctos, ad nominationẽ aut requisitionẽ Impetrantium. *Ende verbieden t' accorderen eenige Adjoincten ter nominatie oft vervolge vande Impetranten.* Id est: Inhibemus ne ad nominationẽ aut requisitionem impetrantium adjunctus quispiam concedatur.

XVII. In utriusque Senatus Ordinationibus edicitur, quod Adjuncti per Curiam evocati tenebuntur comparere & jurare, quod debitam servabunt reverentiam huic Curiæ, quod in hac causa non fuerint consulti, nullumque directè aut indirectè Judicium dederint; quod opiniones suas sincerè dicent juxta conscientiæ suæ dictamen sine favore, odio aut dissimulatione, quod silentio prement ea quæ durante processus visitatione audiverint, aut intellexerint. Verba articuli 5. Ordinationum Parlamenti Mechl. sunt: *Que lesdicts Adjoinctz mandez par ladicte Cour, seront tenuz y comparoir, & à leur venue jurer, d'eux porter reveremment vers ladicte Cour, & qu'ils n'ont donné advis, n'y consulté audict procès directement, ne indirectement, & qu'ils donneront leur opinion sincerement, comme en leur conscience, & bonne justice, ils trouveront convenir, sans port, faveur, haine, ou dissimulation, qu'ils tiendront secret ce qu'ils oyront, & entendront du proces à la visitation d'icelny.* Id est: Quod dicti adjuncti per Curiam evocati comparere obstringentur, & in adventu suo jurare se reverentiam debitam erga dictam Curiam exhibituros, nec Judicio aut consilio directè seu indirectè in dicta lite se intervenisse, insuperque se opinaturos sincerè, prout juxta conscientiæ & æquitatis dictamen judicabunt expedire, favore odio & dissimulatione sepositis, silentioque se pressuros quidquid in dictæ litis recognitione audient & percipient. Eodem planè tenore exprimitur *art.* 665. Ordinat. Curiæ Brab.

XVIII. Cùm autem hoc revisionis remedium sit planè extraordinarium; ideoq; & de speciali gratia à Principe sit impetrandum, eidem locus non est, si aliud remedium ordinarium corrigendi commissum errorem supersit. Hinc jam pridem ordinatum fuit per Ludovicum XII. Regem Galliæ, propositionẽ erroris non esse admittendam in causa possessoria seu Ecclesiastica seu prophana: eo quod post judicatum possessorium superest petitorium, ubi error in decisione possessorii admissus corrigi potest. Consonant Ordinationes Parlamenti Mechl. *art.* 8. & Curiæ Brabantiæ *art.* 667.

XIX. Similiter iisdem ordinationibus præscribitur, nullam propositionem erroris admittendam contra decreta interlocutoria Parlamenti, per definitivam reparabilia: *Semblablement contre appoinctemens interlocutoires donnez en nostre dict grand Conseil reparables en definitive ne sera admis de proposer erreur.* Id est: Similiter contra interlocutiones decretorias pronunciatas in magno nostro Senatu, quæ per definitivam possint reparari, non admittetur ut quis objiciat errorem. Idipsum in Gallia ex ordinatione Regia servatur. Vide Rebuffum in dicto tractatu *art.* 1. *Gloss.* 25.

XX. Revisio fieri debet ex iisdem actis, è quibus arrestum quod *erroris* arguitur, prolatum fuit: nec recipiuntur Partes ad producendum aliquid aliud, ut ex iisdem actis judicetur, ait Rebuffus in prælatione citati tractatu *num.* 80. quod & innuit *art.* 660. ordinat. Curiæ Brab. cavens, libellum supplicem pro habenda revisione non posse tendere ad alleganda *nova* facta, vel probationes.

XXI. De Jure communi si supplicatum fuerit intra 10. dies sententia sive arrestum mandabitur quidem executioni, sed præstita cautione fidejussoria; si autem post 10. dies supplicatum fuerit, judicatum mandabitur executioni sine ulla cautione *Auth.* QUÆ SUPPLICATIO *Cod. De Precibus Imp. offerendis.* Verùm hæc distinctio à foro recessit: testaturque Rebuffus in allegata præfatione *nu.* 38. se non vidisse cautionem præstari in Regno Franciæ sed executionem faciendam pendente processu pronuntiavit Senatus Parisiensis anno 1540. ait Rebuffus. Nec tantum quoad principale, sed etiam ipsas expensas, arresti executionem in Gallia fieri non obstante propositione erroris asserit ibidem Rebuffus *num.* 40. & consonat praxis Belgica, satque dilucidè exprimitur *art.* 660. Ordinat. Curiæ Brab.

XXII. Est & tertia species provocationis hodie usitatissima præsertim in Gallia, quæ quidem sortitur nomẽ Appellationis, sed à communi appellatione plurimum distat; nec in Jure nostro occurrit, scilicet *appellatio tamquam ab abusu*: qua non appellatur à Judice inferiore ad superiorem; sed à Judice Ecclesiastico ad Parlamentum Regium seu ipsum Regem, tamquam *abutente* sua potestate & jurisdictione contra jura, quorum tuitio & defensio Regi incumbit.

XXIII. Licet enim *abusûs* significatio quamcumque ministerii aberrationem complectatur, sive in negotiis Ecclesiasticis, sive etiam in temporalibus versetur, attamen formula appellationum *ab abusu* specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelæ illi, quæ deferebatur ad Parlamenta Regia de *abusibus* Judicum Ecclesiasticorum

contra

contra Jura Regia, aut ea quorum protectio aut tuitio Regi incumbebat.

XXIV. Convênit inter ipsos Pragmaticos Galliæ, atque zelosissimos hujus appellationis Patronos, appellationes has vix fuisse in usu ante tempora Ludovici XII. & Francisci I. Regum Franciæ; uti multis ostendit ipse Carolus Fevretius tractatu De Abusu *lib.* 1. *cap.* 2.

XXV. Sub initium sæculi XVI. scribens Aufrerius Tractatum *De Potestate seculari super Eccl.* ait *Regulâ* 2. *Fallentiâ* 31. ait, jurisdictionem Regiam se immiscere judiciis Ecclesiasticorum in Regno Galliæ, " Ubicumque per Prælatos, Clericos vel alios quoscumque aliquid fit, vel attentatur contra *Decreta* Basileensis Concilii, & *Pragmaticam* Sanctionem.

Et *Fallentiâ* 30. dixerat, eamdem jurisdictionem se immiscere judiciis Ecclesiasticorum, " ubi Ecclesiastica abutitur *notoriè* suâ jurisdictione vel potestate. Quo casu etiam contra Clericos concedi solent per Cancellariam literæ in causa appellationis, ab *abusu notorio* vulgò nuncupatæ.

Ex his Aufrerii verbis colligimus, tunc temporis adhuc distincta fuisse rescripta ob *Pragmaticam infractam*, & appellationes *ab abusu*; neque ob contraventionem Pragmaticæ fuisse institutam appellationem *tamquam ab abusu*; uti quoque rectè advertit Petrus De Marca *lib.* 4. *De Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 19. *num.* 5.

XXVI. Pragmaticæ violatæ rei in Jus vocabantur, nulla appellationis mentione injecta, eleganti ratione, ait De Marca ibidem. Quia cum de actûs vel sententiæ *nullitate* quæreretur, necesse non erat, ut ex provocatione ageretur, quemadmodū docet titulus Codicis, *quando provocare non est necesse*. Quam provocandi necessitatem eo casu expressa etiam Decretalium verba removerunt; imò verò huic remedio *nullitatis*, etiam post varias sententias, locum esse voluerunt. *Cap.* 1. § *De Sent. & re jud. & Clem.* 1. *eod.*

XXVII. " In cæteris articulis (pergit De Marca) qui „Pragmatica non continebantur, atque adeo eorum *nullitas* nondum erat constitutione aliquâ præjudicata, appellatione utebantur; sed ea cautione, ut *abusus* mentio injiceretur; ne quis existimaret Magistratuum consilium illud fuisse, ut Ecclesiasticam jurisdictionem sæculari submitterent. Quare non de re ipsa se judicium suscepturos, sed de potestatis abusu extraordinaria cognitione habita, protectionis Jure oppressis opitulaturos hâc formulâ profitebantur. Simplicem enim & meram appellationem à Curia Ecclesiastica ad Curiam Regiam nunquam in Gallia admissam fuisse fatentur Petrus DeCunertis, Masuertus, Joannes Galli.

XXVIII. Itaque eo tempore adhuc vigebant duo remedia ad retinendam Canonum & Decretorum executionem, scilicet Rescripta ob Pragmaticam *infractam* data, appellationes *ab abusu*; uti notat De Marca ibidem *num.* 7. Ulterius addit: Alia formula utebantur, si sæcularis jurisdictio invaderetur ab Ecclesiastica, scilicet mandatis quibus invasio prohibebatur sub mulctæ comminatione, quorum meminere antiqui Pragmatici.

XXIX. Publicatis Concordatis, quod contigit circa annum 1518. omnia alia remedia, quibus jam prius uti fuerant, vel ad retinendam Canonum & Decretorum executionem, & jurisdictionis sæcularis defensionem, abrogari cœperunt; visumque satius est, omnia illa remedia (de quibus videri possunt De Marca & Fevretius locis citatis) unica formula complecti, appellationis *ab abusu*; ea præcipuè de causa, quod Regiis Constitutionibus Ludovici XII. & Francisci I. præcisa erat & abolita *nullitatis* ratio apud tribunalia Judicum, etiam in causis civilibus, & omnia adversus sententias auxilia ad appellationis solemnia erant redacta, uti ibidem monet De Marca.

XXX. Itaque hodie & custodia Canonum & authoritas, his appellationibus ex usu Regni Galliæ retinetur: instituunturq; appellationes *ab abusu* cùm adversus Decreta Conciliorum, receptas consuetudines & Jura Regni aut Jurisdictionē Regiam Judex Ecclesiasticus aliquid per *abusum* attentat: quod his verbis à Pragmaticis efferri solet: *Cum violantur Decreta, Constitutiones Regiæ, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* " Et generaliter, si constanti usu recepti „Canones, vel inveteratæ consuetudines, adjectæ in fundandis Beneficiis conditiones, privilegia Ecclesiis legitimè indulta, vel cætera in quibus (ait De Marca) libertates „Ecclesiæ Gallicanæ constitui solent, aliquo pacto violentur, appellationibus istis omnia restituentur in integrum, „& in contrarium acta rescindentur.

XXXI. Hoc tamen discrimine lites ejusmodi instituuntur, ut si de Rescriptis Romanæ Curiæ per obreptionem elicitis agatur, ab executione Rescripti, non autem à concessione provocetur; ut etiam hoc loquendi genere reverentia quæ Apostolicæ Sedi debetur, omnibus significetur. Secus se habet in Episcoporum Judiciis; à quibus, non autem à sola eorum executione, appellari solet.

XXXII. Constat has appellationes primitus dictas fuisse *ab abusu* NOTORIO, quemadmodum ex supra relatis verbis Aufrerii manifestum est: aitque Rebuffus in Tractatu *De Appellat. tamquam ab abusu*: " In hoc Regno introducta „est appellatio, quæ vocatur à *notorio* abusu: quando *palam & notoriè* quis sanctis Decretis ac Constitutionibus „privilegiisque Galliæ perperam utitur." Unde asserere non veretur Petrus De Marca *lib.* 4. *De Concord. Sacerdotii & Imp. cap.* 20. *num.* 2. " Debet eo solùm casu institui, „cùm abusus est *apertissimus, notorius & manifestus*, juxta „veterem harum appellationum formulam, quæ *ab abusu* „NOTORIO inscribebatur, alioqui in specie dubia & controversa satius est Ecclesiasticis Judicibus litem relinquere." Pluribus hoc requisitum asserit Fevretius *De Abusu lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. citatque nonnulla arresta, quibus declaratum fuit, appellationem non esse admittendam, nisi occurrat *abusus notorius*; dicitque meritò usum appellationum tamquam *ab abusu* ad hanc formulam revocandum, obligandosque appellantes, ut unà cum libello supplice exprimerent *notorios* abusus, super quibus suas appellationes vellent fundare: ut si hujusmodi non essent, declararentur Appellantes non receptibiles.

XXXIII. Jam pridem Philippus Probus in notis ad Sanctionem Pragmaticam *tit. De Causis* §. SI VERÒ, verbo *In partibus*, optabat, ut exprimerentur determinati casus per Concilium Tridentinum (quod tunc agebatur) quibus hæ appellationes institui possent: "Utinam super „hoc certum fieret Decretum per ipsum Concilium (Tridentinum) ubi casus cognitionis hujusmodi abusuum describerentur *certi*: quod si non fiat, semper Clerus murmurabit, & numquam ille in animo & sua Jurisdictione „stabit tranquillus, cùm per eum appellandi modum Jurisdictionis Ecclesiasticæ nervus ferè in totum sit contritus & diruptus.

XXXIV. Idipsum sæpius optavit & à Rege postulavit Clerus Gallicanus, uti testatur Fevretius loco citato, ac signanter anno 1606. sed frustra; hoc unum respondente Rege, appellationes tamquam *ab abusu* semper fuisse admissas, quotiescumque contraventum fuit sacris Decretis, Conciliis & Constitutionibus Canonicis, authoritati Regiæ, & Jurisdictioni ejus, Legibus Regni, immunitatibus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & Arrestis Parlamentorum in conformitatem illorum pronuntiatis: & quia impossibile erat casus particulares determinare, qui ex generalibus causis proveniunt, Sua Majestas mandavit omnibus Parlamentis, ut curent sollicitè, ne Ecclesiastici prætextu harum appellationum in sua Jurisdictione turbentur. Utque frequentia earumdem restringatur, voluit, ut Judices pronuntient, benè vel malè & abusivè Judicatum, & condemnent in mulctam 120. librarum illum qui Judicatur malè appellasse, uti latiùs refert Fevretius.

XXXV. Appellationem hanc esse remedium extraordinarium, nec illud assumendum, nisi in causis arduis, & ubi Publicum pateretur, nemo Pragmaticorum ambigit. Observatque De Marca loco citato *n.* 3. quod Judicia Cano-

nica olim potissimùm à Principibus tentata aut suspensa sint, si periculum scandali & offensionis *publicæ* emergeret ob apertissimam Canonum violationem, quæ maximè piorum animos lædere solet.

XXXVI. Asserit quoq; Fevretius loco allegato *n.9.* quod cum abusus semper attendat interesse *publicum*, Advocati & Procuratores Regii semper se forment Partem in his appellationibus; adeo quidem, ut privati non possint convenire, aut transigere, nisi de consilio & assensu Officii Fiscalis, sive Advocati & Procuratoris Regii; qui & media compositionis à Partibus litigantibus proposita rejicere potest, si intelligat subesse aliquam collusionem inter litigantes Publico præjudiciosam; atque ita non semel judicatum refert Fevretius *lib. 1. De Abusu cap. 2. num. 9.*

XXXVII. Recepta quoque est in Gallia Regula & huic consona praxis, quod *abusus* semel formatus nequeat ullâ temporis præscriptione purgari. " Abusus enim perpetuò „ & continuò gravat, ideoque ab eo in perpetuum appella„ tur," ait Rebuffus in Proœmio *De Unionibus.* Refertque Tornetius in *sua Collectione Arrestorum lit. A. num. 84.* " provocationem ab executione diplomatis, quo Summus „ Pontifex, de Collegii sententia Sanctorum Joannis & La„ zari Hierosolymitanorum Sodalitia copulaverat, per Re„ gium actorem publicumq; veluti ab abusu interpositam „ admitti placuit, longissimâ annorum serie, nempe 300. „ nihil impediente: secundúmq; procuratorem pronuntia„ tum est, quod neque rectè neque ordine, nec solemnibus „ observatis, ea processisset Kalend. Mart. 1547.

XXXVIII. Eadem ratione dicunt Pragmatici Galliæ, quod lapsus fatalium hanc appellationē non reddat desertam; sed non obstante negligentia partis in introducenda vel prosequenda appellatione, possit Procurator Regius eamdem semper prosequi; si interesse *publicum* prosecutionem exigat. Vide Fevretium ibidem *num. 13.*

XXXIX. Quin nec tres sententiæ conformes semper has appellationes, ex sententia Gallorum, excludunt, uti testatur Renatus Choppinus De Sacra Politia *lib. 2. tit. 1. nu. 5.* dicens. " Imò & nostrate fori disciplina admittuntur pro„ vocationes à *trina conformi* Pontificum sententia ad Re„ gium Senatum, de Jure decimæ, quam nunc primum Ap„ pellans *feudatarsam* esse intenderit. Abusus quippe in „ *publicas* leges nullo privatæ partis silentio confirmatur, „ nec inde appellantium querela depellitur taciti consen„ sus præscriptione, multarumve sententiarum consimi„ lium. Nam hæ si abusivè dictæ postmodum ostendantur, „ nusquam vim obtinuerint rei judicatæ. Auctoribus Cu„ riæ Decretis innumeris, quibus ego post adversarias pa„ tronorum actiones latis interfui.

XL. Ulterius cum in his appellationibus agatur de re ardua concernente interesse publicum, ideo ad Supremas Curias, tamquam majores Judices remissæ sunt; nec alia tribunalia de his causis cognoscere possunt, Fevretius loc. citat. *n. 12.*

XLI. Appellatione tamquā ab *abusu* introductâ & receptâ, ligantur manus Judicis à quo, ejusq; jurisdictio omnino suspenditur: ut si quidquā pronuntiet aut executioni mandet in præjudicium interpositæ appellationis, id tamquam attentatum irritetur & cassetur. Fevretius ibidem *num. 16.*

XLII. Verumtamen ne prætextu & Pallio harum appellationum Clerici uterentur ad subterfugiendam Prælatorum suorum disciplinam, & morum emendationem & debitorum suorum solutionem protrahendam, prudentissimè jam pridem statuit Franciscus I. edita Constitutione anno 1539. *art. 5.* ut si de emendatione Clericorum vel de actione merè personali agatur, appellatione non suspendi judicatum, sed judicium ad Curias supremas tantùm devolvi; sive ut appellatio tantum habeat effectum devolutivum, non suspensivum. Verba articuli sunt: *Que les appellations comme d'abus interjectz par les prestres & autres personnes Ecclesiastiques és matieres de discipline & correction, ou autres pures personnelles & non dependantes de realité n'auront aucun effect suspensif. Ains non obstant lesdites appellations, & sans prejudice d'icelles pourront les Juges d'Eglise passer outre contre lesdites personnes Ecclesiastiques.* Id est: Quod provocationes tanquam ab abusu à Presbyteris aliisque personis Ecclesiasticis interpositæ in materia disciplinæ & correctionis, aut alia causa merè personali, nec à realitate dependente, effectum suspensionis nequaquam sortientur: verum non obstantibus dictis provocationibus & sine earum detrimento licebit Judicibus Ecclesiasticis contra dictas personas Ecclesiasticas ultra progredi.

Idipsum renovatum Edicto Molinensi anno 1571. *a 59.* nullâ tamen factâ mentione actionis *personalis.*

Imo verò ex Edicto lato 1612. patet, à Concilii Provincialis Decretis, & Episcoporum mandatis, quæ visitando Parochias dederunt, in iis quæ officia Divina, disciplinam Ecclesiasticam, vel morum correctionem spectant, Curias Supremas sub titulo *abusûs* provocari non posse. Uti refertur in *Actis Cleri Gallicani.*

XLIII. Similiter & Principes nostri nolentes, ut sub prætextu harum appellationum, aut alterius recursûs ad tribunalia Laicalia, auctoritas Prælatorum in reformandis aut corrigendis moribus, & castigandis eorum defectibus & vitiis impediretur, declararunt in Ordinationibus Parlamenti Mechl. *tit. De Requestes art. 4.* Quia in locis ubi solent admitti appellationes in casu *abusûs*, plures præsumunt appellare à judiciis Judicum Ecclesiasticorum tamquam *ab abusu* ad impediendum dumtaxat ipsorum processus, & ad evitandam correctionem & punitionem suorum criminum & delictorum, & postmodu appellationes non introducunt, aut introductas permittunt fieri desertas. Ideo (inquiunt) desiderantes, ut unicuique sua servetur integra Jurisdictio, ipsaq; justitia sine obstaculo exerceri queat, inhibetur Magno Concilio Mechliniensi recipere dictas appellationes, aut dare litteras admissionis, nisi constet per probationem libello annexam, quod processus per Judicem Ecclesiasticū inchoati vergant in præjudicium jurisdictionis suæ temporalis, aut Judicum Vasallorum suorum, Civitatum aut aliorum subditorum suorum, quo casu poterit Concilium Regium expedire litteras patentes cassatoriales, mandata, vel litteras clausas pro exigentia materiæ. Verba articuli sunt: *Pour ce qu'és lieux ou l'on est accoustumé admettre appellations en cas d'abus, plusieurs s'avenchent d'appeller des procedures des Juges Ecclesiastiques comme d'abus seulement pour empecher lesdites procedures, & afin d'eviter correction & punition de leurs crimes & delicts, & apres ne relievent lesdites appellations, ou apres les avoir relevé, les laissent tomber en interruption. Nous desirans qu'à chacun sa jurisdiction soit gardée, & afin que justice puist estre administrée sans empeschement deffendens audicts de nostre grand Conseil de recevoir ne admettre lesdictes appellations, ne sur ce donner lettres de relief. N'est qu'il leur apperre par enseignement attaché à ladicte requeste, que les procedures par le Juge d'Eglise commencées, tendront ou feront au prejudice de nostre jurisdiction temporelle, ou de nos Juges vassaux, villes, ou autres nos subjectz, auquel cas se pourront decerner lettres patentes de cassation, commandemens, ou lettres closes, selon l'exigence de la matiere.* Id est: Quia in locis in quibus obtinuit consuetudo ut admittantur provocationes in casu abusus, plures præsumunt provocari à tribunalibus Judicum Ecclesiasticorum velut propter abusum, ad impediendum dumtaxat dicta Judicia & evitandum correctionem & pœnam criminibus & delictis suis debitam, nec dictas provocationes postmodum persequuntur, aut persecutas interruptione dilabi patiuntur, Non cupientes ut sua cuique Jurisdictio salva conservetur, & ut Justitia absque ullo impedimento administretur, inhibemus Consiliariis magni nostri senatus, ne dictas provocationes admittant, nec earum persequendarum litteras concedant, nisi documentis dicto libello annexis constaret, discussionem à Judice Ecclesiastico tentatam, cedere in detrimentum Jurisdictionis nostræ sæcularis, aut Judicum clientum nostrorum, Civitatum, aut aliorum nobis subditorum, quo casu aut litteras patentes rescissionis, aut mandati, aut clausas poterunt expedire, prout materia exiget.

XLIV.

XLIV. Et *art.* 15. inhibetur Concilio admittere ullas appellationes tanquam *ab abusu* interjectas per personas Religiosas, aut constitutas in sacris aut dare ullam aliam provisionem in materia correctionis, vel punitionis criminum aut delictorum per ipsos commissorum. Verba sunt; *Si deffendons ausdicts de nostre grand Conseil de recevoir, ne admettre lesdictes appellations comme a' abus interjectées par gens d'Eglise, Religieux ou constituez* in sacris: *ne aussi bailler autre provision en matiere de correction, ou punition des crimes & delicts par eux commis, & perpetrez.* Id est: Hinc prohibemus Consiliariis magni nostri senatus, ne dictas provocationes tanquam ab abusu interpositas per personas Ecclesiasticas, Religiosas, aut in sacris constitutas recipiant aut admittant, neq; etiam provisionem concedant in materia correctionis, aut punitionis criminum & delictorum per eas commissorum & patratorum.

XLV. Similiter in Hispania non admittitur recursus ad tribunalia Regia ubi agitur de correctione & punitione Religiosorum per suos Prælatos intra claustra Monasteriorum, quemadmodum scribit Salgado *De Supplicatione ad Sanctissimum parte* 2 *c.* 11. *n.* 104.

XLVI. Addit tamen *n.* 105. „quando inter eosdem Religiosos Regulares violentia aliqua vel illata est, vel timetur, tunc ob scandalum sedandum, & ad tollendam vim; „Senatus hic Supremus cognoscit de hujusmodi causis & „juxta casuum qualitatem providet, ut sibi magis visum „est pro quiete Religionum Regularium, & ut scandalum „evitetur, juxta *dict. l. Regiam* 40. quæ Concilio huic Supremo privativè ad alias Cancellarias reservavit harum „causarum expeditionem.... Nec tunc Senatus providet, ut „in cæteris violentis; sed ordinat secretè quod aptius sit „negotii qualitati ad consequendam tranquillitatem, & „quietem inter Regulares.

XLVII. Hic recursus ad tribunalia Regia in casum violentiæ vel oppressionis, item retentio litterarum Apostolicarum, tametsi alio nomine vocentur, & diversa nonnihil formula ad praxin deducantur, non absimilem tamen effectum sortiuntur; & eisdem fundamentis innituntur quibus appellationes *ab abusu*; uti ex Tractatibus Francisci Salgado *De Supplicatione ad Sanctissimum* & *De Protectione Regia* aliisq; Pragmaticis Hispanis facilè videri potest, & ostendit Fevretius *De Abusu lib.* 1. *c.* 3. *n.* 8. quemadmodum & remedium cassationis, & denegatio Placeti Regii, quibus in Belgio utimur, non multum ab iis distant: quibus omnibus Judices Regii ita moderatè uti debent, ut nec ipsam Episcoporum & Prælatorum in Ecclesiæ regimine, nec in moribus & excessibus suorum subditorum corrigendis auctoritatem impediant, aut suam in alienam messem falcem immittant.

CAPUT V.

De Recusationibus Judicis.

1. *Recusatio similis appellationi quoad effectum.*
2. *Quid recusatio Judicis.*
3. *Recusationis variæ sunt causæ, & sæpius ab arbitrio Judicis dependentes.*
4. *Recusatio proponenda est per libellum.*
5. *Judex ob suspicionem non removetur, nisi à Parte fuerit suspectatus seu recusatus.*
6. *De jure causa suspectationis inferenda est libello.*
7. *Consonat & hodierna praxis.*
8. *An omnes causæ suspectationis simul proponi debeant?*
9. *Judex recusatus de Jure Canonico non cognoscit de causa recusationis.*
10. *Ex dispositione Concilii Lateranensis eligendi arbitri qui de causa judicent; & quomodo hi eligendi?*
11. *Quare hi dicantur arbitri juris.*
12. *Arbitri hi more judiciario procedunt; & ab ipsorum sententia appellari potest.*
13. *Judices arbitri terminum præfigere possunt intra quem procedant.*
14. *Recusari potest tam Judex Ordinarius, quàm Delegatus.*
15. *Nec tantum Judex, sed & assessor, Commissarius, Graphiarius similesq; recusari possunt.*
16. *In his recusandis levior causa sufficit quam in recusatione Judicis.*
17. *Moribus hodiernis integrum Corpus Concilii aut Magistratus recusari nequit.*
18. *Singuli tamen recusari possunt; & causa à reliquis de Concilio aut Magistratu non recusatis examinatur.*
19. *Quod & in Curiis Ecclesiasticis, ubi plures sunt Judices merito recipitur.*
20. *Si major pars Magistratûs aut Senatûs suspectetur, quæ via ineunda?*
21. *Recusatio proponenda ante omnem actum judicialem.*
22. *Potest etiam post litem contestatam proponi, si causa de novo emerserit.*
23. *Potest & proponi si ignorata fuerit.*
24. *Quis sit effectus propositæ recusationis.*

I. Sub eodem titulo Decretalium agitur de Appellationibus & Recusationibus; eò quod appellatio & recusatio in multis conveniant; præcipuè quoad effectum suspendendi auctoritatem & jurisdictionem judicis, uti communiter observant Doctores.

II. Recusatio itaq; dicitur, Judicis causa suspicionis à Parte proposita declaratio.

Hìc enim propriè recusatio accipitur pro declinatione sive exceptione contra Judicem à Parte ex causa suspicionis proposita, quod in hac causa Judex non videatur satis indifferens; sed adversæ Parti plus justò addictus.

III. Cum autem suspicio hæc oriri queat ex variis causis, etiam variæ ac multiplices sunt causæ recusationis, quas latè prosequitur Rebuffus in tractatu De Recusationibus *art.* 9. & post ipsum Nicolaus Tuldenus in notis ad Damhouderum in Praxi rerum civil. *c.* 125. aliiq; ab ipsis citati; neq; in particulari omnino determinari possunt; & frequenter ex circumstantiis à Judice æstimandæ sunt; nisi aliquæ in Curiarum ordinationibus, vel specialibus statutis sint expressæ.

IV. Recusatio autem proponenda est, non voce, sed *scripto* ad exemplum appellationis ab *interlocutoria*, quæ in scriptis fieri debet. *Cap.* 1. *De Appell. in* 6. Ideoq; libello opus est, qui judici exhibeatur, si præsens sit; secus si absens. *L. fin. Cod. De Except.* Et ita communiter teneri docet Rebuffus in dicto tractatu *art.* 5. *n.* 6. ut & respondit in quadam facti specie Wamesius *Consil.* 152. *n.* 5.

V. Quod & notat in commentario *Cap.* 16. ⁑ *De Appell.* ubi & monet *n.* 11. numquam ipso jure propter suspicionem removeri etiam *suspectissimum* judicem, etiam ex speciali causa jure comprobata, si non quoq; ut suspectus recusatus sit: nec posse eo titulo sententia nullitatis argui.

VI. Similiter exemplo appellationis à sententia interlocutoria receptum est de Jure Canonico, causas recusationis esse inferendas libello recusationis, contra dispositionem Juris Civilis in *L.* APERTISSIMI *Cod. De Judiciis*: quo jure sufficere videtur, si Recusans interposito juramento asserat, Judicem sibi esse suspectum.

VII. Juri Canonico, hac in parte, consentit praxis & stylus inferioris Germaniæ regionum, per quem stylum suspicionis causæ in scriptis allegari debent, ait Damhouderus in Praxi rerum civil. *c.* 125 *n.* 19. & plures ejusdem praxeos in Superiore Germania citat Tuldenus in notis ad dictum locum Damhouderi, dicitq; Rebuffus loco citato *n.* 15. quod *semper* causa specialis est exprimenda, nec sufficeret generalis expressio.

VIII. Quin & asserit Damhouderus ibidem *n.* 17. " quod debeant omnes suspicionis causæ simul proponi, & nequaquam hodie una & cras altera, nisi fortassis aliæ de novo „ad recusantis notitiam sive cognitionem provenirent. " Adde Wamesium citato *Consil.* 152. *n.* 12. Nescio an id per omnia praxi hodiernæ consonet.

IX. Causâ recusationis propositâ, si Judex eam vel non sufficientem agnoscat, vel factum quod pro causa suspicionis & recusationis allegatur, falsum dicat; ne in propria causa Judex constitui videatur, non potest ipse de causa recusationis cognoscere; sed subsistere debet, & in causa ulteriùs non procedere.

X. Ex dispositione autem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 61. ✠ *De Appell.* eligi debent *arbitri*, qui de causa suspicionis sive recusationis cognoscant.

Vult autem Concilium, ut "ipse (Recusans) cum adversario vel (si fortè adversarium non habeat) cum Judice arbitros communiter eligat: aut si communiter convenire non possint, absq; malitia ipse unum, & ille alium eligat, qui de suspicionis causa cognoscant: & si nequiverint in unam concordare sententiam, advocent tertium: ut quod duo ex ipsis decreverint, robur obtineat firmitatis.

XI. Arbitri hi sic electi dicuntur arbitri *juris* ad distinctionem arbitrorum ex *compromisso*: eò quod à Jure potiùs, quam à Partibus constitui videantur: quia ad eos eligendos, Partes à Jure quodammodo adiguntur: cum econtra compromissarii libera voluntate compromittentium eligantur; uti supra *tit.* 5. *c.* 4. dictum est.

XII. Itaq; hi arbitri sic electi more judiciario causam suspicionis & recusationis examinant, & super ea sententiam proferunt, à qua, si pars condemnata se gravatam sentiat, non tantum reduci quemadmodum *à laudo* arbitri compromissarii; sed tamquam à sententia *judiciario* more prolata, appellari potest: non secus atq; ab alia quacumq; sententia definitiva: atque hinc rursus via aperta, causas in immensum protrahendi.

XIII. Sed ne & ipsi arbitri causam protrahant, atq; interim Judex procedere impediatur, statuit Innocentius IV. in *Cap.* 2. *De Appell. in* 6. "ut ipsis arbitris per Judicem competens terminus præfigatur intra quem in idem conveniant, vel tertium concorditer advocent, cum quo ambo vel alter eorum, ejusdem suspicionis negotium terminare procurent. Alioquin Judex ex tunc in principali negotio procedere non omittat.

XIV. Recusari autem potest Judex non tantum delegatus, sed & ordinarius, quemadmodum decisum est de Jure Canonico in *Cap.* 41. §. 3. & *Can.* 61. ✠ *De Appellat.* quod & moribus hodiernis receptum est: licet de Jure Civili quoad Judicem ordinarium non una sit Interpretum sententia.

XV. Nec tantum Judicem; sed & ejus Assessores, imo & Auditores, & etiam Commissarios & Adjunctos recusari posse notat Damhouderus citato *c.* 125. *n.* 13. additq; Nicolaus Tuldenus in notis, etiam recusari posse Notarium, Graphiarium, Consultorem, & testium Examinatorem; idem asserit Rebuffus in Tractatu *De Recusat. art.* 9. *n.* 49.

XVI. Notátq; ibidem Tuldenus ex Rebuffo *n.* 4. quod in recusatione Graphiarii aut Notarii sufficiat levior causa, quam in recusatione Judicis; imo vel solum juramentum sine expressione alicujus specialis causæ posse sufficere; quia non agitur de magno præjudicio.

XVII. Moribus hodiernis totum Collegium sive Senatum recusari non posse receptum esse testantur Christinæus *vol.* 2. *Decis.* 148. *n.* 15. & de Flandria Damhouderus citato *c.* 125. *n.* 9. & de praxi Hollandiæ Merula *lib.* 4. *tit.* 4. *c.* 1. ac pluribus citatis asserit Simon À Grœnevvegen ad *L.* APERTISSIMI *Cod. De Iudiciis.*

XVIII. Singuli tamen ex Consiliariis & Judicibus tam Ordinariis, quam Delegatis ex Juris Canonici dispositione recusari possunt: ita tamen, ut causæ suspicionis vel recusationis, non ab *Arbitris* Juris, sed ex stylo Belgii ab aliis de Collegio, ubi suspectus sedet, examinari debeant.

XIX. Hæc expeditior via est, recusationis causas expediendi: unde & meritò in foro Ecclesiastico recipienda, ubi tribunal Ecclesiasticum è pluribus judicibus constat; quale est tribunal nostrum Academicum *quinq judicum appellationum*, cujus mentio facta est supra *c.* 2. resolutumq; est per Universitatem non ita pridem, quod, si unus horum judicum recusetur, causæ recusationis, non ab Arbitris, sed reliquis judicibus non suspectis sint examinandæ & terminandæ.

XX. Si autem ex Senatoribus vel Judicibus plures suspectentur seu recusentur, tunc subinde recusationis cognitio ad judicem superiorem spectat, aut subinde à Principe alii non suspectis judicibus adjunguntur, eisq; hujus causæ cognitio atq; decisio injungitur. Vide Simonem à Grœnevvegen ad *L.* APERTISSIMI *Cod. De Judiciis*, & Damhouderum in Praxi Rerum Civil. *c.* 125. *n.* 10. & 11.

XXI. Recusatio tamquam species exceptionis dilatoriæ, & declinatoriæ fori, debet non tantum ante litem contestatam; sed & omnem actum judicialem proponi; ne alias in judicem consentiri, & suspicionis seu recusationis causa non curari videatur. *L. fin. Cod. De Except.* Unde Actori non permittitur recusatio judicis, quem ipse ultrò adiit, & ad quem Reum pertraxit; uti rectè notavit Wamesius *Consil.* 152. *n.* 6.

XXII. Si tamen causa recusationis post litem contestatam *de novo* emerserit, poterit judex ex hac causa recusari *Cap.* 24. ✠ *De Off. Iud. Deleg.* & *Cap.* 4. ✠ *De Except.* Neque litem contestando, censeri potest recusationi sive suspicioni renuntiasse, cujus causa tempore litis contestatæ nondum nata erat.

XXIII. Quin etsi ante litem contestatam causa recusationis revera jam subesset, poterit nihilominus proponi, si, "is qui voluerit eam proponere, fidem faciat juramento postmodum ad illius notitiam pervenisse;" uti loquitur Pontifex in citato *C.* 4. An etiam post causam conclusam liceat, sub prætextu *de novo* emergentis causæ, vel ejus ignorantiæ judicem recusare. Vide Wamesium citato *Consil.* 152. *n.* 7.

XXIV. Propositâ legitimè & servato juris ordine ipsâ recusatione, suspenditur jurisdictio & auctoritas judicis; teneturq; pendente causa recusationis judex supersedere: veriusq; est, acta à judice pendente recusatione, non tantum esse revocanda, probatâ causâ recusationis; sed esse *ipso jure* nulla; tametsi postmodum declararetur recusationis causam fuisse insufficientem, causaque ad judicem recusatum fuerit remissa: idque exemplo appellationis, cui hac in parte recusatio æquiparari solet. Vide Vallensem in Paratitlis Decretalium ad *tit. De appellat.* §. 19. *n.* 4. & 5.

TITULUS XI.
De Pœnis & Censuris Ecclesiasticis.

CAPUT I.
De Pœnis Ecclesiasticis.

1 *Semper in Ecclesia fuit auctoritas imponendi criminosis pro qualitate criminum & conditione personarum convenientes pœnitentias.*

2 *Quamdiu forum externum non fuit separatum ab interno, etiam pœna imposita fuêre cum respectu ad forum internum.*

3 *Postmodum Pœnitentia imposita pro foro interno, cœperunt per modum pœna decerni in foro externo.*

4 *Disciplina circa impositionem pœnarum successu temporis mutata fuit.*

5 *Eleemosyna frequenter jam pridem in pœnitentiam assignata.*

6 *Hinc in forum Ecclesiasticũ introducta pœna pecuniaria.*

7 *Harum pœnarum frequens mentio in Decretalibus.*

8 *In imponendis his pœnis cavẽda est suspicio turpis quæstûs*

9. *Suspi-*

9 *Suspicionem ingerunt Iudices qui passim omnes pœnas convertunt in pecuniarias.*
10 *Vehementer suspecti sunt qui de ipsis participant.*
11 *Synodus Tridentina vult pœnas* pecuniarias *applicari piis locis.*
12 *Noluit Synodus ea directè vel indirectè Episcopis applicari.*
13 *Nec* piis *locis si hæc applicatio aliquo modo cedat in commodum Episcopi.*
14 *Decretum S.Caroli in hac applicatione.*
15 *In Gallia debet exprimi in sententia pius* usus *in quem mulcta pecuniaria sit applicanda.*
16 *Idipsum cautum est Edicto Principum nostrorum.*
17 *Inter pœnitentias jam pridè fuit reclusio in Monasterio.*
18 *Hujus meminit Synodus Agathensis.*
19 *Similiter & S.Gregorius & Decretales Gregorii IX.*
20 *Hodie etiam inter pœnas Ecclesiasticas computatur.*
21 *Rebelles & majorũ criminũ rei includendi* carceribus.
22 *In Claustro Canonicorum olim erant carceres.*
23 *Clericos criminosos posse* arctæ *custodia deputari respondit Innocentius III.*
24 *Carcer* perpetuus *de Iure Canonico in pœnam constitui potest.*
25 *Id & hodierna praxi consonat.*
26 *In Clericis incarcerandis quæ attendenda?*
27 *Clerici per Iudices Ecclesiasticos non sunt communibus carceribus mancipandi, sed Episcopalibus.*
28 *Variis ex causis olim Pœnitentibus imponebatur recessus ex propria patria.*
29 *Subdiaconum calumniatorem mandat S. Gregorius in* exilium *deportari.*
30 *Hinc concludunt Canonistæ inter pœnas Ecclesiasticas esse deportationem in* exilium.
31 *Nec Sanctus Gregorius nec antiqui Canones videntur loqui de* propriè *dicta deportatione* in exilium.
32 *Uti nec S.Ivo Carnotensis*
33 *Deportatio in exilium videtur ad Sæcularem potiùs, quàm Ecclesiasticam Potestatem spectare.*
34 *Idipsum & Decretales Pontificum supponunt.*
35 *Hinc deducunt Pragmatici Iudici Ecclesiastico fas non esse aliquem in* exilium *relegare.*
36 *Fas tamen est Episcopo Clericos exteros ad suas proprias Diœceses remittere.*
37 *Quin & obligare citra relegationem criminosos ad recessum è Diœcesi.*
38 *Pœnitentia corporis afflictiva olim Pœnitentibus imponi consueta.*
39 *Pœnam flagellationis ab Episcopis impositam testantur SS. Augustinus & Gregorius.*
40 *Hæc flagellatio apparet fuisse ad instar paternæ dumtaxat correctionis.*
41 *Cavendum erat Episcopis ne adhibendo hanc pœnam facerent contra præceptum Apostoli,* non percussorem.
42 *Vetitum esse Episcopis cædere aliquem propriis manibus asserunt Canonistæ.*
43 *Cavendum præterea erat, ne pœna hæc transiret in vindictam sanguinis.*
44 *Pœna publica fustigationis à foro Ecclesiastico passim recessit.*
45 *Si Clericus ob atrox crimen sit afficiendus pœnâ sanguinis, tradendus erit Potestati Sæculari.*
46 *Priusquam Potestati Sæculari puniendus tradatur Clericus à gradu suo deponendus seu degradandus est.*
47 *Id fieri voluit Iustinianus.*
48 *Causa depositionis solebat primitus in Synodo Episcoporum tractari, præsertim in secunda instantia.*
49 *Ob defectum Synodorum permissum fuit causam examinari à certo numero Episcoporum.*
50 *Episcopi omnes interveniebant ad Iudices causæ.*
51 *Canones de omni depositione loquuntur.*
52 *Canones certum numerum præfigentes qui de causa depositionis judicarent, à Canonistis intellecti de prima instantia.*
53 *Quomodo numerus Episcoporum Canonibus expressus tandem in sola degradatione actuali fuerit requisitus.*
54 *De requisita tot Episcoporum assistentia in Sacerdotum degradatione querela Principum Germaniæ.*
55 *Synodus Tridentina permisit degradationem assistentibus Abbatibus, aut personis in dignitate constitutis.*
56 *In degradatione Clericus insignibus Clericalibus exuendus.*
57 *Quomodo vestibus Clericalibus exuatur.*
58 *Quâ formâ verborum utatur Episcopus degradator?*
59 *Degradatum Episcopus denuntiat privilegiis Clericalibus privatum, & foro Sæculari subjectum.*
60 *Episcopus pro degradato intercedit, ne pœna sanguinis afficiatur.*
61 *Degradatio de jure & ex præscripto Pontificalis etiam facienda est de simplicibus Clericis.*
62 *Sed hodie in desuetudinem abiit.*
63 *Degradatio Clericorum* in sacris *constitutorum anno 1571. Edicto Regio in Gallia stabilita.*
64 *Minùs tamen hodie videtur ibidem observata.*
65 *In Belgio Sacerdotes pœnâ sanguinis à Iudice Sæculari non afficiuntur sine prævia degradatione.*

I. INdubitatum est, penes Ecclesiam semper fuisse auctoritatem imponendi pœnas sive pœnitentias pro qualitate criminum & conditione Pœnitentium, quibus & ipsi Pœnitentes Deo pro commissis peccatis quasi fræno quodam coërceantur, cautioresq; & vigilantiores in futurum reddantur; ipsisq; vulneribus per peccatum inflictis medeatur, nec non publico scandalo, si peccata publica sint, satisfiat.

II. Sicuti autem primitus Ecclesia ejusq; Ministri adversus sceleratos & peccatores non procedebant, nisi cum respectu ad forum pœnitentiale; ipsumq; forum internum seu pœnitentiale non esset planè à foro externo & forensi separatum, sicuti supra *tit.4.c.1.* notavimus, sic nec pœnas Ecclesia ejusq; Ministri infligebant, nisi cum quodam respectu ad forum pœnitentiale; ut proinde undecim circiter sæculis pœnæ Ecclesiasticæ potius habuerint rationem pœnitentiarum, quam pœnarum; quemadmodum totis illis sæculis, forma procedendi Ecclesiæ adversus criminosos, magis ad ipsum tribunal pœnitentiæ, quam ad forense & judiciale referebatur.

III. Cum autem circa sæculum 12. forum externum & judiciale separari cœpit à foro interno & pœnitentiali, illudque exerceri ad normam judicii forensis & sæcularis, cœperunt quoq; illa, quæ pridem ad correctionem dumtaxat & in pœnitentiam pro delictis ab Episcopis & Sacerdotibus fuerant injuncta, eadem in foro judiciali ad modum Judicii forensis per modum pœnæ ad vindictam publicam per sententiam imponi, & per Ministros publicos Justitiæ forensis infligi, seu executioni mandari.

IV. Quemadmodum autem disciplina circa punitionem criminum multum mutata fuit quando forum externum & judiciale à foro interno & pœnitentiali fuit sejunctum; ita quoque tunc ipsa disciplina circa impositionem pœnarum non parum mutari cœpit, quemadmodum in decursu apparebit.

V. Cum Scriptura nos doceat, efficacissimum remedium esse ad placandam Dei offensam & eluenda peccata, eleëmosynas in sinus pauperum effundere, juxta illud à Daniele datum consilium Nabuchodonosor Regi: *Peccata tua eleëmosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum Daniel.4.v.24.* Et rursus Ecclesiast.*c.3.v.33.* *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleëmosyna resistit peccato,* usitatissimum semper fuit in Ecclesia, ut pœnitentibus in remedium suorum peccatorum eleëmosynarum elargitio pro modo facultatum à Sacerdotibus imponeretur.

VI. Postquam autem forum externum & forense à foro interno & pœnitentiali separatum fuit, eleëmosynarum hæc elargitio, quæ in *pœnitentiam* ad expurgationem & satisfactionem criminum imponi consueverat, cœpit ab ipsis

Officiali-

Officialibus & Judicibus Ecclesiasticis etiam per *modum pœnæ* ad *vindictam publicam* delictorum imponi, & *judicialiter* decerni: atq; hinc *pœna pecuniaria* in forum Ecclesiasticum intrarunt.

VII. Harum pœnarum sat frequens mentio occurrit in Decretalibus nostris, ac signanter Alexandri III. & Innocentii III. quarum textus infra referentur; ideoq; nec dubitari potest, quin inspecto *jure* communi & juxta disciplinam Decretalibus expressam, Judex Ecclesiasticus possit imponere pœnas *pecuniarias*. Unde cum tempore Philippi Valesii Regis Franciæ conquererentur Barones Franciæ per os Petri Cugnerii de Officialibus, qui suis monitionibus apponebant pœnas *pecuniarias*; respondit nomine Præfatorum Berthrandus Episcopus Eduensis: „Ad 27. articulum qui loquitur de *pœnis pecuniariis*, quas Officiales in suis monitionibus apponunt, dicit quod licitum est eis tales pœnas apponere tam de consuetudine quam de *jure*: quo licet sententiam excommunicationis apponere quæ est major licet apponere pœnam pecuniariam, quæ est minor. Item ex quo tali Judici Ecclesiastico subditi existunt, & sic est eorum ordinarius. Judex ipse potest in tali casu eis apponere pœnam pecuniariam, vel aliam secundum quod videbitur ipsi expedire. Et ad hoc jus divinum & humanum concordant.

VIII. Verùm sicuti Sacerdotes solicitè cavere debent, ne ex pœnitentiis pecuniariis sibi lucrum quærere videantur, uti supra *parte 2. tit. 6. c. 14.* notavimus, sic & hodie Judices Ecclesiastici circa harum pœnarum impositionem ita se gerere tenentur, ne videantur eas in proprium suum emolumentum potiùs, quam ad criminum vindictam & delinquentium correctionem ipsorum imponere.

Hinc Concilium Lateranense in *Cap. 13.* ⁑ *De Officio Ordin.* postquam monuerat Prælatos quod ad reformandos Clericorum suorum mores diligenter deberent intendere; ac declarasset, quod neq; appellatio suspenderet reformationis effectum, unà monet Prælatos, provideant, ut hoc salubre statutum ad *quæstum pecuniæ* non convertant.

IX. Hanc suspicionem difficulter evadent Prælati & Judices Ecclesiastici, qui neglectis aliis pœnis Canonicis passim pro quibuscumq; excessibus pœnas pœcuniarias imponunt. Quapropter Alexander III. in *Cap. 3.* ⁑ *De Pœnis* mandat districtè inhiberi Archidiaconis Conventrensis Episcopatûs, " Ne pro corrigendis excessibus & criminibus puniendis à Clericis & laicis pœnam *pecuniariam* exigant.

Hìc notat Glossographus, non esse absolutè vetitum Judici Ecclesiastico infligere pœnam *pecuniariam*; sed eam non esse infligendam, ubi crimen aliam pœnam spiritualē requirit: ideoq; rectè hic notat Fagnanus *n. 3.* " adversus Prælatos qui crebrè & facilè pœnas pecuniarias infligunt oriri *vehementem* præsumptionem avaritiæ. Vide latius Covarruviam *lib. 2 Var. Resol. c. 9. n. 0.*

X. Vehementior erit hæc præsumptio si has pœnas pecuniarias Prælati eorúmve Officiales sibi directè vel indirectè applicent; atq; ita ex pœnarum inflictione lucrum aliquod captent.

Hinc post Glossam ad *Cap. 2.* ⁑ *De Pœnit.* notant Doctores," quod pœnam *pecuniariam* quam recipit Episcopus ab aliquo, *sibimet appropriare non debeat.*" Dicitq; Covarruvias loco citato: " Præ cæteris à Judicibus Ecclesiasticis & Prælatis est observandum, ut pœnas *pecuniarias* pro criminibus inflictis, in pios usus potius quàm in propriam utilitatem erogare curent.

XI. Igitur Synodus Tridentina omnem avaritiæ aut turpis quæstûs notam à Prælatis amoveri studens; volensq; cavere, ne videantur pœnæ à Superioribus in proprium potiùs ipsorum emolumentum, quam ad vindictam criminum & correctionem delinquentium infligi, declaravit *Sess. 13. c. 1. De Reform.* quod Superior Ecclesiasticus teneatur fructus, quos Episcopi aliive Beneficiati ob non residentiam amittunt, *fabricæ* Ecclesiarum aut *pauperibus* erogare. Idipsum mandat observari *c. 14. Sess. 25.* circa pœnas concubinariorum. Et generaliùs eadem *sess. c. 3.* ubi permittens, ut Judex Ecclesiasticus in causis civilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumq; etiam laicos per *mulctas pecuniarias* procedere queat, addit hanc cautionem: *Quæ piis locis, ibi existentibus, eo ipso, quod exactæ fuerint, assignentur.*

XII. Noluit ergo Synodus, ut Episcopi sibi directè aut indirectè mulctas sive pœnas pecuniarias applicent; sed eas piis usibus assignari voluit.

Hinc consulta S. Congregatio *super negotiis Episcoporum*, an pœnæ *pecuniariæ* possint ab Episcopo pro aliqua parte applicari Procuratori Fiscali, Executoribus, ac Ministris Curiæ pro *expensis* tribunalis, & *Palatii* Episcopalis, & *domûs* Vicarii, respondit nihil salvi posse, cum pœna hæc *piis locis explicanda sit.* Fagnanus ad *Cap. 2.* ⁑ *De Pœnis.*

XIII. Quinimo, uti notat Fagnanus ibidem *n. 31.*" hæc applicatio non modo prohibetur fieri Procuratori Fiscali sed etiam locis piis, si id cedat aliquo modo in utilitatem Episcopi. Unde cum fuerit quæsitum, an Episcopus vigore consuetudinis loci possit tuta conscientia applicare fabricæ, vel Sacristiæ Ecclesiæ, dummodo talis applicatio directè vel indirectè non cedat in ipsius Episcopi utilitatem.

XIV. His congruit Decretum S. Caroli in Concilio Mediol. I. *tit. De Pœnis*; ubi decrevit, ut " quotiescumq; delicti causâ Clerici mulctandi sunt, quæ ab ipsis exigenda erit pecunia, nullo modo ad Episcopum perveniat, in ejúsve commoda quavis ratione convertatur; sed idem Episcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non superet, assignatâ delatori, reliquam piis operibus, aut locis, quibus ei videbitur omnino attribuat.

XV. Refert Renatus Choppinus *Lib. 2. De Sacra Polit. tit. 3. n. 9.* non semel judicatum fuisse, fas non esse Judici Ecclesiastico, *simpliciter* condemnare quempiam ad pœnam *pecuniariam*; sed in ipsa sententia exprimendum *pium usum* in quem ipsa pœna sit convertenda. " Ut enim demus [ait Choppinus] Judici cuilibet *mulcta* dicendæ Jus esse, cui publicum judicium sit: hoc ita intelligi debet, si Ecclesiasticus mulctam in pium quemdam usum *judicans* destinarit. Qua formula ac cautione sacer Magistratus licitè mulctam indicit Litigatori pro arbitratu. Et ita per Senatum judicatum anno 1030. ibidem testatur. Verùm purè damnato & mulctato Litigatore, censetur Episcopus reorum damnationes transferre in rem suam, privatúmq; usum iniquo exemplo voluisse.

XVI. Similiter in Edicto Principum nostrorum de 20. Sept. 1608. super observatione dierum Festorum expressè dicitur, quod Judices Ecclesiastici possint per præventionem agere contra violatores Festorum; & si hi procedant ad condemnationē in mulctam *pecuniariam*, hæc fiat cum debita moderatione, & ad commodum pauperū aut alicujus hospitalis nominatim in sententia exprimendorum. Verba Edicti sunt: *Ende procederen by de Geestelycke Rechters tot condemnatie van eenige boeten van ghelde, dat het sy met alsulcke moderatie als dat behoort, ende ten profyte van de Aerme, oft van eenige Godtshuysen* PARTICULIERLICKEN *te verklaeren by de selve vonnissen.* Id est: Si coram Judicibus Ecclesiasticis procedatur ad condemnationem mulctæ pecuniariæ, fiat ea, quâ æquum est, moderatione, & in emolumentum pauperum, aut quorumdam Xenodochiorum, quod ipsum specialiter in sententia exprimetur. Extat Edictum *parte 2.* Edict. Flandriæ *lib. 1. Rubric. 1.*

XVII. Inter species pœnitentiarum fuit & jam pridem reclusio Pœnitentium in aliquo Monasterio, ut ibidem peccata sua deflere, & exercitia pœnitentiæ ab hominum conspectu remoti, faciliùs subire, & occasiones peccatorum evitare possent.

XVIII. Istius pœnitentiæ meminit Synodus Agathensis *Can. 50.* apud Gratianum *Dist. 50. Can. 7.* decernens: " Si Episcopus, Presbyter aut Diaconus capitale crimen commiserit, ab officii honore depositus in *Monasterium* detrudatur, & ibi, quamdiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.

XIX. Meminit & hujus retrusionis S. Gregorius *lib. 2. Epist. 27.* mandans quibusdam Judicibus à se delegatis, ut si quemdam Bonifacium præmissâ cognitione, cujusdam famorosi criminis reum esse apparuerit, " tunc non solùm „ Dominici Corporis & Sanguinis communione privatus „ sit, verum etiam in *Monasterium*, ubi pœnitentiam agere debeat, *retrudatur*, ut criminis sui maculas convenienti „ valeat apud æternum Judicem lamentatione purgare.

Rursus eodem libro *Epist.* 40. jubet Diaconum in crimen carnis prolapsum in *Monasterium*, ubi pœnitentiam peragat, *tradi*, " ita ut nulla exinde ei sit quoquo modo egredi- „ endi licentia, nisi [ait] hoc nostra permiserit fortasse præ- „ ceptio.

In Decretalibus quoque sæpius hujus retrusionis fit mentio, puta *Cap. 6. § fin.* ;; *De Homicid.* & *Cap.* 35. ;; *De Sent. Excomm.*

XX. Hodie hæc una est ex pœnis Ecclesiasticis: solentq; Episcopi eorúmve Officiales non rarò injungere Sacerdotibus aut Clericis in vitium aliquod prolapsis, ut se ad tempus vel perpetuò ad Monasterium, aut Seminarium Clericorum retrahant, ibiq; certa pietatis & pœnitentiæ præscripta exercitia in peccatorum expiationem & vitæ emendationem subeant.

XXI. Verùm aliquorum ea est durities & malitia, ut nec Monasterium locus eis servandis sat tutus sit; nec disciplina regularis ad eos continendos, & à vitiis retrahendos sufficiens; majúsq; periculum immineat, ne ipsi alios suis pessimis exemplis inficiant, quam sit spes, ipsos piorum exemplo convertendos; unde jam pridem in usu fuit, ut & in ipsis Monasteriis essent loca quædam separata, quibus tamquam in carcere incorrigibiles & majorum scelerum rei recluderentur.

XXII. In Regula Canonicorum anno 816. apud Aquisgranum præscripta *c.* 134. dicitur: "Si uterq; & qui flagella- „ tur, & quem flagellari ætas aut qualitas personæ prohi- „ bent, adhuc *incorrigibiles*, extiterint, sit locus intra clau- „ stra Canonicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo „ ad tempus retrudantur, & secundùm modum culpæ casti- „ gentur.

XXIII. Et consultus Innocentius III. De Clericis graviter excedentibus, qui tutè non possunt Monasteriis ad agendam pœnitentiam deputari, an à Prælatis *arcta* possent *custodia* mancipari, respondet in *Cap.* 25. ;; *De Sent Excomm.* "Quòd cùm Prælati excessus corripere debeant subdi- „ torum, & publicæ utilitatis intersit, ne crimina remane- „ ant impunita, & per impunitatis audaciam fiant qui ne- „ quam fuerant, nequiores: non solùm possunt sed debent „ etiam Clericos postquam fuerint de crimine Canonicè „ condemnati, sub *arcta custodia* detinere: qui cum sint in- „ corrigibiles, nec in Monasteriis valeant custodiri, ad simi- „ lia vel pejora facilè laberentur.

XXIV. Quin in *Cap.* 27. §. 1. ;; *De V. S.* rescribit Episcopo Parisiensi, ut falsarium " in *perpetuum* carcerem ad agen- „ dam pœnitentiam includat, pane doloris & aquæ tristitiæ „ sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulterius non „ committat.

Tandem Bonifacius VIII. editâ constitutione in *Cap.* 3. *De Pœnis in* 6. declaravit, "quamvis ad reorum custodiam, „ non ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur: „ Nos tamen non improbamus seu convictos (eorum ex- „ cessibus & personis, cæterisq; circumstantiis providâ de- „ liberatione pensatis) in perpetuum, vel ad tempus, prout „ videris expedire carceri mancipes ad pœnitentiam pera- „ gendam.

Quod hîc in principio suæ Constitutionis asserit Pontifex, id ex Jure Civili desumptum est; quo Jure carcer ad custodiam, non ad pœnam destinatus dicitur, *L.* 8. §. SOLENT *ff. De Pœnis.*

XXV. Interim hæc pœna in Curiis Ecclesiasticis recepta est: testeque Renato Choppino *lib. 2. De Sacra Polit. tit. 3. n.* 12. vulgò etiam *perpetuis* vinculis plectuntur Sacerdotes.

Et revera hodie carcerem assignari posse in pœnam & pœnitentiam, supponunt Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. De Custode carceris art.* 9. ubi decernitur " Condemnatos ad *pœnitentiam* in pane doloris & a- „ qua tristitiæ agendam, in eadem pœnitentia custodiet, re- „ cepturus à Sigillifero pro ratione temporis & expensa- „ rum, prout æquum erit.

XXVI. Rectè dixit Bonifacius VIII. in citato *Cap.* 3. *De pœnis in* 6. in hac ad carceres condemnatione, à judice esse procedendum, *excessibus & personis caterisq, circumstantiis provida deliberatione pensatis.* Certum enim est, pœnam carceris, præsertim *perpetui* aut *diuturni* esse admodum gravem neq; pœnâ mortis multò inferiorem; imò quandoque duriorem: ut proinde passim moneant Canonistæ, pœnam *perpetui* carceris infligendam non esse, nisi pro crimine atroce, quod de Jure Civili morte plectendum esset.

Insuper Judex Ecclesiasticus incarcerationem ita ordinare debet, ut quantum fieri potest, per eam incarcerati ad meliorem vitam reducantur. Nam uti monet Innocentius III. in citato *Cap.* 27. ;; *De V. S.* hæc incarceratio fit ut incarceratus *commissa defleat, & flenda ulterius non committat:* id est, ut convertatur & vivat. Quanta autem cura & in spiritualibus & corporalibus carceratis sit exhibenda, præsertim à Pastoribus & Episcopis, dictum est supra *tit.* 8. *capit.* 2.

XXVII. Porro Clerici per Episcopos includendi non sunt communibus & laicalibus carceribus, nec ad hos condemnandi auctoritas est penes Judices Ecclesiasticos; sed Episcopi suos *proprios* habent carceres, qui olim erant apud Ecclesiam vel domum Episcopalem, dicebanturq; *Diaconica*, vel *Diaconia*; hodie autem carceres *Episcopales* vocantur, de quibus in Concilio Lambethensi celebrato anno 1261. legitur: "Item speciali præcepto statuimus, quod quilibet E- „ piscopus in suo Episcopatu habeat unum vel duos carce- „ res, prout competentiùs & securiùs poterit providere, „ pro Clericis flagitiosis deprehensis in crimine vel convi- „ ctis, juxta censuram Canonicam detinendis.

XXVIII. Inter pœnitentias olim pœnitentibus imponebatur recessus à propria patria, ut vel occasiones peccandi vitarent, vel scandali occasio populo adimeretur, aut etiam ut extra propriam patriam & propinquorum & familiariū conspectum faciliùs pœnitentiæ opera subire possent; aut etiam ut vel hæc à propinquis & consanguineis sejunctio, & diuturnioris itineris susceptio eis pro pœnitentia essent.

XXIX. De hac forsan specie relegationis in pœnitentiam impositæ loquitur S. Gregorius *lib. 9. epist.* 66. ubi cuidam Episcopo mandari vult, ut Subdiaconum calumniatorem, prius Subdiaconatûs privet officio, atq; verberibus publicè castigatum, faciat in *exilium* deportari. Hic textus refertur in *Cap.* 1. ;; *De Calumniat.*

XXX. Hinc communiter concludunt Canonistæ post Glossam ad hoc Capitulum, quod hanc pœnam *exilii* Ecclesia imponat, quod & varii Canones apud Gratianum supponere videntur; ac signanter *Can.* 9. *caus.* 3. *q.* 4. item *Can.* 3. *caus.* 3. *q.* 5. & *Can.* 23. *Dist.* 63.

XXXI. Verùm Canones hos non de pœna veri & civilis exilii, quo per deportationem vel relegationem extra territorium aliquod quispiam relegatur, intelligi; sed vel de *exilio* accepto in allegata significatione; vel certè de pœna quæ relegationi intra Monasterium esset affinis, depositionemq; sive degradationem Canonicam subsequente, monet eruditus auctor Notarum in citatam Epistolam S. Gregorii *n.* 6.

XXXII. Hoc sensu exilium quoq; accepisse videtur Ivo Carnotensis *epist.* 186. scribens Episcopo Aurelianensi: O- „ portet, ut adhibitis vobis aliis quinq; Episcopis, publicè „ detractis Sacerdotalibus indumentis, per singulos eum „ gradus deponatis, & depositum *perpetuò* carcere damne- „ tis, aut in æternum exilium detrudatis. "Rationem hanc adjiciens: "Quod à *conspectu* eorum qui *scelus* ejus cogno- „ verunt, removendus est, ne fœda facti memoria simplici- „ um mentes perturbet.

XXXIII. Nam, uti ipse Auctor notat, pœna *veri exilii* sive *relegationis*, qua quis per sententiam relegatur extra aliquod territorium, eiq; ingressus *territorii* illius inhibetur; „durior est, & terrestrem dominationem referens, quam ut „ab Episcopis imponi queat.

XXXIV. Et quidem sub nomine Concilii Antiocheni refertur in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum titulo *De Clerico excommunicato minist. c.* 25. quod si Clericus excommunicatus & ab Ecclesia expulsus nihilominus in sua præsumptione perseveret, atq; pœnas hasce contemnat, & Episcopus emendare non potuerit, *Regis judicio* EXILIO *damnetur*.

Raymundus hoc idem Decretum referens in *Cap.* 2. ⁑ *eod.* post ly *judicio* addidit hæc: *Ad requisitionem Ecclesiæ*, ut sit sensus: *Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur*. Sed sive *sine* sive *cum* hoc additamento legatur, equidem non obscurè supponitur, quod *exilio damnare* sit Regiæ auctoritatis & judicii.

Idipsum supponit Clemens III. in *Cap.* 10. ⁑ *De Judiciis* dicens, si Clericus ob commissum crimen depositus fuerit, & post depositionem incorrigibilis manens excommunicatus atq; tandem contumacia crescente anathematis mucrone percussus, „postmodum verò si in profundum malorum veniens contempserit, cum Ecclesia non habeat ultra, quid faciat, ne possit esse ultra perditio plurimorum, „per sæcularem comprimendus est potestatem, ita quod ei deputetur *exilium*, vel alia legitima pœna inferatur.

Nequaquam obscurum est, Pontificem in hac Decretali pœnam exilii non inter pœnas Ecclesiasticas, aut ab Ecclesia infligendas reputare; sed inter pœnas per *Sæcularem Potestatem* infligendas, postquam inflictæ fuêre omnes pœnæ Ecclesiasticæ; & *Ecclesia non habet ultra quid faciat*.

XXXV. Hinc deducunt Pragmatici, jus non esse judici Ecclesiastico, Clericum aut laicum in *exilium* mittere, sed id spectare ad potestatem Regiam. Et quidem Gulielmus Benedicti à JCap. RAYNUTIUS ⁑ *De Testamentis* Verbo *Et uxorem n.* 453. asserit, suo tempore in Gallia servatam opinionem, quod judex sæcularis *bannire* Clericos posset. Neq; id fas esse Ecclesiastico Judici non semel judicatum fuisse testatur Choppinus *lib.* 2. *De S. P. tit.* 3. *n.* 12. Et in Commentario ad leges municipales Andegavensium *lib.* 1. *c.* 39. *n.* 5. ait: "Pontificii verò Judices ideo *exilio* nequeunt „mulctare sontes, quod prorsus *territorio* careant, extra non „Diœcesi, intra quam, Diris devoto reo, piorum cœtu interdicunt. *Relegatio* enim fori est *profani*: ut execratio sacra, Ecclesiastici." Idipsum pluribus arrestis confirmatum dicit Fevretius *De Abusu lib.* 8. *c.* 4. *n.* 11. Vide etiam Peleum in Actionibus forens. *lib.* 8. *c.* 61. ubi asserit, licitum quidem esse Superiori Regulari mittere sub obedientia Religiosum sibi subditum de uno Monasterio ad aliud: sed per modum pœnæ & *relegationis*, eum dimittere & expellere nequaquam posse.

XXXVI. Notat quoq; Fevretius loco citato, fas esse Episcopo, Sacerdotes extraneos non Beneficiatos ob malam conversationem de sua Diœcesi dimittere ad proprias: eo quod juxta Canones Clerici teneantur singuli in suis propriis Diœcesibus deservire; nisi per Beneficium legitimè alteri Diœcesi sint incorporati: ideoque Episcopus similes è sua Diœcesi dimittens, non relegat aut in exilium mittit, sed ad propriam Diœcesim remittit.

XXXVII. Et in *Cap.* 3. ⁑ *De Crimine falsi* scribit Urbanus III. cuidā Episcopo ut Clericis falsariis "degradatis in signū „maleficii characterem aliquem imprimi faciat quo inter „alios cognoscantur; & *Provinciam* ipsam eos *abjurare* „compellens, abire permittat." Quanni & hodie hoc modo obligāre posset Judex Ecclesiasticus, ut è Provincia emigraret, tametsi absolutam pœnam relegationis seu exilii decernere non posset?

XXXVIII. Non dubium quin jam pridem usitatum fuerit ut Pœnitentibus imponerentur nonnumquam pœnitentiæ *corporis* afflictivæ; utq; Episcopi & Prælati suis respective Clericis & Monachis hujusmodi pœnitentias subinde imponerent: eosque etiam corporaliter castigarent.

XXXIX. De virgarum pœna ab Episcopis adhibita loquitur S. Augustinus *Epist.* 133. ad Marcellinum, eum exhortans, ut nolit perdere *paternam diligentiam*, quam in inquisitione Donatistarum servaverat: "Quando (ait) tantorum „scelerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus ungulis, non urentibus flammis, sed *virgarum* „*verberibus* eruisti. Qui modus coërcitionis à Magistris „Artium liberalium, & ab ipsis Parentibus adhibetur, ut & „sæpe in judiciis solet *ab Episcopis* adhiberi." Refertur apud Gratianum *caus.* 23 *q.* 5. *Can.* 1.

Hujus correctionis meminit quoq; S. Gregorius citatâ *Epistola* 66. ejusq; fragmentum refertur in *c.* 1. ⁑ *De Calumniat.* ubi Subdiaconum calumniatorem mandat publicè *verberibus castigatum* in exilium deportari.

XL. Verum ex citatis verbis S. Augustini manifestum est, hanc flagellationem seu castigationem fuisse adinstar *paternæ* cujusdam correctionis, quâ Parentes in filios & Magistri liberalium Artium in discipulos uti consueverunt. Hanc Abbates in Monachos ex Regulæ præscripto jam pridem exercuisse supra *part.* 1. *tit.* 31. *c.* 4. notavimus. Admodum ergo verisimile est, Episcopos & hoc correctionis genere in *juniores* suos Clericos *paterno* more primitus usos fuisse.

XLI. Duo autem in usu hujus pœnitentiæ Episcopis cavenda erant. Primum quidem, ut eâ moderatione uterentur ut se Pastores, *non percussores* ostenderent.

De Episcopis circa hoc excedentibus loquitur S. Gregorius *lib.* 2. *Epist.* 52. *ind.* 4. dicens: "Quid autem de Episcopis „qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, bene fraternitas vestra novit. Pastores enim facti sumus, non per„cussores. Egregius Prædicator dicit: Argue, obsecra, incre„pa in omni patientia & doctrina. Nova verò atq; inaudi„ta est ista prædicatio quæ verberibus exigit fidem." Extat apud Gratianum *Dist.* 45. *Can.* 1.

Haud obscurum est, S. Gregorium hîc indicare *Canonem* 38. vulgo Apostolorum relatum à Gratiano ibidem *Can.* 7. quo decernitur: "Episcopum, aut Presbyterum aut Diaco„num qui *verberat* eos qui peccant, vel infideles qui inju„riam fecerunt, & per hoc vult pertimefacere *deponi* jube„mus." Vide quoq; *Canon.* 8 ejusdem distinctionis desumptum ex Concilio III. Bracarensi.

XLII. Quin & in *Can.* 25. *Dist.* 86. legitur: "Non licet E„piscopo *manibus suis* aliquem *cædere*. Hoc enim alienum „à Sacerdote esse debet." Hinc post Glossam ad *Cap.* 24. ⁑ *De Sentent. Excomm.* notarunt Canonistæ, quod quidem liceat Abbati in *propria* persona *causâ regularis* disciplinæ, verberare Monachum; non autem id licere Episcopo.

XLIII. Adhæc in hujus pœnæ impositione eâ moderatione procedendum esse monet Alexander III. in *Cap.* 4. ⁑ *De Raptoribus*, quod *flagella in vindictam sanguinis minime transire videantur*.

XLIV. Cum autem publica flagellatio, qualis hodie criminosis per publicum justitiæ executorem fieri solet, ad vindictam *sanguinis* pertinere videatur, hæc pœna passim à foro Ecclesiastico recessit; testaturq; Ignatius Lopez in notis ad Praxim crim. Bernardi Dias *cap.* 133. eam in Curiis Ecclesiasticis Hispaniæ non consuevisse imponi; asseritque quoque Julius Clarus in *Practica crim. qu.* 70. *nu.* 2. eam nec in Ducatu Mediolanensi in persona alicujus Clerici servari.

Quin & teste Fevretio per Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1562. ad conclusionem Advocati Fiscalis, dictum fuit malè & abusivè judicasse Officialem condemnando aliquem ad fustigationem publicam; inhibitione factâ omnibus Officialibus & Judicibus Ecclesiasticis similes pœnas imponere.

XLV. "Si ita gravis fuerit excessus, quod mortem vel de„truncationem membrorum debeant sustinere, vindictam „reserves Regiæ potestati," scribit Alexandro III. Panor„mitano Archiepiscopo in *Cap.* 4. ⁑ *De Raptoribus*.

Igitur

Igitur si Clericus de excessu & crimine adeo gravi fuerit convictus, ut pœnam mortis aut truncationis membrorum mereatur non à Judice Ecclesiastico, sed Laico hujusmodi pœna infligenda erit, atque hic locum habebit quod ait Pontifex in *Cap.* 10. *De Judiciis*: " Quum Ecclesia non „ habeat ultra quod faciat, per *sæcularem* comprimendus „ est potestatem.

XLVI. Cæterum priusquam Judici sæculari tradendus sit, prius Sacerdotali & Clericali dignitate ab Ecclesia privandus, & quasi ad Laicalem conditionem reducendus est; id est juxta hodiernam phrasim degradandus; sive de gradu & ordine dejiciendus.

XLVII. Id tempore Justiniani receptum fuisse manifestum est ex ejus *Novella* 8. ubi declarans in Præfat. §. 2. de criminibus *Civilibus* Clericorum competentes judices cognoscere addit hanc cautionem: " Illud palam est, si reum esse „ pronuntiaverit eum qui convenitur, Præses Provinciæ, & „ *pœna* judicaverit dignum; prius hunc *spoliari* à Deo amabili „ Episcopo Sacerdotali dignitate, & ita sub legũ fieri manu.

Voluit ergo Justinianus, Clericum de crimine *civili* convictum & condemnatum, prius ab Episcopo Sacerdotali dignitate spoliandum antequam per Judicem sæcularem seu legalem pœnæ subjici possit, sive *sub legum fieri manu*.

XLVIII. Porro cum de depositione Episcoporum, Presbyterorum aliorumque Ministrorum Ecclesiæ agebatur, solebat causa jam pridem ad Synodum Episcoporum referri, ibique discuti & decidi, quemadmodum testatur Synodus Hispalensis II. *Can.* 6. extatque apud Gratianum *Caus.* 15. *q.* 7. *Can.* 7. ubi dicitur: " Episcopus Sacerdotibus ac Mini„ stris solus honorem dare potest, auferre solus non potest. „ Si enim hi, qui in sæculo à dominis suis honorem liberta„ tis adepti sunt, in servituris jugum non revocantur, nisi „ publicè apud Prætoris ac præsidis tribunal in foro fuerint „ accusati: quanto magis hi qui divinis Altaribus consecra„ ti, honore Ecclesiastico decorantur? Qui profectò nec ab „ uno damnari nec uno judicante poterunt honoris sui pri„ vilegiis exui: sed præsentati Synodali judicio, quod Ca„ non de illis præceperit, definiri.

Illud autem vel tunc præcipuè obtinebat juxta *Canonem* 5. Nicænum, si Presbyteri aliive Clerici de proprii Episcopi sententia quererentur; quam in Synodo Episcoporum totius Provinciæ examinari voluit citatus Canon, uti supra *tit.* 10. *Cap.* 1. notatum est.

XLIX. Sed quia difficulter similes Episcoporum Synodi habebantur, quoties Clericorum querelæ contra proprios Episcopos deferebantur, in Concilio Carthaginensi II. suggessit Felix Episcopus " secundum statuta veterum Conci„ liorum, ut si quis Episcopus (quod non optamus) in rea„ tum aliquem incurrerit, & fuerit nimia necessitas, non „ posse plurimos congregare, ne in crimine remaneat, à 12 „ Episcopis audiatur & Presbyter à 6. Episcopis cum pro„ prio suo Episcopo audiatur, & Diaconus à tribus." Apud Gratianum *caus.* 15. *q.* 7. *Can.* 4.

Canonem hunc loqui de secunda instantia sive casu appellationis credit Zonaras; ne alias repugnet Canoni IV. Antiocheno quo supponitur, Presbyterum, aut Diaconum à proprio Episcopo sine Synodo *deponi* posse. Extat apud Gratianum *caus.* 11. *q.* 3. *can.* 61.

L. Quidquid sit, hoc certum est, Episcopos omnes, sive in Synodo sive extra Synodum cum proprio Episcopo congregatos fuisse veros Judices causæ; adhibitosque non ad solemnitatem aut formam actus duntaxat; sed ad causæ examen & judicium ferendum.

LI. Ulterius indubitatum est, hic non tantum de actuali depositione, quæ hodie vulgo Degradatio dicitur; sed de quacunque depositione à sacro ministerio & dignitate Sacerdotali agi.

LII. Denique & illud sat manifestum apparet, quod dictum Canonem Carthaginensem & alios nonnullos idem decernentes, & à Gratiano eodem loco relatos Canonistæ intellexerint jam pridem de prima instantia: quasi is Episcoporum numerus absolutè & generaliter in depositione etiam Presbyterorum & Diaconorum necessarius esset.

LIII. Cùm autem successu temporis jurisdictio contentiosa per solum Episcopum vel ejus Officialem exerceri cœpit, etiam auctoritas depositionis Clericorum soli Episcopo ejusve Officiali attributa fuit. Ne tamen à Canonum dispositione planè recedi videretur, numerus Episcoporum dictis Canonibus Carthaginensibus expressus, sine ullo ad Synodum respectu restrictus fuit ad depositionem actualem & solemnem, quam *degradationem* dicimus, quemadmodum rescripsit Bonifacius VIII. in *cap.* 2. *De pœnis in* 6. dicens: „ quod verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus vel „ gradibus Ecclesiasticis est à proprio Episcopo sibi assisten„ te, in degradatione Clericorum in sacris Constitutorum „ Ordinibus, *certo Episcoporum numero definito canonibus*, „ facienda; quanquam proprii Episcopi sententia sive alio„ rum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eo„ rum, qui minores duntaxat Ordines receperunt.

Hic per Canones intelligi citatos Canones Carthaginenses; & consequenter in degradatione requiri numerum Episcoporum in dictis Canonibus expressum, post Glossam uno consensu tradidêre Canonistæ; & ita in degradatione Episcopi requiri assistentiam 12. Episcoporum, in Presbyteri sex, & Diaconi ac Subdiaconi trium Episcoporum; quod & praxis comprobavit, & in Pontificali Romano sub titulo De Degradatione expressum est.

LIV. Cùm autem sæpè ob Episcoporum raritatem, gravesque expensas tot Episcoporum conventus non sine difficultate, magnisque sumptibus in nonnullis regionibus haberi posset, præsertim in Germania, propter Episcoporum ibidem paucitatem; ideoque nec hæc degradationis solemnitas facile peragi posset: quo fieret ut enormia Clericorum crimina impunita manerent; quin & ansa majore cum audacia crimina perpetrandi dari videretur, apud Adrianum VI. conquesti fuêre Principes Germaniæ *art.* 21. inter 100. gravamina eidem Pontifici exhibita, ubi dicunt: " Et tandem ut „ in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc fove„ antur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus in„ terdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne malefacto„ res hos publicè criminali judicio reos agere possint, nisi „ prius degradatos: id quod tantis sumptibus, tantâque „ pompâ celebrari oportet, ut propterea perquam rarissi„ mum uncti illi malefactores meritâ plectantur pœnâ.

LV. Eandem querelam in ipso Concilio Tridentino renovârunt Episcopi Germaniæ, quibus moti Patres Tridentini declarârunt *Sess.* 13. *cap.* 4. *De Reformat.* quod Episcopus *per se* " ad actualem atque solemnem degradationem ab „ ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in qui„ bus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Cano„ nibus definito requiritur, etiam absque illis procedere li„ ceat; adhibitis tamen, & in hoc sibi adsistentibus totidem „ Abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico „ habentibus, si in civitate aut Diœcesi reperiri & commo„ dè interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica „ dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia „ commendabiles existant.

Cùm Synodus requirat, ut personæ in dignitate constitutæ ab Episcopo assumendæ, sint *juris scientia commendabiles*, videtur Synodus indicare hanc Prælatorum assistentiã non tantum ad solemnitatem & meram cæremoniam requiri; sed ut una Episcopo in discussione causæ assistant: quemadmodum citati Canones Carthaginenses exigebant Episcoporum conventum, ut ab omnibus causa accusatorum discuteretur, & judicaretur, uti supra notavimus.

LVI. Ut autem Clericus, quantum fieri potest, clericali charactere ac dignitate spolietur, & ad statum ac conditionem laicalem reducatur, judicatum fuit, non tantum verbaliter & per sententiam Judicis deponendum esse Clericum Judici sæculari tradendum, sed præmittendam esse realem exauctorizationem seu degradationem, ad exemplum " ex„ auctorizationis ejus qui militiæ deservit *armatæ*, cui *mi*„ *litaria* detrahuntur *insignia*, sicque à militia remotus ca„ stris ejicitur, privatus consortio & privilegio militari, " „ ut ait Bonifacius VIII. in citato *cap.* 2.

LVII. " Clericus igitur (pergit Bonifacius) degradandus

dus vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel aliud instrumentum seu " ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter mini„strare, ad Episcopi præsentiam adducatur , cui Episcopus „ publicè singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis a„li i, quæ illi juxta morem ordinandorum Clericorum, in „ sua ordinatione ab Episcopo fuerint tradita , seu collata „ singulariter auferat, ab illo vestimentū seu ornamentum, „ quod datum vel traditum fuerat ultimò inchoando, & „ descendendo gradatim degradationem continet usque „ ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ , „ tuncque radatur caput illius seu tondeatur , ne tonsuræ „ seu clericatus vestigium remaneat in eodem.

LVIII. Deinde formam subjicit dicens: " Poterit autem „ Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliqui„bus ad terrorem illis appositis , quæ in collatione ordi„num sunt prolata,dicendo Presbytero hæc vel similia ver„ba in remotione Planetæ : Auferimus tibi vestem Sacer„dotalem, & te honore Sacerdotali privamus: sicque in re„motione reliquorum insignium similibus verbis utens in „ ablatione ultimi, quod in collatione ordinum fuit pri„mum infra scripto, vel alio simili modo pronuntiet sive „ dicat : Auctoritate Dei omnipotentis Patris & Filii & Spi„ritûs Sancti ac nostra, tibi auferimus habitum Clericalem, „ & deponimus, degradamus, spoliamus, & exuimus te o„mni ordine, beneficio & privilegio Clericali.

LIX. Hæc degradationis forma extat & in hodierno Pontificali Romano, ubi & additur, quod facta juxta prædictam formam degradatione, " si fuerit talis casus, quo de„gradatus tradi debeat Curiæ sæculari, Pontifex, degrada„tor degradatum amplius non tangit, sed in hunc modum „ contra ipsum pronuntiat, dicens : ***Pronuntiamus, ut hunc „ exutum omni Ordine & privilegio Clericali, Curia secu„laris in suum forum recipiat degradatum.***

LX. Tandem ne ad sanguinis vindictam concurrere videatur, ex præscripto Pontificalis, " tum Pontifex degra„dator efficaciter, & ex corde omni instantiâ, pro miserri„mo illo derelicto intercedit apud judicem sæcularem , ut „ citra mortis periculum, vel mutilationis, contra degra„datum sententiam moderetur, dicens: ***Domine Judex, ro„gamus vos cum omni affectu, quo possumus, ut amore Dei, „ pietatis & misericordiæ intuitu, & nostrorum interventu „ precaminum, miserrimo huic nullum mortis vel mutila„tionis periculum inferatis.***

" Quo facto (ait Pontificale) Ministri Curiæ sæcularis „ degradatum sub sua custodia recipiunt & discedunt.

De præmissa intercessione Pontificis degradatoris pro degradato vide dicta ***parte 2. tit. 10. cap. 4.***

LXI. Ex ipsa Decretali nec non Pontificali Romano constat, solemnem hanc degradationem etiam usitatam fuisse respectu Clericorum primæ Tonsuræ & Minorum Ordinum ; quamvis hæc à solo Episcopo sine aliorum assistentia peragi potuerit.

LXII. Testatur quoque Guilielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS ;; *De Test.* verbo, Et UXOREM *n.* 440. suo tempore communem fuisse Canonistarum opinionem, etiam simplicium Clericorum degradationem esse necessariam sed in Gallia tamen non fuisse receptam dicens : " Attamen „ in præsenti Regno & Curia Franciæ , quoties Clericus „ *simpliciter Tonsuratus* de crimine detinetur à sæculari po„testate, si delictum sit tale pro quo puniendo Ecclesia non „ habet de jure quod faciat ; ut quia delictum est ita atrox , „ quod Ecclesia pœnam pro illo non habet condignam, his „ casibus per judicem sæcularem punitur absque alia decla„ratione seu ***degradatione*** per Ecclesiam finienda deperdi„tione privilegii, quo est ipso facto privatus, licet videre„tur, declarationem esse necessariam per *Cap.* CUM SE„CUNDUM *De Hæreticis in VI.* & *Cap.* SI JUDEX *De* „ ***Sentent. Excom. in VI.*** quæ jura hoc casu non servantur in „ Regno, nec servata fuerunt Ecclesia sciente & tolerante.

Quod de Regno Galliæ testatur Benedicti, hoc & hic in Belgio obtinet; ut nimirum degradatio simplicium Clericorū exoleverit; & ad Clericos *in sacris* constitutos restricta sit

LXIII. Hinc anno 1571. Edicto Caroli IX. Regis Galliæ declaratum fuit, quod Presbyteri & promoti ***ad sacros*** Ordines non sunt afficiendi ultimo supplicio pro commissis criminibus sine prævia ***degradatione***, nulla facta mentione ***simplicium*** Clericorum.

LXIV. Sed si recentioribus ac Modernis Galliæ Pragmaticis & Scriptoribus fides sit, nec hæc Caroli IX. Constitutio hodie in Gallia servatur; asserentibus, degradationem etiam Presbyterorum de enormi & privilegiato crimine non requiri, eamque in desuetudinem abiisse eo prætextu, quod Episcopi prætenderent, se non esse simplices Ministros degradationis; sed & judices criminum, seque de crimine cognoscere debere , priusquam ad degradationem procedant; uti latè deducit Loyseau in tractatu ***De Ordinibus cap.*** 9. & plures citat Carolus Fevretius De Abusu ***lib.*** 8. ***cap.*** 4. qui postquam dixit, duplicem de jure esse Clericorum depositionem, unam verbalem , aliam actualem adhibitis solemnibus cæremoniis in Pontificali præscriptis, subjicit ; at hoc impræsentiarum non observatur; crediturque, esse sufficienter degradatos per atrocitatem criminis quod commiserunt.

LXV. In Belgio tametsi rara admodum sit hæc cæremonialis & solemnis ac publica Sacerdotum aut aliorum ***in sacris*** constitutorum degradatio, nihilominus in desuetudinem non abiit, diciturque & hoc sæculo ab Archiepiscopo Mechliniensi Jacobo Boone adhuc facta : neque hactenus scimus, ullum ***in sacris*** constitutum pœna corporali per Judices laicos punitum sine prævia degradatione.

CAPUT II.

De Censuris in Generali.

1. *Veteres non tam strictè & præcisè de censuris locuti sunt sicut Recentiores.*
2. *Probari non potest, Veteribus tantum fuisse* tres *species censuræ.*
3. *Non tantum hodierna sed & antiqua loquendi phrasis in hac materia ad intelligentiam Canonum necessaria.*
4. *Juxta modernam disciplinam tantum computantur tres species censuræ.*
5. *Degradatio, depositio, similesque pœnæ Canonicæ hodie non dicuntur censuræ.*
6. *Hinc censuræ descriptio ita circumscribenda, ut prædicta excludantur quod difficile esse agnoscunt Scholastici.*
7. *Traditur definitio Censuræ hodie communis.*
8. *Non ex Canonibus, sed ex traditis communiter à Scholasticis confecta apparet,*
9. *Auctoritas ferendi censuras dependet ab auctoritate* Clavium.
10. *Hinc mulieribus competere nequit.*
11. *Obstat* Cap. 12. ;; De Majoritate & obedientia.
12. *Communis solutio Canonistarum.*
13. *Meritò dubitatur, num hæc solutio sensui & menti Decretalis conveniat.*
14. *Olim dependebat auctoritas ferendi Censuras à potestate* Clavium, *quæ etiam spectabat forum pœnitentiale.*
15. *Neque olim sejuncta fuit potestas Ordinis & jurisdictionis*
16. *Postquam invaluit distinctio jurisdictionis fori externi & interni, auctoritas ferendi Censuras illi attributa fuit.*
17. *Hinc invaluit, nemini fas esse ferre censuras, nisi habeat jurisdictionem in foro externo.*
18. *Auctoritas ferendi censuras refertur ad ea quæ sunt jurisdictionis, & non Ordinis competentia Episcopo confirmato nondum consecrato.*
19. *Hæc & Clericis primæ Tonsuræ competere possunt.*
20. *Unde & his potest esse auctoritas infligendi Censuras.*
21. *Potest hæc auctoritas acquiri præscriptione & consuetudine.*
22. *Non potest ferri nisi in subditos.*
23. *Regulares tamen quamvis exempti tenentur observare censuras ab Episcopis latas.*
24. *Plura de Censuris remissivè.*

1. SI Morino credimus *libro 6. De Sacram. Pœnit. capit. 25. num.* 12. " Arsilla strictè præcisèque & Secundùm forma„litates logicas de Censuris Ecclesiasti„cis loquendi & philosophandi per unde„cim & amplius sæcula Ecclesiasticis auctoribus cognita non „fuit. Ut enim (ait) præter eam Burchardum Wormatiensem „Episcopum, & Ivonem Carnotens. Canonistar. suo tempore Cory-

„ re Coryphæos, in quorum Collectionibus nihil ejusmo-„ di deprehenditur; Hugonem Victorinum his posteriorem „ tot scriptis celebrem in quibus tamen nihil ejusmodi agi-„ tat: Lombardus & Gratianus .... ille Theologorum, „ hic Canonistarum, qui annis post Ivonem quinquaginta, „ & sæculo duodecimo in decimum tertium jam inclinan-„ te per orbem Christianum celeberrimi fuerunt, nihil ta-„ men scripserunt ex quo conjici possit, hunc de Censuris „ præcisum & artificialem loquendi modum illis fuisse cog-„ nitum; imo de Gratiano facilè demonstrari posset, illi fu-„ isse prorsus incognitum, aut tunc velut paucis sic philoso-„ phantibus planè præteritum.

II. Pergit dein Morinus: “ Unde enim apud eos colligi-„ tur esse tres tantum Censuras? Depositionem & degrada-„ tionem eo nomine non esse censendas: Interdictum cen-„ suram esse, non autem cessationem à divinis. Irregularita-„ tem impedimentum esse Canonicum, non Censuram : „ Censuras ad forum externum pertinere , non ad inter-„ num sive Sacramentum Pœnitentiæ : Imo ubi apud eos „ ipsum Censuræ nomen sit acceptum, & à cæteris pœnis & „ impedimentis Ecclesiasticis distinctum?

III. Tametsi aliter Posteriorum Pontificum Decretales & has sequuti Recentiores Canonistæ & Theologi de censuris loquantur, quàm Veteres per undecim circiter sæcula loquuti sunt; nihilominus nisi ad Veterum de censuris loquelam attendatur, à Canonum & Antiquorū sensu & mente sæpius aberrabitur, quapropter hodiernā de censuris disciplinam & loquendi phrasim ita exponam, ut tamen nec veterē tanquam inutilem & planè abolitam silentio prætercam

IV. Cæterùm secundum modernam Canonistarum & Theologorum sententiam, non nisi *tres* sunt species censuræ Ecclesiasticæ expressæ in *Cap. 10. De V. S.* ubi quærenti, quid per *Censuram* intelligi debeat, dum in litteris Apostolicis inseritur, ut *per censuram* procedatur, respondit Innocentius III. “ quod per eam non solum *interdicti*, sed & *sus-„ pensionis & excommunicationis* sententia valet intelligi.

“ Nota (ait hic Glossa) quod nomine censuræ Ecclesia-„ sticæ, *interdicti, suspensionis & excommunicationis* sen-„ tentia intelligitur.

V. Glossam sequuti Canonistæ & Theologi Scholastici uno consensu asserunt præter has *tres* species, nullam esse Ecclesiasticam censuram: ac per consequens depositionem, degradationem, irregularitatem aliasque pœnas Ecclesiasticas aut impedimenta Canonica non esse species censuræ , nec nomine censuræ venire.

VI. Censura igitur definienda est, & ita circumscribenda, ut tres illas species comprehendat, & reliqua jam relata excludantur; quod difficile esse agnoscunt passim Canonistæ & Theologi Scholastici; ut propterea nec in Censuræ descriptione conveniant; uti videre est apud Suaresium De Censuris *Disp. 1. sect. 1.*

VII. Ipse autem rejectis nonnullorum descriptionibus, eam definit: “ Pœna spiritualis & medicinalis, privans usu „ aliquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam po-„ testatem ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi „ possit. “ Suaresium sequutus Vallensis *tit. De Sent. Excommunicat. §. 1. num. 2.* eandem definitionem allegat, & alii passim recentiores.

VIII. Si quis & hanc descriptionem criticè examinare vellet, dubito, num & eam non in multis defectuosam reperiret; equidem hoc sat certum est, hanc definitionem apud Antiquos haud reperiri, nec Veterum de Censuris phrasi & disciplinæ aptatam; sed potius accommodatam iis quæ post Glossas & Decretalium Interpretes Scholastici passim de Censuris tradiderunt, & in Scholis recepta erant, quemadmodum & ipse Suaresius fatetur dicens: “ Hæc descrip-„ tio desumpta est ex iis, quæ jura & Doctores communiter „ de censuris tradunt: ab his enim sumenda est definitio & „ essentia talium rerum moralium, quæ ex arbitrio homi-„ num pendent.

IX. Hoc omnium Canonistarum & Theologorum consensu receptum hodie est, potestatem ferendi censuras dependere à potestate *clavium*: ac per consequens, nulli posse competere auctoritatem ferendi censuras , nisi habenti usum *clavium*.

X. Hinc ulterius concludunt, fœminis quantumvis in dignitate constitutis, non esse jus ferendi censuras: quia potestatis *Clavium* incapaces sunt, uti docent Doctores ad *cap. 10. ☞ De Pœnitent. & Remiss.* ubi inter alia rescribit Innocentius III. “ Licet beatissima Virgo Maria dignior & ex-„ cellentior fuerit Apostolis universis, non tamen illi, sed „ istis Dominus *Claves* Regni Cœlorum commisit.

XI. Dicitur in *Cap. 12. ☞ De Majorit. & Obedient.* quod quædam “ Abbatissa plerumque Canonicas suas, & „ Clericos suæ jurisdictioni subjectos propter inobedienti-„ as & culpas eorum *officio Beneficioque suspendat*; “ mandatque ibidem Pontifex Abbati S. Michaelis Abradensis Diœcesis, “ quatenus dictas Canonicas & Clericos, ut Ab-„ batissæ præfatæ obedientiam & reverentiam debitam „ impendentes, ejus salubria monita & mandata observent, „ Ecclesiasticâ censurâ compellat.

Hic apparet, Pontificem agnoscere auctoritatem in Abbatissa *suspendendi* Clericos *ab officio & beneficio*: quandoquidem ad observantiam *suspensionis* cogendos dicat Clericos & Canonicas, qui ideo obedire renuebant, *quod eadem Abbatissa excommunicare eos non posset*, uti in ipsa Decretali asseritur. Itaque videtur, Pontificem, vel suspensionem illam non habuisse pro *Censura*; vel putasse, dictæ Abbatissæ posse competere auctoritatem ferendi *censuras*.

XII. Verùm ut hanc difficultatem evadant moderni Decretalium Glossatores & Doctores Scholastici, & Decretalem hanc cum communi de Censuris opinione concilient , dicunt, illam suspensionem non censuram, sed *prohibitionem* quandam, vel privationem, quæ, latè loquendo *suspensio* vocari potest; uti loquitur Suaresius *De Censuris Disputat. 2. sect. 3. num. 6.* interque: “ Tantum ergo illud e-„ rat quoddam mandatum, quod per mulierem interdum „ fieri potest. Unde (quod notandum est) Pontifex ibi non „ respondet (pergit Suaresius) servari debere *censuram* ab „ Abbatissa latam, sed præceptum & mandatum ejus: & „ cuidam Abbati injungit, ut, si subditi illius Abbatissæ o-„ bedire noluerint, eos per censuras obedire compellat: „ indicans suspensionem Abbatissæ, non fuisse censuram , „ sed simplicem prohibitionem, seu mandatum.

XIII. An hæc explanatio verbis & menti Decretalis satis quadret, nescio: illud sat constat, suspensionem antiquitus non æquè ac hodie censuris à potestate clavium dependentibus fuisse annumeratam: neque ea inter suspensionem ut est censura, & quatenus est *præceptum* aut *mandatum* distinctionem sive subtilitatem notam fuisse.

XIV. Adhæc licet auctoritas ferendi censuras semper dependerit à potestate *Clavium*; nequaquam erat sejuncta à potestate *Clavium* quæ spectat forum *pœnitentiale* internum. Nam uti capite præcedenti, & *tit. 4. cap. 1.* notatum fuit, forum internum sive Pœnitentiale multis sæculis à foro externo sive contentioso separatum non erat; ideoque illis sæculis auctoritas ferendi censuras, spectabat quidem ad *Clavium* potestatem, sed quæ sejuncta non erat ab ea, quæ per Claves exercetur in foro *Pœnitentiali*.

XV. Ignota etiam & tunc erat distinctio inter Jurisdictionem fori interni seu Pœnitentialis & Jurisdictionem contentiosam sive fori externi: sicut & illa, quæ hodie usitatissima est distinctio potestatis *ordinis*, quæ magis forum *internum*, & potestatis *jurisdictionis*, quæ magis ad forum *externum* & contentiosum refertur, planè erat incognita.

XVI. Postquam autem distinctio fori *interni*, & fori *externi*, una cum distinctione potestatis *Ordinis & jurisdictionis* invaluit, auctoritas ferendi censuras ad forum externum, & potestatem *jurisdictionis* referri cœpit; & à potestate quæ per Claves exercetur in foro *Pœnitentiali*, & spectat ad potestatem Ordinis, totaliter separari.

XVII. Hinc communi Doctorum calculo hodie probatum est, neminem posse ferre censuram virtute Clavium , nisi qui *Jurisdictionem* habeat in foro *externo*: nec sufficiat, quod habeat usum *Clavium* in foro *Pœnitentiali* absolvendi & retinendi peccata.

XVIII. Ulterius cùm potestas censuras ferendi spectet ad ea quæ *jurisdictionis*, & non quæ *Ordinis* sunt, consectarium est, eam & competere Episcopo confirmato, & non ordinato: quia huic competunt omnia quæ jurisdictionis sunt, uti ostendimus *parte 1. tit. 14. cap. 5.* Unde notat Suaresius loco citato *Sect. 2. num. 6.* quod Episcopus Ordinatus destitutus proprio Episcopatu, puta *titularis*, non possit ferre censuras: "quia (ait) hæc potestas non comitatur „ necessariò potestatem Ordinis, seu consecrationis Episco„ palis, sed comitatur Pastorale munus, cum ad potestatem „ *jurisdictionis* spectet.

XIX. Præterea quæ jurisdictionis contentiosæ sunt, & referuntur ad potestatem Clavium, prout hæc in foro externo exercetur, etiam Clericis primæ Tonsuræ competere posse crediderunt Canonistæ; atque ita communi praxi comprobatum est.

XX. Hinc & concludunt à simili Clerico primæ Tonsuræ ferri posse Censuras vi jurisdictionis sibi competentis; uti monet Suaresius ibidem *Sect. 3. num. 11.* "Ratio est (ait) „ quia hæc jurisdictio per se & natura sua non supponit „ characterem, cum ad forum contentiosum pertineat.

XXI. Addunt, & hanc potestatem, quemadmodum reliqua quæ jurisdictionis sunt, posse acquiri consuetudine & præscriptione: creduntque communiter Canonistæ, Plebanum, de quo in *Cap. 3.* ꝟ *De Officio Ordinarii*, ex speciali consuetudine aut præscriptione potestatem ferendi censuras habuisse.

XXII. Denique cum jurisdictio alicujus non se extendat ultra ejus territorium ejusque subditos, neque ipsa censura ab hac jurisdictione emanans potest se ultra subditos extendere: ideoque censura lata in non subditum nulla & irrita est defectu jurisdictionis.

XXIII. Sed ne prætextu exemptionis à jurisdictione Episcoporum Censuræ Episcopales à Regularibus contemnerentur; atque ita earum vilesceret auctoritas, statuit Synodus Trid *sess. 26. cap. 12. De Regularibus.* "Censuræ & „ interdicta nedum à Sede Apostolica emanata, sed etiam „ ab Ordinariis promulgata, mandante Episcopo, à Regu„ laribus in eorum Ecclesiis publicentur atque serventur.

XXIV. De Censuris à jure & ab homine latis; item *latæ* & *ferendæ* sententiæ; de forma & conditionibus in probatione censurarum observandis; quæ causa requiratur, quis item earum effectus; & quomodo solvi queant, notabitur in singularum Censurarum, præsertim excommunicationis expositione.

CAPUT III.

De Variis Excommunicationis Speciebus.

1 *Nonnulla excommunicationis species Veteribus usitatæ, Recentioribus incognitæ & econtra.*
2. *Tam illarum quàm harum notitia necessaria.*
3. *Species excommunicationis olim usitata rationem* pœnæ *potius quam* censuræ *habens.*
4. *Hujus excommunicationis exemplum in Episcopo sine causa absente à Synodo Provinciali.*
5. *Qua ratione hæc pœna dici queat excommunicatio?*
6. *Non tamen excommunicatio quæ sit censura.*
7 *Species excommunicationis, qua Ecclesiæ se mutuo excommunicant & à mutua communione recedunt.*
8. *Communio mutua Ecclesiarum noscebatur ex litterarum* Formatarum *commercio.*
9. *Hæ litteræ certa* forma *conceptæ erant symbola mutuæ communionis.*
10. *Probatur auctoritate S. Augustini & Synodi Antiochenæ.*
11. *Admissio Fidelium ad mutuas Ecclesias in Divinis erat evidens communionis argumentum.*
12. *Recedebant à mutua communione prædicta communionis argumenta sibi mutuo negando.*
13. *Hæc Ecclesiarum mutua separatio non erat propriè censura: nec fiebat auctoritate* Clavium.
14. *Probatur exemplo S. Epiphanii subtrahentis se à communione Joannis Hierosolymitani.*
15. *Hac ratione quisque privatus se à communione alterius subtrahere potest.*
16. *Sic & olim Plebs à sui Pastoris aut Episcopi communione se subtrahebat.*
17. *Ob abusum id vetitum per Synodum Œcumenicam.*
18. *Hæ separationes licet non essent propriè species* censuræ; *tamen à Veteribus* excommunicationes *dicebantur.*
19. *Excommunicatio vulgo* minor *qualis sit?*
20. *Non videtur Veteribus ante sæculum 13. nota fuisse.*
21. *Hodie passim obsoleta est.*
22. *Antiquitus quatuor gradus pœnitentiæ totidem excommunicationes* minores *dictæ fuère.*
23. *Id & nonnulli Scholastici notarunt.*
24. *Nisi hoc observetur sæpius à sensu Canonum aberrabitur.*
25. *Excommunicatio qua Pœnitentes segregabantur comparata ad propriè dictam excommunicationem meritò dicta* minor.
26. *Assignatur distinctio utriusque.*
27. *Una dicta* medicinalis, *& altera* mortalis *ab Augustino.*
28. *Medicinalis excommunicationis vix meminêre Recentiores, & hodie excommunicatio sumitur pro* majore.
29. *Hodie vix alia sub nomine excommunicationis nota est.*

I. VAriæ sunt excommunicationis species, quarum quædam primitus multum usitatæ ac notæ fuerunt; hodie verò parum incognitæ & minus adhuc usitatæ. Aliæ verò olim omninò aut penè ignotæ, posterioribus verò sæculis frequentissimæ & notissimæ.

II. Ne autem ob ignorantiam earum quæ Veteribus *excommunicationes* dicebantur, à Canonum & Patrum sensu aberremus, non tantùm species excommunicationis hodie pervulgatas; sed Patrum ætate frequentatas proponemus, & naturam earum paucis explanabimus; ut dum in Sacris Canonibus, aut Patrum monumentis de excommunicatione agitur, non arbitremur eam semper accipiendam esse juxta phrasim & acceptionem excommunicationis apud modernos Canonistas & Theologos Scholasticos usitatam; atque hinc in gravissimos errores incidi nonnunquam contingat.

III. Prima itaque species excommunicationis Antiquis usitatissima, est illa quæ non propriè rationem *censuræ*, sed *pœnæ* cujusdam duntaxat habet.

IV. Excommunicationis hujus exemplum occurrit in Episcopo sine justa causa non accedente ad Synodum Provincialem. Hunc enim Synodus Carthaginensis V. *Can. 10.* jubet *Ecclesiæ suæ communione esse contentum.* Et Synodus Arelatensis *Can. 19. alienum* facit à Fratrum communione. Denique Synodus Tarraconensis *Can. 6.* " usque ad futu„ rum Concilium cunctorum Episcoporum charitatis communione privat; sicut *Statuta Patrum* (ait) sanxerunt.

V. Quin hæc communionis privatio dici queat quædam *excommunicatio*, dubitari nequit. Cùm enim hic Episcopus jubeatur esse contentus communione suæ Ecclesiæ, ac insuper privetur *aliarum Ecclesiarum & Coepiscoporum communione*, censetur respectu illarum Ecclesiarum esse *excommunicatus*. Et quidem hæc excommunicatio quatuor capita complectebatur quæ videri possunt apud virum eruditum Paschasium Quesnellium in notis ad *Epist. 60* S. Leonis & apud Morinum ibidem citatum.

VI. Verùm quia hujusmodi privatio communionis permittit Episcopo & excommunicato liberam suæ Ecclesiæ & plebis communionem; nec non passivam & activam Sacramentorum administrationem, hæc excommunicatio propriè dici non potest excommunicatio, quæ vulgò dicitur *censura* Ecclesiastica; sed *pœna* quædam *Canonica*, quemadmodum in terminis notat Stephanus Quaranta in *Summa Bullaris* verbo *Concilio Provinciali quæstione 18.* "& „ ideò (ait) trina monitio in ea non requiritur, secus in ex„ communicatione quæ est censura Ecclesiastica. " Unà ibidem monens, ad inferendam *pœnam suspensionis* non requiri monitionem quando profertur *ut pœna*; quando autem profertur *ut censura* trinam monitionem debere præcedere.

VII. Alia species excommunicationis, quæ propriè *censura* Ecclesiastica dici non potest; neque à potestate aut usu *Clavium* dependet, est illa, qua Episcopi aut Ecclesiæ à mutua se communione separant, atque ita una alteram quasi excommunicat. Ut hoc excommunicationis genus faciliùs intelligatur, observandum, totius orbis Ecclesias particulares communione inter se junctas esse, atque ex his omnibus veluti unam universalem Ecclesiam convalescere.

VIII. Porrò

VIII. Porrò hæc communio ex duobus potissimum innotescebat. Primò ex litteris *communionis*, quas Episcopi & Ecclesiæ sibi mutuò mittebant. Ita Optatus Milevitanus ut se suosque cum totius orbis Ecclesiis communione junctos esse demonstraret, dicit se cum Syricio Episcopo Romano communicare, *cum quo* (inquit) *totus orbis commercio* FORMATARUM *in una communionis societate concordat*.

IX. Quod Optatus litteras vocet *formatas*, significat, illas certâ formulâ conceptas fuisse, quas tanquam fidei suæ tesseras & consensionis suæ symbola, Episcopi sibi mutuo, sed præcipuè ad Romanum Pontificem mittebant.

X. Sic *formatas* appellari testis est S. Augustinus *epist.* 44. Disputans enim cum Fortunio Episcopo Donatistâ asserere conante, *ubique terrarum* esse cum ipsis communionem. "Quærebam (ait Augustinus) utrum epistolas *com„municatorias*, quas *formatas* dicimus, posset, quo vellem, „dare, & affirmabam quod manifestum erat omnibus, hoc „modo illam terminari posse quæstionem.

Manifestum ergo erat, tempore S. Augustini communionem unius Ecclesiæ cum aliis probari per litteras communicatorias sive *formatas*, quas sibi mutuo in signum consensionis & communionis mittebant. Apud Eusebium quoque *lib. 7. Hist. Eccles. cap.* 30. refertur Epistola Synodi Antiochenæ ad Dionysium Romanæ Urbis Episcopum, & ad Maximum Alexandrinum, quam ad omnes deinde Provincias transmiserunt, qua significant depositionem Pauli Episcopi Samosateni, & Domini in ejus locum ordinationem. "Quod quidem (ajunt) idcirco vobis significavimus „ut & ad eum *scribatis*, & ab eo *communicatorias* litteras „accipiatis.

XI. Altera communionis tessera erat, Fidelium ultro citroque ex una ad aliam ecclesiam commeantium in communionem receptio, modo Episcopi sui litteras commendatitias adferrent; de quibus litteris loquitur *Canon.* 33. Apostolorum Laodicenus *Canon.* 41. Antiochenus *Canon.* 7. perperam à Gratiano *Dist.* 73. *Can.* 9. ad Clericos restrictus, uti in notis ad hunc Canonem annotavimus.

Nullum sanè unionis & communionis mutuæ inter ecclesias potest esse argumentum evidentius, quàm Fidelium mutua ad communionem & societatem in Divinis & sacris receptio.

XII. His præmissis non difficile erit intelligere, quomodo Ecclesiæ sese mutuo excommunicarent, seu à se mutuo dividerentur. Dum enim Ecclesia aut Episcopus in alterius Ecclesiæ aut Episcopi doctrina vel disciplina perversum quid arbitrabatur, negabat, aut etiam rejiciebat litteras communionis; aut repellebat à communione fideles illius Ecclesiæ, tametsi litteris *commendatitiis* ab Episcopo suo instructi venirent.

XIII. Verum hæc Ecclesiarum mutua excommunicatio non erat propriè censura Ecclesiastica, quâ una Ecclesia aliam potestate *clavium* ligaret; sed nuda communionis substractio seu denegatio, quam una Ecclesia alteri sibi nullatenus subjectæ facere poterat.

XIV. Ita Epiphanius non nisi Episcopus aut ad summum Archiepiscopus, propriè & auctoritate Clavium excommunicare non potuit Joannem Episcopum Hierosolytanum ipsi nullo titulo subditum, & tamen ad eum ita scribit *epist.* 60. inter Hieronymianas: "Fecistis nos etiam pœ„nitentiam agere, quare *vobis communicaremus*, ita Ori„ginis errores & dogmata defendentibus. Simpliciter lo„quor, nos secundum quod scriptum est, nec oculo nostro „parcimus, ut non effodiamus eum, si nos scandalizaverit: „nec manui, nec pedi, si nobis scandalum fecerit: & vos „ergo, sive oculi nostri, sive manus, sive pedes fueritis, si„milia sustinebitis.

Ex his manifestum est, Epiphanium substractionem communionis non in potestatem *Clavium*, sed in generale præceptum de vitanda spiritualis damni occasione refundere.

XV. Porro non tantum una Ecclesia alteri ecclesiæ communionem ob simile periculum perversionis aut scandali occasionem negare potest, aut subinde debet; sed & privatus quisque ob idem periculum sibi imminens, alteri communionem meritò negat, juxta illud Apostoli 2. *ad Thessal.* 3. *Denuntiamus autem vobis fratres, in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.*

Hic nequaquam *propriè* ab Apostolo excommunicari jubentur Fratres inordinatè ambulantes, sed datur opportunum documentum bonis Fidelibus, ut quando ipsi cognoverint etiam *privatim* aliquem *inordinatè* ambulantem, ab ejus se subtrahant communione seu potius conversatione; tum ne ipsius consuetudine corrumpantur; tum etiam ad medelam & confusionem delinquentis; subdit enim: *Hunc notate & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

XVI. Eodem documento non tantum Frater à Fratre sibi jam pridem cavit ad monitum Apostoli; sed interdum plebs à suo Pastore. "Sic cum primum Nestorius in publi„ca Synaxi hæresim suam prompsisset his verbis: *Si quis „Mariam Deiparam esse dixerit, anathema sit*, clamor qui„dam oritur, & excursus fit ab *omni plebe*. Neque enim „illi amplius cùm talia sentiret, *communicare* volebant, ita „ut populus Constantinopolitanus à *synaxi abstineret*" ita scribit S. Cyrillus *epist.* 18. ad Cælestinum Papam.

XVII. Plurima hujusmodi exempla in antiquitate occurrunt; adeo ut octava Synodus Oecumenica animadvertens, sæpe sine causâ contigisse, ut plebs sui Episcopi tanquam de hæresi suspecti, aut scelere aliquo inquinati, & Episcopi suorum Metropolitanorum, & Metropolitani sui Patriarchæ communionem facile vetarent, & abrumperent, coacta sit edere *Canonem* 10. "Clericus ante diligentem ex„aminationem & *Synodicam* sententiam à communione „proprii Patriarchæ non se separet, licet criminale quamli„bet causâ ejus se nosse prætendat: nec recuset nomen ipsius „referre inter Divina Mysteria. Idem statuimus de Episco„pis erga proprios Metropolitas; similiter & de Metropo„litis circa Patriarcham suum. Qui verò contra fecerit, ab „omni Sacerdotali operatione & honore decidat.

XVIII. Hæ ergo similesve à communione separationes nequaquam erant species censuræ ecclesiasticæ, prout hæc à potestate *Clavium* procedit, & non nisi in subditos vibrari potest; neque propriè dicta excommunicatio, quæ non tantum *aliquorum* communione privat; sed rescindit à totius Ecclesiæ communione excommunicatum tanquam Ethnicum & Publicanum, uti infra ostendetur: tamen à Veteribus excommunicationes dicebantur: agnoscebantque in citatis verbis Apostoli ad Tessalonicenses *excommunicationem*, uti notat Estius ad Textum Apostoli.

XIX. Est & quædam species excommunicationis apud Scholasticos & Canonistas recentiores notissima, licet hodie vix usitata, & veteribus planè incognita, quæ sola tamen hodie dicitur *excommunicatio minor*.

Hæc ex communi Theologorum & Canonistarum sententia incurritur propter communicationem cum innodato *majore* excommunicatione *extra crimen*, propter quod excommunicari meruit; privatque solummodo passivâ Sacramentorum perceptione; quemadmodum dicitur in *Cap. fin.* ꝟ *De Clerico excommunicato minist.* & *Cap. penult.* ꝟ *De Sent. excom.*

XX. Utriusque hujus Decretalis Auctor inscribitur Gregor. IX. nec scio, num antiquiora aut alia occurrant in Jure nostro Decreta hujus excommunicationis mentionem facientia; quod & Glossa non obscurè innuit, dum ad citatum *cap. fin.* notat, quod "hæc Decretalis quoad suam materiam „sit celebrior & famosior quâlibet aliâ. Nam infinita jura „sunt loquentia de excommunicatione *majore*, quæ infer„tur ab homine; sed de *minore* quæ infertur à jure sunt jura „*paucissima*, & apertè non providentia sicut hoc Capitulū.

Fatetur & Christianus Lupus *tom.* 1. *Scholiorum in Canones pag.* 491. "Antiquitus nulla erat excommunicatio „*minor*, sed quivis excommunicato communicans incurre„bat idem penitus excommunicationis vinculum, quomo„do nunc communicans in crimine." De hoc effectu excommunicationis dicemus infra.

XXI. Hanc speciem excommunicationis circa sæculum 13. for-

13. forsan inductam à multis annis propè obsoletam esse notavit Morinus *De Administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 6. cap. 25. num. 13.*

XXII. Monet nihilominus ibidem Morinus *minoris* excommunicationis species quatuor, sive gradus apud Antiquos fuisse frequentissimos.

Prima quidem à sola Eucharistiæ participatione excommunicabat sive interdicebat.

Secunda priore gravior, ab Eucharistia & precibus Eucharisticis sive Fidelium arcebat.

Tertia addebat expulsionem sive excommunicationem à precibus super Catechumenos & Pœnitentes substratos factis.

Quarta denique ab omni Ecclesiæ ingressu eos excommunicabat.

Has quatuor excommunicationis species, seu pœnitentiæ gradus latiùs explicuimus *parte 2. tit. 6. cap. 3.*

XXIII. Quamvis hæ à communione separationes *hodie* nomine *excommunicationis* non veniant; certum tamen est olim etiam appellatas esse *excommunicationes*: fateturque Suaresius *De Censuris Disput. 24. sect. 1. nu. 6.* "interdum „vocari *excommunicationem* in *antiquis* Canonibus solam „privationem Eucharistiæ, cujus usus per antonomasiam „dicitur *communio*: quomodo accipi videtur (ait Suaresius) illa vox in *Can.* NEMO *caus. 11. q. 3.* & in *Can.* DE PRESBYTERORUM *caus. 17. q. 4.*

Monet quoque ex Victoria, prædictos quatuor pœnitentiæ gradus, sive à communione separationes olim potuisse vocari *minores* excommunicationes: additque: " Sic etiam „in Regula S. Benedicti multa leguntur de excommunica„tionibus Regularibus (ut ita dicam) quæ in pœnam Mo„nachis imponebantur, quæ censuræ non erant, sed prohi„bitiones & separationes quædam." De his egimus *part. 1. tit. 31. cap. 3.*

XXIV. Hinc patet, quam procul sæpius à sensu & mente Canonum aberrare contingat eos, qui nullâ habitâ phrasis, quâ Veteres vocem *excommunicationis* sumebant, consideratione, credunt, omnibus locis quibus vox *excommunicationis* occurrit, eam juxta modernam vocis hujus significationem esse accipiendam.

XXV. Equidem illud certum est, quatuor prædictas excommunicationis species, etiam earum quartam omnium gravissimam, quâ Pœnitentes non tantùm ab Eucharistica communione, sed à publicis Fidelium conventibus & communione arcebantur non fuisse nisi *minorem* excommunicationem, factâ comparatione ad excommunicationẽ, quæ hodie *major* dicitur, & olim *anathema* vocari solebat.

XXVI. Per priorem enim Pœnitentes nequaquam *à corpore Ecclesiæ* rescindebantur; sed in corpore Ecclesiæ remanentes, etiam Fidelium & Ecclesiæ precibus & suffragiis juvabantur. Quin & pro ipsis, tanquam pro filiis & membris suis, Ecclesia plurimùm sollicita erat; volebatque, ut Episcopi & Sacerdotes eorum curam sollicitam agerent, quemadmodum ostendimus *parte 2. tit. 6 cap. 3.* Hos à communione & societate Fidelium duntaxat pro tempore aliquo, ad vulnerum medelam, scandali dati reparationem, & populi ædificationem removebat. Utque ostenderet non omninò tanquam membra putrida & mortua à Corpore suo esse abscissos, si tempore pœnitentiæ nondum exacto, nec reconciliatione obtentâ, eos mori contigisset, *oblationes* ipsorum in signum communionis recipiebantur. Vide Gabrielem Albaspinæum Episcopum Aurelianensem *lib. 2. Observat. cap. 4.*

Excommunicati verò excommunicatione quæ hodie dicitur *major*, à corpore Ecclesiæ tanquam *Ethnici & Publicani* rescindebantur; & ut tales quodammodò reputabantur: unde nec eorum in publicis precibus aut suffragiis ratio habebatur saltem tanquam membrorum Ecclesiæ; & si in ea excommunicatione è vivis decessissent, oblationes ipsorum rejiciebantur, in signum quòd Ecclesia nullam cum ipsis communionem fovisset; nec post mortem tanquam sui Corporis membra eos agnoscere vellet.

XXVII. Hinc prior excommunicatio, quâ Pœnitentes à communione removebantur, dicebatur excommunicatio *medicinalis*; hæc verò quâ rebelles & scelerati ac obdurati absolutè à Corpore Ecclesiæ rescindebantur, vocabitur excommunicatio *mortalis*.

Utriusque hujus excommunicationis sæpius meminit sub nomine *medicinalis & mortalis* S. Augustinus, ac signanter *libro 50. Homiliarum Homiliâ ultimâ* hæc habet: „Nos verò quemquam à communione cohibere non possu„mus, quamvis hæc prohibitio nondum *mortalis* sit, sed „*medicinalis*, sed nisi aut sponte confessum aut in aliquo si„ve Sæculari, sive Ecclesiastico judicio nominatum atque „convictum." Et in lib. post collationem contra Donatistas ait: " Neque à populo Dei separamus, quos vel degra„dando, vel excommunicando, ad humiliorem pœnitentiæ „locum redigimus." Quibus verbis Augustinus apertè distinguit excommunicationem medicinalem, quâ homo ad humiliorem pœnitentiæ locum redigitur, ab excommunicatione mortali, quæ hominem à populo Dei separat.

XXVIII. Hujus excommunicationis *pœnitentialis* seu *medicinalis*, uti & aliarum: quæ licet propriè non sint *censura*, tamen olim excommunicationes frequenter dicebantur, vix meminêre Juris Canonici Glossographi aut Theologi Scholastici; atque hinc sensim contigit, Canones de *excommunicatione* loquentes, passim & indifferenter intellectos fuisse de excommunicatione majore & *mortali*; ut tandem invaluerit, quòd *excommunicatio simpliciter* posita intelligenda sit de excommunicatione *majore* sive *mortali*, quemadmodum etiam respondisse videtur Gregorius IX. in *Cap. penult.* ꝟ. *De Sent. excommuni.* dicens: " Si quem „sub hac forma verborum, *illum excommunico*, vel simili „à judice suo excommunicari contingat: dicendum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacramento„rum, sed etiam *majori* excommunicatione (quæ à com„munione Fidelium separat) esse ligatum.

XXIX. Itaque cum spectatâ modernâ disciplinâ, & loquendi formâ, sola *excommunicatio major* seu *mortalis*, nomine excommunicationis intelligatur; nec alia penè nota sit, etiam de hac duntaxat hoc titulo tractabimus; & quæ circa eam & pristina fuerit & hodierna sit disciplina Ecclesiæ examinabimus: hoc unum tamen præmonentes, ne antiquiores Canones de *excommunicatione* loquentes, indifferenter de excommunicatione *majore* accipiantur: ne aliàs à Canonum sensu aberretur.

CAPUT IV.
De Effectu Excommunicationis.

1. *Excommunicatio major abscindit excommunicatum à corpore Ecclesiæ.*
2. *Hanc abscissionem admodum gravem crediderunt Patres.*
3. *Excommunicatus habetur ut Ethnicus & Publicanus.*
4. *Unde privatur omni eo quod* tanquam *Ecclesiæ* membro *competere posset.*
5. *Quare excluditur à Divinis Officiis.*
6. *Olim & moris fuit nomen ejus è dypticbis Ecclesiæ eradi.*
7. *Pro excommunicato tanquam Ecclesiæ* membro publicè *orandum non est.*
8. *Potest tamen sicuti pro Ethnico & Publicano.*
9. *Excommunicati ab omnibus Officiis Ecclesiasticis excluduntur.*
10. *Excommunicatus ex verbis Christi tantum excluditur ab iis quæ Fidelibus competunt* ut membris *Ecclesiæ.*
11. *Exclusio eorum à communione in* civilibus *est tantum juris positivi Ecclesiastici.*
12. *Omnis illa communio ex præcepto Christi neganda est Excommunicato, quâ ut* membrum *Ecclesiæ agnosceretur.*
13. *Hodie non omnis excommunicatus est vitandus juxta extravagantem Martini V.*
14. *Tenor hujus extravagantis sub nomine Concilii Constantiensis.*
15. *Hæc extravagans tametsi non extet in actis istius Concilii tamen usu Ecclesiæ recepta.*
16. *Excommunicatus juxta hanc Extravagantem non est vitandus nisi sententia fuerit publicata vel denuntiata.*
17. *Nec sufficit sententiam in aliquem* specialiter *esse prolatam.*
18. *Non obstante hac Extravagante Excommunicatus interdum esset rejiciendus, tanquam* publicus *peccator à Sacramentorum susceptione.*

19. A

19. *A regula in extravagante posita excipitur Notorius Clerici percussor.*
20. *Multa intervenire possunt ut nec hic vitiandus sit.*
21. *Circa vitationem Excommunicatorum multum attendenda praxis Ecclesiæ.*

I. PEr excommunicationem majorem, quæ olim *mortalis* & vulgo *anathema* dicebatur, Excommunicatum à Corpore Christi, quod est Ecclesia separari & abjici, & tanquam *Ethnicum* & *Publicanum* è Fidelium Albo expungi, manifestè significant verba Christi quibus hanc potestatem Ecclesiæ expressit, & Apostolus credidit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut* ETHNICUS & PUBLICANUS: quasi diceretur, ita abscindatur à corpore Ecclesiæ tanquam si esset *Ethnicus & Publicanus.*

II. Ad hanc à Corpore Ecclesiæ rescissionem reflexère Patres, ut hujus excommunicationis gravitatem Fidelibus persuaderent.

Sanctus Augustinus *tract. 27. in Joannem* ait: " Nihil enim sic debet formidare Christianus, quàm *separari à Corpore Christi.* Si enim separatur *à Corpore Christi*, non est membrum, non vegetatur spiritu ejus: *Quisquis autem*: inquit Apostolus, *non habet spiritum Christi non est ejus.* " Extat apud Gratianum *Caus. 11. q. 3. Can. 33.*

III. Primarius itaque excommunicationis effectus est, separatio Excommunicati à corpore Ecclesiæ; ita ut non amplius ut membrum istius corporis; sed tanquam Ethnicus & Publicanus reputandus & tractandus sit.

IV. Hinc ulterius consequitur, vi hujus excommunicationis excludi & privari Excommunicatum omni jure quod ei competebat tanquam membro corporis Ecclesiæ: omnibusque quæ Fidelibus ut *membris* Ecclesiæ competunt.

V. Hac de causa excommunicati ad publicas preces, divinaque Officia solis Fidelibus & Ecclesiæ Filiis patentia admittendi non sunt. Unde *Canone 10.* vulgò Apostolorum decernitur: " Si quis cum excommunicato, vel in domo unà precatus fuerit, is segregetur. Quâ ratione innodentur excommunicatione Sedi Apostolicæ reservatâ qui excommunicatos ad Missarum solemnia adducunt, & exire prohibent, vide in *Clem. 2. De Sentent. Excom.*

VI. Ideo jam pridem moris fuit, nomina excommunicatorum è dyptichis Ecclesiarum eradi: eò quòd habere *nomen in dypticbis*, & inter Missarum solemnia ex iis nomen alicujus recitari, indicium esset, illum esse de communione Fidelium & de corpore Ecclesiæ; uti docet Theodorus Antissiodori Episcop. in expositione Missæ ita scribens: " Vivorum enim in sacris liturgiis celebratur memoria, ut subditorum erga Superiores obedientia, & *viventium* in eadem fide ac mysteriis *unio*, & commemoratio indicaretur. Vide latiùs Du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ latinitatis verbo *diptycha*; ibidem varias species diptychorum referens & singulorum usum exponens.

VII. Ab omnibus igitur publicis precibus, quæ specialiter pro Fidelibus & membris Ecclesiæ *ut talibus* funduntur, excluduntur Excommunicati; atque hujusmodi preces pro ipsis recitari vetantur; ne hac pro ipsis recitatione, viderentur tanquam *Ecclesiæ membra* agnosci, & ad fidelium communionem admitti; eoque sensu verum est, quod dicitur in *Cap. 28. De Sent. Excom.* & notant communiter Interpretes, pro excommunicato non esse *publicè* orandum.

VIII. Verùm sicuti pro Ethnicis, Hæreticis & Scismaticis publicè orat Ecclesia in die Parasceves, ut ab errore suo convertantur, & ad sinum matris Ecclesiæ suæ revertantur; quidni & pro quibuscunque excommunicatis *publicè & directè* orari poterit, ut resipiscant, & spiritus illorum salvus fit in die Domini.

Itaque Ecclesia orat pro Hæreticis & Schismaticis, licèt excommunicatis, non orationibus institutis pro suis membris; sed aliis institutis pro iis qui tales non sunt; uti loquitur Martinus Navarrus in *Summa cap. 27. num. 71.* ex quo ulteriùs ibidem infert, quod licet nemo debeat orare nomine Ecclesiæ & tanquam persona publica pro infidelibus & excommunicatis orationibus deputatis ad orandum pro *suis membris*, possit tamen orationibus quas habet compositas ad orandum pro infidelibus & excommunicatis. Vide latiùs Estium in *6. Sent. Dist. 18. §. 12. & 13.* ubi multis probat, Ecclesiam etiam *directè* orare pro excommunicatis.

IX. Interim si excommunicati nequidem ad communes Synaxes & Ecclesiasticos conventus, omnibus passim Fidelibus & membris Ecclesiæ patentes admitti queant, ne hàc admissione ad communionem & societatem Fidelium, à qua abscissi sunt, admitti videantur; multò minùs admittendi sunt ad functiones & Ordines aut Beneficia ecclesiastica, à quibus non tantùm Ethnici & Publicani, sed & multi è Fidelibus excludendi sunt. Et si per excommunicationem tamquam putrida membra à Corpore Ecclesiæ rescindantur, quantò magis ab omni ecclesiastico officio, quòd non nisi vivis ac excellentioribus Ecclesiæ membris committendum est, submoveri & excludi debent. Hinc multis sæculis ignota fuit quæstio hodie à Scholasticis agitata, num excommunicatus *ipso jure* & *facto* excidat suo Beneficio, & similes quæstiones.

X. Dicet quis, si excommunicatus non sit vitandus, nisi ut *Ethnicus & Publicanus*, non videtur excommunicatus excludendus à communi Fidelium conversatione, aut civili commercio: nam nec *Ethnicus*, nec *Publicanus* ab his excludendi sunt: nec vetuit Christus Fidelibus communicare in his cum Ethnicis & Publicanis.

Verum est, attendendo sola Christi verba, quibus auctoritatem excommunicandi expressit, non videntur excommunicato ea neganda, quæ Ethnicis & Publicanis permittuntur: cum Christus solum dicat, Ecclesiam non audientem habendum esse ut Ethnicum & Publicanum. At ipsi Apostoli eorumque Successores, ut Fideles à contagio vitiorum & errorum cautius præservarentur, voluerunt etiam à familiari ac civili communione excommunicatorum abstineri, juxta illud Joannis Apostoli Epist. 2. *Si quis venerit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum nec ave ei dixeritis: qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis.*

XI. Sed cum hæc solùm ab Apostolis eorumque Successoribus, ut facilius contagium vitiorum & errorum vitaretur, præscripta fuerint, illa non juri divino, sed humano adscribenda sunt: quod & Alymaynus in *Tractatu De Potestate Ecclesiæ quæst. 1.* annotavit, ubi ait: " Tertium Corollarium quod sequitur est, quod vitare excommunicatum, quantum ad Collocutionem & illa quæ sunt merè civilia, non videtur esse de jure divino. " Eodem fundamento Joannes Driedo *De Libertate Christiana cap. 14.* docet, nos ex Constitutione Juris Divini non prohiberi cum Hæreticis edere & bibere.

Et apertiùs Christianus Lupus cùm annotâsset quomodo circa 9. & 10. sæculum excommunicationis effectus de repulsione excommunicati à societate civili ultra modum fuisset extensus, ut propterea editis Decretis eum paulatim remittere debuerint Pontifices, tandem addit: *Omnis hæc res non est dogmatis sed disciplinæ: ideoque per Ecclesiam potest ex causis disponi variè atque mutari* Tom. 5. Schol. Pag. 132. Et Pag. 130. relatis litteris Innocentii III. ad cruce signatos ait: *Et hinc lucet, Catholicos Galliæ, Germaniæ, Angliæ ac Belgii incolas cum habitantibus istic Hæreticis posse liberè in civilibus tractare.*

XII. Itaque, ut verbo concludam, ex præcepto divino excommunicatus tanquam *Ethnicus & Publicanus* vitandus est; sive omnis illa communio ei neganda, quæ *Ethnico* & *Publicano* negatur, nec alteri quam fideli & Ecclesiæ communione juncto conceditur: quia si hæc communio concedatur, jam pro fideli hoc ipso agnoscitur.

XIII. Sed nec sic juxta modernam Ecclesiæ disciplinam vitandus omnis excommunicatus excommunicatione *majore*, sed soli illi excommunicati de quibus loquitur Extravagans Martini V. quæ incipit: *Ad evitanda.*

XIV. Extravagans hæc sub nomine Martini V. tanquam edita in Concilio Constantiensi refertur à S. Antonino in Summa *parte 3. tit. 25. cap. 3.* his verbis, " Ad evitanda scandala & multa pericula subveniendumque conscien-

„ tiis timoratis quod nemo deinceps à communione alicu-„ jus in Sacramentorum administratione vel receptione aut „ aliis quibuscunque divinis vel extra prætextu cujuscun-„ que sententiæ aut Censuræ ecclesiasticæ, suspensionis aut „ prohibitionis ab homine, vel à jure generaliter promulga-„ tæ, teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdi-„ ctum ecclesiasticum observare, nisi sententia, prohibitio, „ suspensio, vel censura hujusmodi fuerit, in vel contra per-„ sonam, Collegium, Universitatem Ecclesiam, aut locum „ certum ***à judice publicata, vel denuntiata specialiter, & „ expressè***. Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione „ in Clericum sententiam latam à Canone adeò notoriè „ constiterit incidisse, quod factum non possit aliquâ tergi-„ versatione celari, neque alio suffragio excusari. Nam à „ communione illius licet denuntiatus non fuerit, volumus „ abstineri juxta Canonicas sanctiones.

XV. Tametsi hujus Extravagantis nulla mentio occurrat in actis Concilii Constantiensis; neque de sinceritate aut veritate illius aliunde constare videatur, quam ex relatione S. Antonini & Doctorum qui ejus fidem verisimiliter sunt sequuti, nihilominus usus illius quasi communi Ecclesiæ consensu receptus est, neglecto quoque tenore ejusdem extravagantis prout legitur *Sess.* 20. Concilii Basileensis, quemadmodum notavit Suaresius ***De Censuris Disputat.* 6. *sect.* 2. *num.* 5**, dicens hanc formam ***usu totius*** Ecclesiæ jam esse approbatam & receptam. "Et constat (ait) ex usu Gal-„ liæ, Germaniæ &c. ubi Catholici sine scrupulo commu-„ nicant cum hæreticis publicis & schismaticis; & idem ser-„ vari videmus in aliis regionibus inter Catholicos.

XVI. Ex hac extravagante usu totius Ecclesiæ probatâ & receptâ consequens est, excommunicatum sive ab homine sive à Canone, non esse vitandum, etiam in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis, vel extra, ***prætextu excommunicationis***, nisi sententia vel censura fuerit in vel contra personam à Judice publicata vel denuntiata specialiter & expressè.

XVII. Imò nec sufficit sententiam ***specialiter & expressè*** à Judice in aliquem esse pronuntiatam, ut hoc titulo sit vitandus, sed insuper requiritur, eum post sententiam publicè tanquam excommunicatum esse ***denuntiatum***. Hancque sententiam esse probabiliorem & in praxi sequendam, monet Suaresius loco citato ***numer.* 8**. "Quia consuetudo quæ „ est optima legum interpres, ita legem illam acceptavit, & „ interpretata est. Et præterea quia id est maximè consen-„ taneum fini illius legis scilicet ad evitanda scandala &c." Rectè quoque notat, quod extravagans non requirat tantum, ut sententia specialiter & expressè in aliquem sit lata, sed etiam ut sit ***publicata vel denuntiata***. "Quæ duo verba „ (ait) non ponuntur disjunctivè tanquam diversa, sed tan-„ quam æquipollentia, nisi quod participium ***publicata***, „ propriè refertur ad censuram, vel sententiam: ***Denuntia-„ ta*** verò ad personam.

XVIII. Additum fuit, prætextu ***excommunicationis***; quia interdum à perceptione Sacramentorum præsertim Eucharistiæ ut publicus & notorius criminosus repellendus esset, juxta tradita ***parte* 2. *tit.* 5**.

XIX. Ab hac regula non vitandi excommunicatum nisi ***denuntiatum*** excipitur in hac extravagante (uti refertur sub nomine Martini V.) is quem constiterit pro ***sacrilega*** manuum injectione in Clericum in sententiam latam à Canone incidisse; sed ***adeò notoriè, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari***.

XX. Cùm autem multa intervenire queant, quæ vel facti notorietatem obscurent, aut ipsum factum à sacrilegio sive sacrilega-manuũ injectione quasi diabolo suadente factâ, uti loquitur Canon excusare possint, varii quoque sunt casus, quibus juxta hodiernam disciplinam, Percussorem Clerici non esse vitandum tradunt Doctores; uti videri post apud Suaresium dicto loco.

XXI. Ulteriùs cum vitatio excommunicatorum, præsertim in ***civilibus*** multum dependeat à jure positivo humano: ac pleraque sint meræ disciplinæ, optimum est, se in hoc puncto praxi & consuetudini Ecclesiarum & locorum, in quibus versamur, conformare.

CAPUT V.

Excommunicatio non ferenda sine gravi causa; & an injusta sit servanda vel timenda.

1. *Excommunicatus abscinditur à Corpore Ecclesiæ.*
2. *Hinc excommunicatio reputata semper fuit pœna* gravissima.
3. *Hanc noluerunt Canones infligi nisi pro delicto mortali eoque enormi.*
4. *Multum excedunt Prælati, qui pro re temporali & levi excommunicationem infligunt.*
5. *Vetat & Synodus Tridentina Monitoriales seu excommunicationes ad finem revelationis ex* levibus *causis concedi.*
6. *Hæ excommunicationes in Belgio vix notæ, & quæ harum origo?*
7. *Dum in Canonibus subinde occurrit excommunicatio pro levi culpa intelligitur species excommunicationis minoris.*
8. *Crimen dignum excommunicatione non tantum debet esse grave, sed &* probatum.
9. *Quamvis aliquando imposita fuerit pœnitentia* publica *pro delictis* occultis, *nunquam tamen excommunicatio.*
10. *Canon Carthaginensis inhibens Episcopo excommunicare illum, quem scit ex secreta confessione criminosum.*
11. *Potest tamen* secretè *ei interdicere communionem.*
12. *Excommunicatio sine justa causa lata dicitur* injusta: *nec per eam ligatur excommunicatus coram Deo.*
13. *Nec per hanc excommunicationem læditur.*
14. *Potius obest Excommunicanti, quam excommunicato.*
15. *Plus timeri debet peccatum quantumvis leve, quàm injusta excommunicatio.*
16. *Judæi metu excommunicationis Christum fateri non audentes.*
17. *His similes Christiani qui eodem metu veritatem erubescunt.*
18. *Excommunicatio quo sensu timenda?*
19. *Exponitur Textus S. Gregorii.*
20. *Excommunicatio in publico nonnunquam servanda, licet sciatur esse injusta.*
21. *Interdum etiam publicè contemni potest.*
22. *Meritorium est pro bono pacis ferre patienter pœnam excommunicationis injustæ.*
23. *Quod suo tempore frequens dixit Augustinus, quomodo & hodie non raro fiat.*

I. Ex dictis capite præcedenti intelligimus per excomunicationem ***majorem*** excommunicatum abjici & rescindi ab Ecclesia tanquam putridum membrum, atque reputari tanquam Ethnicum & Publicanũ.

II. Hinc nemo dubitaverit, pœnam excommunicationis esse admodum gravem, imò inter omnes pœnas gravissimam, qui seriò attenderit, quid sit ab Ecclesia abscindi.

Scribit S. Cyprianus ***Epist.* 62**. "Tunc quidem gladio „ occidebantur, quando & adhuc circumcisio carnalis ma-„ nebat. Nunc spirituali gladio superbi & contumaces ne-„ cantur, dum de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere „ foris possunt, cùm Domus Dei una sit, & nemini salus „ esse nisi in Ecclesia possit.

Et S. Hieronymus ***Epist.* 1**. "Nunc inobediens spirituali „ mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia ***rabido dæmo-„ num ore*** discerpitur." Unde nec dubitat S. Augustinus dicere ***lib. De Correp. & Gratia cap.* 15**. excommunicationem esse pœnam ***gravissimam***.

III. His omnibus insistens Concilium Meldense apud Gratianum ***Caus.* 11. *q.* 3. *Can.* 41**. Anathema dicit esse ***æterna mortis damnationem, & non nisi pro*** MORTALI, ait, ***debet imponi crimine***.

Rectè proinde Synodus Arvernensis apud Grat. dicto loco ***Can.* 42**. ait: ***Nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat***. Quod ipsum & Apostolus ostendit, dum priùs quàm incestuosum Corinthium sathanæ traderet, criminis atrocitatem exaggerat dicens: ***Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes***.

IV. Quidni ergò dicamus cum pio ac erudito Joanne Gersone. "Prælatos illos qui pro temporalibus evitandis aut „ politicis incommodis conservandis, excommunicationes

„ passim

Digitized by Google

„ passim proferunt; adeoque *æternæ mortis* damnationem, „ similes esse illi, qui volens abigere muscam à fronte vicini, eam secure percutiens vicinum stolidius excerebravit; „ aut ei parem esse dixerim (ait) qui studens curationi modici vulneris in pede equi, pedem confestim abrupit, equumque peremit.

V. His consonat Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 3. De Reformat.* præcipiens, ut " excommunicationes illæ, quæ „ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, „ aut pro deperditis seu substractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, præterquam ab Episcopo decernantur; & „ tunc non aliàs, quàm ex re *non vulgari*, causâque diligenter ac magna maturitate per Episcopum examinata, „ quæ ejus animum moveat; nec ad eas concedendas cujusvis sæcularis etiam magistratûs, auctoritate adducatur; „ sed totum hoc in ejus arbitrio & conscientia sit positum: „ quando ipse pro re, loco, persona aut tempore eas decernendas esse judicaverit.

VI. Cum similes monitoriales, & excommunicationes in Belgio vix notæ sint, de iis earumque forma & origine nihil dicam; videri poterunt Piasesius in *Praxi parte 2. cap. 4.* & Carolus Fevretius *De Abusu lib. 7. cap. 2.* una referens quis respectu harum monitorialium sit usus Galliæ; item Morinus *De Sacramento Pœnit. lib. 2. cap. 7.* qui & ibidem ait has excommunicationes sive monitiones ad finem revelationis esse reliquias veteris disciplinæ quæ cogebat Fideles ad denuntiandum aliorum peccata *occulta*, hoc tamen una monens, quod antiquus modus cogendi ad revelandum, " multò esset acceptior & clementior, cum to„tus (ait) in salutem proximi vergeret, nullumque ex eo „ temporale emolumentum Accusator & Judex efflagita„rent, aut etiam sperarent, sed solam animæ conversio„nem & curationem attenderent.

VII. Interim sat significat Synodus Tridentina, nequaquam ex *levibus* causis excommunicationem esse infligendam: convenitque inter Theologos & Canonistas, pœnam hanc utpote *gravissimam* infligendam non esse, nisi propter peccata *mortalia*, eaque graviora.

Quod si interdum Concilia aut Patres excommunicationem infligant, aut decernant pro *levi* causa, tunc juxta phrasim ejus ætatis excommunicatio accipienda pro una è *minoribus* tunc satis usitatis, & de quibus egimus *cap. 3.* ut dum in Concilio Carthaginensi IV. *Can. 24.* excommunicandus esse statuitur, " qui Sacerdote verbum faciente in „ Ecclesia egressus de auditorio fuerit. " Quis credat pro tam levi causa quemquam ab Ecclesiæ corpore abjiciendum tanquam Ethnicum & Publicanum?

VIII. Nec tantum *grave* crimen requiritur in excommunicatione, sed insuper ut in judicio sit probatum.

Cum enim in excommunicatione majore seu anathemate interveniat externum Ecclesiæ judicium, ipseque excommunicandus invitus ac publicè expellatur è societate Fidelium, crimen non tantum grave, sed & publicum & in foro externo sat probatum sit oportet. *Ubi*, ait Origenes Hom. 20. in Josue, *peccatum non est* evidens, *ejicere ab Ecclesia neminè possumus; ne fortè eradicantes zizania eradicemus & triticum.* Utque plura, quæ apud Antiquos his similia passim occurrunt, permittamus, in *Cap. 48. De Sent. excom.* in Concilio Lateran. sub Innocentio III. præcipitur expressè, ut *caveat Prælatus diligenter ne ad excommunicationem cujusquam absque manifesta & rationabili causa procedat.*

IX. Et certè quamvis nonnulli cum Morino *lib. 5. De Pœnit. cap. 9 & seq.* rectè sustineant, per mille annos pœnitentiam publicam, seu excommunicationem medicinalem etiam pro peccatis *occultis* fuisse impositam, nemo tamen dicere ausus hactenus fuit, aliquem *invitum* ab Ecclesia tanquam *rebellem* expelli potuisse ob crimen *occultum* ipsi soli Confessario notum.

X. Unde in Concilio Carthaginensi VII. anno 419. statutum fuit *Can. 6.* " Item placuit ut si quando Episcopus „ dicit aliquem *sibi soli* proprium crimen fuisse confessum, „ atque ille neget, non putet ad injuriam suam Episcopus „ pertinere, quod illi soli non creditur. Et si scrupulo pro„ priæ conscientiæ se dicit neganti nolle communicare, „ quamdiu excommunicato non communicaverit suus Epi„scopus, eidem Episcopo ab aliis non communicetur Epi„scopis, ut magis caveat Episcopus, ne dicat in quemquam, „ quod aliis documentis convincere non potest.

XI. Extat apud Gratianum *Caus. 6. q. 2. Can. 3.* sub nomine Concilii Africani; notantque ibidem Correctores Romani, in Africano Concilio post verbum *communicare* sequi: SECRETE *tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Adde quæ notavi in tractatu Historico-Canonico ad hunc Canonem.

XII. Si excommunicatio justâ causâ sit destituta, ipseque qui hac censura feritur ut nocens, revera sit innocens, excommunicatio hæc à Doctoribus dicitur injusta; nec per eam excommunicatum *coram Deo* ligari docent. Neque enim ministri Ecclesiæ potestatem habent coram Deo seu *in cælis* ligandi illum, qui non prius proprio delicto seipsum ligavit; aut gratiâ & donis Spiritûs Sancti privare, qui in se prius Spiritum S. non extinxit.

XIII. Hinc illud Origenis relatum à Gratiano sub nomine S. Hieronymi *Caus. 24. q. 3. Can. 4.* " Si quis non re„cto judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ depellatur, & fo„ras mittatur, si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, „ ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto ju„dicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut inter„dum ille, qui foras mittitur, intus sit: & ille foris, qui in„tus retineri videtur.

XIV. Et ex S. Augustino *Caus. 11. q. 3. Can. 87.* " Illud „ plane non temerè dixerim, quod si quisquam Fidelium „ fuerit anathematizatus injustè, potius ei oberit, qui facit, „ quam qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim sanctus „ habitans in sanctis, per quem quisque ligatur aut solvitur, „ immeritam nulli ingerit pœnam.

Neminem itaque apud Deum nocentiorem aut pejorem facit, aut interioris gratiæ Divinæ influxu privat excommunicatio in innocentem lata.

XV. Hinc ulterius sequitur homini Christiano plus timendum esse qualecumque leve peccatum, quam qualemcunque injustam censuram: Quia homo Christianus ex fide vivens, nihil in hoc mundo timere debet, nisi quod sibi apud Deum nocere potest, Deumque sib magis offensum reddere; quod per omne quantumvis leve peccatum contingit, non verò per excommunicationem quam quis injustè patitur. Ideoque homo Christianus debet esse paratus potius sustinere excommunicationis fulmen, quam aliquod peccatum committere; vel à veritate vel leviter recedere, aut veritatem erubescere metu excommunicationis.

XVI. Verendum alias ne similes simus Principibus illis de quibus dicitur Joannis 12. ℣. 42. quod quidem *in Christum crederent, sed propter Pharisæos non confitebantur ut è Synagoga non ejicerentur.* Ratio subjungitur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis quàm gloriam Dei.*

XVII. Ad quæ reflectens pius ac eruditus Auctor Compendii Moralis Evangelicæ ait: " Metus calamitatis, inju„stæ alicujus excommunicationis nos perdere valet, quan„doquidem multos forsitan Judæos perdiderit, de inno„centia & divinitate J. Christi convictos. Nulli rei quæ no„bis ab hominibus auferri possit adhærere debemus, si vo„lumus conservare quod solus Deus potest nobis donare. „ Potest animam salvare sine Sacramentis & extra exterio„rem Ecclesiæ communionem; non potest salvare quamdiu „ officio suo & obligationi illum apertè profitendi præfert, „ vel usum Sacramentorum, vel communionem istam ex„teriorem.

Hæc meritò expendent, qui metu incurrendæ alicujus qualiscumque censuræ v. g. suspensionis aut interdicti ab Ecclesiasticis functionibus, veritatem agnitam publicè profiteri verentur.

XVIII. Hinc tamen nullatenus consequens est, injustam censuram semper posse palam contemni, ac negligi; & nullatenus esse timendam. Imprimis enim à subdito catenus timenda Superioris sententia, ut eam expendat, vereaturque num eam propter suam culpam, quam ipse forsan non satis apprehendit, non mereatur.

XIX.

XIX. Hoc sensu intelligendum quod ex S. Gregorio refertur 11. *q.* 3. *Can.* 1. *Sententia Pastoris sive justa sive injusta fuerit. timenda est*; ut ex integro contextu S. Gregorii in Hom. 26 in Evangelia non obscurum est. Post relatam enim, non quidem iisdem verbis, sed eodem sensu prædictam sententiam, rationem timendi allegans, ait: " Ne is qui subest, & cùm injustè ligatur, ipsam obligationis suæ sententiam & aliâ culpâ mereatur. Pastor ergò vel absolvere indiscretè timeat vel ligare. Is autem qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui judicium temerè reprehendat. Ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumidæ reprehensionis superbia, culpa quæ non erat, fiat.

Eatenus ergo duntaxat timendum esse injustam excommunicationis sententiam voluit ibi S. Gregorius, quod non temerè ac superbè & arroganter Superioris judicium reprehendat, sed potiùs vereatur, ne forsan pœnam suâ culpâ meruerit.

XX. Adhæc, quia sæpè contingit, injustitiam censuræ esse ipsi excommunicato notam, sed publicè ignotam; neque facilè aliis probari aut persuaderi posse, etiam eatenus tunc censura ligare poterit, ut in publico ei se subjicere deberet; in quantum non obedientia in scandalum fidelium, injustitiam censuræ ignorantium, cederet; & Ecclesiæ ac Superiorum contemptum præ se ferret. Atque ita simili casu censura ligat solùm in foro exteriore ratione scandali, quod ex ejus violatione orirétur: quia, ut bene ratiocinatur Suaresius *De Censuris Disput.* 9 *sect.* 7 *nu.* 16. " Si scandalum quacumque ratione cesset, & innotescat aliis qualitas sententiæ, & hominis innocentia, cessabit obligatio: ergo signum est, totam hanc obligationem esse ratione *scandali* vitandi. " Hæc Suaresius, qui ibidem *num.* 17. nomen *scandali* hîc accipi dicit, non tantum ut est contra charitatem, sed etiam contra *obedientiam* Ecclesiæ; cui multum derogaretur si talis censura *publicè* contemneretur. Et ideo hæc censura eatenus valida est, quod ob vitandū illud scandalum in foro exteriori revera servanda sit. Id est, ita se gerere debeat, in publico, sententiæ parendo, quousque etiam in publico de ejus justitia ita constet, ut scandalum fidelium timendum non sit. Hoc sensu verum est, contingere posse ut ait Innocentius III. in *Cap.* 28. ꝗ *De Sent. Excom. Ut qui liber est apud Deum, Ecclesiasticâ sit innodatus sententiâ*

XXI. Si verò publica ac notoria sit censuræ injustitia, vera tunc erit sententia Gelasii Papæ apud Grat. *Caus.* 11. *q.* 3. *Can* 46. " Cui est illata sententia deponat errorem, & vacua erit. Sed si injusta est, tanto eam curare non debet, quanto apud Deum & Ecclesiam ejus neminem potest unquam gravare sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum.

XXII. Porrò cum quis Censuræ injustæ causâ vitandi scandali, aut amore conservandæ pacis ac unitatis Ecclesiasticæ se humiliter subjicit, ac exteriora detrimenta patienter sustinet, nullatenus ei exterior illa ab Ecclesiæ communione & Sacramentorum perceptione separatio nocebit, sed *erit ad meritum* ut ait S. Thomas. Et S. Augustinus docet de bonis viris, quos divina providentia sinit per nonnullas nimium turbulentas carnalium hominum seditiones expelli de Congregatione Ecclesiæ, si hanc contumeliam vel injuriam suam patientissimè tulerint pro pace Ecclesiæ; neque ullas novitates schismatis vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quám vero affectu & quanta sinceritate charitatis Deo serviendum sit .... *hos coronat in occulto Pater, in occulto videns.* " *Lib. de vera Religione cap.* 6. Imo ut idem Doctor advertit, " spirituales homines hujusmodi adversis magis proficiunt; quia (inquit) cum aliqua adversitate vel necessitate hominum videntur expelli, ibi magis probantur, quam si intus permaneant; cum adversus Ecclesiam nullatenus eriguntur, sed in solidâ unitatis petrâ fortissimæ charitatis robore radicantur, " *Lib.* 1. *De Baptismo contra Donatistas cap.* 17.

XXIII. Si non tantum ad excommunicationis, sed quaslibet censuras attendamus, atque sub his omnem quamcunque à sacris Ministeriis suspensionem, atque interdictionem comprehendamus, non immeritò dicere poterimus, quod S. Augustinus verbis relatis ex *libro de vera Religione* subjecit. " Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt imò plura sunt quàm credi potest, " qui injustas censuras seu excommunicationis, seu suspensionis, aut interdicti, sincerissima charitate pro pace Ecclesiæ patientissimè sustinent.

CAPUT VI.

Excommunicatio non nisi in contumaces ferenda & de excommunicatione *latæ* sententiæ;

1. *Excommunicatio non infligenda ob peccatum etiam grave nisi* inobedientiam *adjunctam habeat.*
2. *Id convenit pristinæ Ecclesiæ disciplinæ.*
3. *Hæc disciplina ex traditione Apostolica tanquam conformis verbis Christi descendisse videtur.*
4. *Etiam jure Decretalium requiritur* competens *monitio prævia*
5. *Monitio competens dicitur* tertiò *facta.*
6. *Ut monitio sit competens, debent monendi* nominatim *exprimi.*
7. *Debent monitiones fieri cum dierum aliquorum intervallo.*
8. *Quantum debeat esse hoc intervallum?*
9. *Permittit Concilium Lugdunense, unam monitionem fieri pro pluribus; & qua forma hæc fiat?*
10. *Synodus Tridentina vult saltem* binam *monitionem præmitti.*
11. *Formula excommunicationis in Pontificali Romano supponit* trinam *monitionem.*
12. *Necessitas præmittendæ* monitiones *non videtur consistere cum excommunicatione* latæ *sententiæ.*
13. *Doctores agnoscunt hic difficultatem.*
14. *Proponitur quorumdam solutio difficultatis.*
15. *Solutio hæc difficultatem non tollit.*
16. *Videtur mens Ecclesiæ esse, ut peccator nominatim de suo peccato moneatur antequam excommunicetur.*
17. *Eandem difficultatem vidit & proposuit Gersonius.*
18. *Quomodo eam Gersonius evadere studeat?*
19. *Multis sæculis videtur excommunicatio* latæ *sententiæ fuisse ignota.*
20. *Meritò dubitatur, num in Decreto Gratiani ulla talis occurrat.*
21. *Labentibus sæculis harum excommunicationum numerus multum crevit.*
22. *Incommodum hujus multiplicationis exaggerat* Godscalcus Rosemundus
23. *Quid in his emendari conveniat, expendere debent Ecclesiarum Prælati.*
24. *Indubitatum, graviorem causam requiri in excommunicatione* latæ, *quàm ferendæ sententiæ.*
25. *Excommunicationes* latæ *sententiæ demum obligant, dum leges debitè sunt promulgatæ.*

I. AD excommunicationem, saltem quæ ab homine fertur, non solùm requiri peccatum mortale, illudque grave; sed insuper necessarium esse ipsius excommunicandi contumaciam, quâ Ecclesiam monentem audire renuit, satis significat Christus *Matt.* 18. declarans tum demum excommunicandum sive rescindendum tamquam Ethnicum & Publicanum, *si Ecclesiam non audierit.*

Ut enim rectè advertit pius Joannes Gersonius *De Vita Spirituali lect.* 4. *coroll* 14. " Dum semper est paratus audire Ecclesiam, cur habebitur sicut Ethnicus & Publicanus? Cur ab ea abscindetur? unde & ibidem dicit, expediens esse, nullam excommunicationis ferri sententiam, nisi pro *manifesta* contumacia, qua se monstrat aliquis audire Ecclesiam non paratum.

II. Id satis consonum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, quæ trinam monitionem præmitti voluit sententiæ excommunicationis.

Sic Synodus OEcumenica Ephesina in sua relatione ad Religiosissimos Imperatores de depositione Nestorii, postquam exposuisset, cum *secundò* vocatum renuisse Synodo se sistere, subdit: " Porrò autem cùm *Canones* præscribant, *tertiò* quoque contumacem esse admonendum, missis iterum aliis ad illum Episcopis, durum & immorigerum eundem invenimus. " Tomo 3. Concil. General. *col.* 570.

Dioscorus quoque in Concilio Calchedonensi ante excommunicationem *ter* vocatus dicitur; idque *secundùm sanctos Canones* Tomo 4. Concil. General. *col.* 421.

III. Hanc

III. Hanc disciplinam ex Apostolica traditione tanquam verbis Christi consonam ad nos pervenisse admodum verisimile est. Nam uti advertit Suaresius *Disputat. 3. sect. 9.* „ Jura quæ de illo (Jure trinæ monitionis) loquuntur, non „ significant illud de novo statuere, sed illud supponere, ut „ *perpetuò* in Ecclesia observatum. " Unde & in *Can.* 15. *caus.* 16. *q.* 7. apud Gratianum sub nomine Concilii Rothomagensis, statuitur, ut " decimas solvere nolentes, *secun-* „ *dùm Domini nostri præceptum* admoneantur *semel* & *se-* „ *cundò* & *tertiò*, qui si non emendaverint, anathematis „ vinculo feriantur.

Conformis est & hæc disciplina materno Ecclesiæ in filios affectui, quo ad exemplum Christi omnes vult salvos fieri; nec quemquam perire, aut è suo sinu ejicere, nisi contumacem ac rebellem, vocemque Matris audire renuentem.

IV. Hinc nec Jure novo ab hac disciplina recessum est. Et quidem in *Cap.* 48. *De Sententia excommunicationis* Concilium Lateranense sub Innocentio III. prohibet, sententiam excommunicationis à quocunque Judice proferri, *nisi competenti monitione præmissâ.* Et in *Cap.* 3. *De Sent. excomm. in* 6. non nisi *post monitionem Canonicam*: & in *Cap.* 5. *eodem in* 6. dicitur, *Excommunicationes quascunque absque competenti monitione præmissâ promulgatas esse injustas.*

V. Monitio *competens* passim à Canonistis post Glossam ad dictum *Cap.* 48. verbo *Competenti*, intelligitur *trina* monitio; quæ expositio ubique recepta est.

VI. Utque hæc monitio sit Canonica, voluit Gregorius X. in Concilio Lugdunensi *Cap.* 9. *De Sent. Excommunicat. in* 6. " ut inter monitiones quas jura statuunt præmitti, Ju- „ dices sive monitionibus tribus utantur, sive una pro om- „ nibus observent aliquorum dierum intervalla: nisi facti „ necessitas ea suaserit moderanda.

VII. Notat hic Glossa, " quod *tres* monitiones, quæ de- „ bent præcedere excommunicationem, debeant habere „ intervalla: nec possunt fieri continuè: & ad minus inter „ quamlibet monitionem debent esse duo dies: ex quo tex- „ tus loquitur in plurali.

VIII. Verùm cum consilium numerum dierum non expresserit, apparet, illud dierum intervallum requisivisse, quod attentis circumstantiis Judex arbitrabitur sufficere vel requiri, ut de contumacia sive inobedientia seu rebellione excommunicandi sufficienter pateat: quod & Glossa ibidem verbo *Competenti*, indicat, dicens: " Hoc Judex modera- „ bitur pro personarum & negotii qualitate.

IX. Permittit autem Concilium Lugdunense, quod Judex uti queat *una* monitione pro *tribus* quod desumptum apparet ex Jure Civili, quo permittitur Judici in *L.* 72. *ff. De judiciis*, uti uno edicto *peremptorio* citatoriali pro pluribus. Hæc autem monitio duplici formâ fieri solet secundùm Glossam; " Interdum (ait) sic: monemus te quod us- „ que ad diem talem pro primo, talem pro secundo, talem „ pro tertio. &c. Interdum unam tantùm dat dilationem, ut „ monemus te quod usque ad talem diem pro primo, secun- „ do & tertio peremptorio à communione talis &c. Et hoc „ ultimo casu est intervallum inter monitionem & senten- „ tiam; " nimirum tale, quod sufficiat, ut convincatur contumax.

X. Verùm quia hac potestate Judices Ecclesiastici non satis circumspectè uterentur; sed sine ulla prævia monitione ad excommunicationem levi ex causa non rarò prosilirent, Synodus Trid. Canonicam disciplinâ reducere, quantum temporum durities patiebatur, desiderans, voluit, ut Judex ad excommunicationem non procedat, *nisi delicti qualitas, præcedente* BINA *saltem* MONITIONE, *etiam per Edictum, id postulet.* Sess. 25. De Reformat. *cap.* 3:

XI. Quin & in formula excommunicationis quæ extat in moderno Pontificali Rom. protestatur Prælatus excommunicans: *Monuimus enim excommunicandum canonicè primò, secundò, tertiò & etiam quartò, ad ejus malitiam convincendam, ipsum ad emendationem, satisfactionem & pœnitentiam invitantes, & paterno affectu corripientes.*

XII. Sed quæ de præmittenda monitione *competenti* hactenus dicta sunt, consistere non videntur cum excommunicatione quæ vulgò dicitur *latæ sententiæ*; id est, quæ *ipso facto*, sive ipsa admissione delicti sine ulteriori sententia Judicis, per ipsam Legem infertur; quæ hac similive formâ exprimi solet: Qui hoc illudve fecerit sit *ipso jure*, vel *ipso facto* excommunicatus. Opponitur autem illi quæ vocatur *ferendæ* sententiæ, id est, quæ non incurritur, nisi à Judice feratur; soletque hac formulâ exprimi: qui hoc illudve fecerit, *excommunicetur*, vel præcipimus *sub pœna excommunicationis.*

XIII. Sanè fatendum est, difficile satis videri, qua ratione disciplina de *trina* monitione præmittenda consistat cum excommunicatione *latæ* sententiæ; aut quomodo aliquis nunquam speciatim monitus queat tanquam *rebellis* ab Ecclesia abscindi, & haberi ut Ethnicus & Publicanus.

XIV. Respondent quidem nonnulli, qui non obedit Legi prohibenti quidquam sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, præsertim si eam non ignoret, sufficienter censetur contumax & rebellis ipsi Ecclesiæ: adeoque aliâ monitione non eget; ipsaque lex pro monitione est.

XV. Verùm quidem est, legem quamcunque monere subditum de obedientia legis; atque non obedientem constitui legis prævaricatorem: At quod sola legis transgressio aliquem constituat ad mentem Christi & Ecclesiæ contumacem & rebellem, ita ut tanquam talis ab Ecclesiæ corpore rescindi possit, non satis apparet. Videtur etenim quod Christus voluerit ut peccator seu transgressor legis *primò* de suo peccato moneatur, & si iteratò monitus Ecclesiam non audierit, tunc demum tanquam putridum membrum, de cujus sanatione quodammodo desperatum est, abscindatur à corpore Ecclesiæ, ne reliqua membra inficiantur.

XVI. Hanc quoque fuisse mentem Ecclesiæ non obscurè innuunt Canones quibus præscribitur, ut *trina* monitio excommunicationi præmittatur, dum inter ipsas monitiones etiam temporum intervalla servanda mandantur: quod clarè supponit, Canones illos intelligi non posse de monitione quæ sola legis ac pœnæ denuntiatione fieri dicitur: quandoquidem hæc nulla temporis intervalla admittat.

XVII. Eandem difficultatem vidit, & proposuit Gersonius loco citato dicens: " Cæterùm dum aliquis ex igno- „ rantia quanquam culpabili, aut ex infirmitate & passione „ vitiosa, non tamen *contumaci*, facit aliquem actum pro „ quo est statuta sententia excommunicationis *latæ* senten- „ tiæ ab aliquo Prælatorum, videant Juristæ & Judices, si „ talis possit dici excommunicatus *ipso facto*: cum semper „ sit & fuerit promptus stare correctioni Ecclesiæ super suo „ delicto, prout supponitur: quia non ex contemptu Cla- „ vium & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, sed aliunde motus „ malum fecit. Non enim quælibet inobedientia, contuma- „ cia reputatur.

XVIII. Hanc difficultatem ut evadat Gersonius docet ibidem, prout accepit à suo Præceptore, " eas excommuni- „ cationes (*latæ* sententiæ) tantummodo operari ut absque „ processu alio, aut nova constitutione possit Judex statim „ probato facto vel confessato ferre Juris sententiam & e- „ andem publicare, non sic ibi Canones essent solùm *feren-* „ *dæ* sententiæ; quoniam monitiones & processus secun- „ dùm terminos Juris prærequirerentur multiplices.

XIX. Quidquid sit de hac Gersonii solutione & expositione, hoc sat constat, quod per decem facile sæcula ignota fuerit hæc species excommunicationis: ita ut in Canonibus paulò antiquioribus nunquam legantur hæc aut similia verba: *sit ipso facto excommunicatus*: *qui id fecerit ipso jure excommunicationem incurrat*: *sed tantum*: *si quis id fecerit excommunicetur, deponatur &c.* quibus ut consentiunt Canonistæ & Theologi, non exprimitur excommunicatio *latæ sententiæ* sed *ferendæ* duntaxat,

XX. Si decretum Gratiani revolvatur, atque formulæ quibus excommunicatio exprimitur, ritè expendantur, nescio, utrum vel una reperietur excommunicatio *latæ* sententiæ.

Dicitur

Dicitur quidem in *Canone* SI QUIS SUADENTE DIABOLO *caus.* 7. *q.* 4. qui violentas manus suadente Diabolo in Clericum vel Monachum injecerit, ***anathemati subjaceat*** sed num hæc formula excommunicationis sit latæ, an duntaxat sententiæ ferendæ, meritò ambigitur. Quandoquidem hæc formula non videatur magis latam sententiam importare quam hæc, ***sit anathematizatus, sit sequestratus***; quæ tamen juxta Glossam in *Cap.* 2. ✠ ***de foro competenti*** verbo ***sequestratus***; non nisi excommunicationem ***ferendæ*** sententiæ significat: ideoque non sine fundamento opinantur nonnulli, excommunicationem illam de qua in dicto Canone ***si quis suadente Diabolo*** magis ex interpretatione Doctorum, quàm mente auctoris, pro excommunicatione ***latæ sententiæ*** tandem receptam & habitam esse.

XVI. Illud haud dubium, quin labentibus sæculis continuò frequentiores factæ sint similes excommunicationes ***latæ*** sententiæ. Et quidem teste Martino Navarro in Manuali ***cap.*** 27. ***nu.*** 49. Ad annum usque 1398. quo promulgatus est Sextus Decretalium, vix inveniebantur 36. casus excommunicationis ***latæ*** sententiæ, qui in pauciores quam 26. redigi possent. " Per ***solum*** autem Sextum Decretalium (ipso „ Navarro notante) inducti sunt 32. casus excommunica- „ tionis ***latæ*** sententiæ; & per solas Clementinas quinqua- „ ginta: Postea per Bullam Cœnæ, per Extravagantes im- „ pressa per Constitutiones Synodales & Provinciales, per „ visitationes & reservationes sæcularium & Religiosorum „ penè innumeræ. " Hæc Navarrus, qui & monet " quod „ videatur valdè utilis, imò & necessaria limitatio earum a- „ liqua saltem quoad forum Conscientiæ.

XXII. Incommodum & periculum animarum ex frequenti illa excommunicatione ***latæ*** sententiæ proveniens multùm exaggeravit Godscalcus Rosemundus sub initium præcedentis sæculi in hac Lovaniensi Academia S. Theologiæ Professor, & Collegii Adriani VI. primus Præses in suo Confessionali ita loquens: " Valde inconsultum & pericu- „ losum est, quod Episcopi in suis Statutis cæteri quoque „ Judices tam faciles sint in multiplicando censuras; unde „ expediens esset, ut etiam inquit Gerson, ut omnes Con- „ stitutiones sententiæ excommunicationis latæ sententiæ „ in Jure vel Statutis contentæ, quarum usus nullus est, aut „ plus obest quam prodest, expressâ revocatione cassaren- „ tur in Provinciis & Diœcesibus & in Ecclesia universali. „ Expediens etiam esset, ut nulla excommunicationis sen- „ tentia ferretur de facto à jure vel à judice neque pro præ- „ senti neque pro futuro, nisi pro manifesta contumacia „ quâ quis ostendit se non paratum audire Ecclesiam. Quo- „ modo aliter haberi debet sicut Ethnicus & Publicanus si „ Ecclesiam audire paratus est? Etiam consultum & expedi- „ ens videretur, ut nullus alium excommunicatum vitare „ teneretur, nisi postquam à suo judice denuntiatus fuerit „ talis. Et quòd solus excommunicatus aut suspensus à judi- „ ce, & pro tali denuntiatus contrahere diceretur irregula- „ ritatem immiscendo se Sacramentis, & quod solus talis à „ potestate absolvendi in foro conscientiæ spoliatus censea- „ tur. Postremo loco hic à Rosemundo optatum, hodie „ ex communi Theologorum, & Canonistarum sententia „ receptum est conformiter ad Extrav. MARTINI V. „ AD EVITANDA *Cap.* 20.

XXIII. Quid attentis temporum & locorum circumstantiis hac in parte conveniat, judicandum est ab Episcopis, ac præsertim Summo Pontifice, penes quos est exercitium & auctoritas Clavium: ut eis ad ædificationem Ecclesiæ & populi sibi commissi utantur.

XXIV. Cæterum indubitatum est, quod si omnium consensu ad excommunicationem ***mortalem*** seu anathema, quod præviis monitionibus in veros contumaces & rebelles fertur, requiratur grave & execrabile crimen, multò sanè gravius & execrabilius esse debeat crimen, ob quod feratur excommunicatio ***latæ sententiæ***, qua nimirum homo per solam transgressionem, nullâ præviâ monitione, aut verâ in crimine contumaciâ, à corpore Ecclesiæ tanquam Ethnicus & Publicanus resecatur.

XXV. Illud quoque certum est, quod cum excommunicationes ***latæ*** sententiæ dependeant à virtute & efficacia Canonis sive legis eas infligentis, debeant quoque non secus ac leges, à quibus dependent, & ad quarum observantiam feruntur, legitimè & juxta singularum Provinciarum receptos mores promulgari & publicari, ut iis in locis obligare queant.

CAPUT VII.

Excommunicatio non nisi aliis mediis frustrà adhibitis, & cum magna circumspectione ferenda.

1. *Adinstar periti Medici Prælatus resecare membrum non potest, nisi aliis remediis deficientibus.*
2. *Nec non nisi dolens; & tanquam ultimum remedium.*
3. *Synodus Tridentina inhibet Judicibus procedere per Censuras in causis civilibus antequam alia media fuerint frustra tentata.*
4. *In causis etiam criminalibus quantum fieri potest vult à Censuris abstineri.*
5. *Si executio sententiæ haberi queat per invocationem Brachii sæcularis, non est utendum censuris.*
6. *Hinc in Belgio ob debita civilia non solet per Censuras procedi.*
7. *Experientia docet ordinariè plus nocere, quàm prodesse Ecclesiæ, uti censuris ad defensionem temporalium.*
8. *Non tantum delinquentis contumacia, & criminis enormitas, sed & aliæ circumstantiæ in ferenda excommunicatione attendendæ sunt.*
9. *Prælati attente considerare debent bonum* pacis & unitatis *ubi de excommunicatione agitur ex S. Augustino.*
10. *Huic regulæ institit Apostolus & post ipsum Patres.*
11. *Hinc prima regula in ferendis Censuris observanda est, ne eradicando zizania eradicetur & triticum.*
12. *Secundum hanc regulam non facilè ad excommunicationem procedendum, dum persona aut crimen habet sociam multitudinem.*
13. *Quomodo agendum cum multitudine peccante.*
14. *Ex dictis statuitur secunda regula in ferendis Censuris servanda.*
15. *Hæ regulæ meritò attendendæ dum agitur de repellendis publicis criminosis à susceptione Sacramentorum:*
16. *Regulæ illæ ostendunt, non facilè ad excommunicandos Principes esse progrediendum.*
17. *Edicto Caroli V. vetitum, in Belgio Judicibus Ecclesiasticis uti Censuris in Judices laicos ratione contentionis super Jurisdictione.*
18. *Idipsum innuunt Concordata Brabantiæ.*
19. *Similiter & Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem.*
20. *Quid in Gallia quoad hoc punctum observetur?*

I. Quemadmodum periti medici ad membrorum resecationem non accedunt, nisi necessitate ac gravitate vulneris compulsi, aliisque mediis frustra tentatis, ita pia Mater Ecclesia ad membrorum suorum recissionem non nisi necessitate urgente, aliisq; omnibus mediis frustra adhibitis, cum magno animi dolore accedit. *Cum dolore enim amputatur* (ait Ambros. lib. 1. Offic. cap. 27.) *etiam quæ putruit pars corporis, & diu tractatur, si possit sanari medicamentis: si non possit tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere, postremo quod sanari non potest, cum dolore abscindere.*

II. Et S. Leo epist. 93. ait: *Nonnulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem* INVITUS *&* DOLENS *quodammodo debet inferre animus.*

Hac de causa excommunicatio *ultimum remedium*, & *ultima pœna* dicitur.

III. Hinc ex præscripto Synodi Tridentinæ *sess.* 25. *cap* 3. *De Reformat.* " In causis judicialibus mandatur omnibus „ Judicibus Ecclesiasticis cujuscunque dignitatis existant, „ ut quandocunque executio realis vel personalis in quali- „ bet parte judicii propria authoritate ab ipsis fieri poterit, „ abstineant se tam in procedendo quam definiendo, à cen- „ suris Ecclesiasticis, seu interdicto.

Deinde subjunctis variis mediis, quibus judices sententiarum

rum suarum executionem urgere possint, vult, ut non procedatur ad excommunicationem, nisi iis omnibus adhibitis executio haberi nequeat, *sitque erga Judicem contumacia.*

IV. „In causis quoque criminalibus (ait Synodus) ubi exe„cutio realis vel personalis, ut supra fieri potest, erit à Censuris „abstinendum.

V. Cum verò jam pridem probaverit Ecclesia, ut ubi potestas Ecclesiastica haud sufficit potestas civilis jungatur (quod hodie dicimus *implorare brachium sæculare*) uti videre est in Canone 5. Antiocheno, relecto in Concilio Calched. actione 4. Nequaquam ad excommunicationem procedendum erit, si executio sententiæ obtineri, aut rei contumacia frangi per implorationem brachii sæcularis possit.

VI. Quapropter hic in Belgio excommunicationes ob debita civilia vix locum habere possunt, aut latæ admittuntur, eo quod per alia media Juris, & quidem facilius, & minori cum strepitu executio in similibus sperari possit, quam per censuras.

VII. Sanè excommunicatione aliisque censuris moderatè admodum & parcè utendum pro defensione temporalium & illud suadet, quod experientia doceat, uti jam pridem notavit Gersonius *De Potestate Eccles. considerat.* 4. quod applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium, confusionem magnam in Ecclesia, vilipensionem vel contemptum Evangelicæ hujus censuræ induxerit & inducat. *Itaque*, ait Gersonius, *sicuti temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, videri posset aliquibus, quod ad eius defensionem similiter addere sufficerat adversus impetitores pœnam, vel censuram temporalem, ut est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.*

VIII. Insuper cum hæc pœna sit *gravissima*, trahatque secum separationem violentam membri à suo corpore; non tantùm gravitas delicti & contumacia delinquentis attendenda sunt, sed & personæ excommunicandæ conditio, nec non temporum & locorum circumstantiæ expendendæ, ut omnibus ritè perpensis videatur, num excommunicationis in his circumstantiis sperandus sit effectus ab Ecclesia intentus: atque ita non *temerè*, sed cum magna circumspectione à Prælatis procedatur.

IX. Regulas prudentiales hic servandas tradit S. Augustinus *lib. 3. contra Epistolam Parmeniani* atque imprimis *cap. 1.* hanc fundamentalem: „Omnis pia ratio & modus Ecclesiasti„cæ disciplinæ, unitatem Spiritus in vinculo pacis maximè de„bet intueri, quod Apostolus sufferendo invicem præcepit cu„stodiri, & quo non custodito medicina vindictæ, non tantùm „superflua sed etiam perniciosa, & propterea jam nec medici„na esse convincitur.

X. Huic regulæ institisse Apostolum multis ostendit; laudatque S. Cyprianum & Episcopos Africanos quod unitatem scindere noluerint licet raucti non deessent, „propter compensa„tionem (ait) custodiendæ pacis, & unitatis; propter salutem „infirmorum, & tamquam lactentium frumentorū, ne mem„bra Corporis Christi per sacrilega schismata laniarent.

XI. Prima itaque regula, quam in ferenda excommunicatione servare debent Prælati, est, cavere ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicetur & triticum.

XII. Hanc regulam ex dictis Christi confirmans ait: *num. 13.* „Nam & ipse Dominus cum servis volentibus ziza„nia colligere dixit, *Sinite utraque crescere usque ad messem:* „præmisit causam dicens, *ne forte cum vultis colligere zi*„*zania, eradicetis simul & triticum.*„ Ubi satis ostendit, „cum metus iste non subest, sed omnino de frumentorum „certa stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cujus„que crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel „nullos prorsus, vel non tales habeat defensores per quos pos„sit schisma contingere; non dormiat severitas disciplinæ, in „qua tanto est efficacior emendatio pravitatis, quantò diligen„tior conservatio charitatis.

Quandonam verò id sine labe pacis, & periculo schismatis fieri posse videatur exponit his verbis: „Tunc autem hoc sine „labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri po„test, cùm congregationis Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, „quod anathematizatur aliena est,„ Rationē subjungit:„ Tunc „autem adjuvat Præpositum potius corripientem, quam cri„minosum resistentem: tunc se ab ejus conjunctione salubri„ter continet, ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non ra„bie inimicâ, sed coercitione fraternâ. Tunc etiam ille & ti„more percutitur, & pudore sanatur, cum ab universa Eccle„sia se anathematizatum videns, *sociam turbā*, cum qua in de„licto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest invenire..... „Et revera si contagio peccandi multitudinem invaserit, divi„næ disciplinæ severa misericordia necessaria est: nam consilia „separationis & inania sunt, & perniciosa atque sacrilega: quia „& impia & superba sunt, & plus perturbant infirmos bonos, „quàm corrigunt animosos malos.

XIII. Ne tamen videatur correctio multitudinis peccantis planè negligenda, paucis interjectis subjicit Augustinus *nu. 16.* „Turba autem iniquorum, cùm facultas est in populis pro„mendi sermonem generali objurgatione ferienda est: & ma„ximè si occasionem atq; opportunitatem præbuerit aliquod „Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis „vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendatorio ser„moni calamitas auditorum, facilius in gemitum confitendi, „quàm in murmura resistendi, afflicta corda compellit.

XIV. Altera igitur Regula in ferenda excommunicatione ex præcitatis verbis Augustini servanda est: ne facilè procedatur ad excommunicationem, dum vel ipsum crimen, vel persona excommunicanda sociam habet multitudinem.

XV. Hæ regulæ meritò quoque expenduntur à Pastoribus aliisque Ecclesiasticis in corripiendis publicè, aut removendis à Sacramentis notoriis & scandalosis peccatoribus, quod & innuit Augustinus *Epist. 153. num. 21.* in nova editione.

XVI. Ex allegatis Regulis conficitur insuper, magnâ circumspectione & prudentiâ procedendum esse, dum de Principibus eorumque ministris excommunicandis deliberatur: cum hi soleant habere multitudinem sibi sociam, multosque sortiri suorum criminum defensores.

XVII. Et quia experientiâ compertum est, excommunicationes vel censuras Ecclesiasticas in ministros Regios, præsertim ob conflictum jurisdictionis, vibratas, plus contentionis & turbationis in Rempublicam & populum parere, quàm ædificationis, jam pridem hic in Belgio cautum fuit Edicto Caroli V. de 4. Octob. 1540. extante *parte 1. Edictorum Fland. lib. 3. Rubr. 1.* quod Judices Ecclesiastici uti non poterunt censuris contra Judices Regios in his quæ ad horum officium spectant: sed si suam jurisdictionem lædi prætendant, jubentur de eo per libellum informare Judices laicos; qui saltem ad bimestre ab ulteriore progressu subsistere debent, ut interea Superiorem horum Judicum informare queant. Verba Edicti sunt: *Desgelycks om te verhueden die questien ende gheschillen die dagbelycks rysen tusschen de Gheestelicke Rechteren ende onse ende voorzien tot der schandalisatie daer uyt spruytende. Wy ordonneren ende statueren, dat de voorseyde Gheestelicke Rechteren niet en sollen moghen ghebruncken van censuren ofte van monitien cominatoire, van censuren teghen onsen Officieren, ende Werlicke Rechteren ter causen van haeder officien: maer sullen ghebruncken van requisitien, naer de vvelcke de Weerlicke Rechteren (indien zy de selver niet en vvillen obtempereren) sullen ghebonden vvesen te schorsene alle voordere proceduren voor den tyd van eender maend, ten hende dat die voorschrevē Gheestelicke Rechteren ofte haerlieder Promoteurs ende Officieren, moghen tyds hebben hemlieden te voorziene ende vervversuene behoorlicke provisie van justitiē van den Oversten van de voorschreven Weerlycke Rechteren, ende niet vvesen ghefrustreert van haere requisitien: op de peyne dat indien daerenboven onze voorschreven Officieren continueerdende voorschreven proceduren, daer af arbitralicken ghecorrigeert te vvordene.* Id est: Similiter ad occurrendū quæstionibus & dissidiis quæ quotidie inter Ecclesiasticos Judices & nostros enascuntur & providendum scandalis inde orientibus. Mandamus & statuim⁹, ut in posterum præfatis Judicibus ecclesiasticis non liceat uti censuris aut monitionibus comminatoriis, contra ministros nostros, judi-

Digitized by Google

judicesque sæculares, ratione officii ipsorum: Verum utentur requisitione, quâ præmissâ tenebuntur judices sæculares (casu quo eidem obtemperare noluerint) ad mensem unum ab omni ulteriori processu cessare, in finem, ut prædictis judicibus Ecclesiasticis aut eorum Promotoribus, & Ministris tempus suppetat quo sibi provideant, & debitam Justitiæ administrationem impetrent, & ne requisitione suâ frustrentur; arbitrariæ correctionis pœnâ indictâ, eo casu prædicti nostri Ministri in prædicto processu ulterius perrexerint.

XVIII. Et *art. 29. tit. 9. Concordatorum* inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem habet: „Insuper visum est Commissariis, quod si super præmissis, & articulis superiùs non „decisis, dubium emergat, aut difficultas oriatur inter Justicia„rios Principum, talis difficultas terminari, & sedari debeat „mutuis communicationibus, vel litteris, ita quòd una Jurisdi„ctio aliam non turbet, aut impediat.

XIX. Similiter & in Edicto Philippi II. ad Synodum Provincialem Cameracensem *art. 16.* expressè decernitur, ut si Episcopi prætendant per Judices Regios subalternatos Jurisdictionem suam in aliquo violari, recursum habere debeant ad Concilium Regium Privatum, ut hac de controversia decernat quod juris.

XX. Quod Edicto Caroli V. pro Belgio decretum fuit, id & in Gallia statutum & jam pridem observatum fuisse multis contendit Carolus Fevretius *De Abusu lib. 1. c. 6.* unà tamen monens, vetitum non esse Episcopis contra Judices laicos per censuras procedere, si notoriè in materia purè Ecclesiastica, puta materia doctrinæ contra Jurisdictionem & auctoritatem Episcoporum attentarent; quod & exemplo sat recenti confirmat. Videri etiam potest Petrus De Marca *lib. 4. De Concordia Sacerd. & Imp. cap. 21.* ubi ostendit, quâ ratione contentiones super Jurisdictione Ecclesiastica inter Episcopos & Consiliarios Regios decidendæ sint per Supremum Regis Concilium.

CAPUT VIII.

De Forma & ritibus ferendæ excommunicationis.

1 *Olim nulla specialis forma aut ritus nescitur fuisse.*
2 *Episcopus sententiam excommunicationis simpliciter proferebat.*
3 *Labentibus sæculis excommunicationes frequentiores factæ cœperunt vilescere.*
4 *Hinc necesse fuit externos ritus iis adjungere.*
5 *Ex præscripto Pontificalis Romani Episcopus cum 12. Presbyteris excommunicationis sententiam profert.*
6 *Quâ ratione hic ritus ex antiqua disciplina descendat; & quomodo ab hac differat.*
7 *Ritus hodiernus extinguendi candelas ardentes est recentioris instituti & hactenus Græcis ignotus.*
8 *Aliqui credunt, eum sæculo 11. non esse antiquiorem.*
9 *Eum esse antiquiorem evincit Regino Abbas Prumiensis.*
10 *Non pertinet ad substantiam aut efficaciam excommunicationis, sed ad terrorem incutiendum.*
11 *Ad sustinendam auctoritatem excommunicationum necesse fuit implorare potestatem sæcularem.*
12 *Ad incutiendum terrorem pertinent quædam expressiones verborum.*
13 *Item quod insordescens per annum habeatur suspectus de hæresi.*
14 *Vult Pontificale hodiernum excommunicationem notificari per Parochias & vicinis Episcopis: qui est ritus vetustissimus.*
15 *Semper in Ecclesia excommunicatus ab uno Episcopo ab omnibus vitandus fuit.*
16 *Hanc disciplinam non introduxit sed confirmavit Synodus Nicæna.*
17 *Hinc mos invaluit notificandi excommunicationem per litteras.*
18 *Sententia excommunicationis in Scriptis, & expressâ causâ ferri debet.*
19 *Copia authentica dari debet excommunicato.*
20 *Hæc observanda dumtaxat in excommunicatione ferendæ sententiæ; quid in latæ?*

I. PRistinis Ecclesiæ sæculis nulla specialis legitur excommunicationis forma, aut certi ritus præscripti; sed in hoc unum erant Prælati, ut accuratè examinarent causam excommunicationis, ipsiusque criminosi dispositionem; an nullo alio leniori remedio ad pœnitentiam & correctionem adduci posset, quemadmodum latè describitur *lib. 2. Constitut.* vulgò *Apostolicarum cap. 37.* nulla factâ mentione de aliqua forma ritu ve in ferenda excommunicationis sententia servandâ; imò simpliciter dicitur *cap. 38.* si præmissis *tribus* monitionibus: „aliquis durus, „obstinatusque erit, dic Ecclesiæ: hanc si contempserit, neque „audire voluerit sit tibi ut Ethnicus & Publicanus, & ne eum „ad Ecclesiam tamquam Christianum admittas; imò tamquam Publicanum devita.

II. Itaque Episcopus adhibito Clero suo, sententiam excommunicationis simpliciter, nullo externo aut speciali ritu adhibito pronuntiabat, & quem à pœnitentia alienum videret & obduratum, hunc cum mœrore ut *insanabilem* ejiciebat ab Ecclesia, ut dicitur *cap. 42.* lib. citati.

III. Verùm cum labentibus sæculis multiplicarentur excommunicationes, ipsique judices non eam moderationem & circumspectionem in iis ferendis adhibere viderentur, quam hujusmodi pœnarum inflictio requirebat nec semper finem quem Ecclesia intendit, præ oculis haberent, cœperunt quoque laicis præsertim potentioribus vilescere, & contemni.

IV. Ut ergò auctoritas major ipsis censuris conciliaretur, terrorque populo incuteretur, cœperunt circa sæculum nonum aut decimum certæ formulæ & ritus introduci, quæ & sensim majus incrementum acceperunt.

V. Dicit hodiernum Pontificale Romanum titulo De ordine excommunicandi, „Quando anathema, id est, solemnis „excommunicatio pro gravioribus culpis ferri debet, Ponti„fex paratus amictu, stola, pluviali violaceo, mitra simplici, as„sistentibus sibi duodecim Presbyteris superpelliceis indutis, „& tam ipso, quam Presbyteris *candelas ardentes* in mani„bus tenentibus sedet super faldistorium ante altare majus, „aut alio loco publico, ubi magis sibi placebit; & ibi pronun„tiat & proferat anathema.

VI. Hinc consessus Episcopi assistentibus 12. Presbyteris, vestigium & reliquiæ sunt veteris disciplinæ, quæ causas Clericorum volebat ab Episcopo assistente sibi Clero suo discuti & terminari, uti sæpius in hoc opere monui: sed hæc Presbyterorum sive Cleri assistentia non erat *merè cæremonialis*, uti est hodie; sed judicialis: nam & ipse in examine ac discussione causæ Episcopo assistebat; unumque cum Episcopo *Senatum* constituebat.

VII. Ritus candelas ardentes in manibus tenendi, easque pronuntiato anathemate, in terram projiciendi, quemadmodum Pontificale præscribit, ritus est recentioris instituti, solis Latinis notus, Græcis hactenus ignotus; uti notat Christianus Lupus tomo 5 Schol. in Canones *pag. 829.*

VIII. Eum non esse antiquissimum fatetur ibidem *pag. 830.* Lupus, dicitque, se ignorare vetustiorem ejus memoriam, quam à Lemovicensi Synodo celebrata anno 1031. ubi *Sess. 1.* Synodus excommunicat quosdam alienarum rerum raptores sub hac formula: *Sicut hæ* LUCERNÆ *extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu Sanctorum Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.*

IX. Licet fateamur, ritum hunc primis Ecclesiæ sæculis fuisse ignotum, nihilominus eum fuisse in Ecclesia notum ante dictam Synodum, evincitur ex Regione Abbate Prumiensi qui floruit circa initium sæculi decimi; adeoque integro facilè sæculo ante dictam Synodum. Hic autem *Lib. 2. De Disciplinis Eccl. cap. 412.* refert formulam excommunicationis cum hac clausula: *sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu SS. Angelor. nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.*

Imò videtur formula hæc à Regione tamquam tum temporis usitata referri; unde incertum est, quo præcisè tempore introducta sit.

X. Hoc certum, hunc ritum nullatenus ad substantiam spectare ipsius excommunicationis, neque ei majorem aliquam vim aut efficaciam addere; sed ad exprimendum vivaciùs ipsum excommunicationis effectum & terrorem illius incutiendum, unicè esse inductum; idque verisimiliter circa sæculum nonum & decimum, quando ipsæ excommunicationes

Digitized by

cationes ob suam frequentiam vilescere & contemni cœperunt.

XI. Similiter labentibus sæculis ad sustinendam auctoritatem excommunicationum opus fuit laicam potestatem implorare; ut qui gladio spirituali à vitiis aut errore non revocarentur pœnâ temporali compellerentur. Et quidem in sæculo 13. à S. Ludovico Rege Galliæ decretum legimus, „ut si aliqui „per annum contumaces extiterint, ex tunc compellantur „redire ad Ecclesiasticam unitatem; *ut quos à malo non retra-„hit timor Dei, saltem pœna temporalis compellat.* Unde „præcipimus (ait) quod Balivii nostri omnia bona talium ex-„communicatorum mobilia & immobilia post annum ca-„piant, nec eis aliquo modo ea restituant, donec prædicti ab-„soluti fuerint & Ecclesiæ satisfecerint, „Plura vide in hanc rem apud Du Cange in Glossario verbo *Excommunicati*, qui ibidem notat, interdum etiam ad absolutionem petendam à Judicibus Regiis coactos fuisse sub pœna carceris.

XII. Eumdem in finem tendunt execrationes & terribiles verborum formulæ, quibus ipsa sententia excommunicationis pronuntiatur, quæ variæ sunt pro diversitate formularum; atque inter alia in formula Pontificalis dicitur: *Et damnatam cum diabolo & Angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem æternum damnamus donec à laqueis diaboli resipiscat &c.*

XIII. Ad idem tendit, quod recentioribus decretalibus similiter inductum est, & cujus meminit Synodus Trid. *Sess. 25. cap. 3 de Reform.* „ut si obdurato animo censuris annexus, in „illis per annum insorduerit, etiam contra eum tamquam de „hæresi suspectum procedi possit. „Quod tamen hodie juxta suum rigorem non observatur, nisi in provinciis ubi tribunal Inquisitionis est stabilitum, uti monet Fleury in Institutionibus Juris Ecclesiastici parte 3. cap. 22. in fine.

XIV. Quod verò ex Pontificalis præscripto injungatur ut prolato anathemate sive excommunicatione, „Epistola Pres-„byteris per Parochias, & etiam vicinis Episcopis mittatur, „continens nomen excommunicati & excommunicationis „causam, ne quis per ignorantiam ulterius illi communicet: „ritus est admodum antiquus, & ex traditione Apostolica ad nos transmissus.

XV. Hoc enim semper in Ecclesia usitatum fuit, ut excommunicatus ab uno Episcopo, ab omnibus vitandus esset, & reputandus tamquam Ethnicus & Publicanus. Hujus disciplinæ exemplum habemus in Marcione, qui ab Episcopo ob stuprum excommunicatus cum Romam venisset post mortem Hyginii Papæ, & à Clero Rom. in communionem admitti postulasset, respondit Clerus, se id facere non posse sine arbitrio & consensu Episcopi ejus, uti latius ex Ephiphanio refert Baronius ad anno 146.

XVI. Hanc disciplinam non introducens, sed renovans Synodus Nicæna I. *Canone 5.* statuit: „ut de iis qui commu-„nione privantur sive ex Clero sive ex laico ordine ab Episco-„pis uniuscujusque Provinciæ servetur hæc sententia secun-„dum Canonem qui pronuntiat, ut qui ab aliquibus abjiciun-„tur, ab aliis non recipiantur.

XVII. Ne igitur ignorantiam prætenderent Episcopi, jam pridem usitatum fuit, ut excommunicationis sententia per Parochias ubique publicaretur, & Episcopis intimaretur. Hinc Regino Abbas Prumiensis relatâ formulâ excommunicationis sæculo 11. usitata subjungit: „deinde epistolæ Presbyteris per „parochiam mittantur continentes modum excommunicati-„onis in quibus jubeantur ut diebus dominicis post lectionem „Evangelii plebibus sibi commissis publicè annuntient ipsam „excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam commu-„nicet excommunicato; oportet etiam ut aliis Episcopis ipsa „excommunicatio manifestetur. „ Hæc ille *lib. 2. De Eccles. disc. cap. 410.* dictaque sua confirmat ex *Can. 2.* Toletani I.

XVIII. Præter verborum formulas, & externos aliquos ritus ad terrorem adhiberi solitos, recentior quoque disciplina induxit, ut qui excommunicat, excommunicationem *in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Cap. 1. De Sent. Excommunicationis in VI.*

XIX. Ubi insuper præcipitur excommunicanti: „exem-„plum ejusmodi scripturæ excommunicato tradere intra „mensem, si requisitus fuerit, super qua requisitione fieri vult „publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici si-„gillo authentico consignatas.

XX. Et hæc quidem in excommunicatione *ferendæ sententiæ* juxta modernam Ecclesiæ disciplinam servanda sunt: Quoad excommunicationem verò *latæ sententiæ* servari debent illa, quæ in legis aut Canonis promulgatione, & confectione præscripta sunt.

CAPUT IX.

De Interdicto.

1 *Interdictum hodie sumitur pro distincta specie censuræ.*
2 *Descriptio interdicti.*
3 *Quomodo excludatur excommunicatio?*
4 *A suspensione quomodo distinguatur.*
5 *Per interdictum non vetatur usus omnium rerum Divinarum.*
6 *Allegata descriptio interdicti accommoda Recentiorum placitis.*
7 *Interdicti divisio; & quid interdictum* locale.
8 *Quid interdictum* personale?
9 *Mixtum ex utroque.*
10 *Interdictum locale* generale *describitur.*
11 *Quid interdicto generali civitatis aut villæ vel castri contineatur?*
12 *Interdictum locale particulare: & Ecclesiâ particulari interdictâ quid comprehendatur?*
13 *Interdictum personale* generale.
14 *An Clero interdicto & populus censeatur interdictus vel è converso?*
15 *Quid interdictum personale* speciale?
16 *An interdicti localis meminerit S. Basilius?*
17 *De hoc interdicto non loquitur S. Augustinus.*
18 *Interdicti* locali *meminisse videtur S. Gregorius Turonensis.*
19 *Usus interdicti generalis maxime invaluit circa sæculum 10. & sequentia; & quæ hujus occasio?*
20 *Illustris illius forma proposita & probata in Synodo Lemovicensi.*
21 *Eam* novam *fuisse testantur Auctores coævi.*
22 *Interdicta præsertim Generalia posterioribus sæculis multùm frequentia fuerunt.*
23 *Populus per illa Divinis Officiis & Sacramentis atque instructionibus frequenter sine propria culpa privabatur; idcirco Pontifices interdicti rigorem mitigare cœperunt.*
24 *Alexander III. permittit Baptismum administrari parvulis, & pœnitentias morientibus.*
25 *Innocentius III. indulsit prædicari verbum Dei, & dari Sacramentum Confirmationis: & Clericis sepulturam in cœmeterio.*
26 *In Conventualibus Ecclesiis submissâ voce recitare Divina Officia; utpote peregrinis & Cruce Signatis etiam sanis detur Pœnitentia.*
27 *Gregorius IX. permittit in Ecclesia interdicta Missarum solemnia semel in hebdomada sub certis conditionibus celebrari.*
28 *Amplius de interdicti rigore relaxavit Bonifacius VIII.*
29 *Ratio relaxationis petita à detrimento spirituali quod populus patitur.*
30 *Judices Ecclesiastici minùs circumspectè, & potiùs ex cupiditate quàm charitate Interdicta ferebant.*
31 *Constitutio Bonifacii VIII. contra hæc temeraria Interdicta.*
32 *Concordata Brabantiæ ad scandala vitanda modum interdictis ferendis præscripserunt.*
33 *Idipsum præstitum à Synodo Basileensi.*
34 *Non sine magna causa & moderatione & circumspectione interdictum generale infligendum.*
35 *Major causa & prudentia in ferenda hac generali censura, quàm excommunicatione requiritur.*
36 *Ratio eò debet esse major quo latiùs se interdictum extendit.*
37 *Qui effectus interdicti circa cessationem à Divinis?*
38 *Per celebrationem in loco interdicto incurritur irregularitas.*
39 *Interdictum differt à simplici cessatione à Divinis.*
40 *Hæc minora quàm interdictum, præsertim generale, habet incommoda.*

I. INter species veræ & propriè dictæ censuræ Ecclesiasticæ hodie uno consensu numeratur *interdictum*; & accipitur pro censura ab excommunicatione & suspensione distincta; quamvis & in his censuris aliquod interdictum sive interdictio interveniat.

II. Describitur autem communiter *Interdictum*, ut est specialis & distincta species censuræ: „Censura Ecclesiastica „prohibens usum quarumdam rerum divinarum, ut Fidelibus „communium, quatenus talis est.

III. Excommunicationem hîc excludi dicunt; quia etsi hæc prohibeat quoque rerum quarumdam divinarum *usum*: non tamen *quatenus est usus*, sed prout est quædam *communicatio* cum Fidelibus.

IV. A suspensione autem distingui notant, quia hæc privat quidem spiritualium rerum usu; sed non *ut communi Fidelibus*, at solis *Clericis proprio*; uti capite sequenti notabitur.

V. Dicitur autem in definitione ALIQUARUM *rerum divinarum*: quia Interdictum non privat *omnibus* rebus divinis: sed illis dumtaxat, quæ in Jure expressæ sunt, & modo etiam in Jure etiam declarato, uti ex dicendis patebit.

VI. Hæc interim satis probant, hanc descriptionem desumptam & circumscriptam esse conformiter ad ea quæ à Recentioribus Canonistis & Theologis Scholasticis circa hanc speciem censuræ recepta reperiebantur. Nec enim in pristinis Canonibus & Auctoribus has præcisas & determinatas differentias censuram facilè reperies.

VII. Interdictum autem jam descriptum dividitur in locale, & personale & mixtum.

Locale dicitur, quod directè fertur ad locum, ne in eo exerceantur divina, secundùm modum à Jure definitum.

In descriptione dictum est *directè* ferri ad locum: quia *indirectè* etiam refertur ad homines; quatenus in eo *loco* divinis interesse nequeunt: Sed tamen quia *directè* solum locum respicit, *non personas*; ideò personæ possunt alio loco divinis assistere, Sacramenta accipere, atque in locis sacris alibi sepeliri: ideoque nec personæ interdictæ dicuntur.

VIII. Interdictum *personale* vocatur, quod dirigitur immediatè & directè ad *personam*, eique interdicit certum quemdam rerum divinarum usum: differtque à *locali*, quòd non terminetur ad certum locum. Nam si persona simpliciter sit interdicta, nec alibi divinis interesse potest, ipsumque Interdictum vulgò dicitur *ambulare* cum persona, & esse *ambulatorium*; nullus autem locus propterea *interdicto* est suppositus, possuntque alii non interdicti in loco divinis interesse.

IX. Mixtum appellatur, collectum ex utroque; id est, quod & directè in locum & in personam fertur: atque tam personæ quàm locus interdicto *æquè directè* subjacent.

X. Interdictum tam locale, quàm personale ulterius dividitur in universale & singulare.

Locale universale sive generale solet vocari illud, quo interdicto subjicitur locus plura alia loca sub se continens & suis limitibus comprehendens: ut sunt Regnum, Provincia, Civitas, Diœcesis &c.

XI. Hujus interdicti mentio occurrit in *Cap.* 10. & 17. *De Sentent. Excommunicat. in* VI. declaratque in posteriore Bonifacius VIII. quod si „civitas, castrum, aut villa Ecclesiastico subjiciantur interdicto, illorum suburbia, & continentia „ædificia eo ipso intelligi interdicta. „ Rationem subjungit: „Nam licet prædicta videantur alias murorum ambitu ter„minari, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdi„cti (quod fieret si possèt in ipsorum suburbiis, vel continen„tibus ædificiis licitè celebrari, ut prius) expedit interpretatio„nem fieri latiorem.

XII. Interdictum particulare est, quo solummodo interdicto subjicitur locus aliquis particularis; puta unica Ecclesia: uti sat insinuatur in citato *Cap.* 17. declaratque ibidem Bonifacius VIII. quod ratio quæ suadet, civitate interdicta, censeri quoque interdicta suburbia, etiam suadeat, ut „si sit Ecclesia „interdicto supposita vel subjecta: nec in Capella ejus cele„brari, nec in cæmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis pote„rit sepeliri: secus si ei contigua non existant.

XIII. Personale interdictum generale dicitur, quo aliqua communitas, ac proinde plures homines complectens, interdicitur: ut si incolæ certæ civitatis, si quoddam Capitulum, si Collegium, si Monasterium &c. accipiendo nimirum Collegium & Monasterium pro solis personis, ita ut non interdicatur locus. Requiritur etiam ut homines illi plures interdicantur sub nomine ipsius communitatis.

XIV. Hujus interdicti mentio fit in *Cap.* 16. *De Sent. excommunicat. in VI.* declaraturque: „Si sententia *inter„dicti* proferatur in *Clerum* non intelligi (nisi aliud sit ex„pressum in ea) inter dictus populus; nec etiam è converso. „Unde uno interdicto ipsorum, alius licite admittitur ad Di„vina.

XV. Si aliqui etiam plures interdicantur expressis *nominibus propriis*, & non quatenus constituunt communitatem aut collegium, dicetur Interdictum *particulare*; quia omnes subjiciuntur interdicto ut *particulares*.

XVI. Interdicti generalis, quo Provincia, civitas, aut communitas quædam interdicto subjicitur; & quod hodie contievit nomine *interdicti* intelligi, meminisse S. Basilium *epistola* 244. credunt nonnulli; ubi interrogatus, quid agendum de illo, qui filiam alicujus rapuerat, resolvit, filiam Parentibus suis restitui, ipsum Raptorem ejusque complices excommunicari debere, *Villa verò* (ait) *quæ Raptorem susceperit cum Rapta, nec reddiderit, prorsus suspensa sit a precibus & orationum communione.*

Verùm ex contextu patet, Basilium hic non loqui de *villa* prout locum aut domum quamdam significat; sed de familia quæ Raptorem cum Rapta susceperat; hancque non *interdicto* propriè dicto subjecit, sed in *pœnitentiam* à communione excludendam censuit.

XVII. Similiter quæ sub nomine S. Augustini ex Epistola ad Bonifacium refert Gratianus *Caus.* 17. *q.* 4. *Can.* 8. tametsi essent revera S. Augustini, hujus censuræ antiquitatem minimè probarent: cùm evidens sit, non nisi de negata communione in pœnitentiam ibidem agi.

XVIII. Propiùs ad hanc censuram spectare videtur exemplum relatum à S. Gregorio Turonensi *lib.* 8 *Hist. Francorum cap.* 31. Cum enim S. Prætextatus Episcopus Rothomagensis in Ecclesia ipso die Paschatis Divina Officia peragens fuisset trucidatus. „Leudovaldus Episcopus Epistolas „per omnes Sacerdotes direxit, & accepto consilio *Ecclesias* „*Rothomagenses clausit*, ut in his populus *solemnia Divina* „*non spectaret*, donec indagatione communi reperiretur hu„jus auctor sceleris.

Nequaquam negari posse videtur, quin hic aliquam Interdicti speciem habeamus; adeoque facilè crediderim, circa sæculum sextum ob enormia crimina cœpisse aliquando civitatis aut Diœcesis Ecclesias Interdicto subjici.

XIX. Sed cùm admodùm rara & extraordinaria essent hæc exempla; nec per omnia conformia illis, quæ jura posteriora de hac censura *Interdicti* edicunt putant non pauci Viri eruditi, originem ejus referendam potiùs esse ad sæculum decimum aut undecimum; creduntque, Interdictum præsertim *generale*, præcipuè cæpisse frequentari, quando Principes particulares, qui sub Carolo Magno ejusque Successoribus dumtaxat fuerant Provinciarum Gubernatores, se in earum Dominos absolutos erexerunt.

Ut enim horum contumaciam frangerent Episcopi, generali Provinciarum aut civitatum, interdicto uti cæperunt; ut populus tædio affectus, etiam ipsum Principem, ad obedientiam quodammodo adigeret.

XX. Quidquid sit, certum est, quod nulla illustrior forma, atque ipsam Interdicti hodiernam formam & rationem propiùs exprimens, occurrat quam in Synodo Lemovicensi anno 1031. celebrata. In hac enim Odericus Abbas suggerens Episcopis medicinam adversus generalem morbum, qui contumaciæ Principum & Magistratuum sæcularium adscribebatur, adhibendam, ait: „Nisi de pace acquieverint ligate *omnem terrā* „Lemovicensem publica excommunicatione, eo videlicet mo„do, ut nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregri„nus adveniens, aut infans à bimatu, & infra in toto Lemovi„cinio sepeliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum „portetur. Divinum officium per omnes Ecclesias latenter „agatur, sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam „tertiam signa sonent in Eccles. omnibus & omnes proni in „faciem preces pro tribulatione & pace fundant Pœnitentia

& via-

„ & viaticum in exitu mortis, tribuatur: altaria per omnes Ecclesias, sicut in Parasceve, nudentur, & cruces & „ ornamenta abscondantur, quia signum luctûs & tristitiæ „ omnibus est. Ad Missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesiarum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Missas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem ducat: nemo alteri osculum „ det: nemo clericorum, aut laicorum, vel habitantium, „ vel transeuntium, in toto Lemovicinio carnem comedat, „ neque alios cibos, quàm illos, quibus in Quadragesima „ vesci licitum est. Nemo laicorum aut clericorum tondeatur, neque radatur quousque adistricti Principes, & capita populorum per omnia sancto obediant Concilio. Si „ quis verò probatus fuerit aliquo modo hujus vinculi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia.

Placuit Odorici consilium Patribus istius Synodi.

XXI. Hoc consilium ad praxim deductum fuisse ab Episcopo Lemovicensi judicat Ademarus Engolismensis scribens circa idem tempus: „ Alduinus Episcopus Lemovicensis pro nequitia populi *novam* observantiam constituit, scilicet Ecclesias & Monasteria cessare à Divino cultu, „ à Sacrosancto Sacrificio, & populum quasi Paganum à „ divinis laudibus cessare, & hanc observantiam excommunicationem censebat,

An antiquius hujusmodi interdicti exemplum extet, nescio, interim hoc evincit Auctoris hujus testimonium, observantiam tunc adhuc fuisse *novam*. Unde & eodem sæculo Ivo Carnotensis *Epist*. 94. vocat interdictum, *remedium* INSOLITUM!, ob suam nimirum novitatem.

XXII. Hoc quoque indubitatum est, labentibus sæculis usum interdictorum præsertim *generalium* mirum in modum fuisse extensum; eoque Pontifices & Episcopos frequentissimè usos esse ut Principes & Magistratus, qui particulares excommunicationes in suas personas latas contemnebant, ad obedientiam & restitutionem adigerent: atque ipsis excommunicationibus vim & efficaciam adderent.

XXIII. Sed cum hæc interdicta plerumque indicerentur ob crimen à *solo* Principe, aut Magistratu commissum; ipseque nihilominus populus sæpius planè innocens eodem interdicto involveretur, & Ecclesiasticis Sacramentis, & Divinis Officiis & instructionibus salutaribus privaretur; idque cum summo salutis discrimine, idcirco diversi Pontifices diversa temperamenta his interdictis adhibuêre.

XXIV. Sæculo 12. ad Episcopos per Angliam constitutos scribit Alexander III. in *Cap*. 11. ꝟ. *De Sponsalib*. ut si Rex Angliæ ad eorum commonitionem non restituat uxores filiis suis intra certum terminum, " ex tunc in quacum„ que (ait) Provinciarum vestrarum detinentur vel transferuntur (uxores filiorum Regis) donec ibi fuerint, *nulla* „ *divina Officia* celebretis, nec permittatis aliquatenus celebrari. *præter Baptismum parvulorum, & pœnitentias morientium*.

XXV. Ulterius Innocentius III. in *Cap*. 43. ꝟ. *De Sent. Excom*. permittit tempore interdicti populo prædicari *Verbum* Dei; & parvulis dari Sacramentum *Confirmationis*. Et in *Cap*. 11. ꝟ. *De Pœnit. & remiss*. indulget ut tempore interdicti " Clerici decedentes, qui tamen servaverint Interdictum, in cœmeterio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus solemnitatibus omnibus cum „ silentio tumulentur.

XXVI. Insuper " & in Conventualibus Ecclesiis bini & „ bini, vel simul tres Horas Canonicas valeant legere, non „ cantare, januis clausis, interdictis & excommunicatis ex„ clusis, & voce ita remissâ quod exterius audiri non possit.

Denique indulget, ut Cruce-signatis & peregrinis, etiam bene valentibus *detur pœnitentia, cùm postulaverint*.

XXVII. Post hæc Gregorius IX. in *Cap*. 57. ꝟ. *De Sent. Excom*. " permittit Ecclesiarum Ministris semel in hebdo„ mada tempore interdicti, non pulsatis campanis, voce „ submissâ, januis clausis, excommunicatis & interdictis „ exclusis, Missarum solemnia celebrare causa conficiendi „ Corpus Domini, quod decedentibus in pœnitentia non „ negatur.

XXVIII. Demum Bonifacius VIII. in *Cap*. ALMA MATER. *De Sent. Excom. in* 6. in multis rigorem interdicti relaxavit: atque imprimis, ut " non tantum morientes, „ sed etiam viventes tam sani, quàm infirmi ad pœnitentiam licitè admittantur.... Præterea quod singulis diebus „ in Ecclesiis & Monasteriis Missæ celebrentur, & alia Di„ vina Officia sicut prius, submissâ tamen voce, & januis „ clausis, excommunicatis & interdictis exclusis, & cam„ panis etiam non pulsatis ...... In festivitatibus verò natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis „ Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis „ altâ voce Divina Officia solenniter celebrentur, excommunicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis: qui„ bus ob reverentiam dictarum solennitatum, (& ut ipsi ad „ humilitatis gratiam & reconciliationis affectum faciliùs „ inclinentur) præfatis diebus participationem permitti„ mus divinorum: sic tamen quod illi, propter quorum „ excessum interdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appropinquent.

XXIX. Rationem hujus relaxationis & mitigationis præmiserat Bonifacius dicens: " Quia verò ex districtione „ hujusmodi Statutorum excrescit indevotio populi, pullu„ lant hæreses, & infinita pericula animarum insurgunt ac „ Ecclesiis sine culpa earum debita obsequia subtrahuntur.

Eandem rationem tangit idem Pontifex in *Extravagante* 1. *De Senten. Excomm*. his verbis: " Tolluntur mortuis, seu minuuntur suffragia, præsertim per oblationem „ frequentem hostiæ salutaris, adolescentes & parvuli par„ ticipantes rarius Sacramenta minus inflammantur, & solidantur in fide, fidelium tepescit devotio, hæreses pullu„ lant, & multiplicantur pericula animarum.

XXX. Testatur quoque ibidem Pontifex, quod " nonnulli judices *nimis promptè* ad proferendas sententias interdicti etiam in negotiis sive causis, quæ interdum *plus* „ *ex cupiditatis*, quàm charitatis radice perspicuis indiciis „ procedere arguerentur.

XXXI. Ut his inordinatis interdictis modum ponat; cavet, " ut nulla Provincia, civitas, castrum, villa, lo„ cus, territorium, vel districtus auctoritate ordinaria „ vel delegata supponatur Ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel pro cujusvis monetæ, vel pecuniæ „ quantitate quacumque occasione vel causa, seu quovis „ quæsito colore: pro eo maximè quod ipsorum Domini, „ Rectores seu officiales, quocumque nomine censeantur, „ aut incolæ seu habitatores aut singulares personæ ipso„ rum statutis, vel statuendis, ordinatis vel ordinandis ter„ minis hujusmodi debitum seu quantitatem non solve„ runt hactenus aut in antea non persolvent.

XXXII. ☞ Concordatis quoque inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit*. 8. cautum est: " Propter scan„ dala vitanda, ut honor Dei, & jura serventur, de cætero „ interdictum, ut cessus à Divinis nullatenus poni potetunt, pro quocumque delicto alicujus singularis personæ, „ sed solùm pro delicto Domini loci Rectorum, seu eo„ rum Officialium vel communitatis delinquentis, com„ municato consilio offendentis realiter & de facto Clericos in sacris Ordinibus constitutos, aut beneficiatos, si „ verò beneficiis actu deservientes, quo casu, si Dominus „ Rector vel Communitas delictum infra mensem emen„ dare recusaverint, vel quando singularis persona præmissa perpetrarit, & dictus Dominus Rector, vel Officialis „ talem singularem malefactorem, infra dies octo, si præ„ sens fuerit, non apprehenderit, vel absentem, infra men„ sem non bannierit, aut apprehensum ad satisfaciendum „ infra dies octo non compulerit, sed Communitas præmis„ sa, sic fieri non procuraverit, tunc nisi de diligentia, per e„ os super præmissis facta, constiterit, cessus, vel Interdi„ ctum poni poterit, aliàs non, reservata Judici Ecclesia„ stico, & Sæculari (ut præmissum est) correctione offen„ dentium realiter personas Ecclesiasticas, vel eis realiter „ injuriantes.

XXXIII. Similis penè limitatio jam pridem facta est in

Concilio Basileensi *Sess.* 20. insertaque Pragmaticæ Sanctioni. & Concordatis Galliæ sub titulo *De Interdictis non leviter ponendis*.

XXXIV. Meritò monet ad illum textum Glossographus Pragmaticæ Sanctionis, " non sine magna causa & „ maturitate gravi esse procedendum ad Interdictum ge„ nerale, ne facilè infiniti inculpabiles propter delictum „ paucorum à Sacramentis interdicti censeantur.

Addit deinde: Discretio suadet, ut primò delinquentes „ specialiter & nominatim interdicantur & non alii. Ut ab „ initio delinquentes generaliter non interdicantur quoad „ omnes effectus Interdicti sed quoad quosdam: scilicet „ primò interdicatur culpabilibus Corpus Christi, & se„ pultura in cœmiterio, & sic paulatim procedendo de ef„ fectu in effectū. Et demùm cùm in profundum malorum „ laberentur, propter eorum culpam Interdictum generale „ proferendum, ut omnes inculpabiles contra delinquen„ tes insurgant.

XXXV. Sanè si in ferenda excommunicatione in unam & singularem personam, gravis causa, magnaque prudentia & circumspectio requiratur, ut in antecedentibus ostendimus, quantò magis in ferendo *interdicto* præsertim generali, quo plures innocentes solent involvi, crimen enorme necessarium; summâque circumspectione procedendum est.

XXXVI. Hoc autem indubitatum est, eò majorem & graviorem causam requiri; majoremque necessitatem & circumspectionem, quo interdictum est generalius; & ad plura loca & personas se extendit.

XXXVII. Qui sint effectus Interdicti; & à quibus tempore interdicti sit abstinendum, facilè colligi potest ex Decretalibus supra relatis: cessandum enim est ab omnibus sacris functionibus sub modo & forma ibidem expressis.

XXXVIII. " Is verò, qui scienter in loco celebrat sup„ posito *interdicto* (nisi super hoc privilegiatus existat, aut „ à jure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit: à „ qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem „ liberari, & adeò efficitur ineligibilis, quod nec ad eligen„ dū cum aliis debebit admitti." *C. 18. §. 1. De Sent. exc. in VI.*

Notant autem Doctores, quod etsi hìc tantùm fiat mentio *celebrationis*; eaque soleat restringi ad *celebrationem Missæ*, hìc tamen comprehendere omnem Divinorum celebrationem; etiam Sacramentorum administrationem; nimirum juxta limitationes supra ex Decretalibus relatas.

XXXIX. Interdictum à simplici *cessatione à divinis* esse distinctum; nec hanc esse propriè *censuram* Ecclesiasticam communiter observant interpretes; & sat evidenter exprimitur in *Cap. 18. De Sent. excom. in VI.* dum dicitur, quod „ is, qui in Ecclesia sanguinis effusione pollutâ, vel qui præ„ sentibus majore excommunicatione nodatis, scienter *ce„ lebrare* præsumit: licèt in hoc temerariè agat, *irregula„ ritatis* tamen (cùm id in jure expressum non sit) *laqueum* „ *non incurrit*;" quem tamen incurreret, si cessatio à Divinis cum *Interdicto* ut est censura coincideret: quia indubitatum est, hujusmodi cessationi à Divinis suppositam esse Ecclesiam sanguinis effusione pollutam; neque in ea ante reconciliationem Divina officia, præsertim Missarum solemnia celebrari posse, uti ostendimus *part. 2. tit. 16. cap. 4.*

XL. Cumque cessatio à Divinis à jure ob crimen in Ecclesia commissum, ad terrorem populi infligatur; atque tantùm in Ecclesiâ speciali crimine polluta à Divinis cessetur ob delictum publicum, non solet hæc cessatio à Divinis secum trahere magna incommoda; nataque est populo salutarem terrorem & criminis horrorem incutere: unde meritò hæc à Divinis Officiis cessatio servatur; atque sæpius expediret, ut Ecclesiæ reconciliatio ad aliquod notabile tempus differetur, præsertim si de crimine enormi agatur; & aliæ non desint Ecclesiæ in quibus Divina officia peragantur.

CAPUT X.

De Suspensione.

1. *Suspensio hodie distincta species censuræ.*
2. *Ejus definitio.*
3. *Desumpta ex iis quæ de hac censura tradunt recentiores.*
4. *Quomodo ab excommunicatione distinguatur?*
5. *Suspensio est censura propria Clericis.*
6. *Suspensio alia est ab officio, alia à Beneficio.*
7. *Prior importat Suspensionem ab Ordine & jurisdictione.*
8. *Suspensio ab Officio non privat iis quæ sunt communia laicis.*
9. *Suspensio potest esse partialis ad ea, quæ sunt Ordinis, vel quæ jurisdictionis, aut aliqua eorum.*
10. *Etiam limitari potest ad locum.*
11. *Simpliciter expressa non restringitur ad tempus.*
12. *Potest tamen restringi.*
13. *Hæc exspirat per lapsum temporis.*
14. *Quid suspensio à Beneficio, & quomodo restringi queat?*
15. *Multis sæculis ignota fuit distinctio Suspensionis à Beneficio & ab Ordine.*
16. *An hodie Suspensio ab officio importet Suspensionem à Beneficio?*
17. *Suspensio debet ferri in scriptis causâ expressâ.*
18. *Debet dari copia Suspensionis, si petat.*
19. *Hæc non requiruntur in Suspensione latæ sententiæ, & hæc quid sit?*
20. *Suspensio non privat Clericum suo Beneficio aut Officio.*
21. *Qua ratione Suspensio censeatur non perpetua?*
22. *Quomodo distinguatur à depositione.*
23. *Clericus Suspensus ab Ordine fit irregularis, si exerceat ea, quæ Ordinis illius sunt.*
24. *Idque de jure etiam in Clericis Minorum Ordinum obtinere verius est.*
25. *Secus attendendo multarum Ecclesiarum consuetudinem.*

INter species censuræ hodie numeratur *Suspensio*, juxta Responsum Innocentii III. in *Cap. 20. X. De V. S.* & ibi notant uno consensu Interpretes; eamque esse censuram distinctam ab Excommunicatione & Interdicto.

II. Definitur autem communiter Suspensio prout est censura distincta reliquis censuris: " Censura Ecclesiasti„ ca, qua Clericus ob culpam suam prohibetur ab Execu„ tione potestatis Ecclesiasticæ quam habet ratione officii „ aut beneficii Ecclesiastici, vel in totum, vel pro parte, „ vel ad tempus: vel in perpetuum.

III. Non dubium, quin hæc definitio accommodata sit iis, quæ à Canonistis & Scholasticis recentioribus communiter de hac censura traduntur. Licet enim in sacris Canonibus frequenter mentio fiat de Interdictione aut Suspensione Clericorum à suis functionibus pro meritis culpæ nihil tamen de suspensione prout constituit præcisè speciem censuræ, eamque à reliquis formaliter distinctam: occurrit simpliciter de hac Suspensione tanquam pœnâ Clericis pro modo culpæ infligendâ agitur.

IV. Dicunt autem communiter Doctores, hanc Suspensionis censuram distingui ab Excommunicatione: quia licèt hæc etiam privet Excommunicatum exercitio & usu potestatis Ecclesiasticæ, non privat tamen eum hoc exercitio, quatenus est *usus* alicujus potestatis Ecclesiasticæ convenientis ratione officii vel beneficii, uti privat Suspensio: sed tantum privat illo exercitio sive usu ut habet rationem *communicationis* cum Fidelibus.

V. Hinc & profluit, quod excommunicatio sit censura communis laicis & Clericis; suspensio autem propria sit solis Clericis, qui capaces sunt potestatis Ecclesiast. à cujus consequenter usu & functione prohiberi sive suspendi possunt.

VI. Ex allegata definitione facilè colligitur, Suspensionem imprimis dividi posse in eam quæ est ab officio, & eam quæ est à beneficio.

VII. Suspensio ab officio simpliciter expressa importat suspensionem ab executione Ordinis & jurisdictionis. quemadmodum tradunt Interpretes ad *Cap. 1. De Sent. & re jud. in VI.* ubi dicitur; quòd si suspensus *ab Officio* damnabiliter se *Divinis* ingesserit, irregularitatem incurrat: adeoque supponitur suspensum ab officio nullis se posse Divinis ingerere.

VIII. Per suspensionem *ab Officio* suspenditur Clericus ab omni officio Ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive à jurisdictione dependeat; modo verè sit officium Ecclesiasticum: nam iis quæ laicis æquè ac Clericis communia sunt, hæc censura non privat. Unde per suspensionem nullus privatur passivâ Sacramentorum participatione; neque ingressu Ecclesiæ, aut communibus Ecclesiæ suffragiis, vel Ecclesiastica sepultura aliisque similibus, quæ nec ab Ordine, nec jurisdictione Ecclesiastica dependent.

IX. Li-

IX. Licet autem hæc suspensio simpliciter expressa suspendat ab omnibus, quæ ordinis & jurisdictionis sunt, nihilominus subinde vel tacitè vel expressè potest limitari vel ad ea quæ Ordinis, vel ad ea quæ jurisdictionis sunt; quin imo ad certum aliquem & determinatum actum vel Ordinis, vel jurisdictionis; quæ vocari solent Suspensiones *partiales*, neque suspensio limitata ultra expressos limites est extendenda: quales partiales suspensiones in Jure expressas plures recitat Glossa ad *Clem. 3. De Pœnis.*

X. Potest quoque suspensio restringi ad certum locum; ut nimirum tantùm suspendatur ab Ordinis vel jurisdictionis executione in certo loco; quo casu liberè in aliis locis officio suo fungi poterit.

XI. Suspensio simpliciter lata, sicuti ad nullum certum Ordinis vel jurisdictionis actum restringitur; ita quoque ad nullum determinatum tempus limitatur; sed censetur esse perpetua; saltem *negativè*, id est, quod nullum certum terminum durationis assignatum habeat, duratura quousque ab habente potestatem tollatur; qui incertus terminus tacitè semper includitur; atque in hoc suspensio differt à depositione, quæ *positivam* quandam perpetuitatem durationis includit.

XII. Quin tamen suspensio possit ad certum & determinatum tempus, non secus atque ad certum actum, restringi, indubitatum est, multasque hujusmodi suspensiones notavit Glossographus ad citatam *Clem. 3.* verbo *Suspensio.*

XIII. Suspensio autem ita ad tempus limitata, ultra tempus non durat; sed lapso tempore exspirat, etiam sine Judicis absolutione, quemadmodum docent communiter Doctores post Glossam in *Cap.* 48. *De Sent. Excom.* & ad *Clem. 1. De Decimis*; ubi & notat Glossa, verbo *Donec*, quod si suspensio lata sit cum clausula: *Donec satisfecerit*, sufficiat Judicis declaratio super satisfactione *sine alia absolutione.*

XIV. Suspensio *à beneficio* dicitur, quâ Clericus à perceptione fructuum beneficii aut aliis à beneficio dependentibus suspenditur.

Sicuti autem suspensio ab officio potest esse partialis & limitata tam quoad actum quam quoad tempus; ita & hæc limitari potest ad quandam partem fructuum, aut ad certum tempus.

XV. Non dubium, quin multis sæculis ignota fuerit distincta suspensio à beneficio, quodque suspensio ab Ordine secum traheret suspensionem à perceptione fructuum quæ ab Ordine sive illius exercitio dependebat, nullis adhuc specialibus beneficiorum titulis erectis, uti *parte 2. tit. 18. cap. 1.* ostendimus.

XVI. Hodie verò controvertitur inter Doctores, num suspensio ab officio secum trahat suspensionem à beneficio: quemadmodum videri potest apud Suaresium *de Censuris disp. 26. sect. 3.* atque ob hoc dubium solent Judices volentes ab utroque suspendere, dicere, *ab officio & beneficio.*

XVII. Ut autem certius constet de suspensionis natura, & quousque hæc se extendat, debet Judex eam *in scriptis* proferre, & causam expressè conscribere propter quam suspensio proferatur; quemadmodum in terminis statuitur in *Cap. 1. De Sent. excom. in 6.*

XVIII. Additur insuper: Exemplum verò hujusmodi scripturæ teneatur (Judex) suspenso tradere intra mensem si fuerit requisitus, super qua requisitione fieri vult publicum instrumentum vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.

XIX. Et hæc quidem ubi agitur de suspensione à Judice proferenda. Secus autem de suspensione *lata sententia*, quæ nimirum à Lege seu Canone infligitur; puta, qua Ordinans alienum Diœcesanum sine licentia sui Ordinarii à collatione Ordinum per annum, & Ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur, est suspensus ex Decreto Concilii Trid. *Sess. 23. cap. 8. De Reformat.* Et *cap. 10.* declarantur ab officio & beneficio per annum ipso jure suspensi, concedentes dimissorias contra formam Decreti dicto capite expressi.

In his enim & similibus suspensionibus à jure inflictis requiritur Legum ipsarum à quibus dependent, legitima promulgatio; quemadmodum supra de Excommunicationibus *latæ* sententiæ notatum fuit.

XX. Cujuscumque naturæ aut extensionis sit suspensio, certum est, quod tantum ipsum Clericum ab officio vel beneficio *suspendat*; id est, impediat, quo minus suo officio liberè fungatur, functionesve ei annexas exerceat, aut emolumenta percipiat: nequaquam autem ipsum privet *officio* aut *beneficio.*

XXI. Hinc ipsa suspensio quamvis ad nullum certum durationis terminum limitata sit, nihilominus ex se denotat quandam remissibilitatem, & spem restitutionis; eò quòd officium & beneficium clerico suspenso integrum relinquat.

XXII. Ex his quoque manifesta est differentia inter simplicem suspensionem & depositionem. Hæc enim non tantum ab executione officii & beneficii suspendit Clericum, sed absolutè deponit, atque officio & beneficio absolutè privat, titulumque aufert; in tantum, ut sine nova collatione & titulo ad officium vel beneficium redire nequeat.

Verum quidem est, nec per depositionem ab Ordine tolli characterem Ordinis, atque depositum ab Ordine Sacerdotii remanere revera Sacerdotem; tamen depositio hæc etiam differt à suspensione: eò quòd ipsa depositio significet privationem perpetuam & irremissibilem usûs Ordinum, non ita autem suspensio; uti notant communiter Canonistæ & Theologi Scholastici: quamvis fateantur depositionem ab Ordine subinde vocari suspensionem *perpetuam.*

XXIII. Tametsi Clericus ab Ordine suspensus non privetur absolutè suo Ordine, neque usu sui Ordinis, nihilominus si durante suspensione exerceat functiones sui Ordinis, à quo suspensus est, fit irregularis.

XXIV. Hoc & procedere in Clericis minoribus duntaxat Ordinibus initiatis, latè probat Fagnanus ad *Cap.* SI QUIS PRESBYTER *De Clerico excom. ministrante*: modo tamen exerceant aliquid deputatum *certo ordini*; & insuper illud agant *tanquam Clerici* sive Ordinibus insigniti: secus si obeant illa tanquam alii laici sine respectu ad Ordines: quemadmodum solent passim etiam per laicos obiri ministeria Ordinum minorum; quamvis secus fieri optet Synodus Tridentina.

XXV. Quia equidem passim consuetudo habet, ut functiones minorum Ordinum obeant etiam laici, plures tam Theologi quàm Canonistæ sustinent, quod stante hac consuetudine Clericus in minoribus constitutus & *suspensus* non fiat *irregularis*, quantumvis obeat functiones minorum Ordinum; sed quæ ex consuetudine suæ Ecclesiæ indifferenter exercentur *à laicis* & Clericis. Quæ sanè opinio, stante hac consuetudine, nescio an omnino rejicienda sit. Auctores hujus opinionis citatos, vide apud Fagnanum loco citato *nu. 6.*

CAPUT XI.

De Absolutione à Censuris.

1. *Censura tollenda ab eo qui eam tulit.*
2. *Vel ab illo qui ipsum repræsentat.*
3. *Olim ab Episcopo censuram tollere recusante recurri debebat ad Synodum Provincialem.*
4. *Disciplina hæc expressa Canone Concilii Nicæni.*
5. *Censura ab Episcopo inflicta vim suam retinebat quousque per Synodum judicatum erat, eam tollendam.*
6. *A judicio Synodi ulterius non appellabatur.*
7. *Refertur Canon Africanus inhibens appellationes Ultramarinas.*
8. *Quomodo hunc Canonem interpolaverit Gratianus.*
9. *Tempore Gratiani recepta erant appellationes ad Metropolitanos, & ab his ulterius ad Sedem Apostolicam.*
10. *Ad quem à recusante Episcopo recurrendum pro obtinenda absolutione à censura lata ab homine.*
11. *Censura latæ sententiæ ordinariè tolli potest per proprium Episcopum, aut proprium Sacerdotem.*
12. *Quis nomine proprii Episcopi intelligatur.*
13. *Per proprium Sacerdotem intelligitur quilibet Presbyter habens auctoritatem absolvendi à mortalibus Sacramentaliter.*
14. *Absolutio à censuris à Confessariis solita præmitti absolutioni Sacramentali est duntaxat ad cautelam.*

15. *Similiter & illa quæ Bullis & Literis Pontificiis de stylo inseri solet.*
16. *Absolutio ad cautelam interdum datur ad petitionem alicujus.*
17. *Absolutio ad cautelam multis sæculis ignota fuit.*
18. *Presbyter simpliciter approbatus non absolvit à censuris reservatis; & de harum origine & progressu remissivè.*
19. *Qui habet auctoritatem absolvendi à casibus reservatis Papæ, etiam habet absolvendi à censuris eidem reservatis.*
20. *Idem videtur de censuris Episcopo reservatis.*
21. *Quomodo facultas absolvendi à reservatis concedenda remissivè.*
22. *Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ tantum operatur in foro conscientiæ.*
23. *Pro foro externo quoad reservatas Papæ recurrendum ad Sedem Apostolicam; & quomodo absolutio expediatur.*
24. *De auctoritate Episcoporum absolvendi à censuris reservatis ex delictis occultis remissivè.*
25. *An Judices Regis cogere possint Judices Ecclesiasticos ad tollendas censuras*

I. EXcommunicatum ab uno Episcopo esse ab omnibus habendum tanquam excommunicatum, supra *capit.* 8. ostensum est. Hinc & hæc regula fluxit ab omnibus passim probata, censuram ab homine latam jure communi & ordinario esse tollendam ab eodem à quo lata fuit.

II. Hîc tamen non ipsa singularis atque individua persona excommunicantis attendenda est; sed ipsum officium seu dignitas, vi cujus auctoritas ferendi censuras competit illi qui censuram tulit.

Unde censura inflicta per Episcopum jure suæ ordinariæ jurisdictionis, potest eo mortuo solvi ab omni eo qui in ejus jurisdictionem ordinariam succedit; puta Capitulo Sede vacante, vel Vicario à Capitulo constituto, nisi restrictâ auctoritatem acceperit; item successore in Episcopatum.

III. Quòd si is qui censuram protulit, nolit eam tollere; credatque censurâ innodatus, censuram esse injustam, aut saltem catenus satisfecisse, ut absolutionem mereatur obtinere, jam pridem decretum fuit, ut is Synodo Provinciali bis quotannis celebrandæ se sisteret; ut hæc omnibus perpensis, vel censuram confirmaret, vel infirmaret; eam vel injustam declarando, vel ipsum querelantem à censura absolvendo.

IV. Hanc disciplinam exhibet Synodus Nicæna *Can.* 5. dicens: " De his qui communione privantur seu ex Clero, " seu ex Laico Ordine, ab Episcopis per unamquamque Provinciam sententia regularis obtineat, ut hi qui abjiciuntur " non recipiantur ab aliis. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio " videantur à congregatione seclusi. Ut hoc ergò decentiùs " inquiratur, bene placuit annis singulis per quamcunque " Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut communiter " omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis, discutiantur hujusmodi quæstiones, & sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur, usque quo vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiã. Concilia verò celebrentur unum quidem ante Quadragesimam " Paschæ; ut communi dissensione sublatâ munus offeratur " DEO purissimum: secundum verò circa tempus Autumni.

V. Juxta disciplinam itaque hoc Canone firmatam, excommunicati à suo respectivè Episcopo tanquam tales habendi sunt, quosque vel Episcopis in Synodo congregatis, vel ipsi Episcopo qui excommunicavit, placuerit humaniorem pro talibus ferre sententiam.

VI. Supponit non obscurè ipsa Synodus Nicæna, excommunicationem latam ab Episcopis à nullo, nisi à Synodo Provinciali posse infirmari, neque ab hujus judicio ulterius appellari posse: quod & ipse Christianus Lupus in *Tract. De Appel. c.* 12. fatetur, dum de censuris in laicos aut inferiores Clericos prolatis agitur; atque multis probarunt & magno studio & ferventi animo sustinuerunt Episcopi Africani in causa cujusdam Appiarii Presbyteri à suo Episcopo depositi & à Sozimo R. Pontifice in communionem suscepti; uti videri potest in his quæ observavimus ad Canones Codicis Africani.

VII. Hinc & Codicis illius *Can.* 125. ait: " Item placuit " ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, in " causis quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suorum " questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos " quidquid est finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcoporum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, " non provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates " Provinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem suscipiatur.

VIII. Gratianus quidem relato hoc Canone *causâ* 2. *q.* 6. *Can.* 35. addit hanc clausulam; *Nisi fortè Romanam Sedem appellaverint*, " quasi Africani trans Mare appellantes, aliò " quam ad Rom. Pontif. appellare consuevissent, " uti notat Severinus Binnius ad *Can.* 22. Concilii Milevitani II. explodens ineptam hanc Gratiani exceptionem: qui ignorans pristinam disciplinam, Canones sæpiùs ad sui temporis disciplinam retorquet; uti pluribus exemplis in notis ad Canones ostendimus.

IX. Scimus enim tempore Gratiani morem fuisse, ut à Judiciis Episcoporum non tantum ad Synodos Provinciales, aut Provinciarum Primates, vel Metropolitanos appellaretur; sed insuper ab horum judicio ad Sedem Apostolicam appellare liberum esse. Quod vel ex sola declamatione S. Bern. adversus abusus appellationum ad R. Curiam constat; ac signanter *lib.* 3. *De Consid. ad Eugenium Cap.* 2. Et *Ep.* 178. In editione Horstii ubi queritur, per has appellationes justitiam in Ecclesiis deperire, annullari claves Ecclesiæ, Episcopalem omninò vilescere auctoritatem. Vide latiùs supra *tit.* 10. *cap.* 1. ubi & verba S. Bernardi relata sunt.

X. Potest ergò juxta recentiorem & modernam disciplinam absolutio à censuris impendi imprimis ab eo qui eas tulit. Si verò eam impendere recuset, recurri potest ad ejus Superiorem v. g. ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem aut Romanum Pontificem: ut causâ discussâ ad Ordinarium absolvendus remittatur, aut si absolutionem recuset superior eam impertiatur, prout exprimitur in *Cap.* 7. §. SANE *De Sent. excom. in* VI. ubi dicitur: " Sanè si certum est excommunicationis sententiam esse ju- " stam, velut cum propter manifestum excessum est in ali- " quem promulgata: Superior judex (nisi periculum sit in " mora) excommunicatum ad excommunicatorem prorsus " remittere debet: nec debet eum absolvere, nisi excommu- " nicator requisitus malitiosè illi absolutionis beneficium " deneget exhibere. Si verò constet hujusmodi sententiam " esse injustam, nequaquam remittendus est ad suum ex- " communicatorem excommunicatus: sed debet sine diffi- " cultate aliqua mox absolvi. Quòd si dubitetur, utrum justa " sit vel injusta superior (nisi excommunicatori deferat) re- " laxare juxta formam Ecclesiæ potest illam: quanquam ho- " nestiùs & convenientiùs agat, si ei deferat in hoc casu. U- " bi autem Superiori competit de excommunicatione cog- " noscere, absolutio seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, " licet forsitan sit justa: quoniam etsi contra jus litigatoris, " non tamen contra jus Constitutionis absolvit.

XI. Et hæc quidem de absolutione à censuris ab homine latis. Quoad censuras verò latas jure sive *latæ* sententiæ hæc regula communiter statuitur: Si Pontifex aut Conditor Canonis earum absolutionem specialiter non reservaverit, absolvi unusquisque poterit à proprio Episcopo imò & à proprio Parocho. Quæ Regula apertè traditur in *Cap.* NUPER 29. *de Sent. Excom.* cujus hæc sunt verba: " In secundo " verò casu à suo Episcopo vel proprio Sacerdote poterit beneficium absolutionis obtinere; quamvis enim & tunc " non judicis, sed juris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus; quia tamen Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse " videtur aliis facultatem relaxandi.

XII. Observat Suarezius *De Censuris Disput.* 1. *sect.* 3. nomine Episcopi in hac Decretali intelligi Episcopum proprium ipsius Excommunicati; item omnem illum qui in jurisdictionem Episcopalem succedit.

XIII. Per *proprium Sacerdotem* intelligi *proprium Parochum* excommunicati notat idẽ Auctor: quamvis ex ratione

ipsius De-

ipsius Decretalis intelligatur *quilibet* Presbyter habens auctoritatem absolvendi tanquam minister Sacramenti Pœnitentiæ à peccatis *mortalibus*, præsertim, quia, uti ibidem *sect. 4. n. 9.* rectè monet Suarezius, quatenus munus illud exercent Presbyteri, subeunt vices & munus proprii Sacerdotis.

XIV. Itaque ut verbo dicam, omnis Sacerdos legitimè approbatus pro confessionibus audiendis potest absolvere ab excommunicatione aliisque censuris à jure latis non reservatis: quod & innuit formula absolutioni Sacramentali præmitti solita: Absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, & suspensionis interdicti in quantum possum ac indiges.

Hæc autem absolutio dicitur *ad cautelam*: quæ etiam petenti, neque de aliqua à se contracta censura hæsitanti, aut suspicanti impenditur; & semper solet præmitti absolutioni Sacramentali; ne alias absolutio Sacramentalis propter censuram à pœnitente contractam invaliditatis periculo exponatur.

XV. Similiter & omnibus Rescriptis, Bullis & Privilegiis Apostolicis inseri consuevit sub hac formula: *Te ab omni vinculo excommunicationis quod incurristi, absolventes, vel absolutum fore censentes*: ut nimirum hac mediante absolutione, effectum ipsius Privilegii, vel alterius gratiæ concessæ possit consequi non obstante excommunicatione, si quam incurrisse potuisset. Unde & additur: *Ad effectum præsentium litterarum consequendum & non alias.* Hæ absolutiones solent etiam vocari *generales*; eò quod nullam specialem censuram respiciant.

XVI. Interdum absolutio ad *cautelam* conceditur ad petitionem partis cum nimirum dubitatur an excommunicationem incurrerit, vel excommunicatio injusta sit, aut denique ob periculum mortis aut certum & determinatum effectum jam obtinendum v. g. ferendi testimonium, comparendi in judicio, obtinendi beneficium &c. Quibus casibus non omnino solvitur excommunicatio, sed tantum quoad certum effectum aut durante impedimento, quo sublato, rursus in excommunicationem reincidit, tenetur que absolutionem ab excommunicatione petere: ideoque hæc absolutio dicitur *cum reincidentia vel ad reincidendum.*

Hujus absolutionis mentio fit in *Cap 9.* ✠ *De Excep.* Cùm enim quidam Canonici Pragenses vellent apud Sedem Apostolicam prosequi ordinationem Ecclesiæ Pragensis, eisque objicerentur quædam *suspicionis* & amotionis à beneficiis sententiæ quas, ut ipsi dicebant, possent probare per testes idoneos & instrumenta: " Ne tamen (ait Pontifex) ordinatio„nem Pragensis Ecclesiæ, propter quam veneratis, hujusmodi „objectionis obstaculo contingeret retardari, sententias ipsas „relaxamus *ad cautelam.*

XVII. Hæ absolutiones *ad cautelam* usque ad sæculum 9. aut 10. quando excommunicationes frequentiores esse cœperunt ignotæ fuisse videntur; quia olim hoc jure utebantur, inquit Cujacius ad *Cap. 1.* ✠ *De Judiciis*, ne quis excommunicatus absolveretur ante discussam finitamque excommunicationis causam, qui & ibidem notat Raymundum immutasse verba Canonis Africani (qui in dicto *Cap. 1.* refertur) ut eum ad sui temporis disciplinam inflecteret, addendo hanc clausulam, *donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*, quæ desumpta est ex *Cap. 23.* ✠ *De V. S.* in quo respondit Innocentius III. quod excommunicatus ob contumaciam absolvendus sit statim atque satisfecerit, puta præstitâ cautione judicio standi, etiamsi criminalis causa nondum peracta fuerit. Ut plenius notavi ad *Canonem* 87. in Codice Africano.

Cæterum de hac specie absolutionis videri potest Joannes Tournetius in Tractatu *De Absolutione ad cautelam*, inter Opera Francisci Florentis.

XVIII. Hactenus dicta circa auctoritatem absolvendi à censuris juxta citatum *Cap.* NUPER intelligenda sunt, nisi absolutio à censuris specialiter Papæ aut Episcopo vel aliis Prælatis sit reservata: quæ reservatio posterioribus sæculis multum excrevit; ut ex dictis *parte 2. tit. 6. cap. 7.* colligi potest, ubi de Casibus reservatis, eorumque origine, nec non scopo reservationis pluribus actum est.

Notatum autem ibidem fuit, à Casibus Papæ reservatis neminem posse absolvere extra necessitatem, nisi qui auctoritatem à Papa absolvendi obtinuit.

XIX. Qui autem habet potestatem absolvendi à peccatis reservatis in foro Pœnitentiali, etiam potest absolvere à censuris reservatis: eò quod omne peccatum reservatum Papæ habeat annexam censuram similiter reservatam: cum ergo à peccato nemo absolvi queat, nisi prius absolvatur à censura illi annexa, necesse est, ut qui potestatem concedit absolvendi à peccato, etiam concedat absolvendi à censura.

XX. Licet autem nonnulli sint casus reservati Episcopis, qui censuram annexam non habent; nihilominus si indefinite concessa fuerit ab Episcopo licentia absolvendi à reservatis, censebitur etiam data pro reservatis habentibus censuram annexam; & consequenter ad absolvendum à censuris reservatis, quæ casibus sive peccatis illis sunt annexæ, & à quibus absolutio dari nequit, nisi prævia absolutione à censuris annexis.

XXI. Quomodo cum moderatione & prudentia hæc facultas concedenda sit, ne alias reservatio casuum & censurarum reddatur planè inutilis, ac fine quem Ecclesia intendit frustretur, ostendi supra *cap. 7.*

XXII. Notandum autem, quod facultas dari solita Confessariis ad absolvendum à casibus & censuris reservatis concernat duntaxat forum *conscientiæ* & Pœnitentiale; non autem forum externum.

XXIII. Unde ut habeatur absolutio à censuris aut casibus Papæ reservatis pro foro *externo* oportet recurrere ad Papam, præsertim si agatur de peccati *publicis*; soletque in Dataria expediri commissio ad Ordinarium ejusve Officialem, ut eum juxta tenorem commissionis auctoritate Apostolicâ absolvat: non secùs atque in aliis dispensationibus & absolutionibus fieri consuevit.

XXIV. Quoad censuras ex delictis *occultis* Papæ reservatis auctoritatem satis amplam dedit Synodus Trid. *Sess. 14. cap. 6. De Reformat.* de cujus intellectu egimus *parte 2. tit. 10. cap. 6. & 7.* Cùm autem censuræ reservatæ labentibus sæculis multùm excrevissent, atque sæpe difficilis esset ad Sedem Apostolicam recursus, Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 6. De Reformat.* declaravit, quod " liceat Episcopis in ir„regularitatibus omnibus & *suspensionibus*, ex delicto occul„to provenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio vo„luntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, „dispensare. " quid dicatur *occultum* aut *deductum ad forum contentiosum* ad sensum hujus Decreti, notavimus *parte 2. tit. 10. cap. 6.* & de excepta irregularitate ex homicidio voluntario ibidem *cap. 7.*

XXV. Porrò cum auctoritas absolvendi à censuris dependeat ab auctoritate *Clavium*, & potestate Ecclesiastica, etiam hæc integra Ecclesiæ ejusque ministris relinquenda. Hinc Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 3. De Reformat* declarat; quod " nefas sit sæculari cuilibet Magistratui prohibere Eccle„siastico Judici, ne quem excommunicet; aut mandare, ut „latam excommunicationem revocet, sub prætextu, quod „contenta in præsenti Decreto non sint observata: cùm non „ad sæculares, sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio perti„neat.

Dum in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini ageretur, ad citatum Decretum notârunt Magistratus Regii uti refert Antonius Anselmo in Triboniano Belg. *cap. 32. §. 46.* " Versiculo, *Nefas autem sit &c.* Magistratibus omnibus se„verè interdicitur, ne excommunicationes Ecclesiasticæ pote„statis impediant, aut jam latas revocari mandent. Hic rursus „plerique obloquuntur, Judices Regios hac auctoritate ab „omni memoria in Belgio usos, ut censuras impedire possint, „vel ad revocandum cogere Ecclesiasticos, remedio immissio„nis in eorum temporalia quando excessus & abusus id postu„lant. Alioquin tolli è medio remedia cassationis & aliarum „provisionum Regiarum, veluti quæ dicuntur *Provisions „en cas d' abus, voye de fait & autres*, quæ suâ consultatio„ne ajunt Brabanti, præcipua esse auxilia tuendæ Regiæ digni„tatis, & jurium subditorum.

Scio

Digitized by Google

Scio in Belgio aliisque nonnullis Provinciis, magistratus Regios, etiam post Synodum Tridentinam, hac auctoritate usos; sed illud certum, id fieri nequaquam posse, nisi Judices Ecclesiastici notoriè sua auctoritate, in oppressionem subditorum, & turbationem Reipublicæ, abutantur; quemadmodum supra *tit.* 10. *cap.* 4. ostendimus, ubi de Appellationibus tamquam *ab abusu* egimus.

TITULUS XII.
De Exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT I.
Qualiter Monachi primitus subjecti fuerint Episcopis.

1 *Monachi primitus fuere mere laici.*
2 *Plane à Clericis distincti, nec disciplina Clericali, sed Laicali subjiciebatur.*
3 *Monachus in crimen prolapsus ut Laicus puniebatur.*
4 *Etiam pœnitentiæ publicæ subdebatur.*
5 *Cum reliquo populo Ecclesias Parochiales frequentabat.*
6 *Distinctio Monachorum & Clericorum probatur testimonio S. Hieronymi.*
7 *Primis sæculis Monachi non magis quam reliqui Laici Episcopis subjecti fuerunt.*
8 *Sæculo 5. specialiter Episcopis subjici cœperunt.*
9 *Id primus Synodo Calchedonensi suggessit Marcianus Imp.*
10 *Suggestioni Marciani assensit Synodus Calchedonensis, Monachos Episcopis subjiciens.*
11 *Ratio hujus subjectionis.*
12 *Disciplinam à Synodo Calchedonensi inductam probavit Justinianus Imp.*
13 *Hæc Monachorum subjectio apud Græcos generaliter probata.*
14 *Placuit & Latinis.*
15 *Decretum Synodi Aurelianensis I. de hac Monachorum subjectione.*
16 *Conforme Decretum Concilii Epaonensis.*
17 *Item Synodi Aurelianensis II.*
18 *Quibus consonat Arelatense V.*
19 *Et penè infiniti alii Canones remissivè.*
20 *Conformiter ad hos Canones respondit Bonifacius VIII. de jure communi Monasteria subjici Ordinariis.*
21 *Hæc resolutio à Canonistis pro regula recepta.*

I. Ex his quæ de Monachorum instituto vivendique ratione S. Augustinus *lib.* 1. *De Moribus Ecclesiæ Catholicæ cap.* 31. Cassianus *Collat.* 18. *cap* 4. (quorum verba *parte* 1. *tit.* 24. *cap.* 1. relata sunt) aliique Monachorum Patres scripserunt, manifestum est, Monachos ex suo instituto de sorte & genere laicorum esse; atque à reliquis fidelibus laicis distinctos penes solam perfectiorem vitæ rationem, & majorem & arctiorem à mundi tumultuosa ac sæcularium hominum conversatione separationem.

II. Quare & Monachorum institutum, ab instituto Clericali omnino separatum & distinctum esse nemo Veterum dubitavit: ipsosque Monachos non disciplinæ Clericali, sed laicali subjectos fuisse constat.

III. Si Monachi in crimen incidissent, non pœnam suspensionis aut depositionis, quæ erat pœna propria Clericis; sed pœnam excommunicationis, quæ laicorum erat, subibant; uti constat ex *Canone* 2. *&* 8. *Calchedonensi, Can.* 82. *Trullano* aliisque multis.

IV. Patrum disciplina Clericum in crimen prolapsum à publica pœnitentia eximebat, ne scandalum in populo generaretur, & Clericalis Ordo vilesceret; at Monachus non secus ac quivis de populo eidem subdebatur, uti constat ex S. Leone, qui ad Rusticum Episcopum Narbonensem scribit *c.* 12. "Propositum Monachi proprio arbitrio aut voluntate susceptum „deseri non potest absque peccato. Unde qui relictâ singula„ritatis professione, ad militiam vel nuptias devolutus est, „*publicæ* pœnitentiæ satisfactione purgandus est." Plura in hanc rem videri possunt apud Molinum *lib.* 6. *De Administ. Sacram Pœnit. cap.* 13.

V. Scitur quoque Monachos tamquam laicos cum reliquo populo ad Ecclesias Parochiales primitus convenisse, ut ibidem sacris Mysteriis participarent, uti ex S. Athanasio in Apologia pro fuga sua, Paladio in Historia Lausiaca in vita S. Apollo *cap.* 52. aliisque tam clarè eruitur, ut sine ullâ hæsitatione scribat Morinus loco citato *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. quod "Mona„chi omnes si in urbibus, aut non longè ab iis ipsos versari „oportebat, ad Ecclesiam unà cùm cætera plebe, loco tamen „primo ut nobilior Dominici gregis portio sessum convenie„bant.

VI. Denique notum est illud S. Hieronymi apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 6. "Alia causa est Monachorum; alia „Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor, illi de Altario „vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad ra„dicem, si munus ad altare non defero.

VII. Cùm igitur Monachi non de Clericorum, sed laicorum sorte essent, etiam Episcopis non aliter, quam reliqui laici subdebantur: nec in ipsos majorem, quàm in cæteros laicos auctoritatem primis saltem tribus sæculis Episcopi habuisse videntur: nec Canon aliquis reperitur, qui eos primis illis sæculis *speciali* ratione Episcopis subjecerit: aut aliquam nominatim in Monachos auctoritatem Episcopis dederit. Quapropter per tria illa sæcula nec quidquam de Monachorum à potestate Episcoporum exemptione aut immunitate legitur; sed Episcopi, quemadmodum totius populi, ita & Monachorum sibi subjectorum Pastoralem sollicitudinem, & curam paternam gerebant: ipsique Monachi Episcopos tamquam suos Patres spirituales, & Dispensatores mysteriorum Dei colebant, & reverebantur: cæterùm tamquam laici legibus & potestati Principum & Magistratuum sæcularium subjiciebantur.

VIII. Verùm cum multiplicato Monachorum numero, & per varias regiones extructis Monasteriis, ipsi Monachi à reliquo populo externo vitæ genere magis continuò distingui, & insuper Ecclesiasticis negotiis, ac Ecclesiæ regimini se immiscere cœperunt, visum fuit, Monachos, tamquam à reliquo populo singulari vivendi ratione sejunctos, & Deo ac religioni specialiter consecratos, Episcopis amplius subjicere; ipsisque Episcopis in Monachos & Monasteria ampliorem auctoritatem attribuere.

IX. Id primùm in Synodo Calchedonensi à piissimo Imperatore Marciano suggestum fuit. Legitur enim Actione sexta ejusdem Synodi, Imperatorem ad Sanctam Synodum dixisse: "Quædam capitula sunt, quæ ad honorem vestræ re„verentiæ vobis servavimus, decorum esse judicantes, à vobis „hæc regulariter potius formari per Synodum, quàm nostrâ „lege sanciri.

Primum inter hæc ab Imperatore suggesta Capitula erat: "Eos qui verè & sincerè solitariam arripiunt vitam debito ho„nore dignos judicamus. Quoniam verò quidam sub prætextu „solitariæ vitæ & Ecclesias & communes perturbant causas; „placuit nullum quidem ædificare Monasterium præter vo„luntatem Episcopi civitatis, neque in possessione præter do„mini possessionis. Eos verò Monachos, qui per singulas civi„tates sunt atque provincias, *subjici Episcopo*, & quietem am„plecti, & intendere solum jejunio & orationi, & neque Ec„clesiasticis, neque publicis importunos rebus existere; nisi „fortè jubeatur eis propter necessariam causam ab Episcopo „civitatis. Sed neque potestatem habere Monachos suscipien„di in Monasteriis suis servos aut inscriptitios præter volun„tatem dominorum.

X. Huic Capitulo à Marciano suggesto respondit *Can.* 4. ejusdem Concilii, qui his verbis expressus legitur ex versione Gentiani Herveti: "Qui verè & sincere Monasticam „vitam aggrediuntur, digni convenienti honore habean„tur. Quoniam autem nonnulli Monachico prætextu u„tentes, & Ecclesias, & negotia civilia perturbant, & temerè

„merè, citra ullam discriminis rationem, in urbibus circum-„cursantes, quin etiam Monasteria sibi constituere studentes, „visum est, nullum usquam ædificare nec construere posse „Monasterium, vel oratoriam domum præter sententiam ip-„sius civitatis Episcopi: Monachos autem, qui sunt in una-„quaque Regione & civitate, *Episcopo subjectos esse*, & quie-„tem amplecti, & soli jejunio & orationi vacare, in quibus or-„dinati sunt locis fortiter perseverantes, nec Ecclesiasticis, nec „sæcularibus negotiis se ingerere, vel communicare propria „relinquentes Monasteria, nisi quandoque à civitatis Episco-„po eis permissum fuerit: nullum autem in Monasteriis ser-„vum recipi, ad hoc ut sit Monachus, præter voluntatem sui „domini. Eum autem qui hanc nostram definitionem trans-„greditur, definimus esse excommunicatum, ne nomen Dei „blasphemetur: civitatis autem Episcopum oportet eam quam „par est Monasteriorum curam gerere.

XI. Si articulus à Marciano Imp. Synodo suggestus, & Canon Synodi illi respondens expendantur, manifestum apparebit, specialiter Monachos, licet non in sortem Clericorum allectos, Episcopis subjectos voluisse Marcianum, & huic consentientes Synodi Calchedonensis Patres; idque hac præcipuè ratione, ne per Monachos Ecclesiæ perturbarentur, ipsique Monachi cura & sollicitudine *speciali* Episcoporum quietè in suis Monasteriis jejunio & orationi juxta vocationem suam vacarent.

XII. Disciplinam hoc Canone ad suggestionem Marciani expressam, tam Interpretatores suis Legibus, quàm Ecclesia à suis Canonibus firmârunt, & frequentissimè renovarunt.

Et quidem Justinianus Imperator non tantùm sancivit *Novella* 67. nullum Monasterium ædificari, antequam civitatis Episcopus orationem in eo faciat, & crucem figat; sed insuper *Novella* 123. *cap.* 21. statuit: "Si quis contra Clericum „aut Monachum, aut Diaconissam, aut Monastriam aut As-„cetriam habeat aliquam actionem, adeat prius sanctissimum „Episcopum, *cui* (ait) *horum unusquisque subjaceat*.

XIII. Licet hic Monachus à Clerico distinguatur, nihilominus utrumque Episcopo eatenus subjici videmus, ut utriusque judex Episcopus constituatur: unde & generaliter ex Nomo-Canone Græcorum dicitur in *L.* 40. *Cod. De Episcopis & Clericis*: "Monasteria degunt seu censentur sub *Episcopis* „territoriorum suorum, & Abbatum quidem curam gerunt „*Episcopi*, Monachorum verò Abbates.

XIV. Similiter per occidentem hæc Episcoporum in Monachos & Monasteria auctoritas, horumque obediendi necessitas admodù placuit & generaliter recepta ac probata fuit.

XV. Paucis à celebrata Synodo Calchedonensi habita Synodus Aurelianensis I. statuit *Can.* 7. "De Abbatibus, & in „Religionis professione viventibus, ne sine discussione, & „commendatitiis Episcopi ad Dominos sive Reges accedere „præsumant." Deinde *Can.* 21. ut Abbates pro humilitate „Religionis in Episcoporum potestate consistant, &, si quid „extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui semel „in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, acceptâ vocatione „conveniant: Monachi autem Abbatibus omni se obedientiæ „devotione subjiciant." Apud Gratianum *Caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 16.

XVI. Concilii Epaonensis anno 517. *Can.* 8. Abbates prohibentur res Monasteriorum sine consensu Episcopi vendere. Et *Can.* 19. dicitur: "Abbas si in culpa reperiatur, & inno-„centem se asserens, ab Episcopo suo noluerit accipere suc-„cessorem, ad Metropolitani judicium deducatur." Quid evidentius Episcoporum in Abbates & Monachos auctoritatem probare posset?

XVII. In Synodo Aurelianensi II. anno 533. *Can.* 31. statuitur: "Abbates qui Episcoporum præcepta despiciunt, ad com-„munionem nec penitus admittantur, nisi contumaciam sus-„ceptâ humilitate deponant." Hâc subjectionis notâ major nulla dari posse videtur.

XVIII. Et Arelatense Concilium V. *Can.* 2. generaliter definit, ut "Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum „pertineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta.

XIX. Infiniti penè sunt Canones etiam sæculo 9. & sequentibus editi, quibus uno consensu declararunt Concilia, Monachos obedire debere Episcopis *secundum Canonicam auctoritatem*: quâ clausulâ indubiè antiquos Canones, ac præsertim Calchedonensem indicatos & renovatos voluêre. Concilia hæc citata habentur ordine temporis servato in Repagulo meo Canonico *parte* 2. *cap.* 1. *regula* 1.

XX. Secundum hanc Canonum uniformem definitionem respondit Bonifacius VIII. in *Cap.* 7. *De Privilegiis in* 6. Ordinarium super sua jurisdictione in personas Regulares suæ Diœcesis de jure communi habere fundatam intentionem; atque, quod si qui se exemptum prætendunt, privilegium per se sufficiens, quando solo privilegio se defendunt, vel saltem tale, quod præscriptioni Canonicæ causam præstet, cum præscriptionem allegant, non exhibuerint, Ordinarii suâ jurisdictione uti possint in eosdem *liberè* donec de præscriptione Canonica fecerint *plenam* fidem.

Rationem suæ resolutionis addit Pontifex: *Cum de jure communi Ordinariorum intentio sit fundata.*

XXI. Quam regulam probant ac tuentur uno consensu Canonistæ, eamque post Glossographum fundant in *Can.* 10. *caus* 16. *q.* 7. ubi ex Concilio Aurelianensi *Can.* 19. dicitur: "Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, „vel quotidie construuntur, placuit secundum *priorum Cano-„num regulam*, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in cu-„jus territorio positæ sunt." Hinc & illud Glossæ communiter à Canonistis probatur: "Ad Episcopum pertinet omnis „cura suæ Diœcesis, tam in *Monasteriis*, quàm aliis Ecclesiis." scilicet de jure communi.

CAPUT II.

Sæculo sexto & sequentibus varia privilegia sive immunitates Monachis concessa fuere, sed salvâ Canonicâ & spirituali in Monachos auctoritate.

1 *Sæculo sexto & sequentibus cœperunt privilegia & immunitates impetrari, ut quieti Monachorum & rerum temporalium conservationi consuleretur.*
2 *Variis prætextibus & titulis temporalia Monachorum divertebantur, & eorum solitudo turbabatur.*
3 *Episcopi certam portionem ex oblationibus quæ Monasteriis fiebant prætendebant.*
4 *Idque non obstante Canone Ilerdensi.*
5 *Jura quædam in Ordinatione Monachorum exigebant.*
6 *Similiter pro receptione S. Chrismatis & Olei.*
7 *Item in benedictionibus & installationibus Abbatum.*
8 *Hujusmodi etiam jura prætendebantur in dedicatione & consecratione Ecclesiarum & altarium.*
9 *In visitatione Monasteria magnis sumptibus gravabantur.*
10 *Exigebantur insuper jura Synodica & Cathedratica.*
11 *Episcopi sibi attribuebant jus constituendi Abbates.*
12 *Nec non peragendi Officia publica cum concursu populi in Ecclesiis Monachorum.*
13 *Privilegia & immunitates sæculo 6. & sequentibus hæc jura dumtaxat respiciebant.*
14 *Probatur ex responso S. Gregorii ad querelas Monachorum Castellienses.*
15 *Item ex litteris ejusdem Pontificis ad Vigilium Episcopum Arelatensem.*
16 *Idem expressit S. Gregorius in Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum.*
17 *Et fusius in litteris ad Abbatissam Massiliensem.*
18 *Apud Gratianum proferuntur Canones pro immunitate Monasteriorum conflati partim ex Epistolis S. Gregorii, partim ex fictitio Concilio Romano.*
19 *Quis genuinus horum Canonum sensus, & unde desumendus;*
20 *Sanctus Gregorius providit quieti Monachorum non Detrahendo auctoritati spirituali Episcoporum.*
21 *Eumdem fuisse scopum privilegiorum quæ circa ea tempora indulta sunt, probat Formula privilegii à Marculfo Monacho exarata.*
22 *Præfatio Episcopi elargientis privilegium in hac formula expressa.*
23 *Episcopus dicit omnia exprimenda quæ ab Episcopo & Monachis mutuo respectu sint observanda.*

24 *Primus*

24 *Primus articulus hujus formulæ spectat immunitatem à juribus in Ordinatione exigi tunc solitis.*
25 *Secundus immunitatem à juribus in consecratione altaris.*
26 *Tertius indulget Monachis liberam Abbatis electionem.*
27 *Quartus præservat omnia Monasteriis oblata ipsorum Monachorum usibus & dispensationi.*
28 *Quintus articulus concernit Officia publica seu Missarum solemnia ab Episcopis in Monachorum Ecclesiis non peragendi sine eorum consensu.*
29 *Sextus vetat Monasteria sumptibus gravari ab Episcopis dum Officia divina in Monasteriis peregerunt.*
30 *Clausula hisce articulis subjecta Canonicam Episcoporum in Monachis auctoritatem conservans.*
31 *Formulario Marculfi consonat privilegium quod datum dicitur sæculo 7. Monasterio S. Dionysii.*
32 *Et plura alia privilegia Monasteriis Gallicanis concessa.*
33 *Privilegia eligendi Abbatem præcipuè petebantur ad excludendos Abbates commendatarios & sæculares.*
34 *Privilegia ad conservationem temporalium & juris eligendi pertinuisse probatur ex privilegio dato Capitulo Harlebecano.*
35 *Item ex privilegio concesso Abbatiæ Grimbergensi.*
36 *Simile est privilegium datum Abbatiæ Tongerlœnsi.*
37 *Privilegia hæc auctoritati spirituali Episcoporum non officiebant.*
38 *Ex allegatis privilegiis sufficienter liquet quædam esse supposititia.*
39 *Apud Græcos non permittitur in fundatione Monasteriorum detrahi auctoritati spirituali Episcoporum.*

I. Circa sæculum sextum & sequentia passim Fundatores privilegia & immunitates Monasteriis à se fundandis aut fundatis postulare & impetrare cœperunt: non quidem ut Canonicam Episcoporum in Monachos aut Monasteria auctoritatem excluderent, aut violarent, sed ut quieti Monachorum, ac conservationi disciplinæ Regularis, nec non rerum temporalium, quas in Monachorum & pauperum necessitates obtulerant, consulerent.

II. Notum quippe est, circa hæc tempora non tantùm Potestates sæculares, sed & nonnullos Episcopos, variis prætextibus & speciosis in speciem titulis, Monachorum quietem, ac disciplinam Regularem cœpisse turbare; & temporalia Monasteriorum in suos usus vindicare; uti sæculo septimo deplorat Concilium Toletanum IV. *Can.* 51. dicens: " Nuntiatum est „ præsenti Concilio, quòd Monachi Episcopali imperio servili „ operi mancipentur & jura Monasteriorum contra Statuta Canonum illicitâ præsumptione usurpentur; ita ut penè ex „ Cœnobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad igno„ miniam servitutemque perveniat. Quapropter monemus „ eos qui Ecclesiis præsunt, ut ultra talia non præsumant: sed „ hoc tantùm sibi in Monasteriis vindicent Sacerdotes, quod „ præcipiunt Canones id est, Monachos ad conversationem „ sanctam præmonere, Abbates aliaque officia instituere, atque „ extra Regulam facta corrigere. Quòd si aliquid in Mona„ chis Canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare „ quidpiam de Monasterii rebus tentaverint, non deerit illis „ sententia excommunicationis, qui se deinceps nequaquam „ sustulerint ab illicitis.

Et rursus sæculo octavo conqueritur Concilium Toletanum IX. *Can.* 2. quorumdam Episcoporum aviditate & incuriâ in horrendam incidisse ruinam; ideoque necesse fuisse, eorum instaurandorum curam Fundatoribus & Patronis committi. Vide *Canonem* 32. *caus.* 16. *q.* 7. qui ex citato Canone Toletano desumptus, & cujus verus sensus ex integro illo Canone hauriendus est.

III. Varii autem prætextus & tituli fuerunt, quibus Episcopi & temporalia in usus suos derivarent, & disciplinam per regulas Monachorum institutam turbarent.

Imprimis, cùm Episcopi certam portionem secundùm famosam proventuum Ecclesiasticorum divisionem (de qua actum est *parte* 2. *tit.* 32. *cap.* 6.) ex rebus Ecclesiæ haberent; eandem quoque ex oblationibus, quæ Monasteriis sibi subjectis fiebant, prætendebant.

IV. Decretum quidem legitur sub initium sæculi sexti *Canon.* 3. Synodi Ilerdensis apud Gratianum *caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 34. ut " ea quæ in jure Monasterii de facultatibus offeruntur, „ in nullo Diœcesana Lege ab Episcopo contingantur; „ sed præterquam, quod nesciatur, an hic Canon executionem plenam obtinuerit, illud certum est, hoc Synodi Ilerdensis Decretum extra Provinciam Tarraconensem, in qua Synodus habita fuit, non obligasse aut receptum fuisse: præsertim, quia in ipso Canone satis insinuatur, singulari jure id esse statutum.

V. Præterea cùm sæculo septimo & sequentibus è Monachis plures ad sacros Ordines præsentari inciperent, Episcopi eos ad oblationes aliquas faciendas constringebant; easque tamquam quædam jura sibi debita asserebant, prætexentes exemplo Orientalium, de quibus scribit Balsamon, quòd dicerent, ***non esse mercedem Ordinationis, quod alimentorum gratiâ Pontifici datur.*** Quamvis hasce exactiones, ut & eas quas Archidiaconi aut Canonici ab instituendis, aut recipiendis ad possessionem tamquam quædam jura exigere consueverunt, Ecclesia numquam non fuerit detestata (uti supra *parte* 2. *tit.* 26. *cap.* 2. & *tit.* 30. *cap.* 1. ostensum est) eliminare tamen non potuit, quemadmodùm ex iteratis sæpius adversus eas Decretis patescit.

VI. In sacri Chrismatis aut Olei receptione à Monachis jura quædam exigebantur ab Episcopis eorumve ministris; & quamvis hujusmodi exactiones tamquam de Simonia & turpi quæstu ut minimùm suspectas, iteratis Conciliorum Decretis essent proscriptæ, nihilominus quia tamquam quædam jura inoleverant, usus earum eradicari non potuit; sed speciali privilegio adversùs hæc aliaque similia tueri se Monasteria debuerunt, ipsique Fundatores in ipsâ fundatione impetrârunt.

VII. In Abbatum benedictionibus aut installationibus jura quædam vulgò ***Enthronistica***, Episcopi, & Archidiaconi eorumve ministri prætendebant: eaque tamquam jura quædam sibi longo usu & consuetudine debita & probata asserebant & rigorosè exigebant. Hasce exactiones sæpius similiter per Synodorum atque Pontificum Decreta reprobatas scio; sed tamen ut ab his penitus abstinerent, Episcopis, Archidiaconis aliisque Ecclesiæ Ministris persuaderi non potuit: sed ea inter sua jura numerare & tamquam talia expetere perrexerunt.

VIII. Non minùs frequentes, nec minùs insolitæ erant exactiones, quas & nomine ***jurium*** palliârunt, in consecratione Altarium, & Ecclesiarum dedicatione, (ut ex frequenti earum reprobatione constat) quibus & Monasteriorum facultates sibi Episcopi eorumque Officiales attrahebant.

IX. Justum esse, ut Episcopo visitanti victualia dentur supra *parte* 1. *tit.* 7. *cap.* 2. diximus: sed notum est, quàm gravia sæpè onera, prætextu horum victualium subditis suis, & Ecclesiis Episcopi aliique Ecclesiarum Prælati imposuerint. Cumque Episcopi ex Auctoritate per Canones sibi data, Monasteria, non secùs atque alias Ecclesias, visitare possent, quàm graves & excessivos frequenter sumptus hinc Monasteria ferre deberent.

X. Nec tantùm visitationis jura; sed insuper ***Synodica***, id est quæ à Presbyteris ad Synodum accedentibus exigebantur; item ***Cathedratica***, in honorem sive recognitionem Cathedræ seu superioritatis & eminentiæ solvebantur aliaque similia, de quibus in *Cap.* 16. ✠ *De Officio Ordinarii*, à Monasteriis exigebantur.

XI. Juxta regulas Monasticas, ac signanter S. Benedicti Abbas Monachorum à Monachis eligendus est, uti supra *parte* 1. *tit.* 31. *cap.* 8. notavimus: at successu temporis, Episcopi ex auctoritate sibi in Monasteria competente, Abbatum electionem & ordinationem Monachis ademerant, & sibi attribuerant: & quidem ut vel faciliùs res monasteriorum in suum usum converterent, aut pro arbitrio disponerent, nonnulli propinquos suos & consanguineos Monasteriis Abbates præficiebant, uti testatur Concilium Toletanum X. *Can.* 3. quo ejusmodi Abbatum institutio irrita declaratur, & Episcopus ob id annuæ seu annali excommunicationi subjicitur. Ut ergo electio Abbatis Monachis ad præscriptum regulæ libera relinqueretur, Fundatores quasi per privilegium impetrabant.

XII. Ulterius credebant Episcopi vi suæ in Monasteria auctori-

auctoritatis, sibi liberum esse quoties vellent ad Ecclesias seu Oratoria Monachorum accedere, ibique publica Officia Divina cum magno populi concursu peragere. Cum autem hujusmodi populi concursus, Monachorum solitudinem, nec non disciplinam Monasticam turbarent, solliciti fuere Monachi & eorum Fundatores, ne per similes publica Officia in eorum Ecclesiis fierent; sed ipsorum Ecclesiæ seu oratoria solis Monachis deservirent.

XIII. Si quis expendat privilegia seu immunitates quæ à sæculo sexto usque ad sæculum undecimum aut duodecimum Monasteriis indulta leguntur, vix aliud in iis reperiet concessum, quàm immunitatem à prætensis juribus supra recensitis, liberam Abbatis electionem, & quæ ad conservandam Monachis quietem & solitudinem nec non Monasticam disciplinam conducere videbantur: salva interim Episcoporum spirituali jurisdictione in Monachos & Abbates.

XIV. Conquesti fuerant apud S. Gregorium Monachi Castellienses, quod Episcopus Scyllitanus (in cujus civitate hoc Monasterium erat exstructum) quædam in suo Monasterio vellet inducere, contra ea quæ à prædecessoribus suis promissa & longâ consuetudine servata erant. Præterea questi fuerant Monachi, Episcopum quædam de Monasterio sub Xenii quasi specie abstulisse. Ad has Monachorum querelas scribit ad Episcopum S. Gregorius *lib. 7. epist. 33. indict. 1.* imprimis, ut si quid indecenter recolat accepisse, sine dilatione restituat; " ne „ (ait) avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga „ Monasteria magis debuerat Sacerdotalis munificentia de- „ monstrare.

Deinde concludit: " Servatis itaque omnibus, quæ à tuis, si- „ cut diximus, prædecessoribus promissa sunt ac servata curæ „ tuæ sit circa actus ac vitam consistentium illic Monachorum „ te vigilantem insistere: & si quempiam illic pravè conver- „ sari, aut in aliquam immunditiæ, quod absit, culpam inve- „ neris incidisse, districta ac regulari emendatione corrigere. „ Nam sicut ab iis quæ incongruè usurpantur, fraternitatem „ vestram volumus abstinere, ita in his quæ ad disciplinæ recti- „ tudinem vel animarum custodiam pertinent, esse sollicitam „ modis omnibus admonemus.

Sic itaque voluit Monachorum vexationi occurrens, eorum jura illibata servari, ut tamen Canonica etiam Episcopi auctoritas integra servaretur.

XV. Scribit quoque idem Sanctus Pontifex Vigilio Episcopo Arelatensi *lib. 7. epist. 116.* quod Childebertus Francorum Rex intra muros Arelatensis civitatis Monasterium virorum constituens, " quædam ibidem pro habitantium susten- „ tatione concessit. Cujus (ait) ne voluntas umquam ducere- „ tur in irritum, & ea quæ pro quiete Monachorum disposita „ fuerant turbarentur, quæque contulit in jure ejusdem Mona- „ sterii, epistolis suis Apostolica petiit auctoritate firmari: hoc „ quoque suæ petitioni subjungens, ut eidem Monasterio tam „ in dispositione rerum, quam in ordinatione Abbatis quædam „ pariter privilegia largirentur.

Post hæc significat, hæc Regis postulata tamquam æquitati consona à suo Prædecessore fuisse probata, concludens hac ad Episcopum exhortatione: " Fraternitas ergo vestra ita se „ in custodiendis eis exhibeat: quatenus & omnem occasionem „ inquietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se „ in custodienda defuncti piissima voluntate, sollicitam, ut de- „ cet, exhibuerit & devotam.

XVI. Hic rursus manifestum est, privilegia à Fundatoribus postulata unicè ad conservationem rerum temporalium & quietis malorum collimasse: quod & significat *lib. 7. epist. 15. indict. 2.* scribens Fortunato Episcopo Neapolitano, eumdem exhortans, quatenus ad Monasterium ibidem constructum, " cum Abbas postulaverit, ingravanter accedat, venerandæ „ solemnia dedicationis impendens. Et quoties necesse fuerit, „ à Presbyteris Ecclesiæ tuæ in loco sancto deservientibus, ce- „ lebrentur sacrificia veneranda Missarum; ita ut in eodem „ Monasterio nec fraternitas tua, nec Presbyteri, præter dili- „ gentiam disciplinæ, aliquid molestiarum inferant, aut si quid „ illic pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi „ existiment vindicari, cùm Monachis in eodem loco deservi- „ entibus debeat proficere quidquid à fidelibus offerri conti- „ gerit.

Vult ergo S. Gregorius, ut nihil molestiarum Monachis ab Episcopo ejusve Presbyteris inferatur, nihilque de rebus temporalibus vindicetur, salva tamen *diligentia disciplinæ*, quam debet Episcopus circa Monachos adhibere. Fragmentum epistolæ jam pridem relatæ extat in *Cap. 1. ¶ De Statu Monachorum.*

XVII. Ex his intelligi potest, quò privilegia Monasteriis indulta tenderent, quidque comprehenderent, quod tamen luculentiùs expressit in *epist. 12. lib. 6.* quæ inscribitur *Respectæ Abbatissæ de Galliis Massilia*, ubi scribit se ad postulationem Fundatorum Monasterio, cui hæc Respecta præerat, privilegia quædam indulsisse.

Privilegia autem sunt. Primum, quod obeunte hujus „ Monasterii Abbatissa, non extranea, sed quam Congrega- „ tio de suis elegerit, ordinetur, quam tamen, si digna hoc mi- „ nisterio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet.

Secundum privilegium erat: " In rebus autem vel in dispo- „ sitione Monasterii ejusdem nec Episcopum, neque Ecclesia- „ sticorum quemquam aliquam habere decernimus potesta- „ tem; sed hæc ad sollicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem „ loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere.

Tertium exprimitur his verbis: " Die siquidem natalis vel „ dedicationis supradicti Monasterii, Episcopo illic Missarum „ sacra conveniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc „ officium exolvendum, ut cathedra ejus nisi prædictis diebus „ dum illic Missarum solemnia celebrat, non ponatur. Quo „ discedente, similiter etiam cathedra illius de eodem oratorio „ auferatur. Cæteris verò diebus, per Presbyterum qui ab eo- „ dem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragan- „ tur.

Quid his privilegiis continetur, nisi libera Abbatissæ electio, rerum temporalium Abbatissæ concredita dispensatio, & officiorum publicorum per Episcopum ibidem celebrandorum ad certos dies facta restrictio.

Et ne prætextu horum privilegiorum Episcopi auctoritas in corrigendis Abbatissæ aut Monialium excessibus videretur violata, subjungit Gregorius: " Præterea erga vitam actusque „ ancillarum Dei sive Abbatissæ, quæ in suprascripto fuerit „ Monasterio constituta, Episcopo secundum Dei timorem, „ sollicitudinem statuimus adhibere; ut si aliquam de illic ha- „ bitantibus exigente culpa oportuerit ultioni submitti, ipse „ juxta Sacrorum Canonum vigorem modis omnibus debeat „ vindicare.

XVIII. Profert Gratianus sub nomine S. Gregorii *Caus. 18. q. 2. Can. 5. & 6.* quædam privilegia Monachis indulta; qui Canones, ac signanter Canon. 5. conflati sunt partim ex epistolis S. Gregorii, partim ex quodam Concilio quod à S. Gregorio habitum fuisse fertur. Verum Concilium illud esse " suppositum & commentum otiosi cujusdam Monachi, qui „ ex variis epistolis Gregorii I. maximè verò ex *epist. 18. lib.* „ *7.* scripta ad Marianum Ravennatensem Episcopum, " notavit vir eruditus Franciscus Florens in Commentario ad „ *caus. 16. & sequentes de Statu Monachorum*, cui & passim eruditi consentiunt, & recenter observavit Auctor Notarum in dictam epistolam 18. S. Gregorii, & fusius Joannes Launoius in Assertione inquisitionis in privilegium S. Medardi *parte 2. cap. 10. art. 3.*

XIX. Itaque quod genuinum ex S. Gregorio in citatis textibus Gratiani reperitur, desumptum est ex epistolis S. Gregorii, nimirum citata *epist. 18. & epist. 41. & 43. lib. 4.* è quibus & verus Canonum sensus hauriendus est; quod & Correctores advertisse videntur, ad epistolas has pro intellectu Canonum remittendo.

Epistolæ autem si expendantur, apparebit, nihil de Canonica Episcoporum auctoritate substractum; sed tantum rebus temporalibus, & quieti Monachorum consultum. Unde in *epist 18.* permittitur, " ut visitandi exhortandique gratiâ ad „ Monasterium quoties placuerit, ab ejusdem *civitatis Anti-*

„ statue accedatur: sed hoc charitatis officium illic Episcopus „ impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat.

XX. Itaque S. Gregorius privilegia & immunitates Monasteriis dedit, non quibus à correctione Episcoporum subtraherentur; sed quibus quieti Monachorum consuleretur, & Monasteria à variis gravaminibus liberarentur.

XXI. Eamdem fuisse formam privilegiorum, quæ sæculo sexto & aliquot sequentibus Monasteriis Gallicanis indulta leguntur, vel sola formula privilegii à Marculfo Monacho exarata probat.

Marculfus enim sæculo septimo sub Landerico Episcopo Parisiensi, ut putat Hieronymus Bignonius, & post ipsum Sirmondus vel sæculo octavo sub Landerico Episcopo Meldensi, ut credit Launoius, composuit duos libros formularum; quarum prima est formula seu formularium privilegii Monasterio alicui concedendi. Cujus formulæ ea solet esse conditio, ut solis penè nominibus & tempore mutatis, in omnibus eadem retineatur.

XXII. In hac itaque formula, Episcopus privilegii auctor primo præfertur, quod Monachorum quieti providere volens, nullatenus à Prædecessorum in concessione hujus privilegii vestigiis recedat. " Dum ab antiquitus (ait) Constitutio„ nem Pontificum per Regalem sanctionem Monasteria San„ ctorum Lirinensis, Augaunensis, & Luxoviensis, vel modò „ innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis „ privilegio videntur consistere.

XXIII. Hæc præfatus Episcopus subjungit: " Quid verò „ vos vel successores vestri, Sancto suadente Spiritu deinceps „ custodiatis immo sanctæ illius Ecclesiæ Episcopus debeat „ adimplere, huic paginæ credidimus inserendum.

Post hæc articulos & puncta privilegio contenta subjicit.

XXIV. Primus articulus his verbis exprimitur: " Ut de ve„ stra Congregatione qui in vestro Monasterio sancta debeant „ bajulare officia, quin Abbas cum omni Congregatione po„ poscerit à nobis, vel Successoribus nostris sacros percipiat „ gradus, *nullum* pro ipsorum *honore* præmium, percepturis.

Ecce indulta immunitas à juribus quæ in Ordinatione Episcopi sibi debita prætendebant.

XXV. Secundus articulus est: " Altare in ipso Monasterio „ prædictus Episcopus benedicat; & sanctum Chrisma annis „ singulis, si voluerint postulare, pro reverentia loci, *sine pre„ tio* concedat.

XXVI. Tertius articulus liberam Abbatis electionem spectans ita exprimitur: " Et juxta divinam dispensationem, cùm „ Abbas de ipso Monasterio in Domino migraverit; quem u„ nanimiter omnis congregatio illa Monachorum ex seipsis, „ optimæ regulæ compertum & vitæ meritis congruentem „ similiter sine præmio memoratæ urbis Episcopus ipse pro„ moveat Abbatem.

XXVII. Quartus articulus decernens dispensationem eorū quæ à fidelibus offeruntur debere esse penes Congregationem non autem Episcopum; neque ipsum ejusve Archidiaconos aliosve Ministros quidquam posse de iis accipere, erat his verbis expressus: " Nullam penitus aliam potestatem ab ipso Mona„ sterio, neque in rebus, neque in ordinandis personis, neque „ in villabus ibidem jam conlatis, aut deinceps regio munere, „ aut privatorum conlaturas vel in reliqua substantia Mona„ sterii nos Successoresque nostri Episcopi aut Archidiaconi „ seu cæteri ordinatores, aut qualibet alia persona prædictæ „ civitatis habere non præsumant: aut quodcumque de eodem „ Monasterio sicut de Parochiis aut cæteris Monasteriis, mu„ neris causa audeant sperare, aut auferre. Nec de hoc quod „ à Deum timentibus hominibus transmissum, aut in altario „ offertum fuerit aut in sacris voluminibus vel quibuscumque „ speciebus ad ornatum divini cultus pertinet id præsens con„ lata vel deinceps conlatura fuerint, auferre præsumant.

XXVIII. Quintus articulus erat de non peragendo publico Divino Officio in Ecclesiis aut oratoriis Monasteriorum nisi ipsa Monachorum congregatione petente: " Et nisi rogatus à „ Congregatione illa vel Abbate pro oratione lucranda, nulli „ nostrorum liceat Monasterii adire secreta, aut finium ingredi „ septa.

XXIX. Articulus sextus, vetans ab Episcopo ibidem divina peragente Monasterium gravari erat: " Etsi „ ab eis illuc Pontifex postulatus pro lucranda oratione „ vel eorum utilitate, accesserit, celebrato ac peracto divino „ mysterio simplici ac sobria benedictione percepta, „ absque ullo requisitu domum studeat habere regressum.

Rationem concessæ immunitatis: " Ut quatenus Monachi, „ qui solitarii nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce „ domino per tempora exultare, & sub sancta regula viven„ tes, & beatorum Patrum vitam sectantes pro statu Ecclesiæ „ & salute Regis, vel patriæ valeant pleniùs Dominum exo„ rare.

XXX. Ex his evidens est, totum hoc privilegium spectare ad asserenda & conservanda Monasteriis temporalia à Fundatoribus donata aut Fidelibus oblata; atque Monachis restituendam libertatem eligendi Abbatem, nec non eos à quibusdam prætensis juribus eximendum, & quietem Monachalem eis procurandam, non autem ad eximendum ipsos à Canonica Episcoporum subjectione, quod & clausula præcedentibus articulis subjecta expressit. " Et si aliquid ipsi Monachi de eorum „ religione tepidi, aut secùs egerint, secundùm eorum Regu„ lam ab eorum Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, „ Pontifex de ipsa civitate coercere debet, quia nihil *de Cano„ nica auctoritate convellitur*, quidquid domesticis fidei pro „ quietis tranquillitate tribuitur.

XXXI. Huic formulario planè conformia sunt, quæ eodem & aliquot sequentibus sæculis Monasteriis concessa circumferuntur privilegia.

Sub idem penè tempus formulas suas edidit Marculfus (id est sæculo 7. si Bignonio & Sirmundo credimus) postulante Clodovæo Galliarum Rege Landericus Parisiensis Episcopus cum reliquis Episcopis anno 648. privilegium Monasterio S. Dionysii dedisse fertur: cujus privilegii meminit Amoinus *De Gestis Francorum lib. 4. cap. 41.* scribens, quod Clodovæus Rex anno 16. ex quo sceptra susceperat Regalia, Pontifices & totius gentis Principes Clippiacum convenire jubens, mediusque inter eos solio residens, his inter alia verbis allocutus sic: " Intentionem igitur nostri cordis vos, Sacerdotes, qui Dii „ vocati estis, & filii Excelsi omnes, attendite & audite, audi„ tam, si approbaveritis, unà nobiscum ad effectum adducere „ elaborate. Nostri itaque devotio hæc extat animi, ut Mona„ sterium Patroni Domini Dionysii, in quo ipse cum consorti„ bus testimonii veritatis requiescit humatus, & piæ memoriæ „ genitores nostri (dominus videlicet Dagobertus, ac do„ mina Nantildis (se sepeliri mandaverunt, ab omni sol„ vamus dominio mortalium: quatenus Abbas vel Fratres „ eò loco commanentes, possessionis à Parentibus nostris si„ ve ab aliis Fidelibus Christianis sibi traditas absque ullius „ dominantis inquietudine possidentes, pro salute nostra ac „ statu regni nostri liberiùs Deum deprecentur. Huic autem „ nostræ suggestioni consentit venerabilis Vir Landericus „ Parrichisiacæ Urbis Præsul: in cujus Diœcesi Cœnobi„ um illud situm est, & cui usque ad præsens tempus subjectum „ fuit.

Hinc fat manifestum est, privilegium hoc, possessiones dumtaxat, ac temporalia à Regibus eidem Monasterio oblata respicere, quod & ostendit ipse tenor privilegii, quod integrum retulit Hieronymus Bignonius in notis ad citatam formulam Marculfi; & novissimè insertum est tomo 6. Conciliorum general. *col.* 487.

XXXII. Extat eodem tomo Conciliorum *col.* 527. privilegium libertatis quod datum creditur à Bertefrido Episcopo Ambianensi probantibus plurimis aliis Episcopis Monasterio Corbiensi postulante Clotario Rege ejusdem Monasterii Fundatore; estque simile prædicto formulario Marculfi, uti etiam observavit Jacobus Sirmundus in observatione huic privilegio subjunctâ, & latiùs Hieronymus Bignonius in citatis notis, articulos hujus privilegii cum articulis dicti formularii Marculfi conferens.

Plura similia passim prostant privilegia Monasteriis Gallicanis sub simili formula indultis, ut Monasterii Careleni

tomo

tomo 8. Conciliorum general. *col.* 459. privilegium Monasterii S. Martini Turonensis anno 862. in Synodo Pistensi confirmatum; eodem tomo Concil. general. *col.* 1911. Privilegium à Synodo Suessionica concessum Monasterio Solenniacensi, eodem tomo Concil. *col.* 870.

XXXIII. In hoc privilegio notandum, quod specialiter cavetur, " ut eumdem locum non aliter nisi tutelâ defensionis „ ac tuitionis Reges usurpent, nec cuiquam Clericorum Canonici habitus, aut laicorum, quod absit, eum attribuant." „ Quibus verbis exclusos volebant Abbates Commendatarios & sæculares quos sub id temporis Reges Monasteriis præficere cœperunt.

Legimus quoque anno 878. à Joanne VIII. Monachos Floriacenses petiisse privilegium eligendi è suis Abbatem regularem. " Quamvis privilegia multorum meruerint Episcoporum, ad reprimendam quorumlibet inlicitam cupiditatem „ humiliter postulare, ut super Abbate *regulari* ex iis eligendo „ etiam nostræ auctoritatis privilegia consequantur." Extat privilegium *Tomo 9. Concil. general. col.* 318.

Et dum Concilium Tullense II. anno 859. *Can.* 11. servari vult Monachis Monasterii Floriacensis *auctoritatem privilegii regularis*, unice intendit, Monachis illis illæsum servari jus eligendi Abbatem regularem ex suis adversus Archiepiscopum Bituricensem: qui favore Regis Abbatiam illam *irregulariter retinebat*, uti in citato Canone asserunt illius Concilii Patres.

XXXIV. Itaque per omnia hæc privilegia præcipuè tendebant, ut temporalia Monasteriorum non diverterentur; nec Monachi variis prætextibus gravarentur, & ut electio Abbatis esset penes Monachos secundum Regulam S. Benedicti; atque ita Abbates commendatarii & sæculares excluderentur.

Plura similia extant privilegia etiam sæculo undecimo Monasteriis nostris Belgicis indulta; atque inter alia, extat apud Miræum in Codice piarum donationum *cap.* 50. privilegium à Balduino Episcopo Noviomensi & Tornacensi datum anno 1061. Ecclesiæ Harlebecanæ, quam Adela Comitissa Flandriæ construxit, *atque ibidem servientes sub professione Canonica in religionis habitu vivere instituit.* Hoc privilegio sola immunitas quoad bona temporalia conceditur, retento annuo censu Episcopo solvendo; additurque: " Quod si Episcopus, si„ ve suus minister pro tenenda Synodo vel aliqua quomodo„ libet causâ ad aliquam Prædictarum Ecclesiarum" (huic „ Monasterio quod hodie Capitulum Canonicorum est incorporatarum) " venerint, nihil exigentes de rebus ad Ecclesiam „ pertinentibus, de suis propriis vivant, contenti prænominato censu quotannis.

XXXV. Et *cap.* 52. refertur diploma Alexandri II. Papæ, quo institutionem hujus Ecclesiæ Harlebecanæ, nec non prædictam Balduini Noviomensis Episcopi concessionem confirmat; ipsamque " Canonicam (id est Canonicorum Eccle„ siam) cum omnibus sibi pertinentibus sub tutela Apostoli„ cæ Sedis suscipit & confirmat quidquid hactenus habuit, „ tam largitione piissimorum Principum, quàm oblatio„ ne quorumcumque Fidelium, juxta nobilissimi præceptum „ Regis Francorum Philippi, & præceptum Balduini Novio„ mensis Episcopi, vel deinceps habitura est tam in terris quam „ in vineis, & villis & Ecclesiis majoribus & minoribus om„ nibusque rebus mobilibus, & immobilibus, ita ut non li„ ceat cuiquam Ecclesiasticarum vel sæcularium magnæ par„ væque personæ prænominatam Canonicam de suis omnibus „ inquietare, vel quid ab eis jure in alienum transferre, „ salva *in omnibus proprii Episcopi reverentia.* De ordinan„ do verò Præposito in eodem loco, hoc Apostolica aucto„ ritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quemquam propo„ nere contra Canonicam regulam; sed defuncto Præposito „ uno, congregatio eligat vel de eadem congregatione, si ibi „ idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potiorem vi„ tæ meritum commendaverit, juxta Canonicam regu„ lam.

Necesse non est ostendere, quod hoc privilegium, non ad eximendum Ecclesiam illam à Canonica Episcoporum subjectione; sed ad conservationem temporalium, & liberam electionem Præpositi Congregationi afferendam tendat: cum ipsa verba idipsum evidenter exprimant.

Non absimile privilegium refertur ibidem *cap.* 88. quod Monasterio Grimbergano anno 1132. indulsit Lietbardus Episcopus Cameracensis, expresse dicens: " Ecclesiæ Camera„ censi hoc solum de illa habendum retinui, ordinationem „ Fratrum, & *filialem loci subjectionem.*

XXXVI. Denique *cap.* 89. referuntur litteræ quibus anno 1133. Burchardus Cameracensis Episcopus petitionem Religiosorum virorum, Walmanni videlicet Antverpiensium Abbatis, & Bernardi Clarævallensis (hic est S. Bernardus vulgò Doctor *mellifluus*) approbat, supplicantium, ut Ecclesiam de Tongerlo libertate donaret, quatenus in ea Fratres Præmonstratensis Ordinis, sub regula S. Augustini degentes, liberè & quietè Deo famulari valeant.

In quo autem hæc postulata libertas consistat, contextus concessionis Episcopalis aperit: " Prædictam Ecclesiam beatæ „ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ (ait) ab omni exa„ ctione, debitisque obsoniis, ad sustentandos Canonicos, in ea „ Deo sanctæque ejus Genitrici servientes liberam facio.

" Deinde (ait) ut Canonicum & injustum est, libens consti„ tuo, ut in constituendo Abbate sanior pars conventus libe„ ram potestatem obtineat, electus verò Cameracensi Episco„ po præsentetur, ut ab eo sine ulla contradictione, vel cujus„ libet personæ aliqua exactione consecratus, in Parochia sua „ jus synodale liberè obtineat.

Post hæc indulget, " quod Abbas ad Synodum non cogatur, „ nisi *sigillatis Episcopi Litteris* fuerit evocatus.

Denique temporalia Monasterii speciatim in his Litteris sive charta immunitatis exprimens, ea auferri aut dissipari à quocumque sub interminatione æternæ damnationis prohibet concluditque: " Pax igitur & benedictio conservatores prote„ gat: dissipatores verò ultio ignis æterni cum diabolo feriat.

XXXVII. Ex his aliisque, quæ passim referuntur, Monasteriis ad postulationem plerumque ipsorum Fundatorum, sæculo sexto & sequentibus indulta privilegia, manifestum est, ea non fuisse exemptiones à Canonica Episcoporum jurisdictione in corrigendis Monachorum & Abbatum excessibus; sed dumtaxat privilegia libertatis circa rerum temporalium dispensationem & Abbatum electionem, immunitatis à certis oneribus seu prætensis juribus, quibus Monasteria in temporalibus gravabantur, & Monachorum quies multum sæpe turbabatur.

XXXVIII. Et licet non omnia, quæ passim referuntur, quin nec illa quorum supra meminimus, Dionysianum & Corbiense ab omnibus ut sincera agnoscantur; imo non sine fundamento à nonnullis viris eruditis habeantur pro suppositiis & confictis, nihilominus valent ab probandum, quæ fuerit privi„ legiorum ejus ætatis forma.

Neque enim dubitari potest, quin privilegiorum similium fabricatores, ea ad veri privilegii normam, quantum in ipsis erat, adornarent, ut tantò faciliùs pro veris supponerent & eorum suppositio & fictio difficilius detegeretur.

Adhæc dubitari fas non est, similium privilegiorum consarcinatores studuisse Monasteriorum libertates & exemptiones amplificare: nihilque omisisse quod cum aliqua veri specie ad eam amplificationem dici potuisset, ac per consequens, si temporum illorum disciplina omnimodas à Jurisdictione Episcoporum exemptiones novisset, non dubium, quin hi privilegiorum fabricatores similibus exemptionibus sua fictitia privilegia auxissent.

XXXIX. Theodorus Balsamon ad Canonem VI. Calchedonensem citatis Canonibus, qui Monasteria Episcopis subjiciunt dicit: " Clerici ergo vel Monachi, qui dicunt hodie „ se Patriarchæ vel regionis Episcopo non esse subjectos, „ tamquam sint liberæ mansionis vel Ecclesiæ, proferentes „ utique etiam à Fundatoribus factorum statutorum or„ dinationes, quid ad hæc respondebant? Omnino nihil. „ Etiamsi enim quis fundator Monasterii vel Ecclesiæ in „ suis statutis, vel ordinatione sua decreverit non sub-

„ jici eorum Monachos vel Clericos regionis Episcopo, non „ audiatur, ut qui divinis sacrisque Canonibus contraria statuerit & quæ stare non possunt, scripserit.

CAPUT III.

Quorum auctoritate privilegia seu immunitates Monasteriis olim indulta sunt.

1 *Ab Episcopis primitùs data fuisse privilegia evincit Formula Marculfi.*
2 *Probant quoque pleraque privilegia Monasteriis indulta.*
3 *Hæc Episcoporum auctoritas vindicata in Concilio Romano anno 1002.*
4 *Plures nonnunquam Episcopi eidem privilegio subscribebant.*
5 *Etiam in Synodis privilegia confirmabantur.*
6 *His privilegiis etiam Regia auctoritas accedebat.*
7 *Privilegium S. Dionysii confirmatum fertur auctoritate Clodovæi II.*
8 *Frequentem fuisse Regiam confirmationem probat formula Marculfi quæ inscribitur,* Concessio Regis ad hoc privilegium.
9 *Eam consuevisse concedi ipsa formula indicat.*
10 *Confirmantur quæ ab Episcopis erant concessa.*
11 *Vetat quocumque prætextu quidquam de rebus temporalibus Monasterii auferre.*
12 *Dat quoque immunitatem ab oneribus Fiscalibus.*
13 *Concessio Regis fiebat ad postulationem Fundatorum; solebantque fundationes sub conditione concedendæ immunitatis fieri.*
14 *Fundatores curam Episcoporum & Regis protectionem implorabant.*
15 *Ad quid tenderet immunitas à Fundatoribus postulata?*
16 *Ratio concessæ immunitatis meritò à Monachis attendenda.*
17 *Concessio immunitatis Regiæ nihil de auctoritate Episcoporum detrahebat.*
18 *Privilegia etiam auctoritate Sedis Apostolicæ confirmari petierunt Monachi & Fundatores.*
19 *Probatur ex Epistola Benedicti III.*
20 *Privilegium à Pontifice confirmatum tantum spectabat res temporales Monasterii & electionem Abbatis.*
21 *Ostendit Pontifex* speciali *ratione injustum esse ut Episcopi* Galliæ *quidquam de rebus Monasterii in suos usus converterent.*
22 *Argumentum Pontificis supponit, Clericos divites non posse de proventibus Ecclesiasticis vivere.*
23 *Privilegium à Benedicto III. concessum confirmavit, rursusque renovavit Nicolaus I.*
24 *Ex hujus confirmatione evincitur, liberam Abbatum electionem fuisse sollicitatam ad excludendos Abbates sæculares.*
25 *Privilegia tantum à Pontifice confirmabantur, quæ ab Episcopis erant obtenta.*
26 *Pontifices per suas confirmationes non detrahebant Episcoporum in Monasteria Canonicæ auctoritati.*
27 *Privilegia ab Episcopis dari & Sedis Apostolicæ & Regum auctoritate roborari scribit* S. Ivo Carnotensis
28 *Fundatores Monasteria subjicientes protectioni Sedis Apostolicæ à jurisdictione Episcopi non eximebant.*

I. PRivilegia seu immunitates sæculo sexto & sequentibus auctoritate Episcoporum concessa fuisse, vel sola formula Marculfi Monachi (de qua capite præcedenti) evincit. Solus enim Episcopus tanquam privilegii & immunitatis Auctor loquens introducitur his verbis: "Domino sancto & in Christo venerabili Fratri illi Abbati, vel „ cunctæ Congregationi Monasterii illius in beatorum illorum „ ab illo in pago illo constructo *ille Episcopus.*

II. Evincunt id quoque omnia passim privilegia, quæ eo tempore Monasteriis concessa leguntur & asseruntur, atque signanter quorum precedenti capite relata sunt, quæque Monasteriis Harlebecano, Grimbergano, ac Tongerloensi indulta ex Miræo retulimus, etiam sæculo 12. auctoritate Episcoporum privilegia hujusmodi data esse probant.

III. Auctoritatem Episcopalem circa hujusmodi privilegiorum concessionem mirè confirmat, quod anno 1002. in Synodo Romana coram Sylvestro II. Papa contigisse fertur. Cùm enim Pontifex assereret, Abbatiam Perusinam sub jure & dominio esse Ecclesiæ Romanæ, variaque privilegia Prædecessorum suorum protulisset, ait Episcopus: "Privilegia hæc non „ reprobo; sed sine *consensu Antecessoris mei*, cujus tempori„ bus illud prius privilegium factum est, factum fuisse dico: si „ solum viderem consensum, haberem inde æternum sile„ tium. Cui econtra omnis clerus S. Romanæ Ecclesiæ ait: vi„ dimus omnes Epistolam Antecessoris tui, in qua & consensus „ erat, & precibus, ut hoc fieret, Episcopus obnixè postulat: „ cujus rei testes sumus, & secundum Canonicam sanctionem „ verum fuisse comprobamus.

IV. Ut autem major esset privilegii efficacia, illud non rarò à pluribus Episcopis probabatur, ut indicat citata formula Marculfi. In fine quippe formulæ dicitur: "Quam constitu„ tionem nostram, ut firmis subsistat vigoribus & nos & Fra„ tres nostri Episcopi subscriptionibus, manibus nostris decre„ vimus roborari.

V. Imò plurima referuntur privilegia in Synodis Episcoporum probata, quin & subinde Synodos Episcoporum ad probandum simile privilegium convenisse legitur.

In Synodo Valentina anno 584. postulante Gunthramno Francorum Rege probata legitur immunitas, seu privilegium Monasterii SS. Marcelli & Symphoriani, ut si quid præfatus Rex Basilicæ S. Marcelli, "sive in Ministerio altariorum, sive „ in quibuscumque speciebus, quæ ad divinum cultum perti„ nere noscuntur, contulisse, vel adhuc conferre voluerit, ne„ que Episcopi locorum, neque potestas Regia quocumque „ tempore succestura, de eorum voluntate quidquam minora„ re, aut offerre præsumat." Extat tomo 5. Concil. general. *col. 976.*

Notat autem ibidem Severinus Binius, in hoc Concilio nihil aliud factum inveniri, quam quod ad instantiam dicti Regis Guntheramni, donationes, quas ob pias causas ipse ejusque Posteri contulerant, vel collaturi essent, privilegiis & immunitatibus Ecclesiasticis donatæ fuerint.

Capite præcedenti retulimus, quomodo teste Aimoino, datum fuerit privilegium Monasterio S. Dionysii in Conventu omnium Episcoporum Galliæ.

Extat quoque tomo 9. Concil. general. *col. 918.* Conventus Episcoporum anno 1040. quo non absimile privilegium seu immunitas conceditur Monasterio Vindocinensi, quod Gaufredus inclytus Comes, & uxor ejus construxerant. Ex quo patet, etiam sæculo undecimo hujus generis privilegia & immunitates ab Episcopis fuisse data & in Synodis probata.

VI. Adhæc, ut firmiora essent ab Episcopis concessa privilegia; utque adversus potentiorum incursiones & vexationes tutiores redderentur Monachi, eorumque res temporales faciliùs conservarentur, moris fuit ut hisce privilegiis & immunitatibus Regia auctoritas seu confirmatio accederet.

VII. Refertur tomo 6. Concil. general. *col. 489.* præceptum sive confirmatio Clodovæi II. Regis privilegii vel libertatis Monasterii S. Dionysii; quod Landericus Episcopus Parisiensis, annuentibus aliis Galliæ Episcopis dicto Monasterio indulserat.

VIII. Quam autem frequens ac usitata esset Regia hæc privilegiorum confirmatio, probatur ex Marculfo Monacho, qui inter formulas suas, etiam hujus confirmationis formulam retulit immediatè post formulam privilegii ab Episcopis concedi soliti, sub hac Epigraphe: *Concessio Regis ad hoc privilegium*: qua describitur forma in confirmatione Regia servanda.

IX. In ipsa quoque formula concessionis indicatur, hanc concessionem regiam solitam esse concedi. "Nec nobis „ (ait) aliquis detrahendo æstimet in id nova decernere carmina, dum ab antiquitus juxta Constitutionem Pontificum „ per regalem sanctionem monasteria sanctorum illorum „ vel cæteræ in regno nostro sub libertatis privilegium vi„ dentur consistere, ita & præsens valeat Deo adjutore con„ stare.

X. Post hæc subjiciuntur ea quæ ex concessione seu privilegio Episcoporum Monasteriis indulgeri solebant, quæ à Rege confirmantur, & observari mandantur.

"Adjicientes (pergit post hæc formula) ut nulli peni„ tus judicum vel cuilibet hominum licentia sit de rebus

præfata

„ præfati Monasterii absque voluntate ipsorum servorum Dei
„ in aliquo iniquiter defraudare, aut temerario spiritu suis usi-
„ bus usurpare; ne, quod primitus est, & Dei iram incurrat &
„ nostram offensam, vel à fisco grave damnum sustineat.

XI. Utque plenius esset privilegium adjungit: " Illud nobis
„ pro integra mercede nostra placuit addendo, ut tam quod ex
„ nostra largitate quam delegatione ipsius vel cæterorum aut
„ cujuslibet ibidem est aut fuerit devoluta possessio, quoque
„ tempore, nulla judiciaria potestas, nec præsens nec succidi-
„ va, aut causas audiendo, aut aliquid exactando, ibidem non
„ præsumat ingredere; sed sub omni emunitate hoc ipse Mona-
„ sterius vel Congregatio sua sibimet omnes fredos concessos
debeant possidere.

XII. Deinde ad integram Monasterii libertatem & immunitatem, etiam à Fiscalibus oneribus Monasterium exemptum declaratur " Et quidquid exinde Fiscus noster forsitan de eo-
„ rum homines aut ingenuos aut servientes in eorum agros
„ commanantes vel undecumque poterat sperare ex indul-
„ gentia nostra in luminaribus ipsius sancti loci vel in stipendiis
„ servorum Dei, tam nobis in Dei nomine viventibus, quam
„ per tempora succedentibus Regibus, pro mercedis com-
„ pendium debeant cuncta proficere, ut pro æterna salute vel
„ felicitate patriæ seu Regis constantia delectet ipsis Mona-
„ chis immensum Domini pietatem jugiter implorare.

XIII. In ipsa formula annotatur, concessionem Regiam fieri ad petitionem illius qui Monasterium fundaverat, aut fundare intendebat. Constat enim ad horum petitionem hujusmodi immunitates concedi solitas fuisse: ipsasque dotationes & fundationes sub conditione hujusmodi immunitatis plerumque factas probat prima formula libri Marculfi, quæ inscribitur: *De magna re qui vult ex senodochio aut Monasterio construere.* Hic post enumeratas res in constructionem aut fundationem Monasterii destinatas adjicitur: " Eâ scilicet ra-
„ tione atque prætextu, ut remota Pontificum simulque &
„ Ecclesiasticorum omnium officialium seu publicorum om-
„ nium potestate, nullas functiones vel exactiones, neque ex-
„ quisita & lauta convivia, neque gratiosa vel insidiosa munus-
„ cula, neque etiam caballorum pastus, aut paravereda, vel
„ cæteras angarias, aut in quodcumque functionis titulum di-
„ ci potest, de ipsa facultate penitus non requiratur, sed sub
„ integra emunitate facultaticula ipsa, sicut à me hucusque
„ possessa est, in jure oratorii sancti illi & prædictorum paupe-
„ rum debeant Deo protegente & opitulante persistere.

XIV. Posthæc Regem & Episcopos obtestatur ipse Fundator ut omni exactione & vexatione velint abstinere & Monachos tueri, " ut hac voluntate meo pro nullis occasionibus, sicut
„ existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nullâ ratione
„ nulloque tempore convellere permittatis, sed per sollicitudi-
„ nem & curam Episcopi constare potius pro reverentia Tri-
„ nitatis immensæ, vestro tempore & studio vel opere jubea-
„ tis, quatenus ut & ille vobis mercedem restituat in futuro qui
„ scit me eleëmosynis ipsis sanctis Dei pauperibus pro amore
„ Domini nostri Jesu Christi ardenti desiderio tribuisse.

XV. Non obscurum ex his est, hanc immunitatem unicè à Fundatoribus postulari consuetam, ut quæ pro eleëmosynis in usum & necessitates pauperum Christi oblata sunt, in usus profanos non divertantur, ipsique Monachi in quiete ac regulari observantia sine vexatione vivere possent: quod & in formula Regiæ concessionis exprimitur, ubi rationem suæ concessionis Rex allegat: " Ad petionem illius (Fundatoris) cle-
„ mentiâ nostra pro quiete ipsorum servorum Dei præceptio-
„ nem vigoris nostri placuit propalare, sub quo tranquillitatis
„ ordine, Domino protegente, ipsi Monachi juxta Religionis
„ normam perpetuum valeant residere, elegimus ut & hâc
„ serie debeat pleniùs declarari.

XVI. Optandum ut qui Monasteriorum suorum immunitates & privilegia jam pridem Regum atque Episcoporum munificentiâ, postulantibus Fundatoribus impetrata, tantopere urgere & inclamare solent, etiam ad rationem concessionis attenderent; atque rebus sibi à Fundatoribus oblatis, & à Regibus & Episcopis aliisque immunitate donatis, uterentur juxta intentionem Fundatorum & Regum aliorumque qui privilegia annuerunt, ut res illæ in eleëmosynam sanctis Dei pauperibus pro amore nostri Jesu Christi ardenti desiderio consecratæ (ut loquitur formula *De Fundando Monasterio*) etiam tanquam eleëmosynæ & pauperum Dei necessitatibus, non autem in luxum & usus planè profanos impenderentur.

XVII. Admodum notanda clausula quam allegatis verbis subjungit formula concessionis Regiæ. " Quia nihil de *Cano-*
„ *nica institutione* convellitur, quidquid ad domesticos fidei
„ pro tranquillitatis pace conceditur. " Hæc clausula ostendit, similibus privilegiis & immunitatibus nihil de Canonica auctoritate, quibus Monasteria spirituali Episcoporum directioni subduntur, detrahi. Et sanè Regum ac Principum mens fuit, Monachos contra Potentiorum vexationes & oppressiones suâ auctoritate protegere, nequaquam verò à Canonica subjectione eximere, uti infra latiùs ostendetur.

XVIII. Privilegia ab Episcopis concessa, & Regia auctoritate firmata necdum sat valida erant, ut temporalia Monachorum contra Potentiorum invasiones tuta essent, aut jus eligendi Abbates regulares illibatum servaretur; quare Monachi eorumve Fundatores, hæc privilegia etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, præsertim sæculo 9. & sequentibus, firmari postularunt; ipsaque Monasteria sub speciali ejusdem Sedis protectione esse voluerunt.

XIX. Extat tomo 8. Concil. general. *col. 225.* epistola Benedicti Papæ III. super confirmatione privilegiorum Abbatiæ Corbeiensis, in qua narrat, Abbatem Corbeiensem petiisse,
" ut nostræ (ait) auctoritatis privilegium super electionis pro-
„ priæ statu, & rerum suarum libera possessione seu dispensa-
„ tione prædicto Monasterio Corbeiæ concederemus.

Hic adverte, privilegium petitum à Pontifice tantum ad rerum temporalium possessionem & dispensationem, atque jus liberæ electionis pertinuisse.

XX. Narrat dein Pontifex, quod Abbas ipsi ostenderit privilegia ab Episcopis edita: unum à Præsule Ambianensi, nimirum Bertefrido (ad cujus Diœcesim locus ille pertinet) & coepiscopis suis factum atque roboratum, quod refertur tomo 6. Concil. general. *col. 527.* alterum ab Archiepiscopo Remensis Ecclesiæ Hincmaro, & universali Concilio Episcoporum Galliarum conscriptum, & subscriptionibus propriis roboratum, Extat tomo 7. Concil. general. *col.* 1848.

Quid hæc privilegia continerent audiamus: " In quibus
„ privilegiis Decretum est, ut præfatum Monasterium Cor-
„ beiæ, & rerum suarum liberam obtineant dominationem, &
„ eligendi sibi Abbatem de suis semper habeant potesta-
„ tem.

Post hæc asserit Pontifex, quod Imperatoris Lotharii & Ludovici ac Caroli supplicatio accesserit " idipsum postulan-
„ tis, videlicet ut Episcoporum privilegia nostra quoque au-
„ ctoritate firmarentur.

His præmissis duo illa in privilegiis Episcoporum contenta auctoritate suâ ipse confirmat & Monasterio Corbeiæ in perpetuum salva esse voluit.

XXI. Ut verò integra maneat rerum temporalium possessio penes Monasterium, vetat Episcopis eorumque Archidiaconis & ministris ne quidquam ex iis, quæ ad Monasteria pertinent, vindicent.

Quam singulari ratione injustum sit, ut Episcopi Galliarum quidpiam è rebus ad Monachorum usus destinatis, in suos proprios converterent sequenti probat argumento: " Cum-
„ que Galliarum permaximè Ecclesias fidelium collatio-
„ nibus à Deo constet esse ditatas, ut nemo sit fere Episcopo-
„ rum, cui suæ sumptus Ecclesiæ satis superque non suffi-
„ ciant, cujus gratia necessitudinis, quæ servorum Chri-
„ sti sunt usibus collata, in suos convertere sumptus præsu-
„ mant.

XII. Consequentiam probat sequenti ratiocinatione: " Si
„ enim Clericorum, qui de propriis abundant reditibus, com-

„ communicatio prohibetur cum eis quæ conferuntur Eccle-„ siæ, ne dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum „ qui nihil habent inopia non levetur; qua conscientia Episco-„ pus suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei „ fuerint usibus collata præsumat contingere?

Hic per transennam lector annotet, tanquam indubitatum assumi, Clericum, qui de propriis abundat reditibus, non posse communicare de iis, quæ Ecclesiæ conferuntur. Hoc testimonium addi cupio illis, quæ de hoc argumento fusè dicta parte 2. *tit.* 32. *cap.* 5.

XXIII. Idem privilegium rursus renovavit & confirmavit Benedicti III. immediatus successor Nicolaus I. uti patet ex ejus epistola 24. ad Trasulfum Abbatem Corbeiæ; quæ confirmatio itidem evincit, privilegium hoc non spectasse nisi rerum temporalium conservationem & liberam Abbatis electionem.

XXIV. Probat quoq; hanc præcipuè sollicitam, ut excluderentur Abbates sæculares; dicit enim: " verò Fratres ipsius Mo-„ nasterii de *se ipsis* eligendi semper habeant potestatem, & e-„ am personam eligant , *quæ Monachi propositum & habitum* „ *& moribus profiteatur*, non Canonicum aut Laicum, ne-„ que alterius Monasterii Monachum: quoniam Monachico „ Ordini præficere vel Laicum, vel Canonicum, non est ser-„ vare Ordinis professionem, sed evertere: quod unusquisque „ Præpositus cujus est Ordinis, ejus quoque erit & propaga-„ tor; nec bene disponet aliquando cujuscumque militiæ vitam „ cujus non fuerit ipse qui disponit emulator.

Et infra: " Qua de re Præcipimus omninò , Monasterio „ Beatorum Petri & Pauli, quod Corbeiæ dicitur , nullam „ præficiant personam, vel ex sibi militantibus , vel ex altero „ Monasterio sumptam , quæ non per electionem sumatur „ probabilem, sive de Laico, sive de Canonico, sive de quo-„ cumque fuerit Ordine.

XXV. Plurima hujusmodi confirmationis Pontificia diplomata passim referuntur; quæ unâ ostendunt Pontifices eo tempore, privilegia ab Episcopis concessa, auctoritate sua potius roborasse, quam nova concessisse. Nec enim Pontificis auctoritas necessaria videbatur, ut similia privilegia obtinerentur, quæ Canonicæ institutioni non obviabant; sed auctoritas Pontificia implorabatur, ut privilegia ab Episcopis Canonicè ac legitimè indulta, contra malevolorum conatus illæsa manerent.

XXVI. Ulterius , quia Pontifices suam dumtaxat addere solerent auctoritatem privilegiis ab Episcopis indultis, & auctoritate Regia frequenter etiam probatis , nihil quoque de Canonica Episcoporum auctoritate spirituali in Monasteria diminuerunt; sed voluerunt ut indulta ab Episcopis suum perennem obtinerent effectum.

XXVII. Hæc brevi compendio sæculo 11. expressit S. Ivo Carnotensis *epist.* 193. monens Gaufridum Bellovacensem Episcopum, ut privilegia Ecclesiæ S. Quirini intemerata servaret, quæ *à Prædecessoribus obtinuit* , *Apostolica manus roboravit, Regiaque Majestas pragmatica sanctione firmavit.*

XXVIII. Similiter dum Fundatores cœperunt Monasteria à se fundata speciali protectioni Sedis Apostolicæ immediatè subjicere, nequaquam Monachorum ab Episcoporum spirituali jurisdictione & correctione exemptos voluerunt, sed ut sub protectione Sedis Apostolicæ, contra Potentiorum invasiones & vexationes tuti & quieti essent; uti infra latiùs ostendetur.

CAPUT IV.

De Initiis & progressu exemptionum.

1 *Privilegia primitus Monachis indulta propriè non sunt exemptiones.*
2 *Divisio exemptionis in partialem & totalem; & quid partialis?*
3 *Quid totalis?*
4 *Hæc à S. Bernardo dicta est emancipatio.*
5 *Rectè vocatur emancipatio.*
6 *Ex privilegiis jampridem Monachis indultis non probatur antiquitas exemptionum.*
7 *Nonnulli originem exemptionum ad tempora S. Gregorii referunt, sed minus rectè.*
8 *Privilegium exemptionis quod Monasterio S. Medardi à S. Gregorio datum dicitur.*
9 *Privilegium hoc multis titulis ut suppositium rejicitur.*
10 *Similiter & privilegium quod ab eodem Sancto Pontifice datum dicitur Xenodochio Augustodunensi.*
11 *Suppositium est privilegium quod à S. Germano Parisiorum Episcopo datum fertur Monasterio S. Germani.*
12 *Initium exemptionis nonnulli repetunt ex Synodo Carthaginensi anni 524. sub Bonifacio.*
13 *Referuntur acta hujus Synodi.*
14 *Acta quæ huic Synodo adscribuntur non evincunt plenam Monasteriorum exemptionem.*
15 *Acta illa de suppositione sunt suspecta.*
16 *Quin ob allegatam hanc Synodum quædam privilegia redduntur de suppositione suspecta.*
17 *Privilegium quod Monasterio S. Martini Turonensis dedisse fertur Adeodatus Papa.*
18 *Privilegium hoc supponit, quod jampridem Sedes Apostolica exemptiones dederit, sed ob abusus dare desierit.*
19 *Privilegium noluit concedere Pontifex nisi de consensu Episcoporum constaret.*
20 *Plura sunt quæ hoc privilegium de suppositione reddunt suspectum.*
21 *Ante sæculum 11. distinctio inter Monasteria exempta & non exempta non occurrit.*
22 *Neque Prælatorum adversus exemptiones querelæ, quæ sæculo 12. & sequentibus frequentes fuerunt.*
23 *Invectiva S. Bernardi in Monachos exemptionem ambientes.*
24 *Rejicit prætextum Monachorum de libertate Monasterii.*
25 *Cluniacenses exemptiones propugnant tamquam à Sede Apostolica ex voluntate Fundatorum indultas.*
26 *Impugnatores ad Sedem Apostolicam remittunt.*
27 *Sanctus Bernardus Eugenio III. Papæ querelam contra exemptiones proponit.*
28 *Indignum censet Ecclesias inferioribus subtrahere & Sede Apostolicæ immediatè subjicere.*
29 *Nullum esse bonum fructum exemptionum prætendit.*
30 *Eas repugnare justitiæ.*
31 *Nec esse conformes voluntati Fundatorum.*
32 *Immunitates & protectiones à Fundatoribus expetita pro exemptionibus à Monachis accepta.*
33 *Contra exemptiones sub nomine Archiepiscopi Cantuariensis scribit Petrus Blesensis.*
34 *Exemptiones multum obesse Monasteriis scribit.*
35 *Rogat Pontificem ne credat Privilegiis, nisi iis visis, quia multa falsa allegantur.*
36 *Acerrima ejusdem Petri Blesensis contra exemptiones Epistola ad suum fratrem Abbatem.*
37 *Contra exemptiones scribit Joannes Saresberiensis.*
38 *Similiter Petrus Cantor.*
39 *Horum testimoniis evincitur, exemptiones ante sæculum 11. vix notas fuisse.*
40 *Conciliorum de his querela.*
41 *Ordinum Mendicantium Fundatores meritò exemptiones respuerunt.*
42 *Sanctus Franciscus noluit à suis Sodalibus privilegia impetrari.*
43 *Contra mentem S. Francisci quidam ejus Filii exemptiones impetrare cœperunt.*
44 *Id & in aliis Ordinibus contigit.*
45 *Exemptiones à Mendicantibus impetrata cur specialiter odiosa.*
46 *Episcoporum Provinciæ Remensis anno 1287. querela occasione privilegiorum.*
47 *Querela Episcoporum contra exemptiones in Concilio Viennensi.*
48 *Privilegia hæc summum incrementum accepere tempore schismatis Avenionensis; & quid circa hæc decreverit Martinus V. in Concilio Constantiensi.*
49 *Contentiones & difficultates exortæ occasione exemptionum colliguntur ex Decretalibus in Corpore Juris exstantibus.*
50 *Capitula & Universitates studiorum etiam eximi cœperunt.*
51 *Occasio exemptionis Capitulorum.*
52 *Qua ratione exemptæ videantur Universitates.*
53 *Etiam particulares personæ eximi cœperunt.*

I. Varia privilegia & immunitates jam pridem Monachis & Monasteriis indulta fuisse *capite* 2. ostendimus: sed illa solùm immunitatem à certis oneribus & jus eligendi Abbatem spectasse ibidem notavimus,

vimus. Quapropter hæc privilegia seu immunitates, non veniunt proprie nomine *exemptionis* prout hodie communiter sumitur vox *exemptio*, ubi de Monasteriorum, Capitulorum aliorumque Corporum aut locorum vel personarum exemptione agunt Canonistæ: quamvis alias similes immunitates dici possent *exemptiones*, quatenus per eas Monasteria aliaque Corpora à quibusdam juribus eximuntur.

II. Hac ratione nonnullibi è recentioribus Canonistis exemptionem dividunt in partialem & totalem. Sub priore comprehendentes omnes illas, quibus conceditur immunitas sive exemptione à jurisdictione Episcopi vel Ordinarii, quoad certos quosdam articulos, puta *Cathedratico*, *Synodico* aliisque ad legem Diœcesanam, juxta recentiorem Canonistarum opinionem, spectantibus; hæcque rursus generalior vel restrictior est, quatenus à pluribus, aut paucioribus hujusmodi Juribus eximit, quod ex tenore privilegii sive immunitatis dignosci debet, quemadmodum capite seq. ostendetur.

III. Totalis autem & quæ hodie simpliciter & communiter *exemptio* nuncupatur, & de qua præcipuè hoc titulo agitur, à Canonistis definiri solet, libertas illimitata à potestate & Jurisdictione Ordinarii cum immediata subjectione Sedi Apostolicæ; ita ut sic exempti non tantum sint absoluti à Jurisdictione Ordinarii quoad Jura illa quæ ad legem Diœcesanam referri solent; sed etiam ab iis quæ ad legem Jurisdictionis spectant ut sunt correctio, punitio &c. atque ipsum exemptum quodammodo subtrahit auctoritati & Jurisdictioni spirituali sui Episcopi, & immediatè subdit Sedi Apostolicæ.

IV. Hanc speciem exemptionis maluit S. Bernardus vocare *emancipationem*, quam immunitatem aut privilegium *epist.* 42. dicens: *Spoliant* (Abbates) *Ecclesias*, ut EMANCIPENTUR, *redimunt se*, *ne obediant*.

V. Nec sane incongruè emancipatio vocatur, argumento ducto ab *emancipatione* legali, qua filii-familias potestati paternæ substrahuntur, & in quamdam libertatis speciem vindicantur, ac sui Juris efficiuntur.

VI. Itaque exemptio hæc omninò disparata est à privilegiis & immunitatibus jam pridem ab Episcopis indultis, & Apostolicâ ac Regia auctoritate roboratis, de quibus suprà *capite* 2. & 3. actum est. Quare & ex hujusmodi privilegiis nihil pro auctoritate aut antiquitate exemptionis (prout hodie sumitur, & subtractionem à Canonica Episcoporum auctoritate & correctione complectitur) desumi potest; quandoquidem prædicta privilegia & immunitates Canonicam Episcoporum auctoritatem non attigisse ostenderimus.

VII. Quo verò tempore non tantùm immunitates, sed & exemptiones à Canonica Episcoporum subjectione postulari ac impetrari per Monachos à Sede Apostolica cœperint, non una est omnium opinio.

Nonnulli credunt, S. Gregorium quædam Monasteria & pia loca exemptionis privilegio donasse atque à potestate Ordinariorum solvisse, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecisse.

Negari nequit, quin S. Gregorius specialem in Monachos & Moniales eorumque Monasteria curam suam ac solicitudinem Pastoralem impenderit; multumque solicitus fuerit, ne indebitis oneribus gravarentur, aut variis prætextibus & dominandi quorumdam libidine vexarentur & turbarentur; sed nullibi eos à Canonica subjectione Episcoporum exemit, aut Episcopali censuræ substraxit; imo ad Eusebium Abbatem scribit *lib.* 2. *Epist.* 2. *indict.* 10. „Qui se contra Præpositos „suos erigunt, profectò ostendunt quia servi Dei esse contem„nunt. „ Ulteriùs eumdem Abbatem de suo Episcopo justè conquerentem, à subjectione non absolvit; sed ut se humiliter subjiciat hortatur. „Et quidem ab illo (Episcopo) hoc quod „factum est, minimè fieri debuit, à te tamen omninò debuit „humiliter suscipi: & rursum cùm gratiam reddebat, ad eum „cum gratiarū actione debuit occurri. Quod quia ita à te fa„ctum non est, adhuc cognosco, quia nobis omnino lacry„marum opus est. Non enim grande est iis non esse humiles, „à quibus honoramur, quia & hoc sæculares quilibet faciunt, „Sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua pati„mur: Nam Psalmista dicit: *Vide humilitatem meam de i„nimicis meis.* Nos cujus vitæ sumus, qui humiles esse etiam „Patribus noluimus. „ Plura vide supra *cap.* 2. ubi ostendimus, privilegia à S. Gregorio indulta nullatenus ad hanc exemptionem pertinuisse.

VIII. Extat quidem ad calcem Epistolarum S. Gregorii privilegium amplissimum exemptionis, quod Monasterio S. Medardi concessisse dicitur hic Sanctus Pontifex. Verùm si tenor hujus privilegii dumtaxat inspiciatur, apparebit indignum esse quod tanto Pontifici adscribatur. Quis enim umquam inscriptionem in Epistolis Pontificum vidit huic similem: *Pretiosissimis lapidibus meritò renitentibus, omnibusque sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorum universale Caput est Christus, Gregorius licet sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen servorum Dei servus.*

IX. In ipso privilegii contextu plurimæ occurrunt insolitæ & barbaræ expressiones à stylo & ætate S. Gregorii omninò alienæ; item prærogativæ & Jura quæ Abbati Monasterii S. Medardi conceduntur, nullatenus moribus & disciplinæ istius ætatis consentanea: in ipsis quoque subscriptionibus crassissimi deprehenduntur errores; quemadmodum post Cardinalem Peronium, Jacobum Sirmondum, aliosque viros eruditos deduxit & ostendit Joannes Launoius Theologus Parisiensis in Scripto cui titulus: *Inquisitio in privilegium quod Gregorius Papa primus Monasterio S. Medardi dedisse fertur*; ac dein latiùs in *Assertione* ejusdem inquisitionis, ubi adeo dilucide suppositionem & fictionem hujus prætensi privilegii demonstrat, ut non credam quod eruditus ullus illud amplius sustinere audebit; præsertim cum teste Cardinale Bonâ, nec hoc privilegium inter Opera S. Gregorii reperiatur in archivis Romanis, ut sibi à dicto Cardinale scriptum asserit Auctor notarum in Epistolas S. Gregorii editionis anni 1675.

X. Privilegium quod S. Gregorius dedisse dicitur Xenodochio Augustodunensi & refertur *lib.* 11. *Epist.* 10. licet non æquè à moribus & disciplina ætatis Gregorianæ exorbiret ac præcedens, nihilominus plura exhibet suppositionis argumenta deducta à Joanne Launoio in citata Inquisitione *Corollario* 2. & latiùs in Appendice ad citatam Assertionem *cap.* 10. Item in Assertione Inquisitionis in *Chartam immunitatis quam B. Hermannus Parisiorum Episcopus Suburbano Monasterio dedisse fertur part.* 4, *cap.* 8. quamvis & ipse Launoius *parte* 2. *sect.* 5. ejusdem Assertionis ostendat, hoc qualecumque privilegium, Abbatem jurisdictioni Episcopi non substrahere, sed subjicere: ideoque nullum hinc pro antiquitate exemptionis argumentum desumi posse, quantumvis privilegium genuinum esse probaretur.

XI. Privilegium quod Monasterio S. Germani in Suburbio Parisiensi circa tempora S. Gregorii datum scribitur à S. Germano Parisiorum Episcopo, non obscuriora nec pauciora præfert fictionis & suppositionis indicia, quam illud quod Monasterio S. Medardi indultum fertur à S. Gregorio, quæ latè & dilucidè deduxit citatus Joannes Launoius tam in Inquisitione in chartam immunitatis S. Germani, quàm in ejusdem *Inquisitionis Assertione* contra librum Roberti Quattremarii Monachi pro defensione dicti privilegii editum.

XII. Christianus Lupus in Scholiis ad *Canonem* 4. Chalcedonensem ait, quod „Monachis adversus Episcoporum exces„sus libertatem dare cœperit ad S. Fulgentii preces Bonifacius „Archiepiscopus Carthaginensis, cujus (ait) Synodus extat in„tegra in Bibliotheca Vaticana. „ Meminit & hujus Synodi Joannes Mabilonius *lib.* 1. *De Re Diplomatica cap.* 3. qui & huic exemptionum initium aliquod adscribit.

XIII. Synodum hanc in suo spicilegio edidit Lucas D'Acherius & tomo 4. Concil. general. *col.* 1641. inseruit Labeus, qui recitatis actis hujus Concilii, ad Calcem *col.* 1649. monet: „Decretum autem hujus Concilii extat in alio Co„dice Longobardico vetustissimo Bibliothecæ Vaticanæ *nu.* „ 5845. „Deinde immediatè subjicit: *In Concilio sub Sancto Bonifacio Episcopo apud Carthaginem.* „ Erunt igitur

„ omnia omninò Monasteria, sicut semper fuerunt à condi-„ tione Clericorum modis omnibus libera, sibi tantùm & Deo „ placentia.

Eodem tomo Concil. general. 1785. extant Concilii Carthaginensis sub Reparato Episcopo anno Christi 534. acta nonnulla, in quibus prædicti Concilii Carthaginensis sub Bonifacio mentio fit, referturque, quod „Felix Episcopus Ecclesiæ Zactarensis Provinciæ Numidiæ dixit: De Monasterio „ Abbatis Petri; ubi nunc Fortunatus Abbas constitutus est, „ quæ temporibus sanctæ memoriæ Bonifacii in Concilio „ universali nobis etiam præsentibus acta sunt, inconvulsa permaneant.

Post hæc subditur: „Cætera verò Monasteria etiam ipsa „ libertate plenissima perfruantur, servatis limitibus Conciliorum suorum in hæc dumtaxat, ut quandoque voluerit sibi „ Clericos ordinare, vel Oratoria Monasteriis dedicare, Episcopus, in cujus plebe, vel civitate locus Monasterii existit, ipse „ hujus muneris gratiam compleat, salvâ libertate Monachorum, nihil sibi in his præter hanc ordinationē vindicans, neque Ecclesiasticis eos conditionibus aut angariis subdens. „ Oportet enim in nullo Monasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare; aut qui fortè habuerint, habere: nec „ aliquam ordinationem, quamvis levissimam, facere nisi Clericorum, si voluerint, habere: esse enim debent Monachi in „ Abbatum suorum potestate. Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, qui in loco eorum ordinati sunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium sibi hujus electionis vindicet, aut præsumat Episcopus. Si qua verò contentio quod „ non optamus, exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum concilio sive judicio finiatur.

XIV. Si Acta hujus Concilii ritè expendantur, meritò ambigitur, num Monasteria ab omnimoda Episcopi jurisdictione spirituali eximantur; an verò immunitatem dumtaxat à Juribus quibusdam temporalibus consequantur, ut Episcopus, *neque Ecclesiasticis eos conditionibus, aut angariis subdat*, atque liberam electionem Abbatis.

XV. Adhæc, Ferrandus Diaconus Carthaginensis; & Cresconius, Bonifacio, sub quo Synodus Carthaginensis de privilegio Monachorum habita dicitur, coævi fuerunt; quorum prior Canones Carthaginenses in compendium redegit edidítque sub titulo; *Breviarium Canonicum*; posterior verò Canones in unum Corpus redegit & tamen neuter Synodi à Bonifacio habitæ, aut Canonum ab ea Synodo de libertate Monastica editorum meminit. Meminisset autem uterque, vel alteruter sine dubio (ait Joannes Launoius in citata Assertione Inquisitionis in Chartam Immunitatis S. Germani *parte 4. cap. 6. sect. 1.*) cùm ex subjecta materia; quæ tractaretur, tum ex eo quoque, quòd facta tunc temporis Synodus in utriusque oculos, manum & calamum incurrisset.

XVI. Hinc non leve de veritate ac sinceritate hujus Synodi dubium oritur. Imò Joannes Launoius vel hinc pro suppositione privilegiorum Monasterii Fossatensis, Sandionysiani, & Corbeiensis argumentum desumit, quod in his privilegiis hujus Synodi Carthaginensis acta & Canones reclamentur: præsertim quia in duobus posterioribus privilegiis dictis Canonibus jungitur S. Augustini liber *De Ecclesiasticis Gradibus*, quia tamen nec in Catalogo librorum S. Augustini, quem confecit Possidius, extat; nec Venerabilis Beda meminit; neque in ulla Operum S. Augustini editione comparuit hactenus, etiam inter Opera; quæ vel Librariorum errore, vel unius Codicis compactione Augustino perperam adscripta, & in appendices in ultima editione rejecta sunt.

XVII. Refertur tomo 6. Concil. general. *col.* 523. Epistola Adeodati Papæ scripta circa annum 657. ad universos Episcopos Galliæ de privilegio quod concessum est Abbati Monasterii S. Martini Turonensis.

XVIII. In hac Epistola narrat Pontifex, quòd Ægidius religiosus Presbyter & Abbas Monasterii S. Martini sibi supplicaverit, ut privilegium ei concedere dignaretur; ac dein subdit: „ Parumper autem ambiguimus, idcirco quòd mos atque traditio Sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat, à regimine „ Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere.

Ad quæ verba reflectens Baronius ait: „Ex cujus Scripto „ illud fit manifestum, jam cessasse Romanos Pontifices ejusmodi immunitates concedere Monasteriis, cùm dicat: Mos „ atque traditio Sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à „ regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. „ Id fortassè, quod experimento didicissent, ejusmodi immunitates obfuisse potiùs, quam profuisse Monasticæ Observantiæ.

XIX. Dein prosequitur Pontifex, narrans, quod sibi Crotberti Turonensis Episcopi libertatem Monasticam scripto concessam comperit, „ in cujus volumine (ait) & aliorum per „ Gallicanam videlicet Provinciam constitutorum Antistitum „ ad id consensum præbentium subscriptiones super annexas „ inspeximus; nullatenus jam exortem rationis ac Canonicæ „ regulæ tantorum Episcoporum consortam sententiam fore „ perpendimus. Propterea & nos erga quod iidem Fratres nostri reverendissimi præsentes, conferre providerunt, simili „ censura ex auctoritate profecto Apostolorum Principis, cui „ claves ligandi atque solvendi conditor atque redemptor omnibus tribuit, identidem firmari concessimus.

Hinc non obscurum est, Pontificem noluisse prius hoc privilegium concedere, nisi postquam ipsi compertum fuit, Episcopos jam tum illud dedisse, aut consensisse saltem voluisse, quod & solicitè cavit, ubi in fine rursus hanc clausulam parenthesi includit, *quod etiam Præsules consona sententia definierunt.*

Unde si verùm atque genuinum sit Adeodati hoc privilegium, ex illo constat, sæculo septimo solitos non fuisse Pontifices hujusmodi privilegia concedere, nisi illa præviè ab Episcopis essent concessa aut probata: ita ut Pontificalis concessio veriùs esset privilegii ante dati confirmatio, quam novi concessio.

XX. Dixi, si verum atque genuinum sit Adeodati privilegium; multa quippè sunt, quæ non parum suspectum reddant hoc privilegium seu Epistolam Adeodati.

Atque imprimis, quod innuat. Jam cessasse Pontifices, hujusmodi immunitates concedere Monasteriis; indirectè innuendo, ante hac à Pontificibus plures similes immunitates indultas fuisse uti notavit Baronius: cum tamen nullibi hujusmodi authentica privilegia à Pontificibus ante annum 675. concessa reperiantur; neque ullus illius ætatis Scriptor illorum meminerit; nec legantur ullæ querelæ adversus similium privilegiorum abusus ob quos Pontifices à dandis supersedissent.

Præterea, quod non semel occurrat *Religiosus Presbyter & Abbas*, argumentum est haud leve, hanc Epistolam sæculo 10. aut 11. quo Abbates sæculares invaluerant fabricatam esse; quo argumento aliquando & P. Papenbrochius inductus fuit, ut hoc privilegium tamquam fictitium rejiceret in Propilæo antiquario tomo 2. Sanctorum mensis Aprilis præfixo, ubi *parte 1. cap. 10. num.* 127. ita loquitur. „Quod apud Baronium ex Papirio Massono habetur velut ab Adeodato Papa sub an. 675. concessum Turonensi Monasterio & Monachis S. Martini, id licet sit mutilum extrema parte, satis tamen „ habet unde novitia fictio deprehendatur, dum identidem „ *Religiosi* Abbatis meminit ex usu ejus temporis quo res Monastica tantum dispendium accepit quantum queri vix fas „ est per Abbates *sæculares*.

Scio ipsum Patrem Papenbrochium in suo Conatu Chronico-historico Judicium suum de fictione hujus privilegii retractasse, eidem Turonensi Monasterio libenter gratulans tam vetustum privilegium. Quod advertit (ait) *Religiosum* hic non aliter dici, ac tunc diceremus *Reverendum*: quam reflectionem desumpsit ex Mabilonio *lib.* 1. *De Rediplomat. cap.* 3. qui ibidem ostendere conatur, titulum *Religiosi* datum fuisse Abbatibus ante exortos Abbates sæculares.

Verùm si totus privilegii contextus legatur; nescio an ibi Papenbrochius sat grave suæ retractationis fundamentum habuerit.

Et in

Et ut daremus, vocem *Religiosus* hic non opponi Abbati *sæculari*; neque hinc fictionis sufficiens argumentum desumendum foret, nequaquam tamen propterea Turonensi Monasterio de antiquitate sui privilegii *gratulandum* videbatur: quandoquidem alia essent non levia indicia & argumenta, quæ hoc privilegium ut minus admodum de fictione & suppositione suspectum faciant; quæ doctè proponit Joannes Launoius in assertione Inquisitionis in privilegium S. Medardi *parte 3 cap. 20.*

XXI. Quidquid sit, hoc satis compertum est, quod ante sæculum 11. aut 12. distinctio inter Monasteria exempta & non exempta in Synodis aut genuinis scriptis illius ætatis non occurrat; sed Monasteria passim generaliter & indefinitè Episcoporum spirituali regimini subjecta dicantur.

XXII. Insuper & illud notandum, quod ante illa sæcula non occurrant illæ adversus hasce Monasteriorum aut Abbatum exemptiones querelæ: quæ sæculo 11. & sequentibus frequentes & graves fuere. Indicium haud obscurum, vel sæculo undecimo primùm esse exortas exemptiones illas, aut saltem adeo multiplicatas, ut multorum querelas excitarent.

XXIII. Sanctus Bernardus sub initium sæculi 12. scribens ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, sive in tractatu *De Moribus & Officio Episcop. cap. 9.* quam alte de Abbatibus exemptionem à jurisdictione Episcoporum ambientibus queritur: „Miror (ait) quosdam in nostro Ordine „Monasteriorum Abbates hanc humilitatis regulam odiosa „contentione infringere: & sub humili (quod pejus est) „habitu & tonsura tam superbè sapere, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos suos prætergredi „patiantur, nisi propriis obedire contemnant Episcopis. „Spoliant Ecclesias, ut emancipentur, redimunt se ne obe„diant. Non ita Christus, ille siquidem dedit vitam, ne per„deret obedientiam: quâ isti ut careant, totum fere suum „suorumque victum expendunt. Quid hoc est præsumptio„nis, ô Monachi? Neque enim quia Prælati Monachis, ideo „non Monachi: nempe Monachum facit professio Prælatum „necessitas.

XXIV. Et infra: „Sed non propter me, inquit, facio, sed „quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni (ut ita loquar) „servitute servilior? Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, quæ me pessimæ addicat superbiæ servituti. Plus ti„meo dentes lupi, quam virgam pastoris. Certus sum enim „ego Monachus, & Monachorum qualiscumque Abbas, si „mei quandoque Pontificis à propriis cervicibus excutere ju„gum tentavero, quod satanæ mox tyrannidi meipsum subji„cio. Advertens nimirum cruenta illa bestia, quæ circuit quæ„rens quem devoret, elongatam custodiam: heu! statim insi„lit in præsumptorem. Meritò enim non cunctatur præsidere „superbo, qui se jure regem gloriatur super omnes filios su„perbiæ. Quis dabit mihi centum in mei custodiam deputari „Pastores? Quantò plures sentio mei curam gerere, tantò se„curior exeo in pascua. Stupenda insania! Animarum non „cunctor turbas mihi custodiendas colligere: & unum super „propriam gravor habere custodem? Et quidem subjecti me „de reddenda pro se ratione solicitant: Qui autem præsunt mi„hi *ipsi potius* (Paulo dicente) *pervigilant tamquam rationem* „*pro me reddituri.* Illi etsi honorant, onerant: hi non tam pre„munt, quam protegunt. Scio me legisse: *Judicium durissi*„*mum his qui præsunt, exiguo autem conceditur misericor*„*dia.* Quid igitur vos, ô Monachi, Sacerdotum gravat aucto„ritas? Metuitis infestationem? Sed si quid patimini propter „justitiam, beati. Sæcularitatem contemnitis? Sed sæcularior „nemo Pilato, cui Dominus astitit judicandus.

XXV. Quamvis hæc contra sui Ordinis Abbates dicat Bernardus, certum nihilominus est, & Cluniacensibus id ipsum à S. Bernardo objectum esse, ex *Epistola 28. lib. 1.* Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis. In hac enim Epistola scribit hic Abbas Cluniacensis, inter alia objici Cluniacensibus, quod *proprium Episcopum habere refugerent.* Respondet verò Petrus, id verum non esse, cum *pro proprio* Episcopo agnoscant Romanum Episcopum. „Hunc unum & maxi„mum nos habere Episcopum gloriamur (ait) *huic soli* spe„cialiter obedimus: ab hoc solo, si causa, quod absit, exigeret, „interdici, suspendi, atque excommunicari possumus. Hoc ip„sius Sanctæ Sedis irrefragabilis sanxit auctoritas: nec unius „tantùm, sed multorum Decreta inde apud nostram matri„cem Ecclesiam conservantur. Hæc ipsi ita condiderunt non „ut hanc, de qua loquimur, Cluniacensem Ecclesiam alteri E„piscopo priùs eam possidenti auferrent, sed à Fundatoribus, „qui eam in proprio alodio construxerant, rogati, ut propriam „retinuerunt, atque soli Romano Pontifici eam in æternum „subjacere decernentes, pluribus hoc privilegiis confirma„verunt.

XXVI. Rationibus his in justificationem Cluniacensium adductis tandem concludit: „Si autem adhuc perstatis, & nos „malè agere jactatis, illum quem ostendimus impetite, & nobis „dimissis cum illo agite.

XXVII. Videns ergo Bernardus, Cluniacenses aliosque ab Episcoporum auctoritate sese subtrahentes, auctoritatem Sedis Apostolicæ in suam defensionem advocare; hocque clipeo se tutos credere, querelam suam scribens ad Eugenium III. Papam exponendam credidit *lib. 3. cap. 4. De Consideratione.* „Murmur loquor (inquit) & querimo„niam Ecclesiarum. Truncari se clamitant ac demembrari. „Vel nullæ, vel paucæ admodum sunt, quæ plagam istam „aut non doleant, aut non timeant. Quæris quam? Subtra„huntur Abbates Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archi„episcopi Patriarchis sive primatibus. Bonane species hæc? „Mirum si excusari queat vel opus. Sic factitando probatis „vos habere plenitudinem potestatis, sed justitiæ fortè non „ita. Facitis hoc, quia potestis; sed utrum & debeatis, quæ„stio est.

XXVIII. Posthæc ostendere conatur, quam indecens sit, Ecclesias Episcopis inferioribus subtrahere, & sibi imme„diatè subjicere: „Quid item tam indignum tibi, quam ut „totum tenens, non sis contentus toto, nisi minutias quas„dam, atque exiguas portiones ipsius tibi creditæ universita„tis, tamquam non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc „facere tuas? Ubi etiam meminisse te volo parabolæ Na„than de homine, qui multas oves habens, unam quæ erat „pauperis concupivit. Huc quoque veniat factum immo fa„cinus Regis Achab, qui rerum summam tenebat, & unam „vineam affectabat. Avertat Deus à te quod ille audivit: *Occi*„*disti, & possedisti.*

XXIX. Deinde ne forsan ob fructum & commodum in Monasteria & disciplinam Regularem ex concessa exemptione redundantia, eam justè à Sede Apostolica concedendam esse crederet, subjungit: „Nolo autem prætendas mihi fructum „emancipationis ipsius: nullus est enim, nisi quod inde Episco„pi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt. Quid „quod & pauperiores? Inspice diligentius talium ubique liber„torum & facultates & vitas, si non pudenda admodum & „tenuitas in his, & in illis sæcularitas invenitur. Matris noxiæ „libertatis gemina soboles hæc. Quidni peccet licentiùs va„gum & malè liberum vulgus, cum non sit qui arguat? Quidni „licentiùs quoque spolietur ac deprædetur inermis religio, „cum non sit qui defendat?

His aliisque emancipationum incommodis relatis, concludit: Non est Arbor bona faciens fructus tales, insolentias, „dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia: quod„que magis dolendum, inter Ecclesias inimicitias graves, per„petesque discordias. Vide quam verus sit sermo ille: *Om*„*nia mihi licent, sed non omnia expediunt?* Quid si forte nec „licet? Ignosce mihi, non facilè adducor consentire quod tot „illicita parturit.

XXX. Præterea emancipationes seu exemptiones justi„tiæ, quæ jus suum cuique tribuendum docet, repugnare contendit: „Tune tibi licitum censeas, suis Ecclesias muti„lare membris, confundere ordinem perturbare terminos „quos posuerunt patres tui? Si justitiæ est jus cuique serva„re suum; auferre cuiquam sua, justo quomodo poterit con„venire?

XXXI.

XXXI. Cùm autem Cluniacenses dicerent, Cluniacum ab ipso Fundatore fuisse Sedi Apostolicæ subjectum, & in sua fundatione ab eadem retentum: ideoque nihil Episcopo subtrahi à Sede Apostolica; sed duntaxat retineri, quod petente Fundatore ipsa acceptavit; respondit S. Bernardus: „Nonnulla tamen Monasteria, sita in diversis Episcopatibus, quòd specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis. „ Quasi diceret; verum est, nonnulla Monasteria ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum specialiter pertinere; sed ***aliud est quod largitur devotio*** nimirum Fundatorum, ***aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis***: Hæc enim à disciplina & correctione atque subjectione Episcoporum se subducere per emancipationem molitur; illa verò non quærit, nec largitur emancipationem; sed solam Sedis Apostolicæ protectionem ad conservationem eorum quæ à Fundatoribus donata sunt, & liberæ Abbatis electionis. Quod à S. Bernardo verissimè dictum fuisse, ex dictis capite præcedenti colligi potest, & latiùs exponetur capite sequenti ubi ostendemus, quòd Fundator Cluniacentium duntaxat Sedis Apostolicæ protectionem postulaverit; & quod specialis protectio Sedis Apostolicæ non inferat exemptionem.

XXXII. Hinc & sat apparet, quod privilegia & immunitates jam pridem ab Episcopis & Romanis Pontificibus concessa, tamquam plenæ exemptiones, sensim à Monachis reputari cœperint. Unde & Petrus Abbas Cluniacensis in citata *Epistola 28.* ut exemptionem antiquitatem adstrueret, allegat Epistolas S. Gregorii ad Luminosum Abbatem, & Castorium Episcopum Ariminensem: cum tamen nec S. Gregorius in his epistolis de exemptionibus loquatur, nec data primitus privilegia ad exemptiones à spirituali Jurisdictione spectarent, uti *cap. 2.* dictum est.

XXXIII. Circa idem tempus, quo in Galliis contra exemptiones seu emancipationes queritur S. Bernardus, in easdem stylum strinxit in Anglia celebris ac ille eruditus Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis.

Fidem facit Epistola 68. quæ quidem sub nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis dirigitur ad Alexandrum III. sed Petri Blesensis calamo & stylo exarata. In hac vehementi atque acerbiore stylo exemptiones invadit; easque iisdem pene coloribus quibus Bernardus depingit. „ Adversus Primates & Episcopos intumescunt Abbates, nec est, qui majoribus suis reverentiam exhibeat & honorem. Evacuatum est obedientiæ Jugum, in qua erat unica spes salutis, & prævaricationis antiquæ remedium. Detestantur Abbates habere suorum excessuum correctorem, vagam impunitatis licentiam amplectuntur, claustralisque malitiæ Jugum relaxant in omnem desiderii libertatem. Hinc est, quòd Monasteriorum ferè omnium facultates datæ sunt in direptionem & prædam. Nam Abbates exteriùs curam carnis in desideriis agunt, non curantes, dummodò lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus eorum: claustrales verò, tamquam acephali otio vacant & vaniloquio: nec enim præsidem habent, qui eos ad frugem vitæ melioris inclinet.

XXXIV. His aliisque pessimis emancipationum & exemptionum fructibus enumeratis concludit: „Quid est eximere ab Episcoporum Jurisdictione Abbates nisi contumaciam, ac rebellionem præcipere, & amare filios in parentes?

Deinde nonnullis interpositis, ait: „ Monasteria enim, quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive Apostolicâ auctoritate sive quod frequentius est bullis adulterinis adepta sunt plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ incurrerunt: ideoque & multæ domus, quæ nominatissimæ sunt in sanctitate & religione, has immunitates aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuò rejecerunt.

XXXV. Denique rogat Pontificem, ut si Malmisburiensis Abbas (occasione cujus hæc epistola scripta fuit) ipsum accedat; „illius non admittat privilegia, donec manifestè liqueat ex collatione Scripturæ & Bullarum, quo tempore & à quibus Patribus sint indulta.

Rationem hujus præmittendæ indagationis subjungit: „ Falsariorum enim præstigiosa malitia ita in Episcoporum contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus & examinationibus faciendis Judex veritatis exactior districtissimus intercedat.

XXXVI. Contra exemptiones non mitiori stylo à Petro Blesensi exarata est *epistola 90.* qua fratrem suum recenter electum in Abbatem Maniacensem hortatur, ut vel hisce „ exemptionis privilegiis, vel dignitati Abbatiali renuntiet: „ Si Romanus Pontifex à jurisdictione vestri Episcopi vos exemit, nolite quæso uti privilegio, quod materiam rebellionis inducit.

Et infra: „ Per salutem itaque Patris qui nos genuit, & per ubera quæ suximus in eadem matre, frater, unicè vos adjuro & deprecor, ut in signum *plenæ humilitatis*, Pontificalia resignetis insignia: aut, si hoc sine scandalo fieri nequit, renuntietis in manu Domini Papæ Monasterii administrationem, & substituto ibi ad instantiam vestram Pastore idoneo, vos ad claustrale otium & salubrem militiam convertatis.

XXXVII. Eodem declinante sæculo 12. scribebat Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis, vir in Divinis Scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris nobiliter doctus, nec minus religione, quam scientia venerabilis, teste Joanne Trithemio.

Hic *lib. 7. cap. 21. De Nugis Curial.* teterrimo stylo describit quosdam hypocritas, qui sub pallio religionis homines miserè seducebant, & eorum marsupia evacuabant; utque hæc impunè faciant: „Ad Ecclesiam Romanam confugiunt (ait) quæ mater pietatis religioni consuevit providere quietem. Implorant opem ejus, protectionis implorant clypeum, ne cujusquam possint malignitate vexari, & se possint plenius exhibere & charitatis exhibere manus, ne decimas dent, Apostolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo tibi plura impunè liceant, *à jurisdictione* omnium Ecclesiarum seipsos eximunt & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filii spirituales.

Dein relatis pluribus horum hypocritarum fraudibus & excessibus addit hoc notandum: „Si eis obloqueris, religionis inimicus, & veritatis diceris impugnator. „ Hoc quam frequenter hodie verificetur, notius est, quam ut probari debeat.

XXXVIII. Hisce omnibus consonat, qui sub finem sæculi 12. floruit Petrus Cantor, qui multum invehitur in has exemptiones in Verbo abbreviato *c. 44.* cujus hoc est summarium: ***Contra eos qui eximunt se à jurisdictione suorum Prælatorum***: atque inter alia dicit: „Cum quælibet Provincia suum habeat Metropolitanum, quælibet Diœcesis suum Episcopum, absurdum & enormè videtur, Ecclesiam vel Abbatem esse in Episcopatu illius Diœcesis non ei subjectum, licet sit de Episcopatu & in Episcopatu illius.

XXXIX. Horum aliorumque querelæ admodum verisimile reddunt, exemptionum, usum sæculo 12. vel initium sumpsisse, aut magnum tum incrementum accepisse, ut tot querelas præteritis temporibus ignotas excitarit.

XL. Verùm licet hæ sanctorum & illustrium virorum querimoniæ novitiam probare videantur exemptionum originem, has tamen suffocare non potuisse evincunt sequentiũ sæculorum frequentissimæ querelæ, nec non remedia ad earum abusus coercendos adhibita. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap. 3. ij De Privileg.* ait: „Fratrum & Coepiscoporum nostrorum conquestione comperimus, quod Fratres Templi & Hospitalis & alii Religiosi indulta sibi ab Apostolica Sede privilegia excedentes contra Episcopalem auctoritatem multa præsumant, quæ ad scandalum faciunt, & grave pariunt periculum animarum.

Easdem querelas sæculo 13. renovavit Concilium Lateranense

teranense sub Innocentio III. *in Cap.* 12. *ij De Excessib. Prælat.*

XLI. Eodem sæculo 13. exorti Ordines Fratrum Mendicantium; attendentes eorum sanctissimi Fundatores & Patres, quantas hæc privilegia in Ecclesia turbationes, & Episcoporum atque Prælatorum querelas & offensiones excitarent, ab iis abstinendum judicarunt; atque subjici Episcopis voluerunt: præsertim quia Ordines suos ita instituere intendebant, ut ipsorum Sodales Episcopis & Pastoribus cooperatores ac subsidiarii accederent, uti supra parte 1. *tit.* 3. *cap.* 7. ostendimus.

XLII. Quam alienus ab exemptionibus ac privilegiis fuerit S. Franciscus, ostendit piissimum ejus Testamentum in quo inter alia monita hoc moriens Filiis suis datum voluit. „Præcipio firmiter Fratribus universis per obedientiam, quod „ubicumque sint, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana: „adeoque nec litteras exemptionis: quod & probat ejusdem Sancti Patris apophthegma: „Hoc meum & „Fratrum meorum est privilegium, nullum habere privilegium super terram, sed omnibus obedire, & inferiores nos „omnibus reputare.

XLIII. Meritò proinde Cardinalis Baronius ad annum 676. notat, „ut Monachi ab Episcopali obedientia hujusmo„di privilegiis se subtraherent, nec gratum fuit S. Francisco, „sed Fratris Eliæ, hominis non divino spiritu, sed carnis pru„dentiâ nitentis, opus fuit.

XLIV. Quod in Ordine S. Francisci effectum fuit per Fratrem Eliam ejusque asseclas id & sensim in cæteris Mendicantium Ordinibus obtinuit.

XLV. Cum autem hæc privilegia ultra Monasticam ac domesticam disciplinam ad functiones hierarchicas, ipsi extenderent; atque in his ab Episcopali auctoritate exemptos se prætenderent, mirum quanta ex his privilegiis scandala & contentiones exorta sint; quantæque adversus hos privilegiatos Fratres hinc excitatæ Prælatorum querelæ.

XLVI. Gravissimas querimonias Episcoporum Provinciæ Remensis circa annum 1287. (dum notabilis Belgii nostri portio huic Provinciæ in spiritualibus suberat) videre licet in Epistola Circulari ex Concilio Provinciali data: quâ deplorant scandala & animarum pericula, quæ in populo & Clero sint exorta, eo quod Fratres Prædicatores & Minores Bullas privilegiorum se intelligere dicerent & assererent „eo modo quod „dilucidè obviant Juri communi, Conciliis & Constitu„tionibus Romanorum Pontificum, & intentioni etiam con„cedentis.

Vide latiùs hæc relata in Episcopo *Repaguli Canonici adversus nimiam exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem*: ubi & referuntur verba Alvari Pelagii ex *lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ cap.* 66. quibus exponit, quanta mala Ordo Minorum passus sit, quia contra voluntatem S. Francisci in suo Testamento declaratam privilegia fuerunt impetrata.

XLVII. In Concilio Viennensi sub initium sæculi 14. „Agitatum fuisse de revocandis exemptionibus, restituendoque „Episcopis vetere Jure in religiosas familias, quæ in eorum „Diœcesibus agerent, „scribit Odericus Raynaldus in appendice ad annum 1312. *num.* 24. Additque; „Afferebantur etiam „ab Episcopis variæ querelæ contra exemptos, à quibus Epis„copalis ordinis auctoritatem contemni, pluraque contra fas „sub exemptionum clypeo pertentari expostulabant.

XLVIII. Porrò privilegia hæc numquam majus incrementum sumpsère, quam cum in Ecclesia Romana schismata fuerunt: tunc enim Romani Pontifices, aut pro talibus se gerentes, ut Ordines, Capitula vel potentiores personas sibi faventes haberent, facilè novis privilegiis & gratiis cumulabant; quemadmodum in luctuoso illo schismate, quod ab obitu Gregorii XI. incepit, & vix finem accepit in electione Martini V. contigisse deplorat ipse Martinus V. in Bulla *De Exemptionibus sess.* 43. Concilii Constantiensis evulgata, in *grave ipsorum Ordinariorum præjudicium*; quapropter, paucis exceptis, omnes exemptiones ab obitu dicti Gregorii XI. concessas sacro approbante Concilio (Constantiensi) revocat, atque Ecclesias, Monasteria & alia loca in pristinam Ordinariorum Jurisdictionem reducit, addita hac notanda clausula: *Non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi causâ cognitâ, & vocatis quorum interest.* Extat hæc Bulla Martini V. *Tomo* 12. *Concil. General. col.* 254.

XLIX. Cæterùm quam frequentes fuerint circa has exemptiones excessus, quotque excitatæ quæstiones sæculo 15. & sequentibus, probant omnia illa tum Conciliorum Decreta tum Pontificum Romanorum Decretales Corpori Canonico inserta, quibus & quæstiones resolvuntur, nec non regulæ quædam statuuntur, quibus abusibus obviam eatur, & exemptionibus hisce limites figantur, quæ pro hodierna praxi & disciplina capite sequenti exponemus.

L. Ex citata Bulla Martini V. patet, non tantùm Religiosos eorumque Monasteria privilegia exemptionis obtinuisse; sed & Capitula Canonicorum, nec non Studiorum Scholas sive Universitates, à jurisdictione Episcoporum fuisse exempta; quod & moderna praxis quoque evincit.

LI. Quandonam Capitula Canonicorum præsertim Cathedralium exemptiones prætendere cœperint, incertum est. Illud apparet sæculo 12. nondum horum exemptiones notas fuisse. Neque enim ullæ de hac exemptione apud S. Bernardum aliosve ei coævos Auctores querimoniæ occurrunt; sed hæ dumtaxat contra Religiosorum exemptiones diriguntur.

Quapropter admodum verisimile est, ad exemplum Religiosorum, sæculo 13. & sequentibus Capitula cœpisse exemptiones à jurisdictione Episcoporum prætendere, easque sensim prætextu immunitatis in temporalibus, & correctionis, quam Capitulum vel Decanus habebant, invaluisse, dissimulantibus subinde Episcopis, aut etiam consentientibus, maximè dum electio Episcoporum à Capitulis dependebat; uti rectè advertit & deduxit Advocatus Regius coram Parlamento Parisiensi in causa pendente in eodem Parlamento inter Archiepiscopum Senonensem & ipsius Capitulum Cathedrale prætendens exemptionem. Integer discursus refertur in Opere cui titulus: *Journal de Audiences* tomo 3. *lib.* 1. *cap* 31. Plura Capitula etiam Cathedralia exempta enumerat Joannes Lomede in Senatu Parisiensi Patronus in Tractatu *De Exemptionibus Ecclesiasticis cap.* 4.

LII. Universitates quando jurisdictioni Ordinariorum subtrahi, & Sedi Apostolicæ immediatè subjici cœperint, similiter incertum est. Illud valde verisimile est, rationem hujus subtractionis esse, quod cum Universitates præcipuè ad scientias tradendas sint institutæ; atque inter scientias emineat scientia Theologica, quæ & difficiliores & graviores quæstiones & controversias parere solet, maluerint, tutiusque judicaverint Sedi Apostolicæ suarum difficultatum & quæstionum decisiones, ac unà modum docendi, & regimen Academicum esse subjecta, quam particulari Episcopo, in cujus Diœcesi Universitas esset erecta. Accedit, quod tandem invaluisset, ut publicæ Universitates auctoritate Sedis Apostolicæ erigerentur, & privilegiis donarentur, quemadmodum sub initium sæculi 15. hæc universitas auctoritate Martini V. primùm quoad quatuor Facultates erecta est, quibus per Eugenium IV. immediatum Martini V. successorem Facultas Theologica adjuncta; variisque privilegiis per dictos Pontifices eorumque successores decorata fuit Universitas; quam & sibi immediatè subjectam voluerunt, uti & modo ab Ordinarii Jurisdictione exempta manet, uti ex Præside Everardi refert Erasmus A Chokier De Jurisdictione Ordinarii in exemptos *parte* 1. *quæst.* 27. & addit: *Lataque per privilegia Lovanii typis mandata probatum est.*

LIII. Exemplo Religiosorum & Canonicorum cœperunt & singulares personæ seu Regulares seu sæculares variis titulis sibi exemptionem & libertatem à subjectione sui Episcopi impetrare, quemadmodum ipsa Synodus Trid. pluribus locis intimat; atque signanter *sess.* 24. *cap.* 11. *De Reform.* Ubi & deplorat, has exemptiones perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere. Sed de his latius infra *capite* 7.

CAP. V.

CAPUT V.

Principia quædam Juris in hac materia Exemptionum notanda.

1 *Exemptiones juri communi sunt adversæ.*
2 *Ideoque & odiosæ.*
3 *Et etiam tamquam odiosæ restringendæ.*
4 *Non judicandum pro exemptione nisi verbis expressis sit concessa.*
5 *Recepti in protectionem specialem Sedis Apostolicæ non probat exemptionem.*
6 *Fundatores solebant petere litteras protectionis; & nominatim protectionem Sedis Apostolicæ petiit Fundator Cluniacensium.*
7 *Jubet hic Fundator annuum censum solvi Ecclesiæ Romanæ.*
8 *Solutio census in signum protectionis non arguit exemptionem.*
9 *Fundator Cluniacensium censum voluit solvi in signum* prote*ctionis, non tamen ejus solutio infert exemptionem.*
10 *Licet non exprimatur censum solvi in signum* protectionis, *non tamen ejus solutio infert exemptionem.*
11 *Unde non rectè voluerunt Cluniacenses Monasterium suum in sua fundatione fuisse exemptum.*
12 *Sed rectè dixit S. Bernardus aliud esse quod largitur* devotio Fundatorum, *& aliud quod molitur* ambitio *impatiens subjectionis.*
13 *Quandonam solutio census probet exemptionem?*
14 *Exemptio non probatur verbis* narrativis *in Litteris Pontificis occurrentibus.*
15 *Exemptio probatur, si Pontifex positivè asserat ipsam Ecclesiam esse exemptam.*
16 *Item si asserat, eam ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ* specialiter vel simpliciter *pertinere.*
17 *Item si pronuntiet, quod Ecclesia sit* libera; *vel quod ad indicium* libertatis *solvat censum R. E.*
18 *Si Ecclesiam eximat ab Ordinarii potestate.*
19 *Si recipiantur in proprios &* speciales subditos *R. E. secùs si in speciales* filios.
20 *Quæ ratio diversitatis.*
21 *Cur dominus servum nominando suum filium censeatur dare libertatem potius quàm Pontifex nominando filios R. E.*
22 *Licet Abbati aut Capitulo detur jurisdictio; non propterea arguitur exemptio.*
23 *Dum exemptio est dubia Ordinarius utitur sua auctoritate.*
24 *Si possessio sit pro exemptione hæc manet quousque contrarium in petitorio probetur.*
25 *Exemptio intra terminos privilegii concludenda.*
26 *Et ex tenore privilegii de ea judicandum.*
27 *Divisio exemptionis in personalem & localem seu mixtam.*
28 *Utriusque exemplum ex Jure communi.*
29 *Exemptio personalis apparet magis odiosa.*
30 *Exemptio localis seu mixta non operatur si delictum sit commissum, aut contractus initus, vel res sita in loco non exempto.*
31 *Secus si fuerit personalis.*
32 *Exemptio Ecclesiæ Conventualis aut Collegiatæ non comprehendit Presbyterum habentem curam Parochianorum, & quare.*
33 *Exemptio personalis sequitur personam ubicumque locorum.*
34 *Non tamen extenditur ad ea quæ gerit ut Præfectus loco non exempto.*
35 *Exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ non eximit ipsos in qualitate Parochorum.*
36 *Ex his conficitur regula, quod exempti in una qualitate, non sunt propterea exempti in alia qualitate.*
37 *Hinc exemptio Canonicorum non extenditur ad functiones hierarchicas.*
38 *Similiter exemptio Academica non extendenda ultra Academica.*
39 *Unde admittit Academia Ordinationes Episcoporum super vita & honestate suorum Clericorum in Academia residentium.*
40 *Decretum Synodi Mechliniensis super delatione habitus Clericalis à Beneficiatis Academicis.*
41 *Optandum ut Episcopi Beneficiatos in Academia studentes ad habitum Clericalem cogerent.*
42 *Exemptio Regularibus indulta restringenda ad ea quæ* ut Regulares agunt.
43 *Unde ad functiones hierarchicas non porrigenda.*
44 *Exemptio etiam totalis non abscindit exemptos à Diœcesi, nec facit locum exemptum nullius Diœcesis.*
45 *Tenentur exempti generalibus Legibus concernentibus regimen Diœcesis in materia omnibus communi.*

I. IN præcedentibus abundè probatum fuit, non tantùm Clericos, sed & Monachos & Moniales speciatim jurisdictioni & correctioni Episcoporum ex Canonica institutione esse subjectos; ac per consequens, exemptiones seu Clericos seu Monachos ab ea subducentes Canonicæ Institutioni & Juri communi esse odiosas.

II. Cùm autem Ecclesia desideret, ut quantum fieri potest, Canones & Jura morum directionem & disciplinam spectantia inviolata permaneant, violentum omnino atque *odiosum* reputat, omnem quem ob certas circumstantias pati cogitur, à Sacris Canonibus & Jure communi recessum. Unde illud Glossæ à Canonistis vulgò probatum: *Regulæ & antiquo juri standum est, nisi in quantum reperimus recessum.*

III. Hinc nemo Canonistarum dubitat, quin exemptiones tamquam à Jure & Canonibus recedentes, comprehendantur sub *odiosis* de quibus pronuntiat *Cap. 1. De R. I. in* VI. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Similiter & hanc Juris Regulam in *Cap. 28. eod.* exemptionibus esse applicandam: *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.* Præsertim quia exemptiones sunt ex iis privilegiis & recessibus à jure communi, quæ vix ab excessibus libera sunt: ut ob eas præcipuè factum videatur, ut in Decretalibus unus idemque titulus inscribatur: *De Privilegiis & Excessibus privilegiatorum.*

Ex quo ulteriùs concluditur, exemptiones intra ipsum verborum rigorem ita esse restringendas, ut quantum tenor ipsorum patitur, à Canonibus & jure communi non recedatur, ipsaque Ordinariorum jurisdictio salva maneat.

IV. Conformiter ad has regulas rectè resolvit Zypæus *Consultat. 1. De Privilegiis.* „Exemptiones *odiosæ* sunt, tam„quam juri communi adversariæ, Hierarchiæ Ecclesiasticæ „inimicæ, & quæ Jus alteri auferant: scilicet authoritatem „suam Ordinariis locorum: quod Princeps aut Pontifex „*numquam facere censetur*, nisi *disertis admodum ver*„*bis* expresserit.

Hinc illud Canonistarum: *Exemptio indiget speciali beneficio, quia est* ODIOSA, *& pugnans contra jus commune.*

Conforme igitur Juris Regulis, atque menti Ecclesiæ est Decretum Patrum Concilii Tolosani, quo præterito sæculo decreverunt: „ut hunc in exemptionum cognitione Episcopi modum adhibeant, & ut illas *ad unguem* observent, & ultra quam loquuntur, minimè extendant. Rationem hanc sui Decreti præmittentes, quia „Episcoporum jurisdictioni non „mediocre impedimentum, exemptis profusioris vitæ occa„sionem, Christianis non vulgare scandalum afferre, laxius, „quam par sit acceptæ exemptiones consueverunt„ An. 1590. *part. 4. cap. 16.*

Itaque nequaquam exemptio judicanda, nisi *expressis* & claris verbis exemptio concessa sit.

V. Quibus autem verbis censeatur concessa exemptio, sæpius dubitatum fuisse evincunt Responsa & Declarationes Pontificum, quæ super his emanârunt, & Corpori Juris inclusa sunt.

Quæsitum aliquando fuit ab Innocentio III. „Utrum Cle„rici & laici qui litteras *protectionis* ostendunt, in quibus „personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub „Apostolica *protectione* consistere declarantur, à Jurisdictione „Episcopi Diœcesani sint exempti? „Respondet Innocentius in *Cap. 18.* ꝟ *De Privil.* „Quod per litteras hujusmodi ab E„piscoporum suorum potestate minimè subtrahuntur.

Ex hoc Pontificis Responso, junctâ Decretali Alexandri III. in *Cap. 8.* ꝟ *eod.* unanimi consensu concludunt Canonistæ post Glossam ad dictum *Cap. 8.* verbo, *Protectione*: „Licet Pa„pa recipiat aliquos sub sua *protectione*, non sunt propterea „subtracti à jurisdictione Episcoporum.

VI. Hujusmodi litteras protectionis solebant expetere Fundatores Monasteriorum & Ecclesiarum, quibus quieti Monachorum tam in temporalibus, quam spiritualibus prospicere, non autem à Jurisdictione Episcoporum eximere intendebant. Atque nominatim Guillelmus Dux Aquitaniæ &

taniæ & Comes Ayernorum Cluniacensium Fundator voluit, ut „Monachi in Cluniaco juxta S. Benedicti Regulam „viventes haberent *tuitionem* ipsorum Apostolorum (Pe„tri & Pauli) atque Romanorum Pontificem *defensorem.*„ Extat hæc fundatio seu testamentum dicti Fundatoris tomo 8. Concil. general. *col.* 565.

VII. Jubet insuper Fundator Cluniacensium, ut monachi persolvant ipsi Ecclesiæ Romanæ quamdam speciem census, nimirum, „Ut per quinquennium Romæ ad limina Aposto„lorum ad luminaria ipsorum concinnanda *decem solidos* „præfati Monachi persolvant.

VIII. Porro notum est, solutionem census non inferre exemptionem; præsertim si expressè dicatur, eum persolvi in signum protectionis, uti citato *Cap.* 8. declaravit Alexander III. dicens: „Si ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, „non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid detrahitur.

IX. Fundatorem autem Cluniacensium jussisse censum hunc persolvi ad indicium *protectionis* indicat ipse Fundator, dum verbis supra citatis quibus censum persolvi mandat immediatè subdit: „Habeantque *tuitionem* ipsorum Apostolo„rum, atque Romanorum Pontificem *defensorem.*

X. Quinimo „si dicatur simpliciter, quod aliqua Ecclesia „Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc „exempta Ecclesia dici debet, „ait Bonifacius VIII. in *Cap.* 10. *De Privil. in* 6.

„Idem dicimus (pergit Bonifacius) si circa aliqua per pri„vilegium concedatur libertas, & clausula de censu annuo „persolvendo sequatur: ut si aliquibus quod ab alio, quam à „Papa seu ejus Legato Excommunicari, suspendi aut interdici „non possint, vel aliquid aliud specialiter à Sede Apostolica sit „indultum: vel etiam dicatur, quod in speciales Romanæ Ec„clesiæ filios sint assumpti, & sequatur in privilegio, quod Ec„clesiæ Romanæ ad indicium libertatis perceptæ annuum „censum solvant. His enim & consimilibus casibus sic in cer„tis privilegiati articulis, Ordinariorum jurisdictioni quantum „ad alia sunt subjecti.

XI. Ex his patet, multum aberrasse, Cluniacenses à mente sui Fundatoris, dum prætendebant, Monasterium suum in sui fundatione à jurisdictione Episcopi fuisse exemptum, & soli Romano Pontifici subjectum. Rectè verò dixit sanctus Bernardus „Aliud est quod largitur *devotio* (Fundatorum) „aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.„ Illa nimirum largitur *protectionem* adversus oppressiones & infestationes, hæc verò impatiens subjectionis molitur jugum Canonicæ subjectionis excutere. Vide dicta capite præcedenti, & latius in Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem *Regulâ* 6.

XII. Ut autem solutio census probet exemptionem, debet „*indefinitè* dici quod Ecclesiæ Romanæ annuum censum sol„vat, ad perceptæ indicium libertatis. „Uti in citato *Cap.* 8. loquitur Bonifacius VIII. Hinc concludit Erasmus A Chokier De Jurisdictione Ordinarii in Exemptis *part.* 1. *qu.* 10. *num.* 8. „ut ex censu probetur exemptio, debet aliunde apparere quod „ex causa concessæ exemptionis illius solutio penditur.

XIII. Insuper, „si Papa in aliquo privilegio vel scriptura „*non facta principaliter* super donatione vel sententia ex„emptionis seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus & „proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia „verba narret: non propterea illius Ecclesiæ exemptio est „probata, nisi de libertate aliter doceatur, „uti scribit Bonifa„cius in citato *cap.* 10.

Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, exemptionem Ecclesiæ sufficienter non probari per verba *narrativa*: quia, ut hic notat Glossa verbo, *Probata*, „jus commune est con„trarium, & sequerentur hoc casu plenæ exemptiones.

XIV. Probatur verò exemptio juxta declarationem Pontificis in citato *cap* 10. Primò, „si Ecclesiæ vel Monasterio ex„emptionis privilegium concedendo, vel super ipsius exempti„ones sententiando (cum de ipsius exemptionis negotio age„retur) asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam.

XV. Secundò, si asserat, „eam juris Beati Petri existe„re, sive ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel ad „Romanam Ecclesiam specialiter & sine medio, vel etiam „simpliciter pertinere, per hoc plenè debet exempta hujusmo„di Ecclesia judicari.

XVI. Tertiò, „si privilegium contineat, vel ipse Papa „per modum exprimat suprascriptum, quod Ecclesia sit *libe„ra*, seu quod potiatur Romanæ Ecclesiæ libertate; vel quod „in hoc prærogativâ gaudeat speciali: aut si dicat *indefinitè*, „quod Ecclesiæ Romanæ solvat annuum censum ad *percep„tæ* indicium *libertatis.*

XVII. Quartò, si asserat, quod „ipsam Ecclesiam eximat „ab Ordinarii potestate: vel quod non audeat Episcopus Ca„thedram collocare, aut imperandi (seu ordinationem quam„vis levissimam faciendi) exercere aliquam potestatem.

XVIII. Denique „si aliqui recipiantur in *proprios & speciales subjectos*, censentur exempti.

„Non sic (ait Pontifex) si in proprios & *speciales filios* Ro„manæ Ecclesiæ sint suscepti: tales quippe exempti propterea „non existunt.

XIX. Rationem diversitatis allegat hic Glossa verbo, *Non existunt*, quia „ubi Papa exprimit aliquos *speciales subjectos*: „si essent alii subjecti, non essent *speciales* subjecti: & ideo illa „verba exemptionem faciunt. Sed licet aliquis sit filius, non „sequitur quod sit *specialis* subjectus: quia unius potestatis „filius, alteri potestati potest esse subjectus: & ideo aliud hic, „aliud ibi. Filiatio ergo amorem & privilegium denotat, spe„cialis subjectio exemptionem.

XX. Notat quoque ibidem Glossa, quod huic Pontificis resolutioni non obstet *Lex unica Cod. De Latin. lib. toll.* in qua „si dominus apud acta nominet servum *filium suum*, „dicitur ei *libertatem* concessisse: quia ibi sibi soli (domino) „fit præjudicium: hic autem fieret præjudicium Ordinario, „cujus jurisdictioni potiùs est favendum.

XXI. Per hoc quod Abbati aut Decano seu Capitulo detur potestas corrigendi & puniendi suos respectivè Monachos aut Canonicos, non censetur data exemptio ab auctoritate Episcopi: sed dumtaxat illa cumulativè data præsumitur, quemadmodum jam pridem in formula privilegii à Marculfo Monacho exaratâ notatum fuit his verbis: „Et si aliquid Mo„nachi de eorum Religione tepidi haud secus egerint, secun„dum Regulam ab Abbate, si prævalet, corrigatur, sin autem, „Pontifex de ipsa civitate coercere debet: quia nihil de Ca„nonica authoritate convellitur, quidquid domesticis fidei „pro quietis tranquillitate tribuitur.„ Vide Zypæum *Consult.* 1. *num.* 28. *De Majestate & Obed.* & Fagnanum *ad Cap.* QUANDO ⁑ *De Officio Ord.* ubi latè probat, quod jurisdictio alicui data, censeatur in dubio *cumulativè*, non privativè concessa.

XXII. Si verba privilegii sint *dubia*, aut de titulo exemptionis non facta *plena* probatio, poterit Ordinarius sua auctoritate & jurisdictione uti, quoadusque ipsa exemptio *plenè* probata sit. Cum enim jurisdictio Ordinarii de Jure communi fundata sit in omnes Ecclesias suæ Diœcesis, hæc integra manet, quamdiu non sit *plenè* probatum, speciali titulo quoad hunc articulum derogatum esse Juri communi: quod in terminis declaravit Pontifex in *Cap.* 7. *De Privilegiis in* 6. cujus verba retuli supra *cap.* 1.

Conformiter ad hanc regulam à Canonistis communiter probatam tradit Zypæus in Jure novo *tit. De Officio Ordinarii n.* 19. „In iis ubi exemptio *dubia* est, Episcopus *ex asse* sua „jurisdictione uti potest, adeoque etiam in casu *Capituli* 3. *sess.* „6. Concilii Tridentini *solus* procedere potest, donec Capitu„lum per tres conformes sententias docuerit de legitima sua „exemptione: ut Congregatio Concilii, inquit, Joanni Malde„ro Episcopo Antverpiensi respondit & alias sæpius.

XXIII. Si tamen Monasterium aut Capitulum esset in quasi possessione exemptionis, non posset Ordinarius ipsum Monasterium aut Capitulum in hac quasi possessione turbare, nisi via Juris ostenderetur, hanc quasi possessionem esse vitiosam, & titulo sufficienti destitutam, quemadmodum in simili dictum est *parte* 2. *tit.* 33. *cap.* 3. *num.* 20.

XXIV. Ulterius exemptiones tamquam Juri communi adversæ, non tantum *plenè* probandæ sunt; sed insuper intra ipsos terminos exemptionis sive privilegii concludendæ, ut non recedatur à Jure communi, nisi quatenus ipse tenor privilegii recedere cogit.

XXV. Hinc Alexander III. in *Cap.* 8. ¾ *De Privil.* monet Legatum suum, „quod inspicienda sunt Ecclesiarum privile- „legia, & ipsorum tenor sit diligentius attendendus.

Et in *Cap.* 7. *eod.* quærenti Episcopo, qua libertatis prærogativa gauderent Templarii & Hospitalarii, respondit idem Alexander III. „Non dubitamus quin aliam libertatem ha- „beant in locis, in quibus antequam pervenisset ad eos, fue- „rant habitatores: quod totum ex *inspectione Privilegio-* „*rum* plenius advertere potes & secundum quod inveneris, ita observes. Sic enim eos *volumus Privilegiorum suo-* „*rum servare tenorem*, quod eorum metas minimè transgre- „di videantur.

XXVI. Ex ipso proinde tenore privilegii de exemptione judicandum est; atque imprimis attendendum, quæ species exemptionis sit, an personalis, an localis seu mixta.

Personalis est, qua particulares dumtaxat personæ eximuntur, nulla habita ratione loci.

Hujusmodi habent certæ personæ propter privilegium specialiter iis indultum non loci vel Monasterii alicujus, sed favore personali, uti loquitur Joannes Lomede in citato Tractatu *cap.* 1. atque hoc modo exemptos Aulicos Regis Franciæ esse, & agnoscere tantum magnum Franciæ Eleemosynarium. Asseritque *cap* 4. *n.* 4. „Aulicis exemptis esse magnum Franciæ „Eleemosynarium pro Episcopo.

Locales verò sunt, quæ fiunt loco vel Monasterio; ita ut personæ sint exemptæ cum respectu ad locum.

XXVII. Utriusque privilegii mentio occurrit in *Cap.* 3. *De Privilegiis in* 6. ubi Pontifex omnes Indulgentias & privilegia quibuscumque singularibus personis Ecclesiasticis vel sæcularibus cujuscumque sint dignitatis vel præeminentiæ, quod interdici à quocumque vel excommunicari non possint, nec terræ vel Ecclesiæ ipsorum Ecclesiastico interdicto supponi, sub quacumque forma verborum concessa, ad Ordinariorum sententias & processus prohibet extendi.

Excipit autem Pontifex Indulgentias & privilegia Religiosis quibuscumque, non personarum duntaxat, sed Ordinum privilegiatorum vel locorum ratione sub hujusmodi forma concessa: ut scilicet hæc etiam ad sententias Ordinariorum extendantur.

XXXIII. Hic non tantùm habemus distinctionem privilegii personalis, & realis sive localis; sed insuper quod latiorem & favorabiliorem interpretationem accipiat privilegium Monasterio, aut integro Ordini indultum, quam privilegium certis & particularibus, ob favorem personalem concessum; hocque quam illud magis odiosum sit, ut ex sequentibus apparebit.

XXIX. Et quià exemptio localis, puta Monasterio concessa quemdam respectum habet ad locum, ita ut Religiosi censeantur exempti tamquam membra istius Monasterii, Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. in *Cap.* 1. *De Privil. in* 6. „Declaratione irrefragabili definivit, quantumcumque „sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione „delicti, sive contractus, aut rei de qua contra ipsos agi- „tur, ritè possint coram locorum Ordinariis conveniri, & „illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem (prout Jus exigit) „exercere.„ Si nimirum delictum commissum, vel contractus initus, aut res sita sit in loco non exempto, & exemptio fuerit localis.

XXX. Nam „cum data fuit exemptio ratione perso- „næ, & non loci, ut privilegio concesso Capellanis & Fa- „miliaribus Papæ, contra illos cessat Constitutio dicti *Cap.* „1. Tunc enim ratione delicti puniri non possent ab Or- „dinario, „uti notavit Joannes Lomede in dicto tractatu *cap.* 6. *num.* 7.

XXXI. Ulteriùs ex ipsa exemptionis conditione, quæ vult, exemptionem extra terminos privilegii non extendi, respondit Pontifex in *Cap.* 9. *De Privileg in* 6. quod „per „exemptionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia & ipsius „Monachi, vel Canonici, Clerici etiam & Conversi perpe- „tuoque oblati (non autem Ecclesiæ ejusdem Presbyter, „qui Parochianorum curam habet quod ea quæ ad curam „eamdem pertinent, nec ipsi Parochiani etiam) intelligantur „exempti.

Cum enim hic ageretur de Ecclesia Conventuali vel Collegiata (ut rectè notavit Glossa) propriè ad eam pertinent Monachi, Conversi, & perpetuò oblati, aut Canonici & Clerici; sed nequaquam Presbyter seu Vicarius qui curam habet Parochianorum *quoad ea* quæ ad eamdem curam pertinent, quia hæc potiùs spectant ad Ecclesiam Parochialem, quam Conventualem vel Collegiatam; cui congruunt ea, quæ sunt propria Officia Religiosorum & Canonicorum. Quapropter Presbyter hic quatenus curam habet Parochianorum, propriè non pertinet ad Ecclesiam conventualem aut Collegiatam.

Quia tamen Ecclesia, quæ eximitur, principaliter erat Conventualis vel collegiata, censetur quoque exempta *ut talis*; atque per consequens, illi soli exempti, qui ad eam sub illa qualitate spectant.

XXXIII. Si aliquibus sit per privilegium concessum, ne quisquam Episcopus vel Archiepiscopus pro ulla causa, ullove loco ipsos interdicere suspendere vel excommunicare præsumat, in ipsos Ordinarii jurisdictionem suam *quantum ad illa* ubicumque illi fuerint, penitus exercere possunt, uti ait Concilium Lugdunense in *Cap.* 1. §. IN EOS *De Privil. in* 6. quia personale est.

XXXIV. Addit autem Concilium: „Nisi forsan ipsi Mo- „nachi ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinariis eis- „dem subjectos (ut vel eorum regimen, vel in eis tamquam „proprii locorum ipsorum Monachi resideant) fuerint desti- „nati: tunc enim, etsi liberè possint ad eadem Monasteria re- „vocari, ac tam illorum, quam ipsorum Prioratuum Monachi „reputentur... ratione tamen eorumdem Prioratuum dicti „Ordinarii sua jurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa „(quamdiu morantur in illis) uti possunt.

Hic rursus habetur, quod exempti vel privilegiati sub una qualitate, non censeantur exempti vel privilegiati sub alia qualitate.

XXXV. Idipsum clarioribus terminis expressum est in *Cap.* CUM CAPELLA 16. ¾ *De Privil.* „Cùm enim Capel- „la Ducis Burgundiæ gaudere diceretur privilegio, quod nul- „lus Archiepiscopus vel Episcopus in personas Canonico- „rum ejusdem Capellæ suspensionis, vel excommunicatio- „nis, aut interdicti sententias audeat promulgare: quidam „Capellæ supradictæ Canonici, qui *Parochiales* Ecclesias ab „Episcopo tenebant, occasione privilegii prælibati in *his et-* „*iam*, quarum jurisdictio ad Episcopum pertinebat, ita se „dicebant exemptos, ut quantumcumque graviter interdum „excederent, Episcopi correctioni recusarent & sententiæ „subjacere.

Super his à Lingonensi Episcopo interrogatus Innocentius III. mandat Episcopo: „Quatenus in *quantum* exempti „sunt ejusdem ratione Capellæ, Apostolicis privilegiis de- „feras reverenter: sed in *quantum* ratione Parochialium „Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam respicere di- „gnoscuntur, officii tui debitum in eosdem liberè prose- „quaris.

XXXVI. Ex hac & præcedentibus Decretalibus eliciunt Canonistæ hoc commune principium: Si in unam eamdemque personam concurrant diversæ qualitates, quod exemptus sub una qualitate non censeatur propterea exemptus sub alia qualitate: neque exemptio trahi queat ad ea quæ sub hac qualitate exercet: sive quod exemptus subjaceat, ratione rei non exemptæ, Jurisdictioni Ordinarii quoad rem non exemptam; quemadmodum privilegium datum alicui Corpori, quod qui de hoc Corpore sunt, non possint conveniri nisi coram certo Judice, intelligi debet de his quæ competunt personis, quatenus de hoc Corpore sunt. Vide Choppinum *lib.* 1. *De S.P. tit.* 5. *num.* 13.

XXXVII.

XXXVII. Ex hoc principio consequens est, quod exemptio data Canonicis, vel Ecclesiis Canonicorum nequeat extendi ad functiones Parochi, aut Confessarii aliasve; quæ Hierarchicæ potius, quam Canonicales sunt; sed hæc exemptio restringenda sit ad ea, quæ Canonicos *ut* Canonicos spectant: eo quod sub hac qualitate censeantur exempti.

XXXVIII. Similiter si Academia sit exempta, intelligenda est exemptio quoad ea quæ *Academica* sunt. Unde si Academicus induat aliam qualitatem non exemptam, non censebitur exemptus quoad ea quæ sub hac qualitate faciet: puta sit Parochus, Confessarius, Concionator &c. quod & notoria hujus Academiæ praxis confirmat, sua Supposita quoad hasce functiones jurisdictioni Ordinariorum submittens; neque ad similia jurisdictionem suam extendens.

XXXIX. Hinc nec improbat quod tradit Zypæus *Resp.* 2. *De Magistris*. „Ordinariorum Decreta Synodalia, seu alia su„per Beneficiis studiosos non minus, quam alios absentes li„gant, & decernere super iis Ordinarii possunt, quod jus & ra„tio exigit: „ quæ nimirum ad vitam & honestatem Clericorum & Beneficiatorum pertinent; nec regimen Academicum & studiorum attingant.

XL. Quare nec Academiæ integrum fuit Decretum Concilii Provincialis Mechliniensis I. *tit. De Vita & honestate Clericorum cap.* 4. quo decrevit, ut „Clerici qui in *Academiis* „ resident, intra mensem à die publicati hujus Concilii Pro„vincialis, corona, pileo, caligis simplicibus & vestitu ordini „suo & vocationi congruo utantur; & singulis annis hujus rei „testimoniales litteras sigillo Universitatis munitas, ei, cui lit„teras testimoniales studii exhibere debent, tempore congruo „transmittant. Qui in re si defectuosi fuerint, fructibus suo„rum Beneficiorum priventur.

XLI. Optaret sanè Academia hæc Lovaniensis, ut Episcopi suos Canonicos aliosque Beneficiatos studiosos, ad habitum vocationi suæ congruum, privatione fructuum, aut etiam Beneficiorum cogerent: nec permitterent eos passim in habitu merè laicali laicaliter vivere: quod non æquè ipsa Universitas efficere potest, tum quod in ipsos *ut Canonicos* jurisdictionem non exerceat; tum quod frequenter ignoret eos esse Canonicos aut Ecclesiasticos, qui exterius nihil Canonicale aut Ecclesiasticum præferunt.

XLII. Regulares quoque exempti suam exemptionem concludere debent ad ea quæ ipsis *ut Regularibus* competunt, quæque disciplinam, & regimen regulare spectant. Si autem occurrat materia non exempta, sive quæ ad Regulares non ut Regulares pertinent, ad hæc exemptio extendi nequit.

XLIII. Hinc consequens est, exemptionem Ordinum Mendicantium, quamvis esset ampla & indefinita, non posse trahi ad functiones hierarchicas: eò quòd hæ ad materiam *non exemptam* spectent, non ad Regulares *ut Regulares*; sed speciali titulo, ut Episcoporum & Parochorum in his functionibus coadjutores & subsidiarios. Quare S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 4. agens de Religionibus ad prædicandum vel confessiones excipiendas institutis, quales sunt Ordines Mendicantium, dicit id ipsis non ex *officio proprio* competere, sed auctoritate *Superiorum & inferiorum* ad quos *ex officio pertinet*. Per Superiores ibidem intelligit Episcopos; per Inferiores verò *minores Prælatos*, id est Plebanos & Parochos, quibus jure proprio & officio hujusmodi functiones competunt.

Si igitur functiones illæ non competant Regularibus *ut Regularibus* ex officio; sed ex alia qualitate adjectitia & extraordinaria, nimirum quatenus auctoritate Prælatorum ad functiones has tamquam subsidiarii assumuntur, manifestum est, exemptionem Regularibus sive Ordinibus Mendicantium indultam, non magis posse extendi ad Regulares has functiones obeuntes, quàm exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ potuerit extendi ad ipsos Canonicos quatenus Parochiales Ecclesias tenebant, juxta citatum *Cap.* CUM CAPELLA. Plura de prohibita hac extensione dixi in *Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem*; ubi & ostendi, quàm latè hac in materia suas exemptiones quidam Regulares extendant cum summa Ecclesiasticæ hierarchiæ, & Episcopalis auctoritatis perturbatione: atque hac ratione præbeant Episcopis justissimas rationes querelarum adversus exemptiones: quæ facilè cessarent, si intra justos limites, ad mentem concedentium, & Juris certissima principia continerentur; ostendeturque capite sequenti, hanc præcipuè extensionem in Synodo Tridentina fuisse contra exemptiones exaggeratam, & à Synodo improbatam.

XLIV. Exemptio etiam totalis, quamvis sic exemptos solvat à Jurisdictione Episcopi sive Ordinarii, tamen sic exemptos, aut locum exemptum non dimembrat à Diœcesi, sed manent in ipsa Diœcesi, & membra Diœcesis, licet privilegiata quemadmodum communiter notant Doctores ad *Cap.* 19. §. *De Officio Ordinarii*; item ad *Cap.* 7. *eod. in* 6. Et notavit post alios Canonistas Prosper Fagnanus ad dictum *Cap.* 19. *num.* 10. dicens: „Ecclesias exemptas hoc differre „ab Ecclesia *nullius* Diœcesis, quod Ecclesiæ exemptæ in „Diœcesi esse dicuntur; Ecclesiæ verò *nullius* Diœcesis ne„que sint de Diœcesi, neque in Diœcesi. Itaque (ait) Sta„tus *nullius* Diœcesis liberat non modo à subjectione sed et„iam à situatione & denominatione, exemptio verò tantùm à „subjectione.

XLV. Cùm ergò exempti sint in Diœcesi, ejusque sint membra, consequens est, quod ita se exhibere debeant, atque suis privilegiis ea cum moderatione uti, ut nec ipsa membrorum unitas dissolvatur, nec Episcopale regimen inutile reddatur aut impediatur.

Sicuti ergo Clerus, licet à jurisdictione laicali exemptus, tenetur Legibus & Ordinationibus Politicis in materia Clericis & Laicis communi, & quæ nisi à Clericis observarentur, suum perderent effectum in summam Reipublicæ perniciem; ita quoque exempti tenentur generalibus Legibus Episcoporum in materia omnibus communi; & quas si exempti non servarent, summa in Diœcesi oriretur scissura & Legum vilesceret apud populum auctoritas: qui & exemplo exemptorum ad earum transgressionem seu non observantiam incitaretur: quemadmodum latè ostendi in citato Repagulo Canonico *Regula* 8. *& cap.* 2. 5. 12. *&* 13. & aliqua dicentur capite sequenti occasione Decretorum Synodi Tridentinæ in materia exemptionum.

Exemptio jampridem à S. Bernardo dicta fuit *emancipatio* ad similitudinem emancipationis Civilis, quâ filius *emancipatur*, seu solvitur à patria potestate, & sui Juris efficitur.

Sed sicuti filius emancipatus & civiliter solutus à Patria potestate, nihilominus Patri suo reverentiam debitam negare non potest; similiter quacumque ratione exempti à potestate Ordinarii sive Episcopi, cui quasi subjecti nascuntur, ea quæ reverentialia sunt negare nequeunt, nec ad illa exemptio se extendit, uti communiter notant Canonistæ, atque post alios ait Prosper Fagnanus ad *Cap.* CONQUERENTE §. *De Officio Ordinarii numer.* 16. „exemptum à Jurisdictione Episcopi non „censeri exemptum à Jure reverentiali „ Et quoad Capitula exempta latè ostensum est supra *part.* 1. *tit.* 8. *cap.* 2. quibus addi possunt quæ habet Brodæus in Notis ad Louëtium *litt. M. nu.* 18. & De Luca *Disc.* 1. *De Regular. n.* 11.

Ad hæc principia & regulas si exemptiones Capitulorum, Monasteriorum & Academiarum servarentur, nec ultra suos limites contra Pontificum mentem extenderentur, sperandum esset, magna ex parte querelas & contentiones occasione harum exemptionum admodum frequentes, sopiendas & extinguendas: atque Synodum Tridentinam, ut incommodis ex his exemptionibus provenientibus occurret, ad prædicta principia exemptionum usum reduxisse, capite sequenti ostendemus.

* * *
* *
*

CAPUT VI.

Quid Synodus Tridentina circa Exemptiones statuerit?

1 *Tempore Concilii Tridentini fuisse plures exemptorum abusus probat Conventus Delectorum Prælatorum sub Paulo III.*
2 *Probant idipsum querelæ Episcoporum contra exemptiones.*
3 *Germani petunt in Synodo Tridentina ut omnes exemptiones revocentur.*
4 *Licet Synodus non revocaverit omnes exemptiones, eas tamen multum limitavit.*
5 *Quod satis conforme fuit postulatis Gallorum.*
6 *Ex Decreto Synodi Trid. Regularis exemptus degens extra Monasterium subjicitur jurisdictioni Ordinarii.*
7 *Quis censeatur degens extra Monasterium?*
8 *Regularis in Universitate degens extra Conventum subjicitur Ordinario.*
9 *Licet degat de licentia sui Superioris.*
10 *Regulares degentes in Monasteriis delinquentes in loco non exempto ab Ordinario puniri possunt.*
11 *Regularis degens in Monasterio delinquens cum scandalo populi puniendus a suo Superiore instante Ordinario, & Superiore negligente ab Ordinario.*
12 *Episcopus potest [illegible] commisso delicto informationem capere & ad Superiorem [illegible].*
13 *Sufficit una monitio [illegible].*
14 *Tenetur Superior de punitione certiorem reddere Episcopum.*
15 *[illegible] Synodi procedit tametsi delictum commissum sit in loco exempto.*
16 *Constitutio Clementis VIII. pro executione hujus Decreti contra Superiores in puniendo negligentes.*
17 *Exempti in Civitate si judicem specialem non habeant, coram Ordinario [illegible].*
18 *Quid in Belgio circa hoc obtineat?*
19 *Clerici [illegible] exemptione gaudentes subjiciuntur correctioni Ordinarii.*
20 *Cur Clericorum Sæcularium & Regularium extra Monasterium [illegible]?*
21 *Ex singulis [illegible] exemptionibus plura incommoda [illegible] Synodus Trid.*
22 *Quid circa eas decreverit?*
23 *Capitulorum exemptiones quare specialiter edicere?*
24 *Capitula Cathedralia ab Episcopis visitari vetat Syn. Trid.*
25 *Absolutam abrogationem exemptionum Capitulorum præsertim Cathedralium postularunt Episcopi Hispani, Capitulis se opponentibus.*
26 *His exemptionibus vehementer se opposuit Cardinalis Lotharingiæ.*
27 *Decretum Synodi præscribens formam procedendi per Episcopum contra Capitula Cathedralia exempta.*
28 *Synodus non intendit minuere, sed augere auctoritatem Episcopi in Capitula exempta.*
29 *Synodus noluit exemptiones extendere ad materiam non exemptam.*
30 *Itaque non extenduntur ad ea quæ spectant curam piorum locorum non exemptorum.*
31 *Nec ad functiones Hierarchicas.*
32 *Neque ad leges consuetudines in materia communi.*
33 *Jurisdictio delegata à Synodo data Episcopis non derogat ordinariæ, & est favorabilis.*

Q Uantumvis per varias Pontificum Constitutiones, nec non Synodorum Decreta exemptionibus varii limites positi essent, quibus aliquatenus occurri posse videbatur incommodis ex illis profluentibus, nihilominus summos fuisse circa tempora Concilii Tridentini exemptionem & Privilegiorum excessus plura probant.

II. Præclarus ille Prælatorum Conventus à Paulo III. instante Concilio Tridentino indictus ad colligendos abusus in hoc Concilio reformandos (de quo Conventu diximus *parte 2. tit. 28. c. 1.*) abusum harum exemptionum nequaquam dissimulavit, sed verbis, quæ atrocitatem ejus significabant, Pontifici exposuit: „Alius abusus magnus, & minimè tolerandus, „quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex impedimentis quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum ovium, maximè in puniendis scelestis, & corrigendis. „Nam primò multis viis eximunt se mali homines, præsertim „Clerici, à jurisdictione sui Ordinarii: deinde si sunt exempti, „confugiunt statim ad Pœnitentiariam, vel ad Datariam, ubi „confestim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ob „pecuniam præstitam: hoc scandalum Beatissime Pater tantopere conturbat Christianum populum, ut non queat verbis explicari. Tollantur obtestamur Sanctitatem Tuam per „Sanguinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque lavit eodem sanguine: tollantur hæ maculæ, quibus si „daretur quispiam aditus in quacumque hominum Republica aut regno, confestim, aut paulò post in præceptis rueret, „nulloque pacto diutius constare posset: & tamen putamus „nobis licere, ut per nos in Christianam Rempub. inducantur „hæc monstra.

Quàm acriter in privilegia Regularium præsertim Ordinum Mendicantium, ob eorum ad functiones etiam hierarchicas extensionem nonnulli Patres sub initium Synodi insurrexerint, patet ex oratione Brachii Martelli Episcopi Felusani pronuntiata in Congregatione generali die 10. Maji 1546. cujus quoque meminimus supra *parte 1. tit. 6. cap. 8.* atque inter alia dicit, quod obtenderent habere jus concionandi sine licentia Episcopi: „Nimirum (ait Marcellus) habent suum illud, quod „dicitur, *ingens mare & immensum*, cujus fragore nihil est „quod perhorrescatis, Pontifices. Non enim ejus fluctibus Ecclesiæ sanctæ navicula obrui potest, quamvis hoc tempore „tot tempestates, tot procellas concitaverit perditorum nequitia aliorum.„ Tomo 14. Concil. general. *col.* 1638.

III. Quæ fuerit Episcoporum & Principum Germaniæ de exemptionibus sententia facilè intelligi potest ex articulis qui ipsorum nomine pro reformatione exhibiti fuerunt, quorum quartus erat: „Revocandas omnes exemptiones „contra Jura communis passim concessas, Monasteriaque „omnia sub Episcopi potestate constituenda sub cujus sunt „Diœcesi.

IV. Licet Synodus Tridentina non judicaverit, attentâ temporum conditione, omnes exemptiones revocandas, uti postulabant Germani, tamen ad eam moderationem eosque limites reduxit per varia Decreta, ut si hæc exactè & ex mente Synodi observarentur, sperandum esset, quod plerisque exemptionum incommodis occurreretur: videturque in hoc Gallorum postulata potiùs, quàm Germanorum sequuta.

V. Non enim petebant Galli revocandas omnes exemptiones, sed aliquas duntaxat, circa omnes verò justam moderationem. Inter articulos reformationis ex parte Gallorum Synodo oblatos, vigesimus sextus hanc materiam concernens erat conceptus his verbis: „Restituantur Episcopis intra omnem „Diœcesim Ecclesiasticæ jurisdictiones & tollantur omnes exemptiones, exceptis Capitibus Ordinum, iisque quæ ipsis „subsunt Monasteriis, & quæ Capitula faciunt generalia, & „iis Monasteriis, quibus multis jam retro sæculis evidentibus „scriptorum monumentis constat datam esse exemptionem, „quæ tamen ne à correctione omnino eximantur, aliqua ratione provideatur. „ Extat in libello cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente* 372. adit anni 1654.

VI. Ut ergo sciatur, intra quos limites exemptiones hodie ad præscriptum Concilii Tridentini sint concludendæ, & quæ sit Episcoporum in exemptos jurisdictio, præcipua Concilii super hac materia edita Decreta repræsentabimus: apparebitque, Decreta Concilii in omnibus esse admodum conformia principiis ex Jure communi capite præcedenti allegatis.

Imprimis itaque *Sess. 6. cap. 3. De Reformat.* decernitur: „Nemo sæcularis Clericus, cujuslvis personalis, vel Regularis extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii prætextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, „ab Ordinario loci, tamquam Sedis Apostolicæ Delegato, „secundùm sanctiones Canonicas visitari, puniri, & corrigi valeat.

VII. Notat post alios Barbosa De Officio Episcopi *Allegat. 105. num. 16.* verbum illud, *extra Monasterium*, intelligi, de eo qui non vivit sub Superiore *Conventualiter*, ut declaravit Sacra Congregatio his verbis: „Regularis „manens

„ manens extra claustrum de licentia superioris etiam in domo „ Deputata ad erectionem Monasterii, nisi in dicta domo sit „ Regularis observantia, ut saltem vivat sub superiore Con- „ ventualiter, si deliquerit, potest puniri ab Ordinario.

VIII. Hæc Congregationis resolutio consona apparet Decreto ejusdem Synodi *Sess. 25. cap. 4. De Regularib.* quo mandatur, ut " Regulares qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent, alioquin „ ab Ordinario contra eos procedatur.

IX. Cum autem in hoc Decreto agatur de Regularibus, qui de *licentia Superiorum* studiorum causâ in Universitatibus morantur, consequens est, quod si Regularis extra claustrum degens, deliquerit, possit ab Ordinario puniri, tametsi degat extra claustrum de *licentia Superioris*.

X. Verùm cum non obstante prædicto Concilii Decreto *Sess. 6. cap. 3.* à nonnullis prætenderetur, quod Regulares delinquentes extra Monasterium in loco *non exempto* puniri non possent ab Ordinario; si modò *reverâ* habitarent in claustro, contra manifestam juris rationem, quæ vult, delicta ad exemplum aliorum, etiam judicialiter puniri in loco in quo commissa sunt, uti & legibus Romanis statutum fuit, ideo Synodus *Sess. 7. cap. 14. De Reformat.* Constitutionem Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi, relatam in *Cap. 1. De Privil. in 6.* renovavit, qua declaratur quod etiam Regulares quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti in loco *non exempto* commissi, coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in eos jurisdictionem exercere possint. Vide Constitutionem latam capita præcedenti.

XI. Ulteriùs Synodus providere volens, ne prætextu exemptionis Regularium delicta quæ populo in scandalum esse possent, manerent impunita, & ne Episcopis auctoritas deesset scandala à populo amovendi, decrevit *Sess. 25. cap. 14. De Regularib.* ut " Regularis, non subditus Episcopo, qui intra „ claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, „ ut populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra „ tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de „ punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, à suo Su- „ periore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri „ possit.

XII. Refert Barbosa citatâ *Allegatione* 150. S. Congregationem declarasse, Episcopum passim statim habitâ notitiâ commissi delicti capere informationem, & eam ad Superiorem delinquentis mittere, ut nequeat ignorantiam prætexere.

XIII. Insuper declaravit, ut satisfactum censeatur istis verbis, *instante Episcopo*, sufficere unicam monitionem ab Episcopo factam esse & Superiori intimatam; eique tempus præfixum fuisse ad præscriptum Concilii.

XIV. Adhæc, non sufficere, ut Superior Regularis sententiam, aut ejus acta ad Episcopum transmittat, sed opus esse, ut de punitione ipsâ & de sententiæ executione Episcopum certiorem faciat.

XV. Denique declaravit, hoc Decretum etiam vindicare sibi locum, quando Regularis in claustro degens, adeo notoriè delinquit cum scandalo intra *ipsam Ecclesiam*; adeoque etiam in loco *exempto*: atque ita per hoc Decretum videtur Synodus Tridentina extendisse & ampliasse Constitutionem Concilii Lugdunensis innovatam *Sess. 7. cap. 14. De Reformat.* quia hæc tantum loquebatur de delicto commisso in loco *exempto*: ut proinde in præsenti Decreto Synodus magis attenderit ad scandalum datum, quam ad locum in quo fuerit datum.

XVI. Cum verò nonnulli Regularium Superiores in executione hujus Decreti essent admodum tepidi; quin & moniti ab Episcopis super delictis commissis, delinquentes ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim ex industria impunitos transmitterent, Clemens VIII. editâ Bullâ quæ incipit *Suscepti regiminis* 39. in Bull. R. mandat exactè hoc Synodi Decretum ab omnibus Regularium Superioribus observari. " Cæterum si Superior (ait) in Regularem delinquentem non „ animadverterit, quinimò si illum impunitum ad alia suorum „ ordinum loca extra Episcopi Diœcesim, ut præfertur, trans- „ miserit, volumus & simili motu atque auctoritate decerni- „ mus, ut Superior instante Episcopo intra terminum ab Epis- „ copo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ ac „ privationis dignitatum & officiorum obtentorum, necnon „ & sub inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinendum ac „ ulterius privationis activæ & passivæ vocis ad quas à nemi- „ ne præterquam à nobis & à Romano Pontifice pro tempo- „ re existente restitui non possit ipso facto similiter incurrendis „ pœnis ipsum regularem delinquenté ex loco ad quem trans- „ missus fuit revocare & in quo deliquit constituere seu siste- „ re teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit per præ- „ sentes similiter statuimus ut ordinarius loci ad quem Regu- „ laris delinquens transmissus fuerit super præmissis ab ordi- „ nario loci in quo deliquit similiter requisitus vel alias de illius „ delicto informatus ut præfertur tanquam Sedis Apostolicæ „ Delegatus prædictum Concilii Decretum omnino exequi & „ in Regularem delinquentem severè animadvertere possit & „ debeat.

XVII. In citato *cap. 14. Sess. 7.* postquam Synodus innovavit Constitutionem Concilii Lugdunensis addit insuper, " quod in civilibus causis mercedum, & miserabilium perso- „ narum Clerici sæculares, aut regulares extra Monasterium „ degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum judicem, à „ Sede Apostolica deputatum, in partibus habeant; in aliis, si „ ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, „ tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, & jure me- „ dio ad solvendum debitum cogi, & compelli possint: privi- „ legiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & „ eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam vali- „ turis.

XVIII. In Belgio jam pridem per Edictum Caroli V. sublatæ fuêre omnes generatim Conservatoriæ, neque hodie ullus est in Belgio privilegiorum Conservator, unico Universitatis Lovaniensis Conservatore excepto, qui ex speciali gratia & speciali indulto ejusdem Caroli V. continuatus fuit. Prius Edictum abrogatorium Conservatoriarum de anno 1500. extat *parte 1. Edict. Fland. lib. 1. Rubrica* 8. & *parte 1. Edict. Brab. lib. 1. tit. 1. cap.* 18. posterius autem *parte 3. Edictorum Brab. lib. 3. tit. 5. cap. 1.* quare in Belgio sæculares & Regulares exempti in civilibus coram locorum Ordinariis conveniendi sunt ad præscriptum hujus Decreti.

XIX. Insuper ne Episcopi in corrigendis subditorum suorum excessibus per exemptiones impedirentur, declarat Synodus *Sess. 14. cap. 4. De Reformat.* quod, si Episcopi in Ec- „ clesiis suis resederint, quoscumque sæculares Clericos, qua- „ litercumque exemptos, qui aliàs suæ jurisdictioni subessent, „ de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties, & „ quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tamquam ad „ hoc Sedis Apostolicæ Delegati, corrigendi & castigandi fa- „ cultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declara- „ tionibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, con- „ cordiis, quæ tantùm suos obligent auctores ipsis Cleri- „ cis, ac eorum consanguineis Capellanis, familiaribus, „ procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exem- „ ptorum contemplatione & intuitu minimè suffraganti- „ bus.

XX. Ex his satis colligitur, Synodo admodum odiosam apparuisse exemptionem Clericorum sæcularium, & Regularium extra sua Claustra degentium; utpote qui inter subditos Episcoporum passim versantes, faciliùs per suos excessus populo scandalo esse, & Episcopale regimen turbare possint, ac insuper extra disciplinam aliorum Superiorum quodammodo viventes, majorem libertatem sibi assumunt, quam in Claustris sub disciplina Regulari & Superiorum subjectione viventes.

XXI. Unde & ipsa Synodus *Sess. 24. cap. 11. De Reformat.* fatetur, " privilegia & exemptiones, quæ variis titulis „ plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcopo- „ rum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris „ vitæ præbere.

XXXI. Cùm autem Cluniacenses dicerent, Cluniacum ab ipso Fundatore fuisse Sedi Apostolicæ subjectum, & in sua fundatione ab eadem retentum: ideoque nihil Episcopo subtrahi à Sede Apostolica; sed dumtaxat retineri, quod petente Fundatore ipsa acceptavit; respondit S. Bernardus: „Nonnulla tamen Monasteria, ita in diversis Episcopatibus, quòd specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum, quis nesciat? Sed aliud est „quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.„ Quasi diceret; verum est, nonnulla Monasteria ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum specialiter pertinere; sed *aliud est quod largitur devotio* nimirum Fundatorum, *aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis*: Hæc enim à disciplina & correctione atque subjectione Episcoporum se subducere per emancipationem molitur; illa verò non quærit, nec largitur emancipationem; sed solam Sedis Apostolicæ protectionem ad conservationem eorum quæ à Fundatoribus donata sunt, & liberæ Abbatis electionis. Quod à S. Bernardo verissimè dictum fuisse, ex dictis capite præcedenti colligi potest, & latiùs exponetur capite sequenti ubi ostendemus, quòd Fundator Cluniacensium dumtaxat Sedis Apostolicæ protectionem postulaverit; & quod specialis protectio Sedis Apostolicæ non inferat exemptionem.

XXXII. Hinc & sat apparet, quod privilegia & immunitates jam pridem ab Episcopis & Romanis Pontificibus concessa, tamquam plenæ exemptiones, sensim à Monachis reputari cœperint. Unde & Petrus Abbas Cluniacensis in citata *Epistola 28.* ut exemptionem antiquitatem adstrueret, allegat Epistolas S. Gregorii ad Luminosum Abbatem, & Castorium Episcopum Ariminensem: cum tamen nec S. Gregorius in his epistolis de exemptionibus loquatur, nec data primitus privilegia ad exemptiones à spirituali Jurisdictione spectarent, uti *cap. 2.* dictum est.

XXXIII. Circa idem tempus, quo in Galliis contra exemptiones seu emancipationes queritur S. Bernardus, in easdem stylum strinxit in Anglia celebris ac ille eruditus Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis.

Fidem facit Epistola 68. quæ quidem sub nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis dirigitur ad Alexandrum III. sed Petri Blesensis calamo & stylo exarata. In hac vehementi atque acerbiore stylo exemptiones invadit; easque iisdem pene coloribus quibus Bernardus depingit. „Adversus Primates & „Episcopos intumescunt Abbates, nec est, qui majoribus suis „reverentiam exhibeat & honorem. Evacuatum est obedientiæ Jugum, in qua erat unica spes salutis, & prævaricationis „antiquæ remedium. Detestantur Abbates habere suorum excessuum correctorem, vagam impunitatis licentiam amplectuntur, claustralisque malitiæ Jugum relaxant in omnem „desiderii libertatem. Hinc est, quòd Monasteriorum ferè „omnium facultates datæ sunt in direptionem & prædam. „Nam Abbates exteriùs curam carnis in desideriis agunt, non „curantes, dummodò lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus „eorum: claustrales verò, tamquam acephali otio vacant & „vaniloquio: nec enim præsidem habent, qui eos ad frugem „vitæ melioris inclinet.

XXXIV. His aliisque pessimis emancipationum & exemptionum fructibus enumeratis concludit: „Quid est eximere ab Episcoporum Jurisdictione Abbates nisi contumaciam, ac rebellionem præcipere, & amare filios in parentes?

Deinde nonnullis interpositis, ait: „Monasteria enim, „quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis sive Apostolicâ auctoritate sive quod frequentius est bullis adulterinis adepta sunt plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus „inopiæ incurrerunt: ideoque & multæ domus, quæ nominatissimæ sunt in sanctitate & religione, has immunitates „aut nunquam habere voluerunt, aut habitas continuò rejecerunt.

XXXV. Denique rogat Pontificem, ut si Malmisburiensis Abbas (occasione cujus hæc epistola scripta fuit) ipsum accedat, „illius non admittat privilegia, donec manifestè „liqueat ex collatione Scripturæ & Bullarum, quo tempore „& à quibus Patribus sint indulta.

Rationem hujus præmittendæ indagationis subjungit: „Falsariorum enim præstigiosa malitia ita in Episcoporum „contumeliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum exemptione prævaleat, nisi in decisionibus & examinationibus faciendis Judex veritatis exactior districtissimus intercedat.

XXXVI. Contra exemptiones non mitiori stylo à Petro Blesensi exarata est *epistola 90.* qua fratrem suum recenter electum in Abbatem Maniacensem hortatur, ut vel hisce „exemptionis privilegiis, vel dignitati Abbatiali renuntiet: „Si Romanus Pontifex à jurisdictione vestri Episcopi vos „exemit, nolite quæso uti privilegio, quod materiam rebellionis inducit.

Et infra: „Per salutem itaque Patris qui nos genuit, & „per ubera quæ suximus in eadem matre, frater, unicè vos „adjuro & deprecor, ut in signum *plena humilitatis*, Pontificalia resignetis insignia: aut, si hoc sine scandalo fieri nequit, renuntietis in manu Domini Papæ Monasterii administrationem, & substituto ibi ad instantiam vestram Pastore idoneo, vos ad claustrale otium & salubrem militiam convertatis.

XXXVII. Eodem declinante sæculo 12. scribebat Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis, vir in Divinis Scripturis eruditus, & in sæcularibus litteris nobiliter doctus, nec minus religione, quam scientia venerabilis, teste Joanne Trithemio.

Hic *lib. 7. cap. 21. De Nugis Curial.* teterrimo stylo describit quosdam hypocritas, qui sub pallio religionis homines miserè seducebant, & eorum marsupia evacuabant; utque hæc impunè faciant: „Ad Ecclesiam Romanam confugiunt (ait) „quæ mater pietatis religioni consuevit providere quietem. „Implorant opem ejus, protectionis implorant clypeum, ne „cujusquam possint malignitate vexari, & se possint plenius „exhibere & charitatis exhibere manus, ne decimas dent, „Apostolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & „quo tibi plura impunè liceant, *à jurisdictione* omnium Ecclesiarum seipsos eximunt & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ „filii spirituales.

Dein relatis pluribus horum hypocritarum fraudibus & excessibus addit hoc notandum: „Si eis obloqueris, religionis inimicus, & veritatis diceris impugnator.„ Hoc quam frequenter hodie verificetur, notius est, quam ut probari debeat.

XXXVIII. Hisce omnibus consonat, qui sub finem sæculi 12. floruit Petrus Cantor, qui multum invehitur in has exemptiones in Verbo abbreviato *c. 44.* cujus hoc est summarium: *Contra eos qui exuunt se à jurisdictione suorum Prælatorum*: atque inter alia dicit: „Cum quælibet Provincia suum „habeat Metropolitanum, quælibet Diœcesis suum Episcopum, absurdum & enormè videtur, Ecclesiam vel Abbatem „esse in Episcopatu illius Diœcesis non ei subjectum, licet sit de „Episcopatu & in Episcopatu illius.

XXXIX. Horum aliorumque querelæ admodum verisimile reddunt, exemptionum usum sæculo 12. vel initium sumpsisse, aut magnum tum incrementum accepisse, ut tot querelas prætеritis temporibus ignotas excitarit.

XL. Verùm licet hæ sanctorum & illustrium virorum querimoniæ novitiam probare videantur exemptionum originem, has tamen suffocare non potuisse evincunt sequentiũ sæculorum frequentissimæ querelæ, nec non remedia ad earum abusus coercendos adhibita. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap. 3. §i De Privileg.* ait: „Fratrum & Coepiscoporum nostrorum conquestione comperimus, quod „Fratres Templi & Hospitalis & alii Religiosi indulta sibi ab „Apostolica Sede privilegia excedentes contra Episcopalem „auctoritatem multa præsumant, quæ ad scandalum faciunt, „& grave pariunt periculum animarum.

Easdem querelas sæculo 13. renovavit Concilium Lateranense

teranense sub Innocentio III. *in Cap.* 12. ✠ *De Excessib. Prelat.*

XLI. Eodem sæculo 13. exorti Ordines Fratrum Mendicantium; attendentes eorum sanctissimi Fundatores & Patres, quantas hæc privilegia in Ecclesia turbationes, & Episcoporum atque Prælatorum querelas & offensiones excitarent, ab iis abstinendum judicarunt; atque subjici Episcopis voluerunt: præsertim quia Ordines suos ita instituere intendebant, ut ipsorum Sodales Episcopis & Pastoribus cooperatores ac subsidiarii accederent, uti supra parte 1. *tit.* 3. *cap.* 7. ostendimus.

XLII. Quam alienus ab exemptionibus ac privilegiis fuerit S. Franciscus, ostendit piissimum ejus Testamentum in quo inter alia monita hoc moriens Filiis suis datum voluit. „Præcipio firmiter Fratribus universis per obedientiam, quod „ubicumque sint, non audeant petere aliquam litteram in Curia Romana: „adeoque nec litteras exemptionis: quod & probat ejusdem Sancti Patris apophthegma: „Hoc meum & „Fratrum meorum est privilegium, nullum habere privilegium super terram, sed omnibus obedire, & inferiores nos „omnibus reputare.

XLIII. Meritò proinde Cardinalis Baronius ad annum 676. notat, „ut Monachi ab Episcopali obedientia hujusmo„di privilegiis se subtraherent, nec gratum fuit S. Francisco, „sed Fratris Eliæ, hominis non divino spiritu, sed carnis pru„dentiâ nitentis, opus fuit.

XLIV. Quod in Ordine S. Francisci effectum fuit per Fratrem Eliam ejusque asseclas id & sensim in cæteris Mendicantium Ordinibus obtinuit.

XLV. Cùm autem hæc privilegia ultra Monasticam ac domesticam disciplinam ad functiones hierarchicas, ipsi extenderent; atque in his ab Episcopali auctoritate exemptos se prætenderent, mirum quanta ex his privilegiis scandala & contentiones exorta sint; quantæque adversus hos privilegiatos Fratres hinc excitatæ Prælatorum querelæ.

XLVI. Gravissimas querimonias Episcoporum Provinciæ Remensis circa annum 1287. (dùm notabilis Belgii nostri portio huic Provinciæ in spiritualibus suberat) videre licet in Epistola Circulari ex Concilio Provinciali data: quâ deplorant scandala & animarum pericula, quæ in populo & Clero sunt exorta, eo quod Fratres Prædicatores & Minores Bullas privilegiorum se intelligere dicerent & assererent „eo modo quod „dilucidè obviant Juri communi, Conciliis & Constitu„tionibus Romanorum Pontificum, & intentioni etiam con„cedentis.

Vide latiùs hæc relata in Episcopo *Repaguli Canonici adversus nimiam exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem*: ubi & referuntur verba Alvari Pelagii ex *lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ cap.* 66. quibus exponit, quanta mala Ordo Minorum passus sit, quia contra voluntatem S. Francisci in suo Testamento declaratam privilegia fuerunt impetrata.

XLVII. In Concilio Viennensi sub initium sæculi 14. „A„gitatum fuisse de revocandis exemptionibus, restituendoque „Episcopis vetere Jure in religiosas familias, quæ in eorum „Diœcesibus agerent, „scribit Odericus Raynaldus in appendice ad annum 1312. *num.* 24. Additque: „Afferebantur etiam „ab Episcopis variæ querelæ contra exemptos, à quibus Epis„copalis ordinis auctoritatem contemni, pluraque contra fas „sub exemptionum clypeo pertentari expostulabant.

XLVIII. Porrò privilegia hæc numquam majus incrementum sumpsêre, quam cum in Ecclesia Romana schismata fuerunt: tunc enim Romani Pontifices, aut pro talibus se gerentes, ut Ordines, Capitula vel potentiores personas sibi faventes haberent, facilè novis privilegiis & gratiis cumulabant; quemadmodum in luctuoso illo schismate, quod ab obitu Gregorii XI. incepit, & vix finem accepit in electione Martini V. contigisse deplorat ipse Martinus V. in Bulla *De Exemptionibus sess.* 43. Concilii Constantiensis evulgata, in *grave ipsorum Ordinariorum præjudicium*; quapropter, paucis exceptis, omnes exemptiones ab obitu dicti Gregorii XI. concessas sacro approbante Concilio (Constantiensi) revocat, atque Ecclesias, Monasteria & alia loca in pristinam Ordinariorum Jurisdictionem reducit, addita hac notanda clausula: *Non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi causâ cognitâ, & vocatis quorum interest.* Extat hæc Bulla Martini V. *Tomo* 12. *Concil. General. col.* 254.

XLIX. Cæterùm quam frequentes fuerint circa has exemptiones excessus, quotque excitatæ quæstiones sæculo 15. & sequentibus, probant omnia illa tum Conciliorum Decreta tum Pontificum Romanorum Decretales Corpori Canonico inserta, quibus & quæstiones resolvuntur, nec non regulæ quædam statuuntur, quibus abusibus obviam eatur, & exemptionibus hisce limites figantur, quæ pro hodierna praxi & disciplina capite sequenti exponemus.

L. Ex citata Bulla Martini V. patet, non tantùm Religiosos eorumque Monasteria privilegia exemptionis obtinuisse; sed & Capitula Canonicorum, nec non Studiorum Scholas sive Universitates, à jurisdictione Episcoporum fuisse exempta; quod & moderna praxis quoque evincit.

LI. Quandonam Capitula Canonicorum præsertim Cathedralium exemptiones prætendere cœperint, incertum est. Illud apparet sæculo 12. nondum horum exemptiones notas fuisse. Neque enim ullæ de hac exemptione apud S. Bernardum aliosve ei coævos Auctores querimoniæ occurrunt; sed hæ duntaxat contra Religiosorum exemptiones diriguntur.

Quapropter admodum verisimile est, ad exemplum Religiosorum, sæculo 13. & sequentibus Capitula cœpisse exemptiones à jurisdictione Episcoporum prætendere, easque sensim prætextu immunitatis in temporalibus, & correctionis, quam Capitulum vel Decanus habebant, invaluisse, dissimulantibus subinde Episcopis, aut etiam consentientibus, maximè dum electio Episcoporum à Capitulis dependebat; uti rectè advertit & deduxit Advocatus Regius coram Parlamento Parisiensi in causa pendente in eodem Parlamento inter Archiepiscopum Senonensem & ipsius Capitulum Cathedrale prætendens exemptionem. Integer discursus refertur in Opere cui titulus: *Journal de Audiences* tomo 3. *lib.* 1. *cap* 31. Plura Capitula etiam Cathedralia exempta enumerat Joannes Lomede in Senatu Parisiensi Patronus in Tractatu *De Exemptionibus Ecclesiasticis cap.* 4.

LII. Universitates quando jurisdictioni Ordinariorum subtrahi, & Sedi Apostolicæ immediatè subjici cœperint, similiter incertum est. Illud valde verisimile est, rationem hujus subtractionis esse, quod cum Universitates præcipuè ad scientias tradendas sint institutæ; atque inter scientias emineat scientia Theologica, quæ & difficiliores & graviores quæstiones & controversias parere solet, maluerint, tutiusque judicaverint Sedi Apostolicæ suarum difficultatum & quæstionum decisiones, ac unà modum docendi, & regimen Academicum esse subjecta, quam particulari Episcopo, in cujus Diœcesi Universitas esset erecta. Accedit, quod tandem invaluisset, ut publicæ Universitates auctoritate Sedis Apostolicæ erigerentur, & privilegiis donarentur, quemadmodum sub initium sæculi 15. hæc universitas auctoritate Martini V. primùm quoad quatuor Facultates erecta est, quibus per Eugenium IV. immediatum Martini V. successorem Facultas Theologica adjuncta; variisque privilegiis per dictos Pontifices eorumque successores decorata fuit Universitas; quam & sibi immediatè subjectam voluerunt, uti & modo ab Ordinarii Jurisdictione exempta manet, uti ex Præside Everardi refert Erasmus A Chokier De Jurisdictione Ordinarii in exemptos *parte* 1. *quæst.* 27. & addit: *Latèque per privilegia Lovanii typis mandata probatum est.*

LIII. Exemplo Religiosorum & Canonicorum cœperunt & singulares personæ seu Regulares seu sæculares variis titulis sibi exemptionem & libertatem à subjectione sui Episcopi impetrare, quemadmodum ipsa Synodus Trid. pluribus locis intimat; atque signanter *sess.* 24. *cap.* 11. *De Reform.* Ubi & deplorat, has exemptiones perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere. Sed de his latius infra *capite* 7.

CAP. V.

CAPUT V.

Principia quædam Juris in hac materia Exemptionum notanda.

1 *Exemptiones juri communi sunt adversæ.*
2 *Ideoque & odiosæ.*
3 *Et etiam tamquam odiosæ restringendæ.*
4 *Non judicandum pro exemptione nisi verbis expressis sit concessa.*
5 *Receptio in protectionem specialem Sedis Apostolicæ non probat exemptionem.*
6 *Fundatores solebant petere litteras protectionis; & nominatim protectionem Sedis Apostolicæ petiit Fundator Cluniacensium.*
7 *Jubet hic Fundator annuum censum solvi Ecclesiæ Romanæ.*
8 *Solutio census in signum protectionis non arguit exemptionem.*
9 *Fundator Cluniacensium censum voluit solvi in signum* prote*ctionis, non tamen ejus solutio infert exemptionem.*
10 *Licet non exprimatur censum solvi in signum* protectionis*, non tamen ejus solutio infert exemptionem.*
11 *Unde non rectè voluerunt Cluniacenses Monasterium suum in sua fundatione fuisse exemptum.*
12 *Sed rectè dixit S. Bernardus aliud esse quod largitur* devotio Fundatorum, *& aliud quod molitur* ambitio *impatiens subjectionis.*
13 *Quandonam solutio census probet exemptionem?*
14 *Exemptio non probatur verbis* narrativis *in Litteris Pontificis occurrentibus.*
15 *Exemptio probatur, si Pontifex positivè asserat ipsam Ecclesiam esse exemptam.*
16 *Item si asserat, eam ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ* specialiter *vel* simpliciter *pertinere.*
17 *Item si pronuntiet, quod Ecclesia sit* libera; *vel quod ad indicium* libertatis *solvat censum R.E.*
18 *Si Ecclesiam eximat ab Ordinarii potestate.*
19 *Si recipiantur in proprios &* speciales subditos *R.E. secùs si in speciales* filios.
20 *Quæ ratio diversitatis.*
21 *Cur dominus servum nominando suum filium censeatur dare libertatem potius, quàm Pontifex nominando filios R. E.*
22 *Licet Abbati aut Capitulo detur jurisdictio; non propterea arguitur exemptio.*
23 *Dum exemptio est dubia Ordinarius utitur sua auctoritate.*
24 *Si possessio sit pro exemptione hæc manet quousque contrarium in petitorio probetur.*
25 *Exemptio intra terminos privilegii concludenda.*
26 *Et ex tenore privilegii de ea judicandum.*
27 *Divisio exemptionis in personalem & localem seu mixtam.*
28 *Utriusque exemplum ex Jure communi.*
29 *Exemptio personalis apparet magis odiosa.*
30 *Exemptio localis seu mixta non operatur si delictum sit commissum, aut contractus initus, vel res sita in loco non exempto.*
31 *Secus si fuerit personalis.*
32 *Exemptio Ecclesiæ Conventualis aut Collegiatæ non comprehendit Presbyterum habentem curam Parochianorum, & quare.*
33 *Exemptio personalis sequitur personam ubicumque locorum.*
34 *Non tamen extenditur ad ea quæ gerit ut Præfectus loco non exempto.*
35 *Exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ non eximit ipsos in qualitate Parochorum.*
36 *Ex his conficitur regula, quod exempti in una qualitate, non sint propterea exempti in alia qualitate.*
37 *Hinc exemptio Canonicorum non extenditur ad functiones hierarchicas.*
38 *Similiter exemptio Academica non extendenda ultra Academica.*
39 *Unde admittit Academia Ordinationes Episcoporum super vita & honestate suorum Clericorum in Academia residentium.*
40 *Decretum Synodi Mechliniensis super delatione habitus Clericalis à Beneficiatis Academicis.*
41 *Optandum ut Episcopi Beneficiatos in Academia studentes ad habitum Clericalem cogerent.*
42 *Exemptio Regularibus indulta restringenda ad ea quæ* ut Regulares agunt.
43 *Unde ad functiones hierarchicas non porrigenda.*
44 *Exemptio etiam totalis non abscindit exemptos à Diœcesi, nec facit locum exemptum nullius Diœcesis.*
45 *Tenentur exempti generalibus Legibus concernentibus regimen Diœcesis in materia omnibus communi.*

I. IN præcedentibus abundè probatum fuit non tantùm Clericos, sed & Monachos & Moniales speciatim jurisdictioni & correctioni Episcoporum ex Canonica institutione esse subjectos; ac per consequens, exemptiones seu Clericos seu Monachos ab ea subducentes Canonicæ Institutioni & Juri communi esse odiosas.

II. Cùm autem Ecclesia desideret, ut quantum fieri potest, Canones & Jura morum directionem & disciplinam spectantia inviolata permaneant, violentum omninò atque *odiosum* reputat, omnem quem ob certas circumstantias pati cogitur, à Sacris Canonibus & Jure communi recessum. Unde illud Glossæ à Canonistis vulgò probatum: ***Regulæ & antiquo juri standum est, nisi in quantum reperimus recessum.***

III. Hinc nemo Canonistarum dubitat, quin exemptiones tamquam à Jure & Canonibus recedentes, comprehendantur sub *odiosis* de quibus pronuntiat ***Cap. 1. De R. J. in*** VI. ***Odia restringi, & favores convenit ampliari.*** Similiter & hanc Juris Regulam in ***Cap. 28. eod.*** exemptionibus esse applicandam: ***Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt trahenda.*** Præsertim quia exemptiones sunt ex iis privilegiis & recessibus à jure communi, quæ vix ab excessibus libera sunt: ut ob eas præcipuè factum videatur, ut in Decretalibus unus idemque titulus inscribatur: ***De Privilegiis & Excessibus privilegiatorum.***

Ex quo ulteriùs concluditur, exemptiones intra ipsum verborum rigorem ita esse restringendas, ut quantum tenor ipsorum patitur, à Canonibus & jure communi non recedatur, ipsaque Ordinariorum jurisdictio salva maneat.

IV. Conformiter ad has regulas rectè resolvit Zypæus ***Consultat. 1. De Privilegiis.*** „Exemptiones *odiosæ* sunt, tam„quam juri communi adversariæ, Hierarchiæ Ecclesiasticæ „inimicæ, & quæ Jus alteri auferant: scilicet authoritatem „suam Ordinariis locorum: quod Princeps aut Pontifex „***numquam facere censetur***, nisi ***disertis admodum ver„bis*** expresserit.

Hinc illud Canonistarum: *Exemptio indiget speciali beneficio, quia est* ODIOSA, *& pugnans contra jus commune.*

Conformiter igitur Juris Regulis, atque menti Ecclesiæ est Decretum Patrum Concilii Tolosani, quo præterito sæculo decreverunt: „ut hunc in exemptionum cognitione Episcopi modum adhibeant, & ut illas ***ad unguem*** observent, & ultra quam loquuntur, minimè extendant. Rationem hanc sui Decreti præmittentes, quia „Episcoporum jurisdictioni non „mediocre impedimentum, exemptis profusioris vitæ occa„sionem, Christianis non vulgare scandalum afferre, laxius, „quam par sit acceptæ exemptiones consueverunt „ An. 1590. ***part. 4. cap. 16.***

Itaque nequaquam exemptio judicanda, nisi *expressis* & claris verbis exemptio concessa sit.

V. Quibus autem verbis censeatur concessa exemptio, sæpius dubitatum fuisse evincunt Responsa & Declarationes Pontificum, quæ super his emanârunt, & Corpori Juris inclusa sunt.

Quæsitum aliquando fuit ab Innocentio III. „Utrum Cle„rici & laici qui litteras ***protectionis*** ostendunt, in quibus „personæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub „Apostolica ***protectione*** consistere declarantur, à Jurisdictione „Episcopi Diœcesani sint exempti? „Respondet Innocentius in ***Cap. 18.*** ✠ ***De Privil.*** „Quod per litteras hujusmodi ab E„piscoporum suorum potestate minimè subtrahuntur.

Ex hoc Pontificis Responso, junctâ Decretali Alexandri III. in ***Cap. 8.*** ✠ ***eod.*** unanimi consensu concludunt Canonistæ post Glossam ad dictum ***Cap. 8.*** verbo, ***Protectione***: „Licet Pa„pa recipiat aliquos sub sua ***protectione***, non sunt propterea „subtracti à jurisdictione Episcoporum.

VI. Hujusmodi litteras protectionis solebant expetere Fundatores Monasteriorum & Ecclesiarum, quibus quieti Monachorum tam in temporalibus, quam spiritualibus prospicere, non autem à Jurisdictione Episcoporum eximere intendebant. Atque nominatim Guillelmus Dux Aquitaniæ &

taniæ & Comes Avernorum Cluniacensium Fundator voluit, ut „Monachi in Cluniaco juxta S. Benedicti Regulam „viventes haberent *tuitionem* ipsorum Apostolorum (Pe-„tri & Pauli) atque Romanorum Pontificem *defensorem*.„ Extat hæc fundatio seu testamentum dicti Fundatoris tomo 8. Concil. general. *col.* 565.

VII. Jubet insuper Fundator Cluniacensium, ut monachi persolvant ipsi Ecclesiæ Romanæ quamdam speciem census, nimirum, „Ut per quinquennium Romæ ad limina Aposto-„lorum ad luminaria ipsorum concinnanda *decem solidos* „præfati Monachi persolvant.

VIII. Porro notum est, solutionem census non inferre exemptionem; præsertim si expressè dicatur, eum persolvi in signum protectionis, uti citato *Cap.* 8. declaravit Alexander III. dicens: „Si ad indicium perceptæ protectionis census persolvitur, „non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid detrahitur.

IX. Fundatorem autem Cluniacensium jussisse censum hunc persolvi ad indicium *protectionis* indicat ipse Fundator, dum verbis supra citatis quibus censum persolvi mandat immediatè subdit: „Habeantque *tuitionem* ipsorum Apostolo-„rum, atque Romanorum Pontificem *defensorem*.

X. Quinimo, „si dicatur simpliciter, quod aliqua Ecclesia „Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc „exempta Ecclesia dici debet, „ait Bonifacius VIII. in *Cap.* 10. *De Privil. in* 6.

„Idem dicimus (pergit Bonifacius) si circa aliqua per pri-„vilegium concedatur libertas, & clausula de censu annuo „persolvendo sequatur: ut si aliquibus quod ab alio, quam à „Papa seu ejus Legato Excommunicari, suspendi aut interdici „non possint, vel aliquid aliud specialiter à Sede Apostolica sit „indultum: vel etiam dicatur, quod in speciales Romanæ Ec-„clesiæ filios sint assumpti, & sequatur in privilegio, quod Ec-„clesiæ Romanæ ad indicium libertatis perceptæ annuum „censum solvant. His enim & consimilibus casibus sic in cer-„tis privilegiati articulis, Ordinariorum jurisdictioni quantum „ad alia sunt subjecti.

XI. Ex his patet, multum aberrasse, Cluniacenses à mente sui Fundatoris, dum prætendebant, Monasterium suum in sui fundatione à jurisdictione Episcopi fuisse exemptum, & soli Romano Pontifici subjectum. Rectè verò dixit sanctus Bernardus „ Aliud est quod largitur *devotio* (Fundatorum) „aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis.„ Illa nimirum largitur *protectionem* adversus oppressiones & infestationes, hæc verò impatiens subjectionis molitur jugum Canonicæ subjectionis excutere. Vide dicta capite præcedenti, & latiùs in Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem *Regulâ* 6.

XII. Ut autem solutio census probet exemptionem, debet „*indefinitè* dici quod Ecclesiæ Romanæ annuum censum sol-„vat, ad perceptæ indicium libertatis. „Uti in citato *Cap.* 8. loquitur Bonifacius VIII. Hinc concludit Erasmus A Chokier De Jurisdictione Ordinarii in Exemptis *part.* 1. *qu.* 10. *num.* 8. „ut ex censu probetur exemptio, debet aliunde apparere quod „ex causa concessæ exemptionis illius solutio penditur.

XIII. Insuper, „si Papa in aliquo privilegio vel scriptura „*non facta principaliter* super donatione vel sententia ex-„emptionis seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus & „proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia „verba narret: non propterea illius Ecclesiæ exemptio est „probata, nisi de libertate aliter doceatur, „uti scribit Bonifa-„cius in citato *cap.* 10.

Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, exemptionem Ecclesiæ sufficienter non probari per verba *narrativa*: quia, ut hic notat Glossa verbo, *Probata*, „jus commune est con-„trarium, & sequerentur hoc casu plenæ exemptiones.

XIV. Probatur verò exemptio juxta declarationem Pontificis in citato *cap.* 10. Primò, „si Ecclesiæ vel Monasterio ex-„emptionis privilegium concedendo, vel super ipsius exempti-„ones sententiando (cum de ipsius exemptionis negotio age-„retur) asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam.

XV. Secundò, si asserat, „eam juris Beati Petri existe-„re, sive ad jus & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel ad „Romanam Ecclesiam specialiter & sine medio, vel etiam „simpliciter pertinere, per hoc plenè debet exempta hujusmo-„di Ecclesia judicari.

XVI. Tertiò, „si privilegium contineat, vel ipse Papa „per modum exprimat suprascriptum, quod Ecclesia sit *libe-„ra*, seu quod potiatur Romanæ Ecclesiæ libertate; vel quod „in hoc prærogativâ gaudeat speciali: aut si dicat *indefinitè*, „quod Ecclesiæ Romanæ solvat annuum censum ad *percep-„tæ* indicium *libertatis*.

XVII. Quartò, si asserat, quod „ipsam Ecclesiam eximat „ab Ordinarii potestate: vel quod non audeat Episcopus Ca-„thedram collocare, aut imperandi (seu ordinationem quam-„vis levissimam faciendi) exercere aliquam potestatem.

XVIII. Denique, „si aliqui recipiantur in *proprios & speciales subjectos*, censentur exempti.

„Non sic (ait Pontifex) si in proprios & *speciales filios* Ro-„manæ Ecclesiæ sint suscepti: tales quippe exempti propterea „non existunt.

XIX. Rationem diversitatis allegat hic Glossa verbo, *Non existunt*, quia „ubi Papa exprimit aliquos *speciales subjectos*: „si essent alii subjecti, non essent *speciales* subjecti: & ideo illa „verba exemptionem faciunt. Sed licet aliquis sit filius, non „sequitur quod sit *specialis* subjectus: quia unius potestatis „filius, alteri potestati posset esse subjectus: & ideo aliud hic, „aliud ibi. Filiatio ergo amorem & privilegium denotat, spe-„cialis subjectio exemptionem.

XX. Notat quoque ibidem Glossa, quod huic Pontificis resolutioni non obstet *Lex unica Cod. De Latin. lib. toll.* in qua „si dominus apud acta nominet servum *filium suum*, „dicitur ei *libertatem* concessisse: quia ibi sibi soli (domino) „fit præjudicium: hic autem fieret præjudicium Ordinario, „cujus jurisdictioni potiùs est favendum.

XXI. Per hoc quod Abbati aut Decano seu Capitulo detur potestas corrigendi & puniendi suos respectivè Monachos aut Canonicos, non censetur data exemptio ab auctoritate Episcopi: sed dumtaxat illa cumulativè data præsumitur, quemadmodum jam pridem in formula privilegii à Marculfo Monacho exaratâ notatum fuit his verbis: „Et si aliquid Mo-„nachi de eorum Religione tepidi haud secus egerint, secun-„dum Regulam ab Abbate, si prævalet, corrigatur, sin autem, „Pontifex de ipsa civitate coercere debet: quia nihil de Ca-„nonica authoritate convellitur, quidquid domesticis fidei „pro quietis tranquillitate tribuitur.„ Vide Zypæum *Consult.* 1. *num.* 28. *De Majoritate & Obed.* & Fagnanum *ad Cap.* QUANDO 15 *De Officio Ord.* ubi latè probat, quod jurisdictio alicui data, censeatur in dubio *cumulativè*, non privativè concessa.

XXII. Si verba privilegii sint *dubia*, aut de titulo exemptionis non facta *plena* probatio, poterit Ordinarius sua auctoritate & jurisdictione uti, quoadusque ipsa exemptio *plenè* probata sit. Cum enim jurisdictio Ordinarii de Jure communi fundata sit in omnes Ecclesias suæ Diœcesis, hæc integra manet, quamdiu non sit *plenè* probatum, speciali titulo quoad hunc articulum derogatum esse Juri communi: quod in terminis declaravit Pontifex in *Cap.* 7. *De Privilegiis in* 6. cujus verba retuli supra *cap.* 1.

Conformiter ad hanc regulam à Canonistis communiter probatam tradit Zypæus in Jure novo *tit. De Officio Ordinarii n.* 19. „In iis ubi exemptio *dubia* est, Episcopus *ex osse* sua „jurisdictione uti potest, adeoque etiam in casu *Capituli* 3. *sess.* „6. Concilii Tridentini *solus* procedere potest, donec Capitu-„lum per tres conformes sententias docuerit de legitima sua „exemptione: ut Congregatio Concilii, inquit, Joanni Malde-„ro Episcopo Antverpiensi respondit & alias sæpius.

XXIII. Si tamen Monasterium aut Capitulum esset in quasi possessione exemptionis, non posset Ordinarius ipsum Monasterium aut Capitulum in hac quasi possessione turbare, nisi via Juris ostenderetur, hanc quasi possessionem esse vitiosam, & titulo sufficienti destitutam, quemadmodum in simili dictum est *parte* 2. *tit.* 33. *cap.* 3. *num.* 20.

XXIV. Ulterius exemptiones tamquam Juri communi adversæ, non tantum *plenè* probandæ sunt; sed insuper intra ipsos terminos exemptionis sive privilegii concludendæ, ut non recedatur à Jure communi, nisi quatenus ipse tenor privilegii recedere cogit.

XXV. Hinc Alexander III. in *Cap.* 8. ꝟ *De Privil.* monet Legatum suum, „quod inspicienda sunt Ecclesiarum privile„legia, & ipsorum tenor sit diligentius attendendus.

Et in *Cap.* 7. *eod.* quærenti Episcopo, qua libertatis prærogativa gauderent Templarii & Hospitalarii, respondit idem Alexander III. „Non dubitamus quin aliam libertatem ha„beant in locis, in quibus antequam pervenisset ad eos, fue„rant habitatores: quod totum ex *inspectione Privilegio„rum* plenius advertere potes & secundum quod invene„ris, ita observes. Sic enim eos *volumus Privilegiorum suo„rum servare tenorem*, quod eorum metas minimè transgre„di videantur.

XXVI. Ex ipso proinde tenore privilegii de exemptione judicandum est; atque imprimis attendendum, quæ species exemptionis sit, an personalis, an localis seu mixta.

Personalis est, qua particulares dumtaxat personæ eximuntur, nulla habita ratione loci.

Hujusmodi habent certæ personæ propter privilegium specialiter iis indultum non loci vel Monasterii alicujus, sed favore personali, uti loquitur Joannes Lomede in citato Tractatu *cap.* 1. atque hoc modo exemptos Aulicos Regis Franciæ esse, & agnoscere tantum magnum Franciæ Eleëmosynarium. Asseritque *cap* 4. *n.* 4. „Aulicis exemptis esse magnum Franciæ „Eleëmosynarium pro Episcopo.

Locales verò sunt, quæ fiunt loco vel Monasterio; ita ut personæ sint exemptæ cum respectu ad locum.

XXVII. Utriusque privilegii mentio occurrit in *Cap.* 3. *De Privilegiis in* 6. ubi Pontifex omnes Indulgentias & privilegia quibuscumque singularibus personis Ecclesiasticis vel sæcularibus cujuscumque sint dignitatis vel præeminentiæ, quod interdici à quocumque vel excommunicari non possint, nec terræ vel Ecclesiæ ipsorum Ecclesiastico interdicto supponi, sub quacumque forma verborum concessa, ad Ordinariorum sententias & processus prohibet extendi.

Excipit autem Pontifex Indulgentias & privilegia Religiosis quibuscumque, non personarum dumtaxat, sed Ordinum privilegiatorum vel locorum ratione sub hujusmodi forma concessa: ut scilicet hæc etiam ad sententias Ordinariorum extendantur.

XXXIII. Hìc non tantùm habemus distinctionem privilegii personalis, & realis sive localis; sed insuper quod latiorem & favorabiliorem interpretationem accipiat privilegium Monasterio, aut integro Ordini indultum, quam privilegium certis & particularibus, ob favorem personalem concessum; hocque quam illud magis odiosum sit, ut ex sequentibus apparebit.

XXIX. Et quia exemptio localis, puta Monasterio concessa quemdam respectum habet ad locum, ita ut Religiosi censeantur exempti tamquam membra istius Monasterii, Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. in *Cap.* 1. *De Privil. in* 6. „Declaratione irrefragabili definivit, quantumcumque „sic exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione „delicti, sive contractus, aut rei de qua contra ipsos agi„tur, ritè possint coram locorum Ordinariis conveniri, & „illi quoad hoc suam in ipsos jurisdictionem (prout Jus exigit) „exercere.„ Si nimirum delictum commissum, vel contractus initus, aut res sita sit in loco non exempto, & exemptio fuerit localis.

XXX. Nam „cum data fuit exemptio ratione perso„næ, & non loci, ut privilegio concesso Capellanis & Fa„miliaribus Papæ, contra illos cessat Constitutio dicti *Cap.* „1. Tunc enim ratione delicti puniri non possent ab Or„dinario, „ uti notavit Joannes Lomede in dicto tractatu *cap.* 6. *num.* 7.

XXXI. Ulteriùs ex ipsa exemptionis conditione, quæ vult, exemptionem extra terminos privilegii non extendi, respondit Pontifex in *Cap.* 9. *De Privileg in* 6. quod „per „exemptionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia & ipsius „Monachi, vel Canonici, Clerici etiam & Conversi perpe„tuoque oblati (non autem Ecclesiæ ejusdem Presbyter, „qui Parochianorum curam habet quod ea quæ ad curam „eamdem pertinent, nec ipsi Parochiani etiam) intelliguntur „exempti.

Cum enim hic ageretur de Ecclesia Conventuali vel Collegiata (ut rectè notavit Glossa) propriè ad eam pertinent Monachi, Conversi, & perpetuò oblati, aut Canonici & Clerici; sed nequaquam Presbyter seu Vicarius qui curam habet Parochianorum *quoad ea* quæ ad eamdem curam pertinent, quia hæc potiùs spectant ad Ecclesiam Parochialem; quam Conventualem vel Collegiatam; cui congruunt ea, quæ sunt propria Officia Religiosorum & Canonicorum. Quapropter Presbyter hic quatenus curam habet Parochianorum, propriè non pertinet ad Ecclesiam conventualem aut Collegiatam.

Quia tamen Ecclesia, quæ eximitur, principaliter erat Conventualis vel collegiata, censetur quoque exempta *ut talis*; atque per consequens, illi soli exempti, qui ad eam sub illa qualitate spectant.

XXXIII. Si aliquibus sit per privilegium concessum, ut quisquam Episcopus vel Archiepiscopus pro ulla causa, ullove loco ipsos interdicere suspendere vel excommunicare præsumat, in ipsos Ordinarii jurisdictionem suam *quantum ad illa* ubicumque illi fuerint, penitus exercere possunt, uti ait Concilium Lugdunense in *Cap.* 1. §. IN EOS *De Privil. in* 6. quia personale est.

XXXIV. Addit autem Concilium: „Nisi forsan ipsi Mo„nachi ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinariis eis„dem subjectos (ut vel eorum regimen, vel in eis tamquam „proprii locorum ipsorum Monachi resideant) fuerint desti„nati: tunc enim, etsi liberè possint ad eadem Monasteria re„vocari, ac tam illorum, quam ipsorum Prioratuum Monachi „reputentur... ratione tamen eorumdem Prioratuum dicti „Ordinarii sua jurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa „(quamdiu morantur in illis) uti possunt.

Hìc rursus habetur, quod exempti vel privilegiati sub una qualitate, non censeantur exempti vel privilegiati sub alia qualitate.

XXXV. Idipsum clarioribus terminis expressum est in *Cap.* CUM CAPELLA 16. ꝟ *De Privil.* „Cùm enim Capel„la Ducis Burgundiæ gaudere diceretur privilegio, quod nul„lus Archiepiscopus vel Episcopus in personas Canonico„rum ejusdem Capellæ suspensionis, vel excommunicatio„nis, aut interdicti sententias audeat promulgare: quidam „Capellæ supradictæ Canonici, qui *Parochiales* Ecclesias ab „Episcopo tenebant, occasione privilegii prælibati in *his et„iam*, quarum jurisdictio ad Episcopum pertinebat, ita se „dicebant exemptos, ut quantumcumque graviter interdum „excederent, Episcopi correctioni recusarent & sententiæ „subjacere.

Super his à Lingoniensi Episcopo interrogatus Innocentius III. mandat Episcopo: „Quatenus in *quantum* exempti „sunt ejusdem ratione Capellæ, Apostolicis privilegiis de„feras reverenter: sed in *quantum* ratione Parochialium „Ecclesiarum, vel alias jurisdictionem tuam respicere di„gnoscuntur, officii tui debitum in eosdem liberè prose„quaris.

XXXVI. Ex hac & præcedentibus Decretalibus eliciunt Canonistæ hoc commune principium: Si in unam eamdemque personam concurrant diversæ qualitates, quod exemptus sub una qualitate non censeatur propterea exemptus sub alia qualitate: neque exemptio trahi queat ad ea quæ sub hac qualitate exercet: sive quod exemptus subjaceat, ratione rei non exemptæ, Jurisdictioni Ordinarii quoad rem non exemptam; quemadmodum privilegium datum alicui Corpori, quod qui de hoc Corpore sunt, non possint conveniri nisi coram certo Judice, intelligi debet de his quæ competunt personis, quatenus de hoc Corpore sunt. Vide Choppinum *lib.* 2. *De S.P. tit.* 5. *num.* 13.

XXXVII.

XXXVII. Ex hoc principio consequens est, quod exemptio data Canonicis, vel Ecclesiis Canonicorum nequeat extendi ad functiones Parochi, aut Confessarii aliasve; quæ Hierarchicæ potius, quam Canonicales sunt; sed hæc exemptio restringenda sit ad ea, quæ Canonicos *ut* Canonicos spectant: eo quod sub hac qualitate censeantur exempti.

XXXVIII. Similiter si Academia sit exempta, intelligenda est exemptio quoad ea quæ *Academica* sunt. Unde si Academicus induat aliam qualitatem non exemptam, non censebitur exemptus quoad ea quæ sub hac qualitate facit, puta sit Parochus, Confessarius, Concionator &c. quod & notoria hujus Academiæ praxis confirmat, sua Supposita quoad hasce functiones jurisdictioni Ordinariorum submittens; neque ad similia jurisdictionem suam extendens.

XXXIX. Hinc nec improbat quod tradit Zypæus *Resp.* 2. *De Magistris.* „Ordinariorum Decreta Synodalia, seu alia super Beneficiis studiosos non minus, quam alios absentes ligant, & decernere super iis Ordinarii possunt, quod jus & ratio exigit: „ quæ nimirum ad vitam & honestatem Clericorum & Beneficiatorum pertinent; nec regimen Academicum & studiorum attingunt.

XL. Quare nec Academiæ integrum fuit Decretum Concilii Provincialis Mechliniensis I. *tit. De Vita & honestate Clericorum cap.* 4. quo decrevit, ut „Clerici qui in *Academiis* „ resident, intra mensem à die publicati hujus Concilii Pro„ vincialis, corona, pileo, caligis simplicibus & vestitu ordini „ suo & vocationi congruo utantur; & singulis annis hujus rei „ testimoniales litteras sigillo Universitatis munitas, ei, cui lit„ teras testimoniales studii exhibere debent, tempore congruo „ transmittant. Qui in re si defectuosi fuerint, fructibus suo„ rum Beneficiorum priventur.

XLI. Optaret sanè Academia hæc Lovaniensis, ut Episcopi suos Canonicos aliosque Beneficiatos studiosos, ad habitum vocationi suæ congruum, privatione fructuum, aut etiam Beneficiorum cogerent: nec permitterent eos passim in habitu merè laicali lucaliter vivere: quod non æquè ipsa Universitas efficere potest, tum quod in ipsos *ut Canonicos* jurisdictionem non exerceat; tum quod frequenter ignoret eos esse Canonicos aut Ecclesiasticos, qui exterius nihil Canonicale aut Ecclesiasticum præferunt.

XLII. Regulares quoque exempti suam exemptionem concludere debent ad ea quæ ipsis *ut Regularibus* competunt, quæque disciplinam, & regimen regulare spectant. Si autem occurrat materia non exempta, sive quæ ad Regulares non ut Regulares pertinent, ad hæc exemptio extendi nequit.

XLIII. Hinc consequens est, exemptionem Ordinum Mendicantium, quamvis esset ampla & indefinita, non posse trahi ad functiones hierarchicas: eò quod hæ ad materiam *non exemptam* spectent, non ad Regulares *ut Regulares*; sed speciali titulo, ut Episcoporum & Parochorum in his functionibus coadjutores & subsidiarios. Quare S. Thomas 2. 2. *q.* 188. *art.* 4. agens de Religionibus ad prædicandum vel confessiones excipiendas institutis, quales sunt Ordines Mendicantium, dicit id ipsis non ex *officio proprio* competere, sed auctoritate *Superiorum & inferiorum* ad quos *ex officio pertinet.* Per Superiores ibidem intelligit Episcopos; per Inferiores verò *minores Prælatos*, id est Plebanos & Parochos, quibus jure proprio & officio hujusmodi functiones competunt.

Si igitur functiones illæ non competant Regularibus *ut Regularibus* ex officio; sed ex alia qualitate adjectitia & extraordinaria, nimirum quatenus auctoritate Prælatorum ad functiones has tanquam subsidiarii assumuntur, manifestum est, exemptionem Regularibus sive Ordinibus Mendicantium indultam, non magis posse extendi ad Regulares has functiones obeuntes, quàm exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ potuerit extendi ad ipsos Canonicos quatenus Parochiales Ecclesias tenebant, juxta citatum *Cap.* CUM CAPELLA. Plura de prohibita hac extensione dixi in *Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem*; ubi & ostendi, quàm latè hac in materia suas exemptiones quidam Regulares extendant cum summa Ecclesiasticæ hierarchiæ, & Episcopalis auctoritatis perturbatione: atque hac ratione præbeant Episcopis justissimas rationes querelarum adversus exemptiones: quæ facilè cessarent, si intra justos limites, ad mentem concedentium, & Juris certissima principia continerentur; ostendeturque capite sequenti, hanc præcipuè extensionem in Synodo Tridentina fuisse contra exemptiones exaggeratam, & à Synodo improbatam.

XLIV. Exemptio etiam totalis, quamvis sic exemptos solvat à Jurisdictione Episcopi sive Ordinarii, tamen sic exemptos, aut locum exemptum non dimembrat à Diœcesi, sed manent in ipsa Diœcesi, & membra Diœcesis, licet privilegiata quemadmodum communiter notant Doctores ad *Cap.* 19. ꝟ. *De Officio Ordinarii*; item ad *Cap.* 7. *eod. in* 6. Et notavit post alios Canonistas Prosper Fagnanus ad dictum *Cap.* 19. *num.* 10. dicens: „Ecclesias exemptas hoc differre „ ab Ecclesia *nullius* Diœcesis, quod Ecclesiæ exemptæ in „ Diœcesi esse dicuntur; Ecclesiæ verò *nullius* Diœcesis ne„ que sint de Diœcesi, neque in Diœcesi. Itaque (ait) Sta„ tus *nullius* Diœcesis liberat non modò à subjectione sed et„ iam à situatione & denominatione, exemptio verò tantùm à „ subjectione.

XLV. Cùm ergò exempti sint in Diœcesi, ejusque sint membra, consequens est, quod ita se exhibere debeant, atque suis privilegiis ea cum moderatione uti, ut nec ipsa membrorum unitas dissolvatur, nec Episcopale regimen inutile reddatur aut impediatur.

Sicuti ergo Clerus, licet à jurisdictione laicali exemptus, tenetur Legibus & Ordinationibus Politicis in materia Clericis & Laicis communi, & quæ nisi à Clericis observarentur, suum perderent effectum in summam Reipublicæ perniciem; ita quoque exempti tenentur generalibus Legibus Episcoporum in materia omnibus communi; & quas si exempti non servarent, summa in Diœcesi orireutr scissura & Legum vilesceret apud populum auctoritas: qui & exemplo exemptorum ad earum transgressionem seu non observantiam incitaretur: quemadmodum latè ostendi in citato Repagulo Canonico *Regula* 8. & *cap.* 2. §. 12. & 13. & aliqua dicentur capite sequenti occasione Decretorum Synodi Tridentinæ in materia exemptionum.

Exemptio jam pridem à S. Bernardo dicta fuit *emancipatio* ad similitudinem emancipationis Civilis, quâ filius *emancipatur*, seu solvitur à patria potestate, & sui Juris efficitur.

Sed sicuti filius emancipatus & civiliter solutus à Patria potestate, nihilominus Patri suo reverentiam debitam negare non potest; similiter quacumque ratione exempti à potestate Ordinarii sive Episcopi, cui quasi subjecti nascuntur, ea quæ reverentialia sunt negare nequeunt, nec ad illa exemptio se extendit, uti communiter notant Canonistæ, atque post alios ait Prosper Fagnanus ad *Cap.* CONQUERENTE ꝟ. *De Officio Ordinarii numer.* 16. „exemptum à Jurisdictione Episcopi non „ censeri exemptum à Jure reverentiali „ Et quoad Capitula exempta latè ostensum est supra *part.* 1. *tit.* 8. *cap.* 2. quibus addi possunt quæ habet Brodæus in Notis ad Louëtium *litt. M. nu.* 18. & De Luca *Disc.* 1. *De Regular. n.* 21.

Ad hæc principia & regulas si exemptiones Capitulorum, Monasteriorum & Academiarum servarentur, nec ultra suos limites contra Pontificum mentem extenderentur, sperandum esset, magna ex parte querelas & contentiones occasione harum exemptionum admodum frequentes, sopiendas & extinguendas: atque Synodum Tridentinam, ut incommodis ex his exemptionibus provenientibus occurreret, ad prædicta principia exemptionum usum reduxisse, capite sequenti ostendemus.

* * *
* *
*

Digitized by Google

manens extra claustrum de licentia superioris etiam in domo Deputata ad erectionem Monasterii, nisi in dicta domo sit Regularis observantia, ut saltem vivat sub superiore Conventualiter, si deliquerit, potest puniri ab Ordinario.

VIII. Hæc Congregationis resolutio consona apparet Decreto ejusdem Synodi *Sess. 25. cap. 4. De Regularib.* quo mandatur, ut “ Regulares qui studiorum causa ad Universitates mittuntur, in Conventibus tantum habitent, alioquin ab Ordinario contra eos procedatur.

IX. Cum autem in hoc Decreto agatur de Regularibus, qui de *licentia Superiorum* studiorum causâ in Universitatibus morantur, consequens est, quod si Regularis extra claustrum degens, deliquerit, possit ab Ordinario puniri, tametsi degat extra claustrum de *licentia Superioris.*

X. Verùm cum non obstante prædicto Concilii Decreto *Sess. 6. cap. 3.* à nonnullis prætenderetur, quod Regulares delinquentes extra Monasterium in loco *non exempto* puniri non possent ab Ordinario; si modò *revera* habitarent in claustro, contra manifestam juris rationem, quæ vult, delicta ad exemplum aliorum, etiam judicialiter puniri in loco in quo commissa sunt, uti & legibus Romanis statutum fuit, ideo Synodus *Sess. 7. cap. 14. De Reformat.* Constitutionem Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi, relatam in *Cap. 1. De Privil. in 6.* renovavit, qua declaratur quod etiam Regulares quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti in loco *non exempto* commissi, coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in eos jurisdictionem exercere possint. Vide Constitutionem latam capita præcedenti.

XI. Ulteriùs Synodus providere volens, ne prætextu exemptionis Regularium delicta quæ populo in scandalum esse possent, manerent impunita, & ne Episcopis auctoritas deesset scandala à populo amovendi, decrevit *Sess. 25. cap. 14. De Regularib.* ut “ Regularis, non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit; Episcopo instante, à suo Superiore intra tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat: sin minus, à suo Superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

XII. Refert Barbosa citatâ *Allegatione* 150. S. Congregationem declarasse, Episcopum passim statim habitâ notitiâ commissi delicti capere informationem, & eam ad Superiorem delinquentis mittere, ut nequeat ignorantiam prætexere.

XIII. Insuper declaravit, ut satisfactum censeatur istis verbis, *instante Episcopo*, sufficere unicam monitionem ab Episcopo factam esse & Superiori intimatam; eique tempus præfixum satis ad præscriptum Concilii.

XIV. Adhæc, non sufficere, ut Superior Regularis sententiam, aut ejus acta ad Episcopum transmittat, sed opus esse, ut de punitione ipsa & de sententiæ executione Episcopum certiorem faciat.

XV. Denique declaravit, hoc Decretum etiam vindicare sibi locum, quando Regularis in claustro degens, adeo notoriè delinquit cum scandalo intra *ipsam Ecclesiam*; adeoque etiam in loco *exempto*: atque ita per hoc Decretum videtur Synodus Tridentina extendisse & ampliasse Constitutionem Concilii Lugdunensis innovatam *Sess. 7. cap. 14. De Reformat.* quia hæc tantum loquebatur de delicto commisso in loco *exempto*: ut proinde in præsenti Decreto Synodus magis attenderit ad scandalum datum, quam ad locum in quo fuerit datum.

XVI. Cum verò nonnulli Regularium Superiores in executione hujus Decreti essent admodum tepidi; quin & moniti ab Episcopis super delictis commissis, delinquentes ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim ex industria impunitos transmitterent, Clemens VIII. editâ Bullâ quæ incipit *Suscepti regiminis* 39. in Bull. R. mandat exactè hoc Synodi Decretum ab omnibus Regularium Superioribus observari. “ Cæterum si Superior (ait) in Regularem delinquentem non animadverterit, quinimò si illum impunitum ad alia suorum ordinum loca extra Episcopi Diœcesim, ut præfertur, transmiserit, volumus & simili motu atque auctoritate decernimus, ut Superior instante Episcopo intra terminum ab Episcopo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ ac privationis dignitatum & officiorum obtentorum, necnon & sub inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinendum ac ulterius privationis activæ & passivæ vocis ad quas à nemine præterquam à nobis & à Romano Pontifice pro tempore existente restitui non possit ipso facto similiter incurrendis pœnis ipsum regularem delinquentem ex loco ad quem transmissus fuit revocare & in quo deliquit constituere seu sistere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit per præsentes similiter statuimus ut ordinarius loci ad quem Regularis delinquens transmissus fuerit super præmissis ab ordinario loci in quo deliquit similiter requisitus vel alias de illius delicto informatus ut præfertur tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus prædictum Concilii Decretum omnino exequi & in Regularem delinquentem severè animadvertere possit & debeat.

XVII. In citato *cap. 14. Sess. 7.* postquam Synodus innovavit Constitutionem Concilii Lugdunensis addit insuper, “ quod in civilibus causis mercedum, & miserabilium personarum Clerici sæculares, aut regulares extra Monasterium degentes, quomodolibet exempti, etiam si certum judicem, à Sede Apostolica deputatum, in partibus habeant; in aliis, si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, tamquam in hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, & jure medio ad solvendum debitum cogi; & compelli possint: privilegiis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eorum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris.

XVIII. In Belgio jam pridem per Edictum Caroli V. sublatæ fuêre omnes generatim Conservatoriæ, neque hodie ullus est in Belgio privilegiorum Conservator, unico Universitatis Lovaniensis Conservatore excepto, qui ex speciali gratia & speciali indulto ejusdem Caroli V. continuatus fuit. Prius Edictum abrogatorium Conservatoriarum de anno 1500. extat *parte 1. Edict. Fland. lib. 1. Rubrica 8. & parte 1. Edict. Brab. lib. 1. tit. 1. cap. 18.* posterius autem *parte 3. Edictorum Brab. lib. 3. tit. 5. cap. 1.* quare in Belgio sæculares & Regulares exempti in civilibus coram locorum Ordinariis conveniendi sunt ad præscriptum hujus Decreti.

XIX. Insuper ne Episcopi in corrigendis subditorum suorum excessibus per exemptiones impedirentur, declarat Synodus *Sess. 14. cap. 4. De Reformat.* quod, si Episcopi in Ecclesiis suis resederint, quoscumque sæculares Clericos, qualitercumque exemptos, qui aliàs suæ jurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus, & delictis, quoties, & quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tamquam ad hoc Sedis Apostolicæ Delegati, corrigendi & castigandi facultatem habeant: quibuscumque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis, quæ tantùm suos obligent auctores ipsis Clericis, ac eorum consanguineis Capellanis, familiaribus, procuratoribus, & aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione & intuitu minimè suffragantibus.

XX. Ex his satis colligitur, Synodo admodum odiosam apparuisse exemptionem Clericorum sæcularium, & Regularium extra sua Claustra degentium; utpote qui inter subditos Episcoporum passim versantes, faciliùs per suos excessus populo scandalo esse, & Episcopale regimen turbare possent, ac insuper extra disciplinam aliorum Superiorum quodammodo viventes, majorem libertatem sibi assumunt, quam in Claustris sub disciplina Regulari & Superiorum subjectione viventes.

XXI. Unde & ipsa Synodus *Sess. 24. cap. 11. De Reformat.* fatetur, “ privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere.

XXII. Hic autem præcipuè sermonem esse de exemptionibus Clericorum sæcularium aut regularium, vel nulli Religioni adscriptorum, aut extra eam viventium, significant quæ eodem capite statuuntur circa subjectionem eorum, qui variis titulis particularibus se exemptos prætendebant, etiam eo prætextu, quod alicui Monasterio, militiæ aut Hospitali, aut Collegio addicti essent, " exceptis iis, qui prædictis locis aut „ militiis actu serviunt, & *intra* eorum septa ac domos resi„dent, *subque eorum obedientia* vivunt, sive iis qui legitimè, „ & secundum Regulam earumdem militiarum professionem „ fecerint.

XXIII. Exemptio Capitulorum præsertim Cathedralium, quæ unum cum Episcopo tamquam Capite Corpus & Senatum Ecclesiæ constituunt, non parum odiosa visa fuit, unde & serò satis invaluit.

XXIV. Hinc & Synodus Tridentina *Sess. 6. cap. 4. De Reformat.* decrevit, quod " Capitula Cathedralium & alia„rum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis *ex„emptionibus*, consuetudinibus, sententiis, juramentis, con„cordiis, tueri se possint, quo minus à suis Episcopis, & aliis „ majoribus Prælatis, per seipsos, vel illis, quibus sibi videbi„tur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties o„pus fuerit, visitari, corrigi & emendari, etiam auctoritate „ Apostolicâ possint & valeant.

XXV. Sed cùm Decretum dumtaxat daret auctoritatem Episcopis corrigendi & emendandi in ipsa visitatione, Episcopis satisfactum non fuit: sed rursus in ultimis Sessionibus sub Pio IV. totalem Capitulorum, signanter Cathedralium exemptionis abrogationem postularunt, præsertim Episcopi Hispaniæ; quorum Capitula penè omnia plena immunitate gaudebant; scribitque Palavicinus *lib. 22. Hist. Trid. cap. 10. num. 3.* " Hispaniæ Capitula Tridentum misisse Patralium Canonicum „ Segoviensem, Procuratorem suum, immunitatem ab Epis„coporum auctoritate, ab ipsis possessam, defensurum, ad „ quam abrogandam rescitum fuerat, illius Regni Episcopos „ adspirare.

XXVI. Quo zelo contra Capitulorum exemptionem peroraverit Cardinalis Lotharingiæ narratur à Palavicino *lib. 23. cap. 3. num. 6.* dixitque Cardinalis, nullam pestem à se magis noxiam putari, quam hujusmodi immunitatem Collegiorum Clericorum; cùm plura membra sine capite monstrum evadant; indicavitque unà quæ fuerint præcipuæ causæ hujusmodi immunitatum.

XXVII. Cùm igitur summa esset Capitulorum & Episcoporum super his contentio, tandem compositum & editum fuit Decretum *Sess. 25. cap. 6. De Reformat.* quo supra citatum Decretum *Sess. 6. cap. 4.* renovatur & ad Ecclesias Collegiatas generaliter extenditur; ac insuper ut illud Decretum observetur, non solùm quando Episcopus visitat; sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto Decreto procedit.

Verùm ubi " *extra visitationem* processerit, vult Synodus „ ut infrascripta omnia locum habeant, videlicet, ut Capitu„lum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum „ consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam in for„mando processum quàm in cæteris omnibus actibus usque „ ad finem causæ inclusivè, coram Notario tamen ipsius Epis„copi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere te„neatur. Unum autem tantùm sit utriusque votum, possitque „ alter Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discor„des in aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia „ fuerint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium „ eligant. Et si in electione tertii etiam discordent, ad vicinio„rem Episcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, „ cum qua tertius conveniet, articulus in quo erat discordia, „ terminetur: aliàs processus, & inde secuta nulla sint, nullosque „ producant juris effectus. In criminibus tamen ex incon„tinentia provenientibus, De qua in Decreto De Concubina„riis, & in atrocioribus delictis, depositionem, aut degrada„tionem requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium elu„datur, & ideo opus sit personali detentione, possit initio solus „ Episcopus ad summariam informationem, & necessariam de„tentionem procedere: servato tamen in reliquis ordine præ„misso. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta „ qualitatem delicti, ac personarum, delinquentes ipsi in loco „ decenti custodiantur.

Hujus Decreti clausulas formamque præscriptam explanat Zypæus *Consult. 4. De Offic. Ordin.*

XXVIII. Synodus in fine sui Decreti adjicit hanc clausulam: " Hæc autem omnia, & singula in iis Ecclesiis locum non ha„beant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii ex constitutio„nibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus, sive concordiis, „ seu quocumque alio jure *majorem* habent potestatem, au„ctoritatem, ac jurisdictionem, quam præsenti Decreto sit „ comprehensum, quibus Sancta Synodus derogare non in„tendit.

Ad quam reflectens Zypæus ait: " Illud autem est assiduum „ Concilii propositum restituere Episcopis legitimam jurisdi„ctionem, multis ante privilegiis accisam, augere potius pro „ tuenda Ecclesiæ disciplina, quam minuere.

XXIX. Illud quoque propositum fuit Concilii, ut exemptio Canonicorum aut etiam Regularium, non extenderetur ad ea quæ Canonicis aut Regularibus sub alia qualitate competunt, juxtà regulam capite præcedenti propositam.

XXX. Hinc tam Regulares, quàm Canonici exempti si administrationem, aut curam habeant Hospitalium, fundationum piarum, Capellarum, aut confraternitatum, aliarumque domorum aut piorum locorum non exemptorum, rationem reddere tenentur Episcopo, eique subjiciuntur in his quæ dictam administrationem spectant *Sess. 22. cap. 8. De Reformat.* & latiùs dictum est parte 2. *tit. 37. cap. 2.*

XXXI. Eodem ex capite nec capitulorum, nec Monasteriorum exemptio extenditur ad ea quæ curam animarum personarum sæcularium Episcopo subjectarum concernunt, *Sess. 21. cap. 8. De Reformat.* & *Sess. 26. cap. 11. De Regular.* & latiùs ostensum est in *Repagulo Canonico*, & pluribus locis hujus operis, quibus adde Bullam Gregorii Papæ XV. quæ incipit, *Inscrutabili* 26. in Bull. R.

XXXII. Similiter exemptiones noluisse Synodum extendi ad leges communes in materia communi ostendit *Sess. 25. cap. 12. De Regularib.* declarando, inflictas Censuras & dies Festos ab Episcopis indictos, etiam à Regularibus servandos.

XXXIII. Quod verò in ipsa Synodo sæpius injungatur, ut Episcopi procedant *tanquam Sedis Apostolicæ Delegati*, non arguit in ipsis defectum potestatis ordinariæ; quemadmodum ostenditur in citato *Repagulo Regula* 10.

Ostenditur quoque in eodem *Repagulo*, quod Episcopus auctoritate Delegata procedens, queat non tantum de causa cognoscere, sed sententias proferre easque per censuras exequi; eamque delegationem esse favorabilem.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERUM ET VERBORUM.

Quorum prima litera P. partem, T. titulum, C. caput, & N. numerum capitis indicat.

A.

ABBAS.

Abbas nomen est generale, quo capita congregationum Monachorum & Canonicorum appellabantur p. 1, t. 31, c. 1. n. 1. Quid proprie significet. *Ibid. n.* 3. aliquando vocabatur Major. *Ibid. n.* 6. Item Prælatus, item Præsul, sed alia ratione quam hodie. *Ibid. n.* 7. & 8. [illegible] *Ib. n.* 10. Cur recentiora Instituta nomen Abbatis rejecerint. *Ib. n.* 12.

Abbates olim uni tantùm Monasterio præfecti, & soli Episcopo erant subjecti. *ibid. n.* 18. sæculo 10. cœperunt Abbates Generales. *Ibid. n.* 19. Quid Pater Abbas & quæ ejus authoritas. *Ibid. n.* 20.

Abbates alii perpetui alii Triennales, & quæ differentia inter ipsos. *ibid. n.* 16. 17.

Abbates habent curam animarum. p. 1, t. 31, c. 3, n. 2. Qualitates in iis requisitæ. *Ibid. n.* 12. 13. Abbatum authoritas & Regimen est Monarchicum ex institutione, *ibid. c.* 4. *n.* 1. Sed ex plerisque constitutionibus Aristocratico temperatum. *ib. n.* 14. Potestas eorum quantam prudentiam & sollicitudinem requirat. *ib. c.* 3. *n.* 13. 14. In rebus arduis tenentur congregationem audire. *V, Capitulum Claustrale.*

Abbati cura temporalium primariò incumbit. p. 1, t. 31, c. 5, n. 1. & seq. Solus res Monasterii alienare non potest etiamsi mensæ suæ sint annexæ. *ibid. n.* 7. Utens rebus Monasterii uti propriis censetur fur & proprietarius. *ibid n.* 6. 7. In eorum Administratione quæ cavenda. *ib. n.* 8. &c.

Abbates à quo tempore & quo jure Pontificalibus utantur. p. 1, t. 31, c. 6, n. 1, Quid significet sudarium baculo ejus appensum. *ibid. n.* 7. Usus Pontificalium metiendus ex privilegii tenore. *ib. n.* 29. Ad Synodum comparentes quibus Mitris utantur. *ib.* 28. A quo tempore Tonsuram & minores ordines conferre cœperint. *ibid. n.* 19. Non subdito eas conferre non possunt quocumque casu. *ib. n.* 21. & *p.* 2. *t.* 9. *c.* 5. *n.* 5. *ibid. c.* 6. *n.* 9. & *c.* 9. *n.* 9. 13.

Abbatum Benedictio à quo tempore invaluit. *n.* 13. &c. A quo impertienda, Ejus ritus & effectus. *ib. c.* 9. *n.* 16. 17.

Abbates olim non erant Presbyteri, sed modo ad Sacerdotium promoveri tenentur. *ib. n.* 10. *n.* 1. Requiritur ætas 25. annorum, à quo in Gallia recessum per concordata *ib n.* 11. & 12.

Abbatiæ Belgii cum suis taxis annotatæ in libro Cameræ Apostolicæ. *ib. c.* 9. *n.* 9. Forent Consistoriales si Romæ peteretur earum provisio. *Ibid.*

Abbatialis mensæ distinctio à Conventuali locum dedit commendis, item nominationi Regiæ, convenit illam abolere. *ib. c.* 7. *n.* 54.

Vide Capitulum Claustrale, Confirmatio, Electio, Nominatio Regia, Superior Regularis.

ABBAS COMMENDATARIUS.

Abbates Commendatarii olim vocati Abbicomites. p. 1, t. 31, c. 7, n. 9. Antithesis inter pristinos & hodiernos Commendatarios. *ib. n.* 38. &c. Eorum potestas & prærogativæ. *ib. n.* 44. Commendatarius factus Religiosus non potest sine nova Collatione Beneficium retinere. *ib. n.* 48. An Jurisdictionem habeat in disciplinam Monasticam, in Priores & Officiales Claustrales. *ib. n.* 44. & 46. Quem locum habeant inter Abbates Titulares & alios in dignitate constitutos. *ib. n.* 50. Tenentur vitam aliquatenus Regulari conformare. *Ibid. n.* 51.

Vide Commenda.

ABBATISSA.

Abbatissa nomen Præfectæ Monialium p. 1, t. 31, c. 1, n. 13. Recentiora instituta quare nomen illud rejecerint. *Ibid. n.* 14. Solemniter benedicitur. *ib. c.* 9. *n.* 20. Habent Regimen in spiritualibus & temporalibus. *Ibid. n.* 21. Quæ ætas in iis requiratur. *ib. c.* 10. *n.* 14. 15.

Abbatissas etiam habent Collegia Canonissarum, earum obligatio. p. 1, t. 33, c. 2, n. 1, & 26. Et præeminentia. *ib. n.* 22. &c.

ABBREVIATORES ET ABBREVIATURA.

Abbreviatura quâ formâ expediantur. p. 1, t. 21, c. 1, num. 11. Quid sint & unde dicantur? *Ibid.* Quomodo ex ea fiant Bullæ. *ib. n.* 14. & *seqq.*

ABSENTIA.

Absentes studiorum causâ gaudent fructibus in absentia. p. 1, t. 7, c. 10, n. 5. An hodie requiratur consensus Episcopi *Ibid. n.* 6. Tenentur incumbere studio Theologiæ vel Canonum. *Ibid. n.* 7. Item tenentur transmittere testimoniales studii, & quid hæ continere debeant. *Ibid. n.* 8. Non temerè hæ concedendæ. *ib. n.* 9. Clericus si ad vota sæcularia transeat condemnari potest ad restitutionem fructuum quas absens causa studiorum percepit. *Ibid. n.* 8. Ad quæ beneficia hæc privilegia restringantur. *Ibid.* Clerici in Academiis versantes tenentur observare statuta de vita & honestate Clericorum. p. 1 tit. 7. c. 10. n. 11. Familiares & domestici Regis gaudent fructibus in absentia. *ib. n.* 12. Sub iis comprehenduntur Consiliarii Ecclesiastici in Parlamentis aliisque Senatibus Regiis. *Ibid. n.* 13. Tantùm hæc se extendunt ad grossos fructus. *Ibid. n.* 12. & 15. Theologus gaudet fructibus in absentia, & iis horis, quibus docet, & distributiones in absentia lucratur. *ibid. n.* 7. &c. & *c.* 11. *n.* 5.

Vide Residentia.

ABSOLUTIO.

Absolutio pluribus sæculis facta à Sacerdote alieno sine licentia proprii habita fuit ut nulla & invalida. p. 2, t. 6, c. 5, n. 8. A variis criminibus nec in fine vitæ concessa.

Absolutionem à censuris quis impertiri possit. p. 3, t. 11, c. 11, n. 3. & seqq. Quid operetur absolutio à Censuris quæ in Bullis Pontificiis continetur. *ibid n.* 15. Item ea quæ à Confessario præmittitur absolutioni Sacramentali. *Ibid. n.* 14.

Absolutio ad cautelam sive cum reincidentia multis sæculis ignota fuit. *Ibid. n.* 17. Absolutio à censuris reservatis Pontifici Romæ impetranda, & quâ formâ ibidem expediatur. *ib. n.* 73. Absolutione non obstante variis denegatur sepultura Ecclesiastica. p. 2, t. 38, c. 6, n. 23.

Absolutio Rei cognitâ ejus innocentiâ nullo prætextu differenda. p. 3, t. 8, c. 2, n. 12. Edicta Belgica redarguunt errorem eorum, qui putant absolutiones Reorum efficere honori Justitiæ. *Ibid. n.* 12.

ACADEMIA.

Academiarum institutio. p. 2, tit. 11, c. 4. n. 1, &c. Spectat ad supremam Potestatem. *Ibid. n.* 2. Unde vocatæ Universitates. *Ibid. n.* 4. Quodnam censendum Jus Patronatus ipsis competens an Ecclesiasticum an Laicum. p. 2, t. 25, c. 2, n. 25. Privilegium concessum studentibus in Academiis de perceptione fructuum in absentia, & ejus scopus. p. 1, t. 7, c. 10, n. 5. & c. Quænam studiosi observare debeant ut hoc privilegio frui possint. *Ibid. n.* 6.

Vide Collegia, Academia & Exemptio.

ACADEMIA LOVANIENSIS.

Academia Lovan. privilegium ut Clericis liceat studere Legibus & Medicinæ. 11. Collegia & fundationes quibus abundat. p. 2, t. 11, c. 11, n. 8. Disciplina eorum. *ib. n.* 10. Privilegium de non promovendo ad Ordines sacros, ejus usus & restrictio. p. 2, t. 19, c. 3, n. 25. Privilegium concessum Facultati Medicinæ levandi corpora morte punitorum ad exercitium Anatomiæ.

Academia Lovan. sola in Belgio retinuit Conservatorem reliquis omnibus Conservatoribus Decreto Principis exauthoratis. p. 3, t. 12, c. 6, n. 18. Ejus Rector & Conservator Privilegiorum quousque cognoscere possint de actionibus realibus. p. 3, t. 1, c. 4, n. 17. Quod jus ei competat in testamentis suorum Suppositorum.

positorum. p. 3, t. 2, c. 2, n. 30. Officium Syndici ejus. p. 3, t. 6, c. 3, n. 32. Item Advocati Fiscalis. p. 3, t. 6, c. 5, n. 7. Item Promotoris ib. n. 8. & seq. Tribunal habet quinque Judicum Appellationum. p. 3, t. 9, c. 2, n. 19. Hujus Tribunalis descriptio. ib. n. 19. & p. 3, t. 10, c. 3, n. 39, & p. 3, t. 10, c. 5, n. 19.

ACCEPTIO PERSONARUM.

Acceptio personarum quid, & quandonam committatur. p. 2, t. 30, c. 10, n. 1. & 3. Committitur in distributione beneficiorum præcipuè attendendo paupertatem providendi vel ejus Parentum. ibid. n. 13. Meritò taxantur mandata in forma pauperum. ibid. n. 17. Committitur præferendo consanguineos, & an semper, & quæ in simili collatione attendenda & cavenda. Ibid. n. 14. 15. &c.

Acceptionis personarum vitium ut evadatur, conferenda sunt beneficia dignioribus. p. 2. t. 13. c. 5. nu. 3. &c. & p. 2. t. 32. c. 2. nu. 2. Idem procedit in Patronis, Resignantibus & Permutantibus. Ibid. n. 4. 5. Juxta electionem & præsentationem minus digni habent validam, licet peccetur contra justitiam distributivam, & quare. ib. nu. 8. Unde pro tempore & circumstantiis major vel minor dignitas personæ desumenda. ibid. c. 3. n. 5.

Acceptio personarum non committitur prætereundo dignissimum ut minus dignus excludatur. ib. nu. 7. Aliquando dignissimus, etiam irrito conatu eligendus. Ibid. nu. 8. Vitium acceptionis personarum non evaditur, quia præfertur dignior inter sollicitantes. ibid. n. 11.

Acceptio personarum quam grave sit peccatum in Beneficiis, præsertim curatis, & ante omnia in Episcopatu. p. 1. t. 13. c. 5. n. 3. 5. &c. & p. 2. t. 32. c. 4. nu. 2. 4. 6. &c. Ecclesiæ tenentur ad restitutionem, & quomodo hæc facienda. ib. nu. 11. Quid Patronis & Collatoribus agendum, ut adversus tentationes se muniant. ib. n. 13. 14.

ACCUSATIO.

Accusatio quid sit, qua forma legibus Romanis fieret, & quomodo hæc forma olim in Curias Ecclesiasticas irrepserit. p. 3. t. 8. c. 1. num. 4. &c. Accusans tenebatur se inscribere idque in Brabantia aliquando usitatum. ibid. n. 7. &c Hujus inscriptionis forma, effectus & scopus. ibid. nu. 9. Hodie a foro recessit. ib. n. 13. Admittitur tamen denunciatio. ib. n. 32.

Vide Denuntiatio.

Accusatio hodie reservatur Officiariis publicis, iisque remissa est necessitas inscriptionis, & quare. ibid. Aliquando tamen ob accusationem malè institutam extraordinaria pœna puniuntur. ib. num 14. Etiamsi causâ cadant, regulariter in expensas non condemnantur. ibid. nu. 15. Quandonam in eas possint condemnari. ibid.

ACTA.

Acta judicialia conscribi & registrari debent per Graphiarium Curiæ. p. 3. t. 6. c. 4. n. 7. Originalia remanere debent in Registris Curiæ, & Partibus requirentibus tantum conceduntur Copiæ. ibid. num. 10. Actis datur plena fides & qua forma ad hunc effectum debeant esse expedita. ibid. n. 11. Prohibentur superfluæ eorum extensiones & sinistræ vel illegibiles expeditiones, & qua pœna. ib. n. 21. Motiva Juris inter acta litis non comprehenduntur. ibid. Acta prioris instantiæ per Appellantem ad Judicem appellationis deferri debent. p. 3. t. 10. c. 2. n. 47. Pœna Graphiarii vel Judicis copiam eorum denegantis. ib. n. 58.

ACTIO.

Vide Causa.

ADULTERIUM.

Adulteris matrimonium perpetuo olim interdictum. p. 2. t. 25. c. 2. n. 1. Impedimentum criminis ex adulterio, ejus antiquitas, & quandonam oriatur. ibid. c. 7. n. 3. & seq.

Adulterii tres species, & gravitas. p. 3. t. 4. c. 4. nu. 1. Atrocissimis pœnis olim coercitum. ib. n. 5. &c. Etiamsi Leges olim mitius egerint cum viris, inde non sequitur adulteria eorum non esse tam gravia quàm Adulteria fœminarum. ib. n. 7.

Adulterii Pœnæ Canonicæ. ib. num. 7. 8. cum seq. Querimonia quod hoc peccatum nimis leviter castigetur & quænam hodie ordinaria ejus pœna. ib. n. 16. &c. In Gallia sæpe Adulteræ punitæ pœnâ juris in Constitutione Justiniani expressâ. ibid. nu. 18. Item ob certas circumstantias pœnâ mortis. ibid. num. 21. Non convenit ut Adulteræ retrudantur in Monasteria Virginum, & quare? ibid. n. 20. Sæpe mariti ob adulteria uxorum puniendi. ibid. nu. 23. An Judex connivente marito ex officio possit procedere adversus adulterum & adulteram. ib. nu. 27. Cujus fori crimen sit Adulterium in Gallia & Belgio. ib. n. 10. 11. 12. 14.

Vide Divortium.

ADVOCATIA, ADVOCATUS.

Advocati Ecclesiarum à quo tempore exorti, & ex quibus olim assumpti. p. 2. t. 25. c. 8. n. 1. 3. 19. Vocati Defensores, Vicedomini, Custodes, &c. ib. n. 14. A quo constituti, & in quem finem. ib. nu. 16. & seq. Eorum officium item jura & emolumenta. ibid. n. 26. Advocatias quandoque in feudum concedebant & Subadvocatum constituebant. ibid. n. 28.

Advocatorum extorsiones & excessus qui eos Ecclesiis & Monasteriis reddiderunt exosos. ibid. nu. 27. & 31. Privilegia concessa Monasteriis quod nullum habebunt Advocatum, nisi quem, & quamdiu voluerint. ib. n. 31.

Advocatia Duci Brabantiæ competens omnium Ecclesiarum Brabantiæ ex concessione Imperatoris. ib. n. 34. Concordatum inter Prælatos & Ducem Brabantiæ super Juribus Advocatiæ. ibid. n. 35. Advocatiam exercet Dux per suum Præfectum Saltuum, & unde id ortum. ib. n. 36.

ADVOCATUS.

Advocati quomodo & quando in Curiis Ecclesiasticis recepti. p. 3. t. 6. c. 2. nu. 1. Quas qualitates habere debeant. ib. nu. 6. & 11. &c. Apud Romanos Advocati debebant habere testimonium suæ scientiæ à Professoribus Juris. ibid. num. 12. Id hodie supplent Gradus Academici. ib. num. 13. Pernicies, quæ Reipublicæ infertur ex nimis facili admissione ad Gradus. ibid. n. 16. Meritò hodie post studium Juris notabile tempus impenditur praxi discendæ. ibid. n. 19. Multitudo Advocatorum varia secum affert incommoda. ib. n. 21.

Advocatis avaritia & aviditas lucri, præsertim hodie, est periculosissima, & quare. ibid. num. 23. & 27. Vi sui juramenti, non possunt causam injustam suscipere. ibid. nu. 28. Id etiam procedit etiamsi prævideant quod alios patronos reperiet, & quod gravia incommoda inde sibi immineant. ibid. Ubi causam in decursu litis injustam esse intellexerit, vi juramenti tenetur ejus patrocinium deserere. ib. nu. 30. Nec potest eo casu Adversarium pellicere. ibid. nu. 31. Idque etiamsi infamia aut alia incommoda ipsi imminerent. ibid. n. 32.

Advocatus in decursu causæ cavere debet involucra verborum, inutiles scribillationes, allegationes & disputationes superfluas, convitia &c. ib. num. 35. & seq. Pœnæ adversus Advocatos in hisce materiis excedentes. ib. n. 41. & p. 3. t. 9. c. 3. num. 25. Incommoda quæ oriuntur ex hodierna taxatione salarii Advocatorum pro numero pagellarum & linearum. p. 3. t. 6. c. 2. n. 47. Non convenit ut Advocatus assumat patrocinium alicujus causæ, dum consultus fuit à parte adversa. p. 3. t. 6. c. 2. num. 43.

Advocati tenentur patrocinium pauperum gratis suscipere nec possunt illos divitibus postponere. p. 3. t. 6. c. 2. nu. 49. Cura quam adhibebat S. Carolus, ut ex Ecclesiasticis haberentur Advocati Pauperum. p. 3. t. 1. c. 3. n. 25. & p. 3. t. 6. c. 2. n. 56. Cur officium Advocati Clericis inhibitum. ib. num. 53. In tribus tamen causis eis permittitur cum moderatione. ibid. nu. 54. Non videtur per hos Canones eis inhibitum postulare in Curiis Ecclesiasticis. ibid. n. 55.

Advocatus postulans contra Reum in causa sanguinis fit irregularis. 407.

Advocati hodie non solent conveniri ob imperitiam aut imprudentiam in dirigendis causis. p. 3. t. 6. c. 2. nu. 22. Si peccet in materia sui officii a Judice causæ, in qua postulat, punitur. p. 3. t. 4. c. 5. n. 28. 30. &c. An & quando error Advocati noceat Clienti. p. 3. t. 6. c. 2. n. 50.

ADVOCATUS FISCALIS.

Advocati Fiscalis quodnam apud Romanos officium & præeminentia. p. 3. t. 6. c. 5. n. 1. Quandonam in Curias Ecclesiasticas inducti. ib. n. 4. Eorum officium. ib. nu. 7. & 9. cum seq. Officium Advocati Fiscalis Universitatis Lovaniensis. ib. 7.

ÆDITUI.

Æditui Jure communi & moribus hodiernis ex quibus eligendi. p. 1. t. 5. c. 1. n. 1. Eorum electio pendet à consuetudine, justum tamen est ut Parochus interveniat. ibid. nu. 3. 4. Potest tamen subinde excludi & quid tum illi incumbat. ib. 5. 6.

Æditorum Juramentum & à quo recipi debeat. ibid. num. 7. 8. Res sibi commissas ut proprias administrare debeat. ib. c. 2. n. 1. Nihil alienare possunt sine Superiorum consensu. ibid. nu. 2. Uti nec suscipere lites. ib. nu. 6. Regulæ generales in tota hac materia observandæ. ib. c. 6. nu. 1. Æditui audiendi in reductionibus Missarum & fundationum. p. 2. t. 5. c. 7. n. 28. 29. Quale censendum Jus Patronatus competens Ædituis an Ecclesiasticum an Laicum. p. 2. t. 25. c. 2. nu. 17. & 21. Quam jurisdictionem moribus Belgii Episcopi habeant in Ædituos Laicos ratione sui officii. p. 3. t. 1. c. 4. n. 2. & seq.

ÆGYPTIACI.

Ægyptiaci quandonam in Europam advenerint. p. 3. t. 4. c. 3. n. 48. Specialia adversus eos Edicta in Belgio. ibid.

AFFINITAS.

Affinitas quid & quotuplex sit, & quomodo contrahatur. p. 2. t. 13. c. 5. nu. 23. Affinitas computatur & dirimit Matrimonium eodem modo quo consanguinitas. ibid. num. 25. Affinitas ex

Digitized by Google

ex conjunctione illicita non dirimit ultra secundum gradum. ibid. n. 27. Si affinitas pro consanguinitate sit expressa, litteræ dispensationis erunt invalidæ.

A L E A.

Vide Ludus, Fortunæ.

A L I E N A T I O.

Alienatio rerum Ecclesiæ olim non videtur Episcopis & Prælatis fuisse vetita, p. 2. t. 36. c. 3. n. 1. Canones posteriores eam vetantes, & eorum ratio, ib. nu. 2. &c. Juramentum Episcoporum de non alienandis bonis suæ mensæ, ib. nu. 20. &c. Juramentum Parochorum. ib. Quænam hic veniant nomine alienationis, ibid. n. 18. Quænam res alienari prohibeantur, p. 1. t. 31. c. 5. n. 7. & p. 2. t. 36. c. 3. n. 28. An sub iis comprehendantur arbores grandiores natæ in fundis Ecclesiæ, ib. n. 29.

Alienationis causa triplex probata à Canonistis, ib. c. 4. n. 11. Solemnitas olim requisita ad alienationem, ibid. Quænam hodie requiratur, quinam consentire, quinam intervenire debeant; item qua forma omnia expediantur, p. 1. t. 5. c. 2. n. 2. & seq. p. 2. t. 25. c. 6. n. 17. & p. 2. t. 36. c. 4. n. 19. 20.

Alienatio quibus de causis possit rescindi, ib. nu. 40. &c. Lapsus temporis notabilis inducit præsumptionem omnia solemniter esse facta, ibid. nu. 46. Si Ecclesia in alienatione notabiliter sit læsa, datur restitutio; etiamsi omnes solemnitates intervenerint, ibid. n. 48.

A L I M E N T A.

Alimentorum causæ in Gallia nequidem incidenter spectant ad Tribunal Ecclesiasticum in causis coram eo pendentibus, p. 2. t. 12. c. 2. n. 8. & p. 3. t. 2. c. 1. n. 27. 28. A quo tempore hæ causæ eidem subtractæ, ibid. Quid obtineat in Belgio. p. 2. t. 12. c. 2. n. 10. & p. 3. t. 2. c. 1. n. 29.

Alimenta Fundatori redacto ad inopiam debentur ex bonis Ecclesiæ, & qua moderatione, p. 2. t. 25. c. 6. n. 1. & seq.

Alimentorum causa summariè tractanda, p. 3. t. 34. c. 5. nu. 1. Non habet in ea locum compensatio, ib. c. 5. n. 16. An & quousque transactione tolli possit, ibid. n. 9. procedendum est per adjudicationem provisionis, ib. n. 3. & p. 3. t. 9. c. 1. n. 16. Ab hac provisione non datur appellatio, p. 3. t. 10. c. 3. num. 32. Potest peti in omni parte litis & in omni instantia, p. 3. t. 9. c. 1. nu. 17. & 18. Quid probare debeat filius ut hanc provisionem ad onus Patris obtineat, ibid. n. 19.

Alimenta adjudicanda Monacho litiganti ex causa permissa adversus suum Abbatem, ibid. n. 21.

A L T A R E.

Altare portatile ante sæculum 12. ignotum, p. 2. t. 5. c. 8. n. 10. Privilegium de iis utendis concessum Fratribus Prædicatoribus & Minoribus per Honorium III. ibid. nu. 12. Revocatum per Concilium Trid. ibid. n. 11.

Altarium redemptio quid olim fuerit, p. 2. t. 33. c. 5. n. 23. 24. Pluribus improbatur. ib. n. 24.

A L T E R N A T I V A.

Alternativa in Collationibus & Electionibus inter Episcopum & Capitulum unde orta, p. 2. t. 11. c. 2. nu. 13. Si Capitulum vice sua collationem negligat, devolutio fit, non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, ib. c. 5. num. 11. Si alternativa vigeat inter Patronum Laicum & Ecclesiasticum, pro vice Ecclesiastici totum censetur Ecclesiasticum, p. 2. t. 25. c. 2. nu. 19. &c.

Alternativa inter Papam & Episcopum in favorem residentiæ est introducta, p. 2. tit. 23. c. 6. nu. 1. Regula Cancellariæ de Alternativa refertur, ib. n. 2. Soli Episcopi ejus prærogativa gaudent, ib. nu. 4. Qualis residentia requiratur ut Episcopus Alternativa gaudere possit, ibid. n. 7.

Alternativa est personalis & debet à quolibet novo Episcopo acceptari, ibid nu. 14. dum semel acceptata est, Episcopus non potest pro libitu ab ea recedere, ibid. nu. 15. Quid si acceptatâ Alternativâ non resideat, an equidem possit conferre per quatuor menses ordinarios, ibid. n. 16. Formula acceptationis alternativæ, ibid. nu. 18. Quænam Beneficia vigore Alternativæ liberè conferantur, ib. n. 22.

A M B I T U S.

Ambitus & officiorum venalitas quanta mala in Rempublicam inducat, p. 3. t. 9. c. 2. n. 33 Juramentum quod leges imponunt Candidatis ad Ambitum excludendum, ibid. nu. 25. 34. Juramentum quod in eundem finem ab omnibus assumendis exigitur in Brabantia. ibid. n. 28. 36. Edicta Regia ibidem super ejusdem exactione, ibid. n. 26. Quinam illud sine perjurio præstare non possint, ibid. nu. 39. Principis connieventia perjurium excusare non potest, ibid. num. 41. Juramentum quod in eundem finem Principi præstat Magistratus Lovaniensis circa Collationes officiorum ad se spectantes, ib. nu. 36. Resolutio trium facultatum Academiæ Lovaniensis super præstatione horum Juramentorum, ib. n. 52.

A M O R T I Z A T I O.

Amortizatio quid propriè sit, p. 1. t. 29. c. 3. nu. 25. A quo tempore, & qua occasione in Belgio introducta prohibitio acquirendi bona immobilia per Manus mortuas, ib. nu. 16. &c. 27. Abbates Brabantiæ illi se opposuerunt sed sine successu, ibid. n. 19. Quænam dicantur Manus mortuæ, ib. 25.

Amortizationem quis concedere, & quinam consentire debeant, ib. nu. 26. Sæpe adjiciuntur conditiones quibus præjudicium Privatorum avertitur, ib. n. 29.

Amortizatio an requiratur dum quis Pauperes certæ urbis vel Parochiæ instituit hæredes, ib. n. 24. An requiratur ut quis possit fundare Bursas in Collegio aliquo Academico aut Seminario, ibid.

Amortizatio non requiritur ad hoc, ut Decimæ infeudatæ revertantur ad Ecclesiam, p. 2. t. 33. c. 4. n. 44.

Amortizata bona in Brabantia, eaque sola gaudent immunitate Ecclesiastica, & hujus ratio, p. 1. t. 29. c. 3. num. 27. Eadem gaudent eorum Coloni, p. 2. t. 35. c. 2. n. 17. Quænam bona ibidem censeantur Amortizata, p. 1. t. 29. c. 3. n. 25. & p. 2. t. 34. c. 1. & p. 3. t. 2. c. 3. num. 2. Ea sola subsunt cognitioni Judicis Ecclesiastici adversus Laicos, ib. c. 3. nu. 2. 3. Quid si controvertatur an bona, de quibus quæstio, verè sint amortizata, ibid. nu. 4. 6. &c. Quid de servitutibus, prædiis impositis, ibid. n. 8.

A N C I L L A.

Ancilla disciplina hodierna Belgii circa Ancillas Clericorum, p. 1. t. 2. c. 3. n. 3. Ad solam monitionem Episcopi, Pastores eas dimittere debent, ibid. n. 6.

A N G A R I A.

Angaria quid sit, item parangaria, p. 2. t. 34. c. 1. n. 11. Clerici ab iis immunes, ib. &c. 30. Barbaro vocabulo dicuntur Corvveæ, p. 2. t. 25. c. 1. nu. 35. Abbates Brabantiæ debent Duci pro juribus Advocatiæ certam quantitatem Angariarum. ibid. n. 36.

A N N A T Æ.

Annatarum origo & unde sic vocatæ, p. 2. t. 24. nu. 13. &c. Nomen Annatæ varias species continet. ibid. Vocantur commune servitium item minuta servitia, ibid. num. 15. Ob taxationem Annatarum inducta est Regula Cancellariæ de exprimendo vero valore, ibid. 10. 12. Quomodo taxentur Beneficia in ordine ad Annatas, ibid. nu. 9. Ad quorum utilitatem Annatæ cedant, p. 1. t. 23. c. 1. n. 15. & p. 2. t. 24. c. 4. nu. 21. Formula quod proventus annui non excedant, 24. Ducatos, nihil aliud importat quam Beneficium solutioni Annatarum non esse subjectum, & unde hoc introductum, ibid. nu. 20. &c. Id locum non habet in facienda unione Beneficiorum, & quare.

A N N I V E R S A R I U M.

Anniversaria à quo tempore nota, p. 2. t. 5. c. 7. nu. 2. Quo ritu olim celebrata, ibid. nu. 4. 5. In anniversariis Monachis & Canonicis præsentibus dabatur refectio, ib. nu. 6. & seq. Ex ea in pecunias conversa distributiones ortæ, ibid. nu. 7. Anniversariorum distributiones debentur Theologo absenti iis horis quibus prælegit, p. 1. t. 7. c. 11. num. 5. Non convenit ut Pastores eorum fundationes suadeant, p. 2. t. 5. c. 7. n. 31.

ANNIVERSARIUM DEDICATIONIS.

Vide Dedicatio.

A N N U L U S.

Annuli tamquam ornamenti Episcopalis meminit ordo Romanus, item Synodus Toletana IV. p. 1. t. 15. c. 3. n. 16. Serius in Gallia & Germania notum fuisse satis plausibile est. ibid. Episcopi Græci Annuli usum ignorant. ibid.

Annuli nuptialis benedictio & traditio. p. 2. t. 12. c. 6. num. 8. Ejus origo & antiquitas. ibid. n. 9. Quid mysticè significet, ib. n. 10.

Annulus Piscatoris quid sit, à quo tempore Pontifices eo utuntur, p. 1. t. 24. c. 4. nu. 5. & 12. Cautio quæ adhibetur contra falsitatem, ibid. n. 13.

A N N U S G R A T I Æ.

Annus Gratiæ quis dicatur, p. 2. t. 33. c. 8. nu. 29. Cur in variis Capitulis usitatus. ibid. Pluribus rationibus improbatur. ibid. n. 30. Laudantur Canonici S. Petri Lovanii, qui illum generosè abrogarunt, ibid. n. 32. Similiter Ruræmundenses, ibid.

A P O S T A T A.

Apostata habetur & punitur uti talis Regularis recedens à suo Conventu sine licentia Superioris in scripto, p. 1. t. 27. c. 4. n. 12. &c. Decretum Caroli V. circa Apostatas & eorum receptatores, ib. c. 6. n. 18.

A P O S T O L I.

Apostoli de Jure intra certum terminum peti debent, & unde sic dicti, p. 3. t. 10. c. 2. nu. 14. 22. &c. Triplex eorum species. ibid. n. 23. Qui intra tempus non petit Apostolos, censetur appellationi renuntiare, ibid. nu. 24. Quomodo hodie peti debeant, ib. nu. 25. Judex à quo non facilè recusare potest Apostolos reverentiales, ibid. n. 27. In Curiis sæcularibus eorum usus desiit, ibid. n. 29. In Curiis Ecclesiasticis Galliæ non sunt necessarii, ibid.

A P P A R I T O R.

Apparitorum officium in curiis Ecclesiasticis, p. 3. t. 6. c. 5. n. 28.

n. 28. Eorum Juramentum. *ibid. n.* 29. Quænam fides eorum relationibus habeatur. *ibid. n.* 30. Qua pœna puniendus qui falsam relationem fecisse probatur. *ibid. n.* 10. Quæ pœna eorum qui Apparitori in executione sui officii resistunt aut injuriam inferunt. *ibid. n.* 31.

Apparitoribus committuntur executiones sententiarum. p. 3, t. 9, c. 4, n. 11. Pœna in Apparitores qui muneribus corrumpi se sinunt. *ibid. n.* 12. In executione sententiæ possunt ministros sibi adjungere, auxilium Magistratus implorare, & quandoque manum militarem advocare. *ibid. n.* 15.

APPELLATIO.

Appellatio olim à sententiis Episcoporum erat admodum rara. p. 3, t. 10, c. 1, n. 1. Synodus Nicæna permisit sententias Episcoporum in Synodis examinari, idque erat species Appellationis. *ib. n.* 3, *& p.* 3, *t.* 11, *c.* 11, *n.* 4, 5, 6. A decretis Synodorum nulla ulterius dabatur Appellatio. *ibid.* Canon Concilii Africani inhibens Appellationes transmarinas. *ibid. n.* 7. Inepta hujus Canonis interpolatio facta per Gratianum. *ibid. n.* 8.

Appellationes seculo nono occasione Pseudo-decretalium primorum Pontificum plurimum fuerunt multiplicatæ. p. 3, t. 10, c. 1, n. 6. Quam facilè in curia Romana fuerint receptæ, & S. Bernardi aliorumque de eis querelæ. *ib. n.* 9. Quomodo sensim magis extensa sit appellandi libertas. *ibid. n.* 12.

Appellationum licentiam restringere volens Concilium Tridentinum, sanxit, ut Appellatio non admittatur à sententia libertina, non habente vim definitivæ, aut per definitivam reparabili. *ib. n.* 15, 16, &c. Id concordat Juri Civili, & antea cautum erat per Regulam. 36. Cancellariæ; item per concordata Gallicana. *ibid. n.* 16, 17, 18. Decretum S. Congregationis sub Clemente VIII. eandem licentiam restringens. *ibid. n.* 19.

Appellationum à sententiis interlocutoriis nimia libertas adhuc eo non obstante permansit. *ibid. n.* 20. Hodie Appellatio admittitur ab omni gravamine per sententiam definitivam, non, vel etiam difficulter, reparabili. *ibid. n.* 21. Ab admissione, vel non admissione probationum. *ibid. n.* 24. A coarctatione dilationum. *ibid. n.* 25 Ab indiscreta earum concessione. p. 3, t. 7, c. 4, n. 30. & seq. Ab assignatione brevioris termini in citatione. p. 3, t. 10. c 1, n. 26. A delatione juramenti. *ibid. n.* 27. Item à prolatione Judicis super competentia vel incompetentia sui tribunalis. ibid. n. 27. Incommoda quæ ex hac frequentia Appellationum oriuntur. ibid. n. 28.

Appellatio admittitur toties, donec habeantur tres sententiæ conformes, & quandonam illæ habeantur. *ibid. n.* 29. Quando habentur tres sententiæ conformes mandatur executioni non obstante quacumque oppositione. *ibid. n.* 35. Nec recipi tum solet appellatio tamquam ab abusu. *ibid. n.* 37 In Gallia idem obtinet in secunda interlocutoria conformi. *ibid. n.* 36. Quandonam sententiæ dicantur conformes. *ibid. n.* 38. Huic praxi præcipuè adscribenda collapsio jurisdictionis Ecclesiasticæ. *ib. n.* 40.

Appellationes in Curiis Ecclesiasticis etiam admittuntur in criminalibus, secus in Curiis secularibus. *ibid. n.* 41. Ratio hujus consuetudinis Curiarum secularium, & an satis sit fundata. *ib. n.* 43. Quousque admittatur in Gallia in causis delicti privilegiati, quæ instituuntur per utrumque Judicem. p. 3, t. 3, c. 2, n. 39. &c.

Appellatio interponi debet ad Superiorem immediatum. p. 3, t. 10, c. 2, n. 1. In Curiis secularibus non admittitur appellatio ad superiorem omisso medio tantum admittuntur ad Pontificem. *ibid. n.* 2. *&* 5. In Gallia id non admittitur. *ibid. n.* 6. In Gallia & Belgio causâ devolutâ ad Pontificem delegandi sunt Judices in Partibus. *ibid. n.* 8. Per immediatam appellationem ad Summum Pontificem appellationes non minuuntur. *ibid. n.* 13. Quomodo hæ Appellationes in causis coram Pontifice decisis non obsint ejus Primatus. *ibid. n.* 12.

Appellatio inter quod tempus interponenda, & quo tempore, & qua forma insinuanda. *ib. n.* 14. Petendi sunt Apostoli, quo tempore, quoties, & variæ eorum species. *ib. n.* 21. &c.
Vide Apostolo.

Appellatio quo tempore coram Judice superiori introducenda. *ib. n.* 38.
Vide Fatalia.

Appellationum instantiæ moribus hodiernis sunt perpetuæ. 868. Ut Judex a quo procedere possit ad executionem, debet per eum Appellatio declarari deserta, prævià causæ cognitione. p. 3, t. 10, c. 2. n. 44. Effectus desertæ Appellationis. *ibid. n.* 45.

Appellatione pendente an nova facta allegari possint. *ibid. n.* 46. Appellans tenetur acta primæ instantiæ inferre ad Judicem Appellationis. *ib. n.* 46. Pœna Notarii vel Judicis copiam illorum denegantis. *ibid. n.* 52. Appellatione pendente si quid innovatum fuerit, ante omnia per judicem ad quem debet revocari tamquam attentatum. *ib. c.* 3. *n.* 4.
Vide Attentatum.

Appellationis ordinarius effectus est suspendere executionem sententiæ. p. 3, t. 10, c. 3, n. 13. Denegatur hic effectus Appellationi in causa correctionis Regularis. p. 1, t. 28, c. 4, n. 4. &c. & p. 3. t. 10. c. 3. n. 15. Hic effectus denegatur Appellationi a statutis Reformationis. p. 1, t. 32, c. 2, n. 17. Item Clericis in causa visitationis & correctionis legitimæ. p. 1, t. 17, c. 3, n. 7, & p. 3, t. 10, c. 3. n. 16. In iis tamen Appellatio habet effectum devolutivum. p. 3, t. 10, c. 3, n. 19. Si Prælatus juridicè processerit etiam habebit effectum suspensivum. p. 1, t. 17, c. 4, n. 14, & p. 3, t. 10, c. 3, n. 21. Ideo dum à correctione appellatur, debet exprimi causa gravaminis & excessus. p. 3, t. 10, c. 3, n. 22.

Appellatio à sententia lata excommunicationis non habet effectum suspensivum & quare. *ibid. n.* 24. Ea non obstante procedi potest ad denuntiationem. *ibid. n.* 25. Ab excommunicatione nondum absolutè inflicta appellari potest cum effectu suspensivo. *ibid. n.* 27.

Appellationes Regularium præsertim à correctione Regulari omnium maximè odiosæ. p. 1, t. 29, c. 4, n. 2. &c. Coercentur Decreto Concilii Lateranensis. *ibid. n.* 5. Privilegium concessum Cisterciensibus quod à Decreto Prælatorum Ordinis non liceat appellare. *ibid. n.* 9. Quibus casibus Regularium appellationes vel recursus ad Senatus Regios admittatur. *ib. n.* 13. Admittitur eorum appellatio, etiam cum effectu suspensivo, si Visitatores limites visitationis excesserint. p. 1, t. 32, c. 4, n. 9. Decretum S. Congregationis Regularium adversus Regulares temerè ad Romanam Curiam appellantes. p. 3, t. 10, c. 3, n. 23. cum seq.

Appellationes cum effectu suspensivo varia Tribunalia in Belgio non admittunt. *ib. n.* 28. Inter ea est tribunal quinque Judicum Universitatis Lovaniensis, dum eorum sententia est conformis sententiæ Rectoris. *ibid. n.* 29. Variæ causæ in quibus Appellationem cum effectu suspensivo non admittunt Curiæ Ecclesiasticæ Provinciæ Mechliniensis. *ibid. n.* 30. Appellatio admittitur à sententia arbitrorum Juris qui assumuntur in causa recusationis. p. 3, t. 10, c. 5, n. 12.
Vide Reformatio, Revisio.

APPELLATIO TAMQUAM AB ABUSU.

Appellatio hæc in Gallia hodie usitatissima. p. 3, t. 12, c. 4. n. 22. &c. Ejus origo & progressus. *ibid.* Quid abusus in hac materia, & quandonam huic appellationi detur locus. *ib.* 23. cum seq. Instituitur directè adversus Decreta Episcoporum; sed si sine Rescripta Rom. adversus eorum executionem, & hujus ratio. *ib. n.* 30. 31. Admitti non debet nisi in causis arduis & ubi Publici interest. *ib.* 35. In his causis semper intervenit Procurator Regius, & quare. *ibid. n.* 36.
Abusus semel formatus semper durat. *ibid. n.* 37. Lapsus fatalium non reddit hanc appellationem desertam respectu Procuratoris regii. *ibid. n.* 38. An admittatur hæc appellatio adversus tres sententias conformes. p. 3, t. 10, c. 1, n 37, & c. 4, n. 39. Non instituitur nisi coram supremis Curiis. p. 3, t. 10, c. 4, n. 40.

Appellatione hac instituta ligantur manus Judicis à quo *ibid. n.* 41. Excipiuntur Decreta correctionis & visitationis. *ibid. n.* 44 Decreta visitationis quoad officium divinum & disciplinam Ecclesiasticam ne quidem patiuntur effectum devolutivum. *ibid. n.* 42. Idem obtinet in Belgio & Hispania. *ib. n.* 45.

Appellatio hæc ferè coincidit cum recursu ad tribunalia Regia in casu violentiæ, item & retentione litterarum Apostolicarum, quarum usus in Hispania. *ib. n.* 46. *&* 47. Idem est de remedio cassationis & denegatione Placeti, quorum usus in Belgio. *ibid. n.* 47.
Vide Senatus Regius.

APPROBATIO.

Approbatio Regularium in Conc. Trid. multam materiam concertationum dedit. p. 1, t. 16, c. 8, n. 15. Regulares non possunt concionari extra Ecclesias ordinum suorum sine expressa approbatione Episcopi in scriptis. *ibid. n.* 16. Nec in Ecclesiis suorum Ordinum, sine petita benedictione ejusdem; nec possunt usquam, eo contradicente, etiam non dicta causa ibid. *n.* 17. *&* 18. Quomodo id involvat tacitam approbationem, ib. *n.* 18. S. Carolus statuit, ne Parochus patiatur Regularem prædicare in Ecclesiis suorum Ordinum intra limites suæ Parochiæ, nisi ex scripto testimonio constet, eos benedictionem ab Episcopo petiisse. ibid. n. 19. Pastores in Ecclesiis suis neminem prædicare permittere possunt, nisi de approbatione in scriptis docuerit. ib. n. 22.

Approbatio ad audiendum confessiones non requiritur in obtinentibus Beneficium Parochiale. p. 2, t. 6, c. 6. n. 3. 4. Quinam censeantur tale obtinere. ibid. An Parochus vel alius obtinens Beneficium Parochiale possit extra suam Parochiam audire confessiones sine alia approbatione quam licentia Parochi. ib. n. 9. 10. An in alia Diœcesi. ibid. Ante Concilium Trid. sola Parochi licentia sufficiebat; ibid. n. 11. Nunc absolutè requiritur approbatio Episcopi, nec sufficit quod etiam injustissimè denegetur. ibid. n. 12. 16. Seculares & Regulares in hoc æquiparantur. ibid. n. 12. Sine ea nec in locis exemptis potest quis audire confessiones. ibid. n. 15.

Approbatio unius Episcopi nihil operatur in alia Diœcesi. ib. n. 13.

Ap-

Index Rerum & Verborum.

Approbationem limitare Episcopi possunt ad tempus, vel tantum sub quacumque restrictione concedere. ib. n. 17. In Italia & Roma nulli Regulari conceditur approbatio nisi ad tempus, idque imitatum cupit Conventus Cleri Gallicani. ibid. Episcopi possunt eam restringere ad certas personas. ibid. n. 19. Item ad certa loca. ibid. n. 25.

Approbatus generaliter non censetur approbatus pro Monialibus. ib. n. 20. Regulares non possunt sine approbatione Episcopi excipere confessiones Monialium etiam Regularibus subjectarum. ibid. n. 22. An Regularis approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii possit vigore ejusdem approbationis excipere confessiones alterius. ibid.

Approbationem, etiam Regularibus concessam, Episcopus potest revocare. ib. n. 25. Utrum possit pro nutu revocare approbationem Vice-Pastorum, ut aliorum Presbyterorum. ibid. n. 28. In Gallia authoritas Episcoporum quoad approbationes Confessariorum ejusque restrictiones & limitationes speciali decreto Regio roborata. ibid. n. 27.

AQUA BENEDICTA.

Aqua Benedicta usitata in Dedicatione Ecclesiæ: à quo tempore, & ejus ratio. p. 2, t. 16, c. 3, n. 16. Item in reconciliatione Ecclesiæ pollutæ. ib. c. 4, n. 20. Unde factum, quod ejus aspersio inter jura honorifica computetur. p. 2, t. 25, c. 7, n. 14. Qua ratione Toparchis danda. ibid. n. 17. Prohibetur porrectio aspergilli cujuscumque conditionis personis, nisi soli Episcopo. ibid. Aquæ benedictæ aspersio est species Benedictionis. ibid. Unde aspergilli porrectio competat Episcopo. ibid. n. 20.

ARBITER.

Arbiter quid, & quotupliciter accipiatur. p. 3, t. 5, c. 4, n. 1. &c. Ejus authoritas dependet à compromisso, nec illud egredi potest. ibid. n. 5. An coram eo possit institui reconventio. ibid. n. 6. De quibus Arbiter possit cognoscere. ibid. n. 7. Si in plures sit compromissum uno absente an reliqui possint procedere. ibid. n. 12. Arbiter & Arbitrator in quonam differant. ibid. n. 22. Cur hodie plerumque compromittatur sub hac formula in *Arbitrum & Arbitratorem*. ib. n. 26.

Arbitri sententia de jure provocationem non admittit. ibid. n. 27. 28. Hodie tamen admittitur, & vocatur reductio. ibid. n. 29. 30. Coram quo, & qua forma, & intra quod tempus instituenda & quis ejus effectus. ibid. n. 31. In Brabantia coram Senatu Brabantiæ instituenda, idque intra 10. dies, alias non habet effectum suspensivum. ib. n. 34. Si in compromisso reductioni sit renuntiatum, adversus hoc datur restitutio. ibid. n. 36. Ob facilem admissionem reductionum compromissa solent esse sine effectu. ibid. Quid faciendum ut arbitrales sententiæ sortiantur effectum. ibid. n. 37.

Arbiter Juris cur sic dictus. p. 3, t. 9, c. 5, n. 10. & seq. Judice recusato ex causa suspicionis assumuntur, ut de causa suspicionis judicent & quomodo eligantur. ibid. More Judiciario procedunt, & ab eorum sententia datur appellatio. ibid. n. 12. Judex recusatus potest eis præscribere terminum intra quem debent procedere ad terminationem causæ. ib. n. 13.

Vide Compromissum.

ARCHIDIACONUS.

Archidiaconus primus Episcopi est Minister. p. 1, t. 12, c. 1, n. 1. Qualis & quanta olim Archidiaconorum auctoritas. ibid. n. 2. Præcipui solebant esse administratores bonorum Ecclesiasticorum. p. 2, t. 18, c. 1, n. 4. & p. 2, t. 36, c. 1, n. 19. Inde ortum Jus deportus quod in multis Ecclesiis ipsis competit. ib. n. 20. Ejus authoritas olim vicaria, quomodo sensim facta sit ordinaria. p. 1, t. 12, c. 1, n. 5, & p. 3, t. 5, c. 1, n. 18. Interdum habuerunt Jurisdictionem fori contentiosi p. 1, t. 12, c. 1, n. 8. A quo tempore habere cœperint suos Officiales. ibid. Eorum potestas multum restricta. ib. n. 10. Qualis sit in plerisque Ecclesiis ibid. n. 12. In nonnullis Ecclesiis adhuc hodie amplissima est eorum Jurisdictio. ib. n. 22. & seq.

Archidiaconorum est ordinandos præsentare Episcopo. ib. n. 15. Examini ad ordines & Beneficia jure suo interveniunt. ibid. An possint præsentare ordinandos, quos nesciunt dignos, imò putant indignos; modo Episcopus eos judicet dignos. ib. n. 27.

Archidiaconus jus habet visitandi totam Diœcesim. ib. n. 17. De quibus in visitatione sua teneatur inquirere. ibid. An post Conc. Trid. sine consensu Episcopi possit visitare. ibid. &c.

Archidiacono de Jure communi competit institutio corporalis beneficiatorum, & de consuetudine institutio tituli collativa. ib. n. 21. Quandonam jure proprio & quandonam delegato. p. 2, t. 22, c. 4, n. 16. Quomodo hoc jus ad eos devenerit. p. 2, t. 26, c. 1, n. 9. Debent ad minus esse Licentiati in Theologia vel Jure Canonico, & in Belgio debent assumi ex Canonicis Graduatis. p. 1, t. 12, c. 1, n. 28.

ARCHIEPISCOPUS.

Vide Metropolitanus.

ARCHIPRESBYTER.

Archipresbyterorum institutio in Ecclesia est antiqua. p. 1, t. 6, c. 1, n. 1. Illorum electio & destitutio olim ad Episcopum & Archidiaconum spectabat, nunc ad solum Episcopum. ib. n. 3. & p. 1, t. 12, c. 1, n. 21. Ab ejus arbitrio unicè nunc illorum functiones dependent. p. 1, t. 6, c. 1, n. 5.

Archipresbyteri Pastores sunt Pastorum. ib. c. 2, n. 1, & c. 5, n. 1. Ipsis Sacramenta administrant, & pro illis officium funebre persolvunt. ib. c. 5, n. 3, 4. Pastores tenentur annuè ei confiteri tamquam proprio Sacerdoti. p. 2, t. 6, c. 5, n. 19. Tenentur ad residentiam personalem. p. 1, t. 6, c. 2, n. 2. Dum expedire judicaverint, possunt Pastores sui districtus convocare. ib. c. 4, n. 1. Annuatim cum Episcopo convenire debent. ib. n. 5. De quibus in hac congregatione tractandum. ibid. n. 3. Jus habent visitandi Parochias sui districtus. ibid. c. 3, n. 2. &c. Quoties id facere debeant, & de quibus teneantur inquirere. ibid. Pastores & Beneficiatos in possessionem introducunt. ibid. c. 5, n. 5. Jus habent interveniendi computibus Fabricæ, Hospitalium, Monasteriorum, &c. p. 1, t. 6, c. 5, n. 6

ARCHIPRESBYTER CATHEDRALIS.

Archipresbyteri Cathedralis dignitas & officium multum pendet à consuetudine. p. 1, t. 12, c. 2, n. 2 Ejus officia de jure communi. ibid. n. 4. Ejus officia de consuetudine. ibid. n. 5. In Belgio ex Graduatis assumendus. ib. n. 7. Est proprius Sacerdos aliorum Archipresbyterorum qui tenentur ei, uti tali, ad minus semel in anno confiteri. p. 2. t. 6, c. 5, n. 19.

ARCHIVIUM.

Archiva ad quid ordinata. 40. Decreta Synodorum & Edicta Principum circa diligentem custodiam Archivorum. ibid. Quid observandum dum aliqua documenta inde extrahuntur. ibid. Monumenta fundationum & Beneficiorum conservanda in archivis Episcopi vel Capitulorum quibus subsunt. p. 2, t. 36, c. 1, n. 9. & p. 2, t. 11, c. 6, n. 20. Scripturæ etiam minus solemnes, extractæ ex publico Archivio faciunt plenam fidem. p. 2, t. 12, c. 6, n. 20. & p. 3, t. 7, c. 7, n. 37. 41. ibid. n. 42.

ARRESTUM.

Arrestatio cadaverum, quæ per limites Parochiæ transvehuntur, improbatur. p. 2, t. 38, c. 1, n. 9. Unde verisimiliter mos iste originem habuerit. Ibid. Irritum est arrestum injectum per Judicem secularem in pensionem Ecclesiasticam Clerico debitam. p. 3, t. 2, c. 3, n. 12.

ASSESSOR.

Assessorum apud Romanos origo, dignitas, Privilegia, & stipendia. p. 3, t. 6, c. 1, n. 3. Hodie Assessores Principum constituunt eorum Concilia & Parlamenta. ibid. n. 12. Magistratus minores in Brabantia juxta Jurisperitorum judicium pronuntiare tenentur. ib. n. 15.

Assessorem Judices Apostolici, si non sint Graduati in jure, assumere tenentur ubi requiruntur, ab altera Partium & juxta ejus relationem judicare. ibid. n. 18. Rationes ob quas Judex potest assumere Assessorem vel plures ad onus Partium. ibid. n. 20.

Assessori debetur salarium ad onus partium. ibid. n. 24. 32. Quid hodie obtineat circa salaria Assessoris. ib. n. 34.

ASSESSOR S. OFFICII.

Assessoris S. Officii munus. p. 1, t. 22, c. 3, n. 26. Facit relationem Sanctissimo resolutionum sacræ Congregationis. ibid.

ATTENTATUM.

Attentatum quid dicatur in materia Appellationis. p. 3, t. 10, c. 3, n. 3. 4. Ante omnia debet cassari & annullari. ibid. Id etiam obtinet in appellatione quantumvis frivola, si Judex à quo eidem detulerit. ibid. n. 5. Appellatio ab interlocutoria non habet hunc effectum nisi post inhibitionem Judicis ad quem, & hujus ratio. ibid. n. 8. Post inhibitionem attentatum est revocandum, licet ratio inhibitionis non subfuerit. ibid. n. 9. Revocatio hæc fieri debet per Judicem ad quem ibid. n. 10. Judex à quo pendente appellatione varia adhuc potest, quæ non sunt attentata. ibid. n. 12.

AUDITIO.

Vide Gradus Pœnitentiæ.

B.

BACULUS PASTORALIS.

B*aculus Pastoralis* cujus formæ & ex qua materia sit apud Græcos. p. 1, t. 15, c. 3, n. 14. Olim illum ab Imperatoribus accipiebant Patriarchæ, & præcipui animarum Præfecti. ibid.

Baculo Pastorali non utuntur hodie Romani Pontifices & quare. ibid. n. 15. Olim eo usi fuerunt. ibid. Eo non potest uti Prælatus extra terminos suæ jurisdictionis. p. 1, t. 31, c. 6, num. 25. Ejus usus ante alia Pontificalia Abbatibus competiit & quare. p. 1, t. 31, c. 6, n. 6. Quid significet sudarium Baculo Abbatiali appensum & qui appensum illud habere debeant. ib. n. 7. Olim vocabatur cambutta. p. 2, t. 16, c. 3, n. 17.

BANNUM.

Vide Proclamatio.

BAPTISMUS.

Baptismus qua ratione dicatur Janua Sacramentorum. p. 2, t. 1.

c. 1. n. 2. An ordo validè conferatur non Baptizato, ibid. n. 3.

Baptismus flaminis & ejus efficacia, ibid. n. 7.

Baptismus sanguinis & ejus efficacia, ib. n. 10.

Baptismus fluminis solus habet rationem Sacramenti, ibid. n. 11. Ejus forma apud Latinos & apud Græcos quid requirat. ibid. n. 12. Materia est aqua & quænam. ibid. n. 15. De ejus applicatione per immersionem vel infusionem, juxta varios temporum & locorum ritus, copiosa dissertatio, ib. n. 21. 23. & seq.

Baptismus olim ferè in sola Cathedrali administrabatur, ib. c. 2. n. 14. Differentia erat inter Ecclesias Parochiales & Baptismales, & illius distinctionis adhuc hodie exstant vestigia, ibid. n. 15.

Baptismum extra tempus Paschatis & Pentecostes conferre olim non licebat, & quare, ib. nu. 18. Exceptus fuit casus necessitatis, ibid. n. 21. Quomodo sensim ea disciplina abolita, ibid. n. 22. Adhuc quædam exstant illius vestigia, ib. n. 25.

Baptismus infantium nullo prætextu differendus, ib. n. 29.

Baptismi Ritus antiqui & moderni comparatio & analytica explicatio, ib. c. 3. n. 12. & seq. In multis convenit cum ritu dedicationis Ecclesiarum, p. 2. t. 16. c. 3. n. 19. Sæpius pro concione singula ad Baptismum requisita explicanda, p. 2. t. 2. c. 4. n. 24.

Baptismalis innocentia olim requisita, ut quis posset ordinari, p. 3. t. 10. c. 6. n. 2.

Baptizatorum nomina in Registro Baptismali annotanda, p. 2. t. 12. c. 6. n. 19. Registrum hoc plenam fidem facit, ibid. n. 20. Edicta Principum Belgii circa hæc Registra. ibid.

Baptismi Minister ordinarius olim erat Episcopus, p. 2. t. 2. c. 2. n. 1. Hodie Parochus jus baptizandi habet; sed ab Episcopo derivatum, ib. n. 3. Sine licentia Parochi nemo baptizare potest, ib. num. 5. Presbytero & Diacono solemnis administratio Baptismi delegari potest, sed non inferioribus, ibid. n. 6. Quinam in necessitate baptizare possint, ibid. nu. 7. cum seq. Explicatur Canon Eliberitanus qui bigamis & pœnitentibus in necessitate prohibet, ib. n. 8.

Vide Catechumenus & Neophytus.

B E G G U I N Æ.

Begguinarum ortus, institutio, antiquitas, & incrementum, p. 1. t. 33. c. 3. nu. 1. & seq. Primitus nullam professionem emittebant, & hodierna formula, ib. nu. 10. Multas subeunt vexationes, ib. n. 13. Errores ipsis adscripti, ib. nu. 14. Belgicæ per declarationem Joannis XII. tutantur, ibid. n. 15. Olim in Gallia frequentes, ib. nu. 17. Quomodo defecerint, ibid. In earum locum ibi successerunt sorores Griseæ, ibid. In quibus earum institutum & moderna disciplina conveniat cum Regulari. ib. n. 18. Qua ratione dicantur assumpsisse statum, idque potiori ratione quam filiæ devotæ, ibid. n. 19. Quale censendum sit Jus Patronatus ipsis competens, an Laicum an Ecclesiasticum, ib. & p. 2. t. 25. c. 2. n. 27.

B E L G I U M.

Belgium pro primaria sua lege tenet consuetudines inveteratas Provinciarum, & iis deficientibus Edicta suorum Principum, p. 1. t. 5. c. 6. num. 4. Quomodo Concilium Tridentinum in Belgio publicatum & admissum, ibid. nu. 5. & p. 2. t. 25. c. 6. num. 21.

Belgarum jura non permittunt quemquam in quacumque causa vel instantia evocari extra Provinciam, p. 3. t. 5. c. 3. nu. 10. 14. Id etiam obtinet in rebus & delictis Ecclesiasticis. ibid. nu. 16. 17. Speciale quoad hoc Privilegium Brabantorum, ibid. num. 18. Pœna capitalis statuitur adversus eos qui Brabantum extra Brabantiam evocant, ibid. nu. 24. Sollicitudo quam habuerunt Senatus Regii in Publicatione Concilii Tridentini, ut hoc privilegium sartum tectum conservarent, ib. n. 19. Privilegium illud refertur à Scriptoribus exteris, & agnoscitur à S. Congregatione Concilii Tridentini Interprete, ibid. nu. 20.

Belgium censetur Patria obedientiæ, p. 2. t. 33. c. 4. n. 19. Unde factum quod praxis Galliæ in aliquibus ejus Provinciis plusquam in aliis sit usitata, ibid.

Belgium servos non agnoscit, p. 2. t. 13. c. 3. n. 13. Servi aliunde invecti beneficio Regionis fiunt liberi, ibid.

Vide Edicta.

B E N E D I C T I O.

Benedictio solemnis censetur inter Pontificalia, p. 1. t. 16. c. 3. n. 12. Episcopus non potest solemniter dare Benedictionem præsente Legato de latere, p. 1. t. 21. c. 2. nu. 26. A quo tempore Abbates impetrarint authoritatem solemniter benedicendi populum, p. 1. t. 31. c. 6. n. 9. Id non possunt nisi in Ecclesiis sibi pleno jure subjectis, ib. num. 25. Nec præsente Episcopo, ibid. n. 27.

Benedictio ab Episcopo data Regulari in sua Ecclesia concionaturo est virtualis approbatio, p. 1. t. 16. c. 8. n. 19.

Benedictio solemnis Monachi quam vim olim habuerit, p. 1. t. 27. c. 1. n. 1.

Benedictionis nuptialis antiquitas, p. 2. t. 18. c. 6. nu. 11. Convenit ut fiat inter Missarum solemnia, ib. n. 12.

B E N E F I C I U M.

Beneficiorum origo, natura, & definitio, p. 2. t. 18. c. 1. n. 1. 6. & seq. Quænam requirantur ut fundatio aliqua censeri possit Beneficium, ib. n. 13. 15.

Beneficium regulare quodnam dicatur, ib. c. 3. nu. 2. Potest esse tale ex fundatione & præscriptione, ibid. num. 3. Quid ad præscriptionem hanc requiratur, ibid. n. 5. Beneficia regularia ex natura sua non conferenda nisi Professis, ib. n. 12. 13. 14.

Beneficium sæculare quodnam dicatur, ib. nu. 7. Omnia Beneficia præsumuntur sæcularia, ibid. n. 8. Exceptiones, ibid. n. 9. Beneficia sæcularia non curata Regularibus conferri nequeunt, ib. n. 17. Quid de Ecclesiis Parochialibus, ibid. nu. 18. An Monachi ad illas olim assumpti remanerent Monachi, ib. nu. 19. An assumi possint Canonici Regulares, ibid. nu. 21. Canonici Præmonstratenses habent privilegium cujus vigore ad Ecclesias Parochiales sæculares præsentari & assumi possunt, ib. nu. 26. cum seq. An semel assumpti ad nutum suorum Prælatorum revocari possint, ib. nu. 27. An Ecclesiæ Parochiales Mendicantibus possint conferri, ib. n. 28.

Beneficia Curata unde sic vocantur, ib. c. 4. n. 2. Quid requiratur ut Beneficium aliquod censeatur Curatum, ibid. num. 3. Quam grave onus illis incumbat, ib. num. 4. Sicuti Clericus amoveri non potest à beneficio sine causa, & servato juris ordine, ita nec privari potest curâ animarum annexâ, ibid. n. 7. Vicaria perpetua est verum Beneficium curatum, p. 3. t. 34. c. 1. n. 27. Quinam censeantur habere Beneficium Parochiale, p. 1. t. 6. c. 6. n. 3. cum seq.

Vide Cura animarum.

Beneficia simplicia quænam dicantur, p. 2. t. 18. c. 4. nu. 8. An nomine hoc veniant Canonicatus Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum, ibid. nu. 9. Decretum Conc. Trid. ad instantiam Gallorum quoad Beneficia simplicia, p. 2. t. 19. c. 4. n. 30. 32. *Vide Capellania.*

Beneficiis Ætas non legitur præscripta quamdiu Beneficium ab ordine non distinguebatur, p. 2. t. 19. c. 1. n. 1. & seq. A quo tempore Ætas Beneficiis præfixa, ibid. num. 5. Quænam ætas requiratur ad Beneficia Curata, ib. n. 6. cum seq. Ad Dignitates, ibid. nu. 9. Ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum, ib. n. 15. & c. 4. Ætas 14. annorum requiritur à Concilio Tridentino pro omnibus Beneficiis etiam Patronatus Laici, idque in Belgio receptum, ib. c. 1. nu. 11. An annus debeat esse completus, ibid. Ætas functionibus Beneficiorum commensuranda, ib. nu. 13. Periculosa dispensatio quoad ætatem, ib. n. 21. 23. Solus Pontifex dispensare potest, ibid. n. 24. Dispensatio hæc non solet concedi nisi simul à Papa petatur provisio, ibid. In Gallia aperta Regalia Rex dispensat quoad ætatem, p. 2. t. 25. c. 8.

Beneficium ab ordine olim non erat separatum & ideo nihil de annexo ordine Beneficiis statutum, p. 2. t. 19. c. 2. n. 1. Ordo aliquando actu aliquando aptitudine Beneficio est annexus, ibid. n. 3. Unde dignoscendum utro modo sit annexus, ibid. n. 4. Quomodo ordo annexus Cappellaniæ cum onere celebrandi missas, ibid. n. 8. Quomodo Dignitatibus & Beneficiis curatis, ib. nu. 19. Quomodo Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium, ib. n. 20. Quomodo Beneficiis Parochialibus, ibid. n. 19. Ordo actu Beneficio annexus requiritur tempore Provisionis, ibid. nu. 5. Ordo aptitudine annexus debet suscipi intra annum, ibid. c. 3. n. 2. A quo tempore annus ille incipiat currere, ibid. n. 6. Quid de interstitiis, ibid.

Beneficium Parochiale obtinens si intra annum ad Sacerdotium non promoveatur est Beneficio ipso jure privatus, p. 2. t. 19. c. 3. n. 13. Exceptiones, ibid. nu. 14. Debet tamen citari & declarari privatus, ib. n. 17. Praxis in Gallia quoad hoc observata, ibid. n. 18. Quid de fructibus interim perceptis, ibid. n. 19. Potest resignare ultima die anni, p. 2. t. 27. c. 4. nu. 2. Episcopus dispensare potest cum Parocho quoad promotionem ad Sacerdotium & pro quanto tempore, p. 2. t. 19. c. 3. num. 24. Privationis ipso facto pœna locum non habet in dignitatibus etiam cum cura, ibid. n. 23. Privilegia Universitatis Lovaniensis circa non promotionem ad ordines, eorumque usus & restrictio, ib. n. 25.

Beneficia Patrimonialia quænam dicantur, p. 2. t. 19. c. 4. n. 17. Qua ratione & quo ordine consanguinei Fundatoris ad ea præferantur, ib. Censentur odiosa nec facilè sunt admittenda, ib. n. 20. 21. Non requiritur eorum publicatio dum vacant, nisi in fundatione id exprimatur, ibid. Ecclesiæ Parochiales Patrimoniales quomodo subjectæ Concursui, p. 2. t. 22. c. 2. n. 11. &c.

Beneficia scientiam pro sua qualitate requirunt, p. 2. t. 19. c. 4. n. 1. &c. In Gallia requiritur ut Promovendus ad Beneficia sit Regnicola, ib. n. 13. Idem obtinet in Hispania & Belgio, ibid. n. 14. Qualitates ad Beneficia requisitæ, ib. n. 16. Necessitas vocationis ad Beneficia requisitæ, ibid. c. 5. n. 9.

Beneficiorum Pluralitas olim idem quod adscriptio in duabus Ecclesiis, p. 2. t. 20. c. 1. nu. 1. Canones quid de eo statuant, ibid. Ejus injustitia, abusus, & quæ mala inde proveniant.

veniant, ib. n. 8. 9. &c. Potest in certis circumstantiis esse licita, & quæ ad hoc attendenda. ibid. n. 12. & c. 2. nu. 1. Quomodo & quibus prætextibus sensim invaluerit. ibid. c. 2. n. 7. Quantum invaluerat tempore Conc. Trid. etiam in Episcopatibus, & abusus inde nati. ib. c. 3. n. 1. Statuta ejusdem Concilii adversus hanc pluralitatem. ibid. n. 7. 8. &c. Explicantur. ibid.

Beneficia incompatibilia quænam dicantur & variæ eorum species. ibid. c. 4. n. 1. &c. In quonam incompatibilitas fundetur. ibid. Omnium maxima est in Beneficiis Curatis. ib. n. 3.

Beneficia uniformia & difformia quænam dicantur. ib. n. 6. An duo difformia in eadem Ecclesia sint incompatibilia. ibid. Quid requiratur ut Beneficium vacet per assumptionem secundi incompatibilis. ibid. n. 7. In Gallia conceditur optio & cautela quæ ibidem servatur adversus fraudes. ib. n. 11. Quænam requirantur ut dispensatio super pluralitate Beneficiorum sit licita. In Gallia & Belgio nulla dispensatio admittitur super Pluralitate Beneficiorum Curatorum. ib. c. 5. nu. 3. Huic conformis est praxis Belgii. ib. n. 4. Dispensatio reservatur Pontifici, & unde id ortum. ib. nu. 11. Requiritur in omni dispensatione causa & qualis. ibid. nu. 5. Dispensatio hæc est odiosa & restringenda. ib. n. 13. Quænam exprimenda pro obtinenda dispensatione super pluralitate Beneficiorum. ibid. nu. 14. Jus Ordinariorum circa examen dispensationum obtentarum ad quæ se extendat. ib. c. 2. n. 13. & c. 5. n. 15. Obtinens plura Beneficia non juvatur per Regulam de possessore triennali. ib. c. 5. n. 18. Consuetudo hodie invaluit, ut sine dispensatione retineatur Beneficium simplex cum alio sufficiente, & unde id ortum. ib. c. 4. n. 19. In supplica, qua petitur Provisio Apostolica de Beneficio, exponendum est Beneficium ante obtentum sub pœna nullitatis. p. 2. t. 24. c. 4. n. 30.

Beneficia quænam dicantur Electiva Collectiva & quænam Electiva confirmativa. p. 2. t. 21. c. 4. n. 5.

Vide Collatio, Permutatio, Provisio, Resignatio, Reservatio, Simonia, Surrogatio, Unio.

BIGAMIA, BIGAMUS.

Bigami prohibentur assumi ad officium Custodis. p. 1. t. 4. c. 2. n. 2. Olim ipsis inhibitum baptizare in necessitate. p. 2. t. 2. c. 2. n. 8. Jam à tempore Apostoli Bigamia induxit irregularitatem & in quo ea fundetur.

Vide Irregularitas.

Bigamia similitudinaria habetur transgressio voti continentiæ. p. 2. t. 10. c. 2. n. 31.

Bigamis seu nuptias iterantibus pœnitentia olim imposita & quare. p. 2. t. 15. c. 8. n. 16. Non tamen ideo secundæ nuptiæ habitæ fuerunt ut illicitæ ibid. Presbytero inhibitum secundis nuptiis interesse. ibid. n. 17. Prohibentur à Sacerdote benedici. ib. n. 18.

BLASPHEMIA.

Blasphemia quid sit, & quænam eo nomine veniant. p. 3. t. 4. c. 5. n. 1. Hujus criminis atrocitas. ibid. & seq. Pœnæ Decretæ per Canones, Leges, Edicta Hispanica, Gallica & Belgica adversus Blasphemos. ib. n. 5. & seq. Item Statuta Synodalia. ib. nu. 14. An consuetudo efficere possit ut aliquid non censeatur Blasphemia. ibid. n. 15. Cujus fori sit hoc crimen. ib. n. 16.

Blasphemiæ affinis est consuetudo jurandi & pejerandi inter sermocinandum. ib. n. 22. Media quibus ea consuetudo abolenda. ibid. n. 23.

BONA ECCLESIASTICA.

Bona Ecclesiæ olim per Episcopum, OEconomum, vel Archidiaconum administrabantur, & Clericis singulis mensibus pro necessitate distribuebantur. p. 2. t. 18. c. 1. num. 4. & seq. Unde factum ut quilibet postea partem suam ad se retraxerit & inde origo Beneficiorum. ib. n. 5.

Bona Ecclesiæ manserunt semper ejusdem naturæ, & spiritus Ecclesiæ circa ea immutatus. ib. n. 27.

Bona & reditus Ecclesiæ, quæ Clericis conceduntur, cur vocentur Peculium; natura Peculii, & quæ sub hoc nomine comprehendantur.

Vide Peculium.

Bona Ecclesiæ debentur Ministris jure naturæ, titulo alimentorum. p. 2. t. 32. c. 2. nu. 1. seq. Ita dantur ratione stipendii ut justè illa non accipiant nisi veri operarii. ibid. n. 8. Id verificatur etiam quoad Canonicos. ib. n. 14. Dictum illud, Beneficium datur propter officium, inepte applicatur recitationi Horarum Canonicarum. ibid. n. 20. Clerici non possunt Evangelizare ut manducent. ib. n. 22. &c. Signa ex quibus deprehenditur, an quis Evangelizet ut manducet. ibid. n. 26.

Bona Ecclesiæ vocantur vota Fidelium, pretia peccatorum, patrimonium Pauperum & ejus ratio. ib. c. 3. num. 1. seq. Ex bonis Ecclesiæ Clerici accipere non possunt nisi necessaria. ib. c. 4. n. 1. &c. Consanguineis dari non possunt, nisi ut Pauperibus. ibid. n. 2. Quàm frugaliter iis uti teneantur, etiam Cardinales & Episcopi, & prætextus in contrarium discutiuntur & refutantur. ib. num. 6. 12. & seq. Decretum Concilii Tridentini adversus luxum Prælatorum. ibid. n. 11.

Bona & fructus Beneficii Clericus dives potest accipere & jure exigere. ib. c. 1. n. 1. 2. Non potest tamen reservatis Patrimonialibus ex bonis Ecclesiæ vivere. ib. num. 5. & p. 2. t. 12. c. 3. n. 22.

Bona Ecclesiæ olim erant communia exemplo Christi & distribuebantur inter Ministros & Pauperes. p. 2. t. 32. c. 6. num. 2. Quandonam prima divisio in quatuor partes stabilita. p. 2. t. 10. c. 5. n. 2. & t. 32. c. 6. n. 6. & seq. Qua proportione hæc divisio facta. ib. n. 10. Qua proportione & cujus judicio pars Clericorum inter Clericos, item pars Pauperum inter Pauperes dispensabatur. ibid. n. 13. & c. 5. n. 16. Per hanc divisionem natura bonorum Ecclesiæ non est mutata. ib. c. 6. n. 16.

Bonorum Ecclesiæ alia divisio per erectionem Beneficiorum item inter Episcopum & Capitulum & Canonicos inter se. ibid. nu. 18. 19. Nec per hanc divisionem natura bonorum Ecclesiæ fuit mutata. ibid. n. 21. Clerici non nisi frugaliter eis uti possunt & reliquum in pios usus erogare tenentur. ib. c. 4. nu. 12. & c. 6. n. 28.

Bonorum Ecclesiasticorum administratio ab initio Ecclesiæ etiam post divisionem fuit penes Episcopum, Archidiaconum vel OEconomum. p. 2. t. 18. c. 1. nu. 4. Post erectionem Beneficiorum primaria superintendentia competiit Episcopo. p. 2. t. 36. c. 1. num. 7. Decreta Synodorum Belgii pro conservatione bonorum Ecclesiasticorum. ibid. c. 1. &c.

Vide Alienatio, Successio, Elocatio, Testamentum.

BRABANTIA.

Brabantia Imperatorem pro Superiore non agnoscit. p. 1. t. 13. c. 2. n. 12. Non comprehenditur Concordatis Germaniæ. ibid. Excepto Trajecto ad Mosam & Nivellis, & hujus exceptionis ratio. ib. Prælati qui sunt de Statibus Brabantiæ. ibid. Activè & passivè stant Juri coram Senatu Brabantiæ. p. 3. t. 1. c. 4. n. 32. Et quare. p. 1. t. 19. c. 3. num. 6. &c. Hoc non intelligitur quoad functiones sacras. p. 3. t. 1. c. 4. n. 35. Dux Brabantiæ est Advocatus omnium Ecclesiarum sui Ducatus.

Vide Advocatia.

Brabantiæ Clerus est corpus distinctum à Statibus & sub eorum consensu non comprehenditur.

Vide Subsidium.

Brabantorum speciale privilegium quod extra Brabantiam nullo prætextu & in nulla instantia revocari possint. p. 3. t. 5. c. 3. n. 10. Pœna capitalis decernitur in eos, qui aliquid contra attentarent. ib. n. 14.

BREVE.

Breve quid sit Apostolicum. p. 1. t. 23. c. 4. n. 4. Quid annulus Piscatoris quo Breve signatur. ibid. nu. 5. Quænam sint differentiæ inter Bullas & Brevia. ib. num. 8. Quænam negotia per Breve expediri soleant. ib. n. 12. Cautio quæ adhibetur ne Brevia falsificentur. ibid. nu. 13. Quanta Cura Minutæ eorum serventur. ibid. Quid Secretarius Brevium. ib. n. 5.

BREVIARIUM.

Breviariorum cura etiam spectat ad Episcopos. p. 1. t. 16. c. 9. n. 2. & t. 22. c. 7. nu. 19. Breviarium Aurelianense correctum & editum authoritate Episcopi Aurelianensis, quæ in ejus correctione servata. p. 1. t. 16. c. 9. n. 23. Ecclesiæ quæ Breviarium Romanum non receperunt authoritatem retinuerunt revidendi & mutandi Breviaria, aliæ secus. ib. & p. 1. t. 22. c. 7. nu. 21. Breviarium Cluniacense, & quæ in ultima ejus recognitione servata. p. 1. t. 32. c. 3. n. 5.

BULLA.

Bullæ expediuntur per Cancellariam. p. 1. t. 23. c. 1. n. 14. & c. 2. n. 22. Quid Bulla juxta stylum Curiæ Romanæ. ib. c. 4. n. 6. Quandonam Pontifices cœperint litteras plumbo obsignare. ibid. num. 6. Bullæ gratiosæ obsignantur plumbo pendente ex cordis sericeis, Bullæ justitiæ cordis ex filo canabis. ibid. nu. 8. Differentiæ inter Bullam & Breve. ibid. n. 8. Quænam negotia per Bullam expediri debeant. ib. n. 12.

Bulla non requiritur ad essentiam Provisionis sed tantum ad ejus executionem. p. 2. t. 24. c. 3 nu. 12. Quid agendum ubi expeditio Bullæ haberi nequit. ibid. n. 18. Variæ clausulæ Bullarum explicantur. ib. c. 5. n. 1. seq.

Vide Signatura.

BURSÆ, SEU ALIMENTARIÆ PORTIONES.

Bursæ an censendæ sint manus mortuæ. p. 1. t. 29. c. 3. n. 23. seq. Diversa eorum genera in Universitate Lovaniensi. p. 2. t. 11. c. 4. n. 7. & seq. Solis Pauperibus eas concedi voluerunt Fundatores. ib. n. 9. Abusus quem committunt Fundatores dando prærogativam suis consanguineis, con. extraneis aliisque. ibid. num. 17.

C. CA.

Digitized by Google

C.

CAMERA APOSTOLICA.

Camera Apostolica prætendit fructus Beneficiorum malè perceptos, & quo titulo, p. 2. t. 30. c. 7. nu. 30. Eorum collectioni præpositus est Officialis dictus componenda. ibid. Hoc in Gallia non admittitur. ib. nu. 32 Verificationi litterarum Legati Apostolici clausula id excludens inseritur. ibid. n. 33.

CAMPANA.

Campanas plures & grandiores sola Ecclesia Parochialis potest habere. p. 2. t. 5. c. 2. n. 13 Decimatores tantum tenentur ad instaurationem, & intertentionem necessariam unius Campanæ Bannalis. p. 2. t. 17. c. 5. n. 29. 30. Qualis illa debeat esse. ibid.

CANCELLARIA ROMANA.

Cancellarii unde olim dicti & eorum dignitas. p. 2. t. 23. c. 1. n. 1. Erant in Cathedralibus. ib. n. 3. A quo tempore creverit authoritas Cancellarii Romani. ibid. nu. 4. Quare vocetur Vice cancellarius. ibid. nu. 5. Habet titulum Cardinalitium fixum & habitationem in Palatio Cancellariæ. ibid. n. 6. Ejus officium. ibid. nu. 7. 8. Quænam in Cancellaria expediantur. ibid. Officiarii Cancellariæ, eorum jura & emolumenta, & horum taxa. ib. n. 15. Habet suas Regulas. ib. n. 17.

Vide Regulæ Cancellariæ.

CANDELA.

Vide Cereus.

CANONES.

Canonum & Theologiæ studium in multis convenit. p. 1. t. 10. c. 2. n. 6. Quomodo utrumque studium utiliter possit combinari. ibid. Improbatur hodiernum studium quod non nisi circa canones servientes ad lites versatur. ib. num. 7. Conveniret ut Gradus in Jure Canonico separaretur à Gradu in Jure Civili, ib. nu. 8. Quænam pro antiquorum Canonum intellectu necessaria. p. 2. t. 4. c. 4. n. 4.

Canones per consuetudinem in totum abrogari non possunt. p. 1. t. 2. c. 5. n. 4.

CANONES POENITENTIALES.

Canones Pœnitentiales & eorum origo. p. 2. t. 6. c. 3. nu. 1. Episcoporum in iis condendis circumspectio. ib. nu. 3. Variæ eorum collectiones. ib. nu. 12. 14. &c. Quomodo & qua occasione abrogati. ib. n. 44. Multis titulis adhuc hodie eorum notitia Confessariis utilis. ib. c. 4. nu. 17. 18. Canones Pœnitentiales à S. Carolo editi. ib. n. 24.

CANONICUS.

Canonici Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum unde hodie dicantur sæculares. p. 1. t. 7. c. 1. nu. 1. seq. Olim vixerunt in communi & quando à vita communi recesserint. ib. num. 2. &c. Ipsa institutio semper mansit invariata. ib. c. 4. n. 2. Alia habenda de Canonicis idea quam vulgo habetur. ib. n. 6.

Canonici soli Capitulum constituunt. ibid. c. 5. nu. 3. Sacris non initiati Capitulo non interveniunt. ibid. n. 7. Utrum Turnum suum habeant in collationibus Beneficiorum. ib. n. 8.

Canonicorum præcipua obligatio est persolutio divini officii & unde illa obligatio. ib. c. 6. num. 1. seq. Omnibus horis etiam minoribus interesse debent. ibid. n. 3. & c. 9. num. 4. Tenentur per se divinum officium persolvere. ibid. c. 6. nu. 4. Statutum contrarium improbatur. ibid. n. 5.

Canonicatus supernumerarii erectio ad futuram præbendam est prohibita.

Canonici Ecclesiarum Collegiatarum an teneantur ad professionem fidei. p. 2. t. 26. c. 2. n. 17. Non admittitur in Gallia resignatio Canonicatûs nisi resignans ad minus resederit 15. annis. p. 2. t. 28. c. 8. n. 30.

Canonici proventus Ecclesiæ percipere non possunt nisi titulo operarii. p. 2. t. 32. c. 2. n. 8. &c. Non sufficit recitatio Horarum Canonicarum. ibid. n. 16. & seq.

Canonici defuncti successio defertur Capitulo.

Vide Capitulum, Successio.

CANONICI CATHEDRALES.

Canonici Cathedrales sunt Consiliarii nati ipsius Episcopi. p. 2. t. 19. c. 4. nu. 5. Singuli præcedunt omnium inferiorum Ecclesiarum Canonicos, non tamen Decanos & Præpositos aliosque in dignitate constitutos. p. 1. t. 8. c. 1. n. 6. 7. Dum capitulariter procedunt, præcedunt omnes alias dignitates. p. 1. t. 31. c. 7. n. 50. Possunt delegari Judices. p. 1. t. 8. c. 1. n. 7. fin.

Canonicos Cathedrales Episcopus convenienter assumit in Examinatores, sed tamen non adstringitur. p. 2. t. 9. c. 4. n. 4. 15. Quænam scientia & qualitates in iis requirantur. p. 2. t. 19. c. 4. n. 4. Tenentur ad professionem fidei. p. 2. t. 26. c. 2. n. 17.

CANONICI GRADUATI.

Canonici Graduati in quem finem instituti in erectione novorum Episcopatuum in Belgio. p. 1. t. 10. c. 1. seq. Ex iisdem eligendi Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius. ib. n. 5. Assumuntur per Episcopum & Graduatos & quare. ibid. nu. 6 Episcopo mortuo per Graduatos superstites. p. 1. t. 9. c. 2. n. 3. Episcopus habet votum decisivum. p. 1. t. 8. c. 3. n. 8 & t. 10. c. 1. n. 6. Sub nullis cadunt reservationibus. p. 1. t. 10. c. 1 n. 7. & p. 2. t. 23. c. 5. num. 21. Tres ex iis examinant admittendos ad Sacros Ordines & curam animarum. p. 1. t. 10. c. 1. n. 8.

Canonici Graduati Theologi & Canonistæ solent æquiparari & rationes pro eo multum notandæ. ib. c. 2. n. 1.

Canonici Graduati Nobiles in quem finem instituti. ib. c. 3. n. 1. Quid illis præ reliquis incumbat. ibid. n. 6. Gradu Academico debent esse insigniti. ib. n. 7.

CANONICUS THEOLOGUS.

Canonici Theologi institutio juxta Decreta Conc. Lateran. Basileens. & Trid. p. 1. t. 11. c. 6. n. 1. seq. Quoties & quo tempore prælegere debeat. ib. nu. 6. Canonici & omnes de Clero Ecclesiæ Lectioni ejus interesse debent. ibid. nu. 9. Iis horis quibus docet etiam distributiones in absentia lucratur. ib. nu. 11. Etiam anniversariorum. ibid. Non tenetur observare tabellam Chori quoad decantationem lectionum. ibid. Præbenda non intelligitur ei affecta, nisi per actualem Episcopi deputationem & annexionem. ibid. nu. 5. Præbenda Theologalis non potest gravari Pensione. p. 2. t. 28. c. 6 n. 16.

CANONISSÆ.

Canonissarum origo. p. 1. t. 13. c. 2. num. 2. Quomodo ad hanc formam redactæ & quando. ib. num. 7. Earum dissolutio ferè processit ad exemplum Canonicorum. ibid. num. 12. Exceptâ Abbatissâ & quibusdam aliis ad Matrimonium transire possunt & quæ exceptionis ratio. ibid. nu. 18. Habent jurisdictionem; & qualem habeant Nivellenses, Montenses, Malbodienses. ibid. n. 23. &c. Ex mente Fundatorum tenentur canonicè vivere. ibid. n. 26. Censentur corpora Ecclesiastica. ib. nu. 30. Earum Abbatissæ vocantur ad Synodos. ibid. nu. 31. Sunt sub immediata Regis protectione & sine ejus licentia non possunt visitari. ibid. n. 32.

CANONIZATIO.

Canonizationis moderni ritus descriptio. p. 1. t. 12. c. 7. num. 7. Olim fiebat authoritate Episcoporum sine multis cæremoniis, & earum varia exempla. ibid. n. 10.

Canonizatio per Pontificem non fiebat nisi in Concilio Generali & quandonam ab eo recessum. ib. n. 12. A quo tempore Pontifici reservata. ibid. n. 9. 14 In quo differat a beatificatione. ib. nu. 15. An & quis cultus possit exhiberi nondum Canonizatis. ibid.

CANTOR.

Cantor olim dictus Primicerius. p. 1. t. 11. c. 3. n. 1. Ejus officium. ibid. nu. 2. Irreverentes & defectuosos in Divino Officio punire potest. ibid. n. 4. Cur baculum in præcipuis festivitatibus ferat. ibid. nu. 4. In plerisque Ecclesiis inter dignitates numeratur. ib. n. 6.

CANTUS.

Vide Musica.

CAPITATIO.

Capitatio in L. 33. Cod. Theod. de Annonis & Tributis, quid significet. p. 2. t. 35. c. 1. n. 17.

Capitatio sive tributum personale Clericis imponi non potest. ib. c. 2. n. 43. Causa urgente in Belgio, aliquando fuit imposita, sed non nisi de eorum consensu. ibid. & c. 3. nu. 1. & seq.

CAPITULUM.

Capitula seu Collegia Canonicorum olim vocabantur Monasteria. p. 1. t. 7. c. 5. nu. 1. A quo tempore hodiernum Capituli nomen invaluerit. ibid. nu. 2. Soli Canonici constituunt Capitulum. ibid. n. 3. Canonici sacris non initiati Capitulo non interveniunt. ib. n. 7. A quo tempore & quam ob causam, p. 1. t. 31. c. 4. n. 12. In dignitate constituti, si non sint Canonici, non sunt de Capitulo. p. 1. t. 7. c. 5. n. 4. Fallit in Decano. ib. n. 5.

Capitula disciplinæ successerunt in locum collationum quas Canonici quotidie instituebant. ib. nu. 9. 10. Quæ in eis proponenda. ibid. n. 11. In omnibus Capitulis primum de disciplina tractandum. ibid. n. 11.

Capitula indici non possunt tempore Divini Officii, ibid. nu. 16. Nec consuetudo in hoc excusare potest. ibid. nu. 16. Responsum S. Congregationis super hac materia. ibid. n. 16.

Capitula habent jurisdictionem in suos subditos tantum correctionalem. p. 1. t. 12. c. 2. n. 8. Etiam in Decanum. ibid. n. 9. Non contentiosam, nisi ex consuetudine vel privilegio. ib. n. 7. Ad Synodos Diœcesanas vocantur. p. 1. t. 18. c. n. 10.

Capitula varia quæ nullos admittunt nisi Nobiles, p. 1. t. 11. c. 3. n. 1. An hæc consuetudo probanda. ibid. n. 2.

Capitula decimas qua ratione acquisierint, p. 2. t. 33. c. 5. n. 32. 33. & 35.

Capitulum quomodo congregari & deliberare debeat in causa alienationis. p. 2. t. 36. c. 4. n. 17. &c.

Index Rerum & Verborum.

Capitula olim habebant sua Hospitalia, p. 1. t. 37. c. 1. num. 15. Varia eorum vestigia, ibid. n. 19 Item suos carceres, p. 3. t. 11. c. 1. n. 21. & seq.

Capitulum succedit suis Canonicis & suppositis ab intestato. *Vide Suffragium, Successio.*

CAPITULUM CATHEDRALE.

Capitulum Cathedrale successit in locum Presbyterorum & Diaconorum, p. 1. t. 8. c. 1. n. 2. Senatum Ecclesiæ repræsentat & unum cum Episcopo corpus constituit, ib. n. 3. In ea qualitate præcedit omnia corpora Ecclesiastica, ibid. nu. 4. & p. 1. t. 31. c. 7. n. 30. Et ipsos Senatus Regios Præsidiales, p. 1. t. 8. c. 1. n. 5.

Capitulum Cathedrale quantumvis exemptum visitationi Episcopi subjectum, p. 1. t. 17. c. 3. n. 13. Debet Episcopo tamquam Capiti reverentiam & honorem, & in quibus hæc consistant, p. 1. t. 8. c. 2. per tot. Quem locum Episcopus in Capitulo habeat, ib. n. 7. Convenit ut illi præsideat, ibid. *Vide Exemptio.*

Capituli consilium tenetur Episcopus petere, non tamen ordinariè sequi, ib. c. 4. n. 5. In quibus requiratur consensus, ib. num. 7. Moribus Belgii aliquando succedit Vicariatus, ibid. n. 9.

Capitulis Cathedralibus olim competere solebant electiones Episcoporum, p. 1. t. 13. c. 2. tot. Quomodo hæ ad ipsa devolutæ, ibid. Qua ratione jus illud iis ademptum, Ibid. num. 4. & seq. Restituitur eis per Concilium Basileense, ibid. nu. 7. Capitula Germaniæ illud huc usque retinent, ib. n. 9. & seq.

CAPITULUM CLAUSTRALE.

Capitulo Claustrali quinam interveniant & suffragium habeant, p. 1. t. 31. c. 4. tot. Olim omnes omnino etiam laici interveniebant, quod adhuc in ordine S. Francisci obtinet, ibid. nu. 6. quandonam & qua occasione exclusi, ibid. n. 7. & 12. Ubi requiritur consensus vel consilium Capituli, dandus est capitulariter sub pœna nullitatis, ib. n. 15.

Capituli consilium Abbas audire, non sequi tenetur, ib. n. 20. Quæ sint negotia graviora in quibus tenetur habere consensum Capituli, ib. n. 25. In iis non requiritur omnium, ibid. num. 27. Actus est nullus si non petierit consilium, si illud petere, & non sequi teneatur, ib. n. 28.

Capitula Generalia, eorum utilitas, institutio, forma, & qui intervenire debeant, & quo tempore celebranda, p. 1. t. 32. c. 3. n. 19. & seq.

Capitula disciplinæ olim frequentissima, quæ in iis tractanda, ib. n. 22. &c. 30.

Capitula quotidiana & eorum forma, ibid. Vestigium eorum in Officio Primæ, ibid.

CAPITULUM SEDE VACANTE.

Capitulum Cathedrale, uti Clerum repræsentans vices Episcopi in administranda Ecclesia supplet, p. 1. t. 9. c. 1. tot. In quibus Episcopo regulariter succedat, ib. c. 2. tot. Quandonam succedat Episcopo in qualitate Apostolicæ Sedis Delegati, ibid. n. 2. Quomodo succedat in collationem beneficiorum, ibid. n. 5. & p. 2. t. 21. n. 25. 29. Quænam ejus potestas circa alienationem bonorum spectantium ad mensam Episcopalem, p. 1. t. 9. c. 2. n. 4. Potest dare Facultatem ordines conferendi, item suscipiendi sub moderatione Concilii Tridentini, ib. n. 6. & p. 2. t. 9. c. 3. n. 8. *Vide Dimissoriæ.*
An possit dare facultatem recipiendi ordines titulo Patrimonii, p. 2. t. 9. c. 2. n. 8.

Capitulum Sede vacante tenetur infra octo dies constituere Vicarium, ib. c. 3. nu. 7. Potest jurisdictionem Vicarii restringere, ibid. c. 4. nu. 5. Quamdiu Sedes moribus Belgii censeatur vacare, ib. c. 5. n. 9. Constituit & OEconomum, ib. c. 4. n. 9. Ad ipsum non diriguntur dispensationes Matrimoniales, p. 2. t. 14. c. 2. n. 9. Dispensationes ad Ordinarium directas, eo mortuo non possunt exequi Capitulum vel ejus Officialis, ibid. nu. 8. Potest unire Beneficia, p. 2. t. 29. c. 1. n. 24. *Vide Vicarius Sede vacante, OEconomus.*

CAPPELLA.

Cappellarum varia origo & significatio, p. 2. t. 16. c. 1. nu. 7. & t. 18. c. 4. n. 11. Quid Cappella S. Martini, ib. nu. 11. Quid Cappellæ Palatinæ, ibid. n. 14. Quibus competant oblationes quæ fiunt in Sacellis, p. 2. t. 32. c. 10. n. 8. 9. & 17. In admissione novæ Cappellæ attendendum ne populus ab Ecclesia Parochiali abstrahatur, p. 2. t. 16. c. 2. n. 9. Quæstûs causâ non ædificandæ, ibid. n. 10. Cappellarum reparatio cui incumbat, ib. c. 5. n. 28.

CAPPELLANIA.

Cappellaniarum & Cappellanorum origo, p. 2. t. 18. c. 4. n. 11. Eorum obligatio quoad officium Ecclesiasticum, ib. n. 20. Unde factum quod nomen Cappellani quasi valuerit, ibid. nu. 23. Eorum numerus merito reducendus, ib. n. 24.

Cappellaniæ in Parochialibus videntur institutæ in subsidium Parochorum, ibid. n. 26. Decretum Concilii Tridentini ad instantiam Gallorum circa Cappellanias non requirentes residentiam, ibid. n. 31.

Cappellaniæ quibus conferendæ, p. 2. t. 19. c. 2. tot. An requirant aliquem ordinem, p. 2. t. 18. c. 4. n. 26. & t. 19. c. 2. n. 1. Quænam requirant residentiam, ib. n. 16.

Cappellaniam habens cum onere Missæ quotidianæ an teneatur quotidie celebrare, p. 2. t. 5. c. 7. nu. 14. Si fundatio requirat ut fiat de aliquo Sancto an quotidie teneatur de illo celebrare, ibid. An dum alium substituit teneatur substituto ad stipendium ad rationem redituum Beneficii, ibid. nu. 15. Cappellaniæ cum solo onere celebrandi merito abrogandæ, ib. n. 19. & p. 2. t. 18. c. 4. n. 24.

CARCER.

Carcerandi subditos potestas non competit Capitulis, nisi id ex privilegio vel consuetudine habeant, p. 1. t. 11. c. 2. nu. 7. Incarcerantur Regulares qui exeunt sine licentia, p. 1. t. 31. c. 3. n. 32. & t. 27. tot. Carceris pœna olim inter Monachos nota, p. 1. t. 31. c. 3. n. 32 & p. 3. t. 11. num. 26. 27. &c. Item inter Canonicos, ibid. Cur hodie usitatior in Monasteriis, p. 1. t. 31. c. 3. n. 23. &c. Successit loco ejectionis ab ordine, ibid.

Carceratorum causæ brevissimis terminis & resecatis superfluis agitandæ, p. 3. t. 7. c. 4. nu. 40. Intra triduum tenetur Promotor vel Fiscalis adversus eos exhibere libellum, p. 3. t. 8. c. 3. n. 1. Nemo incarcerandus nisi præviis informationibus & authoritate Judicis, ib. c. 2. num. 2. Quænam attendenda ex jure communi & ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum antequam incarceratio decernatur, ib. n. 23. 24. Non facilè decernenda adversus Ecclesiasticos, ibid. n. 7. Nec adversus eos qui cautionem præstant de parendo, ibid. nu. 8. Sæpe ejusmodi relaxandi etiam dum agitur de pœna corporali, sed non in atrocioribus delictis, ibid. nu. 12. Deficiente cautione fidejussoria sæpe sufficit juratoria, ibid. & nu. 15. Edicta Principum Belgii super expeditione captivorum, directione carcerum, electione custodis, solamine captivorum &c. ib. num. 18. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Belgii iis in omnibus consonant, ib. n. 18. Cura quam adhiberi voluit S. Carolus circa captivos ib. n. 32.

Carceres sæpius per Episcopos visitari voluerunt Imperatores & quare, ib. nu. 29. Id merito hodie sæpius facerent Episcopi & Pastores, ib. n. 37.

Carceris Custodes quales eligendi, ib. nu. 17. &c. Custos stuprans Captivam suam punitur pœnâ mortis, p. 3. t. 4. c. 4. n. 39. Ad quid teneatur Custos si ejus negligentia reus fugerit de carcere, p. 3. t. 8. c. 2. n. 25.

Carcer ultimum medium executionis est, p. 3. t. 9. c. 4. nu. 23. &c. Quando & quâ formâ pro debitis civilibus ad eum procedatur, ibid. Idem procedit in mulieribus, & quænam in earum incarceratione cavenda, ibid. nu. 27. 28. An locum habeat incarceratio in Clericis constitutis in Ordine Sacro, ibid. nu. 29. Ab incarceratione liberat cessio bonorum, ibid. n. 31.

Carceris pœna in Clericos criminum atrociorum reos Jure Decretalium decerni potest, p. 3. t. 11. c. 1. num. 23. 24. Etiam Carceris perpetui, ibid. Consonat hodierna praxis, ibid. n. 25. Tantum possunt Carceribus Episcopalibus mancipari, ibid. n. 27. *Vide Cessio bonorum.*

CARDINALES.

Cardinales quinam, & unde olim vocati, p. 1. t. 22. c. 1. tot. Cardinalium Romanorum origo, numerus, incrementum, ibid. nu. 11. & seq. Multis sæculis Episcopi eis fuerunt Prælati, ib. n. 21. Quomodo ad eam dignitatem sensim ascenderint, ibid. n. 22. Circa sæculum XII. cœperunt Cardinales Episcopi, ib. n. 12.

Cardinales nullo alio titulo aut insigniis uti possunt quam Cardinalitio, ib. n. 26. Eorum officia, ib. n. 30. Si Abbatiam in commendam obtineant, habent etiam Jurisdictionem in disciplinam Claustralem, p. 1. t. 31. c. 7. n. 44. & seq. Per illos Episcopi malè tractati & de eo querelæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 28.

Cardinalium Congregationes, p. 1. t. 21. c. 2. tot.

Cardinales utrum comprehendantur sub generali clausula derogationis, p. 2. t. 22. c. 2. n. 19. Portionem suam habent in Annatis, p. 1. t. 24. c. 4. n. 15. Quam frugaliter uti debeant rebus Ecclesiæ tam in vestitu, mensâ quam suppellectile, p. 2. t. 32. c. 4. n. 6. & seq. Prætextus in contrarium discutiuntur & refutantur, ibid. num. 8.

CASTITAS.

Castitas maximè decet Clericos, p. 1. t. 2. c. 3. n. 1. Synodorum Belgicarum decreta pro servanda Castitate & bonâ famâ Clericorum, ib. n. 3. Conversatio mulierum eis interdicitur, ib. n. 6. Synodus Leodiensis vetat admitti ad ordines, eos qui in adolescentia fuerint mœchati, & lapsos post ordinem susceptum ad altiorem gradum vetat promoveri, p. 1. t. 2. c. 3. n. 4. & p. 2. t. 9. c. 4. n. 26. In Diœcesi Mechliniensi nemo censetur approbatus ad absolvendum à peccato mortali contra castitatem complicem secum in eodem, p. 2. t. 6. c. 7. n. 31. Sacerdos ad libidinem inducens filias suas spirituales quâ pœnâ afficiendus, p. 3. t. 4. c. 4. num. 41.

Castitatis mentio expressa in antiquis formulis Professionis, & in aliquibus recentioribus non invenitur, p. 1. t. 30. c. 1. n. 1. Tacitè tamen includitur, ibid. Quænam votum Castitatis involvat, ib. n. 3. Hujus voti transgressio censetur Bigamia similitudinaria, p. 2. t. 10. c. 2. n. 31.

Index Rerum & Verborum.

Castitati præcipuè inimica sunt spectacula seu Comœdiæ. p. 2. t. 17. c. 5. n. 8. Item Choreæ & tripudia in Belgio, præsertim ruri frequentata, ib. num. 14. 18. Remedia à Synodis Belgii & Episcopis proposita pro earum extirpatione, ib. nu. 19. & seq. Edicta Regia pro earumdem executione, ibid. n. 25. Obligatio Episcoporum, Pastorum & Magistratus Civilis eliminandi Meretrices, Statuas, Libros, & Cantilenas inhonestas, p. 3. t. 4. c. 4. nu. 67. Specialiter natationes publicas & denudationes corporum, ibid.

CATECHISMUS.

Vide Instructio Christiana.

CATECHUMENUS.

Catechumenorum olim varii erant ordines, & quid in quolibet eorum fieret, p. 2. t. 2. c. 3. nu. 2. Disciplina Ecclesiastica circa Catechumenos tota latissimè describitur, ibid. num. 7. & seq. Quo tempore nomen darent & quid hoc importet, ib. nu. 13. Quid redditio symboli in Catechumenis, ibid. n. 27. Quibusdam minutis Sacramentis utebantur & quænam illa & in quem finem, ib. nu. 33. Quid Missa Catechumenorum, p. 2. t. 5. c. 1. nu. 2. Ritus hoderni Baptismi plurima habent antiquæ circa Catechumenos disciplinæ vestigia, p. 2. t. 2. c. 3. n. 22. & seq. Impedimentum cognationis spiritualis ex Catechismo hodie videtur sublatum, p. 2. t. 13. c. 6. n. 15.

CAVEA CAPITULARIS.

Vide Cella Capitularis.

CAUSA.

Causam criminalem olim quilibet poterat instituere inscribendo se ad pœnam Talionis, p. 3. t. 8. c. 1. nu. 7. Hodie nemo potest criminaliter agere concludendo ad vindictam publicam nisi Officiarii ad hoc constituti nec tenentur se præscribere, ib. n. 9. Si accusationem malè instituant quâ pœnâ afficiendi, ib. n. 14. Quomodo hodie Judex procedat ex inquisitione, ibid. n. 20. Quomodo hodie processus criminales instruantur tam in Sæcularibus quam Ecclesiasticis Tribunalibus, p. 3. t. 8. c. 1. & seq. Quænam conclusio in criminalibus, ib. c. 3. nu. 8. Si Reus ex sua confessione vel informationibus parum gravetur, processus instituitur modo in civilibus usitato, ib. nu. 16. &c. Nullo casu accusatori defertur juramentum suppletorium, ib. Actio criminalis non cessat per condonationem partium, p. 3. t. 4. c. 4. n. 45.

Vide Confrontatio, Confessio, Depositio, Informatio, Interrogatoria, Probatio, Purgatio, Tortura.

Causæ miserabilium Personarum in Gallia hodie privativè spectant ad cognitionem Judicis Regii etiam adversus Clericos & ejus ratio, p. 3. t. 2. c. 3. nu. 27. Quænam dicantur miserabiles Personæ, ibid. Cura quam Episcopi debent impendere ut justitia illis administretur, ibid. & n. 18. In hisce Causis Clericis licitum est Advocatum agere, p. 3. t. 6. c. 2. n. 55.

CAUSÆ MAJORES.

Causæ Majores Episcoporum juxta Canones terminari debent in Synodis, p. 3. t. 3. c. 4. tot. An, & quid circa hanc disciplinam immutarit Synodus Sardicensis, cujus Canones explicantur, ibid. nu. 7. Disciplina moderna, quæ Causas Majores reservat Pontifici, à quo tempore invaluerit, ib. n. 16. & seq. Decretum Concilii Tridentini circa eandem disciplinam, ibid. num. 29. Displicuit Gallis, ib. n. 33. In Belgio non est receptum & quare. ib. nu. 35. Episcopus nequidem in crimine læsæ Majestatis conveniri criminaliter potest coram Judice Laico, ib. nu. 38.

CAUSÆ MATRIMONIALES.

Vide Matrimonium.

CAUSÆ POSSESSORIÆ.

Vide Possessorium, Forum competens.

CAUTIO.

Cautionem præstare tenentur Custodes seu Matricularii & qualem, p. 1. t. 4. c. 1. nu. 4. Item conductores bonorum Fabricæ & Mensæ S. Spiritus, p. 1. t. 5. c. 2. num. 4. Item Impetrantes rescripta moratoria solutionum, p. 3. t. 9. c. 4. tot. Item usurarius super restitutione usurarum antequam admittatur ad sepulturam Ecclesiasticam, p. 2. t. 38. c. 6. n. 25.

Cautio de rato an & quando in litibus admittatur, p. 3. t. 6. c. 3. n. 24.

Cautionem præstans de parendo non debet incarcerari, p. 3. t. 8. c. 2. nu. 8. Sæpe talis relaxandus, etiam dum agitur de pœna corporali, sed non super delicto atrociori, ibid. nu. 10. 12. Deficiente cautione fidejussoria sæpe sufficit juratoria, ibid. nu. 15. Variæ causæ & Tribunalia in quibus sententiæ mandantur executioni sub cautione non obstante appellatione, p. 3. t. 12. c. 3. n. 28. 29.

CELLÆ CAPITULARES.

Cellæ Capitulares lucri causâ sæcularibus patere non possunt, Quidquid emolumenti superest in pios usus erogandum, ibid.

CELLARIUS.

Cellarius aliter vocatur Procurator & Provisor, ejus officium, qualis eligendus, p. 1. t. 31. c. 5. n. 12. Quid specialiter debeat attendere, num. 13. Convenit ut negotia multum distrahentia committantur sæcularibus, ib. n. 15. & p. 3. t. 6. c. 3. num. 18. &c. Potest Superior ejus potestatem restringere vel ampliare, p. 1. t. 31. c. 5. n. 17.

CENSURA.

Censuræ apud veteres non adeò præcisè acceptæ, uti apud modernos, p. 3. t. 11. c. 2. tot. Pro intellectu hujus materiæ etiam antiqui Canones expendendi, ib. n. 3. Hodierna definitio censuræ, ib. n. 7.

Censuræ tres tantum sunt species, ibid. n. 4. Authoritas eas ferendi dependet à potestate Clavium, ibid. n. 9. Mulieres eas ferre non possunt, ib. n. 9. Explicatur cap. 12. *De Majoritate & obedientia*, ib. n. 11. Hodie distinguitur [illegible]estas Clavium in ea quæ sunt ordinis & ea quæ sunt jurisdict[illegible]is, & huic reservatur potestas ferendi censuras, ibid. n. 16. [illegible]d ferendas censuras requiritur jurisdictio in foro exteriori, ib. n. 17. Aliquibus Decanis seu Capitulis competere potest ex consuetudine, p. 1. t. 18. c. 2. n. 8. & p. 3. t. 11. c. 2. n. 18. Competere potest Clerico primæ Tonsuræ, ib n. 19. Hæc authoritas acquiri potest præscriptione & consuetudine, ib. n. 21. Regulares tenentur observare censuras latas ab Ordinario, ib. n. 23.

Censura injusta nullum effectum habet coram Deo, ib. c. 5. n. 12. Quo sensu S. Gregorius dixerit eam esse timendam, ib. nu. 19. Interdum potest publicè contemn[illegible], ib. n. 21.

Censura tolli non potest nisi ab eo qui eam tulit vel eum repræsentante, p. 3. t. 11. c. 11. n. 1. 2. Olim ab Episcopo eam tollere recusante dabatur ultima appellatio ad Synodum, ib. n. 3. Ad quem hodie spectet facultas absolvendi à censuris, ib. nu. 10.

Vide Absolutio.

An Judices Regii cogere possint Judices Ecclesiasticos ad tollendas censuras, ib. n. 25.

CEREMONIÆ.

Ceremoniarum institutio & immutatio à Christo Ecclesiæ est relicta, p. 2. t. 5. c. 1. tot. Earum varietas non officit unitati fidei, ib. n. 13. Quænam lex in illa varietate servanda, ib. n. 20. In iis multa habentur pro lege quæ ab usu irrepserunt, ib. n. 28. Ceremoniarum Magister, de quibus debeat esse instructus, ib. n. 25. Quam sit necessarius, ibid.

CEREUS.

Cerei dati Neophytis post Baptismum antiquitas & significatio, p. 2. t. 3. c. 3. nu. 42. Septem diebus eo utebantur in Ecclesia, ib. n. 43.

Cereorum in elatione funerum antiquitas & ratio, p. 2. t. 38. c. 1. n. 27. Cui competant Cerei feretro in exequiis appositi, p. 2. t. 38. c. 4. n. 47.

Cereorum extinctio in ritu excommunicationis quid significet, à quo tempore usitata, & ejus scopus, p. 3 t. 11. c. 8. n. 7. 10.

CESSIO BONORUM.

Cessio bonorum liberat ab incarceratione, p. 3 t. 9. c. 4. n. 31. Jure civili fit solâ professione absque aliqua solemnitate, ibid. n. 32. Solemnitas & forma inducta in Gallia ne facilis cessio ansam daret fraudibus, ib. n. 33. & seq. Si impetrans litteras Cessionis alia bona acquirat, tenetur ea consignare ad opus creditorum, quid & quantum sibi retinere possit, ib. n. 37. Ut litteras cessionis quis impetret, docere debet de infortunio, ibid. Decoctoribus & fraudulentis creditorum circumventoribus hoc beneficio non subvenitur, ibid. n. 38. Edicta adversus fraudulentas Cessiones, ib. n. 39.

Cessio bonorum variis personis in quibusdam causis ad evitandum carcerem necessaria non est, & quænam illæ, ib. n. 40. Id privilegium videtur concessum Clericis in Cap. *Odoardus* de solut. ibid. n. 41. Quousque illud obtineat in Gallia, ib. nu. 42. Ejus effectus, ibid. n. 43.

CHARACTER.

Vide Sacramentum.

CHORUS.

Chorus est locus Clericorum, p. 2. t. 16. c. 1. n. 35. & t. 25. c. 7. n. 35. Cancellis & velo olim separabatur à reliqua parte Templi, & ejus rei adhuc exstant vestigia, ib. n. 36. Quomodo Laicis patere possit juxta Canones, ib. n. 37. Patronis competit jus Sedis in Choro & qualis, ib. n. 38. & t. 25. c. 7. n. 27.

Chorum ingredi prohibitum mulieribus, p. 2. t. 16. c. 1. nu. 40.

CHOREÆ.

Choreæ cum sanctificatione Festorum nullatenus consistunt, p. 2. t. 17. c. 5. n. 17. Choreæ quæ in popinis in Belgio frequentantur admodum sunt abominandæ, ib. n. 18. Decreta Synodorum & Episcoporum Belgii pro earum exstirpatione, ib. n. 19. Decreto Regio roborantur, ib. nu. 25. Prohibentur specialiter in cœmiteriis, p. 2. t. 38. c 2 n. 23. & seq.

CHRISMA.

Chrisma à solo Episcopo benedici potest, p. 2. t. 3. c. 8. n. 11. Olim benedicebatur omni tempore, & quandoque id ad feriam V. in Cœna Domini restrictum, ib. n. 12. 13. A quo accipiendum, & quæ in ejusdem distributione cadenda, ib. n. 16. Ex quo conficiatur, ib. c. 4. n. 5. An spectet ad essentiam Confirmationis, ita ut non sufficiat unctio olei, ib. n. 6. Quid unctio Chrismatis in vertice Baptizati, p. 2. t. 2. c. 3. n. 45. &c.

CITA-

Index Rerum & Verborum.

CITATIO.

Citationes extra Diœcesim ultra duas Diætas inhibet Concilium Lateranense & quare, p. 3. t. 5. c. 3. num. 2. Quomodo diæta hic accipiatur, ibid. Bonifacius VIII. restrinxit ad unam diætam, ibid. nu. 3. In Gallia causa appellationis deleganda est in propria Diœcesi, ib. n. 8. Privilegium Belgarum quo non possunt ad judicium evocari extra Provinciam in quacumque causa & instantia, ibid. n. 10. & seq.

Vide Belgium.

Quid obtineat quoad hæc in Hispania, ib. n. 25. Quid in Gallia, ib. nu. 26. Quandonam aliquis dicatur citari extra Provinciam, ibid. n. 22. & seq.

Citatio est exordium & fundamentum totius processus, & est juris naturalis, p. 3. t. 7. c. 2. tot. An prævie ad citationem requiratur mandatum Judicis, ibid. nu. 5. 6. An debeat citatio fieri ad personam, & an sufficiat ad Domicilium, ib. n. 12. Quodnam in hac materia dicatur domicilium, ib. nu. 20. Forma qua citatio fit ad Domicilium, ib. n. 16. 18. Quomodo citanda collegia & illustres personæ, ibid. n. 21. Forma citationis per edictum, & quo casu, & adversus quos eâ uti liceat, ib. n. 27. Forma litterarum citatorialium, ibid. Apparitor tenetur dare relationem suæ citationis & qua forma, ibid. n. 32. Citato concedendus est sufficiens terminus, ibid. n. 33. Ob hunc defectum admitteretur appellatio, p. 3. t. 10. c. 1.

Citatio Personalis in causis civilibus hodie exolevit, p. 3. t. 6. c. 3. n. 7. In criminalibus hodie usitata affinis est apprehensioni, p. 3. t. 8. c. 2. num. 39. Constituit Citatum in reatu & infamia, & suspendit ab officio publico usque ad plenam purgationem, ibid. t. 6. c. 3. n. 8. Citatus personaliter non potest comparere per Procuratorem nisi ad allegandum impedimentum, p. 3. t. 8. c. 2. n. 41. Non relaxatur nisi responderit, ibid. n. 43. Interdum citatio personalis decreto Judicis convertitur in simplicem, ib. n. 42. Citatio personalis in aliquibus causis civilibus adhuc in usu est in Curiis Ecclesiasticis, ibid.

CLAUSURA MONIALIUM.

Clausuræ Monialium antiquitas, p. 1. t. 30. c. 3. tot. Ad omnes omnino Moniales se extendit, ib. n. 9.

Clausura Monialium vigore Concilii Tridentini Episcopi curæ subjicitur quoad omnia Monasteria Monialium, ibid. nu. 81. Potest ea etiam Regularibus subjecta. quoad clausuram visitare, ibid. n. 12. Rationes ob quas licentia exeundi concedi potest, ibid. nu. 14 Causa exeundi ab Episcopo, etiam in exemptis approbanda, ibid. n. 18.

Clausurâ vetatur ingressus personarum extranearum nisi in casibus necessariis, ib. c. 4. nu. 4. Etiam Episcopi & Superioris extra casum visitationis, aut aliam causam necessariam, ib. n. 3. Quænam dicantur causæ necessariæ, ibid. n. 4. Licentia intrandi in scriptis concedenda, & quâ cautelâ, ib. n. 2.

Clausura violari potest per frequentiora colloquia ad Cancellos, ib. n. 8. Episcopi est, similibus modum ponere, etiam in monasteriis Regularibus subjectis, ibid. nu. 9. Punire potest Regularem etiam exemptum, ob colloquium cum Moniali, ibid. n. 10.

Clausura in toto rigore Concilii Tridentini & Constitutionis Pii V. in Belgio non potuit servari, uti nec adeo, ut alibi, est necessaria, & quare, ib nu. 14. & seq. Varia Decreta Synodorum & Episcoporum Belgii circa exitum & conversationem Monialium, ib. n. 17. Decretum Concilii Tridentini de transferendis monasteriis Monialium ad urbes in Belgio obtinere non potuit, ib. n. 30.

CLERICUS.

Clericorum vita otiosa est admodum scandalosa, p. 1. t. 1. c. 4. n. 1. Alicui Ecclesiæ debent adscribi, ibid. nu. 2. Quomodo Ecclesiæ sibi designatæ debeant inservire, ibid. n. 4. Singularis in eis morum honestas requiritur, p. 1. t. 2. c. 1. tot. In quibus hæc consistat, ibid. & c. 2. tot.

Clericos, titulo maximè speciali, dedecet incontinentia, ib. c. 3. tot. Familiarior cum mulieribus conversatio cavenda, ibid. n. 2. Etiam cum mulieribus devotionem præferentibus, ib. n. 7. Decreta Synodorum Belgii pro conservatione castitatis & bonæ famæ Clericorum, ib. n. 3. 4. &c.

Clericis Ebrietatem Canones & Synodi specialiter interdicunt, ib. c. 4. n. 1. Commessationes similiter & compotationes, ib. n. 3. Item ingressum tabernarum extra casum necessitatis, ib. n. 4. Si necessitas id cogat, quomodo in iis se gerere debeant, ib. nu. 6.

Clericis ludum alearum non solum prohibent Canones, sed etiam Leges, ib. c. 5. tot. Quomodo in ludis licitis se habere debeant, ib. n. 8

Vide Ludus Fortunæ.

Clericali Professioni contrariantur negotia sæcularia, ib. c. 6. tot. Conductio prædiorum, terrarum, vel etiam Decimarum alienarum eis interdicitur, p. 2. t. 36. c. 2. n. 16. 17. & p. 1. t. 2. c. 6. n. 3. Famulatus sæcularium vel familiarium administratio eis non convenit, ib. n. 4. Quomodo Principum Cappellani se gerere debeant, ibid. n. 5. Mercatura Clericis specialiter interdicitur. *Vide Mercatura.*

Clericos à strepitu Forensi alienos voluerunt Patres & Imperatores, p. 3. t. 6. c. 2. n. 52. & seq. & ibid. c. 3. nu. 39. Ratio hæc erat concessæ immunitatis Ecclesiasticæ, p. 3. t. 1. c. 3. n. 20. Inhibetur eis officium Advocati in Curiis sæcularibus, p. 3. t. 6. c. 2. n. 53. Excipiuntur causæ Ecclesiæ, miserabilium Personarum & propriæ, quâ moderatione, ib. nu. 54. An idem eis prohibitum in Curiis Ecclesiasticis, ibid. nu. 55. Non probatur in Clericis studium Legum.

Vide Leges Civiles.

Commendatur studium Canonum & quale.

Vide Canones.

Clericorum Confessarios speciales deputabat S. Carolus & Clericos in approbationibus aliorum excipiebat, & quanta inde utilitas, p. 1. t. 6. c. 5. n. 24.

Clerici officium, cui judicium sanguinis annexum est, exercere non possunt, p. 2. t. 10. c. 4. nu. 7. Vetitum eos adesse ubi vindicta sanguinis exercetur, ib. n. 12.

Clericis Matrimonium Canonibus interdictum & rationes morales hujus prohibitionis, p. 2. t. 13. c. 4. nu. 15. Qui negotiis sæcularibus & desideriis sensualibus immiscentur verè contra Canones & eorum spiritum impingunt, ibid.

Clericorum bona Patrimonialia deficiente legitimo hærede deferuntur Ecclesiæ, excluso Fisco & quare, p. 2. t. 32. c. 8. tot. Quomodo de bonis suis Patrimonialibus debeant disponere, ib. & c. 7. n. 5.

Clericis prohibetur induere vestes lugubres in morte parentum, p. 2. t. 38. c. 1. n. 34.

Clerici in Academiis versantes tenentur observare statuta de vita & honestate Clericorum, p. 1. t. 7. c. 10. n. 11. & p. 3. t. 12. c. 5. num. 39.

Clericus dicturus testimonium coram Tribunali laico, coram quo debeat præstare juramentum, p. 3. t. 7. c. 4. n. 29.

Vide Habitus Clericalis, Bona Ecclesiæ.

COEMETERIUM.

Cœmeteria vocantur loca sepulturæ Christianorum, & hujus nominis origo, p. 2. t. 37. c. 2. tot. Unde ortum, quod deligerentur apud Ecclesias, ibid. n. 15. Requiritur ut specialiter consecrentur, & à quo tempore, ibid. n. 19. Quid pro reverentia Cœmeteriorum statuerint Synodi, ib. n. 23. &c.

Cœmeteria sunt ex instituto suo destinata sepeliendis Fidelium corporibus, ibid. n. 25. Summus abusus est mos hodiernus promiscuè sepeliendi in Ecclesiis, ib. n. 39. &c. Quâ occasione, quibus motivis, quibus gradibus eò deventum, ibid. Decreta Synodorum pro restitutione moris sepeliendi in Cœmeteriis, ibid.

Cœmeterium qua ratione profanetur, p. 2. t. 16. c. 4. n. 13. seq. & p. 2. t. 38. c. 6. n. 30. Quomodo reconcilietur, p. 2. t. 16. c. 4. n. 20. Crimen pollutionis Cœmeterii ad cujus cognitionem spectet, p. 3. t. 4. c. 5. n. 35.

COGNATIO.

Cognatio legalis idem est quod adoptio; cur ita dicta, & ratio cur dirimat Matrimonium, p. 2. t. 13. c. 6. tot. Ad quos se extendat, ibid. n. 3. An & quousque dirimat solutâ adoptione, ib. n. 4.

Cognatio spiritualis inducta ad exemplum Cognationis legalis, ib. n. 7. Hujus impedimenti antiquitas, ib. n. 9. Quousque olim fuerit extensum, & ratio cur per Concilium Tridentinum fuerit restrictum, ib. n. 13. Ad quos tantum hodie se extendat, ibid. num. 15.

Cognatio hæc oritur inter conjuges, si alter eorum prolem communem suscipiat vel baptizet extra casum necessitatis, ibid. n. 16. &c. Hoc casu oritur inter fornicarios non obstante necessitate, ibid. Quid ad contrahendam Cognationem spiritualem requiratur & sufficiat, ibid. Pro obtinenda dispensatione quænam exprimenda, p. 2. t. 14. c. 3. n. 18.

Cognatio ratione Catechismi hodie sublata videtur, p. 2. t. 13. c. 6. num. 21.

Cognatio spiritualis peccato carnis addit qualitatem incestus, p. 3. t. 4. c. 4. n. 48. & seq. Sacerdos stuprans vel ad libidinem inducens filias suas spirituales quâ pœnâ afficiendus, ib. n. 41. & 69.

Vide Patrini.

COLLATIO BENEFICIORUM.

Collatores ordinarii quinam dicantur, p. 2. t. 21. c. 1. tot. Naturaliter spectat ad Episcopum per totam Diœcesim, ibid. n. 2. Episcopus tenetur consulere Capitulum maximè quoad Collationes Canonicatuum Cathedralium, ib. n. 7 10. Diversitas quoad Collatores Canonicatuum, item Dignitatum in diversis Ecclesiis & unde illa originem suam habeat, ib. n. 20.

Collationes quidam sentiunt inter fructus computandos, ib. n. 26. Opinio hæc nullibi in jure fundata, ibid. n. 27. 28. Quam perversam ideam imprimat, ib. n. 30.

Collatio libera spectans ad Episcopum non devolvitur ad Capitulum Sede vacante, & quare, p. 1. t. 9. c. 2. n. 3. & p. 2 t. 21. c. 1. n. 25. Excipiuntur Ecclesiæ Parochiales, ib. n. 30.

Collatio quid sit, ejus divisio, item effectus, ibid. c. 2. tot. Utrum concedi possit à Laico, ibid. n. 6. Quâ formâ & per quem expediri debeat, ib. n. 9. Si duæ Collationes ejusdem Beneficii factæ sint diversis, quænam præferenda, ib. n. 19. Quid requiratur ut una prior alterâ censeatur, ib. & seq.

Collatio Beneficiorum competens Regi in Gallia aperta Regalia, & varia ejus privilegia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 18. & seq.

Collationes Beneficiorum an per Reges & Principes fieri possint pleno jure, ib. c. 9. n. 5. &c. Id faciunt Reges Galliæ & Principes Belgii & quo titulo, ibid. num. 10. Cura animarum annexa eo non obstante ab Ordinariis accipienda, ibid. n. 12. Reprobatur sententia Molinæi censentis hæc Beneficia esse merè profana, ib. c. 8. n. 66. & c. 9. n. 11.

Vide Acceptio Personarum, Patronus, Præsentatio.

COLLECTA.

Vide Impositio.

COLLEGIA ACADEMICA.

Collegia Academica an censeantur manus mortuæ, p. 1. t. 29. c. 3. n. 24. Eorum institutio, scopus & administratio, p. 2. t. 11. c. 4. tot. Habent suos Præsides & Provisores & quodnam eorum officium, ib. n. 10. Quinam ad ea admittantur, ib. n. 9. Norma eorum vivendi non absimilis disciplinæ Seminariorum, ibid. nu. 12. Quod ostenditur exemplo Collegii Adriani VI. ibid. n. 13. Ex Collegiis Academicis doctiores & meliores operarii prodire solent quam ex privatis Seminariis & quare, ib. num. 25. Laudanda cura Episcoporum qui capaciores ex suis Clericis potius mittunt ad Academias, ibid. nu. 26. Quæ cautela in ea missione adhibenda, ib. n. 27.

Collegium Adriani VI. à viginti tribus annis domicilium fuit Authoris, p. 2. t. 11. c. 4. n. 20. Ejus disciplina.

Vide Bursæ, Seminarium.

COMMENDÆ.

Commendarum origo, usus, abusus, incommoda, incrementum, & modificatio latissimè describuntur, p. 1. t. 31. c. 7. tot. & p. 2. t. 20. c. 2. nu. 17. In Gallia per Concordatum erant abolitæ & quomodo equidem permanserint, p. 1. t. 31. c. 7. n. 33. &c. Ab iis immunes manent Abbatiæ Ordinum Capita, ib. n. 36. Antithesis inter Commendas pristinas & hodiernas, ibid. nu. 37. & seq. Solus Papa potest Beneficium Regulare Clerico sæculari in Commendam concedere, ibid. nu. 41. Commenda potest cum alio Beneficio permutari, ib. n. 42. Cautiones adhibitæ ut Monachis & Monasterio de necessariis provideatur, ib. n. 48.

Commendæ aliquando introductæ in Belgium, ib. n. 8. & 52. Abbates Brabantiæ illis strenuè se opponunt & prævalent, ib. n. 53. Duces Brabantiæ jurant se Commendas numquam permissuros, ibid.

Commendis occasionem dedit distinctio Mensæ Abbatialis à Conventuali, ibid. n. 54.

Vide Abbas Commendatarius.

COMMUNIO.

Communio apud antiquos sæpe vocatur Sacramentum Pœnitentiæ & quare, p. 2. t. 6. c. 1. num. 5. Unde ortum quod electus Episcopus in consecratione simul cum Consecratore de eadem hostia participet, p. 1. t. 15. c. 3. n. 19.

Communio olim dabatur infantibus uti & hodie apud Græcos, quod Synodus Tridentina non improbavit, p. 2. t. 4. c. 2. n. 2. & 3. Hodierna disciplina id non admittit, ibid. n. 5. Quomodo pueri ad primam Communionem disponendi, ib. n. 7.

Communione publicè privantur notoriè indigni, ibid. n. 10. 13. Etiam Communione per modum viatici, ibid. Quinam tales censendi, p. 2. t. 4. c. 2. num. 19. Regulæ expendendæ dum est multitudo peccantium, vel persona quæ repellitur multitudinem sibi habet obnoxiam, p. 3. t. 11. c. 7. nu. 15. Non requiritur notoreitas Juris, ib. nu. 20. Quid de occultis peccatoribus, ibid. &c.

Communio danda est damnatis ad mortem, ib. nu. 24. Pristina disciplina adversatur & quare, ibid. n. 25.

Communio infirmorum duplex est, una ex devotione altera viaticum, & earum differentia, p. 2. t. 4. c. 4. nu. 5. Utriusque hujus Communionis solus Parochus est minister, ibid. n. 8. Pœnæ decretæ in Regulares occultè deferentes Eucharistiam ad infirmos, ib. n. 11. & in additamento cap. 2.

Communio ante sæculum 12. vix umquam extra Missarum solemnia populo distributa, p. 2. t. 5. c. 3. n. 11. Contraria consuetudo à Mendicantibus introducta, ibid. n. 15 cum seq. Optandum ea disciplina reduceretur, & qua ratione id fieri possit, ibid. Missa ejusque orationes primitus sic instituta ac si assistentes communicarent, & soli Communicantes interesse sinebantur, ib. n. 4.

Communio Paschalis ex præcepto positivo sola est necessaria, p. 2. t. 4. c. 3. tot. Aliquando præceptum fuit ut Fideles ter in anno communicarent, ib. nu. 3. Concilium Lateranense redegit ad minus ad semel, ib. n. 4. Hæc in Ecclesia Parochiali facienda, ibid. n. 8. Quid de famulis & Domesticis Monasteriorum, ib. n. 9. Quodnam censeatur tempus Paschale, & quis possit illud prorogare, ibid. n. 15. Pœna non Communicantis in Paschate, ibid. num. 16. Parochus non potest hanc pœnam sua authoritate infligere, & quare minus quàm à Communione repellere, ibid. n. 17.

Communio in antiquis Canonibus non semper accipitur pro Eucharistia, p. 2. t. 6. c. 1. n. 5. & p. 2. t. 38. c. 6. n. 21. In quo consisteret Communio Ecclesiarum totius orbis inter se, p. 3. t. 11. c. 3. n. 8. &c. & quomodo illa interrumpebatur, ibid. n. 12. Aliquando interrumpebatur inter Plebem & Episcopum, inter Episcopum & Metropolitanum, ibid. Ob abusus id prohibetur per Synodum VIII. ibid.

Vide Eucharistia.

COMOEDIÆ.

Vide Spectacula.

COMPUTUS.

Computibus Bonorum Fabricæ & mensæ S. Spiritus quinam intervenire debeant, p. 1. t. 5. c. 3. nu. 1. Concilium Tridentinum tantum cum limitatione in hac materia in Belgio receptum, ibid. c. 4. nu. 2. Varia circa redditionem hujus Computus observanda, ib. c. 5. tot. Defectus & abusus in Computibus per quos corrigendi, ibid. Quis cognoscere debeat de quæstionibus in hac materia exsurgentibus. Regulæ generales in hac materia observandæ, p. 1. t. 5. c. 6. tot. Computus Fabricæ exhibendi sunt Decimatoribus & quare.

Computus Hospitalium & aliorum piorum locorum Episcopi per se vel Commissarium interveniunt, p. 2. t. 56. c. 2. num. 33. & seq. Episcopo vel ejus commissario visitanti & requirenti Computus conclusi sunt exhibendi, ibid.

Computus reddere tenentur Abbates & Superiores Regulares & coram quibus, p. 1. t. 31. c. 5. n. 8. An Episcopus Computibus exemptorum possit intervenire, ibid. n. 9.

COMPROMISSUM.

Compromissum quid sit, & qua forma debeat expediri, p. 3. t. 5. c. 4. n. 4. cum seq. An possit compromitti in plures, ibid. n. 11. An possit hodie compromitti in duos cum facultate assumendi tertium in casum dissensus, ibid. n. 15. Si in plures simpliciter fuerit compromissum, an uno absente reliqui possint procedere, ibid. nu. 12. An compromitti possit in Judices ordinarios, ib. n. 19.

Compromissis sæpe inseritur pœna & quandonam illa debeatur, ibid. n. 16. An mediante solutione pœnæ liceat à compromisso resilire, ibid. n. 17. An compromissum fieri possit interposito juramento, ibid. n. 18.

Compromissi naturam in prima sua origine habuerunt Judicia Ecclesiastica, p. 3. t. 1. c. 1. tot. n. 34. & c. 2. n. 1. &c.

Vide Arbiter.

CONCORDATA.

Concordata cum Regularibus Parochi rarò inire debent super juribus suis Parochialibus & quare, p. 2. t. 37. c. 5. num. 39. In eorum concinnatione omnis obscuritas vel ambiguitas cavenda, ib. n. 40.

Vide Transactio.

CONCORDATA BRABANTIÆ.

Concordata Brabantiæ inita fuère inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, p. 3. t. 2. c. 1. nu. 13. Habentur in Brabantia pro lege, ibid. Authoritas quam tribuunt Episcopo in omnes Fundationes pias, Hospitalia &c. p. 2. t. 37. c. 2. nu. 43. Pene quoad omnes causas Laicos Judiciis Ecclesiasticis subtrahunt, p. 3. t. 1. c. 2. nu. 19. &c. Quam authoritatem tribuant Judici Ecclesiastico circa testamenta, Pacta ante-nuptialia, dotes, alimenta, bona amortizata, p. 3. t. 2. c. 2. n. 19. seq.

CONCORDATA GALLIÆ.

Concordata Gallicana inita fuerunt inter Leonem X. & Franciscum I. & qua occasione, p. 1. t. 13. c. 3. num. 10. &c. Sanctio Pragmatica per illa abrogatur, ib. n. 11. Non nisi summa difficultate recepta, ib. n. 12. Regi reservant Nominationes ad Ecclesias Cathedrales & Metropolitanas, Pontifici confirmationem, ib. n. 13. 14. & t. 14. c. 1. num. 8. Excipiebantur Ecclesiæ quæ jus Electionis habebant ex privilegio Apostolico, illi mox derogatum, p. 1. t. 13. c. 3. n. 14. &c.

CONCORDATA GERMANIÆ.

Concordata Germaniæ qua occasione & inter quos inita, p. 1. t. 13. c. 2. n. 9. Electionem Episcoporum reservant Capitulis, confirmationem S. Sedi exceptis vacantibus in Curia, ibid. n. 10. Vigore eorum Episcopus Romæ confirmatus tenetur præstare juramentum aliaque debita Metropolitano, ibid. Ad quæ, & quos se extendant, ib. n. 11. Non comprehendunt Brabantiam exceptis Trajecto ad Mosam & Nivellis, & hujus exceptionis ratio, ibid. nu. 12. Tantum obligant illos, qui ea acceptarunt, ibid. n. 13. Varii qui illa non acceptarunt & quare, ibid. n. 14. Litteræ Maximiliani & Caroli V. ad Leodienses & Cameracenses pro eorum observatione, ibid.

CONCUBINATUS.

Concubinatus crimen juxta Concordata Brabantiæ est mixti fori, p. 3. t. 4. c. 4. n. 52. & seq. Non puniebatur Legibus Romanis, ibid. Constitutio Leonis sapientis vetans concubinatum, ib. nu. 54. Decretum Concilii Tridentini in Concubinarios & Concubinas, ib. n. 57. Matrimonium celebratum à Concubinariis in articulo mortis habetur in Gallia invalidum quoad effectus

effectus civiles, p. 2. t. 12. c. 5. n. 28 Decreta Synodi Mechliniensis adversus Clericos Concubinarios, p. 1. t. 2. c. 3. nu. 4.

CONCURSUS.

Concursus juxta Decretum Concilii Tridentini de providendis Ecclesiis Parochialibus in Belgio receptus est & usitatus, p. 2. t. 12. c. 5. tot. Defenditur adversus accusationem quasi faveret ambitioni, ib. n. 5.

Concursus indicendus per edictum, & qua forma, quo loco, & quo tempore id publicandum, p. 2. t. 12. c. 1. tot. Quænam Ecclesiæ concursui sint subjectæ, ibid. c. 2. nu. 2. & seq. Ecclesiæ quibus præest Vicarius perpetuus subjacent Concursui, ib. n. 7. An ei subjaceant Parochiales annexæ Dignitati, ibid. num. 9. Modus quo Concursui se sistant præsentati ad Ecclesias Patrimoniales & Nominati Academici, ib. nu. 12. Quibus modis vacare debeat Ecclesia ut sit locus concursui, p. 2. t. 22. c. 2. tot. Reservationes quantumcumque generales non impediunt Concursum, ib. n. 18. & c. 4. n. 16. Etiam Ecclesiæ Jurispatronatus mixti, ib. n. 22.

Concursus ut rectè instituatur cum Episcopo requiruntur Examinatores ad minus tres, p. 2. t. 22. c. 3. nu. 3. Qualitates necessario in eis requisitæ, ibid. n. 8. Eorum juramentum, ib. n. 13. Pœna adversus eos qui munera recipiunt, ibid. n. 15. 16. Episcopus non potest eis assignare stipendium, ib. num. 16. Varia super quibus Concurrentes examinandi, ibid. nu. 17. Peracto examine idonei reperti per Examinatores renuntiandi, ib. c. 4. n. 1. Qua forma hæc renuntiatio fieri debeat, ib. num. 3. 4. Episcopi solius est eligere digniorem ex judicatis idoneis, ibid. n. 7. An ab hac electione Episcopi detur appellatio, ibid. n. 9. In Ecclesiis Jurispatronatus electio dignioris aliquando erit penes Patronum, & quando, ib. n. 22. &c.

Concursus sede vacante instituitur per Capitulum, ib. nu. 29. & p. 2. t. 21. c. 1. n. 30.

CONFESSARIUS.

Confessarios pro tota Diœcesi approbandi consuetudo nondum invaluerat sæculo XIII. p. 1. t. 12. c. 4. n. 3. & p. 1. t. 6. c. 5. n. 8. Jure Decretalium libera Confessarii electio loco privilegii habetur, ib. n. 10.

Confessarius approbatus potest prorogare tempus communionis Paschalis respectu suorum pœnitentium, p. 1. t. 4. c. 3. n. 15. Hodie eorum arbitrio permittitur determinatio pœnitentiarum, p. 2. t. 16. c. 4. nu. 4. Variæ qualitates in iis requisitæ & varia ad quæ attendere debent, ibid. Ab omni specie quæstûs, avaritiæ, exspectationis temporalium debent esse alieni, ibid. nu. 10. Multis titulis hodie convenit eis notitia Canonum Pœnitentialium, ib. n. 18.

Confessarii officium obibant olim soli Episcopi, p. 2. t. 6. c. 5. n. 1. Pœnitentes reconciliabant & præcipua eorum cura illis incumbebat, ibid n. 3. Quomodo sensim ad Presbyteros ea potestas pervenerit, ibid. n. 5. 6.

Confessarios speciales pro Clericis approbabat S. Carolus, quod merito Episcopi imitarentur, p. 2. t. 6. c. 6. n. 24. Qualitates quas requirebat in Confessario Seminarii, p. 2. t. 11. c. 1. n. 17.

Vide Confessio.

CONFESSIO.

Confessio quare necessaria pro obtinenda remissione per Sacramentum Pœnitentiæ, p. 2. t. 6. c. 1. nu. 15. Olim confessio erat secreta etiamsi imponeretur pœnitentia publica, ib. c. 2. num. 6. Antiqua consuetudo confitendi in initio Quadragesimæ, ib. c. 4. num. 8. Eam reduci optant Synodi Belgicæ, ibid. Olim solis Parochis licebat confessiones excipere, ita ut confessio facta alteri sine ejus licentia haberetur nulla, ib. c. 5. nu. 8. Sæculo 13. ea potestas concessa Mendicantibus aliisque Presbyteris, ibid. n. 10.

Confessio Paschalis mansit tamen in obligatione, ibid. num. 13. & seq. Facienda est proprio Parocho semel in anno, ibid. Varia de illa obligatione Pontificum & Conciliorum Generalium, item Synodorum, etiam Belgicarum Decreta, ibid. nu. 14. & seq. Hæc obligatio etiam se extendit ad Clericos, & quisoam illorum proprius respectivè Sacerdos, ib. n. 19. In Belgio ubi à Prælatis obligatio illa non urgetur, nec convenit ut Pastores nimis illam urgeant & quare, ib. nu. 24. Licentia alteri confitendi à Parocho non facile deneganda, ibid. n. 25. Licentia illa in defectu Parochi ab Episcopo vel ejus Vicario concedi potest; quæ cautela in hoc necessaria, ib. n. 25. Satisfacit huic præcepto confessionis annuæ qui confitetur Pœnitentiario Episcopi, p. 1. t. 12. c. 3. n. 6. cum seq.

Vide Confessarius, Pœnitentia.

Confessio Rei quam fecit ad interrogatoria si sufficiens appareat, peritur super ea jus dici, p. 3. t. 8. c. 3. n. 9. Ex spontanea confessione indilatè procedi non potest ad condemnationem, sed adhuc datur terminus defensionis, ib. nu. 27. Confessio elicita per torturam exigui deberet esse momenti & quare, ib. nu. 35. & seq. Recusans respondere, item jurare, habetur pro confesso, p. 3. t. 7. c. 5. n. 35.

CONFIRMATIO.

Confirmatio olim variis aliis nominibus vocata, p. 2. t. 3. c. 1. n. 2. &c. Unde nominis hujus origo, ibid. nu. 3. Olim recenter baptizatis conferebatur & unde hoc mutatum, p. 2. t. 2. c. 3. nu. 45. & t. 3. c. 1. n. 6. Decreta Synodorum & Episcoporum Belgii pro instructione & præparatione confirmandorum, p. 2. t. 3. c. 1. nu. 9. &c. Episcopus ægrum non confirmatum invisere & confirmare tenetur, ibid. n. 14.

Confirmationis minister est solus Episcopus in Ecclesia Latina; in Ecclesia Græca etiam Presbyter, ib. c. 2. tot. In Ecclesia Latina seposita reservatione administrare hoc Sacramentum posset Presbyter, ib. n. 7.

Confirmatio an essentialiter requirat Unctionem Chrismatis sic, ut non sufficiat Unctio olei, ib. c. 3. num. 6. Unctio fit in fronte apud Latinos, apud Græcos in variis partibus corporis, ibid. n. 8. Differentia inter formam Latinorum & Græcorum, ib. n. 10. Ritus hujus Sacramenti, ibid. n. 12.

CONFIRMATIO ELECTIONIS.

Confirmationes Episcoporum olim spectabant ad Metropolitanum & Comprovinciales, p. 1. t. 14. c. 1. num. 1. Quomodo sensim ad solum Metropolitanum devolutæ sunt, dein ad Rom. Pont. ibid. num. 35. Præviâ informatione & causæ cognitione danda, ib. c. 2. tot. Quomodo & per quos informatio facienda, ib. nu. 5. 6. & c. 3. tot. Quo ritu olim & quo ritu hodie expediatur, ib. c. 4. n. 1. & seq. In Cancellaria registratur, p. 1. t. 23. c. 1. n. 11.

Confirmatione non expeditâ, administrationem suscipere non potest Electus, nequidem titulo Oeconomi aut aliàs, idque sub pœna privationis, p. 1. t. 14. c. 5. nu. 13. &c. Exceptio in Remotis à curia concorditer electis, ib. n. 5. Episcopus confirmatus omnia potest quæ non sunt Ordinis, ibid. nu. 9. Non potest accipere possessionem nisi litteris confirmationis expeditis, levatis & Capitulo exhibitis, ibid. nu. 11. Litteræ Confirmationis debent placetari, ib. nu. 12. & p. 1. t. 31. c. 9. n. 7.

Confirmatio Electi vel nominati in Abbatem a quo fieri debeat, p. 1. t. 31. c. 9. nu. 1. Qui à Capitulo Generali cum Definitorio vel à Pontifice consistorialiter eliguntur non indigent alia confirmatione, ibid. nu. 3. A quo confirmandi in Germania & Gallia, ibid. n. 4. 5. Abbates in Belgio quomodo, & à quibus confirmentur, ib. nu. 7. Si Romæ petenda foret horum confirmatio, ea expediri deberet consistorialiter, sicut confirmatio Episcoporum, ib. nu. 8. Ex taxa Cameræ Apostolicæ appares fere omnes Abbatias Belgii fore Consistoriales, ibid. n. 9.

Vide Informatio.

CONFRATERNITAS.

Confraternitatum erectiones ad varios fines & sub diversis titulis commendantur, p. 2. t. 4. c. 4. num. 23. & p. 2. t. 37. c. 6. tot. Quale sit Jus Patronatus competens Confraternitatibus an Laicum an Ecclesiasticum. Institui non possunt sine authoritate Episcopi, & statuta per ipsum debent examinari & probari, p. 2. t. 37. c. 6. n. 22. Eorum officia sic ordinanda ut non obsint officiis publicis Ecclesiæ Parochialis, ib. n. 25. 27.

Confraternitates Laicorum etiam erectæ in Ecclesiis exemptis & omnia quæ ad eas spectant jurisdictioni & visitationi Episcopi sunt subjecta, ib. n. 32. & p. 1. t. 32. c. 4. n. 12. Abusus in quo Episcopi invigilare debent in earum visitatione, p. 2. t. 37. c. 6. num. 34. Sub specie pietatis in eorum libellis varia irrepserunt quæ Synodus Cameracensis abominandam vanitatem vocat, ib n. 37. Quid de his monendus populus, Ibid. num. 39. Perstringuntur absolutiones generales quæ Confratribus quibusdam dantur in articulo mortis, ib. n. 44.

CONGREGATIONES CARDINALIUM.

Congregationum Cardinalium institutio per Sixtum V. p. 1. t. 22. c. 1. nu. 17. In iis non admittuntur recusationes ex causa suspicionis.

Congregationis S. Officii institutio, p. 1. t. 22. c. 3. nu. 3. Quod à majori parte præsentium resolvitur ratum est, etiamsi tantum duo comparerent, Ibid. n. 19. Ejus Officiales, ib. nu. 21. Duæ ejus congregationes una feria III. & alia feria V. quæ fit coram Pontifice, Ibid. nu. 23. & 29. Quænam & quâ formâ in iis tractentur, ib. n. 30. De quibus cognoscat, Ibid. Licentia legendi libros prohibitos ab hac Congregatione petenda, Ibid. nu. 35. Ejus Decreta super censuris propositionum & prohibitione librorum in Belgio admittuntur, ib. n. 36.

Vide Inquisitio.

Congregationis Concilii Trid. prima institutio fuit pro executione non interpretatione, p. 1. t. 22. c. 5. tot. Sixtus V. ei dedit potestatem interpretandi, Ibid. nu. 7. Circa quid versetur, & quænam ad eam deferantur, Ibid. nu. 8. Informatio, quam tenentur Episcopi quotannis facere S. Sedi de statu suarum Diœcesium, fit apud hanc Congregationem, ib. nu. 10. Synodi quorum confirmationes à Pontifice petuntur ab hac congregatione revidentur, ibid. Quæ ad executionem Concilii Trid. spectant sæpe ad alias Congregationes mittuntur, Ibid. n. 9. Quinam hanc congregationem constituant, ib. nu. 12. In Causa nul-

licatis professionis restitutio adversus lapsum quinquennii ordinariè non conceditur nisi prævia consultatione hujus congregationis, p. 1. t. 27. c. 6. tot.
Vide Declarationes Cardinalium.

Congregationis Episcoporum & Regularium institutio, p. 1. t. 22. c. 6. tot. Quæstiones hodiernæ inter Regulares olim ignotæ unde originem sumpserint, Ibid. n. 23. Erectio hujus Congregationis, Ibid. n. 4. Ob multitudinem negotiorum dicitur occupatissima, ibid. n. 7. Quas causas Regularium audiat, Ibid. n. 9. Stylus ejus dum quæstio est cum Episcopis, Ibid. nu. 10. Quis dum quæstio inter ipsos Regulares, Ibid. n. 11. Moribus Belgii quæstiones inter Regulares & Episcopos & Parochos terminari debent in partibus, Ibid. nu. 12. Sine hujus Congregationis licentia nemo potest in Italia transire de uno Ordine ad alium etiam strictiorem; & quid in ea concedenda observetur.

Congregatio Indicis qua de causa instituta, p. 1. t. 22. cap. 4. tot. Qui eam constituant, Ibid. nu. 10. & 26. Habet suos Consultores, ibid. n. 27. Pontifex ei non assistit, ibid. num. 31. Per ejus erectionem non est derogatum Congregationi S. Officii, cujus est quasi appendix, ib. n. 32. Nec Episcoporum aut Inquisitorum authoritati, ibid. n. 34. Decreta ejus in locis ubi viget inquisitio Hispanica non recipiuntur, ibid. nu. 34. Et in Belgio non in omnibus, ibid. n. 35.
Vide Index Librorum Prohibitorum.

Congregatio Rituum in quem finem instituta, p. 1. t. 32. c. 7. n. 1. &c. Qui interveniant, ib. n. 2. Circa quæ præcipuè occupetur, ibid. n. 3. Stylus ejus procedendi, ibid. num. 6. Ad eam spectat Canonizatio Sanctorum, ibid. n. 7. Quomodo in iis procedatur, ib. n. 8.
Vide Canonizatio.

CONGREGATIO ORATORII.

Congregationis Oratorii institutio & propagatio, etiam in Belgio Historicè describitur, p. 1. t. 33. c. 1. & seq. Ejus scopus & Regimen, ib. n. 24. & seq.

CONGREGATIO PASTORUM.

Congregationes Pastorum sui Districtûs Archipresbyteri quotannis celebrare debent, p. 1. t. 6. c. 4. tot. Quid in illis tractandum & quis scopus earum, ibid. nu. 3. Pastores etiam absque Archipresbytero utiliter habent suas congregationes, ib. nu. 4.

CONGREGATIONES REGULARES.

Congregationum Regularium sæculo nono quædam species fuit, sed mox evanuit, p. 1. t. 32. c. 3. tot. Decretum Concilii Lateranensis de Congregationibus & Capitulis Generalibus, ib. n. 18. Decretum Concilii Tridentini de iisdem, ibid. nu. 19. Per illud absolutè Regulares non obligantur se redigere in Congregationes, ibid. c. 4. nu. 17. Esse redactum in Congregationem non est signum exemptionis, ib. nu. 8. Pleræque ortæ sunt ex Reformationibus, ib. c. 4. n. 23.

Congregationis Cluniacensis origo, p. 1. t. 32. c. 3. n. 3. Ejus Breviarii nova editio commendatur, ib. n. 5.

Congregationis Bursfeldensis origo & incrementum, ib. n. 8.

Congregationis Windelemensis origo, incrementum, & extensio, ibid. n. 9.

Congregationis novæ quatuor Abbatiarum in Belgio origo anno 1625. & ejus Leges & Statuta, ib. c. 4 n. 24.

Congregationum variarum origines, ib. c. 3. tot. & c. 4. n. 12. & seq.

CONSANGUINITAS.

Consanguinitatis linea & gradus, quis sit, & quotuplex, p. 2. t. 3. c. 5. tot. Regula pro cognoscenda graduum distantia, ibid. n. 6. Distinctio inter computationem Civilem & Canonicam, ibid. num. 8.

Consanguinitatis impedimentum olim extendebatur ad septimum gradum, ib. nu. 13. Concilium Lateranense restrinxit ad quartum juxta computationem Canonicam, ibid. nu. 16. Primus gradus in linea collaterali inducit impedimentum jure naturæ, ibid. n. 18. Rationes inductionis hujus impedimenti, ib. n. 20.

Consanguinitas in linea recta in omni gradu dirimit matrimonium jure naturæ, ibid. n. 22. Pro obtinenda dispensatione super hoc impedimento quænam exprimenda, p. 2. t. 14. c. 2. tot.

Consanguinitas in præfetentiis ad Beneficia Patrimonialia attenditur juxta computum civilem, p. 2. t. 19. c. 4. nu. 19. In Consanguineorum promotione ad Beneficia sæpissime committitur acceptio personarum; an semper, & quid in eorum promotione attendendum, p. 2. t. 31. c. 1. tot. Improbatur præferentia ad Bursas seu Fundationes concessa Consanguineis, p. 2. t. 11. c. 4. n. 17.

CONSECRATIO, CONSECRATOR.

Consecratio a confirmatione olim vix separata fuit, p. 1. t. 12. c. 4. n. 1. & t. 15. c. 1. tot. Quot Episcopi ad eam requirantur, ib. n. 4. Debet fieri intra tres menses & à quo tempore computandi, ib. num. 15. Quo loco fieri debeat, ibid. n. 16. Juramentum quod Consecrandus præstat analyticè exponitur, ib. c. 2. n. 9. &c. Ejus origo, ibid. Totius ritus consecrationis analytica expositio, ib. c. 3. n. 8. & seq. Quis ejus effectus, ibid. cum seq.

CONSECRATIO ECCLESIÆ.
Vide Ecclesia.

CONSERVATOR.

Conservatoribus interdicitur cognitio causarum Matrimonialium, p. 3. t. 2. c. 1. nu. 20. Conservatores omnes in Belgio sublati, unico Conservatore Academiæ Lovaniensi excepto, p. 3. t. 12. c. 6. n. 18.

CONSISTENTIA.
Vide Gradus Pœnitentiæ.

CONSILIARIUS.
Vide Senatus.

CONSISTORIUM.

Consistorium idem est quod Cardinalium congressus, & hujus nominis origo, p. 1. t. 12. c. 2. n. 2. Quo ritu ad Consistorium conveniant, ibid. n. 6. Quomodo & quâ formâ in consistorio procedatur, ibid. n. 7. Quænam dicantur negotia Consistorialia, ib. n. 9. 13. & seq. Expediuntur per Vice Cancellarium, ib. t. 23. c. 1. n. 8. Abbatiæ Belgii omnes forent Consistoriales si earum provisio Romæ peteretur, p. 1. t. 31. c. 9. n. 9. Unio Beneficiorum Consistorialium reservatur Pontifici, p. 2. t. 29. c. 1. n. 18.

CONSUETUDO.

Consuetudo antiqua Provinciarum in Belgio primo loco in controversiis decidendis attenditur, p. 1. t. 5. c. 6 n. 4. A Consuetudine suæ Ecclesiæ quoad Ritus non facilè recedendum, p. 2. t. 2. c. 1. n. 31.

Consuetudo recepta in exhibendis juribus honorificis servanda, p. 2. t. 25. c. 8. nu. 20. Consuetudo Canones in totum abrogare non potest, p. 1. t. 2. c. 5. nu. 4. Quam perniciosum sit argumentum quod ab insolita consuetudine petitur, p. 2. t. 5. c. 4. n. 39 & c. 9. n. 35. & t. 30. c. 3. nu. 12 In materia decimali primario consuetudo attenditur, p. 2 t. 33. c. 8. num. 10. Consuetudo per Turbas probari debet.
Vide Turba.

CONSULTORES.

Consultores S. Officii quinam dicantur, p. 1. t. 22. c. 3. n. 21. 22. Eorum congregationes & quænam in iis tractentur, ibid. nu. 24. Eorum differentia à Qualificatoribus, ibid. nu. 27. Suos etiam Consultores habet Congregatio Indicis & eorum officium, ib. c. 4. n. 28. Item Pœnitentiaria, ib. t. 23. c. 2. n. 15.

CONVIVIA NUPTIALIA.

Convivia Nuptialia cum modestia & sobrietate facienda, p. 2. t. 12. c. 6. n. 21. Parochis & Sacerdotibus evitanda, ibid. Edicta Regia circa eorum moderationem, ibid. nu. 22. Prohibentur tempore clauso, & quare, p. 2. t. 13. c. 2. tot.

CRIMEN.
Vide Delictum, Forum Competens, Immunitas.

CRUX ARCHIEPISCOPALIS.

Crux primitus fuit insigne Legatorum Apostolicorum, p. 1. t. 21. c. 2. n. 26. &c. Præferri potest per quævis loca exempta, ibid. Non tamen extra terminos jurisdictionis, p. 1. t. 16. c. 3. tot. Nequidem Patriarchæ potest præferri præsente Legato de latere, p. 1. t. 21. c. 2. n. 26.

CURA ANIMARUM.

Cura Animarum moribus Belgii distinguitur ab institutione authorizabili, p. 2. t. 22. c. 4. nu. 22. & p. 2. t. 26. c. 1. n. 2 & p. 1. t. 16. c. 4. n. 9. & t. 12. c. 1. n. 21. Cura animarum totius Diœcesis primario Episcopo incumbit, & quantum illud onus, p. 1. t. 16. c. 4. nu. 1. In Cura animarum nemo aliquid agere potest nisi cum subjectione ad Episcopum, ib. n. 5. Nullus illam dare potest nisi Episcopus etiam moribus Belgii, ib. nu. 9. & p. 1. t. 12. c. 1. n. 17. Nulla exemptio, quantumvis generalis, eximere potest ab obedientia & visitatione Episcopi in iis quæ concernunt Curam animarum, p. 1. t. 16. c. 4. nu. 6. & t. 32. c. 4. nu. 5. seq. Cura animarum requirit Presbyteratum saltem hodie, ib. t. 31. c. 10. n. 10.

Cura animarum sine vocatione cum summo discrimine suscipitur, p. 2. t. 22. c. 1. n. 8. & 11. Decretum Concilii Tridentini de concursu, Regulas legitimæ vocationis non infringit, p. 2. t. 22. c. 1. nu. 8. Per quæ vocatio ad Curam animarum dignosci possit, ibid. n. 11.

Cura animarum ab Ordinario petenda est in Gallia aperta Regalia, & Rege Dignitates & Beneficia curata pleno jure conferente, p. 2. t. 25. c. 8. nu. 5. 2. 4. 9. Idem est in Belgio ubi Rex pleno jure confert, p. 2. t. 25. c. 9. tot.

Cura animarum Pastores primitivi sese immiscere non possunt, p. 2. t. 34. c. 1. n. 30. &c.
Vide Beneficium Curatum, Parochus.

CURIA ECCLESIASTICA.

Curia Ecclesiastica Officiarii instituti sunt ad normam præscriptam per Leges Civiles, p. 3. t. 6. c. 1. n. 1. Eorum origo, officia, & Regulæ ex iisdem petenda, ibid. n. 2. Si excedant in facto sui officii à Judice Ecclesiastico puniuntur, p. 3. t. 4 c. 5 tot. Curia Ecclesiastica quotannis per Episcopum visitanda, p. 3. t. 1. c. 1. num. 38. Abusus qui in illam irrepserunt, ibid. Cura S. Caroli pro ejus reformatione, ibid. Convenit ut Justitia gratis
ibidem

ibidem administretur, ibid. n. 3. 9. Cura Ecclesiastica in causis Civilibus suæ Jurisdictionis sequi debet ordinationes Principum & Consuetudines locorum, p. 3. t. 2. c. 2. nu. 21. Quidnam forum illud adeo reddiderit odiosum, p. 3. t. 5. c. 1. nu. 32. & t. 6. c. 5. n. 27.

CURIA ROMANA.

Vide Cancellaria, Consistorium, Congregationes Cardinalium, Dataria, Pœnitentiaria.

CUSTOS.

Custodum functiones ex Synodis Belgicis, p. 1. t. 4. c. 1. tot. n. 3. Ministris Ecclesiæ annumerandi, & horum qualitates habere debent, ibid. c. 2. num. 1. Sæcularibus officiis implicati assumi non possunt, ibid. n. 3. Cautionem præstare debent, ib. c. 1. n. 4. Simoniam sapit vendere officium Custodis, ib. c. 2. num. 5. Ad Parochum jure communi spectat ejus electio, ibid. c. 3. num. 1. Quamvis de consuetudine ad alios spectare possit, ibid. nu. 2. Unde ei competentia assignanda, ib. n. 4.

D.

DATA.

Data in omnibus Collationibus Beneficiorum exprimenda, & quare, p. 2. t. 21. c. 2. num. 17. Quid parva Data & ad quid serviat, p. 1. t. 23. c. 1. num. 16. Privilegium Gallorum circa parvam Datam, ibid. num. 24. Quid magna Data, ibid. n. 19. Clausula quoad Datam, cum Gratificatione opportuna, quandonam in Provisionibus Apostolicis apponatur & ejus finis, p. 2. t. 24. c. 5. n. 12. In Gallia non admittitur, ibid. n. 13. Similiter clausula antefert præcedenti similis, ib. n. 14.

DATARIA, DATARIUS.

Datariæ origo, p. 1. t. 23. c. 1. tot. Et unde sic dicta, ibid. Si ad officium Datarii assumatur Cardinalis is vocatur Prodatarius, & quare, ibid. n. 5. Varii ejusdem officiales eorumque officia, ib. n. 7. & seq. Modus quo negotia in Dataria per manus Officialium obambulant & expediuntur, ib. n. 13 & seq.

DECANUS.

Decanorum origo, p. 1. t. 11. c. 1. nu. 1. & seq. Hodie unicus est in singulis Capitulis cui totius Cleri cura incumbit & solet esse Caput & Præses Capituli, ibid. n. 3. Jurisdictio ejus maximè à consuetudine pendet, ibid. nu. 5. Jure communi non habet Jurisdictionem contentiosam nisi forte consuetudine vel Privilegio, ibid n. 7. Subjectus est Capitulo & ab eodem potest puniri, ibid. num. 9. Habet votum in Capitulo, etiamsi non sit Canonicus, p. 1. t. 7. c. 5. n. 5.

Decanorum quam grave sit officium, p. 1. t. 11. c. 2. n. 12. & p. 2. t. 17. c. 4. n. 5. Canonici & Capellani aliaque supposita Capituli tenentur semel in anno confiteri Decano tamquam proprio Sacerdoti, p. 2 t. 6. c. 5. n. 19.

Decanatus Leodienses à Reservationibus exempti, p. 2. t. 23. c. 5. n. 20.

Decani in Ecclesia Constantinopolitana erant Ministri funerum, eorum officium, p. 2. t. 38. c. 4. n. 7.

DECIMÆ.

Decimæ quo jure debitæ, p. 2. t. 32. c. 2. tot. & p. 2. t. 33. c. 1. tot. A quo tempore & qua ratione præceptum dandi Decimas invaluerit, ib. n. 13. Apud Græcos non obtinet sed alia tributa dantur in sustentationem Cleri, ib. num. 16. Quomodo ad omnia bona sit extensum, ib. nu. 31. Populus non potest ad earum solutionem constringi mediante Juramento, ib. num. 23. Quomodo etiam ad lucra personalia extensum, ibid. num. 34. Quid Decimæ personales, prædiales, item quid mixtæ, & quæ bona quælibet harum species comprehendat, ib. c. 2. tot. Decimarum personalium loco hodie solvuntur Jura Pastoralia, p. 2. t. 1. c. 5. n. 18. 19. p. 2. t. 33. c. 3. tot. & t. 38. c. 4. nu. 22. & seq.

Decimarum exactio consuetudine regulanda & quare, p. 2. t. 33. c. 6. n. 9. & c. 2. num. 10. & seq. Edicta Regum Hispaniæ & Galliæ super hac materia, ibid. nu. 14. 15. Edictum Caroli V. pro Ditionibus Belgicis super exactione Decimarum insolitarum analyticè explicatur, ib. nu. 15. & seq. Duo Edicta interpretativa hujus quoad terras noviter redactas ad culturam & domos noviter ædificatas, ibid. nu. 25. Quænam dicantur Decimæ insolitæ, ibid. n. 19. Attenditur consuetudo loci & ea deficiente consuetudo vicinorum locorum, ib. n. 30. 31. Quid si consuetudines non sint uniformes, ibid. Quid si nova species frugum primò incipiat seminari, ibid. n. 34. &c. Cui probatio consuetudinis incumbat, ibid. n. 37. Quomodo illa probetur, ibid. Requiritur consuetudo positiva, ibid. nu. 38. Quam diu consuetudo non plenè probatur, Decimæ sunt solvendæ, ibid. n. 35. &c. Quid si Decimæ exactæ non fuerint, eò quod fructus tantum in exigua quantitate fuerint seminati, ibid. num. 38. 39.

Decimæ ex intentione populi & jure communi debentur Ecclesiæ Parochiali seu Parochis, ibid. c. 5. nu. 2. Etiam excluso Episcopo, ibid. nu. 10. Cuinam Parochiæ solvendæ Decimæ personales, ib. n. 11. Cuinam Decimæ prædiales, ibid. n. 12. Cuinam Decimæ mixtæ, ibid. nu. 14. Decimæ adjudicandæ Parocho quam diu non probatur ad alium spectare, ibid. n. 18. Privilegia Decimas recipiendi in præjudicium Parochi sunt odiosa, ib. n. 24.

Decima Ecclesiastica differt à censu debito Domino directo, qui vocatur Decima, p. 2. t. 33. c. 4. n. 1. &c. Quomodo Jus Decimandi sit spirituale, & Laici ejusdem incapaces, ibid. nu. 3. Privilegium Regum Hispaniæ, Item Comitis Flandriæ circa perceptionem Decimarum, ib. n. 12. cum seq.

Decimarum infeudatarum origo & cur toleratæ, ibid. n. 15. 16. & seq. Decretum Concilii Lateranensis vetans novas Decimas à Laicis acquiri, ib. nu. 33. Laicus prætendens Decimas debet probare eas infeudatas fuisse ante illud Concilium & quomodo id possit probare, ib. n. 37.

Decimæ infeudatæ à Laicis possidentur, alienantur, acquiruntur, item eidem judicio subsunt ut alia bona Patrimonialia eorum, ibid. nu. 38. &c. Reversæ ad Ecclesiam recuperant primigeniam naturam, ibid. n. 42. Nec opus est amortizatione, ibid. n. 44. Dum Decimæ Ecclesiæ venduntur non subsunt retractui Gentilitio, ibid. n. 41. Quid si revertantur ad Ecclesiam sed cum onere feudi erga Laicum an recuperant naturam primigeniam, ibid. n. 46. Quid si non revertantur per se, sed accessoriè cum castro & alio feudo per Ecclesiam empto, ibid. n. 47. Decretum Concilii Lateranensis prohibens Laicos acquirere novas Decimas an in Belgio sit receptum, ibid. n. 48.

Decimæ quomodo & quo titulo pervenerint ad Monasteria, ib. t. 33. c. 5. tot. Quomodo per Galliam a tempore Caroli Martelli & sequentium Regum maxima pars Decimarum occasione bellorum adversus Infideles à Laicis fuerint occupatæ, ib. n. 10. &c. Ab illis plurimæ devolutæ sunt ad Monasteria & Canonicorum Collegia & qua ratione, ibid. nu. 15. & seq. Varia Conciliorum Decreta quibus huic devolutioni obviare voluerunt, & Decimas retrahere ad Ecclesias Parochiales sine effectu, ibid n. 19. 20 Hæ Decimarum receptiones pluribus Monachis displicuerunt, & quare, ib. nu. 28. Monachis Decimæ concedi potuerunt solo titulo Eleëmosynæ, & uti tales dispensandæ, ib. nu. 32. 33. Eo titulo specialiter obligantur ad eleëmosynas in locis ubi Decimæ colliguntur, ib. n. 37. 38.

Decimæ minutæ & quænam hoc nomine veniant, ibid. c. 6. tot. Speciali titulo Parochis debentur, ibid. n. 15. Sub generali donatione non comprehenduntur, ibid. n. 17. Ante omnes alias obligatæ sunt ad præstandam Portionem congruam, p. 2. t. 34. c. 5. tot.

Decimarum præstationes solo titulo præscriptionis aut immemorialis possessionis Laici se eximere non possunt, ib. c. 7. n. 3. Ad solutionem Decimarum tenentur Toparchæ etiam ex fundis suis Dominicalibus, ibid. n. 5. Ad eas tenentur jure communi ipsi Principes, ib. n. 7. Fiscales Brabantiæ sustinent ex consuetudine Domania Ducis ab earum præstatione esse exempta, ibid. Ad illas tenentur Monachi, p. 2. t. 33. c. 3. n. 8. & c. 7. n. 9. Tenentur & Episcopi, ib. c. 3. n. 5. Privilegia aliquibus Ordinibus concessa non solvendi Decimas de terris propriis manibus cultis, eorum ratio & ad quæ se extendant, ibid. c. 7. n. 31. Privilegia hæc se non extendunt ad decimas, ab aliis possessas titulo oneroso vel ex contractu, vel quasi Principis, vel speciali fundatione, ib. nu. 40. & 43. Privilegium Cisterciensium in materia immunitatis a Decimis.

Vide Ordo Cisterciensis.

Decimæ quo anno solvendæ, p. 2. t. 33. c. 8. Ex mala dispensatione bonorum Ecclesiæ ortum quod Populus ægrè ad solutionem Decimarum adducatur, ibid. nu. 5. Ob has rationes Populo liberum non est Decimas denegare, ibid num. 8. Edicta verantia dici jus Decimarum tantum esse ad beneplacitum vel eleëmosynas, ibid.

Decimæ ut integrè solvantur quota pars fructuum debeat solvi, ib. c. 8. n. 9. An Proprietarius possit deducere expensas factas in colligendis fructibus aliisque, item alia onera, ibid. nu. 13. An expensas factas in melioratione terrarum, item in construendis aggeribus, ib. n. 15.

Decimæ in Gallia solvendæ in specie non obstante consuetudine immemoriali vel contractu cum Parocho, ibid. nu. 27. Quid obtineat in Belgio, ib. n. 24. Quomodo persolvendæ Decimæ animalium & quando, ib. nu. 25. Edicta Principum Belgii ad obviandum fraudibus in solutione Decimarum, ib. n. 18.

Decimæ quo animo accipiendæ, item exigendæ, ib. c. 9. n. 1. De jure refractarii per censuras cogi possunt; sed id in Belgio non admittitur, ibid. n. 5. 8. Quis Judex competens in materia Decimarum, ibid.

Decimæ sunt onus fructuum iisque quocumque modo non natis non debentur, ibid. nu. 10. Onus Decimarum non solutarum non sequitur novum possessorem fundi, ibid. nu. 14. Decimæ uno anno non petitæ altero peti non possunt, ibid. n. 25.

Decimæ quo termino elocari possint, p. 2. t. 36. c. 2. n. 1. 2. Decimarum alienarum conductio Clericis & præsertim Pastoribus vetita, & quare, p. 1. t. 2. c. 6. nu. 3. Decimarum conductores gaudent immunitate bonorum Ecclesiasticorum, p. 1. t. 25. c. 2. n. 17.
Vide Novalia.

DECLARATIONES CARDINALIUM.

Declarationibus Cardinalium nisi debitè sint munitæ non creditur, p. 1. t. 22. c. 5. n. 13. Frequenter dantur super particularibus casibus, quæ raro alteri possunt applicari, ibid. nu. 14. 15. Raro publicantur, ibid. n. 16. Non habent vim Legis, ibid. nu. 17. Interdum Congregatio à priori recedit & alteram dat, ibid. num. 18.

D E D I C A T I O.

Dedicationis Ecclesiæ antiquitas & solemnitas, p. 2. t. 16. c. 3. n. 1. seq. Et Ritus, ibid. n. 11. 18. Convivia in iis celebrata quæ modo in anniversariis remanserunt, ibid. num. 24. Abusus qui inde remanserunt, ibid. Ut iis occurrerent Synodi voluerunt anniversaria Dedicationum omnium Ecclesiarum celebrari uno & eodem die, ibid. n. 25. Idem statuunt Edicta Principum Belgii, ibid. nu. 26. Et recentissime Episcopus Leodiensis pro aliquibus Districtibus suæ Diœcesis, ib. nu. 27. An conveniat quod Pastores ad mutuarum Ecclesiarum Dedicationes accedant omisso officio in suis Ecclesiis, ibid. n. 27.
Vide Ecclesia.

D E F L O R A T I O.

Deflorationis emenda juxta Concordata Brabantiæ separatim coram Judice Ecclesiastico peti potest, p. 2. t. 12. c. 2. num. 10. Quid obtineat in Gallia, ibid. In causa Civili deflorationis adhuc obtinet in Curiis Ecclesiasticis citatio personalis, p. 3. t. 8. c. 2. num. 44. Sententia in hac materia quantum ad expensas mandatur executioni non obstante appellatione, p. 3. t. 12. c. 3. n. 31.
Vide Stuprum.

D E G R A D A T I O.

Degradatio solemnis Clerici quandonam necessaria, p. 3. t. 10. c. 1. n. 45. & seq. Hujus Degradationis antiquitas, ibid. nu. 47. Olim causa Degradationis agebatur in Synodis, ibid. nu. 48. Postea in defectu Synodorum permissum ut ageretur coram certo numero Episcoporum qui interveniebant ut Judices, ibid. nu. 49. Unde postea factum quod tantum in sola actuali Degradatione intervenerint, ibid. n. 53. Decretum Concilii Tridentini permittens ut defectus Episcoporum suppleatur per Abbates vel constitutos in dignitate & ejus ratio, ib. n. 55.
Degradationis hodiernæ forma & ritus, ibid. n 56. An requiratur in Clerico simplicis Tonsuræ, ibid. num. 57. In Presbyteros in Gallia pro atrocioribus delictis puniendos non servatur, licet Edicta id servatum velint, & ejus ratio, ib. n. 61. Adhuc servatur in Belgio, ibid. Episcopus Degradator intercedit pro Clerico Degradato & hujus intercessionis ratio & effectus, ib. nu. 60. & p. 2. t. 10. c. 4. n. 2.

DELEGATUS, DELEGATIO.

Delegatus ad Universitatem causarum subdelegare potest, p. 2. t. 12. c. 5. nu. 20. Vigore Delegationis nemo extra Provinciam evocandus, p. 1. t. 5. c. 3. tot. Delegatio Sedis Apostolicæ Episcopis concessa per Concilium Tridentinum censetur favorabilis, p. 3. t. 12. c 6. num. 33. In quibus Capitulum in hac qualitate Episcopo defuncto succedat, p. 1. t. 9. c. 2. tot. Negotia in quibus eligitur industria personæ alteri demandari non possunt, p. 2. t. 3. c. 5. n. 3. & t. 16. c. 5. n. 6.
Vide Judex.

D E L I C T U M.

Delicta omnia etiam Laicorum cujuscumque naturæ, Episcoporum Jurisdictioni erant olim subjecta, p. 3. t. 4. c. 1. tot. Forum contentiosum tunc non distinguebatur à foro Pœnitentiali, ib. n. 5. Ea distinctio cœpit sæculo 12. ibid. nu. 7. In causa fuit quod Laici varia delicta sibi reservarint, ib. nu. 26. Cujus generis delicta spectent ad forum Ecclesiasticum, ib. n. 29.
Delicta Clericorum ex praxi Galliæ distinguuntur inter communia & Privilegiata, p. 3. t. 3. c. 2. n. 21. Modus quo per utrumque Judicem ibidem proceditur in causa delicti Privilegiati, ibid. n. 23. Quid circa delicta Privilegiata & crimina atrociora obtineat in Flandria & quid in Brabantia, ib. n. 44. & seq.
Vide Forum Competens, Immunitas.

D E N U N T I A T I O.

Denuntiatio hodie frequenter aperit viam inquisitioni seu informationibus præparatoriis, p. 3. t. 8 c. 1. n. 32. Quid tamen conveniat Judicem attendere antequam ad informationes capiendas procedat, ibid. n. 33. Si quis falso denuntiaverat condemnatur in expensas damnum & interesse, ibid. nu. 34. Reo absoluto Procurator officii tenetur Denuntiatorem indicare ut Reus absolutus agere possit ad expensas, damnum & interesse, ibid. nu. 36. Dum instituitur inquisitio convenit ut citetur Denuntiator ut producat informationes seu indicia, ib. n. 40.

D E P O R T U S.

Deportûs origo & ratio, p. 2. t. 36. c. 1. nu. 20. Jus Deportûs in multis Ecclesiis est penes Archidiaconos, ibid. Quomodo bona sub Deportum cadentia administranda, ibid.

D E P O S I T I O.

Depositio ab Ordinibus olim erat omni crimini etiam occulto annexa, p. 2 t. 10. c. 6. nu. 5. Deponuntur ab ordine & Beneficio Simoniaci & hujus pœnæ æquitas, p. 2. t. 30. c. 6. tot. In quo Depositio differat à suspensione illimitata, p. 3. t. 11. c. 10. n. 21.
Vide Degradatio.

DEPOSITIO IN JUDICIO.

Depositiones testium debent esse juratæ, p. 3. t. 7. c. 6. num. 20. & seq. Convenit ut juramentum præcedat, ib. n. 21. Fieri debent citatâ parte adversâ, ib. n. 24. Si postea coram Judice Superiore depositionem suam renovare debeant, an debeant juramentum iterare, ibid. n. 22 Modus quo Judex vel Commissarius procedit ad examen Testium, ibid. n. 24. Quomodo procedatur ad examen absentium vel infirmorum, ibid. Pars contra quam Testes producuntur offert interrogatoria Testibus proponenda, & quis eorum finis, ibid n. 26. Id in Curiis Sæcularibus non servatur, ib. nu. 30. Quomodo Testes à Judice vel Commissario examinandi & eorum depositiones in scriptum redigendæ, ibid. n. 31. Depositiones relativæ ad depositionem alterius rejiciendæ, ib. n. 34.
Depositionum publicatio fieri debet, & quando, ib. num. 48. Quâ forma, ib. n. 47. & t. 8. c. 3. nu. 13. Quis hujus publicationis scopus, ibid. Publicatis Depositionibus vetita ulterior productio testium super iisdem vel contrariis articulis, & adversus id in Belgio non datur restitutio, ib. t. 7. c. 6. n. 48.
Depositionibus publicatis proceditur ad reprobationes.
Vide Reprobatio.
Testes qui in informationibus præparatoriis deposuerunt debent in lite recolligi & reexaminari, p. 3. t. 8. c. 3. num. 9. &c. Quâ formâ & quare, ibid. n. 10. Debet fieri ante confrontationem, ibid. n. 12. Quandonam confrontatio necessaria, ibid. n. 11. Examen testium quos Reus in criminalibus pro se adducit quomodo faciendum, ibid. num. 19. In Relatorem causæ non designandus is, qui testes examinavit.

D E R O G A T I O.

Derogationum clausulâ generali utrum Cardinales comprehendantur, p. 2. t. 22. c. 2. n. 18. 19. An comprehendatur Imperator, p. 2. t. 25. c. 9. nu. 21. 22. Sub generali derogatione reservationum non comprehenduntur Beneficia vacantia in Curia, p. 2. t. 23. c. 4. n. 8. &c. Variæ Regulæ Cancellariæ quarum Derogatio non admittitur.
Vide Regulæ Cancellariæ.
Derogatio juris Patronatus Laici in Hispania, Gallia & Belgio non admittitur, p. 2. t. 23. c. 7. n. 32. &c. & t. 25. c. 3. n. 30. Generalis derogatio statutorum in rescriptis Apostolicis apponi solita quid operetur, p. 2. t. 24. c. 5. n. 26.

D E S E R V I T O R.

Deservitorem Episcopus solus constituit in omnibus Ecclesiis Parochialibus vacantibus, etiamsi essent Patronatus Regii, p. 2. t. 22. c. 5. n. 1. & seq. Etiam annexis Dignitati in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata, ibid. num. 7. Episcopus ei assignat portionem congruam ex proventibus Ecclesiæ, ibid. n. 9.
Deservitoris onera, ibid. n. 12. In quibus Parocho succedat & in quibus non, ibid. nu. 14. Potest alteri Sacerdoti licentiam dare assistendi Matrimonio, p. 2. t. 12. c. 5. n. 20. An validè assistat Matrimonio contra interdictum Ordinarii, p. 2. t. 13. c. 2. n. 24.

D E V O L U T I O.

Devolvuntur ad Superiorem Collationes omnium Beneficiorum quæ intra sex menses non conferuntur, p. 2. t. 21. c. 5. n. 1. 8. Episcopatibus & Prælaturis providendum intra trimestre, ibid. n. 2. A quo tempore computandum, ibid. n. 3. Tempus currit de momento in momentum, ibid. nu. 5. lapsum temporis excusat justum impedimentum, ibid. num. 6. Lapso tempore Collatores excidunt jure conferendi, & an mora purgare possit, ibid. n. 7. Negligentia Turnarii nocet Capitulo, ib. n. 13. Si Episcopus unà cum Capitulo jus conferendi habens negligat convocare Capitulum, potest Senior id facere, & ad collationem procedere ne detur locus devolutioni, ib. n. 11.
Devolutio, tempore lapso, ad quem fiat, ib. t. 22. c. 5. tot. Ubi viget Alternativa inter Episcopum & Capitulum, si Capitulum vice sua negligat, devolutio fit non ad Episcopum, sed ad Metropolitanum, ibid. num. 12. Devolutio fit cum qualitatibus primæ Collationis, ib. n. 16.
Devolutâ Collatione ad Pontificem nullum tempus ei præscriptum est quo teneatur conferre, p. 2. t. 23. c. 3 nu. 10. Devolutio hæc non impedit quo minus Episcopus Beneficium, cujus collatio devoluta est, alteri possit unire, p. 2. t. 29. c. 1. n. 18. & seq. In Gallia aperta Regalia Rex tempore à Canonibus præscripto non arctatur, p. 2. t. 25. c. 8. nu. 60. Patrono intra tempus præscriptum non præsentante Ordinarius confert non jure devoluto sed ordinario, p. 2. t. 25. c. 5. n. 25. An institutio

pro-

præsentati danda sit intra semestre sub pœna Devolutionis, p. 2. t. 26. c. 1. n. 17.

Devolvitur ad Metropolitanum constitutio Vicarii generalis Sede vacante, si Capitulum intra octiduum non constituat, p. 1. t. 9. c. 3. n. 7.

DIACONUS.

Diaconus vocatur antonomasticè Minister & quare, p. 1. t. 1. c. 3. n. 8. Olim habitus Minister necessarius Episcopi & Sacerdotis, ibid. nu. 9. Varia & eminentissima erant olim ejus officia quæ recensentur, ibid. Disciplina circa illa Officia multum collapsa, ibid. n. 12.

Diaconorum & Presbyterorum consilio olim Episcopi utebantur, p. 1. t. 8. c. 1. n. 1. & c. 4. n. 1. & p. 3. t. 5. c. 1. n. 24. Episcopis in decisionibus causarum assistebant, ibid.

Diaconis committi potest solemnis administratio Baptismi, p. 2. t. 2. c. 2. n. 6. Olim etiam distribuebant Eucharistiam, p. 1. t. 1. c. 3. n. 9. & p. 2. t. 4. c. 1. n. 16. Sed propriè tantum calicem & unde id abrogatum, ibid. n. 18. Inde ortum quod unà cum Sacerdote offerant calicem non autem panem, ibid.

Diaconi olim Hospitalibus aliisque piis locis præficiebantur, quæ inde vocatæ sunt Diaconiæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 9. & p. 2. t. 37. c. 3. n. 2.

DIACONIA.

Quidnam sit, ibid. nu. 3. Earum numerus Romæ, ibid. Quomodo & quando in titulum Cardinalitium erectæ, p. 1. t. 21. c. 1. n. 10.

Diaconia etiam aliquando vocatur carcer Episcopi, p. 3. t. 11. c. 1. n. 27.

DIÆTA.

Diæta quomodo accipiatur in Constitutione Concilii Lateranensis, item in Constitutione Bonifacii VIII. de non evocando extra Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 3. num. 5. Quomodo accipiatur in materia vacationis in Curia, p. 2. t. 13. c. 2. n. 10. & p. 2. t. 23. c. 3. n. 5.

DIGNITAS.

Dignitas quid sit, p. 2. t. 12. c. 2. tot. In quo differat à Personatu, ib. n. 8. Olim Dignitates mera erant officia, imò amovibilia, ibid. n. 3. Quid requiratur, ut officium aliquod sit Dignitas, p. 2. t. 18. c. 2. n. 14. Vicarius Generalis Episcopi non censetur in Dignitate constitutus, ibid. n. 13. In dispensationibus nomine Beneficii non veniunt Dignitates, ibid. n. 21. & t. 10. c. 3. nu. 19. Nec in dispensationibus pro Dignitatibus comprehenduntur Dignitates majores, ibid. num. 21. Quænam dicantur Dignitates majores, ibid. n. 24.

Dignitates quam ætatem requirant, p. 2. t. 19. c. 1. num. 6. &c. Ob inens Dignitatem etiam curatam non privatur ipso jure ob non promotionem ad ordinem annexum, nisi fuerit monitus, ib. c. 3. n. 15. Si Dignitas aliqua debeat conferri Canonico, quo tempore ea qualitas debeat adesse, p. 2. t. 19. c. 4. num. 23. Per Concordatum in Gallia Pontifici reservatur potestas creandi Canonicos ad effectum obtinendi similes Dignitates, ib. n. 34. Scientia requisita ad Dignitates, ib. n. 1. Cui deferatur successio personarum in Dignitate constitutarum, p. 2. t. 38. c. 8. n. 7. &c.

DILATIO.

Dilatio Judicialis quidnam dicatur, p. 3. t. 7. c. 4. n. 30. Quænam dilationes citatoriæ seu deliberatoriæ, & quænam probatoriæ, ibid. n. 31. Quandonam & quoties concedi possint, ibid. n. 32. 33. Varia Decreta Curiarum Civilium & Ecclesiasticarum pro earum abbreviatione, ibid. n. 35. Ab earum indiscreta concessione appellari potest, ibid. Incommoda quæ ex hac indiscreta concessione oriuntur, ib. nu. 38. Appellatur etiam à nimia earum coarctatione, ib. n. 34. 35.

Dilationes brevissimæ concedendæ & superfluæ resecandæ in variis causis, p. 3. t. 7. c. 4. n. 39. 40. Specialiter in causis possessoriis Beneficiorum & quare, ibid. n. 41. Idem voluit Justinianus in causis Monachorum, & quare, ibid. nu. 42. In Curiis Ecclesiasticis solent dari tres dilationes citato ad comparendum, & quid ad quamlibet perdat, si non compareat, ibid. n. 43. Decretum Synodi Tridentinæ quo voluit causas intra biennium terminari, ibid. n. 46. Hodie exiguus ejus usus & quare, ib. n. 47. Quid obtineat in Gallia dum Judex est morosus in causa decidenda, ib. n. 48.

DIMISSORIÆ.

Dimissoriæ aliter olim acceptæ quam hodie, p. 2. t. 9. c. 3. tot. Illas concedere ad solum Episcopum spectat, ibid. n. 4. Consuetudines & privilegia quæ illud Capitulis aliisque inferioribus Prælatis concesserant, per Concil. Trident. revocatæ sunt, ib. n. 5. 6. Competit Capitulo Sede vacante, sed juxta Trid. cum restrictione, ib. n. 8. Quinam censeantur arctati ratione Beneficii, ut à Capitulo intra annum accipere possint dimissoriales, p. 1. t. 9. c. 2. n. 7. Episcopus confirmatus ante consecrationem potest eas concedere, uti & Archiepiscopus ante receptionem Pallii, p. 1. t. 9. c. 3. n. 10. Potest potestas concedendi Dimissorias delegari alteri, ib. n. 11.

Dimissoriales non nisi ex necessitate concedendæ ibid. n. 14. Concedendæ tantum examinatis & jam probatis, ib. nu. 16. An requiratur etiam examen Episcopi ordinandis, ibid. n. 18. Præcautiones requisitæ à S. Carolo in concedendis Dimissoriis, ib.

Dimissoriæ concessæ ab Episcopo, ejus Vicario, vel Capitulo Sede vacante non expirant per mortem Episcopi vel extinctam potestatem Vicarii aut Capituli, ib. n. 29. 30. Episcopus potest per Edictum omnes Dimissorias concessas à se & à suis Prædecessoribus vel Capitulo Sede vacante revocare, ib. 31.

Dimissoriæ ad Abbates pro recipienda Tonsura vel Minoribus Ordinibus vetitæ, p. 1. t. 31. c. 6. n. 21. Abbates vigore dimissorialium illas conferre non possunt, ibid.

DIOECESIS.

Diœcesium prima institutio, p. 1. t. 16. c. 3. n. 2. Apostoli vi suæ vocationis nulli parti Orbis erant adstricti, uti nec alii viri Apostolici, ibid. Episcopis interdictum in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii Pontificalia exercere & qua pœna, ib. n. 12. Quænam Pontificalia censeantur, ib. n. 11. Inter ea non computatur prima Tonsura & actus voluntariæ jurisdictionis, ib. n. 14. Quinam dicantur nullius Diœcesis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 21. Solus Episcopus habet de jure jurisdictionem in totam suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 1. n. 8. Ad ejus exclusionem nemo jurisdictionem id ea exercere potest nisi plenè eam probaverit, ibid. nu. 14. Nemo ad judicium evocari potest ultra duas vel unam diætas extra suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 3. n. 2.

DISCIPLINA MONASTICA.

Vide Monasterium.

DISPENSATIO.

Dispensatio meritò dicta omnis bonæ disciplinæ Noverca, p. 1. t. 1. c. 2. n. 9. Dispensatio sine justa causa etiam concessa à summo Pontifice neminem reddit tutum in conscientia, p. 2. t. 10. c. 5. n. 5. & t. 18. c. 4. n. 12.

Dispensatio quoad Beneficia.

Vide Beneficium.

Dispensatio super impedimentis Matrimonii à se inductis olim competiit Imperatoribus, p. 2. t. 14. c. 1. n. 3. Hodie super impedimentis dirimentibus ferè competit soli Pontifici, ib. nu. 10. Authoritas dispensandi competens Episcopo Leodiensi in tertio & quarto gradu consanguinitatis & affinitatis, ibid. nu. 11. An eadem competat Episcopis Belgii in partibus quæ olim subfuerunt Episcopo Leodiensi, ibid. n. 12. In quibus impedimentis & quibus casibus Episcopus possit dispensare, ibid. num. 13. Quam restricta olim fuerit Ecclesia in concedendis Dispensationibus, ib. n. 4.

Dispensationes Matrimoniales sub qua forma expediantur in Curia Romana, & quibus committi soleant, p. 2. t. 14. c. 2. tot. Ad quem dirigantur Sede vacante; item si Oratores sint diversarum Diœcesium, ibid. num. 9. 10. Tres partes litterarum dispensationis, & quid pro verificatione cujusque Commissarius attendere debeat, ibid. c. 3. nu. 1. Prohibitur omnis acceptio cujuscumque rei etiam gratis oblatæ, ib. n. 6. &c. Sub hac prohibitione continentur Jura sigilli & merces laboris, ibid. variæ expressiones vel emissiones, quæ reddunt litteras Dispensationis invalidas, ibid. &c. Variæ dispensationum causæ cum suis formulis in Curia Romana admissæ; & quo tempore subesse debeant, ib. c. 4. nu. 2. & seq. Quænam pro verificatione causarum attendenda, ibid. n. 9.

Vide Informatio.

Dispensatio super Matrimonio cum impedimento dirimente contracto, ib. c. 5. tot. Quænam pro ea obtinenda necessario exprimenda, ibid. num. 2. Matrimonium nulliter contractum debet coram Parocho & testibus obtenta Dispensatione renovari, ib. n. 9. An debeat prioris Matrimonii invaliditas utrique Parti innotescere, ib. n. 11.

Dispensatio in forma Pauperum unde sic dicta & quæ pro ea obtinenda debeant exprimi, ib. c. 6. tot. Formula testimonii pro hac dispensatione per Parochum expediendi, ibid. n. 4. Sæpius conceditur in causa incestus, vel ejus suspicionis & scandali inde nati, ibid. n. 9. Ante omnia debent separari & imponi pœnitentia publica & qualis, ibid. n. 11. Illa ante omnia peragenda, ibid. n. 15. Notabilis clausula apponi solita circa scandalum ex dispensatione oriturum, ib. n. 16.

Dispensatio super impedimento occulto in Pœnitentiaria, ejus expeditio, executio & effectus, ibid. c. 7. tot. Quodnam impedimentum dicatur occultum, ibid. nu. 6. Quomodo informatio in hac Dispensatione facienda, ib. nu. 7. & seq. Matrimonium non est renovandum coram Parocho & testibus, ibid. nu. 10. Varia quæ meritò à Parochis sæpe populo exponuntur in materia Dispensationum Matrimonialium, ib. c. 8. tot.

Dispensatio super Irregularitate.

Vide Irregularitas.

Dispensatio super Simonia.

Vide Simonia.

Digitized by Google

DISTRIBUTIONES.

Distributiones quid sint & quæ institutionis ratio, p. 1. t. 7. c. 7. tot. Omnibus Horis etiam minoribus assignandæ, ib. n. 3. Integris Horis interesse debent qui eas lucrantur, ib. n. 4.

Distributionum intuitu officium frequentare multis rationibus improbatur, ib. c. 8. n. 1. seq. De Simonia redduntur suspecti qui principaliter ob illas frequentant, ibid. num. 5. Indicia ex quibus colligitur num principaliter ob distributiones quis frequenter, ibid. n. 6.

Distributiones jure communi absentibus vix umquam conceduntur, ib. c. 11. Consuetudo Belgii non nihil laxior, ibid. n. 3. An iis gaudeant audientes confessiones & celebrantes tempore divini officii, ibid. nu. 4. An tempore divini officii publicè docentes, ib. n. 5. & t. 11. c. 6. nu. 11. Quibus cedant Distributiones absentium, ib. t. 7. c. 11. n. 6.

Distributiones non computantur in tertiam partem fructuum Pensioni obnoxiam, p. 2. t. 28. c. 7. n. 13. An ponsio aliquando imponi possit super Distributionibus, ibid. n. 14.

Distributiones in Anniversariis unde exortæ, p. 2. t. 5. c. 7. nu. 7.

DIVERSORIUM.

Diversoria Clericis intrare prohibitum, nisi causa necessarii itineris, aut alia necessitate compulsis, p. 1. t. 2. c. 4. n. 4. Si necessitas compellat quomodo in iis se gerere debeant, ibid. S. Carolus volebat in qualibet Civitate unum aut alterum diversorium pro solis Clericis itinerantibus institui, quod merito Episcopi imitarentur, ibid. nu. 5. Edicta Principum Belgii circa locum & numerum diversoriorum, item circa personas quibus ea tenere permittitur, ibid. n. 7. Statutum S. Ludovici iisdem consonum, ibid. n. 8. *Vide Popina.*

DIVORTIUM.

Divortium quotupliciter sumatur, p. 2. t. 15. c. 1. n. 1. Ob Adulterium Matrimonium non dissolvitur quoad vinculum, ib. n. 21. Adulterium est justa causa separationis & ejus ratio, ib. c. 2. n. 2. Ecclesia non agnoscit differentiam inter virum & uxorem, ib. n. 4. Olim vir uxorem adulteram ante actam pœnitentiam recipere non poterat, ibid. n. 5. An Maritus propria authoritate uxorem adulteram recipere possit, si Divortium authoritate Judicis factum sit, ib. n. 9. Maritus adulterii conscius injuriam remisisse videtur si uxorem cognoverit, ibid. nu. 10. Maritus adulter non potest dimittere uxorem adulteram, ibid. n. 11.

Divortium seu Matrimonii dissolutio non fit ob Hæresim etiamsi olim secus dubitatum fuerit, ib. n. 13. Potest tamen fieri separatio quoad thorum, ibid. nu. 18. Variæ causæ ob quas fieri potest separatio quoad thorum, ibid.

Divortium fieri non potest sine authoritate Judicis, ib. n. 19. Magna prudentia & moderatione in hac materia Judex debet procedere, ibid. n. 22. Sententia divortii numquam transit in rem judicatam, ib. nu. 23. Quis sit Judex competens in materia divortii, ibid. nu. 25. Quid de dote, donatione propter nuptias, divisione bonorum, ibid. n. 27.

Divortii causæ brevissimis terminis agitandæ, p. 3. t. 7. c. 4. n. 40.

DOMUS PASTORALIS.

Domus Pastoralis in Portionem congruam non imputatur, p. 2. t. 34. c. 8. n. 4. 6. Obligatio eam construendi distinguitur ab obligatione dandi Portionem congruam, ib. n. 6. Hæc obligatio consuetudine regulatur, ibid. nu. 7. Quæ consuetudo obtineat in Gallia, item in Diœcesi Leodiensi & Diœcesibus ab ea dimembratis, ib. nu. 9. & 10. &c. Deficiente consuetudine hæc obligatio videtur iisdem Legibus regenda quibus reparatio Ecclesiæ & quare, ibid. nu. 14. Decretum Concilii Privati circa hanc exstructionem pro Provincia Flandriæ, ibid. n. 15.

Domus Pastoralis quibus commoditatibus debeat esse instructa, ib. nu. 21. In hac materia procedendum summariè & per provisionem, ibid. n. 21. Quis ad reparationes ejusdem teneatur, ibid. n. 24. Si Parochus reparationes ad quas tenebatur neglexerit, ejus hæredes ad easdem via Juris cogi possunt, ibid. n. 27. Moderatio requisita in Domo Pastorali tam quoad ædificium quam suppellectilem, ibid. n. 28.

DONUM GRATUITUM.

Vide Subsidium.

DOS.

Dotium hodierna apud Regulares exactio an titulo paupertatis possit excusari, p. 1. t. 26. c. 2. tot. Concilium Tridentinum directè titulum insufficientiæ exclusit, ib. c. 3. nu. 9. Varia incommoda ex earum exactione provenientia, ibid. n. 12. &c. Canones earum exactiones vetantes perpetuam rationem habent & an possint dici consuetudine abrogati, ib. n. 18. Sententia Sancti Caroli circa hanc Materiam, ibid. n. 20.
Vide Simonia.

Dotales causæ in Gallia ne quidem incidenter aut accessoriè spectant ad tribunal Ecclesiasticum, p. 2. t. 12. c. 2. n. 7. 8. & p. 3. t. 1. c. 1. n. 26. 28. &c. A quo tempore fuerint substractæ, ib. Judex Ecclesiasticus non potest condemnare ad alternativam Duc vel dota, p. 2. t. 12. c. 2. nu. 9. Quid in Belgio super hac materia obtineat, ib. & p. 3. t. 2. c. 1. n. 20. Maritus conventus ad restitutionem dotis non debet cedere bonis ut evadat incarcerationem, p. 3. t. 9. c. 4. n. 40.

DUCATUS.

Ducatorum 24. summam non excedere idem est in Curia Romana ac esse immune à solutione Annatarum; & cur hæc formula introducta, p. 2. t. 24. c. 4. n. 22. 23. Stylo Curiæ non admittitur Pensio super Beneficio Parochiali nisi Titulari remaneant centum Ducati, p. 2. t. 28. c. 6. nu. 5. De quibus Ducatis id intelligatur, ibid. n. 6.

E.

EBRIETAS.

EBrietas Clericos maximè dedecet, p. 1. t. 2. c. 4. tot. Mala ex eadem provenientia, ibid. num. 2. 3. &c. Quibus pœnis cohibenda, ibid. Præcipiunt Synodi arcendum à celebratione Missæ Sacerdotem, qui pridie fuisset ebrius, & pro sua irreverentia castigandum, ibid. num. 2. & p. 2. t. 5. c. 9. num. 20.

ECCLESIA.

Ecclesiæ dicta fuerunt loca cultui divino destinata, p. 2. t. 5. c. 8. n. 1. & t. 16. c. 1. n. 10. Christiani primitus studiosè evitabant nomen Templi, & quare, ib. n. 2. Quare conveniat certa loca ad orationem & cultum divinum destinare, ib. n. 3. & 7. act. 5. n. 2. Qui extra hæc loca privatim conveniebant censebantur unitatem Ecclesiæ scindere, ib. nu. 3. Actiones profanæ ab iis arcendæ & quænam illæ, p. 2. t. 16. c. 1. nu. 9. Item mendici, ib. n. 13. Qualis earum ornatus esse debeat, ib. nu. 14. Superfluus ornatus non probatur, sed præfertur eleëmosyna, p. 2. t. 36. c. 4. nu. 5. Insignia & lystra si Ecclesiam nimis deforment, possunt non admitti non obstante consuetudine in contrarium, p. 2. t. 25. c. 7. nu. 39. Convenit ut mulieres à viris in Ecclesiis separentur, p. 2. t. 16. c. 1. n. 33. &c.

Ecclesiarum ædificationibus modum ponere debuerunt Imperatores, ib. c. 2. n. 1. 2. Vetitum eas ædificare sine consensu Episcopi, ibid. nu. 3. Quid antequam hic consensus præstetur attendendum, ib. n. 5.

Ecclesiarum consecrationis antiquitas, solemnitas & veneratio, p. 2. t. 16. c. 3. tot. Episcoporum, Sacerdotum, Cleri & Populi ad easdem Conventus, ibid. num. 3. 6. Rituum consecrationis Ecclesiarum origo, ibid. n. 11. In multis conveniunt cum ritibus Baptismi, ib. n. 19. Analyticè explicantur, ibid. n. 20. An olim anniversaria Dedicationum fuerint instituta, ib. num. 21. Quandonam Ecclesia debeat de novo consecrari, ibid. c. 4. tot. Sæculo 11. persuasum fuit majori Altari everso totam Ecclesiam debere reconsecrari. Alia hodie disciplina, ibid. num. 8. & 10.
Vide Dedicatio.

Ecclesia polluitur per effusionem sanguinis & qualis effusio ad hoc requiratur, ibid. num. 13. Ejus effectus, ibid. Crimen pollutionis Ecclesiæ cujus fori sit, p. 3. t. 4. c. 5. nu. 35. Reconciliatio facienda per Episcopum & an Presbytero possit delegari, p. 2. t. 16. c. 4. num. 21. 22. & 23. Ubi reconciliatio delegatur Presbytero ea facienda est aquâ ab Episcopo benedictâ & quare, ibid. num. 20. Reconciliatio hæc figura est Reconciliationis peccatoris, ibid. num. 25. Ecclesia etiam polluitur per sepulturam excommunicati & ejus ratio, p. 2. t. 38. c. 6. nu. 30. Cadaver illud ante omnia exhumandum, ib. n. 32.

Ecclesiarum reparationi olim quarta pars proventuum Ecclesiasticorum cedebat, p. 2. t. 16. c. 5. num. 2. In Hispania cedebat una tertia, ibid. num. 3. Cessantibus omnibus conventionibus primo loco impendendi reditus Fabricæ, ibid. n. 4. Ad reparationem etiam tenentur concurrere ejusdem Ecclesiæ Beneficiati & quo titulo, ibid. num. 6. Pastor non habens nisi portionem congruam ad nihil tenetur, ib. nu. 10. Tenentur Decimatores, & pro qua portione suarum Decimarum, & qua moderatione, ibid. n. 11. Aliis mediis deficientibus recurrendum ad impositiones seu Collectas super Parochianis, ibid. num. 23. Ea fieri non potest sine authoritate Judicis Sæcularis, ibid. Quomodo & quibus hoc onus imponendum, ibid. num. 24. Reparationes hæ tantum concernunt Ecclesiam Parochialem non Cappellas, ib. nu. 17. Aliquando Decimator obligari potest ad reparationem Cappellæ, ibid. nu. 19. Tantum versatur circa reparationes necessarias & quænam illæ, ibid. nu. 20. Fieri non possunt nisi vocatis quorum interest, ibid. nu. 22. Quis teneatur ad reparationem Chori, ib. n. 26. Quis ad reparationem navis, quis ad reparationem turris, ibid. num. 26. 28. Quis ad instaurationem campanarum, ibid. num. 29. Concordata & consuetudines in hisce materiis præcipuè attendenda, ibid. n. 25. Quis sit Judex competens in materia reparationis Ecclesiarum, ibid. num. 33.
Vide Fabrica, Ornamenta, Parochia.

EDICTUM.

Edicta à Principe emanata non omnes Belgii Provincias concernunt, part. 1. tit. 5. cap. 5. &c. Unde dignoscendum an dirigantur ad Provinciam particularem an verò ad totum Belgium, ibid.

EJECTIO AB ORDINE.

Vide Ordo.

ELECTIO.

Electio quid propriè dicatur, p. 1. t. 21. c. 3. tot. In quorum Electione servanda forma. *Cap. quia propter de Elect.* ib. n. 8. Quinam in Electionibus suffragiis gaudeant, ibid. n. 9. 10. 12. Qui absentes vocandi? Quomodo citandi & quamdiu exspectandi, ib. nu. 13 14. 15. Varia jura circa Electionem per Procuratorem, formam mandat, item circa Electionem per litteras, ib. n. 17. 22. Unus non vocatus Electionem irritare potest, ib. nu. 26. Quid si non opponat, ibid. nu. 27. Suffragia in Electionibus debent capitulariter dari, ibid. n. 30. A majori parte concludi solet, & quomodo major pars intelligenda, ib. n. 31. & c. 4. n. 23. An etiam requiratur pars sanior, ibid.

Electionis per compromissum forma, ib. c. 4. n. 3. Requiritur ut omnes Electores in compromissum consentiant, ib. n. 6.

Electionis per inspirationem Spiritûs S. forma, ibid. nu. 7. Hodie ignota, ibid. n. 8.

Electionis per Scrutinium forma.

Vide Scrutinium.

Electioni Episcopi Populus interveniebat, & quam partem in illa haberet, p. 1. t. 13. c. 1. nu. 1. & seq. Antiqua disciplina circa Electiones Episcoporum, ibid. n. 2. Electio populi nullum Jus tribuebat Electo, ib n. 10. Metropolitanus cum Episcopis suæ Provinciæ electionem & Personam electam examinabat, ibid. num. 12.

Electiones sæculo XII. cœperunt transire ad Capitula Cathedralia, ib. c. 2. nu. 2. Quomodo per reservationes Pontificias jus illud Capitulis sensim fuerit ademptum, ibid. n. 4 & seq. Restitutum fuit per Conc. Basil. & Sanctionem Pragmaticam in Gallia pro tempore, ib. nu. 7. Per concordata in Germania, in qua sola adhuc modo remansit, ib. n. 9. 10. & seq.

Electio Abbatis & Prioris Conventualis ab omni tempore competiit Monachis, p. 1. t. 31. c. 8. nu. 1. & seq. In Italia pleræque Abbatiæ per Regulas Cancellariæ reservatæ, ibid n. 14. Olim in Belgio electiones eorum fuerunt liberæ, ib. n. 26. Quid hodie obtineat & quomodo eo sit deventum, ibid.

ELEEMOSYNÆ.

Eleëmosynarum collecta in Belgio non admittitur sine consensu Magistratus Civilis, p. 1. t. 29. c. 4. n. 39. Quænam dicantur contueræ Eleëmosynæ, p. 1. t. 26. c. 3. n. 8. Fœda Simonia est in collatione Beneficiorum exigere pecunias in Eleëmosynas distribuendas, p. 2. t. 30. c. 5. n. 2. Eleëmosyna præfertur ornatui Ecclesiæ, p. 2. t. 36. c. 4. nu. 5. Decimæ Monachis concessæ titulo Eleëmosynæ & ut tales dispensandæ præsertim in locis ubi colliguntur, p. 2. t. 33. c. 5. num. 32. 33. & 37. 38. Modus colligendi Eleëmosynas à Gregorio XIII. præscriptus, p. 2. t. 37. c. 5. num. 6. & seq Item præscriptus a Principibus Belgii, p. 2. t. 37. c. 5. n. 20. 24.

Eleëmosynæ jam pridem in pœnitentias convenienter fuerunt impositæ, p. 3. t. 10. c. 1. nu. 5. Hinc ortæ hodierna pœna pecuniaria imponi solita in Curiis Ecclesiasticis, ib. n. 6.

Vide Mendicitas, Mensa S. Spiritûs.

ELOCATIO.

Elocationes Bonorum Fabricæ & Mensæ S. Spiritûs publicè instituendæ, nec nisi præstita cautione, p. 1. t. 5. c. 2. num. 2. 3. In elocationibus prandia non facienda, ib. n. 5.

Elocatio Bonorum Ecclesiasticorum ad quantum tempus licita sit, p. 2. t. 36. c. 2. tot. Elocationes factæ anticipatis solutionibus sunt nullæ in præjudicium successoris in Beneficio, ibid. nu. 10. An in elocationibus liceat stipulari petentias seu bibalia, ibid. n. 12. Quibus solemnitatibus fieri debeant, ibid. n. 13. Meritò à conductione excluduntur Clerici & præsertim Pastores, item Toparchæ eorum Ministri aliique, p. 1. t. 2. c. 6. n. 1. cum seq. Elocatio facta à Prædecessore an & quousque obliget successorem, p. 2. t. 36. c. 1. nu. 18. Conductores gaudent immunitate bonorum Ecclesiasticorum, p. 2. t. 35. c. 2. n. 17.

EPISCOPUS.

Episcopi successerunt in locum Apostolorum, p. 1. t. 16. c. 1. n. 6. In quibus Apostolis succedant, & in quibus non, ibid. nu. 7. 8. Munus illorum est laboriosum sicut munus Apostolorum, ibid. c. 2. n. 1. 2. Habent plenitudinem Sacerdotii, & in quo hæc consistat, ibid. c. 1. nu. 9. In quo consistat eminentia Episcopatus supra Presbyteratum, p. 2. t. 9. c. 2. n. 2. Alligantur Ecclesiæ eamque desponsant, p. 1. t. 1. c. 4. n. 5.

Episcopi multis sæculis Cardinalibus fuerunt Prælati, p. 1. t. 22. c. 1. num. 20. Magnus Pœnitentiarius scribens ad Episcopum nomen Episcopi suo præponit, ibid. numer. 21. Fuerunt aliquando per Cardinales malè tractati & de eo querelæ, ibid. num. 28.

Episcopi qualitates requisitæ juxta concordata Galliæ & Tridentinum, p. 1. t. 13. c. 4. n. 1. An magis expediat eum esse Graduatum in Theologia quam in Jure, ibid. n. 2. Non sufficit quod sit Graduatus, p. 1. t. 14. c. 3. n. 21. Quam remotus esse debeat ab ambitu, p. 1. t. 13. c. 5. n. 11.

Episcopus est Primarius Pastor suæ Diœcesis, p. 1. t. 16. c. 4. n. 1. Omnes Presbyteri sunt in ejus adjutorium, ib. nu. 4. Solus potest dare Curam animarum.

Vide Cura Animarum.

Episcopus solus habet jurisdictionem per totam suam Diœcesim, p. 3. t. 5. c. 1. n. 8. Ad ejus exclusionem nemo jurisdictionem exercere potest nisi eam plenè probaverit, ibid. n. 10. In hac sua jurisdictione non potest turbari, nequidem per Legatum à Latere, p. 1. t. 21. c. 3. n. 1.

Vide Exemptio, Jurisdictio, Officialis.

Episcoporum præcipuum munus est prædicatio Verbi Dei, p. 1. t. 16. c. 7. tot. Quoties illud annuntiare teneatur, ibid. Cur hæc minus aliis potuerit committi ab Apostolis quam administratio Baptismi, ib. n. 2. Eorum auctoritas circa prædicationem Verbi Dei.

Vide Approbatio, Prædicatio.

Episcopus orationi pro grege suo tenetur insistere, & Missæ Sacrificium offerre, quoties & quo tempore, ib. c. 9. tot. Tenetur populo Spiritum orationis inculcare, & quibus mediis id possit efficere, ib. n. 4.

Episcopus non nisi frugaliter uti potest bonis Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 1. tot. Frugalitas & parsimonia requisita in ejus vestitu supellectili mensa & in tota ejus familia, ibid. n. 11. & seq. Prætextus in contrarium discutiuntur & refutantur, ibid. num. 23. 24.

Episcopus debet esse quasi Dispensator & Promus Pauperum, ibid. n. 10. Episcoporum auctoritas in Hospitalia, & loca pia, & testamenta, a cura Pauperum, quæ Apostolis incumbebat derivata, p. 2. t. 37. c. 2. tot. & seq. p. 3. t. 2. c. 1. n. 4. & seq. Qualis sit eorum in hac materia auctoritas.

Vide Hospitale, Testamentum, Fundatio.

Episcoporum cura circa miserabiles personas ut justitia illis administretur, p. 3. t. 8. c. 2. num. 29. & seq. Item circa Captivos.

Episcopus semper habitus fuit Caput sui Cleri, & uti talis à Capitulo Cathedrali agnosci debet non obstante exemptione, p. 1. t. 8. c. 2. tot. In Cathedrali exempta solemniter ad suam Cathedram deducitur, ib. nu. 6. Danti Benedictionem omnes se tenentur inclinare, ibid. Quis locus ei competat in Capitulo exempto, ib. c. 3. tot. Convenit ut ei præsideat, ibid. n. 1. Consilium Capituli petere non tamen regulariter sequi tenetur, ib. c. 4. tot. In quibus teneatur habere consensum, ib. n. 5.

Episcopi Synodis Diœcesanis suam auctoritatem impertiunt, p. 1. t. 18. c. 4. nu. 1. Soli in Synodis Provincialibus habent suffragium decisivum, ib. n. 11.

Episcopi naturales sunt Inquisitores fidei, p. 3. t. 4. c. 2. nu. 46. Episcoporum auctoritas circa officium Divinum, Sacrificium Missæ.

Vide Missa, Officium Divinum.

Episcoporum authoritas circa Beneficia, item Bona Ecclesiæ tam ex antiqua quam moderna Disciplina.

Vide Beneficium, Bona Ecclesiæ.

Episcoporum authoritas in Monasteria.

Vide Clausura, Exemptio, Regularis.

Vide Ordinarius, Residentia, Translatio, Visitatio.

EPISTOLÆ PASTORALES.

Epistolæ Pastorales instructioni Cleri & Populi multum inserviunt, p. 1. t. 16. c. 7. n. 9. Id egregiè præstitit S. Carolus, ibid. n. 10. Variæ ejus epistolæ expediuntur, ib. n. 11. &c.

ERROR.

Vide Impedimentum.

EUCHARISTIA.

Eucharistiæ materia apud Latinos panis Azymus, apud Græcos fermentatus, p. 2. t. 4. c. 1. nu. 6. Olim Ecclesia Latina etiam usa est fermentato, ibid. n. 7. Ejus forma in omnibus Liturgiis non eodem modo exprimitur, ibid. n. 10. Ejus diversitas quoad formam consecrationis Calicis, ib. num. 11. Solus Sacerdos potest Eucharistiam conficere, ibid. n. 15.

Eucharistiam solus Sacerdos potest hodie distribuere, ibid. n. 20. Olim etiam Diaconi distribuebant, p. 1. t. 1. c. 3. num. 9. Sed propriè Calicem, p. 2. t. 4. c. 1. nu. 18. 19. Ejus rei adhuc extat vestigium in oblatione Calicis, ibid. Solus Parochus eam distribuit jure ordinario, ibid. nu. 20. Regularibus aliquando inhibita ejusdem distributio sine consensu Parochi, ibid. num. 21. Unde contraria licentia invaluerit, & quæ inde incommoda, ibid. n. 23. 24.

Eucharistia non deferenda ad ægrotos adorationis causa, ib. c. 4. n. 13. A quo tempore invaluerint processiones in quibus defertur Eucharistia, ib c. 5. tot.

Vide Communio, Missa, Processio, Viaticum.

Digitized by Google

Eucharistiæ expositio ex ejusdem delatione in Processionibus processit, p. 2. t. 4. c. 5. n. 13. Ad Episcopum spectat ejusmodi expositiones dirigere, p. 1. t. 16. c. 9. n. 10. & p. 2. t. 4. c. 5. n. 16. Regulares etiam exempti non possunt illam exponere in suis Ecclesiis sine ejus licentia, ib. nu. 17. Nec possunt acceptare fundationem cum onere exponendi Eucharistiam sine ejus consensu, ib. n. 20.

Eucharistia non exponenda nisi rarò & ob causam publicam, ib. n. 21. & seq. Hujus expositionis scopus, p. 1. t. 16. c. 9. nu. 9. Quæ in illa expositione attendenda & qua solemnitate facienda, ib. & p. 2. t. 4. c. 5. nu. 24. Quomodo & qua solemnitate exponenda in oratione quadraginta Horarum, ibid. num. 23. Non convenit quod in hac oratione semper exponatur, ibid. Non exponenda in Ecclesiis in quibus prævidetur non servanda debita reverentia, ib. n. 24.

EULOGIÆ.

Eulogiæ nomine quidnam olim appellabatur, p. 2. t. 5. c. 4. n. 4. Earum benedictio, ibid. nu. 5. Desumebantur ex panibus per populum oblatis, ibid. n. 6. Hodie vocantur panis benedictus, ibid. n. 4. Quid significet, ibid. nu. 8. Ejus oblatio & receptio inter jura honorifica computatur & qua ratione, ib. n. 10.

EXAMEN.

Examen ordinandorum Episcopis primariò incumbit ex verbis Apostoli manus nemini citò imposueris, p. 2. t. 9. c. 4. nu. 9. &c. Examen Episcopi Regulares nullo prætextu evadere possunt, ibid. nu. 5. & nu. 35. Si jus examinandi alicui competat, non censetur exclusus Episcopus, ibid. n. 10. Convenit ut Episcopus examini intersit, ibid. n. 12. Circa quæ examen instituendum, ib. nu. 12. Quale & quantum examen sit necessarium ut Episcopus possit esse securus, ib. nu. 34. 36. 37. Quam parum sæpe fidendum testimonialibus etiam Superiorum Regularium, ibid. n. 35.

Examen Episcopi subire debent juxta Concilium Tridentinum omnes instituendi in Beneficiis per inferiores Prælatos, p. 2. t. 26. c. 1. n. 5. Id non observatur nisi in Beneficiis curatis, ibid. nu. 15. Non obstante exceptione Concilii, Nominati ab hac Universitate ad Beneficia curata examen subire debent, ibid. num. 16.

Examen Noviciorum.
Vide Novitius.

Examen Testium.
Vide Depositio.

Examen Rei.
Vide Interrogatoria.

EXAMINATORES.

Examinatores jure suo sunt Archidiaconus & tres seniores Canonici Graduati, duo Theologi & unus Canonista, p. 1. t. 12. c. 1. n. 15. In Synodo constituendi, p. 1. t. 18. c. 2. n. 18. & p. 2. t. 22. c. 3. nu. 4. Qualitates requisitæ, p. 2. t. 9. c. 4. tot. & t. 22. c. 3. n. 8. cum seq. Convenit ut assumantur Canonici Cathedrales, p. 2. t. 9. c. 4. num. 14. Iis tamen Episcopus non adstringitur, ib. n. 15.

EXCEPTIO.

Exceptionem Declinatoriam proponere tenetur Clericus conventus coram Judice sæculari, aliàs justè ut contumax condemnatur, p. 3. t. 1. c. 4. num. 25. Quid obtineat in Belgio si Laicus convincatur coram Judice Ecclesiastico in materia competente, p. 3. t. 2. c. 3. n. 9. Si Citatus primo termino non compareat secluditur ab exceptione Declinatoria, p. 3. t. 7. c. 4. n. 43. A rejectione Declinatoria admittitur appellatio, p. 3. t. 9. c. 2. & tit. 10. c. 1.

Exceptio Peremptoria quænam dicatur, p. 3. t. 7. c. 4. Per tertiam contumaciam ab ea citatus secluditur, ib. n. 45.
Vide Forum Competens.

EXCOMMUNICATIO.

Excommunicatio olim usitata apud Monachos, p. 1. t. 31. c. 3. n. 24. Quæ forma ejus & effectus, ib. n. 26. & p. 3. t. 11. c. 3. tot. Reconciliatio, p. 1. t. 31. c. 3. nu. 39. Non erat Censura Ecclesiastica, ib. n. 31.

Excommunicationis variæ species antiquis usitatæ hodie sunt ignotæ & contra, ibidem. Species Excommunicationis in Episcopo qui jubetur esse contentus communione suæ Ecclesiæ, ibid. n. 5. Pœna erat non censura, ib. n. 6.

Excommunicationis altera species qua una Ecclesia recedebat à communione alterius, ib. n. 7. In quo mutua hæc communio Ecclesiarum consisteret & qua ratione hæc abrumpebatur, ibid. n. 8. 9. Ejus fundamentum 2. Thessal. 3. ibid. n. 15. Hac ratione olim sæpe plebs se substrahebat a communicatione sui Episcopi, Episcopus à communione sui Metropolitani, &c. ib. n. 16. Ob abusus tandem id prohibetur per Synodum VIII. ib. num. 17.

Excommunicatio minor quid sit, ib. n. 19. Ante sæculum 13 ignota, ibid. Hodie passim est obsoleta, ibid. nu. 20. Quatuor gradus pœnitentiæ apud antiquos usitati erant species Excommunicationis minoris, ibid. num. 22. Vocatur Excommunicatio pœnitentialis, item medicinalis & quare, ibid. num. 29.

Excommunicatio major olim dicta Mortalis & quare, ibid. n. 28. Hodie sola nomine Excommunicationis intelligitur, ibid. n. 29. Ejus effectus & à quibus excommunicatum excludat, p. 3. t. 11. c. 11. tot. & c. 4. tot. Per sepulturam excommunicati polluitur Ecclesia vel cœmeterium & hujus ratio, p. 2. t. 38. c. 6. n. 30. Corpus illud ante omnia exhumandum, ib. num. 31. An & quatenus pro eis liceat publicè & directè orare, ibid. p. 3. t. 11. c. 4. n. 7. An liceat cum eis communicare in civilibus, ib. n. 11.

Excommunicatus ut hodie sit vitandus, requiritur, ut publicè tamquam talis sit denuntiatus, & quandonam talis dicatur denuntiatus, ib. num. 16. Id non requiritur in notorio percussore Clerici, ibid. n. 19. Aliquando tamen meritò requiritur, ibid. num. 20.

Excommunicatio non potest infligi, nisi pro peccato mortali eoque enormi, ib. c. 5. nu. 3. Improbatur Excommunicatio pro levi & temporali, ib. n. 4. & c. 7. &c. Dum in Canonibus reperitur Verbum Excommunicatio pro re levi, intelligendum est de Excommunicatione minori, ibid. c. 5. nu. 7. Debet crimen etiam esse judicialiter probatum, ibid. nu. 8. Antiquitus multis imposita pœnitentia publica pro peccatis occultis, sed numquam Excommunicatio, ibid. n. 9.

Excommunicatio injusta quænam dicatur, ib nu. 12. Nullus ejus effectus est coram Deo, ibid. Ejus timore veritas non erubescenda, ib. 17. &c. Qua ratione S. Gregorius dicat eam esse timendam, ibid. nu. 18. Interdum etiam publicè contemni potest, ibid. num. 21. Eam pro bono pacis patienter ferre, magni apud Deum est meriti, ib. n. 21.

Excommunicatio ferri non potest nisi in contumacem, & quis talis dicatur, ib. c. 6. tot. Quot monitiones & cum quo medio intervallo requirantur, ibid. n. 4. 5. &c.

Excommunicatio latæ sententiæ non videtur cum hac necessitate monitionum consistere, ib. nu. 12. Olim hæc Excommunicatio vix nota fuit, ibid. num. 19. An Excommunicatio Can. *si quis suadente diabolo* C. 17. qu. 4. sit latæ an tantum ferendæ sententiæ, ibid. num. 20. Quantum Excommunicationes latæ sententiæ sæculis subsequentibus fuerint auctæ, ibid. num. 21. Summis difficultatibus & incommodis sunt obnoxiæ, ib. n. 22. Requiritur major causa pro Excommunicatione latæ, quam ferendæ sententiæ, ib. nu. 24. Non incurritur nisi post debitam & sufficientem publicationem juxta morem Provinciarum factam, ibid. n. 25.

Excommunicatio non ferenda nisi dolenter & tamquam ultimum remedium, ib. c. 7. num. 1. Executiones sententiarum per Excommunicationes fieri prohibentur, quamdiu per invocationem brachii sæcularis aliisque mediis haberi possunt, ibid. n. 3. & 5. Ordinariè plus obfuit quàm profuit Ecclesiis uti censuris ad defensionem temporalium, ib. nu. 7. Prudentia quæ in censuris ferendis requiritur. ibid. n. 9. & seq. Et præsertim ubi multitudo involvitur, ibid. nu. 12. 13. Item adversus Judices Regios in casu conflictus Jurisdictionis, ibid. nu. 17. Quid in simili casu obtineat in Belgio & Gallia, ibid. n. 19. 20.

Excommunicationis Ritus hodiernus præscriptus in Pontificali pro majori parte recens est, cur introductus, ibid. c. 8. tot. Recensetur, ibid. Sententia Excommunicationis ferenda est in scriptis, ib. n. 18. Copia authentica relinquenda excommunicato, ibid. n. 19.

Excommunicatus ab uno Episcopo semper in Ecclesia ab omnibus vitandus fuit, p. 3. t. 10. c. 1. n. 2. & t. 11. c. 8. n. 15. Synodus Nicæna id non introduxit, sed tantum confirmavit, ibid. n. 16. Hinc mos invaluit ut Excommunicatio per litteras notificaretur, ibid. n. 17.

Excommunicationis sententia per appellationem non suspenditur, & quare, ib. c. 3. n. 1. Excommunicatus non obstante appellatione potest denuntiari, ibid. nu. 25. Ab excommunicatione nondum absolutè inflicta appellatio habet effectum suspensivum, ibid. n. 21.

Excommunicatus si per annum insordescat adversus eum proceditur ut hæreticum, p. 3. t. 11. c. 8. n. 13. Decretum S. Ludovici adversus eosdem, ibid. An hæc hodie serventur, ibid. Absolutio à censuris in Bullis Apostolicis nihil operatur circa insordescentes. *Vide Absolutio, Censura.*

EXECUTIO.

Executio non præcipitanda, sed condemnatis aliquod spatium ad satisfaciendum sententiæ indulgendum & quale, p. 3. t. 9. c. 4. n. 2. Cujus auctoritate, & per quos, & qua forma facienda executio, ib. n. 9. &c.

Executiones demandari solent Apparitoribus, ibid. n. 11. Apparitores qui pecuniâ vel donis corrupti executionem differunt, quâ pœnâ plectantur, ibid. num. 12. Prætextu appellationis ab executione desistere non possunt nisi de mandato Curiæ, ibid. n. 13. In executione sententiæ Ministros sibi adjungere, auxilium Magistratûs implorare, aut etiam manum militarem advocare possunt, ibid. n. 14. 15.

Exec-

Executioni res vel bona certo ordine juxta Leges subjecta sunt, ib. n. 16. An & quousque hic ordo servetur in Gallia & Belgio, ib. n. 17. An hodie dentur aliqua bona exempta ab executione, ibid. nu. 20. Privilegium concessum Clero Gallicano quod eorum mobilia capi non possint, quomodo hodie restrictum, ibid. n. 21. 22.

Executionis extremum remedium hodie est incarceratio, ibid. n. 23. &c. Quandonam & adversus quos ad eam procedi possit, ibid. nu. 26. Ab hac incarceratione liberat cessio bonorum, ib. n. 31.

Vide Cessio Bonorum.

Executionis ultimum medium in tribunalibus Ecclesiasticis est excommunicatio, ib. num. 44. Ad eam non procedendum nisi omnibus mediis deficientibus, ibid.

EXECUTORES.

Executores litterarum Apostolicarum debent esse in dignitate constituti, p. 2. t. 24. c. 1. nu. 22. Cognitio causæ quæ iis tribuitur per Bullas in Belgio & in Gallia est sine effectu, & quare, p. 2. t. 24. c. 6. n. 6. & seq.

Executores Testamenti.

Vide Testamentum.

EXEMPTIO.

Exemptionum apud antiquos Monachos nullum exstat vestigium, & quæstiones hodiernæ ex iis exortæ olim fuerant ignotæ, p. 1. t. 22. c. 6. num. 1. 2. Monachi primitus fuerunt meri Laici, ib. n. 2. & p. 3. t. 12. c. 1. n. 1. Cur in Concilio Chalcedonensi specialiter Episcopis fuerint subjecti, ib. n. 10. Regula pluribus Synodis item Decretalibus probata & à Canonistis communiter recepta est, *De jure communi Monasteria subjici Ordinariis*, ib. n. 20.

Exemptiones à sæculo 6. & sequentibus concessæ tantum respiciunt quietem monasteriorum, conservationem temporalium, & liberam Electionem Abbatum, p. 3. t. 12. c. 2. n. 1. & seq. Quomodo Episcopi aliique in his sæpe excederent, ibid. nu. 3. Hæc privilegia spirituali authoritati Episcoporum in Monachos & Abbates non præjudicabant, ib. n. 37.

Exemptiones hæ concedebantur ab ipsis Episcopis vel saltem non nisi de eorum consensu, ib. c. 3. n. 1. Sæpe in Synodis confirmabantur, ib. n. 5.

Exemptionibus his etiam sæpe confirmatio Regia accedebat, ib. n. 6. Quid hæc contineret, & circa quæ versaretur, ibid. nu. 7. &c. Omnia fiebant ad instantiam Fundatorum, & qua intentione, ib. n. 13. Meritò hæc à Monachis attenditur, ibid. n. 16. Authoritas spiritualis Episcoporum in omnibus manebat salva, ib. n. 17.

Exemptiones & Privilegia hujusmodi ab Episcopis concessa, & Regia authoritate roborata, Monachi & fundatores curarunt per Sedem Apostolicam confirmari, ib. n. 18. Pontifex tantum confirmabat id quod Episcopi concesserant, ibid. nu. 20. 25. Hæc confirmatio nihil authoritati Canonicæ Episcoporum detrahebat, ib. n. 26. Protectio Sedis Apostolicæ non infert exemptionem, ib. n. 28 & ib. c. 5. n. 5.

Exemptiones Hodiernæ & earum divisio, ib. c. 4. num. 2. Variæ exemptiones quæ dicuntur concessæ ante sæculum 11. arguuntur tamquam de suppositione suspectæ, ib. n. 6. 20. Primum exortæ sunt sæculo XI. ib. nu. 21. &c. Querela S. Bernardi adversus easdem & ejusdem concertatio cum Cluniacensibus, ib. n. 23. &c. & 27. &c. Querela Petri Blesensis, ib. n. 33. Joannis Sarisberiensis, ibid. n. 37. Petri Cantoris, ib. n. 38.

Exemptiones Ordinum Mendicantium Fundatoribus eorum displicuerunt & quare, ib. nu. 41. Quam alienus ab iis fuerit S. Franciscus, ibid. n. 42. Nullo prætextu extendi possunt ad functiones Hierarchicas, ib. n. 45. &c. & c. 5. nu. 43. Nimia earum extensio maximas contentiones & scandala peperit, ib. c. 4. n. 45. &c.

Exemptiones pepererunt ferè omnes quæstiones ortas inter Regulares, & Episcopos, & Parochos; item quæstiones Regularium inter se, p. 1. t. 22. c. 6. tot.

Exemptiones Capitulorum præsertim Cathedralium maximè sunt odiosæ, & quare, p. 3. t. 12. c. 6. n. 20. 23. Quandonam, quo prætextu & quibus mediis invaluerint, p. 3. t. 12. c. 4. n. 50. 51. Non se extendunt extra Capitularia, ib. n. 25. 31. Non ad curam animarum, ib. n. 32. Acta in Concilio Trident. pro earum abolitione, p. 1. t. 8. c. 1. n. 4. & p. 3. t. 12. c. 6. n. 3. &c. Quomodo hodie restrictæ, ibid. Quænam Episcopo competant in Cathedrali exempta, p. 1. t. 8. c. 2. tot. & p. 3. t. 12. c. 6. n. 24. & seq. Quænam in Capitulo, p. 1. t. 8. c. 2. nu. 6. Capitula exempta in quibus & quousque subdantur Synodis Diœcesanis, p. 1. t. 18. c. 4. n. 6.

Exemptiones Academiarum quandonam inceperint, p. 3. t. 12. c. 4. n. 53. Earum ratio, ibid. Non extendunt se nisi ad Academica, ib. c. 5. n. 38.

Exemptiones plurimum invaluerant tempore magni Schismatis, ib. c. 4. n. 48. Bulla Martini V. eas omnes revocans, ibid.

Exemptiones omnes sunt odiosæ & restringendæ, p. 3. t. 12. c. 5. n. 1. 2. &c. Ultra quam loquuntur extendi non possunt, ib. n. 4. &c. Variæ Clausulæ privilegiis insertæ, ex quibus exemptio deduci non potest, ib. n. 14. & seq. Clausulæ ex quibus exemptio deduci potest, ibid. nu. 15. Habere Visitatores Regulares non est sufficiens signum Exemptionis, p. 1. t. 32. c. 4. nu. 19. Concessio potestatis corrigendi & puniendi suos Monachos & Canonicos facta Abbati, Decano seu Capitulo non arguit Exemptionem, p. 3. t. 12. c. 5. n. 22.

Exemptio quam diu dubia est Episcopi Jurisdictionem impedire non potest, ibid. n. 23. Fallit si possessio sit pro exemptione, ib. num. 24.

Exemptio personalis quænam dicatur, ib. n. 27. Est magis odiosa quam localis, ibid. nu. 29. Sequitur personam ubicumque fuerit, ibid. nu. 30. & 33. Nil operatur in materia non exempta, ib. nu. 36. Exempti omnes tenentur Legibus generalibus regimen Diœcesis in materia communi concernentibus, ibid. num. 45.

Exemptio localis simplex non reddit locum nullius Diœcesis, p. 1. t. 31. c. 6. n. 24. & p. 3. t. 12. c. 5. num. 44. Si debitum sit contractum, delictum commissum, res sita extra locum exemptum, exemptio hæc nihil operatur, ib. nu. 30. In locis simpliciter exemptis suæ Diœcesis Episcopus exercere potest Pontificalia, nec quisquam alius id potest sine ejus licentia, p. 1. t. 16. c. 3. n. 9.

Exemptionum generalem abrogationem in Concilio Tridentino postularunt Germani, magnam limitationem Galli, p. 3. t. 12. c. 6. n. 3. 5. Limitatio Exemptionum in Regularibus degentibus extra claustrum & quinam tales censendi, ib. n. 6. In Regulari degente in Monasterio delinquente cum scandalo Populi & quomodo in eo casu Episcopus procedere debeat, ibid. n. 11. Decretum habet locum in delicto commisso in loco exempto, ibid. num. 15. Constitutio Clementis VIII. ad evitandas fraudes, ibid. nu. 16. Exempti omnes specialem Judicem non habentes in Civilibus coram Episcopo conveniuntur, ibid. nu. 17. Exemptiones Clericorum sæcularium quomodo restrictæ, ib. n. 19. 20. & seq.

EXEQUIÆ.

Exequiæ ultra sex septimanas non differendæ, p. 2. t. 38. c. 1. n. 50. Hæredes defectuosi ad eas constringendi, ibid. nu. 51. In his Parochi notam avaritiæ evitare debent, ibid. n. 52. Fastus in exequiis improbatur, ibid. num. 53. Perstringitur defectus pietatis in earum celebratione, ib. 59. Canonici & Cappellani, qui usque ad finem non intersunt, injustè integram distributionem accipiunt, ibid. n. 60. Exequias meritò sequitur exhortatio Pastoris, ib. n. 61.

Exequiæ & sepultura omnino inter se disparata, & concessio juris sepulturæ non infert jus Exequiarum, p. 2. t. 37. c. 5. num. 4. cum seq. Bullæ Pontificiæ jus Exequiarum reservantes Ecclesiis Parochialibus etiam dum sepultura fit apud ordines Mendicantes, ib. nu. 6. &c. Consuetudo generalis Galliæ illi est conformis, ib. n. 15. Plurimis Ecclesiis Belgicis idem Jus assertum per sententias supremorum senatuum, ibid. nu. 16. Quales & cujus generis Exequiæ persolvendæ in Parochia dum in alia Ecclesia electa est sepultura, ibid. n. 13.

Vide Quarta funeraria, Sepultura.

EXERCITIA SPIRITUALIA.

Præcipiuntur ordinandis, p. 2. t. 9. c. 4. num. 41. Convenit ut fiant sub Directore ab Episcopo ad hoc probato, ibid.

EXILIUM.

Exilium sapiebat recessus à patria, qui olim in pœnitentiam peccatoribus imponebatur & quis ejus scopus, p. 3. t. 10. c. 1. nu. 28. De hac specie exilii Canones varii referuntur, ibid. num. 30. &c.

Potestas relegandi non videtur competere Ecclesiastico Judici, n. 33. Potest tamen Episcopus Clericos immorigeratos extraneos ad suas Diœceses remittere, ib. nu. 36. Item cogere facinorosos ut ex sua Diœcesi recedant, ib. n. 37.

EXORCISMUS EXORCISTA.

Exorcismorum in Baptismo antiquitas & quid indicent, p. 2. t. 2. c. 3. nu. 29. 30. Quid indicet exsufflatio, ibid. Cavendum ne superstitio se Exorcismis immisceat, p. 3. t. 4. c. 3. num. 59. Quomodo Exorcismi Ecclesiæ adhibendi, ibid. Nemo exorcisare potest sine licentia Ordinarii in scriptis, ibid. n. 60. Quomodo Exorcista se præparare debeat, ibid. Exorcismi olim adhibiti in purgationibus vulgaribus.

EXPENSÆ.

Expensarum materia in sententia definitiva debet terminari, p. 3. t. 9. c. 3. n. 18. Ab omissa condemnatione in expensas admittitur hodie appellatio, ibid. nu. 19. Communis est Regula victum victori in expensas condemnandum, ibid. n. 20. Quibus casibus admittatur compensatio, ib. n. 21. Executores Testamentorum meritò in expensas proprio nomine condemnantur, si lites infundatas suscitasse reperiantur, p. 3. t. 2. c. 2. nu. 38. Fiscalis seu Promotor quandonam in expensas possit condemnari, p. 3. t. 8. c. 1. num. 16. Denuntiator condemnatur in ex-

expensas, damnum & interesse, si falso denuntiaverit, ib. n. 34.

Expensæ in Interlocutoriis reservantur in definitivam, quod non per omnia probatur, p. 3. t. 9. c. 3. n. 16.

Expensarum taxatio qua forma hodie fiat, & quæ dilationes concedantur, ibid. nu. 17. Quænam Expensæ sub taxationem cadant, ib. n. 29. &c. Quomodo taxanda salaria Advocatorum, p. 3. t. 6. c. 2. n. 46. Improbatur hodierna taxatio pro numero pagellarum, ib. nu. 47. Si Advocati excesserint per superfluas allegationes vel inutiles repetitiones, parte sui stipendii in taxatione mulctantur, p. 3. t. 9. c. 3. n. 25. Motiva Juris in Expensas non taxantur, p. 3. t. 7. c. 5. n. 4.

Expensis annumerantur Damnum & interesse, item fructus restituendi, p. 3. t. 9. c. 3. Quomodo hæc taxentur, ibid. n. 33. Improbatur quod Judices tantum cogitent de transactione quando Expensæ sunt factæ, p. 3. t. 5. c. 4. nu. 25. Optandum ideo ut citationes non fierent nisi de expresso mandato Judicis, p. 3. t. 7. c. 2. n. 5. 6. &c.

EXPOSITIO EUCHARISTIÆ.

Vide Eucharistia.

EXSPECTATIVÆ.

Exspectativarum definitio & divisio, p. 2. t. 23. c. 1. num. 2. 4. Eorum ortus, progressus & Ordinariorum adversus eas oppositiones, ibid. n. 15. Acta Concilii Constantiensis & Basileensis pro earum abrogatione, ib. n. 33. 35. Decreta hæc non ubique recepta, ibid. num. 37. Decreta hæc aliquo tempore recepta in Gallia sed postea antiquata & Exspectativæ restitutæ per Concordatum, ibid. nu. 36. Acta & Decretum Concilii Tridentini pro earum abrogatione, ib. c. 2. tot. n. 6. Decretum hoc magno applausu receptum in Gallia, ibid. n. 11. 12. Solæ remanserunt in Nominatis Academicis & Indultariis, ibid.

Exspectativarum species sunt preces imperiales, p. 2. t. 25. c. 9. n. 19. Declaratio Congregationis Concilii Tridentini quod iis non sit per Concilium Tridentinum derogatum, ibid n. 22.

Exspectativæ non impediunt unionem, p. 2. t. 29. c. 3. nu. 24.

EXTREMA UNCTIO.

Extrema Unctio est verum Sacramentum, p. 2. t. 8. c. 1. num. 1. Ejus materia, ibid. n. 3. Forma, ibid. nu. 10. Forma hodierna apud Græcos ignota & Ecclesia Latina usa fuit olim formâ indicativâ, ibid. n. 13. Circa partes corporis inungendas & ritum unctionis pridem fuit Ecclesiarum varietas & quid sequendum, ib. n. 22.

Extrema Unctio ut conferri possit qualis infirmitas requiratur, ib. c. 2. n. 5. An pueris, an amentibus & sensibus destitutis conferendum, ibid. nu. 9. 10. Græci magnam infirmitatem non requirunt, imò quandoque sani eo utuntur, ib. num. 5. Unde factum quod in Ecclesia Latina tam diu differatur, ib. nu. 6. 18. Stulta persuasio ac si post acceptum hoc Sacramentum testamentum condere non liceret, eamque eradicandam præcipiunt Synodi, ib. c. 2. n. 14.

Extrema Unctio est complementum pœnitentiæ, idque indicat antiquus ejus ritus, ib. n. 21. Item modernus, ib. n. 22. Usque ad finem sæculi 16. conferebatur ante viaticum, ib. c. 2. n. 26. An conveniat illam disciplinam reducere, ibid. n 30. Hodierno ritu Græcorum plures Presbyteri in ejus administratione interveniunt & infirmum inungunt, ib. c. 3. n. 3. Idipsum olim usitatum in Ecclesia Latina, ibid. n. 5. Convenit ut plures Presbyteri interveniant & quare, ib. n. 7.

Extremæ Unctionis solus Parochus est Minister, ib. nu. 11. Pœnæ contra Regulares qui illud sine Parochi licentia administrant, ibid. n. 10. An & quomodo conferendum tempore pestis, ibid. c. 1. n. 27. & c. 3. n. 15. Ritus & cæremoniæ post Unctionem faciendæ explicantur, ib. n. 26. & seq.

Extrema Unctio olim in eodem morbo apud Latinos hoc Sacramentum reiterabatur uti & modo apud Græcos, ib. n. 26. Variæ de hac iteratione Scholasticorum sententiæ, ib. & seq. Concilium Tridentinum super eo nihil definivit, ib. nu. 33. Quid de hac reiteratione statuant Synodi & Ritualia, ibid. n. 34. Spectat merè ad disciplinam, ibid. nu. 37. Abominanda est superstitio certo sibi persuadere eo quod per levia opera pietatis coluerit S. Barbaram se non moriturum sine hoc Sacramento, p. 2. t. 37. c. 6. n. 39.

Vide Oleum Infirmorum.

F.

FABRICA.

Fabricæ applicabatur olim quarta pars proventuum Ecclesiæ, p. 2. t. 16. c. 5. n. 1. In Hispania applicabatur tertia, ibid. n. 3. Inde ortum quod ad reparationem Ecclesiæ teneantur Beneficiati, ibid. n. 6. Specialiter Decimatores, ibid. n. 11. Ante omnia bona propria Fabricæ impendenda, ibid.

Vide Ecclesia.

Fabricæ proventus in Portionem congruam Pastorum vel Vice-Pastorum impendere dum Decimæ sufficientes sunt omnino injustum est, p. 2. t. 34. c. 3. n. 17.

Fabricæ proventus quousque subsint directioni & authoritati Episcopi, quando administrantur per Laicos, p. 2. t. 37. c. 2. tot. Concilium Tridentinum quatenus reservat Episcopis dispositionem Bonorum Fabricæ exclusis Patronis, in Belgio non est receptum quantum ad Patronos Laicos, ib. n. 27.

Vide Æditui, Computus, Electio.

FALSARIUS.

Falsarius condemnatur ad carcerem perpetuum in pane doloris & aqua tristitiæ, p. 3. t. 11. c. 1. num. 24. Crimen falsi punitur per Judicem coram quo commissum est, p. 3. t. 4. c. 5. num. 27. & seq. Si commissum sit extra judicium ad cujus forum spectet, ib.

FATALIA.

Fatalia dicuntur terminus introducendæ & finiendæ appellationis de Jure Civili & Decretalium præscriptus, & quare, p. 3. t. 10. c. 2 n. 37. Judex a quo subinde eum abbreviare potest, ib. num. 26. 33. Fatalia non currunt si per compromissum aut de partium consensu differatur appellationis introductio, ibid. n. 34. Abierunt hodie in desuetudinem quantum ad tempus finiendæ appellationis, ibid. num. 36. Quid circa fatalia introducendæ appellationis hodie obtineat in Curiis tam Civilibus quam Ecclesiasticis, ibid. num. 37. Non facile adversus eorum lapsum danda est restitutio, ibid. nu. 43. Lapsis fatalibus si non introducta sit appellatio, Judex a quo procedere potest ad executionem sententiæ, ibid. nu. 39. Debet tamen ante declarare appellationem desertam, idque prævia cognitione causæ, ibid. num. 44. Lapsus fatalium nunquam obest Procuratori Regio quo minus instituere possit appellationem ab abusu, p. 3. t. 11. c. 4. n. 30.

FAVORABILIA.

Favorabilia sunt amplianda, p. 3. t. 12. c 5. n. 3. & p. 2. t. 23. c. 5. num. 6. & seq. Talia censentur jura Ordinariorum, ibid. Quæ illis contrariantur restringenda, & ultra tenorem verborum non extendenda, ibid.

FESTUM.

Festorum variorum celebratio descendit ex traditione Apostolica, p. 2. t. 17. c. 1. n. 1. Inter hæc Festa non computabatur Festum Natalis Domini, ibid. n. 2. Festum illud in variis Ecclesiis Orientis non distinguebatur a Festo Epiphaniæ, ibid. Festum S. Joannis Baptistæ admodum est vetustum, & solemne, & ejus ratio, ib. n. 4. Festa singulorum Apostolorum serius instituta, sed primitus uno communi Festo omnium memoria celebrata, ibid. n. 4. Festa Martyrum sunt antiquissima, ibid.

Festa particularia D. Virginis quandonam celebrari cœpta, ib. n. 5. Olim tardius celebrata quia credebatur ea esse correlativa cum Festis Christi, ibid. nu. 8. Festum Annuntiationis a quo tempore receptum, ibid. n. 5. Olim eâdem solemnitate quâ Natalis Domini celebratum & quare, ibid. n. 8. Decretum Concilii Toletani X. super mobilitate hujus Festi, ibid. n. 6. Festum Assumptionis sæculo IX institutum, ib. n. 13. Festum Nativitatis & Conceptionis quandonam institutum, ib. n. 15.

Festum Fatuorum quid olim fuerit, p. 2. t. 5. c. 9. num. 36. Ejus spurcities & turpitudines describuntur, ibid. Luculenta Facultatis Theologicæ Parisiensis Epistola ad Prælatos Galliæ pro ejusdem abrogatione, ibid.

Festorum institutio & abrogatio ad quos præcipuè spectet, p. 2. t. 17. c. 1. n. 17. 27. Audiendus populus seu Magistratus, ibid. n. 18. Intervenire debet authoritas Regia, ibid. n. 19. Nimia eorum multiplicatio habet sua incommoda & quænam, ibid. nu. 20. Ob eam causam non ita pridem varia Festa fuerant abrogata, ibid. n. 21. Convenit ut instituantur Festa dimidiata, quænam & quomodo celebranda, ibid. n. 23.

Festum continuum esse debet vita Christiani, ibid. c. 2. n. 1. Item continuum sacrificium, ibid. nu. 2. Qua ratione id possit obtineri, ibid. Festa instituta sunt propter imperfectiores & eorum scopus, ibid. nu. 6. Ut scopus hic obtineatur, officia divina frequentanda sunt, & quænam, ib. n. 8. & seq. Edicta Regum & Principum super hac materia, ibid. num. 17. Error est satisfieri præcepto sanctificationis diei Festi per auditionem Missæ privatæ, ib. n. 20. Quid requiratur pro ejus sanctificatione, ib. n 22. seq.

Vide Horæ Canonicæ, Officium Divinum.

Festis diebus vetita sunt opera servilia & quænam illa. ib. c. 3. tot. Aliqua opera cum moderatione licita diebus Festis alias illicita, ib. n. 9. 19. & seq. Itinera non necessaria differenda, ibid. n. 21. Famulis & ancillis concedendum tempus frequentandi Divinum Officium, ibid. n. 23. Cura Pastorum circa opiliones & bubulcos, ib. n. 26. Iisdem diebus vetiti strepitus forenses & quinam, ibid. n. 5. & c. 4. tot. Item mercatus & nundinæ, ib. c. 4. n. 11. Synodorum Decreta, & Principum Edicta, & ordinationes Magistratuum circa nundinas & venditiones eduliorum, ib. nu. 13. & seq. Contractus inici diebus Festis sunt validi, secus actus Judiciales, ibid. Exceptio, ibid. n. 6.

Vide

Vide Choreæ, Opus Servile, Popina, Spectacula, Strepitus Forenses.

Festorum violatio in Belgio est mixti fori & datur locus præventioni, p. 2. t. 18. c. 6. nu. 20. Quomodo Synodi adversus violatores Festorum procedi velint, p. 2. t. 18. c. 6. nu. 19. Quid Judex Ecclesiasticus in hac materia debeat attendere, ibid.

FIDES.

Fides circa quod versetur, p. 3. t. 4. c. 2. n. 7. Potest quis deviare à fide & non esse hæreticus, ibid. n. 9. Exactè separanda ea quæ sunt fidei ab iis quæ non sunt, ibid. n. 11. Ad Romanum aliosque Episcopos remittunt Imperatores suos subditos ad hauriendam notitiam fidei, ib. nu. 13. Varietas rituum non officit unitati fidei, p. 2. t. 5. c. 1. n. 23.

Fidei Professio a Catechumenis olim exacta, p. 2. t. 2. c. 3. nu. 22. Vocabatur redditio Symboli, & quâ formâ fieret, ibid. nu. 23. Fidei professionem facere debent obstetrices coram Archipresbytero, ib. c. 4. n. 4. Item Ludimagistri & coram quo, p. 2. t. 11. c. 5. n. 11. Item Canonici Ecclesiarum Cathedralium, p. 2. t. 26. c. 2. nu. 19. An etiam Canonici Ecclesiarum Collegiatarum, ibid. n. 20.

FILIUS.

Vide Parentes.

FIRMA.

Firma quid dicatur, p. 1. t. 31. c. 2. n. 13. Prohibitum cellas obedientiarias Monachis ad firma concedi, ibid. n. 14. Monasteria sæpe Sæcularibus prædia sua concedebant ad Firmam & quare, p. 2. t. 25. c. 4. nu. 9. Natura & conditiones hujus contractûs, ibid. n. 10. Jus Patronatus Prædio annexum transit in conductorem ad Firmam, ibid. n. 7.

FLAGELLATIO.

Flagellationis seu virgarum pœna apud Monachos usitata, p. 1. t. 31. c. 3. nu. 22. Eâ olim Episcopi etiam usi fuerunt juxta S. Augustinum & Gregorium, p. 3. t. 11. c. 1. n. 39. Admodum verisimile eam adhibitam per modum paternæ correctionis ad exemplum Parentum & Magistrorum Artium, ibid. num. 40. Episcopus monetur in ea adhibere moderationem, ibid. Neminem Episcopus poterat cædere propriis manibus, ibid. n. 41. Id tamen permittitur Abbati respectu sui Monachi, ibid. n. 42.

FLETIO.

Vide Gradus Pœnitentiæ.

FORMATÆ.

Formatæ dicebantur litteræ communicatoriæ inter Episcopos, p. 2. t. 11. c. 3. n. 8. Unde sic dictæ, ibid. n. 9. Earum substractio signum erat abruptæ communionis, ibid. n. 12.

FORNICATIO.

Fornicatio simplex dicitur accessus ad Meretrices, p. 3. n. 11. c. 3. n. 8. Probatur hujus peccati gravitas, ib. nu 63. Obligatio Pastorum & Episcoporum eliminandi Meretrices, statuas, libros inhonestos, aliaque hujus peccati incitamenta, ibid. num. 67. Quandonam habeat rationem sacrilegii, ibid. nu. 68.

Vide Sacrilegium.

FORUM COMPETENS.

Fori Ecclesiastici maxima olim fuit extensio quoad causas civiles laicorum, & quibus titulis causæ illæ eidem fuerint subjectæ, p. 3. t. 1. c. 1. nu. 28. & seq. Quomodo in Gallia omnes causæ civiles Laicorum sensim & per frusta fuerint substractæ, ib. n. 42. & c. 2. tot. num. 11. 18. seq. Quid actum in Belgio, ibid. Quænam Judici Ecclesiastico manserint subjectæ, ib. n. 21. In Hispania & Gallia Laicus Jurisdictionem Ecclesiasticam prorogare non potest, ib. n. 22. Quid obtineat in Belgio, p. 3. t. 2. c. 3. n. 9. &c.

Foro Ecclesiastico quoad omnia suberant causæ Civiles Clericorum.

Vide Immunitas Ecclesiastica.

Foro Ecclesiastico subsunt causæ puræ Ecclesiasticæ, p. 3. t. 2. c. 1. n. 3. &c. Causæ Matrimoniales spectant ad Tribunal Episcopi ad exclusionem inferiorum, ib. nu. 10. Harum cognitio inferioribus competere non potest nisi ex consuetudine immemoriali, ibid. nu. 19. Multum hodie restricta est in Gallia Jurisdictio Ecclesiastica quoad accessoria harum causarum, ib. n. 26. Causæ Dotales & donationum propter nuptias ei nullo modo subjiciuntur in Gallia, ibid. n. 28. Quid obtineat in Belgio, ib. num. 29.

Foro Ecclesiastico in Gallia omnino substractæ sunt causæ testamentariæ.

Vide Testamentum.

Foro Ecclesiastico an & quatenus subsint Hospitalia & loca pia à Laicis administrata.

Vide Hospitale, Æditui, Computus.

Fori mixti sunt in Brabantia bona Ecclesiastica amortizata, p. 3. t. 2. c. 3. n. 3. &c. Cujus sit judicare an verè sint amortizata, ibid. n. 7. Bona Clericorum non subsunt Judici Laico, ib. n. 11. An eis possit injicere arrestum, ib. n. 12.

Forum sæculare sortiuntur causæ miserabilium Personarum etiam adversus Clericos, & quo titulo, ibid. nu. 20. Item causæ Possessoriæ retinendæ & recuperandæ Possessionis etiam in materiis Ecclesiasticis, quo titulo & à quo tempore, ib. c. 4. n. 9.

Fori Ecclesiastici latissima olim extensio ad omnia crimina Laicorum, p. 3. t. 4. c. 1. nu. 1. &c. 21. Forum contentiosum non distinguebatur à Foro Pœnitentiali usque ad sæculum XII. ib. nu. 7. 19. Ea distinctio causa fuit diminutionis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ib. num. 26. Quænam delicta eidem manserint subjecta, eod. cap. & seq. per totum.

Foro Præfecti saltuum in Brabantia subsunt injuriæ illatæ bonis Monasteriorum, & unde id ortum, p. 2. t. 35. c. 1. n. 36. Quid obtineat in Belgio si Judex Ecclesiasticus materiam suæ Jurisdictionis excedat adversus Laicum, p. 3. t. 1. c. 4. per tot. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 15. & seq. Si Judices Regii excedant adversus immunitatem Ecclesiasticam inhibitum adversus eos procedi per censuras, p. 3. t. 11. c. 7. n. 17. 18. Quodnam remedium in eo casu usitatum in Belgio, ibid. Quod in Gallia, ibid. n. 20. An Judices Regii cogere possint Ecclesiasticos ad revocationem Censurarum, ibid. c. 11. num. 25.

Vide Jurisdictio, Senatus.

FUNDATIO.

Fundationum omnium munimenta in Archivis asservanda, p. 1. t. 5. c. 2. n. 7. Fundationes Missarum à quo tempore notæ, p. 2. t. 5. c. 7. n. 12. cum seq.

Fundationes merè ad celebrandum nullius utilitatis esse solent & merito abrogandæ, ib. n. 19.

Fundatorum intentio adimplenda, p. 2. t. 5. c. 7. n. 10.

Fundationes Missarum ad certum altare etiam in eo exsolvendæ, ibid. n. 32. Potest tamen ex causa dispensare Episcopus, ib. n. 25. 33.

Fundatio perpetua Missarum nisi ab Episcopo erecta sit in Beneficium manet laicalis, p. 2. t. 19. c. 4. nu. 33. & p. 2. t. 18. c. 1. num. 22.

Fundationum conservatio quo jure ad Reges spectet, p. 2. t. 25. c. 6. nu. 18. Non facilè admittitur notabilis alienatio bonorum Ecclesiæ sine Regis consensu & quare, ibid. & p. 2. t. 36. c. 4. n. 35. Superintendentia quam habet Fundator super bonis fundationum, item super exsolutione onerum ad quæ se extendat, p. 2. t. 25. c. 6. n. 13. 19. Concilium Tridentinum huic minimè contrarium, ibid. nu. 22. Quid Pastoribus incumbat circa Fundationes, p. 2. t. 5. c. 7. n. 22.

Fundationes redactæ in certum usum pium, si in illum amplius impendi nequeant, impendendæ sunt usui proximiori, & quis iste, p. 2. t. 37. c. 4. nu. 19. Commutatio Fundationum piarum qua auctoritate fieri possit, ib. n. 21.

Vide Bursa, Cappellania, Hospitale, Honoraria, Missarum reductio.

FUSTIGATIO.

Fustigatio publica sapit pœnam sanguinis, p. 3. t. 11. c. 1. nu. 39. A foro Ecclesiastico ubique recessit, ibid. n. 44. Inhibitio eam imponendi facta in Gallia omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ibid.

G.

GRADUS ACADEMICI.

Gradus Academici sunt publica eruditionis testimonia, p. 1. t. 11. c. 2. nu. 9. & p. 2. t. 19. c. 4. nu. 7 Non tamen sunt sufficientia, p. 1. t. 14. c. 3. nu. 21. Quantum Ecclesiæ & Reipublicæ noceant qui indignos ad eos admittunt, p. 2. t. 19. c. 4. n. 9. & p. 3. t. 6. c. 2. num. 13. Quam exactum examen requirat visitatio Academiæ Lovaniensis in admittendis ad Licentiam Juris & ejus ratio, ib. n. 15. & p. 2. t. 19. c. 4. n. 8.

Graduati in Theologia & Jure Canonico æquiparantur, & ratio multum notanda, p. 1. t. 10. c. 2. nu. 1. Optandum ut Gradus in Jure Canonico separaretur à Gradu in Jure Civili & quare, ibid. nu. 8. Quid magis conveniat Episcopo an quod sit Graduatus in Theologia, an quod in Jure, ib. c. 2. tot.

Graduatos ad Canonicatus præferri optat Ecclesia, p. 2. t. 19. c. 4. nu. 6. &c. An Collatio Beneficii debiti Graduato sit valida facta non Graduato si nullus Graduatus se præsentet, ib. n. 18.

Gradus qui dantur in Ordinibus non intelliguntur in litteris Pœnitentiariæ directis ad Doctorem Decretorum vel Magistrum in Theologia, p. 1. t. 23. c. 3. n. 15.

GRADUS POENITENTIÆ.

Graduum Pœnitentiæ notitia pro intellectu Canonum Pœnitentialium necessaria, p. 2. t. 6. c. 3. tot. Rectè vocantur excommunicationes minores, p. 3. t. 11. c. 3. nu. 19. Primus Gradus est fletio, p. 2. t. 6. c. 3. n. 18. Describitur, ibid. Stabant extra Ecclesiam, ibid. Quid in hac statione ageretur, ibid. num. 20. Propriè non habebatur Pœnitentialis, ib. n. 21.

Gradus secundus dictus Audientium describitur, ib. n. 23. Quo loco obiretur, ibid. n. 24. Opera Pœnitentialia illis non imponebantur,

Digitized by Google

nebantur, ibid. n. 26. Ratio cur fuerit institutus, ib. n. 27. Ejus effectus, ibid. n. 28.

Gradus tertius dictus Substractio vel Subjectio & unde sic vocatus, ibid. n. 29. In hoc Gradu crebræ fiebant impositiones manuum & orationes super Pœnitentes, ibid. n. 30. Imponebantur opera Pœnitentialia, & Gradus hic propriè censebatur Pœnitentialis, ibid 32. 33.

Gradus quartus dictus Consistentia præscribitur, ib. num. 34. In quem finem institutus, ib. n. 35.

Gradus quilibet quanto tempore obiretur, ibid. n. 38. Episcopus habebat potestatem tempus abbreviandi, ibid. n. 39. Item ad altiorem stationem omisso medio promovendi, ibid. n. 40. Hujus œconomiæ, Pœnitentialis ratio, & scopus erat cognoscere veram conversionem, ibid. n. 41.

GRAPHIARIUS.

Graphiarii successerunt Cancellariis Romanis, p. 3. t. 6. c. 4. tot. Quo tempore & quare in curias Ecclesiasticas inducti, ibid. n. 2. 3. Graphiarii officium & juramentum, ib. nu. 7. Originalia acta non potest à se dimittere, sed tenetur dare copias parti petenti, ibid. n. 10. Actis per ipsum conscriptis & registratis plena fides habetur, nisi stylus Curiæ aliud requirat, ibid. n. 11.

Graphiarii debent esse indifferentes & utrique parti fideliter servire, ib. n. 14. Possunt recusari ex causa suspicionis, p. 3. t. 10. c. 5. n. 15. Rectus ordo judiciorum multum ab iis dependet, p. 3. t. 6. c. 1. & 4. n. 17. Eorum officium olim erat vile, secus hodie, ib. n. 18. Quænam in actis conscribendis ex juramento suo cavere debeant, & pœna si excedant, ibid. nu. 21. Eorum salarium quomodo taxetur, ib. n. 20. An fiant irregulares scribentes in causa sanguinis, p. 2. t. 10. c. 4. n. 14.

GENERALIS.

Vide Superior, Regularis.

GRÆCI.

Græcorum forma Baptismi differt à forma Latinorum, p. 2. t. 2. c. 1. n. 13. Apud Græcos Presbyteri confirmant, ib. t. 3. c. 2. n. 3. Differentia inter Græcos & Latinos quoad formam Confirmationis, ib. c. 4. nu. 10. Eucharistiam consecrant in fermentato quod Ecclesia Latina non reprobat, p. 2. t. 4. c. 1. n. 6. 7. Infantibus apud eos recenter Baptizatis datur Eucharistia, quod Synodus Trid. non improbat, ib. c. 2. n. 3. Apud eos Processiones cum venerabili ignotæ, unicâ exceptâ, p. 2. t. 4. c. 5. n. 8.

Græcorum Presbyteri oleum ungendis infirmis conficiunt, p. 2. t. 8. c. 1. n. 6. Ritus apud ipsos ungendi se oleo ab Episcopo Benedicto feria 5. in Cœna Domini, ibid. n. 7. In Extrema Unctione plures Presbyteros requirunt, qui infirmum ungant, ib. c. 3. n. 3. Non requirunt extremam infirmitatem, ib. c. 2. n. 5. Extremam Unctionem in eadem infirmitate sæpius iterant, ib. c. 3. n. 27.

Græci traditionem instrumentorum in ordinationibus ignorant, p. 2. t. 9. c. 1. n. 9. Apud eos videntur jam pridem Matrimonia Catholici cum Hæretica fuisse invalida, p. 2. t. 13. c. 8. nu. 6. Apud Græcos decimarum solutio numquam fuit in usu, p. 2. t. 33. c. 1. nu 15. Quidnam apud eos præstetur in sustentationem Sacerdotum, ib. d. n. 16. Exemptionem nullam omnino tolerant, p. 3. t. 12. c. 1. n. 13.

GULDÆ.

Guldæ sunt species confraternitatum institutæ ad exercitium vel militare, & contra seditiones populares, p. 2. t. 37. c. 6. n. 4. &c. Hujus nominis antiquitas, ibid. n. 8. 9. Institui non possunt sine licentia Principis, ibid. n. 10. Sunt merè Laicales, ibid. nu. 12. Eorum exercitia prohibentur tempore Divini Officii, p. 2. t. 17. c. 2. & 3.

H.

HABITUS CLERICALIS.

Habitum Clericalem abjiciens censetur Professioni suæ renuntiare, p. 1. t. 2. c. 2. n. 3. Quænam dicenda sit vestis Clericalis, ibid. n. 5. Eam non deferens omni Privilegio Clericali privatur, etiam Beneficio, ibid. n. 6. Quid requiratur, ut has pœnas incurrat, ib. n. 8. & p. 3. t. 3. c. 3. n. 28. Recuperat Privilegium si habitum & Tonsuram Clericalem reassumat, ib. nu. 31. Clericus captus in habitu sæculari forum sæculare pro ea vice declinare non potest, ibid. nu. 23. Ad quem spectet judicare quænam vestis dicenda sit Clericalis, ib. nu. 22. & p. 1. t. 2. c. 2. Eam ferre tenentur Clerici in Academiis versantes, p. 1. t. 7. c. 10. n. 8. & p. 3. t. 3. c. 5. n. 40.

HÆRESIS.

Hæresis vel hæreticus difficulter definitur, p. 3. t. 4. c. 4. n. 1. Quid requiratur ut quis dici possit Hæreticus, ib. n. 23. & seq. Varia attendenda ne quis alterum temerè judicet vel notet de Hæresi, ib. n. 23. & seq. Viri etiam Sanctissimi de Hæresi accusati, ib. num. 30. Nemo damnandus nisi de Hæresi plenè convictus, ib. n. 26.

Hæreticorum conversioni incumbentes meritò attendant quo motivo ad fidem veniant, p. 2. t. 2. c. 3. n. 3.

Hæreticorum Matrimonia.

Vide Matrimonium.

Hæresis Matrimonium non dissolvit quoad vinculum, etiamsi olim fuerit dubitatum, p. 2. t. 12. c. 5. n. 36 & p. 2. t. 13. c. 8. num. 12.

Hæreticis Sepultura Ecclesiastica negatur etiamsi fuerint Ecclesiæ Patroni & Fundatores, p. 2. t. 38. c. 6. n. 17.

Hæresis materia ad quale forum spectet, p. 3. t. 4. c. 2. n. 34. & seq. Obligatio & cura Principum pro exstirpandis Hæreticis, ibid. num. 41. Variæ pœnæ per Principes in Hæreticos decretæ & S. Augustini de iis judicium, ib. num. 43. &c. Edicta Principum Belgii contra Hæreticos, ib. n. 48. 49.

HOMICIDIUM.

Homicidium quodcumque olim inducebat irregularitatem, p. 2. t. 10. c. 7. n. 17. & c. 8. tot. Clemens V. excepit homicidium in defensionem necessariam vitæ propriæ, ib. c. 8. n. 8. Ex eo non sequitur, homicidium tale esse licitum, ibid. n. 9. Principia ex quibus dijudicatur an homicidium sit voluntarium an tantum casuale, ib. n. 15.

Homicidis olim nec in fine vitæ dabatur absolutio, p. 2. t. 10. c. 8. n. 1. Homicidium quandonam causet impedimentum Matrimonii dictum criminis, p. 2. t. 13. c. 7. n. 12. Uxoricidæ olim Matrimonium perpetuò interdictum.

Vide Irregularitas.

HONORARIA MISSARUM.

Honoraria Missarum ex oblationibus originem habuerunt, p. 2. t. 5. c. 5. n. 4. Et à quo tempore orta, ibid. n. 3. Olim Sacerdos poterat una Missâ pro multis offerentibus satisfacere, hodie nullatenus, ibid. n. 6. 7. Et unde illa diversitas, ibid. Non minus hodie quam olim Sacrificium pluribus assistentibus pro ratione devotionis prodest, ibid. num. 19. Quid operetur intentio vel applicatio Sacerdotis pro offerentibus honoraria, ib. n. 12. & 16.

Honoraria sunt species oblationis voluntariæ, & uti ta'es accipienda, ib. c. 6. n. 1. Habenda ut alia bona Ecclesiastica, ib. n. 2. & p. 2. t. 32. c. 1. n. 27. &c. Cavenda omnis stipulatio, p. 2. t. 5. c. 6. n. 6. Item animus mercenarius, ibid. n. 4. Unde is dignoscatur, ib. n. 10. Varii abusus ex honorariis Missarum ortum habent, ib. n. 12. & seq. p. 2. t. 5. c. 8. n. 6. 7. & seq.

Honoraria Missarum in titulum computari non possunt, p. 2. t. 9. c. 6. n. 36. Nec in competentiam Pastoralem, p. 2. t. 34. c. 6. num. 29.

HONOR.

Vide Jus honorificum.

HORÆ CANONICÆ.

Horarum Canonicarum persolutio præcipua est obligatio Canonicorum & unde illa orta, p. 1. t. 7. c. 6. n. 1. Omnibus Horis etiam minoribus interesse tenentur, ibid. n. 3. Tenentur per se psallere, ibid. nu. 4. Sola recitatio Horarum non tribuit eis jus vivendi de proventibus Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 2. & seqq.

Horæ Canonicæ institutæ sunt ad ædificationem populi, p. 2. t. 17. c. 2. n. 9. Quis earum scopus, ibid. n. 9. Solemnis decantatio earum quæ hic in pluribus Parochiis diebus festivis, hujus rei exhibet vestigium, ibid. num. 15. Votum Ecclesiæ ut à populo saltem diebus Festis frequententur, ibid. num. 10. Capitularia Regum Francorum super hac materia, ibid. n. 12. Item Decreta Synodorum Belgii & Edicta Principum, ibid. n. 17. Multum eorum intentioni conduceret decens & devota persolutio earum, ibid. n. 24.

Vide Distributiones, Officium Divinum.

HOSPITALE.

Hospitalium nomine quænam veniant, p. 2. t. 37. c. 1. tot. Quænam sunt Hospitalia privata, quænam publica, quænam profana & quænam Ecclesiastica, ibid nu. 3. & seq. Canonicorum Collegia habebant olim sua Hospitalia, de quibus variis locis adhuc exstant vestigia, ibid. nu. 13. 19. Qualis fuerit eorum administratio & disciplina, ibid. num. 15. Idem factum est in variis Monasteriis, ib. n. 20.

Hospitalium hodiernorum quænam sit origo, ibid. c. 2. tot. Apostoli ab initio Ecclesiæ habuerunt curam Pauperum, & inde orta superintendentia Episcopi in bona Pauperum, ibid. num. 1. Hæc superintendentia Episcopi per Leges, Canones, & Jus Commune asseritur, ibid. num. 2. & seq. Authoritas eadem asseritur & renovatur per Concilium Tridentinum, ibid. n. 22. Limitatur Decretum Concilii in sua admissione in Belgio quo ad loca pia sub directione Laicorum existentia, p. 2. t. 37. c. 2. num. 38. &c. Quænam hodie Episcoporum authoritas in Belgio in loca pia, quorum administratores sunt Laici, quoad visitationem, auditionem computus, aliaque, & varia super eo Edicta Regia, ib. num. 43. & seq. Eorum authoritas iis non obstantibus non extendit se ad loca non Religiosa, ib. num. 38. & 54. Nec ad loca Religiosa in quorum Fundatione contrarium cavetur, ibid.

Index Rerum & Verborum.

Hospitalibus olim præfecti erant Diaconi & inde vocatæ Diaconiæ, p. 1. t. 22. c. 1. n. 9. & p. 2. t. 37. c. 3. nu. 2. Patres maluerunt Hospitalibus præfici Religiosos quam Sæculares, ibid. nu. 6. & seq. Ordo S. Joannis Hierosolymitani ex institutione sua fuit Hospitalaris, ibid. n. 9. Ejus origo & institutum refertur, ibid. n. 11. Item ordo S. Antonii Viennensis, ibid. nu. 13. Item ordo Charitatis Joannis de Deo, ibid. n. 19. In occidente & Belgio Hospitalibus & Leprosariis præfecti Fratres & Sorores ad ministrandum utriusque sexûs infirmis, ib. n. 21. Quomodo solæ Sorores remanserint, ib. n. 22. Quod jus competat Religiosis Hospitalariis quoad administrationem bonorum ipsius Hospitalis, ibid. n. 24. &c.

Hospitalia & Infirmi de jure subsunt Ecclesiæ Parochiali & Parocho loci quoad Sacramentalia, ib. n. 36. &c. Hospitalia quæ à Monialibus tenentur habent speciales Presbyteros, ibid. n. 38. Attendenda sunt quoad omnia consuetudines, item Concordata, ib. n. 40.

Hospitalium Administratores quales eligendi, ib. c. 4. tot. Eorum Juramentum, administratio, obligatio, item computus, ib. n. 3. Magnus abusus est quod numerus ministrantium excedat numerum infirmorum, & varia adversus hunc abusum Decreta & præcautiones, ib. n. 12.

Hospitale vel pius locus si sit erectus pro laborantibus certo genere morbi, isque certo tempore cesset, cuinam proventus eorum applicandi, item qua auctoritate, ib. n. 19.

Hospitalia cujusvis hominum generi patere non debent, sed varia discretio circa recipiendos adhibenda, ibid. c. 5. nu. 2. 3. &c. Quales meritò ab Hospitalibus excludendi, ibid. nu. 34. &c. Personæ utriusque sexûs sunt separandæ, ibid. Idem servandum in Orphanotrophiis & Brephotrophiis, ib. n. 35.

I.

ILLEGITIMUS.

Illegitimi à quo tempore, & qua de causa ab ordinibus exclusi, p. 2. t. 10. c. 3. tot. Causæ Natalium ad quod forum spectent in Gallia & in Belgio, p. 3. t. 2. c. 1. n. 24. Quandonam matri credatur quis sit Pater prolis illegitimæ, p. 3. t. 4. c. 4. n. 36. Si Pater prolem illegitimam ad se delatam nolit agnoscere ibidem deponi non potest nisi prius fuerit baptizata, part. 1. t. 2. c. 4. num. 23. Subsequens matrimonium parentum reddit proles legitimas, p. 2. t. 10. c. 3. nu. 32. Excipiuntur proles natæ ex coitu damnato, ib. nu. 33. In Gallia matrimonium contractum per concubinarios in articulo mortis est invalidum quoad effectus Civiles, p. 2. t. 12. c. 5. n. 28.

Vide Irregularitas.

IMAGINES.

Imagines sæculariter comptæ nec in templis, nec in processionibus tolerandæ, p. 1. t. 16. c. 9. n. 13. In processionibus unà cum Venerabili non deferendæ, ibid. n. 14.

Imagines Sacræ cur in Ecclesia receptæ, & quomodo à Synodo Tridentina probatæ, p. 2. t. 16. c. 1. nu. 15. Quænam populus circa cultum Imaginum docendus, ibid. n. 16. Si deprehendatur quod error vel abusus occasione certarum imaginum irrepat, authoritate Ordinarii sunt tollendæ, & aliæ in earum locum substituendæ, ibid. n. 17.

Imagines falsi dogmatis cavendæ, ib. n. 21. An conveniat proponi imagines Sanctissimæ Trinitatis, ibid. n. 23. Superstitio in cultu Imaginum vitanda, ib. nu. 24. Lascivia & levis ornatus in Imaginibus & picturis vitandus, ib. nu. 25. Historiæ repræsentantes fabulas Ethnicorum in Ecclesiis nullatenus tolerandæ, ibid. n. 26. Qui in supplicationibus similes exponunt castigandi, ib. n. 26. & p. 1. t. 16. c. 9. num. 14. Imagines insolitæ nullo loco vel Ecclesia possunt exponi sine Ordinarii approbatione, p. 2. t. 16. c. 1. n. 26. 27. &c.

Imagines inhonestæ Clericis prohibentur 7. Nec in hortis eorum tolerandæ & qua pœna, p. 2. t. 16. c. 1. nu. 27. &c. Obligatio Pastorum adversus eas quocumque loco positas conciones constituendi & laborandi pro earum amotione, ibid.

IMMUNITAS.

Immunitas Clericorum à muneribus & tributis publicis à Constantino aliisque Imperatoribus concessa & ejus ratio, p. 2. t. 35. c. 1. tot. Erat tantum personalis, ibid. Ad quæ se extenderet, ibid. n. 6. Quandonam concessa quoad terras & prædia Immunitas à Tributis, ibid. n. 15. & 20. &c. Ad quæ bona sese extendat, ibid. num. 28. Non extendit se ad refectionem viarum & pontium & quare, ibid. n. 29.

Immunitas Clericorum Jure Decretalium ad quæ bona se extendat, ib. c. 2. n. 1. Sæculo XI. etiam comprehendere cœpit bona patrimonialia Clericorum, ib. n. 8. Hæc immunitas hodie desiit in Belgio, quoad onera realia, ibid. nu. 13. Immunitate Bonorum Ecclesiasticorum tantum gaudent Bona primæ Fundationis, item amortizata & quare, ibid. num. 24. Etiam eâ gaudent Coloni & Conductores & diversæ super eo sententiæ Concilii Brabantiæ, ibid. nu. 17. Quænam dicantur onera realia, quæ personalia & quæ mixta, ibid. n. 18. 19. &c. Fodrum, Albergaria, & Regium species Tributorum, ib. n. 40. Clerici ab iis immunes, ib. n. 43. Eorum immunitas ab hospitio militum & ejus ratio, ib. n. 34. Ad quas domos se extendat, ibid. Aliquando cessare potest tempore obsidionis aut alterius extremæ necessitatis, ibid. n. 38.

Immunes sunt ab expensis militaribus, ib. nu. 43. An aliquando possint obligari ad vigilias & custodias murorum, ibid. n. 45. An teneantur contribuere ad reparationes mœniorum, ibid. n. 46. An immunes sint a Capitatione, ibid. n. 49. Ratio concessæ immunitatis Clericorum quoad bona Ecclesiastica, ibid. n. 50. Optima ratio hanc immunitatem conservandi est rectus usus illorum bonorum, ibid. n. 52.

Immunitas Ecclesiastica a Judiciis sæcularibus, sive Privilegium fori, qua de causa concessum, & ejus scopus, p. 3. t. 1. c. 3. n. 18. Pœnæ adversus Clericos qui ad Judicia Sæcularia recurrunt, ibid. n. 7. Item adversus Laicos qui Clericos eo trahunt, ib. n. 22. cum seq. Ad quæ & quousque Jure Communi se extendat, item an ei possit renuntiari, ib. n. 25. Quibus casibus & in quibus causis Clerici eo non obstante moribus hodiernis coram Laicis conveniantur, ib. c. 4. tot. Dispositio Juris quâ Clericus vetatur renuntiare Privilegio fori usu sublata est quoad causas Civiles, ib. nu. 32. Quis judicare debeat an Clericus remittendus sit ad Judicem Ecclesiasticum, ibid. Clericus citatus coram Judice Sæculari tenetur comparere & exceptionem declinatoriam instituere & ejus ratio, ibid. & seq. In Belgio & Gallia quibusdam Prælatis & Corporibus Ecclesiasticis ex privilegio concessum ut stent Juri coram solis Senatibus Regiis tam activè quam passivè, ibid. n. 33. Ad quas causas id non extendatur, ibid. n. 35.

Immunitas Ecclesiastica in Criminalibus quoad Delicta Civilia quandonam orta, & quomodo creverit, p. 3. t. 3. c. 1. tot. Jure Decretalium ad omnia omnino delicta se extendit, ib. nu. 16. Sæculo 13. & 14. in Gallia etiam se extendebat ad crimine læsæ Majestatis, ib. n. 22 & c. 2. n. 4. Rationes ob quas privilegium fori concessum fuit, ibid. n. 2.

Immunitas hæc quo tempore & qua ratione arrodi & imperti cœperit, ib. n. 9. Conciliorum pro ejus conservatione Decreta, ib. num. 10. Quænam in Gallia dicantur Delicta communia & quænam privilegiata, ib. num. 21. Modus quo in Gallia per utrumque Judicem proceditur adversus Clericos in casu delicti Privilegiati, ibid nu. 38. &c. Varia delicta, in quorum cognitione Judex Ecclesiasticus ibidem non intervenit, ib. n. 20. 29. 40. &c. Quid circa casus Privilegiatos, item atrocia Delicta obtineat in Flandria, item in Brabantia, ib. n. 44. Clericus super delicto commisso in officio Sæculari fori Privilegio non juvatur, ibid. num. 50. Multa vulnera inflicta Immunitati Ecclesiasticæ, & quâ ratione illis occurri ab Episcopis possit, ibid. n. 51. 52.

Immunitate an Clerici primæ Tonsuræ gaudeant, p. 3. t. 3. c. 3. n. 1. An Clerici conjugati, ibid. nu. 8. 9. An Immunitas refundenda in Tonsuram an in ministerium, ib. num. 12. 19. Laicorum justæ querelæ de nimia extensione Immunitatis, ibid. nu. 15. Decretum Concilii Tridentini eam restringens explicatur, ibid. n. 20. &c. Clericus Tonsuratus etiam non conjugatus captus in veste sæculari forum sæculare pro ea vice declinare non potest, n. 23. *Vide Habitus Clericalis.* Edicta & praxis in Gallia conformia dispositioni Concilii Tridentini, ibid. n. 25. An Immunitas Clericalis extendatur ad delicta ante Clericatum commissa, ibid. nu. 29. Clericus non servans requisita Concilii Tridentini excidit Privilegio fori absque prævia monitione, ibid. n. 30. Recuperat tamen simul ac se Decreto Concilii iterum conformat, ibid. n. 31. Episcopus nullo casu conveniri potest criminaliter coram Laico, ib. n. 38. Etiam in crimine læsæ Majestatis, ibid. Coram quo causæ majores Episcoporum hodie agitandæ. *Vide Causæ Majores.*

IMPEDIMENTUM MATRIMONII.

Impedimenta alia tantum sunt impedientia, alia etiam dirimentia, p. 2. t. 13. c. 1. n. 7. Impedimenta dirimentia etiam inter Catholicos, quantum est ex natura & fine matrimonii, induci possunt tam per Potestatem civilem quam Ecclesiasticam, ib. nu. 10. &c. Unde factum ut modo ea potestas vel ejus usus sit penes solam Ecclesiam, ibid. num. 17. 18. Impedimenta dirimentia etiam consuetudine induci possunt, ib. num. 21. Matrimonii interdictio olim erat frequens Pœnitentia ob varia crimina, ib. c. 2. n. 1.

Impedimenta hodierna impedientia, ibid. num. 7. Quis super iis possit dispensare, p. 2. t. 14. c. 1. tot. Interdictum Ordinarii etiam Synodi Provincialis non ponit Impedimentum dirimens, p. 2. t. 13. c. 2. nu. 1. Parochus contra interdictum speciale assistit validè, ibid. num. 23. Quid de Vicario item Deservitore, ibid. n. 24.

Vide Tempus clausum.

Impedimentum erroris dum error est circa personam, Matrimonium dirimit, ib. c. 3. tot. An possit etiam dirimere error circa qualitatem, dum redundat in personam, ibid. n. 4. Cur facilius error qualitatis censeatur redundare in personam in sponsalibus quam in Matrimonio, ib. n. 6.

Impedimentum servitutis usque ad Sæculum XII. dirimit Matrimonium, ibid. n. 10. Hodie non dirimit nisi simul adsit error, ibid. n. 11. Gallia & Belgium servos non agnoscit, unde id Impedimentum cessat, ib. n. 13.

Impedimentum voti.
Vide Votum.

Impedimentum Consanguinitatis.
Vide Consanguinitas, item Affinitas.

Impedimentum Cognationis Legalis & Spiritualis.
Vide Cognatio, Patrini.

Impedimentum publicæ honestatis, unde ortum & ejus ratio, p. 2. t. 13. c. 6. n. 24. Oritur ex Matrimonio rato non consummato, ib. nu. 25. Et ad quem gradum se extenderit olim, & ad quem hodie, ibid. nu. 26. Oritur etiam ex sponsalibus validis, & quousque dirimat, ib. n. 32.

Impedimentum criminis ratione adulterii, & ejus antiquitas, ibid. c. 3. tot. Quibus casibus ratione adulterii impedimentum hoc incurratur, ibid. nu. 9. An ignorantia facti hic efficere possit ut non oriatur impedimentum, ibid. n. 10. Hoc impedimentum ratione homicidii quandonam oriatur, ib. n. 12.

Impedimentum disparitatis cultus inter quos consistat, ib. c. 8. tot. Olim fuit incognitum, & hodie rarus ejus usus, ibid. num. 2. 3. Ejus ratio, ibid. Apud Græcos matrimonium Catholici cum Hæretica jam pridem invalidum; secus apud Latinos, ibid. n. 6. 7. Cur potius invalidum matrimonium cum non baptizato quam cum hæretico, ibid. n. 11. Matrimonii Catholici cum Hæretica incommoda & pericula, ib. n. 9. 10.
Vide Matrimonium.

Impedimentum metus.
Vide Metus.

Impedimentum Raptus.
Vide Raptus.

IMPOSITIO.

Impositiones super Parochianis ad reparandam Ecclesiam, fieri debent ubi alia deficiunt, p. 2. t. 16. c. 5. n. 23. Impositiones hæ fieri non possunt sine authoritate Judicis sæcularis, ib. Quinam in hac impositione debeant taxari, ibid. n. 31. Idem obtinet pro invenienda Portione congrua Pastoris, Decimis aliisque mediis deficientibus, p. 2. t. 34. c. 3. tot.

IMPOSITIO MANUUM.

Impositio Manuum in consecratione Episcopi unde originem habeat, p. 1. t. 11. c. 3. n. 8. 9. Ritus est antiquissimus, semper in Ecclesia tam Græca quam Latina usurpatus, ibid. Sed sine verbis, Accipe Spiritum Sanctum, ib. n. 11.

Impositio Manuum in Baptismo antiquissima, p. 2. t. 2. c. 3. nu. 31. Confirmatio olim vocabatur Impositio Manus, p. 2. t. 7. c. 1. n. 2. & c. 4. n. 2. Hujus ritus antiquitas, ibid. nu. 1. Eo Ecclesia adhuc utitur, ibid. n. 3. Olim vocabatur Sacramentum Pœnitentiæ, Impositio Manuum, p. 2. t. 6. c. 1. n. 4. Frequens erat Impositio Manus in decursu Pœnitentiæ, ib. n. 4. & c. 3. n. 30. Inde Impositio Manus in extrema Unctione, p. 2. t. 8. c. 3. num. 12. Etiam Ordo vocatus Impositio Manuum & quid, manus cito nemini imposueris, part. 2. tit. 9. cap. 4. num. 2. &c.

INCESTUS.

Incestuosi olim perpetuo erant matrimonio interdicti, p. 2. t. 13. c. 2. nu. 2. Litteræ dispensationum super impedimento matrimonii mandant prius incestuosis injungi pœnitentiam publicam & qualem, p. 2. t. 14. c. 6. num. 11. Quid incestus & cum quibus personis committatur, p. 3. t. 4. c. 4. n. 48. &c. Pœna ejus juxta Canones, item juxta Leges Civiles, ibid. nu. 49. 50. Ad cujus forum spectet, ibid. nu. 51. Sacerdos abutens filiabus suis spiritualibus quâ pœnâ afficiendus, p. 3. t. 4. c. 4. nu. 41. & 69.

INDEX LIBRORUM PROHIBITORUM.

Index ut hodie, non erat Librorum Catalogus, quem confecit Gelasius, p. 1. t. 22. c. 4. tot. Indicem confecit Facultas Theologica Lovaniensis rogatu Caroli V. ib. nu. 5. Index Pauli IV. ibid. n. 6. Quid in eo reprehensum, ibid. nu. 8. Index Concilii Tridentini quid in eo actum, ibid. nu. 10. Quâ ratione dicatur Tridentinus, ib. n. 20. Regulæ Indicis quænam & quid præcipuè contineat, ib. n. 21. Non perinde dici possunt Tridentinæ, ibid. num. 22. 23. In Belgio hic Index non in omnibus receptus, ib. n. 31.

INDULGENTIÆ.

Indulgentiarum nomen unde derivatum, p. 2. t. 7. c. 1. tot. Tres earum species seu formulæ antiquiores, ibid. n. 3. & seq. Prima species ex Apostolo 2. *Cor.* 2. cujus naturæ fuerit & in quem finem data, ibid. Secunda ex Concilio Nicæno & Ancyrano quæ erant moderatio Pœnitentiæ & cur concessa, ib. n. 5. Tertia ex libellis & ad preces Martyrum, ibid. num. 6.
Vide Libelli Martyrum.

Indulgentiarum duæ species seu formulæ recentiores, ob expeditionem Terræ Sanctæ, & erogationem eleemosynæ, & alia, ib. n. 9. Hæ Indulgentiæ causa abrogationis Canonum Pœnitentialium, ib. n. 13. Ante Sæculum XI. omnino ignotæ, ib. n. 17.

Indulgentias parcissimè concesserunt veteres, etiam Romani Pontifices usque ad sæculum XIII. ib. c. 2. tot. n. 12

Indulgentiæ aliquot centenorum vel millium annorum fictitiæ, ib. n. 14. de quibus Synodi populum circa Indulgentias monitum volueruut, ib. c. 3. n. 9. & p. 2. t. 37. c. 6. n. 43. Regulæ Cancellariæ circa Indulgentias, earumque moderationem, ibid. Horribiles excessus Quæstorum eleemosynarum & mercimonia Indulgentiarum ante Concilium Tridentinum, p. 2. t. 7. c. 3. n. 9. &c. Decretum ejusdem Concilii super abolitione Quæstorum, ibid. n. 11. Omnes Indulgentiæ, pro quibus manus adjutrices porrigendæ aut quæstuandi dantur Facultatem, revocatæ & absolutæ, ibid. n. 12. Quomodo hodie publicandæ Indulgentiæ, ibid. n. 13.

INDULTUM.

Indultum Principibus Belgii concessum nominandi ad primarias dignitates, refertur, p. 2. t. 25. c. 9. n. 14. 15. Occasionem dedit mutationi circa electionem Abbatum & Priorum, p. 1. t. 31. c. 8. n. 29. 30. & p. 2. t. 25. c. 8. n. 14. &c. An possit dici, quod Principes nostri eo non utantur in suis nominationibus ad Abbatias, ib. n. 15. Ejusdem vigore nominant ad primarias dignitates in Collegiatis & primam post Episcopalem in Cathedralibus, ib. num. 16.

Indulta varia Regibus Galliæ concessa tantum fuerunt personalia, ibid. Indultum in favorem Parlamenti Parisiensis, quoties & ad quæ beneficia nominare concedat, ib. n. 17. Consiliarii Jus illud in alios transferre possunt & quæ forma observanda, ibid. n. 18. An vi Indulti Regibus Galliæ competat Jus nominationis ad præbendam ratione felicis Adventûs ad Regnum, ibid. num. 24.

INFAMIA.

Infamia orta ex publicis & manifestis criminibus *irregularitatis* habet speciem irregularitatis, p. 1. t. 10. c. 6. n. 6. 13. *Vide Irregularitas.* ibid. Adhuc hodie excludit a dignitatibus, & quænam infamia ad hoc requiratur, ibid. n. 14.

Infamia etiam inducitur per Citationem Personalem, ejusque effectus, ibid. & n. 10.

INFORMATIO CRIMINALIS.

Informationes accipere, idem est quod procedere via inquisitionis, p. 3. t. 8. c. 1. nu. 22. Hodie in criminalibus procedi non potest nisi prævia informatione & quare, ib. nu. 23. Judex ad nullius denuntiationem inquirens dicitur procedere ex officio, ib. n. 18. Officialis aliquando mulctatus per Concilium Regium, quia omissis informationibus, processerat ad privationem beneficii ex confessione a Reo elicita, ibid. n. 24.

Informationes capi non possunt nisi per Officiarios, & authoritate Judicis, ibid. n. 26. Ubi constat de delicto, sed de authore indicia non habentur, institui potest informatio generalis, & qua forma, ibid. nu. 27. Quid requiratur ut adversus particularem informatio possit institui, ibid. n. 28.

Informationes instituuntur parte non citata, ib. n. 38. Debent institui quam secretissimè, ibid. n. 41. An Judex possit procedere ex officio in casu adulterii connivente marito, p. 3. t. 4. c. 4. n. 46. Testes in informationibus auditi in lite, debeat recolligi, & quâ formâ, & quare, p. 3. t. 8. c. 3. nu. 10. Recollectio hæc fieri debet ante confrontationem, ibid. n. 11.

INFORMATIO PRO DISPENSATIONE.

Informatio pro dispensatione matrimoniali magnâ circumspectione facienda, p. 2. t. 14. c. 2. n. 3. Variæ omissiones, vel sinistræ expressiones, quæ litteras dispensationum reddunt invalidas, & quid circa quamlibet inquirendum, ib. c. 3. n. 10. 11. & seq. Examen testium alteri committi potest, ibid. n. 9. Variæ formulæ in curia usitatæ, & quidnam pro earum verificatione inquirendum & attendendum, ibid. c. 4. num. 2. & seq. Quo tempore veritas causæ subesse debeat, num. 10. Dispensatio in forma Pauperum & quandonam, quo tempore Paupertas oratorum verificanda, & quomodo in hac dispensatione procedendum, ib. c. 6. tot. Quæ informatio requiratur in dispensatione super impedimento occulto expedita in Pœnitentiaria, ibid. c. 7. n. 6.

INFORMATIO SUPER ELECTIONE.

Informatio super Electione, per quos fieri debeat moribus Belgii, p. 1. t. 14. c. 3. n. 3. &c. Per quos moribus Galliæ, ib. num. 6. Excluduntur consanguinei Electi, ibid. n. 20. 15. Quâ formâ sumatur, ib. n. 5. & seq. Qualitates requisitæ in Testibus, ibid. n. 18. Ad quem informatio transmittenda, & qua forma, ibid. c. 4. n. 6.

INQUISITIO.

Inquisitionis origo, progressus, & propagatio inquisitionis, historicè describitur, p. 3. t. 4. c. 2. nu. 47. & seq. Tribunal quo in

Index Rerum & Verborum.

Belgium aliquando introductum, indeque ortæ seditiones, ib. n. 49. & seq. Abrogatum, & quare, ib. n. 50.

INQUISITIO CRIMINALIS.

Vide Informatio.

INSIGNIA GENTILITIA.

Insignia propria, Patronus Ecclesiasticus, in Ecclesia non potest ponere, sed tantum suæ Ecclesiæ vel Monasterii, p. 2. t. 25. c. 7. n. 31. Quibus usus lystræ in Ecclesia competat, ibid. n. 38. Si Ecclesiam nimis deforment, non admittendæ, ibid. nu. 39. Cardinales alia ornamenta suorum insignium gestare non possunt, nisi solum Cardinalitium Galerum, p. 1. t. 22. c. 1. n. 26. Antiqua insignia publicis locis posita, quid & quatenus probent, part. 2. tit. 25. cap. 7. num. 35. & part. 3. tit. 7. cap. 7. num. 38.

INSTITUTIO.

Institutio corporalis Beneficiatorum, de jure communi competit Archidiacono, p. 1. t. 12. c. 1. n. 20. Institutio authorizabilis, seu tituli collativa, moribus Belgicis competit Archidiacono etiam in Beneficiis curatis, ibid. n. 23. Institutio authorizabilis moribus Belgii distinguitur a cura Animarum, ib. & p. 1. t. 16 c. 4. n. 9. & p. 2. t. 22. c. 4. n. 25. & t. 26. c. 1. num. 2. Quandonam Institutio authorizabilis censetur competere Archidiacono Jure proprio & quandonam Jure delegato, p. 2. t. 22. c. 4. num. 24. & seq. Jure Communi competit Episcopo & quomodo ad Archidiaconos & inferiores Prælatos devenerit, p. 2. t. 26. c. 1. n. 4. & 9.

Institutio an danda sit intra semestre sub pœna devolutionis, ibid. n. 17. An à dilatione vel recusatione Institutionis, detur recursus vel appellatio, & ad quem, & quomodo in hac causa procedendum, ib. n. 19. & seq. Quomodo hæc Institutio rectè dicatur Collatio necessaria, & præcipuas partes in provisione Beneficii Patronati, partes esse Patroni, ibid. num. 27. Concilium Trid. in quantum vult instituendos ab inferioribus prius esse examinandos per Episcopum, non servatur nisi quoad Beneficia curata, ib. n. 13. 14.

INSTRUCTIO CHRISTIANA.

Instructio Christiana vulgò vocatur Catechisatio, multum commendatur à Synodis, p. 1. t. 3. c. 4. nu. 4. & c. 11. n. 4. & seq. Adjuvatur per Edicta Regia, ibid. nu. 3. Etiam adultis est necessaria, & nullo anni tempore omittenda, ib. c. 4. n. 5. 6. Cæteris paribus utilius fit per Parochos quàm per alios, ib. c. 5. n. 5. Episcopi cogere debent Parochos ut per se id faciant, ib. c. 6. tot. Usus contrarius quantumvis diuturnus, Parochos ab hac obligatione eximere non potest, nec ipsis præjudicare, ibid. n. 2. Id recenter declaravit Congregatio Conc. Trid. & Innocentius XI. ibid.

INSTRUMENTUM.

Instrumenta publica quænam dicantur, & quæ eorum authoritas, p. 3. t. 7. c. 7. n. 2. Debent esse conscripta à persona publica ad conficienda instrumenta, ibid. n. 4. Scriptura Judicis vel etiam Regis, non est Instrumentum publicum, ibid. n. 67. Notarii instrumenta conficere non possunt nisi rogati, nec pro personis planè ignotis, ib. num. 31. Debent in instrumentis exprimere qualitatem suam & locum residentiæ, ibid. n. 30. Tenentur omnium instrumentorum minutas in protocollo registrare, & fideliter conservare, ibid. nu. 32. Acta à Graphiariis registrata, Scripturæ Notario signatæ, vel sigillo authentico munitæ &c. pro publicis instrumentis reputantur, ib. n. 37.

Instrumentum quodnam dicatur originale, ib. num. 43. Scriptura ex originali per alium Notarium desumpta non est originalis, ibid. n. 45. Quare Copiæ vel Exemplaria fidem in judicio non faciant, ibid. n. 46. Facient fidem si à Judice vel ejus Commissione cum originali fuerint collatæ, ibid. nu. 47. Instrumenta quæ vetustate corrumpi incipiunt, quomodo renoventur, ibid. nu. 49. Instrumentis publicis plena fides adhibetur in iis, quæ dispositivè asserunt, ibid. nu. 52. An fides Instrumenti per testes possit enervari, ibid. n. 53.

Vide Probatio.

INSTRUMENTA ORDINUM.

Vide Ordo.

INTERDICTUM.

Interdicti Ecclesiastici definitio, p. 3. t. 11. c. 9. tot. Dividitur in locale, personale, & mixtum, ibid. num. 7. Item in universale, & singulare & quidnam quodlibet importet, ibid. num. 10. &c.

Interdicta à quo tempore usitata, ib. n. 19. Luculentum Interdicti exemplum sæculo XI. in Ecclesia Lemovicensi, ibid. n. 20. Posterioribus Sæculis nimium multiplicata, ibid. n. 22. Inde varia incommoda ob quæ Pontifices eorum rigorem moderarunt, ibid. n. 23. Quænam functiones Ecclesiasticæ fieri possint tempore Interdicti, ibid. n. 26. &c. Rationes ob quas sola permittitur Interdictum ex Constitutione Bonifacii, Decreto Synodi Basiliensis, & Concordatis Brabantiæ, ib. n. 31. & seq. Per celebrationem in loco interdicto incurritur irregularitas, ib. n. 38. Quomodo Interdictum differat à cessatione à Divinis, ib. n. 39.

INTERNUNTIUS.

Vide Nuntius.

INTERESSE.

Vide Expensæ.

INTERROGATORIA.

Interrogatoria Testibus examinandis proponenda Judici, à parte adversus quam producuntur, tradi possunt, p. 3. t. 7. c. 6. n. 26. Eorum forma & scopus, ibid. Parti producenti non communicantur, ibid. n. 29. Eorum usus non est in omnibus Curiis admissus, ib. n. 30.

Interrogatoria in causa criminali adversus incarceratos, Promotor Fiscalis intra triduum tenetur exhibere, p. 3. t. 8. c. 3. n. 1. Reus super iis examinandus, ante datas defensiones, absque mora & dilatione tenetur respondere, ibid. num 4. 5. Responsiones Rei rediguntur in scriptis, & officio Fiscali traduntur, ib. num. 7. Hujus examinis scopus & quid in eo debeat attendi, ib. n. 8. 9. &c.

INTERSTITIA.

Interstitia olim nota & eorum scopus, p. 2. t. 9. c. 5. tot. Votum Ecclesiæ ut etiam serventur inter Ordines minores, ibid. num. 10. Inter sacros Ordines requiruntur Interstitia unius anni, & quomodo annus computandus, ibid. n. 11. 12. Quinam in iis possint dispensare, & quid in hac dispensatione attendendum, n. 13. 15. Duo Ordines sacri ne quidem ex dispensatione Episcopi possunt uni eodem die conferri, ibid. n. 17.

IRREGULARITAS.

Irregularitas quomodo apud antiquos nota, p. 2. t. 10. c. 1. tot. & seq. Præcipuè fundata erat in crimine ejusve suspicione, ibid. num. 3. Irregularitatis descriptio, ibid. num. 5. Hodie non contrahitur nisi casibus in jure expressis, ibid. num. 7. Irregularitas crimini annexa, hodie non contrahitur nisi crimine consummato, ibid. num. 9. Irregularitas non privat beneficio, ibid. Proprium ejus est ut per Pœnitentiam non tollatur, quod pristinæ disciplinæ est conforme, ibid. nu. 13. 14. Incurritur per celebrationem in loco interdicto, p. 3. t. 11. c. 9. n. 38.

Irregularitatis ex Bigamia antiquitas ex Apostolo, p. 2. t. 10. c. 2. num. 1. 2. Juxta Græcos ejus fundamentum est ex suspicione incontinentiæ, ibid. num. 5. 6. Irregularitatis fundamentum in eo, qui duxit viduam, in quo juxta eosdem fundetur, ibid. num. 6. &c. Juxta Latinos Patres hæc Irregularitas fundatur in defectu Sacramenti, & in quo hoc consistat, ibid. num. 8. Quinam hodie censeantur Bigami veri, & quinam interpretativi, ibid. num. 17. Quoad effectus juris censetur eadem, ibid. num. 21. An censendus Irregularis qui duxit unicam, sed ab alio prius corruptam, ibid. num. 20. Olim tantum hæc Irregularitas excludebat ab ordinibus: sed hodie excludit ab omni Beneficio & Privilegio Clericali, ibid. num. 22. 25. Quis in hac Irregularitate possit dispensare, ibid. num. 26. An transgressio voti continentiæ inducat Irregularitatem tamquam Bigamia, & an Episcopus in eo possit dispensare, ibid. num. 28. & seq.

Irregularitas ex defectu natalium orta est ex incontinentia Cleri, & tantum circa Sæculum XIII. firmiter stabilita, p. 2. t. 10. c. 3. tot. n. 6. Hujus Irregularitatis ratio, ib. num. 11. Quis in ea possit dispensare, ib. n. 14. 15. Quæ, pro obtinenda dispensatione, exprimenda, ibid. num. 16. Strictè interpretanda, ibid. num. 19. Dispensatio se non extendit ad obtinendum Beneficium etiam simplex quod pater habuit, etiamsi fuerit persona intermedia, ibid. num. 22. Nec ad obtinendum Beneficium dissimile in Ecclesia in qua pater quoquomodo ministravit, ib. n. 20. Tollitur hæc Irregularitas per Professionem Religiosam, & hujus ratio, ib nu. 27. 28. Non tamen illegitimus per eam fit capax Prælaturæ, ibid. n. 30.

Irregularitas ex defectu lenitatis in quo fundanda, p. 2. t. 10. c. 4. tot. Quinam illam incurrant, ibid nu. 5. An Prælati temporalem Jurisdictionem habentes & exercentes per Ministros Sæculares, Irregularitatem incurrant, ibid. num. 8. An Episcopus degradatum tradens Brachio sæculari, & quid operetur ejus intercessio pro Clerico degradato, ibid. nu. 9. An irregularitatem incurrat Pastor monens Magistratum, ut in facinorosos animadvertat, ibid. num. 17. Quid requiratur ut eam evadat Clericus persequens injuriam propriam in causa criminali, & an protestatio sit necessaria, ibid. nu. 18. Ad incurrendam Irregularitatem requiritur ut mors aut mutilatio reipsa sequatur, ibid. nu. 25. In Gallia Testes à Judice compulsi & Graphiarii hanc Irregularitatem non incurrunt, ibid. num. 26. 27. Solus Pontifex in hac Irregularitate dispensat, ib. n. 28.

Irregularitas ex defectu corporis olim parum attendebatur, nisi talis esset, quæ functiones ordinis impediret, ibid. c. 5. n. 4. Decretales Pontificum videntur hanc Irregularitatem fundare in debilitate & deformitate, quæ executionem ordinum impediret, ib. n. 6. & seq. Defectus supervenientes post ordines susceptos non inducunt absolutam Irregularitatem, ib. n. 12. Judicare de hac infirmitate & deformitate privativè spectat ad Episcopum, etiam in Regularibus, & quæ in eo attendenda,

ib. nu. 13. Rescripta dispensationum super hac Irregularitate, semper ad Episcopum & non ad Officialem diriguntur, ibid. nu. 17. Clausulæ ordinariæ pro hac dispensatione, & clausula specialis super defectu oculi Canonis, ibid. n. 19.

Irregularitas ex crimine inducebatur ex quocumque peccato mortali post Baptismum admisso, ibid. c. 6. tot. nu. 2. &c. Indifferens erat sive crimen esset publicum sive occultum, ib. n. 6. Quamdiu hæc disciplina duraverit, ibid. n. 7. Ejus adhuc hodie quædam manent vestigia, ib. n. 8. Hodie propriè tantum inducitur ex criminibus in jure expressis, & quænam illa, ibid. num. 10. Crimina publica quæ infamiam inducunt speciem quandam habent Irregularitatis, ibid. nu. 13. Sufficit infamia facti, ibid. nu. 14. Episcopus potest occultum criminosum ab ordinibus repellere, item a susceptis suspendere, ib. nu. 24. In Irregularitate ex crimine occulto potest Episcopus dispensare, ibid. n. 17. Quodnam crimen hic dicatur occultum, ib. n. 18.

Irregularitatem semper induxit homicidium etiam pro conservatione propriæ vitæ, p. 2. t. 10. c. 7. tot. num. 4. 5. Primus Clemens V. excepit homicidium pro conservatione vitæ propriæ, ibid. nu. 8. Sub hac decisione Clementis V. non comprehenditur homicidium commissum in defensionem bonorum, vitæ, parentum, liberorum aut in defensionem Patriæ, &c. ibid. nu. 10. 11. 12. Sufficit quod sit voluntarium indirectè, & ex quibus principiis hoc dijudicari debeat, ibid. nu. 14. & seq. In dubio an quis incurrerit Irregularitatem, debet se pro tali gerere, ib. n. 5. &c. 22. &c. Homicidium voluntarium ex mente Tridentini, est homicidium directè voluntarium, ib. num. 25. Difficillime in eo dispensatur pro Ordinibus vel Beneficiis obtinendis, ibid. nu. 25. Formula dispensationis pro Ordinibus vel Beneficiis ante susceptis, ib. nu. 28. In homicidio occulto non voluntario juxta mentem Concilii Tridentini dispensat Episcopus, ib. n. 31.

JUBILÆUM.

Jubilæi prima institutio & forma per Bonifacium VIII. p. 2. t. 7. c. 4. tot. Non concessum nisi personaliter visitantibus Limina Apostolorum, ibid. n. 5. Contractum ad annum quinquagesimum per Clementem VI. ejusque contractionis ratio, ibid. n. 6. Quanta multitudo ad eas Indulgentias lucrandas Romam pertexerit, ibid. n. 11. Postea diversis vicibus tempus Jubilæi contractum, & remansit ad annum vigesimum quintum, ibid. n. 12. 15. & seq. A quo tempore ad alias Ecclesias extensum, ib. n. 16. A quo tempore data potestas, pro eo tempore, Confessariis ad absolvendum à casibus reservatis & commutandi vota, ib. nu. 19. Conditiones adimplendæ, & quid de iis populus instruendus, ib. n. 22. 23.

JUDEX.

Judex publicus idem quod sæcularis, olim opponebatur Judici Ecclesiastico, p. 3. t. 1. c. 3. n. 23.

Judex Ecclesiasticus in causis Civilibus suæ Jurisdictionis, tenetur sequi ordinationes Principum & Consuetudines locorum, ib. t. 2. c. 2. n. 21.

Judices ordinarii quinam dicantur, p. 3. t. 5. c. 1. tot. n. 3. Jure suo Episcopus est Judex totius suæ Diœcesis & omnium personarum ejusdem, ib. n. 8. 9. Qua ratione Prælati inferiores & Archidiaconi sensim facti sint Judices ordinarii, ib. n. 18.

Judex Delegatus quis dicatur, & quomodo differat ab ordinario, & quo tempore eorum officium invaluerit, ib. c. 2. n. 1. & seq. Judices Delegati à Pontifice possunt subdelegare, & hujus ratio, ibid. nu. 11. &c. Ad quæ & in quos se extendat illorum authoritas, ib. n. 16. Quænam personæ possint in Judices delegari, p. 1. t. 8. c. 1. n. 7. & t. 31. c. 2. n. 23. & p. 3. t. 5. c. 2. n. 20. & seq. Qui in Dignitate constitutus Delegatus fuit, potest dimissâ dignitate, delegationem absolvere, ib. n. 16. Quinam possint subdelegari, ibid. n. 28. Delegatio facta Ordinario transit in successorem, ibid. num. 32. Judex Delegatus ante omnia debet habere delegationem suam in scriptis, eamque Citatorialibus inserere, ibid. nu. 35. Tenorem suæ delegationis servare tenetur, ibid. n. 36. Si plures ad eandem causam delegentur, quænam singulorum authoritas, ibid. nu. 37. Si plures delegentur in solidum, quid observandum, ibid. n. 42. Improbatur quod Judices dentur ad instantiam Partis & Impetranti ex tribus detur electio, ib. n. 44.

Judices Synodales juxta Tridentinum debent designari in Synodo, & inde dicti Synodales, ib. c. 2. nu. 25. Hodie in defectu Synodorum designantur per Episcopum de consilio Capituli, ibid. n. 23. Officialis Episcopi potest delegari, etiamsi non sit ex designatis, ibid. nu. 31. Judex Delegatus neminem citare potest extra Diœcesim ultra duas Diætas, ib. c. 3. n. 2.
Vide Citatio.

Judex quo affectu causas examinare debeat, p. 3. t. 9. c. 2. n. 21. cum seq. & nu. 45. & seq. Juramentum quod Judex in assumptione ad officium præstat, ibid. num. 25. Juramentum ejus quod nihil à Partibus accipiet, ibid. num. 26. Judices ob malè Judicata frequenter sunt restitutioni obnoxii, ib. n. 29. Quandonam hodie Judex ob malè judicata in foro externo conveniri possit, ibid. nu. 29. Si sit morosus in decidendis causis appellatur tamquam a denegata justitia, & agitur contra eum ad damna & interesse, p. 3. t. 7. c. 4. n. 48. Difficulter habebuntur boni Judices, ubi viget venalitas Officiorum, p. 3. t. 9. c. 2. n. 31. Varia mala & incommoda ex illa venalitate profluentia, ibid. n. 33. & seq. Nullo privato affectu Judex duci potest & alienus esse debet à casu pro amico, ib. n. 47. 48. Quid si omnibus attentis causa maneat dubia, ibid. n. 49. 50. Qualitates in Judice requisitæ, ibid. n. 51.
Vide Assessor, Officialis.

JUDICIUM.

Judicia Ecclesiastica in civilibus multis sæculis fuerunt sine strepitu forensi & quasi species compromissi, p. 3. t. 1. c. 3. n. 1. 2. &c. & t. 7. c. 3. n. 20. & 19. c. 2. Forma Judicii Ecclesiastici in primitiva Ecclesia, p. 3. t. 5. c. 1. n. 15. &c. Quandonam, & qua occasione strepitus forenses intrarunt, ib. n. 32. & t. 7. c. 1. n. 1. Votum Ecclesiæ est ut eliminentur, præsertim in causis Clericorum, ib. nu. 16. Quid Judici stante moderna forma Judicii faciendum, ibid. n. 17. Unde factum quod forma procedendi præscripta per Decretales, Tribunalia etiam sæcularia intraverit, ibid. nu. 15. Etiam ante tempora Justiniani Judicia Ecclesiastica scripto fieri non poterant, nec sententiæ scriptis proferri, p. 3. t. 7. c. 3. n. 3. 4. Quomodo Judicia Civilia hodie instruantur in foro Civili & Ecclesiastico, ib. c. 1. tot.

Judicium summarium quodnam dicatur, & in quibus causis summariè procedendum, p. 3. t. 7. c. 3. n. 8. 9. & c. 4. n. 37. &c. In his processibus non requiritur Libellus, ib. c. 2. n. 19. Nec litis contestatio, ib. n. 18. Optandum ut causæ Ecclesiasticæ eo modo deciderentur, ibid. nu. 20. An partes possint ordinem Juris suo arbitrio moderari, ibid. Hic modus procedendi non excludit Juramentum calumniæ, ib. c. 4. n. 21. Brevissimis terminis procedendum & superflui resecandi, ibid. n. 37. 38. Decretum Concilii Tridentini quo voluit causas intra biennium terminari, ibid. n. 46. Hodie exiguus ejus usus, & quare, ibid. num. 47. Quid obtineat in Gallia dum Judex est morosus in causis decidendis, ib. n. 48.

JUDICIUM CRIMINALE.

Vide Causa Criminalis.

JURAMENTUM.

Juramentum electi in Episcopum, olim erat simplex professio obedientiæ facta Metropolitano, p. 1. t. 15. c. 2. n. 2. Quandonam & quomodo Romam devolutum, & ad modernam formam redactum, ibid. n. 4. & seq. Ejusdem analytica explicatio, ib. n. 9. & seq.

Juramenta varia meritò examinanda & multa abroganda, p. 2. t. 26. c. 2. n. 22. Vetitum Decimas mediante Juramento exigere, p. 2. t. 33. c. 1. n. 23. Non facilè admittendum in exactione vectigalium, ibid. nu. 24. Juramenta quæ præstantur a Beneficiatis de defendendis bonis & juribus sui Beneficii, intelliguntur salvo honore Dei & ædificatione proximi, p. 2. t. 26. c. 2. n. 1. Olim omnes contractus, quibus interpositum erat juramentum, deferebantur ad Tribunal Ecclesiasticum, p. 3. t. 2. c. 1. n. 36. 37. Juramentum quo Clericus renuntiabat privilegio fori, non obligabat, ib. c. 3. n. 25. 26.

Jurandi consuetudo, ejus atrocitas & quomodo cohibenda, p. 3. t. 4. c. 5. n. 20. & seq. Meritò procederetur adversus eam sicuti adversus Blasphemiam, ib. n. 24. An compromissa fieri possint interposito juramento, p. 3. t. 5. c. 4. n. 18.
Vide Ambitus, Perjurium.

JURAMENTUM CALUMNIÆ.

Juramentum Calumniæ enixè voluit præstari Justinianus, p. 3. t. 7. c. 4. n. 1. cum seq. Quomodo in plerisque Senatibus Regiis abrogatum, ejusque abrogationis ratio, ib. n. 4. 5. 7. In iisdem adhuc præstatur juramentum malitiæ, & in quo id differat à juramento Calumniæ, ibid. nu. 8. 9. In Curiis Ecclesiasticis servatur dispositio Juris Pontificii, quænam illa & quandonam introducta, ibid. nu. 11. Quo judicii tempore juramentum illud exigatur, ib. n. 14. 15. Pœna recusantis illud præstare, ibid. n. 22. Quid contineat, & quomodo Parti cui indicitur debeat exponi, ibid. num. 23. Ecclesiastici præstare illud possunt per Syndicum vel Oeconomum, nisi Judex aliud mandet, ibid. n. 25. Quid hodie obtineat quoad juramentum Clericorum præsertim coram Judicibus Laicis, ibid. n. 29.

Juramentum per verbum credit, vel non in responsione ad positiones adversæ Partis, inductum ad restringendas probationes adhuc hodie perseverat in Curiis Civilibus, p. 3. t. 7. c. 5. n. 40. Forma quâ illud exigitur, & pœna ejus qui sine justa causa id denegat, ibid. num. 43. In Gallia edicto vetitum illud exigi, & quare, ibid. n. 41.

Juramentum suppletorium defertur in defectu probationum, ib. c. 8. n. 2. &c. Unde sic dictum, & quando in forum Ecclesiasticum intrarit, ib. n. 5. 9. Quo casu possit deferri, ibid. n. 9. 10. Reprehenditur nimis facilis ejusdem delatio, ibid. n. 11. In Gallia consuetudinaria vix ullus, & in Belgio rarus ejus usus, ib. n. 16. 18. Ob periculum perjurii non defertur in Actionibus criminalibus.

minalibus, item famosis nec in causis Civilibus arduis, ib n. 19. 20. & t. 8. c. 3. nu. 26. Quænam dicantur causæ arduæ, ibid. t. 7. c. 8. nu. 8. Attendendæ etiam personæ: pauperibus minus tuto deferri potest, ibid. n. 22. Non defertur nisi petenti, ibid. n. 24. A Decreto Judicis Juramentum deferente datur appellatio, p. 3. t. 10. c. 1. n. 27.

JURA.

Jurium exactio in admissione ad Beneficia unde introducta, p. 2. t. 26. c. 2. n. 29. Graviter taxantur ut de Simonia suspecta, ib. n. 30. An eorum solutio possit esse licita, ib. n. 32. Exactio Jurium in ordinatione suspecta de Simonia, item exactio pro litteris & sigillis, p. 3. t. 30. c. 1. n. 16. 17. Hodierna exactio Jurium pro licentia condendi testamentum, in variis Diœcesibus usitata, improbatur, p. 2. t. 32. c. 7. n. 23.

JURA PASTORALIA.

Jura Pastoralia orta ex oblationibus, p. 2. t. 1. c. 3. n. 7. &c. Pastores in administratione Sacramentorum, ab omni exactione cavere debent, quocumque prætextu, ibid. n. 8. Quâ occasione similia Jura certis locis taxata, ib. n. 17. & t. 38. c. 4. nu. 51. Hæc taxa non concernit nisi Officia Funeralia & matrimonium & quare, ibid. p. 2. t. 1. c. 3. n. 18. Jura hæc successerunt in locum Decimarum Personalium, ibid. nu. 19. Hæc taxatio non permitteretur in Belgio sine authoritate Regis, ib. n. 20. & t. 38. c. 4. n. 43. Taxa Jurium Funeralium pro variis civitatibus, ib. nu. 45. & seq. Quænam in eorum taxatione & exactione servanda, ib. num. 51. seq. & p. 2. t. 1. c. 3. tot. Tantum fuerunt inducta postquam Decimæ fuerunt devolutæ ad Capitula & Monasteria, ib. c. 4. n. 50. In omni admissione Monasterii stipulatur, Jura Parochialia manere debere salva, p. 2. t. 24. c. 3. num. 14. 17. Non convenit quod Pastores cum Regularibus super iis ineant concordata, part. 2. tit. 38. cap. 5. num. 39. Si ad concordata descendendum sit, omnis ambiguitas est cavenda, ibid. n. 40.

JURA HONORIFICA.

Jura Honorifica Dignitatum in quo consistant, p. 2. t. 18. c. 2. tot. Contentiones ob ea evitandæ, ibid. n. 16. Ad quid præcipuè instituta, ibid. n. 17. 18.

Jura Honorifica à quo Honore sic dicta, p. 3. t. 25. c. 7. tot. Enumerantur, ibid. n. 4. Quid Honor Processionis, unde ortus & quomodo deferatur, ib. n. 5. &c. Quis processionaliter excipi possit, ibid. n. 8. Honor Thuris in quo consistat & unde ortus, ibid. n. 11. Quâ ratione inter Jura Honorifica censetur, aquæ Benedictæ aspersio, ibid. n. 14. Porrectio aspergilli soli Episcopo competit, & prohibetur porrigi Laicis cujuscumque conditionis, & quare, ibid. n. 16. 17. 20. Honor precum in quo consistat & quibus debeatur, ib. n. 21. Hujus prætextu Toparchæ aliique non possunt præcipere accelerari vel differri Divinum Officium, & varia super eo Edicta & Synodorum Decreta, ibid. n. 24. In quo consistat Honor Sedis, ibid. nu. 26. Tantum deferri potest Patronis ratione Fundationis, ibid. n. 27. Non Nobilibus aut inferioribus Officiariis, ib. nu. 28. In quo consistat Honor sepulturæ, ibid. nu. 29. Transfertur una cum Jure Patronatus, p. 2. t. 38. c. 2. n. 49.

Jura hæc honorifica debentur Patronis tam Ecclesiasticis quam Laicis, p 2. t. 25. c 7. n. 30. Non potest Ecclesiasticus Patronus in Ecclesia ponere propria insignia, sed tantum suæ Ecclesiæ vel Monasterii, ibid. nu. 31. Patronus quoad Jura Honorifica præfertur Toparchæ, ib. nu. 34. Quid de uxore & liberis Patroni, ibid. nu. 36. In Honoribus exhibendis recepta consuetudo servanda, ib. n. 38. Controversiæ ratione horum Jurium, ad quem deferantur, ib nu. 40. Quâ ratione probetur jus ad hos Honores, ibid. Quid Parochis & Rectoribus Ecclesiarum in hac materia incumbat, ib. n. 42.

Vide Eulogiæ, Pastor, Primitivus.

JURA FUNERALIA.

Vide Jura Pastoralia, Quarta Funeraria, Sepultura.

JURISDICTIO.

Jurisdictio ordinaria quid sit, & quinam illam habere dicantur, p. 3. t. 5. c. 1. n. 3. cum seq. Jurisdictio ordinaria nec auferri nec restringi potest sine causa & citra ordinem juris, ibid. n. 6. An eam habeant Legati, ibid. nu. 5. Episcopus eam habet jure suo in totam Diœcesim omnesque ejusdem personas, ibid. n. 8. Eam retinet donec plenè probetur exemptio, ibid. n. 10. Nullus per Diœcesim eam exercere potest cum exclusione Episcopi, nisi eam plenè probaverit, ibid. n. 12. Quâ forma olim Episcopi jurisdictione suâ quoad decisionem causarum uterentur, ibid. nu. 13. & seq. Quomodo jurisdictionem ordinariam acquisierint Archidiaconi & Prælati inferiores, ib. n. 18. Quænam jurisdictio, & in quas personas competat Judicibus Apostolicis Delegatis, ib. c. 2. n. 6. Jurisdictio alicui concessa in dubio cumulativè non privativè censetur concessa, p. 3. t. 12. c. 5. n. 23.

Jurisdictionis Ecclesiasticæ origo & forma est in *Cap. 9. Cor. 1.* quod explicatur, p. 3. t. 1. c. 1. n. 2. & seqq Jurisdictio Episcoporum ab initio Ecclesiæ fuit potius Arbitri quam Judicis & tendebat ad componendas decisiones, ib. n. 10. 34. ib. c. 3. n. 2. & p. 3. t. 7. c. 3. nu. 3. Constantinus & Arcadius Imperatores permiserunt partibus, ad Episcopi Judicium recurrere, ib. nu. 17. & 18. A judicio Episcopi sic electi, provocare non licebat, ibid. num. 19. Idem renovat Carolus Magnus & ejus ratio, ib. num. 30.

Jurisdictionis Ecclesiasticæ summa extensio sæculo XIII. etiam in causis Laicorum & quibus modis ad culmen illud ascenderit, ibid. n. 31. & seqq. Confœderatio Procerum Galliæ adversus eandem, p. 3. t. 1. c. 2. nu. 4. Sæculo XVI. Jurisdictio Ecclesiastica quoad causas Laicorum multum incepit declinare, p. 3. t. 1. c. 2. n. 3. Quomodo sensim in Gallia quasi intercierit, ib. n. 6. & seq. Quid factum in Belgio, ib. n. 18. 19. 20. In Gallia Laicus jurisdictionem Ecclesiasticam prorogare & in eam consentire non potest, ib. n. 22. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 15. & 18. Quid in Belgio, p. 2. t. 15. c. 7. n. 26. & 27. & p. 3. t. 2. c. 3. n. 15. & seq. Rationes quibus jurisdictionis Ecclesiasticæ imminutio meritò adscribi potest, p. 3. t. 1. c. 4. n. 2. & p. 3. t. 2. c. 4. n. 48. & 50. & p. 3. t. 10. c. 1. n. 41.

Jurisdictio Criminalis Ecclesiastica olim erat latissima quoad omnia crimina etiam Laicorum, p. 3. t. 4. c. 1. nu. 1. Forum contentiosum usque ad sæculum XII. non distinguebatur à foro Pœnitentiali, ib. n. 10. & p. 3. t. 11. c. 2. n. 14. Quomodo Episcopi tunc procederent in inquisitione & punitione criminum, p. 3. t. 1. c. 1. n. 20. Ea distinctio in causa fuit diminutionis Jurisdictionis Ecclesiasticæ, ib. n. 16. Quænam delicta eidem manserint subjecta, ibid. nu. 28. & seq. Quænam Jurisdictio competat Decanis & Capitulis quoad excessus suorum Subditorum, p. 1. t. 12. c. 2. n. 5. 8. & 12.

Vide Forum Competens.

JUS DEVOLUTIONIS.

Vide Devolutio.

JUS PATRONATUS.

Vide Patronus.

L.

LAUDUM.

Vide Compromissum.

LEGATUM.

Legatorum piorum causæ in Gallia institui solent per Procuratorem Regium, coram Parlamentis excluso Episcopo, p. 3. t. 2. c. 2. n. 15. & 16. Aliud obtinet in Belgio, ib. n. 18. & seq. Episcopis Cura Piorum Legatorum incumbit, etiam in locis ubi non habent eorum cognitionem, ibid. n. 28. & 29. Idem incumbit Parochis pro executione piæ voluntatis suorum Subditorum, ibid. n. 34. Cavere tamen debet omnem speciem avaritiæ, ib. n. 37.

Vide Fundatio, Hospitale.

LEGATUS A LATERE.

Legati à Latere quinam dicantur, p. 1. t. 21. c. 1. num. 2. Eorum origo, ib. nu. 8. Reputati fuerunt tamquam Proconsules Romani, ib. c. 2. n. 21. Uti possunt insigniis legationis extra Provinciam, ibid. Eorum jurisdictio reputatur ordinaria & perpetua, ib. c. 2. num. 18 & seq. Debentur ei Procurationes & quâ moderatione, ibid. c. 2. n. 12. Eo præsente nequidem Patriarchæ potest crux præferri, ibid. c. 2. n. 26. Nec Episcopus benedicere populum, nec deferre vestes jurisdictionem ordinariam significantes, ibid. Eo præsente aliorum Legatorum potestas cessat, ib. c. 2. n. 27.

Legatus à Latere Jurisdictionem voluntariam exercet extra Provinciam, ibid. n. 28. Confert Beneficia in Provincia, ibid. Amplitudo potestatis ejus vel restrictio pendet ab ejus commissione, ibid. n. 29. & seq. Non potest turbare ordinarios in sua jurisdictione, ib. c. 3. n. 1.

Legati à Latere non recipiuntur nisi cum consensu Regis in Hispania & Gallia & Belgio, p. 1. t. 21. c. 3. num. 4. 5. 6. & seq. Bullæ eorum debent verificari & modificari in Consiliis Regiis, ib. n. 8. Modificationes tantum annotantur in Regestis Consiliorum & quare, ibid. n. 10. Quænam ordinariè apponantur in Gallia & Belgio, ib. n. 11. & seq. & ib. nu. 16. & p. 2. t. 30. c. 7. num. 33.

Legatus tenetur Legationem exercere per se, p. 1. t. 21. c. 2. n. 12. Potestas ejus hodie non censetur ordinaria, ibid. num. 13. Nisi fortè impropriè, p. 3. t. 5. c. 1. n. 5. Non potest admittere resignationes in favorem, nisi sit speciali facultate instructus, p. 2. t. 27. c. 2 n. 5.

Vide Nuntius.

LEGATI NATI.

Legati Nati quinam dicantur, p. 1. t. 21. c. 1. n. 5. Eorum origo, ib. num. 14. & 15. Amplissima olim eorum authoritas, ibid. & cap. seq. nu. 13. Quomodo sequentibus sæculis multum imminuta, ib. c. 3. n. 14.

Digitized by Google

LEGES CIVILES.

Legum Civilium studium Monachis, Presbyteris & constitutis in Dignitate, prohibitum sub pœna excommunicationis, & quare, p. 1. t. 2. c. 2. num. 6. Legum Civilium notitia quomodo Clericis possit esse utilis, ibid. n. 7. Quæ cautela in earum studio adhibenda, ibid. & n. 8. Dispensationis loco sunt Privilegia Academiæ Lovaniensis & aliarum & quomodo accipienda, ib. n. 9. Specialis dispensatio hodie in Belgio non requiritur, ibid. num. 10.

Legum Civilium studium multum florere cœpit sæculo XI. in Italia & Clerici magna aviditate ei incumbere, p. 3. t. 7. c. 1. nu. 6. & 9. Quomodo ea occasione strepitus forenses in Curias Ecclesiasticas intrarint, ibid n. 11. Ad normam Legum Civilium instituta sunt ferè omnia officia in Curiis Ecclesiasticis, p. 3. t. 6. c. 1. n. 1. Eorum origo & Regulæ ex iisdem petenda, ib. num. 2.

LENOCINIUM.

Lenocinium quid sit, p. 3. t. 4. c. 4. n. 25. Quam detestabile crimen semper habitum fuerit, ibid. num. 26. An & quando illud incurrat maritus dissimulans adulteria suæ uxoris, ib. n. 24. & 27. Cujus fori sit illud crimen, ib. n. 28.

LIBELLUS.

Libellus Conventionalis quid sit, p. 3. t. 7. c. 3. n. 1. Debet offerri Judici & ejus authoritate Reo communicari, ibid. nu. 2. Olim etiam ante tempora Justiniani ignotus in Curiis Ecclesiasticis, præsertim in Causis Civilibus, quia in iis nihil scripto agitari poterat, ibid. nu. 3. & 4. Hodie non requiritur in Causis summariè terminandis & quænam illæ, ib. d. n. 8. & 9. Qua forma concipiendus & offerendus, ibid. n. 10. In ejus formatione præcipuè attendenda conclusio, ibid. n. 12.

Libellus civilis quis dicatur, p. 3. t. 9. c. 2. n. 4. Post conclusionem in causa nulla nova facta allegari possunt sine licentia Judicis per Libellum civilem impetranda, ib. Vetitum ejus occasione novum processum instituere, ib. n. 5.

LIBELLI MARTYRUM.

Libelli Martyrum olim erant species indulgentiæ, p. 2. t. 7. c. 1. n. 6. Quid illorum Libellorum intuitu concedebatur, ibid. & n. 7. & 8. Abusus ex eo provenientes, ib. n. 10. Quomodo iis occurrerint Episcopi, ib. n. 3. & seqq.

LIBELLI PRECUM.

Libelli Precum meritò ab Episcopis examinandi, corrigendi & expurgandi, p. 1. t. 16. c. 9. nu. 6. Item Libelli certarum confraternitatum qui sæpe multa periculosa continent, p. 2. t. 37. c. 6. n. 43.

LIBRI POENITENTIALES.

Libri Pœnitentiales mediis sæculis compositi & qua ratione, p. 2. t. 6. c. 3. n. 12. Eorum descriptio, ibid. n. 13. Episcoporum authoritate probabantur & Presbyteris tradebantur, & juxta eos Pœnitentias imponere tenebantur, ibid. n. 14.

LIBRI PROHIBITI.

Librorum Prohibitio ad quos spectet, p. 1. t. 21. c. 4. n. 24. & seq. Varia meritò in prohibitione Librorum attendenda, ibid. n. 22. Libri in una Provincia prohibiti possunt in alia esse utiles, ibid. num. 23.

Vide Index Librorum Prohibitorum.

LIMINA APOSTOLORUM.

Limina Apostolorum visitandi obligatio, quæ incumbit Episcopis, originem habet ab Episcopis ad Romanam Metropolim pertinentibus, p. 1. t. 15. c. 2. n. 16. & 17. Olim idem erat ac Synodum juxta eadem limina celebranda convenire, ib. Quomodo ad Metropolitanos deinde ad omnes Episcopos extensa, ib. n. 18. Præcipuus scopus hodie est ad informandum sedem Apostolicam de statu suæ Ecclesiæ, ibid. nu 22. Ea informatio fit apud Congregationem Concilii Trid. de quibus rebus, & qua forma, ibid. Episcopi Belgæ & Galli non possunt accedere per se ad Limina Apostolorum sine consensu Regis, ib. nu. 15. Praxis Belgii habet ut illa per commissarium fiat, ib. n. 24.

LITIS CONTESTATIO.

Litis Contestatio quidnam dicatur & quomodo inducatur, p. 3. t. 7. c. 3. n. 13. Processus defectu litis contestationis est irritus, ibid. n. 16. Primitus in Judiciis Ecclesiasticis solemnis contestatio in usu non fuit, ib. n. 18. Nec hodie in summariis requiritur, ibid. nu. 19. An per Litis contestationem hodie Lis transeat ad hæredes absque ulteriori resumptione, ibid. n. 21.

LITURGIA.

Liturgia Christus simpliciter modo in scripturis expresso Sacrificium incruentum instituit, p. 2. t. 5. c. 1. n. 8. Apostolis tamen eorumque successoribus potestatem reliquit ritum & ordinem ejusdem instituendi, ibid. num. 9. Unde Ecclesiarum in Ceremoniis & Liturgiis varietas, ibid. num. 15. & seq. Illa nullatenus obest unitati fidei, ibid. num. 23. Propriæ Ecclesiæ ritus servandus, ibid. num. 24. Multa hodie in Ceremoniis habentur pro lege quæ ex abusu irrepserunt, ibid. nu. 28. Unde plura in iis obscura, ibid. n. 29.

Liturgia qua usi sunt Apostoli a S. Justino descripta, p. 2. t. 5. c. 1. nu. 12. & 13. Liturgiæ, quæ nomine Apostolorum circumferuntur, sunt suppositæ, ibid. n. 13.

Liturgia Ambrosina a Romana distincta, ib. nu. 16. Ea utitur Ecclesia Mediolanensis & eam retineri voluit S. Carolus, ibid.

Liturgia Mozarabica in Hispania viguit & unde sic dicta & a quo composita, ibid. num. 17. & 18. Abrogata tempore Gregorii VII. eique substituta Romana, ibid. n. 18. Adhuc servatur Toleti, ibid.

Liturgiam particularem habuit Gallia usque ad tempora Caroli Magni & quænam illa, ibid. n. 19. 20. 21.

LOCUS PIUS.

Vide Bursa, Fundatio, Hospitale.

LUDIMAGISTER.

Ludimagistri quales assumendi, p. 2. t. 11. c. 5. num. 12. Debent emittere professionem fidei & coram quo, ibid. n. 11. Jus eos admittendi est penes Scholasticum, ibid. num. 13. Penes quos sit Jus eos admittendi in locis ubi Scholasticus deest, ibid. num. 14.

Ludimagister corrumpens in materia libidinis suos discipulos, qua pœna castigandus, p. 3. t. 4. c. 4. n. 40.

Vide Schola.

LUDUS.

Ludus aleæ seu Fortunæ Legibus Romanis prohibitus, p. 1. t. 2. c. 5. n. 1. Speciatim interdicitur Clericis, ibid. num. 2. Ludus aleæ comprehendit ludum Chartarum, Taxillorum, & generaliter omnem alium dependentem a fortuna, ibid. num. 3. Incommoda ex his lusibus provenientia, ibid. Consuetudo Canones in hac materia in totum abrogare non potest, ibid. nu. 4. Circa restitutionem lucri ex Ludo vetito, quid in Belgio obtineat, ibid. nu. 6. Victori actio non conceditur ad lucrum petendum, ibid. n. 7. Qui alicui sciens pecuniam credidit in Lusum aleæ, repetendi actionem non habet, ibid. In Brabantia aliquando impositum vectigal aleis sed sine effectu & quare, ibid.

Ludi quales Clericis liciti, ibid. n. 8. Moderatio & discretio in iis servanda, ibid. Quomodo hæc convenienter haberi possint, ib. num. 9.

LUDI THEATRALES.

Vide Spectacula.

M.

MAGIA.

Vide Sortilegium.

MAGISTER S. PALATII.

Magister S. Palatii jure suo est consultor Sancti Officii, p. 1. t. 22. c. 3. num. 12. Item Congregationis Indicis, ibid. cap. 4. num. 27. Ejus institutio & authoritas, ibid.

MALEFICIUM.

Vide Sortilegium.

MANDATUM.

Vide Procurator.

MANDATA DE PROVIDENDO.

Vide Exspectativa.

MANSUS.

Mansus Ecclesiæ quid dicatur, & quid contineat, p. 2. t. 34. nu. 22. Ejus immunitas concessa per Ludovicum Pium & Carolum Calvum, ibid. n. 21. & 24. Item per Decretales, ib. n. 26. & seqq.

MANUS MORTUA.

Vide Amortizatio.

MANUTENENTIA.

Manutenentiæ definitio & effectus, p. 3. t. 2. c. 4. n. 42. & 43. Requisita ad litteras manutenentiæ obtinendum, ibid. n. 44. 45. Hodie titulo Manutenentiæ ferè omnes causæ Ecclesiasticæ devolvuntur ad Consilia Regia & quæ hujus ratio, ibid. n. 46. n. 47. Incommoda quæ inde oriuntur & qua ratione illis possit occurri, ib. n. 49. 50. 51.

MATER.

Matri an & quando credatur quis sit Pater prolis suæ illegitimæ, p. 3. t. 4. c. 4. n. 36.

Vide Parentes.

MATRICULARIUS.

Vide Custos.

MATRIMONIUM.

Matrimonii definitio, part. 2. tit. 12. cap. 4. nu. 1. Perficitur per mutuum consensum, etiam per sola signa expressum, ibid. num. 7. & 8. Potest contrahi per Procuratorem & quodnam mandatum requiratur, ibid numer. 10. & 11. Quid operentur conditiones si contractui Matrimonii adjiciantur,

ib. nu. 15. Matrimonium difficillimè admittit conditiones suspensivas & quare, p. 2. t. 13. c. 3. nu. 6. Requiritur consensus Parentum, sed tamen ejus defectus Matrimonium non reddit invalidum juxta Concilium Tridentinum, p. 2. t. 12. c. 4. nu. 19. In Gallia videntur haberi ut invalida & in quo invaliditas illa ibidem refundatur, ibid. n. 20. Pœnæ eorum qui sine consensu Parentum Matrimonium contrahunt, tam in Gallia quàm in Belgio & quinam illas incurrant, ibid. nu. 22. & 23. Pœnæ adversus Parochos qui talibus Matrimoniis assistunt, ib. n. 24. Consensum Parentum Judex supplere potest & quis iste Judex, ib. nu. 26. Quid Pastores conveniat agere, dum Matrimonium hoc casu coram ipsis contrahendum aut jam contractum est, ibid. n. 27. & 30.

Matrimonia à primis sæculis apud Ecclesiam solemnisata, p. 2. t. 12. c. 5. n. 1. Decretum Concilii Tridentini circa Matrimonia Clandestina, ibid. n. 3. Quis dicatur proprius Parochus, ib. nu. 6. *Vide Miles, Vagus.* Sufficit Parochus alterutrius contrahentium, ibid. nu. 5. Non requiritur quod sit Sacerdos, ibid. num. seqq. Assistentia Parochi non est actus Jurisdictionis & varia inde consectanea, ib. num. 17. Potest vices suas alteri delegare, sed non nisi Sacerdoti, nu. 18. An idem possit Vice-Pastor, Deservitor, vel Vicarius, ibid. n. 20. Potest ordinarius invito Parocho licentiam assistendi alteri delegare & quinam veniant nomine Ordinarii, ibid. nu. 21. & 22. Quinam testes sufficiant, ibid. nu. 24. Quænam præsentia requiratur tam in Parocho quàm in testibus, ib. n. 25.

Matrimonia clandestina non sunt irrita in locis ubi Decretum Concilii Tridentini non est publicatum & quænam illa loca, ib. nu. 29. & 30. An necessitas aliqua defectum Parochi supplere possit, n. 31.

Matrimonia Hæreticorum coram Magistratu vel Ministro Hæretico reputantur valida & quare, ibid. n. 32. Etiam ubi altera pars est Catholica, n. 36. Fortiter talibus Matrimoniis obsistendum, ibid. n. 38. Apud Græcos Matrimonium Catholici cum Hæretica jam pridem fuit irritum & quare, p. 2. t. 13. c. 8. n. 6. Secus apud Latinos, ib. n. 7.

Matrimonia celebrata à concubinariis in articulo mortis, habentur in Gallia invalida quoad effectus civiles, p. 2. t. 12. c. 5. n. 28.

Matrimonium quibus ritibus hodie contrahatur, p. 2. t. 12. c. 6. n. 4. & seqq. Analyticè explicatur, ibid. In templo inter Missarum solemnia, non in domibus privatis aut post meridiem matrimonium contrahi volunt Synodi Belgicæ, ibid. Benedictionis nuptialis antiquitas & ritus, ib. nu. 11. De quibus novi conjuges specialiter admonendi, ib. n. 17. 18.

Matrimonium cum impedimento dirimente contractum debet dissolvi, p. 2. t. 14. c. 5. n. 2. Obtenta dispensatione Matrimonium coram Parocho & Testibus renovandum, ibid. n. 9. Debet Matrimonii prioris nullitas utrique Parti innotescere, ibid. n. 11. Id non requiritur in dispensationibus concessis à Pœnitentiaria super impedimento occulto, ib. c. 7. n. 12. Quid faciendum si alter conjugum impedimentum subesse sciat, sed illud probare non possit dum à Judice cogitur debitum reddere, p. 2. t. 15. c. 2 n. 21.

Matrimonium legitimum quodnam dicatur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 2. & p. 2. t. 15. c. 1. nu. 2. Non dissolvitur per conversionem alterutrius ad fidem, etiamsi cum impedimento dirimente, sed non jure naturæ fuerit contractum, p. 2. t. 8. c. 1. n. 4. Si Pars infidelis nolit cohabitare nisi cum injuria Creatoris Matrimonium dissolvi potest, ibid. nu. 5. Pars tamen fidelis redire compellitur si ante novas nuptias infidelis convertatur, ib. num. 6.

Matrimonium ratum quodnam dicatur, p. 2. t. 12. c. 4. nu. 3. Dissolvitur per professionem Religiosam, p. 2. t. 15. c. 1. nu. 8. & seq. Non per votum ordini sacro annexum, ibid. nu. 12. Nec per votum simplex emissum in Societate Jesu post probationem biennalem, ibid.

Matrimonium consummatum quodnam dicatur, p. 2. t. 12. c. 4. nu. 4. Juxta Leges Civiles etiam dissolvitur per Professionem Religiosam, p. 2. t. 15. c. 1. num. 13. Patres, Canones repugnant, ibid. De consensu mutuo licitum est conjugibus Religionem ingredi aut continentiam vovere, ibid. n. 16. Qui sine consensu conjugis Religionem intravit, redire compellitur, ib. nu. 15. Dum unus conjugum Religionem ingreditur etiam alter ingredi debet & quare, ibid. n. 17. Datur subinde exceptio & quid tunc cavendum, ib. n. 20. Convenit ut interveniat judicium & authoritas Episcopi, ibid. n. 21.

Matrimonii separatio.
Vide Divortium.

Matrimonium iterari sive secundas nuptias inire tunc tantum permittitur, quando constat de morte prioris conjugis, p. 2. t. 15. c. 8. num. 4. Non sufficit aut captivitas aut absentia quantumcumque diuturna, ibid. nu. 6. Quænam probatio ad hoc necessaria, ib. n. 7. Legibus Romanis intra annum a morte mariti, vidua prohibebatur nubere sub pœna infamiæ, aliisque & harum Legum ratio, ibid. num. 8. 9. Hodie sunt abrogatæ in quantum respiciunt iterationem Matrimonii, sed non in quantum respiciunt bonum liberorum primi thori, ib. n. 14. *Vide Bigamia, Vidua.*

Matrimoniales causæ in Gallia ad solos Judices Ecclesiasticos spectant, etiamsi coram Judice Sæculari tantum incidenter motæ essent, p. 3. t. 2. c. 1. num. 5. & seq. Quid de eo statuant Concordata Brabantiæ, ibid. n. 13. Causæ Matrimoniales spectant primitivè ad Episcopum, ibid. n. 16. Possunt inferioribus competere ex consuetudine, sed non nisi ex immemoriali, ibid. nu. 19. Ex stylo Curiæ Romanæ, etiam in secunda instantia, solis Episcopis committuntur, ibid. n. 21. Variæ causæ Matrimoniales quæ in Gallia reservantur Judici Laico, ib. n. 26. 27. 28. Sententiæ Matrimoniales ad minus quoad expensas mandantur executioni in Curiis Ecclesiasticis Belgii non obstante appellatione, sed sub cautione & quali, p. 3. t. 12. c. 5. nu. 31.

MENDICANTES.

Vide Ordines Mendicantes.

MENDICITAS.

Mendicitas in Ordinibus Regularibus magna secum fert incommoda, p. 1. t. 29. c. 4. num. 21. & seqq. His occurrere volens Concilium Tridentinum, permisit ut reditus & bona in communi possiderent, ibid. nu. 26. 27. S. Franciscus primus hujus Mendicitatis auctor, ib. nu. 5. Tantum illam subsidiariè instituit & ubi opus manuum aliaque vitæ subsidia deficerent, ibid. n. 32. cum seq. Petere vel accipere eleëmosynam extra vel ultra necessitatem speciem furti reputavit, ibid. num. 34. Non convenit ut circumeant pro eleëmosynis tempore quo aliquis ex suo Ordine concionatur, ib. nu. 38. Varia in quæstuationibus observanda, ibid. n. 40. 42. & 43. Sine consensu Magistratus Civilis, ægrè permittitur collectio eleëmosynarum, ibid. nu. 39. Nec alio titulo quàm laboris spiritualis, ibid. nu. 38. Qui mendicato vivunt, pauci debent esse numero, ibid. num. 40. S. Gregorius vult præferri Mendicis honestos egenos in distributione quotæ Pauperum, in bonis Ecclesiæ, p. 2. t. 32. c. 4. n. 13. Modus Mendicitatis a Gregorio XIII. præscriptus Ordini S. Antonii Viennensis, p. 2. t. 37. c. 3. num. 14. 15. Edicta Belgica vetant omnem murmurationem aut asperitatem in casum denegationis eleëmosynarum, ib. c. 5. n. 39.

MENDICUS.

Mendici validi, Reipublicæ admodum odiosi semper fuerunt, p. 2. t. 37. c. 5. n. 7. Leges Imperatorum adversus eos, ibid n. 8. 9. Edicta Principum Belgii adversus eosdem recensentur, ib. nu. 11. Varia media quibus civitates se ab iisdem valeant liberare, ib. num. 19. Edicta Principum Belgii quæ mendicitatem verorum Pauperum tolerant, sed restringunt ad certum locum & tempus, aliasque cautelas adhibent, ib. n. 22. & seq.

MENSA S. SPIRITUS.

Mensa S. Spiritûs an computetur inter manus mortuas, p. 1. t. 29. c. 5. num. 4. Proventus Mensæ S. Spiritûs, administranda sunt ut propria, p. 1. t. 5. c. 2. nu. 1. In eorum Dispensatione varia attendenda, ib. c. 3. num. 2. & 3. Quomodo Parochus in eorum distributione intervenire debeat, ibid. n. 4. Qui eleëmosynis gaudent, sæpius à Parocho examinandi, ibid. num. 5. Decimis sufficientibus, injustum est, proventus Mensæ S. Spiritûs in portionem congruam Pastorum aut Vice-Pastorum impendere, p. 2. t. 34. c. 3. n. 17.

Mensa S. Spiritûs quousque authoritati Episcopi subsit, quando administratur à Laicis, p. 1. t. 5. c. 4. n. 1. & seqq. & n. 6. & p. 2. t. 37. c. 2. nu. 40. & seqq. Regulæ generales pro tota hac materia observandæ, p. 1. t. 5. c. 6. nu. 1. & omnibus sequentibus.

MERCATURA.

Mercatura Clericis specialiter interdicta, p. 1. t. 2. c. 6. num. 1. Mercaturam olim exercere permittebantur & immunitate gaudebant & ratio ejus, p. 2. t. 34. n. 8. & 9. Postea hæc licentia & immunitas meritò revocata, ib.

Mercatura prohibetur in Ecclesiis & Cœmeteriis, p. 2. t. 16. c. 1. n. 9. & t. 38. c. 2. n. 23. Item diebus Festis, p. 2. t. 17. c. 4. n. 11. Acta sive contractus iis diebus celebrati, non sunt invalida secus actus Forenses & ratio disparitatis, ib. n. 12.
Vide Festum.

Mercatorum libri & scripturæ privatæ quam fidem mereantur, p. 3. t. 7. c. 7. n. 59.

Mercatura Jure Decretalium præstationi Decimarum obnoxia, p. 2. t. 33. c. 2. n. 2.

METROPOLIS.

Metropoles Ecclesiasticæ olim ad normam Civilium formatæ fuerunt, p. 1. t. 19. c. 1. nu. 5. Ejus ratio, ibid. n. 8. Postea sejunctæ fuerunt, ibid. n. 10. Earum erectio devoluta ad Pontificem, cum consensu tamen Regis & auditis quorum interest, ib. nu. 11. Archiepiscopi Remensis protestatio contra erectionem Cameracensis in Metropolim, ibid. n. 14.

METROPOLITANUS.

Metropolitanorum institutio est antiquissima, ibid. nu. 1. Qualis olim eorum authoritas, ibid. n. 3. & c. 2. nu. 1. & seq. Quam partem habuerint in Electionibus Episcoporum, p. 1. t. 13. c. 1. n. 11.

nu. 11. 12. 13. Confirmatio Episcoporum spectabat olim ad Metropolitanum & Comprovinciales & deinde ad solum Metropolitanum, p. 1. t. 14. c. 1. n. 1. 2. 3. Principes Nominationes Episcoporum solebant dirigere ad Metropolitanum & Synodum, ib. c. 3. n. 5. Quo ritu Confirmatio expediretur, p. 1. t. 12. c. 4. per totum. Consecrationes Episcoporum præcipuè spectabant Metropolitanum, p. 1. t. 15. c. 1. n. 1. Quo ritu ea fieret, quomodo tandem hæc ad Pontificem devoluta, p. 1. t. 14. c. 1. nu. 5. & 6. & ib. toto cap. seq. Episcopi tenebantur ei præstare juramentum & quale, p. 1. t. 15. c. 2. n. 8. 9. Id ipsis adhuc competit vigore Concordatorum Germaniæ, p. 1. t. 13. c. 2. n. 10.

Metropolitanorum authoritas multum restricta & unde, p. 1. t. 19. c. 2. n. 9. & c. 3. n. 5. Quænam adhuc hodie eorum authoritas in personas & subditos suorum Suffraganeorum, eorumque causas & officia, ib. c. 4. n. 10. & seq. Quid in eorum Diœcesibus eis competat, ib. n. 13.

Metropolitani est indicere Synodum Provincialem, p. 1. t. 20. c. 1. n. 1. Si dissideat à Suffraganeis illorum vota prævalent, ibid. n. 17. Non potest Synodum dissolvere, alicui silentium imponere, aliqua jubere legi sine consensu Coepiscoporum, ib. n. 18.

Metropolitanus Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta, in sua Provincia constituta, potest redigere in congregationes, iisque præsidere, si ipsi id negligant, p. 1. t. 32. c. 3. n. 19. & c. 4. n. 6. 7.

METUS.

Metus quid sit, & an causet involuntarium, p. 2. t. 13. c. 9. n. 1. Metus cadens in constantem virum, ibid. n. 3. Quid Metus levis, ibid. nu. 4. Quis Metus sit hic & nunc gravis, quis levis, à Judice determinandum & quomodo in eo procedere debeat, ib. nu. 7. & 8. Metus gravis dirimit Matrimonium jure naturæ, potiùs quàm positivo, ibid. nu. 10. An Metus de se levis quandoque dirimere posset Matrimonium, ibid. n. 11. Quid Parocho agendum dum Metum subesse suspicatur, ib. n. 13. Quid requiratur ut Metus dirimat Matrimonium, ibid. n. 14. 15.

MILES.

Milites ubi domicilium habere censeantur, p. 1. t. 12. c. 5. n. 15. Quisnam eorum proprius Parochus in ordine ad contrahendum Matrimonium, ibid. nu. 16. Concordatum inter Ordinarios & Delegatum Apostolicum ad Exercitus Regios in Belgio, ibid. Fraudes fictè militantium reddunt Matrimonium invalidum, ibid.

Milites Jure Decretalium tenentur ad Decimas de suis stipendiis, p. 2. t. 33. c. 2. n. 31.

MINORENNIS.

Minorenni an detur restitutio adversus triennalem Possessorem, p. 2. t. 26. c. 4. n. 26.

Minorennis post annum ætatis 14. in spiritualibus habetur pro majore, p. 2. t. 27. c. 4. n. 16. Possunt resignare sua Beneficia, ibid. n. 17. Non tamen iis sub quorum sunt potestate vel cura, ibid. num. 19. Rescinduntur eorum resignationes dum constat illas malis artibus esse extortas, ibid. nu. 20. Validè resignant parentibus reluctantibus, ib. n. 21.

MINORITÆ.

Vide Ordo FF. Minorum.

MISERABILES PERSONÆ.

Vide Causa.

MISSA.

Missa unde dicta & varia hujus vocis acceptio, p. 2. t. 5. c. 1. n. 1. & 4. & seq. Quo ritu Apostoli & primi eorum Successores eam celebrarint, ibid. nu. 11. & seq. Est excellentior & efficacior species orationis, p. 1. t. 16. c. 9. n. 3. Ejus celebratio primis sæculis non concedebatur Sacerdotibus, nisi absente vel impedito Episcopo, ibid. Quibus diebus Episcopum conveniat celebrare, ibid. & n. 4.

Missa Parochialis olim dicta Missa publica, ejus prærogativæ, p. 2. t. 5. c. 2. n. 1. & seq. De obligatione illam frequentandi ante sæculum XIV. numquam fuit dubitatum, ib. nu. 5. Obligatio illa multis adstruitur, ibid. num. 6. cum seq. Concordata Hannoniæ permittunt procedi juridicè adversus absentes à Missa Parochiali, ib. n. 14.

Missa Parochialis semper eâdem horâ celebranda est, nec differenda vel acceleranda ad nutum Nobilium aut Toparcharum, ibid. n. 11. & 12. Missæ Privatæ, Missæ Fundationum & Confraternitatum, item Officia in Cathedralibus & Collegiatis & in Monasteriis ita sunt ordinanda, ut populus non abstrahatur à Missa Parochiali, ibid. nu. 8. 9. 10. Instructiones in ea fieri debent post Evangelium, ibid. n. 17. & seq.

Missa ut publica dici posset, olim præter Communicantes requirebatur assistentia Populi, ib. c. 5. nu. 14. Quid Missæ solitariæ, ibid. n. 15. A variis Synodis reprobantur, ibid. nu. 16. Defenduntur à Petro Damiani, ibid. n. 20. Hodie sunt prohibitæ, ibid. num. 22. Olim dubitatum an non requirerentur ad minus duo præsentes & ministrantes, ibid. n. 19. Item Diaconis, p. 1. t. 1. c. 3. n. 9. Fideles in Missa olim osculum pacis sibi mutuo dabant & quare id mutatum, p. 2. t. 12. c. 6. num. 14. Ea, quæ in Missa aguntur, populo explicanda & quæ inde utilitas, p. 2. t. 5. c. 9. n. 23. 24. Orationes omnes in Missa ita sunt ordinatæ, ut supponant omnes præsentes offerre & communicare. *Vide Communio.*

Quinam in Oratoriis privatis Missis interesse possint, ibid. c. 8. num. 19.

Missarum celebratione arcendi Sacerdotes ignoti, non instructi litteris commendatitiis proprii Episcopi, ib. c. 9. nu. 2. & seq. Quid hæ continere debeant, ib. n. 10. Requiritur etiam licentia Diœcesani, ibid. nu. 9. Hæc etiam obtinent in Ecclesiis Regularium, ibid. n. 8. Varii Sacerdotes a Missarum celebratione arcendi, ib. n. 14. & seq. In Ecclesia Parochiali nemo celebrare potest sine licentia Parochi, ibid. n. 12.

Missæ Minister qualis eligendus & quomodo in ministrando se gerere debeat, p. 2. t. 5. c. 3. nu. 23. usque ad 28. Mulieri prohibitum ministrare, ib. n. 29. Indignitas quæ tanto Sacrificio infertur per Ministros pueros, petulantes, sordidos & immoratos, ibid. n. 30. & seq.

Missam celebrare non potest Sacerdos, nisi adstantes sint ritè compositi, ib. c. 9. n. 21. Simultanea plurium Missarum celebratio, in eadem Ecclesia minus conveniens est & quare, ibid. nu. 26. Olim frequens erat plurium Sacerdotum concelebratio, p. 1. t. 15. c. 3. n. 20. Vetitus in Missa cantus non satis gravis & quis talis censeatur, p. 2. t. 5. c. 9. nu. 27. 28. Penes Episcopos est summa authoritas abusus, in Missarum celebratione occurrentes tollendi, ib. n. 30.

Missa specialis celebrata olim in purgationibus vulgaribus dicta Missa Judicii, p. 3. t. 8. c. 4. n. 7. Quo ritu, purgationem illam subituris, data Communio, ibid. n. 9. & 10.

Vide Honoraria Missarum, Liturgia, Oblatio.

MISSI DOMINICI.

Missi Dominici vocati olim fuerunt Ministri Regii juncti Episcopis in visitatione & eorum officium, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & 12. Etiam Synodis interveniebant & in quem finem, p. 1. t. 20. c. 4. n. 12. Etiam Reformationibus Regularium, p. 1. t. 32. c. 2. nu. 11. Eorum vices hodie gerunt in Gallia Parlamenta, qua ratione, ibid. n. 12. 13. & seq. & p. 1. t. 17. c. 4. nu. 13. Idque conforme est menti Concilii Tridentini, p. 1. t. 32. c. 2. n. 16.

MITRA.

Mitra recens est ornamentum, p. 1. t. 15. c. 3. nu. 21. Græci ab eo abstinent & quare, ibid. Abbates ad Synodos comparentes cum Episcopis, quibus mitris uti possint, p. 1. t. 31. c. 4. n. 28.

MONACHUS.

Monachi olim erant merè Laici, imò prohibebantur fieri Clerici, p. 1. t. 22. c. 4. nu. 2. & p. 3. t. 12. c. 1. nu. 1. & 2. Episcopis & Parochis suberant, ab iis Sacramenta accipiebant & Decimas ut reliqui offerebant, ibid. Simul cum aliis Laicis ad Ecclesias accedebant, sed locum honoratiorem obtinebant, ib. nu. 5.

Monachorum vita est privata secessio, p. 1. t. 24. c. 1. nu. 3. Non tanta in Monacho requiritur sanctitas quam in Presbytero, p. 1. t. 9. c. 2. n. 7. Officium & character veri Monachi, p. 2. t. 18. c. 3. n. 19. Sæculares ad Ecclesias suas allicere quocumque prætextu, à professione Monachi est alienum,

Strepitus forenses eorum professioni repugnant, p. 3. t. 6. c. 3. n. 34. & 38. Justinianus ideo voluit causas eorum celeriter terminari, p. 3. c. 7. c. 4. n. 42.

Monachis Regulæ antiquæ & Canones solitudinem commendant, p. 1. t. 27. c. 4. nu. 1. Votum stabilitatis eos ad clausuram non obligat, ibid. nu. 3. Quænam ab egredientibus observanda, ibid. n. 5. Socius eis adjungendus, ibid. n. 6. Olim solus loqui non poterat cum extraneo, ibid. nu. 7. Dum egrediuntur mensas Laicorum declinare debent, & Constitutiones variæ de hac materia, ib. nu. 10. Pœnæ eorum qui exeunt sine licentia, ibid. n. 12. 13.

Monachis mulierum familiarior conversatio interdicta, p. 1. t. 30. n. 1. & 17. Mulierum ingressus in Monasteria, gravissimis pœnis interdicitur, ibid. n. 2. & seqq.

Vide Monasterium.

Monachus non potest esse Patrinus & quinam nomine Monachi veniant, p. 2. t. 2. c. 4. n. 16. Monachus an assumi possit ad Ecclesiam Parochialem, p. 2. t. 17. c. 3. n. 18. An olim ad Parochialem Ecclesiam assumptus maneret Monachus, ib. n. 19.

Monachis Decimæ concedi potuerunt, solo titulo eleemosynæ & tamquam Dispensatoribus & inde resultans obligatio eas uti tales dispensandi, præsertim in locis ubi colliguntur, p. 2. t. 33. c. 5. n. 6. Decimarum acquisitio eis in tantum displicuit ut inter eos turbæ inde nascerentur, ibid. n. 28. & seq. Tenentur ad Decimas ex suis prædiis, ib. c. 3. n. 5. & 7. nu. 9. & 10. Immunitas à Decimis aliquibus Ordinibus concessa, ad quæ sese extendat, ib. n. 11. & seqq.

Monacho litiganti ex justa causa contra Abbatem, per provisionem adjudicantur necessaria pro alimentis & prosecutione litis, p. 3. t. 9. c. 1. n. 21.

Vide Exemptio, Monasterium, Regularis.

Index Rerum & Verborum.

MONASTERIUM.

Monasterium extrui non potest sine consensu Episcopi, p. 1. t. 24. c. 3. n. 1. Non dandus consensus nisi causâ cognitâ, ibid. n. 4. Quinam ante audiendi, & quorum consensus adesse debeat, ib. & seq. Consensus Regius omnino necessarius, ibid. num. 11. & seq. Quænam specialiter in admissione novi Monasterii attendenda integritas disciplinæ, ib. n. 21. Frequenter adjiciuntur conditiones circa Jura Parochialia, numerum Fratrum, limites & modum quæstuandi, quantitatem bonorum acquisitorum, aliaque, ib. n. 17. 18. Conditiones adjectæ in admissione Societatis Jesu in Gallia & in Belgio, ib. nu. 14. In admissione PP. Oratorii Rothomagi, ibid. nu. 16. In admissione Recollectarum ad oppidum de Eecklo Diœcesis Brugensis, ibid. n. 17. Et lis super earum observatione, ibid. In admissione FF. Minorum Turnhauti, &c. ibid. nu. 18. In quolibet Monasterio non plures admittendi quam, vel ex Reditibus Monasterii aut consuetis eleëmosynis ali possunt, p. 1. t. 26. c. 3. nu. 6. Quænam dicantur consuetæ eleëmosynæ, ibid. nu. 8. Sæculo XI. magna erat liberalitas in iis fundandis. p. 1. t. 29. c. 3. n. 13.

Monasterii proventuum administratio, rectè desumitur è Norma primorum Christianorum, p. 1 t. 29. cap. 5. num. 1. Quidquid à parentibus datur Religioso, id in commune distribuendum, quin imò potius alteri & quare, ib. num. 6. 7. Omnibus necessaria ex communi substantia Monasterii, subministranda sine personarum acceptione, ib. c. 7. n. 1. & seq. & p. 1. t. 31. c. 5. num. 2. c. 8. num. 3. Media quibus illud exactè poterit servari, erunt, si non plures admittantur quam ex reditibus, seu consuetis eleëmosynis ali possunt, p. 1. t. 29. c. 7 & 8. Item si necessaria statui Paupertatis sint commensurata, ibid. c. 8. nu. 10. Sollicita cura ægrorum habenda, ib. nu. 4. Horum neglectus, præcipua radix peculiaritatis, ibid. n. 5.

Monasterii bonorum administratio, concedi potest solis Officialibus, p. 1. t. 29. c. 9. nu. 1. 3. & 12. Concedi simplici Monacho non potest, etiam dependenter a nutu Superioris, ib. nu. 6. & seq. Omnia undecumque obvenientia in communem usum distribuenda, ibid. cap. 5. toto. Prælati aliique Officiales, rebus Monasterii utentes ut propriis, censendi proprietarii, ibid. num. 13. & seq. & p. 1. t. 31. c. 5. num. 6. Tenentur ad computus & coram quibus, ibid. num. 8. Si sint exempti an etiam coram Episcopo, ibid. n. 9. In omnibus cavenda species avaritiæ, ibid. num. 18. Quibus debeantur bona quæ necessitati Religiosorum supersunt, p. 1. t. 25. c. 4. num. 5. & p. 1. t. 31. c. 5. num. 5. Injuriæ illatæ Monasteriis vel eorum bonis in Brabantia privativæ puniuntur per Præfectum saltuum & unde id ortum, p. 2. t. 21. c. 25. n. 36.

Vide Alienatio, Cellarius.

Monasteria virorum ingredi ab omni tempore mulieribus interdictum, p. 1. t. 30. c. 2. n. 1. & seq. Licentiæ concessæ mulieribus quibusdam illustribus, per pium V. sunt revocatæ, ibid. num. 6. Interdicitur illis ingressus, sub pœna excommunicationis reservatæ, ibid. Olim etiam ad Ecclesias Regularium eis non patebat accessus, ibid. num. 9. Quænam hodie observanda, dum mulieres ad eas admittuntur, ibid. num. 15. & seq.

Monasterium seu retrusio in Monasterium, pridem inter pœnitentias connumerata, p. 3. t. 19. c. 1. num. 17. Quid de ea habeant Canones & Decretales, ibid. num. 18. 19. Hodie est pœna Ecclesiastica, præsertim adversus Clericos in crimina prolapsos, ibid. num. 20. & seq. Ex constitutione Justiniani, Adulteræ post corporalem castigationem in Monasterium retruduntur, p. 3. t. 4. c. 4. num. 6. Hæc pœna adhuc obtinet in Sabaudia & sæpius usitata fuit in Gallia, ibid. num. 18. 19. Non convenit eas retrudere vel etiam admittere in Monasteria Virginum, ib. & n. 20.

Monastica vita à vita primorum Christianorum originem habet, p. 1. t. 24. c. 1. num. 1. Est tantum privata secessio, ib. num. 3. Quanta mala adferat indiscreta ad illam admissio, p. 1. t. 25. cap. 1. num. 1. & seq. In admissione ad illam omnis pactio de temporalibus est Simoniaca vel prohibita, idque latissimè probatur, p. 1. t. 26. c. 1. n. 4. & seq. Non est semper utilis multiplicatio Religiosorum, ibid. c. 3. num. 17. Vitæ Monasticæ ita essentialis est abdicatio omnis proprii, ut nequidem summus Pontifex in eo possit dispensare, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2.

Vide Peculium.

Monastica disciplina quantumvis bene instituta, mutabilitati est obnoxia, p. 1. t. 32. c. 1. num. 2. Illius relaxationis variæ causæ, ibid. num. 3. & seq. Præcipuè ejus integritas attendenda in omni admissione Monasteriorum, part. 1 tit. 24. cap. 3. num. 21.

Monasticæ pœnæ variæ in Regulis præscriptæ, p. 1. t. 31. c. 3. n. 21. & seq. Etiam Corporales, ibid. Species excommunicationis inter Monachos usitata ex Regula S. Benedicti & ejus effectus, item reconciliatio, ibid. n. 24. & seq.

Vide Monachus, Ordo, Regula.

MONIALIS.

Monialium distinctio inter Choristas & Conversas olim ignota, p. 1. t. 31. c. 4. n. 5. simul cum num. 13. Hodie ferè solæ Choristæ Capitulum constituunt, ibid. A quo visitanda Monialium Monasteria, p. 1. t. 32. c. 4. num. 13. Fornicatio cum Moniali, Legibus Civilibus & Statutis Italiæ punitur pœna mortis, p. 3. t. 4. c. 4. n. 68. Quis hujus criminis Judex juxta concordata Brabantiæ, ibid. In Monasteria Virginum non convenit detrudere vel admittere adulteras, ib. n. 19. & 20.

Monialium Confessarius.

Vide Approbatio.

MONITORIALES.

Monitoriales ad finem revelationis in Belgio vix notæ, p. 3. t. 11. c. 5. nu. 6. Quis earum usus in Gallia, ibid. Unde exortæ, ibid. E levibus causis non concedendæ, ib. n. 7.

MOTIVUM JURIS.

Motiva Juris inter acta litis non computantur, p. 3. t. 7. c. 5. n. 4. Nec in expensas taxantur, ibid. Dantur post conclusionem in causa, p. 3. t. 9. c. 2. n. 7.

MULIER.

Mulierum nimia familiaritas Clericis interdicitur etiam devotionem præferentium, p. 1. t. 2. c. 3. n. 2. & seq. & num. 7 Ingressus in Monasteria virorum ab omni tempore eis interdictus, p. 1. t. 30. c. 2. nu. 1. & seq. Hodie est pœna Excommunicationis reservatæ, ibid. n. 6. Licentiæ concessæ quibusdam mulieribus illustribus, per Pium V. sunt revocatæ, ibid. Mulieribus inhibetur Missæ ministrare, cancellos Altaris accedere, p. 2. t. 5. c. 3. n. 29. Intrare Chorum, p. 1. t. 30. c. 2. n. 9. & seq. & p. 2. t. 16. c. 1. num. 39. & 40. Convenit ut in Ecclesiis separentur à viris, ibid. n. 41. Item in Hospitalibus, p. 2. t. 37. c. 5. num. 34.

Mulieres prægnantes immunes sunt à Tortura, sic ut per eam nequidem terreri possint, p. 3. t. 8. c. 3. n. 44.

Mulieres hodie ob debita civilia incarcerantur contra constitutionem Justiniani, p. 3. t. 9. c. 4. n. 27. In carceribus debent à viris separari, ib. n. 28.

Mulieres censuras ferre non possunt, p. 3. t. 11. c. 2. nu. 10. Explicatur Cap. 12. De majoritate & obedientia, ib. n. 12. & seq.

MULCTA.

Mulctæ pecuniariæ, quarum usus in Tribunalibus Ecclesiasticis, originem habent ex eleëmosynis pœnitentibus olim imponi solitis, p. 3. t. 11. c. 1. nu. 2. & seq. In earum impositione cavenda est species avaritiæ, ib. n. 8. Quinam de illa vehementer suspecti, ibid. n. 9. 10. Non infligenda ubi crimen aliam punitionem requirit, ib. n. 9.

Mulctam pecuniariam Episcopus non potest directè vel indirectè sibi applicare sed tantum piis locis, ibid. num. 12. Nec iis locis ubi aliquid cederet in commodum Episcopi, ibid. num. 13. In Gallia & Belgio debet in ipsa sententia exprimi locus vel pius usus in quem Mulcta sit impendenda, ibid. n. 15. & 16.

MUNUS.

Munus triplex est quorum singulorum interventu, Simonia committitur, p. 2. tit. 30. c. 2. num. 1. 2. Quid munus à manu & quantum ad Simoniam requiratur, ibid. n. 3. & 4. Quid intervenire debeat ut Simonia per illud contrahatur, ibid. num. 5. De eo merito taxantur Patroni & Decimatores qui eâ lege aliquem præsentant ad Ecclesiam Parochialem ut non petat augmentum competentiæ, ibid. n. 6.

Munus à lingua quid sit, & quandonam per illud simonia committatur, ib. nu. 7. & 8. Quandonam Collatio facta ad preces alterius censeri possit Simoniaca, ibid. n. 9.

Munus ab obsequio quid sit & quinam eo titulo de Simonia notari possunt, ibid. n. 14. & 16. Monitum in hac materia S. Caroli ad Episcopos & Collatores, ibid. n. 17. An labes Simoniæ abstergatur si exigatur tantum obsequium spirituale, ibid. nu. 19. & 20. Ex quibus colligi possit, an animus Collatoris fuerit motus per munus gratuitum ad conferendum Beneficium, ib. num. 21. Quam alieni Officiales esse debeant à muneribus & avaritia, p. 3. t. 5. c. 1. n. 35. & 39. Judices nihil etiam gratis oblatum recipere possunt, p. 3. t. 9. c. 2. n. 26.

MUSICA.

Musica qualis in Officio Divino admitti possit, p. 2. t. 5. c. 11. n. 27. & n. 31. 32. Decreta Concilii Trid. & Synodorum circa Musicam & organa & tintinnabula, ibid. Querela Card. Bonæ & Lindani de hodierna Musica, ibid. n. 28. & 29. Ecclesiæ quæ hactenus musicam non receperunt, laudantur, ibid. Cura Episcoporum circa eandem, ib. n. 30.

N.

NATALES.

Vide Illegitimus.

NECROMANTIA.

Necromantia quid propriè dicatur, p. 3. t. 4. c. 3. n. 22. Sæpe tantum mera sunt Phantasmata, quibus diabolus oculis hominum illudit, ibid. Ejus pœna est vivicomburium, ib. num. 23.

NEGLIGENTIA.

Negligentiam Superiorum Laicorum in exigendo computus piarum fundationum, Episcopi supplere possunt ex Concordatis Brabantiæ, p. 2. t. 37. c. 2. nu. 44. & seq. Canonistæ negligentiam Judicis Sæcularis volunt suppleri posse per Judicem Ecclesiasticum in causis miserabilium personarum, p. 3. t. 2. c. 3. n. 20. Id nullibi locorum hodie admittitur, ibid. & n. 21.

Vide Devolutio.

NEOPHYTI.

Neophytis dabatur olim vestis alba quæ totum corpus tegebat, p. 2. t. 2. c. 3 n. 38. 39. Ea utebantur per septem dies, ibid. n. 40. Item cereis ardentibus, ibid. nu. 42. Dabatur eis lac & mel & quid per hoc significaretur, ibid. n. 48. 50. Propter eos dies Paschales sunt dies lætitiæ, ib. nu. 51. Statim post Baptismum confirmabantur, ib. n. 45.

NOMINATIO ACADEMICA.

Nominatio Academica species est exspectativæ, p. 2. t. 25. c. 2. nu. 6. Nominatus, vigore suæ Nominationis non potest acceptare Beneficium, in cujus collatione intervenit Patronus Laicus, p. 2. t. 25. c. 2. n. 27. Beneficium vacans, vi Regulæ Cancellariæ de publicandis Resignationibus acceptare potest, p. 2. t. 27. c. 6. num. 20. Nominati hujus Universitatis examen pro cura animarum subire debent, non obstante, quod Concilium Tridentinum eos exemerit, p. 2. t. 26. c. 1. nu. 16. Quomodo præsentare se debeant Concursui, p. 2. t. 22. nu. 1. & seq. Nominatio non impedit unionem Beneficiorum,

NOMINATIO REGIA.

Nominationem olim non habuerunt Imperatores etiamsi ex quo fidem susceperunt Electionibus intenderent, p. 1. t. 13. c. 3. n. 1. Sæculo septimo Episcopi non nisi de eorum consensu ordinabantur, ibid. nu. 2. Sæculo septimo & octavo, Imperatores, Reges Hispaniæ, Reges Galliæ habuerunt Jus Nominationum, ibid. n. 3. & seq. Postea restitutis Electionibus præcipuas partes in iis habuerunt & quomodo, ibid. n. 6. & seq.

Nominationes Episcoporum quantum habeant onus, p. 1. t. 13. c. 5. n. 5. & seq. & p. 2. t. 31. c. 4. nu. 12. Imperatores & Reges varii eas aliquando recusarunt, ibid. nu. 13. Qua ratione, occasione reservationum eas resumere voluerint & obtinuerint, p. 1. t. 13. c. 3. n. 8. & seq. Nominationes olim dirigebantur ad Metropolitanum & Concilium, p. 1. t. 13. c. 1. n. 12. 13. Hodie dirigi debent ad Pontificem, p. 1. t. 14. c. 1. n. 6.

Nominationes Episcopatuum Regibus Hispaniæ competunt vigore Indulti Apostolici & Juris Patronatus, p. 1. t. 13. c. 3. n. 4. & seq. Nullo tempori adstringuntur, ibid. Qualem personam nominare teneantur, ib. c. 4. n. 1.

Nominationes Regibus Galliæ competunt ex Concordato, ib. c. 3. nu. 13. Intra quod tempus & qualem personam nominare teneantur, ibid. c. 4. n. 4. & 6. Quid si persona nominata non inveniatur idonea, ibid. n. 7. Extenditur Jus Regium nominandi ad omnes Abbatias & Prioratus virorum Electivos, p. 1. t. 31. c. 8. n. 16. Debent esse tales in quorum Electione servatur Cap. Quia propter 𝔛 de Electionibus, ib. & p. 2. t. 21. cap. 3. n. 8. Quomodo Nominatio etiam extensa ad Monasteria Monialium, p. 1. t. 31. c. 8. nu. 23. Abbatiæ Triennales sunt exemptæ, ib. nu. 18. Et illæ quarum proventus non sunt distincti à Mensa Conventuali & quinam Ordines eo titulo exempti, ib. num. 21.

Nominant ad Episcopatus Principes Belgii vigore Indulti & Regaliæ, p. 1. t. 13. c. 3. nu. 15. & 19. Titulus Regaliæ Romæ non attenditur, ibid. Quid circa Abbatias hodie obtineat in Belgio & qua occasione eo deventum, p. 1. t. 31. c. 9. nu. 29. Formula qua Rex Catholicus utitur in Belgio, Nominando ad Abbatias, ib. n. 30.

NOSOCOMIUM.

Vide Hospitale.

NOTARIUS.

Notarius quid sit & unde sic dictus, p. 3. t. 7. c. 7. n. 9. Rationes cur Notarii Episcopales ferè hodie interierint, ib. n. 11. Concilium Tridentinum voluit Notarios quacumque authoritate creatos per Episcopum examinari, ibid. n. 12. Decretum hoc in Belgio non est receptum quantum ad Notarios Regios, ibid. n. 13. Quâ formâ examinentur Notarii Apostolici per Episcopos in Gallia & ad quæ loca eorum authoritas se extendat, ib. n. 18. & seq. Quomodo creationes Notariorum hodie in Curia Romana expediantur, ibid. n. 15. Ferme ubique gentium nulla profana negotia expedire possunt, ib. n. 26. 27. 28. Circa quæ eorum potestas versetur, ib. n. 29.

Notarius quâ formâ instrumenta sua expedire debeat, ibid. n. 30. & seq. Quâ curâ minutas servare & in Protocollo suo registrare debeat, ib. n. 33. & 34.

Notarius solus expedire potest litteras Collationis, in aliquibus partibus requiruntur duo, p. 2. t. 21. c. 2. n. 16. Item litteras Præsentationis, p. 2. t. 25. c. 5. n. 31.

Notarius Apostolicus inducere potest in possessionem Beneficii, p. 2. t. 26. c. 2. n. 9. Forma quâ uti potest, ib. n. 11. & seq. An hoc aliquando possit Notarius Regius, ibid. n. 10. Contractus conscriptus per Notarium Apostolicum, olim contrahentes subdebat Jurisdictioni Ecclesiasticæ, p. 3. t. 1. c. 1. n. 40. Hinc testamenta facta sunt Fori Ecclesiastici, ibid. n. 39. Confectio testamenti hodie est Notariis Apostolicis inhibita, p. 3. t. 2. c. 2. n. 12.

Notarius an fiat irregularis scribens in causa sanguinis, p. 2. t. 10. c. 4. n. 14.

Vide Instrumentum.

NOVALIA.

Novalia vel ager Novalis quid dicantur, p. 2. t. 33. c. 6. num. 1. Quid Decimæ Novales, ibid. nu. 4. & seq. An tales censentur Decimæ collectæ ex fundo qui ante quidem protulit fructus, sed non Decimabiles, ibid. nu. 9. & seq. Consuetudo in omni materia Decimali præcipuè attendenda, ibid. n. 14. & ib. c. 2. num. 10.

Novalia speciali titulo competunt Pastoribus, ita ut concessio Decimarum facta alteri non possit interpretari de novalibus, p. 2. t. 33. c. 6. n. 15. & 17. Requiritur ut habeat aliquod jus Decimandi, etiamsi tantum quoad minutas Decimas, ib. n. 21. Quid si tantum habeat portionem congruam, ibid. n. 23. Quo titulo Decimæ Novales alteri possint competere, ibid. nu. 24. Privilegia aliquibus concessa de percipiendis Novalibus, pro ea portione qua veteres percipiunt, variis modis limitantur & restringuntur, ibid. Privilegia variis Ordinibus concessa super immunitate novalium quas propriis manibus colunt, p. 2. t. 33. c. 7. n. 32. & seq.

Novalia ante alias Decimas oneri portionis congruæ subjectæ, si ab alio quam à Parocho possideantur, p. 2. t. 34. c. 4. nu. 2. In Gallia ultra portionem congruam 300. librarum novalia postea exsurgentia competunt Pastoribus, ib. c. 5. n. 20.

NOVITIUS, NOVITIATUS.

Novitiatum præcedere debet diligens probatio juxta Regulam & praxim S. Benedicti & aliorum, p. 1. t. 25. c. 1. n. 3. & seq. Cellæ Novitiorum eorumque loca separata debent esse à reliquis fratribus & quare, ibid. c. 2. n. 3. Quænam Novitiis maximè exponenda, ibid. n. 8. & p. 1. t. 28. c. 1. n. 2. Qualis est præponendus Magister & ejus officium & cura, ib. n. 6. In locis ubi Novitiatus sunt, non sunt collocandi nisi maximè graves, devoti & exemplares & quare, ib. n. 12.

Novitiatus duratio olim diversæ & successivæ disciplinæ subjecta fuit, ibid. n. 13. Illi rei occurrerunt variæ Decretales & efficacissimè Concil. Trident. ib. n. 16. Tempus Novitiatûs voluit esse annum integrum & continuum, ibid. nu. 17. 20. 21. Quænam interruptio reddat professionem nullam, ibid. nu. 22. An renuntiatio Novitii possit professionem anticipatam reddere validam, ibid. num. 19. Si Statuta specialia Ordinis requirant longius tempus Novitiatûs quam Tridentinum, Professio ante illud tempus non est invalida, ibid. n. 24. Qui anno Novitiatûs expleto deserit, reversus sine novo Novitiatus profiteri potest, ib. n. 25.

Novitio ante professionem manet libertas redeundi ad sæculum, p. 1. t. 25. c. 3. n. 1. Ideo olim usque ad sæculum XI. Novitiatus peragebatur in veste sæculari, ibid. nu. 2. & 3. Synodus Mechliniensis vetat abscindi crines Virginum ante Professionem, ib. n. 8.

Novitiatum ingredi non licet inconsultis Parentibus, licet ab eorum consensu valor Professionis non pendeat, ibid. nu. 11. Interdum authoritate Regia filii familias extra Monasterium collocantur, ut parentibus detur liber ad ipsos accessus, ibid. num. 12.

Novitiorum renuntiationes & obligationes an & quando sint validæ, ibid. n. 14. & 15. Decretum Conc. Trid. sess. 25. de Regularibus circa renuntiationes & obligationes tempore Novitiatûs explicatur, ibid. num. 16. Item Decretum vetans donari aliquid de bonis Novitii Monasterio, ibid. n. 18. & seq. Nullatenus concedit aliquid posse exigi pro expensis Novitiatûs, ib. n. 20. Similia pacta improbantur, ibid. n. 22. & seq.

Novitius liberè potest disponere de bonis suis per testamentum & quæ debeat in eo attendere, p. 1. t. 25. c. 4. nu. 1. & 2. An & quando in favorem Monasterii possit disponere, ibid. num. 4. Donationes Novitiorum suis Monasteriis suspectæ sunt & odiosæ

odiosæ & sæplus rescissioni obnoxiæ, ib. nu. 12. Praxis Galliæ & Belgii circa illas, ib. n. 13. 14.

Novitiarum examen, duplex institui vult Concilium Tridentinum, unum ante assumptionem habitus, alterum ante Professionem, ib. c. 5. nu. 2. Episcopus ejusque Vicarius ad illud vocandus etiam in Monasteriis exemptis, ibid. n. 4. Super quibus inquirendum, ibid. nu. 7. & seq. De quibus puella monenda, ibid. n. 11. Quam prudentes & experti Commissarii ad id eligendi, ib. n. 13.

NUNDINÆ.

Vide Festum.

NUNTIUS APOSTOLICUS.

Nuntii olim vocabantur Legati, Missi, Responsales, Apocrisiarii, p. 1. t. 21. c. 1. nu. 1. 3. 10. 11. Variæ Legatorum vel Nuntiorum species, ab iis quæ olim gesta sunt, originem habuerunt, ibid. nu. 6. Quinam dicantur Nuntii cum Facultatibus Legati à Latere, ibid. nu. 2. Distinctio inter Nuntios & Internuntios, ibid. n. 13. Eorum potestas censetur ordinaria, ib. c. 2. nu. 18.

Nuntiorum Bullæ per Concilia verificandæ, p. 1. t. 21. c. 3. n. 7. Modificationes quæ ordinariè apponuntur, ibid. nu. 8. & 11. In quo versetur eorum officium in Gallia & Belgio, ib. nu. 17.

Nuntii faciunt informationes super vita & moribus electi in Episcopum, p. 1. t. 14. c. 3. n. 6. 7. & seq. Hoc ipsis non competit in Gallia, ib. n. 10. & seq.

Vide Legatus à Latere, Legatus Natus.

O.

OBEDIENTIA.

Obedientia prima virtus Monachorum, p. 1. t. 28. c. 1. nu. 1. Quatenus dicatur primus gradus humilitatis, ibid. nu. 3. Qualis esse debeat & ad quæ se extendere, ibid. num. 4. & seq. Quænam dicatur cæca & qua ratione, ibid. c. 2. n. 1. & 5. Etiam requirit discretionem & discussionem, ibid. nu. 3. & 7. Promittitur secundum Regulam, ib. c. 3. n. 3. Quid si aliquid præcipiatur quod est supra Regulam, ib. n. 12. & seq.

Obedientia dicitur licentia Superiorum in scriptis exeundi extra Monasterium, p. 1. t. 27. c. 4. n. 12. Pœnæ eorum qui sine illa extra Monasterium reperiuntur, ibid.

OBEDIENTIA, CELLÆ OBEDIENTIARIÆ.

Obedientiæ quænam dicantur & earum origo, p. 1. t. 31. c. 2. nu. 6. 7. Ad minus requiritur ut à tribus Monachis inhabitentur, ib. n. 9. Quid si tot haberi non possint, ibid. n. 11. Ad firmam dari non possunt & quid sub nomine firmi comprehendatur, ib. num. 13.

OBLATIO.

Oblationum usus antiquus, p. 2. t. 5. c. 4. n. 1. Ejus Ritus, ib. n. 2. Quænam in Missis offerebantur, p. 1. t. 15. c. 3. n. 18. & p. 2. t. 5. c. 4. n. 2. Ex Oblationibus consecrabatur Eucharistia, ibid. n. 12. Oblatio panis & vini sensim mutata in denarios, ibid. n. 14. In cujus usum primitus hi cederent, ibid. nu. 15. Oblationum usus pene defecit & quæ ejus ratio, ibid. nu. 16. Usus ille restaurandus & quibus mediis, ibid. n. 17. 18. Notoriè criminosi ad eas non admittendi, ibid. nu. 19. Rejiciendi publicè ab Eucharistia, non semper repellendi ab Offertorio, ib. num. 21. Ex Oblationibus originem habent honoraria Missarum, ib. c. 5. n. 1.

Oblationes non computandæ in fructibus Beneficii dum ei pensio imponitur, p. 2. t. 28. c. 7. n. 19.

Oblatio quid sit & quæ hoc nomine veniant, p. 2. t. 33. c. 10. nu. 1. & 2. In quo Decimæ differant ab oblationibus, ibid. nu. 3. Cui Jure communi Oblationes cedant, ibid. nu. 8. Cui cedant oblationes factæ in sacellis intra limites Parochiæ, ibid. n. 10. Penes quos sit administratio oblationum, ibid. nu. 24. & seq. Ab hac administratione Parochus non potest facile excludi, ibid. Quo titulo illa Laicis competere possit, ib. n. 28.

Oblationes permittunt Canones dum prohibent omnem exactionem pro sepultura, p. 2. t. 38. c. 4. n. 22. & seq. Quænam veniant nomine oblationum in funeribus & cui cedant, ib. n. 27. & 36.

Oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali non computantur in quartam funerariam, ib. c. 5. n. 33.

Vide Eulogiæ.

OBLATI MONASTERIIS.

Oblatio unius cuilibet Monasterio competit Regi Galliæ in adventu suo ad Regium competit, p. 2. t. 25. c. 9. num. 24. Jus illud unde ortum & quinam eo frui possint, ibid. num. 25. 26. 27. Ad quænam Monasteria jus illud sit restrictum, ib. num. 28. Tantum uno oblato Monasterium gravari potest, ibid. n. 31. Quomodo is nutriendus & an cogi possit ad suscipiendum habitum, ibid. num. 32. 33. Monialium Monasteriis viri offerri non possunt, ibid. num. 35. Idem Jus competit Principibus Belgii, ibid. n. 36. Formula qua in sua nominatione utuntur, ibid. Quâ summa anno 1668. hoc onus redimi potuerit, ibid.

OBLATI MONASTERIORUM.

Oblati sepeliuntur in Ecclesia Monasterii cui oblati sunt, nec debet solvi portio Ecclesiæ Parochialis, p. 2. t. 38. c. 3. num. 12. Requiritur tamen ut sint verè & plenè oblati & quinam tales dicendi, ib. n. 13.

OBSTETRICES.

Obstetrices circa quæ debeant esse instructæ, p. 1. t. 2. c. 4. n. 10. & 24. Earum Juramentum, ibid. n. 20. Non admittendæ nisi à Pastore loci examinatæ, & quoad instructionem approbatæ, ibid. num. 21. Quid cavere debeant circa proles illegitimas, ib. n. 23.

OECONOMUS.

Œconomus à Capitulo Sede vacante constituendus, p. 1. t. 9. c. 4. n. 9. & p. 2. t. 36. c. 33. & 34. Quod ejus officium, item quæ ejus potestas, ibid. Tenetur novo Episcopo ad computum, ibid. Semel electus sine justa causa removeri non potest, ibid. num. 35.

Œconomum Canones volunt in omnibus Ecclesiis constitui, & quare, p. 2. t. 36. c. 1. n. 23. & seq. & p. 3. t. 6. c. 3. num. 39. Quandonam desierit istud officium, p. 2. t. 36. c. 1. num. 29. S. Carolus eorum officium restitui voluit, ib. num. 30. & seq.

OFFICIALIS.

Officialis & Vicarius Episcopi Jure communi sæpe confunduntur, secus moribus Belgii, p. 1. t. 12. c. 4. n. 1. 2.

Officialis hodie dicitur, qui ut Vicarius Episcopi foro contentioso præest, ib. nu. 3. Olim vocabatur Missus, ibid. Videtur habere aliquam Dignitatem, ib. n. 7. Episcopus jure communi potest creare plures Officiales, ibid. nu. 4. Imò tenetur si Diœcesis se in plures Provincias extendat, ibid. n. 6. Quis Principalis quis Foraneus, ibid. n. 5.

Officialis Jurisdictio an sit revocabilis, ib. nu. 9. An Episcopi possint pro libitu suo alios Judices constituere, ibid. num. 10. An possint per se Jus dicere, ibid. nu. 11. An Officialis principalis Jurisdictio morte Episcopi extinguatur, ibid. nu. 12. Litteræ directæ ad Officialem non possunt expediri per Episcopum, p. 2. t. 14. c. 2. n. 17.

Officialis & Episcopi tribunal idem est, & causæ quæ Episcopo reservantur, per eum expediuntur, p. 1. t. 12. c. 4. n. 13. & p. 3. t. 3. c. 1. nu. 29. Qua occasione & quo tempore constituti Officiales Episcoporum, p. 3. t. 5. c. 1. n. 19. Sæculo XII. notantur de variis abusibus, ibid. num. 22. & seq. Qua occasione Archidiaconi & Prælati Inferiores suos Officiales instituerint, ibid. n. 25. Per Officiales strepitus forenses intrarunt tribunalia Ecclesiastica, ib. n. 32. Variæ querelæ Principum contra multitudinem & excessus Officialium, ibid. nu. 27. 28. Pro Officialibus rationem reddent Episcopi, ib. n. 34.

Officialibus multæ qualitates sunt necessariæ, ibid. p. 1. t. 12. c. 4. n. 14. Quam alieni esse debeant à recipiendis muneribus, ibid. & p. 3. t. 5. c. 1. n. 35. Convenit ut assumantur ex alia Diœcesi, ibid. nu. 37. Assumi non potest Regularis nequidem de consensu Superioris, p. 1. t. 12. c. 4. n. 16.

Officiales reputantur Judices ordinarii non delegati, p. 3. t. 5. c. 2. n. 7. & 31. Causæ Apostolicæ ipsis possunt delegari, etiamsi non sint designati per Synodum, ib. n. 31.

OFFICIUM.

Vide Ambitus.

OFFICIUM DEFUNCTORUM.

Officium Defunctorum ortum ex Psalmis qui in funeribus decantabantur, p. 2. t. 38. c. 1. n. 38. Quandonam compositum, ibid. n. 39. In eo decantabatur Alleluja, ib. n. 40.

OFFICIUM DIVINUM.

Officii Divini persolutio præcipua obligatio Canonicorum & undenam illa orta, p. 1. t. 7. c. 4. n. 1. & 2. Omnibus Horis etiam minoribus distributiones sunt annectendæ, ib. c. 7. n. 3. Eadem est obligatio Cappellanorum, p. 2. t. 18. c. 4. nu. 10. Capitula indici non possunt tempore divini officii & contraria consuetudo improbatur, p. 1. t. 7. c. 5. nu. 15. & 16. Sententia S. Congregationis, ibid.

Officia Divina frequentanda sunt ut dies festus rectè sanctificetur, p. 2. t. 17. c. 2. n. 11. Non sufficit sola auditio unius sacri, ibid. num. 20. Decreta Synodorum pro frequentatione Divini Officii, ibid. n. 11. Edictis Principum Belgii adjuvantur, ibid. num. 17. Officia Divina semper eâdem hora celebranda, nec acceleranda vel differenda ad nutum Nobilium vel Toparcharum, p. 2. t. 25. c. 7. n. 24. 25.

Officiorum Divinorum celebratio an & quousque ad Curam Pastorum pertineat, p. 2. t. 15. c. 6. num. 19. & seq. Statuta facta per Episcopum in visitatione concernentia Divinum Offi-

Digitized by Google

Officium, non subjiciuntur appellationi tamquam ab abusu, p. 3. t. 12. c. 4. n. 41.

Officii Divini perturbatio ad quod forum spectet, p. 3. t. 4. c. 5. num. 32.

Vide Hora Canonicæ, Missa.

OLEUM INFIRMORUM.

Oleum Infirmorum apud Latinos per solum Episcopum benedicitur, idque feria 5. in Cœna Domini, p. 2. t. 8. c. 1. n. 3. & 4. Quomodo custodiendum & annis singulis renovandum, ibid. n. 5. Apud Græcos à Presbyteris benedicitur, quod Ecclesia Latina non improbat, ib. n. 6. & 8. Ritus eorum, ungendi se oleo ab Episcopo benedicto feria 5. in Cœna Domini, ib. n. 6.

OPTIO.

In Gallia Beneficium non vacat per assecutionem secundi incompatibilis, sed datur Optio eligendi alterutrum, p. 2. t. 20. c. 4. n. 11. & 15. Quantum temporis concedatur ad optandum, ibid. n. 13. Præcautiones adversus fraudes, ib. n. 14.

OPUS MANUUM.

Opus Manuum ubique omni tempore per Fundatores Monachis commendatum & Fundatorum de eo sententiæ, p. 1. t. 29. c. 3. n. 2. & seq. & p. 2. t. 33. c. 5. nu. 29. An prætextu orationis ab eo excusandi, ibid. n. 3. An prætextu lectionis, ib. nu. 5. In quem finem Monachus laborare debeat, ibid. n. 4. & seq. Mendicitas tantum instituta in casum defectus vel insufficientiæ operis manualis, ib. c. 4. nu. 32. & 35. Olim varia opera Monachorum erant inter quæ præcipuum scribere libros, ibid. c. 2. nu. 6. Nicolaus III. declaravit ab eo exemptos qui studiis & ministeriis Ecclesiasticis vacant, ib. c. 4. n. 36. Ejus omissio in monasteriis opulentis otium induxit, sic ut Sacris Ministeriis adversus illud obviandum Pontifex judicaverit, p. 1. t. 31. c. 4. n. 9. Juxta S. Bernardum potius Monachis competit vivere ex opere manuum, quam Decimis, p. 2. t. 33. c. 4. n. 29.

OPUS SERVILE.

Opus Servile quodnam dicatur, p. 2. t. 17. c. 3. n. 6. Varia opera servilia recensentur, ibid. nu. 7. Ratio cur prohibita sint diebus Festis, ibid. n. 8. Varii abusus qui in hac materia committuntur per varia opificia, ibid. nu. 9. & seq. Edicta Principum Belgii circa eandem materiam, ibid. nu. 12. Disquisitio Gersonis an exscribere libros pietatis gratis, sit opus servile prohibitum die Festo, ibid. nu. 13. Adversus hoc præceptum sæpius excedunt Advocati, Procuratores, & Notarii, ib. n. 19. & 20.

Opera Servilia quibus de causis possint permitti, ib. c. 6. n. 1. Licentiam à Superioribus Ecclesiasticis petendam volunt Synodi: Edicta verò ab Officiariis locorum, cum advisamento Archipresbyteri vel Pastoris, ibid. nu. 11. 12. 13. Synodorum & Edictorum conciliatio, ibid. nu. 14. Quis Judex competens in materia hujus præcepti, ib. n. 20.

ORATIO.

Orationem præcipuum munus suum esse censuerunt Apostoli, p. 1. t. 16. c. 9. n. 1. Primarium etiam officium est Episcopi, ibid. & seq. Certas horas illi convenit destinari, ibid. nu. 2. Qualis esse debeat oratio Episcopi, ibid. Tenetur Populum ad studium orationis incitare, & modum orationis docere, ibid. nu. 5. Libellos precum examinare & expurgare, ibid. n. 6. Patroni Ecclesiæ & Toparchæ, si velint publicè, orationi fidelium sunt commendandi, p. 2. t. 25. c. 7. n. 12.

Orationis quadraginta Horarum institutio & directio ad Episcopum spectat, p. 1. t. 16. c. 9. nu. 8. Quomodo eam instituerit S. Carolus, ibid. Non sufficit in hac Oratione exponere Eucharistiam, ibid. Imò sæpe non convenit, ibid. & p. 2. t. 5. c. 5. n. 23. Præcipuè Populus incitandus ad solidam devotionem, p. 1. t. 16. c. 9. n. 9.

Orationes publicas pro causa publica indicere, ad solum Episcopum spectat, ibid. n. 9. & 10. Magistratûs Laici huic immiscere se non possunt, eamque præcipere, ibid.

ORATORIA PRIVATA.

Oratoria Domestica à quo tempore inceperint, p. 2. t. 5. c. 8. n. 6. Incommoda ex iis provenientia, ib. nu. 8. An Episcopi possint concedere potestatem in iis Missas celebrandi, ibid. num 13. Parcè & non nisi gravibus de causis, ea concedenda & quænam ante inquirenda, ibid. nu. 14. 15. Concedenda sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis & ad certos tantum dies, ibid. nu. 16. 17. Quinam in iis Missam audire possint, ibid. n. 19. Regularium Ecclesiæ naturam habent Oratoriorum, p. 2. t. 6. c. 8. n. 3.

Oratoriorum Castralium origo, p. 2. t. 16. c. 2. n. 6. & p. 2. t. 25. c. 2. nu. 13. Ex iis in Ecclesias Parochiales versis ortum suum habet Jus Patronatus, quod Nobiles varii in Ecclesiis Parochialibus obtinent, ib. nu. 13. Idem est de minoribus Ecclesiis Collegiatis ruri, ib. n. 16.

ORATORIUM.

Vide Congregatio Oratorii.

ORDINARIUS.

Ordinarius quis dicatur quoad Pontificalia exercenda, p. 1. t. 16. c. 3. nu. 8. Ordinarius quis dicatur in materia collationis ordinum, p. 2. t. 9. c. 2. n. 3. 5. Olim titulus originis & Domicilii non attendebatur, in adscriptione alicujus Laici in Clerum, ibid. n. 6. 7. Solus titulus ordinationis erat alicujus in Clerum adscriptio, ibid. n. 8. Hodie tres sunt tituli, quibus quis censetur proprius Episcopus: Beneficii, Originis & Domicilii, ibid. num. 11.

Ordinarius Originis quis dicatur & quænam origo attendenda, ibid. num. 13. 14. & 43. Quis dicatur ordinarius Domicilii & quænam pro domicilio judicando attendenda, n. 15. & seq. & 43. Ordinariè potior habenda Ratio Originis quam Domicilii, ibid. nu. 22. & 29. Vel Beneficii, ibid. Quis dicatur Episcopus Beneficii & quid ad hoc requiratur & sufficiat, ibid. n. 21. & 43.

Ordinarius quocumque titulo potest ordinare, ib. nu. 11. Item concedere dimissoriales, ib. n. 30. Pœnæ adversus Episcopum, alienum Clericum Ordinantem, & adversus Clericum taliter Ordinatum, ibid. n. 26. Illæ etiam procedunt quoad primam Tonsuram, ibid. Nemo potest vigore Rescripti Apostolici ordinari ab alio quam suo Ordinario, nisi ejusdem Ordinarii testimonio commendatus, ib. n. 35.

Ordinarius Regularium quis dicatur, ib. nu. 38. Quænam fraus hic aliquando committatur, ibid. n. 39. Possunt eorum Superiores, mittere ad alium, si proprius non ordinet & cautio in eo adhibita, ibid. num. 40. Decretum Innocentii XII. in tota hac materia proprii Episcopi, quoad Ordinationes jam dictis conforme, ib. n. 43.

Ordinarius potest per totam Diœcesim matrimoniis assistere & assistendi licentiam aliis delegare, etiam Parocho invito, p. 2. t. 12. c. 5. n. 21. 22. Concordatum inter Ordinarios & Delegatum Apostolicum ad exercitus Regios quoad matrimonia militum, ib. n. 16. Authoritas Ordinariorum in examinandis & rejiciendis Dispensationibus super pluralitate Beneficiorum, p. 2. t. 20. c. 5. nu. 15. 16. Jura ordinariorum semper censentur favorabilia & amplianda & quæ illis derogant odiosa & restringenda, p. 2. t. 23. c. 5. nu. 6. Authoritas eorum circa provisiones Apostolicas in forma Brevium.

Vide Provisio Apostolica.

Authoritas eorum circa taxationem aliaque in materia Portionis congruæ, p. 2. t. 34. c. 2. n. 3. & c. 8. n. 5.

ORDO.

Ordo est verum Sacramentum, p. 2. t. 8. c. 1. nu. 2. Ejus materia ex Decreto Eugenii IV. pro Armenis, ibid. n. 7. Mens Eugenii nullatenus fuit essentiales formas & materias assignare, ibid. num. 8. Traditio instrumentorum apud Græcos incognita nec apud Latinos semper adhibita, ibid. n. 9. & 10. Primitus adhibita post Ordinationem, & quare, ib. nu. 13. Verba traditioni correspondentia, non possunt dici forma, ibid. n. 12. An Ecclesia possit hodie requirere tamquam essentiale, quod olim tale non fuit, est incertum, ibid. num. 16. Unctio in ordinatione est tantum ceremonialis nec semper adhibita, ibid. num. 17. An Presbyter jure delegato posset ordinare Presbyterum, ib. c. 2. n. 4. A quo Episcopo Ordines suscipiendi.

Vide Ordinarius.

Ordinandi quas qualitates habere debeant, p. 2. t. 9. c. 4. nu. 18. & seq. & 32. & 37. & 38. Quomodo de iis assecurari possit Episcopus, ib. n. 19. & 32.

Ordinandi debebant olim innocentiam Baptismalem conservasse, p. 2. t. 10. c. 6. n. 2. Lapsi in crimen etiam occultum, ab omni ministerio Ecclesiastico excludebantur & deponebantur sine spe restitutionis, ib. n. 3. & 4. Quid de iis habeat moderna disciplina, ib. nu. 15. Episcopus potest occultum criminosum ab ordinibus repellere & à jam susceptis suspendere, ibid. n. 22. & 24. Adversus hanc recusationem aut suspensionem datur recursus ad S. Sedem, sed non facilè est admittendus, ibid. num. 25. 26.

Ordinationes fieri prohibentur extra quatuor tempora, p. 2. t. 9. c. 4. n. 30. In quem finem fuerint instituta, ibid.

Ordinationes Simoniacæ qua ratione dictæ irritæ in substantia, p. 2. t. 30. c. 4. n. 7.

Vide Examen, Interstitia Dimissoriæ, Ordinarius.

Ordines Minores non semper nec ubique noti fuerunt, p. 2. t. 8. c. 2. n. 4. Nec sunt immediatè à Christo aut Apostolis instituti, ibid. n. 5. & 6. Non habent rationem Sacramenti nec Trid. id definivit, ibid. n. 6. Olim Sacris Ordinibus non semper præmissi, sed modo plures vel pauciores, p. 1. t. 1. c. 2. nu. 1. & 2. Nec ob id talis per saltum promotus censebatur, ib. nu. 1. & p. 2. t. 9. c. 5. n. 6. Votum Ecclesiæ ut functiones illorum Ordinum restituantur, ibid. num. 10. Disciplina circa eosdem multum collapsa & quæ prolapsionis origo, p. 1. t. 1. c. 1. n. 8. 9. Zelus S. Caroli in hac disciplina restituenda, ibid. n. 10.

Ordines Minores à quo tempore Abbates soleant conferre suis subditis, p. 1. t. 31. c. 6. num. 10. 11. Non subdito eos conferre non possunt quocumque casu, ibid. num. 20. 21. & p. 2. t. 9. c. 2. n. 38.

ORDO REGULARIS.

Ordinum Regularium primis sæculis nulla erat varietas, p. 1. t. 24. c. 1.

c. 2. n. 1. & seq. Illa incepit sæculo X. & XI. multum invaluit, ib. n. 5. & 6. Conc. Lateran. sub Innocentio III. vetuit novum ordinem institui & quare, ibid. n. 7. Non observatum, ibid. n. 8. Idem renovavit Conc. Lugdunense, ibid. n. 9. Primi approbationem suorum Ordinum à Sede Apostolica petierunt Dominicus & Franciscus, ibid. n. 11. Quare necessaria, quid operetur, ibid. n. 12. & 14. Sedi Apostolicæ reservata, ibid. n. 13.

Ordinem suum Monachus liberè mutare olim poterat & ad alium transire, idque erat satis frequens, p. 1. t. 27. c. 5. nu. 1. Postea rarius id contingebat & cura id expediat, ibid. n. 3. & 4. Non licet transire ad laxiorem, nisi de consensu Pontificis, qui non conceditur nisi ob infirmitatem quæ expeditur in pœnitentiaria, n. 8. 9. 11. Quid de transitu Mendicantium, ibid. nu. 10. Ex quibus judicandum de laxitate vel rigore in hac materia, ibid. nu. 13. Quænam sit justa causa transeundi ad Ordinem strictiorem, ib. n. 12. Cujus licentia ad hoc requiratur, ibid. num. 16. & 18. An debeat novum Novitiatum absolvere, ibid. num. 19.

Ordine abscindi vel eo ejici Monachus olim poterat & qua forma id fieret, p. 1. t. 27. c. 7. nu. 1. & 3. Jus Decretalium id prohibet, in quo à veteri Disciplina recedit, ib. nu. 6. 7. Constitutio Urbani VIII. circa eosdem, veterem disciplinam aliquatenus revocans, ibid. nu. 9. Dubium est an moribus nostris reciperetur, ibid. nu. 10. Ubi in antiquis regulis invenitur, projiciatur de Monasterio; hodie supplendum tetrudatur in Carcerem, p. 1. t. 31. c. 3. n. 32.

Vide Monasterium, Regula, Ordo.

ORDO CISTERCIENSIS.

Ordinis Cisterciensis origo, p. 1. t. 32. c. 4. n. 12. In suo exordio Decimas possidere noluerunt, imò id fuit partim reformationis eorum occasio, p. 2. t. 33. c. 5. nu. 30. Specialiter privilegiati sunt in materia Immunitatis a Decimis, ib. c. 7. nu. 15. Hujus privilegii origo, ibid. Querelæ Episcoporum & aliorum adversus Cistercienses & in quo fundatæ, ibid. n. 16. 17. Privilegium hoc non extenditur ad terras quas aliis elocant, ibid. n. 23. Item ad terras quas ab aliis conducunt, ibid. n. 24. Nec ad terras post Concilium Lateranense acquisitas, etiamsi eas propriis manibus excolerent, ibid num. 34. Eadem locum habent quoad omnes Regulares, privilegio eodem quo Cistercienses gaudentes, ibid. n. 30. Privilegia Recentiorum Pontificum Cisterciensibus concessa, an & quousque recepta, ibid. n. 35. 36. Hæc exemptio tantum est personalis, neque fundis inhæret: ita ut cum iis transferri non possit, ib. n. 41.

Ordini Cisterciensi Alexander III. & Bonifacius VIII. concedunt quod a Decretis Prælatorum non liceat appellare, p. 1. t. 29. c. 4. n. 9. Confirmatur hoc indultum Arresto Parlamenti Divionensis, ib. n. 11.

ORDINES HOSPITALARII.

Vide Hospitale.

ORDINES MENDICANTES.

Ordines Mendicantes instituti sunt ut meri Parochorum Subsidiarii, p. 1. t. 3. c. 7. tot. Instituto eorum contrarium est velle Parochis invitis concionari, ibid. c. 8. num. 1. Parochis per se concionari volentibus cedere debent, ib. nu. 2. Variis sententiis id confirmatum, ib. nu. 4. & seq. Eorum admissioni ordinariè adjicitur quod non possint se ingerere in aliquod spectans ad officium Pastorale sine scitu & consensu Pastorum, p. 1. t. 24. c. 3. nu. 17. Eorum admissio maximum fuit præjudicium Parochis, p. 1. t. 16. c. 8. n. 16. & seq.

Ordines Mendicantes olim bona & reditus habere non poterant, nequidem in communi, p. 1. t. 29. c. 4. nu. 2. & 19. Differentia inter Mendicantes ex Regula & Mendicantes ex Constitutionibus, ibid. nu. 3. Soli Franciscani possunt dici Mendicantes ex Regula, ibid. n. 4. Ordo S. Dominici in initio reditus, possedit, sed quadriennio post suam approbationem abdicavit, ib. nu. 6. Cæteri Ordines quo tempore inter Mendicantes fuerint connumerati, ibid. num. 10. & seq. Ordines Minimorum, Carmelitarum Discalceatorum, declarantur Ordines Mendicantium, ib. n. 16. & 18. Item Societas Jesu & quo titulo, ibid. num. 17.

Ordinibus Mendicantibus Concilium Tridentinum concessit ut possint reditus in communi possidere & quare, ib. n. 26. 27. Minores de observantia & Capucini excipiuntur, & quare, ibid. & n. 28. Annotatio circa illud Decretum in receptione Tridentini Concilii in Belgio, ibid. nu. 29. Per hanc concessionem tamen non desierunt dici Mendicantes à mendicitate, ibid. n. 30.

Ordines Mendicantes non debent otiosis & non laborantibus gravari, p. 1. t. 29. c. 4. num. 37. Non possunt transiri ab iis ad Ordinem non Mendicantem, nisi ad solum Carthusianum, sine licentia Papæ & quare, p. 1. t. 27. c. 5. nu. 10. Reprehenditur pruritus eorum ad SS. Ordines, p. 1. t. 31. c. 4. n. 11.

Ordinum Mendicantium multiplicatio, ortum dedit penuriæ, & ex illa, varia exorta quæ fuerunt causa prolapsionis eorum & quænam, p. 1. t. 32. c. 1. nu. 17. & seq. Alia quæ eorum prolapsioni causam dederunt, ibid. num. 24. & 25.

Ordinibus Mendicantibus quondam inhibitum Eucharistiam Populo distribuere sine consensu Parochi & quomodo licentia contraria invaluerit, p. 2. t. 4. c. 1. n. 21. 22. 23 Incommoda ex illa licentia exorta, ibid. nu. 24. Licentia illa se non extendit extra eorum Ecclesias, ib. c. 4. nu. 9. Pœnæ contra eos qui sine licentia Parochi Communionem ad Infirmos deferunt, ib. n. 11. Item in administrantes Extremam Unctionem, p. 2. t. 8. c. 3. n. 10. Non possunt mulieres post partum ad purificationem in suis Ecclesiis admittere & Sententia S. Congregationis Concilii Trid. super eo, p. 2. t. 2. c. 5. num. 8. & 9. An assumi possint ad Ecclesias Parochiales, p. 2. t. 18 c. 3. n. 28.

Vide Exemptio, Mendicitas, Approbatio, Status.

ORDO FF. MINORUM.

Ordo FF. Minorum primus fuit, cujus Regula per sedem fuit approbata, p. 1. t. 24. c. 2. nu. 11 A Fundatore commendatur ei opus manuum, p. 1. t. 29. c. 4. num. 32. Mendicitas non nisi subsidiariè permittitur, ibid. n. 35. Soli vocantur Mendicantes ex Regula, & quare, ibid. n. 4. 5. Ob eam causam excipiuntur a licentia per Concilium Tridentinum cæteris Mendicantibus concessa, possidendi bona immobilia in communi, ibid. n. 26. Fratres Conversi apud eos habent suffragium in electionibus, p. 1. t. 31. c. 4. n. 6. Fundator omnium primus in formula professionis expressam mentionem fecit trium votorum, p. 1. t. 30. c. 1. n. 3. 4.

Fratres Minores adjunguntur Prædicatoribus in negotio Inquisitionis & quare, p. 1. t. 22. c. 3. nu. 12. Conditiones adjectæ eorum admissioni Turnhauti, part. 1. tit. 24. c. 3. num. 18. Item in oppido Eeckeloo Diœcesis Brugensis & lis super earum observatione, ibid. p. 1. t. 24. c. 3. nu. 17. A Fundatore prohibentur eis privilegia & exemptiones, p. 3. t. 12. c. 4. n. 41. 42.

Vide Mendicitas, Ordines Mendicantes.

ORDO FF. PRÆDICATORUM.

Ordo FF. Prædicatorum primus fuit ex approbatis a S. Sede, p. 1. t. 24. c. 2. n. 11 initio suæ Fundationis possedit bona in communi etiam Decimas, sed mox abdicavit, p. 1. t. 29. c. 4. n. 6. Summo zelo promovent officium Inquisitionis, p. 1. t. 22. c. 3. num. 6. & seq. Adjunguntur eis FF. Minores qui eorum zelum temperent, ib. n. 12.

ORDO PRÆMONSTRATENSIS.

Ordinis Præmonstratensis in Brabantia zelus in resistendo introductioni Commendarum, p. 1. t. 21. c. 7. n. 52. 53. Canonici Præmonstratenses vigore sui privilegii, possunt assumi ad Ecclesias Parochiales sæculares, p. 2. t. 18. c. 3. n. 16. An ex Pastoratibus revocari possint ad solum nutum suorum Prælatorum, ibid. n. 27.

ORNAMENTUM.

Ornamenta Ecclesiæ Parochiali subministrare tenentur Decimatores, p. 2. t. 16. c. 5. n. 30. Quot & qualia, ibid. n. 31. Ornamenta pretiosa potius conveniunt Ecclesiis Parochialibus quàm Claustralibus & quare, ibid. n. 32. Ornamenta servientia ad usum Sacri Ministerii executioni non subduntur, p. 3. t. 9. c. 4. n. 22.

OSCULUM.

Osculum pacis inter Missarum solemnia sibi mutuo dabant Fideles, p. 2. t. 12. c. 6. nu. 14. Quomodo & quare id mutatum, ibid.

OSTENSORIUM.

Ostensoria sive Remonstrantiæ in quibus Eucharistia exponitur & defertur in Processionibus, sunt recentissima, p. 2. t. 4. c. 5. nu. 12. Quomodo antea Eucharistia in Processionibus delata, ibid. n. 13.

P.

PACTA ANTENUPTIALIA.

Pactorum antenuptialium cognitio cum suis emergentibus & connexis, juxta concordata Brabantiæ est mixti fori, p. 3. t. 2. c. 2. nu. 18. 19. Judex Ecclesiasticus in hac materia tenetur sequi ordinationes Principum & consuetudines locorum, ibid. nu. 21. In Pactis antenuptialibus requiritur subscriptio Notarii & duorum Testium, ibid. & p. 3. t. 7. c. 7. num. 35.

PANIS ABBATIALIS.

Vide Oblati Monasteriis.

PANIS BENEDICTUS.

Vide Eulogia, Oblatio.

PALLIUM.

Pallii antiquitas in quo multa obscura, p. 1. t. 19. c. 5. nu. 3. 4. Quomodo agni ex quorum lana conficitur specialiter offerantur, ib. n. 7. Quomodo pallia benedicantur, ibid. nu. 8. Quomodo petenda & qua forma dentur, nu. 11. 12. Quomodo absentibus imponatur, ibid. nu. 13. Quâ restrictione ad loca & tempora concedatur, n. 15. Est merè personale, ibid. nu. 16.

Ejus ademptio signum exauctorationis, ibid. num. 17. Archi-Episcopus ante receptionem Pallii potest concedere Dimissoriales, p. 2. t. 9. c. 3. n. 10.

PAPA.

Papa est cæterorum Episcoporum Caput & in Ecclesia Romana unitatis Ecclesiasticæ centrum, p. 3. t. 4. c. 2. n. 51. Ad fidem Episcopi Romani Imperatores remittunt suos subditos, ad hauriendam notitiam eorum quæ sunt fidei, ib. nu. 13. & seq. Quomodo ejus Primatui non obsit quod in causis coram eo decisis admittatur Appellatio, p. 3. t. 10. c. 2. nu. 12. Ad eam solum appellari potest omisso medio, ibid. n. 5. Cardinales in regimine universalis Ecclesiæ, illi assistunt & interveniunt, p. 1. t. 21. c. 1. n. 31. 32.

Papa permittit examinare Leges suas antequam recipiantur, p. 2. t. 24. c. 4. n. 3. Necessitas placeti supremæ ejus potestati non officit, ibid. n. 2. & 3. Numquam vult tollere Jus alteri quæsitum, ib. c. 5. n. 28. & seq.

Papæ reservantur confirmationes Episcoporum, p. 1. t. 13. c. 4. n. 12. & p. 1. t. 14. c. 1. n. 5. Canonizationes Sanctorum, p. 1. t. 22. c. 7. n. 9. Correctio & mutatio Breviarii Romani, ib. n. 19. Interpretatio Concilii Tridentini, ib. c. 5. nu. 3. Approbationes Ordinum & Regularum, p. 1. t. 24. c. 2. n. 13.
Vide Causæ majores, Devolutio, Dispensatio, Exemptio, Præventio, Provisio, Regulæ Cancellariæ, Reservatio, Resignatio, Simonia.

PARENTES.

Parentes consuli debent à filiis ante ingressum in Religionem, p. 1. t. 25. c. 3. nu. 11. Provisiones quas aliquando concedunt Senatus Regii, eo casu, in favorem Parentum, ibid. nu. 12. Cogi possunt ad assignandum filio titulum super quo possit ordinari, p. 2. t. 9. c. 6. n. 28.

Parentibus invitis contracta matrimonia Ecclesia detestatur, sed tamen ea non habet tamquam invalida, p. 2. t. 12. c. 4. n. 19. & 21. In Gallia habentur invalida, ibid. n. 20. & p. 2. t. 14. c. 10. n. 14. Pœnæ in Gallia & Belgio adversus filios familias invitis Parentibus contrahentes & quinam illas incurrant, p. 1. t. 12. c. 4. nu. 22. & 25. Pœnæ adversus Pastores qui illis assistunt, ibid. n. 24. Consensum eorum supplere potest Judex & quis iste Judex, ib. num. 26. Culpa quam incurrunt Parentes dum irrationabiliter consensum suum negant, ibid. num. 29. Quid Parocho agendum dum authoritate Judicis matrimonium invitis parentibus coram ipso est celebrandum aut etiam celebratum, ib. n. 27. & 30.

Parentibus invitis Resignatio Beneficii facta à filio an sit valida, part. 2. tit. 27. cap. 4. num. 31. Parentes in causis contra filios non tenentur cedere bonis, part. 3. tit. 9. c. 4. n. 40.

PARLAMENTUM.

Vide Senatus Regius.

PAROCHIA, PAROCHIALIS ECCLESIA.

Parochiarum institutionis & divisionis antiquitas, p. 1. t. 3. c. 1. n. 2. Fines Parochiarum debent esse certi & distincti, ibid. n. 4. An duæ Parochiæ uni ad tempus possint concedi, p. 2. t. 20. c. 5. n. 12. An ad eas assumi possint Regulares.
Vide Beneficium Sæculare.

Parochiæ totius cura Parocho incumbit, ibid. p. 1. t. 3. c. 1. n. 3. Sine ejus scitu & consensu circa terminos Parochiæ nemo potest baptizare, p. 2. t. 2. c. 2. nu. 5. Nec in Ecclesia Parochiali celebrare Sacrum, quod variis Judicatis probatur, p. 2. t. 5. c. 9. n. 12. 13.

Parochialis Ecclesia dicitur Mater Fidelium & quare, p. 1. t. 24. c. 3. n. 9. Quantam obligationem ei præ reliquis Ecclesiis habeant Fideles, p. 2. t. 33. c. 3. toto. Obligatio eam frequentandi multis adstruitur, p. 1. t. 3. c. 10. toto. Tempore instructionis Parochialis, Missa in Cappellis celebrari non potest, ib. c. 11. n. 1. Tempore Concionis Parochialis, nemo intra limites Parochiæ concionari potest, ib. n. 2.

Parochialis Ecclesia sola habet plures & grandiores Campanas & quare, p. 2. t. 5. c. 2. n. 13. Potiùs ipsi conveniunt pretiosa Ornamenta, quàm Ecclesiis claustralibus, & quare, p. 2. t. 16. c. 5. nu. 32. Mulieres post partum in propria Parochiali Ecclesia purificandæ, ad exclusionem Ecclesiarum Ordinum Mendicantium, p. 2. t. 2. c. 5. nu. 8. & 9. Communio Paschalis in ea necessariò facienda, p. 2. t. 4. c. 3. num. 8. Quid de famulis & domesticis Monasteriorum, ibid. n. 9. Licentia celebrandi in Oratoriis domesticis stylo Curiæ & Episcoporum non conceditur, nisi sine præjudicio Ecclesiæ Parochialis, p. 2. t. 5. c. 8. nu. 16. & seq. Ecclesiis Parochialibus multum detraxit Institutio Mendicantium, part. 1. titul. 16. cap. 8. numer. 36. & seq.

Parochiæ novæ erectio qua de causa fieri possit, p. 2. t. 16. c. 2. num. 12. Veteris Ecclesiæ Rector est necessariò audiendus, ib. num. 16. Consensum ejus Episcopus supplere potest, ibid. nu. 17. Unde desumenda sustentatio Rectoris novæ Parochiæ, ib. num. 18. In Belgio non facilè perficietur hæc erectio sine authoritate Regia, ibid. num. 20. Si erectio novæ Parochiæ haberi non possit, quo modo incommodis ex amplitudine Parochiarum subveniendum, ibid. n. 21.
Vide Decimæ, Exequiæ, Instructio, Missa, Oblatio, Quarta Funeraria, Sepultura.

PAROCHIANUS.

Parochianorum & Parochorum obligationes sunt reciprocæ & sicut Parochus tenetur eos instruere, illi vicissim tenentur eum audire, p. 1. t. 3. c. 10. num. 1. & seq. Obligantur frequentare Parochiam, ibid. num. 4. Hæc obligatio multis adstruitur, ib. & seq. Decreta Synodorum & litteræ Pastorales, item Edicta Regia pro hac obligatione, ibid. num. 2. & seq. & nu. 8. & p. 2. t. 5. c. 2. toto, item p. 1. t. 3. c. 9. n. 3.
Vide Parochia.

Parochiani tenentur ad reparationem Cappellarum, quousque & quandonam teneantur ad reparationem Ecclesiæ.
Vide Ecclesia.

Parochiani qualificati sunt ad agendum ad onus Decimatorum pro obtinenda Portione congrua suo Parocho & tot Presbyteris quot sunt necessarii, p. 2. t. 34. c. 7. nu. 5. 6. 7. In Gallia & pluribus locis in Belgio tenentur construere domum Pastoralem, ib. c. 8. n. 8. & seq.
Vide Parochia, Parochus.

PAROCHUS.

Parochus est principalis & proprius Sacramentorum Minister in sua Parochia, p. 1. t. 3. c. 1. num. 5. & p. 2. t. 1. c. 2. num. 14. 15. Parochorum in sua institutione juramentum, p. 1. t. 26. c. 2. num. 17. Cogendus ut necessarios Ministros sibi assumat, ibid. p. 1. t. 3. c. 2. num. 8. Vice Pastorum assumptio pertinet ad Parochos, nisi speciali titulo aliud obtineat, ibid. num. 2. Olim non poterant alienum Parochianum ad suam Missam admittere sine licentia proprii Parochi, part. 2. tit. 5. cap. 2. num. 4.

Parochorum Functiones, p. 1. t. 3. c. 1. num. 3. & c. 3. num. 1. 4. Præcipua eorum Functio est instructio populi, ibid. & c. 4. n. 1. Illam tenentur per se obire, ibid. Contrarius usus quantumvis diuturnus, Parochis obesse non potest, ibid. cap. 6. num. 2. Nupera declaratio Congregationis Concilii Tridentini & Innocentii XI. ibid. & c. 8. num. 5. Parochis per se concionari volentibus, Fratres Mendicantes cedere debent, ibid. num. 2. Variis id sententiis confirmatum, ibid. num. 4 & seq. Idque etiamsi Jus nominandi Stationarium esset penes Pastorum Primitivum vel Æditũos, ibid. num. 9. Episcopus Parocho per se concionari volenti, Regulares substituere non potest & explicatur Clem. Dudum, de Sepulturis, ibid. cap. 6. num. 3. 4. Quænam à Parocho observanda circa Stationarios, p. 1. t. 3. c. 9. toto.

Parochi est eligere Custodem nisi consuetudine aliove titulo ad alios pervenerit ejus electio, p. 1. t. 4. c. 3. n. 1.

Parochus audiendus in erectione novi Monasterii intra limites suæ Parochiæ, p. 1. t. 24. cap. 3. num. 9. Ordinariè receptioni Regularium adjicitur, quod se non poterunt ingerere officio Pastorali sine ejus consensu, ib. n. 14. 15. 16.

Parochus est Minister ordinarius Sacramentorum, p. 1. t. 3. c. 1. num. 5. & p. 2. t. 1. c. 2. num. 14. 15. Quomodo in administratione Sacramentorum se gerere debeat, ibid. num. 1. & seq. Semper debet esse paratus illa administrare etiam tempore pestis, ibid. num. 6. & 7. Si id neglexerit Pastoratu privari potest, ibid.

Parochus est ordinarius & privativè Minister Baptismi in sua Parochia, part. 2. t. 2. c. 2. num. 4. 5. Non facilè assumere debet munus Patrini, ibid. c. 4. num. 16. Convenit ut sit instructus de modo exscindendi infantem si casu puerpera in partu moriatur, ibid. num. 25. Ejus officium circa Sacramentum Confirmationis, p. 2. t. 3. c. 1. n. 11.

Parochus solus Jure ordinario distribuit Eucharistiam, p. 2. t. 4. c. 1. num. 20.
Vide Communio.

Parochus solus dare potest Communionem Paschalem, p. 2. tit. 4. cap. 3. num. 8. & 15. Tempus Paschale prorogare potest, ibid. Non potest suâ authoritate infligere pœnam non communicanti in Paschate & cur minus quàm à Communione repellere, ibid. n. 17.

Parochus solus potest deferre Eucharistiam ad infirmos, ib. c. 4. n. 8. Omni tempore etiam noctu, debet esse paratus ad Viaticum Infirmis administrandum, ibid. n. 12.

Parochi cura circa Anniversaria aliasque Fundationes, part. 2. tit. 5. cap. 7. num. 22. Audiendus in earum reductione, ibid. num. 29. Non convenit ut Fundationes Anniversariorum

tiorum Subditis suadeat, ibid. n. 31. In Ecclesia Parochiali sine ejus licentia nemo potest celebrare, ib. c. 9. n. 11.

Parochus olim privativè erat Minister Sacramenti Pœnitentiæ, ita ut absolutio sine ejus licentia data, haberetur nulla, p. 2. t. 6. c. 1. nu. 7. & seq. Adhuc hodie Parochiani tenentur semel in anno ei vel alteri de ejus licentia, confiteri, ib. num. 13. Quod multis probatur, ibid. n. 14. & seq. Prudentia in hoc præcepto urgendo necessaria, ib. num. 24. In concedenda licentia alteri confitendi debet esse facilis, ibid. n. 25.

Parochi potestas excipiendi confessiones, titulo sui beneficii, non se extendit extra fines suæ Parochiæ, p. 2. t. 6. c. 6. n. 7. 8. Vi tamen consuetudinis illam excipere potest in aliis Parochiis ejusdem Diœcesis & in quo ea consuetudo fundata sit, ibid. n. 9. Etiam quandoque in Parochiis extra Diœcesim, ibid. n. 10. Ante Concilium Tridentinum poterat cuilibet Presbytero concedere licentiam excipiendi confessiones in sua Parochia, ibid. n. 11. Eadem obtinent in habentibus Beneficium Curatum, sive Sæculare sive Regulare & quodnam tale censeatur, ibid. & n. 5.

Parochus est Minister ordinarius extremæ unctionis, p. 2. t. 8. c. 3. n. 11. Quomodo Infirmos ad ejus susceptionem tempestivam teneatur inducere, ibid. n. 11. & seq. Illam administrare tenetur cum periculo vitæ, ibid. n. 15.

Parochi Cura & visitatio Scholarum, p. 2. t. 11. c. 5. n. 14. Nec per Archipresbyterum aut Scholasticum excluditur, ib. n. 20.

Parochi est assignare locum honorabiliorem in sua Ecclesia, p. 2. t. 25. c. 7. n. 28. Quomodo se gerere debeat si occurrant controversiæ cum Toparcha quoad Jura honorifica, ibid. n. 42.

Parochi assistentia necessaria ad validitatem Matrimonii.

Vide Matrimonium, Metus, Parentes.

Parochus ex Concordatis Brabantiæ & Edictis Regiis, Jus habet interveniendi Computibus Hospitalium & piorum locorum, p. 2. t. 37. c. 1. nu. 43. Authoritas ejus circa bona Fabricæ & Mensæ Sancti Spiritûs.

Vide Æditui Fabrica, Mensa S. Spiritûs.

Cura quæ illi incumbit circa testamenta suorum Subditorum & eorum executionem, p. 3. t. 2. c. 2. num. 34. & seq. Metuò curam habere debent Captivorum, p. 3. t. 8. c. 2. n. 37.

Vide Congregatio Pastorum, Decimæ, Domus Pastoralis, Novalia, Portio congrua.

PASTOR PRIMITIVUS.

Pastorum Primitivorum origo, p. 2. t. 4. c. 1. n. 29. Ecclesiis tenentur præficere Vicarios Perpetuos qui ab ipsis in suis titulis sint independentes, ibid. num. 16. & seq. & num. 26. Unde dicti Pastores primitivi, ibid. num. 30. Curæ animarum sese immiscere non possunt, ibid. n. 31. Ex consuetudine ipsis competunt jura honorifica & quænam illa, p. 2. t. 25. c. 7. n. 4. & seq. & p. 2. t. 34. c. 1. nu. 32. 33. Tenentur Vicariis suis ad portionem congruam ante alios majores Decimatores, p. 2. t. 34. c. 4. n. 9. & seq.

PATER.

Vide Parentes.

PATER ABBAS.

Pater Abbas quis dicatur, p. 1. t. 31. c. 1. nu. 10. Quæ ejus authoritas, ibid.

PATRIA OBEDIENTIÆ.

Patriæ Obedientiæ unde sic dicta, p. 2. t. 23. c. 4. nu. 19. & seq. Quænam hoc nomine appellentur, ibid. Inter eas comprehenditur Belgium, ibid.

PATRINI.

Patrinorum seu susceptorum origo, p. 2. t. 2. c. 4. num. 1. & seq. Eorum officia olim & hodie, ibid. n. 6. cum seq. Eorum obligatio, ibid. n. 9. & 10. Quinam ab eo munere rejiciendi, ib. n. 12. Edictum Caroli V. circa dationes munerum, ibid. nu. 15. Pastores & alii Ecclesiastici non facilè hoc officium assumere debent, ibid. num. 16. Monachis interdicitur & quinam sub eo nomine comprehendantur, ib. Olim Parentes prolium suarum erant susceptores & quare hoc mutatum, ib. n. 17. 18.

Patrini etiam assumuntur in confirmatione, p. 2. t. 3. c. 4. n. 14. Quodnam eorum officium & quis delectus eorum habendus, ibid. n. 15. & 16. Cavendum ut per eorum assumptionem impedimenta matrimonii non nimis multiplicentur, ibid. n. 17.

Vide Cognatio.

PATRONUS, PATRONATUS.

Patronatus antiquissimis temporibus notus, p. 2. t. 25. c. 1. n. 1. A quo tempore nota distinctio inter Laicum & Ecclesiasticum, ib. c. 2. n. 1. & 2. Quid sit propriè Jus Patronatus Ecclesiasticum, ib. n. 6. Quid Jus Patronatus Laicum, ibid. n. 8. An Jus Patronatus reservatum Clerico ratione Fundationis factæ ex bonis Ecclesiæ, censendum sit Laicale, ibid. & nu. 9. In dubio Jus Patronatus potius judicandum Laicale, ibid. n. 10. Quodnam Jus Patronatus Laicum reale & unde sic dictum, ibid. n. 11. Ejus origo, ibid. n. 13. Quodnam Jus Patronatus Laicum personale & unde sic dictum, ib. n. 17. Ejus origo, ibid. Quodnam Jus Patronatus mixtum, ibid. num. 18. Si Ecclesiasticus concurrat cum Laico alternativè illius turnus, censetur totus Ecclesiasticus, p. 2. t. 22. c. 2. n. 25. & p. 2. t. 25. c. 2. n. 20. & ib. c. 4. nu. 23. Quid si uterque simultaneè concurrat quænam qualitas prævaleat, ib. c. 2. n. 23. & seq. & ib. c. 4. n. 24. & seq. Jus Patronatus Begginarum, Æditorum, Confraternitatum, &c. quale censendum, ib. c. 2. n. 27.

Patronatus acquiritur per fundationem & an debeat reservari specialiter, p. 2. t. 25. c. 3. nu. 1. 2. Qualis Fundatio requiratur & sufficiat, ibid. n. 5. & seq. An acquiratur per donationem fundi, ibid. nu. 6. An & quomodo acquiratur per dotationem, ibid. num. 11. & seq. An tribus hisce modis possint tres ejusdem Ecclesiæ Patroni constitui, ib. nu. 14. Alter titulus acquirendi est præscriptio & quandonam cœperit, ibid. nu. 16. Quid ad hanc præscriptionem requiratur, ibid. n. 17. & seq. Conc. Trid. abrogans Patronatum qui non est ex Fundatione, admissum non est in Belgio quantum ad Patronatus Laicos, ibid. nu. 27. Jus Patronatus sæpe ortum ex occupatione Laicorum & inde provenit ad Monasteria seu Capitula, ib. n. 31. 32. An acquiri possit per privilegium Apostolicum, ib. n. 33.

Patronatus Jus qua ratione probetur, ibid. n. 20. & 27. Concilium Tridentinum restringens ejus probationem, in Belgio non admittitur quantum ad Patronos Laicos, ib. n. 26. 27.

Patronatus Ecclesiasticus an possit transire separatim à Dignitate, p. 2. t. 25. c. 4. nu. 2. Jus Patronatus Laicum reale transfertur unà cum re, cui adhæret, ibid. num. 3. Etiamsi nominatim expressum non sit, ibid. n. 4. An transferatur simul cum Dominio utili, ibid. n. 6. An transeat in Maritum ratione Dotis, in Viduam ratione Dotarii, item in usufructuarium, ib. n. 11. 12. 13. Non transit in Creditorem ratione Pignoris, ib. num. 15.

Patronatus Laicus hodie censetur quid temporale & de eo solus Judex Sæcularis cognoscit, ibid. num. 16. Judex Ecclesiasticus in Brabantia de eo cognoscere potest incidenter, p. 3. t. 2. c. 1. n. 30. Succedit ad Hæredes, quo jure & quo ordine, p. 2. t. 25. c. 4. nu. 17. & seq. Venditio Juris Patronatus censetur irrita & Simoniaca, ib. n. 27. 28. 30. Quandonam censeatur vendi, ib. num. 32.

Patronatus distinguitur à jure præsentationis, ib. c. 5. nu. 2. An rectè dicatur Jus Patronatus esse servitutem, ibid. n. 7. Ecclesiæ Parochiales Juris laici vel mixti exempti a concursu, p. 2. t. 12. c. 2. nu. 21. 22. 25. Beneficia Juris Patronatus Laici non cadunt sub reservationibus, etiam ratione vacationis in Curia, p. 2. t. 23. c. 1. n. 19. ib. c. 3. nu. 17. & ib. c. 5. n. 21. Beneficia etiam Juris Patronatûs Ecclesiastici, videntur reservationibus exempta in Belgio, ibid. c. 5. nu. 26. Beneficia Patronatûs Laici, exempta sunt a Jure præventionis, ib. c. 7. n. 32. & p. 2. t. 25. c. 3. n. 25. & seq. Derogatio Juris Patronatûs Laici, numquam admittitur, ibid. Ex quocunque titulo Jus illud competat, ibid.

Patrono redacto ad inopiam debentur alimenta ex bonis Ecclesiæ quo Jure & quâ moderatione, p. 2. t. 25. c. 6. n. 2. & seq. Non debentur titulo præsentationis sed tantum fundationis, ibid. n. 8. Potest Fundator sibi vel Successoribus aut etiam extraneo, Pensionem annuam reservare, ib. n. 10. 11. Item cavere ut fructus vacantis Ecclesiæ sibi cederent, ib. n. 12.

Patroni superintendentia in rebus Ecclesiæ, ad quæ se extendat, ibid. n. 13. An sine ejus consensu possit fieri notabilis alienatio aut gravamen imponi, ib. nu. 17. & p. 2. t. 36. c. 4. nu. 34. An Pontifex possit exactionem imperare Ecclesiæ sine consensu Patroni, ib. An & quatenus cura Patroni ad divinum Officium se extendat, p. 2. t. 25. c. 6. nu. 19. Concilium Tridentinum huic in speciem contrarium in Belgio non est receptum, ib. n. 20. 21.

Patroni in permutatione Beneficiorum audiendi sunt, p. 2. t. 27. c. 3. nu. 25. Consensum Patroni Ecclesiastici Ordinarius supplere potest, non verò consensum Patroni Laici, ibid. n. 25. 26. Beneficia Collationis Regis Juris Patronatûs Laici & mixti, non possunt gravari pensione sine eorum consensu, p. 2. t. 28. c. 6. n. 21. 22. 23. Quid de Jure Patronatûs Ecclesiastici, ibid. n. 25. In unione Beneficiorum audiendus Patronus, p. 2. t. 29. c. 3. n. 9. Requiritur consensus Patroni Laici, ibid. Etiamsi fierent ad erectionem Seminarii, p. 2. t. 11. c. 8. nu. 8. In Gallia aperta Regalia, Rex liberè pleno Jure confert Beneficia Juris Patronatûs Ecclesiastici & quo titulo, p. 2. t. 25. c. 8. n. 18.

Patroni præcipuæ partes sunt in provisione Beneficiorum Patronati, p. 2. t. 26. c. 1. n. 28. Quam grave onus sit Jus Patronatus, p. 1. t. 13. c. 5. n. 5. 6. 7. & seq.

Patroni prohibentur ab Ecclesia exigere Jura, p. 2. tit. 25. cap. 6. num 23.

Vide Acceptio Personarum, Institutio, Jura Honorifica, Præsentatio.

PAUPERTAS.

Paupertatis titulus an possit exactionem Dotis à Professuro excusare, p. 1. t. 26. c. 2. n. 1. & seq. Canones illum excludunt, ib. n. 11. Et Tridentinum directè, ib. c. 3. n. 9. & seq. Paupertas ad quam Religiosi ex voto tenentur, quænam sit, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2. & seq. Illi directè contrariatur proprietas, ib. n. 6.

&

&c. 5. n. 5. & seq. Recessus à Paupertate in victu, vestitu, &c. causa ruinæ disciplinæ Regularis & quomodo, p. 1. t. 32. c. 1. num. 5. & seq. Etiamsi non sit impossibile, tamen difficile est in divitiis paupertatem & disciplinam servare & quare, ibid. num. 13. 14. Penuria etiam multis relaxationibus occasionem dat, præsertim in Mendicantibus, ibid. num. 17. & seq. & num. 21.

Paupertas quænam sufficiat & requiratur obtinendæ dispensationi in forma Pauperum.
Vide Dispensatio.

Paupertas attendi non potest in Collatione Beneficiorum & non probantur mandata in forma Pauperum, p. 2. t. 31. c. 1. n. 11. & seq. Episcoporum cura & authoritas circa Pauperes ab Apostolorum officio Originem habet, p. 2. t. 37. c. 2. nu. 1. & seq. Parochiis commendatur honesta Pauperum sepultura, p. 2. t. 38. c. 4. n. 61. 62.
Vide Advocatus, Eleemosyna, Hospitalitas, Mendicitas, Mensa S. Spiritûs.

PECCATOR PUBLICUS.

Peccatores Publici quinam dicantur, p. 2. t. 4. c. 2. nu. 19. Repellendi à Communione donec scandalum reparaverint, ibid. n. 14. & seq. & nu. 20. Etiam à Communione per modum viatici, ib c. 4. n. 13. Nec sufficit quod fuerint confessi, ib. c. 2. n. 16. Quid si emendatos Pastor sciat, sed eorum conversio nondum publicè sit nota, ibid. n. 18. An debeant esse declarati tales per sententiam Judicis, ibid. nu. 20. Repellendi ab offertorio, p. 2. t. 9. c. 4. nu. 19. Olim per censuras & invocationem Brachii sæcularis ad pœnitentiam publicam compellebantur, p. 2. t. 6. c. 2. nu. 16. Non absolvendi sine pœnitentia publica, ib. n. 16. & seq. Etiam iis denegatur sepultura Ecclesiastica, p. 2. t. 38. c. 6. n. 28.

PECULIUM CLERICORUM.

Peculium Clericorum Titulus est Decretalium, unde sic dictus, p. 2. t. 32. c. 1. n. 1. Cur & quando proventibus Ecclesiasticis nomen hoc inditum, ib. n. 2. Peculium Clerici admodum simile Peculio servi vel Peculio filii familias, ibid. nu. 17. Uti horum dominium manet apud Dominum vel Patrem, ita Peculium Clericorum manet apud Ecclesiam, nu. 18. An Clerici possint dici Domini Proventuum Ecclesiæ, ibid. nu. 19. & 20. Bona Ecclesiastica post mortem Clericorum redeunt ad Capitulum vel Congregationem Jure Peculii, non Jure hæreditatis, ib. c. 8. n. 1. & 8.

Peculii nomine quænam comprehendantur, ibid. c. 1. nu. 24. & seq. Comprehenduntur & illa quæ Clericus parcius vivendo sibi substraxit, ib. n. 29. Bona Patrimonialia sub illo non comprehenduntur, ibid. n. 30.

PECULIUM MONACHI.

Peculii abdicatio ita essentialis vitæ Monasticæ, ut nequidem Summus Pontifex in eo possit dispensare, p. 1. t. 29. c. 1. n. 2. & c. 5. toto. Peculium Monachi & Peculium servi, in multis conveniunt, ib. c. 6. nu. 1. 2. Peculium & proprium sunt synonima & Monachi peculia habentes reputantur proprietarii, ib. n. 7. 8. Reservatio reditus victalitii & cujuslibet alterius rei in usus particulares Voto Paupertatis diametraliter opposita, ibid. num. 9. Etiamsi fiat de licentia Superiorum & dependenter ab eorum voluntate & nutu, ibid. n. 12. & 15.

Peculiaritatis origo & media quibus illi obvietur, ibid. c. 7. n. 1. & seq. & c. 8. n. 5. & seq. Media quibus exstirpari possint, ibid. Decretum Capituli Generalis Cisterciensis adversus Peculia, ibid. in fine cap. 6. Decretum Episcopi Tornacensis, ibid. Cavendum Religiosis ne rebus sibi ad usum concessis utantur ut propriis, ib. c. 7. n. 10. 15. Alias coram Deo erunt proprietarii, ibid. n. 11. Præcipuè id cavendum iis, qui extra Monasterium degunt, ibid. nu. 16. Abbas & Officialis Monasterii quomodo in sua administratione possit esse fur & proprietarius, p. 1. t. 31. c. 5. n. 6. & p. 1. t. 29. c. 9. n. 12. Titulus administrationis in simplici Monacho, pallium est proprietatis, p. 1. t. 29. cap. 9. toto.

Peculiaritas est radix & fomes omnium ferè malorum, ib. n. 4. & seq. Ruina disciplinæ Monasticæ, p. 1. t. 32. c. 1. n. 3.

PEDUM.

Vide Baculus Pastoralis.

PENSIO.

Pensionum natura origo & prima ejusdem exempla, p. 2. t. 28. c. 1. n. 1. & seq. Acta in Concilio Tridentino super earum abusibus, item abrogatione, ib n. 12. & seq. & nu. 19. & seq. Mens Concilii Tridentini & S. Caroli in materia Pensionum, ib. num. 23. 25.

Pensionum varii abusus quæ illarum reservationem reddunt odiosam, ib. c. 2. toto.

Pensiones tribus de causis tantum possunt imponi in Belgio, causâ pacis, causâ resignationis, item causâ permutationis ob inæqualitatem fructuum, p. 1. t. 28. c. 3. n. 1. & seq. & num. 4. Causæ hæ discutiuntur, & ostenditur, quod nulla earum reddat exactionem Pensionum licitam, imò esse de Simonia suspectas, num. 6. & seq. In Gallia usitata Pensio super Beneficiis Collationis Regiæ titulo meritorum Personæ, an hæc sufficiat, ib. nu. 16. Quænam consideranda sint & quæ intervenire debeant ex parte Pensionariorum, ut securi sint in conscientia, ib. c. 4. & seq. Dispensatio Papæ non reddit Pensionarios securos, si deest justa causa, ibid. n. 10. & seq. Pensiones licet sint illicitæ respectu percipientium, possunt esse justæ & licitæ respectu Superiorum imponentium, ib. n. 15.

Pensionis creatio reservatur Papæ & hujus ratio & origo, ib. c. 5. nu. 8. In Belgio & aliis Regnis etiam de Jure competit Episcopis, secus in Gallia, ibid. n. 13. & nu. 9. & 10. In Gallia aperta Regalia Rex admittit Resignationes in favorem retentâ Pensione, p. 2. t. 25. c. 8. n. 63.

Pensio imposita a Papa censetur realis & afficere Beneficium, Pensio ab Episcopo imposita tantum Personalis & afficere tantum personas & utriusque differentia, p. 2. t. 28. c. 5. n. 14. & seq. Capitulum tenetur ad Pensionem a Papa impositam pro rata temporis quo fructus percepit, ibid. n. 18. Pensio imposita super Beneficiis curatis in Gallia non censetur Realis, ibid. num. 20.

Pensio nulla imponi potest Beneficio, nisi, eâ detractâ, restet sufficienter pro sustentatione illius qui deservit, p. 2. t. 28. c. 6. n. 3. 4. & seq. & n. 9. & c. 7. nu. 1. Decretum Concilii Tridentini vetantis imponi Pensionem super Beneficiis Curatis, nisi remaneant liberi Titulari centum Ducati, ibid. n. 4. De quibus Ducatis id intelligatur, ibid. c. 6. nu. 6. Quænam in illis debeant computari, ibid. n. 7. & seq. In Gallia sufficit quod remaneant centum libræ exceptis incertis & domo Pastorali, n. 10. cum seq. Quid obtineat quoad has Pensiones in Belgio, ibid. num. 14. 19.

Pensione gravari non possunt præbendæ Theologales, ib. nu. 16. Nec Canonicatus non excedentes valorem annuum centum Ducatorum, ibid. nu. 18. Nec Beneficium quod dimittitur ob assumptionem alterius incompatibilis, p. 2. t. 20. c. 4. nu. 16. & p. 2. t. 28. c. 8. nu. 32. Privilegia certis Ecclesiis concessa, quod eorum Beneficia Pensionibus gravari non possint, sunt favorabilia, ib. c. 6. n. 20.

Pensione gravari sine consensu Regis non possunt Beneficia Collationis Regiæ, p. 2. t. 28. c. 6. nu. 21. Nec Beneficia Juris Patronatus Laici vel mixti sine consensu Patroni, ibid. nu. 22. 23. Beneficia Juris Patronatus mixti, si alternative conferantur & in Turno Ecclesiastici imposita sit Pensio, ea extinguitur dum vacat in turno Laici, ibid. n. 24. Beneficia Juris Patronatus Ecclesiastici, possunt gravari pensione sine consensu Patroni, ibid. num. 25.

Pensionum quantitas restricta ut tertiam fructuum partem excedere non possit & quare, ib. c. 7. num. 2. Hodie ex stylo Curiæ admittitur ad medietatem fructuum in Beneficiis simplicibus, ibid. nu. 4. Pensio excedens tertiam partem non est in totum nulla, sed reducitur, ibid. n. 7. Quid si adsit clausula de non reducenda Pensione, ib. c. 8. nu. 19. Quis ad hanc reductionem petendam admittatur, ib. c. 7. num. 8. & seq. Praxis Belgii est conformis in omnibus, ib. n. 11.

Pensio hodie constituitur in quantitate non in portione fructuum & quare, ibid nu. 11. Quænam in tertiam partem fructuum pensioni obnoxiam imputanda, ibid. n. 13. & seq. Variæ Clausulæ in litteris creationis apponi consuetæ, earumque effectus explicantur, ib. c. 8. nu. 1. 2. cum seq. An Pensionarius vocari possit in onera Beneficii imposita, ibid. n. 7. 8. Pensionem non solventes Censuras in litteris Pensionis appositas non incurrunt nisi ad declarationem Judicis, ibid. num. 11. 12. In Gallia & in Belgio nullius sunt effectus, ibid. num. 13. Quomodo ibidem subveniatur Pensionario adversus non solventem pensionem, ibid. n. 17. 18.
Vide Regressus.

Pensio extinguitur morte, matrimonio, item professione Religiosa ipsius Pensionarii, p. 2. t. 28. c. 9. num. 1. 2. 3. Item libera ejusdem remissione, ibid. n. 14. Quid translatio pensionis. In quibus modis concedatur, ibid. n. 4. 5. Est odiosissima, difficillimè conceditur neque in Gallia vel in Belgio admittitur, ib. nu. 6. & 9. In Gallia & Belgio non admittitur pensio super alio Beneficio quam permutato, ibid. n. 10. & 11. In Gallia & Belgio ignota pensio de consensu, ib. n. 13.

Pensionis redemptio sæpe fit authoritate Papæ & qua forma, ibid. n. 17. Magis de Simonia suspecta est quam pensio, ibid. n. 26. Conventio de redimenda pensione, est Simoniaca, ibid. n. 23. Pro extinctione pensionis sola signatura sufficit, ib. n. 24.

Pensio debita Clerico arresto subjici non potest decreto Judicis Laici, p. 3. t. 2. c. 3. n. 12.

PENSIONARIUS.

Vide Syndicus.

PERJURIUM.

Perjurii Crimen cujus fori sit, p. 3. t. 4. c. 5. n. 21. Ad vitandum perjurium variis legibus inhibitum, ne contractus fiant mediante juramento, ibid. n. 23. Enormitas Perjurii, num. 25. Qua

poena

pœnâ hodie puniatur , ibid. num. 26. Ob periculum Perjurii rarò indicenda purgatio Canonica, p. 3. t. 8. c. 4. n. 58.
Vide Ambitus.

PERMUTATIO BENEFICIORUM.

Permutationes unde primitus ortæ sint & invaluerint, p. 2. t. 27. c. 1. n. 25. Sæpe sunt periculosæ & suspectæ, ib. c. 1. n. 29. & c. 2. num. 16. Cur potiùs Permutatio quàm resignatio coram Ordinario fieri possit, ibid. num. 12. Requiritur causa, ibid. num. 28.

Permutationum Approbatio de Jure Communi ejus approbatio spectat ad Episcopum, etiamsi Beneficia non sint suæ Collationis, ibid. p. 2. t. 27. c. 2. nu. 18. In Gallia apertâ Regaliâ Rex approbat Permutationes etiam reservata Pensione, p. 2. t. 25. c. 8. num. 63. In Gallia & Belgio ea authoritas etiam est penes aliquos inferiores, p. 2. t. 27. c. 2. num. 19. 25. Patroni & Collatores super Permutatione audiendi, ibid. num. 24. 25. Consensus Patroni Ecclesiastici suppleri potest, non verò Laici, ibid. Hodiernæ Permutationes Beneficii notabilis, cum Beneficio nullius valoris, rarò sed aliquando tamen licitæ, ibid. num. 35. 36

Permutatio quandonam censeatur perfecta, ib. c. 7. n. 14. & seq. Primo permutantium præmoriente concidit permutatio, etiamsi ex una parte fuerit adimpleta, ibid. num. 15. Exceptio, ibid. num. 17. Beneficio permutato evicto resolvitur permutatio, ibid. num. 18. An requiratur authoritas Judicis & nova Collatio, ibid. num. 19. & 22. An in permutationibus locum habeat Regula Cancellariæ de infirmis resignantibus, ib. c. 5. num. 28. 29.
Vide Acceptio Personarum.

PERSONATUS.

Personatus quid sit, p. 2. t. 18. c. 2. num. 5. Multis sæculis ignoti, unde originem sumpserint, ibid. num. 6. In quo conveniat & in quo differat a Dignitate, ibid. num. 7. & seq. In Belgio sunt rariores & inter Beneficia simplicia computantur, ibid. num. 10.

PICTURÆ.

Vide Imagines.

PLACETUM.

Placetari debent Confirmationes Episcoporum, p. 1. t. 14. c. 5. num. 12. & p. 1. t. 31. c. 9. num. 10. Item Bullæ Legationis, p. 1. t. 21. c. 3. num. 7. Item gratiæ à Legato concessæ, ibid. & seq. & p. 2. t. 24. c. 6. n. 11.

Placeti hujus necessitas super quo fundetur, p. 2. t. 24. c. 6. n. 1. Non obest supremæ authoritati Pontificis, ibid. n. 2. 3. Antiquissima hæc Belgarum consuetudo, ib. n. 5. Etiam obtinet in Hispania & Gallia, ibid. n. 7. Quænam rescripta debeant placetari & quænam non, ibid. nu. 8. & seq. Novæ Regulæ Cancellariæ sine Placeto recipi non possunt, p. 2. t. 27. c. 5. num. 23. Scopus Placeti, p. 2. t. 24. c. 6. n. 13.

Placetum quomodo expediatur & quinam audiendi, ibid. n. 14. 15. Concessio Placeti non nocet Juri Privatorum, ibid. nu. 16. Clausula litteris Placeti inseri solitæ, Ibid. n. 17. & seq. Subinde annuitur cum limitatione & modificatione & varia ejusdem exempla, ib. n. 22. & seq.

Placeti denegatio ferè coincidit cum appellatione ab abusu usitata in Gallia, p. 3. t. 10. c. 4. n. 47.

PLURALITAS BENEFICIORUM.

Vide Beneficium.

POENA.

Pœnas vel Pœnitentias pro qualitate criminum imponendi authoritas Ecclesiæ semper competiit, p. 3. t. 11. c. 1. nu. 1. Ea authoritate XI. sæculis usa fuit in ordine ad forum interius sive Pœnitentiale, ibid. nu. 2. Sæculo XII. separatione facta fori contentiosi a foro pœnitentiali, ferè eædem pœnitentiæ ad vindictam publicam impositæ fuère & inde origo hodiernarum pœnarum Fori Ecclesiastici, ibid. n. 3.

Pœnæ pecuniariæ ortum habent ex eleëmosynis pœnitentibus imponi solitis, ibid. n. 4. 5.
Vide Mulcta.

Pœna Ecclesiastica est retrusio in Monasterium.
Vide Monasterium.

Pœna Carceris.
Vide Carcer.

Pœna Exilii.
Vide Exilium.

Pœna Virgarum.
Vide Flagellatio, Fustigatio.

Pœna alia adversus Adulteros hodie usitata est expositio theatralis, circumductio infamis per plateas, amenda honorabilis, &c. p. 3. t. 4. c. 4. n. 17.

Pœnas ordinarias Episcopus in visitatione non potest imponere sed tantum correctiones, p. 1. t. 17. c. 4. n. 5.

Pœnæ Monasticæ variæ & earum infligendarum modus & ratio, p. 1. t. 31. c. 3. n. 21. & seq.

Pœnæ quas Principes Christiani adversus Hæreticos decreverunt & S. Augustini de iis judicium, part. 3. tit. 4. cap. 2. numer. 43. 44.

Pœna, quæ compromisso inseritur, quandonam incurratur, p. 3. t. 5. c. 4. num. 16. An mediante ejus solutione à compromisso possit resiliri, ibid. n. 17.

POENITENTIA, POENITENTES.

Pœnitentiæ Sacramentum quibus nominibus olim appellatum, p. 2. t. 6. c. 1. n. 1 & seq Ejus Definitio, ib. n. 11 Partes, ibid. n. 12. Quare quælibet illarum necessaria, ibid. & n. seq. Forma, ib. n. 20. Effectus, ib. n. 21.

Pœnitentia publica quænam dicatur, ibid. c. 2. n. 1. Multis sæculis pro peccatis occultis imposita, ibid. nu. 2. Differentia tamen erat multiplex circa pœnitentiam impositam propter crimen occultum & impositam propter publicum, ibid. nu. 6. & seq Plures nullius criminis gravioris rei, eam amplectebantur, ib. nu. 10. Ex impositione Pœnitentiæ publicæ non sequebatur fractio sigilli & cautio quam Patres adhibebant ne peccata occulta per hoc innotescerent, ibid. num. 11. Quomodo & quo tempore hæc disciplina defierit, ibid. num. 13 14. Per censuras aliaque media Peccatores publici ad pœnitentiam publicam compellebantur, ib. n. 16. & p. 3. t. 4 c. 1. n. 17.

Pœnitentia publica & solemnis ante sæculum XII. non distinguebantur, p. 2. t. 6. c. 2. num. 18. Ejus distinctionis origo & variæ inde natæ hallucinationes, ibid. num. 19. Adhuc hodie imponenda pœnitentia publica pro peccatis publicis & qualis, ibid. num. 26 & seq. & 29. 30. De hoc merito consuluntur superiores, ibid. Rescripta Pontificia Dispensationis Matrimonialis in casu incestûs, mandant ut prius injungatur incestuosis pœnitentia publica, eaque ante Dispensationem peragatur, p. 2. t. 14. c. 6. num. 11. Qualem hoc casu conveniat imponere, ibid. num. 12.

Pœnitentiæ Gradus olim erant quatuor qui describuntur, p. 2. t. 6. c. 3. num. 17. & seq. Erant Excommunicationes minores, p. 3 t. 11. c. 3 n. 22. & seq.
Vide Gradus Pœnitentiæ.
Præcipuus scopus istius œconomiæ pœnitentialis erat ut nosceretur vera conversio, p. 2. t. 6. c. 3. n. 41.

Pœnitentialis hodierna disciplina quoad interiorem spiritum cum antiqua convenit & tantum discrepat quoad exteriora, ib. c. 4. n. 5. Probatur ex Tridentino aliisque, ibid. & n. 6. Quales pœnitentiæ imponendæ, ib. n. 4. & 9.

Pœnitentiale forum usque ad sæculum XII. non fuit distinctum a foro contentioso criminali, p. 3. t. 4. c. 1. num. 5. 7. & 19. Quomodo Episcopi tunc procederent & ad quæ eorum authoritas se extenderet, ibid. num. 1. 3. & seq. Ex impositione pœnitentiarum tunc usitata, originem habuerunt pœnæ quæ hodie in Judicio Criminali Ecclesiastico infliguntur, p. 3. t. 10. c. 11. nu. 6. & seq.
Vide Absolutio, Canones Pœnitentiales, Confessio, Confessarius, Libri Pœnitentiales.

POENITENTIARIA ROMANA.

Pœnitentiariæ Romanæ origo, p. 1. t. 23. c. 2. num. 3. Ejus reformatio facta per Pium V. ibid. num. 5. Pœnitentiariæ varii officiarii, eorumque officia, ibid. num. 8. & seq. Eorum juramentum, ibid. num. 19. Negotia quæ in pœnitentiaria expediuntur, ibid. num. 22. Sub cujus nomine litteræ expediantur & ad quos dirigantur, ibid. num. 23. 24. Formula litterarum, ibid. n. 30. Omnia gratis expediuntur, ib. n. 31.

Pœnitentiaria concedit licentiam transeundi ad ordinem laxiorem & qua forma, p. 1. t. 27. c. 5. n. 11.

Pœnitentiaria dispensat cum Regulari illegitimo ad Prælaturas, p. 2. t. 10. c. 3. num. 31. Expeditio, executio, & effectus Dispensationum quæ super impedimento occulto matrimonii conceduntur à pœnitentiaria, p. 2. t. 14. c. 7. toto. Obtenta Dispensatione in Pœnitentiaria, Matrimonium debet renovari sed non coram Parocho & testibus, ibid. num. 8. & 10. Dispensat etiam quoad Simoniam occultam & quomodo illa expediatur, p. 2. t. 3 c. 7. n. 29. 34. & seq.
Vide Pœnitentiarius Romanus.

POENITENTIARIUS.

Pœnitentiarii prima origo & institutio, p. 1. t. 12. n. 1. 2. & seq. In omnibus Cathedralibus constituendus, ibid. num. 11. De consuetudine Belgii Pœnitentiaria est Dignitas & assumi debet ex Graduatis, ibid. num. 12. 13. Vi sui officii est confessarius ordinarius totius Diœcesis & quilibet etiam in Paschate ei confiteri potest, ibid. num. 14. Est quasi Vicarius natus Episcopi in audiendis confessionibus, ibid. num. 15. Cogi potest ab Episcopo confessiones diligenter excipere, ibid. S. Carolus decrevit Pœnitentiariam per concursum conferendam, ibid. num. 17.

Digitized by Google

POENITENTIARIUS ROMANUS.

Pœnitentiarii majoris origo, authoritas & officium, p. 1. t. 23. c. 1. nu. 8. 10. 20. & seq. Præter hunc sunt Minores Pœnitentiarii in tribus Ecclesiis Patriarchalibus, & eorum officium, ibid. nu. 9. Hi debent ei subjici in rebus sui officii non obstante sua exemptione in qualitate Regularium, ibid. nu. 10. In litteris quas ad Episcopum dirigit, nomen Episcopi suo præponit, ib. num. 30.
Vide Pœnitentiaria.

PONTIFEX.

Vide Papa.

PONTIFICALIA.

Pontificalia exerceri non possunt in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii, p. 1. t. 6. c. 5. n. 7. Episcopus in loco simpliciter exempto suæ Diœcesis potest Pontificalia exercere & alter sine ejus licentia non potest, ibid. nu. 9. Quænam Pontificalia censeantur, ibid. nu. 11. Quo tempore Abbates iis uti cœperint & quo jure, p. 1. t. 31. c. 6. nu. 1. & seq. & 4. Iis uti non possunt nisi in Ecclesiis pleno Jure sibi subjectis, ib. n. 24. 25.

POPINÆ.

Popinarum ingressus interdictus Clericis nisi peregrinationis aut alia necessitate compulsis, p. 1. t. 2. c. 4. n. 4. Variæ pœnæ adversus ingredientes, etiam Carceris, ibid. n. 5. Edicta Principum Belgii circa Popinas, ibid. n. 7. Per frequentationem Popinarum indignè violantur Dies Dominici & Festivi, p. 2. t. 17. c. 5. n. 28. Edicta Principum quibus prohibetur quempiam admittere in Popinam tempore divini Officii, ibid. nu. 29. Synodi mandant juridicè procedi adversus eos qui diebus Festivis tempore Divini Officii aperiunt vel intrant Popinas; ibid. num. 30.
Vide Choreas, Diversorium.

PORTIO CONGRUA.

Portionem congruam honestam salvam vult Decretum Concilii Tridentini vetans gravari pensione Ecclesiam Parochialem, nisi deducta pensione, restent Parocho centum Ducati, p. 1. t. 28. c. 6. n. 4. Onus Portionis congruæ omnibus unionibus adjicitur, p. 2. t. 29. c. 1. n. 15. & p. 2. t. 34. c. 1. n. 37. Præsentatio facta cum conditione non petendi augmentum Portionis congruæ, est manifestè Simoniaca, p. 2. t. 30. c. 1. n. 6.
Portio congrua ut dicatur sufficiens quid requiratur, p. 2. t. 1. c. 3. num. 15. 16. & p. 2. t. 34. c. 2. n. 1. 2. Ejus taxa committitur Ordinario; ibid. num. 3. Quænam pro illius convenienti taxatione attendi debeant, ibid. num. 7. & seq. Si amplitudo Parochiæ requirat plures Sacerdotes, pro eorum numero requisito etiam Portio congrua augeri debet, ibid. nu. 11. & seq. Desumenda est ex proventibus Ecclesiæ Parochialis, ibid. c. 4. num. 12.
Portioni congruæ inveniendæ; primum medium à Concilio Tridentino propositum, est unio Beneficiorum, p. 2. t. 29. c. 2. n. 2. 3. 9. & seq. & p. 2. t. 34. c. 3. n. 3. 4. Onera Beneficiis incumbentia, à Parocho ferenda, unde uniones moderatæ faciendæ, p. 2. t. 29. c. 2. n. 11. & seq. & p. 2. t. 34. c. 6. nu. 9. An possint in eum finem uniri duæ Parochiales vel concedi deservituræ; p. 2. t. 29. c. 2. n. 12. & p. 2. t. 34. c. 3. num. 5. 7. Secundò excutiendæ Primitiæ & oblationes si alteri quam Parocho cedant & quare, ib. n. 9. 10.
Portio congrua ut inveniatur tertio loco excutiendæ Decimæ & quo ordine, p. 2. t. 34. cap. 3. num. 11. Decimatores tenentur pro quota sua contribuere dum non constat quis eorum ante alios sit obligatus; ibid. cap. 4. num. 13. Decimæ infeudatæ à Laicis possessæ, an oneri Portionis congruæ sint subjectæ, ibid. num. 16. 17. Videntur subjectæ tantùm subsidiariè, ibid. num. 18. Hoc casu actio instituenda etiam in petitorio coram judice Laico, ibid. c. 7. num. 18. Reversæ ad Ecclesiam, etiamsi titulo oneroso, huic oneri subjiciuntur, ibid. c. 4. num. 19. 20. Quid si revertantur cum onere feudali; ibid. num. 21. Onus hoc est reale eique Decimatores manent subjecti quam diu Decimas retinent; ibid. num. 25. Non est huic oneri satisfactum si semel sufficiens competentia fuerit assignata, ibid. nu. 26. Decimis sufficientibus injustum est, proventus Fabricæ vel Mensæ S. Spiritus, in portionem congruam Pastoris vel Vice Pastorum impendere, ib. c. 5. n. 17.
Portioni congruæ inveniendæ ultimum medium est collecta seu impositio super Parochianis.
Vide Impositio.
Portionis congruæ causa, est causa alimentorum & in ea summariè procedi debet, item per provisionem Parocho adjudicanda, p. 2. t. 34. c. 5. num. 1. 2. 3. Utrum onus Portionis congruæ assignandæ transactione, lapsu temporis vel lege positiva tolli possit, ibid. num. 15. Compensationis prætextu solutio negari non potest, ibid. num. 16. Parochus potest dimittere omnes proventus suos & ad onus Decimatorum petere competentiam in re certa & convenit ut hoc fiat, ibid. num. 20. 21. Portio congrua assignata in re certa, non obstante sterilitate & vastitate quacumque, solvenda, ibid. nu. 23. Exceptio fundata in æquitate, ib. n. 27.
In portionem congruam quænam computanda, ib. c. 6. num. 1. & seq. An fructus Beneficii non uniti in eam computari aliquando debeant, ibid. n. 11. Quid de accidentibus incertis, ib. num. 14. Varia incommoda quæ ex rigorosa horum computatione oriuntur, p. 2. t. 1. c. 3. toto. & p. 2. t. 34. c. 6. nu. 17. & seq. Domus Pastoralis in eam non imputatur, ib. c. 8. nu. 6.
Portio congrua per quos convenientissimè petatur, ib. c. 7. n. 1. & seq. Coram quo moribus hodiernis actio super portione congrua instituenda, ib. n. 9. 10. & seq.
Vide Domus Pastoralis.
Portio congrua exempta est ab omni impositione & subsidiis, p. 2. t. 35. c. 3. n. 62.

POSITIONES.

Vide Interrogatoria, Juramentum Calumniæ.

POSSESSIO.

Possessio quandonam censeatur Pacifica, p. 2. t. 19. c. 5. nu. 6. 7. & p. 2. t. 20. c. 6. n. 9. 10. & p. 3. t. 9. c. 6. nu. 21. Quandonam censeatur pacifica prout in Regulis Cancellariæ.
Vide Regulæ Cancellariæ.
Possessio Episcopatus accipi non potest nisi Bullis expeditis, levatis & Capitulo exhibitis, p. 1. t. 14. c. 5. n. 11. In Gallia hoc non requiritur in Beneficiis inferioribus sed sufficit Signatura, p. 2. t. 24. c. 3. n. 19. Bullæ requiruntur in Belgio; ibid. num. 21. In Gallia vetitum attendere resignationes, vi quarum non est accepta solemnis possessio, p. 2. t. 27. c. 6. n. 11.
Possessionis traditio iisdem competit quibus competit Collatio, p. 2. t. 26. c. 2. nu. 3. Eam Archidiaconi delegant Archipresbyteris ruralibus, ibid. num. 6. Solet demandari quibusvis Clericis, item Notariis Ecclesiasticis, ibid. num. 9. An aliquando sufficiat Notarius Regius, ibid. num. 10. Forma quâ inductio fit per Notarium aut Clericum, ibid. nu. 11. Quid si Ecclesiam ingredi nequeat, ibid. num. 13. Instrumenta quibus conceditur possessio, ibid. num. 12. Clericus aut Notarius inducens in possessionem, non cognoscit de Justitia tituli, ibid. num. 14.
Possessio accipi potest per Procuratorem & quale mandatum requiratur, ibid. nu. 15. Hæc possessio tamen non impediret vacationem in Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 51. Juramentum præstandum in acceptione possessionis & varia in eo merito attendenda, p. 2. t. 26. c. 2. n. 17. & seq. Vetitum Homagium exigere in admissione ad Possessionem Beneficii, non tamen vetitum exigi obedientiam Canonicam; ibid. num. 26. & seq. Exactio Jurium unde orta in admissione Beneficiatorum, ibid. n. 29. Taxantur tamquam suspecta de Simonia; ibid. num. 30. & seq.
Possessio facit præsumptionem Juris pro possidente & quare, p. 3. t. 7. c. 5. num. 12. 13. Hujus præsumptionis effectus est onus probandi rejicere in Adversarium, ibid. num. 14. Explicatur Regula, in pari causa melior est conditio possidentis, ibid. num. 15.

POSSESSOR.

Possessor bonæ fidei fructus consumptos facit suos irrevocabiliter, p. 2. t. 25. c. 4. nu. 14. In concursu plurium collationum pro Possessore judicandum, p. 2. t. 21. c. 2. num. 21. Possessor habet pro se præsumptionem, p. 3. t. 7. c. 5. n. 12.

POSSESSORIUM.

Possessorium rei spiritualis jure communi spectat ad Judicem Ecclesiasticum, p. 3. t. 2. c. 4. num. 1. Quo jure & a quo tempore possessorium retinendæ & recuperandæ possessionis privativè ad Judices Regios devolutum, ibid. num. 2. & seq. Concordata Brabantiæ reservant Judici Ecclesiastico Possessorium adipiscendæ possessionis, ibid. num. 9. Cur id potius Judici Ecclesiastico relictum, ibid. num. 11. Hodie titulo manutenentiæ etiam causæ adipiscendæ possessionis, Judicis Regii foro subduntur, ib. n. 46.
Vide Manutenentia.
Distinctio Recredentiæ à pleno Possessorio, ibid. num. 14. 15. Modus quo in Gallia & Belgio in utraque materia Consilia Regia procedunt, ibid. n. 35. 36. & seq. Consilia Regia in effectu cognoscunt de petitorio licet tantum pronuntiant super Possessorio, ib. n. 29.
Possessorio non evacuato petitorium intentari non potest & quare, ibid. nu. 31. Quandonam Possessorium censeatur evacuatum, ibid. num. 32. Unde fiat quod post plenum Possessorium rarò intentetur Petitorium, imò id in Gallia aliquando fuerit prohibitum, ibid. n. 37. 38.
Possessoria causa beneficiorum brevibus & paucis dilationibus agi-

agitandæ, p. 3. t. 7. c. 8. num. 41. Quænam Judex attendere debeat in adjudicando possessorio, ib. c. 5. num. 10. 11. Ex Possessione oritur præsumptio Juris pro possidente, ibid. n. 12. In causis merè Possessoriis non admittitur Revisio seu propositio erroris, p. 3. t. 12. c. 4. n. 18.

PRAGMATICA SANCTIO.

Vide Sanctio Pragmatica.

PRÆCEDENTIA.

Præcedentiæ quæstiones componere, ad Episcopum spectat de plano, sine strepitu & remota appellatione, p. 1. t. 16. c. 9. nu. 15. 16. Authoritas tamen Regia præsertim, si de possessorio agatur, sæpe intervenire solet, ibid. num. 17. Episcopi Cardinalibus, multis sæculis fuerunt Prælati, p. 1. t. 22. c. 1. n. 21. Determinatio S. Sedis quoad præcedentiam inter Canonicos Cathedrales, Abbates Titulares, Commendatarios, Dignitates, Procuratores Capitulorum, p. 1. t. 31. c. 7. nu. 50. Patronus quoad Jura Honorifica præfertur omnibus Laicis etiam Toparchæ, p. 2. t. 25. c. 7. n. 34.

PRÆCONIZATIO.

Præconizatio est nuda propositio Nominati vel Electi ad vacantem Ecclesiam facta per Cardinalem Relatorem, p. 1. t. 14. c. 3. n. 11. Ejus scopus, ibid.

PRÆDICATIO VERBI DEI.

Prædicationem Verbi Dei præcipuum Episcoporum munus vocat Synodus Tridentina, p. 1. t. 16. c. 7. nu. 3. Synodi Belgicæ & S. Carolus obligationem Episcoporum per se annunciandi verbum Dei multis inculcant, ibid. n. 45. Cur minus Apostoli potuerint alteri committere Prædicationem verbi Dei quàm administrationem Baptismi, ibid. nu. 2. Huic obligationi non satisfit aliquoties per annum publicè prædicando, ib. nu. 7.

Prædicatio Verbi Dei est præcipua functio Parochorum illamque per se obire tenentur non obstante usu quantumvis diuturno in contrarium, p. 1. t. 3. c. 4. 5. 6. totis. Parochis per se concionari volentibus cæteri quantumvis privilegiati cedere debent quod variis Synodis & sententiis confirmatur, ibid. c. 8. nu. 1. cum seq. Sententia Congregationis Concilii Tridentini, ibid. num. 5.

Prædicandi authoritas in inferiorem Clerum ab Episcopo diffunditur, p. 1. tit. 16. c. 8. num. 2. Non potest tamen hodie Episcopus pro libitu Parochos à concionibus suspendere aut impedire, ibid. num. 9. Nec potest iis per se concionari volentibus Regulares aut alios substituere aut eos in suis stationibus continuare, p. 1. t. 3. c. 6. nu. 3. Explicatur Clem. dudum de sepult. ib. n. 4.

Prædicatores mittere Parochis legitimè impeditis aut non sufficientibus, ad Episcopum spectat, iisque tenentur incolæ victum & hospitium exhibere, p. 1. t. 16. cap. 8. num. 10. Solemne super eo arrestum Consilii privati in Gallia, ibid. num. 13. Fallit si consuetudo immemorialis hanc deputationem ad Parochos, Capitula aliosve detulerit, prout in Belgio passim fecit, ib. n. 12. 13.

Prædicatorum excessus, malam doctrinam, aut scandala, solus Episcopus punire potest, ib. nu. 23. Senatus Regii nullo titulo se huic negotio immiscere possunt, ibid.

Prædicationis tempore nullatenus convenit ut eleëmosynæ colligantur pro Prædicatore vel ejus Conventu, p. 1. t. 29. c. 4. nu. 44. FF. Prædicatorum laudabile super eo statutum, ibid.

Vide Approbatio, Statio.

PRÆLATUS.

Vide Abbas, Superior.

PRÆMONSTRATENSES.

Vide Ordo Præmonstratensis.

PRÆPOSITUS.

Præpositi quales durante vita Communi Canonicorum fuerint, p. 1. t. 11. c. 1. num. 1. Hodierni ab antiquis multum distincti, ibid. num. 2. Non omnium eadem jura & officia, ibid. num. 3. In his attendenda fundatio, statuta & consuetudo, ib. num. 4.

PRÆSCRIPTIO.

Præscriptione Beneficium Regulare fit Sæculare & contra, p. 2. t. 18. c. 3. nu. 4. Quidnam requiratur ad hanc Præscriptionem, ibid. n. 5.

Præscriptione an & quomodo Jus Patronatûs possit acquiri, p. 2. t. 25. c. 3. n. 15. & seq.

Præscriptioni obnoxium non est Jus Regaliæ in Gallia, uti nec ea quæ spectant ad Jura Coronæ, ib. c. 8. n. 28.

Præscribi potest Jus decimandi adversus Ecclesiam Parochialem & quid ad hanc Præscriptionem requiratur, p. 2. t. 33. c. 3. nu. 23. Jure Decretalium Laici Decimas nullâ ratione præscribere possunt, ibid. c. 4. n. 3. & seq. Laicus solâ Præscriptione, etiamsi esset immemorialis, sine titulo non potest se à præstatione Decimarum eximere, ib. c. 7. n. 3.

Præscribere cognitionem causarum matrimonialium possunt Inferiores Episcopo, sed requiritur possessio immemorialis, p. 3. t. 2. c. 1. n. 19.

Præscriptione acquiri potest authoritas ferendi censuras, p. 3. t. 1. c. 2. n. 21.

Præscriptio locum non habet in stationibus Regularium adversus Parochum, p. 1. t. 30. c. 8. toto.

PRÆSENTATIO.

Præsentatio facta a bonæ fidei possessore est valida, nec irritatur re evicta, p. 2. t. 25. c. 4. n. 14.

Præsentationis Jus distinguitur à Jure Patronatus & unum potest esse sine altero, p. 2. t. 25. c. 5. nu. 23. Hoc Jus Præsentationis unde profluat, ibid. num. 6. An respectu Ecclesiæ rectè dicatur servitus, ib. n. 7.

Præsentatum à Patrono si capax fuerit, Episcopus tenetur instituere, ib. n. 8.

Præsentandi tempus Patronus Ecclesiasticus habet sex menses, Laicus tantùm quatuor, & hujus distinctionis origo & occasio, ibid. num. 11. & seq. A quo tempore menses incipiant currere, num. 15. Patronus Laicus variare potest, non autem Ecclesiasticus; hujus distinctionis ratio & origo, ib. nu. 16. & seq. Cur variatio Patroni Laici censeatur accumulativa, ibid. num. 18. Quoties & quamdiu possit variare, ibid. n. 20. 22. Ecclesiasticus præsentando scienter indignum, excidit ea vice jure Præsentationis, ib. n. 23.

Præsentationem negligens Patronus intra tempus statutum Ordinarius confert jure Ordinario, non devoluto, ibid. num. 25. Collatio facta spreto Patrono est valida, si Patronus intra tempus nullum præsentet, vel invalidet, ibid. num. 26. Quare magis quam præventio Papæ vel Legati, ib. n. 27.

Præsentatio qua forma facienda, ibid. num. 29. 30. Hodie fieri debet per litteras per Notarium expeditas, ib. n. 31.

Præsentatio tantum censetur perfecta dum Ordinario est exhibita, ibid. num. 32. Ante Præsentationem perfectam Ecclesiasticus potest variare, ibid. num. 34. Item potest à Papa præveniri, ibid. num. 35. Si Præsentatio non sit perfecta tempore à jure statuto Ordinarius pleno jure confert, ib. n. 36.

Præsentatio competens corpori vel Collegio, qua forma fieri debeat, ibid. num. 37. 38. Quid si Patroni dissentiant & diversi diversos præsentent? cui danda institutio, ibid. num. 40. & seq. Quid si super Jure Patronatus inter diversos Patronos lis moveatur? an interim tempus præsentandi currat, ib. num. 45. Quid hodie in praxi obtineat Patronis dissentientibus vel litigantibus dum diversos præsentant, ibid. n. 46.

Præsentatio facta cum conditione, quod præsentatus non petet augmentum competentiæ, est Simoniaca, p. 2. t. 30. cap. 2. num. 6.

Vide Acceptio Personarum, Patronus.

PRÆSUMPTIO.

Præsumptio quid sit, p. 3. t. 7. c. 5. num. 19. Quid Præsumptio Juris, ibid. Quid Præsumptio Juris & de Jure & utriusque exempla, ibid. num. 21. 22. Præsumptiones quantumvis violentæ, tamen cedunt veritati, ibid. n. 23. 24.

Præsumptio hominis seu Judicis quid sit, ibid. nu. 25. Hæc præsumptio satis infirma est ad effectum probationis, nec facilè in ea Judex sententiam fundare debet, ibid. num. 26. 27. 28.

Præsumptio Juris vel de Jure rejicit onus probandi in adversarium, ib. n. 8. & 20.

Præsumptio inducitur per possessionem, ib. n. 20.

PRÆVENTIO.

Præventio Pontificia in quo ab exspectativis & reservationibus differat, p. 2. t. 23. c. 7. nu. 1. Cui fundamento Jus illud innitatur, ibid. num. 2. A quo tempore stabilitum, ibid. num. 3. Ad præveniendas fraudes hic occurrentes, condita est Regula Cancellariæ de verisimili notitia, quæ etiam explicatur, ib. n. 4. & seq. Quantum temporis requiratur pro verisimili notitia, ib. n. 12.

Præventio minus est odiosa quam exspectativa, ibid. num. 19. Varii Conatus Gallorum pro ejusdem abrogatione sine effectu, ibid. num. 21. & seq. Stabilitur in Gallia per Concordatum quod multis displicet, ibid. num. 26. 27. In locis ubi est reservatio mensium Præventio non obtinet, ibid. num. 25. In dubio quis prior contulerit, pro quo judicandum, n. 32.

Præventioni non subjacent Beneficia Patronatus Laici, ibid. num. 33. An subjaceant Dignitates Electivæ confirmativæ, part. 2. tit. 21. cap. 3. num. 6. & part. 2. tit. 23. cap. 7. num. 33.

Præventio tantùm obtinet rebus integris, num. 34. Quandonam res censeatur integra vel non integra, ib. n. 34. & p. 2. t. 25. c. 5. n. 20.

Digitized by Google

Præventionem impedit Collatio Ordinarii spreto Patrono facta, etsi per Patronum ideo invalidata, p. 2. t. 23. c. 7. n. 38. & p. 2. t. 25. c. 5. n. 27.

PRECES.

Vide Oratio.

PRECES IMPERIALES.

Precum Imperialium formula, p. 2. t. 25. c. 9. nu. 19. Quo jure nitantur, & unde originem ducant, ibid. n. 20. Earum effectus, ibid. n. 21. Sunt species exspectativarum, ibid. n. 22. Declaratio Congregationis Concilii Tridentini Interpretum, quod per Decretum Concilii ejusdem de exspectativis non sint abrogatæ, ibid. Indultum quo Rex Galliæ prætendit se posse conferre præbendam titulo felicis adventus ad Regnum affine est Precibus Imperialibus, ib. n. 23.

PRESBYTER.

Presbyterorum functiones ex Pontificali, p. 1. t. 1. c. 3. nu. 13. & seq. Ordinantur in adjutorium Episcoporum, in utilitatem proximi, non in propriam, ib. n. 19. 20.

Presbyterorum & Diaconorum Consilio utebantur primis sæculis Episcopi, p. 1. t. 8. c. 1. n. 1. & ib. c. 4. n. 1. Episcopo in decidendis causis assistebant, ibid. nu. 2. Ejus vestigium adhuc remansit in hodierno ritu excommunicationis, p. 3. t. 11. c. 8. n. 6. Sunt in adjutorium Episcoporum, p. 1. t. 16. c. 4. n. 4. Nihil possunt in cura animarum nisi cum subjectione ad Episcopum, ib. n. 5.

Presbyteri in Ecclesia Græca administrant Sacramentum Confirmationis, p. 2. t. 3. c. 2. nu. 3. Idem possent apud Latinos ex commissione Episcopi seposita reservatione, ib. n. 7.

Presbyter solus potest Eucharistiam conficere & hodie distribuere, p. 2. t. 4. c. 1. n. 15. 20. Quales a Missarum celebratione repellendi, p. 2. t. 5. c. 9. n. 1. & seq.

Presbyter olim poterat reconciliare publicè pœnitentem pro peccatis occultis, secus autem pœnitentem pro publicis, p. 2. t. 6. c. 2. num. 7. Quomodo reconciliatio pœnitentium sensim ad Presbyteros devoluta, ib. c. 5. n. 4. & seq.

Presbyter an jure delegato possit ordinare Diaconum vel etiam Presbyterum, p. 2. t. 9. c. 2. nu. 4. In quo consistat eminentia Episcopatus supra Presbyteratum, ib. n. 2. 3.

Presbyter majorem sanctitatem habere debet quam Monachus, ib. c. 4. n. 7.

PRINCEPS.

Princeps juxta Pragmaticos est fons & origo omnis jurisdictionis, p. 3. t. 1. c. 4. n. 24.

Principum Familiares & Domestici gaudent fructibus Beneficiorum in absentia sub certa moderatione, p. 1. t. 7. c. 10. nu. 12. & seq. Quænam hoc nomine intelligantur, ib. n. 15.

Principes quomodo interveniant visitationi Episcopali, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & seq. Item Reformationi Regularium, p. 1. t. 32. c. 2. n. 7. & seq. Antiquitus eorum ad hæc commissarii vocabantur Missi Dominici, p. 1. t. 17. c. 4. n. 11. & p. 1. t. 32. c. 2. n. 9. Quomodo interveniant Synodis, p. 1. t. 18. c. 4. n. 14. & p. 1. t. 20. c. 4. n. 1. & seq. Sine eorum consensu nulla Synodus potest celebrari aut etiam publicari, ib. locis citatis. In Belgio erectio Seminarii novæ Parochiæ, non facilè perficietur sine interventione Principis, p. 2. t. 16. c. 2. nu. 20. Pro exstructione novi Monasterii vel Ecclesiæ, consensus ejus omnino est necessarius, p. 1. t. 24. c. 3. n. 11. & p. 1. t. 24. c. 2. nu. 11. 12. In Belgio & in Gallia sine Principis consensu, Episcopus non potest personaliter accedere ad Limina Apostolorum, p. 1. t. 15. c. 2. n. 15.

Principes Supremi quantum est ex natura suæ potestatis, constituere possunt impedimenta dirimentia Matrimonii etiam inter Christianos, p. 2. t. 13. c. 1. n. 8. & seq. Item super impedimentis à se inductis dispensare, p. 2. t. 14. c. 1. n. 2. Unde factum quod ea potestas privativè hodie sit penes Ecclesiam, p. 2. t. 13. c. 2. n. 14. 16.

Principum curæ, quo jure conservatio Fundationum subsit, p. 2. t. 25. c. 6. n. 18. Consultum est ut Principis authoritas interveniat in alienatione bonorum Ecclesiasticorum, ibid. & p. 2. t. 36. c. 4. nu. 35. In Belgio sine Principis consensu non facilè admittitur commutatio piarum Fundationum, p. 2. t. 37. c. 4. num. 21. 22.

Principes an Beneficia pleno jure conferre possint, p. 2. t. 25. c. 9. n. 2. & seq.

Principum terræ de jure tenentur ad Decimas, p. 2. t. 33. c. 7. n. 7. Fiscales Brabantiæ, sustinent Dominia Ducis ab iis per consuetudinem esse immunia, ibid.

Principibus de Bonis Ecclesiasticis liberaliter subveniri probat Ecclesia, sub certa tamen cautela, p. 2. tit. 35. c. 3. num. 5. & seq.

Principum immediata protectio.

Vide Visitatio.

Principum obligatio pro exstirpatione hæresum, p. 3. t. 4. c. 2. n. 41. & seq. Decreta Imperatorum & Principum Belgii in hac materia, ib. n. 43. & seq.

PRIOR.

Prior inter Monachos hodie dicitur qui olim vocabatur Præpositus, p. 1. t. 31. c. 2. n. 1.

Prior Conventualis dicitur qui est caput conventus, ib. num. 11. Etiamsi tantum sit Triennalis non potest ante finem suæ administrationis removeri, nisi ex causa & servato Juris ordine,

Non tamen requiritur causa tam gravis quam requiritur ut Clericus privetur Beneficio, ibid. nu. 19. Censentur constituti in Dignitate; secus Claustrales, ibid. n. 21. Possunt delegari Judices, ibid. n. 23.

Priores Conventuales habent curam animarum & Beneficium Curatum, ibid. c. 3. n. 1. 2. In eorum electionibus maturè deliberandum, ib. n. 3. & c. 8 n. 1. & 7. Eorum officium, authoritas & qualitates in iis requisitæ, ib. n. 4 & seq. & ib. c. 10. n. 8. & seq. Quænam ætas in iis requiratur, ib. n 11. An debeant promoveri ad Sacerdotium, ib. c. 20. n. 9. & p. 2. t. 19. c. 4. num. 23.

Prior Claustralis quis, & unde ita dicatur & ejus officium, p. 1. t. 31. c. 1. n. 4. & seq. Ad nutum Abbatis est amovibilis, ibid. n. 17. Non tamen si Abbas sit commendatarius, ib. num 20.

Prior Obedientiarius quis & unde dicatur, ib. nu. 5. Debet esse ad nutum amovibilis, ib. n. 17.

Vide Obedientia.

PRIVILEGIUM.

Privilegia contra Jus Commune censentur odiosa, p. 3. t. 12. c. 5. num. 1. & seq. Regulanda sunt juxta usum antiquum, p. 2. t. 33. c. 7. nu. 41. Privilegia adversus speciales contractus, se non extendunt, ibid. Privilegium nimium præjudicans ex æquitate vel ex arbitrio boni viri restringendum, ib. n. 41.

Privilegium Canonis an inducat excommunicationem latæ sententiæ adversus violentum Percussorem Clerici, p. 3. t. 11. c. 6. n. 20. An talis non denuntiatus sit vitandus, p. 3. t. 11. c. 5. n. 19. 20. Cujus fori sit hoc crimen, ibid. Forma qua Romæ in Pœnitentiaria absolutio conceditur, p. 1. t. 23. c. 3. num. 19.

Privilegium Fori.

Vide Immunitas.

PROBATIO.

Probatio quid sit & circa quid versetur & cui incumbat, p. 3. t. 7. c. 5. nu 2. & seq. Jus Commune item præsumptio Juris & de Jure, rejiciu[nt] onus probandi in Adversarium, ibid. num. 8. 21. Idem sæpe facit possessio, ib. n. 14.

Probationes superfluæ ut evitentur, inductæ sunt positiones quibus pars adversa tenetur respondere sub juramento per credit vel non credit, ibid. nu. 29. 30. Qua forma & solemnitate hæc fiant & quomodo Judex in iis se gerere debeat, nu. 32 & seq. Super quibus positiones hæ non admittantur, ibid. Si pa[rs] jussa à Judice, respondere recuset, articuli illi habentur pro confessis, ibid. n. 35. An hæc responsio fieri posset per Procuratorem, ib. n. 39. Ad factum quod quis putat esse verum, non licet respondere per non credit citra perjurium, ibid. nu. 42 In Gallia usus hujus responsionis per verbum credit, Edicto prohibitum & quare, ib. n. 41.

Probationes præcedere debet sententia Judicis qua ad probandum partes admittantur, p. 3. t. 7. c. 6. nu. 3. 4. Ab hoc Decreto in Curiis Ecclesiasticis datur appellatio, p. 3. t. 9. c. 1. num. 14.

Probationes efficacissimæ sunt quæ fiunt per testes, p. 3. t. 7. c. 6. num. 1. Regulariter duo testes omni exceptione majores plenè probant, ib. nu. 11. 12. Super eodem facto non plures producendi quam decem, ibid. num. 6. In probatione consuetudinis usus vel styli Curiæ, proceditur per Turbas, & quot Turbæ requirantur, n. 17. & seq.

Probatio per instrumenta quænam dicatur, ib. c. 7. n. 1. Scripturæ signatæ à publicis Graphiariis vel Secretariis vel munitæ publico sigillo plenam fidem faciunt, ib. n. 37. Item acta judicialia debitè conscripta & registrata,

Antiquæ scripturæ & vetusta insignia antiqui libri & historiæ quam fidem faciant, ibid. num. 38. Quid de libris conscriptis per Officiales publicos, ibid. num. 40. Instrumentum, scriptura desumpta ex Archivio publico, plenam fidem faciunt etiamsi fuerint minus solemnia & quænam dicantur Archivia publica, ibid. num. 41. 42. Copiis licet authenticis, in Judicio fides non adhibetur & quare, ibid. num. 46. Instrumentis publicis plena fides adhibetur quoad ea quæ dispositivè asserunt, ibid. n. 52. An fides instrumenti per testes possit enervari, ib. num. 53.

Probationem per scripturam requirunt dispositiones excedentes summam 117. Florenorum in Gallia & Belgio, variisque Regnis, ib. n. 55. & seq. Non tamen per hoc excluditur Juramentum litis decisorium, item confessio partis, ibid. n. 57. Quam fidem faciant libri Mercatorum, ibid. n. 59. Quam fidem hodie faciant privatæ scripturæ, ib. n. 60. Privata scriptura, etiam minus solemnis, probat contra scribentem & in judicio recognita, habet paratam executionem, ibid. n. 63. & seq. Quomodo scriptura alicujus probari posset, ib. n. 74.

Probatio Tonsuræ hodie in Belgio non admittitur nisi per litteras nec admittuntur Testes nisi in casu quo registrum foret deperditum,

Index Rerum & Verborum.

ditum, quam perditionem is qui allegat probare tenetur, p. 1. t. 1. c. 1. n. 8. Idem obtinet in probatione ordinum, ibid. cum seq. Item Professione Religiosa, p. 1. t. 27. c. 1. n. 3. 6.

Probatio Juris patronatus quomodo fiat, p. 2. t. 25. c. 3. n. 19. & seq. Quomodo probetur infeudationem decimarum factam fuisse ante Concilium Lateranense, p. 2. t. 33. c. 4. n. 27. Quomodo probetur Jus ad honores sive Jura honorifica, p. 2. t. 25. c. 7. n. 38.

Probationes certissimæ in criminalibus, præsertim ubi de pœna corporali agitur, requiruntur, p. 3. t. 8. c. 3. nu. 25. Ubi tales habentur, non licet Reum applicare ad Torturam, ib. n. 31. 32.

PROCESSIONES.

Processionum indictio, directio, ritus & forma ad Episcopum plenè spectat, p. 1. t. 16. c. 9. n. 11. & seq. Quænam in iis attendenda & cavenda, ib. n. 13. An conveniat ut in iis Sanctorum reliquiæ cum Venerabili deferantur, ibid. n. 14. Ad illas exempti omnes accedere, vocati tenentur, ibid. nu. 19. Capitula etiam exempta nequidem titulo immemorialis consuetudinis se excusare possunt, ibid. n. 20. Episcopi possunt antiquas Processiones mutare vel etiam in totum abrogare si abusus id postulent, ib. n. 21.

Processiones cum Venerabili quo tempore inceperint & qua forma Venerabile in iis delatum, p. 2. t. 4. c. 5. n. 1. & seq. Apud Græcos unicâ exceptâ ignotæ, ibid. n. 3. Quænam in eis cavenda, ib. n. 21. & seq.

Processionis honor unde ortus, cui & quomodo debeatur, p. 2. t. 25. c. 7. n. 4. & seq. Quinam processionaliter recipi possint, ib. num. 8. 9.

PROCESSUS.

Vide causa, Judicium.

PROCLAMATIONES.

Proclamationes seu propositiones nominum Ordinandorum profluunt ex antiqua disciplina, p. 2. t. 9. c. 4. n. 20. & seq. Earum scopus, ibid. n. 28. Qua forma faciendæ, ibid. num. 25. Circa quæ inquirendum & quænam præcipue denuntianda, ib. n. 23.

Proclamationes Matrimoniales jam pridem vocatæ Bannum & quid illa vox significet, p. 2. t. 12. c. 3. n. 1. 2. Ejus origo, utilitas & scopus, ibid. n. 4. & seq. Quo tempore? quibus diebus? quibus locis? & qua forma faciendæ, ibid. n. 5. & seq. Deferenda sunt impedimenta etiam occulta & quæ judicialiter probari nequeunt & super eo populus admonendus, ibid. n. 11. 12. Ob illarum omissionem matrimonium non redditur invalidum, nequidem in Gallia, nec obstant Edicta Regia, n. 14. 15.

Proclamationes ob quas causas remitti possint & qua cautela, ib. n. 16. & seq. Praxis & Edicta Regia in Gallia circa has dispensationes, ibid. n. 12. Quâ cautione Parochi concedere debeant testimonia pro impetranda dispensatione, ib. num. 24. Quam pernitiosum facilè dispensare, ibid. n. 25. Huic abusui Parochi in multis possunt occurrere, ib. n. 27.

PROCURATIO.

Procurationes dicuntur victualia subministranda Prælato visitanti, p. 1. t. 17. c. 2. n. 5. Quænam hoc nomine comprehendantur, ibid. n. 6. Ea sola accipere permittit Trid. & qua moderatione, ibid. num. 7. & seq. Episcopus eâdem die duas Ecclesias visitans contentus esse debet unica Procuratione, ibid. nu. 10. Non debetur ei visitanti Ecclesias suæ civitatis, ib. nu. 11. Procurationes debentur Metropolitano visitanti Provinciam, p. 1. t. 19. c. 4. nu. 5. Debentur & Legato Apostolico & qua moderatione, p. 1. t. 21. c. 2. n. 22. 23.

Procurationes moribus Belgii & vicinorum exigi non possunt à Laicis, p. 1. t. 17. c. 2. n. 16. 17. Moribus hodiernis per censuras subditi cogi non possunt ad earum solutionem, ibid. n. 18. Quæstio de earum solutione in Gallia coram Tribunali Regio agitanda, ibid. n. 17. Pœna visitatorum qui majores procurationes exigunt, ib. n. 19.

PROCURATOR.

Procuratore mediante matrimonium potest contrahi & quale mandatum requiratur, p. 2. t. 12. c. 4. n. 10. 11. Mandatum censetur revocatum etiamsi revocatio non sit intimata, ibid. n. 13. Procurator ad contrahendum matrimonium alium substituere non potest, ibid. n. 12.

Procurator quandonam admitti possit ad dandum suffragium in electionibus, p. 2. t. 21. c. 3. n. 17. Varia jura circa Electionem per Procuratores & eorum mandata, ibid. n. 18. & seq.

Procurator possessionem accipere potest, p. 2. t. 26. c. 2. num. 8. Possessio accepta tantum per Procuratorem non impedit in Gallia vacationem in Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 51. Consensus in Resignationem in curia præstari potest per Procuratorem; varia observanda in ejus constitutione circa qualitatem & expeditionem mandati, ejus expirationem & revocationem, p. 2. t. 27. c. 8. toto.

PROCURATOR AD LITES.

Procuratorem ad lites constituere Jure Romano non erat permissum, p. 3. t. 6. c. 3. nu. 2. Moribus Galliæ nemini præter Regem longo tempore licuit, vel nisi obtenta ab eo facultate, ibid. n. 3. Intellectus Cap. 7. ✠ de Procurat. ibid. nu. 4. Quandonam id abrogatum, ibid. n. 5.

Procuratores ad lites quandonam in curias Ecclesiasticas intraverint, ibid. n. 9. Apud Romanos erat officium vile, nu. 10. Eorum numerus limitatus & prævio examine admittuntur, ib. n. 11. Moribus hodiernis causæ agitari debent per Procuratorem Curiæ, ibid. n. 12. Etiam inviti coguntur ad causam suscipiendam nisi jurent se credere eam esse infundatam, ibid. n. 13. 14. Ex juramento suo non potest suscipere causam injustam, ibid. n. 16. Conjuncti sanguine aut habitantes in eadem domo non possunt in eadem lite pro utraque parte occupari, ibid. nu. 20. Non possunt protrahere lites aut superfluas dilationes petere, ibid. n. 21.

Procurator debet habere mandatum à suo Principali, nec sufficit quod caveat de rato, ibid. num. 23. 24. An cautio de rato aliquando admittatur, ibid. & nu. 25. Quomodo hodie mandatum expediri debeat, ibid. nu. 26. An post litem contestatam revocari possit, ibid. n. 27. An morte Principalis extinguatur, ibid. Hodie sententia non fertur in Procuratorem, sed in Principalem, p. 3. t. 9. c. 3. n. 16.

PROCURATOR.

Vide Cellarius.

PROFESSIO.

Professionis Religiosæ Ritus ex Regula S. Benedicti & aliorum, p. 1. t. 27. c. 1. num. 2. & seq. Solemnis Monachi benedictio olim usitata, quam vim habuerit, ibid. nu. 1. Tacita Professio hodie non admittitur, ib. nu. 7. Vestis Noviciorum hodie discrepat à vestibus Professorum & quare, p. 1. t. 25. c. 3. nu. 6. A parentibus olim oblati ante annos pubertatis vitæ Religiosæ postmodum adstringebantur, ibid. n. 9. Hodie nemo adstringitur nisi per liberam Professionem, ibid. n. 10. Admissioni ad Professionem annexum est jus ad sustentationem, p. 1. t. 26. c. 1. nu. 8. Professio nulla est facta ante expletum annum Novitiatus.

Vide Novitius.

Professionis antiquæ formulæ nullum votum aut Regulam exprimebant, p. 1. t. 27. c. 3. n. 1. 3. Primus observantiam Regulæ inclusit S. Benedictus, ibid. n. 4. Paupertatis & Castitatis vota censentur tacitè inclusa, ibid. n. 6. Voti Castitatis primus expressam mentionem fecit S. Franciscus, p. 1. t. 30. c. 1. n. 3. 4. Quid stabilitas de qua in Regula S. Benedicti, p. 1. t. 27. c. 3. n. 9. Etiam in omni professione censetur inclusa, ibid. nu. 8.

Professio qua ætate fieri potuerit olim & quæ ætas hodie requiratur, p. 1. t. 27. c. 2. n. 1. & seq. In Concilio Trid. paratum erat decretum requirens ætatem 18. annorum & cur ab eo recessum, ib. n. 7. Varii ordines majorem ætatem requirunt, ibid. n. 10. Si professio fiat ante tempus per statuta dictorum ordinum requisitum, sed post annum 16. erit valida, ib. n. 11.

Professio hodie non nisi per scripturam probari potest nisi allegetur Registrorum perditio, ib. c. 1. n. 6.

Professio solvit Matrimonium ratum non consummatum, p. 2. t. 15. c. 1. n. 8. & seq.

Vide Votum.

Professio tollit irregularitatem ex defectu Natalium, non tamen reddit capacem Prælaturæ, p. 2. t. 10. c. 3. n. 27. & seq.

Professione pensionarii extinguitur pensio, p. 2. t. 28. c. 9. num. 3.

Professionis nullitas deducenda est infra quinquennium etiamsi causa adhuc duraret, p. 1. t. 27. c. 6. n. 3. 4. Exceptio, ibid. nu. 6. Reclamatio fieri debet per instrumentum authenticum, ib. nu. 10. Stylo Curiæ Romanæ datur restitutio & qua forma, ibid. n. 9. In Gallia hæc restitutio non admittitur, ibid. n. 10. Causa nullitatis coram quo deducenda, ibid. n. 11. Si habitum dimiserit non auditur nisi eo à reo assumpto, ib. n. 16.

Vide Votum, Novitius.

PROHIBITIO LIBRORUM.

Vide Libri Prohibiti.

PROMOTOR.

Promotoris nomen undenam derivatum, p. 3. t. 6. c. 5. n. 5. Formula institutionis promotorum, ibid. n. 6. Eorum officium, ib. n. 8. 9.

Promotorum varii excessus jam à sæculo XIV. notati, ibid. n. 10. & seq. Remedia quibus Synodi iis occurrere voluerunt, ibid. Non potest quemquam convenire, nisi habitâ informatione & cum magna discretione, ibid. nu. 14. Si aliter egerit quomodo puniendus, p. 3. t. 7. c. 1. n. 14. 15. Id maxime obtinet in causis Ecclesiasticorum, ibid. nu. 17. & p. 3. t. 6. c. 5. nu. 15. Juramentum Promotorum, p. 3. t. 6. c. 5. n. 16. & 24. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum adversus Promotores dissimulantes crimina, ibid. nu. 22. Juramentum & institutio Promotoris Universitatis Lovaniensis, ibid. n. 19. & 21.

Promotores moribus Galliæ debent esse Sacris Ordinibus initiati, ib. n. 26. Incommoda quæ oriuntur ex eo quod ad officium illud admittantur conjugati & sæpe tenuis fortunæ, ibid. nu. 27.

Promotor non tenetur sese inscribere ad pœnam Talionis, p. 3. t. 8. c. 1. nu. 13. Punitur ob malè institutam accusationem & quâ

pœnâ, ib. n. 14. Regulariter non condemnatur in expensas, ib. nu. 15. Quandonam in eas possit condemnari juxta ordinationes Curiarum, ibid. n. 16. 17.

PROPHANATIO ECCLESIÆ.

Vide Ecclesia, Cœmiterium.

PROPRIETAS.

Vide Peculium.

PROVINCIA.

Provinciæ Ecclesiasticæ olim eædem erant cum civilibus, p. 1. t. 19. c. 1. num. 5. & seq. Belgarum Privilegium quo nullo casu vel instantia extra Provinciam evocari possunt, p. 3. t. 5. c. 3. num. 10. & seq.

Vide Belgium.

Specialiter Privilegiati sunt Brabanti, ibid. num. 14. & seq. Quid in hac materia obtineat in Hispania, ibid. num. 23. & seq. Quid in Gallia, ibid. num. 26. Quid moribus Galliæ & Belgii censeatur eadem Provincia, ibid. num. 28. 30. Si Diœcesis in plures Provincias se extendat sæpe tenebitur Episcopus plures Officiales constituere, p. 1. t. 12. c. 4. num. 6. Faciunt id hodie Episcopi exteri quorum Diœceses se extendunt in Brabantiam, p. 3. t. 5. c. 3. n. 15. & seq.

PROVINCIALIS.

Vide Superior.

PROVISIO.

Vide Sententia Provisionalis.

PROVISIO APOSTOLICA.

Provisio in forma *dignum* unde dicta, p. 2. t. 24. c. 1. n. 1. Provisus remittitur ad Ordinarium ut ei de Beneficio provideat, ibid. n. 2. Ante hanc provisionem nullum adhuc habet titulum Beneficii nec illud potest resignare vel possessionem ejus accipere, ibid. num. 3. 4. 5. Ordinario recusante litteras Provisionis, ad quem recurrendum, ibid. n. 6.

Forma *dignum* dividitur in Antiquam & Novissimam & utriusque differentia, ibid. num. 7. 8. Formula litterarum Provisionis seu visa per Ordinarium, ibid. num. 9. Quis hic censeatur Ordinarius, ibid. num. 11. Ordinarius tenetur dare litteras seu visa si Provisus prævio examine repertus sit dignus, ib. c. 5. num. 14.

Provisio in forma gratiosa, p. 2. tit. 24. c. 1. num. 16. Forma signaturæ in hac Provisione, ibid. num. 18. Forma litterarum in hac Provisione, ibid. num. 20. 21. Deputantur Executores & quales, ibid. num. 22. In Gallia & Belgio non admittitur hæc Provisio quoad beneficia curata, nisi provisi ante aditam possessionem, subierint examen Ordinarii, ibid. num. 23. Ad quid inducta forma novæ Provisionis & quid operetur, ibid. cap. 2. num. 1. & seq. Formula rescripti *perinde valere* in quem finem detur? quid operetur? & quid in supplica pro eo obtinendo exprimendum, ibid. num. 5. & seq. Quid Rescriptum *perinde etiam valere*, ibid. num. 9. Quid Rescriptum *rationi congruit*; cur ita dicatur & quis ejus finis, ib. n. 11. & seq.

Provisiones Pontificiæ non censentur factæ motu proprio nisi disertè id exprimatur, ibid. c. 3. num. 2. In Gallia non admittebantur, ibid. num. 3. Provisio sæpe invalida est ob non rectam expressionem in supplica, ibid. num. 6. Quænam in supplica necessariò exprimenda, ibid. c. 4. nu. 1. & seq. Exprimendum Beneficium, quantumvis exiguum, ante obtentum & quare, ib. n. 30.

PROVISOR.

Vide Cellarius, Collegium.

PURGATIO CANONICA.

Purgatio Canonica jam pridem indici cœpit Clericis de crimine infamatis & quando & in quem finem & quo ritu, p. 3. t. 8. c. 4. n. 41. & seq. Quandonam inducta necessitas compurgatorum, ibid. num. 43. & seq. Compurgatores vocantur *manus* & inde dicitur *manu quinta, sexta, septima* pro numero compurgatorum, ibid. num. 47. Quot & quales compurgatores hodie requirantur & quid debeant jurare, ibid. num. 48. & seq.

Purgatio Canonica in Belgio nota fuit, ibid. num. 53. Concordata Hannoniæ concedunt Ecclesiastico Judici, facultatem eam Laico indicendi, ibid. nu. 54. In Curiis Sæcularibus vix ullus ejus usus, in Ecclesiasticis verò satis rarus, ibid. n. 55. 56. Non adhibenda nisi tamquam medium extraordinarium & rarò, ob periculum perjurii, ib. n. 57. 58.

Purgatio Canonica indicitur publicè de Simonia infamatis, p. 2. t. 30. c. 6. n. 31.

PURGATIO VULGARIS.

Purgatio vulgaris à sæculo septimo apud Europeos in usu & in quem finem adhibita, p. 3. t. 8. c. 4. num. 1. 2. Purgatio per aquam frigidam; & cur vocaretur Judicium, ibid. n. 3. 4. Ritus quo peragebatur, ibid. nu. 5. Orationes, Missa, adjuratio aquæ, exorcismi, qui eo casu adhibebantur, ibid. nu. 6. & seq. Quo ritu & adjuratione, subituris hanc purgationem, daretur communio, ibid. num. 9. 10. An probatio horum rituum rectè adscribatur Eugenio II. ibid. num. 15. & seq. Describitur Judicium aquæ ferventis, ibid. nu. 19. Describitur Judicium ferri candentis, ib. n. 21. 22.

Purgationum harum usus in quem finem valuerit & unde authoritas ei tribueretur, ibid. n. 24. Earum usus in Hispania, Gallia & Belgio multum invaluit, ibid. num. 23. 27. 28. Decretum à Gratiano relatum, sub nomine Gregorii, adversus has purgationes, non rectè S. Gregorio adscribitur, ibid. n. 29. 30. Varia Decreta Pontificum quibus purgationes vulgares reprobantur & abolentur, ibid. n. 33. & seq. Usus probationum vulgarium, præsertim adversus sagas adhuc hoc sæculo in aliquibus partibus perseveravit, sed sine ritibus Ecclesiasticis, ibid. nu. 37. 38. Ex antedictis ostenditur fallacia argumenti à praxi communi, ib. n. 40.

PURIFICATIO.

Purificationis Mulieris post partum origo, p. 2. t. 2. c. 5. num. 7. Fieri debet in propria Parochia & per proprium Parochum, ib. num. 8. Declaratio Congregationis Concilii Trid. in hac materia in favorem Parochorum Antverpiensium, ibid. n. 9. Purificationis Ritus, ib. n. 12. & seq.

Q.

QUALIFICATORES.

QUalificatores quinam sint & eorum officium, part. 1. tit. 22. cap. 3. num. 27. Eorum differentia à Consultoribus, ibid.

QUÆSTORES ELEEMOSYNARUM.

Quæstores eleemosynarum unde dicti & quo potissimum tempore cœperint, p. 2. t. 27. c. 3. num. 1. Eorum fraudes & excessus, ib. n. 5. 6. Frustra à Concilio Viennensi compescuntur, ib. num. 7. 8. Horribile eorum mercimonium circa Indulgentias ante Concilium Trid. ib. nu. 9. 10. Decreto ejusdem Concilii abolentur, ib. n. 11.

QUARTA FUNERARIA.

Quarta funeraria unde originem habeat; & quo jure Ecclesiæ Parochiali competat, p. 2. t. 38. c. 5. nu. 27. Semper vocatur Quarta etiamsi major vel minor sit, ibid. n. 29. Ex quibus obventionibus desumenda, ibid. nu. 31. 32. An in eam computandæ oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali, ibid. nu. 33. Hæc quarta consuetudine regitur & quid de ea habeat consuetudo Galliæ & Belgii, ibid. num. 36. 37. Concordata in hac materia debent attendi, ib. nu. 39. Quid in faciendis concordatis bene observandum, ib. n. 40.

QUADRAGESIMA.

Quadragesimæ tempus ut à populo suo sanctè transigeretur quid Sanctus Carolus providerit, p. 1. t. 16. c. 7. num. 12. Nuptiæ solemnes & traductio mulieris in domum viri eo tempore prohibentur & quare, p. 2. t. 13. cap. 2. num. 12. 14. 15. Consilii est, eo tempore ab actu conjugali abstinere, non præcepti, ibid. num. 16. Antiqua est consuetudo confitendi in initio Quadragesimæ, p. 2. t. 6. c. 4. num. 8. Eam reduci optant Synodi Belgicæ, ibid.

QUATUOR TEMPORA.

Quatuor Tempora in quem finem instituta, p. 2. t. 9. c. 4. num. 30. Extra ea ordinationes fieri non possunt, ibid. c. 5. num. 18. Solus Papa super eo dispensat, ib. & n. 19.

R.

RAPTUS.

RAptus gravissimè olim fuerunt puniti Legibus Romanis, p. 2. t. 23. c. 10. num. 1. Item Belgicis, ibid. num. 2. Videtur quod olim inter Raptorem & Raptam nunquam potuerit consistere Matrimonium, ibid. num. 3. 4. 5. Quandonam receptum ab ea recedi, ibid. num. 6. Decretum Concilii Tridentini circa impedimentum Raptus & in quo à pristina disciplina recedat, ibid. num. 7. 9. Pœnæ à Concilio Tridentino decretæ adversus Raptores & quinam illas incurrant, ibid. num. 10. & seq. In Gallia attenditur Raptus seductionis quoad filios familias & in eo fundatur ibidem nullitas matrimonii eorum, invitis parentibus, ibid. n. 13. 14. & p. 2. t. 12. c. 4. n. 22. 23.

Raptus in quo differat à stupro violento & ejus pœna.

Vide Stuprum.

In Gallia solus Judex Sæcularis de Raptu cognoscit, p. 3. t. 2. c. 1. num. 23. Item in Brabantia, p. 3. t. 4. c. 4. n. 44.

RECONCILIATIO ECCLESIÆ.

Vide Ecclesia.

Index Rerum & Verborum.

RECONVENTIO.

Reconventio an institui possit coram Arbitro, p. 3. t. 5. c. 4. n. 6.

RECREDENTIA.

Recredentia est sententia Interlocutoria in materia Possessoria, p. 3. t. 2. c. 4. n. 15. Unde sic dicta, & ejus scopus & effectus, ib. & nu. 16. Modus quo ad illam adjudicandam proceditur, & quænam ad eam obtinendam exhibenda, ib. n. 19. Requiritur cautio & qualis, ib. n. 17. Non licet instituere duos distinctos processus, unum pro Recredentia & alterum pro pleno possessorio, ibid. n. 24. Sententia Recredentalis non ferenda, si causa sufficienter sit instructa ad plenum possessorium, ibid. nu. 27. Sententia Recredentalis sortitur executionem non obstante oppositione vel appellatione, ibid. Qui obtentâ Recredentiâ tribus annis mansit sine molestatione censetur Possessor triennalis pacificus, p. 2. t. 26. c. 4. n. 17.

RECUSATIO.

Recusatio quid sit, p. 3. t. 10. c. 5. n. 2. Quâ formâ debeat proponi, ibid. num. 4. Judex suspectus non removetur nisi à Parte fuerit uti talis recusatus, ibid. n. 5. Judex recusatus non potest cognoscere de causis suspectationis, ibid. num. 9. Eligendi sunt Arbitri & quâ formâ, ibid. n. 10. Cur hi dicantur Arbitri Juris, ibid. n. 11. More judiciario procedunt & ab eorum sententia datur appellatio, ibid. n. 12. Judex recusatus, Arbitris terminum potest præfigere intra quem procedere debeant, ib. n. 13.

Recusari quinam possint, ib. n. 14. 15. Hodie integrum Collegium seu Consilium recusari non potest, sed tantum singuli de Collegio, ibid. n. 17. 18. Causa suspicionis eo casu discutitur per alios non suspectos, ibid. Quid si maxima pars Concilii recusetur, ibid. n. 20. Si Vicarius Generalis Sede vacante recusetur, de causis recusationis judicat Capitulum, p. 1. t. 9. c. 4. n. 4. In Congregationibus Cardinalium non admittitur recusatio ex causa suspicionis, p. 1. t. 12. c. 6. n. 11.

Recusatio quo tempore litis proponi possit & debeat, p. 3. t. 10. c. 5. n. 21. 22. 23. Effectus recusationis legitimè propositæ, ib. num. 24.

REDUCTIO.

Reductio quâ ex causa facienda, p. 2. t. 5. c. 7. nu. 25. Ejus potestas competit Episcopis in Synodo & Abbatibus & Generalibus Ordinum in Capitulo Generali, ibid. De consuetudine Episcopi Belgii id possunt extra Synodum, sed Abbates & Generales non extra Capitulum, ibid. nu. 27. Decretum S. Congregationis reductiones omnes reservans S. Sedi, in Belgio non est receptum, ibid. n. 28. Quinam audiendi, ibid. nu. 29. Quænam causæ attendendæ, ib. n. 30.

Reductio pensionis quâ de causa facienda, p. 2. t. 18. c. 7. nu. 7. Si pensio excedat triennem fructuum in Gallia & Belgio non admittitur nisi reducatur, ibid. nu. 10. 11. Quisnam ad reductionem petendam admittatur, ibid. n. 8. 9. Qui si adsit clausula quod reduci non possit, ibid.

Reductio ad Arbitrium boni viri.

Vide Arbiter.

REFERENDARIUS.

Vide Relator.

REFORMATIO.

Reformatio Ordinum & disciplinæ Monasticæ ad quem spectet, p. 1. t. 32. c. 2. n. 3. Episcopus & Superior non potest solus procedere ad Reformationem, sed debet assumere Religiosos eandem Regulam professos, ibid. n. 4. Ad reformationem in Belgio & Gallia procedere non possunt Superiores extranei sine consensu Regis, ib. num. 18. Abbates Commendatarii nullam quoad hoc habent authoritatem, ib. n. 5.

Reformationibus authoritas Principum sæpe necessaria, & olim frequenter interveniebant per suos Legatos, ibid. nu. 7. & seq. Senatus Regii interveniunt, mandant Superioribus ut procedant, iisque alios adjungunt, item Consiliarios deputant qui assistant & Statuta Reformationis exequantur, ib. n. 10. & seq. Estque id conforme menti Concilii Trid. ib. n. 16.

Reformationis Decreta per appellationem non suspenduntur, ib. n. 19. & ib. c. 4. n. 9. Quænam præcipuè attendenda ut optatum finem & durationem habeant, ibid. n. 10. & seq. Ex Reformationibus ortæ sunt Congregationes, ibid. n. 23.

REFORMATIO JURIDICA.

Reformatio sententiæ in quo differat ab appellatione, p. 3. t. 12. c. 4. n. 3. A sententiis Magistratûs quatuor Primariarum Civitatum Brabantiæ non admittitur appellatio sed tantum reformatio, ibid. n. 2. Id Jus quibusdam Civitatibus Flandriæ competit, ibid. n. 4.

REGALIA.

Regalia quid sit, p. 1. t. 14. c. 5. num. 16. Quandonam dicatur aperta, ibid. Quid requiratur ut Clausura Regaliæ plenum effectum habeat, ibid. n. 14. 15. Magna ejus extensio in Gallia, ib. n. 17. & p. 2. t. 25. c. 8. nu. 28. Quid obtineat in Germania & Imperio & cur ibi moderatius agatur, ibid. p. 1. t. 14. c. 5. n. 18. Inter Episcopatus Belgii solus Tornacensis eidem subjectus, ibid.

Regalia nota tempore Innocentii III. etiam in Germania & Anglia, ib. n. 6.

Regaliæ definitio, natura & origo, p. 2. t. 25. c. 8. nu. 10. & seq. Primitus tantum se extendebat ad Bona Feudalia & quare, ib. n. 11. & seq. Unde factum quod hodie se ad Decimas aliaque bona extendat, ibid. n. 14. Unde postea etiam ad omnes Collationes Beneficiorum extensa, ib. nu. 18. Unde factum quod aliæ Ecclesiæ ei subjaceant, aliæ sint exemptæ, ib. n. 20.

Regaliæ extensio Decreto Concilii Lugdunensis prohibetur, ibid. n. 24. Quomodo nuper ad omnes Ecclesias Galliæ eo non obstante sit extensa & Regia super eo declaratio, ibid. n. 28. & seq. An Regalia sit Jus Coronæ, ib. n. 27. 29. Consensus Cleri Gallicani in hanc extensionem, item ejusdem litteræ super eo scriptæ ad Innocentium XI. & hujus responsio, item cassatio dicti consensus, ibid. nu. 34. & seq. Eo non obstante Regalia manet extensa ad omnes Ecclesias Regni, ib. n. 46.

Regaliæ usus & modificationes modernæ explicantur, & prima de Beneficiis litigiosis, ibid. nu. 47. & seq. Secunda quoad Beneficia & Dignitates curatas, ibid. n. 52. Tertia quoad Beneficia spectantia conjunctim ad Episcopum & Capitulum, ibid. n. 54. In has moderationes consensit Rex salva Regalia quoad cætera, ibid. n. 56. Quis Judex in materia Regaliæ & incidentium, ib. n. 57.

Regaliæ varia privilegia explicantur, ibid. nu. 58. & seq. eorum origo & ratio est obscura, nu. 64. Quomodo Ministri Regii in hac materia se gerere debeant, ibid. n. 66. Beneficia ad quæ se extendit Regalia, uniri non possunt aliis sine consensu Regis, p. 2. t. 29. c. 3. n. 12.

REGALIA S. PETRI.

Regalia S. Petri quænam in formula Juramenti Episcoporum intelligatur, p. 1. t. 13. c. 2. n. 11.

REGISTRUM.

Registro Baptismali & Matrimoniali quænam inscribenda, p. 4. t. 12. c. 6. nu. 20. Edicta in Belgio circa eadem, ibid. Plenam fidem faciunt, ibid.

REGRESSUS.

Regressus ob non impletam permutationem nec hodie sublatus, p. 2. t. 17. c. 7. n. 23. An requiratur nova Collatio, ibid. n. 19. An requiratur authoritas Judicis & cujus, ib. n. 22.

Regressus ob non solutam Pensionem non potest fieri sine authoritate & declaratione Judicis, p. 2. t. 18. c. 8. n. 15. Quamdiu eidem sit locus, ibid. In Gallia & Belgio non admittitur sed defectuosus in solutione condemnatur ad solvendum vel cedendum, ibid. n. 16. & seq.

REGULA.

Regulæ veteres erant privatæ institutiones Monachis datæ ex tempore, p. 1. t. 24. c. 1. n. 8. Primis sæculis vix litteris consignatæ, ibid. n. 10. Antiquitus usque ad S. Benedictum frequens earum mutatio & varietas in eodem Monasterio, ibid. nu. 11. 12. Olim nulla requirebatur approbatio regulæ & quando cœpta requiri, ibid. n. 13. 14. Non dicitur vera Religio quæ non profitetur Regulam ex approbatis, etiamsi tria vota emittant, ib. n. 15. Talia vota non dicuntur solemnia, ibid.

Regulam inter & constitutiones olim ignota fuit differentia, ibid. n. 16. Quænam sit inter ipsas hodie differentia, ibid. num. 17. & seq.

Regula vel capitulum ex ea quotidie in fine Primæ olim recitabatur, deinde adhuc vocatur ad absolutionem Capituli, p. 1. t. 32. c. 3. n. 26.

REGULÆ CANCELLARIÆ.

Regulæ Cancellariæ à quo tempore & in quem finem institutæ, p. 1. t. 23. c. 1. n. 16. & seq. & p. 2. t. 23. c. 4. nu. 4. & seq. Sunt tantum temporales & morte cujusque Pontificis extinguuntur, p. 1. t. 23. c. 1. n. 19. & p. 2. t. 23. c. 5. nu. 14. Vacante Sede Apostolica cessant, ibid. n. 15. Varia in quibus recentiores Regulæ à veteribus discrepant, ib. n. 7. & seq.

Regulas varias Belgium non agnoscit & quales, ibid. c. 4. n. 15. & seq. An novæ Regulæ ibidem recipi possint sine Placeto, p. 2. t. 25. c. 5. n. 23.

Regulis Cancellariæ in Gallia Rex non ligatur aperta Regalia, p. 2. t. 25. c. 8. n. 62.

Regula de verisimili notitia in quem finem introducta, p. 1. t. 23. c. 7. n. 4. & seq. In Gallia recepta est ut Lex Regni, ibid. n. 9. Quid requiratur ut notitia dicatur verisimilis, ibid. n. 11. In quibus Beneficiis hæc Regula locum habeat, ibid. n. 15. Etiam ligat Collatores ordinarios, ibid. nu. 16. An ei possit derogari, ibid. n. 17. In Belgio parum nota & quare, ib. n. 25.

Regula Cancellariæ de Idiomate, p. 2. t. 24. c. 4. n. 2. De quibus Beneficiis Curatis intelligenda, ibid. nu. 4. 5. Ejus derogatio in Gallia & Belgio non admittitur, ib. n. 7.

Regula de exprimendo vero valore.

Vide Annata.

Regula de non tollendo Jus quæsitum ad quæ se extendat, ib. c. 1. n. 3. 4. & ib. c. 5. n. 28. & seq.

Regula de non judicando juxta formam [illegible] sed tantum juxta Bul-

bul

lum in Belgio obtinet, p. 2. t. 24. c. 3. nu. 22. Non obtinet in Gallia quoad minora Beneficia, ibid. n. 19.
Vide Signatura.
Regula de Possessore Annali refertur; ejus utilitas & scopus, p. 2. t. 26. c. 3. n. 2. 4. Etiam in Gallia servatur, ibid. n. 3. Quinam eâ se tueri possint, ibid. n. 6. & seq. Non habet locum in Provisionibus Ordinariorum & quare, ibid. nu. 10. Qualis possessio requiratur ut huic Regulæ sit locus, n. 11. & seq. Quid exprimere debeat qui validè vult impetrare Beneficium ab alio pacificè per annum possessum, ibid. n. 14. Quoad tempus instituendæ Litis, item mulctam injunctam nec in Gallia nec in Belgio observatur hæc Regula, ib. n. 15. 16.
Regula de triennali Possessore servatur in Gallia ut Decretum Concilii Basiliensis, ib. c. 4. n. 2. Refertur, ibid. n. 4. Quænam requiratur Possessio ut quis se tueri possit per hanc Regulam, ib. n. 6. A quo tempore triennium incipiat currere, ibid. n. 7. & seq. Quænam Possessio hic censeatur Pacifica, ibid. n. 12. 13. An turbatus ab uno, censendus sit turbatus quoad omnes, ibid. n. 14. & seq. Qui, obtentâ recredentiâ, per tres annos sine molestatione possidit, censetur triennalis Pacificus, ibid. nu. 17. Requiritur titulus coloratus, quotuplex hic sit, & quo tempore adesse debeat, ibid. n. 18. & seq. Contra impeditum agere triennium non currit, & quodnam impedimentum ad hoc requiratur, ibid. n. 25. Requiritur protestatio intra triennium, n. 25. An currat adversus minorennem; item an huic possit subveniri per restitutionem in integrum, ib. n. 26. An Resignatarius triennalis Possessionis possit molestari, ibid. n. 27. Praxis hodierna si aliquis post triennalem Possessionem molestetur, ibid. n. 28. Hæc Regula non impedit Ordinarios ex officio procedentes adversus Possessores sine legitimo titulo, ibid. num. 29. 30. Possidens plura Beneficia per hanc Regulam non juvatur, p. 2. t. 20. c. 5. n. 18. An in Gallia Regalista possit molestare triennalem Possessorem, p. 2. t. 25. c. 8. n. 62.
Regula de Infirmis Resignantibus, p. 2. t. 27. c. 5. n. 1. Quis primus ejus author, ibid. n. 2. An obtineat in resignatione facta à non Infirmo, num. 5. & seq. Quænam infirmitas requiratur & quo tempore adesse debeat, ibid. nu. 9. 10. & 8. Quandonam resignans de eadem Infirmitate decessisse præsumatur, ibid. n. 12. 13. De quibus diebus hæc Regula intelligatur, & à quo tempore computandi, ibid. num. 14. & seq. An hæc Regula in Belgio locum habeat in Resignationibus factis coram Ordinario, vel causa permutationis, nu. 26. Derogatio hujus Regulæ est satis frequens & etiam in Gallia admittitur, num. 31. 32. Non tamen in Belgio & ratio diversitatis, ib. n. 33. 34.
Regula de publicandis Resignationibus & ejus ratio, ib. c. 6. n. 1. & seq. Quo loco publicatio facienda, ibid. n. 2. Quandonam publicatio censeatur facta, ibid. nu. 9. Intra quod tempus facienda & quomodo computandum, ibid. nu. 7. & 13. Solennis & realis acceptio possessionis æquivalet publicationi, ibid. nu. 10. Non sufficit possessio Juris, ibid. n. 12. Quænam sufficiant ut resignatio vigore hujus Regulæ non infirmetur, ibid. n. 16. 17. Edictum Regis Galliæ in favorem Patronorum & Indultariorum, ib. nu. 18. An huic Regulæ possit derogari aut tempus præfixum prorogari, ib. n. 22. 23.
Regula de Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias vel Monasteria, & ejus ratio, p. 2. t. 27. c. 4. n. 4. 5. Sapit reservationem propter quam in Gallia non admittitur, ib. n. 6.
Regula Cancellariæ de unionibus ut fiant in forma commissoria ad partes & vocatis quorum interest, ferè ubique servatur, p. 2. t. 29. c. 3. nu. 1. 2. In Gallia & Belgio ejus derogatio non admittitur, ib. n. 3. & seq.
Regula de octo mensibus.
Vide Reservatio.

REGULA DE ALTERNATIVA.

Vide Alternativa.

REGULÆ JURIS.

Regula Juris quid sit, p. 1. t. 3. c. 5. nu. 1. Quid pro intellectu earum inquirendum, ib. n. 2.

REGULARES.

Regulares ab omni successionis Jure sunt privati in Gallia & Belgio, p. 1. t. 29. c. 2. nu. 2. Idque immemoriali consuetudine confirmata per Edicta, ibid. n. 3. & seq. An Dispensatio Papæ, cum absolutione à voto, reddat eos capaces successionis, ibid. num. 10.
Regulares obligat Decretum Episcopi de non admittendo extraneos ad celebrandum sine sua licentia, p. 2. t. 5. c. 9. num. 8. Nullas possunt publicare Indulgentias nisi ab Episcopo examinatas & probatas, p. 2. t. 7. c. 3. nu. 15. Debent ordinari à proprio Episcopo & quis dicatur eorum proprius Episcopus, p. 2. t. 9. c. 2. n. 36. 38. Exceptio est, si proprius absit vel non ordinet, & quæ cautio tum adversus fraudes adhibenda, ib. nu. 40. Nullius privilegii obtentu, possunt evadere Examen Episcopi pro ordinibus, ib. c. 4. n. 5. Sæpe parum fidendum testimoniis Superiorum & quare, ib. n. 35.
Regularia Beneficia solis Regularibus professis conferenda, p. 2. t. 18. c. 3. n. 11. 14. Beneficia non curata sæcularia, iis conferri non possunt, ibid. n. 17.
Vide Beneficium.
Vide Monachus.

RELATOR.

Relator seu Referendarius ad exactius & facilius examen causarum designatur, unde sic dictus & per quem designandus, p. 3. t. 9. c. 2. n. 9. 10. Consiliarii Relationem certæ causæ sollicitare non possunt, ibid. n. 11. Relator Partibus litigantibus indicari non potest, ibid. n. 12. Delectus in Relatorum designatione habendus, nec designandi ad sollicitationem Partium, ib. nu. 13. 14. Nec designandus ille coram quo Testes auditi fuerunt, ibid. nu. 10. Quomodo causa per Relatorem in Consilio referenda, ib. n. 15.
Relator in Curiis Ecclesiasticis non est, quia unicus tantum ibi est Judex, ibid. nu. 18. In Tribunali quinque Judicum appellationis Universitatis Lovaniensis Relator designatur, ibid. n. 19.
Relator dicitur Cardinalis qui refert in Consistorio informationes super qualitatibus promovendi in Episcopum, p. 1. t. 12. c. 4. nu. 9. Quomodo relationem faciat, ibid. Cuinam hoc officium regulariter competat, ibid. n. 10.

RELIGIO.

Vide Ordo.

RELIGIOSUS.

Vide Regularis Monachus.

RELIQUIÆ.

Reliquiæ in Processionibus non deferendæ nisi à Clericis Sacris Ordinibus initiatis, p. 1. t. 16. c. 9. n. 13. An conveniat eas deferre in Processionibus simul cum Venerabili, ibid. num. 14. A quo tempore Reliquiæ SS. necessariæ in Dedicatione Ecclesiæ, & unde mos iste exortus, p. 2. t. 16. c. 3. nu. 12. 13. Ceremoniæ tam veteres quam hodiernæ in recondendo Reliquiarum novis Basilicis & Altaribus usitatæ, ibid. nu. 14. & seq. Reprehenduntur qui occasione Reliquiarum populum deserta Ecclesia sua Parochiali, ad sua oratoria alliciebant, p. 2. t. 33. c. 3. n. 4. Superstitio quomodo in cultu Reliquiarum sæpe se immisceat, p. 3. t. 4. c. 3. n. 56. Ab Episcopis tollenda, ib. n. 57.

REPROBATIO.

Reprobatio testium publicatis depositionibus, partibus hodie permittitur, p. 3. t. 7. c. 6. n. 50. Omnes testes de jure censentur idonei nisi specialiter ostendantur excepti, ib. n. 13. Judex Testem non repellit nisi parte opponente, ibid. nu. 14. Rationes ob quas Testis possit reprobari, ib. num. 51. An Testis ab una parte productus, possit ab eadem reprobari si contra ipsam producatur, ib. n. 53.
Reprobatione facta admittitur salvatio, ibid. n. 55. Qualis terminus datus est ad reprobandum, idem datur ad salvandum, ibid. nu. 56. Quænam in Reprobatione & salvatione collegari possint, ibid. n. 57. In criminalibus reprobationes fieri debent ante confrontationem & post illam reus ad reprobandum non admittitur, p. 3. t. 8. c. 3. n. 13.

RESCRIPTUM.

Rescriptum perinde valere quodnam dicatur, p. 2. t. 24. c. 2. n. 5. 6. & seq. Ejus usus, effectus & quid necessario pro eo obtinendo exprimendum, ibid.
Rescriptum perinde etiam valere quid sit, ibid. nu. 9. Nullus ejus usus est in Gallia & quare, ib. n. 10.
Rescriptum rationi congruit cur ita dictum, ib. n. 11. Ejus finis & effectus, ibid. n. 13. 14. Rarus est ejus usus in Gallia, n. 15.
Rescripta Romana quænam in Belgio debeant habere Placetum Regium & quænam non.
Vide Placetum.
In Gallia adversus rescripta Pontificia non instituitur directè appellatio tamquam ab abusu, sed tantum adversus eorum executionem, & hujus ratio, p. 3. t. 12. c. 4. n. 31.
Rescripta Moratoria conceduntur debitoribus ad inopiam redactis adversus liquidum debitum, & eorum effectus, p. 3. t. 9. c. 4. n. 8. Requiritur ut ante omnia præstetur cautio, ib. Quid circa hæc obtineat in Belgio, ibid. Non habent effectum adversus sententias quæ transiverunt in rem judicatam, ibid.

RESERVATIO BENEFICIORUM.

Reservationis Beneficiorum origo & progressus, item oppositiones Ordinariorum adversus easdem, p. 2. t. 23. c. 1. n. 3. & seq. Acta Conciliorum Constantiensis & Basiliensis pro earum abrogatione, ib. n. 33. & seq. Non ubique statim recepta, ibid. n. 37. Recepta fuerunt in Gallia sed postea per Concordatum Reservationes & exspectativæ restitutæ, ibid. num. 36. Acta & Decreta Concilii Tridentini pro earum abrogatione, ib. c. 2. n. 1. & seq.
Reservationes mentales quænam dicantur, ibid. n. 9. Abrogatæ sunt per Concilium Tridentinum, ibid.
Reservatio in corpore Juris clausa quænam dicatur, p. 1. t. 23. c. 3. n. 1. 2. An sub iis comprehendantur Reservationes in Extravagantibus contentæ, ib. c. 4. nu. 1. 2. Talis est Reservatio vacantium in Curia, ibid. n. 3. Hujus reservationis ratio, ibid. n. 4.

Digitiz

n. 4. Quandonam Beneficium dicatur vacare in Curia, p. 1. t. 13. c. 2. num. 4. & ibid. c. 4. num. 10. & p. 2. t. 23. c. 3. nu. 6. Pontifex ea conferre debet intra mensem, alias collatio revertitur ad Ordinarium, ibid. num. 7. 8. A quo tempore mensis computandus, ibid. num. 9. Vacante Sede, Ordinarii conferunt Parochiales vacantes in Curia, ibid. num. 11. Hæc Reservatio non censetur odiosa & ut eidem derogetur de ea facienda est mentio specialis, ibid. num. 14. 15. Pontifex ad instantiam Regis Galliæ, quandoque huic Reservationi per speciale Breve renuntiat, quantum ad certas Personas, ibid. n. 16. Non extendit se ad Beneficia Juris Patronatûs Laici, ibid. nu. 17. Nec ad Canonicatus Graduatos, ibid. c. 5. num. 27. & p. 2. t. 20. c. 1. num. 7.

Reservationes contentæ in Extravagantibus *Execrabilis* & *Ad Regimen* tantùm fuêre temporales, p. 2. t. 23. cap. 4. num. 3. Quandonam per insertionem in Regulas Cancellariæ factæ sint perpetuæ, ibid. num. 4. 5. Nec hæ Extravagantes, nec prima & secunda Regula Cancellariæ, nec additiones posteriorum Pontificum in Belgio receptæ, ib. n. 11. & seq.

Reservationes aliæ in Belgio non usitatæ nisi octo mensium vel Alternativæ, ibid. num. 21. Idem in Gallia observatur quoad Patriam obedientiæ, ibid. num. 20. Refertur Regula Cancellariæ de octo mensibus, ibid. c. 4. num. 4. Reservationes hæ sunt odiosæ & restringendæ, ibid. num. 6. Quomodo menses computandi, ibid. num. 7. In dubio quis præferendus an provisus ab Ordinario an Apostolicus, ibid. num. 9. 10. Mortuo Papa Reservationes cessant & Ordinarii liberè conferunt, ibid. num. 13. 15.

Reservationes in Belgio usu exceptæ sunt Ecclesiæ Parochiales, ibid. num. 17. Item Dignitates Electivæ, ibid. numer. 18. A Reservationibus exempti Canonicatus Graduati, ibid. nu. 21. An Beneficia Juris Patronatûs Laici omnino exempta, ibid. n. 22. & p. 2. t. 21. c. 2. num. 21. An Beneficia Patronatûs mixti, p. 2. t. 23. c. 5. num. 24. 25. In Belgio Beneficia cujuscumque Patronatûs, per usum videntur a Reservationibus exempta, ibid. num. 26. Idem est in Regnis Castellæ, ibid. num. 26. An Beneficia Patrimonialia & illa quæ certo generi personarum sunt conferenda, subjaceant Reservationibus, ibid. n. 27. In Belgio & alibi in multis Ecclesiis à Reservatione libera sunt Beneficia simplicia & quare, ibid. num. 29. Quo modo vacare debeat Beneficium ut locus sit reservationi, ibid. num. 30. in locis ubi reservatio mensium est, præventio locum non habet, ibid. cap. 7. num. 25.

RESERVATIO CASUUM.

Reservationis certorum peccatorum antiquitas, scopus, & utilitas, p. 2. t. 6. c. 7. n. 4. & seq.

Reservatio Papalis primis sæculis ignota, ibid. num. 8. Circa sæculum XI. incepit & ob quam rationem, ibid. nu. 9. & seq. Primitus nemo à casibus ei reservatis absolvebatur, nisi personaliter ad eum accederet, & ejus rei utilitas, ibid. nu. 12. Quinam à personali accessu excusarentur, ibid. num. 13. Illi poterant ab Episcopis absolvi, ibid. Quomodo hodie Romæ detur absolutio à casibus Papæ reservatis, p. 1. t. 23. c. 3. num. 19. & seq & p. 3. t. 11. c. 11. num. 23.

Reservationes Episcopales olim multò frequentiores erant quàm hodie, p. 2. t. 6. c. 7. num. 6. 7. Quænam in his Reservationibus attendenda, num. 20. 21. Facultas absolvendi à reservatis quam parcissimè concedenda, exemplo Antiquorum, ibid. nu. 23. & seq. Regulares nullo obtentu possunt absolvere à casibus Episcopo reservatis sine ejus approbatione, ib. num. 26. & seq. Facultas absolvendi à casibus reservatis Papæ non infert facultatem absolvendi à casibus reservatis Episcopo, ibid. num. 30. Episcopi possunt facultatem suam restringere & modificare, ibid. num. 31. Item certa peccata in certis personis & circumstantiis excipere, ibid.

RESIDENTIA.

Residentiam omnia Beneficia Jure Communi requirunt, p. 1. t. 7. c. 9. num. 1.

Residentiam eorum, qui curam habent animarum, esse Juris Divini, probatur ex Conc. Trid. p. 1. t. 3. cap. 3. num. 1. Edicta Regia in Belgio non permittunt concedi Placetum super provisionibus Beneficiorum Parochialium, sine expressione obligationis Residentiæ, ibid. num. 3. Synodi Belgicæ vix temporariam a Parochia absentiam, quantumvis brevem concedunt, ibid. n. 4. Earum rigor moribus nonnihil mitigatus, ib. nu. 5. Archipresbyteri tenentur ad residentiam in suis Districtibus, p. 1. t. 6. c. 1. num. 2.

Residere obligantur Canonici ex Decreto Concilii Trid. p. 1. t. 7. c. 9. num. 2. Quid sit residere, ibid num. 3. Sine causa nequidem ad tres menses abesse possunt, ibid. num. 5. Facilius à Residentia excusantur quam Pastores, ibid. c. 10. num. 1. In servitio Episcopi occupati excusantur à residentia, ibid. nu. 2. Non requiritur licentia Capituli, ibid. num. 3. Tantum duo, iique simplices Canonici, cum hoc privilegio assumi possunt, ibid. num. 4. Sub quibus conditionibus, ibid. In Gallia non admittitur resignatio Canonicatûs sub pensione, nisi resignans ad minus resederit 15. annis, p. 2. t. 28. c. 8. n. 30.

Residentiam Episcoporum esse Juris Divini, multis argumentis probatur, p. 1. t. 3. c. 3. num. 1. & p. 1. t. 16 c. 5. n. 1. & seq. Nec sufficit corporalis residentia sed requiritur laboriosa, nu. 10 & seq. Ab hac residentia excusare non potest ulla substitutio Vicarii, inveterata consuetudo, vel eminentia personæ &c. num. 6. 7. Causæ legitimæ absentiæ, earum usus & modificatio, ibid. c. 6. num. 1. & seq. Episcopi legitimè absentis obligatio, ibid. num. 13. Quam stricta residentia requiratur ut Episcopus Alternativâ in Collationibus Beneficiorum gaudere possit, p. 2. t. 23. c. 6. n. 8. & seq.

Vide Absentia.

Residentiæ obligatio causat incompatibilitatem Beneficiorum, p. 2. t. 20. c. 3. num. 1. & seq. maximè num. 11. Debet tamen esse obligatio præcisa, non causativa, & utriusque definitio, ibid. num. 14.

RESIGNATIO.

Resignationes omnes olim non erant nisi simplices renuntiationes, p. 2. t. 27. cap. 1. num. 1. Hodie in Curia Romana Resignatio in favorem vocatur resignatio simplex & resignatio simplex vocatur resignatio sine provisione, & hujus rei ratio, ibid. num. 5. & seq. Circa initium sæculi XVI. multum disputatum fuit, an resignationes in favorem essent licitæ? ibid. num. 12.

Resignare vel dimittere Beneficium, Jure Decretalium, nemo potest inconsulto Episcopo, ib. c. 2. n. 3. Quomodo eo non obstante renuntiationes simplices invaluerint, ib. n. 4.

Resignatio in favorem aliquando facta coram Ordinario, ibid. n. 5. Hodie reservatur Summo Pontifici, potius titulo dispensationis, quàm purgationis Simoniæ, ib & seq. Legatus illam admittere non potest nisi speciali facultate instructus, ibid. nu. 5. Apertâ Regaliâ Rex in Gallia admittit resignationes in favorem etiam retentâ Pensione, p. 2. t. 25. c. 8. n. 63. & p. 2. t. 27. c. 2. n. 12.

Resignatio fieri potest per Procuratorem etiam Laicum, ibid. c. 3. num. 1. Varia servanda in constitutione Procuratoris, qualitate & expeditione mandati, ejus exspiratione & revocatione, ib. n. 2. & seq.

Resignatio perficitur per consensum, quis consensus requiratur, ubi & quomodo præstandus, ib. n. 14. & seq. Dato Procuratorio ad resignandum coram Papa, non valet resignatio facta coram Ordinario, & quare, ib. n. 27.

Resignare sua Beneficia quinam hodie possint, p. 2. t. 27. c. 4. n. 1. An obtinens beneficium Parochiale illud possit resignare ultima die anni dati ad suscipiendum Sacerdotium, ibid. num. 2. 3. An promovendi ad Dignitates seu Prælaturas, quamdiu promoti non sunt, Regula Cancellariæ super eo, ibid. num. 4. An conventus criminaliter id possit ante sententiam privationis, ibid. num. 7. Collatio beneficii in casum privationis, in Gallia & Belgio non admittitur, ibid. num. 11. An in Gallia & Belgio valeat resignatio etiamsi resignans aliunde nihil habeat, ibid. num. 15. An minorennes possint Beneficia sua resignare, ibid. num. 17. Prohibentur resignare iis sub quorum sunt potestate, ibid. num. 19. Quamdiu resignanti maneat libertas eâ resignatione resiliendi, ib. c. 7. n. 1. & seq.

Resignationes vi quarum non est accepta & solemnis & realis possessio, in Gallia attendi vetantur, ib. c. 6. n. 11. In Gallia non admittitur resignatio Canonicatûs sub pensione, nisi resignans ad minus resederit, 15. annis, p. 2. t. 28. c. 8. num. 30.

RESPONSIO.

Vide Interrogatoria, Probatio.

RESTITUTIO.

Restitutio lucri ex ludo vetito an & quousque obtineat in Belgio, p. 1. t. 2. c. 5. n. 6.

Restitutionem fructuum quas absenti studiorum causa concesserat, petere potest Capitulum, si is qui illas percepit transeat ad vota sæcularia, p. 1. t. 7. c. 10. nu. 8. Ad restitutionem fructuum Beneficii obligatur qui ut promotionem ad ordinem annexum evaderet, lites sibi fingit, p. 2. t. 19. c. 3. n. 8. Item qui Beneficium accipit sine intentione ordinem ei annexum suscipiendi, ib. n. 19. Tenetur ad restitutionem Ecclesiæ qui Beneficium contulit vel ad illud præsentavit minus dignum, omisso digniori, & quomodo, p. 2. t. 31. c. 4. nu. 11. Victus in lite, victori tenetur ad restitutionem fructuum & quomodo hi taxentur, p. 3. t. 9. c. 3. num. 31.

RESTITUTIO IN INTEGRUM.

Restitutio in integrum an detur adversus lapsum quinquennii dati ad reclamandum adversus nullitatem Professionis, p. 1. t. 27. c. 6. num. 9. An detur Minorenni adversus Triennalem Possessorem, p. 2. t. 27. c. 4. num. 26. An detur Ecclesiæ adversus alienationem factam debitis solemnitatibus, p. 2. t. 36. c. 4. num. 48.

Restitutio adversus renuntiationem reductionis insertam compromisso, nimis facile conceditur, p. 3. t. 5. c. 4. num. 36. In Belgio non conceditur Restitutio ut post publicatas depositiones liceat producere testes, super iisdem vel contrariis articulis, p. 3. t. 7. c. 6. num. 48. Non facilè concedenda adversus lapsum Fatalium, p. 3. t. 10. c. 2. num. 43.

REVISIO.

Revisio aliter vocatur propositio erroris, p. 3. t. 12. c. 4. num. 5. Describitur, ibid. num. 6. Debet peti à Principe vel ejus Senatu per libellum, & quidnam hic continere debeat, ibid. n. 7. 8. Intra quod tempus petenda & instituenda, ibid. num. 9. 10. Judices causæ eidem interveniunt, ibid. num. 11. Eisdem à Principe adjunguntur alii vocati Adjuncti, ibid. num. 12. Ex quibus hi assumendi, ibid. nu. 15. 16. Eorum Juramentum, ib. n. 17.

Revisio institui debet ex iisdem actis, ibid. n. 20. Nullum omnino habet effectum suspensivum, ib. n. 21.

REX.

Vide Indultum, Preces Imperiales, Princeps, Regalia.

RITUS.

Ritus Ecclesiastici nullo titulo ad cognitionem Laicorum spectare possunt, ne quidem titulo Juris Honorifici, p. 2. t. 25. c. 7. num. 18.

Vide Sacramentum.

S.

SACRAMENTUM.

Sacramenti variæ acceptiones, p. 2. t. 1. c. 1. num. 1. Minuta Sacramenta Catechumenorum, quænam olim dicta & eorum effectus, p. 1. t. 2. c. 3. n. 33. 34.

Sacramentorum institutio & numerus, p. 2. t. 1. c. 1. n. 3. Eorum explicatio per formam & materiam, quandonam & quâ ratione inceperit, ib. n. 6. 7.

Sacramenta quænam dicantur necessaria & quænam voluntaria juxta Canonistas, & quænam juxta Theologos, ibid. n. 9.

Sacramentalis character quid sit & variæ de eo sententiæ, ibid. nu. 11. Sacramenta non iterabilia olim rursus fuerunt collata, dum de eorum validitate rationabiliter dubitatum fuit, ib. num. 15. Quandonam sub conditione administrari ceperint, ibid. n. 16. Quænam Sacramenta & quibus casibus sub conditione iteranda, ibid. & n. 17. 18.

Sacramentorum ordinarius minister in sua Parochia est Parochus, p. 1. t. 3. c. 1. num. 5. & p. 2. t. 1. c. 2. num. 15. Quomodo vitam suam instituere debeat, ut semper sanctè ea administrare possit, p. 2. t. 1. c. 2. num. 1. Quomodo ante eorum administrationem se debeat præparare, ibid. num. 2. Quomodo in ipsa administratione se gerere, ibid. num. 3. Tenetur semper esse paratus ad ea administrandum, ibid. num. 6. Etiam tempore Pestis, si nullus alius adsit, ibid. n. 7. Meritò tempore pestis speciales Presbyteri pro infectis designantur, ibid. nu. 7.

Sacramentorum Ritus in quem finem adhibiti, ib. n. 8. Adhibendi juxta præscriptum Ritualium cujusque Ecclesiæ, ibid. n. 11. Ab iis recedere non licet sub prætextu quod Ritus contrarius magis conformis sit Ritui primitivæ Ecclesiæ aut alio quocumque prætextu, ibid. num. 12. & p. 2. t. 2. c. 1. nu. 32. Libros Rituales Episcopi meritò sæpius revidere debent, p. 2. t. 1. c. 2. num. 13.

Sacramenta gratis sunt administranda & cavendum ab omni exactione, directè vel indirectè, etiam prætextu paupertatis, ib. c. 3. n. 1. & seq. Per hoc Populus non liberatur ab observanda consuetudine aliquid offerendi, ib. nu. 7. Quænam circa receptionem à Parocho observanda, ibid. num. 13. & seq.

Vide Jura Pastoralia.

SACRILEGIUM.

Sacrilegii rationem habet peccatum carnis admissum cum persona voto castitatis obstricta, p. 3. t. 4. c. 4. num. 68. Fornicatio cum Moniali, statutis Italiæ punitur pœnâ mortis, ibid. Ad cujus forum hoc crimen spectet juxta concordata Brabantiæ, ibid. Pœnæ Clericorum in peccatum carnis incidentium, ibid. nu. 69. Quâ pœnâ afficiendus Sacerdos filias suas spirituales corrumpens, aut ad libidinem provocans, ibid. num. 41. & 69.

SALVATIO.

Vide Reprobatio.

SANCTIO PRAGMATICA GALLIÆ.

Sanctio Pragmatica Galliæ ubi, quandonam & à quo edita, p. 1. tit. 13. cap. 2. num. 7. Ex Decretis Concilii Basiliensis fuit concinnata, ibid. Electiones Episcoporum restituit Capitulis, & Confirmationes Metropolitanis, & abolet & limitat Reservationes, ibid. num. 8. Multum concertatum fuit super ejus abrogatione, ibid. Tandem per Concordatum inter Leonem X. & Franciscum I. abrogatur, ibid.

SCHISMA.

Schisma quid propriè sit & quis illud facere censendus, p. 3. t. 4. c. 2. num. 51. Quâ ratione sit crimen Ecclesiasticum & quâ ratione civile, ibid. num. 92.

SCHOLA.

Scholas suas olim, durante vitâ communi, Capitula habebant, quibus qui præerat vocabatur Scholasticus, p. 1. t. 11. c. 4. n. 1. 2. Item Episcopi habebant Scholas pro suo Clero, quibus successerunt Seminaria, p. 2. t. 11. c. 1. num. 1. & seq. Utilitas & antiquitas Scholarum puerorum, ibid. c. 5. num. 1. & seq. Media quibus Synodi Belgicæ voluerunt promoveri earum restaurationem, ib. n. 2.

Scholarum illarum cura & visitatio est penes Scholasticos, ib. nu. 16. Circa quæ debeant in sua visitatione inquirere, ib. nu. 17. Ubi Scholastici non sunt penes Archipresbyteros, ibid. nu. 14. Per hoc tamen non excluditur Parochus, ibid. num. 20. Ad eandem Scholam masculi simul cum puellis non admittendæ, ibid. num. 19.

SCHOLÆ DOMINICALES.

Scholæ Dominicales ad quid præcipuè institutæ, ibid. num. 6. Vota Synodorum Belgii pro earum instauratione, ibid. num. 2. & seq. Edicta Principum pro earum restauratione, ibid. num. 8.

SCHOLASTICUS.

Scholasticorum origo, p. 1. t. 11. cap. 4. num. 1. 2. Olim simplex Beneficium, ibid. num. 3. Eorum officia, ibid. num. 6 & seq. Per se formandæ juventuti incumbere debent, ibid. numer. 5. Eorum Jus & cura in constituendis Scholarum Magistris, ibid. num. 6. & p. 2. t. 11. c. 4. num. 16. Sæpius Scholas frequentare debent, ibid. num. 16. & p. 2. t. 11. c. 4. num. 7. Circa quæ in visitatione sua inquirere debeant, ib. n. 17. & seq.

SCRIPTURA.

Scripturâ fieri debent omnes dispositiones excedentes summam 300. florenorum in Gallia, Belgio, & variis Regnis & quare, p. 3. t. 7. cap. 7. num. 55. 56. Non requiritur ad substantiam actûs, sed tantum ad probationem, ibid. num. 58. Ideoque in judicio non excluditur juramentum litis decisorium, nec confessio in judicio facta, ibid. num. 57. Quid de libris Mercatorum, ib. n. 59.

Scriptura privata quam fidem faciat, ibid. num. 61. & seq. Facit fidem contra scribentem, etiamsi esset minus solemnis, & sine subscriptione, ibid. num. 63. Scriptura à Scribente in judicio recognita paratam habet executionem, ibid. num. 68. & seq. Edicta circa hanc recognitionem in Gallia & Belgio, ibid. nu. 72. 73. Quomodo Scriptura probetur, ib. n. 74.

Scriptura etiam minus solemnis extracta ex Archivio publico, plenam fidem facit, ib. n. 41.

SCRUTINIUM.

Scrutinii forma ex *Cap. Quia propter de Electionibus*, p. 2. t. 21. c. 4. num. 10. Quænam electiones hac forma celebrandæ, ib. num. 15. & p. 1. t. 31. c. 8. num. 5. & seq. Non requiritur in electione Superiorum Regularium qui non sunt perpetui, ibid. numer. 17. Quænam forma in illa requiratur & sufficiat, ibid.

Scrutatores tres assumendi ex ipsis Electoribus; unde sic dicti & eorum

Digitized by Google

eorum officium, p. 2. t. 21. c. 4. num. 11. & seq. Modus quo in hac electione exquiruntur, dantur & publicantur suffragia, ibid. num. 15. & seq. Suffragia non absolutè data sunt rejicienda, ut charta alba, ibid. num. 19. Publicato Scrutinio facienda est communis electio, ibid. num. 24.

S E C R E T A R I U S.

Secretarii in Curia Romana olim nulli erant & quare, p. 1. t. 23. c. 4. num. 1. Secretarii Status, authoritas & officium, ibid. numer. 2. Quid Secretarius Brevium & ejus officium, ibid. num. 5.

Secretarius Episcopi debet esse Notarius, ut litteras Collationis Beneficiorum possit expedire, p. 2. t. 21. c. 2. num. 16. An excusari possit eorum exactio pro litteris Ordinationum, p. 2. t. 30. c. 1. num. 17. & seq. Convenit ut sua salaria recipiant ab Episcopo, ibid. num. 20. In quibus causis eorum actis plena fides habeatur, p. 3. t. 6. c. 4. num. 11. & seq.

Secretariis Collegiorum Ecclesiasticorum, & in quibus causis actis eorum fides adhibeatur, ibid. num. 13.

S E D E S V A C A N S.

Vide Capitulum Sede Vacante.

S E M I N A R I U M.

Seminariorum origo & antiquitas, p. 2. t. 11. c. 1. num. 1. & seq. Eorum instauratio per Concilium Tridentinum, ibid. n. 7. 8. Eorum scopus, ibid. num. 9. Magnus delectus habendus quoad admittendos, ibid. num. 11. Simplices Sacerdotes in iis nolebat educari S. Carolus, ibid. num. 14. Major morum quam ingenii ratio habenda, ibid. cap. 2. num. 2. Divites sumptibus Seminarii admitti non possunt, ibid. num. 4. 5. Obligantur ad refusionem expensarum, si in statu Ecclesiastico non perseverent, num. 6. In variis Diœcesibus super eo requiritur cautio, ibid. Item tenentur ad refusionem expensarum, si assumere nolint officium quod Episcopus eis injungendum existimaverit, ibid. Tenentur promittere, quod si ad pinguiorem fortunam devenerint, Seminarium de bonis suis temporalibus adjuturos, ibid.

Seminarii cura spiritualis Episcopis committitur, ib. n. 7. In directione disciplinæ tenetur audire consilium duorum de Capitulo, non tamen sequi, ibid n. 8.

Seminarii visitatio quandonam instituenda, ibid. n. 9. Ejus scopus & forma ex S. Carolo, ibid. n. 10.

Seminario Rector sive Præses præficiendus, ejus officium & qualitates in eo requisitæ, ibid. nu. 12. 13. Qualitates in Professoribus requisitæ, ibid. Quænam in Seminariis præcipuè docenda, ibid. num. 14. Officium & qualitates Confessarii Seminarii, ib. c. 1. n. 17. 18.

Seminariis fundandis media per Concilium Tridentinum suggesta, p. 2. t. 11. cap. 3. & seq. Duo priora non videntur habuisse effectum in Belgio & quare, ibid. num. 4. Maximè conveniens est Beneficiorum simplicium incorporatio & quare, ibid. n. 5. 6. Episcopis quoad hoc plenissima tribuitur authoritas, ibid. num. 9. 10. In Belgio non admittitur quantum ad Beneficia Juris Patronatûs Laici, ibid. num. 8. Difficulter Episcopus perfringet, nisi interveniat authoritas Regia & quare, ib. num. 11.

Seminarii temporalia administranda sunt per Episcopum cum Consilio quatuor Deputatorum, & per quos hi constituendi, ibid. n. 12. Distincti sunt a duobus Canonicis pro administratione spirituali assumptis, ibid. n. 13. Tantum habent votum consultivum, ibid. num. 14.
Vide Collegia Academica.

S E N A T U S.

Senatus Regii sunt Assessores Regis seu Principis, p. 3. t. 6. c. 1. n. 3. & seq. Consiliarii eorumdem censentur familiares & Domestici Regis, p. 1. t. 7. c. 10. n. 12. Eo titulo percipiunt fructus Beneficiorum in absentia, ibid.

Senatus Præsidiales debent cedere Capitulis Cathedralibus, p. 1. t. 8. c. 1. n. 4. & seq.

Senatorum Parisiensium indulta circa Beneficia.
Vide Indultum.

Senatus Regii quomodo visitationi Episcopali interveniant, p. 1. t. 17. c. 4. num. 11. & seq. Mandata in visitatione circa divinum officium & correctionem morum, nequidem titulo abusus ad eos possunt devolvi, p. 3. t. 10. c. 4. num. 43. Non possunt cognoscere de doctrinis & moribus Concionatorum, Confessariorum aliisque materiis purè Spiritualibus, vel Episcopos in earum cognitione impedire, part. 1. tit. 16. cap. 8. num. 23. 24.

Senatus Regii uti non possunt coactione adversus Episcopum denegantem approbationem vel *visa*, sed partes remittere debent ad Superiorem, p. 2. t. 16. cap. 1. num. 25. Quæstiones super juribus honorificis in quantum Ritus Ecclesiæ concernunt, ad eorum cognitionem non spectant, part. 1. t. 25. c. 7. num. 18. Nullo modo se immiscere possunt causis Sacramentalibus, etiam matrimonii quantum ad vinculum, p. 3. t. 2. c. 1. num. 4. & seq. De quibus causis matrimonialibus possint cognoscere, ibid. num. 22. & seq. An & quomodo de simonia inter Clericos possint cognoscere, p. 2. t. 30. c. 6. n. 36. & seq.

Senatus Regii quomodo Reformationi Regularium interveniant, p. 1. t. 32. c. 2. nu. 7. & seq. Quibus casibus ad eos Regulares possint habere recursum, ibid.

Senatus Regii in Belgio & in Gallia soli cognoscere possunt de materia Decimarum insolitarum, p. 2. t. 33. c. 9. num. 15. 16. Item de possessorio retinendæ & recuperandæ possessionis, & quo titulo, & à quo tempore, p. 3. t. 2. c. 4. num. 2. & seq. & num. 39. Materia Portionis congruæ quo titulo ad eorum cognitionem spectet, ibid. num. 38. & p. 2. t. 34. c. 7. num. 10. Quam vim in hac materia habeant eorum sententiæ provisionales, ib. n. 11.

Senatus Regii in Gallia cognoscunt de causis miserabilium Personarum etiam adversus Clericos & quo titulo, p. 3. t. 2. c. 3. num. 21. 22. Item de causis variorum Prælatorum & corporum Ecclesiasticorum tam activè quàm passivè, p. 3. t. 1. c. 4. num. 15. & seq. Non tamen de causis concernentibus functiones sacras, ib. n. 35.

Senatus integer recusari non potest, sed bene quilibet de Senatu, p. 3. t. 10. c. 5. num. 17. 18. Quid si major pars recusetur ad quem spectet de causis recusationis judicare, ibid.
Vide Forum Competens.

S E N T E N T I A.

Sententia quid sit, p. 3. t. 8. c. 1. num. 1. Quid sententia Definitiva & quare hæc sola propriè dicatur sententia, ibid. num. 3. Quid sententia interlocutoria, ibid. num. 4. Variæ ejus species, ibid. num. 6. Quandonam censeatur habere vim definitivæ, ibid. n. 7.

Sententia Provisionalis quid sit? cur ejus usus inductus & quandonam & in quibus casibus locum habeat, ibid. n. 14. Ei locus est in causis ubi est periculum diminutionis divini cultûs, item in causis alimentorum, ibid. n. 15. 16. Portionis congruæ, &c. ibid. num. 20. An & quousque justa causa quando Monachus litigat contra Abbatem, ibid. nu. 21. 22. Potest peti hæc provisio in quacumque parte litis & in quacumque instantia, ibid. nu. 18. & 24. In ipsa sententia exprimendum est sententiam tantum esse provisionalem, ib. n. 25.

Sententia Provisionalis de Jure ferri potest per Judicem causæ principalis, ib. n. 26. In Gallia authoritas Judicis Ecclesiastici in hac materia multum est restricta, ib. n. 27. Quid obtineat in Belgio, ibid. n. 28. Quam vim habeant sententiæ provisionum Consiliorum Regiorum in materia Portionis congruæ, p. 2. t. 34. c. 7. n. 11. & seq.

Sententia quomodo concipienda & in scriptum redigenda sit, p. 3. t. 9. cap. 3. num. 1. & seq. Quâ forma, quâ die, per quem & quibus præsentibus pronuntianda, ibid. numer. 9. & seq.

Sententia prolata die festo est nulla etiamsi ante fuerit concepta, p. 2. t. 17. cap. 4. num. 6. A tempore Justiniani in Tribunalibus Ecclesiasticis vetitum erat sententias in scriptum redigere, & quare, part. 3. t. 7. cap. 3. num. 3. & seq. & p. 3. t. 9. cap. 3. num. 6.

Sententia definitiva pronuntiari debet super expensis damnis & interesse, ibid. num. 18. Si id omiserit hodie super eo admittitur appellatio, ibid. num. 19. In sententiis interlocutoriis expensæ reservantur in definitivam, quod non per omnia probandum, ib. nu. 26. Quomodo expensæ, damnum & interesse hodie taxentur, ibid. n. 28. & seq.

Sententiæ omnes debent in libro particulari registrari, p. 3. t. 6. c. 4. num. 8.

S E P U L T U R A.

Sepultura Honorifica justorum probata per Scripturam & Patres, & quare, p. 2. t. 38. c. 1. n. 1. & seq. Apud Romanos summus sepulturæ favor, ibid. nu. 5. Expensæ funerariæ ante omne æs alienum solvendæ, ibid. nu. 7. Creditores prætextu debiti Sepulturam impedire non possunt, ibid. nu. 8. Perstringitur inhumanitas quorumdam Pastorum, qui cadavera, quæ per suam Parochiam transferuntur arrestant prætextu juris sibi competentis, ib. n. 9. & ib. c. 4. n. 56. & seq.

Sepulturæ sive apparandi & efferendi cadavera ritus plerique à Romanis exorti, ibid. numer. 11. & seq. Immodica

luctûs indicia à Gentilibus adhibita, fuêre à Patribus in funeribus improbata & quare, ibid. num. 32. Psalmi Officium & usus cereorum unde exorti, ibid. num. 36. & seq. & n. 27.
Vide Officium Defunctorum.

Sepultura Vespertina non facilè permittenda, ibid. num. 43. Missa celebranda est præsente corpore & antiquo more, ibid. num. 42. & seq.

Sepultura urbana olim vetita & quare, ibid. c. 2. num. 1. & seq. Quomodo eo non obstante invaluerit, ibid. numer. 11. & seq.

Sepultura in Ecclesiis multis sæculis prohibita, ibid. num. 26. & seq. Qua occasione & quibus motivis hodiernus mos sepeliendi promiscuè in Ecclesiis invaluerit, ibid. num. 31. & seq. Decreta Synodorum pro restringendis sepulturis in Ecclesiis & reducendis Sepulturis in Cœmiteriis, ibid. num. 37. & seq. Ad quem spectet concedere locum Sepulturæ in Ecclesia, ibid. num. 46. Inter Jura honorifica Patrono competit Jus Sepulturæ in Ecclesia etiam in choro, ibid. & part. 2. tit. 25. cap. 7. num. 29.

Sepulturæ locus Jure communi est Ecclesia Parochialis aut ejus Cœmiterium respectu omnium Parochianorum, p. 2. t. 38. c. 3. num. 2. Quinam in ordine ad Sepulturam censentur Parochiani, ibid. num. 7. An Famuli, Ancillæ & commensales Monasteriorum censendi sint Parochiani, ibid num. 16. Quid de Oblatis Monasteriorum, ibid. num. 12. & seq. Ubi sepeliendi Canonici aliique Beneficiati, ibid. num. 18. An sepulchrum Majorum præferendum Ecclesiæ Parochiali independenter ab electione, ibid. num. 19. & seq. Quid prosit Sepultura in loco Religioso, ibid. num. 23. 25. Ubi sepeliendi uxor, item filii familias non electâ sepulturâ, ibid. n. 27. & seq.

Sepulturæ electio cuilibet est libera, ibid. num. 26. Quibus argumentis electio probetur, ibid. num. 32. & seq. Pœnæ adversus eos qui fideles sollicitant ut Sepulturam apud suam Ecclesiam eligant, ib. n. 40.

Sepultura gratis facienda, ibid. c. 4. num. 1. & 12. Stipendium constitutum ex ærario publico pro Clero Constantinopolitano ad hoc, ut exequiæ gratis fierent, ibid. & num. seq. Ministri qui efferunt & comitantur funera Constantinopoli, ibid. num. 5. & seq. Omnis exactio pro loco sepulturæ & exequiis per Canones & Decretales vetita, ibid. num. 14. & seq. Non tamen vetitæ oblationes & quid hoc nomine veniat, ibid. num. 22. & seq. & num. 27. Quid de pallio feretro imposito, ibid. num. 32. & seq. Quibus cedant oblationes funerariæ, ibid. nu. 36. Laicis similiter vetitum infringere laudabiles consuetudines offerendi, ibid. num. 37. Conveniens fuit ut oblationes consuetæ taxarentur, per quos & quare, ibid. num. 41. & seq. Taxæ jurium authoritate Regia pro Comitatu Namurcensi, item pro Civitatibus Mechliniensi & Antverpiensi; referuntur & explicantur, ibid. num. 44. & seq. Reprobatur mos exigendi jura ratione cadaveris quod transfertur per limites Parochiæ & cadavera in eum finem arrestandi, ibid. c. 1. num. 9. & ib. c. 4. num. 56. & seq. Unde verisimiliter hic mos ortus sit, ibid. num. 56.

Sepultura Ecclesiastica quare aliquibus denegetur, ib. c. 6. nu. 7. Quibusnam illa deneganda, ibid. num. 8. & seq. Non semper concedenda iis, qui in extremis acceperunt absolutionem, ibid. n. 23. Quomodo Parochus in denegatione Sepulturæ se gerere debeat, ib. n. 29. 34.

Sepultura excommunicati polluit Ecclesiam & quare, ibid. nu. 30. 31. Corpus hujusmodi exhumandum, & qua authoritate, ib. n. 32. 33.
Vide Exequiæ; Quarta Funeraria.

SERVITUS.

Vide Impedimentum Matrimonii.

SIGILLUM.

Sigilli appositio in instrumento quid operetur, p. 3. t. 7. c. 9. nu. 63. & 71. Scriptura munita sigillo publico plenam fidem facit, ibid. num. 38. Improbantur exactiones pro Juribus sigilli, p. 2. t. 30. c. 1. num. 16. & seq.

SIGNATURA.

Signatura quid sit, unde sic dicta & quid contineat, p. 2. t. 24. c. 3. num. 8. & seq. Quâ forma Papa signet, p. 1. t. 23. c. 2. num. 11. Modus quo Signatura per manus Officiariorum Curiæ obambulat & expeditur, ib. n. 15. & seq.

Signatura duplex est, una per *fiat* altera per *concessum*, utriusque differentia & quæ præferenda, p. 1. t. 23. c. 2. n. 12. & 23. & p. 2. t. 24. c. 4. n. 32. 33.

Signatura expedita gratia censetur perfecta, & ad quid necessaria Bullarum expeditio, p. 1. t. 23. c. 2. num. 21. 22. & p. 2. t. 24. c. 3. num. 11. 12. Regula Cancellariæ de non judicando juxta signaturam, ibid. num. 13. An Signatura sine Bullis aliquando fidem plenam faciat, ibid. num. 17. In Gallia sola Signatura sine Bullis sufficit in plerisque Beneficiis & quare, ibid. num. 19. Cautio quæ adhibetur adversus fraudes, ibid. nu. 20. Formula quâ Signatura ibidem verificatur per Banquarios, ib. num. 21. In Belgio necessariæ sunt Bullæ in forma expeditæ, ibid. num. 22. Sufficit Signatura in extinctione Pensionis, p. 2. t. 27. c. 9. n. 24.

Signaturæ tres partes describuntur, p. 1. t. 23. c. 2. num. 13. & p. 2. t. 24. c. 3. num. 9. Quænam in prima & secunda parte necessariò exprimenda, ibid. cap. 4. num. 1. & seq. Explicantur clausulæ tertiæ partis Signaturæ, ibid. cap. 5. num. 1. & seq.

SIMONIA.

Simoniacum est admittere aliquem ad Religionem amore pecuniæ, p. 1. t. 26. c. 1. num. 4. & seq. & ibid. c. 2. num. 9. Similiter accipere pecuniam pro admissione, ibid. num. 5. Item exigere pro sustentatione Professuri quando Monasterium est sufficiens, ibid. num. 6. Item exigere pecuniam ut Monasterio provideatur de mediis unde sustentare professurum poterit, ib. num. 16. & seq. An titulus Paupertatis excuset, ibid. c. 2. n. 1. & seq. Fœda Simonia est exigere pecuniam pro conviviis in die vestitionis & Professionis, ib. 7.

Simoniam redolet exactio jurium in admissione ad Beneficia, p. 2. t. 16. c. 2. num. 30. 31. & p. 2. t. 30. c. 3. num. 10. Item in Ordinationibus etiam ratione salarii Notarii & Ministrorum, ibid. c. 1. num. 37. & seq. Variæ Constitutiones Pensionum de Simonia suspectæ, p. 2. t. 28. cap. 3. num. 6. 7. & seq. Adhuc magis suspectæ sunt earum redemptiones, ibid. c. 9. n. 21. 22. Conventio de redimenda Pensione manifestè Simoniaca, ib. n. 23.

Simonia omnium criminum gravissimum semper reputatum, p. 2. t. 30. c. 1. num. 1. In quo ejus inordinatio consistat, ibid. num. 2. & seq. Primis sæculis magis actum contra Simoniacas ordinationes & posterioribus magis contra Simoniacas provisiones Beneficiorum & quare, ibid. num. 10. Species aliquot Simoniæ etiam hodie in Ordinationibus alicubi inveniuntur, ibid. num. 16. Eos non minus detestatur Ecclesia quam olim, ibid. num. 15. Probatur venditionem Beneficiorum esse Simoniam de Jure Divino, ib. c. 7. n. 6. & seq.

Simonia quibus modis committatur.
Vide Munus.

Simoniæ vitium quàm commune olim fuerit, ibid. c. 3. num. 1. & seq. Consuetudine inolita factum ut sine remorsu conscientiæ fieret, ibid. num. 4. & 9. Variis Palliis hoc vitium tegitur quibus detegendis aptissima est sententia, Gratis accepistis gratis date, ibid. n. 12. & seq.

Simoniæ Pallium est separatio temporalis à spirituali, item dare per modum motivi, ib. c. 4. n. 1. & seq. & n. 11. & seq. Multis exagitatur & reprobatur, ibid.

Simoniæ aliud Pallium est sub specie Pietatis & Eleëmosynæ, ib. c. 5. num. 1. 2. 5. Abominabile est pecunias simoniacè accipere ut ex iis construantur vel juventur Monasteria, ibid. num. 3. 4. Quinam sub hoc Pallio Simoniam committant, ibid. num. 7. 8.

Simoniæ aliud Pallium est redemptio vexæ, & an quandoque possit à Simonia excusare, ibid. num. 10. & 15. Improbatur transactio in lite super Beneficio mediante refusione expensarum, ib. n. 13.

Simoniæ aliud Pallium dictum gratuitæ remunerationis multis reprobatur, ibid. num. 16. & seq. Quænam attendenda ut sciatur an munera animum collatoris moverint, ibid. num. 20.

Simoniacorum pœna antiquitus erat perpetua depositio, nec post pœnitentiam restituebantur, p. 2. tit. 30. c. 6. num. 1. & seq. Qua ratione ordinationes eorum dicebantur irritæ, ibid. num. 7. 8. Hujus pœnæ justitia, ibid. num. 10. Militat etiam in simoniacè provisis de Beneficiis, ib. n. 11.

Simoniaca provisiones declarantur irritæ, ib. n. 14. & seq. Sufficit Simonia conventionalis ut detur locus huic pœnæ, ib. nu. 17. Qui per Simoniam ab altero se ignorante commissam provisus est, debet Beneficium illud dimittere, ibid. num. 23. 24. 26. Excipitur si Simonia commissa sit in fraudem Provisi, ibid. nu. 25. Simoniacus occultus Beneficium dimittere tenetur, ibid. num. 30. Deponi non potest, sed indicitur purgatio Canonica si sit publicè de Simonia infamatus, ibid. num. 31. Ut quis ob Simoniam a Beneficio deponatur requiritur sententia Judicis, ibid. num. 33.

Simoniacus tenetur ad restitutionem fructuum, ibid. num. 40.

Simonia est crimen purè Ecclesiasticum & de eo solus Judex Ecclesiasticus directè adversus Clericos cognoscet, ibid. n. 34. 35.

Quo-

Quomodo Judex Laicus aliquando de hoc crimine cognoscat etiam adversus Clericum, ib. n. 36. 39.

Simoniam tollere Pontifex non potest, sed tantùm in pœnis adversus Simoniacos dispensare, ibid. c. 7. num. 12. 13. Quantâ moderatione hæ dispensationes olim concederentur, & mala, eo non obstante, inde secuta, ibid. num. 20. & seq. Rationes ob quas posset esse licita dispensatio in Simonia, num. 28. Stylus Datariæ quoad expeditionem hujus dispensationis, ibid. num. 29. Exprimendi fructus malè percepti in finem compositionis cum Camera Apostolica, ibid. num. 30. Quo fundamento fructus simoniacè percepti debeantur eidem Cameræ Apostolicæ, ibid. num. 31. Hæc compositio in Gallia non admittitur, ibid num. 32. Quomodo expediatur dispensatio in Pœnitentiaria, ibid. num. 34. & seq. Raro dispensatur cum Simoniacis, ibid. num. 40.

SOCIETAS JESU.

Societas Jesu admissa fuit per Regem in Belgio sub hac expressa conditione, quod se non poterunt ingerere exercitio ullius rei spectantis ad munus Pastorale, sine scitu, consensu & beneplacito Curatorum, p. 1. t. 3. c. 7. num. 3. & p. 1. t. 24. c. 3. nu. 14. An possit succedere Parentibus & conditio quoad hoc adjecta admissioni ejus in Gallia, p. 1. t. 29. c. 2. num. 9. Annumeratur Mendicantibus & quo titulo, ibid. c. 4. num. 17. Votum illorum post biennium Novitiatus potest quodam sensu dici solemne, p. 1. t. 30. c. 1. num. 15. Non solvit Matrimonium ratum non consummatum, uti professio Religiosa, p. 2. t. 15. c. 1. num. 12. Immunitas eis concessa à Decimis per Gregorium XIII. ad quæ se extendat, p. 2. t. 33. c. 7. num. 43.

SORTILEGIUM.

Sortilegii definitiones, species, & malitia, p. 3. t. 4. c. 3. nu. 1. & seq. Inter maleficia reputantur, ibid. num. 5. & seq. Legibus Romanis puniebantur pœna Capitis qui de statu Reipublicæ aut salute Principis sortilegos consuluissent, ibid. num. 11. Tempestariis Necromanticis variisque aliis Leges decernunt vivicomburium, num. 19. & seq. An licita sint sortilegia ad bonum finem & an maleficium maleficio possit tolli, ibid. nu. 29. & seq. Edicta Principum Belgii contra magos & sortilegos & specialiter contra eos qui vocantur Ægyptiaci, ibid. nu. 47. 48. Episcopi & Pastores tenentur populum monere & præmunire adversus hujusmodi Impostores, ibid. num. 54. Item ut caveant de suspicionibus, ib. n. 60.

Sortilegii crimen cujus fori sit tam in Gallia quàm Belgio, ibid. n. 51. 52. Quantâ circumspectione Judex in his causis procedere debeat, ibid. num. 53. Unde fiat quod in locis ubi magna inquisitio adversus sagas non instituitur, longè minori numero de hac materia quàm alibi reddantur suspectæ, ibid. Tortura in hac materia multis incommodis est subjecta, part. 3. tit. 8. cap. 3. num. 38.

SPECTACULA.

Spectaculorum foeditas & abominatio à SS. Patribus graphicè depingitur, p. 2. t. 17. cap. 5. num. 8. & seq. Quantum adferant periculi, ibid. Spectacula hodierna, vulgo dicta comœdiæ, item Opera, ab iis non multum dissimilia, ibid. num. 12. Lex Theodosii quâ spectacula prohibentur diebus Dominicis & festivis, etiamsi inciderent in eas dies Natalis Imperatoris, ibid. num. 4. 6. Prohibentur hodie tempore Divini Officii, ibid. num. 13.

SPOLIA CLERICORUM.

Vide Successio.

SPONSALIA.

Sponsaliorum definitio, p. 2. t. 12. c. 1. num. 2. Olim etiam apud Gentiles matrimonio præmitti solita, & hodie ob varias rationes meritò præmittuntur, ibid. num. 3. Publicè coram Parocho contrahenda, & cur potiùs coram Parocho Sponsæ quam Parocho Sponsi, ibid. num. 4. 5. Quo ritu fieri debeant, ibid. num. 6. & seq. Circa quæ Sponsi præcipuè admonendi, ibid. num. 16.

Sponsalia clandestina sunt valida, ib. n. 12.

Sponsalia impuberum de Jure sunt valida, & quæ ætas requiratur, ibid. num. 13. A Parochis non admittenda, ibid. num. 14.

Sponsalia si alterutra pars nolit adimplere, an cogi possit & quibus mediis, ib. c. 2. n. 2. An conveniat illam cogi, ibid. n. 3. Quid circa hæc obtineat in Gallia, ibid. n. 7. & seq. Quid in Belgio, ibid. n. 10.

Sponsalia mutuo consensu inita, mutuo consensu dissolvuntur, ibid. num. 11. Fallit in sponsalibus impuberum & quare, ibid. num. 12. Item in sponsalibus publicè coram Parocho contractis & quare, ib. n. 22. & seq.

Sponsalia variis ex causis dissolvuntur, ex quibus, & quid circa quamlibet attendendum, ibid. num. 13. & seq. Cur faciliùs admittant conditionem suspensivam quàm matrimonium, p. 2. tit. 13. cap. 3. num. 6.

SPORTULÆ.

Sportulas exigi vetat S. Carolus in Curia Ecclesiastica, p. 3. t. 5. cap. 1. num. 39.

STABILITAS.

Stabilitas quæ vovetur juxta Regulam S. Benedicti quid importet, p. 1. t. 27. cap. 3. num. 9. Etiam tacitè continetur in formulis recentioribus, ibid. num. 8. Ad perpetuam clausuram non adstringit, ibid. c. 2. num. 3.

STATIONES REGULARIUM.

Stationum quæ sit origo & natura, p. 1. t. 3. c. 8. nu. 3. Nullum jus tribuunt quantumvis diuturnæ, concionandi invito Parocho, maximè si per se id facere velit, ibid. num. 2. 4. Id variis sententiis confirmatum, num. 5. & seq. Idque etiamsi Jus nominandi Stationarium sit penes Pastorem primitivum vel Æditous, ibid. num. 9. Quæ à Pastore observanda circa Stationarios, ibid. c. 9. num. 1. & seq. Convenit ut apud Pastores hospitentur potiùs quàm apud Laicos, ibid. nu. 5. Episcopus non potest Regulares in Stationibus suis continuare adversus Parochum volentem & sufficientem per se prædicare, ibid. nu. 3. & seq. Explicatur Clem. dudum de sepult. ibid. num. 4.

STATUÆ.

Statuæ vel imagines minus honestæ Clericis interdictæ, p. 1. t. 2. c. 3. nu. 11. Contra illas quocumque loco positas frequenter conciones instituendæ, ibid. Qui illas retinent absolutione non facilè donandi, p. 3. t. 4. c. 4. num. 67.

STATUTA.

Statuta Capitularia aliquando abusus continere possunt etiamsi à Sede Apostolica sint confirmata, part. 1. t. 7. c. 5. num. 12. Hinc cæco modo in ea non jurandum, ibid. num. 13. & p. 2. t. 26. c. 2. num. 23. Ab Episcopis revidenda & corrigenda, ib. num. 24. Clausula Generalis derogationis Statutorum in litteris Apostolicis apponi solita quid operetur, part. 2. tit. 24. cap. 5. num. 26.

STREPITUS FORENSES.

Strepitus Forenses diebus Dominicis & Festivis quiescere debent, p. 2. t. 17. c. 4. num. 1. Leges & Canones super hac materia, ibid. num. 2. & seq. Sententiæ, etiam ante conceptæ pronuntiatio, ejusdem executio, examen Testium, hisce diebus facta, nulla sunt & invalida, ibid. num. 6. 7. 8. Idem est de omnibus actibus judicialibus, etiamsi fiant de consensu Partium, ibid. num. 9. Quibus de causis in hoc possit dispensari, ibid. num. 10.

Strepitus Forenses, ut evitarentur, inducta fuit Jurisdictio Ecclesiastica, p. 3. t. 1. c. 1. num. 1. & seq. & ibid. num. 54. & c. 3. num. 1. & seq. Imminutio Jurisdictionis Ecclesiasticæ eorum inductioni potissimùm adscribenda, ibid. c. 2. num. 34. & p. 3. t. 2. c. 4. num. 47. & seq. part. 3. t. 2. c. 1. num. 32. Quo tempore in Tribunalia Ecclesiastica inducti, ibid. num. 20. 21. Clericis & Monachis iis implicari vetitum, p. 1. t. 31. c. 9. num. 15. & p. 3. t. 6. cap. 2. num. 52. & seq. & ibid. cap. 3. num. 34. & seq.

STUPRUM.

Stuprum quid sit & in quas personas committatur, quæ ejus pœnæ de Jure Civili, item juxta Canones Pœnitentiales, p. 3. t. 4. c. 4. nu. 30. & seq. Moderatio pœnarum per Jus Canonicum introducta hodie servatur, ibid. n. 33. 35.

Stuprator tenetur stupratam dotare & ducere in uxorem, ibid. n. 34. Usus tamen reduxit ad alternativam ad optionem Stupratoris, nisi adsit promissio, quæ facilè præsumitur, ib. n. 35. Tenetur Stuprator ad alimentationem prolis, ibid. num. 36. Quandonam mulieri credatur prolem ex Stupratore esse natam, ibid.

Stuprans virginem nondum viri potentem punitur pœnâ mortis, ibid. n. 37. Item Custos carceris stuprans captivam, ibid num. 39. Quâ pœnâ afficiendi Tutor stuprans suam Pupillam, ludimagister pueros suæ disciplinæ concreditos, ibid. n. 38. & 40. Quid de Sacerdote filias suas spirituales stuprante vel ad libidinem provocante, ib. n. 41.

Stuprum violentum quid sit & in quo differat à raptu, ibid. nu. 42. 43. Ejus pœna atrocissima antiquis Legibus Brabantiæ, ib. nu. 44. Ejus pœna hodierna, item eorum qui operam præstant, & Parentum qui dissimulant, ibid. Actio criminalis in

in casu Stupri violenti non cessat per contractum matrimonium aut condonationem Partium, ibid.
Vide Defloratio.

SUBDIACONATUS, SUBDIACONUS.

Subdiaconatus multis sæculis Ordinibus Minoribus annumeratus fuit p. 1. t. 1. c. 3. n. 1. Etiam postquam lex continentiæ ei fuit annexa, ibid. n. 2. Hodie Ordinibus Sacris annumeratur, ibid. num. 3. De servanda castitate serio monendi, ibid. num. 4.
Subdiaconorum officia verbis Pontificalis expressa, hodie ad solam Epistolæ decantationem reducuntur, ib. n. 5. 6. Illa tamen antiquitus in Ecclesia Latina inter Officia Subdiaconi non numerabatur, nec hodie in Ecclesia Græca, ibid. Obligantur ad recitandas Horas Canonicas, ib. n. 7.

SUBSIDIUM.

Subsidia liberalia de bonis Ecclesiæ Regibus pro defensione Regni contribui, ab Ecclesia probatur sub certa moderatione, p. 2. t. 35. c. 3. n. 6. & seq.
Subsidia primum Clero imposita fuerunt occasione Belli Sacri & vocata sunt Decima, ibid. nu. 11. & seq. Ex quibus bonis, quâ quotâ, pro quo tempore ea colligerentur, ibid. num. 14. 15. Clerus sollicitus fuit ne invitus cogeretur, ibid. num. 16. Aliquando restitit ne quod dabatur ut gratuitum, in necessitatem verteretur, ibid. n. 22.
Subsidiorum horum occasione quantâ servitute Clerus oppressus in Gallia fuerit tempore Philippi Pulchri, ibid. nu. 29. & seq. Constitutio Bonifacii VIII. hac occasione edita, ibid. num. 32. Ejusdem modificatio facta per eundem Bonifacium, Benedictum XI. & revocatio per Clementem V. ibid. num. 35. & seq. Multis exactionibus Clerus vexatus fuit tempore magni Schismatis, cui occurrit Concilium Constantiense, ibid. nu. 40. 41. In Gallia Decima imposita bonis Ecclesiasticis, occasione belli adversus Calvinistas, ibid. num. 43. Quomodo jam facta ordinaria & perpetua, ibid. Præter hanc Decimam, nova impositio Clero facta titulo doni gratuiti, & ad quam summam ascendat, ibid. n. 44.
Subsidia quæ Regi annuuntur, Clerum Brabantiæ non concernunt, quia non consensit, ibid. num. 49. Aliquando speciale subsidium Principi concessit, ibid. num. 50. Clerus Brabantiæ est corpus separatum à Statibus & nominatim à primo Statu qui constat ex Abbatibus, etiam postquam Archiepiscopus Mechliniensis & Episcopus Antverpiensis ad Status fuerunt admissi, ibid. num. 54. A Principibus ut corpus separatum agnitus fuit etiam hoc sæculo, ibid. num. 56. Clerus juridicè, etiamnum hodie, contendit se consensu Statuum non comprehendi, ib. n. 57. Numquam nominatim per Status taxatur, nec certa quota ei imponitur, ibid. n. 58.
Subsidia, quando Clerus contribuit, colligi non debent per Laicos, sed per Deputatos ex Clero, ibid. nu. 59. Convenit ut immunis sit competentia Pastoralis, ibid. num. 62. Contributiones Cleri in Brabantia, factæ sunt solâ authoritate Ordinatiorum, etiam inconsulto Pontifice, ibid. nu. 60. 61. Quomodo colligantur in Belgio subsidia quæ Regi addicuntur, ibid. num. 63. 64.

SUFFRAGIUM.

Suffragium quinam habeant in Actibus & Electionibus Capitularibus, p. 1. t. 7. c. 5. num. 3. & seq. & p. 2. t. 21. c. 3. nu. 9. & seq. Quinam illo gaudeant in Electionibus & Capitulis Claustralibus, p. 1. t. 31. c. 4. num. 5. & seq. Olim indifferenter Clerici & Conversi suffragiis gaudebant, quod adhuc servatur in ordine S. Francisci, ibid. num. 6. A quo tempore & quare id immutatum, ibid. n. 7. & seq.
Suffragium potest dari per Procuratorem & varia tunc observanda, p. 2. t. 21. c. 3. n. 17. & seq. An possit dari per litteras, ib. num. 22.
Suffragia dari debent Capitulariter, ibid. num. 30. Hodie suffragia solent numerari, non ponderari, ibid. num. 34. Quænam pars in Electionibus dicatur sanior, ibid. num. 33. & ibid. c. 4. num. 23. Quomodo danda & colligenda suffragia in Electione per scrutinium, ibid. num. 15. & seq. Quomodo danda in Electionibus Superiorum Regularium, qui non sunt perpetui, p. 1. tit. 31. c. 8. num. 8.

SUCCESSIO.

Successione Parentum Monachi Jure Justinianæo non excluduntur, p. 1. t. 29. c. 2. num. 1. In Gallia & Belgio penitus excluduntur, ibid. nu. 3. & 5. Quinam sub incapacitate hac comprehendantur, ibid. num. 7. An comprehendantur tertii Ordinis S. Francisci, ibid. An Eremitæ & Hospitalarii, ibid. nu. 8. Quid circa PP. Societatis ob ineat, ib. num. 9. Nec dispensatio Papæ, nec promotio in Episcopum potest Regularem reddere capacem Successionis, ibid. num. 10. Rescripta Apostolica absolventia à voto cum facultate succedendi, in Gallia non admittuntur, ibid.
Successio Clerici, etiam in bona patrimonialia, deficientibus Hæredibus, defertur Ecclesiæ, excluso Fisco, part. 2. t. 32. cap. 1. num. 32.
Successio Clericorum quoad bona Ecclesiastica, post mortem eorum defertur Ecclesiæ, & quid nomine Ecclesiæ hic intelligatur, p. 2. tit. 32. c. 8. num. 1. 2. 3. 4. Juxta Decretales devolvuntur vel ad Congregationem vel ad Successorem, titulo peculii, non verò hæreditatis, ibid. num. 5. & 8. Ad quem devolvantur bona Episcopi, Archidiaconi, vel alterius in Dignitate constituti, ibid. num. 7. Jure Communi a successione Clericorum videtur exclusus Episcopus, ibid. nu. 5. Sed consuetudo ei videtur deferre eam, quoad bona mobilia tantum, ibid. num. 9. & seq. Canonicis hodie ab intestato succedunt Capitula quoad bona mobilia tantum, ibid. num. 14. Quinam ad hunc effectum dicantur decedere intestati, ibid. num. 15. & seq.
Successio Clerici decedentis intestati, generali consuetudine totius Regni Galliæ, defertur indistinctè proximis consanguineis, ibid. num. 19. Etiam successio Episcopi qui vitam Monasticam professus fuerat, quod & in Belgio servatur, ibid. nu. 20. 21. Id tamen non procedit quoad omnia bona, ibid. n. 22. 23. Quid de fructibus anni currentis & qua ratione dividendi, item de oneribus ejusdem anni ferendis, ib. num. 24. & seq. Annus Gratiæ qui in multis Capitulis datur, pluribus improbatur, ib. num. 29. & seq. Quo titulo consuetudo deferens bona Ecclesiastica ad Hæredes ab intestato, sustineatur in foro exteriori, ibid. n. 33.
Successionem hanc Hæredes tenentur ut bona Ecclesiæ administrare, ibid. n. 35. Ad idem tenentur Episcopus, Capitulum, vel successor, ib. n. 36. An Canonici bona mobilia defuncti inter se dividere possint, ibid. n. 37. Laudabile quoad hoc statutum Capituli secundæ Fundationis D. Petri Lovanii, ibid.

SUPERIOR REGULARIS.

Superiores Monasteriorum olim omnes erant perpetui, & cur in aliquibus institutis hoc mutatum, p. 1. t. 31. c. 1. num. 15. 16. Inter Triennales & perpetuos quoad dignitatem & authoritatem nulla distinctio, ibid. nu. 17. Superiores Generales vel Provinciales durante termino suæ administrationis, sine causa & ordine judicii removeri non possunt, ib. c. 2. n. 21.
Superiorum tam perpetuorum quàm temporalium eligendi forma, ibid. c. 8. num. 5. & seq. & n. 8. Illegitimus in Prælatum eligi non potest, non obstante, quod per Professionem sublata sit irregularitas, p. 2. t. 10. c. 3. num. 30. Solus Pontifex eum potest habilitare, ibid. num. 31. In litteris dispensationis per pœnitentiariam expeditis excipi solet Generalatus, ibid. n. 31.
Superiores Regulares habent primam correctionem in suos subditos, iisque deficientibus Episcopus, p. 1. t. 32. c. 2. nu. 3. Eorum authoritas circa reductiones fundationum, Missarum & Anniversariorum, p. 2. t. 5. c. 7. num. 25. Superiorum, qui habent jurisdictionem quasi Episcopalem, interventio & consensus sufficit in alienatione bonorum, part. 2. tit. 36. cap. 4. num. 29.
Superiores extranei in Gallia & Belgio non possunt ad reformationem procedere sine consensu Regis, p. 1. t. 32. c. 2. num. 18. Nec visitare, ibid. Tenentur constituere Vicarium Regnicolam, qui Regularibus sui Ordinis in Regno superintendat, ibid.
Vide Abbas, Abbatissa, Prior.

SUPERSTITIO.

Superstitiones sunt illicitæ etiam ad conservationem vitæ, vel ad maleficium aliquod repellendum, p. 3. t. 4. c. 3. num. 27. & seq. & num. 37. Varia Synodorum Belgicarum adversus eas Decreta, ibid. num. 38. Regula ad dignoscendum an aliquid sit superstitiosum, ib. num. 40.
Superstitionum variæ species de quibus Synodi præcipiunt Populum esse monendum, ibid. & seq. ibid. num. 47. & seq. Principum edicta adversus Superstitiones, ibid. num. 57. Circa quæ Episcopi & Parochi præcipuè inquirere debeant pro abolendis Superstitionibus, ibid. num. 57. In cultum imaginum, Sanctorum & Reliquiarum sæpe irrepunt superstitiones, part. 2. t. 37. c. 6. num. 38. & seq. & p. 3. t. 4. c. 3. num. 41. & nu. 59. Cavendum ne superstitiones immisceantur Exorcismis, ib. & num. 60.

SUPPLICATIO.

Vide Processio.

SUP-

SURROGATIO.

Surrogatio in Beneficia litigiosa, altero Colligantium decedente, prohibita per Cap. Si ii u. lite pendente, p. 2. t. 24. c. 5. nu. 5. Clausula provisionibus Apostolicis inseri solita, quæ dispositioni hujus Cap. derogat, ibid. num. 6. Dispositio hujus Capituli nec in Gallia nec in Belgio obtinet, ibid. num. 7. In Gallia & Belgio surrogatio fit apud Judicem coram quo litigatur & qua forma, ibid. num. 9.

SUSCEPTORES.

Vide Patrini.

SUSPECTATIO.

Vide Recusatio.

SUSPENSIO.

Suspensionis definitio, p. 3. t. 11. c. 10. num. 1. Est censura propria Clericis, ibid. num. 5. Alia est suspensio ab officio, alia à Beneficio, & quid quælibet importet & a quibus privet, ibid. num. 6. & seq. An Abbatissa suspensionem ferre possit, ibid. c. 2. n. 10. Explicatur cap. 12. De Majoritate & obedientia, ib. n. 11. & seq.

Suspensio lata simpliciter non tollitur nisi per absolutionem, ib. c. 10. num. 11. In quo differat à Depositione, ibid. Lata ad tempus, per lapsum temporis exspirat, ibid. num. 13. & 22. Suspensio a Beneficio quid importet, ibid. num. 14. An suspensio ab officio hodie importet suspensionem à Beneficio, ibid. num. 16.

Suspensionis sententia ferenda est scripto cum expressione causæ, ibid. num. 17. Quandonam incurratur suspensio latæ sententiæ, ibid. num. 19. Suspensionem suam violans per exercitium ordinis à quo suspensus est, fit irregularis, ibid. num. 23. Episcopus potest occultum criminosum suspendere, part. 2. t. 10. c. 6. num. 24. Ab hac suspensione datur recursus ad S. Sedem, sed cautè admittendus, ibid. num. 25. 26.

SYNDICUS.

Syndicus quid sit & quinam Syndicum habere possint, p. 3. tit. 6. cap. 3. num. 20. 30. Hodie in majoribus civitatibus dicitur Pensionarius, ibid. Ad quæ negotia Syndicus constitui soleat, ibid. num. 11. Officium & juramentum Syndici Universitatis Lovaniensis, ibid. num. 32. Ratio cur corpora Ecclesiastica conveniat habere Syndicum, eumque sæcularem, ibid. num. 34. & seq.

SYNODUS DIOECESANA.

Synodi Diœcesanæ olim erant frequentissimæ, p. 1. t. 18. c. 1. n. 1. Quænam in illis agitarentur, ibid. c. 2. num. 6. & seq. Modo ad minus annuatim ex mente Conc. Trident. celebrandæ, ibid. c. 1. num. 5. Quod tamen non servatur, ibid. nu. 6. Quinam intervenire debeant, ibid. num. 7. 10. An Regulares, ibid. & num. 8. An Exempti, ib. & n. 13.

Synodorum Diœcesanarum scopus & quæ in iis olim pertractata, ibid. c. 2. num. 1. & seq. Quænam hodie pertractanda, ibid. num. 9. & seq. Earum forma, ibid. num. 1. Unde robur & authoritatem suam obtineant, ib. c. 4. n. 1.

Synodis Diœcesanis Capitula exempta an & quatenus subjecta, ibid. num. 5. & seq. Item Regulares exempti, ibid. num. 9. & seq. An Laici, ibid. num. 13. In Belgio non permittitur earum promulgatio sine consensu Regio & quare, ib. num. 14.

SYNODUS PROVINCIALIS.

Synodi Provinciales olim bis quotannis celebratæ, & quæ in eis tractata, p. 1. t. 18. c. 1. num. 2. 4. & c. 2. num. 1. & seq. & p. 3. t. 10. cap. 1. num. 4. Ab iis non dabatur appellatio, ibid. num. 1. & p. 3. t. 11. c. 11. num. 6. Obligatio Episcoporum visitandi Limina Apostolorum originem habet à Synodo apud limina Apostolorum celebrari consueta, part. 1. t. 15. cap. 1. num. 17.

Synodi Provincialis indictio ad Metropolitanum & eo impedito ad Seniorem Comprovincialem spectat, p. 1. t. 20. c. 1. num. 1. 2. Quoties celebranda, ibid. num. 3. & seq. Quinam debeant interesse, ibid. num. 12. Quid de Episcopo qui nulli Archiepiscopo subjicitur, ibid. num. 13. Abbates ad Synodum comparentes quibus mitris uti possint, p. 1. t. 31. c. 6. num. 28. Soli Episcopi habent suffragium decisivum, alii tantùm consultivum, p. 1. t. 20. cap. 1. num. 16. Quid si suffraganei dissentiant à Metropolitano, ibid. num. 17. Metropolitanus non potest Synodum dissolvere, silentium alicui imponere, aliaque sine consensu CoEpiscoporum, ibid. num. 18. Quænam in iis pertractanda & quis modus in iis servandus, ibid. c. 2. toto.

Synodi Provinciales convenientissimæ sunt pro morum reformatione, ibid. c. 2. num. 14. Qui eis subjiciantur, ibid. c. 3. n. 1. Cur postremis temporibus pro confirmatione ad Sedem Apostolicam sit recursum, ibid. num. 3. In confirmatione Synodorum Provincialium Mechliniensium, varia fuerunt mutata & quænam, ibid. num. 8. & seq. In Italia non permittitur earum convocatio inconsulta congregatione Concilii Tridentini, ib. c. 4. num. 4.

Synodi Provinciales interdum per Principes fuêre congregatæ, ib. nu. 1. Ægre permitteretur ejus convocatio sine licentia Regis, & quare, nu. 4. & seq. & n. 10. Olim aliquando intererat Minister Regius & ejus officium, ibid. num. 12. Ante publicationem petitur Confirmatio Regia, & quare, ibid. nu. 15. 16. Id etiam olim solitum, ib. n. 14.

T.

TEMPUS CLAUSUM.

Temporis Clausi origo & ratio quoad impedimentum Matrimonii, p. 2. t. 13. c. 2. num. 8. & seq. Decretum Concilii Tridentini circa hanc materiam nihil novi introduxit, ibid. num. 13. Quænam illo tempore vetita, ibid. nu. 12. Quis in eo possit dispensare, ibid. nu. 18. Est impedimentum tantùm impediens, ibid. num. 19.

TERMINUS.

Vide Dilatio.

TESTAMENTUM.

Testamentum Novitii liberè condere possunt, & quid in eo debeant præcipuè attendere, p. 1. tit. 25. c. 4. num. 1. 2. An disponere possint in favorem Monasterii, ibid. num. 4. 5. Dispositiones Novitiorum in favorem Monasterii, præsertim excessivæ, sunt admodum odiosæ & rescissioni obnoxiæ, ibid. num. 12. & seq.

Testamentum ut & salutariter & tempestivè subditi condant, merito Parochi curam habent, part. 3. t. 2. c. 2. num. 35. Stulta aliquorum persuasio, ac si post acceptam Extremam unctionem testamentum non valeret, est eradicanda, p. 2. t. 8. cap. 2. num. 14.

Testamenta de bonis suis Patrimonialibus quomodo Clericos disponere conveniat, p. 2. t. 31. c. 1. num. 33. & p. 2. t. 32. c. 7. num. 5.

Testari de bonis Ecclesiasticis, Episcopis & Clericis prohibent Canones & eorum ratio, ibid. num. 1. & seq. De quibus bonis id intelligatur, ibid. num. 6. Nequidem olim poterant testari ad pias causas, ibid. num. 12. Quomodo hodierna consuetudo sensim invaluerit ut liceat eis testari liberè, etiam ad usus profanos, ibid. num. 17. & seq. In Hispania & Gallia consuetudo hæc universaliter recepta, ibid. num. 21. 22. In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt ad hoc necessariam esse suam licentiam, & eo nomine jura quædam exigunt, ibid. num. 23. Jura quæ eo nomine exiguntur in Diœcesi Leodiensi, ibid. Exactiones hæ improbantur, ibid. num. 34. Quid circa hanc consuetudinem observatum in Italia, ib. num. 26.

Testandi licentia an possit concedi Regularibus, ibid. num. 2. An testari possint Regulares assumpti ad Episcopatum, ibid. num. 28. An per hanc consuetudinem natura bonorum Ecclesiæ sit mutata, ib. n. 30.

Testamenta Clericorum in usus prophanos quo titulo in foro exteriori sustineantur, ibid. n. 32.

Testamentum quodnam sufficiat ad hoc, ut non sit locus successioni Episcopi vel Capituli, p. 2. t. 32. c. 8. num. 16. 17.

Testamenta olim erant fori Ecclesiastici, p. 3. t. 1. c. 2. num. 1. & num. 19. & p. 3. t. 2. c. 2. num. 3. & seq. Unde authoritas Ecclesiastica circa testamenta originem suam habeat, ib. nu. 3. 4. Concordata inter Episcopum Cameracensem & Magistratum Antverpiensem causas Testamentarias privativè deferunt Judici Ecclesiastico, ibid. num. 24. Quid Concordata Hannoniæ, ibid. num. 25. Ex Concordatis Brabantiæ sunt mixti fori, unà cum suis emergentibus & connexis, ibid. num. 19. Judex Ecclesiasticus in hisce materiis tenetur sequi ordinationes Principum & consuetudines locorum, ib. n. 21.

Testamentariæ causæ in Gallia usque ad annum 1508. fuerunt fori Ecclesiastici, ibid. num. 10. Qua ratione harum cognitio sensim eidem subtracta, ibid. num. 11. & seq. Hodie omnis cognitio de testamentis, etiam Clericorum, uti talium, ibidem est fori sæcularis, ibid. num. 15. 16.

Testamentorum ad pias causas Executores, si negligentes fuerint

Digitized by Google

reperti, juxta Concordata Brabantiæ puniuntur per Judicem Ecclesiasticum, ibid. num. 26. Idem supplet eorum negligentiam, ibid. Eos absolvere potest ab executoris officio, ibid. nu. 27. Executores si lites infundatas suscitâsse reperiantur, in expensas nomine proprio condemnantur, ib. n. 38.
Testamentorum ad pias causas cura & executio Episcopo incumbit juxta Synodos Belgicas, etiamsi Testator expresse illud interdixisset, num. 28. 29. Eadem incumbit Parochis quoad executionem ultimæ voluntatis suorum subditorum, ibid. nu. 34. & seq. Cavenda est nota avaritiæ, ibid. n. 37.
Vide Successio.

TESTIMONIALES.

Testimoniales proprii Ordinarii requiruntur, ut quis possit ordinari vigore Rescripti Apostolici ab alieno Episcopo, p. 2. t. 9. c. 2. num. 35. Innocentius XII. requirit Testimoniales Episcopi qui prius Clericum ad Tonsuram promovit ad hoc ut idem Clericus ad altiores Ordines ab alio Episcopo, titulo Beneficii, promoveatur, ibid. num. 43. Easdem requirit ab Episcopo originis, ut Clericus ab Episcopo domicilii ordinetur, ibid.
Testimoniis Præsidum, Parochorum, item Superiorum Regularium pro suis subditis, sæpe parum fidendum, ibid. cap. 4. nu. 34. 35.
Testimoniales studii requiruntur, ad recipiendos fructus in absentia, causâ studiorum, p. 1. t. 7. c. 10. num. 8. Quid continere debeant, ibid. Non temerè concedendæ, ibid. num. 9.

TESTIS.

Testes quales admittantur & quales non in informatione super electione aut nominatione ad Episcopatum, p. 1. t. 12. c. 3. nu. 18. & seq. Testes in causa sanguinis, si à Judice fuerint coacti, fiunt irregulares, p. 2. t. 10. cap. 4. num. 16. Id non obtinet in Gallia, ibid. num. 26. Testes quales sufficiant ad contrahendum Matrimonium, p. 2. t. 12. c. 5. num. 24. Qualitates requisitæ in Testibus pro verificatione causarum in ordine ad dispensationem matrimonialem, p. 2. t. 14. c. 4. num. 5. Examen Testium à Judice alteri committi potest, ibid. num. 9. In Collatione Beneficiorum requiruntur Testes & quales, p. 2. t. 21. cap. 2. num. 14. 15 Quales Testes sufficiant ad probandam electionem Sepulturæ, p. 2. t. 38. c. 3. n. 32. 33.
Testes à Judice citandi sunt, licet à Parte produci debeant, p. 3. t. 7. c. 6. num. 6. Etiam inviti cogi possunt ad deponendum, ib. num. 7. Variæ personæ quæ à testimonio ferendo excusantur, ibid. num. 9. Quid hodie obtineat circa Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, si coram Laicis ad deponendum citentur, ibid. c. 4. num. 29. & ibid. c. 6. num. 9. Testes infirmi vel in remotis agentes, examinantur per Commissarios, ibid. num. 10.
Testes quot & quales requirantur ad faciendam plenam fidem, ib. num. 11. 12. Hodie super eodem articulo non licet producere ultra decem Testes & quare, ibid. num. 16. Exceptio in probatione consuetudinis, styli, Privilegii, &c. quæ probari debent per Turbas, ibid. num. 17. 18. Quot Testes eo casu produci possint, ibid. num. 19. An fides instrumenti per Testes enervari possit, ibid. c. 7. num. 53.
Testis qui falsum deposuit per quem & quâ pœnâ castigandus, p. 3. tit. 3. cap. 1. num. 26. & part. 3. tit. 4. cap. 5. num. 21. & 27. 28.
Vide Depositio.

TESTES SYNODALES.

Testium Synodalium necessitas, officium, & qualiter exercendum, p. 1. t. 18. c. 3. num. 1. & seq. Formula juramenti eorum, ibid. num. 7. Circa quæ inquirere debent, ibid. nu. 9. Cui & quandonam teneantur facere relationem, ibid. num. 10. Quomodo eorum defectus possit suppleri, ibid. num. 14.

THESAURARIUS.

Thesaurarius unde dictus, part. 1. t. 11. c. 3. n. 1. Interdum simplex est officium, interdum Dignitas, ibid. nu. 2. Ei incumbit cura supellectilis Ecclesiasticæ & Custodia Actorum & munimentorum Ecclesiæ, ibid. num. 4. 5.

THUS.

Thuris incensatio ad quid primitus instituta, part. 2. tit. 25. cap. 7. num. 13. Honor Thuris unde ortus & in quo consistat & cui deferendus, ibid. nu. 11. 12. Ritus apud Græcos quo Patriarcha incensat Imperatorem & Aulicos, ibid.

TITULUS.

Titulus olim dicebatur Ecclesia ad quam deserviendam Clericus ordinabatur, p. 2. t. 9. c. 6. n. 1.
Titulum illum deserere non poterant, ibid. numer. 2. Publicè olim coram populo denuntiabatur, ibid. numer. 5. Sæculo XIII. moderna idæa de titulo ordinationis invaluit, ibid. num. 13.
Tituli Patrimoniales à quo tempore & qua occasione exorti, ibid. num. 10. Concil. Trident. agnoscit Titulum Patrimonialem tantum ut extraordinarium, ibid. num. 13. Sæpe est admodum utilis, ibid. num. 17. Quid veniat nomine Patrimonii & qualitates in eo requisitæ, ibid. num. 20. & seq. Pater cogi potest ad assignandum Titulum Filio, ibid. num. 28. Patre mortuo, an Filius Titulum in divisionem hæreditatis conferre non teneatur, ib. n. 42.
Tituli Beneficii nomine quid veniat, ibid. numer. 18. Quandonam censeatur verè & pacificè possideri, ibid. numer. 21.
Titulus quam quantitatem bonorum requirat, ibid. numer. 30. Honoraria Missarum in Titulum non imputanda, ibid. num. 36. Juramentum quod titulum verè possideat cumque non alienabit, quomodo intelligendum, ibid. num. 24. & 38. Pœna sine titulo Ordinatorum, ibid. num. 23. & 44. An Hæredes an verò Successores Episcopi ordinantis sine Titulo sufficienti, teneantur ad alimentationem Ordinati, ibid. num. 46.

TONSURA.

Tonsura olim non fuit separata ab Ordinibus, part. 1. t. 1. cap. 1. num. 1. Hodierna separationis occasio, ibid. num. 2. Per eam quis fit de foro Ecclesiæ, ibid. num. 3. Sollicitudo Episcoporum circa Tonsurandos & commoda ex illa sollicitudine speranda, ib. num. 6. 7.
Tonsuræ susceptio quomodo hodie probetur, ib. n. 8.
Tonsura potest conferri subdito in aliena Diœcesi sine consensu ordinarii, part. 1. tit. 16. cap. 3. numer. 14. A quo tempore Abbates soleant eam conferre suis subditis, part. 1. tit. 31. c. 6. num. 11. & seq. Non subdito eam conferre non possunt, nequidem de consensu proprii Abbatis aut cum Dimissorialibus Episcopi, ibid. numer. 21. & part. 2. tit. 9. cap. 2. num. 36. Pœnæ Decretæ in Episcopum ordinantem alienum Clericum & in Clericum taliter ordinatum, procedunt etiam circa Tonsuram, ibid. num. 34. Episcopus dispensat super defectu natalium quoad primam Tonsuram & Beneficium simplex, p. 2. t. 10. c. 3. n. 14.
Tonsura circa sæculum XIV. & XV. annumerabatur Ordinibus, part. 3. tit. 3. cap. 3. num. 11. Incommoda exorta ex facili admissione ad Tonsuram, ibid. cap. 2. num. 17. & ibid. cap. 3. num. 12. & seq. Ut Clericus primæ Tonsuræ tradatur Brachio sæculari, hodie non requiritur degradatio, part. 3. t. 11. cap. 1. num. 62.
Vide Immunitas.

TOPARCHA.

Toparchis qua formâ danda aqua Benedicta, p. 2. t. 25. c. 7. nu. 14. Prohibitum illis porrigere aspergillum, ibid. num. 16. & seq.
Toparchæ nominatim, si velint, precibus fidelium commendandi, ib. n. 22. In quo consistat honor precum ipsis debitus, ibid. & nu. 21. Non possunt eo prætextu jubere divinum officium differri vel accelerari, ib. n. 24.
Toparchæ quoad jura honorifica cedere debent Patrono seu Fundatori, ibid. numer. 34. Quomodo Parochi cum ipsis agere debeant quoad jura honorifica, ibid. num. 42. Non convenit ut super eisdem cum Toparchis, privatâ authoritate se committant, ibid.
Toparchæ tenentur ad solutionem Decimarum de suis terris, etiam non obstante possessione immemoriali non solvendi, p. 2. t. 33. c. 7. n. 5.
Toparchæ in jure vocantur Seniores, p. 2. t. 35. cap. 2. num. 4. & seq. Jura & servitia quæ olim exigebant à Clericis eodem modo ac Laicis, ibid. Immunitas ab iisdem servitiis, Clericis concessa, ad quæ se extendat, ibid.

TORTURA.

Tortura Reus applicari hodie solet, dum plena probatio non habetur, p. 3. t. 8. c. 3. num. 28. Hodierna Torturæ praxis pluribus improbatur, ibid. numer. 29. & seq. Juxta Edictum Philippi II. non licet procedere ad Torturam, ubi certæ & indu-

Digitized

Indubitatæ probationes haberi possunt, ibid. num. 33. Quare contrarium hodie usitatum, ibid. num. 47. Confessio elicita per Torturam nullius est momenti, ibid. num. 35. Idem est de ejus renovatione extra Torturam, ibid. n. 37.

Tortura nemini applicari potest, nisi ob crimen admodum grave, ibid. num. 40. Debent adesse indicia gravia, adeò ut tantum videatur deesse confessio, ibid. n. 41. 42.

Torturæ exemptæ sunt mulieres gravidæ nec possunt de ea terreri, ibid. n. 44. Si dubitetur an sint gravidæ consulendi sunt Medici vel obstetrices, ibid. num. 45.

Tortura adhibenda est præsente Judice & moderanda est ipsius arbitrio, ibid. n. 46.

Tortura quare in curiis Ecclesiasticis non adhibeatur, ibid. n. 48.

TRANSACTIO.

Transactio super Portione congrua obligat transigentem, ad minus manentibus iisdem circumstantiis, p. 2. t. 34. c. 5. nu. 10. Si intervenerit authoritas Episcopi, obligat etiam Successorem, ib. n. 13. Nullâ transactione onus illud in totum tolli potest, ibid. n. 15.

Transactio in lite super Beneficio mediante temporali aut refusione expensarum, improbatur ut de Simonia suspecta, p. 2. t. 30. c. 5. num. 12. 13. Obligatio judicis partes inducendi ad transactionem antequam in litem præcipitentur, p. 3. t. 5. c. 4. nu. 23. & p. 3. t. 7. c. 2. num. 9. Quibus mediis id procurare poterunt, ibid. p. 3. t. 5. c. 4. num. 23. Improbandum quod Judices tantùm de transactione cogitent quando expensæ factæ sunt & ob eas transactio facta impossibilis vel difficilis, ibid. num. 25.

TRANSLATIO EPISCOPORUM.

Transmigratio de una Ecclesia ad aliam olim severissimè vetita, etiam sub pœna privationis Communionis in articulo mortis, p. 1. t. 15. c. 4. num. 5. & seq. Translationes olim fiebant authoritate Synodi Provincialis, ibid. num. 15. Sæculo XII. Sedi Apostolicæ videntur fuisse reservatæ, ibid. num. 17. Eidem hodie reservantur, ibid. num. 12. Quomodo intelligendum dictum Innocentii III. institutione divina translationes Episcoporum esse reservatas, ibid. num. 19. Hodie fieri nequit sine consensu Regis ejusque nominatione, & in Bulla debet fieri ejus mentio, ibid. num. 21. Nec possunt fieri sine necessitate & utilitate Ecclesiæ, ibid. num. 22.

TRIBUTUM.

Vide Immunitas, Subsidium.

TURBA.

Turba quid sit, unde sic dicta, & quot Testibus constet, p. 3. t. 7. c. 6. num. 18. Consuetudo, usus, stylus Curiæ, vel Privilegium, per Turbas probari debent, ibid. num. 17. In probatione per Turbas, hodie non licet plus quàm triginta Testes super uno & eodem articulo producere & quare, ibid. n. 19.

TURNUS.

Turnus quoad Collationes Beneficiorum, in quem finem in quibusdam Ecclesiis institutus, p. 2. t. 21. c. 3. num. 35. An eum etiam habeant Canonici Sacris non initiati, p. 1. t. 7. c. 5. nu. 8. An Capitulum propriâ authoritate possit electionem mutare in Collationem Turnariam, p. 2. t. 21. c. 3. num. 36. Negligentia Turnarii nocet Capitulo, ita ut Jus devolvatur, ibid. cap. 5. num. 13.

TUTELA, TUTOR.

Tutelâ moribus Belgii immunes sunt Clerici, p. 1. t. 2. c. 6. n. 4. 5. Si assumant Tutelam Laici, non possunt quoad eam materiam declinare forum sæculare, p. 3. t. 1. c. 4. num. 29. Novitiæ admitti vetantur sine consensu Tutoris, part. 1. t. 24. c. 3. num. 19.

Tutor stuprans pupillam suam punitur pœnâ extraordinariâ, p. 3. t. 4. c. 4. num. 38.

V.

VAGUS.

VAgi quinam reputentur & quis illorum proprius Parochus in ordine ad contrahendum matrimonium, p. 2. t. 12. c. 5. num. 9. 10. Quid si tantum una pars sit Vagabunda, an coram illius Parocho Matrimonium celebrandum sub pœna nullitatis, ibid. num. 11. Requiritur licentia ordinarii antequam procedatur ad solemnizationem matrimonii vagorum, ibid. num. 12. 13. An aliter factum sit nullum, ibid. num. 13.

Vagi quomodo citari possint per Edictum, p. 3. t. 7. c. 2. nu. 23.

VESTIS CLERICALIS.

Vide Habitus Clericalis.

VIATICUM.

Viaticum in antiquis Canonibus acceptum aliter quàm hodie, p. 2. t. 4. c. 4. num. 3. 4. Solus Parochus illud potest administrare, ibid. num. 8. & seq. Pœnæ in Regulares, qui illud ægris administrare attentarent, ibid. num. 11. Parochus semper debet esse paratus illud administrare, ibid. num. 12. Non deferendum ad publicos peccatores nisi scandalum reparaverint, ibid. num. 13. Non deferendum occultè extra necessitatem inevitabilem, ibid. num. 16. & seq. Indulgentiæ comitantibus concessæ, ibid. num. 21. Optant Synodi erigi confraternitates quorum sodales Sacramentum associent, ib. n. 23.

Viaticum adhuc in fine sæculi XVI. dabatur post extremam unctionem, p. 2. t. 8. c. 2. num. 26. An conveniat illam disciplinam reducere, ibid. num. 29. 30. Abominanda est vanitas & superstitio, ob levia opera pietatis facta in honorem S. Barbaræ vel alterius Sancti, certò sibi persuadere, quod non morietur sine hoc Sacramento, p. 2. t. 37. c. 6. num. 38. & seq.

VICARIA, VICARIUS PERPETUUS.

Vicariarum & Vicariorum Perpetuorum origo, p. 2. t. 34. c. 1. n. 4. & seq. Olim solebant tantum præfici Vicarii amovibiles & mala quæ inde proveniunt, ibid. num. 13. & seq. Decretum Concilii Tridentini de constituendis Vicariis perpetuis, ibid. num. 20. Decretum Regis Galliæ de eadem materia, ibid. nu. 25. In quibus Vicarios amovibiles constituere permissum sit, ib. n. 24.

Vicarius perpetuus est independens à suis principalibus, ibid. num. 26. Vicarius perpetuus à Pastore primitivo turbari non potest in iis quæ ad curam animarum spectant, ibid num. 31. Si aliquod vel minimum jus decimandi habeat, fundatus est ad petendum Decimas Novales per totam Parochiam, p. 2. t. 33. c. 6. num. 22. Oblationes ei competunt excluso Pastore primitivo, ib. c. 10. n. 12.

Vicaria perpetua est verum Beneficium & confertur in titulum, p. 2. t. 34. c. 1. num. 27. Vicaria perpetua prius erigi debet quàm constituatur Vicarius, ibid. num. 37. & p. 1. t. 9. c. 4. num. 6. & seq. Vicariæ perpetuæ subjectæ sunt concursui, p. 2. t. 22. c. 2. num. 7.

VICARIATUS.

Vicariatus quidnam dicatur, p. 1. t. 12. c. 5. num. 2. Multis locis in Belgio loco Capituli consulitur Vicariatus, & negotia in eo expediuntur, ibid. num. 4. & p. 1. t. 8. c. 4. num. 9. Vicariatus multis locis etiam constituitur Sede vacante, de cujus consilio vel assensu Vicarius Generalis procedere debeat, part. 1. t. 9. cap. 3. num. 11.

VICARII CHORI.

Vicariorum in choro officium est, Canonicorum legitimè absentium vices supplere, p. 1. t. 7. c. 6. num. 6. 7. Iisque in officio persolvendo adjutores accedere, ibid. Quænam in illorum assumptione præcipuè attendenda, ibid. num. 8.

VICARIUS EPISCOPI.

Vicarius Episcopi jure communi sæpe confunditur cum Officiali, secus moribus Belgicis, p. 1. t. 12. c. 4. num. 1. 2. & ibid. c. 9. num. 1. Nullam jurisdictionem contentiosam habet, nec potest negotia judicialiter examinare, ibid. c. 5. num. 2. 3. Debet habere commissionem suam in scriptis & qua forma, ibid. nu. 6. Ejus potestas tantum est delegata & ad nutum revocabilis, ibid. num. 5. Quâ formâ revocari debeat, ibid. num. 9. Episcopo mortuo vel aliàs sua jurisdictione destituto, extinguitur ejus jurisdictio, ibid. num. 8. Potest dare licentiam assistendi matrimonio, etiam Parocho invito, p. 2. t. 12. c. 5. n. 21. 22. Non censetur constitutus in Dignitate, part. 2. tit. 18. cap. 2. num. 15.

VICARIUS SEDE VACANTE.

Vicarium & Officialem pro uno eodemque accipit Synodus Tridentina, secus in Belgio obtinet, p. 1. t. 9. c. 3. num. 3. 4. Intra octo dies à Capitulo constitui debet, vel ab Episcopo constitutus

Digitized by Google

stitutus continuari, ibid. num. 6. 7. Aliàs devolvitur constitutio ad Metropolitanum, ibid. Non debet esse graduatus in Jure, ibid. num. 8. Possunt plures constitui, ibid. numer. 10. Item constitui Vicariatus, de cujus consilio vel assensu Vicarius teneatur procedere, ibid. num. 11. Accipit jurisdictionem à Capitulo, quod & potest limitatam conferre, ibid. c. 4. num. 1. 5. Si suspectetur, de causa suspectationis cognoscit Capitulum, ibid. num. 4. An pro libitu & arbitrio Capituli possit revocari, ibid. num. 6. Quamdiu Sedes censeatur vacare moribus Belgii, ibid. cap. 2. num. 9.

VICE-PASTOR.

Vice-Pastoris assumptio spectat ad Parochum, nisi speciali titulo aliud obtineat, part. 1. t. 3. c. 2. n. 1. Concil. Trident. sess. 21. cap. 4. de reform. agit de Vice-Pastoribus non de Fratribus Mendicantibus, ibid. num. 3. Propriè cura Parochiæ illis incumbit, ibid. num. 4. An ejus approbationem pro libitu Episcopus possit revocare, p. 2. t. 6. c. 6. nu. 28. An Vice-Pastor possit licentiam assistendi matrimonio alteri committere, p. 2. t. 12. cap. 3. num. 20.

VIDUA.

Viduarum iteratæ nuptiæ probantur ab Apostolo, p. 2. t. 15. c. 8. num. 1. Legibus Romanis Vidua intra annum luctûs, gravibus pœnis, n[illegible]ere prohibebatur, ibid. num. 8. Harum Legum ratio, ibid. num. 9. Hodie pœnæ hæ sunt abrogatæ in quantum respiciunt iterationem nuptiarum, non in quantum respiciunt favorem liberorum primi Thori, ibid. num. 14. Vidua si intra annum non nubat, sed luxuriosè vivat, aut ex stupro pariat, an pœnas has hodie incurrat, ibid. num. 13. Viduitas meritò commendatur, sic tamen ut secundæ nuptiæ non improbentur, ibid. num. 19. Vidua ob recentem mortem mariti diebus festis à missâ abesse non potest, part. 2. tit. 17. cap. 2. num. 23.

Vidua computatur inter miserabiles personas, p. 3. t. 2. c. 3. nu. 20. & seq. In Viduam committitur stuprum, p. 3. t. 4. cap. 7. num. 29.

VIRGA.

Vide Flagellatio, Fustigatio.

VISITATIO.

Visitatio Decanorum ruralium annuè instituenda, part. 1. tit. 16. cap. 3. num. 2. Quæ in illa specialiter observanda, ibid. n. 3. & seq.

Visitatio totius Diœcesis competit Archidiacono, p. 1. t. 12. c. 1. num. 16. An Archidiaconi & alii Inferiores visitare possint sine consensu Episcopi, ibid. n. 17. Quæ in eorum visitatione attendenda, ibid. n. 18.

Visitationis Episcopalis necessitas, p. 1. t. 17. c. 1. num. 1. 2. Tenetur per se cessante impedimento, ibid. num. 6. Quoties & quo tempore instituenda, ibid. num. 3. & seq. Scopus ejus & circa quæ versari debeat & de quibus in eadem præcipuè inquirendum, ibid. num. 8. & seq. & c. 4. num. 1. & seq. Quomodo Populus ad eam præparandus, & quæ præmittenda, ib. num. 15. 16.

Visitari ab Episcopis quænam loca possint, & debeant visitare, ib. c. 3. num. 1. & seq. & p. 1. t. 32. cap. 4. num. 2. & seq. Loca sub immediata protectione Principum, sine eorum consensu visitare non potest, p. 2. t. 37. cap. 2. num. 31. Quænam talia censeantur, p. 1. t. 33. cap. 2. num. 32. Si controversia incidat an locus talis visitandus sit, cui competat decisio, ibid. p. 2. t. 37. c. 2. num. 33. Episcopo loca hæc visitanti solebat adjungi Consiliarius Regius, & quodnam ejus officium, ib. num. 34.

Visitand. Capitulum Episcopus solus potest procedere, p. 1. t. 17. c. 3. num. 14. Procedendum non judiciali, sed paterno modo, ibid. cap. 4. num. 2. Procedere non possunt nisi circa notoria, non formare processus, non ferre sententias, neque imponere pœnas ordinarias sed tantum correctiones, ibid. num. 4. & seq.

Visitationes olim interdum instituebant Episcopi junctis Ministris Regiis qui olim Missi Dominici vocabantur, ibid. n. 14. Eorum officium magno Ecclesiasticæ disciplinæ compendio, ibid. & num. 12. & seq. Suppletur aliquando per Consiliarium Regium Episcopo junctum, & in quem finem aliquando talis assumatur, ibid. num. 13.

Visitationis Decreta nullâ exemptione vel appellatione suspenduntur, ibid. num. 14. & p. 1. t. 32. cap. 4. num. 9. & p. 3. t. 10. c. 3. num. 15. & seq. Nequidem per appellationem tamquam ab abusu, part. 3. t. 12. c. 4. num. 42. & seq. Exceptio, p. 1. t. 17. c. 4. n. 14. & p. 1. t. 32. c. 4. n. 9.

Visitatio Metropolitanorum in Diœcesibus suorum Suffraganeorum hodie non fit, & quare, p. 1. t. 19. c. 4. n. 7.

Visitationis Regularium utilitas, p. 1. t. 32. c. 4. num. 1. Olim generaliter ad Episcopos spectabat, ibid. num. 2. Quænam Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè subjecta visitare possit, ibid. num. 6. Quandonam Commendata, quæ sunt exempta, ibid. num. 7. Forma & scopus Visitationis Regularium & modus in eisdem procedendi, ib. c. 4. n. 1. & seq.

Visitationis Seminarii scopus & forma, part. 1. tit. 11. cap. 2. nu. 9. 10.

Visitatio Hospitalium juxta Leges, Canones, Jus Commune, competit Episcopo, p. 2. t. 37. c. 2. num. 2. & seq. Idem ipsi asserit Concilium Tridentinum, ibid. num. 17. Modificatio quædam adjecta in ejus admissione in Belgio, quoad Hospitalia & loca pia sub directione Laicorum existentia, ibid. nu. 40. & seq. Concordata Brabantiæ, item Edicta Regia authoritatem visitandi ei asserunt etiam quoad loca pia, ibid. num. 48. & seq.

VISITATORES.

Visitatores in Capitulis Generalibus eligendi, p. 1. t. 32. c. 4. n. 5. & 14. Et quales, ibid. c. 5. num. 4. Cum Episcopo cumulativè concurrunt, nec se mutuò excludunt, ibid. num. 15. Habere Visitatores Regulares, non est sufficiens argumentum exemptionis, ibid. num. 19. Eorum authoritas ex constitutionibus petenda vel ex diplomatibus Pontificis aut Superiorum, ibid. c. 4. num. 6. 7. An acta Visitatorum aliquando per appellationem suspendantur, ibid. num. 9.

VITA COMMUNIS.

Vita Communis olim viguit in plerisque Capitulis, quæ hodie vocantur sæcularia, p. 1. t. 7. c. 2. num. 1. 2. Quando desierit & qua de causa, ibid. num. 3. 4. Ex ejus desertione naturaliter secuta est vitæ Canonicalis dissolutio, ibid. c. 3. num. 1. Non minor hodie in Canonicis requiritur vitæ puritas, quàm durante vitâ communi, ib. c. 4. n. 3.

Vitam communem involvit votum Paupertatis, p. 1. t. 29. cap. 5. num. 4. & seq. Quidnam ad illam requiratur, ibid. præcipuè num. 5. Ei directè adversatur proprietas.

Vide Peculium, Paupertas.

Visitatores Monialium quomodo hodie ab Episcopis deputentur, p. 1. t. 32. c. 4. num. 13.

VITA MONASTICA.

Vide Monasterium.

UNCTIO.

Unctionem in consecratione Episcopi apud Latinos, Morinus contendit esse antiquissimam, p. 1. t. 15. c. 3. n. 13.

Unctio Chrismatis in vertice Baptizatorum olim non fiebat, quid illa significet, p. 2. t. 2. c. 3. n. 46.

Unctio olei ab Episcopo benedicti feria 5. in Cœna Domini apud Græcos usitata, p. 2. t. 8. c. 1. n. 6. & seq.

Unctio in ordinationibus, tantùm est ceremonialis, nec semper adhibita, p. 2. t. 9. c. 1. n. 17.

UNIO BENEFICIORUM.

Unio ad vitam est pallium pluralitatis Beneficiorum, quæ nec in Gallia nec in Belgio admittitur, p. 2. t. 29. c. 1. n. 4. 5.

Unio Perpetua quid sit, ibid. n. 6. Quid Unio per suppressionem, ibid. n. 9. Quid & quomodo fiat unio accessoria, ibid. num. 10. Quandonam censetur facta æquè principaliter, ibid. n. 12. Harum unionum effectus, ibid. & n. 13. Quomodo qualibet species possit dignosci, ibid. n. 14. Onera censentur reservata quatenus cum unione consistunt, ib. n. 16.

Unio Beneficiorum Consistorialium, hodie reservatur Pontifici, ibid. n. 18.

Unio Beneficiorum de jure competit Episcopo per totam Diœcesim, ibid. n. 19. Fallit si ipsa Beneficia sint exempta, ibid. n. 22. Hæc authoritas etiam competere potest inferioribus, ibid. n. 26. In Gallia Rex unit Beneficia pleno jure ad Collationem suam spectantia, ibid. nu. 27. Denegata Unione potest institui appellatio, ib. n. 25.

Unio est odiosa nec sine magna causa fieri potest, ib. c. 2. nu. 1. 2. Uniones aliquæ hoc titulo improbatæ, ibid. n. 3. & seq. & n. 7. Quænam Ordinarii, pro causa legitima Unionis attendere debeant, ib. n. 8.

Uniones Beneficiorum simplicium probantur variis in casibus, ibid. n. 9. 10. Qualitas & situs Beneficiorum attendenda, ib. n. 11. & 16. Beneficia diversarum Diœcesium, item diversorum Regnorum non unienda, ib. n. 18. 19.

Unionis

Unionis litteræ expediri debent in forma commissoria, & fieri cum cognitione causæ, ib. c. 3. n. 6. Quinam necessariò audiri & consentire debeant, ibid. n. 8. & seq. Debet exprimi verus valor, & quare, ib. n. 19.
Unionis dissolutio qua de causa facienda, ibid. c. 4. nu. 2. & seq. Quis Unionem dissolvere possit, ibid. n. 5. An Episcopus possit dissolvere Unionem factam à Pontifice, ibid. Etiam requirit causæ cognitionem, & qualem; item qui audiri & consentire debeant, ibid. n. 6. 7. Dissolutio ad vitam hodie non admittitur, ibid. num. 9 Effectus dissolutionis, ibid. num. 10.

VOLUNTARIUM.

Voluntario quâ ratione opponatur metus, p. 2. t. 13. c. 9. n. 1. 2. Voluntarium directè quænam dicantur, p. 2. t. 10. c. 7. n. 14. Principia ex quibus dignoscitur an aliquid sit indirectè voluntarium, ibid. num. 15. & seq.

VOTUM.

Votum nullum particulare pristinæ Professionis formulæ exprimebant, p. 1. t. 27. c. 3. n. 1. Tacitè tamen tria vota essentialia in omni professione continentur, ib. n. 2.
Votum Castitatis quænam involvat, p. 1. t. 30. c. 1. num. 9. Ejus transgressio vocata Bigamia similitudinaria, ibid. p. 2. t. 13. c. 4. n. 3. Pejor est Adulterio, ibid. n. 4. Peccato carnis ratione voti superadditur sacrilegium.
Vide Sacrilegium.
Matrimonium contra votum Castitatis initum, semper graviter fuit damnatum, p. 2. t. 13. c. 4. n. 1. Pœna Capitalis decernitur in eos qui Virgines sacras ad nuptias sollicitare audent, ibid. nu. 2. Olim tamen Matrimonium earum non erat invalidum, ibid. nu. 3. & seq. Dispensatio super voto Castitatis perpetuæ, qua ex causa concedatur, p. 2. t. 14. c. 4. n. 12. Hujus dispensationis formula, ibid. Ejus vigore tantùm semel potest contrahi matrimonium, ibid. & n. 14. Hoc non procedit si matrimonium non fuerit consummatum, ibid.
Voti distinctio in simplex & solemne olim ignota, p. 2. t. 13. c. 4. n. 7. Monachorum & virginum matrimonia, eti gravissimè damnata, habebantur valida, ibid. nu. 3. & seq. Quandonam illa distinctio recepta, ibid. numer. 7. 8. Solemnitas voti & ejus efficacia ad dirimendum matrimonium in quo consistat, & unde procedat, p. 1. t. 30. c. 1. n. 13. & p. 2. t. 13. c. 4. n. 10. & seq. Primum votum quod emittunt Scholares Societatis Jesu, rectè quodam sensu dici potest solemne, p. 1. t. 30. c. 1. n. 15. Ordo ex quo capite dirimat Matrimonium, p. 2. t. 13. c. 4. n. 14.
Votum annexum Ordini Sacro non dissolvit matrimonium ratum non consummatum, p. 2. t. 15. c. 1. num. 12. Nec illum effectum habet votum, quod emittunt Scholares Societatis Jesu post biennalem probationem, ibid.
Vide Matrimonium.

USURA, USURARII.

Usurariis denegatur Sepultura Ecclesiastica, nisi usuras cum effectu restituerint, aut sufficientem de eo cautionem præstiterint, p. 2. t. 38. c. 6. n. 25. Hæc pœna erit sine effectu si hodierna usuræ pallia admittantur, ibid. nu. 26. Crimen Usuræ ad cujus cognitionem spectet juxta concordata Brabantiæ, p. 3. t. 4. c. 5. num. 37. Varii contractus de usura notantur, ibid. & num. 38.

X.

XENODOCHIUM.

Vide Hospitale.

FINIS.

Digitized by Google

XV
G
16
Digitized

Digitized by Google

Digitized by Google

XV. G. 16.

Digitized by Google

Digitized by Google